221

CODEX FABRIANVS DEFINITIONVM FORENSIVM ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ SENATV TRACTATARVM,

AD ORDINEM TITVLORVM CODICIS IVSTINIANEI, quantum fieri potuit ad vſum forenſem accommodatus,

ET IN NOVEM LIBROS DISTRIBVTVS:

Auctore ANTONIO FABRO, *I.C. Sebuſiano, Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Conſiliario ab intimis, & in ſupremo Sabaudiæ Senatu Præſide primario.*

OPVS OMNIBVS IVRIS STVDIOSIS VTILISSIMVM, ſed Pragmaticis præcipuè neceſſarium.

POSTREMA ET POSTHVMA EDITIO, AD AVTOGRAPHVM ET ACCVRATAM Auctoris Recenſionem expreſſa: Variis inſuper vltra centum Senatuſconſultis & nonnullis etiam Nouis Titulis, Allegationibus verò Notiſq; quamplurimis & Definitionibus aucta:

QVÆ OMNIA OSTENDENT NVMERI IPSI TITVLORVM, Definitionum & Notarum.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM CAROLVM EMANVELEM Sabaudiæ Ducem, Subalpinorum Principem, &c.

Cum Indice multò locupletiore, & in vnam Conſonantiam hâc primum Editione redacto.

221



GENEVÆ,
Apud Petrum & Iacobum Chouët.

M. DC. XL.
CVM PRIVILEGIO.

BIU Cujas

CAROLO EMANVELI
SERENISS. SABAVDIAE DVCI,
SVBALPINORVM
Principi, &c.

ANTONIVS FABER S. ET F. P.

QVOD mihi iampridem solemne est, ac propemodum ex voto, SERENISSIME DOMINE, vt quicquid vnquam erit meæ siue industriæ, siue diligentiæ, totum id Celsitudini tuæ deuotum sit, & consecratum, ancipitem me aliquandiu consilij tenuit, an hunc meum Codicem amplissimo nostri Senatus ordini inscribere deberem. Verebar enim ne non seruarem propositum, si alij quam tibi quicquam ex meo dicarem. Præsertim vero, si hoc opus, quod etsi mixorem fortasse ingenij pro me laudem, maiorem tamen haud dubie, nec fallor, apud omnes habebit gratiam, quam habuerint cætera, quæ à me non pauca in publicum hucusque prodierunt. Siue quod pigra multorum auiditas nihil tam impatienter scire desideret, quam quo iure vtamur in forensibus disceptationibus, ne inquirendum habeat, quod difficilioris est inuestigationis, quo iure vti debeamus: siue potius quod non tam meum, quam totius tui Senatus opus esse, & hoc ipso longe præstantissimum existimari debere videatur. Subiit tamen illa statim cogitatio, alienum fore non minus à tui nominis gloria; quam à Senatus nostri dignitate, si Senatusconsultorum Sabaudiensium Codex mancipatus Senatui, non crederetur dicatus etiam Tibi, cuius augustissimum nomen, &, quæ ex solo nomine, auctoritatem Senatusconsulta ipsa omnia magnifice præ se ferunt. Vbinam enim gentium aut illustrior, aut glorioſior CAROLVS EMANVEL, quam cum è supremo Senatus sui solio iudicat populos in æquitate, munusque illud implet sanctissime, cuius potissimum gratia Principem se à DEO Opt. Max. tot populis datum esse intelligat? Potuit ergo quicquid hoc est operis, & debuit cum tua bona venia offerri Senatui, cuius non tantum imperiis inchoatum, sed etiam laboribus perfectum & absolutum est: Sed debuit etiam, ac primum Tibi, cuius auspiciis: Tantoque dignius ac conuenientius, quanto præclarius tua facis omnia, quibus auctoritatem tuam impertiris. Tibi vero, non tanquam Principi solum meo, vt cætera, sed tanquam Principi Senatus, nec vt Marti vel Apollini, sed vt Ioui, cui Astræa filia, soror Themis, mater Aeternitas, pater vero & Saturnus non alius, quam Deus ipse Opt. Max. qui iudicium suum Duci dedit, & iustitiam suam filio Ducis. Vtinam vero talis tantusq; esset hic Codex, vt de tuo nomine ad exemplum Codicis Henrici nuper in Gallia editi potuissem inscribere CODICEM EMANVELEM. Fuisset id mihi longe glorioſius, quam de meo nomine, quod nullius plane precij esse sat scio, inscribere Fabrianum: Tibi autem, quod vnicum ambitionis meæ votum est, multo etiam, si bene suspicor, acceptius. Sed maioris ea res erat & animi & ingenij, quam vt à me vel suscipi vel præstari posset. Neque rursus video, quænam operis tanti materia & tuo nomine digna posset occurrere, nisi forte illa, de qua te aliquando

BIU Cujas

præclare dissentem audire memini. Cum miraris tam varias & contrarias Interpretum nostrorum de qualibet fere iuris propositione sententias, & tam multa non modo diuersa, sed etiam plane pugnantia rerum similium dissimiliter iudicatarum exempla. Videbaris enim, nec subobscure, quasi te pro Iurisprudentia nostra tantæ puderet inconstantiæ, velle non modo remedium quærere, sed etiam auxilium præbere ad tantam litium materiam è Republica profligandam, si modo se offerrent, qui tam idonei paratique essent ad rem istam adgrediendam & perficiendam, quam tu facilis ad præstandam auctoritatem, testandámque tuam in eos singularem, qualis erga literatos omnes esset solet, liberalitatem & munificentiam. Etsi vero non ego is sum, de quo te debeam credere tum cogitasse, vt mè opus illud audere velles, præsertim cum eo tempore adstarent grauissimi alij plerique viri ex maioribus tuis Consiliariis inter præcipuos totius Italiæ Iurisconsultos nominis & eruditionis fama celeberrimi, quibus ea cura demandari tutius ac iustius potuisset. Fatebor tamen candide, pensaui exinde apud me sæpenumero, non an digna res esset, de qua cogitare deberem (quis enim dubitaret?) sed an dignus ego, qui de ea cogitarem. Siue autem fefellit me desiderium, quo ardeo tua capessendi & exequendi imperia, siue amor meus incredibilis erga Iurisprudentiam, quam habui semper ipsa propemodum vita mea chariorem, facile mihi persuasi, posse me, si iuberes, etiam in hoc scribendi genere aliquid assequi, quod & animo tuo facere posset satis, & bono etiam publico non parum commodare: Ne essent in posterum tam incerta & vaga iura omnia, quam sunt hodie per imperitiam & inscitiam eorum, qui ius nostrum siue docendo, siue scribendo, siue iudicando sic tractant, quasi ex opinione æstimandum sit, non ex ratione. Cuperem tamen in tanto negotio temperamentum hoc adhiberi, quod esset certe perneccessarium, ne quid nisi nudam à me operam & diligentiam exigeres, iudicium vero vtriusque Senatus tui interponeres, vt coniuncta tantorum virorum auctoritas iudicij quoque tui accessionem mereretur in adprobandis omnibus iis, quæ illi adprobassent. Quis enim ferret ex vnius hominis etiam, qui me ingenio & doctrina longissime superaret, arbitrio iudicioque constitui iura in vniuersum, & quæ Rempubl. vniuersam in perpetuum essent obligatura? Esset id sane non modo periculosum nimis, sed etiam sine exemplo. Placeret autem, si tu probares, inscribere CODICEM EMANVELEM RERVM IVDICATARVM, qui titulus esset omnium amplissimus & ad vniuersa, de quibus quæstio potest incidere, etiam minutissima quæque amplectenda commodissimus. Non esset quidem ea operis auctoritas, vt vbique terrarum posset ius facere, aut inter alios, quam inter tuos: Sed tamen sperandum esset fore, vt ve eum adprobaturi essent Principes cæteri, si rationis potissimum, quæ gentibus omnibus communis est, auctoritate niterentur, vel exemplo tuo idem facturi, vt populis suis consulerent, quos viderent eadem litigandi insania æque vexatos, fatigatos, laceratos. Publice namque vtilius multo esset, in vtram vellent partem ius certum etiam periniquum statuere, quam dubium & incertum relinquere iudicibus pro arbitrio constituendum, litigatoribus diuinandum. At sum ego parum consideratus, qui post inchoata iam tot alia opera, quibus absoluendis tres trium Nestorum ætates vix possint sufficere, hoc præterea oneris mihi imponi videor cupere, quod etiamsi vltro impositum esset, detrectare potius & excusare per modestiam meam deberem. Non nego. Sed sunt, vt Plato dicebat, inconsiderati, vt plurimum, impetus isti amoris, & ob hoc ipsum venia digni, tum quoque cum admixtam habent, vel temeritatis vel audaciæ notam. Amo mirabiliter, colo & obseruo, ac quod magis est, (cur enim dissimulem?) ambio tua imperia, Sereniss. Domine, amo incredibiliter Iurisprudentiam, amo denique quicquid boni publici speciem habet, multo magis, quod rationem: Hinc nimirum fit, vt non pudeat promittere, supra etiam quam videar præstare posse, scilicet vt intelligas nihil esse tam arduum, quod si imperes, non sim ausurus, nihil tam difficile vel incommodum, quod nisi prorsus mihi ἀδύνατον fuerit, non sim præstaturus. Bene vale PRINCEPS SERENISS. Vale iterum, & cum tuis omnibus semper fœlix viue. Ex Necio Allobrogum 6. Cal. Decemb. 1605.

ORDI-

BIU Cujas

ORDINI AMPLISSIMO
SVPREMI SACRIQVE
SENATVS SABAVDIÆ

ANTONIVS FABER SENATOR S.P.D.

MIRANTES vidi antehac pleroſque, nec miratos miror ego, Patres Conſcripti, quid cauſæ eſſet, quod in tanta quanta hodie paſſim eſt ſcribentium copia, & eorum maxime, qui rerum à ſupremis vndequaque tribunalibus iudicatarum libros ediderunt, tam pauci ex noſtratibus fuerint hactenus, in quorum animos hæc cura peruaſerit ſcribendi aliquid de iure: Qui vero Senatus noſtri Placita, quæ tam multa tamque ſingularia in hunc vſque diem prodierunt, aut exceperit, vt euulgaret, aut excepta tandem euulgauerit, prorſus nemo: Cunctantibus ſcilicet vniuerſis & hæſitantibus in tentando eo, quod ſinguli non modo audere ſi voluiſſent, ſed etiam exequi nullo negotio, nec ſine ſumma ingenij laude potuiſſent. Nam à quo tempore poſt recuperatam à Diuo Emanuele Phileberto feliciter fortitérque Sabaudiam Senatus hic noſter ab eo non tam reſtitutus quam tum primum erectus fuit, quis neſcit quanta is ſemper & apud exteras quoque gentes floruerit gloria, quantaque nominis celebritate? Tanta certe vt ex tot ampliſſimis purpuratorum Patrum ordinibus toto terrarum orbe ſyderum inſtar coruſcantibus, ſi quis quærat quem huic noſtro conferre poſſit, ſiue ſanctitatis & integritatis, quod primum ac præcipuum eſt, ſiue, quod ſecundum nec minus neceſſarium, conſpicuæ eruditionis fama, inuenturus ſit fortaſſe non dicam paucos, ne quid de cuiuſquam laudibus detraham, ſed tamen nec valde multos. Quem vero iure debeat anteponere, plane nullum. Ac mihi quidem huius rei cauſas perſæpe diligentius & curioſius indaganti, tandem illa probabilior viſa eſt; quæ prior occurrit, quod primis illis tanti naſcentis Senatus exordiis perexiguus Senatorum numerus, ſed qualium Deus bone, quantorumque virorum! conſcriptus eſſet, quibus tamen non ſolum adminiſtrandæ iuſtitiæ, ſed propemodum totius etiam Reipublicæ gerendæ ſumma nouis ac periculoſiſſimis temporibus credebatur, ne dubitari poſſet quam vere olim à ſapiente dictum eſſet, ibi ſalutem eſſe non vbi multorum, quod imperitiores opinantur, ſed vbi multa ſunt conſilia. Nec enim facile in tam paruo numero quiſquam eſſe poterat, qui ſuis viribus adeo confideret, vt à publicis functionibus ſatis ſe otiis ſubtrahere poſſe putaret ad rem tanti momenti adgrediendam, vtiliſſimam quidem illam Reipublicæ & auſu ipſo nedum conatu laudabiliſſimam, ſed in qua tamen videret futurum, vt ageretur non de ſua tantum, ſed de vniuerſi præterea ordinis ampliſſimi dignitate Grauitérne dicam magis, an modeſte? Illa certe, quæ tales viros maxime decebat prudentia, qui neque gloriolam in re ſummi periculi aucupandam eſſe arbitrabantur, neque ſibi adeo blandiendum, vt in quo aliis etiam omnibus ſatisfieri poſſe crederent, in eo quiſquam ipſorum ſibi quoque omnino ſatisfacturus videretur. Nimirum, ſibi potius quam aliis poſſe ſatisfacere, leuioris ingenij iudiciique non leue argumentum eſt. Aliis autem omnibus ita quem ſatisfeciſſe, vt ſibi vni munus ſatisfecerit, nihil certe aliud eſt quam cæterorum omnium ingenia iudiciaque, ſi non ſemper iudicio, ſaltem ingenio votoque ſuperaſſe. Et vere nihil aut prudentius aut ſagacius ab iis præuideri potuiſſe, poſtea ex euentu ap-

BIU Cujas

patuit, cum ob id solum quod tam pauci Senatores tot negotiis sufficere non possent, augeri numerum necesse fuit, tantoque exemplo comprobari. Magnitudine negotiorum quantacunque sit, posse hominis vel vnius dummodo exercitatissimi diligentiam superiorem esse, multitudini vero rerum eodem tempore tractandarum industriam paucorum hominum, ne quidem parem. At vbi cœpit Senatus noster esse non sanctior vel doctior, sed auctior (tanta enim illa maiorum nostrorum sanctitas & eruditio, cui nihil penitus deerat, per nos retineri tantum potuit, non augeri) cœperunt quoque multi ex nobis percupere, vt se aliquis offerret, qui hanc sibi operam vltro indiceret, nonnulli etiam sperare aliquando & breui futurum, de quo amplius non dubitabatur, quin fieri tandem & posset & deberet. Memini equidem cum pleno Senatu hac de re sermo pridem incidisset, sibique Senatus eo die admodum placuisset in quodam Placito, cuius memoria digna videbatur, quæ & ad posteros, & ad exteros transmitteretur, Virum clarissimum Raymundum Pobellum, qui tum secundas in Præsidibus partes tenebat, magnum quidem illum, sed maioris hoc ipso Catharini illius Protopræsidis nostri filium, nostram omnium quotquot tum aderamus, siue socordiam, siue pusillanimitatem grauiter more suo, seuereque incusare, quod cum sibi fere quisque priuatim Senatusconsulta excerperet, nemo tamen de iis in publicum edendis cogitaret, quasi priuatæ quidem vtilitatis aliquam, at publicæ nullam penitus rationem haberemus: cum non esset ex nobis, qui non videret accidere quotidie, vt incredibili & litigantium vexatione, & patrimoniorum iactura nouæ passim lites succrescerent, ob id præcipue, quod ea ipsa, quæ iam multoties iudicata fuerant, ignorarentur, & ex ignoratione in dubium reuocarentur. Mox conuersis in me vnum oculis; Quidni tu Faber, inquit, hanc potissimum curam suscipis, & in ista ætate, quæ longiores annos pollicetur, vberrimam gloriæ messem occupas, quam etsi forte quis alius vel audentior, vel ambitiosior præripere tibi vellet, deberes etiam inuidere? Satis iam superque & otij & negotij literarij scholis dedisti, tot Coniecturarum libris editis (sex enim priores iam tum ediderat) & quid in eo scribendi genere assequi ac præstare possis, non infeliciter ostendisti: Reliquum est, vt te posthac totum mancipes curis studiisque forensibus, vnde maiorem tu laudem, Respublica vtilitatem, hic denique Senatus noster dignitatem sit reportaturus. Annuistis Patres, qui tum aderatis, & vt tanti Præsidis consilia pro iussis vestris capesserem, cohortati estis, suasistis, imperastis. Quid feciſſem ego? Annuissem-ne pariter, an negassem? Annuere temerarij fortassis erat hominis & imprudentis. At negare contumacis certe fuisset, ac impudentis. Poteram quidem modestius nec inepte Poeticum illud vsurpare:

Ex omnibus vnum
Eligat Ordo virum, dum non sit in omnibus vnus:

Quis non enim ex reliquis me vno diligentior, eloquentior, eruditior, vt tantæ molis opus & adgredi securius, & peragere felicius potuisset? Erant omnes sicut ætate, ita ingenio multaque forensium negotiorum exercitatione longe prouectiores, ac, quod erat prorsus consequens, multo peritiores & iudicatarum rerum & iudicandarum. Ego autem nouus plane rudisque Senator, & ingenio non quidem à praxi penitus alieno, sed tamen, ne quid dissimulem, propensiore in eam scribendi rationem, quæ ad theoriam, quam quæ ad praxim pertineret. Enimuero cum res in eo esset, vt vel de nominis mei fama, quæ iam tum aliqua suboriri credebatur, vel de constanti mea perpetuaque in amplissimum Ordinem obseruantia necessario mihi periclitandum viderem, periculo famæ obsequij laudem prætuli, quam ipsius etiam vitæ precio comparandam, si nondum parta: Sin amissa esset, recuperandam redimendámque esse existimarem. Præsertim cum meam siue industriam, siue diligentiam viderem à vobis requiri, Patres, in ea re, quæ laborioſi magis quam ingenioſi operis esse dicebatur: In quo suspiciendi negotij genere aliquam adferre excusationem, quid aliud est quam & insciticæ & negligentiæ omnium fœdissime inhonestam veniam deprecari? Nec mora. Idem mihi & obsequendi & exequendi fuit dies, cœptaſque ab inde notulas Senatusconsultorum, quæ quotidie memorabiliora prodibant, non destiti referre in Commentarios tam accurata pertinacique contentione: vt nihil pene excideret aut præteriret, quod obseruatione aliqua dignum videretur: Tanta vero in Senatum veniendi assiduitate, vt abesse me vix vnquam contigerit per totum illud decennium, quo mihi non alibi quam inter vos viuere ac sedere datum fuit, nisi cum vel à vobis, Patres Conscripti, legatus ad Sereniſſimum Principem, vel à Principe, nunc in

hanc,

BIU Cujas

hanc, nunc in illam prouinciam pro temporum necessitate missus parere habui necesse. Ita factum est, vt congestis per tot annos quamplurimis Placitis, & ad eum vsque numerum, quo totum opus concludi posse videbatur, iam absolutum putarem, quod postea comperi vixdum bene tum fuisse inchoatum : Non absimilis hac parte Menandro illi præclaro inter Græcos & insigni Comico, qui tertio ante recitandam Comœdiam die, quam multis antea mensibus componendam receperat, increpatus ab amicis, quod necdum de effingenda ea cogitaret, facete non minus quam confidenter respondisse fertur; Bono vt essent animo. Iam enim se compositam habere, nec quicquam sibi faciendum amplius nisi versus, supereſſe. Vtinam vero, quam erat illi facile conceptam mente Comœdiam continuo elegantissimis verſibus eloqui, tam expeditum mihi fuisse paratam huius operis materiam eà donare forma, quæ conuenientissima videri omnibus debuisset. Satisfeciſſem longe citius ac opportunius, & imperiis vestris, Patres, & multorum votis, qui à quo tempore hanc à me susceptam operam & inchoatam audiuerunt, vt absoluere pergerem hortari primum, postea instare amice, tandem iure quodammodo & suo & publico, quasi in populari actione, quod totius Reipublicæ, suaque potissimum interesse dicerent, vrgere non destiterunt. Torsit vero me illud præcipue, diuque animi pendentem tenuit, quod videbam magnos illos viros, quibus idem studium & propositum fuit conscribendarum, vt vocant, Decisionum, quique in eo scribendi genere præcipuam ingenij & industriæ laudem consecuti existimantur, tam vario dissimilique stylo scripsisse, vt quem potissimum ex iis in exemplum, & ad imitandum proponere deberem, plane non constaret. Sunt qui nimio breuitatis studio tantopere se arctauerint, vt Decisionum notas quasdam, & vt loquuntur summaria potius quam Decisiones scripsisse videantur. Alii lata nimis verbosaque oratione in tam longas prolixasque disputationes se effuderunt, vt Disputationum & Quæstionum libros scripserint verius quam Decisionum: quo vel maxime nomine ipsa potissimum breuitas meo iudicio significatur. Sunt quibus placeant rariores iuris allegationes. Alij quibus frequentiores & copiosiores. Nonnulli quibus eæ tantum, quæ ex putissimis Iurisprudentiæ fontibus haustæ sint & deriuatæ. Plures vero, qui laboris dignitatem præpostera ostentatione diligentiæ ex facilitate metientes, nihil nisi interpretum nostrorum auctoritates sine discrimine collectas congerant, eoque vno labore, qui omnium ignobiliſſimus mihi semper visus est, maxime glorientur. Omnes sane, si vnum Ioannem Lucium Gallum excipiam, doctum quidem illum, sed cui eloquentia Budæi pro Papinianea fuit, adeo sibi placuit in antiquis & obsoletis verbis reuocandis, scripsisse videbam, non modo vulgari sermone & incurioso, sed pene barbaro, certe qui nihil prorsus simile habeat cum tersa illa prudentum nostrorum oratione. Incredibili planeque lugenda seculi huius infelicitate, quæ apud pleraſque gentes eos solos pro magnis Iureconsultis habet, qui non minus barbariem, quam legum peritiam profiteantur, Elegantiores vero scriptores, quos tam multos hæc ætas tulit, non nisi pro Grammaticis, quasi vero clarissima illa iurisprudentiæ nostræ lumina & numina, Vlpianus, Paulus, Scæuola, Pomponius, Iulianus, Papinianus, quos toties nomino, toties miror, toties stupeo, meamque post tot vigilias infantiam & inscitiam deploro, præstantissimi tantum Grammatici fuerint, Iureconsulti vero, si barbaris istis credamus, nullo modo. Debueram cum Ioanne Lucio Annæum Robertum excipere, scriptorem æque Gallum, sed longo interuallo, si quid mei iudicij est, tersiorem doctioremque. Et excepissem sane quam libenter, nisi quos ille superioribus annis post opus nostrum inchoatum edidit perelegantes Rerum iudicatarum libros, sic efformasset, vt facile appareat præcipuam à tanto causarum patrono fuisse collocatam operam, non tam in iudicatis rebus perstringendis, quod ij soli videntur posse certius facere, qui ex iudicantium numero fuerunt, quam in Aduocatorum actionibus & declamationibus egregie concinnandis, omnique & politiorum literarum & eruditionis promiscuæ laude illustrandis. Quod quia tam præclare feliciterque assecutus est, vt frustra eum imitaturus videatur quisquis idem scribendi genus posthac volet eligere, nisi qui se putet ipsum etiam declamatorem Senecam aut Quintilianum posse superare, tanto minus vtique imitationis necessitas cæteris iniungenda fuerit, quibus præripuit ille imitandi facultatem: quæ etsi omnibus salua esset, tamen nec ad imitandum quidem proponendus erat nobis, qui non Declamationum aut Disputationum forensium, vt ille, sed Definitionum libros meditabamur, pluraque millia conscribenda suscipiebamus, quam ille vicena

BIU Cujas

conscripsisset. Quis enim scribendi finis esset, aut quis otij vel negotij modus, si tot Senatusconsultorum pari studio & industria elaborandorum cura, vel à Roberto ipso susciperetur? At nihil est, quod feram impatientius, vt ad Decisionarios nostros redeam, quam quod omnes video, pene nullo ordine, sed confuse ac in solle sic tractasse, omnia, materiarum nulla sibi præscripta serie, vt diligenti & auido lectori multo difficilius sit & operosius, quid quo loco ab iis dictum sit perquirere, quam vbi inuenerit, quæ illi dixerint, aut sensum aut rationem dictorum inuestigare. Vnde fieri & euenire necesse est vt pleraque scitu dignissima passim negligantur, etiam quæ prius fuerint & auidissime desiderata & diligentissime perquisita. In summa cum ex tot scriptoribus nemo esset, cuius non vel ingrata mihi, vel parum honorifica, vel saltem minus apta imitatio videretur; Reliquum erat, vt consilium caperem eius instituendi operis, quod & nouo claresceret nomine, & nouam methodum, nouum stylum, noua denique omnia præter ipsa rerum pondera & momenta ex veteribus prudentum monumentis & consentientibus interpretum scriptis depromenda, præ se ferret. Id vero nec melius nec aptius à me præstari posse credidi, quam si ex ordine titulorum Codicis Iustinianei Placita disponerem, eaque variis quidem, quantum necesse fuit in vtramque partem rationibus breuiter strictéque; vt oportuit disputata, sed nullis allegationum tricis & inuolutionibus interrupta, vt non modo breuiora essent, sed etiam ad legendum & intelligendum expeditiora. Stylum vero eum amplecterer, qui neque Papinianeus dici potest, neque tam diligens fortasse quam ille plerisque visus est; quo nos in reliquis libris nostris vsi sumus, sed paulo familiarior, & nisi me fallo, ad vsum pragmaticorum accommodatior, nec tamen tam horridus & incultus, vt eam ob causam vereri politiores deberent, ne stomachum iis & nauseam facturus esset, Nimirum vt haberent docti, in quo sibi placerent, haberent etiam ex pragmaticis nostri minus periti, quod & intelligerent & amarent. Iampridem enim compertum habeo, quam valde paucis scripturus ille esset, qui non vellet scribere quam doctis & ad Papinianeam iurisprudentiam eruditis. Itaque inscripsi Codicem, vt quiuis intelligeret ad exemplum Iustinianei effictum fuisse. At non Decisionum, ne vulgari nimis tritoque nomine, fortassis etiam in hunc sensum barbaro, rem elegantissimam & præclarissimam exprimere viderer, sed *Definitionum*, quod vocabulum à Papiniano nostro iam olim vsurpatum, semper credidi aptissimum ad ea supremarum Curiarum placita significanda, quæ pragmatici *Aresta*, vel vt alij, *Arresta* vocant, quorum scilicet potestate & auctoritate fit, vt sistantur lites, definiantur & terminentur, ne vlterius progredi possint: quod inferiorum iudicum sententiis etiam quas Definitiuas dicimus, non æque conuenit, à quibus appellatur. Adieci vero, *Forensium & rerum in sacro Senatu tractatarum*, ne quis forte dubitare posset, quin eo nomine non Definitiones illas Logicas, quæ ad quæstionem per Quid est, respondent, ses has ipsas, quas vulgo Decisiones dicunt, significatas vellemus. Placuit vobis inscriptio, Patres, placuit methodus, placuerunt ipsæ etiam quod præcipuum est, Definitiones, nisi vos clarissimorum Senatorum, quibus nominatim legendum accuratius probandumque opus dedistis, relationes testationesque fefellerunt, quarum fide vobis facile persuasum est dignum illud videri, quod in publicum ederetur. Neque tamen, quod ante decreueram, Codicem Sabaudicum inscribere volui. Non ob id solum ne nimis arroganter id à me factum causari quisquam posset, verum etiam ne huius nominis auctoritate fieret fortasse, vt quis crederet non aliis legibus, aut moribus, aut Senatusconsultis nostram regi Sabaudiam, quam quæ à me collecta, & in hunc Codicem redacta essent, neque posthac vobis liberum fore, Patres, ab eo iure recedere, quod & Sabaudicum à me dictum, & à vobis sub eo nomine approbatum fuisset. Malui ergo, neque hoc sine vestro iudicio, inscribere Fabrianum, vt non maiorem sibi apud nostros, nedum apud exteros gratiam & auctoritatem adrogaret, quam quæ nomini meo debeatur, id est plane nullam, nisi quam ipsa iuris ratio & dignitas, scriptis cuiusque vel minimi tegulei præstare possit, vtque omnes intelligerent, si quid est in toto hoc opere, quod à tanti Senatus æquitate ac eruditione alienum videri possit, totum id mihi vni non Senatui acceptum ferri oportere. Scripsi equidem omnia, vt in re tanti momenti fieri oportuit ex bona fide, neque vt à multis aliis alibi factum est ex alieno auditu, at ea tantum quæ vidi ego ipse & audiui, *Et quorum pars parua fui.* Sed agnosco tamen, quæ ingenij mei tenuitas est, fieri non semel potuisse, vt meliorem Senatus mentem vel minus bene perceperim, vel minus apte expresserim: Quorum alterutrum si

quando

BIU Cujas

quando accidit, ne id mihi, neve publico fraudi sit, à vobis, Patres, quanta possum animi submissione supplex oro, petoque vt quicquid illud est, vos pro auctoritate vestra sic esse decernatis, velitis, iubeatis, quasi non magis à me vnquam scriptum fuerit, quam à vobis vel dictum vel cogitatum. Sin aliquid in tanto erit opere, quod æquum & bonum, quod iustum, quod sanctum & eruditum sit (erunt vero, si non plane mihi blandior, huius generis certe non pauca) id omne quantumcunque est vestrum esse profiteor ingenue, ac vt ceteri mecum ita esse agnoscant vestramque sanctitatem & æquitatem suspiciant, exopto. Atque vtinam huius tanti Ordinis dignitati conatus hic meus vestris imperiis susceptus respondere potuisset. Facile mihi persuaderem fore, vt inter istius generis scripta tam multa, Codex Fabrianus, quem si ita esset, vestrum verius quam meum possem dicere, non postremum locum obtineret. Quidni etiam primum, si tam graues talium virorum sententias, tot tantisque rationum ponderibus libratas in vtramque partem disceptationes, ipsam denique vestrum omnium eruditionem cum summa integritate coniunctam, quam exprimere meæ non fuit industriæ, saltem adumbrare ac delineare potuisset? Nam ne singulos commemorem, quos in hoc augustissimo Themidis sacrario cum sedentes intueor, totidem Papinianorum consessum mihi videor intueri, quorum & nomina singula honoris ergo recensere, & merita singularia sigillatim prosequi liberet maxime, si per modestiam vestram liceret. Quales, obsecro, quantique viri fuerunt illi nunquam morituri Pobellii nostri, Millieti, Lyobardi, Vellieti, qui primas in hoc Senatu à primo ipso erectionis tempore ac ex ordine, tanta cum laude tenuerunt? Tu vero imprimis, Carole de Rochete, Præses amplissime, qui ad incredibilem iuris dicundi peritiam longoque vsu fundatam exercitationem adiunxisti tantam nominis celebritatem, tam multis tamque præclaris honorificentissime perfunctis legationibus, vt cæterorum quidem in præcelsa ista dignitate decessorum tuorum gloriam facile coæquaris, superaturus haud dubie, si qua vel arte vel ratione superari ea vnquam ab aliquo potuisset. Exterorum vero etiam, qui de nomine solummodo te norunt, admirationem excitaris, sed eorum multo magis, quibus contigit, vt virtutum tuarum spectatores fuerint, antequam vel auditores, quod ipsum tamen vix vlli contingere vnquam potuit, vel admiratores. Nam siue Placitis extemporaneis perplexissimas & intricatissimas quasque lites præcidere Senatus velit, quod te vno maxime Præside solemne illi est facere, quid mirabilius, quàm te audire formantem simul & recitantem Senatusconsultum ex tempore, tam apta politaque verborum & rerum consonantia, vt nec ipsa temporis & calami opportunitas, si adesset, excellentius quid vnquam elaborare posse videatur?

Aut quis prudentius vnquam
Consilium media cepit gladiator arena?

Sin ex scripto & secretiore consulto definiri litem placeat, quis aut in proponenda facti specie, litisque difficultatibus enarrandis te vno eloquentior, aut in Senatorum sententiis ponderandis, non minus quam numerandis exactior, aut in nouis verisque rationibus indagandis perspicacior, aut denique in moderandis & temperandis ex æquitate asperitatibus iuris, in quo maxime supremi Magistratus singularis quædam Maiestas elucet, prudentior vnquam fuit, & religiosior? Sic denique sentiunt omnes, qui te non modo Præsidem, sed etiam Præsidentem vident, præcipuæ quidem istius dignitatis functionem tibi communem esse cum multis, sed functionis dignitatem certe cum paucis. Patere, vir clarissime, non vt lauderis à me, qui tantæ rei omnino imparem me sentio (etsi ad Senatus nostri gloriam hoc quoque pertineret, vt quod à Præsidibus omnibus ex officio fieri debere iam olim Vlpianus noster dixit, laudes tuas non grauate audires, si tam facile mihi esset laudare te, quàm colere est & obseruare) sed vt ex amplissimo laudum tuarum campo flosculos istos delibare mihi liceat. Ne si in eo, quod omnes sciunt & prædicant, solus ego taceam, plagio id simile potius quàm vel modestiæ tuæ, vel inscitiæ meæ adscribendum existimetur. Illud plane nec tacere possum, nec dissimulare debeo, Patres Conscripti, in tanta honoris accessione, quanta mihi obtigit ex Illustrissimi & Excellentissimi Henrici à Sabaudia Gebennensium Ducis liberalitate ac munificentia, cum salua Senatoriæ purpuræ dignitate asciuit me in Consilij sui Præsidem, annuente Serenissimo Principe nostro, vobis vero

BIU Cujas

ægre quidem ferentibus, qui singularis vester in me amor semper fuit, sed tamen non reluctantibus, sicut præclare cesserunt mihi ac pene supra quam sperare licuerat, cætera omnia (quid enim glorioſius accidere potuisset, quam tantis Principibus, vt sanguine ita consensione animorum coniunctissimis non modo placere, sed etiam non ingratam vtrique ex ordine seruitutem exhibere?) Ita hoc vnum minus feliciter, quod inter vos rarior sedeo, careoque fructu suauissimo quotidianæ consuetudinis vestræ, qua nihil aut honorificentius aut dulcius cuiquam esse possit, quæque ipsa per se mihi omnium optima schola semper visa est, in qua qui legit, docet, qui docet, audit, qui audit, studet. Quam vero fuisset hoc opus non solum voluminis magnitudine, quæ vt Plinius dicebat, non minus libris, quam rebus cæteris fere omnibus pulchritudinem aliquam solet adiicere, sed etiam Definitionum varietate ac præstantia excellentius, si me, vt Senatorem perpetuum, sic Adsessorem quoque assiduum Senatus noster habuisset! At quoniam aliter res cecidit, maiore fortassis & amplissimi Ordinis & totius Reipublicæ bono, ne scribendi materia deesset, si quis se exereret ex tam multis, qui possent, si vellent, quem velle contingeret feliciore calamo id ipsum præstare, quod mihi tentare satis fuit, non eo minus sperare à vobis, Patres, & contendere debeo, vt opus hoc meum qualecumque tandem aut erit, aut esse aliis videbitur, sic accipiatis quasi vestris primum inchoatum auspiciis, vestra auctum elaboratumque industria, vestro denique non modo absolutum imperio, sed etiam permissu editum nunc, & promulgatum. Ita fiet, vt exemplo vestro, quod reliquo terrarum orbi omnium instar esse possit & debeat, cæteri quoque Senatus exteri, etiam quibus meliora domi nascuntur, laborem hunc nostrum laudaturi sint, fortassis etiam iudiciorum suorum, & iudicatorum auctoritate comprobaturi. Quod si eueniet, iuuat confidere futurum, vt ad lites si minus exterorum, saltem nostratium non modo terminandas & finiendas, verum etiam minuendas (quod vnum & prouidentiæ vestræ & diligentiæ meæ votum fuit) non parum adiumenti Codex hic meus allaturus videatur. Sin, quod abominor, hæc me spes fallet, ea tamen suscepti laboris memoriam semper recreabit cogitatio, quod & vobis paruisse in audendo supra quam exequi potuerim, sane perhonorificum mihi fuerit, & publice priuatimque omnibus prodesse voluisse, ipso etiam conatu glorioſum. Valete Patres Conscripti, & qui Fabrum vestrum semper vt fratrem dilexistis, semper vt filium amastis nec vnquam, vt spero, diligendi amandique finem facietis, ferte opem nascenti nunc primum Codici Fabriano, Partum Senatorium ex nomine, oréque paterno agnoscite, atque agnitum benignis & oculis & manibus pro humanitate vestra excipite. Fauete nato, plaudite infanti, quasi nunquam, si quid votis possum, morituro, æternamque meam erga vos & omnes & singulos obseruantiam ac pietatem etiam apud exteros posteroſque fideliter tandem & enixe vbi loqui & audiri cœperit testaturo. Iterum valete, Saluete & Viuite. Ex Necio Allobrogum 3. Cal. Decembr. 1605.

LECTORI

BIU Cujas

LECTORI SVO.

HAbes tandem, mi Lector, Codicem Fabrianum. Illúmne, inquies, quem expectabam? Refert verò multum, quem & qualem expectaueris. Si quasi Gregorianum, vel Hermogenianum, vel Theodosianum, aut quales ætas nostra Gallis binos edidit Henricianos, tua te spes fefellit, non fides mea. Nihil enim tale receperam, nec debuisti à me tam tenui rem tam grandem sperare. Sin Codicem disputationum forensium, ne hic quidem est: librum enim aut alterum promiseram, non Codicem, easq; iam tibi dedit Hemischilias nostra quamplurimas, mutato licèt nomine & scholastico stylo magis quàm forensi. Reliquas dabit ipsa Chilias, si quando erit absoluta. Si verò Codicem Decisionum Senatus nostri efficium ad ordinem exemplúmque Codicis Iustinianei, fidem libero, hic ipsus est quem quæris. Nec te nominis conturbet nouitas, cùm rem teneas: nisi fortè ex ijs Philosophis es, qui Nominales. Illud magis vereor, ne te malè habeat, quòd pleraque hic videbis aliter à nobis quàm vel in coniecturis, vel in Pragmaticorum erroribus, vel in Rationalibus nostris definita. In illis nimirum quid nos sentiremus, scripsimus: hic quid alij. Illic quo iure vtendum putaremus: hic quo vteremur. Itaque pugnantia interdum scribere coacti sumus, qui tamen eadem semper sentimus, nisi cùm in iudicando sententiam dicere ex communi Doctorum opinione etiam cogimur, inuita plerumque non modò scientia, sed etiam conscientia. Improbo planè ac miserando iudicantium fato, quibus necesse ita facere, ne credantur conscientiam onerare, si veram scientiam potius quàm vulgi imperitiam sectentur. Alium fortasse stylum à nobis expectabas. Hoc verò est, quod volebam, vt hic tibi nouus videretur, quod esset gratior. At fuimus, inquies, breuiores quàm oportuit. Hoc quoque bene, si ita est, facti tui pœnas lues, si ex ijs es, qui cæteris scriptis nostris, vt audio, vitium Asiaticum exprobrabant. Faciendum fuit vt intelligeres, etiam ei, cui omnia sint difficilia, facilem esse breuitatem. Non abnuo placere mihi scriptionem prolixiorem, sed eam, quæ omnino distet à loquacitate, nec tamen illam semper nisi cum stylo didascalico est opus. Quid verò commune stylo didascalico cum Senatorijs Definitionibus? aut quid ita simile, cum alijs & contra alios scribere? Nescis falsa stultaque credi omnia, quæ noua, nisi tam multis tamque magnis rationibus fulciantur, vt vetera appareant stultiora? Id autem reliquis scriptis nostris præstare, si non potuimus, certè voluimus. Potuimus plerumque, sanè imò fortasse semper scribere pauciora. Sed tam multa paucioribus verbis vix vnquam debuimus. Idque sentiet ac fatebitur, vt opinor, quisquis hoc ipsum in scriptis nostris tentare volet, quod iam experti sunt plerique, qui scriptorum nostrorum summaria compilare voluerunt. Experieris tu, si tentabis. Sed quid quereris de nostra hic breuitate? An non satis longum tibi amplúmque opus videtur, vt tuam legendi auiditatem explere possit? Credo & patior facile non videri, quia nec scribendi meam explere potuit sitim. De allegationibus magis laboro, quoniam quid stomachi tui futurum sit, nec dum sat scio. Velles forsitan copiosiores? Nihil facilius quàm augere, si maius tibi otium quàm mihi, Bertachinica transcribendi repertoria. An nullas malles? Nec hoc quoque difficile est. Nullas lege. Per me certè licet. Videu' vt à textu disiunctæ sint adeóque nec in marginem, vt ab alijs fieri solet, collocatæ, sed ad cuiusque Definitionis calcem nouo consilio exemplóque & minusculo charactere subnotatæ, ne inuitum te vel offenderent vel morarentur? Impetra si poteris, à typographo, vt solæ Definitiones nullis subiectis allegationibus posthac excudantur. Impetrassem ego facile, si per te licuisset. Quid enim attinebat Doctorum suffragia mendicare ad ea comprobanda Placita, quibus tantus Senatus tot Papinianis fulgens auctoritatem tribuisset? Allatis præsertim etiam rationibus quæ si Senatum ipsum mouere aliquando potuerunt, quidni te vincere nunc debuissent? Hoc saltem satis tibi esse debebat, vt adscriptas haberes leges, quæ probarent, si nolles credere, rationes iuris esse. Quamquam ius ipsum ex ratione æstimandum est, vt scis, non ratio ex iure, multo minùs ex legibus. Alioqui nec Papiniani rationibus crederes, ni Iustinianus imperasset. feci tamen hoc perlibenter, quia facilius & expeditius, quàm quod ab interpretibus nunc his nunc illis pro rerum varietate corrogandum fuit. Habui enim sicut studiorum meorum ita & peregrinationum per Italiam & Galliam assiduos fidosque comites Iureconsultos: Bartolum verò, aut alios Bartolo inferiores, vix vnquam, nisi per occasionem, ne quidem in Italia. Vtinam verò tibi hac parte mens eadem fuisset, quæ mihi. Habuisses annis abhinc octo absolutum editumque hunc Codicem, si potuissem sperare futurum vt nullis auctus citationibus tibi acceptus esset. Pigritiæ votum istud es, inquis. Ita planè. Sed quo meam tuamque cupiebam excitari diligentiam Tuam, vt toties voluendo Pandectas, Codicem Nouellasque, vel quæreres nunc quod inuenires, vel inuenires, quod non quæreres. Illud fortasse commodius & felicius. Sed hoc, ni fallor,

BIU Cujas

multo melius ac vtilius. Nam qui tam citò inuenit quod quærit, vno illo vt plurimum contentus est. Qui verò tardius, is vt multa antè inueniat necesse est, quæ siue aliquando antea siue nunquam quæsita, prosit tamen inuenisse ac didicisse. Meam autem, vt tanto maior à me præstari posset opera vel in absoluenda Chiliade, vel in prosequendis Rationalibus, vel in efformanda nostra Iurisprudentiæ Papinianeæ scientia. Non fallo. Haberes nunc volumen vnum ex tribus illis præter Codicem, nisi me allegationes istæ primo dubium, deinde occupatum tamdiu tenuissent. Hæc sola, mihi crede, longioris moræ causa. Erras, si putas per tot annos opus hoc asseruatum domi vt politius exiret. Totum illud medium tempus quantum à variis aduersæ valetudinis casibus negotiisque molestissimis vacuum esse potuit Coniecturarum libris absoluendis, Chiliadi conscribendæ, Rationalibus inchoandis, denique Iurisprudentiæ nostræ delineandæ datum fuit. Iacebat interim Codex in puluere propemodum neglectus, dum pendebam animi, quid decernere deberem, an vt tibi satisfacerem, qui allegationes istas vrgere videbaris, an vt mihi potius quem pigebat maximè (nec enim dissimulo) tam ignobili labori tantum temporis dare. Vicisti tandem, vt maior à me tui commodi, quàm voti mei ratio haberetur. Etsi non te hanc mihi liberalitatem totam debere volo, sed Senatui partim nostro, qui tot meas noluit perire sibi tibique lucubrationes. Iam ergo desine moram obiicere, cuius incommodum, si quod fuit, nunc vides compensatum tam amplo fœnore: nec pigeat tanto minus tempore à me accipere, qui tanto plus reſoluo. Quid si laborem etiam computem qui in Definitionum summariis concinnandis impendendus necessariò fuit, vt si negligentior es, quod absit (scribo enim vigilantibus, non dormientibus) fauerem tuæ quoque negligentiæ? Parúmne hoc tibi videtur? Senties legendo, si magnum quid non est, quàm tamen sit commodum. Restat, vt eximam tibi scrupulum, si fortè dubitas in tam multis Definitionibus an sint aliquæ inuicem pugnantes. Quanquam vereor ne curiosa & inutilis sit interrogatio, ad quam si millies respondero nullas esse, vix tamen credes, qui non credis Iustiniano affirmanti nihil à se relictum contrarium in toto iure. Et sapis. Reliquit enim ille contraria permulta. Cur mihi magis credas si negem? Idem planè Senatus est, & erit qui fuit, cuius hic Placita, sed non iidem Senatores. Quid mirum si non eædem semper sententiæ? Possum tamen adfirmare solemne illis esse maximè cauere quantum possunt ne vnquam pugnantia statuisse videantur; adeò illis etiam à maiorum placitis discedere religio est, nisi maiore religione, ac conscientia vrgeantur. Nihil ergo contrarium videbis, nisi quod non vel præmonitum saltem vel perrarum. Quid plura? Egimus quantum potuimus, vt siue schola, siue forum te haberet, aquè hic labor noster te iuuaret. Pragmaticus es? En tota hic pene tua Iurisprudentia. Ideo nimirum multa interserere necesse fuit, quæ doctioribus vulgaria videbuntur, tibi fortasse magna, certè vtilia omnia. An theoricus? habebis etiam quod te delectet, cùm iuris nostri principia videbis ex arte ad praxim accommodata. Reliquum est, mi Lector, vt te iubeam bene valere. Tu vicissim Fabro tuo, qui tantopere te amat, quisquis es qui amas Iurisprudentiam, bene omnia precare. Vitam etiam, si voles, & si quid hoc ad rem tuam pertinere putas, longiorem dum addas, quod pro summa benignitate sua faxit Deus Opt. Max. & meliorem. Iterum vale & fruere.

IN PA-



BIU Cujas

IN PATRIS

COMMENDATIONEM

RENATI FILII

Carmen.

FERTVR Alexander, magni cùm facta parentis
Fama cani, atque virûm volitare per ora iuberet,
Ingemuisse, sinum lacrimisq; implesse subortis,
Talia secum agitans: Sic, siccine gloria soli
Tota patri fuerit, nec certior altera nato,
Quàm talem genitum tanto de stipite truncum!
Spartanos ergo victos, Thebasque feroces,
Atque suis domitas armis iactabit Athenas,
Nec nisi toto vnus memorabitur orbe Philippus!
Solius ergo patris nomen sine fine manebit,
Nostrum inhonoratum semper sine laude iacebit?
Ergóne idem famam, quod conteget ossa sepulcrum?
Parce pater, nec parce tamen, si hæc nostra negabis
Digna illo, qui te velit olim dignus haberi:
Absit vt inuideam, sed cur tua gloria nostræ
Inuidet, optatosque negat per bella triumphos?
Desine bellare, vt restet mihi vincere, vel sit
Nil reliqui vitæ mihi si victoria nulla.
Talibus & lacrymis & vocibus ille parentis
Vrgebat laudes, referens quas ferre nequibat.
Quidni etiam similes de te, pater alme, querelas,
Déque tuis scriptis simili posim edere planctu,
Si tanto me patre satum, mea gloria tota est?
Nam seu barbariem intrepido tibi Marte domandam
Adgrederis, seu pragmaticis errantibus instas,
Vt meliore via redeant, ac iura capessant,
Siue fatigatum tot victis vndique monstris
Prudentum responsa iuuat tractare virorum,
Et quantum ratione queas, valeasque docere:
Seu sacrosancta lubet tanti consulta Senatus
Pandere, non populis tantum placitura Sabaudis,
Sed toti reliquo legem orbi aliquando datura,
Quid supereſt, pater alme, tuis quod vel noua possit
Addere, vel vetus emendare peritia chartas?
Quis numero tecum, aut merito certare librorum
Audeat, & paribus posthac contendere scriptis?
Ille vnus, si forte quis est prudentibus ipsis
Doctior antiquis, doctis prudentior ijsdem.
Qui si iam rediuiui in secula nostra redirent,
Te facerent, pater alme, parem, ne forte priorem
Dicere te consulta Themis se iudice vellet.
Quænam igitur mihi spes, quæ fratribus optio restat,
Si postquam nobis tua scripta imitanda dedisti,
Nil reliquum tamen esse sinis, quod nostra labore
Aut præstare opera aut tentare imitatio possit?
Quid tam profuerit, si te, Pater optime, fusis
Exorem lacrymis, ne quid mage scribere pergas:
Vtque mihi, vtque alijs, quantum est quod scribere gestis,
Et quæ iam meditare immensa volumina iuris,
Ingenij monumenta tui, peragenda relinquas,
Si quis erit, qui posse velit, qui velle potis sit,
Conatu fortasse pari, sed dispare penna?
Debueras potius nil scribere, deinde rogari
Per me, per fratresque meos, vt discere sub te
Quæ licuit, nobis ea te dictante liceret
Scribere sic alijs, possent vt nostra videri.
Sic magnum te nostra patrem testata fuissent
Scripta, nec indignos tanto genitore sequaces:
Votaque Alexandri cessissent impia nostris,
Nec palmis minus illa tuis præclara Philippi
Gloria, tot tantisque ruens malè parta trophæis.
Ast quia visum aliter superis, vt scribere multi
Ante Fabrum possent de iure, at scribere post te
Deberet nemo, nisi quem non forte puderet
Ingenio ceu ætate tibi concedere primas,
Nec nisi, magnanimo idque ausu, sperare secundas,
Peccem ego primùm in te, tum in publica commoda, peccent
Mecum alij, nisi te quotquot sumus, ecce, rogamus,
Vt quale est, quantumque siet quod scribere gestis,
Et quæ iam meditare immensa volumina iuris,
Ingenij monumenta tui immortalia quondam
Tu peragas, nullique alij peragenda relinquas.
At quia quod sat erat, scripsisti vt viuere posses,
Nunc viue vt scribas, téque & tot respice natos

BIU Cujas

Funere materno miseros, te sospite saluos:
Et cui tota studere fuit, non viuere vita,
Nec studium tamen vllũ aliud nisi scribere semper,
Nec satis infirmæ, satis anxia cura salutis,
Iam studio meliore tibi, meliore tuisque
Parce pater calamo, studij vt pars maxima tanti
Non tam scribere sit, quàm viuere, quamq; valere:
Vnius dare quod posset labor improbus anni,
Diuide per multos, sic famam extendere scriptis
Cum vita poteris, cum fama extendere vitam:
Laudibus inde tuis per plurima lustra superstes
Dein cineri post fata tuo per secula viues,
Si modò iuris amor, terras non deseret vnquam,
Nec quæ sola facit Iurisprudentia claros:
Sic tibi Nestoreos triplicet maximus annos,
AEternum vt viuas, scribasque æterna quotannis,
Sic ego te, scriptisque tuis fruar omnibus, vt sit
Quòd tanto sim patre satus, mea gloria tota.

AD LIBRVM.

Tv liber auratis volitans vbi gloria pennis
Effulget palmis vndique cinna suis,
Tu renouans extincta, prius quæ Palladis vrbi,
Quæ Romæ, Solon Pompiliúsque dedit,
Tu calamis, quem sola suis Astræa notauit,
Et propria voluit figere verba manu,
Quam varia mecum sorte es patre natus eodem,
Quamque datur varia conditione frui:
Iam ter septenas ingloria vidit aristas
Vita mea, & mihi me sic perÿsse pudet:
Et vixi, & viuam nullis ego cognitus oris,
Famaque Lethæis iam meæ fertur aquis,
Et quæram studio quamuis memorabile nomen,
Vanus heu! tantum nobilis ardor erit.
At tu vix natus, toto mox notus in orbe,
Temporis haud poteris vulnera dira pati.
Non vt Cumæus rapidis tamen obuius Austris,
Te licèt omniuagum fama per astra feret.

CLAVDIVS filius.

SVPER EDITIONE CODICIS FABRIANI ΑΝΩΝΥΜΟΥ.

Docte FABER, *quanto gaudent interprete legum*
Secula, quæ Musas progenuere tuas.
Χαῖρε ætas, veterum non amplius æmula Patrum,
In natalitium munera solue diem.
En ego non alio vellem me tempore natum,
Quum mihi tam docto contigit ore frui.
Iuris amatores aderunt in carmine testes,
Annon iam pleni copia Iuris erit?

IVRIS.

BIU Cujas

IVRISPRVDENTIÆ
AD ANTONIVM FABRVM
IVRECONS. CELEBERRIMVM

προσωποποιία.

IN medijs latitabat agris, procul vrbibus exul,
Vrbibus vna salus Iurisprudentia, pannis
Obsita, humi geminos defigens lumina soles,
Rugosamque trahens faciem. Prô virgine tanta
Indignum facinus! Mensis accumbere Diuum
Digna, viris Iurisprudentia spreta iacebat.
Nullus erat, per quem potuisset callis adiri,
(Eius enim obscœnæ ambibant penetrale paludes)
Nullus inoffenso poterat pede sistere gressum:
Tentarunt multi, nulli potuere lutosa
Ferre palude gradum. Diuam dum tollere cœno
Continuo sudore student, hærere videres
Fluctibus in mediis (labor est tamen irritus) illinc
Hincque viros. hominum tãdem miserata laborem
Diua, tibi tales mœsto sic ore loquelas
Protulit: ANTONI decus & basis vna sororum,
Et Phœbi soboles, quanto ferar adspice passim
Turbine ventorum, qui méque meamque Capharei
Demergunt proram scopulis rectore carentem.
Vndique me fluctus perplexa indagine cingunt,
Hinc malesuada fames, istinc deformis egestas,
Nusquam tuta salus, nec pernia meta malorum.
Siue domus tacitos repetam de nocte recessus,
Hic me fata manent, hic me malus implicat error:
Siue foris lubeat Zephyros haurire tepentes,
Pone malus sequitur genius, gurgesque malorum
Opprimit insontem. Quæ me fortuna lacessit?
Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?
Nulla fuit per me cuiquam fraus iuncta, nec vllum
Vt memini, vltrici Mauorte, iraque secuta:
Ergo quid immeritam furialis torquet Enyo?
Lancinor ærumnis, nec erit qui tanta misertus
Fata, meum saltem studeat lenire dolorem.
Attamen irriguo potis es mea cernere vultu,
Chara mihi soboles, perituræ incommoda vitæ?
ANTONI, te tanta mei dispendia casus,
Si superesse vigor potis est sub pectore, tangant.
In cunis ego te, si nescis, sedula foui,
Reptastique meo, gratissima sarcina, quondam
In gremio, tenerumque dedi lactare gementi.
Altricis miserere tuæ, quæ finxit, & artus,
Formauitque tuum, non aduersata laborem,
Ingenium, desideriis da vela secundis.
Hæres? aut horres? Faber es, Fabrilia tracta.
Extrue, quo tandem Iurisprudentia possit
Calle peti, pontem, instrumenta Fabrilia sume.
Sume tibi cuneum, clauos tibi Diua ministro,
Vt pons æternos duret stabilitus in annos.
Protinus ad voces gelidus tremor occupat artus,
Tantaque miraris teneris commissa lacertis
Munia, ceu medio suspensus in æquore nutas.
At tales mox Diua tibi sic pectore voces.
Siccine flaccescunt primis sudoribus artus,
Vt vix progressus, molimina prima laborum,
Deficiant? feraque pedem? pigeatque recentis
Propositi? Proh! conditio florentibus annis
Dira nimis! pro dira tuæ primordia vitæ!
Haud vereare tuo capiti committere pondus,
Ast explere para, monituque capessere Diuæ,
Auspiciis adero, & tremulos firmabo lacertos.
Talibus auditis operi te accingis, & omnem
Abstergis tristi subito de pectore curam,
Et Codicem aggrederis, qui iam limatus in auras
Purpureo plaudit manibus plaudente Senatu,
Et cœtu plaudente virûm. Iam figere gressum
Ponte licet, licet & Diuam reuocare sub vrbis
Tecta, Codex stabili firmabit robore pontem.
Pragmaticorum aut as veteres pulmone reuulsti,
Nunc sacri sacra promulgas Sancita Senatus.
Quisquis aues sacrum Iuris potare liquorem,
Sacra pelle sitim, tibi quam Faber elicit, vnda,
Legibus erepti quondam reddentur honores,
Extorris præerit Iurisprudentia rostris.
Hoc duce qui firmum fabricauit, & auspice pontem,
Purpurei haud postremus honos, sacrique Senatus
Gloria non postrema, Fabro. Reuocauit in auras
Mortua quæ longo siluerunt tempore Iura.
Ergo tibi acceptum Iurisprudentia debet,
Quod despecta viris, multo decoretur honore,
Donarisque pedem cœnosa efferre palude.
ANTONI te magna manet post funera merces,
Nec tantùm post fata, sed & dum luminis auras
Carpere permittent Superi, cum fœnore Diua
Præmia digna tuis reddet sudoribus: at si
Vltima fatales occarint stamina Parcæ,
Regnabis, Superis gratissima victima Diuis.

IOANNES VOLCARDVS
Neruius ad Scaldim. 1606.

BIU Cujas

ADPROBATIO.

NOs S. Theologiæ Doctores subsignati, & in conuentu Ecclesiastico, quem Synodum vocant, ab Illustri & Reuerendissimo D. D. Francisco de Sales, Episcopo Gebennensi vigilantissimo, examinatores constituti, quæ in hoc opere scripta sunt à Clarissimo, necnon optimè de re litteraria merito Antonio Fabro IC. Sebusiano, in supremo Curiæ Sabaudiæ Senatu Senatore dignissimo, & in Ducatus Gebennensis auditorio Præside amplissimo, omnia secundùm salutarem & orthodoxam Ecclesiæ doctrinam scripta esse, præsertim verò quæ lib.1. tit.1. de Summ. Trin. & Fid. Cathol. aduersus pestilentes nostri temporis Sectariorum errores, & Nouatorum hæreses ab inferis erutas, & iam diu ab Ecclesia reiectas, scripta legimus, ac summa cum vtilitate typis excudi, tutò legi posse, & ab omnibus, qui rectè de Fide Catholica sentiunt, approbari debere iudicamus. In quorum fidem & testimonium hæc scripsimus & subscripsimus: Necij Allobrogum Calend. Nouembr. 1605.

CL. STEPH. NOVELLETIVS.
IOANNES DE AGE.
ROGES.
IANVS DES OCHES.

PRIVI-

BIU Cujas

PRIVILEGIVM.

FRIDERICVS, diuinâ fauente clementiâ, Comes Palatinus Rheni, Sacri Romani Imperij Archidapifer & Elector, eiusdémque in partibus Rheni, Sueviæ & iuris Franconici Prouisor & VICARIVS, Dux Bauariæ. Vigore præsentium notum facimus omnibus & singulis, quod dilecti nostri PETRVS & IACOBVS CHOVETI GENEVENSES, demissè nobis exposuerint, se ANTONII FABRI IC. Sebusiani, CODICEM DECISIONVM, non autoris tantum permissu, sed contractus etiam cum ipso iure, & oneroso titulo, suis solorum sumptibus vindicata, adeóque sub Regiæ Maiestatis in Galliâ priuilegio, rei literariæ bono antehac in lucem edidisse, porróque edere & recudere statuisse. Vereri autem, quod sæpè in aliis editionibus malo exemplo fieri solet, ne alij Typographi quæstus causâ, has suas editiones quibusdam coloribus mutent aut imitentur, & commodo, quod pro laboribus sperent, ipsos spolient aut frustrentur: His de causis nobis humiliter supplicarint, vt hac parte suæ indemnitati aduersus æmulorum fraudes & technas pro potestate VICARIATVS IMPERIALIS, qua nunc potimur, clementer consulere dignaremur. Nos igitur præsentibus hisce benignè annuentes, vti etiam per præsentes annuimus, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, & aliis quibuscunque negociationem librariam in SACRO IMPERIO ROMANO exercentibus, firmiter inhibemus, & pro autoritate & potestate VICARIATVS nostri districtè mandamus, & specialiter vetamus, ne quis prorsus cuiuscunque conditionis, gentis vel nationis sit, has editiones vllo modo intra spacium DECEM ANNORVM, à prima editionis die computandum in sacro Romano Imperio imitari, interpolare, transformare, recudere vel alio recudendos dare, vel etiam alibi impressos vendere, distrahere, clam, palamve, citra prædictorum CHOVETORVM vel hæredum ipsorum, vel causam iusve ab iis habentium, voluntatem & consensum specialem præsumat, sub pœna amissionis librorum perperam ita recusorum, quos prænominati CHOVETI sibi ipsis vendicare poterunt, ac insuper DECEM MARCHARVM auri puri mulcta, partim Fisco Imperiali fraudis vindici, partim modo dictis impetrantibus ex æquo, omni spe veniæ sublata, quotiescunque contra priuilegium & mandatum hoc nostrum, qui Vicariatus Imperialis munere fungimur, factum fuerit, pendenda. Hac tamen lege addita, ne libri isti ita editi vel excusi, quicquam in se sacri Romani Imperij Constitutionibus, aut Orthodoxæ Religioni Christianæ, vel bonis moribus aduersum aut contrarium, siue in præfatione, siue in textu, seu aliàs quoquomodo contineant; & ipsi CHOVETI terna aut quaterna exemplaria cuiusque libri ad minimum, suis sumptibus quamprimum ad Cancellariam nostram Electoralem transmittant, itémque vt libros hosce in sacrum Romanum Imperium inuectos & illatos prætio etiam iusto, quod modum non excedat, deve cuius iniquitate S. Romani Imperij subditi non possint conqueri, distrahant & diuidant. Mandamus ergo vniuersis sacri Romani Imperij subditis, cuiuscunque status, gradus conditionis aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, præsertim verò iis qui in Magistratu constituti, vel proprio vel superiorum suorum nomine & loco, iuris & iustitiæ administrationem exercent, ne vllo prætextu vel colore quenquam priuilegium hoc nostrum temerè vel impunè transgredi aut violare patiantur, neque tantum in tali casu præallegatos Chouëtos eorumque hæredes & causam ab iis habentes, in persecutione sui iuris prompta cognitione & executione adiuuent, promoueant & protegant: sed & insuper contumacem vel contumaces, si quos compererint, præscripta pœna plecti, aliisque idoneis modis coërceri curent, ni & ipsi in easdem pœnas & mulctas incurrere velint. Id quod hoc diplomate manu nostra subscripto & sigillo nostri Vicariatus munito confirmamus. Præscriptum Heidelbergæ die trigesima mensis Iunij, anno Domini Saluatoris nostri, millesimo sexcentesimo decimo nono.

FRIDERICVS E.P.

Ioh. Christoph. de Grun. Elector.
Palatinatus Cancell.

Ad mandatum Sereniss. Domini
Vicarij proprium

Martinus Hausman Elect.
Palat. Protonotarius.

BIU Cujas

INDEX TITVLORVM
CODICIS FABRIANI.

LIBRI PRIMI.

DE summa Trinitate & fide Catholica, tit.1.pag.1
De sacrosanct.Eccles. t.2.p.1
De Episcopis & Clericis & Monachis, t.3.p.28
De his qui ad Ecclesiam confugiunt. t.4.p.42
De legib.& const. Principum & edict. t.5.p.43
De offic.aduocat. Princip. tit.6.p.46
De Senatorib. tit.7.p.47
De Equite Senatorio tit.8.p.48
De precib.Impe.offer. t.9.p.49
Vt lit.pendent.vel post prouocat. t.10.p.55
Si contr.ius vel vtilit.public.t.11.p.61
De diuers.rescript. tit.12. ibid.

LIBRI SECVNDI.

De edendo, tit.1.p.66
De in ius vocando, t.2.p.73
De pactis, t.3.p.76
De transact. t.4.p.88
De postulând.t.5.p.93
De Aduoc.t.6.ibid.
Vt quæ des.aduocat.part.iud.suppl. t.7.p.94
De Procurat. t.8.p.95
Vt nemo priuat.titul præd.suis vel alienis impon.vel reg.vel suspend.tit.9.p.103
De negot.gest. t.10.p.104
De eo quod met.caus. tit.11.p.105
De in integr.rest.minor. t.12.p.107
De fideiuss.minor. t.13.p.112
De filiofam.minor. tit.14.ibid.
Si tut.vel curat.interuen. t.15.p.114
Si in commun.in integ.rest.pet. t.16.p.115
Si aduers.rem iudicat. t.17.p.116
Si aduers.vend. t.18.p.ibid.
Si aduers.donat. tit.19.p.119
Si aduers.libert. t.20.ibid.
Si aduers.transact. t.21.p.120
Si aduers.dot. t.22.p.122
Si aduers.vsucap.vel præscr.rest.pet. tit.23.ibid.
Si aduers.credit. t.24.p.124
Si minor ab hered.se abst. t.25.p.126
In quibus caus.non est necess.in integr.rest. t.26.p.129
Qui & aduers.quos in integr.rest.non poss.t.27.p.130
Si min.se maior dixerit. t.28.p.132
Si sæpius in integr.rest.post. t.29.p.133
Si maior fact.rat.habuer. t.30.p.134
Vbi & apud quem cognit.in integr.rest.agit.sit.tit.31.p.135
Etiam per procurat.caus.in integr.rest agi poss. t.32.p.136
In integr.rest.postul.ne quid noui fiat.tit.33.p.137
De reput.quæ fiunt in iud.in integr.rest. t.34.p.138
De tempor.in integr.rest. t.35.p.139
Quib.ex caus.maior in integr.rest.tit.36.p.142
De alienatione iudicij mutandi causa facta, t.37.p.144
De arbitr. t.38.p.145
De satisdand.t.39.p.148
De formul.& impetr.act.sublat. t.40.p.154

LIBRI TERTII.

De Iudic. tit.1.p.156
De sportul.& sumptib.in diuers.iudic.faciend. tit.2.p.166
Qui pro sua iurisdict. dare darive poss. t.3.p.171
Ne quis in causa sua iudic. vel ius dic. t.4.p.173
Qui legit.person stand in iudic.hab.vel non. t.5.p.176
Vt nemo inuit.ager.vel accus.cogat. t.6.p.177
De iudic.ordin. tit.7.p.178
De lit.contest. tit.8.p.185
De plur petition. t.9 ibid.
De dilation. tit.10.p.186
De feriis, t.11.p.187
De iurisd.omn iudic. & for.compet. t.12.p.189
Quand imp.int pupill.& vid. t.13.p.202
Vbi de crim agi oport. tit.14.p.203
Vbi conuen. qui cert.loc.dar promis. tit.15.ibid.
Vbi in rem actio. t.16.p.206
Vbi Senat.vel Clarissi. t.17.p.207
Quand.liceat vnicuique, sin.iudic.vindic. t.18.p.208
De inoff.testam. t.19.ibid.
De inoffic.donat.t.20.p.222
De petit.hered. t.21.p.225
De rei vindicat. tit.22.p.228
De vsufruct. t.23.p.235
De Seruit.& aqua. t.24.p.239
De famil.ercisc. t.25.p.243
Commun.diuid t.26.p.248
Commun.vtriusque iudic. tit.27.p.250
Ad exhibend. t.28.p.256

LIBRI QVARTI.

De reb.cred.& iureiur. tit.1.p.257
Si cert.pet. t.2.p.270
De prohib.sequestr.pecun. tit.3.p.278
De condict indeb. tit.4.p.282
De condict.ob caus.dat.tit.5.p.283
De condict.ob turp.caus. t.6.p.284
De oblig.& action. tit.7.p.285
Ne vxor pro mar.aut marit.pro vxor. t.8.p.292
Ne filius pro pat.aut pat.pro filio, t.9.ibid.
Quand.fisc.vel priuat.debit.sui debit conu.poss. t.10.p.296
De heredit.action. tit.11.p.302
Ex delict defunctor. tit.12.p.304
De const pecun.tit.13.ibid.
De probat.& præsumpt. t.14.p.305
De testib. tit.15.p.317
De fid.instrum. tit.16.p.344
Plus valer.quod agit. tit.17.p.354
De pignorat.action.t.18.p.357
Quod cum eo, qui in alien.potest. tit.19.p.359
Ad SC.Maced.& de ratihab.t.20.p.361
Ab SC.Velleian.t.21.p.362
De non numer.pecun.t.22.p.373
De compensat. t.23.p.377
De vsuris & mora. t.24.p.384
Deposit. tit.25.p.398
Mandat.t.26.p.400
Pro Socio. tit.27.p.411
De contrah.empt. tit.28.p.413
De hæred.vel action vend. tit.29.p.417
De rescind.vend.t.30.p.423

Sin.cens.

BIU Cujas

Sin.cens.vel reli.tit.31.p.433
De peric.& commod.rei vend.tit.32.p.434
De action.empt.tit.33 p.435
Si quis alter.vel sibi, t.34.p.439
De comm.rer.alien.tit.35.p.445
De pact.int.empt.& vend.t.36.p.446
De leg.commissor.t.37.p.454
De reb alien.non alienand.& prohib.alien.t.38.p.455
De monopol.& conuent.negotiat.t.39.p.458
De vectig.& commiss.t.40.p.459
De rer.permut.tit.41.ibid.
De locato.tit.42.p.464
De iur,emphyt.& feud.t.43.p 484

LIBRI QVINTI.

De donat.ante nupt.tit.1.p.515
De nuptiis, tit.2.p.518
De incest.& inutil.nuptiis, tit.3.ibid.
Si ex rescript.nupt petant.tit.4.p.521
De secundis nupt.t.5.p.522
De dot.promiss.tit.6.p.527
De iur.dot.tit.7.p.533
De rei vxor.action.t.8.p.550
De pact.conuent.tam sup.dot.t.9.p.559
De dot.caut.non numer.t.10.p.564
De donat.inter vir.& vxor.t.11.p.568
De repud.& iudic.de morib.sublat.t.12,p.569
Solut.matrim.quemadm.dos petat.t.13.p.570
Ne fideiuss.dot.dentur,t.14.p.576
De fund.dotal.t.15.p.578
De natural.liber.& spur.t.16.p.581
De legit.tutel.tit.17.p 586
Qui petant.tutor.tit.18.ibid.
Vbi petant.tutor.vel curator.t.19.p.587
Qui tutor.aut curat.dare darive poss.t.20.ibid.
Quand.mul.tutel.offic.fung.pot.t.21.p.588
In quibus casibus tutor.habent.t.22.p.590
De admin tutor.t.23.ibid.
De peric.tutor.& curat.t.24.p.592
De tutor.vel curat.qui sat.non ded.t.25.p.594
De suspect.tutor.vel curat.t.26.p.595
De in lit.dand.tutor.t.27.p.596
De eo,qui pro tutor.negot.gess.t.28.p.597
Vt caus.post pubert.adsit tutor.t.29.p.598
Vbi pupill.educar.deb.t.30.ibid.
Arbitr tutel.t.31.p.599
De in lit.iurand.tit.32.p.602
De fideiuss.tutor.vel curator.t 33.p.603
De contr.iudic.tutel.t.34.p.605
De auctor præstand.t.35.p.606
De excusat.tutor.t.26.p.607
De præd.minor.& alijs rebus sin.decret.t.57.ibid.
Si quis ignoret rem minor.esse sin.decret.compar.t.38.p.608
Si maior.fact.alien.fact.sin.decr rat.hab.t.39.ibid.
De curat.furios.prodig.absent.t.40.p.609
De magist.conuen.t 41.p.614

LIBRI SEXTI.

De iur.patron.tit.1.p.614
De furt.tit.2.p.617
Quando non petent.part petent.accresc.t.3.p.618
De collationibus tit.4.p 619
De testament.tit.5 p.622
De hered.instit.p.635
De instit.tit.7.p.642
De impub.& aliis substit.t.8.p.643
De liber præterit.t.9 p 656
De posthum.hered.instit.t.10.p.657
De iu.deliber.tit.11.p.658
De repud.vel abstin.hered.t.12.p.675
Quemadm.test.aper.tit.13.p.683
De edict.diui Hadr.tollend.tit.14.ibid.
Si quis aliq.testar.prohib.vel coeger.tit.15.p.687
De iis,quibus vt indig.auf.her.& ad SC.Syll.t.16.p.688
De codicill.tit.17.p.690
De legat.tit.18.p.696
De verbor.signif.tit.19.p.704
Si omiss.sit causa testam.t.20.p.712
De his quæ pœn.nomin.t.21.ibid.
De fideicommiss.t.22.p.713
Commun.de legat.& fideicommiss.t.23.p.733
De his,quæ sub modo legat.vel fideic.relinq.t.24.p.738
De cond.insert.t.25.p.740
De vsur.& fruct.legat.t.26.p.747
Ad SC.Trebell.t.27.p.753
Ad leg.Falcid.tit.28.p.764
De his,qui ant.apert.tabul t.29.ibid.
Quand.dies legat.vel fideic.seru.caus.t.30.p.765
Vt in poss.legat.vel fideic.seru.caus.t.31.ibid.
Ad SC.Tertull.t.32.p.766
De legit.hered.t.33.p.767
De bonis matern.tit.34.p.771
De bon.quæ liber.t.35.p.773

LIBRI SEPTIMI.

De dedit.libert.tollend.& talliabilib.t.1.p.779
De commun.seruo manumiss.t.2.p.796
De libert.caus.tit.3.ibid.
De præscript.quæ pro libert.compet.t.4.p.799
De his,qui manumitti non possunt,t.5.p.801
Ne de stat.defunct.post quinq.quær.t.6.p.804
De acquir.vel amitt.possess.t.7.p.805
De long.tempor.præscript.t.8.p.819
Quib non obijcit.long.temp.præscript.t.9.p.820
Si aduers.credit.præscr.oppon.t.10.ibid.
De quadrien.præscript.t.11.p.824
Ne rei domin.vel templor.vind.temp.præscr.sum.t.12.ibid.
De præscript.30.& 40.annor.& centenaria, t.13.p.825
De sentent.præfect.prætor.tit.14.p 834
De sentent.& interloc.omn.iudic.t.15.p.839
De sentent.quæ pro eo,quod inter.t.16.p.845
Si à non comp.iudic.tit.17.p.848
De fructib.& lit.expens.tit.18.ibid.
De re iud.t.19.p.872
De execut.rei iud.t.20.p.880
Si plur.vna sentent.condemnat.fuer.t.21.p.899
Quib.res iudicata non nocet.t.22.p.900
Comminat.epist.programm.auctor.rei iud.tit.23.p.904
De confess.tit.24.ibid.
Int.alios act.vel iud.non nocet.t.25.p.907
De appell.& relat.t.26.p.908
De tempor.& repar.appell.t.27.p.920
De appell.tanquam ab abusu,t.28.p.925
Quor.appell.non recip.t.29 p.932
Si vnus ex plurib.appell.t.30.p.936
Quib.bon.ceder.poss.t.31.p.937
De bon auct.iudic.possid.& de sep.bon.tit.32.p.939
De priuileg fisc.t.33.p.948
De priuileg.dot.tit.34.ibid.
De reuoc.his,quæ in fraud.creditor.t.35.p.949

LIBRI OCTAVI.

Quor.bonor.tit.1.p.950
Quor.legat.tit.2.p.ibid.
Vnde vi,t.3.p.951
Vti possidetis,t.4.p.964
De noui oper.nunciat.tit.5.p.967
De pignor.tit.6.p.968
In quib.caus.pign.vel hypoth.tacit.contr.tit.7.p.980
Qui potior.in pignor.habeant.tit.8.p.984

BIU Cujas


INDEX TITVLORVM.

LIBRI NONI.

De his qui in prior.credit.loc.succed. tit.9.p.998
Si antiq.cred.pignor.vendid. t.10.p.999
Si commun.res pign.dat.sit. t.11.p.1000
De prætor.pignor. tit.12.p.1001
Si in caus.iudic.pign.capt.sit. tit.13. ibid.
Si pignus pignor.dat.sit. t.14.p.1003
De remiss.pignorum, t.15.p.1004
Etiam ob chirogr.pecun.pign.retin.poss. tit.16.p.1007
De distract.pignor.tit.17.p.1008
Debit.vendit.pignor.imped.non possunt. t.18.p.1020
Si vendit.pignor.agat. tit.19.p.1021
De luit.pignor. t.20.p.1023
Si vnus explurib.hered.debit. t.21.p.1034
De iure domin.impetr. t.22.p.1036
De pactis pignor. tit.23. ibid.
De except. t.24.p.1041
De litigiosis. t.25.p.1056
De contr.& commit.stipulat. tit.26.p.1058
De duobus reis. tit.27.p 1063
De fideiuss.& mandat.t.28.p.1069
De nouat.& delegat. t.29.p.1084
De solut.& liberat. t.30.p.1088
De euictionib. tit.31.p.1108
Credit.euict.pignor.non debet. t.32.p.1120
De patr.potest.t.33.p.1122
De postlim.reuers.tit.34.p.1123
Quæ sit long.consuetud.tit.35.p.ibid.
De donat. t.36.p.1125
De donat. quæ sub mod.tit.3.p.1131
De reuoc.donat. tit.38.p.1134
De mort.caus.donat.t.39.p.1142
De insinuand.donat. t.40.p.1144

Qui accus.non poss. tit.1.p.1148
De accusat. & inscrip. t.2.p.1149
De exhib.vel transmitt. reis. tit.3.p.1153
De custod.reor. t.4.p.1155
De priuat.carc.inhibend.tit.5.p.1157
Ad leg.Iul.maiest. t.6.p.ibid.
Ad leg.Iul.de adulter.& stupr.t.7.p.1161
Ad leg.Iul.de vi public.& priuat. tit.8.p.1164
De raptu virg. t.9. p.ibid.
Ad leg.Cornel.de sicar. tit.10.p.1165
De iis qui parent.vel filios occid.tit.11 p.1169
De malefic.mathemat.& sortileg.t.12.p.1170
Ad leg.Cornel.de fals. t.13.p.1172
De his qui sibi adscrib.t.14.p.1177
De falsa moneta.t.15.p 1178
De mutat.nominis.t.16.p.1180
De crimine sacrilegij.t.17.ibid.
Quand.ciuil.act.criminali præiudicet. t.18.p.1181
De crimine expilatæ hereditat.t.19.p.1182
De iniuriis.t.20.p.1183
De quæstion. t.21.p.1187
De abolit.t.22.p.1194
Vt intra temp.crimin.quæst.termin.t.23.ibid.
De Calumniator.t.24.p.1202
De pœnis.t.25.p.1203
Ne fin.iuss.Principis cert.iudic.lic.confis.t.26.p.1209
De bon.damnat. t.27.p.1210
De sentent.pass.& rest.t.28.p.1211
De dignitate & nobilit.t.29.p.1213
De muner.patrim. t.30.p.1224

CODICIS



BIU Cujas

CODICIS FABRIANI DEFINITIONVM FORENSIVM ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ Senatu Tractatarum,

LIBER PRIMVS.

TITVLVS PRIMVS.

De ſumm. Trinit. & fid. Cathol. & vt nem. de ea public. contend. aud.

PRodiit ſuperiore ſeculo ab inferis horrendum neſcio, an miſerandum potiùs hominum genus, qui à Chriſtianæ religionis & ſacroſanctæ fidei noſtrę Catholicæ vnitate, ac quod omninò conſequens eſt, veritate deſciſcentes, noua paſſim dogmata, nouáſque hæreſes, ſed ex veteribus & iam pridem damnatis magna ex parte conſutas conflatáſque inuexerunt. In tot penè Sectas diuiſi, quot fuerunt eorum capita, qui Sectatores habere quam eſſe maluerunt. Diceres Samſonis eſſe vulpeculas, capitibus quidem diſiunctis aliò, atq; aliò tendẽtes ſingulas, ſed omnes tamen caudis coadunatis in vnius Eccleſiæ Romanæ incendium & excidium ſi velle ſufficeret colligatas, conglobatáſque. Inter omnes iſtos præcipui, & ſicut impietatis, ita nominis fama conſpicui Lutherani, Vbiquitarij, Zuingliani, Anabaptiſtæ, Suencfeldiani, Dauidici, Samoſatenici, Caluiniſtæ, Anglocaluiniſtæ, Puritani, Adiaphoriſtæ, Oſiandrini, Melanctonici, vt reliquos permultos ne dicam penè innumeros veluti minorum gentium Dæmones taceamus. Omnium tamen ſumma diuiſio illa eſſe poteſt, vt eorum tria quodammodo genera & præcipua capita conſtituantur, ad quæ cæterorum omnium ſectæ inferiores, tanquam ſpecies referri poſſint, Lutheranorum, Caluiniſtarum, & Anabaptiſtarum. Quanquam ea iam Anabaptiſtarum conditio eſt, vt cæteris licèt non inſania, & impietate, attamen numero longè inferiores, ab omnib. propemodum tanquam imbelles, nulliúſque precij hoſtes contemnantur, ſolis Lutheranis & Caluinianis locum ſibi penè omnem relictum gloriantibus. Itaque de his ſolis dicendum nobis erit, cùm nec ipſa ferè aliorum nomina niſi per libros & famam ad nos vſque peruenerint. Etſi quæ apud nos extant de Religione edicta Principum noſtrorum, Senatúſque noſtri conſulta & decreta quàm plura, (quæ tamen quia publicè excuſa proſtant, huc tranſcribenda minimè putauimus) non Lutheranos tantùm & Caluinianos notant & inſectantur, ſed reliquos etiam omnes hæreticos, Quales ſine dubio ſunt quotquot à ſancta Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana, quocumque tandem cenſeantur nomine, defecerunt, ac quorum errores ſacroſanctum Concilium Tridentinum Spiritu ſancto ſuggerente, iuſtiſſimo anathemate damnauit. Præclarè verò & in tanta infelicitate ſatis feliciter actum eſt cum Republica Chriſtiana, quod has ipſas ſectas, quæ tanto impetu in eam coniurarunt, iis notis infames eſſe contigit, propter quas vel primo ipſo intuitu dubitare nemo poſſit, quin hæreticæ, vt ſacri Canones loquuntur, prauitatis ſpeciem & inſignia præ ſe ferant. Adferemus tantùm aliquas & de ſingulis aliqua ne cum ſutoribus Lutheranis & Caluinianis Theologos agere videamur nos, qui ſolam Iuriſprudentiam, nec aliud præterea quicquam profitemur. Reliqua Theologis qui tam multi támq; præclari ex profeſſo iſta tractarunt, conſultò relinquemus. Adferemus autem ipſiſſima Lutheri & Caluini verba, vt qui non poterunt facilè credere, quod ſanè incredibile eſt, tam abſurdas & planè diabolicas impietates, tamque impias abſurditates tot aſſertoribus ſuperbientes cuiquam mortalium in mentem venire vnquam potuiſſe, nihil tamen à nobis effictum aut immutatum conqueri iure poſſint. Sed illud primum à Catholicis & piis Lectoribus concedi nobis poſtulamus ne hoc facto noſtro offendantur, quaſi libros prohibitos contra ſacroſanctæ Eccleſiæ decreta legerimus. Poſſumus enim verè affirmare, nihil à nobis hac in re factum eſſe, niſi quod pio & Chriſtiano cuilibet facere licuerit, eámque nos in tanti momenti negotio adhibuiſſe cautionem, quæ fuit neceſſaria, ne iuſtiſſimas Eccleſię cenſuras, quas & veremur vt par eſt, & reuerемur, vllo modo incurreremus.

Prima nota hæreticorum noſtri temporis,
Negatio.

BIU Cujas

PRima illa, nec meo iudicio parua nota est, quod omnia propemodùm negant, affirmãt penè nihil, nisi quod & negando affirmant plerumque, & affirmando negant. Vt facilè appareat ex eorum numero illos esse, qui vt Tertullianus de hæreticis omnibus scripsit *Credendo non credunt.* Dissimiles in eo à paganis qui, vt idem ille ait, Non credendo credunt. Nec video quibus magis quàm istis conuenire possit, quod de Antichristo magni plerique viri existimarunt ἀρνοῦμαι nomen illi esse, Quandoquidem Antichristianorum omnium, id est hæreticorum solemnis mos iste est, vt doctrinam suam ferè omnem constituant in negando. Quod si faciunt eo consilio, vt nos onerent probatione, nec quicquam ipsi probare teneantur, næ pessimi sunt non modò Theologi, sed etiam Iureconsulti. Nec enim apud iuris nostri siue auctores siue interpretes dubitationem res habet, quin actor quisquis est, probare debeat suam intentionem, etiam quæ in negando consistat. Præsertim verò si agat quis ad turbandum eum, qui sit in pacifica rei de qua controuertitur possessione. Alioqui, quid obsecro certum erit, quid tutum si actori etiam calumnianti sufficiat negare? Digni sanè quibus id etiam accommodemus, quod D. Ioannes in Apocalypsi de locustis illis scribit exeuntibus de puteo abyssi, quas ait habere super se Regem Angelum abyssi, cui nomen Hebraicé אברון *Abadon*, Græcè ἀπολλύων, Latinè *exterminans*, Vt significet hæreticos omnes nihil propemodùm adstruere, omnia verò destruere, nihil affirmare, omnia negare, Tales denique illos esse vt possit quis non insulsè nec falsò contendere, Si Christiani dicendi sunt, negatiuè illos non affirmatiuè Christianos dici debere. Porrò negatiuè Christianum quem esse quid aliud rogo est, quàm omninò non esse Christianum?

De potentia Dei absoluta.

1 NEgant in Deo potentiam vllam esse absolutam. *Commentum* inquit Caluinus [2] *de absoluta Dei potentia, quod Scholastici inuexerunt, execranda blasphemia est.* Et alibi [2] *Impossibile* appellat quod numquam aut fuit aut futurum est. Huic autem negationi contraria est affirmatio Christi dicentis potuisse se rogare Patrem, & exhibuisset illi Pater plusquam duodecim legiones Angelorum, Et camelum per foramen acus transmittere, Item affirmatio illa Ioannis Baptistæ, posse Deum ex lapidibus suscitare filios Abrahæ. Sed nec negauerit quisquam sanæ mentis, possibilia Deo esse omnia quæ ille facturum se minatur, vt puta Niniuem subuertere, & alia huiusmodi infinita, quæ tamen nunquam fecit Deus aut facere voluit, Et vt eleganter Tertullianus contra Praxeam, *Potuit ita saluus sim, Deus pennis hominem instruxisse, quod & miluis præstitit, Non tamen quia potuit, statim fecit, Potuit & Praxeam* (addamus si luber Lutherum & Caluinum) *& omnes pariter hæreticos extinxisse, non tamen quia potuit extinxit.* Hæc autem omnia non potuit Deus de potentia ordinaria, Alio enim ordine res & stabilitæ sunt & peractæ, Ergo de potentia absoluta, Id est, quæ soluta sit ab omni lege promulgata, & ab ordine rerum constituto: Sed non absoluta eo sensu quasi soluta sit ab æquitate, & iustitia, quomodo perperam interpretatur Caluinus, Æquitas enim & iustitia lex Dei intrinseca est, ipsa verò nihil aliud quàm ipsemet Deus qui vt sibi ipsi lex est, ita recedere à lege & æquitate minime potest [3].

1 Caluin. in cap. 23. Isaiæ ad vers. 9.
2 Lib. 2. Inst. cap. 7. §. 5.
3 August. lib. 9. in Genes. cap. 17. & 18.

De voluntate Dei permissiua.

2 NEgant [1] in Deo voluntatem permissiuam contra innumeras sacræ Scripturæ affirmationes, Inter quas Psalm. 80. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum.* Act. 14. *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Luc. 8. *Rogauerunt eum vt permitteret eis ingredi in porcos, & permisit eis.* Vult ergo Deus permulta non voluntate efficiente, aut committente: sed permittente tantùm, ea scilicet quæ cùm mala sint malitia, vt aiunt, morali, à Deo qui bonus & bonitas ipsa est proficisci numquam possunt.

1 Caluin. disertis verbis lib. 1. Instit. cap. 18. sect. 1. & 2.

De simplici Dei præscientia.

3 NEgant Dei simplicem præscientiam, Caluini enim verba hæc sunt [1]: *Nec Augustinus quidem illa superstitione interdũ solutus est, quemadmodum vbi dicit* [2] *indurationem, & execrationem non ad operationem Dei, sed ad præscientiam spectare, At istas argutias non recipiunt tot Scripturæ, &c.* Huic autem negationi contrarium est quod passim affirmat sacra Scriptura Deum præuidisse proditionem Iudæ, negationem Petri, excæcationem Iudæorum, quæ quidem prædixit & præsciuit Christus, nec tamen voluit, aut effecit.

1 Caluin. lib. 1. Instit. cap. 16. sect. 4. & lib. 2. c. 4. sect. 3.
2 Lib. 1. De prædest. & gratia.

De essentia quam Dei Filius habet à Patre.

4 NEgant [1] Filium Dei à Patre essentiam habere, Contra quàm affirment Scripturæ & Christus ipse, Christum esse Filium Patris, & à Patre procedere per generationem, quis enim vel intellectu solo, mentisque vlla cogitatione assequi possit, Eum qui Filius sit, & dicatur, Filium eius esse à quo essentiam naturámve non habeat? Quid verò aliud Filius à Patre habere potuit, quàm diuinitatem? Quid Patri & Filio commune est præter essentiam? Quid ergo Filio communicauit Pater, si non essentiam ipsam? Quare passim clamant Scripturę, Concilia, Patres, vniuersus denique Christianorum orbis, Filium esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Habet ergo Deus Pater veram essentiam diuinam, quæ nec à se, vt parum cautè loquitur Caluinus, nec ab aliquo alio est: sed prorsus à nullo, cum essentia neque generet, neque generetur. At verò Filius qui hanc ipsam habet essentiam, habet non à nullo, nec à se, sed à Patre, Denique essentia quæ si in se consideretur, à nullo est, ea in filio à Patre est [2].

1 Caluin. lib. 1. Instit. cap. 13. sect. 32.
2 D. Hilar. lib. de Trinit. Athanas. in Epistol. Concil. Arimin. & Seleuc. Basil. lib. 2. contra Eunomium.

De morte Christi.

5 NEgant Christi mortem operam si solùm illam Christus obiisset, quicquam nobis fuisse profuturam. *Nihil actum irat*, inquit Caluinus

uinus [1], *si corporea tantum morte Christus defunctus fuisset.* Deus immortalis: Omnes sacrarum Scripturarum apices ad sanguinem, ad Crucem, ad mortem Christi salutem nostram referunt, omnes Christiani Christum morte sua mortem nostram destruxisse proclamant, omnes sancti redemptionis suæ Canticum concinunt in hæc verba, *Redemisti nos Deus in sanguine tuo,* Et audent bufones isti in lacunis obstrepere, nihil ea viuifica morte actum esse! Isaias autem hoc amplius prædicat, vel solo Christi liuore sanatos nos esse. Denique vita nostra filia Christi mortis est; qui alibi quàm in hac morte vitam quærit, vitam perdidit. Qua verò fronte possunt isti dicere, nihil morte Christi actum fuisse, cùm propter infinitam patientis dignitatem minima regij illius ac diuini sanguinis guttula, innumeris mundis redimendis satisfuisset?

1 Lib.2.Instit.c.16. sect.10.

De Christo Legislatore.

6 NEgant Christum esse Legislatorem, atq; adeo vllam in Euangelio legem proponi, sic enim Lutherus [1]. *Necesse est,* inquit, *vt scias, quid sit Christus definitiuè, Christus autem definitiuè non est Legislator.* Mox doctrinam de Christo Legislatore pestilentem appellat. Et paulo post: *Labor mihi est,* inquit, *vt dediscam veterem illam inolitam opinionem de Christo Legislatore & Iudice, vtque damnem & repellam illam.* At contra, hoc ipsum affirmat Epistola D.Iacobi [2], quæ disertis verbis Christum Legislatorem appellat, quem Isaias priùs Legiferum vocarat, *Dominus,* inquit, *Legifer noster.*

1 In c.2.ad Galat.
2 Cap.4.

De Christo Iudice.

7 NEgant Christum esse iudicem, sic enim Lutherus eodem loco, *Persuasus,* inquit, *erat pestilentibus illis opinionibus.* Quas subinde explicans ponit hanc inter cæteras, quod Christus sit iudex, seque laborare ait, vt illam dediscat. At non ita D. Petrus, qui palàm testatur, Christum constitutum esse à Deo Iudicem viuorum & mortuorum, nec aliter cæteri Apostoli, qui omnes vno ore prædicant, Christum iudicaturum viuos & mortuos.

De traditione non scripta.

8 NEgant traditionem vllam esse, quæ solo sermone tradita sit, contra expressam D.Pauli adfirmationem, qui in Epistola ad Thessalonic. *Tenete,* inquit, *traditiones quas accepistis siue per sermonem, siue per Epistolam.* Et vero quænam sacrarum Scripturarum certitudo erit, quænam auctoritas si traditionem tollas, cùm sola traditione non etiam Scripturę vllius fide probari ea certitudo & auctoritas possit? Cur Euangelium Matthæi & Lucæ potiùs, quã Thomæ & Nicodemi libros Canonicos esse dicemus? Aut si quis neget, atque cum istis traditionem non scriptam reiiciat, quomodo probabimus? Rursum vbinam gentium erat Ecclesia, aut fides Ecclesiæ totis illis seculis, quibus nihil dum de fide tractatum erat per Scripturam: sed per sermonem tantum? An non fuit Ecclesia Scripturis antiquior? Aut quonam sacræ Scripturæ loco scriptum probabunt isti, vt cogant hos credere, nihil credendum esse, nisi quod scriptum? Quid de Baptismo infantium? De Dominico die potius quàm alio in Sabbathi Iudaici vicem sanctificando, de Angelorum creatione, ac de alijs, huiusmodi tam multis, quorum certissima fides in Ecclesia, & etiamnum apud omnes quoque hæreticos omnes, probatio verò per Scripturam planè nulla. Longè aliter & præclarè vt omnia Augustinus: *Non crederem Euangelio, nisi Ecclesia diceret esse Euangelium.*

Contra Epist. Fundamenti, c.5.
Tertull. lib.de coron.milit.Basil.lib.de Spir.san.c.17. August.Epist.118.

De libris Canonicis.

9 NEgant ex libris sacræ Scripturæ libros Iudith, Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, Macabæorum, & Tobiæ auctoritatẽ Canonicam habere, quod in Canone Hebræorum adscripti non sint, quasi plus auctoritatis Iudaicæ Synagogę tribuendum sit quàm Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ, quæ vnanimi consensu habuit semper libros illos pro Canonicis. Ex quibus etiam cùm nonnulli non nisi post Hebræorum Canonem conscripti fuerint, quis eos in Canone illo descriptos non fuisse mirabitur, nisi qui per Chronographiæ imperitiam nesciat describi nullo modo potuisse?

Vide Concil.Carthag. tertium Can.43. D.August. lib.2. de Doctr.Christ.c.8.

De Epistola D.Iacobi.

10 NEgant Epistolam D. Iacobi esse canonicam, cùm si quando ex ea vrgeantur, dubiam faciant eius fidem & auctoritatem, quæ tamen vt cæterorum canonicorum librorum semper certissima fuit & explorata. Nam Lutherus in libro quem conscripsit, De captiuitate Babylonica, cap. de sacramento Extremæ vnctionis, respondens ad argumentum ductum ab auctoritate manifestissima D. Iacobi pro Extrema vnctione his ipsis verbis sententiam exponit suam: *Ego autem dico, si vspiam deliratum est, hoc loco præcipuè deliratum est, omitto enim quod hanc Epistolam non esse Apostoli Iacobi, nec apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem, cuiuscumque sit, obtinuerit: tamen si etiam esset Apostoli Iacobi, dicerem non licere Apostolo sua auctoritate Sacramentum instituere.* Viden' hominis audaciam & impudentiam, qui non contentus ademisse quantum potuit auctoritatem Epistolæ Apostolicæ, insimulat etiam Apostolum arrogantiæ, quod instituendi sacramenti facultatem sibi arrogauerit, si eam Epistolam conscripsit? Non videt furiosus Apostata id Apostolum agere, non vt instituat extremæ vnctionis sacramentum, sed vt ad eius vsum fideles hortetur, non facturus vtique, nisi Christus ipse instituisset.

De Scripturarum difficultate.

11 NEgant Scripturas sacras vllam habere difficultatem, quæ obsit fidelibus, quominus facile intelligantur, ita vt omnium Patrum commentariis clariores sint & faciliores [1]. Qua negatione mendacij arguunt D. Petrum, qui quanquam & fidelis ipse & doctus (nisi fortè & fide & doctrina inferior Luthero fuit) scripsit tamen multa esse in D. Pauli Epistolis difficilia, quæ infideles & parum docti detorquent vt Scripturas, inquit,

BIU Cujas

cæteras ad suam perditionem. Sed & quis in Dei Ecclesia Doctorum vsus erit, quænam certè necessitas si vera isti somniant? quid denique tot Patrum commentaria tantis vigiliis & lucubrationibus elaborata, tot sudoribus absoluta proderunt, si sacris libris quos exponere voluerunt, difficiliora sint, & obscuriora?

1 Luther. in assert. articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum.

De Ecclesia visibili.

12 NEgant veram Ecclesiam esse visibilem [1]. Quod si ita esset, cur Christus Dominus noster comparasset eam ciuitati supra montem positæ, conuiuio, ouili, ædificio super petram ædificato? Cur præterea nos ad Ecclesiam remitteret illis Euangelij verbis, *Dic Ecclesiæ?* An non faciunt ridiculum & impostorem Christum, qui nos ad Ecclesiam alleget, si inuisibilis illa & imperceptibilis est?

1 Caluin. lib. 4. Instit. cap. 1. sect. 3. & seq. & Luther. passim in lib. de seruo arbit. Et de abrog. Miss. priua.

De Ecclesiæ iudicio infallibili.

13 NEgant Ecclesiæ Catholicæ & visibilis infallibile de rebus fidei iudicium esse [1]. Cui negationi contraria certè est affirmatio illa Christi, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Itemque Pauli, qui eam columnam vocat, & firmamentum veritatis: Ea verò si tam infeliciter & inhumanè nobiscum ageretur, vt Ecclesia vniuersalis in rebus fidei, & in vero sensu Verbi Dei diiudicando errare posset, quis mortalium obsecro non errare se posse crederet? Qui autem errare se posse credit, quomodo certus esse possit se non errare? Consequens igitur necessariò fiet, vt in fidei sensusque, sacrarum Scripturarum incertitudine omnes ambulare fatendum sit. Quid ergo erit, quod nobis tam certum & exploratum esse oporteat, vt nec si Angelus de cœlo contrarium dicere velit, ei tamen credere debeamus. Quis non enim deberet Angelo cœlesti potius, quàm sibi credere, si non ex alia parte auctoritas & certitudo fidei Ecclesiæ? Angeli cuiuslibet auctoritatem contrariam, si qua vnquam per impossibile contraria esse posset, superaret.

1 Caluin. lib. 4. c. 8. & alibi sæpe, Luth. de Miss. priuat. & de vnctione Sacerdot.

De conciliorum generalium auctoritate.

14 NEgant Conciliorum etiam generalium auctoritatem eam esse, cui firmiter adhærere debeamus [1] vt affirment priuato cuilibet, nedum populo incumbere, vt Cõciliorum doctrinam ad amussim Scripturæ exigat & examinet; sic enim Lutherus [2]. *De doctrina*, inquit, *cognoscere & iudicare pertinet ad omnes & singulos Christianos, & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit. Christus enim ait, attendite à falsis Prophetis. Hæc sola auctoritas satis est*, inquit, *aduersus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Conciliorum, omnium scholarum sententias, quæ ius iudicandi & decernendi solis Episcopis & ministris tribuerunt, & impiè ac sacrilege populo, id est, Ecclesiæ reginæ rapuerunt.* Et paulò pòst insultat Regi Henrico. *Et vt hic mei Henrici & sophistarum recorder, qui à longitudine temporum & multitudine hominum pendent cum sua fide, primum negari non potest huius rapti iuris tyrannidem vltra mille annos durasse. Nam in ipso Concilio Niceno omnium opinio iam tum incipiebat leges condere, & ius istud sibi vindicare.* Et paulò pòst: *Habemus*, inquit, *alisque conuersis ius de doctrina cognoscendi, & iudicandi seu probandi esse penes nos, non penes Concilia, Pontifices, Patres, Doctores.* Quid verò te rogo quisquis es, qui hæc legis, scribi potuit arrogantius & impudentius? Non Concilia, non Pontifices, non Patres, non Doctores, vnus Lutherus, immo quilibet de fæce populi, dummodo Lutheranus (sic enim opinor Lutherus sensit, alioqui actum esset de ipso, & de Lutheranis omnibus, si Caluino, & Caluinianis de Scripturarum interpretatione credendum esse fatentur) ius habebit de doctrinis cognoscendi & iudicandi. Hoc vero si quia Christiani sunt, an non & Pontifices, & Patres, & Doctores etiam sunt Christiani? Ergo quia oues sunt, non pastores. Suauis planè ratio, per quam fiat, vt ouis pastorem ducat, regat, iudicet. Atqui monuit Christus vnumquemq; attendere à falsis Prophetis. Quis negat? Sed an quod velit vnumquemque de ipsorum doctrina iudicare, vt Lutherus existimat? Nihil minus. At quia possit vnusquisque de istorum persona facile cognoscere; quod nos nimiò malo nostro in Lutheranis & Caluinianis cognouimus, ex fructibus & operibus ipsorum, quia nimirum veniunt, & non mittuntur, dispergunt oues, & diuidunt ouile, vt proinde quamuis in speciem oues videantur, facile tamen appareat esse illos intrinsecus lupos rapaces.

1 Caluin. lib. 4. Inst. c. 9. sect. 8.
2 In lib. contra reg. Angl. tom. 2.

De libero arbitrio.

15 NEgant vllum hominis liberũ esse arbitrium [1]. Idque adeo impudenter, vt Caluinus impudentiæ accuset Græcos patres, falsitatis Latinos, quod hi liberi arbitrij, illi αὐτεξίου voculis fere semper vsi sint. *Nimis ergo philosophicè*, inquit, *hac de re locuti sunt, qui se Christi iactabant esse discipulos. Nam quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos vero non puduit multo arrogantius vsurpare vocabulum, siquidem αὐτεξούσιον dixerunt, ac si potestas suiipsius apud hominem esset*, &c. Lutherus autem non minore audacia librum inscripsit: *De seruo arbitrio* [2]. Contra quem errorem iam olim scripsit Beatus Augustinus [3], quamplurima ex professo & pluribus locis, sed semper ita vt in eam recidat sententiam, quam semel pro constanti & perpetua propositione his verbis exposuit. *Est igitur*, inquit, *liberum arbitrium, quod quisquis negauerit, Catholicus non est.*

1 Caluin. lib. 2. Inst. c. 2. §. 4.
2 Contra Erasmum tom. 7. operum.
3 Libris tribus de liber. arbitr. lib. vnic. De grat. & liber. arbitr. ad Valentin. tom. 7. & Epist. 46. ad eundem Valent. tom. 2.

De peccato mortali.

16 NEgant fideles posse peccare mortaliter, quia, inquit Caluinus [1], *Fidelium peccata venialia sunt, quia Dei misericordia condemnatio nulla est iis qui sunt in Christo Iesu, quia non imputantur, quia venia delentur.* Quasi verò Petri execrationes, & Domini sui abnegationes, Dauidis adulterium, & homicidium, imò ipsius Adami & Euæ inobedientia

BIU Cujas

dientia non fuerint peccata mortalia, quid ergo sibi voluit, qui Episcopo dixit in Apocalypsi, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es*, quid quod Dauid tantis lachrymis, tot singultibus petijt peccatum suum deleri, cor nouum sibi creari, à sua iniquitate lauari, à peccato mundari? si quia fidelis erat, nihil ei damnationis fuerat, neque vllum peccatum illi imputatum?

1 Lib.7. Instit.c.4. §.28.

De quinq; Sacramentis quæ Nouatores negant.

17 NEgant Confirmationis, Ordinis, Matrimonij, Extremæ vnctionis, & Absolutionis vllum esse Sacramentum, contra id quod tam multis sacræ Scripturæ locis passim adfirmatur [1]. Sed nihil tantis Theologis dignius quàm quòd fatetur Caluinus, quædam ex his Sacramenta fuisse Apostolorum temporibus, nunc vero esse negat, quasi Sacramenta non nisi ad tempus fuerint instituta, non vt tanto tempore durarent, quanto Ecclesia ipsa, hoc est, ad seculi vsque consummationem.

1 Act.8.& 19. Paul. 1. ad Timoth.c.4. 2.ad Timoth. c.1. ad Ephes.4.& 5. Iacob.5. Ioan.20.

De Baptismi efficacia.

18 ADmittunt quidem reliqua duo Sacramenta Baptismum, & Eucharistiam, sed ita vt negent Baptismi ad peccatorum remissionem efficaciam, non enim si Caluino credimus [1] aqua Baptismi ablutionem & salutem nostram perficit, aut purgandi, regenerandi, & renouandi virtutem in se continet. Quod tamen clarissimè adfirmat Paulus Apostolus ad Titum 2. cùm ait, Christum saluos nos fecisse per lauacrum regenerationis, atque ita credendum esse, præscripsit Concilium Nicenum, itemque Constantinopolitanum, ipsaque Ecclesia vniuersa solemni illa decantatione profitetur, *Confitebor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.*

1 Lib.4. c.15. sect.2.& 10.
2 Cap.3.

De fidelium liberis non baptizatis.

19 NEgant fidelium filios nasci filios iræ, damnationi obnoxios etiam ante Baptismum: sic enim Caluinus [1]. *Infantem ex fideli progenitum hæreditario iure secundum promissionis formulam tam à matris vtero in fœdere contineri* ait, quasi verò Apostolus non exclamet, *Non qui filij carnis, ij filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.* Atqui promissio nullibi facta est iis qui aut ex sanguinibus, aut ex voluntate viri, aut ex voluntate carnis nati sunt, sed iis tantum, qui renati sunt ex aqua & Spiritu Sancto, hoc est, qui ex Deo nati sunt Paulum sane, nec minus Dauidem Regem ex fidelibus parentibus procreatos fuisse, nemo ambigit, & tamen hic se in peccatis conceptum, ille se natura filium iræ fateri non dubitat. Grauis hac de re apud Diuum Augustinum extat sententia [2]. *Quisquis dixerit, quod in Christo viuificantur etiam paruuli, qui sine Sacramenti perceptione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur aliter eos in Christo viuificari omnino non posse.* Hieronymus [3] quoque post Tertullianum, *Christiani*, inquit, *non nascuntur, sed fiunt.* Mitissima tamen apud Catholicos sententia illa est quod non baptizati infantes, quibus nullum præter originale peccatum imputari potest, damnatur pœna damni tantum, non etiam sensus, gaudentque naturali felicitate, qualis quantaque maxima esse potest, ita vt etiam suo modo dent laudem Deo, quantum ad Iustitiam eius non modo vindicatiuam, sed etiam distributiuam.

1 Lib.4.c.16. sect.24.& 25.
2 Epist.28.
3 Ad Lætam Tertyl. contra gentes.

De Sacramento Eucharistiæ.

20 NEgant in Eucharistia Corpus Christi verum & reale præsens esse verè ac realiter, & sub speciebus panis & vini contineri. Est enim hoc solemne Caluini, & Caluinianorum omnium Paradoxum, vnde & *Sacramentarij* ab omnibus appellantur, propria veluti quadam & insigni nota, quod scilicet Sacramentum sine re fingant & constituant. Quo nomine non tantum ab omnibus Orthodoxis damnantur: sed à Lutheranis quoque tanquam perfidi, rebelles & hæretici reiiciuntur. Huic autem negationi aut potius nugationi repugnat ex diametro verbum illud Christi Sole clarius, cœlo solidius, *Hoc est corpus meum.* Ad quod impugnandum inuitatus aliquando Lutherus, cùm iam verecundiæ fines omnes grauiter transijsset, impugnare tamen erubuit, nimisque potens esse verbum illud professus est. Protestatus tamen ne quid de pristina impudentia remansisse, aut cum Romana Ecclesia per gratiam vel per sordes consensisse videretur, perlibenter se fuisse dissensurum, si vel minimam occasionem vidisset negandi audacter quod Christus tam aperte constanterque adfirmasset; satis itaque habuit negare transsubstantiationem, vt Christum suis exhiberet impanatum. Sacramentarij verò qui tanto subtiliore sibi videntur, quanto sunt reuera impudentiores, dum ad ea verba respondere conantur, in quantam Deus bone opinionum ac verborum diuisionem atque vertiginem inciderunt? In eam sanè quæ maior videri debeat, quàm qua turris Babylonicæ ædificatores confusos legimus. Cùm ad octoginta quatuor vsque diuersissimas interpretationes ex eorum libris optima fide collegerit vir clarissimus Claudius Sanctesius Episcopus Ebroicensis in aureo illo suo opere de Eucharistia, quibus si addas omnes eas, quæ ab eo tempore superuenerunt, non pauciores, quàm ducentas inuenies, easque non modo diuersas: sed etiam quod in magno mendacio euenire necesse est omnes penè inuicem pugnantes, Neque hoc sine mirabili & prouidentissimo Dei Opt. Max. iudicio, vt qui tantum tantæque vnitatis Sacramentum immani illa contra Dei verbum negatione violare aut temerare ausi sunt, in abyssum diuisionis hoc ipso prolabi necesse habuerint. Duæ vero plausibiliores pluribus ex ista Caluinianorum colluuie interpretationes existimantur, vna quæ in verbis Christi figuram & tropum inducit, & verbum Substantiuum *Est* accipit pro *Significat.* Altera quæ vt à verbis Christi minimè recedere verbotenus videatur, admittit verum Christi corpus in Eucharistiæ Sacramento esse: sed per fidem, non per realem & corporalem præsentiam, quæ præcedat manducationem: denique ita esse, vt non sit; ita vere, vt tamen non nisi imaginarie. Qua posteriore interpreta-

tione quid potest dici stultius, quid insanius? Prior verò sanè dignior est, quæ ad Grammaticorum, quàm ad Theologorum scholas relegetur, vt toties vapulent miseri, quoties negabunt verbo *Est* veritatem substantiæ non significationem ipsius significari. Quid vero isti Tropologi ei dixerunt si textum Hebraicum D. Matthæi vidissent, qui sicut Euangelium conscripsit ea ipsa lingua qua Christus Dominus vtebatur, cùm Sacramentum institueret, atque cum hominibus in terris conuersaretur. Ita institutionis formulam præcipuam magisque obseruandam tradidisse credendus est, quam porro sic concepit, *Accipite & manducate hoc corpus meum*, nullo addito verbo, *Est*, aut alio vllo eiusmodi, pro quo Sacramentarij suum illud *Significat* substituere, nobisque obtrudere possint. Quo admisso illud certè etiam manifestè relinquitur, quod ab alijs Euangelistis omnibus vno ore, & à Diuo Paulo, (qui hoc ipsum accepit non à Coapostolis, sed à Domino iam in cœlo assumpto) additum est Græcum Substantiuum verbum ἐστί, non ea mente factum fuisse, vt commentitiæ isti interpretationi viam patefacerent, & verbum *Est* pro *Significat* vnquam accipi vellent: sed vt eum ipsum sensum quem Matthæus materna Christi lingua expressit apertiùs exprimerent, addito verbo substantiuo ad pronomen *Hoc* demonstratiuum substantiæ, & nomen substantiuum *Corpus*, subiectumque adiectiuum *Meum*, quo persona ipsa Christi enixissimè significatur. Itemque relatiuum *Quod*, cuius eam esse vim & naturam sciunt Grammatici omnes, vt sit relatiuum substantiæ, ne tot iunctis verbis nihil penitus nisi substantiam & veritatem substantiæ exprimentibus dubitare quisquam posset, quin de vero ac reali corpore suo Christus Dominus in Sacramenti institutione sensisset, quod postea pro nobis datum & traditum est in Cruce non per figuram & significationem, sed verè ac realiter, vt figuræ omnes veteris Testamenti consummato redemptionis opere finirentur. Addamus illa quoque tam enixa verba Pauli, *Qui enim manducat, aut bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Quid enim potuit scribi apertius, aut ad excludendam figuram istam, & significationem commentitiam, aut ad eam quoque interpretationem explodendam, quæ veritatem corporis Christi in fide accipientis, non in Sacramenti veritate constituit, plus tribuens fidei accipientis, quàm potentiæ instituentis? Quis enim potest indignius manducare, quàm qui omnino non credit esse corpus Christi? Atqui etiam is qui indigne manducat, & bibit, ideo iudicium sibi manducat, & bibit, quia non dijudicat corpus Domini. Ergo verum corpus Domini est etiamsi indignè & ab infideli manducetur. De quo ne dubitare quisquam possit, facere debent tot miracula tot historijs testata, de sanguine effuso ex sacra hostia nunc à Iudæo perfido, nunc ab impio hæretico sacrilegè attentata, quorum miraculorum veritas etiamnum apparet apud Parisienses, Diuionenses, & alijs plerisque Christiani orbis locis.

De sacrosancto Missæ sacrificio.

21 NEgant vllum esse in Ecclesia Christi verum & nominis proprij sacrificium. Qua in negatione vt omnes huius temporis hæretici inter se conueniunt, rati omnia se assecutos, quę moliuntur, si religioni nostræ sacrificium subtrahant, sine quo tamen non magis quàm sine Deo stare religio potest. Ita & ab expresso Dei verbo, & ab omnium antiquorum Patrum & Christianorum fide prorsus dissentiunt. Quid enim clarius illis verbis: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, Hic est sanguis meus qui pro vobis & pro multis funditur in remissionem peccatorum?* Nimirum datur sacrosanctum corpus illud non solum nobis in sacramentum, sed etiam pro nobis in sacrificium; cui autem pro nobis daretur, nisi Patri omnipotenti? Ac ne quis etiam existimet, sacrificium quidem esse: sed non propitiatorium, addidit Christus & expressit disertis verbis, *In remissionem peccatorum.* Omitto verbum quod factum est per Malachiam Prophetam [1] de oblatione munda toto terrarum orbe offerenda, Mitto alia pleraque ex Scripturis firmissima argumenta, quæ Theologi non omittunt. Satis enim superque fidem nostram adserit verbum illud, quod os Domini locutum est, quo euidentissimè & efficacissimè probatur, Eucharistiam non modò sacramentum esse nobis exhibendum, sed etiam sacrificium pro nobis offerendum.

Quid vero esse potuit, quod miseros istos mouerit, vt verborum Christi splendorem suis nugis obscurare voluerint? Dicam paucis. Plura enim ex professo Theologi. Vnum illud, quod quasi nouum & nobis inauditum exclamant Nouatores, vnicam oblationem esse pro peccato, quam Christus consummauit in sempiternum sanctificatos. Inde namque inferunt nihil opus esse, vt Christus seipsum offerat sæpius. Ergo inquies, à sacrificij Crucis positione ad sacrificij altaris euersionem isti argumentantur. Hoc verò quis credat? Recte sentis quisquis ita colligis: istorum enim solemnis mos iste est, veritatem nimirum veritate destruere. Adeo verum est quod Tertullianus scripsit [2]: Varie diabolus æmulatus est veritatem. Affectauit illam aliquando defendendo concutere. Eodem namque modo inferunt isti, quia fides iustificat, ergo charitatem non iustificare; quia Christi iustitia nobis imputatur, ergo nullam in nobis esse iustitiam; quia Christus nobis meruit, ergo nulla in nobis esse merita; quia Christus est summus Pontifex, ergo nullum in Ecclesia esse summum Christi Vicarium Pontificem; quia Christus mediator redemptionis vnicus est, ergo nullum esse mediatorem intercessionis; quia Christus nobis ieiunauit, ergo ieiunare nos non debere: denique ne singula prosequamur, quia sacramentum est signum, ergo nullam rem esse in sacramento. Atque hæc quidem apud vulgus imperitorum in speciem magna & plausibilia videntur, quibus si addas Christum pro fidelibus & electis omnibus & resurrexisse, & ad cœlos ascendisse: ergo ex electis & fidelibus neminem aut resurrecturum, aut ad cœlos ascensurum. Æque credent isti, si modò Lutherus, aut Caluinus adfirmet. Idem enim argumentandi modus mendacium hoc euincit. At apud eruditos, & siue in Theologia, siue in Logica melius versatos, sunt ista omnino ridicula. Sciunt enim sic potiùs è contrario argumentari nos debere, quia fides iustificat, ergo multo magis charitatem iustificare, sine qua fides mortua est; quia Christi iustitia nobis imputatur, ergo realem & veram iustitiam in nobis effici, & procreari; quia Christus nobis meruit, ergo in nobis esse merita, quæ meritis Christi nobis sunt comparata

parata; quia Christus est summus Pontifex, ergo inter eos, qui eius vices interim gerunt, vnum debere esse summum Pontificem, quia Christus mediator redemptionis vnicus est, ergo multos esse posse & debere mediatores intercessionis, qui nobiscum ab eo pro nobis petant, vt redemptionis suæ pretium & efficaciam nobis applicet, quia Christus nobis ieiunauit, ergo multo magis nos ad eius exemplum & imitationem ieiunare oportere; quia Christus resurrexit, & ad cœlos ascendit, ergo nos si non tantùm fideles, sed etiam electi erimus & resurrecturos, & ad cœlum ascensuros, quomodo Paulus ad Thessalonicenses argumentatur. Denique quia in sacramento signum est, ergo rem quoque ipsam significatam adesse debere. Similiter vt ad rem nostram veniamus, quia Christus seipsum in sacrificium obtulit in cruce, inferamus potiùs, ergo in sacrificium quoque obtulit se in Eucharistia, vt nimirum sacrificium sacrificio commendaret & applicaret. Est equidem illud verissimum, sacrificio Crucis omnia consummata esse, nec oblatione vlla nona opus esse. Ac non eò minùs verum illud quoque est, Eucharistiam esse sacrificium, non enim duo sunt sacrificia, Crucis & altaris, sed vnicum, vnica nempe res in vtroque offertur, & ab vnico offerente, vnico fine, & vnico Patri, idem nimirum Christus est, qui in vtroque & offert, & offertur; vnicus Pater cœlestis, cui offertur, & in vnicam remissionem peccatorum, & nominis Dei sanctificationem. Proinde in modo tantum & forma differentia est, nam res quidem oblata idem Christus est, vt diximus. At in Cruce in propria specie & forma modo cruento, in Eucharistia vero sub specie pacis & vini secundum ordinem Melchisedech modo incruento. Finis ob quem offertur idem in vtroque, remissio scilicet peccatorum. At non eodem modo in vtroque attingitur, nam in Cruce remissio fit redemptione, satisfactione, reparatione immensa. In altari verò redemptionis, satisfactionis, reparationis, vsufructu & applicatione. Vnicus Christus offert semetipsum; sed in Cruce sine ministerio cuiusquam alterius inferioris Sacerdotis. In altari non solùm per seipsum, vt in institutione, sed per administros eius sacerdotij, quod secundum ordinem Melchisedech stabiliuit in omni loco, seipsum, oblationem mundam offerri voluit. Idem Deus cui offertur, sed in Cruce vt irato & infenso toti generi humano. In Eucharistia, vt sedato & propitio, & parato benedicere omnibus, quibus primæui sacrificij crucis fructus applicatur. Ergo Missæ oblatio non alia est, sed eadem cum oblatione Crucis, tantum abest vt sit contraria. Nec tam repetitio est ablationis factæ in cruce, quam continuatio ac perseuerans exhibitio, cùm vnico, perpetuo, ac constantissimo voluntatis actu seipsum Christus redemptor Patri obtulerit, & offerat vsque in æternum, vt non sæpius nec iteratis actibus: sed vnico & nulla alicuius cessationis interruptione discreto actu ablatio hæc perficiatur ex parte Christi, quamuis respectu nostri & ministerij, quod præstamus, & respectu externorum actuum non tam continuata, quàm repetita, sed semper tamen eadem oblatio censeri meritò possit: sic Sol vnico & continuato actu lumen suum inferiori orbi semper offert & præstat, nec vlla noctium & dierum vicissitudine in seipso afficitur, licet respectu nostri repetito quamuis eodem cursu, noctium & dierum diuersitate distinguatur. Ita fit, vt qui sacrificium Missæ & sacrificium Crucis duo sacrificia esse dixerit, verum dicat, propter distinctionem formæ, & modorum, quibus offertur vtrumque: at longe aptius loquatur, nec minùs verè, imo veriùs, qui vnum dixerit esse propter identitatem, vt ita dicam, eius qui & offert, & offertur, eius cui offertur, & finis propter quem offertur, sicuti qui Solem vnum dixerit, verius vtique dixerit propter individuam vnitatem substantiæ Solis, quàm qui propter dierum distinctionem plures Soles existimauerit nominandos. Atque hæc quidem obiter dicta sint. Sed quis non videat Satanæ fraudem? Tollunt eius discipuli (nam & talem se in hoc argumento fatetur Lutherus) & destruunt sacrificium Missæ, quasi vim omnem salutiferam in sacrificio Crucis reponi velint. Cùm autem ad sacrificium Crucis deuenerunt, omnem illi vim & virtutem adimunt, affirmantes, vt supra diximus, nihil eo actum fuisse: sed ad cruciatus inferni nescio quos, de quibus in tota Scriptura ne verbum quidem totius redemptionis nostræ summam omnem referunt, vt facile appareat non aliud istorum consilium esse, quàm vnum spernere, & aliud non admittere.

1 Malach. c. 1.
2 Initio libri aduersus Praxeam.

De Potestate Pastorum.

22 NEgant Ecclesiæ pastoribus vllam remittendi peccata, & absoluendi potestatem factam esse à Christo Domino, cuius tamen verba quibus idipsum adfirmaret luce clariora sunt in Euangelio Matthæi & Ioannis[1].

1 Matth. 16. & 18. Ioan. 21.

De Christi descensu ad inferos.

23 NEgant Christum verè ex historico sensu ad inferos descendisse, sed mysticè tantum & sensu metaphorico[1] quantumcunque expressissimè in Symbolo Apostolorum scriptum sit, *Descendit ad inferos.* Quasi verò Symbolum Apostolorum ijs formulis conceptum sit, & concipi debuerit, quæ tam difficilem & reconditum sensum haberent, quem nemo hactenus præter Caluinum aut eruere, aut diuinare potuisset, ac non potius ijs, quæ essent facillimæ, & quæ sensum Christiano cuilibet obuium haberent. Quàm verò longè aliter Diuus Paulus, qui ad Ephesios exclamat de Christo, *quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit in inferiores partes terræ?*

1 Caluin. lib. 16. sect. 9. & 10.

De Sanctorum inuocatione.

24 NEgant sanctos Beatos à nobis inuocãdos esse, & consequenter negant vllum nobis cum illis, aut illis nobiscum à Deo relictum esse cõmercium. In quo destruunt quantum possunt Sanctorum communionem illam, quam Apostoli omnes vno ore docuerunt, & quam dum coarctare vult Caluinus[1] ad vnius nobiscum fidei coniunctionem imperitè valde ac imprudenter facit, cùm Sancti beatitudinis comprehensores non amplius credentes dici debeant,

beant, sed videntes; Fidem namque in beatis euacuari asseuerat Apostolus.

2 Caluin.lib.9. c.22. sect.21.& 24.

De cura, quam Sancti gerunt de nobis.

25 NEgant Sanctos vllam nostri curam gerere, vllamque rerum nostrarum cognitionem habere. *Quis*, inquit Caluinus, *eo vsque longas illis esse aures reuelauit, quæ ad voces nostras porrigatur?* Quàm iustiùs liceat mihi exclamare, *Quis tam maledicam animam Caluino esse crederet, ac tam insipientem animam, vt auditum beatarum mentium longitudine aurium metiretur?* Annon Christus ipse reuelauit Angelos de peccatorum pœnitentia & iam in cœlis gaudere? At quomodo gaudent si non cognoscant? Si verò cognoscunt, quibus auribus id perceperunt? Nam iisdem planè auribus animæ Sanctorum voces nostras percipiunt. Illis enim æquales sunt & aures, & oculi, & manus, & pedes, cùm idem Christus Dominus dixerit, *Erunt æquales angelis Dei* [1].

1 August.1.c.ib.de cur.pro mort.agend.

De cura pro mortuis agenda.

26 NEgant vllam à nobis curam pro mortuis agendam esse, negant defunctorum animas viuorum precibus iuuari, vllumque mortuis locum superesse, in quo peccatorum remissionem consequi possint. Huic verò negationi obstat manifestissimum Scripturę testimonium in libris Machabæorum. *Sancta*, inquit Spiritus sanctus, *& salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Sed & ipsius Christi, qui in Euangelio dicit, peccata quædam esse quæ nec in hoc seculo remittantur, nec in futuro. Non ita locuturus, nisi peccata quædam essent, quę in alio quoque seculo remittuntur, quod nec Ethnicus Plato ignorauit, qui solo naturalis rationis lumine illustratus Purgatorium admisit. Quid vero D. Augustinus aliud egit toto illo libro, quem conscripsit De cura pro mort. agend. nisi vt vel ex ipsa libri inscriptione doceret, defunctos in Christo, viuorum precibus adiuuari?

Affirmationes Nouatorum.

ET hæc quidem ac innumera penè alia antiquæ & Catholicæ fidei capita negant isti negatores, si quid autem præterea de quibus nobiscum sentiunt, affirmare videtur, illud omne priuatiuum, putatiuum & Chimericum est. Adeo namque sibi in arte negandi placent, vt etiam affirmando negent, & quod supra ex Tertulliano diximus, credendo non credant. Dicam sed carptim nonnulla quæ occurrunt.

De Deo mala operante & efficiente.

1 AFfirmant Deum non tantum permittere: sed etiam immittere, velle, operari, efficere malam hominis voluntatem. Nec erubescit Caluinus [1] Diuum Augustinum superstitionis arguere, quod excœcationem & indurationem peccatoris ad solam Dei præscientiam & permissionem referat. Eodemque loco disertis verbis contendit, Deum per ministrum iræ suæ Satanam consilia impiorum destinare, quo visum est, & voluntates excitare, & conatus firmare. Et de Sehon Rege Amorrhæorum exemplum proferens ait, *Ergo quia perditum Deus volebat, obstinatio cordis, diuina fuit ad ruinam præparatio. Et Satanam dum ad peccandum homines impellit instrumentum magis Dei in agendo, quàm à seipso auctorem esse asseuerat* [2]. *Fateor*, inquit, *in hanc miseriam* (loquitur autem de peccato) *decidisse vniuersos filios Adam, atque id esse, quod principio dicebam, redeundum tandem semper esse ad solum diuinæ voluntatis arbitrium.* Mox arguit [3] eos qui negant decretum fuisse à Deo, vt sua defectione periret Adam, subinde [4] loquens de perditis, *Ex Dei*, inquit, *Prædestinatione pendet eorum perditio.* Rursum [5], *Cadit igitur homo Dei prouidentia sic ordinante.* Sed & incestum quem Absalon commisit opus Dei esse dicit, vt & Chaldæorum sæuitiam in Iudæos: & alibi [6], *Iam*, inquit, *satis aperte ostendi, Deum vocari eorum omnium autorem, quæ isti censores volunt, otioso eius permissu contingere.* Hac autem tam immani affirmatione priuant Dei Opt. Max. voluntatem suam immensa bonitate, & illius vim, efficaciam & constantiam negant, cùm peccatum non in efficiendo, sed in deficiendo consistat. Et velle peccatum, deficere sit, non efficere. Porro vniuersa Scriptura docet, Deum velle omnes homines saluos fieri, neminem perire, Deum habere odio peccatum, & iniquitatem, perditionem hominum ex ipsis esse, à Deo autem tantummodo bonum & salutem ipsorum. Pulchrè Diuus Augustinus [7]. *Diuinam prouidentiam non vsque ad hæc ima protendi, aut certè mala omnia Dei voluntate committi, vtrumque impium: sed magis posterius.* Diuus verò Basilius orationem integram de eo habuit, *Quod Deus non sit autor malorum.*

1 Lib.3.c.4. sect.3.
2 Lib.v.Instit.c.23. §.4.5.& 7.
3 Sect.7.
4 Sect.8.
5 Lib.1.c.18. sect.1.
6 Sect.3.
7 Lib.1. de ordin. c.1. Vid.August.lib.de spirit. & lit.c. 31. ad fin. lib.3. de Ciuit.Dei, c.8. & libris de lib. arbitr.

De remissione peccatorum.

2 AFfirmant peccata remitti sola non imputatione [1]. Quod ipsum nihil aliud est, quàm negare veram peccatorum remissionem; non enim volunt deleri, non extergi, non longe fieri à nobis, non transferri peccata, nec animam mundari, ablui, lauari, illuminari, aut cor purgari, creari, renouari, (quæ omnia toties affirmat Scriptura, sed remanere peccata volunt, nec tamen imputari, tegi, non abstergi, abscondi, non deleri: quasi verò Christus innocentiæ & iustitiæ suæ veluti pallio iniquitates nostras operiat tantum, non destruat, quemadmodum Rachel Idolum patris sui non abiecit, sed illi insidens, & veste obuoluens contexit & seruauit. At vero si Pater abominatur peccata, nō minus Filius, si Pater ea nec tolerare possit, nec videre quin irascatur, neque Filius ea contegere, aut fouere per suam iustitiam potest. Igitur supereſt, vt delendo & abluendo tegat, quandoquidem nihil Deo tectum, aut non apertum eius oculis esse potest, nisi quod omnino non est.

1 Caluin.lib.3.c.4.sect.18.& lib.3. c.17.sect.10.

De Iuē

De Iustificatione.

3 AFfirmant impium iustificari per solam iustitiæ Christi imputationem, vt scilicet nulla in nobis sit iustitia à Christo, sed ea nobis solùm imputetur, quæ in Christo est, non in nobis. Hac autem affirmatione vim & efficaciam iustitiæ Christi negant, quæ in eo maximè elucet, vt nobis prosit non modò per sui imputationem: sed per iustitiæ formalis in corda nostra deriuationem, & infusionem, vt filij Dei non tantum nominemur: sed etiam simus; ac quod consequens est, non iusti tantùm nominemur & habeamur: sed verè simus & efficiamur, de quo non plura ferè in sacris Scripturis verba sunt, quàm testimonia, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et inuitatus ille repulsus est, non quia sponso vel filio Regis deesset vestis nuptialis, sed quia ipse non habebat. Et prodigo filio non tantùm suam vestem imputauit pater, sed nouam dedit, & sancti ambulant in albis non tantùm, quia Agnus albus est, sed quia stolas suas dealbauerunt in sanguine Agni.

De fide & charitate.

4 AFfirmant sola fide nos iustificari, vt huiusmodi affirmatione negent charitatem, & eius opera simul cum fide iustificare. Qua in re mirum quàm contrario impetu & opposito conatu Paulus & Iacobus Apostoli ex vna parte, Lutherus[1] vero & Caluinus ex alia inter se confligant. *Fide*, inquit Lutherus, *homo fit Deus, per charitatem merus est homo.* At Paulus, *Sine charitate*, inquit, *nihil sum.* Rursum Lutherus ibidem hoc suaui se oblectat argumento, vt facile agnoscas, quàm bonus fuerit Logicus, *Lex non est ex fide. Atqui lex nihil aliud præcepit quàm charitatem. Ergo charitas non est ex fide, sed pugnat cum ea.* Quid vero tu ad hæc ô magne Paule? *Si tantam fidem habuero, vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Iacobus vero, *Fides sine operibus mortua est.* Atqui opera sunt charitatis. Ergo sine charitate fides mortua est, tantum distat vt fidei charitas repugnet. Idem Lutherus eodem loco, *Planè*, inquit, *contrarij sunt effectus, officia, & virtutes charitatis & fidei.* & paulo post: *Charitas enim vel sequentia opera nec informant fidem, nec ornant, sed fides mea informat & ornat charitatem.* Paulus autem è contrario fidem sine charitate inutilem esse pronunciat, Iacobus mortuam, atque si inter se comparandæ sint, charitatem maiorem esse testantur. Quare non immeritò seipsum miratur Lutherus, in hęc verba prorumpens, *Hæc nostra*, inquit, *Theologia paradoxa rationi mirabilis & absurda est, quod non solum surdus sim legi, & liber ab ea, sed planè ei mortuus.* Et paulò pòst, *Respondebimus*, inquit, *cum Paulo, sola fide in Christum nos pronunciari iustos, non operibus legis aut charitate.* Vbinam verò gentium Paulus ea verba addit, quæ tu de tuo addis Luthere, *aut charitate?*

1 Luther. in cap. 2. ad Galat.

De bonis operibus.

5 AFfirmant omne opus bonum esse peccatum. Hæc enim maxima est & solemnis Lutheri[1] propositio, quam ex professo pleriſque locis propugnat. Ac ne quis fortè de hominis pietate melius suspicatus existimaret, sermonem illi esse de moribus moraliter bonis, explicauit ille sententiam suam his clarioribus verbis; *Omne opus bonum in sanctis viatoribus esse peccatum*, & Caluinus[2] in eundem sensum contendit, *nec vnum à sanctis exire opus quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et alibi addit, nullum esse hominis pij opus, quod si seuero Dei iudicio examinaretur, non esset damnabile. Hæc vero affirmatio quid aliud præstat, nisi vt hoc ipso negent vllum opus bonum esse? Nam si est peccatum, quomodo bonum? Si bonum, quomodo peccatum? Si bonum est peccatum, ergo peccatum est bonum. Si peccatum est bonum, ergo prohibet Deus facere bonum, cum prohibeat facere peccatum. Rursum si bonum est peccatum, ergo iubet Deus facere peccatum, quia iubet facere bonum, & qui dabit vnicuique secundum opera sua, idem reddet omnibus pijs & impiis præmium. Nam vt pijs quoque propter bonum opus pœnam infligat necesse est, quia bonum opus faciendo peccauerunt. Item vt impiis reddat gloriam, quia eorum opera non magis quàm piorum & proborum peccata sunt. Quid ergo respondebunt isti, si eos interrogem non, *quid credendo*, sed *quid faciendo vitam æternam possidebo?* An quod Christus legislatori? *Diliges Dominum tuum*, &c. imò potiùs, *Fac nihil, & non peccabis.* Si enim præstat otiosum esse, quàm nihil agere, vt Plinius dicebat, an non multò tutius est nihil agere quàm malè agere & peccare? Hic verò quis non videat in hoc hominum genere miram perpetuamque contradicendi libidinem? *Bonum*, inquiunt, *est malum, Lux sunt tenebræ, Calidum frigidum*, quibus nos cum Paulo, *Quæ conuentio lucis ad Belial?*

1 Luther. in assert. artic. per Leonem X. damnât. artic. 31. & opusculo illo 1. tom. quod contra sententiam Scholasticorum inscripsit, & toto libro Confutationis Lutheranæ contra rationem Latomianam.
2 Caluin. lib. 3. cap. 14. sect. 9. & 10. & sect. 11.

De seruandis Dei mandatis.

6 AFfirmant Dei præcepta esse impossibilia: proinde hoc ipso negant nec teneri nos, ligari lege vlla: nam vt est in iuris nostri regula, impossibilium nulla est obligatio, nec à nobis exigere quisquam iure potest plùs quàm præstare possumus, nisi durus nimis & tyrannicus sit exactor. Ac sane tantum abest, vt impossibilia sint Dei præcepta, & è contrario & leuia & suauia ea esse, Christus ipse ore suo pronunciauerit, *Iugum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue.* Sic Dauid, Abraham, Iob, Zacharias, Elizabeth, Ioannes Baptista Dei præcepta obseruarunt, vt in sacris Scripturis Spiritus sanctus apertè pronunciat. Sed audiamus Lutherum negantem, nam & suo loquendi modo satis fatetur se mentiri. Sic ille scribit[1]: *Christianus propriè definitus liber est ab omnibus legibus, & nulli prorsus nec intus nec foris est subiectus.* Item, *Est autem*, inquit, *minister peccati, nihil aliud quam legislator seu exactor legis, qui docet bona opera & charitatem, qui docet Crucem & passiones ferendas, exemplum Christi & sanctorum imitandum: Quicumque ista profitetur & vrget, est minister legis, peccati, iræ & mortis. Nam impossibile est, humanam naturam implere legem. Imo in iustificatis qui habent Spiritum Sanctum.* Et paulò pòst: *Qui igitur do-*

vel fidem in Christum non iustificare, nisi lex simul seruetur, ille facit Christum peccatis ministrum & crudelem Tyrannum qui exigit impossibilia vt Moses quæ nemo facere potest. Idem vero docuit Caluinus [2] melior in hoc articulo, vt etiam alijs plerisque Lutheranus, quàm Theologus.

1 In comment. in 2. cap. ad Galat.
2 Caluin. lib. 2. c. 7. sect. 5. & seqq.

De incredulitate quod sola sit peccatum.

7 AFfirmant solam incredulitatem esse peccatum. *Christus*, inquit Lutherus [1], *ordinauit vt nullum esset peccatum, nisi incredulitas, nulla iustitia, nisi fides.* Et alibi tuetur mordicus hanc propositionē, *Baptizatum etiam volentem non posse perdere salutem suam quantiscunque peccatis, nisi nolit credere, quia*, inquit, *fides tollit omnia peccata, facit volentem non peccare.* Hac autem affirmatione negant euidentissime scortationes, homicidia, periuria, blasphemias esse peccata: quod tamen quàm absurdum sit, qui non videt quid vnquam absurdum esse fatebitur? At quàm præclarè rursum cohærent hæ propositiones Lutheri, *Omne opus bonum etiam fidelis, etiam iusti est peccatum.* Et, *Nullum opus iusti, nisi incredulitas est peccatum.* Nam si omne opus bonum est peccatum, quomodo nullum opus malum peccatum est?

1 Luther. tom. 2. in resp. ad lib. Ambrosij Catarini.

De incommodis bonorum operum ad salutem.

8 AFfirmant bona opera nocere aut saltem incommodare ad salutem. Lutherus enim sermone quodam introducit Christum dicentem ad fideles [1]. *Vnica ego sum porta ad cœlum ducens, Via arcta est, singulum te fieri necesse est, si transire velis ac penetrare rupem, qui operibus ceu Iacobitæ peregrinatores cocleis circum vndique muniti sunt, penetrare non possunt, si saxis operum refertus aduenerus, nisi depositio prius onere pertransibis.* Et alibi [2]. *Iustitia*, inquit, *legis etiam Decalogi est immunda & abolita per Christum.* Quis vero tibi Luthere has Christi voces reuelauit? Nec enim reperisti in Euangelio, in quo nihil tantopere Christus commendat, quàm vt si velimus ad vitam ingredi, obseruemus mandata. Et operarijs, non fiduciarijs mercedem se daturum pollicetur.

1 Sermone in altera die Pentecostes.
2 Contra Latomum. Eadem repetit Lutherus in c. 2. ad Galat.

De peccatorum circumstantiis negligendis, & de peccatorum æqualitate.

9 AFfirmant nulla ex circumstantia fieri peccata deteriora. Lutherus enim hanc propositionem inter cæteras quas pro certissimis habet, tuetur [1]. *Circumstantias peccatorum cum matribus, filiabus, sororibus, affinibus, quacumque die, quocunque loco, quibuscuis cum personis, ac si quid aliud præterea externum sit, æquales esse ac penitus contemnendas.* Quàm verò eleganti ratione, *Quia*, inquit, *Christus talia non præcepit in suis legibus.* Et alibi [2]. *Apud Christianos*, inquit, *vna tantum est circumstantia, quæ est peccasse in fratrem.* Qua affirmatione negant peccatorum inæqualitatem saltem in eodem genere peccati. Hoc verò quis ferat, vt eadem sit malitia peccati eius, qui thorum proximi, & eius qui thorum patris sui violauerit? Ergo non grauius peccat qui patrem, quàm qui seruum occiderit? Qui columbas in templo plus æquo quàm qui in triuio vendiderit? Quid igitur illud est, quod tantopere Paulus exaggerat Corinthij illius fornicationem, quæ tam grauis erat, vt nec inter gentes inueniretur, nimirum quod quis patris sui vxorem habere auderet?

1 Luther. in respons. ad art. VVormaciæ damnatos, Propos. 13.
2 Propos. 14.

De necessitate carnalis copulæ.

10 AFfirmant copulam carnalem cuiuis siue homini siue fœminæ esse necessariam, ita vt nemo sine ea viuere possit. An vero licebit mihi referre verba Lutheri? Pudet sane tam infamem cloacam mouere, sed nisi verba notauero, nemo, vt opinor, crediderit, non tamen omnia recensebo, (quis enim ferre posset? sed pauca tantum. Ex iis tamen quę ex vngue leonem demolirent, *Verbum hoc*, ait ille [1], *Crescite & multiplicamini, non est præceptum, sed plus quàm præceptum diuinum, puta opus quod non est nostrarum virium, vt vel impediatur, vel omittatur, sed tam est necessarium, quàm vt masculus sim, magisque necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno & excubiis intentum esse. Insita est natura & indoles æque atque membra, quæ eò pertinent.* Et paulò pòst: *Reperiuntur interdum*, ait, *pertinaces vxores, quæ etiamsi decies in libidinem prolaberetur maritus, pro sua duritia non curarent. Hic opportunum est, vt maritus dicat, si tu nolueris, alia voler. Si domina noluerit, adueniat ancilla, ita tamen vt antea iterum & tertio admoneat maritus.* Quid obsecro possit diabolica impudentia fingere hoc impudente impudentius? Sobrius tamen & modestus est in loco, si cum iis quæ alibi scripsit [2], hæc comparentur. Nam non modo eadem repetit, sed addit quædam adeò obscœna de pruritu carnis vtriusque sexus, maxime verè muliebris, vt nemo sine pudore ac verecundia huiusmodi petulentiam intueri, vel audire possit, nedum referre. Hac porrò tam absurda & satyro magis quàm homine digna affirmatione, negant consilia Christi & Pauli de Virginitate seruanda, de secundis nuptijs non expetendis, de castratione propter regnum Dei, de muliere non tangenda possibilia esse & obseruanda, grauemque iniuriam adultis puellis nondum matrimonio collocatis, viduis, & alijs, quibus viri copia non est, inducunt. Si enim non magis à luxuria, quàm ab esu & potu abstinere possunt, & meretrices erunt & hypocritę. Verùm quid exquirit Lutherus ab humana natura continentiam, cùm ab ea nisi per Christum & in Christo obtineri non possit? At Christus tamen pulsanti aperit, & petenti cōcedit vt omnes cum Apostolo possint dicere: *Omnia possum in eo qui me confortat Christus, cuius virtus in infirmitate perficitur.*

1 Luther. tom. 5. serm. de matrim. habito VVitembergæ anno 1522.
2 In eodem sermo.

De Pastorum omnium æqualitate.

11 AFfirmant omnes Ecclesiæ Pastores inter se æquales esse, nullum alteri præesse, vt inter eos nullus plane sit distinctioni & ordini locus. Atque ita negant Ecclesiasticæ hierarchiæ vnitatem, in qua Christus per Spiritum sanctum posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei aduersus consentientes Cypriani, Augustini, Chrysostomi, Dionysij,

BIU Cujas

Dionysij auctoritates[1], itémque Conciliorum omnium, in quibus à primo ad vltimum videas præcipuum honorem ac curam Episcopis deferri. Inter eos autem Romano Pontifici vt capite constituto Schismatis tollatur occasio, & Ecclesiasticum corpus per ordinatam membrorum colligationem vnicum efficiatur sub vnico summo capite Christo Iesu.

1 Cyprian. De vnit. Eccles. & simplic. prælat. August. in libro eiusdem inscriptionis. Chrysost. in libris de Sacerdotio. Dionys. lib. De Eccles. hierarch.

De certitudine gratiæ & remissionis peccatorum.

12 AFfirmant omnes fideles debere certissimè credere, sibi remissa esse peccata, & se esse in gratia Dei[1]. Qua affirmatione negant quod vniuersa Scriptura asserit & docet, Debere nos in timore & tremore salutem nostram operari, & satagere vt bonis operibus vocationem nostram certam faciamus, nec de peccato etiam propitiato debere nos esse sine metu.

1 Luther. in artic. 10. & 11. in assert. contra Bullam Leonis X. & in cap. 4. Epist. ad Galat. Caluin. lib. 9. Instit. cap. 2. sect. 16. 17. & 18.

De iustitia Electorum.

13 AFfirmant iustitiam esse propriam Electorum adeò vt eam semel consecuti amittere nunquam possint. Qua affirmatione iterum timorem omnem fidelibus excutiunt, vt pro spe & fiducia Christiano digna inducant præsumptionem & impudentiam. Et quod Scriptura de Saulis & Salomonis bonitate & iustitia pronunciat, Negant & euertunt, quandoquidem de primi reprobatione certissimi; de secundi verò electione incertissimi sumus. Sed quid illi ad Ezech.[1] *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, iustitiæ eius non memorabuntur amplius.* Quid quod Episcopo Philadelphiæ Christus scribendum mandat, *Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam.* Paulus verò Apostolus quamquam fidelis, imò fidelissimus, quid non facit ne cùm alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur? Sed audiamus quæso quàm bella & apta comparatione suam doctrinam explicet Caluinus[2]. *Hinc sequitur*, inquit, *vt nobis securè spondere debeamus vitam æternam nostram esse, cuius Christus est hæres, nec regnum cœlorum, quod iam ingressus est, posse magis nobis excidere, quàm ipsi. Rursum peccatis nostris non posse nos damnari, cùm ea sibi imputari voluerit, ac si sua essent.* Quo tamen loco aduertendum est in prioribus editionibus maximè Gallicis rem durius exprimi, quàm in posteriori, anni 1602. Nam in illis non solùm asseritur regnum cœlorum non magis nobis excidere posse quàm Christo, quod & in posteriori disertè scriptũ est, sed etiam nos nostris peccatis non magis damnari posse, quàm Christum. Verba enim eius Gallica hæc sunt: *Parquoy nous nous osons promettre asseurement que la vie eternelle est nostre, & ne nous peut non plus faillir qu'à Iesus Christ mesme. D'autrepart que par nos pechez nous ne pouuons non plus estre damnés que luy.* Horresco referens. Et quis non horresceat siue legens, siue audiens.

1 Ezech. cap. 18.
2 Lib. 4. Instit. c. 17. sect. 2.

De electionis diuinæ certitudine.

14 AFfirmant Electos de sua electione esse certissimos. *Pessimè ergo*, inquit Caluinus[1], *& perniciosè Gregorius Homilia 38. dum vocationis tantùm nostræ conscios nos esse tradit electionis incertos, vnde ad formidinem & trepidationem omnes hortantur.* Qua affirmatione negant & spem & timorem in prædestinatis esse posse. Nam quis timeat de amissione illius boni quod amittere se non posse certò sciat? Et quod magnus ille nec vnquam satis laudatus Gregorius hortatur nos ad timorem & formidinem, quid aliud est, quam illud ipsum, quod consulunt apices omnes sacrarum Scripturarum? Cur enim putemus laudatum in Euangelio Simeonem, quòd non tantùm iustus esset, verùm etiam timoratus, nisi vt intelligamus iustitiæ comitem perpetuum esse hunc timorem sanctum non qui seruilis sit, sed qui filialis? Itaque mentiantur isti quantum volent, cùm se iustos dicunt, Satis est vt mentiri eos appareat, quod se timoratos nolunt dicere, ne quidem per mendacium, non quia non audeant (est enim longè audacior, qui se iustum esse contendit, quàm qui se fatetur timoratum) sed quia eos pudeat, non quidem mentiri, sed ita loqui vt hac parte mentiendo veritatem dicere videantur. Sed pulchrum est audire sectatores & discipulos Caluini hac de re loquentes, dum vnusquisque eorum se tam certum de sua prædestinatione esse gloriatur, quàm de morte Christi. Si enim ab iis exquiras vnde illa tanta certitudo: Respondent statim se responsum nescio, quod Spiritus sancti interius percipere, Veluti quandam Echo, vnde dubitare de sua prædestinatione non possint. At si aliquis eorum qui tanta támque infallibili certitudine credebant se fideles esse & prædestinatos, ad causas Christi & fidem Catholicam conuertatur, statim exclamant cæteri mentitum illum fuisse cùm diceret se certum de sua salute. Atqui tam audacter ille de salutis suæ certitudine, déque interiore illo commentitio Spiritus sancti responso gloriabatur, quàm qui in Caluinismo remanserunt, Quî fieri ergo potest vt alij sint certiores isto qui fuit aliquando certissimus? Si sua illum Echo decepit, quæ Caluini garritum pro Spiritus sancti voce reddiderit, Quidni aliorum Echo illos quoque decipiet?

1 Caluin. lib. 3. cap. 2. seq. 11. & 12. & cap. 24. sect. 7. 8. & 9.

De Christo incerto salutis suæ.

15 AFfirmant ex opposito Christum, quod caput est omnium prædestinatorum, incertum suæ salutis fuisse, Nam Caluinus[1] palàm asserit Christum de animæ suæ salute timuisse. Neque id obiter, sed ex professo propugnat. Ex quo indubitatè sequitur Christum incertum fuisse de salute animæ suæ. Nam vt quis timeat timore formidinis, de quo Caluinus loquitur, necesse est vt malum quod timet præuideat, & suspicetur tamquam saltem probabiliter futurum. Malum enim à quo se tutum aliquis esse certò cognoscat, quomodo formidare quis potest, aut timere? Digno profectò Caluini ingenio & subtilitate affirmatio. Vt qui per summam impudentiam quemlibet ex suis discipulis de salute sua certissimum esse iubet, Christum de animæ suæ salute incertum esse per inauditam hucusque blasphemiam asseueret.

Sed

Sed pergit impietas vt cùm ad summum vsque ascenderit, ad infima quæque tandem delabatur. Subiungit Caluinus *Christum diros & horribiles cruciatus toleraſſe, quòd*, inquit, *nulla fingi poſsit magis formidabilis abyſſus, quàm ſentire ſe à Deo derelictum & alienatum, cùm ſe ad tribunal Dei ſtare reum cognoſceret noſtra cauſa.*

1 Caluin. lib. 2. Inſtit. cap. 16. ſect. 10. 11. 12.

De Chriſti deſperatione.

16 AFfirmant Chriſto deſperationis vocem elapſam eſſe, ex ſenſu carnis profectam. Ita Caluinus [1]. Qua horrenda affirmatione negant Chriſtum in poteſtate habuiſſe omnes animæ ſuæ paſſiones, vt videlicet illo inſcio & non imperante elaberentur & prorumperent. Quod tamen tam falſum eſſe quàm quòd maximè, præterquàm quòd per ſeipſum clariſſimum eſt, apparet etiam ex eo quod B. Ioannes Euangeliſta in hiſtoria de reſurrectione Lazari, adſeuerat Chriſtum ſemetipſum turbaſſe. Quia nimirum, vt cum decebat qui non minus verè Deus eſſet, quàm verè homo, ſponte excitabat in ſeipſo timores, angores, & huiuſmodi affectus animi antequam ab eis excitaretur. Vnde poſt D. Hieronymum nos non paſſiones, ſed propaſſiones in Chriſto fuiſſe adſeueramus.

1 In harmonia ad cap. 27. Matth.

De Chriſti ignorantia.

17 AFfirmant Chriſtum ad tempus ignorantia laboraſſe: *Oportuit*, inquit Caluinus [1], *Chriſtum ad tempus ſimilem eſſe puris infantibus, vt quod ad humanitatem intelligentia deſtitueretur.* Hac verò affirmatione negant in Chriſto fuiſſe reconditos omnes ſcientiæ ac ſapientiæ theſauros. Quod tamen diſertiſſimè affirmat Scriptura. Fatemur quidem Chriſtum puerum quod ad exercitium & opus externum ſpectat ſapientia creuiſſe & gratia: At illud quoque aſſerimus fuiſſe in eo theſauros ſapientię tum quoque cùm eos nondum exereret, ſed tempore ſuo coram populo Dei proferendos ſibi ipſi conſeruaret. Non enim deſtitit Verbum eſſe etiam cùm verbum non proferret, aut Sapientiam habere, cùm nondum ſapientiam loqueretur, Quippe quem fides noſtra credit à primo inſtanti ſuæ conceptionis tam citò fuiſſe comprehenſorem, quàm viatorem.

1 Caluin. ad cap. 7. Iſaiæ verſ. 15.

De fide actuali infantium nondum baptiſatorum.

18 AFfirmant, infantes antequam baptizentur credere & fidem habere, neque tantùm habitum fidei aut in fide Eccleſiæ credere, ſed & actum fidei, & fidem propriam habere [1]. Quod cùm affirmãt, hoc ipſo negant pueros per Baptiſmum iuſtificari. Nam ſi ante Baptiſmum habent fidem, & fides ſola iuſtificat vt aſſerunt: ſequitur infantes ante Baptiſmum iuſtificatos eſſe. At quis neſcit fidem eſſe ex auditu, auditum verò per verbum Dei? Quomodo autem verbum Dei peruenit ad animam infantis ſine prædicante? quis verò prædicauit infantibus? Rurſum actus fidei ſine vſu rationis eſſe non poſſunt, vt apud omnes in confeſſo eſt, & naturalẽ habet intellectum. Quis porrò credat infantes vſu rationis potiri?

Atque hæc quidem dixiſſe ſufficiat de prima illa nota Antichriſtianiſmi, qua hæretici noſtri ſeipſos ſatis produnt cùm omnia negant, affirmant nihil, & ſi quid affirmant, illud negatiuum, & vt Iureconſulti loquuntur, ſimplex abnuitiuum eſt & inane. Iam aliàs breuiter conſideremus notas quibus veluti characterib. fronti ſectarum noſtri temporis inſcriptum videas horribile nomen Hæreſis.

1 Luther. tom. 2. in opere quod inſcripſit contra armatum minis Cochlæum.

Secunda Hæreticorum nota, Vocationis defectus.

SEcunda igitur nota hæc erit, quæ ex vocationis defectu proficiſcitur. Eſt enim hæreticorum omnium proprium quarto modo, vt vocatione ad miniſterium careant. *Currebant*, inquit Deus per Ezechielem de falſis prophetis, *& ego non mittebam eos.* Veniunt, inquit Chriſtus, *in veſtimentis ouium*, Et Paulus: *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Et alibi: *Nemo*, inquit, *aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Lutherum porrò, Zuinglium, Caluinum, & alios huiuſmodi omnes ſuperioris ſeculi hæreſiarchas, omnino carere vocatione apparet euidenter ex pluribus, ſed ex eo primùm, & maximè, quòd cum interrogantur qua ratione vocati ſint, nihil habent quod reſpondeant, in quo conueniant. Caluinus enim Lutherum alióſque Nouatores qui ſectas iſtas excitauerunt non ordinaria vocatione, ſed extraordinaria miniſterium ſuum ſumpſiſſe aſſeuerat, indéq; Apoſtolos illos, & Euangeliſtas cenſendos eſſe dicit, *Quamquam*, inquit, *non nego quin Apoſtolos poſtea quoque vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas interdum excitauerit Deus, vt noſtro tempore factum eſt. Talibus enim qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent, opus fuit. Munus tamen ipſum nihilominus extraordinarium appello, quia in Eccleſiis ritè conſtitutis locum non habet.* Lutherus [1] autem palàm fatetur ſe non extraordinaria, ſed ordinaria & mediata vocatione vocatum eſſe. *Sumus igitur*, inquit, *& nos diuina auctoritate vocati non quidem immediate à Chriſto, vt Apoſtoli, ſed per hominem.* Cùm autem explicat quanam ratione vocatus ſit per hominem, *Cùm autem*, inquit, *Princeps, ſeu alius magiſtratus me vocat, hinc certo & cum fiducia gloriari poſſum, quod mandante Deo per vocem hominis vocatus ſim. Eſt enim ibi mandatum Dei per os Principis, quod me certum facit vocationem meam eſſe veram & diuinam.* Et alibi dicit [2], *Vocationem antiquitus quidem per Apoſtolos qui ſuos ſucceſſores vocauerunt factam eſſe, ſicut*, inquit, *adhuc vocantur etiam à poteſtatibus carnalibus, & magiſtratibus, ſeu communitatibus.* Vides igitur vt Lutherus ſuam vocationem non quemadmodum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum extraordinariam, ſed ordinariam, & mediatam eſſe aſſerat, eámque non ab Epiſcopis aut Eccleſiaſticis perſonis, ſed à magiſtratibus carnalibus (hoc enim ipſum eius verbũ eſt) profectam eſſe ac deriuatam, Philippus autem Pleſſæus Mornæus tractatu illo Gallico de Eccleſia [3], in quo tantopere Caluiniſtæ ſibi placent, contendit, *Lutheri, Zuinglij & cæterorum primorum noſtri temporis hæreticorum vocationem non à Deo immediatè, aut extraordinariè, quemadmodum Caluinus, neque mediatè à magiſtratibus carnalibus, ſicut Lutherus, ſed mediatè ab Epiſcopis Catholicis deducendam. Quandoquidem inquit Sacerdotes erant ab Epiſcopis creati: Vt Sacerdotes autem Verbum Dei miniſtrare debuerunt. Itaq; miniſtrauerunt, non vt auctores ſui, id eſt, Epiſcopi faciebant,*

BIU Cujas

bant, sed longe rectius & purius. Quis ergo non rideat horum hominum insaniam, qui ne quidem qua ratione vocati sint inter se conueniunt? Quis vero non miretur Plessæi ingenium, qui qua ratione vocatus sit Caluinus, Caluino melius se scire existimat. Qua item ratione Lutherus, & à quo suam vocationem & auctoritatem acceperit, melius se nosse quàm ipse sciuerit Lutherus. *Separate illos*, inquit Daniel de falsis testibus, *ab inuicem procul, & diiudicabo eos, dixitque ad vnum sub qua arbore videris, qui ait, sub schino. Interrogauit & alium, qui ait, sub prino, & ita testimoniorum falsitas apparuit.* Si sic interroges Caluinum: Quis te vocauit? Deus, inquit, extraordinariè. Si Lutherum, magistratus, inquit, carnalis, ordinariè. At Plessæus, velut quidam inter tantos contendentes de cœlo delapsus arbiter, quasi vocationi aliorum interfuerit, audacter pronunciat male Lutherum, peius Caluinum, esse enim illos ab Episcopis nostris vocatos. Quis non ergo iam vel ex ipsorum confessione agnoscat falsum eos dicere, cùm de vocatione sua gloriantur?

1 Luther. in cap. 1. ad Galat.
2 Tom. 4. in Matth. cap. 9.
3 Cap. 11.

De legitima Episcoporum nostrorum vocatione.

ENimuero non solum de vocatione sua non conueniunt, sed etiam quod magis est, consentiunt inter se de legitima Episcoporum nostrorum vocatione. Nam Lutherus, *Apostoli*, inquit, *vocauerunt sues discipulos, vt Paulus Timotheum, & Titum, qui deinde Episcopos Episcopi suos successores vocauerunt. Ea vocatio durauit vsque ad nostra tempora, & durabit vsque ad finem mundi, estque mediata quia per hominem fit, & tamen diuina est.* Caluinus [1] autem, *Supersunt*, inquit, *Episcopi, & parochiarum rectores, qui vtinam de retinendo officio contenderent. Libenter enim illis concederemus eos habere pium & eximium munus, siquidem eo defungerentur.* Et alibi [2]. *Videmus*, inquit, *hodie Papistas quomodo sibi nomen Ecclesiæ arroganter attribuant sub prætextu successionis perpetuæ quam obtendunt. Et sane vt verum dicam coacti sumus fateri à parte eorum stare ministerium ordinarium. Sed quia potestate sua abusi sunt, eorum iactantiam irridere possumus.* Mornæus autem cùm à nostris Episcopis Lutheri & sequacium missionem deriuat, an non omnium apertissime vocationem nostrorum adprobat Episcoporum? Bene igitur Caluinus, & melius quam crediderit, in Ecclesiis rectè constitutis vocationem suam & suorum non habere locum. Quo admisso sic iam nobis licebit argumentari, Ecclesia Christi recte semel constituta est, ita vt nunquam inferorum portæ aduersus eam prævalere possint. Ergo in ea locum habere vocatio extraordinaria non potest, nisi quatenus ab ordinaria adprobetur, Christus enim diuisus non est. Stabiliunt autem ordinariam vocationem quæ, inquit Lutherus, vsque ad finem mundi duratura est. Ergo vocationi ordinariæ fidem adhibere debemus, cui si extraordinaria esset contraria, Christus vtique cõtrarias inuicem vocationes foueret, ac diuisionis auctor esset, vt merito verbis Tertulliani vrgere liceat apostaticos istos reformatores, *Qui estis vos, aut vnde venistis? Quis vos misit euangelizare? Edant*, inquit ille, *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporũ suorum.* Quin etiam verbis Lutheri, qui de vocatione ab Apostolis instituta tractans [3], *Est igitur*, inquit, *non contemnenda vocatio. Neque enim satis est habere verbum & puram doctrinam, oportet etiam vt vocatio certa sit, sine qua qui ingreditur, ad mactandum & perdendum venit. Nunquam enim fortunat Deus laborem illorum qui non vocati sunt, sic hodie phanatici spiritus nostri habent verba de fide in ore, tamen nullum fructum faciunt.* Et ibidem, *Diabolus incitare solet suos ministros, vt non vocati currant & prætexant zelum.*

1 Lib. 4. Instit. cap. 5. sect. 11.
2 In cap. 13. Ezechiel.
3 In cap. 1. ad Galat.

Tertia nota hæreticorum, Contemptus Ecclesiæ.

TErtius hæresium omnium character ille est, quod Ecclesiam contemnunt; si quis, ait Christus, Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Cui consequenter & præclarè D. Augustinus [1], insolentissimæ dicit esse insaniæ id negare vel reiicere, quod vniuersa tenet Ecclesia. Quod magis est, idem alio loco [2] negat se creditum Euangelio nisi eum autoritas Ecclesiæ commoueret. Et rursus alibi disputans non esse rebaptizandos hæreticos scribit in hæc verba [3]. *Quamuis huius rei de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earum tamen Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ quam ipsarum Scripturarum commendat autoritas.* Eam vero autoritatem non potuit Paulus Apostolus commendare apertius quam cum Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis appellauit. Et vero si Christus Ecclesiam sponsam suam dilectissimam matrem omnium Christianorum esse voluit, quomodo fieri potest, vt eam quis contemptui habeat, quin hoc ipso Christum contemnat? *Perhibet*, inquit Augustinus [4], *testimonium Christus Ecclesiæ. Quod si non vis, non mihi aut cuiquam homini, sed ipsi Seruatori contra Salutem tuam pernicioſissime reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille cui fateris nefarium esse non credere.* Quam vero impudenter Ecclesiasticam autoritatem Nouatores nostri omnes conculcauerint, vel ex hoc solo maxime appareat, quod omnes ore vno erasse illam, defecisse & apostatasse proclamant, vt nimirum se reformatores aut instauratores Ecclesiæ possint & audeant appellare. Hinc est quod Lutherus passim iactitat [5], nihil se curare quid Ecclesia sentiat, & in disputatione illa omnium suauissima quam se cum Diabolo habuisse gloriatur [6], refert se Diaboli argumentis conuictum ab Ecclesiæ sententia discessisse. Mox in triumphantis speciem insultans Catholicis, *Si vobis*, inquit, *sustinendi essent ictus Diaboli non diu essetis cantilenam de Ecclesia & veteri recepto more cantaturi.* Sed & alio loco [7] gloriatur se solum contra Ecclesiam ab initio dimicasse. Caluinus autem [8], Ecclesiam errare posse quam sæpe & ex professo contendit.

1 Epist. 118.
2 Contra Epist. Fundamenti cap. 5.
3 Lib. 1. cap. 33. contra Cresconium Grammaticum.
4 De vnit. Eccles. contra Epist. Petilliani cap. 19.
5 In cap. 1. ad Galat. Et in sermone Dominicæ octauæ post Trinit. & alibi pass.
6 In lib. de miss. priuat. & vnct. Sacerdot.

BIU Cujas

7 Initio suorum operum.
8 Præsertim lib.5. Inst.cap.4.

Quarta nota hæreticorum, Contemptus Conciliorum.

QVartus hæreticorum character est, Conciliorum vniuersalium contemptus, quorum tamen fuit semper tanta autoritas vt D. Gregorius Nazianzenus [1] non dubitauerit affirmare, Hæreticos non esse si à Concilio Catholico approbati fuerint. Esse vero hæreticos si minime fuerint recepti. Et D. Basilius [2], non melius aut certius hæreticos diiudicandos esse affirmat, quam ex receptione vel cõtemptu Concilij Niceni. At Caluinus longe aliter [3] Concilia & errare posse & erasse palam profitetur. Lutherus vero libere simul & impudenter, vt solet, *Papa*, inquit [4], *mentitur vna cum Conciliis*. Et paulo post, *Insanum est*, inquit, *Concilia concludere & statuere velle, quid credendum sit, cum tamen sæpenumero nemo adsit, qui spiritum diuinum vel tantillum gustauerit. Quemadmodum in Concilio Niceno vsu venit, vbi dum leges super statum spiritualem ferre conarentur, quibus eidem statui matrimonium interdiceretur, omnes profecto in concilio à veritate aberrauerunt.*

1 Epist.1.ad Chelidonium Apollinaristam.
2 Epist.28.
3 Loco supra proxime citato.
4 In sermon.Domin. Octauæ post Trin.

Quinta nota hæreticorum, Contemptus sedis Apostolicæ.

QVintum characterem habent hæretici, Apostolicæ sedis contemptum. In quo sane excellit Lutherus præ cæteris. Nam is quodam loco postquam omnia quæ fiunt contra Ecclesiam Romanam ad Dei gloriam pertinere dixit. *Cum autem*, inquit [1], *& ego vnus sim de Antipapis reuelatione diuina ad hoc vocatus vt dissipem & perdam & destruam regnum illud, cupide & libenter illo fungor officio, sicut hactenus feci.* Sed & alibi cum defendi bellum contra Turcas esse illicitum, *Quanto rectius*, inquit [2], *faceremus, si idolo Romano Cæsar & Principes modum ponerent perditionis animarum? Nam vt ego prophetem semel, licet non audiar, quod scio, nisi Romanus Pontifex redigatur in ordinem, actum est de omni re Christiana, nihil nisi peccatum & perditionem Papatus operari potest. Qui habet aures audiendi audiat, & à bello Turcico abstineat donec Papæ nomen sub cœlo valeat. Dixi.* Et alibi [3]. *Igitur*, inquit, *siue Papa siue Patres siue Concilium sic dicat aut sentiat, nemini debet esse præiudicium, sed abundet quisque in sensu suo.* Sed quid hic moror? Si è libris Lutheri & Caluini detraheres iniurias & calumnias quibus Apostolicam sedem infectantur, vix vna in iis aut altera pagina remaneret. Iam vero si quis dubitet an certa sit nota hæresis, Contemptus sedis Romanæ, audiat Christum, qui cum Petrum Apostolum Ecclesiæ caput constituerat, *Et super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam* [4]. Inde namque fit consequens ad Ecclesiam Dei non pertinere illum qui petræ huic non innititur, quæ Christi ore tantopere commendatur. Cumque idem Christus eidem Petro suas oues pascendas dederit [5], vtique Christi ouis esse non potest qui à Petro pasci non vult. Neque est quod garriant hæretici Romanum Pontificem Petri successorem non esse, vel autoritatem quæ Petro concessa fuerat, Pontifici Romano datam non esse: nam cum autoritas illa propter commune bonum Ecclesiæ Petro sit collata, non debuit finiri cum Petro qui deficere ac mori post paucos annos debuerat, sed cum Ecclesia militante quæ ad finem vsque seculi duratura est. Ergo & successorem in ea Petri auctoritate aliquem debet habere Ecclesia. Porro nemo vnquam Petri successor hac parte dictus est ab Ecclesia præter Pontificem Romanum. Fateamur ergo quod res est, sedem Romani Pontificis petram illam esse super quam fundata est Ecclesia in qua Domini ouile pascitur. Itaque verissime Cyprianus [6]. *Neque aliunde hæreses*, inquit, *ortæ sunt, aut natæ sunt schismata quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam moueret; nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post Episcoporum consensum iudicem se iam non Episcopi sed Dei faceret; nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scindere; nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim nouam conderet*, eademque propemodum sunt alio loco eiusdem Doctoris verba [7]. Nec dissimiliter Hieronymus ad Damasum Pontificem Romanum, *Ego nullum primum nisi Christum, sequens beatitudinis tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam Christi ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus est, si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio; quicunque tecum non colligit spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.* Denique dici non potest, quam mira magnaque sit antiquorum Patrum in commendanda sede Romana consensio, & quam sibi placeant in quærendis nominibus & titulis quibus eam cohonestent. Cyprianus [8] Petri Cathedram appellat, Ecclesiam principalem [9] exordium vnitatis sacerdotalis [10], vnitatis vinculum [11], Sacerdotij sublime fastigium, Ecclesiæ radicem & matricem [12]. Irenæus vero [13] Ecclesiam in qua est potentior principalitas. Prosper Caput pastoralis honoris, sedem Petri [14], Augustinus Apostolicæ Cathedræ principatum [15] Victor Vticensis & Iustinianus quoque noster, Caput omnium Ecclesiarum [16], Leo [17] & Prosper Caput orbis & mundi & religionis. Ignatius Ecclesiam præsidentem; [18] Hieronymus, tutissimum communionis Catholicæ portum [19]. Ipsum vero Pontificem Romanum, Deus bone, quam præclaris & dignis honorant nominibus: Sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ Episcopum Cyprianus [20]. Alij sanctissimum & beatissimum Patriarcham, vniuersalem Patriarcham, caput Conciliorum, caput vniuersalis Ecclesiæ, vt in Concilio Chalcedonensi [21]. Beatissimum dominum, Apostolico culmine sublimatum, Patrem patrum, summum omnium Præsulum Pontificem, vt apud Stephanum Archiepiscopum Carthaginensem [22]. Sacerdotem summum, vt apud Hieronymum [23], Principem Sacerdotum, vt apud Valentinianum [24]. Custodem vineæ dominicæ, vt Concilium Chalcedonense, rectorem domus Domini [25] Ambrosius, Christi vicarium [26], Cyprianus [27]. Sed placet antiquissimis tot Patrum suffragiis addere Diui etiam Bernhardi calculum, non quod eum longe recentiorem esse nesciam, sed quia Caluinianos non pudet Caluino ipso Duce hunc Doctorem sic laudare quasi sedis Apostolicæ contemptor fuerit. Is ergo [28] Pontificem Romanum his

BIU Cujas

his nominibus appellat, Fratrum confirmatorem, Sacerdotem magnum, Summum Pontificem, Principem Episcoporum, Heredem Apostolorum, Primatu Abelem, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abrahamum, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaronem, Autoritate Moysem, Iudicatu Samuelem, Potestate Petrum, Ouilis Dominici pastorem, Clauigerum domus Domini, Pastorum omnium Pastorem. Neque vero Caluinus ipse potest sibi temperare quin fateri & agnoscere cogatur iam temporibus Athanasij Magni pios omnes libenter Ecclesiæ Romanæ detulisse, quamplurimùm poterant autoritatis. *Verum*, inquit, [29] *id totum nihil aliud erat, nisi vt magni æstimaretur eius communio, ab eo autem excommunicari ignominiosum duceretur.* Quidni ergo ob hoc ipsum Caluine idem tu facere debuisti, omnesque tui, si qua veteris pietatis scintilla in vobis erat? Lutherus verò iis omnibus opusculis, quæ initio suæ defectionis composuit, tam honorifice de Papa locutus est, vt posterioribus scriptis iam factus audacior & insolentior se excusauerit, quod prioribus tam multa & magna Papæ concessisset [30]. Iuuat verò aduersus omnes istos Cathedræ Apostolicæ Romanæ contemptores iisdem verbis vti, quibus aliquando vsus est Augustinus contra Petilianum [31], sicque Lutherum & Caluinum compellare, si quis erit qui eorum nomine velit respondere, *Cathedra vobis quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet? Quare appellatis Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Si propter homines quos putatis legem loqui & non facere, numquid Christus propter Pharisæos, de quibus ait, Dicunt & non faciunt, Cathedræ in qua sedebant vllam fecit iniuriam? Nonne illam Cathedram Moysi commendauit & illos seruato Cathedræ honore redarguit? Hæc si cogitaueritis, non propter homines, quos infamatis, blasphemaretis Cathedram Apostolicam, cui non communicatis. Sed quid hoc est aliud quàm nescire dicere, & tamen non posse nisi maledicere?*

1 Tom. 2. Oper. in admonit. ad Lectorem præposita operi quod inscripsit Exemplum Papisticæ doctrinæ.
2 Asser. artic. suor. per bullam Leonis 10. damnatorum artic. 34.
3 Ad artic. 28.
4 Matth. 16.
5 Ioan. 21.
6 Epist. 55. ad Cornelium.
7 Epist. 69. ad Puppianum, & toto tract. De simplicit. prælat.
8 Lib. 1. Epist. 3.
9 Epist. 58. ad Cornelium.
10 Lib. 3. Epist. 13.
11 Lib. 4. Epist. 2.
12 Epist. 8.
13 Iren. lib. 3. cap. 3.
14 Prosper. lib. de ingratis.
15 August. Epist. 162.
16 Victor Vticens. de persec. Vandal. lib. 2.
17 Leo in Natali Sanctorum Petri, & Pauli.
18 Ignat. in inscript. Epist. ad Romanos.
19 Hieronym. Epist. 16.
20 Cypr. lib. 3. Epist. 11.
21 Concil. Chalced. act. 3. & 16.
22 Epist. ad Damasum nomine Concilij Carthaginensis.
23 Hieron. præfat. Euangel. ad Damasum.
24 Valentin. in Epist. ad Theodos. initio Concilij Chalcedonensis.
25 Concil. Chalced. in Epist. ad Leonem.
26 Ambros. 1. ad Timoth. 3.
27 Cypr. lib. 1. Epist. 2.
28 Bernar. Epist. 190. & lib. 1. de consider. cap. 8.
29 Lib. 4. cap. 7.
30 In Præfat. 1. Tom. ad Lectorem.
31 Lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 51.

Sexta hæreticorum nota, Contemptus patrum.

SExtus hæreticorum character est contemptus antiquorum Ecclesiæ Patrum, quos venerari & colere deberent, si Hieremiam audirent, aut potius Spiritum sanctum loquentem per Hieremiam [1]. *Hæc dicit Dominus*, inquit ille, *State super vias, & videte & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* Et alibi Scriptura sacra, [2] *Non te prætereat narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Quare optimum fuit Cymini consilium, quod Theodosius senior secutus est vt hæreticorum doctrina examinetur ad antiquorum Patrum sententias & normam, & si contraria reperiatur, confestim toto terrarum orbe explodatur, omnium vero pulcherrime Vincentius Lirinensis vbi de antiquorum Patrum authoritate tractat: *Hos*, inquit, *in Ecclesia Dei diuinitas per tempora & loca dispensatos quisquis in sensu Catholici dogmatis vnum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum. Si quis ab eorum sententia communione desciuerit, audiat illud Apostoli, non est Deus dissensionis, sed pacis.* Et paulò pòst, *necesse est profecto omnibus deinceps Catholicis, qui sese Ecclesiæ matris legitimos filios probare student, vt sanctæ Sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur.* Prophanas vero prophanarum nouitates vrget Diuus Augustinus antiquorum Patrum auctoritate [3]. *Ponam*, inquit, *pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere si vllus in eis vel Dei timor vel hominum pudor est.* Quod autem dixit, se pauca paucorum vel hæreticis opponere, id fecit quia pauci illi cum reliquis aperta communione coniuncti erant. Et alibi idem Augustinus [4], loquens de Cypriano, Basilio, Hilario, & similibus. *Tales quippe*, ait, *& tanti viri secundum Catholicam fidem quæ vbique toto orbe diffunditur, hæc & illa vera esse confirmant, vt vestra fragilis & quasi argutula nouitas sola autoritate conteratur illorum, præterquam quod ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur.* Et rursum paulò post: *Quod inuenerunt in Ecclesia*, inquit, *tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Idem nos hodie de te dicimus, magne Augustine: denique contemporaneis suis aduersus Nugatores istos, neque tamen facere possumus, vt eos suæ pudeat insaniæ & impudentiæ.

1 Cap. 6.
2 Ecclesiast. cap. 8.
3 August. lib. 1. contra Pelagianum cap. 2.
4 Lib. 2. ad fin.

Nouationes Hæreticorum nostrorum.

QVantopere enim Patrum antiquorum auctoritatem Lutherus, Caluinusque contempserint, primo statim intuitu videbit quisquis eorum scripta quantumlibet oscitanter leget. Nam Lutherus quidem sic scribit quodam loco: [1] *Primum scire contestatos q; eos esse volo, me nullius prorsus quantumlibet sancti Patris auctoritate cogi*

BIU Cujas

velle. Deinde mox quasi cum Patribus omnibus luctaturus eos sursum deorsumque mouet vt deiiciat. *Iam*, inquit, *quanti errores in omnium Patrum scriptis inuenti sunt, quoties sibi ipsis pugnant, quoties inuicem dissentiunt, quis est qui non sæpius Scripturas torserit? Quoties Augustinus solum disputat, nihil definit, Hieronymus in commentariis nihil fere asserit*, deinde tandem concludit, *Nemo ergo*, inquit, *mihi opponat Papæ, aut Sancti cuiusuis auctoritatem, nisi Scripturis munitam.* Et in libro, quem edidit contra Regem Angliæ, quàm superbe: *Dei verbum*, inquit, *est super omnia, diuina maiestas mecum facit vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, contra me starent, Augustinus & Cyprianus, sicut omnes electi, errare potuerunt, & errauerunt.* Et in fine: *Neque enim*, inquit, *ego quæro quid Ambrosius, Augustinus, Concilia, & vsus sæculorum dicunt, nec fuit opus mihi Henrico Rege magistro, qui me hæc doceret, qui adeo pulchrè ea noueram, vt etiam impugnarim, vt miranda sit stultitia Satanæ, quæ iis me impugnat quæ ipse impugno, & perpetuo principium petit.* Caluinus verò vt fuit homo fraudum & doli plenus, ac vafro & planè vulpino ingenio, præfatur quidem meliorem victoriæ partem ad se inclinaturam, si certamen contra Catholicos institutum dirimendum esset auctoritate Patrum, sed quia versutus homo in corde, & corde loquens timebat, ne suo se verbo obstringeret, statim subiicit. *Sic tamen in eorum scriptis versamur, vt semper meminerimus omnia nostra esse, quæ nobis seruiant, non dominentur. Hunc delectum qui non tenet nihil in religione constitutum habebit, quando multa ignorarunt sancti viri illi, sæpe inter se conflictantur, interdum etiam secum ipsi pugnant.* Quod autem ita genericè ac in vniuersum effutiunt, specificè postea & articulatim toto illo suo opere contra patrum auctoritatem obseruauit, non dissimulans dissentire se à Patribus etiam in iis, in quibus Patres vnanimi sententia consenserunt. Nec id in re aliqua leui, sed in grauissimis fidei nostræ articulis, puta, in quæstione *De libero arbitrio*, in qua dicit, [3] Latinos arroganter, Græcos verò arrogantiùs locutos fuisse. *De persona Mediatoris*, in qua veterum errorem inexcusabilem esse contendit [4]. De concupiscentia vbi vno Augustini testimonio totius antiquitatis sensum contineri dicit, mox ab eo se dissentire profitetur [5]. In quæstione de Satisfactione omnes veteres aut lapsos esse [5] aut asperè ac durè locutos pronunciat [6]. In quæstione De precibus pro defunctis omnes veteres in errorem abreptos esse [7]. In quæstione de merito vetustos Doctores pessimè sinceritati fidei consuluisse [8]. Item peccasse antiquitatem immodica seueritate, quod in Episcopo cœlibatum requireret [9]. In quæstione de pœnitentia, excusari nullo modo posse immodicam veterum auctoritatem [10]. In quæstione De quadragesima [11], veteres Patres superstitionis quædam semina iecisse, ac mera κακοζηλία, & superstitionis plena laborasse. Alibi reprehendit [12] antiquos omnes, quod permitterent laicis, vt in periculo mortis constitutos baptizarent, quamuis ab ipso fere Ecclesiæ nascentis exordio, vsu receptum esse fateatur. In quæstione De adoratione, agnoscit quidem veteres vsos fuisse distinctione duplicis adorationis Douliæ, & Latriæ, sed eam nihilominus ita spernit, vt exclamet, [13] *Quid tum? si omnes eu inspiciant, non modo impropriam esse, sed penitus friuolam.* Cùm verò tractat ille de Ecclesia Romana [14]. *Hoc primum*, inquit, *præfari volo, me non negare, quin magnum Ecclesiæ Romanæ honorem deferant veteres, reuerenterque de ea loquantur.* Et paulo post: *Opinio enim illa quæ nescio quomodo inualuerat, fundatam & constitutam esse Petri ministerio ad conciliandam gratiam & auctoritatem plurimum valebat. Itaque in Occidente sedes Apostolica honoris causa vocabatur.* Atqui eodem ipso loco contemnit ille quantum potest, Ecclesiam Romanam, eamque à Petro fundatam esse negat. Manifestè igitur omnibus antiquis contradicit: Similiter agnoscit [15] ille in veteri Ecclesia Monachos magno in honore habitos fuisse, maximè temporibus Augustini, quem notat in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ aduersus Manichæorum calumnias opponere sanctimoniam professionis Monachorum. Et tamen non eo minus statim spernit Monachos: Nec tantum Monachos nostri temporis, sed antiquos etiam illos, quos Augustinus tantopere commendat. Ait enim nonnulla esse in prisca illa Monachorum forma, quæ sibi displiceant, immodicam scil. affectationem & κακοζηλίαν. Et quod exemplum inutile ac periculosum in Ecclesiam induxerit. Et in quæstione De ceremoniis Baptismi [16] fatetur quidem esse illas origine vetustissimas, sed addit statim, *Respuere tamen mihi & omnibus fas est, quicquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* Et in quæstione De Sacramento altaris pro viatico infirmorum reseruando [17], quæ quidem quæstio præcipui est momenti pro confirmanda fide præsentiæ realis corporis Domini. Obiicit ille sibi ipsi: *Sed enim qui sic faciunt habent veteris Ecclesiæ exemplum.* Tum respondet, *Fateor verum in tanta re, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quàm ipsam veritatem sequi.* Quasi vero Ecclesia vetus secuta sit falsitatem. Et alibi loquens de ceremoniis Missæ [18], *Si quis*, inquit, *vetustate huiusmodi inuentiones tueri velit, non ignoro, quàm non longe ab ætate Apostolorum cœna Domini tecta rubigine fuerit, sed ista scilicet humanæ confidentiæ procacitas est.* Sed & alio loco fatetur [19], antiquos Doctores Missæ nomine vsos fuisse in plurali ferè numero. Et alibi [20], *Veteres quoque illos*, inquit, *video aliò hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conueniebat.* Et paulò pòst, *Excusari*, inquit, *non posse arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerint.* Et iterum, *Merito quis eos redarguat, quod ad legis vmbras nimis deflexerunt.* Denique ne omnia & singula huius generis scripta recenseamus, quod esset pene infinitum. Idem Caluinus fatetur, vsum Confessionis esse antiquissimum, & nihilominus eam spernit, vt iam dubitare nemo possit, si aptissimus hic & certissimus est hæreseos character, contemptus Ecclesiæ & antiquitatis, esse Lutherum, & Caluinum, & quotquot sunt eorum sectatores, omnium maximè hæreticos. Adeò fuerunt illi præ cæteris antiquioribus hæreticis omnibus & Ecclesiæ & totius antiquitatis contemptores.

1 In initio assert. art. per Bullam Leonis X. damnatorum.
2 In præfat. Institut.
3 Lib.2.Instit.cap.2. sect.4.
4 Exod. lib.14.sect.3.
5 Lib.3. sect.10.
6 Lib.3.cap.4.sect.38.
7 Lib.3.c.5. sect.10.

8 Cap.

BIU Cujas

8 Cap.15. sect.2.
9 Lib.4. c.5. sect.10.
10 Cap.12. sect.8.
11 Lib.4. c.18.sect.20.
12 Cap.15. sect.20.
13 Lib.1. c.12.sect.2.
14 Lib.4.c.6 .sect.16.
15 Lib.4.c.13.
16 Cap.15.
17 Cap.16.sect.30.
18 Sect.43.
19 Cap.8.
20 Sect.11.

Septima nota hæreticorum, De studio nouitatis.

SEptimus character est, quod non tantùm antiquitatem non venerantur, nec reuerentur, sed etiam nouitatem quantum possunt maximo studio affectant & sectantur. In quos pulchrè Lirinensis [1], *Prophanas*, inquit Paulus, *vocum nouitates deuita, quas recipere atque sectari numquam Catholicorum, semper verò hæreticorum fuit. Hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne est ac legitimum, vt semper prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatem fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent. Contra vero Catholicorum hoc fere proprium deposita sanctorum Patrum & commissa seruare, & damnare prophanas nouitates.* Videmus autem in Nouatoribus nostris, quàm toti in eo sint vt inducant & statuant nouitates. In fide nihil contra Catholicos dicunt quod nouum non sit, aut saltem ex antiquis & antiquitatis hæresibus renouatum, vt ex iis constat manifestissimè, quæ hucusque diximus, & distinctius ex iis, quæ Illustriss. nec vnquam satis laudatus Cardinalis Bellarminus hanc in rem scripsit, Et verò quid illud est quod isti Ecclesiam per tot secula errasse dicunt, nisi quod nouam & planè contrariam Ecclesiæ veteri doctrinam adferunt? Vnde factum est, vt venientibus ipsis vniuersa Ecclesia cohorruerit, vt solent oues & agni cùm primum vident rabidum lupum ad se venientem. *Solus*, inquit Lutherus [2], *primo eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus.* Et paulò pòst: *Germani omnes suspensis animis expectabant euentum tantæ rei, quam nullus antea neque Episcopus, neque Theologus ausus est attingere.* Idem tamen Lutherus paulo post initium defensionis verborum Cœnæ cùm de Sacramentariis loquitur, *Nec quicquam*, inquit, *magis hanc hæresim promouet, quàm nouitas. Nam nos Germani tales homines sumus, ea quæ nobis noua sunt, affectamus, & auide arripimus.* Et in responsione ad maledicum scriptum Regis Angliæ de iisdem Sacramentariis loquens: *Nullos*, inquit, *hostes capitaliores sum expertus hactenus, quàm suaues illos fratres collegas amicos, quos tamquam filios in sinu nostro fouimus nouarum sectarum magistros, Sacramentarios dico & alios phanaticos, qui qualem nobis referant gratiam vide.* Et paulò pòst: *Nos principio libertatem & Christi honorem asserere & vindicare cœpimus, & tyrannidem Pontificiam inuadere. In hoc certamine multa in sanctam Scripturam sumus commentati. Quibus nisi nos patefecissemus viam nihil admodum de CHRISTO aut de Euangelio intellecturi videbantur. Tantum abfuisse arbitror, vt sua industria Pontificium iugum potuissent excutere. Aut si fortassis industria non defuisset, tamen animi robur omnino defuisset. Nam tum cum solus stabam in acie, cum solus cogebar me obijcere & Cæsaris & Pontificum telis & fulminibus. Tum, inquam, illi præ nimia animi celsitudine & firmitate erant vel scripheis ranis magis muti. Interea Lutherus desertus ab omnibus, prælians cum vniuersis, adiutus à nemine solus in periculo versabatur.* Et paulo post: *Hic ego idem Sacramentarijs Papista, Papistis Sacramentarius traducor, cum tamen vt hi Christum, sic illi Sacramentum Cœnæ Domini, Ecclesijs eripere conentur, & hi quidem solos sese prædicare Christum iactant, cuius tamen sacramenta in Ecclesia nihil nisi signa & veluti tesseras militares faciunt.* Et aliquot sententiis interpositis: *Porcorum*, inquit, *& canum hæc est gratitudo, vt si quis ipsis sanctum & margaritas proiiciat, statim conuersi irruant in benefactorem, eúmque dilacerent.* Hactenus Lutherus, qui & in defensione verborum Cœnæ eadem propemodum dicit. Et alibi [3] conqueritur, quod resciuerit in multis locis erroneos & nouos Prophetas suboriri, & sibi à nonnullis Argentinensibus significatum magnum rumorem & tumultum super Sacramento, & diruendis Imaginibus & Baptismo excitatum fuisse à Carolstadio. Rursum in defensione verborum Cœnæ de Sacramentariis loquens, *Quot capita*, inquit, *& tot sensus hæc vnica secta habet, qui in re principali omnes congruunt, & Spiritum sanctum singuli iactitant. Is vero Spiritus sanctus in probando & fundamenta iaciendo non solum multiplex, sed etiam sibi contrarius & inconstans reperitur, quod eam ob causam fieri mihi persuasum est, vt Spiritus sanctus palàm coarguat, quod isti singuli æque errent.* Et mox profert septem diuersas Sacramentariorum opiniones. Ex his tandem omnibus Lutheri ipsius testimoniis apparet satis quam doctrinæ nouitatem ipse mundo intulerit. Nam & se solum primo fuisse & solum contra omnes pugnasse superbissime gloriatur. Et Sacramentarios noua etiam dogmata seminasse testatur, & ab eo exiisse, & cum eo non perstitisse, vt ipse quidem nouator fuerit, sed alij magis nouatores. Si cui tamen suspectum fortasse videri possit Lutheri de Sacramentariis testimonium, audiamus illos ipsos de se loquentes. Theodorus Beza in præfatione quadam sua Gallica [4], ita extollit Caluini sui doctrinam de se sacramentariam, vt ipsum etiam Apostolis prætulisse videatur, scribit namque in hæc ipsa verba.

Vne chose est à noter, comment ledit Caluin se porta prudemment à traiter ceste matiere tant en son institution qu'aux petits liurets, car voyant que la miserable condition emeuë pour le fait de la Cene auoit allumé vn feu qui estoit pour mettre diuision entre les Egliſes. Tout son desir fut de l'esteindre par vne claire exposition de la matiere sans s'attacher à personne: ce qu'il a fait si bien & dextrement, que qui voudra bien considerer ses escrits, confessera que c'est à luy apres Dieu qu'appartient l'honneur de resolution depuis suiuie par toutes gens de iugement. Ergone Beza, solus Caluinus recte de Eucharistia sentiendi regulam nouit? Omnes vsque ad Caluinum tanti Sacramenti vim & efficaciam ignorauerunt? Vides igitur quisquis es, mi Lector, quantopere sibi placeant in suis nouitatibus isti Nouatores. Lutherus, quia ausus fuerit, quod nullus vnquam Theologus aut Episcopus tentauerat. Beza vero, quia Caluinus senserit & docuerit, quod nemo vnquam alius sciuit. Sed si impetum & vim

nouandi in his Nouatoribus apertius videre voles, facile ex eorum scriptis factisque deprehendes. Scripturæ canonem prorsus nouum ediderunt, vel plures vel pauciores libros comprehendentem quàm in Canone vllius Concilij, aut ex antiquis Patribus fuisse inueniatur, Scripturam innumeris nouis versionibus euerterunt, nemine alterius versione contento. Sacramenta ad nouum numerum, dualem scilicet, reduxerunt. Ritus administrandorum Sacramentorum nouos inuexerunt, Ecclesiasticam Hierarchiam noua quadam Anarchia peruerterunt: ministros, id est, diaconos nouo commento, presbyteris & Episcopis prætulerunt, Episcopos quos primo ac principe honore vniuersa semper coluit Ecclesia in locum infirmum abiecerunt, neque tot nouitatibus contenti, etiam nominibus antiquis bellum acerrimum indixerunt. Inter eos siquidem nomina illa omnia Clericorum, Episcoporum, Sacerdotum, Presbyterorum omnino antiquata sunt. Missam & Eucharistiam in Cœnam, quod nomen planè prophanum est, verterunt, altare in mensam. Caluinus sanè nomen *meriti* antiquissimum, sacratissimum, & antiquis omnibus Christianis receptissimum apertissimè damnauit. Lutherus antiquum *liberi arbitrij* nomen in blasphemam serui arbitrij vocem commutauit. Caluinus vero arrogantiæ notam eidem inussit. Sed quis non expressissimam nouandi libidinem agnoscat manifestiùs in Caluino, cum de Trinitate tractans & de his nominibus *persona*, *substantia*, ὁμοούσιον, *Vtinam*, inquit [5], *sepulta essent. Constaret modo hæc inter omnes fides Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum.* Et alibi [6] nomen *personæ* in nomen residentiæ mutauit, si antiquiores Institutionum ipsius, præsertim Gallicarum editiones sequamur, illam præsertim quam fecit Thomas Courteau anno 1564. Hoc enim addendum est, quia in postrema editione Latina, quæ fuit anni 1602. *Subsistentiam* pro persona inuenies, non *residentiam*. Ideo vt opinor quod Caluini discipulos à nostris admonitos puduit nouæ huius Theologiæ, suumque Doctorem ita corrigendum esse censuerunt. Ac præterea cum perpetuò antiqui Patres & vniuersa Ecclesia Essentiam diuinam in personis subsistentem prædicet, Caluinus contra siue per supinam ignorantiam, quæ satis ei familiaris, siue per incredibilem nouandi libidinem, qua potissimum agitatus fuit, personas in essentia subsistere dixit [7]. Tandem Lutherus de verbo illo ὁμοούσιον, *Non est*, inquit, [8] *quod mihi ὁμοούσιον illud obiectes aduersus Arianos receptum. Non fuit receptum à multis, iisque præclarissimis.* Et paulo post, indulgendum ait esse Patribus, qui semel extra Scripturam posuerunt vocem prophanam, illam scilicet, de qua tractamus ὁμοούσιον. Deinde aliquot verbis interpositis. *Quod si odit anima mea vocem ὁμοούσιον, & nolim ea vti, non ero hæreticus. Quis enim me coget vti, modo rem teneam, quæ in Concilio per Scripturas definita est, etsi Ariani male senserunt in fide, hoc tamen optime siue bono siue malo animo exegerunt, ne vocem prophanam & nouam in regulis fidei statui liceret.* Quid obsecro impudentius isto nebulone possis fingere? Pugnauit antiquitas Catholicorum Patrum trecentis penè annis pro verbo hoc ὁμοούσιον sacratissimo retinendo, in cuius pronunciatione hæretici à Catholicis discernerentur, & ecce Nouator & Nugator iste nouam ac prophanam vocem esse pronunciat. Proinde nec mirum est ex eius discipulis & sectatoribus inuentos fuisse, qui pro ὁμοούσιον substituerunt ὁμούσιον per summam perfidiam. Digni sane discipuli Apostatæ istius & desertoris, qui post mille trecentos annos, Concilium Nicenum omnium quæ vnquam celebrata fuerunt augustissimum prophanationis accusat, Arianos autem pietatis studio adornat. Quàm dissimiliter olim Hieronymus ad Damasum Papam [9], *Obtestor*, inquit, *Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per ὁμοούσιον Trinitatem*, &c. Tanta nimirum religione à sanctissimis Patribus receptum erat illud ὁμοούσιον, vt in iuramentis eo vterentur. At minus illud quoque mirum est nomine illo offensam fuisse animam hæreticam Lutheri. Nam vt præclare dixit Ambrosius [10], *Hoc verbum in tractatu fidei posuere Patres, quod viderent esse aduersariis formidini.*

1 In opusculo quod aduersus prophanas omnium hæresium innouationes scripsit.
2 In Præfat. sua in 1. Tomum.
3 In Epist. ad Argentinenses.
4 In Comment. Caluini ad Iosue.
5 Lib. 1. Instit. c. 13. sect. 5.
6 Sect. 6.
7 Ead. sect. 6.
8 In refut. rationis Latomianæ circ. fin.
9 In Epist. ad Damasum.
10 Lib. 3. de fide c. 7.

De externa facie Ecclesiæ veteris ab hæreticis nostris innouatæ.

POstremò in facie quoque externa Ecclesiæ nouam formam Nouatores isti intulerunt. Vos hic appello Patres non iam vt Doctores & sacræ Scripturæ interpretes clarissimos, sed vt testes fidissimos rerum, quæ in Ecclesia quam vestris temporibus rexistis gerebantur, vt si aduersarij vos Doctores ignaros & imbecilles dicere non verentur, saltem vestra tanquam fidelium & proborum testium dicta scriptaque excipiant: Quidni enim hoc facere debeant, qui vos & fideles & sanctos fuisse confitentur? Atque vt nullus tergiuersationi locus relinquatur, non proferam nisi quod ab Ecclesia primis quingentis annis factitatum esse constabit. Quandoquidem Caluinus post Lutherum ita nos admonet [1], *Meminerimus quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat.* Et alibi de Augustini ætate loquens [2], *Extra controuersiam*, inquit, *erat nihil à principio vsque ad illam ætatem mutatum fuisse in doctrina.* Ergo ne nullus sit scribendi finis, si quæ passim occurrunt in antiquis Patribus ad hanc rem pertinentia enumeremus, solum audiamus Augustinum, quem & Lutherus omnium post Apostolos optimum Doctorem, & Caluinus fidelem antiquitatis interpretem agnoscit. Neque rursum ex Augustino omnia, sed caput vnicum inspiciamus. Id erit octauum libri 22. De Ciuit. Dei, in cuius capitis initio statim videbis, Augustino ipso teste, Mediolani magnum Ambrosium in somnis admonitum de corporibus sanctorum Martyrum Geruasij & Prothasij eruendis ac propalandis, populum concurrentem ad hæc sacra Martyrum pignora, & inter alios cœcum qui ad eorum contactum videre cœperit. Videbis Augustinum

BIU Cujas

ſtinum ipſum & Alipium nondum Clericos (quod notatum eſt ab Auguſtino, quia clerici tunc à laicis diſtinguebantur.) Videbis & beatum Saturninum Epiſcopum Vſalenſem, Geloſum Presbyterum ac Diaconos Carthaginenſes. Et quidem omnes ab Epiſcopo tanquam à maiori benedictionem accipientes, quia tunc & Epiſcopi à Presbyteris, & Presbyteri a Diaconis diſtincti erant, & Epiſcopus longe maior Presbytero habebatur. Qua de cauſa iam ipſis quoque eiuſdem Auguſtini temporibus Aerius ab Eccleſia damnatus fuit vt hæreticus, quod inter Epiſcopum & Presbyterum nihil intereſſe aſſeueraret [3], *Ius habet dandi Baptiſmum ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, deinde Presbyteri & Diaconi, ſed non ſine Epiſcopi facultate.* Verba ſunt Tertulliani [4]. Videbis Innocentiam Carthaginenſem piam fœminam ſigno Crucis Chriſti ſanitatem conſecutam cancri incurabilis. Videbis Heſperium Fuſſalenſem aduocaſſe Preſbyteros, vt à ſpirituum malignorum infeſtatione domum ſuam liberaret. Videbis & vnum ex Preſbyteris illis, qui obtulit ibi ſacrificium Corporis Chriſti (verba ſunt ipſiſſima Auguſtini) orans quantùm potuit, vt ceſſaret illa vexatio, & Deo protinus miſerante ceſſauit. Tunc ergo cum Eccleſia puriſſima eſſet, ſacrificium corporis Chriſti à Preſbyteris, ſi Auguſtino credimus, offerebatur. Videbis eundem Heſperium ab amico allatam terram ſanctam de Hieroſolymis vbi Chriſtus die tertio reſurrexit, ſuſpendiſſe in cubiculo ſuo nequid mali etiam ipſe pateretur: at vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, noluiſſe diutius in cubiculo ſuo retinere terram ſanctam, idque non alia quàm reuerentiæ cauſa, videbis eundem ab Epiſcopis petiiſſe, vt terra illa ſancta infoderetur alicubi, atque ibi Eccleſia dedicaretur, idque factum eſſe. Videbis & Ruſticanum paralyticum ad Eccleſiam illam allatum atque inde continuò pedibus ſuis ſaluum abſceſſiſſe. Videbis adoleſcentem energumenum ſimillimum mortuo ad memoriam Martyrum Geruaſij & Prothaſij portarum vt curaretur. Videbis & illic Sanctimoniales cantantes hymnos veſpertinos & orationes. Videbis & iuuenem altare ibi apprehendentem, & oculum adoleſcentis Sanctorum precibus curatum. Videbis virginem Auguſtino noſtro notiſſimam, quæ cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro ipſa orans Presbyter lachrymas ſuas inſtillaſſet, (ſic enim loquitur Auguſtinus) mox à dæmonio fuiſſe ſanatam, alium item adoleſcentem Epiſcopi precibus. Ergo iam tum quoque benedicebatur oleum precibus Preſbyterorum ad Dæmones coercendos & fugandos. Videbis & ſuauem hiſtoriam de ſene Florentio Hipponenſi ſartore, qui viginti Martyrum precibus obtinuit à Deo, vt haberet quo ſe ſuſtentaret ac veſtiret, dum diſcedens ab oratione grandem piſcem palpitantem videt, quem coco Carchiſo Chriſtiano trecentis follibus vendidit. Cocus vero annulum aureum in ventriculo piſcis inueniens miſeratione flexus & religione perterritus Florentio eum reddidit, dicens: Ecce quomodo viginti Martyres te veſtierunt. Videbis & adoleſcentes neſcio quos irriſores Florentij pietatem exagitantes, diceres Caluinianos iam tum fuiſſe aut Lutheranos. Videbis Epiſcopum ad aquas Tibilitanas portantem reliquias D. Stephani Martyris, & multitudinem magnam concurrentem & occurrentem. Videbis ibi cœcam mulierem contactu reliquiarum cœpiſſe videre. Videbis Luciſſum Epiſcopum reliquias item D. Stephani populo præcedente atque ſequente ferentem, piæ ſarcinæ vectatione vbi ſanctitas attigit reliquias, moleſtiſſima fiſtula liberatum eſſe. Videbis Preſbyterum Hiſpanum ad reliquias eiuſdem Martyris veteri morbo calculi ſolutum fuiſſe. Videbis eundem Presbyterum tunica reportatæ de memoria Martyris, & ſupra corpus appoſita ſuſcitatum fuiſſe, cùm ex alio morbo ſemimortuus iacuiſſet. Videbis Martialem virum primarium ætate grauem, ſed à Chriſtiana religione abhorrentem precibus ſancti Stephani & contactu florum de altari allatorum confeſtim conuerſum, & pœnitentem omnibus admirantibus à Preſbyteris baptiſatum, ac quandiu vixit, orantem frequentiſſime in hæc Stephani verba, *Chriſte accipe ſpiritum meum*. Videbis & tres podagricos per eundem Martyrem ſanatos. Item puerum attritum rota currus penè expirantem, quem mater arreptum protinus ad eandem memoriam tulit, vbi non ſolum reuixit, verum etiam illæſus apparuit. Videbis & Sanctimonialem ægritudine grauiſſima laborantem, cumque deſperaretur, ad eandem memoriam fuiſſe allatam eius tunicam, ſed interim defunctam ægrotam, relata tamen tunica & operto ea cadauere, ſpiritu recepto reuixiſſe. Itemque & eodem modo filiam Baſſi Syri. Videbis Irenæi filium mortuum oleo Martyris perunctum reuixiſſe, Eleuſinum item exanimatum infantulum ſuper memoriam Martyris poſitum poſt orationem viuum ſurrexiſſe. Videbis Paulum & Pauladiam per miſerum tremorem membrorum ex maledicto matris quaſſatum ad memoriam eiuſdem Martyris ſanatos, & Auguſtinum ipſum è ſuperiori loco concionabundum oues ſibi commiſſas in laudem Dei ad gratiarum actiones prouocantem, & caput illud inſigne his verbis concludentem, *Quid erat in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt?*

Quis ergo iam poſſit requirere aut dubitare, num temporum illorum Eccleſia eadem eſſet quæ huius ſeculi Catholica Romana? An non eadem ipſa hodie & dicimus & ſentimus? Vide faciem & attende ad lineamenta, quæ tam diligenter, vel hoc vnico capite Auguſtinus depinxit. Viden' Clericos, Diaconos, Sacerdotes, ſeu Presbyteros, Epiſcopos? Num animaduertis Sacrificium Corporis Chriſti, Altare, Eccleſiæ dedicationem, Sanctimoniales, Benedictionem olei, Benedictionem item Epiſcopalem, corpora Sanctorum in pretio habita, totque miraculis clara, eorumque memorias in templis? Audiſtine mulierem ſigno Crucis curatam, pauperem inuocatione Sanctorum veſtitum, terram ſanctam in veneratione habitam, reliquias cum honore circumgeſtatas idque ab Epiſcopis, & Sanctimoniales decantantes hymnos & orationes? Quid quæſo in Caluini Lutherive ſynagogis ſimile, qui omnia iſta rident, quaſi per abuſum & ſuperſtitionem in Dei Eccleſiam poſterioribus ſeculis irrepſerint? Atqui tunc pura erat, ſancta erat, vel fatentibus nugatoribus iſtis, nullaque adhuc doctrinæ peruerſitate deformis Eccleſia. Mirum igitur eſt vel hoc vnico capite non eſſe victos conuictoſque omnes Lutheranos & Caluinianos, ſi neque Lutherum, Caluinumque pro mendacibus habent, qui Eccleſiam Dei puriſſimam Auguſtini temporibus fuiſſe fatentur, neque Aug. pro mentiente, qui ſupradi-

BIU Cujas

cta omnia refert tanquam veriſſima & certiſſima. Fuiſtis Luthere & Caluine nimis liberales, qui hoc nobis conceſſiſtis, Eccleſiam Dei primis illis quingentis annis, nullis erroribus, aut abuſibus deformatam fuiſſe. Quid enim nobis facilius, quam probare ſeculorum illorum Patres ea ipſa omnia credidiſſe, quæ hodie credimus, & de quibus vobiſcum diſputamus. Probarunt hoc illuſtriſſimi Cardinales, magna ætatis noſtræ lumina & ornamenta, Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis, & Bellarminus in controuerſiis, ne dubitare amplius poſſitis. Poteratis tamen negare quamuis falsò & impudenter, vt cætera: nam eos qui non ſemel, ac tam ſæpe verecundiæ fines tranſierant, bene ac grauiter oportebat eſſe impudẽtes. Victos ergo vos ex veſtra confeſſione agnoſcite. Sane, qui iſta omnia puræ & ſanctæ Eccleſiæ exercitia, ornamenta, & opera tanquam prophana contempſerunt, & abiecerunt, quales Deus bone ſunt Reformatores, an non verius deformatores dicendi ſunt, & ab omnibus tanquam inepti & impudentes Nouatores habendi, exſibilandi, explodendi? Bene iam olim Tertullianus, *Solemus hæreticis compendij gratia de poſteritate præſcribere*[5]. Quidni ergo etiam noſtris præſcribamus?

1 Lib.1. Inſtitut.c.11. ſect.13.
2 Lib.4. c.2. ſect.3.
3 Auguſtin. in lib.de hæreſib.
4 In lib.de Baptiſmo.
5 Contra Hermogenem.

Octaua nota hæreticorum de ſpiritu diſſenſionis.

OCtauus hęreſium omnium character eſt ſpiritus diſſenſionis. Nam, vt inquit Apoſtolus[1], *Numquid diuiſus eſt Chriſtus? & Deus non diſſenſionis, ſed pacis Deus eſt*[2]. Inde ſolemus dicere, hæreticorum proprium eſſe diſpergere, ſicuti Catholicorum congregare. Venit etiam Chriſtus, vt oues quæ diſperſæ erant congregaret in vnum. Ideoque Apoſtolus Iudas hæreticos deſcribens[3], *Hi ſunt*, inquit, *qui ſegregant ſemetipſos*. Iam v. quanta ſit inter noſtri temporis hęreticos diſſenſio quis non videt? Lutherus Sacramentarios hæreticos palam vocat, Sacramentarij Lutheranos & Anabaptiſtas, Anabaptiſtæ Trinitarios, Trinitarij Anglocaluiniſtas, Anglocaluiniſtæ Puritanos, & contrà. Sed vnus pro omnibus in teſtem ſufficiat Lutherus, qui ſuo illo libro contra Sacramentarios non perfunctoriè, ſed ex profeſſo demonſtrat ſeptem diuerſiſſimas & hæreticas interpretationes verborum illorum: *Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum*, à duobus antea annis emerſiſſe. Poſtquam enim ſex enumerauit, addit: *Præter hos alij accedunt, vt ſeptenarius numerus compleatur, qui dicunt, non eſſe articulum fidei. Ideoque liberum cuique eſſe, vt hic ſentiat quicquid velit. Hi omnia pedibus conculcant & deſtruunt. Veruntamen Spiritus ſanctus eſt in iis ſingulis, & nullus vult erroris argui iis tam diuerſis & contrariis probationibus, & textus ordinationibus, cum tamen vnam textus collocationem veram eſſe oporteat, adeo craſſe & manifeſte Diabolus nos naſo ſuſpendit.* Vide obſecro quàm eleganter & expreſſe ſeipſum & ſuos deſcribat vir iracundus, dum alios à ſe deſcribi & vellicari putat. Et in reſponſione ad maledicum ſcriptum Regis Angliæ: *Iam quæſo*, inquit, *aduertite quàm dura conditione hæc bella adminiſtrem. Foràs bellum tranſtuli, aperto marte cum Papiſtis dimicabam. Interim ſocij milites fratres illi noſtri domi patriam opprimunt, omniaque ferro ac igni vaſtant, crudelem horrendamque exercentes lamenam in propriis ciuibus.* Et paulò pòſt loquens de Caroliſtadio aut Zuinglio: *Meus Abſalon*, inquit, *qui ſuum patrem regno ſuo & gloria exutum expulit, Meus Iudas, qui & Dominum prodidit, & diſſipauit cœtum piorum diſcipulorum, nondum etiam in me idem deſignauerant.* Sed illud omnium ſuauiſſimum eſt, quod aliquot verbis interpoſitis prouocat in ſe Lutherus omnes aduerſarios ſuos. *Sed agite dum*, inquit, *adeſte omnes, vos, inquam, Papiſtæ Sectarij, Satanæ adminiſtri & ſatellites, ac totum agmen diabolici gregis, vnanimes vires coniungite veſtras. Huc copias adducite confertis agminibus, vnum Lutherum adorimini, Papiſtæ in fronte aciem dirigite, inuadant Sacramentarij Anabaptiſtæ, &c.* Belliſſimè profectò cùm Sacramentarios & Anabaptiſtas poſt ſe à tergo conſtituit, non ſolùm, quia ſectatores eius fuerunt, ſed etiam quia ab eodem loco & eadem via venerunt. Omnes quidem ex aduerſo Eccleſiæ Catholicæ, ſed inter ſe dimicantes & pugnantes, *Concurrere faciam*, inquit Dominus[4], *Ægyptios aduerſus Ægyptios, Bellum hoc eſt Madianitarum.* Ac ſicut dixit alibi Lutherus ipſe,[5] à Deo ita ordinatum eſt, vt impij ſemper ſeipſos confundant. Et quòd mendacia non conſonent, ſed ſemper ſemetipſa teſtentur. Vt meritò & grauiter ſanctus Hilarius olim dixerit[6]: Bellum hæreticorum pacem eſſe Eccleſiæ.

1 1. Corinth. cap.1.
2 1. Corinth. cap.14.
3 In Epiſtola.
4 Eſaiæ 19.
5 Lib.de votis Monaſticis.
6 Lib.7. de Trinit.

Hæreticos noſtri temporis agi ſpiritu diſſenſionis.

NEque verò noſtri temporis Hæretici ſolùm inter ſe diſſentiunt, ſed etiam, vt iam diximus, ſpiritu diſſenſionis aguntur. Nam omnia ſuſtulerunt, quæ ad vnionem, ſiue vnitatem ſpiritus & fidei poſſent reducere capita multorum, inter eos nulla Cathedra principalior, ad quam, vt dicebat Irenæus, omnis recurrat Eccleſia, omnes virgam Cenſoriam ſibi vſurpant, Conciliorum auctoritatem contemnunt, quæ potiſſimum eam vtilitatem habet, vt diſſidentes opiniones mutua Catholicorum collatione concilientur. Quomodo ergo conſentire poſſunt qui omnes conſentiendi vias præcluſerunt? Atqui Scriptura ſacra, inquiunt, vnica via eſt recte ſentiendi & conſentiendi. In hanc ſi omnes intendamus facile conſentiemus. Sic enim iſti exclamant, ſed quis non videt tortuoſos gyros ſerpentis antiqui? Nam nec de alio ferè, quàm de Scriptura ipſa ſacra contentio eſt. Et quis hæreticorum vnquam ſi vnum aut alterum excipias, alio quam ſcripturæ prætextu bellum mouit, turbaſque in Dei Eccleſia excitauit? Solemne eſt hæreticis omnibus clamare, *Verbum Domini, Verbum Domini*, & Scripturam ſcripturis conuellere, id eſt, Spiritum viuificantem litera occidente extinguere, nempe quia multiplicem ſenſum habet Scriptura, quem dum quiſque

ſibi

BIU Cujas

sibi proprium elegit & propugnat, & propriam facit hæresim & sectam, dum inquit Augustinus, *Scripturæ bonæ intelliguntur non bene.* & Hilarius [1], *Intelligentia hæresis est & sensus non sermo sit crimen.* & Hieronymus [2], *Scripturæ non in legendo consistunt, sed in intelligendo.* & alibi: *Diabolus loquitur de Scripturis, & omnes hæreses secundum Ezechielem inde sibi consuunt ceruicalia, quæ ponunt sub cubito vniuersæ ætatis.* Sed omnium aptissimè & apertissimè Vincentius ille Lirinensis, quem diceres hæreticorum nostri temporis mores & ingenia exprimere voluisse, *Lege*, inquit, *Pauli Samosatem opuscula, Priscillani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque pestium,* (omnes verò illos hæreticos fuisse nec Lutherani & Caluiniani ipsi diffitentur,) *cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omittit paginam, quæ non noui aut veteris Testamenti sententiis fucata & colorata sit.* Et paulò post: *Quid est vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, &c.* Non ergo Scriptura sola est idonea ad consensionem & vnionem fidelium, sed indiget interprete, qui eodem spiritu earum sententiam aperiat, quo ipsæ scriptæ sunt & reuelatæ. Interpres autem eiusmodi alius esse non potest, quàm Ecclesia, quæ columna & firmamentum est veritatis, & ad cuius solius auctoritatem semper attinuit, vt hæreses & hæreticos discerneret, ac damnaret. Quicumque ergo Ecclesiam errare posse asseuerat, spiritum dissensionis necessariò animis fidelium immittit, omnemque prorsus fidei certitudinem tollit. Hoc ipsum autem faciunt & fecerunt semper omnes hæretici. Nunquam tamen illustriore exemplo, quàm factum sit ab hæreticis nostri temporis, qui quatuor hæc Euangelij verba, *Hoc est corpus meum*, tanta sensuum dissensione & repugnantia intellexerunt, vt iam suo tempore Lutherus septem diuersissimas interpretationes obseruauerit, quemadmodum paulo ante dicebamus. Cumque videret Sacramentarios impudenter de sacra Scriptura gloriari. *Hoc*, inquit, [3] *rei caput est diabolus sua calliditate & potentia nobis multo superior est, oppugnat & repugnat vbique, si nos ad Scripturam confugiemus, ibidem quoque præsto est, & in ea tantum contentionum & dissensionum concitat, vt propediem eius obsaturemur, languidiusque Scripturæ assentiamur, & confidamus. Et quidem hic perpetuo cum ipso conflictari oportet.* Et paulò pòst de Satana loquens. *Turbas*, inquit, *& sectas in Scriptura tot tantasque dabit, vt nescias vbi Scriptura, fides, Christus, tu ipse maneas.* Et mox in eandem sententiam eodemque loco: *Quamuis*, inquit, *Diabolus, non cogatur dimittere, tamen non est oblitus suæ artis: nam clanculum sua zizania seminauit in nostros cœtus, puta falsos fratres, qui nostram doctrinam & verba apprehenderent in eum finem, vt nobis adiumento essent in Scriptura propaganda, sed vt à tergo cum nos in prima acie pugnaremus in nostrum exercitum impetum facerent, turbas excitarent, & contra nos furiose dimicarent.* Et paulò pòst: *Sed haud cessabit, tanto cardine rerum progredietur longius, & plures articulos fidei attentabit. Et quidem iamdudum oculi eius scintillant erroribus, de Baptismo, peccato originis, & Christi humanitate, inde tantum turbarum in sacris literis existet, tantum orietur dissensionum, & tantum exurget sectarum, vt verè cum Paulo affirmare possimus, mysterium iniquitatis nunc agit.* Quemadmodum etiam ipse prospiciebat post se multas sectas oborituras. *Si hæc mundi machina per aliquot annos durauerit, iterum more Patrum ad tollendas dissensiones humana quærentur præsidia, constituenturque leges & decreta ad conciliandam & seruandam in religione concordiam. Quod quidem similem priori sortietur euentum.* Et paulò post explicans, quæ sint humana illa præsidia ad tollendas dissensiones, dicit esse Concilia. Et paulò superiùs de Sacramentariis loquens, & eorum hæresi. *In hac parte*, inquit, *per Scripturam ferme decem rimas egit, sibique effugia parauit, vt vix vnquam deformiorem hæresim legerim, quæ statim in exercitu tot capita, tot dispares sectas, & discordantes opiniones habuerit, cum tam in fine ad eandem tendant metam, nempe ad Christum prosequendum.* Hactenus Luth. Ex quo vides primò, Sacramentarios ab eo, pro hæreticis & hæreticorum omnium fœdissimis habitos esse. Secundò, omnes eos impudenter Scripturas prætexere. Tertiò Scripturam solam non posse tot dissensionum turbas compescere. Quarto, vnicam ad consensionem viam esse Concilia. Quintò Conciliorum vsum ad eam rem in more fuisse apud Patres, quæ omnia sanè verissima sunt, quanquam à mendace ac mentiri solito prolata. Quamquam ne etiam hac in re hæreticus non sit Lutherus, mentitur splendidè, dum Concilia humanum præsidium appellat. Diuinum enim est non humanum, quod in hanc vocem sua decreta inchoat: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Aut si hoc humanum dumtaxat præsidium est, quodnam obsecro erit diuinum? Et si quod aliud diuinum est, cur tantopere laborat Lutherus, ne cogatur humana quærere præsidia, cùm alia possit habere diuina: & hoc ipso haud dubiè meliora & tutiora, quàm humana? An verò possit quis credere nullum à Deo Opt. Max. comparatum esse in eam rem præsidium, quod proinde sit totum diuinum ad totius suæ Ecclesiæ vnionem & pacem retinendam?

1 Lib. 2. de Trinit.
2 Contra Luciferianos in cap. 1. ad Galat.
3 Luther. in libro contra Sacramentarios.

Nona hæreticorum nota est de Spiritu contentionis.

NOnus hæreticorum character est Spiritus contentionis, superbiæ, arrogantiæ & pertinaciæ. Sic enim illorum mores describit Beatus Iudas in Epistola Canonica, *Væ illis qui in via Cain abierant, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core abierunt. Ii sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia. Ii sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes. Et os eorum loquitur superbiam.* Et D. Paulus, *Si quis*, inquit, *vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Quare meritò D. Augustinus [1] Hæreticum definit, qui Scripturas non recte intelligens suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserit. Et alibi, [2] *Neque enim*, inquit, *natæ sunt hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur etiam temerè & audacter asseritur.* Et rursum alio loco [3], *Qui ergo*, inquit, *in Ecclesia morbidum aliquid prauumque sapiunt, si correpti vi sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera*

dogmata

dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Porrò quanta sit hæreticorum nostri temporis arrogantia & superbia, ex eorum patre Luthero satis liquebit, si verba ipsius audiamus. Is in responsione ad maledicum scriptum Regis Angliæ 4. in hæc verba scribit: *Atque*, inquit, *circa arrogantiam libere dixerim per me sacram Scripturam ita repurgatam, ita illustratam esse, vt intra annos mille nunquam fuerit vel clarior vel notior pluribus.* Et paulò antè, *Mihi perinde est, etiamsi mihi totus iam adhæreat mundus, iam deficiat iterum, vtrumque æqui bonique consulturus sum. Nam quis me sustentabat initio cum essem solus?* Et alibi [5], miris modis seipsum extollit, & animum peruicaciæ. *Hæc sunt arma*, inquit, *quibus hæretici vincunt hodie. Ignis & furor insulsissimorum, & asinorum & Thomisticorum porcorum, sed pergant porci illi, & si audent exurant me, hic sum & expectabo eos, cineribus solis post mortem etiam in mille maria proiectis, persequar & abominabor hoc abominabile vulgus, in summa viuens Papatus hostis ero; exustus bis hostis ero. Facite porci Thomistæ quod potestis, Lutherum habebitis, versam in via, & leænam in semita, vndique vobis occurret, & pacem habere non sinet, donec ferreas vestras ceruices & æreas frontes contriuerit, vel in salutem vel in perditionem. Hactenus satis fuerit patientiam perdidisse. Deinceps cum pergatis indurati & obcæcati cornua erigere, & sponte facti suis incorrigibiles, & indomiti, nemo à me expectet quicquam dici in vos deplorata portenta suaue aut blandum. Irritatos enim volo magis ac magis, donec effusis omnibus viribus & furoribus conteratis in vobis ipsis. Qui primus alterum compescuerit sit ipse victor, sicut vultis sic fiat vobis.* Et eodem libro, *Non sumus Papæ, sed Papa noster est, nostrum est non iudicari ab ipso; sed ipsum iudicare, spiritualis enim à nemine iudicatur, & ipse iudicat omnes.* Et rursum alibi [6], *Fouebat me vtcumque*, inquit, *aura popularis, & Germani suspensis animis expectabant euentum tantæ rei, quam nullus antea neque Episcopus, neque Theologus ausus esset attingere.* Denique passim videas insanam hanc belluam mille se laudibus extollere, nec nisi arrogantiam & impudentiam effutire. Nec ipse tandem negat. Cuidam enim amico suo respondens per Epistolam [7], *Recte*, inquit, *mones me modestiæ, sentio & ipse, sed compos mei non sum, sed raptor nescio quo spiritu cum nemini me malle velle conscius sim, verum vrgent etiam illi furiosissime vt aduersarium non satis obseruem.* Quantus vero sit contentionis & pertinaciæ spiritus in Luthero, duobus potissimùm exemplis ex iis quæ possent adferri innumera ostendemus. Primum erit ex Epistola quam ille ad Argentinenses scripsit, in qua de Sacramentariis loquens [8]: *Differri*, inquit, *non possum nec volo, quod si Carolstadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi potuisset probare in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinctum reddidisset. Grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus neruis extensis me extricare & expedire conatus sum, cùm probe perspiciebam hac re Papatui cum primis me valde incommodare posse. Verum ego me captum video nulla elabendi via relicta.* Et paulò pòst, *Quod si etiam hodierno die fieri posset, vt quis firmo Scripturarum testimonio mihi fidem facere queat in Sacramento non nisi panem & vinum esse, nihil tamen opus esset quemquam tam amaro me adoriri animo. Sum enim, proh dolor! plus æquo in hanc partem propensus quantum Adami mei naturam animaduertere possum.* Quid obsecro huiusmodi ingenio contentiosius? quod non quærit quid verum sit aut falsum, sed quid Papatui, vt ipse loquitur, aut Ecclesiæ incommodare possit, studetque non veritatis amore & desiderio, sed Papatus odio. Aliud exemplum adhuc clarius ex alio loco [9] sumi potest, in quo tractans de Missa, *quid ergo*, inquit, *dicemus ad Canonem & auctoritatem Patrum? Primùm respondeo si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare quàm Missam concedere.* Quid enim hoc aliud quæso est quàm velle quocumque periculo ac per omne fas & nefas suam tuéri opinionem, & Poëticum illud exequi:

Fac bene si possis, si non, quocunque modo, rem.

De Zuinglio autem, Carolstadio, OEcolampadio, Caluino, Sacramentariorum parentibus & Lutheri filiis non possimus testimonium dignius aut certius minusque suspectum adferre, quàm ipsius Lutheri, qui testatur eos velut Absalones quosdam regni & gloriæ patris cupidos suas hæreses erexisse. Etsi enim de Caluino disertè non loquitur, qui viuente Luthero non adeò infamis erat, nec magni nominis, quod tamen de aliis Sacramentariorum capitibus dixit, quidni etiam in Caluinum optimè quadret qui tanto superbior fuit & arrogantior cæteris, quanto posterior tempore? Si enim arrogans Carolstadius fuit, & Zuinglius, qui Luthero parenti contradixerunt, arrogantior fuit, qui & Luthero & Zuinglio & omnibus omnium ætatum Christianis contradixit. Sed quid arrogantius possis fingere, quàm quod Caluinus pronunciare ausus est, Omnes Patres in errorem abreptos fuisse aut arroganter locutos [10]? Quid item arrogantius Beza, qui Caluino soli adrogat honorem rectæ opinionis & detectæ veritatis circa mysterium Eucharistiæ, quasi nullus omnino mortalium ante Caluini tempora recte de Sacramento sensisset? Sed & quid sibi vult, rogo, quod ad calcem vitæ Caluini, quam idem Beza scripsit, addidit verba illa Elizæi videntis Heliam raptum in cœlum & eleuatum, *Pater mi, Pater mi, Currus Israel & auriga eius*, nisi quod Caluinum pro Helia, aut pro Elisæo vult haberi.

1 Lib 8. de Genesi ad Liter. cap. 9.
2 Tract. 18. in Ioannem.
3 Lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 51.
4 Tom. 2. Operum.
5 In lib. cont. Regem Angliæ.
6 In præfat. 1. tom. 1.
7 In epist. præfixa argumentis suis in Psalmos tom. 3.
8 Tom. 7.
9 Lib. de captiuit. Babylon.
10 Sic enim Caluinus locis suprà citatis.

De interpretatione Scripturarum.

SEd potest hic spiritus arrogantiæ ac pertinaciæ detegi apertius, si Nouatores istos disputantes audiamus. Exempli gratia, quæratur, an opera charitatis iustificent, illi negabunt. Si objicias verba Epistolæ Diui Iacobi, quid respondebunt? Lutherus exclamabit si vspiam deliratum est hic deliratum esse, potiusque reiiciendam Apostoli Epistolam, quàm admittendum vt iustificatio à charitate proficiscatur. Quid aliud in hac responsione quàm proteruia & pertinacia? Caluinus verò respondebit Iacobi verba non ad iustificationem, sed ad iustificationis manifestationem respere

BIU Cujas

ſpicere. Quod ſi replices verba Iacobi non poſſe hanc pati interpretationem, quia vt de fide, ita & de operibus iuſtificationem aſſeuerat, ille tamen in opinione ſua perſtabit, & Catholicos omnes victos ac de mala interpretatione conuictos exclamabit. Sed quo iudice? *Scriptura*, inquit. Atqui de Scriptura nobis controuerſia eſt, quam à nobis ſtare manifeſtiſſimum eſt, iuſtificationem enim ſcripſit Apoſtolus, non iuſtificationis manifeſtationem. Si vero inſtes: Adeamus ergo Patres, Concilia, Eccleſiam. *Bene eſt*, inquit, *dum ad normam Scripturæ loquantur.* Viden' pertinaciam? Exigit Scripturas, nos damus, ille obliqua interpretatione contorquet, nos veram & germanam opponimus ex propria ipſa verborum vi & ſignificatione perſpicuam. Ille non admittit. Quæritur quis rectius interpretetur, nec enim æquum eſt quemquam in cauſa ſua & teſtem eſſe & iudicem. Ille ne victus videatur, & vt vetulis atque vulgo imponat, ad Scripturam renocat. Quis hic non videt proteruiæ ac pertinaciæ gyros? In ſumma vult audiri, ſibique vni fidem haberi. Si quæras, num patres antiquos & Concilia audire velit. *Audiam*, inquit, *ſi ad amuſſim Scripturæ iudicent.* Iudicabunt vero, inquam, Stabiſne illorum ſententiæ? *Stabo*, inquit, *ſi tamen prius examinaueris.* Quis vero te conſtituit illorum iudicem? Hoc ipſum enim eſt de quo quærimus, cur tibi magis licere debeat ſententiam ipſorum & interpretationem examinare quam illis aut nobis tuam, & quis in pari omnium iure futurus ſit Iudex. Quod ſi fallantur interpretando, quia homines fuerunt, vt obiicis, quidni etiam tu fallaris? An non & tu homo es, aut ſaltem beſtia? Neque enim opinor, aut Angelus aut Deus es, aut quicquam ex inanimatis, hic vero hæret terminis. Eſt ſtatim anguis, in ſeipſum caput contorquet. *Quia*, inquit, *ſecundum Scripturas interpretabor.* Deus bone. Atqui de hoc ipſo quærimus quis Scripturas rectius interpretetur. Quid agas cum impiis iſtis qui ſemper in circuitu ambulant, & eo ſemper redeunt vnde tu tam ſæpe illos deieceris? Quæ impudentior pertinacia quam nolle ſtare iudicio Eccleſiæ, Patrum, Conciliorum? Quis finis tantæ contentionis, ſi nemo erit qui litem dirimere poſſit, quique eius tandem definiendæ habeat auctoritatem? Nec enim dubitandum eſt quin litigandi futura ſit immortalis libido. Habet ſuas leges Reſpublica omnis bene conſtituta, eaſque bonas & ſanctas, quæ tamen ſi litigantium arbitrio exponendæ relinquerentur, nullus vnquam foret litigandi finis, dum prudentiæ quiſque ſuæ innititur, & in ſenſu ſuo non ſolum abundat, ſed etiam luxuriatur. Hinc Iudicium etiam in prophanis rebus, ſed multo maior in Eccleſia Dei Conciliorum neceſsitas, ne ſi nullus tandem Iudex ſit à quo appellari non poſſit, litigantium peruerſitas & libido faciat, vt neque litigandi neque appellandi terminus vllus inueniatur. Exemplum præbeat Lutherus ipſe, is enim à Legato ſedis Apoſtolicæ ad ſedem Apoſtolicam initio appellauit. Tum à ſede Apoſtolica condemnatus, quieuitne an acquieuit? Neutrum, ſed factus impudentior iterum prouocat ad Concilium. An vero mi Luthere acquieſces ſi Concilium contra te feret ſententiam? *Diſtinguo*, inquit, *Si ſecundum Scripturas, acquieſcam, ſin minus omnia negabo.* Sed quiſnam, inquam, iudicabit, vtrum Concilium ſecundum Scripturas ſententiam tulerit? *Ego*, inquit, *Nam ſpiritualis homo iudicat omnia.* Ergone à Concilio & vniuerſi orbis conſenſu ad teipſum vnumque prouocabis? Siccine ſupremus diuini humanique iuris arbiter conſtitueris inſanum & ſiue lepidum ſiue illepidum malis dicere caput Lutheri? Et hæc quidem quæ de Luthero dicimus de cæteris omnibus hæreticis æque dicta videri debent, nam & inde hæretici nomen acceperunt, quod interpretationem Scripturæ ſibi ſeligant, quam ſi Conciliis & Eccleſiæ conſonam inuenerint, eam non auctoritate Eccleſiæ, vel Conciliorum, ſed ſua ipſorum opinione defendunt, ſin contrariam viderint, nihilominus eam contra Eccleſiæ & Conciliorum autoritatem tuentur.

De inuocatione ſanctorum ex D. Auguſtino.

SImilis erit quæſtionis exitus, ſi de alicuius ex Patribus autoritate diſputetur. Finge quæri, num Beatus Auguſtinus Sanctos inuocandos eſſe cenſuerit. Adducimus locum ex Commentariis eius in Exodum, vbi palam dicit orationibus Martyrum propitiari Deum peccatis populi ſui. Adducimus & ſupra citatum, in quo palam teſtatur precibus Sancti Stephani pleroſque ſanatos aut adiutos. Adducimus & quod idem Auguſtinus alibi ſcribit [3], Animas defunctorum orationibus Martyrum commendari, in quorum locis, id eſt, nomine ac memoria Martyrum venerabilibus corpora ſepulta ſunt. Quid ad hæc iſti nugatores vt elabantur? Nihil aliud, niſi quod hæc non ex animo ſed raptim & inaduertenter dicta ſunt. Atqui locum alium illuſtriorem adducimus [4], in quo Beatum Cyprianum ipſe inuocat hac deſiderij ſui conteſtatione. *Adiuuet nos orationibus ſuis, vt donante Domino quantum poſſumus bona eius imitemur.* Parum eſt, inquiunt, nam non diu immoramur in huiuſmodi precibus. Quid vero iam cum iſtis poſſit quis facere vel patientiſſimus hominum? Adferamus tamen vt iſtis ſatisfaciamus, locum alium in quo non obiter ſed longa & iterata oratione Sanctum aliquem in cœlis regnantem Auguſtinus interpellet. Is eſt in ſermone 2. de annunciatione [5]. *O Beata Maria*, inquit, *culpas noſtras orando excuſa, admitte noſtras preces intra ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidatum reconciliationis; ſit per te excuſabile quod per te ingerimus; fiat impetrabile quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redde quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu, ſentiant omnes tuum iuuamen quicunque celebrant tuam ſanctam commemorationem, aſſiſte parata votis poſcentium, & repende omnibus optatum effectum, ſint tibi ſtudia aſſidue orare pro populo Dei quæ meruiſti benedicta redemptorem ferre mundi, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum.* An expectatis adhuc aut requiritis quotquot eſtis Lutherani & Caluiniani vt clarius aliquid proferamus? Fatemur ingenue nec habere nos nec poſſe fingere, etiamſi nobis pro

arbitrio

arbitrio fingendi ius & licentiam, quam non petimus daretis, sed quid respondetis? *Sermo*, inquiunt, *non est Augustini*. Si interroges quare? Quia, inquiunt, non sapit ingenium Augustini. Cui vero non sapit? Tibine an mihi? Quid vero erit quod non possit tuto negari, si hæc reiiciendæ Patrum authoritatis ratio admittatur? Nam & clarissima quæque loca si ad gustum disputandum examinentur, nunquam satis sapida erunt contradicentibus. Est tamen quod parcamus nec illibenter istis qui Patrum scriptis tam ineptè illudunt, cum ipsis quoque sacris Scripturis idem faciant, easque non nisi ad gustum suum & admittant & abiiciant. Quid enim mouere Lutherum potuit vt Iacobi Epistolam damnaret? *Quia*, inquit, *non sapit spiritum Apostolicum*. Cum damnat Caluinus libros Machabæorum, *Quia*, inquit, *non sapiunt spiritum diuinum*. Ergone quia manna rebellibus & proteruis panem cœli non sapit, propterea manna esse desinet, *Et panis de cœlo?* Quia sol noctuæ non lucet, nobis non lucebit? Si sic agatur, actum sanè est de vniuersa Scriptura, vt doctè Augustinus noster iam olim disputauit [6], contra Faustum, qui solenni hæreticorum insolentia sacræ Scripturæ loca quibus vrgebatur non germana sed falsata esse dicebat. Vidi ego primarium quendam Geneuæ Ministrum, qui multa insolenter debachatus in Sanctorum intercessionem, eum non tantum Scripturæ, sed etiam Patrum authoritate conuinceretur, dixit tandem paratum se dare manus, si Augustinus vllo loco Beatissimam Virginem inuocasse probaretur. Cum vero Catholicus supradictum locum protulisset, ac Ministrum interrogasset: Quid vero tu ad hæc Domine magne Doctor? Ille primum hæsitabundus & attonito similis, mox seipsum colligens quasi magnum & elegans quidpiam dicturus, vt facile maximum Ecclesiæ reformatorem in eius vultu agnosceres, *Næuus est*, inquit, *in pulchro corpore*. Quid vero miser Catholicus faceret cum isto nebulone, nisi vt Dominum rogaret ne statueret ei hoc peccatum, quia nesciebat quid diceret, nec quid faceret. Abi vero tu in malam Crucem cum istis tuis næuis & nugis. An non poteras verius dicere næuum hunc esse in Caluini tui opinione, Beatissimæ Virginis Sanctorumque omnium intercessionem temere reiicientis? Nam nec quicquam vetat næuos esse in deformi corpore vt tanto deformius faciem, quanto facerent corpus venustius quod esset pulchrum. Placent vero sibi Nouatores nostri tum maximè in sua pertinacia cum aliquam sententiam in Libris Patrum deprehendunt quæ primo intuitu ac in speciem fauere iis videatur, est enim hoc fuitque semper hæreticis omnibus commune, vt iam olim Vincentius noster Lyrinensis obseruauit, *cum sub alieno*, inquit, *nomine hæresim concinnare machinantur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulo inuolutius edita quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant, & illud nescio quid quodcumque proferant, neque primi, neque soli sentire videantur*. Hunc scilicet morem tenens minister iste noster egregius, de quo nunc dicebamus, tot illis Augustini locis clarissimis, quæ iam citauimus, opponebat locum vnum in quo Augustinus de Christo loquens [7]. *Ipse Sacerdos est*, inquit, *qui nunc ingressus interiora veli solus ibi ex his qui carnem gestauerunt interpellat pro nobis*. Itaque August. cum Augustino pugnantem inducere volebat subtilis Doctor, nec videbat Augustinum eo loco non de alia interpellatione loqui quam quæ fit per redemptionem, quod & præcedentia & sequentia illius loci manifestissime ostendunt. Hanc vero artem fallendi in Patrum scriptis etsi hæreticorum omnium communis est, Caluiniani tamen propemodum suam propriam fecerunt, adeo in ea excellunt vt apparuit ex congressu Illustrissimi Cardinalis & Episcopi Ebroicensis cum misero illo, quem nominare pudet, vel hoc ipso quod non pudet eum viuere post tam multas tamque euidentes ipsius non tantum hæreses, sed etiam falsitates in augustissimo ipso Christianissimi Regis conspectu, & amplissimo totius Galliæ Theatro detectas conuictasque.

1 Quæst.108.
2 Lib.22.de Ciuitat.Dei,cap.8.
3 Lib.de cura pro mort.agend.cap.4.
4 Lib.de Baptism. contra Donatistas.
5 Serm.19.de Sanctis. Tom.10.
6 Lib.11. cap.2.
7 In Psalm.54.

De Sanctorum intercessione.

SEd addamus etiam ad has pertinaciæ notas, aliam superioribus finitimam, sed tamen ab iis diuersam, quod sunt Nouatores nostri querulosi, vt B. Iudas Apostolus dicebat, & vt Paulus loquitur contentiosi, ita vt quantumuis eorum argumentis satisfacias, ipsis tamen satisfacere nunquam possis. Adeo verum est quod Augustinus iam olim dixit, conuinci eos posse, sed vinci non posse. Exemplum esto in hoc ipso articulo de quo paulo ante scripsimus de Sanctorum intercessione. Obiiciunt dare nos Christo socios & coadiutores cum Sanctos inuocamus; nos vero respondemus clarissime, nos neque Deo quem oramus coadiutores dare, quem satis scimus ad misericordiam faciendam coadiutoribus non indigere, neque Christo per quem oramus, quia eius intercessionem omnipotentem apud Patrem agnoscimus, sed nobis ipsis qui oramus, ac quorum orationes & preces, precibus fratrum nostrorum, maxime vero piorum & sanctorum virorum adiuuantur, vt à Deo per solum Christum exaudiantur. Quare nec sanctos proprie mediatores agnoscimus eo sensu quasi sint in medio inter Deum & nos, vt Christus, qui reuera medius est, vtpote qui vtramque naturam Dei & hominum habeat, cum sit & Filius Dei, & filius hominis, sed inuocamus Sanctos vt sint nobis comprecatores & cooratores per vnum Dominum nostrum Iesum Christum. Quia tamen Christo esse illos nobis gratiores intelligimus & aliquo modo viciniores quippe qui iam sint in gloria, plerique antiquorum mediatores eos appellarunt, non ratione illa qua Christus mediator dicitur, qui vere est in medio vt ita dicam Mathematico, sed vt is qui alicui vicinior est licet permodica distantia, medius dicitur inter hunc & illum à quo longius abest. Sic enim dicimus inter nos & solem vmbracula & tentoria nostra esse media, licet non modo non sint in medio, sed etiam nobiscū sint in extremo. Qua responsione si quis est, qui sibi nō putet satisfactū, quonam obsecro, nisi proteruo prorsus & contētioso videri potest esse ingenio?

Hoc

Hoc vero vnicum exemplum pro multis attuliſſe ſufficiat. Nam inſtituti noſtri ratio pluribus hic nos immorari non permittit; Niſi quod non poſſum prætermittere inſigne dictum Lutheri, qui vt Eccleſiæ Catholicæ contradiceret, quæ docet, ſemperque docuit, Excommunicationem cuicumque viro pio & Chriſtiano cauendam eſſe, tum quoque cum eſt iniuſta, tanquam quæ ſi non æternæ ſalutis præſens damnum inferat, præſentiſſimum tamen adfert ſecum amittendæ illius periculum: Scripſit ille ex contrario [1] docendos eſſe Chriſtianos, vt excommunicationem diligant potius, quam vt metuant. Cui bono autem hæc tam impia ſententia, niſi vt contradicendi ſtudium, quo vir miſer redundabat, expleret?

1 Artic.14. per Bullam Leonis damnat.

Decima nota, De ſpiritu maledicentiæ, procacitatis, irriſionis & calumniæ.

DEcimus character hæreſeos eſt, Maledicentia, procacitas, ſpiritus irriſionis, & calumniæ. *Irriſores*, inquit B. Iudas in Epiſtola, & D. Bernardus [1] de hæreticis ſui temporis loquens; *Videte*, inquit, *detractores, videte canes. Irridentꝫ nos quia baptizamus infantes, quod oramus pro mortuis, quod Sanctorum ſuffragia poſtulamus.* Vt vero Lutheranos & Caluinianos noſtros hoc ſpiritu agi probemus, magna non eſt opus inquiſitione. Nam quod ad Lutherum pertinet, tam petulanter ille & contumelioſe cauſam ſuam aggreſſus eſt, vt Beza [2] non vereatur illi hac in re ſuccenſere. Sed quid Bezæ teſtimonio indigemus? Habemus rerum confitentem [3], ſe immodeſte & ſcribere & agere, ac eo planè modo qui deceat hominem, qui, vt ipſe loquitur, non ſit compos ſui. Sed Deus bone quam impudenter agit cum ſummo Pontifice, cum Rege Angliæ, cum vniuerſo ordine Epiſcoporum, cum Academiis Pariſienſi & Louanienſi! Minima fere quam in eos vibrat contumelia hæc eſt, vt porcos, aſinos, Satanæ ſatellites ſtolidiſſimos, & cætera id genus appellet; Idque tam crebrò & importune, vt ſi operibus eius contumelioſa quæque detrahas, facile octo ſcriptorum eius Tomos in vnum ſis redacturus. De procacia verò iſtorum & ſpiritu irriſionis ſi quis dubitat, legat ſi licet ludum Lutheri aduerſus Pariſienſes Theologos, & Paſſauantium Bezæ. Mirabitur ſane inſcitiam & miſeriam illorum qui tales homines habuerunt pro Eccleſiæ reformatoribus, & pietatis ac religionis inſtauratoribus, habentque. Cogor tamen ex Caluino proferre locum vnum [4], in quo certat ipſe ſecum impudentiorne ſit, an imprudentior in calumnijs & maledictis concinnandis. *Ad homines*, inquit, *ſi veniamus, ſatis ſcitur quales reperturi ſimus Chriſti vicarios, Iulius ſcilicet, & Leo & Clemens & Paulus Chriſtianæ fidei columnæ erunt, primique religionis interpretes, qui nihil aliud de Chriſto tenuerunt, niſi quod didicerant in ſchola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices numero? Quaſi vero dubium ſit qualem religionem profeſſi ſint iampridem Pontifices, cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcana illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt, Nullum eſſe Deum. Alterum, Quæcumq; de Chriſto ſcripta ſunt, ac docentur mendacia eſſe & fabulas. Hoc cum notiſſimum ſit omnibus qui Romam nouerunt, non ceſſant tamen Romanenſes Theologi, &c.* Quem obſecro non pudeat tam virulenti mendacis huius & impoſtoris? Et tamen quod impudentiam facit intolerabilem, teſtatur ille eodem loco, non de hominibus ſe loqui, ſed de Cathedra Romana, vt meritò poſſimus ei obiicere verba illa Auguſtini, quę ſupra retulimus, *Cathedra tibi quid fecit Petri?* Nec contenti ſint iſti tot contumelijs Eccleſiam Dei militantem, eiuſque Paſtores onerare. Parum hoc illis videtur, ſi non etiam in ciues triumphantis Eccleſiæ ſimul iacula contumeliarum ſuarum contorqueant. Audi Caluinum [5]. *Colligimus*, inquit, *nihil Papiſtas Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius interceſſionem, niſi accedant Georgius & Hippolytus, aut ſimiles laruæ.* Et alibi [6] mentitur impudentiſſime, & imponit Catholicis, quod in ſuis omnibus Litaniis, Hymnis & Proſis, vbi ſanctis mortuis nihil non honoris defertur, nullam Chriſti mentionem faciant. Lutherus autem quodam loco [7] mire exagitat Thomam Aquinatem, adeo vt erubeſcat dicere probabile eſſe, quod ſit ille damnatus. In ſumma nihil iſti aut in cœlo, aut in terra intactum reliquerunt. Neque ſane fuit æquum, vt Angelico Doctori parcerent iſti, qui nec Angelis, nec ipſi Deo pepercerunt.

1 Serm.66. in Cant.Cantic.
2 In imaginibus.
3 In eo loco quem ſupra notauimus.
4 Lib.4.c.7. ſect.27. & 29.
5 Lib.3.Inſtit.c.20. ſect.27.
6 Sect.21.
7 In confutat.rationis Latomianæ.

De principiis hæreſium noſtri temporis.

POrrò cùm hæreſibus omnibus commune illud ſit vt ſordidum, & abominandum habeant principium (inde namque eſt præclarum illud dictum D.Hieronymi, *Hæreſes ad originem reuocaſſe refutaſſe eſt.*) Videamus iam quod erit pro corollario, quàm præclara origine noſtri temporis hæreſes glorientur. Ducunt eam omnes à Luthero, qui primus omnium omnino earum auctor fuit. Ita ſane Lutherus ipſe teſtatur [1]. *Solus*, inquit, *primo eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiſſimus & indoctiſſimus.* Et Beza in iconibus, vbi de Luthero loquitur, ait, excitatum eum vt lumen Euangelij ex denſiſſimis tenebris erueret. Et quamuis neque Lutherus, neque Beza id teſtarentur, ſatis tamen teſtaretur ſumma illa pax, qua fruebatur Eccleſia, cùm Lutherus bellum illi indixit, & repentina omnium Ordinum facta in eum commotio, ſtatim atque apparuit. Et Luthero quidem id pro gloria eſt, quòd primus & ſolus fuerit, qui turbas excitauit. Nam congratulatur [2] ſibiipſi, quod Germani ſuſpenſis animis expectabant, quem euentum habitura eſſet contentio, quam ipſe excitauerat, *Et quam*, inquit, *nullus antea neque Epiſcopus, neque Theologus auſus eſſet attingere.* Tantique fecit hanc hæreticam laudem, vt iniuriæ loco duxerit, ſi quando ſuas opiniones ab aliis didiciſſe diceretur. Cumque plerique Huſſitam eum eſſe exiſtimarent, reclamat

BIU Cujas

ipse, & exclamat; *Non recte vocant, qui me Hussitam appellant. Non enim mecum ille sentit, sed si ille fuit hæreticus, ego plus decies hæreticus sum, cum ille longe minora & pauciora dixerit.* At videamus quibus viis & quo genio Lutherus in hanc doctrinæ nouitatem venerit. Illud sane constat non diuino impulsu tametsi dicat ille alibi se à Deo vocatum, vt iactare solent hæretici omnes, sed humano prorsus carnalique affectu rem totam aggressus est. *Casu enim*, inquit ille ipse, *non voluptate, nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* Quid verò tam contrarium, quam vt diuino impulsu factum esse existimetur, quod factum sit casu? Aut quid apertius quàm ex supradictis verbis; Non in pacificam Euangelij prædicationem, sed in turbas Apostatam illum incidisse? Neque vero solus ipse hoc testatur, sed & Philippus Melanchthon [4] egregius Lutheranus. *Hæc initia fuerunt*, inquit, *huius controuersiæ, in qua Lutherus nihil adhuc suspicans aut somnians de futura mutatione rituum ne quidem ipsas indulgentias prorsus abiiciebat, sed tantum moderationem flagitabat. Quare falso*, inquit, *eum criminantur qui à plausibili causa exorsum dicunt, vt postea mutaret Rempublicam, & vel sibi vel aliis potentiam quæreret.*

Tum vero primi motus & inspirationes quibus Lutherus tactus fuit, vt doctrinam catholicam desereret, fuerunt meræ & crassissimæ blasphemiæ, sic enim ipse de se scribit: *Oderam*, inquit, *vocabulum istud Iustitia Dei, quod vsu & consuetudine omnium Doctorum doctus eram philosophice intelligere de iustitia formali & actiua Dei, qua Deus est iustus, & peccatores iniustosque punit.* Et paulo post: *Non amabam*, inquit, *imo odiebam, iustum & punientem peccatores Deum, tacitaque si non blasphemia certe ingenti murmuratione indignabar Deo.* Et alibi [6] explicans locum illum Pauli [7], *Iustitia Dei reuelatur in Euangelio*, ait, omnes Doctores excepto Augustino interpretatos esse de iustitia Dei puniente, tum subiungit: *Quoties legebam hunc locum, semper optabam, vt Deus nunquam reuelasset Euangelium. Quis enim posset diligere Deum irascentem, iudicantem, damnantem?* Et rursum alio loco [8]: *Olim cum legendum esset*, inquit, *& orandum illud Psalmi, In iustitia tua libera me, totus exhorrescebam & ex toto corde vocem illam oderam.* Et paulo post: *Atque hic sane*, inquit, *omnes Patres, Augustinus, Ambrosius, &c. hallucinati sunt, & in hoc veluti scandalum impegerunt.* Ex hoc autem odio irascentis, & iusti, in meditationem venit, per quam ait se fidem suam iustificantem inuenisse. *Tum*, inquit, *me prorsus esse renatum sensi, & apertis portis in ipsum Paradisum intrasse. Ibi continuo alia mihi facies totius Scripturæ apparuit.* In his vero omnibus hæc præcipue notatu digna semper existimaui. Primùm quod Lutheri nouitas incepit ab odio Dei omnium peccatorum grauissimo. Fons sane dignus fuit, qui tot hæresum riuulos profuderit. Secundum est, quod Lutherus non resipuit postquam hæresim excitauit, sed in hoc execrando odio perstitit. *Quis enim*, inquit, *possit diligere Deum irascentem, iudicantem, damnantem?* Quibus verbis non solum se odio Deum habuisse profitetur, sed etiam neque potuisse amare, neque posse. At vero non sic ille, non sic qui lætus cantat, *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Et alibi: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Ac deinde exclamat de quouis iusto: *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Tertium est, quod ignorantiam suam crassissimam prodit Lutherus, cùm dicit, omnes Doctores, excepto Augustino, locum Pauli ad Romanos de iustitia Dei puniente interpretatos fuisse. Nam vt omittam Chrysostomum & Theodoretum, Diuus sane Thomas & Lyranus, qui omnibus obuius est, de iustitia, qua Deus nos iustificat, palam interpretantur. Tametsi contraria quoque expositio non sit omnino improbabilis. Quartum est, quod impudentiam suam Lutherus ostendit, cum Psalmi locum supra citatum dicit à nemine Catholicorum & Patrum fuisse intellectum de iustitia, qua Deus nos iustificat. Nam & Augustinus ipse & Lyranus & Glossa ordinaria sic plane interpretantur, *In iustitia tua libera me*, id est, quia mea iustitia quæ nulla est, liberari non possum, tua Deus bone liberari exopto. Quamquam quod ad locum illum attinet, docte Glossa ordinaria animaduertit interpretationem illam esse potius moralem, cum secundum literam de iustitia Dei iudicantis Psalmista loquatur, quasi dicat, Cum iustus sis, Domine, eripe me & libera me de manibus persequentium me, qui iniuste me opprimunt, & persequuntur. Sed ad rem. Postquam Lutherus hoc initium suæ doctrinæ dedit, multa, quod erat consequens, per hypocrisim & mendacia fecit, vt suam stabiliret hæresim. Nam & ipsi Romano Pontifici diu blanditus est, vt cum aduersus Regem Angliæ iniurioſe scripsisset, misit ad eum postea Epistolam [10], in qua blanditijs & lenocinijs conatur animum Regis demulcere, scribens in hunc modum; *Conscius mihi sum grauissime offensam esse tuam Maiestatem libello meo, quem stultus & præceps edidi.* Et paulò pòst: *Vehementer*, inquit, *nunc pudefactus metuo oculos coram maiestate tua leuare, qui passus sum leuitate ista me moueri in talem tantumque Regem, præsertim cum sim fex & vermis, quem solo contemptu, oportuit victum aut neglectum esse.* Deinde veniam petit ad Regis pedes prostratus, & promittit se palinodiam cantaturum, si Rex velit. Verùm non multo post tempore, cum Rex Angliæ iterum in eum scripsisset, rursus ille Regem adgreditur longe atrocioribus contumelijs, & de literis scriptis pœnitet, nec vllum non mouet lapidem vt suam hypocrisim excuset, quæ palinodiam promiserat, docetque se illam epistolam scripsisse, vt eum ad hæresim suam amplectendam pelliceret. *His*, inquit, *persuasionibus plane ebrius effudi illam deprecationem, & infeliciter supplicem Epistolam, quam illi sues indigne tractant dilacerantque.* Et paulo post dicit eodem se artificio vsum esse cum Georgio Duce Saxoniæ. Et aliquot interpositis verbis, iterum prædicat, se non pœnitere quod iis artificijs vsus sit, quasi fecerit omnia propagandi Euangelij causa, nec pudet eum fictiones huiusmodi & hypocrisim pium honestumque studium appellare. Pius vir sane qui pium existimat per mendacia veritati inseruire. Cuinam vero incredibile fiet vnquam labia ista dolosa Lutheri in corde, & corde loquentis electa esse à Deo vt Euangelij lumen iterum mundo accenderent? Aut quis vnquam sordidiora vidit aut legit, & magis execranda hæresis vllius principia, quæ casu non seriò, nec consultò, & ex odio Dei non ex amore, ex mendacijs, & hypocrisi non ex veri-

tate

tate constituerunt? Auctor vero ipse turbulentus homo, & adeo ferox vt Philippo quoque Melanchthone teste [11], non solum Erasmus, sed etiam Fredericus Dux, cuius protectione, & auspiciis omnem Tragœdiam suam Lutherus produxit, lenitatem in eo, & moderationem desiderarent. Quam nec ipse negabat sibi deesse, cùm se sui compotem non esse fateretur [12].

1 In Præfat. 1. Tom. oper. & in opere contra Sacramentar. & contr. maled. script. Reg. Angl.
2 In præfat. supra citata.
3 In assert. articulorum per Leonem X. damnator. Art. 30.
4 In præfat. ad 2. tom. Oper. Lutheri.
5 In Præfat. supra citata.
6 Tom. 4. Oper. in 27. Genes.
7 Romanor. 1.
8 In c. 42.
9 In præfat. iam citata.
10 Extat. tom. 2. ad finem.
11 In præfat. 2. tomi.
12 In epist. ad amicum supra citata.

Horrendum principium hæresis Lutheranæ.

SEd supereſt omnium, quæ hucusque diximus, fœdissimum, maximeque horrendum hæresis Lutheranæ exordium. Retulimus in superioribus locum insignem Lutheri, quo testatur tantopere sibi Missam displicere, vt omnia potius negari velit, quam Missam recipi. At tanti odij, quænam obsecro causa esse potuit? Anne alicuius Angeli aut Dei de cœlo persuasione adactus est Lutherus, vt tanto Missam odio execraretur? Imo vero tantarum Lutheri in Missam irarum præclarus scilicet ac dignus, in cuius verba iuraret, magister atque artifex fuit Diabolus. Quis credet? Nemo hercule nemo, si non ipse Lutherus dixerit. Prodeat igitur Lutherus ipse, nec erubescat dicere, quo Doctore vsus sit ab initio, vt Missam conuellere niteretur. Nam & iure nostro ita cautum est vt vniuscuiusque rei originem & initium inspici oporteat. Is in libro De Missa priuata & vnctione Sacerdotum [1] non obiter, sed ex professo & luculenter asserit refertque, Sathanam sub mediam noctem sibi apparuisse, & quinque argumentis, quæ varijs etiam similitudinibus adornauerat effecisse, vt exinde Missam & vnctionem Sacerdotum sperneret omnino, & abiiceret. Nec quod sibiipsi obiecisset, mendacem esse Diabolum, cui propterea credi non oporteret, potuisse tamen persuaderi, ne se Diaboli argumentis vinci pateretur, cuius vim & impetum in disputando mirabiliter extollit. Mox conuersus ad Catholicos, *Si vobis*, inquit, *sustinendi essent ictus Diaboli, & audiendæ disputationes, non diu essetis cantilenam de Ecclesia & veteri recepto more cantaturi: Sathan enim nictu oculi repente totam mentem terroribus & tenebris adobruit.* Deinde vt obiectioni suæ pro Diabolo satisfaciat & respondeat, conatur pluribus ostendere, Diabolum etiam interdum veritatem docere, & ita mentiri vt mendacium veritate perfundat. Ac tandem, *Confessus sum*, inquit Lutherus, *lege Dei conuictus coram Diabolo me peccasse, me damnatum esse vt Iudam, sed verto me ad Christum cum Petro, & respicio eius immensum beneficium & meritum. Ille omnem horrendam damnationem damnauit. In summa* (& hæc est conclusio Lutheri) *nos ab ipsorum priuatis missis & vnctione Episcoporum liberati sumus.* Euge, Euge. O viri, quibus est cor. Audierunt aures nostræ, viderunt oculi nostri. Heu ista est libertas illa præclara & Euangelica, quam Lutherus & eius exemplo cæteri hæretici nostri temporis inuexerunt. *Liberati sumus*, inquit Lutherus, at non libertate, quam Luthero ab inferis Sathan attulit. Quis vnquam Deus bone audiuit talia? Quis vero nunc audiat sine horrore? Quis denique talia fando temperet à lachrymis? Et tamen inueniuntur, heu nimis quàm multi homines, qui tam diris, fœdis, & fœtidis ex inferno allatis opinionibus glorientur, autoremque Diabolum sequantur. At nos Catholici adhæremus Christo, & abrenunciamus Sathanæ ac doctrinæ eius. Glorietur ergo Lutherus quantum volet cum suis sectatoribus doctrinam se suam aduersus Missam à Sathana accepisse, nos Apostolum audiemus semper, qui de eodem tractans mysterio, sed longè aliter quàm Lutherus, ait, *Ego autem accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Denique omnibus qui Lutherum sequuntur, verissimam hanc & turpissimam semper inuremus notam, vel ex ipsius Lutheri confessione quam cauillari iam nemo possit; *Vos ex patre Diabolo estis.*

1 Tom. 7. Operum editionis Vittembergensis anno 1558. à folio 227. vsque ad folium 231.

Hæreses nonnullæ politicæ Nouatorum.

IAm tempus esset vt huic tractationi quæ me longius traxit, quàm putaram, finem imponerem, vel ipso tædio tam horrendæ narrationis. Nisi me viderem religione boni publici teneri vt aperiam, sed paucis si potero, quantam perniciem rebus Christianorum ciuilibus minentur & adstruant ingenia nostrorum Nouatorum, Ne dubitare quisquam possit, non minus in politicis quàm in Ecclesiasticis hæreticos illos esse. Id verò facile fiet propositis aliquot ipsorum propositionibus, quas perinde tuentur illi mordicus, ac si essent articuli fidei.

Prima propositiõ politica & hæretica, De optima Reipublicæ administratione.

PRima propositio est Caluini disertis verbis expressa [1]. *Omnium optimam Reipublicæ administrandæ rationem esse Aristocratiam, Quin etiam Democratiam, Et quod consequens est, Pessimam omnium Monarchicam.* Quanquam autem admonet, eos qui Monarchis subsunt, nihil præterea mouere debere, ipse tamen qui sub tanto Monarcha natus & educatus fuerat, ostendit satis quo animo in suum Principem animatus esset, dum Monarchiam spernit. Eamque ait potius tolerandam maioris mali vitandi gratia quàm amandam ob suam excellentiam. Neque enim ignorauit homo, qui se videri voluit tam magnum politicum, nihil esse periculosius, quàm populum primoresque populi titillare spe melioris gubernationis ad dominationem ambiendam vel optandam, ne postquam ambierint vel optauerint etiam captare nitantur. Cuius periculi metuendi non eadem ratio est, cùm de Monarchia etiam apud Democraticos aut Aristocraticos Magistratus honorifice loquimur; Quia nullius inde tumultus nascitur occasio, cupiditate dominandi aut gubernandi multorum ex iis qui dominantur animos impe-

diente Monarchiam exoptent. Quàm verò falsissimum sit, quod iste asserit, multorum dominationem vnius dominationi præferendam esse, constat ex ijs omnibus qui de Republica scripserunt,[2] quique peritiores esse creduntur rerum cum Ecclesiasticarum, tum politicarum. Sic Deus Opt. Max. populum suum Israel rexit Ducibus, Iudicibus, Regibus, Ecclesiastica verò summis Pontificibus, cœlestia Michaëli Archangelo, cuius cæteri Angeli esse dicuntur. Quin etiam inter animalia quæ gregatim viuunt, Dux vnus aliis semper præesse videtur, Sic elephantes, cerui, oues, grues, apes, & conchilia margaritifera, &c. Nimirum ea gubernatio, quæ ad Dei Opt. Max. regimen proximè accedit, vt optima omnium est, ita & desiderabilior & amabilior cæteris, ita vt eius desiderium naturæ ipsi à Deo ingenitum esse videatur.

1 Lib. 4. Inst. c. 9. §. 9. & c. 20. num. 8.
2 Plat. in Polit. Arist. lib. 8. Ethic. c. 10. Senec. lib. 2. de benefic. Plutarch. in Opusc. De Monarch. & ex Patribus Philo lib. De confus. ling. Cypr. De idolor. vanitate. Hiero. ad Rustic. Ex recentioribus magnus noster Lipsius in Politicis.

Secunda propositio politica & hæretica, De peccatorum omnium æqualitate.

SEcunda est propositio Lutheri iam à nobis in præcedentibus relata, *Circunstantiarum omnium quæ peccata aggrauare communi omnium hominum sensu & opinione creduntur, nullam penitus esse distinctionem.* Nec magis peccare illum, qui incestum cum filia vel sorore, quàm qui cũ vidua extranea, vel cum meretrice commiserit. Nec enim qui patrẽ aut matrem aut Principem, quàm qui inimicum occiderit: Quod quàm pernicioſum sit Reipublicæ, si quis est qui non videat, dignus sanè est, qui cum filia vel matre incestum contraxisse, aut vitam Principis attentasse accusetur & probetur, vt experiatur, an idem persuasurus sit Principibus aut Magistratibus, quod sibi passus fuerit tam stultè persuaderi à Luthero.

Tertia propositio politica & hæretica, Non esse præliandum contra Turcas.

TErtia eiusdem Lutheri propositio est [1], *Aduersus Turcas præliari esse repugnare Deo visitanti nostras iniquitates per illos.* Qua propositione quid obsecro dici potest stultius, iniquius, & ad totam Rempublicam Christianam perdendam accommodatius? Ergone grassatores viarum, depopulatores agrorum, incendiarios, hostes denique domi forisque infestantes nullus Principum reprimere debebit? Certum enim est perditos homines qui vexant bonos, ita facere Deo permittente, vt eorum vexatione boni visitentur à Deo & corrigantur. Ergone pugnandum non erit medicinis cum peste, nec prouidentia rei frumentariæ & annonæ cum fame, Ideò tantùm quòd per huiusmodi afflictiones Deus non tantùm visitet nos & castiget, sed etiam probet, adprobet, perficiat? cur ergò gladium gestat Princeps, cur arma milites nisi vt hostes si qui ingruent, reprimantur, & Reipublicæ inuasores propellantur? Inde nimirum est quod milites laudantur etiam in Euangelio [2], quia & iusti esse possunt, qualis ille Cornelius nobilis Centurio, de quo in Actis Apostolorum [3]. Inde quod etiam à Ioanne Baptista adprobantur, non si militiam deserant, sed si neminem concutiant, neq; calumniam faciant & contenti sint suis stipendijs. *Rex*, inquit Paulus [4], *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram.* De militibus vero aureus sermo est Diui Bernardi ad milites Templi in hanc omnino rem pronunciatus. *Securi*, inquit, *procedite milites & intrepido animo inimicos Crucis Christi propellite, certi quod neque mors, neque vita poterit vos separare à charitate Dei. Quàm glorioſi reuertuntur victores de prælio? Quàm beati Martyres moriuntur in prælio. Vita quidem fructuosa, & victoriæ glorioſa, sed vtriq; mors sacra præponitur.* Et postea: *Christi milites securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nec periculum. Miles, inquam, Christi securus interimit, interit securior: sibi præstat cùm interit, Christo cum interimit. Sane cum occidit malefactorem non homicida, sed vt ita dixerim malicida reputatur.*

1 In lib. De captiuit. Babylonic. & in Art. à Sorbona damnatis. Et iterum in assertione art. per Leonem 10. damnatorum.
2 Matth. 8.
3 Cap. 10.
4 Roman. 13.

Quarta propositio hæretica & politica, Leges Principum non obligare conscientias subditorum.

QVarta propositio Caluini est [1] *negantis, leges Principis obligare in conscientia.* Quidni vero? Quia, inquit, non cum hominibus, sed cum Deo negotium est conscientijs nostris.

„ *At non ille satum quo te mentiris, Achilles*
„ *Talis in hoste fuit Priamo.*

Vixit Paulus eo tempore, quo Principes & Imperatores non solùm non sequebantur, sed etiam persequebantur Christum, & conuenerant in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et tamen exclamat ille [2], *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ministri enim Dei sunt.* Quid tu ad hoc Caluine? Non vides etiam conscientiis nostris negotium esse cum hominibus: Iis scilicet qui Dei vices gerunt in administranda Republica, siue politica. Hoc autem Caluini placito quàm imminuatur autoritas Principum & legum videre quilibet potest, sentire autem & experiri etiam Principes ipsi, si impias istas & seditiosas voces in Republica sua inualescere patientur.

1 Lib. 14. Instit. 3. c. 10. sect. 5.
2 ad Romanos.

Quinta propositio hæretica & politica, Non debere subditos Principum suorum potentiam optare.

QVinta propositio nescio an suauior sit, an perniciosior, quæ eiusdem Caluini est [1]. *Non debere subditos Principum suorum potentiam optare.* Deinde sigillatim de Gallis & Hispanis loquens, ne forte putes de Turcis illum aut Indis scribere, *Hinc videmus*, inquit, *quanta hominum stultitia, qui potentem Regem & multis ditionibus imperantem appetunt, & quàm merito ambitionis suæ dent pœnas. Gloriantur hodie Gallia & Hispania se Principibus magnis subesse.*

Verum

BIU Cujas

Verum quàm futile sit quod fallaci honoris prætextu eos fascinat, suo damno sentiunt. Ergo si tibi credimus Caluine, Bonum erit & honestum, saltem vtile subditis, vt Principum suorum expetant depressionem! O Reges, O Principes, permittite vt pro vestra, proque populorum vestrorum securitate liceat mihi exclamare? Quid agitis? Quid expectatis, qui tam pernicioſæ pestilentisque doctrinæ auctores & sectatores in ditionibus vestris fouetis, ametis & quasi magnos Dei Prophetas recipitis? Vos enim solos appello & miror, non illos, qui ne bellis & factionibus turbent omnia, tolerant propemodum inuiti etiam quos oderunt. Quando autem felicius, beatiusque regnis & populis res cedunt, quàm cùm Principes eorum dummodò iustè & ex æquo amplissimis prouincijs dominantur? Quando beatiùs actum est cum Gallis quàm regnante Carolo Magno Rege ac Imperatore potentissimo? Quando felicius cum Israëlitis quàm regnante magno Salomone?

In c. 19. Esaiæ, vers. 4.

Sexta propositio politica & hæretica, Nullam rempubl. legibus feliciter administrari.

SExta propositio est Lutheri, (promiscue enim de Luthero & Caluino loquimur, quia parum inter eos distare arbitramur.) *Nullam rempublicam legibus feliciter administrari.* Cùm enim id ex eius assertionibus Doctores nostri collegissent, eique tanquam errorem absurdissimum objicerent, ille non modò, non negauit, sed disertè affirmauit, suæque affirmationis rationem his verbis reddidit: *Hoc*, inquit, *docet experientia.* Quænam verò experientia Luthere? An fortè Rempublicam aliquam vidisti, audiuisti, legisti, siue Monarchicam, siue Aristocraticam, siue Democraticam, quæ legibus non regatur, & dirigatur? At tu fortasse melior politicus es, & prudentior Deo Opt. Max. aut in Reipublicæ feliciter administrandæ artibus exercitatior? Atqui populo suo Israelitico Deus leges obseruandas proposuit, & edixit, nec morales tantum, & ceremoniales, sed etiam politicas atque iudiciales. Hinc æterna illa Sapientia [2]. *Per me*, inquit, *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ergo qui Reges per Deum regnant, iidem per Deum quoque leges condunt, vt iusta decernant. Nec est quod ex Aristotele [3], & alijs prophanis auctoribus propositionem hanc pluribus exagitemus. Vellem potius iis rationibus quæ Iurisconsultum decent, & quas Iurisprudentia nostra facilè suppeditaret totam rem hanc pro dignitate tractare, si tanto abundaremus otio, quantum materię amplitudo & abundantia requireret. Satis sit quod nulla vnquam apud Christianos sine legibus administrata est Respublica.

1 Tom. 2. in respons. ad articulos quos magistri nostri excerpserant.
2 Prouerb. 8.
3 Lib. 3. politic. cap. 11.

Septima propositio politica & hæretica, Nihil conscientiæ commune est cum terrena iustitia.

SEptima quam postremam esse volumus, eiusdem Lutheri propositio est, cùm tractat de discrimine Legis & Euangelij [1]. *Nihil*, inquit, *conscientiæ cum lege, operibus, & terrena iustitia, cum in politia obedientia legis seuerissimè exigatur, ibi nihil sciatur de Euangelio, de conscientia, gratia, remissione peccatorum, cœlesti iustitia de Christo, sed tantum de Moyse, lege & operibus.* Hactenus Lutherus. Contra quem disertè Rex Dauid admonet Reges omnes, vt seruiant Domino in timore & tremore. *Et nunc*, inquit, *Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam.* Aut, vt alia versio habet: *Osculamini filium.* Quibus verbis haud dubiè vt antiqui omnes obseruauerunt, ad Christi cultum Reges omnes inuitantur. An verò vnquam felicius administrata est Respub. Christiana, quàm sub Constantino, Theodosio seniore, Honorio, Theodosio iuniore, Iustiniano, Carolo magno, Ludouico, Amedeis nostris, Imperatoribus, Regibus & Principib. omnium pientissimis? Quare & meritò & verè vt tantùm Dei Prophetam oportuit Isaias de Christo & de Ecclesia loquens, *Gens*, inquit, *& regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Neque rursus aliam ob causam habet Christus scriptum in femore; *Rex Regum, & Dominus dominantium*, nisi vt sciant Reges numquam se beatius & meliùs regnare posse, quam si Christo, Euangelio & pietati ex toto corde inseruiant, cùm Christus ea sit sapientia, quæ in Prouerbijs dicit [2]. *Per me reges regnant.*

1 In c. 2. ad Galat. tom. 5. fol. 304.
2 Capite 8.

Lutheri contra Principes omnes Christianos inuectiuum & impudens mendacium.

ERgo pessimè Lutherus consuluit Principibus sed tum bene & accommodate ad eam quam de illis gerebat opinionem. Nec enim illum pudet Reges omnes & Principes vocare *Robustos venatores* [1], vt de Nembroth loquitur Scriptura [2]. *Nimium*, inquit, *honoris est & gloriæ, dicere, Papam esse robustam venationem Romani Episcopi. Nam id exempli Nembroth omnibus quoque Principatibus prophanis conuenit, quibus tamen nos Deus vult subdi, honorare, benedicere, & pro eis orare.* Qualis autem fuerit Nembroth, & quænam eius robusta ista venatio, explicat D. Hieronymus [3]. Nimirum quia primus in populo Tyrannidem arripuit. Idemque testatur Iosephus de seipso loquens. At fortasse dicat aliquis Luthero in mentem hoc non venisse, cùm Principes omnes Nembrotho similes esse dixit. Et ego quoque facile crederem, nisi viderem ipsummet Lutherum in suis ad Genesim Commentarijs [4], ita prorsus explicasse. Monet enim eo loco, Tyrannos omnes & Principes robustos esse venatores, non quod feras, sed quod homines persequantur, subditque. *Hic postea generalis titulus fuit omnium Tyrannorum & Principum.* Hoc v. si quisquam vllibi gentium Princeps est adeo Lutheranus, qui tecum Luthere ita esse fateri velit, bene consulis & dignum agis tam indigno Principe Consiliarium; cum Nembrothicos Principes non Christianismo, sed Atheismo vis operam suam nauare. Sed non habebis fatentes aut ferentes tot Reges, Duces & Principes Christianos & Catholicos, qui sicut cætera tua dogmata impietatis damnant, ita & hoc tam stultum & contumelioſum maledictum tuæ adscribunt temeritati & impudentiæ, parumq; curant, quid tu de iis senseris, dummodo gratam ei seruitutē exhibeant, cui seruire regnare est. Laus vero, gloria, honor & benedictio Domino Deo nostro, cuius diuina misera-

tione factum videmus, vt langueſcere iam & labare incipiant tandem hęreſes iſtæ omnes. Nec enim hodie quiſquam ferè vllibi gentium fit hæreticus, ſi eos excipias qui vel naſcuntur inter hæreticos & ex hæreticis, neque vllas de religione noſtra Catholica niſi calumniantium voces vnquam audiuerunt, vel à Monachatu & Sacerdotio magis quàm à religione deficiendi votum gerunt, vt ſcelerum quibus apud nos ſunt infames impunitatem ſibi apud hæreticos quærant, vel luxurię & ſcortationis licentiam, quam conſcientiæ libertatem vocant, laxiorem & liberiorem nanciſcantur. Vel denique vtilitatis alicuius aut etiam erubeſcentiæ magis quàm ſcientiæ aut conſcientiæ rationibus vllis, ne ad nos redeant prohibentur. Eſt hoc omnibus hæreſibus, cum mererricibus commune, vt ſola nouitate placeant, adoleſcant, conſiſtant, ſola item vetuſtate diſpliceant, deficiant, collabantur. Doleo ſane & ex corde doleo ac propemodum flens hæc ſcribo, tam multos adhuc ſupereſſe, qui tot nugis iſtis ab infantia imbuti adeò pertinaciter in iis perſtant: Viros alioquin maximos & doctrina ingenioque clariſſimos; Quinetiam ex iis non paucos, quod magis me cruciat & Iuriſconſultos, & mihi amiciſſimos, quos extra cauſam religionis colo, colamque ſemper ſingulari obſeruantia, pro quibus cuperem ſi liceret, fieri anathema, vt tandem illi reſipiſcerent, nec ſe de libro viuentium deleri paterentur. Vos ergo, Viri magni, quotquot & vbicumque eſtis, præſertim qui me amatis, ſupplex oro per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini, vt tanti momenti rem ſerio tandem & tranquillo vt decet animo, ac in humilitatis, non in ſuperbiæ ſpiritu, quod hactenus factum eſt, examinetis. Satis iam ſuperque Luthero, Caluino, & genio dediſtis, qui Nugatorum iſtorum nouitates, antiquis Patribus, Concilio Tridentino, totique Dei Eccleſiæ hactenus prætuliſtis. Quis credet vos tam magnos fuiſſe Iureconſultos, vt obſcuriſſima & recondita quæque Papiniani ſenſa penetrare potueritis, & tamen tam ſtultas & pueriles iſtorum ineptias à communi cuiuſque ſenſu abhorrentes, vos etiam admonitos, torque noſtrorum Theologorum libris edoctos diiudicare non potuiſſe? Redite quæſo ad Eccleſiam Dei, quæ naſcentes vos in regenerationis lauacro benigna excepit, & quę vt iterum excipiat tot ſuſpiriis & lacrymis venerabilis veſtræ conuerſioni occurrit. Numquam ſera erit ſi modò vera pœnitentia, ſed laudabilior mihi credite, ac tutior erit, quæ minus ſera. Quàm multa iam habeis exempla eorum, qui ex veſtris aliquando & inter veſtros clariſſimi fuerant, quos in Eccleſiam Dei reuerſos puduit duntaxat feciſſe tardius, quod citiùs fieri oportuerat? Non negatis noſtram eſſe, & Romanam Eccleſiam illam, cuius vos dicitis Reformatores. Ergo veram eſſe fatemini. Alioqui Mahumetiſmum & Alcoranum non Eccleſiam Romanam reformandam ſuſcipere oportebat, ſi nihil niſi abuſum, multitudinem & reformationem falſæ Eccleſiæ quærebatis. Quod ſi vera noſtra Eccleſia eſt, cur aliam quæritis? Cur nouam facitis? Abuſus quos in ea tam multos eſſe vobis falſo perſuaſum erat, emendandi fuerant ſi qui erant, at non à vobis, ſed à Paſtore & Rectore Eccleſiæ. Ipſa verò Eccleſia eadem ſemper retinenda quæ noua fieri non poterat, quin hoc ipſo fieret falſa. Itaque ſi nouã facitis, fatemini falſam. Si noſtram retinetis, Noſtra ergo illa eſt, quã Paulus dixit eſſe columnam veritatis, cum qua proinde nõ magis errare poteſtis, quàm contra eam benè ſentire. Quod reliquum eſt, Peto à vobis in charitate Dei & pro ea qua vos proſequor obſeruantia, vt ſi quid in Hæreſes aut Hæreſiarchas acerbius à me dictum putabitis, non vt vos tanquam aduerſarios laceſſerem, ſed vt tanquam amicos à ſomno iſto letargico excitarem dictum id ſcriptumque fuiſſe exiſtimetis.

CVM VERO vaſtata iam per Nouatores iſtos Germania, perdita vno die Anglia, lacerata mirifice per tot annos Gallia, Belgiaque, tentata denique non ſemel Italia; Addamus, etiam Hiſpania, verendum maxime eſſet, ne feruentis adhuc & æſtuantis mali tanti contagio Sabaudiam quoque noſtram peruaderet, prouidentiſſime ab Emanuele Philiberto gloriosiſſimæ memoriæ Principe pientiſſimo, religioſiſſimo, & paucis æque ac belli artibus inſtructiſſimo proſpectum fuit, vt quo tempore amiſſam à patre prouinciam quodam veluti iure poſtliminij recuperabat, auitam religionem non amitteret, quam & pater amiſſa prouincia, (tametſi literis à Luthero ipſo ad defectionem impudentiſſimè compellatus) & pariter prouincia mutato verius quàm amiſſo Principe nihilominus conſtantiſſimè retinuiſſet. Itaque plurimis in eam rem Edictis promulgatis, quibus diſtrictè mandabatur Senatui, vt videret ne quid Reſpublica religioque detrimenti caperet, Senatuſconſulta non pauca ſecuta ſunt, quorum autoritate aduerſus imminentis periculi metum proſpiceretur. Adeo prudenter vt non tam laborandum haberet Senatus, quibus ſuppliciis portenta iſta impietatum & blaſphemiarum vindicaret, quàm cogitandum quibus conſiliis & præcautionibus aſſequi poſſet, ne quid in hoc genere peccaretur, vt nec ſuppliciis opus eſſet. Adeò autem feliciter vt neque vnquam neceſſitas emerſerit irrogandæ pœnæ, quam & Edicta & Senatuſconſulta aduerſus contumaces ac peruicaces iſtos, ſi qui forent, minabantur. Illud verò mirabiliſſimum omnium eſt, & prodigio ſimillimum, nullis Hæreticorum conatibus fieri vnquam potuiſſe, vt Hæreſis quæ ſicut Arcem ſuam, ita & Conſiliorum ſuorum ſummam in mediis finibus noſtris collocauit, vel vnum tamen ex prouinciæ noſtrę pagis ſibi proximioribus inficeret, quæ longinquiſſimas & ampliſſimas etiam prouincias tàm facile depopulata nihil non & in nos auſura, confecturaque credebatur.

Quanquam autem ſolius Dei Opt. Max. beneficio, ac prouidentia ſingulari tantam nobis felicitatem obtigiſſe credendum eſt, Habemus tamen quod ſecundum Deum gratiam eo nomine Principibus noſtris referamus, qui Religionis Catholicæ integritatem perpetuò conſtantique cultu retinentes, nihil non fecerunt, vt hanc à nobis miſeriam & infelicitatem propulſarent. Tibi vero præcipue CAROLE EMANVEL SERENISSIME, qui in cæteris omnibus ad pacis bellique gloriam pertinentibus ſolus par & æqualis maioribus tuis, in hoc vno tamen tanto maiorem te præſtitiſti, quanto peiora, & periculoſiora fuerunt tempora, quæ te ne inferior videreris ſuperiorem eſſe coegerunt. Quid non enim cogitaſti, tentaſti, perfeciſti, vt auitæ fidei noſtræ puritatem nobis integram, & ab hæreticorum linguis, ſcriptis, armiſque ſartam tectam conſeruares? Quam ſæpe nõ modo fortunam totius Reip. ſed tuam quoque ſalutem in apertum diſcrimen coniicere neceſſe fuit, ne alioqui certiſſimum Religionis amittendæ periculum incurreremus? Fortunauit DEVS

Opt.

BIU Cujas

Opt. Max. tam pia consilia, fecitque vt quod nulli ex vicinis nostris contigit, gloriari iam possimus in Domino. Hæreticum in tota Sabaudia (si Geneuam vnam excipias, & paucos ex iis quos Bernensium dominatio ex Catholicis primùm fecerat Zuinglianos, Geneua verò postea ex Zuinglianis fecit tandem Caluinianos) ne vnum quidem esse, Religionem non aliam, quàm quæ vnica & vera. Sectarios, Atheos, & Libertinos, quorum tam magnus hodie ferè passim & vbique numerus, omnino nullos, pacem & tranquillitatem ex eo summam, nullis domesticarum dissensionum periculis suspectam, quæ nostram proinde felicitatem tanto præclariorem & illustriorem reddat, quanto miseriores sibi iure videntur ij, quibus omnia è contrario ceciderunt. Neque verò satis tibi fuit, Catholicam Religionem iis in locis tueri, à quibus nunquam abscesserat. Faciendum præterea existimasti, totisque viribus enitendum, vt in ampliſſimas Prouincias, vnde iampridem & ab annis plus minus sexaginta exulare iussa erat, quam honorificentissimè restitueretur, nec quoadusque rem tam magnam armis tuis victricibus perfeceris conquiesti. Sed erunt ista in Historijs, cum apparatu, & ex dignitate tractanda, vt æternæ memoriæ templo consecrentur, non his meis scriptis, quæ annos fortasse non ferent, tam ieiunè ac obiter testanda. Patere tamen Dux ter maxime, vt tantæ huius beatitatis causa ex parte aliqua in Senatum tuum deriuetur, quem tu patérque tuus semper voluistis ex iis constare Senatoribus, quibus nihil esset Christiana & Catholica Religione antiquius. Nihil hoc de tua gloria detrahet, augebit potius & prudentiæ & felicitatis tuæ laudem, ad quam id maxime pertinet, vt omnes sciant, eos à te Consiliarios & Senatores semper electos esse, quos perinde singulos ac vniuersos non minus secutæ, quàm anteactæ vitæ ratio dignos esse ostenderit, qui ad tantæ dignitatis fastigium, tam periculosis temporibus eueherentur, & quos non euexisse puderet, fortassis aliquando at euexisse nunquam pœniteret. Quod hac nostra ætate vix alij præter te vlli quamtumuis prudentissimo Principi video contigisse.

Est vero etiam quod Episcopis Gebennensibus acceptam diuini huius tanti beneficij partem feramus, qui per totum illud tempus quo Religionis salus vbique ferè terrarum periclitabatur, non minus pastoralis vigilantiæ laude, quàm scientiarum gloria & pietatis constantia percelebres totum suum gregem tot luporum vndique inhiantium insidiis expositum ab eorum iniuria, & voracitate vindicarunt. Inter quos, ne antiquiores enumerem, primus occurrit, quem nominare debeam FRANCISCVS BACODVS, qui Sacrosancto Concilio Tridentino iam tum Episcopus Gebennensis interfuit, vir magnus, & ob singularem tractandarum rerum peritiam cum insigni probitate coniunctam variis Legationibus à sede Apostolica honestatus, iisque omnibus quàm honorificentissimè perfunctus. Post hunc ANGELVS IVSTINIANVS Franciscanus Doctor & Patric. Genuensis, vt antiquæ prosapiæ quam à veterib. Chiensis insulæ Principibus deduxerat, ita promiscuæ eruditionis fama nobilissimus, Theologus verò imprimis præstantissimus, qui ad Colloquiũ illud Poissiense, quod in Gallia sub Carolo IX. habitum fuit, accersitus vt ad eos debellandos veniret, qui ad Concilium Tridentinum tam sæpe vocati venire recusauerant, mirabilem quam de ingenio ipsius & doctrina opinionem tota Gallia conceperat in istis Nouatorum ineptiis profligandis, mirabilius superauit. Expertus quod alij multi, fuisse sibi facilius præsentes, ac cominus pugnantes hæreticos conuincere, quàm fuisset paulò antè inauditos, tametsi per contumaciam absentes in Concilio Tridentino (cui etiam vt vnus ex præcipuis Ecclesiæ Doctoribus interfuerat) condemnare. Successorem hic habuit CLAVDIVM DE GRANIER, sicuti virtutum cæterarum omnium, ita pietatis potissimum & sanctimoniæ laudibus insignem. Cuius vniuersa vita, si quis me interroget, quænam & qualis fuerit, vix aliud respondere possim, quàm continuam fuisse & perpetuam quandam prædicationem, non modo ad erudiendos Catholicos, quibus haud dubiè tanti Prælati exemplum pro eximio Doctore potuit esse & debuit, sed etiam ad sanandos & reuocandos hæreticos, qui antehac Episcopis fere omnibus, impudenter licet plerumque & falsò, vt solent, nihil nisi vitam ipsam pro crimine exprobrabant. Dignum planè, cuius Episcopatum fortunauerat DEVS Opt. Max. prima & præcipua hæreticorum totius Chablasiensis Ducatus conuersione, & sanctissimo illo, omniumque post hominum memoriam extra ordinem ampliſſimo Iubilæo, quo vrbem Tononensem decorauit Clemens VIII. anno 1602. in honorem DEI & venerationem Beatissimæ Mariæ Virginis de compassione. Vt scilicet prudentiæ, pietatis, & sanctitatis suæ testes haberet remotissimas quasque Prouincias, ex quibus cum plura quàm credi possit hominum millia Tononem Religionis ergo venissent, omnes prælatum admirati nihil se vnquam grauius aut sanctius vidisse prædicarunt, & quoad viuent, haud dubie prædicabunt. Etsi autem non de suo tantum Episcopatu, sed de tota etiam Rep. Christiana vir tantus ob alia permulta bene ac præclarè meritus videri debet, nulla tamen de causa melius aut præclarius, quam quod vnus defuncto sibi successorem talem elegit, diu quidem multumque reluctantem, sed hoc ipso digniorem. Qualem certe dicebat esse Pontificem & Episcopum Gebennensem, qui faucibus ipsis hæreticorum expositus obturaret ore suo leonum ora & pro Ecclesia DEI constitueretur caput eius ciuitatis, in qua hæresis arcanorum suorum omnium caput, sedemque collocasset. Successor his fuit FRANCISCVS DE SALES, (quid enim laudibus eius officere debet quòd viuat, meque fraterno & amore & nomine prosequatur, quo minus à me nominetur, qui ab omnibus laudatur?) non modò splendore generis inter nobiliores totius patriæ familias clarissimus, sed etiam doctrinæ, ac quod primum est pietatis & conspicuæ innocentiæ gloria perillustris, Iurisconsultus (nam & hoc ad rem nostram pertinet) ipso etiam Senatus nostri iudicio eximius, Theologus verò inter doctissimos quosq; subtilissimus, & inter subtilissimos scientissimus, Prædicator etiam non solùm disertissimus, quod ei cum multis commune est, sed etiam, quod cum perpaucis, eloquentissimus: Scriptor verò siue Latina siue Gallica lingua scribendum habeat elegantissimus, & venustatis æquè ac succi plenus. Is denique quem non aliter, aut melius pro dignitate laudare possim, quàm si impetrem, vt sufficiat nominasse. Ne alioqui postquam omnia dixero, quib. vel laudabilissimi cuiusque viri laus contenta esse possit, quia tamen multa prætermisero, quæ minime tacenda essent, præuaricatoris partes expleuisse videar, potius quàm adulatoris suspicionem,

ſpicionem, quod non minus execror, incurriſſe. Poſſum enim verè, ita ſaluus ſim, affirmare. Quicquid eſt ſiue pietatis & ſanctimoniæ penè incomparabilis, ſiue eruditionis admirabilis, quod in cæteris Epiſcopis vel requirere vel laudare poſſis, totum id in hoc vno elucere, tam magnifice ac eminenter, nec eo minus tamen citra oſtentationis inuidiam, vt ſiue familiariter colloquentem videas, incredibilem in ore dignitatem, in ſermone comitatem, in vtroque miram ſuauitatem morum ſtatim agnoſcas, ſiue grauiter ac piè, vt ſemper ſolet concionantem audias, non facile poſſis decernere, an eloquentia præſtet an doctrina, & an grauiter ſententiarum ac orationis maieſtate ſuperet an appoſitè ac partitè, loquendi facilitate, ſiue denique cum hæreticis diſputantem obſerues, omninò dubitandum habeas maiorene ille eruditione certauerit, & vicerit (certare nempe illi ſemper vincere eſt) an modeſtia & patientia. Adeò vrget ipſe acerrimis quidem, & efficaciſſimis argumentis, ſed ea lenitate & charitate quaſi melle temperatis, cui non magis hæreticorum ſuperbia, & inſolentia felle plena poſſit reſpondere, quam ipſorum inſania reſiſtere ſpiritui, qui loquitur in illo. In ſumma putes te vide e vel audire antiquos illos Chryſoſtomos, Hieronymos, Auguſtinos, Gregorios, & alios, ſi qui ſunt ex veteribus Epiſcopis celebriores, quos antiquitas religioſiſſimè ac ſanctiſſimè venerata pro magnis & ſanctis viris habuit. Poſteritas verò quæ tales hucuſq; vix vllos vidit, pro miraculis. Enimverò quid tam magnum & grande eſt, quod non ſperare liceat tanti Epiſcopi auſpicijs & conatibus perfici poſſe, quem DEVS Opt. Max. ſuis benedictionibus adeò beauit, vt priùs etiam quàm in Epiſcopum eligeretur, ac ſub Epiſcopi ſui CLAVDII DE GRANIER imperijs, Ducatum Chablaſienſem vniuerſum, finitimaſque Prouincias gladio verbi DEI ſubactas ad ouile CHRISTI reduxerit, quæ Bernenſium dominationem, & imperium antea expertæ, indeque ſacroſanctæ Religionis Catholicæ iacturam per annos plus minus ſexaginta perpeſſæ vix vnquam hęreſim abiuraturæ credebantur? Subſcribet his laudibus non noſtra tantum Sabaudia, quę tanti partus matrem ſe & alumnam eſſe non immeritò gloriatur, ſed tota etiam Gallia, quam ille tot concionib. præſertim Lutetiæ Pariſiorum, Diuione, Lugduni, nonnullis etiam in ipſo Regis Chriſtianiſſimi conſpectu habitis, nec minus Regem ipſum quàm regnum, fama ſui nominis, & admiratione compleuit. Subſcribet ipſa etiam Roma, & ampliſſimus, atque auguſtiſſimus Illuſtriſſimorum Cardinalium conſeſſus, qui tentatam, exploratam teſtatamque cum lachrymis gaudij & exultationis ab ipſo ſummo Pontifice Clemente VIII. Saleſij noſtri prudentiam & eruditionem in publico examine admirati, digniſſimum omnes ore vno pronunciauerunt, quem CLAVDIO DE GRANIER tum Epiſcopo Gebennenſi anxiè id ambienti, etiam inuitum Coadiutorem cum futura ſucceſſione ſummus Pontifex daret, vt beneficium quod alioqui magnum videbatur, non tam perſonæ, quam meritis ipſique Eccleſiæ vniuerſæ datum eſſe conſtaret. Curante id præ cæteris enixiſſimè, ac fauente Cardinale tàm Borgheſio, nunc Paulo V. Pontif. Opt. Max. qui cùm mandatam eo tempore haberet à Sede Apoſtolica curam omnium quæ ad hæreticorum noſtrorum conuerſionem adiuuandam pertinebant, poſtquam ex frequentioribus cum Saleſio noſtro colloquiis, præſtantiam ipſius & dignitatem certius introſpexit, nullum exinde ſibi finem fecit proſequendi eum, quibus potuit officiis, vt modis omnibus teſtaretur, quàm dignum eſſe crederet, in quo præcipuè amando, & ornando ſibi tantopere placeret. Quid plura? O vtinam (quidni enim exclamem, vt votis ſaltem aſſequar, quod verbis exprimere non datur?) Vtinam iterum atque iterum vtinam multos hæc noſtra ætas haberet Saleſios. Vtinam vero etiam ſuperior habuiſſet: Iis maxime in locis, in quibus hęreticorum defectionem ab Epiſcoporum ſiue inſcitia ſiue ignauia principium ſumpſiſſe compertum eſt. Nunc de profligandis hæreſibus, & de dirutis Iacob reſtituendis non laboraremus. Sed cùm ad collapſas res quaſque maximas reparandas, non aliud aptius remedium eſſe credatur, quàm ſi omnia quantum fieri poteſt ad initia ſua reuocentur, non deſpero fore, vt quemadmodum ſola ferè poſteriorum Epiſcoporum incuria viam hæreſibus patefecit ad audaciam, ita nouo tanti Epiſcopi exemplo plane efformato ad prototypum illum veterum Epiſcoporum, victi ſine bello hæretici tandem reſipiſcant, nec diutius reluctentur, quominus liceat nobis impetrare à diuina miſericordia, quod Eccleſia Dei tot lachrymis perfuſa non deſinit à ſponſo ſuo flagitare, vt tam grauiter, miſereque agitatam per tot annos Petri nauiculam, ſedatis fluctibus breui conquieſcere, omniumque Chriſtianorum Paſtorem vnum ſub vno Chriſto, qui diuiſus non eſt, & ouile vnum factum eſſe videamus, Fiat, Fiat, Fiat.

TIT. II.

BIU Cujas

TIT. II.

DE SACROSANCT. ECCLES.

DEFINITIO I.

De clausula, *siue prædicto, siue alio quouis modo vacet.*



VT beneficium impetrauit à summo Pontifice ex certo expressoque vacationis modo, adiecta vulgari illa clausula, *siue prædicto, siue alio quouis modo vacet*[1] impetrasse non videtur si alio modo vacet ex alterius persona:[2] Nisi illud etiam additum sit, quod plerumque addi solet, *vel ex alterius cuiuscunque persona.* Tunc enim vacationis modus quilibet, ac ex cuiusque persona expressus intelligitur.[3] *Ita Senatus* in causa & lite pendente de parochiali ecclesia De Seruolex 14. Calend. Iulij 1588.

1 Cuius clausulæ magnus effectus esset solet, vt scilicet omnem vacationis modum comprehendat. Iunge tamen *Defin. 4. ĵ. hoc titul. & Decis.* Rot. 1. *de rescript. in nouis.*

2 Vnus enim vacationis modus in alio non comprehenditur vt nec vna persona in alia, *cap. susceptum, de rescript. in 6.* Boer. *quæst. 2. nu. 2.* Lap. *in d. cap. susceptum.* Rot. *decis. 28. in antiq. incip. si mandetur & decis. 483.*

3 Quid ergo si beneficium vacet per obitum, quod fuerat impetratum per resignationem adiecta illa clausula, *siue prædicto siue alio quouis modo vacet?* Continebitur hic etiam modus nisi cum ratio aliqua est diuersitatis, puta si beneficium sit in ea prouincia, in qua non possit obtineri nisi per concursum in casum vacationis per obitum ex præscripto sacrosancti Concilij Tridentini, cum tamen concursus non fiat quoties beneficium vacat per resignationem. Adde aliam exceptionem nisi impetrans sit in dolo, puta si sciebat beneficium vacare per obitum iam defuncto scilicet resignante, cum impetrauit beneficium tanquam vacans per resignationem. Nunquam enim dolosus supplicator debet gaudere impetratis, *l. vltim. C. de diuers. rescrip.* Vide Cassad. *decis. 29.*

DEFINITIO II.

De vitio obreptionis & subreptionis in rescriptis Pontificiis, & quantum intersit an sint gratiosæ an ad lites.

IN gratiis à summo Pontifice beneficiorum nomine impetrandis diligenter cauendum est non solum vt nihil exprimatur, quod falsum probari possit, sed etiam ne quid taceatur quod exprimi oportuerit:[1] Alioquin obreptitia aut subreptitia dicitur gratia: quæ res facit vt nullius omnino sit momenti,[2] siue de iure & proprietate beneficij agatur, siue de sola possessione.[3] Itaque si aduersarij possessionem impetrans tacuerit, licet plus ea facti quam iuris habuerit, si modo fuerit colorata, male impetrasse videbitur:[4] Sed etsi propriam tacuerit, quam ex titulo inualido nec colorato sic nactus fuerat vt intrusus dici deberet potius quam possessor.[5] Vitium namque intrusionis necessario purgandum est, quod non aliter fieri potest quam si exprimatur.[6] Idem est si mentio facta non sit beneficij quod iam tum impetrans pacifice obtinebat, quantulumcunque illud fuerit, propterea quod debeat ea res difficiliorem facere impetrationem.[7] Nam quod dici solet, eum qui plura beneficia teneat non esse execrabilem si modo infra annum alia dimittat, nec nisi vnum retineat,[8] tollit quidem vitium, vt loquuntur, execrabilitatis, sed non obreptionis, quam sola non expressio inducit.[9] Nec rursus hic locum habet quod vulgo iactatur, vitiosam non esse impetrationem in qua tacitum sit id quod si expressum fuisset impetrationi non nocuisset.[10] Siquidem in iis demum rescriptis id obtinet quæ ad lites fiunt, non etiam in gratiosis, quorum propria condicio illa est vt præscriptam formam omnimodo seruari oporteat,[11] præterquam si motu proprio summi Pontificis facta concessio proponatur.[12] Ea namque, si nostris credimus, & mira sane illius clausulæ vis est, vt ab omnibus obreptionis ac subreptionis obiectionibus rescripti vires tueatur.[13] *Ita Senatus* in eadem causa. Et rursum pro Nicolao Gros contra Franciscum de Chauanes 16. Calend. Decembr. 1590. Iunge infr. Definit. 28.

1 *Cap. si motu proprio de præbend. in 6.*

2 Quod enim per obreptionem vel subreptionem impetratum est pro non impetrato habetur, *l. si quis obrepserit, 29. D. ad l. Cornel. de falsi. l. vlt. C. de diuer. rescrip.*

3 Ne detur vitiosus ingressus *cap. 1. de Regul. iur.*

4 *Cap. cum nostru de concess. præb.* Boer. *quæst. 2. num. 39. & 40.* Idque adeo verum est vt impetratio beneficij à Papa durante temporali commenda ordinarij ad sex menses non aliter valeat quàm si eius commendæ mentio facta sit. Rebuff. *in tract. de commenda num. 29.*

5 Cum beneficium sine canonica institutione possideri non possit. *dict. cap. 1.* vbi Dyn. & alij *de regul. iur. in 6.*

6 Non enim potest videri Papa dispensasse de iis quę ignorauit, & quæ si sciuisset fuisset difficilior in gratia concedenda, *cap. super literis de rescript.*

7 Cum non tam facile prouidendum sit de nouo beneficio ei qui iam aliud habet, quam si nullum adhuc haberet, *cap. licet canon. & ibi not. de elect in 6.*

8 Vt scriptum est, *in d. cap. licet canon.*

9 *Dict. cap. si motu proprio eod. tit. in 6.*

10 *Dict. cap. super literis de rescrip. vbi est in hanc rem textus perelegans.*

11 Felin. & Innocent. *in dict. cap. super literis, & in cap. in nostra eod. titul. De rescript. cap. cum nostris de concess. præben. & in cap. 2. de filiis presbyter. per text. in dict. cap. si motu.*

12 *Dict. cap. si motu proprio*, vbi Canonistæ.

13 Notant omnes *in dict. cap. si motu proprio per illum textum, Defin. 28. infr.*

BIU Cujas

DEFINITIO III.

De resignatione facta in fauorem in manibus Papæ quod non noceat resignanti si non habuerit effectum, secus in ea quæ facta sit pure in manibus ordinarij.

RESIGNATIO vt vocant & renunciatio beneficij in manibus summi Pontificis facta in fauorem certæ personæ non aliter valet, quam si sortita fuerit effectum. Et ideo si forte persona illa sit incapax, aut quam aliam ob causam ab obtinendi beneficij spe prorsus exclusa, remanet penes renunciantem pristinum ius tituli adeoque possessionis, licet adiecta non sit clausula illa vulgaris, quæ in renuntiationibus aut mandatis ad renuntiandum factis adiici solet, *non aliter nec alio modo.*[2] Satis namque expressa intelligitur ex eo solo, quod in fauorem alterius nominatim fiat renunciatio.[3] Ea res facit vt aliud dicendum sit si renunciationem quis fecerit ex necessitate, vtputa propter incompatibilitatem alterius beneficij superuenientis.[4] At si apud ordinarium renuntiatio facta sit, indistincte dicendum est valere eam statim, hactenus vt renuntians & titulum beneficij amittat & possessionem. Nimirum, quia in manibus ordinarij pure fieri eam necesse est, non in fauorem aut sub conditione, ne alioqui committatur simonia[5] quam solus summus Pontifex purgare potest.[6] *Ita Senatus* inter Claudium Vectier & N. Branchin contendentes de parochiali Ecclesia de Voges Prid. Calend. Septemb. 1588.

1 Verba enim semper cum effectu sunt accipienda *l. 1. in fin. D. quod quisque iur. in alium statuer. l. penult. §. docere. D. ne quis eum qui in ius vocab. vi exim.*

2 Ita singulariter Rot. *decis. 1. de renunciat. in nouis.* Iacob. Puteus *lib. 2. decis. 94. & lib. 3. Decis. 158. & 175.*

3 Quia quod fauore & contemplatione certæ personæ factum est, non debet ad alios extendi *l. si serui 21. & seqq. D. de vsufruct. l. filiofamilias 2. D. de condic. & demonstr.*

4 Rot. *decis. 4. de renunc. in nouis & decis. 5. eod. tit. in antiq.*

5 Ita pluribus Rebuff. *lib. 3 prax. benefic. tit. De resignat. cap. De resign. pur. Item cap. De resign. condic.*

6 Nam præsentia Papæ purgat omne vicium & omnem fraudis suspicionem *l. furti §. qui iussu. de his qui not. infam. l. 1. C. de præd. curial. lib. 10. cap. nisi essent. de præb.* Boer. *qu. 21. num. 21.*

DEFINITIO IV.

De clausula, *vel alio quouis modo.*

CLausula illa in gratiis Pontificiis apponi solita, *vel alio quouis modo,*[1] non facit validam impetrationem, in qua expressus sit omnino falsus vacandi modus,[2] Vtputa si narratum sit vacare beneficium per obitum eius qui nunquam id obtinuerit,[3] aut per incapacitatem resignatarij, cum non nisi in fauorem facta esset renunciatio.[4] Nam vt certus ita verus vacandi modus, aut saltem qui verus esse possit, adeoque qui communiter verus putetur, omnino exprimendus est,[5] ne obreptum subreptumque dici possit.[6] An igitur nullius momenti erit clausulæ illius adiectio? Imo proderit hactenus saltem, vt si beneficium eo qui expressus est modo vacauerit,[8] non noceat impetranti, quod ab alio iam impetratum rursus nouo modo, qui posterioris impetrationis tempore probabiliter ignorabatur,[9] vacare cœperit.[10] *Ita ttractatum est* in eadem causa.

1 De qua iam scripsimus *Defin. 1. supr.*

2 Intellige siue dolo malo siue per imprudentiam falsus vacandi modus expressus sit. Nam sicut dolus suus impetranti nocere debet *l. vlt. C. de diuers. rescript.* ita ei sua ignorantia prodesse non debet, cùm certet de lucro captando *l. error facti 8. & seq. D. de iur. & fact. ignor.*

3 Nam cùm alicui prouidetur de beneficio vacante per obitum eius qui numquam id obtinuit, videtur ei prouisum de beneficio quod nullum nec vllibi sit. *arg. l. ex facto 19. D. de hered. instit.*

4 Quo casu diximus Defin. præcedente resignationem, quæ in persona resignatarij effectum habere non potest, haberi pro non facta.

5 Nicol. Boer. *decis. 150. num. 11. & 13.*

6 Vitium siquidem obreptionis & subreptionis destruit gratiam & rescriptum *cap. si motu proprio. de elect. in 6. l. vlt. C. de diuers. rescript. l. si quis obreperit 29. D. ad leg. Cornel. de falsi. l. 5. §. manet D. de reb. eor. qui sub tutel.*

7 Atqui debent omnes clausulæ imò verba omnia operari si fieri possit *l. si quando 109. de legat. 1.*

8 Quo casu non potest videri in totum esse falsum, quod veritatis primordio adiuuatur *l. cùm filius 76. §. heres meus de legat. 2.*

9 Potest enim fieri vt probabilis sit ignorantia & impetrationis & vacationis posterioris, vt & alterius facti cuiuslibet alieni *l. vlt. D. pro suo.*

10 Ponendum enim est posteriorem vacationem anteriorem esse posteriore impetratione. Nunquam enim potest impetratio referri ad futuram vacationem, quia damnabile est impetrare aut concedere beneficium priusquàm vacet. *capit. 2. de concess. præb.*

DEFINITIO V.

De triennali possessore exhibente titulum inualidum aut vitiosum, an iuuetur regula De triennali?

BEneficij possessor triennalis si possessionis suæ titulum exhibeat vitiosum, iuuandus non est regula De triennali, quia in beneficialibus perpetuum illud est vt vitiosus ingressus dari numquam debeat.[1] Itaque cautius fecerit licet improbius, si titulum non exhibeat, alleget tamen coloratum vt non omnino iniustam possessionem habuisse videatur.[2] At si titulum exhibeat inualidum quidem & nullius momenti, sed tamen non vitiosum[3] magis est vt locus sit regulæ extra eos casus, qui constitutionis verbis nominatim excepti sunt,[4] siue quod ea regula nullius veri tituli probationem exigat,[5] siue quod super nullitate, vt loquuntur, & inualiditate tituli videatur possessor tacite dispensatus ab Episcopo, qui per singula triennij curricula beneficiorum omnium in sua diœcesi constitutorum & statum & possessores inquirere ex officio debet.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nec enim beneficium sine canonica institutione possideri potest *cap. 1. vbi Dyn. & alij de regul. iur. in 6. cap. vnic. de eo qui mitt. in poss. rei seru. cauf. in 6.*

2 Quia colorata possessio sufficit ad obtinendum in possessorio. Intelligitur autem colorata si beneficium collatum sit ab eo qui conferendi habuit potestatem, non etiam si ab alio. Gomes. latè, & pass. *ad reg. De triennali.* Vide Petr. Gregor. *in Instit. rei benefic. tit. 40. num. 19. per tot.* vbi multa hac de re.

3 Aliud enim est titulum esse inualidum, aliud verò esse vitiosum. Nec minus in ecclesiasticis rebus quàm in profanis. Alioqui nulla esset distinctio inter bonæ & malæ fidei possessorem. Cum bonæ fidei possessor ille sit qui titulum habet sed inualidum, malæ verò fidei qui vel nullum penitus vel vitiosum. *l. quemadmodum C. de agric. & censit. lib. 11.*

4 Excipiuntur enim quidam casus verbis ipsis regulæ, de quibus ideo nulla dubitatio esse potest.

5 Sed tantùm possessionem coloratam ex titulo colorato.

6 Ita Gomesius ad *dict. reg. De trienn. quæst. 10. ad fin.*

DEFINITIO VI.

De reuocatione & priuilegio testamenti conditi in piam caussam.

ETsi vltimæ voluntatis in piam causam collatæ multa sunt priuilegia,[1] non tamen vsque adeo ei fauere possumus, vti ne alterius cuiuslibet exemplo ambulatoria & reuocabilis sit.[2] Quidni vero? Cùm & si quid pater in fauorem liberorum siue testamento siue codicillis siue quo alio vltimo voluntatis genere constituerit, idipsum pro arbitrio reuocare possit,

BIU Cujas

possit.[3] Vtique enim non potest maior Ecclesiæ vel pauperum fauor esse quam liberorum.[4] Quanquam non desunt qui putent solemne testamentum fauore piæ causæ conditum eo gaudere priuilegio, vt per posterius quantumuis solemne non aliter reuocatum intelligatur, quam si expressa & specialis reuocatio sit, adiecta etiam reuocandi causa.[5] Illud sane constat non videri reuocatum per posterius minus solemne, tametsi in eo scripti sint legitimi heredes ab intestato venientes.[6] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 13. Calend. Decemb. 1588.

1 Vt constat ex toto illo tractatu, quem conscripsit luculentum Andr. Tiraq. *de priuileg. piæ causæ.*

2 Text est *in l.1.* vbi Bald. notat in terminis *col. pen. vers. super noua quæstione C. hoc tit.* nec est qui contradicat.

3 Auth. hoc inter liberos *C. de test.*

4 Vt Baldus notat sæpius & post eum cæteri ad *dict. l.1. Cod. hoc tit.*

5 Quia nimirum volunt testamentum conditum ad pias causas censeri habere clausulam derogatoriam, vt & testamentum inter liberos factum. *DD. ad cap.* Raynutius, *extr. de testam.* præsertim Didac. Couar. & Guil. Bened. *in verb. testamentum* 2.

6 Andr. Tiraquell. *in dict. tract. de priuileg. piæ causæ, priuil.* 52. Extra piam causam aliud est *l.2. D. de iniust. rupt.*

DEFINITIO VII.

De priuilegio donationis factæ in piam causam.

QVicquid à diuite donatur pauperi aut etiam diuiti, in honorem tamen Dei, donatum dicitur in piam causam, iisdémque gaudet priuilegiis, quibus gauderet, si Ecclesiæ donatum esset. Ideóque etsi donata res ex iis sit, quæ regulariter alienari non possunt, vt puta fideicommisso subiecta, valebit nihilominus alienatio.[1] Nec egebit donatio insinuatione, tametsi donator ad eam insinuandam procuratorem vt fieri solet constituerit, quod id ex abundanti & ad cautionem, potius quam ad vim donationis suspendendam factum videatur.[2] Sed & si mortis causa donatum proponas, licet absenti & coram minore quam quinque testium numero, valebit donatio contra receptas iuris regulas,[3] Nimirum fauore & priuilegio piæ causæ. *Sic tractatum est* in causa Vniuersitatis d'Introx in Valle Augustana contra Condominos eius loci, 3. Non. Decemb. 1588.

1 Andr. Tiraq. *in tract. de priuileg. piæ causæ priuil.* 102. post Angel. *in l. quidam ita testamento* 25. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*

2 Nam quæ ex abundanti fiunt non solent viciare nec nocere, *l. non solent* 94. *de reg. iur. l. quæsitum* 12. §. *pen. de instru. & instrum. legat.* Nemo enim creditur eam contrahendi formam & solemnitatem eligere, per quam iudicia sua subuertantur, *l.3. D. de test. milit.*

3 Nec enim potest fieri donatio causa mortis alij quam præsenti, nec minore quam quinque testium numero, si nostris credimus ad *l. vlt. C. de mort. caus. donat.* Contra quos tamen vide quæ scripsi in posteriore parte Hemichiliadis de error. prag.

4 Andr. Tiraq. in *dict. tract. de priuileg. piæ causæ.*

DEFINITIO VIII.

Regula de verisimili notitia.

REgula de verisimili notitia non tantum in iis beneficiorum collationibus locum habet quæ à summo Pontifice factæ sint, sed & in iis quæ ab ordinario.[1] Quia cum ad excludendas fraudes introducta sit, & propter salutem animarum, ne alioqui facile eueniat vt viuentis beneficium impetretur,[2] apparet eandem in vtroque casu periculi rationem inducere eandem iuris huius vtrobique constituendi necessitatem.[3] *Ita Senatus* pro R. Iohanne Philippo Chauelard contra Claudium Poysat 13. Cal. Ianu. 1589.

1 Gomes. in *reg. de verisim. notit. quæst.1.*

2 Contra cap. 2. *de concess. præb. l. donari, 29. alias l. quidam §. donationem de donat. l. vlt. C. de pact.*

3 *l. illud* 32. *D. ad leg. Aquil. cum similib.*

DEFINITIO IX.

Qui beneficium commendare possint.

SOlus summus Pontifex beneficium commendare in perpetuum potest,[1] quoniam ea res & proprietatem beneficij afficit & possessionem.[2] Quod sane fieri nequit quin ordinarij collatoris auctoritati præiudicetur:[3] cui tamen absurdum sit & iniquum præiudicari ab alio quàm à summo Pontifice, qui est ordinarius ordinariorum,[4] Nisi eam ipsam potestatem alteri ipse delegauerit & indulserit, quomodo indulgere plerunque Cardinalibus solet singulari Cardinalatus priuilegio, quod ob eam causam indultū vulgo appellatur: Item legatis qui à latere dicuntur, quorum præcipua dignitas facit vt ea fere omnia facere possint, quæ summus ipse Pontifex faceret, in ea nimirum prouincia in qua Pontificis vices gerunt.[5] Sed tamen nō aliter huiusmodi indultis deferre cogūtur iudices nostri, qui de beneficij possessione cognoscūt, quam si à senatu nostro visa & cōprobata proponantur.[6] Plane ad tempus aliquod breue, vt puta duorum triumve aut summū sex mensium commendare beneficiū etiam Episcopus inferiórve alius collator quilibet potest ex causa, si qua sit quæ impediat ne tā cito cōferri beneficiū in titulū possit.[7] *Ita Senatus* in eadē causa.

1 *Can. vnum Abbatem* 21. *qu.2. & in cap. dudum, 1. de elect.* Idem iuris est de administratore perpetuo, *cap. is cui. de elect. in 6.* itemque de visitatore *cap. fin. de supl. negligē. prælat. eod.* Boer. *qu.2. nu.29.*

2 Nempe quoniam commenda perpetua pro titulo habetur, præsertim apud nos & apud Gallos, vt passim testatur Rebuff. in praxi beneficiorum, licet commendare nihil aliud sit, quam deponere *l. Lucius* 24. *D. depos.* rei autem depositæ nec dominiū nec possessio in depositarium transferatur, *l. licet*, 17. §. 1. *eod.*

3 Quia manente commenda non potest de beneficio commendato prouideri, nisi per eum ipsum qui commendauit.

4 Et qui habet omnimodam potestatem, præsertim vero in beneficiis, vulg. iurib.

5 De quibus omnibus vide insignem & luculentum tractatum viri clarissimi & iurisconsulti celeberrimi Anastasij Germonij in Rom. Curia Referendarij vtriusque signaturæ, quem conscripsit *De indult.*

6 Non vt summi Pontificis voluntati resistatur, sed ne quid eo prætextu fiat, quod vel Principis auctoritatem vel publicam prouinciæ vtilitatem lædere possit.

7 Rebuff. in tract. *de deuolut. num.* 77. Adde eundem Rebuff. *tract. de commenda num.* 51.

DEFINITIO X.

De beneficij commendati Iure & vacatione.

BEneficium, quod in perpetuum commendatum est, id est ad vitam, vt loquuntur, cōmendatarij, non minus creditur apud nos vacare, quam si nec commendatū nec aliter collatum esset.[2] Eius namque & proprietas & possessio penes summum pontificem remanet qui commendauit, Cum vel ex Latini sermonis ratione nihil aliud sit commendare quam deponere;[3] depositi autem ea cōdicio sit vt nec dominium trāsferat in depositarium nec possessionem.[4] Vnde illud est quod dici solet, beneficia commendata esse affecta, & summo Pontifici reseruata.[5] Itaque defuncto eo qui fuerat commendatarius perpetuus non dicimus vacare beneficiū per obitum alióve nouo vacationis genere, sed commendā vt vocant cessare, ex eaq; causa nouam fieri posse impetrationem beneficij tanquā vacantis quidē, sed eo modo quo prius, id est, quo iam vacabat ante quam beneficium commēdaretur.[6] Proinde si vacauerat per obitum, nunc itidem tanquam per obitum vacans impetrandum erit, sin per resignationem aut aliter, nūc rursum eodem modo. Nisi

BIU Cujas

quod vacare apud ſedem ſemper creditur licet antea apud ordinarium vacauiſſet, quia per manus vt aiunt appoſitionem ſemel affectum fuerat ſummo Pontifici, cuius libera eſt in beneficialibus omnibus pleniſſimaque poteſtas. [7] Apud Gallos aliud iuris obtinet, apud quos commenda perpetua ad inſtar tituli eſt, ita vt mortuo commendatario beneficium habeatur pro vacante, & eo ipſo modo quo vacaret ſi in titulum non in commendam poſſeſſum fuiſſet, [8] ita vt ſi in menſe ordinarij collatoris commenda ceſſauerit, ordinarius conferendi habeat poteſtatem. [9] Ex quo illud etiam fit vt ſi de rei eccleſiaſticæ præſcriptione quæratur, non putent illi ſubducendum tempus, quo beneficium commendatum fuit: [10] quod haud dubie quaſi vacante tum beneficio apud nos ſubduceretur. *Ita Senatus* in eadem cauſa, Et rurſus pro Guillielmo Drugeon contra Humbertum Burtin 14. Calend. Ianuar. 1592.

1 Sic enim perpetua pleraque dicuntur quæ durant ad vitam nec prius finiuntur, vt ſi alicui legentur alimenta perpetua, vel vſus fructus perpetuus. [Et ſocietas perpetua *in l. 1. D. pro ſocio.* Appellamus autem commendam perpetuam ad differentiam temporalis quam ordinarius concedere poteſt & ſolet vſque ad ſex menſes ne eccleſia careat paſtore. Et hæc commenda poſtea extendi poteſt à Papa vſque ad mortem commendatarij, ſed melius tamen eſt nouam à Papa commendam peti ad vitam, vt tractat Rebuff. *in tract. de commenda. num. 31. & 32.* Vide *d. cap. nemo & cap. dudum 2. de elect. in 6.*]

2 *Cap. nemo* & ibi *gloſ. de elect. in 6.* Guid. Pap. *quæſt. 152.*

3 *l. Lucius 14. D. depoſit.*

4 *l. licet 17. §. rei depoſitæ, eod. tit.*

5 Scilicet per manus appoſitionem, vt loquuntur Canoniſtæ. Nam ſtatim atque Papa vt & alius quilibet ſuperior manum appoſuit, non poteſt inferior eam rem attingere.

6 Gomeſius in regul. de triennali in pleriſque locis, Æn. de Falconib. *in tract. de reſer.* Ludou. Rom. *conſ. 350. DD. in cap. is cui procuratio. de elect. in 6.*

7 Cum ſit ordinarius ordinariorum nec poſſit quiſquam ei dicere, Cur ita facis? Nec enim à quoquam iudicatur qui omnes iudicat, vulgat. iurib. Iunge notata *in D. fin. 16. num. 4. & 5. J. vide cap. fin.* cum ibi not. *de for. comp. cap. cuncta per mundum 9. quæſt. 3.*

8 Rebuff. *in tract. de commend. num. 51. & in tractat. de deuolut. num. 77.*

9 Ac ſi Papa de beneficio tum prouidiſſet cum dedit illud in commendam.

10 Ita Guid. Pap. *dict. quæſt. 252.* vbi tamen vide addit. Adde Iacob. Put. *de. iſ. 25. lib. 1.*

DEFINITIO XI.

De vitio intruſionis.

INtruſus dicitur quiſquis beneficij poſſeſſionem adeptus eſt ante factam ſibi collationem, aut poſt collationem quidem, ſed ab eo factam qui neque conferendi ius habuit, neque in quaſi poſſeſſione conferendi fuit. [1] Quæ enim eiuſmodi eſt collatio, nec canonica dicitur nec colorata, [2] Vt puta ſi in menſe ſummo Pontifici reſeruato ordinarius beneficium contulerit. [3] Beneficium autem ſine canonica aut ſaltem colorata inſtitutione poſſideri non poteſt. [4] Ea ratio facit vt ſi beneficium eidem intruſo poſtea conferatur, licet ab eo qui conferendi habuit poteſtatem, non valeat ſubſequens collatio, [5] Si non expreſſim facta ſit mentio prioris vitioſæ poſſeſſionis vt intruſionis vitium purgetur, quod ne noceat, omnimodo purgandum eſt. [6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Puta ſi collatio facta ſit ab eo qui non eſt ordinarius beneficij *cap. fin. de inſtit.* & Clem. 1. *de ſuppl. neglig. prælat.*

2 Rot. *de iſ. 415. alias 1. de intruſ. in antiq.* Guid. Pap. *qu. 85.* [Calder. *conſ. 13. de verb. ſignif.* Felin. *in cap. in noſtra col. 8. ad fin. de reſcript.*

3 Rot. *quæſt. 25. num. 4. de conceſ. præb. in antiq.* [Obſerua tamen eo iure nos vti vt ſimpliciter beneficia poſſint in quolibet menſe conferri ab ordinario, licet verba regulæ *De reſeruatione menſium* ſint generalia & loquantur de beneficiis omnibus ſiue cum cura ſint, ſiue etiam ſine cura: ideo fortaſſe quòd facile capienda ſit ea interpretatio per quam vna quæque res redeat ad ſuam naturam. Prima autem beneficiorum natura illa fuit vt omnia & quocunque menſe conferri poſſent per ordinarium, Aut potius quòd æquum non ſit pauperem eccleſiaſticum pro ſimplici beneficio obtinendo tantis ſumptibus onerari vt cogatur ire aut mittere Romam, in eamque rem plus fortaſſis impendere quàm multorum annorum reditus ferre poſſit. *Ita Senatus* pro Ioanne Arnaut contra Michaelem Bruyere 8. Cal. Decemb. 1610.]

4 *Cap. 1. de reg. iur. in 6* Gomeſ. *ad regul. de triennal. poſſeſſ.*

5 *Arg. l. auctoritatem C. vnde vi.* Rebuff. *in form. & declar. nouæ prouiſ. in verb. officiali Epiſcopi nu. 7.* vbi citat Abbat. *in cap. cum iamdudum, de præbend.* Adde Rebuff. *in tract. de pacif. poſſeſſ. num. 43.* Benint. *deciſ. 3. num. 5.* Bellam. *deciſ. 48. 49. & 50. & 378.* Caſſad. *deciſ. 8.*

6 Rebuff. *in tract. de reſcript.* Etiam & perinde valere. nu. 51. Calder. *conſ. 13.* [Nota tamen non poſſe dici vicioſam poſſeſſionem ob id quod apprehenſa ſit die dominico, imo debet potiùs apprehendi eo die vt omnibus innoteſcat Rebuff. *in prax. tit. de miſſion. in poſſeſſ. nu. 4. & in reg. de publ. reſign. gloſſ. 10. nu. 6.*]

DEFINITIO XII.

De petitorio in cauſa poſſeſſorij tractando.

ETSI nihil commune habet proprietas cum poſſeſſione, [1] præſertim cum de beneficio diſputatur, quandoquidem de poſſeſſione beneficij ſolius iudicis laici apud nos cognitio eſt, qui de proprietate cognoſcere non poteſt: [2] Obſeruare tamen iudex laicus debet vt beneficij poſſeſſionem ei ſemper adiudicet, qui potiora in petitorio iura oſtenderit: [3] Vnde fit vt etiamſi proprietatis quæſtio apud iudicem laicum tractari principaliter nequeat, [4] incidenter tamen multa ad proprietatem ſpectantia tractanda ſint, non vt de proprietate quicquam decernatur, ſed vt de poſſeſſione bene iudicetur. [5] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *Vulg. l. naturaliter 12 §. nihil commune, D. de acquir. poſſeſſ.*

2 Quaſi poſſeſſorium beneficij ſit quid temporale, vt pluribus tractat Guid. Pap. *qu. 1.*

3 Idem Guid. Pap. *qu. 85. num. 2.*

4 Adeoque nec interdictum adipiſcendæ poſſeſſionis beneficij, quia ſapit naturam petitorij, vt noſtri loquuntur poſt Guid. Pap. *dict. quæſt. 1.*

5 Nam pertinet ad officium iudicis qui de poſſeſſione cognoſcit, vt omnem incidentem quæſtionem examinet, quamuis de ea non pronunciet. *arg. l. 1. C. de ordin. iudic.*

DEFINITIO XIII.

De beneficij poſſeſſione male quæſita.

ADeptio poſſeſſionis beneficij ex inſtitutione, quæ neque canonica fuit neque colorata, non ſolum in petitorio non prodeſt, ſed nec etiam in poſſeſſorio, tametſi nouus titulus iſque canonicus & validus ſuperuenerit: ſed nouæ poſſeſſionis adeptio prorſus neceſſaria eſt. [1] Nam quod dicimus, Ex titulo etiam inualido acquiri poſſeſſionem, [2] in profanis quidem cauſis procedere facile poteſt, [3] ſed in beneficialibus non item, ſi titulus non ſit ſaltem coloratus, [4] ne vitioſus ad beneficium ingreſſus detur: quod nunquam permittendum eſt. [5] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Rebuff. *in form. & declarat. nouæ prouiſionis, in verb. Officiali num. 9.* vide Socin. *ad l. 1. §. ſi vir, D. de acquir. poſ.* Crauet. *conſ. 171.* Chaſſan. *conſ. 30. nu. 13. & 14.*

2 *d. l. 1. §. ſi vir. D. de acqu. poſ.* Nempe quia poſſeſſio licet plurimum ex iure mutuetur. *l. poſſeſſio. 49. in princip. & §. 1. eod. tit.* facti tamen eſt magis quam iuris, *l. denique, D. ex quib. cauſ. maior. l. 1 §. Scæuola D. ſi is qui teſtam. liber. eſſ. iuſſ.*

3 Per ſupradictos textus & alios quos citat Bald. licet de canonico loquatur in *l. 2. col. 10. verſ. ſuper ſecundo puncto*, ibi *ſed pone. C. de ſeruit. & aqua.*

4 Gloſſ. *in pragmat. ſanct. tit. de pacific. poſſ. §. ordinarij.* Nam & qui beneficium retinet ſine titulo peccat mortaliter. *cap. dudum. 2. de elect. cap. nemo. & can. nullus 2. quæſt. 3.*

BIU Cujas

1 *Cap.1.de reg.iur.in 6.cap.in literis* vbi Panorm. *Extr.de restit. spoliat.* Vide tamen Rebuff. qui cum Baldo sentit & probat pluribus, *cons.59.quæst.2.& cons.90.Gloss.in pragm.sanct.dict.tit.de pacif.poss.in verb.coloratum.* Abbat. *in cap.cum nostris col.2.nu.6.de concess.præb.* Iacob.Put.*dec.229.lib.2.* Bart.Ang.Alex *ad l.3.in princip.de acqu.poss.* Anch.*cons.229.col.1.* Ant. Butr. *cons.63. col.3.vers. idem in actibus.* Corn.*cons.50. col.3.vers. & qui credit.lib.1. & cons. 165.col.fin.lib.2.l.cum nemo, vbi DD. C.de acq.pos. l.qui bona §. fin. D.eod.* Text.*in cap.post electionem* vbi Abb.*nu.4.de concess.præb.* Felin.*in cap.in nostra col.2.vers.Titulus multiplicatur, de rescript.* Rom. *cons.433.* Cassad.*dec.3.in fin.de caus.poss.& propriet.& dec.21. uper regula & dec.4.nu.12.de restit.spoliat.* Anch.*in d.cap.1. de reg.iur.in 6.* Rebuff.*in concord.tit.de mand.apostol.§.declarantes, in verb.succeff. & in const.Gallic.de causs.poss benef.art 1.glos.1.nu.7. Dec. Rot.relata per Crescent.dec.168.* Iunge *definit 2.num.6.sup.*

DEFINITIO XIV.

De publicanda resignatione.

NOn aliter quidem valet beneficij resignatio quam si intra sex menses publicata sit, ex regula De publicandis resignationibus. Sed tamen satis publicatam videri placet si nec vi, nec clam, nec precario, sed publice resignatarius missus sit in beneficij possessionem. Id enim est quod vulgo dici solet, Missionem in possessionem publicationi æquipollere: [1] Sed hoc ita accipiendum est, si non post eam missionem resignans manserit in possessione. [2] *Ita Senatus* inter Humbertum Chambard & Franciscum Cabod. prid. Id. Decemb. 1588.

1 Ioan.Pap.*in Synag. Arestorum tit.de publ.resign. Arest.9.*

2 Quoniam eo casu resignatio præsumitur simulata *arg l.sicut 6.§.superuacuum, D.quib.mod.pign. vel hyp.soluit. l.si noxali 11.§. est autem quæstionis, D.de pecul.*

DEFINITIO XV.

De annali possessore titulum nullum habente.

CONSTITVTIO Pontificia De annali possessore tuetur possessorem, etiam qui titulum nullum profert ne coloratum quidem, [1] non item constitutio quam regulam vocant De triennali: [2] Nimirum quoniam hæc tribuit ius in beneficio, illa non item, sed excludit duntaxat impetrantem ob non expressas possessoris qualitates, neque tam in fauorem possessoris inducta est, quam in odium male impetrantis. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige nisi forte notorium sit eum, qui vult iuuari regula, nullum prorsus titulum habere, quia nunquam dandus est vitiosus ingressus, vt dixi *Defin.13.*

2 Hæc enim regula requirit titulum saltem coloratum.

3 Vide Gomes. ad vtramque regulam De annali & de triennali, & Boerium contra scribentem *qu.24.nu.5.& 6.*

DEFINITIO XVI.

De beneficiorum in Curia vacantium collatione.

BEneficia omnia Cardinalium licet extra Romanam Curiam defunctorum vacant in Curia, nec proinde ab alio quam à summo Pontifice conferri possunt [1]: Adeo vt ex superueniente Cardinalatus dignitate qualitas ipsa beneficij immutetur, [2] Siue beneficium tale erat quòd ex sui natura conferri posset ab ordinario, siue ex speciali Papæ dispositione collatio eius aut ad ordinarium spectaret, aut ad legatum. Omnis enim reseruatio, maxime quæ in corpore iuris, vt hæc, clausa sit, ita beneficium afficit vt manus liget cuiuscunque alterius collatoris, [3] Sed & sola manuum Papæ iniectio vt vocant operatur beneficij reseruationem: [4] Imo vero plus interdum potest quam expressa reseruatio, [5] Propter supremæ sedis auctoritatem, quam semper & vbique sacrosanctam esse decet. *Ita Senatus* in causa Illustriss. D. Cardinalis du Montdeuis & Reuer. Petri Goyet de prioratu Nantuaci 7. Cal Mart. 1589.

1 *Per extrauag.quæ incipit ad regimen.*

2 Nam & in rebus profanis idem sæpe accidit vt ex mutatione qualitatis personæ mutetur conditio bonorum, *l.per curatorem 90.§.1.de acquir.hæred.l.vlt C.de inoff.test.*

3 Hieron.Hig.*in tract.de pension.quæst.59.nu.1.* Iacob.Put.*decis.48.nu.7.& 8.lib.3.*

4 *Cap.inter dilectos.* vbi Panorm & alij *de excess.prælat.* Rom. *cons.335.* circa primum *col.1.* Paris.*cons.47. videtur, nu.39. & 40. vol.4.* Rebuff.*in prax tit.De reser.cap.3.li.1.nu.30.*

5 Teste Ænea de falconibus *in tract.de reseru.* in tertio prælud io, & in *4.quæst.* effectu 16. Rebuff.*vbi sup.nu.34.*

DEFINITIO XVII.

De commendatario Cardinali facto.

SEcundum quod, cum quis ante susceptam Cardinalatus dignitatem beneficium in commendam, vt vocant, impetrasset, hac lege tamen addita vt quandocunque cedente vel decedente eo beneficium ad pristinam tituli naturam reuerteretur, Postea vero cardinalis factus extra curiam decessisset, placuit ob eam quæ superueneratCardinalatus dignitatem, immutatam videri sicut personam possessoris, ita & qualitatem possessi beneficij. [1] Proinde licet beneficium tale esset, quod alioqui ab ordinario collatore in titulum conferri potuisset, in proposito tamen non nisi à summo Pontifice conferri potuisse, [2] quod in Curia per Cardinalis obitum vacasse intelligeretur. Neque vero quicquam prohibebat quo minus beneficium in titulum conferri necesse esset, [3] nec tamen alius quam summus Pontifex conferre id posset. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg.eorum quæ scripsimus in defin.præced.maximè nu.2.*

2 Prioris enim prouisionis vt & omnium ferè dispositionum verba sic accipienda sunt, quasi tacitam illam habeant conditionem, si res in eodem statu manserit *l.cum quis 38. in princip. D.de solut.*

3 Ex forma scilicet prouisionis, quam ponimus à Cardinale impetratam fuisse.

4 Quia potest Papa conferre omnia quæcunque vult beneficia si modo vacent. Itaque cum possit vtraque clausula stare, non debet vna tolli per alteram, vulg.iurib.

DEFINITIO XVIII.

De beneficiorum regularium natura & statu.

NAtura quidem beneficiorum omnium regularium est vt sint electiua, [2] Sed si de sola beneficij possessione apud iudicem secularem contendatur, & ex nouissimis actibus appareat beneficium aliter quam per electionem conferri solitum esse, vltimus status attendetur. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Can Metropolitano defuncto dist. 63. can. nullus inuitus, vers. habeat vnusquisque dist.61.can.quam sit necessarium, vers.defuncto 18. qu.2.cap.monachi vers.priores autem de stat.monach.cap.cum int.de elect.* Pan.*in d.c.monachi.* Auth.*de monach §.ordinatione.*

2 Dec.*cons.126.nu.1.& 2.cap.consultationib.extr.de iur.patron.*

DEFINITIO XIX.

De electione in fauorem absentis facta.

ELectio & confirmatio in fauorem absentis facta nō prius absenti ius in beneficio tribuit quam ratam eam habuerit. [1] Sane ad beneficium ius statim confert. [2] Quid ergo si medio tempore alius idem beneficium impetrauit ab eo, cui conferendi ius fuit? Non retrotrahetur ratihabitio re non integra & in præiudicium iuris, quod alteri [3] interea quæsitum est. [4] Illa enim condicio quæ tacite inerat, Si absens electionem acceptaret, cum sit mere potestatiua, [5] non casualis aut mixta [6] (pendet enim ex volūtate absentis qui electus est) retrotrahi

BIU Cujas

non potest in damnum tertij, qui medio tempore sibi prospexit.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Licet dici soleat in spiritualibus acquiri ius in re ex solo interuentu auctoritatis superioris citra traditionem. *cap. si tibi absenti de præb. in 6.* Boer. *quæst. 2. num. 38.*

2 Aliud enim est habere ius in re, aliud ad rem.

3 Contra tenet Boer. *d. quæst. 2. nu. 41. ex d. cap. si tibi absenti & cap. 1. & 2. de cocnes. præ.* Sed vide text. *in clem. vnic. de conces. præb. & in cap si pro te. de rescript.* Rot. *decis. 12. de conces. præb. in nobis.* Sed hoc intellige si medio tempore alii prouisum sit a Papa, ne obstet text. *in d. cap si tibi absenti.* qui loquitur in ordinario aut quolibet alio quam Papa, qui nunquam sibi ligat manus, multoque minus ordinarius ei *cap. dudum & cap. quamuis 2. de præb. in 6.* Stasil. *de liter. gratios. tit. de vi & effect. clauf. §. in literis nu 2.*

4 Ratihabitio enim non nisi re integra retrotrahitur, Bart. *in l. si vxor. §. si quis vxorem. num. 3.* & ibi Alex. *in ad l. in verb. reb. integris. D. de adult. & in l. si indebitum. §. 1. rat. rem habe.* Apostill. ad Dyn. *in cap. ratihabitionem & in cap. ratum de reg. iur. in 6.* Bald. & Salic. *in l. fin. C. de SC. Maced.* Ial. *in l. si is qui pro empt. col. 38. vers. tertia ratio de vsucap.* Alex. *cons. 38. col. pen lib. 5.*

5 Quia inuito beneficium non datur. *l. inuito 69. de reg. iur.*

6 Aliud enim iuris est in condicionibus quæ sunt casuales aut mixtæ, vt scilicet retrotrahantur etiam in præiudicium eius cui medio tempore ius quæsitum est, *l. qui balneum 9. l. potior 11. D. qui potior. in pign. hab.*

7 Vt & alia ratihabitio quælibet, cum nemo cogatur ratum habere id quod se ignorante ab alio gestum est, sicut nec ab initio mandare cogeretur. *l. Pompon. de neg. gest.*

8 *d. l. potior.* vbi est text. accommodatissimus iunct. *l. 1. eod. tit.* Sane si nullum ius alij medio tempore sit quæsitum, non dubitatur quin ratihabitio electionis facta per absentem retrotrahatur ad diem electionis, Rot. *decis. 12. de conces. præb. in nouis.* Aufrer. *in decis. Capel. Tolos. 273.*

DEFINITIO XX.

Clausula de non tollendo iure alteri quæsito.

VVlgaris clausula, quæ in Bullis apostolicis inseri solet, *Dummodo tempore datæ præsentium non sit alteri ius quæsitum*, conseruat quidem ius quod in re ipsa & beneficio quæsitum iam sit, sed non ius ad rem: quia hoc infirmius, illud potentius est.[1] Ergo non nocebit impetranti, quod aduersarium habeat qui iam tum electus erat, si nondum secuta esset confirmatio. Nam electio etiam quæ in præsentis & acceptantis fauorem facta est nullum in beneficio ius tribuit, sed ad beneficium duntaxat ante secutam confirmationem.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ioan. Andr. & DD. *in cap. causam quæ de rescript.* Calder. *cons. 8. ad fin. tit. De rescript.* & Roman. *cons. 256.* Stasil. *in tract. de liter. gratios. tit. de form. mandat. de prouid. num. 4.*

2 Rebuff. *in form. nouæ prouis. in verb.* dummodo tempore datæ præsentium. Vide cap. auaritiæ *de elect. in 6.*

DEFINITIO XXI.

De beneficij reseruati collatione per ordinarium.

SI beneficium summo Pontifici reseruatum conferatur per ordinarium aliúmve quemlibet inferiorem, ipso iure nullius momenti est collatio, tanquam facta per non habẽtem potestatem, quia ordinarij manus ligatæ intelliguntur:[1] Decretúmque vocant irritans, quod in omnibus reseruationum regulis apponi solet, ligat etiam ignorantem non quod ad pœnam excommunicationis, sed quod ad nullitatem actus contra decretum facti,[2] adeò vt non modo titulum inficiat, sed etiam possessionem,[3] præsertim si ea reseruatio proponatur, quæ in corpore iuris clausa sit. Idem est si Papa prior de beneficio prouiderit, cuius collatio ad ordinarium poterat pertinere. Nam cum sit ordinarius ordinariorum concurrit cum quolibet ordinario totiusque orbis beneficia conferre potest.[4] Vnde fit vt non possit non inutilis esse collatio per ordinarium facta beneficij quod à summo Pontifice iam sit collatum.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. si soli. cum glos. in verb. contra ipsam. de conces. præb.* [Lapus *alleg. 16.* & 103. Abb. post Calder. & alios *ad cap. cum nostris in fin. de conces. præb.* Obserua autem reseruata esse summo Pontifici beneficia omnia, non tantum quæ vacant vbicunque in mensibus reseruatis, Sed etiam quæ vacant Episcopali sede vacante ex Bulla Pij Quinti publicata Romæ 9. Mart. 1567. quia scilicet mortuo Episcopo tota ipsius potestas redit ad Papam: Excipe tamen beneficia quorum collatio pertinet ad Episcopum & Capitulum simul. Tunc enim potest Capitulum prouidere sede vacante, adeoque vicarius à Capitulo deputatus aut approbatus.

2 Gloss. *in cap. 1. eod. tit.* Stasil. *in tract. de liter. gratios.* in octaua forma mandati de prouidendo. latius Iacob. Put. *decis. 8. num. 3. lib. 2. decis. 281. nu. 4. lib. 1. decis. 50. num. 6. eod. lib.*

3 Idem Put. *decis. 180. lib. 3.* Not. *in clement. de immun. eccles.* Excipe casum *cap. statutum de rescript. in 6.*

4 *Can. cuncta per mundum 9. qu. 3. cap. 2. de præb. in 6. Clem. 1. in fin. vt lit. pend.* Panor. *in cap. quia diuersitatem de conces. præb.* Gloss. pragm. sanct. *tit. de collat. §. item circa in verb suader.* Ioan. Monach. *in cap si eo tempore de elect. in 6.* Bald. in *cap. 1. qui feud. dar. poss. & in cap. 1. §. si facta si de feud. fuer. controuers. int. dom. & agna.*

5 Quia beneficium illud non vacat, nec proinde conferri potest *cap. 1. & 2. de conces. præb.*

DEFINITIO XXII.

De clausula motu proprio.

CLausula motu proprio in bullis apostolicis licet maximæ & præcipuæ sit potestatis, in eo præsertim quod tollit vicium omne obreptionis & subreptionis,[1] ius tamen alteri quæsitum non tollit,[2] quoniam ita sunt interpretanda beneficia Principalia vti ne cuiquam iniuria inferatur. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. si motu proprio de præb. in 6.* Stasil. *in tract. de liter. grat. in rubric. subreptio.* Rebuf. *in prax. benef. in form prouis.* Simpl. *in 3. part. num. 17. & in form. mand. de prouid. in verb. motu proprio.* & *in verb. pro expressu.*

2 *d. cap. si motu* Bald. *in cap. ad audientiam de rescript.* Not. *in cap. ab eo. de elect. in 6.* Idem Bald. *in l. 1. de const. Princip. & in cap. super eo. de off. deleg. Dec. cons. 202.*

DEFINITIO XXIII.

De beneficij possessore vincente per non ius actoris.

SI de non iure actoris constet & agatur interdicto retinendæ possessionis, absolui reus debet, etiam si de iure suo non doceat,[1] Non quod in rebus ecclesiasticis sicut in prophanis[2] vitiosa possessio quicquam prodesse debeat, sed quia non sit quærendum de iure detentoris quandiu non constat de iure petitoris,[3] licet dici soleat in interdicto Vti possidetis, vtrumque ex litigatoribus & actoris & rei partes sustinere.[4] Titulum tamen aliquem & quidem coloratum subesse necesse est:[5] alioqui nullus vnquam sequestrationi beneficij locus esset, cui tamen plerumque locus est.[6] Neque vero in beneficialibus possessio vlla intelligi potest, si nullus omnino titulus præcedat:[7] quinimo & beneficium sine institutione saltem colorata possidet, mortaliter peccat. *Ita Senatus* 17. Calend. Decemb. 1590.

1 *Rot. decis. 2. de except. in antiqu. & 6. decis. 1. & 2. de re iudic.*

2 *l. vlt. D. de acqu. poss. l. vlt. C. de rei vind. l. 2. D. vti possid.*

3 *l. qui accusare 4. C. de edend.* 1. Paulus 12. *§. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

4 *l. 3. §. 1. D. vti possid.*

5 Ne scilicet vitiosus detur ingressus vt scripsi *Defin. 13. 5.*

6 Scilicet cum de neutrius litigatorum iure constat.

7 *Cap. 1.* vbi Dyn. *de reg. iur. in 6. cap. in literis.* vbi Pan. *Extr. de rest. spoliat. & in prag. sanct. tit de pacif. poss. §. ordinarij.*

8 *Cap. dudum 2. de elect. in §. can. nemo. & can. nullus 2. qu. 3.*

DEFINITIO XXIV.

De decimis & earum quota.

ETsi nomen ipsum *decimæ* præ se fert satis quanta esse debeat ea fructuum portio, quæ Deo Opt. Max. in signum & recognitionem vniuersalis dominij debetur,

BIU Cujas

betur, Si tamen non tam de iure decimæ, quam de quota ipsa dubitetur, cum facti non iuris quæstio sit, pendente lite quartam duntaxat decimæ, id est quadragesimam fructuum portionem præstari oportebit.[1] Eoque iure vtimur. Ideo fortasse quod generali fere vbique gentium consuetudine, quæ hac parte seruanda est & ius facit;[2] derogatum sit iuri communi quo decima debetur. Nam vt plurimum inualuit vt minor portio soluatur, ac plerumque vicesima. Itaque si decima, in fiduciæ speciem & vt loquuntur prouisionaliter solueretur, eueniret plerunque vt plenior esset prouisionalis, quam diffinitiua condemnatio.[3] Si tamen aliquatenus constet quanta portio solui solita sit, eam iudex sequetur,[4] nec tantum quod ad eos fructus attinet in quibus obtinuit, sed etiam in cæteris si aliud nihil obstet,[5] Præterquam si de ea quota non aliter quam per aduersarij confessionem appareat. Qui enim fatetur se pro decima vicesimam debere quorundam fructuum, trigesimam vero aliorum, non magis condemnari potest vt lite pendente omnium vicesimam præstet[6] quam illud admitti vt confessio scindatur, quod in ciuilibus causis nunquam admittitur.[7] *Ita Senatus* pro Decano de Villereuersure contra Vniuersitatem illam 16. Cal. Mart. 1590.

1 Sic à Senatu Parisiensi iudicatum fuisse refert Rebuff. *in præfat. tract. de sentent. prouis. num.* 30.

2 *Vulg. l. de quibus* 32. *& pass. D. de legib.* Sunt enim tolerabilia quæ vetus consuetudo comprobauit, *l. Imperatores* 13. *in fin. D. de pollicit.*

3 Quod absurdum foret, quia vix est vt vllo terrarum loco decima portio soluatur.

4 Siue prouisionalem siue diffinitiuam ferat sententiam. Hoc enim est quod aiunt Canonistæ, quotam decimæ posse præscribi, non ipsam decimam.

5 *Arg. l. non possunt* 12. *& seq. d. l. de quibus* 32. *in prin. de legib.*

6 Cum limitata confessio non nisi limitatum possit effectum producere, *vulg. l. in agris* 16. *De acqu. rer. dom.*

7 *Arg. l. cum quæritur* 16. *D. de admin. tut. l. nam absurdum* 7. *de bon. libert. l. si ita* 39. §. 1. *de oper. libert.* Aliud tamen est in criminalibus, vt alibi scripsimus ex Bart. *in l. Aurelius, §. idem quæsit, de liber. leg.* Ferrar. *in form. pet. cop. inst. vers. cum anno. num.* 6. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 55. *num.* 25.

DEFINITIO XXV.

De pecunia data pro ingressu monasterij.

QVod moribus receptum est, vt pro ingressu monasterij certa pecuniæ quantitas detur, licet simoniæ speciem habere plerisque visum sit, reuera tamen simonia non est,[1] cum & publice[2] & pro monasterij commodis augendis & ex inueterata consuetudine[3] dari soleat. *Itaque Senatus* noster censuit in causa Franciscanorum Camberiensium, & N. Quimier. 7. Id. Iul. 1591.

1 Guid. Pap. *qu.* 80.

2 Idem Guid. Pap. *ibi cum addit.* quam vide.

3 Quod enim palam fit, caret suspicione doli & criminis, *l. vlt. de rit. nupt.*

4 Sunt enim tolerabilia, quæ vetus consuetudo comprobauit, *l. Imperatores* 13. *in fin. D. de pollicit.*

DEFINITIO XXVI.

De collatione regularium beneficiorum & officiorum.

BEneficia secularia cum in plerisque differant à regularibus, tum in hoc maxime, quod secularia sui natura sunt perpetua, Regularia vero manualia omnia & consequenter ad nutum vt loquuntur amouibilia nisi quæ sunt aut curata aut electiua[1]. Item secularia pertinent ad collationem Episcopi, Regularia autem ad collationem superioris ordinis, sub cuius regula est beneficium.[2] Adeo vt nec ipse summus Pontifex eiusmodi officia, dignitates & administrationes claustrales religiosorum & regulariũ sic conferre aut confirmare possit, vt ne ad libitũ prælati Ecclesiæ mutari possint & reuocari.[3] Obseruandum tamen est, appellatione beneficij propriè non venire officia claustralia dignitate carentia, ob eámque causam non comprehendi in bulla de reseruatione mensium,[4] tametsi loquatur illa generaliter de beneficiis omnibus etiam regularibus; præsertim quod ea regula restringenda sit tanquam odiosa, cum deroget potestati ordinariorum collatorum, qui iure communi nituntur.[5] Itaque cum quidam Sacristiam monasterij impetraturus officium eam, non beneficium appellasset, Placuit vindicias pro aduersario dici, quasi ex impetrantis confessione locus regulæ nullus esset, qua cessante non dubitabatur, quin ordinarij collatio esse debuisset.[6] *Ita Senatus* pro Nicolao Gros contra Franciscum de Chauanes 16. Cal. Decemb. 1590.

1 Cassad. *decis.* 12. *num.* 9. post Ægid. *decis.* 203.

2 *Cap fin. Extr. de instit. Clem.* 1. *de supplend. neglig. prælat.*

3 Vide *cap. ad nostram. & cap. porrecta, de confirm. vtil. vel inutil.* Gloss. sing. *in dict. Clem.* 1. *de supplend. neglig. prælat. cap. cum ad monasterium §. tales. & gloss. in cap.* 2. *§. priores, in verb. non mutentur, de stat. monach.* [Vide glos. *in cap.* 1. *de consuet. in* 6. quæ dicit Sacristiam & Cantoriam esse officium. Transit tamen facilè in dignitatem si adnexam habeat aliquam præeminentiam ex traditis per glos. *in cap. quia nonnulli in verb. dignitates de cler. non resid.* & hoc casu personatus appellatur Rot. *decis.* 447. *in nouis.* Nam personatus à dignitate non differt in sui substantia *Abb. in cap. de multa num.* 21. *& seqq. de præb. in* 6. Vtrum tamen personatus sit an dignitas an nudum officium, pendet ex loci consuetudine Abb. *ibid. Ita Senatus* pro N. Georgio d'Auisse Cantore Ecclesiæ Archiepiscopalis S. Petri de Mostiers 3. Calend. Febr. 1613.

4 Sic neque ad beneficia electiua huiusmodi reseruationes pertinere tractat Boer. *quæst.* 12. *num.* 3.

5 Vide *gloss. in pragm. sanct. tit. de elect. cap. in verb. impediri, col.* 2. *cir. fin. & tit. de collat. §. non tamen, in verb. beneficio. Gloss. in cap. fin. vers. simil. de verb. sign. in* 6. Innoc. *in cap. cum dilecti. extr. de donat.*

6 Habet enim ordinarius intentionem fundatam pro omnibus beneficiis quæ sunt in eius diœcesi, si neque reseruatio neque aliud quicquam obstet, *can. omnes basilicæ* 16. *qu.* 7.

DEFINITIO XXVII.

De præbenda ratione beneficij aut officij debita.

DE officio claustrali, quod præbendam adnexam habet, dubitatio maior est an beneficium dici possit. Nam & præbenda quoque beneficij appellatione solet comprehendi.[1] Sed verius est præbendam, quæ debetur ratione officij, quod beneficij nomen non mereatur, multo minus beneficium dici posse,[2] cum detur potius in remunerationem mercedemque oneris officio iniuncti.[3] Nam & plerumque videas huiusmodi præbendas etiam laicis dari, qui tamen beneficiorum omnium sunt incapaces.[4] Diuersum erit si capellaniam adnexam habeat; quam vtique beneficium esse nemo dubitat.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Tot. tit. de præbend. & de concess. præbend.*

2 Ne accessorium dignius sit & potentius suo principali, *l. in rem* 23. *§. si quis & seqq. D. de rei vindic.*

3 Vt qui sentit onus, sentiat etiam commodum, *vulg. l. secundum naturam* 10. *de reg. iur.*

4 Differunt enim toto genere laici à clericis, *cap. at si clerici, & cap. si diligenti, de for. compet. cap. nouit. extr. de iudic.*

5 Nam & simplex Capellania & altare dicitur beneficium, si soleat conferri in titulum aut resignari, Glos. 1. *circ. fin. in clem.* 2. *de dec.* Dominic. *in c.* 1. *col. fin. de consuet. lib.* 6. Gomes. *in reg. de infirm. resign. quæst.* 23.

DEFINITIO XXVIII.

De eo, qui aduersarij possessionem tacuit, quam ignorauit.

QVod supra diximus[1] non valere impetrationem beneficij propter vitium obreptionis, si detentionis alienæ, licet non coloratæ mentio nulla facta sit,[2] non est perpetuum. Quid enim si is, qui à summo Ponti-

BIU Cujas

fice impetrauit, non potuerit verisimiliter, quantumuis diligenti præhabita inuestigatione, scire alienam illam possessionem? Finge agi de beneficio claustrali, de quo prælatus ipse in claustro prima prouiderit. Quid si missio in possessionem fuerit clandestina? [3] Vtique nemo dixerit imputandum quicquam ei esse, qui statim ac beneficium vacare intellexit summum Pontificem adiit tacito aduersario; quem tam cito suspicari & scire non potuit. [4] Itaque si aliud nihil obstet valebit impetratio. [5] *Ita Senatus* in eadem causa, & rursus in alia 17. Calen. Iunij 1591.

1 *Defin. 2. hoc tit.*

2 *Ex cap. cum nostris, de consuet. præb.* Ioan. Andr. & Butrig. *in cap. pen. per illum text. de præb.* Felin. *cap. in nostra de rescr.* Lap. *alleg.* 10.

3 Id est, si nulla denunciatio sit facta ei, à quo controuersiam timere potuit & debuit is qui missus est in possessionem, *l. 3. D. quod vi aut clam.*

4 Est enim probabilis ignorantia facti alieni, *l. vlt. D. pro suo.* præsertim si factum illud sit occultum, *l. 3. nec supina 6. D. de iur. & fact. ignor.*

5 Sufficit enim nihil dolo malo esse factum ab impetrante, *cap. super literis de rescript.*

DEFINITIO XXIX.

De eo, qui priorem suam impetrationem validam tacuit.

NOn modo autem si alienam impetrationem quis tacuerit aut propriam vitio aliquo affectam, vitiatur posterior impetratio, sed si prior ab eodem impetrata eiusmodi fuerit, vt teneret, [1] Cuius proinde expressio nocere non potuisset. [2] Fieri namque non potest, vt vnius beneficij plures collationes valeant, dum posterioris tempore necesse sit beneficium aut vacare aut non vacare. [3] Idque adeo verum est, vt si huiusmodi vitium ab aduersario per aduocati imperitiam obiectum non sit, ea obiectio per iudicem suppleri & possit & debeat. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa: & rursus in alia causa, de qua infr. Defin. 35.

1 Iacob. Menoch. *de arbit. Iud. tit. 2. cent. 3. cas. 202. num. 62. & seqq. ex cap. cæterum, vbi* Felin. *extr. de rescript.*

2 *Cap. dudum, de elect. cap ad audientiam, de rescript.* Rot. *dec. 32. eod. in nouis & decis. 5. nu. 2.*

3 Porro beneficij non vacantis impetratio semper nulla est, *cap. 1. & 2. de consuet. præb.*

4 Nempe quoniam hæc obiectio est iuris, ideoque suppleri potest per iudicem, *tot. tit. vt quæ des. aduoc. part. iud. suppl.* Rebuff. *in praxi benef.* plerisque locis.

DEFINITIO XXX.

Ex resignatione non immutari statum & qualitatem beneficij.

EX præcedentibus prouisionibus quotquot factæ sunt per resignationem, siue in manibus summi Pontificis, siue coram ordinario, constat non immutari statum & qualitatem beneficij, sed præcedentes alias ex alio vacationis modo factas inspiciendas esse, vt ex iis præsumatur titulus, naturaque beneficij probetur. [1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vide *cap. 1. de præscript. in 6. & cap. susceptum, cum ibi not. de rescript. eod. lib. 6.*

DEFINITIO XXXI.

De pacifico possessore.

IN beneficiis incompatibilibus cessat incompatibilitas quandiu alterutrum non possidetur pacifice & absque controuersia, [1] ne cogatur vtriusque fructu carere, qui vtrumque possidere dicitur. Controuersiam vero eam intelligere debemus, quæ facti sit magis quam iuris, id est, quæ faciat ne possessor dici possit in pacifica naturaliter beneficij possessione. [2] Itaque quamuis mota super solo possessorio controuersia non faciat beneficium litigiosum, [3] quia quæstio possessionis in beneficialibus causis sicut & in profanis, nihil commune habet cum quæstione proprietatis: [4] Tamen quod ad hanc rem attinet, pacificus possessor dici nequit, qui possessionis controuersiam patitur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. commissa cum gloss. in verb. pacifice, de elect. lib. 6. & c. licet episcopus, in illis verbis,* possessionem pacificam, *de præb. in 6.*

2 Nam & possessio ipsa, magis est facti quam iuris, *l. denique 19. D. ex quib. caus. maior. l. 1. §. si vir vxori, D. de acquir. possess. l. 1. §. Scæuola, D. si is qui testam. lib. esse iuss.*

3 Vt nec in rebus profanis, Auth. *litigiosa, C. de litigios.*

4 *l. naturaliter, 12. §. nihil commune. D. de acquir. poss.*

5 Quia nec possideri videtur, quod sine controuersia possideri non potest, *l. quamuis, 13. D. de reb. auct. iud. possid.*

DEFINITIO XXXII.

De beneficij reseruati collatione per ordinarium facta post mensem à die vacationis numerandum.

EST notissima & æquissima iuris Pontificij constitutio, qua inductum fuit, vt de iis beneficiis, quorum collatio sacrosanctę Sedi Apostolicę excepta est, debeat summus Pontifex infra mensem à die vacationis prouidere, cæterum post id tempus elapsum valeant collationes ab ordinariis factæ potestate ordinaria, ac si nulla iis vnquam reseruatio obstitisset. [1] Ne alioqui euenire necesse sit, vt & diutius beneficia iaceant, & ordinariorum fauorabilis auctoritas conuellatur. [2] Ergo curret mensis ille summo Pontifici etiam ignoranti. [3] Quis enim etiam post semestre impetraturo beneficium ab ordinario renunciare poterit an vacationem summus Pontifex adhuc sciuerit, nec ne? Aut cur tandiu in suspenso & incerto omnia relinquerentur? [4] Denique disertis rescripti verbis constitutum est, vt incipiat mensis currere à die vacationis [5] non scientiæ. [6] Eoque iure vtimur. *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 35. & 36. infr.

1 *Cap. statutum, de rescript. in 6.* [Intellige autem de reseruatione beneficiorum apud Sedem vacantium. Nam in cæteris nullum Papæ præfixum est tempus ad conferendum. Æn. De Falcon. 4 *qu. prin. effect.* 20. Gaspar. de Perusin. *tract. Reseru. qu. 5.*]

2 Quod vtrumque contrarium est publicæ vtilitati, *tot. tit. de consuet. præb. l. 1. de success. edict.*

3 *Gloss. in d. c. statutum, in verb. numerandum.*

4 *Arg. l. 1. D. de vsucap.*

5 Necesse enim est vt vacet antequam sciatur vacare: & ideo vix fieri potest vt idem vnquam sit dies vacationis & scientiæ.

DEFINITIO XXXIII.

De impetrante, qui tacuit, aliud iam à se obtentum beneficium.

VItium obreptionis, quod ex eo induci solet, si impetrans tacuerit, aliud iam à se obtentum beneficium quantulumcunq; & qualecunq; illud sit, id est, licet nec pacificum nec incompatibile, [1] ad Pontificias duntaxat literas pertinet, non etiam ad eas, quę ab ordinariis conceduntur: [2] Non quod facilior esse debeat ordinarius quam summus Pontifex ad beneficium ei concedendum, qui iam aliud habeat: [3] Sed quia non possit ordinarius conqueri obreptum sibi fuisse ab impetrante, cuius conditionem sicut & beneficiorum in sua diœcesi constitutorum, & à quibus & quo iure possideantur, scire ex officio debuit, [4] quod in summo Pontifice non similiter tractari potest. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. si motu proprio, de præb. in 6.*

2 *Clem. 2. de offic. ordin.* contra opinionem Decij, existimantis *d. c. si motu,* non minus habere locū in prouisione obtenta ab ordinario

BIU Cujas

dinario, quam in ea, quæ à summo Pontifice impetrata est.

3 Eadem enim ratio in vtroque impedit concessionem pluralitatis beneficiorum.

4 Cum ob eam causam debeat ordinarius beneficia omnia in sua diœcesi constituta vnoquoque triennio visitare.

5 Itaque vbi maius periculum subreptionis vel obreptionis erat, ibi maior cautio adhibenda fuit.

DEFINITIO XXXIV.

De nouissimo beneficij statu attendendo.

VErum est quod vulgo iactatur, In quæstionibus omnibus de beneficiis nouissimum statum attendi debere. [1] Nouissimum vero videri eum, qui ex vnico etiam actu, dummodo vltimo probetur. [2] Eoque passim iure vtimur. *Ita Senatus* noster 17. Cal. Decem. 1590.

1 *Cap. consultationib. extr. de iur. patron. cum similib.*

2 *Notat. in d. cap. consultationibus.*

DEFINITIO XXXV.

De beneficiis ex quacunque causa reseruatis post mensem ab ordinario conferendis.

QVamuis beneficia in mensibus summo Pontifici reseruatis vacantia vbicunque gentium perinde habeantur ac si in curia, & quod idem est, apud Sedem vacarent, vt non alius quam summus Pontifex ea conferre possit: [1] Si tamen is intra mensem non contulerit, est in potestate & arbitrio ordinarij vt ea conferat. [2] Et quidem non deuoluto iure, sed proprio & ordinario, quoniam ad eum spectat collatio beneficiorum omnium in sua diœcesi constitutorum quandocunque, & quomodocunque vacantium, [3] nisi quatenus Apostolicis reseruationibus prohibetur. Vnde fit, vt currat & cedat mensis ille summo Pontifici etiam ignoranti & à die vacationis non scientiæ, [4] quod iecus est cum in pœnam negligentiæ inferioris collatoris ius conferendi ad superiorem deuoluitur. [5] Etsi autem ius hoc in iis primum beneficiis inductum est, quæ in curia [6] & apud sedem [7] vacant, idem tamen ad ea quoque postea tractum est, quæ extra curiam, exceptis tamen & reseruatis mensibus, [8] vacauerunt. Eadem nimirum, quinimo maiore vrgente in his æquitatis ratione. [9] Nam quæ vacant apud sedem, ea summo Pontifici reseruata intelliguntur ex generali consuetudine, quæ iuris communis instar obtinet. [10] Quæ verò ex constitutione Apostolica de reseruatione mensium ex priuilegio, & contra ius commune, Vt proinde eorum reseruatio non abs re magis odiosa videri debeat, [11] ideóque quantum fieri potest, restringenda. [12] Vniuscuiusque enim res facilis est & fauorabilis reditus ad pristinam suam naturam. [13] Ergo si cui summus Pontifex beneficium contulerit post mensem & eo tempore, quo iam alij ordinarius contulerat, potior erit iure, qui prior tempore ab ordinario beneficium impetrauit, [14] Sicut ex contrario potior esset iure communi, qui à summo Pontifice tanquam ordinariorum ordinario prior impetrasset. *Ita in Senatu* pro Ioanne de Seruete contra Ludouicum de la Pallud 17. Cal. Iunij 1591.

1 *Cap. licet ecclesiarum*, quod est *cap. 3. de præb. in 6.*

2 *Cap. statutum, de rescript. in 6.*

3 *Cum omnes basilicæ 16. quæst. 7.*

4 Vt dixi *Defin. 30. n. ex gl. in d. c. statutum in ver. numerandum.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de deuolut. num. 15.*

5 Nullam enim pœnam meretur is qui ignorat, *l. qui in alterius, 42. de reg. iur. l. cum sex, 11. de ædil. edict.*

6 De his enim loquitur text. *in d. c. statutum.*

7 Siquidem sunt ista synonima secundum *gloss. in dict. cap. statutum.*

8 Quoniam alioqui vacarent apud ordinarium, *Def. 32. nu. 1. n.*

9 Vbi enim ratio eadem iuris & æquitatis locum obtinet, ibi & idem ius statuendum est, vulg. *l. illud 32. ad leg. Æqui. l. 3. §. 5. vnde etiam de iniust. rupt.*

10 *d. cap. licet Ecclesiarum.*

11 Vt sunt omnia, quæ abhorrent à iure communi, Not. *in c. 1. verb. de sign. in 6.*

12 Quomodo cætera omnia quæ sunt odiosa, *l. cum quidam, 9. de lib. & posthum.* sicut è contrario, quæ sunt fauorabilia sunt amplianda, *l. hoc modo, 64. in fin. de cond. & demonstr.*

13 *l. si vnus, 27. §. pactus ne plures, de pact.*

14 Quia nec Papa prouidere potest de beneficio amplius non vacante.

15 *Can. cuncta per mundum, 9. quæst. 3.*

DEFINITIO XXXVI.

De collatione beneficij reseruati facta per ordinarium intra mensem.

QVid vero si ante mensem elapsum ordinarius beneficium contulerit, ex posttacto autem appareat, non prouidisse summum Pontificem intra mensem? Nulla prorsus & irrita erit ordinarij collatio. Nam quod dici solet, actum qui nullus est, defectu potestatis confirmari superueniente quandocunque potestate, [1] ad hunc casum non pertinet in quo per Apostolicam reseruationem ordinarius ligatas, vt aiunt, manus habet, [2] atque ita ligatas, vt irritantis decreti potestate impediatur omnino collatio, ne aut tum valere possit, aut ex posttacto conualescere. [3] De illo certe quidam sine causa dubitant, An ordinarius post mensem conferens eam collationis suæ causam exprimere debeat, quod summus Pontifex intra mensem non contulerit. Sufficit enim vt elapso mense liberam nactus sit conferendi pro suo iure beneficij potestatem. [4] Quare nec expectare cogendus est vt sciat, an summus Pontifex intra mensem contulerit nec ne, Cum non eo magis collationis vires sint in pendenti. [5] Quid enim si is, qui intra mensem beneficium impetrauit à summo Pontifice, male fortassis impetrauerit ex qua alia causa? [6] Plane cæteris paribus vincet is, cui Pontifex intra mensem contulisse quandocunque probabitur. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Glos. *in c. non firmatur, de reg. iur. in 6.*

2 *Cap. licet ecclesiarum, de præb. in 6.*

3 *Arg. l. quod initio, 29. vbi not. de reg. iur. cap. quod ab initio, eod. tit. in 6.*

4 Cum mensis ille omnimodo currat summo Pontifici etiam ignoranti, vt diximus *Defin. præced. num. 4.*

5 *Arg. l. si quis ita, 33. D. de hæred. instit.*

6 Qui enim male impetrauit, pro eo habendus est ac si non impetrasset, *arg. l. quoties, 6. D. qui satisd. cog. l. 2. D. de autor. tut.*

7 Quia per totum illum mensem legatarius habet ligatas manus.

DEFINITIO XXXVII.

De priuilegio pia causa post creditores.

INter cætera pene innumera piæ causæ [1] priuilegia hoc vnum est, quod legatum ad pias causas æris alieni loco esse intelligitur, [2] hactenus nimirum vt cæteris legatariis pia causa præferatur, [3] exemplo libertatum, quæ nec aliam ob causam adeo fauorabiles sunt, quam quod adnexam habeant causam pietatis: [4] Creditoribus tamen hereditatis licet non nisi chirographariis pia causa postponetur, quia creditorum de damno vitando certantium potior semper ratio est, quam eorum qui lucrum captant. [5] Igitur si hereditariæ facultates exsoluendo ære alieno non sufficiant, legata ad pias causas relicta diminui oportebit, non quidem per legem Falcidiam, quæ in iis locum non habet, sed quia non potest videri plus legatum quam fuerit in legantis patrimonio. [6] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Bartolomæi Fosse & fratrum Fran-

BIU Cujas

ciscanorum Camberiensium 6. Cal. Iulij 1591.

1 De quibus vide amplissimum tractatum Andr. Tiraquell. quem inscripsit *De priuil. piæ causæ.*

2 *Ex l. sed si non seruus 36, l. æris alieni, 39. D. ad leg. Falcid.*

3 Nec enim legatorum ratio vnquam ponitur, nisi deducto prius ære alieno, *l. in quantitate, 73. §. vlt. l. in l. 8. eod. tit.*

4 Vnde est quod passim nostri comparant piam causam libertati, *ex c. vlt. de re iud. l. libertas, de reg. iur.* Bart. *in l. proxime de his quæ in testa. delen.* Bald. *in l. vnic circ. fin. per ill. text. vers. ad hanc pietatis rationem, De commun. seru. manum.* Soc. Sen. *ad l. 1. nu. 5. D. solut. matr.* Roman. *consil. 428. nu. 2.*

5 *L. quod autem 6. §. simili modo dicimus & l. vlt. §. 1. D. quæ in fraud. credit. l. non debet 41. §. 1. de reg. iur. l. vlt. C. de iur. delib.*

6 Bart. ad Auth. *Similiter, C. ad leg. Falcid.* Tiraq. *de priuileg. piæ caus. priu. 72.* Oldra. *cons. 111.* ex *l. 1. §. si is qui quadringenta. l. si post missionem, 17. vbi est text. elegans d. l. in quantitate, 73. D. ad leg. Falcid.*

DEFINITIO XXXVIII.

De priuilegio legati confessario relicti.

QVod à testante legatum est confessario, in piam causam legatum esse negari non potest.[1] De illo sane quidam dubitarunt, An in concursu creditorum præferendus sit pro legato confessarius: Quasi non minus fauorabile sit huiusmodi legatum, quam debitum pecuniæ in funus impensæ.[2] Quinimo tanto fauorabilius, quanto anima corpore preciosior est.[3] Sed contra pronunciatum est, ratione illa quod licet summæ pietatis sit, tamen liberalitatis est magis quam necessitatis, vt ei, cui peccata confessus sis, leges.[4] Itaque non debet ea res deteriorem facere conditionem creditorum, quibus alioquin eo prætextu facile fraus fieret.[5] Nec dubito ob sumptum funeris contracto recte legatum hoc comparabitur. Funus enim non nisi post debitoris mortem curatur, & vel humandi corporis gratia, vel saltem vt mortui corporis gratia quid fiat, puta vt perferatur:[6] Quam in rem ipsos quoque creditores contribuere æquum est, si aliunde facultates non suppetant, ne alioquin nimis inhumane agere & humanę conditionis immemores esse videantur:[7] At quod in confessarij remunerationem præstatur, vitæ tribui debet non morti, licet post mortem ac legati iure præstetur. Debiti namque causa inspicienda est, non tempus solutionis.[8] Sane inter eos omnes, quibus ad pias causas legatum fuerit, æquum est præferri eum, qui ob id legatum meruit, quod animæ periclitanti opem tulit;[9] eum inter legatarios vt & inter chirographarios creditores priuilegia non ex tempore æstimanda sint, sed ex causa.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum sit legatum in honorem Dei & satisfactionem aliquam pro peccatis.

2 Cuius causa potior esse solet, non tantum in præiudicium legitimæ, sed etiam creditorum, *l. Papinianus, 8. §. quæria autem, vbi not. D. de inoff. test. l. quæsitum 17. in princ. de reb. auct. iud. poss. alias l. 2. de priuileg. credit.*

3 Nam funeris impensa ad corpus pertinet, hoc vero legatum ad animam.

4 Similis ratio est *in l. cum plures, 13. §. pen. in fin. D. de admin. & peric. tutor.*

5 Species enim non modo lucri, sed etiam furti est ex alieno largiri, & sibi acquirere beneficij debitorem, *l. si pignore, 54. §. 1. D. de fur.*

6 *L. cui si quis, 14. §. impensa 4. & pass. D. de relig. & sump. fun.*

7 *d. l. l. quæsitum, 17. de reb. auct. iud. possid.* iuncta *l. quidam, 27. D. de condic. instit.*

8 *L. si procuratorem 8. D. mand. l. si tantum, 12. D. de SC. Maced. l. 1. D. qui potior. in pign. habeant.*

9 Quod contemplatione salutis certo pecuniæ modo æstimari nullo modo potest, *l. pemul. in fin.* iunct. *l. Aquilius, 27. D. de donat.* [Impensa tamen infirmitatis ex qua quis decesserit habet idem priuilegium quod impensa funeris ante omnes creditores expressam quoque hypothecam habentes vt dicemus *Defin. 15. num. vlt.*] *de iur. delib.*]

10 *L. priuilegia 32. D. de reb. auctor. iud. possid.*

DEFINITIO XXXIX.

De legatis piis relictis in testamento postea reuocato.

PIæ causæ priuilegium quoque illud est, vt si quid relictum sit in vltima voluntate solemni, quæ reuocata sit per subsequens testamentum non solemne, in quo scripti sint agnati proximiores ab intestato successuri,[1] non tamen reuocatum censeatur, quod piæ causæ legatum fuerat.[2] Sed si posterius testamentum solemne sit, non idem obseruabitur. Reuocantur enim illo casu omnia, quæcunque priore testamento relicta sunt, licet ad pias causas.[3] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Bartholomæi Fosse 6. Cal. Iulij 1591.

1 Quo tamen casu prius testamentum per posterius reuocatum intelligitur, *l. 2. D. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam. l. hac consultissima §. vlt. C. de testam.*

2 Andr. Tiraq. *de priuileg. piæ caus. priuil. 12.*

3 Nempe, quia eo casu prius testamentum rumpitur per posterius ipso iure, nō ex priuilegio, *§. posteriore, Instit. quib. mo. testam. infir. l. si quis priore, 29. D. ad SC. Trebell.* Sunt tamen, qui excipiant legata relicta pro restitutione male ablatorum, si modo relicta sint certis nominatim personis, non si in genere, iuxta distinctionem Gullielmi Bened. *in repet. cap. Raynutius, in ver. testamentum, 2. num.* [Est & aliud priuilegium piæ causæ, vt possit occupare legatum propria authoritate. Nam & olim id obtinebat in quolibet legatario per vindicationem, licet fuerit à Iustiniano immutatum, vt scripsi ad *Defin. 1.] quor. legat. Ita Senatus* pro pauperibus Hospitalis de Machy Chamberiensis 3. August. 1612. Item vt legatum piæ causæ relictum si deletum sit, non eo minùs debeatur quasi inconsulto deletum, quod in cęteris legatis deletis diuersum est, *l. proxime 3. D. de his quæ in test. del.* Sanè si consulto deletum esse constaret, vtique non deberetur Tiraquel. *de priu. piæ caus. pri. 16.* Ita tractatum & decisum est in Senatu in causa Franciscanorum de Cluses & Charbonieres mense Ianuar. 1613. de qua tamen litigatores ante pronunciatum Senatusconsultum transegerunt.]

DEFINITIO XL.

De filiofamilias testante in fauorem piæ causæ.

QVidam tractabant in eo etiam priuilegium elucere piæ causæ, quod si filiusfamil. patre consentiente & auctoritatem præstante testatus aliquid legauerit in piam causam, legatum debetur non legati iure, sed donationis causa mortis,[2] licet nihil valeat ex cæteris quæ testamento continentur.[3] Plane si filius familias sine consensu patris testatus sit, ne illa quidem vllo iure valebunt, quæ in piam causam relicta fuerunt.[4] *Sic* in eadem causa. [Obserua tamen filiumfamilias qui sit clericus habere priuilegium vt possit testari de bonis quibuscumque ad se pertinentibus, vndecumque illa dum ne à patre ipso prouenerint, sed ita demum si filiofamilias iam clerico facto obuenerint non si antea. Ex Auth. *presbyteros C. de Episcop. & cleric.* ibi *ad dominium eorum venientes:* vbi tamen additur *sic tamen vt horum filij aut his non extantibus parentes eorum legitimā ferant.* Itaque siue bona obuenerint ante clericatum, siue pater præteritus sit, non valebit testamentum. *Ita Senatus* in causa Antonij Bouuard, & N. Amblardet 4. Cal. Decembr. 1609. vide Ioann. Dilect. *de art. test.*]

1 Nec enim potest filiusfamilias quicquam legare etiam patre consentiente, cum ij demum legare possint qui & testari possunt.

2 Quia potest filiusfamilias mortis causa donare si pater consentiat, *l. tam is, 25. §. filiusfamilias, D. de mort. caus. donat.* Et in relictis ad pias causas semper subintelligitur clausula, *omni meliori modo,* arg. *l. in testamento, 38. D. de fideic. libert.*

3 *L. qui in potestate, 9. D. qui testam. fac. poss.* iunct. *l. si nemo 9. D. de testam. tutel.*

4 Nempe, quia ne quidem iure donationis causa mortis defendi hoc casu possunt. [Adeoque nec si patris præsentia & authoritas interuenerit & adsit præterea clausula codicillaris

quæ

quæ voluntatem valere iubeat iure cuiusque vltimæ voluntatis, quia mentionem expressam fieri necesse est donationis causa mortis, quòd ea in multis sapiat naturam contractus. Bald. & cæteri ad *l. senium num. 4. C. qui testam. facer. poss.*

DEFINITIO XLI.

De Ecclesia restituenda aduersus additionem hereditatis damnosæ.

SI rector Hospitalis heredis instituti damnosam hereditatem adierit, ad eam omittendam in integrum restitui potest probata læsione. Nam exemplo minoris [1] facile ea restitutio datur Ecclesiæ, cujus pars quædam Hospitale est. [2] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua Defin. 1. infr. de his quæ sub modo.

1 De quo *in tit. C. si vt min. se ab hered. abstin.*
2 Roman. *cons.* 407. *nu.* 2. post Ioan. Andr. *in cap. 2. ext. de restit. in integ. in 6.* Alex. *consil. 9. lib. 2. in prin.*

DEFINITIO XLII.

De eo, cui sub conditione liberorum legatum relictum aut fideicommissum iniunctum est monasterium ingresso.

VVlgo iactatur monasterium esse loco filij, [1] indéque fieri, vt si monachus factus sit is, cui aliquid relictum fuerat sub ea condicione, si liberos susciperet, non eo minus relictum consequatur, quod liberos exinde suscipere nunquam possit. [2] Item vt si fideicommissum ab aliquo relictum sit sub ea conditione, si liberos nullos susceperit, perinde excludatur fideicommissarius grauato monasterium ingresso atque si is liberos suscepisset. [3] Mihi vero ea sententia semper absurda visa est, & iis ipsis Iustiniani constitutionibus [4] contraria, quib. nostri mouentur. Nam priore casu quem retulimus, non habetur conditio pro impleta, sicut nec posteriore pro defecta, sed vtroque pro irrita & non scripta, quod à Iustiniano constitui nil fuerat necesse, si vel fictione ipsa iuris fieri posset vt monasterium filij loco haberetur. [5] Quam ob causam nec aliud iuris Iustinianus induxit, si is, qui sub conditione liberorum vocatus aut oneratus est, non monachus effectus sit, sed sacerdos tantum: quo tamen casu nihil est, quod possis dicere loco filij esse, præterquàm ipsum fortasse sacerdotium. [6] Nimirum vtroque casu spes liberorum æque amittitur, sed idem fauor religionis efficit, vt eiusmodi conditio pro irrita aut non scripta habenda sit: [7] Non vt testatoris voluntas euertatur, cuius causam semper saluam & præcipuam esse oportet, [8] sed quia de pietate testatoris pie suspicandum sit, credendumq; non fuisse illum eam conditionem adscripturum, si de eo casu cogitasset, quo vel honoratus vel oneratus sacerdotalis aut monasticę vitæ dignitatem elegisset. Indéque est, quod nostri fatentur; Quoties testator cogitauit de monasterio excludendo, non esse permittendum vt contra ipsius mentem monasterium bona vlla vel acquirat vel retineat. [10] Idque vnum sane mihi in omnib. huiusmodi quęstionibus inspiciendum videbatur, non illud etiam, de quo nostri interpretes tam anxie laborant; Vtrum testator vsus sit verbis naturalitatem, vt vocant, exprimentibus, & quę omnem fictionem & interpretationem iuris respuant, an iis, ad quæ iuris interpretatio accommodari possit? [11] Quasi vero Iustiniani constitutiones interpretationem iuris inducant, ac non potius piam verisimilitudinem voluntatis, quæ nunquam cessat, quibuscunque tandem verbis testator vsus sit, nisi cum de monasterio eóque excludendo cogitauit. [12] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 25. & 26. De fideic.

1 Sic enim nostri *ad Auth. nisi rogati, per ill. tex. C. ad SC. Trebel.*
2 *L. sancimus*, 53. §. *item illud statuimus*, C. *de episc. & cleric.*
3 *Nouell.* 123. *de sanctiss. episc. c.* 37. *incip. si quis sub conditione, alias* §. *sed & hoc præsenti*, vnde sumpta est *d. Auth. nisi rogati*, vbi DD. præsertim Paul. Castr. quem vide *C. ad SC. Trebell. cap. in præsentia*, vbi Gl. & Dec. *de probat.* [Adde tertium, vt si is qui rogatus est hereditatem restituere sub conditione, Si decesserit sine liberis naturalibus & legitimis ex proprio corpore procreatis, religionem & monachismum professus sit, exinde videatur extitisse conditio fideicommissi, adeo vt non sit expectanda naturalis mors heredis rogati. Sic enim Boer. *qu.* 354. *nu.* 11. Quòd si rogatus non monachus sed sacerdos tantùm factus sit, non quidem videbitur hoc ipso extitisse conditio fideicommissi, sed tamen id sufficiet vt possit fideicommissarius spem fideicommissi interea moriens ad heredes transmittere. Si credimus eidem Boerio *dict. decis.* 354 *nu.* 12. *& vlt. col. pen. vers. & super ista quæstione.* Quod tamen nec ipsi toti curiæ placuisse testatur ille *ibid. & in fine Decisionis.* Et sane ratio iuris repugnat. Nam in conditione illa, Si sine liberis decesserit, duo sunt casus, mortis, & deficientium liberorum. Ac quamuis posterior casus contingat per professionem religionis aut susceptionem sacerdotij, Prior tamen potest adhuc deficere præmoriente interim fideicommissario ex *l. Statius Florus* 48. *§. vlt. de iur. fisc. l. cum pater* 77. *§. hereditatem de leg. 2. l. heres meus* 79. §. 1. *de cond. & demonstr.* Et secundum hanc opinionem tanquam veriorem Senatus noster ni fallor iudicaret ac iam sæpius ita iudicasse audio. Contra tamen concludit Mantic. ex communi aliorum quos refert opinione *lib. 11. De Coniect. vlt. vol. tit. 7. num. 8.* Soc. *cons. 92. per tot.* An. Robert. *lib. 4. Rer. iudic. cap. 16.* Scilicet cùm grauatus heres factus est monachus aut seruus pœnæ. Nam si simpliciter factus sit presbyter aliud concludit Mantic. *dict. tit. 7. num. 13.* Rursus quod supradicti DD. tractant de excludendo substituto per monasterium, intellige de eo casu quo monasterium sit capax succedendi aut in communi aut in particulari, vt constat ex locis allegatis, vbi vide alias limitationes præsertim apud Manticam.
4 Quæ extant *in d. l. sancimus, & d. nouel.* 123.
5 Dici enim solet, nihil referre an quid fiat per æquipollens, *vulg. iurib.*
6 Quod esset adhuc absurdius, quia sacerdotium non ex personis constat sicut monasterium.
7 Summa enim ratio est quæ pro religione facit, *l. sunt personæ*, 43. *de relig. & sumpt. fun.*
8 Nam & publice inter est supremas defunctorum voluntates exitum habere, *l. 1. C. hoc tit. l. vel negare*, 6. *D. testament. quemadm. aper.*
9 Esset enim illo casu ista conditio contra bonos mores, quæ scilicet eum, cui adscripta esset, reuocaret ab electione vitæ contemplatiuæ. Dec. *cons.* 259. post Alex. *cons.* 121. *vol.* 2. Cravet. *cons.* 152. Boer. *q.* 354.
10 Alex. *d. cons.* 121. & alij supra citati. Adde Osasch. Cacher. *decis. Pedem.* 126.
11 Sic namque distinguit Alexand. *d. cons.* 121. quem alij sequuntur.
12 Quasi plus dictum minus scriptum videatur, *vt in l. cum auus*, 102. *de condic. demon. l. tale pactum*, 40. *§. vlt. D. de pact.*
13 Nunquam enim credendus est testator quicquam disposuisse in eum casum, de quo non cogitauit, *l. commodissime*, 10. *de liber. & posthu.* E contrario intelligitur id omne disposuisse quod verisimiliter disposuisset, si de eo fuisset interrogatus, *d. l. tale pactum*, §. *vltim. l. Titius* 25. §. 1. *& ibi not. D. de liber. & posthum.*

DEFINITIO XLIII.

De substituto dato ei, qui monasterium ingressus est.

ILla distinctio probabilior videri possit, quę quibusdam placuit, an is, qui monasterium ingressus est, substitutum habuerit extraneum, an aliquem ex descendentibus à testatore; vt priore duntaxat casu, non etiam posteriore monasterium admittatur. [1] Liberorum enim potiorem quam monasterij causam esse conuenit: [2] Nec paternæ aut auitæ pietatis ratio patitur, vt credamus testatorem si sciuisset futurum, vt is, quem sub conditione liberorum honorabat vel onerabat, monasterium ingrederetur, eo minus filium aut nepotem ei substitutum fuisse. [3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Osasch. Cacher. *decis. Pedem.* 126. *nu.* 17. *& fin.*
2 Cum nemo credatur alienam sobolem propriæ velle an-

BIU Cujas

teponere, *vulg.l.cum acutissimi, 50.C.de fideic. Not. in l.cum auus, 102.de cond.& demonst.*

3 Est enim semper maxima & fortissima coniectura voluntatis pro substituto cum substitutus est ex liberis. Glos. magna communiter à Doctoribus adprobata *in l.precibus, C. de impub. & aliis substit.*

DEFINITIO XLIV.

De monachis ab omni successione excludendis.

QVod edicto Diui Emanuelis Philiberti optimi Principis nostri de Monachis ab omni successione excludendis fauorabiliter constitutum est, vt saluæ iis sint successiones testamentariæ, dubitatum est, an ad præteritas tantum dispositiones pertineat, an etiam ad futuras? Neque enim verba edicti satis aperta sunt.[1] Digna autem res visa est, de qua Princeps consuleretur, ne qua dubitandi causa in posterum superesset.[2] Cum vero quæreretur in quam partem edictum fieri oporteret, Senatus noster magis probabat vt non minus ex testamento quam ab intestato succedere monachi prohiberentur.[3] Eadem enim vtroque casu publicæ vtilitatis ratio vrget,[4] nimirum ne subditorum, præsertim nobilium bona ad monasterium deuoluta in id redigantur, vt nullum Principi cõmodum præstare possint.[5] Neve familiarum dignitas, quæ ex patrimonij quoque amplitudine æstimatur, & quæ Principi præcipuæ curæ esse debet, ea ratione diminuatur.[6] Idq; consequens videri poterat ei, quod illo ipso edicto districtè prohibitũ est, ne qui monasterium ingreditur, plus quam tertiam bonorum suorum partem, & quidem mobilium,[7] monasterio donare possit. Nam si non putauit Princeps permittendũ ingredienti monasterium vt bona sua omnia det monasterio, ne in vltima quidem voluntate (vltima enim voluntas illa est, quam ingressurus monasterium in ipso ingressu explicat[8]) multo minus aliis permitti debet vt siue inter viuos siue in vltima voluntate dantes monacho dent monasterio.[9] Eadem namque imo maior ratio hoc casu subest.[10] Nec mouere debet, quod ita futurum sit, vt impediantur multorum erga monasteria liberalitates.[11] Nam præter id, quod in amplissimo vsufructu ad certum vsque tempus potest liberalitas non parua consistere,[12] nihil prohibet quo minus monasteria alioquin acquisitionis capacia, fiant ex edicto Principis incapacia, quod ad bona pertinet, quæ in Principis territorio posita sunt, & quibus pro arbitrio potest Princeps legem dicere,[13] cum & pleraque alia monasteria omnis omnino acquisitionis incapacia sint ex præscripto suæ institutionis.[14] Nam & eadem fere ratione fit, vt bonorum feudalium aut emphyteuticariorum acquisitio etiam ex contractu non solum monasteriis, sed etiam collegiis omnib. interdicta sit, ni sue incapacitatis pœnam luant, quam nos *amortisationem* appellamus.[15] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Talia enim sunt edicti verba, *sans preiudice toutesfois des dispositions testamentaires, & des contracts des predecesseurs desdits religieux, ou autres desquels ils auroyent droit.*

2 Solius enim Principis erat hæc interpretatio *l.1. & vlt. C.de legib.*

3 Etsi fauorabilior plerunque est successio testamentaria quam legitima, vt in *l.humanitatis & l.vlt.C.de natur.liber.*

4 Ergo idem ius statuendum est *vulg.l.illud 32.ad leg. Aquil. l.3.§.vnde etiam de iniust.vupt.*

5 Omnia enim sunt incompatibilia monacho, etiam beneficia cùm teneatur residere in monasterio, nec habeat vllum velle vel nolle *can.non dicatis 12.quæst 1.*

6 *l.1.§. Sed etsi seruus D.de inspic.ventr.*

7 Quorum scilicet facilior & tolerabilior est iactura *l.si vem mobilem 47.D.de acq.poss.l.lex quæ, 22.C.de admin.tutor.*

8 Cum exinde monachus testamentum facere non possit *Auth ingressi. C.hoc tit.* tanquam qui nec velle habeat nec nolle *d.can. non dicatis 12.quæst.1.* adeóque nec bona de quibus possit testari *l.lex Cornelia 28.vers.quia per eum non efficitur de vul. & pupill. substit.*

9 Cum quicquid monacho datur, acquiratur monasterio tanquam domino per seruum *d. Auth.ingressi.*

10 Ne quod directo fieri prohibetur, fiat per indirectum, contra *l.scire oportet 21 §.1.de test.tutel.*

11 Quæ potius videntur reuocandæ fauore religionis *l.sunt personæ 43.de relig.& sumpt.funer.*

12 Vsusfructus enim licet in iure consistat, portionis tamen instar habet, ac emolomentum rei continet *l.Mœnius 69. §. fundo, l.cùm filius 76. §.dominus de leg.2.* [Obserua autem vsumfructum alicui relictum non finiri per ingressum monasterij nisi monasterium sit ex mendicantibus. Quanquam nec desunt qui putent etiam hoc casu vsumfructum durare iure alimentorum. Gulliel. Benedictus *in verbo mortuo itaque testatore in princip. num.298.* Didac. *ad cap.2.num.4.de testam.* Guid. Papæ *quæst.477. num.4.& 595.* Papon. *lib.4. tit.2. de usufr.num.5.* poit glosam *in authent. idem est in verbo ex lege versic. sed quid si pater monachatur, C.de bon. quæ liber.* Bartol. *ad Authem. Ingressi, C.hoc tit.col.vlt.*]

13 Loquimur enim de eo Principe qui plenissimam in suo territorio habeat potestatem & absolutum imperium, & per consequens legis condendæ auctoritatem, quomodo habent in Sabaudia sereniſſimi Sabaudiæ Duces.

14 Cuiusmodi maximè sunt monasteria Franciscanorum *cap.exiui de paradiso, de verb.signif.*

15 De qua dicemus in *tit.de iur. emphyt.* Ioan. Papon. *lib.1. syntagm. Arest.tit.14.*

DEFINITIO XLV.

De parochiano plura domicilia habente vbi primitias debeat.

CVm quidam domicilium originis & bona sua omnia habens in parochia Titiana, vxorem duxisset in Semproniana, propriisque bonis omnibus locatis ad vxoris parochiam diuertisset, ac ibi iam per integrum biennium moratus esset, & cum parochianis cæteris interfuisse diuinis probaretur, nec eo minus tamen sacrosancta ecclesiæ sacramenta in Titiana percepisset: Eleganter ac magnis contentionib. apud nos certatum est de primitiarum iure, vtrum Titio an Sempronio, an vtrique potius persolui deberent. Consilium enim Gebennense vtriq; persoluendas esse pronunciauerat pro æquis portionibus. A qua sententia tam Sempronius quam is, qui primitiarum nomine conueniebatur, appellauerat. Ille, quod sibi integras deberi diceret: hic vero, quod mallet integras soluere Titio priori parocho. Vrgebat pro Sempronio, quòd probabatur esse in possessione percipiendi quid annuum primitiarum iure ab iis omnibus, qui in ea parochia habitarent.[1] In quorum numero esse hunc, qui conueniebatur, ex eo apparebat, quod per integrum, vt dixi, plus quam biennium larem & focum ibi cum vxore & familia habuisset.[2] Nemo enim dubitat, quin ex tam longa nec fortuita habitatione (nam qui fortuito casu alicubi est, ibi nec esse videtur[3]) domicilium contractum esset, præsertim locatis bonis omnibus, quæ in parochia Titiana possidebat.[4] Sed & illud certum erat, eum, qui in vxoris suæ patria domicilium defixit, vltro se incolatus iure eiusdem loci munerib. obligare.[5] Nec mouere poterat quod reus dicebat, eo se semper fuisse animo vt prius domicilium retineret. Nam quod dici solet, existimatione animi esse accipiendum vbi quis domicilium habeat, indeque fieri vt plurib. locis eodem tempore domicilium quis habere possit, tum demum vere dicitur, cum quis diuersis locis instructus est æqualiter, nec fere frequentius hic quam illic cõmoratur.[6] Alioqui absurdum sane fuerit, si quis dicat, animo se domicilium retinere in eo loco, in quo nunquam moratur, neget autem velle se ibi habere vbi assiduam moram trahit.[7] Neque rursus prodesse conuento debuerat, quod in Titiana parochia percipere sacramenta non destitisset. Non tam enim vbi perciperet quam vbi percipere deberet inspiciendum erat.[8] Ibi autem percipere eum debere constabat vbi habebat

BIU Cujas

bat domicilium. [9] Adeo vt si duplex sibi domicilium constitueret, de vtriusque parochi consensu & peccata confiteri, & sacramenta cætera percipere deberet. [10] Præsertim, cum si ex subitaneo morbo periclitaretur, is demum parochus ei sacramenta administrare cogendus esset, in cuius parochia ille habitaret, non ille, cuius antea parochianus fuisset. [11] Atqui primitiæ propter sacrorum administrationem debentur. [12] Non igitur ei à quo percipierentur vltro sacramenta, sed ei potissimum, qui vel inuitus administrare teneatur. [13] At contra pro reo faciebat, quòd animo vetus domicilium retinuisset, quod vtique facere potuerat etiam nouo [14] quæsito. Nec vero videtur quis domicilium nouum contrahere ex eo solo, quòd colendi fundi causa in eo diuersetur, si in alio loco negotia sua gerat diesque festos celebret; [15] Atqui constabat hunc, de quo quærebatur, non nisi fundi vxorij colendi & restaurandi gratia in vxoris domum migrasse, sacramenta vero in vetere parochia solitis diebus festis percipere consueuisse. Non ergo videbatur domicilium mutasse saltem quod ad sacramenta pertineret. [16] Proinde nec à primitiarum soluendarum onere liberatus dici poterat. [17] Neque tam de illo quærendum erat, vter ex parochis sacramenta ministrare cogeretur, quàm à quo percipere is soleret & iure posset. [18] Illud verò minus obstabat, quod probauerat Sempronius esse se in quasi possessione primitiarum exigendarum à parochianis quibuscunque. Erat enim illa quoque adiectio probanda, quæ probata non fuerat, *Etiam ab iis qui in alia parochia sacramenta perciperent*. Quæ sanè consuetudo iuri repugnaret, ac tametsi probata vtique seruanda non esset. [20] Putabant plerique condemnandum reum vt nouo parocho primitias solueret, quandiu in eius parochia moram degeret, nec eo minus tamen veteri parocho adstrictus maneret, quandoquidem se vetus domicilium animo retinere duxisset. [21] Alij contra primitias inter parochos ex æquis partibus diuidendas. [22] Vicit tamen tertia sententia, vt ei parocho soli soluendæ essent primitiæ, à quo sacramenta administrarentur: licet extra eam sacramentorum causam domicilium alibi constitutum esset. [23] Sed hoc ita si in eadem parochia, in qua quis sacramenta perciperet, diuina quoque audire proponeretur. Nam & hoc maxime spectandum est, cum de primitiis, aut quod fere idem est, de personalibus decimis quæritur. [24] Itaque cum in proposita facti specie reus in Titiana parochia sacramenta percipere, in Sempronia vero diuinis interesse solitus probaretur, visum est, vtrique parocho in viriles condemnari eum debere, [25] sed cum hoc tamen temperamento; Quandiu in noua parochia diuinis adesse perseueraret. [26] Primitias enim apud nos personales esse placuit, non reales aut mixtas. Etsi namque initio inspecto traxerunt causam à fructibus, [27] indéque etiamnum fit, vt qui bona nulla possidet primitias nullas debeat: [28] Tamen non qui plures fundos amplius ve patrimonium habet, maioribus idcirco primitiis præstandis obstrictus est: [29] quod vtique consequens esset, si onus huiusmodi aut rebus ipsis, aut personis pro rebus impositum censeretur. [30] *Ita Senatus* in causa Ioannis Bargin Michaelis de Bonnemaison curionis parochiæ de Comblouz. 5. Non. August. 1592.

1 Fere enim generale est imo perpetuum, quoties possessorio agitur non petitorio, vt in ea possessione retineri quis debeat, in qua litis cœptæ tempore reperitur, *l.1. & tot. tit. D. vti possid. l. moueor, 4. C. si seruus expor. ven.*

2 *Arg. l. ciues, 7. C. de incol.*

3 *L. si ita legatum, 86.* iunct. *l. si fundus, 44. l. si chorus, 79. §. 1. de leg. 3.*

4 *L. adsumptio, 6. §. viris prudentibus, D. ad municip. & de incol. ibi, si vtrobique ita se instruxit à contr. sens. l. pupillus, 239. §. incola de verb. sign.*

5 *L. si in patria 5 C. de incol. lib. 10. tit. 39.*

6 *d. §. viris prudentibus, & l. eius, qui manumisit, 27. §. Celsus, eod. tit. ad municip.*

7 *d. l. ciues, 7. C de incol.* Non enim minus facto quam verbo animus & voluntas declaratur, *vulg. l. non tantum, 5. rat. rem haber.*

8 Sicut non tam quid Romæ fiat, quam quid fieri debeat, *l. sed licet, 12. D. de offic. præsid.*

9 *Cap. fin. & tot. tit. extr. de paroch.*

10 Angel. *in summa, in verb. confessio, 3. n. 12. arg. c. ex parte, extr. de for. compet.*

11 Præsens enim status attenditur non præteritus, maxime cum agitur de sacramentis morienti administrandis.

12 *d. c. fin. extr. de paroch. c. ad Apostolica, extr. de decim. can. in sacris, 16. quæst. 1.*

13 Vt apud eum sit honor & commodum apud quem est onus, *vulg. l. secundum naturam, 10. de reg. iur.*

14 *d. l. adsumptio. 6. §. viris prudentibus, d. l. eius qui manumisit, 27. §. Celsus, C. ad municip.*

15 *d. l. eius qui, §. si quis negotia.*

16 Angel. vbi supr. *in d. verb. confessio 3. nu. 11.* Host. in summa *lib. 5. tit. de penit. §. cui rustici.*

17 Quæ scilicet ob eam maxime causam administrationis sacramentorum debentur, *d. cap. fin. de paroch. d. can. in sacris 16. quæst. 1.*

18 *dict. cap. ad apostolicæ, vbi videtur text. express. Extr. de decim.*

19 Consuetudines enim omnes cum sint stricti iuris probandæ sunt in individuo, maximè si à iure communi abhorreant, *l. quod non ratione 39. D. de legib.*

20 *Arg. l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

21 *Arg. l. 1. C. de municip & origin. lib. 10. tit. 38.*

22 Iuxta gloss. sing. *in dict. cap. ad apostolicæ, in verb. personales in fin.* vbi apostill. Extr. *de decim.* Stephan. Bertr. *consil. 252. volum. 3.*

23 Per textum ad quem responderi non potest *in dict. cap. ad apostolicæ.*

24 *Can. quæst. 16. quæst. 1.*

25 Diuerso tamen respectu, scilicet vni propter sacramentorum, alij vero propter diuini verbi administrationem.

26 Cessante namque causa, effectum quoque cessare oportebat, *vulg. cap. cum cessante Extr. de appellat.*

27 Vnde & fructuum primitiæ appellantur.

28 Quia nec vllos fructus habet quorum primitias præstare possit.

29 Sed certum quid annuum & vniforme debent omnes qui primitias debent.

30 Tunc enim deberentur pro rata fructuum vt decimæ.

DEFINITIO XLVI.

De beneficiaria pensione ad vitam aut in perpetuum constituenda.

QVod dicimus ex natura beneficiariæ pensionis esse vt non nisi ad vitam debeatur, nec beneficium afficiat in perpetuum, [1] ad eam pensionem pertinet quæ personæ debetur, [2] non etiam ad illam qua vnum beneficium erga alterum obstrictum sit, quæ annua præstatio potius dicenda est, quam aut pensio aut beneficium, cui nihil aliud sit quam perpetuus quidam reditus & fructus eius beneficij cui debetur, onus vero beneficij quod debet. [3] Quare nec hac parte locum habet quod vulgo iactatur, Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri & possideri debere. [4] Qualiter enim se habent, id est, cum suis & oneribus & honoribus conferuntur ac possidentur. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 5. infr. Vti possid.

1 Hier. Gigas in *tract. de pensione.*

2 Potest enim Papa conferre vni beneficium & alteri assignare pensionem, Felin. *in cap. ad audientiam 2. de rescript.* Boer. *quæst. 2. numer. 43. & 45.* vbi adducit solum Papam posse hoc facere.

3 Sicut euenit in seruitutibus quas reales appellamus, quæ

BIU Cujas

quoniam non personis debentur vt personales sed rebus, sunt perpetuæ, nec finiuntur cum persona, *l.4.de seruit.* iunct. *l. Mela ait*, 14. *de alim. vel cibar. legat. in fin.*

4 *Cap. I. & toto tit. vt eccles. benefic. sine dimin. confer.*

5 Nunquam enim potest alienatio aut acquisitio vlla fieri, nisi cum sua causa, & cum suo onere *l. alienatio* 67. *D. de contrahend. empt. l. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. administ.*

DEFINITIO XLVII.

Beneficiarium etiam agentem non semper cogendum de titulo suo docere.

BEneficij possessor si ab alio quid petat, quod ad beneficij causam fructúsque spectet, non est arctandus vt doceat de titulo & iure ex quo possidet. [1] Sed satis est si se doceat beneficij possessorem, licet nec annalem nec triennalem. Neque enim de beneficio controuersiam faciens audiendus est, nisi qui idem beneficium sibi adserat. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Est enim hoc vnum ex commodis possessionis, vt qui possidet non cogatur de iure suo docere, præsertim cõtra eum qui nec dominum se dicat nec possessorem.

2 Alioqui potest is qui beneficium pacifice possidet alteri obiicere, *Quod ad te liberas ædes habeo, l. loci* 4. §. *competit, D. si seruit. vindic.* iunct. *l. vlt. D. de acquir. possess.*

DEFINITIO XLVIII.

De vnione beneficiorum quibus auditis facienda sit.

VNio beneficiorum, quoniam odiosa est, & à communi ecclesiarum vtilitate aliena, [1] nunquam, nisi ex magna & necessaria causa permitti debet, vocatísque in eam rem omnibus illis quorum interest. [2] Inter quos præcipue hi sunt, Episcopus qui ordinarius est diœceseos. Capitulum ecclesiæ cathedralis, & patronus beneficij si laicus sit. Neque enim sine ipsius consensu facta vnio valere potest, ne alioqui à dotandis ecclesiis facile laici reuocentur. [3] Quod si patronus sit clericus, nemo dubitat quin summus Pontifex potestate ordinaria derogare possit iuri patronatus clericorum. [4] Etsi autem derogare etiam potest cum vult iuri patronatus laicorum pro ea vice: [5] fallit tamen hoc in vnionibus quia perpetuo durant: [6] sed & procuratorem Principis generalem vocari & audiri necesse est, Non solum si ius patronatus ad Principem pertineat, quod in dubio præsumendum est cum beneficium habet dignitatem, [7] Sed etiamsi ad alium: Nempe ratione publicæ vtilitatis, & ad hoc ipsum diligenter discutiendum, An publice vtilis futura sit vnio, an inutilis. [8] Item pro tuenda Principis auctoritate, ad quam sane pertinet vt beneficiorum omnium quæ in territorio sunt protector & conseruator existimetur. [9] Vnde illud etiam est quod de beneficiorum possessione soli iudices Principes cognoscunt. [10] Itaque si non vocato procuratore generali vnio facta sit, potest & solet ille ab ea tanquam ab abusu prouocare, semperque ea prouocatio admittitur, etiam post centum annos, quia vnio semper & perpetuo grauat. [11] Quid ergo si nulla prouocatio sit ab ea vnione quam inaudito procuratore generali aut non vocatis iis quorum interfuit factam esse appareat? Idem ius constitui debebit non vt abusiua pronuncietur vnio, [12] sed vt perinde ac si facta non esset nulla eius ratio habeatur, negligaturque à Senatu quæ neglecto Principe Senatuque facta fuit. [13] *Ita Senatus* pro Guilielmo Drugeon contra Humbertum Burtin, 14. Calend. Ianuar. 1592.

1 Quia minuit numerum beneficiorum, & facilius est vt pluribus beneficiis plures rectores bene præsint, quam vt vnus Rebuff. *in tract. de vnio.* [*præsertim num.* 48. Gregor. Tholos. *in institut. rei beneficiariæ cap.* 20. *num.* 12. An tamen necessitas vel paupertas beneficij suadeat vnionem relinquitur arbitrio iudicis. Rebuff. *ibid. à nu.* 39. *ad* 48.]

2 Est enim hoc generale vt ad omnem actum citandus sit, quisquis ex eo actu lædi potest, *l. nam ita* 39. *D. de adopt. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.* [Quid ergo si vniatur beneficium regulare & conuentuale, an citandi erunt monachi? Quid si habeat iurisdictionem & curam animarum, an citandi erunt subditi & parochiani? minimè. vide Boer. *decis.* 345. Cardinal. *cons.* 65. Quid si habeat rectorem? non est necesse hunc citari, quamuis ex eo futurum sit vt impediatur beneficium resignare ac permutare, sed sufficit vnionem factam ei denunciari. Clement. *de reb. eccles. non alien.* Rebuff. *in tractat. de vnion. in verbo, quorum interest nu.* 8. Sed neque Episcopi consensus necessarius est quantum ad collationem solam attinet, dum ne ipsius iurisdictio offendatur; potestque etiam legatus à latere vniendo beneficium auferre collationem Episcopo, *cap. fin.* vbi Decius *de consum.* Rota *decis.* 459. *in antiq. & sub tit. de offic. legat.* Nicol. Garcia *de benef. parte* 12. *cap.* 2. *num.* 151. *&* 216. *&* 217. Rebuff. *cons.* 20. *verste. quinto respondetur*, vbi dicunt non esse considerabile interesse collatoris cuiuslibet adeoque nec Episcopi, multo minus alterius inferioris cùm agitur de vnione facta per summum Pontificem, aut ex eius commissione non obstante clausula *vocatis quorum interest qui fuerint vocandi*, quia in Episcopis & inferioribus collationibus, & in beneficiis omnibus Papa plenissimam habet potestatem, *cap.* 2. *de præbend. in* 6. Hoieda *in tractat. de incompat. benefic. parte* 2. *c.* 3. *n.* 6.]

3 Gloss. & DD. in *cap. nobis & cap. cum dilectus. Extr. de iur. patr.* Rebuff. *in tract. De reuocat. vnion. & in tract. de vnionibus.* [Debet enim seruari voluntas patroni qui certis legibus & condicionibus dotauit beneficium, *cap. præterea de iur. patron. reipub. quanta de collat.* Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 5.]

4 Pro absoluta illa & omnimoda potestate quam habet in clericos, *cap. nouit. Extr. de iud.* 1.

5 Vt dicemus ad *tit. de iur. patron.*

6 Nec enim mens Papę est vt cuiusquam ius in perpetuum tollat, sed tantum ad tempus & ad effectum gratiæ quam alteri concedit, *arg. l.* 2. *§. si quis à Principe, & §. marito, D. ne quid in loc. publ. l.* 4. *C. de emancip. liber.*

7 Quia præsumuntur talia beneficia fluxisse à Principe tanquam à fonte, sicut & feuda quæ nihil nisi profana beneficia sunt, *argument. notat. in l.* 2. *C. in quibus caus. colon. domin. accusare possint iis verbis cuius ipsi sunt eiusdem & bono sua esse cognoscant.*

8 Optimi siquidem Principis est prouidere ne quid respublica detrimendi capiat.

9 *Argument. l. cum vnus* 12. *§. penultim. de rebus auctor. iudic. possid.*

10 Guid. Pap. *qu.* 1.

11 Rebuff. *in dict. tractat. de vnion.* post Bald. *in l.* 2. *colum.* 2. *Cod. de episcop. audient.* Facit *l.* 1. *§. vltim. de vsufruct. adcrescend.*

12 Non enim potest abusiua pronunciari si non sit ab ea tanquam ab abusu appellatum.

13 Frustra enim Principis & Senatus auxilium implorat qui vtriusque auctoritatem neglexit, *argum. l. auxilium* 37. *in fin. D. de minor.* [Porrò ex quibus causis vnio permissa sit aut prohibita vide in Concil. Tridentin. *sess.* 23. *cap.* 18. *in decret. de reformat. sess.* 21. *cap.* 5. *& sess.* 24. *cap.* 13. *cap. exposuisti de præbend.* Guidon. Papæ *consil.* 134. & apud Gallos *in ordinationibus regiis Blæsiensibus artic.* 23. *&* 24. Nota etiam de vnione beneficiorum debere exprimi verum valorem beneficij vniendi, & eius cui vnitur, sed tamen si fiat vnio mensæ non requiri expressionem bonorum seu beneficiorum mensæ vnitorum. Rebuff. *in regulari cancell. glos.* 8. Renat. Choppin *de sacra politia lib.* 2. *titul.* 6. *numer.* 8. Adde non posse fieri vnionem beneficij quod sit alterius diœcesis ex Concil. Tridentin. *sess.* 24. *de reformat. cap.* 9. sed in Gallia id non obtinet, nec rursus beneficium vnius ordinis potest vniri beneficio alterius ordinis ex Concil. Tridentin. *cap.* 23. *de reformat. sess.* 24. sed intellige nisi beneficium vniendum sit solitum regi per seculares in commendam, quo casu habetur pro seculari, sed ita tamen, vt non ideo mutetur status nec regula, nec natura beneficij vniti.

Abbas

BIU Cujas

Abbas, *in cap. exposuisti, per illum textum nu. 7. de præbend.* Rota *decis. 133. nu. 15. parte 2. diuers.* Nicolaus Garcia *de benefic. parte 12. nu. 35.* & dummodo beneficium vnitum debitis non fraudetur obsequiis, nec vllum in diuinis patiatur detrimentum: quæ clausula in huiusmodi vnionibus, si non prorsus necessaria, saltem valdè vtilis est. Sane omnis vnio requirit causæ cognitionem ex regul. cancellar. 21. arg. *cap. dudum de reb. eccles. non alienand. in 6.*

DEFINITIO XLIX.

De patrono clerico, cuius iuri derogatum est per Papam in mandato de beneficijs vniendis.

QVod tamen diximus [1] summum pontificem mandantem vniri beneficia derogare posse iuri patronatus clericorum, efficere non potest vt eo minus vocandus & audiendus sit patronus clericus in ipsa vnione facienda. [2] Idque adeo verum est vt si inscio illo facta sit, perinde non valeat ac si iuri patronatus nullo modo derogatum esset. [3] Quandoquidem fieri potuit vt vnio saluis patroni iuribus consisteret, [4] vt puta si aliud ius in beneficio non haberet, quam certi reditus annui ex fructibus percipiendi. [5] *Ita Senatus* in supra scripta specie. In qua nec ad rem pertinuit, quod cum Episcopo mandata fuerat vnio beneficiorum vacaturorum, nesciri poterat quis eo tempore vocandus esset, quia nullum adhuc vacabat. [6] Nam præter id quod tanto magis vocari debuerat Principis procurator generalis qui vnus tum esset pro omnibus. [7] Illud etiam constabat eo saltem tempore quo vnio facta fuerat vacantis beneficij, vocari eos debuisse, quorum iam tum intererat, quippe qui ab eo die & certi essent & cogniti. [8] Alij sane præter procuratorem generalem & patronum vocari non debuerant, cum vnio per Episcopum ipsum diœcesanum fieret, & per capitulum ecclesiæ cathedralis. [9]

1 *Defin. prox. præced. num. 4.*

2 Quamuis dici soleat id quod potest fieri aliquo inuito, posse multo magis fieri eo ignorante, *l. qui potest inuitis 26. De reg. iur.*

3 Non enim Papa ideo prohibet vocari clericum patronum, quod deroget iuri patronatus.

4 Quo casu nemo dixerit ius patroni quantumuis clerici per vnionem tolli debere, *argum. l. 2. in fin. l. vltim. D. de natal. restit.*

5 Quid enim vetat etiam post vnionem eosdem certos reditus percipi ex fructibus beneficij?

6 Futura siquidem nobis incognita sunt & incerta, *l. sed esti 28. §. vlt. De iud. l. qui liberis 8. §. vlt. de vulg. & pup. substit. l. sciendum 70. de verb. sign.*

7 Semper enim persona procuratoris generalis est certa, quamuis non ideo dicatur generalis, quod sit omnium procurator (est enim solius Principis) sed quia omnium rerum quæ ad Principis dignitatem & reipubl. vtilitatem pertinent curam gerit.

8 Generale siquidem est, vt qui sunt aduersarij cogniti & certi, nominatim vocandi sint non etiam cæteri. Notat. ad *l. vlt. C. de iur. delib. & ad l. si eo tempore 6. C. de remiss. pign.*

9 Alioqui & episcopus & capitulum ecclesiæ cathedralis vocari debuisset, vt diximus *Defin. præced. num. 3.*

DEFINITIO L.

Ignorantia impetrantis non tollit ius alteri quæsitum.

NOn quidem tenetur impetrans beneficium exprimere titulum aut possessionem detentoris si probabilem habeat ignorantiam: [1] Sed non potest ea ignorantia prodesse impetranti ad impediendum effectum clausulæ, quæ in concessionibus omnibus & adiici semper solet, at tum etiam cum omissa est subintelligitur, *Dummodo tempore datæ præsentium non sit alteri ius quæsitum.* [2] Nunquam enim censetur summus Pontifex derogare velle iuri, quod iam alteri quæsitum est. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt in ea specie de qua scripsi *Defin. 28. 3.*

2 Late Rebuff. *ad reg. de non tollend. iur. quæsit.*

3 Vt nec alius Princeps quilibet, *l. 2. §. si qui à Principe, & §. merito ne quid in loco public. l. 4. C. de emancip. liber. l. Paulus notat. 8. D. de prætor. stipul. l. ex facto 43. de vulg. & pupill. substit.*

DEFINITIO LI.

Non valere impetrationem tacito præcedente mandato de vniendo.

IMpetrans beneficium à summo Pontifice tacito scienter mandato de vniendo quod Episcopus diœceseos habebat à Sede apostolica, præsertim ex causa necessaria & sacrosancti Concilij auctoritate permissa, puta ad erigendum seminarium educandis & edocendis pauperibus destinatum, non eo minus obrepsisse credendus est, ob idque carere impetratis debere, [1] quod nulla tum vnio aut minus rite facta sit. [2] Sufficit enim fieri vtiliter potuisse ad hoc vt præsumamus non fuisse Papam concessurum gratiam, si mandati à se aut decessore suo de beneficio vniendo dati meminisset. [3] Ideoque exprimi id debuit, quoniam omnia exprimenda sunt, quæ summum Pontificem à concedendo beneficio reuocare aut remorari potuissent. [4] Quare & in ea specie de qua in superioribus scripsimus quamuis vnionem ab Episcopo minus rite factam esse constaret, quod & procuratore generali Principis & beneficij patrono non audito facta esset, [5] Plerisque placebat non eo magis dicendas vindicias pro eo qui beneficium à summo Pontifice impetrasset, nulla mandati de vniendo facta mentione, [6] sed potius sequestrandum beneficium, vt fieri solet cum neuter in beneficio ius habere creditur: [7] propterea quod ea impetratio duobus post vnionem mensibus facta esset, ac proinde eo tempore quo verisimiliter vnionem illam mandatúmque de vniendo scire impetrans poterat. [8] Vicit tamen voto vno contraria sententia, Hac potissimum ratione, quod procurator generalis, cuius maximè intererat sequestrari beneficium, non petierat vt sequestraretur. [9] Quinimo ex mandato Principis consenserat & requisierat vt plenissimam beneficij possessionem ei Senatus daret, cui summus Pontifex beneficium indulsisset: Quod ipsum quoque Princeps ipse rescripserat. In quo pareri Principi æquum fuit, cum nullius ius læderetur. [10] Eo magis quod beneficiorum sequestratio publice minus vtilis est, plenamque esse cuiuslibet beneficij possessionem, & Principis & reipublicæ, & quod præcipuum est ipsius quoque ecclesiæ interest. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vitium enim obreptionis & subreptionis facit vt quicquid ita impetratum est habendum sit pro non impetrato, *l. si quis obrepserit 7. D. de leg. Corn. l. de falsi. l. vlt. C. de diuers. rescript. l. 5. §. manet. D. de reb. eor. qui sub tutel.*

2 Siquidem paria sunt nullam prorsus vnionem factam esse, & aliquam quidem factam esse, sed minus rite. *l. 2. D. de auctor. tutor. l. quoties 6. D. qui satisd. cogant.*

3 Facile enim præsumitur in Principe obliuio facti etiam proprij ob eam quæ premitur multitudinem negotiorum.

4 *Cap. super literis* vbi est text. elegans *Extr. de rescript.*

5 Secundum ea quæ scripsimus *Defin. 48. & 49. 3. hoc tit.*

6 Quia falsus & mendax impetrator nunquam gaudere debet impetratis *d. l. vlt. C. de diuers. rescript.* ne scilicet ei dolus suus prosit, qui nunquam debet manere impunitus, *l. procurat. 11. §. in perpetuum D. de doli mali except.*

7 Potius enim sequestrandum est beneficium quam permittendum vt vitiosus detur ingressus cum beneficium sine canonica institutione possideri non possit *cap. 1.* vbi Dyn. & alij *de reg. iur. in 6.*

BIU Cujas

8 Non enim ferenda est supina ignorantia facti, quod omnes sciunt, *l.3.§.1.nec supina 6.l.regula 9. sed facti D.de iur. & fact. ignor.*

9 Sequestratio enim vix vnquam fit nisi aliquo postulante, non etiam ex mero, & vt aiunt nobili officio iudicis *argum.tot. tit.de prohib.sequest.pecun.*iunct.*l.4.§.hoc autem iudicium D.de damn. infect.*

10 *Arg.l.1.C.de legib.*

11 Ne scilicet beneficium diutius iaceat *argumen. l.1. D. de succeff. edict.* cultusque diuinus interim cesset vel negligentius exerceatur.

DEFINITIO LII.

Portio congrua quanta & à quo constitui debeat?

ETsi congruæ portionis definitio & taxatio ex arbitrio iudicis æstimanda est pro qualitate personarum & reditum beneficiorum, quibus & à quibus ea portio debetur,[1] frequentius tamen est si aliud nihil impediat, vt quarta pars decimarum eo nomine assignetur.[2] Nam quod aliquo iuris Pontificij loco[3] scriptum est, quartam quartæ adiudicari solitam esse, ad factum potius & consuetudinem loci de quo tractabatur, quam ad ius referendum est. Neque vero eam consuetudinem summus Pontifex vspiam probat, Imo improbat quoties ea quarta quartæ necessariis parochi alimentis non sufficit.[4] Quo casu certum est parocho aut ei qui parochi vices gerat magis fauendum esse quam possessori decimarum, quisquis ille sit, cum parochus eiúsve vicarius & altari & parochianis deseruiat.[5] Nec ad rem pertinebit quod si decimarum possessori quantulacumque portio detrahatur, futurum sit, vt non habeat ille quo se alat. Etsi enim dici solet, non esse discooperiendum vnum altare vt aliud cooperiatur,[6] prius tamen parocho subueniendum est aduersus decimarum possessorem, tum possessori ab ipso ordinario, cuius officium est prouidere ne alimentorum penuria cogantur ij, qui altari seruiant, religionis cultum deserere.[7] Quod si ordinarius quoque ea laboret egestate, vt salua propria dignitate subuenire inferiori non possit, Vnicum superest remedium vnionis beneficiorum, vt coniunctus plurium reditus rectorem & administratorem omnibus acquirat, qui singulis dari non potest.[8] Maior enim superioris prælati ratio est habenda, quam inferioris:[9] Non tamen maior Archipresbyteri (licet archipresbyter maiorem dignitatem habeat, cum in sua prouincia sit oculus[10] & quasi vicarius episcopi,) quia vterque inferior est & habet superiorem episcopum, qui consulere vtrique & potest & debet,[11] & quidem ex ordine, hoc est, parocho primum, deinde archipresbytero, præterquam si citra incommodum archipresbyteri consulere parocho aliunde possit.[12] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin.19.infr. De iurisdict.omn.iudic. & for.compet.

1 Congruum enim quid sit ex facti circumstantiis pendet, vt & cum de congrua dote disputamus, *l.cum post 69.§.gener.*iunct. *l.quæro 60.de iur.dot.l.quidam 30.de leg.2.*

2 Rebuff.*in tract.de congr.port.quæst.9.nu.80. & in præfat. tract. de sent.prouis.nu.30.*Francisc.Marc.*decis.149.*

3 *In cap.extirpandæ Extr.de præbend.& dignit.*

4 Cum necesse sit de altari viuere omnem qui altari seruit, vulgat.iurib.

5 Rebuff.*d.qu.9.nu.82.in fin.*

6 Bartol. *in l.assiduis 12. Cod.qui potior. in pignor. habeant. numer.4.*

7 *Arg.l.seruos 17.D.de alim.legat.*

8 Itaque hoc casu locum habet iuris regula quæ vult, Quoties nihil sine captione inuestigari potest id eligendum esse quod minimum habeat iniquitatis, *l.quoties nihil 200. de reg.iur.* Vix enim est vt vnquam sit iniquum, quod est necessarium. Est autem multo melius vt duobus beneficiis rector vnus detur, quam vt vtriusque nullus rector sit.

9 Vt superiori sua dignitas seruetur, Item quia superior inferioris vices supplere potest non inferior superioris.

10 Quales olim erant Diaconi, *can. Diaconi Ecclesiæ 6. distinct.93.*

11 Vt si fieri poterit, neuter careat alimentis *arg.l.ex his 8.D. quæ in fraud.credit.*

12 Ea enim via semper eligenda est quantum fieri potest, per quam id fiat quod vni prosit nec alij noceat, *l.in creditore 38. in fin.D.de euict.l.ex his 8.in fin.D.quæ in fraud.cred.*

DEFINITIO LIII.

De resignati beneficij possessione recuperanda.

REsignatione mutua beneficiorum inter duos facta si alter ex resignantibus in beneficij noui possessione aut adipiscenda aut retinenda controuersiam patiatur, pristinam permutati possessionem, quam per resignationem amiserat, recuperare potest, nec noua indiget prouisione.[1] *Sic à Senatu* alias pronunciatum fuisse relatum est, cum ea causa tractaretur de qua Defin. seqq. Iunge Defin.80.infr.

1 Resignatio enim non operatur veram vacationem cum facta est ex causa permutationis, si permutatio effectum non sortiatur, *cap.1.de rer.permut.in 6.c.dudum de præb.eod.* Rot. *decis.339. cum seq.antiqu.*Boer.*qu.2.num.44.*

DEFINITIO LIV.

De possessione per resignationem amittenda.

PEr resignationem & renunciationem beneficij amittit resignans ius omne, quod in beneficio habebat, tam possessionis quam proprietatis, nec tantum ciuilem possessionem, vt quidam putant,[1] sed etiam naturalem.[2] Nam & possessio animo solo amittitur quoties ab animo incipit amissio possessionis.[3] Nec quicquam hac parte refert an resignatio facta fuerit in manibus ordinarij pure & simpliciter, quomodo fieri eam necesse est,[4] an vero apud summum Pontificem in personæ certæ commodum & fauorem.[5] Nam & hoc casu statim atque admissa resignatio est iuxta formam mandati, perfectus actus est, & ab eo saltem tempore cœpit nihil iuris manere penes resignantem, siue ratione petitorij siue ratione possessorij.[6] Vnde fit, vt qui semel beneficium in manibus siue ordinarij siue summi Pontificis resignauit, postea de spolio, seu interdicto recuperandæ possessionis agere non possit.[7] Deficiente videlicet primo extremo, id est, possessione, à qua facto suo ceciderit. Idque adeo verum est vt nec aliud dicendum sit, etiamsi resignatio facta fuerit coram eo qui eius admittendæ potestatem non habuit.[8] Imo etsi coram laico,[9] maxime vero si de consensu superioris. Nam si superioris consensus non interuenerit, priuat quidem resignantem iure possessorij, sed non petitorij, de quo nec agi potest apud iudicem laicum & secularem.[10] *Ita Senatus* in causa R.D.Rodolphi Longet Officialis Tarentas. & D.Ioannis Deage Canonici Gebennensis 4. Calend. August.1593.

1 Calder.*cons.4.*

2 Rot.*decis.67. in antiq.tit. De renunc.incip.nota quod resignans, & decis.23.in nouis.*Ioann.Andr.Innoc.& Abb.*in cap.sollicite, de restit.spoliat.*Text.*in c.accepta cum ibi not.eod.* Cassad. *decis.4.num.3. eod.tit.* Gomes. *in reg. De annal.possess.quæst.57. versic.* pro quo est diligenter considerandum post Alex.ad *l.si quis vi. §.differentia, D.de acquir.possess.*

3 *l.3.§.In amittenda eod.tit.*Gloss.& Bart.ad *d.§.differentia.*

4 Nam simonia est si quis in manibus ordinarii resignet in fauorem certæ personæ.

5 Quo casu simoniæ vitium purgatur per præsentiam Papæ vt dixi *Defin.3.num.5.§.eod.*

6 Notant Canonistæ *in c.vnic.de rer.permut.in 6.*Capel.Tholos. *qu.492.* post Innoc. Ioan.Andr. Host. & alios *in cap.admonet cap. quod in dubiis & cap.super hoc.Extr.de renunciat.*

7 Not. *in cap. consultationibus. Extr. de offic. deleg.* Capell. Tholos. & Cassad. *vbi supra* Rot. *decis.1. num.8. decis.4. num.3.4. & seqq. Extr. de renunciat. in nouis.* Gomes. *in reg. De annal.pos-*

ses.

sess. quæst. 57. vers. est igitur concludendum.

8 *Dict. decis. 4. nu. 7. & 8. & decis. 14. num. 3. eod. tit. in antiq.*

9 *d. cap. quod in dubiis, & cap. 3. de renunciat.* Rot. *decis. 1. eod. tit. in antiq.* Gloss. *in pragmat. sanct. in verb. renunciasse, tit. de sublat. clem. literis.* Panorm. *in c. quod Dei timorem gloss. 2. extr. de stat. monachor.*

10 Angel. *in l. pen. de offic. præsid.* Guid. Pap. *qu. 1.*

DEFINITIO LV.

Quantum interſit an reſignatio pure facta ſit an in fauorem.

HActenus tamen interest an resignatio facta sit pure in manibus ordinarij, an in manibus Papæ in fauorem certæ personæ, quod priore casu non potest resignans exercere interdictum recuperandæ possessionis, ne quidem contra tertium, nisi per annum post renunciationem steterit in pacifica possessione, & à tertio spoliatus sit iniuste, atque vt loquuntur de facto. [1] At qui in alterius fauorem resignauit restitui potest indistincte contra tertium, quia quod ad eum pertinet, cuius fauore & commodo non resignauit, nec videtur resignasse, licet resignatio iam in fauorem alterius admissa sit. [2] Planè contra ipsum resignatarium, vt diximus, non potest, in cuius scilicet fauorem renunciauerit. [3] Nec proinde contra secundum resignatarium qui cum in prioris locum substitutus sit sanè tertius videri non potest, sed ille ipse potius pro quo facta fuit resignatio. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Gomes. *dict. regul. de annal. quæst. 57. pag. 303. vers. nec minus obstet.*

2 Ita eleganter Iacob. Put. *decis. 158. lib. 3.*

3 Vt dixi *Defin. prox. præced.*

4 Idem Iacob. Put. *decis. 157. eod. lib. 3.*

DEFINITIO LVI.

De longa & pacifica beneficij iam resignati possessione.

QVid si post admissam resignationem manserit resignans in pacifica beneficij possessione? [1] Detentio illa dicenda est potius, quam possessio, cum beneficium sine canonica institutione possideri non possit. [2] Detentio, inquam, asinina, quæ cum non solum iuris colorem nullum habeat, sed etiam à iure damnata sit & improbata, iuris effectum producere nullum potest, præsertim quod ad causam restitutionis in beneficialibus, ne vitiosus detur ingressus. [3] Est enim generale & perpetuum vt possessio quæ à iure damnata est nunquam iuuet possessorem, Nisi proponatur tanti temporis, cuius initij memoria non extet, [4] cuiusmodi vix vlla in beneficialibus esse vnquam potest. [5] Quare nec si triennalis aut decennalis fuerit illa possessio, colorem sibi quærere poterit ex titulo, qui resignationem præcesserat. Resignatio enim, quæ medio tempore intercessit, facit vt noua possessio cum vetere coniungi nequeat & conglutinari. [6] Quinimo si detentor dicat continuatam à se veterem illam possessionem ex titulo precedenti, nec nouum ius aut titulum alleget, hactenus sibi nocet, quod impedit ne qua capi possit præsumptio iuris retrocessi aut de nouo quæsiti, quæ alioqui ex tam longa possessione caperetur. [7] Non enim potest bonus titulus præsumi, cum constat de inualido & vitioso, Neq; hoc casu locus esse regulæ De triennali possessore. [8] Requirit enim illa possessionem coloratã, qualis porro nulla est nisi ex præcedente titulo colorato siue apparente siue presumpto. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Possessio enim licet facti sit, plurimum tamen ex iure mutuatur, *l. possessio 49. de acquir. poss.* nec tantum corporis sed etiam iuris est, *§. 1. inst. de legit.*

2 *cap. 1. de reg. iur. in 6.*

3 Gomes. *ad dict. reg. de annal. q. 57. dict. vers. est igitur concludendum vsque ad fin. cap. sollicite, & cap. accepta de rest. spol.*

4 Idem Gomes. *vbi 5.* ex Baldo *in l. 1. ius eius C. de probat. & in l. 2. vers. quæro nunquid C. de sent. & interlor. omn. iud.*

5 Quæ scilicet ab vno eodémq; homine non tam diu possidentur, & in quibus non admittitur successio.

6 Quomodo loquitur Gomes. *d. quæst. 57. vers. nec dicatur, quod illa detentio.* Nam & generale est vt medium inhabile impediat coniunctionem extremorum, *l. pen. ff. rat. rem hab. l. potior, 11 qui pot. in pign. hab.*

7 De qua præsumptione Abb. *in d. cap. sollicite.* quem refert Gomes. *dict. quæstio. 57. vers. est igitur concludendum, & quæstio. 56.*

8 Gomes. & alij *ad dict. regulam de triennali.*

9 Gomes. *ibid.* Boer. *quæst. 24.*

DEFINITIO LVII.

De resignatione, qui in fauorem certæ personæ facta plenissimum effectum non habuit.

VErum quid si resignatio in manibus summi [1] Pontificis facta sit sub condicione, id est, non solum in personæ certæ commodum & fauorem, sed etiam adiecta vt fit vulgari illa clausula, *non aliter nec alio modo*? Huius siquidem clausulæ vim illam esse constat, vt quousque resignatio quæ in alterius fauorem facta est plenum effectum sortita sit, nec facta esse videatur, nec proinde amissa per eam possessio. [2] Nemo enim dubitat, quin sicut dominium ita & possessio transferri in alium sub condicione possit, hoc est, ita vti ne prius amissa translatáve dicatur quam condicio secuta sit. [3] Sed etsi ea clausula omissa esset, tamen sufficeret factam esse resignationem fauore certæ personæ, vt pro condicionali haberetur. [4] At eo sensu accipiendum illud est, vt, quæ natura condicionis, suspendatur amissio & translatio iuris & possessionis [5] non id in vsque tempus, quo resignatarius possessionem adprehenderit, [6] sed in illud vsque tantum, quo resignatio per summum Pontificem admissa sit, [7] & ei prouisum in cuius fauorem facta fuit renunciatio. Nam statim atque resignatio admissa, nouáque prouisio iuxta formam mandati facta est, resignatio quantumuis ab initio condicionalis habuit suum esse, vt loquuntur, [8] Adeo vt ne quidem consensus procuratoris ad resignandum constituti sit necessarius ad substantiam & validitatem resignationis, licet obseruari soleat vt adhibeatur ad animi declarationem, & ad eum effectum vt literæ expediantur. [9] Nec est contrarium quod quidam tractant, [10] non valere resignationem nisi à die præstiti consensus, Id enim obtinet cum agitur de resignatione ab infirmo facta, propter verba regulæ, [11] quæ habent vt viginti dies illi, quibus resignantem superstitem esse necesse est, non nisi à die consensus præstiti numerentur. [12] Vtut sit saltem à die consensus præstiti fatendum est perfectam & absolutam esse resignationem, nec amplius suspensam esse condicione illa, quæ inducebatur ex iis verbis, *non aliter nec alio modo.* Ea namque verba sicut in instrumento procuratorio adiici solent, Ita non ob aliam causam adiecta videri debent, quam ne libera sit potestas procuratori resignandi cui aut quomodo velit, & vt mandati normam in omnib. seruare cogatur. [13] Nam ex eiusmodi verbis non fieri non condicionalem prouisionem factam à summo Pontifice, vel ex illo constat quod non tenetur Pontifex sequi condiciones insertas procurationi ad resignandum emissæ, non solum si turpes sint & illicitæ [14] sed nec si honestæ. [15] Igitur statim atque impletum mandatum fuit, impleta quoque resignationis condicio est, nec proinde ad amissionem iurium omnium, quæ resignans habuit, implendum aliud quicquam superesse potest. Et vero si effectus admissæ resignationis in id vsque

BIU Cujas

tempus suspenderetur, quo per resignatarium adprehensa fuisset possessio, Sequeretur interea totum ius proprietatis & possessionis beneficij remanere penes resignantem.[16] Atqui fieri nequit vt resignatarius possessionem beneficij adipiscatur quin prius aliquod in beneficio ius habeat, cum sine canonica institutione beneficium possideri non possit.[17] Ita igitur fiet vt eodem tempore duo in solidum & ius & possessionem eiusdem beneficij habeant, quod tamen constat fieri nullo modo posse.[18] Deinde quoties resignationem admitti summus Pontifex semper addit clausulam quæ & in proposita specie addita fuerat, *circa regressum*, præsertim post Concilium Tridentinum.[19] At daretur regressus si post admissam resignationem, & ob non secutam adprehensionem possessionis beneficium semel amissum reuerteretur ad resignantem,[20] Quando negari non potest quin eo saltem instanti amissum sit quo admissa resignatio fuit. Quid enim si eo tempore, hoc est, post admissam resignationem & ante acceptam possessionem resignatarius decessisset? An non per ipsius obitum beneficium vacasset? Quid si iure suo vti vel noluisset, vel neglexisset? Quis diceret ideo ius ipsius ad resignantem vel inuitum vel ignorantem recurrere debere?[21] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Per quam clausulam resignatio fit conditionalis, quæ alioqui pura videri posset. Sed tamen perinde esset condicionalis cum fit in fauorem.

2 Vt pluribus tractat Rebuff. *in tract. De resignat. condic.*

3 *l. qui absenti 38. §. 1. de acquir. poss.*

4 Nam qui resignat in fauorem certæ personæ hoc ipso satis declarat nolle se aliter resignare quam si beneficium ei personæ acquiratur, cum inclusio vnius sit exclusio alterius, *vulg. l. cum prætor 12. D. de iudic.*

5 Condicionis enim proprium est vt suspendat actum condicionalem, *l. cedere diem 213. de verb signif. & tot. tit. de cond. & demonstr.*

6 Possessionis enim adprehensio non perficit resignationem, sed fit in consequentiam & exequutionem iam perfectæ resignationis *arg. §. cum autem Inst. de empt. & vendit.*

7 Quia tamdiu duntaxat pendet resignatio quousque per summum Pontificem admittatur.

8 Ita loquitur Gomesius *in reg. De infirm. resignant. quæst. 32. vers. Ita hic à simili.*

9 Idem Gomes. *vbi supr.* ex opinione Rot. *decis. 882. in antiqu.*

10 Idem Gomes. *ibid. in sequentibus.*

11 *De infirm. resignant.*

12 Quia scilicet non potest amplius deficere condicio, quæ semel impleta fuit per resignationis admissionem à summo Pontifice factam, *argum. l. si quis heredem 7. Cod. de institut. & substit.*

13 Cum mandati formam diligenter seruare debeat procurator, nec eam possit egredi, *l. diligenter 5. D. mandat. l. maritus 21. de procurat.*

14 Quo casu pro impossibilibus habentur, *l. filius 15. D. de condic. instit.* & ideo habendæ pro non adiectis, aut saltem remittendæ, *l. quæ sub condicione 8. eo. tit. l. facta 63. §. si sub condicione, D. ad SC. Trebell.*

15 Rebuff. vbi supr. *in tract. De resign. condict.*

16 Siquidem sola resignatio posset effectum illum habere vt resignantem priuaret sua possessione. Nullus porro effectus esse potest actus condicionalis quandiu manet in suspenso.

17 *d. cap. 1. de regul. iur. in 6.*

18 *l. si vt certo 5 §. si duobus D. commod. l. 3. §. ex contrario, D. de acquir. poss. l. duo in solidum 19. D. de precar.*

19 Quo distincte prohibitum est ne qua beneficij resignatio cum regressu vnquam fiat, vel facta admittatur.

20 Vt euenit in rebus profanis cum dominium quod per traditionem abscesserat reuertitur ad eum, qui tradiderat, ex causa non secuti implementi, vt *in l. cum reb. Cod. de pact. inter empt. & vendit.*

21 *Can. quam periculosum 7. quæstio. 1.* Domin. *in cap. 2. de renunciat. lib. 6.* Barbat. *consil. 43. colum. 3.* Rebuff. *consil. 38. colum. 4. versic. item dicit. & consil. 40. colum. 4. & 5. & consil. 93.* Facit *l. quæritur 14. §. si venditor, D. de ædilit. edict. l. si quis iusiurandum C. de reb. credit. l. fin. C. de condit. insert. cap. in causis in fi. de elect.*

DEFINITIO LVIII.

Sola collatio sine possessione tribuit ius in beneficio.

PEr solam collationem vsque adeo ius acquiritur in beneficialibus, id est, etiamsi realis possessio adepta non sit,[1] vt prior resignatarius non eo minus resignare beneficium possit, suumque ius in alium transferre, quod possessionem nondum apprehenderit.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap si tibi absenti. de præbend. in 6.*

2 Rebuff. *cons. 9. circa fin. Not. per Rot. decis. 1. de renunciat. in nouis.*

DEFINITIO LIX.

De sententia constitutionis. De publicandis resignationibus.

COnstitutio pontificia,[1] qua inductum est vt beneficia resignata si publicata intra sex menses non sit resignatio, missióq; in possessionem secuta per obitum non per resignationem vacare censeantur, duo necessaria requirit cõiunctim, & copulatiuè, Publicationem & missionem in possessionem, sed aliter atque aliter. Publicationi enim tempus certum constituit sex mensium, At missioni in possessionem nullum quandiu resignãs viuit. Ergo alterutrum interuenisse non sufficiet.[2] Nam si publicationem resignationis fieri satis esset, aperiret ea res viam cõfidentiis, resignante nimirum etiam post publicationem in possessione manente.[3] Ex contrario autem frustra publicationi faciendæ tempus semestre præstitueretur, si quandocunque postea dummodo viuo resignante missionem in possessionem sufficeret esse subsecutam.[4] Illud quidem receptum est præsertim apud practicos Gallos publicationi resignationis æquipollere petitionem possessionis.[5] Sed id ita accipi debet vt eo demum casu verum sit, quo possessio petita postea adprehendatur, & quidem intra tempus datum ad publicandum, hoc etiam addito & prorsus requisito vt in ea possessione per mensem integrum & pacificè maneat resignatarius.[6] Id ni factum sit, resignatio pro nulla & non facta habetur.[7] Et consequenter non poterit resignatarius post elapsum semestre illud, ac iam irrita facta resignatione ob defectum publicationis ius suum, quod nullum habebat, in alium trãsferre:[8] Quamuis si ea secunda resignatio facta esset intra tempus publicationis, valeret vtique, nec magis noceret secundo resignatario quod publicata non esset, quam si priore ante publicationem & intra constitutum tempus defuncto, alius quispiam per eius mortem beneficium impetrasset, noceret impetranti defectus publicationis.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quæ vulgo dicitur regula, *De publicand. resignat.*

2 Quia cum duo coniunctim requiruntur vtrumque implendum est, *l. si heredi plures 5. D. de cond. instit. l. cum pupillus, 78. §. 1. D. de cond. & demonst.* Gomes. *ad reg. de public. resignat. quæst. 15. & 18.*

3 Ex qua possessionis retentione etiam in profanis simulatio induceretur, *l. sicut 8. §. superuacuum D. quibus mod. pign. vel hyp. solut.*

4 Frustra enim tempus certum præstituitur ei quod post tempus fieri potest, *l. Thais 41. §. intra, D. de fideic. libert.* Vide tamen Rebuff. ad eam regulam, vbi verba eius sic concipit quasi alterutrum interuenisse sufficiat.

5 Ita Ioan. Papon. *in Syntagm. Arrestor. tit. 1. lib. 3. §. 6.* Quod & Gomes. fatetur. *d. q. 8. ad fin. principij.*

6 Gomes. vbi supra *versic. est tamen vlterius.* Lud. Roman. *cons. 433. dub. 1.*

7 Tanquam simulata. Quæ enim simulata probantur pro infectis habentur, *l. si ex precio 8. C. si cert. petat.*

8 *Vulg. reg. nemo plus iuris 54. de reg. iur.*

9 Vt concludere videtur Gomes. *ad d. reg. de public. resign. quæst. 1. vers. & ista omnia.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO LX.

De eadem constitutione.

AN ergo regula illa de publicandis resignationib. faciet, vt nec publicatione nec missione in possessionem intra sex menses secuta, perinde retinendus sit resignans in possessione pristina beneficij ac si non resignasset? Id vero consequens videtur ei quod inducit constitutio, vt mortuo postea resignante beneficium per ipsius mortem vacare censeatur. [1] Neque enim superueniens mors facere posset, vt per obitum vacaret quod iam ante per resignationem vacasset: Cum beneficium iam semel vacans non possit amplius vacare, aut fieri magis vacans. [2] Sed non ita est. Id enim duntaxat facit regula, vt ex causis supradictis resignatarius cadat à iure suo nec beneficium censeatur vacare per resignationem quod ad hunc solum effectum, vt si resignans in possessione manserit, perinde censeatur beneficium vacare per obitum mortuo postea resignante acsi nunquam resignasset. Itaque vt locum habeat ea regula, dicendum est tria coniunctim & omnimodo requiri, Vt non sit facta publicatio intra sex menses, Vt non sit petita possessio, Et vt resignans decesserit post sex menses in possessione: Ex quibus si vel vnum desit, non est locus regulæ, & beneficium per resignationem non per obitum vacare intelligitur, tametsi mortuus sit qui resignauit. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic enim expresse habent verba regulæ.

2 Quamuis possit vacare ex pluribus causis: Quomodo è contrario dicimus posse quid mihi deberi ex variis causis, sed quod iam meum est non posse magis fieri meum, *l. non vt pluvib. 159. de regul. iur. l. de hereditate, 19. §. pater, de castrens. pecul.*

3 Gomes. *ad reg. de public. resignat. qu. 15.*

DEFINITIO LXI.

Regula De publ. resign. ad secundum resignatarium protrahenda non est.

ILlud quoque obseruandum est constitutionem hanc pontificiam de publicandis resignationibus non tam fauore resignantis quam odio resignatarij inductam eius solius personam demõstrasse, [1] cui resignatio prior facta fuisset. Ob idque non esse protrahendam aduersus secundum resignatarium, [2] Non modo si prior resignatarius intra tempus publicandi resignauerit alteri, qui casus nullam habet dubitationem, [3] sed & alio quocunq; casu, propter personalitatem vt loquuntur regulæ, quę in prima tantum persona resignantis & resignatarij verificatur. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Simile quiddam est apud Papinianum *in l. pater 10. §. 1. D. de capt. & postlim.*

2 Gomes. *ad dict. reg. de public. resigna. quæst. 1.*

3 Teste dicto Gomes. *dict. quæst. 1. vers. & ista omnia.*

4 Sic enim concludit idem Gomes. *dict. quæst. 1. versic. sed dicas quod licet.*

DEFINITIO LXII.

Mutari statum beneficij ex mutatione personæ.

ELectiuum beneficium & regulare concessum seculari contra communes iuris regulas [1] per dispensationem summi Pontificis, ea lege vt quandocunque per cessum vel decessum vacabit reuertatur ad pristinum statum [2] maneátque vt antea electiuum & regulare, cum clausula etiam si voles irritante, Non ideo minus vacat apud Sedem vt à solo summo Pontifice conferri possit, si postea contingat hunc qui dispensatus fuerat fieri Cardinalem aut familiarem Papæ aut alterius condicionis, quæ faciat vt beneficium quantumlibet electiuum vacet in Curia & apud sedem. [3] Certum enim est ex mutatione personæ mutari statum beneficij. [4] Nec minus in concessionibus quam in conuentionibus condicio illa semper subintelligitur, si res in eodem statu manserit. [5] *Ita Senatus* pro Illustriss. D. Vincentio Laureo Cardinale du Mondeuis contra R. D. Abbatem de Filly. 7. Cal. Mart. 1589.

1 Regularia enim beneficia regularibus conferenda sunt, secularia vero secularibus.

2 Quæ clausula fauorabilis est, vt & cuiuslibet rei reditus ad suam naturam, *l. si vnus 27. §. pactus ne peteret. C. de pact.*

3 Ex iis quæ diximus *Defin. 16. & 17. eod.*

4 Vt & in rebus profanis, *l. per curatorem 9. de acqu. hered. l. vltim. C. de inoff. testam.* Itaque hoc casu non habet locum quod tractat Boer. *quæst. 2. num. 4.*

5 *Argum. l. cum quis 38. in princip. l. si cum Cornelius 82. D. de solut.*

DEFINITIO LXIII.

De quota decimæ incerta, de qua apud iudicem laicum agatur.

SI non apparet quænam portio pro decima præstari soleat in eo loco, de quo contenditur, ad eam consuetudinem recurrendum est quæ in locis proximiorib. frequentius recepta sit. [1] Sed si aliter atque aliter decimas solui solitas esse probetur, vt nihil certi & vt nostri loquuntur nihil vniforme possit colligi, difficilioris est quæstionis quid constituendum videatur. [2] Sunt qui existimẽt debere iudicem laicum eam portionem sequi quæ sit media, neque maiorem posse præscribere, neque minorem. Alij eam quotam præscribendam esse, in quam maior testium numerus consentiat. [4] Mihi vero aliud videbatur. Excedere namque eam rem notissimos possessorij terminos [5] & ad eum solum qui de proprietatis iure & in petitorio cognoscit pertinere vt hanc vel illam portionem constituat. [6] Imo vero nullam talis possessionis quæ in incerto fluctuet atque ex difformib. actibus collecta sit rationem habendam esse, [7] potiusq; recurrendum ad ius commune, [8] Nisi causa aliqua iusta sit propter quam ab ea forma recedi oporteat, Vt puta si territorium sit saxosum & sterile, in quo vix possint incolæ eos fructus percipere, qui ad victum sufficiant, [9] Præsertim si ex alia parte parochus amplos, & vberes reditus, extra decimarum causam habere proponatur. Cæterum iudex sicuti de sola possessione potest cognoscere, [10] Ita quotam illam demum præscribere potest, quam præstari solitam videt ex concludentibus & indubitatis probationibus. [11] Sin minus ei liqueat de quota certa, nihil aliud supereſt quod facere possit nisi vt formam iuris sequatur. [12] Nec mouere illum debet quod perperam iudicaturus videatur, si parochum tueatur in quasi possessione decimæ exigendæ, qui numquam in ea possessione fuerit, quique longè minorem, licet difformem quotam à parochianis accipere solitus probetur. Nam quod pertinet ad ius exigendarum decimarum ad formam iuris, semper ecclesia possidet [13] quandiu contraria possessio nulla est, cuius ratio, defectu probationum, [14] in iudicando haberi possit. *Ita tractatum est* in causa R. Antonij de la Rouaire parochi & parochianorum de Greisy. 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 *Argum. l. de quibus 32. D. de legibus*, Iacob. Put. *decis. 176. lib. 3.*

2 Nec enim permittendum est vt vna eadémq; res diuerso iure censeatur *vulg. l. eum qui ædes 30. D. de vsucap. l. 4. de vulg. & pupil. substit. l. vlt. C. de sent. pass. & restit.*

3 *Arg. l. adeo 7. §. cum quis ex aliena, vers. est tamen media, D. de acquir. rer. domin.*

4 *Arg. l. 3. §. 1. D. de testib. l. item si vnus 17. §. principaliter, D. de recept. qui arbitr. recept.*

BIU Cujas

5 De quo solo possessorio cognoscere iudex laicus potest, Guid. Pap. *qu.* 1. non etiam de proprietate ac iure decimarum, quod est quid mere spirituale.

6 Eiusdem enim potestatis & iurisdictionis est cognoscere de toto & de parte, *l. quæ de tota* 76. *D. de rei vindicat.*

7 *Arg. l. nam Imperator* 38. *in illis verbis* rerum perpetuo similiter iudicatarum, *D. de legib.*

8 Cui scilicet semper standum est nisi consuetudo aliqua vel priuilegium repugnet, *d. l. de quibus, vbi not. & in l.* 2. *C. quæ sit long. consuet.* [Non tamen omnis consuetudo in decimis valet, puta vt soluantur in horreo. Patefaceret enim talis consuetudo viam fraudibus, & ideo non est ferenda. *Ita Senatus* pro Curato de Greisy. Itemque de Villereuersure sine die & nouissime pro Canonicis de la Chambre Idib. Sept. 1612.

9 Quid enim prodesset decimas deberi si non essent qui possent soluere? Quomodo licet in dissimili specie argumentatur Iustin. *in l. vlt. vers. qui enim tales, C. de liber. præter.* Vide tamen quod scriptum est *in l. si fundus* 13. *D. de reb. eor. qui sub tutel.*

10 Quod possessio beneficij temporale quid esse videatur. Guid. Pap. *dict. quæst.* 1.

11 Possessio enim quotæ nulla nisi ex eius præstatione esse potest. Et hoc casu maxime obtinet quod dici solet tantum præscriptum, quantum possessum.

12 Quæ forma semper est certa, *l.* 2. *D. de iur. & fact. ignor.*

13 Cui nec nocere potuit rector minus percipiendo nisi quatenus ex eiusmodi perceptione longissima & vniformi potest induci consuetudo aut præscriptio temporis immemorialis, *cap.* 1. *vbi not. de verb. signif. in* 6.

14 Sufficit enim deficere probationem tum quoque cum ius non deficit, *vulg. l. duo sunt Titij* 30. *D. de testam. tutel.*

DEFINITIO LXIV.

De beneficio vnito.

VNitum beneficium amittit nomen beneficij, Ideoque nec vacare dici potest quandiu non vacat illud cui vnitum est.[1] *Ita Senatus* in causa R. Philiberti De Rochette monachi Altacombani & Amedei Cocq. Ex tempore 3. Non. Matt. 1594.

1 Gloss. *in cap. de excessib. prælator.*

DEFINITIO LXV.

De beneficiorum regularium collatione.

EPiscopus non habet fundatam intentionem ratione beneficiorum regularium, quæ suum habent superiorem,[1] Nisi in eum casum quo superior ille fuerit negligens in prouidendo,[2] tametsi ea beneficia in Episcopi diœcesi sita proponantur.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt dignitatum ordo seruetur, nec iurisdictiones turbentur *arg. l. vlt. D. de iurisdict. l. cum vnus*, 12. *§. penult. D. de reb. auctor. iud. possid.*

2 Iure scilicet deuoluti *ex tot. tit. De supplend. neglig. prælat.* [Quidam addunt Aut nisi superior ille consenserit quia volenti non fit iniuria *l. in diem* 9. §. 1. *D. de aqua & aquæ pluu. arcend.*]

3 Quod in aliis beneficiis regularibus secus est *vulg. can. omnes basilicæ* 16. *quæst.* 7.

DEFINITIO LXVI.

De tacita præteritarum decimarum remissione.

DEcimæ quãuis in annos singulos debeantur etiam citra interpellationem, si tamen suo tempore petitæ non fuerint, postea pro annis præteritis peti non possunt quasi tacito iudicio remissæ.[1] *Ita Senatus* in causa Reuerend. Patrum Societatis Iesu Camber. & Syndicorum de Megeue mens. Mart. 1594.

1 Rot. *de is. de decim. in antiq.* Balb. *de præscript. in prima parte quintæ partis princip. quæst.* 7.

DEFINITIO LXVII.

De literis subrogationis, & beneficiis reseruatis.

LIteræ vt vocant subrogationis à collitigante impetratæ vt in ius & locum collitigatoris substitutus intelligatur,[1] non possunt prodesse impetranti qui nullum aliud in beneficio ius habeat nisi à summo Pontifice manauerint. Nam quæ à Principibus secularibus conceduntur ad possessionis tãtum causam pertinent,[2] nec ius aut titulum in beneficium vel ad beneficium tribuere possunt.[3] Constat enim beneficium sine canonica institutione possideri non posse.[4] Quod si defunctus collitigator non nisi in commendam beneficium tenuit, nullius momenti erunt eiusmodi literæ[5], nec si à summo Pontifice sint concessæ, quia neque ius beneficio neque possessionem vnquam habuisse videri potest qui fuit nudus commendatarius, id est, depositarius.[6] Nemo enim nescit rei depositæ & dominium & possessionem manere penes deponentem.[7] Vnde illud etiam est quod diximus sæpius,[8] beneficia omnia commendata affecta esse summo Pontifici & reseruata, quamuis sint conuentualia & quod est consequens electiua,[9] Nisi appareat summum Pontificem iuri electionis derogare noluisse. Illo enim casu præcedens commenda non facit quo minus ex Pontificis voluntate beneficium in pristinam causam & naturam quodam veluti postliminij iure restituatur.[10] Vel eo magis quod electiones sunt fauorabiles,[11] Commendæ vero odiosæ, quoniam abhorrent à iuris regulis dicunturque dispensatoriæ.[12] Itaque nihil ad rem proderit quod aliis ex causis beneficium huiusmodi in curia vacauerit, Aut quod post factam electionem eiusque ex ea causa electo quæsitum licet nondum secuta confirmatione[13] summus Pontifex alio rescripto idem beneficium quamuis electiuum foret, rursus in commendam dederit.[14] Exceptum namque intelligitur ius electi per vulgarem illam clausulam *dummodo tempore datæ præsentium non sit alteri ius quæsitum.*[15] Maxime si de facta electione nihil summo Pontifici commemoratum est.[16] Extra hunc casum nouissimus beneficij status attenditur,[17] Nec ob id minus vacabit beneficium in Curia, quod antea fuerit electiuum si postremo loco fuit commendatum. Neq; enim electiua minus affecta sunt & reseruata summo Pontifici quam cætera postquam semel fuerunt commendata.[18] *Ita Senatus* in causa R. D. Ludouici Marin, & Emanuelis Philiberti Pomee contendentium de prioratu de Beluaux 11. Calend. April. 1594.

1 Cuiusmodi literæ apud nos solent concedi in parua Cancellaria.

2 *Ex Regul. Cancell. de subrogand. collitigat.*

3 Cum de solo possessorio Princeps laicus eiusque iudex possit cognoscere. Guid. Pap. *quæst.* 1.

4 *Ex reg. l. nemo plus iuris* 54. *de regul. iur.*

5 Canonica autem institutio non est quæ ab eo facta fuit, qui conferendi beneficij non habuit potestatem *cap.* 1. vbi Dyn. & alij *de reg. iur. in* 6.

6 Siquidem commendare, nihil aliud est quam deponere. *l. Lucius* 24. *D. depos.* Dixi *Defin.* 10. 3.

7 *l. licet*, 17. *§. rei depositæ eod. tit. depos.*

8 *Defin.* 9. *&* 10. 3.

9 *Cap.* 1. *de elect. cap. cum de beneficio de præb. in* 6.

10 Est enim fauorabilis rei cuiusque reditus ad suam naturam, *l. si vnus* 27. *§. pactus ne peteret in fin. D. de pact.*

11 Quia solent eligi digniores *dict. cap.* 1. *& pass. de elect.*

12 Per quas scilicet fit vt beneficium sine titulo possideatur contra *cap.* 1. *de reg. iur. in* 6.

13 Dixi *Defin.* 19. *&* 20. 3. Iunge *Defin.* 20. 3.

14 Nemo enim dubitat quin possit summus Pontifex toties quoties velit beneficium commendare, maxime quod iam solitum sit commendari. Rebuff. *in tract. de commend.*

15 De cuius clausulæ potestate scripsi *Defin.* 20. 3.

16 Quo casu obreptitium & subreptitium est rescriptum *ca. super de rescript. in* 6.

17 *Cap. consultationibus extr. de iur. patron.*

18 Quia per appositionem manus summi Pontificis fiunt affecta, vt dixi *Defin.* 9. *&* 10. 3.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO LXVIII.

De electionis vel confirmationis scriptura exhibenda.

ELectionis de qua non apparet confirmatio vtilis esse non potest quamuis ab eo facta qui confirmandi ius habuit,[1] Sicut ex contrario electio non confirmata nihil prodest quamuis tribuat ius ad rem, quandiu re integra confirmatio subsequi vtiliter potest.[2] Igitur & electionem & confirmationem ostendi oportet, vt sciri possit an vtiliter & rite vtraque facta sit.[3] Nec ad rem faciet, quod ex litis instrumentis constet visam antea & in actis productam scripturam electionis aut confirmationis, quæ scriptura ex postfacto sit deperdita.[4] Non enim de illo solum quærendum est an facta sit, sed de illo potissimum an rite & vtiliter,[5] quod non nisi visa scriptura sciri potest. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia quod non est confirmari non potest cum non entis nullæ sint qualitates *vulg.l.eius qui in prouinc.41. D.de reb.cred.l.1. & tot.tit. De confir tutor.*

2 *Defin.20.*vbi dixi *num.2.5.*

3 Nec enim nisi lectis, inspectis cognitisque verbis instrumenti potest de eius validitate cognosci *argum. l. de his 6. ff.de transact.l.1.D.testam.quem.aper. l.postquam §.si dies D.vt legat.seu fideic.caus.caueas.*

4 Quo casu si de solo facto quæreretur, id est, an scriptura aliqua fuisset, & quid ea contineret, posset probari per testes, *l.testium facilitatem 18.in fin.C.de testib.*

5 Quibus verbis significamus formam actus tam intrinsecam quàm extrinsecam. *l.sciendum 30.vbi not.D.de verb.oblig.*

DEFINITIO LXIX.

De possessoria in collitigantis locum subrogatione.

SVbrogationis literæ quas defuncto collitigante super possessorio beneficij collitiganti superstiti concedi moris est,[1] ei prodesse non possunt qui intrusus est, sicut nec alteri cuilibet canonicum titulum non habenti. Regula enim de subrogandis collitigantibus nominatim excipit intrusum,[2] Et in beneficiis perpetuum est, vt sine titulo nemo vnquam ad beneficium admittatur, Ne alioqui detur vicious ingressus.[3] Itaque etiam mortuo collitigante qui solus titulum habebat non aliter vincere potest superstes collitigans si nouum habeat contradictorem quam si titulum sibi acquirat:[4] Plane multo minus poterit nouus ille contradictor subrogationis literas impetrare. Non enim nisi collitigantibus concedi solent ratione possessorij,[5] Tametsi quod ad petitorij causam attinet summus Pontifex possit & soleat quem vult in ius & locum demortui subrogare.[6] *Ita Senatus* pro Amedeo Vincent contra Franciscum Thibaud 11. Calend. Iul. 1594.

1 Ex Cancellariæ regula *De subrog.collitig.*

2 Itaque cum lex ita scripta sit nihil vlterius est inquirendum, *l.prospexit 1. D.qui & à quib.manum.*

3 *Cap.1.*vbi Dyn.& alij *de reg.iur.in 6.*

4 Non enim titulus defuncti potest euadere in titulum superstitis, cum suo iure quisque debeat beneficium tenere non alieno.

5 A Principe seculari, qui per suos iudices de beneficij possessorio cognoscit vt dixi *Defin.67.5.*

6 Quoniam ea subrogatio per summum Pontificem facta noui tituli vim habet quem scilicet Papa conferre pro arbitrio potest *can.cuncta per mundum 9.quæst.3.*

DEFINITIO LXX.

De iure beneficiorum varia.

IN eadem facti specie, quæ sequuntur omnia tractabantur. *Potest* induci ex consuetudine vt Officialis & Vicarius Episcopi absentis concedere possit literas commendatitias ad ordines.[1] *Clericatus* simplex sufficit ad beneficij simplicis impetrationem.[2] *Quatuor* minores ordines vno eodemque die conferri possunt.[3] *Ex quo quis* palam & publice missas celebrauit longissimo tempore sciente & patiente superiore, præsumitur legitime ordinatus adeo vt nec eius ordinatio in dubium reuocari possit.[4] *Possessorium* super quo lis pendet non operatur veram litispendentiam, Nec consequenter inducit ius subrogationis in fauorem aduersarij superstitis, Ideoque nec impedit quin alteri prouidere ordinarius possit.[5] *Vicarius* licet generalis conferre beneficia non potest nisi speciale in id habeat mandatum, quia beneficij collatio donatio est.[6] Neque distinguimus hac parte Vicarium Papæ à vicario ordinarij.[7] *Collatio* facta per non habentem potestatem est ipso iure nulla,[8] nec tribuit titulum coloratum,[9] ideoque intrusus dicitur qui titulum habet ab eo qui dare non potuit perinde acsi nullum haberet, intrusus autem non habet titulum coloratum,[10] Vnde illud quoque fit vt non iuuetur regula De triennali possessore.[11] *Beneficium* quantumuis simplex non nisi clerico & canonice conferri potest.[12] *Duabus* collationibus eodem die factis vt non appareat vtra sit prior tempore, eius est probare prioritatem (vt loquuntur) temporis, qui se fundat in tempore.[13] Si tamen altera ab ordinario, altera ab eius vicario facta sit, præferetur is cui prouisum fuit ab ordinario, Quia cæteris paribus non potest vicarij auctoritas cum ordinarij auctoritate æquo iure contendere.[14] *Creditur* literis Episcopi & narrationi per eum factæ in iis quæ sunt facti sui.[15] *In beneficialibus* vltimus status attenditur, præsertim ad discernendam qualitatem beneficij & an sit patronatum necne,[16] Sola enim quasi possessio inspicienda est, quæ ex vnico etiam actu acquiritur, & probatur.[17] Idque est quod dici solet vltimam & immediatam quasi possessionem considerari.[18] *Beneficia* plura sub eodem tecto non possunt sine dispensatione ob eodem obtineri, Secus si sint diformia & non sub eodem tecto.[19] Ius patronatus probari potest per solam famam ad obtinendum etiam in petitorio,[20] Multo igitur magis in possessorio.[21] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Gloss. *in verb. indultum, capit.nullus, de tempor. ordin. in 6.* Notat. *in cap. significasti. de offic. Archid. & 9. quæst.2. can. episcopum.*

2 Rot.*decis.26.in antiq.* Panorm. *in cap quatuor de cleric.peregr.* Ioan.Monach.*in cap.sæpe de temp.ordin.num.13.* Ang. *in l.2.§.idem testam.quem.aper.*

3 *cap.de eo de temp.ordin.in 6.cap penult. & fin.de eo qui furt. ordin.suscep.*

4 Ioan. And.Butr. & DD. *in cap.illud.de præscript.* Castr. *cons. 202.lib.1.*Dec.*cons.135.&* 152. Guid.Pap.*q* 449.

5 Cassad.*decis.4.vt lit.pend.*Rot.*decis.433.in antiq.*Nor.*in Auth. litigiosa, C.de litigios.* Vide *cap.1.& 2.vt lit. pend.in 6. cum clem.1 eod.* quos textus non procedere in lite de sola possessione testantur Ioan.Andr. & Abb. *in cap. ecclesia sanctæ Mariæ & in cap. fin. eod. tit.vt lit.pendent.*

6 *cap fin.de offic.vicar in 6.cap.3.de præb.eod.lib.*

7 Felin. *in capit. cum ordinem column.3. versic. limitat. de rescript.*

8 *dict. cap. fin. de offic. vicar. in 6. cap. ex frequentibus de institut.*

9 Lap. *in cap. si tibi absenti. de præb.in 6.* Gomes.*in reg.de trien. quæst.27. vers.tertius casus.*

10 Felin.*in cap.in nostram de rescript.*

11 Gomesius *in dict.reg.de triennali. quæst.27.post princip. versic. quia ille.*

12 *cap.2.de instit. cap. ex litteris, de transact. cap. cum adeo ac rescript.cap.1.eod.tit.in 6.*

13 Gloss.*in cap.si à sede in verb.nec appareat de præb.in 6.* Castr. *in l.si inter num.8.de reb.dub.*Alex.*in l.si minorem. C.de in integr.rest. minor.*Natt.*cons.167.num.11.vol.1.*

16 Quia vicarius nullam iurisdictionem habet nisi mandatam & alieno beneficio, *l.3.de offic.eius cui mand.est iurisd.l.more §. & seq.l.solet.16.D.de iurisdict.*

BIU Cujas

15 Rot. *decis. pen. de iur. patr. in nouis.* Felin. *in cap. post cessionem vbi text. De probat.* Roch.de Curt. *in tract. de iure patron. in verb. honorificum nu.83.* dummodo literis constet fides, id est, si episcopali sigillo sint munitæ, Capel.Tholos. *qu.24.& 31.*

16 *Cap.consultationibus de iur.patron.* Feder.de Senis *cons.234. super primo.* Oldr.*consil.312.incip.thema quæstionis, circ.fin.* Calder. *cons.23.de præb.& cons.vlt.de iur.patron.*

17 Decius *in l.si emancipati,* C.*de collat.& cons.117. colum.2.& cons.124.in princip.* Corn.*consil.47.lib.3.* Roch.de Curt. *De iur.patron. vers.competens, nu.34.* Alexand. *cons.74.num.16. volum.4.vbi apostill.in addit.* Bald. *cons.251. lib.4.* Rom.*cons.311.* Rip.*tit.de vi & rest.spoliat.resp.1.num.4.* Not. *in cap.cum ecclesia Sutrina de caus.poss. & propr.* Adde text.*in cap.cum de beneficio, de præb.in 6.& in l.Meta* 14.§.*sed si alimenta. De alim.vel cibar.legat.*

18 Oldrad.& Felin.*vbi supr.* Calder.*consil.12.& 15. De iur.patron.* Abb.*cons.54.incip.videtur, lib.1.*

19 Not.late per Philip.Probum. *in cap.consuetudinem, de consuet.in 6.*

20 Si modo fama probetur plane & iis modis, quibus probanda est in antiquis, Vide Bartol. *in l.admonendi, D.de iure iurand.*

21 Possessorium enim sicut minoris momenti est, ita leuiores probationes requirit. Notat.*in l.vnic.Cod.si de moment.possess. fuer.appellat.*

DEFINITIO LXXI.

De eo quod in certum vsum pium relictum est in alium non commutando.

QVod in vsus pios certos & specialiter destinatum est non potest in alium vsum quantumuis pium conuerti; nec consentientibus etiam iis omnibus quorum interest, Nisi consulto prius & auctoritatem præstante episcopo, tametsi iusta commutandi causa subsit, Adeoque licet de ipsius Episcopi iure & præiudicio non agatur. Soletque in eam necessaria esse auctoritas summi Pontificis.[1] Quinimo placuit nec summum Pontificem hoc facere posse sine causa, si ordinariam duntaxat potestatem exerceat, sed ita demum si absolutam.[2] Sed etsi commutationem illam pij vsus in alium Episcopus, non tam solemni auctoritate in ipso negotio interposita, quam facto adprobasset, Placuit non idcirco prohiberi eum postea improbare, si velit,[3] Multoque magis non debere eam rem nocere successori si pristino episcopatus sui iure vtendum putet.[4] *Ita Senatus* pro Reuerendiss. D. Episcopo Bellicensi aduersus Capitulum ecclesiæ Cathedralis 9.Cal.Decemb.1594.

1 *Clem.2.quia contingit,* vbi Gloss.& Canonist. *Extr.de religios.& domib.*

2 Guid.Pap.*qu.556.incip.testator quidam.*

3 Quia potest quis etiam contra proprium factum venire, si tale factum sit ipso iure nullum & contra leges, *l.non dubium, vbi not.* C.*de legib. Not.in l.cum à matre* C.*de rei vindic.*

4 Successor enim in beneficio non sui prædecessoris, sed ecclesiæ ius & locum obtinet.

DEFINITIO LXXII.

Regula de triennali non iuuat non promotum, qui intra certum tempus promoueri iussus non paruit.

ETsi regula De triennali possessore iuuat eum, qui non est promotus ad sacros ordines intra annum:[1] Si tamen non promotus iussus sit ab episcopo suo promoueri, nec paruerit, succumbere debet non tantum in petitorio, sed etiam in possessorio, tametsi temporum licentiâ, vel superiorum indulgentia per 30. aut 40. annos pacifice beneficium possederit. Pertinet enim id ad publicam & honestatem & vtilitatem.[2] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio Ant. Calend. Sept. 1594. contra D.de la Biollet.

1 Vt tractat Gomes.ad eam regulam *De trienn.quæst.10.*

2 Cuius præcipua semper ratio habenda est, *l.semper 42.de rit. nupt.l.non omne 144.iunct.l.non potest dolo carere 199.de reg.iur.*

DEFINITIO LXXIII.

Spoliato succurri etiam aduersus triennalem possessorem.

REgula De triennali possessore non excludit remedium, quod ex Canone Pontificio[1] competit spoliatis ad recuperandam possessionem. Quippe quod etiam contra titulo possidentem bonæque fidei possessorem, competit,[2] nec actorem ad aliud obligat nisi vt probet antiquiorem suam possessionem agatque intra annum trigesimum,[3] si reus bonæ fidei possessor proponatur. Nam si prædo sit & spoliator, ne longissimi quidem temporis præscriptione actor excluditur.[4] Imo vero quamuis dici soleat beneficia commendata affecta esse & reseruata summo Pontifici, nec nisi apud Sedem vacare,[5] Si tamen obreptum esse constet atque eiusmodi impetratione spoliatum illum ad quem beneficij possessio pertinebat, non prohibebitur spoliatus exequi ius suum, quoniam nec credendus est summus Pontifex in præiudicium iuris quæsiti concedere quicquam voluisse.[6] Nec aliud erit si priore commenda cessante alij quoque idem beneficium per multos annos in commendam tenuerint. Nam quod placet in beneficialibus vltimum statum & nouissimos actus attendi oportere,[7] tum verum est cum reuera beneficium vacauit, non si quid eo iam pleno perperam & inique actum sit.[8] *Ita Senatus* pro R.D.Claudio Carles Priore Sancti Roberti de Cornillion & Amedeo Cocq, contra Philibertum de Rochete 5. Non. Decembr. 1594. Vide Definit. 1. infra Vnde vi.

1 *can.redintegranda 3.quæst.1.*

2 Scilicet si res sit vicio affecta, puta furtiua vel violenta. Vide Menoch.*remed.15.recup.poss.num.89.& seq.* post Bart.*in l.rem quæ nobis num.2.de acquir.poss.* vbi etiam Angel. Adde Bald.*in l.2. C.de furt. Alex.cons.117.& seq.lib.2.*

3 *Auth.malæ fidei* C.*de præscr.long.temp.l.sicut* 3.C.*de præscript. 30.vel 40.annor.*

4 *Ex reg.malæ fidei de reg.iur.in 6.*

5 Dixi *Defin.9.& 10.5.*

6 *l.si quis obrepserit 19 ff.de fals.l.5.§.manet de reb.eor. qui sub tutel.* Dixi *Defin.22.5.*

7 Dixi *Defin.70.num.16.17.& 18.5.*

8 *l.quod non ratione 39. D.de legib.*

DEFINITIO LXXIV.

De vnionis reuocatione aut suspensione.

BEneficium vnitum vsque adeo amittit nomen & effectum beneficij vt nec à summo Pontifice conferri possit, Nisi reuocata aut saltem suspensa vnione. Quanquam nec facile reuocatio illa aut suspensio in bullis recipi solet,[1] Nisi constet de vnionis iure adprime instructum summum Pontificem ei derogare voluisse.[2] Quod cum euenit, valet quidem reuocatio, ita vt noua vnione opus sit ad hoc vti beneficium quandoque vacans ex integro vnitum videri possit.[3] Sed si suspensio tantum facta sit, fauorabilius est vt non nisi fauore impetrantis & ad ipsius duntaxat vitam facta videatur, ad effectum scilicet illius impetrationis.[4] Itaque mortuo impetrante beneficium ipso iure factoque vnitum remanebit, cessante nimirum suspensionis causa, nec vllo in eam rem rescripto opus erit.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic Rebuff.*in tract. de reuoc. vnion.num.39.*

2 Cum habeat plenissimam in conferendis beneficiis potestatem, *can.cuncta per mundum 9 quæst.3.*

3 Semel enim dissolutum vinculum vnionis non nisi legitimis modis restitui potest.

4 Vt

BIU Cujas

4 Vt vnio non tam extincta & sublata esse quam interim cessare videatur, vt *in l. qui res 98. §. aream de solut.*

5 Vt scilicet limitata causa limitatum non perpetuum pariat effectum, *l. imperator 8. in fin. D. de postul. l. in agris 16. de acq. rer. dom.*

DEFINITIO LXXV.

De intrusionis exceptione etiam per iudicem supplenda.

QVi possessionem beneficij viciosam nactus est vt intrusus dici debeat, siue quod titulū nullum habuerit, siue quod habuerit ab eo cui ius conferendi non fuit [1] exprimere id ipsum debet summo Pontifici, à quo ex nouo iure beneficium impetrare velit. Alioqui subreptitia aut potius obreptitia nulliusque momenti est impetratio, Quasi vicio intrusionis non purgato: [2] Tametsi ex priore illa viciosa possessione fructus nulli percepti sint. [3] Idq; adeo verum est, vt id vicium etiamsi ab aduersario non obiiciatur, iudicantis tamen officio suppleri & possit & debeat, dummodo ex litis instrumentis constet de intrusione, quoniam ea exceptio meri iuris non facti est. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Paria enim sunt, nullum titulum habere & eum habere qui ipso iure sit nullus, *l. 2. de autor. tutor. l. quoties 6. qui satisd. cogant.*

2 Nec enim potest purgari nisi exprimatur. Dixi *Defin. 2. & 29. supr.*

3 Nam nec fructuum perceptio necessaria est ad essentiam possessionis.

4 Alioqui non posset iudex supplere id quod esset facti cuiusmodi est intrusio.

5 Potest autem iudex supplere ea quæ sunt iuris *tot. tit. C. vt quæ des. aduoc. part. iud. suppl.*

DEFINITIO LXXVI.

De pacifica decennali possessione ad inducendam præsumptionem tituli colorati.

HAbens titulum non coloratum ab eo qui neque ius habuit neque in possessione fuit beneficij conferendi [1] cum dicatur intrusus non iuuatur regula De triennali, [2] Nisi per pacificam possessionem decennalem assecutus sit vt existimari debeat habere titulum coloratum. [3] A quo demum tempore præteriti decennij tempus triennij computabitur. [4] Itaque continua & pacifica tredecim annorum possessio in eam rem requiretur. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Sufficeret enim illum qui contulit fuisse in quasi possessione conferendi, vt titulus ab eo datus posset dici coloratus saltem in possessorio. Gomes. pass. & alij *ad reg. De triennali.*

2 Idem Gomes. & alij *ibid.*

3 Nam præscriptio ipsa longi temporis sufficit, non quidem ad dandum titulum, sed ad colorandum, *l. si cum fideicommissa 11. §. Aristo. qui & à quib. manum.*

4 Vt incipiat triennium ex die coloratæ possessionis.

DEFINITIO LXXVII.

Beneficium regulare alterius ordinis licet eiusdem regulæ, monacho conferri non posse.

EPiscopus, licèt sit collator ordinarius beneficiorum omnium in sua diœcesi constitutorum, [1] non potest tamen prouidere de beneficio regulari, nisi eo demum casu quo regularis ordinarius fuerit in mora prouidendi. [2] Sed & in beneficij regularis concessione illud districte obseruandum est, vt non tantum eiusdem regulæ, sed eiusdem quoque ordinis esse debeat is cui prouidetur, Aliquando enim contingit, vt eiusdem regulæ sint qui tamen eiusdem non sunt ordinis. [2] Itaque si beneficium sit ex regularibus ordinis Sancti Benedicti, monachus vero Altacombanus qui Cistercienſis est ordinis, impetrare beneficium non poterit, licet vterque ordo regulam Benedictinam profiteatur, Solusque summus Pontifex ille est qui dispensationem in eam rem necessariam concedere potest. [4] *Ita Senatus* ibid.

1 *Can. omnes basilicæ 16. quæst. 7.*

2 Quoniam regularia beneficia suum habent prælatum & superiorem, quibus summus Pontifex dedit potestatem ea conferendi. Vide *cap. inter quatuor extr. de regular.*

3 Differt si quidem ordo à regula vt constat ex exemplo posito in hac Definitione.

4 Pro plenissima illa quam in beneficiis omnibus habet potestate tanquam ordinarius ordinariorum, vt dixi *Defin. 21. num. 4. 5.*

DEFINITIO LXXVIII.

De decimis per laicos non possidendis.

AQuo tempore Lateranense Concilium habitum est, [1] vsque adeo incapaces laici sunt iuris habendarum sibi & exigendarum decimarum, vt neque ex conuentione, neque vllius quanticunque temporis præscriptione id iuris sibi possint acquirere. [2] *Ita tractatum est* pro Capitulo Sancti Petri Gebennensis contra D. de Grilly in publico auditorio, 3. Id. Maij 1595.

1 Habitum autem fuit anno salutis 1179. aut vt alij volunt 1179.

2 Hostiens. *in summa tit. De decim.* Capell. Tholos. & ibi Aufrer. *dec. 439.*

DEFINITIO LXXIX.

Reg. de publ. resig. locum habet etiam in beneficiis permutatis.

REgula De publicandis intra semestre resignationibus perinde locum habet si ex causa permutationis facta sit resignatio, atque si ex alia qualibet, Nimirum vt si intra tempus constitutum resignatio publicata non sit perinde vacet beneficium per obitum resignantis post semestre defuncti, ac si nulla resignatio facta esset. [1] *Ita Senatus* pro N. Carier contra Hieronymum de Veige in publico auditorio, 4. Id. Iun. 1595.

1 Ita pluribus tractat Gomes. *ad reg. de public. resignat quæst. 8.* vbi vide.

DEFINITIO LXXX.

Quando ei qui ex permutatione resignauit noua prouisione opus sit post continuatam triennalem possessionem.

REsignatione beneficij facta ex causa permutationis licèt admissa sit ab ordinario adeoque in Curia Romana & à summo Pontifice adprobata, si tamen resignans in beneficij possessione manserit post publicatam intra sex menses resignationem (alioqui nec valet resignatio [1]) noua prouisione non indiget, si in ea possessione per continuum triennium steterit, [2] Multo minus si per decennium aliudve longius tempus. [3] Ea namque triennalis possessio continua & pacifica noui tituli instar obtinet, inducitque adepti eius præsumptionem. [4] Nec ad rem pertinet quod regula De triennali non iuuet intrusum, Intrusus autem videatur qui beneficij à se resignati possessionem propria auctoritate ac sine noua prouisione retinuit. [5] Hoc enim tum vere dicitur, cum ex alia causa quam permutationis facta resignatio est. Nam cum permutatio interuenit, credibile est ideo continuatam à permutante possessionem suam, quod alius permutati bene-

BIU Cujas

ficij possessionem quam vicissim tradere debuit non tradiderit. Quæ res iustam præbet non modo retinendæ sed etiam repetendæ pristinæ possessionis causam,[6] Denique permutatio omnis quantumuis pure facta tacitam illam condicionem habet, si vicissim compermutas rem tradet, suiq; beneficij transferet possessionem.[7] Extra hunc casum noua prouisione opus est ei qui beneficium resignauit vt deuitet vitium intrusionis.[8] Omni tamen casu nouam prouisionem impetrari tutius est,[9] etiam secuta triennali possessione, Multo magis si ante continuatam per triennium possessionem de beneficio contendatur: Triennalis enim possessio illa est, quæ tituli instar obtinet.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hoc est, si non sit publicata intra sex menses, vt dixi *Defin. prox. præced.*
2 Propter *reg. De triennali.*
3 Ex iis quæ diximus *Defin. 76. 5.*
4 Cum non sit credibile passurum ordinarium qui vnoquoque triennio totam suam diœcesim visitare & perlustrare tenetur, vt beneficium ab aliquo sine titulo possideatur.
5 Vt tractat Rot. *decis. 8. & vlt. de rer. permut. in antiq.*
6 Vt scripsimus *Defin. 53. 5.*
7 *Cad. l. de rer. permut. in 6. cap. dudum de præb. eod. tit. facit l. cum te 6. C. de pact. int. empt. & vendit.*
8 Vt eo casu procedat quod vult Rot. *dict. decis. 8. & vlt. de rer. permut.*
9 Vt tractat Rebuff. omnino videndus *in tract. De publ. resign.*
10 Nempe ob rationem positam *num. 4. 5.*

DEFINITIO LXXXI.

Aduersarij detentationem asininam & quanto tempore durauerit exprimi debere.

SI regulæ De annali possessore satis factum non sit per expressionem eorum quæ exprimi debuerunt, nulla prorsus est gratia, nullus titulus, quia reducitur ad non titulum, adeo vt etiam intrusus & alius quilibet iniustus & execrabilis detentor solo hæretico excepto ea regula adiuuetur.[1] Inter cætera vero districtè illud obseruandum vt aduersarij possessio adeoque asinina detentatio exprimatur, & quanto tempore durauerit, Vt scire summus Pontifex possit, an & quale ius habeat is qui beneficium tenet.[2] Ita vt nec generalis expressio sufficiat,[3] Nisi expressim regulæ hac parte sit derogatum.[4] *Ita Senatus* in causa Guilielmi Bachod contra Claudium Philippe pro Cameraria Ambroniacensi 4. Non. Iun. 1595.

1 Gomes. ad eam regulam *qu. 83. nu. 110. 120. & seq.* [*& qu. 38. vers. & ideo.* vbi distinguit an impetrans petat huic regulæ derogari, an non, vt priore casu non etiam posteriore impetrans narrare debeat quot annis possessor beneficium tenuerit.]
2 Gabriel. *lib. 5. commun. opin. tit. De acqu. poss. nu. 1. 4. 6 & 7.*
3 Rot. *decis. 78. de rescript. in antiq. alias 787.*
4 Nemo enim dubitat quin Papa possit regulis Cancellariæ derogare & in totum & in parte.

DEFINITIO LXXXII.

De expresso falso vacationis modo.

QVi beneficium impetrauit expresso certo vacationis modo quasi vacaret per obitum Titij, cum tamen nihil in eo iuris vnquam Titius habuisset, vsque adeo male impetrasse credendus est, vt nec ei prodesse debeat generalis illa clausula vulgo apponi solita, *ex quacunque persona & quouis modo vacet*,[1] In pœnam nimirum expressi mendacij.[2] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Not. *in cap. susceptum. de rescript. in 6.*
2 *Cap. super literis, extr. de rescript. l. vlt. C. de diuers. rescript.*

DEFINITIO LXXXIII.

De probatione tituli in beneficialibus.

TItulus non eo solo probatur præsertim in beneficialibus quod testes dicant scripturam tituli se vidisse. Omnimodo enim exhibendus est, & in scriptis probandus, quia non de eo solo quærendum est an titulus aliquis fuerit, sed an bonus & validus, quod non nisi ex eius inspectione sciri potest.[1] Quare nec prodesse debebit alleganti titulum, ficta aduersarij possessio propter contumaciam; quia nec vera confessio prodesset.[2] Multo minus proderit tibi ad probationem tituli, quod aduersarius tuus talem te nominauerit siue in iudicio siue extra iudicium. Nam nec nominatio quam summus ipse Pontifex etiam scienter fecerit, vllum tamen ius tribuit in beneficio,[3] Nec si motu proprio Papa gratiam concesserit.[4] Est enim generale, vt confessio partis, neque prosit neque noceat in his quæ non pendent à voluntate confitentis.[5] Nam neque pacta & conuentiones super beneficiis sine consensu superioris vllius sunt momenti.[6] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Definit. 31. infr. de probat.

1 Dixi *Defin. 68. 5.*
2 *Cap. executor. de concess. præb. cap. cum olim. de priuileg.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de rescript. ad benef. nu. 17. 18. & 26.*
3 *Clem. fin. de sentent excommunic.*
4 Rebuff. *vbi 3. d. num. 26.*
5 *l. confessionibus 13. in pr. cum l. seq. §. vlt. de inter. in iur. fac. cap. olim de rescript. cap. vni.* vbi Gemin. *de eo qui mitt. in poss. lib. 6.* Bellam. *qu. 183.* Capell. Tholos. *qu. 474.* Rebuff. *in reg. de non tollend. ius quæsit. gloss. 7. num. 4.*
6 *Paris. cons. 4. nu. 38. lib. 4. decis. 17. De rest. spoliat. in nouis.* Gloss. *in pragm. sanct. tit. De pacific. poss. in verb triennio col. 3.* Rebuff. *tit. De rescript. ad benefic. fol. 127. num. 26. in praxi.*

DEFINITIO LXXXIV.

Si resignatio absenti facta sit & resignatarius ante acceptationem decesserit.

EX resignatione non prius acquiritur ius resignatario quam admissa fuerit resignatio à summo Pontifice vel ab ordinario qui eius admittendæ ius habeat.[1] Sed & apprehensionem possessionis secutam esse necesse est, saltem ex vna parte, Alioqui censetur quilibet à iure suo velle recedere.[2] Sed neque admissam esse resignationem sufficit si facta sit absenti quousque secuta sit acceptatio per ratihabitionem.[3] Vnde illud est vt si is cui facta fuerat resignatio decesserit in curia post admissam quidem resignationem, sed ante secutam acceptationem, non tamen beneficium in curia vacasse censeatur.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. fin. de renunicat.* Rebuff. *in praxi tit. de resign. nu. 11. & 12. Gloss. in prag. san. De pacific. poss. in verb. renunciat.*
2 Cassad. *decis. 4. de restit. spoliat. nu. 2. & 10.* Text. cum glos. *in cap. dilecto in verb. recepisti de præb.*
3 *Cap. si tibi absenti, de præb. in 6.*
4 Notat Imol. *in clement. fin. de lit. pendent. nu. 17.*

DEFINITIO LXXXV.

De beneficij possessione non nisi cum literis & per apparitorem assequenda.

AD habendum ius in beneficio vitiúmque intrusionis excludendum non sufficit vt quis titulum iustum & validum habeat, sed illud præterea requiritur vt possessionem nactus sit per manus executoris, & vigore literarum ab habente ad habentem potestatem.[1] Alioquin sicut dicitur prædo quisquis beneficij

BIU Cujas

ficij possessionem nanciscitur absque literis, Ita & qui cum literis absque ministerio executoris & propria auctoritate, intrusus dicendus est, adeoque ius suum amittit si quod habebat. [2] Quod in rebus quoque profanis & temporalibus non dissimiliter obtinet. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l.miles 6.§.qui iudicati. D.de re iudic.l.extat.13.quod met.caus. l.creditores 3.C.de pignor.*

2 *cap.eum qui de præb.in 6.* Rot. *decis.10.nu.2.vt lit.pendent. in nouis.* Dyn. *in cap.1.de reg.iur.in 6.* Rebuff. *in praxi benefic.tit. De miss. in poss.* Gloss.23.*nu.5.& 8.fol.88.*

3 *d.§.qui iudicati, & l.si ex stipulatione vbi DD. de acquirend. possess.*

DEFINITIO LXXXVI.

Si beneficij possessor in canonis annui solutione per longum tempus cessauerit.

CVm possessor beneficij per multos annos cessasset in solutione census, & canonis annui pro agris emphyteuticariis debiti, Ita vt congesta tot annorum reliqua bonorum omnium ad beneficij causam pertinentium valorem æquatura viderentur, Quærebatur an ex ea causa actione in rem aut condictione ex contractu emphyteutico aduersus successorem agi posset. Mouebat ex vna parte quod cum seruitij debiti & canonis emphyteuticarij ius sit reale, [1] actio in rem ex ea causa competit quæ sequitur proculdubio quemlibet fundi possessorem, [2] Ne forte alioqui moretur in damno directus dominus, si prior emphyteuta qui cessauit in solutione non habeat vnde soluat. [3] Atqui admissa ea sententia facile emerget iniquitas, vt per negligentiam prælati ecclesia fiat indotata, [4] Si ponas nullos ecclesiam habere agros nisi qui sint emphyteuticarij, aut pro eo censu annuo cætera quoque bona ecclesiæ licet non emphyteuticaria esse obligata, & tam exigui valoris, vt soluendis reliquis vix sufficere queant. [5] Itaque fauore ecclesiæ ne indotata constituatur vel pauperior fiat, humanius est à summo iure hac parte recedi, vt decessoris qui tamdiu in solutione cessauit negligentia non noceat successori, [6] nec si is ex voluntaria resignatione beneficium fuerit assecutus, [7] Præsertim vero si domino directo imputari possit, cur non fuerit diligentior in agendo contra priorem beneficiarium, aut si egit & obtinuit non citius exegerit & iudicati executionem vrserit. [8] Nam si respondeat licuisse sibi esse negligenti quod sciret ius suum vtique durare, [9] nec temporis lapsu extingui posse, [10] non erit audiendus, cum futurum sit, vt ea negligentia cum debitoris cessatione coniuncta vergat in dispendium Ecclesiæ, [11] Cui tamen factum aut mora prælati nocere nec potest nec debet, [12] quia bonorum ecclesiasticorum & proprietas & possessio penes ecclesiam ipsam esse intelligitur, [13] non penes prælatum, qui non nisi nudus beneficij administrator est, aut saltem vsuarij vel ad summum vsufructuarij iure censendus, In quo apparet meliorem esse conditionem successoris in beneficio, quam eius, qui in priuati ius siue vniuersali siue singulari titulo successerit. Priuatus enim sicuti quam vult rei suæ legem dicit: [15] Ita & quod vult sibi suisque damnum infert. [16] Nec aliud erit tametsi proponas dominium directum propter quod canon ille emphyteuticarius debetur ad aliam ecclesiam pertinuisse. Nam quod dici solet priuilegiatum non vti priuilegio aduersus priuilegiatum, [17] locum hic habere non potest, maioris illius absurdi vitandi causa, [18] Ne per negligentiam vtriusque prælati tam qui in exigendo cessauit quam qui in soluendo, alia ecclesia indotata fiat, cui nihil imputari potest. [19] Nisi illud forte imputare velis, quod malum & negligentem prælatum & administratorem habuit. [20] Quid ergo si leuius damnum ecclesia ex eo passura sit? [21] Ne tum quidem admittam nocere successori debere negligentiam prædecessoris, si quid sit quod prælato ecclesiæ superioris imputari possit. [22] Sane aduersus heredem prælati qui negligens fuerat in soluendo salutas esse actiones constabat. [23] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 37. infra De sacros. eccles.

1 Solent enim pragmatici dicere, seruitia peti actione in rem, laudimia vero in personam. Etsi illud quoque verum est seruitia peti posse per actionem personalem, cum ex contractu debeantur, *l.1.& tot.tit.C.de iur.emphyt.*

2 *L.Imperatores,7.de publican.& vectig.l.1.& tot.tit.C.siue cens. vel reliq. fund. compar.non poss.* quia in actionibus in rem, non persona sed res conuenitur, *l.denique, 19. D.de iure fisc.l.vlt. D. de rei vind.*

3 Nemo enim fraudandus est commodo conuentionis quam dixit rei suæ, *l.vlt. C.de pact.int empt. & vendit. l.in traditionibus 44.D.de pact.l.vendisor,13.commun. præd.*

4 Dotatam siquidem esse interest publice, vt possit inuenire Prælatum, qui cultui diuino inseruiat. Qui enim altari seruit, de altari quoque, vt aiunt, viuere debet.

5 Non enim permittitur emphyteutæ, vt derelinquendo bona emphyteuticaria se liberet, nisi totius præteriti temporis reliqua soluat.

6 Vt dici solet de alienatione rei Ecclesiasticæ per prælatum malefacta, Guid.Pap. *qu.149.& seqq.* Quod enim facere directo in præiudicium Ecclesiæ Prælatus non potest, nec per indirectum ei facere permittendum est, *l.scire oportet,* 21. §.1. *de test.tutel.l.3.§.si pupillus, de reb.eor.qui sub tutel.*

7 Non enim ideo beneficium habet resignatarius à resignante, sed à summo Pontifice vel ab ordinario qui contulit.

8 Diligentibus enim non negligentibus iura succurrunt, *l.non enim 16.D.ex quibus caus.maior.l.pupillus, 24.in fin.D.quæ in fraud.credit.*

9 *Arg.l.sicus,8.§.non videtur, D.quibus mod.pign. vel hypoth. soluit.*

10 Durat enim reliquorum exactio, vsque ad 30. annos, vt not. *in l.cum notissimi,C.de præscript.30.vel 40.annor.*

11 Facit enim dolo malo creditor, qui non alia de causa differt exactionem, quam vt magis ac magis oneret debitorem. Iuuari si quidem beneficio non decipi quem oportet, *l.in commodato,17.§.sicut, D.commod.*

12 *l.in condemnatione,173.§.vnicuique, de reg.iur.*

13 *Tot.tit.extr.de caus.poss.& propr.*

14 Glos. magna communiter adprobata *in c. fin. de offic. ordin. in 6.*

15 Vulg. *l.in re mandata, 21. C.mandat.d.l.vlt. C.de pact. inter empt.& vendit.*

16 Potest enim quilibet vt suam ita & sui hæredis conditionem pro arbitrio deteriorem facere, *l. pactum, 46. D.de pact.l.pen.C.eod.*

17 *l.verum, 11.§.pen. D.de minor.* quanquam hoc brocardicum falsum esse constat, *ex l.vlt.D.ex quib.caus.maior.*

18 *Arg.l.quoties,209.de reg.iur.*

19 Semper enim succurrendum ei est, cui nihil imputari potest, *l.3.D.de separat.*

20 Quod tamen absurdum esset, quia incidit Ecclesiæ in Prælatum, *arg.l.vlt.D.rem pupill.salu.for.*

21 Solet enim dici de minimis non curare Prætorem. Sed id quoque falsum est, nisi cum per rem minorem maiori præiudicaretur, *l.4.D.de in integr.restit.*

22 Vbi enim eadem ratio est, ibi & idem ius statui debet, *vulg.l.illud,32.ad l.Aquil.*

23 Nam & eo iure hodie vtimur ex generali consuetudine, vt fructus beneficij pertineant ad hæredem, non ad successorem in beneficio.

DEFINITIO LXXXVII.

De variis vacationis modis, & an modus vnus in alio comprehendatur.

BEneficiorum vacantium summa diuisio illa est, vt vel per mortem beneficiarij vel per renunciationem, vel per translationem, vel denique per amotionem aut priuationem vacare intelligantur. [1] Nec valde refert quod ad renunciationem attinet, quam vulgo resignationem vocant, an ex causa permutationis, an ex qua alia fiat. [2] Vsque adeo autem inter hos vacandi modos interest, vt alius in alio non compre-

BIU Cujas

hendatur,[3] scilicet in rescriptis ad beneficia impetratis, quæ in hoc ipso minus fauorabilia sunt, quod non nisi priuatum impetrantis fauorem respiciunt.[4] Nam si quid in fauorem Ecclesiæ constitutum sit, non tantum vacationis modo expresso, idipsum ad alios vacandi modos fauorabili interpretatione non inutiliter porrigetur.[5] *Sine die.*

1 *Cap. nisi cum pridem & c. post translationem, c. vlt. de renunciat. t. susceptum, vbi Canonist. de rescript. in 6.*
2 Rot. *decis. 398. in antiq.* Gloss. *in clem. 1. de rer. permut. & in c. si propter sua debita, de rescript. in 6.*
3 *Dict. c. susceptum,* Boer. *quæst. 2. num. 2.*
4 *Cap. quamuis, 1. de præb. in 6.*
5 Boer. *d. quæst. 2. num. 4.*

DEFINITIO LXXXVIII.

Renunciatio & resignatio beneficij, quando in fraudem facta præsumatur.

BEneficij renunciatio in fraudem facta præsumitur, si à sene vel infirmo facta sit fratri aut nepoti ex fratre vel sorore,[1] aut ab eo, qui verisimiliter beneficio priuandum se non ignorabat.[2] Proinde nullius momenti est, ne dignitas ex successione potius quam ex canonica institutione vel electione delata videatur.[3] Eadem fraudis præsumptio subest, si beneficium pingue pro tenui permutetur,[4] nec iusta vlla permutandi causa appareat. Quid enim si non potuerit permutans in pinguiori illo beneficio aut satis honeste aut tute morari?[5] Benignius tamen est, vt ex huiusmodi causis, si aliud nihil obstet, prouisio & collatio in irritum non deducatur.[6] *Sine die.*

1 *Cap. 1.* vbi Abb. *de cleric. non resid.*
2 Barbat. *cons. 11. vol. 3. c. 2. de renunc. in 6.*
3 *Cap. ad extirpandas, de filiis presbyt.* Gloss. *sing. in l. tutela ad tutel.* Boer. *qu. 2. num. 4. in fin. & seq.*
4 *Dict. c. 2. de renunc. in 6 c. quia verisimile, de præsump. c. 1. de cleric. non resid.*
5 *Cap. ad supplicationem, de renunc. c. cum venerabilis, de except.* Boer. *vbi 3. num. 18. & 19.*
6 Idem Boer. *d. qu. 2. num. 55. post* Rot. *decis. 129. antiq.* & Felin. *in c. quia verisimile, de præsumpt.*

DEFINITIO LXXXIX.

Resignatio facta pendente appellatione ab eo, qui iam fuit condemnatus, non valet.

ETsi appellatio non solum suspendit,[1] sed etiam rescindit iudicatum,[2] Si tamen is, qui nullum ius in beneficio habuit condemnatus appellauerit, & pendente appellatione resignauerit, placet resignationem nullius esse momenti, quasi quæ in fraudem facta sit.[3] Præsertim si postea appellatio iniusta pronuncietur.[4] *Ita Senatus* in causa, de qua in Def. 51. & 52. tit. de Epis. & cleric.

1 *L. si causa cognita,* C. *de transact.*
2 *L. furti, 6. §. 1. de his qui not. infam. l. 1. in fin. D. ad SC. Turpill.*
3 Nimirum litis & aduersarij, *c. 2. de renunc.* Boer. *qu. 205. nu. 8. cum seq.* Rot. *in antiq. recollectis per Bisignet. tit. de sent. & re iudic. decis. 5. incip. Accusatus, circa fin.* Ioan. Papon. *in syntagm. Arest. tit. de resignatione, §. 16.*
4 *Arg. l. tutor, 41. D. de vsur. tit. vlt. D. de re iudic.*

DEFINITIO XC.

Regula de triennali defendit non promotum, sed non eum, qui iussus promoueri intra certum tempus, non paruit, nisi post sententiam fuerit triennalis.

REgula de triennali defendit quidem non promotum sicut & cæteros omnes, quantumlibet iniustos possessores, excepto intruso & simoniaco: sed non eum, qui promoueri iussus per sententiam non est promotus,[2] nisi post sententiam manserit in possessione per triennium continuum. Nam ex illa triennali possessione præsumitur dispensatus saltem ad tempus,[3] dummodo alleget dispensationem.[4] Cæterum si non alleget & appareat clarissime, neque promotum fuisse, neque dispensatum, nulla ratio est, vt magis iuuetur regula illa de triennali, quam vt dispensetur de numquam promouendo.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Gomes. *ad reg. de triennali quæst. 10. exceptus de intrus.*
2 Gomes. *ibid. vers. secundus casus.*
3 Exemplo eius quod scripsimus *Defin. 33. sup.*
4 Multa enim possunt allegari, quæ non est necesse probari, vt puta id, quod notorium est. Item titulus in præscriptione temporis immemorialis, sed tamen allegatio semper necessaria est. Not. *in l. cum de in rem verso, 6. D. de vsur. & in l. 3. §. ductus aquæ. D. de aqua quotid. & æstiu.*
5 Quæ dispensatio obtineri nunquam posset, *cap. licet canon. de elect. in 6.*

DEFINITIO XCI.

Non promotio iustus est vacandi modus, si vel declaratoria sequatur, vel monitio de promouendo præcedat.

BEneficium presbyterale, vt vocant, vocat ipso iure ob non promotionem.[1] Præcedere tamen declaratoriam oportet.[2] Sed hoc fallit, si monitus sit ab Episcopo beneficiarius, vt intra certum tempus promoueri se curaret, nec promotus sit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *cap. licet canon, de elect. in 6.*
2 *cap. licet Episcopus, de præb. in 6.*
3 Non enim potest dolo carere, qui Episcopo suo rem tam iustam imperanti non paret, *l. non potest dolo carere, 199. de reg. iur.*

DEFINITIO XCII.

Vitium obreptionis ob non expressam aduersarij possessionem non potest obiici ab eo, cui prouisum fuit per obreptionem.

QVi impetrat beneficium ex causa non promotionis, cogitur exprimere possessionem eius qui non est promotus,[1] præsertim si fuerit illa triennalis, licet non potuerit prodesse possessori quod ad effectum regulæ de Triennali.[2] Sed tamen si is, qui ob non promotionem patiebatur controuersiam beneficij, ipsum resignauerit pendente lite, nec in resignando expresserit eam controuersiam & controuersiæ causam, non potest resignatarius obiicere vitium obreptionis, quo propria prouisio laborat.[3] Magis enim fauendum est ei, cui ob non promotionem obtinuit beneficium,[4] quam ei, cui in alterius fraudem facta sit resignatio ab eo, qui nullum ius in beneficio habuit.[5] Itaque quamuis hoc casu locus esse possit sequestrationi,[6] publice tamen vtilius est, ei beneficij vindicias adiudicari, qui institutus est per non promotionem resignantis.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Exprimenda enim est possessio aduersarij etiam, quæ fuerit tantum facti, *c. cum nostris, de concess. præb.*
2 Vt dictum est *Defin. 90. supr.*
3 Omni enim vitio carere debet, qui in alium paratus est dicere.
4 Cum possit etiam non promotus aliquo casu iustus possessor esse, vt dixi *in d. Defin. 90.*
5 Cum nemo plus iuris in alium transferre possit, quam ipse habuerit, *vulg. l. nemo plus iuris, 54. de reg. iur.*
6 Vt solet fieri, cum neuter litigatorum satis habet iuris ad beneficium possidendum.
7 Quia publice vtile est, non vacare de facto beneficia, etiam quæ iure vacant.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XCIII.

Princeps non potest sine Papæ licentia vel consensu Prælati beneficio imponere onus præbendæ.

NOn potest supremus Princeps præbendam laico concedere super fructibus beneficij, nisi indultum & priuilegium habeat in eam rem à summo Pontifice, aut Prælatus consentiat. [1] Maximè vero si præbenda vacans nulla sit. [2] *Ita Senatus* in causa Thomæ Morgant Angli & Illust. Alfonsi d'Elbene Episcopi Albiens. & Abbatis Altacombani 20. Decemb. 1596.

1 Præbenda enim super fructibus beneficij est onus beneficij, quod ab alio, quam summo Pontifice imponi non potest, *tot. tit. vt benef. sine diminut. confer.*

2 Hoc enim casu nouum & inusitatum onus est, & consequenter tanto magis odiosum. Vide Chopin. *De doman. reg. lib. 2. tit. 28.* De oblato à Principe monasterij veterano: Vbi notat *num. 6. & 7.* in Celestinis & Carthusianis hoc potissimum obtinere.

DEFINITIO XCIV.

Etiam iniustæ excommunicationis sententia suam secum trahit executionem, quamuis ab ea sit appellatum.

EXcommunicatio siue iusta siue iniusta semper est metuenda, quia secum trahit suam executionem, licet ab ea sit appellatum, [1] nisi facta sit excommunicatio post interpositam appellationem, quæ ex postfacto iusta appareat. [2] *Ita tractatum est* in causa N. Bernardi Castagne & N. Bernardi Dacquin procuratoris fiscalis 29. Mart. 97.

1 *Tot. tit. de sentent. excommun. c. pastoralis §. vlt. de appell.*

2 Tunc enim apparet, factam illam esse in spretum & odium appellationis, & vt appellans excluderetur ab auxilio iuris communis: quod tamen cuique saluum esse expedit, vt aduersus prioris iudicis iniquitatem consultum esse possit, *l. 3. §. falsus; D. rat. rem haber. l. vnic. Cod. de sentent. præfat. prætor.* Vide *cap. ad præsentiam, de appellat.*

DEFINITIO XCV.

An recredentia iam vni adiudicata possit ex nouo titulo postea in alium præsertim nouum aduersarium transferri.

CVm de beneficij possessione apud iudicem laicum contenditur, is ordo pronunciandi esse debet, vt si dubia sint vtriusque litigatoris iura, neutri possessio adiudicetur, sed penes sequestrem deponatur. [1] Si vero alteruter apparentiora, vt loquuntur, iura habeat, pro eo vindiciæ dicantur. [2] Postea si de ipsius aut aduersarij iure pleniùs appareat, plenum possessorium ei adiudicetur. [3] Quid ergo si post vindicias pro vno dictas, quam vulgo recredentiam vocant, alius in victi locum subrogetur [4] sed qui ex alia quoque noua causa beneficium impetrauerit, vt dubitari non possit quin apparentiore iure nitatur, [5] & tamen obiiciatur ei aliquid quod plenam possessorij adiudicationem impediat, vt puta simoniæ labes [6] aut confidentia quæ simoniæ species quædam est, [7] sed cuius tamen adhuc expectandæ sint probationes. [8] Non deerant qui putarent posse recredentiam à victore in nouum aduersarium transferri pendente lite, cùm neque victus ipse sit, neque in victi locum ita successerit vt eodem in omnibus iure censeri debeat [9] propter nouã scilicet impetrationem. Nam & victo ipsi, si quibusdam credimus, idem concederetur. [10] Visum tamẽ est à rerum præsertim à Senatu iudicatarũ authoritate abhorrere vt ante plenioris possessorij adiudicationem ei aufferatur fiduciaria possessio qui eam semel obtinuit, licet nullam eius retinendæ causam aliam habeat quàm quia fuerit ei iam adiudicata. [11] Nec enim ferendum vnquam est vt prouisionalis sententia per aliam quàm diffinitiuam reuocetur: [12] Illud sanè admitti nullo modo potuit vt beneficium sequestraretur licet de non iure primi victoris accidenter constaret. [13] Regredi enim hoc esset non progredi, tantóque absurdius rei iudicatæ authoritas labefactaretur. [14] *Ita Senatus* in causa Ioannis Camet & Iacobi Arnaud mense Iunij 1612.

1 Ne alioqui detur vicios us ingressus quod fieri nunquam debet *cap. 1. De reg. iur. in 6. cap. vnic. de eo qui mitti. in poss. rei seru. causa. in 6.*

2 Interest enim ecclesiæ possessionem beneficij non iacere diutius vt diuina officia melius curentur, quæ ratio potissima est adiudicandæ recredentiæ etiam illi de cuius iure adhuc dubitatur.

3 Quæ vltima cognitio est iudicis laici cùm de petitorio cognoscere ipse non possit.

4 Scilicet à summo Pontifice. Nam à Principe seculari nemo subrogatur in possessorio nisi collitigator. *Defin. 67. 3.*

5 Puta ex clausula, *si neutri, si nulli*, quæ nouum ius semper tribuit, vt ad eam notat Rebuff.

6 Quæ semper excipi solet verbis expressis, & tum quoque cùm de ea nihil dictum est, tacitè excepta intelligitur propter eius odium. Dici enim solet simoniaca prauitas *tot. tit. De simon.*

7 De qua vide bullam Pij quinti quæ multa noua & dura, vt videtur, sed iusta constituit aduersus confidentiarios, vt dixi *ad Defin. 12. 7. De probat.*

8 Quæ omnium fauorabilissimæ sunt & quantum fieri potest adiuuandæ *d. Defin. 12. De probat.*

9 Quid enim ei nocere debet quod alius sit condemnatus cum in ius condemnari non successerit *l. iudicatæ 29. §. vlt. de except. rei iudic.*

10 Vt scilicet posset in eum transferri ex nouo iure recredentiæ quæ alij iam fuerat adiudicata. Petr. Gregor. *in lib. De benefic. cap. 40. num. 25.*

11 Iustè enim possidet qui authore præsertim Senatu possidet, *vulg. l. iustè possidet 12. de acq. poss.*

12 Et ita intelligi debet *l. quod iussit 14. De re iudic.* Id enim est quod veteres pragmatici dicere solebant *Cas sur cas n'ha point de lieu.*

13 Licet tum maximè locus sit sequestrationi beneficij cùm neuter habet ius obtinendi. Melius enim est iacere beneficium quàm dari vitiosum ingressum. Dixi *Defin. 75. 3.* Itaque hoc casu locum habet quod dici solet, Multa tenere iam facta quæ fieri prohiberentur *l. patre 6. de his qui sui vel alien. iur. sunt l. ex diuerso 35. §. 1. de rei vindic.*

14 Quam tamen semper saluam esse oportet, *l. seruo 65. §. cùm prætor D. ad SC. Treball. cum similib.*

[DEFINITIO XCVI.

Onus pensionis impositum præbendæ afficit præbendam non bona præbendæ si per optionem ad alios venerint.

PLeræque sunt Ecclesiæ præsertim Cathedrales in quibus ex statuto vel ex consuetudine obtinet, vt vacantem vnius Canonicatus præbendam, alius prioris gradus Canonicus optare possit: quod ius optandi antiquioribus competere solet, non ætate sed receptione. Sed ita tamen vt qui in eadem Ecclesia dignitatẽ habent licet tam receprione quàm ætate iuniores sint cæteris Canonicis, aut nullam aut minorem non etiam maiorem dignitatem habentibus præferãtur. [1] Hoc verò cùm accidit, si præbenda, quæ vt vacans optanda est, aliquo pensionis onere affecta fuit, [2] quæri solet an post factam optionem præbendę onus ad eum pertineat qui pensionem debuit, an ad eum qui præbendæ illo onere affectæ fundos possidet. [3] Et placet, quandiu viuit is qui pensionis debitor est, ad eum solum pensionis soluendæ onus pertinere, non ad illos ad quos bona quæ illius præbendæ primùm fuerant peruenerunt, [4] licet ex iis bonis propter vnam pluréve secutas optiones nihil re-

BIU Cujas

manserit. Eadem enim præbenda est, licet alia penitus sint bona.[5] Sed si viuo pensionario debitor decesserit, ad eum ex cæteris canonicis onus pensionis spectabit, ad quem præbanda vacans perueniet, quippe quæ non nisi cum onere quo affecta est peruenire ad alium possit.[7] *Ita tractatum est* in Senatu in causa R. D. Georgij d'Auise contra R. Ludouicum Vorzier 3. Cal. Febr. 1613.

1 *Cap. cùm in tua de consuet. in 6.* vbi vide.

2 Hoc enim fieri potest authoritate summi Pontificis.

3 Videtur enim pensio imposita præbendæ esse onus reale fundorum, qui ad præbendam illam pertinent & ideo transire contra quemlibet possessorem *l. Imperatores 7. de publ. & vectig. l. pignoris 17. D. de pignor. l. 15. C. eod.* sed non ita est, pensio enim illa reale onus est præbendæ non bonorum.

4 Nec enim isti aliud habent quàm propriam præbendam nulla pensionis onere affectam.

5 Est enim præbenda quid vniuersale quod non ex his aut ex illis fundis æstimatur, sed ex omni eo quod iure præbendæ ad eum spectat, qui præbendam obtinet. Ex hoc casu verum est quod & aliis plerisque, bona subrogata induere naturam eorum in quorum vicem subrogata sunt *l sed quod inde 7. & seq. de legat. 2.* Vnde fit, vt qui præbendæ suæ iam possessor est si alia optet bona fiat hoc ipso & per solam optationem possessor bonorum optatorum, ita vt ei perinde competant remedia omnia possessoria & interdicta atque competebant pro bonis ante optionem possessis, quoniam eadem præbenda est quæ possidebatur. Multo magis quis dixerit habere illam potestatem ingrediendi & occupandi bonorum optatorum possessionem propria authoritate. Et ita in eadem causa tractatum est.

6 *l. vnic. §. pro secundo & seqq. Cod. de caduc. tollend. tot. titul. l. fine cens. vel reliq.*

TIT. III.

DE EPISCOPIS, ET Clericis, & Monachis.

DEFINITIO I.

De priuilegio mendicantium, ne decimas soluere teneantur.

FRANCISCANORVM, Augustinianorum, aliorúmque monachorum mendicantium singulare ius illud est, vt fructuum in iis fundis perceptorum, quos propriis siue manibus siue sumptibus colunt, decimas nullas debeant, aliorum debeant,[1] Secundum quam distinctionem iam pridem à Senatu nostro iudicatum fuisse contra Augustinianos Seysselli & S. Petri d Arbigny relatum est me præsente in causa Franciscanorum De la Chambre & Canonicorum eiusdem loci 3. Id. Iul. 1588. Plerisque tamen priuilegia concessa sunt, vt nullas omnino decimas præstare teneantur. Quo casu nec dubitandum est, quin ea immunitate frui debeant.[2] Sicut & si per longissimum tempus in eius fuerint immunitatis possessione, quæ priuilegij instar haberi possit.[3] *Ita Senatus* in ea causa.

1 Quamuis pugnare videatur, quod scriptum est *in c. ex parte tua ad nos, 10. & c nuper penult. Extr. de decim.* Vnde omnino Rebuff. *in tract de decim. qu. 14.* & Cravet. *consil. 21.* Adde c *fraternitatem, extr. de decim. & can. decimas, 16. quæst. 1.* Gloss. *in can. tua, 12. quæst. 1.*

2 Quia potest summus Pontifex tale priuilegium concedere ex iusta causa, vt & alias quaslibet immunitates, quamuis soleat dici præstandæ decimæ obligationem esse ex iure diuino, cui proinde à summo Pontifice derogari non potest, Summa Syluestr. *in §. decima, numer. 5.* Rebuff. *de decim. quæst. 13. num 31.*

3 Id est, in possessione immemoriali. Hæc enim sola est, quæ priuilegij instar obtinet, *cap. super quibusdam, §. præterea, de verbor. signific. in 6. l. 3. §. ductus aquæ, D. de aqua quotidian. & æstiu. l. vltim. D. de aqua pluu. arcend.* Vide gloss. *in can. 1. in verb. manuum vestrarum, 13. quæst. 1.*

DEFINITIO II.

De Monachis ab omni successione excludendis.

RELIGIOSAM & monasticam vitam professi vsque adeo pro mortuis habentur ex edicto[1] Diui Emanuelis Philiberti Principis nostri, vt in computatione legitimæ non solum partem non faciant, sed neque numerum.[2] In quo deterioris conditionis sunt quam filia, quæ renunciauit bonis paternis aut maternis accepta dote in vicem legitimæ portionis. Hæc enim licet ad partem non admittatur,[3] attamen facit partem, quia non pro mortua haberi potest, quæ à legitimæ petitione non alia ratione excluditur, quam quod iam legitimam accepisse intelligatur.[4] Itaque portio, quæ ad eam spectaret, si renunciatio nulla facta esset, hæredis lucro cedet, si non in alterius vtilitatem facta probetur renunciatio.[5] Sed etsi fideicommissum proximioribus ex familia relictum proponatur, non admittentur ij, qui euenientis conditionis tempore monachi reperientur, quia non est credibile de iis cogitasse testatorem, per quos familia conseruari non possit.[6] Nec aliud erit, tametsi sint Dominicani, quibus ex Diui Papæ Clementis IIII. rescripto permissum est, vt perinde possint succedere, ac si in seculo permansissent. Edictum enim, quod diximus, generale est, ad omnes omnino monachorum ordines pertinens,[7] quamuis iure communi partem faciant ij, ex quorum persona monasterium acquisitionis capax ad legitimam admitti potest.[8] Neque contrarium est, quod eodem edicto testamentariæ successiones exceptæ sunt. Nam de præteritis tantum successionibus id intelligi debet, quæ ex testantium voluntate ei, qui iam monachus esset, delatæ erant, & per monachum acquisitæ monasterio: Non autem vt facto testamento vocatísque proximioribus, liceat monacho tanquam proximiori successionem vindicare.[9] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis à Camera contra fratrem Vicecomitem 8. Calend. Septemb. 1588.

1 De quo scripsimus *Defin. 44. tit. prox. præced.*

2 Bald. & cæteri *ad Auth. nouissima, Cod. de inoffic. testament. ex l. si necem, 4. § si deportatus, D. de bon. libert. l. 1. in fin. D. de bonor. possess. contr. tabul. l. Gallus, 29. §. & quid si tantum, D. de liber. & posthum.* Vide Boer. *quæst. 104.* Ranchin. ad Guid. Pap. *quæst. 295.*

3 Propter iuratam renunciationem, quæ valet iure Pontificio, *ex c. quamuis pactum, de pact. in 6. quamuis non iure ciuili, l. pactum dotal. l. 3. C. de collat. l. vlt. D. de suis & legit.*

4 Castrens. & alij *ad l. qui superstitis, 94. D. de acquirend. hered.*

5 Guid. Pap. *qu. 599.* Quidam tamen defendunt non tam adcrescere hanc portionem heredi quam hereditati. Vide, quæ scripsi in priore parte Hemischiliadis De errore pragm.

6 Francisc. Mantic. *lib. 8. de coniectur. vltim. volunt. tit. 12. numer. 25.* post Decium *consil. 256. num. 2.* Paris. *consil. 22. num. 9. volum. 3.*

7 Ergo generaliter intelligi debet, *l. in fraudem, 15. in fin. D. de testament. milit. l. de precio, 8. D. de publician. l. 1. § generaliter, D. de legat. præst.*

8 *Auth. ingressi, vbi not. C. de sacros. eccles.* In quo numero essent Dominicani ex rescripto Clementis IV. vt admitterentur ad legitimam & ad legitimæ supplementum, teste Mantic. loco supra citato, nisi edictum Principis obstaret. Iunge *Defin. 8. 3. de inoffic. testam.*

9 [Quid tamen si monachus iudicium susceperit superiore authoritatem præstante, & fuerit condemnatus? non poterit ipse neque monasterium impedire quominus fiat exhibitio in bonis quæ monasterium possedit patiente superiore, arg. *l. penult. ibi vel quod patre volente possident. Cod. qui bon. ceder. possint. Ita Senatus* pro Priore de Beluaux contra Priorem Sancti Petri d'Arbigny Septembr. 1617.]

DE FI-

DEFINITIO III.

De beneficij collatione facta per vicarium.

EPiscopi vicarius quantumuis generalis, conferendi beneficij potestatem, quæ specialiter concessa non sit, minime habet.[1] Beneficij namque collatio donatio quædam est.[2] In generali autem administrationis concessione donandi potestas data esse non intelligitur,[3] non tam, quod donare sit perdere[4] (nec enim perditum Episcopo quicquam videretur, collato per vicarium beneficio in eum, cuius probitas, eruditio virtúsque meruisset[5]) quam quia nihil administrare dici possit qui donat.[6] Sed hoc ita accipiendum est, si mandati defectum aduersarius obiiciat. Alioqui licet mandati præsumptio difficillima sit,[7] quia tamen sæpius vsuuenit, vt ea conferendi auctoritas vicariis, per ordinarios detur,[8] æquissima est præsumptio, quæ collationis vires fouet, vt valeat potius quam pereat,[9] si modo Episcopi sigillo munita sit,[10] & ab eo vicario facta, quem constet esse in quasi possessione conferendi:[11] maxime vero, cum de sola beneficij possessione contenditur.[12] Quod si illud etiam concurrat, vt is, cui collatio facta est, beneficium possederit per triennium,[13] Episcopi quoque consensus tacitus & ratihabitio, quæ mandato comparatur, interuenisse videbitur,[14] quoniam ad Episcopi cuiuslibet officium pertinet, vt per singula triennij curricula beneficiorum in sua diœcesi constitutorum & statum inquirat & possessores.[15] *Ita Senatus* inter Claudium Vectier & Branchin de parochiali Ecclesia De Voges contendentes prid. Calendas Septembris 1588.

1 *Cap. vlt. de offic. vicar. in 6.*

2 Adde quod & beneficiorum collatio in fructu est. *Not. in cap. cum olim, de maior. & obed.* Boer. *quæst. 17. num. 14.* fructus autem beneficij ex quo pendet ius conferendi, non pertinent ad vicarium.

3 *L. cum plures, 12. §. cum tutor, l. Lucius 46. §. vlt. D. de admin. tutor.*

4 *l. filiusfamilias, 7. in princ. D. de donat.*

5 Quisquis enim talis est, vtique ex eorum numero est, quos possis dicere beneficium dare cum accipiunt.

6 *L. ab agnato, 12. D. de curat. furios.*

7 Adeo vt nec per mille annos præsumi possit mandatum, quia facti est, facta vero nunquam præsumuntur, *l. consilio 7. §. vltim. eod. tit. de curat. furios.* iunct. *l. in bello, 12. §. facti, de captiu. & postlim.*

8 Solet enim sumi argumentum & præsumptio ex iis, quæ fieri moris est, *l. quod si nolit, 31. §. quia assidua, D. de ædilit. edict. l. vlt. C. quæ res pignor. oblig. poss.* iunct. *l. & quæ nondum, 15. §. quod dicitur, D. de pignor. l. vlt. C. de fideiuss.*

9 *Arg. l. quoties, 12. D. de reb. dub. l. quoties, 80. de verb. oblig.* Est enim maligna interpretatio, per quam fit vt actus destruatur, *l. si ita stipulatus, 126. §. Chrysogonus, eod. tit.*

10 Sigilli enim alieni appositio probat consensum & mandatum, si modo nihil dolose & in fraudem factum sit, *l. 2. Cod. de reb. alien. non alienand.*

11 De qua constet per nouissimos actus, secundum ea, quæ dixi *Defin. 70. num. 17. & tit. prox.*

12 Nam in possessorio agitur de sola possessione, non etiam de proprietate, nisi ad confortandum, vt aiunt, possessorium.

13 Cuius possessionis triennalis quantus fauor sit, apparet satis ex regula de triennali possessore.

14 Cum non minus facto quam verbo voluntas declaretur, *l. non tantum, 5. D. rat. rem haber.*

15 *Can. relata, & can. decreuimus, 10. qu. 1.*

DEFINITIO IV.

De verbis enunciatiuis summi Pontificis prouidentis in forma gratiosa.

IS cui prouisum est à Summo Pontifice in forma, vt vocant, gratiosa, adiecto eo, quod de eius sufficientia, & vt loquuntur, idoneitate ordinarius attestatus fuit, non cogitur attestationem illam exhibere, nec eo magis rescriptum obreptitium aut subreptitium dici debet. Creditur enim verbis enunciatiuis summi Pontificis, sicut & alterius cuiuslibet Principis.[1] Estque verisimile prouisurum fuisse summum Pontificem in forma rigorosa, non in gratiosa si attestationem non vidisset.[2] Sed & illud certum est, attestationes huiusmodi cum ab ordinariis ad summum Pontificem mittuntur, in Romanæ Curiæ actis describi, nec ei, cui prouidetur, restitui.[3] *Ita Senatus* in causa Ioan. Philippi Chauellard & Claudij Poysat 13. Calend. Ianu. 1589.

1 Attestantis scilicet de facto suo & de eo, quod coram se factum est, *l. omnium, vbi not. C. de testam.*

2 Præsumitur enim Papa id omne facturus, quod facere ex officio debuit.

3 Vt proinde inhumanum sit, cogi cum exhibere id, quod non habeat nec dolo desierit habere.

DEFINITIO V.

Eum, qui bullas producit, non esse arctandum vt signaturam proferat.

QVi literas Apostolicas producit, quas bullas dicimus, signaturam, vt vocant, ostendere non cogitur, si forte aduersarius obiiciat latius extensas eas literas contra Cancellariæ regulam, quam signatura contineretur. Faciunt enim per se fidem,[1] & ad eum, qui vitium obiicit, pertinet, vt signaturæ, quæ in actis curiæ remanet, exemplum probatæ fidei proferat, ex cuius collatione constare possit, vtrum amplior facta sit bullarum expeditio quam fieri debuerit.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum sint probatio probata propter auctoritatem sigilli summi Pontificis.

2 Ei namque incumbit onus probandi non solum, qui dicit, sed etiam, qui negat aliquid solemniter factum esse, *l. ab ea parte 5. D. de probat.* [Obserua tamen Bullas Pontificis licet locum apud nos habeant tum quoque cum nunquam publicatæ in hac patria fuerunt, nullius tamen esse momenti in possessorio si aut contrario vsu abrogatæ aut nunquam apud nos receptæ, dicantur. Itaque placuit admittendam esse hanc in possessorio positionem quæ in petitorio haud dubiè reiiceretur. Et ita Senatus noster pronunciauit, cùm quæreretur de collatione simplicis beneficij facta per ordinarium quod vacauerat non solum in mense reseruato, sed etiam vacante sede Episcopali. Quæ duplex pro summo Pontifice reseruatio erat. In causa Ioannis Camet & Iacobi Arnaud mensi Iunij 1612. De qua scripsi *Defin. 95. & tit. prox.*

DEFINITIO VI.

De inutilis collationis confirmatione.

SI collatio per ordinarij vicarium facta ex eo solo nulla sit, quod vicario mandatam non constaret beneficij conferendi potestatem,[1] placet eam conualescere ex sola superioris qui mandare potuit confirmatione, licet ea confirmatio nuda sit non noua collatio, quæ nouum, vt dicimus, spiritum infundat.[2] Cum enim non nisi defectu mandati nulla esset prior collatio, confirmationem hanc & ratihabitionem, quæ postea sequitur, mandato comparari certum est.[3] Sed hoc tamen ita accipi debet; Si non medio tempore in eo beneficio alij sit ius quæsitum. Tunc enim nec noua superioris collatio in tertij præiudicium prodesse quicquam posset.[4] Diuersum est, si quam aliam ob causam prior collatio nulla sit: Subsequentem namque confirmationem perinde nullam esse fatendum est: cum verum sit quod dici solet id, quod nullum est confirmari non posse.[5] Igitur noua collatione & prouisione opus est. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cuius mandati probatio necessaria est, vt diximus *Defin. 3. & eod.*

BIU Cujas

2 Actus enim, qui non nisi defectu potestatis nullus erat, confirmatur superueniente quandocunque potestate, Gloss. *in c. non firmatur, de reg. iur. in 6.*

3 *l. vlt. C. de SC. Maced. c. ratihabitio, de reg. iur. in 6.*

4 Cravet. *consil. 171. ex l. penult. D. rat. rem haber. l. potior. 12. qui potior. in pign. hab.*

5 *d. c. non firmatur, de reg. iur. in 6. l. quod initio, 29. D. de reg. iur.* cum non entis nullæ sint qualitates, *tot. tit. de confir. vtil. vel inut.*

DEFINITIO VII.

De mandato Summi Pontificis de prouidendo.

MAndatum summi Pontificis de prouidendo nullam ius tribuit impetranti nisi subsecuta prouisione,[1] adeóque in possessionem missione [2]. Quamdiu enim aliquid agendum supereſt, nihil actum videri potest.[3] Itaque si prouisio tantum facta sit, licet ius aliquod in beneficio tribuat, non poterit tamen in beneficij possessorio obtinere is, cui ex mandato summi Pontificis prouisum est, si non etiam in possessionem missus sit.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sicut enim pactum de vendendo non est venditio, aut pactum de donando donatio, Bart. *in l. vlt. num. 8. D. de condict. caus. dat.* Ita nec mandatum de prouidendo prouisio est, Rebuff. late *in tract. de mandat. de prouid.*

2 Nam per missionem in possessionem constituitur ius in re in beneficiis, vt & in pignore iudiciali rei profanæ, *l. non est mirum, 26. §. 1. D. de pignor. actio.*

3 *L. pen. C. de his, quæ vt indign.*

4 Quia in beneficialibus sicut in profanis non alius potest obtinere in possessorio, quam qui possidet, nec rursus incipere quis possidere sine corporali possessionis adprehensione, *l. cum heredes, 23. D. de acquir. possess.*

DEFINITIO VIII.

Qui beneficium tanquam vacans impetrat, discedit à priori possessione.

QVi corporalem beneficij possessionem ex inutili collatione adeptus impetrauit literas Apostolicas, quibus scriptum erat in hæc verba, *& adhuc hodie dictum beneficium vacare noscatur*, à priore non solum titulo sed etiam possessione videtur recessisse.[1] Non enim vacare dicendum est beneficium, nisi quod & de iure vacat, vt loquuntur, & de facto.[2] Verbáque summi Pontificis regulariter accipienda sunt in omni significatione, in qua accipi possunt:[3] Maxime vero cum possessio solo animo amittatur.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Bona enim vacantia dicuntur, quæ nec dominum habent nec possessorem, *l. vlt. D. de success. edict.*

2 *Cap. cum nostris, extr. de concess. præb.*

3 Vt omnimono aliquid operentur, Panor. *in d. c. cum nostris.*

4 *L. 3. §. in amittenda, D. de acquir. poss.*

DEFINITIO IX.

Mandatum de prouidendo mittendoque in possessionem, quando impletum videatur?

QVi mandatum habet à summo Pontifice vt impetranti prouideat mittátque eum in realem & actualem beneficij possessionem, non prius impleuisse[1] videtur mandatum de prouidendo,[2] quam impetrantem miserit in realem & actualem, vt vocant, possessionem, propterea, quod mandatum huiusmodi de prouidendo non tribuit ius in re, sed ad rem tantum quousque fuerit executio subsecuta.[3] Neque sufficiet quod mandatarius & executor datus potestatem impetranti fecerit possessionem auctoritate propria adprehendendi, vtputa si birretum, vt vocant, aut annulum ipsi tradiderit,[4] sed ille ipse in possessionem mittere omnino debet, quoniam mandatum implendum est in forma, vt aiunt, specifica.[5] Nec enim cui hoc mandatum aut permissum est, illud quoque mandatum & permissum videtur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quomodo tamen implere mandatum tenetur quisquis mandatum suscipit, *l. incommodato, 17. §. sicut, D. commod.*

2 De quo adde quæ scripsi Defin. 7. 3.

3 *Cap. si soli ordinario de concess. præb in 6.*

4 Quomodo solent Notarij nostri facere per calami traditionem, vt dicemus *sub tit. de acquir. poss. §. 3.*

5 Ne alioqui mandantis auctoritas neglecta videatur. Fere enim est, vt quis rem sibi mandatam negligere videatur, si per alium facit, quod per seipsum facere deberet, *l. cum hi, 8. §. si prætor aditus, D. de transact. l. 1. de offic. eius, cui mandat. est iurisdict.*

6 Quasi electa siue industria siue dignitate personæ, cui mandatum fuit, *arg. l. inter artifices, 38. de solut.*

DEFINITIO X.

De regula, quæ est, de beneficij valore exprimendo.

REgula Cancellariæ, de vero beneficij valore exprimendo non attenditur in quæstione, quæ laicum iudicem habet de possessione beneficij, quod bursalis sit potius quam iuris.[1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige, nisi euidenter appareat de dolo aliquo impetrantis. Nunquam enim dolus impunitus esse debet, ne tum quidem, cum ipsi doloso damnosus futurus est, *l. procurator, 11. in fi. D. de doli mal. & met. except.*

DEFINITIO XI.

Ius conferendi nunquam præsumi, nisi in fauorem ordinarij.

SI duo sint beneficia eiusdem nominis in eadem diœcesi, quorum alterum pertinere dicatur ad nominationem aut collationem cuiusdam Abbatis aut Episcopi in alia prouincia constituti, ei incumbet onus probandi, omnémque ambiguitatem tollendi, qui Abbatis illius aut Episcopi collatione nitatur.[1] Neque enim ius conferendi vnquam præsumitur, nisi probetur in eius commodum, qui non est ordinarius diœceseos.[2] Imo vero ordinarius habet ipso iure fundatam intentionem in omnibus beneficiis intra diœceseos suæ fines conclusis,[3] Eámque præsumptionem non tantum ordinarij auctoritas elicit, sed etiam beneficij libertas. Beneficia enim sicut & cætera omnia sui natura libera præsumuntur.[4] Habebit vero res minorem dubitationem, si ponas beneficium, de quo contenditur, vltimum possessorem habuisse ex alio ordine quam cuius sit Abbatia, quæ nominationem suam esse iactitat.[5] Est enim perpetuum, quoties de beneficij possessione agitur, vt vltimus potissimum status attendatur, ex nouissimis actibus colligendus.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Debet enim vnusquisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis siue agendo siue excipiendo, *l. 2. l. ab ea parte, 5. l. quoties, 19. D. de probat.*

2 Imo habet iuris præsumptionem contra se quisquis ordinarius non est.

3 *Can. omnes basilicæ, 16. quæst. 7.*

4 Fauore scilicet libertatis, quæ omnium rerum fauorabilissima est, *l. 4. D. de iustit. & iur. l. altius, 8. C. de seruit. & aqua, l. libertas, 122. de reg. iur.*

5 Nam ex qualitate possessoris præsumitur qualitas beneficij, vt constat ex iis, quæ diximus *Defin. 77. 3. tit. prox.*

6 Dixi *Defin. 70. num. 16. 17. & 18. 3. tit. præced.*

DEFINITIO XII.

De probando iure conferendi.

QVoties in quæstione de possessione beneficij disputatur, an prælatus habuerit ius conferendi aut instituendi, placet etiam minus plenas probationes suf-

BIU Cujas

nes suffiecre nec aliud requiri quam vt ea esse probetur communis hominum existimatio, si modo is, cui ab eiusmodi prælato prouisum est cum eo concurrat cui prouisum fuit à summo Pontifice: Non item si concurrat cum Episcopo, aut cum eo, cui ab Episcopo fuerit prouisum. [1] An quia maior sit aut fauorabilior auctoritas Episcopi in beneficiis conferendis quam summi Pontificis? Minime. [2] Sed quia summi Pontificis potestas ordinarij cuiuslibet, quamuis inferioris quales omnes sunt, concursum admittit. [3] Ordinarij potestas contra, nullius, [4] præterquam summi Pontificis, qui est ordinarius ordinariorum. [5] Itaque hoc casu omnimodo & exacte probandum est quis ordinarius collator sit beneficij, vt sciatur an prouisio valeat. [6] *Ita Senatus* pro Nicol. Gros contra Franciscum de Chauanes 16. Calend. Decembr. 1590.

1 Vide Cassiador. *decis* 1. *de prob.*

2 Semper enim auctoritas summi Pontificis excepta intelligitur tanquam superioris.

3 Scilicet quandiu Papa prior non apposuit manum, quia per manus appositionem ligat cæterorum omnium manus, vt scripsi *Defin.* 10. *& 16. 3. tit. prox.*

4 *Can. omnes basilicæ, 16. quæst. 7.*

5 *Can. cuncta per mundum 9. quæst. 3.*

6 Quia prouisio & collatio ab eo facta, qui ius conferendi non habuit, neque titulum neque tituli colorem præbet, *cap. 1. de reg. iur in 6.*

DEFINITIO XIII.

De Episcopalis dignitatis priuilegio.

PRæcelsa Episcopatus dignitas facit, [1] vt quamuis eum, qui iam Episcopus sit, Senatorem fieri nihil prohibeat, [2] Senator tamen esse desinat, qui Episcopalem dignitatem post Senatoriam nanciscitur, [3] si non speciali Principis indulgentia retineatur. [4] Secundum quod, cum vir clarissimus Alfonsus d'Elbene Abbas Altacombanus Senator noster in Albiensem Episcopum electus, & à summo Pontifice confirmatus esset, ac quasi vacante per eius promotionem dignitate, Abbas Moretanus in ipsius vicem substitutus, Postea vero Albiensis Episcopus obtinuisset à Principe, vt quamdiu in Sabaudia degeret, pristinam retineret dignitatem. Quæsitum est, an eundem in collegio nostro ordinem gradúmque quem prius habuerat, saluum ei esse oporteret: An potius quasi nouus postremúsque Senator post omnes sedere deberet. Quod quibusdam probabilius videbatur, quia non solum prior dignitas vacasset, sed alius quoque in eius locum suffectus esset. [5] Contraria tamen sententia non modo benignior sed etiam honestior visa est, præsertim cum ita Princeps iussisset, [6] vt eadem ipsi dignitas maneret, quæ antea fuerat: quodque indignum absurdúmque videretur, eum, qui tam multis annis emeritus in primis gradibus honorificentissime constitisset, ob eam solam causam cæteris inferiorem videri, quod Episcopalem insuper dignitatem vrgentibus meritis nactus fuisset. [7] Accedebat, quod prius etiam quam Moretanus in Senatorem admitteretur, iam ita Princeps fieri rescripserat, vt non eo minus Altacombanus quamdiu apud nos esset, dignitate Senatoria fungeretur. [8] *Ita Senatus* 7. Cal. Febr. 1590.

1 Nam & Episcopi summi appellantur, *Can. 2. de consecrat. distinct. 5.* & quilibet Episcopus dicitur maior presbytero Cardinali, *can. quanquam, vbi gl. in verb. Augustinus, 2. qu. 7.*

2 Etsi profanos gentilium libros etiam legere Episcopi prohibentur; adeoque audire leges, nisi hactenus vt per eas melius intelligantur canones, *can. episcopus, vbi gl. in fin. distinct. 37. l. consultæ dinalia 23. C. de test.*

3 Nemo enim duobus Dominis seruire potest, & Episcopatui & Senatui, & hoc casu maior dignitas, quæ est incompatibilis tollit minorem, vt de obligationibus scriptum est *in l. debitori, 50. D. de fideiussor. l. si reus, 13. D. de duobus reis, can. 1. 21. quæst. 1.*

4 Vt Senator maneat ad honores etiamsi non resideat. Nec enim paruum Senatui ornamentum est, si ex Senatoribus quidam sint Episcopi.

5 Nec enim poterant duo eundem gradum tenere ac in eodem gradu concurrere, *arg l. cum in testamento, 37. de hered. instit. l. 1. §. qui semel D. de success. edict.*

6 Principis enim est, eum ordinem dignitatum inter suos præscribere quem velit, *l. 1. & 2. Cod. vt dign. ordin. seruet. lib. 12. tiul. 8.*

7 Superueniens enim maior dignitas augere non minuere priorem statum debet. Itaque videbatur Episcopus Albiensis in sui ipsius locum successisse, *arg. l. 1. §. sed videndum eod. tit. de success. edict. l. 3. l. creditor, 12. Papinianus, D. qui potior. in pign. hab.*

8 Quo rescripto videbatur ius suum pristinum Episcopo reseruatum, antequam alij vlli ius quæsitum esset, *arg l. Modestinus, 76. D. de solut.*

DEFINITIO XIV.

Ex sola aduersarij confessione aut dominatione ius nullum in beneficio acquiri.

SOla aduersarij confessio ius in beneficio aut ad beneficium tribuere non potest ei, qui aliud nullum habeat. [1] Minus igitur iniusto detentori proderit, quòd tanquam titularius, vt aiunt, iustúsque possessor, per epistolam talis nominatus sit qualem hodie se dicit, si non alias habeat prohibitiones. [2] Nam nec si ab ipso summo Pontifice talis per literas nominatus esset, quicquam tamen ei iuris ex eiusmodi nominatione acquireretur, [3] cum tamen conferendi beneficij præcipuam summus Pontifex habeat potestatem; [4] quam vtique non habet aduersarius, in cuius potestate non est facere, vt qui neque titulum neque possessionem beneficij habet, habere existimetur. [5] Id enim est, quod dici solet beneficium sine canonica institutione possideri non posse. [6] *Ita tractatum est* in causa Guilielmi Bachod contra Claudium Philippe 13. Cal. Ianuar. 1590. postea decisum & pronunciatum 4. Non. Iunij 1595.

1 Dixi *Defin. 83. 3. tit prox.*

2 Ioan. Pap. *in syntagm. Arest. lib. 8. tit. 7. De maintenue es possessions de benefices*, Boer. *quæst. 89.*

3 *Clem. fin. de sent. excom.*

4 *Can. cuncta per mundum, 9. quæst. 3.*

5 Nam & titulum habere & possidere facti est, *l. consilio 7. §. vlt. de curat. furios. l. 1. §. Scæuola, D. si is, qui testam. liber esse iuss.* factum autem requirit veritatem naturalem non fictam aut falsam confessionem, *l. denique, 19. ex quib. caus. maior. l. in bello, 12. §. facti, de capt. & postlim.*

6 *Cap. 1. vbi* Dyn. & alij *de reg. iur. in 6.*

DEFINITIO XV.

Quando decessoris sui titulum exhibere quis cogatur.

ETsi non potest beneficium videri vacasse per obitum eius, qui nullum in beneficio ius vnquam habuit, [1] eum tamen qui beneficium obtinuit siue à summo Pontifice siue ab alio collatore, quasi vacans per obitum Sempronij, de iure quod Sempronius in eo beneficio habuit, docere non est necesse. [2] Sufficit namque vt eum probet vulgo habitum pro iusto possessore. [3] Quid enim si annalis aut triennalis possessor Sempronius fuit, vt nec ipse de titulo suo docere debuisset si qua ei controuersia de beneficio facta fuisset? [4] Sane si aduersarius doceat de titulo & iure alterius, per cuius obitum ipse beneficium impetrauerit, & is titulus antiquior sit possessione illius, qui beneficij vltimus possessor fuisse dicitur, cogetur nouus impetrans titulum prædecessoris sui exhibere, déque eius viribus disputare: [5] quoniam alioqui fieri non po-

BIU Cujas

t est, vti ne vitiosa præsumatur ea possessio & absque titulo, [6] cum de præcedente alterius titulo & possessione apparet. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum ex regula iuris nemo possit desinere habere id, quod nunquam habuit, *l. non potest videri, 208. de reg. iur.*

2 Quia non habet titulum à suo prædecessore, nec succedit in ius ipsius, sed omne ius suum habet à collatore.

3 *Arg. l. 3. §. 1. D. de SC. Macedon. l. filiæ, 88. de solut.*

4 Nam triennalis possessio est pro titulo saltem præsumpto, *Reg. de triennali possessore.*

5 Cum non potuerint eiusdem beneficij duo in solidum esse rectores & possessores non magis quam rei profanæ, *l. 5. §. si duob. D. commod. l. 3. §. ex contrario, de acquir. poss. l. duo in solidum 19. D. de precar.*

6 Præsumitur enim quisque possedisse ex titulo præcedente, *l. quædam mulier, 77. D. de rei vindic.*

7 Cassad. *de cauf. poss. & propr. decis. 3.* Bellarm. *quæst. 112. & 116.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de subrog. nu. 55. fol. 327.*

DEFINITIO XVI.

De clerico dyscolo & male morigerato.

CVm de beneficij ecclesiastici possessione inter clericos apud Senatum contenderetur, non putauit Senatus pro eo dicendas vindicias, quem constaret improbam vitam agere, tametsi iustissimo titulo niteretur. Etsi enim de clericorum vita & emendatione cognoscere laicus iudex non potest, [1] publice tamen interest, ne quis ad beneficiorum possessionem retinendam locus relinquatur discolis & sceleratis, [1] ex quorum moribus scandalum laicis inferri possit. Ideóque pertinet ea res ad curam non modo Senatus, sed & alterius cuiuslibet iudicis laici de huiusmodi controuersiis ius dicentis, [3] non vt de moribus inquirat, si mali obiiciantur, sed hactenus tantum vt præsentes oblatásque probationes non reiiciat, si tales sint, de quarum fide dubitare non possit. An ergo clericum ex ea causa condemnare debebit? Minime, [4] sed tantum pronunciare sequestrandam beneficij possessionem vt fieri solet neutro ex collitigatoribus coloratum titulum proferente. [5] Si tamen post aliquot annos eadem de beneficio quæstio licet apud eundem iudicem repetatur, & appareat rediisse hominem ad meliores mores, pro eo iudicandum erit, si aliud nihil prohibeat: [6] Sed & si eo tempore quo minus bene moratus dicebatur minor erat annis viginti quinque, nullas post maiorem ætatem resipiscentiæ probationes iudex exigere debebit, quasi ætatis vitium illud fuerit, magis quam personæ. [7] *Ita Senatus* 4. Non. Iunij 1595. & iam antea 13. Calend. Ianuar. 1590.

1 Pertinet enim id ad curam & iurisdictionem episcopi, aut alterius superioris, *tot. tit. de vit. & honest. cleric.*

2 Qui etiamsi beneficium iam tenerent, eo tamen priuari vel ob hanc causam deberent, adeóque communione, *can. episcopus 35. distinct.*

3 Debet enim iudex laicus curare quantum potest, ne laici etiam à clericis scandalum patiantur, eaque potissima ratio est ob quam permittitur ei nonnunquam, vt in clericorum quoque actionibus coercendis se interponat, quod tamen sine iurisdictionis ecclesiasticæ præiudicio fiat.

4 Cum nulla penitus sit iurisdictio laici in clericos, vt nec iudicis ecclesiastici in laicos, *cap. at si clerici, & c. cæterum. de iudic. c. si diligenti, extr. de for. compet.*

5 Vt ficuti vitiosus ad beneficium ingressus nunquam dandus est, ita nec vitioso detur.

6 Ne alioqui causa temporaria & momentanea perpetuum pariat effectum, quod esse non debet, *l. cura 14. §. deficientium, D. de muner. & honorib. l. ab omnib. 10. §. auctu. D. de vacat. & excus. muner.*

7 *arg. l. 3. §. 5. D. de tutel.*

DEFINITIO XVII.

De collatione iure deuoluti facta.

QVod constitutum est, vt si collator ordinarius negligens fuerit in conferendo beneficio, id est, si intra semestre, quod in eam rem præstitutum est non contulerit, totum ius conferendi pro ea vice ad summum Pontificem deuoluatur, [1] non habet locum si iustum impedimentum intercesserit, vt puta pestis aliudve quid simile. [2] Item si ordinarius beneficium vacare ignorauerit. [3] Non enim potuit conferre, nisi à quo die sciuit [4] aut scire debuit [5] vacationem. Cumque ideo non fuerit negligens, negligentiæ pœnam pati nullam debet. [6] Deuolutio autem iuris conferendi ad superiorem negligentiæ pœna est. [7] Et consequenter probanda erit scientia ab eo, qui nititur iure deuolutionis. Non ob id solum, quod alioqui præsumatur ignorantia & probetur eo ipso, quod non probatur scientia. [8] Sed etiam quia fundamentum illud est intentionis eius, qui allegat deuolutum. [9] Cum collatio iure deuoluti facta ante deuolutionem nullius adeo sit momenti, vt ne colorata quidem videatur. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua infr. Defin. 55. de probat. & Defin. 2. & seq. de iur. patron.

1 Quod ius deuoluti aut deuolutionis appellatur, *cap. 2. de conces. præb.* De quo iure vide tractatum Rebuff. inscriptum, *De deuolut.*

2 Rebuff. *in d. tract. nu. 13.* Alex. *cons. 58. vol. 5.* Rip. *in tract. De peste, Tit. de privil. iudic. cauf. pest.*

3 *Cap. quia diuersitatem in fin. & ibi DD. de conces. præb. gl. in cap licet per ill. text. in verb à notitia, de suppl. neglig. prælat. & in dict. cap. 2. in verb. infra sex menses, de conces. præben.* Feder. de Sen. *cons. 129.* Panorm. *in c. cum propter post princ. De iur. patron.* Rebuff. *vbi s. nu. 10.* Roch. de Curt. *in tract. de iur. patron. in verb. honorificum, qu. 27. gl. in c. statutum 3. de præben in 6.*

4 Nemo enim ignorans conferre beneficium potest, vt nec aliud fere quicquam agere, *l. cum sex 55. de ædilis. edict.*

5 Dissoluta enim ignoratio excusationem non meretur, *d. l. cum sex; l. 3. §. 1. l. nec supina, D. de iur. & fact. ignor.*

6 *l. 3. D. de separat. l. ab hostibus, 15. §. vlt. & l. seq. D. ex quibus caus. maior. l. vlt. in fin. C. de posth. hered. instit.*

7 *d. c. licet & tot. tit. De suppl. neglig. prælat.*

8 *l. Verius 21. D. de prob. l. super seruis, Cod. qui milit. poss. lib. 12. cum iurib. ibi per gl. allegatis.*

9 Debet autem quisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis maxime ratione temporis, Alexand. *in l. si minorem, 6. C. de in integr. rest. minor.* Castrens. *in l. si inter, 8. num. 5. de reb. dub.*

10 *DD. in d. c. 2. de conces. præb. & in c. 2. de præb. in 6.* Rebuff. *vbi s. num. 32. post* Felin. & alios *in c. cum ex officij de præscript.* & Boer. quem ibi refert *decis. 70.*

DEFINITIO XVIII.

De clerico coniugato aut minus clericaliter viuente.

QVamuis dici soleat beneficia conferenda non esse aliis clericis, quam qui viuunt clericaliter, [1] Nihil tamen prohibet eum quoque qui secularibus negotiis se immisceat beneficium habere, Ex iis nimirum quæ sunt minima, id est, quæ vel nullam vel perexiguam habent administrationem, nec animarum curam gerunt, cuiusmodi est præfectura capellæ simplicis quæ non sit presbyteralis. [2] Eoque passim iure vtimur. Quamquam multo rectius & salubrius facturus sit clericus, si ab eiusmodi secularibus negotiis abstineat, [3] ex eo saltem tempore quo pacificum & ad honestæ vitæ rationem idoneum beneficium habere cœpit. [4] Illud sane constat clericos coniugatos vsque adeo non clericaliter viuere intelligi, vt nullius omnino beneficij obtinendi capaces sint: *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. clerici, Extr. de vit. & honest. cleric.*

2 Vel ob id saltem, vt hoc veluti præmio inuitentur plerique ad clericatum ambiendum, quem vbi assecuti erunt tanto facilius postea cogitent de sacris quoque ordinibus suscipiendis.

3 *Can. 1. & 2. & pass. distinct. 88.*

BIU Cujas

4 Ex eo namque tempore nulla subest necessitas clerico se immiscendi negotiis secularibus, quæ tamen necessitas sola potest præbere excusationem, glos. *in can. decreuit, 88. dist. arg. 12. qu. 1. can. 1. & 1. qu. 2. can. sacerdos.*

5 Imo vero etiam officio & beneficio quolibet sunt priuandi, *can. si quis à modo, distinct. 81. can. 1. & pass. ead. dist.* Vide *tot. tit. De cleric. coniug. præsertim cap. diuersis, gloss. in can. multorum 27. q. 2.*

DEFINITIO XIX.

De priuilegio clericali.

CLericus in habitu non clericali deprehensus non gaudet priuilegio, neque quod ad fori præscriptionem, neque quod ad pœnam crimini debitam. [1] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Capit. si iudex laicus, de sentent. excommunicat. in 6.* iunct. *cap. 1. de cleric. coniug. lib. 6. cap. clerici, de vit. & honest. cleric. Clement. 1. eod.* Guid. Pap. *quæst. 138. c. vltim. de vit. & honest. cleric. Glos. in can. clerici, dist. 23. & can. in summa 21. qu. 4.*

DEFINITIO XX.

De beneficij collatione facta per vicarium de cuius potestate non constat.

NOn valere collationem beneficij factam à vicario ordinarij si non constet mandatam ei potestatem conferendi certum est, [1] quamuis instituendi habeat facultatem sicut & confirmandi eos, quos ordinarius instituturus esset vel cõfirmaturus. [2] Sed hoc ita accipi debet, si aduersarius defectum mandati in actis, vt aiunt, obiiciat. Nam si extra acta & tanquam exceptio meri iuris, quam ex officio suo iudex alioqui supplere deberet, [3] obiiciatur, non est admittenda, Ne fiat iniuria ei, cui vicarius beneficium contulit, si priuetur ea mandati probatione, quam afferre fortassis potuisset, si aperte opposita exceptio fuisset. [4] *Ita Senatus* in eadem causa. Vtrum enim vicario mandata sit facultas conferendi necne, in facto non in iure consistit: [5] facti vero causam supplere iudex nunquam potest, [6] nec si notorium sit, nisi fuerit allegatum. Nam & quod notorium est allegari debet, licet probari non sit necesse. [7]

1 *c. fin. de offi. vicar. in 6. & c. 3. de præb. eod. lib.*

2 *Cap. cum in illis, 16. vbi gloss. §. cum autem in verb. noscatur de præb. in 6.*

3 *Tit. C. vt quæ des. aduoc. part. in d. suppl.*

4 *Arg. l. 3. vbi not. D. de accus. & inscrip.*

5 Contractus enim omnes sunt facti, *l. consilio 7. §. vlt. de curat. furios.*

6 Not. *in d. tit. C. vt quæ des. aduoc part.*

7 Notorium enim dicitur manifestum, quod patet vel per confessionem, vel per probationem, vel per euidentiam rei, *can. manifesta, vbi glos. 2. qu. 1.*

DEFINITIO XXI.

De congrua portione parocho ex decimis constituenda.

DEcima, aut, vt melius dicam, ea fructuum portio, quæ loco decimæ præstari Deo debet [1] in signum & recognitionem vniuersalis dominij, [2] si iuris rationem inspicias, non nisi ad parochum spectat: [3] Fieri tamen potest, vt ad alias personas eius percipiendæ & exigendæ ius pertineat, aut ex contractu iusto & solemni, aut ex inueterata consuetudine, aut ex immemorialis temporis præscriptione. [4] Sed cum id euenit, parocho & Ecclesiæ rectori omnimodo consulendum est, vt vel ex decimis [5] vel ex quo alio reditu habeat congruam portionem, id est, tantam quanta ad honeste viuendum, & excipiendos hospites sufficere possit; [6] Adeo vt nec ferenda sit condo, si qua in contrarium allegetur, vtpote quæ manifeste impugnet vtilitatem ecclesiæ. [7] *Ita Senatus* ex tempore 17. Cal. Iul. 1591. pro parocho de Montagnole contra Laboret Archipresbyterum Decanatus Sabaudiæ.

1 Dicitur enim decima vulgo etiam, quæ est vicesima interdum aut trigesima, aut quadragesima, qui in loco decimæ præstatur ex consuetudine *cap. in aliquibus, vers. illæ, quippe, Extr. de decim.*

2 Adeo vt configi dicatur Deus si decimæ non soluantur, *cap. reuertimini 16. qu. 1. & can. decimæ, ead. qu.*

3 *Can. quicunque, & seqq. ead. quæst. & can. in sacris,* iunct. *glos. ibid.*

4 *Cap. fin. de paroch. & alien. parochian. c. quoniam, & c. cum contingat. de decim.*

5 Antiquiori enim ecclesiæ ius suum semper conseruandum est, *can. ecclesiæ, & seq. 16. qu. 1.*

6 *Cap. extirpandæ, 30. & ca. exposuisti 33. Extr. de præbend. & dignit.*

7 Non enim sufficit præscriptam esse consuetudinem, si non sit etiam rationabilis, *c. vlt. Extr. de consuet. Glos. in can. ecce ego dico, in fin. distinct. 95.*

DEFINITIO XXII.

Deferenda per iudicem laicum sententia pro congrua portione.

QVid ergo si parochus non habeat congruam portionem, & de eo apud iudicem laicum conqueratur? Non potest Senatus vt nec alius iudex laicus de illo cognoscere, an parocho adiudicanda sit congrua portio necne (est enim ea res ecclesiasticæ iurisdictionis) sed tamen, si parochus petat manuteneri se in possessione percipiendi decimam, aut quid aliud quousque congruam habeat portionem, poterit & debebit iudex laicus cognoscere incidenter, [2] & inquirere an habeat, necne, non vt de illo pronunciet, [3] sed vt si constabit non habere, pronunciet retinendum parochum in possessione percipiendæ decimæ, quousque congrua ei portio fuerit ab episcopo assignata. [4] Interea tamen & incerto eo cauere iudex debet ne quicquam constituat in detrimentum eorum, qui in possessione sunt decimam, aut pro decima portionem aliam consuetudinariam percipiendi. [5] Sed & si constet nõ habere parochum vnde se alat, non prius tamen certa pecuniæ aut frumenti & vini quantitas constituenda est pro congrua portione, quàm apparuerit quænam sit æstimatio reditus, qui ex decimæ perceptione colligitur, Ne alioqui facile eueniat, vt qui decimam percipere solet, ob hoc ipsum quod eam percipit, in plus condemnetur, quam quanti decima est. [6] *Ita Senatus* in eadem causa: & in alia pro D. Ioanne Ferrand. parocho d'Entremons, contra Episcopum Gratianopolitanum 14. Calend. August. 1591.

1 Quia pertinet ad Episcopum vt prouideat parocho de congrua portione, *can. in sacris, & seq. 16. q. 1.* Rebuff. *in tract. De congr. port.*

2 Nam ad officium eius qui cognoscit de principali quæstione pertinet, vt omnem causam incidentem examinet, *l. 1. C. de ord. iud.*

3 Esset enim sententia nulla tanquam ab incompetenti iudice lata, *d. l. 1. & tot. tit. C. si à non compet. iudic.*

4 Nam de possessorio decimarum pronunciare etiam laicus iudex potest, Guid. Pap. *qu. 1.*

5 Ne quid fiat inauditis iis quorum interest, *l. nam ita, 39. D. de adopt. l. de vnoquoque, 47. De re iudic.*

6 Quod sanè iniquum esset. Non enim onus propter certam rem irrogatum grauius esse debet, quam quanti res ipsa est, *l. 1. §. si is qui quadraginta D. ad SC. Trebell. l. in ratione 11. §. quod vulgo, ad leg. Falcid. §. 1. Inst. de sing. reb. per fideic. relict.*

DEFINITIO XVIII.

Quanta esse debeat congrua portio.

BIU Cujas

COngrua portio, quæ parocho debetur, regulariter quidem ex quarta parte fructuum beneficij æstimatur: [1] Sed tamen in iudicantis arbitrio & religione positum est, vt vel maiorem vel minorem fructuum portionem constituat. [2] Quid enim si quarta illa pars fructuum beneficij non sufficiat ad victum & vestitum? Nam quod quidam putant, id quod deest suppleri à parochianis debere, non est probabile. Siquidem quamdiu decima sufficit, aut ea quota quæ pro decima ex consuetudine præstatur, nihil est, quod præterea exigi debeat à parochianis. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Can. concesso, 12. quæst. 2. & can. sequent. & 16. quæst. 1. can. ad hoc.*
2 Ita Rebuff. *in tract. De decimis & fusius, in tract. De congr. port. quæst. 8. nu. 80.*
3 Quia nec aliud quam decimas & primitias Deus ab hominibus exigit, *can. reuertimini, & seq. 16. q. 1.* Rebuf. *vbi s.*

DEFINITIO XXIV.

De Archipresbyteris.

QVi nunc Archipresbyteri vocantur, veteribus illis diaconis non male comparantur, vt absentium Episcoporum oculi esse existimentur. [1] Vnde illud quoque fit, vt eorum causa quam maxime sit fauorabilis, cum de beneficiorum ad Archipresbyteratum pertinentium conseruatione agitur. *Ita tractatum est* in eadem causa. [2]

1 *Can. diaconi 6. distinct. 93.*
2 Vt tanto magis inuitentur ad archipresbyteratus munera ex fide ac diligenter obeunda.

DEFINITIO XXV.

De clerico milite & militiæ desertore.

CLericus in habitu secularis militiæ repertus non solum amittit ipso iure beneficium ecclesiasticum quod habebat, sed etiam priuilegium clericale [1], ideoque si apud iudicem laicum desertæ militiæ reus factus, aut de alio crimine etiam communi vt vocant, nec priuilegiato delatus obiiciat priuilegium fori, petatque remitti se ad iudicem ecclesiasticum, audiendus non est, quia secularem militiam assumendo ecclesiasticæ renunciasse intelligitur. [2] Itaque tanto grauius puniri debet ob desertam secularem militiam, quanto scelestius est vtramque militiam quam alterutram deserere: nisi prioris repetendæ gratia posteriorem desertam esse appareat. [3] *Ita Senatus* contra Humbertum Corhonier presbyterum 4. Id. Decemb. 1592. & 3. Cal. Aug. 1593.

1 Iul. Clar. *lib. 5. sent. in pract. crimin. quæst. 73. num. 6.* Emanuel Soar. *in commun. opin. in verb. clericus.*
2 Vide Imbert. *lib. 4. Inst. forens.* & Guid Pap. *qu. 138.*
3 Gloss. *in can. quisquis in verb. arma, 17. qu. 4.*

DEFINITIO XXVI.

De vnione ex mandato facta post mortem mandantis.

ETsi verum est mandantis morte finiri mandatum quoties res integra est, nec minus in ecclesiasticis causis quam in profanis, [1] non tamen est id perpetuum. Quid enim si mandauero tibi vt soluas Titio post mortem meam? Nemo vtique dixerit mandatum, cuius executio post mortem mandantis collata sit, eius morte finiri. [2] Eadem ratione placebat mandatum Summi Pontificis de vniendis beneficiis quibuslibet quomodocunque & quandocunque vacaturis, etiam si affecta essent sedi Apostolicæ, & vacarent in manibus Papæ pro tempore existentis, non videri finitum morte, [3] Ob idque potuisse delegatum vnire beneficia etiam quæ post delegantis obitum vacassent, si modo viuo eo pontifice qui mandauerat, accepisset mandatum & bullas vt loquuntur fulminari curasset, [4] Dum ne quid aliud obstaret. Solent enim huiusmodi mandata de vniendo reuocari generalibus sequentium Pontificum constitutionibus, si non fortita sint effectum viuo eo mandante, [5] Exceptis tamen iis vnionibus, quæ ex auctoritate Concilij Tridentini factæ sint aut etiam ex causa per Concilium permissa. Itaque cum Claudius de Granier tum Gebennensis Episcopus vitæ morumque sanctimonia ac pietate antiquis illis patribus & Episcopis comparandus, ex mandato Sixti quinti P. M. post eius tamen obitum vnisset prioratum d'Inclafort cum Seminario, quod in sua diœcesi ex præcepto Concilij Tridentini erudiendis quatuor & viginti pauperibus erigi debuerat, Placuit non posse vnionem impediri ex eo solo, quod post mandantis mortem facta fuisset, Tametsi seminarium illud nondum erectum esset, quoniam prius erat vt dotaretur, quam vt erigeretur. *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 48. sup. de sacr. eccles.

1 §. *recte, Instit. de mandat. can. licet, & c. gratum, Extr. de offic. deleg.* Rota *dec. 12. eod. tit. ex c. si cui nulla, de præb. in 6.*
2 *l. Si vero non remunerandi 12. §. vlt. D. mandat.*
3 Tanquam quod esset collatum in id tempus, quod futurum esset post mortem quoque Pontificis mandantis.
4 Mandatum enim acceptum & executioni mandari cœptum esse oportet, quia facilius reuocatur mandatum re adhuc omnino integra *d. §. recte.*
5 Sed qui tales constitutiones allegat vt reuocationem probet eos probare debet, *l. 2. l. eum qui mutatam 22. D. de prob.*
6 Quicquid enim fit à Summo Pontifice in executionem statutorum Concilij, quod perpetuum est, id quoque perpetuum & inuiolabile esse necesse est.
7 Est enim dos seminarij necessarium antecedens ad ferenda onera seminarij, vt dicimus de dote quæ datur marito ad ferenda onera matrimonij *l. pro oneribus 20. C. de iur. dot.*

DEFINITIO XXVII.

De Equitum Hierosolymitanorum incapacitate.

EQuites Hierosolymitanos sicut religiosi sunt triplicique voto obstricti, ita & cæterorum religiosorum exemplo cuiuslibet successionis incapaces esse conuenit. [1] An ita vt nec legitimam portionem in parentum bonis petere possint, si iam eo tempore professi religionem fuerint, quo pater aut mater decesserit? [2] *Ita Senatui* visum est in causa discussionis bonorum illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise viduæ illustris D. Ioannis Comitis de la Chambre 4. Id. April. 1593. Siue quod qui successionis intestati sunt incapaces regulariter [3] à legitimæ petitione repellantur, [4] Siue quod ex edicto Sereniſſimi Ducis nostri Diui Emanuelis Philiberti habeantur religiosi omnes pro mortuis. [5] Itaque nec partem quidem faciunt, tantum abest, vt ad partem admitti possint. [6] Sunt igitur Equites isti deterioris apud nos condicionis quam sint apud Gallos, apud quos sunt capaces successionum omnium quod ad vsumfructum, licet non ad proprietatem. [7]

1 Ex edicto scilicet Ducis sereniſ. Emanuelis Philiberti, de quo scripsi *Defin. 2. 5. & Defin. 44. tit. præced.*
2 Nam si posteaquam patri vel matri successerunt facti sunt religiosi, non ideo mutatur aut impeditur ius successionis.
3 Sunt enim quidam casus, in quibus nostri aliam rationem constituunt legitimæ portionis, aliam successionis. De quibus scripsi in priori parte Hemichiliadis, De errore pragmat.

4 Cum

BIU Cujas

4 Cum legitima sit portio portionis ab intestato contingentis, *l. Papinianus* 8. §. *si quis ex mortuis*, *D. de inoff. testam. l. cum quæritur* 8. *l. quæ nuper*, 31. C. *eod. tit.*

5 Mortuo autem legitimam deberi nemo dixerit, aut ei qui habeatur pro mortuo, *l. si necem*, 4. §. *si deportatus de bon. libert.* Bald. & alij *ad Auth. nouissima*, C. *de inoff. testam.*

6 Regulariter enim non facit partem qui nec admittitur, nec admitti speratur ad partem, *d. l. Papin.* 8. §. *quoniam autem*, *D. eodem.*

7 Vt refert Ioannes Papon. *lib.* 1. *Syntagm. tit.* 10. §. 6.

DEFINITIO XXVIII.

De officiali eiusque vicario.

NOn modo eum qui ecclesiasticæ præest iurisdictioni, quem officialem vocant, sed etiam eius vicarium in hac præsertim alma Camberij ciuitate, totiusque Sabaudiæ theatro Doctoratus dignitate insignitum esse oportet cum iudicandi munere fungatur, [2] & de iis plerumque rebus iudicandum habeat, quæ magni momenti sint ac difficillimæ disceptationis, vt puta de fœdere matrimonij & iure beneficiorum, quod ad petitorij causam attinet. [2] Nec quod iis casibus possit ex Adsessorum sententia ius dicere idoneam præbet excusationem. Honestius enim est publiceque vtilius vt ea ipsa sit eruditione præditus, quæ faciat ne in singula momenta Adsessorum auxilium implorare cogatur, tantoque grauioribus sumptibus litigatores onerare. [3] Cum tamen Episcopus noster Gratianopolitanus Cantorem Sanctæ Capellæ in Officialis sui vicarium elegisset idque non sine exemplo factum esse constaret, Quasi ecclesiastica dignitas eruditionis & Doctoratus loco esse posset, Visum est æquissimum illud temperamentum, vt neque hic vicarij officio fungi prohiberetur, neque confirmatio quam à Senatu petebat ei concederetur, Ne culpam Episcopi qui Doctorem eligere debuerat, nec tamen vt id faceret cogi per nos poterat approbasse videremur, nostramque fecisse, cui auctoritatem nostram accommodassemus. [4] *Ita Senatus* in persona M. D. 17. Cal. Ianuar. 1593.

1 Debet enim etiam episcopus scire leges vel ob hoc ipsum vt melius sciat canones, *Canon. Episcopus*, vbi Gloss. *in fi.* 37. *distinct.*

2 *Cap.* 1. *de adsin. & consanguin.*

3 Nam neque episcopus neque vicarius episcopi aliorum doctrina egere debet, *Can. qui ecclesiasticis*, iunct. Gloss. *in verb. quærant*, 36 *distinct.*

4 Nostra enim facimus ea, quibus auctoritatem nostram impertimur, vt scribit Iustin. *in const. De confirm. D.*

DEFINITIO XXIX.

De sigillo ordinariorum, aliorumque collatorum.

NEc subscriptio nec sigillum magni Abbatis Cluniacensis aliarumque similium personarum vllam apud nos fidem facit donec sit recognitum. [1] Aliud est in subscriptione & sigillo ordinariorum, Episcoporum scilicet ac Metropolitanorum adeoque eorum omnium, qui vice & partibus ipsorum funguntur, propterea quod ordinariam publicamque habeant potestatem & iurisdictionem. [2] Neque aliud erit, si agatur de beneficio cuius collatio spectet iure ordinario ab Abbatem Cluniacensem, puta de prioratu qui sit ordinis Cluniacensis. Etsi enim ratione huiusmodi beneficiorum regularium non habet ordinarius fundatam intentionem, nisi eo casu quo Abbas ipse negligens fuerit in prouidendo, [3] non tamen facere potest qualitas beneficij, vt Abbatis subscriptioni aut sigillo maior fides constare debeat. [4] *Ita Senatus* in causa R. D. Ludouici Marin. & Caroli Emanuelis Pomei, 11. Cal. April. 1596.

1 Ne falso comminiscendo via aperiatur. Tam enim facile esset falsum sigillum, quam falsam scripturam comminisci, *l. cum ab initio* 4. *& seqq. D. testam. quem. aper.*

2 Ideoque sigilla eorum quasi publicè cognita pro recognitis habentur, & publicam fidem faciunt. Ea demum namque sigilla sunt recognoscenda, quæ sunt ignota non quæ iam nota, *can.* 1. *vbi gl. in fin. distinct.* 98.

3 *Cap.* 1. *& tot. tit. De suppl. neglig. prælat.*

4 Ob rationem positam *num.* 1. Nam cum sigillum sit incognitum non est ei fides adhibenda, nec si mille talia sigilla essent, *cap. quod super his*, *Extr. de fid. instrum. Glos. in dict. can.* 1. *in fin. dist.* 98.

DEFINITIO XXX.

De Monachorum incapacitate etiam in bonis talliabilibus.

MOnasticam & religiosam vitam professus siue expresse siue tacite adeo incapax est successionis ex edicto Diui Principis nostri Emanuelis Philiberti, de quo sæpius supra diximus, [2] vt neque succedere ipse possit, neque monasterio successionis emolumentum quærere, [3] scilicet ab intestato. Nam ex testamento potest capere ad vtilitatem monasterij si tale sit monasterium, quod bona habere possit. [4] Neque hac parte separanda est causa proprietatis à fructibus. [5] Non enim plus iuris habere monachus potest in fructibus, quam in proprietate. [5] Nec si alimentorum causam velit prætexere, quia monasterij sumptibus, aut si mendicantium monasterium proponas, de publicis eleemosynis ali & exhiberi debet. [7] Inde fit vt defuncto patre, aut fratre aliove agnato dedititię, & vt aiunt talliabilis cõdicionis sine liberis & condiuisoribus, non magis possit hic impedire ius dominij & obuẽtionis, quam escheutam vocant, quam si esset mortuus [8], quia quod ad successionis causam attinet, pro mortuo habetur qui successionem nec sibi nec alij acquirere potest. [9] Dicat aliquis fortasse, Edictum Principis quod de monachorum incapacitate factum est, non aliam rationem habere, quam vt bona in familia remaneant, & conseruentur. [10] Non igitur prodesse debere domino feudi, qui cum ea bona sibi vindicat, perinde adimit familiæ, atque si monasterium ipsum ex monachi persona succederet. [11] Sed respondeo, non eo magis prohibendum esse dominum feudi vt iure communi vtatur in necessariam consequentiam, Posteaquam constitutum est, vt monachus hic pro mortuo & incapaci habeatur. [12] Idemque multo magis obtinebit, si non de vniuersalis successionis obuentione agatur, sed de rebus singulis inter alios fratres diuisis, absente licet monacho, & ob id non vocato ad diuisionem, quod pro nullo & mortuo haberetur. [13] Nam si bona illa fuerunt talliabili condicione onerata, perinde ad dominum pertinebunt, ac si aut nunquam in rerum natura monachus fuisset, aut diuisioni consensisset. [14] *Ita Senatus* in causa Claudij Molard & Fr. Claudij Vianey 5. Calend. Maij 1594.

1 Potest tamen reseruare sibi certa bona de permissu superioris, dum ne per modum pacti, Boer. *quæst.* 20. *num.* 1. post Cynum, *in auth. ingressi*, C. *de sacros. eccles.*

2 *Defin.* 2. *& 27. 3. hoc tit. & Defin.* 44. 3. *tit. prox.*

3 Quomodo acquireret iure communi si succederet, *Auth. ingressi*, C. *de sacros. eccl. can. liceat*, 19. *qu. vlt.*

4 Non enim monasteria omnia sunt incapacia successionum, vt dixi, *d. Defin.* 2. *num.* 8. 3.

5 Quamuis soleat dici non esse permiscendas causas vsusfructus, possessionis & proprietatis, *l. penultim. in princip. D. de acquir. poss.*

6 Cum fructus percipiantur iure soli & dominij, *l. qui scit*, 25. §. 1. *D. de vsur.*

7 Not. *in d. Auth. ingressi*, C. *de sacros. eccl.*

8 Cum religionis ingressus morti æquiparatur, *Can. placuit* 2. vbi gloss. *in verb. mortuus* 16. *qu.* 1.

9 *l.* 1. §. *penult. de bonor. poss. contr. tab. l.* 4. §. *si deportat. D. de bon.*

BIU Cujas

libert.l.1.§.sed etsi patruus, De coniung.cum eman. liber.eius.

10 Quia pertinet ad curam Principis, & ad vtilitatem reipublicæ vt familiarium dignitati consulatur, *l.1.§.sed etsi seruus, D.de inspic.ventr.*

11 Dominus enim directus omnia occupat iure peculij. Et quamuis non sit hæres, tamen impedit, ne alius quisquam heres esse possit, vt de patre succedente in filij bonis castrensibus scriptum est, *in l.1.& 2.D.de castr.pecul.*

12 *d.can.placuit 16.qu.1.*

13 Illi enim vocandi sunt, qui ex actu lædi possent, & qui contradicendi ius haberent, *l.nam ita 39. D.de adop.l.qui potest, 26. de reg.iur.*

14 Quia non potest haberi pro condiuisore quantum ad succedendi causam is, qui nec ad diuisionem nec ad successionem admitti potest, quique pro mortuo habetur, vt dixi.

DEFINITIO XXXI.

De singulari Franciscanorum incapacitate.

NEque religiosi neque religiosæ virgines ordinis S. Francisci capaces sunt succedendi ex testamento, ne in mobilibus quidem: In immobilibus vero multo minus, nec ea quidem lege vt statim cogantur vendere. In quo deterioris sunt condicionis quam cæteri mendicantes, Si non à summo Pontifice obtinuerint dispensationem.[1] *Ita tractatum est* in causa virginum S. Claræ, & Petri Louet, Prid. Id. April. 1595.

1 Ibi tractat. Iul. Clar. *lib.4. sentent. in §.testamentum, quæst. 29.ad fin.*

DEFINITIO XXXII.

De religiosa monasterium deserere volente.

QVæ per triginta plus minus annos in monasterio steterat religiosam & monasticam vitam expressim professa, cum breue apostolicum impetrasset, vt sibi à monasterio discedere & ad seculum redire liceret, quasi per vim & impressionem metumque reuerentialem & ante legitimos annos professionem emisisset,[1] Petebat à Senatu vt proximorum agnatorum citatio permitteretur ad causam coram iudice, quem summus Pontifex delegauerat disceptandam.[2] Illi intercedebant, & procuratoris generalis auxilium implorabant, Quasi non deberet Senatus permittere, vt de re tam odiosa honestisque moribus contraria lis institueretur, quod vix id citra scandalum fieri posset.[3] Item, quod ea ratione edicta Principis infringi viderentur, quibus districte prohibitum est, ne quis huiusmodi personis ad parentum gentilium aliorumque successiones aditus aut regressus relinquatur.[4] Placuit non Senatus nostri, sed eius qui à summo Pontifice iudex delegatus esset cognitionem esse debere, nam rescripti Pontificij auxilio iuuari eam oporteret,[5] Ob idque nihil causæ proponi cur petita citandorum agnatorum facultas ipsi esset deneganda.[6] Nam si ex litis euentu appareret & veram & iustam esse supplicationem, non futuram eam rem scandalo, quam summus ipse Pontifex adprobasset.[7] Sin contra obreptum esse constaret, fore vt nulla rescripti ratio haberetur.[8] Quod vero ad edictum Principis attineret, nihil contra factum iri, si ad successiones parentum & agnatorum admitteretur filia, postquam auctoritate Pontificia desiisset haberi pro religiosa: Cum nec talis vnquam fuisse videri deberet, si per vim aut metum ad profitendam religionem adacta probaretur.[9] Edictum siquidē eas demum personas successionum incapaces facit, quæ religiosæ sunt, & consequenter quæ in eo statu maneant, manereque debeant quādiu viuunt,[10] Quia nec fieri potest, vt professio illa pro parte tēporis valeat, & pro parte non valeat.[11] Sane vix est, vt post tam longum tempus huiusmodi supplicationes à iudice ecclesiastico audiri propitiis auribus debeant, non solum propter scandalum, sed etiam quia tanti temporis lapsu ipsa quoque vis, si qua ab initio interuenisset, purgata videretur.[12] Quanquam non desunt exempla talium dispensationum ex causa concessarum, adeoq; à suprema Parisiensi Curia, vt quidam referunt, approbatarum.[13] *Ita Senatus* pro Domina Sebastiana de la Chambre tunc Abbatissa du Beton contra fratres Dominos Marchionem Comitem & Vicecomitem de la Chambre 8. Id. Maij 1595.

1 Hoc enim casu permittitur de monasterio exire, *can.puellæ, & can.sicut 20.qu.1.* glos. notab. *ad d.caus.20.in princ. cap.cum virum, & c.cum scimus, Ext.de reg.*

2 Nam & eo casu quo potest quis de monasterio exire ex iusta causa, vtique necessaria est causę cognitio, nec potest quis propria auctoritate sibi eam licentiam exeundi dare, *d. can. puellæ & can.illud autem, iunct.gl.20.qu.1.*

3 Non minus enim qui sunt monasterio traditi à parentib. debent ibi permanere, quam qui propria professione se monasterio manciparunt, *can.addidistis cum seqq.20.qu.1.*

4 Dixi *Defin.30.5.*

5 Est enim hoc iurisdictionis mere ecclesiasticæ non secularis, *d.can.illud autem.*

6 Alioqui esset hoc impedire iurisdictionem ecclesiasticam & delegati, cum nihil possit ille statuere nisi parte citata, *l.de vnoquoque 47.D.de re iudicat.*

7 Licita enim sunt omnia quæcunque sacrosanctæ sedis auctoritas comprobat, de cuius potestate dubitare sacrilegij instar est, *l.sacrilegij 5.C.de diuers.rescript.*

8 Cum sacrilegus etiam ille sit qui Papæ mentitur, *can.serpens,* iunct.Glos. *in verb.quod Deo distinct.1.de pœnit.*

9 Coactio enim absoluta impedit obligationem *d. can.sicut 20. quæst.1.* Gloss. *in dict.caus.20.qu.3.in prin. in verb. quod autem, cap.maiores, Extr.de Baptism.cap.cum locum, Extr.de sponsalib.*

10 Cui enim de monasterio exire conceditur, is nec monachus vnquam fuisse videtur, *dict. can.puellæ, vers.cum ergo 20. quæst.1.*

11 Non magis quam vt eadem persona pro parte viuere & pro parte mortua esse existimetur, *arg.l.vlt.C.de sent.pass.*

12 Glos. *in d.can.sicut vers.illud autem, c.is qui, de reg.iur. in 6.* Rebuff. *in tract. De breui Apostol.*

13 Papon. *in syntag. arest.tit.De appell.tanquam ab abusu.*

DEFINITIO XXXIII.

Monachum sine consensu superioris nihil agere posse.

CErtum est Monachum stare in iudicio non posse sine licentia sui superioris,[1] non solum si proprio nomine agat, sed etiamsi procuratorio.[2] Adeo enim neque velle neque nolle habet, vt nec Papa effici possit sine consensu superioris.[3] Consensum tamen illum, & auctoritatem sufficit quomodocunque interuenire, id est, tametsi consensus capituli nullus accedat.[4] *Ita tractatum est* ex tempore in causa R.D. Abbatis d'Aulps & N. Beneuis 4. Id. Iun. 1595.

1 *can.* Monachi *16.qu.1.* Specul. *tit.de Actor.vers. item excipitur, contra actorem,* Cassan. *qu.43.nu.1.* Franciss. Marc. *decis.588. nu.1.part.2. & qu.127.nu.1.part.1.*

2 Idem Marcus *decis.140.nu.5.lib.2.*

3 Idem Marcus *qu.283.nu.6.lib.1.*

4 Quia non reperitur hoc de iure cautum, vt capituli consensus debeat interuenire. [Potest tamen impetrare licentiam testandi à Papa & à summo Pœnitentiario, sed non ab alio.]

DEFINITIO XXXIV.

De iure commendatarij perpetui in monachos.

COmmendatarius monasterij perpetuus licet non sit professus regulam ordinis, cuius est monasterium, habet tamen in monachos eandem prorsus

BIU Cujas

sus iurisdictionem, quam haberet si ex vero titulo beneficium possideret: quia pro vero prælato & titulario habetur, etiam quod ad hoc, quandoquidem cõmenda ipsa titulus est dispensatoris:[1] Nec inter commendatarium & titularium ecclesiæ rectorem effectu ipso quicquam interest, sed nominis tantum sono: præsertim si ponas commendatarium perpetuum, qui sane in iis omnibus quæ sunt iurisdictionis & administrationis plenissimam habet potestatem.[2] Nec aliud in secularis beneficij commendatario obseruatur.[3] Illa sane distinctio necessaria est, an commendatarius sit Apostolicus necne, id est, an à Summo Pontifice, an ab ordinario constitutus. Nam & ordinarius commendare beneficium ad breue tempus, id est, ad semestre potest:[4] Sed ita tamen vt commendatarius solam custodiam habeat, aut si mauis administrationem custodiæ causa,[5] non etiam iurisdictionem. Intellige nisi & antiqua & inueterata consuetudine iurisdictio probetur acquisita. Nemo enim dubitat quin ex antiqua longoque vsu recepta consuetudine iurisdictio acquiri possit[6] etiam per priuatum,[7] quia & per legem id fieri posset.[8] At quid si in monasterio, cuius Abbas commendatarius est, aliquis sit ex monachis eundemque ordinem professis claustralis Prior, vt vocant, qui haud dubie pro officij sui iure habet iurisdictionem in monachos, An eo minus habebit suam in eos iurisdictionem commendatarius? Minime. Quid enim si Prior ipse corrigendus & emendandus sit? Quis nisi commendatarius corriget?[9] Adde quod & huiusmodi officium est amouibile ad nutum Abbatis, sicut cætera omnia quæ appellant manualia, Adeo vt nec monacho qui huiusmodi officio per Abbatem spoliatus fuerit remedium possessorium competere possit.[10] Itaque cum vir clariss. D. Claudius De la Couz Abbas Ambroniacensis commendatarius iurisdictione sua in monachos vsus esset ad morum correctionem, illi autem tanquam ab abusu appellassent, Senatus celeberrimo arresto pronunciauit reiiciendam appellationem, Abbatique tam ex iure, quam ex consuetudine permittendam morum correctionem. 13. Calend. Ianuar. 1591. Iunge Definit. 6. infr. De appell. tanquam ab abusu. [Idemque postea me præside pronunciatum est pro R. D. Aymone Mermerio priore de Beluaux contra Monachos eiusdem monasterij, sed adhibito tamen hoc æquissimo temperamento, vt non aliter iurisdictionem hanc exercere posset commendatarius quàm si in beneficio ipse resideret & ordinarius prælatus eiusve vicarius abesset, cuius sane iurisdictionem præcipuam conseruari, & saluam esse conuenit vt commendatarij iurisdictio tantum subsidiaria esse videatur. Latum est SC. 2. Decemb. 1617.]

1 Alfons. Hoyeda Hispan. De incompatibilitate beneficiorum *lib. 1. cap. 24. numer. 99. & seq. vsque ad 104.* Boer. *decis. 271. num. 3. 4. & 5.* vbi ait hoc procedere etiam in Priore seculari, & ita obseruari in Gallia & Italia, Chassan. *in consuet.* Burg. *tit. de succe. de bastardis in rub. §. 5. verb. mihi & ver. item etiam dicitur.* Rebuff. *in conc. Tit. de pacif. poss. numer. 36.* vbi refert ita fuisse iudicatum Ioann. Gall. *quæst. 8. & sequentibus.* Guid. Pap. *quæst. 152.* Roman. *consil. 150.* vbi Mandol. *in addit. & in reg. De infirm. resign. quæst. 15.* Paul. Bongal. *in tract. de irreg. & dispens. cap. De dispensat. commendatarij part. 4. numer. 5. & 8.* Probus *in addit. ad Cardinal.* vbi etiam testatur de communi *in cap. nemo. de elect. in 6. numer. 13. 14. 23. & 30.* vbi scribit in hæc verba: Commendatarius perpetuus melius censetur verus Abbas & prælatus & maior in his, quæ sunt iurisdictionis & administrationis prælaturæ, quam titularius. [Iunge Nauarr. *lib. 3. consil. de præbend. consil. 9. numero 2. & lib. 4. consil. de clandest. possess. consil. 2.* vbi ait commendatarios esse veros prælatos, & posse facere quicquid titulares possunt, exceptis iis quæ per commendatarias literas excipiuntur, Emanuel Rodericus *quæst. 35. art. 7.* vbi multos.]

2 Potest enim omnia quod ad effectum, quæ potest verus titularius, etiamsi non sit ordinem professus vt supradicto loco Probus infert.

3 Boer. *d. decis. 271. nu. 3. 4. & 5.*

4 Rebuff. *in tract. De commend. nu. 51. Dixi Defin. 9. & 10. fin. præced.*

5 Cum nihil aliud sit commendare quam deponere, *l. Lucius 24. D. depos.*

6 Gloss. *in cap. cum contingat de for. compet. in verb. vel consuetudine.*

7 Panorm. *in d. c. cum contingat, nu. 9.*

8 Bart. *in l. viros in fin. C. de dinerf. offic. lib. 12.* Ias. *in l. mores col. 9. de iurisd. omn. iudic.* Consuetudo autem habet vim legis, *l. de quibus 32. de legib.*

9 Superioris enim est corrigere omnes qui sunt inferiores, *cap. irreprehensibilis, Extr. de appell.* Gloss. *in can. 1. in verb. corrigere 18. quæst. 2.*

10 Rom. *cons. 80.* Rebuff. *in concord. De pacif. poss. num. 273. & 274.* Bellam. *decis. 256.* Boer. *decis. 271.* Felin. *in c. cum dilecta, col. 9. vers. monachus, de rescript.*

DEFINITIO XXXV.

De iudice commendatarij perpetui.

CLericus tamen secularis beneficium regulare possidens in commendam ex Apostolica dispensatione non eum habet in causis suis iudicem qui regularis ordinis superior est, sed episcopum ordinarium diœceseos,[1] quia cum nihil proprij iuris habere censeatur in beneficio, cuius plena proprietas adeoque possessio residet penes summum Pontificem commendantem,[2] non debet eius condicio fieri deterior vt superiorem ordinis in iudicem ordinarium habeat, qui ipse nullius est ordinis.[3] *Ita Senatus* pro Emanuele Philiberto Pomeo contra monachos Prioratus de Beluaux 16. Calend. Iul. 1591.

1 *can 1. vbi glos. in verb corrigere 18. qu. 2.*

2 Quia commendare nihil aliud est, quam deponere, *l. Lucius 24. D. depos.* rei verò depositæ & proprietas & possessio remanet penes deponentem, *l. licet, §. 1. eo. tit.*

3 Loquimur enim de illo, qui non est professus regulam ordinis cuius est monasterium.

DEFINITIO XXXVI.

De vita & honestate clericorum.

CVm secularis clericus prioratum regularem ex dispensatione Apostolica in commendam possideret,[1] nec in clericali habitu incederet, sed multa per iniuriam aut insolentiam contra ecclesiasticæ honestatis præcepta commisisse probaretur,[2] Non putauit senatus quicquam decernendum in eum, quem alienæ videbat esse iurisdictionis, nec vllius reum criminis ex iis quæ priuilegiata appellantur.[3] Sed tamen conquerentibus monachis, & propter scandalum quod ex malis moribus inferri laicis poterat, non existimauit eam rem conniuentibus oculis prætermittendam.[4] Itaque facti quidem disceptationem cognitionemque ad ordinarium iudicem remisit, adiecta exhortatione vt litem diligenter instrueret, Senatumque post mensem proximum de administrata iustitia faceret certiorem. Sed tamen interea clericum hunc cohortatus est, vt in posterum caueret ne in alio quam clericali habitu incederet, neue quid indecens admitteret, ac quod ab ecclesiasticæ vitæ dignitate alienum videretur, interminatus si secus faceret bonorum temporalium ecclesiæ ad manus Principis reductionem.[5] *Ita Senatus 16.* Calend. Iul. 1595.

1 Alioqui non posset secularis beneficium regulare possi-

dere, cum iure communi secularia secularibus conferenda sint, regularia vero regularibus.

2 Quod cum sit ex leuitate non statim perditur priuilegium clericale. Secus enim est si penitus apostataret, vt loquitur glos. *in can quisquis in verb. arma 18. qu. 4.*

3 Est enim regulariter iurisdictio episcopi in clericos, siue agatur ad depositionem ordinis, siue ad depositionem officij, siue ad correctionem morum, Glos. *in princ. can. 15. qu. 7.*

4 Debet enim iudex laicus prohibere scandala, quæ publicam lædunt vel honestatem vel tranquillitatem.

5 Hac enim pœna solent laici iudices vti aduersus clericos scandalum laicis inferentes.

DEFINITIO XXXVII.

De fructibus beneficij, ad quem pertineant, & qui sint percepti aut pro perceptis habendi.

TAm fructus beneficij qui iam percepti sunt, quam quæ ex iis fructibus comparata probantur,[1] pertinent ad hæredem beneficiarij de consuetudine moribus nostris adprobata, licet iuris rigore inspecto magis sit, vt ad eum qui in beneficio successor est debeant pertinere.[2] Quid ergo si morienti beneficiario census & seruitia plurium annorum præteritorum debebantur, An ad hæredem, an potius ad successorem in beneficio pertinebunt? Quæstio in eo est, An in fructibus percepti computati debeant, an in percipiendis? Nemo enim dubitat quinij, qui nondum percepti sunt ad successorem pertineant. Sed magis placuit pro perceptis haberi census debere, quorum dies iam cesserit & venerit licet nondum sint exacti.[3] Proinde non aliter successori in beneficio actionem eo nomine competere, quam si cessas ab hæredibus habeat actiones. Maxime verò si proponas petitos apud iudicem eos fructus à decessore, nec nisi per debitorem stetisse, quominus iam viuo beneficiario percepti fuerint.[4] *Ita Senatui* in causa Patrum Collegij Societatis Iesu Camber. & D. Claudij Neyton Curionis Ecclesiæ parochialis de Barbaraz, 5. Id. Septemb. 1595.

1 Nam quod ex fructibus beneficij acquisitum est non potest non sapere naturam fructuum beneficij. Vnde illud est, quod bona acquisita ex reditu hospitalis ipsi hospitali acquisita dicuntur, *l. si defunctus*, C. *arbitrium. Auth. licet*, C. *de episc. & cler.* Boer. *qu. 20. nu. 3.* Si quis tamen & officium & beneficium habeat, præsumendus in dubio est acquisiuisse potius ex officio quam ex beneficio, Boer. *ibid. nu. 4. ex ca. relatum 2. & ca. quia nos de testam.* [vide Didac. Couarr. *ad cap. cùm in officiis* & Panorm. *in cap. cùm esses de testament. l. 2. & authent. licentiam* vbi Bald. *Cod. hoc tit.*]

2 Beneficiarius enim censetur fructuarius in vita & vsuarius in morte, Glos. *in c. præsenti de offic. ordin. in 6.*

3 *Arg. l. vlt. in fin. de iur. fisc. l. defuncta 58. de vsufr.*

4 Non enim debet morosò sua mora prodesse, aut ei, cui nihil imputari potest, nocere *l. in condemnatione 173. §. vnicuique de reg. iur.* [vide Canon. *in apibus 7. quæst. 2. cap. vlt. de pecul. cleric. cap. quia sæpe de elect. & electi potest. in 6. & 12. q. 1 per tot.*]

DEFINITIO XXXVIII.

Electiones quomodo fieri hodie debeant.

ELectiones, quas olim per sortem quoque fieri potuisse certum est,[1] (vnde & clericis quoque nomen inditum quidam volunt,[2]) constat hodie non nisi per viam scrutinij, aut compromissi, aut inspirationis fieri debere.[3] *Sine die.*

1 *Cap. fin. de sortileg.*

2 Boer. *quæst. 1. nu. 6.*

3 *Cap. quia propter, de elect.* Boer. *ibid. nu. 64.*

DEFINITIO XXXIX.

Sufficit in foro conscientiæ vt electio teneat de iure gentium.

SI in electione facienda peccatum sit quod ad solemnitates attinet, quæ nouissimo iure Pontificio,[1] Concilioque Basilienſi[2] introductæ fuerunt, si tamen electio teneat de iure gentium, vt loquuntur, id est, si verus eorum quibus eligendi ius fuit consensus interuenit, Placet in foro conscientiæ tutum esse eum qui electus est,[3] præsertim si ea sit morum probitate præditus vt dignus sit qui eligi debuisse videatur.[4] Nam & ex contrario dicimus professionem factam non seruata forma, quæ per regulam religionis fuit constituta perinde obligare in foro conscientiæ, ac si forma seruata esset, si modo verus consensus in profitendo probetur interuenisse:[5] Electionem tamen quæ non seruatis solemnibus facta sit, ipso iure nullam esse certum est.[6]

1 *d. cap. quia propter de elect.*

2 De quo *in cap. de elect. in proœm.*

3 Boer. *quæst. 1. numer. 13. post* Innocent. *in dict. cap. quia propter.*

4 *d. cap. 1. de elect. in proœm. Clem. exiui de paradiso, vers. & siquidem ad electionem.*

5 Abb. *in cap. porrectum, col. 2. De reg.* Boer. *vbi 3. nu. 14.*

6 Boer. *vbi 3. nu. 16. ex d. c. 1. & c. quia propter.*

DEFINITIO XL.

Electio non nisi voce & secreto fieri potest.

ELectionis singulare ius est, vt non nisi viua voce & secreto fieri debeat[1], adeo vt nec de capituli consensu fieri possit, vt ei qui electionis tempore absens est sententiam votumque per literas emittere permittatur,[2] Cum ea forma faciendis electionibus præscripta sit. Generale enim est, vt quoties certam formam lex præscripsit specificè adimpleri eam oporteat, nec sufficiat seruari per æquipollens,[3] vt nostri loquuntur, Tametsi vulgo dici soleat nihil referre, an quid ex æquipollentibus fiat. Interesse tamen electioni per procuratorem, dummodo consentiente capitulo, quiuis potest: licet iusti impedimenti causa nulla allegetur.[5] *Sine die.*

1 *Cap. quia propter, de elect.* Boer. *d. quæst. 1. nu. 25. & 37. ex c. Ecclesia vestra, de elect. & cap. si quis iusto, § fin. to. in 6.* In aliis causis aliud est, Boer. *ibid.*

2 Rom. *sing. 797. incip. absens* & alij, quos refert & sequitur Boer. *vbi 3. nu. 41. ex § fin. d. cap. si quis iusto.*

3 *Vulg. l. cum hi 8. § si prætor, de transl. gloss. in clement. 1. de vita & honest. Cleric.* Boer. *vbi sup. nu. 44. & 63.* vbi addit, formam esse quid indiuiduum, *& ex cap. quorundam, vbi gloss. 23. dist.*

4 *l. mulier 22. D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XLI.

Peccans in eligendo priuatur electione pro illa vice.

QVi in electionis forma peccauit, eligendi iure pro ea vice priuatus est,[1] præterquam si mulierem proponas, aut aliam ex iis personis, quibus iura ignorare impune concedatur.[2] *Sine die.*

1 Scilicet in pœnam admissi, vt in quo peccauit, in eo & puniatur.

2 Boer. *quæst. 1. numer. 41. ex l. regula 9. de iur. & fact. ignor.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XLII.

In electione exploranda sunt vota omnium, qui adsunt, non etiam absentium, si pauci absint ex iis, qui vocari debuerunt.

INter cætera electionis solemnia vel hoc vnum est, quod eorum omnium, qui vocati sunt & adsunt, vota exquiri oportet, [1] ita vt si in eo peccatum sit, electio non teneat, [2] quæ tamen teneret, etiamsi ex iis, qui vocari debuerant, vnus aut alter neglectus fuisset, [3] præsertim si commode vocari non potuisset. [4] *Sine die.*

1 *Can. quia propter, de elect.* Vbi Abb. & cæteri.
2 Boer. *qu.1.nu.61.*
3 Boer. *ibid.nu.62.*
4 Card. *in Clem.ne Romani, in princ. de elect.*

DEFINITIO XLIII.

Nulla electio est, quæ sit ad Ecclesiam non vacantem.

CVm de electionis iure quæritur, initium inspiciendum est, si ab initio nulla fuit, [1] non item si qua de causa ex postfacto annullanda videatur. Nulla autem electio potissimum illa est, quæ fit ad Ecclesiam non vacantem, & in locum viuentis. [3] Inutili porro facta electione si sequatur confirmatio, eam quoque inutilem esse consequens est. [4] *Sine die.*

1 *Cap. auditis & c. dudum 1. & 2. de elect.*
2 *Cap. quid sit cat eod.* Ita distinguit Boer. *qu.2.nu.5. in fin.*
3 *Cap. 1. & 2. de concess. præb.*
4 *Cap. fin. de renunciat.* Boer. *ibid.*

DEFINITIO XLIV.

Beneficia electiua non ligantur reseruationibus clausis in corpore iuris.

REnunciatione in manibus superioris facta, si beneficium fuit electiuum, procedi confestim potest ad electionem, tanquam de beneficio vacante [1]: nec potest summus Pontifex intra trimestre, quod eligendis dignitatibus præstitutum est, vti præuentione. [2] Nam ad beneficia electiua reseruationes in corpore iuris clausæ non pertinent. [3] Nec æquum est, beneficio electiuo dari Prælatum, qui non sit electus. [4] Ob idque nec beneficij electiui permutatio, aut, quod idem est, renunciatio ex causa permutationis aliter defendenda est, quam si eorum consensus interuenerit, qui eligendi ius habuerunt. [5] Consensum tamen etiam ex postfacto interuenisse sufficiet. [6] *Sine die.*

1 Boer. *qu.2.nu.6.*
2 Rom. 483. *colum. 4. vers. secundo quæritur, & cons. 499.* Anch. *cons. 399.* quos refert & sequitur Boer. *vbi s. num. 9. & 33.*
3 Boer. *ibi nu. 7. & seqq. præsertim nu. 14. & 30.* vbi ait, idem esse, etiamsi Papa manum apposuerit dato coadiutore & constituta pensione, quod tamen idem refellit. *num. 55.*
4 *Cap. 2. de renunciat.*
5 *Cap. 1. de elect. clem. vnic.* vbi Ioan. de Imol. *de renunciat.* Boer. *d. qu. 2. nu. 16.*
6 Lap. *in d. clem. vnic.* quem refert & sequitur Boer. *d. q. 2. nu. 15.*

DEFINITIO XLV.

An beneficium reseruatum sibi cognoscendum sit citata parte, & an ea citatio possit fieri ex auctoritate Iudicis laici.

SVmmo Pontifici dicenti beneficium sibi reseruatum esse, non creditur, si non aliunde reseruatio probetur, [1] necesseque est vt præcedat hominis declaratio, [2] quæ porro nisi citata parte fieri non potest, [3] nec rursus citatio apud alium quam ecclesiasticum Iudicem: [4] si iuris ratio inspiciatur. Sed alio tamen iure vtimur, Iudicisque laici, qui de possessione beneficij cognoscit, [5] notio quoque illa est, an beneficium reseruatum, & reseruatio in iuris corpore clausa sit, nec ne, non vt de eo pronunciet, sed vt eam super possessorio sententiam ferat, quam ferre deberet, si aliqua de reseruationis iure pronunciatio in hanc aut in illam partem præcessisset. [6] *Sine die.*

1 Ex decreto Basilien si *in c. vnic. de sublata clement. literis,* Boer. *qu.2.nu.19.*
2 *cap. cum secundum leges, de hæret. in 6.*
3 *c. licet 2. de præb. in 6.* Glos. *in clem. fin. de censib.*
4 *d. cap. cum secundum, cap si Iudex laicus, de sent. excomm. in 6.*
5 Guid. Pap. *qu.1.*
6 *Arg. l.1. C. de ordin. iudic.*

DEFINITIO XLVI.

Auctoritas summi Pontificis non supplet solemnitatem iuris communis præscriptam pro forma.

QVod dici solet, præsentiam summi Pontificis omne vitium purgare, omnemque doli præsumptionem excludere, [1] adeoque omnem iuris communis solemnitatem supplere, [2] tunc obtinet, cum de ea re agitur, cui certa forma nulla sit à iure præstituta. [3] Alioqui cum eam per æquipollens obseruari non sufficiat, [4] facere auctoritas summi Pontificis non debet, vt rite factum videatur, quod formam suam non habeat.

1 *l. furti, §. qui iussu, de eo qui not. infam. l.1. C. de præd. curial. lib. 10. c. nisi essent, de præb.*
2 *cap. 1. de transact. l. omnium, C. de test.*
3 Boer. *qu.3.nu.22.*
4 Gloss. *in cap. 1. de vit. & honest. Cleric. & in c.1. de milit. nas. qui contest.*

DEFINITIO XLVII.

Electio fauorabilior in dubio est apostolica reseruatione.

QVam fauorabile sit ius electionis vel ex eo constat, quod si summus Pontifex electiuam dignitatem sibi reseruauerit ex magna & rationabili causa, vt Concilium Basilien se loquitur, & eodem die canonice celebrata electio proponatur, potior electionis causa est, quam reseruationis. [1] *Sine die.*

1 Ægidius Bellamera *decis. 20. alias 235. incip. in causa D. Guielmi,* quem refert & sequitur Boer. *qu.2.nu.33.*

DEFINITIO XLVIII.

Electus quando renunciare iuri suo possit.

ELectus antequam confirmatus sit renunciare suo iuri potest in manibus eligentium sine auctoritate superioris [1], non etiam post confirmationem. [2] Ideoque priore casu noua electio per eosdem electores fieri potest, posteriore non item. [3] *Sine die.*

1 *c. inter corporalia, de transl. prælat.*
2 *c.1. & 2. eo.* Gl. & DD. *in cap. electio, de elect. in 6.* Rom. *cons. 306.*
3 Boer. *qu.2.num.47. & 48.*

DEFINITIO XLIX.

Reseruatio regressus beneficij cum medietate fructuum, olim valebat, hodie non valet.

BEneficij renunciatio facta cum regressu & omnium fructuum reseruatione facit vt beneficium vacare censeatur, non etiam si cum fructuum duntaxat medietate, quia valet eiusmodi obseruatio, [1] Si ius commune inspicias, quod ante sacrosanctum Concilium Tridentinum obtinebat. Hodie namque regressui via omnis præclusa est. *Sine die.*

BIU Cujas

1 Boer. *d.qu.2. num.56.* [valet tamen reseruatio medietatis fructuum dummodo fiat à Papa, inquit Rebuff. *in praxi. benefic. tit. de reseru. nu.15.* addens esse ex consuetudine magis quàm ex iure vt fructuum reseruatio non debeat excedere tertiam partem.]

DEFINITIO L.

Absentes quando habeantur pro præsentibus.

CAnonici absentes siue studiorum [1], siue Reipublicæ [2], siue Capituli causa [3] pro præsentibus habentur, ideoque maiores beneficij fructus percipere & possunt & debent [4], non secus ac si aut infirmitate [5], aut absentia, cuius veniam à Capitulo impetrassent [6], impedirentur, ne adesse possent. Proinde siue proponas supremæ Curiæ Consiliarium, (dum ne tantum honorarium [7]) qui pars corporis Principis est [8], siue ex alia causa ad aulam Principis euocatum [9], siue summo Pontificis in Romana Curia, [10] siue Episcopo suo extra locum beneficij inseruientem, [11] eodem gaudebit priuilegio. Non tamen similiter admittemus, vt contra ius maiores fructus plurium Ecclesiarum percipere possit is, qui in earum duntaxat altera resideat. [12] Sed & quotidianarum distributionum alia ratio est, in quibus nullum absenti ius competere constat, nec si pro Ecclesiæ commodo abesse proponatur. [13] *Sine die.*

1 Intellige de licentia Episcopi, *cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Boer. *qu.17. nu.3.*
2 Bald. *in l. Iurisperitos in princ. de excus. tutor.*
3 *c. vnic. de Cleric. non resid. lib. 6.*
4 Boer. *d. qu.17. per tot.*
5 *d. cap. vnic. DD. in cap. cum non deceat, eo. lib. de elect.* Bart. *in l. quæsitum, de leg. 3.*
6 *l. in hac lege,* iunct. gloss. *C. de proxim. sacr. scrin.* Boer. *vbi sup. num.6.*
7 Bald. *cons.57. vol.1.* quem refert Boer. *nu.10.*
8 *l. quisquis 5. ad leg. Iul. Maiest.*
9 *Can. si episcopus, 18. dist.*
10 Oldr. *cons.48. & 220.* Boer. *nu.8. & 11.*
11 *cap. de cætero, & c. ad audientiam, de cler. non resid.*
12 Boer. *nu.17. & 18.*
13 *c. cum non deceat, de elect. in 6.* Boer. *nu.16.*

DEFINITIO LI.

Collatio facta per eum, qui iam alij beneficium contulit, non valet. Tamen magis ei fauendum est quam priori, quæ dolo malo impetrata probetur.

ORdinarius qui vacans beneficium iam contulit, idem alteri conferre non potest, nisi audito prius & consentiente, aut condemnato eo, cui prius contulerit. Et si secus factum sit, secunda collatio prorsus nulla est, tanquam facta per non habentem potestatem: [1] Si tamen is, cui prior collatio facta est per fraudem, impetrauerit collationem, puta per resignationem ab eo factam, qui beneficij controuersiam iam patiebatur, nec de controuersia quicquam dixerat, prioris collationis ratio haberi nulla potest. [2] Itaque fit, vt summo quidem iure sequestrari beneficium debeat: [3] Sed tamen melius sit ei fauere, quod ad plenas vindicias pertinet, qui nihil dolo malo & per fraudem fecerit, [4] *Ita Senatus* in causa N. Galley contra N. Guillot 23. Mart. 1596.

1 Quia nullam potestatem conferendi beneficij habet, qui iam contulit, *cap. dilectus, de præb.* sibique debet imputare, qui conferendo eam sibi potestatem eripuit, *arg. l. filio 7. D. vt leg. seu fideicomm. nom. caueat.*
2 Quia nunquam vitiosus ingressus dari debet, *cap. 1. de regul. iur. in 6.*
3 Id enim solet obseruari, cum neuter litigatorum ius habet in beneficio.
4 Semper enim puniendus dolus est, *l. procurator* 11. *§. in perpetuum, D. de doli mali except.*

DEFINITIO LII.

Pendente lite neque possessionem apprehendere quis potest, neque intercedendo constituere se possessorem.

QVi beneficij possessionem adprehensurus ab alio prohibitus est, non potest lite pendente & ante sententiam acquirere possessionem, [1] imo nec intercedere, quo minus alius eiusdem beneficij possessionem occupet, præsertim si ius habeat ab aduersario. Alioqui diceretur intrusus, si per eiusmodi intercessionem constitueret se possessorem. [2] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ne alioqui videatur attentare in præiudicium litis, & sibi ipsi ius dicere, *l.1. & tot. titul. Quod vi aut clam, l.1. D. quod legat. l. non est singulis 176. de regul. iur.* dicam *infra titul. vt lis. pendent.*
2 Intrusus enim dicitur, qui propria auctoritate constituit se possessorem Gomes. *ad regul. de triennal.* & pass. *ad regul. Cancellar.*

DEFINITIO LIII.

Lepra superueniens non priuat Clericum, sed tamen repellit impetrantem.

LEpra quidem superueniens non priuat Clericum beneficio, sed facit tantum, vt ei interdicatur administratione, detúrque coadiutor ex fructibus beneficij alendus. Sed tamen qui ante impetratum beneficium leprosus est, ad beneficij impetrationem admitti non debet, vt in matrimonio spirituali hac parte idem seruetur, quod in carnali. [1] *Ita tractatum est* in causa Claudij Poncet & Capituli Cathedralis Ecclesiæ Bellicensis 6. Febr. 1596.

1 Valet enim argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *c. inter corporalia* & ibi Canon. *extr. de translat. prælat.* Boer. *qu.1. num.18. vbi vide.*

DEFINITIO LIV.

Sententia lata contra Prælatum mandanda est executioni contra laicum beneficij conductorem, si fieri possit potius quam contra Prælatum condemnatum.

SI de præbendis quæratur præstandis ex fructibus beneficij locati, agi quidem eo nomine potest contra Prælatum, & sequi condemnatio in personam illius, [1] quoniam & ad eius onus pertinet, vt monachis præbendæ soluantur. [2] Sed tamen hoc adhibendum erit temperamentum, vt iudicati executio, non nisi aduersus conductorem permittatur, [3] quandiu non apparet, per conductoris tergiuersationem & inopiam fieri, quo minus ab eo res seruari possit. [4] *Ita Senatus* in causa religiosorum Prioratus S Mariæ de Beluaux & Caroli Emanuelis Pomei Prioris.

1 Intellige, non vt fiat vlla personalis condemnatio in personam Prælati, sed vt de possessione pronuncietur, & retineantur monachi in possessione seu quasi percipiendarum præbendarum.
2 Cum sit Prælatus administrator fructuum beneficij, qui in monachorum alimenta præcipuè sunt destinati.
3 Solent enim conductores esse laici, qui proinde ad Iudicis laici iurisdictionem & coercitionem pertinent.
4 Nam cum hoc casu inanis aut saltem difficilior futura esset executio iudicati contra conductorem, *l. nam is 6. D. de dolo.* necessarium esset permittere executionem non in personam, sed in bona Prælati condemnati, alioqui esset inanis sententia, quæ executioni non mandaretur, *l. penultim. Cod. de exec. rei iudicat.*

DE FI-

BIU Cujas

DEFINITIO LV.

Cognitio possessorij beneficiorum an & quando, & quatenus pertineat ad Iudicem laicum?

CAusa quidem possessorij beneficij ecclesiastici beneficialis quoque est,[1] sed non tamen spiritualis.[2] Est enim potius quid temporale, ideoque etiam ad Iudicis laici cognitionem pertinere creditur,[3] si modo non de adipiscenda beneficij possessione contendatur, (quæ res proxime accedit ad causam petitorij)[4] sed de ea retinenda,[5] multo magis si de recuperanda, forte aduersus prædonem & spoliatorem, aut aduersus eum, qui in spoliatoris & prædonis, vel saltem in ipsius rei vitium successerit.[6] Est enim fauorabilior causa spoliati, quam eius, qui turbatur tantum in sua possessione,[7] & ad Principis secularis eiusq; magistratuum auctoritatem & officium pertinet, vt oppressis quibuscunque subueniant,[8] nec minus Ecclesiasticis, quam Laicis, siue à Laico, siue à Clerico se opprimi conquerantur.[9] Sed hoc ad repellendam duntaxat iniuriam, quæ illata euidenter probetur,[10] &, vt nostri loquuntur, per modum defensionis extraiudicialis[11] potius, quam per viam iurisdictionis, & iudiciariæ auctoritatis.[12] Quomodo etiam dicimus depositarium Clericum cogi posse à Iudice seculari ad restitutionem depositi: at ita, vt contra eum procedatur non per modum iudicij, sed executiue in consequentiam officij suscepti.[13] Item posse moneri per Iudicem secularem,[14] quamuis non possit citari, nec si velit & expressim consentiat.[15] Citatio enim arguit monentis superioritatem, monitio non item.[16] Vnde est quod placuit, valere edictum Iudicis laici, per quod citantur generaliter omnes prætendentes interesse, vt etiam Clericos comprehendat,[17] tanquam quod non tam citationis vim habeat, quam admonitionis, adeo vt si post eiusmodi publicationem aliquis veniat, quasi putans sua interesse non tam reus dici debeat, quam actor.[18] Sed & cum quæstio est meri facti, licet causa sit meræ spiritualitatis, vt loquuntur, potest etiam Iudex laicus de eo cognoscere,[19] qui & competens Iudex esse creditur pro obseruatione iuramenti,[20] quamuis nemo nesciat, iusiurandum esse quid mere spirituale, cum sit vinculum religionis. *Sine die.*

1 *Clem. vn. de caus. poss. & propriet.* Specul. *in tit. de contum.* §. *sequitur, vers. illud*, licet aliter sentiat *gl. in c. cum qui de eo, qui mitt. in poss. lib. 6.*

2 Aliud enim est causam esse beneficialem, aliud spiritualem.

3 Abbas late *in c. 2. de iuram. calum.* quem citat Afflict. *decis. 24. num. 8. in fin.*

4 Guid. Pap. *qu. 1.*

5 Nihil enim commune habet interdictum retinendæ, cum iure proprietatis, *l. naturaliter 12. §. nihil commune, de acq. poss.*

6 Nam neque hic sine peccato potest retinere beneficium, aut aliam rem, quæ per spoliationem erepta fuit, *cap. sæpe. ext. de rest. spoliat.*

7 Adeo vt etiam prædo sit restituendus, *c. in literis, eod.*

8 *Can. petimus 11. q. 1. & 16. q. 1. can. quidam & 7. qu. 1. can. omnis.* Lucas de Penna *in l. si coloni, qu. vlt. C. de agric. & censit.*

9 Lucas de Penna *ibid.* Bald. *in Auth. nisi rogati, col. 3. Cod. ad SC. Trebellian. de non alienand.* Not. per Ioan. Andr. *in c. significasti, super verbum, iurisdictionis, de for. compet.* Afflict. *dict. decis. 24. num. 7.*

10 Spolium enim euidens & notorium esse oportet. Afflict. *ibid. num. 9.*

11 Ex notat. *in l. vt vim. D. de iust. & iur.* Nec refert, an agatur de defensione personæ, an rerum, quia vtramque defensionem Princeps debet, *c. 1. de for. fidelitat. Clement. 1. de iureiur.* Res enim & bona dicuntur secundus sanguis hominis, *glos. iunct. text. in l. aduocati*, vbi Bald. *C. de aduoc. diuers. iudic.* Idem Bald. *in l. si tuis nummis, C. de oper. libert.*

12 Afflict. *vbi* §. *nu. 2. & 3.*

13 Bald. *in l. acceptam col. 1. in fin. C. de vsur.* Idem Bald. & Iason. *in l. si fideiussor. §. si satisdatum. D. qui satisd. cogant.*

14 Idem Bald. *in c. fin. col. 1. de fid. instrum.*

15 *Cap. si diligenti, extr. de for. compet.*

16 Gloss. *in c. cum causam, de offic. deleg.*

17 Paul. Castr. *cons. 44. incip. in causa Ægidij.* Marc. Socin. *in tractat. de citat. ars. 3. vers. 18.* Phil. Decius *in c. cum inter. col. 7. de exceptio.*

18 Paul. Castr. *in t. testamenta, C. de testam.* Innoc. *in c. dilecti, de except.* Afflict. *vbi* §. *num. 8.*

19 Bart. & DD. *in l. Titia, D. solut. matr.* Afflict. *vbi* §. *nu. 9.*

20 *Cap. licet de iureiur. in 6.*

DEFINITIO LVI.

An & quando Clerici teneantur ad contributiones à Iudice laico imperatas?

QVæri solet, An muneribus & oneribus, quæ ex magistratus Laici iurisdictione generaliter imponuntur, etiam Clerici contribuere debeant, in eoque alij aliter sentiunt. Sed illa tamen iustior & receptior sententia est, quæ Clericis fauet, vt non aliter contributioni sint obnoxij, quam si de ea re agatur, quæ ad Clericorum non minus, quam Laicorum vtilitatem directo & principaliter pertineat, puta de refectione pontium vel mœniorum ciuitatis, aut in subsidium si non sufficiant Laicorum faaultates.[1] Itaque cum aduersus vim fluminis munienda esset ripa, vt Laicorum agri seruarentur, ex quibus parochus decimas percipere solebat, visum est malè interlocutum Iudicem, qui cum Laicis parochum onerauerat quod ea res ad parochi commodum non nisi per consequentias pertineret, præsertim cum & inaudito eo id fecisset, & inconsulto Episcopo, qui ex iuris Pontificij ratione omnimodo consulendus erat, in iis quoque casibus, qui longiorem moram admittere non possent, extra quos etiam summus Pontifex esset adeundus. Quanquam si aliud non obstaret, eo iure vtimur hodie ex vicinorum moribus, magis quam ex iuris ratione, vt quo casu Clericorum bona contributionibus istis sunt obnoxia, capi possint pignori Episcopo etiam inconsulto. Eorum plane personas semper & vbique sanctas & inuiolabiles esse conuenit: nec ferendum, vt ex eodem Iudicis mandato, quo debitorum personæ ac bona capi iussa sunt, vlla fiat executio aduersus Clericum, nec si declaret executor nihil se in Clerici personam, sed in ipsius tantum bona iuris vindicare, cum mandati auctoritas, quæ de personis bonisque pignori capiendis coniunctim loquitur, non magis scindi possit, quam ad Clericos extendi, vt in eorum bona hoc prætextu agatur. *Sine die.*

1 Vide Cacher. *decis. 68.* Guid. Pap. *qu. 381.* Panorm. *in cap. non minus 4. & cap. aduersus 6. extr. de immun. Eccles.* vbi tota hæc quæstio diffuse & diligenter tractatur. [Francisc. Rip. *lib. 2. resp. cap. 20. & lib. 1. c. 21.* Sane refectioni viarum & pontium debent contribuere omnes qui viis & pontibus vtuntur, *l. per Bithyniam 2. C. de immun. nemin. conced. lib. 10. Tit. 25.*]

DEFINITIO LII.

ETsi non debet is qui aut eleemosynam aut hospitalitatem exercet curiosiùs inquirere de qualitate & condicione illius in quem liberalitatem confert, cùm satis ei superque esse debeat, quòd si id ex charitate faciat, Deum ipsum remuneratorem habiturus sit, & Angelos fortasse cum Abrahamo pro pauperibus susceptorus.[1] Non eo minùs tamen verum est peccare dijitem qui eleemosynam accipiendo subtrahit eam pauperi, proximéque accidit ea res non solùm ad furtum sed etiam, quòd eleemosyna res sacra & religiosa sit, ad sacrilegium[2], Tametsi eam diues accipiat, quomodo plerique causantur hac mente vt eam positam erogent & largiantur pauperi. Mala enim & diabolica hæc suggestio est.[3] Neque Prælatus qui tertiam redi-

BIU Cujas

tus sui partem in eleemosynas quotidianas distribuere cogitur, admittere diuites vllo modo debet. [4] Quid ergo si qua generalis & perpetua eleemosyna ex alicuius siue Principis, siue Prælati, aut alterius cuiuslibet munificentia ac liberalitate sic constituta sit, vt omnibus tam diuitibus quàm egenis, sine discrimine tribuatur? Seruanda erit voluntas donatoris, [5] nec verendum erit hoc casu ne in peccatum diues incidat nisi videat ex eo futurum, vt aliqua ex parte deterior pauperum condicio fiat. [6] Sed si de fundationis lege non appareat, allegetur tamen consuetudo maximè immemorialis, quæ diuites cum pauperibus ad eleemosynæ receptionem promiscue admiserit. Vix est vt non vetustas illa erroris potius dicenda sit quàm legitima & præscripta consuetudo, quæ vt loquuntur nutritiua est peccati. [7] Cum tamen ex inueterata apud Centrones nostros consuetudine ante 500. annos ita obtinuisse allegaretur, vt eleemosina, quam singulis annis per totum mensem Maium Tarentasiensis pro tempore Archiepiscopus amplissimam præstare solet, petentibus omnibus sine vlla ditiorum & pauperiorum distinctione distribueretur, propterea quod recipiendis hospitibus & aduenis qui per singulos dies & recedere & redire non possent, magnam non solùm operam sed etiam impensam præstare primores ciuitatis cogerentur: Visum est pendente lite & facti quæstione nihil innouandum, [8] tametsi ante 100. & 20. annos Archiepiscopus quidam de eiusmodi consuetudine tanquam iniqua & abusiua, frustra tamen conquestus proponeretur. [9] Ne alioqui magno incommodo afficerentur pauperes, si indignati ditiores ereptam sibi petendæ eleemosynæ facultatem recipiendis in posterum pauperibus eandem quam antea charitatem exhibere detrectarent. [10] Prouidendum enim fuit ne quid interim damni & incommodi ob ditiorum culpam vel iniuriam pauperes paterentur. [11] Planè non idcirco factam Senatus voluit potestatem ditioribus qui nullam pauperibus operam præstarent, vt ad petendam eleemosynam accederent, quod nisi malo more ac contra generalia Senatusconsulta permitti id posse videretur. [12] Non magis quàm vt in posterum ea fierent quæ antea per lasciuiam & contra bonos ac pios mores in ipsa eleemosynæ perceptione factitata probabantur. [13] *Ita Senatus* in causa Ill. & Reu. Anastasij Germonij Archiep. Tarentasi singulari pietate & eruditione Antistitis, & Syndicorum ciuitatis Mosterienſis Calend. April. 1612.

1 *Can. quiescamus* vbi est texr. elegans *distinct.* 42.

3 *Can. clericos* 1. *qu.* 2.

2 *Can. immmolans. can. forte & pass.* 14. *q.* 5.

4 *can. pastor* 1. *qu.* 2.

5 Quod enim ex voluntate ac liberalitate proficiscitur pro arbitrio donatoris seruandum est, *l. cum plures* 12. *§. cum tutor. D. de admin. & peric. tutor.*

6 Semper enim pauperiorib. prospiciendum est, à quorum miseria ipsum quoque eleemosynæ nomen sumpsit originem.

7 *cap. vlt. & pass. Extr. de consuet. l.* 2. *C. quæ sit long. consuet.*

8 *Arg. tit. C. vt lit. pend. nihil innouet. l.* 4. *C. si seru. export. ven.*

9 Non enim sufficit contradixisse si contradictio effectum non habuit, Imo solet ea res dare initium præscriptioni, *l. vlt. vbi not. De itin. act. priuat.*

10 Similis ratio est in *l. quod si minor.* 24. *§. non semper, & l. ait prætor* 7. *§. quæsitum, D. de minor.* Ne quod in fauorem pauperum constitutum est in eorum odium retorqueatur *l. quod fauore* 6. *C. de legib. l. nulla* 25. *D. eod.*

11 Nemo enim ex aliena culpa vel alieno odio prægrauari debet *l. si quis in suo* 33. *C. de inoff. test.*

12 Generalibus enim Senatusconsultis prouisum est ne aut ditiores aut validi mendicantes ad eleemosynas istas publicas accedere audeant, sub comminatione illis pœnæ quingentarum librarum, istis virgarum.

13 Non enim ferendum est vt in re tam sancta qualis est eleemosyna quicquam improbè & contra pietatem fiat, cuius ratio semper habenda est cùm in cæteris omnibus tum maximè in iis quæ ex pietate & charitate fiunt, *l. filius* 15. *De condic. inst. l. in testamento* 50. *de fideic. libert.*

DEFINITIO LVIII.

Possessio immemorialis etiam cuius continuatio non probatur prodest ad percipiendas decimas etiam in aliena parochia.

CErtum est decimarum perceptionem in qualibet parochia ex ratione iuris communis ad parochum solum pertinere. [1] Si tamen contrarius aliquis titulus proferatur, aut consuetudo allegetur ad probata, aut immemorialis possessio quæ tituli vim habere solet, [2] in fauorem alterius ecclesiæ, non etiam laicorum (qui post Concilium Lateranense acquirendarum & tenendarum decimarum prorsus incapaces [3] sunt) facilè à iure communi recedemus, vt in percipiendarum decimarum possessione etiam laicus [4] cum tueatur qui se possessorem probauerit. [5] Videbitur autem probata immemorialis possessio si de actu aliquo possessorio ante centum annos [6] initio legitime appareat, qui eam possessionem quasi iam tum certam & indubitatam præsupponat, [7] licet continuatio nulla probetur, si modo præsenti tempore idem sit possessor, nec contraria vlla probatio adferatur. [8] Nam quod quidam putauerunt extra causam possessionis decennalis non præsumi possessionem medij temporis probata primi & vltimi temporis possessione [9] ad immemorialem possessionem non pertinet, cuius scilicet initium nullum esse potest cùm immemorialis ea dicatur cuius initij memoria non extat. [10] Nec rursum quemadmodum possessio per negligentiam decennalem amittitur propter obliuionem quæ ex solo decennij lapsu inducitur, [11] Ita & immemorialis possessio quæ pro titulo [12] est. *Ita Senatus* in causa capituli Bellicensis contra D. Alexandrum de Beaumont Carra prid. Id. Decemb. 1612.

1 *Defin.* 21. *§.*

2 *l.* 1. *§. vlt. de aqua & aquæ pluu. arc. l.* 3. *§. ductus aquæ. D. de aqua quotid. & æst.*

3 *Defin.* 88. *§. tit. prox.*

4 ad quem scilicet cognitio pertinet de quolibet possessorio, & consequenter de possessione percipiendarum decimarum non de iure earum ex Guid. Pap. *qu.* 1. *& Defin.* 18. *nu.* 6. *I. de inrisd. omn. iudic.*

5 *c.* 1. *de præscript. in* 6. *c. vlt. de restit. spoliat.*

6 nam possessio quæ centum annos excedit, non potest non esse immemorialis, licet immemorialis possit esse minor centenaria: de quo tamen vide Didac. Couarr. ad *c. possessor in* 2. *part.* §. 3. *nu.* 9. & Crauet. *de antiq. tem. part.* 4. *c. absolutis, in pr.* Centenaria tamen titulum semper requirit immemorialis nunquam vt supradicto loco ait Didac.

7 Quia verba enunciatiua probant in antiquis etiam inter alios Crauet. *de antiq. temp. part.* 1.

8 Semper enim exceptio illa iubiicienda est nisi aliud ostendatur *d. cap. vlt. in fin. de ret. spoliat. in* 6.

9 Matth. Mathesil. *ling.* 117. *vbi vide.* Ibi enim non loquitur nisi de præscriptione 30. vel 40. annor.

10 Alioqui non esset immemorialis si initij memoria extaret *d. §. ductus aquæ.*

11 *Nos. in l. peregrè D. de acq. poss. l. sancimus* 27. *C. de testam.*

12 Non enim tam facilè amittitur id quod est iuris quàm quod est facti *l. si quis vi* 17. *§. differentia, D. de acquir. poss.*]

TIT. IV.

DE HIS QVI AD ECCLESIAM confugiunt.

DEFINITIO I.

Immunitates ecclesiasticæ religiosè sunt conseruandæ, nisi per consuetudinem aut legem sint abrogatæ.

IMMV-

BIU Cujas

IMMVNITATIS ecclesiasticæ quanta sit habenda in omnibus ratio, sciunt omnes, [1] nisi forte si qui sunt tam parum Christiani, vt ignorent, quanta sacrosanctis Ecclesiis ab omnibus, qui tanti nominis professione gloriantur, pietas & veneratio debeatur. [2] Ipsis tamen quotidianis rerum experimentis compertum est, nihil posse dici aut constitui periculosius, nec pernitiosius, quam si sceleratis hominibus liberum sit confugiendo ad Ecclesiam effugere Iudicis laici coercitionem. [3] Ne dum immunitas quæritur, impunitas concedatur, [4] Quod sane ab vtilitate publica omnino alienum esset, ad quam maxime pertinet vt crimina omnia, sed ea potissimum, quæ atrociora existimantur, publice vindicentur. [5] Qua de causa ipsis quoque sacris canonibus constitutum est, vt in grauioribus delictis, puta læsæ Maiestatis, homicidij præmeditati, & aliis huiusmodi nullus immunitatis fauor obtendi possit, [6] quod & generaliter obtinet, quoties appareret, ea immunitatis fiducia delictum admissum esse, quantulumcunque illud esse proponeretur. [7] Nec enim ob eam causam priuilegia Ecclesiis concessa sunt, vt inuitentur homines ad delinquendum, [8] aut, quod parum pie quidam dixerunt, [9] vt domus Domini fiat spelunca latronum. Sed vt Ecclesiis debitus honos, tantis rationibus pietatis à Romanis primum Imperatoribus religiosissime concessus, sanctissime conseruetur. [10] Hoc tamen ita accipi placuit, nisi consuetudine & lege aliqua in contrarium perpetuo obseruata his immunitatibus derogatum fuisse constet. Valere enim talem consuetudinem & legem certum est, qualem in Gallia & Germania esse scimus: [11] Et apud nos iam pridem eam inualuisse, cum quæstio ex facto incidisset, plerique ex Senatoribus nostris referebant. (Erat namque de consuetudine tractandum, tametsi lex apud nos non minus quam apud Gallos generalis *De sublatis immunitatibus*, [12] quoniam de Ecclesiasticis diserte non loquitur, quæ tamen certe dignæ erant, de quibus nominatim lex loqueretur: [13]) Neque enim fieri potest, vt ea consuetudo inualuerit, quin Episcoporum omnium, adeoque summorum etiam Pontificum tacitum saltem consensum interuenisse sit necesse. [14] Plane obseruandum districtè est, ne ab Ecclesiis extrahantur inconsulto Episcopo, vt appareat, non violandæ pietatis animo, sed mero iustitiæ zelo rem agi. [15] Quanquam si grauiora sint crimina quorum impunitas per immunitatem quæritur, vulgo creditum est, non esse necessarium, vt vllus Episcopi consensus ad permittendum prehensionem requiratur. [16] Tutius tamen fuerit & religiosius, omni casu requiri, ne in eam excommunicationem, quæ contra immunitatum ecclesiasticarum temeratores sacrosanctis canonibus indicta est, [17] facto ipso incurratur. Est enim excommnnicatio tum quoque, cum iniusta est, bono & Christiano viro semper metuenda. [18] *Ita Senatus* 19. Februar. 1605.

1 *Ex tot. tit. extr. de immun. Eccles.*

2 *Tot. tit. C. de sacros. Eccles. l. 2. & tot. hoc tit. C.*

3 Qui scilicet nullam habet iurisdictionem, neque in ecclesia, neque in personas, quæ sunt in Ecclesia, *d. l. 2. vbi not. C. hoc tit.*

4 Nec enim qui immunitatem concesserunt, impunitatem quoque concessam voluerunt.

5 *L. ita vulneratus 51. §. vlt. D. ad leg. Aquil. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. 1. D. de solut. l. si à reo 70. §. vlt. D. de fideiuss.*

6 Iul. Clar. *in §. fin. quæst. 30. num. 9. ex cap. inter alias de immun. Eccles.*

7 Voluerunt siquidem Imperatores iis, qui casu fortuito in crimen incidissent, & ad Ecclesiam confugissent, auxilium præbere, non autem malitiis indulgere, quibus scilicet nunquam indulgendum est, *l. in fundo 38. D. de rei vind.* nec delinquendi occasio cuiquam danda spe impunitatis. Iul. Clar. *vbi §. nu. 12. in fin. & nu. 1. in fin.*

8 *l. illud conuenire 5. §. 1. D. de pact. dotal.*

9 Papien. *in form. inquisit. in verb. hæc est quædam inquisitio, num. 31.*

10 *d. l. 2. C. hoc tit.*

11 Iul. Clar. *in pract. crim. §. fin. d. qu. 30. num. 3. vers. huiusmodi.* post Didac. *lib. 2. var. resolut. cap. 20. postium 4.* Papiens. *vbi supr.* Constant. *ad Ordin reg. in artic. De sublatis immunitatib.*

12 In stylo Senatus *sub. tit. De recognoissances de cedulles.*

13 Cum ob dignitatem Ecclesiasticæ immunitatis, tum etiam quia lex Principis laici quantumlibet generalis nunquam comprehendit personas ecclesiasticas, nec iura ecclesiastica.

14 Æstimatur enim consuetudo ex consensu totius populi, & ex scientia & patientia eorum, qui possent expressim vel consentire, vel contradicere, *l. de quibus 32. cum ibi not. D. de legib.*

15 Iul. Clar. *vbi §. num. 20. vers. debent tamen.*

16 Quasi ipsa criminum atrocitas faciat, vt habendus sit Episcopi consensus pro impetrato, quem eo casu nunquam Episcopus denegaret, ipsis quoque sacris canonibus ita iubentibus *d. cap. inter alia, de imm. Eccles.*

17 Et per Bullam In cœna Domini. Vide Salic. *in l. si quis ei, num. 6. C. de adulter.*

18 Vt Dixi *Defin. 94. §. de sacros. Eccles.* Vide Didac. Couar. *lib. 2. var. resolut. cap. 28.*

TIT. V.

DE LEGIB. ET CONSTIT. Princip. & Edict.

DEFINITIO I.

Edicta non sunt extendenda, ne quidem ex identitate rationis.

EDICTA Principis cum sint, vt nostri loquuntur, stricti iuris, [1] nunquam sunt extendenda, [2] ne quidem ex identitate, adeoque, vt aiunt, maioritate rationis. [3] Itaque cum de edicto quodam Sereniſſimi Ducis nostri tractaremus, quo, vt publicæ egestati subueniretur in summa frumenti penuria, cautum erat, ne pluris quam viginti florenis nostris modius censualis æstimaretur, pro anno 1585. Senatus noster censuit, non eandem pro sequentis anni debito æstimationem faciendam esse, tametsi eadem subesset æquitas, cum sequenti anno egestas publica aucta esset potius, quam imminuta. [4] *Ita Senatus* pro N. Iacobo de Monfort contra Antonium Mollier 13. Cal. Iulij 1592.

1 Bart. *in l. omnes populi, nu. 60. D. de iust. & iur. ex l. constitutionibus 24. D. ad municip.* licet ibi loquatur de statutis.

2 Intellige de extensione actiua, non de passiua, vt Bart. distinguit, *d. num. 60. ex l. si vero 64. §. de viro, D. solut. matr. l. quod constitutum 21. D. de testam. milit.*

3 Intellige, cum casus ille, in quo eadem aut maior ratio subest, decisus est iure communi. Alias enim fieret extensio à similibus ad similia Bart. *vbi §. ex C. de quibus, D. de legib.*

4 Certum enim tempus expressum fuerat, itaque non habet hic locum, quod Bart. tradit *ad d. l. omnes populi, num 64.* statutum conceptum per verba præsentis temporis trahi etiam ad futura, si non detur delinquendi occasio. Vide *l. Imperator 8. D. de postulat.*

DEFINITIO II.

Edicto in rem aut in personam concepto an forenses ligentur?

CVm in summa frumenti penuria generali Principis nostri edicto vetitum esset, ne frumentum inscio Principe extra prouinciam exportare liceret, magna iis omnibus, qui contra facerent, multa indicta, quærebatur, an eo edicto Lugdunenses, Matisco-

BIU Cujas

nenses, & alij forenses tenerentur, qui prædia in Principis nostri territorio possiderent? Placuit teneri, propterea quod edicti verba in rem, non in personam concepta essent,[1] demonstratis nimirum possidentium personis. Nemo enim dubitat, quin Legislatori cuilibet liceat pro arbitrio, & quam vult legem dicere omnibus, qui in territorio suo prædia possident, nempe ratione fructuum ex ijs prædiis collectorum aut colligendorum. Quod si edictum in personam conceptum proponeretur, non alios, procul dubio, comprehenderet quam subditos, ni forensium quoque mentio expressim facta esset.[2] Sed & cum Lugdunenses à Serenissimo Duce nostro per gratiam obtinuissent, vt frumenta, quæ in propriis fundis collegissent, impune sibi exportare liceret, non putauit Senatus noster id facile indulgendum, sed Principi ante omnia rescribendum, ne facilitas eius circumuenta damnum maximum afferret prouinciæ, quæ & iam tum insolita frumenti egestate laborabat, & in eo erat, vt propter transituras paulo post ingentes militum copias, ni prouisum foret, extrema fame laboratura videretur. *Ita Senatus* Prid. Non. Iul. 1591.

1 Distinctio est Bartoli vulgo ab Interpretibus probata, *ad l. 1. quæst. 6. C. de summ. Trinit. & fid. Catholic.* quam vt veram & magis communem defendit Rol. à Valle *cons. 24. num. 17. & seq. lib. 3.* contra Cruet. *cons. 844. nu 7.* Tessaur. *decis. Pedemont. 106. nu. 4. & 5.* refert. Illud tamen sciendum est, nunquam statutum vires suas porrigere extra territorium, *l. vlt. ff. de iurisdict.* Olasc Cacher. *cons. 76. num. 19.*

2 Contra tamen videtur sentire Tessaur. *dict. decis. 106. nu. 5.* vbi ait, statutum porrigi etiam ad forenses, præsertim quando agitur, inquit, de succedendo, & de bonis sitis in territorio statuentium.

DEFINITIO III.

Petita Camberij restitutione aduersus contractum Romæ initum an ex Romanis, an ex nostris legibus decidi res debeat?

MInor annis viginti quinque Sabaudus idemque filiusfamilas, cum se & maiorem & patremfamilias diceret, obligauerat se Romæ Sabaudo cuidam ex causa fideiussionis pro alio etiam Sabaudo, & ad certam diem Romæ soluere promiserat. Cum post multos annos Camberij conueniretur, petebat ex rescripto Principis in integrum restitutionem, quod & minor fideiussionis tempore fuisset, & læsus, quandoquidem nihil ex ea pecunia ad se peruenisset, tametsi principalem se debitorem constituisset: probabátque, se tempore petitæ restitutionis intra annum ætatis quintum & trigesimum fuisse, quod tempus petendis dandisque minorum restitutionib. edicto Principis nostri & eo iure, quo vtimur, præstitutum est.[1] Creditor vero dicebat, elapsa tempora petendæ restitutionis, propterea quod quadriennium illud effluxisset, quod à Iustiniano in locum veteris illius anni vtilis substitutum fuit.[2] Constabat enim, quod hic, qui petebat restitutionem, trigesimum iam annum excesserat, ob idque tam à Iudice, quàm à consilio Gebennensi fuerat condemnatus. Prouocatione ad Senatum facta disputatum est magnis cõtentionibus, vtrum ex legibus nostris diffiniri hæc quæstio deberet, cum apud nos ageretur, & vterque collitigantium Sabaudus proponeretur, An potius ex Romanis, ideo quod Romę initus contractus fuisset, & ibidem solutio fieri debuisset. Pro creditore faciebat, quod cum quæritur, An locus iudicij in exercendis iudicijs spectandus sit, an locus contractus? Distinguere nostri solent, Vtrum de ea re agatur, quæ ad iudicij ordinationem, vt loquuntur, an de ea, quæ ad litis decisionem pertineat, vt priore casu locus iudicij spectetur, posteriore vero locus contractus.[3] Proposita autem quæstio, An post annum nonum & vicesimum locus restitutioni esset nec ne, non ad iudicij ordinationem, sed potius ad litis decisionem pertinere videbatur, cum eo spectaret, vt sciretur, an audiendus actor esset, an repellendus. Sed & cum de in integrum restitutione tractatur, illa distinctio à nostris probata est, An restitutio petatur ex ea causa, quæ iam contractus tempore locum habuerit, an ex ea, quæ postea superuenerit, vt priore casu spectetur id ius, quod obtinet in loco contractus, posteriore vero id, quod obtinet in loco iudicij.[4] Atqui in proposito petebatur restitutio ob eam causam, quod qui fideiusserat, & minor & læsus fuisset tempore restitutionis. Ex ea igitur causa, quæ contractus tempore suberat. Proinde locus contractus spectandus videbatur. Accedebat, quod quamuis causa restitutionis tractaretur apud nos, id tamen occasione quadam fiebat potius quam iure,[5] propterea quod per viam exceptionis restitutio petebatur, cum in Sabaudia repertus debitor ibidem à creditore conueniretur. Iuris enim ratione inspecta ibi procul dubio erat tractanda restitutio, vbi domicilium habebat is, aduersus quem restitutio implorabatur.[6] Atqui domicilium Romæ habebat creditor, licet Sabaudus esset. Illa denique ratio pro creditore mihi potissimum vrgere videbatur, quod non tantum Romæ contractum fuerat, sed etiam conuentum, vt Romæ solueretur.[7] Itaque cum post moram vbique arbitraria actione conueniri posset debitor, qui Romæ soluere debuerat,[8] non poterat durior esse conditio creditoris Camberij agere coacti, quam si Romæ ageret, Romæ autem si ageret, non ei noceret restitutio à maiore post quadriennium petita. Et vero si deterior esset conditio creditoris, ob id solum, quod Camberij ageret, indemnem illum seruari oporteret ea ipsa actione arbitraria, quippe quæ adiunctam semper habeat vtilitatem loci, in quo fieri solutio debuit.[9] Contra pro aduersario faciebat, quod non solum Camberij agebatur, sed etiam inter Sabaudos negotium gestum fuerat. Constat autem, legibus nostris obstrictos esse Sabaudos vbicunque contrahant, & sicut subiectionem exuere nequeunt, ita nec eximere se ab obseruatione legum, quas Serenissimus Dux noster inter suos constitutas ratasque esse velit. Finge edicto Ducis nostri prohibitum minori annis vigintiquinque factionem testamenti, procul dubio inutile & nullius momenti erit testamentum, quod Sabaudus minor annis vigintiquinque etiam Romæ condiderit.[10] In eoque diuersa ratio constituenda videtur legis & consuetudinis. Consuetudo enim loci nõ potest afficere subditos eius extra locum, vt neque bona extra eum locũ sita,[11] nec si concurrat expressa conuentio, quæ tamen ad consuetudinem referatur. Neque enim latius patere potest ius talis conuentionis, quam consuetudinis. Idque est quod vulgo iactatur, consuetudines omnes esse locales. At lex Principis obligat subditos vbicunque gentium, multo igitur magis si litem instituant in Principis sui territorio, licet alibi contraxerint. Mouebat etiam, quod hic, qui petebat restitutionem, fere semper à die contractus vixerat in Sabaudia, neque interpellatus fuerat vt solueret intra quadriennium, neque agere & restitutionem impetrare potuerat, cum propter absentiam creditoris, qui Romæ degebat, tum quod in patris sui potestate constitutus esset. Nostris enim placet, filiofamilias nunquam currere tempora præscriptionis, quia viuo patre agere non possit.[12] Constat autem, quadriennium illud Iustinianeum, licet sit continuum, ex quo tempore cœpit currere, tamen initio inspecto esse vtile, vt non nisi ab eo die, quo agi potuit, currere incipiat.[13] Nec erat quod quis diceret, verisimile esse,

quod

BIU Cujas

quod pater filio fuerat consensurus, si filius diligentior fuisset in petenda restitutione. Imputari siquidem minus poterat filiofamilias, cur non fuisset in eo diligentior, quandiu non erat interpellatus, quam creditor, cur non citius exegisset à debitore, aut fideiussorem ipsum saltem interpellasset. Maxime cum fideiussor hic in patriam reuersus non debuerit obstrictus esse, vt Romam rediret, ob id solum, vt eo loco restitutionem peteret ac litigaret. *Senatus* tandem pro creditore pronunciauit.[14] In causa N. Iani Pensabin contra N. Floret 17. Calend. Febr. 1593.

1 Stil. Senat. nostri vt & in Gallia ex constit. regiis.
2 *l. vlt. C. de tempor. pet. in integr. restit.*
3 Sic post alios distinguit Guid. Pap. *quæst. 262. & consil. 218. in fin. ex l. semper 34. de reg. iur. l. si fundus 6. D. de euict. l. 1. in princip. de vsur.*
4 Ita Bart. *ad l. cunctos populos, nu. 20. C. de summa Trinit. & fid. Cathol.* quem sequitur ibidem Bald. *col. 12. vers. secundo quæritur.* Ias. *ad l. si adrogator, num. 1. D. de adopt.* Contra gloss. *in l. 2. de eo quod cert. loc.* quam & ibidem reprobat Bart.
5 Vt loquitur *l. 2. D. de riuis.*
6 *l. 2. C. vbi & apud quem caus. in integr. resti.*
7 *l. contraxisse 21. D. de obligat. & action. l. hæres absens 19. §. 1. & vltim. de iudic. 22. l. vinum, de reb. credit. l. 3. de reb. auctorit. Iudic. possid.*
8 *l. 1. 2. 3. & pass. D. de eo quod cert. loc. l. 1. C. vbi conuen. qui cert. loc. dar. promis.*
9 *l. 2. & 3. D. de eo quod cert. loc.*
10 Bart. *ad dict. l. cunctos populos, quæstio, 6. numer. 32. post medium,* C. *de summ. Trinit. & fid. Cathol.* Socin. *consil. 103. num. 18. & seq. vol. 4.*
11 Cravet. late *cons. 30.* Et ita Senatus noster contra viduam Nicolai Grandis 3. Calend. Apr. 1604. Alex. *cons. 16. D ibi apostill. vol. 1.* [Hinc est quod quamuis in exigenda dote spectanda sit consuetudo loci domicilij mariti, *l. exigere dotem 65. D. de iudic.* id tamen non habet locum quod ad bona alibi sita, Gabr. *lib. 4. commun. opin. in verb. domicilium,* vbi additur alia limitatio si contractum sit matrimonium ea mente vt coniuges viuant in loco domicilij vxoris. *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Boyuin Baronis du Villars 5. Decembr. 1612.
12 *l. 1. §. vlt. C. de annal. except. l. 1. in fin.* iunct. *Auth. nisi triennale, C. de bon. matern.*
13 Notant Interpretes omnes ad eam *legem vlt. C. de tempor. petend. in integr. restit.*
14 Secutus eam Bartoli & aliorum Interpretum distinctionem, quam retulimus *5. num. 4.*

DEFINITIO IV.

De distinctione adhibenda cum quæritur, An edicta Principis ligent quoscunque, & an subditos vbicunque.

NAm quod supra obiecimus de potestate edicti Principis, vt & quoscunque & vbicunque liget subditos,[1] ex recepta Interpretum traditione, ad ea edicta, aut quod hac parte idem est, statuta pertinet, quæ prohibitoria sunt, & in personam concepta, non etiam ad ea, quæ sunt permissiua, vt illi loquuntur, & remouentia obstaculum iuris communis, Siue remoueatur obstaculum, quod suberat ratione qualitatis personæ,[2] siue quod suberat ratione temporis & præscriptionis, vt in proposita facti specie. Etenim lex, quæ permittit ei, qui in minori ætate læsus fuit, vt intra decennium possit petere restitutionem, remouet obstaculum præscriptionis, quæ iure communi post quadriennium competeret,[3] ob idque cum lata sit à Principe non superiore, non potest extendi extra territorium,[4] & prodesse subdito in territorio eius, qui suas quoque leges habet, ac alio siue speciali siue communi iure vtitur.[5] Nam si lex, quæ remouet obstaculum ratione qualitatis personæ, non extenditur extra territorium,[6] cum tamen qualitatem personæ inhærentem sicut personam ipsam vniformem & vbique eandem esse necesse sit,[7] multo minus extendetur illa, quæ remouet obstaculum ratione temporis & præscriptionis. Nihil enim vetat, alia præscriptionis iura esse in vno loco, alia in alio.[8] Difficilior illa erat obiectio, quod in proposita specie non potuerat filius familias agere, quandiu in patris viui manserat potestate.[9] Sed respondebatur, non debere ei prodesse quod filius familias fuisset, cum se patremfamilias dixisset, ac pro tali gessisset, quasi iam mortuo patre,[10] in pœnam nimirum mendacij, nisi appareret, creditorem non ignorasse ipsius conditionem. Tunc enim non magis noceret filiofamilias, quod se patremfamilias dixisset, quam si cum minor esset iurasset se maiorem dolo malo creditoris, qui minorem esse non ignorabat.[11] Plane si proponeres, minorem hunc iusta absentia & necessaria aut probabili impeditum, ne restitutionem Romæ peteret intra quadriennium, ideoque restitui posse ex generali clausula, Si qua mihi iusta causa esse videbitur,[12] Dicendum esset cum de concedenda vel deneganda restitutione ageretur, non contractus, sed iudicij locum spectandum fore.[13] Rursus si proponeres ita contractam obligationem, vt aduersus creditorem hypothecaria agentem locus esse posset iure nostro exceptioni ordinis & excussionis, cui tamen locus non esset si Romæ ageretur, (finge conceptam obligationem fideiussoriam in forma communi, Statuto autem vrbis Romæ prorsus & omni casu exclusam exceptionem illam) vtique spectaremus hac parte locum iudicij non contractus,[14] quoniam huiusmodi exceptio cum dilatoria sit non peremptoria, ad litis ordinationem tantum, non etiam ad decisionem pertinet.[15] Quanquam hoc ipsum ita accipiendum est, si non Romæ solutio fieri debuit. Nam quoties arbitraria agitur, De eo quod certo loco, fieri nunquam potest, vt ob id melior promissoris conditio esse debeat, quod alio loco conueniatur, quam in quo soluere debuit.[16] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex Bart. *ad d. l. cunctos populos, nu. 32.* post medium, & Socino *cons. 103. nu. 18. & seq. vol. 4.*
2 Vide huiusmodi statuti exempla duo apud Bartolum supradicto loco *nu. 39. 40. & 41.*
3 *ex l. vlt. C. de tempor. petend. in integr. restit.*
4 *l. vlt. D. de iurisdict.*
5 *l. ius ciuile 6. l. omnes populi 9. D. de iustit. & iur.*
6 Vt diximus *num. 2.* ex Bartolo.
7 *l. vlt. C. de sentent. pass. & restit.*
8 *l. vnic. C. de vsucap. transform.*
9 *l. vlt. §. necessitate, C. de bon. quæ liber. l. 1. §. vlt. C. de annali except.*
10 *l. 3. C. ad SC. Maced.*
11 Notant DD. *ad tit. C. si minor se maior. dixer.*
12 *l. 1. & pass. D. ex quib. caus. maior.*
13 Secundum gloss. *in l. 2. de eo quod cert. loc.* quam hoc demum casu probat & sequitur Bartol. *ibid. & in d. l. cunctos populos, num. 20.*
14 Ex ea Bartoli, Guid. Pap. & aliorum distinctione, quam retulimus *Defin. superiore nu. 4.*
15 Notatur *ad Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*
16 *l. 2. 3. 4. & pass. D. de eo quod cert. loc.*

DEFINITIO V.

Cum de solemnitate principaliter agitur, non de persona, inspiciendus est locus, in quo facta est dispositio.

QVid si edicto Principis aut statuto remoueatur obstaculum iuris communis ratione solemnitatis? Finge constitutum vt valeat testamentum coram duobus testibus. Valebit testamentum, quod ibi coram duobus testibus fecerit is, qui iure communi & apud suos septem testes adhibere debuisset,[1] quia generale est, quoties de solemnitate principaliter agitur, non de persona, vt inspiciatur ius loci, in quo facta est dispositio, siue inter viuos illa fuerit, siue in vltima voluntate.[2] *Ita Senatus* noster iam pridem inter heredes D. Mareschalli de Chalant, & rursum in causa

BIU Cujas

testamenti N. de Chauanes. *Sine die.* Relatum est in causa supra dicta.

1 Bart. *in d.l. cunctos populos, quæst. 6. C. de summ. Trinit. & fid. Cath.* Boer. *qu. 13. nu. 23.* Guid. Pap. *qu. 262.*

2 Bart. *ibid.* Marc. Ant. Natta, qui alios pleroſque refert & ſequitur *conſ. 1. vol. 1.* Solemnitates enim iuris remitti poſſunt per conſuetudinem, *l. manumiſſio. demand. vind.* Boer. *qu. 1. nu. 20.* [*l. ſi non ſpeciali 9. C. de teſtament.* & ibi Bald. & *conſ. 44.* Dec. *conſ. 475. num. 1.* Mayard. *ſingul. quæſt. iur. lib. 5. cap. 92.*]

DEFINITIO VI.

Legitima per ſtatutum tolli in totum non poteſt, & ſpecialis prouiſione opus eſt, vt de legitima diſpoſitum quid videatur.

LEgitima ſiue liberis ſiue parentibus debita etſi miſerabili per ſtatutum poteſt,[1] tolli tamen in totum non poteſt,[2] quanquam non deerant, qui alias à Senatu noſtro contra iudicatum dicerent in cauſa quadam Auguſtanorum, apud quos ex lege municipali matres cæteriquè aſcendentes liberis ſuccedere prohibentur. Illud tamen conſtabit, etiamſi in totum tolli legitima per ſtatutum poſſet, non tamen ex eo ſolo ſublatam intelligi debere, quod ſuccedendi ius ſublatum fuiſſet: ſpecialibus enim verbis opus eſt ad hoc, vt de legitima quoque tollenda actum & cogitatum videatur.[3] *Ita Senatus* in cauſa Claudij Vſel & Peronetæ Ponthon Prid. Calend. Septembr. 1594.

1 Sicut & è contrario augeri, *Nouel. de trient. & ſemiſſ.*

2 Quia dicitur eſſe debita iure naturali, quod ius ciuile non poteſt in totum tollere, *l. ius ciuile 6. D. de iuſtitia & iure.*

3 *l. ſi quando 5. §. & generaliter, Cod. de inofficioſ. teſtam. vbi DD.*

DEFINITIO VII.

De iureiurando præſtito apud delegatum iuxta leges loci contra formam præſcriptam à delegante.

DElegatus à Senatu noſtro Magiſtratus Pariſienſis ad recipiendum ſuper ſacroſanctis D. Antonij reliquiis iuſiurandum dixerat prohiberi ſe conſtitutionibus regiis & moribus ciuitatis ne talem iuriſiurandi formam quaſi ſuperſtitioſam poſſet admittere, nec eo minùs tamen iuſiurandum ſuper ſacro Canone exegerat, reluctante licèt aduerſario & appellante ni ad Senatum noſtrum res tota remitteretur. Placuit nihil quidem attentatum videri in præiudicium appellationis, cum in huiuſmodi cauſis liceat non obſtante appellatione iurare. Præſertim cùm ſaluo appellationis iure id factum appareret, neque rurſus debuiſſe delegatum mandata noſtra exequi contra ſui territorij mores ac leges, quod neque mandatum ei fuiſſe credendum erat, vt id faceret quod ſaluo more maiorum & citra delictum facere non potuiſſet. Verùm melius facturum eum fuiſſe ſi nullo exacto iureiurando negotium ad nos remiſiſſet. Præſtabat enim nihil agere quàm malè agere cùm dubitari non poſſet quin fines mandati exceſſiſſet. Iuriſiurandi enim delati forma etſi à iudice pro arbitrio immutari poteſt, non tamen à delegato, qui delegationis præſcriptum ſequi omnino cogitur. Quare huiuſmodi præſtatione iuriſiurandi Senatuſconſulto noſtro ſatisfactum non fuiſſe, ideoque ex integro iuxta formam delatam apud nos iurandum eſſe viſum eſt. *Ita Senatus* pro D. de Murat contra D. de Choiſy 5. Cal. Sept. 1610.

DEFINITIO VIII.

De ſocietatibus quas Abbatias vocant.

ETſi verum eſt quod vulgò iactari ſolet tolerabilia eſſe quæ vetus conſuetudo adprobauit,[1] non tamen eſt perpetuum. Si enim tale quid ſit quod vel pietatem vel bonos mores lædat nec ſi in vetuſtam conſuetudinem tranſierit, ferendum tamen eſt,[2] cùm abuſus ille dicendus ſit potiùs quàm vſus:[3] & vetuſti erroris corruptela potiùs quàm conſuetudo.[4] Eámque ob cauſam pleriſque Senatus noſtri conſultis ſublatæ ſunt & antiquari iuſſæ ſocietates illæ laſciuientis iuuentutis, quas vulgò Abbatias vocant, quæ ad eam ætatem exercendam atque ad mutui amoris officia pelliciendam primum inſtituræ, ac leuioribus ineptiis initio contentæ, poſtea creſcente in dies audacia in tantam peruenerunt inſaniam, vt nec ferè iam Magiſtratus authoritate contineri poſſint quin ſibi nihil non licere arbitrentur.[5] Vigent enim etiamnum penè in omnibus ciuitatibus, tantóque inſolentiores in maioribus quanto modeſtiores ob eam rem eſſe oporteret. Itaque ſolet Senatus, ſi quando ſe offerat occaſio admiſſa huiuſmodi coercere, ſed leuioribus pœnis, nec niſi pecuniariis quoties per laſciuiam[6] duntaxat factum videt id quod ſi per ſpeciem malignæ iniuriæ factum probaretur, etiam triremium condemnatione vindicandum eſſet. Idque factitatum eſt contra nonnullos qui cellam cuiuſdam vinariam ingreſſi per effracturam magnam vini quantitatem effudiſſe probabantur ad hoc tantùm vt nocerent.[7] Planè quicquid eo modo extortum ab inuitis vel ereptum probatur, quin reſtitui ſtatim debeat non dubitatur,[8] etiamſi de iure conſuetudinis & de facti veritate diligentior quæſtio ſuperſit agitanda. *Ita Senatus* pro Capitulo Sanctæ Capellæ Chamberienſis contra Abbatiam montis Æmiliani menſe Maij 1612. & iterum pro N. Gentil contra Abbatiam de Verel & Dulin. 9. Iun. 1612.

1 *l. Imperatores 13. in fin. de pollicit.*

2 *l. filius 15 de cond. inſt.*

3 Non enim ferendi ſunt, qui ſolam excuſationem prætendunt ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt loquitur *cap. quanto, 4. extr. de conſuetud.* Iunge *cap. vlt. eod.* & *l. 2. Cod. quæ ſit long conſuet.*

4 *cap. cùm venerabilis 7. in fin. extr. de conſuet.*

5 *contra l. non eſt ſingulis 106. de reg. iur.*

6 *vt in l. ex conducto 15. §. ſi vis, D. locat.*

7 Nam ex hac cauſa Senatus aliquando triremium pœnam irrogauit.

8 Semper enim turpe lucrum extorquendum eſt, *l. 5. §. vltim. de calumn. cum ſimilibus.*]

TIT. VI.

DE OFFIC. ADVOCAT. Princip.

DEFINITIO I.

Aduocatus Principis poteſt delegari ad inquirendum de crimine adeoque inquirere ex officio, ſed non iudicare.

PAtronvs Principis apud Senatum, licet procuratoris generalis, qui publicus accuſator eſt, vice & partibus fungi ſoleat, eandemque perſonam ac idem officium gerere videatur, poteſt tamen ex cauſa, id eſt, quoties ad rem agendam id commodius videtur, delegari ad inquirendum de crimine.[2] Quin & citra mandatum, ſi in ea prouincia ſit, in qua delictum admiſſum eſſe ſciat, inquirere ex officio & poteſt & debet, ac ſi eſſet de numero Senatorum,[3] quos conſtat vi & poteſtate Imperij ac dignitatis ſuæ nullo ad inquirendum mandato indigere.[4] Sed facta inquiſitione nec inſtruere litem, nec enarrare debet, nec ſententiam ferre, ſicut neque ex procuratoris generalis perſona, publici accuſatoris officium

BIU Cujas

officium exequi. Nam sicuti non potest idem accusator esse & inquisitor,[5] ita fieri nequit, vt Senatoris partib. fungatur, qui Senatorio iureiurando non obstringitur, at longe alio planeque diuerso.[6] Idem enim Aduocati, quod Procuratoris Principis[7] iusiurandum est, iisdemque prorsus verbis conceptum. *Ita Senatus* in causa quadam oppidanorum d'Arben mense Mart. 1595.

1 Nam & Aduocatus fisci, qui & Aduocatus Principis dicitur, ex officij sui necessitate intentionem delatoris exequi cogitur, *l. 5. §. Aduocatum fisci, D de his quæ vt indign. auser.*

2 Vt eo casu Iudicis delegati, non accusatoris partibus fungatur.

3 Sufficit enim, vt sit pars corporis Senatus.

4 *Arg. l. cum prætor, 12. §. 1. in illis verbis,* propter vim Imperij, *D. de iudic.*

5 Non magis quam idem accusator & testis, *l. omnibus, C. de testib.* aut idem accusator & Iudex, *l. vnic. C. ne quis in sua caus. iudic. vel ius dic.*

6 Aliud enim sicuti munus ita & iusiurandum est Senatoris, aliud Aduocati Principis aut Procuratoris generalis.

7 Quem vulgo Procuratorem generalem, sicut & Aduocatum Principis Aduocatum generalem appellamus.

TIT. VII.

DE SENATORIBVS.

DEFINITIO I.

Stipendia cœpti trimestris transmittuntur ad hæredem Senatoris.

DIEM functo Senatore aut Præside intra trimestre, quod Senatoriis stipendiis præstandis constitutum est, totius trimestris stipendium hæredibus eius debetur,[1] at ex diuerso, si post inchoatum trimestre in amplissimum ordinem quis cooptatus sit, plerique putant, nihil ei pro toto eo trimestri præstandum esse, & ab initio duntaxat sequentis trimestris stipendia mereri debere. Ideo fortasse quod fauore dignitatis cœptum tempus habendũ sit pro completo, vt euenit in cæteris ferè omnib. causis fauorabilibus,[2] non item quod finitur pro cœpto. Sed tamen humanius est, vt ab eo saltem stipendia debeantur, à quo dignitati seruire cœpit.[3] *Ita Senatus* 3. Non. Mart. 1593.

1 *l. diem functo 4. D. de offic. adsess. l. sed addes 19. §. vlt. D. locat. l. post duos 15. C. de aduocat. diuers. iudic. l. 1. C. de primipil. lib. 12. tit. 63.*

2 *l. in singulos 8. D. de ann. legat.*

3 Ne honor, qui tantum onus admixtum habet, sit sine honorario, *contra l. secundum naturam 10. D. de reg. iur.* Et ob eam nimirum causam non licet Senatori honorarium vllum ab alio accipere quam à suo Principe. Non solum si alius Princeps aliquis Senatori tanquã bene merito annuum aliquid dare vellet quod certe nimis suspectum esset, maléque de Senatoris erga Principem suum fide suspicandi causam præberet, sed etsi priuatus quilibet etiam legati nomine & adiecto etiam, si voles, onere præstandi opem & consilium liberis quos fortasse aut impuberes relinquat testator, aut variis litium periculis inuolutos. Principis itaque consensum & voluntatem exquiri in eam rem necesse est, & impetrari diploma postmodum à Senatu ipso adprobandum. Sed nunquam nisi ea lege vt à causis donatoris aut liberorum ipsius in Senatu iudicandis Senator abstineat. Ita Senatus in persona clarissimi viri D. Antonij Charpenei Senatoris meritissimi, qui annuæ pensionis legatum ex eiusmodi causa acceperat à D. Ant. de Michal. Sine die.]

DEFINITIO II.

Dissentientibus Senatorum votis, quæ sententia debeat prævalere.

INter pares numero Senatores si diissonæ sententiæ proferantur, solet Senatus nostri Præses ex integro singulos rogare, vt aliis in aliorum sententiis transeuntibus vincat tandem ea pars, quæ numero potior reperitur. Quanquam enim melius cum rebus humanis ageretur, si ponderarentur sententiæ, non numerarentur:[1] pertinet tamen ad Senatus auctoritatem, vt quæ numero vincit sententia, eadem rationis quoque pondere superior esse existimetur,[2] ne alioqui, quod longe periculosissimum & indignissimum futurum sit, oriatur contentio inter fratres, si de singulorum dignitate ac eruditione æque ac de litigantium iure disceptari oporteat.[3] Quæ res etiam facit, vt neque ætatis ratio vlla habeatur,[4] neque in pari votorum numero vincat ea pars, cui Præsidis suffragium, si nihil concurrat aliud, patrocinatur. In quo vt in aliis plerisque Senatus noster dissidet à Pedemontano.[5] Eos namque in amplissimum ordinem referri conuenit, qui tanta, si non eloquentiæ, saltem eruditionis laude præfulgeant, vt iis ad gerẽdam & sustinendam Præsidis dignitatem nihil præter ipsum dignitatis nomen dedit.[6] Quid ergo si in prima quisque opinione perseueret? Vincet vtique ea pars, quę fauorabiliorem, puta matrimonij, dotis, testamenti, libertatis aut pietatis causam tuebitur.[7] Quod si cætera omnia sint paria, vincet reus hoc ipso, quod actore fauorabilior est.[8] Idque in causis potissimum criminalibus, quoniam longe tutius sit, in dubio nocentem absoluere, quam innocentem condemnare.[9] At si paribus iam Senatorum sententiis ad Præsidem deuentum sit, humanius quidem faciet ille adeoque prudentius, si in mitiorem descendat sententiam, ne solus videatur irrogasse condemnationem, quam potuit impedire.[10] Sed si tam certo conscientiæ suæ iudicio constringi se sentiat, vt ad condemnandum procliuior esse debeat, quam ad absoluendum, sententiam suam pro arbitrio dicere non prohibetur. Nam etsi ea præcedentium votorum ratio esset, vt Præside pauciorib. se adiungente fierent pares numero sententiæ, quæ alioquin futuræ impares erant, licet cauere bonus Præses debeat quantum potest, ne quod aiunt Senatum diuidat, & ita iudicandam rem impediat, non esset tamen cogendus in eam ire sententiam, quam à iuris aut æquitatis ratione alienam esse arbitraretur.[11] *Ita Senatus* sæpius.

1 Plin. *lib. 2 epist. 12.* Argumentum pessimi turba est, inquit Seneca *cap. 2. de vit. beat.* facit *l. 1. §. sed neque ex multitudine, C. de veter. iur. enucl.*

2 *l. quod maior. 19. D. ad munic. l. aliud est 160. §. refertur, de reg. iur. l. nominationum 46. C. de decur. lib. 10.* Vnde lex illa Romanorum, de qua Cælius apud Ciceronem 8. epist. lib. 8. *Quod eorum Iudicum maior pars iudicarit, id ius ratumque esto.*

3 Nam vt est apud Martialem, *Qui volet ingenio cedere, rarus erit.* Maxime propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, *l. item si vnus 17. §. principaliter, D. de recept. arbitr. l. quia poterat 4. D. ad S. C. Trebell.*

4 Contra quam sentiat Matth. de Afflict. *decis. 1.*

5 In quo vincit ea pars cæteris paribus, quæ pro se habet votum Præsidis, præterquam in criminalibus, vt refert Anton. Tessaur. *decis. 1. num. 5. & 13. & decis. 2.* iunge Francisc. Marc. *decis. 5. lib 1 & decis. 405. lib. 2.*

6 *arg l. 1. §. his cunabulis, D. de offic. præf. præt. l. si pars 8. de inoff. test.*

7 *l. inter pares 38. D. de re iud. l. duo ex tribus 39. eod.* quam tamen de delegatis Iudicibus male accipit Tessaur. supra dicto loco. Tractat enim de ordinariis, quos olim dari à magistratibus & iudicari iubere, ordinarij iuris erat, *ante l. 2. Cod. de ped. iudic.*

8 *l. fauorabiliores 125. de reg. iur. d. l. interpres.*

9 *l. absentem 5. D. de pœn.*

10 In dubio enim prævalere debet ea sententia, quæ humanior est, *l. semper 36. de reg. iur.*

11 *Arg. l. Pomponius 36. D. de re iudic.* quæ permittit Iudici, vt pronunciet sibi non liquere, ne cõtra quam sentiat cogatur vel absoluere, vel condemnare, licet placeat Paulo & Pomponio, non idcirco sententiã impediri, si alij Iudices consentiant. [Quoties tamẽ in publico auditorio duo vel tres siue Præsides

BIU Cujas

siue Senatores, dicunt sibi non liquere, non solet Senatus quicquam ex tempore pronunciare tametsi maior pars in aliquo pronunciando consentiat, ne Senatusconsultum inauditis & neglectis iis qui sententiam in promptu dicere noluerunt redditum videatur. Sed tum id obtinet cum cæteri qui ex tempore pronunciari vellent, sex votorum cõsentientium numerum non implent. Ita Senatus Cal. Februar. 1613. Nam si impleant, difficile est vt propter quorundam dubitationem aliorum vota debeant impediri. Nam etsi qui dubitant abessent, vel aperte contradicerent, Senatusconsulti tamen pronunciationem non remorarentur. *d.l.36.de re iud.*]

DEFINITIO III.

Quando coniungendæ sint diuersæ Senatorum sententiæ, vt ea vincat, in qua maior pars consentit.

EX vndecim Senatoribus inter tres litigatores cognoscentibus, si quinque pro Primo sentiant, quatuor pro Secundo, reliqui pro Tertio, constat non posse videri definitum negotium,[1] quia nec dici potest, in quo maior pars consenserit.[2] Idemq; est, si ex eodem numero quinque condemnandum putent reum vltimo supplicio, quatuor relegandum, alij pœna pecuniaria plectendum.[3] Etsi enim videntur omnes in eo consentire, vt capitalis pœnæ absolutio sequatur,[4] quænam tamen pœna irroganda sit, ex sententiarum numero discerni non potest, quod neq; pares sint,[5] neque si omnes iungantur, alia aliis superior.[6] Non enim vnũ pœnæ genus in alio continetur, sed distinctę sunt, prorsusque separatæ, vt delictorum ita pœnarum species.[7] Diuersum erit, si ex vndecim quinque reum condemnent in centum, quatuor in quinquaginta, cæteri in triginta. Tunc enim minimam condemnationem spectabimus,[8] non solum quod id fauor rei postulare videatur,[9] sed etiam quia licet maior pars in quinquaginta cõsentire videatur, cùm maiori summæ minor insit,[10] sequenda tamen potius est ea condemnatio, in qua omnes consentiunt, quam in qua maior pars duntaxat. Hæc namque tunc spectatur, cum in nullo omnes consentiunt.[11] Sine die.

1 Specul. *in tit. de sentent. §. iuxta, num. 3.* quem refert & sequitur Tessaur. *decis. 1. num. 12.*

2 *l. Pomponius 38. l. duo ex tribus 39. de re iudic. l. item si vnus 17. §. principaliter, de recept. arbitr.*

3 Vide Gell. *lib. 9. cap. 15.* Titium Burgens. *lib. 1. locor. controuers. cap. 1.*

4 Qua ratione mouetur Tessaur. *dict. num. 12.* vt pro reo in hac specie pronunciandum existimet, sed malè propter rationem, quæ sequitur in Definit.

5 Itaque non potest hic locum habere *l. inter 32. de re iudi.*

6 Quia sententiarum diuersitas in pœnis, quarum aliæ aliis non insunt, impedit omnino ne sententiæ iungi possint.

7 *l. perspiciendum 11. l. aut facta 16. & pass. D. de pœn.*

8 *d. l. inter pares, §. vlt.*

9 *Arg. l. fauorabiliores 125. de regul. iur. cum simil.*

10 *l. 1. §. si stipulanti, de verb. obligat. l. quoties 9. §. 2. D. de hæred. instit.*

11 Legibus supra citatis *num. 2.* quibus adde *l. diem proferre 27. §. inde quæritur, D. de recept. arbitr.* Atque ita eleganter & vere concludit aduersus Alciatum Cuiacius *lib. 12. obseruat. cap. 16.* vbi vide, itemque Iasonem *in d. l. inter pares, num. 7. & glos. in cap. 1. de arbitr. in 6.* quamuis Alciati sententiam in Senatu Pedemontano obtinere testetur Tessaur. *dict. decis. 1. num. 10.* Adde Ioannem Garsiam non inelegantem scriptorem *in tract. expens. & melior. cap. vlt. num. 8.*

DEFINITIO IV.

In ferendis sententiis & interrogandis quis ordo seruari debeat?

IN rogandis Senatorum sententiis ita obseruari moris est apud nos, vt non à iunioribus, id est, qui minori ætate sint,[1] sed à relatore primum, deinde ab iis, qui postremi in amplissimum ordinem cooptati sunt, cuiuscunque tandem sint ætatis & eruditionis, Præses incipiat ipseque vltimus sententiam dicat.[2] Non tamen vsq; adeo huius moris obseruandi necessitate adstringitur, vti ne possit pro arbitrio quem primum velit rogare. Quod non semel à clarissimo & præcipui nostros nominis Præside Catharino Pobello quondam factitatum audio, vt tanto diligentiores attentioresque ad facti iurisq; inuestigationem singulos Senatores redderet, verentes ne si primo loco & ante relatorem interrogarentur, obmutescerent, quod iis accidere nõ potest, qui post relatorem, aliúmve Senatorem interrogantur, quib. nempe liberum est sentẽtiam sic dicere, vt in eius, qui prior dixit, sententiam eant, tametsi iustane an iniusta illa sit, prius apud se non deliberauerint. Non solet tamen Præses noster facile ac sine magna causa interrogandi ordinem peruertere, ne de eo, quem turbato ordine interrogaret, male quid suspicari videretur. Sine die.

1 Quomodo sentire videtur Matth. de Affl. *dict. decis. 1.* vbi ait, incipiendum esse à iunioribus: nisi iuniores ille intellexit, habito respectu ad dignitatem potius, quam ad ætatem.

2 Anton. Tessaur. *decis. Pedemont. 1.*

TIT. VIII.

DE EQVITE SENATORIO.

DEFINITIO I.

EQVITIS Senatorij ea hodie dignitas est, vt ante Senatores omnes ac primo post Præsides loco & sedeat & incedat, quoties publice privatímve Senatus habetur. Si tamen absentibus Præsidibus Senatorem Præsidis vices gerere necesse sit, absurdum sane fuerit, primas Equitis partes esse, ne alioqui Horatianum illud occurrat, *Humano capiti ceruicem pictor equinam iungere si velit.* Quam ob causam illud quoque inducendum, aut potius ex vetusti moris memoria repetendum esse placuit, vt si quando Præsidibus omnibus absentibus Senator in publico auditorio præesset, purpuream vestem gestare iuberetur. Sed & constabat, ea primum lege institutã fuisse Equitis Senatorij dignitatem, vti ne in Senatus prætorium secretum ingrediendi ius haberet, nisi cum de armorum & belli iure tractaretur. Idque à Sereniſſimo Duce nostro Diuo Emanuele Philiberto cum amplissimum ordinem Republica feliciter recuperata conderet, nominatim cõstitutum fuisse apparuit, suggerente clarissimo viro Ludouico Millieto tunc Principis in Senatu Aduocato, postea Cancellario meritissimo. Paulatim tamẽ factum est, vt passim ius illud in Senatum veniendi ab Equitibus vsurpatum sit, ideo fortasse, quod non facile sciri posset, quando de belli & armorum iure Senatus tractandum haberet, nec ne. Postea vero gliscente, vt fit, licentia per nimiam eorum indulgentiam qui debuerant prohibere, De illo quoque dubitari cœptum est, An ius esset Equiti dicendæ in Senatu sententiæ, quod semel atque iterum tentatum id factitatumque diceretur. Sed placuit ius non esse, non illa solum ratione, quod ad eam dignitatem plerumque minus in Iurisprudentia & foro versati homines honoris tantum ergo prouehi soleant, sed etiam quia ius dicendæ in Senatu sententiæ, ex qua optimi cuiusque vita, dignitas, fortunæ denique omnes periclitari possint, non nisi à Principe concedi possit, nec rursus ab eo concedi aliis debeat, quam quorum ille exploratam habeat non tantum probitatem, sed etiam peritiam iudicandi, quæ sine summa eruditione esse non potest. Est enim

enim comicum illud verissimum, & quotidiano iudiciorum vsu comprobatum, *Homine imperito nihil esse iniustius.* Denique supremus ille & amplissimus ordo Patrum conscriptorum ex iis tantum constare debet, quos Princeps possit credere, non aliter esse iudicaturos, quam esset ipse, si ex optimorum & doctissimorum omnium consilio iudicaret. Vnde illud quoque non immerito visum est, Quoties iuris inter priuatos dicendi gratia Senatus extra ordinem habetur præstito in eam rem, vt fit, Senatoribus singulis honorariolo, nihil causæ esse, cur Equiti ius esse debeat in Senatum veniendi, nisi si quid habeat, quod ad Senatum eo ipso die referre velit. Quod si eueniat, aut si hoc etiam ei Senatus honorifice indulgere velit, abstinere tamen eum debere ab honorarij perceptione, ne sumptu iusto superuacuo oneretur litigator, pro quo nullam possit Eques ferre sententiam. Enimuero cum id iam inde ab aliquot annis Præsides quidam inconsulto licet Senatu induxissent, Senatus factum quidem improbauit, sed ne in posterum id fieret, non cõstituit, adeo difficile est ab eo iure, quod vel per iniuriam receptum sit, ac per aliquot annos vsu constitutum sit recedere, quo magis ab initio prouidendum est diligentissime, ne quid vnquam per gratiam & ambitionem aliisve malis artibus contra vel præter leges inducatur. Nec placuit illa distinctio, vt Eques consultatoriam, quod aiunt, vocem in Senatu haberet, deliberatoriam non item. Nam cum in Senatu nostro, vt & in cæteris supremis Curijs singulorum sententias non tantum ponderari, sed etiam numerari oporteat, ne alioqui inexplicabilis altercationis nascatur occasio, quid prosit, in dicendis sententijs rogari eum, qui si millies sententiam dixerit, nihil tamen effecerit? Aut quis ferat tot eruditos viros in assiduo iudicandi munere tamdiu exercitatos ab eo notari & reprehendi, qui ne literas quidem primas, vt ita dicam, fortasse vnquam didicerit? Plane si quid ille ad rem pertinens volet dicere suamque de proposita quæstione sententiam, dum ne inter aliorum vota, aperire, additis etiam rationibus, quibus moueatur, vtique non est prohibendus, non ob id solum, ne alioqui *statuam potius*, quam Equitis Senatorij personam agere videatur, sed etiam quod fieri nonnunquam possit, vt vel illiteratissimo cuique, præsertim si, quod plerumque euenit, præclaro à natura iudicio informatus sit, eæ rationes occurrant, quarum pondus etiam eruditissimos mouere possit, ad mutandam sententiam. Multo minus admittenda visa est illa distinctio, An de ardua & difficili iuris quæstione, an de re minus dubia sententiæ rogarentur. Quis enim de ea re probus arbiter esse posset? Cum quod vnus facile certumque putat, alius plerumque obscurum & difficile esse arbitretur? Sed & quid indignius quam præsente Equite priusquam rogetur, de illo inter alios disputari, an dignus ipse sit, qui rogari debeat de proposita quæstione? Itaque non solum tutius, sed etiam honestius longe ac fauorabilius visum est, vt omnimodo sententiam dicere prohibeatur, id est, vt nec vnquam rogetur, nec si non rogatus dicere velit, audiatur. Quamuis non deessent, qui affirmarent, in quibusdam supremis Curijs aliter receptum esse, vt Equites, quos duos habent, non modo antecedant Senatores absente Præside, sed & de quaque re proposita, etiamsi maxime de vita hominis agatur, sententiam dicant, quæ inter cæteras numerandas ponderandasque non minoris sit auctoritatis, quod fortasse minus mirandum esset, si vt probissimi semper, ita non nisi eruditissimi & exercitatissimi viri ad eius dignitatis fastigium proueherentur. Sed cum vbique aliter obseruari solitum videamus, nemo dixerit, nos exemplo peccare potius, quam rationem sequi debuisse. *Ita Senatus* secreto Senatusconsulto, quod ad 9. Calend. Dec. factum est, 1594. Postea tamen vrgentibus Principis nostri imperiis indulgeri necesse fuit clarissimo cuidam viro ea dignitate insignito, vt quoties de iure belli, aut politiæ, aut Reipublicæ tractaretur, sententiæ dicendę ius haberet. Quod etsi à Senatu primum æquissimo temperamento sic restrictum, vt tamen eius sententia neque Senatorum vota diuidere, neque iis, quibus adhæreret, victoriam dare posset, postea tamen rursum ita iubente Principe simpliciter & absolute permitti necesse fuit, hoc solo addito, ne priuilegium illud trahi posset vnquam ad consequentias, vt personæ magis quam dignitati datum esse constaret.

TIT. IX.

DE PRECIB. IMPER. offer.

DEFINITIO I.

Literæ moratoriæ non nisi semel sunt concedendæ.

QVI moratorias & dilatorias literas annales à Principe impetrauit, licet iis vsus non fuerit, alias tamen impetrare non potest, quin priorum meminerit in posterioribus alioqui posteriores obreptitiæ sunt.[1] Sed etsi aduersus quosdam ex suis creditoribus beneficio Principis vsus sit, non poterit post annum aut iisdem aut alijs literis vti aduersus alios creditores habebat, siue post impetrationem nouis se creditoribus obstrinxerit:[2] quia beneficium illud non nisi semel concedi solet,[3] & qui eo vti vult, prius apud se constituere debet, quo tempore commodior sibi futura sit impetratio. Aliter enim posito iure nullus esset impetrationum finis, si quis plures habens aut habiturus creditores, Principis liberalitate abuti vellet. *Ita Senatus* in causa Ludouici Bourdinat & Ioannis Filaire 3. Id. Ian. 1589.

1 Petr. Rebuff. *in tract. De lit. dilat. annal. art. 1. glos. 1. nu. 30. ex cap. super literis, & cap. cæterum de rescript.*

2 Futuros namque creditores huiusmodi literis exceptos intelligi constat, ne iis obsit beneficium Principis, de quibus cogitari non potuit Rebuff. *vbi 5. nu. 18.* Guid. Pap. *qu. 109.*

3 Nam nec alia de causa concedi solet, quam quod magnum creditoris damnum non sit in mora modici temporis, *l. 2. vbi* Bart. *& cæteri, C. hoc tit. l. si debitori 21. D. de iudic.*

4 Principis enim beneficium non debet esse captiosum, nec trahi ad iniuriam, *l. Paulus notat, C. de prætor. stipulat. facit l. oratione 7. in fin. & l. vlt. de fer. & dilat.* quæ negant, in pecuniarijs causis plus quam semel dandam esse dilationem, nisi causa cognita.

DEFINITIO II.

Nulla potest fieri executio pendente lite super literis moratoriis. Sed tempus interim currit à die datæ, Nisi debitor fuerit impeditus.

EA vis est rescripti moratorij, quod pragmatici *respirationis* vocant, vt à quo tempore impetratum est, & creditori significatum, omnem omnino aduersus debitorem exequendi facultatem creditori præripit. Proinde siue in personam, siue in bona debitoris creditor egerit pendente dilatione, reuocandum erit, quicquid in spretum beneficij principalis factum probabitur, tanquam attentatorium, licet de rescripti iure lis pendeat, nec dum quicquam pronunciatum sit.[1] Quæ res facit, vt si forte per annum integrum lis steterit, prorsus inutilis futura sit sententia,

BIU Cujas

quæ pro debitore aut contra debitorem postmodum feretur, præterquam quod ad litis expensas pertinet. Nam si obtinuerit, non alius ei annus ad soluendum dabitur, sed annus instantiæ computabitur,[2] si modo totum id tempus liberum fuerit debitori ad conquirendas explicandasque pecunias, vt post annum soluere posset. Quid enim si iam impetrati rescripti tempore detrusus erat debitor in carceres, nec prius liberatus sit, quam de rescripti æquitate Iudex cognouerit & pronunciauerit? Quis dixerit, dilationis ad soluendum datæ tempus ei cessisse, qui creditoris facto prohibitus fuit, ne pecuniam posset colligere?[3] Quanquam non deerant, qui putarent, debitorem, qui impetrationis tempore iam erat in carceribus, non prius eximendum, quam de rescripti viribus iudicatum esset, neque minus tamen annum currere, si quandoque postea pro rescripto pronunciaretur,[4] quasi non careat dolo malo fraudandique consilio, qui iam coniectus in carceres, & vt creditorem eludat beneficium hoc postulet. Sed tamen humanius est, vt neque hoc casu fraus fieri debeat liberalitati Principis, quæ in alio elucere non potest, quam vt liberam vnius anni dilationem ad soluendum debitor habeat: & consequenter ab eo die computandam, quo debitor carceribus exemptus in sua potestate esse cœperit.[5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *l. vlt. C. qui bon ceder. post. l. siue pars 3. C. de dilat.* Boer. *decis. 296.* Rebuff. *vbi* ſ. *num. 70. 71. 72. ex cap. fin. de treug. & pac. l. vnic. Cod. de priuileg. vrb. Constantinop. lib. 11.*

2 Nam in huiusmodi rescriptis moratoriis tempus præstitutum incipit currere à die concessionis, etiamsi expresse dictum non sit, vt dicemus *Defin. seq.*

3 Hoc enim est quod dici solet, dilationis tempora non currere impedito, maxime vero cum ex facto aduersarij impedimentum proficiscitur, *l. 2. §. si quis iudicio, §. quod diximus, & pass. D. si quis caut. l. 1. §. vlt. C. de annal. except.*

4 Pro qua sententia facit, quod vulgo iactatur, iura vigilantibus subuenire, non dormientibus, *l. pupillus 24. D. quæ in fraud. credit.* facit *d. l. 2. §. si quis tamen, D. si quis caution.* Item quod multa facta durant, quæ fieri prohibentur, *l. patre furioso 8. D. de his, qui sunt sui vel alien. iur.*

5 Beneficia enim omnia, & maximè Principum, sunt latissime interpretanda, præsertim vt effectum habeant, nec sint illusoria, *l. 3. D. de constit. Princ.* Nam & indulgentia Principis magis necessaria est inopi debitori, qui iam est in carceribus, quam si nondum esset.

DEFINITIO III.

In omnibus rescriptis moratoriis tempus currit à die datæ, nisi Princeps expresse aliud voluerit.

REscriptorum omnium moratoriorum siue annalem, siue quinquennalem dilationem concedant, singulare ius est, vt à die concessi beneficij tempus cedere & currere incipiat, etiamsi de eo nihil in rescripto cautum & expressum sit.[1] Sane nec dubitandum est, quin aliud dici debeat, si contra rescriptum fuerit, vt non prius tempus currere incipiat, quam de rescripti æquitate cognitum sit & pronunciatum. Id enim debitori indulgere Princeps cum vult, haud dubie potest,[2] nec magna in eo fit iniuria creditori, qui imputare sibi debet, cur citius non consenserit, vt rescripti beneficio debitor frueretur.[3] *Ita Senatus* in eadem causa, & rursus pro Syndicis Camberiensibus contra Ioannem de Constance, 8. Id Iun. 1591.

1 Guid. Pap. *quæst. 109.* Rebuff. *in tract. de liter. dilat. art. 1. gloss. 1. num 48. ex l. 2. C. de diuers. rescript.*

2 Obserua tamen eiusmodi rescripta, quibus Princeps id indulgeat, in magna Cancellaria impetrari debere, non in parua. Ipsius enim Principis subscriptione opus est, vt iuri communi derogetur.

3 Itaque damnum si quod sentiat, quia ex culpa & voluntate sua sentit, sentire non videtur, *l. quod quis 203. de reg. iur.*

DEFINITIO IV.

Contra sententiam non possunt impetrari literæ dilatoriæ, nisi nouata sit actio iudicati.

NOn est locus rescriptis moratoriis, cum de eo debito agitur, quod descendit ex sententia, quæ transiuit in rem iudicatam, & à qua non possit appellari.[1] Id nim facit auctoritas rei iudicatæ, quam rescripto Principis rescindi numquam oportet.[2] Quid igitur si quod ex re iudicata debebatur translatum sit in causam nouæ obligationis per contractum? Placet hoc casu nouationem fieri, si non aliud actum dictumque sit.[3] Igitur & rescripto locus erit.[4] *Ita Senatus* in eadem causa

1 Rebuff. *vbi* ſ. *art. 1. gloss. 1. nu. 19.* post Guid. Pap. *qu. 97.* Masuer. *in rubr. de dil. & §. item dilatio.*

2 *l. vlt. & pass. C. sentent. rescind. non poss.*

3 *l. minor annis 40. D. de minor. l. 2. C. de execut. rei iudic.*

4 Nouatione enim facta prioris obligationis qualitas & conditio non inspicitur, sed tantum posterioris, *l. aliam 29. D. de nouat. l. vlt. C. de vsur. rei iudic.*

DEFINITIO V.

Aduersus instrumentum guarentigiatum possunt impetrari literæ moratoriæ.

ETsi autem moribus nostris instrumenta, quæ guarentigiata vocant, Statuti auctoritate vim iudicati habere intelliguntur hactenus, vt æque paratam habeant executionem,[1] tamen hac parte non eodem gaudent priuilegio. Eorum namque vis per huiusmodi rescripta moratoria suspenditur, non solum si executio nondum facta sit, sed etiam cum iam secuta est, detrususque debitor in carceres.[2] Nempe quod ius illud Statuti nostri potestate introductum ad priuatam duntaxat creditorum vtilitatem pertineat, non etiam ad publicam, ad quam è contrario maxime spectat auctoritas rerum iudicatarum.[3] *Ita Senatus* pro Iacobo Mattel contra Amedeum Mattel 7. Calend. Iunij 1595.

1 Bart. *in l. cum vnus, in princ. nu. 11. de reb. auct. iud. possid.* Rom. *cons. 133. nu 1.* Tessaur. *decis. Pedemont. nu. 12.*

2 Secundum ea, quæ diximus *Defin. 2. in fin.*

3 *l. seruo inuito 65. §. cum prætor, D. ad SC. Treb. cum similib.*

DEFINITIO VI.

Literæ quinquennales exigunt satisdationem & consensum maioris partis creditorum.

LIteræ, quas quinquennales dicimus, quibus dilatio quinquennij debitoribus ad soluendum rescripto Principis datur, non aliter vim obtinent, quam si & cautio idonea, id est, cum satisdatione, offeratur,[1] & maior pars creditorum consentiat.[2] Sed maior pars accipienda est non ex numero creditorum, at ex mensura & quantitate debiti, cum fieri possit, vt vni plus quam cæteris omnibus debeatur: quod cum euenit, an non potiorem eius rationem haberi æquum est? Ita vt futuris creditoribus huiusmodi rescripta non noceant, quia nec impetrationi consentire potuerunt.[4] *Ita Senatus* in relationibus rescriptorum 7. Cal. Iunij 1590.

1 *l. vniuersa 3.* vbi Bart. *C. hoc sit.* Est enim dilatio hæc ex priuilegio & iure speciali, quia sicuti longioris est temporis, ita grauius damnum adfert creditorib. Rebuff. *tit. de liter. dilat. ars. 1. gl. 1.*

2 Rebuff. *vbi* ſ. *num. 53. & 59. ex l. vltim. Cod. qui bon. ced. poss.* Guid. Pap. *quæst. 97.*

3 *l. maiorem 9. D. de pact. l. 1. de priuileg. credit. alias, l. cum bona 16. de reb. auctor. Iudic. possid.*

4 Hoc enim est, quod iam diximus ſ. *Defin. 1. num. 2.* futuros creditores huiusmodi rescriptis non contineri, quia de iis non fuit cogitatum.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO VII.

Executio Senatusconsulti quando possit differri per literas Principis in forma, vt aiunt, Supplicationis ciuilis.

DEbitor ob contumaciam condemnatus iussusque pati venditionem pignorum iudiciali auctoritate captorum, si aduersus Senatusconsultum ciuilem Supplicationem Principi porrexerit, poterit ex ea causa decreti interpositionem remorari, si modo hactenus iudicati executio facta sit, vt & venditio secuta fuerit, & ab emptore bona possideantur, [1] maxime si ponas, nouam Supplicationis instantiam in promptu decidi posse, [2] vtputa si condemnatus solutionem alleget, eamque per ipsius victoris iusiurandum probare velit. [3] Siquidem non parum eius interest, vt non tam facile decretum interponatur, ne eius tributi, quod pro iudicato pendi solet, præstatione oneretur. [4] Contra vero non magnum creditori damnum adferet mora modici temporis. [5] Nisi forte quod non tam cito aut tam facile bona illa vendere poterit: in quo tamen non ita grande dispendium versatur. Neque impugnabat hæc sententia auctoritatem iudicati, cum Senatus iussisset, vt inchoata executio venditioque perficeretur. Non enim eo minus perfecta videri debet subhastatio, quod nondum decretum interpositum sit, [6] quod neque nisi post elapsa redimendi tempora interponi potest, [7] & consequenter dominio iam irreuocabiliter victori quæsito si nihil sit quod venditionem retractari suadeat. Certe venditionem ante omnia perfici necesse est, ne iudicati executio per supplicationem ciuilem contra iuris nostri rationem dilata aut impedita videatur. [8] *Ita Senatus* ex tempore pro Io. Francisc Poncier Aduocato contra N. de la Pallud. 4. Id. Nouemb. 1590.

1 *Auth. quæ supplicatio, C. hoc tit.*
2 Per modo constat modo agatur quomodo Pragmatici loquuntur, *ex l. si is à quo 5. D. vt in poss. legat.*
3 Habetur enim pro iudicato, quod per iusiurandum decidi statim potest, *l. 1. D. de iureiur.*
4 Curare enim bonus Iudex debet, ne litigatores sumptibus superuacuis onerentur, *l. quidam 21. de reb. credit.*
5 *l. si debitori 21. D. de iudic.*
6 Venditio enim perficitur conuentione & solutione precij, præsertim subsecuta traditione, *l. ex empto 11. l. si quis alienam 46. & pass. De act. empt.*
7 Stilo Senat. nostri.
8 *d. Auth. quæ supplicatio.* Guid. Pap. *quæst. 97.* Rebuff. *de lit. morat. art. 1. gloss. 1. num. 19.*

DEFINITIO VIII.

Dilata solutione debiti per literas dilatorias etiam vsurarum exactio differenda est.

QVi literas moratorias à Principe impetrauit, vt ante certam diem ad solutionem vrgeri non possit, nec vsuras medio tempore soluere cogendus est, si generalis concessio sit, & ad omnem debiti causam referatur. [1] Sane non idcirco medij temporis moram impunitam esse oportebit, sed vsuras à debitore quandoq; præstari æquum erit, ne alioqui beneficium Principis creditori captiosum sit & iniuriosum. [2] Quid ergo? Vsurarum quoque exactio in id tempus differetur, quo ipsa sors solui debebit. *Ita Senatus* in causa Syndicorum Camberiensium & Ioannis de Constance 8. Idib. Iun. 1591.

1 *l. non solum debitorem 8. §. 1. de liber. leg.* Rebuff. *de lit. morat. art. 1. glos. 1. n. fin. post DD. ad l. quoties, C. de precib. Imper. offer.*
2 *l. nec anus 4. C. de emancip. liber.* Iunge *l. tutor 41. in princ. D. de vsur. l. vlt. de re iudic. l. negotiorum 24. D. de appell.*

DEFINITIO IX.

Executio Aresti non potest impediri per viam ciuilis supplicationis, nec si expensarum refusio offeratur.

DE nullitate aut iniuria Senatusconsulti conqueris, qui condemnatus est, non aliter potest, quam precibus Principi in eam rem oblatis: quam nos vulgo ciuilem supplicationem appellamus. [1] Cuius tamen non ea vis erit, vt iudicati executionem impediat aut remoretur; prius enim executioni mandatum esse Senatusconsultum oportet, quam supplicationis tabulæ aperiantur: nec tantum quod ad principale negotium pertinet, sed etiam quod ad expensas litis, tametsi ex actorum fide in promptu appareat minus rite iudicatum esse, circumuenta per obreptionem religione Senatus. Id enim postulat rerum præsertim à supremo Senatu iudicatarum auctoritas. [2] Neque si per contumaciam duntaxat quis condemnatus proponatur, assequi tamen poterit, vt refusis contumaciæ expensis statim audiri debeat, quomodo eueniret, si nihil dum iudicatum esset. [3] Totam enim executionis causam ante omnia peractam esse necesse est. *Ita Senatus* 7. Id. Iun. 1591.

1 *Auth. quæ supplicatio, vbi DD. C. hoc tit.*
2 *l. seruo 65. §. cum prætor 1. ad SC. Trebell. cum similib.*
3 *l. properandum 15. C. de iudic.*

DEFINITIO X.

Casus in quo Aresti executio impeditur etiam citra supplicationem ciuilem.

VNo tamen casu Senatusconsulti executio impediri potest etiam nulla supplicatione interueniente: nimirum si Senatusconsultum ob id nullum sit, quod mandatum ad litem agendam aut suscipiendam non habuerit is, qui tanquam procurator condemnatus est. Non enim rei iudicatæ auctoritas vlla esse potest aduersus eum, qui vel nullum, vel, quod idem est, falsum habuit procuratorem, [1] quique non nisi in persona sui procuratoris fuit condemnatus. [2] Itaque & iudicium hoc casu totum corruit, [3] & nullo subsistente iudicati fundamento causam ex integro agi necesse est. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. 1. & 2. C. quib. res iudic. non nocet.*
2 Aliud enim esset, si in ipsius domini personam latum & conceptum esset Senatusconsultum, vt dicam *D. fin. 2. infr. de sentent. præf. prætor.*
3 *l. licet 23. C. de procurat.*

DEFINITIO XI.

Contra petitionem precij non potest emptor literas dilatorias impetrare.

EMptor, cuius fidem secutus venditor fuerat, cum in precij solutione moram faceret, conuentus actione ex vendito impetrauerat rescriptum principale, quod respirationis vocant, seu annalis dilationis, litemque per tam longas moras traxerat, vt totius anni tempus interea elapsum esset. Placuit priuandum eum beneficio rescripti non ob id solum, quod tempus dilationis, quam moratoriæ istæ literæ indulgent, vtiliter currere incipiat à die concessionis, [1] sed etiam quia non possit in proposita specie locus esse beneficio principali, ne illa occurrat iniquitas, vt emptor & rem habeat & precium retineat: [2] quod à bona fide tam alienum est, vt nec expressa fieri possit conuentione. [3] Quare nec distinguemus, an res vendita sit ex

BIU Cujas

numero comestibilium necne: quamquam in comestibilibus, quarum frequentius, publicum, magisque necessarium commercium est, minorem habere res creditur dubitationem.[4] Nec rursus iustum visum est desiderium postulantis emptoris, vt ea ipsa bona, quæ emerat, in solutum dare venditori vel inuito liceret.[5] Ita enim effectu ipso resolueretur venditio, quod pati venditor non cogitur,[6] sicut neque emptor cogeretur, tametsi ei duplum precij offerretur.[7] Neque ad hunc casum pertinet Nouella Iustiniani constitutio, quæ cogit creditorem, cui aliter satisfacere debitor non potest, vt ex bonis debitoris in solutum accipiat, quantum ex debiti comparatione satis esse videatur.[8] Id enim obtinet, non quoties debitor dicit, nullam se habere pecuniam, sed cum constat, ita rem esse, vt nec pecuniam, nec emptorem inueniat, nec rem vllam mobilem habeat ad soluendum.[9] Sed neque locum habet eo casu, quo pignori obligata sit persona ipsa debitoris. Tunc enim etsi maxime soluere debitor nequeat, potest tamen detrudi in carceres,[10] solumque ei supersit ad liberationem consequendam beneficium legis Iuliæ De cessione bonorum.[11] *Ita Senatus* ex tempore Non. Iulij 1592.

1 Diximus 5. *Defin. 3.*
2 *l. Bona fides, 50. D. de act. empt.*
3 *l. ex empto, 11. §. qui alias, l. emptorem, §. qui autem, eod. tit. l. 1. §. illud, C. de latin. lib. tol. l. pen. C. ad SC. Velleian.*
4 Per ea quæ tractat Rebuff. *art. 1. gloss. 1. nu. 45.*
5 Non enim aliud pro alio dari in solutum potest inuito creditori, *l. eum à quo 16. C. de solut. l. 2. §. 1. D. si cert. pet.*
6 *l. Tutor, 47. §. curator, D. de minor, l. si quis aliam, 46. De solut. cum similib.*
7 *l. Non est probabilis, 6. C. de rescind. vend.*
8 *Nouell. 4. De fideiuss. §. quod autem,* Vnde sumta est, *Auth. hoc nisi debitor, C. de solut.*
9 Ferrariensis *in form. libell. respons. act. hypoth. in §. exceptionem solutionis, in fin.* Anton. Tessaur. *decis. Pedemont. 153. num. 12. cons. 163.*
10 Tessaur. *d. decis. 153. nu. 4.* vbi tamen vide quatuor casus in quibus non potest debitor detrudi in carceres, si sit ex iis personis quæ habent priuilegium ne conueniantur supra quam facere possint, si sit persona nobilis puta vasallus Principis, vel Doctor, vel miles, si non expectata condemnatione sponte offerat se soluturum, & exhibeat bona in quæ fieri possit executio, si denique obstet ratio publicæ honestatis, vt in muliere.
11 *l. 1. & tot. tit. de cess. bonor. D. & C.*

DEFINITIO XII.

Non potest impediri executio Aresti per ciuilem supplicationem, ne quidem ex nouo iure.

POrrecta aduersus Senatusconsultum ciuili supplicatione si condemnatus causam aliquam tuendæ possessionis ex nouo iure habeat, non est audiendus, quousque iudicati executio facta sit propter auctoritatem rei iudicatæ[1] licet de eo iure quod litis tempore ignorabatur aut nec dum fortasse competebat, neque cognitum neque pronunciatum videri possit.[2] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 14. & 15. inf. Vnde vi.

1 *Argum. l. de eadem re, 5. & l. si à te, 9. §. 1. D. de except. rei iudicat.*
2 *l. 3. l. qui cum tutoribus, 9. per tot. l. non est ferendus, 12. D. de transact. l. non potest videri 23. D. de iud.*

DEFINITIO XIII.

Literæ dilatoriæ quæ impediunt exactionem, non tamen impediunt compensationem.

ANnales literæ dilatoriæ quas debitoribus paupertatis commiseratione concedere Princeps solet, quamuis executionem quamlibet remorentur,[1] non tamen impediunt compensationem, quoniam aliud est petere, aliud retinere.[2] Nec qui petere prohibitus fuit, censendus est prohibitus retinere.[3] Consequens ergo est, vt neque impediant executionem quæ fiat ad compensandum, si modo locus esse possit compensationi.[4] Constat enim quoties compensationi locus est, fieri eam ipso iure,[5] nec compensare volentis factum vllum requiri, nisi hactenus vt obiiciat compensationem, dicatque velle se compensare.[6] *Ita extempore tractatum est* in pomeridiano auditorio in causa Guilielmi le Marquis & Salomonis Balme 13. Cal. Ian. 1593.

1 Vt supra diximus, *Defin. 2. nu. 1. & dicemus in seq.*
2 *l. Etiam 6. D. de compens. l. naturales, 10. D. de oblig. & act.*
3 *l. Cum pater, 77. §. cum inter, de leg. 2.*
4 Excipe casum *l. amplius non peti, 19. D. rat. rem hab.* vbi petere videtur qui compensat inspecto scilicet effectu, quia tantundem consequitur quantum si peteret. At nos de eo tractamus qui non absolute prohibetur petere, sed ad tempus tantum, nec vt debiti iacturam faciat, sed ne inquietet debitorem.
5 *l. vlt. C. de compens. l. si ambo, 10. & seq. D. eod.*
6 Vnde & inter exceptiones numeratur compensatio quia opponenda est.

DEFINITIO XIV.

Literæ dilatoriæ prosunt debitori etiam qui in carceres iam detrusus sit, eiusque fideiussoribus.

IMpetratio rescripti annalis, quod vulgo *respirationis* vocant, prodesse debet impetranti, non tantum ne vrgeatur ad solutionem, sed etiam vt si ante impetrationem detrusus fuerit in carceres, eximi confestim debeat, Si bona eius pignori capta sint, omnia ei restitui oporteat, Adeo vt nec prius incipiat annus ei currere.[1] Non solum autem impetranti debitori prodesse debet beneficium Principis, sed etiam fideiussoribus, & aliis si qui sint qui pro eo intercesserunt.[2] *Ita Senatus* pro Iacobo Mattel, contra Amedeum Mattel 7. Cal. Iun. 1595.

1 Diximus *supra Defin. 2. ad fin.*
2 Nimirum quia huiusmodi rescripta sic concipi solent, vt fideiussorum quoque mentio fiat. Alioqui beneficium esset personale, nec ipsius debitoris personam egrederetur, *l. quia, 14. D. solut. matrimon.* Rebuff. *articul. 1. De lit. dilat. gloss. 1. nu. 42.* [Cæterùm quemadmodum huiusmodi literæ prosunt etiam fideiussori ne interim conueniri possit, ita & nocent hactenus ne postea similes literas impetrare possit, sed hoc ita si iam tum fideiusserat, non si postea fideiussisse proponatur. *Ita Senatus* 3. Cal. Septemb. 1612. ex tempore, in causa Vrsulæ Martiani & Ioann. Antonij Verney.]

DEFINITIO XV.

Literæ status non sunt dandæ post rem iudicatam.

LIteræ quas Status appellant, non possunt impetrari ad remorandam iudicati executionem, ne rei iudicatæ auctoritas labefactetur.[1] *Ita Senatus* pro Dn. de Bellegarde contra D. de Carde Non. Sept. 1595.

1 Imo nec ad impediendam pronunciationem sententiæ, Rebuff. *in dict. tract. art. 2. gloss. vnic. vers. sexto.* Possunt tamen hæ literæ concedi etiam ei qui supplicationem porrexit contra Senatusconsultum, scilicet post factam iudicati executionem, Rebuff. *ibid. art. 4. gloss. vnic. in fin.*

DEFINITIO XVI.

Non nocent superuenientibus creditoribus literæ dilatoriæ antea impetratæ.

QVod diximus[1] literas moratorias debitori à Principe concessas ad futuros creditores non pertinere, de iis quoque accipiendum est, qui post datas literas, licet ante oblatas, superuenerunt, quia concessionis tempore, nec de iis cogitatum videri potest.[2] *Sine die.*

1 De-

BIU Cujas

1 *Defin.1.& 6.supr.*
2 Rebuff.*de lit.dilat.annal.art.*1.*gloss.*1.*nu.* 18. post Guid.Pap. *qu.*109.*arg.cap.eam te de rescript.& cap.si eo tempore eod.lib.*6.

DEFINITIO XVII.

Vltra quinquennium dilatio moratoriæ concedi non potest, ne quidem à supremo Principe.

HOc iure vtimur, vt literæ moratoriæ licet non nisi à supremo Principe concedi possint, qui superiorem non agnoscat,[1] aut qui saltem imperij iura habeat,[2] vltra quinquennium tamen numquam concedantur,[3] quia grauius damnum ea res infligeret creditori, quam quod inuitum eum subire æquum sit. Itaque si in longius quam 50. tempus concessæ sint, vsque adeo non valet concessio, vt nec pro quinquennio ipso defendatur.[4] Ad quinquennium vsque facta concessio valet, quod non tam graue creditoris damnum in ea re versari videatur.[5] Vnde illud etiam fit, vt quasi nulla vel nō nisi permodica læsione creditorum interueniente, soleat iis etiam inauditis priuilegium hoc debitori concedi,[6] quanquam postmodum in impetranda approbatione, quam pragmatici verificationem vocant, audiri omnes necesse est quorum potest interesse.[7] *Sine die.*

1 Vt nec cætera rescripta quæ aliis præiudicant, Alber. & Paul. *in l.quoties C.hoc tit.*
2 Vt Dux Sabaudiæ, inquit Rebuff. *in tract.De lit.dilat.art.*1. *gloss.*1. *num.*7.
3 Paul.Castr.*in l.si debitori*,21.*De iudic.* Anchar.*cons.*37.
4 Rebuff.*vbi* ſ.*num.*6.*arg.cap. cui de non sacerdotali, de præb.in* 6.*l.si sponsus*,§.*generaliter, de donat.inter vir.& vxor. capit.si eo tempore, de præb.in* 6.
5 *d.l.si debitori de iudic.*
6 Bart.*in l.*2.*notab.*2.*C.de temp.appell.*Bald.*in l.fin.col.pen. C.de fruct.& lit.expens.*
7 Rebuff.*vbi* ſ.*num.*8.

DEFINITIO XVIII.

Etiam vniuersitatis nomine possunt literæ dilatoriæ impetrari.

LIteras moratorias siue annales siue quinquennales impetrare potest, non tantum priuatus quilibet debitor, sed etiam Syndicus vniuersitatis nomine, si in eam egestatem vniuersitas ex temporum iniuria & calamitate delapsa sit, vt subueniendum videatur.[1] *Ita Senatus* pro vniuersitate Sanctæ Helenæ de Millieres ann.1596.

1 Matth. de Afflict. *decis. Neapolit.* 377. Rebuff. *vbi supr. numer.*13.

DEFINITIO XIX.

Qui non potest conueniri à suis creditoribus ob literas dilatorias, non eo minus debitores suos conuenire potest.

QVi literas moratorias à Principe impetrauit, ne ante annum vel quinquennium à creditoribus suis conueniatur, nō eo minus à debitoribus suis, si quos habeat, exigere potest statim, quod sibi iam debetur.[1] Etsi enim quod quisque iuris in alium statuerit, eodem ipsum vti æquum est:[2] In proposito tamen ea ratio pro debitore vrget, ne moram à debitoribus suis pati cogatur, quod non aliter fortasse assequi possit, vt post annum paratam habeat ad soluendum pecuniam, quàm si medio tempore exigere sibi permittatur. Nec sane æquitatis aut iuris ratio patitur, vt beneficium Principis, quod ratione miserationis inopi debitori concessum fuit, ad alios eiusdem debitoris debitores multo fortassis locupletiores, nec idem beneficium implorantes, protrahatur.[3] *Ita obseruatum* est in persona Petri Fauerij Latinien sis, Mens. Ianuar. 1597.

1 Rebuff.*d.tract.de lit.dilat.art.*1.*gl.*1. *num.*9.
2 *l.*1.*& tot.tit. quod quisque iur.in alt. statu.*
3 *l.*1.*D.de constit.Princip.*

DEFINITIO XX.

Varij casus in quibus literæ moratoriæ non habent locum.

MVlti casus sunt in quibus moratoriarum literarum vsus nullus est: Si quis ex delicto debitor sit constitutus,[1] Si post impetratas licet ante oblatas literas nouos creditores quæsierit,[2] Si iam condemnatus sit, siue à supremo magistratu, siue ab inferiore iudice,[3] Si de iure debito que feudali aut emphyteuticario agatur,[4] Si de precio vel mercede rei venditæ aut locatæ, ex qua fructus emptor conductorve percipiat,[5] Si debitum iuratum sit nec impetrata absolutio proponatur,[6] Si contra pauperiorem beneficium hoc imploretur,[7] aut contra eum cui ob personalem operam aliquid debeatur,[8] Aut contra Principem ipsum vel ecclesiam, vel piam causam,[9] vel pupillum:[10] Item si de dote tractetur, siue soluenda siue repetenda,[11] Aut si de deposito restituendo,[12] vel de precio rerum comestibilium in pleno, quod aiunt, foro mercatuque venditarum.[13] Idem est si impetrator huic beneficio renunciauerit,[14] si non renunciationis huius in rescripto & dispensatione mentio expressa facta sit,[15] Aut si iam semel antea idem beneficium impetrauerit,[16] tametsi eo vsus non fuerit,[17] Si cum extero & transeunte mercatore contraxerit,[18] Si cauere nullo modo velit, ne iurato quidem,[19] Si denique in annalis rescripti impetratione nulla damni & calamitatis, quæ debitori ex casu improuiso & fortuito acciderit mentio fiat,[20] aut ea calamitas allegetur, quæ damnum ipsi ante decennium inflixerit.[21] *Ita Senatus* sæpius. *Sine die.*

1 C.*sed si ex parte* 4. §. *quanquam, D. quod cum eo qui in alien. potest.l.si rerum*,52.*D.de re iudic.* Rom.*sing.*179.*arg.l.*1.*C.vbi Senat. vel clariss.*
2 Guid.Pap.*qu.*109. Dixi ſ.*Definit.*16.
3 Masuer.*in rubr.De solut.*§.*item dilatio moratoria*, Guid.Pap. *qu.*97. Arctius enim tempus est, quod iudicatis ad soluendum speciali iure datur, *l.*2.*C.de vsur.rei iudic.*
4 Arg.*l.Imola* 34.*D.ad municip c.vnic.quib.mod.feud.amit.* Ias. *in l.*2.*nu.*24.*D.de iur.emphyt.*
5 Dixi supra *Definit.*11. Rebuff *art.*1.*glos.*1.*num.*43.*& num.*21. *post gloss.in l.cum fructuarius de vsufr.* Specul. *tit. De locat.* §.*nunc autem, vers.*128.
6 Gloss.*in cap.cum non deceat, de elect.in* 6. & alii multi quos congerit Rebuff.*vbi* ſ.*nu.*22.23.*&* 24.
7 Matth.de Afflict.*decis.*377. Rebuff.*vbi supr.num.*25. vbi notat onus probandi incumbere creditori, qui se dicit pauperiorem.
8 Rebuff *ibid.nu.*26.*arg.l.in seruorum*,10.*D.de pœn.*
9 Rebuff.*ibid.num.*31.*&* 32.*ex not.in cap.ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.*
10 Boer.*decis.*296. Rebuff.*ibid.n.*33. Ecclesia enim, fiscus, & pupillus æquiparantur, *c.*1.*de in integr.rest.*
11 Masuer.*in rubr.de solut.*§.*item*,*& similiter*, Rebuff.*vbi* ſ.*nu.* 34.*arg.l.*1.*D.solut.matr.* vbi notat idem iuris esse in debitis fauore studij.
12 *l.penult.*iunct.*auth.ibi posita*, *C.de poss.* Boer.*d.decis.*296. Rebuff.*vbi* ſ.*num.*38.
13 Boer.*decis.*296. Rebuff.*vbi supr.num.*45. quoniam harum rerum solutio statim & in promptu fieri debet, si non sit à parte data dilatio, *l.*2.*D.de nundin.l.in omnibus obligationibus*,14. *De reg.iur.*
14 Rebuff.*vbi* ſ.*num.*27. quia potest quilibet fauori suo renunciare, *l.penult.* C.*de pact.capit.si diligenti, de for.compet.*
15 Rebuff. *ibid.num.*29. *ex* Masuer. *in dict. rubr. De solut. in fin. Et not.per DD.in capit.super literis, de rescript. & in l.fin. Cod.si contr.ius vel vtil.publ.* Addit Rebuff. *vbi supra.* Si quis renun-

BIU Cujas

ciauerit impetrationi huiusmodi literarum & dispensationi, & in literis postea impetratis fecerit mentionem de renunciatione impetrationis & non dispensationis, literas nullius momenti esse, tanquam subreptitias.

16 *d.cap. super literis, de rescript. cap. cæterum, eod.* Rebuff. *vbi §. num.30.*

17 Siquidem ab ipso tempore quo datæ & concessæ sunt, effectum habere incipiunt. Scripsi *Defin.1. & 3.*

18 Exteris enim fauendum est, *Authent. omnes peregrini. C. omnes de succes.* Rebuff. *vbi §. num.35.* vbi rationem reddit ratione fraudis vitandæ, & ne detur materia delinquendi, *argument. l. conuenire, 4. D. de pact. dotal.* Addens permittendum hoc casu extero mercatori, vt merces suas vindicet, quasi nec alienatas, *argum. l. Aurelio 21. §.1. De liber. legat.*

19 *l. quoties, l. vniuersæ, C. hoc tit.* Rebuff. *vbi §. nu. 49.*

20 Rebuff. *ibid. num.12. & 47. & 51.*

21 Rebuff. *vbi §. num.65.*

DEFINITIO XXI.

Differentiæ variæ inter annalem & quinquennalem dilationem.

INter annalem & quinquennalem dilationem differentiæ multæ sunt, sed hæ præcipuæ. In annalibus literis impetrādis sufficit præstari cautionem iuratoriam tunc, cum impetrans iis vtitur, non cum eas impetrat, [1] In quinquennalibus requiritur satisdatio, aut vt pignoribus caueatur de soluendo in fine quinquennij, & quidem eo tempore quo rescriptum impetratur. [2] Quid si neque fideiussorem neque pignus dare debitor possit? Exigentur debita deducto interusurio medij temporis, [3] aut iuratoria cautio sufficiet, quam & omni casu hodie sufficere pragmatici Galli testantur, [4] Nostri negant nisi eo demum casu quo melioris cautionis præstandæ facultas nulla subest. In literis annalibus non requiritur consensus creditorum aut maioris partis, [5] In quinquennalibus requiritur, [6] & quidem ita vt in eam rem creditores omnes dummodo qui in eodem loco & territorio sint [7] coadunari oporteat: [8] quanquam moribus nostris & eo iure quo nunc vtimur solemnitas hæc necessaria non est: Citandi sane sunt omnes quorum interest, & ij qui per contumaciam absunt habendi pro præsentibus & consentientibus. [9] In quinquennalibus cogitur debitor fateri & agnoscere debita omnia, eaque specialiter exprimere, In annalibus non item. [10] Impetratio quinquennalium non etiam annalium excludit beneficium cessionis bonorum. [11] Annales literas inducit ratio miserationis ex causa damni fortuiti præcedentis, Quinquennales vero consensus solus maioris partis creditorum. [12] Qui annales impetrauit, sufficit, vt per iusiurandum proprium purget se de dolo malo, nec auditur aduersarius si dolum contra probare velit, dum ne euidenter falsa sit causa ex qua literæ concessæ sunt: [13] In quinquennalibus quia maioris præiudicij sunt, probatio in contrarium admittenda est, [14] si forte creditores qui consensisse proponuntur, ficti & simulati esse dicantur, aut per vim dolumque adacti vt consenserint. [15] In annalibus non quemlibet casum allegari sufficit, sed eum qui post contractum debitum & à decennio proximo contigerit [16] citra culpam debitoris: [17] in quinquennalibus nec de damno disputatur, nec proinde quonam ex casu damnum emerserit. [18] Denique contra literas quinquennales aliæ impetrari possunt, per quas Principis beneficium ex iusta causa reuocetur, vtputa si Principi obreptum proponatur. [19] Contra annales nunquam. [20] *Ita Senatus* noster sæpius. Sine die.

1 Rebuff. *de lit. dilat. art.1. gloss.1. num.52.* post Petr. de Bell. Pert. & alios, *in l. vniuersa, C. hoc tit.*

2 *dict. l. vniuersa, cap. vniuersa, 25. quæst.2.* Rebuff. *vbi suprà.*

3 Rebuff. ibid. post gloss. *in dict. l. vniuersa, ex l. si constante, 25. §. quoties, D. solut. matr. & authent. generaliter, C. de episcop. & cleric.*

4 Rebuff. *dict. num.52.* vbi hoc refert ad consuetudinem non ad ius scriptum.

5 Masuer. *in rubric. de obligat. §. item debitor,* Rebuff. *vbi supr. num.53.*

6 *l. vlt. C. qui bon. ced. poss.*

7 Rebuff. *ibid. num.54.*

8 Bald. *in d. l. vlt. per ill. text. ex l. & suum heredem, 8. §. vltim. D. de pact.* Est enim generale, vt quando aliquid commune est pluribus vt singulis, omnes in vnum locum conuenire oporteat, & rem discutere ad hoc vt maior pars possit obesse minori, Inquit Rebuff. *dict. num.54. ex Bart. in l. omnes, 3. quæst.2. quæst. princip. De iustit. & iur.* Negat tamen Rebuff. *ibid.* hanc solemnitatem de consuetudine seruari in Gallia, vt nec apud nos seruatur, quemadmodum ait definitio.

9 Rebuff. *vbi §. num.55.*

10 Boer. *dec. 296.* post Ias. & alios *in §. vlt. de action.* Rebuff. *vbi §. num.60.*

11 *l. vlt. C. qui bon. ced. poss.* Guid. Pap. *cons. 124.* Rebuff. *num.61.* vbi tamen notat vidisse se aliquando factam cessionem post impetratas quinquennales. Citat Bald. *cons. 301. vol.5.*

12 Rebuff. *ibid. num.62.*

13 Rebuff. *num.68. ex tot. tit. si ex fals. instrum. & l. pen. C. de transact.*

14 Boer. *dict. dec. 296* Rebuff. *vbi §. num.62.*

15 Bart. *in l. si creditor per illum text.* vbi etiam glos. & Salic. *C. de fals.* Rebuff. *num.68.* vbi addit incumbere impetranti, vt probet veros esse creditores eos qui consenserunt.

16 Idem Rebuff. *vbi §. num.65.*

17 Idem Rebuff. *ibid. num.64. ex reg. Damnum, quod quis ex sua culpa, de regul. iur. in 6.*

18 Rebuff. *dict. num.64. & 65.*

19 Rebuff. *num.66.*

20 Licet contra sentiat Masuer. *in rubr. De obligat. §. item debitor,* quem refert & improbat Rebuff. *dict. nu.66.*

DEFINITIO XXII.

Dilatoriæ literæ impediunt etiam prouisionalem adiudicationem.

LIterarum dilatoriarum siue annales siue quinquennales sint, commune ius illud est, vt non solum impediant executionem, quæ alioqui ex instrumento authentico & guarentigiato fieri posset, verum etiam faciant ne pendente lite & dilatione, fiduciaria vlla, & vt iocquuntur, prouisionalis adiudicatio per iudicem fieri queat, [1] Ne alioqui eueniat, vt Principis beneficium inutile sit & sine effectu. *Ita Senatus* sæpius. Sine die.

1 Rebuff. qui à Senatu Parisiensi ita iudicatum refert, *art.1. gloss.1. De lit. dilat. num.15.* vbi obserua deesse negationem in illis verbis, *Vnde potest creditor*, Scripsit enim Rebuff. *non potest*, vt sequentia demonstrant.

DEFINITIO XXIII.

Literas status Princeps solus concedere potest, aut vicem eius gerens.

LIteras status ita dictas, quod litem in eodem statu manere iubeant, nō modo Princeps supremus concedere potest, sed etiam qui supremi Principis vice generaliter fungitur, quem nos generalem Locumtenentem appellamus. [1] Alij concedere nullo modo possunt. *Ita Senatus* sæpius in persona Amedei à Sabaudia & Ioachimi de Rie Marchionis de Treffort, qui Serenissimi Principis nostri Locumtenentes fuere. Sine die.

1 Rebuff. *de lit. dilat. artic.1. gloss.6.*

DEFINITIO XXIV.

Casus in quibus literæ status impetrari non possunt.

HViusmodi literarum impetratio etsi regulariter prohibita est, [1] quia institutam litem & actor ad finem vsque persequi, [2] & reus inuitus suscipere cogitur [3] ex causa tamen permissa est, [4] ne qui iusta de causa abesse

BIU Cujas

abesse cogitur litigare per procuratorem cogatur.[5] Excipiuntur tamen causæ quædam priuilegiatæ quæ moram non patiuntur,[6] vtputa si de momentanea possessione agatur,[7] de dote,[8] de alimentis,[9] de producendis & audiendis testibus,[10] de bonis publice distrahendis,[11] de executione rei iudicatæ,[12] de causa criminali.[13] Si denique iam alias literas idem litigator impetrasse proponatur, quarum in posterioribus non fecerit mentionem.[14] Sed & contrarias literas aduersarius impetrare aliquando potest, quas pragmatici Galli *de contr'estat* appellant[15]. *Sine die.*

1 Rebuff. *ibid. art.* 1. *gloss.* 5.
2 *Auth. qui semel, C. quomod. & quand. iud.*
3 *l. properandum, §. sin autem reus, C. de iudic.*
4 *l. interdum, 36. de iudic.*
5 Rebuff. *vbi s. gl. 2. ex not. in c. querelam de procur.*
6 *l. de pupill. l. 5. §. si quis riuos, de oper. noui nunc.* Rebuff. *artic. 3. gloss. vnic. in fin.*
7 Rebuff. *ibid. in prin.*
8 *Ibidem.*
9 *l. si longius, 28. § vlt. de iudic.*
10 *Cap. fin. §. 1. vt lit. non contest.* Capyc. *decis. 127.*
11 Rebuff. *d. gl. vnic. vers. quinto.*
12 *Ibid. vers. sexto.*
13 *Ibid. art. 3. gloss. vnic.*
14 Idem Rebuff. *art. 4. gl. vnic. nu. 4.*
15 *Ibid. num. 5.*

DEFINITIO XXV.

CONductor debitoris condemnati, licet passus sit se depositarium constitui,[1] postulante creditore in executione iudicati, quæ interdum etiam per sequestrationem fieri solet,[2] si tamen postea debitorem se ipse constituerit eius pensionis, quam locatori suo debuit, non eo magis prohibendus est quominùs rescripti annalis beneficium implorare possit, quamuis neque conductori aduersus locatorem, neque depositario contra deponentem tale auxilium competat.[3] Facta enim nouatio per delegationem & interuentum nouæ personæ[4] efficit vt iam neque conductor hic sit neque depositarius, sed merus & simplex debitor,[5] cui beneficium iuris fauorabile non est denegandum.[6] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Bouerio contra Dominicum Grena 23. Iunij 1612.

1 Vt quod debebat tanquam conductor inciperet debere tanquam depositarius. Potest enim debitum ferè quodlibet conuerti in causam depositi vt & mutui, *l. certi 9. §. vlt. l. singularia 15. D. de reb. cred. l. Lucius 24. D. depos.*
2 *l. vnic. vbi not. C. de prohib. sequestr. pecun.*
3 *Defin. 20. num. 5. & 12. s. eo.*
4 *l. 1. l. delegare 11. & pass. D. de nouat. & deleg. l. vlt. C. eo.*
5 noui scilicet creditoris cui antea nihil debuerat.
6 nec enim nouum est vt sibi noceat is qui partam & paratam ex causa iudicati persecutionem nouo contractu redigit ad initium alterius petitionis *l. minor annis 40. D. de minor.*]

TIT. X.

VT LIT. PENDENT. VEL post prouocat.

DEFINITIO I.

De attentatis ante omnia reuocandis.

ATTENTATA in præiudicium litis pendentis aut interpositæ appellationis licet verbo tantum, reuocanda sunt[1], sed ita tamen vt verbo quoque reuocari sufficiat: sin factum secutum est, facto etiam ad ea reuocanda opus est:[2] & quousque reuocata sint remorantur iudicis officium & cognitionem[3] etiam in executione iudicati.[4] Nimirum si de iis in promptu cõstet:[5] Alioqui sola eorum allegatio iudicati executionem impedire aut remorari non potest.[6] At quoniam euenit plerumque, vt qui à sententia iuste reddita temere appellarunt, attentatum querantur in spretum appellationis, vt ea ratione litem appellatoriam protrahant, æquissime apud nos inualuit, vt per attentatorum quæstionem mora nulla fiat liti principali, eodemque iudicio & iudicato omnia terminentur,[7] sed ita tamen vt de attentatis prius pronuncietur, eaque si qua sint omnimodo & ante omnia reuocentur, condemnato etiam eo, qui attentasse probatur in omne id, quod aduersarij interest: Tametsi iniusta sit appellatio & temeraria,[8] dum ne per euidentem calumniam interiecta.[9] Non enim solus collitigantis fauor elicit attentatorum reuocandorum necessitatem, sed publica quoque vtilitas, & spreta iudicis ad quem rei cognitio spectabat auctoritas, quam vindicari sane publice interest,[10] & eius maxime iudicis qui spretus est vt iurisdictionem suam tueatur.[11] Quam ob causam illud etiam recte receptum est, vt quoties attentatorum quæstio vertitur, nihil inaudito procuratore generali Senatus noster decernat, vt publicæ vtilitatis cuius ille maxime vindex est causam, attentatorum reuocatione contineri quiuis intelligat.[12] *Ita Senatus* sæpius.

1 *l. 1. & tot. tit. nihil innouar. pendent. appell. cap. dilect. de appel. cap. non solum, eod. in 6. l. 1. & tot. C. hoc tit.* [Adeò autem attentatorum reuocatio euertit omnia, vt si qua lis in præiudicium alterius per attentatum mota sit in qua interuenerit sententia à qua fuerit appellatum, reuocatis postmodum attentatis, nihil amplius super appellatione pronunciari possit, aut debeat, sed tantùm super priore lite, quia quod per attentati viam iam reuocatum est, non potest amplius per appellationem rescindi *l. nam etsi 5. D. de iniust. rupt. Ita Senatus* in causa Francisci le Blanc & R. D. Petri Gaspardi de Roncas Abbati d'Entremõs 12. Iun. 1614.]
2 *l. prout 80. D. de solut. l. nihil tam naturale, 35. de reg. iur.* Verba enim verbis dissoluuntur, *l. nisi consentiat, 14. D. de accept.* quæ vero de facto tantum processerunt: licet non de iure, reuocantur etiam de facto, Alex. *conf. 89. nu. 9. lib. 1.* Rober. Lancel. *2. part. De attent. c. 12. ampl. 17. nu. 10. & 28.*
3 Attentata enim habent vim suspensiuam Lanc. *in d. tract. priuil. 14.*
4 Frustra enim iudicis officium implorat is qui contra iudicem committit, eiusque auctoritatem spernit, *l. auxilium, 37. in fin. D. de minor.*
5 Quod nostri dicunt, Per modo constat modo agatur, *Ex l. 3. in princ. D. vt in poss. leg.*
6 Propter rerum iudicatarum auctoritatem, quam saluam esse publice interest *l. seruo 66. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*
7 Guid. Pap. *decis. 213.*
8 *Cap. non solum vbi Caneniſtæ, Extr. de appell. in 6.*
9 Calumniæ enim numquam fauendum est, *l. in summa, 63. §. 1. D. de condict. indeb. tot. tit. de calumniat.*
10 *l. non est singulis, 176. de reg. iur. l. extat, 8. D. quod met. caus.*
11 Omnibus enim magistratibus præterquam dumuiris permissum est iurisdictionem suam etiam pœnali iudicio defendere, *l. 1. D si quis ius dicent. non obtem.*
12 Est enim procurator generalis veluti oculus Senatus, & ad eum pertinet prospicere, ne quid male ac contra Senatus potissimum auctoritatem fiat.

DEFINITIO II.

Attentari posse etiam postquam in causa concluſum est.

SVnt qui putent de attentatorum iure & priuilegio quæri non posse, si quid factum sit per iniuriam vnius ex collitigatoribus lite iam ad coronidem perducta, & vt pragmatici loquuntur, posteaquam concluſum est in causa, quod eo tempore nulla amplius lis pendeat, resque iam pro iudicata habeatur.[1] Sed alio iure vtimur, quoniam verum est nihildum iudicatum esse,[2] tumque maxime offendi auctoritatem iudicis, qui de litigantium iure mox pronuncia-

BIU Cujas

turus est, cum in calculo ipso ferendæ sententiæ propria collitigatoris auctoritate factum est, quod perjudicem fieri oportuit. [3] Nec quod in litis spretum factum fuit tanquam attentatorium reuocaretur propter litem, si non iudicis potissimum coram quo lis pendet spreta auctoritas videretur. [4] *Ita tractatum est* in causa D. Marchionis de la Chambre contra Margaretam de la Chambre eius amitam, 9. Cal. Decemb. 1588.

1 Citant Doctores in Clem. *vt lit. pend.* Rot. *decis.* 25. *De re iudic. in antiq.* Ioan. Andr. *in c. 2. de ordin. cognit. Can. in c. non solum, de appell. in 6.* Paris. *cons.* 108. *part. 1.*

2 Non enim potest dici lis vere finita nisi per sententiam, & quidem quæ transierit in rem iudicatam. Lancel. *in præfat. 2. part. de attentat. cap. 4. num.* 250. ex Rot. *decis.* 10. *aliàs* 411. *Si lite pendente num. 3. vt lit. pend. in nouis*, Afflict. *decis.* 342. *num. 3. & aliis per eum citatis.*

3 *l. non est singulis*, 176. *de reg. iur. l. 1. D. quod leg. l. vni. vbi not.* C *quand. lic. vnicuique sine iudic. se vindicare.*

4 Nam qui attentat dicitur offendere eodem tempore ius, iudicem & partem, Lancelot. *in præfat. 1. part. nu.* 104. post Rot. *decis. 5. aliàs* 25. *de restit. spoliat. in nouis.*

DEFINITIO III.

De attentata iudicati executione.

IS pro quo iudicatum est si propria auctoritate bona condemnati ceperit vt sibi satisfaceret, non solum attentasse dicendus est, sed etiam furtum adeoque vim commisisse, ita vt & furti si res mobiles fuerunt, & vi bonorum raptorum actione teneatur. [1] Etsi vero huiusmodi actiones ei non competunt, cuius nihil interest, [2] nihilque interesse condemnati videtur, si quod captum est condemnationis summam non excedat, [3] nihilominus tamen reuocanda sunt huiusmodi attentata, ne alioqui impune contempta videatur auctoritas iudicis, ad quem executio sententiæ pertinebat. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *l. miles*, 6. §. *qui iudicati, D. de re iudic. l. extat.* 13. *quod met. caus. l. si quis in tantam. C. vnde vi.*

2 *l. cuius interfuit*, 10. *& seqq. D. de furt. l. 2. §. generaliter, D. vi bonor. rapt.*

3 Cum è contrario locupletior fiat qui liberatur ab obligatione, *l. si pupilli* 66. *de solut. l. species*, 11. *D. de acceptilat.*

4 *l. à Diuo Pio* 15. *D. de re iudic. d. l. miles, §. qui iudicati, eod. l. non est singulis*, 176. *de reg. iur.*

DEFINITIO IV.

Attentatorum reuocatio per exceptionem non iuris excluditur in beneficialibus, non etiam in profanis.

PEtenti reuocationem attentatorum in rebus profanis nil nocet exceptio non iuris, [1] quoniam, vt in superioribus dictum est, attentatorum reuocatio non ad ius collitigatoris duntaxat pertinet, sed ad publicam præcipue vtilitatem, [2] vt quod in spretum iudicis perperam factum est, per iudicem vindicetur. [3] Sed in beneficialibus & ecclesiasticis controuersiis aliud non immerito probatum est, [4] quod ei qui nullum in beneficio aut ad beneficium ius habet, nulla actio danda sit, ne vitiosus detur ingressus. [5] *Ita tractatum est* in dicta causa.

1 Robert. Lancel. *in 3. part. c. 24. de reo & except. contr. attent. compet. limit. 1. nu. 52.*

2 Cum in reuocatione attentatorum versetur publica vtilitas quæ est fauorabilis, quia attentare est delictum, & reipub. interest delicta non manere impunita, inquit Lancel. in præfat. *1. part. nu.* 109. post Rot. *decis. 5. alias* 433. *nota nunquid reo ad fin. vt lit. pend. in antiq.*

3 *d. l. non est singulis*, 176. *de reg. iur. l. si quis in tantam, C. vnde vi.*

4 Idem Lancel. *d. c. 24. nu. 52. & præced. à nu. 21.*

5 *Contra cap. eum qui de eo, qui mitt. in poss. lib. 6.* Rot. *decis. 2. alias* 55. *ad instantiam, vt lit. pendent. in nouis*, Lancelot. *d. cap. 24. part. 3. num. 25. & 26.*

DEFINITIO V.

Attentata per procuratorem quantumuis generalem non nocent domino.

SI quid per procuratorem attentatum sit in præiudicium litis aut appellationis, non debet ea res nocere domino, [1] qui nihil in eam rem specialiter mandauerit. [2] Mandato enim quantumcunque generali non est credendus dominus mandasse procuratori vt delinqueret; [3] delinquit autem qui attentat in spretum iudicis cuius auctoritas infringitur. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Lancelot. *in 1. part. c. 1. De attentat. à parte, num. 13. & sequen. vsque ad* 31.

2 Aliud enim esset si procurator haberet speciale mandatum ad attentandum, Aut si in procuratorio expressa essent aliqua per quæ dominus posset in pœnam incidere, & deinde fuisset adiecta clausula generalis ad omnia alia quæcunque etiam quæ speciale ac specialius mandatum requirerent. Idem Lancel. *vbi 5. nu. 32. & seqq. vsque ad* 40. ex August. Bero. *cons. 25. visis, nu. 15. & seqq. lib. 3.*

3 *l. si procurator*, & ibi gloss. & DD. præsertim Ias. *num. 4. & seqq. De condict. indeb.* Rot. *decis. 7. alias* 81. *vt lit. pend.* in nouis. *Alex. cons. 105. nu. 27. lib. 3. & cons. 17. nu. 2. lib. 6.* cum aliis citatis per Lancelot. *vbi 5. nu. 12.*

4 *Cap 1. vt lit. pend. in 6* Not. Franc. *in cap. bonæ, nu. 14. & 39. de appell.* Ægid. *decis. 18.* Rot. *decis. 5. alias* 25. *de restitut. spoliat. in nouis.* Oldrad. *cons. 206.*

DEFINITIO VI.

Attentatum dicitur quicquid in spretum iudicis factum est, licet non habuerit effectum.

ATtentatum videtur in spretum appellationis quoties post appellationem quid factum est aduersus appellantem, siue re ipsa siue verbo duntaxat factum sit; [1] Nisi quibus casibus lex prouincialis permittit quid fieri, non obstante appellatione. [2] Finge actorem pro quo in iudicio vindicationis lata fuerat sententia post appellationem à reo interpositam curasse, vt fructus à solo separarentur. Attentasse non eo minus videbitur, quod postmodum eos fructus à solo separatos à reo percipi passus sit. [3] Finge apparitorem, à quo appellatum erat, denunciasse appellanti non destitutum se ab executione. Attentatum est, licet reuera destiterit nec vltra progressus sit. [4] *Ita Senatus* bis ex tempore pronunciauit. 5. Non. Decembr. 1588.

1 De quo late Robert. Lancel. *in 2. part. c. 12. de attentat. appell. pendent. maxime nu. 13. & 14. in præfat.*

2 Vt in casibus de quibus *in l. vlt. D. de appell. recip. vel non.*

3 Quia purgatio attentatorum vltra cessionem possessione & actui attentato faciendam continet in se etiam pœnam refectionis expensarum & insuper suspensionem processus in negotio in principali, & alia de quibus Lancelot. *part. 1. cap. 1. de attent. 1. parte, nu. 51. & part. 3. c. 29. de purg. attent.*

4 Quia etiam verbo attentatur, vt dixi *Defin. 1. 5.*

DEFINITIO VII.

Attentatum dicitur, etiam si quid in odium litis fiat.

PEndente inter dominum & subditos lite ardua, cum subditi conuenissent deliberaturi qua ratione pecuniam commodius explicare possent in sumptus litis erogandam, dominus apud alium iudicem petierat & obtinuerat, vt de monopolio inquireretur, factaque inquisitione quotquot conuenerant in carceres detruderentur. Appellatione ad Senatum facta pronunciatum est, attentatum videri in præiudicium

BIU Cujas

dicium litis,[1] Propterea quod licet criminis noui persecutio nihil cum actione ciuili commune haberet,[2] in proposito tamen criminis color in litis odium quæsitus, potius quam ad vindictam publicam cœpta persecutio videretur.[3] Idque vel ex eo maxime constabat, quod probatum erat illos qui in carceres detrusi fuerant, cum paucis post diebus liti renunciassent, ex ea re liberationem fuisse consecutos.[4] *Ita Senatus* contra D. d'Introz Augustanum 3. Non. Decemb. 1588.

1 Nam sola litis pendentia facit illicitum etiam id quod alioqui esset licitum, vt pluribus & verbis & exemplis comprobat Robert. Lancelot. *in 2. part. cap. 4. De attent. lit. pendent. a npl. 1. in princ. vsque ad num. 21.*

2 *Arg. l. Papinianus, 20. D. de minor. l. fin. D. de calumn.*

3 Quamquam illa etiam, quæ lite pendente facta sunt ad tollenda scandala, dicuntur attentata & sunt reuocanda. Idem Lancelot. *d. c. 4. part. 2. ampliat. 2.*

4 Nam ex secuto euentu apparet quid antea in mente ac in proposito fuerit.

DEFINITIO VIII.

Non dicitur attentatum quod factum est ob aliam rem, quam qualis pendebat.

NOn videtur in præiudicium litis quæ coram Senatu pendebat super hereditate Titij, feciſſe, qui à iudice inferiore literas petit ad conficiendum inuentarium bonorum Sempronij licet eadem vtriusque hereditatis petendæ causa sit, & idem actor idemque reus. Cum enim aliud corpus sit, quod in iudicium nunc deducitur, alia proinde res est.[1] *Ita Senatus* in causa Petri de la Balme, 7. Id. Decemb. 1588.

1 Cui enim iudicio non obesset sententia, ei nec litis pendentia obest, *l. sed si ante, D. de except.* per quem text. ita respondit Rip. *c. 2. de except.* Ruin. *cons. 75. num. 8. lib. 5.* & alij quos refert & sequitur Lancelot. *part. 2. cap. 4. De attent. lit. pend. limit. 2. nu. 2. 3. 4. & seqq. per tot.* Atqui non obesset sententia lata de alia re, *l. cum quæritur, 12. & seqq. D. de except. rei iudic.* Ergo neque hoc casu obstabit litis pendentia.

DEFINITIO IX.

Possessor neque possessione sua priuandus est lite pendente, neque arctandus vt caueat quantumuis pauper sit; Et de sequestratione rei litigiosæ.

NVnquam priuandus est possessor commodo suæ possessionis pendente lite,[1] Nec si iam pro actore lata sit sententia à qua fuerit appellatum.[2] Quare nec locus est sequestrandæ rei litigiosæ,[3] eo solo prætextu quod restituendis fructibus qui actori adiudicari possunt, impar futurus sit possessor:[4] sicut neque ex ea causa cauere cogendus est, at ne iuratoriam quidem cautionem præstare.[5] Vno tantum casu sequestratio admitti potest, Cum vterque collitigatorum dicit se possidere, verendumq; est ne tuendæ possessionis gratia, quam sibi quisque adserit ad arma veniatur.[6] *Ita Senatus* contra D. Abbatem d'Entremons, 9. Cal. Aug. 1591.

1 *§. commodum, Inst. de interd. l. moueor, 4. C. si seruum, export. veneat.* Lancel. *part. 3. c. 24. qu. 1. nu. 38. & 69.*

2 Cum appellatio extinguat iudicatum & rem reducat ad terminos litis contestatæ, *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill. l. furt. 6. §. 1. de his qui not. infam.*

3 Non solum quod sequestratio regulariter sit prohibita, *sit. C. de prohib. sequestr. pec.* sed etiam quia sequestratio possessionis in causa profana post appellationem facta censetur attentata etiamsi fieret ad tollenda scandala. Lancelot. *in 2. part. cap. 12. de attent. appell. pend. limit. 12. num. 3.* post Afflict. *decis. 98.* & Rebuff. *in tract. de sequestr. nu. 13.* Vide Guid. Pap. *qu. 578.*

4 Nisi eo casu quo fructus à possessore dissiparentur pendente appellatione, quo casu permittitur sequestratio nõ adhibita distinctione, an possessor sit soluendo necne, quæ distinctio adhibenda esset in prima instantia. Lancel. *d. c. 12. nu. 11. & seqq.* post Aufrer. *ad Cap. Tholos. decis. 477. ex cap. vlt. de sequestr. poss. & fruct. l. imperatores, 21. §. vlt. de appell.*

5 Neminem enim suspectum sola paupertas facit, *l. suspectum, 8. de suspect. tutor.*

6 *l. si cuius, 13. §. si inter duos alios, l. æquissimum, D. de vsufr.* Sed hoc intellige si officio iudicis sequestratio fiat non ad instantiam partis, aut si fiat ad instantiam appellantis, vt concludit Lancelot. *d. cap. 12. De attent. app. pend. limit. 12. num. 22. & sequentibus.* ex Beroio *consil. 115. lib. 3.* Ne pugnet quod scripsi, *numer. 3.*

DEFINITIO X.

De executione sententiæ interlocutoriæ, quæ habet vim diffinitiuæ.

QVoties interlocutio iudicis habet vim diffinitiuæ sententiæ aut præiudicium parit in negotio principali, non licet iudici quamuis ducali à quo appellatum sit mandare illam executioni,[1] Alioqui attentasse videbitur in spretum appellationis, haud secus ac si à sententia diffinitiua prouocatum esset. Exemplum esto, si debitorem apocham proferentem iudex lite pendente condemnauerit ad solutionem additis his verbis, *non obstante dicta apocha erronea.* Nam cum de illo duntaxat quæreretur,[2] An apocha per errorem necne conscripta esset, nihil supererat de quo in principali negotio cognoscere posset iudex, qui apocham erroneam esse iam pronunciauerat.[3] *Ita Senatus* pro Iacobo Minoret & Ioanne Viuet contra Ioannem Musnier & Franciscum Paraz 15. Cal. Febr. 1589.

1 Quamuis possit iudex quilibet ex stylo nostro mandare executioni quamlibet sententiam interlocutoriam, quæ modo sit reparabilis, vt loquuntur, in definitiua: De quo vide Rebuff. *in tract. de sentent. execut.*

2 Interlocutoria enim sententia, quæ habet vim definitiuę, regulatur secundum naturam definitiuæ, Alexand. *cons. 182. in princip. lib. 6.* Socin. *in reg. 21.* Franc. *in cap. cum cessante, num. 9. vers. si vero quæritur de interlocutoria, Extr. de appellat.* Matthesil. *singul. 39.*

3 Et ita officio suo functus fuerat siue bene siue male, *l. index posteaquam, 55. D. de re iudicat.*

DEFINITIO XI.

Non attentat, qui iure suo vtitur.

ATtentare in præiudicium litis non dicitur, siue de profana re agatur, siue de Ecclesiastica, qui pendente lite possessionem suam tuetur,[1] aliterve iure suo vtitur.[2] Itaque si quis effregerit obiectas ab aduersario seras insulæ, in cuius possessione iam petierat se retineri, deliquisse non videbitur. Neque enim sibi ius dicit, aut aduersarium spoliat, qui suam continuat possessionem.[3] Idque indubitatum est si de possessione appareat, puta si locatori res sit cum conductore, qui nec dominij nec possessionis quæstionem referre potest.[4] Sed tamen obseruare diligenter debet qui possidet, ne quid per apertam vim moliatur aut per tumultum. Alioqui publicæ vtilitatis ratio faciet, vt id ante omnia sit vindicandum.[5] *Ita Senatus* pro D. du Bois Canonico Sanctæ Capellæ Camberiensis, contra Ioannem Borget ex tempore 9. Calend. Febr. 1589.

1 Robert. Lancelot. *in 2. part. cap. 4. De attent. lit. pendent. limit. 1. per tot. ex cap. 1. vt lit. pendent.* Idque est quod dici solet continuantem non attentare, Per gloss. magistr. *ad med. in cap. non solum de appell. in 6.* & Clement. 2. *vt lit. pend.* Rot. *decis. 10. alias 89. de appell. in antiq. & decis. 43. alias 321. eodem tit. in nouis, & decis. 44. alias 344. eod. titul.* AEgid. *decis. 701.* & aliis pluribus, quos congerit Lancelot. *dict. Limitat. 1. numer. 2. & 3. & alibi sæpe.*

2 *l. nullus videtur, 55. de reg. iur.*

3 Imo desiperet si à possessione sua desisteret, Inquit Ægid.

BIU Cujas

d.decis.701.incip.si possessor. Lanfr.decis.447.incip.possidens. Capyc. decis.71.num.2.

4 l.si quis conductionis 25.C.de locat.

5 Ne maioris tumultus occasio detur, l.non est singulis 176. de reg.iur.

DEFINITIO XII.

De executione interlocutoriæ non obstante appellatione, & de priuilegio iudicum maiorum.

QVoties ab ea interlocutione appellatum est, quæ per diffinitiuam sententiam aliamve subsequentem reparari potest[1], non videtur iudex in præiudicium appellationis attentare, si quod interlocutus est exequatur non obstante appellatione,[2] dummodo eam legem subiiciat ne quod appellationi præiudicium fiat:[3] præterquam si interlocutio condemnationem contineat quam prouisionalem vocant. Solis enim iuridicis maioribus & Principalibus datum est, vt huiusmodi interlocutionem à qua prouocatum sit exequi possint.[4] Vide Defin.2. De sent.& interl.omn.iudic.

1 Quænam vero sententiæ interlocutoriæ reparari possint in diffinitiua,& quæ non possint, vide apud Rebuff. *in tract. De sentent.execut.* Lancel. *part.2.cap.2.limit.1.num.*100. *& seq.vsque ad num.*106.

2 Quoniam ita facit lege permittente & ex stylo Senatus nostri.

3 Semper enim hæc exceptio subiicienda est, cum hodie appellationes omnes admittantur, etiam quæ olim non admittebantur, vt *in l.vlt.de appel.recip.* nisi quod non semper executionem remorantur.

4 Et consequenter fuit hoc aliis denegatum, *arg.l.cum præsor 12. De iudic.*

DEFINITIO XIII.

Appellatio non impedit executionem sententiæ quæ per diffinitiuam emendari potest in iis, quæ ad litis ordinationem spectant.

MVlto minus attentare dicetur iudex, qui post interiectam appellationem ab interlocutione iubeat mandari interlocutionem executioni, non obstante appellatione & citra eius præiudicium tamen, si eiusmodi executionis effectus per eum iudicem qui de appellatione cognoscet nullo appellantis incommodo rescindi possit.[1] Finge admisso actore ad probandam intentionem suam, reum frustrandi causa prouocasse. Non eo minus iubere iudex poterit vt testes audiantur. Maius enim periculum est ne probationes pereant si appellationi friuolæ deferatur,[2] quam ne iniuria fiat appellanti si ad testium auditionem procedatur, cum testationes non prius aperiri oporteat, quam super appellatione pronunciatum sit.[3] Quo remedio perinde manent omnia integra ac si nulla interlocutionis executio secuta esset,[4] *Ita Senatus* ex tempore 3. Non. Decembr.1589.

1 Nam si grauamen esset quidem reparabile sed cum magna difficultate, non posset procedi pendente appellatione citra attentatum: Lancelot. *part.2.cap.12. De attent.appel.pen.limit.1.nu.*104. post Bart. *ad l.1.§.quæsitum, de appell. & in l.2.de app recip.*

2 Curare enim debet magistratus vt rerum probatio salua sit, *l.curent 22. D.de probat. l.in lege 40. vbi est text. elegans D. ad leg. Aquil.*

3 Ne fiat præiudicium liti appellatoriæ, vide *Defin.22.*].

4 *d.l.in lege in fin.* Facilius enim est factum vt habeatur pro non facto, quam non factum pro facto.

DEFINITIO XIV.

De inuentario conficiendo non obstante appellatione, vocatis tamen omnibus iis quorum interest.

IDem est si iudex inuentarium confici iusserit, & ab eo iussu prouocatum sit. Nullius enim præiudicium est inuentarij confectio[1] dum ne agatur de instrumentis describendis aut legendis aut annotandis, per quod fiat vt secreta patrimonij pandantur.[2] Illud tamen districte obseruandum est, ne vnquam iubeat iudex vel patiatur fieri inuentarium nisi vocato saltem ad confectionem eo, cuius interest, quique ex ea confectione lædi fortasse posset.[3] *Ita Senatus* in causa Petri Mermier & N.Porterat 4.Calend. Iulij 1591.

1 Imo tendit ad faciliorem exitum appellationis, & ideo non potest videri attentatum. Per ea quæ tractat Lancelot. *part.2.c.12.limit.12.nu.38.& limit.4 in prin.*

2 Nam si secreta patrimonij per inuentarium panderentur nimis pars læderetur, ac proinde dicendum esset attentatum & reuocandum, *Ex not in l.2.C.de alim. pupil.præst. & in l.mercatores, C.de commerc.& merc.* Iacob.Henrici cons.4. *concl.11. nu.36. seqq.lib.1.*

3 *l.nam ita 39.D.de adopt.l.de vnoquoque, 47.D.de re iudic.* Aliud est in sequestro, in quo non semper pars citanda est, v.puta si sit periculum in mora: Lancelot. *vbi s.d limit.12. num.31.* post Cuman. *cons.157.& Ruin.cons.174.nu.16.lib.1.*

DEFINITIO XV.

Quando vna appellatio sufficiat pluribus interlocutionibus de eadem re redditis.

SI duæ ab eodem iudice de eadem re interlocutiones diuersis temporibus redditæ sint, & à posteriore sola prouocatum, potest iudex non obstante appellatione iubere, vt prior mandetur executioni,[1] nec eo magis attentasse dicendus erit in spretum appellationis, quoniam id postulat auctoritas rei iudicatæ.[2] Nimirum si posterior sententia siue interlocutoria siue diffinitiua in omnibus & per omnia priori conueniat aut minus plena proponatur.[3] Alioqui si prior conditionem aliquam habuit, quæ non nisi post latam posteriorem impleta sit, posterior vero nullam, sufficiet appellatum esse à posteriori, vt iudex qui priorem exequi non destiterit, attentasse videatur.[4] *Ita Senatus* ex tempore 7. Calen. Iul.1591.in ea causa de qua SC.22. infra de appellat. & relation.

1 A qua scilicet non proponitur appellatum.

2 Vt executioni mandetur, *l.seruo 65.§.cum prætor.D.ad SC. Trebell.& tot.tit.C.de execut.rei iudic.*

3 Sibi enim debet imputare qui ab vtraque sententia cum posset non appellauit.

4 Quia hoc casu prior sententia videtur contineri in posteriore virtualiter, vt loquuntur, non posterior in priore, & quæ plenior est tollit minus plenam, *arg.l.debitori 50.D.de fideiuss.l.si reus 13.D.de duob.reis.* Vide tamen Guid.Pap. *qu.74.& seq.*

DEFINITIO XVI.

Attentatorum reuocatio facienda non est, si citra euidentem iniuriam fieri non possit.

ATtentatorum quidem ratio habenda imprimis est, vt quicquid in spretum superioris iudicis ad quem appellatum est ab inferiore factum constabit,[1] ante omnia in pristinam causam restituatur, tametsi fortasse iniquum sit quod inferior iudex decreuerit.[2] Possunt enim sic attentata restitui, vt tamen quod inique decretum fuit nullam habeat executionem,[3] Condemnato nimirum eo qui attentasse reperitur in omne id quod aduersarij ex ea causa interest: in quo etiam expensæ, si quæ ob id factæ sint, continebuntur.[4] Sed si attentatorum restitutio non aliter fieri possit, quam vt iniustum inferioris iudicis decretum iniuriosam habeat executionem, æquissimum est, præsertim si apud Senatum agatur, attentatorum rationem nullam haberi,[5] & ita Senatusconsulti verba concipi,

suns

BIU Cujas

sans s'arrester aux attentats. Ita Senatus pro vniuersitate de Neufuille les moines, contra Syndicos de Chastillon, 8. Calend. Septemb. 1592.

1 Nam & à iudice inferiore attentari potest perinde atque ab ipsa parte, Lancelot. 1. *part. cap. 2. De attent. à iudic.*

2 Et à quo fuit appellatum.

3 Quanquam nec nouum est, vt etiam iniusta decreta mereantur executionem propter rerum iudicatarum auctoritatem, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

4 Sic enim fit attentatorum purgatio. Lancelot. *part. 1. cap. 1. de attent. à part. nu. 51. & part. 3. cap. 29. De purg. attent.*

5 Ne iniuriarum occasio inde proficiscatur vnde iura nascuntur, *l. meminerint, C. vnde vi, l. 1. C. de legib.*

5 Quibus verbis non pronunciatur attentatum esse vel non esse, *l. quod in diem 7. §. 1. de compens. l. si autem 8. §. si quocunque modo. De negot. gest.*

DEFINITIO XVII.

De specialibus inhibitionibus pendente appellatione pro appellante decernendis.

NOn solet Senatus noster inhibitiones, vt vocant, speciales petentibus iis, qui appellarunt, citra causæ cognitionem concedere.[1] Ne alioqui hoc ipso super ipsa appellatione ius dicere aut pro ea saltem præiudicium facere videatur. Causæ autem cognitio in eo potissimum versatur, An in spretium & odium appellationis quid factum sit: Quo casu etsi quod male & attentatorie factum est non prius irritum fieri debet quam super appellatione pronuncietur,[2] ne quid tamen eiusmodi postea fiat specialiter inhibendum est.[3] Sed cum ab executione iudicati condemnatus debitor appellasset, propterea quod iam à se solutum diceret quicquid deductum fuerat in condemnationem,[4] nec eo minus vrgente victore apparitor ad exequendum datus pergeret exequi,[5] Senatus visis apochis publica fide subnixis audito etiam victoris procuratore nihil in promptu quod mouere Senatum posset allegante, non dubitauit quin speciales illæ inhibitiones condemnato concedendæ essent, quippe quem post solutionem, de qua primo intuitu constabat, vexari iniquum videretur.[6] Quòd si per priuatas tantum scripturas probata solutio fuisset,[7] vel victoris procurator audiri non potuisset, non tam facile Senatus ad eas inhibitiones concedendas descendisset.[8] *Ita Senatus* in causa Claudij Deleyax Aduocati & R. D. Claudij de la Couz, Abbatis d'Ambournay, 6. Cal. Sept. 1592.

1 Etsi enim iudex appellationum ex quo recipit appellationem potest inhibere verbis & terminis, vt aiunt, generalibus, ne quid fiat in præiudicium appellationis etiam non citata parte (nam simul cum citatoriis literis huiusmodi inhibitoriæ expediuntur) non tamen potest inhibere specialiter ne hoc vel illud fiat nisi causa cognita. Lancelot. *part. 2. cap. 20. de attent. post inhibit. in præfat. quæst. num. 115. 119. & seqq.* Guid. Pap. *qu. 436. qu. 52. numer. 59.* Maxime si inhibitio fiat ad instantiam partis. Lancelot. *ibid. num. 221. & seqq.* licet videatur in toto illo tractatu loqui de inhibitione facienda verbis generalibus.

2 Aut saltem super attentatis, ac proinde audita parte & cum plena causæ cognitione, quando reuocatio attentatorum fit ad instantiam partis, Lancelot. *part. 3 cap. 25. de process. in caus. attent. nu. 33. & seqq. ex not. in clem. sæpe de verb. signific.*

3 Melius enim est ab initio intacta appellantis iura seruare, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. vlt. C. in quibus caus. restit. in integr. non est necess.*

2 Siquidem etiam in executione iudicati potest allegari exceptio solutionis, vt nemo nescit.

5 Eo prætextu quod nudus & merus executor non habet causæ cognitionem, sed tantum exequendi facultatem *Not. in l. ab executione, 5. C. quor. appell. non recip. l. 4. D. de appellat.*

6 Bona enim fides non patitur vt idem bis exigatur, *l. bona fides 57. de reg. iur.*

7 Quæ nullam fidem faciunt nisi recognitæ, *l. cum ab initio, 4. & seq. D. testam. quem. aper.*

8 Nullum enim iudicium est tam summarium in quo non sit pars citanda. *Alex. cons. 42. num. 4. lib. 4. post DD. in d. clem. sæpe, de verb. signific.*

DEFINITIO XVIII.

Inhibitionibus specialibus pendente appellatione locus est ad impediendam executionem euidenter iniuriosam.

CVm manifestissimi iuris sit, In executione sententiæ quæ aduersus capitulum ecclesiæ lata fuerit, non posse capi bona quæ sunt ex proprio singulorum canonicorum patrimonio,[1] Non abs re Senatus noster cum ex executoris relatione ita factum esse constaret,[2] appellanti canonico speciales inhibitiones pendente lite concessit, ne capta eius bona pro capituli debito distraherentur.[3] Sic in relationibus libellorum pro R. Francisco Courtois Decano capituli Meximiacensis 3. Id. Ianuar. 1593.

1 Quia quod vniuersitas capituli debet, non debent singuli de capitulo. Nec condemnato capitulo canonicorum, singuli canonici possunt dici proprio nomine condemnati, *l. sicut l. 7. §. 1. D. quod cuiusque vniuersi nomin.*

2 Quæ relatio sicut & executio ipsa facta erat ad instantiam creditoris contra quem inhibitiones speciales petebantur, & erat probatio probata quam aduersarius nondum citatus impugnare non potuisset nisi per viam falsi.

3 Non enim alieno odio debet alius prægrauari, *l. si quis suo 33. §. 1. C. de inoffic. testam. & tot. tit. C. ne filius pro patre. Et ne vxor pro marit. l. à Diuo Pio 15. §. si rerum, & §. sed vtrum, de re iudic.*

DEFINITIO XIX.

De priuilegio debiti pro publicis oneribus exigendi.

NOn dicitur vniuersitas attentare in præiudicium litis apud Senatum pendentis, si ex mandato inferioris iudicis aduersus plebeios pro publicorum onerum contributione impetrato aliquid exigat ab eo qui se nobilem dicebat,[1] cum plebeium & ignobilem eum esse vniuersitas contenderet. Prius enim pronunciandum est an plebeius sit an nobilis, quam sciri possit vtrum contribuere cum plebeiis debeat necne:[2] Quo pendente & incerto; non debet prohiberi vniuersitas, quæ in exigendi quasi possessione est, quo minus iure suo vtatur.[3] Nec quod lis de ea re in Senatu tractabatur, facere potuit, vt non debuerit iudex inferior, cuius prima notitia fuit literas generales concedere vt aduersus singulos protenderetur, quorum ratione lis nulla pendebat.[4] Neque rursus ab executore appellari poterat, cum mandati fines non excessissent,[5] tametsi neglecta intercessione aut appellatione cœptam executionem peregisset, si hoc ipsum iudicis mandato continebatur, propter debiti fortasse fiscalis priuilegium.[6] Plane si ex euentu litis apparebit, nobilem fuisse eum, qui plebeius dicebatur, ideoque nec ab eo exigi quicquam potuisse, condemnanda erit vniuersitas vt restituat quicquid exegerit: Interdum etiam cum expensis si iusta litigandi causa non fuit.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et consequenter immunem à contributione tributorum & subsidiorum, quæ Principi à solis plebeiis & ignobilibus debentur ex edictis sereniss. morum Ducum Sabaudiæ.

2 Quia causa status præiudicialis est & ideo prius examinanda, *l. 1. C. de ordin. iudic.*

3 *l. motuor 4. C. si seru. export. veneat.*

4 Non enim attentare dicitur iudex qui aliquid decernit contra eum qui non est in lite, Lancelot. *part. 1. cap. 3. de attent. à tertio num. 61.* post Ægid. *decis. 749.* Achil. *Decis. 6. de attent.* Pelleg. Fab. *decis. 96.*

5 *l. ab executore 4. D. de appell. l. ab executione 5. C. quor. appel. non recip.*

6 Debita enim fiscalia nullam moram patiuntur, & priuilegium habent vt non obstante appellatione interim exigi possint, licet extra hanc causam fiscus non habeat priuilegium in-

BIU Cujas

nouandi appellatione pendente Lancelot. *part.2. cap.12. De attent.appel.pend.ampliat.4.nu.6.*

7 *l.qui solidum 78.§.etiam de leg.2.* & ibi Bart.

DEFINITIO XX.

Attentatorum reuocatio in quacunque litis parte peti potest: Quinimo allegata esse sufficit.

SI quando in spretum litis aut appellationis[1] attentatum proponatur,omnimodo id vindicandum est, etiamsi aduersarius cuius interest vindicari non id petierit in libelli conclusione,[2] dummodo per media, vt aiunt,litis conquestus sit[3] de attentatis,deque iis appareat ex actis & instrumentis litis.[4] *Ita Senatus* in ea causa,de qua SC.8.De arbitr.

1 Nam attentatum est siue lite siue appellatione pendente quid fiat in præiudicium litis vel appellationis,Lancel.*in tract. de attentat.in præfat.1.part.maximè à num.52.vsque ad 60.*

2 Nam nec libellus requiritur in reuocatione attentatorum, vt nec alias quoties sufficit iudicis officium implorari, Lancelot.*part.3.cap.25. de proces.in caus.attent. num.10.11.12. & seqq. Ex gloss.in clem.2.in princip.vt lit.pend.*Lanfranc. *decis.362.* & aliis ibi citatis.

3 Nam qualis qualis saltem petitio reuocationis attentatorum est necessaria,vt concludit Lancelot. *vbi 3.nu.14.15. & 16.*

4 Sunt enim attentata semper probanda & nunquam præsumenda,nunquam supplenda cum sint odiosa, Lancelot. *dict. part.3.cap.26.De probat.attentat.*

DEFINITIO XXI.

Appellatio debitoris non impedit executionem contra fideiussorem eadem sententia condemnatum,nec appellatum.

EAdem sententia principali debitore & fideiussore condemnatis,debitor appellauerat tacente fideiussore. Non idcirco in spretum appellationis attentasse creditor videbitur,quod aduersus fideiussorem non destiterit agere ex iudicato:[1] tametsi futurum sit vt exacto fideiussore debitor ipse per consequentias inquietetur.[2] Salua siquidem debitori erit exceptio ad imputandum fideiussori,cur soluere aut iudicato stare quam appellare maluerit,cum principalis ipse debitor appellasset,[3] si iusta appellandi causa fuit.[4] Alioquin dicendum erit cogendum omnimodo fideiussorem hunc vt appellet,si nec volenti sibi liceat renunciare liti & soluere: quod tamen fuerit iniquum.[5] Quid enim si sciat deberi id quod petitur,[6] malitque soluere quam diutius vexari sumptib. inanibus,[7] quos fortasse ab inope debitore non tam facile postea sit repetiturus?[8] Vt taceam ipsius quoque interesse ne sumptus in litem necessarios de suo proroget potius quam vt eos postea repetat.[9] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio Prid. Idus Februar. 1594.

1 Nam cùm hoc casu nulla sit lis contra fideiussorem post latam sententiam diffinitiuam, quæ transiit in rem iudicatam, quod ad eum pertinet,non potest dici attentatum, per ea quæ dixi *Def.2.num.2. & Defin.19.num.4.3.*

2 *l.cum lex 46.D.de fideiuss.l.5.de lib.legat.cum similib.*

3 Potuit enim appellatio debitoris prodesse fideiussori si fideiussor voluisset, *l.si fideiussor 29.D.mandat.*

4 Hoc enim cogitur probare debitor si quid velit imputare fideiussori, *arg.l.si ideo 55.cum ibi not.D.de euict.*

5 Id namque est quod dici solet, iudicia omnia esse absolutoria si is qui conuenitur sit paratus soluere,§.*vlt.inst.de perpet. & tempor.action.*

6 Non enim prohibetur fideiussor agnoscere bonam fidem, *d.l.si fideiussor.§.quædam, D.mand.l.quoties 9.§ sicut D.de administ. tutor.*

7 Execratione litium & redimendæ vexationis gratia, *l.4. §.1.de alien.iudic.mut.caus.fact.l.minoribus 6.D.de minor.*

8 Inanis enim est actio quam debitoris inopia eludit, *l.nam is 6.D.de dolo.*

9 Interest enim cuiuslibet non soluere potius quam solutum repetere, *l.3.D.de compensat. l.si stipulatus 15.D.de fideiussor.*

Vide tamen in hanc Definitionem & cogita an obstent quæ tractat Robert.Lancelot.*in 1.part.cap.3.D.de attent.à tertio, limit. 7.num.55.vsque ad num.68.*

DEFINITIO XXII.

De testibus non obstante appellatione audiendis.

AB interlocutione iudicis qui vnius ex collitigatoribus articulos reluctante aduersario ad probandum admiserat,aduersarius prouocauerat. Non eo minus super iis articulis pendente appellationis causa testes audiri poterunt ad futuram rei memoriam,[1] quod ea ratione præiudicium appellationi fieri videatur.Potest namque probatio illa commode admitti salua appellationis instantia.[2] Nimirum vt si bene iudicatum pronuncietur, testationum fides subsistat, Sin male iudicatum,forte quod articuli tales essent,& tam inepti vt eorum probatio recipi non deberet, testationes pro irritis & non factis habeantur.[3] Interea igitur & in dubio probationibus tanquam fauorabilissimis succurri æquum est ne pereant,[4] quod sit multo facilius testationes scriptas pro non scriptis habere quam non scriptas pro scriptis. *Ita Senatus* in relationibus libellorum & rescriptorum 7.Calend.Iulij 1594.

1 *Vt in l.in lege 41.D.ad leg.Aquil.Not.in cap.quoniam frequenter.Extrau..vt lit.non contest.cap significauit.41.Extr.de testib.*

2 Et est reparabilis per sententiam definitiuam.Dixi *Defin. 12.& 13.supr.*

3 *d.l.in lege.in fin.*

4 *l.cum nos 22.D.de testib.*

DEFINITIO XXIII.

De executione prouisionalis sententiæ post diffinitiuam redditam.

SEntentia prouisionalis, quæ statim mandari executioni potuit,non obstante appellatione,[1] non eo minus executionem merebitur quod à diffinitiua sententia,per quam confirmata est, fuerit prouocatum.[2] Extincta enim per appellationem potestate diffinitiuæ sententiæ,[3] sola supereſt prouisionalis quæ pristinas vires suas retinere,& exerere possit.[8] Non idem tamen erit,si is qui pendente lite vicerat postmodum diffinitiue fuerit condemnatus.[5] Hic enim quantumuis à diffinitiua condemnatione prouocet, facere tamen non potest,vt quod iudex per interlocutionem iusserat,contrario imperio prorsus sublatum non videatur.[6] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC.34.infr.De execut.rei iudic.

1 Nempe si lata sit à iuridico maiore secundum eam distinctionem,quam posuimus *Defin.12.3.*aut ab eo qui Iuridicorum maiorum habeat priuilegia, quomodo habet Consilium Gebennense.

2 Sic enim plerunque euenit vt prouisionalis sententia per definitiuam confirmetur,tum à definitiua prouocetur.

3 Quandoquidem appellatio extinguit iudicatum, *l.1.§.vlt. D.ad SC.Turpill.l.furti 6.§.1.de his qui not.infam.*

4 Nemo enim dixerit ob id solum minoris potestatis esse debere prouisionalem sententiam,quod per definitiuam fuerit confirmata,*arg.l.3.in princip.D.de vsur.*

5 Ex nouis nimirum probationibus post prouisionalem sententiam allatis.

6 *l.quod iussit 14.vbi notat.D.de re iudicat.*

DEFINITIO XXIV.

Attentatorum ex appellatione emergentium ratio nulla habetur facta commutatione appellationis in intercessionem.

QVod attentatum est in præiudicium appellationis, desinit esse attentatum si appellatio ex rescripto Principis conuertatur in oppositionem, vt pragmati-

BIU Cujas

gmatici loquuntur, quia perinde est ac si nunquam appellatum fuisset,[1] Proinde nec vindicandum est.[2] *Ita Senatus* in causa Petri Soreley, & Mariæ Guichard Augustanorum Id. Sept. 1593.

1 Est enim ea vis rescripti vt appellationem redigat ad non appellationem, eamque commutet in oppositionem. Denique tollit intellectum appellationis, vt loquitur Papinianus, *in l. si patroni* 55. *§. vlt. D. ad SC. Treb.*

2 Quasi cessante causa *cap. cum cessante Extr. de appell.* quandoquidem non alia ratio erat vindicandorum attentatorum, quam quod in spretum appellationis facta essent. Itaque hoc casu purgantur quodammodo per rescriptum Principis non principaliter sed per consequentiam.

TIT. XI.

SI CONTRA IVS VEL vtilitat. public.

DEFINITIO I.

De rescriptis contra ius gentium aut ciuile concessis.

ETsi de suprema Principis potestate dubitare sacrilegio proximum quid esse creditur: Quia tamen digna Principis vox est legibus alligatum se potius quam solutum profiteri,[2] non absre Imperatoribus placuit, Rescripta, quæ contra ius vel vtilitatem publicam impetrata sint perinde haberi, ac si nec concessa essent,[3] Quasi circumuenta per obreptionem aut imprudentiam religione Principis, qui nec voluisse vnquam credendus est, quod iuste velle non potuit.[4] Idque Principum nostrorum, vt optimi omnes iurisque religiosissimi fuerunt, mandatis plerisque nominatim constitutum est, vetitumque iudicibus ad quos eiusmodi rescripta fiunt, ne si quam subesse iniquitatem animaduertant, eorum auctoritate moueantur, tametsi & Principis & Cancellarij, ad cuius præcipue curam ea res pertinet,[5] subscriptione munita sint. Ea vero maxime rescripta contra ius esse censentur, ex quibus alicui iniuria inferatur,[6] quod vix est vt non eueniat quoties alteri iam quæsitum ius aut inuito aut etiam ignoranti adimitur:[7] nisi priuatam illam iniuriam publicæ vtilitatis fauor extorqueat & emender.[8] Illa tamen distinctio necessaria est quam & magistri nostri omnes probant,[9] Vt iuri quæsito ex ea causa quam ius gentium induxerit veluti ex iusto legitimoque contractu derogare Princeps nequeat, si nulla ratio vrgeat, ne ex plenitudine quidem potestatis[10] citra iniuriam, Possit autem iuri quæsito per actus ciuiles, vtputa per sententiam, vsucapionem, præscriptionem, & alios, si qui sunt similes, siue commune ius illud, siue statutarium & municipale, siue ipsius Principis auctoritate constitutum:[11] Cuius distinctionis ratio illa affertur, quod ius gentium naturali ratione stabilitum sit immutabile, Ciuile vero pro legislatoris aut populi arbitrio mutabile,[12] & consequenter ad nutum supremi Principis, qui solus inter suos legislator est, translato ei & in eum per legem regiam omni iure, quod alioqui populus esset habiturus.[13] Inde fit quod dicimus Principem supra leges esse, tametsi legibus solutus esse nolit.[14] Adeo vt nec sibi legem contrariam possit edicto dicere.[15] *Ita Senatus* in causa N. Francisci Denarie contra Bartholomæum de Valon 8. Idib. Aug. 1588.

1 *l. 2. C. de crimin. sacrileg. l. sacrilegii, C. de diuers. rescript.*
2 *l. digna vox* 4. *C. de legib. Andr. Fachin. lib. 1. cap. 2.*
3 *l. 2. l. vlt. & pass. C. hoc tit.*
4 *Argum. leg. si quando* 35. *Cod. de inofficios. testament. l. omnium,* 19. *C. de testament. l. Nepos Proculo. de verb. significat.* [Vnde est quod si quid durius & seuerius à Principe rescriptum sit non statim parere magistratus debeat, sed triginta dies expectare, intra quos sperandum est bonum Principem de ea seueritate aliquid relaxaturum *l. si vindicari* 20. *C. de pœn.* vbi est text. in hanc rem singularis.

5 Ex eo namque Cancellarius dicitur quod ad eius officium spectet vt literas omnes cancellet, quas videt contra ius esse vel contra publicam vtilitatem.

6 Non enim iuris ratio patitur vt inde nascatur occasio iniuriæ vnde iura oriuntur.

7 *l. nec aurus* 4. *C. de emancip. lib. l.* 2. *§. si quis à Principe. D. ne quid in loc. publ. l. quoties,* 3. *C. de precibus Imp. offer. vul. l. id quod nostrum,* 11. *de reg. iur.*

8 *l. item si verberatum,* 15. *§.* 1. *vbi DD. de rei vindic. l. Lucius,* 11. *D. de euict.*

9 *DD. late ad leg. vlt. C. hoc tit.*

10 Quam vulgo absolutam potestatem vocant, alij non male tyrannidem, aut plenitudinem tempestatis, vt ex Baldo, Crauetta & aliis loquitur Anton. Tess. *Decis. Pedemont.* 91. *nu.* 1. Talem certe nullam in bono Principe agnoscit Didac. Couar. *lib.* 3. *var. resol. cap.* 6. *num.* 6.

11 Id enim est quod dici solet, Principem posse dispensare contra ea, quæ sunt iuris positiui, quia ipse supra ius positiuum est, *cap. proposuit de concess. præb.* Crauet. *late de antiq. temp. par.* 1. *sect.* 1. *num.* 38 Natt. *cons.* 367. *lib.* 2.

12 *§. Sed naturalia Inst. de iur. nat. gent. & ciuil.*

13 *l.* 2. *§. igitur constituto Principe, & §. quod ad magistratus, D. de orig. iur.*

14 *d. l. digna vox l. ex imperfecto, C. de testam. cap. quæ in ecclesiarum de constit.*

15 *Arg. l. si quis in principio de legat.* 2.

DEFINITIO II.

Princeps laicus monachalem præbendam concedere præsertim laico non potest.

NOn licet Principi monachalem præbendam laico inter monachos concedere ex causa qualibet, id est, quantumuis remunerationis color quæratur:[1] Nisi hoc saltem onere adiecto, vt cum monachis aut certe in ipsis monasterij claustris moretur is, cui præbenda indulgetur.[2] Pertinet enim ea res & ad ecclesiæ dignitatem, & ad publicam honestatem, adeoque vtilitatem. Ac quemadmodum publice interest vt ecclesiastica beneficia clericis sine vlla diminutione conferantur:[3] Ita & ne per laicos, præsertim secularem vitam agentes vllo modo possideantur.[4] *Ita Senatus* in causa N. Vernat & Abbatis Sancti Sulpitij Prid. Id. August. 1592. Cum tamen Abbas ille male consultus centum florenos annuos pro præbenda quæ longe pluris erat, obtulisset (veritus fortasse, ne si omnino denegaret, Principem offenderet) neque aduersus eam oblationem impetrasset in integrum restitutionem, condemnatus est vt oblatam pensionem à die oblationis persolueret, ac in posterum præstaret. Neque enim aliter ius dici potuit inter consentientes.[5]

1 Non enim de negotiis & reb. ecclesiasticis disponere Princeps laicus potest, *cap. tuam, de ord. cognit. cap. lator. qui filij sint legit. cap. generali & cap. quia sæpe, de elect.*

2 Vt quemadmodum hoc onere adiecto libertas eius quodammodo infringitur, *l. Titio centum,* 71. *§. Titio centum de cond. & demonst.* ita monacho similis videatur.

3 *Tot. tit. Vt benef. eccles. sine diminut. confer.*

4 *Cap.* 2. *Extr. de instit.* licet videatur distinguenda præbenda à beneficio. Præbenda enim consistit in temporalitate, Ius vero beneficij in spiritualitate, vt tractat Boer. *quæst.* 171. *num.* 4. *ex notat. in cap. cum Martinus, de constit. & in cap. maioribus. De præb. cap. causam de præscript.*

5 *l. si conuenerit,* 26. *D. de re iudica. l. vt fundus D. comm. diuid.*

TIT. XII.

DE DIVERS. RESCRIPT.

DEFINITIO I.

De clausula, Motu proprio.

BIU Cujas

CLAVSVLA, Motu proprio, licet maximæ & præcipuæ sit potestatis in eo præsertim quod tollit vitium omne obreptionis & subreptionis,[1] ius tamen alteri quæsitum non adimit,[2] quoniam ita semper interpretanda sunt beneficia principalia vti ne cuiquam iniuria inferatur.[3] *Ita Senatus* in causa Illustrissimi Dom. Vincentij Laurei Cardinalis du Montdeuis & Reuer. Petri Coyet de Prioratu Nantuaci 17. Calend. Mart. 1589.

1 *Cap. si motu proprio de præb. in 6.* Stafil. *in tract. de lit. gratio. in rubr. subreptio.* Rebuff. *in prax. benef. in form. prouis. simplic. part. 3. nu. 17. & in form. mand. de prouid. in verb. motu proprio, Et in verb. pro expressis.*

2 *d. cap. si motu.* Bald. *in cap. ad audientiam, de rescript.*

3 *l. 2. §. merito & §. si quid à Principe, D. ne quid in loc. public. l. rescripta 7. C. de precib. Imp. offer. l. si priuatus, 17. D. qui & à quib. man. Not. in cap. ab eo de elect. in 6. in l. vlt. de pact.* Bald. *in l. 1. de constit. Princ. & in cap. super eo de offic. deleg. Repetitum est hoc SC. Defin. 22. 3. de sacros. eccles.*

DEFINITIO II.

De Principe contraria rescribente.

SI quid summus Pontifex aut alius Princeps rescripsit contra quam iam ante rescripserat aut aliud quid fecerat, præsumitur circumuentus,[1] nec doli suspicione caret is qui rescriptum impetrauit.[2] Beneficium namque Principis decet esse mansurum, neque facile credendus est Princeps liberalitatem contulisse cuius postmodum pœniteat.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. cap. cum olim vers. archidiaconatum de sent. & re iudic. l. prædia.* vbi Bart. C. *de locat. præd. ciuil. lib. 1. tit. 70.*

2 Intellige si sciuit prius rescriptum.

3 *Nouel. 81. constit. quæ dignit. & episcop. §. illud, cap. dudum, 2. de elect. cap. ex literis & cap. postulasti de rescript. can. quod bene semel 6. qu. 4. can. institutionis & can. si ea 25. qu. 2.*

DEFINITIO III.

Quænam rescripta non nisi in magna Cancellaria debeant expediri.

REscripta, per quæ princeps expressim & specialiter huic aut illi Statuto vel edicto, aut styli practici articulo derogat, non possunt à Procancellario expediri, quoniam expressa Principis voluntate & subscriptione indigent,[1] ideoque ad magni Cancellarij pertinent auctoritatem. *Ita Senatus* in relationibus libellorum 16. Cal. Iul. 1590. & alias sæpius.

1 *l. 1. vbi Bart. & omnes notant* C. *de legib.* Eius enim est & interpretari & abrogare vel derogare cuius est condere, *l. leges sacratissimæ, 9. l. cum de nouo, 11.* C. *eod.*

DEFINITIO IV.

De rescripto aduersus vitium litigiosi siue iam contractum siue contrahendum.

IDem iuris est, si ex principis rescripto quis petat, vt liceat sibi rem litigiosam vendere contra iuris communis prohibitionem, aut vt aduersus vitium litigiosi iam contractum in integrum restituatur. His enim casibus cum strictissimæ iuris rationi & prohibitioni aperta vis fiat,[1] Principis auctoritas, & subscriptio omnino necessaria est,[2] Præterquam iis casibus, quibus Prætor ex æquitate & causa cognita distinctionem rei litigiosæ permittere interdum solet.[3] Quod enim Prætor pro imperij sui iure facere olim potuit, id omne Procancellarius sub nomine & auctoritate Principis per seipsum expedire potest.[4]

1 *Tot. tit. de litig. D. & C. & in Nouel.*

2 Nihil enim iudex facere potest contra leges, ne Senatus quidem, *l. 1. in fin. l. nec non, 28. §. quo ad eius, D. ex quibus caus. maior.*

3 De quibus *in l. Diuus Pius, §. D. de hæred. petit.* vbi tamen obserua legendum esse *Sola cautio*, non *Solida.*

4 Nam & prætoris officium olim erat, vt daret in integrum restitutionem, *Toto titulo De in integr. restit.*

DEFINITIO V.

De appellatione in intercessionem commutata.

CVm is qui executioni contra se factæ intercedere debuerat ab ea perperam appellauit, indiget rescripto Principis cuius beneficio conuertatur appellatio in intercessionem,[1] Sed ea res facere non potest, vt iudex superior qui de appellatione cognoscere deberet,[2] possit etiam de intercessionis iure cognitionem sibi adrogare, quam alioqui inferior iudex pro sua iurisdictione habere deberet,[3] ne in cuiusque potestate sit male appellando id assequi, vt inferioris iudicis auctoritas labefactetur, quam ex officio tueri superior quoque debet.[4] Eæ igitur superioris partes erunt, vt conuersa per rescriptum appellatione in intercessionem, causæ cognitionem remittat ad eum iudicem, apud quem si appellatum non fuisset intercessionis suæ causas reddere reus debuisset. *Ita Senatus* ex tempore 8. Cal. Decem. 1590.

1 Alioqui condemnandus est is qui appellauit, *l. 1. & tot. tit. quor. appell. non recip.*

2 *l. 1. & tot. tit. quis à quo appell.*

3 Appellatio enim tamdiu deuoluit cognitionem ad superiorem, quamdiu ipsa subsistit, non cum extinguitur.

4 *Cap. vt debitus bonos. Extr. de appell.* Bart. *in l. eius qui nu. 10. de appel. recip.*

5 Extincta enim appellatione in eo statu res esse debet, in quo esset si appellatum non fuisset, *l. tutor 41. §. 1. D. de vsur.*

DEFINITIO VI.

Rescripta ad gratiam sunt annualia, Ad ius perpetua.

PRincipalia rescripta, quę intra annum executionem habuerunt aut habere cœperunt, si non ad gratiam[1] vt loquuntur sed ad ius concessa sint, perpetua sunt, nec anno finiuntur,[2] aut alio tempore, nisi eo ipso quo ius illud ad quod impetrata sunt finiretur.[3] Sed hoc ita si non rescripto diserte comprehensum sit vt post annum non valeat,[4] quomodo frequentioris quæstus gratia exprimi solet in rescriptis omnibus, quæ ex parua prodeunt Cancellaria: Quæ si executioni intra annum mandata vel saltem mandari cœpta non fuerunt, anno vtique, etiamsi dictum non sit, finiuntur.[5] *Ita tractatum est* 4. Cal. Iulij 1591.

1 De quibus *in cap. si autem, & cap. plerumque, de rescript.*

2 *l. Falso 2. C. hoc tit.*

3 Neque enim rescribentis Principis ea voluntas esse interpretanda est vt iura omnia peruertat, sed potius vt secundum ius rescripsisse intelligatur, *l. si quando 35. C. de inoff. test.* Facit *l. fin de minor. clem. 1. de in integr. rest.*

4 *d. l. falso* Guid. Pap. *qu. 135.* vbi tamen male putat ius ciuile correctum esse per canonicum.

5 Excipiuntur tamen literæ Prehensionis, quos vulgo *de prise de corps* appellamus, quarum potestas vtique anno vno non finitur, nec alio vllo tempore quandiu criminis persecutio durat. Rebuff. *in proœm. const. gloss. 5. num. 44.* quia scilicet non est in potestate illius qui eas impetrauit, vt eas quando & quomodo velit exequatur.

DEFINITIO IX.

De impetrante officium viuentis.

OFficium viuentis impetrans etiam à Principe, siue inuito possessore siue non requirente eo aut consentiente, nullo modo audiendus est, siue officium aut dignitatem habeat siue non, Tametsi motu proprio Principis ea concessio facta proponatur.[1] Quod huiusmodi

BIU Cujas

iusmodi res periculosi tristísque euentus plena sit ac bonis repugnet moribus, quandoquidem alienæ mortis captandæ votum inducit.[2] Alioqui facile esset clausulam illam, *Motu proprio*, rescriptis quibuslibet inserere, tum etiam per aulicorum sordes, aut gratiam rescriptum impetraretur.[3] *Ita Senatus* ex tempore pro Castellano Seysselli contra Ioannem Baptistam Bruel, 11. Calend. Septembr. 1592.

1 Rebuff. *in tract. Vt ante vacat. gloss. vlt.* §. 1.
2 *l. vlt.* C. *de pact. l. donari* 29. *alias l. quidam*, §. *vlt.* D. *de donat. l.* 2. §. *interdum*, *de vulg. & pup. subst. l.* 2. §. *vlt. de his quæ vt indign.*
3 *l. Præses*, 12. C. *de transact. l. ambitiosa* 4. *de decr. ab ord. faciend.*

DEFINITIO VIII.

De priuilegiorum ciuitati concessorum interpretatione & reuocatione.

QVamuis dici soleat in concessione qualibet quantumuis generali exceptam semper intelligi personam loquentis,[1] præsertim in rescriptis principalibus,[2] tamen non est id perpetuum.[3] Quid enim si ex eo fiat, vt inutilis & sine effectu futura sit concessio? Finge datum à Principe priuilegium ciuitati, quale habet ciuitas Nicensis, vt quicunque per annum & diem in ea manserit tanquam ciuis, & domicilium habuerit, ex dedititio & talliabili fiat plene liber. Haud dubie ad priuilegium inuitati ij maxime videbuntur, qui in Principis iure & manu fuerunt,[4] Cum de aliis dubitari possit, an eos Princeps ad libertatem vocare potuerit inuitis aut etiam ignorantibus dominis. Vulgatum enim est ita interpretanda esse priuilegia vti ne tertij ius lædant:[5] Nisi quis putet fauore libertatis ab ea iuris regula esse recedendum.[6] Sane si postquam per annum & diem stetit quis in ea ciuitate, quæ huiusmodi priuilegium habuit, reuocatum sit priuilegium, non faciet ea reuocatio præiudicium iam competenti libertati.[7] Videtur namque cum ciuitate quodammodo contrahere, is qui ciuitatis leges intuitus & secutus domicilium suum & fortunarum suarum omnium sedem in ea collocat, non aliter id facturus.[8] Itaque ad futuros tantum non etiam ad præteritos casus priuilegij reuocatio pertinebit.[9] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 4. & 5. infr. De præscript. quæ pro libert. compet.

1 *l. si mercedem* 53. §. *vlt.* vbi gloss. & Bart. *de act. empt.*
2 Quia Princeps non sibi legem dicit sed aliis, *l. Lucius* 40. *in fin. de fid. lib.*
3 *l. Paulus respondit.* 29. §. *vlt.* D. *de pignor.*
4 Principum enim beneficia plenissime aduersus concedentes interpretamur, *l.* 3. D. *de constit. Princip.* Vide Bart. *in Nouel. cui titul. est Constit. quæ dignit.* §. *illud nu.* 1. Guid. Pap. *qu.* 489.
5 *l. penult.* C. *hoc tit. l.* 2. §. *merito*, & §. *si quod à Principe D. ne quid in loc. publ.*
6 *Arg. l.* 1. & 2. C. *de commun. seruo manumiss.* & *l. quidam ita* 25. §. *si quis filium D. ad SC. Trebell.*
7 Libertas enim quæ semel competit nunquam reuocatur nisi ex ingratitudine, *l. Papinianus*, 8. §. *vltim.* & *l. seq. D. de inoff. testament.*
8 *Arg. l. si in patria* 5. & *l. ciues* 7. C. *de incol. lib.* 10. *tit.* 39.
9 *l. leges* 7. C. *de legib. l. vlt. in fin.* C. *de contr. iudic.*

DEFINITIO IX.

Literæ remorandæ litis impetrari non possunt, cum iam in causa concluſum est.

REscripta illa Principis quibus litem sistere iudex iubetur (vulgo literas *Status* vocant, quod pendente dilatione in suo statu litem manere necesse sit) ad eas lites non pertinent, quarum status talis est, vt iamiam ferenda sit sententia, quòd contingit quoties in causa concluſum est. Cum enim hoc casu perinde habeatur acsi iam esset iudicatum,[2] nulla lis superesse videtur,[3] nullusque proinde litis status amplius esse, in quo subsisti possit.[4] *Ita Senatus* in causa D. Senatoris de Candie contra D. de Grilly, 17. Cal. Iul. 1593.

1 De quibus diximus *Defin.* 23. 3. *De præcib. Imper. offer.* & ad quas pertinet quod scriptum est *in l. interdum* 36. *De iudic.*
2 *Arg. l. pen. D. de milit. testam.*
3 *l. terminato* 3. C. *de fructib. & lit. expens. l. non minorem*, C. *de transact. l.* 1. D. *de iureiur.*
4 Id enim est quod dici solet, non entis nullas esse qualitates, *vulg. l. eius qui in prouincia* 41. D. *de reb. credit.*

DEFINITIO X.

Rescripta ad Senatum durante iustitio ad Cameram quoque criminalem, quæ Senatus vices gerit, pertinere.

LIteras Principis ad Senatum scriptas eo tempore quo publicum iustitium indictum est, à Camera, vt vocent, criminali, quæ non nisi de criminalium iudiciorum præparatoriis cognoscere solet, & aperiendas esse & considerandas, vt perinde earum ratio habeatur quatenus iuris & æquitatis ratio patietur, acsi ad Cameram ipsam criminalem scriptæ essent, aut acsi Senatus ius redderet, post multam disputationem definitum est,[1] Ne alioqui Principis auctoritas neglecta, aut quod in nomine erratum esset, circumueniendæ voluntatis eius quæsita & captata occasio videretur.[2] Sic in causa Tiberij Mutij & Abbatis de Filli 17. Cal. Octob. 1597.

1 Quia vicem Senatus & locum obtinet Camera illa criminalis.
2 Neque enim error in nomine nocere solet regulariter, si modo constet de voluntate, nec sit error in corpore, *l. quoties* 9. *D. de hered. instit. l.* 4. *de leg.* 1.

DEFINITIO XI.

Literæ status non prosunt attentatori, nec spoliatori, nec in causis criminalibus.

SI pendente lite & in eius præiudicium attentatum sit, non est ferendum, vt is qui attentasse dicitur ac fortassis aduersarium spoliasse, rescriptum à Principe impetret ad litem in eo statu sistendam. Ita enim fieret, vt delicti sui pœnam eluderet.[1] Spoliatio siquidem delictum est aut proximè saltem ad delictum accedit.[2] Planè in causis criminalibus constat huiusmodi rescriptis locum non esse, siue criminis cognitionem differri reus velit, siue actor ipse, reo præsertim in vinculis existente. *Ita Senatus* in causa Francisci Gelaz Lugdunensis contra Franciscum de Resignand ante Cal. Decem. 1593.

1 Nam & similiter dicimus spoliatum bonis suis omnibus vel maiore parte, non posse conueniri nisi bonis prius restitutis saltem iure canonico, Bart. *in l. si te bonis nu.* 2. *C. de iur. delib. in l. si quis ad se fundum, nu.* 2. *C. ad leg. Iul. de vi publ.* & *in l. propter, nu.* 1. *de excus. tut.* Denique malitiis nunquam indulgendum est.
2 Publice namque interest nocentem damnari vel innocentem absolui, *l. absentem* 5. *D. de pœn.*

DEFINITIO XII.

Ex literis De debitis non posse agi contra hæredem debitoris.

REscriptum & diploma Principis quod vulgo De debitis appellant, nullam habet executionem aduersus hæredem debitoris non solum vti ne in carceres detrudi possit, sed etiam ne ex eo possit agi in rem & hypothecaria præcisè,[1] Adeo vt neque

BIU Cujas

aliud dicendum sit, si debitor ipse ex eiusmodi diplomate iussus sit soluere priusquam vita fungeretur. Eo namque ante solutionem mortuo, non potest peragi executio in præiudicium hæredis, nec si purè heres sit,[2] Multo minus si non nisi cum beneficio legis & inuentarij hereditatem debitoris agnouerit.[3] Igitur ab actione & libello incipere creditor debebit non ab executione.[4] Nec ad rem pertinet quod ex instrumento, vt loquuntur, guarentigiato, solent etiam præcisæ literæ impetrari aduersus hæredem debitoris, cum clausula, *Salua intercedendi potestate.* Etenim apud inferiores tantum iudices id receptum est, & quidem contra manifestam iuris rationem, quæ certè non patitur, vt ab executione vnquam incipiatur.[5] Quanquam decreti iniquitatem illud temperat quodammodo, quod intercedente debitore tota executionis potestas in simplicem conuertitur citationem.[6] At Princeps sub cuius nomine diploma conscribitur, itémque Senatus, qui in iudicando Principis vice fungitur,[7] quoniam cauere debet diligentissime ne quid decernat, quod vel minimam speciem habeat iniquitatis,[8] nihil tale vnquam constituit, sed iubet semper incipi à citatione, Nisi cum aduersus debitorem ipsum agendum est ex instrumento, vt diximus, guarentigiato, Cuius priuilegium in eo elucet, vt paratam habeat executionem,[9] nec vlla satisdandi necessitate incommodam, si diplomatis principalis beneficio nitatur.[10] *Ita Senatus* ex tempore in causa Boni Fou & N. Tricquet Id. Mart. 1594.

1 Boer. *quæst.* 10.

2 Quia nesciri potest an sit heres priusquam in ius vocatus sit & interrogatus, cum aditio hereditatis animi sit potius quam facti, *l. pro herede* 20. *l. gerit* 88. *de acquir. hered.*

3 Huic enim iura sua omnia integra conseruantur, *l. vlt. D. de iur. delib.*

4 Quia solitus iudiciorum ordo est, *§. omnium, Inst. de pœn. temer. litig.*

5 *l.* 1. C. *de execut. rei iudic. l. si cum nulla* 58. *D. de re iudic.*

6 Bart. *in l. de pupillo* 5. *§. meminisse. D. de nou. oper. nunciat.*

7 Nam & sub Principis nomine prodeunt Senatusconsulta.

8 Ne inde nascatur occasio iniuriæ vnde iura proficiscuntur, *l. meminerint* 6. C. *vnde vi.*

9 Quia vim sententiæ & condemnationis habet non ex iure sed ex auctoritate statutorum, quæ hac de re sunt ferè vbique gentium, præsertim in Italia.

10 Est enim hoc priuilegium creditoris agentis ex diplomate principali, vt nunquam satisdet, nisi cum ipso diplomate, ita cautum est.

DEFINITIO XIII.

Non alias quam Principis vel Augustæ literas à Senatu adprobari debere.

NOn alias, quam Sereniſſimi Principis nostri, vel Augustæ literas adprobare, & vt Pragmatici loquuntur, verificare Senatus noster debet, quia nec alius Senatui nostro imperare potest quam Princeps vel Augusta.[1] Itaque si quid publicè priuatimve præfectus Prætorio, aut si mauis, generalis Vicarius Principis decreuerit, non debet amplissimi ordinis auctoritas in eo adprobando interuenire: Cúmque aliter quandoque antea vsurpatum diceretur, Placuit id corrigi nec in posterum tale quicquam amplius fieri oportere.[2] *Ita Senatus* in causa N. Bocellin, & Syndicorum de Belley 4. Idib. Maij 1594.

1 Omnes enim à Principe & Augusta vel Senatu inferiores sunt vel pares, cum Senatus vices Principis gerat: Par vero in parem non habet imperium, *l. minor autem* 18. *de minor l.* 1. *§. pen. de appell.*

2 *Ex l. quod vero* 14. *l. quod non ratione* 46 *D. de legib.*

DEFINITIO XIV.

Clausulæ derogatoriæ quo plus insolitæ, eo magis suspectæ.

CLausulæ derogatoriæ cæteræque præcautiones in gratiis & literis summi Pontificis aut alterius Principis quo magis insolitæ & plures appositæ sunt, eo minus operantur, quia faciunt vt tanto minus præsumatur voluntas concedentis,[1] tantoque facilius probetur subreptio.[2] Ex qua subreptione inducitur nullitas gratiæ & literarum quasi ex defectu voluntatis in prouidente.[3] *Ita Senatus* pro Guilielmo Bachod contra Claudium Philippe 4. Non. Iunij 1595.

1 Felin. *in cap. nulli de rescr.*

2 Dec. *consil.* 561.

3 *Cap. cum adeo de rescript. in* 6.

DEFINITIO XV.

Inciuile est rescriptum à spoliatore impetratum ad euocandam causam ad consistorium Principis antequam purgatum sit vitium spoliationis.

QVi aduersarium spoliauerat, cum ad restituendam rem interdicto conueniretur,[1] nec haberet quod responderet, petierat à Principe, & obtinuerat vt causa ad Principis consistorium euocaretur.[2] Placuit audiri eum non debere,[3] nec admittendum esse rescriptum, quia spoliationis vitium ante omnia purgandum est.[4] *Ita Senatus* in causa Seminarij Augustani & Prioratus Sancti Bernardi, 20. Decemb. 1595.

1 Scilicet ex edicto vnde vi, *l. 1. & tot tit. D. vnde vi.* Idem esset si conueniretur conditione, *ex Can. rodintegranda* 3. *qu.* 1. *aut ex l. si quis in tantam, C. vnde vi.* Sunt enim ista omnia remedia spoliatis competentia.

2 Cuiusmodi euocationes magnam litium & expensarum materiam præbere solent. Nec enim sine magnis sumptibus itur ad Principem aut litigatur coram Principe.

3 Tanquam qui huiusmodi commento velit moram facere restitutioni, quæ statim facienda est spoliato.

4 Interest namque reipublicæ spoliatum quemlibet ante omnia restitui etiam prædonem, *cap. in literis, & pass. Extr. de restitut. spoliat.*

DEFINITIO XVI.

Rescriptum moratorium non magis potest impetrari contra debitum per quod facta est nouatio iudicati ad vtilitatem debitoris, quam contra ipsum iudicatum.

COndemnatus debitor à creditore iudicati executionem vrgente impetrauerat, vt iudicati nouatio fieret[1] per nouam stipulationem, in quam ex liberalitate & indulgentia creditoris longe minus deduceretur, quam deductum esset in condemnationem. Agente postea creditore debitor moratorias literas impetrauerat, ne ante annum vrgeri posset.[2] Visum est licet nouatione facta sola supersit actio ex stipulatu, neque ex iudicato amplius agi possit,[3] non debere tamen deteriorem hac parte esse conditionem creditoris, quam si nouatio nulla facta esset, ne alioqui captiosa ei sit liberalitas,[4] ex qua iam satis magnum lucrum debitor senserit, qui ob eam nunc minus debet.[5] Proinde quamuis aduersus obligationem ex stipulatu proficiscentem moratoriis literis locus esse possit, quibus non esset aduersus executionem rei iudicatæ,[6] in proposito tamen non magis locus erit, quam si iudicati executio peteretur. Fere enim est vt in dolo esse debitor videatur, qui extorta liberalitate perfide aburi

BIU Cujas

buti velit.[7] *Ita Senatus* pro D. Philiberto Milliet Episcopo Maurinianensi Abbate d'Aups contra Claudium Pernollet eiusque fideiussores 8. Id. Febr. 1596.

1 Potest enim ipsa quoque iudicati actio nouari si id actum sit, nec recusset actor partam sibi ex iudicati causa persecutionem ad initium alterius petitionis redigere, quomodo scriptum est in *l minor* 40. *D. de minor.*

2 Cuiusmodi literas certum est impetrari posse aduersus agentem ex stipulatu, non item aduersus agentem ex iudicato, vt dixi *Defin.* 4. *§. De precib. Imp. offer.*

3 Quia nouatione peritmitur prior actio & in sequentem transfunditur, *l.* 1. *D. de nouat.*

5 Nemo enim ex liberalitate sua periclitari debet, *l ne ex liberalitate, D. de re iudic.*

5 Nam post eam iudicatam si nouatio facta non esset, nihil aliud quæri oporteret, nisi quid in condemnationem deductum fuisset, siue plus siue minus antea deberetur, *l si fundus* 16. *§ si plures, D. de pign.* ideoque solemus dicere per iudicatum fieri nouationem prioris actionis, *l. vlt. C. de vsur. rei iudic.*

6 Rebuff. *in tract. de lit. dilat. art.* 1. *glos.* 1. *nu.* 10. Post Guid. Pap. *qu.* 97. Dixi *D fin.* 15. *§. de precib. Imp. offer.*

7 *Arg. l.* 1. *Cod. de iur. dot. l pen.* iunct. *l. si extraneus*, 33. *D. eod.* Ergo si nouatio facta sit sine liberalitate, aliud erit, vt dixi *Definit* 4. *§. de precib. Imp. offer.*

DEFINITIO XVII.

Contra locatorem non potest conductor impetrare rescriptum moratorium, nec si facta sit nouatio dum ne sit mutata causa debiti.

DEbitor ex causa conductionis,[1] qui re conducta fruitur, aut fruitus est, literas moratorias ad remorandam mercedis solutionem impetrans non auditur:[1] Nec aliud erit tametsi prioris contractus locationis nouatio facta sit, dummodo non mutata sit causa debiti in secunda obligatione: sed eadem semper subsit causa locationis.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ne scilicet iniquitas illa occurrat, vt & rem & precium conductor habeat, vt dixi *Defin.* 11. *&* 20. *num.* 5. *supr. de precib. Imper. offer.*

2 Hoc enim casu eadem quoque semper causa subest denegandæ dilationis, *arg. l. doli* 19 *§. diuersum, D. de nouat.*

DEFINITIO XVIII.

Literæ status etiam ad inferiorem magistratum directæ non ab alio quam à Senatu verificari possunt.

SI Princeps iubeat sisti litem,[1] quæ pendeat coram inferiore aliquo iudice, licet proponas iuridicum maiorem Sabaudiæ, aut alterius prouinciæ, non potest is iudex eiusmodi literas, vt loquimur, verificare, neque si ad eum scriptæ sint, sed ad Senatum referre cognitionem debet,[2] qui pro sua prudentia æstimet an iis literis locus esse aliquis debeat.[3] Quid enim si obreptum sit Principi?[4] Quid si lis pendebat de crimine eoque fortassis atroci, quod statim vindicari publicè interest?[5] Nam & generaliter constitutum est, vt literas omnes Principis, quæ à magna prodeunt Cancellaria à Senatu nostro ante omnia inspici & adprobari sit necesse.[6] *Ita Senatus* in causa nobilis N. Du Coudray 24. Febr. 1596.

1 Vulgo pragmatici vocant *lettres d'estat*, quia faciunt vt lis sisti debeat in eodem statu in quo tunc reperitur, vt dixi *D fin.* 23. *§. De precib. Imp. offer.*

2 Tanquam ad superiorem & ad magistratum magistratuum, cuius hæc propria cognitio est, vt sequitur in Definitione.

3 Semper enim causæ cognitio requiritur in verificatione, vt loquuntur, literarum Principis.

4 Perinde haberi debet ac si rescriptum impetratum non fuisset, *l. § § penult. D. de reb. cor. l. si quis subrepserit* 17. *D. ad legem Corn. de falsi.*

5 *l. ita vulneratus* 51. *§. vlt. D. ad legem Aquil. l. si à reo* 71. *§. vlt. D. de fideiuss. l. Stichum aut Pamphilum* 95 *§.* 1. *de solut.*

6 Et eo iure vtimur.

DEFINITIO XIX.

Literæ salui conductus non nisi à Principe vel à supremo magistratu dari possunt.

LIteras, quas vocant Salui conductus, quibus securitas ei promittitur qui alio quin ad eum locum accedere impune non posset, certum est neque ab aduocato aut procuratore fiscali,[1] neque ab inferiore vllo iudice dari posse,[2] Sed tantum à Principe vel à supremo magistratu, qui vicem Principis gerat.[3] Nisi quod interdum quoque ex iusta causa permittendum est etiam inferioribus magistratibus, vt impunitatem istam promittant,[4] Sed non nisi ad tempus,[5] Aut ita demum si ille ipse iudex sit, qui pœnam inflixit,[6] ad cuius auctoritatem maxime pertinet, vt quod iudicatum est mandetur executioni. Princeps igitur adeundus est, qui huiusmodi literas concedat, quas porro etiamsi maxime generales concesserit, ne possit impetrans conueniri ex quacunque causa ciuili, vel criminali, ea tamen debita non continebuntur, quæ iureiurando munita reperiuntur:[7] Nam nec si Papa, vel Imperator statuta omnia ciuitatis alicuius irrita faceret, ea tamen continerentur, quæ ciuium iuramentis fuissent corroborata.[8] *Sine die.*

1 Afflict. *decis.* 4. *numer.* 3. post Angel. *in l. conuentionum, D. de pact.*

2 Bald. *in l. reos col.* 9. C. *de accusat. post* Iacob. *in* 5. *quæ de Bannito*, Afflict. *d. decis.* 4. *num.* 1.

3 Bald. *in l. relegati. D. de pan.* Afflict. *d. decis.* 4. *num.* 1.

4 Bart. *in l. is qui reus col. vlt. de public. iudic.* iusta autem causa est si bannitus sit accusatus, cuius præsentia proinde sit necessaria: *vt in d. l. is qui reus.* Afflict. *vbi §. nu.* 2.

5 Bald. *in l. reos.* Afflict. *ibid. ex d. l. relegati, l. qui cum vno. D. de re milit.* iunct. *§ sed neque.* Nouel. *de mandat. Princip.*

6 Bart. *in d. l. is qui reus in fin.* Bald. *in l. sed si hac, §. esse pro pœna, D. de in ius voc.*

7 Alexand. *cons.* 204. *vol.* 2. *& cons.* 38. *col.* 2. *vol.* 3. Afflict. *decis.* 5. *num.* 2. *&* 3.

8 Afflict. *ibid.*

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI
DEFINITIONVM FORENSIVM,
ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ
Senatu Tractatarum,
LIBER SECVNDVS.

TITVLVS PRIMVS.
De Edendo.

DEFINITIO I.
Editio testamenti quando facienda sit heredi aut ab herede.

SCRIPTVRAM legati vel fideicommissi quod relictum heres negat, exhibere legatarium vel fideicommissarium debere constabat.[1] Cum tamen iá aliquo probationis primordio actoris intentio iuuaretur, non inutiliter tabularum editionem ab herede petere videbatur,[2] quam &aliis nonnullis casib.peti posse iuris interpretes admiserũt.[3] Multum siquidé intererat, vtrum de domo rei probationes extrahere actor vellet in hoc ipsum vt ageret, quod nunquá permittendum est,[4] An in id potius vt institutæ actionis fidem quá propriis probationũ adminiculis fulcire cœpisset, supremæ præsertim voluntatis tuendæ gratia facilius impleret.[5] Latum est Senatusconsultũ pro Iacobo de Mitte, Domino de Cheurieres & de Miolans, cõtra D.de Carde 16.Cal.April.1588.

1 *l.Postquam 3.§.si dies, D.vt legat.seu fideicom.nom.caueat.* Nec obstat, *l.2.D.hoc tit.* Loquimur enim de alia editione, scilic.de illa quæ præcedere vocationem in ius solebat, de qua *in l.1.eod.*

2 Nimirum ad coadiuuandam duntaxat actoris intentionem notant DD. *ad l.1.& vlt.C.hoc tit.ex l.qui concubinam 29.§. eum ita 2.& l.prædiis 91.§.Titio.de legat.3.*

3 Casus illos nostri congerunt *ad l.vlt.C.hoc tit.*

4 *l.qui accusare 4.C.eod.l.nimis graue 7.C.de testib.*

5 Alex.*in l.2.nu.3.D.de edend.ex not.per* Specul. *in tit.de instr. edit.§.videndum vers.expresius.* Notant Canon.*in c.1.de probat.arg. d.l.1.* in illis verbis *Ex causa.C.hoc tit.l.6.§.pen.D.eod.* [Si tamen legatarius sit ex iis personis, quib.legitima aliqua debetur, & quę possent succedere ab intestato ei qui legatũ reliquisse dicitur, & petat legatum ab eo qui se heredem ex asse dicit, non est cogendus exhibere testamentũ, si modò alternatiuè petat portionẽ quę ab intestato eum contingit, relicta tamen aduersario electione an legatũ præstare an parte hereditatis cedere malit, cùm alterutrũ hoc casu actori deberi certũ sit, Aut hereditatis partẽ ab intestato, aut legitimã ex testamento, aut saltẽ legatum aliquod pro legitima, cum supplemento, si minus sit relictum.]

DEFINITIO II.
De editione instrumenti obiecti sine designatione diei & Consulis.

NOn est cogendus edere quisquis ex litigatoribus tuendi iuris sui gratia instrumentum aliquod sine die & Consule, vt loquimur, aduersario suo obiecerit,[1] Ne alioqui accidat vt præcipiti iudicis festinatione iussus ille facere quod tam cito fortasse nequeat, bonæ litis iacturam patiatur.[2] Quod sane diuersum est in eo, qui diem instrumenti prodens & consulem, hoc ipso profitetur habere se quod statim possit si velit edere.[3] Nam & dolo malo factam editioni moram condemnatione expensarum, quas ex postfacto superuacuas fuisse apparet, coercendam esse placuit.[4] *Ita Senatus* passim & plerisque Senatusconsultis.

1 Quia editio facienda est, cum die & Consule, quoties sit ad probandam intentionem, licet aliud sit in ea editione, quæ sit ad iudicium præparandum, *l.1.§.editiones, D.hoc tit.*

2 Pœna enim illa est non factæ editionis, vt eo instrumento quod quis edere noluit, postea vti non possit. *l.vlt.§.1.D.de appellat.* Qua de causa nec alia instrumenta edere quis cogitur, quam quibus in iudicio vti velit, *d.l.1.§.edenda sunt eod.*

3 Nullam enim hic habet recusandæ aut differendę editionis excusationem, *d.l.vlt.§.1.D.de appellat.* [Quod tamen intellige nisi malit priuari cõmodo. Hæc enim pœna sufficit ad puniendam ipsius cõtumaciam. Nimirum quia sola enunciatio instrumenti etiam cum designatione diei & Consulis non facit instrumentum commune, quomodo faceret editio ipsa semel facta, quam ideo bene pragmatici *communicationem* appellant, quia facit communia instrumenta omnia quę eduntur. Ideoq; si non edantur iterum etiam ad fundandã aduersarij intentionem litis iacturam pati debet is, qui non vult edere, cùm imputare sibi debeat cur aliquando ediderit. Planè quin magna præsumptio sit contra eum qui diem & Consulem designauit dubitari non potest, vt dici solet de quolibet nolente exhibere, Nisi alleget probabilem instrumẽti deperditionem, aut minùs probabilem probet. *Ita Senatus* in causa Prioris de la Magdelaine, & Comitis de Fauerges Iunij 1614. Sed & si quis instrumentum aliquod dimidiatum & mutilum proferat aut partem chartæ, ex cuius scriptura appareat in alia parte quæ abscissa est aliquid scriptũ fuisse, magna doli præsumptio est contra producentem, vt ei nocere potius quàm prodesse debeat talis editio. *Ita Senatus* in causa quadam D.de Grenaud, & Petri Rolandi 26.Maij 1614.]

4 Felin. *in cap exceptionem: de except.* Decius *ad l.qui in alterius num.9.de regul.iur.*

DEFINITIO III.
De instrumenti inter alios confecti editione & descriptione per notarium facienda.

INstrumenti quod inter alios confectum sit editionem à notario petere possunt omnes quorum interest: idque statuto nostro diserte cautum est, præter iuris communis rationem, quæ non aliis potestatem facit petendæ editionis, quam qui notarium rogauerunt.[1] Sed de ea editione id accipi debet quæ nudam exhi-

BIU Cujas

exhibitionem habeat, non quæ à notario exemplum instrumenti extorqueat, quam certe fieri non oportet, nisi vocatis prius, & consentientibus iis qui contraxerunt, cum alioqui fieri possit, vt ex illa editione lædantur. [2] Hoc ipsum tamen exceptionem admittit, si instrumentum tale sit, cuius plena editio per eos qui contraxerunt impediri non posset, Vtputa si dominus directus laudimia petiturus venditionis instrumentum edi sibi describique postulet, [3] Nam quod contrahentes ipsi prohibere non possent quorum præcipue interest, [4] multo minus recusare potest notarius, cuius officium publicum est. [5] *Ita Senatus* Prid. Id. Nouemb. 1588.

1 *l. Prætor ait 4. §. huius edicti.* vbi gloss. Bart. & alij præsertim Paulus Castr. *num. 6. & 10. D. hoc tit.*

2 Nam & cum notarius reddit instrumentum ei, ad cuius petitionem confectum est, dubitari solet an aduersarius citari debeat. Bart. *in l. vlt. nu. 8. D. de tab. exhib.* Guid. Pap. *qu. 2.*

3 Constat enim non solum emphyteutam, sed etiam quemlibet rei emphyteuticariæ possessorem cogendum edere domino directo. Notatur *in l. vltim. C. de iur. emphyt.* facit *l. si quis, §. pertinere.* vbi Bart. *D. hoc tit. l. vlt. de bon. auctor. iudic. possid.* alias *l. cum plures 15 ill. tit.*

4 Ex regula *l. qui potest 26.* vbi Decius *de reg. iur.*

5 Bart. *in l. generali, C. de tabular. lib. 10.*

DEFINITIO IV.

De instrumenti per alium notarium excepti facienda descriptione per alium notarium.

SI notarij qui instrumentum conscripsit alius notarius heres sit, non ideo tamen instrumenti descriptionem vtilem, quam expeditionem vocant, facere poterit, quin iudicis cuius de ea re notio est iussus mandatumque præcedat. [1] Si tamen proferatur instrumentum exscriptum & vt aiunt grossatum, de antiquo, id est ante annos quadraginta, [2] & quidem ab eo notario qui mandatum sibi dicat vt exscriberet, fidem faciet post mortem notarij, licet alioqui non constet de mandato. [3] Id nimirum euincente antiqui temporis priuilegio & auctoritate, [4] licet dici soleat mandatum numquam præsumi. [5] *Ita Senatus* sæpius.

1 Paul. Castr. *in l. quædam, §. nihil interest, D. hoc tit.* Felin. *in cap. cum P. tabellio, Extr. de fid. instrum.* Contra Bart. *in l. si quis, §. cogetur nu. 3. eod. hoc tit.* Atque ita seruari solitum testatur. Guid. Pap. *qu. 118.* Sufficit tamen generalis licentia & commissio iudicis, vt not. apostil. ad Guid. Pap. ibid. Sed neque creditur notario dicenti sibi fuisse mandatum à iudice, nisi de mandato constet, *cap. quoniam contra falsam. Extr. de prob. Auth. si quis in aliquo C. hoc tit.* Scilicet si pars opponit, Guid. Pap. *q.* 404.

2 Non enim sequimur opinionem Guid. Pap. *d. qu.* 404. *nu.* 2. vbi ait tempus antiquum hoc casu esse biennij.

3 Guid. Pap. *d. qu.* 404. *ex cap. cum causam, extr. de probat. c. ad audientiam, Extr. de præscr.*

4 Propter difficultatem probationum, Bald. *in Auth. quas actiones, C. de episc. & cleric.*

5 Bart. *in l. iusiurandum, §. procurator, nu. 2. de iureiur.*

DEFINITIO V.

Quando protocollum exhibere cogatur is qui profert instrumentum publica fide subnixum.

QVi profert instrumentum in publicam formam redactum, non rasum, non cancellatum, nec qua alia ratione in forma siue intrinseca, siue extrinseca apparenter suspectum, non est arctandus ad protocolli editionem, [1] rametsi dicat aduersarius paratum se viso protocollo falsi accusationem instituere. [2] Nec si quam aliam ob causam suspectum sit instrumentum, Puta si ex alio instrumento publico probetur eo ipso die Taurini fuisse & contraxisse illum, qui instrumento de quo agitur Camberij contraxisse proponitur. Quo enim certiores sunt falsi probationes, eo facilius ad solennem inscriptionem decurrere accusator potest, tantoq; minus causæ habet petendi exhibitionem protocolli ante solemnem inscriptionem. [3] Hoc ita, si non sit notarius suspectus & mali nominis. Etsi enim non quæcumque instrumenta per falsarium notarium excepta sunt, hoc ipso falsa videri debent, [4] vt tamen suspecta sint, sufficit notarij fidem esse suspectam, [5] cum ex notarij subscriptione tota instrumenti fides pendeat. [6] Sed & cum in scriptis contractum est, protocolli exhibitio peti quandocunque potest, quod eo casu non tantum probatio sed etiam substantia ipsa instrumenti ex prima scriptura pendere intelligatur. [7] In scripturis autem contractum videtur quoties inter contracturos ab initio conuenit, vt ad notarium eatur ad contrahendum per scripturam: aut cum facta iam conuentione de negotio quod tractatur, subinde placet vt non prius contractus perfectus dicatur, quam in scripturam redactus sit. [8] Plane post solemnem de falsi crimine inscriptionem, nemo dubitat quin protocollum omnimodo exhibere debeat quisquis nititur instrumento, quantumuis authentico, & in publicam formam redacto: quia nec negari potest, quin per inscriptionem suspectum factum sit: quæ sola res exhibendi protocolli necessitatem debet inducere. [9] *Ita Senatus* 15. Cal. Ian. 1588.

1 Notant DD. præsertim Bald. & Salicet. *in l. vlt. C. de fid. instrum.* itemque *in l. vlt. C. de probat.*

2 Nam ad hunc casum non pertinet *d. l. vlt. C. de fid. instrum.* sed ad illum quo petitur iterata editio instrumenti iam semel editi non protocolli, quo casu minor sane fit iniuria ei, qui illud ipsum instrumentum quod penes se habet, quodque iam semel edidit, rursum edere iubetur, quam si protocollum edere cogeretur, quod vtique vix fieri posset, quin hoc ipso instrumentum alioqui publicum suspectum redderetur.

3 Eo namque iure vtimur, vt publici instrumenti fides citra solemnem falsi inscriptionem in dubium reuocari non possit, odio scilicet litium quæ alioqui facile multiplicarentur in infinitum.

4 Bart. *in l. Barbarius nu. 16. & 17. de offic. præt. & in l. denuntiatio, §. quæritur, D. ad leg. Iul. de adult.*

5 Paul. Castr. *in l. si quis ex argentariis, §. cogantur, nu. 3. D. hoc tit.* Bart. *in Auth. de defens. ciuit. nu. 1.*

6 Bart. *in d. l. si quis, §. initium in 2. lect. num. 32. ex l. vltim. Cod. de adsess. §. oportet autem,* Nouel. *de instrum. caut. & fid. collat. 6. §. item lex Cornelia.* vbi Gloss. *Inst. de public. iudic.* Idem Bartol. *in princ. D. num. 5.*

7 Singulariter Bald. *in rubric. de fid. instrum.* quem refert & sequitur Roman. *cons. 174. incip. amplissime Doctor. nu. 7.*

8 Idem Bald. *in l. contractus, C. de fid. instr.* Vide Bart. *ad l. generaliter num. 10.* ibique apostillam, *Cod. de non num. pecun.* Castr. *in d. l. contractus.*

9 Standum enim est protocollo notarij potius quam instrumento dato parti, Bart. *in d. l. si quis, §. Prætor ait, nu. 3. hoc tit.*

DEFINITIO VI.

Quando actor reo edere cogatur ad fundandam exceptionem aut reconuentionem.

SOlet quidem actor cogi vt edat reo ad fundandam, vt aiunt, exceptionem: fauore nimirum rei cuius in excipiendo causa fauorabilis est, [2] propterea quod licet in exceptione actor sit, [2] necessarius tamen, &, vt ita dixerim, inuitus actor est. [4] Sed si de reconuentione tractetur, non idem iuris obtinet. Non enim reconuentio exceptio est, sed actio potius mutuáque petitio. [5] Nec quod ad compensationis exceptionem accedere videtur, ad rem facit. Etsi enim qui compensat, quodammodo agere & petere videtur, [6] hoc ipso tamen fauorabilior est quam qui reconuenit, quod compensatio si modo opposita sit, [7] actionem ipso iure perimit & elidit, [8] reconuentio non item, sed tantum mutuæ condemnationi locum aperit, nec in alio differt à noua & separata petitione, nisi quod & apud eundem

BIU Cujas

iudicem, [10] & in eadem fit instantia. [11] Plane si proponas cum qui reconuenit petere ab aduersario editionem instrumenti, quod si non ratione dominij saltem ratione vtilitatis commune sit, [12] dubitari non oportet, quin talis editio iustissime postuletur. [13] *Ita tractatum est* in secreto auditorio pro D.N. Martello Episcopo Nicien si contra N. Lambertum Chamb. 4. Id. Febr. 1589.

1 *l. fin.* vbi Bart. *nu. 1. & 3. C. hoc tit.*
2 *l. fauorabiliores 125. de regul. iur. l. Arianus 47. de obligat. & action.*
3 *l. in exceptionibus 19. D. de probat.*
4 Quia non est in eius potestate an & quando conueniatur, *l. pur. 5. §. vlt. De doli mali excep.*
5 *Tit. Decret. de mutuis petit. l. cum Papinian. 14. iunct. auth. & consequenter, C. de senten. & interloc. omn. iudic.*
6 *l. amplius 15. D. rat. rem haber.*
7 Necesse enim est vt opponatur, Bart. *ad l. quod dicitur, nu. 10 de impens. in reb. dotal. fact. ex l. si quid à fideiussore.* vbi Gloss. *& l. quod Labeo, D. de compens.*
8 *l. vlt. C. de compens. l. postquam, D. eod.*
9 *d. l. cum Papinianus.*
10 *l. qui non cogitur 22. de iudic.*
11 *d. Auth. & consequenter.*
12 *vt in l. si quæ sint cautiones 5. D. famil. erciscund. l. procurator, 7. C. hoc tit. l. vlt. D. de fid. instrum.*
13 Semper enim edi debet instrumentum quod est commune, Bartol. *in l. 1. §. editiones, num. 4. D. hoc tit.* Propter quam causam placet peti posse editionem instrumentorum omnium, quæ quis in instantia semel produxerit, quia per productionem facta sunt communia, quæ antea propria fuerunt. Bart. *in dict. §. editiones, num. 8.*

DEFINITIO VII.

Quando & quatenus contra se edere appellans cogatur in criminalibus.

QVod dici solet non esse cogendum quemquam contra se edere, [1] non est perpetuum. Nam qui à sententia de crimine lata prouocauit ad Senatum curare cogitur, vt non tantum sententia ipsa, quod in ciuilibus causis sufficeret, [2] sed acta quoque omnia criminalia exhibeantur, & ab inferioris iudicis à quo appellatum est actuario ad Senatum referantur. Alioqui audiendus non est. Id nimirum postulante fauore publico cum interesit Reipublicæ nocentes puniri. [3] Quibus tamen eludendæ aut saltem frustrandæ per appellationem condemnationis via pateret, si condemnatis, & appellantibus huiusmodi editionis & exhibitionis per actuarij manus faciendæ necessitas remitteretur. [4] Si tamen capitis pœna per sententiam irrogata proponatur, alio iure vtimur. Tunc enim non exhibentis contumacia expensis tantum non etiam damno litis appellatoriæ coercenda est, Ideoque vel inuito appellante præcipere Senatus solet instante procuratore generali Principis, vt prioris instantiæ acta per actuarium iudicis à quo appellatum fuit ad Senatum transmittantur. Et quidem sumptibus accusatoris siue priuatus ille sit, siue publicus; Tum quod audiendus non sit perire volens, [5] Tum quoniam à Senatus dignitate & sanctitate alienum sit condemnari quem ad triremes, aut ad furcam, aliúdve capitale supplicium non visis lectisque actis litis. Quid enim si ex iis appareat aut nulla, aut leuiore, aut etiam grauiore pœna reum dignum esse? [6] Itaque nec aliud obseruare iudex inferior debebit quisquis ex appellatione cognoscet. Idem erit, etsi pro condemnato per contumaciam absente vxor aut alius quispiam appellauerit. Nam & eiusmodi appellatio licita est, [7] & nemo ambigit ex Dei præsentia condemnati absentiam, cum in cæteris omnibus, tum in his præcipue grauioribus causis suppleri oportere. [8] *Ita Senatus* pro N. Claudio Reydelet D. de S. Paul contra Gaspardum de la Roche. Non. Nouemb. 1592.

1 *l. vlt. C. hoc tit. l. nimis graue 7. C. de testib.*
2 Nam in causis ciuilibus appellans cogitur edere sententiam vt sciatur quid sit à quo prouocauerit, is vero contra quem appellatum est, cogitur edere acta litis, vt probet bene iudicatum fuisse.
3 *l. ita vulneratus 51. § vlt. D. ad leg. Aquil. l. si operis 14. Cod. de pœn. l. Stichum 95. § 1. de solut.*
4 Alia enim huius iuris ratio afferri potest, quia tam facile est appellanti omnia litis acta, atque sententiam ipsam toties hoc casu edere, cum acta omnia criminalia penes actuarium remaneant, vt proinde minus proprie hæc editio dicenda sit.
5 *l. si is cum quo 4. & l. vltim. D. de confess. l. non tantum 6. D. de appellat.*
6 Nam aut facta puniuntur, aut dicta, aut scripta, aut consilia. Et ea omnia considerandæ sunt septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate & euentu; *l. aut facta 16. D. de pœn.* quorum tamen omnium nihil sciri potest, nisi visis & diligenter examinatis actis litis. Cum neque valeret transactio de controuersia quæ ex testamento proficisceretur, nisi visis verbis testamenti; *l. de his 6. D. de transact.*
7 *d. l. non tantum 6. D. de appel. l. 2. §. vlt. quand. app. sit. l. seruum 33. § publicè, de procur.*
8 *l. properandum 13. §. cum autem eremodicium, C. de iudic. l. & post edictum 73. D. eod. l. 1. C. quomod. & quand. iudex.*

DEFINITIO VIII.

De editione actorum & iudicialium & instrumentorum, quæ aut perpetua sunt, aut temporalia.

ACtorum iudicialium editio si petatur, quoniam publica sunt, [1] non solum quod fidem publicam habeant, sed etiam quod publicè facta sint, [2] solet eam Senatus ad cuiusque postulationem sine vlla exceptione decernere. [3] Sin instrumentorum quæ inter priuatos celebrata sint licet stipulante notario, cuius officium publicum est, [4] non aliis quam ipsis qui contraxerunt aut eorum heredibus vel singularibus successoribus editionis petendæ potestas conceditur, si non ij omnes quorum interesse potest consentiant. [5] Iis vero qui contraxerunt ita demum licet editionem petere à notario, si instrumentum sit perpetuum, vel in vtriusque gratiam conscriptum, cuiusmodi sunt instrumenta emptionum, permutationum, & similia. Nam si instrumentum sit temporale, vt loquuntur, puta pro debito ex causa mutui vel alia simili, nihil inaudita parte constituendum est, cuius alioqui ius lædi posset. *Ita Senatus* in relationibus libellorum prid. Id. Maij 1593.

1 Bart. *in l. fin. num. 2. C. de re indic. & in repet. §. si initium, l. si quis num. 5. D. hoc tit.*
2 Acta enim dicuntur quæ fiunt coram iudice Bart. *in l. illud num. 1. C. de sacrosanct. eccles.*
3 Dummodo interesit petentis Bart. *in l. 1. §. editiones, nu. 3. D. hoc tit. ex l. is apud quem C. eod. & l. in fraudem, § neque instrumenta de iur. fisc.* Adde quod ibidem notat Bart. editiones actorum iudicialium fieri semper debere cum die & consule, quod in aliis est diuersum.
4 Solent enim nostri comparare notarios seruis publicis. De quibus *in l. 1 §. exigere, de magistr. conuen. l. non aliter, 10. de adopt. l. Caius 11. §. vlt. de vsur. l. vlt. de eo quod cuiusque vniuers. l. 4. C. de arbitr. l. vlt. C. de seruis reipub. l. generali 3. vbi* Bart. *& alij, C. de tabul. lib. 10. tit. 69.*
5 Diximus supra Defin. *3. num. 2.*
6 Ex regula quæ vult in omni actu citandos esse eos, qui ex actu illo lædi possent, *l. nam ita 39. D. de adopt. l. etiamsi 26. §. vlt. de minor. l. de vnoquoque 47. de re iudic.*

DEFINITIO IX.

De instrumento quod ex aduersarij domo subtractum est.

QVemadmodum ei qui legatum aut fideicommissum sibi debitum esse dicit, non cogitur heres testamentum edere, sed relicti probationem omnimodo ab actore exigimus: [1] Ita nec fideicommissario aut legatario permittendum est vt ex eo instrumento agat si pro-

BIU Cujas

si probetur de domo rei subtractum fuisse siue ab ipso actore siue ab alio, cuius in eam rem ope aut consilio vti actor maluerit.[2] Non solum quod hic eadem iuris ratio locum habeat, quæ probationes de domo rei extrahi non patitur,[3] Sed etiam quod multo minus ferendum sit vt ex improbitate sua lucrum sentiat is qui ipse instrumenta aliena subtraxit, vel ab alio subtrahi curauit.[4] Quem potius eo nomine tanquam furem condemnari oporteret, ac iurium suorum omnium, si qua ex eò instrumento prætendere alioquin posset iacturam incurrere.[5] Si tamen eo inscio subtractum sit instrumentum, cuius deinde possessionem siue bona fide siue per ipsius furis manus nactus fuerit, nihil est quod ei possit imputari, cùm sibi vigilare vtique potuerit & debuerit.[6] An ergo instrumentum inuito domino retinebit? Imò restituere cogendus erit non solum vt furti vitium purgetur,[7] sed etiam quod vindicandi instrumenti licet ad alium pertinentis ius habeat quisquis chartæ dominus est.[8] Actore igitur qui instrumentum sine vitio nactus sit, hactenus consuletur vt exemplum instrumenti fiat auctoritate iudiciaria, cuius eadem quæ authentici ad probandum vis futura sit,[9] factum vero penes magistrum actorum, Grapharium vocant, deponatur,[10] tum demum actori tradendum, cum sua interesse probauerit,[11] hoc est nominatim se in eo instrumento, aut ab iis qui nominati sint, ius & causam habere. *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de Boniuard & Dominæ Nicolaæ de la Baline 12. Cal. Iul. 1587. & iterum prid. Cal. Iul. 1593.

1 *l. postquam 5 § si dies, D. vt leg. seu fideic. nom. caueat.* Diximus *Defin. 1. 5. hoc tit.*

2 Instrumentum enim subtrahenti nunquam prodest. Imo nocet potius, vt contra eum faciat plenissimam fidem: Bart. *in l. si de possessione, num. 1. 2. & 4. C. de probat.* Quid autem interest an quis faciat per seipsum an per alium? Bart. *in l. vtrum, nu. 1. D. de leg. Pomp. de parricid. & in l. 1. § item acquirimus nn. 9. D. de acquir. poss. & in l. si is qui pro emptore, nn. 61. D. de vsucap.*

3 *l. vlt. C. hoc tit. l. nimis graue 7. C. de testib.*

4 *l. itaque 12. § 1. D. de furt. l. si plures 38. § vlt. D. de adminis. & per tutor.*

5 Quomodo dicimus actionem perdere eum qui corrumpit iudicem vel aduersarium non principalem, *l. 1. C. de pæn. eor. qui mal. iudic.*

6 *l. summa cum ratione 21. D. de pecul. l. pupillus 24 in fin. D. quæ in fraud. credit.*

7 *l. 2. l. ciuile 5. C. de furt.*

8 *l. 3. § penultim. D. ad exhib.* Castr. *in l. proc. num. 3. l. 4. & 6. C. hoc tit.*

9 Exemplum enim instrumenti facit fidem non solum cum eiusdem notarij manu confectum est, sed etiam cum solemniter fuit publicatum Bartol. *in l. in fraud. § neque instrumenta, num. 2. D. de iur. fisci.* Idem Bart. *in l. si quis, § Prætor ait, num. 1. D. hoc tit.*

10 *Arg. l. si reus paratus 73. D. de procurat. l. vlt. D. de tab. exhib. l. 4. D. famil. ercisc. l. 5. eod.*

11 *l. 3. § cond. De tab. exhib. l. 3. § si mecum, l. pen. D. ad exhib.*

DEFINITIO X.

De dilata instrumenti editione conqueri non potest, qui instrumenti tenorem non ignorauit.

VErum quidem est eum, qui instrumenti litis decisorij editionem dolo malo distulit vt aduersarium seque ipsum inanibus sumptibus vexaret diutius, in expensas omnes litis ad id vsque tempus condemnari debere:[1] Sed non est ea traditio perpetua. Quid enim si instrumentum tale sit cuius probabilem ignorantiam obtendere aduersarius non potuerit?[2] Finge apocham[3] ab eo ipso conscriptam qui certi condictione agebat ex chirographo. Imputari magis ei potest cur contra proprium factum venerit, cuius vtique ignoratio nunquam probabilis est,[4] Nisi fortè decennium medio tempore effluxerit, ex quo etiam proprij facti obliuio præsumi solet.[5] *Ita Senatus* in causa Henrici Velliet & Claudij Maliet 5. Non. Aug. 1593.

1 Dixi *Defin. 2. nu. 4. & eod. ex* Felin. *in c. except. de except.*

2 Neque enim per editionem magis certiorandus est, qui iam certus est, *l. 2. D. hoc tit l. 1. § vlt. de act. empt.*

3 Id est pecuniæ solutæ professionem, vt loquitur *l. pecuniæ 14. C. de solut.*

4 *l. quanquam 7. D. ad SC. Velleian, l. vlt. D. pro suo, l. qui in alterius 29. De reg. iur.*

5 Bart. *in l. qui fundum, § seruus meus, num. 1. D. pro empt. & in l. si id quod num. 1. de acq. poss.*

DEFINITIO XI.

De instrumenti editione per calumniam sub iuris prætextu desiderata.

CVm tibi vendidissem annuam frumenti pensitationem, quæ mihi super fundo Corneliano ex contractu censuali aut emphyteutico debebatur, vt eodem iure haberes eam quo penes me fuisset, ac post 20. annos in integrum restitui vellem ex causa enormis, &, vt vocant, enormissimæ læsionis, petiisti à me censualis & emphyteuticarij instrumenti exhibitionem per quam appareret, quibus oneribus ea pensio obstricta esset vt facilius posset dignosci an aliqua læsio interuenisset.[1] Non es audiendus, quia licet instrumenta, quæ ad rem venditam pertinent non solum edenda sint emptori à venditore,[2] sed etiam tradenda simul cum re ipsa,[3] (cum eo scilicet, vt quoties ita res exiget, eadem venditori exhibeantur, interea autem descriptum & recognitum ei fiat, quod pragmatici *extractum* appellant.)[4] In proposito tamen de rescindenda tantum non etiam de implenda & exequenda venditione agitur, Nec tua quicquam, eo nomine, videtur interesse, cum tam longus annuæ pensitationis percipiendæ vsus, post viginti annos tibi ad instar tituli esse possit.[5] Nec credibile est tanto tempore vsum te re vendita, quin perspectum habueris, quibus oneribus annuis æstimationem minuentibus, ea res obstringatur.[6] Cumque non possis dicere quænam alia rei venditæ conditio per tot annos apud te fuerit, quam quæ optima maxima,[7] apparet per euidentem calumniam desiderare te vt eiusmodi instrumentum exhibeatur.[8] Accedebat, quod cum in vendendo conuenisset, vt non prius certam precij partem exigere possem, quam tibi instrumentum illud tradidissem, precium tamen integrum à te postea solutum proponebatur. Proinde credibile erat traditum tibi fuisse instrumentum in necessarium antecedens:[9] Multo magis idem dicendum erit, Si non tu sed heres tuus huiusmodi editionem petat, quam tu viuus nunquam petieris,[10] Ne tum quidem cum aduersus te impetrata restitutio fuit, deque ea lis contestata.[11] *Ita Senatus* in causa D. Senatoris Dauise Prid. Cal. Sept. 1593.

1 Nam si æstimatio cuiusque rei fit qualitate, quantitate & onere inspectis: *Auth. hoc ius porrectum, ad fin. C. de sacrosanct. eccles.* Atqui reus hoc casu petebat editionem ad fundandam suam exceptionem, quod facere potest vt diximus *Defin. 6. num. 1. supr. eod.* Sed habet hic casus specialem rationem, quæ statim sequitur.

2 *L. Titius 48. l. creditor, 52. D. de act. empt. l. cætera, 4. § vlt. D. famil. ercisc. l. locum, 43. de pign. actio.*

3 Sic à Senatu Parisiensi iudicatum refert Ioannes Lucius *lib. 9. Placit. tit. 9. placit. 1.* licet contraria sententia ex supradictis legibus verior videatur, vt instrumenta debeant manere penes venditorem, non penes emptorem.

4 *Arg. d. l. 4. § vlt. & l. 5. D. famil. ercisc.*

5 *L. cum de in rem vers. 6.* vbi Bart. & ibi notant, *D. de vsur.*

6 *Arg. l. in venditione, 41. D. de act. empt.*

7 Hæc enim verba, *optima maxima*, nihil aliud significant, nisi rem esse liberam, *l. penult. D. de euict. l. si cum fundum, 126. l. non tantum, 169. de verb. signif.* In dubio autem præsumitur vnaquæque res libera, *l. altius, 8. C. de seruit.* Bart. *in l. si prius, nu. 14. de oper. noui. nunciat.*

BIU Cujas

8 Exhibitio autem, quæ per calumniam petitur, deneganda est, *l. pen. D. ad exhib.*

9 *Arg. l. Iulianus*, 13. §. *offerri, de act. empt.*

10 *Arg. d. l. cum de in rem verso*, 6. *D. de vsur. l. vir. vsuras*, 54. *de donat. inter vir. & vxor.*

11 *Arg. l. Procula*, 29. *D. de probat.*

DEFINITIO XII.

Appellare quando liceat notario, qui instrumentum edere præcisè iussus est.

AB eo iudicis præcepto, quo iubetur notarius instrumentum edere, quod vel ab ipso confectum dicatur, vel ab alio, cuius ipse sit successor, siue hereditario iure, siue, vt plerunque fit, iudicialis depositi titulo, recte appellatur, si iussum sit præcisum, nec saluam faciat intercedendi potestatem.[1] Quid enim, si notarius aut quisquis ille sit, qui instrumentum edere iubetur, neget penes se habere? An non æquum sit audiri cum prius, quàm condemnari?[2] Planè si edere iussus non negauerit se habere,[3] neque tamen paruerit, potest iterum iuberi & quidem præcisè vt edat, nulla etiam intercessionis facta mentione, neque ab huiusmodi secundo præcepto appellari poterit. Nam si intercedere notarius velit, idipsum facere potest propter clausulam in priore appositam, cum in prioris præcepti consequentiam, posterius quoque factum sit,[4] sibique potius quam iudici imputare notarius debet, cur statim atque primum edere iussus est, non interesserit.[5] *Ita Senatus* extempore in causa Petri Constantin, & Raymondi Faurat 8. Cal. Febr. 1594.

1 Ita enim fit vt cœptum videatur ab executione, quod iuris ratio non admittit *l. 1. C. de exec. rei iudic. l. à Diuo Pio*, 15. *§. sed si emptor. de re iudic.*

2 Neque enim vnquam exhibere quisquam cogitur, nisi qui exhibendi habet facultatem, aut qui dolo malo fecit ne possit exhibere, *l. 3. §. vlt. l. 4. l. si ad exhibendum*, 8. *D. ad exhib. l. vlt. §. 1. D. de appellat.*

3 Nemo enim actionem ad exhibendum, vt nec ad aliam vllam, quæ in rem sit, pati cogitur, cum possit dicere, se non possidere, *l. vlt. D. de rei vindic.*

4 Videtur enim repetitum præceptum cum suis qualitatibus ex notat. per Bart. *in l. ita stipulatus*, *§. Chrysogonus, de verbor. oblig. & in l. institutio, num. 1. de condic. inst.*

5 Cum enim iudex saluam facit intercedendi potestatem, resoluitur iussus iudicis in simplicem citationem, Bart. *in l. de pupillo*, *§. meminisse, de oper. noui nunciat.*

DEFINITIO XIII.

De editione confessionum rei in criminalibus non semper accusatori facienda.

REo crimen confesso, sed cum iis circumstantiis, quæ si veræ essent, aut nulla aut minor pœna esset irroganda,[1] Ita vt committi testes nil sit necesse, probari tamen oporteat, quæ reus allegauit ad tuendam innocentiam, non debent interea edi accusatori confessiones rei, sed tum demum, cum peracto iam iudicij ordine nihil agendum supererit, nisi vt sententia feratur.[2] *Ita Senatus* in causa D. de la Serra, & D. Antonij de Lescheraine prid. Cal. Febr. 1594.

1 Puta si quis confessus sit se hominem occidisse, sed adiecerit, se occidisse ad sui defensionem, quo casu potest scindi confessio, quia reus habet præsumptionem contra se, vt loquitur Bart. *in l. Aurelius*, *§. idem quæsit si tutor*, *nu. 2. D. de liber. legat.*

2 Propter periculum quod subest, ne quid in rei necem actor comminiscatur, vbi didicerit ea, quę reus ad tuendam innocentiam suam allegauerit, eiq; probandi facultatem præripiat.

DEFINITIO XIV.

Instrumenta hereditaria tanquam communia edenda sunt fideicommissario, de cuius iure iam cognitum est.

POsteaquam de fideicommissi iure cognitum & pronunciatum est, cogitur heres petenti fideicommissario exhibere instrumenta omnia ad hæreditatis causam pertinentia.[1] Communia enim sunt, licet remanere debeant penes heredem tanquam digniorem.[2] Nec ad rem pertinet, quod ita futurum sit, vt contra iuris regulas[3] videatur heres parare arma contra se, si aliunde probare fideicommissarius non possit quænam bona sint hereditaria, & consequenter obnoxia fideicommisso.[4] Neque enim sua dicere instrumenta potest, quæ sunt hereditaria,[5] non magis quam hereditatem ipsam, quæ est fideicommissaria:[6] Neque fit ea editio ad fundandam fideicommissarij intentionem,[7] quippe, quæ iam satis superque fundata sit per ipsam fideicommissi adiudicationem.[8] *Ita Senatus* in secreto auditorio 14. Cal. Mart. 1594. in causa Dominorum Dupassier, & de la Roche, tunc Senatorum, nunc Præsidum clarissimorum.

1 *L. instrumenta*, 24. *C. de fideic.*

2 Vt & *in l. 4. §. vlt. & l. 5. D. famil. ercisc. l. Titius*, 48. *l. creditor*, 52. *D. de act. empt. l. cum plures* 15. *D. de reb. auct. iud. poss.*

3 *L. 4. & vlt. C. hoc tit. l. nimis graue*, 7. *C. de testib.*

4 Cum non alia bona contineantur fideicommisso, quam quæ fuerunt defuncti, *l. coheredi* 41. *§. cum filiæ, de vulg. & pupill. substit. l. in fideicommissaria*, 18. *§. 1. D. ad SC. Trebell.*

5 Sunt enim potius communia, ideoque edenda, *ex l. procurator, C. hoc tit.*

6 Hereditas enim fideicommissaria post restitutionem pertinet ad fideicommissarium, *l. 1. D. ad SC. Trebell.* licet heres maneat, qui semel heres fuit, *§ restituta, Instit. de fideic. hered.*

7 Quo casu non cogeretur heres fideicommissario edere, *l. 5. §. si dies, D. vt legat. seu fideic. nomin. caueat.*

8 Aliud enim est de iure, aliud de quantitate fideicommissi quærere, *l. ille à quo*, 13. *§. quid ergo, D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XV.

Instrumenti in iudicio editi retentio prætextu dominij nulla competit.

ETsi non leuis præsumptio est, eius esse scripturam cuius manu scripta sit,[1] nisi ad alium missam, eíve traditam, aut alterius solius gratia conscriptam esse appareat:[2] Si tamen penes eum reperiatur, qui sit probæ famæ, & ad quem inuito eo, qui scripsit, non sine scelere potuerit peruenire, ac cuius interfit habere difficile est, vt non traditionis potius quam delicti præsumptio capi debeat.[3] Nec eius qui scripsit iuramento, vt vocant, purgatorio committenda res erit, an eam scripturam casu aliquo amiserit.[4] Non enim amissio probatur iuramento ad agendum, sed tantum ad excipiendum.[5] Quid ergo si is, penes quem ea scriptura erat ante litem institutam pendente postea lite aduersario eam ediderit, atque ita possessor factus aduersarius, retinere velit quasi suam, & à se casu amissam iurare paratus sit? Videtur enim res hæc ad exceptionis potius quam actionis causam pertinere. Sed magis est vt audiri non debeat nec haberi pro possessore, qui non nisi per editionis speciem possessor factus sit,[6] ac proinde sub onere restituendi.[7] Ne alioqui deterior fiat conditio eius, qui publicam fidem iudiciorum secutus scripturam edidit, cuius citra editionem possessor fieri aduersarius non potuisset.[8] Ita enim fieret, vt iniuriæ materia proficisceretur vnde iura nascuntur.[9] Proinde condemnandus erit aduersarius, vt scripturam illam ei qui edidit restituat.[10] Nisi is qui edidit vltro deferat conditionem, vt penes actuarium scriptura sequestretur,[11] subnotanda prius, &, vt pragmatici loquuntur, paraffanda, ne varietur:[12] In eiusque locum vtrique ex litigatoribus exemplum edatur, cui fides ex personæ publicæ subscriptione constet.[13] *Ita Senatus* in causa R. D. Episcopi Mauriannensis & N. Bernardi Dacquin procuratoris in Sabaudia fiscalis ante Cal. Mart. 1594.

BIU Cujas

1 Bart. *in l. qua ratione, §. literæ, nu. 1. de acquir. rer. dom.*

2 *L. absenti, 10. D. de donat.*

3 Odiosa enim est præsumptio delicti, *l. merito, 51. D. pro socio, l. 4. Cod. si seru. export. ven.* Glos. *in can. absit, quæst. 1.* Nam delictum nunquam est sine dolo, qui porro nunquam præsumitur, nisi probetur, *l. dolum, Cod. de dolo, l. quoties, 18. §. qui dolo, de probat.*

4 Licet instrumenti amissio vt & alius quilibet casus probari soleat per iuramentum, *l. vltim.* vbi Bart. *in 2. lect. num. 4. Cod. de fid. instrum. l. 4. §. sed si seruus, D. hoc titul. l. cum plures, 15. in fin. de rebus auctor. iudic. possid. l. præsenti 6. §. sane, C. de his qui ad eccles. confug.*

5 Bart. *in l. si quis, §. an & heredi, nu. 2. D. hoc tit.*

6 Instrumenta enim eduntur vt inspiciantur, non vt retineantur aut vt eorum possessio amittatur, *l. 5. D. famil. ercisc. dict. l. cum plures, 15. §. vlt. de reb. auct. iud. possid. l. argentarius, 10. §. edict. D. hoc tit.*

7 *Arg. l. qui sic soluit 55. D. de solut.*

8 Nemo enim parendo iudici æquam rem decernenti facit conditionem suam deteriorem.

9 *L. meminerint, 6. Cod. vnde vi, l. 2. Cod. de his, qui ven. etat. impetr. l. omnium, 19. Cod. de testament. l. 2. in fin. Cod. de indict. viduit. tollen.*

10 Qui enim ab alio possidet, nunquam debet vincere ob id solum, quod possideat, *l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

11 *Vt in l. vlt. D. de tab. exhib. l. 4. §. vlt. famil. ercisc.*

12 Inspectio enim materiam falsa fabricando instruere potest, *l. 2. §. diem autem, D. test. quem aper.*

13 *Ex not. Def. 9. num. 9. s. eod.*

DEFINITIO XVI.

De codice rationum per mercatorem exhibendo.

QVod dicitur mercatorem cogendum edere libros rationum, siue de illo quæratur, an quod petitur debitum vnquam fuerit, siue de illo an solutum sit,[1] quidam sic accipiendum putabant, si ex codice rationum mercator ageret, non etiam si ex chirographo alióve instrumento. Propterea, quod qui extra librum rationum sunt obligati soleant alias quam ex ipso rationum libro soluto pecuniæ probationes sibi comparare.[2] Mihi tamen probabilius videbatur, non posse vllo casu mercatorem bona fide recusare quominus librum exhibeat,[3] præsertim ad probandam exceptionem rei obiicientis solutionem.[4] Multo magis vero, si mortuo debitore conueniatur fideiussor, isque petat huiusmodi editionem, vt sciat an debitor soluerit nec ne, cum probabiliter id ignorare possit.[5] Neque enim huic imputari potest, cur extra codicem rationum apocham non petierit.[6] Cæterum, si non nisi ex priuatis rationibus agens mercator librum edere cogitur, quænam, obsecro, vtilitas esse potest, aut quis effectus eius sententiæ, quæ habet cogi mercatorem vt edat? An non enim satis edit hoc ipso, quod ex eo libro agit tanquam creditor.[7] *Ita tractatum est* in causa Francisci La Piancha & N. Moret 5. Idib. Nouembris 1594.

1 Bart. *in l. quædam, §. numularios, num. 1. hoc tit.*

2 Scilicet per apochas, quas vulgus *Quittancias* vocat, vt vnumquodque dissoluatur, eo modo quo colligatum est, *l. prout, 80. de solut. l. nihil, 35. de regul. iur. l. testium facilitatem, 18. Cod. de testibus.*

3 Videtur enim liber ille rationum confectus mandantibus iis, cum quibus mercator contrahit, vt tractat Bart. *in l. 1. in 2. lectur. C. hoc tit. num. 3. ex arg. l. vel vniuersorum, 12. D. de pignor. act.*

4 Cogitur enim actor edere reo ad fundandam exceptionem, Bart. *in l. 1. §. editiones, D. hoc tit. nu. 7. ex l. vlt. C. eod. l. dissolutæ, C. de condict. ob caus. l. qui tabulas, de furt.*

5 Alieni enim facti ignoratio semper probabilis est, *l. vlt. D. pro suo, l. si fideiussor. 29 in princ. & §. 1. 2. & 3. mandat.*

6 Non enim apocha, alij solet conscribi quam ei ipsi, qui soluit, licet solutio facta à debitore prosit fideiussori, cuius obligatio cum non nisi accessoria sit, subsistere non potest sublata principali, *vulg. in rib.*

7 Illud enim constat non posse fieri, vt instrumentum edere non debeat, quisquis ex eo instrumento agere vult & vincere, *l. 1. §. edenda*, vbi Bart. *D. hoc tit.*

DEFINITIO XVII.

Cessionarius ad eam tenetur editionem, ad quam cedens teneretur.

QVo casu mercator cogitur librum edere rationum,[1] cogitur etiam is, qui à mercatore cessum ius habet, si agat ex cessione,[2] Quia licet ipse librum non habeat, facere tamen potest, vt cedens qui habet & potest exhibere, ob eam causam in ius veniat exhibiturus, aut causam dicturus cur non debeat exhibere:[3] Denique non potest cessio deteriorem facere debitoris conditionem,[4] si inscio vel inuito eo facta sit,[5] æquumque est cessionarium eadem exceptiones pati, quas cedens ipse pati cogeretur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De quo scripsimus proxima Definitione.

2 *Arg. l. ex qua persona, 149. de reg. iur. l. seruum quoque, 33. §. æquum, & §. vlt. cum l. seq. l. pater, 70. D. de procur.*

3 *Arg. l. si nomen, 4. & seqq. C. de hered. vel act. vendit. l. 1. vbi not. C. credit. euict. pignor. non deber.*

4 *L. non debet, 74. l. melior, 133. de reg. iur. l. seruitutes, 20. §. pen. D. vrban. præd.*

5 Quomodo fieri potest. In quo differt cessio à delegatione, *l. 1. C. de nouac.*

6 *L. apud Celsum 4. §. pen. D. de dol. mal. except. l. 3. §. per iniuriam, D. de pig. l. fin. de excep. rei vend.* Scripsi *li. 12. Contect. cap 9. vbi vide.*

DEFINITIO XVIII.

Qui producit publicam nec suspectam instrumenti expeditionem, non cogitur edere protocollum, nisi postquam in crimen falsi subscriptum est.

NOn est arctandus vt protocollum exhibeat is, qui profert instrumentum nullo visibili vitio suspectum,[1] nec si aduersarius dicat, velle se solemnem falsi accusationem instituere viso protocollo.[2] Sane post solemnem inscriptionem, quia per eam suspecta sit fides instrumenti producti, protocollum exhibendum est, & quidem sumptibus eius, qui instrumento vtitur.[3] *Ita tractatum est* in Senatu & publico Auditorio in causa N. Vallier & N. Francisci Du Poysat 12. Decem. 1595.

1 Dixi *Defin. 5. s.*

2 Quamuis non deessent, qui contra putarent, *ex l. vlt. C. de fid. instrum.*

3 Dixi *dict. Defin. 5. s. vbi vide.*

DEFINITIO XIX.

Non sunt edendæ literæ monitoriæ, quarum publicatio petitur ad habendas criminis probationes. Sed ea publicatio non nisi permittente Senatu facienda est. Et quid si reus publicationi intercedat?

QVi monitorias literas impetrauit ad extorquendas occulti criminis probationes, non magis cogitur eas aduersario petenti edere, quam libellum, quo contineatur querela, de qua inquirendum est.[1] Sufficit itaque vt edantur procuratori generali, ad quem maxime pertinet, vt videat, ne quid tale sit in iis literis, quod vel scandalo, vel infamiæ alicui esse possit.[2] Proinde si procurator generalis consentiat, nec aliud Senatui videatur,[3] permittitur publicatio. Cuius decreti ea est auctoritas, vt quamuis redditum sit inaudito aduersario, non possit tamen ille ab eo prouocare, ne quidem tanquam ab abusu, tametsi reuera abusus interuenerit.[4] Quid si velit intercedere, & vt loquuntur, se opponere? Non erit Senatus aut alterius iudicis laici cognitio: sed ad Ecclesiasticum iudicem res pertinebit.[5] Verum neque permittendum, vt

BIU Cujas

eiusmodi interceſſionis prætextu mora fiat inquiſitioni criminis,& liti de ea re apud Senatum aut iam inſtitutæ,aut iamiam inſtituendæ. [6] *Ita Senatus* ex tempore in cauſa D.de Quiege contra Ioannem Choudan, niſi quod ad vltimum hoc caput attinet. In eodem Auditorio.

1 Fit enim ea inquiſitio ſecreto, ne alioqui facile fuerit teſtes audiendos corrumpere, atque ita criminis probationem impedire,quæ tamen neceſſaria eſt,vt ſequi poſſit condemnatio, *l.ſciant cuncti,C.de probat.*

2 His enim caſibus ſi quid tale occurreret,huiuſmodi literarum publicatio permittenda non eſſet, vt conſtat ex ſacroſancto Concilio Tridentino, *Seſſ.25.cap.3.* Vide *l.vnic.in fin.C.de famoſ. libell.*

3 Poteſt enim Senatus ex cauſa negligere conſenſum procuratoris generalis.

4 Nec enim poteſt Senatus abuti, aut à Senatus decreto vllo vnquam appellari,vt dixi *tit.de ſent.præſ.prætor. 5.*

5 Quia probationis ſpecies iſta ſpiritualis eſt,ideoque non poteſt coram iudice laico tractari, *cap.ſi iudex laicus, de ſent.excommun.in 6.*

6 Propter periculum ſcilicet,quod ſubeſt,ne interim probationes intercidant, quas ſemper ſaluas eſſe oportet, *l.in lege, 4.D.ad leg.Aquil.l.curent,22.D.de teſtib.* Iunge *Defin.38. infr. de iuriſdict.omn.iud.*

DEFINITIO XX.

Caſus in quo is qui vicit etiam poſt victoriam cogitur edere condemnato.

QVi pro laudimiis condemnationem obtinuit aduerſus emptorem, recuſare non poteſt quominus eadem inſtrumenta cenſualia per quæ vicit edat poſtulanti & condemnato emptori. [2] Si velit ille regreſſum eo nomine habere aduerſus venditorem, qui fundum liberum,&,vt loquuntur,allodialem vendiderat. [3] Nec aliud eſt etiamſi emptor ipſe ad laudimiorum ſolutionem conuentus, aut vltro confeſſus ſit ſe debere, [4] aut per contumaciam ſe condemnari paſſus ſit. Non enim ideo minus regreſſum habere debet emptor aduerſus venditorem,dum ſe iure meritóque victum poſſit oſtendere. [5] Quod tamen non per alia inſtrumenta facere poteſt quã ipſa per quæ aut victus ille ſit,aut vinci iure potuerit. [6] Qua vero fronte poteſt dominus feudi idémque victor dicere nullo ſe iure viciſſe tum quoque cum vicit per emptoris vel confeſſionem vel contumaciam? [7] Eadem ergo inſtrumenta exhibere emptori debet, vt poſſit ille victus eodem prorſus iure venditorem vincere. [8] *Ita Senatus* pro D.de Grilly Priore Romuliaci, contra Ioannem & Antonium Rey 6.Cal.Sept.1612.

1 Emptor enim ille eſt qui debet laudimia fundi,cuius dominium ſibi per emptionem acquiſiit, *l.vltim. C.de iur.emphyt.* Teneturque eo nomine domino directo tribus actionibus de quibus *Defin.7.ſ.ill.tit.*

2 Debet namque dominus directus probare ſuam intentionem cùm alioqui noua omnia præſumantur libera & allodialia *l.4.vbi not.D.de iuſt.& iur.l.altius* 8.*C.de ſeruit.& aqua.*

3 Nam ex hac cauſa ſolet actio ex empto competere, *l.ſi tibi* 8.*de act.empt. l.penultim. D. de euiction. l.* 41. *l.cùm venderes 59. de contr.empt.*

4 Quo caſu confeſſus habetur pro iudicato, *l.*1. *l.certum, 6. D.de confeſſ.*

5 Alioqui præſumptio eſt contra contumacem, quod victus ſit propter abſentiam ſuam potiùs quam quod malam cauſam habuerit, *l.ſi ideo 55.& ibi not.D.de euict.*

6 Nec enim probatur emphyteuſis niſi per ſcripturam quæ aut proferatur aut deperdita probetur, *l.*1.*vbi not.Cod.de iur.emphyteut.*

7 Nam & ideo ſolebat olim iurari de calumnia & malitia in ipſo litis primordio *l. iuſiurandum* 34. *§. qui iuſiurandum, & ſequent. l.ſi non fuerit* 37. *D.de iureiurand. l.delata, 9. Cod.eod.*

8 Cum in ea re nullum ſit victoris diſpendium faciléque concedi debeat quod vni prodeſt & concedenti non nocet *l.in creditore* 38.*D.de euict.*

DEFINITIO XXI.

Caſus in quo creditor reditus annui non cogitur edere inſtrumentum primæ conſtitutionis.

CVm de cenſu & reditu annuo tanquam immodico,debitor conquereretur, [1] conuenerat per tranſactionem vt reditus ille ad minorem quantitatem redigeretur. [2] Sed ita tamen vt quantitas ſortis cuius precio redimi cenſus poſſet, neque expreſſim declarata eſſet, neque ex comparatione cenſus annui colligi vllo modo poſſet. [3] Conuentus poſtea debitor ad ſolutionem cenſus & reliquorum ex die tranſactionis præſtandorum, [4] negabat ſe teneri ſi non ante omnia prius inſtrumentum ederetur, vt ſcire poſſet quanta pecunia redimere cenſum poſſet ac quibus condicionibus eſſet conſtitutus. [5] Præſertim cùm is qui conueniebatur,non ille eſſet qui primus contraxerat, cenſumque conſtituerat, ſed tertius pignorum poſſeſſor, qui alieni facti iuſtam & probabilem ignorantiam obtendere poſſe videbatur. [6] Verùm placuit nullo iure huiuſmodi editionem poſtulari,propterea quòd actoris intentio ſatis fundata eſſet ex inſtrumento tranſactionis, reóq; conuentio incumberet, vt ſi redimere cenſum vellet, quantitatem declararet ac offerret qua contentus eſſe creditor cogeretur. [7] Quod ſi propter inſtrumentum prius deperditum ſciri nullo modo poſſet, Eam in dubio capiendam præſumptionem vt ad ratam quincuncis vſuræ conſtitutio cenſus annui facta videri deberet: [8] quæ iuſtior, & frequentior eſt huiumodi cenſuum conſtituendorum forma, [9] licet ad ratam vſque ſeptuncis conſtitui poſſint. [10] Id verò in propoſita facti ſpecie tanto æquius videbatur quod pignorum poſſeſſor, idémque reus tranſactioni adfuiſſe tanquam arbiter proponebatur, & exinde pignora comparaſſe,vt proinde ſortis quantitatem ignorare probabiliter non poſſet. [11] Si tamen ius aliquod pignoris anterius in iis bonis idem reus haberet, placuit non eo minus vincere illum debere ſi non quicquid ei ex anteriore cauſa debitum eſſet ab actore offerretur. [12] *Ita Senatus* pro fratribus Ralon contra Hieronymum de Veygiez. Cal.Apr.1614.

1 Extat enim apud nos edictum quo reditus iſti annui ſi in merce aliqua præſtandi ſint vſurarum ſeptuncium modum excedere prohibentur,de quo vide *Defin.19.ſ.de vſur.*

2 Puta ex duodeuiginti florenis ad tredecim.Ita enim ex facto acciderat.

3 Alioqui certa eſſet quantitas quæ per relationem fieri certa poſſet *l.certum 6.D.de reb.cred.*

4 Nec enim aliud edictum Ducis noſtri de quinquennali præſcriptione in penſionibus annuis inducenda ad iſtos reditus annuos pertinet,vt dixi ad *Defin.15. num.vltim. infr. de præſc.* 30.*vel* 40. *annor.*

5 Dici enim ſolet non eſſe credendum referenti niſi conſtet de relato, *vulg.Auth.ſi quis in aliquo C.hoc tit.*

6 *L.vlt.c.pro ſuo.*

7 Nam reus quoque cùm in exceptione actor ſit, debet probare id quod eſt fundamentum ſuæ intentionis *l.in exceptionibus,19.D.de probat.*

8 In dubio enim credendum eſt factum eſſe quod quotidie fieri ſolet maximè in contractibus bonæ fidei *l.quòd ſi nolit* 31. *§.quia aſſidua de ædilit.edict.*

9 Quia & vſuræ quincunces tanquam moderatiores magis apud nos frequentantur.

10 Ex edicto Ducis Emanuelis Philiberti,quod tamen loquitur de reditibus annuis conſtitutis non in pecunia, ſed in merce, à qua facilius eſt vt fiat pactio in fraudem legitimarum vſurarum prætextu incertitudinis precij *l. frumenti* 17. *l.oleo* 23. *C.de vſur.*

11 *L.vlt.D.de inoff.teſt.* Præſentia enim ſemper excludit ignorantiæ allegationem præterquam in furioſo aut pupillo, quia etiam præſentes abſentium loco habentur, *l.vbi non nocet,* 124. §.1.*de reg.iur.l.ſed ſi* 57.§.*filiusfamilias,D.de iniur.*

12 Nam contra creditorem anteriorem pignoratitium,poſterior nullum ius habet niſi offerendi *l.*1.*& tot.tit. C.qui potior. in pign.hab.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXII.

Actor editionem instrumenti cum alio confecti à reo petere ad fundandam suam intentionem non potest.

CONuenerat inter Titium, Mæuium, & Sempronium vt si pignora Titio data à Sempronio euinci contingeret, quæ in anteriore contractu expressa & designata fuerant, Mæuius & eius heredes de euictione tenerentur. Defunctis omnibus cùm heredes Titij nescirent vbinam essent illa pignora, postulabant edi sibi anterius instrumentum quo fuerant constituta.[1] Negabant heredes Mæuij se teneri ad editionem. Non solùm quod inter alios contractus ille celebratus esset,[2] verùm etiam quòd cùm non ad aliud Mæuius obligatus esset quàm vt euictionem præstaret, actoris erat edere instrumentum quo actionem suam & intentionem probare contendebat,[3] adeóque docere secutam euictionem vt agere de euictione posset.[4] Placuit nullo iure editionem postulari, quod neque actori vlla nisi de euictione actio competeret, neque dici posset euicta esse pignora quæ vbi essent ignoraretur.[5] Plane si ad eam editionem faciendam heredes Sempronij conuenirentur, vix posse illos recusare quominus instrumentum illud ederent quo data pignora dicebantur, cum neque se debitores negare possent qui erant heredes debitoris,[6] neque in dubium vocare an aliqua essent data pignora, de quo ex verbis enunciatiuis inter eosdem contrahentes eorúmve heredes constabat.[7] Itaque hoc casu editio non tam ad fundandam quàm ad adiuuandam actoris intentionem pertinere videbatur.[8] *Ita Senatus* in causa N. Humberti de Ville contra sorores Poncet 17. April. 1614. de quo in Defin. 12. infr. de nouat. & Defin. 58. de solut.

1 Ex regula *l. qui in alterius 42. de reg. iur.* Semper enim alieni facti ignorantia tolerabilis est *l. vlt. D pro suo.*

2 Nemo enim ex alieno contractu conueniri potest, *l. quæcunque 11. de oblig. & act.*

3 *l. 4. C. hoc tit. l. nimis graue, 7. C. de testib.*

4 *L. habere 57. D. de euict.*

5 Certum enim corpus esse oportet vt certa fieri possit euictionis æstimatio *l. bonitatis 13. l. euicta 70. D. de euict.*

6 *l. vlt. C. de hered. act.*

7 Cùm verba enunciatiua probent inter easdem partes *Not. in l. optimam D. de contr. & commit. stipul.*

8 *Not. in l. 1. lib. vlt. C. hoc tit.*]

TIT. II.

DE IN IVS VOCANDO.

DEFINITIO I.

De solemnitatibus vocationis in ius.

QVM in ius vocandus is est, qui domicilium habet in prouincia, constat non aliter bene factam videri vocationem, quam si eum ipsum aut præsentem, vbicunque, aut absentem, ad domicilium apparitor conuenerit,[1] eíq; si præsens fuit, vocationis factæ testationem scriptam recusanti quoque & inuito dederit,[2] Aut si abfuit domicilij foribus affixam,[3] vno saltem teste vidente,[4] reliquerit. Vnum ex familiaribus & domesticis ab apparitore conuentum esse non sufficiet, ne filium quidem aut patrem aut vxorem,[5] si non ea conuentio ad domicilium facta sit.[6] Sane testationis quam de ea re confici scriptámque reo relinqui necesse est, vt nullam contumaciæ suæ iustam excusationem possit prætexere,[7] non vxori tantum, sed alij etiam ex domesticis personis cuilibet, relictam scripturam esse satis erit, nec eam domicilij foribus omnimodo affigi oportebit.[8] Illud tamen meminisse apparitor debet, vt si cui ex domesticis suę testationis exemplum reliquerit, eidem pro suo iure imperet vt absenti reo quamprimum fieri poterit reddendum id curet,[9] ne postea conqueratur frustra, si absens & inauditus condemnetur.[10] Itaque tutius est, ne quid omittatur ex solemnibus, pro foribus domicilij exemplum affigi,[11] quamuis si cum honesta & egregia persona res sit, multo inciuilius id futurum sit.[12] *Ita Senatus* sæpius & nouissime 18. April. 1614. Iunge Defin. 1. De bon. auctor. iudic. possid.

1 Boer. *quæst. 11. nu. 1. & 3.* vbi addit, si quis plura habeat domicilia, sufficere vt ad alterutrum citatio facta sit. Facit *l. 4. §. prætor ait, & §. toties, D. de damn. infect. l. 1. §. 1. de agnosc. liber.* Bart. *in d. §. prætor ait.*

2 In eoque remanet vestigium aliquod veteris illius editionis quam ab actore fieri necesse erat antequam reus in ius vocarerur, vt sciret reus, an contendere deberet an cedere, *l. 1. in princ. & §. edere, D. de edend.*

3 *Dict. l. 4. §. toties, D. de damn. infect.*

4 Testatio enim denunciatio est facta coram testibus, *l. 1. §. sed etsi contra testationem, D. quod vi aut clam, l. 5. §. vlt. de admin. tutor.*

5 Requirit enim stylus noster practicus, vt vel ipsi reo, vel ad domum denuncietur, quod & scriptum est *in d. l. 4. §. prætor ait, D. de damn. infect. l. item, 20. §. petitam, de petit. hered.*

6 Hoc enim casu sufficit denunciari etiam inquilinis, *d. §. prætor ait, in fin. l. 5. §. & si forte, & §. seq. D. quod vi aut clam.*

7 *Arg. l. qui tabulas, 27. D. de furt.*

8 Tunc enim libellus ad ipsas ædes proponendus est, cum nemo est, cui possit denunciari, *d. l. 4. §. toties, de damn. infect.*

9 Quid tamen si certiorare iussus vel non potuerit, vel cum posset non fecerit? Non debet ea res nocere ignoranti, *d. l. item veniunt, 20. §. petitam, D. de petit. hered.* Ex quo apparet, cautionem hanc parui esse momenti.

10 Absens enim nemo condemnandus est, *l. 1. D. de requir. vel absent. damn. l. absentem, 5. D. de pœn.* Sed tamen sufficit id factum esse per quod potuerit innotescere, licet reuera non innotuerit, *d. l. 1. §. præsides, de requir. reis.*

11 *Dict. l. 4. §. toties, de damn. infect.*

12 Etsi enim multo inciuilius est extrahi quem de domo sua, quia domus tutissimum cuiusque refugium est, *l. plerique, 18. D. hoc tit. l. nemo de domo, 103. de regul. iur.* Tamen illud etiam inciuile est, quamuis non prohibitum, proponere & affigere libellum ad fores domicilij, quandiu aliquis est in domicilio cui denunciari possit, *d. l. toties.*

DEFINITIO II.

De citando eo, qui abest à prouincia, & de clausula, Decernentes.

AT quid si in prouincia domicilium nullum habeat is, qui in ius vocandus est, nec in ea reperiri possit? Remedij vice introductum est, vt certis locis in eam rem destinatis ad vtriusque prouinciæ confines proximiores fiat vocatio,[1] atque ibidem factæ vocationis testatęque exemplum per apparitorem publice affigatur.[2] Sed illud tamen præterea requiritur, vt iudex, cuius imperio ea vocatio fit, hanc ipsam vocandi in ius aduersarij formam præscribat, decernátque perinde illam valere, ac si præsentem reum apparitor conueniret: quam pragmatici nostri clausulam *Decernentes* vocant. Alioqui vix sane est, vt iuris ratio patiatur, ita quem vocari in ius, vt vocatum se nunquam sciat.[3] Quam ob causam quidam putabant nec aliter remedium hoc admitti debere, quam si prius rogatus sit is, qui alienæ præest prouinciæ, vt reum ipsum conueniri vocarique patiatur.[4] Sed cum pro tuenda iurisdictionis suę dignitate nunquã id ille sit permissurus,[5] quænam obsecro causa est, cur actor inanium sumptuum incommodo sit onerandus?[6] Esset fortasse tolerabilius ad id actorem adigere, vt vocationẽ in prouincia factam habitanti extra territorium reo denunciare & insinuare, quod fieri commodè etiam

BIU Cujas

sine iudice potest, [7] cogeretur: idque rei sumptibus, si iustam fuisse denunciandi causam quandocunq; postea ex bono iustæ litis euentu appareret. [8] Sed alio iure vtimur. [9]

1 Sufficeret enim fieri citationem & denunciationem hoc casu ad prædium, si de prædio ageretur, *dict. l.4.§ prætor ait, de damn.infect.*

2 *Arg.d.l.4.§.toties, eod.*

3 Ita enim fieret vt absens condemnaretur, contra *l.absentem, D.de pœnis.* Siquidem denunciatio ipsa est, quæ in dolo constituit aduersarium, *l.quædam, 9 §.1.D.de ædend.* & facit vt absens habeatur pro præsente, *l.si rem, 62.§.1.D.de euict.l.ea quæ, 7.C.quomod.& quand.iud.*

4 Quæ vulgo dicuntur literæ requisitoriæ, de quibus apud Iustin. *Nouell.17.de mand.Princip.c.14. §.sed etiam suscipientes, & Nouell.134 c.5. §.si vero cognoscatur.* Neque enim turbandæ sunt iurisdictiones, *l.vlt.D.de iurisd.omn.iud.l.cum vnus, 12. §.1.D.de reb auct iud.possid.l.3.§.vlt.D.de testib.Vide* Rebuff. *in tract. de lit. requisit.seu rogat.* & Gayl. *lib.1. obseru.c.56 num.5.*

5 Id enim est, quod requisiti iudices dicere solent, *sans distraction.*

6 *Arg l.1.D.de inoff testam.*

7 Quia denunciatio, cum sit actus extraiudicialis, potest fieri vbicunque & nullo præcedente mandato, quod in citatione diuersum est, Bart. *in l.fin.num.1 C.de exhib reis.*

8 Neque enim posset reus imputare actori cur se certiorasset, aut cur ad se certiorandum sumptus eos feciisset, quos necessariò fieri oportuit.

9 Vt nimirum sufficiat ad validandam citationem, quæ fit in confinibus prouinciæ, adiectam esse clausulam, *Decernentes*, propter auctoritatem rei iudicatæ, quæ ius facit, *l.seruo, 65. §. cum prætor, D.ad SC.Trebell.cum simil.* Quid verò si nesciatur in qua prouincia is habitet, qui absens est? sunt qui putent præsumendum esse quòd sit in ea prouincia quæ vicinior est, ideoque citari eum debere in loco limitropho viciniore: sed displicuit sententia. Nam si non sit longa absentia præsumendus est domicilium vetus retinuisse, & idcirco ad domicilium illud citari potest & debet, si verò longa est absentia, dandus est bonis absentis curator qui postmodum citetur. Ita Senatus in causa Andreæ Martini 16.April.1614.]

DEFINITIO III.

De citando pupillo, siue tutorem habeat siue non.

SI pupillus tutorem habens in ius vocandus sit, non sufficiet ad patris domicilium factam esse vocationem, [1] sed tutorem ipsius aut præsentem si adsit, aut si absit in domicilio proprio conueniri oportebit, ac si tutor ipse esset, qui in ius vocaretur. [2] Neque enim pro absente haberi debet pupillus, qui tutorem habet, [3] sicut nec aliud domicilium habere intelligendus est, quam quod sit tutoris. [4] Tutor namque, quod ad pupillarem administrationem pertinet, domini vice & partibus fungitur. [5] Sin pupillus tutorem non habeat, omnimodo ei quærendus dandúsque erit, [6] quoniam in actionibus exercendis aut suscipiendis pupillus tutore destitutus pro nullo potius, [7] quam pro absente habendus videatur. [8] Minoris curatorem habentis alia ratio est: Ipse namque minor citandus est non curator, quamuis vniuersorum bonorum, quia non personæ sed bonis datur. [9] *Ita Senatus* in causa D.de Barbarel tutoris liberorum de Montepin 13.Cal.Aug.1588.

1 Non enim domicilium patris semper est domicilium filij, *l.placet 3 & seq.D.ad municip.* Plane sufficiet citatum esse pupillum si modo non sit infans, quamuis non possit comparere in iudicio legitime sine tutore, Bart. *in l.1.§.sufficit, nu.2. D.de excus.tutor.* In eoque pluris iuris habet quam furiosus, qui vtique citari nunquam potest, sed eius curator citandus est, *l.2.* vbi Bart. *D. de condict. furt.* Intellige autem de citatione verbali, nam realis non potest fieri contra impuberem, *l.neque impuberes, 22.* vbi etiam Bart. *num.1. D.hoc tit.*

2 Sic & aliis quibusdam casibus eadem ratio est eius, qui conuenitur tanquam tutor, quæ esset, si proprio nomine conueniretur, nimirum cum conuenitur, vt in *l.sed et si 10.§.vlt. D.hoc tit.* non etiam si pupilli nomine agat, *l.quæsitum.16.eod.*

3 *Argum. l.hæc autem, 5. §.non defendi, D. quibus ex caus. in poss. eat.*

4 Quamuis possit etiam pupillus sibi domicilium constituere, Bart. *in d.l.placet, D.ad municip.*

5 *L.quoties, 21. §.si tutor.de noxal. act. l.qui fundum, 7.§.si tutor. D.pro empt. l.tutor 27. D.de admin.tutor.*

6 Quia licet possit citari sine tutore, non potest tamen sine tutore comparere in iudicio, *l.1. & vlt. C.de in lit.dand. tut.* Aliquando tamen sufficit vicinos euocari cum nullus tutor est, *d.§.non defendi.* Quoniam in illo casu modicum pupilli damnum est, cuius scilicet bona definunt possideri, statim atque incipit ille defendi.

7 Ideóque nec videri potest contumax pupillus, qui tutorem non habet, *l.contra pupillum, 54. D.de re iudic.* iunct. *l.apud act. 45.§.vlt.eod.*

8 Textus est elegans *in l.cum filiusfamilias, 49.§.in hac stipulatione, de verb.oblig.*

9 *L.cum in vna, 17.§.1. D.de appellat.*

DEFINITIO IV.

Procuratorem citatum esse sufficit cum appellatum est ab interlocutoria.

PRocuratorem tanquam dominum litis [1] vocari in ius sufficit, quoties agitur de prosequenda appellatione, quam aut ipse aut is, à quo constitutus est, interiecerit ab interlocutoria iudicis pronunciatione. [2] Perindéque omnia cum procuratore agi possunt, ac cũ eo ipso ad quem res pertinet. [3] Vide Titul.de appellat.Defi.1.

1 Scilicet lite contestata, *l.4.§.vlt.D.de appell.l.nulla dubitatio est, 3.C.de procurat.* [Vide Boer. *decis.285. per tot.* Bart. *in l.furioso.num.4.& seq. D.de re iudic.* Rebuff. *in tract.de citat.*]

2 Nam si diffinitiua sententia lata sit aliud est, quia potest dicere procurator, se officio functum esse. Et regulariter melius est citare primo dominum quam procuratorem, Bart. *in l. eum qui res, 3.num.2.C.de procur.*

3 Procurator enim in eo, in quo procurator est, vicem domini gerit, *l.ossa, 8.§.vlt.D.de relig.& sumpt.fun.*

DEFINITIO V.

Mulier nupta sequitur domicilium mariti, licet ex paterno contractu conueniatur.

NVpta mulier sicut mariti domicilium iure communi sequitur, [1] ita in domicilio mariti non patris conuenienda est & in ius vocanda, [2] tametsi ex contractu paterno conueniatur, [3] in cóque loco reperiatur vbi pater & debuit & domicilium habuit. [4] Vide tit.de iudic. Defin.4.& 5.

1 *L.vnic. C.de mulier à quo loco l.vlt. C.de incol.& vbi quis domicil.l.vlt.§.item rescripserunt mulierem, D.ad municip.*

2 *d.l.vlt.C.de incol.& vbi quis domicil.l.5. §.sed & Seruius, D. quod vi aut clam.*

3 Liberi enim patris quidem originem, sed non domicilium sequuntur, *l 3. & 4. l.adsumptio, 6. §. filius ciuitatem, D.ad munic.*

4 *L.heres absens, 19. in princip. D.de iudic.* Intellige, nisi lis cœpta erat cum defuncto, *l.si is, qui Romæ, 34. eod.regula l.si quis 7.& l.vbi testatum, 30.eod.tit.*

DEFINITIO VI.

Casus, in quo non est contumax, qui non adest ad diem quem ipse dixit.

APpellans à diffinitiua sententia, non aduersario, sed ipsius tantum procuratori diem dixerat ad prosequendam appellationem. Procurator ad dictam diem adfuerat, appellans ipse abfuerat, an quasi contumax condemnandus erat? Minime. Neque enim contumax videri potest, qui in ius non venit, si necdum aduersarius in ius vocatus sit. [1] Quid autem interest, an perperam vocatus sit an nullo modo? [2] Atqui constabat in proposito, male diem procuratori dictum, qui aduersario ipsi dici debuisset, cum non ab interlocutoria, sed à diffinitiua pronunciatione appellatum proponeretur. [3] Plane impensas à procuratore factas non eo minus appellanti imputabimus, qui facto suo

BIU Cujas

cto suo causam iis dederit. 4 *Ita Senatus* Calend. Februar. 1590.

1 Semper enim citatio præcedit contumaciam, §. *omnium Inſtit. de pœn. temer. litig. l. ad peremptorium, 68. cum ſeqq. D. de iudic. l. & poſt edictum 73. §. quod ſi is, eod. & Nouell. 112. de litig. c. 3. l. 1. §. pen. D. quæ ſentent. ſine appell. reſcind.*

2 Paria enim sunt, quid factum esse malo, & nullo modo, *l. quoties 6. D. qui ſatisdar. cog. l. 3. D. de fideiuſſ. l. cum vitioſe, 25. D. de pignor. l. 2. D. de auctor. tutor.*

3 Secundum ea, quæ diximus *Defin. 4. num. 2.*

4 *L. eum quem temere, 79. ff. de iudic. l. non ignorat, 4. C. de fructib. & lit. expenſ. l. qui ſolidum, 78. § etiam, de leg. 2.*

DEFINITIO VII.

De citatione facta extra territorium.

CVm quis in persona vxoris suæ aut alterius ex domesticis citatus est, ita demum valet citatio si facta sit in domicilio citati, non item si extra domicilium: [1] Itémque si ei, cui apparitor locutus fuit, mandati iudiciarij & relationis suæ exemplum reliquerit. [2] Sed & cum in domicilio facta citatio est, ad officium apparitoris pertinet, & ad validitatem citationis, vt præcipiat ei, qui in domicilio reperitur, vt factam citationem denunciet illi, de quo citando actum est. [3] *Ita Senatus* Idib. Febr. 1593. & iam antea in quadam alia causa contra D. Aduocatum Bolliet.

1 Adeo vt nec sufficiat factum esse ad hypothecam & stationem, quomodo Bart. loquitur *in l. item apud Labeonem, §. conuitium, num. 3. & in l. lex Cornelia, § ſi tamen, num. 5. D. de iniur.* Idem Bart. *in l. cum quidam, nu. 2. D. de fund. inſtr. & in l. 1. §. permittitur, de liber. agnoſc.*

2 Vt appareat citationem non esse factam sine literis iudicis, alioqui non valeret, nec redderet citatum contumacem, Bart. *in l. Palatinos, Cod. de coll. at. fundor. lib. 11.* Sed & huiusmodi citatio habet mixtam editionem illam, de qua dixi supr. *Defin. 1. num. 2.*

3 Dixi *ead. Defin. 1. num. 9.* Adde illud etiam requiri, vt nuncius referat, se perquisiuisse reum nec inuenisse, Bart. *in l. ſi tamen, num. 3. de leg. 2.*

DEFINITIO VIII.

Vnius ex litis conſortibus citatio non nocet alteri.

SI ex duobus litis consortibus, [1] qui simul obligati, & in solidum singuli eadémque sententia condemnati fuerunt, [2] quique simul etiam appellauerunt, [3] alius solus citatus sit, aut vterque quidem, sed in vnius tantum persona; Non potest ea res nocere alteri, cui citatio denunciata non est, [4] nec si ad diem non stiterit pro contumace habendus est. [5] Potest namque alter ex consortibus litis meliorem consortis facere conditionem, sed non deteriorem. [6] *Ita Senatus* in eadem causa. Idib. Februar. 1593.

1 De quibus *in l. 1. & 2. C. de conſort. eiuſ. lit.*

2 *L. 1. & 2. C. ſi plur. vna ſentent. cond. fuer.*

3 *L. 1. & 2. C. ſi vnus ex plurib. appell.*

4 *L. ſi rem, 62. §. ibi* omnibusque denunciari, *D. de euict.*

5 Consors enim litis nemo esse potest ante contestationem, quæ sola litem facit, *l. vnic. C. de lit. conteſt.* Ideoque nullibi scriptum est, consortem pro consorte posse agere aut defendere sine mandato, nisi post litem legitime ordinatam. *l. vlt.* vbi Bart. *C. de conſ. eiuſd. lit.* Idem Bart. *in l. exigendi, nu. 12. C. de procur.*

6 *Ex reg. l. non debet, 74. de reg. iur.*

DEFINITIO IX.

De apparitore per vim & iniuriam exequente.

APparitorem, qui ad iudicium siue ciuile siue criminale reum vocaturus domum eius ingressus est, vim fecisse videri constat, [1] ideóque ab ea executione tanquam iniuriosa appellari posse. [2] Propterea, quod domus tutissimum sit cuiusque refugium, [3] liceátque apparitori perinde officium suum exequi affixo ad ianuam citationis & executionis exemplo. [4] Denique speciali iudicis permissione opus est, vt liceat effractis foribus domum eius ingredi, contra quem executio facienda est, [5] etiamsi alibi quam in ipsa domo fieri executio non possit, vtputa si quid occultum sit perquirendum, [6] aut describendum, [7] aut sequestrandum. [8] Quibus tamen casibus si fores apertæ sint, non opus est speciali permissione vt liceat domum ingredi ad faciendum id, quod non nisi in domo ipsa fieri queat. [9] Illud tamen obseruandum est, etiamsi apparitor per iniuriam quid fecerit, posse quidem ei de facto resisti, adeóque domo eum expelli, [10] sed non tamen vim aliamve iniuriam ei inferendam esse, ne magistratus auctoritas læsa videatur. [11] *Ita tractatum est* in causa D. de Lescherene 6. Id. Mart. 1594.

1 *L. plerique 18. cum tribus ſeqq. D. hoc tit. l. nemo, 103. de regul. iur.*

2 Ab executione enim appellari potest, quoties iustum modum excludit, *l. ab executione 5. C. quor. app. non recip. l. ab executore 4. D. de appell. l. quoniam, 21. C. eod.*

3 *d. l. plerique*, licet videatur ea ratio magis pertinere ad veterem illam formam vocationis in ius, quæ habebat impressionem & prehensionem, vt constat *ex tit. in ius vocati vt eant. Et, Ne quis eum, qui in ius vocat. eſt vi exim.* Citationis prorsus alia ratio est, nisi quod in locum vocationis substituta est.

4 Nam cum absens ille dicatur, qui copiam sui non facit, & qui latitat, *l. 2. D. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. eat.* perinde potest huic remedio locus esse atque si reuera abesset is, qui sic adest, vt latitet, *l. 4. §. toties, D. de damn. infect.*

5 Interdum enim causa cognita permittendum est ad puniendam contumaciam, *arg. l. quamuis, 11. l. generaliter. 13. D. hoc tit.* facit *l. 1. §. 2. D. ſi ventr. nom. mul. in poſſ. miſſ. l. vlt. §. vlt. de eo, quod met. cauſ. l. vlt. D. de iudic. l. 3. in princ. ne vis fiat ei, qui in poſſ. miſſ. eſt.*

6 *§. eſt etiam prohibiti. Inſt. de oblig. quæ ex delict. l. 1. §. hoc autem, D. de fugitiuis.*

7 Aliquando enim descriptio permittitur, tum etiam cum sequestratio prohibita est, Bart. *in l. 1. §. eligitur, num. 1. de ventr. in poſſeſſ. mitt.*

8 Nam & sequestratio quibusdam casibus permissa est. De quibus Bart. *in l. ſi fideiuſſor, §. ſi ſatisdatum, num. 3. qui ſatisd. cog. & in l. intereſſe, num. 2. de acquir. poſſ.*

9 *L. Gaurus, 10. l. ſeruitutes, 20. §. 1. vrb præd. l. 3. §. qui habet ruſtic. præd. l. refectionis, 11. comm. præd. l. legatis, 6.* vbi Gothofr. *de alim. legat. l. 2.* vbi Alciat. *de iuriſd.*

10 *Arg. l. vlt.* Iaſ. & alij *de iuriſd. l. 1. §. vlt. l. 2. ne quis eum, qui in ius vocat. eſt.*

11 *Arg. l. 1. C. vnde vi.*

DEFINITIO X.

De eo, qui iuſſus perſonaliter in ius venire non paruit, ſi ad fines tantum ciuiles vocatus fuit.

IVssus personaliter, vt loquuntur, in ius venire & ad accusationem propositam ex ore respondere, licet ad fines ciuiles tantum, si non pareat, iterum citandus est: [1] sed adiecta comminatione, vt si rursum erit contumax, prehendi possit & in carceres detrudi, perinde ac si iudicium ab initio criminaliter institutum fuisset. [2] Id nimirum suadente non tam iudicij & propositæ actionis qualitate, quam neglecta ius dicentis, cui omnimodo pareri oportuit auctoritate. [3] *Ita Senatus* pro D. Marchione de la Chambre contra fratres Le Beuf 13. Calend. August. 1595.

1 Tanquam contumax. Est enim contumax, qui personaliter citatus non venit, *l. 1.* vbi Bart. *nu. 2. Cod. quor. appell. non recip.*

2 Nam iudicium criminale potest incipere à prehensione, *l. 1. & paſſ. de requir. reis.*

3 *L. ex quacunque 2. D. ſi quis in ius voc. non ierit.* [Quid ergo si citatus personaliter ad fines ciuiles tantum compareat, & fateatur delictum, nec quicquam alleget quod facere debeat vt in longiores moras lis protrahatur? Poterit rectà condemnari ad mulctam aut ad id quod interfit aduersarij, prout delicti qualitas exigere videbitur. Cùm nullæ sint partes iudicis aduersus confitentem, nisi in condemnando *l. 1. & paſſ. D. de confeſſ.* Maxime verò si causa citationis personalis ad fines

BIU Cujas

ciuiles tantùm ex eo proficiscatur, quod citatus non paruerit iudicato. Solent enim & debent omnia fieri magis summariè in executione iudicati contra iam condemnatum. *Ita Senatus* in causa Bartholomeæ Nouel. & Claudij Digie 18. April. 1614. de qua *Defin. 35. num. vlt.*] *de execut. rei iudic.*]

[DEFINITIO XI.

Citatus ad comparendum personaliter ad fines ciuiles tantum, postquam paruit, abire impune potest, nulla venia petita.

SI is, qui ad fines tantum ciuiles in ius vocatus est vt personaliter & ex ore de accusatione respondeat, paruerit iudici & responderit, potest impune abire, nec expectare cogitur vt à iudice dimittatur: [1] Neque enim ius dicentis auctoritatem neglexisse videtur, qui non ad alios fines vocatus erat, nisi vt de crimine responderet, non etiam vt carceres aliamve custodiam pateretur. [2] Vnde illud est, quod nec in carceribus interrogari debet, sed vel in domo iudicis, vel si melius videatur in eo loco, vbi ex more maiorum & pro tribunali ius reddi solet. [3] *Ita Senatus* pro Renato Chabod contra D. Challod, in secreto Auditorio 1594. *Sine die.*

1 Itaque hoc casu non habet locum quod tractat Bart. *in l. quæsitum, num. 1. D. de re iudic.* eum, qui citatus est personaliter, non nisi licentiatum, vt ille loquitur, recedere debere.

2 Nam qui ad vnum actum citatus est, etiamsi esset contumax, non posset tamen in aliis actibus grauari, vt tractat Bart. *in l. consentaneum num. 16. C. quomodo & quand. iud.*

3 Nam vbicunque magistratus salua maiestate imperij sui, saluoque more maiorum ius dicere constituit, ius recte appellatur, *l. pen. in fin. D. de iust. & iur.*

DEFINITIO XII.

Interruptis subhastationibus, secutaque sententia de iis peragendis debitor condemnatus ex integro citandus est, non eius procurator.

CVm publicæ venditionis solemnitas per alicuius intercessionem aut appellationem interrupta est [1] si postea pronuncietur peragi eam debere, [2] rursum citandus est is, qui condemnatus fuit, non vt omnia ex integro fiant, sed vt quod faciendum supereſt, non nisi vocato eo fiat. [3] Itaque non sufficiet denunciatum esse procuratori, [4] quamuis dici soleat in executione iudicati cogendum esse procuratorem, qui liti principali adfuit vt cætera persequatur. [5] Quandoquidem condemnati præcipue interest, vt adsit, si volet, bonorum suorum venditioni, vel ob id maxime, vt possit emptorem quærere, vel pluris licitaturum, [7] vel largiora ad redimendum tempora liberaliter indulturum. [8] *Ita Senatus* refer. D. Cauet Prid. Calend. April. 1598.

1 Dies enim subhastationum, ex quo cœptæ sunt, continui sunt, ideoque facile interruptionem patiuntur, si quis intercedat vel appellet.

2 Iniusta scilicet pronunciata intercessione vel appellatione, *vt in l. tutor, 41. in princ. D. de vsur.*

3 Quamuis si nulla interruptio facta esset, rursus citari debitorem non oporteret. Vna enim citatio sufficit ad implendam totam subhastationum solemnitatem.

4 Et sane semper in dubio melius est & tutius & ciuilius citari partem quam procuratorem. Bart. *in l. eum qui res 53. nu. 2. C. de procurat.*

5 Instantia enim executionis pars quædam est litis principalis aut saltem accessio. Procurator autem cœptam litem prosequi omnino cogitur, *l. filiusfamilias, 8. §. vlt. & seqq. vsque ad 28. de procur.* Imo & appellare, *l. inuitus, 17. C. de procur. l. si procuratorem, 8. §. si ignorantes, D. mand. l. liberto 23. §. litem de procur.* sicut tutor & curator quamdiu rationes non reddiderunt, *l. ita autem, 5. § post completum, D. de administr. tutor. l. negotiorum, 24. §. vltim. l. tutor. 27. D. de appell. l. vnic. Cod. vt causæ post puber. adsit. tutor.*

6 Inde est, quod etiam executor testamentarius non potest vendere fundum, quin venditionem notificet heredi, Bart. *in l. 1. C. de distr. pign.*

7 *Tot. titul. de in diem addict. l. 2. & 3. Cod. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

8 Variis enim modis fieri potest vt melior conditio afferatur in fauorem eius, qui vendit, aut cuius res venditur, *l. 4. §. melior autem, & l. seq. D. de in diem addict.*

DEFINITIO XIII.

Qui non possunt in ius rapi sine venia, possunt tamen citari.

EDictum Prætoris de in ius vocando quo prohibentur liberi, ne parentes in ius vocent sine venia sub pœna 50. aureorum [1], ad eam vocationis speciem, quæ hodie in vsu est, & quam citationem appellamus, non pertinet, quippe quæ fit per solam libelli oblationem [2] & simplicem admonitionem citra vim illam & impressionem, quam vetus in ius vocatio habebat, [3] & quam exerceri prorsus inciuile erat in parentum personis & aliis huiusmodi, quibus aliqua ratione reuerentia debebatur. [4] In causa D. de la Poipe contra Dominam de la Charriere. *Sine die.*

1 *L. si libertus, 12. l. in eum, D. de in ius vocand.*
2 *L. libertus, 15. de in ius vocand.*
3 *L. plerique, 9. D. eod.*
4 *L. generaliter, 13. eod.*

DEFINITIO XIV.

Nunquam onerandus est maritus vt in ius vocet vxorem pro lite contra maritum ipsum ab alio instituta.

QVoties maritus in iudicio allegat ius vxoris propter quod vxorem ipsam in ius vocari oporteat pro re quæ non probetur dotalis, [1] Non est onerandus maritus vt vxori litem denunciet, eámque iudicio sistere cogat, [2] sed aduersario ea cura & impensa iniungi debet, [3] vt si nolet illa venire, possit ipsa per contumaciam condemnari requirente aduersario, cuius potissimùm interest, [4] potiùs quàm marito, quem inhumanum sit cogi ad vtilitatem alterius instituere litem cum vxore, ex eáque matrimonium alioqui concordans turbare. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 10. nu. vlt. sup. eod.

1 Nam in re dotali potest & debet maritus vxorem defendere suo nomine, nec in eam rem vllo indiget mandato quomodo cùm de bonis mulieris aduentitiis agitur, *l. maritus 21. C. de procur. & ibi notat. & in l. vltim. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

2 Licet non sit nouum vt etiam inter virum & vxorem lis pendeat constante matrimonio dum ne actio sit famosa *l. 2. Cod. rer. amot. l. vlt. D. de serv. corrupt.*

3 Cuius scilicet potissimum interest, vt sequitur in Definitione, Nemo enim alieni compendij causa litem instituere aut damnum aliquod pati cogendus est. Cùm in ius vocare nihil aliud sit quàm sui non alieni iuris experiundi gratia vocare *l. 1. D. hoc tit.*

4 Eius namque est agere cuius interest aduersarium condemnari *l. 3. § 1. de verb. oblig. l. nihil aliud 51. de oblig & act.*

5 Quod fieri numquam debet, *l. 1. §. vltim. vbi est text. elegans D. de liber. exhib.*

TIT. III.

DE PACTIS.

DEFINITIO I.

De renunciatione iurata, & de iure repræsentationis.

IAbulis dotalibus soror accepta dote bonis omnibus paternis, maternis fraternisque in fratrum fauorem, adhibito etiam, vt fit, iureiurando,

BIU Cujas

iurando, renunciauerat, tum susceptis relictisque liberis decesserat, superstitibus etiam fratribus, quorum alter postmodum intestatus & sine liberis decessisse proponebatur. Placuit in patrui defuncti successione sororis liberos, nil obstante matris pacto & renunciatione, perinde cum patruo superstite concurrere ac si renunciatio nulla interuenisset: [1] Cum beneficium illud repræsentationis, quod à Iustiniani lege habent, [2] non potuerit iis auferri facto matris, [3] cuius non tam personam, quam gradum repræsentare intelliguntur. [4] Est enim ea renunciatio personalis, [5] nec magis personam renunciantis egreditur, quam iusiurandum, quod ad eam confirmandam adhiberi necesse est. [6] Habétque præterea tacitam illam conditionem, si hereditas deferetur, [7] cum prius sit vt acquiri possit hereditas, & consequenter vt sit delata [8] quam vt ei vtiliter renunciari possit. [9] Cui consequens est, vt præmortua persona, quę renunciauerat, verum sit renunciationis conditionem nunquam euenisse nec euenire amplius posse, [10] ob idque perinde habendam renunciationem ac si nunquam facta fuisset, [11] Quare nec aliud erit, etiamsi sororis liberi iidem matris heredes proponantur, [12] nec si mater pro se suisque heredibus, vt fieri solet, renunciauerit, [13] nisi liberorum ius nominatim in stipulatum deduxerit & remiserit, id est, cauerit nihil vnquam suos liberos in fratrum, quibus renunciat, successione petituros. [14] Multo minus distinguemus, an de ascendentium an de collateralium successione quæratur. [15] Eædem enim rationes vtroque casu militant, [16] & eo maior, cum de patrui hæreditate agitur, quod filiam aut neptem dotare ascendentes coguntur, [17] non item fratem sororem. [18] Ex quo illud etiam fit, vt dotem quam ab ascendente filia aut neptis accepit, cogatur conferre & in legitimam imputare: [19] non etiam soror cum fratre succedens eam pecuniam conferre, quam à præmortuo fratre in dotem accepit, licet de suo frater dederit. [20] *Ita Senatus* pro liberis D. Petri Fauerij nunc Aduocati generalis contra Mauricium & Ant. Mariam Boisson 12. Cal. Maij 1589.

1 Robert. Maranthia, qui omnium instar esse potest, *Disput. 10. per tot.* vbi alios citat innumeros, præsertim Paul. Castr. *ad l. qui superstitis, 94. D. de acquir. hered.*

2 Nouell. 118. *de hered. ab intest. veniunt, §. si igitur defunctus*, & Nouell. 127. *Vt fratr. filij.*

3 *Arg. l. si adrogator, 22. §. 1. D. de adopt. l. vlt. D. de pact.*

4 *d. §. si igitur defunctus*, §. *cum filius, Instit. de hered. quæ ab intest. defer.*

5 In eóque differt à pacto de non petendo, quod in dubio in rem esse intelligitur non in personam, *l. & heredi, 21. §. vlt. & l. seq. de pact.*

6 Non enim valet renunciatio futuræ successionis, nisi iurata, Nisi, inquiunt nostri, parens successioni filij renunciauerit. Hanc enim renunciationem volunt valere etiam sine iureiurando, *ex l. 1. §. si parens D. si à parent. quis manum.* De quo scripsimus *in decadib. de error. pragmatic.* Boer. *qu. 14. nu. 1.* Vide *c. 2. de pact. in 6. l. 3. C. de collat. l. pactum, 15. C. hoc tit.*

7 Paul. Castr. *in d. l. qui superstitis*, vbi etiam cæteri.

8 *l. delata 151. De verb. signific.*

9 *d. l. qui superstitis, l. 1. ff. de heredit. vel. act. vendit. l. si ita sit script. 45. si sub conditione, de legat. 2. l. qui potest 174. §. 1. de regul. iur.*

10 Quia mortuo neque hereditas, neque aliud quicquam deferri potest, *l. quidam 14. D. de iur. codicill. l. 4. De his quæ pro non script.*

11 Actus enim conditionalis defecta conditione omnino euanescit & pro non actu habetur, *l. 1. & 2. l. in testamento 31. & pass. De condit. & demonstr.*

12 Non enim potest heredi nocere renunciatio, quæ nulla est, quia quod nullum est, nullum producere potest effectum, vt est in brocardico.

13 Nam etsi de heredibus nihil dictum esset, de iis tamen actum etiam intelligeretur *vulg. l. si pactum 9. de probat. l. tale pactum 40. §. vlt. de pact.*

14 Hoc enim casu dubium non est quin matris factum præstare debeant liberi iidemque heredes, quia de bonis hæredis sui perinde ac de suis disponere quilibet potest. *l. vnum ex familia 67. §. si rem tuam de leg. 2. l. cum à matre 14. C. de rei vindic. Tot. tit. Vt act. ab hered. & contr. hered.* Marant. *d. ct. disput. 10.*

15 Quia ius repræsentationis, quod olim non habebat locum, nisi in descendentibus, *§. cum si ius, Instit. de hered. quæ ab intest. defer.* hodie correctum est ad fratrum filios *d. §. si igitur defunctus.*

16 Vbi enim eadem est ratio, idem quoque ius est, *vulg. l. illud 32. D. ad leg. Aquil. l. 5. §. vnde etiam, De iniust. rupt.*

17 *l. capite 19. De rit. nupt. l. mulier 22. §. pen. ad Trebell. l. vlt. C. de dot. promiss. l. dotem 6. de collat. bonor.*

18 Nisi vno casu cum soror est ex eodem patre nec aliter nubere potest *l. cum pluries 12. §. pen. D. de administr. tutor.*

19 *l. quoniam Nouella 29. C. de inoff. test.* quæ tamen non tantum de dote paterna loquitur, sed etiam de materna, quamuis mater filiam dotare non cogatur sicut nec frater *d. l. vlt. Cod. de dot. promiss. l. neque mater 14. C. de iur. dot.*

20 *Argum. l. pater 6. & seq. D. de collat. dot.* Simplex enim donatio non confertur si nihil dictum sit nisi in casu *l illud 20. §. vltim. C. de collat.* qui specialem habet rationem positam in eo textu.

DEFINITIO II.

De collatione aut imputatione pecuniæ, quæ data est ad extorquendam renunciationem.

AN ergo admittendum erit, vt sororis quæ renunciauerat prædefunctæ liberi plus iuris habeant quam habitura esset eorum mater si viueret? [1] Vtique, [2] quoniam non ex persona matris succedunt, vt diximus, sed ex sua. [3] Si tamen iidem sint heredes matris, non est æquum vt cum patruo superstite concurrentes in præmortui patrui successione præcipuam habeant pecuniam, quę matri in eam causam data fuerat vt renunciaret. [4] Incipit enim pecunia illa penes liberos esse sine causa cum per eos fiat, ex propria quippe persona succedere vólentes, quo minus renunciatio effectum sortiatur. [5] Itaque cum collationis remedio locus esse non possit in collateralium successione, [6] eæ arbitri familiæ erciscundæ partes esse debebunt, vt cogantur sororis liberi in portionem suam hereditariam imputare quicquid ex persona matris & ob renunciationem maternam ex causa hereditaria ad eos peruenit. [7] Ne alioqui iniuria frater afficiatur, si minus quam sororis filij vno gradu remotiores ex fratris hereditate consequatur, [8] qui nihil vtique sorori daturus erat si eam successuram speraisset. [9] Denique eam liberorum sororis causam fieri necesse est, quæ esset si mater non renunciasset, [10] Quis enim patiatur ob id meliorem esse eorum conditionem, quod mater renunciauerit? [11] Nam etsi de patris aut aui successione tractaretur, nemo dubitat quin quod filia vel neptis ad renunciandum accepisset, eius liberi ex proprio capite succedentes conferre cogerentur, si modo matris heredes essent. [12] Igitur quod vno casu faceret æquitas collationis, [13] cessante collationis potestate faciet officium arbitri, cum eadem subsistit ratio æquitatis. [14] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hoc enim absurdum videtur *l. si vina matre 3. Cod. de bon. mat.*

2 Ratio enim diuersitatis est, quia si mater viueret excluderetur per propriam renunciationem, quæ ea præmortua euanescit. Bart. Castr. & alij *in d. l. qui superstitis 94. D. de acq. hered.*

3 *d. §. si igitur defunctus, Nouell. 118.* Idque ex eo apparet quod etiamsi fuerint à matre prædefuncta exheredati, tamen patruo æque succedunt.

4 Castr. eleganter *in d. l. qui superstitis.*

5 *Argum. l. si extraneus 6. & l. seq. §. vltim. & pass. De cond. caus. dat.*

6 *l. 1. & tot tit. D. de collat. bonor.*

7 Quæ collationis species quædam est minus accipiendo *l. 1. §. quamuis, vers. sed si tantum, D. eod.*

8 *l. si nepotes 7. D. eod. l. 1. & tot. tit. De coniung. cum emancip. liber. eius.*

9 *Arg. l. cum te fundum 6. C. de pact. int. empt. & vendit. d. l. si extraneus.*

BIU Cujas

10 Idem Paul. Castr. *ad d.l. qui superstitis.*

11 Ita enim fieret vt inducta ad vnum effectum contrarium operarentur contra *l. legata inutiliter 14. D. de adim. leg.*

12 *d.l. si viua matre 3. C. de bon. mat. d.l. quoniam, Nouella 29. C. de inoff. testam. d.l. illud 20. C. de collat.*

13 *d.l.1. & pass. de collat. bonor. & tot. tit. De collat. dot.*

14 *Arg. l. quia tantundem 7. de negot. gest.*

DEFINITIO III.

Expressus consensus requiritur ad validandam renunciationem de futura absentis successione factam.

NOn valet renunciatio facta per pactum de absentis hereditate,[1] Nec si absens ille postea sciuerit,[2] taciteque, id est, facto ipso ratam pactionem habuerit,[3] Vtputa si soluerit partem dotis quam fratres sorori renuncianti promiserant. Expressus enim consensus in renunciatione acceptanda requiritur[4] ad hoc vt à legitima hæreditate cui renunciatum est excludatur is qui renunciauit.[5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *l. vlt. C. hoc tit.* Est enim pactio illa ominosa & plena periculosi euentus, & improbus is qui sollicitus est de hereditate viuentis *l. 2. §. interdum, De vulg. & pupill. substit.* dicitur que contra ius gentium festinare *l. donari 29 alias l. quidam, §. donationem, de donat. l. 2. §. vlt. De his quæ vt indign.*

2 Didac. Couarr. *ad cap. quamuis pactum de pact. in 6.*

3 Quamuis dici soleat nihil interesse an verbo quis ratum habeat an facto ipso *l. Paulus 8. D. rat. rem hab.*

4 *d.l. vlt.* in illis verbis, Voluntatem suam eis accommodauerit: & paulo post, Illo sciente & iubente. *D. hoc tit.* [Crauet. *cons. 42. in fin. & cons. 127.* Iunge *Defin. 9. & 26. j.* Ita Senatus in causa Peronetæ Grange 14. Cal. Iul. 1611.]

5 Pactiones enim istæ sunt odiosæ nec defendendæ nisi quatenus ex præscripto legis fieri potest. Iunge *Defin. 10. j. eod.*

DEFINITIO IV.

De pacto De non petendo quandiu vsuræ soluentur.

PActus de non petenda sorte ad certum vsq; tempus, ea tamen lege & conditione, vt vsuræ quotannis soluerentur, non aliter pacti exceptione repelli potest, quam si singulis annis debitor vsuras soluerit.[1] Exceptio enim quæ nascitur ex pacto de non petendo,[2] per eiusdem pacti replicationem eliditur.[3] Itaque cum debitor quidam conuentus ad solutionem tale pactum obiiceret, ac super eo iusiurandum deferret, Creditor autem non solum pactum negaret, sed etiam solutionem vsurarum quam debitor asseuerabat, non putauit Senatus quicquam pronunciandũ quod ad iurisiurandi delationem attineret, priusquam cognitum esset an vsuræ fuissent necne: propterea quod non solutis iis iurisiurãdum debitori profuturum non esset.[4] *Ita Senatus* ex tempore pro Nicolarda Puthod vxore D. de Nouelle Neciensis, contra N. Ioannem Puthod fratrem 3. Id. Mart. 1590.

1 *Arg. l. qui in futur. 57. D. hoc tit. l. 2. §. non male, D. de doli mal. except.* licet iis locis tractetur de pacto tacito non de expresso.

2 *l. 3. D. de except l. si tibi 17. §. vlt. & ll. seqq. D. hoc tit.*

3 Vt & *in l. si vnus 27. §. pactus ne peteret, D. hoc tit.*

4 Iusiurandum enim huiusmodi non est deferendum nisi cum litis decisorium est *l. 1. & tot. tit. D. de iureiur.* metu scilicet periurij in re, quæ nullius futura sit vtilitatis. Text. est *in l. si duo 13. §. Marcellus, D. de iureiur.*

DEFINITIO V.

Ius fideicommissi conditionalis quando per pactum diuisionis remissum intelligatur.

PActo diuisionis inter fratres aliosve coheredes factæ, quantumcunque generale sit, non facile remissum intelligitur ius fideicommissi præsertim conditionalis,[1] & cuius conditio nondum euenerit,[2] Nec si appareat cognita lectaque verba testamenti,[3] nisi constet aliquid acceptum pro ea iurium remissione,[4] nec alia quam fideicommissi iura fuisse, quæ remitti potuerint.[5] Eo namque casu non tam remissum videtur fideicommissum, quam per repræsentationem perceptum,[6] & ob euentus incertitudinem ea quantitate æstimatum.[7] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 1. infr. famil. ercisc. Et in alia D. Senatoris de la Roche & Franciscæ Losæ 8. Id. Mart. 1591.

1 *l. qui Romæ 122. §. duo fratres* vbi late Bart. & cæteri *De verb. oblig. l. si ita sit scriptum 45. §. si sub conditione, de legat. 3.*

2 Quia fideicommissum conditionale ante conditionis euentum nihil est. Quod autem non est, amitti non potest nec proinde remitti *l. 1. §. 1. D. quib. mod. vsufr. amitt.*

3 Hoc enim necesse est tum etiam cum remittitur ius quod iam quæsitum est ex testamento *l. de his 6. D. de transact. l. 1. §. ratio de Testam. quem. aper.*

4 *Vt in l. 1. C. hoc tit. l. de fideicommisso 11. C. de transact.*

5 Ea namque interpretatio semper capienda est quæ faciat vt actus sit vtilis & aliquid operetur *l. quoties in actionibus 12. De reb. dub. l. cogi 16. circ. princ. ad SC. Trebell.*

6 *Arg. l. Iauolenus alias l. eum qui 15. D. de ann. leg.*

7 *d.l. 1 C. hoc tit. d.l. de fideicommisso arg. l. nam hoc modo 11. C. de hered. vel act. vend. si iactum 11. D. de act. empt.* [Cæterùm renunciatio bonorum paternorum & fraternorum non tollit ius fideicommissi debiti in paterna vel fraterna hæreditate. *Decis. cons. 551. col. 1.* Curt. iun. *cons. 101. & cons. 23. nu. 1.* quia nec paternis nec fraternis bonis annumeratur, sed eius qui fideicommisit *l. 1. & 2. D. ad Trebell. l. coheredi, 41. §. cum filiæ de vulg. & pupill. substit.*

DEFINITIO VI.

De pacto tacito de non petendo, quod ex chirographi redditione inducitur.

ETsi pactum de non petendo simpliciter conceptum in rem, non in personam esse creditur,[1] ideoque & correo debendi[2] & fideiussoribus prodest,[3] si tamen tacite inducatur ex chirographi redditione vni ex correis facta[4] non alij prodesse potest, quam cui chirographum redditum est.[5] Potius enim redditio illa coniecturam inducit & probationem mandatarum ei aduersus correum actionũ,[6] ex quo magis appareat non posse correo ex illa causa quæri exceptionem pacti de non petendo, alioqui videretur creditor mandasse actionem inutilem, quippe quæ per exceptionem pacti elidi posset;[7] idemque creditoris factum, & actionem præberet & exceptionem eiusmodi actionis elidẽdæ gratia, quod esset absurdius.[8] Fideiussorum alia ratio esse videtur. Quidni enim iis prosit exceptio pacti, cum non possit redditio instrumenti facere vt aduersus eos mãdata vlla actio videatur? Nisi forte in rem suam fideiusserunt:[10] quo casu nec pro fideiussoribus habendi sunt.[11] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 4. & seqq. infr. De duob. reis.

1 *l. & heredi 21. §. vltim. & seqq. ll. D. hoc tit. l. exceptiones, quæ personæ 7. §. rei autem, D. de except.* Vnde illud est quod pactum de non petendo simpliciter conceptum tollit obligationem naturalem *l. Stichum aut Pamphilum 95. §. naturalis, de solution.* quam tamen non tolleret si esset mere personale, vt tractat. Bart.

2 *d.l. & heredi §. vltim.* iunct. *l. idem in duobus 25. in princ. & §. 1. hoc tit.*

3 *d. §. vlt. l. quod dictum 32. eod.*

4 *l. 2. & 3. D. eod. l. creditricem 7. D. de remiss. pignor. l. 1. in fin. D. de liber. legat.* Vbi tamen vereor ne postrema illa tota clausula, *Sic autem Iulianus*, Triboniani sit male Iulianum interpretantis. Nam & vltima illa verba, *Exemplo locutionis*, bonum sensum nullum habent.

5 Tacitum enim pactum inducitur ex facto. Factum autem nullum intercedit creditoris nisi cum ex eo correi cui chirographum redditur. Alex. *ad d.l. 2. D. hoc tit.*

6 Traditio namque instrumenti inducit probationem rei traditæ aut mandatarum actionum, *l. 1. C. de donat. l. Mæuia 49. C. solut. matr. l. seruum filij 44. §. eum qui, de leg. 1.*

7 *l. si*

7 *l.si non sortem 26.§.indebitum l.qui exceptionem 40.l.ex his 54. D.de condict.indeb.l.nihil interest 112.de reg.iur.*

8 *Arg.l.si vnus 27.§.pactus ne peteret. D.hoc tit.*

9 Neque enim potest reus principalis habere regressum contra fideiussorem suum cui ex contrario indemnitatem plenissimam præstare debet. *l.cum lex 46. & pass. D.de fideiuss. l.ex mandato 20.§.1.& pass.D.mandat.*

10 *l.si quis reum 5.D.de liber.legat.*

11 Sed pro reis *l.sed si fideiussor 24.D.hoc tit.1. de die 8.§. l.qui satisd.cog.d.l.si quis reum.*

DEFINITIO VII.

De renunciatione facta fauore fratrum absentium nemine pro iis stipulante.

PAtre matreque simul dotem constituentibus pro filia, quæ vtriusque successioni cum iuramento renunciet fauore fratrum,[1] nemine tamen ac ne notario quidem pro iis stipulante, dubitari eleganter potest an renunciatio valeat. Quanquam enim dici solet, pactum quod contractui inter alios inito adiectum est fauore tertij absentis nemine pro eo acceptante nihilominus valere,[2] constat tamen reuocari posse quandiu secuta non est acceptatio.[3] Nec vllius momenti esse huiusmodi renunciationes nisi ab eo acceptatæ sint, cuius commodo factæ fuerunt.[4] Nam nec renunciatio facta in iudicio præsente iudice, absente parte, nocet renuncianti si non per iudicem absentis nomine fuerit agnita.[5] Itaque cum in proposita specie nec sibi parentes stipulati essent nec filiis,[6] sed renunciatio fauore filiorum simpliciter facta proponeretur, filiam verò viuis adhuc parentibus & priusquam ea renunciatio fratribus placuisset renunciationis pœnituisset,[7] videbatur eam nocere filiæ non debere.[8] Sed tamen in contrarium illud mouebat, quod renunciatio hæc non solum fauore fratrum absentium, sed etiam parentibus præsentibus facta fuerat, à quibus dos constituebatur,[9] & quos credibile erat cum hanc à filia renunciationem data illi dote extorserant id egisse vt masculis suis liberis prospicerent. Id enim parentum omnium præsertim nobilium & illustrium commune votum est, vt si masculos habeant iis potissimum tanquam futuris heredibus commodum renunciationis acquisitum velint,[10] Adeoque cæteris filiabus nondum nuptis si masculos nullos habeant, nec cæteras filias postea ad renunciandum adegerint.[11] Cur ergo noceat quod filiorum nomen in contractu adiectum sit citra expressam stipulationem, cum etsi nominati non fuissent, ipsis tamen ex tacita quadam stipulatione renunciationis emolumentum acquiretur?[12] Nemo siquidem dubitaret quin nulla liberorum facta mentione valitura esset renunciatio in vtilitatem parentum dotem constituentium,[13] quando inter contrahentes stipulatio, quæ ex vna parte interuenit, ex altera quoque interuenisse censeatur,[14] Ne alioqui eueniat claudicare contractum qui sit vltro citroque obligatorius.[15] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin.10. infr. de pact.conuent.tam sup.dot.

1 Hoc enim plerunque fit vt filia renunciet futuræ successioni matris, licet non cogatur mater filiam dotare, vt diximus *§.Defin.1.num.19.*

2 Ex *l.3.*vbi DD. *C.de donat.quæ sub modo.*

3 Bartol. *in l.qui Romæ 122. §. Flauius de verbor.obligat. l.absenti 10.D.de donat.* Iul.Clarus *lib.4.Sentent.in verb.donatio.quæst. 12.& 13.*

4 Quia donationem & liberalitatem continent, & quidem odiosam, quæ in ignorantem non confertur sicut nec in inuitum, *l.hoc iure 19.§.non potest, D.de donat.l.inuito 69.de reg.iur.* * vide Couarr. *initio 3.part.releg.ad capit.quamuis, numer.6. extra hoc titul.*

5 *l.certum 6.§.si quis absente* vbi Bart. *D.de confess.*

6 Potest enim pater filiis suis perinde ac sibi ipsi stipulari, si modo habeat eos in potestate *l.stipulatio ista 38. §.alteri, D.de verb.oblig.§.si quis alij, in fin. Inst.de inutil.stipul.*

7 Donatio enim antequam consummata & perfecta sit reuocari potest nuda pœnitentia, *l.4. D. de donat. l.cum hic status 32.§.ait oratio & seq.D.de don.int.vir.& vxor.l.4. C.de donat.l.3.l. velles 6 C.de reuoc.donat.*

8 Ex actu enim vtiliter reuocato nihil iuris quæsitum videri potest, licet post reuocationem sequatur ratihabitio *l.penult.D.rat.rem hab.l.cum filio familias §. D.quis ord.in bonor.possess. seruet.*

9 Potuerunt enim parentes dotem dando quam voluerunt legem rei suæ dicere *l.in traditionibus 44.D.hoc tit.l.1.& tot.tit.D. de pact.dot.l.vlt.C.de pact.int.empt.& vendit.l.1.& tot.tit.C.de pact. conuent.*

10 Ad conseruandam familiæ dignitatem *l. vnum ex familia 67.de leg.2.l.pater 38.§.duobus & seqq.de leg.3.* idque ad publicam etiam vtilitatem pertinet. *l.1. §. sed etsi seruus. D. de ventre inspic.* * Din. *consil.6.* quem refert Baldus *in l.pactum, Cod.de collat.*

11 Guid.Pap.*quæst.192.* * *& quæst.295.* Annæus Robert.*rer. iudicat.lib.2.tit.4.*Papon.*in syntagmate lib.16.tit.4.*Capella Tholosana *qu.456.457. & 478.*

12 Sola enim destinatio voluntatis sufficere potest vt ei quoque qui nominatus non est pactum prosit, vt in casu *l.tale pactum 40.§.vlt.D.hoc tit.l.23.§.Præsid.ad Trebell.*

13 *Ex cap.quamuis pactum 2.*vbi Canonistæ *De pact.in 6.*

14 Scilicet cum vnus idemque contractus est, *argum. l.1.C. de contr.stipulat.* aut cum varij quidem contractus sunt, sed correspectiui vt in *l.cum te 7.C.de pact.int.empt.& vendit.* Dici enim solet in huiusmodi actibus alterum alteri inesse. Facit *l.Titia 134.§.pen.de verb.obligat.*

15 Excipe casum *l.Iulianus 13.§.si quis à pupillo, de act.empt. l. sicut emptio 20.§.1.D.locat.*

DEFINITIO VIII.

De effectu restitutionis in integrum aduersus renunciationem.

CVm de futuræ successionis renunciatione per in integrum restitutionem rescissa tractatur, multum interest, an is cuius successioni renunciatum fuit testatus decesserit an intestatus. Priore siquidem casu rescissa renunciatione nihil aliud consequi filia potest quæ obtinuit, nisi vt agere sibi liceat ad legitimæ supplementum.[1] Neque enim etiamsi præterita fuerit facit nullum ex post facto testamentum, in quo præteriri impune potuit.[2] Posteriore vero succedit ab intestato cum fratribus in viriles.[3] Nec sola legitima, aut legitimæ supplemento contenta esse cogitur,[4] licet si ab initio tantum habuisset, quantum ad excludendam restitutionem necesse erat, nullam ab intestato portionem consequi potuisset.[5] Vtrique tamen casui commune illud est, quod rescissa renunciatione fructus à die mortis debentur,[6] Vno casu legitimæ, altero portionis hereditariæ. Fructus enim augent legitimam,[7] quæ quota bonorum est,[8] non quid singulare,[9] ac multo magis hæreditatem, quæ quoniam nomen iuris est,[10] & augmentum recipit & diminutionem.[11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quemadmodum si nulla renunciatio facta esset. Filia enim quæ non renunciauit, si quid vel minimum pro legitima acceperit, nihil nisi supplementum petere potest *l.omnimodo 30. C.de inoffic.testam.*

2 Receptissima enim nostrorum sententia illa est, filiam quæ per iuratam renunciationem excluſa sit impune præteriri posse. De quo scripsi in Decadib. *De error.pragmat.* Semper autem inspiciendum est tempus testamenti quoties de liberis quæritur, an instituendi sint vel exheredandi *l.1. l.Gallus l.29. inter cætera 30.*& pass. *de liber.& posth.*

3 Nouell. 118. *De heredit. ab intestat. veniens. §. si igitur defunctus.*

4 Quia si nulla renunciatio facta esset, succederet ab intestato cum fratribus in viriles. Nec enim de legitimæ supplemento quæritur, nisi cum factum est testamentum, & solo testamenti fauore, ne rumpatur per querelam. *d.l.omnimodo.*

5 Propter iuratam renunciationem quæ quandiu tenet, excludit renunciantem ab omni successione testati & intestati.

6 Boer. *decis.3.in fin.*

7 *l.Papinianus 8.§.unde si quis, ff.de inoff.testam.* Scripsi *Err.Decad.12. De error.pragmat.*

BIU Cujas

8 *l.cum quæritur 6.vbi DD. C.de inoff.testam.*

9 Ita vulgo loqui solent sed male. Nam qui dicit quotam bonorum dicit quid singulare non vniuersale, vt constat *ex l.si quis bonorum 23.de leg.1.nisi in l.3.§.1.de bon poss.*

10 *l.hereditas 50.de pet.hered.l.119.de verb.signific.*

11 *l.178 §.1. eod.titul. l.item veniunt, l.20. & l.item non solum, de pœn.heredit.*

DEFINITIO IX.

Pater filiis absentibus stipulari potest à filia, quam dotat, renunciationem fraternæ successionis futuræ.

DE illo non sine causa plerunque dubitatur, An valeat fraternorum bonorum renunciatio soli patri facta, si dos nec à fratre nec ab alio fratris nomine vlla constituta fuerit, sed tantum à patre cuius officium fuit dotare filiam, maxime si constitutio dotis non nisi paternis facultatibus respondeat.[1] Sed tamen magis communiter probatum est, vt patris stipulatio prosit hac parte masculis etiam absentibus nihilque dotis nomine conferentibus.[2] Propterea quod permittendum sit patri vt quam vult legem dicat doti à se constitutæ,[3] qui nec nisi optimum pro filia liberisque omnibus consilium capere velle credendus sit.[4] *Ita Senatus* in causa N. Catel contra vxorem Ioannis Seuerat 12.Calend. Decembr.1593.de qua SC.infr.De curat.furios.

1 *Arg.l.vlt.1.de dot.promiss.*

2 Didac.Couarr. *in repet.cap.quamuis, de pact.in 6. in init.3. part.num.6.* vbi tamen tractat de renunciatione successionis paternæ non fraternæ.]

3 *l.cum dos 7.de pact.dotal.*

4 *l.vlt.C.de curat.furios.l.pen.§.1.D.de rit.nupt.* [Aliud igitur est, si pater stipulatus sit renunciationem bonorum maternorum absente & ignorante matre. Nec enim valet talis renunciatio quamuis iurata & notario quoque stipulante. Cravet. *cons.42.in fin.* Sicut nec bonorum fraternorum renunciatio valeret facta fratribus absentibus, & ignorantibus, si pater stipulatus non esset. Idem Curt. *cons.*127. Adeo vt nec tacitus consensus sufficiat sed expressus requiratur. Cravet. *supradictis locis & Defin.*3.3. Iunge *Defin.26.3. Ita Senatus* in causa Peronetæ Grange 14.Cal.Iul.1611.]

DEFINITIO X.

De pacto quod fit De hereditate viuentis.

PActum de viuentis inscij hereditate, licet ab initio non valeat, tamen confirmatur, si postea is de cuius hereditate actum est rescierit & consenserit expresse in eaque voluntate perseueraverit. Nec probabilis est sententia existimantium in ipso instanti quo contrahitur consensum hunc interuenire debere.[1] Quid enim refert an tunc an post vel ante interuenerit, vt nulla consentienti iniuria fieri videatur? Illud sane requiritur ab vtroque ex contrahentibus, certior factus sit is de cuius hereditate actum est, vt pacto & contractui inter duos inito consensisse existimetur.[2] Interea igitur sicut contractus valere non potest, ita nec pro eo pronunciari lite pendente, cum nec materiam nec formam vllam habeat quandiu deficit consensus illius, de cuius viuentis hereditate tractatur.[3] *Ita Senatus* in causa Petri Roux & Claudij Guilliot 15.Calend.Febr.1594.

1 Neque enim lex requirit vt certo & determinato tempore consensus hic interueniat, Bart. *in l.Theopompus, de dot.præleg.* Bald. *in l.iurisiurandi.C.de testib.* Adde Boerium *quæst.1. num.39.* Purpur. *ad l.vlt.C.hoc tit.*

2 Vt purgetur vtrumque vitium pacti quod proficiscitur ex solicitudine illa de bonis viuentis.

3 Dixi *Defin.3.supr.*

DEFINITIO XI.

De potestate pacti De vendendo, si per dolum paciscentis venditio non sequatur.

CVm in eo essem vt emere vellem à Titio fundum Cornelianum, rogasti me vt à tractatu discederem, quod alia pleraque Titij bona cum eo fundo velles comparare, & vt id à me impetrares promisisti per chirographum te eundem fundum Cornelianum certo conuentoque inter nos precio mihi venditurum. Si postea nolis vendere, dabitur mihi actio non in id tantum quod mea interest sed in id etiam præcise vt vendas, cum vendendi habeas potestatem.[1] Alioqui sane dolo tuo iniuriam patiar si cogar accipere pecuniam pro fundo, quem fueram empturus ni fidem tuam sequi maluissem.[2] Nec aliud erit tametsi chirographiæ stipulationi subiecta sit pœna eius quod interest.[3] Ea namque pœna pro me in stipulatum deducta non adimit mihi actionem, quæ ad id competit vt præcise cogaris vendere si rem habere malim.[4] Illud magis obstare videbatur, quod vendere sit facti.[5] In obligationibus autem faciendi generale videatur, vt ad factum numquam debitor præcise cogatur, sed præstatione eius quod interest liberetur.[6] Idque proculdubio verius est si meram iuris rationem spectes.[7] Sed tamen posteaquam nostris placuit, posse aliis quoque multis casibus[8] cogi quem præcise ad factum, veluti si iusiurandum interuenerit,[9] Idem quoque hoc casu admittendum esse visum est, vt tantum tibi noceat dolus tuus, quantum mihi iusiurandum tuum prodesset.[10] *ita Senatus* pro D. de Bienuenu contra N. Gothofredum de Dompierre 17.Cal.Iul.1594.

1 Et tamen actio de dolo non nisi ad *id* quod actoris interest dari solet. *l.arbitrio 18.in princip.D.de dolo.*

2 Exemplo eius quod interpretes tractant. *ad l.1. D.de act. empt.* venditorem cogendum præcise vt tradat rem quam tradere potest, nec liberetur præstatione eius quod interest. De quo late Arius Pinell. *ad l.2.C.de rescind. vend.* & *ad l.1. C.de bon. matern.*

3 Potest enim mea interesse rem habere potius quam pecuniam, licet multo plus offeratur quam quanti res est *l.non quasi 70.D.de rei vindic. l.non enim 9.D.rer.amot.*

4 *Vt in l.fundum Cornelianum 18.D.de usuris.*

5 Pœnalis enim stipulatio non nouat præcedentem obligationem *l.prædia 28.D.de act.empt. l.si pacto quo pœnam 14.* vbi Decius & cæteri. *C.hoc tit.*

6 *l.consil.7.§.vlt.de curat.fur.*

7 *l.si quis ab alio 13.§.vltim.D.de re iudic. l.nec unus 25. Cod.de iur.delib.*

8 Ex ratione supra posita *num.1.*

9 Quos vide apud Marantam *Disp.7.post Bart. ad l.*

10 Bart. *supradicto loco.*

11 Ne ex dolo tuo lucrum sentias. *l.ne ex dolo 11. D.de dolo.*

DEFINITIO XII.

De reseruatione legalis eschetæ.

EXceptio illa, quæ in renunciantibus vulgo apponi solet, *Salua legali eschæta*, non habet locum quandiu aliquis superest ex iis, quorum fauore facta fuit renunciatio, siue masculi illi sint siue fœminæ.[1] In dubio autem si pater nuptui collocans filiam fecerit vt paternæ successioni renunciaret, nec aliud adiecerit, cum & filios & filias haberet, credendus est fauore primum masculorum, tum si masculi deficerent, fauore filiarum renunciationem admisisse.[2] Ideoque si postea moriatur nullis relictis masculis vnica filia, quæ non renunciauerit, superstite, ad eam solam tota hereditas pertinebit, licet aliæ quoque supersint, quæ renunciauerunt.[3] *Ita tractatum est* in publico auditorio in causa heredum D.de Bellegarde de Sanciergue, 8.Id.Iunij 1595.

1 Guid.Pap. *quæst.*192. * vide tamen Ferrer. *ibid.*

2 Vt bona conseruentur in familia, quemadmodum diximus *Defin.7.num.*10.3. *eod.* Conseruatur enim familia per masculos non per fœminas, cum fœmina quælibet familiæ suæ & caput sit & finis. *l.pronunciatio* 195. §. *vltim.* & *l.seq. D.de verbor.si-*

bov. signific. * Iunge Guiliel. Benedict. *in verbo duas habens filias num.237.*

3 Guid. Pap. *s. dict. quæst.192* Intellige autem Nisi & hanc filiam quæ superstes est idem pater postea adegerit ad renunciandum. Inde namque apparet noluisse patrem melioris esse illam conditionis quam cæteras. * Iunge definit.24.infr.

DEFINITIO XIII.

Pactum de non succedendo, nunquam tacitum, semper expressum & iuratum esse oportere.

Filia quæ à patre dotem accepit pro iuribus omnibus paternis, maternis & fraternis, præsentibus & futuris, non idcirco futuræ successioni renunciasse credenda est.[1] Speciali enim renunciatione opus est, & quidem iurata,[2] cum iure ciuili non valeant huiusmodi renunciationes,[3] Iure autem Pontificio non aliter quam si accedat auctoritas iurisiurandi.[4] Nec sufficiet quod postrema, vt fit, parte instrumenti iuratum sit de contractu obseruando, & renunciatum iuribus omnibus in contrarium facientibus. Renunciari namque oportet successioni, non legibus.[5] Et filia quæ dote accepta pro iuribus omnibus præsentibus & futuris iurat nunquam se contrauenturam, id tantum iurat numquam se negaturam quin dotem pro iuribus omnibus acceperit.[6] Quæ res non facit, quo minus ei vel inuitæ deferatur successio moriente patre.[7] Defertur enim hereditas à lege,[8] etiam inuito,[9] licet non acquiratur inuito.[10] Quidni vero? Nam & solemni renunciatione interueniente non eo minus defertur successio, sed eo ipso instanti quo successio defertur, renunciatio vires suas exerit cum ab initio valuit propter iusiurandum:[11] Nec sola voluntas sufficit eius, qui excludi vult vt excludatur si non lex eam adiuuet voluntatem,[12] quam porro non adiuuat, nisi cum eam & expressam videt, & iuratam.[13] Fateor præcedente speciali renunciatione generalem clausulam iurisiurandi in fine instrumenti positam ad renunciationem quoque referri, sicut & ad cætera omnia in instrumento contenta:[14] Sed hoc contendo, Confirmari iureiurando debere renunciationem ipsam non solam voluntatem renunciandi.[15] *Ita Senatus* pro Spect. Abrahamo Vermeil contra fratres De bordes de Cerdon Prid. Id. Aug. 1595.

1 Bartholom. Chassan. *in consuet. Burgund.*

2 Didac. Couarr. *ad d. cap. quamuis pactum de pact. in 6.*

3 *l. pactum quod dotali 15. C. hoc tit. l. pactum dotali 3. Cod. de collat. l. vltim. D. de suis & legitim. l. quod bonis 15. §. 1. D. ad leg. Falcid.*

4 *d. cap. quamuis pactum.*

5 Quia nec leges admittunt huiusmodi renunciationes licet iuratas *l. non dubium 5. D. de legib.*

6 Quibus verbis quantumlibet generalibus de sola dote actum videtur non etiam de successione, cuius alia ratio est, itemque legitimæ, vt dicam 7. *Defin. 19. de inoff. test.*

7 Cum non minus filia quam filius sit ex suis heredibus, de quibus *in l. in suis 11. de liber. & posth. l. verum 8. §. 1. de iniust. rupt. l. in suis 14. & d. l. vlt. de suis & legit.*

8 *l. lege obuenire 130. de verb. signif. l. 1. D. de petit. hered.*

9 Quia non potest suus heres aut agnatus aut cognatus proximus facere vt non sit talis *l. 1. 2. & pass. de suis & legit.*

10 Præterquam necessariis, *l. necessariis 57. de acq. hered.* Potest enim hereditas damnosa esse. *l. hereditatis 119. de verb. signif. l. si hereditatem 32. D. mandat.*

11 Castrens. *in d. l. qui superstitis ex l. si Stichum 8. §. si quis ita l. quoties 14. §. sed si quod. D. de nouat.*

12 *d. l. vlt. de suis & leg. d. l. quod bonis 15. §. 1. D. ad leg. Faleid. l. ius publicum 38. D. hoc tit.*

13 *d. cap. 2. de pact. in 6.* iunct. *l. pactum 15. C. eod.*

14 *l. Titia, 134. §. vlt. de verb. obligat. 14. l. talis scriptura 30. in princip. & §. vlt. de leg. 1. l. si mihi 92. de leg. 3.* Nunquam tamen generalis clausula comprehendit causam quæ non valet de iure *l. 2. vbi Bald. de pact. dot.*

15 Dicam infra *Defin. 25. num. 2. & 5.*

DEFINITIO XIV.

Renunciatio iurata matris an & quando noceat nepotibus ex propria persona venientibus iisdemque heredibus.

Renunciatio iurata filiæ quæ à patre dotem licet congruam accepit, non nocet liberis ex ea præmortua susceptis & superstitibus ad aui successionem siue testamentariam siue legitimam venientibus,[1] licet sint heredes matris,[2] quia eo casu nulla renunciatio esse intelligitur,[3] Vtpote quæ facta sit sub conditione quæ non euenit.[4] Nam neque hereditati neque portioni legitimæ renunciari potest nisi sub ea conditione, Si hereditas aut portio legitima deferetur.[5] Cum prius sit vt deferatur ius cui renunciatur, quam vt ei renunciari possit.[6] At filiæ quæ viuo patre mortua est nunquam fuit delata hereditas aut portio legitima,[7] quia viuens pater neque hereditatem vllam habere[8] neque legitimam debere potest.[9] Ergo perinde est hoc casu ac si nulla vnquam facta fuisset renunciatio. Et consequenter non nocebit liberis, quod sint heredes matris, quasi ex ea causa matris factum, & renunciationem probare ratamque habere debeant.[10] Non enim possunt videri venire contra renunciationem, cum renunciatio nulla facta esse intelligitur.[11] Nec quod mater non tantum pro se sed etiam pro filiis suis renunciauerit, ad rem facit. Id enim ita accipiendum est vt in eum ipsum casum, in quem pro se renunciauit, suis quoque liberis renunciasse videatur, non in alium.[12] Ergo & sub eadem illa conditione, Si legitima portio aut successio deferetur:[13] Nisi poneres id nominatim actum cautumque vt illo etiam casu quo filia renuncians præmoreretur, liberi quoque ex ea suscepti excluſi essent facto matris, & propter dotem ab ea acceptam.[14] Tum enim proculdubio factum matris noceret liberis quantumlibet ex propria persona venientibus si heredes essent matris,[15] quia de illorum proprio iure nominatim actum proponeretur.[16] Sed extra illum casum non magis nocere potest nepotibus ex filia renunciatio matris licet sint illi heredes ipsius quam si non essent.[17] Illa etiam ratio pro nepotibus facit, quam proxime attigimus. Nimirum, quod præmortua filia nepotes ex ea superstites veniunt ad successionem aui ex propria persona, & proprio capite non ex persona matris,[18] Vtpote repræsentantes gradum matris non personam.[19] Idque ex eo apparet, quod tametsi filia quæ accepta dote renunciauit paternæ successioni cum iuramento possit impune præteriri à patre, nec necessario instituenda sit vel exheredanda,[20] nepotes tamen ex ea præmortua superstites omnimodo instituendi sunt aut exheredandi.[21] Alioqui testamentum nullum & iniustum faciunt, siue de paterni, siue de materni aui testamento agatur.[22] Quod vtique falso vel sine ratione diceretur si matris personam repræsentarent, nec nisi ex ea admitti possent.[23] Cum igitur veniant ex propria persona, vtcumque sit nullam ab iis factam renunciationem, consequens est vt non debeat matris renunciatio iis nocere,[24] Nec si sint eius hæredes, quia quod in eius gradum succedunt, habent à lege non à matre.[25] At, inquies, fieri non potest, vt nepotes ex filia præmortua succedant ex proprio capite non ex persona matris, cum succedant in stirpes siue cum auunculis, siue cum consobrinis,[26] qui alioquin succedere in capita deberent, si non succederent per repræsentationem.[27] Verum facilis responsio est, Succedere quidem eos per repræsentationem, indeque fieri vt succedant in stirpes non in capita: Sed tamen repræsentare gradum non personam matris,[28] & ex eo euenire, vt quamuis mater, si viueret, excluſa esset per

BIU Cujas

renunciationem, nepotes tamen ex ea non sint excluſi, cum proprio iure veniant, [30] Præſertim matre ipſa non tam propter renunciationem quæ nunquam effectum habuit, vt diximus, quam per mortem excluſa. [31] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Bart. *ad d.l.qui ſuperſtitis.*

2 Caſtrenſ. *ibid.contra Bartolum.*

3 Quod autem nullum eſt, nullum producit effectum, *vulg.iurib.*

4 Actus enim conditionalis defecta conditione nihil eſt, *l.vltim. §.ſin autem aliquid ſub conditione, Cod. de caduc. toll. & tot. titul. de condit. & demonſtrat. l.cedere diem 213. de verbor. ſignificat.*

5 Etſi enim conditio illa tacita eſt, tamen æque ſuſpendit, actum ac ſi eſſet expreſſa, Dec. *conſ.2.l.interdum 73. De verbor. obligat.*

6 *l.ſi ita ſit ſcriptum 45.§.ſi ſub conditione de legat.2. l.1. §.decretalis, D.de ſucceſſ.edict.*

7 *L.delata 151.de verb.ſignific.l.ſcripto 6.D.vnd lib.1.§.ſciendum, D.de ſuis & legit.*

8 *l.1.D.de hered.vel act.vend. l.hereditas, 5. C.de pact.conuent. iunct.l.1.D.qui teſtam facer.poſſ.*

9 *l.1.§.ſi impubere, D.de coll.bonor.*

10 *ex l.cum à matre 14. D.de rei vindic.* de cuius ſententia & limitationibus vide Oſaſch.Cacher. *Deciſ.Pedem.penult.*

11 Nam quod non eſt neque probari neque improbari poteſt, *l.circ.princ.de iniuſt.rupt.* cum non entis nullæ ſint qualitates, *l.debitor 82.de leg.2.*

12 *Arg.l.cum pater 11.l.ob res 20. §.ſi conuenerit, D.de pact. dotal.*

13 Conditio enim facile repetita intelligitur, *l.Titia 134. §. 1.de verb.oblig l.4.§.vlt.D.hoc tit.* Niſi quæ repetita vitiaret. *l.ſeruo alieno 113.§.ſi ab impubere de leg.1.*

14 Pacta enim ſeruanda ſunt, quæ nec contra leges ſunt, nec contra bonos mores, *l.iuris gentium 7.§.ait prætor, D. hoc titul.*

15 *Ex reg.d.l.cum à matre, C.de rei vindic.*

16 Poteſt enim quilibet de bonis ſui heredis perinde ac de ſuis diſponere, *l.vnum ex familia 67. §.ſi rem, de leg.2.*

17 Heres enim non poteſt teneri ex pacto defuncti, niſi ſub iiſdem legibus & conditionibus, quibus defunctus contraxit: cum obligationis conditio ex perſona heredis non immutetur, *l.2.§.ex his de verb.oblig.*

18 Itaque ceſſat hoc caſu obiectio quæ à nonnullis fieri ſolet *ex l.ſi viua matre, D.de bon.matern.* itemque iuris regula quæ habet, Ex qua perſona lucrum quis ſentit eius factum præſtare eum debere, *l.ex qua perſona 149.de reg.iur.*

19 §. *cum filius, Inſt.de hered. quæ ab inteſt.defer.* Dixi ſupr. *Defin.1.num.4.*

20 Dixi ſ. *Defin 8.num.2.*

21 §. *aliud quoque capitulum. Nouell.115. Vt cum de appellat. cognoſc.*

22 Nulla enim hodie differentia eſt inter aſcendentes ex linea maſculina & ex fœminina ſiue in ſucceſſione teſtati *d.§. aliud quoque*, ſiue in ſucceſſione inteſtati *Nouell.118. de hered. ab inteſt.venient.*

23 *d.l.ſi viua matre, C.de bon.matern.*

24 *Ex reg.l.non debet 74.de reg.iur.l.ſi vnus 27.S.pacta quæ turpem, D.hoc tit.*

25 Dixi *dict.Defin.1.num.2. & 3.* ſ.

26 *d.§.cum filius & §.ſi igitur defunctus* Nouell.118. *de hered. ab inteſt.veniens.* Scripſi *in Diſput. forenſ.Diſp.1.*

27 *l.2.§.hæc hereditas de ſuis & legi.l.1.§.vlt.ſi pars hered.petat.* Vlpianus *in Titulis tit.26.§.4.*

28 Marant. *diſput.10.*

29 Quia eo caſu renunciationis condicio exiſteret *d.l.8.§. ſi quis ita l.quoties, 14.§.1. D.de nouat.*

30 *l.Seia 73.D.de euict.l.an vitium 5.§.1.D.de diuerſ.temp.præſc.* licet contra ſentiat Paponius *in ſyntagm.areſt.*

31 In eoque alia ratio eſt matris præmortuæ, alia nepotis ſuperſtitis. Conſtat autem vbi diuerſa ratio eſt excluſionis poſſe admitti liberos ex ea matre ſuſceptos, quæ excluſa eſſet ſi viueret.

DEFINITIO XV.

Quid ſi mater vt renunciaret legitimam perceperit, aut dotem qua ſit loco legitimæ?

AT hic rurſus illa incurrit hæſitatio, quod filia quæ accepta dote paternæ ſucceſſioni renunciauit pro ſe ſuiſque liberis, non tantum propter renunciationem excluſa videri debet, ſed etiam propter partis perceptionem, [1] Quaſi partem ſuam hereditariam perceperit, patre ipſi vltro & liberaliter eam repræſentante ac prærogante. [2] Hxic enim conſequens videtur vt filia quæ partem ſuam habuit obſtet nepotibus etiam poſt mortem ſuam, [3] non ſecus ac ſi ſuperuixiſſet, cum effectu ipſo tantum tulerit ex patris hæreditate, quantum ferret hodie ſi viueret, nec proinde reperiatur gradus vacuus ad ſuccedendum, in quo ſcilicet alia perſona iam ſucceſſerit, aut perinde habenda ſit atque ſi ſucceſſiſſet. [4] Verum reſpondeo hanc rationem eo duntaxat pertinere, vt ſi filia patri ſuperuixerit obſtet illa nepotibus, ne ad ſui ſucceſſionem ex ſucceſſorio edicto venire poſſint, [5] Quomodo vtique poſſent ſi filia per ſolam renunciationem excluſa eſſet, ſi non aliæ perſonæ eſſent proximiores, ad quas filiæ portio per ius accreſcendi peruenire deberet. [6] Sed premortua filia ſicut de ſucceſſorio edicto tractari non poteſt, [7] ita nec dici, habuiſſe eam vnquam portionem ſuam hereditariam, quia vt in ſuperioribus dictum eſt, [8] nec hereditatem nec portionem hereditatis paternę viuo patre habere potuit. [9] Solaque dotis alterius portionis quantumcunque congruentis perceptio citra renunciationem non excluderet illam à ſucceſſione, mortuo quandoque inteſtato patre, [10] ſed faceret tantum vt non aliter audienda eſſet petens portionem hereditariam, quam ſi id quod accepiſſet conferre vellet, [11] Aut petens legitimam eiúſve ſupplementum, quam imputando dotem. Id enim eſt quod Iuſtinianus voluit [12] dotem in legitimam imputari, quod vulgo noſtri male ſic accipiunt, [13] quaſi dos cedat loco legitimæ: nunquam enim de legitima quæri poteſt viuo patre, [14] ſicuti nec de ipſius hereditate, [15] quamuis legitima ſit quota bonorum non hereditatis. [16] Neque quia cum legitima ſit quota bonorum quæ ab inteſtato deferri potuiſſent ex cauſa hereditaria, [17] apparet in ineunda legitimæ computatione neceſſario ſpectandum tempus mortis, [18] quandoquidem nec prius ſciri poteſt quid & quantum eo tempore futurum ſit in bonis. [19] Neque vero in cuiuſquam poteſtate eſt vt legitimam repræſentet, [20] ſed tantum facere vt quod viuus dat in dotem aut in quam aliam eiuſmodi cauſam, imputetur quandocunque in legitimam portionem. [21] Ergo vt concludamus neque dotis perceptio, neque renunciatio matris nocere poteſt nepotibus, quo minus ex propria perſona venientes præmortua filia ſuccedant auo. [22] In eam ſcilicet portionem quam mater habitura eſſet ſi viueret nec renunciaſſet, quamuis ſint heredes matris, & ſiue ſuccedant illi cum conſobrinis ſiue cum auunculis. [23] *Atque ita tandem Senatus* pronunciauit in eadem cauſa.

1 Sic enim tractant noſtri poſt Bart. Caſtr. & alios *ad d.l. qui ſuperſtitis.*

2 *Arg.l.cùm quo 56.§.vltim.D. ad leg. Falcid.l.1.§ ſi parens, D.ſi à parent. quis manum. l.quoniam, Nouella 29. C.de inoffic. teſtament.*

3 *Arg.l.ſcripto 7.D.vnde liber.* Non enim poteſt gradus eſſe vacuus in quo eſt perſona quæ partem ſuam acceperit.

4 *Arg.l.2.& 3 D.ſi quis omiſſ.cauſ.teſtam.*

5 *l.1.& tot. titul.de ſucceſſ.edict.* Caſtrenſ. *ad dict. l.qui ſuperſtitis.*

6 Ius enim adcreſcendi, quia locum habet inter eos qui ſunt in eodem gradu, potentius eſt ſucceſſorio edicto, Caſtrenſ. *ibid.*

7 Prætor enim illo edicto non dat ſucceſſionem niſi inter eos, quibus defert bonorum poſſeſſionem, *d.l.1.in prin.de ſucceſſ. edict.* quam porro non defert præmortuis ſed ſuperſtitibus tantum, quia non niſi defuncti hominis bonorum poſſeſſionem defert, vt apparet ex definitione bonorum poſſeſſionis poſita *in l.3.§.bonorum, D.de bonorum poſſeſſ.*

8 *Defin prox. num.7.8. & 9.*

9 *Ex l.1. D.de hered. vel act.vend.l.1. §.ſi impubere, D.de collat. bonor.l.2.§.interdum, de vulg.& pup.ſubſt.l.donari, 26. l.alius quidam, §.donationem, D.de donat.*

10 *l.pe-*

10 *l.penult.& vlt.D.de collat.dot.*
11 *l.filiæ,12.l.filiam,16.D.de collat.*
12 *in d.l.quoniam nouella.29.C.de inoff.testam.*
13 De quo scripsi in Decadibus prior. De erroribus pragmatic.
14 *d.l.1.§.si impubere D.de collat.bonor.l.cum quæritur,C.de inoffic.testam.*
15 *l.2.§.vlt.de his quæ vt indign.*
16 *d.l.cum quæritur* vbi DD.notant. *l.Papinianus 8.§.quarta autem.D.eod.*
17 Vnde illud etiam fit vt qui exclusus est à successione intestati censeatur exclusus à legitima.
18 *d.l.cum quæritur,& similib.*
19 Propter inopinatos casus rerumque euentus quibus augeri possunt facultates vel minui. *l.pupillus,24. D.quæ in fraud. credit. l.in ratione 30. l.cum quo 56. in princ. l.in quantitate, 73. l.in duplicibus,79. D.ad leg.falcid.*
20 Non magis quam vt sit mortuus qui adhuc viuit.
21 *d.l.quoniam nouella 29.C.de inoffic.testament.l.illud,20. C.de collat.*
22 Ius enim successionis est ex legibus,quæ nec hereditatem nec legitimam deferunt nisi mortuo patrefamilias.
23 Quia cum repræsentent gradum matris non possunt plus habere,quam mater ipsa habitura esset *dict.§.cum filius, & dict.§.si igitur defunctus.*

DEFINITIO XVI.

De conferenda per nepotes ea pecunia aut portione, quam mater habuit vt renunciaret.

AN ergo dicendum erit mortuo intestato auo nepotes ex filia præmortua superstites, ex propria persona successuros auo in eam hereditatis partem, quam habitura erat mater si superuixisset nec renunciasset, ac præterea dotem, quam mater legitimæ aut portionis hereditariæ loco acceperat,habituros? Minime vero. [1] Ita enim fieret iniuria cæteris intestati successoribus in eodem gradu constitutis,id est,consobrinis ac multo magis auunculis,qui cum vno gradu sint proximiores, proculdubio nepotes istos prorsus excluderent,[2] si non hi nepotes per repræsentationem gradus admitterentur ad eum ipsum gradum quem mater tenuit quandiu vixit. [3] Proinde æquissimum est & iuris rationi omnino consentaneum, vt quod filia in dotem, vel ob quam aliam causam habuit pro portione hereditaria, totum id conferant iis cum quibus volunt in hereditate succedere, [4] Ne alioqui inter eos, qui pari sunt gradu succedendi, successionis inæqualitas inducatur. [5] Idque indubitatum est si nepotes isti ex filia præmortua heredes matris proponantur. Quænam enim illis in eo facta iniuria videri potest? [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Paul.Castr.*ad d.l.qui superstitis,de acquir.hered.*
2 *l.3.C.de leg.hered.l.leg.14.§.vlt.eod.*
3 *d.§.si igitur defunctus,& d.§.cum filius.*
4 *d.l.quoniam nouella 29.C.de inoff.testam.*
5 *l.maximum vitium 4.C.de liber.præter.*
6 Non enim conferunt nisi idipsum quod habent, id est, quod habuit defuncta mater cuius personam tanquam hæredes repræsentant.

DEFINITIO XVII.

Quid si nepotes ex filia quæ renunciauit non sint eius heredes?

AT quid si nepotes hereditatem matris repudiauerint? Nō poterit eis obiici quod in dolo sint qui & portionē hereditariā habere velint, quam haberet mater si viueret nec renunciasset,& præterea idipsum quod mater habuit vt renunciaret. [2] Nec rursus fieri potest vt conferāt id quod nō habent. [3] Nisi forte minus percipiēdo,quomodo plerūque ex necessitate collatio fit. [4] Enim vero illud quoque absurdū & iniquū videtur minus eos percipere ex hereditate,ob id solum, quod mater dotem aliudve quidpiam habuerit, cum neque ex persona matris veniant ad successionem,vt iam diximus,sed ex propria, [6] neque ex facto matris lucrum sentiant cuius non sunt successores. [7] Nec est quod quis cum vulgo interpretum obiiciat,Si nepotes isti tantundem perciperent, futurum vt per successionem in stirpes plures portiones hereditariæ vni stirpi deferrentur. [8] Iam enim ostendimus in superioribus [9] nec portionem hereditariam dici nec portionis hereditariæ loco cedere posse id,quod filia dotem habuit à patre,cum pater superuixit. Verum si negemus tanto minus ex bonis aui percipere nepotes debere,illa emerget iniquitas quod deterior erit conditio auunculorum aut consobrinorum ex auunculis præmortuis, qui nihil acceperunt, quam futura esset si filia viueret nec renunciasset. [10] Vtique enim quod habuisset illa conferre cogeretur. [11] Ergo cum non alia causa fuerit dotis dandæ filiæ, quam quia in eo gradu erat vt patri esset successura, [12] Consequens est vt quisquis in eum gradum locumque succedit non plus iuris habeat quam persona, quæ prior eum gradum tenuit, haberet hodie si viueret & succederet. [13] Quid enim aliorum interest qui cum filia omnimodo ex æquis portionibus erant successuri,an illa viuo patre decesserit an post patrem, an relictis liberis, an sine liberis? [14] Igitur minus percipere nepotes oportebit, etiamsi non sint heredes matris. *Atque ita Senatus* noster pronunciauit in supradicta causa.

1 Neque enim matris heredes necessarij sunt cum nec sint sui,quia fœminæ non habent suos heredes. *l.illud,4.§.ad testamenta.D.de bonor.poss.contr.tab.*
2 Nam non habent idipsum quod mater habuit cuius non sunt heredes.
3 *l.1.§.de illis.D.de collat.bonor.* Facit *l.1.§.confertur 23.eod.* vbi scriptum est non venire in collationem id quod quis acquirere cum posset noluit, qui hic sibi magis quam alteri insidiatus est, *l.dotis 5.C.eod.*
4 *d.l.1.§.sed etsi tantum 12.D.eod.tit.de collat.bonor.*
5 *Arg.l.1.§.& in adoptionem;& pass.ff.de coniung.cum.emancip. liber.eius.*
6 *d.§.si igitur defunctus.*
7 Nec proinde matris factum præstare coguntur, *arg.um.à contr.sens.l.ex qua persona 149.de reg.iur.*
8 Argumentum est pragmaticorum desumptum ex Paponio *in syntagm.arest.loco supra citato.*
9 *Defin.15.num.9.5.*
1 Atqui renunciatio cum facta sit à filia vt tanto magis eius fratres admitterentur,nocere iis non debet. *arg. l.legata inutiliter 14.de adim.legat.*
11 *l.1.l.si filia 3.& pass.D.de collat.dot.*
12 *l.vlt.C.de dot.promiss.*
13 *l.1.§.eueniet.15.D.de coniung.cum emancip.liber.eius.*
14 Non enim ob eam causam deterior ipsorum conditio fieri debet,cum sint vno gradu proximiores liberis sororis.

DEFINITIO XVIII.

De imputanda in nepotis legitimam dote quam filia habuit, siue renunciatio interuenerit, siue non.

SEd si de legitima duntaxat non etiam de successione & hereditaria portione quæratur,quod euenit facto testamento, & exclusis per auum pro modico legato vt sit,nepotibus ex filia præmortua superstitibus, [1] alia tractatio esse videtur,& paulo difficilior.Nam cum legitima nō sit quota hereditatis sed bonorum, [2] nō potest hoc casu locus esse collationi, quæ non nisi inter coheredes locum habet. [3] Superest itaque vt de sola imputatione quærendum sit, id est, an quod filiæ præmortuæ in dotē datum fuerat,nepotes imputare debeant in suam legitimam.Quæ quæstio in illā incidit quæ à nostris interpretibus tantopere agitata est? Vtrū dos data filiæ imputāda sit in legitimā nepotis. [4] In qua quæstione magis cōmu-

BIU Cujas

niter illa distinctio probata est? Vt si dos filiæ ad nepotes perueniat, ex pacto, prouidentia & dispositione aui, imputari debeat nepoti, non aliter.[5] Sed id tum obtinet cum nulla renunciatio facta est. Nam facta renunciatione omnes consentiunt filiam videri habuisse portionem suam hereditariam cum habuit dotem,[6] adeoque quod magis est in ea dote habere illam heredes liberos etiam viuo auo,[7] Et consequenter imputari eam dotem debere nepotibus in legitimam, cum mater eam habuit pro legitima, Ne alioqui duplicis legitimæ præstatione vnus idemque gradus successionis auitæ oneretur,[8] Idque non solum procedit si nepotes sint heredes matris, in quo omnes consentiunt,[9] sed & si non sint heredes. Non ratione illa qua plerique falso mouentur, quod nepotes isti matrem repræsentent, (nam imo vero gradum duntaxat repræsentant non personam[10] vt in superioribus diximus[11]) Sed quia postquam iure Pontificio receptum est vt filia quæ iurato renunciauit accepta dote portionem suam hereditariam aut legitimam percepisse videatur,[12] Non est æquum nepotes ex eodem gradu tanquam vacuo succedentes tantum ferre ex aui hereditate, quantum si filia nihil vnquam habuisset.[13] Quomodo enim fieri queat vt gradu in quo filia fuit quandiu vixit reperiant vacuum, id est, talem vt filia nunquam in rerum natura fuisse videatur, quod ad causam succedendi attinet, quin eorum omnium ratio habeatur, quæ filia percepit ex causa prorogatæ & repræsentatæ successionis?[14] Non enim vacuus gradus videri potest cui iam successio delata sit,[15] aut quid aliud datum vice futuræ successionis,[16] Nisi omnia in integrum restituantur, id est, in eum statum in quo essent si filia nihil percepisset, Quod euenit nepotibus tanto minus pro legitima percipientibus.[17] Proinde nec de illo quærendum est an matris hæredes sint necne?[18] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia hoc casu non nisi de supplemento legitimæ tractari potest cum testamentum subsistat, *l. omnimodo* 30. *C. de inoffic. testament.*

2 *l. cum quæritur 6. Codic. eod. l. Papinianus* 8. §. *quarta autem, D. eod.*

3 Et quidem ex eodem iure succedentes, *l. nec ipsa 7. D. de collat. dot.* Sicut dicimus nec accrescendi ius inter eos locum habere. *l. sed cum patrono 6. D. de bonor. poss.*

4 Tractant nostri *ad l. quoniam, Nouella 29. C. de inoff. testam.* Scripsi *lib. 13. Coniect.*

5 Distinctio est communiter recepta ex Bart.

6 Quia dotem illam hoc casu volunt cedere loco portionis hereditariæ.

7 Scripsi *late eod. lib. 13. Coniect.*

8 Quod tamen fieri non potest cum legitimaria portio non nisi ex legitimæ successionis comparatione debeatur, nec proinde possit duplex legitima deberi, vbi vna tantum pars esset successionis. *Arg. d. l. 1. §. eueniet, de coniung. cum emancip. lib. eius.*

9 Antonin. Tessaur. decis. Pedemont.

10 Nemo autem ex eo solo obligatur alieno facto quòd gradum repræsentet. *l. scripto 7. D. vnd. liber.*

11 *Defin. 1. num. 4. Defin. 14. num. 28.*

12 *Cap. 2. de pact. in 6.*

13 Castr. & cæteri *ad d. l. qui superstitis.*

14 *Arg. d. l. cum quo* 56. §. *vlt. ad leg. Falc. d. l. quoniam Nouella cum ibi not. C. de inoffic. test.*

15 Vnde illud est, quod neque in suis neque in agnatis erat olim successio. *l. 1. §. sciendum De suis & legit. §. placebat. Instit. de legit. agnat. succes.*

16 *Vt in l. cum quo* 56. §. *vlt. D. ad leg. Falcid.*

17 *d. l. 1. §. sed etsi tantum, D. de collat. bonor. l. dotis quidem petitio.* (sic enim legendum est non *portio*) *C. de collat.*

18 Cum vtroque casu subsit eadem ratio æqualitatis constituendæ minus accipiendo ex parte nepotum.

DEFINITIO XIX.

De legitima in corporibus bonorum soluenda nepotibus ex filia, quæ renunciauit ex propria persona venientibus.

CVi tamen non erit consequens vt si dos filiæ data fuerat in pecunia numerata, nepotes similiter in pecunia legitimam accipere cogantur, si malint eam habere in corporibus hereditariis.[1] Nam cum veniant ex propria persona non ex persona matris, vt iam toties diximus,[2] nec ipsi quicquam adhuc pro legitima acceperint, dici non potest cogendos eos agere ad supplementum,[3] quasi ad ipsius legitimæ petitionem non sint admittendi.[4] Non enim ideo tenentur imputare sibi in legitimam id quod mater pro dote habuit, tanto minus percipiendo ex bonis aui, quasi accepisse ipsi videantur quod mater accepit, præsertim si nec sint heredes matris,[5] Sed ob eam duntaxat rationem ne emergat iniquitas si ex gradu matris tanquam vacuo succedentes tantundem ferant ex aui hereditate, quantum si mater nihil habuisset: quæ tamen legitimam, aut quod hac parte idem est, dotem pro legitima habuit.[6] At nulla suberit iniquitas tametsi ea legitima nepotibus detur in corporibus hereditariis non in pecunia, cum vtroque casu tantundem debeantur.[7] An ergo legitimam integram consequenter nepotes in corporibus hereditariis, si parati sint pecuniam à matre acceptam heredibus totam reddere? Minime. Esset enim illa mera collatio, ad quam non admittuntur, qui non sunt heredes illius, de cuius successione agitur.[8] Sed cum dotem maternam imputare sibi debeant tanto minus percipiendo ex bonis hæreditariis,[9] suauissimo temperamento res ad suam æquitatem reducitur, vt non plus ferant nepotes ex bonis aui quam debeatur detracta ea summa quæ matri in dotem data est.[10] Idque temperamentum Senatus noster secutus est in supradicta causa.

1 Secundum Iustiniani constitutionem *in l. vlt. §. repletionem, C. de inoff. testam.*

2 *Defin. 1. 14. & 18. 3. eod.*

3 Supplementum enim præsupponit aliquid iam acceptum esse pro legitima, licet minus quam oporteat. *l. omnimodo* 30. *l. si quando* 35. §. *generaliter, C. de inoff. testam.*

4 Aliud enim est legitimam petere, aliud vero agere ad supplementum. Legitima enim facto testamento non potest peti nisi per querelam, quæ contra testamentum proponitur, Supplementum vero petitur ex testamento, *dict. l. omnimodo.*

5 Qui enim non sunt hæredes non repræsentant personam defuncti nec præstant ipsius factum. *l. cum à matre 6. Cod. de rei vind.*

6 Vt diximus *prox. Def. præced.*

7 Æqualitas enim perinde vtroque casu seruatur.

8 Non enim locum habet collatio nisi inter heredes, quia nec alij conferunt, quam qui si non conferrent iniuriam hæredibus facerent. *l. 3. D. de collat. dot. l. 1. §. toties, l. si filius* 10. *de collat.*

9 Vt diximus *Defin. prox. num. 17.*

10 Ita enim fit vt nihil interfit filiorum an soror quæ ipsa enunciauit succedat, an suscepti ex ea nepotes.

DEFINITIO XX.

De compensandis fructibus legitimæ nepotum cum fructibus dotis maternæ.

QVemadmodum autem nepotibus istis legitimam ex proprio capite in bonis aui persequentibus debentur fructus à die mortis,[1] quia fructus augent legitimam sicut & hereditatem:[2] Ita & in computanda quantitate quam filia in dotem accepit, habenda ratio est accessionum, id est, vsurarum eius pecuniæ,[3] Non quidem ex die acceptæ dotis, cum ab eo tempore mulier suis aut mariti sui sumptibus exhibita sit,[4] quam alioqui pater de suo alere debuisset,[5] sed à die mortis aui, vt pro rata portione fructus legitimæ cum vsuris dotis quæ loco fructuum sunt, compensentur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Boer. *quæst. 3 in fin.*

2 *l. Papinianus* 8. §. *vnde si quis, D. de inoff. test.*

BIU Cujas

3 *Arg.l.filius* 5.§.*filia*, *D.de collat.dot.*

4 *l.vir vsuras* 54. *D. de donat.int. vir. & vxor. l.actione* 65.§. *vltim.D.pro socio l.si is qui* 56. §.*ibi dos* ; *l.quamuis* 75. *in fin. de iur. dot.*

5 *d.l.*[*is qui* §. *post mortem* , *l.si quis à liberis* 5. *in princip. &* §. *idem in liberis*, *D. de agnosc. & alend.liber.l.*3.*&* 4.*C.eod.*

6 *Vt in l.minor annis* 40. §.*prædia*, *D.de minor. l.*1.§.*pacto*, *D. de pignor.*

DEFINITIO XXI.

Auctis ex postfacto facultatibus patris an augeatur legitima matris quæ renunciauit? Et quid de nepotibus qui non renunciarunt?

QVæstio illa ab interpretibus nostris tandiu vexata, Vtrum auctis facultatib. patris augeri debeat legitima filiæ quæ accepta dote pro legitima successioni paternæ renunciauit? Eo demum casu locum habet, quo filia ipsa patri superstes ampliorem petat portionem. In qua quæstione pugnantes interpretum sententias, Senatus noster ea distinctione conciliare solet, Vt si congruenter filia ab initio dotata sit inspectis facultatibus patris quæ tum fuerunt, [2] non sit audienda: [3] Sin læsa fuit, licet intra dimidiam, succurri ei oporteat aduersus renunciationem. [4] Sed si filia quæ renunciauerat, ante patrem decesserit superstitibus nepotibus, qui repudiato legato sibi relicto legitimam petere malint in corporibus hereditariis, [5] dubitationem res non habet quin eorum legitima æstimanda sit ex facultatibus, quæ mortis tempore reperiuntur. [6] Nempe quia vt in superioribus dictum est, [7] veniunt illi ex proprio capite. Ac licet in gradum matris vocentur, ita vt non nisi vnam legitimam consequi possint, tametsi plures sint nepotes: [8] non eam tamen ipsam legitimam petunt, quæ matri, si viueret, deberetur, nec si sint heredes matris, sed propriam sibique ex proprio capite debitam, [9] cui nec vnquam renunciarunt, quæque cœpit iis esse debita eo demum instanti quo auus decessit. [10] Itaque mortis tempus hac parte necessario spectandum est, quamuis dotem à matre acceptam cogantur nepotes in legitimam suam imputare minus percipiendo ex bonis aui, vt supra diximus. [11] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Definit. 23. infr. De inoffic. testam.

1 Filia enim præmortua, vel non conquerente nullus quæstioni locus relinquitur quantumcunque magna dos ei data proponatur: quia nec aliter posset constitui citra iniuriam mariti, qui neque indotatam neque minus dotatam ducturus fuit, *l.Titia* 62. *de iur. dot. l.si donaturus* 9. §.1. *D. de condict. caus.dat.l.*4. §. *sed etsi mulier*, *l.pure* 5. §.*si eum*, *D.de doli mal. except.*

2 *l.quæro* 60. *& seq. l.cum post* 69.§.*gener.& §.nuptiis*, *de iur. dotal.*

3 Quia contractus tempus inspiciendum est quoties de lesione quæritur, non euentus, *l.*2.*l.si voluntate* 8. *C. de rescind. vend.l.si pater* 12.*C.de inoffic.test.l.de fide commisso* 11.*C.de transact.* Nec audiendus est qui petit id cuius contrarium non fuit postulatum, *l.pen.C.de solut.*

4 Quasi possit hoc casu imputari patri cur non congruam dotem ab initio dederit. De quo tamen vide quæ scripsi in Chiliad. De err.pragmat. Decadib.priorib.

5 Sic enim vulgo creditum est, posse eum cui legitima relicta est in pecunia repudiare legatum, & petere legitimam in corporibus bonorum. De quo vide etiam quæ scripsi Dec. err.

6 *Ex l.cum quæritur* 6.*C.de inoff.test.& similib.*

7 *Defin.*1 14.*&* 18.

8 *Dict.Defin.*8. *num.*8.5.

9 Nam & ex proprio capite succederent si successioni intestati locus esset, *l.si quis posthum.*9.§.1. *D.de liber. & posthum.l. si quis filio* 6.*De iniust.rupt.*

10 *§. si igitur defunctus*, *Nouell.* 118. *de hered. ab intest. venient.*

11 *Defin.*18.*&* 19.*hoc tit.*

DEFINITIO XXII.

De personis quarum fauore fit renunciatio, Et quis sit effectus renunciationis defuncta ea persona, cuius fauore fuerat renunciatum.

RÊnunciatio successionis futuræ patri facta per filiam quæ nuptui tradebatur si pater nobilis, multo magis si illustris fuit, & eo tempore liberos vtriusque sexus habuit, masculorum duntaxat fauore facta intelligitur, [1] Nimirum per coniecturam tacitæ voluntatis ex talium virorum cõsuetudine, quæ illa est, vt familiæ suæ opes & dignitatem masculis potissimum quandiu superstant parent. [2] Sed si, vt plerumque fit, eius renunciationis commodum pro se suisque successoribus quibuscumque stipulatus sit pater, nullus præsumptioni locus relinquitur, nec proinde dubitationi, quin non solum pro filiabus quoque, sicut & pro masculis, sed etiam pro extraneis heredibus stipulatus videatur. [3] Itaque si decedat intestatus superstite filia, quæ renunciauit, & alia quæ non renunciauit, itemq; masculo, ea quæ non renunciauit, admitteretur cum masculo, & æque proderit ei renunciatio. [4] Sin masculus qui renunciationis tempore viuebat, ante patrem decesserit, sola filia succedet, quæ non renunciauit, [5] quod non contingeret si masculorum duntaxat fauore facta renunciatio proponeretur. Tum enim defuncto masculo renunciationis potestas euanesceret, [6] nec minus ad successionem admitteretur ea ipsa quæ renunciauit, quam quæ non renunciauit, [7] quoniam & vtraque admitteretur nulla facta renunciatione. Quid si pater testatus sit, & solum masculum heredem scripserit? Soli masculo proderit renunciatio, [8] quia & filiæ prodesset si exheredato masculo filiam instituisset, adeoque extraneo si exheredatis liberis extraneum prætulisset. [9] Huic consequens est, vt mortuo quandocumque masculo, qui fuerat solus institutus perinde ad eius successionem vocetur soror, quæ renunciauit, atque illa quæ non renunciauit, licet non tantum paternę, sed etiam fraternæ successioni renunciatum proponatur, quoniam tota renunciationis potestas in personam eius confluit in cuius fauorem facta renunciatio est, [10] aut qui in locum illius successit. Ideoque postquam semel effectum sortita est tota hereditate masculo quæsita, nullas vires in aliorum persona habere potest. [11] Nec ad rem pertinet si quis obiiciat non videri sortitam effectum, quod ad hæreditatem ipsius masculi, qui vtiq; sibi ipsi succedere non potuit. [12] Nam neque hoc respectu vlla videri potest facta renunciatio quantumuis fraternæ heredirati renunciatum sit, Quandoquidem nulla subest persona, cuius fauore facta hodie videri possit, defuncto nimirũ patre patrisque hærede, cui totum emolumentum renunciationis quæsitum fuerat. [13] Non enim quod supereſt persona sororis quæ non renunciauit, & quæ ideo capax est consequendæ fraternæ successionis, sufficere potest ad hoc vt ea sola admittatur, & sorori quæ renunciauit præferatur. Prius enim est vt in eius fauorem probetur facta renunciatio quam vt ei debeat prodesse. [14] *Ita ex tempore tractatum est* in causa liberorum N.Petri de Bellegarde de S.Ciergue 5. Id.Septembr. 1595.

1 Dixi 5.*Defin.*7. *num.*10.

2 Quia per masculos familia conseruatur non per fœminas, vt diximus *d.num.*10.

3 Heredum enim appellatione etiam extranei continentur. *Tit. De hered.qualit.& differ. l.extraneum etiam penitus ignotum*, 11. C.*de hered.instit.* Facit *l.si pactum* 9. *D.de probat.*

4 Didac.Couarr. *in repet. cap.quamuis pactum* 2.*de pact.in* 6. * *in* 3.*parte relect.*§.3.

5 Guid.Pap. *q.*192. * Afflict.*decis.*161.

6 Cessante siquidē causa finali dispositionis, cessat dispositi-

BIU Cujas

tio, *l.vlt.D.de testam.tutel.l.vlt. D.de hæred.institut.* Tiraquell.*in tract. Cessante causa.* * Ferret. *ad d.decis.* Guid.Pap.192. Guiliel. Benedict. *in verbo duas habens filias numer.*297. Crauet. *consil.*192.

7 Didac.*vbi supr.*

8 Non tanquam masculo,sed tanquam heredi. *l.tale pactum,* 40 *§.vlt.D.hoc tit.*

9 Nam neque potest pater filio suo stipulari in id tempus, quo pater erit mortuus, nisi tanquam heredi, cum ius patriæ potestatis,quod facit vtilem stipulationem finiatur morte. *arg. l.Titio* 52.*D.de vsufr.l.Stichus* 39.*de manum.test.*

10 *Arg l.*1.*§.inde Neratius,D.ad SC.Trebell.*

11 Quia stipulatio semel commissa amplius non committitur,nisi cum actus est reiterabilis. *l sic stipulatus* 133. *de verb.obligat.*qualis hic non est,quia delatio hereditatis fit semel tantum & vnico instanti. *l.*1.*§.sciendum,de suis & legit.l.scripto* 7. *D.vnd. liber.*

12 Id est sibi ipsi heres esse:alioqui euenit aliquando vt sibi ipsi quis succedat in iure adeundæ hereditatis alienæ aut potius in iure petendæ bonorum possessionis. *l.*1.*§.sed videndum,D.de succ.edict.l.nec is* 17.*§.*1 *de acq.hered.*

13 Perinde acsi sine herede defunctus esset pater, qui sibi suoque heredi stipulatus fuisset. *l.*5.*in princ. D.vt legat.l.Stichum aut Pamphilum* 95.*§.*1.*in fin.de solut.*

14 Quia nec aliis prodesse potest renunciatio, quam quibus prospicere voluit & potuit stipulator, *arg. l.filiusfamilias,* 114.*§.Diui* 2.*de leg* 1. *l.pater* 38.*§.Iulius Agrippa. & §.quindecim de leg.*3.*Melior text.in l.qui solidum* 78.*§.prædium, de leg.*2 *& in l. cum pater* 77.*§.libertis in fid.eod.*

DEFINITIO XXIII.

Renunciationis effectus nullus est in fauorem filiæ, quæ non renunciauit,si omnes filias simul pater substituerit masculo heredi instituto.

IDem multo magis admittendum est, vt soror quæ renunciauit admittatur cum ea quæ non renunciauit ad successionem fratris,cui commodum renunciationis quæsitum fuerat, siue quod in eius fauorem facta primum fuisset renunciatio,siue quod patri,qui sibi & suis heredibus quibuscunque stipulatus fuerat, solus ille heres extitisset,Si pater testamento substituerit filias masculo heredi scripto quandocunque sine liberis decedenti. Nam sicut futuræ successionis renunciatio non excludit renunciantem à petitione eius quod testamento relictum est,[1] ne oneretur renuncians contra voluntatem eius cuius commodo facta est renunciatio: [2] Ita incipit interpretationem ex eiusdem patris voluntate,vt videatur noluisse plus iuris habere filiam quæ non renunciauit, quam eam quæ renunciauit, cum vtramque simul per fideicommissum ad successionem reuocauerit.[3] Nec quod causa successionis intestati fratris separata est à causa fideicommissi,[4] quicquam ad rem faciet. Nam si pater voluit filij masculi vel inuiti bona æque ad sorores omnes ex fideicommisso peruenire, multo magis credendus est voluisse, vt filius eos sibi ab intestato heredes eligeret, quos lex ei daret,[5] patrisque votum siue expressa,siue tacita institutione subsequeretur,[6] id est, siue testatus decederet, siue intestatus. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Guidon.Pap. *quæst.*599. Facit *l.si patronus* 33. *in fin.de bon. libert.*

2 Ita enim fieret vt per filiæ renunciationem adimeretur libera testandi facultas patri,qui tamen non ob aliam causam filiæ renunciationem admisisse credendus est, quam vt eam facultatem haberet tanto liberiorem. Pactum enim de non succedendo ampliat non restringit facultatem testandi. Scripsi in Chiliade De Error. pragmatic. in prioribus Decadibus.

3 Per fideicommissum enim succeditur testatori non heredi. *l.*1.*l.in fideicommissaria* 18.*D.ad SC.Trebell. l.coheredi* 41. *§.cum filiæ de vulg & pup.substit.*

4 *d.§ cum filiæ.l.sequens quæstio* 68.*de leg.*2.

5 *l.in princ.l.conficiuntur* 8.*§.*1.*D.de iur.codicill.*

6 *Arg l.mulier* 22.*§.cum proponeretur ad SC.Trebell.l.pater* 10. *§.vlt.D.de capt. & postlim.*

DEFINITIO XXIV.

De clausula, Salua legali escheuta.

VVlgaris illa clausula in pactis per quæ futuris successionibus renunciatur apponi solita, *Salua legali escheuta,* eo demum casu prodest,quo ij omnes decesserint,qui in pari gradu fuerint succedendi.[1] Itaque filia quæ renunciauit addita eiusmodi clausula, tamdiu excludetur per renunciationem, quamdiu fratres aut sorores supererunt,aut ex iis liberi,in quorum persona vires & effectum habere possit renunciatio: [2] Sed iis prædefunctis admittetur,cæterisque sequentium graduum agnatis, & cognatis omnibus præferetur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Guid.Pap.*quæst.*192. * vbi Ranchin. & Ferret.iunge definit.12.3.

2 *Arg l.omnia* 32.*alias l.cum ita.§.in fideicommisso de leg.*2.*l.pe*to 69.*§.fratre.l.cum pater* 77.*§.libertis eod.*

3 Vt aliquis effectus sit huius clausulæ,ob eam potissimum causam adiectæ, ne exclusio per renunciationem inducta esset perpetua. Guid.Pap. *dict. quæst.*192. * Vide Guilielm. Benedictum *in verbo duas habens filias num.*297. Crauet.*cons.*192. [Audio tamen Senatum postea pronunciasse contra liberos agnatorum eiusdem gradus.]

DEFINITIO XXV.

De pacto mariti promittentis facturum se, vt vxor paternæ renunciationi renunciet,promisso etiam ni id fiat quanti interesse patris poterit.

TItius Mæuiam Sempronij filiam vxorem ducturus, ea præsente stipulanti Sempronio spopondérat contentam fore Mæuiam dote duorum millium aureorum, futuræque patris successioni pro ea summa cum iureiurando renunciaturam,Addita etiam promissione ni id fieret quanti factum esse Sempronij interesse posset, deque ea re chirographum Sempronio dederat.Sempronius Titij fidem secutus,filiam ei despondérat,& paulo post nulladum secuta renunciatione superstitibus cum filia duobus masculis intestatus decesserat. Placuit mariti pactum filiæ nocere non debere, [1] cui nec proprium noceret, tametsi renunciaturam se promisisset si renunciatio nulla secuta esset. [2] Nam nec obstaret ei facta renunciatio futuræ successionis,reluctante nimirum iuris ciuilis ratione, [3] ni iurisiurandi quoque vinculo ex Pontificiæ constitutionis auctoritate [4] confirmata proponeretur. [5] Tantum aberat vt promissio de renunciando per maritum facta pro filiæ renunciatione vtili accipi deberet. [6] At neque maritum ex promissione sua conueniri posse visum est, an id quod masculorum interesset sororem per renunciationem ab hereditate exclusam esse, [7] Cum prohibere nec posset nec deberet quo minus vxor, cuius factum promiserat, accepto familiæ erciscundæ arbitro ad hæreditariam portionem obtinendam iure suo aut potius publico vteretur, [8] cui nec priuata cautione derogari vllo modo potuisset. [9] Præsertim cum priuatæ quoque cautionis commodum pater filiæ abiecisse videretur, qui cum filiam in dote heredem scribere & à reliqua hæreditate summouere potuisset, intestatus decedere maluerat. [10] Neque enim probabilis erat illa interpretatio, si vt iniusto iuris errore pater lapsus ab intestato decessisset, quasi ratus iam satis exclusam esse per mariti pactum filiam,quam scire debuerat non nisi ex propria iurataque renunciatione excludi potuisse. [11] *Ita Senatus* anno 1588.pro D.Guilielmo Onciaco tunc Senatore nunc Præside meritissimo eiusque coniuge contra Nobiles Dominos fratres de Beaumont.

1 *l.si vnus* 27.*§.ante omnia de pact.*

a Aliud

BIU Cujas

2 Aliud enim est renunciare, aliud paciſci de renunciando tam in contractibus quam in vltimis voluntatibus. Sicut aliud est vendere aliud paciſci de vendendo. *l.1. C. de pact. pign.* gloſſ. *in l. bonæ fidei. verſ. ſi tamen de eo quod cert. loc.* Boer. qui multos citat. *quæſt. 3. num. 1. & 15.*

3 *l. vlt. D. de ſuis & legit. l. pactum dotal. 3. C. de collat. l. pactum quod dotali 15. C. de pact.*

4 *Cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

5 Nam ſi filia ipſa promiſiſſet ſe renunciaturam, liberaretur renunciando ſine iuramento. *arg. l. in numerationibus, 44. §. vltim. de ſolut.* Bart. & cæteri *in l. ſingularia ſi cert. pet.* Non enim promiſſio de renunciando includit promiſſionem de iurando, *cap. ad audientiam quod met. cauſ.* Boer. *dict. quæſt. 2. numer. 5. & 6.*

6 *l. 1. C. ſi in com. eadémque cauſ. l. inter ſtipulantem 83. de verb. oblig.* Boer. *dict. nu. 15.*

7 *l. ſtipulatio iſta 38. in princ. eod. tit. de verb. obligat.* Boer. *vbi ſ. num. 16.*

8 Ius enim ſuccedendi ab inteſtato ſicut & ex teſtamento publicum dicitur, quia eſt ex legibus *l. 3. qui teſt. fac. poſſ. l. quod bonis 15. §. 1. D. ad leg. Falcid. l. vlt. de ſuis & legit.*

9 *d. l. vlt. D. de ſuis & legit.*

10 Neque enim nouum eſt, vt imputetur patrifamilias, cur teſtamentum non fecerit *l. poſthumus 6. verſ. hoc plane. De inoff. teſtament.*

11 Error enim ille iuris ſicut patri eiuſve maſculis liberis prodeſſe non debet, ita nec filiæ nocere ad peruertendam legitimæ ſucceſſionis rationem. *l. ſed etſi 25. §. ſcire, de petit. hered.*

DEFINITIO XXVI.

Si renunciatum ſit ſucceſſioni fratris ignorantis patre ſtipulante & adhibito iureiurando, valet renunciatio.

QVæſitum eſt an renunciatio per filiam facta de fraterna ſucceſſione in manibus patris ſtipulantis fratre vero abſente valeat? Dubitationem facit, quia regulare eſt, vt de hereditate abſentis & ignorantis pactum fieri non poſſit,[1] Sed tamen ita poſito iure fieret, vt innumeræ renunciationes corruerent,[2] atque ita litium materia creſceret,[3] quandoquidem vix eſt, vt præſens pater, filij quoque præſentiam adhibeat.[4] Itaque magis placebat, renunciationes iſtas valere, quas pater ipſe ſtipulatus eſſet.[5] Prudens enim bonumque conſilium pro liberis omnibus accipere pater intelligitur.[6] Quanquam non deerant ex Dominis, qui dicerent alias contra iudicatum fuiſſe.[7] *Ita tractatum eſt* non tamen deciſum in cauſa filiarum D. de Bellegarde de S. Ciergue,

1 *l. vlt. C. hoc tit. l. 2. §. vlt. D. de his quæ vt indign.*

2 Quod eſſe non debet, *arg. l. non omnium, D. de legib. l. Barbarius Philippus 3. D. de offic. prætor.* Maligna enim eſt interpretatio per quam fit, vt actus deſtruatur. *l. ſi ita ſtipulatus 126. §. Chryſogonus. De verb. oblig.* [Communis tamen Doctorum opinio videtur eſſe in contrarium. Didac. *in initio 3. part. cap. quamuis pactum, nu. 6. vide cap. Thol. quæſt. 458.*

3 Quæ potius reſecanda eſt, *l. quidam 21. D. de reb. credit. l. ſinguli 6. D. de except. rei iudic.*

4 Quaſi nec ſit neceſſe, cum vox filij ſit vox patris, & contra vox patris ſit vox filij, *§. ſi quis alij Inſt. de inutil. ſtipul.*

5 *Ex cap. quamuis pactum cum ibi not. De pact. in 6.*

6 *l. vlt. C. de curat. furioſ. l. 2. C. qui & aduerſ. quos in integr. reſtit. poſſ. l. iſti quidem 8. D. quod met. cauſ.* [Aliud eſt in renunciatione bonorum maternorum. Crauet. *conſ. 42. in fin.* Iunge *Deſin. 9. 5.*]

7 Pro D. de la Couz contra D. de la Verdatiere.

DEFINITIO XXVII.

Pater qui filiam, quæ paternis fraternisque bonis renunciauerat, vocat ad fideicommiſſum ſimul cum filia quæ non renunciauit, videtur velle, vt poſſit illa etiam fratri ſimul ſuccedere ab inteſtato, Niſi cum frater ſciuit renunciationem.

CVm Pater, qui filiam à paternorum fraternorumque bonorum ſucceſſione per renunciationem excluſerat,[1] eandem fratri ſi ſine liberis moreretur ſubſtituiſſet in omnem caſum, id eſt, non ſolum pupillariter, ſed etiam per fideicommiſſum,[2] ſimul cum filia, quæ non renunciauerat, videri eum voluiſſe vt vtriuſque filiæ in fratris ſucceſſione idem ius eſſet[3] non ſolum ratione fideicommiſſi, ſed etiam quod ad inteſtati ſucceſſionem attineret, Quaſi ſublato per eum vinculo, & impedimento renunciationis, non ſecus atque ſi filiam quæ renunciauerat heredem inſtituiſſet[4] Certum enim eſt huiuſmodi renunciationibus non excludi filiam, quo minus ex teſtamento ſuccedere poſſit.[5] Etſi autem ius fideicommiſſi non impedit ius ſucceſſionis inteſtati,[6] in ea bonorum parte in qua filius grauatus grauari non potuit, id eſt, quod ad legitimam & Trebellianicam attinet:[7] Tamen ex fideicommiſſo colligitur, voluntatem patris illam fuiſſe, vt filiæ omnes ex æquo admitterentur, nec minus, quæ renunciauerat, quam quæ non renunciaſſet.[8] Sane ſi renunciationem frater ſciuiſſet, ratámque habuiſſet, difficilius admitti poſſet filia quæ renunciauit cum ea quæ non renunciauit, quaſi fratris ab inteſtato morientis voluntas illa fuiſſe videretur, vt heredem haberet eam, quæ nondum eſſet excluſa per renunciationem, perinde ac ſi eam ſolam inſtituiſſet, cum is, qui inteſtatus moritur, eos tacite videatur inſtituere, quos ſcit ſibi ab inteſtato ſucceſſuros.[9] Nec quod fideicommiſſum filiabus omnibus æqualiter à patre relictum ſit, ad rem facit, quia ſicuti fideicommiſſo paternæ duntaxat, non etiam fraternæ facultates continentur,[10] ita non eſt permittendum patri,[11] vt facto ſuo vocet ad hereditatem inteſtati filij eas perſonas, quas filius ipſe ſciuerit & voluerit eſſe excluſas.[12] *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Adhibita ſcilicet in eam rem ſtipulatione, & adhibito iureiurando, de quo in *cap. quamuis, pactum 2. de pact. in 6.*

2 Siue expreſſis verbis & ſpecialibus, ſiue generali verbo communi *ſubſtituo*, quod noſtri volunt aptum eſſe ad vtramque ſubſtitutionem tam precariam quàm directam, quaſi ſit commune, vt notant *ad leg. Centurio 15. D. de vulgar. & pupill. ſubſtitut.*

3 Vt par & æqualis in omnibus fieret determinatio. Ex *l. iam hoc iure 4. eod. tit. De vulg. & pupill. ſubſtit.*

4 Quo caſu dubitari non poſſet, quin pater à iure ſibi ſuiſque liberis per renunciationem quæſito receſſiſſet. Habent enim omnes iſtæ renunciationes tacitam illam conditionem, ſi is in cuius fauorem renunciatum fuit, perſeueret in eadem voluntate, cùm nemo cogatur vti iure ſibi quæſito. *l. pactum 46. D. hoc tit. l. pen. C. eod. l. ſi iudex 28. D. de minor.* * & hoc adeo verum eſt, vt etiamſi teſtamentum ſit imperfectum & inualidum in quo pater filiam quæ renunciauerat ad ſucceſſionem ſuam reuocauit, non eo minus admittenda ſit filia ad ſucceſſionem inteſtati, cùm etiam ex actu nullo declaretur voluntas. *l. vlt. D. de reb. eor. l. licet, 20. D. de adim. legat.* ita Senatus in cauſa Parauis.

5 Guid. Pap. *quæſt. 599.*

6 Quia fideicommiſſum etiam ab inteſtato relinqui poteſt & capi debet per manus heredis legitimi. *l. filiusfamilias, 18. D. ad leg. Falcid.*

7 Iuxta *cap. Raynutius, & cap. Raynaldus cum ibi not. Extr. de teſtam.*

8 Qui enim ſimul vocantur ſimul admittendi ſunt, *l. omnia 32. alias l. cum ita 4. §. in fideicommiſſo de leg. 2.*

9 *l. 3. in princ. l. conficiuntur 8. verſ. ſed ideo. D. de iur. codicill. l. ab exhered. ati 126. De legat. 1.*

10 *l. coheredi 41. §. cum filiæ, D. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. ſequens quæſtio 69. de leg. 2. l. in fideicommiſſaria 18. verſ. quoties, D. ad SC. Trebell.*

11 Non enim permittitur patri, vt quem velit det heredem filio præterquam impuberi. *l. 2. D. de vulg. & pup. ſubſtit.*

12 Poſtquam placuit Iuſtiniano, vt filiusfamilias poſſit hodie in aduentitiis heredem habere ab inteſtato. *Nouell. 118. de hered. ab inteſt. venient.*

DEFINITIO XXVIII.

Portio filiæ quæ renunciauit non fratribus omnibus adcreſcit, ſed ſoli heredi, nec tam heredi quam hereditati; & ideo venit in fideicommiſſum ab herede relictum.

BIU Cujas

PORtio filiæ, quæ renunciauit, soli heredi accrescit non etiam aliis liberis, qui non renunciarunt. [1] Sed si separanda sint bona heredis à bonis testatoris, quod contingit, cum agitur de detractionibus ex fideicommisso faciendis, [2] computanda est ea portio in bonis defuncti magis, quam heredis, quasi accreuerit hereditati, non heredi. [3] *Ita tractatum est* in eadem causa, relatúmque sic alias pronunciatum fuisse in causa Dominæ de Corsans. Itémque in causa Dominorum de Cardé & de Monmayeur 13. Calend. Octobr. 1612.

1 Guid. Pap. *quæst.* 192. & 599.

2 Quia detractiones quæ fiunt ex fideicommisso, non ad fideicommissarium, sed ad heredem grauati pertinent. *c. Raynutius, & cap. Raynaldus. Extr. de testam.*

3 Quia nihil potest heres habere tanquam heres quod non prius fuerit hereditatis. *l. 1. §. Scæuola, D. si is qui testament. lib. esse iuss.* Et ideo hæc portio quæ adcreuit hereditati venit in fideicommissum, quia quoties rogatur quis hereditatem restituere, id omne videtur rogatus reddere quod fuit hereditatis. *l. in fideicommissaria 18. vers. quoties, D. ad SC. Trebell.* Intellige tamen vt adcrescat hæc portio hereditati non heredi, Nisi heres ipse post mortem patris, dotem de suo soluerit sorori, aut in eius fauorem pater stipulatus sit filiæ renunciationem. Nam his duobus casibus heredi non hereditati acquiritur portio filiæ, ideoque nec in fideicommissum venit. Ita tractatum & decisum est, licet non pronunciatum in supradicta causa D. de Cardé & de Monmayeur 13. Cal. Octobr. 1612.]

TIT. IIII.

DE TRANSACT.

DEFINITIO I.

De transactione facta non lectis verbis testamenti.

DE his quidem controuersiis, quæ ex testamento proficiscuntur, non aliter potest transigi quam visis lectis perceptisque verbis testamenti, [1] Adeo vt nec pactione, & renunciatione vlla ei iuri derogari possit. [2] Sed si contrahentes verba testamenti sciuisse probentur, licet tum cum transigebatur lecta non fuerint, non eo minus valebit ratáque erit transactio. [3] *Ita Senatus* in causa Dom. de Chastillion & Dominarum de Bouuant & d'Ayguebelete prid. Non. Iunij 1588.

1 *l. 3. §. 1. l. de his 6. l. non est ferendus 12. D. de transact. l. 1. §. 1. D. testa. quemad. aper.* Non idem in sententia iuris est, *l. si mater de excepti. rei iudic.*

2 Bart. *in d. l. de his, nu. 3. 4. & 5.* vbi rationem reddit, quod hæc solemnitas respiciat fauorem publicum, ne testamenta occultentur, & defunctorum voluntates circumueniantur: Item quia lex concepta est per verba prohibitiua.

3 Idem Bart. *in d. l. de his, nu. 6.* Vide tamen quæ contra hanc sententiam scripsi *ad d. l. de his in Rationalibus.*

DEFINITIO II.

De nouatione quæ fit per transactionem.

TRansactionum singulare ius est, vt nouent præcedentem obligationem, super qua dubitatum transactumque proponitur: [1] cum ab eo demum tempore sciri incipiat quid & quantum debeatur: Id nimirum de quo per transactionem conuenit. [2] Neque hoc casu locus est Iustinianeæ constitutioni, [3] quæ nouationem non alio casu factam videri patitur, quam si id expressim & specialiter dictum sit. Ita enim constitui æquum fuit ad tollendas innumeras facti quæstiones, cum in obscura contrahentium voluntate passim dubitaretur quid actum esset. [4] At interposita transactione quis dubitet id actum fuisse vt à dubio iure recederetur, eiúsque duntaxat quod per transactionem certius factum esset, ratio haberetur? [5] Itaque ad inducendam hoc casu nouationem sufficiet non fuisse ex contrario actum ne nouatio fieret, [6] Secundum quod, cum filia cui pater certam nummorum quantitatem pro legitima portione reliquerat, post patris mortem imminuta iam nummorum æstimatione cum hærede transegisset, & conuenisset, vt idem numerus librarum, qui à patre dictus fuerat, ei solueretur. Placuit Senatui in ea æstimatione soluendos nummos, quæ transactionis tempore fuisset, [7] non quæ facti testamenti aut mortis: quod transactionis tempore non de aliis nummis actum videri posset, quam qui tum essent: [8] Quamuis si transactio nulla interuenisset, tametsi interposita fuisset stipulatio legati nomine, testamenti tempus in æstimandis nummis inspici oporteret aut mortis. [9] Maior enim hac parte vis est transactionis quam stipulationis, quæ cum citra transactionem fit, licet actionem ex testamento nouet, [10] easdem tamen qualitates & conditiones retinet quæ actioni ex testamento inessent. [11] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis de la Chambre contra Dom. Margaretam de la Chambre 16. Calend. Septemb. 1588. & rursus in causa discussionis bonorum D. Barbaræ d'Amboise inter easdem partes 5. Id. Mart. 1595.

1 Bald. *in rubr. Extra. De transact.* Facit *l. 3. Cod. eod.* post Decium *consil.* 400. Gabr. *lib. 3. comm. opin. conclus. 1. de nouat. nu. 61.*

2 *l. Lucius 78. § vlt. D. ad SC. Trebell.*

3 *in l. vlt. C. de nouat.*

4 *l. 2. l. Stichum 8. §. 1. & §. si quis ita & pass. D. eod.*

5 *l. 2. l. de fideicommisso 11. l. sub prætext. 19. & pass. C. de transact.*

6 *Arg. l. dotem 30. D. de iur. dot.*

7 Est enim generale, vt in eo æstimando quod debetur & petitur ex contractu inspiciatur tempus contractus. *l. si filiusfamilias 78. de verbor. obligation. l. Rutilia Polla 69. D. de contrah. empt.*

8 Semper autem in contractibus sequimur id quod factum est. *l. semper in stipulationibus 38. de reg. iur.*

9 *l. si ita 8. D. de aur. & argent. leg.* Iuxta eam tamen distinctionem quam nos trademus. *Def. 2. de inoff. testa.*].

10 *l. cum filius 76. §. heres meus, de leg. 2. l. si Stichum 8. §. legata. D. de nouat.*

11 *l. 1. §. si quis sub conditione 14. D. vt legat. nomin. caueat.*

DEFINITIO III.

De alienatione & venditione quæ fit per transactionem.

EX transactione, per quam res ad alium transit, dominium transfertur, [1] si possessio quoque translata sit, [2] licet per solam clausulam constituti. [3] Est enim transactio non minus habilis titulus quam venditio ad transferendum per traditionem dominium. [4] Quin & in venditionem degenerat, si is, qui rem in alium transtulit, pretium eo nomine acceperit, [5] Ideoque etiam de euictione qui sic transigit obligatur. [6] Non item qui rem iam penes aduersarium constitutam, ob cuius quæstionem litis intercessit decisio, licet accepto pretio remisit, [7] Quasi non tam rem vendidisse, quam ius suum remisisse videatur. [8] *Ita Senatus* sæpius.

1 *l. non solum 4. Cod. de præd. minor. l. transactionem 35. Cod. de transact.*

2 Acquiritur enim dominium per possessionem, *l. 1. Cod. de acquirend. possess. l. multum 6. l. qui aliena 8. Cod. si quis alter. vel sibi.*

3 *l. quod meo 19. D. de acquir. possess.*

4 *dict. l. transactionem, & dict. l. non solum.* iunct. *l. nunquam nuda 30. de acquir. rer. domin. l. in summa 65. §. 1. de condict. indeb.*

5 *Arg. l. 1. D. de contrab. empt. l. 1. de rer. permut. l. naturalis 5. §.*

at si

BIU Cujas

at si de præscript.verb. nisi quid simulatè gestum sit, *vt in l.cum ea 21.C.de transact.*

6 Actione tamen præscriptis verbis non ex empto. *l.si pro fundo 33.C.de transact.*

7 *d.l.si pro fundo.in vers.si tamen.*

8 Etsi enim transactio fieri non potest nisi aliquo hinc inde dato vel retento vel promisso. *l.transact.38.eod.* tamen in dubio qui transigit, ius suum duntaxat remittere non etiam vendere intelligitur. *l.si maiores 25.& pass.eod.*

DEFINITIO IV.

De transactione facta post iudicatum.

CVm maritus iniuriam vxoris persequens aduersus Titium egisset, ac iam fortè victum se præsensisset, reo persuaserat, vt de tota controuersia in arbitros compromitteret; Compromissum de ea re factum fuerat cum diei & pœnæ, vt necesse erat, adiectione, itémque cum clausula illa, *siue latum esset arestum siue non.* Promiserátque maritus curaturum se, vt vxor, cuius præcipuè intererat, ratum id compromissum haberet, neque tamen præstiterat. Elapso iam compromissi tempore arbitri sententiam dixerant. Postmodum reus per procuratorem admonitus latum pro se arestum cum expensarum adiudicatione, sententiæ arbitrorum stare noluerat, vtque sibi liceret iudicatum exequi apud Senatum postulabat. Placuit iustam esse petitionem, non ob id solum, quod compromissi tempora ante dictam per arbitros sententiam effluxissent, [1] neque dum mulier mariti factum ratum habuisset, [2] sed illa potissimum ratione, quod iam ipso compromissi tempore iudicatum esset, vt proinde nihil superesse posset, de quo transigeretur. [3] Nec ad rem pertinuit, quod ignorarent compromissores, an aut quid iudicatum esset. Non enim eo minus certum ius erat, quod quale illud esset nondum didicissent. [4] Itaque visum est, reiici debere clausulam illam, *sine arestum latum esset siue non*, vtpote quæ supremorum iudicum, à quibus nec liceret appellare, auctoritatem infringeret. [5] Nam si de inferioris iudicis sententia tractaretur, à qua prouocatio licita esset, valeret proculdubio clausula, per quam scilicet non tam iudicati auctoritas labefactata, quã appellationis remedio in omnem casum renunciatum videretur. [6] Plane si ponas de hoc ipso dubitari, an aut quid à Senatu iudicatum sit, vt facile sciri id nequeat, non eo minus licitè ritéque facta transactio videbitur, quod ex postfacto appareat iam tum fuisse iudicatum, cum transigebatur. [7] *Ita Senatus* 14. Calend. Decemb. 1588.

1 *L.quid tamen 21.§.si intra, D de recept.qui arbitr.*

2 Quamuis secuta etiam ratihabitione, non aliud tamen iuris constitui oporteret propter eam rationem, quæ sequitur. Sed erat res expeditior nulla dum secuta ratihabitione, *ex reg. l.quia non deberet 10.D.de iureiur.l.1.C.de transact.*

3 *L.eleganter 23. §.si post rem iudicatam, D.de condict.indeb. l.si causa cognita 32.C.de transact.*

4 *L.cum ad præsens 37.cum duab.seqq.D.de reb.credit.*

5 *d.§.si post rem iudicatam, vers.tunc enim rescriptis.*

6 *d.§.si post, vers. quid ergo. & l.post rem 7. l.post rem 11. D.de transact.*

7 *Supra dd.legibus.*

DEFINITIO V.

De transactione facta post arestum, contra quod porrecta sit aut porrigi possit ciuilis supplicatio.

SI aduersus Senatusconsultum Principi supplicationem condemnatus porrexit, licet pendente noua cognitione vires suas Senatusconsultum retineat, [1] perinde tamen ac si nondum res iudicata esset de lite transigi potest, & consequenter ab eo iure, quod victori per Senatusconsultum fuerat quæsitum discedi. [2] Nam & causa ex integro acta permittente Principe fieri posset eiusdem Principis auctoritate, vt prius iudicatum subuerteretur. [3] Non idem tamen erit, si de eo, quod à Senatu constitutum est, velint litigatores ante porrectam supplicationem transigere, eo solo prætextu, quod non tantæ auctoritatis sit Senatusconsultum, quin aduersus illud porrigi supplicatio possit, & eo remedio Senatusconsultum euerti: Cum nec aliter permissa sit supplicatio, quam si pœna ob eam causam statuta pendatur, [4] quam proinde solutam & prorogatam esse necesse est, adeóque porrectam supplicationem admissamque, prius quam minor Senatusconsulti auctoritas habeatur, quam si nulla subuerti ratione posset. In eoque sanè conueniens est maioris potestatis esse, quod à Senatu pronunciatum est, [5] quam quod ab inferiore iudice, à quo sufficit appellari posse, vt etiam post rem iudicatam transigere liceat, quamuis nondum fuerit appellatum. [6] *Ita Senatus* in causa Ioannis Francisci & Antonij Dubois de S. Triuier. Id. Decemb. 1589.

1 *Auth.quæ supplicatio, C.de precib.Imper.offer.* Guid.Pap.*qu.* 50.97.& 420.

2 *L.eleganter 23. §.si post rem iudicatam, vers.tunc enim rescriptis, de condict.indeb.*

3 Sufficit autem litis materiam subesse, vt transigi possit etiam post iudicatum, *l.& post rem 7. l.post rem 11. D.de transact.* Nam & metus litis sufficit ad transactionem, *l.2.C.eod.*

4 *d. Auth.quæ supplicatio.*

5 *Argum.l.vnic. §.his cunabulis, vers.credidit enim, de offic.præf. prætor.*

6 *d.l.& post rem 7.in princ.D.de transact.*

DEFINITIO VI.

De transactione, quæ decisionem generalem continet, super petitione generali vel speciali.

QVoties in transactionis præfatione specialis petitio proponitur, decisio autem sequitur generalis, non de aliis transactum videri debet, quam quæ specialiter deducta fuerant in petitionem, [1] ne transactio alioqui facilè trahatur ad incogitata. [2] Sed si petitio generalis fuerit, vt appareat id egisse contrahentes, ne quid indecisum relinqueretur, secuta generalis decisio generalem recipiet interpretationem, ne qua litis materia inter eos supersit, qui non à lite tantum, sed ab omni etiam litis metu discedere voluerunt. [3] *Ita Senatus* sæpius, & maxime in causa discussionis bonorum Dominæ Barbaræ d'Amboise 4. Id. April. 1593.

1 *L.sub prætextu specierum 29.vbi gloss. Cod.de transaction. l.si de certa 31.eod.* Vide *Defin.12.infr.& l.vlt. §.2. vers.idem quæsit. de cond.ind.*

2 *L. cum Aquiliana 5. l.qui cum tutoribus, 9. §. 1. D.eod. l.3 C.eod.*

3 Gloss.*in d.l.sub prætextu 29.*vbi omnino vide.

DEFINITIO VII.

Transigi alieno nomine non posse citra speciale mandatum.

NEc transigere nec compromittere de alieno iure quis potest, si non speciale mandatum habeat, [1] quia in generali mandato non solent ea contineri, quæ speciali indigent concessione, [2] nisi proponas mandato generali adnexum ius liberæ administrationis. [3] *Ita Senatus* 7. Id. Iun. 1591.

1 *L.mandato generali 60.D.de procur.* & ibi gl. & Bart.

2 *Arg.l.obligatione generali 6. D.de pignor.l.filiusfamilias 7. in princ.D.de donat.*

3 *L.procurator cui generaliter 58.& seqq.D.de procurat. l.si procurator 10.Cod.eod.l.creditor 60.§.Lucius Titius, D.mandat.* Bart.

BIU Cujas

in d.l.mandato. Vide quæ scripsi *ad tit. Etiam per procur. caus. in integr. rest. inf.*

4 Non tamen donare similiter potest, qui ius habet liberæ administrationis, nisi ex magna & iusta causa, quoniam alioqui donare est perdere, *d.l. filiusfamilias 7. in princ. & § 1. de donat.*

DEFINITIO VIII.

De transactione facta super nobilitate & immunitate.

Eius, qui ex nobilitatis priuilegio à plebeiis oneribus immunis cum vniuersitate transegerat, eoque nomine annuum quid promiserat, filius idémque hæres factum adprobare non tenetur, [1] si ab auis nec à patre solo nobilitatem trahat. Nam sicuti non ei noceret, quod pater sordidis artibus aut qua alia ratione nobilitatem amisisset, [2] ita neque transactio à patre facta perpetuæ annui præstationi obligare eum potest [3], quamuis si certum quid præstitisset pater, quod vnica solutione totam obligationem peremisset, nec patri nec filio repetitio concederetur. Neque enim sine causa & indebitè solutum videri posset, quod ex transactione debitum & solutum fuisset. [4] Præsertim, cum videri possit id factum intuitu pietatis, [5] ne ex ipsius immunitate vniuersitas, quæ ex viduis, pupillis, & inopibus maxima ex parte constabat, læderetur, & supra modum oneraretur. [6] Differentiæ autem ratio euidens est, quia onus annuæ præstationis perpetuum est & perpetuo grauat, filiique interest, ne singulis annis ius immunitatis, quod ab auorum nobilitate partum habeat, redimere cogatur ob factum patris. [7] Plane si factum patris filius pendente lite & incerto adhuc immunitatis iure adprobauerit, difficilius est, vt post latam de immunitate sententiam audiri debeat, si aduersus probatam transactionem postulet in integrum restitutionem. [8] *Sic tractatum est* in ea causa de qua Defin. 12. & seqq. infr. de dignit & nobilit.

1 Quoniam in causa status potest filius venire contra factum patris, *l. si cum pater*, vbi gloss. *in verb. exhibebit. C. si aduers. rem iudicat.* Bartol. *in l. vltim. Cod. qui & aduers. quos in integr. restit. poss.*

2 Quia quod non habet filius à patre, pater filio adimere non potest, *l. emancipatum 7. §. vltim. D. de Senator. l. 3. D. de interdict. & relegat.*

3 Nimirum cum ea præstatio ex status causa proficiscitur, *arg. l. transactione matris 26. C. de transaction.* Potest tamen etiam super statu transigi, sicut & super quacunque alia re dubia, *l. fratris tui 10. C. de transact. l. vlt. eod.*

4 *L. in summa 65. § 1. D. de condict. indeb.*

5 Textus est elegans *in l. cum is, §. mulier. D. eod.*

6 *L. 3. §. præses prouinciæ, D. de muner. & honor.*

7 *Arg. l. pecuniæ 8. in fin. D. de alim. legat.* iunct. *dict. l. 3. de interdict. releg.*

8 Nunquam enim auditur quis id postulans, cuius contrarium in contrarium euentum non fuit postulaturus, *l. pen. C. de solut. l. 1. C. de pact. l. de fideicommisso 11. C. de transact.* facit *l. nec intentio 23. eod.* Et qui semel voluit, postea non potest pœnitere, *l. in diem 9. § 1. C. de aqua & aqua pluu. arcend.*

DEFINITIO IX.

Onus super certa re impositum non debet, qui re caret, si collusio nulla interceſſit. Casus in quo sententia inter alios lata etiam aliis nocet.

PEr transactionem annuum quid præstare obligatus capiendum ex certi fundi aut iuris fructibus, si eo fundo aut iure postea priuetur per sententiam, licet inaudito eo redditam, cui annuum debetur, à pristina obligatione liberatus intelligitur, [1] dum ne per collusionem aut negligentiam, id est, per contumaciam ea sententia lata sit. [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 6. inf. quib. res iudic. non nocet.

1 *Arg. l. si debitor 39. §. verisimile, D. de contr. empt.*

2 Nemini enim sua collusio & negligentia prodesse debet, *l. si fundo tradito 53. §. 1. l. si ideo 55. D. de euiction.* & dolus condemnati facit, vt pro possessore habeatur, quia dolus pro possessione est.

DEFINITIO X.

De insinuandis post triginta dies transactionibus, ne ob quantamcunque læsionem rescindi possint.

SEnatusconsulto quod factum est ad edictum Serenissimi Ducis Emanuelis Philiberti, de insinuandis transactionibus, vt prætextu læsionis quantumcunque enormis, si neque vis, neque dolus ex proposito interuenerit, rescindi non possint, triginta dies præscripti sunt, non intra quos eam insinuationem fieri necesse sit, sed quos elapsos esse oporteat priusquam insinuari transactio possit. An vt interim sit pœnitentiæ locus? Minime vero, si alia causa nulla sit propter quam recedi debeat à transactione: [1] Sed vt saluum sit ius petendæ in integrum restitutionis aduersus transactionem ex causa læsionis immodicæ, inspecto tamen dubio litis euentu æstimandæ: [2] postquam eo iure vtimur ex receptiore interpretum sententia aduersus veram iuris rationem. [3] Quid ergo si transigentes consentiant, vt ipso transactionis die, vel biduo aut triduo sequenti fiat insinuatio? Non poterit ea conuentio iuri publico derogare, quo minus tempore labi expectandum sit, adeo vt si trigesimo ante die transactio celebrata sit, sed ea tamen lege adiecta, vt in ampliorem formam extendatur, eáque extensio post diem trigesimum fiat, posterior contractus, licet id ipsum in effectu, quod prior contineat, non statim insinuari queat, sed alij triginta dies exinde expectandi sint, quamuis prius instrumentum interea insinuari nihil prohibeat. *Ita Senatus* in relationibus libellorum in causa Philiberti Mondoz & Dom. de Mespieu, Idib. Nouemb. 1593.

1 In eoque differt insinuatio transactionum ab insinuatione donationum, quæ non valent, nisi à die insinuationis. Itaque etiam hodie locum habet *l. quamuis 39. C. hoc tit. l. causas 16. eod.*

2 Quæ Bartoli sententia fuit *ad l. 2. C. de rescind. vend. l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig. contra l. 16. C. hoc tit. l. vlt. C. de plur. petit. l. 78. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

3 Neque enim iuris ratio patitur, vt ex incerto euentu certa læsio colligatur, *l. 1. C. de pact. l. de fideicommisso 11. C. hoc tit.* Vnde illud est, quod nostri dicunt, valorem præbendæ non augeri ex distributionibus quotidianis, cum sint casuales & incertæ, Boer. *qu. 19. nu. 3. & 4.* post Oldrad. *cons. 118.* & alios ibi citatos. Vide quæ scripsi in Chiliad. de error. pragm. Decad. 8. error. vlt.

DEFINITIO XI.

Transactionem factam de iure immunitatis, non nisi audito procuratore generali, homologari non oportere.

TRansactio facta inter nobilem & vniuersitatem de iure immunitatis, etiamsi aliquid eo nomine datum sit vniuersitati, non debet à Senatu confirmari, &, vt loquuntur, homologari inaudito procuratore generali, [1] ne priuatorum pactionibus iuri publico tributisque fiscalibus præiudiciũ generetur. [2] *Ita Senatus* in relationibus libellorũ in causa D. de Sonnax 6. Id. Iun. 1594.

1 *Arg. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. 3. §. antepenult. l. si fiscus 7. C. de iur. fisc.*

2 *L. ius publicum 38. l. inter debitorem 42. de pact.*

DEFINITIO XII.

De generali clausula in transactionibus apponi solita, quando generalem inducat decisionem.

CVm de certa re transactio facta est, constat quidem generalis clausulæ, quæ subiici solet, eam faciendam

ciendam esse interpretationem, vt aliis quæstionibus de quibus nec actum nec cogitatum fuit, nullum præiudicium factum intelligatur. [1] Nam nec Aquiliana stipulatio, quantũuis generalissima, extenditur ad incogitata. Liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentum fregit. [2] Sed tamen, si tam aperta & enixa sint generalis clausulæ verba, vt dubitari non possit, quin de quæstionibus omnib. fuerit cogitatum, idque inter contrahentes actũ, ne qua litis materia inter eos superesset, causa nulla est cur generalis transactionis potestas ad rem certam, de qua nominatim tractatum sit, quæque transactioni causam dederit, coangustetur. [2] *Ita tractatum est* pro D. du Prade Aduocato contra N. Antonium de Riddes Dominum de Bleys 18. Cal. Maij 1595.

1 *L. si de certa 31. C. de transact.*

2 *L. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9. §. 1. D. eod.* licet Aquiliana stipulatio perimat non solum obligationes omnes, sed etiam ipsas in rem actiones, *l. vt responsum 15. C. eod.*

3 Diximus supra Defin. 6. ex notatis per gloss. & alios *in l. sub prætextu Specierum 29. C. eod.* [Idque est quod Veteres quidam dicebant, Caueant sibi contrahentes à stipulatione Aquiliana.]

DEFINITIO XIII.

De differentia transactionis & sententiæ, cum dolus ex alterutra parte interuenit, probatus ex instrumentis postea repertis.

SVb prætextu quidem instrumentorum postea repertorum transactio rescindi non potest, [1] sicuti nec sententia. [2] Sed si ex iis instrumentis præteritus dolus probetur, sufficiet ea res ad rescindendam transactionem. [3] Non item ad rescissionem sententiæ, [4] quoniam sententia non ex litigatorum consensu, [5] sed ex iudicis rerúmq; iudicatarum auctoritate vires accipit: [6] Transactio vero ex voluntate contrahentium, [7] quibus dolum suum quandocunq; probatum prodesse nunquam oportet. [8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 11. infr. de pact. conuent. tam sup. dot.

1 *l. sub prætextu instrumenti 19. C. de transact.* iunct. *l. non minorem 20. eod.*

2 *l. sub specie 4. C. de re iudic. l. cum de hoc 27. D. de except. rei iudic.* Facit *tit. C. sentent. rescindi non poss.*

3 *d. l. sub prætextu, l. interpositus 13. eod.* Intellige, nisi de dolo etiam transactum sit, *l. 4. eod.*

4 *l. falsam 3. C. si ex fals. instr.* Est enim hoc casu necessaria in integrum restitutio aduersus sententiam, *l. Diuus 33. D. de re iudic.* At contra transactionem sufficit exceptio doli, *d. l. sub prætextu.* [Scilicet cùm transactio facta est per stipulationem, Alioqui cùm sit nudum pactum, non potest parere actionem, licet vulgo nostri contra sentiant, Fachin. *lib. 1. Contr. c. 10.*]

5 Iudicium enim redditur in inuitum, *l. inter 83. §. 1. de verb. oblig.*

6 *l. seruo inuito 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

7 *d. l. inter §. 1.*

8 *d. l. sub prætextu, l. transactione 30. l. ne ex dolo 12. D. de dolo.*

DEFINITIO XIV.

Fideicommissarius repertus in possessione sine vitio est legitimus contradictor, nisi habeat causam ab actore, aut nisi sit heres illius, ex cuius persona & facto conuenitur, siue sit heres purus, siue cum beneficio inuentarij.

FIdeicommissarius repertus in possessione sine vitio legitimus est contradictor, [1] nisi habeat possessionis suæ causam ab actore, siue mediatam siue immediatam. Nemo enim debet ob id, quod possidet, vincere eum à quo possidet. [2] Sed finge, transactionem ita factam esse inter Titium & Sempronium, vt Titius retinuerit rem, quæ iam à se possidebatur, [3] promissa tamen certa quantitate, [4] & ea lege adiecta, vt si ad certam diem pecunia non solueretur, ea ipsa res in solutum daretur, quæ tamen subiecta erat fideicommisso in tuum commodum. An si conueniaris ex transactione, [5] poteris excipere de fideicommisso? Dubitationem facit, quia si transactum non esset, forsitan Sempronius eam rem euicisset, [6] nec tu hodie haberes. Sed hoc dici non potest, quia si lis dubia fuit, qualem fuisse necesse est, vt de ea transigi potuerit, [7] non potest affirmari Sempronium fuisse certo euicturum. Ideóque satis est ei, qui ex transactione agit, si salua ipsi sint illa ipsa iura, quæ haberet, si transactum non fuisset. Nam vt transactio inter alios facta noceat fideicommissario, fieri non potest, [8] nec si sit heres transigentis. [9] Fideicommissum enim sibi debitum semper deducere potest velut æs alienum. [10] Multo minus nocebit, si heres non sit nisi cum beneficio legis & inuentarij. [11] Aliud sane esset, si quis vellet dicere, rem sibi ex fideicommisso debitam esse, cuius possessionem per transactionem acquisiuisset is, ex cuius persona conueniretur. Tunc enim transactioni satisfacere omnino deberet. [12] *Atque ita quidam tractabant*, Senatus tamen contra fideicommissarium pro transactione pronunciauit, etiam in primo casu, [13] tametsi fideicommissarius non nisi cum beneficio legis & inuentarij hæreditatem transigentis adiisse proponeretur. [14]

1 *L. filiam fratribus 75. vbi* Bart. *D. ad SC. Trebell.* [Vide Bart. Bald. Dec. & alios *ad l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. toll.* Ant. Gabriel *lib. 4. comm. opin. concluſ. 5 de fideic. per tot.*]

2 *l. 1. §. vlt. D. vti possidet.*

3 *Vt in l. si pro fundo 33. C. hoc tit.*

4 Nec enim transactio fit nisi aliquo dato vel promisso vel retento, *l. transactio 38. eod. tit.*

5 Ex persona scilicet Titij, qui transegit, alioqui non posses vtique conueniri ex transactione inter alios facta, *tot. tit. C. res inter alios act. aliis non nocer.*

6 Semper enim habenda est ratio dubij euentus, præsertim in transactionibus, *l. de fideicommisso 11. C. hoc tit. l. 1. C. de pact. l. penult. C. de solut. l. si pater puellæ 12. C. de inoffi. testament.* nec nouum est vt inspici oporteat id, quod potuit contingere, potius quam quod contigit, vt ex supradictis legibus apparet.

7 *l. 1. D. hoc tit. l. 2. C. eod. l. in summa 65. §. 1. D. de condict. indeb.*

8 *l. 3. D. hoc titul.*

9 Hic vero casus est de quo magis dubitari potest, quia heres cogitur præstare factum defuncti, ex eoque conueniri potest, quomodo in proposita specie tandem pronunciatum fuit à Senatu nostro, vt sequitur in Definitio. Vide tamen Oasch. Cacher. decis. Pedem. vlt.

10 *l. in imponenda 6. l. irritum 8. C. ad leg. Falcid. l. cum pater 77. §. Titio fratri antepen. de legat. 2.*

11 Cum beneficium legis & inuentarij impediat, ne iura, quæ habet heres, confundantur cum patrimonio defuncti, *l. vlt. §. in computatione, C. de iur. delib.*

12 Nec enim posset pro parte transactionem probare & pro parte improbare, *l. nam absurdum 8. D. de bon. libert. l. si ita 39. §. 1. de oper. libert. l. cum quæritur 16. D. de admin. tutor.*

13 Quia non potest heres recusare, quo minus factum defuncti præstet, ex cuius persona lucrũ sentit, & cuius personam sic repræsentat, vt eadem persona esse videatur. Nouell. 48. *de iureiur. à morien. præstit. l. ex qua persona 149. de reg. iur. l. cum à matre 14. C. de rei vind. l. venditrici 3. C. de rebus alien. non alienan. l. vindicantem 17. D. de euict.*

14 Nam & heres cum beneficio legis & inuentarij perinde heres vere est ac si inuẽtarium non feciſſet, nisi quod non tenetur supra vires hereditatis, nec iurium suorum iacturam & confusionem pati cogitur supra, quam ex hereditate conferre possit. Nam quin iura ipsius confundantur ad concurrentem vsque hereditatis quantitatem dubitari non oportet. Atque ita esse accipiendum, quod scriptum est *in d. §. in computatione.*

DEFINITIO XV.

An videatur transactum de fideicommisso per iuratam renunciationem à sorore nubente factam fratri.

QVæ patris testamento per fideicommissum substituta erat fratri eiúsque liberis, si aut ipse aut

BIU Cujas

ipsius liberi sine liberis morerentur, cum defuncto patre ruri & rustico nuberet, dotémque à fratre accipere, renunciauerat, interposito, vt fieri adsolet, iureiurando, successionibus omnibus, substitutionibus Falcidiæ, Trebellianicæ, legitimæ, supplemento legitimæ, ac cæteris iuribus tam competentibus, quam in futurum competituris, siue cogitatis, siue non cogitatis, in bonis suis paternis, maternis, fraternis & sororinis, reseruata tamen, vt notarij loquuntur, legali escheuta, si quando aut ex iuris scripti ratione, aut ex consuetudine deferretur: deque ea re mutuæ stipulationes inter fratrem & sororem interpositæ probabantur. Cum postea defunctus esset frater filio superstite, qui postmodum sine liberis & facto testamento vxoréque instituta, & legatis multis relictis decesserat, Amita petebat ex testamento patris & fideicommissi iure bona omnia, quæ fratris filius à patre de bonis aui accepta in hereditate sua reliquisset, ex eaque causa tam heredem grauati vxorem, quam bonorum possessores competentibus actionibus conueniebat. Illi, quia fideicommissi conditionem extitisse constabat, solo renunciationis instrumento nitebantur, quasi per quod fideicommissi remissionem factam esse dubitari non oporteret, [1] præsertim, quod alia substitutio nulla proponeretur, quæ alioqui renunciatione tam generali remissa dici posset, [2] quodque contrahentium voluntas manifesta esset, ne quid omnino exceptum videretur, qui etiam ad incogitata renunciationem porrigi expressim voluissent. [3] Nec mouere videbatur, quod de testamento ex quo fideicommissum petebatur, nihil expressim & specifice cautum fuisset, [4] Tantum aberat, vt eius testamenti verba inspecta cognitáque proponerentur, quod interpretes nostri ad conuentionum omnium, quæ de controuersiis testamentarijs fiunt, validitatem prorsus necessarium esse arbitrantur. [5] Nam præter id, quod non erat probabile, ignoratum patris testamentum à filia, [6] quæ alioqui non dotem pecuniariam accipere, nec de legitima, vel legitimæ supplemento paciscí, sed portionem hereditariam vrgere ac familiæ erciscundæ iudicio in eam rem experiri debuisset. [7] Illud etiam accedebat, quod iusiurandum in renunciatione interuenerat, cuius eam vim esse plerique putant, [8] vt inspiciendi testamenti necessitatem remittere, & solemnitatem supplere possit, quomodo & alias pleraſque supplere solet. [9] Item, quod soror legalem duntaxat escheutam, sibi excipiendo, tanto apertius abdicasse videbatur ius omne fideicommissi, quod alioqui ex cuiusuis testamento prætendere potuisset. [10] Visum tamen est, renunciationem quantumuis generalem à muliere rustica factam, [11] quæ ne quidem patris testamentum, de quo nullum in toto contractu verbum, nedum substitutionem in eo pro se factam sciuisse probabatur, ad ea iura, quorum persecutionem sibi competere aliquando posse ignorabat, [12] non nisi per captiosam interpretationem extendi posse. [13] Quando nec si testamentum patris sciuisset, ei tamen nocere scientia potuisset; si non expressa quoque & specifica eius testamenti mentio facta reperiretur, vt ex Doctoribus nostris ij volunt, qui Bartoli sententiam vt veriorem, licet mihi non parum suspectam, amplectuntur. [14] Maximè, cum tot verborum multiplicationem [15] ex imperitia notarij magis, quam ex contrahentium volũtate adiunctam esse constaret ex eo, quod Falcidiæ quoque & Trebellianicę detractionem soror remiserat, quod tamen apparebat insulse prorsus & inepte factum ab ea, quæ cum heres non esset, sicut neque legatis, neque fideicommisso hæreditatis grauari, [16] ita neque Falcidiæ aut Trebellianicæ detrahendæ ius habere vnquam potuerat. [17] Sed illud magis mouebat, quod renunciationem illam soror disertis verbis restrinxerat ad bona sua paterna, materna, fraterna, & sororina. In quorum numero non erant ea, de quibus quærebatur, quæ quanquam origine paterna, & perpetuo fideicommisso adfecta, nepoti tamen semel acquisita, desierant paterna esse, [18] & mutatione personæ nomen quoque & conditionem haud dubie mutauerant. [19] Cur ergo renunciationem alioqui odiosam [20] extenderemus ad alia bona, quam de quibus nominatim cautum fuisset? [28] Præsertim fauore extranei heredis & in odium amitæ, quæ nec paternis etiam bonis simpliciter & absolutè renunciauerat, sed legalem escheutam, vt diximus, sibi exceperat? [22] Alioquin paulatim illud etiam, quod absurdius esset induceremus, vt id quoque fideicommissum, quod hic idem fratris filius testamento suo multis post renunciationem annis condito fecerat, substituta post vxoris mortem sorore, remississe credenda esset: de quo ne per somnium quidem fuerat cogitatum. [23] Neque vero probabile videbatur, fratrem, qui à sorore stipulatus fuerat, tam male affectum erga eam fuisse, vt extraneos suos, suorúmve heredes, etiam in fideicommisso paternorum bonorum ei prælatos cuperet: [24] Sed id potius egisse, vt sibi posterisque suis consuleret, ac liberiorem haberet bonorum suorum omnium administrationem. Neque rursus fratris filium in ea fuisse voluntate, vt commodum substitutionis, quam auus fecerat, ademptum amitæ vellet, qui eam ipsam in omnibus bonis suis etiam quæ ab auo non acceperat, substitutam voluisset, [25] vt in solatium extinctæ totius familiæ hoc saltem haberet illa ex paternis bonis, quod ei pater suo testamento post cæteros omnes liberos reliquisset. [26] Nam & ipsa legalis escheutæ reseruatione constabat, casum hunc extinctionis totius familiæ vtrisque contrahentibus abominalem fuisse, nec proinde ad eum facile porrigi conuentionem debuisse. [27] Quanquam si aliud nihil obstaret, nullus certè legali escheutæ locus relinqueretur, facto per vltimum ex familia decedentem testemento. Legalis enim escheuta nihil nisi legitima & intestati successio est, cui locus sit post extinctos tantum omnes illos, cum quibus alioqui filia admitteretur. [28] *Sine die.*

1 Vt in specie *l. qui Romæ 122. §. duo fratres, D. de verb. obligat.* Guid. Pap. *in termin., quæst. 232.*

2 Verba enim generalia, quæ in vno tantum verificari possunt, pro generalibus non habentur.

3 Quamuis enim conuentiones non sint porrigendæ ad incogitata, *l. 4. & l. qui cum tutoribus 9. §. 1. & fin. D. de transact.* Si tamen cogitatum & actum sit, de incogitatis quoque iuribus remittendis aliud est, vt in iisdem locis tractant DD.

4 Imo nec in genere, quia neque de testamento vllo, neque de fideicommisso quidquam in eo instrumento legebatur.

5 *Ex l. de his 6.* vbi Bart. & alij, *D. hoc tit. l. 1. D. testam. quem. adm. aper.*

6 Quæ in eo testamento fuerat instituta heres in certa pecuniæ quantitate, ideoque testamenti exemplum habere præsumebatur, *l. 2. D. de edend.*

7 Nec enim legitima aut legitimæ supplementum potest deberi, nisi facto testamento, cum alioqui heres ex parte non posset omissa portione petere legitimam, *l. 4.* vbi Bart. Alex. & alij, *D. ad Trebell.*

8 Crauet. *consil.*

9 DD. communiter ad *Auth. sacramenta puber. C. si aduersus vend.* Bart. *in l. si quis pro eo, de fideiussor. l. cum pater 77. §. filium matrem, D. de leg. 2.*

10 Cum exceptio in vno casu firmet regulam & dispositionem in cæteris, *l. quæsitum 12. §. idem respondit. l. domo instructa 43. D. de instruct. vel instrument. leg.*

11 Duplex enim ratio est subueniendi per mitiorem interpretationem mulieri rusticæ, & propter sexum & propter rusticitatem, *l. 1. §. fin. D. de edend. l. 2. §. 2. D. ad Velleian.* cum & mulieri-

mulieribus & rusticis ius ignorare permittatur, *l. regula in princ. 9. D. de iur. & fact. ignor. l. vlt. C. de testam.*

12 *d. l. 4. & 5. l. 9. §. 1. & vlt. D. hoc tit. l. mater decedens 19. D. de inoff. testam.* Grammat. *decis. 57. n. 8.* post Bart. *in l. vlt. §. idem quæsiit. D. de lib. leg.*

13 Quam prudentum interpretatio debet frangere, *l. cum Aquiliana 5. D. hoc tit.*

14 Bart. *ad d. l. qui Romæ, 122. §. duo fratres, quæst. 5.* Ias. ibid. *nu. 62.* quem sequitur Ranchinus ad Guid. Pap. *quæst. 32.* quæ enim generaliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur neglecta, *l. item apud Labeonem 13. §. hoc edictum 26. D. de iniur.* iunct. *d. l. de his.* Vide tamen quæ contra scripsi in Rational. *ad d. l. de his.*

15 *l. pediculis 32. l. Labeo, D. de aur. & arg. leg.*

16 §. 1. *Institut. de legat. & de fing. rebus per fideicommiss. relict. in princip. l. illud 13. in fin. D. de iur. codicill. l. mulier 22. §. fin. D. ad Trebellian.*

17 Quippe quarum detractio non alij competit quam heredi, *l. 1. D. ad leg. Falcid. d. l. 4. ad Trebell.*

18 *DD. ad l. 1. §. veteres,* vbi Ias. *nu. 23. D. de acqu. possess.*

19 *L. per curatorem 90. §. 1. D. de acqu. hered. l. vlt. C. de inoffic. testament.*

20 Omnes enim renunciationes censentur odiosæ non tantum quæ sunt prohibitæ à iure, de quibus Guid. Pap. *qu. 231.* sed etiam cæteræ, quia speciem habent donationis, cuius præsumptio nunquam fauorabilis est, *l. cum de indebito 23. ff. de prob.* præsertim in muliere & rustica, vt *in § fin autem, dict. leg.* maxime si nihil eo nomine datum vel promissum esset, *l. transactio 38. C. hoc tit.* Grammat. *decis. 101. num. 12.*

21 Bart. *in l. 2. §. illud, D. de hered. vel act. vend.* maxime cum fideicommissi conditio nondum extitisset, *l. si ita sit scriptum 45. §. si sub conditione, D. de leg. 2.* odiosa enim sunt restringenda, non adiuuanda interpretatione, *l. cum quidam 19. D. de lib. & post. l. hoc modo 64. in fin. D. de condit. & demonst.* Guid. Pap. *d. quæst. 231.*

22 Si enim aliquis casus exceptus esset etiam ratione bonorum, quibus fuerat renunciatum, multo magis actum fuit, vt alia bona, de quib. nihil cautum erat renunciatione, non continerentur, *d. l. qui cum tutoribus 9. §. fin. D. hoc tit.* Grammat. *dict. decis. 101. nu. 10.*

23 Omnes enim renunciationes, quantumuis generales & ad futurum quoque tempus porrectæ, ad ea restringendæ sunt, quæ habent causam de præsenti iam subsistentem, Bartol. & Doctores communiter *ad d. §. duo fratres.* Matth. de Afflict. *decis. 305. num. 4. & 5.*

24 Quod esset contra patris voluntatem, cui pium filium obsequi, vt debuit, & ita voluisse credibile est, *l. in testamento 38. D. de fideicommiss. libert. l. cum acutissimi 3. C. de fideicommiss.* nam & stipulatio super testamento interposita, & in executionem testamenti easdem conditiones recipere debet, eandémque interpretationem, *l. 1. §. si quis sub conditione, vt leg. nom. caueat.*

25 *Arg. l. vlt. C. de instit. & substit.*

26 *l. Paula Callinico 27. §. Pompeius, D. de leg. 3.* iunct. *l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. dotem 6. in fin. D. de collat. bonor.*

27 *Arg. l. cum tale 72. in princip. D. de cond. & demonst. l. Iulianus 26. in fin. D. si quis omis. caus. testam.*

28 Guid. Pap. *quæst. 192.*

TIT. V.

DE POSTVLAND.

DEFINITIO I.

Primum iudicem victori in causa appellationis patrocinium præstare posse.

NIHIL prohibet, eum, qui inter litigatores in prima instantia iudicauit, patrocinium & aduocationem in causa appellationis ei præstare, pro quo sententiam tulerit. [1] Nam & ad ipsius iudicis existimationem pertinet, vt ritè & rectè iudicasse dicatur, nō per sordes aut per gratiam, [2] iurisve vel facti ignorantiam. [3] Qua de causa eo etiam iure vtimur, vt requirente appellante ad litem appellationis euocetur is simul cum eo, qui obtinuit, ad hoc vt, si sua interesse putet, defendat iudicatum. [4] Nec ad rem pertinet, quod confirmata per superiorem iudicem sententia, futurum sit, vt ad eum redeant litigatores, [5] atque ita euenire videatur, vt idem in eadem causa & iudex & patronus fuisse reperiatur. [6] Alia enim causa est principalis de qua ipse cognouit, alia appellatoria, [7] in qua nec iudex ipse iudex fuit, nec tam litigatori, pro quo iudicauerat, [8] quam sibi ipsi patrocinium præstitisse intelligendus est. Sed & aliquando euenisse scio, vt in publico Senatus auditorio, cum præsente eo, qui iudicauerat, tractaretur causa appellationis, nec perspicere Senatus posset, qua ratione aut quo errore impulsus iudex eam sententiam tulisset, facti sui rationem is reddere iuberetur, atque ita litis appellatoriæ victoriam ei pararet, pro quo iudicauerat, qui alioquin per aduocati minus instructi imperitiam in eo erat, vt iamiam succumbere deberet. *Ita Senatus* pro N. Portier Aduocato Necensi contra procuratorem fiscalem D. Ducis Gebennensis 6. Id. Februar. 1591.

1 Alia enim causa & instantia est, vt paulo post ait Definitio.

2 *l. eadem lege 6. §. vlt. D. ad leg. Iul. repet. l. 2. C. de pæn. iudic. qui mal. iudic. l. venales 7. C. quand prouoc. non est necess.*

3 *l. vlt. D. de extraord. cognit. l. si per imprudentiam 51. D. de euict. l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

4 Nam quemadmodum appellare possunt omnes, quorum interest, *l. 1. D. de appell. recip.* ita & multo magis iudicatum defendere licet omnibus, qui sua putant interesse.

5 *Ex c. vt debitus hono. Extr. de appell.*

6 Contra id quod scriptum est *in l. quisquis 6. C. hoc tit. in l. prætor 17. D. de iurisdict. & in l. lex Cornelia 5. circ. princ. C. de iniur.* Nam nec arbiter esse potest, *l. sed si, 9 §. si quis, de recept.*

7 *l. cum apud Sempronium 20 D. iudic. solui.*

8 Atque ita officio suo iam functus fuerat siue bene siue male iudicando, *l. iudex postea quam 55. D. de re iudic.*

TIT. VI.

DE ERROR. ADVOCAT.

DEFINITIO I.

Quantum interfit, an Aduocatus errauerit, in iure, an in facto; & an iudex, an Aduocatus.

SI quid per iuris errorem, & imperitiam, aut negligentiam Aduocatus dixerit, vel omiserit, quod clientis ius & causam lædere possit, parum id curare bonus iudex debet, cui non solum licet, verum etiam ex officio necesse est ea omnia supplere, quæ Aduocatis partium desunt, quoties ad supplenda ea sufficere ratio iuris potest. [1] Sed si in facto Aduocatus errauerit, multum refert, an præsente cliente, aut, quod hac parte effectu ipso idem est, vero clientis procuratore, causam perorauerit, an absente. Si vtroque absente, nihil ea res nocere clienti potest, quia non sicuti procurator post contestationem, [2] ita & Aduocatus dominus litis vnquam fit. Sin alterutro præsente, ac per silentium saltem factum Aduocati approbante, perinde habendum est, acsi à cliente ipso, vel eius procuratore factum esset. [3] Ideoque ad impugnandum, quod Aduocatus dixerit, aut fecerit, perinde necessaria erat clienti restitutio in integrum, [4] perindeque obnoxia refusioni expensarum, elusæ interim & retardatæ litis. [5] Quanquam difficile est, vt ea restitutio clienti detur, si liti, cum perorabatur, ipse adfuerit, [8] nisi proponas, talem eius personam esse, vt vel ob sexum, vel ob rusticitatem, vel ob ætatem, vel ob quā aliam causam facilius restitutionem mereatur. [7] Erroris, quem iudex ipse in pronunciando admiserit, alia ratio est, nec enim corrigi ab eodem iudice vnquam potest, nisi incontinenti, & eo ipso iudice adhuc sedente pro tri-

BIU Cujas

bunali. [8] Tolerabilius enim est, vt qui iam per errorem aliquid pronunciauit, subinde pronunciet eodem errore de cæteris, quæ ad iam statutorum consequentiam pertinent, [9] quam vt posteaquam officio suo, siue bene, siue male semel functus est, iterum iudicet. [10] Ne hoc ipso rerum iudicatarum authoritas labefactetur, [11] quam semper & vbique sanctam seruari, non modo litigatorum interest, sed etiam Reipubl. [12] *Ita in Senatu* sæpius.

1 *l. vnic. C. vt quæ des. aduoc. part. iud. suppl.*
2 *l. procuratoribus 22. & seq. C. de procurat.*
3 *l. 1. C. hoc tit.*
4 Per literas, quas pragmatici nostri vocant, *De desaueu.*
5 Sua enim cuique frustratio, non alij nocere debet, *vulg. l. hominem 37. D. mandat.*
6 Cùm nemini regulariter sit permittendum, venire contra proprium factum, *l. factum, 155. l. quod quis ex culpa, 203. de regul. iur.*
7 Ex his enim causis datur facilius restitutio, *l. regula, 9. de iur. & fact. ignor. l. si quis 7. §. doli mali, D. de iurisdict.*
8 *l. iudex posteaquam, 55.* vbi omnes notant, *D. de re iudic.* iuncta *l. Paulus, 42. & l. acta. 45. eod.* Ex quibus locis adde aliam exceptionem, nisi partes consentiant, & ita tamen, vt eodem die acta corrigantur, *d. l. acta.*
9 Exemplum est elegans *in l. ex diuerso, 35. §. 1. D. de rei vindic.*
10 *d. l. iudex posteaquam.*
11 *l. seruo 65. §. prætor. D. ad SC. Treb. l. si fundus, 16. §. si pluris. D. de pignor.*
12 Vt aliquis sit litium finis, qui alioquin nullus esset, *l. 1. & 2. & tot. tit. C. de re iudic.*

TIT. VII.

VT QVAE DES. ADVOCAT. part. iud. suppl.

DEFINITIO I.

Iudex supplere potest, sed in iure, non in facto, ne quidem notorio, & de exceptionibus oppositis in allegationibus iuris.

ETsi iudex supplendo, quæ desunt Aduocatis partium, calumniæ materiam facile præbet, quasi patrocinari ipse potius, quam iudicare videatur, [1] dubitare tamen nemo debet, quin ad eius officium pertineat, si quid per Aduocati vel procuratoris, [2] aut inscitiam aut incuriam omissum videat, quod male alioquin affectam miseri clientis causam adiuuare possit, quicquid totum illud est, ex se supplere, & pro dicto habere, id quod dici potuit, & debuit. [3] Sed hoc ita accipiendum est, si in eo, quod suppleri oportet, iuris quæstio vertatur, non facti. Factum enim nunquam supplendum est, [4] nisi si tale sit, vt ex actis & instrumentis litis non modo coniici, sed etiam probari queat. [5] Id enim est, quod vulgo nostri iactitant, debere iudicem secundum allegata & probata iudicare potius, quam secundum propriam conscientiam. [6] Hinc consequens fit, vt non nisi perraro suppleri exceptiones possint, propterea quod, licet pleræque iuris magis quam facti esse videantur, vix tamen contingere potest, vt non aliquam habeant implicitam facti quæstionẽ, cum ex facto pendeant, [7] cuius non semper expedita est ex actis probatio. Nam neque notoriũ supplere iudex potest, quod non fuerit allegatum, quamuis allegati probationes exigere nullas iure possit. [8] Plane quin permittendum sit Aduocato, in iuris quoque allegationibus exceptionem obiicere, quam in tractanda lite per errorem omiserat, minus dubitatur, [9] si modo nõ declinatoria, vel dilatoria, [10] sed peremptoria exceptio sit, magisque ad ius, quam ad factum nouum pertinens, cuiusmodi sunt omnes fere temporis præscriptiones. [11] Sed cum id accidit, cauere semper bonus iudex debet, ne tantam eius exceptionis rationem habeat, vt aduersarium ex ea condemnet inauditum: qui si eam exceptionem sibi oppositam sciuisset, vtique per oppositam replicationem sibi suæque causæ consulere potuisset. [12] Interdum etiam euenit, vt nouam facti quæstionem in allegationes iuris deductam, ad contestationem probationemque admitti oporteat, [13] refusis per deducentem sumptibus retardatæ litis. [14] Sed hoc neque alius, quam Senatus facere solet, quem æquum est modis omnibus prospicere litigatoribus, quibus post semel definitum Senatusconsulto negotium, non vlterius aut felicius, litigandi via supersit, [15] nec nisi parcissime, pro personarum & causarum qualitate, vt ad illas etiam lites, quæ in Senatu agitantur, diligentius tractandas litigatores incitentur. [16] *Ita in Senatu* sæpius.

1 Vt tractat A. Gellius *lib. 14. c. 2.*
2 De procuratore enim ideo tractandum est, quia dominus litis ille est, non Aduocatus.
3 *l. vnic. C. hoc tit.*
4 Sic Harmenop.
5 Non enim vere suppletur, quod ex actis ipsis probatur, vt neque exceptio, quæ nascitur ex instrumento, ex quo agit actor. Ranchin. *ad Guid. Pap. quæst. 221. ex Bart. & Ias. ibid. citat.*
6 Sic nostri vulgo *ad l. illicitas, 6. §. veritas, per ill. text. D. de offic. præsid.* vide Iac. Cuiac. *lib. 11 obseru. c. 19.* Franc. Hottom. *illust. quæst. 25.* vide tamen *Defin. 7. ff. de sent. & interloc.*
7 *l. exceptiones opponuntur, 20. & pass. D. de except.* Interdum tamen ex contractu pendent, ex quo agitur.
8 Guid. Pap. *quæst. 221. nu. 4.* Gloss. notab. *in cap. appellanti. de appell.* vide Iul. Clar. *in §. fin. qu. 9.*
9 Facilius enim est, vt liceat Aduocato errorem suum corrigere, quam vt iudici errorem Aduocati.
10 De quibus *in l. 2. §. vlt. & l. 3. D. de except.*
11 Guid. Pap. *d. qu. 221. & ibi Apostill.* Iunge *Defin. 35. infr. de fideiuss.*
12 Nam quemadmodum exceptio est actionis exclusio, ita & replicatio exclusio exceptionis, *l. 2. §. illud, l. exceptio, 22. §. 1. D. de except.*
13 Fauore nimirum habendæ veritatis, quam semper exactissime inquirere iudex quilibet, sed supremus maxime debet. *l. curent magistratus, 22. D. de testib.*
14 Ne alioqui beneficium Senatus sit ei captiosum, cui nihil potest imputari, contra *legem Paulus, 8. D. de prætor. stipulat.*
15 Ex ratione posita *in l. vlt. C. de temp. in integr. restit.*
16 Cum interfit non modo litigantium, sed etiam Reipublicæ, vt quam cito fieri potest, lites expediantur, *l. 1. C. de admin. tutor. l. quidam 21. D. de reb. credit.*

DEFINITIO II.

Iudex exceptiones meri iuris, omissas ab aduocato vel procuratore, supplere potest.

EXceptiones quæ meri iuris sunt vsque adeo suppleri possunt per iudicem, vt earum rationem non eo minus haberi oporteat, [1] quod Aduocatus vel procurator dixerit nihil habere se quod aduersario obiiciat. [2] Finge agi de testamento filijfamilias, aut eius qui de suo statu incertus tamen testatus fuerit. Nullam talis testamenti rationem habere iudex debet quod certum est ipso iure non valere. [3] Quamuis enim possit ex facto contingere vt fuerit emancipatus, emancipatio autem facti sit, nunquam tamen emancipatio præsumitur si non & allegetur & probetur. [4] In dubio igitur sicut filius quilibet in patris potestate esse præsumitur, ita & contra testamentum à filio factum quem & sui iuris & de suo statu eo tempore certum non fuisse constat, pronunciandum est. [5] *Ita Senatus* in causa Antonij Bouuard, & N. Amblardet 4. Calend. Decemb. 1609. In qua specie illud etiam aderat quod testatoris patrem pro iam mortuo testamenti tempore

tempore habuerant illi ipsi contra quos testamentum producebatur: [6]non enim quid in eorum opinione, sed quid in rei veritate fuisset inspiciendum Senatus putauit.

1 Secundum ea quæ scripsimus defin. præced.

2 Quibus tamen verbis videtur renunciatum omnibus non modo facti sed etiam iuris allegationibus, quod qui facit magis sibi nocet quàm qui ab allegationibus se excludi patitur.

3 *L. qui in potestate 6. l. de statu 15. & seqq. D. qui testament fac. poss.*

4 *l. 5. §. 1. D. de probat. l. Titia 34. solut. matrim. l. 2. C. si aduers. rem iudic.*

5 *d. l. de statu & seq.*

6 Vt proinde non viderentur posse contra suum factum venire & contra propriam confessionem, *arg. l. generaliter, Cod. de non num. pecun. l. cùm de indebito 25. D. de probat.*

7 Licet aliquando plus sit in opinione quàm in veritate, *vt in eis qui putat. D. de acqu. hered. §. si quis rem suam, 2. Inst. de legat.*

TIT. VIII.

DE PROCVR.

DEFINITIO I.

De confessione procuratoris extra causam mandati.

PROCVRATOR ad litem duntaxat constitutus, [1] si in iudicio fateatur dominum esse Titij heredem, qui re vera non erat, non nocet domino. [2] Neque enim ex alterius confessione aut facto ignorans vel inuitus quisquam hereditati obligatur. [3] Itaque vel speciali mandato vel ratihabitione opus est. [4] Nec generale mandatum, quantumuis cum libera administratione & potestate, sufficeret. [5] Proinde nec necessaria est domino in integrum restitutio aduersus factum procuratoris, quæ necessaria esse solet, quoties in domini necem à procuratore aliquid factum est, quod ex officij sui ratione facere potuerit, licet non debuerit. [3] *Ita Senatus* pro Donata Morens contra Bertrandam Morens 6. Id. Iun. 1590.

1 Ad differentiam eius, qui ad negotia constituitur, *l. hoc iure, 86. D. de solut. l. 7. Cod. de transact. l. inuitus, 17. C. hoc tit.*

2 *L. si sine, 9. §. Celsus, D. de interr. in iur. faciend.* Sibi tamen nocet vt confessoria teneatur: *l. proinde, 2. §. procurator, D. ad legem Aquil.* Iunge *l. in causæ 27. §. sed hæc ita, D. hoc tit.*

3 *L. ignorantis, 49 D. hoc tit. l. sed si tantum 13. D. de pact.*

4 *Arg. l. iusiurandum, quod ex conuentione, 17. § procurator, de in rem iur.*

5 Nam generali mandato non continentur ea, quæ ex mandantis animo & voluntate pendent, cuiusmodi est aditio hæreditatis, quæ & obligat adeuntem, *l. qui in aliena iunct. l. per procuratorem 90. D. de acq. hered.* licet procurator cum libera possit multa facere, quæ etiam generali mandato non continerentur, *l. procurator cui 58. cum duab. seqq. l. procurator tutorum, 63. D. hoc tit. l. filius familias, 7. §. 1. D. de donat.*

6 Pragmatici vocant, *lettres de desaueu*, de quibus *infr. Definition. 3.*

DEFINITIO II.

De prioris procuratoris reuocatione.

NOn ex eo solo reuocatus procurator intelligitur, quod rationes domino reddiderit: [1] nihil enim prohibet manente procuratione rationes reddi, [2] si non alia domini voluntas appareat. [3] Quid enim si quasi finita administratione, quam procuratori mandauerat, rationes exegerit? [4] Quid si alium subinde procuratorem constituerit? [5] Vtique nemo negauerit priorem his casibus reuocatum videri, nisi aliud expressum sit, [6] quomodo fieri hodie passim solet. [7] *Ita tractatum est* in publico auditorio, ante Calend. Ianuar. 1590.

1 Vide Bald. *in l. pater herede, D. de testam. tutel. & l. qui mutuam, 56. §. 1. D. mand. ibi non acceptis rationibus.*

2 In eoque differt procurator à tutore, qui non nisi finita tutela conueniri potest, neque tutelæ neque ex stipulatu, *l. 4. si cum adhuc, 16. D. de tutel. & ration. distr.*

3 Mandatum enim facile reuocatur sola voluntatis mutatione, *l. si vero, 12. §. pen. l. si quis alicui, 27. §. 1. D. mandat.* Imo & solo domini reditu, si se negotiis immiscuerit, *d. l. qui mutuam, §. 1. vbi Bart.* Nec ferendus est, qui sibi adserit procurationem, *l. 25. D. hoc tit.*

4 *d. §. 1. l. qui mutuam* in illis verbis, *non acceptis rationibus*, à contr. sent. Apparet autem hæc voluntas, si post acceptas rationes ipse negotiis se immiscuerit.

5 *L. si quis cum 31. §. Iulianus, D. hoc tit.*

6 Is enim, qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, neque alium procuratorem addere, neque causæ suæ adesse prohibetur, *l. Paulus, 69. D. hoc tit.*

7 Bart. *in d. l. qui mutuam, §. 1. D. mand.* Guid. Pap. *qu. 40.*

DEFINITIO III.

De restitutione impetrata aduersus factum procuratoris.

SIcuti procurator ad litem constitutus litis dominus esse intelligitur, [1] ita quicquid à procuratore gestum est, quod ad eam litem tractandam pertinet, perinde est ac si à domino gestum esset: [2] Nisi quod aduersus factum procuratoris facile dominus restituitur, [3] aduersus proprium non item: Restituitur vero aduersus factum procuratoris ex Principis rescripto, quod appellant *De desaueu.* Quod cum fit, sarciri expensas omnes oportet, quibus factum procuratoris causam dedit in diem vsque exhibiti diplomatis. [4] Sed ita tamen, vt si ex iis, quæ gesta sint, quædam ad causam principalem spectent, quæ decidenda supersit, diuisio impensarum fiat, parsque sarciendis cedat, pars adiudicandis reseruetur. [5] *Ita Senatus* 5. Calend. Maij 1591.

1 Scilicet post contestationem, qui nec ante lis vlla esse intelligitur, *l. sed etsi lege, 25. §. si ante, D. de petit. hered. l. 4. §. vlt. D. de appellat. l. nulla, 23. C. hoc tit.*

2 Adeo vt nec domino ipsi, quia procuratorem constituit, quicquam agere permittatur inuito procuratore, nisi ex causa, *l. procuratoribus, 22. C. eod.*

3 Ne ex aliena culpa damnum sentiat maximum, id est, iacturam bonæ litis. Etsi contra innuere videtur à contr. sens. *l. quia absente, 4. l. si procurator, 10. in fin. C. hoc tit.* Excipe si collusum sit cum procuratore, *l. 7. §. pen. de dol. l. 9. D. de doli mal. except.* Alio tamen iure vtimur, Gayl. *1. obseru. c. 45.*

4 Imputare namque sibi debet, qui procuratorem constituit, cur talem elegerit, *argum. §. præterea, Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Coercetur autem hæc culpa non damno litis sed expensarum, quia indemnem aduersarium seruari sufficit.

5 Non enim de expensis ad principalem litem pertinentibus pronunciari prius potest, quam de ipsa lite pronuncietur, *l. terminato, C. de fruct. & lis. expens.*

DEFINITIO IV.

Si pendente aut iam concluſa lite procurator, aut is, qui mandauit, decesserit.

VSque adeo procurator ad litem datus litis dominus intelligitur [1], vt si lite iam ad coronidem perducta, id est, posteaquam concluſum in causa fuit, dominus decesserit, possit nihilominus ferri sententia in personam procuratoris, [2] siue quod exinde lis pro finita & decisa habeatur, [3] siue quod post litem contestatam & re non amplius integra, mandatum sola mandantis morte non reuocetur. [4] Neque tamen huic consequens erit, vt si quid ad absoluendam litem agendum supersit, cogatur procurator ob id solum quod litem contestatus sit absentis aut mortui domini causam defendere: [5] cum litis instrumenta & probationes ex domini non ex procuratoris domo prodire de-

BIU Cujas

beant. [6] Igitur defuncti hæredes in ius vocari oportebit, vt litem à defuncto vel institutam vel susceptam persequantur, eodem aut alio procuratore in eam rem constituto. [7] Ex contrario, si procurator decesserit superstite domino, non potest contra dominum ferri sententia, sed alium procuratorem in demortui locum substitui necesse est, qui adsit pronunciationi. [8] Cæterum lata sententia procurator, qui ad litem datus fuerat, omni officio functus intelligitur, [9] nec cogi debet, vt sententiam aduersus se mandari executioni patiatur. [10] Idem in tutore & curatore iuris est. [11] Conclusum autem in causa intelligimus, vbi in cum statum lis deducta fuit, vt solius iudicis pronunciatio expectetur, tota facti quæstione ad ius translata, siue ex scripto, siue viuæ vocis oraculo pronunciandum sit. [12] Proinde nihil hac parte intererit, an litis instrumenta producere apud actuarium, an publicè causam per Aduocatos perorare procuratores iussi sint. [13] *Ita Senatus* sæpius.

1 Quemadmodum diximus *Defin. præced.*

2 *L. nulla 23. C. hoc tit.* Guid. Pap. *qu. 86. & 119.*

3 Idem Guid. Pap. *ibid.*

4 *L. & quia 6. D. de iurisdict. l. inter causas, 26. & l. seq. §. morte, D. mandat.* Itaque non habet hic locum quod ait *l. 2. D. quæ sentent. sine app. rescind.*

5 Neque enim cogitur procurator vti iure suo si nolit, quod videat, non posse id tuto se facere citra fraudem ignorantis heredis. Ideoque obtinuit merito vt mortuo domino citandi sint heredes ad causam reassumendam, Mynsing. *6. respons. 5. num. 20. & seqq.*

6 Etsi enim procurator sit dominus litis, tamen lis aliena est, quæ si propria fieret procuratoris, hoc ipso desineret ille esse procurator: qui tamen non desinit, ne tum quidem cum in rem suam procurator est, *l. alienam, 18. C. hoc tit. l. 26. §. vlt. ex quibus caus. maior.*

7 Mysing *vbi supr.* Alium enim procuratorem constituere heredes possunt, quam qui fuerat à defuncto constitutus, dum ne quid in ipsius procuratoris aut aduersarij fraudem fiat, *l. post litem, 17. in princ. & §. 1. D. hoc tit.*

8 Contra Guid. Pap. *dict. quæst. 86.* Ne scilicet procuratore suo defuncto dominus decipiatur per iustissimam ignorantiæ causam, *arg. l. nec non, 28. D. ex quib. caus. maior. l. 1. C. de sentent. & interloc. omn. iudic.* Vide Apost. ll. *ad dict. quæst. 86. in verb.* absque alia citatione.

9 Quia nec lis vlla post sententiam supereſt, *l. terminato, C. de fruct. & lit. expens. l. 1. D. de iureiur. l. causas, 16.* iunct. *l. non minorem, 20. C. de transact.*

10 Nisi ipse satisfecerit iudicatum solui, *l. si procurator, 28. D. hoc tit.* Cogitur tamen procurator appellare, ne teneatur ad interesse, *l. inuitus 17. C. eod. l. liberto, 3. §. litem, D. de negot. gest. l. si procuratorem, 8. §. si ignorantes, D. mand.* Cogitur etiam interdum litem prosequi, si forte dominus præsens non sit & actor adfirmet tractu temporis futurum vt res pereat, *l. sed etiam 12. D. hoc tit.* Facit *l. 1. Plautius 61. eod. l. si se non obtulit, 4. D. de re iudic.*

11 *dict. l. 4. §. tutor, de re iudic. l. 2. D. de administr. tutor. l. tutori, 7. D. quand. ex fact. tutor.* Idem in actore municipum iuris est, *d. l. 4. §. actor.* Differentia tamen est inter tutorem & procuratorem, quod sententia ferenda est contra procuratorem non contra dominum, alioqui non valet. *d. l. 1. C. de sentent. & interl.* Contra pupillum autem reddi potest sicut contra tutorem, Gothof. *ad dict. l. 1. ex VVurmsero 1. practic. quæstion. tit. 22. cap. 7. & tit. 23. cap. 2.*

12 *L. vlt.* iunct. *auth. nisi breues, C. de sent. ex breu. recit.*

13 Id enim est quod pragmatici nostri iactitant, *Appointement de renuoy en audience vaut appointement en droit.*

DEFINITIO V.

De conditione vel compensatione pecuniæ solutæ falso procuratori.

QVi pro alio pecuniam accepit tanquam procurator, hactenus tenetur ei, qui numerauit vt ostendat peruenisse nummos in manus eius, qui exigendos mandauerat, aut aliter ab eo ratam habitam fuisse perceptionem. [1] Quo facto si aut solutã pecuniam condicere quasi indebitam, aut compensare velit is qui numerauit, non contra procuratorem, sed aduersus mandatorem exequi ius suum debet. [2] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro R. P. Ioanne Fornier Rectore collegij societatis Iesu, & N. Luyset viduæ Dn. Aduocati de Chanasse 6. Cal. Iul. 1592.

1 *l. vero procuratori, 12. in princip. & §. vlt. D. de solut. cum simil. b. l. si precium 19. C. hoc tit.*

2 *l. si procurator, 6. §. 1. & 2. l. cum indebitum, 57. §. 1. D. de condict. indeb. atque ita limitanda est, l. his solus 49. eod.* facit *dict. l. si precium, in fin.*

DEFINITIO VI.

De eo qui citatus est ad nouum procuratorem in locum demortui substituendum.

CItatus ad nouum procuratorem in locum demortui substituendum, si in ius non veniat iterum citandus est: [1] Si rursum sit contumax, non tamen prius condemnandus est, quam iterum citatus sit, vt condemnationem ex contumacia infligendam propulset, quod pragmatici dicunt, *deffendre à la condemnation.* [2] Quod si tertio sit contumax, perinde condemnari debet, tametsi viuo alio procuratore iustas defensiones habuerit, ac si nullas habuisset, [3] vt eius contumacia damno litis coerceatur, [4] nimirum si aduersarij intentio bene probata sit, nec nisi de contumacis iure queri oporteat. [5] *Ita Senatus 6.* Id. Febr. 1593.

1 Neque enim ex primo edicto quisquam fit contumax, cum etiam post peremptorium citari ex benignitate soleat absens, *l. & post edictum 73. D. de iudic.*

2 Quæ videtur esse postrema illa citatio, de qua in *d. l. & post edictum; l. 8. C. quomod. & quand. iud.*

3 Hoc vero videtur contra, *d. l. & post edictum*, quæ vult absentem posse interdum vincere, si bonam causam habeat, quod & scriptum est *in l. 1. C. quomod. & quand. iud.* Nisi dicas iacturam hanc litis parui momenti esse, quod refusis expensis lis ipsa restituatur. Item quia hoc iure vtimur, vt defensiones omnes, quamuis iustas in iudicio per procuratorem ad lites datum allegari necesse sit, constitutis in eam rem procuratoribus, quorum officium publicum est & mercenarium, non vt olim gratuitum, *l. item 15. C. hoc tit.* vt vel ex eo maxime appareat, quantum differant nostri ab illis.

4 *l. contumacia 53. D. de re iudic. l. vlt. §. 1. D. de appell.*

5 *l. qui accusare, 4. C. de edend. l. vlt. C. de rei vindicat.*

DEFINITIO VII.

De transactione per Syndicum sine mandato facta vel improbata.

CVm ex transactione inter te & vniuersitatis Syndicum inita ageres contra sequentis anni Syndicum, deque eo lis penderet, procurator Syndici transactionem impugnabat quasi per eum factam, qui nullo vniuersitatis mandato præcedente transigendi potestatem non habuisset. [1] Neque tamen ipse mandatum vllum speciale habebat, vt ea ratione transactionem impugnaret. [2] Cum vero is causæ status esset, vt multo peior esse deberet condicio vniuersitatis, si transactio non valeret, velletque idem ipse procurator transactioni potius stari, à qua recedi tu quoque iam consenseras, Non putauit Senatus ex solo procuratoris consensu inscia vniuersitate infringendam transactionem, quæ vniuersitati vtilis esset, [3] vt hoc saltem vniuersitati præstares, quod transactione continebatur: præsertim quod tu primum ad id egisses, vt transactioni staretur. [4] Non enim sicut Syndicus vniuersitatis etiam ignorantis conditionem meliorem facere potest, ita & deteriorem sine mandato speciali: [5] Procurator vero aut patronus vniuersitatis multo minus, [6] præsertim qui nec à Syndico ipso speciale in eam rem mandatum habeat. [7] *Ita Senatus* in causa N. Petri de Monconis Lugdunensis Consiliarij Regij, 4. Id. Februar. 1593.

BIU Cujas

1 *L.item eorum,6.§.actor.ff.quod cuiusque vniuers.nom.*

2 *Arg.l.non solum,89.§.vltim.l.qui duos,47.& seq.D.hoc tit.*

3 Potest enim quilibet etiam extraneus vniuersitatem defendere,dum ea ratione melior condicio vniuersitatis fiat, *l.1. §.vltim. D.quod cuiusque vniuersit. nomin.* facit *l.non eo minus*, 14. *C.hoc tit.*

4 *Argum.l.si diuersa*, 14.*Cod.de transa.l.l.pupilli*,96.§.1. *D.de solut.*

5 Sicut nec alius procurator quilibet, *l.ignorantis*, 49. *hoc tit.* Syndicus enim aut quod idem est actor vniuersitatis fungitur partibus procuratoris, *d.l.item*,6.§.*vlt.quod cuiusque vniuers. nomin.*

6 *d.l.ignorantis*,49. *hoc tit.l.minor*,18.§.1.*de minor*,*l.1.C.de aduoc. diuers.iudic.*

7 *L.si sine interrogatione*,9. §.*Celsus*, *D.de interrog.in iur.fac. l. certum*,6.§.*sed an & ipsos procuratores*,*ff.de confess.*

DEFINITIO VIII.

De causis deferendi mandati post litem contestatam.

SVscepti quidem mandati officium deserere procurator non potest, [5] Sed si noua causa emergat, id ei arbitrio iudicis nonnunquam permittendum est. [2] Iusta vero interuenire causa videtur,si cum eo qui mandauerat commercium habere desierit,forte quod mandator hostis patriæ ex postfacto declaratus fuit. [3] Idque adeo verum est,vt etsi iam ante conclusum fuerit in causa, vt lis fere terminata videatur, idem nihilominus admittendum sit,quia nec sententiæ pronunciationem audire cogendus est,qui non cogitur officio fungi procuratoris. [4] *Ita Senatus* pro Guilielmo Du Robin procuratore contra D.de Lambert.Idib.Februar.1593. & paulo ante pro Procuratore Amed Martini contra D. de Sonax.

1 *l.si mandauero* 22.§.*vlt.D.mandat.*

2 *l.sane*,23.*cum duab.seqq.eod.tit.mandat.l.filius familias*,8.§.*vlt. & seqq.D.hoc tit.*

3 Puniretur enim qui hosti publico patrocinium præstaret, si non petita licentia id faceret.

4 Cum & in persona procuratoris concipienda sit sententia, vt diximus *supr. Defin.4.num.11.* & procuratori incumbat necessitas appellandi si talis iudex sit à quo appellari possit. Dixi supra *dict.Defin.4.num.10.*

DEFINITIO IX.

De procuratore non exhibente mandatum in causa appellationis quod exhibuit in prima instantia.

POstquam constitutum est,vt appellanti ab interlocutoria sufficiat,si ei qui in prima instantia procurator fuit denunciet appellationem,ne illam deseruisse videatur, [1] Non est audiendus is qui appellauit,si in causa appellationis mandati probationem ab eo exigat,quem tanquam procuratorem ad appellatoriam litem defendendam vocari curauit. [2] Nec si de mandato constare non possit idcirco contumax habendus erit is, cuius mandatum petitur:Dummodo constet exhibitum illud fuisse in prima instantia. [3] Alioqui cum exceptio procuratoria quæ ex mandati defectu oritur peremptoria sit non dilatoria, [4] opponi quandocunque potest, & in quacunque instantia. [5] Vtpote quæ iudicium reddat retro nullum. [6] *Ita Senatus* ex tempore pro Syndicis de Bettonnet 14.Calend.Mart.1593.

1 Dixi *supr.Defin.4.De in ius vocand.*

2 Qui enim semel aduersarium agnouit vt talem,postea petere non potest,vt se probet talem.

3 Etsi enim appellationis instantia alia est, vnicum tamen mandatum sufficit ad vtramque instantiam prosequendam, quia appellatio facit,vt vna tantum lis sit, *argum.l.tutor* 41. *D.de vsur.* cum extinguat iudicatum,& omnia reuocet ad terminos, vt loquuntur,litis contestatæ, *l.furti*,6.§.1.*De his qui not.infam. l.1.§.vlt.ad SC.Turpill.*

4 *L.licet*,24.*vbi* Bart.Bald. Castr.& alij *C.hoc tit.* Interdum tamen dilatoria est,scilicet si non ad causam mandati respiciat, sed ad personam procuratoris, *l.ita demum*,13.*C.hoc tit.* quæ præterea probat Exceptionem dilatoriam non posse obiici in causa appellationis: Merito, quia nec posset opponi in prima instantia post litem contestatam. Appellatio autem non extinguit contestationem, sed tantum sententiam & rem totam reuocat ad terminos litis contestatæ.

5 *L.cum nondum*,4 *d.præscriptionem*,8.*C.de except.* In quo differunt exceptiones peremptoriæ à dilatoriis, *l.exceptionem*,19. *C.de probat.*

6 *Castr.in d.l.licet.*

DEFINITIO X.

De ratihabitione facta per maiorem vel per minorem, adhibito iureiurando.

QVi tanquam procurator actionem suscepit aut instituit sine mandato,licet ex iure nostro prouinciali admitti non debuerit,ne quidem cum promissione de rato [1] (in quo iuri communi derogatum est [2] si tamen postea mandatum proferat cum ratihabitione retrogestorum,absoluendus est,nec vlla eo nomine aduersus ipsum aut dominum refusio expensarum probe petetur,cum nihil interfit aduersarij confirmatis per ratihabitionem retrogestis omnibus. [3] Vulgatum enim est hac etiam parte, vt & in cæteris fere omnibus, ratihabitionem comparari mandato. [4] Non aliud erit tametsi minor proponatur qui procuratorem constituit, ab eoque gesta rata habuit,licet sine curatoris auctoritate, si modo cum iureiurando ea constitutio & ratihabitio facta sit. [5] Tantum enim hic prodest minoris dummodo puberis iusiurandum,quantum auctoritas curatoris prodesset,cum repræsentet eum maiorem,nec minus in iudiciis quam in contractibus, [6] quando & in iudiciis quasi contrahitur. [7] Sed hoc ita, Si curatorem nullum eo tempore minor habuit quo iurauit.Alioqui cum ex receptissima nostrorum sententia minor curatorem habens pupillo comparetur, [8] non maior iurisiurandi ratio habebitur, quam si ab impubere præstitum proponeretur. [9] *Ita Senatus* ex tempore pro N. de Maistres, contra N.de Maistres, 9.Calend.April.1593.

1 Præterquam si fuit coniuncta persona, ex *l.sed & hæ*, 35. *D.hoc tit.*

2 Admittitur enim quisquis dicit se procuratorem si caueat de rato, cum non potest in promptu docere de mandato, *l.in causæ cognitione*,27.*vers.sed hæc ita*,*l.Pomponius*,40. §.1. *& seqq.vsque ad fin.l.qui proprio*,46.§.*qui alium*,*& pass. D.hoc tit. l.1.C.eod. l.non solum*,20. *D.rat.rem haber.*

3 *d.l. Pomponius*,40.§.*sed & is*,*D hoc tit.*

4 *L.vero procuratori*,12. §.*vlt.D.solut.l.si pupilli*,6. §.*item quæritur*,*& seq de negot.gest.l.licet* 56.*D.de iud.l.1.§.sed etsi quod*, *D.de vi & vi armat.l.semper qui non prohibet*,60. *de reg.iur. l.7. in fin.C. quod cum eo. l.vlt.* C.*ad SC.Maced.* [Sed hoc tamen intellige si ratihabitio fiat ante sententiam.Nam post sententiam non potest, *l.licet* 22.*C.hoc tit.* Nisi à sententia sit appellatum, quia appellatio reducit rem ad terminos litis contestatæ, *l.1.§.vlt. D. de appell.l.per hanc* 5.C *de tempor. & repar.appell. Ita Senatus* pro Catherina Driuet 9.Calend.Decembr.1612.]

5 *Ex auth.sacramenta puberum*, C.*si aduers.vendit.* Guid.Pap. *quæst.*35.

6 *DD.ad dict.auth.sacramenta.*

7 *l.3.§.idem scribit*,*D.de pecul.l.neque tutores*,11.*C.hoc tit.*

8 *l.si curatorem habens*,3. C.*de in integr.restit. minor.* Vide tamen *l.puberes*,101.*De verb.obligat.*& quæ scripsi in Chiliade Decad.6.Err.9.

9 Constat enim pupillum iurare non posse, *l.iusiurandum*, *& ad pecunias*,34.§.*pupillo*,*D.de iureiur.*& ideo Friderici constitutio loquitur de puberum sacramentis.Contrarium tamen tenet Imb.de Bouens *ad Auth.sacramenta*,*nu.*13.

DEFINITIO XI.

De modo ferendæ sententiæ cum falsus procurator mandatum nullum exhibet.

BIU Cujas

PRocuratore quasi ad litem peragendam constitutus sit iudicium suspiciente, nec tamen mandatum exhibente, Iudicis partes sunt, iubere vt mandatum exhibeatur, & nisi id fiat, procurator tanquam falsus in id omne quod aduersarij interierit condemnetur: [1] Non etiam vt actor cuius nomine iudicium susceptum erat à petitione, aut, si reus sit, ab exceptionibus suis opponendis repellatur. Ita namque fieret, vt iudicium in absentem inauditum & inscium redderetur: quæ res iustam appellandi causam præberet. [2] Si tamen ab ea sententia appellatum esset intra id tempus, quod exhibendo mandato præscriptum à iudice fuit, audiri appellans non deberet, [3] Vtpote qui æque facile potuerit citra appellationem aduersus iniuriam iudicis sibi prospicere, aut ratum habendo quod à falso procuratore gestum esset, [4] aut alium procuratorem constituendo. Plane quasi absens condemnari potest is, cuius mandatum nullum exhibetur, [5] illudque solum inspiciendum est. An iterum citandus sit, priusquam haberi debeat pro contumace. [6] *Ita Senatus* ex tempore 3. Id. Iulij 1593.

1 Postquam scriptis moribus nostris inductum est contra iuris rationem, vt non sufficiat ei, qui se dicit procuratorem cauere de rato, vt dixi Defin. præced. *num.* 1. *&* 2.

2 *l. absentem*, 5. *D. de pœn. l.* 1. *ita quæ*, 7. *C. quomod. & quand. iud. l.* 4. *C. hoc tit.*

3 Non enim audiuntur appellantes, nisi quorum interest, *l.* 1 *D. de app. recip.* nihil autem interest eius qui ipse prospicere sibi potest, ne iniuriam passus videatur, adeo vt nec appellare debeat, si paratum habeat auxilium restitutionis, *l. præses*, 42. *D. de minor. iunct. l. si pater*, 8. *C. quand. prouoc. non est necess.* quia appellationis auxilium odiosius est, cum iniquitatis sententiæ querelam, in integrum vero restitutio erroris proprij veniæ petitionem vel aduersarij circumuentionis allegationem contineat, *l. præfect.* 17. *D. eod.* facit *l. ex consensu*, 23. *§ vlt. de appell.*

4 Cum ratihabitio mandato comparetur, *l. vlt. C. ad Maced.* Dixi Defin. prox. *num.* 4.

5 Si modo ratum habere possit. Nam si sit furiosus in quo animus deest, vt ratum habere possit, non est hac parte habendus absentis loco, *l.* 2. *§.* 1. *de negot. gest. vt nec pupillus*, *l. cum filius familias*, 49. *§.* 1. *de verb. oblig. l.* 10. *quibus ex caus. in poss.*

6 Scripsi Defin. 6. supr. facit *l. vbi* 124. *§.* 1. *de reg. iur.*

DEFINITIO XII.

De procuratore generaliter constituto ad res redimendas.

AD redimendas res venditas procurator constitutus, ad eas quoque redimendas datus videtur, quæ pure venditæ fuerunt, aut sub pacto de retrouendendo intra certum tempus, quod iam præterierit, Si talis tantaque lesio interuenerit vt redimendi ius, quod fuit temporale, pro perpetuo haberi debeat, [1] aut contractus pro nullo & nunquam facto: [2] quod euenit si venditor vel emptor vltra bessem precij deceptus sit, vel dolus intercesserit, siue ex proposito siue re ipsa: [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 1. infr. Etiam per procur. caus. in integr. restit. agi poss.

1 Placet enim interpretibus enormissimam læsionem, id est, quæ excedat bessem precij facere, vt ius redimendi perpetuum sit, siue res vendita sit sine onere retrouenditionis, siue pactum de retrouendendo fuit temporale, Ias. & cæteri, *ad l. si quis cum aliter*, 36. *D. de verb. oblig.*

2 Nam si contractus teneat & opus sit restitutione, speciale mandatum requiritur. *l. illud*, 11. *§* 1. *D. de minor.*

3 Vide quæ scripsi in Chiliade, De Error. pragmat.

DEFINITIO XIII.

De tacito vel expresso pacto de non petendo facto per procuratorem ad exigendum datum.

PRocuratoris ad exigendum constituti nuda confessio de soluta pecunia non nocet domino, [1] nisi aliunde constet de solutione. [2] Nec si talis procurator liberam quoque administrationem habens reddiderit chirographum in signum, vt aiunt, solutionis, [3] quicquam ea res proderit debitori, quoniam redditio chirographi nihil aliud inducit, nisi tacitum pactum de non petendo, [4] quod sapit donationem, [5] cum sit ex liberalitate si aliam causam nullam habeat, quam quia sic fieri velit is, qui reddit instrumentum. [6] Certum autem est procuratorem constitutum ad exigendum donare nullo modo posse. [7] Et quamuis hoc ipso mandatum habere intelligatur ad liberandum, [8] non aliter tamen liberare posse, quam si solutio fiat. Quare nec ad rem pertinebit si instrumentum cancellatum proferatur. [9] Neque enim cancellatio instrumenti etiam redditi plus operari potest, quam confessio soluti. [10] Nec rursum mouere debet si quis obiiciat, Posse dominum indemnitatem consequi à procuratore qui mandati fines excesserit. [11] Quid enim si procurator inops sit? [12] Tum vero cur cogamus dominum inuitum discedere à vetere debitore, vt nouum accipiat quem habere nolit? [13] Imo vero imputandum potius est ei qui procuratori soluit, cur sic soluerit, vt aliam solutionis probationem, quam ex procuratoris nuda confessione habere non possit. [14] Excipienda est confessio quam fisci procurator fecerit de soluto precio rei per eundem procuratorem distractæ. Hanc enim placet nocere fisco, [15] quod qui cum eo contrahit fidem publicam secutus esse, ob idque minus decipi debere videatur. [16] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 29. infr. De solut.

1 *l. certum*, 6. *§. sed an ipsos procuratores*, *D. de confess.* Hic enim cum sit constitutus ad exigendum si fateatur se accepisse quod reuera non acceperit, aliud facit, quam quod mandatum est, sicut de eo scriptum est, qui iusiurandum detulit cum ei mandatum esset, vt peteret, *l. si itaque* 19. *D. de iureiur.*

2 Solutio enim cum sit facti probari debet, *leg.* 1. *Codic. de probat.*

3 Præsertim si chirographum sit cancellatum, *l. si chirographum*, 24. *de prob.*

4 *l.* 2. *§.* 1. *D. de pact. l. creditricem*, 7. *C. de remiss. pignor.*

5 Species enim lucri est liberari quem obligatione, *l. species* 11. *D. de acceptilation. l. si quis*, 115. *de regul. iur. l.* 20. *quod met. caus.*

6 *l. donari*, 29 *D. de donat. l. cuius per errorem*, 53. *l. donari*, 82. *de reg. iur.* Text. est elegantissimus *in* §. 1. *d. l.* 29. *alias*, *l. quidam*, *de donat.* vbi Papin. ait eum qui profitetur debitorem sibi non teneri, videri eum liberare ex causa donationis.

7 Nec si habeat liberam administrationem, *l. contra* 28. *§. si filius*, *de pact. l. vlt. D. de nouat.* quia donare est perdere, *l. filius familias* 7. *in princip. D. de donat.*

8 Quia vero procuratori facta solutio liberat debitorem, *l. vero procuratori*, 12. *D. de solut.* Nam & debitori mandatum intelligitur, vt soluat, *l. qui hominem* 34. *l. si quis seruo*, 18. *eod.* Facit *l. pactum curatoris*, 22. *C. de pact.*

9 *d. l. si chirographum*, 24. *de probat.*

10 *l. pecuniæ solutæ professio*, 14. *Cod. de solution.* Non enim potest maior esse vis taciti quam expressi. Redditio autem chirographi non alias inducit pactum tacitum de non petendo, quam si ab ipso creditore facta redditio probetur, Gloss. *ad dict. l.* 2. *§.* 1. *de pact. l. quod debitori*, 13. *Cod. de solut.* Cancellatio autem inducit duntaxat præsumptionem, quæ per contrariam probationem elidi potest, *dict. l. si chirographum*, 24. *D. de probat.*

11 *l. diligenter*, 8. *in princip. l. potest*, 41. *D. mandat.* Ratio est, *in l. rogatus*, 33. *in fin. eod.*

12 Inanis futura est actio quam debitoris excludit inopia, *l. nam is*, 9. *D. de dolo.*

13 Nemo enim debitorem aut creditorem suum mutare inuitus cogitur, *l.* 1. *l. nec creditoris*, 6. *Cod. de nouat. l. patri*, 27. *§. penultim. D. de minor.* Adde regulam *legis nemo ideo*, 171. *de reg. iur.*

14 Imputanda enim cuique est facilitas & credulitas sua, *l.* 3. *§. vltim. D. vt in possess. legat. l.* 1. *§. item sciendum*, *D. de separat. l.* 1. *§ sed si sic accepit*, *D. de in rem verf. l. procurator*, 61. *D. de obligat. & action.*

15 *l.* 2. *§. adhæc*, *C. de quadr. præscript.*

16 *l. vlt. C. eod.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

De taxandis expensis cum procuratore defuncti.

DEfuncto eo, qui ad litis expensas condemnatus fuerat, taxatio fieri potest cum procuratore ad litem constituto, nec in eam rem nouum heredibus diem dici necesse est, [2] quia nec procuratori susceptum officium deserere licet in ea re, quæ ad iudicati pertinet executionem. [3] *Ita Senatus* ex tempore pro Ioachimo de la Cuaz contra N. Carolum Vernat, 16. Cal. Decembr. 1593. & rursum mense Febr. 1600.

1 Expensarum enim condemnatio ad litis principalis causam pertinet, *l. eum quem temere, 79. D. de iudic. l. 3. & 4. C. de fructib. & lit. expens.* taxatio autem non noua condemnatio est, sed demonstratio eius quantitatis, quæ in condemnationem deducta intelligitur, *l. Mœuio, 41. §. 1. de leg. 2. l. 4. in fin. C. de act. empt. l. si quando, 6. ff. vt legat. seu fideicom. nom. caueat. l. cum propria, in fin. C. si quis alter. vel sib.*

2 Cum sit eadem instantia, nec mandatum finiatur morte, re non amplius integra, vt dixi Defin. 4. supr. Denique mandatum semel susceptum consummari oportet, vt loquitur Paulus *in l. si mandauero, 12. §. vlt. mandat.* consummatum autem videri non potest, quamdiu aliquid restat agendum, in quo procuratoris facto aliquo opus sit. *arg. l. pen. C. de his quæ vt indign.*

3 Propria enim cuiusque rei forma contingit ex consummatione, *l. si is qui, 80. §. 1. D. ad leg. Falcid.* [Idem est si condemnatus petat in executione iudicati dilationem ad soluendum. Nam & procurator in causa principali constitutus, debet victorem defendere. *Ita Senatus* pro R. Patribus Carthusianis, contra N. Claud. de Monfalcon prid. Cal. Sextil. 1613.]

DEFINITIO XV.

De interlocutione iudicis & condemnatione expensarum, ob non exhibitum mandatum.

OBiciente reo exceptionem procuratoriam, & contendente actore se legitimum esse procuratorem, prius iuspicere iudex debet an sit procurator, deque eo summatim cognoscere, quam vt reum adigat ad litem tractandam. [1] Tametsi ea exceptio opposita sit, quomodo opponi potest iam tractato discussoque principali negotio, & in ipso calculo, vt aiunt, ferendæ sententiæ. [2] Adeo vt si iudex aut Senator ad instruendam causam datus iusserit ad se afferri acta litis in omnem iudicij euentum, quod pragmatici dicunt *à toutes fins* & tanquam mox de controuersiis omnibus pronunciaturus, appellari ab eo possit non male, [3] licet in interlocutione verba illa adiecerit, quæ vulgo adiici solent *& par ordre.* [4] Fit enim iniuria illi, qui cum falso procuratore, præsertim qui non cauerit de iudicato soluendo (vt nec apud nos caueri mos est, [5]) inanes impensas facere cogatur. [6] Sed hoc ita si ex litis euentu, & in appellationis causa constet iuste oppositam fuisse exceptionem, puta si is qui se procuratorem dicebat tum primum proferat mandatum. [7] Nam si per calumniam, vt plerumque fit, opposita fuerit, [8] non debet ea res calumniatori prodesse, vt ad consequendas litis appellatoriæ expensas iuste prouocasse videatur. [9] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro Abbate de Filly, contra Dn. Bartholomæum Ferrier procuratorem Tiberij Mutij Patricij Romani nunc Episcopum Augustanum 15. Calen. Decembr. 1593.

1 *l. licet, 24. C. hoc tit.* Prius enim quærendum est de personis, *l. si quæramus, 4. D. qui testam. facer. poss. l. quidam referunt, 14. D. de iur. codicill. §. 1. de iur. person. Instit.*

2 Quia nec dici controuersiæ solent, nec potest esse iudicium si falsus procurator inueniatur, *d. l. licet, l. 1. C. quib. res iudic. non nocet.*

3 Nec enim videtur hoc casu appellari à futuro grauamine, sed à præsenti vt subiecta ratio demonstrat.

4 Cuius clausulæ vis ea est, vt de exceptionibus dilatoriis ius primum reddere iudex possit, tum de peremptoriis.

5 Dixi Defin. 10. *num. 2. 3.*

6 Nunquam enim litigatores inanibus sumptibus vexandi sunt, *l. minoribus, 6. D. de minor.*

7 Nec enim mandatum vnquam præsumitur nisi probetur, *d. l. 1. C. quib. res iudic. non nocet.*

8 Puta ab eo cui iam in prima instantia exhibitum fuerat mandatum. Sufficit enim semel exhibitum fuisse factamque describendi eius facultatem, *arg. l. cum plures, 15. §. vlt. de reb. auctor. iud. possid.*

9 Nam iusta nunquam videri debet appellatio, quæ per calumniam & frustrationem interiecta est, *l. tutor, 41. in princ. D. de usur. l. hominem, 37. D. mandat.* Nec ius ciuile calumniari oportet, inquit *l. pen. D. ad exhib.*

DEFINITIO XVI.

De Procuratore ad iudicium duntaxat declinandum constituto, & tamen in principalis negotij causa condemnato.

SEnatusconsultum, per quod diffinitiua condemnatio ei irrogata sit, qui non nisi declinandi detrectandique iudicij causa procuratorem constituerat, non idcirco nullum & perperam redditum videri potest, quasi auuersus indefensum redditum sit, aut contra falsum procuratorem. [1] Nam cum plerisque Senatusconsultis generalibus cautum sit, vt apud Senatum de toto negotio causaque integra disceptari oporteat, [2] imputare sibi debet qui procuratorem constituit, cur non eo modo constituerit quo conueniebat, aut potius cur constituerit procuratorem quem sciebat aut scire debebat, non posse apud Senatum sic tractandam litem suscipere, vt totam tem in iudicium deduci prohiberet, quamuis ad declinandum tantummodo esset constitutus. [3] Neque enim potest quis procuratorem constituere apud iudicem, quisquis ille iudex sit, quin hoc ipso necessitatem sibi suoque procuratori imponat parendi legibus in eo tribunali receptis. [4] Itaque si is qui procuratorem sic constituerat, condemnatus sit, non aliis remediis aduersus Senatusconsultum prospicere sibi poterit, quam quibus posset, si procuratori de tota lite peragenda mandatum dedisset. [5] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Breissieu & de Chastillon 14. Cal. Mart. 1594. Erant tamen qui putarent melius fore, si huius dubitationis tollendæ gratia generali Senatusconsulto prohiberentur procuratores mandatum suscipere, nisi quod potestatem sibi faceret totius litis exequendæ. Sic enim fieret, vt vel plenissimum mandatum semper haberent, vel si minus plenum esset, domini pro absentibus & contumacibus condemnarentur. [6] Quod & mihi Romano iuri conuenientius videbatur. [7]

1 Quo vtroque casu non posset habere vim rei iudicatæ, *l. 1. 3. 5. 7. & pass. C. quomod. & quand. iud. l. si procurator, 10. C. hoc tit. l. in causæ, 27. D. eod.*

2 Vt quam cito fieri potest lis finiatur, Iuxta *l. quidam existimauerunt, 21. D. de reb. cred. l. 1. § inde quæritur, de oper. noui nunciat. l. si cuius, 13. §. sed si inter, D. de usufr.*

3 Forma enim à lege præscripta omnino seruanda est. Et qui à forma recedit dicitur recedere à substantia, Bald. *ad l. si quis mihi, 25. §. sed si mandauit, De acquir. hered.*

4 *l. 1. & 2. D. de iudic. l. nemo potest, 55. de legat. 1.*

5 Intelligitur enim quisque suam voluntatem conformare legibus & iuri communi, *arg. l. vltim. C. de verb. signific.* Itaque ciuilis supplicatio contra Senatusconsultum hoc casu erit necessaria. Nec enim hic obtinet quod dici solet non videri dominum secutum fidem procuratoris nisi quatenus mandauit, *l. negatus, 33. D. mand.* Cum hic procurator ex necessitate constituatur, & proinde iuxta eam formam quam lex necessario requirit.

6 Contumax enim aut saltem absens esse intelligitur, qui nec per se comparet, nec per legitimum procuratorem rite, & vt oportuit constitutum: Paria enim sunt quid factum non esse aut perperam factum esse, *l. quoties, 6. ff. qui satisd. cog. l. 2. ff. de auct. tut. l. 1. §. quod si nemo, ff. quod cuiusque vniuers. nom. l. non defendere, 52. De reg. iur.*

7 *d. l. si procurator, 10. C. hoc tit.*

BIU Cujas

DEFINITIO XVII.

De procuratore appellationem prosequente citra nouum mandatum.

IN prima instantia constitutus procurator mandatum habere intelligitur ad prosequendam appellationem,[1] Siue ipse appellauerit, vt plerumque fit licetque, ob hoc solum ne teneatur ad interesse, vt loquimur[2] (multo magis enim teneretur quanti constituentis interesset, si interiectam appellationem desereret.[3] Siue appellatio ab ipso constituente interposita sit. Quia cum appellatio extinguat iudicatum, & retroagat litem ad tempus contestationis,[4] idem procurator ex domini voluntate retentus videtur, qui fuerat ab initio constitutus, & ante sententiam, si reuocatio nulla superuenerit,[5] Imputarique domino potest, maxime si litem appellatoriam non ignorauit, cur non reuocauerit.[6] Aut cur in exploranda coercendáque constituti procuratoris negligentia, aut etiam fortassis perfidia non fuerit diligentior.[7] *Ita Senatus* in causa N. Laboret contra Bartholomæum Maguocium 10. Cal. Maij, 1594.

1 Procurator enim datus ad agendum, videtur datus ad peragendum, *l. qui procuratorem 57. D. hoc tit.* Imo & ad iudicium restitutorium accipiendum, *l. qui proprio, 47. §. item quæritur. eod.*

2 *l. liberto, 31. §. item, de nego. gest. l. si procuratorem, 8. §. si ignorantes, vers. igitur, D. mandat. l. inuitus, 17. C. hoc tit.*

3 Appellationem enim deserere prope delictum est, ideoque apud nos pœna desertioni certa statuta est, quæ alij contumaciæ nulli infligitur, scilicet decem librarum. Idem seruatur in tutore & curatore appellante, itemque in appellantis herede, vt appellationem prosequi teneantur, Nimirum, quod ad tutorem & curatorem attinet, quousque reddiderint rationes, *l. tutor, 27. D. de appellat. l. 1. D. si appellat. pend. mors interu.* Intellige autem, Nisi procurator ad vnam tantum causam constitutus fuit, Gothofred. *ad dict. l. inuitus ex VVurmseri. pract. 5. obser. 9.* Item nisi paupertate excusetur, *d. §. si ignorantes,* [Si tamen de appellatione deserta agatur, nouo mandato opus est, quia noua instantia est. *Ita Senatus* 6. Sept. 1613.

4 *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill. leg. 2. §. vlt. D. de pœn.*

5 Procurator enim ad litem status nunquam reuocatus intelligitur, vt nec cæteri, nisi indicium aliquod adsit mutatæ voluntatis, quia reuocatio facti est, *l. 3 l. eum qui, 22. de probat.* Imo hic multo minus, quia neque potest reuocari pendente lite, quin alius procurator constituatur, quod id fieri nequeat citra fraudem aduersarij & iudicij, *l. 16. l. post litem, 17. l. qui proprio, 46. hoc tit.* facit *l. si procuratorem, 65. eod.*

6 Alio scilicet procuratore constituto, vt proxime dictum est.

7 Negligentia enim sua cuique est imputanda, *l. pupillus, 24. D. quæ in fraud. credit.* Denique huic imputari potest cur talem procuratorem elegerit, *t. cum mandatu, 23. in fin. iunct. l. 3. §. vlt. D. de minor. l. 1. §. is quoque, de oblig. & act.*

DEFINITIO XVIII.

De procuratore, qui litem pro defuncto susceptam non vult prosequi pro herede.

IS qui procurator defuncti fuit, idem & filij & alterius heredis cuiuscunque procurator esse cogi potest in ea ipsa lite tractanda,[1] quia nec procurationem à defuncto acceptam sine causa deserere potuisset.[2] Eadem quippe non solum patris & filij,[3] sed etiam defuncti & alterius heredis cuiuslibet persona,[4] & consequenter eadem lis esse intelligitur.[5] *Ita tractatum est* & relatum in ea causa de qua Definit. 29. infr. de iudic.

1 Eadem enim lis manet adeoque eadem instantia, sicut & heres idem esse intelligitur cum defuncto, *l. heres absens, 19. l. si is qui Romæ 34. D. de iudic.*

2 *l. filiusfamilias, 8. §. vltim. iunct. l. post litem, 17. §. 1. D. hoc tit.*

3 *l. vltim. C. de impub. & aliis substit. l. cum scimus, 22. C. de agric. & censit.*

4 *l. heres, 21. §. quod si stipulator, l. debitori, 50. ff. de fideiuss. l. vt debitum, 5. l. 6. & vlt. C. de hered. act. l. Seichum, 65. §. adito, D. de solut.*

5 *dict. l. heres absens. & l. si is qui Romæ, 34. de iudic.*

DEFINITIO XIX.

De tacita ratihabitione gestorum per falsum procuratorem.

APpellans ab ea sententia quæ contra falsum procuratorem fuerat reddita, si necessario prouocauit, propterea quod ex iudicato conueniretur,[1] nec posset de nullitate sententiæ iure nostro conqueri citra appellationem,[2] non ideo censetur ratum habuisse factum procuratoris,[3] ob idque potest nullam dicere sententiam.[4] Aliud est si appellauerit vltro, ac priusquam sententia mandaretur executioni,[5] Aut si literas impetrauerit à Principe ad procuratoris factum improbandum; quas *de desaueu* vocant,[6] Aut denique si qua alia litis parte eum dixerit suum procuratorem.[7] *Ita Senatus* ex tempore pro fratribus Nanchet, contra D. de Montou 12. Calend. Febr. 1595.

1 Iudicati enim actio contra dominum datur, non contra procuratorem. Dixi supra *Defin. 4. nu. 10. ex l. Plautius 61. D. eod. l. 4. D. de re iudic.*

2 Nam cum sæpius dubitaretur an ipso iure nulla esset sententia an rescindenda, commodius visum est, & tutius ita ius constitui, vt ab omni sententia cui quis stare nolit appellare cogatur. Simile quiddam est, *in l. si gratuita 17. D. de præscript. verbor.*

3 Quod alioqui censeretur appellando ratum habuisse, quia non potest à sententia appellari, nisi quæ ipso iure teneat, *l. si expressim. 19. D. de appellat. l. 1. §. 2. quæ sentent. sin. app. resc.* hæc autem non potest tenere nisi præcedente ratihabitione, *l. 1. Cod. quib. res iud. non noc. l. 3. §. 1. D. rat. rem haber.* Nec quicquam impedit quo minus teneat interueniente ratihabitione. In quo differt hic casus ab illis, de quibus *in dict. l. si expressim, & in d. §. 2.* Ratihabitio autem potest fieri tacite ipso facto, *l. 5. rat. rem hab.* Sic dicimus eum qui mandati agit aduersus illos, qui solutionem acceperunt, hoc ipso videri ratam habere solutionem, *l. si seruus 66. D. de fideiuss.*

4 Scilicet per viam appellationis, ac si nunquam appellatum fuisset. Solet enim succurri ei qui aliquid fecit ex necessitate iudicis, *l. eum ex causa 11. D. de appellat. Nouell. 119. De sponsal. larg. §. aliud, l. ait prætor, 7. §. quid tamen de minor.*

5 *d. l. 3. §. 1. D. rat. rem haber.* vbi est textus elegans & apertus non minus quam si petisset dilationem ad soluendum, nisi quod hoc casu videtur acquiescere sententiæ, *l. ad solutionem, 5. C. de re iudic.*

6 Priuatio enim præsupponit habitum, *vulg. l. decem, 116. de verb. oblig. l. non videtur, 83. l. non potest, 208. de regul. iur.*

7 Sola enim nominatio ius interdum facit. In iis scilicet, quæ ex sola nominantis voluntate pendent. Imo sufficit adesse dominum ei qui se dicit procuratorem, Guid. Pap. *qu. 40.*

DEFINITIO XX.

De Procuratore in rem suam.

IN rem suam constitutus procurator expensas, quas pro re consequenda fecerit, repetere nullo modo potest.[1] *Ita tractatum est* in ea causa de qua SC. 44. infr. De iur. dot.

1 In eoque differt à procuratore non in rem suam dato, *l. sumptus 53. D. de pact. l. actoris procurator 30. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXI.

De donatione procuratori facta.

VNiuersorum bonorum donationem procurator aut aduocatus à cliente accipere non prohibetur,[1] tametsi non solum pactum de quota litis facere,[2] sed etiam quod magis est, ex statuto nostro, litigiosæ rei donationem accipere prohibeatur.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit. 9. infr. De litig.

1 Multa

1 Multa enim cum vniuersitate bonorum transeunt, quæ alioqui non transirent, *l. quædam, 62. de acq. rer. dom. l. 1. §. 1. de fund. dotal. l. pater, 38. §. fundum, & seqq. de leg. 3.*

2 *l. sumptus, 53. D. de pact. l. item, 15. C. hoc tit. l. si qui aduocatorum, 5. C. de postul. l. salarium, 7. in fin. D. mandat.*

3 Sola enim ante nuptias donatio excepta est, *l. vltim. Cod. de litig.*

DEFINITIO XXII.

De pacto retinendi iudicati pro expensis à procuratore prorogatis.

AD lites datus procurator cum pro domino sumptus maximos prorogasset, quorum repetendorum alia ratio non esset, quam si ex ea ipsa pecunia quæ petebatur, indemnis seruaretur, pactum de ea re cum domino fecerat. Placuit non esse pactum improbandum quasi de quota litis factum: Nec proinde si procurator ad eam vsque quantitatem, quæ sibi debebatur, litem persequi velit, exceptionem ab aduersario vllam eo nomine pati debet, [2] Dummodo iustæ conuentionis color dolo malo quæsitus non sit in fraudem legis. [3] *Ita Senatus* in publico Auditorio in causa Pantaleonis Raymonde & Alexandri de la Tour 10. Cal. Maij 1595.

1 Habet enim procurator ius retentionis etiam actorum litis pro sumptibus à se factis, *l. quæ omnia, 25. in fin. de procur.* sed pro non salario, *l. qui proprio, §. litis impendia. de procurat.* Boer. *quæst. 15. num. 3.* Quid in graphario iudice, & aduocato? Vide Defin. 2. J. *de sportul.* Iunge *Defin. prox. præced. num. 2.* facit *l. actoris, 30. D. hoc tit.*

2 Qui videtur esse census, *legis sumptus, 53. D. de pact.*

3 *l. salarium, 7. l. qui mutuam, 56. §. vlt. D. mandat. l. salarium, 17. C. eod.* quæ ostendit quantitatem salarij hoc casu certam esse debere. Aliud est pactum redemptæ litis, de quo *in l. si contra, 20. eod.*

DEFINITIO XXIII.

De procuratore cum eo contrahente cuius est procurator.

PRocuratori non ad lites, sed ad gerenda negotia [1] aut in rem suam [2] constituto prohibitum non est, vt ab eo qui procuratorem constituit, emat, aut quo alio titulo rem comparet, [3] dum ne litigiosam aliterve alienari prohibitam: [4] Nec aliud in aduocato iuris est, Imo nec in procuratore ad lites dato, [5] si modo ea de re pactus sit, de qua lis nulla pendeat, [6] Ne alioqui magno incommodo huius condicionis homines ex publici officij susceptione afficiantur. [7] *Ita Senatus* pro liberis Oldradi Bocard contra Michaelem de Bonnefoy, 5. Non. Iul. 1595.

1 Aliud enim est ad lites, aliud ad negotia procuratorem dari, *l. hoc iure, 86. D. de solut. l. quamuis, 40. §. fin.* vbi Bart. *D. ad SC. Trebell.*

2 Alij enim procuratores sunt in rem suam, alij in alienam, *l. qui stipendia, 9. l. item si demum, 13. C. hoc tit. l. seruum quoque, 33. in princ. & §. vlt. & l. seq. D. eod.*

3 Emere enim aliterve contrahere possunt omnes, quorum interest si non sint prohibiti, vt *in l. non licet, 46. D. de contr. empt. l. in quorum, 24. D. de pignor. l. moris, 9. §. sunt autem, & §. seq. D. de pœn.* Sufficitque honestam & verecundam causam præcedere, *l. qui stipendia, 9. C. hoc tit.*

4 *l. 1. §. 2. D. quæ res pignor. l. vlt. & tot. tit. C. de litigios.*

5 Solet enim eadem esse ratio aduocati & procuratoris ad lites dati, *l. si qui aduocatorum, 5. C. de postul.* Dixi supra Defin. 21.

6 Vide quæ scripsi, dict. Defin. 21.

7 *Arg. l. quod si minor, 24. §. si non semper, D. de minor. l. videlicet, 27. D. ex quib. caus. maior.*

DEFINITIO XXIV.

Si procurator qui alium substituerat decesserit viuo primo constituente.

TItius procurator generalis ad lites omnes à Sempronio constitutus Mæuium in lite certa procuratorem substituerat. [1] Licet mandatum morte finiatur, [2] si tamen Titius solus decesserit, non ex eo finitum mandatum videbitur: sed ita demum si Sempronius primus constituens decesserit. [3] Quod ius etiam ad procuratorum nostrorum substitutos tractum esse quidam retulerunt. Sed de iis substitutis hoc accipiendum est, qui à Senatu aut in alio tribunali in quo causa agitur pro substitutis admissi sunt, litisque prosequendæ ius & facultatem habent; licet non in hanc aut illam litem specialiter, sed ad omnes generaliter; vt fit, substituti proponantur: at non etiam de iis qui substitutorum vices gerunt: Quorum quam dissimilis ratio sit, vel ex eo perspici potest, quod illi dominis absentibus aduocato causam peroranti adesse per se & possunt & debent: Hi vero alterius procuratoris iurati præsentiam implorare coguntur, Nimirum quia nullo hi iureiurando, quomodo illi, obstricti sunt. [4] *Ita tractatum est* in relationibus libellorum pro Marco de la Mossiere, contra D. de Montiernoz, & rursus pro D. de Bellegarde, contra D. de Cardé 4. Non. Iul. 1595.

1 Substituere enim potest post litem contestatam, Procurator autem ad negotia etiam ante litem contestatam, *l. si quis mandatu 28 ff. de negot. gest. l. si procuratorem 8. §. si quis mandauerit, D. mandat. l. quod quis, 8. C. hoc tit.* [Maxime si constitutus sit ad mouendam litem in eo loco, in quo, vt apud nos, non nisi per certos procuratores in eam rem publicè constitutos litigari potest. *Ita Senatus* pro D. Decano Sanctæ Capellæ Idib. Martis 1612.]

2 *l. inter causas, 26. in princ. & l. seqq. §. morte, D. eod.*

3 Ioan. Papon. *in syntagm. arest. lib. 6 tit. 4. §. 15.*

4 Vnde illud etiam fit, vt ex substituti facto procurator teneatur, *l. ex facto 30. in fin. D. de negot. gest.* non etiam ex facto eius quem substituit substitutus, aut quem ipse non agnouerit pro vero substituto, facit *l. ad similitudinem, 21. C. de epis. & cleric.*

DEFINITIO XXV.

De citatione procuratoris generalis nolentis alium substituere procuratorem.

PRocurator ad omnes generaliter causas constitutus non potest alium substituere ad hoc solum, vt dicat non esse sibi mandatum, vt in hac aut in illa instantia litem suscipiat. Nam qui generalis procurator est, perinde ac dominus ipse citari potest ad procuratorem constituendum, [1] Et ni facere velit, non cogetur quidem procurator specialis fines mandati excedere, quia nec posset, tametsi maxime vellet, [2] sed perinde ac si nullo modo substitutus fuisset, habendus erit dominus pro contumace, [3] Vt aduersus eum ob contumaciam peracto edictorum ordine procedi ad sententiam possit. [4] *Ita Senatus* pro Reuerendis fratribus Franciscanis Camberiens. contra D. Ducem du Mayenne 14. Calend. August. 1595.

1 Quisquis enim procurator est, cogitur absentem defendere, *l. seruum, 33. §. ait prætor, & sequent. D. hoc tit.* Defendere autem est id omne facere, quod dominus facere cogeretur, *l. sed & hæ, 35. §. defendere, eod.* ac proinde iudicium accipere, *§. prætor, ibid.* adeoque earum etiam actionum nomine, quæ in heredem non dantur, *l. omnium, 37. eod.* vt appareat domini personam per procuratorem magis, quam per heredem repræsentari. Denique cum omnis qui defenditur boni viri arbitratu defendendus sit, non potest videri boni viri arbitratu defendere is, qui actorem frustrando efficit, ne ad exitum controuersia deducatur, *l. penult. & vlt. eod.*

2 *l. diligenter, 8. D. mandat. l. si procurator, 10. C. hoc tit.* Inciuile enim est inuitum hominem iuberi facere, quod facere non possit, *l. moris 9. §. interdici, D. de pœn.*

3 Cum vsus procuratorum vel ob hoc maxime necessarius fuerit, vt qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt vel non possunt, possint per alios non solum agere, sed etiam conueniri, *l. 1. §. vsum. D. hoc tit. l. sed si, 17. §. idem Iulianus, & sequ. D. de iniur.*

BIU Cujas

4 *l. & post edictum 73. D. de iudic.* Citatio enim potest incipere à procuratore, 13. *C. hoc tit. l. cum clericis, 25. §. 1. C. de episc. & cleric. l. 3. D. de alim. leg. l. item, 21. §. hæc autem, D. ex quib. caus. maior. l. nihil 20. C. hoc tit.*

DEFINITIO XXVI.

De procuratore constituto ad lites generaliter ab eo, qui tam proprio, quam tutorio nomine varias lites habuit.

A Titio procurator ad omnes causas constitutus, non intelligitur ad eas lites datus, quas Titius tutorio non proprio nomine potuit exercere: Nisi de his quoque Titium sensisse appareat. [4] Alia enim persona esse creditur Titij tanquam Titij, alia tanquam tutoris. [2] *Ita tractatum est* in causa Marci de la Mousiere & D. de Montiernoz. 6. Non. August. 1595.

1 Nam nec tutor procuratorem constituere potest, nisi post litem contestatam, sed actorem, *l. neque tutores, 11. Cod. hoc titul.*

2 *l. aduersus, 30. §. 1. D. de inoff. testam.* Elegantior textus *in l. 1 tutorem 2. D. de his quæ vt indign. facit l. si paterfamilias, 15. §. qui duos, D. de adopt. l. item eorum, 6. in princ. D. quod cuiusque vniuers. l. filius, 22. in princ. & §. 1. de inoff. test. l. debitor, 59. §. vlt. D. ad SC. Treb.*

DEFINITIO XXVII.

Si posterioris creditoris procurator donationem ab anteriore acceperit.

IS qui posterioris creditoris procurator aut aduocatus fuit, anterioris creditoris, qui liti non adfuit, ius ex causa donationis accipere non prohibetur, [1] Alio quam donationis iure vix est, vt possit citra perfidiæ suspicionem, nisi proponas clientis condemnationem præcessisse. [2] *Ita Senatus* in causa Petri Soreley & Mariæ Guichard August. Idib. September. 1595.

1 Non enim videri potest fecisse contra legem aut ciuilem aut municipalem, cum ab eo liberalitatem acceperit, qui nullam habuit litem.

2 Secutumque contractum ex aliquo interuallo, cum ea quæ in continenti fiunt inesse videantur, *l. lecta, 40. §. dicebam, D. de reb. credit. l. iurisgentium, 7. §. quinimo, D. de pact.*

DEFINITIO XXVIII.

De Procuratore ad actum aliquem litis constituto.

QVi litem exercuit tanquam substitutus à Procuratore ad litem dato, si postea Procurator ad aliquem actum in eadem lite specialiter constituatur, & id mandatum quasi Procurator impleuerit, defuncto subinde Procuratore non potest videri constitutus ad reliquam litem peragendam, [1] tametsi mandato contineatur ratihabitio omnium retrogestorum. [2] Quia quod ratihabitio comparatur mandato, [3] ad ea tantum, quæ gesta sunt, pertinet, non etiam ad gerenda. [4] Aliud est in eo, qui ad litem generaliter Procurator constitutus aliquid vel minimum in litem fecerit. Hic enim recusare non potest, quo minus cætera ad litis instructionem pertinentia exequatur. [5] *Ita Senatus* in persona Francisci Pellin Procuratoris in causa Dominæ de Mousel 9. Calend. Decembr. 1595.

1 Quia Procurator ad vnam speciem constitutus in reliquis prohibitus intelligitur, *l. 1. §. 1. D. hoc tit. l. si Procurator 10. C. eod.* Nec enim videtur dominus fidem eius secutus, nisi in illa ipsa re, quam ei mandauit, *l. rogatus 33. in fin. D. mandat.*

2 Sic enim fieri plerumque assolet.

3 *l. vltim. Cod. ad SC. Macedon.* Dixi *Definit. 10. numer. 4. supr. eod.*

4 Ratihabitio enim præsupponit rem gestam, quia quod nondum est, nullo modo ratum haberi potest.

5 Etsi enim Procurator inuitus nemo datur, *l. filiusfamilias 8. §. inuitus, D. hoc tit. l. inuitus 17. C. eod. l. 2. §. quæritur, D. de curat. bon. dand.* susceptum tamen mandatum implere & consummare cogitur, *d. l. filiusfamilias 8. §. vlt. D. hoc tit. & si mandauero 12. §. vlt. D. mandat.*

DEFINITIO XXIX.

De procuratore constituto ad expediendum id, quod viua voce fieri debeat.

IN iis, quæ viua voce fieri debent, nec per scripturam expediri possunt, non ideo prohibetur quis constituere Procuratorem. [1] Neque enim pro facto habetur, quod Procuratori vt faciat committitur. [2] Idque est quod dici solet, tantum distare factum à concepto, quantum perfectum ab infecto. [3] *Sine die.*

1 *cap. si quis iusto, §. porro. de elect. in 6. & in pragmat. sanct. caj. 1. §. idem iuramentum, de elect.* Ioann. Andr. *in §. fin. dict. cap. si quis iusto.*

2 Boer. *quæst. 1. num. 46.*

3 Bald. *in tract. schismatis ad tit. si quis aliq. test. prohib.*

DEFINITIO XXX.

De minore 25. annis Procuratore facto siue ad lites, siue ad negotia.

MInorem viginti quinque annis Procuratorem ad lites constitutum neque Iudex, neque aduersarius admittere cogitur, [1] cum nec proprio nomine possint eius ætatis homines in iudicio stare sine auctoritate curatoris, [2] quem ob eam causam placuit etiam inuitis dari oportere: [3] Sed si cum eo Procuratore iudicium acceptum sit, non ob id rescindi aut impugnari poterit sententia, quam scilicet non eo minus verum est redditam esse cum vero Procuratore. [4] Procuratoris non ad lites, sed ad negotia dati alia ratio est. Neque enim huius persona qualis sit inspici debet, [5] ideoque nec impubes repelletur, [6] cum imputandum sit ei, qui Procuratorem constituit, cur talem elegerit. [7] *Sine die.*

1 *l. exigendi 12. vers. sane, C. hoc tit.*

2 *l. minor 51. D. eod. l. si minor 5. D. de reb. auct. Iudic. possid.* vt & de pupillo scriptum est *in l. pupillus 10. quibus ex caus. in poss. eat.* pupillum, qui præsens est, si tutorem non habeat, absentis loco habendum esse.

3 *l. 1. 2. & pass. C. de in lit. dand. tut. vel curat.* licet extra hanc causam curator non detur, nisi petenti aut ratum habenti, *l. mutus 43. §. is qui curatorem, D. hoc tit. §. inuiti, Instit. de curat.*

4 *d. l. exigendi, in fin.*

5 *l. quamuis 40. §. vlt. cum l. seq. &* ibi Bar. *D. ad SC. Trebell.* vide *l. si collectaneus 13. D. de manum. vindict.*

6 *l. 3. §. vlt. ff. de minor. l. 1. §. quod si impuberem, & §. pupillus, D. de acq. poss.*

7 *d. l. 3. §. vltim. l. cum mandatu 23. ff. de minor. l. 1. §. is quoque ff. de obligat. & action.*

DEFINITIO XXXI.

Procurator pendente lite reuocatus ab eo, qui ad aliquas expensas per interlocutoriam fuerat condemnatus, potest nihilominus adesse taxationi earum expensarum, etiamsi alius Procurator fuerit constitutus, præsertim si ignorante priore.

PRocurator ad litem constitutus ab eo, qui pendente lite iustam sumptuum condemnationem passus erat, in executione quoque iudicati, cum de iis sumptibus taxandis ageretur, in eam rem citatus fuerat, vt si quas haberet diminuendorum sumptuum

rationes,

BIU Cujas

rationes, eas allegaret, & allegauerat. Sequenti die cum in eo Iudex esset, vt sumptus taxaret, condemnatus alium Procuratorem constituerat, & priorem reuocauerat, sed citra eorum, quæ ab ipso gesta fuissent reuocationem, eamque suam voluntatem aduersario significauerat, non tamen ipsi Procuratori, qui subinde, & eo ipso reuocationis die taxationi consenserat. Condemnatus à taxatione prouocauerat, quasi se nec audito, nec vocato facta fuisset.[1] Placuit audiri eum non debere, non solum quod ea reuocatio, neque post litem contestatam nisi causa cognita fieri potuerat,[2] neque ignorante priore Procuratore,[3] quem contestatio litis dominum effecerat,[4] (Nec enim lis proponebatur finita per sententiam definitiuam, quo casu aliud dici vtique debuisset,[5]) sed etiam quia sic reuocatus fuerat prior Procurator, vt tamen manerent omnia, quæ ab eo gesta essent,[6] in quo numero erant ea, quæ ad istam sumptuum taxationem pertinebant, præter id, quod inconueniens videbatur, vt alius Procurator taxandis sumptibus adhiberetur, quam qui eo tempore, quo facti fuerant, liti adfuisset,[7] præsertim cum nulla eius reuocandi causa adferretur.[8] *Sine die.*

1 Absens enim est is, qui neque per se comparuit, neque per verum Procuratorem.

2 *l. post litem, & seqq. ff. de procurat.*

3 *l. quæ omnia 25. eod.*

4 *l. procuratoribus 13. C. eod.*

5 Finita namque lite finitur officium Procuratoris, qui non nisi ad litem fuerat datus, *l. in causæ 27. ff. eod. l. hoc iure 86. de solut.*

6 Quia nec erat in huius arbitrio & potestate, vt ea reuocaret, quæ gesta erant per verum Procuratorem.

7 Is enim magis & melius scire potest, *arg. l. 3. §. 1. ff. de test.*

8 Ex iis, de quibus *in d. l. post litem, & sequent. ff. de procur.*

DEFINITIO XXXII.

Sine nouo mandato non potest procurator constitutus in prima instantia comparere in causa desertionis.

CONstitutus procurator in ea instantia quæ per Senatusconsultum diffinitiuum decisa sit cum expensarum condemnatione si à taxatione appellatum sit, & postmodum de appellatione deserta is qui appellauit conueniatur, nouo mandato indiget vt in causa desertionis procurator esse possit, quoniam noua instantia est,[1] Nisi mandatum quod prius habuerat, generale fuerat ad omnes causas & lites.[2] Nam & si appellatio deserta non esset, non aliud de appellationis instantia dici oporteret, cùm illa quoque noua sit instantia,[3] quasi officio suo plenissimè functus sit procurator qui in eum statum litem deduxit, vt in executione iudicati expensæ taxatæ sint factáque omnia quæ in executionis instantia fieri debuerunt.[4] *Ita Senatus 8. Id. Septembr. 1613.*

1 Nec enim in instantia desertæ appellationis tractatur de appellatione iustáne an iniusta sit, sed tantum an sit deserta necne, Ideóque non quasi inter appellantem & appellatum lis agitatur, sed mutatis qualitatibus tanquam inter actorem & reum.

2 Qui enim habet mandatum generale non indiget speciali nisi in certis casibus, De quibus *in l. procurator 58. cum duabus seqq. hoc tit.*

3 Quoniam aliud est appellari à sententia diffinitiua: Aliud verò à taxatione impensarum in sententiam diffinitiuam deductarum. vide *l. pen. iudic. solui.*

4 Nam de procuratore in causa principali constituto dubitari non oportet, quin etiam in causa executionis iudicati procurare debeat, cùm sit illa appendix causæ & litis præcedentis. *Idque Senatus* nostri Arresto generali cautum est.]

TIT. IX.

VT NEM. PRIVAT. TITVL. præd. suis vel alien. impon. vel reg. vel suspend.

DEFINITIO I.

De insignibus & velis Principis per vim ab hominibus alieni territorij deiectis restituendis.

CVM duumuiri Vniuersitatis de Lent apud Dombanos vi & armis deiecissent insignia & vela Ducis nostri, quæ in protectionis signum nostras quidam pro more erigi curauerat in fundo, quem sui territorij esse illi dicebant, nostri tamen esse constabat, Non credidit Senatus ferendum id diutius, aut conniuentibus oculis dissimulandum, sed Senatusconsulto, quod in eam rem factum est, vt vindicatum facinus posteri scirent, prehendi iussit omnes, quotquot opem tulisse probabantur,[1] Insignia vero deiecta restitui.[2] Sed & subditis præcepit, ne quicquam à se per Dombanos exigi paterentur. Dombanis enim, ne à nostris quicquam exigerent, inhibere non poterat, cum nostri non essent fori,[3] nisi quatenus delictum commisissent.[4] Neque tamen passus est mandari confestim executioni prehensionem illam aduersus eos decretam, qui vim fecerant, ne pro temporum iniuria & tempestate, maiori forsitan tumultus & repræsaliarum, vt vocant, materiam ea res daret, sed secreto vt plerumque & ex causa fit, placito præcepit, vt ante omnia Princeps de eo quod fieri vellet consuleretur.[5] Plane insignia Principis interim & sine cunctatione restitui iussit, ne tam grauem iniuriam vltro passus, & sacrosanctam Principis Maiestatem dissimulatione sua labefactasse videretur.[6] *Ita Senatus 6. Calend. Septemb. 1592.*

1 Crimen enim capitale est, vela regia sine præceptione Iudicis competentis alienis rebus imponere, multo magis iuste imposita deiicere & violare, *l. 2. C. hoc tit.* in qua male quidam addunt duplicem negationem, vt constat ex iis verbis, *vel accusatione.*

2 Nam & priuatus hoc facere posset, sicut & è contrario ea, quæ illicite imposita essent, posset priuatus licite detrahere, *l. 1. C. vt nemin. lic. sin. Iudic. auctor. sign. impon. reb. alien.*

3 *l. vlt. D. de iurisdict. l. vlt. C. si à non comp. Iudic.*

4 Nam & ratione delicti forum quis sortiri solet, *l. 1. iunct. Auth. qua in prouincia, Cod. vbi de crimin. agi oport. l. 3. D. de offic. Præsid.*

5 *Vt & in l. si quis filio 6. §. quid tamen, D. de iniust. rupt.*

6 *d. §. quid tamen, in fin.* [De repræsaliis vide tractatum Bart. & Guid. Pap. *qu. 32.* vbi ait non esse permissas de iure ciuili vel canonico *ex cap. & si pignorationes. De iniur. & damn. dat. in 6.* sed tamen esse permissas ex iure diuino *ex cap. dominus noster 23. qu. 2.* Vocant etiam ius marchæ, & potest concedi duobus concurrentibus authoritate superioris, & iusta causa, id est, si Princeps contra cuius subditos conceduntur requisitus neglexerit, aut denegauerit facere iustitiam. Nec requiritur hoc casu libelli oblatio, nec vllus iuris ordo seruatur Guid. Pap. ibid. Vide DD. *in Auth. sed omnino C. ne vxo. pro marit.* præsertim Bald. ibid. qui defendit requiri citationem partis saltem per viam protestationis. Item vt fiat fides de iustitia denegata in foro debitorum. Denique vt decretum interponatur super inductione repræsaliarum. Sane superior Principis iustitiam denegantis adeundus non est. Idem Guid. Pap. *qu. 33.* vbi addit ex consuetudine seruari vt etiam officiarius possit eas concedere, quamuis reuera in hoc sit solius Principis: Ferrar. *in form. libell. in act. real. in verb.* iure dominij vel quasi. Si tamen ob culpam laicorum concessæ sint repræsaliæ, non debent dari contra clericos, secus si contra clericum, qui ipse sit debitor. Nec enim hoc casu locum habet pœna *d. cap. etsi pignorationes.* Guid. Pap. *qu. 34. ex glossa Ioan. Andr. & aliis ibid.*

BIU Cujas

TIT. X.

DE NEGOT. GEST.

DEFINITIO I.

Actio negotiorum gestorum minus hodie frequentatur, & quare.

NEGOTIORVM gestorum actio, cuius tam frequentem in libris nostris mentionem legimus,[1] & quam olim tantæ vtilitatis fuisse constat,[2] parum hodie frequentatur, siue quod refrigescente hominum charitate, pauci sint, qui res alienas ad se pertinere existiment, si eos excipias, qui deprædandi animo potius, quam bona mente inuadunt rerum alienarum administrationẽ,[3] siue quod in tanta, quanta hodie passim fere est, patrimoniorum tenuitate, non facile accidat, vt suis rebus superesse ac sufficere quis non possit: Cum olim dispersa per vniuersas propemodum orbis terrarum regiones, Romanarum opum amplitudo,[4] non modo seruorum ministeria, quibus in eam præcipue causam tantopere Romani abundabant,[5] sed etiam præsentium amicorum subsidiaria auxilia imploraret, ne quid ex absentia damni absentium bonis infligeretur.[6] Quod si quando accidat, vt necesse sit per alios agere, quod per seipsum præstare quis nequeat, commodissimus in eam rem, & paratissimus mandati vsus esse creditur,[7] vtilior sane non tantum mandanti, qui eam prorsus, quam velit, rebus gerendis formam possit præscribere, ne quid contra, vel præter eius voluntatem fiat,[8] sed etiam procuratori, qui si mandati formam seruet, quod facere vtique ex officio debet,[9] dubitandum iam non habeat, vtrum amici officium bene atque ex fide impleuerit, an vero plus minusve gerendo, quam debet, exactori ac periculosiori rationum redditioni se obstrinxerit: quo metu vix se vnquam liberant, qui gerendis citra mandatum alienis negotiis se dederunt.[10] Accedit, quod negotiorum gestorum actio, neque gestoris, neque illius, cuius negotia gesta sunt, obligat bona, sed personas tantum,[11] quia nec in rem est, sed in personam,[12] nec priuilegium vllum habet taciti pignoris,[13] quæ res inutilem plerumque ac inefficacem vtrinque actionem constituit,[14] siue directa quis agendum habeat,[15] pro consequenda indemnitate, siue contraria.[16] Mandato autem interueniente, scilicet per scripturam, vti assolet, publicam, & notarij fide subnixam,[17] vix est, vt non vtraque ex parte caueatur contrahentibus, per mutuas bonorum vtriusque obligationes.[18] Nisi si quando per inscientiam notarij, vel contrahentium incuriam ea cautio prætermittatur.[19] Cui tamen adhibendæ locus nullus in negotiorum gestorum actione relinquitur, quippe cũ actio illa ex sola negotij gestione nascatur, ignorante illo, cuius absentis negotia geruntur,[20] quamuis non nisi inter scientes præsentesque exerceatur.[21] Quod si absens ita sit is, cuius negotia tractanda & adiuuanda sunt, vt neque procuratorem constituere nunc possit, neque priusquam abesset, aliquem in prouincia reliquerit,[22] Ne tum quidem huius actionis vsum valde exigimus, si modo longiuscula sit absentia, quæ agnatis vel cognatis proximis colorem aliquem præbere possit, petendi à iudice, vt absentis bonorum cura sibi decernatur,[23] quam facilime decernere iudices solent, quamuis non nisi exacta satisdatione, quo melius & absenti & præsentibus sit consultum.[24] Sed si tam recens sit absentia, vt de curatore bonis dando deliberari nondum possit,[25] alterutrum euenire necesse est, vt vel officium deseratur, neglecta negotiorum absentis cura, vel actionis negotiorum vsus & necessitas inducatur.[26] *Ita in Senatu* sæpius tractatum est.

1 Maxime vero in titulis, qui hanc in rem proprij & amplissimi extant *in D. & C.*

2 Ob rationem posi am *in l. 1. & 2. D. eod.*

3 De quibus *in l. si pupilli, 6. § sed etsi quis negotia, eod.*

4 Cuius luculenta extant in libris nostris testimonia, iis præcipue in locis, quibus videas testatores de bonis suis disponere, quæ habeant in Africa, in Asia, in Sicilia, Pamphilia & aliis diuersis terrarum regionibus.

5 Per quos etiam ignorantes plerumque locupletabantur, *l. de hereditate 19 § si in familias, D. de castr. pecul.*

6 *l. si quis absentis, 5. D de oblig & act.*

7 *l. 1. § vsus autem, & pass. D. de procurat.*

8 Forma enim mandati diligenter seruanda est, *l. diligenter, 5. D mandat. l. maritus, 21. C. de procur.*

9 Ne aliquis Ouidianum illud audire cogatur:

Tuta frequensque via est per amici fallere nomen:
Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
Et sibi mandatis plura videnda putat.

10 *arg. l. tutori, 20 C. hoc tit.* iunct. *d. l. si pupilli, 6. §. vlt. D. eod.*

11 *d. l. si quis absentis, 5. D. de oblig. & act.*

12 *l. pen. C. hoc tit.*

13 Quod habent pleræque aliæ causæ, de quibus *in tit. D. & C. in quib. caus. pign. & hyp. tacit. contr.*

14 *arg. l. plus cautionis, 25. de reg. iur.* iuncta *l. nam is, 6. D. de dolo malo.*

15 Quæ competit ei, cuius negotia gesta sunt, *d. l. si quis absentis.*

16 Quæ competit gestori, ad recuperanda, quæ impendit, *d. l. si quis.*

17 Pragmatici vulgo vocant instrumentum mandati, & procuratorium, vel procuræ.

18 Est enim hodie omnium vsitatissima hæc clausula, *l. & quæ 15. §. 1. D. de pignor. l. vlt. D. quæ res pignor.*

19 Quo tamen casu non ideo haberi debet pro adiecta, vt dixi *in error. 1. decad. 1. de error. pragmat.*

20 *d. l. si quis absentis, d. l. 1. & 2. & pass. D. & C. eod.*

21 Nemo enim aut inuitus aut ignorans agit, *l. vnic. C. vt nem. inuit. ager. vel accus. cog.*

22 Multi enim abeunt, quasi mox reuersuri, qui tamen tardius redeunt, *d. l. si quis absentis.* Cæterum si quis procuratorem vniuersorum bonorum reliquerit, eius bona neque gestore indigent, neque curatore, *l. Papinianus, 20 ff. de minor. l. sed etsi, 26. §. 1. D. ex quib. caus. maior.*

23 *l. ab hostib. 15. in princ. eod. l. 2. vbi not. D. de cur. bon. dand.*

24 *Defin. 18. ff. de satisd.*

25 Nec enim datur statim curator bonis cuiuslibet absentis, *l. si dim, 8. D. quib. ex caus. in possess. eat.*

26 Quoniam cætera remedia hoc casu omnia cessant, nec aliud supereſt auxilium, quam in actione negotiorum gestorum *d. l. si quis absentis, 5. D. de oblig. & act.*

DEFINITIO II.

Qui soluit debitum Vniuersitatis, agere contra eam negotiorum gestorum potest, licet coactus soluerit.

SI priuatus aliquis debitum Vniuersitatis, ad quod vel nullatenus, vel saltem non nisi pro virili sua parte tenebatur,[1] soluere coactus sit, siue pro exactoris aut executoris iniuria,[2] siue quam aliam ob causam, danda vtique illi est, pro consequenda indemnitate aduersus Vniuersitatem negotiorum gestorum actio.[3] Nec enim negari potest, quin Vniuersitatis negotiũ gesserit & quidem vtiliter, qui solutione sua Vniuersitatem liberauit.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua *Defi. 14. infr. de obli. & act.*

1 Quod enim Vniuersitas debet, non ideo singuli debent, *l. sicut 7 § 1. D. quod cuiusque Vniuers. nomin.*

2 Iniuria enim est, si quis priuatus pro Vniuersitatis debito vrgeatur, *l. vnic. C. vt null. ex vican. pro alien. vican. debit. conuen. lib. 11. tit. 56.*

3 Quæ dari solet omnibus, qui aliena negotia vtiliter gesserunt, *l. 1. 2. & pass. D. hoc tit.*

4 Species

BIU Cujas

4 Species enim acquirendi est, liberari ab obligatione, *l. species, 11. D. de acceptilat. l. si pupilli, 66. in fin. D. de solutionib.*

DEFINITIO III.

Actio negotiorum gestorum latius patet, quam mandati.

CVm inter actiones mandati, & negotiorum gestorum variæ sint differentiæ, tum illa præcipue, quod si negotium gestum ad plures pertineat, quorum vnus duntaxat mandauerat, contra solum mandatorem mandati agi potest, non contra cæteros, qui nihil mandauerunt, [1] quos tamen non eo minus negotiorum gestorum actione teneri constat, si modo commune omnium negotium vtiliter gestum, [2] aut saltem gestio vtiliter inchoata probetur, licet minus feliciter peracta. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua *Definit. 17. infr. mandat.*

1 Nec enim agi potest mandati contra eum, qui nihil mandauit, *l. ex mandat. 20. §. 1. D. mandat.*

2 Si quidem nascitur actio negotiorum gestorum ex sola vtili gestione, & sufficit vt gestor aliquem sibi obligare voluerit, *l. in hoc iudicium, 14. l. si quis cum 26. commun. diuid.*

3 *l. sed an vltro, 10. §. 1. D. hoc tit.*

TIT. XI.

DE EO QVOD MET. CAVS.

DEFINITIO I.

De obligatione subditi in vtilitatem domini ex causa, de qua non nisi per ipsius subditi confessionem constet.

NOn leuis quidem præsumptio est, id quod subditus domino licet sæpius præstiterit, si nulla præstandi obligatio præcessit, per vim extortum videri debere, aut per errorem vel liberaliter potius quam agnoscendi debiti animo præstitutum fuisse. [1] Sed non est huic præsumptioni locus, si allegata debiti causa probetur per subditi confessionem. [2] Quænam enim potest fortior haberi probatio, quam quæ ex aduersarij confessione proficiscatur? [3] Nisi proponas eam quoque confessionem per vim aut metum, aut qua alia mala arte extortam esse: [4] quod sane ab eo probandum erit qui dicet, non qui negabit, [5] maxime vero si temporis antiquitas concurrat, [6] & ex præcedentibus aut sequentibus præstationibus confessionis veritas confirmetur. [7] Nam neque tam facile capienda est delicti præsumptio, [8] si aliud sit quod vrgeat. *Ita Senatus* pro Domino Barone de Creissiaz contra Vniuersitatem de Cormoran 5. Calend. Iulij, 1588.

1 Propter reuerentiam, quam subditus domino debet, iuncta alia præsumptione, quod nemo velit iactare suum, *l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non dat. l. pen. D. de furt. l. cum de indebito 25. D. de prob. l. si certis annis 28. C. de pact.* Iunge *l. 2. D. de oper. liber.*

2 *Arg. l. cum de in rem verso 6. ff. de vsur.*

3 *l. cum te transegisse 5. C. de transact. l. generaliter 13. C. de non numer. pecun.*

4 *l. 3. in fin. C. hoc tit.*

5 *l. 2. l. quoties 18. §. qui dolo, D. de probat.*

6 Antiquitas enim temporis facit præsumi omnia solemniter acta, cum habeat vim tituli, *l. 3. §. ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æst. l. 1. §. vlt. de aqua & aqua pluu. arcend.*

7 Subsecuta enim contractus obseruatio miram vim & efficaciam habet ad contractum alioqui nullum confirmandum, *l. diuisionis 45. D. de pact. l. 2. & 3. C. commun. vtr. iudic.* Præsumitur enim actus sequens fieri ad executionem præcedentium, *l. 6. §. is qui, de acquir. hered.*

8 *l. merito 51. ff. pro socio. l. doli verbum 5. ff. de seru. corru. l. item apud Laboneum 15. §. si communem 36. & §. adiicitur 38. D. de iniur.*

DEFINITIO II.

De venditione bonorum paraphernalium facta per vxorem præsente viro, & interueniente læsione.

VAlet venditio bonorum paraphernalium à muliere facta constante matrimonio, etiamsi maritus simul cum vxore vendiderit, [1] nec ex solo metu reuerentiali, vt vocant, præsumpto rescindi contractus poterit, si neque minæ, neque verbera probentur, [2] præterquam si enormis læsio accedat. Hoc enim casu, multoque magis si enormissima, id est, vltra bessem interuenerit, contractum rescindi debere placet, [3] ita vt nec audiendus sit emptor, si iustum precium supplere velit: [4] quoniam ea electio tum demum emptori datur, cum sola læsio contractui rescindendo causam præbet, [5] non item si cum enormi læsione concurrat metus quoque reuerentialis, ne alioqui nulla prorsus istiusmodi metus ratio haberi videatur; quam sane haberi æquum est, cum ex enormis læsionis probatione metus quoque præsumitur, [6] ita fit, vt nil prodesse emptori debeat, quod maritus sit soluendo, si mulier fundum habere malit quam precium. [7] *Ita Senatus* 7. Idus Nouembr. 1590.

1 *l. hac lege 8. l. 5. & vlt. C. de pact. conuent. tam s. dot.*

2 Præsertim si interuenerit præsentia Iudicis aut amicorum, *l. transactionem 35. Cod. de transact.* Bartol. *in l. ad inuidiam, C. hoc tit.*

3 Reuerentia enim iuncta cum tam graui læsione inducit probationem iusti metus, *l. 1. §. quæ onerandæ.* vbi Bart. *D. quar. rer. act. non det.* facit *l. pen. D. de furt.* Vide tamen *l. fideiussor 26. §. 1. de pign. l. si patre 22. de ritu nupt.*

4 Nihil enim ratum habendum est, quod gestum sit per vim vel metum, *l. 1. l. metum 9. §. sed quod prætor, l. si mulier 21. §. 1. D. hoc tit.*

5 *l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

6 *d. §. quæ onerandæ, l. 1. l. vlt. in fin. D. quar. rer. act. non dat. l. 2. l. Labeo 36. D. de oper. libert. l. is qui 32. eod. l. 2. C. eod. d. l. pen. D. de furt.*

7 Neque enim cogenda est inuita rem suam vendere, *l. vlt. D. de pact. dot. l. æstimatis 50. ff. solut. matr. l. nec quasi 70. D. de rei vind.* vbi sane malo cum Haloandro legere *iniusto*, quam vt *iusto.*

DEFINITIO III.

De transactione facta per iniustum carceris metum.

LIte contra te instituta vt mihi fundum retrouenderes ex conuentione, quam tu negabas, subiecisti apparitorem Principis, qui me de domo mea in ius raperet ficto Iudicis mandato, mihique parendi necessitatem prehensione ac manus iniectione, aut etiam repetita maioris mulctæ comminatione iniungeret. Ergo rusticus & inops consilij cum apparitori crederem, & ne contumax viderer, parui, Tu mihi obuius in itinere, quasi vera essent, quæ mihi apparitor dixerat, sic mecum egisti, vt non solum à lite recederemus, sed etiam ego tibi eius fundi hyperocham[1] venderē. Si venditio in ciuitate, & loco publico, honestis personis, ex parte tua interuenientibus facta sit, non eo minus valebit, quod ab initio vis & dolus intercesserit, vt me in vrbē pelliceres: [2] cessauit enim vis illa dolusque, ex quo in vrbe fui, & Iudicem adire potui, [3] atque à peritioribus consilium capere, [4] ne iam mihi imponere posses. Nam qui ab initio interuenit metus & dolus, facere non debet, vt, quod cessante vi vel metu gestum est, irritum haberi debeat. [5] Et sane aliud est, factam mihi esse vim vel fraudem in hoc, vt ad vrbem accederem, aliud vero in eo vt venderem. [6] Sed neque iustus videbatur fuisse metus ille, quem apparitor

BIU Cujas

mentitus mandatum Iudicis mihi intulerat, quia in constantem virum cadere non potuisset. [7] Constans enim vir mandati exhibitionem postulasset, [8] nec sibi parendi necessitatem prius incumbere credidisset: [9] cum apparitori de facto, vt aiunt, & sine mandato exequenti non tantum impune non pareri, sed etiam de facto resisti possit. [10] Sicut nec iustus metus est, si quis ad cognitionem Iudicis ducatur, si non sit sibi conscius, [11] nisi proponeres iniecta vincula aut vinculorum metum. [12] Quare neque ad rescindendum contractum ex capite doli vel metus restitutio in integrum mihi erit concedenda. [13] *Ita Senatus* in causa Andreæ Cheualier, & Aymonis Perrod 18. Calend. Iulij 1593.

1 Id est, pluriſualentiam, vt vulgo loquuntur, *l. quærebatur, 20. D. qui potior, in pign. hab.* Scripsi in Chiliade de error. pragm. Decad. 21. Err. vlt.

2 *l. metum 9. §. animaduertendum in illis verbis*, Nisi ipse hanc tibi vim summisi, *D. hoc tit.*

3 *l. vlt. in princ. D. eod.*

4 *l regula 9. sed iuris ignorantiam ff. de iur. & fact. ignor.*

5 *l. 1. & 4. C. hoc tit.*

6 *Arg. l. & eleganter 7. in princ. D. de dolo, l. si res æstimata 12. §. 1. D. de iur. dot.*

7 Non autem omnis metus continetur edicto, sed is tantum, qui cadat in constantissimum virum, *l. metum 6. D hoc tit. l. interpositas 13. C. de transact.*

8 Iuxta vulgatum illud, Non creditur referenti, nisi constet de relato, *Auth. si quis in aliquo, C. de edend.*

9 Itaque credulitatem suam sibi imputare debet, *l. 1. §. dolum, D. de eo per quem fact. erit, l. 3. § sed si sic accipit. D. de in rem vers. l. mariti 29. §. quæstum. D. ad l. Iul. de adult.*

10 *l. contra nostra 5. C. de exec. & exact. lib. 12. tit. 61. l. vlt.* vbi DD. *D. de iurisdict.*

11 *l. nec timorem 7. D. hoc tit. l. metum 9. & seq.*

12 *d. l. nec timorem, §. 1. l. vlt. §. 1. D. hoc tit.*

13 *l. cum te domus 8. & duab. seqq. C. eod.*

DEFINITIO IV.

De metu reuerentiali in contractibus per mulierem nuptam iuris.

ETsi non omnia, quæ à nupta muliere, præsente & auctoritatem præstante marito, gesta sunt, idcirco facilius reuocari debent per in integrum restitutionem, quasi metus ex maritali reuerentia præsumendus interuenerit, si de re ad maritum nil pertinente contractum sit, nec verbera vel minæ probentur: [1] prudentius tamen faciet, qui cum nupta muliere de re non dotali contracturus, mariti præsentiam, quæ nec necessaria est, [2] non adhibuerit, [3] licet contra vulgo obseruari solitum sit. [4] *Ita Senatus* in causa Claudiæ Rigollet & Ioannis Quinerry 16. Cal. Iul. 1593.

1 *l. 5. 8. & vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot. l. vlt. D. eod. tit. de pact. dotal.* Bart. *ad l. ad inuidiam 6. C. hoc tit.*

2 Cum in rebus non dotalibus nihil omnino iuris maritus habeat inuita vxore, *d. l. 8. & l. vlt. C. de pact. conuent.* Text. est *in l. velles nec ne 6. C. de reuoc. donat.*

3 Vt ex eo apparet, quod etiam vir ipse potest emere ab vxore, & quidem minore precio, si non si animus donandi, *l. sed si vir 31. § si duo. in fin. D. de donat. int. vir. & vxor.* Id enim falsum esset, si mulieri contrahenti præsentia & auctoritas mariti necessaria esset, quia non posset ille auctor fieri in rem suam, vt de tutore scriptum est *in l. 1. l. 5. in princ. l. quod dicimus 7. ff. de auct. tut.*

4 Vulgaris autem error ille nascitur eo, quod imperiti plerique putant, bona omnia mulieris esse dotalia, alij, mulierem esse in potestate viri tum etiam, cum patrem habet, quorum vtrumque falsum est, *l. doce, C. de rei vind. d l. 8. & vlt. C. de pact. conuent. l. 1. §. vlt. ff. de liber. exhib.*

DEFINITIO V.

De obligatione in militis commodum facta, & de instrumenti guarentigiati executione.

NOn quæcunque cum militibus gesta sunt per vim & impressionem gesta intelligi debent: [1] sed tamen si vis à debitore obiiciatur, in tanta, quanta passim hodie est gladiorum impunitate, militaris audaciæ odium [2] facit, vt non prius pro instrumento præsumi oporteat, [3] quam debitor in vi & impressione probando defecerit. [5] Itaque fiduciariæ & prouisionali adiudicationi ex instrumento quantumuis authentico & guarentigiato nullus pendente lite locus erit. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 8. inf. De oblig. & action.

1 *l. qui stipendia 9. C. de procur. l. ratas 7. C. de rescind. vend.*

2 *Arg. l. quantæ audaciæ 12. ff. de public. & vectig. l. quod si nolit 31. §. qui mancipia, de ædilit. edict. l. qui testamentum 27. ff. de probat.* Qui enim oneratur contraria præsumptione, oneratur etiam grauiori probatione, *l. vlt. in princ. D. hoc tit.* Præsumptio namque specialis tollit generalem, *l. cum de indebito 25. D. de prob.*

3 Pro quo tamen in dubio præsumendum est, si authenticum sit & publica fide subnixum, *l. 2. D. de fid. instrum. l. 2. C. ad l. Corn. de falsi.*

4 Præsumptio enim sola non sufficit ad condemnandum militem, quia lex probationem requirit, *l. Lucius 83. de cond. & demonstr.*

5 Cui alioquin locus esset, *d. l. 2. C. de falsi.*

DEFINITIO VI.

De metu reuerentiali & iusto ob accedentem immodicam læsionem, & quid si minor ætas concurrat?

EX sola præsentia mariti non inducitur metus reuerentialis, qui sufficere possit ad contractum rescindendum, si neque minæ probentur aut verbera, [1] neque læsio, quæ interuenerit in re ipsa. [2] Idem in filia tractari potest, si dicat, eiusmodi metu reuerentiali coactam se, vt bonis omnibus paternis, maternisque, adhibito etiam, vt fieri solet, iureiurando, renunciaret. [3] Læsionem verò immodicam probari necesse est, id est, quæ sit vltra dimidiam, perinde acsi reuerentialis metus nullus accederet: [4] cuius tamen ratio hactenus habenda est, vt ea læsione probata omnimodo & præcisè rem restitui oporteat, quasi per vim & metum extortam, non relicta possessori electione supplendi iusti precij, quam alioquin relinqui necesse esset, si sola læsio restitutioni causam daret. [5] Sanè si minor quoque ætas interueniat, ratio nulla est, propter quam tam grandis læsionis probationem præterea exigamus, [6] cum ætatis priuilegium possessori auferat illam supplendij precij electionem. [7] *Ita tractatum est* in causa D. de Bellegarde & N. Annæ de Bellegarde vxoris Dom. de Bienuenu 15. Calend. April. 1595. & in ea causa, de qua Senatusconsultum 8. infr. De in integ. restituend. minoribus.

1 Iam dixi supr. Defin. 2. & 4. ex Bart. *in l. ad inuidiam, Cod. hoc tit.*

2 Aliquando enim læsio interuenit in re ipsa sine animo lædendi, indéque nascitur dolus in re ipsa distinctus quidem à dolo ex proposito, sed qui tamen ei æquiparatur, si nostris credimus, *ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.* Scripsi in Chiliade pluribus locis, præsertim Decad. 1. Error. 7.

3 *Cap. quamuis pactum 2. de pact. in 6.* vbi extat Bonifacij constitutio, quæ huiusmodi renunciationes iuratas approbat factas per filiam patri, dummodo nec vis metúve, nec dolus interceserit.

4 Bart. & alij *ad l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.* Didac. Couarr. *ad d. cap. 2. de pact. in 6.*

5 *d. Defi. 2. 3. ex l. 2. & l. si voluntate 8. C. de rescind. vend.*

6 Neque enim restitutio minorum eget probatione tam grandis læsionis, sufficitque qualiscunque læsio, *l. 1. l. quod si minor 24. §. non semper, & pass. de minor. l. nam postea quam 9. § si minor, D. de iureiur.*

7 In eoque differt restitutio minorum à restitutione maiorum, *l. si in emptionem 35. D. de minor.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO VII.

Protestationem clandestinam de dolo vel metu, non nocere tertio ignoranti.

CVm quis palam potuit de vi aut metu, si quis suberat, protestari, non sufficit protestatio clandestina.[1] Sed etsi non possit palam fieri ex causa aliqua probabili:[2] nihil tamen prodest clandestine facta contra tertium, qui neque vim infert neque metum,[3] quique ex ea protestatione ignorans circumueniretur;[4] quando nimirum id, quod fit, neque bonis moribus repugnat, neque legibus.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. si maior 22. C. de transact. l. metum 9. C. de his quæ met. caus.*

2 Puta ob reuerentiam mariti aut alterius personæ, cui reuerentia debeatur, *arg. l. pen. D. de furt.*

3 Intellige, si reuera metus nullus illatus sit; alioqui sufficiet esse illatum a quolibet, vt noceat cuilibet etiam ignoranti, quia verba edicti, De eo quod met. caus. in rem concepta sunt, non in personam, in eóque differt edictum illud ab edicto, De dolo, *l. metum 9. §. 1. l. item si cum 14. §. in hac actione, D. hoc tit.* vbi elegans ratio redditur, quia metus omnis habet in se ignorantiam, *l. sed & 15. §. fin. D. de dolo.* Scripsi lib. 16. Coniect.

4 Quod non est ferendum, vt ex alterius facti ignorantia præiudicium fiat, *l. ignorantis 49. de procur. l. soluendo 39. de negot. gest.* alioqui nemo cum aliis contrahet siue metu, cum probabiliter ignorari possit, quid clam fecerint, *l. si mulier 11. ad Velleia. l. doli 19 §. vlt. de nouat.*

5 *l. iuris gentium 7 §. ait prætor, D. de pact.* Nam si quis operam dando rei illicitæ deciperetur, indignus esset cui succurri oporteret, *arg. l. Papinianus 20. D. de minor. l. sed etsi 26. §. 1. D. ex quib. caus. maior.*

DEFINITIO VIII.

De renunciatione & apocha facta per vxorem præsente viro.

QVæ cum matrimonium contraheret, dotem certæ quantitatis stipulata fuerat pro iuribus omnibus, quæ in defuncti patris hæreditate sperare potuisset,[1] si postea numeranti dotem fratri apocham[2] præsente & iubente marito conscripserit, non potest videri læsa,[3] aut metu reuerentiali coacta, vt renunciaret,[4] cum eam renunciationem fieri necesse fuerit in consequentiam præcedentis contractus,[5] præsertim quando nec aliter soluturus frater fuerit, aut ad solutionem compellendus.[6] Sunt enim actus huiusmodi, vt vocant, correspectiui, quorum posito vno, alterum quoque poni necesse est, sicut & vno sublato tolli alterum.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Posteaquam placuit huiusmodi renunciationes & pactiones de futura successione valere non solùm patri, sed etiam matri & fratri factas, si modò sint iuratæ, vt tractant Canonistæ *ad c. quamuis pactum, de pact. in 6.*

2 Id est, pecuniæ solutæ professionem, vulgo *quittantiam* vocant, *l. vlt. §. Titius, D. de cond. indeb. l. qui tabulas 27. §. apocha. D. de furt. iunct. l. pecuniæ 14. C. de solut.*

3 Non enim lædi aut decipi videtur, qui iure communi vtitur, *l. vlt. C. de in integr. restit. minor. l. inter eos, 51 §. cùm inter, D. de fideiuss. l. in pupillo 47. in fin. de solut.* Aut qui ius publicum sequitur, vt est in iuris regula, *l. nihil consensui 116. §. non capitur, de regul. iur.*

4 *l. ad inuidiam 6.* vbi Bart. *C. hoc tit.*

5 *Arg. l. quod si minor 24. §. restitutio.* in illis verbis: *Sed parcius in venditione, quia æs alienum ei soluitur, quod facere est necesse D. de minor.* facit *l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit.* Quoties enim numeratio fit in consequentiam contractus præcedentis, contractus ille inspiciendus est potius, quàm actus ipse numerationis, *l. 1 ff. qui potior, in pignor. hab.*

6 Obstante nimirum exceptione pacti, cuius commodo priuari non debet, cùm non aliter fuerit contracturus, & se obligaturus, pacta enim dant legem & formam contractui, *l. 1. §. si conuenerit, D. depos. cum similib.*

7 *l. vlt. D. de acceptil. l. cum te, 6. C. de pact. int. empt. & vendit. l. 1. C. de cupress. lib. 11. tit. vltim.* Text. est elegans *in l. si duo 13. §. si quis iurauerit, & seq. D. de iureiur.*

TIT. XII.

DE IN INTEGR. restit. minor.

DEFINITIO I.

De venditione iurata prædy per minorem sine decreto facta: & quid si iusiurandum accesserit.

NON solum si minor circumscriptus sit, siue in eo quod rem vendidit,[1] siue quod minoris vendidit,[2] sed etiamsi læsio nulla doluque nullus interuenerit, nulla est ipso iure, & inutilis alienatio rei immobilis, quam sine Iudicis decreto fecerit,[3] adeo vt nec sit necessaria in integrum restitutio,[4] tametsi precium in minoris vtilitatem conuersum probetur,[5] quoniam legis prohibitio impedit alienationem.[6] Hoc ita si minoris iusiurandum non interceserit. Illa enim iurisiurandi potestas esse creditur ex celeberrima Imp. Friderici constitutione,[7] qua vtimur, potius quam ex iuris ciuilis ratione,[8] vt eum, qui reuera minor est, efficiat maiorem, hactenus nimirum ne decreti solemnitas vlla requiratur, non magis quam si reuera maior esset.[9] Cæterum non excludet ea res beneficium restitutionis ex læsionis causa competentis,[10] quod maior ætas excluderet.[11] Neque enim iusiurandum supplere potest defectum ætatis in eo, vt consilij imbecillitatem, quæ in minore maior est, corrigat, faciatve, vt ob id solum, quod iurauit, prudentior & consultior effectus videatur.[12] *Ita Senatus* pro N. Francisco Denarie contra Bartholomæum de Valon 8. Id. Aug. 1588.

1 *Vt in l. & eleganter 7. ff. de dolo.*

2 *Vt in l. si res æstimata 12. §. 1. l. iure succursum 6. §. vlt. ff. de iur. dot. l. si circumscripta 6. C. solut. matrim. l. 5. S. circa venditionem, de donat. int. vir. & vxor.*

3 *l. 1. & tot. tit. D. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt sine decret. non alien.*

4 *l. non est nobis necessaria 2. l. si quidem 11. C. de præd. minor. l. in causæ 16. §. & generaliter, D. de minor.*

5 Quæstio enim illa, An precium in rem minoris versum sit necne, non pertinet ad causam venditionis confirmandæ, sed ad causam duntaxat restituendi precij, *l. prædiorum 10. l. si prædium 16. eod. tit. C. de præd. min.* facit *l. si precium 19. C. de procurat.*

6 *d. l. si quidem, l. non solum 4. l. prædia 8. & pass. eod. tit. de præd. minor.*

7 *In Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

8 Iure enim ciuili iusiurandum contra leges præstitum non est obligatorium, *l. non dubium, C. de legib.*

9 DD. *ad d. Auth. sacramenta.*

10 Non secus ac si venditio nullo iure prohibita fuisset, *l. 1. C. de præd. minor. l. 1. & tot. tit. C. si aduers. vendit.* aut cum decreto facta fuisset, *d. l. si quidem 11. vers. si vero, C. de præd. minor.* Vide Thesaur. decis. Ped. 66. *num. 2.*

11 Neque enim maior restituitur ob læsionem nisi immodicam & enormem, id est, quæ sit vltra dimidiam iusti precij, *l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit. iunct. d. l. in causæ 16. §. idem Pomponius, D. de minor.*

12 *Arg. l. vlt. D. de manum. vindict.* Atqui sola facilitas minoris & lubricum ætatis inducit restitutionem, *l. 11. §. sciendum, & seqq. D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

De alienatione facta contra prohibitionem legis & hominis. Quid si ex causa necessaria? Quid si læsio interuenerit?

ENimuero si ad prohibitionem legis accedat etiam prohibitio hominis, siue Iudex ille sit, siue testator, adeo nulla est ipso iure alienatio,[1] vt nec iurisiu-

BIU Cujas

randi interpositi auctoritate confirmari possit, [2] quia iusiurandum eas demum solemnitates supplere potest, quas lex ipsa, [3] non quas Iudex aut testator præscripserit: [4] quorum voluntati non parere non solùm inciuile sit, sed etiam iniustum, [5] ideóque nulla hic versatur religio iurisiurandi, quod nec delicti, nec iniquitatis vinculum esse debet. [6] Excipiendæ tamen sunt eæ alienationes, quæ causam habent non modò vtilem, quod non sufficeret, [7] sed omnino necessariam, [8] vtputa pro alimentis, pro sumptibus litis, si qua inferatur, aut ad æris alieni, quod vrgeat exsolutionem. [9] Neque enim aut Iudicis aut testantis voluntas ea fuisse videri potest, vt cui maximè prospectum voluerunt, eum necessariis sumptibus egere paterentur: [10] neque vero fieri vnquam potest, vt iusta non sit alienatio, quæ est necessaria, [11] nec tamen eo minus rescindi poterit beneficio restitutionis, si læsionem interuenisse appareat. Nam quę vendendi necessitas extorquet vtilitatem venditionis, eadem inducit auxilium restitutionis, si hanc decipiendi aduersarij & exprimendæ venditionis occasionem emptor, vt fieri solet, captrauerit. [12] Plane precium non quod vtique in necessariam, sed quod etiam in vtilem duntaxat causam conuersum esse constabit, emptori id ipsum probanti [13] omnimodo restitui oportebit. [14] Iunge SC. De reb. alien. non alienand. & de prohib. alienat. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L vlt. C. de reb. alien. non alienand. l. 1. C. si emancip. ita fuer. alien. vt manum. l. 2. C. qui non pos. ad libert. peruen. l. si sciens 26.* vbi Bart. *D. de contr. empt.*

2 Alex *in l. Marcellus 3. §. res quæ, col. 2. vers. quarto limita, & in l. quidam 25. §. si quis filium, col. 2. in princ. ad SC. Trebell.* Rip. *in l. filius familias 114. §. diui. nu 47. & 89. de legat. 1.* Rol. à Valle *cons. 81. num. 17. vol. 2.*

3 *Auth. sacramenta, C. si aduers. vendit.*

4 Fortior enim est prohibitio hominis, id est, Iudicis aut testatoris, quam legis, quia lex se ipsam facilius interpretatur; vnde illud etiam est, quod dici solet, prouisionem hominis facere, vt cesset prouisio legis: *l. vlt. C. de pact. conuent.* licet grauius puniatur fraus, quæ fit contra legem, quam quæ contra hominem citra prohibitionem, *l. si libertus 16. versic. diuersitatis, D. de iur. patron.*

5 *L. ait prætor 7. §. quid tamen, D. hoc tit. l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit. l. tutelam 7. C. de admin. tutor. l. contra voluntatem 7. C. de test. manum. l. cum pater 27. §. libertis, de leg. 2. l. 1. C. de sacrosanct. eccles. l. vel negare 6. de test. quemadmod. aper.*

6 *Can. fin. 22. q. 6 & Can. animaduertendum 22. q. 2.*

7 *l. si fundus p. n. de reb. eor.* & apertius *in l. magis puto 5. §. non passim, & §. si æs alienum eod.*

8 *l. filius familias 114. §. diui. de leg. 1.*

9 *l. qui solidum 78. §. vlt. de leg. 2.*

10 *l. 5. D. de pet. hered. l. 5. §. vlt. D. de iur. delib.* facit *l. reo 41. D. de solut. l. cum fidei 9. D. de fidei. libert.*

11 *l. alienationes, 13. l. qui erat 49. famil. erciscund.* Guid. Pap. *qu. 96. num. 2.*

12 Nam & inde fit, vt venditori læso vltra dimidiam iusti precij succurratur, non etiam emptori, si iuris rationem spectes, de qua scripsi in Chiliade Decad. 8. Err. 7. post Cuiacium lib. 16. Obser. cap. 18. propterea quod venditorem plerumque necessitas rei familiaris cogit vendere precio viliore, *l. 2. l. non idcirco 12. li. si quos 16. C. de rescind. vendit. l. 2. C. sin. cens. vel reliq. l. 1. Cod. de præd. decur.* eadem vero necessitas non cogit emptorem pluris emere, sed sola affectio opportunitatis vel vicinitatis, vel cœli, *l. 1. §. sed si rem, D. si quid in fraud. patr. l. si in emptionem 35. D. de minor.*

13 Probatio enim ei incumbit, qui dicit precium in rem minoris versum fuisse, si contractus ipso iure non valuit, *l. prædiorum 10. l. si prædium 16. C. de præd. minor.* Paris. *de vsur. quæst. 38. num. 264.*

14 *d. l. prædiorum, d. l. si prædium, l. vtere 14. eod. l. penultim. §. 1. D. eod. tit.*

DEFINITIO III.

De restitutione in integrum minori competente tanquam maiori & tanquam minori.

MInor, qui in rei suæ immobilis venditione vltra dimidiam iusti precij læsus est, sicut communi iure vti potest [1] ad venditionem ex causa immodicę læsionis rescindendam, ita restitutionem in integrum, quę singulari ætatis fauore minoribus conceditur, implorare prohibetur. [2] Neque enim ratio vlla est concedendi extraordinarij remedij, vbi ordinarium competit. [3] Sed hoc tum demum vere dicitur, cum læsio in sola precij quantitate interueniens locum facit restitutioni. [4] Nam si vel dolus aduersarij interceserit, [5] vel in hoc ipso minor læsus sit, quod eam rem vendidit, quam non expediebat vendere, [6] beneficium restitutionis ex causa minoris ætatis, quod plenius est, cum ad rem ipsam omnimodo habendam detur, [7] minori non denegabitur. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia etiam maiores ex hac causa restituuntur, *l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

2 Aymo. Cravet. *cons. 151. num. 6.*

3 *l. in causæ 16. in princip. D. hoc tit. l. 3. C. eod. l. cùm & minores 4. C. si aduers. rem iudic. l. 3. C. si aduers. lib.* facit *l. 3. D. de oper. noui nunciat.* Remedium enim *d. l. 2.* est ordinarium, restitutionis extraordinarium.

4 *Vt in l. iure succursum 6. §. vlt. l. si res 12. §. 1. D. de iur. dot.*

5 Quo casu videtur minor lęsus tanquam minor, quia difficilius potest sibi prospicere, ne alterius dolo decipiatur, quam si esset maior, *l. quod si minor 24. §. non semper, & pass. D. hoc tit. l. 2. C. de fideiuss. minor. l. exceptiones 7. § 1. D. de except.* Text. est elegans *in l. antepen. §. vlt. D. hoc tit.*

6 Facit *l. magis puto 5. §. si æs alienum, & l. pen. §. 1. D. de reb. eor. qui sub tut.*

7 *l. si in emptionem 35. d. l. quod si minor 24. §. restitutio l. patri 27. §. prædium, l. minor annis 40. §. 1. D. hoc tit.* Beneficium vero condictionis *ex l. . C. de rescind. vend.* non datur ad rem præcise, cum saluam relinquat emptori electionem iusti precij supplendi, *d. l. 2. l. si voluntate 8. in fi C. de rescind. vendit.*

8 Cravet. *d. cons. 151. num. 6.*

DEFINITIO IV.

De cessione restitutionis in integrum ad rem immobilem, & quid si etiam in cessione læsio interuenerit.

QVamquam certum est, ius petendæ in integrum restitutionis, [1] vt & cætera iura fere omnia cedi posse, [2] si tamen minor, qui fundum sine decreto contra Seueri constitutionem vendiderat, adhibito quidem iureiurando, sed interueniente læsione, cum potuisset in integrum restitui, [3] hoc ipsum ius alteri vendiderit, alterive cesserit, æque aduersus hanc etiam cessionem restitui poterit. [4] Non enim ideo minus læsus videri debet, quod impetrandæ prioris restitutionis euentus per litem dubius fuerit. [5] Sufficit namque, certum fuisse ius, quod competebat minori re vera læso: [6] maximè verò si iuri euentus litis responderit, ex eoque apparuerit, in priore alienatione interuenisse læsionem. [7] Quin & verius est, non magis sine decreto alienari posse actionem, quæ iam nata sit ad petendam rem immobilem per auxilium restitutionis, quam rem ipsam immobilem, quæ iam à minore ipso possideatur. Hac enim parte verum est, actionem, quæ competit ad rem immobilem, rei immobilis iure censeri, cùm is, qui ad rem consequendam habet actionem, rem ipsam habere videatur. [8] *Ita Senatus* ex tempore 12. Calend. Mart. 1589.

1 *L. illud nullam 25. §. 1. & l. seq. D. hoc tit. l. si minoris 25. D. de admin. tutor.* etsi puto, postrema illa verba, *Nisi forte mandare actiones paratus sit curatoribus*, imperiti esse Interpretis potius, quam Vlpiani, vt scripsimus in libris Coniecturarum. Vide Guid. Pap. *qu. 141.*

2 De quibus omnibus & quænam cedi possint, quænam non vide Andr. Tiraq. *de retract. municip. §. 26. glos. 1. num. 45. & seq. vsque ad finem.*

3 Secundum

BIU Cujas

3 Secundum ea, quæ scripsimus *Definit. 1. supr.*

4 Sufficit enim aliquid gestum esse cum minore, & minorem læsum esse, *l. ait prætor 7. in princ. D. hoc tit. l. nam posteaquam 9. §. si minor, D. de iureiur.* Sicut enim duplex hic contractus fuit, ita duplex læsio, & consequenter duplex restitutio est, *arg. l. doli 19. §. diuersum, D. de nouat.*

5 *L. quod debetur 51. D. de pecul.*

6 Ius enim semper in secretum est & finitum, *l. 2. D. de iur. & fact. ignor.*

7 Sententia enim non semper ius tribuit, sed quod iam antea competiit, declarat. Simile quiddam est *in l. huic 15. §. vlt. ad l. Aquil. l. qui res 98. §. rem autem de solut.*

8 Bart. *in l. si sic legatum 75. §. vlt. per ill. text. de legat. 1.*

DEFINITIO V.

De confessione debiti paterni facta per minorem.

MInor annis vigintiquinque stipulanti promiserat se soluturum centum, quæ pater debebat ex causa alimentorum, de quorum quantitate & æstimatione ratio cum defuncto posita dicebatur, & ab ipso defuncto subscripta, tum minori promissionis tempore reddita. Idque minor ipse propria scriptura professus fuerat. Sed cum ad solutionem conueniretur, dicebat, factam eam promissionem ex falsa causa, nec quicquam à patre suo fuisse vnquam creditori debitum, in eamque rem auxilium restitutionis implorabat. Quidam ex tempore putabant, non esse restituendum minorem aduersus confessionem debiti, quod pater eius, non ipse contraxerat: [1] præsertim cum non redderet ille scripturam, quæ à patre subscripta proponebatur. Restitutionem enim sic faciendam esse, vt vnusquisque ius suum reciperet. [2] Dicebam posse id defendi, si patris debitum & chirographi redditio aliter quam ex minoris confessione probaretur. Cæterum qua facilitate minor contrahit & decipitur, eadem posse induci & persuaderi, vt ea quoque omnia fateatur, quæ auaritia & dolus creditoris extorquere velit, tametsi vera non sint: ideoque perinde minorem aduersus propriam confessionem ac contra promissionem ipsam restitui debere. [3] Itaque cum minor nullum sibi à creditore chirographum patris redditum fuisse contenderet, sed eum colorem falso quæsitum, vt debiti, quod frater maior in caupona contraxerat, minor imprudens quasi fideiussor constitueretur, [4] non alienum esse videbatur, vt de facti veritate ante omnia inquiri oporteret. [5] Senatus tamen ex tempore pro creditore pronunciauit, motus ea potissimum ratione, quod ex instrumentis litis apparebat, minorem hunc ante annos aliquot autore curatore petiisse à Iudice, & impetrasse, vt pro eo debito & aliis, quæ pater contraxerat, exsoluendis fundum distrahere liceret. [6] Placebat quidem Senatusconsultum, sed illud tamen addendum putabam, vt iuraret creditor, fuisse centum illa sibi per minoris patrem debita, redditumque à se minori chirographum, quo id ipsum cautum fuisset. [7] *Ita Senatus* 15. Cal. Decembr. 1590.

1 *Arg. l. verum 11 §. ex facto l. Aemilius 38. D. de minor. l. 3. D. quib. ex caus. in poss. eat.*

2 *L. quod si minor 24. §. restitutio, D. hoc tit. l. vnic. C. de reputat. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

3 *L. cum de indebito 25. §. sin autem is, D. de probat. l. certum 6. §. penult. D. de confes. d. l. doli 9. §. diuersum, D. de nouat.*

4 Atque ita in fraudem edicti De minoribus, quia hic fideiussor licet minor non posset restitui, nisi redditis instrumentis omnibus, quæ ab aduersario habuisset, *dict. §. restitutio, & dict. l. vnic.* Porro constat, ea, quæ in fraudem edicti excogitata videri possunt, rata haberi non oportere, *arg. l. quidam, 29. §. vltim. D. ad SC. Velleian.*

5 Quæstio enim restitutionis plus facti quam iuris habet, pendetque magis ex iurisdictione, quam ex iure, quomodo prudentes loqui solent, *l. inter 36. D. de admin. st. tutor. l. filiæ 88. vers. Claudius, de solut.* cum requirat causæ cognitionem, *l. in causæ cognitione 13. l. in causæ 16. l. verum 11. §. sciendum D. hoc tit.* Denique ex facto ius oritur, *d. l. filiæ, l. vt responsum 15. C. de transact. l. precibus, C. de impub. & aliis subst.*

6 Confessio enim illa minoris in iudicio facta auctore curatore & absente creditore, licet nullum ius poterat quærere absenti, præsertim ad obligandum minorem, carebat tamen omni fraudis suspicione, saltem ad transferendum onus probandi in confitentem, vt concludit Antonin. Tessaur. *decis. Pedemont. 109. num. 8. ex l. inde Neratius 23. §. vltim. D. ad l. Aquiliam.*

7 Huic enim iuramento purgatorio locus esse potest, & debet, quoties aliqua præsumptio est contra eum, qui tamen alioquin debeat vincere, *l. generaliter 12. C. de reb. credit.* de qua scripsimus in Chiliade Decad. 19. Error. 2.

DEFINITIO VI.

De contractu facto extra prouinciam & absente curatore cum minore curatorem habente.

MInori curatorem in prouincia habenti, cum in alia esset prouincia, in qua curatoris adhibendi copia non erat, mutuam pecuniam dedisti. Non eo minus obligatio rite contracta videbitur, quod curatoris auctoritas non interuenerit. [1] Nam quod vulgo iactatur, pupillo comparari minorem, qui curatorem habet, [2] ad bonorum immobilium mobiliumve alienationem pertinere videtur potius, quam ad contrahendam obligationem, [3] si verum est quod prudentes tradiderunt, Puberes etiam sine curatoribus suis recte ex stipulatu obligari. [4] Sed etsi iam generaliter id verum esset, quam ab Interpretibus creditur, ad eum tamen casum non pertineret, quo curatoris procul absentis præsentia interuenire non posset. [5] Alioqui magno incommodo afficerentur huius ætatis homines, si propter curatoris absentiam cum iis contrahere vel ex necessaria causa non liceret. [6] Neque est quod quis dicat, Posse in ea prouincia, in qua nunc minor degit, alium ei curatorem dari. Nam præter id, quod facile contingat, vt inter ignotos curatorem inuenire minor non possit, [7] non facit hæc ratio, vt qui alium curatorem non petiit, cum posset, ob id solum male contraxerit cum minore, quod absentem iamque datum curatorem non adhibuerit. [8] Perinde igitur est, atque si cum minore curatorem non habente contractum esset. Quod cum fit, subsistit quidem contractus ipso iure, sed tamen maiori periculo restitutionis obnoxius est, si minor se læsum dicat, [9] secundum ea, quæ scripsimus Defin. 1. si tut. vel curat. interuen. *Ita tractatum est* ex tempore, in causa D. Petri Sappin nunc magistri Computorum & D. de Morgenez Prid. Id. Iul. 1592.

1 *L. puberes 101. de verb. oblig.* In quo differt pubes ab impubere, qui sine tutoris auctoritate nullo modo obligatur, *l. 1. C. de inutil. stipulat.*

2 *L. si curatorem habens 3. C. hoc tit.*

3 Ita Iacob. Cuiac. *ad d. l. puberes, & alibi sæpe.*

4 *d. l. puberes*, quam etsi vulgo interpretes accipiunt de pubere curatorem non habente, tamen refelluntur ex illis verbis, quæ bene Cuiacius ponderat, *Sine curatoribus suis.*

5 Nec enim necesse est adhiberi eius præsentiam, qui longe absit, licet alioqui esset adhibenda, *l. vltim. §. vbi autem in illis verbis*, vel longe absunt, *Cod. de bon. quæ liber. l. si longius 18. de iudic. l. 22. §. si patri, D. solut. matrim. l. vltim. D. vbi pupill. educ. deb.*

6 *Arg. l. quod si minor 24. §. non semper, D. hoc tit. l. reo 41. D. de solut.*

7 Nec enim curator datur inuitus, vt neque inuito, *l. 2. §. quæritur, D. de curator. bonis dand. l. 8. §. inuitus, D. de procurator.*

8 Nemo enim cogitur minori, cum quo rem habiturus sit, curatorem petere nisi in litem, *l. 1. 2. & pass. Cod. de in lit. dand. tut.* aut ad solutionem accipiendam, *l. ait prætor 7. §. permittitur, D. hoc tit.*

9 *dict. l. si curatorem habens.* licet interuentus curatoris non impediat restitutionem, *l. 1. & 2. Cod. si tutor. vel curator. interuen.*

BIU Cujas

DEFINITIO VII.

De restitutione in integrum aduersus omissam dilatoriam aut declinatoriam exceptionem.

NOn datur [1] in integrum restitutio minori, maiori vero multo minus, [2] aduersus omissam obiectionem exceptionis declinatoriæ aut dilatoriæ, quod ea omissio permodici sit præiudicij, ne lædat ius defensionis, si qua reo competat: [3] de modicis autem, vt aiunt, non curat prætor. [4] Sed quod de exceptione dilatoria dicimus, in ea locum non habet, quæ possit etiam esse peremptoria, qualis est non factæ excussionis. Hæc enim etsi dilatoria esse creditur, [5] ideoque nec admittitur post litem contestatam: [6] potest tamen vno casu esse peremptoria, nimirum si verum sit, debitorem alia bona possidere, ex quibus satisfieri creditori possit, vt nullus ei regressus dandus sit aduersus pignoris possessionem. [7] Itaque si minor exceptionem hanc omiserit, restitui in integrum poterit, vt etiam post litem contestatam obiicere eam possit. [8] *Ita tractatum est* in causa N. Claudij de la Balme & Dominæ Comitis d'Antremons Calend. Febr. 1593.

1 Capel. Tholos. *decis.* 53. licet contra sentiat Bart. post glos. *in l. minor* 36. *D. hoc tit. per ill. text. & per l. minor* 18. *§.* 1. *eod.*

2 *L. qui procuratorem* 57. *§.* 1. *de procur. l. ita demum* 13. *C. eod. l. quæritur* 14. *§ si venditor. D. de ædilit. edict.*

3 Declinatoriæ enim & dilatoriæ exceptiones dicuntur, quæ Iudicis aut aduersarij personam respiciunt, non ius defensionis. Cuiac. *lib.* 9. *obser.* 23.

4 *L. scio* 4. *D. de in integr. restit.*

5 Vt & cæteræ ordinis exceptiones. Bart. *in l. exceptiones, nu.* 6. *D. de except.*

6 *L. exceptionem* 19. *C. de prob l. pen. & vlt. C. de except.*

7 *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.* Secutus enim est possessor, ex quo creditor suum consecutus est à debitore, vel consequi potuit.

d. l. minor 18. *§.* 1. *& l. minor* 36. *D. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

De minore filia restitutionem petente aduersus iuratam futuræ successionis, siue paternæ, siue maternæ, renunciationem.

NOn desunt qui putent, filiam, quæ quantulacunque dote accepta futuræ parentis successioni renunciauerit fauore masculorum, & adhibito, vt fieri solet, iureiurando, nulla prorsus iuuandam restitutione, nec si minoris ætatis fauor ad quantamcunque læsionem accesserit, eóque iure Gallos passim vti proditum est, [1] quod hæc sententia familiarum præsertim nobilium faueat conseruationi, [2] quasi nec aliud quicquam filia exigere à patre debeat, nisi vt probum suæque conque conditioni conuenientem maritum nanciscatur. [3] Sed tamen receptior est contraria sententia, quam & Senatus noster sæpius secutus est, vt etiam maior annis filia aduersus huiusmodi renunciationem restituatur ex causa enormis, nedum enormissimæ læsionis. [4] Quod si etiam minor ætas interueniat, magis est, vt ea quoque læsio ad restitutionem proficere debeat, quæ nec sit enormis, dummodo non prorsus minima, vt priuilegium aliquod ætas habeat, [5] accedente præsertim paterna reuerentia, [6] adeoque materna, cum non minor matri quam patri debeatur, [7] licet non habeat mater liberos in potestate. [8] *Ita tractatum est* in ea causa de qua SC. 7. & 8. sup. De pact. & SC. 6. sup. De eo quod met. caus.

1 Ioan. Papon. *in syntagm. arest.*

2 Familia enim non nisi per masculos conseruari potest, cum fœmina suæ familiæ & caput sit & finis, *l. pronunciatio* 195. *§. vltimi. de verb. signific.* qui enim ex fœmina nascuntur, patris non matris familiam sequuntur, *l. familia* 196. *eod. l. pen. de agnosc. liber.* Publice autem interest familiarum dignitatem & amplitudinem conseruari, *l.* 1. *§. sed etsi seruus, D. de vent. inspic.* Vide *l.* 1. *de iur. immunit.*

3 *l. capite* 19. *D. de rit. nupt.*

4 Non enim sufficit, quod pater maritum quærat filiæ, nisi & eam dotet competenter pro modo facultatum, *l. cognouimus* 19. *C. de hæret. Nouell.* 115. *vt cum de app. cognosc. c.* 3. *§. si alicui.*

5 Semper enim facilius est vt succurratur minori, quam maiori, *l. si res æstimata* 12. *§* 1. *in fi. D. de iur. dot. l. Præses* 42. *D. hoc tit.* Scripsi *Defin.* 6. *tit. præced. De eo quod met. caus.*

6 *Arg. l.* 1. *§. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det. l. pen. D. de furt. l. si superstite* 5. *C. de dolo.*

7 *L. furiosæ* 4. *D. de curat. furios.*

8 *L. illud* 4. *§. ad testamenta, D. de bonor. poss. contr. tab. §. cæteri, Instit. de hered. qualit. & differ.*

DEFINITIO IX.

De probanda læsione & æstimatione bonorum maternorum.

TAmetsi vero dos matris tota consistat in pecunia numerata, nec maritus soluendo sit, non eo minus tamen in æstimanda læsione, si pro modica quantitate filia maternæ successioni renunciauerit, totius dotis ratio habebitur. [1] Non enim quid à marito exigere mulier eiusve heredes possint, [2] sed quid in bonis sit inspiciendum est: [3] bonorum autem appellatione actiones quoque continentur, [4] quas si ob id inanes esse obiiciatur, quod eas debitoris excludat inopia, [5] vt filiæ nihil interesse videatur; eadem ratio faciet, vt multo minus audienda sit mater eiusve heres, cuius nec quicquam interfit ex iis actionibus, quas inanes putet partem filiæ dari. [6] Quod si marito ad inopiam vergente declaratum sit per Iudicem marito consentiente, ad quam vsque quantitatem dotis nomine caueri oporteret, tantum in dote esse videbitur, [7] quantum fuerit in Iudicis sententia: [8] neque patris heredes audiendi erunt, si in fraudem creditorum eam dotis taxationem factam causentur, cum mariti personam repræsentent, [9] cui si viueret, propriam turpitudinem fraudisque à se initæ consilium allegare non permitteretur; [10] quamuis certum sit, eam rem creditoribus inauditis nocere non debere. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nomen enim manet, etiamsi per inopiam debitoris malum sit, nec idoneum, *l. si nomen* 4. *D. de hered. vel act. vendit. l. si plus* 74. *§. vlt. D. de euict.*

2 Simile quiddam est *in l. vxor marito* 51. *D. de donat. int. vir. & vxor.*

3 *L. cum quæritur* 6. *C. de inoff. testam.*

4 *L.* 3. *in princip. & §.* 1. *D. de bonor. poss.* iunct. *l. heres in omne* 37. *D. de acquir. hered.*

5 *l. nam is* 6. *D. de dolo.*

6 Quoties enim non ob aliam causam quis tenetur, quam quod actiones habeat, liberatur præstando actiones, *l. quod debetur*, 51. *in fin. D. de pecul. l. quod si in diem* 16. *§. vlt. l. item veniunt* 23. *§. ait Senatus, de pet. hered.* Facit *l. in creditore* 38. *D. de euict.*

7 Iuxta *l. si constante* 24. *D. sol. matr. l. vbi adhuc* 29. *C. de iur. dot.*

8 Sententia enim inter auditos & consentientes ius facit, *l. si fundus* 16. *§. si plurib. D. de pign. l.* 13. *§. pen. de iureiur.*

9 *l. heredem* 59. *l. hereditas* 62. *de regul. iur.*

10 *l. transactione finita* 30. *C. de transact.* Bart. *ad l. iusiurandum* 17. *§. procurator, nu.* 4. 5. *&* 6. vbi vide *D. de iureiur.*

11 Æstimatio enim ab vno facta non nocet aliis, *l. si fundum* 8. *§ si libert. de leg.* 1. *l.* 5. *§. circa, de donat. int. vir.*

DEFINITIO X.

De minore curatorem non habente restitutionem petente ex causa læsionis aduersus iuratam prædij paterni venditionem.

MInor curatorem non habens, qui rem suam immobilem sine decreto vendidit, interposito tamen

BIU Cujas

tamen, vt fieri solet, iureiurando, si nullo modo læsus sit, non est in integrum restituendus,[1] quamuis paternum & hereditarium fundum vendiderit,[2] nisi proponas domum venditam, in qua sint maiorum imagines,[3] aut quid aliud simile, quod iustam minoris affectionem esse suadeat ad inducendam restitutionem.[4] Auctoritas namque iurisiurandi eo iure, quo vtimur, supplet defectum solemnitatis & decreti.[5] Itaque cessante causa nullitatis,[6] sola superest æquitas restitutionis,[7] cui porro minor tantum ætas, nisi læsio aliqua concurrat, locum facere numquam potest.[8] Plane si læsio interuenerit, siue in precio, siue in eo, quod sine causa vendiderit rem, quam non expediebat vendere, restitutioni locus erit,[9] nec eo minus, quod cum alio æque minore contractum proponatur.[10] Cæteris enim paribus melior semper est conditio minoris, qui certat de damno vitando.[11] *Ita Senatus* contra Henricum Potier 16. Calend. Mart. 1594.

1 Quia, vt sequitur in Definitione, cessante causa nullitatis propter auctoritatem iurisiurandi, superest sola quæstio restitutionis, quæ porro citra læsionem competere nulla potest, *l. si quidem* 11. *C. de præd. minor. l. nam posteaquam* 14. *§. si minor. D. de iureiur.*

2 Ita enim fieret, vt pupillis aut minoribus nihil vendere liceret ex eo, quod à parentibus accepissent, ne quidem cum decreto, quod falsum est: semper namque minor læsus reperiretur.

3 *L. lex quæ tutores* 22. *versic. nec vero domum, C. de administrat. tutor.*

4 *L. si in emptionem* 35. *D. hoc tit.* facit *l. libertus* 36. *D. de bon. libert. vers. veluti si prædia, l.* 1. *§. & alias videamus* 15. *D. si quid in fraud. pat.*

5 *Auth. sacramenta, C. si aduers. vendit.* Alex. *cons.* 27. *& cons.* 125. *num.* 6. *lib.* 1.

6 Quæ subesset facta alienatione rei immobilis sine decreto, *l.* 2. *l. prædia* 8 *l. si minor* 15. *& pass. C. de præd. minor.*

7 *d. l. si quidem* 11. *eod.*

8 *d. l. nam posteaquam* 14. *§. si minor, D. de iureiur. l. verum* 11. *§. sciendum est, D. hoc tit.*

9 *L. patri* 27. *§. item ex diuerso. l. minor* 40. *§.* 1. *l. tutor* 47. *in princ. & §.* 1. *& pass. D. eod.*

10 Si modo solus ille captus sit, qui vult restitui, *d. l. verum, §. item quæritur pen. à contr. sens. eod.*

11 *dict. §. item quæritur.* vbi additur, Si vterque certet de damno vitando, quia forte pecuniam ab alio acceptam alius consumpserit, potiorem esse causam eius qui consumpsit. Facit *l. si minor* 34. *eod. l. si seruum* 91. *§. sequitur, in fin. de verbor. obligation.*

DEFINITIO XI.

De minore procuratorem ad lites constituente, siue curatorem habeat, siue non, & siue iurauerit, siue non.

CONstitutio procuratoris sine curatoris auctoritate facta per minorem habentem curatorem non valet, etiamsi iusiurandum interuenerit,[1] sicuti nec aditio aut repudiatio hæreditatis, aut quid aliud simile.[2] Denique eo iure vtimur, vt nihil omnino facere possit sine curatore minor, qui habet curatorem, non magis, quam si adhuc impubes esset,[3] multo minus hæreditatem, quam ipsius nomine tutor aut curator agnouerat, repudiare potuerit,[4] ne in iudicio quidem.[5] Itaque si id facere velit, licet aduersarius repudiationi consentiat, Iudex tamen decernere debet, vt ante omnia curator in ius vocetur, & audiatur.[6] *Ita Senatus* in secreto auditorio pro N. Petel Maurianensi 16. Calend. Aprilis 1595.

1 Secus est si minor non habeat curatorem, quia tunc iuramentum repræsentat eum maiorem, *d. Auth. sacramenta,* vbi Bart. & alij, Idem Bart. *in l. minor* 18. *§. sin autem, D. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst.* 35. *& quæst.* 494. *vers. sed aduerte.* Adde eundem Bart. *in l. cum minor, numer.* 1. *D. rem rat. haber.* Quod si neque curatorem habeat neque iurauerit, constitutio procuratoris nulla est, & processus, qui inde sequitur, nullus. Guid. Pap. *d. qu.* 494. Excipe causas, in quibus posset minor per se stare in iudicio; Nam & in iis poterit per se & sine curatore dare procuratorem, Bartol. *in l. diuus Seuerus, §. curatores. num.* 1. *D. qui per tutor. l.* 17 *§. idem ait est nepoti* 20. *de iniur.* Sed ad negotia procuratorem constituere quilibet minor potest, id est, etiam qui curatorem non habet, Idem Bart. *in l. neque tutores, num.* 12. *Cod. de procurat.*

2 Est enim aditio & repudiatio hereditatis res magni momenti, & quæ plurimum iudicij & consilij requirit, cum is, qui adit, obligetur, *l. more* 8. *& seq. D. de acquir. hered.* qui vero repudiat, amittat occasionem acquirendi, *l. quod autem* 6. *§.* 1. *quæ in fraud. credit. l.* 4. *D. ad SC. Trebell.*

3 Aut prodigus, *l. si curatorem habens* 3. vbi Bart. & alij, *Cod. hoc tit.*

4 Licet ea agnitio nullius sit momenti, quia non potest adire tutor pro pupillo, nec curator pro adulto, sed pupillus ipse adire debet tutore auctore, minor qui curatorem habet curatore auctore, *d. l.* 8. *& 9. de acq. hered. l. potuit* 5. *Cod. de iur. delib.* Extra casum *l. si infanti* 18. *eod. & l. vltim. §. sin vero, Cod. de curat. furios.* Quanquam si iuris ratio inspiciatur, curatoris auctoritas in hanc rem prorsus inutilis est, *l. cum in vna* 17. *§. tutor, D. de appellat.*

5 Quia nec in iudicio comparere potest sine curatoris auctoritate, nisi fortasse pupilli exemplo ad decretum Iudicis implorandum, *arg. d. l. infanti, in fin.*

6 Vt audito curatore possit decernere, an minori expediat hæreditatem delatam adire aut repudiare.

DEFINITIO XII.

De restitutione minoris aduersus nouum creditorem, qui minore mandante veteri soluit.

QVoties creditori minoris, aduersus quem restitui minor potuit, alius mandante minore soluit, si postea minor ex causa ætatis & læsionis in integrum restitui velit, non aduersus secundum creditorem, qui priori soluit, sed contra priorem impetrare debet restitutionem.[1] Subsistente siquidem primo contractu fieri non potest, vt non vtiliter minoris negotium ille gesserit, qui pecunia sua priorem creditorem dimisit.[2] Quod si qua ratione minor læsum se conqueri potest, is vt à primo creditore læsum se probet necesse est. Id vero inaudito eo fieri nequit lite contra secundum creditorem solum instituta, cuius nihil interest; quique exceptiones in promptu non habet, per quas restitutionis beneficium excludi fortasse posset.[3] *Ita tractatum est* quibusdam tamen dissentientibus, in causa Nicolai Despatron, contra Petrum Cochet Idib. April. 1595.

1 Imo potius contra vtrumque simul, *arg. l. in causæ* 13. *§. vnde tractari, D. hoc tit.* Et sane durum est dari restitutionem in integrum, aut condictionem contra eum, qui suum recepit, *l. repetitio* 44. *de cond. indeb. l.* 5. *§. pen. de dol. mal. except. l.* 1. *§. quod si patre, quar. rer. act. non det. l. si quis* 12. *D. de noua. l. vt mihi* 21. *D. de donat.* facit *l.* 6. *§. sciendum, D. quæ in fraud. cred. l. nihil dolo* 129. *de reg. iur.* Vide *Definit.* 4. *in fin. Si min. ab hered. se abstin.*

2 Obstare tamen videtur *l. doli* 19. *§. idemque est, D. de nouation.*

3 *d. §. vnde l.* 29. *§. vlt. D. hoc tit.* Iunge *l.* 12. *eod.*

DEFINITIO XIII.

De comparatione pupilli & minoris curatorem habentis.

QVod nostris placet, puberem, qui curatorem habet, pupillo comparandum esse,[1] non facit, quominus ex eius iureiurando confirmentur contractus omnes ab eo initi, ac si curatorem non haberet, si modo curatoris auctoritas interuenerit,[2] posteaquam placuit, sacramenta puberum vim habere decreti ad confirmandam alienationem, quam minor contra leges & sine decreto fecerit.[3] Itaque hactenus comparabitur pupillo minor curatorem habens, vt si sine

BIU Cujas

curatoris auctoritate rem immobilem alienet, etiam accedente iureiurando, non valeat alienatio. [4] Cæterum extra causam illam alienationis bonorum immobilium constat, puberes etiam sine curatoribus suis recte obligari, [5] si prudentibus magis quam Interpretibus credamus, [6] quamuis alio iure vtamur. [7] *Ita tractatum est* in causa Claudij Vuillierme & D. de la Biguerne Idib. Sept. 1595.

2 *L. & prodigo, l. si curatorem 3. C. hoc tit.*

2 Etsi tutoris auctoritatem interuenire non sufficeret, vt pupillus ex iureiurando obligaretur.

3 *Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

4 *d. l. si procuratorem.*

5 *L. puberes 101. de verb. oblig.*

6 Iac. Cuiac. *ad d. l. puberes*, contra receptam Interpretum traditionem.

7 Vt tum etiam, cum de nuda obligatione agitur, pubes habens curatorem pupillo æquiparetur, perinde ac si ageretur de prædiorum distractione.

DEFINITIO XIV.

Interlocutio, per quam pronunciatum est instrumentum bonum & authenticum, non impedit restitutionem in integrum.

IVdicis interlocutio, quæ instrumentum contractus initi cum minore pro bono & authentico pronunciauit, beneficium restitutionis, quod postea minor petit, vt contractus rescindatur, ei adimere non potest, [1] maxime vero si interlocutioni causam dederit contumacia tutoris vel curatoris: [2] siue quod administratoris delictum aut negligentiam minori non nocere oporteat, [3] siue quod eiusmodi interlocutio ad formam instrumenti extrinsecam potius, quam ad intrinsecam contractus substantiam referenda videatur, [3] siue denique quod ipsum etiam restitutionis nomen supponat valere ipso iure contractum, aduersus quem restitutio postulatur, [5] ne auxilium extraordinarium ab eo, qui ipso iure tutus sit, frustra & contra iuris nostri regulas imploretur. [6] *Sine die.*

1 Nihil enim commune habet fides instrumenti cum venia ætatis, *arg. l. Papinianus exuli 20. de minor.*

2 Solent enim interlocutiones tales fieri in pœnam contumaciæ. Not. *in l. de ætate 11. §. qui tacuit, D. de in interrog. in iur. faciend.*

3 *L. vlt. & tot. tit. C. si tut. vel curat. interuen.* Excipe tamen casum *l. properandum 15. §. vlt. C. de iudic.*

4 Dicitur enim bonum & publicum & authenticum instrumentum, quod formam publicam & solemnem habet extrinsecam. Not. *in Auth. si quis in aliquo, C. de edend. & in l. vlt. C. de fid. instrum.* Aliud est autem tractare de instrumento, aliud de contractu.

5 *L. 3. C. si aduers. libert. l. 2. C. de præd. minor.*

6 *L. in causæ 16. D. de minor. l. Imperatores 29. D. de reb. auctor. Iudic. possid.*

TIT. XIII.

DE FIDEIVSS. MINOR.

DEFINITIO I.

De restitutione minoris an prosit fideiussori?

IN quæstione illa, An in integrum restitutio minori concessa prosit fideiussori, [1] placet distinctio, An pro minore fideiussor interuenerit eo prorsus modo, quo pro maiore interueniisset, [2] quod simpliciter accepto fideiussore in dubio præsumendum est, [3] an quasi pro minore & contemplatione iuris Prætorij, [4] id est, ob eam duntaxat causam, vt creditori cautum esset, qui alioquin propter incertum ætatis ac restitutionis [5] non fuerat cum minore contracturus. Priore casu prodest fideiussori restitutio à minore impetrata, perinde ac si à maiore impetrata esset. [6] Posteriore vero non prodest, [7] nisi creditoris dolo minor circumscriptus proponatur. [8] Quidni enim hoc casu restitutio minoris prosit fideiussori, cui & citra restitutionem doli exceptio ex persona minoris prodesse posset? [9] Quippe quæ ex parte obiicientis in rem potius sit, quam in personam, [10] ac proinde ex earum genere, quæ vel inuito debitore competunt fideiussori. [11] Plane omni casu minor à fideiussore iudicio mandati conuentus eodem ætatis fauore aduersus fideiussorem quoque restitui poterit, [12] ni dolus proprius sit impedimento. [13] *Ita Senatus* in causa Ioannis Antonij Gleiron & Ioannis Crispini, contra D. de Moyron Id. Decemb. 1590.

1 De qua *in l. 1. & 2. C. hoc tit.*

2 Id est, non tanquam pro minore, sed tanquam pro alio quolibet etiam maiore, quia nihil vetat etiam à maioribus fideiussores dari.

3 In dubio enim iure communi vsus quis creditur potius quam speciali, *l. si miles 7. de iniust. rupt.* sicut & causa naturalis inspicitur magis quam accidentalis, *l. 1. §. 1. D. de tutel.*

4 Quomodo Papinianus loquitur *in l. Stichum aut Pamphilum 95. §. quod vulgo, D. de solut.*

5 Sic loquitur idem Papinian. *in l. si Titius 48. §. 1. D. de fideiuss.* de cuius sententia & emendatione scripsi *lib. 8. Coniect. cap. 1. & 2.*

6 *L. minor 51. D. de procur. l. 2. §. 1. D. de administr. tut. l. si pupillus 89. de acquir. hered. l. exceptiones 7. §. 1. D. de except.*

7 *L. in causæ 13. D. de minor. d. §. quod vulgo, d. l. si Titius.* Paul. *lib. 2 sentent. tit. 9 §. 5. l. 1. C. hoc tit. l. si pupillus 35. D. de recept. qui arb.*

8 *l. 2. C. eod. d. l. exceptiones 7. §. 1.*

9 *d. l. exceptiones, in fin.*

10 *L. 2. §. 1. & 2. D. de doli mali except.*

11 *d. l. exceptiones, §. 1. l. & heredi 11. §. vlt. l. quod dictum 32. de pact.* facit melius *l. vlt. ill. tit. de pact.*

12 *d. l. 1. C. hoc tit. d. l. in causæ.*

13 Nunquam enim minoribus in dolo subuenitur, *l. si ex causa 9. §. nunc videndum, D. de minor. l. 1. Cod. si aduers. delict. l. sed etsi 5. §. quod si impubes, D. ad leg. Aquil.* Ergo non semper minoris restitutio prodest fideiussori, sed interdum, vt Vlpian. loquitur *in l. 3. §. sed vtrum, D. de minor.* id est, secundum suprascriptam distinctionem. Scripsi lib. 8. Coniect. iur. ciuil. cap. 1. & sequentib.

TIT. XIV.

DE FILIOFAM. MINOR.

DEFINITIO I.

De filiofamilias fideiubente pro patre à carceribus liberando.

PAter ex causa criminis in carceres detrusus, & de non offendendo ad certam vsque quantitatem satisdare damnatus, [1] vndique conquisitis fideiussoribus nec inuentis, oblata etiam vxore quam minus idoneam esse constiterat, [2] postremo loco filium ex prædefuncta coniuge minorem annis viginti quinque offerebat. Aduersarius negabat admittendum propter periculum in integrum restitutionis, si quando filius vellet dicere, paterna se reuerentia coactum & iuuenili facilitate, vt pro patre fideiuberet. [3] Visum est, iustam intercedendi causam habere filium, qui id ageret, vt patrem alioqui miserum & perpetuis carceribus mancipandum liberaret: [4] cum si in eo minus officiosum se præberet, exheredari merito ob eam causam tanquam ingratus ex Iustiniani constitutione [5] posset. Proinde verendum non esse, ne prætextu minoris

minoris ætatis aduersus illam intercessionem restitui minor quandoque posset. [6] Neque enim læsus videri deberet, qui iure communi vsus fuisset, [7] quique non aliud fecisset, quam quod, vt faceret etiam maior, [8] pietatis intuitu, & iustæ exheredationis metu cogi potuisset. [9] Cum tamen filij quoque perinde ac mulieris facultates suspectæ probarentur, receſſum fuit ab hoc tractatu, alioque adhibito remedio victoris indemnitati & saluti consultum. *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Iacobi de Minioux, & D. Car. Dorlier tunc Iuridici apud Chablasienses maioris postea Senatoris meritissimi 13. Calend. Ianu. 1594. & iam antea 3. Non. Sept.

1 *Iuxt. l. illicitas 6. §. ne potentiores, ff. de offic. Præsid.*

2 Non solum propter exceptionem Senatusconsulti Velleiani; quæ datur contra intercessionē, & cui tamen renunciari potest, *l. pen. §. penul. D. ad SC. Velleian. l. iubemus 21. C. eod. l. vlt. & Auth. matri & auiæ, C. quand mult. tut. off. fung. potest.* sed etiam quia non erat dos satis idonea. Posset etiam dici, fœminam non posse alium defendere, ne maritum quidem, *l. 4. l. alienam 18. C. de procur. l. neque fœmina 54. D. eod.* Sed hic non de defensione agebatur, sed de fideiussione, quam vtique præstare mulier potest pro marito è carceribus eximendo.

3 *Arg. l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.* Neque enim æs alienum patris soluere non cogitur, *l. 5. §. parens 16. de lib. agnosc. l. 1. C. hoc tit.*

4 Neque enim modica filij ignominia est, si patrem talem habeat, *argum. l. 1. §. vltim. D. de liber. caus.* Nec quicquam vetat filium pro patre fideiubere, *l. si pro patre 10. in princip. & §. 1. D. de in rem verso. l. fideiussor 22. §. 1. D. de pignorat.* Nam & sublata proxima causa ſt pulationis, quæ propter restitutionem ex causa læsionis & paternæ verecundiæ inanis esse posset, superest pristina causa pietatis, quæ impedit condictionem, ne possit filius petere vt liberetur, *arg. l. penultim. D. de condiction. ob turp. caus. l. cum is 32. §. mulier, D. de condict. indebit.* Facit *l. sed etsi 21. D. solut. matrimon.*

5 Nouell. 115. *vt cum de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum, § si vnum de prædictis*, qui licet loquatur de patre captiuo, tamen etiam porrigi potest ad eum, qui in carcere detinetur pro delicto, si de suo satisfacere non possit, quia nec liberari potest cedendo bonis, vt dicam *infr. titul. qui bon. ceder. poss. Definit. 4.* Quid enim interest, an parietibus quis, an compedibus teneatur? Inquit *l. succurritur 9. D. ex quib. caus. maior.* Qui namque satisdare tenetur, etiamsi sit locupletissimus, pro idoneo non habetur, *l. minor 51. §. vltim. & ll. sequent. de procurat.*

9 Non enim restituitur minor ob id solum, quod sit minor, nisi sit etiam læsus, *l. verum 11. §. sciendum, D. de minor. l. nam posteaquam 9. §. si minor, D. de iureiur.*

7 *L. vltim. Cod. de in integr. rest. minor. l. inter eos 51. § penultim. D. de fideiussor. l. in pupillo 47. § 1. de solut. l. nihil consensui 116. §. non capitur, de regul. iur.* Ioann. Papon. *in syntagm. Arrest. libr. 7. titul. 1. §. 3.*

8 Text. est elegans *in l. antepen. §. vlt. D. de minor.*

9 *Argum. l. qui non facit 121. de reg. iur. l. cum plures 12. §. cum tutor, & l. seqq. §. in soluendo, D. de administr. & per tut. l. 4. D. vbi pupill. educar. deb.* Itaque videtur filiusfamilias hoc casu fideiubere in rem suam perinde ac patris, quia dignitas patris est dignitas filij, *l. filiam 9. D. de Senat.* & contra infamia patris est infamia filij, *dict. l. 1. §. vltim. de liber. caus. & in l. isti quidem 8. in fin. D. de eo quod met. caus.* Vnde est quod patrem etiam bannitum vt loquuntur, dum ne perduellem filius alere tenetur Nell. de Sancto Geminiano post alios, quos citat *in tractat. de bannitis, quæst. 48.*]

DEFINITIO II.

Filiofamilias fideiubenti pro patre ex causa iusta, & decreto Iudicis, curator dandus non est.

CVm iusta causa est permittendi, vt filiusfamilias, licet minor annis vigintiquinque pro patre fideiubeat, [1] quemadmodum in ea specie, de qua proximè scripsimus, an curator ei ad actum dari debeat, dubitatum est, [2] quibusdam sic affirmantibus ad facilius denegandum beneficium restitutionis ei, qui alioquin & ætatis, & metus, vt vocant, reuerentialis prætextum vellet obtendere [3] Sed placuit non nisi ineptè curatorem ei dari posse, qui in patris iure ac potestate esset constitutus, [4] quique & sine curatore obligari rectè posset ex quocunque contractu, [5] accedente præsertim iureiurando. Nec enim egere poterat auxilio curatoris, ad exploranᵈum, an facere deberet, quod Senatus ex officio facere eum debere pronunciaret. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Regulariter enim restitui potest filiusfamilias minor, qui fideiubet siue pro patre, siue pro extraneo, *l. 1. C. hoc tit.* Extra hanc causam non solet filiisfamilias minoribus succurri, ne per eos patribus quoque succurratur, nisi in causis, ex quibus patri non acquirunt, *l. 3. §. sed vtrum, l. AEmilius 38. §. vltim. D. de minor. l. vlt. §. vbi autem 6. C. de bon. quæ liber.* Vide *l. si dubitet 10. §. filiusfamilias, D. de fideiuss.*

2 Dubitandi causa est, quia neque filiusfamilias videtur posse stare in iudicio, sine auctoritate patris, *l. vltim. §. necessitate, C de bon. quæ liber.* neque pater auctoritatem filio præstare in rem suam, *l. 1. l. 5. l. quod dicimus 7. de auctor. tut. in princ. & in fin.*

3 Difficilius enim est, vt decipiatur minor, qui adhibet curatorem, *l. ait prætor 7. §. 1. D. de minor. l. cum pater 77. §. curatoris, de leg. 2.*

4 Curatorem tamen certis eius bonis dari nihil prohibet, vt in casu *d. l. vlt. §. 1. vers. nolente.*

5 *L. tam ex contractibus 57. D. de iudic. l. filiusfamilias 8. D. de procurat.*

6 Decretum enim Iudicis supplet præsentiam patris & curatoris, *dict. l. vltim. §. nolentes, l. si infanti 18. in fin. Cod. de iur. deliber. l. bonorum 7. Cod. qui admitt.*

DEFINITIO III.

De filiofamilias, qui se depositarium constituit pro patre.

FIliusfamilias minor annis vigintiquinque, cum pater vrgeretur ad solutionem, vt pecuniam à se debitam vel solueret, vel obsignaret, professus fuerat depositam penes se pecuniam, vel quam aliam rem, quæ pecuniæ loco esset, cum tamen reuera nihil accepisset. Non magis iuuabitur per in integrum restitutionem, quam si reuera depositum suscepisset. Nihil enim interest, quod ad creditorem attinet, an depositarius quis sit, an depositarium se constituerit, si quidem non magis huic, quam illi exceptio vlla competit, [2] Minusque succurrendum illi est, qui vt exequenti apparitori illuderet finxit se depositarium, cum non esset. [3] Accedit enim ea res proximè ad dolum, [4] in quo genere minoribus quantumlibet læsis succurri non solet. [5] Quamquam malè & perperam fecisse apparitorem constabat, qui passus esset pecuniam aut quam aliam rem, quæ pecuniæ loco esset, deponi penes filiumfamilias debitoris, [6] quia cum eadem sit persona filij & patris, [7] perinde est ac si pater ipse idémque debitor in depositarium eligeretur, [8] quod vtique fieri nemo probauerit, [9] hoc ita si non creditor ipse consentiat. Neque enim volenti fit iniuria. [10] *Ita tractatum est* in publico auditorio Idib. Septem. 1595. postea pronunciatum Ant. Calend. April. 1596.

1 Confessio enim in depositō probat veram numerationem saltem in præiudicium confitentis, *l. Publia 26. §. vlt. D. depos. l. in contractibus, C. de non num. pecun.*

2 Andr. Tiraq. latè *de retract. conuent. §. 4. gloss. 6. num. 8. & sequent.*

3 *Argum. l. 1. §. idem Pomponius quærit. 14. D. depos.* Mendacium enim puniri æquum est, *l. 4. l. si sine 9. l. de ætate 11. §. si cum esset, & §. qui tacuit, de interr. in iur. fac. l. si dubitet 10. §. 1. D. de fideiuss. l. vltim. D. de rei vindic.* præsertim cum hoc mendacium alioqui futurum sit creditori captiosum, *l. vltim. D. quod falsi tutor. auctor.* Nam & in pupillo id obtineret, *l. quid enim 14. D. de dolo.* [Huc pertinet quod scriptum est, *in Auth. item possessor Cod. qui potior. in pign. hab.* Eum qui negauit ius auctoris sui, nullam postea exceptionem ex illius iure posse obiicere. Cui simile est, quod si fideiussor vel mandator neget se fideiussisse vel mandasse, & postea conuincatur de mendacio, exceptio-

BIU Cujas

nem ordinis postea non habet, In pœnam scilicet mendacij. *Ita Senatus* in causa Iacobi Quiblier, & Antonij Matthieu Non. April. 1612.]

4 *Arg. l. pen. D. eod. tit. de dolo, l. qui se liti* 45. *D. de petit. hered. l. nec vllam* 13. *§. non solum, & l. seq. eod. l. vltim. D. si vsufr. pet.*

5 *L. si ex causa* 9. *§. nunc videndum, D. de minor. l.* 1. *C. si aduers. delict. l. sed etsi* 5. *§. quod si impubes, D. ad l. Aquil.*

6 Ioan. Papon. *in syntag. arest. lib.* 18. *tit.* 5. *§.* 22.

7 *l. vlt. C. de impub & aliis substit.*

8 *Arg. l. si apud filiumfamilias* 21. *D. depos.* iunct. *l.* 1. *§. si apud seruum* 18. *D. eod.*

9 Nec enim fieri potest, vt idem & deponens sit & depositarius, non magis quam vt idem sit & debitor & creditor, aut fideiussor sui ipsius, *l. heres à debitore* 21. *§. seruo tuo, & seq. D. de fideiuss. cum similib.*

10 Ipse enim aut non est deceptus, aut se decepit, *d. l. qui se liti* 45. *D. de petit. hered. l. nam si actor* 26. *D. de rei vindic.*

TIT. XV.

SI TVT. VEL CVRAT. interuen.

DEFINITIO I.

Cui incumbat onus probandi, pecuniam fuisse versam in rem minoris vel perditam.

QVod dicimus, Minore, qui rem suam immobilem sine decreto alienauerat, [1] si venditio propter iurisiurandi religionem teneat, [2] restitutionem in integrum postulante, [3] emptori incumbere onus probandi, versum fuisse precium in rem minoris, [4] non habet locum, si minor cum curatoris auctoritate contraxerit. [5] Credendus enim est curator pro officij sui ratione id egisse, vt in rem minoris pecunia verteretur: [6] in eoque duntaxat prodest emptori adhibitam esse curatoris auctoritatem; cum alioqui facta venditio à minore curatorem non habente non eo minus valeat, si iusiurandum interuenerit, [7] Adeo vt nec rescindi possit, beneficio restitutionis, si læsio nulla concurrat: [8] sicut ex contrario interueniens curatoris auctoritas probata læsione restitutionis auxilium non excludit. [9] Cæterum non vsque adeo minori nocere debebit interuentus curatoris, vt audiri non debeat, si probare velit, pecuniam à se malè consumptam: [10] si non ex aduerso probet emptor solutam auctore etiam curatore. Nam qui minori soluit cum curatoris auctoritate tutus est, [11] neque curiosus esse debet, quam in rem postmodum pecunia impendatur. Pertinet enim id ad periculum curatoris & fideiussorum eius, si quos dederit, [12] adeoque minoris ipsius, qui imputare sibi debet, quod curatorem hunc sibi dari petierit, [13] cum curator non nisi petenti detur. [14] *Ita Senatus* in causa N. Franciſci Denarie contra Bartholomæum de Valon 8. Id. August. 1588. & in causa Hypolyti Fernier, contra fratres Raymondos Maurianenſes 12. Calend. Iul. 1592.

1 Quo casu si iusiurandum non interueniat, competit vindicatio, quia minori integrum manet ius dominij propter legis prohibitionem, *l.* 5. *§. penult. l. pen.* §. 1. *D. de rebus eor. qui sub tutor. l. prædia* 8. *l. si quidem* 11. *l. si prædium* 16. *& pass. Cod. de præd. minor.*

2 Iuxta Auth. *sacramenta, C. si aduers. vendic.*

3 *d. l. siquidem vers. si vero.* Vide quæ scripsi in Ration. *ad §. restitutio, l.* 24. *de minor.*

4 *l. prædiorum* 10. vbi gloss. & DD. *d. l. si prædium* 16. *eod.*

5 Intellige, Omni casu quo minor petit restitutionem, siue quia vendiderit rem, quam non expediebat vendere, aut precio viliore, siue quia precium male consumpserit, secundum distinctionem Bartoli *in d. l. siquidem.* Nam & cum non aduersus solutionem, sed aduersus venditionem ipsam restituendus est, siue ad rem præcise habendam, siue ad precium supplendum curatoris interueniens auctoritas facere debet, vt præsumptio sit pro emptore, quamuis probet minor id, quod est causa suæ intentionis, quia ponimus contractum tenere: alioqui de restitutione quæri non oporteret, *l.* 2. *d. l. si quidem, l. in causa* 16. *§. & generaliter, D. de minor.* Imo & vulgo creditum est sufficere, vt contractus teneat, post Glos. & Bart. *ad dict. l. prædiorum,* quod si ita est, nihil refert, an curatoris auctoritas interuenerit necne. Sed ego non possum probare, quia tum etiam, cum contractus tenet, non satis tuto minori soluitur sine curatore, *l.* 7. §. 1. *D. de minor.* nisi venditio facta sit cum decreto, quomodo accipienda est, *l. quod si minor* 24. *§. restitutio. l. patri* 27. *§. item ex diuerso, D. eod.* Si enim venditio non teneat nisi propter vim iurisiurandi, & minor restituendus sit, non puto duriorem constitui debere causam minoris, quam si non iurasset, dummodo impetrauerit absolutionem, vt dicam infr. Def. 2. Si aduers. vendit. quia iuramentum non respicit causam solutionis, nec quicquam facilius esset, quam eo modo minores decipere. Ergo si venditio non teneat, multo minus nocebit minori interuentus curatoris, quo minus probandi onus de precio in rem minoris verso emptori incumbat, cum hoc casu minor habeat vindicationem, quæ non potest excludi nisi per doli exceptionem, vno illo casu, quo minor, ex alieno damno locupletari velit, *d. l. si prædium, l. vtere, C. de præd. minor. l. pen. D. eod.* In qua exceptione procul dubio emptor semper actor est. Neque hoc casu locum habet illa ratio Vlpiani *in d. §. restitutio.* quod emptor soluere precium necesse habeat, quia neque ex venditione nulla precium soluere est necesse. Excipe contractum mutui, de quo in Defin. 1. inf. Si aduers. credit.

6 Sicut & credendus est decipiendi minoris consilium non habuisse is, qui cum minore contracturus adhibuit curatorem, *d. l.* 7. §. 1. *D. de minor.*

7 Dixi Def. 10. §. *de in integr. rest. minor.*

8 *l. nam postea quam* 9 §. *si minor. D. de iureiur.*

9 *l.* 2. 3. *vlt. & pass. C. hoc tit.*

10 Præsumptio enim eliditur per probationem contrariam, *l. si chirographum* 24. *& seq. D. de probat.*

11 *d. l.* 7. §. 1. *D. de minor. l.* 1. *C. si aduers. solut.*

12 Cum sint idonei, *l. intra* 39. §. *vlt. D. de minor. & tit. de fideiuss. tut.* iunct. *tit. de magistr. conuen.*

13 *l.* 1. §. *item quæritur* 11. *D. de separ.*

14 §. *item inniti, Instit. de curat. l. mutuus* 43. §. *is qui curatorem, D. de procurat.*

DEFINITIO II.

De curatore dato ad præstandum auctoritatem minori donaturo vel vendituro.

SI curator ad hoc ipsum datus sit, vt donet aut vendat bona minoris immobilia, vel vt venditurо aut donaturo minori auctoritatem præstet, non aliter valet curatoris datio, quam si eædem iuris solemnitates interuenerint, quas interuenire necesse est in alienatione rerum minoris: [1] quod alioqui in fraudem minoris & dolo malo eius, qui cum minore contracturus est, ea auctoritas captata videatur. [2] *Ita Senatus* pro Donata Morens contra Bertrandam Morens 6. Id. Iun. 1590.

1 *l.* 1. vbi Bald. *Cod. si aduers. donat.* Simile est quod dicimus, pupillum aut adultum sicuti alienare non potest, ita nec procuratorem constituere posse ad alienandum etiam tutore auctore. Bartol. *in l. neque tutores, numer.* 10. *&* 11. *C. de administr. tutor.*

2 Auctoritas enim dolo malo præstita non nocet, *l. huius* 9. *l. falsus tutor* 11. *§. qui dolo malo. D. quod fals. tut.* licet actio, quæ ex edicto illo competit, tota sit in fauorem eius, qui dolo malo falsi tutoris deceptus fuit contrahens cum pupillo. Melior textus est *in l. siue generalis* 61. *D. de iur. dot.*

DEFINITIO III.

De verbis enunciatiuis prolatis per minorem contrahentem cum auctoritate curatoris.

VErba enunciatiua in contractu cum minore gesto apposita, quæ contra maiorem probarent, [1] probant etiam contra minorem, si curatoris auctoritas in contractu interuenerit, non aliter. [2] Hactenus nimirum, vt contrarium probandi onus in minorem ipsum

ipsum transferatur,[3] vtputa si in instrumento scriptum sit, minorem accessisse ad venditionem partis, quam in re communi habebat, propterea quod res illa commodè diuidi non posset,[4] præsertim cum id ipsum alij quoque coheredes eodem instrumento affirmassent.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 13. supr. De in integr. restit. minor.

1 Quomodo probant, quoties id continetur, in quo contrahentes possunt sibi præiudicare. Bart. *in l. 1. numer. 4. Cod. de fid. instrum. & in l. Publia 26. §. Titius, D. depos.* aut quoties iuramentum interuenit, siue principaliter propter se, siue incidenter, siue propter aliud, siue ad aliam directa, siue sint emissa, siue subaudita. Idem Bartol. *in l. ex hac scriptura, numer. 11. D. de donat.*

2 Nihil enim potest imputari ei, qui contrahit cum minore adhibito curatore, cur deterioris conditionis esse debeat, quam si contraheret cum maiore, *l. cum pater 77. §. curatoris, de legat. 2.* vbi est text. elegans.

3 Nam contra probationem, quæ ex verbis enunciatiuis inducitur, potest admitti contraria probatio, *l. pen.* vbi Bart. *nu. 1. C. de contr. & committ. stipul.*

4 Quæ res facere potest, vt minori expediat vendere, cum non possit diuidere, puta si habeat socium rixosum. Nam & ex hac causa si res diuidi posset, prouocare ad diuisionem etiam minor posset. Bart. *in l. iubemus 2. nu. 7. C. de sacros. Eccles.* facit *l. 1. §. 1. D. de reb. eor. l. pen. C. eod. l. 4. ff. pro soc. l. vlt. de iur. dot. l. inter 20. D. de auct. tut.* Et ibi Bart.

5 Affirmatio tamen illa est suspecta, vtpote quæ causam illam habere potuerit, vt facilius defenderetur venditio, quæ ipsis vtilior futura erat, si tota res venderetur, quam si eorum portiones duntaxat. Non enim tam facilè reperitur, qui emere partem velit. *l. tutor 47 §. 1. D. de minor. l. si quis aliam 46. D. de solut.* Neque hoc casu locum habet, quod dici solet, Eandem esse rationem partis & totius, *l. quæ de tota 77. D de rei vindic. l. si duo 51. in fin. D. de administr. tutor. l. si seruus 82. de acquir. heredit. l. 3. D. pro derelict.*

DEFINITIO IV.

De vocando curatore ad actum dato, vt adsit iudicio in integrum restitutionis.

ILlud obseruandum est, cum quæritur, Venditione per minorem facta auctore curatore, an minori expedierit vendere necne, & an pecunia vtiliter in rem minoris versa sit, nec ne, melius esse, vt ante omnia in ius vocetur curator hereśve eius, ne quicquam inaudito illo constituatur:[1] siue curator ille generaliter bonis omnibus minoris, siue ad actum duntaxat datus sit. Nam & qui ad actum datus est, perinde cogitur administrationis suæ rationem reddere.[2] Ad officium vero curatoris potissimum spectat, vt videat, an expediat minori vendere, & in quam rem precium vertatur. Multum tamen intererit, an minor ob id læsum se dicat: quod vendiderit, cum non sibi expediret vendere, an ob id tantum, quod precium malè consumptum sit & deperditum?[3] Priore casu vocandus est curator sumptibus & diligentia emptoris, posteriore minoris, quia priore casu contra emptorem præsumptio est,[4] posteriore contra minorem. Hoc ipsum ideo, quia emptori, priusquam emeret, fuit necesse emere, at ementem soluere fuit necesse.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum possit restitutio damnum ei afferre condemnato minore, *l. in causæ 13. vers. causa enim cognita, l. etiam 20. vltim. D. de minor.*

2 Exemplo procuratoris, qui & ad vnam rem dari potest, *l. 1. §. 1. D. de procurat. l. si procurator 10. Cod. eodem, l. si vero 10. §. contrario, D. mandat. l. 3. Cod. de in litem dand. tutor.*

3 Ita distinguit Bart. licet ad alios fines, *in l. siquidem 11. Cod. de præd. minor.*

4 Secundum eam sententiam, de qua diximus Defin. præced. quam tamen nos non probauimus.

5 *L. quod si minor 24. §. restitutio, D. de minor.*

TIT. XVI.

SI IN COMMVN. CAVS. IN integr. restit. pet.

DEFINITIO I.

De restitutione in integrum ab vno ex fratribus minoribus pro omnibus petita.

SI plures fratres in minori ætate contraxerint, aut eorum nomine tutor de re, quam in communi habuerunt, & ea læsio interuenerit, quæ locum faciat restitutioni, potest ab vno ex iis omnium nomine restitutio impetrari etiam citra mandatum, non solum quod ex iuris ratione permittatur coniuncto, vt agat pro coniuncto præstita rati satisdatione,[1] (coniunctas autem personas in proposito transuersales quoque intelligimus vsque ad quartum gradum [2]) sed etiam ratione connexitatis, &, vt nostri loquuntur, propter indiuiduitatem contractus,[3] si non alij fratres dissentiant, quorum etiam nomine restitutio postulatur:[4] contractuum enim omnium causa indiuidua est,[5] præsertim venditionum,[6] nec fieri potest, vt pro parte valeant, pro parte non subsistant.[7] *Ita Senatus* in causa N. Nicolai Dauise Senatoris, contra Franciscum le Maistre Prid. Cal. Septemb. 1593.

1 *L. sed & hæ personæ 35. D. de procurat.*

2 Alex. *cons. 4. incip. videretur, col. 3. vers. circa primum, vol. 2.*

3 *L. vnic.* vbi Gloss. Bart. & cæteri, *C. hoc tit.* Ioannes Mauricius, qui dicit communem *in tract. de restit. in integr. c. 185. nu. 3. & 4.* & apertius *c. 144.* facit *l. si communem 10. quem. ser. amit. l. 4. §. si fundus, D. si seruit. vind. l. per fundum 11. rust. præd.*

4 Mauric. *d. c. 144.*

5 Hæc propositio non videtur generaliter vera, sed tunc tantum, cum de iis rebus contractus est, quæ diuisionem non recipiunt. *l. stipulationes non diuiduntur 72. de verb. oblig.*

6 Intellige ex parte emptoris, qui non fuit empturus partem, *l. si quis aliam 46. D. de solut.* Nam ex parte venditorum cum sunt plures, nihil vetat diuiduam esse venditionem, si res vendita diuidua sit. Ideoque nec restitutio minoris debet hoc casu prodesse maiori si emptor nolit, *l. tutor vrgentibus 47. §. curator, D. de minor.* Dicam Defin. seq.

7 Nimirum in vnius eiusdémque venditoris vel emptoris persona, quia non fuerit ille partem venditurus vel empturus. *d. l. si quis aliam 46. D. de solut.* facit *l. etiamsi 29. §. 1. D. de minor.* Iunge *l. cum ex causa 139. de verb. olig.*

DEFINITIO II.

De restitutione in integrum pro re communi per minorem impetrata.

COheredes plures qui fundum hereditarium communem & indiuisibilem habebant, eum tibi vendiderũt. Inter quos vnus fuit minor annis vigintiquinque, qui & iurauit nunquam se contrauenturum, & curatoris sui auctoritatem adhibuit. Si is postea in integrum restitui velit aduersus venditionem tanquam læsus, etiamsi læsionem probet non aliter audiẽdus est, quam si totum fundum recipere sit paratus, & vicissim totum precium reddere, id est, pro coheredũ quoque portionibus.[1] Neque enim aliter fieri potest, vt omnia in integrum & pristinum restituantur, cum tu partem fundi communis, præsertim indiuisibilis empturus non fuerit,[2] nec cogendus sis incidere in communionem si nolis,[3] in qua nec remanere cogi posses.[4] Sane non dabit ea res ius minori vt hoc prætextu possit fundum à te integrum auocare, & pro coheredũ partibus, nisi per te conditio deferatur.[5]

BIU Cujas

Diuersum esset si venditio perperam, & contra legis prohibitionem facta proponeretur, id est, sine decreto nec iureiurando interueniente. [6] Tunc enim sicuti non esset minori necessaria restitutio, [7] ita parum curandum esset an tu partem empturus fuisses, nec ne. Suam enim partem quasi nec alienatam pro indiuiso vindicare à te posset. [8] *Ita Senatus* in causa Claudij Vuillierme & Dominorum de la Biguerne, Idib. Septemb. 1595.

1 *d.l.tutor.47. §.curator in illis verbis, Nisi si emptor à toto contractu velit discedi, quod partem empturus non esset, D.de minor.*

2 *d.l.si quis aliam 46.D.de solut.*

3 *l.si non sortem 26.§.si centum D.de condict.indeb.*

4 *l.vltim. D.commun.diuid.* Scilicet propter difficultatem communionis, vt loquitur Vlp. *in l.qui neque 8.§.vlt. D.de reb. eor.qui sub tutel.* id est, propter discordias quas materia communionis excitare solet, *l.cum pater 77. §.duleissimis, de leg.2. l.in re communi 26.vrb.præd.*

5 *d.§.curator.*

6 *Tit.de reb.eor.qui sub tut.& C.de præd.minor.*

7 *L.2.Cod.eod.de præd.minor. l.in causæ 16.§. & generaliter, D. de minor.*

8 Nam & ad prædia communia pertinet oratio Seueri, vt neque obligari neque alienari possint sine decreto, nisi ea alienationis specie quæ fit necessario per diuisionem socio maiore prouocante, *l.1. §.2.in fin. l.5.§.vltim.l.qui neque 8.§.vltim.D.de reb.eor.qui sub tutel.*

TIT. XVII.

SI ADVERS. REM IVDIC.

DEFINITIO I.

Minor potest procuratorem constituere sine curatore, dummodo interueniat iusiurandum, nec petat ille dari sibi curatorem. Quem tamen dari semper melius est.

SI minor procuratorem ad lites constituerit adhibito, vt plerumque fit, iureiurando, [1] valent equidem omnia, quæ cum procuratore gesta fuerint, [2] & consequenter minore cõdemnato valebit sententia, reique iudicatæ auctoritatem, si ab ea prouocatum non sit, obtinebit. [3] Sed non excludet ea res beneficium restitutionis aduersus rem iudicatam petitæ, si minor læsus proponatur. [4] Consultius tamen facit is, cui res erit cum minore, si ei curatorem dari postulet, quo auctore procurator ad litem constituatur iudiciumque peragatur: ne tam facile minor quandoque conqueratur se indefensum fuisse, ex eaque causa impetret restitutionem. [5] Sed etsi minor curatorem nullum habens procuratore cum iureiurando iam constituto, dari sibi curatorem petat, & protestetur nolle se absque curatoris auctoritate litigare, dandus ei omnimodo curator erit. [6] Alioqui nec sententia valebit, si qua postmodum contra minorem reddatur, nec quicquam aliud, quod ab eo tempore cum procuratore geratur. [7] *Ita Senatus* sæpius.

1 Iuxta *Auth.sacramenta, C.si aduers.vendit.*

2 Bart. *ad d. Authent. num.22.* vbi defendit constitutionem illam locum habere etiam in iudiciis, quoniam in iudiciis quasi contrahitur, *l.3. §.idem scribit de pecul.* nec iusiurandum præstatur ab inuito: licet iudicium reddatur in inuitum, *l.inter stipulantem 83.§.1. De verb.oblig.* Idem Bart. *ad l.minor 18. §.sin autem, D de minor.*

3 Guid.Pap. *qu.35.& 494. vers.sed aduerte, Ex l.cum & minores 4.in fin.C. hoc tit.*

4 *d.l.cum & minores.*

5 *l.1.C.qui pet.tut.vel curat.l.si Præses 6.C.quom. & quand.iud. actia 45. §.vlt. D.de re iudic.*

6 Semper enim curator adolescenti petenti dandus est, præsertim in litem: quam in rem etiam inuito dari etur, *l.1.3.& vlt.C.de in lit.dand.tutor.* Vide Def.29.1. *De iudic.*

7 Non enim potest videri procurator legitimè constitutus à minore sine curatoris auctoritate etiam accedente iureiurando, ex quo minor curatorem habere voluit, cum huic solemnitati iuris (sic enim vocat, *l.vlt. C.de in lit.dand.tutor.*) satisfieri commode possit quandiu iudicatum non est. Idque etiam ad iudicij confirmationem & securitatem pertinet, quia facilius restituitur minor qui iurauit nec curatorem habuit, quam qui habet curatorem, cum nec faciat iusiurandum quin minor facilius decipiatur, *l.doli 19.§.Diuersum, D.de nouat.* Excipe causas in quibus potest minor per se stare in iudicio. Nam & in iis poterit constituere procuratorem sine curatore, vt dixi Defi.11. *num.1. supr. de procurat.* Ex Bart. *in l.Diuus Seuerus.§.curatores, num.1. D. qui pet. tutor.* quia, omnibus qui suo nomine actionem habent, procuratoris quoque dandi potestas est, *l.sed si vnius 17. §.idem ait etsi nepoti. D. de iniur.* Ergo & eodem modo, quandoquidem quisquis agit per procuratorem per seipsum agere videtur, ex vulgata iuris regula.

TIT. XVIII.

SI ADVERS. VENDIT.

DEFINITIO I.

De ratihabitione venditionis inutilis per minorem facta sine causa.

SI minor annis vigintiquinque, curatore auctore approbauerit venditionem rei immobilis, quam mater, siue filij tutrix fuisset, siue non, iam ante fecerat, neque precium vllum, neque iudicis decretum in eiusmodi approbatione interuenerit, Placet nullius eam esse momenti, quasi sine causa factam, [1] maxime si nec prioris venditionis à matre factæ precium versum erat in rem minoris. [2] Neque enim approbandi contractus præcedentis iusta causa illa sola est, vt contractus conualescat qui antea non valebat, [3] cum id quod malè & perperam gestum fuit, non nisi ex noua causa superueniente confirmari possit. [4] Quare nec ad rem pertinebit, quod in ea approbatione non solum curatoris auctoritas, sed etiam iusiurandum interuenerit, ex quo venditio rei immobilis à minore etiam sine curatore facta confirmari solet. [5] Aliud enim est vendere, aliud venditionem quam alter perperam fecerit, sine causa ratam habere. [6] Nec enim ratihabitio facta sine causa iure contractus censeri potest, aut habilis videri ad inducendam obligationem: [7] fereque est vt huiusmodi iusiurandum dolo potius extortum intelligi debeat. [8] Quod cum ita sit, consequens est, vt aduersus eam ratihabitionem, quæ ipso iure non tenet, non sit necessaria in integrum restitutio. [9] Sed tamen eo iure vtimur, vt impetrari illam tutius sit. [10] Sane absolutio à vinculo iurisiurandi propter periculum periurij omnimodo necessaria est. [11] *Ita Senatus* in causa Donatæ Morens, contra Bertrandam Morens, 8. Id. Iunij 1590.

1 Et quia laborat eodem vitio quo primus contractus, *l.doli 19.§.idemque est, D.de nouat.l.3.§.scio, D.de minor.*

2 Causa enim comprobandæ prioris venditionis iusta illa esse potest, si precium versum erat in rem minoris, quia & impediret ea res vindicationem oppositæ doli mali exceptione, *l. pen.§.1. D.de reb.eor. qui sub tutel. l.vtere 14. l.si prædium 16. C.de præd.minor.l.si precium 19.C.de procurat.*

3 *d.l.3.§.scio, D.de minor.* licet aliud sit si maior factus ratum habeat contractum in minori ætate gestum, quia quod dici solet spectandum esse principium non finem, tunc locum habet cum finis habet dependentiam à principio, vt *in d.§.scio*, quod non euenit cum voluntaria ratihabitio sit, Bart. *ad l.vnic.in fin. C.si in commun.ead.caus.*

4 Hoc enim est quod Bald. dicebat *dl.quædam 7. per il. text.*

BIU Cujas

text. D. de iur. codic. quotiescunque causa efficiens deficeret confirmationem nihil operari.

5 Secundum ea quæ diximus Def. 13. §. *De in integr. rest. minor. ex Auth. sacramenta, C. hoc tit.*

6 Sicut & dicimus, Aliud esse vendere, aliud vendenti consentire, *l. aliud est 160. de regul. iur.*

7 Omnis enim contractus, omnis obligatio causam aliquam habere debet, adeoque donatio animum exercendæ liberalitatis, de quo hic non constat, quique in minore non nisi frustra præsumi potest, quia cui donare non conceditur, nec si donationis causa consenserit alienationi rata eius voluntas habenda est, *l. cum quis 163. de reg. iur.* Minor autem donare non potest, ne quidem cum decreto, *l. vltim. Cod. si maior. fact. alien. rat. hab.*

8 Nam & dolo facere dicitur, qui agit ex stipulatione interposita sine causa, licet ab initio nihil dolo fecerit, *l. 2. §. circa, D. de doli mal. except. l. 3. C. de non numer. pecun.*

9 *Ex l. in causæ 16. §. & generaliter, D. de minor. l. 2. C. de præd. minor.*

10 Vt quod de facto processit, de facto etiam rescindatur, inquiunt pragmatici.

11 Quia proculdubio seruari posset hoc iuramentum sine dispendio salutis æternæ, vt tractant nostri ad *d. Auth. sacram.* Solet tamen hæc absolutio dari cuilibet petenti, & sine causæ cognitione, ac quod est consequens etiam inaudita parte, sed tamen ad fines agendi tantum, non vt idcirco iurisiurandi vinculum dissolutum existimetur, Guid. Pap. *quæst.*

DEFINITIO II.

De differentia decreti & iurisiurandi cum probandum est, an precium venditionis versum sit in rem minoris, nec ne.

ETsi alienatio rerum immobilium minoris sine decreto facta perinde confirmatur iureiurando puberis, ac si decreti solemnitas interuenisset; [1] Hoc tamen interest quod interueniente decreto, & causæ cognitione si minor postea ex causa concurrentis læsionis in integrum restituatur, [2] incumbit ei onus probandi pecuniam fuisse deperditam, & male consumptam. Nulla vero alia quam iurisiurandi solemnitate interueniente, perinde incumbit emptori onus probandi versam esse pecuniam in rem minoris, ac si contractus iureiurando confirmatus non esset, Vt hac parte minus operetur iusiurandum, quam interpositio decreti. [4] Nimirum quoniam eadem facilitate & fragilitate quis iurat, qua contrahit & decipitur. [5] Quod non similiter euenit, cum causæ cognitio per iudicem adhibetur. [6] Nec placuit illa quorundam distinctio. [7] An minor duodeuigesimum annum ætatis excesserit, nec ne. Eodem enim iure minores omnes hac parte vtuntur, [8] Cum prudentibus placuerit etiam de momento in momentum, quod ad hanc causam attinet, minoris ætatis tempora computari. [9] *Ita Senatus* in causa Nicolai Despatrons, contra Petrum Cochet, Idib. April. 1595.

1 *Auth. sacramenta, C. hoc tit.*

2 Intellige, Tum etiam cum restitutionis indulgendæ causa illa est, quod minori expediebat, aut non vendere, aut aliam rem vendere. Nam si minor in eo tantum se læsum dicat, quod acceptum precium perdidit, omnimodo probare ipse debet id, quod est causa suæ intentionis secundum distinctionem, Bartol. *in leg. prædiorum, & in l. si quidem, Cod. de præd. minor.* Item si restituatur minor, tanquam læsus in pretij quantitate, non in eo tantùm, quod perdidit pretium, ne obstet, *Defin. seq. num 6. & 7.*

3 Intellige in eodem casu, Sed adhibe exceptionem, Nisi curatoris auctoritas interuenerit: Tunc enim transfert illa onus probandi in minorem, vt scripsi *Defi. 1. §. Si tut. vel cur. interuen.*

4 Vide quæ scripsi ad *d. Defin. 1. num. 5.*

5 Non enim potest iusiurandum supplere aut corrigere imbecillitatem iudicij, quæ sola inducit æquitatem restitutionis, vt dixi Defin. 1. §. *De in integr. restit. minor.*

6 Tunc enim seruantur ea omnia, de quibus *in l. 5. §. non passim, de reb. eor. qui sub tut.*

7 Ioan. Imbert. in Enchirid. *in verb. minor.*

6 Quoniam ætati succurritur, non autem nisi per consequentias infirmitati consilij & iudicij.

9 *L. 3. §. minorem autem, D. de minor.* vt & in excusationibus tutelæ, *l. qui filium 74. §. vlt. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO III.

De minore qui vendidit sine decreto sub pacto de retrouendendo.

MInor qui rem immobilem sine decreto vendidit, excepta sibi redimendi facultate in certum vsque tempus, iustam causam non habet petendæ restitutionis, quamdiu rem suam iure communi & ex pacto habere potest. [1] Nec ad rem pertinet, quod etiam subducta huiusmodi iuris redimendi æstimatione immodicè læsus probetur. Neque enim læsionis ratio vlla habenda est, nisi à quo tempore facultas redimendi intercidit. [2] Potest tamen fieri, vt non solum vtilis, sed etiam necessaria sit restitutio minori, si forte precium emptionis in rem suam versum esse neget, [3] probandique onus non in emptorem transferre, [4] sed suum facere velit. Alioqui si iure communi vtatur, certum est non aliter redimentem illum audiri debere, quam si totum precium quod accepit cum legitimis accessionibus restituat. [5] Restitutione autem impetrata non ideo transfertur onus probandi in aduersarium, si modo adhibitum fuit iusiurandum, licet decreti nulla solemnitas interuenerit, quia contractus tenet, [6] probandáque est per actorem causa suæ restitutionis. [7] Quid vero si minor maior factus ratam habuerit alienationem? Excludet ea res beneficium restitutionis, [8] ex causa minoris ætatis, [9] & consequenter faciet, non solum vt post elapsa redimendi tempora rem habere & emptori auferre minor non possit, nisi probet enormem, vt vocant, læsionem intercessisse, [10] Sed etiam vt si intra præstitutum tempus redimere rem velit, totum precium quod accepit restituere compellatur, [11] tametprobare maximè paratus sit, aut totum aut pro parte deperditum fuisse. [12] Interueniente vero enormi læsione, contractus quidem rescindetur iure communi, sed tamen perinde totum pretium restituendum erit, aut si iustum suppleatur, totum computandum, ac si venditor iam maior factus contraxisset. [13] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Senatusc. 5. infr. Si maior fact. alien. sine decret. rat. hab.

1 Quoties enim communi auxilio & mero iure munitus est minor, non debet ei tribui auxilium extraordinarium, inquit Vlpian. *in l. in causæ 16. in princ. D. de minor.* Facit *l. 3. C. de in integr. rest. minor. l. 3. C. si aduers. libert. l. 3. C. in quibus caus. rest. in integr. non est necess.*

2 Quia eo demum tempore omni alio auxilio venditor destituitur, cum ad certum tempus licita post id tempus prohibita intelligantur, *l. si à te 7. Cod. l. 2. Cod. de pact. int. emptor. & venditor.*

3 Intellige si venditio teneat propter adhibitum iusiurandum, Alioqui restitutio necessaria non est, *d. l. in causæ 16. §. & generaliter, D. de minor. l. 3. C. de præd. minor.*

4 Quia hoc casu non potest alia subesse causa restituendi minoris, quam quia pretium perdiderit. Quo casu omnimodo incumbit minori, vt probet id quod est causa suæ intentionis, vt diximus in Def. præced. Nimirum si contractus teneat, §. *num. 1.*

5 Vel obsignet emptore recusante vel latitante, *d. l. 2. d. l. 7. C. de pact. int. empt. & vend. l. vlt. D. de leg. commiss.*

6 *Auth. sacramenta, C. hoc sit.* Alioqui si neque decretum, neque iusiurandum interuenerit, contractus non tenet, habetque minor fundatam intentionem, si fundum vindicare velit quasi suum nulloque iure alienatum. Quo casu si emptor obiiciat exceptionem doli contendens versum esse precium in rem minoris, nemo dubitat quin probare ipse debeat fundamentum suæ exceptionis, *d. l. prædiorum 10. l. vtere 14. l. si prædia 16. C. de præd. minor. l. pen. §. 1. D. eod.*

7 Bart. *in d. l. prædiorum, & in l. si quidem 11. eod.*

8 Intellige si ratihabitio sit voluntaria nec habeat necessa-

BIU Cujas

riam consequentiam ad principium quod alioqui spectandum esset, *l.3. §.scio, D.de minor. l.vnic.* vbi Bart. *numer.1. & vltim. Cod. si in comm. caúdémque causs. l.1. & 2. Cod. si maior. fact. rat.hab.*

9 Quæ alioqui restitutionem induceret, *l. Æmilius*, 38. *D.de minor.*

10 *Ex l.2.l.si voluntate 8.C.de rescind.vend.*

11 Vtitur enim iure maioris, *d.l.2.d. l.si à te 7. C.de pact.int. empt.& vendit.*

12 Quia nec de eo quæri solet inter maiores, sed tunc tantum cum ex causa minoris ætatis restitutio indulgetur.

13 *d.l.2. d.l si voluntate 8. C.de resc.vendit.* facit *l.vir vxori 17. §.vltim.D.ad SC.Velleian.*

DEFINITIO IV.

De minore restituendo ex variis causis, & cui incumbat onus probandi.

VEnditio quidem rei immobilis per minorem facta accedente iureiurando, itémque curatoris auctoritate si is curatorem habuit,[1] non potest ob id solum retractari, quod neque decretum iudicis neque aliæ solemnitates interuenerint: Postquam eo iure nos vti placuit, vt solemnitatum omnium defectus iurisiurandi auctoritate suppleatur.[2] Sed tamen non eo minus rescindi potest alienatio ex causa læsionis si qua dum ne prorsus modica probetur interuenisse.[3] Potest autem variis modis contingere, vt minor læsus videatur, vtputa si vendiderit rem paternam cuius retinendæ iustam & probabilem habeat adfectionem,[4] aut si rem quam non expediebat vendere,[5] aut si viliore pretio eam quæ maioris fuit,[6] Aut denique si iusto quidem pretio, sed tamen quod deperditum sit non in vsus & rem minoris conuersum.[7] His omnibus casibus minorem in integrum restitui æquissimum est, sed probata primum læsionis causa:[8] etiam vltimo casu, licet alioqui probationem non à minore sed ab emptore plerumque exigamus.[9] Qui enim pecuniam soluit minori siue curatorem habenti siue non habenti, fere est vt perdituro soluisse intelligatur,[10] nisi præsente & auctoritatem præstante curatore soluerit,[11] aut nisi cum minoris iureiurando adhibuerit in emendo etiam curatorem. Tunc enim præsumptio est contra minorem, aut vt melius dicam, pro emptore, Scilicet non esse deperditam pecuniam, si non minor ipse deperditam probet.[12] Quam in rem non sufficiet, quod probet nullam vendendi necessitatem fuisse. Potest enim fieri, vt nulla vendendi necessitas fuerit, nec eo tamen magis pretium deperditum sit.[13] Et inspectio illa, An venditionem fieri necesse fuerit, ad solemnitates pertinet, quas in venditione bonorum minoris immobilium interuenire oportet,[14] non ad causam pretij. Sed & interdum potest accidere, vt venditio necessaria fuerit, tametsi nullo ære alieno minor vrgeretur. Finge venditam rem hæreditariam quæ minori communis erat cum cohæredibus,[15] nec diuisionem commodam admittebat. Non potest videri minor læsus ex eo solo prætextu, quasi non expedierit vendere, si nihil aliud alleget.[16] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC.13.supr. De in integ.restitut.minor.

1 Minor enim qui curatorem habet comparatur pupillo & prodigo, nec consequenter obligatur ex iureiurando, Dixi Defin.10.& 13. §. *De in integr.rest.minor.*

2 *Auth.sacramenta, C.hoc tit.*

3 Quia iusiurandum non tollit vitium & lubricum ætatis.

4 *L.si in emptionem 35. D.de minor.l.lex quæ tutores, C.de admin.tut.* Dixi d. *Defin.10.num.4.*

5 *L.5.§.si æs alienum D.de reb.eor.*

6 *L.si res æstimata 12.§.1.D.de iur.dot.*

7 *L.verum 11.§.penult.l.quod si minor 24.§.restitutio, D.de minor.l.3.D.rat.rem haber.*

8 Semper enim actor cogitur probare causam suæ intentionis etiam minor, quia ætas hac parte nullum habet priuilegium, Bart. *in l.prædiorum 10. & in l.si quidem 11. Cod.de præd. minor.*

9 Nimirum si restitutio non sit fundata super consumptione precij, contractúve non teneat, aut teneat quidem, sed propter solum iuramentum, nec interuenerit auctoritas curatoris. His enim tribus casibus probatio incumbit emptori: Minori vero tum demum cum contractus tenet propter interpositum decretum, aut cum propter iusiurandum quidem, sed interueniente curatore, aut denique cum non alia in re læsum se dicit, quam quia pretium perdidit, vt scripsi Defin.1.& 5. §. *Si tut.vel cur.interuen.* & Defin.2. §.*eod.*

10 Quanquam parcius in venditione præsumendum est contra emptorem quem necesse est pretium soluere tanquam æs alienum, vt ait Paulus *in l. quod si minor 24. §.restitutio, D.de minor.* Scilicet cum venditio prædij, de qua eo loco agitur, ipso iure tenuit, & quidem propter adhibitam decreti solemnitatem. Sic enim is locus necessario accipiendus est, cum Pauli temporib.nondum obtineret, vt solo minoris iureiurando confirmari posset alienatio, quæ contra Seueri orationem facta esset. Adde Defin.2.sup.

11 *L.ait prætor 7.§.1.D.de minor.*

12 *Scripsi* Defin.1. *Si tut.vel curat.inter.§.*

13 *L.penultim. §.1. D.de rebus eor. l.si prælia 16. Cod. de præd. minor.* Probatio autem debet esse concludens necessario non dubia, *l. ad probationem seruitutis 12. l. non hoc 4. Cod. vnd. legitim.*

14 *dict. l.5. §. non passim, & §. si æs alienum, D. de rebus eor. qui sub tut.* [Obserua tamen non eadem requiri solemnitates cum creditor vendit aut postulat vendi rem pupilli vel minoris, Guid.Pap. *quæst. 31. numer.6.* post Bartol. *in l.Papinianus 8. §.sed nec impuberis, D.de inoffic.testam.ex l.si pupillorum, D.de rebus eor.*]

15 Fortasse rixosis & iniuriosis, *vt in l.si conuenerit 14. in fin. D.pro socio*, Bart. *in l.iubemus 2.C.de sacros.eccles.*

16 Ideoque si minor petat restitui aduersus diuisionem, non omnimodo restituendus est sed causa cognita, *l.penult.C. comm.diuid.* quod frustra diceretur si nunquam minori expediret facere diuisionem.

DEFINITIO V.

Minoris curatorem habentis iusiurandum non validat contractum sine curatoris auctoritate factum de re ad bonorum administrationem pertinente.

IVsiurandum in contractu præstitum à minore non interposita curatoris, quem habebat, auctoritate, non validat contractum:[1] quia Imperatoris Friderici constitutio nouissima[2] quæ ius antiquum hac parte antiquauit, non nisi de puberum sacramentis locuta ad huiusmodi minores, quos pupillis & impuberibus æquiparandos esse placuit,[3] porrigi non potest.[4] In iis nimirum quæ ad bonorum minoris administrationem pertinent,[5] quale illud est si minoris debitor liberetur, cum per eiusmodi liberationem amittatur, specie quadam alienationis,[6] quæ minori curatorem habenti, omnimodo & qualiscunque sit, interdicta est.[7] Non idem placuisset si minor curatorem habens aliquid stipulanti alteri citra curatoris auctoritatem promisisset. Puberes enim sine curatoribus suis etiam nullo interueniente iureiurando recte atque vtiliter ex stipulatu obligari posse, iam olim prudentes tradiderunt.[8] *Sine die.*

1 Dixi Defin.13.§. *De in integr.restit.minor.*

2 In Auth. *sacramenta puberum, C.si aduers.vendit.*

3 *L.si curatorem habens 3.vbi not.C.de in integ.restit.minor.*

4 Vt tantum prosit fictio in casu ficto, quantum veritas in casu vero. Ex notat. *in l.si is qui pro emptore, 15. D.de vsucap.*

5 Aliud enim esset si de sola minoris persona obliganda tractaretur, vt sequitur in Defin.

6 *§.penult. Instit.quib.alien.licet, vel non.*

7 *d.l.si curatorem habens 3.C.de in integr.restit.minor.*

8 *L.puberes, 101.* vbi Cuiac. *D.de verb.oblig.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. XIX.

SI ADVERS. DONAT.

DEFINITIO I.

De sumptibus in rem donatam factis post rescissam donationem restituendis.

RESOLVTA per in integrum restitutionem donatione,[1] quam à minore parum cauto per dolum Titius extorserat,[2] licet omnia in pristinum statum restitui æquum sit,[3] non alios tamen sumptus à donatore restitui oportebit, quam qui & bona fide facti sint à donatario,[4] & in perpetuam mansuramque vtilitatem rerum donatarum ad donatorem recurrentium.[5] Vtputa si æs alienum exolutum sit, & liberata hypotheca, quæ super iis rebus fuerat constituta:[6] Sed incumbet donatario vt probet, debitum iustum fuisse ac tale quod exigi potuerit, liberatamq; hypothecam,[7] ne dubitari possit quin donatoris conditio melior facta sit.[8] Quo casu si forte creditor cui solutum fuit, actionibus suis donatario cesserit tempore solutionis,[9] non erit audiendus donator, si cogere donatarium velit post resolutam donationem, vt ea rursum cessione contentus sit,[10] sibique per actionem consulat non per retentionem.[11] Quippe cum donatarius soluens eo tempore, quo se rem suam agere existimabat, non actionem sibi acquirere voluerit sed liberationem:[12] Cuius effectus cum in donatoris commodum transferatur, donatione postea quandocunque resoluta,[13] æquissimum sane est sic fieri condemnationem vt donatarij indemnitati consulatur.[14] Plane si agente per hypothecariam creditore, cui nihil deberi contendebat donatarius, cum eo litis & vexationis redimendæ gratia postmodum transegerit,[15] certamque pecuniæ quantitatem ex ea causa soluerit, non habebit repetitionem:[16] Siue aduersus donatorē agere velit, nisi doceat fuisse debitum quod petebatur,[17] Siue aduersus eum cui ex transactione solutum est,[18] Ni probet adeo fuisse indebitum, vt de eo non nisi dicis causa & per calumniam instituti lis potuerit.[19] Eadem obtinent etsi inter maiores agatur, cum ex variis causis contingat vt etiam quæ à maiore facta donatio est resoluatur, puta ex ingratitudine aut non secuto implemento.[20] *Ita Senatus* in causa Iacobi Chabord & Laurentij du Sollier 4. Non. Aug. 1593.

1 *Ex tit. C. si aduers. donat.*

2 Quæ res fauorabiliorem faciebat restitutionem, *l. exceptiones, 7. §. 1. D. de except.*

3 *L. quod si minor, 24. §. restitutio, D. de minor. l. vnic. C. de reput. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

4 Quid enim si dolo malo tãtos sumptus faciat, vt non plus sit in æstimatione rei donatæ, quam in sumptibus? Nimirum ad impediendam condictionem. Nemo negauerit, quin succurrendum sit donatori, *arg. l. in fundo, 38. D. de rei vind. l. si seruos, 25. D. de pign. act.* Semper enim sic sumptus faciendi sunt, vt aliquid supersit nec persona aut res mergatur, *leg. 3 §. 1. vbi pupill. educ. deb. l. 3. in princ. de contr. tut. & vtil. act.* Alioqui non tam reddita res quæ fuerat donata, quam per fallaciam ablata videretur, vt *& in l. 3. D. de pign. act.*

5 Ne ex donatarij damno donator locupletetur, *l. sin autem, 27. §. vlt. l. sumptus, 48. D. de rei vind. l. si quis sciens, 11. C. eod. l. plane, 38. D. de petit. hered.* ex quibus locis apparet hos sumptus non seruari à bonæ fidei possessore per viam actionis, sed per exceptionem doli, seu per retentionem, vt Iulianus loquitur, *in l. si in area, 33. D. de cond. indeb.* Cæterum si sumptuum temporalis tantum fuit vtilitas, ea tantum æstimanda erit arbitrio boni viri, cuius commodum percipere donator poterit, non autem tota impensa restituenda, Boer. *qu.* facit, *l. ex duobus, 27. de negot. gest. l. si mortis, D. de mort. caus. donat.*

6 *L. 1. in princ. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solui.*

7 Quoniam in ea exceptione qui sumptus seruare vult actor est, ideoque probatione oneratur, *l. in exceptionibus, 19. D. de probat.*

8 Sed & fieri potest vt interfit debitoris eam pecuniam non solui, forte ad compensandum, *l. cum pecuniam, 43. D. de negot. gest.* quo casu donatario non esset danda retentio.

9 Vt fieri iuris & moris est, *l. si res obligata, 57. de leg. 1.* Modestinus, *76. D. de solut.*

10 Interest enim donatarij non soluere potius, quam solutum repetere, *l. 1. D. de compens. l. si stipulatus, 15. in princip. D. de fideiuss.* cum plus cautionis sit in rem, quam in personam, *l. plus cautionis, 25. De regul. iur.*

11 Nam cui damus actionem multo magis & retentionem, *l. inuitus, 156. §. cui damus, eod. l. 1. §. is autem, D. de superfic.*

12 Nemini enim actio quæri potest, ob id solum quod fecerit aliquid liberandi sui potius, quam alterius obligandi causa, *l. in hoc iudicium, 14. §. 1. vers. diuersum, D. comm. diuid.* de cuius sententia & emendatione scripsi *lib. 2. Coniect. cap. 2. l. deducta 58. §. qui post tempus, vers. quod si fœnus, D. ad SC. Trebell.* Facit *l. Papinianus, 28. D. mandat. l. si quis cum 29. commun. diuid. leg. si quid possessor, 3. D. de petit. hered. l. 2.* iunct. *l. sicut, 8. §. vlt. D. quibus mod. pign. vel hyp. soluit.*

13 Quia res ad donatorem redit libera, quæ antea erat obligata, *d. l. 1. in prin. quibus mod pign. vel hyp. soluit.* Sic è contrario, quod magis mirum est, incommodum donatoris est si ad eum res donata redeat post obligationem pignoris à donatario consti tutam, priusquam de reuocanda donatione tractaretur, *l. his solis, 7. C. de reuoc. donat.*

14 Sic nimirum vt fructuum ante litem contestatam perceptorum compensatio fiat, tum superfluum sumptum meliore prædio facto dominus restituere cogatur, vt Papinianus respondit, *in d. l. sumptus, 48. l. emptor, 65. D. de rei vindic.*

15 Satis enim iusta & sufficiens transactionis causa illa est, quod à lite adeoque à litis metu discedatur, *l. 2. l. vlt. D. de transact. l. in summa, 65. §. 1. D. de cond. indeb.* Hæc namque verecunda cogitatio eius qui lites execratur, non est vituperanda, vt ait Vlp. *in l. 4. §. 1. De alien. iudic. mut. caus. fact.*

16 Sibi enim potius imputare debet, qui tanti habuit lite carere, *d. l. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.* neque ex vana donatarij existimatione, sed ex reipsa & ex iure inspiciendum est, an vtiliter fuerit transactum. Siquidem vani metus nulla æstimatio est, *l. 6. D. de eo quod met. caus. l. 2. §. 1. ex quibus caus. maior. l. 4. si cui plus quam per leg. Falcid. l. si quis ab alio, 13. in princip. De re iud. l. vani timoris, 184. de reg. iur.* Neque possit quis pro donatario dicere, Non debuisse eum de lite transigere, quamdiu nihil de rescindenda donatione tractabatur, exemplo eius quod in bonæ fidei possessore scribit Paulus *in l. illud, 40. in fin. princip. De petit. hered.* Non enim omnino bonæ fidei possessor dici potest, qui contraxit cum minore, quem sciuit aut scire debuit in integrum restitui posse, ideoque & fructus omnes, vt scripsi Decad. Error.

17 Sicut dici solet de emptore agēte de euictione postquam condemnatus est citra denunciationem, Imbert. in Enchir. in verb. *emptor, ex l. si ideo, 55. à contr. sens. D. de euict.*

18 *d. l. in summa, 65. §. 1. D. de condict. indeb.*

19 *d. §. 1. & l. Præses, 12. C. de transact.*

20 *L. vltim. C. de reuoc. donat.* Est tamen ius hoc apertius in minore, quam in maiore.

TIT. XX.

SI ADVERS. LIBERT.

DEFINITIO I.

De in integrum restitutione petita aduersus promissam libertatem.

CVM quidam in suos subditos eosdemque libertinos (talliabiles vulgo vocant) crudelius sæuiisse diceretur, eoque nomine ad Senatum vocatus extra ordinem instituta accusatione vereretur ne sæuitiæ suæ pœnas lueret,[1] quarum nec postrema illa erat futura, quod totius in eos, quos vexasset, iurisdictionis commodo & iure priuari debuisset,[2] curauerat vt quasi se inscio ne crimen fateri videretur,[3] frater plenissimam libertatem ipsius nomine promitte et, non iis qui iniuriam passi dicebantur, sed alijs, qui

BIU Cujas

quod & opibus suis confiderent, & audaciores gererent spiritus, sub verberatorum nomine accusationem aduersus inuisum dominum prosequebantur, [4] promisso etiam quanti ipsorum interesset, si eam libertatis promissionem dominus ratam habere recusaret. [5] Postmodum dominus ratam habuerat, nec tamen dederat libertatem. Post annos aliquot cum vt daret ex propria promissione vrgeretur, petebat in integrum restitutionem ex rescripto principali aduersus eam promissionem quasi sine causa factam, [6] quod & in suos à se vnquam sæuitum negaret, [7] & qui libertatem sibi debitam contendebant, ex iis non essent qui factam sibi vim quererentur; [8] Placuit non esse locum restitutioni, non quia idem esse deberet fauor libertatis promissæ qui iam datæ, (constat enim minorem annis vigintiquinque aduersus libertatem etiam ex iudicato debitam restitui posse, [9] qui aduersus datam vtique non restitueretur. [10]) Sed quoniam non sine causa facta promissio videretur, quæ pro causa haberet fauorem libertatis, nullo ætatis contrario fauore debilitatum. [11] Item, per quam redemptus fuisset dubius euentus litis periculosissimæ, [12] quæ non perinde nunc atque antea tractari posset, mortuis fortasse aut dolo malo metúve corruptis interea testibus, per quos transactionis tempore institutæ accusationi fides constare potuisset. [13] Est enim fortissima illa feréque perpetua denegandæ in integrum restitutionis ratio, si medio tempore res integra esse desierit. [14] *Ita Senatus* in relationibus libellorum & rescriptorum, 14. Calend. Iulij 1588.

1 Prætori enim propositum esse debet, ne homines istos, siue libertos siue libertinos per nimiam patronorum sæuitiam diuexari patiatur, neve quicquam fieri quod oneret causam libertatis; *l.2. D.de oper.liber. l.1. §. quæ onerandæ, D.quar.rer.act.non det. l.6. §. ne potentiores, de offic.præsid.*

2 *L. si patronus, 3. D.de bon.libert. l.3. l.5. in fin. D.de iure patronat. ll 4. in princip.* iunctis illis verbis; *æquitatem petitionis tuæ, & l. libertos, 6. C.de obseq.patron.præst.*

3 Qui enim de crimine paciscitur aliquo dato vel promisso, crimen fateri intelligitur, *l. furti, 6. §. pactusque, D.de his qui not.infam. l. non damnatos, 18. C. eod.*

4 Quod non leue libertini hominis crimen est, siue calumniam aliquam aduersus patronum instruxerit, siue delatorem subornauerit & summiserit, *l.1. in fin. D.de iur.patron.* vbi notat Bartol. paria esse accusare, calumniari, ac manus inferre. Facit *l. Diuus, 5. eod. l. si inimicitiæ 9. §. 1. de his quæ vt indig.* Vide *l. non est, 6. C.de admin.tutor.*

5 Vt fieri necesse est quoties alienum factum promittitur, *l. stipulatio ista, 38. §. at si quis, D.de verb.oblig.*

6 Quæ ratio sufficiebat ad inducendam exceptionem doli, *l.2. §. circa D.de doli mal. except.* multo magis igitur ad inducendum auxilium restitutionis, *arg. l. exceptiones, 7. ad fin. D.de except.*

7 Vt transactio ex falsa causa facta esse videretur.

8 Nam quemadmodum metus, quem quis passus est, non debet ei esse captiosus, ita nec alienum metum in alterius præmium verti oportet, *l. item si, 14. §. aliquando, D.de eo quod met. caus. l. vlt. §. 1. de eo per quem fact. erit.*

9 *l. 1. C. hoc tit. l. verum, 11. §. 1. D.de minor.*

10 Nam aduersus libertatem iam competentem minori subueniri à prætore impossibile est, *l. si ex causa, 9. §. vlt. D.eod.* nisi ex magna causa fuerit hoc à Principe consecutus, *vt in l. seq.* Paulus ait; Vel si manumissio per vim facta est, *l. metum, 9. §. idem Pomponius, De eo quod met. caus.* ex quo apparet esse fauorabiliorem restitutionem quæ datur ex edicto, *quod met. caus.* quam quæ ex edicto, *De minoribus.* Facit *l.8. §. fin. de inoffic. testament.*

11 Sublata enim proxima causa litis calumniosæ, supererat pristina causa pietatis, quæ impediebat restitutionem, *arg. l. pen. D.de condict.ob tur.vel iniust.caus. l. cum is, 32. §. mulier, D.de condict.indeb.* Adde quod repetitio nulla est eius rei, quam quis donare voluit ob causam præteritam, licet ea causa falsa reperiatur, *l. damus, 52. l. in summa, 65. §. id quoque eod.* vbi eleganter distinguitur; An quid datum sit (idem est si promissum) ob causam, an ob rem. Facit *l.3. de donat.* Et sane absurdum esset restitui quem ob id, quod falsa reperiatur causa, quæ ex proprio ipsius facto descendat, cuius vtique iustam ignorationem non potest prætendere, *l. quanquam, 7. C. ad SC. Velleian.* iunct. *l. cuius per errorem, 53. de reg.iur.*

12 *l. fratris, 10. & seq. C. de transact.*

13 *Arg. l. si quis affirmauit, 9. §. Labeo, l. arbitrio 18. §. penult. D. de dol.* Facit quod dici solet eum qui restitutionem differt non esse audiendum, quia non negligentibus subuenitur, sed necessitate rerum impeditis; *l. ab hostibus, 15. §. vltim. & l. seq. D. ex quibus caus. maior.* Adde *l. in lege 40. ad l. Aquiliam.*

14 *l. quod si minor. 24. §. Scæuola, D. de minor. l. vltim. in fin. D. de repud. vel abst. hered. leg. si quis, 8. D. de iur. deliber. l. C. de opt. legat.*

TIT. XXI.

SI ADVERS. TRANSACT.

DEFINITIO I.

Qui per transactionem recessit à donatione, non potest restitui tanquam maior ex causa læsionis.

QVI ab amplissima donatione accepto modico per transactionem recesserat, cum postmodum aduersus transactionem prætextu immodicæ læsionis restitui vellet, repulsus est, quasi & ipse suo donatori mutuo donasse videretur. [1] Nec ad rem pertinuit, quod Diui Principis Emanuelis Philiberti edicto [2] constitutum est, vt eæ demum transactiones ex causa immodicæ læsionis (deducto scilicet dubio litis euentu æstimandæ [3]) rescindi prohibeantur, quæ post diem trigesimum actis publicis fuerint insinuatæ. Non enim de iis transactionibus sensisse Princeps prudentissimus videbatur, quæ donationis causam mixtam haberent, [4] cum in donatione ab eo facta qui donare potuit læsionis ratio haberi nulla possit; alioqui donationes omnes huiusmodi commento subuerterentur. [5] Atqui donationes quoque inter viuos ex quacunque causa factæ dum ne in contractu matrimonij eiusdem Principis edicto, non nisi à die insinuationis valere possunt. [6] Ita sane est. Sed insinuationis necessitas hic nulla subeat, siue quod non tam donatio ista quam prioris donationis remissio quædam videretur 7) est enim fauorabilissimus dominij amissi ad priorem dominum recursus, [8] vt & cæterarum rerum omnium ad pristinam naturam reditus. [9]) Siue potius quod non propriis tantum viribus sed transactionis potissimum adminiculo fulciretur, [10] transactionum vero insinuatio hactenus necessaria esset non vti valerent, [11] sed vti ne læsionis quantæcunq; prætextu rescindi possent per in integrum restitutionem, [12] cuius periculum in proposita specie propter admixtam, vt diximus, donationis causam verendum non erat. [13] *Ita Senatus* in relationbus libellorum, 7. Maij, 1588.

1 *L. si vero non remunerandi, 12. §. inde Papinianus in fin. D. mandat.* ex quo loco infert Bartolus, Vnum actum donationis facere, vt alius actus præsumatur.

2 Quod factum est mense Octobr. 1577.

3 Secundum Bartoli distinctionem receptiorem, ad *l.2. C. de rescind. vendit. & ad l. si quis cum aliter, D. de verbor. obligat.* contra quam tamen vide quæ scripsi in Chiliade, Decad. 1. Error. 7.

4 Nam sicut venditio, locatio, aliique contractus, ita & transactio fieri potest saltem ex parte animo donandi, & tunc valet tanquam transactio etiamsi non esset eo iure valitura, si tota donandi animo facta esset, *l. si quis donationis, 38. D. de cont. empt.* iunct. *l. cum in venditione, 36. eod. l. si quis conduxerit, 46. locat. l. si quis ante 10. §. vlt. de acq.poss.* Excipe casum *l. ab Anastasio, 23. C. mandat.*

5 Si quidem donare nihil aliud est, quam perdere, *l. filiusfamilias, 7. D. de donat.* Vnde illud est quod licet quis habeat liberam administrationem, donare tamen non potest, *l. contra*

28. §.

BIU Cujas

28.§.si filius D. de pact. l. 1.§.1. D. quæ res pign. l. 3.§. si seruus, 8. D. de donation. int. vir. & vxor. Hinc facetum illud Martialis carmen.

Dimidium donare L. no quã credere totum
Qui maluit, maluit perdere dimidium.

6 Sunt Senatus nostri.

7 Remittere tamen donare est, indeque fit, vt sicut donatio non valet inter virum & vxorem, ita nec remissio, *l.5. §. circa venditionem, D. de donat. int. vir. & vxor.* Ex quo loco Bald. colligit, in remissione vt & in donatione requiri insinuationem, de quo tamen vide Andr. Tiraquel. *ad l. si vnquam in verb. donatione largitus.*

8 *Arg. l. 1 l. qui ex lege 3. C. de pact. inter. empt. & vendit. l. lex vectigalis fundo, 29. D. de pignor.*

9 Textus est elegans *in l. si vnus, 27 §. pactus ne peteret, in fin. D. de pact.*

10 Transactionis enim vinculum omnium fortissimum est, Odio litium, & fauore retinendæ concordiæ inter eos præsertim qui vt donator & donatarius mutuo se amore prosequi debeant, *l. fratris 10. l. de fideicommisso, 11. & pass. C. de transact. l. vnic. C. de err. calcul.* facit *l. 4. C. de obsequ. patr. præst.* [Maxime vero si transactio sit iurata *l. si quis maior C. de transact.* De cuius sententia vide Fachin. *lib. 1. Contr. c. 9. 11. & 12. & 13.*]

11 In quo differt insinuatio transactionis ab insinuatione donationis.

12 Quod ex iure communi iam obtinebat, *l. causas 16. C. de transact. l. Lucius, 78. §. vlt. ad Treb.*

13 Nam nec aduersus donationem nec aduersus transactionem ratio iuris dat restitutionem nisi minoribus, *l. 1. & 2. C. hoc tit. & C. si aduers. donat.*

DEFINITIO II.

De rescissione transactionis & retractatione iurisiurandi.

SIcuti non potest rescindi transactio sub prætextu instrumentorum postea repertorum: Ita neque retractari iusiurandum, quod ex collitigantis delatione iam præstitum fuit, [2] quia transactionis instar obtinet, [3] hactenus saltem, vt non minoris sit auctoritatis. [4] Ergo aliud erit si iuratum proponatur de eo negotio, de quo nec transigi potuerit nisi viso eo instrumento, quod postea repertum est. [5] *Sine die.*

1 *L. sub prætextu instrumenti 19 C. de transact.*

2 *Ex l. 1 C. de rei. cred. & iureiur.* Excipe casum *l. vlt. eod.* facit *l. in duobus, 28. §. vlt. D. de iureiur.*

3 *L. quod si deferente. 1. & seq. D. de dolo.*

4 *L. 2 D. de iureiur. l. si deferente 13. quib. mod. pign. vel hypot. solvit. l. 1. D. quar. rer. act. non dat.*

5 Puta de his controuersiis quæ pendent ex testamento, *l. de his, 6. D. de transact. l. 1 l. Testam. quem apert.* Et hæc fortasse ratio est, *d. l. vlt. C. de reb. cred. & iureiur.* quæ si ita est, non habet locum, nisi in causis testamentariis; licet in fine legis subinciatur alia ratio, quæ videtur generalis.

DEFINITIO III.

De restitutione in integrum aduersus remissionem iniuriæ deneganda.

QVi factam sibi re aut verbo iniuriam siue modico siue nullo accepto precio remisit, non est audiendus si postea in integrum restitui velit, quasi aut sine causa aut minore pecunia remiserit. [1] Iusta enim remittendæ cuiuscunque iniuriæ causa est, homini præsertim Christiano, [2] vt tam arcto iustoque religionis nostræ præcepto satisfaciat ad æternam vitam consequendam, quæ nullo commodo pecuniario æstimari potest. [3] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 5. Calend. Februar. 1589.

1 Nec si sit minor *l. auxilium 37. in princ. D. de minor.*

2 Nam nec Papinianus ignorauit beneficio adfici hominem interesse hominis, non conuenire autem viro bono credere cuiusquam interesse, quod animo æquientis satisfactum non fuisset, *leg. si venditor 6. § vltim. & leg. sequent. D. de seru. export.*

3 *L. pen. in fin. D. de donat.* Eam namque demum vera libertas est, quæ nec lui pecunia, nec reparari potest *l. statuliberum 9. §. illud tractatum, D. de statu lib. l. libertas 106. de reg. iur.*

DEFINITIO IV.

De restitutione in integrum contra transactionem ex causa enormissimæ læsionis.

TAmetsi dici soleat, enormissimam, vt vocant, læsionem, quæ vltra bessem est, inducere dolum re ipsa, qui æquiparatur dolo ex proposito: [1] Non tamen ex eo fiet, vt possit rescindi transactio prætextu eiusmodi læsionis, si neque dolus ex proposito, neque vis aut metus interuenerit, [2] Quia edictum Serenissimi Ducis nostri Emanuelis Philiberti, quod in eam rem factum est, omnem omnino excludit læsionem quantacunque illa sit, nec nisi ex causa doli ex proposito, aut violentiæ vel metus transactionem rescindi patitur. [3] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 10. Cal. Iunij 1590.

1 Vt tractant nostri ad *l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.* Scripsi in Chiliade De error. pragmat.

2 *L. fratris 10. l. interpositas, 13. & pass. C. de transact. l. Lucius 78. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

3 Præsertim cum edictum fauorabile odio litium adeo iuri communi prorsus conueniens latissime sit interpretandum & adiuuandum potius quam restringendum, *arg. l. hoc modo, 64. in fin. de condit. & demonstr.*

DEFINITIO V.

De restitutione in integrum ex causa læsionis aduersus alienationem rerum minoris aut mulieris.

ALiquando tamen contra euenit etiam hodie vt læsio faciat locum restitutioni, cui aliter locus esse non posset, Nimirum si per transactionem alienata sit pupilli minoris ve res immobilis, aut dotalis, aut alia eiusmodi cuius alienatio sit legibus interdicta. [1] Postquam enim placuit alienationem iuratam valere propter auctoritatem iurisiurandi, [2] adeo vt nec restitutioni locus esse queat, si nulla læsio & captio sit, [3] Consequens est, vt interueniente læsione etiam intra dimidiam iusti precij restitutio locum habere debeat, [4] Ne minor aut mulier totius rei suæ vel pro parte iacturam sentiat, siue per transactionem siue qua alia ratione facta sit alienatio. [5] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 12. Calend. Iul. 1595.

1 Nam neque per transactionem huiusmodi alienationes licitæ sunt, *l. non solum 4 C. de præd. minor.*

2 Ex Auth. *sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

3 Non magis quam si cum decreto facta esset alienatio, *l. si quidem 11. l. si prædia 16. C. de præd. min.*

4 Quia restitutio minoris qualibet læsione dum ne prorsus minima contenta est, *l. verum 11. §. sciendum, & pass. D. de minor. l. nam posteaquam 9 § si minor, D. de iureiur.*

5 Nam & aduersus transactionem restitui minor potest, *l. 1. & 2. C. hoc tit.* Itemque mulier si ad reuerentiam maritalem accedat læsio, *ex l. 1. §. quæ onerandæ* vbi Bart. *D. quar. rer. act. non det* Sed eam læsionem enormem esse nostri volunt si agatur de re non dotali, cuius scilicet alienatio nullo iure prohibita est, sed in re dotali quæ nullo modo alienari potest, ne quidem volente muliere, *l. vlt. §. & cum lex. C. de rei vxo. act.* quælibet læsio sufficit ad rescindendam alienationem beneficio restitutionis impetrata absolutione à iureiurando.

DEFINITIO VI.

Transactio super lite mota restituit exceptionem fori.

SI de lite quæ apud Senatum pendebat transactum sit promissa certa pecuniæ quantitate, non eo minus apud inferiorem & ordinarium iudicem de ea pecunia erit agendum, Eritque salua conuento debitori exceptio fori, quam vocant declinatoriam, si prioris litis prætextu coram Senatu conueniatur in prima instantia, etiamsi per transactionē conuenerit vt de-

BIU Cujas

bili nouatio nulla fieret, quia noua lis est [1] vetere peremta. *Ita Senatus* ex tempore pro D.Ducloz, contra Rauier 21.Nouemb.1613.

1 Cum transactio priorem litem prioremque debiti causam peremerit *l.2.vbi Castr.* & alij notant *C.hoc tit l.minor* 40.*in prin. D.de minor.* Idemque est si aduersus illam tranactionem restitutio in integrum petatur. Castr.ibid.]

TIT. XXII.

SI ADVERS. DOT.

DEFINITIO I.

De muliere aduersus dotis constitutionem non facile restituenda.

SI mulier sine dote nupserit, [1] tum constante matrimonio bona sua omnia in dotem dederit, [2] non ex eo solo læsa videbitur, [3] nisi dolo mariti circumscripta proponatur. [4] Itaque etiamsi minor fuerit annis vigintiquinque, restitui tamen in integrum non poterit. [5] Quia licet præcipuus dotis constituendæ fauor cessare videatur, cum matrimonium iam contractum est, (Si quidem in eam præcipue causam dotis vsus necessarius est vt matrimonium facilius contrahatur,) causa tamen dandæ dotis subest, quandiu constat matrimonium, [7] vt matrimonij oneribus subseruiat, [8] maiorque inter coniuges concordia retineatur. [9] Vnde illud quoque receptum est vt etiam constante matrimonio dos non solum constitui sed & augeri possit. [10] Proinde non potest videri læsa mulier, quæ iure communi vsa est. [11] *Ita tractatum est* in publico Auditorio, Prid.Non.Febr.1589.

1 Potest enim matrimonium esse sine dote licet non æque dos sine matrimonio, *l.1.§.1.vers.ante nuptias & §.seq.D.pro dote.* Adeo vt si matrimonium sit putatiuum non sit proprie dos, Bart. *in rubr.solut.matr. num.*10. sicut nec si data sit pro illicito matrimonio, *l.vlt.* vbi idem Bart. *D. de condict sin caus.*

2 Dos enim etiam constante matrimonio & constitui & augeri potest, dum ne quid fiat in fraudem creditorum, §.*aliud quoque Nouell.*97. *De æqual.dot.vt sequitur in Defin.*

3 Causa enim dotis iusta alienationis causa est, sicut & donationis ante nuptias, *l. nulla lege* 4.*C.de iur.dot.etiam in minore, l.vlt. ad fin.C.si maior fact.alien.rat.hab.* scilicet cum decreto aut iureiurando, quod decreti vim habeat non aliter, *l.prædia* 8.C.*de præd.min.* Bart. *in l.quæ tut.nu.*2.C.*de admin.tut.& cur.*

4 Eoque sensu accipiendum est, quod ait *l.vnic. C.hoc tit. & Vlpian. in l.si ex causa* 9.§.1. *D.de minor.* in dotis quoque modo subueniri mulieri, non solum si totum patrimonium circumscripta in dotem dederit, sed & si vltra vires patrimonij, sicut nec nouum est, vt in dote mulier fallat maritum, *l.*3. C.*de donat.ant.nupt.* Ad hunc vero casum non pertinet *l.minor* 48.§.*vlt. D.de minor.* Ibi enim tractat Paulus de muliere quæ pactione fecit causam dotis deteriorem. Nos de ea quæ suam causam deteriorem fecit, dando dotem. Non obstat quod videatur hoc casu promissio dotis esse ipso iure nulla, ex *l.sine generalis*, 61.*D. de iur.dot.* Illius enim legis verba ostendunt tractari eo loco de dote promissa auctore curatore qui dolo malo præstiterit auctoritatem, quoniam, vt lex ait, lege rata non habetur auctoritas dolo malo facta. Aliud igitur est si minor curatorem non habens dotem quantamcunque promiserit, quia tunc nihil est quod nullam debeat facere promissionem, licet fauor ætatis, si læsio concurrat, possit inducere restitutionem. Vide distinctionem Accursij, quam & Bartol. probat, *ad d.l.vnic. C.hoc tit.*

5 Non enim omnia quæ à minoribus geruntur irrita fieri debent, sed ea demum quæ inconsulto per lubricum ætatis aut aduersarij dolo facta reperiuntur, *l.verum* 11.§.*sciendum l.quod si minor* 24.§.*non semper. D.de minor.* Itaque tunc demum minorem mulierem restituendam esse dicendum est, cum tantam dotem dedit quantam maior nunquam dedisset, vt eleganter ait Paulus *in d.l.minor* 48.§.*vlt.eod.*

6 Pauci enim sunt qui matrimonium sine dote, id est, intatas vxores habere velint, *l.si donaturus* 9.§.1. *D.de condict. caus. dat.l.*4.§.*sed cæt mulier, l.*5.§.*si cum qui, D.de doli mal.except. l.*1.*fid. matr.*

7 *l.Pomponius Philadelphus*, 35.*D.famil.ercisc.*

8 *l.pro oneribus* 20.*C.de iur.dot.l.si is qui* 56.§.*ili dos l.qui mult.* 75.*D.eod.* Facit *l.Titiæ* 62.*eod.l.actione*, 65.§.*vlt.D.pro socio, l.si maritus* 46.*famil.ercisc.*

9 Placet enim posse vxorem expelli si non soluat dotem quam promisit, licet non item si nullam habeat, *l.si cum dotem* 22.§.*sin autem, D.solut.matr. l.quod si nulla dos* 28.*de relig.& sumpt. fun. l.consensu* 6.§.1. *C.de repud.*

10 *d.Nouell.*97.*de æqual.dot.§.aliud quoque.*

11 *l.vlt.C.de in integr.restit.minor.l.inter eos*, 51.§.*cum inter. D.de fideiuss.l.l.nihil consensui* 116.§.*non capitur de reg.iur.*

TIT. XXIII.

SI ADVERS. VSVCAP. VEL præscr. rest. pet.

DEFINITIO I.

De restitutione in integrum aduersus quadragenariam præscriptionem.

AN aduersus præscriptionem quadraginta annorum dari possit in integrum restitutio ex capite iustæ ignorantiæ, nulla alia causa concurrente, magis contentionibus certatum est inter iuris nostri interpretes, aliis aliter sentientibus, [1] vt nec dum sciri possit vtra opinio receptior videatur. Senatus noster eorum sententiam magis probat, qui negant, [2] quod ex tam longi temporis lapsu si aliud nihil impediat plenissimam securitatem acquiri certum sit, [3] quæ tamen nulla esset si restitutionis potestati nedum periculo subiiceretur. [4] Sed & cum iusta aliqua causa est concedendæ restitutionis, intra quadriennium illud quod vtilis anni loco substitutum & impetrari omnimodo debebit. [5] Ita fit vt post quatuor & quadraginta annos, nulla prorsus superit spes restitutionis. [6] Obseruandum tamen est quadriennium illud licet ex postfacto continuum sit, ab initio esse vtile, nec prius incipere currere quam agendi facultas competat. [7] Sed agendi facultatem ignorantia eius cui actio competit non excludit, nec eo minus agendi tempora vtiliter labuntur, [8] licet nostrorum vulgare brocardicum illud sit, non valenti agere non currere præscriptionem. [9] Iunge tit.De temp.pet.in integr.restit.SC.1. *Ita relatum est* in relationibus libellorum, 4.Non.Aug.1588. & postea decisum pro N.Ioanne Martini, contra N.Zachariam de Lanfrey 9.Cal.Decemb.1592.

1 Vt videre est apud Didacum Couarr. *in §.3 tertiæ partis rel. cap.possessor malæ fidei, de regul.iur. in 6.nu.1.& 2.*

2 Quam sententiam & veriorem & receptiorem esse concludit Didacus ibidem. Plus putat, nec aduersus tricenariam præscriptionem restitui debere maiorem, ex capite ignorantiæ, quod ego probo ex *l.vlt.C.in quib.caus.restit.*

3 Sunt enim hæc verba vltima, *l.omnes* 4. C.*de præscr.*30.*vel* 40.*annor. Sit liber, & præsentis saluberrima legis plenissima munitione securus.*

4 Sic post alios argumentatur Didacus supradicto loco, *Ex glos.in l.ait prætor, §.permittitur, in verb.imputandum D.ex quibus caus.maior.* Idem tamen *num.*4. excipit ecclesiam & minores, quibus nimirum vult dari posse restitutionem ex capite iustæ ignorantiæ aduersus quadragenariam præscriptionem. Eamque probat esse receptissimam interpretum traditionem.

5 *Ex l.vlt.C.de temp.in integr.restit.*

6 Sic concludit idem Didac. *d.num.*4. *vers.decimo & vltimo potissimum, &c.*

7 Ita Bald. *in l.falsum. C.si ex falsis instrum.* pro qua sententia facit quod lex ait quadriennium hoc continuum tantummodo numerari ex die, ex quo annus vtilis currebat. Eamque

sententiam

sententiam receptam esse fatetur Didac. vbi sup. *num.2. & 3. & vers.quinto quicquid sit*, vbi concludit post Andr. Tiraquell. ibidem citatum, non nisi intra triginta annos posse quasi intra hoc quadriennium peti restitutionem.

8 Didac. *d.vers.decimo*, vbi concludit hoc quadriennium incipere à die finitæ præscriptionis, contra Aym. Cravet. *De antiq.temp.part.4.cap.materia ista.num.45.& seqq.*

9 *Ex l.1.§.vltim. C.de annal.except. l.1.§.vlt.* iunct. auth. *nisi tricennale, C.de bon.mat.* Scripsi in Chiliade Decad.3.Err 9.

DEFINITIO II.

De restitutione minoris aduersus præscriptionem legalem, statutariam & conuentionalem.

IN quæstione, Vtrum præscriptionis tempora currant contra pupillum aut minorem, distinguere nostri solent inter præscriptionem legalem, statutariam & conuentionalem. In legali certum est non currere contra pupillum,[3] At nec contra minorem, si de ea præscriptione loquare, quæ non nisi decem annorum sit inter præsentes, aut viginti inter absentes.[2] Nam quæ triginta vel quadraginta annorum est, licet durante pupillari ætate dormiat,[3] currit tamen contra minorem, sed ita vt ætatis beneficio aduersus præscriptionem restitui possit.[4] In statutaria præscriptione, si plerisque credimus, non currunt tempora contra pupillum regulariter, etiamsi tutorem habeat: vix vnquam, si tutorem non habeat.[5] Contra minorem currunt quidem, sed restituitur.[6] At in conuentionali quæ cœpta sit cum maiore currunt etiam contra pupillum,[7] & quidem cum effectu, adeo vt aduersus lapsum temporis restitui non possit, nec ætatis auxilio per edictum De minoribus,[8] nec ex generali clausula, Si qua mihi iusta causa videbitur, prætextu iustę ignorantiæ.[9] Iniquum enim est eum, qui cum pupillo non contraxerit, cogi expectare ipsius pubertatem.[10] *Ita tractatum est* in causa quadam D. Senatoris Charpenei & Petri Fauerij Aduocati mense Iulij 1592. & rursum in causa N. Iacobi d'Aymauigne & Michaëlis Artaud mense Iunij 1593.

1 *L.vlt.C.in quibus caus.restit.in integr.non est necess.*

2 Nam & de adulto eam legem accipiendam esse defendit ex præceptoris sui sententia Guid.Pap. *quæst.31.num.3.*

3 Glos. *final.in l.vnic.C.hoc tit.* Idem Guidon.Pap. *vbi s.nu.4. ex l.3.C.de præscr.30.ann.*

4 Sic enim vulgo creditum est, licet ego contra putem, ex *dict.l.3.* quæ pupillos duntaxat excipit, iunct. *l.vltim. in fin.C. in quibus caus.restit. in integr. non est necess.* Didac. Couarr. *dict. §.3. tert.part. relect. cap. possessor. numer.4. vers.8.* maioribus tantum denegat restitutionem aduersus præscriptionem tricenariam.

5 Guid.Pap. *quæst.31.* vbi indistincte defendit tempora statutorum non currere pupillis. Et citat Bart. & Oldrad. *in d.l. vltim. C.in quibus caus. restit. non est necess.* & Bald. *in feud. Tit. qualiter poter. olim feud.alien.* Sed tamen verior mihi semper visa est contraria sententia, vt pupillus præsertim tutorem habens perinde obligetur ex statuto & consuetudine ac alius quilibet, vt pluribus defendit Andr. Tiraqu. *De retract. municip.* Ioann.Lucius *in Placit.Curiæ Paris.Tit.De gentilit.redhib.* Ioan. Papon. *in syntagm.Arest.eod.tit.* Rationem elegantem reddunt & vt loquuntur punctualem, quia ius adinuentum per legem aut consuetudinem non fuit inuentum nisi ad limites modi & temporis in ea expressi. Vnde hi limites pariter afficiunt maiores, minores, absentes & quoscunque alios. Nec potest quis vti ea lege & consuetudine nisi ad eius limites & statutis modis & temporibus ab ea requisitis. Vide omnino quæ in hanc rem scripsi Decad.25.Error.9. vbi probaui non solum currere tempora statuti contra pupillum, sed etiam cum effectu & sine spe restitutionis, adeoque licet tutor vel nullus sit vel non soluendo. Facit quod tractat Bartolus, *ad l.sed hic num.3.De reb. eor. qui sub tutel.* minorem obligari ex obligatione consuetudinaria vel statutaria.

6 Ita Guid. Pap. *d.quæst.31.* Sed si nec pupillus quidem restituendus est, vt proxime dixi, multo minus adultus restitui debebit. Et sane aliter posito iure fiet vt nemo accedere velit ad emptionem publicam rerum pupillarium, nec si bona fide distrahantur, quæ res non solum creditorib. pupilli aut adulti, sed ipsi quoque pupillo & adulto damnosa esset, *l. ait prætor. 7.§.quæsitum, ff.de minor.*

7 *L.Æmilius 38.eod.*

8 In quo omnes consentiunt, quia edicto De minorib. non est locus nisi cum aliquid gestum est cum minore, *l.1.d.l.ait prætor.7.in princip.l.verum 11.§.ex facto ad fin.ff.eod.* nihil autem gestum videri potest ab eo qui non cum minore contraxit sed incidit in minorem.

9 Contra Bartolum *in d.l.Æmilius.* Cuius tamen sententiam magis communem esse plerique affirmant. Vide elegans consilium Francisci Curtij senioris contra illam Bartoli traditionem, *cons.59.per tot.* & quæ scripsi Decad.25.Err.5.6.7.

10 *l.apud Iulianum 3.ff.quibus ex caus.in poss.eat.* Adde aliam rationem ex *l.quod autem 6.§.si quid cum pupillo. ff.quæ in fraud. credit.* quia pupilli ignorantia, quæ per ætatem contingit, non debet esse captiosa creditoribus ipsique lucrosa.

DEFINITIO III.

Si gestum aliquid fuerit cum minore, aut tutor vel curator suspectus fuerit.

QVod tamen proxime diximus, minorem in integrum restitui non debere aduersus præscriptionem conuentionalem, quæ cœpta sit cum maiore,[1] toties verum non est, quoties aliquid cum ipso minore aut eius tutore vel curatore gestum proponitur, aut si suspecta fuerit fides tutoris vel curatoris,[3] quorum dolo aut culpa futurum sit vt grande damnum patiatur minor, si restitutio ipsi denegetur.[4] *Ita tractatum est* in publico auditorio 6.Id.Iun. 1591.

1 *Ex l.Æmilius 38.* iunct. *l.verum 11.§.ex facto ad fin. ff.de minor.l.3. ff.quibus ex caus.in poss. eat. l.quod autem 6.§.si quid cum pupillo, ff.quæ in fraud.*

2 Quia tunc incipit locus fieri edicto *De minoribus*, per quod rescinduntur ea quæ cum minoribus circumuentis gesta sunt.

3 Vt in specie *d.l. Æmilius*, in qua tutores suspecti pronunciati erant, *vers.mouit etiam Imperatorem.*

4 Neque enim dolum aut culpam tutoris nocere pupillo æquum est, *l.3.§.si seruus ff.de tribut.act. l.3.ff.quand.ex fact.tutor.* Præsertim si tutor non sit soluendo, etsi verius est tutoris negligentiam, licet dolosam, nocere pupillo in acquirendis non in acquisitis. Vide quæ scripsi Decad.23.Err.7.9 & 10.

DEFINITIO IV.

De restitutione minoris aduersus elapsum semestre: Et quid si minor ætas aut læsio in subhastationibus interueniat?

IS cuius bona postulante creditore sub hasta distracta sunt, si non redemerit intra sex menses statuto nostro in eam rem præstitutos, non ex eo solo restitui potest aduersus lapsum temporis, quod dicat probetque, viliore precio fuisse distracta,[1] Nisi aut minor ætas,[2] aut iusta alia restitutionis concedendæ causa interueniat,[3] quamuis nondum decreti interpositio secuta sit.[4] Sed ad viuæ vocis oraculum recurrendum est, & ad magnam, vt vocant, Cancellariam, vt speciali principis rescripto & propria subscriptione debitori consulatur.[5] Princeps enim quin aduersus lapsum hunc temporis ex plenissima potestate restituere possit & statutariæ præscriptioni derogare, sicut & iura cætera, quæ ex præscriptione qualibet alióve actu ciuili quæsita sunt, adimere, non ambigitur.[6] Sane nec de illo dubitandum est, quin etiam post interpositum decretum possit peti restitutio aduersus subhastationes ex causa immodicæ læsionis:[7] Sed ita tamen vt hoc casu supplendi iusti pretij electio emptori concedatur,[8] si enormis tantum, id est, vltra dimidiam, non item si enormissima læsio interuenerit.[9] In eoque nimirum plenius est, & commodius remedium restitutionis aduersus lapsum temporis,[10] quoniam ea impetrata, res ipsa quæ fuit vendita præcise restituenda est precio recepto. *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro N. Le riche

BIU Cujas

contra Antonium Bourgeois 17. Cal. Aug. 1592. Iunge Defin. 8. infr. De distr. pignor.

1 Nec si fiscalis auctio proponatur, *l. si tempora 4. C. de fid. & iur. hast. fiscal. lib. 10. tit. 3.*

2 Quamquam nec facile minoribus hoc casu succurrendum est, sed circumspecte, ne alioqui eueniat vt nemo accedere velit ad distractionem rerum pupilli aut minoris, nec si bona fide distrahantur, inquit Vlp. *in l. ait prætor 7. §. quæsitum D. de minor.* Vide tamen Guid. Pap. *qu. 31.*

3 Pura si quid dolo factum sit, per sordes vel per gratiam, *d. §. quæsitum l. si quos 16. C. de rescind. vendit. l. 3. C. de iur. fisc. l. 2. C. de fid. & iur. hast. fiscal. lib. 10.*

4 Nam decreti interpositio non sit ad finiendum tempus redimendi, quod ex statuti verbis semestri concluditur, sed ne de subhastationum forma & viribus in trigesimum vsque annum quæri possit, vt scripsi Decad. 10. Err. 5. 6. 7.

5 Ex aliqua, scilicet, & magna causa, *arg. d. §. quæsitum & & l. nisi 10. ff. de minor.*

6 Tractant nostri *ad l. vlt. C. si contr. ius vel vtil. public. Dixi Defin. 1. §. ill. tit.*

7 *d. l. si quos 16. C. de rescind. vendit.*

8 Iuxta *l. 2. l. si voluntate 8. C. eod.*

9 Nam enormissima læsione interueniente, id est, vltra bessem iusti precij, placet contractum esse ipso iure nullum propter dolum qui in re ipsa inest, quem æquiparant dolo ex proposito *DD. ad l. si quis cum aliter 36. De verb. obligat.* scripsi Decad. 1. Err. 7. & 8. & Decad. 10. Err. 8. & 9.

10 Restitutio enim aduersus lapsum temporis facit vt etiam post tempus idipsum liceat quod licebat ante, *l. necnon 26. §. si feriæ. l. necnon 28. §. si quis sæpius, D. ex quibus caus. maior. l. 1. 2. 3. & pass. C. de in integr. rest. milit.* Alioqui non esset plena restitutio, si minus iuris tribueret debitori quam antea habuisset, *l. quod si minor. 24. §. restitutio. ff. de minor. l. 1. C. de sentent. pass. & restit.*

DEFINITIO V.

De spoliato rem suam cum fructibus reposcente.

AGi potest ex Canone pontificio quo succurritur spoliatis,[1] etiam post quinquaginta annos,[2] aduersus eum qui impuberis rem emit perperam & sine decreto: [3] Si medio tempore agi non potuit aut prohibente iure potestatis, aut impediente reuerentia maritali,[4] Fructus tamen, licet in hanc actionem venire soleant,[5] non debebuntur nisi à die mortis patris, si actoris pater, cuius lucro alioqui fructus cessuri erant, venditioni consenserat.[6] Debebu ur tamen etiam eius temporis quo maritus vixit, si is nõ petierit. Imo etiam si maritus adhuc viuat, dummodo non petat.[7] Credendus enim est non petere vt faueat vxori potius quam vt iniusto possessori.[8] *Ita Senatus* in causa Laurentiæ Du Chesne, contra fratres Visanos Augustanos Prid. Calend. Sept. 1594. De qua SC. 25. infr. Vnde vi.

1 *Can. redintegranda 3. qu. 1.*

2 Licet remedium illud excludatur regulariter præscriptione triginta annorum, vt & cæteræ personales actiones, *l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Iacob. Menoch. *de remediis recup. possess.*

3 Titulus enim nullus & inualidus, qualis hic est, non excludit huiusmodi remedium, quod datur etiam contra titulo possidentem. Menoch. vbi supra. *num. & seqq.*

4 Iuxta illud quod dici solet, non valenti agere non currere præscriptionem, *l. 1. §. vlt. C. de annal. except. l. 1. §. vlt.* iunct. *Auth. seq. C. de bon. mater. l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

5 Textus est *in d. can. redintegranda 3. quæst. 1.*

6 *Arg. l. peto 69. §. prædium de legat. 2.*

7 Intellige, Etiamsi ius illud in dotem datum sit, fortasse cum cæteris omnibus bonis, alioqui nullum ius haberet maritus fructuum huiusmodi petendorum, *l. hac lege 8. & l. vlt. C. de pact. conuent.* Imo nec retinendorum, *l. pen. in princ. ff. ad leg. Falcid.*

8 Ratio enim & ordo iustæ affectionis hanc inducit interpretationem, quia plus debet maritus vxori quam iniusto possessori. Nam neque donatio hæc prohibita est inter virum & vxorem, cum maritus non fiat pauperior sed tantum lucri occasionem omittat, *arg. l. 5. §. si maritus, & seq. l. vir vsuras 54 ff. de donat. int. vir & vxor.* Alioqui contingeret vt honesta interpretatio non honesto quæstu lucrum possessori adferret, quod esse non debet, *l. si possessor 52. ff. de petit. hered.*

TIT. XXIV.

SI ADVERS. CREDIT.

DEFINITIO I.

De restitutione in integrum aduersus creditorem.

QVI minori sine curatoris auctoritate pecuniam credidit, in eo durioris conditionis est quam qui precium ex venditione debitum minori soluit, quod emptor non omnimodo & indistincte cogitur probare versam fuisse pecuniam in rem minoris. Sed distinctionibus locus est, de quib. diximus in superioribus.[1] At creditori semper incumbit onus probandi,[2] Adeo vt nec vllam ei actionem ex mutuo dare prætor debeat, aduersus minorem, ni probet pecuniam à minore vtiliter impensam esse.[3] Nec proinde restitutio in integrum esset minori necessaria si summo iure ageretur:[4] quanquam alio iure vtimur, præsertim si, vt fere semper fit, iusiurandum adhibitum proponatur.[5] Neque hac parte creditorem fœneratorem à creditore simplici separamus.[6] An quod odiosus sit liberalis quoque creditor, id est, qui fœnerator non est? Minimè, sed quia hoc ipsum imputari creditori potest, cur minori crediderit,[7] cum tamen emptori non sit tam facile imputandum cur soluerit: Precium enim soluere necesse est, at credere non est necesse.[8] Sed & odium fœneratorum ius hoc extorquere potuit etiam aduersus simplices creditores:[9] Siue quod vt plurimum soleant pecuniæ credi sub vsuris, Ius autem adaptari debeat ad ea quæ frequentius contingunt:[10] Siue quod plerumque vsurarum conuentarum probatio obscura sit, Creditoribus id vnum quantum facere possunt curantibus, ne vsurarij videantur, fraudibus in eam rem vndique conquisitis.[11] Itaque cum quæstio huiusmodi ex facto incidisset, ac minor diceret in lusus perditos profligatam à se pecuniam; quam mutuam accepisset, creditor autem contra adseueraret vtiliter, & in vsus necessarios impensam, *Senatus* pro minore præsumendum existimauit, nec lite pendente prouisionali adiudicationi quam creditor vrgebat locum vllum esse voluit.[12] In causa D. Petri Sappin nunc magistri computorum & D. de Morgenex Prid. Id. Iul. 1592.

1 *Defin. 1. & 4. §. Si tut. vel curat. interuen.*

2 *l. 1. &* 2. vbi Bart. & cæteri. C. *si aduers. credit. l. 2. C. de filiofam. minor.*

3 *l. patri 27. §. si pecuniam, ff. de minor.*

4 Quia non solet dari restitutio ei, qui ipso iure tutus & munitus est, *l. in causa 19. in princip. & §. & generaliter, ff. eod. l. 2. C. de præd. minor. l. 3. C. de in integr. restit. min.*

5 Propter *Auth. sacramenta puberum C. si aduers. vendit.* quæ iureiurando puberis vult confirmari eos etiam contractus qui alioqui non valerent.

6 *Not. ad d. l. 1. C. hoc tit.*

7 Nam cum facile pecunia perdatur, fere est vt qui pecuniam credit minori credat perdituro, *l. quod si minor 24. §. restitutio versic. sicuti ff. de minor.* Nisi minor sit industriosus Bart. *in l. 1. nu. 2. C. qui & aduers. quos* [In Ecclesia sanè id obtinet, vt qui ei credidit probare debeat, pecuniam versam esse in rem & vtilitatem Ecclesiæ. *Socin. cons. 15. lib. 1.*]

8 Ratio est perelegans, quam Paulus adfert in *l. quod si minor. §. restitutio*, vbi addit emptorem, qui soluit precium, minori soluere æs alienum, ideoque ex hac causa parcius minori succurrendum esse. vide Bartol. *in l. si sine. §. interposito de admin. tutor.*

9 Est enim vsura odiosa, quia pecunia sui natura res sterilis est nec pecuniam parit. Ideoque nec nisi ex stipulatione debetur, *l. 3. C. de vsur.*

10 *l. nam*

10 *L. nam ad ea 5. D. de legib.*

11 Vnde fit vt toties tractari oporteat de pactionibus factis in fraudem legitimarum vsurarum, *l. si ea pactione 14. l. eos 26. l. vltim. C. de vsur. l. 13. §. ibidem Papinianus, D. de action. empt.*

12 Cui nec locus vllus esse debet ne quidem ex instrumento publico & guarentigiato, vt loquuntur, quoties aliqua præsumptio est contra actorem, *d. l. patri 27. §. si pecuniam, D. de minor.* Nam si denegare debet Proconsul actionem creditori, vt eo loco Caius scribit, multo magis denegare debet executionem contractus, quousque de facti veritate plenissime cognouerit.

DEFINITIO II.

De pecunia minori credita auctore curatore.

SAne si curatoris auctoritate intercedente minori credita sit pecunia, nihil causæ est cur creditori imputetur, quod cum minore contraxerit, eique pecuniam crediderit.[1] Neque enim cum minore male contrahitur adhibito curatore.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. ait prætor 7. §. 1. D. de minor.* etsi locus ille est de eo qui pecuniam debitam soluit minori, non de eo qui credit. Inter quos sane differentia est, quoniam qui soluit auctore curatore omnimodo liberatur, nec timet periculum restitutionis etiamsi pecunia postea deperdita sit, qui, vt solueret, aut coactus fuit, aut cogi potuit, *l. quod si minor 24. §. restitutio eod. l. quod autem 6. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credi.* Qui autem credit etiam auctore curatore periculo restitutionis obnoxius est, si probe minor pecuniam esse male consumptam, quia volens contraxit, nec eum credere fuit necesse, *d. §. restitutio.* Ergo adhibit curatoris auctoritas, hactenus tantum ei prodest, vt non oneretur probatione. Sicut & eo casu de quo scripsimus *Defin. 1. 5. Si tut. vel curat. interuen.*

2 *Arg. l. 4. in fin. ff. de euict. l. cum plures 12. §. 1. ff. de admin. tut. l. intra viile 39. §. 1. ff. de minor.*

DEFINITIO III.

De minore qui liberatus dato expromissore restitui vult aduersus creditorem aut expromissorem; Et quid si expromissor restituatur?

EXpromissore dato liberatus debitor, qui aduersus creditorem ætatis fortasse aut alio personali priuilegio in integrum restitui poterat, si postea restitutionem impetrare velit, audiendus non est.[1] Nam quemadmodum semel extincta obligatio nunquam reuiuiscit,[2] ita fieri non potest, vt aduersus eam obligationem, quæ sublata fuit, restitutio detur.[3] Nec si paratum se dicat is, qui debitor fuit, pristinam obligationem in se recipere,[4] vt aduersus eam postea restituatur, quicquam ei proderit: Cum neque alium debitorem pro alio accipere creditor compellendus sit,[5] neque certam & indubitatam actionem cum ancipiti, hoc est, quæ restitutionis periculo sit obnoxia, commutare.[6] Atqui, inquies, minoris interest, qui licet creditori non teneatur, tamen expromissori obligatus est, vtique tanquam qui sit intercessor, regressum habituro actione mandati.[7] Fateor, sed facere ea res non potest, vt aduersus creditorem à quo iam liberatus sit restitui debeat, non magis quam si expromissor mandati actionem habiturus non esset.[8] Potest enim aliunde sibi consulere petita aduersus expromissorem restitutione,[9] si petendæ causam iustam habeat.[10] Plane si restitutio, quæ pristino debitori aduersus creditorem competere poterat, non tam personæ priuilegio, quam negotij æquitate nitebatur,[11] forte quod læsio vltra dimidiam interuenisset[12] dubitandum non est quin vel inuito eo idem beneficium expromissori quoque vt alij cuilibet intercessori competat,[13] sicut & alia omnia quæ rei sunt nó personæ.[14] Proinde si liti quæ inter creditorem & expromissorem agitatur adesse prior debitor velit, multo magis admittendum est id ei licere, cum ipsius intersit, ne forte inter eos colludatur,[15] quo paratior sit expromissori in eum mandati actio.[16] Quod si expromissoris restitutionem excludere creditor velit eo solo prætextu, quasi per illum factum sit, vt prior obligatio quæ contra veterem debitorem competebat interciderit ac perempta sit,[17] in promptu contradictio est, non ideirco duriorem factam creditoris conditionem,[18] quando & perinde aduersus eum restitui prior debitor potuisset si in obligatione mansisset.[19] Maxime vero si liti præsens ille paratum se dicat, non solum pati vt prior obligatio restauretur, & in se iudicium exerceatur, sed etiam in promptu soluere quicquid liquido & iuste debitum fuisse apparebit.[20] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in casu N. Bernardi Dacquin Procuratoris fiscalis Sabaud. & Dominorum fratrum Bay & illustris D. Marchionis de la Chambre 7. Calend. Septemb. 1593.

1 Expromissor enim ille dicitur, qui solus obligatus est pro alio, siue alius ille iam obligatus antea fuit, siue non, in eoque differt à fideiussore, qui sicuti nunquam solus obligatur, ita neque alium liberat. Denique expromissio facit nouationem, fideiussio non item, *l. 4. D. de condict. caus. dat. l. aliquando 13. ad SC. Velleian. l. si vero 64. §. sed & si reum, D. solut. matr. l. qui libertinus 37. §. vlt. de oper. libert. l. in eo 110. §. 1. de regul. iur. l. vltim. D. ad SC. Maced.*

2 *L. qui res 98. §. aream, D. de solut. l. si vnus 27. §. pactus ne peteret, D. de pact. l. si pro patre 16. §. penult. De in rem vers. l. ob eam causam 9. De præsc. verb.*

3 *L. creditorem 18. D. ad SC. Maced. l. qui contra 11. D. de fideiuss. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. quod vulgo. de solut.* de cuius loci sententia & lectione videnda sunt quæ scripsi lib. 8. Coniect. cap.

4 Nemo enim dubitat, quin consentiente debitore, possit restaurari obligatio, quæ fuerat ipso iure extincta, *l. metum 9. §. ex hoc edicto & l. seq. D. de eo quod met. caus.*

5 *L. eum à quo 16. C. de solut. l. patri 27. §. penultim. D. de minor.*

6 *L. minor annis 40. in princ. D. eod.* iunct. *l. si Titius 48. in fine principij D. de fideiuss.*

7 *L. & heredi 21. §. vlt. & ll. seqq. ff. de pact. l. si quis reum 5. ff. de lib. leg. l. cum lex 46. ff. de fideiuss.*

8 Nam aduersus id quod non est, impossibile est à prætore subueniri, vt de libertate scriptum est, *in l. si ex causa 9. §. vltim. de minor.*

9 *l. in causa 13. in princip. eod.*

10 Puta si tum etiam minor fuit cum expromissorem dedit, *d. l. in causæ l. doli 16. §. idemque est, D. de nouat.*

11 Exceptionum enim & defensionum omnium diuisio illa est, vt quædam personæ quædam rei cohæreant, *l. 7. D. de except. l. maritum 12. & seq. D. solut. matr.*

12 *l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

13 *d. l. 7. §. rei autem, D. de except. l. vlt. D. de pact.*

14 Ideo enim rei cohærentes dicuntur hæ defensiones, quod sicuti ex re ipsa nascuntur, ita & rem sequuntur, vt causam ad differentiam earum quæ ex huius vel illius persona obiiciuntur, de quibus *in l. hoc iure 27. & seq. D. de euict.*

15 *l. si suspecta 29. D. de inoff. testam. l. à sententia, 5. §. 1. l. si pertusorio. 14. D. de appell.*

16 Non enim competit ea actio priusquam absit aliquid expromissori, vt nec fideiussori: nisi sit iam condemnatus, aut debitor bona sua dilapidat, aut diu mansit expromissor in obligatione, *l. si pro ea 10. C. mandat. l. Lucius 38. §. 1. D. eod. l. fideiussor. 45. D. de fideiuss.*

17 *Arg. l. 4. D. de condict. caus. dat. l. itaque 28. D. de dolo d. l. doli 19. D. de nouat.*

18 Quod sufficit vt creditoris nihil intersit, *l. 3. §. 1. 2. pen. & vlt. D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

19 Restitutio enim, quæ ex re magis quam ex persona minoris competit expromissori, easdem leges & conditiones recipit quas haberet, si per minorem ipsum exerceretur. Itaque non fit ex eo durior conditio creditoris. Imo melior, quia solent iudices vt plurimum fauere minoribus potius quam maioribus saltem in dubio, vt de libertatibus scribit Caius, *in l. 3. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

20 *dict. l. 3. §. vltim. l. ex hoc edicto 8. D. eod.* Facit *l. sed etsi leges 25. §. item si distraxit. vers. quid tamen, D. de petit. hered. l. quid tamen 21. §. si quis ex litigatoribus, D. de recept. qui arbitr.*

BIU Cujas

[DEFINITIO IV.

Non potest minor restitui aduersus apochas nomine patris conscriptas ad restituendam præscriptionem eo modo interruptam.

DEbitoris filius minor annis vigintiquinque apocham vsurarum à creditore stipulatus fuerat nomine patris absentis, quo adhuc superstite completum fuerat tempus quod ad præscriptionem 30. annorum erat necessarium si eam præscriptionem conscripta vsurarum apocha non interrupisset. Idem filius postea patri hæres extiterat, Et quia conuentus ad solutionem sortis post annum trigesimum obiiciebat præscriptionem longissimi temporis quę ex nouo edicto Serenissimi Principis nostri etiam debitori competit, multóque magis hęredi debitoris, replicabat creditor interruptam fuisse præscriptionem agnitione debiti & solutione vsurarum. Ob eam causam petebat minor se in integrum restitui aduersus apocham quasi lubrico ætatis lætus in eo quod facto suo præscriptionem interrumpendo beneficium illius sibi ademerat. Placuit non esse iustam restitutionis causam, cùm nihil ipse fecisset, nisi quod iure communi facere & potuisset, & debuisset.[1] Nec ei prodesse debere, quòd apochę conscriptæ tempore non erat ipse debitor, sed pater in cuius fauorem apocham ignorantis, completa præscriptio videbatur. Cùm ex causa hereditaria reperiretur ipse debitor, nullâq; exceptione adiuuandus eo tempore, quo conueniebatur à creditore, cui nulla negligentia poterat imputari.[2] *Ita Senatus* contra Claudium Vian 14. Cal. Decemb. 1611.

1 *L. vlt. C. de in integr. rest. minor.* Non enim hoc casu amissa erat exceptio iam quæsita, sed quærenda, eaque valde odiosa, vtpote quæ adnexam haberet malam fidem, ob idque nec posset currere iure canonico. *Ex not. in cap. vltim. de præscript.*

2 *Arg. l. 2. D. de except. rei vend. & tradit. l. si à Titio 72. D. de rei vindic. cum similib.*]

TIT. XXV.

SI MINOR AB HERED. se abstin.

DEFINITIO I.

De restitutione aduersus lapsum tempus conficiendi inuentarij.

TVTOR pupilli nomine paternam hæreditatem non nisi cum beneficio legis & inuentarij agnouerat,[1] neque tamen inuentarium confecerat. Cum mater dotem repetens aduersus filium ageret, quasi is paternæ hæreditati se immiscuisset pure, ac post varios litium anfractus tutor pro pupillo restitutionem in integrum aduersus lapsum temporis imploraret,[2] vt ad conficiendum exhibendumque inuentarium admitteretur, Iusta quidem restitutionis causa videbatur, propterea quod licet tempus conficiendi inuentarij pupillo tutorem habenti cucurrisset,[3] iniquum tamen erat nocere tutoris negligẽtiam pupillo,[4] cuius intererat vt restitueretur potius quam vt condemnatus indemnitatem à tutore consequeretur.[5] Sed tamen tutorem proprio nomine in expensas omnes frustratorias condemnandum esse placebat,[6] quod ea restitutio non magis contra lapsum temporis, quam contra tutoris negligẽtiam impetrata videretur,[7] licet tutoris dolus nullus interuenisset.[8] Alioqui cederẽt eæ impensæ damno vel mulieris dotem repetentis, cui mens saluam dotem integramque seruari necesse est,[9] vel pupilli, cuius vtique propter ætatem neque mora vlla esse potuerat,[10] neque culpa.[11] *Ita Senatus* pro N. Maria Faure vxore D. Gabrielis Damodry Aduocati 8. Calend. Sept. 1592.

1 Sic enim plerumque fit vt pupilli nomine tutor hereditatem agnoscat, cum tamen si iuris rationem inspicias pupillus ipse agnoscere debeat tutore auctore, *l. pupillus 9. D. de acquir. hered. l. potuit 5. C. de iur. delib.* Extra casum *l. si iussanti 18. in fin. C. eod.* Bart. *in l. is potest nu. 32. D. de acquir. hered. & in d. l. pupillus nu. 3.* quamuis in bonorum possessione aliud sit, quam scilicet tutor solus pupilli nomine admittere potest, *l. bonorum 7. C. qui admitti:* quoniam agnitio bonorum possessionis ratihabitione contenta est, non etiam aditio hereditatis, *l. si quis mihi 25. §. iussum, de acquir. her.* Hoc rursum ideo, quia aditio est actus ciuilis & legitimus, qui suspendi non potest, quomodo actus prætorij suspenduntur, *l. actus legitimi. de reg. iur.*

2 *Ex tit. C. de in integr. restit. minor. Et tit. Si tut. vel curat. interuen.* Bart. *in l. fin. nu. 5. C. in quibus caus. restit. in integr. non est necess.*

3 Bart. *in §. pupillis, num. 1. Nouell. 1. De hered. & Falcid.* licet ibi loquatur de minore non de pupillo. Vide quæ scripsi *Definit. 2. 3. Si aduers. vsucap.* Adde Guid. Pap. *quæst. 571. nu. 2.*

4 Tutoris enim siue dolus siue negligentia pupillo nocere non debet sicut nec prodesse, *l. 3. §. vlt. D. de tribut. l. 3. D. quand. ex fact. tutor.* Scilicet in acquisitis non item in acquirendis, Dixi 3. *Defin. 3. num. 4. Si aduers. vsucap.* Paterna autem hereditas etiam prius quam sit agnita est de numero acquisitorum non acquirendorum. Quia licet filius possit abstinere, non eo minus tamen statim heres est, *l. 1. §. qui sunt in potestate, D. si quis omis. caus. testam. l. cum quasi 30. §. sed etsi seruus, de fideic. libert.* Quod si de extranei hereditate ageretur non esset sane pupillo necessaria in integrum restitutio, sed alia ratione, quia non currit tempus conficiendi inuentarij, nisi ab adita hereditate, Glos. Bart. & cæteri, *ad l. vlt. C. de iur. delib.* Guid. Pap. *dict. quæst. 571. num. 5.* Hic autem non posset dici adita hæreditas quam tutor pupilli nomine solus agnouisset, *d. l. potuit, 5. C. de iur. delib.* Itaque non posset videri elapsum tempus quod nec dum currere cœpisset.

5 *L. 1. 3. §. vlt. & pas. C. si tut. vel curat. interuen.* Interest namque pupilli, vt & alterius cuiuslibet, non soluere potius quam solutum repetere, *l. 3. De compens. l. si stipulatus 15. D. de fideiuss.* licet aliquando facilius ob id restitutio denegetur, quod tutores sint soluendo vel curatores, vt *in l. intra vtile 39. in fin. D. de minor.*

7 *Arg. l. non est ignotum 6. C. de administ. tut. l. quoties 9. §. nec vtique, D. eod. l. qui solidum 78. §. etiam de leg. 2.*

7 Negligentia enim est si non fiat intra constitutum tempus id quod fieri debuit, & inducitur ex sola cessatione. *l. Aemilius 38. D. de minor. l. si bonam causam, 11. Cod. de administrat. tutor.*

8 Neque enim omnis negligentia dolus est aut dolo proxima, sed ea tantum quæ magna adeo est, vt non solum culpam sed etiam magnam culpam constituat. *l. mag. negligentia 226. de verbor. signific. l. quod Nerua 32. D. depos.* quam dissolutam negligentiam vocat Vlp. *in l. si fideiussor. 29. D. mandat.* & latam quæ prope fraudem accedat, *in l. impuberibus, 7. §. 1. de suspect. tutor.*

9 Propter publicam vtilitatem, de qua *in l. 1. D. solut. matr.*

10 *l. cum filiusfamilias 49. §. in hac & l. si pupillus 127. de verb. obligat.*

11 Qui enim moram contrahere non potest multo minus culpam, quæ plus est, *l. 9. ad fin. de vsur.*

DEFINITIO II.

De pupillo se abstinente aut inuentarij beneficium implorante post puram immistionem tutore auctore factam.

ILlud etiam tractari potest, si hereditatem pupillo delatam prior tutor agnouerit non implorato beneficio legis & inuentarij, eámque pro arbitrio dilapidauerit, tum decesserit aut à tutela remotus sit, An sequẽs tutor post multos forte annos datus id beneficium legis implorare possit, si damnosam esse videat hereditatem? Et magis est vt possit,[1] eadem ratione quam superiore Defin. vsurpauimus, quod æquum non sit tutoris siue negli-

BIU Cujas

negligentiam, siue dolum & malam fidem vsque adeo nocere pupillo, [2] vt à petendæ restitutionis auxilio arceatur. [3] Nam & si, sequens tutor vellet omnino abstinere pupillam, quem prior immiscuisset, vtique pro suo iure ac citra restitutionem id facere posset. [4] Sane quæ actio pupillo aduersus tutorem ex mala gestione competeret ei pure hæreditatem retinere pupillus vellet, [5] eadem creditoribus accommodabitur, vt indemnitatem aut in totum aut saltem ex parte consequantur. [6] Neque cessione vlla in eam rem opus erit. Cum tutor rem pupilli male administrans non solum pupillo se obliget, [7] sed iis etiam omnibus, quorum interesset pupillum ex tutoris facto & auctoritate obligari, si qua ratione fiat ne pupillus vtiliter & cum effectu obligetur. [8] *Ita Senatus* pro Rolando de Verdon. Prid. Calend. Octobr. 1595.

1 *Ex l. 1. C. hoc tit. si minor ab hered. se abstin.*

2 *l. 3. D. quand. ex fact. tutor. l. 3. §. vlt. D. de tributor. act.*

3 *l. 2. 3 & vlt. C. si tutor vel cura interuen.*

4 *l. penult.* vbi est text. elegans, *D. de auctor. & consens. tut. l. ex contract. 44. D. de re iudic.* Porro cui saluum est ius abstinendi aut repudiandi, quod effectu idem est, cum is qui abstinuit heredis loco non habeatur à prætore, *l. filius 12. D. de interrog. in iur. fac.* multo magis ius est conficiendi inuentarij, & legis sub eo beneficio retinendæ, ex iuris regula quæ habet; Non debere cui licet quod plus est non licere quod est minus, *l. non debet, 21. de reg. iur.* Qui enim pure agnitam hæreditatem postmodum agnoscere vult cum beneficio legis & inuentarij, non id agit vt ex herede fiat non heres, sed vt heres idem maneat: noua tantum addita qualitate, id est, cum beneficio legis & inuentarij. Et sane non est necessaria restitutio pupillo ad se abstinendum tametsi se immiscuerit tutore auctore, *d. l. pen. d. l. 44.* sed puberibus duntaxat, siue soli, siue curatore auctore se immiscuerint, *l. necessariis 57. ff. de acq. hered.* Facit *lex vlt. §. vbi autem puerilis, C. de bon. quæ liber. l. 8. ff. de iur. deliber.*

5 Nemo enim dubitat quin pupillo danda sit actio contra tutorem, qui auctoritatem præstitit ad damnosam hereditatem adeundam si malit ille agere tutelæ quam abstinere, *l. 1. in fin. C. si tut. vel curat. interuen. l. vlt. eod.* quæ pupillo vsque adeo dat electionem an restitui, an tutoris damna sequi malit, vt nec cum sibi aliquod ex electione huiusmodi præiudicium fieri patiatur.

6 Intellige si neque substitutus neque coheres vllus sit, ad quem bona peruenire possint ex testamento *dict. l. ex contractu.* nullusque præterea intestati successor qui hæreditatem suo iure obtinere possit. Nam & hoc casu saluam esse intestati successionem ac si filius nunquam se immiscuisset defendit Cuiacius lib. 12. Obser. cap. 20. contra Accursium, qui fisco locum fieri vult ex *l. vlt. de succes. edict.* quasi distinguendus sit is qui abstinet suo iure ab eo, qui abstinet beneficio restitutionis. Sed male. Nam nec si pupillus se ab initio abstinuisset, quisquam tamen alius ab intestato admitti posset, quia in suis non est successio, *l. 1. § sciend. de suis & legit.* vt nec in agnatis, § *placeb. Instit. de legit. agnat. succes.* Neque aliud erat iure prætorio, nisi quod qui admitti non poterant tanquam agnati (quia non poterat prætor bonorum possessionem dare contra leges, *l. necnon, 28. §. quod eius ex quibus caus. maior.*) admitterentur tanquam cognati. Quisquis enim agnatus, idem & cognatus est, quod in suis non similiter obtinere poterat, quia qui suus est, is nec agnatus nec cognatus est, *l. scripto 7. ff. vnde liber.* Igitur verius est ad fiscum bona pertinere, *d. l. vlt. de succ. edict.* scilicet si fiat soluendo *l. 1. § 1. ff. de iur. fisc. l. 4. § si bona 20. de fideic. libert.* alioqui pertinent ad creditores & distrahenda sunt, *l. pater familias 28. de rebus auctor. iudic. possid.*

7 Ex quasi contractu, *l. 5. § tutelæ ff. de oblig. & action.*

8 Textus est singularis *in l. cum post 43. §. quidam* vbi Bart. *n. 1. de admin. tut. adde l. tutores 61. de condict. indeb.* Cessionem tamen impetrari tutius est, *l. 38. de euict. l. 27. § 1. de minor.*

DEFINITIO III.

De minore petente restitutionem ad abstinendum aut appellandum.

SEd etsi minor annis vigintiquinque, siue curatorem habens siue non habens, hæreditatem damnosam inconsulto adierit, siue patris aut aui, siue agnati aut extranei hæreditas fuit, restitui in integrum potest ad eam omittendam, [1] Si modo constet nihil eum fecisse dolo, [2] & paratus sit reddere quicquid habuit ex hereditate. [3] At cum non aliter concedenda sit minori restitutio quam si se læsum probet, [4] non vtique hoc solo quo hereditatem adiit læsus præsumetur, [5] sed ita demum audietur si probet vel damnosam vel onerosam hereditatem fuisse, [6] id est, vel tanto ære alieno constrictam, vt ei exoluendo facultates hereditariæ sufficere non possint, vel tot litibus & difficultatibus implicitam, vt non sine magno dispendio & incommodo explicari vnquam posse videatur. [7] Quemadmodum & si minor passus sit labi tempora, quæ ad appellationem vel interponendam vel prosequendam data sunt, non prius restituetur quasi læsus quam docuerit iustam se appellandi causam habuisse. [8] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 17. Cal. Iunij 1591. In causa Nicolai Despatrons, contra Petrum Cochet Idib. April. 1595.

1 *L. 1. C. hoc tit. l. necessariis 57. D. de acquir. hered.*

2 Minori enim aduersus proprium dolum subueniri non oportet, *l. si ex causa 9. §. nunc videndum, D. de minor. l. 1. C. si aduers. delict.*

3 Vt in integrum omnia restituantur, *l. quod si minor 24. §. restitutio, ff. de minor.* Intellige nisi quid fato perierit. Hoc enim reddere minor non tenetur, vt in specie *l. verum 11. §. si locupleti, ff. eod.* Facit *l. vnic. vers. sed & cum minor. C. de reput. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

4 *d. § si locupleti d. l quod si minor. § non semper, eod. l. nam & posteaquam, § si minor. D. de iureiur.*

5 Quid enim si locupleti hæres extiterit, *d. § si locupleti.* In eoque errauit Bald. *ad d. l. 1. C. hoc tit.* & Salicet. *ad auth. si omnes eod.* vbi defendunt sufficere hoc casu ad probandum læsionem, vt minor probet se vel vni tantum creditori obligatum, nisi aduersarius probet hæreditatem esse soluendo.

6 Cyn. *ad d. auth. si omnes*, post Iacob. de Aret. quos refert & sequitur Guid. Pap. *quæst. 142. num. 2. & 3.* Alex. *cons. 21. col. 2. vol. 1.* Excipe tamen casum singularem, de quo *in d. § si locupleti*, vbi restituitur minor aduersus aditionem hereditatis etiam locupletissimæ.

7 *l. 4. l. sed etsi 9. § quod si suspectam, D. ad SC. Trebell.*

8 Bart. *in d. l. nam & posteaquam, § si minor. num. 6.* Bald. & Salic. *ad l. vltim. C. in quibus caus. non est necess.* quia præsumptio est pro sententia à qua non fuit prouocatum, *l. Herennius 63. § Caia. de euict.* licet idem Bart. contra scripserit, *ad d. l. vlt. nu. 10.* Alij cum Paulo Castr. distinguunt, an qui vult restitui fuerit actor, an reus. Alij cum Alex. *in d. § si minor.* an de minore loquamur an de maiore. Sed indistincte verior est opinio Bart. *in dict. § si min.* secundum Abbat. *cons. 77. vol. 2. col. 3.* Alex. *cons. 115. vol. 5.*

DEFINITIO IV.

De filio qui soluit paternis creditoribus ante impetratam abstinendi causa restitutionem.

FIlius, qui paternis creditoribus tanquam heres soluit, licet ex priuilegio minoris ætatis restituatur aduersus immistionem vel abstinendi habeat potestatem, condicere tamen quod soluit non potest, [1] cum repetitio nulla sit à vero creditore qui suum recepit, nec si alius soluerit quam qui debuit. [2] Multo magis cum is ipse soluit qui tum debuit, hoc est, qui eo solutionis tempore hæres fuit. [3] Ergo si herede mandante alius pro eo soluerit creditoribus hereditariis, & ille postmodum aduersus immistionem restitutus sit, Causa nulla est vt ea restitutio nocere illi debeat qui soluit, quasi non sit versa pecunia in rem minoris, quandoquidem nec illi ipsi nocet cui solutum fuit. [4] Nam si indebita fuit pecunia quæ soluta est, condictioni locus fit in vtilitatem minoris pro quo solutio facta est. [5] Sin fuit debita, negari non potest quin soluentis pecunia in eam causam numerata vtiliter in rem minoris versa sit. [6] *Ita Senatus* in eadem causa Nicolai Despatrons contra Petrum Cochet. Idib. April. 1595.

1 *L. si mulier 31. D. de minor. vers. nam & si quidam.* vbi Pap.

BIU Cujas

scribit non solum nullam esse hoc casu repetitionem, sed nec admittendam esse ceterorum creditorum querelam contra eos qui suum acceperunt, si petant vt pecunia communicetur. Nimirum si non plus debito acceperint, *l. tutores 61. de condict. indeb.*

2 *L. repetitio 44. D. de condict. inde. l. pure. 5. §. si cum D. de doli mal. except. l. 1. §. quod si patronus, D. quar. rer. act. non det. l. si quis de legauerit 12. D. de nouat.*

3 Id enim est quod Papin. significat *in d. l. si mulier*, cum ait seruos ab ea muliere manumissos, quæ postquam heres extitit restituta fuit abstinendi causa propter ætatem, iure optimo libertatem consecutos videri, ab ea scilicet quę debuit ipsos manumittere. Ideoq; nec cogendos esse dependere viginti aureos pro libertate retinenda, quos alioqui dependere deberent, *l. Papinianus 8. §. vlt. & l. seq. D. de inoff. test.*

4 Vide tamen ne suspecta sit cõsecutio, quoniam alia ratio videtur esse minoris qui reus est, cum ab eo conuenitur aduersus quem aliqua defensionis æquitate tueri se possit: Alia vero minoris agentis & repetere volẽtis quod soluit vero creditori. Fauorabilior enim est reus quam actor, *l. Arianus 41. de oblig. & act. l. 125. de reg. iur.* Et quemadmodum in re obscura melius est fauere repetitioni quam aduentitio lucro, *l. non debet 41. §. 1. eod.* Ita & fauendum est cæteris parib. retentioni magis quam repetitioni, *l. nemo 126. §. 1. l. in pari causa 128. eod.* Alioqui nunquam esset danda restitutio minori aduersus fideiussorem suum præcedente mãdato, quod falsum est, *l. in causæ 13. in princ. ff. de minor.* Et sane cum id quod iussu alterius soluitur pro eo sit quasi ipsi solutum esset, vt habet iuris regula *in l. quod iussu 180. de reg. iur.* apparet non plus iuris habere posse eum qui soluit mandante minore quantumlibet iusto creditori, quam si minori ipsi soluisset: quo tamen casu mandati quidem actio contraria competeret ei qui soluisset, sed non eo minus restitui minor posset tanquam aduersus aliam quamlibet obligationem aut actionem, *d. l. in causæ 113. in princ. & ad fi.* Neque enim huius qui creditori soluit metiendum ius est ex persona creditoris, nec si cessum ius habeat à creditore, quoniam cessa actio manet obnoxia periculo restitutionis, licet aduersus solutionem ipsam, quæ creditori facta est, restitutio dari non possit, siquidem, vt dixi, fauorabilior est qui suum iam recepit, quam qui actionem tantum habet ad suum consequendum. Sera namque est impetratio restitutionis aduersus obligationem iam extinctam. Non item aduersus obligationem quæ adhuc subsistat. Extincta est ex parte creditoris cui solutum fuit, quod reuera debebatur. Subsistit ille ex qua minor ab eo cui solutionem mandauerat conuenitur. Denique non potest dici prorsus indebitum id quod ita debetur, vt tamen possit restitutio in integrum indulgeri debitori, *arg. l. quod si minor 24. §. restitutio vers. nam etsi D. hoc sit.* nec proinde metus restitutionis incertæ potest facere quo minus per eiusmodi solutionem vera inducatur liberatio, *arg. l. qui res 98. in princ. & §. 1. de solut.* quia restitutio noua actio est, licet restituto minore consequenter restituatur obligatio aduersus veterem debitorem, *l. vlt. D. de minor.* nisi creditor fuerit in dolo *d. §. 1. & l. si Titius 48. in fin. de fideiuss.* scilicet ex natura restitutionis in integrum *l. vnic. vers. sed etsi intercessor. C. de reput. quæ fiunt.* Aut in proposito, id est, cum minor per se aut per alium soluit suo creditori aduersus quem poterat restitui, non potest locus esse restitutioni aduersus liberationem. Nec ad hunc casum pertinet titulus *C. si aduers. solut. à tutor. vel à se fact.* sed ad illum quo vel solutionem minor ipse acceperit & pecuniam perdiderit, *vt in l. 2. eod.* vel indebitum ipse soluerit & quidem per errorem iuris, vt *in l. 2. eod.* Nam si per errorem facti habet indebiti condictionem iure communi, *Tot. tit. de condict. indeb.* superest igitur vt minori danda sit restitutio contra solum mandatarium qui soluit, si mandati actionem contrariam exerceat. Scripsi ad *Defin. 12. 3. De in integ restit. min.*

5 Nam & videtur soluisse is qui mandauit solui, tum etiam cum ignorat factam solutionem, *l. si fideiussor. 29. §. hoc idem tractari D. mandat.*

6 Non enim ponimus restitutum fuisse minorem contra ius ipsum crediti, sed tantum contra immistionem hereditatis, vt & *in d. l. 31. ff. de minor.* Ego tamen secundum ea quæ proxime disputaui magis probarem, vt huic qui minore mandante soluisset daretur actio non mandati contra minorem, qui vtique restitui potest quoties conuenitur ex contractu in quo læsus fuit, *d. l. in causæ 13. in princip. & l. minor se in id 48. in princ. ff. de minor.* sed negotiorum gestorum, Et quidem non contra minorem ipsum, cuius nihil iam interest, sed contra creditores ad quos bona hæreditaria incipiunt pertinere per filij abstentionem, *l. paterfamilias 28. de rebus auctor. iudic. possid.* aut in ipsa bona distrahenda, id est, aduersus curatorem bonis dandum: quia negari non potest quin negotium hereditatis vtiliter gestum sit dimisso ex huius pecunia creditore hereditario, qui verus creditor fuit, sicut è contrario si minor hic legata quædam soluisset ante restitutionem quæ postmodum ob impetratam restitutionem fierent indebita, non minori ipsi competeret repetitio, sed ipsis creditoribus, ad quos bona pertinerent, *l. 5. l. tutores 61. ff. de condict. indeb.* Neque enim nouum est vt ex postfacto fiat negotium vnius, quod ab initio fuit alterius, *l. si pupilli 6. §. item quæritur ff. de negot. gest. l. si vendidero 80. §. si Titius, ff. de furt.* Illud plane obseruandum est, restitutionem illam, quam nos minori dandam esse volumus aduersus eum qui ex mandato suo soluit creditorib. hereditariis, aliam nouam q; debere esse restitutionem, non eam quæ impetrata sit aduersus immistionem. Alia enim obligatio est quæ per restitutionem rescindi debet: cum quæ ex mandato proficiscitur sit ex contractu, quæ vero ex immistione non nisi ex quasi contractu. Idque semper verum est quod ait Definitio, restitutionem à minore impetratam aduersus immistionem non debere illi nocere qui mandante minore soluit creditori. Sed tamen illud etiam verum est quod volumus, non eo minus audiendum esse minorem iam restitutum ad abstinendum, si etiam aduersus hunc mandatarium restitui velit.

DEFINITIO V.

Heres minoris non potest restitui in integrum aduersus immixtionem à minore factam.

Filij, qui in minore ætate immiscuerat se paternę hereditati damnosæ, à qua potius abstinere debuisset,[1] non potest heres siue suus,[2] siue extraneus petere in integrum restitutionem aduersus immistionem, tametsi posset eam petere filius ipse si viueret,[3] nec petendę restitutionis tempora elapsa proponerẽtur.[4] Etsi enim ius petendæ restitutionis ex capite minoris ætatis ad heredem minoris quemlibet etiam maiorem trãsmitti posse non ambigitur:[5] Ne tamen in hac specie idẽ dici possit, illud impedit quod non ad aliud posset dari restitutio quam ad abstinendum.[6] Abstinendi vero beneficium quod prætor suis & necessariis heredib. indulget, mere personale est,[7] nec ad eorum heredes transmittitur,[8] quia non rei & causæ vt in integrum restitutio, sed personæ datur:[9] Vnde est quod heres filij etiam ante immistionem mortui abstinere non potest, si decesserit filius non declarata voluntate, quanquam illud ipsum abstinẽdi beneficium ipsi filio si viueret non denegaretur,[10] Nempe quia abstentio iuris est & voluntatis,[11] in integrum autem restitutio iurisdictionis.[12] *Sine die.*

1 Quod vtique suo iure facere potuerat, *l. ei qui 12. l. necessariis 57. D. de acquir. hered.*

2 In quo tamen maior est ratio dubitandi, *l. si quis 7. §. 1.* iunct. *glos. in verb. sciret. eod. tit.* Vide tamen Bartol. *ibid.* vbi defendit, beneficium abstinendi transire in hæredem filij, etiam extraneum, tametsi filius ante mortem suam sciuerit se necessarium. [Iunge *Definit. 5. ĩ. Qui & aduers. quos in integr. rest. non poss.*

3 *d. l. necessarius.* Intellige autem de adulto minore. Nam in pupillo etiam post immistionem non esset necessaria restitutio. *dict. l. necess. l. penult. de auct. tut. l. ex contract. 44. D. de re iudic.*

4 Nam post annum trigesimumquintum, minor apud nos non restituitur iure minoris.

5 *l. non solum 6. D. de in integr. restit. l. minor. 18. §. vltim. & l. seq. D. de minor.*

6 *d. l. necessariis & tot. hoc tit. C.* Nam post rescissam immistionem beneficio restitutionis non eo minus verum est filium manere suum heredem & necessarium, nec tantum nudo nomine sed etiam effectu, nisi se abstineat, quamuis abstinere possit. *l. 1. §. qui sunt in potestate, D. si quis omis. caus. testam.* Ac proinde inutilis est restitutio contra immistionem impetrata nisi abstentio sequatur.

7 *d. l. ei qui d. l. necessarius.*

8 *l. paterfamilias, 28.* vbi est text. elegans, *D. de reb. auctor. iudic. possid. alias l. 13. de priuil. credit.*

9 *l. ex pluribus 42. D. de adm. tutor. l. quia tale 14. solut. matr.*

10 Prætẽrquam in casu pereleganti *d. l. si quis filiumfamilias 7. §. 1. D. de acquir. hered.*

11 Quia competit ex edicto sine causę cognitione, *d. l. ei qui.*

12 Quoniam causæ cognitionem requirit, *l. 3. D. de in integr. restit.* iunct. *l. filiæ 88. de solut. l. inter tutores, 36. D. de administ. tutor.*

TIT. XXVI.

BIU Cujas

TIT. XXVI.

IN QVIB. CAVS. NON EST necess. in integr. restit.

DEFINITIO I.

De restitutione aduersus lapsum temporis non nisi in subsidium concedenda pupillo, qui tutores habuit.

QVOTIES placet præscriptionis tempora sic currere aduersus pupillum,[1] vt tamen ex causa restitui possit,[2] Districte obseruandum est vt non nisi in subsidium ea restitutio concedatur,[3] hoc est, si à tutore indemnitatem consequi non possit.[4] Prius enim contra tutorem agendum est.[5] *Ita Senatus* in causa Aduocatorum de Coysiaz & Gaudinon, 16. Calend. Septemb. 1592.

1 De quo scripsi *Defi. 2. §. Si aduers. vsucap. & ad eum locum.*

2 Ne forte pupillus damno afficiatur siue ex sua siue ex tutoris sui negligentia aut ignorantia, secundum ea quæ Bart. tractat & cæteri, *ad l. Æmilius 38. D. de minor.*

3 Publice enim interest ita ius constitui ne qua vis legibus fiat, ne quidem fauore pupilli, cuius nimirum vtilitas publicæ postponenda est, *l. si quis mancipiis 17. §. si impubes D. de instit. act.* Debetque sufficere pupillo quod indemnis seruetur, cum hoc casu cesset æquitas illa quæ sola restitutionem posset inducere. Igitur quandiu tutores soluendo erunt, denegari debebit restitio aduersus lapsum temporis.

4 Intellige igitur si pupillus tutorem habuit. Alioqui statutaria quidem & consuetudinaria temporis præscriptio currit contra pupillum quoque, sed non legalis, secundum distinctionem Innocentij *in cap. constitutus in fin. Extr. de in integr. restit.* tametsi eum pro contraria sententia citet, Guid. Pap. *qu. 31.* contendens indistincte neutram præscriptionem currere contra pupillum, quo etiam iure vti Senatum Gratianopolit. refert.

5 Textus est *in l. properandum, 13. §. vlt. C. de iudic.* Facit eleganter *l. arbitrio 18. §. pen. D. de dolo.*

DEFINITIO II.

De pupillo qui tutorem habuit petente restitutionem ad implorandum beneficium inuentarij.

CVi consequenter, cum aliquando quæreretur, An tempus conficiendi inuentarij cucurrisset pupillo tutorem habenti, Placebat cucurrisse,[1] nec sine beneficio in integrum restiutionis permittendum pupillo, vt post lapsa conficiendi inuentarij tempora heredem se diceret cum beneficio legis & inuentarij:[2] Quamuis in integrum restitui vtique possit,[3] si id malit quam indemnitatem exigere à tutore.[4] Ipsius enim interest vt non inuitus hereditariis oneribus & negotiis implicetur.[5] Nam quod à Iustiniano contra statutum est,[6] vt si pupillus per tutoris desidiam causa ceciderit non aliter saluum habeat beneficium restitutionis, quam si indemnitatem à tutore eiusve fideiussoribus consequi non possit,[7] specialem quandam rationem habet, fauore minuendarum litium,[8] & propter auctoritatem iudiciorum.[9] *Ita Senatus* in causa Gabrielis Damodry Aduocati & pupilli N. Ioannis Crassi 8. Cal. Sept. 1592.

1 Scripsi *Defin. 1. num. 3. §. tit. prox.*

2 Tametsi nulla restitutione indigeret abstinendi gratia, *l. necessariis 57. D. de acqu. hered. l. pen. de auctor. tutor. l. ex contractu 44. D. de re iudic.* Quod sane mirum videtur, cum plus sit abstinere, quam inuentarij beneficium implorare. Sed differentiæ ratio est, quod abstentioni nulla solemnitas & forma à lege præscripta est, quomodo inuentario conficiendo, non potest autem quis beneficium legis habere, nisi eo ipso modo quo lex defert. Dixi *Defin. 2. nu. 5. §. si aduers. vsucap.*

3 Nam & minor restitueretur dummodo careret dolo. Rationem vide ad *Defin. 1. num. 4. §. tit. prox.*

4 Habet enim electionem, *l. vlt. & tot. tit. C. si tut. vel curat. interuen.*

5 Etiamsi hereditas locupletissima sit. Pendet enim id ex opinione heredis, *l. quia poterat 4. D. ad SC. Trebell.*

6 *In l. properandum 13. §. vlt. C. de iudic.*

7 De quo scripsi *Defin. prox.*

8 Qui fauor publicus est *l. quidem 31. D. de reb. credit.*

9 Tunc igitur incumbet minori necessitas prius conueniendi tutorem, cum certabit de indemnitate duntaxat, non etiam de commodo illo consequendo, quod pecunia æstimari non possit.

DEFINITIO III.

De in integrum restitutione aduersus antichresim.

NOn solet quidem dari restitutio in integrum debitori, qui pro exiguo debito magni valoris bona pignori dederit in ἀντίχρησιν,[1] quia luendi quandoque pignoris ius habet oblata pecunia.[2] Alioqui si non esset liberum ius luendi, contractus simulatus & vsurarius diceretur,[3] præsertim fructibus pignoris legitimum modum vsurarum excedentibus;[4] Si tamen ex regionis consuetudine[5] talis pignoris species proponatur, vt nisi sub conditione casuali vel mixta pignus lui non possit, qualis, vt audio, in vsu est apud Augustanos (apud quos nec mulieri licet soluto matrimonio dotem exigere,[6] nec mariti hæredibus pignora pro dote dotisque augmento data luere quoadusque mulier vel moriatur vel ad secundas transeat nuptias[7]) restitutioni locus esse potest,[8] si læsio vltra dimidiam interuenerit,[9] cum debitori alio remedio succurri non possit.[10] *Ita Senatus* in causa Parisij Cheneuier & Ioannæ de la Creste Prid. Idus Iul. 1593.

1 De antichresi siue expressa siue tacita, & quid vtraque sit, vide quæ scripsi in Chiliade Decad. 9. Err. 5. 6. & 7.

2 Cum enim antichresis species pignoris sit ea lege constituti, vt creditor fructus pignoris percipiat in vicem vsurarum pecuniæ, *l. si in qui 11. §. si ἀντίχρησις, D. de pignor.* apparet posse dissolui vinculum illud soluto debito, aut si solutio accipiatur oblato, *l. si rem 9. §. omnis D. de pignor. ad l. grege 13. §. etiam de pign. l. Paulus respondit 12. §. 1. & pass. quib. mod. pign. vel hypoth. solvit.* In hac autem ratiocinatione præsupponendum est, Quoties is qui læsus est, prospicere sibi iure communi potest siue per iudicem, siue propria auctoritate, prætorem se interponere non debere, nec de restitutione quicquam tractandum esse, *l. in causa 16. in princ. & §. & generaliter, D. de minor. l. 3. C. de in integr. rest. minor. l. 2. C. de præd. minor.*

3 *Ex notat.* per Canonistas, *in cap. illo vos. de pignor.*

4 Etsi enim huiusmodi contractus ἀνοχήσεως prohibitus non est, facile tamen fit suspectus, quia proxime accedit ad eam contractus speciem, quæ fieri solet in fraudem legitimarum vsurarum, *l. si ea pactione 14. Cod. de vsur.* nec fere in alio differt quam in eo, quod in contractu illicito & fœneratitio, creditoris immoderata vtilitas certa est, in isto incerta, quod omnium optime probat *d. l. ea.*

5 Regionis enim consuetudo fere semper & in omnibus attendenda est, præsertim vt valeat contractus qui alioquin non valeret, *l. de quibus 32. & pass. D. de legib. l. 1. §. vlt. de inspic. ventr. l. si seruus, 50. §. vlt. de leg. 1. l. quod si nolit. 31. §. quia assidua de ædil. edict. l. 1. ff. de vsur. l. semper in stipulationibus, 34. de reg. iur. l. 3. §. vlt. de test.*

6 Contra *l. vnic. §. exactio. C. de rei vxor. act. l. Attilicinus 17. D. de pact. dotal.*

7 Contra *l. 2. & tot. tit. D. solut. matrim. l. assiduis 12. Cod. qui potior. in pign. hab.*

8 Ad rescindendum contractum, cui alioquin perinde acsi vera esset alienatio stari omnimodo oporteret. Vereque eo casu dici potest quod ait *l. vlt. C. de reb. alien. non alienand.* sub alienationis nomine hypothecam quoque & pignoris nexum comprehendi, Quanquam id tantum continet in specie illius legis, id est, prohibita alienatione, quia per hypothecam peruenitur ad alienationem. Alioqui constat alienationis nomine eum duntaxat actum significari per quem dominium transfe-

BIU Cujas

ratur, *l.1.C.de feud.dot.* quod per pignoris aut hypothecæ constitutionem nunquam euenit, *l.cum & sortis 35.§.1.D.de pign.act.*

9 Intellige cum restitutio impetrata est per maiorem. Concurrente enim auxilio & fauore ætatis, minor læsio sufficere potest ad inducendam restitutionem dum ne prorsus minima sit, *l.nam & posteaquam 9.§.si minor.D.de iureiur.Tot.tit.de minorib.*

10 Cui tamen aliqua ratione succurri humanum est propter tam grandem læsionem, *l.2. l.si voluntate 8. Cod.de rescind. vend.l.maioribus 3.C.commun.vtr.iudic.*

DEFINITIO IV.

De necessitate impetrandæ absolutionis & restitutionis, tum etiam cum enormissima læsio interuenit.

QVod placuit, enormissimam læsionem quæ interuenit in venditione facta sub pacto De retrouendendo facere vt ius redimendi, quod alioqui temporale foret, fiat perpetuum, [1] id est ad triginta vsque annos, [2] Non efficit, quin necessarium sit beneficium Principis ad omnia in integrum restituenda, [3] sicut & absolutio à iureiurando. Ne alioqui crimen periurij incurrat is qui contraxit. [4] *Ita Senatus* in causa D. Dufour & Iacobinæ Berru 4. Id. Maij 1595.

1 Secundum ea quæ tractant nostri, *ad l.2.C.de pact.int.empt. & vendit.& ad l.si quis cum aliter 36.de verb.oblig.* Canon. *in cap.ad nostram & cap.illo nos. De pignor.*

2 Perpetua enim iura hodie dicuntur illa quæ trigesimo demum anno concluduntur, qui finis est longissimæ vitæ actionum omnium, exceptis quibusdam quæ ad quadragesimum vsque annum extenduntur, *l.3.& 4.C.de præscr.30.vel 40.annor.*

3 Quia nimirum restitutionis in integrum implorandæ tota solemnitas hodie fere pecuniaria est, Alioqui summo iure agentibus, si verum est quod vulgo creditur contractum ob enormissimam læsionem ipso iure nullum esse, non potest hoc casu locum habere restitutio, quia id quod nullum est rescindi nullo modo potest *l.5.§.1.De iniust.rupt.*

4 Valet enim iusiurandum & obligat quoties seruari potest sine dispendio salutis æternæ, *cap. cum contingat. & pass. Extr. de iureiurand.*

DEFINITIO V.

De restitutione aliquando habenda per Senatum pro impetrata, aliquando non habenda.

SEnatus etsi suprema, quod aiunt, manu, plerumque habet restitutionem in integrum ex diplomate Principis pro impetrata, [1] licet per procuratoris aut aduocati inscitiam impetratum diploma non sit, [2] Puta vt quis aduersus lapsa interponendæ aut prosequendæ appellationis tempora restituatur, [3] Nunquam tamen supplet defectum rescripti non impetrati per quod euertenda sit præcedentis Senatusconsulti auctoritas, via ciuilis, vt vocant, supplicationis. [4] *Ita Senatus* in causa procuratorum D. Ducis de Mercœur & N. Gleyron in secreto auditorio 4. Calend. Iul. 1595.

1 Quia Senatus Principis vice fungitur, & crediderunt Principes nostri eos qui ob singularem industriam explorata eorum fide & grauitate ad huius officij magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret iudicaturus, vt de præfectis prætorio quorum non dissimilis auctoritas fuit scriptum legimus, *in l. vnic.§.1.de offic.præf.præ.D.*

2 Sæpius enim coguntur boni iudices supplere quæ desunt Aduocatis partium, *Ex tit. Cod.vt quæ desunt aduocat. part. iud.sup.*

3 Id enim modici præiudicij esse creditur, quia pertinet tantum ad extrinsecam appellationis solemnitatem, *l.si bonam 11.C.de admin.tut.* nec respicit aut lædit ius partis, vel auctoritatem iudicij.

4 *Ex Auth.quæ supplicat.C.de prec.Imp.offer.* Idque propter auctoritatem rerum iudicatarum quas effectum habere publicè expedit, tum etiam cum perperam & per sordes aut gratiam fuit iudicatum, *l.seruo inuito 65.§.cum prætor.D.ad SC.Trebell.l.si seruus 50. §.1. de leg.1.* Cæterum obserua inferiorum iudicum etiam eorum, quos *maiores* dicimus, quod Principis iurisdictionem exerceant & quantacunque fulgeant dignitate, non tandem esse potestatem vt restitutionem, quod ad sanandam causam male affectam impetrari debuit, habere possint pro impetrata. Nam ad solius Senatus supremam iurisdictionem id pertinet. Adeoque vt appareat non solita iudiciorum lege id fieri, aut ordinaria auctoritate, solet Senatus exprimere id se facere suprema manu, Vtpote qui non meros iuris apices sequi cogatur, sed omnia soleat ex bono & æquo æstimare ac pro eo plerumque iudicare quem videat bonam habere causam, licet ex Aduocati vel procuratoris inscitia minus bene instructam.

TIT. XXVII.

QVI ET ADVERS. QVOS IN integr. restit. non poss.

DEFINITIO I.

Restitutionis in integrum petendæ ius ad donatarium non transire sine speciali mandato.

SIcVTI non potest donatarius implorare restitutionem in integrum, quæ pro ea re donatori competere potuisset, Nisi specialiter & nominatim ius illud cessum sit, [1] cum alioqui non transeat in singularem successorem. [2] Ita si post contractum & ex interuallo donator illud mandare & præstare donatario velit, nihil agit, [3] cum eo tempore nihil amplius iuris habeat in re donata, [4] Absurdum enim fuerit saluum manere donatori post donationem ius petendæ restitutionis pro ea re, quam in alium iam transtulerit, & cuius nomine nihil amplius eius interfit. [5] Sic in publico auditorio tractatum est in causa quadam Augustanorum 10. Calend. Maij 1593.

1 *L.illud 25.§.1.D.de minor.* Dicam ꝯ *Tit. Etiam per procur.caus. in integr.rest.agit.posse.*

2 Nam in successorem vniuersalem, proculdubio transit ius petendæ restitutionis, *l.non solum 16. in fin. D.de in integr. restit. l.minor 18.§.vlt.D.de minor.*

3 *L.Modestinus 76. D.de solut.l.1. C.de contr.iudic.tutel.cum l.is qui 36. D.de fideiuss.*

4 Donatio enim siue stipulatione siue traditione perfecta sit, siue etiam nudo consensu post, *l.si quis argentum 35. §.sin autem & hoc C.de donat.* transfert ius omne donatoris in donatarium. Nisi quis dicat, quod sane verum est, aliud esse perfici donationem, aliud transferri dominium. Perficitur nudo pacto ex Iustiniani lege vt necessarius traditionis effectus sequi debeat, sicut lex ait, sed non ideo transfertur dominium aut aliud ius vllum donatori competens, nisi secuta demum traditione. Proinde etiam post perfectam donationem, si traditio nondum secuta sit, saluum est donatori ius petendæ restitutionis, nec quicquam vetat ius illud cedi præsertim donatario. Itaque hæc Definitio ad eum casum coarctanda est, quo donationem secuta sit traditio.

5 Non enim dari potest restitutio, nisi iis quorum interest, adeo vt nec sufficiat parum interesse, quia pro re modica dari non debet, *l.scio 4.D.de in integr.restit.l.si quis adfirmauit 9.§.vlt. D.de dolo l.si ex causa 9.in princip. D.de minor.l.res bona fide 54. De contr.empt.* Quid ergo si in continenti post factam traditionem ex causa donationis cedatur restitutio? An valebit? Nec enim hoc casu dici potest quod in specie *d.l.36. & l. fideiussoribus 17. D.de fideiuss.& d.l.76.de solut.* non tam peremptas quam venditas videri actiones. Cum in donatione precium nullum intercedat, sine quo tamen venditio nulla est. Sed tamen verius est valere cessionem, alia ratione quia quæ incontinenti fiunt, videntur inesse, *l.lecta 41.De reb.cred.l.7.§.quinimo D.de pact.*

DEFINITIO II.

Restitutionem aduersus venditorem dolosum impetratam non nocere emptoris fideiussori.

Dolo

BIU Cujas

DOlo venditoris persuasus rem tuam quasi venditoris fuisset emeras, conuentique precij nomine non tantum te obligaueras, sed etiam dederas eo nomine fideiussorem: Fideiussori vero quod is pro te precium soluere promisisset, rem aliam ex ea causa quasi in solutum vt haberet, vendideras & tradideras. Ille venditori tuo bona fide soluerat. Si postea in integrum restitui velis aduersus tuum venditorem ex causa doli vel lęsionis, non debebit ea res nocere fideiussori, cui nihil imputari potest, [1] cum quod ad eum pertinet, neque dolus neque læsio vlla interuenerit, [2] & fauore fideiussorum receptum sit vt huiusmodi venditiones valeant etiam sub pacto legis commissoriæ, [3] quæ alioqui non valerent. [4] Sane quin venditio pura ex ea causa valuerit, nec dubitari potest. [5] Neq; post rescissam priorem venditionem cõsequens erit accessoriam sine causa factam videri: [6] Sublato enim priore contractu, supersest causa solutionis per fideiussorem factæ, quæ venditionem posteriorem in iuris quæsiti præiudicium rescindi non permittit. [7] Hactenus igitur tibi succurrendum erit vt aduersus tuum venditorem habeas repetitionem precij, quod fideiussor soluit, quasi soluisse tu ipse videaris. [8] Rescissa enim & resoluta venditione, incipit precium esse penes venditorem sine causa. [9] Plane si dolus quoque venditoris tui interuenisse probetur, danda tibi erit actio non tantum ad precium, sed ad id etiam omne quod tua interierit eam te rem habere, quam fideiussori tuo vendideris. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Te enim mandante solutum intelligitur, quod à fideiussore tuo solutum est, & si qua tibi vel exceptio vel restitutionis causa iusta supererat, debueras fideiussorem antequam solueret certiorare, *l. si fideiussor 29. in princ. & §. 1. 2. & 3. D. mandat.* Restitutio enim quæ ex postfacto impetratur cum sit noua actio, non potest actionem fideiussori iam partam & acquisitam reuocare, *arg. l. qui res 98. §. 1. D. de solut.* Et vero quid possit imputari fideiussori qui fideiubendo nihil nisi amici officium impleuit?

2 Ponimus enim bona fide ad fideiubendum accessisse, nec cum venditore collusisse: quod & in dubio præsumendum est, *l. quoties 18. §. qui dolo de probat. l. dolum C. de dolo.*

3 *l. vlt.* vbi DD. *per ill. text. D. de contr. empt.* de cuius tamen sententia vide quæ scripsi in Chiliade Decad. 25. De Error. pragmat.

4 *l. vltim. C. de pact. pignor. Extra casum l. si fundus 16. §. vltim. D. de pignor. & l. Titius 34. D. de pignor. act.* Vide omnino quæ circa totum hunc tractatum De leg. commiss. scripsi dict. Decad. 25.

5 *d. l. Titius. Saltem ad excipiendum.* Bart. *in l. quamuis alias. l. Callippo 45. De solut.*

6 Duplex enim contractus est sicut & duplex distractus, si & fideiussor & reus principalis soluat, *l. fideiussor 59.* vbi est tex. elegans, *D. de condict. indeb.*

7 *Arg. l. cum in 32. §. mulier eod. l. pen. de cond. ob turp. caus.*

8 *d. l. si fideiussor. 29. §. hoc idem tractari in fin. D. mandat.*

9 *l. 1. §. pen. & vlt. l. 2. & pass. D. de condict. sin caus.*

10 Quia tanti tua interest cum dolus venditoris illi venditioni etiam causam dederit, *l. arbitrio 18. in princip. & §. pen. & pass. D. de dolo.*

DEFINITIO III.

Donatario etiam vniuersorum bonorum non competere restitutionem in integrum, neque fraudatorium interdictum.

DOnatarius licet vniuersorum bonorum præsentium & futurorum ius non habeat petendæ in integrum restitutionis, quam donator ipse aduersus rem iudicatam aut contractum petere potuisset, [1] quia non nisi singularis successor est. [2] Et consequenter quod ad eum pertinet speciali mandato opus est, [3] quia nec facile credendum est donatorem aduersus factum proprium venturum fuisse. [4] Generale autem est, vt ex cuius persona lucrum quis sentit, eius factum impugnare non debeat. [5] Eadem ratio facit vt non possit donatarius hic obiicere, confessionem à donatore simulate & in fraudem factam fuisse, [6] Quis enim vnquam dixit, fieri quid posse in fraudem futuri donatarij? [7] Aut quomodo fraudari potest, qui nihil omnino iuris habeat, præterquam ex mera fraudantis liberalitate? [8] Nec obstat superioribus quod dici solet donatarium vniuersalem esse heredis loco: [9] Id enim falsum est, si iuris rationi plus tribuas, quam nostrorum traditionibus, [10] Aut nisi sic intelligas, vt creditoribus perinde satisfacere teneatur acsi heres esset, nimirum per actionem reuocatoriam, [11] Personali enim actione conueniri nullo modo potest. [12] *Ita Senatus* pro Amedeo Mouche, contra D. de la Tornette, Idib. Iul. 1595.

1 Etsi enim donatarius quilibet censetur procurator à donatore constitutus in rem suam, non ideo tamen intelligitur habere mandatum speciale quod necessarium est ad petendam restitutionem, vt diximus *Defin. 1. 3.*

2 Donationis enim titulus est singularis sicut & venditionis, licet vniuersorum bonorum donatio facta proponatur, quemadmodum & potest quis bona sua vniuersa vendere. Vtraque scilicet alienatio est, *l. omnes 17. §. Lucius ff. quæ in fraud. credit.* In successore vniuersali aliud iuris est. Habet enim ius petendæ restitutionis quæ competit defuncto, *l. non solum ff. de in integr. restit. l. minor autem 18. §. vlt. ff. de minor. l. Panonius 86. de acquir. hered.* A quo enim alio quam à seipso mandatum accipere vniuersalis successor posset?

3 Secundum ea quæ dicemus *ff. Tit. etiam per procur. caus. in integr. rest. agi poss.*

4 *l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Nam restitutio in integrum erroris proprij veniæ petitionem vel aduersarij circumuentionis allegationem continet *l. præfecti 17. ff. de minor.* non facile autem vult quilibet aut errorem proprium fateri, aut quod ab alio se circumueniri passus sit, quia nec facile prudenti & prouido patrifamilias potest id contingere.

5 *l. ex qua persona 149. De regul. iur. l. si non solus 18. ff. si quis omiss. caus. testam. l. Pomponius, 13. §. 1. de acquir. poss.*

6 *Arg. l. 4. §. si cum legitima, vers. si quis autem, & §. auctoris 31. vers. cæterum, D. de doli mal. except.*

7 Siquidem nihil fieri potest, nisi in fraudem eius cui debetur, Donatario autem præsertim futuro nihil debetur, quia nullo tempore creditor est, ne post donationem quidem, vnde fit vt quod in fraudem creditorum donatum est reuocari debeat, etiamsi donatarius ignorauerit, cum in aliis creditoribus distinguendum sit an sciuerint & fraudem participauerint, necne *l. quod autem 6. §. hoc edictum & §. simili modo dicimus, l. vlt. §. si à socero D. quæ in fraud. credit.*

8 Aliud enim est lucrum extorqueri, aliud damnum infligi, *d. §. simili modo dicimus, l. 4. C. de reuoc. his quæ in fraud.*

9 Quemadmodum de hereditatis emptore scriptum est, in *d. §. cum qua debitori 18. D. de hered. vel action. vendit. l. si ei cuius 9. ff. commun. præd.*

10 Nullo enim iuris loco sic à prudentibus proditum videas, neque ex vera iuris ratione id defendi potest, Capel. Tholos. *quæst. 386.* vbi etiam Aufrer.

11 *d. l. omnes 17. §. Lucius quæ in fraud. credit.*

12 *l. vlt. §. 1. de contr. empt. l. 1. § si heres ff. ad SC. Trebell. l. vlt. C. de hered. action. l. licet 27. C. de iur. dot. l. de rebus 13. C. de don. ant. nupt. l. æris alieni 14. l. cum res 22. C. de donat.* Vide Guid. Pap. *quæst. 15. & 460.*

DEFINITIO IV.

Contra restitutionem fideicommissi indebiti ex causa pietatis factum non datur restitutio.

MVlier quæ à marito bonorum fere omnium donationem in casum superuitæ [1] acceperat, ab eodem post viginti pluresve annos hæres instituta, & pauperibus municipij post mortem suam restituere rogata, fideicommissum repræsentauerat ex parte, [2] & certa bona priusquam moreretur restituerat, adiecta etiam causa, vt defuncti mariti animæ à Deo Opt. Max. misericordiam facilius impetraret. Cum postea in integrum restitui vellet, quasi quæ immodice læsa fuisset, propterea quod ea bona non tantum ex testamento ad se pertinerent, sed etiam ex donatione, cu-

BIU Cujas

ius illa tum cum contrahebat non meminisset,[1] probabilius videbatur non esse illam audiendam. Quia etsi bona, quæ inter viuos, licet sub conditione & in casum superuitæ donata fuerant, non poterant fideicommisso cõtineri, vtpote quę perinde mulier erat habitura etiam alio herede existente.[4] Sublata tamen causa fideicommissi supereſt causa pietatis, ex qua solutum condici non potest.[5] *Ita Senatus* in causa Dom. de Lorme, & Syndicorum de Montmilian. 8. Idus April. 1596.

1 Sic enim fiunt donationes fere omnes, quarum hodie vsus est in contractibus matrimonij, scilicet superstiti futuro ex coniugibus à præmoriente.

2 Id est ante diem fideicommissi, & ante mortem suam restituerat, quod vtique facere potest dum ne in alterius præiudicium, *l. post mortem 12. C. de fideic. l. vxorem*, 41. §. *Seium maritum, de leg. 3.*

3 Vt & *in l. Seiæ 20. in princip. D. de instruct. & instrum. legat. ibi* quos post obliuionem testamentariæ scripturæ fecisset.

4 *Vt in l. sequens quæstio 68. de legat. 2.*

5 *Sic in l. cum is 36. §. mulier. ff. de condict. indeb.*

[DEFINITIO V.

Minoris heres non restituitur aduersus confessionem meritorum factam à minore de qua minor ipse non fuit conquestus.

NOn potest minoris heres in integrum restitui aduersus cessionem & remissionem quæ à defuncto facta esse dicatur sine causa & prætextu officiorum ac meritorum de quibus non aliter quàm ex ipsius minoris confessione constet.[1] Non enim permittendum est heredi vt ingratitudinis reum faciat minorem, qui ne tanto se crimine obstringeret, amici officia & benemerita quorum sibi adprimè fuit conscius remunerari voluit,[2] quique nec hodie, vt credibile est, ea negaret, si viueret.[3] Planè quin minor ipse aduersus eam confessionem meritorum restitui in integrum possit, dubitari nõ oportet.[4] Quid enim facilius aut frequentiùs quàm à minore per ætatis lubricum ejusmodi confessiones extorquere vt donationi color quæratur? Sublata enim causa meritorũ, quæ veluti permutationis genus quoddam inducit,[5] sola supereſt causa donationis, quæ minori haud dubie interdicta est,[6] cum donare nihil aliud sit quàm perdere.[7] *Ita Senatus* ex tempore contra liberos & hæredes D. de Sonax pro vxore procuratoris Mongella die 21. Maij 1613.

1 Non enim priuilegium minoris vllum est vt ingratus esse possit magis quàm maior, Quod nec tutori eius licet *l. cum plures 12. §. cum tutor D. de admi. & peric. tutor.*

2 *Vt in l. Aquilius Regulus 27. ff. de donat.*

3 Cur enim tam facile prætumeremus inconstantiam quæ nunquam laudanda est *l. in causæ 27. de procurat.*

4 Restituitur enim aduersus omne id quod malè gessit *l. ait Prætor 7. iunct. l. 1. & pass. ff. de minor.* Et qua facilitate contrahit eadem facilitate inducitur ad confitenda merita quæ nulla sunt.

5 *l. sed etsi 25. §. consuluit. de petit. hered.*

6 *Tot. tit. C. si aduers. donat.*

7 *l. filius familias 7. §. 1. ff. de donat.* Ita fit vt minùs plenum sit ius heredis quàm defuncti *vt in Defin. 5. 5. si minor se ab hered. abst. num. 3.* Sicut è contrario interdum plenior heredi & in heredem competit actio quàm defuncto competierat. *l. si per imprudentiam 51. §. non mirum ff. de euict.*

DEFINITIO VI.

Sera est restitutio quæ impetratur contra hæredem cum beneficio legis post empta ab eo bona defuncti.

REstitutio in integrum quæ aduersus defunctum competiit, in heredem quidem eius perinde competit,[1] licet non nisi cum beneficio legis & inuentarij hæreditatem adiisse proponatur.[2] Sed hoc non est perpetuum. Quid enim si quod euenit plerumque post peractam discussionis instantiam bona omnia quæ defuncti fuerant, vendita, & idem ille hæres vniuersa emerit[3] & ex precio creditores omnes hæreditarios dimiserit, vt iam nõ hæredis sed emptoris iure possideat?[4] Non magis contra eum quàm contra quemlibet alium emptorem extraneum danda erit restitutio,[5] cùm vice extranei cuiuslibet emptoris emerit,[6] contra quem neque restitutio neq; alia actio vlla dari posset.[7] Quanquam enim non eo minus remanet heres, qualis antea fuit cum beneficio legis & inuentarij,[8] vt ex eo constat, quod si quis postmodum appareret debitor hereditarius conueniri adhuc ab eo tanquam herede posset.[9] Mutata tamen condicione bonorum,[10] & re amplius non integra,[11] iniquum esset inquietari eum qui non tantum hæres, sed etiam emptor existeret,[12] quique causari probabiliter posset non tãto precio empturum fuisse si alicuius siue actionis siue restitutionis periculum adhuc sibi pertimescendum credidisset.[13] Essentq; creditores quos heres ex precio emptionis dimisit in eam rem ab actore euocandi, & soli conueniendi, contra quos tantùm supereſse creditoribus anterioribus actionem Iustinianus voluit.[14] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. non solum 6. D. de in integr. restit.*

2 Nam & hic perinde heres verè est atque is qui hereditatem purè adiit, vt actiones omnes habeat hæreditarias & actiuas, & passiuas, *l. vlt. C. de iur. delib.*

3 Potest enim temere si velit, præsertim nullo alio emptore extraneo existente, qui tanti liceri velit. Imo ex officio debet emere. *arg. l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

4 Potest enim quilibet mutare sibi causam possessionis dummodò extremo titulo superueniente *l. non solum 33. §. 1. ff. de usucap.*

5 Neque hoc casu locum habere potest tanquam simile quod ait *l. si mandatu 59. §. 1. ff. mandat.* vt apparet ex ratione ibi posita quæ hic locum non habet.

6 *Vt in d. l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

7 *Dict. l. vlt. §. sed nec aduersus emptorem C. de iur. delib.*

8 Quia semel heres qualitercunque factus semper talis remanet *l. 7. sed quod Papinianus ff. de minor.*

9 Cui enim alij possent competere actiones? quæ tamen nunquam ipso iure transeunt in alium quàm in heredem *l. 1. C. si cert. pet. l. 1. & tot. tit. C. de hered. act.*

10 Quæ mutatur hoc casu per superuenientem nouam qualitatem & condicionem personæ *l. per curatorem 90. §. 1. de acqu. hered.*

11 Solet enim hæc res impedire restitutionem in integrum etiam in minore *l. quod si minor 24. §. Scæuola ff. de minor. l. vlt. C. de repud. hered.*

12 Nemo enim decipi debet sub fide hastæ publicæ *l. vlt. & pass. C. de fid. & iur. hast. fiscal. lib. 10. tit. 3. l. si hypothecas 8. C. de rem. pignor.*

13 Fuisset enim metus ille pars precij, & est ratio optima, quæ Papinianum coëgit mutare sententiam in specie *l. si venditor 6. §. 1. & l. seq. D. de seru. export. l. fundi partem 79. De contr. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi de act. empt.*

14 *in d. l. vlt. §. sin verò creditores C. de iur. delib.* Vbi tamen nihil Iustinianus de in integrum restitutione dicit, quę sane contra creditorem aliúmve tertium possessorem exerceri numquam potest, nisi in casu *l. 13. §. 1. de minor.* sed tantùm de actione hypothecaria creditoribus anterioribus competente.

TIT. XXVIII.

SI MINOR SE MAior. dixer.

DEFINITIO I.

De minore, qui vel suo vel aduersarij sui dolo maiorem se dixit & iurauit.

Minor

MINOR qui se maiorem dixit & iurauit apud iudicem, si tutor datus sit, postea vero neget se maiorem, non aliter audiendus est, quam si probet se minorem. [1] Quo tamen probato, non faciet male interpositi iurisiurãdi auctoritas, [2] vt tutor manere debeat, qui reuera minor adhuc est annis vigintiquinque. [3] Igitur alius tutor dandus erit, [4] sed huius expensis qui falso iurans se maiorem deceperat iudicem. [5] Sed etsi tanquam tutor liti adfuerit, pupillumque defenderit contra creditorem, non eo magis valere poterunt quæ à falso tutore gesta sunt, [6] sed tamen minor ob dolum suum ad expensas omnes sarciendas, quas frustra factas fuisse ex postfacto apparuit, condemnabitur, [7] vt in eo saltem dolus eius vindicetur. [8] Nec est quod quis dicat iurisiurandi religionem cum dolo minoris coniunctam facere debere ne audiri debeat si postmodum tutor esse nolit. [9] Neque enim tutor esse posset citra iniuriam pupilli [10] quem lex non vult regi ab eo, qui ipse propter ætatem ab alio adhuc regi debeat. [11] Nam quod dici solet minorem per iusiurandum fieri maiorem, [12] eo pertinet vt iusiurandum suppleat defectum solemnitatum quas alioqui ratione ætatis interuenire oportet. [13] Non etiam vt imbecillitatem consilij quæ in ea ætate est, emendet, & corrigat. Hoc enim ne fieri vllo modo possit, natura ipsa impedimento est. [14] Vnde fit vt minoribus læsis etiam infra dimidiam perinde subueniatur per in integrum restitutionem tametsi iurauerint, ac si iuratum non esset: [15] Nec solum si contractui stare iurauerint, sed etiam si maiores se cum iureiurando dixerint, [16] Nisi cum eo contrahant qui ætatis iustam habere possit ignorantiam, quique non cum alio quam cum maiore fuerit contracturus, [17] & eo sint corporis habitu vt facile ex aspectu persuaderi possit maiores esse. [18] Alioqui qua facilitate contrahit minor, eadem quoque iurat, [19] & plerumque ita suggerentibus iis cum quibus contrahit, [20] vt hac veluti arte & astutia insidientur ætati, & æquissima iuris constitutione aduersus minorum malitias inducta, [21] in iuris ludibrium minorumque deceptorum necem abutantur. [22] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro D. Candie Senatore, contra D. Carolum Dunant Prid. Id. Decembr. 1590. & rursum in causa D. de la Perouse & Petri de Lepigny 14. Cal. Iul. 1593.

1 *L. 3. vers. si tamen, C. hoc tit.* vbi additur non aliter audiendum esse hoc casu eum, qui petit beneficium in integrum restitutionis, quam si palam & euidenter ex instrumentorum probatione non per testium depositiones se minorem fuisse ostenderit. Iusiurandum enim probat inter eos inter quos iuratum est, *l. idem est 12. de iureiur.*

2 Distinguendum tamen videtur an corporaliter iuratum esset, an instrumento tantum & nuda voce, *d. l. 3. in fin.* iunct. *l. 1. C. si aduers. vendit.* Sed ea distinctio non posset habere locum in proposito casu, in quo scilicet iusiurandum non in iurantis, sed in alterius dispendium vergeret, quod permitti nunquam debet.

3 Minor enim annis vigintiquinque tutor esse nunquam potest, *l. quæro 32. §. fin. D. de testam. tutel. §. furiosus, Inst. qui test. tutor. dare poss.*

4 Quod enim dici solet, tutorem habenti alium dari non debere nisi in certis casibus, tunc verum est, cum prior tutor rite recteque datus est, non cum inutiliter datus est aut remotus tanquam suspectus, qui vtiliter datus fuerat, vel excusatus, vel defunctus, vel relegatus, *l. licet 4. Cod. in quibus caus. tut. hab.* perperam enim datus tutor & contra leges non potest haberi pro dato, *l. 1. tutores 5. & pass. D. de confirm. tutor.*

5 Quibus enim expensis causam quis dat, in eas & condemnari debet, *l. qui solidum 78. §. etiam de legat. 2. l. quoties 9. §. sicut autem, vers. nec vtique, de admin. tut.*

6 *l. 1. & tot. tit. D. quod fals. tut. auctor.* Minor enim sicuti verus tutor esse non potest, ita nec idoneus defensor, *l. minor 51. D. de procurat. l. exigendi 12. C. eod.*

7 *Arg. l. si cum mihi 34. l. quidam 38. D. de dolo.*

8 Minoribus enim errantibus non fallentibus publica iura subueniunt, vt ait *l. 2. C. hoc tit.*

9 *Ex tit. C. si aduers. edict.* iunct. *auth. sacramenta, C. si aduers. vendit.*

10 Iusiurandum autem vnius non debet damno & fraudi esse alteri, *l. 3. §. pen. l. sed si 11. in fin. cum seq. D. de iureiu. l. 1. in prin. si mulier. ventr. nom. in poss. l. fin. D. ad municip. cap. cum contingat in fin. de iureiur.*

11 *Arg. l. vlt. de manum. vindict.* Sic dicimus non posse alios in sua potestate habere eum, qui ipse non sit suæ potestatis, *l. sic eueniet 21. D. ad leg. Iul. de adult.*

12 DD. communiter *ad d. Authent. sacramenta, Cod. si aduers. vendit.*

13 Et in venditione prædiorum minoris, *tot. tit. de præd. minor. C. & D. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt.*

14 *d. l. vlt. D. de manum. vindict.*

15 Eoque passim iure vtimur, quia & subuenirent tametsi alienatio facta esset cum decreto, *l. 2. l. si quidem 11. l. prædia 16. C. de præd. minor.* Iusiurandum enim non maiorem vim habet quam decretum iudicis. Imo minorem habet aliquando, vt dixi ad Defin. 1. *num. 5. 5. si tut. vel curat. interu.*

16 Dumne probentur id fecisse dolo & animo aduersarij decipiendi, *l. 2. C. hoc tit.*

17 Vt in *l. si Titius 48. D. de fideiuss.* in illis verbis *propter incertum ætatis ac restitutionis.*

18 Vt in *l. minor 12. D. de minor. l. 3. C. hoc tit.*

19 *Arg. l. doli 9. vers. diuersum D. de nouat.* Bald. *ad rubr. C. de rer. permut. in fin. & in cap. 1. §. item sacramenta col. 3. de pact. iuram. firm.* Refert & sequitur Didac. Couar. in §. 4. *tert. part. relect. cap. quamuis pactum, de pact. in 6. num. 6.* vbi addit debere iudices hac in re esse vigilantissimos.

20 Vt in specie, *l. 1. C. hoc tit.*

21 Ne scilicet restitui possit minor cuius malitia supplet ætatem, vt debet *l. 3. in princ. C. eod.* Nunquam enim malitiis indulgendum est, *l. in fundo 38. vers. constituimus, D. de rei vindic. l. in eo 110. §. vlt. de reg. iur.*

22 Quod nunquam ferendum est, Vt scilicet cuiquam ludibrio sint leges, *l. vlt. §. penult. C. de bon. quæ liber.*

23 *dict. l. 1. C. hoc tit.* alioqui fraus fieret legibus, quæ decipientibus non deceptis minoribus hoc casu restitutionem denegarunt, *l. 2. eod.* facit *l. cum ad eas 19. C. ad Senatusc. Velleian.*

TIT. XXIX.

SI SAEPIVS IN INTEGR. restit. postul.

DEFINITIO I.

Noua negligentia non parit nouam restitutionem sine noua causa.

IMPETRATA iam in integrum restitutione aduersus contumaciam factam in parendo interlocutioni iudicis, [1] si idem sit rursum contumax, [2] nec noua restitutionis causa superuenerit, [3] non est iterum concedenda restitutio. Noua enim negligentia nouæ restitutionis materiam præbet potius quam causam. [4] *Ita Senatus* contra Claudium Rey pro Ioanne Paquier in publico auditorio. Prid. Non. Febr. 1595.

1 Interlocutioni enim iudicis perinde parendum est ac sententiæ diffinitiuæ, alioqui sequitur condemnatio, vt cernere est in actionibus arbitrariis, *§. præterea, Inst. de action. l. item si 14. §. hæc autem actio, D. de eo quod met. caus.* Hæc sola differentia est, quod ea quæ per interlocutionem iussit vetuitve prætor aut iudex contrario imperio tollere potest. In sententiis contra *l. quod iussit 14. D. de re iudic.*

2 Secunda vero & iterata contumacia grauior esse solet, vt & in cæteris omnibus delictis euenit, *l. capitalium 28. §. solent quidem, de pœn. l. 3. §. si plures, de re milit. l. non omnes 5. §. desertor, eod.* Nouell. Leonis 67. *de iis qui ad host. transf. suaq. spont. reuert. in fin.*

3 Nam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, vt est in iuris regula, *l. de ætate 11. §. ex causa, D. de interrog. in iur. fac.*

4 Id enim est quod fieri solet, negligentibus subuenien-

BIU Cujas

dum non esse, sed diligentibus, itemque vigilantibus non dormientibus, *l. non enim 6. ff. ex quibus caus. maior. l. summa cum ratione*, 21. *D. de pecul. l. quod autem 6. §. sciendum, l. pupillus 24. ad fin. D. si quis in fraud. credit.*

DEFINITIO II.

Restitutionem omissam postea per aliam in integrum restitutionem repeti non posse.

QVi aduersus contractum restitutionem in integrum petierat ex causa immodicæ læsionis,[1] si postea restitutionis beneficium vltro abiiciat,[2] tum ex eadem quasi durante læsione restitui velit,[3] non est audiendus.[4] Hoc enim casu locum habet quod dici solet, sæpius non esse postulandam ex eadem causa in integrum restitutionem.[5] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Defin. 12. sup. De transact.

1 Eo siquidem iure vtimur, vt si læsio enormis interuenerit, ex eaque causa rescindatur contractus, secundum *l. 2. & l. si voluntate 8. C. de rescind. vendi.* restitutio in integrum ex rescripto Principis impetranda sit, præsertim si contractus iuratus fuit, licet inspecta iuris ratione non sit hoc casu necessaria restitutio sufficiente nimirum iure communi, *l. in causæ 6. in princ. & §. & generaliter ff. de minor.* id est condictione ex leg. *3. l. vnic. ff. de condict. ex leg.* Nam & inde fit vt cum aliæ restitutiones quadriennio finiantur, *l. vlt. C. de tem. petend. in integr. restit.* hæc tamen duret in trigesimum vsque annum, scripsi in Chiliade Decad. 7. Err. 3.

2 Neque enim cogitur quis vti restitutione quam impetrauit siue minor ille siue maior sit, *l. si iudex 41. ff. de minor. l. pen. C. de pact. l. pactum, 46. ff. eod.*

3 Hæc enim dubitandi ratio erat, quia quandiu durat causa indulgendæ restitutionis, videtur is etiam durare eius postulandæ, *l. doli 19. §. diuersum ff. de nouat.*

4 Constat namque remittentibus actiones suas non esse dandum regressum, *l. quæritur 14. §. si venditor. ff. de ædilit. edict. l. si maritus*, 15. *§. si negauerint, ff. ad leg. Iul. de adult. l. 2. ff. ad Senatusconsult. Turpillia. l. postquam l. liti 4. C. de pact.* Restitutio autem in integrum actio est, si Paulo credimus, qui in sententiis definit esse redintegrandæ rei vel causæ actionem.

5 *L. 1. 2. & 3. C. hoc tit. l. Papinianus, 20. §. vltim. & l. seq. D. de minor.* vbi Vlpianus scribit: Si quis maior vigintiquinque annis intra tempus restitutionis statutum contestatus postea desitierit, nihil ei proficere contestationem ad in integrum restitutionem. Desitisse autem videri eum, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum.

TIT. XXX.

SI MAIOR FACT. rat. habuer.

DEFINITIO I.

Dotis promissæ petita obtentaque solutio per maiorem non impedit restitutionem ex causa minoris ætatis & immodicæ læsionis.

MInor annis filia quæ dotalibus tabulis maternæ successioni renũciauerat,[1] contenta dotis promissione quam pater & mater simul fecerant,[2] Cum maior esset, secũdo marito eandem dotem dederat,[3] cumque ad exactionem ex priore contractu instituendam procuratorem constituerat,[4] matre adhuc superstite. Si post matris obitum beneficio ætatis & ex causa læsionis aduersus renunciationem restitui volet,[5] non poterit eo prætextu repelli, quasi maior facta ratam habuerit renunciationem,[6] cum neque viua matre in integrum restitui potuerit,[7] neque restitutionis nondum competentis ius vltro & sine causa remittere eam voluisse dici possit,[8] Imo potius in consequentiam prioris contractus,[9] ac ne interea indotata videretur[10] exactionem marito mandasse, quæ res non solet competentem perimere restitutionem,[11] Competituram autem multo minus,[12] initio scilicet inspecto,[13] quod vtique inspiciendum est,[14] quoties contractus restitutioni obnoxius ab initio perfectus fuit.[15] Idem igitur admittendum erit, tametsi ipsa quoque de dote egerit aduersus matrem.[16] Sane si post matris obitum maritus ab vxore procurator in rem suam constitutus dotem petierit, probabilius tentari potest mulieri quandocunque restitutionem imploranti perinde obiiciendam ratihabitionem, ac si ipsa egisset,[17] quia maritus licet citra mandatum possit iure mariti[18] de rebus vxoris[19] pro arbitrio agere, præstita rati satisdatione,[20] cum tamen ab ea mandatum habuit, non nisi tanquam procurator agere potest,[21] nec mandati formam excedere.[22] Sed tamen vix est vt ea res adimere mulieri debeat beneficium restitutionis, si nihil præter institutam actionem de dote, aut factam dotis exactionem interuenerit,[23] quod in consequentiam præcedentis contractus potius, quam confirmandi eius gratia, & abjiciendæ restitutionis animo id factum esse videatur.[24] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 4. & 5. de tempor. petend. in integr. restit.

1 Intellige cum iureiurando, alioqui renunciatio iure ciuili non valeret, *cap. quamuis pactum, de pact. in 6.* iunct. *l. pactum quod dotali, 15. C. de pact. l. 3. C. de collat. l. vlt. ff. de suis & legit.* ideoque nec restitutione vlla opus esset ad eam rescindendam, *l. in causæ 16. in princ. & §. generaliter, D. de minor. l. 2. Cod. de præd. minor.*

2 Vt plerunque fit dotis constitutio ex bonis paternis & maternis, tum etiam cum pater solus dotem dat, *vt in l. vltim. C. de dot. promiss.* ac multo magis, si cum patre mater etiam interueniat. Nam & receptum est, valere iuratam renunciationem etiam maternæ successionis sicut & paternæ, *ex d. ca. quamuis*, vbi Canonist. *de pact. in 6.*

3 Nam & in dubio id actum creditur, vt dos, quæ in prius matrimonium data est, in posterius quoque conuertatur, *l. dotem, 30. l. Diuus Seuerus, 40. ff. de iur. dot. l. penultim. §. vxor, ff. solut. matrim.*

4 Creditur enim maritus in re dotali procurator esse vxoris in rem suam: atque ita pragmatici vulgo loquuntur, sed male. Plus enim quam procurator est maritus in dote, cuius est dominus, *l. docet ancillam, 6. C. de rei vind. §. 1. Inst. quibus alien licet.* In rebus vero non dotalibus siue habeat maritus expressum mandatum siue tacitum duntaxat, non potest dici procurator in rem suam, sed in rem vxoris tantum, *l. maritus*, 21. vbi glos. Bar. & alij tractant *C. de procur.*

5 Placet enim huiusmodi renunciationes quantumlibet iuratas rescindi posse ex causa enormis læsionis, impetrata absolutione. Ne alioqui eueniat, vt iusiurandum vinculum sit iniquitatis. Dixi *Defin. 8. & 9. 3. de pact.*

6 Nam qui post vicesimum quintum annum ætatis ea, quę in minore ætate gesta sunt, rata habuerunt, frustra rescissionem eorum postulant, *l. 2. C. hoc tit.*

7 Quia viua mater neque dotem debet, cum paternum officium sit dotare filiam, *d. l. vlt. C. de dot. promiss. capite, 19. ff. de rit. nupt.* neque legitimam, quandoquidem legitimæ ratio ponitur inspecta quantitate bonorum, quæ reperitur tempore mortis, *l. cum quæritur, 6. C. de inoffi. testam.* ideóque nulla deberi vnquam potest in bonis viuentis hominis, *l. 1. §. si impubere, D. de coll. bonor.* sicut nec viuentis hominis hereditas nulla est, *l. 1. ff. de hered. vel act. vend.* Non potest igitur videri mater læsisse filiam, cui vel quantulumcunque pro legitima dederit vel pro dote, cum plus præstet quam debeat, quæ nihil debens aliquid præstat, *l. Iauolenus, 15. alias l. eum qui de ann. legat.*

8 Nam quod quis, etiamsi velit, habere non potest, id repudiare non potest, *l. qui potest, 174. §. 1. de reg. iur. l. is potest, 18. ff. de acquir. hered.*

9 *Arg. l. 3. §. scio, ff. de minor.*

10 Mulieris enim interest, dotem habere, *d. l. 3. §. ergo etiam.* Nec facile reperiuntur, qui indotatas vxores habere velint, *l. 4. §. apud Iulianum. l. 5. §. pen. ff. de doli mali except.*

11 Quod enim fit in consequentiam, pro eo habetur, ac si factum esset ipso tempore actus principalis & præcedentis, *l. 1. D. qui potior. in pign. hab.* atque ita videtur factum in minori ætate, quod fit a maiore in consequentiam contractus, quem is ipse adhuc minor inierit, Bart. *ad l. vnic. in fin. C. si in commun. ead. caus.*

BIU Cujas

12 Ius enim nondum competens difficilius amittitur, *l.si ita*, 45.§.*si sub conditione, de leg.*2. quamuis vnicuique liceat, non solum iuris persecutionem, sed etiam spem futuræ perceptionis pacto deteriorem constituere, *l.pactum*, 46. *D. de pact.*

13 *d.l.*3. §.1.& §.*scio*, *D.de minor.*

14 Nec tantum in contractibus, sed etiam in quasi contractibus, vt in negotiorum gestione, *l sed an vltro*, 10.*in fin.l.Pomponius* 15.*l.nam & Seruius*, 21.§.*si vitio Titio*, *D.de neg.gest.* itemque in delictis, *l.*1.*D.de pœn.* itemque in possessione, *l.clam possidere*, *6.ff.de acquiren.poss.* denique in cæteris omnibus, *l.quid ergo* 13. *ff. de his qui not. infam.* Excipe casum *l.*3. §.*idem scribit*, *ff. de pecul.*

15 Ita eleganter Iacob.Cuiac. *ad d.*§.*scio per ill.text.*

16 Nihil enim refert, an agat quis per se an per alium, *l.qui stipendia*, 9.*l.ita demum*, 13.*& pass.C.de procur.*

17 Qui enim agit ex contractu, proculdubio ratum habet contractum. Imo & qui agit ob contractum magis quam ex contractu, vt qui agit mandati contra procuratorem, qui accepit solutionem, *l.si seruus*, 66.*ff.de fideiuss.* adeoque quod magis est, qui aduersus contractum petit restitutionem. Hactenus nimirum, ne procurator tanquam falsus teneatur, vt in eleganti illa specie, de qua *in l.*3.*ff.rat.rem haber.*

18 Et tanquam coniuncta persona, *l.sed & hæ*, 35. *ff. de procurat.*

19 Etiam quæ nec dotales sint nec paraphernales nec marito traditæ, *l.maritus*, 21.*C.eod.*

20 Quæ tamen ratione bonorum paraphernalium & marito traditorum necessaria non esset, *l.vltim.* C. *de pact. conuent. tam.sup.dot.*

21 Quia in vno procurator constitutus in reliquis prohibitus censetur. *dict.l.maritus*, vbi Bartol.Bald.& cæteri, *C.de procurator.*

22 Quoties enim mandatum certum est, recedi à forma non debet. At quoties incertum est vel plurium causarum, tunc licet aliis præstationibus exsoluta sit causa mandati, quam quæ ipsi mandato inerant, si tamen hoc mandatori expedierit, mandati actio est, *l.si quis pro eo*, 46.*D.mandat.*

23 Præsertim cum nec in mulieris potestate fuerit aut dotem petere constante matrimonio (dotis enim exactio ad solum maritum pertinet, *d.l.doce*, 6.*C.de rei vindic.*) aut prohibere quo minus maritus peteret. Quantumuis enim mulier petat restitutionem in integrum aduersus eum, qui dotem marito dedit, non ideo tamen dos marito auferenda est, *l.Titia*, 64.*ff. de iur.dot.* quippe, qui non alia lege vxorem ducturus fuerit, *l si donaturus*, 9.§.1.*ff.de condict.caus.dat.* Itaque non sunt hæc contraria, dotem exigi per maritum aut per mulierem coniunctorio mariti nomine. Et nihilominus restitutionem peti per mulierem aduersus dotis promissorem aut constitutorem, *d.l.Titia.* vbi est text.accommodatissimus.

24 *d.*§.*scio*, *l.*3.*ff.de minor.* Aliud esset, si mere voluntaria ratihabitio facta proponeretur, Bart. *ad d.l.vnic.in fin.C.si in commun.eademque caus.in integ.restit.postul.* Denique tunc inspicimus principium non finem, cum finis habeat necessariam consequentiam ad principium, *l.damni*, 18.§.*Sabini.* vbi etiam Bart. *ff.de damn.infect.*

TIT. XXXI.

VBI ET APVD QVEM cognit.in integr. restit.agit.sit.

DEFINITIO I.

De iudice restitutionis in integrum, siue petatur illa ab actore siue à reo.

QVAESTIONEM in integrum restitutionis ibi agitandam esse constat, vbi domicilium habet is, contra quem restitutio postulatur. [1] Personales enim sunt omnes in integrum restitutiones, vt cum nostris loquar, aut potius actiones, quæ pro restitutione competunt, [2] tametsi ex iis quædam in rem quoque scriptæ sint. [3] Sed cum restitutio etiã per viam exceptionis & cõtradictionis peti possit, [4] necesse est, vt eo casu de restitutione cognoscat ille, qui de principali actione cognoscit, [5] & consequeter vt hac parte actor, aduersus quem petitur restitutio, sequatur forum rei. [6] Quod cum euenit, si quæratur, vter locus in iis, quæ ad iudicij ordinationem & exercitionem pertinent, [7] spectandus sit, An in quo agitur, an in quo ex iuris ratione alioquin exerceri restitutionis iudicium debuisset, eum spectabimus in quo agitur, [8] quãdoquidem in eo etiam agi oportet: [9] cum non alibi de exceptionib. & iis, quæ per viam exceptionis proponuntur, cognosci possit, quam vbi de ipsa actione cognoscitur. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin.3. & 4. sup.de legib.

1 *L.*2.*C.hoc tit.* vbi nostri notant, eum, qui agit ad distractum perinde sequi debere forum rei, ac si ageret ex contractu. Eadem enim ratio esse solet contractus & distractus, *l.Pomponius*, 3.§.*præterea.ff.de acquir.poss.* Facit *l.ex empto* 11.§.*is, qui vina*, *ff.de action.empt.*

2 Personalium autem actionum ea conditio est, vt exerceri debeant apud iudicem eius, qui conuenitur, siue ciuiles actiones sint siue criminales, *l.*2.*l.in criminali*, 5. *C.de iurisdict. l.*3.*C. vbi in rem act.l.vnic. C.vbi de hered. l.*2.*C.vbi de crimin.l.*3. *C. vbi caus.stat.*

3 Vt actio, de eo quod met.caus. *l.metum*, 9.§.*vlt. l. item si*, 14. §.*in hac actione*, *ff.quod met.caus.* itemq; restitutio minorum interdum, vt loquitur & explicat Vlpian. *in l.in causæ*, 13. §.*interdum*, *& ll.seqq.ff.de minor.*

4 Innocent. & Abb. *in cap.suscitata. Extr.de in integr. restit.* Excipienda tamen est restitutio ex capite edicti de dolo, quia nunquam datur reo, cui nimirum potest sufficere doli exceptio, *l.vlt.D.de dol.*

5 Etiamsi de causa restitutionis alioqui cognoscere non posset, *l.vlt.in fin.C.hoc tit.*

6 Neque enim potest actor in eadem causa recusare iudicem quem elegit, vt dici solet de mutuis petitionibus, licet sint illæ odiosiores, *l.qui non cogitur*, 22.*D.de iudi.l.si idem* 11.§.1.*ff.de iurisdict. l.sum Papinianus*, 14. iunct. *Authen.& consequenter*, C. *de sentent. & interloc.om.iud.* Restitutio enim, quæ per viam exceptionis petitur, non mutua petitio sed exceptio est quemadmodum si ab actore impetraretur pendente lite, non noua actio, sed eadem esse intelligeretur, *l.qui proprio*, 46.§.*item quæritur.ff.de procur.*

7 Nam si quæratur de iis, quæ ad causæ decisionem pertinent, alius tractatus est, De quo vide, quæ dicam infr. Definit. prox.

8 *L.*3.§.*vlt.D.de testib.* per quem text. ita defendit Cyn. *in l.*1. *qu.*2.*C.quæ sit long.consuet.* Vide Guid.Pap. *quæst.*262.*nu.*1.

9 *d.l.*2.*C.hoc tit.* iunct. *l.qui non cogitur.*

10 *L.qui ex liberis*, 11. *in fin.ff.de bonor.poss. secund.tab. l.*1.2. *& pass.ff.de except.*

DEFINITIO II.

An in iudicio restitutionis locus contractus attendi debeat, an locus iudicij?

CVm autem quæritur, an in expedienda cognitione restitutionis in integrum locus iudicij attendi debeat, an locus potius, in quo contractum est, distinguere nostri solent, [1] nec male, an restitutio petatur ex ea causa, quæ iam ipso contractus tempore locum habuerit, an ex ea, quæ superuenerit, vt priore casu spectetur id ius, quod obtinet in loco contractus: [2] Posteriore vero id, quod obtinet in loco iudicij. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Post Bart. *ad l.*1.*nu.*20.*C.de sum.Trin.& fid.cathol.*

2 *Ex l.si fundus*, 6.*ff.de euict. l.semper in stipulationibus*, 34. *de regul.iur.*

3 Secundum gloss. positam *in l.*2.*ff.de eo quod cert.loc.* quam alioqui falsam esse defendit Bart. *d.num.*20.

DEFINITIO III.

Si reus arbitraria actione conuentus alio loco, quam in quo soluere debuit, an impetret restitutionem.

PLane si creditor, ad cuius domicilium soluere promissor certa die debuit nec soluit, cogatur post moram [1] agere alio loco, [2] proposita in eam rem arbitraria, de eo quod certo loco, actione, [3] reus autem con-

BIU Cujas

uentus apud suum iudicem imploret auxilium in integrum restitutionis, [4] Nemo dixerit æquum esse vt inspiciamus locum in quo agitur, si qua in re durior ex eo futura sit conditio creditoris. [5] Ne alioqui morosо debitori prosit, quod alio loco conueniatur quam in quo soluere debuit, [6] cum ex contrario nihil imputari possit creditori, quod eum alio loco conueniat, quam qui destinatus fuerat solutioni. [7] Nam & arbitraria actio quam necessitas induxit, ne in potestate debitoris esset numquam soluere, si in locum solutioni destinatum nunquam venire vellet: mixtam semper habet loci vtilitatem, actori præstetur quanti eius interest destinato loco solutum fuisse. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ante moram enim alio loco peti solutio non potest, quam destinato, *l. eum qui*, 43. *D. de iudic. l. vltim. D. de eo quod cert. loc.* sicut nec alio loco fieri solutio stipulatore inuito, *l. penult. eod.*

2 Cum enim solutio in locum certum destinata est, potest debitor eo loco conueniri, licet alibi domicilium habeat, *leg. 1. eod.*

3 Quæ scilicet ob hanc ipsam causam comparata est, *d. l. 1.*

4 Quia potest illa impetrari incidenter non solum à reo, sed etiam ab actore. *l. qui proprio*, 46. *item quæritur, D. de proc.*

5 Neque enim facto suo potest duriorem efficere aduersarij sui conditionem, *l. 1. in princ. l. 3. §. 1. & pass. D. de alien. iud. mut. caus. fact.*

6 Atqui nemini frustratio sua prodesse debet, *l. hominem*, 37. *D. mandat. l. non fraudantur*, 134. §. 1. *de reg. iur.*

7 Non enim facit iniuriam vel fraudem, qui iure suo vtitur, & ordinaria actione experitur, *l. factum*, 155. §. 1. *l. nemo damnum*, 151. *eod.*

8 *d. l. 1. l. 2. §. Scæuola; D. de eo quod cert. loc.*

9 *l. 2. l. certum*, 8. *D. eod. l. vnic. Cod. vbi conuen. qui cert. loc. dar. promis.*

TIT. XXXII.

ETIAM PER PROCVRAT. caus. in integr. rest. agi poss.

DEFINITIO I.

Restitutio in integrum alieno nomine peti non potest, nisi vel speciali mandato interueniente, vel in necessarium antecedens.

ET si non aliter petendæ restitutionis facultas data intelligitur, quam si speciale mandatum interuenerit: [1] Si tamen procurator quis constitutus sit specialiter ad redimendam rem venditam, litémq; ad id tractandam, nec redimendi ius vllum sit, nisi petita in integrum restitutione, [2] dicendum est in necessarium antecedens mandatum quoque intelligi ius exercendæ restitutionis. [3] *Ita tractatum est* in causa D. Senatoris d'Auise contra Franciscum le maistre, Prid. Cal. Septemb. 1593.

1 *L. illud nullam*, 25. §. 1. *& l. seq. C. de minor. c. coram. Extra. de in integr. restit. c. qui ad agendum, de procur. in 6.* & vtrobique Dd.

2 Quod ex variis causis potest contingere, puta si res vendita fuerat sub pacto de retrouendendo intra certum tempus, quod iam præterierit, & tamen immodicam læsionem interueniisse, quæ ius illud redimendi faciat ex temporali perpetuum, secundum ea, quæ scripsi *Defin. 4. 3. in quibus caus. rest. in integr. non est necess.*

3 *Arg. l. ad rem mobilem*, 56. *& l. ad legatum*, 62. *D. de procur. l. 2. D. de iurisd.* Sunt & alij casus pleriq; in quib. speciale mandatum non exigitur ad exercendum iudicium in integrum restitutionis. Primus est si de restitutione non nisi incidenter agatur, *c. suscitata*, vbi gloss. Abb. & alij, *Extr. de in integr. resti.* id est, aut pendente lite principali, aut intra decimum diem, ex quo diffinitiua sententia lata est. Ioann. Andr. Host. Card. & Anton. *in d. c. coram. per illum text.* Secundus casus est, si verba mandati non tantum expresse, sed etiam tacite sub generalibus verbis includant speciale mandatum, vt si quis procurator constitutus sit ad agendum, defendendum, & supplicandum, Abb. *in d. c. coram, numer. 5.* Cassad. *decis. 1. de procur.* Tertius, si in mandato generali aliquid exprimatur, quod exigat mandatum speciale, tum sequatur clausula generalis, *& ad omnia alia requirentia mandatum speciale, d. c. qui ad agendum.* Abb. & Cassad. *supradi. locis.* Quartus, si procurator habeat mandatum generale cum libera administratione. Habet enim hoc æqualem vim ac speciale mãdatum, siue in contractibus, siue in iudiciis, Bald. *in l. nam & nocere, notab. 1. de pact. ex d. c. qui ad agendum, l. transactionis*, 7. *C. de transact. l. procurator cui generaliter*, 58. *D. de procurat.* Quintus, si cui concessa sit plena administratio vel facultas agendi quicquid mandans ipse agere posset, Bart. *in d. l. procurator.* Franc. *in d. c. qui ad agendum.* Nam quod dici solet, nunquam censeri concessam liberam potestatem, nisi cum id ipsum expressum est, *l. quam Tuberonis*, 7. *vers. alia causa est, D. de pecul.* sic accipiendum est, vt tamen sufficiat concedi per verba æquipollentia. Sextus casus est, si restitutio petatur per tutorem, curatorem, œconomum, prælatum, ac cæteros habentes liberam administrationem patrimonij alieni, Abb. *num. 6.* & alij communiter *ad d. cap. suscitata, arg. l. si actor*, 10. *C. de appell. l. 2. §. quod obseruari.* vbi Bartol. communiter receptus, *C. de iureiur. propter calumn.* Septimus, si tractanda sit restitutio defendendo non agendo. Innoc. & Abb. *in d. c. suscitata, nu. 5.* Cassad. *decis. 2. de procurat.* AEgid. à Bellam. *decis. 275. Ex l. qui proprio*, 46. *item quæritur, D. de procur.* An idem erit, si quis habeat mandatum generale cum clausula ratihabitionis? Minime, Glos. Ang. & alij *in l. si procuratorem absentem, D. eod. tit. de procur.* Bart. *in d. l. procurator cui, & in l. 1. C. de offic. procur. Cæsar.* Quid si consanguineus pro consanguineo intra quartum gradum petere velit restitutionem præstita etiam cautione de rato? Iuxta *l. sed & hæ*, 35. vbi Bald. *D. de procur.* Nequaquam, quia quod scriptum est *in d. l. sed & hæ*, non habet locum in iis, quæ requirunt speciale mandatum, Gl. & DD. *in l. exigendi, C. de procur* Soli patri, & quidem qui habeat filium in potestate permissum est, vt pro filio etiam inuito impetret restitutionem, quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur, *l. patri pro filio 27. D. de minor.* vbi expressim additur cæteros agnatos vel adfines alterius esse conditionis. Ego addo nec patri permittendum esse, vt pro filio ignorante petat restitutionem, si filius peculium non habeat profectitium, sed tantum castrense vel quasi. Nam si sit aduentitium, poterit pater petere restitutionem, non tanquam coniuncta aut potius coniunctissima persona, sed tanquam legitimus administrator. Excipiunt tamen quidam eum, qui sit coniunctus, si idem futurus sit consors litis, tametsi nondum sit, vtpote lite nondum contestata, *ex c. constitutus, de in integr. restit.* Nam post litis contestationem potest consors agere pro consorte etiam sine mandato, adeoque sine licentia iui superioris, *clem. religiosus, de procur. l. 2. C. de consor. ciusd. lit. l. si petitor* 41. *D. de iudic.* Non tamen de ea re, quæ mandatum ex gat speciale, cum minus certe non plus iuris habere debeat consors litis, quam qui coniunctus est. Vide Didac. Couarr. pluribus hæc ipsa tractantem *lib. 1. variar. resolut. cap. 6.*

DEFINITIO II.

Restitutio, quæ per curatorem absentis bonis datum petitur in vtilitatem absentis, non sub ipsius nomine peti debet, sed sub nomine curatoris.

SI curator absentis bonis datus litem aliquam instituerit, [1] in eáque per errorem aut negligentiam aliquid fecerit, quod inducat necessitatem petendæ in integrum restitutionis, non ideo sub ipsius absentis nomine impetrandum est diploma principale, cuius beneficium moribus nostris [2] necessarium est ad obtinendam restitutionem (cum is qui absens est, neque supplicare neque impetrare quicquam possit in ea lite, quæ non nisi propter eius absentiam exerceatur per curatorem) sed curator solus in eam rem adhibendus & nominandus est. [3] Quippe cui licere debeat ex officij sui ratione etiam contra proprium factum venire, ad alienum scilicet commodum non ad suum. [4] *Sine die.*

1 Potest enim actiones omnes exercere, quæ tempore sunt perituræ, *l. creditore 14. de reb. auct. iud. poss.*

2 Nam

BIU Cujas

2 Nam de iure communi Prætor restituit non Princeps, *l.1.Ex quib.caus.maior.*

5 Vt dicimus de curatore furiosi, *l.in negotiis 5.D.de reg.iur.* Nam nec id alia ratione receptum est in furiosi curatore, quam quia furiosus absentis loco est, *vulgat. iurib.*

4 Bart.Castr.& alij *ad l.si non sortem 26.§ filius, de cond.indeb.*

TIT. XXIII.

IN INTEGR. RESTIT. postul. ne quid noui fiat.

DEFINITIO I.

De nihil innouando pendente lite in integrum restitutionis.

POSTVLATA in integrum restitutione, etsi nihil noui faciendum est, officio tamen iudicis de eo requisito incumbit, vt contractum, cuius rescissio petitur, interea tenere, vireſque suas habere pronunciet, [2] præstita tamen satisdatione, [3] ne alioquin is, qui restitutionem duntaxat petiit, hoc ipso impetrasse videatur. [4] Quod maximè obtinet, si proponas agi de instrumento authentico, & vt pragmatici loquuntur, guarentigiato. [5] Cur non enim tenere debeat, cum sententiæ vim habeat & condemnationis, [6] nisi proponas maximam aliquam pro actore vrgere præsumptionem? [7] Sed tamen obseruare debebit is, qui ex contractu nititur, vt ante iudicis interlocutionem ea de re redditam ab omni abstineat executione. Si secus fuerit, siue iam petierat, vt lite pendente contractui stare aduersarius iuberetur, siue nondum petierat, attentasse in præiudicium pendentis litis & restitutionis videbitur, [8] Ac proinde ante omnia pro attentatorum priuilegio reuocanda erit infirmandáque per iudicem executio, [9] addita etiam, quanti aduersarij interierit, condemnatione. [10] Lis enim pendere dicitur postulata in integrum restitutione, licet nulla dum contestatio secuta sit, sicut & sola suspecti iudicis allegatione, [11] adeoque interdum nuda libelli oblatione, [12] aut etiam rescripti principalis impetratione. [13] *Ita Senatus* pro D.de Volery, contra D. de Mandolle 17. Calend. August. 1588.

1 *L.vnic.C.hoc tit. l.si causa cognita 32.C.de transact.* quæ restitutionem in integrum appellationi æquiparat, quod ad hoc, vt suspendat vim & effectum sententiæ. Adde *l.chirographis 57.§.1. D.de admin.tutor.*

2 Et ita temperandum est, quod ait *d.l.vnic.* quomodo ad eam notat Bart. *ex c.suscitata, & c.constitutus*, vbi Canonistæ Extr. *de in integr.restit.*

3 Propter dubium litis euentum, *l.quod debetur 51. D.de pecul.* & vt cautum sit ei, qui petit restitutionem, *l.1. & tot.titul. D.qui satisdar.cogant. l.vlt. C.de ordin.cognitio.* Mynsing. *centur.1. observ.48.*

4 Aliud enim est restitutionem petere, aliud impetrare. Petitur facile, sed non impetratur neque conceditur, nisi causa cognita & auditis omnibus iis, quorum interest, *l.in causæ, 13. vers.causa enim cognita, l.etiamsi 29.§.vlt.D.de minor.*

5 Id est, cuius vigore competit exactio sine strepitu & figura iudicij, ita vt de facto incipi possit à captura personæ, quomodo loquitur Anton.Tessaur. *decis. Pedemont. 26. num.12.* post Roman. *consil.133.num.1.* Marsil. *singul.7.* Ias. *in l.vltim. numer.6.Cod.de edict. Diui Hadrian.tollend.* adeo vt nec sit necesse citari partem, vt testatur Tess. *ibid.* contra Bald. & Ias. *in l.1. C.de iur.& fact. ignor.*

6 Bar. *in l.cum vnus, in princ.nu.11.de bon.auct.iudic.possid.* Didac.Couar. *lib.2.var.resol.c.11.num.3.ad fin.*

7 Vt in ea specie, de qua scripsi *Definit. 1. supr. si aduers. credit.* Non tamen videtur omnino recta consecutio, vt ex huiusmodi instrumentis possit fieri executio pendente lite in integrum restitutionis ob id solum, quod habeant vim sententiæ. Cum & sententia ipsa per petitam in integrum restitutionem suspendatur, *d.l.si causa cognita 32.C.de transact.* Itaque totum ius hoc, quo vtimur, accepto ferendum est praxi potius, quam iuris rationi. Sane si instrumentum falsum dicatur, non eo minus pendente falsi accusatione pronunciandum erit pro instrumento, *l.2.C.ad leg.Cornel.de falsi.* scilicet, quia maior vis est restitutionis aut prouocationis ad suspendendum effectum contractus quam accusationis. Imo & à iuris ratione abhorret, vt instrumentum vilum habeat paratam executionem, *l.minor 40. D.de minor.l.si pacto 14. C.de pact.* Vide Tessaur. *late dict.decis.6.* Ossasch. *decis.129.num.2.*

8 Vt hoc saltem casu salua sit ratio & dispositio iuris posita *in d.l.vnic.C.hoc tit.*

9 Attentatorum enim hoc priuilegium est, quotiescunque appellatio aut restitutio habuit effectum suspensiuum, Didac.Couarr. post alios multos quos citat *c.23 pract.quæst.num.7. & c.24.per tot.& 25.præsertim num.7.*

10 Semper enim, qui attentauit, condemnatur in id omne, quod aduersarij interest eo nomine.

11 *Ex l.apertissimi 16.C.de iudic.*

12 *L.1.& 2.vbi glos.C.vt lit.pendent.*

13 *L.1.& 2.C.quand.libell.Princip.dat.lit.cont.fac.* Adde *l.ex illo tempore 13.C.de appell.* quæ tamen loquitur de consultatione & relatione ad Principem non de rescripti impetratione. Vide Ferrar. *in pract.tit.de form.excep.rei conu.in verb.exceptionem.*

DEFINITIO II.

Potest qui impetrauit restitutionem pendente lite aduersus contractum executionem contractus consequi, non etiam petere.

QVoties postulata in integrum restitutione, iudex petente reo contractum tenere iussit, [1] permittendum est actori, si quid fortè ipsi vicissim præstandum fuit ex contractu vltro citroque obligatorio, vt perinde id possit petere, ac si restitutionem non postulasset. [2] Plane si aduersarius iure suo vti nolit, [3] non erit ferendum vt ex contractu agat, qui contractum impugnat. [4] Iure autem suo vti videtur, non solum qui petiit & obtinuit, vt pendente causa in integrum restitutionis contractus teneret, [5] sed etiam, qui id habet ac retinet, quod rescisso contractu non haberet. [6] Itaque venditor, qui aduersus venditionem vult restitui, non prohibetur precium petere, ne interea emptor & rem & precium habeat, [7] sed protestari tamen debebit, ne quid ex ea re præiudicij petitæ restitutioni fiat. [8] *Ita Senatus* sæpius.

1 Vt fieri solere, & in praxi receptum esse diximus Definit. præced.

2 Id enim fit ex naturali necessitate contractus, qui cum vltro citroque sit obligatorius, non potest tenere ex vna parte, quin ex altera teneat: alioqui claudicaret, quod esse non debet, extra casum *l.Iulianus 13. §.antepen.D.de act.empt.* Neque vero præmissi iuris præsumptio & coniectura capi potest ex eo actu, quem quis vel inuitus facere cogatur, *l.tutorem 22.de his quæ vt indign.l.1.in fin.C.de annal.except.* Iudicium porro redditur in inuitum, *l.inter stipulantem 83. §.1. de verb.oblig.* & quod hoc casu soluitur ei, qui petit in integrum restitutionem, magis soluitur aut præstatur, vt postmodum contra eum fieri executio possit tanquam impleta conditione, sine qua non, quam vt actor ei petenti condemnetur.

3 Id est, impetrata in integrum restitutione, nec enim inuitus ea vti cogitur, ne quidem post sententiam, *l.si iudex circumuento 28.D.de minor.*

4 Nemo enim ex eo contractu, quem impugnat lucrum consequi debet, *l.cum quæritur 16. D.de admin. tutor. l.si ita stipulatio 39.§.1.D.de oper.libert.l.40.de acq.her.*

5 Intellige, si postmodum vrgeat executionem sententiæ: nam quamdiu facta executio non est, potest impetratam restitutionem abiicere, *d.l.si iudex.*

6 Retentio enim plus quam petitio est, cum sit etiam perceptio, *l.deducta 58. §.acceptis D. ad SC.Trebell. l.cum pater 77. in princ.de leg.2.l.ei cui 16.D.de liber.legat.*

7 Quod nullo vnquam casu æquum est, *l.ex empto 11. §.qui autem, l.bona fides 50.D.de act.empt.*

8 Protestatio namque solet conseruare ius protestantis, *l. 4.§.1.D.quibus mod.pign.vel hypoth.soluit.l.pro herede 20.§.1. de acquir.hered.*

BIU Cujas

DEFINITIO III.

De muliere petente restitutionem aduersus pignorum remissionem, & quid si interim possessionem illa occupauerit propria auctoritate.

CVm mulier constante matrimonio pignorum dotalium venditioni, adhibito etiam iureiurando,[1] consensisset,[2] tum defuncto viro restitutionem in integrũ peteret quasi læsa,[3] quod ex aliis mariti bonis sibi satis cautũ esse non posset,[4] placuit iustam quidem eam causam esse petendæ restitutionis impetrata prius absolutione,[5] Sed si pendente facti quæstione & incerto eo, an alia bona marito superessent necne,[6] mulier quasi iure suo vsa propter clausulam constituti dotalibus tabulis insertam, fundum occupasset, ex eoque fructus percepisset, condemnari illam statim debere vt illos redderet, non expectato iudicij euentu:[7] Non solum, quod in integrum restitutione postulata nihil noui inconsulto iudice fieri debuisset,[8] sed etiam, quod eæ potissimum iudicis partes esse debeant, vt pendente iudicio restitutionis pronunciet contractui standum esse:[9] quod ipsum facere non potest, quin de fructibus quoque pronunciet,[10] cum soli & dominii ius sequatur.[11] Quare nec aliud dicendum erit de iis fructibus, qui ante imploratam restitutionem mala fide percepti proponerentur.[12] Neque enim nouum est, vt de fructibus quoque pronuncietur pendente lite, & priusquam ad sententiam perueniatur.[13] In proposito autem ea quoque ratio maximè contra mulierem facit, quod etiamsi ipsam in causa restitutionis tandem vincere contingeret, non ideo tamen fructus pignorum lucro eius cederent,[14] sed id tamen assequeretur, vt saluam haberet pignorum persecutionem ac si nunquam venditioni consensisset.[15] Fructus enim si quos percepisset, aut reddere aut in sortem imputare cęterorum creditorum exemplo[16] cogeretur,[17] ni contracta esset antichresis, vt eos lucrifaceret ad finem vsque legitimarum vsurarum.[18] *Ita Senatus* pro D. Amedeo Michal magistro computorum, contra viduam N. Chabot 7. Id. Iul. 1591.

1 Cuius ea vis esse solet, vt illos etiam contractus validet & confirmet, qui alioquin ipso iure non valerent, si modo seruari possit sine dispendio salutis æternæ, *c. quamuis pactum, de pactis in 6. c. si vero cap. cum contingat. Extr. de iureiurand.* & vbique Canonistæ.

2 Qui consensus valet etiam iure ciuili & citra vinculum iurisiurandi, *l. iubemus 20. C. ad SC. Velleian.* quia siue expressa siue tacita pignoris remissio, & siue expressi siue taciti pignoris donatio non est, *l. 1. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. etsi pignus 18. D. quæ in fraud. credit.*

3 Nam & sufficiens restitutionis causa illa est, si liberata sint pignora, ab eo data, qui alioquin soluendo non sit, *l. illud verum 10. in fin. D. de eo, quod metus caus. l. patri 27. §. si minor. D. de minoribus.*

4 Propter quam causam nec valeret renunciatio iure ciuili, *d. l. iubemus*, si non auctoritas iurisiurandi interueniret.

5 Ad euitandum periurium: propter vinculum iusiurandi, quia tunc etiam, cum iurisiurandi ratio haberi non debet, ne vinculum sit iniustitiæ & iniquitatis: tutius tamen est periurij metu impetrare absolutionem, aut, quod promissum fuit, adimplere, *cap. debitores, Extr. de iureiur. c. Abbas, & cap. ad aures, Extr. quod met. caus.*

6 In qua incertitudine præsumptio est contra mulierem, & ab ea probationem exigimus, cum ipsa agit & paupertatem mariti sui allegat pro fundamento suæ intentionis, *l. 2. D. de probat. l. actor. & pass. Cod. eod.* Bart. *in l. prædior. Cod. ad præd. minor. in fin.*

7 Frustra enim expectaretur euentus, qui nihil posset operari, *l. si quis ita 33. D. de hered. instit.* vt hic contingit, quemadmodum sequitur in Definitione.

8 *L. vnic. C. hoc tit. l. si causa cognita 32. C. de transact.*

9 Non tam ex iuris ratione, quam ex praxi qua vtimur, vt scripsi Desin. 1. *num.* 7.

10 Quia contractu tenente ac si restitutio nulla impetrata esset, eos fructus possessor percepisset. Vnde illud est, quod fructus etiam possessionis causam sequuntur, vt in interdictis, *l. videamus 38. § in Faniana & seqq. D. de vsur. l. 1. §. ex die 40. D. vnde vi l. 4. C. eod.*

11 *L. qui scit. 25. §. 1. D. de vsur.* vbi Iulianus scribit fructus ex fundo percipi non iure seminis, sed iure soli.

12 Nam & hi omnimodo restituendi sunt in executionem iudicati, quo contractus tenere pendente lite iubeatur, alioqui eueniret, vt aliquo tempore contractus non videretur tenuisse. Denique constat fructus causæ appellatione contineri, *d. l. 4. C. vnde vi.* Causam vero esse id omne, quod habiturus fuisset petitor, si controuersia ei facta non fuisset, *l. Iulian. 17. §. 1. l. præterea 20. l. qui restituere 68. D. de rei vindicat.* Sed & plenius causa bonorum accipienda est pro omni vtilitate, *vt in l. in conuentionalibus 52. §. 1. de verb. oblig. l. 1. §. hæc actio 10. D. si is, qui testam. liber. esse iuss.*

13 Vt in ea specie, de qua scribemus ℣. *Defin. 23. de fructibus & lit. expens.*

14 Quia cum per pignus non transferatur dominium, sed nuda possessio, *l. cum & sortis 35. §. 1. D. de pignor. act.* non potest titulus pignoris esse habilis ad inducendam fructuum acquisitionem *argum. d. l. qui scit 25. §. 1. D. de vsur.* nisi ob tacitam ἀντίχρησιν contractam. De qua *in l. cum debitor 8. D. in quib. caus. pign. vel hypothec. tacit. contr.* Scripsi in Chiliade Decad. 9. Error. 5. & 6.

15 *d. l. iubemus 20. Cod. ad SC. Velleian.* Id enim dumtaxat reddit restitutio, quod abstulit læsio, non plus aut minus, vt tractat Bart. *ad l. si quidem 11. Cod. de præd. minor. ex l. 1. & l. quod. si minor 24. §. restitutio. D. de minor.* hæc autem mulier non in fructibus pignoris læsa fuerat, sed in remisso iure & vinculo obligationis. Itaque ius illud solum per in integrum restitutionem redintegrabitur.

16 *L. 1. l. creditor 3. l. vlt. C. de pign. act.*

17 Nullum enim priuilegium hac parte mulieri datum est, ne pro dote quidem, quoniam id egit legislator, vt mulieribus subueniret ne damnum paterentur, non etiam vt lucrum sentirent, *leg. assiduis 12. in fin. C. qui potior. in pign. hab.*

18 Intellige de antichresi siue tacita siue expressa. Etsi inter eas differentia illa est, quod tacita seruat legitimum modum vsurarum, quocúmque habet quoties pecunia debita gratuita est non sub vsuris, *vt in dict. l. cum debitor 8. in quib. caus. pignor. vel hypothec. tacit. contr.* Expressa vero non seruat, *l. si ea pactione 4. Cod. de vsur. l. si is, qui 1. §. si ἀντίχρησις. D. de pignor.* Scripsi late dict. Decad. 9. Error. 5. & 6.

TIT. XXXIV.

DE REPVT. QVAE FIVNT in iud. in integr. restit.

DEFINITIO I.

Quid interfit, an restituatur filia ad petendum supplementum, an ad succedendum.

FIlia, quæ accepta certa pecuniæ quantitate siue à patre siue à fratribus, renunciauit bonis paternis, si postea petat in integrum restitutionem ad hoc, vt rescindatur renunciatio,[1] interroganda est, an ideo tantum velit restitui, vt habeat supplementum, an id etiam, vt, ac si nulla facta esset renunciatio, competentem sibi portionem in bonis & corporibus ipsis consequatur? Hoc enim posteriore casu si aduersarius consentiat dari restitutionem, officium erit iudicantis, vt vtraque pars ex natura restitutionis pristinum integrum q; ius suum recipiat,[2] Et consequenter condemnanda erit mulier, vt statim, quod accepit, restituat,[3] licet nondum constet, quid & quantum ex corporibus hæreditariis inuicem sperare possit. Sibi enim imputet, quæ petendo restitutionem hoc sibi damnum & incommodum vltro inflixit:[4] nec audietur, si retentionis iure vti velit.[5] Priore vero casu non erit cogenda reddere quod accepit, sed imputare.[6] Nam etsi succumberet

BIU Cujas

beret probato per aduersarium, quod plus accepisset, quam sibi deberetur, non ideo tamen cogenda esset restituere, quod excederet,[7] sed tantum litis amissione, id est, expensarum damno coerceretur.[8] *Ita Senatus* in causa N. Annæ de Bellegarde, & N. Ioannis Francisci Noyelli de Bellegarde 7. Calend. Septemb. 1586.

1 Ex causa scilicet læsionis enormis iuncta reuerentia paterna, *l.1.§.quæ onerandæ. D.quar.rer.actor.non det. l si superstite 5. in fin. Cod. de dolo.* Tractant nostri *ad cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

2 *L. vnic. Cod. hoc titul. l.quod si minor 24. §.restitutio. D.de minor.*

3 Prior enim iudicato satisfacere debet si volet iudicatum exequi, licet non cogatur vti restitutione impetrata si nolit, *l.si iudex circumuento 28.de minor.* iunct. *l.Iulianus 13.offerri, D.de act.empt.*

4 Non enim ei succurri solet, qui ipse coniecit se in necessitatem, *l.si fideiussor 7.§.si necessaria, qui satisdar.cog. l.2. §.vis fluminis, D.si quis caut.*

5 Quia non potest pecunia pro corpore, aut è contrario corpus pro pecunia retineri, *l.cum pater 77.in princ.de leg.2. l.deducta 58.§.acceptis, ad SC.Trebell.* Obstare tamen videtur, *l.si non sorte 26.§.si centum, de cond.indeb.* Nisi dicas in illa specie liquidam iam ab initio fuisse quantitatem debitam, ideoque imputari posse debitori condicenti, cur eam non statim soluat.

6 *l.si quando 35.& generaliter, C.de inoff.testam.* iunct. *l.seq.§. repletionem, eod.*

7 Nihil enim vetat pro legitima ampliorem portionem dari.

8 Ob litem temere institutam, *l.eum quem temere 79.de iudic.* Nam & idem esset si aliquid quidem deberetur, sed tamen plus petitum esset, *§.si minus, Instit. de act. l.1. C.de plur.petit.*

DEFINITIO II.

De petita restitutione aduersus venditionem fundi indiuisibilis.

MInor rem sibi cum aliis communem & indiuisibilem si tibi vendiderit vna cum condiuisoribus, & iusiurandum interuenerit aliæve solemnitates;[1] non aliter audiendus est petens ex causa læsionis restitutionem, quam si paratus sit totum fundum recipere, & vicissim totum precium reddere, id est, pro cohæredum quoque portionibus.[2] Neque enim fieri potest aliter, vt omnia in integrum & pristinum restituantur,[3] cum tu partem fundi communis & indiuisibilis empturus non fueris,[4] nec cogendus sis incidere inuitus in communionem,[5] in qua nec remanere cogi posses.[6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 2. supr. Si in commun. eadémque caus. in integr. restit. postul.

1 Alioquin restitutio non esset necessaria, *l.2.C.de præd.min. l.in causæ 16.in princ.& §.& generaliter, D.de minor.*

2 *l.tutor 47.§.curator, D.de minor.*

3 *l.quod si minor 24.§.restitutio, D.de minor.* Facit *l.tutor decedens 26.de liber.legat.*

4 *l.si quis aliam 46.D.de solut.*

5 *l.si non sortem 26.§.si centum, de condict.indeb.* propter discordias, quas materia communionis excitare solet, inquit Papon. *in l.cum pater 77.§.dulcissimis, de legat.2. l.in re communi 26. de seru. vrban.præd.*

6 *l.vltim. Cod. commmun.diuid.*

TIT. XXXV.

DE TEMPOR. IN INTEGR. restitut.

DEFINITIO I.

De decennio moribus nostris in locum veteris quadriennij ad petendam minorum restitutionem subrogato.

AD petendam ex causa minoris ætatis restitutionem, decennium hodie generaliter, & indistinctè præstitutum est à die completi anni quinti & vicesimi computandum,[1] cum antea sufficeret quadriennium à Iustiniano subrogatum[2] in locum anni illius vtilis, quem Prætores introduxerant,[3] aut ad summum quinquennium, si de rei mobilis venditione, quę sine decreto facta esset, confirmanda ageretur.[4] Sed etsi de donatione quæratur, continuum decennij silentium sufficiet, non tantum inter præsentes, vt fert Iustiniani constitutio,[5] sed etiam inter absentes, inter quos eadem constitutio vicennium requirit.[6] Enimuero, quamuis dici soleat, præscriptionem statutariam in locum præscriptionis legalis substitutam easdem retinere qualitates & conditiones,[7] id tamen in proposito non obtinet. Quadriennium enim illud Iustinianeum initio inspecto est vtile, vt non prius currere incipiat, quàm petendæ restitutionis facultatem habeat is, qui minor fuit,[8] tametsi vbi semel cœpit currere non eo minus pergat, quod illam agendi facultatem aut absentia, aut aliud quodlibet quantumuis iustum impedimentum ademerit.[9] Decennium autem quo hodie vtimur æquè ab initio ac ex postfacto, omni denique tempore continuum est,[10] non illa solum ratione, quod sit longius[11] (exemplo quinquennij, quod quia quadriennio longius est etiam absenti currere Iustinianus voluit[12]) sed ob id potissimum, quod legis nostræ verba sic concepta sunt, vt non meminerint decennij,[13] at tantummodo restitutionis beneficium post vltimum trigesimiquinti anni diem prorsus excludant.[14] Quid enim est, quod temporis cursum possit sistere & efficere, ne trigesimusquintus annus compleatur, aut reuera completus pro non completo habeatur?[15] Proinde si post eam ætatem ratio aliqua esset concedendæ restitutionis, ad hoc ipsum concedi restitutionem oporteret, vt subinde ex causa minoris ætatis impetrari restitutio posset,[16] quod tamen absurdum foret:[17] Cum & huius incommodi euitandi gratia induci necesse fuerit, vt quadriennium, quod non minorum duntaxat, sed aliis quoque omnibus restitutionibus petendis constitutum est, ab initio esset vtile,[18] ne alioqui aut restitutionis æquitas solo quadriennij lapsu omnino perimeretur,[19] aut restitui actorem ad hoc ipsum necesse esset, vt posset restitui.[20] *Ita Senatus* in causa N. Francisci Denarie contra Bartholomæum de Valon 18. Idib. Augusti. 1588.

1 Stylo Senatus nostri artic. 154. Vide Rebuff. *tom.2.tract.de rest.gloss.2.* vbi monet idem ius apud Gallos ex Francisci I. edicto obseruari.

2 *l.vlt.C.hoc tit.l.vlt.C.de repud.vel abstin.hered.* Rebuff. *vbi s. art.2.gloss.1.num.10.*

3 Vt supradictis legibus refert Iustinianus. Deque anno illo vtili intelligendus est Scæuola *in l. intra vtile 39. D. de minor.*

4 *l.vlt.C.si maior fact.alien.fact.sin.decret.rat.hab.*

5 *d.l.vlt.in fin.& l.vlt.C.si quis ignor.rem.minor.esse.*

6 Vt & alias solet vicennium esse necessarium inter absentes iis casibus, quibus alioqui posset decennium sufficere inter præsentes, vt cum de præscriptione longi temporis tractatur, *l.super longi 11. Cod.de præscription.long.temp. l.vnic. Cod.de vsucap. transform.*

7 Bald. *in d.l.vlt.C.hoc tit.per illum text.* Lud.Roman. *cons.38. num.2.& 3.*

8 Expressim namque Iustinianus constituit, vt tantummodo numerandum sit hoc quadriennium ex die, ex quo annus vtilis olim currebat. Vtile autem tempus non est nisi quo quis habet experiendi facultatem, *l.1.D.de diuers.temp.præscript. l.cum sex 55.D.de ædilit.edict.*

9 Id enim est, propter quod quadriennium illud ex postfacto dicitur continuum, *d.l.vlt.C.hoc tit.* Obserua tamen posse vno casu quadriennium hoc esse continuum etiam ab initio, nimirum, si petatur restitutio contra præscriptionem ex capite ignorantiæ, vt contra Cravettam disputat Didac. Couar. *in §.3.*

BIU Cujas

tert.part.select.c.possessor,num.4. versic.decimo, vt scripsi Definit.1. *num.7.& 8.5.si aduers.præs.vsucap.*

10 In eoque ius nostrum prouinciale addit ad ius commune.

11 Vt qui grauatur in vno,releuetur in alio,& contra, *l.eum, qui* 30.vbi Bart.*num.1.D.de iureiur.*

12 *d.l.vlt.C.hoc tit.d.l.vlt.C.de repud.vel abstin.hered.l.vlt.ad fin. C. de præscr.long.temp.*

13 Itaque cum lex non distinguat nec nos distinguere debemus, *vulg.l.de precio* 8.*D.de publician.in rem act.*

14 Quæ lex etiamsi dura esset, non eo minus tamen seruari deberet, quoniam ita scripta est, *l.prospexit 9. D.qui & à quibus man.*

15 Indeque nimirum est,quod in minorum restitutionibus tempora computantur de momento in momentum, *l.3.§.minorem,D.de minor.*

16 Atque ita induceretur circuitus,vt Baldus disputat *in l.ea quæ 5.C.hoc tit.*

17 Circuitus enim vitandus est, *l.dominus* 53.*D.de condict. indebit. Nouell.39. D. de restitut. & ea quæ parit. vndec. mens. circa princip.*

18 *d.l.vlt.C.hoc tit.*

19 Cum enim tempus continuum est, non distinguimus scientem ab ignorante, *l.vlt.ad fin.vers.nulla scientia,Cod.de præscript. long.temp.* & tamen non potest fieri, vt ignoranti quicquam imputetur, cum non habeat experiendi potestatem, nisi dissoluta fuit ignoratio, vt Papin.loquitur *in dict.l.cum sex* 55.*de ædil.edict.*

20 Quæ res abiret in infinitum,quod vitandum est, *l.fideicommissa* 11. §.*si quis decem* 18. *de legat.3. l.à Diuo Pio* 15. § *sed si emptor.D.de re iudic.*

DEFINITIO II.

De restitutione per minorem petita in magna Cancellaria post annum trigesimumquintum.

PRæcluſa tamen petendæ reſtitutionis via ordinaria ex diplomate, quod in parua, vt loquuntur, Cancellaria ſub nomine Principis à primario Senatus Præſide [1] concedi ſolet, recurri poteſt ad oraculum viuæ vocis, [2] vt Princeps de plenitudine, quod aiunt, poteſtatis [3] concedat reſtitutionem, non tam aduerſus lapſum temporis, quam vt reſcindatur quicquid in minori ætate perperam geſtum eſſe dicitur, [4] non quaſi triceſimusquintus annus nondum completus ſit, quod non magis fingere quam præſtare Princeps poteſt: [5] Sed quia in poteſtate & arbitrio Principis ſit, poſt eam quoque ætatem in integrum reſtituere, ſi iuſtam ſubeſſe videat cauſam reſtitutionis, adeóque licet nulla cauſa ſit, aut noua nulla ſuperuenerit. [6] Nam & iis caſibus, quibus ſiue ob lapſum temporis, ſiue qua alia ratione lex municipalis denegat reſtitutionem, ſuprema Principis auctoritas & poteſtas ſemper, vt par eſt, excepta intelligitur. [7] Quare nec de illo quærendum erit, an à die quinti & triceſimi anni completi effluxerit quadriennium,quod omnibus in integrum reſtitutionibus petendis proximè diximus eſſe præſtitutum. [8] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Id enim ius habet primarius noſtri Senatus Præſes,vt hoc ipſo ſit Vicecancellarius,adeoque quiſquis ex Senatoribus vices primarij gerit, etiamſi forte ſit ex nouiſſimis, ſi modo abſint omnes,qui eum præcedunt,quod in Senatus Pedem.Præſide & Senatoribus diuerſum eſt.

2 Id eſt,ad magnam Cancellariam, quæ ipſius Principis non tantum nomen,ſed etiam ſubſcriptionem habet.

3 Diſtinguunt enim noſtri duplicem poteſtatem in Principe,vt in Deo Theologi.Ordinariam vnam,quam melius dicere ordinatam deberent. Aliam abſolutam & pleniſſimam. Sed malè,ſi credimus Didac.Couarr. *lib.3.variar.reſol. cap.6.num.8.* Ario Pinel.*ad l.2.C.de reſcind.vend.in 1.part.rubr.nu.24.* Ant.Teſſauro,qui poſt alios multos hanc non inſulſe vocat plenitudinem tempeſtatis, *Deciſ.Pedem.91.num.1.*

4 Ac ſi petendæ reſtitutionis tempora adhuc ſupereſſent, vt euenit, cum appellationis aut interponendæ aut proſequendæ tempora præterierunt.Reſtituitur enim minor ad appellandum. Sed hoc facilius eſt,quam vt reſtituatur ad petendam reſtitutionem,*l.1.C.ſi ſæpius in integ.reſt.poſt.l.ait prætor* 7.§.*pen.D.de min.*

5 Fictiones enim de eo eſſe debent,quod per rerum naturam verum eſſe poſſit, *l.qui ad certum* 14. vbi Bart. *l.ſed adde.19. §.vlt. D.locat.l.ſi tibi* 8.§.*vnius hominis,de opt.legat.*vt & de confeſſionibus ſcriptum eſt *in l.confeſſionib.13.de interrog in iur faciend.*

6 Eo ſcilicet iure, quo ius facere poteſt nouamque legem condere, etiam deficiente iure, vt in ſpecie *l.Pannonius* 86.*de acquirend.hered.* de cuius lectione & ſententia ſcripſi *lib.4.Coniect.cap.1.*

7 Quæ etiam in iureiurando, quod magis eſt, excepta intelligeretur, *l.vlt.D.ad munic.* Reſtitutiones enim omnes, licet æquitate naturali nitantur, tamen ſunt iuris poſitiui, vt noſtri loquuntur,ideoque pro arbitrio ſupremi Principis mutari poſſunt,ſecundum ea, quæ noſtri tractant *ad l.vlt.C.ſi contr.ius vel vtilis.publ.*

8 *L.vlt.C.hoc tit.l.vlt.C.de repud.vel abſtin.hered.*

DEFINITIO III.

Quando quadriennium currat etiam ignoranti,non currat etiam ſcienti.

QVadriennium ex Iuſtiniani conſtitutione petendis in integrum reſtitutionibus præfinitum, [1] etſi initio inſpecto vtile eſt, vt non incipiat currere, niſi à die ſcientiæ, cum tamen ex poſtfacto ſit continuum, [2] non eo minus currere perſeuerabit, quod per mortem eius qui ſcire cœperat interrupta ſit continuatio ſcientiæ. [3] Hac enim parte, vt & alias plerumque defuncti ſcientia nocet hæredi: [4] Non idem erit ſi ex pluribus quorum communis cauſa fuit quidam ſciuerint, quidam ignorauerint. Nam iis qui ignorauerunt aliorum ſcientia non nocebit: [5] Quinimo ſi non tantum communis & indiuiſa, ſed etiam indiuidua cauſa fuit, per eos qui ignorarunt, ſcientium quoque ius ſaluum fiet. [6] *Ita tractatum eſt* in cauſa N.Ioannis Martini & Zachariæ Lanfrey 10.Calend.Decemb.1592.

1 De quo diximus præcedentibus proximis Definitionib.

2 *d.l.vlt.C.hoc tit.*

3 *L.4. §.hæres qui.D.de vſucap. l.cum heres* 11. *De diuerſ.temp. præſcript.*

4 Cui & dolus defuncti noceret, *l.ſicut* 8. §.*illud videamus, D.quib.mod.pign. vel hypoth.ſoluit. DD. in d.l.vltim. & in l.nec non* 28.§.*ſi quis,D.ex quib.cauſ.maior.*

5 Iniquiſſimum enim fuerit ignoranti alterius ſcientiam nocere, *l.iniquiſſimum 5.D.de iur.& fact.ignor.* ne quidem, quod magis mirum eſt,procuratori, *l.cum mancipium* 51.§.1. *D.de ædil. edict.*

6 Nam in indiuiduis ius vnius ex ſociis conſeruat ius aliorum,*l.ſi communem* 10.*D.quemadm.ſeruit.amitt.l.4.§.ſi fundus,D.ſi ſeruit.vin dic.*neque nouum eſt,vt per ſocium capacem petendæ reſtitutionis fiat capax is qui alioquin eſſet incapax,*l.ſi is qui* 29. *de liber.legat.*Scripſi Defin.1.*Sup.ſi in commu.eademque cauſ.*

DEFINITIO IV.

De reſtitutione petita per viam exceptionis.

REſtitutio in integrum cum peti poſſit non ſolum per viam actionis, ſed etiam iure exceptionis [1] adeoque ſimplicis contradictionis, vt noſtri loquuntur, nullius eo caſu temporis quantumlibet longiſſimi præſcriptione excluditur,ex vulgari iuris regula,quæ habet: Ea quæ ad agendum ſunt temporalia, ad excipiendum eſſe perpetua. [2] *Ita Senatus* in ea cauſa de qua in Defin. 6.infr.De præſcript.30.vel 40.annor.

1 Id eſt,ad reſtituendam exceptionem. Nam & peti poſſet ab actore per viam replicationis, *l.qui proprio* 46. §. *item quæritur,D.de procur.l.3.D.rat.rem hab.*

2 *l.purè* 5.§.*vlt.D.de doli mali except.*vbi ratio redditur,quoniam actor quidem in ſua poteſtate habet quando vtatur iure ſuo. Is autem cum quo agitur non habet poteſtatem quando conueniatur,quod & ſcriptum eſt *in l.petendæ 6.C.hoc tit.l.qui in alterius* 42.*D.de reg.iur.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Casus in quo filiæ restitutio datur tanquam minori etiam post annum trigesimumquintum.

DEcennium quod minoribus læsis ad petendam ex capite minoris ætatis restitutionem in integrum iure nostro indultum est,[1] licet continuum sit & ab vltimo vicesimi quinti anni die numerandum, vt quinti & trigesimi vltimo finiatur:[2] Non semper tamen cum ætate currit.[3] Nam si filia minor, quæ dotem vel per exiguam vel nullam accepit, opulentissimæ viuentis patris aut matris hereditati futuræ cum iureiurando, vt fieri solet, renunciauerit, postquam placuit iure pontificio valere huiusmodi pactiones propter iurisiurandi auctoritatem,[4] non prius petendæ restitutionis tempora labi incipient quam is decesserit, cuius successioni renunciatum fuit, quod nec prius læsio vlla quin nec renunciatio interuenisse videatur.[5] Sicut enim viuentis hominis nulla hæreditas est,[6] ideoque nec repudiari potest,[7] ita fieri necesse est, vt futuræ hæreditatis renunciatio tacitam illam conditionem habere videatur, Si hæreditas deferetur:[8] quia prius est, vt delata sit quam vt ab ea quis per renunciationem aut aliter excludatur.[9] Nec sanè nisi improbè potest is, qui renunciauit, læsum se conqueri viuo illo de cuius hereditate actum est, non solum quod ita faciens monstret se solicitum de hæreditate viuentis, quod per se improbum est,[10] sed etiam quia præmatura sit petitio[11] eius, qui contra bonos mores & ius gentium festinans de viui hominis successione agat, quod fuerit multo improbius:[12] Adeo vt hoc ipso indignus fiat, qui vllum ex ea successione lucrum consequi vnquam debeat.[13] Sed & omnino incertum est, quanta futura sit ea hæreditas cuius spem abscidit renunciatio,[14] cum ante mortis tempus id sciri non possit.[15] Quid enim si medio tempore, vt fere fit, patrimonij facultates augeantur vel minuantur?[16] Itaque ab eo duntaxat die decennium computabitur, quo petendæ restitutionis ius natum esse incipiet,[17] hoc est, quo deferetur hereditas viresque suas exeret renunciatio:[18] Defuncto scilicet eo, de cuius hereditate tractandum est, cuiuscunque tandem ætatis sit eo tempore filia, quæ minor contraxit.[19] *Ita Senatus* in causa illustris Dominæ Ludouicæ de la Chambre vxoris D. Comitis de Monreal aduersus illustrem Dom. Ioannem Ludouicum Marchionem de la Chambre, fratresque cæteros totam communis matris hæreditatem sibi vindicantes 4. Id. Iunij 1593.

1 *Attic.* 154. Styl. Senatus nostri.

2 Etiamsi non habuerit fortasse minor experiendi facultatem, vt diximus 5. *Defin.* 1. *num.* 10.

3 Imo semper præterquam hoc casu, quem ideo possit quis vere singularem dicere.

4 *Ex cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

5 Dixi *Defin. vnic. num. 6. & 7. 5. Si maior fact. rat. hab.*

6 *L. 1. D. de hered. vel act. vendit.*

7 *L. qui superstitis 7. D. de acquir. hered.* iunct. *l. is potest 18. eo. l. qui potest 174. §. 1. de reg. iur.*

8 Castr. & alij *ad d. l. qui superstitis, arg. l. si Stichum 8. §. si quis ita. l. quoties 14. §. 1. D. de notat.*

9 *L. dilata 151. de verb. signif. l. bouem 43. §. sub conditione, D. de ædilit. edict. l. decem stipulatus 116. de verb. oblig.*

10 *L. 2. §. interdum, De vulg. & pupill. substit.*

11 *L. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor.*

12 *L. donari 29. §. donationem, D. de donat.* nisi pactus sit in exonerationem bonorum viuentis, *l. 7. §. Marcellus autem, in fin. D. de pact.*

13 *L. 2. §. vlt. de his quæ vt indign.*

14 Non potest autem certa læsio considerari in re quæ pendet ex incerto euentu, *l. 1. C. de pact. l. de fideicommisso 11. C. de transact. l. si pater 12. C. de inoffic. testam.*

15 Hereditatis enim & substantia & quantitas æstimatur ex tempore mortis, *l. heres 54. de acquir. hered. l. hereditas 62. de reg. iur. l. cum quæritur 6. C. de inoff. testam.*

16 Vt in specie, *l. 4. §. d. ficientium, D. de muner. & honor. l. ab his 10. auctis, D. de vacat. & excus. muner.*

17 Actioni enim quæ nondum nata sit præscribi non potest, *l. in rebus 30. §. omnis autem, D. de iur. dot.*

18 Existente, & seipsam committente stipulationis conditione. vt *in d. l. 8. § si quis ita, & d. l. quoties 14. D. de nouat.*

19 Nisi forte quis probabilius existimet, nullam hoc casu post mortem patris & trigesimo quinto anno iam impleto restitutionem filiæ competere, quia viuo patre nondum competit, eo vero mortuo sera est petitio restitutionis ob ætatem quæ nullum amplius fauorem meretur, vt de bonorum possessione decretali scriptum est *in l. 1 §. decretalis. D. de succes. edict.* Sed hæc sententia esset nimis dura cum ab initio ita constituerit contractus, vt infirmandus fuerit si tum mater decessisset, & quidem propter immodicam læsionem quæ semper eadem subest, *arg. l. quod si minor 24. §. restitutio, vers. nam etsi origo, D. de minor. arg. l. Pomponius 35. vers. & matrimonium. D. famil. ercisc.*

DEFINITIO VI.

Quid si filia per totum illud decennium in patris potestate fuerit, aut in mariti iure? Et an non valenti agere currat præscriptio?

AN idem dici debeat si post mortem matris filia, quæ renunciauit, toto illo decennio in mariti iure aut patris fuerit potestate, quæsitum est. Sic enim quibusdam videbatur, quasi de iure suo experiendi non habuerit facultatem, cum dici soleat, non valenti agere non currere præscriptionem:[1] præsertim filio aut filiæfamilias,[2] itemque mulieri quæ bona sua omnia in dotem dedit.[3] Mihi tamen contra videbatur, propterea quod his casibus actio nata sit, quam exercere sane filiusfamilias potest vel inuito patre,[4] quippe quem implorato iudicis officio cogere possit, vt sibi agenti consentiat.[5] Mulier vero etsi constante matrimonio dotalem actionem prosequi nisi marito consentiente non potest,[6] cum tamen maritum ex ea causa iudicio de dote obligatum habeat, quod instituendæ actionis tempora labi passus sit,[7] non minus exceptione repellenda est, quam si agere ipsa potuisset.[8] Nihil enim illi abesse videtur, cum etsi maritus egisset & obtinuisset, æquè nunc illa contra maritum ad recipiendum victoriæ commodum agere cogeretur.[9] Quid ergo si maritus soluendo non sit? Adhuc idem dicendum erit.[10] Imputare namque sibi mulier debet cur vulgare iuris auxilium[11] aduersus mariti paupertatem constante quoque matrimonio non implorauerit, aut agendi licentiam vel à marito[12] vel ipso recusante à iudice non impetrauerit:[13] Cur denique præscriptionis cursum ratione aliqua non interruperit.[14] Sed neque probare facile poteram quod nostri tam generaliter tradunt, non valenti agere non currere præscriptionem. Quod enim Iustinianus in filiorumfamilias personis constituit,[15] non tam iuris rationem, quam nouum ius continet,[16] ad suam speciem coarctandum, hoc est, quoties filiofamilias actio aliqua viuo patre competit de ea re, quam pater ipse vendiderit, aut aliter alienauerit, & de cuius euictione teneatur. Motus enim est Iustinian. vt ita constitueret exemplo[17] eius, quod in bonis maternis iam ante Constantinus induxerat.[18] Et habent hi casus rationem specialem, quod sicut non sit permittendum filiofamilias, vt agat sine consensu patris,[19] ita inhumanum sit cogi patrem consensum præstare in eam rem, ex qua mox futurum sit, vt ipse conueniatur.[20] Cæterum & absentibus & ignorantibus, licet agendi potestatem non habeant, præscriptionum tempora currere certum est, quoties continua sunt.[21] Nec nisi cum de diebus vtilibus agitur ea distinctio locum habet, an agendi potestatem actor habuerit, necne.[22]

BIU Cujas

Ideoque nimirum comparatum est, vt absentis bonis curator detur, qui pro non valente agere actiones omnes alioqui tempore perituras exerceat, [23] Inde etiam restitutiones edicto Prætoris introductæ, si qua iusta esset causa ignorantibus vel absentibus succurrendi. [24] Frustra vero, si non valenti agere præscriptio nulla curreret. [25] Planè cum ea causa est propter quam agi non potuerit, quod nulladum actio nata sit, [26] nihil est quod de præscriptione tractari queat, quandoquidem prius omnino est, vt nata sit actio, quam vt vel exerceatur vel perimatur. [27] Atqui, inquies, ea saltem iusta petendæ ex edicto generali restitutionis causa videri debet, quod vel paterna, vel maritali reuerentia vxor aut filiafamilias prohibita sit petere restitutionem. [28] Sed non puto: Cum aut patris aut mariti interfuerit agi potius quam non agi, [29] Et absurdum sit dari restitutionem ad hoc ipsum, vt restitutio peti possit, ne alioqui res abeat in infinitum. [30] *Ita tractatum*, non tamen decisum est in supradicta causa.

1 *Ex l.1.§.vlt.C.de annal.except.* Scripsi in Chiliade *Decad.3. Error.9.*

2 *L.1.§.vlt.*iunct. *Auth.nisi tricennale, C.de bon.matern.*

3 *L.in rebus 30.C.de iur.dot.*

4 Quia cum filiifamilias persona sit integra, potest ille ex omnibus contractibus & agere & conueniri, *l.tam ex contractibus 57.D.de iudic.* Nunquam tamen agere sine consensu & authoritate patris, nisi in publicis iudiciis. De quo vide Guid. Pap.*quæst* 54.& Iul.Clar.*in §.fin.qu.14.nu.5.*

5 *L.vlt.ad finem princ.vers.necessitate, C.de bon.quæ liber.l.cogi 16. §.si pater.D.ad SC.Trebell.* Facit *l.Imperator 50.eod.*

6 *d.l.in rebus, l.duce 9.C.de rei vindicat.*

7 *L.si extraneus 33. l.is qui 56. D. de iur. dot. l.cum dotem, 71. eodem.*

8 Nihil enim ei abesse videtur cum habeat actionem, *l.si is qui actionem 15.de reg.iur.* vt in Defin.sequitur.

9 Dotis namque actio necessaria est soluto matrimonio, nec dos redit ipso iure ad mulierem, *l.dotis actione 9. Cod.solut. matr.l.quoties 16.C.de iur.dot.*

10 Quid enim interest bonæ fidei possessoris an maritus soluendo sit necne, *argum.l.4. §.illa etiam quæstio, D.de dol.mal. except.* Sufficit nihil ei posse imputari, mulierem vero agere potuisse.

11 Id est, vt nostri vocant, assecutionem dotis, ex *l.si constante 24.D.solut.matr.l.vbi adhuc 25.C.de iur.dot.*

12 Potest enim mulier agere pro dote marito consentiente, non etiam eo inuito aut ignorante, quomodo accipienda est *d.l.duce 9.C.de rei vindic.*

13 *Arg.d.§.necessitate.*

14 Litem contestando aut saltem conueniendo aduersarium per executorem, vt loquitur *l.sicut 3. C.de præscript. 30. vel 40.annor.*

15 *d.l.1.§.vlt.C.de annal.except.*

16 Vt ostendunt verba illa legis: *In aliis autem, quæ minimè acquiri possunt, hoc non fuerat specialiter constitutum.*

17 Vt & pleraque alia Imperatorum rescripta non minus exemplo quam ratione facta sunt, *l.Titius 54. D. ad SC. Trebellian.*

18 *L.1.§.vlt.C.de bon.matern.*

19 *d.l.vlt.vers.c. necessitate, C.de bon.quæ liber.*

20 Quemadmodum enim auctoritatem pro se, & in rem suam præstare nemo potest, *l.1.l.pupillus 5.l.quod dicimus 7.D.de auctor.tutor.* ita neque cogendus est, vt præstet contra se. Nemo siquidem cogitur id facere per quod futurum sit, vt teneamo siquidem cogitur id facere per quod futurum sit, vt teneatur, præter quam in singulari casu, *l.4.§ sed enim in fin.D.rem pupill saluam for.& l.illud verum 10.D.de eo quod metus caus.* etsi possum contra te interdum agere, vt agas, *l.13.§.pen.de act.empt.*

21 *L.vlt.& tot.tit.C.de long.temp.præscript.l.3. Cod.de præscript. 30.vel 40.annor.*

22 *L.1. D. de diuers. temp. præscript. l.cum sex 55. D. de ædilit. edict.*

23 *l.2.*vbi DD. *de curat.bon.dand.*

24 *l.1.& tot.tit.D.ex quib.caus.maior.*

25 Nulla enim restitutione opus esset aduersus præscriptionem quæ non cucurrisset, vt in casu *d.l.1.C.de bon.matern.d. §.vlt.l.1.C.de annal.except.*

26 Vt in specie *dict. l. in rebus 30. §. omnis autem, Cod. de iur.dotal.*

27 Bart. *in l.pignori 15. D. de vsucap.* Priuatio enim præsupponit habitum, *l. bouem 43. §. sub conditione, D. de ædilit. edict. l. decem 116. D.de verbor. obligation.*

28 *Argum.l.1. §. quæ onerandæ, D.quar.rer.act. non det.l.pen. D.de furt.*

29 Ideoque nec verisimile est, prohibitam fuisse filiam à patre aut vxorem à marito ne ageret, Semper enim & fere in omnibus Cassianum illud inspiciendum est: Cui bono?

30 Vt scripsi *Defin.1.num.20.5.eod.*

TIT. XXXVI.

QVIB. EX CAVS. MAIOR. in integr. restit.

DEFINITIO I.

De in integrum restitutione aduersus stipulationem reddendæ dotis, sine causa factam in fauorem absentis.

FRATER cum sorore de bonis paternis, maternis, fraternisque transegerat, eique cum longe plus illa sibi debitum esse contenderet, quingentos florenos daturum se spopondérat, remissio per sororem superfluo his verbis, *lui faisant grace du surplus.* Eo ipso die, eodemque stipulante notario, iam absente tamen fratre, soror eam pecuniam sibi à fratre promissam viro in dotem dederat, subiecta stipulatione, soluto matrimonio dotem illam aut mulieri eiusve liberis, si qui superessent, Aut si nulli tum extarent fratri restitui. [1] Quam stipulationem frater postea ratam habuerat. [2] Cum soror aliquanto post tempore conquereretur, non tam quod viliore pretio bonis paternis, maternis & fraternis renunciasset, [3] (quamquam hoc quoque allegabat) quam quod restitutionem dotis in casum non existentium liberorum notarius fratri stipulatus esset, [4] in integrum restitutionem ex rescripto Principis eo nomine implorabat, quasi id per fraudem & circumuentionem notarij, ac sine causa factum esset. Frater vero illam stipulationis causam adferebat, quod ea contemplatione plus ipse sorori per transactionem promisisset quam alioqui fuisset promissurus: [5] Ideoque non esse permittendum sorori, vt ab hac conuentione discederet, si non à transactione quoque discedere parata esset, [6] quod vnus idemque contractus videretur altero in continenti post alterum facto, [7] aut ambo saltem correspectiui, vt nostri loquuntur, & alter alterius intuitu celebratus. [8] Plerique putabant iustam esse causam in integrum restitutionis, quod ex ipsis transactionis verbis constaret minus iam à fratre sorori promissum, quam ei deberetur. [9] Item quod tabulis dotalibus frater non adfuisset, nec eiusmodi stipulationis interponendæ mandatum notario dedisset. [10] Quæ porro causa subesse poterat dotis quam soror ab aliis acceperat, restituendæ fratri, qui de suo dederat nihil? [11] Aut cur feramus vt sorori adempta sit per eam stipulationem facultas testandi de dote, si absque liberis moriatur? [12] Cum tamen ei frater conditionem deferret, vt à transactione totoque negotio discederetur, nec ipsa contradicendi causam haberet, pronunciauit Senatus locum quidem esse restitutioni in integrum, sed ita vt vtrique salua essent iura omnia, quæ ante transactionem habuissent, ipsa quoque transactione in eam rem rescissa. [13] Nam aduersus vnum ex pluribus correspectiuis contractibus, non magis quam aduersus partem contractus dari restitutio poterat, quin à toto negotio abiretur. [14] *Ita Senatus* ex tempore Idib. Decembr. 1592.

BIU Cujas

1 Quæ pactio valet & vtilis est, *l.cum dotem 29. §.vlt. D.de pact.dotal.*

2 Itaque perinde erat ac si ipse fuisset stipulatus, vt *in d.§. vlt.* cum rat habitio æquiparetur mandato, *l.vlt.C.ad SC.Maced.l.vero 12.§.vlt.de solut.*

3 Quæ poterat esse iusta causa restitutionis si soror vel vltra dimidiam læsa: vel intra dimidiam quidem, sed minor eo tempore fuisse proponeretur, *Iunct.l.2 C de rescind.vendit. DD.in l.si quando §.& generaliter.C.de inoff.testam.*

4 Interest enim mulieris, vt ipsem habeat dotis ad suos heredes reuersuræ *l.3.§.ergo etiam, D.de minor.l.pater 71.vers.interest enim, D de euict.*iunct.*l.si pactum 9.D.de probat.*

5 Vt in specie, *l.cum te 9.C.de pact.int.empt.& vendit.*

6 *Argum.l.vltim.D.de acceptil.l si duo 13.§ si quis iurauerit D. de iureiur.*

7 Siquidem ea quæ in continenti fiunt videntur inesse, *l.7. §.quinimo, D. de pact.l.lecta 41. versic. docebam, D. de rebus credit.*

8 *d.l.cum te 6.C.de pact.int.empt.& vendit. l.1. C.de cupress.lib. 11.tit.vlt.*

9 Itaque falsa erat illa stipulationis huius interponendæ causa, quam frater comminiscebatur.

10 Stipulatio autem necessaria videbatur, vt in *d.l.cum dotem 29.§.vlt.de pact. dotal.*

11 Illa namque ratio tueri solet pacta dotalia, cum stipulatio nulla interuenit: quod initio dotis dandæ possit is qui dat quam velit legem rei suæ dicere, non aliter daturus, *l.cum dos 7. D.de pact.dot. l.in traditionibus, D.de pact. l.vltim. Cod de pact.int. empt.*

12 Et sane videbatur mulier hoc casu pacta fratri tanquam heredi, cum eo tempore & iu casum nullorum existentium liberorum vix alium heredem quam fratrem sperare posset, vt proinde etiam citra restitutionem in integrum videretur ea pactio transferenda ad quemlibet alium heredem siue testamentarium, siue legitimum; ex eleganti illo Papiniani responso in *l.tale pactum 40.§ vlt.de pact.*

13 *Ex l.si diuersa 14 C.de transact. l.cum quæritur 16.D.de admin.tut.l si ita 39 D.de oper.libert.*

14 *d.l.cum te 6.de pact.int.empt.d.l.1.C.de cupress.d.l.vlt.D.de accept.l.tutor 47.§.curator, D.de minor.*

DEFINITIO II.

De restitutione in integrum aduersus transactionem, per quam vel iniuria remissa, vel infamia redempta sit.

ADuersus iniuriæ remissionem certum est in integrum restitutionem non dari, ne minori quidem. [1] Credo quod nihil interfit eius qui vult restitui, [2] cum ea querela solam sæuientis animi indignationem & duritiam contineat, [3] hominis autem præsertim Christiani interfit potius beneficio adfici hominem. [4] E contrario si ad obtinendam remissionem iniuriæ, cuius persecutio infamiæ fortassis notam irrogatura erat, aliquid reus soluerit vel promiserit, nulla similiter eo nomine restitutio concedenda est ex causa læsionis quantumlibet enormis, [5] id est, quamuis eius, qui ad remittendam iniuriam quid accepit, vel stipulatus est, multo minus interfuerit. [6] Quod enim redimendi honoris gratia factum est, certo modo æstimari non potest, [7] Sed hoc ita si crimen admissum esse constet, non etiam si forte per calumniam & dicis causa ad extorquendam indebitam pecuniam aut obligationem instituta accusatio proponatur. [8] Hoc enim casu subest causa doli quæ locum facit restitutioni. [9] Atqui, inquies, crimen fatetur, qui de crimine paciscitur, [10] si de eo data pecunia transigat. [11] Verum id ita accipiendum est si neque vis neque dolus interuenerit. [12] Sed & fieri interdum potest, vt ab obiecto per aduersarium crimine immunis reus sit & absoluendus, qui tamen ex alia causa ad hunc accusatorem nihil pertinente [13] culpandus sit & condemnandus. Finge per lasciuiam transeuntis exercitus [14] direptam domum, ac subtracta mobilia per milites vendita fuisse Titio, ignoranti cuius essent. Non caret crimine Titius, qui contra leges & Senatusconsulta emerit. [15] Sed tamen non statim consequens est ab eo direptam esse domum, [16] vt ex alieno delicto furti conueniri possit. [17] Itaque si cum eo paciscatur, cui furtum factum est, ne forte denunciante illo cuius erant condemnetur, non quasi fur, sed quasi rei furtiuæ emptor; non videbitur vtique fateri furtum, sed tantum emptionem. [18] Et ideo si cum res emptæ permodici essent pretij, ingentem pecuniæ quantitatem Titius spoponderit vt appareat læsum eum esse vltra dimidiam inspecto quoque dubio litis euentu, [19] nihil prohibet restitui in integrum aduersus transactionem. [20] Cessat enim hoc casu supradicta ratio, cum non ex eo solo fur quis fiat, quod rem furtiuam à fure ignorans emerit, si modo vindicanti domino eam reddere sit paratus. [21] Nec proinde infamis sit ex sententia, licet ideo condemnandus sit, quod emerit contra legum & Senatusconsultorum prohibitionem. [22] *Ita Senatus* in causa quadam Aduocati Bally Neciensis in publico auditorio 3. Idib. Mart. 1593.

1 *L.auxilium 37.D.de minor.*

2 Non enim restitui possunt, nisi quorum interest, & qui inciderunt in captionem, vt loquitur *l.1. D.de in integr.rest.l.scio 14.eod.l.3.§.sed vtrum, l.minor.40.& pass.de minor.*

3 *L.si venditor 6.in fin.D.de seru.export.*

4 *L.seruus ea lege 7.eod. l.non solum 11. §.1. D.de iniur.* vbi Vlpian. scribit actionem iniuriarum quia ex bono & æquo est dissimulatione aboleri, adeo vt semel remissa iniuria postea ex pœnitentia repeti non possit. Itaque inquit, ipsa actionis æquitas omnem eius metum abolere videtur, quia contra æquum venit qui quis omissam iniuriam vult recolere. Atqui restitutiones omnes æquitate nituntur, *l.1.& 3.D.de restit.* Ergo restitutio in proposito dari nulla potest, *l.1.§.8.si quid in fraud.*

5 Nam & in sententiis id obtinet, vt pœna grauior vltra legem imposita conseruet existimationem, *l.in seruorum 10. §.vltim.de pœn.* quasi duriori sententia cum reo transactum sit de existimatione ipsius, inquit Vlp.in *l.quid ergo 12.§.pen. De his qui not.infam.*

6 Transactione enim facta non quærendum est, quo pretio, sed an transactum sit, *l. Lucius 78. §.vltim. D.ad SC. Trebellian.*

7 *L.pen.in fin.D.de donat.*iunct.*l.Iisti quidem 8.ad fin.De eo quod met.caus.*

8 *L.in summa 65.§.1.D.de cond.indeb.l.præses 12. C.de transact. l.vlt.C.de accusat.*

9 *L.sub prætextu instrumenti 19. C.eod.l.pen.* vbi est text.elegans, *D.de calumniat.*

10 *l.quoniam 5.D.de his qui not.infam. cum §.vltim. leg.præced.l. transigere C.de transact.*Fachin.*lib.1.cap.8.& 9.*

11 *L.non damnatos 18.C.eod.l.furti 6.§.pactusque, D.eod.*

12 Id est si quod reus dedit, dederit pro mala conscientia vt ait *d.l.non damnatos.* Quod enim aut vi aut dolo factum est, prætor nunquam ratum habere debet, *l.si mulier 21.§.1. D.quod met. caus.l.1.& tot.tit.D.de dol.*

13 Nam in criminalibus sicut & in ciuilibus causis non auditur accusator, cuius nihil interest.

14 Sic Vlp.loquitur *in l. ex conducto 15.§.1.in fin. D.locat.*

15 Senatusconsultis enim plerisque apud nos prohibitum est districte & sub comminatione grauissimarum pœnarum ne quis emat à milite, vt nullis existentibus emptoribus magis abstineant milites à furando. Rei enim furtiuæ emptio etiam iure ciuili prohibita est, *l.si in emptione 34.§.item si & emptor. De contr. empt.* Quæ autem res emi non possint, vide apud Gothof. *ad d. §.item si.*

16 Nam vt dici solet, Non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse, *l.non epistolis 13. l.siue possideris 19. l.ad probationem seruitutis 22.C.de probat.* præsertim in criminalibus, in quibus debent probationes luce meridiana esse clariores.

17 Aliud est si quis dicat tantum se emisse ab ignota nec probet. Ipse enim fur præsumitur, *l.2.l.ciuile 5.C.de furt.*

18 Confessio enim præsertim tacita non potest esse amplior accusatione, cum ex accusatione ipsa sit metienda, *argum.* eorum quæ tractat Bart. *in l.consentaneum 16. C. quomod. & quand. iud.l.fin.D.de interrog.in iur.fac.*

19 Secundum illam Bart.traditionem, *in l.2.C.de rescin.vend.*

20 Ex causa læsionis immodicæ si non sit insinuata transactio post triginta dies iuxta edictum Diui Principis nostri Emanuelis Philiberti. De quo scripsi *Defin.10.3.de transact.*

21 *d.l.2.C.de furt.*iunct.*l.si quis 52.§.sed etsi rem,& l.furtiuam, 74.D.eod.*

22 *L.infamem.7.D.de public.iudic.*

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Aliquando in iis etiam, in quibus procuratori suo quis adfuit succurrendum esse per restitutionem.

ETsi is qui in iudicio aliquid dixit vel negauit, vel sententiæ aut interlocutioni iudicis acquieuit, præsente procuratore restitui non potest ad improbandum factum procuratoris, quod ipse semel approbauerit:[1] Sunt tamen causæ aliquæ ex quibus ea quoque restitutio nonnunquam ex summa æquitate concedenda videatur.[2] Finge minorem cui propter ætatis lubricum succurri oporteat.[3] Nemo dubitat quin ætati succurrendum sit,[4] si quid ille siue solus, siue cum procuratore[5] gesserit ex quo lædi possit. Finge rusticum hominem,[6] & vt loquuntur idiotam, qui non modo quid agendum aut scribendum sit non intelligat, sed neque forsitan quid procurator agat loquatur. Iniquum sane fuerit vsque adeo suam ipsi nocere præsentiam, vt quod à procuratore per imperitiam aut collusionem male gestum fuerit omnimodo confirmare ratumque habere compellatur.[7] Igitur rusticitati quoque sicut & ætati parcendum erit, indulta vtique in integrum restitutione.[8] *Ita Senatus* in causa fratrum Nouellet 12. Calend. Septemb. 1595.

1 Nemo enim factum proprium impugnare potest, *l. post mortem 25. D. de adopt.* & factum cuique suum nocere debet, *l. factum 155. D. de regul. iur. cap. quod semel placuit, de reg. iur. in 6.*

2 Nimirum ex æquitate illa generali quæ restitutiones omnes introduxit, *l. 1. D. de integr. restit.*

3 *L. 1. & tot. tit. C. de minor.*

4 Cui etiam *l. Papinianus 20.* in illis verbis *venia ætatis, D. hoc tit. l. si adulterium 38. §. incestum, ad leg. Iul. de adult. l. aut facta 16. §. persona, in fin. D. de pœn. l. fere 108. de regul. iur.*

5 Cui scilicet adesse potest, *l. Paulus 69. D. de procur.*

6 Nam & rusticitati parcendum est, *l. si quis 7. § doli. D. de iurisdict. l. 2. §. 1. si quis in ius vocat. non ier. l. 1. §. vlt. de edend. l. 1. §. vlt. de ventr. inspic. l. 3. §. & si sciens, ad Sillan. l. 2. & vlt. de iur. fisc.*

7 Nam quod incaute ac per imprudentiam actum est, pro non facto haberi debet, *l. 1. §. 1. de his quæ in testam. delent.*

8 Neque enim rusticitatis aut ætatis prætextu tantam vim legibus fieri oportet, vt ipso iure & citra restitutionem huiusmodi personis subueniatur, nisi forte per Senatum, cuius suprema manus & auctoritas in eo elucet, vt restitutionis solemnitatem expectare non cogatur, vt dixi *Definit. 6. supr. in quib. caus. non est necess. in integr.*

DEFINITIO IV.

Aduersus liberationem ei factam qui conueniri poterat condictione indebiti non datur restitutio, quamuis ea liberatio non fuerit insinuata.

ADuersus liberationem ei factam, cui alimenta præstita fuerant, quæ nullo iure debebantur,[1] non potest dari restitutio in integrum eo solo prætextu, quod sine causa facta liberatio sit.[2] Vulgatum enim est, remittentibus actiones suas nullum regressum dari debere,[3] nec actionem, quæ semel fuerit extincta reuiuiscere vnquam posse.[4] Quidni enim saltem donationis iure valeat huiusmodi liberatio, quæ & gratuito & consulto facta fuerit?[5] Nam quod non sit insinuata facere non potest, vt eo minus valeat iure donationis,[6] Quandoquidem eo iure vtimur, vt donationum, quæ fiunt per liberationem cuiuscunque tandem summæ sint, non sit necessaria insinuatio.[7] *Ita Senatus* in causa Hyppolytæ Fillion & Antoniæ du Pra Calend. Decembr. 1595.

1 Ac proinde quæ alioqui videbantur posse condici condictione indebiti si nulla liberatio facta fuisset *tot. tit. de condict. indebit.*

2 Exemplo eius quod dicimus stipulationem sine causa factam non valere, quin saltem qui ex ea agit, doli mali exceptione repellatur, *l. 2. §. circa, D. de doli mali except.*

3 *L. quæritur 17. §. si venditor, D. de ædilit. edict.*

4 *L. qui res 98. §. aream, D. de solut.*

5 *Ex l. donari 82. de reg. l. donari 29 D. de donat.*

6 Quamuis ex stylo Senatus nostri generaliter constitutum sit, vt donationes omnes debeant insinuari cuiuscunque summæ sint, Alioqui non valeant.

7 Fauore scilicet liberationis, *arg. l. Arrianus 41. D. de oblig. & act.* quicquid in contrarium scribat Andr. Tiraquell. *ad l. si vnquam, in verb. donatione largius, C. de reuoc. donat.*

TIT. XXXVII.

DE ALIENATIONE IVDICII mutandi causa facta.

DEFINITIO I.

TItius, cui debebas centum ex chirographo, cum te apud iudicem tuum personali actione conuenisset,[1] neque tamen propter tuam frustrationem, aut sententiam à iudice, aut pecuniam à te extorquere potuisset, Sempronio Geneuati creditori suo à quo interim vrgebatur nomen tuum dederat in solutum, facta in eam rem cessione per solemnem stipulationem.[2] Sempronius te repertum Geneuæ in ius vocauerat, nulla prioris litis facta mentione,[3] tandemque & carcerum tædio & litis relata victoria, solutionem extorserat. Cum postea Titium apud Senatum conuenires, vt quanti tua interesset eam cessionem factam non esse, tibi tanti condemnaretur, quasi facta esset aduersus prætoris edictum iudicij mutandi causa,[4] Dicebam non pertinere hanc speciem ad edictum, quo non aliæ continerentur alienationes, quam quæ fierent dolo malo possessoris, vt nouo subiecto aduersario, cuius forum necessario sequi actorem oporteret, hoc ipso durior actoris conditio efficeretur.[5] In proposito autem non possessionis,[9] aut rei quæ possideri queat, proponi factam alienationem, sed nominis,[7] nec à reo, sed ab actore ipso,[8] nec denique dolo malo,[9] sed licito iure, vt ab ea obligatione se liberaret, quam fortassis aliter aut saltem æque commode exoluere non potuisset.[10] Nec enim quemadmodum actoris interest non habere potentiorem aut duriorem aduersarium,[11] ita rei eiusdemque veri debitoris,[12] quicquam videri potest interesse an ab hoc aut ab illo actore conueniatur, cum neque ideo mutet iudicem,[13] (ponimus enim eum actorem esse qui ius non habeat reuocandi domum,)[14] neque inuitus iudicium suspicere cogatur,[15] in cuius nimirum potestate est si velit prompta debiti solutione declinare molestiam. Id enim est quod dici solet, Iudicia omnia esse absolutoria.[16] Sed tamen cum allegares dolo malo Titij & simulate factam fuisse cessionem colludente Sempronio, Placuit Senatui nihil inaudito Sempronio constitui debere; priusque in ius eum vocandum, & quidem sumptibus Titij de cuius dolo purgando agebatur, etsi probabilius existimabam vt ad tuum sumptum, tuamque diligentiam ea res pertineret, cum de dolo illo, quem Titio obiiciebas, nullo modo constaret,[17] nec videri posset quicquam feciisse dolo malo, qui & suo & communi iure vsus proponeretur.[18] *Ita Senatus* in causa N. Lieure Tononensis & N. Fœx Ante Calend. Decemb. 1597.

1 *Ex l. 2. C. de iurisd. omn. iudic. & vulgarib.*

2 Quæ

BIU Cujas

2 Quæ datio in ſolutum & ceſſio nominis fieri potuit volenti creditori, ignorante etiam adeoque inuito cedente debitore *l.1.C.de nouat.& delegat. l.pupilli 96.§.ſoror. D.de ſolut.l.3.C. de her.vel act.vend.*

3 In eoque ſane iniuriam ſibi fecerat, quia litem à cedente ſuo inchoatam peragere non nouam inſtituere debuerat, cum non plus iuris ex iure ceſſo habere poſſet, quam cedens habuiſſet, eiuſque factum præſtare cogeretur ex cuius perſona & iure ageret quamuis proprio nomine, *vulg.l.ex qua perſona 149. de reg. iur.* Sed non erat cedens conueniendus ob iniuriam factam per ceſſionarium.

4 *Ex l.vnic. C.hoc tit.l.1.2.3.& paſſ.ff.eod.*

5 Vt apparet ex dictis legibus, præſertim *ex dict. l.3. §.ex quibus.*

6 Nam & ſola poſſeſſionis alienatio continetur edicto, etſi non alienat qui duntaxat omittit poſſeſſionem, *l.4.§.1.& 2.eod. l.non alienat.119.de reg.iur.*

7 *Vt in d.l.1.C.de nouat.& d.§.ſoror. l.pupilli, 96.de ſolut.*

8 Edictum autem illud cum ſit reſtitutorium actori ſoli prodeſt, non etiam reo, quia actori actio priſtina reſtituitur quæ per alienationem extincta erat, vt perinde poſſit exerceri contra non poſſidentem acſi poſſideret, *d.§.ex quibus.* At actore alienante nihil eſt quod amittat reus, nec proinde quod ipſi reſtituere prætor poſſit vel debeat.

9 Quod tamen in edicto illo requiritur, vt probant verba illa edicti, *idque data opera in fraudem.* Quid enim ſi reus tanti habuit re carere, ne propter eam læpius litigaret? verecunda hæc cogitatio eius, qui lites execratur non eſt vituperanda, inquit Vlp. *in d.l.4.§.1.D.hoc tit.*

10 Eſt enim vnuſquiſque rei ſuæ moderator & arbiter, *vulg. l.in re mandata 21. C.mandat.d.l.1.C. de nouat. & d.§.ſoror, l.3. & pen.C.de hered.vel act.vendit.*

11 *d.l.1.2.& 3. D.hoc tit.*

12 Nam ſi non ſit verus debitor litemque calumnioſam patiatur, ipſius ſane intereſt, ne potentiorem aduerſarium & calumniatorem habere compellatur.

13 Quia ſemper actor ſequitur forum rei *d.l.2.C.de iuriſdict.* niſi in caſibus exceptis in quorum numero hic non eſt.

14 *L.2.§.pen. D.de iudic.* alioqui fieret ſane durio conditio rei, neque tamen ob id locus eſſet edicto reſtitutorio, cum neque hoc caſu quicquam ſit quod poſſit reſtitui, reo nihil amittente.

15 Nam quod dicimus iudicium reddi in inuitum, *l.inter 83.§.1.de verbor.obligation.* de eo accipiendum eſt qui non vult facere id quod debet, non de eo qui fatetur ſe debere paratumque ſe dicit ſoluere *l.ſi debitori 21.D.de iudic.l.ſi reus 73.D.de procurat.*

16 *§.vltim. Inſtit.de perpet.& tem.act.* De cuius tamen ſententia vide quæ ſcripſi *lib.15.Coniect.cap.1.adde l.vltim. de rei vindic. D.*

17 Qui enim dolum allegat, probare debet, *l.quoties 18. §. qui dolo, de probat.l.dolum, C.de dolo.*

18 *l.ſi duorum 42.D.de act.empt.*

TIT. XXXVIII.

DE ARBITR.

DEFINITIO I.

Sententiæ arbitri quam litigatores ratam habuerint ſtandum eſt, nullo etiam præcedente compromiſſo.

TSI valere non poteſt arbitrorum ſententia, quam noſtri laudem dicunt, ſi non præcedat compromiſſum: [1] Si tamen ſententiæ litigatores conſenſerint, hactenus confirmabitur, vt valeat in vim pacti, [2] ſiue expreſſus, ſiue tacitus conſenſus interuenerit: [3] Ideoque quod ab arbitris conſtitutum fuerit, ratum firmúmque haberi oportebit. [4] *Ita Senatus* inter Ioannem Guibourg & Claudium Chaſtelain 16. Calend. Ianuar. 1589.

1 Adeo vt neque alio loco quam vbi compromiſſum eſt ſententiam ferre poſſit, neque de alia re quam quæ compromiſſo continetur *l. quid tamen 21. §.ſi arbiter. l.non diſtinguemus 32. §. de officio 15. D.hoc tit.* quia non ſtatur ſententiæ arbitri niſi metu pœnæ, *l.2.ff.eod.l.1.C.eod.*

2 *Argu.l.2.C.communia utriuſque iudic.* Idemque iuris eſt in ſententia nulla & proceſſu nullo, vt ibid. notat Gothofred. ex VVurmſero. *1.pract.22. nu.6. Adde l.pen.C.eod.*

3 Nihil enim refert an verbo, aut facto quis ratum habeat *l.non tantum 5.D.rat.rem hab.*

4 An quod imputare ſibi debeat qui ab iniquo arbitrio non appellauit, cum perinde ac à ſententia iudicis potuerit appellare *l.arbitrio 9.ff.qui ſatisd.cog. l vltim.in fin.C.de iudic.* Imo ſibi imputare cur compromiſerit, nec enim poteſt appellare, *Defin.6. infr.*

DEFINITIO II.

In ſenatores & alios iudices ordinarios compromitti non poteſt tanquam in arbitros iuris, ſed vt in arbitratores.

IN præſides & Senatores non magis compromitti poteſt tanquam in arbitros iuris, quam in alium quemlibet iudicem ordinarium, [1] cum ſint & ipſi iudices ordinarij. [2] Sed tanquam in arbitratores & beneuolos, vt vocant compoſitores compromitti haud dubiè poteſt. [3] *Ita tractatum eſt* in cauſa Ioannis Guibourg & Claudij Chaſtelain 4. Cal. Iulij 1591.

1 *L.ſed ſi ſeruum 9.§.quis iudex ſit, D.hoc tit.* obſtante nimirum lege Iulia, de qua in *l.cum lege Iulia 41.eod.& in l.20. §.conuenire, D.de iudic.* Vide Guid.Pap. *quæſt.69.*

2 Licet inſpecto initio non aliam iuriſdictionem habeant, quam quæ delegata eſt à Principe, ſub cuius etiam nomine & auctoritate ſenatuſconſulta prodeunt, vt appareat Senatum fungi vice Principis non ſua *l.1.§ qui mandatum l.3 ff.de offic.eius cui mand.l ſolet prætor, 16.ff.de iuriſd.l. vnic.§.his cunabulis.ff.de ofic.p æf.præt.*

2 Ratio differentiæ eſt, quia iudex ordinarius habet iudicandi neceſſitatem, *l.de qua re 74.ff.de iudic.l.pen.§.pen & vlt.ff. de vacat.& excuſ.muner.* quam porro ſibi præriperet, ſi tanquam arbiter iuris votum emitteret, ſi quidem eodem prorſus modo iudicare debet arbiter iuris, quo ſi vere eſſet iudex. Non etiam arbitrator, qui non ſeruato iudiciorum ordine iudicat ex bono & æquo, *l.ſocietatem 76. §.arbitrorum.* vbi late Bart. *ff.pro ſocio.* Vnde fit vt quamuis in cauſa ſua nemo poſſit ius dicere vel iudicare *tit.C.nequis in cauſ.ſua.* Poſſit tamen eſſe arbitrator, *l.ſi in l.4.ff locat.* Tametſi non poſſit cogi vt ſententiam ferat, quia ſibi nec imperare poteſt, nec prohibere, *l.pen. D.hoc tit.* Iunge *l.pen.§.pen.& vlt C.eod.* Vix tamen eſt vt in alios quam iuris arbitros compromitti olim ſoleret. Idque eſt quod iam olim dicebat Paulus redacta compromiſſa ad inſtar iudiciorum, *l.1.ff. eod.d.l.76.pro ſoc.* Iunge *Defin.5.j.*

DEFINITIO III.

Si ex pluribus arbitris quidam alio abſente pronunciauerint.

SI in tres compromiſſum ſit & duo conſentiant altero præſente, licet diſſentiente, valet ſententia: [1] non item ſi tertius abſens fuerit. [2] Quid ſi per legitimam citationem, vt adeſſet interpellatus probetur? Nihil proderit interpellatio, [3] fuit enim, ſi compromiſſum receperat, cogendus non interpellandus, [4] Poterat namque ſi adfuiſſet alios trahere in ſuam ſententiam, [5] Vt proinde mirum non ſit plus hoc caſu poſſe abſentiam quam præſentiam cum contradictione. [6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *L.item ſi vnus 17.§.vlt. D.hoc tit.* iunct. *l.ſeq.* quæ in iudicibus quoque idem iuris eſſe ait.

2 *l.duo ex tribus 39.D.de re iudic.*

3 Nam quod dici ſolet contumaciam eſſe pro præſentia. *Auth.qua in prouincia. verſ.ſed ſi nec ipſe, C. vbi de crim. agi oport.* tunc verum eſt, cum agitur de præiudicio contumacis, non alterius, cui contumaciam alienam nocere non oportet, vt in propoſita ſpecie propter rationem quæ ſequitur in Definit.

4 *l.3.§.1.& ſeq D.de recept.qui arbitr.*

5 Ratio eſt Celſi & Vlp. *in d.l.item ſi 17.§.vlt.eod.*

6 *Gloſſ.in d.§.vlt.* Sed & contradicenti æquiparatur is, qui iurat ſibi non liquere nec vult ſententiam dicere, *l.Pomponius 36.& ſeq.D.de re iudic.*

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

De sententia arbitri qui de expensis nihil pronunciauit.

CVm de tota lite compromissum esset, arbitri non nisi de principali negotio pronunciauerant, de expensis litis nihil dixerant. Non eo minus valebit sententia,[1] quia finita principalis negotij lite nulla superesse potest controuersia de expensis,[2] quæ non ex conuentione,[3] sed officio tantum iudicis debitæ fuerunt.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Dubitandi ratio est, quia non videtur officio satisfecisse arbiter, si non omnes controuersias finierit. *l. qualem* 19. §. *dicere, D. de recept. qui arbit.* nisi de pluribus separatim compromissum sit, quasi pluribus compromissis factis, *l. quid tamen* 21. *in princ. eod.* Sed ratio decidendi fuit quoniam in proposito lis & controuersia tota decisa est, vt sequitur Definit.

2 *l. terminato* 3. *C. de fructib. & lit. expens.* vbi ratio redditur, quod post absolutum dimissumque iudicium nefas sit litem alteram consurgere ex litis primæ materia.

3 Si enim deberentur ex consuetudine aliud esset, quia hoc casu lis noua non ex lite vetere, sed ex obligatione & conuentione ipsa consurgeret.

4 Quomodo vt plurimum deberi solent officio iudicis expensę litis, quarum condemnatio propter temerariam litem, & in eius pœnam infligitur, §. 1. *in fin. Inst. de pœn. temer. litig. l. 4. C. de fructib. & lit. expens.* Eadem distinctio in fructibus & vsuris adhiberi solet, An ex conuentione, An officio tantum iudicis debeantur, vt dicemus *ff. ill. tit. de fructibus & lit. expens.* ex Boer. *quæst.* 18. Distinctionis autem huius ratio illa est, quia officio iudicis locus nullus relinquitur finita iam lite, cum ex quo tempore sententiam diffinitiuam tulit, iudex esse desierit, *l. iudex posteaquam* 55. *D. de re iudic. l. centum Capuæ* 8. *D. de eo quod cert. loc. l. vlt. eod. l. qui per collusionem* 49. §. 1. *D. de act. empt. l. quæro* 54. *D. locat. l. si depositæ* 4. *C. depos.*

DEFINITIO V.

Quantum interfit an compromissum factum sit, tanquam in arbitros, an tanquam in arbitratores. Et quid in dubio?

COmpromissum sine pœna stipulatione tamen interueniẽte factum in arbitros iuris valebat olim,[1] hodie non valet,[2] Sed in arbitratores & beneuolos compositores, etiam sine pœna, & valebat olim & hodie valet, vt ex eo detur actio:[3] Siue approbata sit eorum sententia expresse aut tacite, siue non, Et, Siue approbatio illa iurrta sit, siue non.[4] Quid si in aliquos compromissum fuerit, neque constet an velut in arbitros iuris an potius tanquam in arbitratores, nec pœna vlla compromisso adiecta proponatur? Credendum erit tanquam in arbitratores compromissum fuisse, non tãquam in arbitros, vt actus valeat potius quam pereat, ex vulgata iuris regula.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam si neque stipulatio, neque pœna, interuenerat; non poterat valere compromissum, neque ad producendam actionem, neque ad exceptionem *l. 1. C. hoc tit. l. 2. l. litigatores* 11. *l. non distinguemus* 32. §. 1. *ff. eod.* Hinc est quod semel commissa pœna soluebatur compromissum nisi actum esset, vt in singulas causas committeretur, *l. si duo* 34. §. 1. *eod.* si tamen stipulatio interuenisset sine pœna, sufficere poterat ad dandam actionem incerti, *l. diem proferre* 27. §. *vltim. eod.* quasi id quod interesset pro pœna esset, hac sola differentia, quod nihil peti poterat, si nihil interesset, Pœna vero adiecta peti poterat etiamsi nihil interesset, *l. cum pœna* 38. *eod. l. stipulatio ista* 38. §. *alteri, ff. de verb. oblig. l. vlt. ff. de præs. stipul.*

2 Nouell. 82. *De iudicib. cap.* 11. *incip. quia vero mulsæ.* Intellige nisi secuta sit acceptatio expressa vel tacita *l. pen. C. hoc tit.* quæ hac parte manet incorrecta.

3 Nimirum ex contractu ipso in quo adhibebatur conuentio, Puta pro socio in specie, *l. societatem* 76. §. *arbitrorum, ff. pro socio.* Aut ex conducto *in l. si in lege* 24. *ff. locat.* Alioqui sane ex nudo pacto nunquam agi potuit ne quidem hoc casu, nec hodie potest nisi secuta acceptatione, *d. l. penult.* Excipe casum *l. litigatores* 11. §. *interdum, D. hoc tit.* vbi etiam nudo pacto recte fit compromissum. Stipulatione autem interueniente competet actio ex stipulatu ad id quod interest, quemadmodum olim competiisset, *d. l. diem proferre* 27. §. *vlt. D. hoc tit.* Nam ad hunc casum non pertinet constitutio Iustiniani in *dict.* Nouel. 82. *cap.* 11. sed ad eum solum, quo compromissum factum sit in arbitros iuris, quos ille *iudices* eo loco appellat.

4 Illa namque distinctio, an secuta sit sententiæ acceptatio necne, ad casum illum accommodanda est, quo neque pœna neque stipulatio vlla interuenerit vt constat *ex d. l. penult.*

5 *l. quoties idem sermo* 67. *de regul. iur. l. quoties* 80. *de verb. oblig. l. quoties in actionibus* 12. *l. vbi est* 21. *De reb. dub. l. cogi* 16. §. 1. *ad SC. Trebel.* Vide Papient. *in form. libell. ad pœn. ex compromiss.* In versic. *in pœna & sub pœna.*

DEFINITIO VI.

An & quando appellari possit ab arbitro?

SEntentia perperam ab arbitris compromissariis reddita quantumuis ipso iure nulla sit,[1] aut iniqua, non tamen infirmari iure nostro per viam, vt aiunt, nullitatis potest,[2] neq; per simplicem reclamationem, vt reducatur ad arbitrium boni viri,[3] sed omnimodo necessarium est remedium appellationis,[4] sicut & cum à iudice sententia minus rite & contra leges lata est,[5] redactis nimirum arbitriis ad instar iudiciorum.[6] Si appellatio interposita non sit, mandanda est executioni sententia, siue ab arbitro, siue à iudice lata,[7] siue partes expresse consenserint, siue tacitè per silentium & lapsum decendij,[8] quod ad appellandum indistinctè statutum est.[9] Quinimo tacite quoque consensisse creditur, qui contradixit si cum appellare deberet non appellauerit.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Forte reddita absente aliquo ex arbitris, *l. item si* 17. §. *vlt. D. hoc tit.* aut extra diem compromissi. *l. Pomponius* 13. §. *pen. & l. quid tamen* 21. §. *si cum dies, & §. si intra diem, l. non distinguemus* 32. §. *vlt. & l. seq. eod.* Si plenum compromissum fuit, nec tamen de controuersiis omnibus dicta est sententia, *d. l quid tamen*, §. *plenum*, iunct. *l. qualem* 19. §. *dicere, eod.*

2 In quo derogatum est iuri communi, quod ex arbitri sententia quæ nulla sit pœnam committi non patitur, vt in *d. l. item si* 17. §. *vltim. ad l. quid tamen, §. penultim. l. Labeo* 25. *& pass. D. eod.*

3 Quæ reductio videtur esse ad instar appellationis, *arg. d. l. non distinguemus, §. cum quidam eod.* etsi totus ille versic. *per hanc ergo exceptionem quædam appellandi species est, cum liceat retractare de sententia arbitri*, mihi valde suspectus est, & Triboniani aut cuiusdam interpretis magis quam Pauli elegantiam sapere videtur. Obseruandum autem est, non posse peti reductionem ad arbitrium boni viri, cum ex compromisso itum est ad arbitrum tanquam iudicem, cui siue æquum siue iniquum iubenti omnimodo pareri oporteat, sed tunc tantum cum compromissum est in arbitrum tanquam arbitratorem, *l. societatem* 26. *vers. arbitrorum, ff. pro socio.* in quo à pragmaticis vulgo erratur. Scripsi in Rational. vbi vide.

4 Quod iure communi non modo non necessarium est, sed nec licitum, quoniam à sententia arbitri iure appellari non potest, *d. vers. i. arbitrorum d. l. non distinguemus §. cum quidam.* Nam siue arbitri sententia æqua sit siue iniqua, sibi imputet qui compromisit, *l. diem* 27. §. *fin. eod.* in eoque errauit Bartol. qui voluit posse ab arbitro quoque compromissario appellari *ad l. arbitro* 9. *ff. qui satisd. cog. per illum text.* qui tamen non de compromissario loquitur, sed de illo qui datus sit à iudice, & qui iudicis quodammodo vicem gerit in ea re, in quam constitutus est. Dicimus *presud'homme ou expert*, sicut & qui mandante iudice aut maiore magistratu in locum recusati iudicis electus est, de quo in *l. vltim. C. de iudic. Iuge conuenu.* Ab eiusmodi namque arbitris iudicialibus dicendis potius quam compromissariis potest potuitque semper appellari tanquam à iudicibus, vt ait *d. l. arbitro.* de quibus etiam loquitur Paulus *in l. seq.* Facit *l. 7. in fin. C. de fer. l. 33. de appell.*

5 Quo etiam casu hoc iure vtimur, vt appellandum necessario sit contra quam iure constituerum esset, *l. si expressim* 19. *ff. de appell. l. 1. & tot. tit quæ sent. sin. app. rescind.*

6 Hæc ratio pragmaticorum est, sed non satis recta. Nam & iam olim redacta erant arbitraria ad instar iudiciorum, *l. 1. D. hoc tit.* neque tamen consequens erat, vt ab arbitris compromissariis appellari posset *d. §. cum quidam.*

7 Nimirum iubente iudice ordinario rei, ad quem non ad arbitrium ea res pertinet *d. l. non distinguemus* 32. §. *Iulianus eod.*

Facit

Facit *l.à Diuo Pio 15.in princ.D.de re iudic.* quæ probat non semper ius exequendæ sententiæ illi competere qui sententiam dixit. *Adde l.pen.C.hoc tit.vers.quatenus possit sententia eius executioni mandari.*

8 *d.l.penult.vers.sin autem.*

9 Stilo Senatus nostri, cum tamen iure Pandectarum non nisi biduum aut triduum daretur ad appellandum à sententia iudicis, *l.1. & 2. D.quand. app.sit & intr. quæ temp.* quod postea correctum est Iustin. *Nouell.23.de appell.cap.1.* vbi pro biduo illo aut triduo substituit decendium.

10 Nihil enim refert an quis nullo modo contradicat an non legitime, *l.quoties vitiose 6.qui satisd.cog.l.2.de auct.tut.* Legitime autem hic contradicere non potuit nisi per appellationem. Quare nec sufficeret missam esse attestationem illam de qua *in d.l.pen.vers.sin autem.* quia eiusmodi attestatio appellatio non est, neque appellationis vim obtinet, nisi cum per metum iudicis appellare quis non audet, *l.2. C.de his qui per met. iudic. non appell.* Aliquando tamen contradictio, quæ fit animo appellandi, species quædam appellationis esse creditur, *Auth.si quis litigantium,* vbi Bald.*C.de epi.& audient.*

DEFINITIO VII.

Si in arbitri iudicialis electione litigatores dissentiant.

SI in aliquam causam puta æstimationis cuiuspiam ineundæ gratia arbitrium boni viri necessarium sit,[1] nec consentire alter collitigatorum velit in eum quem alter elegerit,[2] rationem quidem aliquam adferre debet cur dissentiat, & quidem talem, quæ si vera esset pro iusta haberi deberet:[3] Sed tamen si allatam aduersarius veram esse neget, cauere iudex debet, ne vllas eo nomine probationes exigat,[4] quod fieri necesse esset si de remouendo iudice ageretur,[5] At alius vir bonus eligi debet, in quem facilius pars aduersa consensura sit,[6] Ne alioqui sumptibus inanibus litigatores vexentur pro re, quæ mutuo vtriusque consensu potius quam per officium iudicis aut iurisdictionis potestate expediri debeat.[7] Non enim sicut iudicis,[8] ita arbitri & viri probi auctoritas vlla est, nisi quam ei dat litigantium consensus.[9] *Ita Senatus* pro fratribus Ponthus Lugdunensibus, contra D. Amedeum du Coudrey ex Consiliariis Principis nostri 6. Id. Decemb. 1592.

1 Vt *in l.Titium 47.§.1.de administ.tut.l.1.§.1.de legat.2.l si filiæ 43.de leg.3.cum post 69 §.gener.D.de iur.dot.l.societatem 76.& seqq. D.pro socio.*

2 Non enim facile consentiunt in arbitrum, qui à iudice iubentur eligere, *l.vlt.C.de iudic.* propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, *l.item si 17.§.princip.vlter D.hoc tit.*

3 Ne alioqui videatur iudex indulgere malitiæ & cauillationi contra *l.in fundo 38.D de rei vindic.* Contradictio enim quæ causam nullam habet non est attendenda, *l.si cum dotem 22.§. necnon illud, D.solut.matr.*

4 Ne alioqui fiant de lite lites *l.4.C.de fruct.& lit.exp.* cum eatur ad arbitros tollendarum non differendarum litium causa *l.quamuis 37.D.hoc tit.* etsi lex illa, vt & totus titulus pertinet ad arbitros compromissarios, non ad eos quos supra diximus iudiciales dici posse. Facit *l.3.§.1.eod.*

5 Suspicionis enim causæ contra iudicem non solum allegandæ sunt, sed etiam probandæ, *cap.suspicionis, cap.cum speciali. Extr.vt lit.non contest.*

6 Aut à iudice ipso constitui *d.l.vlt.ad fin.C.de iudic.*

7 *L.minoribus 6.D. de minor.*

8 Priuatorum enim consensus iudicem non potest facere eum, qui nulli præest iurisdictioni, *l.3.C.de iurisd.* licet iurisdictionem, si quam habet, possit prorogare, *l.1.& 2.D.de iudic.*

9 Adeo vt nec arbitrium recipere quisquam cogatur, quoniam ea res libera & soluta est, & extra necessitatem inrisdictionis posita, vt ait *l.3.§.1.D.hoc tit.* cum ex contrario quisquis iudex est etiam inuitus iudicare cogatur, *l.pen.§.pen. De vac.& excus.mun.* nisi vel habeat excusationem nouam, *§.vlt.eiusd.leg.* vel suspectus sit, *l.apertissimi 16.C.de iudic.*

DEFINITIO VIII.

De arbitro attentante in præiudicium appellationis.

ETiam arbiter & arbitrator attentare dicitur, si ab eo appellatum sit,[1] isque in spretum appellationis aliquid constituerit:[2] Quando eo iure vtimur vt à sententia per arbitrum vel arbitratorem lata non nisi interposita appellatione reclamari possit, aut peti reductio ad arbitrium boni viri, siue de nullitate, siue de iniquitate sententiæ, vt vocant, arbitramentalis conqueri quis velit.[3] Itaque exemplo eorum quæ à iudice ordinario attentata probantur, sunt illa omnino & ante omnia reuocanda,[4] ne superioris iudicis auctoritas impune spreta videri possit:[5] Maximè verò si Senatus fuerit appellatus,[6] tametsi duntaxat verbo attentatum proponatur.[7] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Valoyre & de Valmenier 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 Postquam eo iure vtimur contra iuris rationem, vt ab arbitro quoque compromissorio appellari possit, vt dixi *Defi.6.*

2 Arbiter enim à quo appellatum est, cum appellari potest deferre debet appellationi, *l.arbitro 9.D.qui satisd.cogant.* Cur enim plus iuris vel auctoritatis habeat, quam iudex, cuius vices gerere intelligitur?

3 Dixi *Defin.6.5.*

4 *L.vnic.D.nihil innou.pend.appell.l.3 Cod.quand.prouoc.non est necess.l.reus 7.§.vlt.D.de muner.& honor. Nouell.1.4.vt null.iudic. cap.3.in fin.*

5 Appellatio enim habet vim non solum deuolutiuam, sed etiam suspensiuam statim atque dictum est Appello, *l.2.D. de appell.* etiamsi contra fiscum appellatum sit, *l.sciendum 6. C.de appell.recip.*

6 Quia Senatus appellationum supremus iudex est & Principes vices gerit, vt dixi supra *ad Defi.2.nu.2.*

7 Nam etiam verbo attentatur, & quæ verbo attentata sunt, verbo saltem reuocanda sunt, vt verba verbis dissoluantur, *l.nisi consentiat 14.D.de accept.* Dixi *Defi.1.5. Vt lit.pend.vel post prouoc.*

DEFINITIO IX.

De compromisso facto post desertam appellationem.

DEserta iam appellatione, ob eámque causam vocato in ius appellante, si collitigantes compromiserint de lite, & negotio principali, fere est vt victor à iure sibi quæsito per contrarium actum recessisse videatur.[2] Alioqui enim compromissum non valeret tanquam factum super re iudicata.[3] Cum sententia à qua prouocatum est, non eo minus transeat in rem iudicatam, ex quo deserta fuit appellatio,[4] & super desertione lis cœpta.[5] Adeo vt neque aduersus desertionem illam summo iure apud nos competere possit in integrum restitutio.[6] *Ita Senatus* pro Claudio Miege contra Thomam Bertrand. 6. Cal. Iul. 1595.

1 Hoc ideo, quia si de causa appellationis pendentis necdum desertæ compromissum esset, tempora eius prosequendæ non currerent, *Auth.si tamen. C.de temp.& repar.appell.* sumpta est Iustiniani *Nouell.93.de appell.cap.1.*

2 Lis enim de principali negotio nulla superesse potest post sententiam, nisi supersit etiam appellatio quæ extinguat iudicatum, *l.1.§.vlt.D.ad SC.Turpill.* Facit *l.pen.C.de pact.l.28. D.de minor.*

3 *L.& post rem 7.l.post rem iudicatam 11.D.de transact l.eleganter 23.§.1.D.de cond.indeb.l.si causa cognita 32.C.de transact.*

4 Ob idque & protinus executioni mandari potest acsi non fuisset prouocatum, *l.2.l.vltim.§.illud etiam, Cod.de temp.& repar. appell.*

5 Non quod litem super desertione cœptam esse necesse sit ad hoc, vt per desertionem sententia transeat in rem iudicatam, sed quia quandiu ea lis cœpta non est permittitur aduersus desertionem in integrum restitutio ex causa.

6 Nimirum post litem cœptam super desertione, imo & post motam controuersiam per solam citationem. Styl.Senat.artic.

DEFINITIO X.

An probati arbitri factum improbari possit?

QVi ad taxandum & liquidandum debitum mutuo collitigatorum consensu electus est, postmodum ab alterutro suspectus fieri non potest,[1] Sed tamen non eo minus quod ille constituerit improbari

BIU Cujas

potuerit, si male dictum factúmve probetur. [2] Vt puta si cum deberet constituere quantum deberetur, pronunciauerit quid deberetur. [3] Quasi iudicis potius functus partibus, quam probi taxatoris. [4] Nec simile est quod dici solet standū esse sententiæ arbitri. [5] Non enim arbitro bene comparatur is, qui nullo præcedente compromisso ad taxandum electus est, [6] At neque arbitri sententiæ statur propter auctoritatem sententiæ, sed solo metu pœnæ in compromisso adiectæ. [7] Cui consequens est, vt nullo præcedente compromisso nullaque subiecta pœna, nihil causæ sit cur arbitri dicto stari oporteat. [8] *Ita Senatus* in causa N. Ludouici de Coysiaz & Ioannis Gaudinon nobilissimorum Aduocatorum prid. Id. Iul. 1595.

1 Quia semel approbatus postea reprobari non potest, *l. cum mulier 47. D solut. matrim. l. si vxor 13. §. vltim. ad leg. Iul. de adult. cap. quod semel placuit de reg. iur. in 6.* Intellige nisi superuenerit noua causa, *l. pen. §. vlt. de vacat. & excus. muner.*

2 *L vlt. in fin. C. de iudic. l. arbitro 9. & seq. D. qui satisd. cog.* Aliud enim est personam, aliud factum improbare, *l. post legatum 5. in princ. & §. 1. l. si testamentum 24. de his quæ vt indign.*

3 Aliud enim est de iure, aliud de calculo pronunciare, *l. Sabinus 29. D. de dolo.*

4 Officio autem suo fungi debuit non alieno *l. Labeo 25. D. hoc titul.*

5 *L. diem proferre 27. §. stari eod.*

6 Sensus est differre arbitrum compromissarium à iudicali, vt dixi *Defin. 6 num. 4. 5.*

7 Cum enim pœna adiecta est, debet illa præstari ante causæ cognitionem, *l. vbi pactum 40. C. de transact.* id est, antequam cogatur is, qui pœnam petit, suscipere iudicium de negotio principali. Alio tamen iure vtimur.

8 Nisi secuta sit acceptatio expressa vel tacita, vt in *l. penult. C. hoc tit. l. 2. C. comm. vtr. iudic.* neque necesse est hoc casu appellare cum talis arbitri dictum (vulgo vocant *rapport*) non sit sententia; A qua sola appellari potest.

TIT. XXXIX.

DE SATISDAND.

DEFINITIO I.

De satisdando pro executione instrumenti guarentigiati.

EX instrumento quantumuis authentico & guarentigiato, vt vocant, non potest iudicis imperio præcise cogi debitor ad solutionem ante sententiam & condemnationem, [2] Nisi oblata prius per creditorem satisdatione. Quam ob causam solent creditores, vt satisdationis incommodum & moras effugiant, diplomate vti quod De debitis vocant, cuius singulare priuilegium [3] illud est, vt paratam præbeat exequendi facultatem, nullo satisdationis onere iniuncto. [4] Nam cum satisdatio necessaria est, non aliter rite præstita videtur, quam si præsente aut saltem vocato aduersario præstita sit, [7] cuius nimirum interest abunde cautum esse. [8] Idque ex illa etiam sit iuris regula quæ habet: Nihil agendum esse inauditis iis qui ex eo actu lædi possunt. [9] *Ita Senatus* prid. Id. Nouemb. 1588. Et rursum pro heredibus Petri Gleyron contra R. D. Archiepis. Tarentas. 17. Cal. Febr. 1593.

1 Instrumentum guarentigiatum est cuius vigore competit exactio sine strepitu & figura iudicij, ita vt de facto incipi possit à captura personæ aliave executione, vt dixi *Definit. 1. nu. 5. supr. In quibus caus. necess. non est in integr. restit.* ex Anton. Tessaur. *Decis. Pedemont. 26. num. 12.* Pragmatici vocant *Lettres de main garnie.*

2 Licet dicantur habere vim sententiæ & condemnationis, Bart. *in l. cum vnus, De reb. auct. iudic. possid.*

3 *Arg. l. vltim. C. de ord. cognit. l. 1. l. 4. in princ. & tot. tit. D. si cui plusquam per leg. Falcid.*

4 Non enim semper facile & obuium est dare idoneum fideiussorem, *l. si fideiussor 7. in princ. & § 1. D. qui satisd. cogant. l. 2. § sed si dubitetur, D. de iudic.* quia fideiussor locuples dicitur non tantum ex facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate, *l. 2. eod. l. 1. D. si quis in ius vocat. non ier.* Sed & contumeliam quandam subire creditur is qui satisdare cogitur, si sit vir præcipuæ existimationis & honestatis, *l. testamento 17. §. vlt. de test. tut.*

5 Cuius priuilegij ratio illa est, quia supremi Principis nomen & auctoritatem præ se ferunt, non autem vt aliæ, solius iudicis.

6 Rescripti enim & diplomatis forma talis est, quam omnimodo seruari conuenit.

7 Cum multa possint allegari propter quæ non debeat idoneus videri fideiussor, *d. l. 2. d. l. 7. in princ. D. qui satisd. cog.* qui autem vel non idoneus, vel non legitime datus est, pro non dato habetur, *d. l. 1 si quis in ius voc. non ier.*

8 *l. Paulus notat 8. & l. pen. De præt. stipulat.*

9 *L. nam ita 39. D. de adopt. l. etiam 29. §. vlt. D. de minor. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

DEFINITIO II.

De satisdatione remittenda ei, secundum quem vindiciæ beneficij Senatus dixit.

IN beneficialibus causis ille, secundum quem vindicias Senatus dicit, non solet condemnari ad præstandam satisdationem de fructibus beneficij restituendis aduersario, [1] fortassis tandem victoriam litis habituro: [2] Nec si tam pauper sit, qui vindicias obtinet, [3] *vulgo credentiam vocant*) vt restituendis fructibus quos perceperit non possit sufficere, [4] neque rursum si condemnatus noua instrumenta proferat ante vindiciarum executionem. [5] Id enim ad Senatus auctoritatem pertinet, vt qui eo auctore possidet bonæ fidei possessor existimetur, [6] & consequenter fructus suos faciat. [7] Propter quam causam non idem in inferioribus iudicibus iuris est, [8] quorum scilicet minor est auctoritas. [8] Interdum tamen euenit, vt satisdationis onus victori iniungatur, nimirum si aut victor ipse satisdationem obtulerit, [10] aut tam obscura sint ipsius iura, vt timendum sit, ne tandem succumbat qui nunc obtinet. [11] Etsi enim non facile solet Senatus pro eo vindicias dicere quem suspicetur postea condemnandum fore: [12] Aliquando tamen is causæ status est, vt vindicias pro eo dici necesse sit, quem suspicari liceat tandem condemnatum iri, Ne interea beneficij possessio iaceat, quod à publica vtilitate alienum esse non immerito creditur, [13] aut possessor is fiat, de cuius iure quicquam nondum appareat. [14] *Ita Senatus* pro D. Ioanne Philippo Chauelard, contra Claudium Poysat Canonicum Bellicensem 13. Calend. Ianuar. 1588. Item pro R. Ribitello, contra N. Vecterium 13. Calend. Septembr. 1592.

1 Quæ tamen alias præstanda necessario est, pro executione prouisionalis sententiæ, tum etiam cum Senatus ius dixit, *arg. d. l. vlt. C. de ordin. cognit.*

2 Rebuff. *in praxi benefic. tit.*

3 Sic vocat Pompon. *in l. 2. §. & cum placuisset. De orig. iur.*

4 Numquam enim sola paupertas inducit sequestrationem pendente lite, nisi cum aut is qui pauper est dilapidat, vt *in l. Imp. 21. §. vlt. D. de appellat.* aut satisdare iussus non potest, *l. 5. §. 1. D. vt legat. nom. caueat.*

5 Executio enim sententiæ præsertim prouisionalis non potest impediri prætextu noui instrumenti si non probetur reddita ex falsis instrumentis aut testimoniis, *l. vlt. C. si ex fals. instr. l. Diuus 33. D. de re iudic.*

6 *L iuste 11. D. de acquir. poss. l. qui auctore 137. de reg. iur.*

7 *L. bonæ fidei 48. De acquir. rer. domin.*

8 Satisdandi enim necessitatem nec expresse nec tacite possunt remittere, nec magis in beneficialibus causis, quam in profanis.

9 Scilicet ex causa, vt sequitur in definitione. Satisdationes enim numquam nisi ex causa irrogantur, & præcedente

dente causæ cognitione, *l.4.in princip. ff. si cui plusquam per leg. Falcid.*

10 Volenti enim, vt dici solet, non fit iniuria, *l.in diem 8.D. de aqua & aqu.pluu.arc.* Facit *l.si conuenerit 26. D.de re iudic.* Solent autem plerique vltro satisdationem offerre, vt videantur existimare iustam se habere litigandi causam. Sed obseruare iudex debet ne vnquam patiatur quem vincere ob id solum quod offerat satisdationem, si alioqui videat eum esse condemnandum, ne auxilium iuris profit ad iniuriam comminiscendam *l. quia satisdatio 6.D.de iusp.tutor.l.testamento 17.§.1.de testam.tutel.*

11 Cum id quod iussit vetuitve prætor aliusve iudex quilibet contrario imperio tollere possit ante definitiuam sententiam, *l.quod iussit 14. D.de re iudic.l.qualem 19. §.vlt.de recept. qui arbitr.*

12 Est enim id paulo alienum ab auctoritate rerum iudicatarum, quas ratas manere quantum fieri potest oportet, *l seruo 65.§.cum prætor, D.ad SC.Trebell.*

13 Nam & in rebus profanis odiosum est, si possessio diutius iaceat, *l.1.D.de succeſſ.edict.l.& quia 6.de interr.in iur.fac.l.pen.D. de iur. delib.*

14 Quis autem iudex præter Appium Claudium, de quo *in d.§. & cum placuisset*, vindicias vnquam dixit pro eo, qui de iure suo nihil omnino doceat?

DEFINITIO III.

De satisdando pro expensis, siue taxatis, siue non.

QVi ob crimen ad pœnam pecuniariam litisque expensas condemnatus est, si pœnam soluerit pro solis expensis in carceribus retineri non potest,[1] sed si earum taxatio nondum facta sit, ea lege liberandus est, vt ante omnia satisdet se soluturum post eam diem, quam iudex statuerit, quicquid eo nomine debitum fuerit & taxatum.[2] Facta vero iam taxatione, non est cogendus vt satisdet, ne appellationis beneficium quod adhuc saluum habeat, sibi ipsi eripere videatur.[3] Vide Defin.8. De fructib.& lit. expens.

1 Carcer enim non in pœnam, sed ad custodiam inuentus est *l.aut damnum 8. §.solent ff.de pœn.* Pœna vero crimini debetur *l.sancimus 22. C.de pœn.* Expensarum autem condemnatio non propter crimen, sed propter litem infligitur. *l. non ignorat.4.C.de fructibus & lit.expens. § hæc autem, Instit.de pœn.temer. litig.* videtur tamen ad contrarium ius inducendum satis accommodata esse ratio illa quam Papin. vsurpabat, licet in specie dissimili in *l.Papinianus 20. De minor.* Indignum esse hunc cui succurratur propter irrogatam pœnam. Quod enim eam rationem Vlpian. ibidem reprehendit iis verbis: *Non recte. Quid enim commune habet delictum cum venia ætatis?* non similiter hic obiici potest. An non enim cum delicto commune aliquid habet lis, quam instituit necesse fuit, vt crimen puniretur? Et vero si ante sententiam interdum carceris supplicium sustinere reus debet, vt loquitur *l.3. D. de custod. & exhib.reor.* quanto magis pro solutione expensarum iam lata sententia?

2 Huius enim satisdationis præcipuus vsus esse solet iis casibus, quibus nondum plane liquidum est quantum debeatur, *l.5.l.seruus 34. §.vltim. D.de statulib.* Et sane iniquum esset cogi quem pati carceres pro debito non liquido, quod etiamsi maxime vellet exoluere ad se liberandum, non posset ob incertitudinem. Nunquam enim reo deneganda est facultas soluendi, vt se possit liberare, si quam eo nomine incommoditatem patiatur.

3 *Arg.l.ad solutionem 4.C.de re iudic.* Ita fit vt melioris conditionis sit reus idemque iam condemnatus post taxationem quam ante: quod videtur inconueniens. Itaque putarem conuenientius, vt hic post factam taxationem vel appellare si tempora largirentur, vel omnimodo soluere cogerentur. Sed & appellatione interposita, vellem eum satisdare de soluenda quantitate non ea quæ taxata esset, sed quę per iudicem appellationis taxanda pronunciaretur, relatione facta ad futurum tempus, vt *in d.§.vlt.l.34.de statulib.*

DEFINITIO IV.

De satisdatione per reum præstanda, cum causa criminalis in ciuilem conuertitur.

LIte criminaliter primum instituta, mox vt plerumque fit in ciuilem disceptationem conuersa, carceribus eximi reus debet, sed præstita prius satisdatione de iudicato soluendo,[1] & ad iudicium certa die sistendo,[2] si vel ex aliena sit prouincia,[3] vel tam pauper vt condemnationem quæ sequi potest egestate sua elusurus videatur.[4] Extra hos casus & si qui sunt similes satisdationis onus reo non iniungitur, sed iurisiurandi tantum religione obstringitur,[5] vt finita disceptatione in eodem quo antea statu se sistat, sententiæ, quæcunq; tandem lata fuerit, si non appellandum putauerit, pariturus. *Ita Senatus* ex tempore 3.Id.Febr.1589.

1 Quæ satisdatio facile iniungitur ex causa, & difficilius remittitur quam satisdatio rati habitionis *l.vnic.C.hoc tit.*

2 De qua satisdatione sunt Tituli *D.Qui satisd. cog.& si quis caut.*

3 Nisi iuret se non posse ibi satisdare, quo casu permittendum ei est, vt alibi satisdet. *l.de die 8. §.tutor & sq.D.qui satisd. cog.*

4 Vt *in l.1.§.vlt.de pœn.l si quis 35.de iniur.D.*

5 Quæ cautio iuratoria nec omnino nuda est, nec tam onerosa quam si haberet satisdationem. Quid ergo si præ inopia fideiussorem non inueniat? An retinebitur in carceribus donec lis finem accipiat? *argum.l.7.§.vltim.qui satisd.cog.* Sufficiet hoc casu cautio iuratoria cum hypotheca. *Nouell.123.c.21.in fin.*

DEFINITIO V.

Venditorem non cogi satisdare pro emptore defendendo.

VEnditor siue sponte, siue coactus[1] si defensionem fundi suscipiat pro emptore, qui vel hypothecaria, vel rei vindicatione conueniatur, satisdare cogendus non est.[2] Tametsi soleat dici satisdare omnes debere qui pro alio defendunt,[3] quod nemo alienæ rei satis idoneus defensor videatur.[4] Nimirum quia magis est, vt propriam hic rem non alienam defendere existimetur cum de euictione teneatur.[5] *Ita Senatus* ex tempore 10.Cal.Maij 589.

1 Hoc est, post factam denunciationem, quæ hoc casu necessaria est, vt de euictione agi possit nisi pacto remissa sit denunciandi necessitas, *l.Herennius 63 in princ. & §.1.& pass. D. de euict l.emptor 8.& sq.C.eod.*

2 Cum nulla lege id cautum sit, *tot tit qui satisd cog.*

3 *L.vnic.C.hoc tit.l.minor 51.§.vlt.& ll.seqq D.de procur.*

4 *l.qui proprio 46.§ qui alium eod. l.filiusf.m.14. D qui satisd. cog.l.in eo. 110.§.1.de reg.iur.*

5 *l.si seruus venditus 21.§.& ideo l.si cum venditor 66.§.si secundus emptor.D.de euict.* Suam enim causam defendit quisquis dicit & probat sua interesse *l.2.§.1 D.quand.appell.si.*

DEFINITIO VI.

De relegato qui satisdationem de non offendendo quam iussus est præstare non potest.

IN perpetuum exilium ire, & de non offendendo satisdare iussus, si propter egestatem nec dato fideiussore,[1] nec idoneis pignoribus[2] cauere possit, iubendus est sub capitalis vltimique supplicij comminatione continuo satisfacere iudicato, & patria decedere,[3] Adeo vt nec si petat indulgendum ei sit vel quantulumcunque temporis spacium ad colligendas sarcinulas,[4] quod aliis relegatis ex humanitate indulgeri & solet & debet.[5] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Defin.10. infr. De pœn.

1 Plerumque enim tam difficile est homini inopi dare fideiussorem, quam soluere, *l.2.§.pen.D.de iudic.*

2 Subsidiaria enim fideiussionis est hypotheca, *l.si mandatu 59. §.vltim.D.mandat. l.4.§.addici ff.de fideic.libert. l.5. §.1. vt legat. nom.caueat. l.omnes 33. §.in hac autem, Cod. de episcop. & cleric.*

3 Quia neque mora neque fraus fieri debet exilio irrogato sub prætextu iunctæ nec præstitæ fideiussionis.

BIU Cujas

4 Ne quid interim comminiscatur in necem accusatoris, cuius saluti prospiciendum iudex putauerit.

5 *Argum. l. ab hostibus* 15. §. *vltim. l. si cui* 38. *in fin. ff. ex quibus caus. maior.*

DEFINITIO VII.

Satisdare liberos non debere de ea quantitate quæ pro sumptibis litis aut alimentorum prouisionaliter adiudicetur.

SIcuti filius naturalis & legitimus, cui pendente lite certa quantitas pro alimentis [1] aut sumptibus litis [2] ex paterna substantia adiudicatur prouisionaliter, vt loquuntur, satisdare non cogitur: [3] Ita nec is, qui naturalis tantum est, siue ab intestato petat portiunculam successionis, [4] siue ex testamento eam ipsam quantitatem quæ sibi à patre relicta fuit. [5] Hac enim parte idem fauor est naturalium liberorum & legitimorum. [6] *Ita Senatus* pro Claudia filia naturali N. Petri de Monluel Baronis de Chasteaufort 13. Cal. Ian. 1592.

1 *Ex l. si instituta* 27. §. *penult. D. de inoff. testam. l. penult. ff. vt in possess. legat.*

2 Quorum hac parte ratio eadem esse solet quæ alimentorum, *l. vlt. C. de ordin. cognit. l. filius* 9. *D. de iur. delib.*

3 Quia nec facile fideiussorem inuenire potest qui bona nulla habet, *l.* 5. §. 1. *in fin. Vt leg. nom. caueat.*

4 Id est sextantem de quo in *auth. licet, C. de natur. liber.*

5 Eo nimirum casu quo potest pater liberis naturalibus aliquid relinquere, id est, si sine prole decedat & sine parente, *d. Auth. licet.*

6 Quia non minus naturalibus quam legitimis liberis debentur alimenta ex ratione & æquitate naturali; *l.* 1. 4. & 5. *D. de liber. agnosc. & alend.* Imo & spuriis quantumlibet natis ex coitu damnato debentur ex æquitate canonica. *cap. cum haberet. Extr. De eo qui dux. in matr.* in iisque proculdubio tanto magis hæc Definitio locum habere debet, quanto sunt illi aliis pauperiores. Facit *l. vlt.* §. *ipsum, C. de bon. quæ lib.*

DEFINITIO VIII.

De remissa necessitate satisdandi de iudicato soluendo, quam vetus Sabaudiæ statutum forensibus iniungebat.

EXoleuit iampridem vetus illa iudiciorum obseruatio veteribus Principum nostrorum statutis introducta, [1] quæ forenses & alienagenas cogebat, si quid in prouincia peterent à quopiam ex nostratibus, præsertim actione personali, vt de iudicato soluendo satisdarent, nec prius audirentur, quam satisdedissent. [2] Neque enim æquum visum est satisdatione, quæ magnas plerumque habet difficultates, [3] prohiberi peregrinum ne ius suum persequatur. [4] Tametsi ex contrario non eodem vt par esset priuilegio gaudeant nostrates, si Lugduni agant. Iis namque, vt audio, satisdandi necessitas omnimodo imponitur. Quæ res facit fortasse, vt eodem aduersus Lugdunenses vtantur Sebusiani mei, [5] quibus frequentius cum Lugdunensibus commercium & litigium est. Sed tamen quoties ab eiusmodi interlocutionibus iudicum Sebusianorum appellatus est Senatus, semper pronunciauit male iudicatum, impositamque satisdandi necessitatem Lugdunensibus quoque remisit. [6] *Ita tractatum* & relatum est in relationibus libellorum 9. Cal. Mart. 1593.

1 Extat statutum *incip. lib.*

2 Quod & in actoribus omnibus generaliter constituerat Iustin. *Nouell.* 11. *cap.* 2. *vnde sumpta est Auth. generaliter, C. de epis. & cleric. Auth. quod si eri. C. de dilat.*

3 *l.* 2. §. *pen. D. de iudic. l.* 5. §. 1. *vt legat. nom. caueat.*

4 Qua ratione sublata etiam est apud omnes fere gentes ea satisdandi necessitas quam Iustin. induxerat. *d. auth. generaliter.* Alioquin egeni satisdatione destituti numquam suum iudicio consequi possent. Rebuff. *in proœm. constit. gloss.* 5. *num.* 37. Rol. à Vall. *consil.* 71. *num.* 19. *vol.* 1.

5 *Ex tit. quod quisque iur. in alium stat. ipsi. eod. vtat.*

6 Ne qua in re se à nobis inciuilius habitos queri possint, quam si essent ex nostratibus. [Excipiuntur tamen Geneuates, qui quoniam à nostris passim huiusmodi satisdationem exigunt, satisdare & ipsi iubentur generali Senatusconsulto, quod licet generalibus verbis conceptum sit, ne contra solos Geneuates scripta lex videretur: tamen contra eos solos in vsu est, non etiam contra Bernenses & Valdenses. *Ita Senatus* contra N. Philib. de Beneuix, Ex tempore 23 Maij 1613. Maximè si ponas viduam personam & inopem agere pro legitima vel dote.]

DEFINITIO IX.

Iuratoriam cautionem interdum pro satisdatione esse.

CVm Senatui de crimine non liqueret, pronunciauerat de eo amplius inquirendum esse, atque interim reum carceribus eximendum, præstita prius satisdatione ad mille vsque librarum quantitatem, De iudicio sistendo & iudicato soluendo. Reus negabat, posse se fideiussorem eius quantitatis reperire præ inopia. [1] In eamque rem amicorum & vicinorum responsa proferebat, [2] obsequium satisdationis recusantium. Ideoq; petebat remitti sibi satisdandi necessitatem, [3] paratus iuratoria cautione satisfacere. [4] Placuit non prius audiendum eum quam accusatori præstitutum esset tempus, intra quod fidem faceret amplioris inquisitionis. [5] Tempus autem pro personarum, locorum & delicti qualitate arbitrio iudicis statuendum esse. [4] Sane eo tempore elapso iniquum fuerit perpetuis carceribus addici eum, quem Senatus liberandum & eximendum pronunciauerit. [7] Nec idcirco Senatus auctoritas læsa videbitur, quod iudicato non satisfiat. Eam enim Senatus mentem fuisse credendum est, vt non aliter satisdationis necessitatem iniunctam vellet, quam si satisdare reus posset. [8] Cum verum non esse nequeat, quod vulgo iactatur, Impossibilium nullam esse obligationem. [9] *Ita Senatus* in causa Bartholomei Duport & Ioannis Baptistæ Regnaud. 3. Non. Iun. 1593.

1 Sunt enim qui per inopiam, sunt qui per calumniam nolunt dare fideiussorem, *l.* 5. §. 1. *in fin. ff. vt legat. nom. caueat. l.* 2. §. 1. *de custod. reor.*

2 Solent enim fideiussores rogari, vt intercedant, *l. sciendum, D. de vsur.*

3 Cum impossibilium nulla sit obligatio, *l. impossibilium* 185. *de reg. iur. vt sequitur in Definit.*

4 Quæ subsidiaria est satisdationis, nec nuda cautio est propter adnexum vinculum iurisiurandi & hypothecam bonorum. *l. non omnes* 33. §. *in hac autem, C. de epis. & cleric. & Nouell.* 123. *de sanctiss. Epis. cap.* 21. *ad fin.*

5 Quia poterat fieri, vt per ampliorem inquisitionem constaret de crimine, nec liberandus esset reus præstando satisdationem, *l. lege Cornelia* 25. §. 1. *ad SC. Silan.* vbi Bald. *l.* 2. §. 1. *de custod. & exhib. reor.*

6 Nullum enim certum tempus in eam rem aut iure ciuili, aut nostro iudiciorum ritu, præfixum est, *l.* 2. §. *pen. testam. quem. aper. l.* 1. *C. de dilat.*

7 Nam & pœna illa perpetui carceris hodie est interdicta *l. aut damnum* 8. §. *solent. ff. de pœn.*

8 Nec male huc pertinet quod dici solet, ea quæ de nouo emergunt nouo egere auxilio. *l. de ætate* 11. §. *ex causa de interrog. in iur. fac. l.* 1. *in princip. ff. de ventr. inspic. l. & si qua* 16. *ff. de recept. qui arbitr.* [Et ideo etiam in causis ciuilibus placuit eum qui cautionem idoneam præstare etiam à Senatu iussus erat, si ob id inuenire nullam possit, quod bona immobilia nulla possideat, admitti posse & debere ad iuratoriam præstandam. Ne alioqui videatur adactus ad impossibile, & adiudicationis suæ commodo defraudetur. Maximè si dubitari non possit, quin verè sit creditor, adeóque priuilegiarius, vtputa pro legitima portione. Sed hoc tamen adhibito temperamento, vt iudicati executio in corpus condemnati inhibeatur, salua potestate exequendi in bona ipsius, Vt qui in vno grauatur in alio releuetur, *l. eum qui* 30. *ff. de iureiur. Ita Senatus* inter fratres Thomassin 3. Id. Aug. 1612.]

9 *d. l. impossibilium* 185. *de reg. iur.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO X.

De satisdatione quam pater de filij bonis transigens promiserit, nec tamen præstiterit.

LIberorum nomine pater tanquam legitimus administrator de dote materna transegerat,[1] promiseratque facturum se, vt debitori eam dotem soluenti legitime & idoneis pignoribus aut fideiussoribus cautum esset.[2] Postea vero cum pignora offerret quæ debitor idonea esse negabat solutionem eo prætextu recusans,[3] Pater autem diceret nihil interesse debitoris an idonea essent pignora necne,[4] dummodo plenam liberationem consequeretur,[5] quæ porro parata erat si patri legitimo administratori bonorum filij, auctore præsertim Prætore solueret,[6] nec iure obligari patrem, vt pro ea caueat administratione,[7] Senatus cui suspecte erant patris & facultates & mores,[8] non putauit auferendum liberis commodum cautionis,[9] cuius præstandæ necessitatem sibi ipsi pater iniunxerat,[10] sed ita rem temperauit, vt quoad vsque idoneis pignoribus aut fideiussoribus cauisset, pecunia debita penes idoneum ac probum mercatorem deponeretur, per cuius manus vsuras legitimas consequi pater posset, salua liberis proprietate.[11] Hoc enim remedio, & conuentioni satisfactum videbatur per æquipollens,[12] cum nihil interesset debitoris, dummodo salua res esset liberis, & liberis abunde consultum foret, quib. scilicet ratione proprietatis duntaxat prouidendum erat,[13] non etiam ratione vsusfructus, qui haud dubie ad patrem solum pertinebat.[14] *Ita Senatus* in secreto auditorio ex tempore Non. Iulij 1593.

1 *L.1. C.de bon.matern.l.cum oportet 6. & l.vlt. C. de bon. quæ liber.*

2 Illa enim vere idonea cautio est, quæ vel fideiussorem habet vel pignora, nec vtrumque simul exigit. *l.si mandatus 59. § vlt.D.mandat.l.4.§.addici, D.de fideicommiss.libert.* licet cautione promissa nihil nisi nuda repromissio debeatur, *l.3.C.de verb. signific.*

3 Tanquam non impleta conditione stipulationis, *d.l.59.§. fin.D.mandat.*

4 Nemo autem siue agendo, siue excipiendo audiendus est, nisi cuius interfit *l.ille à quo 13. § si de testamento*, vbi Alexand. *D.ad SC.Trebell. l.3.l.stipulatio ista 58. §.alteri. D.de verbor. obligation.*

5 Quid enim aliud petere possit debitor, nisi vt liberetur?

6 *l.ait prætor 7.§.1. de minor.l.quod autem 6.§.apud Labeonem, D.quæ in fraud.credit.l.vltim. §.non autem hypothecam, C. de bon. quæ liber.l.Lucius 46.§.tutelæ, D.de administ.tut.* Plus enim iuris habet pater in bonis filij quam tutor in bonis pupilli, vt ex eo apparet, quod bona filij etiam immobilia sine decreto alienare potest, dum ne suo nomine, sed filij *d.§.non autem.*

7 Cum gubernatio bonorum filij penitus impunita sit patri *d.§.non tantum.*

8 Ex qua causa officio iudicis succurrendum est filio, qui contra patrem agere non potest ob patriam potestatem, *l.Imperator 50.D.ad SC.Trebell.l.si cum dotem 22. §.sin vero dotem, D. solut.matr.*

9 Nam quod dici solet, cautionem interponi non posse salua patria potestate *d.l. Imper.* pertinet ad cautionem quæ filio præstanda sit, non ad eam quæ extraneo.

10 *Arg.l.si fideiussor, §.1. D.qui satisd.cog.l.2.§.si quis tamen, D.si quis caution.*

11 *Argum.d.l.Imperator. & cap.per vestras. Extr.de donat.int. vir. & vxor.l.5.§.1.vt leg.nom.caueat.*

12 *l.si vsusfructus 35.§.1. D.de vsufruct.l.certum 6.de rebus cred. & vulg.*

13 *l.cum pater 77.§.curatoris de legat.2.*

14 *d.l.cum oportet 6.& d.l.vlt.C.de bon.quæ liber.*

DEFINITIO XI.

Vbi satisdandum sit.

FIdeiussorem dare iussus à iudice in ea prouincia dare debet in qua iussus est,[1] cum fideiussor idoneus ex conueniendi potissimum facilitate æstimetur,[2] difficilis autem conuentio sit eius, qui extra prouinciam habitat, quisquis & qualiscunque ille sit.[3] Nec aliud erit, licet is qui fideiussorem dare iussus est bona multa possideat in eadem prouincia. Nam quod dici solet possessorem immobilium satisdare non compelli,[4] non facit quo minus satisdare debeat is, cui satisdandi necessitas iam imposita est,[5] sicut nec liberat à satisdandi necessitate eum pro quo prouisionalis fertur sententia,[6] non magis quam qui pro alio rem litemque suscepit defendendam.[7] Rursus ad rem non faciet si fideiussorem dare iussus offerat collaudatorem, & vt vocant certificatorem,[8] in prouincia. Nam cum hi non nisi in subsidium conueniri possint, & eo demum casu quo fideiussor soluendo non sit, adeo vt nec aliter collaudatorum iure obliquari queant, tametsi maxime velint,[9] Negari non potest quin eius cui satisdandum est permultum interfit, fideiussorem ipsum habere in prouincia,[10] Vt ex actione quam aduersus eum facilius exercebit aliam si opus sit sibi comparet, aduersus collaudatorem & certificatorem. Idq; obtinet etiamsi iuncta proponatur satisdatio in executionem iudicati pro debito, quod extra prouinciam solui debuerit puta Lugduni. Etenim tametsi debitor à Senatu condemnatus Lugduni soluere compellatur, si effugere velit præstationes actionis arbitrariæ De eo quod certo loco,[11] ipsius tamen interest, vt si quid à se indebite exigetur repetitionem habere possit in ipsa prouincia.[12] *Ita Senatus* pro Domina Duce du Mayenne, contra N. Ioannem Antonium Brunum 14. Calend. Septemb. 1593.

1 *Arg.l.quid tamen 21.§.si arbiter. D.de recept.qui arbitr.* Excipe casum *l.5. §.penultim. vt leg.nom.cau. l.8. §.tutor. D.qui satisd. cog.*

2 *l.2.l.7.eod.*

3 *l.1.in fin.l.3.in princ.de alien.iudic.mut.caus.facti.*

4 *l.sciendum 15.qui satisd.cog.*

5 Vt pareatur iudicato, sicut è contrario remissa satisdatio postea non præstatur, nec si dilapidet is cui remissa est, *l.vlt.D. vt legat.nom.cau.*

6 *Arg.l.1.§.1. D.eod.l.vlt. C.de ord.cognit.l.seruus 34.§.vltim. de statulib.*

7 *l.minor.51.§.vlt.& ll.seqq.D.de procur.*

8 Prudentes vocant adfirmatorem *l.7.§.vlt. De dolo, l.13. in princ.de minor.l.4.§.vlt.de fideiuss.tutor.*

9 *Arg.l.decem 116.de verb.obliga..* in eoque differunt hodie à fideiussoribus, quorum vicem iam olim gerere dicebantur *d.§.vltim.* licet fideiussores non in subsidium, vt hodie, sed eque principaliter conueniri olim possent.

10 Interest enim creditoris habere plures obligationes, & plures obligatos. *Tot. tit. de duobus reis l.heres 21.§ penult. D.de fideiuss.*

11 Quoniam actio arbitraria, De eo quod certo loco, vtriusque vtilitatem continet, *l.2.de eo quod cert.loc.* id est, id quod alterutrius interest. *l.centum 8.eod. l.vnic. C.eod.* nimirum eius qui culpa aduersarij alio loco vel agere vel soluere cogitur.

12 In qua scilicet passus est iniuriam per indebiti exactionem, vt vbi sit iniuria etiam satisfiat.

DEFINITIO XII.

Pignus pro satisdatione interdum esse.

PLane si ei cui satisdandum est, aliunde tam cautum sit, vt nihil eius interesse videatur,[1] vt puta si quid mobile ac pretiosum penes se habeat à creditore, quod pignoris loco futurum sit,[2] Sufficiet pignus in illa re constitui, siue ex conuentione siue ipsius iudicis auctoritate.[3] Finge instrumenta censualia esse penes conductorem prædij rustici, cuius reditus præcipuus consistat in censuum perceptione, An non iniquum sit cogi locatorem ad consequendam in prouincia solutionem, vt fideiussorem quærat in prouin-

BIU Cujas

cia, Nec suum posse consequi, tametsi præterea collaudatorem in ptouincia offerat? [4] Siquidem pignoris persecutio sane difficilis plerumque est, sed retentio prompta & nullius dispendij, [6] Quin & paratissimæ vtilitatis, cum id tale est, sine quo frui aduersarius re sua non possit. Et hoc demum casu maxime locum habet vulgaris illa iuris regula; Plus cautionis esse in rem, quam in personam. [7] Nec est quod quicquam imputari possit ei qui plus præstat quam præstare debeat. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Id est, vt iam satis securus sit, qui finis vnus est omnium satisdationum interponendarum, *l.1.D.qui satisd.cog.*

2 Aut etiam velut pignoris loco, vt loquitur Vlp. *in l. Iulianus* 13.§. *offerri de act.empt.*

3 Nam & in pignore constituendo factum iudicis est factum partis, *l.1.C.si in caus.iudic.pignor.capt.sit.* [& potest pignus etiam à magistratu constitui *l.non est mirum* 26 *ff.de pignor.act.*]

4 Alioqui facile hoc prætextu indulgeretur malitiæ & calumniæ conductoris, quod faciendum non est, *l.in fundo* 38. *de rei vindic.l.pen.D.ad exhib.*

5 Quia probandum est debitorem dominum fuisse rei obligatæ tempore pignoris constituti, aut saltem postea si obligatio facta est bonorum præsentium & futurorum, *l. & quæ nondum* 15. §. *quod dicitur*, *D.de pignor.* quæ dominij probatio plerumque difficilis est, §. *commodum*, *Inst.de interd.*

6 *l.si in area* 33.*D.de condict.indeb.l.*3. *D.de compens.l.si debitor.* 11.*de liber.leg.* Facit *l.minor.*40.*de minor.*

7 *l.plus cautionis* 25. vbi Gothofr. *ex Bellon.l. supput.cap.*8. *de regul.iur.*

8 *l.Iauolenus* 15. *alias l.eum qui in fin. De ann. legat.* [Sed & interdum prouisionalis adiudicatio quæ non solet fieri nisi iuncta satisdatione idonea contenta esse debet constitutione pignoris, ita vt bona litigiosa pronuncientur obligata, & inalienabilia, vt cautum maneat ei qui in fiduciæ speciem condemnatus est, si victor sit tam pauper vt satisdare non possit. *Ita Senatus* 5.Id. Aug.1612.]

DEFINITIO XIII.

Satisdatio quando præsente aduersario præstanda sit, quando etiam eo inaudito.

SAtisdatio illa quæ pro instrumenti, vt vocant, guarentigiati executione aduersus inauditum debitorem obtinenda præstari solet, non est illi similis, quam pro sententiæ prouisionalis executione offerri necesse est. [1] Hanc enim vocato in eam rem nominatim eo, qui adest & est condemnatus, oblatam[2] & adprobatam esse oportet, [3] cum ex iudicis sententia debeatur, qui vtique non alias fuerat aduersarium condemnaturus. [4] Vtpote, cuius non parum interfit tuto soluere id, cuius speret repetitionem. [5] Illam autem etiam absente & ignorante eo, qui se obligauit, præstari posse receptum est, non solum quod imputare sibi debeat, qui se vltro ipse condemnauit, [6] (dici enim solet, instrumenta guarentigiata sententiæ & condemnationis vim habere,[7]) Sed etiam, quod alioqui eueniret, vt exequendi facultatem sibi præriperet creditor, qui satisdaturus ad exequendum, præmoneret absentem aduersarium vt euaderet, quem fortasse præstita satisdatione in carceres detrusurus fuerat pro suo iure, si incautum eum adprehendere potuisset. [8] Quinimo nec satisdationis necessitas vlla est, si executio fiat ex diplomate, quod de debitis appellant, sed tum demum, cum ex decreto inferioris iudicis. [9] Senatus enim nunquam ex instrumento quantumuis authentico & guarentigiato præcisas literas concedit aduersus inauditum. [10] *Ita Senatus* in causa Petri Berthod & Ioannis Rat, 8.Calend. Septemb.1593.

1 De quibus satisdationibus diximus *Defin* 1. *&* 2.*eod.*

2 Satisdatio enim non præstatur iudici sed aduersario, *l.1. D.qui satisd.cog.l.*7. *&* 8.*in princ.eod.*

3 Sufficit enim probatos esse fideiussores, vel à parte, vt in *l.*3.§. *vlt.ff.vt in possess.l.*1.§. *item quæritur*, 11.*de separ.* vel à iudice inuita etiam parte, imo & ab arbitro, *l.si ab arbitro*, 10.*D.qui satisd.cog.* Facit *l.si vero*, 5.§.1.*eod.*

4 Adeo, vt etiamsi semel satisdatum sit vtiliter, interdum tamen ex iusta causa satisdari ex integro oporteat, *d.l.si ab arbitro*, §.1. *& l.de die*, 8.§. *si seruus*, *eod.* Nam & dici solet, sententiam esse stricti iuris, eiusque formam destricte seruandam esse.

5 *l.vlt.C.de ord.cogn.l.seruus*, 34.§. *vlt.de statulib.*

6 Non enim facile succurritur ei, qui seipsum coniecit in necessitatem, *d.l.*7.§.1.*D.hoc titul.qui satisd.cog.*

7 Bart. *in l.cum vnus ff.de rebus auct.iud.possid.* Dixi *ad Defin.* 1. *num.*5.3.*in integr.restit.postul.*

8 Harum enim literarum præcipuus vsus est aduersus contumaces aut latitantes, interdum etiam fugientes, quos etiam propria auctoritate capere citra satisdationem creditor posset, *l.ait prætor*, 10.§. *si debitorem ff.quæ in fraud.cred.*

9 Dixi *Defin.*1.3.*eod.*

10 Ne patiatur incipi ab executione, contra *l.*1.*C.de exec.rei iud.l.*4.§. *condemnatum*, *l.si cum nulla*, 58.*D.de re iudic.*

DEFINITIO XIV.

Carceribus eximi non potest debitor, qui pro debito liquido carceratus est, licet offerat satisdationem.

IN carcerem detrusus debitor non est inuito creditore liberandus, [1] nec ita relaxandus, vt in apparitoris alicuius custodiam, quæ sit carceris vice, committatur, [2] nec si offerat satisdationem, [3] quia creditoris interest detineri eum in carceribus, vt eorum tædio citius à se solutionem extorqueri patiatur. [4] Nec ad rem pertinebit, quod adeo inops debitor proponatur, vt creditori futurum sit consultius accipere fideiussorem. [5] Neque enim facere ea res potest, vt inuito creditori eam legem iudex dicere debeat. [6] Sed alterutrum à debitore fieri necesse est, vt vel soluat vel bonis cedat: [7] Nisi satisdationis conditio per creditorem vltro deferatur. [8] Sed hoc ita si pro certo debito agatur. Nam si incertum sit quod debetur, & liquidandum, debitor interea eximi carceribus potest vel inuito creditore, oblata satisdatione, [9] quia nec detrudi debuit in carceres pro debito incerto. [10] Essetque illo casu reuocanda executio quasi male & perperam facta. [11] Incertum tamen debitum intellige, quod numquam fuit taxatum. [12] Nam ob id solum, quod debitor dicat se vel totum debitum vel partem soluisse, non fit adeo incertum, vt eo minus coniici possit in carcerem, [13] valebitque executio, nisi ab initio sit oblatum omne id, quod ex postfacto debitum apparuerit, & quidem in quantitate certa, [14] cum scire debitor debeat quantum supersit in obligatione, [15] alioqui imputare creditori non potest, cur creditor ipse nescierit, maioremque quantitatem petierit, quam quæ debebatur. [16] *Ita Senatus* in causa D. Abbatis d'Embournay & N. Ioannis Dionysij Cauet, 5. Non. Decemb.1593.

1 Qui enim solutionem desiderat nec admittit satisfactionem, culpandus non est, *l.item* 6.§.1. *D.quibus mod.pign.vel hypoth.solu.* Pomponius autem iuste & legitime carceratum fuisse debitorem.

2 Simile quiddam est licet in dissimili specie, *in l.*3. *ff.de custod. & exhib.reor.* Adde *l.solutum*, 48.*de verb.sign.*

3 Aliud enim est soluere, aliud satisdare vel satisfacere, *d.l. item*, §.1.*l.quod si non soluere*, 10.*D.de pign.act.*

4 Quid non enim facturus sit carceratus vt se liberet? cum & solus metus carceris iustus sit, *l.*7.§.1. *l.qui in carcerem*, 22.*l. vlt.*§.1.*de eo quod met.caus.*

5 Quo casu nihil videtur interesse creditoris, qui à carcerato nihil propter eius inopiam sit consecuturus, *l.nam is*, 6.*D. de dolo.*

6 Cum prohiberi non possit creditor, quo minus & suo & communi iure vtatur, *l.si duorum*, 42.*ff.de act.empt.* quod fit, cum in carceribus publicis auctore iudice retinet eum, cuius personam habet pignori obligatam, sicut nec facere iudex potest, vt vel ab alio quam à debitore, vel in alia re quam debita solutionem accipere creditor cogatur, *l.eum à quo*, 16.*C.de solut.* excepto casu *Auth. hoc nisi debitor*, *eod.*

BIU Cujas

7 Ob hoc enim beneficium cessionis introductum est, ne iudicati detrahantur in carcerem, vt ait *l.1. C.qui bon.ceder.poss.* Cui addendum hodie est, Aut in carcere retineantur, etiam ante iudicatum, posteaquam moribus receptum est magis quam iure, vt persona debitoris pignori obligari capique possit in executionem obligationis, nulla dum secuta condemnatione. De quo alibi scribemus.

8 Aut quinquennales induciæ indulgeantur, *l.vlt.Cod.eod. tit. qui bon. ceder poss.* Simile quid est *in l.cum hereditate,55. D.de acquir.hered.* in illis verbis: *quia non potest exonerari, nisi deferatur conditio.*

9 Cuius tum maxime necessarius vsus est, cum deberi aliquid constat, necdum tamen apparet, quid & quantum debeatur, *l.statuliber rationem,5.l.seruus,34.§.vlt.D.de statulib.*

10 Executio enim cum sit actus legitimus & indiuiduus, debet esse certus vt valeat in solidum, quia pro parte valere non posset, vt nec datio in solutum, *l.si non sortem,26.§.si centum, D. de condict.indeb.* cuius quodammodo vice & loco est, *l.1.& 2. C. si in caus.iudic.pign.capt.sit.*

11 Nam nec solutio incerti debiti potest liberare debitorem, *l.stipulatio ista,38.§.inter incertum, de verb.oblig.*

12 Taxatio enim facit certam quantitatem, quæ alioqui incerta esset, *l.vlt.D.de prætor stipul.l.Mœuio,41.§.à me, de leg.2.l.4. C.de act.empt.* Exemplum esto, si fruméntum aut vinum debeatur, harum enim rerum æstimatio varia est pro locorum & temporum varietate, *l.3.de eo, quod cert.loc.l.precia,63.D.ad leg.Falcid. l.oleo, 23. C.de vsur.* Ideoque non aliter valere potest executio, quæ à creditore pro his rebus facta sit, quam si fuerint prius æstimatæ, euocato in eam rem debitore, vt scire possit quantum debeat, si forte malit soluere, quam aut iudicium accipere aut pati executionem, *arg.l.si reus,73.D.de procur.l.si debitori 21.D.de iudic.* Etsi non ignoro, putare plerosque sufficere, vt ea taxatio, & vt vocant, liquidatio facta reperiatur plusquam addictio & expeditio pignoris fiat, quasi nihil interfit debitoris, quem constat debere. Sic enim Rebuff. quodam loco, quem plerique sequuntur. De quo tamen alibi scribemus.

13 Quia cum reus in exceptione actor sit, *l.in exceptionibus, 19.D.de probat.* standum est instrumento, ex quo probatur debitum, quoadusque debitor probet solutionem, cuius sola allegatio sufficere non potest, vt petitoris petitio sit incerta vel obscura, imo fere est, vt fateri videatur debitum in necessarium antecedens, qui allegat solutionem, nisi dicat indebitum à se solutum esse. Etsi non vtique hoc verum est, sed cum distinctionibus quibusdam, quas vide ad *l.non vtique 8.D.de except.*

14 Alioqui captiosa est multorum oblatio, qui tametsi sciant, quid & quantum debeant, nihil tamen certi offerunt, sed in obscuro & incerto quicquid à se debitum esse apparebit, quę oblatio nullius plane momenti est, ne quidem ad inducendam expensarum litis compensationem, *arg.l.quæro 39.l.Iulianus,13. §. idem Iulianus,6.D.de act.empt.*

15 Cum proprij facti ignorantiam non possit prætendere, *l.quanquam,7.D.ad SC.Velleian.* Neque enim hic locum habet, quod est in regula iuris, Non posse improbum videri eum, qui ignorat, quantum soluere debeat, *l.non potest,99.de regul.iuris.* Scire namque debet, soluendum esse quicquid in obligatione est, quod nondum sit solutum, aut quod aliter non desiit deberi, quia obligationes non nisi certis modis sicut contrahuntur ita & finiuntur, *l.obligationum fere,44.§.placet,D.de oblig. & action.*

16 Præsumptio enim est pro creditore, qui habet fundatam intentionem ex instrumento debiti, non pro debitore, qui allegat solutionem, *l.cum de indebito,25. §.sed hæc ita, D.de probationib.*

DEFINITIO XV.

De satisdatione à peregrino accusante præstanda.

QVanquam non solet Senatus noster forensibus, vt vocant, & alienigenis, iura sua apud nos persecuturis satisdandi necessitatem imponere:[1] Si tamen falsi accusatio criminaliter ac per solemnem, vt fieri necesse est, inscriptionem instituatur,[2] visum est iuste satisdationem postulari, ne alioqui in calumniatoris cuiusque vilissimi potestate sit, nostratium famam, dignitatem, fortunas omnes, vitam denique ipsam impune lacessere.[3] *Ita Senatus* pro Spectab. D. Carolo Francisco Ruffino tunc Aduocato contra fratres Robinos 13. Calen. Ianuar. 1585.

1 Vt scripsi *Defin.8.sup.eod.*

2 Illa enim solemnitas inscriptionis, quam vetus iurisprudentia induxerat, *l.3. D.de accus. & inscript.* hoc vno casu apud nos hodie in vsu est, & alio præterea nullo.

3 Nam & hoc maxime ad curam & religionem Præsidis prouinciæ pertinet, vt prouideat, ne quis ex prouincialibus suis afficiatur iniuria, neve quis calumniosis criminibus eorum innocentiam infectetur, *l.illicitas 6.§.ne potentiores, D.de offic.præsid.* Qua ratione idem quoque obseruandum putarem, tametsi alia quam falsi accusatio instituta proponeretur.

DEFINITIO XVI.

Non auditur satisdare volens reus pendente lite, si capitali pœna possit esse obnoxius.

REus criminis, qui in eo est, vt capitali pœnæ possit esse obnoxius, si fideiussorem offerat quantumuis idoneum & locupletem, vt carceribus eximatur, audiendus non est:[1] quia neque iuris neque ætatis ratio patitur, vt eiusmodi pœnæ fideiussor dari possit, hoc est, vt qui pro reo fideiussit, capitalem pœnam subire debeat, quam subiret condemnatus, si adesset.[2] Proinde inanis prorsus & illusoria eiusmodi fideiussio videretur.[3] *Ita Senatus* 15. Cal. Ian. 1594.

1 *L.3.D.de custod. & exhib.reor. l.antepen.§.1.D.ad Silan.* vbi Bald.

2 Iul. Clar. *lib.5.sentent.§.vlt.qu.46.*

3 Generaliter autem obseruandum est, ne quis vnquam superuacua cautione & satisdatione oneretur: *l.hæc stipulatio,14.§. 1.D.vt leg.nom.caueat.l.1.§.pen.& vlt.l.3.vt in poss.leg.*

DEFINITIO VII.

Si satisdatio de non offendendo præstari nequeat, quid agendum sit?

IVssus satisdare de non offendendo ad certam vsque pecuniæ quantitatem,[1] si fideiussores minus idoneos offerat, non est audiendus:[2] Multo minus iuratoriæ cautioni committendus.[3] An ergo perpetuis carceribus coercendus, si forte conquisitis vndique vadibus, magis idoneos reperire nullos possit?[4] Minime.[5] Sed potius in exilium relegandus est,[6] ita tamen, vt ij saltem fideiussores præterea accipiantur, qui prius oblati fuerant & à iudice reprobati. Neque enim videtur ea ratione iudicatum euerti, cum exilij quoque pœna irrogatur.[7] At quia nec exilium ipsum mutat maleuolum condemnati propositum,[8] quin potius ampliorem præbet nocendi facultatem, si suspectissimus sit, vt esse solet is, qui cauere debet,[9] optimum est de eo referri ad Senatum, aut si coram Senatu res agatur, ad Principem,[10] vt si fieri poterit, iubeat ille in arce aliqua, tanquam in liberiore & honestiore custodia hunc retineri,[11] militis munera ibidem expleturum, si eius sit conditionis & roboris vt explere queat, nec prius discessurum, quam decretam præstiterit satisdationem.[12] Idque temperamentum Senatus noster secutus est in persona Ioannis Iacobi de Mingiod & D. Caroli Dorlier Iuridici maioris Chablasiensium, Id. Sept. 1595.

1 Certa enim quantitas hoc casu constituenda est arbitrio iudicis pro personarum & causarum qualitate, ne alioqui nemo reperiatur, qui fideiubere velit, cum salus hominis certo modo æstimari non possit, *l.pen.D.de donat.*

2 Nemo enim fideiussores minus idoneos accipere cogitur, *l.1.2.5.7.& pass.D.hoc titul.qui satisdar.cog.l.1.§.item quæritur, D.de separ.*

3 Cuius enim vita suspecta est, & iusiurandum non nisi suspectum esse potest. Iul. Clar. *d.§.vlt.quæst.*

4 *Arg.l.si fideiussor,7.§.vlt.D.qui satisd.cog.*

5 Pœna enim ista perpetui carceris hodie interdicta est, *l. aut damnum,8.§.solent.de pœn.l.mandantis,35.D.de pœn.*

6 Quasi per iudicem transactione facta de pœna criminis, *argument.l.quid ergo, 12. §. penultim. D. de his, qui notat. infam.*

BIU Cujas

7 Neque enim nouum est, ex causa fieri commutationem pœnæ arbitrio iudicis, *l. ad bestias 31. D. de pœn.*

8 Exemplo eius, quod scriptum est *in l. quia satisdatio 6. D. de suspect. tutor.*

9 Non enim solet huiusmodi satisdationis onus irrogari aliis, quam qui cædem minati, minásque exequi soliti esse probentur.

10 Præsertim si transducendus sit reus in aliam prouinciam, quod vtique sine permissu Principis fieri non potest, *d. l. ad bestias, §. vlt. l. 4. eod. tit. de pœn.*

11 Id enim est militibus ipsum committi, vt loquitur Vlp. *in l. 3. D. de custod. & exhib. reor.*

12 *Argum. d. l. 7. §. vltim. D. qui satisd. cog.*

DEFINITIO XVIII.

Curator bonis absentis datus tenetur satisdare, sicut alius quilibet habens bonorum administrationem.

CVrator datus absentis bonis, licet vt plurimum is dari soleat & debeat, ad quem intestati successio peruentura est,[1] tamen officio iudicis cogendus est satisdare in absentis commodum, vt ei quandocunque consultum reperiatur,[2] alioqui facit iudex litem suam vt in subsidium teneatur, si curator datus non sit soluendo,[3] maximè si is curator datus proponatur, qui iam tum inops fuerit, cum datus fuit.[4] *Ita Senatus* in publico auditorio 29. Nouemb. 1596.

1 Est enim ea curatio nihil fere aliud, quam præoccupatio quædam successionis, & ideo etiam pupillis & fœminis dari solet, vt scripsimus *Defin. 4. §. qui tutor. dare darive poss.*

2 Menoch. *in lib. de arbit. iudic.*

3 *Ex titul. de magistr. conuent.*

4 *L. 1. d. tit. de magistr. conuen. D.*

DEFINITIO XIX.

Satisdare debet is qui pecuniam petit sibi legatam ad aliquid faciendum non etiam qui petit bona immobilia.

QVi petit pecuniam à testatore ad aliquid faciendum legatam, non aliter ad legati petitionem admittendus est, quam si satisdet id se facturum. Sed si bona immobilia in eam rem legata sint, aliud est, quia non sicut pecunia soluta facile perire potest, ita & bona immobilia.[1] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Lorme, & Syndicorum de Montmilian 6. April. 1596.

1 *L. quibus diebus 40. §. vltim.* vbi Bart. & alij, *D. de condit. & demonstrat.*

DEFINITIO XX.

Casus in quo satisdat is, qui ex Senatusconsulto sit possessor beneficij, licet nullum adhuc habeat contradictorem.

FIeri potest, vt beneficij, quod requirente procuratore generali sequestratum fuerat, possessio alicui detur, & tamen satisdationis onus iniungatur,[1] vtputa si procurator generalis consentiat, vt huic vacua possessio tradatur, nec dum alius vllus sit contradictor, aliquis tamen fore speretur, quem credibile sit potiora iura habiturum,[2] propterea quod exhibitus ab impetrante titulus sit aliquo modo suspectus, siue in forma intrinseca, siue in extrinseca. *Ita Senatus* in causa N. Renati de la Couz pro Prioratu Beatæ Mariæ de Luys 8. Febr. 1596. In qua tamen specie illud quoque non parum mouit Senatum, quod impetrans ille non fuerat à Principe nominatus, quam nominationem expectare Senatus noster pleriſque Epistolis & rescriptis Principis iubetur. Quanquam ad maiora beneficia pertinere id videtur, quæ dignitatem habent cum administratione non ad simplicia, quæ aut dignitatem aut administrationem nullam habent.[3]

1 Quod tamen regulariter secus est. Vix enim vlla satisdandi necessitas ei iniungitur, qui beneficij possessionem ex senatusconsulto nanciscitur.

2 Sic aliquando etiam futuro contradictori prospiciendum est, hactenus saltem vt in tuto & integro omnia collocentur.

3 Maiora enim, &, vt vocant, consistorialia præsumuntur patronata, & consequenter de iure patronatus Principis, non etiam simplicia, vt alibi scripsimus.

TIT. XL.

DE FORMVL. ET IMPETR. act. sublat.

DEFINITIO I.

Actionum formulas scrupulosas & impetrationem duntaxat sublatam esse, non item substantiam.

ABVTVNTVR plerique constitutionibus,[1] quæ formulas & impetrationes actionum sustulerunt: quasi hodie nihil referre debeat, qua actione quis experiatur, dummodo aliqua competat.[2] Quod si ita esset, non tantum eas formulas, quæ syllabarum aucupatione cunctorum actibus insidiantur radicitus amputatas,[3] sed omnem quoque iuris rationem sublatam esse dicendum esset, totamque perturbatam iurisprudentiam,[4] quæ in eo partim versatur, vt doceat, quænam & cui actio competat.[5] Sane nec actionis impetratio necessaria est, quæ olim erat,[6] nec formulæ præscriptis verbis concipiendæ solemnitas vlla supereſt,[7] sufficitque eam exerceri actionem, quæ, vt habet Theodosij constitutio,[8] & rei apta sit, & proposito negotio competens. Cæterum si inepta proponatur ab eo, qui aptiorem potuit exercere, perinde actor condemnabitur ac si nullam haberet, salua ei potestate iterum agendi eo modo, qui aptior & conuenientior videatur.[9] *Ita Senatus* sæpius, & in ea potissimum facti specie, de qua in tit. de rei vind. Defi. 1. & 2.

1 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

2 Ob illa verba *d. l. 2. si aptam rei & proposito negotio competentem eam esse constiterit.*

3 Vt Constantinus loquitur *in d. l. 1.*

4 Quis autem credat Imperatores illos optimos, Constantinum, Theodosium, & Valentinianum, quorum sunt eæ constitutiones, tam paucis verbis totam iuris rationem tot vigiliis excogitatam atque inuentam, euertere voluisse? *l. si quando 35 in princ. C. de inoff. testam.*

5 *L. 2. §. deinde 6. & sequent. D. de orig. iur. adde §. ita in ciuitate 12. eod.*

6 Nam hodie actiones ex legibus & edictis ipso iure competunt, etiamsi non postulentur, vt notat Gothof. *ad d. l. 2. C. hoc tit.*

7 Quæ olim tanta erat, vt qui cadebat à syllaba, caderet etiam à causa, *§. si quis agens*, iunct. *§. si minus, Instit. de act.*

8 *In dict. l. 2.* Facit *l. actio 47. D. de negot. gest.* etsi locum illum Triboniani esse potius quam Pauli docuimus, *lib. Coniect. cap.* Facit *l. si cum 66. de euict.*

9 Qui enim hodie male agit, non rem amittit vel causam, sed litem, id est, damno duntaxat sumptuum litis coercetur, sed ita tamen, vt eas ante omnia sarcire & refundere teneatur, eoque iure vtimur.

DEFINITIO II.

Succurrendum esse mulieri, quæ bonam iustamque de dote actionem habens male egit.

Mulier

MVlier, quæ fundum certo precio æstimatum in dotem dederat,[1] & soluto matrimonio velut pignoris iure possederat,[2] cum spoliata esset, egerat primum vindicatione, deinde interdicto recuperandæ possessionis, postremo hypothecaria. Vindicationi obstabat, quod maritus per æstimationem dominus factus fuerat.[3] Interdicto, quod illa subinde hypothecariam exercere maluerat.[4] Hypothecaria denique, quod debitor in excussio facta non erat.[5] Sed quia constabat dotem ei deberi, & quidem anteriore iure, Placuit, licet summa scrupulositate iuris subtilitate repellenda videretur, non posse tamen cum ea summo iure agi citra summam iniuriam,[6] præsertim cum omni meliori modo, quæ vulgaris clausula est, ius & iustitiam sibi ministrari petiisset.[7] Itaque pro ea pronunciatum est, vt ei sua possessio restitueretur, quam sine facto suo amiserat, quousque tota illi dos soluta esset.[8] Idémque iuris constituendum esse visum est, si de dote materna liberi experirentur.[9] Sane cum nulla litis parte augmentum dotis sibi solui postulasset, quod tamen ex iisdem tabulis dotalibus debitum esse constabat, non putauit Senatus quicquam ei hoc nomine adiudicandum, ne & in facto supplere,[10] & quod fatui iudicis est, vltra petita iudicare[11] videretur. *Ita Senatus* pro Claudia Hugon, contra Nicolaum Brondel 4. Id. Ianuar. 1593.

1 Vt plerumque fit, *l. plerumque 10. & l. si res, 12. & pass. D. de iur. dot. l. quod si fundus, 11. D. de fund. dotal.*

2 Quia mariti bona omnia pro dote sunt mulieri etiam tacite obligata, *l. vnic. C. de rei vxor actio. l. assiduis, 12. C. qui pot. in pign. hab.*

3 AEstimatio enim hoc casu, vt & aliis plerisque, facit venditionem, *dict. l. plerunque, §. si ante & sequent. D. de iur dot.* at non puram & simplicem, sed dotis causa, *l. quoties, decimasexta, eod.*

4 Interdictum enim in quo non nisi de possessione tractatur, non potest cum hypothecaria cumulari, in qua de iure pignoris, itemque dominij debitoris in necessarium antecedens quæri oportet. Et quamuis hypothecaria nihil nisi nudam possessionem auocet, *l. si cum venditor, 66. ff. de euict.* tamen sapit petitorium, ideoque cumulari non potest cum remedio possessorio, siquidem nihil commune habet proprietas cum possessione, licet inde fiat, vt qui actionem vnam proposuit, non continuo alij renunciasse intelligatur, *l. naturaliter, 12. §. nihil commune, ff. de acquir poss. ff.* Vide tamen Hotoman. *de hac quæst. in quæst. illustr. 29 & quæ scripsi in Chiliad.*

5 Quæ nouo iure facienda est priusquam agi possit contra tertium possessorem, *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

6 Quo casu præferenda est æquitas rigori iuris & nimiæ subtilitati, *l. fitio. 17 ff. de iniust. rupt. l. sicut 8 §. si debitori, 16. quibus mod. pig. soluit.* Iudicium enim dotis bonæ fidei est, in quo non conuenit de apicibus iuris disputare, *l. si fideiussor, 29. §. quædam, ff. manda.* ne sub auctoritate iuris scientiæ pernicioſe erretur, *l. si seruus, 91. §. sequitur, de verb. oblig.* & inde profic scatur iniuria vnde iura nascuntur, *l. meminerint, 6 Cod. vnde vi.* Vnde tritum illud prouerbium. *Summum ius, summa iniuria, summa crux.* Facit *l. si mulier, 59. §. ex asse, in fin. ff. de iur. dot. Fachin. lib. 1. cap. 3.*

7 De cuius clausulæ effectu & potestate vide quæ scribam *Defin. seq.*

8 Semper enim succurrendum ei est, qui sine facto suo & sine culpa sua cecidit à possessione, *l. vlt. C. de acquir. poss. l. si de eo, 40. §. 1. vbi Bart. & alij, ff. eod.* & habet hypothecaria perpetuam istam conditionem, in soluta est pecunia, *l. grege, 1. §. etiam, ff. de pignor. l. penult. in fin. de except. rei iudic. l. debitor, 59. D. ad SC. Trebell.*

9 Solet enim idem ius esse liberorum & matris in causa dotis, *l. assiduis, 12. §. exceptis, C. qui potior. in pignor. hab.* licet dotis priuilegia non tranicant ad extraneos mulieris heredes *l. vnic. C. de priuil. dot.* præcipuámque causam fauor dotium illam habeat, ne mulier sit indotata, quo possit facilius nubere ad replendam liberis ciuitatem, *l. 1. ff. soluto matrim.* quæ ratio cessat in liberis, tametsi maternam dotem parentibus.

10 Quod iudex nunquam facere potest, sed ea tantum supplere debet, quæ peri possunt ex iure, *l. vnic. vbi DD. C. vt quæ desid. aduo par. iud. supp.* Harmenop. *lib. 1. tit. 4.* Alioqui iudex supplendo videtur patrocinari non iudicare, vt tractat Aul. Gell. *lib. 14. Noct. Attic. ca. 2.* Etsi potest interdum iudex multa facere ex officio etiam irrequisitus. De quibus vide Rip. *ad l. 4. §. hoc autem, ff. de damn. infect.*

11 *l. vlt. C. de fideic. libert.*

DEFINITIO III.

De effectu clausulæ, Omni meliori modo, in libello appositæ.

CLausula, *Omni meliori modo*, in libellis apponi solita, facit vt iudex ad ius partis attendere debeat potius, quam ad ineptam petitionem.[1] Inde fit, vt licet conclusio libelli sit de petitorio, trahi tamen possit libellus ad possessorium, & contra, propter huiusmodi clausulam.[2] Sed ita demum, si ea, quæ in libello narrantur, congruant,[3] id est, non minus petitorium respiciant quam possessorium. Nam si nihil sit in libello, quod alterutrum respiciat, non potest ex eo sequi condemnatio, tametsi probationes suppetant,[4] nec si aduersarij confessio accedat,[5] sed ad aliam actionem omnimodo actor remittendus est.[6] *Ita Senatus* in causa D. de la Velliere & D. de Rogemont 10. Calend. Febr. 1595.

1 Afflict. *decis. 144. nu. 2.* Masuer. ad Papiens. *in form. act. real. vers. quare, ad fin.* Capyc. *decis. Neapol. 11. num. 1.*

2 *Arg. l. cum pater, 7. §. filius matrem, de legat. 2.*

3 *Arg. l. vnum ex familia 67. §. si omissa, eod.*

4 Nam cum ex facto ius oriatur, non potest libelli conclusio adaptari, ne quidem per interpretationem ad id, de quo nihil in libello narratum sit. Idque est quod dici solet, ius ex re constituendum esse, *l. 1. §. Diuus, ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Item ius in causa positum esse, quanquam alio sensu ita locutus est Alfen. *in l. ex plagia, 52. §. in cliuo capitolino. ff. ad leg. Aquil.*

5 Sententia enim conformis esse debet libello & petitioni actoris, non responsioni, quam reus fecerit ad petitionem, *l. fin. C. de fideic. liberis. l. præses, 32. ff. de pan. l. de rebus, 43. de recept. qui arbitr.*

6 *Vt in l. Bibius, 20. in fi. ff. de pact. dotal.* Facit *l. quòd in diem, 7. §. 1. ff. de compens.* [Inde est quod qui agit hypothecaria non idcirco censetur imploraſſe beneficium *l. vlt. C. de acqu. poss.* & clausulæ constituti, quamuis in conclusione libelli adiecerit clausulam, Omni meliori modo, Et ita Senatus noster passim. Et rursum non facit hæc clausula, vt qui egit interdicto Vnde vi contra tertium bonæ fidei possessorem, quod iure non licet *l. cùm à te 7 ff. vnde vi* censeatur imploraſſe remedium *can. redintegr.* quod eo casu specialiter implorandum est, vt scripsi *Defin. 8. num. 4. & Vnde vi.* Ita Senatus in causa Nicolai Toynet, & Francisci Butut 5. Cal. April. 1612.]

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI
DEFINITIONVM FORENSIVM, ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ Senatu Tractatarum,
LIBER TERTIVS.
TITVLVS PRIMVS.
De Iudic.

DEFINITIO I.

De litibus, quæ apud inferiores tractantur Iudices, non nisi magna de causa euocandis.

QVoniam vbi cœptum est iudicium ibi & finem accipere debet,[1] non immerito creditum est odiosas esse euocationes litium, quæ apud inferiores tractantur Iudices,[2] ob idque nec facile concedendas, id est, nisi ex magna & prope modum necessaria causa.[3] Forte si inferior iudex alterutri litigantium suspectus esse cœperit,[4] nec alius sit, qui in eius locum substitui commode possit,[5] aut si apud superiorem iudicem alia lis tractatur inter easdem partes, cuius tanta sit cum ea, quæ euocatur, connexitas, vt sententia quam in vna lite ferri continget, paritura sit exceptionem rei iudicatæ in alia,[6] aut vt rerum iudicandarum contrarietas timeri possit.[7] Extra hos casus & si qui sunt similes, vix est vt euocatio permitti debeat, licet apud inferiorem iudicem nondum fuerit lis contestata.[8] *Ita Senatus* in publico Auditorio pro D. Aduocato de la Cley, contra Dom. de Chandee, Prid. Calend. Aug. 1588. Iunge Defin. 9. infr.

1 *L. vbi acceptum*, 30. iunct. *l. si quis posteaquam*, 7. *D. hoc tit.*

2 Quia difficile est, vt litigatores in aliud iudicium transferantur, quin cum alterutrius captione id fiat, quod tamen ne eueniat summopere cauendum est, *l. penult. §. vltim. D. de vacat. & excusat. muner.* Facit *l. penult. de iurisd. l. de qua re*, 74. *D. hoc tit.* Sed & contumelia quædam in eo fit iudici, apud quem reus præuentus est, *l. si quis posteaquam*. 7. *D. eod. litigatores*, 11. *D. de recept. qui arbitr.* Ideoque nec alij, quàm supremi magistratus, qui Principis vices gerunt, euocandi ius habent, scilicet vt hoc nomine vtantur. Decernere namque potest ex causa iudex superior, vt apud se tractetur lis, quæ apud inferiorem tractabatur, sed euocationis nomine vti nec potest, nec debet. Rebuff. *in tract. de euocat.*

3 Vbicunque enim iusta causa & æquitas mouet, subueniendum est, & licitum sit quod alioqui non liceret, *l. vbicumque* 21. vbi Gothofr. *D. de interrog. in iur. fac.*

4 Omnes enim lites sine suspicione procedere oportet, vt loquitur Iustin. *in l. apertissimi*, 16. *C. hoc tit. l. obseruandum*, 47. *D. eod.*

5 Litigantibus fortasse nolentibus in alium eligendum consentire, *l. vlt. C. eod.* aut quod in alium iudicium transferri litigatores non possint sine alterutrius captione, *d. l. pen. §. vltim. de vacat. & excus. muner.*

6 Quæ præiudiciales sunt cognitiones, de quibus *in l. generaliter*, 12. *& seqq. l. fundum*, 16. *l. fundi*, 18. *l. rei maioris*, 21. *D. de except. §. præiudiciales*, *Instit. de action.* Idem est si futurum sit, vt non facta euocatione causę continentia diuidatur *l. nulli*, 10. *C. hoc tit.* maior autem causa hoc casu trahit ad se minorem, *l. per minorem*, 54. *D. hoc tit.*

7 *l. 1. & 2. D. de quib. reb. ad eund. iudic. eat. l. singulis*, 6. *de except. rei iudic.*

8 Etsi enim ante litis contestationem iudicium acceptum dici non potest, tamen certa iudicis iurisdictio est, quia non dantur hodie iudices vt olim à prætore post litem contestatam, *l. 2. C. de pedan. iudicib.* * Obserua autem eo iure nos vti hodie, vt solus Senatus possit euocare ab inferioribus iudicibus, non etiam cæteri, quamuis contra sentiat Rebuff. *in tractatu de euocat. in præfat. quæst. 5. ex l. iudicium* 58. *D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Minima causa suspectum facit iudicem in testationibus excipiendis.

IVdex præsertim ordinarius, etsi post litem contestatam suspectus dici non potest,[1] nisi noua suspicionis causa,[2] vel causæ iustæ notitia[3] superuenerit: Si tamen ob familiaritatem, quam cum vno ex collitigatoribus maiorem quam cum alio exerceat,[4] vel ex qua alia probabili causa suspectus dicatur, abstinere debet à dictandis excipiendisve testationibus:[5] quod ea res omnium maxime præcipui sit momenti ad litis victoriam comparandam:[6] Cum ex facto, vt dici solet, ius oriatur,[7] factum autem plerumque tale esse credatur, quale ex testium dictis apparet.[8] Sed & sententia siue per sordes siue per gratiam contra ius reddita, per iudicem, qui de appellatione cognoscit, in melius reformari potest.[9] Probationes vero si per sordes aut gratiam dictantis exactiores aut leuiores factæ sint, vix at ne vix quidem possunt restitui.[10] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio 14. Cal. Decemb. 1588.

1 Quia per litis contestationem consentitur in iudicem, *l. apertissimi*, 16. *Cod. hoc titul. l. nemo*, 4. *C. de iurisdiction. omnium iudic.* & ne lites in infinitum extendantur, vt ait *dict. l. apertissimi.*

2 De quibus suspicionis causa vide *l. lex Cornelia*, 5. *in princ.* & ibi Comment. Gothofr. *D. de iniur.*

3 Paria enim sunt, causam nullam subesse, aut eam, quæ est ignorari, *arg. l. annus*, 6. *D. de calumniat. l. 1. §. vlt. quand. app. sit*, *l. pen. §. vlt. de vacat. & excus. muner.*

4 *l. liberi*, 28. *in fin. C. de inoff. testam.* Vel ob occultas inimicitias, quæ non facile probari possint, vt in *l. non distinguemus*, 32. *§. cum quidam*, *D. de recept. qui arbitr.* Facit *l. 4. §. si accusatio, de legation.*

5 Id est, vt vulgo loquuntur, à faciendis inquestis.

6 *l. 1. 2. 3. & pass. D. de testib.*

7 *l. si ex plagis*, 52. *§. in cliuo capitolino*, *D. ad leg. Aquil.*

8 *l. ob carmen*, 21. *§. vltim. & l. seq. D. de testib.* Vnde fit plerumque, vt non tam deficiat ius quam probatio, *l. duo sunt*

Titij;30.*D.de testam.tutel.*id est,vt deficiat ius, quia deficit probatio.

9 Quia appellationis remedium inductum est aduersus iniuriam iudicis, qui prior pronunciat, *l.ait prætor*, 7.§.*quid tamen*,*D.de minor.l.si per imprudentiam*,51.*l.Herennius*.63.§.1. *D.de iudic.l.*1.*in prin.D.de appell.* Potest etiam ex his causis dari restitutio contra causam, *l.Diuus*;*D.de re iudic.*

10 Propter metum subornationis,ex quo didiscita sunt testificata, *c.fraternitatis*, *& c.series*, *Extr.de testibus.* Item quia si idem testis sæpius audiatur, statur primæ depositioni iuratæ Guid.Pap.*quæst.*546.Dicam *Defin.*4.*J.de testib.*

DEFINITIO III.

Non cogitur coram inferiore iudice litigare, qui apud superiorem in alia lite iisdem instrumentis vti cogitur.

CVm quidam apud Senatum conuentus pro parte debiti instrumentum edidisset,quo probabat nihil se debere,postea vero apud inferiorem iudicem pro reliquo debito vrgeretur; Visum est,posse eum iuste recusare, ne iudicium suscipere cogeretur propter litem apud maius tribunal institutam.[1] Quæ licet non esset de eadem quantitate, ex eadem tamen debendi causa pendebat,iisdemque oppositis exceptionibus terminari poterat,quarum probatio ex iisdem quoque instrumentis petenda commode scindi nec posset nec deberet.[2] *Ita Senatus* 13.Calend.Decemb.1588.

1 Nam & is, qui ad maius auditorium vocatus est, si litem in minori inchoatam deseruit, contumax non videtur, *l.contra pupillum*,54.§.*is qui*;*D.de re iud.*

2 Neque enim fieri potest, vt eodem tempore quis edat siue iudici siue aduersario eadem instrumenta in diuersis tribunalibus.Facit *l.*4.§.*vltim.& l.*6.§.1. *D.de edend.l.*1.*& 2. de quibus rebus adeund.iudic.*

DEFINITIO IV.

Quibus casibus heres sequatur forum defuncti.

QVod vulgo iactatur, hæredem sequi forum defuncti,[1] eo demum casu verum est, quo vel absens defendatur ab alio, vel ibi ille ipse inueniatur.[2] Aut si cum defuncto iam cœpta lis erat.[3] Extra hos casus conueniri hæres debet in domicilio proprio,non defuncti.[4] Neque enim defuncti domicilium transit ad heredem.[5] Quin & cum absens hæres est,si in loco domicilij defuncti conueniatur,non nisi ad primum vsque decretum veniendum est, ne iniuria hæres afficiatur, si secundum accedat, quod sententiæ diffinitiuæ vim obtinet.[6] *Ita Senatus* 5.Non.Decemb.1588.

1 *Ex l.heres absens*,19.*l.si is qui Romæ*,34.*D.hoc tit.*

2 Hi enim duo casus sunt,quos Vlpian.exprimit *in d.l.heres absens.*

3 Vt in casu quem Iauolenus tractat *in d.l.si is qui Romæ.*

4 Ex iuris regula,quæ vult vnumquemque in sui domicilij loco conueniendum esse, & actorem forum rei sequi debere, *l.*2.*C.de iurisd.omn.iud.l.vlt.C.vbi in rem actio.*

5 Paul.Castr. *ad d.l.heres absens.* Domicilium enim facti est, non iuris, cum totum ex patrisfamilias voluntate animique destinatione æstimetur, *l.*3.*&* 4.*l.si adsumptio*,6.§.*filius*, *&* §.*iurisprudentibus l.libertus*,17.§.*patris D.ad municip.* quæ autem facta sunt, non transeunt ad alium, *l.qui heredi* 44. *D.de condit.& demonstr. l.quod seruus*, 24. *D.de acquir. possess. l.legatum*, 21.*de adim. legat.*

6 Sic idem Paul.Castrens. *ad d.l.heres absens*, vbi vide. Item quæ de primo & secundo decreto scripsi in Chiliad. *De errore pragmat.Decad.*10.*Error.*6.

DEFINITIO V.

Filia in mariti,non in patris siue viui siue mortui domicilio conuenienda est.

FInge igitur debitoris filiam nuptam homini alterius fori,quam cuius pater fuerat. Si de actione hæreditaria contra eam instituenda tractetur, placet ibi eam esse conueniendam,vbi maritus domicilium habet,[1] sequitur enim vxor domicilium mariti,[2] Adeo,vt etiamsi in eo loco reperiatur, vbi defunctus debuit & domicilium habuit, possit nihilominus exceptione fori se defendere,[3] quoniam non propria exceptio illa est, sed communis, &, vt nostri loquuntur, in corpore iuris clausa.[4] Si tamen bona aliqua sint hæreditaria in loco domicilij defuncti, nihil prohibebit capi ea pignori, sufficiétque notam filiæ factam executionem, hactenus nimirum, vt in eorum possessionem mitti creditor possit ex primo decreto, non item ex secundo.[5] Itaque cum quidam aduersus filiam hæredémque debitoris ex contractu paterno acturus ad patris non ad mariti domicilium citationem fieri curasset,[6] tum ob non solutam pecuniam, quæ debebatur, bona quædam hæreditaria pignori capta essent,[7] subinde decretum super iis subhastationibus interpositum,[8] Senatui visum est, malè factam executionem, quod citatio neque in persona debitricis, neque ad domicilium facta fuisset, tametsi colono ipsius denunciata proponeretur.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex ea ipsa iuris regula, quam attulimus, *Defin.prox.nu.*4. Vnumquemque in sui domicilij loco conueniendum esse, *d.l.* 2.*C.de iurisdict.omn.iud.d.l.vlt.C.vbi in rem act.*

2 *L.cum quædam*,19. *D.de iurisdict.l.filij*,22. §.1.*l.ea quæ*,32. *l. vltim.*§.3.*D.ad muni.ip.*si modo iustæ nuptiæ fuerunt,*l.penult.*§. *vlt.eod.*

3 Nisi iam cœpta lis erat ante contractas nuptias;, *d.l.cum quædam.*

4 Ita Bart.Bald.Castr.post gl.*ad d.l.heres absens.*

5 Idem Castrens.supra dicto loco.

6 Et male,quamuis nec nupta filia fuisset,si modo alibi domicilium constituisset, quia liberi ciuitatem, ex qua pater naturalem originem ducit, non domicilium eius sequuntur, *l.*3. *&* 4.*l.adsumptio*,6.§.*filius*,*D.ad municip.*

7 *Ex tit. C.si in caus.iudic. pign. capt. fit.* quia instrumentum guarentigiatum sententiæ vim obtinet, Bart. *in l.cum vnus*,12. *D.de reb.auct.iud.possid.*

8 Ad confirmandas subhastationes tanquam rite & recte factas, ne postea de earum forma & nullitate quæri posset propter auctoritatem rei iudicatæ, *l.seruo inuito*,65.§.*cum prætor.D. ad SC.Trebell.* Itaque in proposita facti specie supplendum est ab ea interpositione decreti prouocatum fuisse,nec nisi ex appellatione Senatum cognouisse.

9 Tunc enim colono aut inquilino denunciationem factam esse sufficit,cum ad domicilium facta est,non aliter, *l.*4.*§.prætor ait,in fin.D.de damn.infect.l.*5.§.*& si forte, &* §.*sequ.D.quod vi aut clam.*Scripsi Defin.1.3.*de in ius voc.num.*6.

DEFINITIO VI.

Clericus calumniatus apud iudicem laicum condemnari ab eo potest.

CLericus, qui laicum per calumniam accusauit; potest eo nomine condemnari ab eo ipso iudice laico, qui de accusatione cognouit.[1] Non ea quidem pœna, quæ caput aut existimationem afficiat, sed pecuniaria,ne impunita sit calumnia,[2] quæ ab alio iudice vindicari non potest.[3] Atque ita sæpius Senatum iudicasse relatum est 6.Idib.Decembr.1588.

1 *Cap.at si clerici*,vbi gloss.& Panorm.*Extr.hoc tit.* Guid.Bened.*in ca.Raynutius, in verb. & vxorem nomine Adelasiam*, *Decis.* 2.*nu.*416.*& seq.Extr.de testam.*Mynsing.*centur.*2.*quæst.*67. Guid. Pap.*qu.*73.139.*&* 561.

2 Calumnia enim nunquam impunita relinquenda est, *l.*1. §.1.*D.si mulier ventr. nomin. in possess. calumn. caus. ess. dicet.* nec rursus ab alio iudice vindicanda, quam ab eo cuius dignitas per calumniatorem offenditur;licet reuera separatum sit crimé

BIU Cujas

calumniæ ab eo, de quo per accusationem principalem quærebatur, *l. vltim. D. de calumniat.*

3 Alioqui calumniæ facultatem ex clericali dignitate capere quis facile posset, quod ferendum non est, *argum. l. penult. D. de hered. instit.*

DEFINITIO VII.

Alienæ liti interueniens sistere eam non potest, sed in eo statu in quo lis est, interuenire debet.

SI, cum inter me & te controuersia penderet de hæreditate Titij, alius interueniat qui eam hæreditatem suam esse dicat, ita demum in eodem iudicio audiendus erit, si nulla per cum liti nostræ mora fiat.[1] Nam si iam lis inter nos instructa erat, & ad coronidem perducta,[2] aut breui perducenda,[3] prius est, vt de mutuo iure nostro pronuncietur.[4] Idque est quod dici solet: Eum qui alienæ liti interuenit, in statu interuenire debere, id est, ita vt litis principalis status nil immutetur, neque inchoata negotij cognitio interrumpatur aut differatur.[5] *Ita Senatus* ex tempore, contra R. Dn. Alfonsum d'Elbene Abbatem Altacombanum nunc Episcopum clariss. Albiensem, 4. Id. Ianuar. 1589.

1 Etsi enim suas moras habet iudicij exercitio, *l. etiam, 15. in princ. D. vt leg. seu fideic. nom. caueat.* sicut & executio, *l. quod debetur, 51. D. de pecul.* non tamen ferendum est, vt ex facto alieno & aliunde, quam ex ipsa lite proficiscantur.

2 Quod euenit cum iam in causa concluſum est, quomodo pragmatici loquuntur, quia ex eo tempore processus, vt aiunt, habetur pro iudicato.

3 Parum enim refert, an quid iam factum, an proxime faciendum sit, *vulg. l. pen. D. de milit. testam.*

4 *Argum. l. Bæbius, 30. in fin. D. de pact. dot. l. 3. in princip. D. vt in poss. legat.*

5 Bart. *d. l. si perluſorio, 14. §. 1. D. de appellat.*

DEFINITIO VIII.

Eremodicium contrahi non potest ex facto falsi procuratoris, nec si postea secuta sit ratihabitio.

SI falsus procurator pro re contra me iudicio adfuerit, ego vero abfuerim, non potest ferri pro te sententia,[1] nec si falsi procuratoris factum tu ratum habueris, siue ante siue post sententiam,[2] si non à tempore ratihabitionis secutæ ex integro fiam contumax.[3] Neque tamen eo minus cogar appellare, si perperam fuero condemnatus:[4] Postquam iure nostro inductum est, vt ab ea quoque sententia quæ nulla est prouocari oporteat.[5] Sed litis expensas tanquam contumaciales tibi refundere non ero cogendus.[6] Non enim contumax fuisse videri possum, cum tu rite ac debito tempore ad iudicium ipse non veneris:[7] Aut si vterque nostrum fuit contumax, mutua compensatione vtriusque culpam purgari necesse est.[8] *Ita Senatus* ex tempore Prid. Id. Ianuar.

1 Quia neuter ex litigatoribus adesse intelligitur, cum per alium adesse dici non possit, qui procuratorem non constituit, nisi proponas falsum illum procuratorem ius agendi habuisse etiam sine mandato, puta tanquam coniunctam personam præstita rati satisdatione, *l. sed & hæ. 35. ff. de procur.* Vtroque autem litigatore absente nihil decerni potest, nisi forte per arbitrum, facto scilicet ea lege compromisso, *l. diem proferre 27. §. si quis litigatorum, ff. de recept. qui arbitr.*

2 Itaque ratihabitio hoc casu non æquiparatur mandato, vt alias solet, *l. vlt. C. ad SC. Maced.* quia nimis sero fit post lapsa tempora intra quæ fieri debuit, vt iudicio adfuisse videretur is, cuius nomine falsus procurator adfuerat, *arg. l. pen. ff. rat. rem haber. l. vlt. in princ. ff. quis ord. in bon. poss. seruet.*

3 Ex integro enim faciendum est, quod perperam factum fuit, si quidem nec factum intelligitur, quod perperam & vitiose factum est, *l. 6. ff. qui satisd. cog. l. 2. ff. de act. tutor. l. post edictum, 73. §. quod si is, & seq. D. hoc tit.*

4 Nam ex peremptorio condemnatus absens si appellet audiendus est, dummodo non per contumaciam defuerit, *d. l. & post edictum, 73. §. vltim. D. hoc tit.* hic autem contumacia nulla interceſsit.

5 Dixi Defin. 6. §. *De arbitr.*

6 Vt cogendus essem si vere fuissem contumax, quia verus contumax non auditur appellans, nisi refusis expensis, *dict. l. & post edictum, 73. §. vltim. l. properandum, 13. §. cum autem, C. hoc tit.* Refusio enim expensarum purgat contumaciam, ideoque expensæ istæ præiudiciales appellantur, quod tamen ex ritu nostro practico magis quam ex iure descendere videtur, quia nulla lex est, quæ verum contumacem audire velit, ob id solum quod contumaciales expensas refundere sit paratus, vt constat *ex dict. l. properandum, §. sin autem reus, in fin. & dict. §. cum autem.*

7 Proinde hoc casu circumducitur edictum, vt Vlp. loquitur *in d. l. & post edictum §. quod si is, D. hoc tit.*

8 *Arg. l. vlt. §. pen. D. de eo per quem fact. erit, l. si duo, 36. D. de dolo, l. domum, 57. §. vlt. de contr. empt. l. vire, 39 D. solut. matr.*

DEFINITIO IX.

Interdum si suspectus sit locus in quo ius redditur permittendam litis euocationem.

EVocandæ litis, quæ coram inferiore pendebat iudice, iusta causa illa esse creditur,[1] si lis sit inter subditum & dominum, qui per se aut suos magistratus iniuriam subditis inferre soleat.[2] Si tamen domini mores minus suspecti sint, quam vt causa non cognita tam iniuriosus haberi debeat,[3] commodius est, vt citra euocationem alius iudex à Senatu detur,[4] qui in alio loco non suspecto[5] litem instruat & terminet. *Ita Senatus* eodem die pro Ioanne Gaudinon Aduocato magni apud nos nominis.

1 Nam sine causa non fit euocatio tanquam odiosa, vt dixi Defi. 1. §. *eod. ex l. si post eaquam, 7. l. de qua re, 70. D. hoc tit. l. cum quædam, 19. D. de iurisd. l. litigatores, 11. ff. de recept. qui arbit.*

2 Guid. Pap. *qu. 440.*

3 Neque enim facile credendus quis est iniuriam velle comminisci, cum bonus quilibet præsumatur, *l. cum pater 77. §. rogo filia, 25. de leg. 2.* præsertim cum per iudicem & magistratum res expeditur, *l. vlt. in princ. ff. de eo quod met. caus.*

4 Hoc enim casu mutata persona solius iudicis non idcirco mutatur iurisdictio, nec proinde iniuria vlla fit domino iurisdictionis.

5 Nam ad locum suspectum litigator ire nunquam cogitur, *l. qui tamen 21. §. pen. ff. de recept.*

DEFINITIO X.

De sumptuum condemnatione negligenti litigatori in negligentiæ pœnam irroganda.

HInc inde per collitigatores deducta facti quæstione, prolatisque ab altero licet nondum publicatis testationibus,[1] si aduersarius ex principali diplomate petat, vt ad nouas facti allegationes proponendas admittatur, non aliter audiendus est, quam si consentiat, vt suis sumptibus in contrarium allegentur & probentur, quæcunque aduersarius alleganda sibi probandaque parauerit,[2] licet in prima aut secunda instantia id fiat, non in tertia.[3] Sic enim constitui æquissimum est, vt facti sui pœnam patiatur, qui vltro liti moram adfert.[4] *Ita Senatus 9.* Cal. Febr. 1589.

1 Nam post publicatas testationes non facile allegationes aut probationes nouæ reciperentur, *cap. series, & cap. fraternitatis, Extr. de testib.*

2 Impensas enim debet quisquis dat iis causam, *arg. l. si verò, 12. §. vltim. l. si quis, 27. §. impendia, ff. mandat. l. 2. in fin. Cod. de plur. petit.*

3 Nam in tertia instantia nunquam sine refusione expensarum admittuntur nouæ allegationes. Stil. Senat. art.

4 Debuit enim esse diligentior & vigilantior, *l. 15. §. vlt. & l. seq. ex quib. caus. maior.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XI.

Quando de pluribus petitionibus simul, aut ex ordine pronunciandum sit: Et quid si fori præscriptio allegetur?

QVoties mutuæ sunt collitigantium petitiones, de omnibus simul iudicium accipiendum est.[1] Sed hoc ita: Si vtraque petitio ante litem contestatam proposita fuerit,[2] & vtraque æque vel certa sit vel incerta. Alioqui si altera tantum sit certa & comprobata, de illa prius pronunciandum est, postea de reconuentione cognoscendum, ne per alteram alteri mora fiat.[3] Porro non ex eo solo impedietur reconuentio coram iudice laico, quod actor sit clericus,[4] aut contra coram iudice ecclesiastico, quod actor sit laicus. Neque enim fori priuilegium vllum habere actor potest, cum apud eundem iudicem in eodem negotio conuenitur,[5] nec si criminaliter reconueniatur.[6] *Ita Senatus* in causa Do. Martelli Episcopi Nicensis, & D. Petri Lamberti. In secreto auditorio, 4. Id. Februar. 1589.

1 *Cap. 1. & tot. tit. Extr. de mut. petit. l. 1. & 2. D. de quib. reb. ad eund. iudic. eat. l. 1. §. vlt. quæ sent. sine app. rescind.*

2 Nam post litem contestatam non admittitur reconuentio in eadem instantia, *auth. & consequenter, C. de sent. & interloc. omn. iudic.*

3 *d. authen. & consequenter in fin.*

4 Dubitandi ratio erat, quia in reconuentione reus est actor, Actor autem sequitur forum rei, siue laicus ille sit, siue clericus, *l. 2. C. de iurisd. omn. iudic. l. vlt. C. vbi in rem act.* Vide tamen Canonist. *ad cap. at si clerici de iudic.*

5 Cuius enim quis in agendo obseruat arbitrium, eum habere & contra se iudicem non dedignetur, Scilicet in eodem negotio, vt ait *l. cum Papinianus, 14. Cod. de sentent. & interloc. omn. iudic.*

6 Dummodo ratione eiusdem negotij, vt proxime diximus, quia nec consentit quis in iudicem ob id solum, quod apud eum agit, nisi ratione illius rei de qua agit, vt limitata causa limitatum producat effectum, *vulg. iurib.* Vide Robert. Marant. *de ordid. iudic.*

DEFINITIO XII.

Clericus heres laici non sequitur forum defuncti, nec contra.

ETsi mortuo vno ex collitigatoribus pendente lite non idcirco perit instantia, sed in hæredem continuatur,[1] si tamen clericus heres laici, aut è contrario laicus hæres clerici proponatur, priuilegij ratione instantiam perire necesse est, vt à competenti iudice fieri possit condemnatio.[2] *Ita tractatum sæpius est*, Sine die.

P

1 *L. heres absens, 19. l. si petitor, 31. l. si is qui Romæ, 34. D. de iud. l. secum hominem, 33.* vbi Bart. *D. de fideiuss.*

2 Abb. & Felin. *in cap. quia Cod. extr. hoc tit.* Mynsing. *centur. 3. obseru. 45.*

DEFINITIO XIII.

De recusandis inquisitoribus deputatis in partibus.

QVod plerisque Senatus decretis cautum est, vt qui audiendis testibus inquisitor datus fuit recusari non possit, postquam in ea loca venit vbi inquiri oporteat, vtque neglecta eiusmodi recusatione, adeoque appellatione qualibet commissum sibi negotium exequi possit,[1] non ad eos pertinet, qui in partibus, vt loquimur, id est, in prouincia ipsa in qua testes degunt, deputantur, sed ad eos duntaxat quos necesse sit ex prouincia aut ex ciuitate vna commeare in aliam, vnde citra damnum expensarum, & itineris incommodum redire non possint.[2] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Locman, contra Syndicos de Monluel, Cal. Iul. 1591.

1 Solemne & generale arestum est.

2 Quia quod ad istos inquisitores attinet, non potest imputari recusanti, cur eos citius non recusauerit, si nullum inde damnum aduersarius aut inquisitor ipse passurus fuit, *arg. l. si post tres, 8. D. si quis caut. l. quid tamen, 21. §. vlt. & l. seq. D. de recept.*

3 *Arg. l. 3. §. vlt. D. de testib. l. sed si quis, 7. D. testam. quemadm. aper. l. si quis pro vxore, 21. D. de dona. int. vir. & vxor.*

DEFINITIO XIV.

De acceptatione facta sub modo conditionali.

QVi oblationem ab aduersario factam in iudicio acceptauit, hoc tamen addito, vt certum quid aliud præterea sibi præstaretur, si id iustum & æquum iudici videretur, non eo minus pure acceptasse videbitur, secuta postea quandocunque sententia, per quam iudex quid iustum & æquum arbitraretur, declarauerit.[1] Proinde non poterit is qui obtulerat, ab ea sententia appellare, vtpote quæ oblationi factæ consentanea videri debeat,[3] quasi eo saltem tempore acceptata oblatione, tametsi ante sententiam pure acceptata non fuisset. Conditio enim quæ extitit perinde habetur ac si nunquam adiecta esset.[3] Et vt nostrorum verbis vtar, sententia huiusmodi seipsam tuetur & iustificat.[4] Sed & ante sententiam satis acceptata videbatur oblatio, ita vt ab ea resiliri non posset, cum conditio non tam acceptationi quam restrictioni, & vt ita dicam, modificationi acceptationis adiecta proponeretur.[5] Inde namque fiebat, vt acceptatio maneret pura, restrictio autem conditionalis & consequenter nulla pendente conditione, nulla etiam post impletam conditionem.[6] Vel ob id maxime quod restrictio illa per modum modi facta fuerat non per modum conditionis.[7] Modus autem adiectus non solet actum suspendere,[6] sicuti nec conditio quæ iuris est magis quam facti.[9] *Ita Senatus* in causa nobilium fratrum Pelard, 7. Calend. Iunij 1590.

1 Est enim hic casus ex iis, in quibus postfacta quid in præteritum fuerit declarant, *l. qui res, 99. §. rem autem, D. de solut. l. huic scripturæ, 15. §. 1. D. ad leg. Aquil.*

2 Nam quemadmodum si conuenerit inter litigatores, quid iudicandum sit, iudex idipsum sequi cogitur, *l. si conuenerit, 26. D. de rei iudic.* ita nec litigatoribus permittendum est, vt ab eo quod semel voluerunt, postea recedant.

3 *L. potior, 11. vers. cum enim semel, D. qui potior. in pign. hab.*

4 *Arg. l. si Stichum, 8. §. qui ita, & l. quoties, 14. §. 1. D. de noua. l. nuda 5. C. de contr. stipul.*

5 *Arg. l. auia, 77. §. pater, de cond. & demonst.*

6 Quia conditio semper nihil est, & antequam impleatur & postquam impleta est, vt scripsi *lib. 15. Coniect. cap. 6. & 7.*

7 Differt enim modus à conditione, *l. cum ab eo, 41. de contr. empt.*

8 Cravet. *cons. 59. nu. 1. & cons. 273. nu. 9.*

9 Decius *in l. actus legitimi, nu. 6. de reg. iur.* Facit *d. l. auia, 77. in fin. de cond. & demonst. leg. licet, 12. D. vt legat. nom. caueat.*

DEFINITIO XV.

Casus in quo post didicita testificata nouæ facti allegationes & probationes admittuntur in eadem instantia.

SI post publicatas testationes reus aliquid alleget, quod nouorum articulorum materiam præbeat actori, non est impediendus actor quominus in eadem instantia & absque beneficio Principis non deducta deducat, & non probata probet,[3] dummodo nouæ allegationes nihil commune habeant cum prioribus, id est, neque simile neque contrarium quicquam.[2] Huc enim pertinet quod dici solet: Ea quę de nouo emergunt nouo indigere auxilio.[3] *Ita Senatus* 15. Cal. Dec. 1590.

1 Non enim potest imputari actori cur non diuinauerit ab initio ea, quæ post publicatas testationes aduersarius esset obiecturus, *arg. l. si putavor, 31. in fin. D. ad leg. Aquil. l. si fideiusser,*

BIU Cujas

29. §. *si cum debitor, D. mandat. l. 4. §. illa etiam quæstio, D. de doli mal. except.*

2 Nam si vel simile vel contrarium aliquid habeant, non sunt admittendæ propter metum subornationis, nisi adsit concomitantia instrumentorum, vt dicemus *ad tit. de testib.*

3 *l. de ætate, 11. §. ex causa, de interrog. in iur. faciend. l. si ab arbitro, 10. in fin. D. qui satisdat. cogant. l. oratione, 7. in fin. D. de fer.* cum aliis pene innumeris per Gothofred. citatis, *in d. §. ex causa.*

DEFINITIO XVI.

Maritus lite pendente heres institutus eandem litem prosequi potest heredis iure.

QVi primum tanquam maritus exegerat,[1] postea vxoris testamento heres scriptus eandem instantiam prosequi potest, neque nouam instituere cogitur:[2] Non enim actio sed sola qualitas actionis videtur immutata: quæ res non impedit, ne vtiliter cœptum iudicium suo marte currat.[4] *Ita Senatus* in causa D. Henrici Bay, tum magistri computorum, contra Dominam March. de la Chambre, Prid. Id. Decembr. 1590.

1 Puta pro dote, cuius ille dominus est, *l. doce 6. C. de rei vindic.* aut tanquam coniuncta persona pro rebus non dotalibus *ex l. maritus, 21. C. de procur.*

2 Ferrarien. *in form. libelli quo vxor agit de dot. vel vsufr. in verb. vxor. num. 3.*

3 *Vt in l. in delictis, 4. §. si detracta. ff. de noxal. action.*

4 Guid. Pap. *quæst. 21.*

DEFINITIO XVII.

Socer soceri in causa soceri iudex esse non potest.

ETsi non ex eo solo suspectus iudex dici potest, quod adfinis sit alterius adfinis,[1] socerum tamen soceri iuste recusari posse placuit, quod is plusquam adfinis sit,[2] quippe qui parentis locum obtineat,[3] eodemque passim iure & honore censeatur.[4] *Ita Senatus* in causa nobilium fratrum Du Saix & N. Gaspardi de Maliuert, D. de Conflens, 8. Id. Iul. 1592.

1 Nam adfinis mei adfinis non est mihi adfinis, sicut nec socij mei socius meus socius est, *l. qui admittitur, 19. cum seqq. ff. pro socio, l. consilij 47. §. vlt. de regul. iur.* nec liberti mei libertus meus est libertus, *l. Modestinus, 105. de verb. signific.*

2 Manente tamen adfinitate non etiam dirempto iam matrimonio *l. pen. ff. de iur. dot.*

3 *l. quia parentis 10. ff. solut. matr. l. vltim. in princip. D. de his quæ vt indign.*

4 *l. rei iudicatæ, 15. D. solut. matr. l. sicut autem, 21. & seq. D. de re iudic.*

DEFINITIO XVIII.

Casus in quo contumax petere potest, vt ex aduersarij instrumentis victoriam litis sibi liceat comparare.

QVi iubenti iudici acta litis exhiberi ad ferendam sententiam non paruit, si aduersarij diligentia vrgeatur, nec exhibere possit aut velit, petere tamen potest & debet, vt ex ipsius aduersarij instrumentis, quæ per productionem communia semel esse cœperunt,[1] defensiones suas iudex inspiciat, earumque ius tueatur. Nam cum id factum est perinde explorari dispicique oportet quid in actis sit, vt bene iudicetur, atque si is, qui exhibendo contumax fuit, debitam in ea re diligentiam præstitisset.[2] Præcipue vero ea res curæ esse debet supremo iudici, id est Senatui, post quem nemo iudicaturus est, qui iudicati iniquitatē si qua fuerit corrigere possit.[3] Itaque Senatusconsultum his verbis concipi oportet: *Passant outre pour le proffit de la forclusiō, & faisant droit sur les pieces remises.* Nec eo minus tamē condēnandus est contumax in expensas contumaciæ, tametsi fortasse quod ad litis decisionem attinet potiore nitatur iure.[4] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Genier & Dionysiæ Plancheuille, 18. Cal. Decemb. 1592.

1 Instrumentum enim quod semel ab altero ex litigatoribus productum est, hoc ipso fit commune, non quidem ratione dominij (remanet enim eius cuius est charta) sed ratione vtilitatis, Bart. *in l. 1. §. editiones, num. 8. ff. de edend.* Dixi ad Defin. *6. num. 13. & ill. tit. De edend.*

2 Quasi hoc casu non tam nihil quam minus exhibeat is, qui negligens aut contumax est in exhibendo.

3 Maior enim fit iniuria ei qui condemnatur, si neque appellationis, neque aliud vllum auxilium ei supersit. Nam in causa appellationis obtinet quod vulgo dici solet, Quæ non deduxi deducam, quæ non probaui probabo.

4 Textus est in *l. properandum 13. § sin autem ex gestis, C. hoc tit.* etsi locus ille est de reo contumace in non veniendo ad iudicem, non in non exhibendo. Adde *auth. ei qui appellat. ad fin. C. de temp. & repar. appell.* [Rectè autem *in expensas contumaciæ* quoniam alias litis expensas potest etiam cōtumax obtinere, adeoque appellans, si modo causam bonam habeat in principali negotio & in causa appellationis. *Ita Senatus* in causa D. de Marolle & Hugon 10. Cal. Iunij 1612.]

DEFINITIO XIX.

De appellante qui in edendis actis litis contumax est semper condemnando.

TVm vero maxime locum habet quod modo diximus, cum ex appellatione cognoscitur, & is in exhibendis actis litis contumax est, pro quo iudicatum fuit.[2] Nam cum appellans contumax est, & de iudicato confirmando agitur, solet Senatus noster facilius, adeoque non visis actis pronunciare contra appellantem:[3] Præsumi enim potest pro sententia, etiam à qua est appellatum, cum appellantis contumacia interuenit,[4] quę proculdubio facit, vt non nisi frustrationis causa prouocatum videri debeat.[5] Nisi proponas de ea re agi, quæ sit maximi præiudicij, & quæ non minus ad publicam, quam ad priuatam contumacis vtilitatem spectet. Tum enim videnda erunt & dispicienda litis acta omnia, ne quod in odium contumacis constituendum esset publice damnum adferat.[6] *Ita Senatus* pro N. Iano Pensabin apud Senatum procurante contra Syndicos, N. 14. Cal Decemb. 1592.

1 De videndis actis à contumacis aduersario exhibitis si id petatur.

2 Siue actor ille ab initio fuerit siue reus.

3 Qui enim appellat prior, agit, *l. qui appellat. 29. D. hoc tit.* Cum actore autem, si contumax sit, durius agitur quam cum reo, vt fere semper condemnetur, & cadat omnino de lite, si reus absoluatur, nisi iudex meliorem causam eum habere licet absentem prospexerit, vt Iustinianus loquitur *in l. properandum, 13. §. sin autem ex gestis, C. hoc tit.*

4 Quia contra contumaces, vt vulgo iactari solet, omnia iura clamant, licet condemnatus ex contumacia non tam ob id victus præsumatur, quod malam causam habuerit, quam quod contumax fuerit, *l. si ideo, 55. D. de euict. l. Papinianus, 8. §. meminisse, D. de inoffic. testament.* ex quo magis apparet, contumacem non eo minus posse condemnari, quod bonam causam habeat. [Sed hoc ita si non visis actis pronuncietur. Alioqui poterit contumax vincere, adeóque litis etiam expensas obtinere, vt dixi *ad Def. præced. nu. vlt.* Quod si contumax non possit vincere, non eo magis tamen consequens est, vt statim condemnari debeat. Finge enim reum illum esse qui defensiones nullas attulerit, & ab iis proponendis excluſus sit. Non ideo vincet actor, si suam intentionem non probauerit, quam semper & ante omnia probare debet. *Ita Senatus* contra D. de Monsaint Iean in secreto auditorio 5. Id. Febr. 1613.]

5 *l. tutor, 41. in princ. D. de vsur. l. vlt. D. de re iudic. l. 2. l. nemo, 3. & pass. C. de temp. & repar. appell.*

6 Neque enim contumacia alij, quam ipsi contumaci nocere debet, *l. si perluſorio, 14. §. quoties, D. de appellat. & aliis vulgar.* Quidni ergo, inquies, aduersus contumacem perinde hoc etiam casu fertur sententia, quæ non sit aliis nocitura? Sed tamen potest facile contingere, vt nec contumax ipse condemnari pos-

BIU Cujas

nari possit, quin aliis damnum & præiudicium saltem quale quale irrogetur, puta si de re vniuersitatis agatur contra Syndicum contumacem, vt in proposita facti specie.

DEFINITIO XX.

Appellans quomodo appellationis causas possit reddere.

QVid autem si appellationis suæ causas reddere iussus appellans nullas reddiderit, sed tantum professus sit, velle se vti actis prioris litis ad obtinendum in causa appellationis? Poterit ea res sufficere, vt obtineat si ex actis primæ aut secundæ instantiæ appareat aliter iudicari debuisse. [1] Illæ enim scripturæ grauaminum vt practici vocant, non constituunt litem appellatoriam, [2] sed appellationi duntaxat adminiculum præbent, ideoque extra processum esse existimantur. [3] Acta tamen prioris instantiæ per appellantem exhiberi oportebit, si volet ille in appellatione vincere. [4] Alioqui etiam non visis actis propter contumaciam erit condemnandus: [5] tametsi acta ab aduersario producta pro suis implorauerit. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nam & eo modo probatur iusta appellandi causa, & appellandi facultas est, vt appellationem suam prosequatur quibuscunque potuerit modis, *l.3.§.vltim.l.appellanti* 13.§.1. *D.de appellat.*

2 Quæ constituitur per conclusionem in causa petente Appellante, vt sententia rescindatur, priorisque litis petitiones sibi adiudicentur, Appellato contra vrgente, vt sententia confirmetur.

3 Ideoque solent aduocati qui has scripturas dictant, plerunque sic præfari, *Ce sont les griefs que baille hors le procés, N. appellant, &c.*

4 Non enim potest appellans vincere, qui nullas appellationis suæ causas reddiderit. Hic autem nullas reddit, qui ne quidem acta exhibet, ex quibus possit iudex animum suum instruere, an iusta sit appellatio, nec ne.

5 Quia præsumptio est pro sententia contra appellantem contumacem, vt dixi Defin. prox. *num.* 4.

6 Debet enim ille aliquid facere & proferre de suo, vt obtineat in causa appellationis, qui iam est condemnatus. [Alio tamen iure plerumque vtimur, & quoties procurator contumacis petit, vt inspiciãtur acta litis appellatoriæ, sunt inspicienda.]

DEFINITIO XXI.

Clericus in habitu secularis militiæ repertus fori priuilegium non habet.

NOn habet priuilegium fori clericus qui in habitu secularis militiæ repertus est, siue ob desertam secularem quoque militiam, siue ex cuiuslibet alterius criminis causa reus fiat, quia militiæ ecclesiasticæ renunciasse creditur, qui ad secularem se transtulit. [1] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 25. sup. de Episc. & Cleric.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. qu.* 73. *nu.* 6. Eman. Soarez *in commun. opin. in verb. clericus.* Imbert. *lib.* 4. *Instit. forens.* Guid. Pap. *quæst.* 138. Talis enim quisque præsumitur, qualis extrinsecus videtur, & in quali habitu reperitur, *l. si ignorans*, 50. *D. locat. l. item apud Labeonem* 15.§. *si quis virgines, D. de iniur.* Text. est accommodatior *in l. generaliter* 52.§.1. *C. de Episc. & Cleric.*

DEFINITIO XXII.

In iudiciis exercendis locus-ne iudicij spectandus sit, an locus contractus.

CVm quæritur an locus iudicij spectandus sit in iudiciis exercendis, an locus contractus, probanda est illa nostrorum distinctio, vtrum de ea re agatur, quæ ad iudicij ordinationem, vt loquuntur, spectet, an de ea quæ ad litis decisionem, vt priore casu locus iudicij attendatur, posteriore vero locus contractus. [1] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 3. & 4. sup. De legibus.

1 Guid. Pap. *qu.* 262. *& cons.* 218. *in fin. ex l. semper in stipulationibus* 34. *de reg. iur. l. si fundus* 9. *D. de euict. l.* 1. *in prin. D. de usur.*

DEFINITIO XXIII.

De ferenda sententia contra actorem, qui post factam ex instrumento guarentigiato executionem contumax est.

ACtore ad eum diem quem reo dixit, in ius non veniente, solet reus absolui non à petitione, sed ab obseruatione iudicij, cum victoria expensarum, damnorum & interesse. [1] At quid si actor ab executione inceperit, vt hodie fit, ex instrumentis, quod aiunt, guarentigiatis? [2] Parum erit reo absolui ab obseruatione iudicij, si non ipsa quoque executio irritetur. [3] Ideoque non tantum ab obseruatione iudicij absoluendus est, sed etiam ab executione. [4] An igitur condemnandus erit actor, vt pignora, quæ executor acceperit, & iam distraxerit, restituat? [5] Atqui id fieri non debet in præiudicium emptoris, siue priusquam reus intercederet distractio facta sit rerum immobilium, siue bonorum mobilium pignora capta sint, & post intercessionem debitoris licitè distracta, elapsumque decendium, quod ad redemptionem datur. [6] Sufficiet ergo condemnari actorem in id omne quod rei interest. [7] In quo veniet ipsorum quoque pignorum quæ distracta sunt, nisi reddantur, æstimatio, [8] & si quid præterea intersit. Nec admissa est sententia existimantium in expensas tantum contumaciæ condemnandum actorem, neque nisi ab obseruatione iudicij rem absolui oportere: at potius citandum iterum & audiendum priusquam ad restitutionem pignorum condemnaretur. Nam si ius ita constitueretur, iniuria proculdubio fieret reo, quem ex reo actorem fieri necesse esset. [9] Planè non est quod in odium contumaciæ intercessionem legitimam esse pronuncietur, quoniam ita eueniret, vt de intercessionis, & consequenter de petitionis iure pronunciaretur, [10] quod vtique fieri non debet: [11] Quamuis dici possit odiosiorem esse debere causam actoris iudicium fugientis, quam rei, [12] vel ob id maxime, quod cum in ipsius potestate fuerit quando ageret, [13] non debuerit iudicis auctoritatem, quam ipse prior implorauerit, contemnere. [14] *Ita Senatus* pro Iacobo Baudrey, contra Syndicos de Chasteauneuf, 4. Id. Februar. 1593.

1 *l. properandum* 13.§. *etsi quidem, C. hoc tit.* Ioann. Imbert. *lib.* 1. *Instit. forens.*

2 Quoniam creduntur ex statuti auctoritate habere vim sententiæ & condemnationis, Bart. *in l. cum vnus, D. de rebus auctor. iud. possid.*

3 Executio enim plus quam iudicium, & sententia est, nec iudicis eget auxilio qui iam obtinuit executionem, *l. minor annis* 40. *in princip. D. de minor.*

4 Quando ideo irritam fieri & pronunciari oportet, ne alioqui semper teneat quæ semel tenuit.

5 Ac si nulla vnquam condemnatio præcessisse intelligeretur, *vt in l. si cum nulla* 58. *D. de re iudic.*

6 Verum enim est rite factam esse executionem, neque creditoris contumaciam æquum est nocere emptori inaudito, *argum. l. si perlusorio* 14. *§.* 1. *D. de appellat.* & cui ius quæsitum est publica auctione, *argum. l. ait prætor* 7. *§. quæsitum, Cod. de minor. l. iuste possidet* 11. *D. de acquir. poss.* præsertim cum hic emptor non tam à creditore contumace, quam à debitore ipso ius & causam habere intelligatur, *l.* 1. *Cod. si in caus. iudic. pignor. capt. sit, l. si ob causam* 28. *Cod. de euict.* Scripsi in Chiliade *Decad.* 1. *Error.* 5. *& seqq.*

7 *Arg. l. contumacia* 53. *D. de re iudic. l. vlt.* §. 1. *D. de appell.*

8 *Vt & in l.* 1. *ff. de action. empt. l. in interdicto* 6. *ff. de vi, & vi armat.*

9 Nemo enim nescit plerumque duriorem esse causam a-

BIU Cujas

ctoris, quàm rei, præsertim in eo, quod & prior oneratur probationibus, *l. qui accusare 4. C. de edend. l. actor 23. C. de probat.* & minus fauorabilis existimatur, *l. Arrianus 41. D. de oblig. & act. l. fauorabiliores 125. de reg. iur.*

10 Ita enim fieret, vt si ex integro agere & exequi actor vellet, obstaret ei exceptio rei iudicatæ, quæ tamen non obstabit irrita duntaxat facta executione, *arg. l. quod in diem 7. §. 1. D. de compens.* iunct. *l. si autem 8. §. si quocunque modo, D. de neg. gest.*

11 Ne effectus amplior sit sua causa. Contumacia enim nocere non debet, nisi in eo ipso actu in quo interuenit, *l. damni 28. §. si vicinas, D. de damn. infect. l. vlt. §. 1. D. de appell.* Hic autem contumax fuerat actor, qui executionem à se factam tueri debuerat, & de iure suo docere, priusquam de intercessionis iure quæri oporteret. Neque enim disputari potest, an reus legitimam intercedendi causam habuerit, quamdiu non constat de iure actoris, *c. vlt. Extr. de iureiur. l. vlt. C. de rei vind.* Ergo contumacia actoris, quæ facit, vt de ipsius non iure appareat, eadem non patitur, vt de rei iure quæri possit, nec proinde pronunciari, quia de qua re iudex non cognouit de ea, nec pronunciare debet, *l. de qua re 74. à contr. sens. D. hoc tit.*

12 *Arg. l. properandum 5. sin autem ex gestis, C. hoc tit.*

13 *L. purè 5. §. vlt. D. de doli mali except. l. petendæ 6. C. de tempor. petend. in integr. restit.*

14 *l. contumacia 53. §. vlt. D. de re iudic. l. cum Papinianus 14. C. de sentent. & interl. omn. iudic.*

DEFINITIO XXIV.

De nouo iudice in eadem iurisdictione substituto.

COEpta instantia coram Titio si pendente lite alienata iurisdictio sit, in qua Titius iudicandi munere fungebatur, apud nouum iudicem quem iurisdictionis emptor constituerit tractanda & peragenda est. Neque hic locum habet, quod vulgo iactari solet, Vbi cœptum est iudicium ibi & finem accipere debere. [2] Translata enim iurisdictione, eas quoque lites omnes quarum exercitio ad eandem iurisdictionem pertineat, transferri necesse est. [3] Si tamen non inchoatam litem prosequi, sed nouam instituere actor velit, non male ad prioris litis expensas, quas inutiles & superuacuas fuisse apparet, condemnabitur. [4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 7. Cal. Iul. 1593.

1 Eadem enim iurisdictio est, licet mutata sit persona iudicis, nouo iudice in prioris locum substituto, ac si prior ille itemque iurisdictionis prior dominus decessisset, vt *in l. penult. D. iudic. solui, l. mortuo 60. D. hoc tit.*

2 *l. vbi acceptum 30. D. hoc tit.*

3 *Arg. c. translato sacerdotio, Extr. de constit.*

4 *l. edita,* & ibi DD. *C. de edend. l. cum quem temere 79. D. hoc tit. l. qui solidum 78. §. etiam, de leg. 2.* Alioqui suum aduersarium inanibus sumptibus impune vexauerit, quod ferendum non est, *arg. l. minoribus 6. D. de minor.*

DEFINITIO XXV.

Post litem vere aut fictè contestatam reconuentio non est admittenda.

SIcuti post litem vere contestatam reconuentio non admittitur: [1] Ita nec si ficta contestatio præcesserit, puta ex contumacia rei litem contestari nolentis, [2] aut ad iudicem venire detrectantis, quia tantundem hac parte potest ficta contestatio, quantum vera, [3] sufficitque haberi litem pro contestata, [7] ne alioqui per contumaciam melior conditio fiat, quæ deterior potius fieri deberet. [5] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro Do. de Copponey, contra D. de Verdon, Prid. Iulij 1593.

1 *Auth. & consequenter, C. de sent. & interl. omn. iudic.*

2 Alioqui numquam posset contumax condemnari, cum litis contestationem præcedere sit necesse, vt ferri possit sententia, *l. properandum 13. Cod. hoc titul. l. vnic. si quis ius dicent. non obtemp.*

3 Id enim est quod dici solet, tantundem operari fictionem in casu ficto, quantum operatur veritas in casu vero, *l. 1. §. pen. D. de acq. poss. l. certe 6. §. 1. D. de precar. l. vnic. D. de rei vxor. act.* Tractant nostri ad *l. si quis pro emptore, D. de vsucap.*

4 Propter contumaciam, ne alioqui in contumacis potestate sit ne vnquam condemnetur, *argum. l. 1. l. 2. §. Scæuola de eo quod cert. loc.* Absens enim nemo condemnatur, *l. 1. §. item cum ex edicto, D. quæ sent. sin. app. rescind.* nec rursus præsens quinquam inauditus; itaque contumacem non solum pro præsente haberi oportet, *auth. qua in prouincia, vers. sed si nec ipse, C. vbi de crim. agi oport. l. etiamsi 29. §. vlt. de minor.* sed etiam pro audito, id est, pro eo qui litem fuerit contestatus.

5 *l. hominem 37. D. mandat. l. si plures 38. D. de administ. & peric. tutor. l. quid autem 35. D. de excus. tutor.*

DEFINITIO XXVI.

De rescripto aduersus instantiæ peremptionem impetrando.

STatutum Sabaudiæ quod de instantiarum peremptione factum est, [1] licet ad eas lites non pertineat, quæ in Senatu agitantur, [2] districtè tamen obseruatur, earum litium ratione, quæ apud inferiores iudices tractantur, [3] hactenus nimirum, vt ei qui negligens extitit necessarium sit rescriptum Principis aduersus instantiæ peremptionem, [4] vt vel diligentiores fiant litigatores ad lites peragendas, quippe quas cito diffiniri & expediri publicè interest, [5] vel negligentiæ suæ pœnas pendant. [6] Cum vero in odium negligentis litigatoris ius hoc comparatum sit, consequens est, vt si peremptionem instantiæ obiiciat is, cuius oneri incubuit, vt ex præcepto iudicis quid faceret, tum cum litis exercitio intermissa est, non sit audiendus: Non quasi negligens non fuerit aduersarius qui interlocutionis executionem non vrserit, [7] sed quia ferendus non sit, qui aduersario negligentiam imputet, suam vero non agnoscat. [8] Quare idem quoque dicendum erit, si quod plerumque fit postrema interlocutione vtrique litigatori iudex aliquid iniunxerit, vt mutuæ negligentiæ culpa mutua compensatione tollatur. [9] Quid ergo si in eo statu lis sit interrupta, cum litigatores vtrique ad probandum admissi essent? Dilationem quæ in eam rem data est communem fuisse nemo ambigit. [10] Sed tamen quoniam actore nihil probante reus absoluendus est, tametsi nihil præstiterit, [11] dici potest nullam reo imputandam esse negligentiam quamdiu nullam actor diligentiam adhibuit, [12] ob idque non eo minus posse reum actori quandocunque litem repetenti exceptionem instantiæ peremptæ obiicere. At fieri interdum potest, vt à reo potius quam ab actore probatio exigatur. Nempe si actor habeat fundatam, vt loquuntur, intentionem, [13] puta si parochus decimam petat à parochiano, & parochianus contendat minorem se decima portionem debere. [14] Itaque tutius erit impetrari hoc casu rescriptum, nisi æquitas aliqua subsit aut facti circumstantia, propter quam impetrandi eius necessitatem remittendam esse Senatus putet. [15] Ita ex tempore in publico auditorio in causa Antonij Bourgeois, & N. Blondel, 5. Cal. Decemb. 1593.

1 *Lib. 2. Statut. Sabaud. Stat. 127. & 163.*

2 Hoc enim est quod vulgo iactatur, *les fataux n'ont point de lieu par deuant le Senat.* Vide Defin. 36. ff.

3 Non enim præsumptio est, quod inferior iudex multitudine causarum impeditus sit, ne tam cito finem litibus imponere potuerit, quomodo præsumptio est fuisse per Senatum ob causarum multitudinem, cum lis pendet apud Senatum. Antonin. Tessaur. *Decis. Pedem.*

4 Quod rescriptum tamen impetratur in parua cancellaria, vt dici possit ius hoc inductum esse locupletandi ærarij causa, & vt restitutionum omnium, quæ ex rescripto Principis impetrantur, cum olim à prætore ipso pro sua iurisdictione concederentur, quemadmodum scripsi alio loco.

5 *l. 3. §. 1. D. de recept. qui arbitr. l. quidam 21. de rob. cred. l. 1. §. in de quæritur, D. de oper. noui nunciat.*

6 *l. pu-*

BIU Cujas

6 *l.pupillus 24.quæ in fraud.credit.l.non enim 16. D.ex quib.caus. maior.*

7 Etsi verum est non potuisse eum cogi, vt vrgeret, *l.si iudex circumuento 28.D.de minor.*

8 Quia nec potuit aduersarium vrgere, quam prius ipse satisfeciſſet, *arg.l.Iulianus 13.§.offerri, D.de act.empt.* Ergo nec ei imputare, cur non satisfecerit.

9 *l.viro 39. D.solut. matrimon. l.vltim. in fin. D.de eo per quem fact.erit.*

10 *l.pesendæ 6.in fin.C.de temp.in integr.restit.*

11 *Cap.vlt.extr.de iureiur.l.4.C.de eden.*

12 Actorum enim est litem prosequi, reorum fugere. Vnde & reum φεύγοντα vocat Iustinian. *in dict. l.properandum 13.Cod. hoc tit.*

13 Nam in exceptione reus actor est, *l.in exceptionibus 19. D.de probat.*

14 Ea namque portio iure diuino & pontificio decima est, licet ex consuetudine & pro locorum diuersitate plerumque sit minor, *cap.1.& pass.Extr.de decim.*

15 Est enim id positum in arbitrio Senatus, si suprema manu remittere velit necessitatem impetrandi rescripti, quod tamen non nisi ex magna causa & parce facere solet.

DEFINITIO XXVII.

De chirographario debitore contumace.

SI is qui ex chirographo conueniebatur in ius venerit & ad diem contestationi dictam contestari noluerit, dubitatum est, An ea contumaciæ potestas sit, vt statim hic condemnari debeat, an vero aliud nihil dici possit, quam chirographum haberi pro recognito, vt alia dilatio contumaci detur ad arcendam si facere poterit condemnationem, quod pragmatici dicunt *pour deffendre à la condemnation*. Quidam putabant locum esse condemnationi, In eoque deterioris conditionis esse contumaciam eius, qui litem contestari non vult, quam qui in ius vocatus nō venit, [1] ne alioqui videatur Senatus supplere in facto si diuinet aliquas reo defensiones competere posse, cum is nullas allegare voluerit. [2] Visum tamen est interloquendum esse, vt quo tardius eo iustius ad diffinitiuam condemnationem veniatur. [3] *Ita Senatus* in causa Gothofredi Treppier, & Cl. de Mondragon 13. Cal. Ian. 1593.

1 Quia grauius delinquit, qui præsens negligit iudicem, quam qui absens, *arg.l.1.§.secundo loco, vers.casum ff.de postul.l. 2 ff.de re iudic.*

2 In facto autem supplere iudex nunquam potest, ne Senatus quidem, vt notant nostri *ad tit. C.vt quæ des.aduoc. part.iudic. suppl.*

3 Nam sicut moratoria cunctatio non est probanda, ita nec præceps festinatio, *l.tutor 7.§.1.ff.de admin.tutor.* præsertim in iudice, cuius potissimum officio incumbit prouidere ne quam male iudicando iniuriam alterutri litigantium inferat. Quid enim refert an sordibus iudicis, an per eius stultitiam & imperitiam læsus sit litigator? *l.si per imprudentiam 51. ff.de euict.* In Senatu vero potissimum ratio hæc locum habet, qui non aliter iudicare debet quam Princeps ipse esset iudicaturus, *l.vnic.de offic.præf.præt.*

DEFINITIO XXVIII.

Nihil pendente lite inconsulto iudice, nisi inter consentientes faciendum esse.

AStimatio bonorum aliaue quælibet litis & iudicij actio, quæ facta sit lite pendente, altero duntaxat ex litigatoribus vrgente, sed inconsulto iudice, nec aduersario consentiente, [1] quamuis in eam rem vocato, [2] nullius omnino momenti est, [3] ne ius dicentis auctoritas impunè neglecta videatur. *Ita Senatus* in causa R.N. Morel Presbyteri, & Leonardæ Simon 13. Calend. Mart. 1594.

1 Nam si quid fieret inter consentientes etiam inconsulto iudice proculdubio valeret. Quid enim aliud agebat iudex, quam vt controuersias eorum dirimeret? Inquit Vlpianus *in l. 1.§.inde quæritur, ff.de oper.noui nunciat.*

2 Si enim vocatus non esset, alia ratio irritum faceret, quod absente aduersario factum esset, quia ad omnem actum vocandus est quisquis ex eo lædi potest, *l.nam ita 39. D.de adopt.l.etiam 29.§.vlt.D.de minor.*

3 Quia quæcunque post litis contestationem contingunt (neque enim nisi post litem contestatam iudices olim dabantur, *l.2.C.de pedan.iudic.*) officium & arbitrium iudicis desiderant & consequenter eius præsentiam, *l.quod si nolit 31.§.sed hoc dicemus, ff.de ædil.edict.*

4 Spernit enim iudicem is, qui vel it ad alium, *l.litigatores 11. D.de recept. qui arbitr.* vel sibi ipsi ius dicit, *l.extat 13. de eo quod met.caus.*

DEFINITIO XXIX.

Minori contumaci in accipiendo curatore ad litem curator etiam absenti & inuito dandus est.

MInor ad iudicem venire iussus, vt curatorem acciperet, quo auctore postea constitueret procuratorem ad persequendam litem, quæ cum eius patre fuerat instituta, si tribus edictis vocatus non venerit, non ideo in pœnam contumaciæ pro maiore habendus erit, vt in eum indefensum ac sine curatore iudicium reddi possit: [1] Sed hactenus erit condemnandus, vt officio iudicis non solum inuito, sed etiam ignoranti ei curator detur ad litem, [2] cum quo iudicium exerceri, & subinde sententia ferri possit. Dari autem poterit curator etiam inuitus aliquis ex iis procuratoribus, qui publicum procurandi officium in eodem tribunali exercent, [3] quia inter curatorem ad litem & procuratorem litis causa constitutum nihil aut parum interest. [4] Quod si viuat is qui patris procurator fuit, æquissimum est, prior ipse cogatur ad curationem in lites suscipiendam, quippe qui de toto negotio verisimiliter melius instructus aptiores minori defensiones parare possit. [5] Neque enim dubitandum est, quin is qui defuncti procurator fuit, idem & filij & alterius heredis cuiuscunque procurator esse cogi possit, quia nec procurationem à defuncto acceptam viuo eo sine causa deserere potuisset. [6] Eadem quippe non solum patris & filij, sed etiam defuncti & heredis cuiuslibet persona esse intelligitur. [7] Sicque iam pridem à Senatu nostro constitutum esse quidam referebant. Plane si minor curatorem non habens procuratorem ad lites constituat, adhibito, vt fieri solet, iureiurando, curatoris auctoritas non erit necessaria, quia iurisiurandi religio facit, vt pro maiore habeatur. [8] Dices: Quidni igitur contumacia facit, vt minor pro eo habeatur, ac si procuratorem legitimè & omni meliori modo constituisset, vt in eum reddi iudicium vtiliter possit? Nam cum contumacia sit delictum, [9] constat minoribus non subueniri in delictis. [10] Sed respondetur, Minoris contumaciam facere duntaxat posse vt pro præsente, [11] non etiam vt pro iurato habeatur, quoniam iuramentum est quid extrinsecum & accidentale, quod propter solam contumaciam non magis suppleri potest, [12] quam si procurator à minore sine iuramento constitutus esset. [13] *Ita Senatus* in causa nobilissimæ matronæ Bonauenturæ Beisse, viduæ Dn. Tardy magistri Computorum, contra N. Antonium Fraret, 9. Calend. Maij 1594. Iunge Definit. 33. infr.

1 Nam contra minorem indefensum, id est, qui curatorem non habeat, propositum peremptorium nullius omnino momenti est, *l.contra 51.ff.de re iudic.*

2 Ad litem enim accipere curatorem minor etiam inuitus cogitur, *l.1.vbi Bald.C.qui pet.tut.l.1.2.& vlt.C.de in lit.dand.tut. vel curat.*

3 Nam cum hi publicum officium exerceant, cogi possunt, vt pro quolibet procurationem suscipiant, si non iustam afferant excusationem, ideoque comparantur, licet non satis bene meo iudicio, seruis publicis, de quibus in *l.2.ff.rem pupill.salu.*

BIU Cujas

for.l.1.§.exigere, de magistr.conuen.l.non aliter 18. *D.de adopt.* Sane differunt, maximè ab antiquis illis Procuratoribus, de quibus *in tit.D.& C.de Procur.qui non poterant inuiti constitui, l.filiusfamilias* 6.§.*inuitus, D.ill.tit.* & quorum officium gratuitum esse debebat, non vt nostrorum mercenarium, *l.item* 15. vbi Gothofr.

4 *L.neque tutores* 11.*C.eod.*iunct. *d.l.*1. *C.qui pet.tut. d.l.*1.2. *& vlt.C.de in lit.dand.tutor.*

5 Minori enim quantumlibet contumaci succurrendum est, quantum fieri potest, citra iniuriam aduersarij, cuius etiam interest minorem bene defendi, vt tanto difficilius postea in integrum restituatur.

6 Scripsi *Defin.*18.3.*de procur.*

7 *L.vlt.Cod.de impub.& aliis subst.l.post litem* 17.§.1. *D.de procurat.*

8 Dixi *Defin.*1.3.*Si aduers.rem iudic.*

9 *L.si plures* 18.*de admin.tutor. l.contumacia* 53. *§.pœnam, &* §. *vlt.D.de re iudic.*

10 *L.*1.*&* 2.*C.si aduers.delict.*

11 *Auth.qua in prouincia, vers.sed si nec ipse, C.vbi de crimin.agi oport.l.etiam* 29.§.*vlt.ff.de minor.*

12 Quia facti est, neque quicquam commune habet cum contumacia, vt ex ea debeat inferri ex necessitate, alioqui eueniret, vt hoc ipso minor periturus efficeretur, quod ne eueniat, quantum fieri potest, euitandum est, *Nouell.*82.*de Iudicib. c.*11. *quia vero, vers.ne ex hoc.*

13 Quo casu constitutio Procuratoris non valeret, *l.vlt.C. de in lit.dand.tut.vel curat.*

DEFINITIO XXX.

Contumacia impunita est eius, qui aduersarium æque contumacem aut negligentem habuit.

QVi ad dictam diem aut intra tempora in eam rem præstituta iudicio non adfuit, neque aduersario contumaciam potest obiicere,[1] neque si rursus citari aduersarium curauerit, qui iterum sit contumax, ob id vincere ipse debet, si non ex integro Procuratorem liti adfuturum constituat,[2] & quidem intra legitima tempora, ac si nec dum antea in iudicium venisset. Parum enim refert, nunquamne an non suo tempore venerit.[3] *Ita Senatus* 15.Cal.Maij 1595.

1 *l.& post edictum* 73.§.*quod si is, D.hoc tit.*

2 Circumducto enim edicto litigandum est ex integro, ac si omnino nihil dum factum esset, adeo vt dubitatum sit, an hoc casu sola edicti instantia, an vero ipsa quoque lis perierit, *d.l.& post edictum,*§.*circumducto.*

3 Ad constituendum scilicet aduersarium in mora & contumacia vt in proposito, *arg.l.Thais* 41.§.*intra certa tempora, D. de fideic.libert.*nam ad propriam contumaciam purgandam audiri quis posset & admitti post paucos dies, scilicet per viam exceptionis, & ita demum si nihil dum aduersarij interesset, *l.ersi post tres* 8.*D.si quis caut.* [Extra hunc casum posterior contumacia purgat & tollit vitium prioris. *Ita Senatus* sæpius & nouissimè 17.Cal.April.1612.]

DEFINITIO XXXI.

Casus, in quo sententia ex eremodicio contra absentem ferri non potest.

INterdum euenit, vt qui ad certam diem perorandæ liti dictam adesse noluit, vere contumax sit, nec tamen causa cadat.[1] Finge nullam dum ante eum diem præcessisse petitionem, nec proinde contestationem, (quod euenire potest, si forte lite criminaliter instituta nihil aliud petitum sit per libellum, nisi vt de crimine inquireretur.[2]) Postea vocato & audito reo vrgente actore diem dictam ad litem in auditorio tractandam: quis dicat, prius ad sententiam veniendum esse, quam lis sit contestata?[3] Aut contestationem ob contumaciam pro facto habendam, priusquam proposita sit actio, quæ pro contestata haberi possit?[4] Id enim est quod dici solet, non plus operari posse fictionem in casu ficto, quam veritatem in casu vero.[5] Igitur citandus rursum erit contumax, vt petitioni, quæ in contumaciæ pœnam nunc primum facta est, respondeat; interea tamen ad contumaciæ expensas statim condemnandus.[6] *Ita Senatus* in causa fratrum Prædicatorum Necien sium 14. Calend.Iul.1595.

1 Contra *reg.d.l.& post edictum,& l.contumacia* 53.*D.de re iudic.l.si ideo* 55.*D.de euict.*

2 Qui mos est agendi criminaliter. Incipitur enim ab inquisitione, nec agitur ad pœnam corporalem aut pecuniariam, nisi criminis & innocentiæ probationibus hinc inde factis.

3 *L.vnic.C.de lit.contest.l.*3.*in princ.D.de vsur.*

4 Actionem enim & propositam & editam esse necesse est, prius quam litis contestatio fieri possit, *d.l.vnic. C.de lit.contest. l.*3.*C.de edend.*

5 *L.qui ad certum* 14.*l.sed addes* 19. §.*vlt. D.locat. l.si is qui pro emptore* 15. vbi Bart.& cæteri, *D.de vsucap.*

6 *L.properandum* 13.§.*sin autem ex gestis, C.de Iudic. Auth.ei qui appellat, ad fin.C.de temp.& repar.appell.*

DEFINITIO XXXII.

De Iudice, qui à Principe delegatus est, subdelegante.

IVdex delegatus in ea causa, in qua delegatus est, eandem auctoritatem habet, quam alioqui ordinarius haberet,[1] in hoc tamen minus iuris habet, quod sibi mandatam cognitionem alij subdelegare non potest, nisi à Principe delegatus proponatur.[2] Huic enim velut priuilegij iure concessum illud est, quod maiorem quam ordinarius habere dignitatem videatur,[3] licet non firmiorem.[4] Nec tantum in ciuilibus causis, sed etiam in criminalibus hoc obtinet.[5] Sed hoc tamen ita accipiendum est, vt vnum duntaxat litis articulum subdelegare possit, non totam cognitionem,[6] cum per huiusmodi delegationes haud dubie eligatur industria personarum, quæ delegantur:[7] *Sine die.*

1 Boer.*quæst.*6.*num.*3.ex Angel. *in l.Iudex posteaquam, D.de re iudic.*

2 *l.à Iudice* 5.*C.hoc tit.*

3 *Cap.sane, de off. deleg.*

4 Archid.*in c.si quis Episcopus* 2.*qu.*7. quem refert Boer. *vbi supr.num.*2.

5 Boer.ibid.*num.*8.*post glos.*Bart.Bald.Castr. *ad l.vnic. in verb. iudicandas, C.qui pro sua iurisd.iudic.dar.poss.* licet aliter sentiant multi, quos refert idem Boer. *vbi* 3.*nu* 9.

6 Boer.*ibid.num.*10.*&* 11. vbi addit, huiusmodi subdelegationes quod ad vnum articulum fieri debere ratione litis ordinandæ, non etiam decidendæ.

7 Ratio est Alber. *in l.*1.*de offic.eius.* Alex. *in l.*1.*de iurisd.omn. iud.*Facit *Auth.vt defunct.seu funer.eor.*§.*vlt.ad fin.* Iudex enim, quæ sibi commissa sunt, exequi debet, non autem negligere, vel donare, *l.cum hi* 8.§.*si prætor aditus, D.de transact.*

DEFINITIO XXXIII.

Minor non habens curatorem, etiamsi sit contumax in eo petendo, nec in ius venire velit, non ideo tamen condemnandus est, neque tanquam contumax, neque tanquam maior.

SI ad tractandam litem eitatus sit is, de cuius ætate dubitatur, an minor sit nec ne, nolit autem ille in ius venire, quamuis sæpius ac sæpius vocatus, non ideo tamen pro contumace haberi & condemnari potest, priusquam appareat, esse maiorem. Nec enim contumax videri potest minor, si non habeat curatorem,[1] qui ei etiam inuito ad lites dari potest. Quid ergo? Iubendus quidem est vt veniat, sed & cum eo agnati, cognati, affines & vicini eius euocandi sunt, vt de ætate interrogentur, &, si minorem dicant, detur ipsi curator, quem elegerint, etiam inuito nedum absenti: si maiorem dicant, tunc tanquam contra maiorem eundémque contumacem lis peragatur & iudicetur. *Ita tractatum est.* Sine die.

1 Cum

BIU Cujas

1 Cum peremptorium impetratum aduesus minorem non defensum nullius omnino sit momenti, *l.contra pupillum 54. D.de re iudic.*

DEFINITIO XXXIV.

Siue calumniator quis sit, siue cauillator in recusando Iudice, mulctam eo nomine pati debet.

ETsi is, qui sine iusta causa suspectum facere voluit Iudicem, nihilo magis mulctam pati debet, nisi si quid per calumniam fecerit,[1] si tamen friuolas suspicionis causas allegauerit ob id solum, vt iudicato moram faceret, idque appareat siue ex propria ipsius confessione, siue ex aliis rerum argumentis,[2] æquè ad mulctam condemnandus est, licet pœnitentia ductus ab earum allegatione resilierit,[3] quia quod ad iudicij auctoritatem attinet parum refert, an quis calumniator sit, an cauillator.[4] *Ita Senatus* pro Ant. Lay, contra Franciscum Truffon 28. Mart. 1596.

1 Solis enim calumniatoribus mulctam ex hac causa irrogat stylus Senatus nostri.

2 *Vt in l.si longis 7. C.de execut. rei iudic. l.tutor 41. D.de vsur. l. vlt. D.de re iudic.*

3 Nemo enim sola pœnitentia nocens esse desinit, si iam aduersarium læsit, *l.qui ea mente 65. D.de furt.*

4 Nec enim minus offendit Iudicem, qui cauillatur, frustratur & tergiuersatur, quam qui calumniatur *l. . D.ad SC. Turpill.*

DEFINITIO XXXV.

Aduersarij mei procurator in causa criminali potest me in causa sua recusare. Non item si procurator sit in causa ciuili.

POssum Iudex esse in causa eius, qui est procurator contra me in causa ciuili, sed non in criminali:[1] imo nec in ciuili, si quid à procuratore per dolum aut calumniam in tractanda causa factum sit, quod excedat notissimos mandati terminos.[2] *Ita Senatus* in causa N. Claudiæ Pobel contra Ianum Pensabin 25. Decembris 1595.

1 Quoniam causa criminalis solet esse maioris momenti, in qua scilicet vix est vt non agatur, vel de capite, vel saltem de existimatione, quæ apud bonos & graues viros oneratur, *l.capitalium 28. D.de pœn.*

2 In eo namque videtur deliquisse nomine proprio non tanquam procurator, cum in mandato nunquam contineatur iussus delinquendi aut quicquam dolo faciendi, *l.creditor 60. §.vltim. D.mandat.* Porro vel sola ipsa doli allegatio etiam per viam exceptionis onerat existimationem apud bonos & graues viros, *l.4 §.aduersus, D.de doli mali except. l parens 5. §.vltim. l.licet famosæ 7. §. . D.de obseq. parent. & patron. præst.*

DEFINITIO XXXVI.

De peremptione instantiæ & de literis principalibus aduersus eam peremptionem impetrandis.

STatuta Sabaudiæ de terminis instantiarum, quæ lites vltra annum & mensem, aut ad summum vltra viginti menses, protrahi non patiuntur, iam inde à longo tempore in vsu esse desierunt, siue quod totum illud fere tempus vtile esse optimi Principes nostri voluerunt, cuius proinde vix certa vlla ratio iniri potest, quæ non maioris & longioris litis materiam præbeat, siue quod inueterato communique pene omnium gentium malo ita eueniat, vt lites, si non penitus immortales sint, saltem in longiora tempora producantur.[1] Quinimo statutis nostris expresse cauetur, vt totum illud tempus, quod à lite tractanda vacuum esse litigatores voluerunt, à calculo subducatur. Quod ipsum quoque moribus nostris exoleuit. Eo namque iure vtimur, quo etiam Galli,[2] vt si per triennium integrum litis persecutio omissa proponatur, necessarium sit diploma principale aduersus peremptionem, vt vocant, instantiæ, siue actor, siue reus ille sit, qui peremptam instantiam resuscitari velit.[3] Quanquam non nego esse hoc ex eorum genere, quæ pecuniarij commodi causa potius, quam ex iuris ratione videntur constituta, cum passim & sine causæ cognitione huiusmodi diplomata impetrentur, nunquam denegentur. Nam si iuris rationem sequeremur, vtique litem vltra triennij metas nullo modo viuere pateremur.[4] Illud sane diligenter obseruari solet, & debet, ne peremptionem instantiæ vnquam obiicere possit is, ad cuius onus pertinebat ex vltima Iudicis interlocutione, vt litem prosequeretur, ne suæ negligentiæ præmium ferat, qui diligentiam ipse præstare debuit, quam in aduersario requirit.[6] Plane apud Gebennenses nostros ea consuetudo inualuit, ne post annum & diem audiatur, qui litis instantiam quacunque de causa intermissam repetere velit, sed aduersarium de noue citari oporteat, non ad causam ex integro agendam, quod à Reipublicæ ac litigatorum vtilitate esset multo alienius:[7] sed ad litem in eo statu, in quo intermissa fuit, continuandam.[8] Quod etsi nullius legis auctoritate nititur, habet tamen rationem illam fortassis non leuem, quod in anno potuerint multa accidere, quæ fecerint, ne hodie lis tractari possit, & quæ tamen a litis procuratore ignorentur.[9] Ita in causa Dom. de Bonuillars, & Dominæ du Solliard. *Sine die.*

1 Vtiles enim dies non sunt, nisi in quibus de iure suo experiri quis potest, *l.1. D.de diuers. temp. præscript. l.1. Cod.de ann. except.*

2 Quod & Gothofredus notat *ad l.properandum 13. Cod. de iudic.*

3 Vt testatur idem Gothofred. post Rebuff. in proœm. Constit. *gloss.1. num. 51.* Vide statutum nostrum *127. incip. Ad causarum & 163. incip. Dilationum materiam, lib. 2.*

4 Nam de his, quæ sunt iuris ciuilis, potest Princeps pro arbitrio disponere etiam in præiudicium iuris, quod medio tempore alteri quæsitum fuit per actus ciuiles. Not. *in l.vlt. C.si contra ius vel vtilit. public.*

5 *d.l.properandum, in princip.*

6 Nemo enim ex negligentia sua meliorem suam conditionem facere potest, sed potius deteriorem, ne melioris conditionis sint negligentiores, *l.non enim 16. D. ex quib caus. maior. l. pupillus 24. D.quæ in fraud. credit.*

7 Non enim finis vnius litis debet esse alterius initium, *l.terminato 3. C.de fruct. & lit. expens. l.minor 40. in princ. D.de minor.*

8 Puta si medio tempore fuerit transactum de lite, aut solutum quod petebatur.

9 Semper enim iusta & probabilis ignorantia facti alieni, *l.vltim. D pro suo.*

DEFINITIO XXXVII.

De tertio interueniente alienæ liti & instantiæ.

TErtius interueniens liti inter alios institutæ in eo statu interuenire debet, in quo tunc lis reperitur,[1] nimirum si vltro & sponte interueniat, licet pro suo iure.[2] Nec enim debet esse in eius potestate, vt iudicium inter alios ante cœptum ac fortassis pene peractum in longiorem diem differatur,[3] sed si venditor ab emptore auctor laudatus sit, cum & ex necessitate interuenire debeat, & propriam magis quam alienam causam tueatur,[4] non est ei denegandum, vt & restitutionem in integrum sibi ex propria persona competentem implorare possit,[5] & Iudicem recusare; si iustam habeat suspicionis & recusationis causam,[7] quamuis ideo futurum sit, vt iudicij exitum differre sit necesse.[8] *Sine die.*

1 Bart. *in l.si pro lusorio 14. D.de appellat.* Afflict. *decis. 15. num. 1.*

BIU Cujas

nec in eo sit vlla iniuria interuentioni, quia si sententia sequetur pro eo, qui interuenit, reuocabitur executio prioris iudicati, *l. is à quo, D. de rei vind.* Afflict. *ibid. num. 1. in fin.*

2 Tess. *decis. Pedem. 4.*

3 *Cap. cum super de re iudic.* Contra tamen videtur tenere Bartol. *in l. si quis libertatem, D. de petit. hered. & in l. Titia, solut. matrim. & in l. si suspecta 29. de inoff. testam.* Bald. *in Auth. nunc si heres, C. de litig.*

4 Afflict. *d. decis. 15. num. 2.*

5 Afflict. *ibid. & num. 3.*

6 *Cap. cum super.* vbi DD. *de offic. deleg.*

7 Cum tamen regulariter non possit recusari Iudex post litem contestatam: *l. apertissimi, C. de iudic.*

8 Afflict. *dict. decis. 15. in fin. ex not. in cap. 1. & cap. auditis, extr. de in integr. restit.*

DEFINITIO XXXVIII.

Quando Iudex laicus & quomodo possit contra Clericum cognoscere.

NVllam Iudicis laici in Clericum iurisdictionem esse certum est, adeo vt nec tacito nec expresso Clerici consensu prorogari possit,[1] nec teneatur Clericus comparere,[2] ne quidem ad declinandam eam iurisdictionem, quæ notoriè sit incompetens, quod in cæteris casibus diuersum est, in quibus iurisdictionis incompetentia vel ignorari probabiliter, vel in dubium reuocari potest.[3] Planè si Iudex laicus edicto generali iusserit venire omnes, qui sua interesse putauerint, nocebit edictum etiam Clericis, si non compareant,[4] quia & comparendo, quod vltro faciunt, actores dicuntur, non rei:[5] neque fit hoc ex auctoritate iurisdictionis secularis, sed ex voluntate Clerici comparentis; si tamen agatur de possessorio beneficij aut alterius rei, de cuius iure non nisi apud Iudicem ecclesiasticum in petitorio agi posset, competens erit iurisdictio secularis,[7] quia possessorij causa etiam in spiritualibus temporale quid esse creditur, & ad Principis laici curam pertinens, non spirituale,[8] Sed hoc ita, si de retinenda per interdictū Vti possidetis, vel de recuperanda agatur, non etiam si de adipiscenda possessione, propterea quod interdictum Adipiscendæ proximè accedat ad naturam petitorij, cuius cognitio ad alium, quam ad ecclesiasticum Iudicem pertinere non potest.[9] *Sine die.*

1 *Cap. si diligenti, ext. de for. comp.* Iul. Clar. *in §. fin. qu. 36. nu. 4.*

2 Andr. *in c. 1. §. præterea, col. 4. quæ fuit prim. caus. benef. amit.* Alex. *cons. 77. vol. 3.* Afflict. *decis. 2. num. 8. & 9. notat. in c. si duobus,* & ibi per Felin. *de appellat.*

3 *l. si quis ex aliena 5. D. de iud. l. 2 si quis in ius voc. non ier.*

4 Quia illa forma citandi per edictum, dat extraordinariam cognitionem Iudici laico etiam inter Clericos. Afflict. *d. decis. 2. num. 8.* ex not. per Bart. & alios *in d. l. 2. si quis in ius voc. non ier. & in l. fin. de iurisdict.*

5 Afflict. *ibid. num. 9.* post Castr. *in l. testamenta omnia, C. de test. & in l. libertus, de in ius voc. Not. in c. cum inter, de except. & in c. dilecti.* vbi Innoc. *eod.*

6 Quia potuerunt & debuerunt vltro comparere, si putabant sua interesse, *l. si programmate, C. de distr. pign.* Vid. *not. in l. de pupillo 5. §. 1. D. de nou. oper. nunc. & in l. si fideiussor 7. §. si necessaria D. qui satisd. cog.* Adde, quod etiam per actum nullum potest haberi scientia. Glos. & Bald. *in l. 1. in prine. de ser.* vbi dicit, posse fieri, vt citatio sit nulla, & tamen valeat comparitio, maximè si citatio fiat duntaxat ad inducendam scientiam. Felin. *in cap. illud, col. 4. de præscr.* Alexan. *cons. 123. vol. 2.* Afflict. *vbi s. nu. 7.*

7 Guid. Pap. *quæst. 1. 71. 85. & 207.* Ant. de Butr. *in cap. fin. de iudic.*

8 Archid. *in cap. 1. de restit. spol. in 6* Zabarel. *in clem. dispendiosam, de iudic. gloss. in cap. literas, de iuram. calumn.* Thom. Grammat. *ad decis. 1.* Afflict. *supra citatam.*

9 Guid. Pap. *d. qu. 1.* Vide Anton. Tess. *in decis. Pedem.*

DEFINITIO XXXIX.

Reconuentio prorogat iurisdictionem Iudicis alioqui incompetentis.

REus conuentus apud Iudicem non suum, si, cum posset incompetentiam iurisdictionis allegare,[1] reconuenerit actorem apud eundem Iudicem,[2] hoc ipso iurisdictionem eius prorogasse intelligitur.[3] Ideoque, tametsi soleat dici, ea omnia, quæ fiunt ab incompetenti Iudice, non solum fieri sine ordine, sed etiam nullius esse ipso iure momenti,[4] valebit tamen huiusmodi sententia, vt si ab ea non appelletur, mandari possit executioni,[5] tanquam quæ transierit in rem iudicatam. *Sine die.*

1 *l. si quis ex aliena, D. hoc tit. l. 1. & tot. tit. C. si à non comp. Iud. & tit. de iurisdict.*

2 Quod facere pro suo iure potest, *l. cum Papinianus 14. C. de sent. & interl. omn. Iudic.*

3 Not. *in l. 1. D. hoc tit. & in l. 1. C. de iurisd. omn. Iud.*

4 Bald. *in c. sancimus, in princ. quo temp. mil.*

5 Afflict. *decis. 27. in fin.* Itaque superueniens reconuentio facit conualescere citationem etiam ab incompetenti iurisdictione factam. Quamuis contra videri possit ex notat. per Dyn. *in reg. non firmatur, in 6.* Bald. *in cap. fin. de capel. monach.* Text. *in c. 1. de despons. impub. in 6.*

DEFINITIO XL.

Casus in quo verus quoque contumax non condemnatur.

ALiquando accidit vt differenda sit etiam aduersus verum contumacem sententia, ita vt ne quidem ad expensas contumaciæ interim[1] sit condemnandus,[2] Vtputa si post appellationem à matre interpositam, quæ filiorum tutelam gerebat, filij pueberes facti ad appellatoriam litem prosequendam euocati sint, nec ad iudicium venerint, cùm mater iam adesset, atque interiectam à se appellationem prosequeretur.[4] Expectandum enim est, vt aduersus matrem tota lis peracta & instructa sit priusquàm de contumacia quicquam pronuncietur, vt vna eadémque sententia totum negotium terminetur.[5] Tanto magis quod non potest omnino contumax videri minor cuius mater prosequitur litem[6] ex officio & necessitate præcedentis tutelæ, cui certè incumbit vt cœptam litem persequatur, Itémque quod vix possit in contumaciam incidere minor qui non habet curatorem.[7] *Ita Senatus* pro Dom. de Montou & D. de Rossillion 3. Cal. Mart. 1613.

1 Hoc ideo quia verus contumax effugere nunquam potest quin ad expensas contumaciæ sit condemnandus, *l. properandum 14. C. hoc tit.*

2 Quamuis soleat contumacia coerceri damno litis, *l. contumacia 53. D. de re iudic.*

3 Videtur enim hoc tutius ne quandoque causari possint se inauditos, *l. de vnoquoque 47. eod. l. etiam 29. §. vlt. D. de minor.*

4 Hoc enim ex officio facere mater tutrix debuit *tot. tit. C. vt caus. post pub. adst. tut.*

5 Quid enim si mater obtineret in causa appellationis? An non contraria iudicarentur si filij pueberes ob contumaciam condemnarentur? Hoc verò ne eueniat cauendum est, *l. singulis 6. de except. rei iudic.* Sicut & ne continentia causæ diuidatur, *l. nulli 10. C. hoc tit.*

6 Parum enim refert an per se quis agat an per alium, *l. 1. & tot. titul. de procurat. & de consil. & author. tutor.*

7 *l. contra 54. D. de re iudic.*]

TIT. II.

DE SPORTVL. ET SVMPTIB. in diuers. Iudic. faciend.

DEFINITIO I.

De iudicati emolumento debito ex cessione bonorum.

DEBITORE ad cessionis beneficium admisso emolumentum illud, quod apud nos sportularū loco[1] inductum est, debetur, & ex bonorū, quæ cessa

cessa sunt, pretio persolui debet,[2] inspecta videlicet non pecuniarum creditoribus debitarum, sed bonorum cessorum quantitate & æstimatione,[3] ne aliter posito iure tanto magis onerentur creditores, quanto minus ex credito consequuntur, atque ita duplici iniuria afficiantur,[4] nisi forte quem illud potius mouebit, quod debitore ad pinguiorem fortunam quandocunque postea reuerso futurum sit, vt debitum integrum consequantur.[5] Sed cum id in incerto parumque sperando euentu positum sit, interea eo prætextu durius agi cum creditoribus, qui præsentem iacturam patiuntur, sane minus ciuile est.[6] *Ita tractatum est* in causa Claudij Geneuois & creditorum 12. Cal. Septembr. 1592.

1 Sportulæ enim debentur pro visione actorum litis, *cap. statutum. §. adsessorem, de rescr. lib. 6. DD. in l. solent, de offic. Proconsul.* Boer. *quæst. 15. num. 1.*

2 Debetur enim ex omni adiudicatione, siue in rem actum sit, siue in personam, vt Statuto nostro expressum est.

3 Quia, cum bonorum cessio fit, non de iure debiti quæritur, quod prius confessum esse necesse est, sed tantum de bonis cedendis.

4 *Contra l. iure succursum 6 ff. de iur. dot. * l. cogi 16. §. inde quæritur, D. ad SC. Trebell.*

5 *§. vlt. Inst. de action.*

6 Status enim præsens attenditur, non quod euenire potest, *l. eo tempore 50 ff. de pecul.*

DEFINITIO II.

Si salarium scripturæ solui non possit graphario propter egestatem litigatoris.

ETsi non facilè iubendus est actuarius, quem grapharium vocant, vt acta litis descripta tradat petenti litigatori, qui præsentem & numeratam pecuniam non adferat,[1] his præsertim nostris temporibus, quibus nummaria mercede conduci eiusmodi operæ solent; interdum tamen euenit, vt ita constitui æquum sit, nimirum si ea laboret egestate litigator, vt non facilè pecuniam explicare possit.[2] Neque enim eam paupertatis suæ pœnam pati debat, vt bonæ litis iacturam ideo pati cum oporteat.[3] Quid ergo? Si nec satisdare possit eo nomine propter egestatem,[4] repromittere debebit & cauere,[5] se soluturum ad tempus, quod Iudex longius breuiusve pro personarum qualitate arbitrabitur,[6] in eamque rem obligare bona sua omnia generaliter,[7] & ea specialiter, quæ ex litis euentu sperare possit.[8] Quo remedio non tàtum litigatori consulitur, sed etiam graphario, vt solutionem tanto facilius consequatur:[9] cui alioquin inutilis foret actorum ad alienam litem pertinentium retentio.[10] *Ita Senatus* pro Bernarda Fauier, contra Ioannem Ballet procuratorem Non. Maij 1593.

1 Habet enim scriptor ius retentionis pro salario suo, Boer. *qu. 15. num. 2.* post gloss. & alios *in l. si non sortem, §. si centum, ff. de condict. indeb.* Non idem est in Iudice, quia non dantur acta litis Iudici in pignus, sed vt ea videat, & examinet, inquit Boer. *ibid. num. 2. & 3.* vbi addit, idem esse in Aduocato, quod in Iudice. Quid in Procuratore? Vide *Defin. 22. 3. de procur.*

2 Numeratio enim totius debiti non semper est in expedito, *l. si dubitet 10 ff. de fideiuss.*

3 Paupertati enim succurrendum & fauendum est, non succensendum, *l. illicitas 6. §. vlt. de offic. Præsid. l. si procuratorem 8. §. quod & actionem, in fin. ff. mandat. cum similib.*

4 Nam nec facile est egeno homini reperire fideiussorem, *l. si fideiussor 7. in princip. & §. . ff. qui satisd. cogant. l. 2. §. sed si dubitetur ff. de iudic.*

5 Cautionis enim nomine in dubio nuda repromissio significatur, *l. 1. C. de verb. signific.*

6 Id enim in Iudicis arbitrio & moderatione positum est, *d. l. 6. §. vlt. de offic. Præsid.*

7 Est namque fideiussionis subsidiaria hypotheca, *l. omnes 33. §. in hac autem, C. de Episc. & Cleric. l. filio 7 ff. vt legat. seu fid. nom. caueat. l. si mandat. 59. §. vlt. ff. mandat.*

8 Dixi *Defin. 22. 3. de procur.*

9 Quanto citius iudicatum erit, non autem potest iudicari, quin acta omnia Iudici exhibeantur, *l. properandum 13. §. sin autem ex gestis, C. de iudic.*

10 Malitia enim est, si quis id tantum agat, vt alij officiat magis, quam vt sibi prosit: malitiis autem non est indulgendum, *l. in fundo 38. de rei vindic. l. 7. de ser. expor.* [Cæterum si velit grapharius acta vnius litis quę penes se habet retinere etiam pro emolumento quod ex alterius litis causa debeatur, vtique potest facere quasi taciti cuiusdam pignoris iure. *Ita Senatus* pro Augusto Paris contra N. Brunet D. Sanctę Helenæ 23. Maij 1614. Et *ex tit. etiam ob chirograph. pecun. pign. retin. posse.*

DEFINITIO III.

EMolumentum, quod ex iudicato debetur, quam nostri Gabellam iudicati vocant,[1] non nisi facta liquidatione deberi intelligitur,[2] cum sit pars quædam & portio eius rei, quæ venit non tam in condemnationem, quam in condemnationis taxationem:[3] Liquidatio autem ex statuto nostro, quod in eam rem extat,[4] vel per æstimationem bonorum, de quibus litigatum est, vel per assertionem victoris fieri solet. Quod si neutrum præcesserit, & is, à quo emolumentum huiusmodi petebatur, ad certam pecuniæ quantitatem vltro se obligauerit, non illud quidem dici poterit, obligationem nullam esse, quasi pro indebito aut sine causa factam,[5] cum tanti rem ipse æstimauerit;[6] sed si euidens & immodica læsio interuenerit, vt plus quam deberetur promissum fuisse appareat,[7] poterit res ad æquitatem suam reduci per in integrum restitutionem;[8] interim tamen ex obligationis instrumento, si guarentigiatum, vt loquuntur, aliterve certæ fidei proferatur, & id creditor postulet, prouisionalis condemnatio fiet.[9] *Ita Senatus* in causa N. Bernardi Dacquin Procurat. fiscal. Sabaud. & Dominorum fratrum Bay ac D. Marchionis de la Chambre 7. Cal. Septemb. 1593.

1 Sic vocat Cravet. in consiliis.

2 Quia ante liquidationem debitum prorsus incertum est, non in substantia, sed in quantitate, quæ incertitudo perinde nocet, *l. si fur 32. §. vlt. ff. de vsucap.*

3 Sic loquitur *l. 4. C. de act. empt.*

4 *lib. 3. Statutor.*

5 Verum enim est aliquid deberi, licet quantum illud sit, nondum appareat. Sufficit enim certum esse, quod aliquando constabit, quid & quantum sit in debito, ne prorsus indebitum dici possit, *arg. l. quod si ea 18. de cond. indeb. l. cum filius 76. §. heres meus, de leg. 2. l. qui res 98. §. rem autem, de solut.*

6 AEstimatio enim illa tollit incertitudinem, quæ faciebat, vt aliquo modo indebitum id videretur. Denique causa huius debiti certa est, quod sufficit, *l. sufficit 56. in fin. ff. de condict. indeb.*

7 Nec enim nouum est, vt in æstimanda re interueniat læsio, quæ locum faciat restitutioni, *l. si res æstimata 12. §. 1. ff. de iur. dot.*

8 *Ex l. 2. & l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.* æstimatio enim illa emptionis cuiusdam instar est, *l. si propter 22. ff. rer. amot. l. maioribus 3. C. commun. vtr. iud.*

9 Pendente lite, quia præsumptio est pro æstimatione, præsertim si is, qui de ea conqueritur, diligens paterfamilias proponatur, quem non sit credendum facile erraſſe, *l. cum de indebito 25. §. sin vero, ff. de probat.* Item quia instrumentum guarentigiatum habet paratam executionem, quia vim habet condemnationis. Bart. *in l. cum vnus, ff. de reb. auctor. Iudic. possid.*

DEFINITIO IV.

De iudicati emolumento ex conuentionali taxatione soluto in ampliori quantitate, quam quæ debeatur.

AN autem eadem ratione, si plus solutum sit pro emolumento, quàm solui debuerit, condici indebitum possit, maior dubitatio est. Difficilius enim succurrit ei, qui soluit, quam qui se obligauit.[1] Et tamen cum certa semper sit in se & taxata quantitas, quæ pro emolumento debetur,[2] vix est, vt inde-

BIU Cujas

bitum videri non debeat, quod supra eam quantitatem solutum est,[3] nisi forte quis dicat, quod verum est, difficilem plerumque & incertam esse liquidationem, si iudicati executio longior & difficilior futura sit.[4] Ideoque si incertum illud certa quantitate taxatum sit,[5] quæ reuera aut maior aut minor deberi potuerit, neque restitutioni locum esse, neque condictioni.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Vt cernere est in muliere, quæ iuuatur Velleiano, si se obligauerit animo intercedendi, non etiamsi soluerit, scilicet ante intercessionem, *l.4.§.vlt.& l.seq. l.quamuis 8. §.plane si mulier, D.ad SC.Velleian.l.1.l.4.C.eod.*

2 Ex comparatione scilicet quantitatis petitæ, aut iuxta eam computationem, quæ statuto præscripta est.

3 Quandoquidem superfluum id nullo iure peti posset, si solutum non esset: indebitum autem proprie illud est, quod nullo iure debetur, ne quidem naturali, *l. cum amplius 84. §.is natura debet, D.de regul.iur.*

4 Habet enim iudicati executio suas moras, *l.quod debetur 51.D.de pecul.*

5 Quasi decisо transactoque negotio ad redimendum dubium euentum executionis, *vt in d.l.quod debetur, l.1. C.de pact. l.vlt.D.de præst.stipul.*

6 *Argu.l.de fideicommisso 11. C.de transact.l.si pater 12. Cod.de inoff.testam.* nec enim est audiendus qui id petit, cuius contrarium non fuit postulaturus, *l.pen. C.de solut.* [Obserua tamen, cùm ex adiudicatione quæ actori fit aliquid excipitur, quod reus retinere possit. Emolumentum perinde deberi pro retentione atque pro adiudicatione: cùm & per viam retentionis adiudicatio fieri possit. *Ita Senatus* pro Petro Rosset contra medicum Vectier 3. Cal. Septemb. 1613.

DEFINITIO V.

De Iudicati emolumento ex noua cognitione iterum soluendo.

COndemnatus impetrauerat à Principe, vt iterum de litigantium iure, ac si nihil dum iudicatum esset, cognosceretur.[1] Senatus ex secunda cognitione id ipsum, quod iam antea pronunciauerat. Placuit tantundem deberi pro iudicati emolumento, quantum si nullum antea latum arrestum esset.[2] Illa enim siue reuisio dicenda est, siue erroris propositio, appellationis cuiusdam instar obtinet,[3] nec dignus est, qui Senatusconsultum impugnauit, vt mitius cum eo agatur, quam si commune appellationis auxilium implorare potuisset & voluisset.[4] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Breissieu & de Chastillion 7. Id. Mart. 1594.

1 Per viam supplicationis, de qua *in Auth.quæ supplicatio, C.de precib.Imper.offer.* alioqui eo iure vtimur, vt res a Senatu nostro iudicata nunquam retractari possit, ne quidem in casu *l.diuus 33.D.de re iudic.*

2 Dubitandi ratio erat, quod ita bis idem peti videretur contra bonam fidem, *l.bona fides 57.de reg.iur. l.si quis dolo 51.§.1.D. de re iudic.* de cuius lectione & sententia vide quæ scripsi *lib.4.Coniect.c.19.*

3 *Argum.l.non distinguemus 32.§.cum quidam, D.de recept.qui arbitr.*

4 Vtroque enim casu iudicati auctoritas labefactatur, nouaque fit lis & instantia, in qua ex integro iudicandum est, emolumentum autem hoc pro iudicato debetur.

DEFINITIO VI.

De sarciendis vno casu sumptibus in consignationum causam pro Senatu extra ordinem habendo factis.

SI in ipso ferendæ sententiæ calculo, cum Senatus in eo esset, vt ad litis acta inspicienda extra ordinem iam haberetur, vnus ex collitigatoribus diploma principale impetrauerit,[1] ex quo mora cognitioni fiat, æquissimum est, si rescripti ratio aliqua ex æquitate necessario habenda sit,[2] hactenus tamen coerceri frustrationem & negligentiam impetrantis, vt eos quoque sumptus, quos pro Senatu extra ordinem habendo, prorogari necesse fuit, (*consignationes* vocant) sarcire condemnetur,[3] ne ex aduersarij negligentia damnum sentiat is, qui fuit diligentior, & cui nihil imputari potest.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 57. infr. de fructib. & lit. expens.

1 Contra Iustiniani *Nouel.113. in medio lit. non fier. sacr. form.* Hoc enim iure vtimur, vt quocunque litis tempore rescriptum impetrari possit ad sanandam causam male alioqui affectam, dummodo status litis expressus sit.

2 Solet enim Senatus noster facile huiusmodi rescripta admittere ex causa, vt exercitatis iam negotiis pleniore subueniatur veritatis lumine, quomodo Iustin. loquitur *in l. per hanc 4. in fin. C. de temp.& repar.appell.*

3 Nam suæ negligentiæ expensum id ferre debet, *l.pupillus 24.D.quæ in fraud.credit. l.nemo 3.C.de temp.& rep.appel.* Facit *l.illud sciendum 29.§.vlt.D.de ædil.edict.*

4 Alioqui beneficium Principis esset alteri iniuriosum & captiosum, quod esse non debet, *l.ex facto 43. vers.etenim iniquum, D.de vulg.& pupill.substit. l.sed cum ab herede 12.D.ad SC.Trebell.l.1.§.si quis à Principe, ne quid in loc.publ.fiat, l.Paulus notat.8. D.de præscript.stipul.* Obserua tamen extra hunc casum hodie sarciri & restitui sumptus consignationis pro parte, siue is, qui consignauit, obtinuerit siue succubuerit. Sed hoc ex speciali edicto. Nam antea non solebant huiusmodi sumptus consignationum vnquam sarciri, ne quidem post victoriam litis cum sumptuum omnium adiudicatione, quia non ex necessitate prorogantur, sed vltro & voluntarie, vt extra ordinem & citius Senatusconsultum fiat. Facit *l.properandum, §.2.* ibi, *expensas quæ consueto modo, Cod.de iudic.*

DEFINITIO VII.

De emolumenti pro iudicato debiti quantitate propter adiudicatos sumptus augenda, vel non augenda.

LItis sumptibus propter mutuam victoriam compensatis,[1] aut ob interuenientem iustam litigandi causam victo condonatis,[2] exceptis solis contumacialibus,[3] placet totius iudicati tale tantumque emolumentum deberi, quale quantumque deberetur, si actor cum expensis obtinuisset aut succubuisset.[4] Sufficit enim, quod ad hanc rem attinet, vt vel minima sumptuum condemnatio facta sit ex causa ad principalem litem spectante.[5] Atque ita pridem Senatus noster pronunciauit pro Carolo Demotz, contra D. de Lambert 5. Calend. Septembr. 1586. Non idem est, si prima arresti parte Senatus rescriptum Principis ab alterutro litigantium aduersus contumaciam impetratum admiserit cum onere refundendorum sumptuum ob contumaciam factorum:[6] tum eodem arresto de principali negotio pronunciauerit adiectis his verbis, *sans autres despens.* Nam cum huiusmodi expensæ non propter negotium principale, sed ob incidentem aliquam quæstionem factæ sint, non possunt augere quantitatem emolumenti debiti pro portione petitæ quantitatis.[7] *Ita tractatum est* pro D. Barone de Drameley, contra eundem Demotz 6. Id. Iunij 1595.

1 Quia cum ob litis victoriam debeantur, *l.properandum 13. §.siue autem alterutra, C.de iudic. l.eum quem 79.D.eod. l.non ignorat 4.C.de fructib.& lit.expens.* consequens est, vt vtroque vincente compensari debeant, *arg.l.viro 39. D.sol.matr. l.si ambo 10. D.de compens.*

2 *Iuxta l.qui solidum 38.§.etiam, de legat.2.*

3 Hi enim nunquam condonantur, ne tum quidem, cum absens vicit, quia bonam causam habuit, *d.l.properandum, §.sin autem ex gestis, C.de iudic. Auth.ei qui appellat. ad fin. C.de temp.& repar.appellat.*

4 Cum tamen si nulla prorsus expensarum condemnatio facta esset, multo minus emolumenti nomine deberetur, ita ferentibus & facientibus verbis statuti.

5 Quia nihil aliud statutum requirit, vt amplior quantitas pro emolumento debeatur, quam vt aliqua sumptuum condemnatio facta sit in diffinitiua sententia.

6 Vt semper fit, quod non nisi hac ratione contumacia purgari possit, quam porro purgari necesse est, antequam contumax audiatur, *l.& post edictum 73.§.vlt.D.de iudic.*

7 Neque

BIU Cujas

7 Neque vero nouum est scindi sententiam, quæ plures partes & plura capita habeat, quia quot capita sunt, tot videntur sententiæ, si vna species aliis non cohæreat, *l. etiamsi 29. §. 3. D. de minor. l. quædam mulier 41. D. famil. erciſc. l. Labeo 25. in princ. de recept. qui arbitr. l. vlt. D. de iur. patron.*

DEFINITIO VIII.

De emolumento, quod debetur pro iudicato, etiamsi transactum non iudicatum sit.

CVm causa in publico auditorio perorata Senatus iubet acta litis produci, vt eorum inspectione primo quoque die res decidatur, processus habetur pro aperto,[1] vt loquuntur, & consequenter pro iudicato, hactenus, vt si interim litigatores transigant, non eo minus emolumentum debeatur,[2] sicut dici solet, cum litis ex scripto agitatæ acta legi & inspici iam cœperunt.[3] Quo casu nemo dubitat, sæpiusque iudicatum est, emolumentum deberi, etiamsi transactio iudicatum præuenerit.[4] Sed quale emolumentum? Neque enim sciri potest, quid Senatus fuerit iudicaturus, An prouisionaliter duntaxat, an diffinitiue an cum expensis, an iis compensatis.[5] Sed in obscuro sequemur, quod est minimum,[6] & condemnabimus ad ratam dimidij non iudicati, quod nullum est,[7] aut iudicandi, quod nescitur, sed petitæ quantitatis.[8] Nisi ex publica litis disceptatione apparuerit, in eo statu fuisse litem, vt neque prouisionaliter, neque diffinitiue iudicari adhuc posset.[9] Non tamen superioribus consequens est, vt ex quo lis perorata est pro iudicata habeatur, si per transactionem finita non sit.[10] Argumento est, quod si intermedio tempore, id est, priusquam iudicetur, alius emolumentorum conductor superuenerit, posteriori, qui iudicati tempore sit, emolumentum debebitur, non ei, qui fuit, cum lis peroraretur.[11] Tum igitur pro exinde iudicata habebitur, cum postea fuerit transactione decisa.[12] Diuersum est, si auditis litigatoribus Senatus decreuerit emendandas actiones, quod Pragmatici nostri dicunt, *Appointer le procez à corriger.* Tunc enim quia addendi, proponendi, adeoque quasi ex integro litem tractandi potestas facta intelligitur, non potest vllo modo lis ex eo tempore haberi pro iudicata.[13] *Ita Senatus* in causa D. Aduocati de Bloney & Grapharioru Thomassin & Demotz, mense Decemb. 1595.

1 Pragmatici dicunt, *les pieces remises pour estre vuidé le procez au premier iour par le regiſtre.*

2 Quod Doctores nostri vocant tributum iudicati, Pragmatici nostri *l'emolument du iuge.*

3 Quod enim proxime faciendum est, habetur pro iam facto, *vulg. l. pen. D. de testam. milit.*

4 Quasi eo casu transactio videatur facta in fraudem emolumenti & iudicati.

5 Cum sit dubius euentus litis & iudicij, *l. quod debetur 50. D. de pecul.*

6 *l. semper in obscuris, D. de regul. iur.*

7 Eius enim, quod nondum est, nulla dimidia esse potest, cum non entis neque vllæ partes sint, neque qualitates, *vulg. l. eius qui in prouincia 41. de reb. credit. l. ex facto 16. D. de heredit. inſtitut.*

8 *Arg. l. penult. §. 1. D. de iuriſdict.*

9 Nec enim pro lite huiusmodi tributum & emolumentum debetur, sed pro iudicato, quod adiudicationem contineat, vel prouisionalem, vel definitiuam.

10 Cum possint multa incidere, quæ faciant, ne vnquam iudicetur, *arg. l. naturalem 5. §. 1. D. de acquir. rer. dom.*

11 Ex traditis per Guid. Pap. *quæſt. 135. incip. Baro quidam.* contra Boer. *deciſ. 3. num. 20.*

12 Credibile namque est, litigatores, qui tandiu distulerint transigere, ne nunc quidem fuisse transacturos, nisi de fraude comminiscenda cogitassent, *argum. l. ſi aliquis 7. D. de mort. cauſ. donat.*

13 Nihil enim actum videri potest, quandiu tam multa restant agenda, *l. pen. C. de his quæ vt indign.*

DEFINITIO IX.

Concessa primum & postea sublata sequestratione fructuum facta pro debito minoris quantitatis, quale & quantum emolumentum debeatur?

SI pro minori quantitate petita sit sequestratio fructuum & redituum magnæ æstimationis,[1] deinde sequestratio illa tollatur, quod Galli dicunt, *Auoir main leuee*, emolumentum iudicati debetur non pro quantitate & valore fructuum sequestratorum, sed ex comparatione eius summæ, pro qua fuerat facta sequestratio,[2] quia sequestrationem tollere nihil fere aliud est, quam eum, qui sequestrationem obtinuerat, aut prouisionaliter, aut diffinitiue condemnare.[3] *Ita Senatus* 17. April. 1597.

1 Ex ea scilicet causa, ex qua posset permitti & concedi sequestratio fructuum, vt *in l. Imperatores 21. §. vlt. D. de appell.* & in aliis casibus, de quibus *in l. vnic. C. de prohib. sequeſt. pecu.*

2 Nec enim fructus hoc casu petuntur, sed pecunia pro qua fuit impetrata fructuum sequestratio.

3 Sequestratio enim, quæ pro debito facta est, non solet tolli, nisi cum hac adiectione, vt, quod debetur, creditori soluatur, cum executio etiam, quæ alioqui nulla est, teneat tamen, si facta sit pro debito, quo vsque totum debitum soluatur, *l. 1. & 2. Cod. debit. vendit. pignor. imped. non poſſ. l. vnic. Cod. etiam ob chirograph. pecun. pignor. retin. poſſ.*

DEFINITIO X.

Priuilegium Senatoribus & rationalibus concessum de non soluendis emolumentis iudicati neque aliis prodest, neque ipsis pro re contra alios iudicata.

QVod priuilegium Senatoribus & Rationalibus concessum est, vt emolumenta pro rebus contra se iudicatis nulla debeant,[1] non potest aliis proficere, qui aut eodem aut alio iudicio condemnati sunt,[2] licet aduersus Senatores aliasque huiusmodi personas habituri sint regressum.[3] Proinde consequens est, vt condemnatis indemnitatem præstare, & quæ illi deberent, ipsi de suo soluere teneantur.[4] *Ita tractatum est* in causa Illustris D. Cancellarij & Domini Cize, contra D. Henricum Bay Præsidem in Camera Computorum mens. April. 1597.

1 De quo priuilegij genere loquitur *l. vlt. C. de fructib. & lit. expenſ.*

2 Priuilegium enim personale est, quod personam priuilegiatam egredi non potest, *l. quia tale 14. D. ſolut. matrim. l. ex pluribus 42. D. de admin. tut.*

3 Hæc erat ratio dubitanbi, quia huiusmodi regressus facit, vt perinde sit, ac si Senator ipse recta conueniretur, *arg. l. cum lex 46. D. de fideiuſſ. l. ſi quis reum 5. in princ. D. de liber. legat.*

4 Quia scilicet priuilegium ita conceptum est, vt huiusmodi personæ nullum emolumentum debeant pro rebus contra se, non etiam pro rebus suo periculo aduersus alios iudicatis. Priuilegia vero omnia sunt stricte interpretanda quoniam odiosa, *vulg iurib.* propter illam legem generalem duodecim tabularum, Priuilegia ne irroganto.

DEFINITIO XI.

Pro iudicato in possessorio beneficij vel præbendæ, itemque pro fructibus beneficij vel præbendæ adiudicatis, quantum emolumenti nomine debeatur?

EMolumentum iudicati singulare[1] nullum debetur ex ea sententia, per quam quis retentus sit in quasi possessione beneficij, aut præbendæ ex beneficij fructibus præstandæ.[2] Sed si de modo præbendæ dubitetur, maioréque fructus adiudicati sint etiam in mero possessorio, nec tantum pro præteritis annis, sed etiam pro futuris, debetur emolumentum extraordinarium.[2] Sed quale quantumque? At inspecto eo,

BIU Cujas

quanti sint fructus 15. annorum, vt cum agitur de æstimanda pensione debita ex contractu inter viuos? [4] An potius inspecta monachi ætate, vt fieri solet, cum agitur de ineunda legis Falcidiæ æstimatione? [5] Placuit neutrum dici posse, sed decennij fructus æstimari debere. Cur vero decennij potius, quam alterius temporis? Ratio sane reddi non potest. Est enim id iuris positiui & constituti. [6] *Ita Senatus* in causa R.C. Emanuelis Pomei Prioris de Belvaux, & Alexandri Nicolle Grapharij Senatus 30 Maij 1597.

1 Ad differentiam scilicet emolumenti vulgaris & communis, quod quindecim assibus æstimatur.

2 Quia nimirum de huiusmodi rerum iure & proprietate non agitur apud Iudicem laicum, sed tantum de possessione, cuius causa nihil commune habet cum quæstione proprietatis, *l. naturaliter 12. §. nihil commune, D. de acquir. poss.*

3 Quia, quod ad fructus attinet, sententia, quamuis non nisi super possessorio beneficij lata continet adiudicationem proprietatis, quia fructus beneficij vel præbendæ pleno iure ad possessorem pertinent, scilicet pro oneribus beneficij, cui deseruit.

4 *Vt in l. si quis argentum 35. §. sin autem donator, C. de donat.*

5 *Vt in l. computationi, alias l. hereditatum 69. D. ad legem Falcid.*

6 In quo genere rerum, quæ sunt iuris constituti, necessario recurrendum est *ad l. non omnium 20. D. de legib.*

DEFINITIO XII.

De emolumento bis pro eadem quantitate præstando condemnatum, qui quasi non condemnatus & tanquam tertius interfit in executione iudicati, tandemq; succubuit. Et quid si habeat rem indemnitatis.

DEfendente curatore condemnatus ex contractu paterno filius [1] executioni iudicati intercesserat, quasi nec condemnatus, nec auditus, [2] quod negaret curatorem eum fuisse qui curatorio nomine litem susceperat. [3] Cumque sententia iudicis, qui curatorem dederat, proferretur, appellauerat ab ea sententia, & in eam rem vt appellatio reciperetur, quæ extra tempora interponebatur, restitutionem in integrum ad sanandum appellationis vicium in integrum restitutionem imploruerat. [4] Rursumque cum tanquam purè heres patris condemnatus fuisset, impetrauerat etiam beneficium Principis, vt ad postulandum beneficium legis & inuentarij ætatis auxilio admitteretur. Tandem victus & tam intercessionis quàm duplicis restitutionis petitæ repulsam passus, quod pragmatici nostri dicunt *par deboutement de son opposition, & de l'effect & interinement de ses lettres Ducaux*, addita etiam expensarum omnium condemnatione, cum ad totius emolumenti quod pro iudicato pendi solet [6] præstationem conueniretur, Negabat se teneri quod ex priore iudicato inter easdem partes de eadem summa reddito, iam semel idipsum exsoluisset [7] quodque in executione iudicati tota posterior instantia structa & peracta videretur. [8] Placuit totius emolumenti condemnationem pati eum debere, præterea quod noua vtique lis esset ac noua instantia [9] super nouis mediis & dubiis agitata quæ noui iudicati non modo materiam præbuissent, sed etiam necessitatem attulissent, [10] quamuis posteriore condemnatione nihil amplius quàm priore, at multo minus contineretur. Non enim ob solam adiudicationem huiusmodi emolumentum debetur, sed tum quoque cùm rei interceſſio summouetur, licet in prioris iudicati executione; [11] cum negari non possit quin tanquam tertius quilibet fuerit condemnatus is qui ad impediendam executionem intercessit. Qua enim fronte potuisset intercedere iam condemnatus? [12] Nec ad rem pertinuit quod Senatus eum iterum condemnando habuisset pro iam condemnato. Nec enim tam ob id condemnatus videri debebat, quod iam fuisset condemnatus cùm admissa esset ipsius tanquam tertij cuiuslibet intercessio, quam quod constitisset nullam eum iustam intercedendi causam iure tertij habuisse. [13] Quanto minus autem iuris habuerat ad intercedendum propter priorem condemnationem, tanto magis æquum erat eum in pœnam temeritatis litis ad totum emolumentum condemnari. [14] Nam & cùm aduersus arrestum porrecta est ciuilis supplicatio aut erroris propositio, si iam condemnatus iterum succumbat, non eo minùs condemnari debet quod prioris iudicati tributum iam soluerit pro eadem ipsa quantitate, quia noua instantia est, licet eadem sit summa, iidem litigatores. [15] Quàm iustius cum is ipse qui condemnatus est tertij personam induit, ne condemnatus videatur. [16] Quare nec pronunciauerat Senatus intercessionem eius quasi condemnati non esse recipiendam, quo sanè casu emolumentum deberi nemo diceret, [17] sed iniustam & temerariam etiamsi tertij nullo iure litigantis. Quid enim si is qui in priore iudicio vicerat, in posteriore succubuisset? Non esset dubitationi locus quin emolumentum deberetur. Nec enim in executionem iudicati factum videri posset id quod totum iudicatum subuertisset. Cur [18] non ergo & in casu contrario? Eadem namque in vtrumque euentum emolumenti ratio est, Neque hac parte refert vter ex litigatoribus vincat aut vincatur. [19] Illud sanè constabat eos qui priore Senatusconsulto indemnitatem condemnato præstare iussi erant, non debere culpam eius præstare, quod temeraria intercessione sua nouam litem excitasset. [20] Suam enim culpam sibi debet quisque imputare non alteri. [21] Sed hoc ita nisi constet ex condemnati protestatione non fuisse illum tandiu in lite improba perstiturum, & sententiam posteriorem expectaturum si indemnitatem citiùs ab authore suo fuisset consecutus. Iam enim in mora esse incipit author qui vt iudicato ex parte sua tardius pareat, retinet in lite condemnatum, facitque vt non habens ille vnde soluat cogatur litem tueri mordicus potiùs, quàm aut carceres aut vniuersorũ bonorum venditionẽ pati. [23] *Ita Senatus* re diu multũque disputata & conuocatis classibus pro Augusto Paris Graphario Senatus contra N. fratres Dacquin & Syndicos de Morzine. Pri. Non. Febr. 1613.

1 *Vt in l. ex contractu 44. de re iudic.*

2 Certum enim est sententiam inter alios latam aliis non nocere: *tot. titul. Cod. res int. alios act. & quib. res iudic. non noc.* Nec enim nouum est vt qui reuera idem est habeatur pro alio, *l. si paterfamilias 15. §. 1. D. de adopt. l. item 6. D. quod cuiusque vniuers. nom.*

3 Quo casu non potest minori nocere sententia contra falsum auctorem lata *l. pen. C. si aduers. rem iudic.*

4 Alioqui non potuisset admitti appellatio interposita extra legitima tempora *tot. tit. quand. app. sit & intr. quæ temp.*

5 Hoc enim beneficium minoribus competit & quidem solis *Desin. 7. & 18. ff. de iur. delib.* Porro is qui heres est cum beneficio legis inuentarij potest adhuc petere si quid sibi proprio nomine debeatur, puta pro bonis maternis, aut ex alia causa, Beneficium enim legis impedit confusionem actionum *l. vnic. §. in computatione, C. de iur. delib.*

6 Ex vetere statuto Sabaudiæ & ad formam statuti.

7 Nec enim solet aut debet emolumentum pro eadem summa præstari, licet prius alij conductori solutum sit, quam ei qui nunc petit. Debetur enim in pœnam temeritatis quæ quodammodo delictum est: *tot. tit. de pœn. temer. litig.* Vnius autem delicti vna tantum pœna esse debet.

8 Certum autem est ex causa executionis iudicati emolumentum nullum deberi quia eadem instantia esse creditur, *l. minor 40. D. de minor.*

9 Est enim generale vt quoties noua instantia est, nouum emolumentum debeatur, vt noua litigatoris temeritas coerceatur, *d. tit. de pœn. tem. litig. l. properandum 14. C. de iudic.*

10 Fuit enim super nouis mediis pronunciandum necessario, vel vt hoc ipsum sciretur, an obstaret exceptio rei iudicatæ *l. cùm quæritur 12. & seqq. de except. rei iud.*

11 Alioqui

BIU Cujas

11 Alioqui nunquam emolumentum deberet is qui in iudicati executione tanquam tertius interceſſiſſet, quod euidenter falſum eſt.

12 Non enim audiendus eſt qui iam condemnatus vult quoquomodo impedire iudicati executionem niſi veniat tanquam tertius aut ex noua cauſa *l.ſi longis 7.C.de exec.rei iudic.*

13 Idque conſtabat ex eo quod Senatus ſuper iure interceſſionis pronunciauerat, & ita eam receperat.

14 Cùm ob improbam litem ad expenſas omnes litis fuiſſet condemnatus, Alioqui emolumentum non niſi dimidium ex ſtatuto deberetur.

15 Et de hoc nemo in praxi dubitat.

16 Qualem enim quiſque ſe dicit, pro tali poteſt condemnari.

17 Prius enim eſt vt quis ad intercedendum admittatur quàm vt quaſi iniuſtus interceſſor condemnetur.

18 Sunt enim ita ex diametro contraria, Exequi & ſubuertere iudicatum.

19 Vt ex ſtatuti noſtri verbis apparet.

20 *L.Herennius 63. §.vlt. iunct. l.ſi per imprudentiam 51. l.ſi ideo 55.D.de euict.*

21 *l.factum 155.de reg.iur.*

22 Is enim damnum dare videtur, qui damni cauſam vel ſaltem occaſionem præbet, *l.is damnum dat.169.eod.*

DEFINITIO XIII.

Tributum iudicati ſingulare debetur etiam pro adiudicata poſſeſſione ſi includat adiudicationem iuris, aut quantitatis.

NOn ſolet equidem tributum ſingulare iudicati vllum deberi ab eo qui in ſua poſſeſſione retineri iuſſus eſt:[1] Sed hoc ita ſi de nuda poſſeſſione actum ſit.[2] Nam ſi cauſa poſſeſſionis admixtam habeat in neceſſarium antecedens quęſtionem proprietatis aut hypothecæ, vt euenit cum creditor pignoratitius agit ad retinendam poſſeſſionem ex clauſula conſtituti condictione ex l.vlt.C.de acquir. poſſ.[3] aut cùm is qui hereditatem ſuam eſſe contendit, retineri vult in poſſeſſione rerum hereditariarum ex vulgari Edicto, *Le mort ſaiſit le vif*, contra tertium qui de teſtamento aut de ſucceſſione inteſtati controuerſiam facere velit,[4] Placet tantundem deberi pro emolumento iudicati quantum ſi actum eſſet petitorio per hypothecariam, aut petitionem hereditatis: Quod hoc caſu poſſeſſio ipſa ſit quodãmodo, vt ita dicam, adiudicatiua proprietatis aut pignoris.[6] *Ita Senatus* pro Auguſto Paris contra Claudium Puenſet 5.Maij 1614. & iam anteà pro Carolo Demotz & Alexandro Nicole contra ſorores Villaret 4.April.1606.

1 Vt *in Defin.11.3.*

2 Quomodo ſolet in interdictis retinendæ aut recuperandæ poſſeſſionis de ſola poſſeſſione quæri *l.1. §.eſt igitur & paſſ. D.vti poſſ.l.3.C.de interd. l.officium 9. l.qui petitorio 36. l.is qui deſtinauit 24.D.de rei vindic.*

3 Creditur enim magis communiter eſſe illud remedium retinendæ magis quàm recuperandæ poſſeſſionis, vt dixi *Defin. 1.2.& 4. & paſſ. j.de acquir.poſſ.*

4 De quo *Defin.5. j.eod. illo tit.de acquir.poſſ.*

5 Hoc enim caſu nihil poteſt de poſſeſſione pronunciari, quin de iure quoque litigantium pronuncietur: quin & in interdictis interdum euenit, *l.3.§.hoc autem, l.vlt.de itin.act.priu.*

6 Nemo autem dubitat quin emolumentum debeatur pro omni adiudicatione ex ſtatuto Sabaudiæ: non item ſi ſolius poſſeſſionis adiudicatio fiat: *arg.l.non alienat 119. de reg.iur.*]

*DEFINITIO XIV.

Hereditatis petitor debet iudicati emolumentum pro modo & quantitate ac æſtimatione quorumcunque bonorum defuncti.

HEreditate petita ſiue iudicatum ſit pro petitore, ſiue quod hac parte idem eſt, à petitione ſummotus ſit, iudicati emolumentum debetur pro modo & quantitate, ac æſtimatione bonum quæ moriens defunctus reliquit ſiue mobilia illa ſint ſiue immobilia, ſiue in iuribus & actionibus conſiſtant non deducto ære alieno licet tantum ſit vt bonorum omnium æſtimationem, abſorbeat. non enim ſicut bona dicuntur deducto ære alieno, ita & hereditas cùm ſit nomen iuris. Neque ideo minoris æſtimationis ſunt bona à defuncto relicta, quod hereditas ære alieno ſiue onerata ſiue exhauſta ſit. Eſt enim æs alienum onus non tam bonorum etiam cùm pignori obligata ſunt; quàm heredis qui debet ſibi imputare, cur hereditatem vel damnoſam vel minus lucroſam adierit. Nec rurſus fieri poteſt diminutio corporum propter pecuniam, non magis quàm vt ex iure quantitas deducatur, ſed & poteſt contingere vt creditores hereditarij, vel nolint petere id quod ipſis debetur, vel non poſſint ob aliquam fortè exceptionem, quæ obiici eis poſſit. Quo tamen caſu, quis æquum putaret, eum qui petijt hereditatem vel nullo vel minore iudicati emolumento grauari? Planè non ideo conſequens fiet, vt ſi magnum æs alienum ſit, in hæreditate huius quoque æris alieni emolumentum ex iudicato præſtari debeat, cùm æris alieni emolumentum nullum eſſe poſſit, vt in bonis ſit defuncti, ſed creditorum, vnde & æs alienum appellatur. Cæterum ſi legata ſint quędam corpora quorum dominium tam eitò fiat legatarij, quàm hereditas facit heredis res ſingulas, nullum pro huiuſmodi legatis emolumentum iudicati ab herede debebitur, non magis quàm pro donationibus ſiue inter viuos, ſiue mortis cauſa factas quas conſtat extra cauſam eſſe hereditatis, & bonorum defuncti. [1] *Ita Senatus* pro Alexandro Nicole Graphario contra liberos D. Senatoris Daſnieres 3. Idus Martij 1618.

1 Vide *l.cogi 16. §.inde quæritur, D. ad Senatuſconſ.Trebell. §. ſed etſi 25.§.1.de petit.heredit. l.5. de impenſ. in rebus dotal.fact. l.ſequens quæſtio 68. l.legatum 8.de legat.2.*

TIT. III.

QVI PRO SVO IVRISDICT. Iudic.dare dari ve poſſ.

DEFINITIO I.

Senator mandatam à Præſide aut alio quam Principe iuriſdictionem exercere non debet.

SI cui ex Senatus noſtri Præſidibus delegata aut ordinaria iuriſdictio à Principe conceſſa ſit, quæſtionis aliquando fuit, an Præſes eam vni ex Senatorib. ſubdelegare poſſit, & an Senatori liceat mandatã accipere, & exercere? Nam quin à Principe Iudex datus alium Iudicem dare & ſubſtituere poſſit non ambigitur.[1] Placuit alienum id eſſe à Senatoria dignitate, vt qui Principis vicem gerunt in ampliſſimo ordine, [2] ab alio quam Principe mandatam iuriſdictionem exerceant.[3] Nec quod in libris noſtris mentio ſit prætoris, cuius prędipua Romæ dignitas fuit, alienam iuriſdictionẽ ex mandato exequentis, [4] ad rem facit. Fuerunt enim Romę pleriq; magiſtratus Prętore maiores,[5] Conſul præſertim & Præfectus vrbi, [6] à quibus mandari iuriſdictionẽ Prætori nec nouum erat, nec inconueniens: at nemo dixerit Prędem Senatus, licet maiori quam Senator dignitate fulgeat, maiorẽ tamen eſſe magiſtratũ, cum vniuerſus ordo ampliſſimus vnius magiſtratus iure cenſeatur,[8] in quo eadem ad ius dicendum auctoritas ſingulorum eſt,[9] cuius demonſtrandę gratia

BIU Cujas

fratres inuicem & dicimur & sumus; nec minus Præsides quam Senatores. [10] *Ita deliberatum est*, 5. Calend. Decemb. 1592.

1 *L. à Iudice 5. C. de Iudic.*

2 Imo & qui pars sunt corporis Principis, *l. quisquis 5. C. ad leg. Iul. Maiest. l. ius Senatorium 8. C. de dignit. lib. 12.*

3 Nam qui mandatam iurisdictionem exercet, non suis, sed eius, qui mandauit, partibus fungitur, *l. 1. §. qui mandatam, de offic. eius, l. solet prætor 16. & seq. D. de iurisd.*

4 *In l. etsi prætor 3. D. de offic. eius cui mand. est iurisd.*

5 Vbi enim deficiebat potestas iurisdictionis prætoriæ, consultum erat subuenire, *l. Pannonius Auitus 86. D. de acquir. hered. iunct. l. cum quidam 30. in princ. eod.* de quorum locorum sententia vide quæ scripsi *lib. 14. Coniect. c. 1.*

6 Is enim tanquam superior à Prætore appellabatur, *l. Æmilius 38. D. de minor.* Facit *l. si quis iniuriam 35. D. de iniur. l. 1. §. solent, de offic. præf. vrb.*

7 Vt vel ipsum Præsidis nomen demonstrat. Est enim Præses, qui præest Senatoribus.

8 Vnum enim corpus est, vnum collegium, *l. proponebatur 76. D. de iudic. l. 2. 3. & pass. ff. de decret. ab ordin. faciend.*

9 Non enim in ponderandis aut numerandis sententiis plus apud nos tribuitur Præsidi quam Senatori.

10 Idque nominatim & Præsidum & Senatorum iureiurando, quo vtimur, continetur.

DEFINITIO II.

De non trahendo de litigatore beneficij vltra duas diætas.

PRiuilegium quod Sereniſſimis Ducibus noſtris indultum eſt à Romanis Pontificibus, vt nulla ex cauſa nulloque prætextu cogantur Sabaudi litigatores Iudicem accipere eccleſiaſticum vltra duas diætas morantem, ſic neceſſario intelligi debet, vt aliquid addat iuri communi, quod pontificia conſtitutione ſcripta, & generali continetur. [1] Itaque ex quibus cauſis ceſſat lex pontificia, iis tamen ipſis locum ſibi vindicabit priuilegium, [2] ne alioqui nihil operetur. Sed tamen ſciendum eſt, priuilegium hoc non eſſe adeo generale, vt non ad primam inſtantiam ex verbis ipſis debeat coangustari. [3] Proinde non habebit locum in cauſa appellationis, quia fieri non poteſt, vt quæ appellationis inſtantia eſt, ea ſit prima. [4] Nec ſi proponas, ab eo interiectam eſſe appellationem, qui in prima inſtantia non litigauerat, forte quod ſuper ſtatu lata eſſet ſententia, quę inter alios quoque ius facere ſolet. [5] Priuilegij enim verba ſtricte ſemper ſunt accipienda, vt quam minimum fieri poteſt iuri communi derogetur. [6] Cæterum ceſſante priuilegio varij caſus poſſunt emergere, in quibus non ſit locus pontificiæ conſtitutioni, [7] inter quos ille eſt, Si aduerſarius primum conſenſerit, vt ad litigandum longius quam vltra duas diætas euocaretur. [8] Item ſi pauperior litigator, qui modo ſoluendo ſit, [9] appellet, quem non ſit veriſimile dolo malo & potentioris aduerſarij vexandi gratia quicquam moliri, [10] cum potius eius interſit leuioribus ſumptibus rem expediri. [11] Rurſum ſi ſummus Pontifex plures in partibus Iudices intra duas diætas dederit, quos alteruter litigantium dixerit ſuſpectos, [12] vt non facile intra eos territorij fines reperiri Iudex alius poſſit, quem litigatores habere velint. [13] Quid item ſi ſummus Pontifex Iudicem in curia delegauerit? Habet enim conſtitutio locum eo caſu, quo delegatus ſit Iudex in partibus. [14] Sed etſi ſummus Pontifex cauſæ cognitionem ad ſe euocauerit, quod Princeps Iudexve ſecularis prohibere nulla ratione poteſt, liberum ei eſt quemcumque & vbicumque velit Iudicem delegare, [15] quandoquidem eo caſu, quiſquis delegatus eſt, ipſius ſummi Pontificis partibus fungitur. [16] *Ita Senatus* in cauſa Dominorum de Romans, & Marchionis de Varambon, ante Cal. Maij 1594.

1 Sic enim reſcriptaomnia, præſertim priuilegia, interpretanda ſunt, vt aliquid operentur, *l. 3. §. 1. D. de bon. libert. iunct. l. ſi quando 35. in princ. C. de inoff. teſtam.* Facit *l. generali 32. §. 1. de vſufr. leg.* nihil autem operarentur, ſi nihil adderent ad ius commune.

2 Ipſum enim priuilegij nomen tale ius demonſtrat, quod ſit ſingulare, non commune.

3 Nam & illud tritum eſt, priuilegia omnia ſtricte eſſe interpretanda, quia hoc ipſo ſunt odioſa, quod aliena ſunt à iure communi, legemque publicam & communem violant vt efficiant priuatam. Ideoque & lege 12. tabul. prohibita erant his verbis, *Priuilegia ne irroganto.*

4 Licet Iudex, qui ex appellatione cognoſcit, in primi Iudicis locum ſubſtitutus dicatur, *l. pen. D. iudic. ſolui.*

5 *L. ingenuum 25. D. de ſtat. hom.* Quia perſonæ ius eſt indiuiduum, nec fieri poteſt, vt eiuſdem hominis alius ſtatus ſit, quod ad quoſdam, alius quod ad alios.

6 Vt & de ſtatutis dici ſolet, quæ ob hanc eandem cauſam recipiunt interpretationem reſtrictiuam, *l. vt gradatim 11. §. 1.* vbi Birt. *D. de muner. & honor.*

7 Quæ extat *in c. quia nonnulli, extr. de reſcript.*

8 Volenti enim & conſentienti non fit iniuria, *l. 1. §. inde quæritur, D. de operis noui nunciat. l. eſt receptum 14. D. de iurisd. l. ille à quo 13. §. tempeſtiuum, D. ad SC. Trebell.*

9 Alioqui præſumptio eſt, quod prætextu paupertatis velit illudere conſtitutioni pontificiæ in necem aduerſarij, *arg. l. ſi quis 35. ff. de iniur.* nam periculo eius nihil eſt, qui non habet, quod reddat.

10 Vt eueniret, ſi potentior appellaret contra pauperiorem, *l. 1. §. vlt. l. 2. & 3. in princ. ff. de alien. iudic. mut. cauſ. faci. l. 1. & 2. C. ne lit. potent.*

11 *l. minoribus 6. ff. de minor. l. 4. ff. ad Senatuſc. Trebell.*

12 Recuſari enim Iudex quilibet poteſt etiam delegatus, & quidem multo facilius, quam ordinarius, dummodo ante litem conteſtatam, *l. apertiſſimi 16. C. de iudic.*

13 Neque enim cogendi ſunt coram ſuſpecto Iudice litigare, *d. l. apertiſſimi, l. obſeruandum 47. ff. eod. tit. de iudic.*

14 Vt probant verba conſtitutionis *in d. cap. quia nonnulli*, quibus verbis ceſſantibus ipſa etiam ceſſat conſtitutio, *vulg. l. de precio 8. ff. de publician in rem act.*

15 Habet enim ſummus Pontifex pleniſſimam in beneficialibus poteſtatem, & conſtat reſcripto ſupremi Principis, poſſe cauſam euocari etiam ad incompetentem Iudicem, *l. 2. C. de dilat. l. 5. C. de iurisd. oſt.*

16 Nam & ſummus Pontifex & alius Princeps quilibet de cognitione, quam ad ſe euocauit, poſtea ſtatuere pro arbitrio poteſt, hactenus ſaltem vt eam alij delegare poſſit, nec ipſe cognoſcere & pronunciare cogatur, quem aliis grauioribus & publicis occupationibus impediri non ſit ambigendum, *arg. l. 2. C. de pedan. iudic. l. vlt. C. vbi & apud quem cogn. in int. reſt. l. ſæpe 8. D. de off. Præſid.*

17 *d. l. vlt.* in illis verbis, *vt videatur ipſe, qui Iudicem deſtinauerit, vtpote pro tribunali cognoſcens in integrum dare reſtitutionem, l. etſi prætor, D. de offic. eius cui mandat. eſt iurisd.* Quæ res tamen feneſtram maximam patefacere videtur ad fraudem conſtitutioni faciendam.

DEFINITIO III.

Quid ſi in quæſtionem principalem de feudo incidat quæſtio de matrimonio, & vaſallus alleget priuilegium, ne trahatur vltra duas diætas?

HInc quæritur, Si de feudo, quod eſt in Ducatu Sabaudiæ, controuerſia ſit inter Sabaudum & alienigenum, ac aliqua ex cauſa litigandum ſit coram Iudice eccleſiaſtico, quem ſummus Pontifex delegauerit in eo loco morantem, ad quem intra duos dies peruenire non poſſit, An alienigenus hic gaudere debeat priuilegio, de quo ſcripſimus proxima Definitione, quod à ſacroſanctis Pontificibus indultum eſt Ducibus noſtris, vt eorum ſubditi ad litem in prima inſtantia tractandam vltra duas diætas extrahi non poſſint? Verius tamen eſt gaudere debere, quia, quod ad eiuſmodi feudum attinet, negari non poteſt, quin ſubditi ſint, qui ſunt vaſalli. [1] Sed maior dubitatio eſt, Si forte cum de fideicommiſſo tractaretur coram Iudice laico, inciderit quæſtio de validitate matrimonij aut legitimationis, de qua ante omnia cognoſcendum ſit, & quidem per Iudicem eccleſiaſticum, cuius propria illa

cognitio

BIU Cujas

cognitio est.[2] Atque ita euenerit, vt iudex laicus eam cognitionem ad ecclesiasticum remiserit,[3] an eidem priuilegio locus sit. Finge, aduersarium, qui feudi & status controuersiam facit, vltra duas diætas extrahi nolle. Dubitationem facit, quod ea status ac matrimonij, &, vt ita dicam, legitimitatis aut legitimationis quæstio longe latius pateat, quam de feudo controuersia.[4] Vt proinde iniquum videatur, prætextu feudi, quod controuersiæ causam dedit, duriorem fieri conditionem litigatoris, cuius etiam extra feudi causam plurimum interfit, vt legitimus aut legitimatus pronuncietur.[5] Sed tamen ratio facit, vt ne ob id quoque, quod incidens quæstio latius pateat, durior fiat conditio eius, qui, si in quæstione illa succumberet, litem quoque de feudo institutam amitteret.[6] Itaque placuit priuilegio locum esse.[7] Nec ad rem facere, quod Iudex laicus eam ipsam cognitionem ad Iudicem ecclesiasticum remisisset.[8] Id enim ita intelligi debere, vt tamen ex solito debitoque iudiciorum ordine ea cognitio expediretur,[9] adeo vt neque eo minus imploranda sit Senatus nostri licentia ad impetrandum, vt literas apostolicas de ea cognitione emissas, siue Iudicis in partibus delegationem, siue quid aliud contineant, executioni mandare liceat.[10] Alioqui non solum à tanquam abusu appellatio recipienda est, sed etiam inhibendum ei, qui literas apostolicas impetrauit, ne iis vllo modo vtatur. Habet namque inhibitio illa dilationem tacitam & conditionalem, *quousque impetrata sit à Senatu faciendæ executionis licentia.* Sane non potest ea licentia petenti denegari à Senatu, siue is, siue alius Iudex inferior cognitionem ad ecclesiasticum Iudicem remiserit.[12] *Ita Senatus* in eadem causa duplici Senatusconsulto, vno quod ad 4. Non. Mart. 1590. altero quod ante Calend. Maij eodem anno factum est.

1 *Titul. de form. fidelitat. & sequent. de noua form. fidelitat. lib. 2. feud.*

2 *Cap. lator præsentium, extr. qui filij sint legit.* Nec seruatur quod contra scriptum est *in l. 3 C. de iudic. l. 1. C. de ordin. iudic.*

3 Quia præiudicialis quæstio est, cum sit quæstio status, *l. vlt. C. de ordin. cognit.*

4 Controuersia enim de statu afficit personam, quæ latius patet, legemque dat bonis, non bona personæ, *l. per curatorem 90. §. 1. D. de acqu. hered. l. vlt. C. de inoff. test.* Fiam.

5 Nam per minorem causam maiori cognitioni præiudicium fieri non oportet, *l. per minorem 54. D. de iudic.*

6 Ea namque lis de feudo erat principalis, de matrimonio autem incidens. Maior porro lis illa dicenda est, quæ est principalis, & ad quam quasi accessoria refertur alia, quæ sit etiam de re digniori, *l. fundum 16. l. fundi 18. l. rei maioris 21. D. de except. l. vt debitum 5. C. de hered. act.* Principale enim semper trahit ad se accessorium, quamuis nobilius, *l. heres meus 100. §. vlt. de leg. 3. d. l. 3. C. de iudic. l. 1. C. de ord. iudic.*

7 Non enim tollitur priuilegium, nisi sublata priuilegij causa, *l. Titia Seio 87. §. vsuras, de leg. 2.*

8 *Ex d. cap. lator præsentium, extr. qui filij sint legit.*

9 Nunquam enim solitus iudiciorum ordo remissus intelligitur, *l. si quando 35. C. de inoff. testam.*

10 Ne alioqui locus fiat appellationi interponendæ tanquam ab abusu, si Senatus auctoritas in eo neglecta sit, vt dicemus *ad tit. illum de app. tanq. ab abus. & sequitur in Defin.*

11 Vt cessante causa inhibitionis cessaret etiam eius effectus. Nihil enim aliud agit Senatus cum sic inhibet, nisi vt dignitatem iurisdictionis suæ tueatur, quod pœnali iudicio vel inferior quilibet Iudex facere potest, *l. 1. D. si quis ius dicent. non obtemp.*

12 Quia cui permittitur consequens, necessario permittendum est antecedens, & contra, *vulg. l. 2. D. de iurisd. l. ad rem mobilem 56. l. ad legatum 62. D. de procur.*

DEFINITIO XIV.

Quantum interfit, an delegata sit iurisdictio sub nomine proprio, an sub nomine officij vel dignitatis.

MVltum refert an delegata sit alicui iurisdictio sub nomine appellatiuo dignitatis vel officij, an sub nomine ipsius proprio. Hoc enim posteriore casu magis est vt electa videatur industria personæ[1], nec possit vicarius ordinarius delegati iurisdictionem illam sibi adrogare, ne quidem ex subdelegatione,[2] quamuis nemo dubitet, quin delegatus à Principe possit subdelegare, quoties aliud nihil impedit.[3] Priore verò casu, potest ordinarius iurisdictionis vicarius de causa cognoscere, etiam citra subdelegationem:[4] nec videri potest nulla sententia, quæ ab eo lata est, quasi ab incompetente iudice,[5] nullamque aut ordinariam aut delegatam iurisdictionem habente.[6] Ideóque si quid à tali vicario pronunciatum sit, quod aliquam videatur habere iniquitatem, auxilium appellationis etiam iure communi[7] necessarium est.[8] *Ita Senatus* in causa Francisci Clapey & Martini Riù 10. Iunij 1614.

1 Cùm dici soleat, quod verissimum est, magnam esse inter artifices differentiam *l. inter artifices 31. D. de solut.*

2 *Cap. quoniam Abbas, extr. de off. & pot. iud. deleg.*

3 *L. à iudice 5.* vbi omnes notant. *C. de iudic.*

4 Quia vicarius ordinarius habet mandatam iurisdictionem ordinariam, *Cod. de offic. eius qui vic. alic. iud. vel præfid. obtin. l. 1. & tot. tit. D. de offic. eius cui mandat. est iurisd.*

5 *Ex tit. C. si à non compet. iudic.* Incompetentia namque iudicis rectè à pragmaticis dicitur nullitas nullitatum.

6 Et consequenter nullam penitus. Nec enim priuatorum consensus vllam tribuere potest iurisdictionem *l. priuatorum 3. C. hoc tit.*

7 Nam iure nostro quo vtimur, appellandum hodie necessario est ab omni sententia, quantumuis nulla, quod iure communi non ita est: *tot. tit. C. quand. prouoc. non est necess. l. si expressim 19. D. de appellat.*

8 Nam qui appellat de iudicis potissimum iniquitate conqueritur *l. 1. D. eod. tit. de appell. l. præfecti 17. D. de minor.*]

TIT. IV.

NE QVIS IN CAVSA SVA iudic. vel ius dic.

DEFINITIO I.

Senator an possit esse Iudex in causa Aduocati vel Procuratoris sui, vel eius quem aduersarius habet Aduocatum aut Procuratorem?

NOn prohibetur Senator ius dicere in ea causa, quæ de Aduocati aut Procuratoris sui iure apud Senatum tractatur,[1] cum aduocationis itemque Procuratoris officium publicum magis sit quam priuatum, & necessarium potius quam voluntarium.[2] Siquidem inuitis quoque Aduocatis & Procuratoribus postulandi procurandique necessitas iniungi potest, ni iustam adferant excusationem,[3] multoque iustius admitti illud posset, vt in eius causa, quem Senatoris aduersarius Patronum aut Procuratorem habuisset, ius dicere Senator prohiberetur:[4] quod tamen nec admissum est.[5] Verum aliter atque aliter pro personarum causarumque varietatibus hac de re Senatus decernere solet, quoties ab altero collitigantium Senator quispiam ex huiusmodi causis suspectus dicitur.[6] Nemine enim suspicionem obiiciente, nihil est propter quod ipso iure factove suspectus hinc videri Senator sibi ipsi debeat.[7] *Ita Senatus* sæpius, præsertim in causis Spect. Petri Fauier Aduocati & Procurat. Amedei Martini, 13. Calend. Decembr. 1592.

BIU Cujas

1 Non enim causa hæc expressa est verbis legis Corneliæ, de qua *in l.5. in princip. D.de iniur.* alioqui sane magno incommodo afficerentur Senatores, si ex hac causa Patronum aut Procuratorem difficilius inuenturi essent. Quotusquisque enim Aduocatus aut Procurator esset, qui officium suum sibi damnosum esse vellet; *arg.l.3.§.vlt.D.de testib.l.sed si quis 7.D.de testam. quem.aper.*

2 Loquimur enim de Aduocatis & Procuratoribus, vt ita dicam, iudicialibus, quibus solis apud Senatum postulandi ius est, & quorum longe alia ratio est, quam fuerit olim Procuratorum etiam ad lites constitutorum, vt scripsi *ad Defin.29.num. 3.C.de iudic.*

3 Quod olim diuersum erat. Neque enim inuitus quisquam Procurator fiebat siue ad lites, siue ad negotia, *l.filiusfamilias,8. §.inuitus,D.de procur.* Hodie vero quisquis Procurator fit in aliquo tribunali aut Aduocatus, proprio se obstringit iureiurando, quod petenti cuilibet, si nulla erit iusta excusatio, patrocinium vel operam suam sit præstiturus.

4 Tanquam in causa eius, qui esset amicus inimici, *arg.l. liberi 28. C.de inoff.testam.l.3. D.de testib. l.1.§.cum patronus, D.de offic.præf.vrb.*

5 Quia nec causa vlla est, cur probus Senator, quales esse omnes credendi sunt, odio prosequi debeat aduersarij sui Aduocatum vel Procuratorem, quem sciat ex officij sui necessitate munus illud subire omnimodo debuisse, & vt subiret ipso etiam Senatu sub grauissimarum pœnarum comminatione iubente cogi potuisse. Quid enim huic possis imputare? *arg.l.quod autem 6.§.apud Labeonem, D.quæ in fraud.cred.l.nec quicquam 9.§. Aduocatus, D.de offic.Proconf.*

6 Quid enim si lis fuit criminalis, & de re, quæ vel dignitatem vel vitam lacessebat? Quid si Aduocatus ille aut Procurator Senatorem tergiuersationibus & calumniis offenderit? Sunt ista omnia ab officij publici necessitate & ratione aliena, ideoque non immerito Senator tanquam inimicus à munere iudicandi in eius causa se abstinere debebit.

7 Habet enim Senator iudicandi necessitatem, quoties neque litigatoribus, neque sibi ipsi suspectus est.

DEFINITIO II.

Senator, qui suspectus dicitur, potest interim de causis suspicionis contra Senatores alios allegatis sententiam dicere, quandiu remotus non est.

QVi ex Senatoribus ab alterutro collitigantium suspecti dicti sunt, non idcirco prohibentur mutuas obiectæ in singulos suspicionis causas discutere, deque iis sententiam dicere, dummodo absit is, de quo remouendo tractatur,[1] si non iam ipsi quoque remoti sint. Nam ei, qui iam à iudicandi officio tanquam suspectus remotus est, nullus amplius ad dicendam in ea lite sententiam locus superesse potest.[2] Quid ergo si aduersus plures Senatores vna eademque suspicionis causa obiiciatur? An quia consimilem omnes causam habere videntur alij in aliorum causis examinandis sedere non poterunt? Id vero iustum plerisque videbatur.[3] Sed placuit tandem contraria sententia, propterea quod non ideo certum sit, easdem singulos habere defensiones,[4] neque vero prius id sciri possit, quam de singulis fuerit cognitum separatim.[5] Aliis igitur in aliorum causa sententiam dicere licebit, ne alioqui facile sit impudenti homini sola eiusdem aduersus plures Senatores suspicionis allegatione rem eo perducere,[6] vt Senatorius numerus, qui saltem ad senarium vsque hoc etiam casu necessarius est,[7] non supersit. *Ita Senatus* 13.Calen. Decemb.1592.

1 Non quod pendente suspecti cognitione non sit ei interdicendum exercitio iurisdictionis in ea causa, in qua suspectus dicitur, exemplo eius, quod de suspecto tutore scriptum est *in l. eum quem 7.C.de susp.tutor.l.quod si forte 14.§.1.in fin.D.de solut.§.si quis autem 7.Institt.de susp.tutor.* Sed quoniam aliter posito iure nihil esset facilius improbo litigatori, quam vt Senatus iurisdictionem contra plerosque ex Præsidibus & Senatoribus temere aut calumniose recusatos eludere, vt scriptum est in fin. Defin.

2 Iudex enim siue ordinarius, siue delegatus, qui ex iusta suspicionis causa remotus est, nullam amplius in ea causa iurisdictionem habet, nec est, cur vel in minimo illius litis articulo immiscere se debeat odio recusantis, quem apparet iustam recusandi causam habuisse. Facit *l.non distinguemus 32. §. cum quidam, D.de recept. qui arbitr.*

3 Iusta namque recusandi iudicis causa illa creditur, si iudex habeat consimilem litem, & in qua sit eadem ratio vincendi aut succumbendi, Gothofr. *ad l.5.D.de iniur.* ex Oldendorp. c.7. *enchirid.except.*

4 Itaque pro defensionum varietate diuersa potest esse causa vincendi vel succumbendi, *l.3. l.& an eadem 14. l.si cum vno 12. D.de excep.rei iud.* Facit *l.eandem 9.§.vlt. D.de duob.reis.*

5 Atqui causas recusationis & obiectas & probatas esse necesse est, priusquam Iudex tanquam suspectus remoueatur, *l. apertissimi 16.C.de iudic.*

6 Fuit enim hoc veluti remedio præcludenda via malitiis, calumniis & tergiuersationibus improborum litigatorum Iudices suos quantumuis integerrimos sine causa recusantibus. Nam cum iudicium reddatur in inuitum, *l.inter stipulantem 83. §.1.de verb.oblig.* non debet in alterutrius litigatorum arbitrio esse, vt iudicium eludat, *arg.l.ne in potestate 26.l.si quis rem 30. de recept.qui arbitr.*

7 Vt in diffinitiua qualibet alia pronunciatione, quia remotio Iudicis tanquam suspecti vim habet diffinitiuæ sententiæ, siquidem sententia illa retractari postea numquam potest. Ad interlocutiones quinque Senatorum numerus sufficit, imo & interdum trium duntaxat, nisi cum agitur de torquendo reo, quia, cum quæstio sit præparatio ad mortem aut naturalem, aut ciuilem, non minore quam sex Senatorum numero expediri ea cognitio potest.

DEFINITIO III.

An iusta recusandi Senatoris causa sit, quod ad vnius ex litigatoribus domum diuerterit, si cogente aliqua necessitate id fecerit?

SI Senator ex itinere diuerterit ad priuatum hospitium[1] & domicilium vnius ex litigatoribus, quorum litem instruebat, licet cogente aut temporis iniuria aut loci necessitate,[2] hactenus pro suspecto haberi potest, vt ex eo tempore neque instructio, neque relatio litis ei demandari debeat;[3] iudicandi tamen munere, cum res iudicabitur, non idcirco fungi prohibeatur.[4] *Ita Senatus* in causa Procuratoris Doche & Antonij Gerbe 9.Cal.Mart.1593.

1 Nam si publicum hospitium est, aliud iuris esse videtur, cum non possit caupo repellere viatorem, *l.1. §.vlt. D.de furt. aduers.naut.caup.*

2 Alioqui sane magis suspectus esset, qui probaretur, vltro & nulla cogente necessitate diuertisse ad domum vnius ex litigatoribus: necessitas enim vt plurimum excusat, *l.2. §.si quis iudicio, & §.si quis tamen, D.si quis caut.*

3 Neque enim negari potest, quin amicitiæ vinculo se obstringat is, qui in priuato alterius hospitio recipitur, fitque tanquam pene domesticus, ideoque manere eum litis instructorem & enarratorem suspectum esset, *arg.l.4. §.si accusatio, D.de legat.* iunct. *l.apertissimi 16.C.de iudic.* ibi, *quia sine suspicione omnes lites procedere nobis cordi est.* [Vnde est quod Senator non potest esse iudex in causa inquilini sui aut eius cuius ipse inquilinus est. *Ita Senatus* noster sæpius, & nouissimè contra Noë Gaud, 17.Cal.April.1612. Potest tamen esse iudex in causa coloni sui, si colonus ille nummarius sit. Nec enim potest hic videri domesticus vt inquilinus. Sanè in colono partiario aliud videtur, non quia sit magis domesticus, sed quia videtur hæc quædam species societatis, & consequenter fraternitatis *l.verum 63.D. pro socio. Ita Senatus* 3.Aug.1612.

4 Æquissimo sane temperamento, quia multo periculosius est si totius litis instructio & enarratio, quæ præcipui momenti est, ad litis victoriam parandam suspecto Iudici soli committatur, quam si ei inter cæteros sententiam dicere concedatur. Sed & difficilius est, vt certissimo salutis æternæ periculo velit quis de principali negotio sententiam ferre per sordes aut gratiam, quam vt in præparatoriis & enarratione litis, quasi minoris momenti illud sit, amico fauere gestiat. Itaque vbi maius periculum est, ibi maior cautio adhibenda fuit, *arg.§.1.Instit.quib. alien.licet vel non, l.vnic.§.& cum lex, C.de rei vxoriæ act.l.4.§.1.D. Senatusconf.Velleian.*

DEFINITIO IV.

Inimicitiæ contra fratrem suspectum faciunt Iudicem in causa alterius fratris, si bonorum communio interueniat.

Ex causa

BIU Cujas

EX causa inimicitiarum quas Iudex gerat cum vno ex fratribus, præsertim in bonorum omnium communione manentibus, iuste suspectus fieri potest in iis quoque controuersiis, quæ ad alterum fratrem pertinent, propterea quod neque litis iactura sine patrimonij diminutione possit contingere, [2] neque facile sibi imperare, quin fratrem tuum oderit, qui te odio prosequatur. [3] *Ita Senatus* in causa Francisci Vectier Procuratoris 4. Cal. Mart. 1595.

1 Nec enim nouum est, vt quis ex alterius persona nanciscatur ius, quod ex propria non haberet, *l. si is qui duos 29. D. de liber. legat. l. cum hereditate 55. de acquir. hered. l. & per iusiurandum 13. §. si fideiussori. D. de acceptil. l. 4. D. de decur. & fil. eorum.*

2 *L. 3. §. gesta*, iunct. *l. quod autem 6. in princ. D. quæ in fraud. cred. l. 1. §. quid si in lite. D. si quid in fraud. patr.*

3 Scilicet si odium sit graue, non leue, *l. 3 in fin. D. de adim. leg. l. 1. §. præterea inimicorum, D. de qu. l. si duas 6. §. dat remissionem, D. de excus. tut. l. si inimicitiæ 9. D. de his quæ vt indign. l. licet 15. D. de recep. qui arbi.* Nam si Iudicem, qui inimicis tuis amicitiam suam copulasset, iuste recusare posses tanquam inimicum, *l. liberi 28. C. de inoff. test.* quanto magis eum, qui cum fratre tibi naturaliter copulato capitales inimicitias gerat?

DEFINITIO V.

Casus, in quo Iudex recusatus potest cognoscere etiam post appellationem ab eo interpositam, qua reprobauerit obiectas suspicionis causas.

QVod constitutum est, Iudicem, qui ab alterutro collitigantium suspectus dictus est, ante omnia & separatim pronunciare debere super causis suspicionis, vt si eas reprobet, ob idque is, qui suspectum dixit, appellandum putet, alius interim, qui eius vices gerat in eo tribunali, cognoscat de principali negotio, [1] non habet locum, si plures simul & vna actione conueniantur, non tanquam singuli, sed tanquam vniuersi, [2] & vno fortassis excepto, cæteri omnes in eundem Iudicem consentiant, ne alioqui euenire necesse sit, vt continentia causæ diuidatur, [3] quod ne fiat semper, quantum in se est, cauere Iudex debet. [4] Aliud erit, si singuli conueniantur vt singuli, quamuis ex eodem libello. Tunc enim separatim cognoscendum est de iure singulorum, quia & separatas defensiones habere possunt. [5] Ideoque prius de causis recusationis ab vno ex iis propositæ pronunciandum erit, quam vt, quod ad eum pertinet, quicquam super principali negotio pronuncietur. [6] Idemque probandum erit, si non recusatio, sed incompetentia Iudicis obiiciatur. Vix enim admitti potest, vt cæterorum consensus faciat competentem Iudicem eum qui non est, in præiudicium non consentientis. [7] Ex quo appareat, minus auctoritatis habere Iudicem, qui incompetens dicitur, quam qui recusatur. Incompetentia siquidem iurisdictionis fundamentum subuertit, ob idque & in causa appellationis obiici potest. [8] Recusatio vero iurisdictionis vinculum præsupponit, cum is, qui nullam in alium iurisdictionem habet, recusari nec possit, nec debeat, [9] sed exercendæ duntaxat iurisdictionis impedit facultatem. [10] *Ita Senatus* in causa N. Georgij de Sauuage postea Senatoris & Procuratoris fiscalis Maurianensis 6. Id. April. 1593.

1 *Styl. Senat. nostri.*

2 *Vt in l. sicut 7. §. 1. D. quod cuiusque vniuers. nom. l. quid maior 19.* vbi Gothofr. *D. ad municip.*

3 *L. 1. & 2. D. de quib. reb. ad eund. Iudic. eat.*

4 *L. nulli prorsus 10. C. de iudic.*

5 Quod enim omnes tangit vt singulos ab omnibus approbari debet, etiam in indiuiduis, *l. per fundum 11. D. rustic. præd. l. vlt. C. de auctor. præst.*

6 Vt iis procedat sine suspicione, *l. apertissimi, 16. C. de iudic.*

7 Incompetens enim Iudex cum fiat competens per solum consensum, non potest talis fieri nisi inter consentientes, *l. 1. C. de iurisd. l. est receptum 14. D. eod. l. 1. l. 2. in princ. §. & si & Iudex, ibi & omnes litigatores consentiant, D. de iudic.*

8 *L. vlt. & tot. tit. C. si à non compet. Iudic. l. 1. C. de pedan. iudi. l. 1. C. de iurisdict.*

9 *d. l. apertissimi 16. C. de iudic.*

10 Quia ligat manus Iudicis, vt Pragmatici loquuntur, sed ita demum, si sit opposita ante litem contestatam, *d. l. apertissimi, l. nemo 4. C. de iurisdict.*

DEFINITIO VI.

Recusatus Senator quamuis nondum remotus, nihil interim constituere in ea lite debet.

SEnator, qui ab alterutro collitigantium suspectus dictus est, nihil prorsus ab eo die inter litigatores constituere debet, [1] nec si tale illud sit, ex quo litigatorum ius nullo modo lædi videatur. [2] Neque si aperte friuola aut calumniosa sit causa suspicionis, eam tamen reiicere ipse debet, aut contemnere, sed Senatus iudicio eio dispiciendam relinquere. [3] In quo deterioris conditionis sunt Senatores, quam alij inferiores quilibet Iudices, quibus nimirum datum est, vt contra se allatas suspicionis causas vel reprobent, vel admittant, prout æquius iustius esse putauerint, adeo vt si reiecerint tanquam falsas vel calumniosas, & ab ea interlocutione appellatum sit, nihilominus interea lis tractanda sit apud eum, qui mandatam ab illo iurisdictionem exercet in eodem tribunali. [4] Hæc tam varie, quoniam Iudices inferiores iurisdictionem habent ordinariam, [5] Senatores vero singuli nullam prorsus nisi delegatam, [6] quæ multo facilius & vel ex minima causa impediri potest. [7] Quamquam ne passim & sine causa vnicuique pro arbitrio liceat aliquem ex Senatoribus impune suspectum facere, sæpius constitutum & prouisum est, vt in eius, qui suspectus dictus est, locum non alius substitui, aut eo absente in causa procedi prius debeat, quam de suspicionis causis plene cognitum sit & pronunciatum. [8] *Ita Senatus* ex tempore pro fratribus Chartiere 8. Calend. Februar. 1594.

1 *Arg. l. non distinguemus 32. §. cum quidam, D. de recept. qui arbitr.* exemplo tutoris qui suspectus postulatur, *l. eum quem 7. C. de susp. tut. l. quod si forte 14. §. 1. D. de solut.* vt scripsi ad *Defi. 2. 5. eod.*

2 Nam cum lites omnes sine suspicione procedere æquum est, vt ait *l. apertissimi 16. C. de iudic.* tum eas maxime, quæ apud Senatum tractantur.

3 Quia cum totius Senatus, non huius aut illius Senatoris iurisdictio sit, nihil est, quod possit Senator constituere in ea re, in qua nullam à Senatu mandatam habeat iurisdictionem, quomodo nullum habet, quod ad recusationem admittendam aut reiiciendam pertinet.

4 *Styl. Senat. nostri.*

5 De qua *in l. nemo 5. C. de iurisd. l. 2. C. de pedan. iudic.*

6 Non à Principe, sed à Senatu, qui delegatus ipse à Principe, etsi totam iurisdictionem suam subdelegare non potest, partem tamen potest, & ratione litis ordinandæ duntaxat, non etiam decidendæ, vt scripsi *ad Defin. 32. num. 6. & 7. 5. de iudic.*

7 *d. l. apertissimi*, quæ de Iudicibus delegatis expressim loquitur.

8 Id enim ad Senatoris recusati dignitatem tuendam aut vindicandam, & consequenter ad amplissimi ordinis maiestatem conseruandam pertinet.

DEFINITIO VII.

Recusari potest Iudex inferior quandocunque ante sententiæ pronunciationem, at non item Senator.

INterdum quæritur, An possit Iudex suspectus dici eo ipso die, quo sententia conscripta subscriptaque est, dum ne sit adhuc pronunciata? Et placet posse. Imo etiamsi iam tradita sit scribæ, quem grapharium vocant, ad hoc pronuncietur. Nam cum ex sola pronuntiatione vires accipiat sententia, [2] apparet, liberum

BIU Cujas

esse totum prius tempus ad recusandum Iudicem,[3] ideoque differendam pronunciationem. [4] In eoque minus iuris & auctoritatis habent Iudices inferiores, quam habeat ordo amplissimus, cuius veneratione constitutum est, vt si acta litis inspicere Senatus cœperit, reiici ab eo tempore ex iudicantium numero nemo possit, nisi forte proponas, magnam aliquam & improuisam, aut antea probabiliter ignoratam emersisse causam, quam æquissimum sit admitti. Si tamen inferior Iudex tam tarde propositas reiectionis causas non admiserit,[5] beneque ab eo iudicatum appareat, non est, quod ex ea sola ratione sententia per appellationem rescindatur, [6] aut litis appellatoriæ sumptuum compensatio inducatur, [7] maxime cum imputari litigatori possit, cur in fugando & reiiciendo Iudice non fuerit diligentior.[8] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio 6. Cal. Maij 1594.

1 Non vt omnimodo admitti debeat recusatio, quæ potius reiicienda est, tanquam nimis sera post litem contestatam, *l. apertissimi 16. C. de iudic. l. nemo 4. C. de iurisd. omn. iudic.* sed vt quandiu admissa non est vel reiecta, officium Iudicis in negotio principali conquiescat. Potest enim fieri, vt recusatio talis sit, quæ admitti debeat etiam post litem contestatam, puta si nouam causam habeat.

2 *L. 1. 2. & 3. C. de sentent. ex breu. recit. l. Iudex posteaquam 55. D. de re iudic.* vnde & sententia nonnunquam dicitur pronunciatio, *l. 1. §. vlt. D. ad Senatusc. Turpill.*

3 Cum ea tamen distinctione, quam diximus, an recusatio fiat ante vel post litem contestatam, & an ex causa, quæ de nouo emerserit, an ex vetere.

4 Vt tota lis procedat sine suspicione, inquit *d. l. apertissimi.* Facit *l. non distinguemus 32. §. cum quidam, D. de recept. qui arbit.*

5 Quo casu si à recusationis reprobatione appelletur, non potest ille ipse, qui recusatus est siue iuste, siue iniuste, de principali negotio cognoscere, sed qui in ea iurisdictione vices ipsius gerit.

6 Id est, tanquam à suspecto Iudice lata, qui ex die recusationis quoquo modo propositæ ligatas manus habuit, nec potuerit ipse quicquam pronunciare, *d. ct. l. apertissimi, dict. §. cum quidam.*

7 Quæ induci solet, cum mutua est culpa mutuaque victoria, vt scripsi *Desin. 1. nu. 1. §. de sport. & sumpt. in diuers. Iudic. fac.*

8 Quia debuerat recusare Iudicem ante litem contestatam, *d. l. apertissimi, d. l. nemo.*

[DEFINITIO VIII.

Etiam iure Canonico recusatus iudex ecclesiasticus causas recusationis contra se propositas reiicere potest, sed non de earum fide, & veritate cognoscere.

SVnt qui inter ius Canonicum & ciuile hanc differentiam constituant, quantum ad Iudicis recusationem pertinet, quod iure ciuili possit recusatus iudex ipse de causis recusationis cognoscere, easque friuolas & illegitimas, si tales compererit, pronunciare ac reiicere. [1] Iure autem Canonico aliud sit, debeatque ipse litigatores adigere vt arbitros eligant qui de recusationum causis cognoscant. [2] Sed non ita est. Nam & iudex ecclesiasticus siue ordinarius siue delegatus, recusationes potest æquè reiicere tanquam friuolas & illegitimas, [3] nec quicquam hac parte constitutum est iure Canonico, nisi vt si recusationis causas iustas & legitimas esse constet, sed quæ tamen verè negentur, probationem earum apud arbitros in eam rem eligendos fieri oporteat. [4] Quod nec iure ciuili aliter se habere putandum est. Quis enim ferat iudicem recusatum audire testes ex quorum fide probatio recusationum pendeat? [5] Illud tamen obseruandum est, delegatum siue à summo Pontifice siue ab alio Principe non posse recusari, ex iis causis quas deleganti cognitas & expositas fuisse ex ipso delegationis rescripto appareat, quippe quas hoc casu delegans ipse sicuti scisse, ita & reiecisse videatur. [6] *Ita Senatus* in causa R. D. Caroli de la Tour Prioris Tolloriarum, & R^m. Patrum de Fellianz, contra R. Religiosos dicti Prioratus & D. Abbatem de Sauigny. Sept. 1613.

1 Vt dixi *Desin. 5. num. 1. §.*

2 *Ex cap. suspicionis de offic. iudic. deleg. cap. cum speciali, de app.*

3 Rebuff.

4 Ita enim scriptum est, *in dict. cap. suspicionis & dict. cap. cùm speciali.*

5 Esset enim hoc casu nimis suspecta probatio, cuius vitium postea per appellationum iudicem emendari non posset. Vnde est quod dicimus, vel minimam recusationis causam sufficere ne quis audire testes possit.

6 Qui enim scit nec eo minus delegat iudicem, hoc ipso recusationem reiicit, sicut & is qui post oppositam exceptionem dilatoriam progreditur ad vlteriora, vt notant nostri ad *l. à procedente, C. de dilat.*

DEFINITIO IX.

Potest dominus directus esse iudex in causa sui emphyteutæ.

NOn prohibetur Senator iudex esse in causa sui emphyteutæ, [1] dum ne agatur de ipsa emphyteusi, id est, de re emphyteuticaria, [2] quantacunque sit pensio quæ pro emphyteusi debetur. [3] Nam & creditorem nihil vetat esse iudicem in causa sui debitoris, dummodo non agatur de re ad ipsum debitum pertinente. [4] Planè si tam magna sit pensio, vt in ea lite condemnatus emphyteuta minùs in bonis habiturus sit, quàm vt eam pensionem soluere commodè possit, Æquius est vt Senator, cuius incipit iam aliquatenus interesse, [5] à litis relatione abstinere debeat, nec dari in ea lite recuperator, & commissarius possit, [6] iudex tamen esse possit. [7] *Ita Senatus* in persona D. Iacobi Salteur Senatoris clarissimi 23. Maij 1614.

1 Nulla enim officia dominus directus suo emphyteutæ debet, nullámque affectionem nisi cum agitur de re emphyteuticaria, *Ex not. in l. 1. C. de iur. emphyt.*

2 Nam cùm de ipsa re emphyteuticaria agitur, debet dominus directus emphyteutam defendere, etiamsi de iure ipso emphyteutico non agatur, ideóque ipsius domini causa tractari videtur.

3 Non enim magis aut minùs quis est emphyteuta, quod maiorem minorémve pensionem debeat, Nisi quòd cum maior pensio est & quæ fructuum modo respondere videatur, accedit propius ad locationem, vt dixi *Definit. 36. num. 4. §. de iur. emphyt.*

4 Quamuis è contrario non possit debitor, magnæ scilicet quantitatis aut iudex aut testis esse in causa sui creditoris, quia vt Seneca quodam loco scribit, debitor quodammodo sui creditoris seruus est.

5 Semper enim creditoris interest vt locupletem habeat debitorem, & qui sit soluendo, *l. nam is 6. D. de dolo.*

6 Maius enim periculum est, ne in referenda lite, aut in tractandis præparatoriis iudicij aliquid faciat solus, quod per alios non tam facilè possit aut impediri aut emendari. Pragmatici dicunt, *s'abstenir du rapport & formalitez du procez.*

7 Nec enim tantæ potestatis est votum Senatoris, vt non ab aliis Senatoribus, quos tam multos esse necesse est, possit emendari.]

TIT. V.

QVI LEGIT. PERSON. stand. in iudic. hab. vel non.

DEFINITIO I.

Qui agit tanquam talis, probare se talem debet.

QVi agit tanquã tutor vel procurator alterius, non prius audiri debet, quã se tutorem vel procuratorẽ esse docuerit, si tutor vel procurator negetur. [1] Prius enim

enim de persona, quam de iure actoris quærendum est;[2] imo sunt, qui putent, non sufficere tutori, vt se tutorem datum aut confirmatum probet, nisi inuentarium quoque exhibeat, quod vtique ante omnia ex officio tutoris conficiendum est.[3] Sed horum sententia non obtinet, cum ab ipso die susceptæ tutelæ periculum administrationis ad tutorem spectet,[4] nec eo minus, at vero tanto magis, si repertorium non fecerit.[5] Neque vero sic prudentes loquuntur, vt dicant, nihil posse tutorem gerere ante confectum inuentarium, sed nihil gerere illum oportere,[6] ne scilicet aduersus eum quandoque ex hac causa in litem iuretur.[7] *Ita Senatus* ex tempore 13. Cal. Aug. 1591.

1 *l. quoties* 18. *D. de probat. l. vlt. in fin. D. si libert. ingen. esse dicet. l.* 1. *C. de procurat.*

2 §. *vlt. Inst. de iur. natur. gent. & ciuil. l. quidam referunt* 14. *D. de iur. codicill.*

3 *l. tutor qui repertorium* 7. *ff. de admin. tut. l. vlt. C. de arbitr. tutel. l. tutores* 24. *C. de admin. tutor.*

4 *l. pro officio* 20. *eod. d. l. tutor* 7. §. 1. *D. eod.* in illis verbis, *debet enim officio suo confestim fungi*; *l.* 1. *& 2. C. si tut. vel cur. non gess.*

5 Nam & ob causam contra eum iuratur in litem, vt sequitur in Definit.

6 Ita loquitur Vlp. *in d. l. tutor. in fin. princip.* vbi tamen addit exceptionem, nisi si quid sit, quod moram expectare non possit, ne modicam quidem. Facit *l. vlt. C. de tut. vel cur. qui satis non ded.* nam & illa vna est ex solemnitatibus tutelæ, vt tutor satisdare debeat, sicut & inuentarium facere.

7 *d. l. tutor.* Sed & potest ex hac causa remoueri tanquam suspectus, notaturque perpetua macula infamiæ ex Iustiniani constitutione, *in d. l. vlt. C. arbitr. tutel.*

TIT. VI.

VT NEMO INVIT. AGER. vel accus. cogat.

DEFINITIO I.

Agere aliquando quis cogitur, Accusare nunquam.

ESt 1 agere vel accusare inuitus nemo cogitur,[1] frequentissimus tamen apud nos vsus est eius actionis, per quam cogitur quis vt agat, quam vulgo vocant Actionem ex remedio legis Diffamari,[2] nimirum si constet, iactanter quem dixisse, aliquam sibi aduersus alium competere actionem, eiusque actionis vtilitas maior certe quam ratio esse videtur. Vix enim est, vt iuris ratio hanc actionis speciem inducat, quam toti Iurisprudentiæ veteri incognitam fuisse omnes fatentur:[3] neque vero à posterioribus Imperatoribus introducta fuit, nisi cum de ingenuorum statu res est, quem non diffamari sane publice expedit.[4] Illud tamen ex iure vetere incorruptum mansit, quod accusare, id est, criminaliter agere nemo vnquam cogitur,[5] quod in ea re non tantum ius rei, sed etiam accusatoris periculum vertatur, sublata quoque moribus nostris pœna talionis,[6] vel ob hoc ipsum, ne aut calumniosam accusationem instituere quis cogatur,[7] vel ab accusandi iure, quod alio tempore commodius exercere possit, in perpetuum summoueatur.[8] Quæ res publicam offenderet vtilitatem, ad quam pertinet, maxime vti ne occulta impunitaque delicta remaneant.[9] *Ita Senatus* sæpius.

1 *L. vnic. C. hoc tit. l. vltim. C. de vsur. pupill.* Plerique tamen sunt casus, in quibus datur mihi actio contra te, vt contra alium agas. Ij sunt *in l. Iulianus* 31. §. *pen. D. de action. empt. l.* 2. §. *pen. D. ad leg. Rhod. de iact. l. cum in plures* 60. §. *messem. D. locat. l. si sic legatum* 75. §. *vlt. de leg.* 1. *l. si tibi* 8. §. *vlt. D. de option. legat. l.* 2. §. *idem Labeo scribit* 28. *D. ne quid in loc. publ.* His tamen omnibus casibus verius est, eum, qui agere cogitur, liberari, si actiones suas præstare paratus sit, vt proinde non sit præcise cogendus ad agendum, vt & Bart. tradit *ad d. l. Iulianus*, §. *pen.* ex regula iuris posita, *in l. quod debetur* 51. *in fin. D. de pecul. l. quod si in diem* 16. §. *vlt. & l. seq. l. item veniunt* 20. §. *ait Senatus* 17. *ff. de petit. hered. l.* 2. §. *peruenisse, D. de hered. vel act. vend.*

2 Hæc lex est 5. *C. de ingen. manumiss.*

3 Nam in totis Pandectis nihil tale est, imo nec alio vllo Codicis loco. Nam quod affertur *ex l. si ea* 7. *C. qui accus. non poss.* ridiculum est, cum ea lex loquatur de persona, quę crimen iam intendit, id est, quæ accusauit litemque cœpit, quam proinde vt cogatur persequi nouum non est, aut alioqui causæ renunciasse intelligatur, vt lex ait. Etsi enim accusare nemo cogitur, institutam tamen actionem persequi cogitur quisquis pœnam Turpilliani non vult pati, *l.* 1. *& tot. tit. D. ad Senatusc. Turpill.*

4 Quamquam multo verius dici potest, nec eam esse Imperatorum mentem, *in dict. l. diffamari*, vt agere quis cogatur. Tractat enim lex illa de ingenuo, cuius statum alius diffamabat, & qui licet esset in possessione ingenuitatis, agere tamen maluerat, & aduersarium prouocare, suis nimirum confidens probationibus, vt sententiam pro ingenuitate sua ferret, vt & *in l. circa* 14. *D. de probat.* Itaque non ait lex, vocatum à Præside aduersarium iussum esse vt ageret, sed vt contradictionem faceret, id est, vt defensoris & rei, non actoris partes impleret, propter quod statim sequitur in lege, *si defensionibus suis confideret.* Non enim actori, sed reo defensiones competunt, debueratque lex dicere, *Si actioni suæ confideret*, si de illo actore constituendo sensisset, *l. non exceptionibus* 10. *C. de except.* Denique actio de ingenuitate iure ciuili prodita est, per quam quis se ingenuum contendit, eaque non nisi maiores Iudices habere potest, *l. non distinguemus* 32. §. *de liberali, D. de recept. qui arbit.* puta Præsidem prouinciæ, *d. l. diffamari, l.* 2. *C. de pedan. iud.* At actio, per quam quis intendat nihil se tibi debere, vt cogaris agere, & dicere docereque, quid tibi deberi putes, prorsus nulla est nec esse potest.

5 Nil obstante eo, quod scriptum est *in d. l. si ea* 7. *C. qui accus. non poss.* Loquitur enim de prosequenda accusatione instituta, non de ea instituenda, vt scripsi *num.* 3.

6 Quemadmodum & sublata est moribus nostris necessitas inscriptionis, de qua *in l.* 3. *D. de accus. & inscript.* præterquam in crimine falsi, quia & præcipuus inscriptionis effectus ille erat, vt per eam accusator se subiiceret pœnæ talionis.

7 Atque ita incidere in Turpillianum, *l.* 1. *in princ. &* §. 1. *D. ill. tit. ad Senatusc. Turpill.*

8 Nam qui semel ab accusatione destitit, eam postea repetere non potest, *l.* 1. §. 1. *D. eod.* alius intra dies triginta vtiles potest, *d. l.* 3. §. *vlt. l. hi tamen* 11. *in fin. D. de accus.*

9 *l. si longius* 18. §. *si filiusfamilias, D. de iudic. l. ita vulneratus* 51. §. *æstimatio, D. ad leg. Aquil. l. in delictis* 4. §. *cum dominus, D. de noxal. act. l. bona fides* 31. *D. depos. l. locatio* 9. §. *quod illicite, D. de public. & vectig. l. si à reo* 70. §. *vlt. D. de fideiuss. l. Stichum aut Pamphilum* 95. §. 1. *D. de solut. l. si pœna* 20. *D. de pœn. l. per omnes* 6. *C. de defens. ciuit.*

DEFINITIO II.

Agnatus contra agnatum criminalem falsi accusationem instituere non cogitur.

SEd & cum in lite, quę inter nobiles agnatosque proximos agitabatur, productum esset instrumentum ab vno ex litigantibus, quod alius apertissimis falsi probationibus impugnabat, neque tamen vellet ille criminalem falsi accusationem, quæ moribus nostris omnino necessaria erat,[1] instituere, ne agnati vitam & existimationem in discrimen adduceret;[2] placuit non esse cogendum accusare,[3] sed tamen ad Procuratoris Principis officium & diligentiam pertinere, vt falsi crimen detegi, publicæque vindictæ gratia coërceri punirique curaret.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de SC. 1. quand. ciuil. act. præiud. crimin.

1 Nam quod ad falsi accusationem pertinet, vtimur iure vetere, vt perinde hodie ac olim necessaria sit inscriptio, licet non omnimodo pœna talionis irrogetur, sed vt plurimum in eius locum pecuniaria quidem, sed ea tamen grauissima condemnatio.

2 Infamis enim est, quisquis ex eo crimine, quod publici iudicij causam habuit, condemnatus est, *l. infamem* 7. *D. de publ. iudic.* Pœna vero falsi aut quasi falsi, non quidem recitati, sed facti, vt Papin. loquitur *in l. falsi* 13. §. 1. *D. ad leg. Cornel. de falsis.*

BIU Cujas

etsi fuit olim deportatio duntaxat bonorumque omnium publicatio, *l. 1. §. vlt. ff. eod.* tamen hodie apud nos omni modo capitalis est, vt & apud Gallos ex Francisci Regis edicto, quod factum est anno 1539.

3 Inhumanum enim esset ad accusandum adigi inuitum eum, qui cum agnato humanis agere & agnati famæ ac existimationi parcere voluit. Fama enim & vita æquiparantur, *l. iusta causa 9. de manum. vindict.* Etsi cuius famæ parcitur, multo magis vitæ parcendum est, *l. si adulterium* 38. *§. penult. D. ad leg. Iul. de adult.*

4 Id enim postulat publica vtilitas & vigor publicæ disciplinæ, quomodo Paulus loquitur *in l. locatio 9. §. quod illicite, D. de public. & vectig.* cui coniunge alios locos citatos *Definit. prox. num. 9.*

DEFINITIO III.

Qui agit ex l. diffamari, postmodum ex actore fit reus.

QVi agit ex remedio legis Diffamari, vt aduersarium compellat ad agendum,[1] agente postea aduersario & rem euincente, perinde ac si reus esset, dilationem petere potest,[2] ad litem auctori suo quem laudare volet denunciandam.[3] Qua dilatione pendente non erit vrgendus, vt aduersarii petitioni respondeat.[4] Quanquam enim ea dilatio reo dari solet, non actori, quippe qui de iure suo instructus ad Iudicem venire debeat,[5] hic tamen talis actor est, qui ex actore fiat reus, cum aduersarius agere se paratum profitetur.[6] Nec ei potest imputari, cur eodem tempore, quo actionem instituit, auctorem nón laudauerit, cum dubitare posset, non solum, an futurum esset, vt agere aduersarius vellet,[7] sed etiam de qua re acturus esset. *Ita Senatus* ex tempore, contra N. le Moine Procuratorem Neciensem 6. Cal. Sept. 1593.

1 Quandoquidem ex Interpretum & Pragmaticorum errore hoc iure vtimur, vt scripsi *Definit. 1. §. eod.*

2 Emptori enim aliive possessori cuilibet, qui auctorem aliquem laudare velit, ea dilatio danda omnino est, priusquam ad litem contestandam vrgeri possit, idque Senatus nostri stylo diserte cautum est.

3 Hæc enim denunciatio prorsus necessaria est, vt possit emptor contra suum venditorem habere regressum, eiusque periculo litem exercere, si non pacto ei remissa sit denunciandi necessitas, *l. si rem 62. §. 1. & l. seq. in princ. D. de euict. l. emptor fundi 8. & seq. C. eod.*

4 Id enim dilationibus omnibus commune est, vt earum tempore pendente officium Iudicis omnino conquiescat, *l. sive pars 3. C. de dilat.*

5 *l. 2. C. eod. l. petendæ 6. C. de temp. petend. in integr. restit. l. 5. §. vlt. D. de doli mali except.*

6 Etsi verba legis Diffamari aliam suadent interpretationem, vt reus maneat, non actor, qui ex remedio illius legis conuenitur, vt docui *ad Definit. 1. num. 4. §. eod.*

7 Poterat enim euenire vt nollet agere, ex eaque causa perpetuum silentium ei indiceretur eo iure, quo vtimur *ex dict. l. diffamari.*

[DEFINITIO IV.

ACcusare quidem inuitus nemo cogitur.[1] Sed in accusatione quam semel quis instituit, perstare vsque adeo cogitur, vt non solum paciscivel transigere de crimine non possit, si ea excipias, quæ sanguinis pœnam irrogant.[2] Sed neque accusationem institutam negligere, quin hoc ipso in Turpillianum incidat, & in falsi accusationem.[3] Quod si ratio aliqua sit propter quam ei succurrendum videatur, perinde tamen sumptus ad criminalem litem tractandam necessarios subministrare compellendus est, acsi in accusatione perstitisset.[4] Idque pluribus Senatus nostri consultis generalibus constitutum est, ne qua dubitandi causa superesset. Cum tamen plebeius quidam à viro nobili, qui peiora minabatur, grauem iniuriam passus, accusationem institutam omisisset: deinde post aliquot annos ab accusati fratre interfectus fuisset. Non putauit Senatus miseros eius filios, & heredes amisso patre onerandos ijs sumptibus quos fieri necesse erat vt perageretur accusatio quam procurator generalis ex officij sui ratione ad persequendam vindictam publicam repetebat,[5] ne afflictis noua afflictio per iuris speciem irrogari videretur.[6] Præsertim cum nec si voluissent filij, omissam tamen à patre iniuriarum actionem repetere potuissent.[7] *Ita Senatus* pro filijs, & heredibus Ioannis Ianon 15. Iunij 1612.

1 *Definit. 1. §. ex l. vnic. C. hoc tit.*

2 *l. transigere 18. C. de transact.*

3 *l. 1. & pass. D. ad Senatusc. Turpill. d. l. transigere* in postremis illis verbis, *Citra falsi accusationem.*

4 Nemo enim potest mutare consilium in alterius iniuriam, *l. nemo potest 75. de reg. iur.* Hic autem fieret iniuria procuratori generali qui sumptibus istis oneraretur, quibus actor ab initio se onerauit.

5 Nihil enim erat quod posset imputari filiis qui accusationem nullam instituerant, aut patri cui nec quicquam profuerat prudens consilium pro tuenda salute sua accepisse.

6 *l. iure succursum 6. D. de iur. dot. cum similib.*

7 *l. auxilium 37. D. de minor.* Dixi *Definit. 12. §. de iniur.*]

TIT. VII.

DE ORDIN. IVDIC.

DEFINITIO I.

Interdictum adipiscendæ possessionis cumulari potest cum petitorio, non etiam cætera.

AGentem interdicto adipiscendæ possessionis nihil prohibet cumulare vindicationem,[1] adeoque in integrum restitutionem ad rescindendum contractum, si forte actori obiiciatur contractus, quem ante omnia rescindi oporteat. Id enim est, quod nostri iactitant, interdictum hoc sapere naturam petitorij magis, quam possessorij,[3] ideo fortasse, quod nullo iure possessionem adipisci multo inciuilius sit, quam adeptam retinere, aut amissam recuperare.[4] Quæ res facit, vt quamuis de possessione beneficij ecclesiastici iudex secularis possit cognoscere,[5] non aliter tamen sit iudex competens, quam si agatur ad retinendam aut recuperandam possessionem, non itē si ad adipiscendam:[6] quia nec de beneficij iure pronunciare laicus potest.[6] Sed si actum sit interdicto retinendæ aut recuperandæ possessionis, eo iure vtimur, vt prius de possessione cognoscendum & pronunciandum sit, quam de proprietate,[8] quia nihil commune habet proprietas cum possessione,[9] priusque est vt possessionis iudicium, quod momentaneum est,[10] expediatur, ob idque nec admittitur cumulatio si non aduersarius consentiat.[11] *Ita Senatus* in publico Auditorio, 1 dib. Decemb. 1590.

1 Etsi interdictum non nisi de possessione est, vindicatio vero de proprietate & dominio, *l. is qui destinauit 24. D. de rei vindic.* Exceptis quibusdam interdictis, quæ proprietatis causam continere dicuntur *in l. 2. §. quadam, D. de interd.*

2 Nimirum per rescindentis & rescissorij cumulationem. De qua dicemus ī *eod. Definit. 3.*

3 Guid. Pap. *quæst. 1.*

4 *l. meminerint 6. & l. si quis in tantam 7. Cod. vnde vi, l. si quis ad se fundum 7. C. ad leg. Iul. de vi publ.*

5 Ex Senat. nostri Stylo.

6 Guid. Pap. *dict. quæst. 1.* cuius sententiam sequimur, licet contrariam, quæ non distinguit causam adipiscendæ possessionis à cæteris receptam esse in Senatu Pedemontano, defendat Anton. Tessaur. *in decis. Pedem.*

7 In quo omnes conueniunt, quia ius beneficij est quid mere spirituale non temporale.

8 *§. retinendæ, Instit. de interdict. l. 3. Cod. fin. regund. l. ordinarij 13. C. de*

BIU Cujas

13. *C. de rei vindic. l. si vi* 37. *D. de iudic. l. exitus* 35. *D. de acquir. poss. l. 1. inter litigatores, D. vbi possid. l. 3. C. de interd.*

9 *L. naturaliter* 12. §. *nihil commune, l. penult. D. de acquir. poss. l. 2. §. separata, D. pro empt. l. post sententiam* 9. *C. de solut. & interloc.*

10 *l. vnic. C. si de moment. poss. fuer. appell.*

11 Ne quod beneficio celeritatis inuentum est, subdatur iniuriis tarditatis, inquit *l.* 22. *C. Theod. quor. app. non recip.* Vide Gothofr. *ad dict. l. vnic. C. si de moment. poss. fuer. app.* Aliud est *in l. vlt. C. de ord cognit.* vbi prius terminatur petitorium, quia perebatur persona aduersarij tanquam serui, non autem principaliter dominium rerum, de quarum etiam possessione contendebatur. Itaque quæstio status erat præiudicialis, quia nihil possidere potest is, qui ab alio possidetur, *l. cum heredes* 23. §. 1. *de acquir. poss.*

DEFINITIO II.

Duplex quæstio de beneficij possessione.

DE possessione beneficij duplex tantum cognitio esse potest, plenior vna, quam pleni possessorij appellant, [1] altera momẽtanea, De vindiciis pro alterutra parte dicendis, [2] vulgo *recredentiam* vocant. [3] Si quid sit quod impediat, ne plenior illa cognitio tam cito expediri possit, [4] momentanea expedienda est: Vindiciis nimirum pro eo dictis, qui apparentiore magisque colorato iure nitatur. [5] Quod si nec de eo in promptu appareat, sequestratio possessionis statim decernenda est, quippe quæ succedat in locum vindiciarum. [6] Vnde fit, vt quasi expedito iam per sequestrationem momentaneo iudicio, nulla de vindiciis quæstio supersit, sed tantum de pleno iure possessionis, [7] nisi ex alterutra parte noui tituli, nouaque instrumenta proferantur. [8] *Ita Senatus* in causa Guillielmi Bachod, & Claudij Philippe, 13. Cal. Ianuar. 1590.

1 Qua plenior alia nulla est, nisi quæ est de petitorio, quoniam, vt dici solet, petitorium absorbet possessorium: Non enim proposita sunt interdicta, nisi ad ordinandam causam petitorij, vt sciatur quis in petitorio actoris partes sustinere debeat, quis possessoris, vt constat ex locis citatis, *Defin. præced. nu.* 8. Cæterum si constet quis sit dominus, non ad aliud prodest aduersario quod possideat, nisi vt possessionem rei alienæ restituere condemnetur.

2 De vindiciis dicendis & abdicendis, vide Pomponium *in l. 2. §. cum placuisset, D. de orig. iur.*

3 Pragmaticorum nostrorum & Gallorum nomen est *recreance*, quo significatur possessio per interlocutionem, & quodammodo prouisionaliter adiudicata: Vt sunt interdicta fere omnia interlocutiones quædam latæ in causa possessionis, vt tractat Cuiac. *in parat. ad tit. C. de interd.* indeque dicta interdicta quod interim dum de proprietate litigatur rogentur, non quod inter duos dicantur. Cæterum pragmatici Galli *recredentiæ* nomine vtuntur, etiam cum de profanis rebus tractant, non etiam nostri nisi perraro. Vide Ioannem Imbert. *in Enchirid. in verb. minor.* & Petr. Rebuff. *in proœm. constit. gloss. 5. num.* 101.

4 Solet enim cognitio illa pleni possessorij longiores habere moras. Quia licet iudex laicus de iure beneficij nunquam pronunciet, vt dixi Defin. præcedent. tamen in pleni possessorij instantia non aliter fere cognoscere debet, nec minorem causæ inuestigationem adhibere iudex laicus debet, quam si de petitorio esset pronunciaturus, vt euenit cum quæstio status incidit in causam ciuilem pendentem coram eo iudice, qui de causa status pronunciare nullo modo possit, *l. 1. C. hoc tit.*

5 *Arg. l. 3. §. causæ cognitio, D. de carbon. edict.* Est enim hæc causa ex iis quæ summarie tractandæ sunt, quia non recipiunt dilationem, de quibus *in l. vlt. D. de app. recip. l. 5. §. si vel parens, de liber. agnosc. l. à Diuo Pio* 15. §. *si rerum, D. de re iudic.* quia publice interest, ne bonorum ecclesiasticorum possessio diutius iaceat, *l. 1. in princ. D. de succes. edict. l. & quia 6. de interrog. in iur. fac.*

6 Constituto scilicet œconomo per quem res ecclesiasticæ administrentur, cultuique diuino prospiciatur, *arg. l. postquam* 5. *§. 1. D. vt leg. caus. caueat, l. 1. §. si frater* 10. *D. de collat. bonor.* Vide *l. omnes* 33. *in hac autem, l. omnem* 42. *§. post mortem, &* §. *præterea, C. de episc. & cleric. l.* 14. §. *œconomus, l. chartularij* 25. §. *cum inquisitione, C. de sacros. eccles.* Qui tamen omnes loci, vt & alij plerique Codicis sunt de œconomis ab Episcopo constitutis, non de illis quos iudex laicus pro beneficij possessione administranda constituit, de quibus nunc agimus.

7 Quia quæstio, De possessione momentanea non magis retractari potest quam alia quælibet, propter auctoritatem rerum iudicatarum, sed vlterius progrediendum est, quia quod ad eam rem attinet, habet vim definitiuæ interlocutio illa, adeo vt nec ab ea appellari possit iure ciuili: *d. l. vnic. C. si de moment. poss.* licet aliud receptum sit de iure canonico, *ex cap. cum ad sedem, de restit. spoliat.* Sola ea cognitio quæ plenior superest integra seruari debet, *d l vnic. vers. ita tamen, d. §. si reum, vers. nec sententiam, l. à diuo Pio, de re iudic.*

8 Non enim obstare potest exceptio rei iudicatæ, cum agitur ex nouo iure, *l. cum quæritur* 12. *& sequentib. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO III.

De rescindentis & rescissorij cumulatione.

CVm actio, quæ per in integrum restitutionem datur ad rescindendum contractum, non minus personalis sit, quam quæ competit ex contractu, [1] nec proinde sequatur fundi possessorem, [2] consequens est eum ordinem cognitionum esse debere, vt prius rescindatur contractus impetrata restitutione, tum rescissa alienatione possessor directa rei vindicatione conueniatur, [3] præsertim cum multa esse possint quæ petitæ obstent restitutioni, quibus multo instructior futurus sit qui contraxit, quam qui non contraxit. [4] Sed hoc ita si non tertius possessor fraudem participauerit, aut qua alia de causa malam fidem contraxerit: [5] Ea sola restitutione excepta quæ datur ex edicto, De eo quod met. caus. Hæc enim cum in rem prorsus scripta sit, [6] aduersus possessorem quemlibet, rectà proponi potest. [7] Nostris tamen sicut & Gallicis moribus receptum est, vt vtraque cognitio eodem iudicio expediatur. Id enim est quod aiunt, rescindentis & rescissorij admittendam cumulationem. [8] Nimirum vt eadem instantia possit agi contra emptorem & possessorem simul, non autem vt vllo casu prius agi possit contra possessorem, quam contra emptorem, eumve cum quo aliter contractum est. [9] Quid ergo si emptor in ius vocatus parere noluerit? Non eo minus ex contumacia condemnabitur, [10] itemque tertius possessor, si non legitimis defensionibus, siue propriis siue ex emptoris persona mutuatis, litem instruat. [11] Nam & in causa restitutionis in integrum nihil vetat procedi, ferrique sententiam contra absentem, nulla etiam præcedente litis contestatione, si fuerit ille contumax in veniendo. [12] Quod & in cæteris omnibus causis nostri admittunt, quoties id quod petitur tale est, vt parti præsenti non possit aliunde consuli per missionem ex primo vel secundo decreto. [13] *Ita Senatus* in quadam causa Augustanorum, 16. Cal. Iunij, 1591. Et rursus in causa Goninæ Iarrin, & Claudij Petifer, Idib. Iulij 1592.

1 Eadem enim ratio est contractus & distractus, *l. Pomponius* 13. §. *præterea, D. de acquir. poss.* Dixi *Defin. 1. num. 1. 3. Vbi & apud quem cognit. in integr. rest.*

2 Quia neque obligatio, neque actio personalis sequitur fundi possessorem, *l. 1. §. si heres, D. ad SC. Trebell. l. vlt. §. 1. D. de empt. l. æris alieni* 15 *C. de donat.*

3 *l. in causæ* 13. §. *interdum,* in illis verbis, *vel rescissa alienatione dato in rem iudicio, D. de minor.* Priores enim illi ablatiui, *rescissa alienatione,* sunt absoluti, & ideo includunt conditionem, *l. à testatore* 109. *de cond. & demonst.* cuius natura illa est, vt ante omnia impleri debeat, *eod. illo tot. tit.* Sed & cum verba illa præcedant, dici potest ordinem verborum designare ordinem intellectus, *l. qui soluendo* 60. *D. de her. instit. l. generaliter* 24. §. *quid ergo, D. de fideic. liber.* licet non possit impedire causam iuris aut voluntatis, *l. cum pater* 77. §. *fidei. de leg.* 2. adde *l. necnon* 28. §. *exemplo, ex quibus caus. maior, l. qui ex parte* 28. *in fin. D. de interrog. in iur. fac.*

4 Neque enim diuinare potest aut debet, qui non contraxit, nec vllum negotium gessit, *l. si fideiussor* 29. §. *si cum debitor, D. de mand.* Alieni namque facti ignorantia probabilis est, *l. vlt. D. pro suo,* vel ob hoc ipsum ne curiosus quis videatur de iis, quę ad se nil pertinent, *l. doli* 19. *in fi. ff. de nouat. l. nona fide* 27. *ff. ad SC. Vell.*

BIU Cujas

5 *d.§.interdum,l.13.D.de minor. l.quod autem 6.§.hoc edictum, §.ait prætor 10.§.quod ait, & seq.D.quæ in fraud.cred.* Alex.*cons. 62.vol.1.*

6 *l.metum 9. §.1. l.item si cum 14. §.in hac actione,D.illo tit. de eo quod met.caus.*

7 *d.l.metum,§.volenti,& l.licet,l.3.D.eod.*

8 Specul. *in tit.de in integr.restit.§.1.vers. sed nunquid in eodem libello.* Ioan.Fab. *in §.rursus, Instit. de act.* Guid.Pap. *quæst.*143. licet aliter in curia Gratianopolit.iudicatum esse dicat. [Inde est quod si is qui rescissorium intentauit, postea intentet iudicium rescindens, non ideo cogitur expensas omnes refundere licet antea nullo iure egerit, quia sufficit vt confirmetur iudicium ex superuenienti iure, cùm possint rescindens & rescissorium cumulari non solùm ab initio, sed etiam ex postfacto. *Ita Senatus* in causa Claudij de la Maison 30.Maij 1614.]

9 De quo vide quæ scripsi, *Decad.7 Error.1.& seq.*

10 Quia contumax pro præsente habetur, *auth.qua in prouincia,vers.sed si nec ipse, C.vbi de crimin.agi oport.l.consentaneum 8. C. quomod.& quand.iud.* iunct. *l.etiam 29.§.vlt.de minor.*

11 Emptori enim etiam venditoris iura prodesse non ambigitur, *l.emptori 28.C.de euict.cum concord.*

12 Guid.Pap. *d.quæst. 43.num 3. ex d.l.interdum 13. vers.causa autem cognita,* qui tamen locus non valde ad rem facit, quia contumacia vera, de qua sanè is locus intelligi debet, iuxta *d.l. consentaneum,& l.post edictum 73 D.de iudic.* non solum pro præsentia, sed etiam pro contestatione est. [Auth. *qua in prouincia, C.vbi de crimin.agi oport.d.l.& post edictum.*]

13 Bart.Bald. & alij, *ad auth.si omnes per illum text. C. si vt se ab hered.abstin.* Guid.Pap. ibid.

DEFINITIO IV.

Ad instantiam restitutionis in integrum vocari potest is qui postmodum rescissorio iudicio conuenietur.

SEd & si rescindente tantum non etiam rescissorio iudicio agatur aduersus eum qui contraxit, eiusve heredem, adhuc dicendum est possessorem perinde cogendum [2] rem defendere, atque si rescissorium cumulatum proponeretur. [3] Vel ob hoc ipsum, ne cum rescisso contractu res ab eo vindicabitur, possit obiicere collusum fuisse inter actorem suum & actorem. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Claudio Reydelet, contra N.Ramum de Meral, 15.Calend.Septemb.1592.

1 Quia restitutio in integrum sicut heredi competit, ita & contra heredem, *l.non solum 6.D.de in integr.restit.l.cum miles 30. D.ex quibus caus.maior.*

2 Intellige, Non vt præcisè cogatur defendere, si nolit, sed vt postmodum recusare non possit executionem rei contra alios iudicatæ, quia sufficit, quod sit vocatus, *l.etiam 29.§.vlt. D.de minor.*

3 Quia iudicium rescissorium non nisi rescindentis executio est.

4 *Arg.l.si suspecta 29. D.de inoffic.testament. l.si perlusorio 14. in princ.& §.1.D.de appell.* Quanquam nec hoc necesse est, si reuera collusio nulla interuenit: Eius enim est probare, qui collusionem allegat & dolum, *l.quoties 18. §. qui dolo de prob.* sufficitque actum esse cum legitimo contradictore, *l.si ideo 55. in fin.princip.D.de euict.*

DEFINITIO V.

Prouisionalis adiudicatio, quæ fit contra heredem, ex bonis hereditariis præstanda est.

SI quis de vniuersis bonis controuersiam mouerit tanquam filius aut proximus agnatus, siue proposita petitione hereditatis, siue querela inofficiosi testamenti, aut inofficiosæ donationis per filium perlata, nec statim definiri res possit propter implicitam dubij facti quæstionem, actor vero non habeat vnde interea se alat, aut litis sumptus ferat, [1] solent & debent iudices fiduciaria, & vt pragmatici loquuntur, prouisionali adiudicatione certæ quantitatis pro arbitrio constituendæ actori consulere, ne inopia & litem & vitam deserere cogatur: [2] nulla tamen præstandæ in eam rem satisdationis necessitate liberis aut parentibus iniuncta. [3] Si eam quantitatem heres aut donatarius non præstet, permittunt distrahi ex ipsis bonis, de quibus contenditur ad concurrentem vsque summam, quæ adiudicata est, [4] nullo tamen principali litis præiudicio ex ea causa generando. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC.5. infr.de offic.donat.

1 Habent enim iudicia omnia & moras suas & sumptus, *l. quod debetur 51. D.de pecul. l.etiam 15.D.vt leg.se. u.caus.caueat.*

2 *Ex l.vlt.C.de ordin.cognit.l.si instituta 27.§.penult.D.de inoffic.testam.* [Intelligè si agatur iudicio vniuersali, non si singulari contra tertium possessorem. *Ita Senatus* 7.Maij 1611.]

3 Dixi *Defin.6.num.10.11 & 12. 5.de inoff.testam.* Hæc parte autem, vt & alias sæpe melior conditio est parentum aut liberorum, quam agnatorum aut aliorum extraneorum, vt scripsi *Defin.1.5.de petit.hered.*

4 Non enim condemnari debet aut potest possessor ad quid vel minimum soluendum, cum nullo modo sit obligatus. Cumque non aliam ob causam conueniatur, quam quia hereditatem possidet, nihil aliud desiderare actor potest, nisi vt liceat sibi distrahere ex bonis hereditariis, *l.Diuus 5. D.de petit. hered.l.Aristot.5.§.vltim.& l.seq. D.de iur.delib.* Simile est quod dicimus: Eum qui ob id duntaxat tenetur, quod actiones habeat, liberari præstando actiones quas habet, *l.quod si in diem 16. § vlt. l.item veniunt 20. §.ait Senatus, de petit. hered. d.l.quod debetur 51.in fin. de pecul. d.l.vlt. C.de ordin.cognit.* in illis verbis, *ita vt ex iisdem si qua alia facultas esse non poterit.*

5 Quia huiusmodi interlocutiones sicuti fiunt sine plena cognitione, ita nec plenum ius possunt tribuere, *d.l.5 §.vlt.de iur. delib.* in illis verbis, *sine præiudicio, l. à Diuo Pio 15. §.si rerum, D.de re iudic.*

DEFINITIO VI.

Ex pluribus actionibus diuerso iure institutis potest quis vnam omittere, aliam prosequi, si non ea, quæ omittitur in promptu decidi possit.

QVi fideicommissum ex propria persona petit, quod patri restitutũ mox ab eo per transactionem cessum fuisse dicitur, [2] non est prohibendus tanquam heres patris impetrare restitutionem aduersus transactionem à patre factam ex causa immodicæ læsionis: [3] Neque eo nomine expensas vllas quasi mutata actione refundere cogitur, quandoquidem & cumulari eiusmodi actiones possent. [4] Illud autem facilius admitti potest, vt ei liceat si malit fideicommissariam actionem omittere his etiam verbis additis, *quant à present,* [5] restitutionis vero in integrum causam persequatur: [6] Sed ita tamen vt non eo minus possit is qui conuenitur fideicommissi petitionem excludere, si doceat in promptu actorem nihil ex ea causa iuris habere. [7] Neque enim inuitus cogendus est in ea permanere instantia, à qua per sententiam absolutoriam confestim possit liberari. [8] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 5. infr. De euict.

1 Finge fideicommissum esse graduale & perpetuum, quod ad omnes de familia gradatim debeat peruenire, *l.omnia 32. alias l.cum ita, §.in fideicommisso, l.peto 69. §.fratre, de leg.2. l.vlt. C.de verb.signif.*

2 Fideicommissum enim post restitutionem cedi potest, licet ante non possit, *l.si mulier 59. §.ex asse, ff.de iur.dot.* Scripsi *lib.5.Coniect.*

3 Quia restitutionis petendæ ius transit ad hæredem, *l.6. ff.de in integr.restit.*

4 *l. edita,* vbi DD. *C.de edend.* nihil enim vetat quem plures habere actiones, & proprio iure & hereditario.

5 Finge enim cognitionem fideicommissi prolixiorem habere tractum, verba fideicommissi de longinquo petenda aut iustam deliberationem fideicommissi quantitate incidere, vt *in l.ille à quo 13.§.1.ff ad Senatusc.Trebell.*

6 Quia in eo non impugnat factum defuncti, sed ipsius iure vtitur, cum ipse quoque defunctus contra factum proprium ex causa immodicæ læsionis restitui potuisset, *l.præfecti 17.ff.de minor.* iunct. *l.2.C.de rescind.vend.*

7 *Arg.l.3.ff.vt in possess.legat.*

8 Cum

8 Cum ipsius interſit, vt ſtatim liberetur, nec diutius in lite retineatur, *arg. l. quidam, 21. D. de reb. cred. l. permittendum, 8. D. ſi pars hered. petit. l. vlt. D. quibus mod. pign. vel hypoth. ſoluit.*

DEFINITIO VII.

De cumulatione petitorij & actionis, quæ datur ſpoliato ad recuperandam poſſeſſionem.

SPoliatus quidem ante omnia reſtituendus eſt: [1] ſed ſi de petitorio ſimul agi patiatur, ne proteſtetur velle ſe prius decidi controuerſiam poſſeſſionis, poterit eodem iudicio, ſi cætera conueniant, vtraque quæſtio terminari, ita tamen vt ſuper reſtitutione primum pronuncietur, adeoque iudicati executio fiat, [2] tum agenti petitorio eadem res & poſſeſſio reddatur. [3] Sed & cum nihil commune habeat proprietas cum poſſeſſione, [4] ſi alter ex litigatoribus vincendi cauſam habeat in petitorio, alter in poſſeſſorio, [5] euenit aliquando vt ſingulis ex ordine impendia litis adiudicari oporteat, [6] tum vtrinque adiudicata compenſari, [7] non ratione mutuæ victoriæ, quomodo contingit cum in vna eademque lite vterque obtinet, [8] ſed quaſi iam inuicem, & ex vtraque parte ſoluta. [9] *Ita Senatus* in cauſa Aduocatorum de Coiſiaz & Gaudinon, 16. Cal. Septemb. 1592.

1 *Cap. 1. cap. ſæpe, c. in literis. & paſſ. Extr. de reſtit. ſpoliat. c. ſuper ſpoliatione, Extr. De ordin. cognit. l. ſi de vi 37. D. de iudic. l. ſi maritus, 10. C. de donat. int. vir. & vxor.*

2 *l. 3. C. de interd. cap. ad vltimum, Extr. de cauſ. poſſeſſ. & propr. cap. cum eccleſia 2. & 3. iuncta gloſſa in d. c. 2. in verbo expreſſum eod. tit. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

3 Fieri enim poteſt, vt ſpoliatus obtineat in poſſeſſorio, & tamen ſuccumbat in petitorio, *cap. cum eccleſia Sutrina, eod. tit. De cauſ. poſſ. & propriet.*

4 *L. naturaliter, 12. §. nihil commune, l. permiſceri, penult. D. de acquir. poſſ.*

5 Quia in poſſeſſorio ſufficit probari poſſeſſionem, in petitorio autem dominium probandum eſt, *§. commodum, Inſtit. de interd.*

6 Ex regula quæ habet, Victum victori in expenſas condemnandum eſſe, *l. properandum, 13. §. ſiue autem alterutra, C. de iudic. l. 3. & 4 C. de fructib. & lit. expenſ.*

7 *Vt in l. minor, 40. §. prædia in fin. D. de minor.*

8 Vnus ſcilicet pro parte litis, alius pro alia parte. Scripſi Defin. 7. ſ. *de ſportul. & ſumpt. in diuerſ. iudic. fact.* mutua enim non eſt victoria, niſi cum vna tantum lis eſt.

9 Compenſatio enim ſolutionis vicem obtinet, *l. cum militi, 16. §. 1. & paſſ. D. de compenſat. l. ſi conſtat, 4. & paſſ. C. eod.*

DEFINITIO VIII.

Spoliator reſtituere debet omnes fructus à ſe perceptos ſine ſpe retentionis, et iamſi poſtea in petitorio obtineat.

CVm autem vna eademque ſententia pronunciatur ſuper poſſeſſorio in fauorem ſpoliati, & ſuper petitorio in commodum ſpoliatoris, deficiente nimirum ſpoliato in probatione dominij, [2] non idcirco inutilis videri poteſt poſſeſſionis adiudicatio, quaſi quæ per contrariam dominij adiudicationem abſorbeatur. [3] Nam fructus qui ſpoliato reſtituendi ſunt, non eo minus pleno iure ad eum pertinent, nec vnquam reſtituuntur, [4] non magis quam ſi ab eo ipſo bona fide percepti, iamque conſumpti eſſent, [5] exceptis iis, qui poſt litem ſuper petitorio conteſtatam percepti ſunt. [6] Non enim vtimur eorum ſententia, qui putant omnes omnino fructus petitori vincenti reſtituendos eſſe ab eo tempore, quo petitorium exercere voluit, tametſi odio ſpoliationis ſuſpenſum ſit pendente poſſeſſorio. [7] Proinde quod traditum eſt, quoties poſſeſſorio ſimul & petitorio actum fuit, prius quidem pronunciandum eſſe ſuper poſſeſſorio, ſed in exequendo prævalere petitorium, [8] non poteſt verum eſſe, niſi eo caſu quo & petitorium abſorbeat poſſeſſorium, & in vtroque vicerit is qui poſſeſſorium exercuit, & vtrumque iudicium ab vna eademque perſona propoſitum ſit. Nam ſi conuentus poſſeſſorio velit agere petitorio, non eſt audiendus, niſi aduerſarius conſentiat. [9] Eo autem conſentiente ſi vterque obtineat, vnus in poſſeſſorio, alius in petitorio, [10] non tantum prius de poſſeſſionis pronunciandum eſt, ſed etiam prius mandanda executioni [11] pro hac parte ſententia, etiamſi petitorium tale ſit, quod abſorbeat poſſeſſorium, [12] præſertim ſi ponas actum poſſeſſorio ad reſtitutionem poſſeſſionis contra ſpoliatorem. [13] Non enim poſſeſſio tantum reſtituenda eſt ſpoliato, ſed etiam fructus omnes, vt diximus, ac ſi quid præterea ſpoliati interſit, [14] in id ſaltem vſque tempus quo lis ſuper petitorio conteſtata ſit. [15] Quod ſi petitorium non abſorbeat poſſeſſorium, ſed potius veniat in conſequentiam poſſeſſorij, & ex iure actionis cuiuſdam perſonalis, contra poſſeſſorem inſtituendæ magis, quam ex cauſa iam quæſiti dominij, [16] nemo dubitat, quin fructus omnes ei reſtituendi ſint, qui in poſſeſſorio obtinuit, quoadusque ſententiæ de poſſeſſorio latæ pleniſſime & integerrime ſatisfactum ſit. [17] Finge eum qui pignora ſub haſta emerat ſpoliatum ab illo, cui ius fuit luendi pignora pretio reſtituto, [18] Quamuis iudex pronunciauerit ius eſſe ſpoliatori luendorum pignorum, prius tamen erit, vt ſpoliator & poſſeſſionem & cauſam poſſeſſionis reſtituat, [19] cum nec aliter vacuam rem tradere ſpoliatus poſſit, atque ita poſſeſſionem reddere, quam ſi prius eam ipſe habeat. [20] Itaque nec pronunciare iudex hoc caſu poteſt ſuper iure luendi, quin prius poſſeſſorij quæſtionem expediat, [21] adeoque iudicati executionem, [22] tametſi eadem ſententia vtrumque iudicium terminetur. [23] *Ita Senatus* inter eoſdem litigatores eodem quo ſupra proxime SC. & rurſum 11. Calend. Mart. 1593.

1 Quia ſpoliatus omnimodo reſtituendus eſt, non ſolum etiamſi dominus non ſit, ſed etſi nec bonam fidem habeat, denique etiamſi ſit prædo, *c. in literis, Extr. de reſt. ſpoliat.*

2 Quod in iudicio vindicationis omnino & pleniſſime probandum eſt, *l. doce, 6. l. vlt. & paſſ. C. de rei vindic.*

3 Non eſt enim inutilis ſententia, quæ propter fructus neceſſario reddenda eſt, *vt in leg. qui reſtituere 68. D. de rei vindicat.*

4 Capell. Tholoſ. *deciſ. 494. & ibi* Aufrer. Nam cum hi fructus reſtituantur velut pœnæ nomine, id eſt, in pœnam & odium ſpoliationis, *can. redintegranda 3. quæſt. 1.* conſtat pœnas ſemel depenſas repeti nunquam poſſe *l. pœnæ, 42. de cond. indeb. l. ſi pignore, 22. D. de pig. act. l. id quod pœnæ, 74. D. de ſolut. l. quod à quoque, 46. de reg. iur.*

5 Nam bonæ fidei poſſeſſor fructus omnes ſuos facit, nec vnquam reſtituit conſumptos, *l. bonæ fidei, 48. D. de acquir. rer. dom. l. 4. §. Iana, D. de vſucap.*

6 Non enim plus iuris habere poteſt ſpoliatus in fructibus à ſpoliatore poſt litem conteſtatam perceptis, quam ſi eos ipſe percepiſſet: quo tamen caſu teneretur eos reſtituere tanquam exinde factus malæ fidei poſſeſſor, *l. ſed etſi, 25. §. ſi ante de pet. hered.*

7 Rot. *deciſ. 14. De reſtit. ſpoliat. in antiq.* relata ab Aufr. *ad d. deciſ. Cap. Thol. 494.*

8 *Cap. cum dilectus.* vbi Abb. & Innocent. *Extr. de cauſ. poſſ. & propr.* Bald. *in margar. in verb. poſſeſſor,* Boer. *deciſ. 239.*

9 Gloſſ. elegans *in d. c. cum dilectus,* Dixi ſ. *Defin. prox.*

10 *Cap. cum eccleſia Sutrina, Extr. eod.*

11 Dixi *d. Defin. prox. præced. nu. 2.*

12 Quomodo abſorbeat regulariter, vt ſcripſi Defin. 2. *num. 1. ſupr. eod.*

13 Nam ſi actum eſſet interdicto retinendæ poſſeſſionis, aliud eſſet, vt dicam Defin. ſeq.

14 *d. can. redintegranda, 3. qu. 1. l. 1. §. qui vi deiectus, & l. in interdicto, 6. D. de vi & vi armat.*

15 Quia ex tempore litis conteſtatæ ſpoliatus omnimodo pro malæ fidei poſſeſſore habendus eſt, *d. l. ſed etſi 25. §. ſi ante, de petit. hered.*

16 Quod tamen minus proprie petitorium dici poteſt, quia

BIU Cujas

petitorium illud est, quo petitur dominium rei, *l.qui petitorio 36.D.de rei vindic.*

17 Quia in personam actio, neque commune neque simile, aut connexum quicquam habet cum actione de possessione aut de dominio, *l.Quintus Mutius 40. D.de act.empt.* Non videtur autem plenissime restituta res, quandiu fructus omnes à spoliatore percepti ad vltimum vsque quadrantem, restituti non sunt, *l.& ex diuerso 35.§.vbi autem, D.de rei vindic. l.plus est 22. l.restituere, 75. l.cum prætor 81. l.vlt.in fin.de verb.significe.*

18 Intra semestre quod in eam rem statuto nostro præstitutum est.

19 Neque enim sibi ipsi ius dicere debuit, *l.1.§.1. D.quod legat. l.vnic.C.ne quis in sua caus. l.Iulianus ait 17. D.de iud. l.extat, 8. D.quod met.caus.*

20 *l.2.§.vacua, & l.3.in princ.D.de act.empt.* Possessionem autem ipsum reddere necesse est, vt cum possessione & per medium possessionem reddat dominium, quia non eo minus interim est dominus, quod postmodum abire dominium ab eo possit, *l.non ideo minus, 66.D.de rei vindic.*

21 Et hoc demum casu maxime locum habet quod scriptum est *in l.3.C.de interd.* vbi additur, quod licet interdictorum vsus hodie nullus sit, actiones tamen extraordinariæ in locum interdictorum substitutæ eodem iure vtuntur.

22 Nec enim potest dici terminatum possessorium, quamdiu plenissima iudicati executio facta non est, nec quicquam actum videtur, quamdiu aliquid restat agendum, *l.pen. in fin. C.de his quib.vt indign.*

23 Secundum ea quæ scripsimus Defin.prox. *in princ.*

DEFINITIO IX.

Interdictum retinendæ possessionis cumulari non potest eum petitorio, licet per petitorium confortari, vt loquuntur, possit.

INterdicti, quod ad retinendam possessionem competit, alia ratio est. Nam si litigatores petitorij causam attigerint, nec protestati sint, quod confortandi potius, quam absorbendi possessorij causa id fecerint, [1] possessionis quæstio finita aut verius extincta intelligitur, [2] nec nisi de proprietate iam pronunciandum est. [3] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Berard, & N.de la Chinal, mens.Nouembr.1593.

1 Possunt enim litigatores in iudicio quoque possessionis retinendæ allegare titulum, & attingere petitorium confortandi possessorij causa, Guid.Pap. *quæst.71.* in eamque rem protestatio vtilis est, *l.1.§.2.D.quod legat.*

2 Quid enim attinet quærere de possessione, cum in iudicio vindicationis certus possessor constitutus sit, *§.retinendæ, Instit.de interdict.* etsi is qui vindicare cœpit, non idcirco postea interdicto agere prohibetur, *l.naturaliter, 12.§.1 de acqu.poss.*

3 Intellige: Nisi velit actor iudicium vindicationis omittere aut tantisper differre. Id enim potest, *d.l.naturaliter, §.1.*

DEFINITIO X.

Casus in quo spoliator condemnatus admittitur ad ius suum persequendum oblata satisdatione antequam iudicato ipse satisfecerit.

QVod diximus spoliatum ante omnia restituendum esse, ad totius quidem causæ & fructuum perinde ac ipsius possessionis restitutionem pertinet: [1] sed tamen si ea fructuum & causæ liquidatio longioris temporis moram secum trahat, & spoliator vrgeat, vt suum consequatur, cautionibus expediri res debet, vt soluto in promptu, quod liquido debitum esse appareat, de superfluo per idoneam satisdationem ab eo caueatur. [2] Nec tantum si per spoliatum stet, quo minus ea liquidatio statim fiat (qui casus nullam habet dubitationem, cum perpetuum sit, vt sententia quælibet statim mandari debeat executioni contra moratorem oblata satisdatione. [3]) Sed etiam si nulla ipsius mora arguatur, dummodo non stet per spoliatorem. [4] Sed hoc ita accipi debet, si congruo loco & tempore ea cautio præstita sit, cum nec oblatio ipsa solutionis prosit, quæ incongruo loco vel tempore facta est. [5]

1 *Cap.grauis & pass.de restitut.spoliat. can.episcopus, §.sed notandum, & can.redint: granda, 3. qu.1.*

2 *l.statuliber rationem, 5. & l.seruus si heredi, 34. in fin. D.de statulib.* iunct. *l.si mandat. Titij, 59.§.vlt.D.mandat.*

3 *Capit.suscitata, Extr.de in integr.restitut. Styl. Sen.t. artic.66. in nouis.*

4 Castr. *cons.326.lib.2.* Bald. *in l.1. in 4.C.ne lic.tert.prouoc.* Alex. *in l.4.§.ait prætor, De re iudic.*

5 *L mora 32.D.de vsur.l.51.soluturus, 39.D.de solut.*

DEFINITIO XI.

Satisdatio quæ non congruo loco & tempore oblata est, nullius est momenti.

NOn videbitur autem congruo tempore præstita satisdatio, si eo tempore oblata fuerit, quo nondum locus esse poterat liquidationi. [1] Priusquam enim de liquidandis fructibus quæratur, ex ordine est, vt declaret is, qui ad fructuum restitutionem condemnatus fuit, quos quantosque [2] fructus perceperit, [2] & hoc facto is qui vicit declaret etiam, vtrum ea quantitate, quam aduersarius obtulit, contentus esse velit, an maiores requirat. [4] Interea igitur & quamdiu id factum non erit, præmatura est satisdatio, [5] ac multo magis obsignatio. [6] Cum nec debitum nondum liquidum obsignare quisquam possit. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam cum præstetur in vicem & locum quantitatis taxandæ, & vt loquuntur liquidandæ, *l.statuliber rationem, 5. D.de statulib.* non potest deberi satisdatio priusquam locus esse cœperit faciendæ liquidationi.

2 Taxatio enim & liquidatio non potest sequi, nisi præcedat assertio ex vtraque, aut saltem alterutra parte.

3 Detractis scilicet expensis ad eos colligendos factis, *leg.1. C.de fructib. & lit.expens. l.si à domino, 36.§.vlt. D.de petit.hered.* vbi dicitur hoc obtinere non solum in bonæ fidei possessore, sed etiam in prædone.

4 Nam si consentiant nulla alia taxatione & liquidatione aut satisdatione opus est, sed solutione, *l.si conuenerit, 26. D.de re iudic.l.1.§.inde quæritur, D.de oper.noui nunciat.*

5 Et consequenter vitiosa, cum fiat animo petendi & constituendi aduersarium in mora ante tempus, quod fieri nullo modo potest, *l.cum filius familias, 49.§.vlt.D.de verb.oblig.* Vitiosa autem satisdatio pro non satisdatione est, *l.quoties, 6. D.qui satisd.cogant. l.3.D.de fideiuss.*

6 Facilius enim est, vt quis admittatur ad satisdandum, quam ad obsignandum. Obsignatio enim pro quantitate non liquida fieri non potest, vt sequitur in Defin. satisdari vero etiam pro incerto debito potest, *d.l 5. De statulib.* si modo in eo res sit, vt nihil impediat, quo minus de liquidatione iam quæri oporteat.

7 Ratio est, quia obsignationem præcedere debet oblatio, & quidem opportuno loco & tempore facta, *l.acceptam, 19.C.de vsur.l.in fin.C.de iur.emphyt. l.1.C.qui potior.in pign.hab. l.2. Cod.de part.pign. l.credit.20. C.de pign.l.si soluturus, 39. D.de solut.* offerri autem opportuno loco & tempore non potest, quod quale quãtumq; futurum sit adhuc ignoratur. Nam & cũ ipsa debiti quantitas certa est, si tamen in diem incertam debetur, solui ante diem non potest, *l.stipulatio ista, 38.§.inter incertam, D.de verb.obl.*

DEFINITIO XII.

Neque iudicati executio remoranda est prætextu restitutionis in integrum petitæ, neque restitutio prætextu nondum secutæ executionis.

IN vendendo dixerat venditor fundum liberum esse, & vt loquimur allodialem, [1] qui tamen erat emphyteuticarius, & pro reliquis in quorum solutione per plures annos cessatum erat domino directo obstrictus. [2] Eo nomine passus emptor controuersiam laudauerat venditorem, [3] deinde peracta lite emptor domino, [4] venditor emptori [5] fuerat condemnatus. Cum postea venditor læsum se diceret, impetrato quoque ad

BIU Cujas

que ad rescindēdam venditionem principali rescripto,[6] Emptor autem negaret prius cogendum se ad litem eo nomine suscipiendam; quam sibi præstita esset indemnitas, propterea quod pendente iudicio restitutionis standum esset contractui sententiæque super contractu redditæ,[7] visum est non esse quidem remorandam iudicati executionem prætextu impetratæ restitutionis,[8] sed neq; vicissim ex ea causa moram fieri debere iudicio restitutorio. At sufficere emptori debere, quod iudicatum exequi interea possit si velit.[9] *Ita Senatus* in causa N. de Chearier, & N. fratrum de Beaumont 4. Non. Apr. 1594.

1 Quod Iureconsulti sic exprimebant, *vti optimus maximusque est*, *l. qui 90. l. si cum fundum*, 126. *l. non tantum*, 169. *de verb. signific. l. pen. D. de euict.*

2 Habet enim dominus rei vindicationem directam pro canone emphyteuticario contra quemlibet possessorem, *l. 1. §. vlt. D. si ager vectigal. id est, emphyt. pet.* adeoque si nonnullis credimus hypothecariam. De quo tamen alibi dicam.

3 Æquum enim erat improuisi oneris rationem haberi, *l. in venditione*, 41. *D. de act. empt. l. pen. D. de euict.*

4 *Ex l. 1. & tot. tit. C. fin. cens. vel reliq.*

5 *Ex l. Imperatores*, 7. *D. de publ. & vectig.* vbi *ex empto* legendum esse, non vt vulgo *exemplo* monet Cuiacius & recte, *lib. 1. obs. num. 5.* Intellige autem si emptor ignorauerit non etiam si Ictierit, vt Iurec. scribit, *in d. l. Imperatores.*

6 *Ex l. 2. si voluntate*, 8. *C. de rescind. vend.*

7 Ex iis quæ scripsi Definit. 1. *supr. in integr. restitut. postul.* ne quid noui fiat: mandari enim executioni res iudicatas publicè interest, *l seruo*, 65. *§. cum prætor, D. ad SC. Trebell.* cum concord.

8 Nec audiendus est qui distulit restitutionem, *l. ab hostibus* 15. *§. vlt. & l. seq. D. ex quibus caus. maior.*

9 Ita enim fit vt neutrius litigatoris ius attendatur, *argum. l. vlt. ff. quibus mod. pignor. vel hypoth. soluit. l. Bæbius*, 39. *in fin. de pact. dotal.*

DEFINITIO XIII.

De criminali causa, quæ in ciuilem incidit, prius cognoscendum est, quam de ciuili.

QVoties falsi quæstio aut alia criminalis actio incidit in ciuilem, constat, eoque iure vtimur, de criminali prius cognoscendum esse, quam de ciuili.[1] Si tamen vtraq; simul terminari possit, vtraque eodem iudicio terminanda est. Id enim & æquius videtur & cōmodius.[2] Siquidem sufficit præiudicium nullum fieri quæstioni criminali,[3] nullum autem fit cum vtraq; eiusdem sententiæ finibus concluditur. *Ita Senatus* in causa Dn. de la Tornelle, & De la Rochette, 13. Cal. Ianuar. 1594.

1 *l. si de vi*, 37. *D. de iudic. qui cœtu*, 5. *§. 1. D. ad l. Iul. de vi publ. l. si quis ad se fundum*, 7. *C. eod.*

2 Studere enim bonus iudex debet litibus finiendis, *l. 3. §. 1. D. de recept. qui arbitr.* [Eadem ratio facit vt si in causa ciuili constet in promptu de iure litigatorum, statim terminanda sit ciuilis quæstio, non expectato fine litis criminalis, quæ tamen non eo minus peragenda est, vt crimen puniatur. *Ita Senatus in* causa D. de Grenand, & Petri Roland. 26. Maij 1614.

3 Quia per minorem causam maiori cognitioni præiudicium fieri non oportet. *l. per minorem*, 54. *de iudic.* criminalis autem semper maior est, & eo grauior quo grauius crimen, *l. 1. C. de his qui accus. non pos.* Sane de possessione prius cognoscendum est, quam de crimine, *C. de appellat.*

DEFINITIO XIV.

Mulier prætextu paupertatis non potest pendente lite restitutionis petere ante diem, quod non debetur nisi in diem.

MVlier de dotalium hypothecarum iure cum possessoribus, qui proprietatem emerant transegerat & conuenerat, vt certam pecuniæ quantitatem post sex annos acciperet, & interea annuas vsuras semisses. Cum postea restitutionem in integrum aduersus transactionem imploraſſet ex capite doli & immodicæ læsionis, peteretque vt quoniam alia bona nulla habebat, saltem quarta pars debiti sibi adiudicaretur per speciem fiduciæ, & vt aiunt, prouisionis,[1] quomodo fieri solet cum de vniuersis fortunis suis quis litigat, ad sumptus nimirum litis & alimentorum[2] (neque enim vsuræ annuæ in eam rem sufficere poterant.) Senatus non putauit audiendam, quia causa nulla est, cur ad præsentem solutionem condemnari debeat, qui non nisi in certam diem voluit obligari,[3] quique non aliter fuit contracturus.[4] At neque cogendus est ex bonis quæ possidet partem aliquam fruendam dare,[5] ne sit ea res aut infructuosa mulieri, si cogatur contenta esse fructibus vix vsuras æquaturis,[6] aut iniuriosa possessori si permittatur mulieri ad conficiendam pecuniam, vt creditricis iure alienet proprietatem bonorum,[7] in quibus antea nullum aliud vnquam ius habuit, quàm hypothecæ iam remissæ & extinctæ.[8] *Ita Senatus* in secreto auditorio, Prid. Cal. Iul. 1595.

1 Neque enim dubitabatur quin ei non solum quarta illa pars, sed ipsa etiam tota quantitas deberetur, licet dies nondum veniſſet, cum in diem debitor vere sit debitor, adeo vt si soluat contingat ei liberatio, tanquam plus præstans quam debeat, *l. Iauolenus*, 15. *alias l. eum qui. de ann. leg. l. stipulatio ista*, 38. *§. inter. de verb. oblig.* nec possit repetere tanquam indebitum, *l. in diem* 10. *D. de cond. ind. b.*

2 Vt scripsi Defin. 5. *ex l. si instituta* 27. *§. pen. D. de inoff. test. l. vlt. C. de ord. cognit.*

3 Ideoque nec compensari ante diem potest, quod in diem debetur, *leg. quod in diem*, 7. *l. cum militi*, 16. *§. 1. D. de compensat.* Inde etiam est, quod si debitum in diem legetur, pure valet legatum, nec tantum incommodo medij temporis, sed in tota etiam quantitate, *l. debitor*, 82. *de leg. 2.* ideoque & ex toto legato Falcidia deducetur, *l. 5. D. ad leg. Falcid.* quia verum est, quod nulla eius pecuniæ pars ante diem peti posset, si nihil legatum fuisset, vt scripsi *lib. 4. Coniect. c. 11.*

4 *l. vlt. C. de pact. int. empt.* Vnus tantum casus excipiendus est, in quo creditor agere potest ante diem, sed ad interponendam cautionem non ad solutionem; idque ex causa & in bonæ fidei iudiciis duntaxat: *l. in omnibus*, 46. *D. de iudic.*

5 Quomodo supra diximus Defin. 5. ex bonis controuersis præstandam esse litigatori quantitatem necessariam, ad sumptus litis & alimentorum, *ex d. l. vlt.* ibi *ita vt ex iisdem*, *C. de ord. cognit.*

6 Minores enim quam quincunces vsuræ vix vllæ apud nos frequentantur, quibus tamen non nisi perraro ampliorum redituum æstimatio respondeat. Certe non pluris solemus æstimare fructus fundorum, quam vt vicesimo demum anno æquent iustam fundorum æstimationem, id est, ad ratam vsurarum quincuncium.

7 Etsi enim creditor dominus non est, si tamen vendat iure creditoris, transfert dominium quod non habet. §. 1. *Instit. quib. alie. licet vel non*, adeo vt nec vllum hoc casu superſit ius luendi, *l. 2. C. si antiq. credit. pign. vendid.*

8 Cum certi iuris sit, posse mulierem etiam constante matrimonio iura hypothecarum suarum remittere, si modo maritus sit soluendo, *l. iubemus*, 20. *C. ad SC. Velleian.* quoniam ea remissio donatio non est, *l. 2. l. etsi pignus*, 18. *D. quæ in fraud. credit. l. 1. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

DEFINITIO XV.

Mater, quæ prætextu dotis pupillum spoliasse dicitur possessione pignorum dotalium, quam pupillus retinere potuit pro administratione, non prius condemnanda est, quam rationes reddiderit.

SI mater, quæ filij tutrix aut protutrix fuit, ante redditas administrationis suæ rationes pignorum dotalium possessionem per iniquam vel colluſoriam iudicis sententiam nacta sit,[1] verum quidem est pupillo aduersus eam competere auxilium, quod ex Canone pontificio datur spoliatis,[2] sed tamen is ordo cognitionis esse debet, vt rationes prius redditas esse oporteat. Quamuis enim iudicium illud redintegrandæ possessionis dicatur summarium,[3] necesse tamen est

BIU Cujas

ante omnia sciri, an mulier ex administratione debitrix fuerit, nec ne. [4] Quandoquidem si debitrix fuit, tanto minus ei pro dote deberi intelligitur, cum sibi ipsa vltro soluisse videatur per compensationem. [5] Ex quo fit, vt neque pignorum fructus, quos per antichresim in contractu matrimonij factam lucrari debuit, in vicem vsurarum dotis [6] retinere debeat, sed restituere, [7] ad eam saltem vsque quantitatem quæ cum mala administratione compensari potest. Quod si ex contrario creditrix reperiretur, ratio nulla esset, cur ad fructuum iure perceptorum restitutionem condemnari deberet, [8] quos tamen omnimodo restitueret, si tanquam spoliatrix damnaretur. [9] Proinde ne qua aut matri aut pupillo iniuria fiat, multo conuenientius est, vt ante omnia discussio rationum & redditio fiat. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 12. quibus res iudic. non nocet.

1 Cum haberet filius ius retinendæ dotis tanquam sibi obligatæ pro reddendis rationibus tutelæ, siue mater tutrix, siue protutrix fuisset, *l. pro officio, 20. vbi gloss. C. de admin. tutor.* Bart. Socin. *cons.* 180. *lib.* 2.

2 *Ex can. redintegranda 3 qu. 1.* Scripsi Defin. 12. *ſ. quibus res iudic. non noc.* Facit *l. si maritus*, 10. *Cod. de donat. int. vir. & vxor.* iunct. *l. si per imprudentiam*, 51. *D. de euict.*

3 Quia non nisi possessorium, causa autem possessorij quælibet summaria momentanea esse creditur, *l. vnic. Cod. si de moment. poss. fuer. appell.* Canon. *in d. can. redintegranda*, Iacobus Menochius *in Tract. de remed. recup. poss. remed.*

4 Quod tamen nisi redditis rationibus sciri non potest, & iis editis, *l. non solum, 8. §. is qui reddere, D. de liber. leg. l. cum seruus*, 82. *D. de cond. & demonstr.* Illud sane verum est, mulierem, quamdiu rationes non reddidit, esse debitricem, at non quantitatis sed redditionis rationum, quamuis fieri possit, vt redditis rationibus ei debeatur, quia interim causa rationis incerta est, *l. statuliber 5. D. de statulib.*

5 *l. vlt. C. de contr. iud. tut. l. 1. §. præterea, D. eod. l. 2. C. de in lit. dand. tutor.*

6 Antichresis enim est, cum fructus pignoris dantur creditori in vicem vsurarum, *l. si is qui*, 11. §. *si vini*, 7. *D. de pign. l. si pecuniam*, 33. *D. de pig. act.*

7 Antichresis namque vt & alia quælibet pignoris species tacitam conditionem habet, Si pecunia debebitur, & quamdiu debebitur, *d. l. si pecuniam, l. grege*, 13. §. *etiam, D. de pignor. l. Paulus*, 12. §. 1. *quibus mod. pign soluit.* & extenuato per compensationem debito, pro quo antichresis contracta fuerat, necesse est fructus pignoris pro rata portione, quasi nullo iure ac pro indebito perceptos, reliquam debiti quantitatem extenuare, & in sortem imputari, *l. 1. 3. & vlt. C. de pign. act.*

8 Iusta enim est conuentio illa, per quam contrahitur antichresis, dum ne facta sit in fraudem vsurarum, vt scripsi Decad. 9. *Decis. pragm. Err. 5. & 6.*

9 Et quidem sine spe repetitionis, vt scripsi Defin. 8. *numer. 4. ſ.*

10 Melius namque est intacta vriusque partis iura seruare, quam post vulneratam causam remedium quærere, *arg. l. vlt. C. in quibus caus. restit. in integr. non est. necess.*

DEFINITIO XVI.

Causa matrimonialis pertinet ad iudicem ecclesiasticum, sed an venter vel filius mittendus sit in possessionem, cognitio est iudicis laici.

ETsi de fœdere matrimonij cognoscere Senatus non magis, quam alius quilibet iudex laicus potest, [1] ad eum tamen pertinet, vt pendente illa status quæstione, an filius legitimus sit necne, [2] iubeat decerni alimenta partui, ne fame pereat. [3] Quod quia nō aliter facere potest, quam si æqualiter appareat filium esse cum quis talis dicitur, [4] de illo quoque summatim cognoscere debet, [5] siue viuo patre, siue iam mortuo: Nulla alia hac parte differentia constituenda, nisi quod defuncto patre etiam in bonorum omnium possessionē, si hoc petatur, mitti filius potest ex Carboniano edicto, dilata pleniore status quęstione in tempus pubertatis. [6] Itaq; ex hac causa, si testes quidam, vt plerumq; fit, auditi sint ad futuram rei memoriam, [7] nec dū didicita sint testificata, [8] potest & debet Senatus ex officio aperire testationes, quod ad animi tantum sui instructionem. [9] *Ita Senatus* pro Nicolaa Gaben, contra sorores Berchet, 8. Mart. 1596.

1 Quandoquidem ea cognitio ad iudicem ecclesiasticum pertinet, *cap. lator, Extr. de iudic.* Roman. *cons.* 299. Dec. *cons.* 212. Afflict. *decis.* 30. & 319.

2 De qua *in cap. lator qui filij sint legit.*

3 *l. 1. §. & generaliter, D. de ventr. in poss. mitt.*

4 Quia si euidenter appareret filium non esse, nihil decernendum esset, *d. l. 1. §. si ea quæ in possessione.*

5 *l. 3. §. causæ cognitio, vers. summatim, D. de Carbon. edict.*

6 *l. 1. & pass. eod. ill. tit. D. & C.*

7 *Ex cap. 1. Ext. vt lit. non contest. l. in lege* 41. *D. ad leg. Aquil.* iunct. *l. curent, 22. ff. de testib.*

8 Ad hoc, vt aduersarius possit probare contrarium, quod non posset facere post didicita testificata, *cap. fraternitatis, extra de testib.*

9 Vt certius & tutius iudicetur visis testationibus.

DEFINITIO XVII.

Pendente lite coram iudice Ecclesiastico super absolutione à iuramento, non eo minus potest interim agi apud iudicem laicum de contractu exequendo.

LIs cœpta coram iudice Ecclesiastico super absolutione à iuramento interposito in contractu, non impedit, quo minus ex contractu interim exequendo apud iudicem laicum agi possit, [1] quia quod dici solet, non debere iudicem secularem procedere de ea re, de qua scit litem coram iudice Ecclesiastico pendere, [2] licet inhibitiones nullæ interuenerint, [3] quæ nec fieri possunt inter eos, qui plane disparatam habent iurisdictionem, [4] ad hunc casum non pertinet, in quo alia res est, de qua apud iudicem laicum, alia de qua apud Ecclesiasticum tractatur. [5] Aliud enim est de iurisiurandi religione disputare, aliud vero de viribus contractus, qui nullo quoque iureiurando interueniente nihilominus valeret, [6] paratamque haberet executionem forte initus apud acta, [7] & in præsentia iudicis, quæ omnem metus vel violentiæ præsumptionem, adeoque suspicionem tollit. [8] Sed & fieri potest, & fit plerumque, vt is etiam, qui petit absolutionem à iuramento, perinde tamen sit periurus, vtputa si iurauerat se non petiturum absolutionem, [9] nisi proponas duplicem quoque petitam absolutionem. Item, quid si debitor vno tantum die ante tempus solutioni præstitutum absolutionem petierit? Fere est, vt iam periurus eam petiisse videatur, qui tantopere se arctauerit, [10] ideoque nec debet ei prodesse, ne quidem vt eum excuset à pœna contumaciæ, [11] quamuis causa quælibet etiam iniusta soleat in criminalibus excusare à dolo. [12] Recte tamen apud nos prouisum est, ne qua posthac inter iudices Ecclesiasticos & laicos controuersia possit emergere, vt absolutionem quidem à iudice Ecclesiastico ante omnia impetrari oporteat. [13] Sed ad fines agendi tantum & ad periurij exceptionem effugiendam, at non etiam vt de causæ meritis & absolutionis æquitate apud iudicem Ecclesiasticum tractari possit, cum antea iudices Ecclesiastici prætextu iuramenti & absolutionis petendæ omnes omnino de contractibus iuratis controuersias cognitioni suæ vindicarent. *Sine die.*

1 Matth. Afflict. *decis.* 30.

2 Feder. de Sen. *cons.* 126. *incip. in quæstione, & cons.* 300. *incip. factum proponitur Not. in ciuuam, de ord. cogn. & in c. debitores, de iureiur.* Petr. de Anch. *cons.* 22. *incip. casus talis est.*

3 Mos tamen inoleuit, vt Episcopi soleant iudicibus secularibus inhibere sub pœna excommunicationis, vt pendente lite supersedeant, vt ait Aug. *in l. 4. §. condemnatum, de re iudic.*

4 Bald. *in l. 1. in fin. C. quomod. & quand. iud.*

5 Afflict. *d. decis.* 30. *n.* 2. & 4.

6 Idem Afflict. *dict. num.* 4. Bart. late *ad leg. si quis pro eo, de fideiuss.*

7 Gloss.

BIU Cujas

7 Gloss.in Auth.*generaliter*,C.de *Episc.& Cler. DD. in l. eum, pro quo*,de *in ius voc. Not.in c.si quando*, de *of.deleg.* Luc. de Penna *in l.2.C.de iur. fisc.lib.*10.

8 *L.1.C.de his qui propt.met.iud.non appell. Not.in l.de pupillo*, §.*si quis Prætori*,de *oper.noui nunc.*

9 Ant.de Butr.*in c.1.de iureiur.*Ludouic.Rom.*cons.*326.Bald. *in repet.l.2.D.de iureiur.*quem refert & sequitur Afflict.*d.decis.*30. *num.5.& 6.*

10 Ioan.Andr.Anton.de Butr.& Abb.Sicul.*in cap.debitores, extr.de iureiur.*Idem Abb.*in d.c.1.eod.super rubric.*

11 Iniusta enim causa non excusat à pœna contumaciæ, *l. properandum*,§.*sin autem*,*vbi not.C.de ind.& in l.qui solidum*,78.§. 1.*de leg.2.*§.*oportet*,in Auth.*de iudic.* Alexan.*cons.*118.*col.3.vers.circa tertiam dubitationem*,*vol.2. Ex not.in c.finem litibus de dol.& contum.*

12 *Not.in l.2.*vbi Angel.*C.de plagiar.& in l.igitur*,*D.de lib.caus.* Afflict.*decis.*31.*& nu.3.&* 4.

13 Qua iuramentum est quid mere spirituale, nec proinde iudex laicus potest de absolutione cognoscere, quamuis possit cognoscere super obseruatione iuramenti, *cap. licet*, *de iureiur. lib.6.*Afflict.*decis.*24.*num.9.*

TIT. VIII.

DE LIT. CONTEST.

DEFINITIO I.

Qui iam litem contestatus est, si iterum iubeatur contestari nec appellet, cogendus est vt contestetur aut habendus pro contumace.

QVi litem negatiue contestatus est, [1] si quasi minus sufficienter contestatus sit, patiatur imperari sibi à iudice vt iterum contestetur, [2] sibi præiudicat, [3] adeo vt si in iterum contestando moram faciat, possit ex ea causa petitio actoris haberi pro vera & probata, [4] siue ipsius domini siue solius procuratoris, qui & ipse dominus litis est, [5] factum consensúsque interuenerit. *Ita Senatus* in causa Ioannæ Rippet & Claudij Pomard, 5.Id.Iul.1595.

1 Quæ magis vere & proprie contestatio est, quæ scilicet fit per negationem, licet lis contestata dicatur, quoties iudex per narrationem negotij causam audire cœperit, vt ait *l.vnic. C.hoc tit.* Non enim ante dicitur lis inchoata, licet vocatus sit aduersarius, *l.vlt.C.de plur.petit.*

2 Non quasi duplex contestatio necessaria sit, sed quasi prior non fuerit sufficiens, vt ait Defin. In quo circumspectus esse debet bonus iudex, ne litigatores vnquam iubeat actum agere.

3 Quia iudici parere cogitur, atque ita prioris suæ contestationis commodum amittere.

4 In pœnam contumaciæ, vt in *l.si perlusorio*, 14.§.*quoties*, *D. de appell.l.de ætate* 11.§.*qui tacuit*, *D.de interr.in iur.fac.* Idque expressum est Styl.Senat. artic.

5 *L.*4.§.*vlt.D.de appel.l.procuratoribus*, 22.*& seq.C.de procur.*

DEFINITIO II.

Effectus contestationis & citationis durant, peremptæ instantia.

QVi effectus ex litis contestatione aut ex citatione nasci solent, nimirū vt actio perpetuetur, [1] vt præscriptionis cursus interrumpatur, [2] vt possessor in mala fide constituatur, [3] vt res fiat litigiosa, [4] & alij eiusmodi, non eo minus salui remanent, quod postea peremptæ sit instantia, [5] in qua citatio aut litis contestatio facta est. [6] *Ita Senatus* in causa viri clarissimi D. Claudij Francisci Pobelli, D.de Preissy, nunc Equitis Senatorij nobilissimi, contra D.Henricum Bay, Præsidem Rationalium, 4.Non.Aug.1595.

1 *L.sicut*, *C.de præscript.*30.*vel* 40.*annor.l.omnes*, 26.*l.sciendum*, 58.*D.de oblig.& action.l.vnic.C.ex delict.defun.* Inde fit vt plerunque cogatur à prætore contestari litem is quoque, qui vlterius progredi non cogitur, *l.1.§.vlt.D.de fer.& dilat.*

2 *d.l.sicut.*

3 *L.sed etsi lege*, 25.§.*si ante*, *D.de petit.hered.l.2. C.de fructibus & lit.expens.*

4 *Auth litigiosa*, *C.de litig.*

5 Litem mortuam Iureconsulti dicunt, *in l.2. D.iudic.solui.* Alio sensu dicitur finita, *in l.cum quærebatur*, 13. *ad fin.princip. D.eod.*

6 Quia cum citatio & contestatio sint facti, non possunt haberi pro infectis, *l.in bello* 12.§.*facti D.de capt.& postlim. l.verum est*, 31.*D.de reg.iur.l.denique*, 19.*D.ex quibus caus.maior.* Itaque peremptio instantiæ nihil aliud efficit nisi vt acta litis circumducantur, vt Paulus loquitur *in l.acta* 44.*D.de re iudic.* Id est, fiant irrita. Obserua tamen eo loco interpretis videri verba illa, *& iudex hoc permiserit.* Ad quem enim nisi ad iudicem referri potest, quod sequitur *potest iubere.* An non vero permittit, & plus quam permittit qui iubet?

TIT. IX.

DE PLVR. PETITION.

DEFINITIO I.

Quando moram faciat is, qui nihil offert, si plus petatur quam debeatur.

QVi debebat quinquaginta, si, cum ab eo centum peterentur, nihil obtulerit, condemnandus est in omnes expensas litis propter moram, cum quinquaginta, qui debere se non ignorabat, offerre debuerit. [1] Aliud est, si fundi partem iniuste possessam non offerat is, à quo totus fundus vindicatur. Hoc enim casu compensandæ sunt expensæ, quasi mutua lata victoria. [2] Ideo fortasse, quod qui totum fundum petit, non vtique singulas fundi partes in iudicium deducere videatur. [3] Quomodo petit quinquaginta, qui petit centum: adeo minor summa maiori reuera inest. [4] Sed quod priore loco diximus ita verum est, si quinquaginta liquido [5] debeantur. Quandiu enim liquidum non est debitum, nihil imputari potest debitori certam quantitatem non offerenti. [6] Sane quo minus in genere saltem offerre debeat, quicquid debitum esse apparebit, excusari non potest. [7] *Ita Senatus* 14.Calend.Decembr.1590.

1 Ioan.Imbert.*lib.2.Institit.forens.*

2 *L.qui solidum* 78.*in princ.*& ibi Bart.*de legat.*2. Etsi enim Papinianus eo loco respondet, moram passum videri fideicommissarium, qui solidum fideicommissum frustra petebat hærede Falcidiam obiiciente, si partem non acceperit: Obseruandum tamen est, tractare illum de eo casu, quo fideicommissarius partem interim sibi solui desiderauerit, vt intelligamus, nec partem quidem debitam offerre debere eum à quo totus fundus petitur, si non interim partem illam, quæ debetur, sibi solui actor desideret.

3 Totus enim fundus non nisi vnum corpus est, quod Philosophi dicerent indiuiduum, licet Iureconsulti speciem appellent.

4 *L.*1.§.*si stipulanti*, *D.de verb.oblig.l.cum furti* 9.*D.de in lit.iur. l.quoties* 9.§.*sed si maiorem*, *D.de hered.instit. l.diem proferre* 27. §.*si plures*, *de recept.qui arbitr.l.qui quartam* 15.*de leg.*1.

5 Id est, vere & indubitatè & aperte, *vt in l.alias autem* 18.*D. de iureiur.*

6 *L.non potest improbus videri, qui ignorat quantum soluere debeat* 99.*de reg.iur.* Nam & excusatur, qui per iustam ignorantiam plus petit, *l.1.C.hoc tit.* Punitur tantum is, qui dolo malo plus petit, & per auaritiam delinquit, vt ibid.Zeno loquitur. Sed & pœnitentiæ locus est ante inchoatam litem, quamuis vocato iam ad iudicium aduersario, *l.vlt.eod.*

7 Nam & interdum pro non liquido, si modo constet aliquid deberi, cauendum & satisdandum est ne mora contrahatur, *l.statuliber rationem* 5.*D.de statuliber.* vbi recte legitur, *incerta causa rationis*, non vt Haloander legendum putabat, *inserta.* Obserua autem ita ius olim fuisse, vt qui plus peteret, siue re, siue loco, siue tempore, siue causa, cadere deberet à lis

BIU Cujas

te,qui vero minus,id,quod plus erat,amitteret. Quod vtrumque Zeno correxit *in dict.l.1.& 2. C.hoc tit.* nec nisi expensarum damno hodie coercetur,qui plus petit,qui minus,nullo. Nam quod à Zenone constitutum est de triplo inferendo, & à Iustiniano de toto debito amittendo,in vsu apud nos esse desiit.Nec rursum facile id obtinet, quod scriptum est *in §.si minus, Instit. de action.* vt si minus petitum sit, in reliquum nihilominus reus in eodem iudicio condemnetur. Fatuus enim haberetur, qui conuentum pro decem condemnaret ad viginti, quantumuis maxime viginti deberentur.Plane quin alio iudicio reliqua decem petere actor possit,nihil prohibet.

TIT. X.

DE DILATION.

DEFINITIO I.

De dilatione danda contumaci ad euitandam ex peremptorio condemnationem.

POSTQVAM alterutrius collitigantium intentio propter aduersarij contumaciam pro confessa probatáque habita est, siue quod aduersarius legitimè in ius vocatus non venerit, [1] siue quod propositis facti allegationibus respondere noluerit, [2] non ideo statim condemnandus est contumax, [3] sed danda ei dilatio,intra quam veniat dicturus,cur non debeat condemnari. [4] Quod enim actoris intentio impleta creditur, [5] efficit duntaxat,vt de ipsius iure,de quo primum quærendum fuit,amplius inquiri non oporteat: [6] sed exceptiones, quæ reo ad elidendam intentionem competere possunt, non excludit, [7] quarum potestate fieri possit, vt non minus condemnari actor debeat, quam si intentionem suam non impleuisset. [8] Idémque de actoris replicatione tractari potest, si rei exceptionibus actor non responderit, eáque ob illam causam pro confessis habendas esse iudex pronunciauerit. [9] Sed tamen si præcipiti festinatione iudex,nulla dilatione dilata,aduersus contumacem sententiam tulerit, [10] à qua prouocatio ad Senatum facta sit, non audiet Senatus appellantem, si nihil aliud habeat,quod dicat,cur condemnari non debuerit. [11] Nam in eius commodum, qui nullo iure litem aut instituerit aut susceperit,non solet Senatus scrupulosas istas subtilitates admittere, [12] ad cuius officium & æquitatem vel illud maximè pertinet, vt videat, ne summum ius summa vnquam sit iniuria. [13] *Ita Senatus* ex tempore, 10. Calend.Mart.1590.

1 *Vt in l.& post edictum 73.D.de iudic.*

2 *Vt in l.si perlusorio 14.§.quoties,D.de appell.*

3 Ne præceps iudicis festinatio, qua nihil in iudiciis periculosius est,locum faciat interponendæ iustæ appellationi.

4 Pragmatici dicunt, *pour venir deffendre à la condemnation*, Text.est *in d.l.& post edictum*,iis verbis. *Iterum citari debet.* Facit *l.consentaneum 8.C.quem.& quand. iud.*

5 In pœnam contumaciæ,quæ tacitam confessionem induxit & fictam, *l.Diuus Antoninus 7.D.de in integr.restit.*

6 Abundè enim sufficit exonerari petitorem probandi necessitate,inquit in simili Paulus *in l.eum qui 30.D.de iureiurand.*

7 Probata enim actoris intentione,illud adhuc supereſt,vt de rei iure & exceptionibus quæratur, *l.qui ex liberis 11.§.vlt.in fin.D.de bonor.possess.secund.tabul.*

8 Id enim est,quod dicimus,exceptionem nihil aliud esse, quam actionis exclusionem. Actionis inquam iure competentis,& cuius bene probata sint extrema,alioqui non est,quod de exceptionis iure tractari possit aut debeat, cum actor in probanda sua intentione defecit. Vincit enim reus etiamsi nihil præstiterit, *cap.vlt.extr.de iureiur.l.vlt. C.de rei vindicat. l.2. D.de except.*

9 Nam cum replicationes nihil aliud sint quam exceptiones,idem in omnibus iuris est, *d.l.2.§.replicationes, l.exceptio 22. de exceptionib.l.non exceptionibus 10.C.eod.*

10 Contra morem iudiciorum,*d.l.& post edictum*,iunct.*d. l.Diuus.*

11 *Arg.l.exigendi 12.in fin.C.de procurat.*

12 *Lita vulneratus 51.§.vlt.D.ad leg. Aquil. l.si fideiussor 29.§. quædam,D.mand.l.sicut 8.§.si debitori, D.quib.mod.pign. vel hypoth. soluit.*

13 *L.quod si Ephesi 4.in fin.de eo,quod cert.loc.l.qui filium 74.§. vlt.D.ad SC.Trebell.l.2.§.item Varus ait, D.de aqua pluu. arcend.l. in omnibus 90.de reg.iur.l.placuit,C.de iudic.* Adde *l.si seruum 91.§. sequitur,de verbor.obligat.*

DEFINITIO II.

Non currit dilatio ei,qui adeundi iudicis absentis copiam non habuit.

A Iudice intra concessam dilationem quid facere iussus,quantumcunque præcisè & addita comminatione, ni intra constitutum tempus fecerit, excusandus est,& ad aliam dilationem petendam admittendus, si per iudicem ipsum steterit, quo minus eius præcepto pareri potuerit, [1] nec vlla in eam rem indiget restitutione. [2] Quid enim si quod faciendum fuit,non nisi præsente iudice explicare debuerit, [3] iudex vero toto eo tempore abfuerit,[4] aut sui copiam facere noluerit? [5] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Bay, & heredum Nicolai Grand,& D.Senatoris de la Roche,Prid.Cal.Iun.1591.

1 *L.quid tamen 21.§.Papinianus, & §.si arbiter, & melius in l. arbiter 40.D.de recept.qui arbitr.l.1.in fin.D.de diuers.temp.præscript. l.1.§.dies,& seqq.D.quand.app.sit.*

2 Quia omnis restitutio vel erroris proprij veniæ petitionem,vel aduersarij circumuentionis allegationem continet,*l. præfecti 17.D.de minoribus*,quorum neutrum hic interuenit,cum per iudicem ipsum stetit, facit *l.Iulianus 17.in fin. ex quib.caus. maior.*

3 Alioqui frustra quis causetur absentiam iudicis,cuius præsentia non fuerit necessaria.

4 Forte ex iusta causa,puta propter occupationem propriorum negotiorum,vel vrgentem profectionem,vel munus aliud reipub.vt *in l.licet 15.D.de recept.qui arbitr.*

5 Fortasse dolo malo,vt contra eum mulcta eo nomine dicenda sit à iudice superiore, *arg.l.non distinguemus 32.§.si arbiter, D.de recept.qui arbitr.*

DEFINITIO III.

De dilatione data per sententiam conditionalem, à qua fuerit prouocatum.

PEr sententiam inferioris iudicis quid facere iussus intra mensem proximum, & ni faceret, condemnatus in certam pecuniæ quantitatem ac in expensas litis, si ab ea sententia prouocauerit, & appellatoria lite per triennium aut quadriennium protracta tandem succubuerit, non ideo tamen prohibetur intra mensem proximum iudicato satisfacere, ac si nunc primum sententia reddita,nec ab ea prouocatum esset. [1] Nam quod dici solet,iniusta appellatione pronunciata,executionem iudicati fieri ex sententia confirmata, non ex confirmante, [2] ad dilationem priore sententia concessam non pertinet, cuius sane tempora pendente appellatione currere non potuerunt,cum appellatio,quamdiu pendet,extinguat iudicatum.[3] Cui consequens est,vt si condemnatus post appellationem, decisam priori iudicato satisfaciat intra præstitutum tempus,nullus condemnationi expensarum prioris instantiæ locus fit, quasi defecta conditione sub qua fuerant adiudicatæ. [4] *Ita in Senatu tractatum* ex tempore, in causa N. Chardon procuratoris Necensis, contra viduam cuiusdam Syndici de Tonoz,3.Cal.Febr.1593.

1 Cum enim sententia, à qua appellatum est, extinguatur per appellationem aut saltem suspendatur, *l.si causa cognita 32. Cod.de transact.* fieri non potest, vt dilatio temporis per sententiam data prius habeat finem quam principium, *l.si in diem*

BIU Cujas

46. D. de condit. & demonstr. Text. est in l. 2. C. de vsur rei iudic. in illis verbis: *Vel si procuratio fuerit porrecta à die confirmationis sententiæ.*

2 Vnde fit, vt medij quoque temporis vsuræ debeantur, quia appellatio licet extinguat iudicatum, non extinguit debitum, *l. tutor 41. D. de vsur.*

3 *L. 1. §. vlt. D. ad Senatusc. Turpill. d. l. si causa cognita 32. C. de transact.*

4 Etsi enim non fuit dicenda sub conditione sententia, *l. qui testamento 37. D. de excusat. tutor.* Si tamen dicta sit, tenet, præsertim si ab ea non fuerit appellatum, *arg. l. 4. §. ad tempus, D. de interd. & releg.* nam & appellari ab ea potest, adeo vt & eo casu à die sententiæ tempus ad appellandum computari oporteat, *l. 1. §. biduum, D. quand. appell. sit & intr. quæ temp.*

TIT. XI.

DE FERIIS.

DEFINITIO I.

Sententia die feriato lata omnimodo ex appellatione rescindenda est, licet recte iusta que lata sit.

SEntentia die feriato lata & pronunciata,[1] siue à iudice siue ab actuario,[2] transit quidem in rem iudicatam, si ab ea non sit appellatum,[3] postquam moribus nostris receptum est, vt ab iis quoque sententiis, quæ ipso iure non valent, necessaria sit prouocatio:[4] Sed si prouocatum fuerit, irritam eam fieri oportebit, quantumuis recte & iuste reddita sit, quia rite lata non est.[5] Idipsum tamen superior iudex sequetur, quod inferior pronunciauerat, solo pronunciationis viro sublato.[6] *Ita Senatus* sæpius.

1 Contra morem maiorum iurisque prohibitionem, *l. 2. l. omnes 7. ad fin. l. vlt. C. hoc tit. l. 1. in princ & §. 1. l. si feriatis 6. D. eod.* Exceptis quibusdam causis, de quibus *in l. 2. & 3. eod.*

2 Obtinuit enim vt mandante iudice possit sententia pronunciari per actuarium, quæ ex iuris ratione non nisi per iudicem ipsum pronunciari deberet, *l. 1. 2. & 3. Cod. de sentent. ex peric. recit.*

3 Contra quam ferat iuris ratio, ex qua proculdubio nullius momenti est ipso iure sententia die feriato lata, *d. l. 2. in fin. C. hoc tit. d. l. 1. §. 1. in fin. D. eod.* Vide tamen *Defin. 5. j.*

4 Ex Styl. Senat. nostri, facit *l. Præses 27. D. de re iud.*

5 Propter vitium pronunciationis, vt loquitur Scæuola *in l. qui testamento 37. D. de excusat. tutor.*

6 Vt & in specie *d. l. qui testamento.* faciendum fuisset, si tutor iustam habuisset excusationem. Vide *cap. vlt. Extr. de fer.*

DEFINITIO II.

Non sunt iurandi testes die feriato, nisi partes consentiant eo die audiri, qui sit quidem feriatus, sed non in honorem Dei.

IN dictandis aut excipiendis testationibus aliud non est. Neque enim fidem faciunt, si feriato die testes auditi sint:[1] nec ideo tamen testibus, qui iurato testificati sunt, à priore testimonio impune resilire licebit,[2] quamuis iterum sint audiendi,[3] & quidem eius sumptibus, qui nefasto die perperam eos audierat.[4] Sane si cum dies feriatus esset, aduersarius tamen auditioni consenserit, valebit testatio.[5] Præterquam si ponas in honorem Dei ferias indictas:[6] quo casu æquum non est, ex collitigatorum consensu iuri publico diuini cultus derogari.[7] Illud tamen meminisse oportet, eo die auditos videri testes quo iurati, non quo testationes conscriptæ sunt.[8] *Ita Senatus* sæpius.

1 Generaliter enim constitutum est, vt diebus feriatis actus omnes, siue publici siue priuati, conquiescant, *l. actus omnes 8. C. hoc tit.* vt nulla sit cognitio iurgiorum, *l. 7. ante fin. eod.* vt non tantum lites, sed etiam causæ quiescant, *l. 2. eod.*

2 Quia quod testis die Dominico iuratus falsum dixerit, non facit quo minus sit periurus. Imo tanto magis, quanto sanctius eo die diuinum numen colere debuit; *l. qui falso 16. D. de testib.* Culpa enim iudicis, qui eo die testem audire & iurare non debuit, non potest delictum & periurium testis excusare, *arg. l. 2. D. de priuat. delict.* Stabitur tamen hoc casu secundæ depositioni, nō primæ, licet iuratæ, alioqui cur iterum testem audiri oporteret, cuius testimonium fidem nullam habere posset? cur expectaremus euentum, qui nihil operari posset? *l. aliquando 13. §. vlt. l. debitrix 24. §. vlt. D. ad Senatusc. Velleian.*

3 Nota iterum esse audiendos, nec sufficere vt repetantur, quia prior auditio prorsus nulla est.

4 Ne per illius culpam superuacuis sumptibus oneretur is, pro quo testes auditi sunt. Nisi is ipse suo periculo, quod plerumque fit, auditionem illam die feriato fieri vrserit.

5 *L. 1. §. 1. & l. si feriatis 6. D. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst. 136. nu. 2. & quæst. 216. ex not. per gl. & DD. in c. veniens, extr. de testib.*

6 Feriarum enim aliæ in honorem Dei inductæ sunt, aliæ in honorem Principis, aliæ vindemiarum aut messium causa, *l. 2. 3. 4. 7. & vlt. C. hoc tit.*

7 *d. l. omnes 7. ad fin.* ibi, *nec apud ipsos arbitros sponte electos, eod.*

8 Quia testatio fidem accipit ex iuramento, non ex scriptura, quæ scilicet non fit nisi ad rei gestæ memoriam, *argum. l. 4. D. de pignor.* Nam nec olim testes, nisi palam & publicè audiri solebant in iure, id est, in loco ipso iudicij, & iudice sedente, & aduersario quoque præsente.

DEFINITIO III.

De executione facta die Dominico contra verum debitorem appellantem ab executione, nec tamen pecuniam condicentem.

DEbitor Senatusconsulto condemnatus ad solutionem, iussus erat per apparitorem Dominico die soluere, & ni solueret in carcerem ire. Dixerat ille, non debere se cogi eo die, qui in honorem Dei Opt. Max. feriatus esset, sed tamen cum ad solutionem nihilominus vrgeretur, absente creditore, soluerat & ab executione appellauerat. Tertio post die creditor testato declarauerat nolle se eam executionem ratam habere, quod die Dominico facta fuisset, neque tamen exactas pecunias restituerat. Quærebatur, an iustam appellationis prosequendæ causam debitor haberet? Quidam negabant, quod cum verum se debitorem agnosceret, nihil planè ipsius interesset, quonam die vrgeretur:[1] solúmque in eo versaretur ius Principis & procuratoris generalis, propter violatam publicam honestatem & sacrosanctæ religionis venerationem.[2] Nam etsi ex qua alia causa executio perperam facta proponeretur, vt puta contra leges formámve statuto præscriptam: Sufficeret tamen quod pro debito facta esset vt teneret, in id saltem vsque tempus, quo debitum offerretur.[3] Contra obiiciebatur, non debere creditorem quicquam consequi ex ea executione, quæ contra leges omnes facta fuisset,[4] præsertim cum nec debitore ipso consentiente fieri potuerit, vt executio illa valeret.[5] Neque locum esse distinctioni, quæ quibusdam probabatur, an citatio duntaxat, an realis quoque executio facta esset, quasi hanc irritam fieri oporteret, illam non item. Nam præter id, quod omnia omnino ad iudiciorum causam pertinentia eo die fieri districtè & indistinctè prohibitum est,[6] quis negaret, realem esse hanc executionem, per quam iubebatur debitor, vt vel solueret, vel iret in carceres?[7] Maximè vero secuta solutione metu carcerum, tametsi in carceres detrusus non fuisset.[8] At nec illud rursus dici poterat, licuisse creditori intra decem dies à tempore interiectæ appellationis resilire ab executione, quemadmodum debitor intra idipsum tempus appellationi renunciare potuisset.[9] Non enim reuera executioni renunciasse videri poterat, qui pecunias per executorem exactas sibi retinuerat.[10] Senatus, cum debitor nec

BIU Cujas

negaret se debere, nec solutæ pecuniæ restitutionem peteret, irritam fecit executionem, irritam quoque appellationem, vtroque ex collitigatoribus à iudicij obseruatione absolato, nulla hinc vel inde facta impensarum condemnatione,[12] propterea quòd creditori quodammodo debitor pepercisset, qui solutionem à se factam adprobans, liberationem sibi ex ea quæsiisset.[13] Item, quod creditori quoque ignoscendum videretur non tam ob id, quod executori non mandauerat, vt de die Dominico exequeretur (hic enim, vt & alias sæpe factum, executoris factum partis est,[14] cum imputare sibi debeat, qui talem elegit,[15]) quam quod post triduum ab executionis iure discessisset. Quid enim præterea faceret, nisi vt pecuniam quoque redderet? Atqui nec debitor ipse petebat, qui liberationem malebat quam condictionem.[16] Irritam tamen executionem fieri necesse fuit, ne malo exemplo tale quid in posterum per creditorum iniuriosam asperitatem contingeret;[17] Interminatione etiam apparitoribus facta pœnæ viginti quinque librarum, & quanti partium interesset, si quid vnquam tale admitterent. *Ita Senatus* in secreto auditorio ex tempore, 6. Id. Iun. 1590. & 3. Non. Decembr. eodem anno.

1 *Argum.l.Iulianus 60.D.de condict.indeb.l.si fideiussor 29.§. quædam,D.mandat.*

2 Ioan.Papon.*in syntagm.arest.*

3 Neque enim auditur debitor impugnans vitiosas subhastationes, si modo pro debito factæ sunt, quin offerat & obsignet debitum recusante creditore accipere. Styl.Senat. nostri. Facit *l.fundus 9.D.de rescind.vendit.*

4 Quamque lex ipsa irritam facit ipso iure, *l.2.in fin. Cod. hoc tit.*

5 *Cap.vlt.extr.eod.*

6 *d.l.2.l.actus omnes 8.l.vlt.* in illis verbis: *Nulla quemquam vrgeat admonitio, taceat apparitio*, & ad fin. *vel cuiuscunque iudicis apparitor.C.hoc tit.*

7 Nam etsi non sit detrusus in carceres, quia soluit, ideo tamen videtur soluisse, quia carceres ei apparitor minabatur. Paria enim sunt, aliquid fieri coacte, & metu coactionis, *l.nouissime 7.§.1.*vbi Bald.*D.quod fals.tut.auct.*

8 Solus enim metus carceris iustus metus est, *l.nec timorem 7.§.1.l.pen.l.vlt.§.1.D.quod met.caus.*

9 Nam intra decennium sicut appellatio permissa est, ita & appellationis extinctio, quæ fit per renunciationem. Post id tempus non est permissa, nisi ex rescripto & diplomate Principis, vocant pragmatici *lettres d'anoantissement*, per quas circumducitur appellatio, vt loquitur *l.si præses 6.Cod.quomod.& quand. iudic.*

10 Iniuria enim, quæ per extortam veram solutionem facta fuerat, non nisi reddita pecunia tolli poterat. Vnde illud Comici: *Nunquam verbo satisfacies, cui re malefeceris.* Facit *l. prout 80. D.de solut. l.nihil 35. de reg.iur.* Verba enim cum effectu sunt accipienda, *dict.l.fundus 9.D.de rescind.vendit. l.1. §.vlt. D.quod quisque iur.l.penult.§.docere, D.ne quis eum, qui in ius voc. vi exim.*

11 Quod Pragmatici dicunt, *mettre les parties hors de cour, & de procés sans despens.*

12 Non quasi tacita expensarum compensatione facta, vt fieri solet ob mutuam victoriam, vt scripsi *ad Defin.7.num.1.3.de sportul.& sumptib.in diuers.iudic.fac.* sed ob rationem, quæ sequitur in Defin.

13 Neque enim poterat ex ea solutione nasci liberatio, quin solutio ipsa confirmaretur, quia quamdiu pendet ius condictionis, pendet etiam ius liberationis, *l.qui hominem 34. §.si gener. l.si quis offerenti 58. l.pupilli 96. §.vltim. l.qui res 98. §.rem autem, D. de solut.* nisi in casu *l.Neratius 63. D. de condict. indebit.*

14 *L.3.Cod.si in caus.iudic.pign.capt.sit. l.si ob causam 13. Cod.de euict.*

15 *Arg.l.cum mandatu 23.in fin.D.de minor. l.1. §.is quoque, D. de oblig.& act.*

16 Nam & debitoris intererat vt liberaretur, cum species acquisitionis sit liberari ab obligatione, *l.species 11. D.de acceptilat.*

17 Imperfecta enim lex esset, quæ aliquid fieri prohiberet, si factum non coerceret, vt Vlpian. præfatur *in fragm.tit.1.* Exemplum est in lege Cincia, de qua eo loco. Item in *l.& si quis 14.§. Diuus autem Marcus, D.de relig.& sumpt.funer.*

DEFINITIO IV.

Executio facta die Dominico, licet contra verum debitorem, non tenet, nec tamen nisi procuratore fiscali requirente rescinditur.

EXecutio, quæ die Dominico aliove festo & facto facta est, licet contra verum debitorem tenere non potest, & ante omnia reuocanda est,[1] Præstito etiam quanti interest debitoris,[2] Procuratore tamen fiscali, aut qui in eius locum substitutus sit, non solo ipso debitore id requirente,[3] quoniam ad publicam magis quam ad priuatam vindictam eius iniuriæ persecutio pertinet.[4] *Ita Senatus* in eacausa de qua SC. 22. infr. de execut.rei iudic.

1 *L.2.l.omnes dies 7.l.seq.& l.vlt.C.hoc tit.*

2 Vt fit generaliter, & faciendum est, quoties executio aliqua nulliter & perperam facta est. Omnis enim executio, quæ non est iuris, habet iniuriam, *l.iniuriarum 13.§.1.à contr.fins.& §. seq.de iniur.l.5.C.quor.appell.non recip.l.5.C.de iur.fisc.lib.10.*

3 Ioan.Pap.*in syntagm.arest.lib.7.tit.10.§.2.*

4 *Argum.l.locatio 9.§.quod illicite, D.de public.& vectig.* Primatim namque nihil interest veri debitoris, cuius interesset potius vt liberaretur, quemadmodum diximus ad *Definit. præcedent. numer.16.*

DEFINITIO V.

Sola pronunciatio sententiæ fieri potest etiam die feriato, dum ne in honorem Dei sit feriatus.

NOn ex eo solo sententia nulla est aut annullanda, quod pronunciata sit die feriato, si non in honorem Dei feriatus fuit.[1] Cæteris enim diebus, quantumlibet feriatis, nihil vetat fieri ea omnia, quæ citra causæ cognitionem expediri possunt.[2] *Ita Senatus* in causa fratrum Broche, & Antonij Baudard, 7. Id. April.1595.

1 *L.vlt.C.hoc tit.* etsi inter feriatos dies, & qua de causa feriati sint, non distinguunt Imperatores, *in l.omnes dies 7.eod.* sed tantum inter iuridicos & feriatos. Huius tamen distinctionis argumentum quoddam præbet, quod scriptum est *in l.8.eod.* vt actus omnes, seu publici seu priuati, præterquam emancipandi & manumittendi in paschalibus quindecim diebus conquiescant.

2 *Arg.l.2.& 3. D.hoc tit.* itaque diebus iis, qui non in honorem Dei feriati sunt, neque iudicium esse potest, neque iudicatum, sed iudicati pronunciatio fieri potest, *l.6.eod.* quod tamen mihi duriusculum videtur, quia iudicatum ex sola pronunciatione totum constituitur, videturque eo die iudicari, quo fit pronunciatio, *l.1.D.de re iudic.*

DEFINITIO VI.

Rogationum feriæ non sunt indictæ in honorem Dei.

FErias rogationum indictas esse constat ex causa supplicationum (minores litanias vocant[1]) quas per illos dies Mamertus Viennensis Archiepiscopus primum instituit, eo tempore quo grassantibus morbis quibusdam nouis non aliud tutius, aut promptius ad placandam Dei Opt.Max.iram, auxilium, aduocari posse videbatur.[2] Quo sanctissimi viri, exemplo subinde per totam non modò Galliam, sed etiam Italiam, Europam denique vniuersam eædem supplicationes indici & frequentari cœperunt,[3] Retentúsque ab eo tempore mos ille etiam post fugata morborum pericula, succedentibus in dies pro misera rerum humanarum conditione ac vicissitudine aliis atque aliis penè innumeris, quę cùm minùs timentur, magis imminent. Nec hominibus tantùm, quorum præcipuè saluti prospiciendum fuit, sed etiam frugibus, quas ea potissimùm anni parte periclitari annuis propemodum experimentis compertum est.[4] Ea res facit

res facit vt ferias istas non tam in honorem Dei, quàm hominum gratia comparatas esse appareat. [5] Eiusq; rei argumentum euidentissimum illud etiam est, quod qui mechanicas artes exercent, nec iis diebus se abstinent [6] extra horas solemnibus illis supplicationibus constitutas. Proinde quamuis nullus per illos dies Senatus habeatur, [7] non ideo tamen ab iis, quæ ad iudicij ordinandi, puta iurandorum, audiendorúmque testium solennitatem pertinent, abstinendi necessitas vlla est. Suntq; improbatæ à Senatu nostro pleræque inferiorum iudicum sententiæ, qui testationes & inquisitiones iis diebus factas, quasi in honorem Dei feriæ fuissent, nullas & irritas esse pronunciauerunt. *Ita Senatus* sæpius, vt relatum est, 7. Cal. Iunij 1612.

1 Maiores enim Litaniæ sunt Romanæ, & quæ ex summi Pontificis authoritate decantantur.

2 Quid enim non potest apud Deum Christiani populi, oratio? iuxta illud Euangel. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Et iterum, *petite & accipietis.*

3 Vt solent quę à bona causa initium & originem sumpserunt facilè inualescere ac in consuetudinem paulatim transire, *l. quæsitum 12. §. sed si fundus 27. de instruct. leg. l. antepen. D. de legib.*

4 Nam & fruges omnes Deus Opt. Max. non nisi hominum gratia comparauit, *l. vetus, quæst. 68. D. de vsufr. l. in pecudum 28. D. de vsur.*

5 Cum pro immediata causa habeant salutem hominum & fructuum conseruationem.

6 Quomodo abstinere iubentur diebus omnibus in honorem Dei feriatis. Vide *Defin. 2. num. 6. 5.*

7 Vt nec alius iudex quisquam iis diebus pro tribunali sedere potest. Sunt enim dies nefasti, per quos tria verba silentur, vt apud Ouidium, illa scilicet vulgaria, Do, Dico, Addico.]

TIT. XII.

DE IVRISDICT. OMN. IVDIC. & for. compet.

DEFINITIO I.

Venditor quando sequi debeat forum emptoris, & quando non.

QVOD per manus traditum est, venditorem sequi forum emptoris, [1] eo pertinet, vt si venditor fateatur se teneri de euictione, paratúsque rem sit defendere, fori vero exceptionem obiiciat, vt litem principalem ab eo iudice, qui inter emptorem & petitorem cognoscit, ad suum iudicem reuocet, non audiatur. Ibi enim res defendenda est vbi petitur, [2] eadémque lis est, quam emptor & quam emptoris nomine venditor aduersus petitorem exerceat. [3] Cæterum, si venditor neget sua interesse, quasi de euictione non teneatur, quemadmodum nouam litem aduersus eum hoc nomine instituì necesse est, & quidem personali actione, quippe, quæ vel ex natura actionis venditi, vel ex stipulatione venditionibus inseri solita proficiscatur; [4] Ita fieri nequeat, vt venditor coram alio quam suo iudice ex causa inuitus conueniatur. [5] Vulgaris enim feréque perpetua iuris regula illa est, Actorem forum rei omnimodo sequi debere. [6] Alio tamen iure, ex inueterato pragmaticorum errore, vtimur. [7] *Ita tractatum est* in causa N. Guilielmi de Gadaigne Senescalli Lugdunensis, & Dominæ Ioannæ de Gorreuod Dominæ de Meximieu, 5. Id. Iul. 1588.

1 *l. venditor 49. ff. de iudic. l. 1. in fin. C. vbi in rem act.*

2 Alioqui defendere non esset id facere, quod dominus in litem faceret, *l. sed & hæ 35. §. defendere, ff. de procur.* aut eandem vicem quam reus subire, *l. minor. 51. §. quoniam eod.* si venditor proprij fori priuilegium allegare posset ad emptoris litem defendendam.

3 Alienæ enim liti interuenire dicitur venditor, non suam inchoare, qui ab emptore laudatus venit ad iudicem, *l. qui proprio 46. §. qui alium, eod. tit. De procurat.*

4 Nemo enim dubitat, quin actiones ex vendito & ex stipulatu sint personales, cum proficiscantur ex contractu.

5 Propriam namque litem hoc casu exercet venditor, non alienam, vt in casu *d. l. venditor & d. l. 1. C. vbi in rem act.*

6 *l. 2. C. hoc tit. l. vlt. C. vbi in rem act.*

7 De quo vide, quæ scripsi in Chiliad. *De error. pragmat. Decad. 2. Err. vlt.*

DEFINITIO II.

Non semper indulgendum esse literis requisitorijs.

MAgistratuum omnium, præsertim eorum, qui supremam exercent iurisdictionem, officium quidem est, vt licet ijs præsint prouincijs, quæ pari supremóque Principum Imperio distinctæ sunt, mutuas tamen iuris dicundi functiones mutuis auxiliis tueantur, si quid sit, quod alius alium rogatum velit. [1] Sed tamen cauere diligenter debent, ne, dum id agunt, vt alienæ subueniant iurisdictioni, propriam negligant & offendant. [2] Itaque si is, qui vni præest prouinciæ, rogetur suæ iurisdictionis hominem, qui ab alterius prouinciæ aduersario conueniatur, ad eius iudicem remittere, licet ob eam causam, quæ ad litem in alia prouincia cœptam pertineat, non debet concedere. [3] In eoque non immerito notata est à recentioribus maiorum nostrorum facilitas, quos vt vrbaniores viderentur, contra facere solitos accepimus. Spectat enim id ad Principis auctoritatem publicámq; prouincialium vtilitatem, ne & longioribus & dispendiosioribus vexentur litium incommodis, si extra prouinciæ suæ fines litigare compellantur. [4] Secundum hæc, cum Geneuas quidam pro nostrate apud Geneuates fideiussisset, exeaque causa apud suum iudicem conuentus literas ab eo impetrasset aduersus debitorem vt iudicio adesset, litisque periculum in se susciperet, rogato etiam Senatu, vt earum literarum executionem permitteret; non putauit *Senatus* permittendam. [5] Etsi enim Geneuatum Rempublicam nullam agnoscimus nullámque magistratuum, à quibus reguntur, supremam in suos potestatem, quæ tota Serenissimo Duci nostro supremi imperij iure iam inde à tot seculis competit, quamdiu tamen ius est in armis, vimque legibus factam vlcisci non licet, cogimur fere in omnibus sic cum iis agere, ac si tales illi essent, quales se impune iactitant. [6] Permisit tamen Senatus, denunciationem fieri debitori litis apud Geneuates instituræ, vt si sua putaret interesse, fideiussorem suum eo loco, vbi conueniebatur, defenderet. [7] Quo remedio visum est abunde consultum & iuri publico & indemnitati fideiussoris, qui à suo iudice quandocunque postea condemnatus, paratam vtique habiturus sit actionem ad quicquid sua interierit consequendum aduersus debitorem, qui de lite factus certior neque defenderit neque soluerit. [8] *Ita Senatus* 13. Calend. Ianuar. 1594. *Eodem* iure Curiam Gratianopolitanam non ita dudum vsam scio pro Do. de Valentier Delphinate, contra Dominum Comitem de Monreal, cum hic tanquam fideiussor apud Senatum nostrum conuentus, debitorem Delphinatem, pro quo fideiusserat, ad suscipiendam litis defensionem iudicio adesse vellet. Hæc, si de causa ciuili agatur. Sin de criminali, quid iuris sit, dicam sub tit. Vbi de crimin. agi oport. Defin. 1.

1 Ne alioqui cassa sit iusti iudicis cognitio, si definitioni executio non tribuatur, vt ait *l. episcopale 8. C. de episc. audient.* in eamque rem frequens & necessarius est vsus literarum, quas Pragmatici *requisitorias* vocant. De quibus *in l. à Diuo Pio 15. §. 1. D. de re iud. solent Præsides 7. D. de custod. & exhib. reor.* No-

BIU Cujas

uell.17. *de mandat. Princip.c.*14. §. *sed etiam suscipientes*, & in Nouell.90. *de testib.c.*5.§. *& quoniam*, & in Nouell.134. *Vt nullus iudic. c.*5 *vers. si vero cognoscatur.* Itemque *in l.properandum* 13.§. *sin autem vem absoluerit. C.de iudic.* Vide Pet.Rebuff. *in tract.de lit.requisi.seu rogat.tom.*2. & Gayl *lib.*1.*obseru.c.*56.*num.*5.

2 Alioqui iurisdictiones turbarentur, quod fieri non debet, *l.vlt. D.de iurisdict. l.cum vnus* 12.§ *penult. D. de rebus auct.iudic. possid.l.magis puto* 5.§. *illud quæri, D.de rebus eorum qui sub tutel. l. consulta* 23.*C.de testam.* Inde est, quod supradictas literas requisitorias Doctores Itali vocant literas *mutuæ compassus*, *ad dict.l. vlt.de iurisd.*

3 Prospicere enim debet Præses prouinciæ quantum potest, ne prouinciales sui superuacuis litibus aut sumptibus vexentur, & iniquo illo damno afficiantur, *l.illicitas 6.in princip. vers. item ne quis iniquum*, *D. de offic. præsid.* Nam magistratus adeoque iudex quilibet imperium suum ad vtilitatem litigantium referre debet, *l.generaliter 9. D.off. præsid.*

4 *Cap.quia nonnulli, extr.de rescript.l.*1. §. *vlt. & l.*3.*in princ.D. de alien.iudic.mut.caus fact.*

5 Quoniam permissa eiusmodi executione, futurum erat, vt personalem actionem coram non suo iudice suscipere nostras cogeretur, contra *l.*2.*C.hoc tit.*

6 Ideoque in aliis licitis casibus literas, quas illi ad nos requisitorias scribunt, perinde accipimus, iisque acquiescimus, ac si supremam in iis potestatem aliquam agnosceremus. Vicissim tamen ad eos literas requisitorias non scribimus, nisi rogatis generaliter omnibus magistratibus, ad quos res pertinebit.

7 Actus enim ille denunciationis est extraiudicialis, ideoque poterat fieri etiam irrequisito Senatu, dummodo testibus præsentibus, *l.Æmilius* 38 *D.de minor.l.*5.*in princ.& §.*1.2. *& 3. D.quod vi aut clam.* Non enim fit denunciatio in vim citationis, *l.*4.§.*prætor ait, D.de damn.infect.* sed tantum ad notificandum & certiorandum, *l.item veniunt* 20.§.*petita, D.de petit hered. l.*1.§ *denunciare, D.de liber.agnosc.l.si rem* 29.§.*quolibet tempore, l.si ab emptore* 49.*l.si dictum* 56.§.*si præsente & seqq.D.de euict.*

8 *l.minor* 39. §.1. *vers. denunciare*, *eod.* Denunciatio enim constituit aduersarium in mala fide, adeoque in dolo, quoties ab eo facta est, qui denunciandi ius habuit, *l.quædam* 9.§.1.*D. de edend.l.tutor* 47. *à contr.sens.D.de minor.* Imo & sufficit fecisse quem, ne possit sibi denunciari, *l.si ideo* 55.§. *vlt. & d.l.si dictum* 56.§.*simili modo, D.de euict.*

DEFINITIO III.

Contumacia præscriptionem fori excludit.

IN ius vocatus à non competente iudice, si ad diem non adfuerit iterum vocatus, præscriptionem fori, quam initio habere potuit, obicere amplius non potest.[1] Iurisdictionem enim approbasse intelligitur, qui per suam contumaciam iudicem coegit, vt se iterum vocari iubere debuerit.[2] Quisquis enim vocatur, licet ex aliena iurisdictione sit, tamen venire debet hoc ipsum dicturus, vt sciatur huius-ne an illius sit iurisdictionis.[3] *Ita Senatus* sæpius.

1 Intellige, si non sit omnino euidens incompetentia. Quid enim si laicus ad forum clerici vocatus sit, aut clericus ad forum laici? vt dicemus *Defin.seq.*

2 Quid enim aliud mitius aut leuius facere possit iudex aduersus contumacem? *l.& post edictum* 73. *D.de iudic.l.consentaneum* 8.*C.quomod.& quand.iud.*

3 *l.ex quacunque* 2. *D. si quis in ius vocat.non ier. l. si quis ex aliena* 5. *D. de iudic.* Et sane cum exceptio fori sit declinatoria & consequenter dilatoria, necesse est eam opponi ab initio, *l. exceptionem* 19. *C.de probat.* id est, ante litem contestatam, *l.*2. §. *vlt. & l.*3.*D.de except.* Ergo & ante contumaciam, quia contumacia non solum pro præsentia est, sed etiam pro contestatione, *Auth.qua in prouincia, C.vbi de crimin. agi oport.* alioqui contra absentem, quantumuis contumacem procedi non posset ad diffinitiuam sententiam, *d.l. consentaneum, & l.*1. *C.eod. quomod & quand.iud.*

DEFINITIO IV.

Quid si incompetentia sit euidens.

HVic consequens est, vt si iudex ecclesiasticus eum, quem laicum esse sciat & fateatur ob rem, quam constet non esse fori ecclesiastici, in ius vocari præceperit, aut contra laicus ecclesiasticum, non idem dicendum sit, quia nec dubitatur, quin omnino distinctæ sint ecclesiasticorum & laicorum iurisdictiones,[1] adeo vt neque ex voluntate consensúque eius, qui vocatus est, possit aut hæc illa prorogari,[2] ne iuri publico præiudicium fiat, cuius maxime interest, vt suam quæque retineat auctoritatem, mutuis etiam auxiliis in eam rem, si opus sit, collatis.[3] Quare nec nocebit clerico, quod tribus si voles edictis ad iudicem laicum vocatus non venerit, si modo constet iudici & in confesso sit clericum esse eum, qui conuenitur.[4] *Ita Senatus* pro D. Episcopo Bellicensi, contra Episcopum Augustanum mense Decemb.1589.

1 *Cap.at si clerici* 4.vbi Canonist. *extr. de iudic.* Adeo vt nec valeat consuetudo in contrarium, Rot.*decis.*10. *de consuet.in antiq.* Excipiendi tamen sunt quidam casus notati per Mynsing. *centur.*2. *obseru.*67.

2 *Cap.significasti, & c.si diligenti, Extr.de foro compet.* Gastr.*ad l.pen.num.*4.*C.de pact.*

3 *L.episcopale* 8.*C.de episc. audient.*

4 Guid.Pap. *quæst.*77.*&* 139. Facit *l.vnic. C. qui pro sua iurisd.iudic. dare darive poss.*

DEFINITIO V.

Saluaguardia per Principem concessa non tollit iurisdictionem Domini inferioris.

ID genus diplomatis principalis, quo quis se suáque omnia in Principis protectionem specialem insinuat (vulgo Saluamgardiam vocant) sicuti nullum ius tribuit impetranti, sed competentis duntaxat, si quam habebat possessionem, conseruat,[1] ita de ordinaria inferiorum iudicum iurisdictione nihil detrahit,[2] sed si qua possessionis controuersia emergat, ex diplomate agendum est coram eodem iudice, qui etiamsi diploma nullum esset, de ea re cognosceret.[3] Idémque cæterorum diplomatum ius est, siue de debitis sint, siue de emphyteusi, siue ad causam restitutionis in integrum concedantur. Vt enim his omnibus casibus diplomatis impetratio necessaria sit ab iis primum inductum est, qui de locupletando Principis ærario potius quam de inferiorum iurisdictionum auctoritate nullo modo imminuenda cogitarunt.[4] Eóque passim iure vtimur.

1 Habet enim implicitam causam interdicti retinendæ possessionis, cuius nec frequentior vllus apud nos vlus est, quam ex huiusmodi diplomatibus.

2 Supremi enim optimique Principis est, omnes omnium iurisdictiones, licet inferiores, tueri non turbare aut infringere, *l. vlt. D.de iurisd.omn.iud. l.vlt. C. vbi & apud quem cognit. in integr.restit. l.consulta* 23.*C.de testam.*

3 Alioqui quod pro tuendo possessoris iure constitutum & inductum esset ei noceret, qui in iurisdictionis suæ possessione esset. Contra *l.vnic.C.qui pro sua iurisdict.iudic.dare darive poss.*

4 Sic enim debent accipi rescripta omnia Principis, ne alieno iuri quicquam derogetur, *l.*2. §. *si quis à Principe, D.ne quid in loc.public.* neve beneficium Principis alteri sit captiosum, *l.Paulus notat* 8. *de præt.stipulat.* Nam nec priuilegium à Principe concessum ad alienam iniuriam porrigi oportet, *l impuberi* 40.*D.de admin.& peric.tutor.*

DEFINITIO VI.

Feudi iudex competens est in quacunque actione, quæ feudi nomine instituatur & inter quoscunque.

CVm de feudali iure agitur, iudex feudi competens est inter quascunque personas,[1] non solum si in rem actio exerceatur, sed etiam si in personam: cum quæ in personam actio competit contra feudatarium ex feudi iure & ratione feudi detur.[2] Idem in emphyteusi quoque iuris est. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 7.Cal.Aug.1592.

BIU Cujas

1 *Tit.47.an apud iudic. vel curiam domin.quæst.feud.deb. termin. lib.2.feudor.*

2 *l.vlt.versic.sed & in locis,C.vbi in rem act.*

3 Guid.Pap.*qu.*42.

DEFINITIO VII.

Ad nudam chirographi recognitionem potest clericus apud iudicem laicum conueniri.

AD recognoscendum aut denegandum chirographum potest clericus apud iudicem laicum, & vicissim laicus apud iudicem ecclesiasticum conueniri. Neque enim quisquam in ea re iudex incompetens est, cum ea interpellatione non tam id agatur, vt fiat condemnatio,quam vti ne debiti probatio intercidat,[1] vtque ab eo saltem tempore ius pignoris creditori acquiratur in bonis debitoris.[2] Proinde facta chirographi recognitione,nataque hypotheca, nouum genus actionis proponendum erit, agendúmque aut personali coram iudice ecclesiastico,[3] aut hypothecaria coram seculari, qui eiusmodi actionis iudex competens est,[4] non solum si de profanis clerici rebus, sed & si de beneficij fructibus tractetur.[5] *Ita Senatus* pro Reuerendiss.D. Ioanne Gothofredo Genodio Episcopo Bellicensi,contra Episcopum Augustanum mens.Decemb,1589.Et rursum ex tempore pro D.Ioanne Baptista Cauet, contra D.Abbatem Ambroniaci,17.Cal.Ianuar.89.

1 Quo respectu multa passim recipiuntur,quæ alioqui non essent iure recipienda, vt in *leg. Aquilia* 40. *D.ad leg.Aquil.* quia probatio veritatis lumen est, *l.per hanc 4.in fin. C.de temp. & repar.appell.*

2 Postquam eo iure vtimur,vt ex sola chirographi agnitione vel denegatione inducatur ius tacitæ hypothecæ.De quo videnda sunt,quæ scripsi Decad.1.*De error.pragmat.Err.*1.

3 Quia actor sequi debet forum rei, *l.2.C.hoc tit.*

4 Nam actio hypothecaria, id est, pignoris persecutio in rem est, *l.pignoris* 17. *D.de pignor.l.pignoris* 18. *C.eod.l.2. C.si vnus ex plurib.hered.*

5 Fructus enim beneficij temporalem magis quam spiritualem causam,qualitatem & conditionem habere intelliguntur. Pendent enim ex iure possessorij,quod ipsum creditur esse temporale. Guid.Pap.*quæst.*1.Adde Guid.Bened. *in verb.& uxorem à num.*414.*vsque ad num.*420.

DEFINITIO VIII.

Casus duo,in quibus etiam persona clerici potest coram iudice laico conueniri.

QVidam casus sunt,in quibus receptum est,vt etiam personali actione clericus apud iudicem laicum conueniri possit. Inter quos ille est, Si clericus à suo iudice condemnatus parere nolit, censuras negligens ecclesiasticas.[1] Alter est si non opposita fori præscriptione passus sit,se à laico condemnari. Nam in iudicati actione, quæ in personam est priuilegium fori obiicere non poterit,Quasi malitiose & dolo malo exceptionem distulisse videatur, vt iudicium irritum esset.[2] Quæ ratio ostendit de eo clerico nos tractare de quo dubitari probabiliter possit, an clericus sit necne.[3] Nam si exploratum & notorium esset, non posset videri taciturnitate ipsius actor deceptus qui clericum esse non ignorasset:[4] Nec causa vlla subesset propter quam ex rei silentio,iudicis laici iurisdictio prorogata videri deberet, quam nec expresso consensu tametsi voluisset prorogare potuisset.[5] *Ita Senatus* extempore, contra N.Reuellum,4.Calend.Iunij 1593.

1 Guid.Bened.*vbi* §.*prox.*Capell.Tholos.*qu.*489.

2 Petr.Rebuff.*in tract. De sentent. execut. art.3. glos.2.num.3.* Ioan.Papon. *in synt.agmat. Tit.De la iurisdict.temporelle,*§.8.& 21. Neque enim malitiis indulgendum est; *l.in fundo* 38. *D. de rei vindic.*

3 Iunge quæ scripsi *Defin.*4 §.

4 *L.nam si actor* 26.*D.de rei vindic.l.*1.*in fin.C.de act. empt.*

5 D.xi §.*Defin.*4.*nu.*2. Nec enim maior vis esse debet taciti quam expressi, aut fictionis quam veritatis; *l.sed addes* 19.§ *pen. ff.eod.*3 *ff. de reb.cred.* consilius autem,qui ex contumacia inducitur,non nisi fictus est, tacitamque inducens prorogationem.

DEFINITIO IX.

Potest agi contra clericum coram iudice laico, vt declaret an transactioni stare velit; an sententiæ ab iudice ecclesiastico redditæ?

EX transactione quidem non magis quam ex alio vllo contractu personalis actio contra clericum coram iudice laico exerceri potest.[1] Sed cum post sententiam ab ecclesiastico iudice redditam, à qua fuerat prouocatum,transactio facta esset; Visum est non inutiliter apud laicum iudicem institutam actionem,qua clericus non ad aliud vrgebatur, quam vt declararet an stare transactioni an iudicati executionem pati mallet,[2] cum ex eiusmodi petitione nulla sequi posset condemnatio.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sufficit enim personalem actionem esse vndecunque tandem illa sit,ne coram laico iudice possit exerceri, *cap.at si clerici* 4. *Extr. de iudic. cap.significasti, & cap.si diligenti. Extr. de for. compet.*

2 Iuxta *l.si diuersa pars* 14.*C.de transact.* Nam clerico nolente transactioni stare,ex integro agendum fuisset coram laico iudice.

3 Id enim vnum est quod iure prohibetur,ne clericus à laico,aut laicus à clerico absolui vnquàm possit aut condemnari. Nec sane sententia dicenda est,quæ neque absolutionem continet,neque condemnationem, *l.*1.*D.de re iudic.*

DEFINITIO X.

Eius esse debet cognitio de sumptibus litis, cuius est de negotio principali.

CVm iudex laicus per iuris imperitiam inter clericos personali actione proposita cognouisset, & ab ea sententia condemnatus ad Senatum prouocasset,Placuit male quidem iudicatum,[1] condemnarique in litis appellatoriæ expensas eum debere,qui obtinuerat:[2] Sed tamen nihil de primæ litis sumptibus decernendum, propterea quod eiusdem iudicis cognitio de sumptibus esse deberet,cuius erat de negotio principali,[3] cum non semper fori præscriptione,sed de institutæ actionis iure, mutuo collitigatorum consensu disceptatum proponeretur.[4] Itaque cum is consensus iurisdictionem incompetentis iudicis prorogare non potuisset, ne expressa quidem voluntate,[5] Visum est ad ecclesiasticum iudicem remitti totam rem oportere. *Ita Senatus* 9.Calend. Iunij 1590.

1 Ex iis quæ diximus Defin.4.7.& 8.§.*hoc tit.*

2 Quia sententiam nullo iure latam nulla etiam ratione defenderat. Et iuris regula est: Victum victori in expensas esse condemnandum,*l.properandum* 13. § *sine autem alterutra, Cod. de iudic.l.*4.*Cod.de fructib. & lit.expens.l.*1.§.1.*D.de vacat. & excus. muner.*

3 Cum expensarum condemnatio sit accessoria,nec nisi officio iudicis fit, *l.*3.*& d.l.*4.*C.de fructib. & lit.expens.* Is enim de accessoriis cognoscere debet qui cognoscit de principali, *l.*1.*C. de ordin.iudic.C.de iudic.* [Sic dicimus posse iudicem ecclesiasticum cognoscere etiam de dote, damnis & interesse si sint ista coniuncta cum quæstione matrimonij.Glos.*in cap.si annuum* in verb.*dependentibus, libro sexto;* & ibi Gomes.*num.*20. Sylvest.in verb.*dos,*§.14.*vers.*7. & Innoc.*in ca* 1.*nu.*3.*vt lit.non contest.* licet in Gallia,vt audio,id non obseruetur.

4 Non enim de alia re pronunciare iudex potest, quam de qua cognouit, *l.de qua re* 74.*D de iudic.*

5 *Cap.significasti.& cap.si diligenti.Extra.de for. compet.* Castr, *ad l.pen.C.de pact.*

BIU Cujas

DEFINITIO XI.

Iudex delegatus mulctæ dicendæ ius habet.

IVdex à Principe delegatus æque ac ordinarius mulctæ dicendæ ius habet, [1] præsertim vt mandatam sibi iurisdictionem tueatur. [2] *Ita tractatum est*, 6. Calend. Iul. 1591.

1 Guid.Pap. *quæst.* 60.

2 Omnibus enim magistratib. præterquam duumuiris permissum est iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere, *l.1. D.ſ quis ius dicent.non obtemp.*

DEFINITIO XII.

Potest clericus à iudice laico ex reconuentione condemnari.

LAici quidam egerant ex transactione coram iudice ecclesiastico aduersus parochum actione personali, vt transactioni satisfaceret. Cum ille paratum se dixisset satisfacere, sed ita tamen si vicissim condemnarentur illi ad implenda ea, quæ mutuis conuentionibus, eademque transactione continebantur, [1] Iudex ecclesiasticus omnes simul vnaque sententia ad exequenda placita condemnauerat. Appellantes laicos tanquam ab abusu, quasi à iudice ecclesiastico ex personali actione condemnari non potuissent, [2] Senatus noster non putauit audiendos, cum ipsi priores iudicem elegissent, [3] nec nisi mutua condemnatio ex contractu reciproco fieri potuisset. [4] Maxime vero quod de decimis persoluendis in petitorio tractabatur, quæ cognitio ad ecclesiasticum non ad secularem pertinet. [5] *Ita Senatus* prò Bertandon parocho de S.Iullin sur Veyle, contra parochianos dicti loci 11.Calen.Maij 1582.

1 Neque enim poterant laici agere ex transactione, quin vicissim ipsi satisfacerent omnibus, quæ eadem transactione promiserant, *vulg.l.Iulianus* 13.§.*offerri*, *D.de act.empt.*

2 Propter euidentem incompetentiam, *l.2.C.hoc tit.*

3 *Ex l.cum Papinianus* 12.iunct.*auth.& consequenter*, *C.de sent. & interloc.omn.iudic.* Guil.Bened.*in verb.& uxorem.nu.*123.

4 *d.§.offerri.l.cum te* 6.*C.de pact.int.empt.& vend.l.si diuersa* 14. *C.de transact.l.quæro* 54.§.*inter locatorem*, *D.locat.*

5 Est enim decima quid spirituale non temporale, *cap.1.& tot.tit.Extr.de decim.*

DEFINITIO XIII.

Decreto Senatus non potest derogari iurisdictioni inferioris vasalli ignorantis.

SI Senatus postulante actore delegauerit causæ cognitionem alicui ex maioribus prouinciarum iuridicis, [1] de re, quam inferioris iurisdictionis dominus ad iudicem suum adferat pertinere, non eo minus saluum est vasallo ius tuendæ propriæ iurisdictionis. Non enim aduersus eum habere vim rei iudicatæ potest decretum, quod inscio eo factum est. [2] Sed tamen obseruare ille debet, vt de eo contendat, non apud iuridicum maiorem, qui mandatam sibi à Senatu cognitionem à se abdicare sane non potest. [3] Sed apud Senatum cuius est non solum mandatam iurisdictionem reuocare, [4] sed etiam inferiorum feudatariorum iurisdictiones tueri, sicut & cætera quæ sunt proprij cuiusque patrimonij: Maxime cum eo iure hodie vtamur, vt iurisdictiones omnes patrimoniales esse existimentur, adeoque vt plurimum onerosæ magis quam compendiosæ. *Ita Senatus* pro Illustri D.Georgio de Mouxi Comite de Monreal 4.Non.Decemb.1592.

1 *Vt in l.sæpe audiui* 8.*& l.seq.D.de offic.præsid.*

2 *L.etiam* 29.§.*vlt.D.de minor.l.de vnoquoque* 47. *D.de re iud.*

3 Quia eius qui mandauit vice & partibus fungitur, *l.1.§. qui mandatam*, *l.etsi prætor.3. D.de offic. eius cui mandat. est iurisdict. l.solet prætor*, 16. *D.hoc tit.*

4 Etiam post litem contestatam, *l.iudicium soluitur*, 58. vbi Bart. *D.de iudic.*

5 Ne turbentur, & confundantur iurisdictiones, *l.vnic.Cod. qui pro sua iurisd. iudic. dare darive poss.*

DEFINITIO XIV.

Clericus repertus in habitu secularis militiæ non habet priuilegium fori.

CLericus in habitu secularis militiæ repertus, cum hoc ipso, quo se ad secularem militiam transtulit, ecclesiasticæ renunciasse credatur, [1] non habet priuilegium fori, si de crimine licet communi nec priuilegiato apud Iudicem laicum conueniatur, [2] ac multo magis si de deserta quaque seculari militia præterquam rei ecclesiasticæ repetendæ causa, [3] deferatur. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.25.Supr.de Episcop.& Cleric.

1 Iul.Clar.*in pract.crim.quæst.*73.*num.*6.

2 Emanuel Soarez, *in Commun. opin.in verb.clericus.* Guid. Pap.*qu.*138.Ioan.Imbert.*lib.*4. *Instit.forens.cap.*1. Ioann.Papon. *in syntagmat. arest.*

3 Ne alioqui nulla ratio sit veniæ & resipiscentiæ, quod fuerit inhumanum, *arg.l.furti* 6.§.*pactusque*, *D.de his qui not infam.*

DEFINITIO XV.

Clericus à iudice laico personaliter condemnari potest ad expensas litis, non etiam ad fructus rei petitæ.

QVamuis verum sit, expensarum, quæ in litem factæ sunt, condemnationem esse personalem, [1] nec posse clericum à iudice laico personalem vllam pati condemnationem: [2] Si tamen aduersus personam ecclesiasticam reali actione apud iudicem laicum egero & obtinuero, [3] perinde ratione sumptuum litis fiet condemnatio, atque si condemnatus personale priuilegium nullum haberet. Id enim in propositæ actionis consequentiam euenire necesse est, vt qui iustam litigandi causam non habuit, expensarum condemnatione mulctetur. [4] Nec alterius iudicis esse potest de sumptibus litis cognoscere, quam eius qui de ipsa lite cognouit. [5] Diuersum est in fructibus rei petitæ. Nam quę sit fructuum adiudicatio, non tam in propositæ actionis consequentiam fieri videtur, quam ipsius actionis quædam esse portio, siue actionis iure, siue officio iudicis, vt vocant, mercenario debeantur. [6] Ideoque sic sententiam concipere iudex laicus debet, non vt condemnet clericum in fructibus, sed vt pronunciet mittendum actorem in rei de qua quæritur possessionem, aut in ea retinendum vel etiam restituendum *cum fructibus*, aut potius *cum fructuum à reo perceptorum restitutione*; tacito condemnationis verbo, quod non potest personam ipsam non afficere. [8] *Ita Senatus* in causa R.Bonauenturæ Martin. Franciscani & Matthæi Martin, 8.Id.Febr.1593.

1 Quia in pœnam temeratiæ litis infligitur, *l.eum quem temere* 79.*D.de iudic.l.*1.§.1.*De vacat.& excus.muner.*

2 *Cap.significasti*, *& cap.si diligenti*, *Extr.de for.comp.*

3 Quia in hoc genere actionis solet actor sequi forum loci, in quo res sita est, non inspecta persona possessoris, *l.vlt.C.vbi in rem act.*

4 *L.qui solidum* 78, §.*etiam*, *de leg.*2.*l.properandum*, 13.§.*sin vero alterutra*, *C.de iudic.*

5 Quia expensarum condemnatio fit officio iudicis, & quidem mercenario, quod propositæ actioni subseruit, *l.3. C.de fruct.& lit.expen.* Facit *l.qui per collusionem* 49.§.*vlt.ff.de act.empt.*

6 Ideoque solent Iureconsulti sic loqui, vt dicant fructus venire in actionem aut non venire, *l.videamus generaliter* 38.*per tot. D.de usur.* quod similiter de sumptibus litis nusquam scriptum est: nunquam enim veniunt in actionem, licet veniant in condemnationem.

7 Vt sententia in rem concipiatur non in personam.

8 Non enim res condemnari potest, sed persona ad aliquid dandum vel faciendum, *l.3.C.de sent.& int.omn.iud.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XVI.

Iudex laicus potest clericum pœnali iudicio condemnare iurisdictionis suæ tuendæ gratia.

DVobus clericis de beneficij possessione apud iudicem laicum certantibus, [1] si iudex possessionem sequestrari iusserit, tum alter ex litigatoribus sequestrem in ea possessione turbauerit, potest & debet iudex laicus in clericum turbatorem sententiam mulctamque dicere. [2] Quia sicuti de possessione cognitio ad eum solum pertinet, ita permittendum illi est, vt iurisdictionem suam, alioqui futuram inanem, pœnali quoque iudicio tueatur. [3] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 18. infr. Vnde vi.

1 Postquam eo iure vtimur, vt de beneficij possessione non quidem adipiscenda, sed retinenda cognoscere iudex laicus possit. Guid. Pap. *quæst.* 1.

2 Licet id non possit fieri citra personalem condemnationem.

3 *L. vltim. D. de offic. eius cui mandat. l. vnic. D. si quis ius dicen. non obtem.* Simile est quod dicimus, episcopum aut eius officialem punire posse quod magis est officiarios suos laicos de delictis per ipsos in officio commissis. Boer. *quæst.* 9. *num.* 7. post Aufrer. *in repet. clem.* 1. *de potest. eccles. super l. laic.* Ioan. Andr. & Archid. *in capit. si episcopus de offic. ordin. lib.* 6. Nam & ea res ad ecclesiasticæ iurisdictionis tuendæ causam pertinet. Multa enim licent in consequentiam, quæ principaliter non licent & directo, *l. 1. l. quod dicimus 7. D. de auctor. & consi. tutor.*

DEFINITIO XVII.

De concessa per Principem iurisdictione & concessionis interpretatione.

CVm de Principis iure disputatur, longe alia ratio est iurisdictionis, alia cæterarum rerum. Quæcumque enim iurisdictio in Principis territorio est, ea vel Principis esse, vel à Principe manasse presumitur. [2] Nempe quia nihil esse potest in territorio, quod non alicui iurisdictioni subiacere necesse sit: [2] Cuius autem potius iurisdictionem esse aut fuisse credendum est, quam eius, qui supremam in territorio habeat potestatem? [1] Cæteræ vero res nec præsumuntur esse Principis nec à Principe manasse, sed esse liberæ, & singulis possessoribus proprio dominij & patrimonij iure acquisitæ, quoniam vnaquæque res naturaliter libera, [4] & vt loquuntur allodialis præsumitur, præterquam si in feudum data vel possessa probetur. [5] Feuda enim omnia à Principe tanquam à fonte fluxisse creduntur, cum nec à seipso quisquam, nec ab alio verisimilius quam à Principe beneficium accepisse existimandus sit. [6] Quid ergo si Princeps vniuersam iurisdictionem quam in aliquo territorio habebat nobili cuidam concesserit? Suprema iurisdictio excepta censebitur, quam sicut à se abdicare Princeps nec si velit potest, ita multo minus velle credendus est. Vasallos enim non socios & Principes facere cogitat Princeps qui nobilibus subditos, feudum & omnimodam iurisdictionem concedit. [7] Itaque & supremæ appellationis & aliarum rerum, quæ maiores Principis iudices postulant, cognitio excepta intelligetur, [8] eamque iurisdictionem de retrofeudo, vt loquuntur, Principis recognoscere vasallus cogendus erit. [9] Sed & nobiles alij qui in eiusdem iurisdictionis territorio habitant excipiendi erunt, ne pari in parem data iurisdictio videatur: [10] Nec eorum personæ tantum, sed etiam castra & ædificia omnia, eorumque continentia cum domesticis omnibus. [11] An & si qua in eo territorio feuda possideant? Minime. Siquidem ea exceptio induceret, vt noua iurisdictio tacite concessa videretur iis, de quibus ne locutus quidem Princeps fuisset. Ac vt ob personam eius cui princeps iurisdictionem dedisset, haberet etiam super feudis suis iurisdictionem is, qui antea nullam habuerat, [12] aut, quod esset absurdius, [13] vt in iis feudis maneret iurisdictio Principis, & consequenter, vt in eodem territorio Princeps cum vasallo concurrens minorem haberet iurisdictionem: Vasallus enim haberet plenam & limitatam, hoc est, intra certos territorij limites vniuersaliter constitutam, Princeps vero nullam nisi super hominibus & feudis eius nobilis, qui in illo territorio feuda habuisset. *Ita tractatum est* in causa quadam ardua Idib. Februar. 1593.

1 Quia iurisdictio ordinaria & contentiosa inhæret territorio *l. vltim. Cod. vbi & apud quem cogn. in integr. restit. agit. sit*, & ibi Bald. * Territorium autem dictum est à terrendo, *l. pupillus 239. §. penultim. de verbor. signif.* vnde autem terror nisi ex iurisdictione?

2 Indeque nascitur præsumptio illa, quod eius sit iurisdictio, cuius est territorium, *l. vltim. vbi notat. D. hoc tit.* Territorium enim dictum est à terrendo, *l. pupillus 239. §. penultim. D. de verb. signific.*

3 Vnde illud etiam est quod iurisdictio non præsumitur delegata à Principe nisi probetur. [Item quod iurisdictio quælibet præsumitur non tantum manasse à Principe, sed etiam concessa fuisse in feudum, & esse feudalis. Paul. de Castr. *consil.* 179. *num.* 15. *lib.* 1. Iacob. à Sanct. Georg. in *sua inuestitura* in verb. *de Castro Rubeimontis col.* 3. *vers. Si tamen tenens castrum.* Chassan. *in Consuet. Burg. Titul. de feud.* §. 4. *num.* 18. Nardus Liparulus Neapolitanus *in addit. ad Isern. titul. de contr. int. mascul. & fœmin. de benefic. pauper. verb. libera. vers. Hoc fallit in iurisdictione.* Capyc. *in sua inuestitura in verb. feuda, Allodia col. fin. vers. Excepto si quis teneat iurisdictionem*, & in verb. *castru, col.* 2. *versic. est bene verum & versic. Feudorum appellatione in fin.* Abb. *consil.* 82. *incip. quamquam in his dubiis lib.* 1. Bald. *ad capit. ad audientiam colum. vltim. de præscript.* vbi ait, quòd si Ecclesia concedat alicui iurisdictionem præsumitur concedere in feudum, & ideo debet iurare fidelitatem, quod dictum Baldi notabile appellat. Ias. *in l. si prius num.* 42. *vers. limita prædictam conclusionem D. de oper. noui nunciat.*]

4 *L. 1. l. altius 8. Cod. de seruit. & aqua.* Alciat. *lib.* 2. *de præs. præs.* 3.

5 Adeo vt nec nisi per scripturam probari possit, *l. 1. Cod. de iur. emphyt.* Clarus *lib.* 4. *sentent. in verb. emphyteusis quæst.* 4. Intellige nisi probetur res iam antea feudalis fuisse vel emphyteuticaria. Hoc ipso enim hodie præsumetur talis. Ant. Gayl. *lib.* 2. *obseru. num.* 1. 3. 4. 5. 6. adde rursus nisi pro ea re præstetur seruitium aliquod personale. Gramm. *Decis.* 77. aut si in Principis rescripto, vel alia scriptura narratum esset bona esse feudalia. Alex. *consil.* 15. *numer.* 5. Iason. *in l. si prius*, *D. de noui oper. nuntiat.*

6 *Titul. 1. & ibi notat. de his qui feud. dar. poss. in Consuetud. feud.* Itaque quamuis bona non præsumantur feudalia tamen feudalia præsumenda sunt retro feudalia nisi contrarium probetur.

7 Id enim est quod dici solet, In qualibet concessione quantumuis generali semper intelligi exceptam personam loquentis, *l. inquisitio 18. vbi notatur, C. de solut. l. si mercedem 53. §. vlt.* & ibi gloss. & Bart. *D. de act. empt.* licet nonnunquam fallat ea regula *l. Paulus respondit 29. §. vlt. D. de pign.*

8 Nam nec ea in generalem concessionem veniunt, quæ quis verisimiliter non fuerit separatim concessurus, *arg. l. obligationes 6. D. de pign. l. filius familias 7. D. de donat.*

9 In signum superioritatis reseruatæ, licet nullus eo nomine census soluatur. Nam & ea pro quibus census nullus debetur profiteri cogimur, ne incidamus in commissum, *l. interdum 16. §. quoties, & §. Diuus, D. de publ. & vectig.* iunct. *l. vniuersi 5. C. eod.* quamuis ij loci tractent de professione, quę sit vectigalium conseruandorum potius quam recognoscendæ superioritatis causa.

10 Contra *l. ille à quo 13. §. Iempestiuum, D. ad SC. Trebell.*

11 Is enim honor debetur castro & domesticis propter dominum personam, quæ alioqui hoc ipso arctaretur, vt alibi domicilium constitueret. Ad quid vero prodesset exceptam intelligi personam ipsius, si non & domus quoque excepta intelligeretur, quæ tutissimum ei refugium esse debeat, *l. plerique 19. D. de in ius vocand.*

12 Quod esset absurdum, & Principis liberalitatem faceret ipsi Principi captiosam contra *l. cum Aquiliana 5. D. de transact. l. pen. in princ. D. de aur. & arg. leg.* [*l. filio 7. vers. ne beneficium D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*]

13 *Arg. l. 3. §. vlt. & l. 4. D. de recept. qui arbitr.*

BIU Cujas

DEFINITIO XVIII.

Quomodo possit iudex laicus de congrua portione cognoscere.

QVamquam de congruæ portionis debito cognoscere iudex laicus non potest, quoniam ea res ad ordinarij cognitionem pertinet:[1] Obtinuit tamen præsertim apud Gallos, & apud nos, vt de eo Iudex laicus incidenter saltem & prouisionaliter pronunciet.[2] Neque id per vsurpationem duntaxat & sine ratione, vt quidam calumniantur,[3] sed vel ob id maxime quod cum lis super petitorio coram iudice ecclesiastico magnas plerumque moras secum trahat, permittendum non est curionem & parochum interim laborare inopia, & alimentis destitutum necessariis animarum sibi commissarum curam salutémque deserere.[4] Interest namque Principis & reipublicæ prouideri ne quid tale accidat. Ideoque & ad Principem, Principisque magistratus ea cura pertinet,[5] non solum si parochus probet se esse in quasi possessione percipiendæ congruæ portionis (qui casus nullam haberet dubitationem, cum etiam in beneficialibus possessorij cognitio ad iudicem laicum spectet, vt sæpius diximus)[6] sed etiamsi nulla possessionis eiusmodi probatio adferatur. An ergo condemnabit eum qui de congrua portione conuenitur, vt illam præstet? Minime, quoniam id citra personalem condemnationem fieri non posset, cuius ratione nullam omnimodo iudex laicus iurisdictionem habet.[7] An potius pronunciabit retinendum parochum in quasi possessione percipiendarum decimarum parochiæ? Habet quidem parochus fundatam intentionem in decimarum perceptione intra fines parochiæ suæ;[8] Sed si constet alium esse decimarum possessorem, absurdum fuerit & contra iuris regulas, retineri parochum in possessione quam non habeat, aut restitui ei possessionem quam nunquam habuerit.[9] Atqui verum est congruam portionem ex decimis percipiendam esse, in eamque rem decimas ipsas pignoris quodammodo iure & vinculo teneri,[10] nec aliter ordinario incumbere, vt eam portionem præstet, quam si ex decimis aduersus earum possessorem confici non possit.[11] An igitur retinendus erit parochus in possessione percipiendarum decimarum, cum hac saltem adiectione, *quoadusque congrua portio aut certæ pecuniæ vel frumenti & vini quantitas pro ea congrua portione præstetur*? Ne hoc quidem. Eadem enim semper obstat ratio, quod interdictum retinendæ possessionis præsupponat præsentem possessionem.[12] Superest itaque vt pro consequenda congruæ portionis adiudicatione litigatores ad iudicem ecclesiasticum remittantur.[13] Sed interea tamen iudex laicus pronunciabit, Non quidem *ius esse curioni & parocho, sed faciendam ei potestatem percipiendi ex decimis ad eam vsque quantitatem, quæ boni viri arbitrio congrua videri possit*,[14] hoc est, quanta iudici videbitur, qui in ea re boni viri officio fungi debet; computatis scilicet in congruam portionem iis omnibus, quæ parochus certo & ordinario beneficij sui iure percipere solitus est, non iis etiam quæ pro parochianorum voto & religione incertam habent præstationis rationem.[15] Denique laici iudicis officium hac parte tale esse debet, quale esset si de congruæ portionis iure cognoscendi ius haberet.[16] *Ita Senatus* re accuratissime disputata pro Iosepho Rostaing parocho & curione loci de Mantagnole, contra R. Ioannem Laboret Archipresbyterum Decanatus Sabaudiæ 11. Calend. Mart. 1593. Et rursum pro parocho Sancti Theobaldi de Couz, contra Episcopum Gratianopolitanum, 16. Calend. Septembr. 1593. Verba autem quibus in Senatusconsulti conceptione Senatus noster vsus est, hæc fuerunt, *Qu'il sera loisible au Curé de prendre & percevoir, &c.*

1 Petr. Rebuff. *in tract. De congr. port. quæst. 7. nu 55.*
2 Rebuff. ibid. *nu. 59. & quæst. 9. nu. 80.*
3 Aufrer. *ad Decis. Capell. Tholos. 149.*
4 *Argum. l. si instituta 27. §. penult. D. de inoffic. testam. l. vltim. C. de ordin. cognit.*
5 *Arg. can. Principes seculi cum sua gloss. 23. quæst. 5.*
6 Ex Guid. Pap. *qu. 1.* nimirum si de retinenda tantum aut recuperanda, non etiam si de adipiscenda possessione agatur.
7 *Cap. significasti & cap. si diligenti, Extr. de for. comp. cap. at si clerici, Extr. de iudic.*
8 *Cap. fin.* vbi glos. *in verb. prædiorum, Extr. de paroch. cap. cum homines cap. quoniam, & cap. cum contingat. Extr. de decim.*
9 *L. bouem 43. §. penultim. de ædilit. edict. l. decem, 116. de verb. obligat.*
10 *Cap. extirpanda, Extr. de præb. & dignit.*
11 Non enim tenetur nisi in subsidium ordinarius.
12 Alioqui non posset quis retinere possessionem quam non haberet. Et quisquis agit interdicto retinendæ possessionis, eum necesse est probare quod possideat, *l. 1. 2. & tot. tit. D. vti possid.*
13 Ne alioqui locum faciat iustæ appellationi interponendæ tanquam ab abusu propter euidentem incompetentiam, *l. 2. C. hoc tit. l. consulta 23. C. de testam.*
14 Ita enim pronunciaret iudex laicus de iure spirituali, quod facere nullo modo potest.
15 Rebuff. *vbi s. num. 85. & 86.*
16 Sufficit enim quod de ipsius congruæ portionis iure nihil pronunciet, *arg. l. 1. in fin. C. de ordin. iudic.*

DEFINITIO XIX.

Ex rescripto de debitis non potest fieri executio contra clericum, ne quidem ad finem solius hypothecariæ.

EXecutio contra clericum facta ex diplomate principali, quod de debitis vocant, nullius plane momenti est. Non solum quod ad eam executionis partem attinet, qua iubetur clericus soluere, (in quo nec dubitandi causa vlla esse potest,[1]) sed etiam ex qua parte ob non solutum debitum capta sunt pignora, aut missus creditor in possessionem bonorum obligatorum.[2] Quoniam quicquid fit in consequentiam executionis personalis & inualidæ, inualidum quoque esse necesse est.[3] Nec aliud erit si ex eiusmodi diplomate actum sit in rem nulla præcedente à personali executione. Id enim fuerit contra formam literarum, quibus iubetur apparitor à personali executione incipere.[4] Neque ad rem pertinet, quod non possit iudex ecclesiasticus cognoscere de iure litigatorum, quod ad pignora siue conuentionalia siue iudicialia.[5] Non enim ad eum cognitio remittenda est, sed de totius executionis nullitate pronunciandum:[6] Relicta tantum actori potestate clericum conueniendi aut personali actione coram iudice ecclesiastico aut hypothecaria coram laico.[7] Hypothecaria, inquam, quæ non, vt cæteræ, à personali executione incipiat, sed à reali, sic tamen concepta formula; *in casum non soluti debiti*, quod Galli dicunt *à defaut de payement*.[8] Itaque supplicis in eam rem libelli oblatio necessaria est, & decretum iudicis, quod nouam illam hypothecariæ formam præscribat:[9] Cum tamen inter alias personas ei quoque, qui solam hypothecariam exercere velit, sufficiat rescriptum illud in forma de debitis.[10] *Ita Senatus* ex tempore, pro N. Protonotario de Ruboz, 5. Id. Maij 1593.

1 Quia iussum illud soluendi in personam ipsam fit, & dirigitur, quæ tamen neque de Principis neque de laici iudicis iurisdictione est.
2 Quamuis ea executio mere in rem fit non in personam.
3 *Ex reg. l. nihil dolo 139. §. cum principalis, de reg. iur.*
4 Forma autem mandati omnino seruanda est ab executore, alioqui ab eo potest appellari, *l. ab executione 5. vers. nisi forte, C. quor. appell. non recip.*
5 Siquidé pignorum persecutio per hypothecariam est quid mer-

BIU Cujas

mere temporale, non spirituale, de quo proinde Iudex laicus cognoscere debet non ecclesiasticus.

6 Executio enim, cum sit quid indiuiduum, non potest ex parte nulla esse & irrita, quin tota sit talis, quia vnus actus est, licet duas habeat partes *arg.l.hæc scriptura 26. de cond. & demonst. Celsus ait 23.§.1. D. de recept. qui arbitr.*

7 Irrita namque facta executione & creditore ex ea causa mulctato condemnatione expensarum, & quanti præterea ideo potest interesse clerici supersit ius ex integro & rite, reateque exequendi.

8 Omnis enim hypothecaria conditionem illam habet, si pecunia soluta non erit, *l.gregè 13.§.etiam, l.si fundus 16.§.in vindicatione, D. de pignor.*

9 A qua si iudex recesserit ab eo appellari tanquam ab abusu recte potest.

10 Sicut & sufficeret si quis actionem personalem cum hypothecaria cumulare vellet, quod fieri posse constat, Guid. Pap. *quæst.*108.

DEFINITIO XX.

Contra executionem factam ex iussu iudicis inferioris potest implorari cognitio superioris, si iusta sit causa.

SI in bonorum meorum possessionem missus sis ex inferioris iudicis mandato, cuius executioni intercedere mihi licuerit, ego vero iustas causas habeam propter quas non solum intercedere possim, sed etiam supremi magistratus, id est, Senatus cognitionem implorare, [1] nihil vetat adire me Senatum, & literas impetrare, quibus iubeatur executor & intercessionem meam admittere, & ad litem tractandam litigatores ad Senatum remittere. Nam cum huiusmodi interlocutiones inferiorum iudicum, quibus permittitur incipi ab executione contra iuris regulas, [2] idcirco tolerentur, quod per subiectam admittendæ intercessionis clausulam resoluantur, vt nostri loquuntur, in mandatum simplicis citationis, [3] perinde est acsi citatus ego ad inferiorem iudicem adirem Senatum, peteremque vt causæ cognitionem sibi adrogaret. [4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, in causa viduæ N. Milliet procuratoris fiscalis prouinciæ de Gez 7. Id. Iul. 1593.

1 Puta ex ea causa de qua *in titul. sequ. Quand. Imp. int. pupill. & vid.*

2 *L.1. C. de execut. rei iud.*

3 Bart. *in d.l. de pupillo 5. §. meminisse, D. de oper. noui nunciat.* Imbert. *in Inst. forens.* ideoque hæc clausula *De admittenda intercessione*, dicitur iustificatiua, vt scripsimus alio loco.

4 Potest enim maior iudex causæ cognitionem aut iure ordinario sibi vindicare, & ab inferioris iudicis tribunali ad suum transferre, aut etiam extra ordinem, quamuis non nisi ex causa euocare, vt scripsi *Defin. 1. 3. de iudic.* Facit *l.1. §. si quis in appellatione, D. de appell.*

DEFINITIO XXI.

De interdicta inferioribus iudicibus potestate concedendæ licentiæ congregandi populi ad indicendam contributionem.

NOn licet inferioribus iudicibus, siue præsint prouinciæ, siue minoris territorij iurisdictionem exerceant, [2] petenti vniuersitati facultatem impartiri conuocandi populi, vt nouæ contributionis onus aliquod quacumque de causa imponatur: Sed soli Principi aut Senatui ea res edicto Serenissimi Ducis nostri, quod ad 5. Calend. April. 1584. factum est, permissa fuit, cæterisque omnibus omnino magistratibus interdicta. [3] Cum inferiorum iudicum inconsulta nimisque facili liberalitate maximam ex eiusmodi concessionibus reipublicæ cladem illatam constaret. [4] Itaque cum ab inferioris iudicis, qui licentiam hanc dederat, interlocutione quidam prouocasset, admissa iustaque appellatio pronunciata est, tanto magis, quod idem iudex præcisas, vt aiunt, literas Syndicis concesserat aduersus eos omnes, & singulos, qui in debitorum catalogo descripti essent, cum aduersus eos tantum concedere debuisset, quos in eo catalogo describendi ius fuisset, [5] quod fieri solet his verbis, *contre tous cottisez & contribuables. Ita Senatus* pro N. Antonio le bœuf, contra Syndicos d'Argentine, 12. Cal. Aug. 1693. & antea pro N. Chabod, aduersus Syndicos de S. Rambert. *Sine die.*

1 Quos maiores iuridicos appellamus, quia mandatam à principe iurisdictionem habent.

2 A Principis vasallo aliquo mandatam, vulgo dicimus *iudices bannaretos aut bannaretorum.*

3 Quod enim præcipui momenti est maiorisque periculi, suæ iurisdictioni reseruare superior magistratus & potest & debet, *arg.l.1. & l.4.§. duas, D. de dam. infect. l. vlt. C. vbi & apud quem caus. in integr. restit. l. non distinguemus 32. §. de liberali, D. de recept. qui arbitr.*

4 In quò tamen derogatum sane est iuri communi, quo vtique permissa est magistratibus collationum indictio, *l. in honoribus 8.§. qui muneris, D. de vacat. & excus. munerr.* nec nisi oratus interdicta. Superindicti alia ratio est, de quo in *l. vnic. C. de superind. lib. 10. tit. 18.*

5 Alioqui præcedere debuisset inquisitio iudicis ad sciendum qui essent vere debitores, *l. missi in illis verbis, cum iudicem oporteat inquirere debitores, C. de exact. trib. §. 10. tit. 19.*

DEFINITIO XXII.

Cessionarius an habeat fori exceptionem ex propria persona.

CEssionarius qui fori priuilegium ex propria persona habet ratione dignitatis aut officij tam in agendo quam in excipiendo idem priuilegium retinet, si ex iure cesso agat vel conueniatur, dummodo causam onerosam cessio præ se ferat. [1] Nam si lucratiuam, [2] durius est, vt ex eius qualitate durior aduersarij conditio [3] propter cessionem alioqui suspectam & inuidiosam [4] fieri debeat. *Ita Senatus* ex tempore pro D. Hieronymo de Lambert, contra Mauricium Brocard. 13. Cal. Aug. 1593.

1 Succurrendum namque ili est, qui in rem suam sit procurator alterius ex necessitate, nec priuilegij sui iacturam ex ea causa ipsum facere oportet, *arg.l. seruum quoque 33.§. vlt. & l. seq. D. de procur.*

2 Similis distinctio est *in l.5.§. si cum legitima & seqq. D. de doli mal. except.*

3 *L.2. D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

4 *L. per diuersas 22. C. mandat.*

DEFINITIO XXIII.

Executio decretorum iuridici maioris non indiget licentia iudicis inferioris.

IVridici maiores & Ducales cuiusque prouinciæ mandatorum suorum executionem iubere possunt in territorio quoque vasallorum, qui in eadem prouincia iurisdictionem habent, quos Bannaretos vocant, nec inferiorum iudicum licentiam implorare, aut coguntur aut debent. [1] Neque enim extra territorium ius dicere videtur, qui ius dicit in ea prouincia cui toti præest. [2] Sicut nec locum hic habet, quod dici solet, nullum esse imperium paris in parem. [3] Cum par videri non possit qui maior dicitur, quique non alienam à Principe, vt cæteri, sed ordinariam ipsius Principis iurisdictionē exerceat. [4] Itaque cum iudex Marchionatus de Bauge, literarum iuridici maioris Sebusianæ prouinciæ inhibuisset executionem etiam cum clausula, Donec cognito eo Prætextu, quod exequendi licentiam, & literis, quas Pareatis appellant, actor non impetrasset, probauit Senatus factum iuridici maioris, qui aduersus inferiorē hunc Marchionatus iudicem citationis personalis literas pro vindicanda læsæ iurisdictionis principalis dignitate petenti

BIU Cujas

procuratori fiscali concesserat. [5] Nam neque consuetudinem, hac in re, si qua in contrarium sit, seruari placuit. [6] *Ita Senatus* ex tempore 9. Cal. Aug. 1593.

1 Boer. *qu. 9. nu. 6.* post Guid. Pap. *quæst. 346. per text. in auth. vt null. iudic. §. si vero quis, & auth. si vero communis, C. ad leg. Iul. de adult. l. omnes, §. verum si apparitore, C. de episcop. & cleric.* Adde quod nec apparitor Principis tenetur requirere iudicem inferioris domini, Boer. *ibid. in fin. post* Bald. *in l. prohibitum C. de inr. fisc.* Aufr. *qu. Tholos. 423.* sane in alio apparitore inferioris aut paris domini aliud est, vt ibi tractat Boer. *ex l. 1. in fin. C. de execut. & exact. lib. 12. l. contra eod. arg. l. cum vnus, §. is qui de bon. auct. iud. poss. & §. si iudex de pac. tenend.*

2 Iurisdictio enim ordinaria & contentiosa inhæret territorio, & limites iurisdictionis sunt limites territorij regulariter *l. vlt. vers. qui certæ administrationi*, cui & iurisdictio adhæret propositi sunt vbique, Bald. *C. vbi & apud quem cognit. in integr. restitut.*

3 *E. 4. de recept. qui arbitr. l. ille à quo* 13. §. *pen. ad Trebell.*

4 Principis enim potestas semper potior est, *l. & ideo* 8. *De offic. proconsul. l. 4. de offic. præsid.*

5 Nam citatio superioritatem denotat, & subiectionem in eo qui citatur, Gloss. *in cap. cum causa*, vbi Abb. & Felin. *de offic. deleg.* Boer. *vbi* 5. *num.* 5.

6 Boer. *ibid. num.* 1.

DEFINITIO XXIV.

Non potest reus in Senatu conuentus obijcere exceptionem fori, si statim expediri lis possit.

REo ad Senatus cognitionem vocato postulante actore, qui nullum tamen fori priuilegium habeat, non eo minus Senatus de lite cognoscet & pronunciabit, si ex productis hinc inde instrumentis statim ac in promptu definiri controuersia possit. [1] Tunc enim solum interest eius qui conuenitur ad inferiorem iudicem remitti, cum facti quæstio implicita est, vt quæ in prima instantia non deduxerit, possit in secunda deducere & non probata probare: [2] Aut vt minore incommodo ac leuiore sumptu possit necessariis probationibus litem instruere, [3] quod non contingit si iuris duntaxat quæstio proponatur. [4] Nec aliud erit etiamsi pupillus sit is qui conuenitur, cum pupilli interfit quam cito condemnari, si malam causam habeat, [5] ne inanibus sumptibus vexetur. [6] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, pro Claudio Duport chirurgo Camberiensi 10. Calend. August. 1593.

1 Id enim studet Senatus, quantum potest, & studere debet, vt quam cito lites finiantur, *l. 3. §. 1. D. de recept. qui arbitr. l. quidam 21. D. de reb. cred.*

2 *L. generaliter 11. §. sin autem, C. de reb. cred. & iureiur. l. in offerendis 37. in fin. C. de appell. l. per hanc 4. C. de temp. & repar. appel.*

3 Cauere enim semper bonus iudex debet, ne vel sumptu, vel alio vllo incommodo superuacuo quis oneretur, *l. hæc stipulatio 14. §. 1. D. vt legat. seu fideic. nom. caueat.*

4 Expedita enim solet esse præsertim apud Senatum quæstio iuris, quæ facti controuersiam implicitam non habet, quia ius certum est, factum vero incertum & plerumque obscurum, *l. 2. l. pen. §. sed iuris, D. de iur. & fact. ignor.*

5 *Arg. l. vnic. vers. quare, C. ne liceat potent.* vt de monachorum litibus fauorabiliter & nominatim constitutum est *in Nouell. 79. apud quos oport. caus. dicer. monach. cap. 2. in fin.*

6 *L. minoribus 6. D. de minor. l. 1. D. de inoff. test.* Facit *l. 3. in princ. D. vt in poss. leg. l. 3. §. causæ, D. de Carb. edi. l. 3. §. ibidem, D. ad exhib.*

DEFINITIO XXV.

Non semper appellati solius voluntatem spectandam esse, vt causæ cognitio ab appellationum iudice retineatur.

SI cum de inferiore iudicis competentia ageretur se ille competentem pronunciauerit, & ab ea interlocutione perperam appellatum sit; Non solet nec debet is qui ex appellatione cognoscit causæ cognitionem in principali negotio sibi reseruare, solo eo requirente aduersus quem appellatum est, ac nisi vterque consentiat. [1] Ne alioqui pugnantia constituere videatur, si & bene iudicatum dicat & nihilominus causæ cognitionem, quam prior iudex sibi vindicauerat, suam faciat. Extra hunc casum vix fieri potest, vt audiri appellans debeat, si eum iudicem habere recuset ad quem prouocauit, & quem appellando iudicem ipse vltro elegerit, [2] tametsi ab interlocutoria sit appellatum, quam alius quoque inferior iudex appellationis confirmauerit. [3] *Ita Senatus* in causa fratris mei Ioannis Fabri Cantoris in Ecclesia Sanctæ Mariæ Burgi & N. Guerry de Reuomaz. Ex tempore 12. Calend. Septembr. 1593.

1 *Cap. vt debitus honos. Extr. de appellat.*

2 *L. cum Papinianus* 14. iunct. *auth. & consequenter, C. de sent. & interl. omn. iud.*

3 Nihil enim refert an prima sit appellatio an secunda, dum ne tertia, quæ nunquam licita est, *l. vnic. C. ne lic. in vna eademque caus. tert. prouoc.* [Sic & cùm Senatus per contumaciam pronunciat appellationem ab interlocutoria desertam, non potest retinere cognitionem principalis negotij etiam postulante actore, quomodo posset, si iudicaret super appellatione. Intelligenisi petitum hoc fuerit in instantia. *Ita Senatus* 9. April. 1614.]

DEFINITIO XXVI.

Crimen priuilegiatum trahit ad suum forum crimen commune.

CLericus qui cum armis edicto Principis prohibitis alium occidisse probatur, à iudice seculari condemnari potest, non solum quod prohibitis armis vsus sit (est enim hoc delictum ex eorum numero, quæ priuilegiata vocant,) sed etiam quod hominem occiderit, tametsi delictum homicidij sit commune, id est, tale quod à clerico admissum non nisi ecclesiasticum iudicem habere possit, [2] ex communibus iuris regulis, [3] quoties ab assassinatu separatum est. [4] Adiunctio enim priuilegiati criminis facit, vt quemadmodum vnum idemque crimen est, [5] ita vnus idemque iudex sit, is scilicet, qui de priuilegiato solus potest cognoscere, quia priuilegiatum trahit ad se commune. [6] *Ita deliberatum est* in ea causa de qua SC. 54. infr. De probat.

1 Boer. *quæst. 297.*

2 *Cap. 1. & tot. tit. Extr. de homicid.*

3 Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. vlt. quæst. 35. & 36.*

4 Assassinatus enim crimen priuilegiatum est, Boer. *d. qu. 2. §. 1.* id est, tale quod fori præscriptionem nullam habeat. Tantus enim reatus tantum honorem excludit, *argum. l. 1. Cod. vbi Senat. vel clarissim.*

DEFINITIO XXVII.

Priuilegium fori allegare quis non potest in eo loco repertus in quo contraxit, præsertim si de instrumenti perditi exemplo conficiendo agatur.

CVm amisso instrumento obligatorio, quod notarius Camberiensis in ipsa Camberij ciuitate conscripserat, peteret creditor aliud sibi exemplum dari à notario subscriptum fideque publica subnixum, [1] ex quo conuenire debitorem posset, [2] in eamque rem, vt fieri solet, accitus esset debitor causam dicturus cur non id permitti deberet, [3] ille autem fori priuilegium allegaret, quod esset Augustanus; [4] Visum est audiri eum non debere, quod hac parte eum potissimum locum spectare oporteret, in quo contractum fuerat, [5] & ibi habitabat notarius, cui si iustâ causam debitor nullam afferret imperandum erat, [6] vt instrumentum rursus ederet, & describeret, quamuis futurum esset, vt eadem actione vrgeretur debitor ad solutionem. [7] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Gabriela Pomard, contra Dionysium Forestier Doctorem medicum. Id. Mart. 1594.

1 Quæ

BIU Cujas

1 Quæ iusta petitio est, *l. veluti 7. §. 1. D. de edend.* vbi scriptum est, posse euenire vt iterum & sæpius facienda sit editio, si quis forte instrumentum sibi bis editum perdiderit.

2 Nam interdum vel ex solo inuentario conueniri debitor potest, *vt in l. chirographis 57. D. de admin. & peric. tutor.*

3 Neque enim descriptum & recognitum instrumentum fieri potest, nisi præsentibus vel saltem vocatis omnibus quorum interest, vt scripsi Defi. 3. *num.* 2. 3. *De edend.*

4 Habent enim nostri Augustani non solum ex iure communi, sed etiam ex priuilegio, ne coram alio quam prouinciæ suæ iudice possint conueniri.

5 *L. omnem obligationem 20. D. de iudic.* & ibi Bart. iunct. *l. contraxisse 21. D. de oblig. & action.*

6 Nam extraneo iudici & extra territorium suum imperanti notarius parere non cogeretur, *l. vlt. D. de iurisd.*

7 Per modo constat modo agatur, *vt in l. 3. D. vt in post. legat. 3. §. ibidem, D. ad exhib.*

DEFINITIO XXVIII.

De iurisdictione, quæ territorio cohæret.

ETsi territorium, quod hodie vulgo *mandamentum* vocant, à terrendo dictum est, vt lex ait: [1] Non continuo tamen verum est eius esse territorium, cuius est iurisdictio aut contra. Potest enim territorium esse vnius, iurisdictio alterius. [3] Sanè cum iurisdictio in territorio est limitata, fieri non potest, vt eius non sit territorium, cuius est iurisdictio, & vicissim eius iurisdictio, cuius & territorium est. [4] Illud quoque non male dicitur. Præsumi iurisdictionem eius esse, cuius est territorium, & contra, nisi contrarium probetur. [5] Inde enim est, quod dici solet; Extra territorium ius dicenti impune non pareri. [6] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Thorans, & Dauergne 10. Cal. April. 1594.

1 *L. pupillus 239. §. territorium, D. de verb. signific.*

2 Nisi præsumptione iuris, quia iurisdictio inhæret territorio, *l. vltim. C. vbi & apud quem cognit. in integr. restit.* vt sequitur *in Defin.*

3 Notatur *in l. vlt. D. de iurisdict.* Vide *l. duumuirum 53. Cod. de decur. lib. 10. tit. 31.*

4 Et ea demum iurisdictio est, quæ territorio inhærere dicitur. Quæ enim limitata non est, non tam territorium afficit, quam personas subditas, & dicitur vulgo esse super hominibus & feudis.

5 Præsumptio, quæ iuris tantum est, non etiam de iure admittit probationem in contrarium, *vulg. l. cum de indebito 25. & pass. D. de probat.*

6 *dict. l. vltim. D. hoc tit. de iurisdict. l. iurisperitos 30. §. cum oriundus, D. de excusat. tutor. l. cum vnus 12. §. is qui D. de reb. auctor. iudic. l. Diu. Prioris 15. §. 1. D. de re iudic.*

DEFINITIO XXIX.

Iudex laicus non est competens iudex clerici in actione personali, nec si desinat illa in hypothecariam, ne quidem pro sumptibus contumaciæ.

CLericus personali actione ad iudicis laici tribunal accitus, si non pareat, condemnari propter contumaciam non debet, ne quidem ad expensas contumaciæ, [1] quoniam incompetentia manifesta est, [2] nec potest clericus iudicis laici iurisdictionem vllo modo prorogare, tametsi maxime velit. [3] Quid ergo si libelli conclusio personali actione proposita desinat, vt plerumque fit, in hypothecariam? Non idcirco laicus iudex fiet competens: Nec si actor protestetur, velle se iudicatum exequi in bona duntaxat, non etiam in personam debitoris: [4] quoniam actionis vitium, quale illud est, cum personalis actio aduersus clericum exercetur, non mutat, solaque reali proposita corrigi potest. [6] Itaque mera quasi Seruiana exercenda est. [7] Cum tamen clericus à iudice laico perperam condemnatus appellasset Senatum, nec postea appellationē prosecutus esset, & ob id ex principali diplomate de appellatione deserta cōueniretur, [8] dubitatum est quid iuris constitui deberet. Et quidem constabat appellationis desertionem facere non posse [9] vt sententia contra ius commune ab incompetenti iudice reddita transiret in rem iudicatam. [9] Eadémque ex causa putabant quidam, neque ad desertionis sumptus condemnari clericum debere, [10] quasi nihil referret vtrum ante sententiam in non parendo iudici, an post condemnationem in non prosequenda appellatione contumax fuisset. [11] Verum placuit separandos hac parte sumptus desertionis à cæteris, vtpote omnimodo debitos, [12] Postquam eo iure vtimur, vt de nullitate sententiæ numquam agi possit citra appellationem, [13] nec rursus appellatio recipi de cuius desertione tractari cœperit priusquam aduersus desertionem in integrum restitutio sit impetrata. [14] *Ita Senatus* in causa Ioannis Gros Driuet, Ant. Calend. April. 1594.

1 Nec enim contumax est, qui non fuit obsecutus, cum obedire non deberet, *l. contumacia 13. §. vlt. D. de re iudic.*

2 Quæ facit vt pro nullo & infecto habeatur, quod ab incompetenti iudice factum est, *l. 1. C. si à non comp. iudic. l. pen. C. ne de stat. defunct.*

3 Dixi *Defin. 4. num. 2. supr.* Facit *l. repetita 41. Cod. de episcop. & cleric.*

4 Potest enim actio hypothecaria concurrere personali, Guid. Pap. *quæst. 108.*

5 Licet protestatio alioquin soleat prodesse. Nimirum quoties incertum est, quæ potius actio teneat, *l. 1. §. quia autem, De quod legat.* quod hic non contingit.

6 *L. edita 3. C. de edend.*

7 Scripsi *Defin. 19. 3.*

8 Pragmatici nostri vocant *lettres de desertion.*

9 Quia iudicis incompetentia, quæ dicitur nullitas nullitatum, impedit ne sententia transire possit vnquam in rem iudicatam, *l. 1. C. si à non comp. iud. l. factum iudicis 170. de reg. iur.* Facit *l. si expressim 19. D. de appell.*

10 Quia qui de principali negotio cognoscere non potest, nec de sumptibus litis aliisve accessoriis potest, vt scripsi *Defin. 10. sup. eod.*

11 Cum appellatio extinguat iudicatum & reuocet omnia ad terminos litis in prima instantia contestatæ, *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill. cum similib.*

12 Non quidem ex ratione iuris, sed ob ius nostrum prouinciale, ex quo desumpta est ratio, quæ statim sequitur *in Definit.*

13 Styl. Senat. nostri in eoque iuri communi derogatum est, *l. 1. C. quand. prouoc. non est necess. l. ex consensu 23. §. 1. D. de appell.* iunct. *d. l. si expressim, 19. Eod. l. 1. §. item cum contra. & §. seq. D. quæ sentent. fin. appell. rescind.*

14 Nam & idem iam olim obtinebat, vt præscriptione summoueri posset is, qui à sententia nulla prouocasset, nec appellationem prosecutus fuisset, tametsi non eo magis sententia transire posset in rem iudicatam. Quod vtrumque bene probatur ex *d. l. si expressim in fin.*

DEFINITIO XXX.

De pensione beneficiali quem iudicem habeat, & an auctis vel imminutis fructibus minui debeat vel augeri.

SI quæratur an præbenda aut pensio super beneficij fructibus & reditibus constituta minui debeat necne, cognitio ad ecclesiasticum non ad secularem iudicem pertinet. [1] Siquidem secularis iudex quod ad beneficialia pertinet non nisi de possessione cognoscit, [2] quæ nihil commune habet cum quæstione iuris & proprietatis. [3] Illud sane constat non ex eo solo minui præbendam posse, quod temporum iniuria alióve casu fortuito & vi maiore fructuum quantitas redituúmque æstimatio decreuerit. [4] Nam nec augeri eam æquum esset si fructus siue in quantitate siue in æstimatione augerentur. [5] De illa enim præbenda & pensione loquimur, quæ in quantitate consistit non in quota. [6] Quamquam & interdum iusta causa esse potest ob quam minui etiam debeat, non itidem tamen vnquam augeri. [7] *Ita Senatus* in causa R. D. Epi-

BIU Cujas

scopi Bellicensis & Capituli Ecclesiæ Cathedralis eiusdem loci.

1 Tanquam ad iudicem competentem siue ratione personæ, quia persona ecclesiastica est, quæ pensionem præstare debet, siue ratione rei de qua agitur, vt sequitur in Definitione.

2 Et quidem de interdicto retinendæ aut recuperandæ duntaxat non etiam adipiscendæ possessionis. Guid. Pap. *quæst.* 1. licet quod ad interdictum adipiscendæ contra sentiat Tessaur. in *Decis. Pedem.*

3 *L. naturaliter* 12. §. *nihil commune, D. de acquir. poss.*

4 Exemplo eius iuris quod in canone emphyteuticario constitutum est, qui semper idem debetur tametsi res pro parte perierit, multoque magis si remissionis obtinendæ nulla alia causa quam sterilitas allegetur, *l.* 1. *& ibi not. Cod. de iur. emphyt.* Iul. Clar. *lib.* 4. *Sentent.* §. *emphyteusis, quæst.* 4. Etsi differentiæ ratio hæc adferri posset, quod canon ille non pro fructibus datur, sed pro recognitione dominij. Pensio autem beneficialis, licet non alia imponatur pro fructibus, sed sola summi Pontificis voluntate: tamen imponitur ex cõparatione fructuum beneficij, quòd cùm euenit etiam in canone emphyteuticario fieri solet remissio. Pet. Ancor. *lib.* 3. *qu.* 78. *nu.* 12. Vide *l. legatum* 17. §. 1. *D. de ann. legat.*

5 Æquum autem est ad eum spectare incommoda ad quem & commoda, Clar. *in d.* §. *emphyteusis qu.* 41. ex regula iuris *in l. secundum naturam* 10. *D. de regul. iur.*

6 Quæ enim pensio consistit in quota fructuum ea fieri non potest, vt auctis vel imminutis fructibus non augeatur vel minuatur, *l. si debitor* 30. §. *verisimile, D. de contr. empt.*

7 Ob rationem illam quam attulimus, quod nec soleant nec debeant aut possint constitui pensiones, nisi ex comparatione fructuum beneficij. Solet tamen hæc quæstio vt plurimum decidi ex verbis rescripti pontificij quo pensio constituta est. Solent enim pensionarij curare vt rescribat summus Pontifex, ne ex causa qua minuatur vnquam, sicut nec vlla ex causa vnquam potest augeri.

DEFINITIO XXXI.

An presbyter aut episcopus puniri possit à iudice laico ex crimine læsæ maiestatis?

CLericus præsertim in maioribus constitutus, puta presbyter aut episcopus, non potest etiam ex causa delicti quantumlibet atrocissimi coram iudice laico conueniri, ne quidem de crimine læsæ maiestatis. [1] Et quamuis Principes seculares alio iure vti soleant iniuriam pro iure aut ius pro iniuria vsurpantes, excommunicationis tamen notam incurrunt. [2] In eamque rem quod ad Episcopos attinet expressa est constitutio sacrosancti Concilij Tridentini. Quod tamen ad alios sacerdotes spectat, qui non sunt episcopi, solent excipi crimina quædam quæ ob eam causam dicuntur priuilegiata. [3] Quid vero si Episcopus sub alieno Principe officium & dignitatem gerat? An ideo puniri poterit tanquam reus maiestatis? Minime: Nisi hactenus vt officio priuetur si in eo deliquerit. Idque per formam iurisdictionis vt nostri loquuntur politicæ & œconomicæ non contentiosæ. [4] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 11. infr. ad leg. Iul. maiest.

1 Iul. Clar. *lib.* 5. *sent.* §. *vlt. quæst.* 35. 36.
2 Vt tractat Clar. *ibid.*
3 De quibus vide Clar. *s. d. loco.* & Boer. quæst.
4 Guil. Bened. latissime in *repet. cap. Raynutius in verb. & vxorem, num.* 155. vbi omnino vide.

DEFINITIO XXXII.

Renunciatio præscriptionis fori nocet si competentis iurisdictionis procurator non intercedat.

QVisquis fori præscriptioni renunciauit, si propriæ iurisdictionis aut Principis procuratorem in auxilium suum non aduocet, audiri non potest petens, vt ad suum iudicem remittatur, [1] siue coram iudice minus alioquin competenti conueniatur, [2] siue alterius instantiæ commodo priuetur, [3] vt contingit si ad Senatum recta euocetur, qui non potest non competens iudex esse, cum apud nos sit ordinarius ordinariorum. [4] Sed tamen hoc posteriore casu ad Senatus officium pertinet, vt ex causarum & personarum varietate aliter atque aliter constituat. Nam si de eo negotio agi videat, quod implicitam habeat obscuri facti quæstionem, æquissimum est ad proprij iudicis tribunal cognitionem remitti, vt & minoribus sumptibus litigatores vexentur, [5] & duplicis instantiæ commoda quæ multa sunt non amittant. Sin de ea re quæratur, quæ in promptu & quasi de plano expediri possit, nihil causæ est cur non sibi cognitionem retinere Senatus debeat, & pronunciare. [6] *Ita Senatus* in publico auditorio 15. Cal. Maij 1595.

1 Quia potest quilibet præscriptioni fori aut in cæteris omnibus fauori suo renunciare, *l. pen. C. de pact. l. si iudex* 28. *D. de minor.* alieno tamen iuri puta, vt domini habentis iurisdictionem, siue Princeps ille sit siue alius, præiudicium facere nemo potest, *l.* 1. *D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

2 Dummodo habeat ille iurisdictionem aliquam & quidem talem quæ prorogari possit. *l.* 1. *D. de iudic.* iunct. *l. priuatorum* 3. *C. hoc tit.* Aliud enim est si iurisdictio prorogari non possit, vt puta laici contra clericum vel contra, vel scripsi *Defi.* 4. *& 29. s.*

3 Non enim paruum commodum est duplicis instantiæ, vt non deducta deduci, & non probata probari possint in causa appellationis, *l. per hanc* 4. *C. de temp. & repar. appell.*

4 Quippe qui supremus sit magistratus & Principis vices gerens, *arg. l.* 1. §. *penult. D. de appell. l. ei cuius* 5. §. *plane si appellatione, D. de appell. recip.*

5 Quibus tanto incommodius & dispendiosius futurum est, quanto longius à domicilio suo euocantur. *l.* 3. §. *vltro, de testib. l. sed si quis* 7. *D. testam. quemadm. aper. l. vnic. Cod. quod Imp. int. pup. vel vid.*

6 Quia studet Senatus, vt studere debet lites finiri, *l.* 3. §. 1. *D. de recept. qui arbitr.* Dixi *Defin.* 24 *sup.*

DEFINITIO XXXIII.

Rationales nunquam cognoscunt inter priuatos, licet de Principis iure & patrimonio incidenter tractetur.

SI inter priuatos apud Senatum controuersia sit de re, quæ cum patrimonio aut rationibus Principis aliquid commune habeat, Non idcirco Senatus cognitionem & disceptationem negotij ad Rationales remittit. [1] Quid enim prohibet quo minus de huiusmodi re cognoscere Senatus possit? An non generalis procurator patrimonij quoque ratione procurator Principis est? [2] Quod si tale negotium proponatur, cuius instructio ex Rationalium documentis pendeat, quid ni liceat procuratori generali conferre cum procuratore patrimonij, vt communi vtriusque fide & consilio tota res tanto securius tractetur? Illud sane nullo modo ferendum est, vt eo prætextu Rationales de iure priuatorum vllo casu cognoscant, [3] cum iudicatum exequi ipsi non possint, nec nisi absurde iudicati sui executionem amplissimo ordini committere, [4] cuius præcipua est, vt esse debet auctoritas. *Ita Senatus* pro N. Bernardo Dacquin, contra R. D. Episcopum Maurian. 7. Id. Iun. 1595.

1 Nulla enim Rationalium iurisdictio est inter solos priuatos, sed tantum inter Principem & priuatum. Idque nonnullis Sereniss. Ducum nostrorum edictis expressim constitutum est.

2 Nam & ob id generalis procurator dicitur, quòd ad eum spectet cura eorum omnium quæ ad Principem pertinent. Licet pro faciliore patrimonij tuitione & pro dignitate ordinis clarissimi Rationalium specialis procurator in eam constitutus sit, itemque Aduocatus Principis, quos ideo Patrimoniales appellamus. Vide *l.* 1. §. *vlt. fam. ercisc.*

3 *L. iam dudum* 5. *Cod. vbi caus. stat. agi debeat. l.* 1. *Cod. hoc tit.*

4 Non enim iudicati executio committi potest, quin exequi iubeatur is, cui committitur, *l. à Diuo Pio* 15. §. 1. ibi, *si hoc iussi fuerint, D. de re iudic.* iubere autem superioris tantum est, non inferioris aut paris, *l.* 3. §. *vltim. & l. sequ. D. de recept. qui arbitr. l.*

BIU Cujas

bitr. l. ille à quo 13. §. 1. *D. ad SC. Trebellian.* Porro cui denegatur executio iudicati denegatur etiam cognitio, & pronunciatio. *l.* 3. *Cod. vbi caus. fisc.*

DEFINITIO XXXIV.

Priuilegium secretioris Concilij Principis, vt pro iudicatis suis exequendis alieni territorij magistratum rogare non teneatur.

ETsi suprematum curiarum singulare ius est, vt sub nomine & auctoritate Principis, cuius vices gerunt,[1] omnia decernant, hactenus tamen dissimilis, minorque auctoritas earum est, quam secretioris Concilij, cui Princeps ipse adest. Quod si iudicatum decretumve aliquod mandandum sit executioni extrà prouinciam, specialiter & nominatim rogandæ sunt supremę Curiæ, in quarum territorio facienda est executio[2] si suprema curia sit quæ rogat, non item si secretius Concilium Principis, vt hoc priuilegium ipsi Principi iudulgeatur. Quippe cuius persona vno casu alio sola ipsius auctoritas interuenire intelligitur. *Ita tractatum est* in secreto auditorio, pro D. de Vauxuillars contra Dominos de la Chambre, 7. Id. Iunij 1595.

1 *Arg. l. vnic. D. de offic. præf. præt.*

2 Quia iuberi non possunt a pari magistratu, cum par in parem non habeat imperium, vt diximus *Desi. prox. nũ.* 4.

3 Plus enim est personam ipsam Principis interuenire, quam ipsius auctoritatem.

DEFINITIO XXXV.

De debito, quod mortuarij nomine contrahitur, vterque iudex inter laicum & clericum competens est.

SI inter parochum & defuncti laici heredem laicum controuersia sit de debito, quod mortuarij appellant, tractatum est, cuius cognitio esse debeat, an iudicis laici, an ecclesiastici? Et quidem constat non nisi personalem actionem eo nomine competere.[1] Quæ ratio suadere videtur, vt laici potius quam ecclesiastici iudicis cognitio esse debeat.[2] Sed tamen negari non potest quin sit quid spirituale,[3] ac proinde ad ecclesiasticum iudicem pertineat.[4] Nam & lex nostra prouincialis, quæ prohibet ne laicus actione personali coram ecclesiastico iudice conueniatur, nominatim addit, *si de re profana quæratur.*[5] Illud sane minus habet dubitationis, Actionem hanc mixti fori esse, & consequenter locum in ea esse præuentioni,[7] nec posse appellari tanquam ab abusa siue apud laicum, siue apud ecclesiasticum iudicem eo nomine vllo modo primo loco quis conueniatur. Nam & sacrilegij quædam species esse dicitur & est, si quis debita huiusmodi tam pia soluere recusset.[8] Sacrilegij vero crimen mixti fori esse nemo ambigit.[9] Plane si contra tertium possessorem bonorum defuncti laicum agatur ex hac causa coram iudice ecclesiastico, iusta erit appellatio tanquam ab abusu, cum neque personali actione conueniri possit qui heres non est,[10] neq; hypothecaria, quoniam funeraria actio aliæque similes fauorabiles, qualis hæc est, priuilegium quidem habent inter personales actiones[11], sed tacitæ hypothecæ ius non habent.[12] Ex quo efficitur, vt nullo iure tertius possessor laicus apud iudicem ecclesiasticum eo nomine inquieteretur. Quæ res abusum inducit.[13] *Ita tractatum est* in causa Archidiaconi de Combefort & Canonicorum d'Aiguebelle, in publico Abditorio, 5. Calend. Iul. 1595.

1 Nascitur enim ex quasi contractu, qui non tam cum herede, quam cum defuncto ipso, quod sane mirum est, initus esse intelligitur, *l.* 1. *& tot. tit. D. de relig. & sumptibus. funer. l. quod in vxorem* 13. *C. de negot. gest.*

2 Quoniam in personalibus omnibus actionibus actor sequitur forum rei, *l.* 2. *C. hoc tit. l. vlt. C. vbi in rem act.*

3 Quia non tantum pro corpore sepeliendo mortuarij debitum hoc contrahitur, sed etiam pro remunerandis liberaliter precibus iis, quæ in eam rem ad salutare animæ remedium Deo Opt. Max. offeruntur.

4 De spiritualibus enim ecclesiastici non secularis iudicis cognitio est.

5 Styl. Senat. nostri.

6 Cum habeat aliquid ex spirituali; aliquid ex temporali; vt cæteræ actiones, quæ dicuntur mixti fori.

7 Guid. Pap. *quæst* 178.

8 *Not. in cap. Ioannes: & cap. cum tibi, Extr. de testam.* Capell Tholos. *quæst.* 89.

9 Guid. Pap. *vbi supra.*

10 Aut saltem anomalus, vt vocant, successor, qui heredis loco sit, vt puta pater ad quem dos filiæfamilias redierit, si eam maritus funerauerit: *dict. l. quod in vxorem.* quamuis nec aliud est, etiamsi filia nullam dotem habuerit: *l. quod si nulla* 28. *D. de relig. & sumpt. funer.*

11 *L. quæsitum* 17. *D. de reb. auct. iudic. poss. aliar, l.* 2. *de priuil. cred. l. vlt. quis* 14. *§. hæc actio, D. de relig & sumpt. fun.*

12 Non enim tacitæ hypothecæ ius alij creditores habent, quam quibus specialiter datum est, aut de quibus *in tit. D. & in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.* Idcoque nec possum videre quam rationem habeat ius hoc, quo vtimur, vt actio hæc funeraria priuilegium habeat contra cæteros omnes etiam hypothecarios creditores. Iuris enim ratio facit, vt hypothecarij chirographarijs omnibus quantumlibet priuilegiarijs præferantur in pignore, in quo scilicet, non tam potiores, quam soli inueniuntur. *l.* 2. *in fin. l.* 3. *§. post diuisionem, D. qui pot. in pign. hab.*

13 Euidentior enim abusus esse non potest, quam si laicus apud iudicem ecclesiasticum sine causa nulloque iure conueniatur, non propter defectum iurisdictionis in iudice.

DEFINITIO XXXVI.

Clericus falsus testis ex eaque causa puniendus ad suum iudicem remittendus est.

SAcerdos ad testimonium dicendum admissus à iudice laico, si repugnantia dixerit, atque ita falsi suspectus videri possit, vt torqueri debeat,[1] non ideo tamen torqueri potest iudicis laici auctoritate, sed ad iudicem ecclesiasticum, si aduersarius & res vrgeat ex ea causa remittendus est[2]. *Ita Senatus* in causa Dominorum de Lentilly & de Damas 13. Cal. Aug. 1595.

1 *L. qui falso* 16. *D. de testib.*

2 Id enim est quod Harmenop. scribit *cap.* 6. *in fin.* ex quo loco vere Dionys. Gothof. vir doctissimus, & de iurisprudentia nostra, si quis alius hac nostra ætate bene meritus, adnotauit, legendum esse: *in dict. l. qui falso à iudicibus competentibus*, non vt vulgo competenter.

DEFINITIO XXXVII.

De actione ad exhibendum, quæ actionis in rem præparatoria sit, cognoscere laicus iudex contra clericum potest.

ACtio ad exhibendum licet sit in personam,[1] quia tamen in rem scripta est[2] exerceri coram iudice laico, contra clericum potest.[3] Sed ita demum si prius appareat de iure aliquo quod actor habeat agendi in rem siue directa vindicatione, siue hypothecaria.[4] Est enim actio illa præparatoria actionis in rem.[5] Itaque non sufficit actori, quod dicat se creditorem, & probet sua interesse, ni probet se dominum vel hypothecarium creditorem.[6] Quam ob causam specifica quoque opus est declaratione rerum, quarum exhibitio postulatur,[7] nec sufficiet peti in genere mobilia omnia, quæcunque fuerint in Titij puta hereditate reperta[8]. *Ita Senatus* in secreto auditorio pro R. D Præceptore Antoniano Chamber. apud Ioannem Lucquet, 8. Cal. Sept. 1595.

1 *l.* 3. *§. est autem, ff. ad exhib.*

2 *d. l.* 3. *§. vlt. Celsus* 5. *§. vlt. eod. tit.*

BIU Cujas

3 Non secus acsi mera esset actio in rem, ex qua proculdubio conueniri clericus coram iudice laico posset, *l.vlt.C.vbi in rem actio.* Guil.Bened.*in verb.& vxorem,num.46.*

4 Potest enim dari actio ad exhibendum ex variis aliis causis, quæ nihil cum vindicatione commune habeant, *d.l.3.§.1.§. plus dicit, D.ad exhib.*

5 *L.1 eod.* quæ ait actionem hanc maxime propter vindicationes esse inductam. Facit *l.1. C.eod.l.ad rem mobilem 56. l.ad legatum 62.D.de procurat.*

6 Itaque in huius persona non habet locum quod de aliis ad exhibendum acturis scriptum est *in d.l.3.§.1.D.ad exhib.*

7 Generaliter enim verum est, in hac actione actorem omnia nosse debere, & dicere rei de qua agitur argumenta, *d.l.3. in princip.*

8 Quia neque huiusmodi bona in genere & incerta vindicari possent nisi ex iusta causa, *l.1.§.vlt. D.si pars hered.pet.l.quæ de tota 76.§.incertæ, D.de rei vindic.l.etsi 8.§.1.D.commun.diuid.*

DEFINITIO XXXVIII.

Non est hortandus iudex ecclesiasticus, vt concedat literas monitoriales ad probandum crimen quod pœnam sanguinis irroget.

IVdex ecclesiasticus si rogetur concedere literas, quas monitorias vocant, ad fines reuelationis tantum pro crimine probando [1] quod sanguine vindicandum sit, aut quod per sanguinis effusionem commissum sit, nec velit ille concedere propterea quod ecclesia non nouit sanguinem, [2] minime exhortandus est à iudice laico, nec si ita futurum sit, vt probationum inopia delictum maneat impunitum. [3] Neque enim hortandus est iudex ecclesiasticus, vt contra sacros canones quicquam decernat. [4] *Ita tractatum est* in relationibus libellorum Prid.Id.Septemb.1593.

1 Obtinuit enim, vt etiam in criminalibus frequens huiusmodi literarum vsus sit fauore probationum.

2 Sed sunt aliæ pœnæ canonicæ; De quibus *gloss.in cap.ad reprimendam in verb.in canonibus de offic.ordin.*

3 Tametsi publice interest non manere impunita delicta, *l. ita vulneratus 51.§.vlt.D.ad leg.Aquil.l.locatio 9.§.quod illicite.D. de public.& vectig.* [Denique per Concilium Tridentinum *Sess. 25.cap.3.* interdictum est Magistratibus secularibus, ne Episcopos adducant, vt huiusmodi literas inuiti concedant, quorum arbitrio totum hoc relictum esse vult.Iunge *Dest.19.5.de edend.*]

4 Præsertim vero iubente Senatu ad cuius officium & dignitatem ex contrario pertineret potius, vt si quid à iudice ecclesiastico contra sacros canones decretum esset, id emendaret remedio appellationis ex ea causa per procuratorem generalem interponendæ tanquam ab abusu, vt dicemus suo loco.

DEFINITIO XXXIX.

Non habet clericus priuilegium fori si vocetur ad iudicium laicum, vt alienæ liti interueniat.

CLericus à clerico ad iudicem laicum euocatus, vt iudicio contra laicum reum instituto adesset, ac de facti veritate, cuius erat ille conscius, responderet, priuilegium fori habere non potest, [1] non magis, quam si ad rem defendendam, quæ cuinceretur, accersitus esset. [2] Sane si in eum præsentem, & vbi iam iudicio aderit actio aliqua instituatur, [3] de qua iudex ecclesiasticus cognoscere debeat, ad eum remittendus tum demum erit. [4] Igitur ne quandoque obstet res super declinatoria exceptione iudicata, nominatim id per interlocutionem excipiendum est, [5] *Ita Senatus* ex tempore 11.Calend. Decemb.1595.

1 Quia hoc casu non ideo euocatur, vt vel condemnetur ipse vel absoluatur. Vt in simili descripsimus *Defin.7.5.*

2 Is enim alienam litem, non quam defenderet: ac proinde apud alienum iudicem, non apud suum, arg.eorum quæ scripsi *Defin.num.2.5.eod.*

3 Tanquam in iudicio repertum, vt plerumque fit, quia in iudicio repertus citandus non est satisque vno citato habetur.

4 Neque enim hoc casu dici potest, quod alias quandoque modo constat, modo agatur, *l.3.in princip. D.vt in possess. princip.*

5 His nimirum verbis interlocutioni adiectis, *sauf d'estre faict droit sur le rauuoy requis en temps & lieu ainsi qu'il escherra.*

DEFINITIO XL.

A Conseruatore tributi commutatorij ad Senatum, non ad Rationalium Curiam appellatur.

ATributi commutatorij, vt vocant, conseruatore ad Senatum, non ad Rationales appellatur, [1] licet de fiscalibus tributis adeoque de iure nobilitatis, & quæ ex nobilitate nascitur immunitatis [2] controuertatur. Nihil enim cum ærario Principis commune habet illa quæstio, an hic aut ille nobilis sit, necne & immunis. [3] Cum quantumlibet immunis sit, non idcirco quicquam decrescat ex ea tributi annui quantitate, quam vniuersitas Principi debet. [4] Itaque cum à Conseruatoris sententia condemnatus quidam ad Rationales appellasset, & appellantium more longiorem appellationi prosequendæ diem dixisset, [5] Victor autem citius expediendi negotij causa peteret à Senatu literas anticipatorias: [6] Senatus cui propriam iurisdictionem tueri non solum licuit, sed etiam necesse fuit, [7] non dubitauit, quin eas concedere iuberet, iubereque vt apud se lis tractaretur. *Ita Senatus* in secreto auditorio pro N.Drugeon, contra Syndicos vniuersitatis de Cheuelu 28.Febr.1596.

1 Eoque passim iure vtimur, vel ob id maxime quod huius tributi commutatorij conseruator vt plurimum est aliquis ex Senatoribus, aut etiam Præsidibus Senatus, à quo proinde ad Senatum ipsum appellari conuenientius est multis de causis quam ad Rationales, quamuis illi suam quoque & eam quidem supremam habeant iurisdictionem.

2 Cum edictis omnibus Serenissimorum Ducum nostrorum nobiles omnes immunes sint ab huiusmodi tributis, præsertim si facti sint nobiles post annum 1564. Hi enim remanent obnoxij huic tributo in annum vsque nobilitatis quinquagesimum, at non etiam reliquis oneribus plebeiis.

3 Rationales autem ærarij potissimum iudices sunt, & eorum omnium, quæ ad ærarium Principis pertinent.

4 Aliud enim est quod ipsa vniuersitas debet: aliud vero quod singuli ex vniuersitate, *l.sicut 7.§.1.D.quod cuiusque vniuer. nom.*

5 Plerumque enim frustrandi tantum causa appellationes interponuntur, *l.tutor 41.D.de vsur.l.vlt.D.de re iudic.*

6 Vulgo pragmatici nostri vocant *lettres d'anticipation.*

7 *L.1.D.si quis ius dicent.non obtemp.*

DEFINITIO XLI.

Commissarius delegatus ad solemne inuentarium faciendum, non potest procedere in alieno territorio.

A Iudice vel suprema curia vnius territorij delegatus ad faciendum solemne inuentarium non potest procedere in territorio alieni Principis supremi, [1] quoniam id fieri non potest citra distractionem, vt loquuntur, subditorum, quos in aliena prouincia litigare oporteret. [2] Hoc vero tum maxime obtinet, cum maior, id est, nobilior pars [3] bonorum defuncti in eo territorio sita est, in quo procedendum est. Item si defunctus in eo territorio decesserit. *Ita Senatus* re sæpius & mature deliberata in causa D.Archiepiscopi Bizantini heredis Illustr.D.Marchionis de Treffort. 9.Decemb.1596. Idemque obseruatum fuisse à Curia Gratianopolitana in causa discussionis bonorum Dominæ de S. VVallier retulit vnus ex Senatoribus, qui fuerat à Senatu nostro delegatus.

1 Quia extra territorium ius dicenti impune non paretur, *l.vlt.D.de iurisdict.*

2 Quod permittere magistratus nunquam debet. Non solum ne iurisdictiones confundantur & turbentur, *l.cum vnus 12.§.pe-*

BIU Cujas

12. §. *pen. ff. de reb. auct. iudic. possid. vel venund.* sed etiam ne magno incommodo subditos suos affici patiatur, si cogantur illi in alia prouincia litigare, *l. 3. in princ. D. de alien. iudic. mut. caus. fact. l. 3. §. vlt. D. de testib.*

3 *Arg. l. maiorem 8. D. de pact. l. si fideicommissum 50. D. de iudic.*

DEFINITIO XLII.

Iudicis laici nulla iurisdictio est contra clericum, ne quidem ad inquirendum de crimine, nisi crimen sit priuilegiatum.

ADuersus Ecclesiasticam personam de crimine non priuilegiato ne inquirendi quidem ius iudex laicus habet, quin excommunicationis pœnam ipso facto incurrat. Ex bulla incip. *In cœna Domini.* Quæ licet dicatur non transiisse montes, vt vulgo loquuntur, Senatus tamen noster supradictam sententiam districte secutus est & sequi solet.[1] In relationibus libellorum Calend. Decembr. 1595.

1 Pro ea nimirum qua excellit semperque excelluit pietate, & erga sacrosanctam sedem Apostolicam reuerentia, obseruantia & obedientia. Vide *text. in cap. cum non ab homine.* vbi Alciat. *nu. 2. & cap. clerici. Extr. de iudic.* Iul. Clar. *in pract. crim. qu. 36. nu. 2. 3. & seq.* post Didac. Couar. *Pract. qu. 31. nu. 1.* & alios ibi citat.

DEFINITIO XLIII.

An falsa moneta sit necne, cognitio est Rationalium, potest tamen incidenter tractari apud Senatum, cuius solius est de crimine falsæ monetæ cognoscere & pronunciare.

DE moneta quidem quoties quæritur, an eius sit bonitatis, cuius esse debet ex edictis Principis, Rationalium non Senatus cognitio est, nimirum si contra eos agatur, quibus cudendæ monetæ ius & munus à Principe datum est.[1] Sed etsi quis falsam monetam cudisse dicatur,[2] & Rationales cognitionem occupauerint, licet de falsæ monetæ crimine pronunciandi non habeant potestatem,[3] hactenus tamen cognoscere possunt, vt probatam ab iis, ad quos ea res pertinet,[4] pronuncient falsam esse,[5] deinde rem, & reum ad Senatum remittant.[6] Sed si quis apud Senatum de huiusmodi crimine accusatus sit, nihil prohibet eiusdem Senatus imperio & auctoritate probos viros eligi, adeoque ex iis quorum industria per Principem in eam rem electa sit[7] ante omnia inuestigetur, nec necesse est Rationalium iurisdictionem ex hac parte implorari, non magis quam quod ad alias criminis probationes attinet.[8] Licet non deessent ex Dominis, qui referrent aliquando contra factitatum fuisse. *Ita Senatus* 29. Decembr. 1559.

1 Sic enim edictis sereniſſimorum Ducum Sabaudiæ, & statutis Cameræ Computorum diserte cautum & constitutum est.

2 Vt proinde conueniri possit & condemnari de crimine falsæ monetæ *ex l. 1. C. de fals. monet.*

3 Quia non habent publici iudicij exercitionem, quam solus apud nos Senatus habet iure supremi magistratus.

4 Vt inspiciatur scilicet an vera sit moneta an falsa.

5 Pertinet enim ea res ad cognitionem Rationalium, tanquam quæ spectet maxime ad ærarium Principis.

6 Sic olim Prætor plerumque cognitionem remittebat ad præfectum vrbi, quoties grauior & capitalis pœna erat infligenda, *l. 1. §. solent. D. de offic. præf. vrb. l. si quis iniuriam 35. D. de iniur.* iunct. *l. 1. §. vlt. D. de pœn.*

7 Horum enim certior videtur esse & fides & industria, quam aliorum: cum magna sit inter artifices differentia, *l. inter artifices 31. D. de solut.*

8 Cum possit is, ad quem principalis negotij cognitio pertinet, omnem quoque incidentem quæstionem incidenter dirimere *l. 1. C. de ordin. iudicior.*

DEFINITIO XLIV.

Contumacia eius qui noluit in iudicium venire, vt chirographum vel agnoscat, vel deneget, admittit ei fori præscriptionem, quam expressa agnitio non ademisset.

AD iudicem non suum vocatus, vt chirographi scripturam agnosceret, si fuerit contumax, & ob contumaciam ea scriptura per interlocutionem iudicis habita sit pro recognita,[1] non potest postea fori præscriptione se tueri,[2] in pœnam nimirum contumaciæ.[3] Alioqui enim si paruisset & chirographi scripturam aut agnouisset aut denegasset, non eo minus saluam haberet fori præscriptionem.[4] Itaque hoc casu quod mirum est plus operatur fictio in casu ficto, quam veritas in casu vero.[5] Ex tempore Ante Id. Mart. 1596.

2 Facit enim contumacia, vt debeat contumax haberi pro confesso.

2 Quasi videatur iurisdictionem agnouisse ob id, quod maluerit esse contumax, quam iurisdictionem, cum posset, declinare.

3 Debuit enim venire & fori præscriptionem opponere, non autem magistratus ad quem vocabatur auctoritatem & iurisdictionem contemnere, *l. si quis ex aliena 5. D. de iudic. l. 2. D. in ius vocat. vt eant.* Excipe casum illum quo notoria sit incompetentia ita, vt nec allegari eam sit necesse, puta si is qui dicitur clericus, vocetur ad iudicem laicum. Iul. Clar. *in practic. crimin. quæst. 36. num. 5.*

4 Nempe quoniam agnitio vel denegatio chirographi non inducit ad probationem iurisdictionis, cum possit fieri ex auctoritate cuiuslibet iudicis etiam incompetentis. Sic enim stylo nostro diserte cautum est. *sub tit. de retognoissance de cedulles.*

5 Contra *l. filio 23. D. de lib. & post. l. confessionib. 14. & l. seq. §. vlt. D. de interro. in iur. facien. Not. ad l. si is qui pro emptore D. de vsucap.*

DEFINITIO XLV.

Causis ex registro decidendis non potest adhiberi Procurator aut Aduocatus generalis.

PRocurator, aut Aduocatus generalis non potest cum Senatoribus sententiam dicere in iis causis, quæ viua voce, & in publico Auditorio disceptatę sunt, si quod plerumque fit ex registro, vt loquuntur, non ex scripto decidantur.[1] Non enim alij possunt in eiusmodi causis sententiam dicere, quam qui in subselliis publicis inter Senatores sederunt, aut saltem sedendi ius habuerunt.[2] Ante Id. Mart. 1596.

1 Quia tunc perinde habetur acsi ex tempore & in publico ipso auditorio lis decisa fuisset.

2 In quo numero neque procurator, neque Aduocatus generalis vnquam esse potest.

DEFINITIO XLVI.

Etiam Castellanorum iurisdictio prorogari potest de consensu litigatorum.

CAstellanorum iurisdictio infima[1] non vsque adeo statuti nostri auctoritate definita est,[2] vt nec vllo etiam expresso collitigatorum consensu prorogari possit. Potest enim,[3] nisi cum iudex iam præuenit.[4] *Ita tractatum est* 21. Mart. 1596.

1 Nec enim ex omnibus iis qui habent iurisdictionem ordinariam quisquam est, qui habeat iurisdictionem inferiorem.

2 Quamuis coarctata sit ad summam quinque florenorum.

3 Vt & alia quælibet iurisdictio prorogabilis est ex consensu litigatorum, nisi casus talis sit in quo speciali aliqua ratione per legem prorogatio inhibeatur, *l. 1. & 2.* vbi scripsi in Rationalibus, *D. de iudic.*

4 Vbi enim iudex manum apposuit tanquam superior, hoc

BIU Cujas

ipso ligat manus castellani tanquam inferioris. Sicut de omnibus magistratibus superioribus dici solet, si cum inferioribus comparentur.

DEFINITIO XLVII.

De rescindenda transactione factæ super lite possessorij pendente coram iudice laico solus iudex ecclesiasticus cognoscere potest.

ETsi de possessorio beneficiali cognoscere etiam inter clericos iudex laicus potest: [1] Si tamen de lite pendente super possessorio transactum sit, & aduersus transactionem postea restitui alteruter litigatorum velit, [2] non Laici iudicis, sed Ecclesiastici cognitio esse debet. Quia sicuti actio, quæ ex transactione oritur, [3] ita & restitutio in integrum aduersus transactionem est in personam. [4] Nec est contrarium, quod in decidenda possessorij causa transactionis formam idem iudex sequi cogitur. Id enim fit, quia causa possessionis adminiculum viresque ex titulo accipere potest, si vel vnus possessionis actus sequatur. [5] *Ita Senatus* pro religiosis Prioratus sanctæ Mariæ de Beluaux contra C. Emanuelem Pómeum Priorem. Ex tempore 8. Mart. 1597.

1 Guid. Pap. *qu.* 1.

2 Ex causa forte doli vel metus, vel falsorum instrumentorum, ex quibus causis certum est, etiam transactionem rescindi posse, *l. interpositas* 13. *l. si ex falsis, pen. C. de transact.*

3 Scilicet cum transactio est vallata vel stipulatione vel iureiurando. Alioqui nudum pactum est, ex quo non datur actio, vt dixi *ad l. 1. D. de transact. in Rationalibus.*

4 Vt omnes in integrum restitutiones, *l. 2. Cod. vbi & apud quem cognit. in integr. restit. agit sit.*

5 Id enim est quod nostri solent dicere: Etiam in causa possessorij posse allegari titulum non ad cumulandum petitorium cum possessorio, sed ad confortandum possessorium. Guid. Pap. *quæst. 71. ex cap.* licet *Extr. de probat. & cap. ad decimas, de restitut. spoliat. in 6.*

DEFINITIO XLVIII.

SI ex Senatus mandato per obreptionem impetrato, iudex inferior cognouerit de ea re quæ ad Rationalium cognitionem pertinebat, non eo minùs poterit & debebit iudex ille, maximè si de eo requisitus sit, totam rem remittere ad Rationales. [1] Quod ni fecerit, non prohibebitur Senatus authoritate decreti sui, [2] quominùs malè iudicatum pronunciet, inque omnes litis expensas condemnet impetrantem, [3] si non qua alia causa compensationem omnium expensarum inducat. [4] Etsi enim expensæ litis appellatoriæ non facilè compensari aut remitti solent, quoties malè iudicatum pronunciatur, [5] Sic tamen in specie quæ proponebatur, fieri oportere visum est, vt appareret nunquam fuisse illam mentem Senatus, vt Rationalium iurisdictionem violari pateretur. [6] Nec tamen æquitatis deesse causas varias, quæ compensationem expensarum remittendam esse suaderent. *Ita Senatus* pro Steph. Lespine 16. Cal. Iunij 1611.

1 Semper enim id enixè cauere boni iudices debent, ne iurisdictiones turbentur & confundantur *l. cum vnus* 12. §. *penu. D. de reb. author. iudic. possid. l. vlt. D. hoc tit.*

2 Quod enim per obreptionem impetratum est, pro nec impetrato habendum est *l. magis puto* 5. §. *pen. D. de reb. eor. qui sub tutel. l. si quis obrepserit* 29. *D. ad legem Corn. de falsi.*

3 Quæ pœna est temere litigantium, *Inst. de pœn. tem. litig. l. l. cum quem temere* 79. *D. de iudic.*

4 *Vt in l. qui solidum* 78. §. *etiam de leg.* 2.

5 Solent enim appellationes, vt plurimùm interponi frustrationis gratia *l. tutor* 41. *D. de vsur. l. vlt. D. de re iudic.*

6 Debent enim magistratus omnes suas inuicem iurisdictiones mutuis auxiliis tueri, vt scriptum est *Dest. 1. J. de exec. rei iud.*

DEFINITIO XLIX.

De decimis cognitio & iurisdictio sit.

SIcuti de decimis tanquam de re spirituali non alius cognoscere potest in petitorio quàm iudex ecclesiasticus, [1] Ita nec alius in possessorio, quam Senatus aut Iuridicus maior prouinciæ, in qua fundi sunt, de quarum decimis disputatur. [2] Sed si neque de iure percipiendi decimas neque de earum quota contendatur, sed de eo tantum an solutæ sint necne, [3] cuiuslibet iudicis etiam inferioris ea cognitio & iurisdictio esse potest. [4] *Ita Senatus* pro D. Priore de Rumilly, contra Rosset in publico Auditorio, 4. Id. Iul. 1612.

1 *Tot. tit. Extr. de decim.*

2 Ita enim stylo Senatus nostri cautum est de omnibus beneficialibus quæstionibus.

3 Quæ quæstio tota facti est. Solutio enim est facti *l. consilio* 8. §. *vlt. D. de curat. furios. l. 1. C. de probat.*

4 Habet enim vnusquisque iudex iurisdictionem in suo territorio *l. vlt. D. hoc tit.* Quod tamen intellige de iis iudicibus qui habent iurisdictionem. Nec enim omnes habent, sed plerique notionem tantùm & iudicationem, *l. ait prætor 6. D. de re iudic.*

DEFINITIO L.

De officio Senatoris commissarij.

SEnator datus à Senatu commissarius, vt vocant, & Recuperator ad audiendos litigatores, numquam debet eam sibi authoritatem adrogare, vt idipsum pronunciet quod à Senatu ipso pronunciandum esset. [1] Sed ea tantum quæ ad præparandam Senatus pronunciationem conuenientia videantur, quæ pragmatici præparatoria vocant. Itaque si contra faciat, licet idipsum pronunciet, quod Senatus ipse pronunciaret, in irritum tamen deducenda pronunciatio est. [2] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 21. infr. De hered. vel act. vend.

1 Ne scilicet videatur Senator totius Senatus potestatem & authoritatem sibi adrogare, quod facere nec potest nec debet.

2 His verbis, *Le Senat a mis l'appellation & ce dont a esté appellé au neant.*]

TIT. XIII.

QVAND. IMPER. INT. pupill. & vid.

DEFINITIO I.

Vidua dotem repetens habet priuilegium sui iudicis etiam si contra pupillum agat.

PRIVILEGIVM, quod datum est viduæ in dotis repetitione, vt primum iudicem habere Senatum possit, [1] non idcirco ei denegandum est, quod aduersus pupillos agat, [2] quamuis pupillorum interfit cum conueniuntur, vt duplicis instantiæ beneficio fruantur. [3] Nam & pupillorum interest, vt de eorum causis Senatus cognoscat, [4] maiores vtique & ampliores dilationes pro rerum & personarum qualitate concessurus, si id æquitas postulare videbitur. [5] Neque distingui oportebit an egregia dos sit quæ excedat summam quingentorum aureorum, necne. [6] Quantulacumque enim dos sit, quam vidua petit, fauor dotis & conditio personæ facit, vt priuilegio digna existimetur. [7] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio contra liberos & heredes N. Amedei Michal magistri Computorum 6. Cal. Febr. 1593.

1 Ex placito Senatus nostri & modificatione per eum facta ad Sereniſſimi Ducis Diui Emanuelis Philiberti edictum, quod vulgo edictum Niciæ appellant.

2 Licet

BIU Cujas

2 Licet dici soleat priuilegiatum non vti priuilegio contra alium æque priuilegiatum. Id enim fallit aliquando ex causa, *l. verum* 11. §. *vlt. D. de minor. l. vlt. D. ex quib. caus. maior.*

3 Propter eam rationem, quam attuli *Defin. 32. nu. 3. 5. tit. prox.* Facit tamen pro pupillis, *l. vnic. C. hoc tit.* sed hæc Definitio intelligenda est de vidua dotem repetente, quo casu duplex priuilegium concurrit, personæ scilicet & causæ, vt mirum non sit, si vidua pupillo præferatur vnum duntaxat priuilegium habenti. Alioqui sane non præferretur, *arg. d. l. vnic.* quæ non solum de pupillis prius quam de viduis loquitur, *arg. l. quoties* 34. *D. de vsufr. l. generaliter* 24. §. *quid ergo* 17. *D. de fideic. libert.* sed & pupillis ipsis & viduis eo potissimum casu priuilegium dat, quo huiusmodi personæ aduersarij potentiam perhorrescant, quod vix euenire potest vidua contra pupillum agente.

4 Fauor enim personæ vel causæ est, vt maiores iudices habere debeat, *l. non distinguemus* 32. §. *de liberali, D. de recept. qui arbit.* Vnde est quod de restitutione in integrum minorum solus prætor olim cognoscebat, cum ex aliis causis iudicium & iudicem dare soleret, *l. 1. D. de minor. l. 1. De eo quod met. caus. l. 1. D. de dolo, l. vlt. C. vbi & apud quem cogn. in integr. restit.*

5 Est enim id positum in arbitrio & religione iudicantis, eoque iure vtimur, *arg. l. oratione* 7. *D. de fer. & dilat.* licet contra constitutum videatur in *l. 1. & vlt. C. eod.*

6 Illa namque distinctio per Senatus modificationem adhibita est, quod ad alias personas attinet, quæ priuilegium nullum habent.

7 *L. vnic. C. hoc tit.* neque sane lex aut ciuilis, aut prouincialis nostra distinguit quanta sit dos. Proinde nec nos distinguere debemus, *vulg. l. de pretio* 8. *D. de publician. in rem act.*

TIT. XIV.

VBI DE CRIM. AGI OPOR.

DEFINITIO I.

Quomodo quis ex delicto forum sortiatur.

ETIAM ex delicto forum quis sortiri solet. [1] Sed etsi tum quoque id recte dicitur, cum delinquens in eo ipso loco, in quo deliquit, non reperitur, & per contumaciam condemnatur, [2] eo tamen iure vtimur, vt non magis in criminalibus quam in ciuilibus causis concedi debeat petita remissio ad iudicem alieni territorij, [3] nisi vno illo casu, quo vel originis vel domicilij ratio delinquentem subiecerit iurisdictioni eius, ad quem remissio postulatur, quique ei præest territorio, in quo crimen commissum est. [4] *Ita tractatum est* in causa N. Guilielmi de Gadagne Senescalli Lugdunensis & Dominæ de Meximieu, 5. Id. Iulij 1598.

1 *L. 3. ff. de off. præsid. Auth. qua in prouincia, C. hoc tit.* [Iunge 3. *quæst.* 6. *can.* 1. *cap.* 1. *Extr. de raptor. cap. postulasti, & cap. fin. Extr. de for. compet.*]

2 Alioqui eueniret vt priuilegium nullum haberet locus delicti, cum in eo etiam loco vbi delictum commissum non est, possit reus conueniri, si interueniatur, *l. 1. C. hoc tit.* facileque esset pessimo cuilibet alienam iurisdictionem turbare, ac fugiendo eludere, si aduersus delinquentes eosdemque contumaces ius reddere non posset iudex loci, in quo delictum admissum est.

3 Suam enim iurisdictionem quilibet iudex tuetur, cum æque competens sit iudex loci vbi delinquens reperitur, atque iudex loci in quo delictum admissum est. Ita fit, vt plerumque delicta impunita remaneant nolente iudice, apud quem delinquens est, eum remittere, nec rursus iudice loci, vbi delictum admissum est elogia testium, aut testes ipsos mittere ad iudicem loci vbi est qui deliquit, cum iudices diuersorum sint Principum. Boer. *decis. 29. num. 5. & 6.* post Bald. *in d. l. 3. de off. præs. & in l. 2. §. sed nunquid. C. de seru. fug.*

4 Hoc enim casu duplex ius concurrit in persona iudicis petentis remissionem, ideoque eum præferri æquum est, mutuisque in eam rem auxiliis iudices omnes sibi inuicem subuenire, ne delicta remaneant impunita, dum iudices contendunt de iurisdictione, *Clem. pastoralis*, in verb. *De more*, vbi gloss. *Extr. de senten. & re iudic.* Bart. *in l. 1. §. præsides. De requir. reis.* Oldr. *cons. 83. & 124.* Guid. Pap. cum sua addit. *quæst. 202.* Marant. *De ord. iudic. part. 6. nu. 39. 40. 41.* Rebuff. *in tract. de lit. requisit. num. 27.* An autem in contractibus locus sit remissioni, vide apud Mynsing. *cent. 1. obseru. 22. & cent. 2. obseru. 5.*

DEFINITIO II.

Qui deliquit ex mandato alterius, non habet priuilegium fori ex persona mandatoris.

SI delictum alio mandante admissum sit, qui diuersi fori domicilium habeat, placet prævalere locum delicti perpetrati, attendíque eum debere potius, quam locum in quo est, qui delictum fieri mandauit, [1] cum non tam mandatum quam admissum delictum & actioni causam præbeat & condemnationi. [2] Eoque passim iure vtimur.

1 Guid. Pap. *quæst.* 104.

2 Quia in huiusmodi causis mandatum regulariter non excusat, nisi in certis casibus, quos vide apud Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. vltim. quæst. 60. vers. solet. l. 3. §. 1. D. de vi & vi armat.* licet non eo minus mandator ex persona sua teneatur, *l. non ideo minus 5. Cod. de accus. & inscript.*

DEFINITIO III.

In delictis præueniisse quis dicatur.

IN delictis communibus, in quibus locus est occupationi, & vt loquuntur, præuentioni, [1] si quæratur quis præuenerit, non illud inspicimus, quis prior de crimine inquisierit aut reum de crimine interrogauerit, nec rursum, quis prior in ius vocari aut prehendi reum iusserit, sed cuius primum imperio vocatus ille in ius fuerit aut prehensus. [2] Omnium siquidem actionum instruendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, quæ est de in ius vocando. [3] *Ita Senatus* in causa Procuratoris iurisdictionalis de Foissiaz, contra N. Cornaton & Procuratorem Fiscalem Archiepiscopi Lugdunensis, 6. Calend. April. 1594.

1 Vt euenit in omnibus causis criminum, quæ sunt mixti fori.

2 Quia parum est, iussisse vocari aut prehendi, si non sit secuta executio. *in qua totus vigor consistit. l. pen. C. de exec. rei iudic.*

3 §. *omnium, Instit. de pœn. temer. litigant.*

TIT. XV.

VBI CONVEN. QVI CERT. loc. dar. promis.

DEFINITIO I.

Adiectione loci non etiam temporis fieri actionem arbitrariam.

OBLIGATVS soluere certo loco ex stipulatione, ac proinde ex contractu stricti iuris, [1] non potest ex contractu conueniri alio loco, quam quo solui debuit. [2] Actio enim, quæ stricta est, tota ex obligatione æstimatur [3], obligatio autem ex verbis, quibus concepta stipulatio est. [4] Ita fit, vt si debitor nunquam ad eum locum velit accedere, in quo, vt solueret, se obligauit, nulla conueniendi eius ratio supersit summo iure. Quod tamē quoniam esset iniquissimum, necesse fuit, in eam rem comparari actionem arbitrariam, per quam vbicunque

BIU Cujas

reus conueniri posset,[5] & condemnari non solum ad solutionem debitæ quantitatis, sed etiam habita ratione vtilitatis, quę creditori abesset, ob id, quod alio quàm destinato loco solueretur.[6] Etsi autem aliæ pleræque sunt actiones arbitrariæ,[7] hæc tamen speciali quodam iure & ἐμφατικῶς arbitraria dici solet,[8] non tam quod pleniores habeat præstationes, quam quia speciale aliud nomen non habeat, quomodo habent Rei vindicatio, actio ad exhibendum, & cæteræ si quæ sunt similes.[9] Quid si non certo loco, sed certo tempore solui debuit, nec sua die solutum sit? Perinde quidem debitor condemnabitur ad id omne, quod interierit creditoris.[10] Sed non ideo fiet actio arbitraria[11] cum stricta sufficiat. Quoties enim dies obligationi adiecta est, præstatio & condemnatio eius, quod interest, ex obligatione ipsa proficiscitur, adeoque ex verbis stipularionis. Cur enim dies adiiceretur, nisi vt promissor intelligeret futurum, vt creditori præstandum esset, quanti eius interforet, si ad diem pecunia non solueretur?[12] Et vero non quemadmodum vnus locus in alio loco non continetur, ita dici potest, vnum tempus in alio tempore non comprehendi. Nam breuius tempus in longiori continetur:[13] & qui petit Calend. Februariis, quod Ianuariis anterioribus solui debuit, proculdubio petit suo iure,[14] perinde ac si altero post Calend. Ianuarias die peteret, nisi quod minus petit tempore, si petat detracta temporis vtilitate.[15] Proinde nihil causæ est, cur in eam rem inducamus actionem arbitrariam.[16] quam nec si velimus inducere, tamen possimus, vbi propria, quæ ex obligatione nascitur, actio sufficit, quemadmodum euenit, in bonæ fidei iudiciis, in quibus constat, ita obseruari, vt si in contrahendo conuenerit, vt certo loco quid præstaretur, pristina bonæ fidei actio vtputa ex empto aut vendito sufficiat, nec arbitraria exerceri possit:[17] si non ipsa empti aut venditi obligatio nouationis iure in stipulationem transfusa sit.[18] In eoque errauit grauissime quidam ex recentioribus vir præcipui nominis,[19] qui scripsit, non minus temporis, quam loci adiectione fieri actionem arbitrariam. Sicut & illi errant, qui putant actiones arbitrarias sui natura & origine strictas esse, nec nisi arbitrio iudicis fieri arbitrarias.[20] Nam, cum non alia de causa inductæ sint, quam vt creditoribus consuleretur iis duntaxat casibus, quibus alia actio quælibet magis quam æquitas actione deficeret,[21] nulla nimirum præcedente obligatione, saltem, quæ ad eiusmodi actionem producendam sufficere posset,[22] consequens est, vt subsistente obligatione, propriáque ex negotio contracto actione nulla induci queat arbitraria: siquidem in stricti iuris iudiciis arbitrium iudicis nullum est, sed adstringitur iudex formulæ & obligationis potestati.[23] In iis vero, quæ sunt bonæ fidei, non potest arbitrium esse plenius, quam officium, quod circa eiusmodi actiones propter bonam fidem exercendum est.[24] Itaque actiones arbitrariæ tertiam speciem actionum constituunt, ab aliis quidem omnibus, sed ab iis maxime, quæ strictæ sunt, & natura & nomine, & potestate differentem.[25] *Ita in Senatu* tractatum est in ea causa, de qua Defin. 6. infr. si cert. petat.

1 Stipulationes enim omnes sunt stricti iuris, *l. quicquid adstringendæ 99. De verb. oblig.*

2 *L. 1. D. eod. hoc tit. de eo, quod cert. loc.*

3 Ideo namque dicitur stricta, quod neque interpretationem vllam, neque officium aut arbitrium iudicis admittit. In quo differt ab actionibus bonæ fidei & arbitrariis, *l. quia tantundem 7. D. de neg. gest. l. quæro, 54. D. locat.*

4 Quam ob causam stipulationem verborum obligationem appellamus, *l. 1. tot. tit. de verb. oblig.*

5 *d. l. 1. D. hoc tit.*

6 Actio enim arbitraria, de eo quod certo loco, vtriusque vtilitatem continet, *l. 2. eod.* id est, alterutrius, vt loquitur *l. vnic. C. eod.* Eius scilicet, qui moram passus est.

7 De quibus *in* §. *præterea, Instit. de action.*

8 *D. l. 1. 2. & pass. D. hoc tit.*

9 Vt scripsi *lib. 15. Coniect. iur. ciuil. cap. 1.*

10 *L. quod si Ephes. . D. hoc tit.*

11 In quo errauit Iacob. Cuiac. qui scripsit, adiectione temporis sicut & loci fieri actionem arbitrariam, contra quem scripsi *lib. 15. Coniect. cap. 5.*

12 *L. si Calendis, 11. D. de re iudic. l. si fundum certo die, 114. de verb. obligat.*

13 *L. stipulatio ista 38. §. inter, de verb. oblig. l. Iauolenus, 15. alias l. eum qui de ann. legat.*

14 Quia saltem hodie dandum est, quod iam ante dari oportuit, *l. si sterilis, 21. §. cum per venditorem, D. de act. empt. l. Celsus ait, 23. §. 1. D. de recept. qui arbitr.*

15 Quemadmodum & plus peteret tempore, qui peteret ante tempus, §. *plus autem, Instit. de action.*

16 Actio enim arbitraria, de eo quod certo loco, non nisi ex necessitate inducta est, & ex æquitate contra stricti iuris rationes, *d. l. 1. D. hoc tit.*

17 *L. in bonæ fidei, 7. eod.*

18 Quia hoc casu tollitur pristina obligatio, quæ erat bonæ fidei, & noua inducitur, quæ est stricta, *l. 4. versic. verum, D. de vsur.*

19 Iacob. Cuiac. *ad Afric. in l. centum Capuæ, 8. hoc tit.*

20 VVesembec. & alij vulgo *ad dict.* §. *præterea. Institut. de action.*

21 Aliquando enim actio deficit, licet non deficiat æquitas, *l. 2. §. quanquam, D. de aqua & aqu. pluu. arcend.*

22 Nam & inde fit, vt in huiusmodi actionibus arbitrium præcedere necesse sit, vt sequi possit condemnatio, *dict. §. præterea, l. item si, 14. §. 1. & §. hæc autem actio Institut. de eo quod metus caus.*

23 *d. l. quicquid 99. de verb. oblig.*

24 *Arg. d. l. quæ tantundem 7. D. de negot. gest.*

25 Vide omnino, quæ in hanc rem scripsi *libr. decimo sexto coniectur.*

DEFINITIO II.

Creditor, cui & alio loco & in alia moneta soluitur, omnimodo & vndique indemnis præstandus est.

CRedidi tibi centum aureos reddendos Lugduni ad certam diem, æstimato vnoquoquo aureo sexaginta assibus regiis. Constat non teneri te aureos in auro soluere, siue propria actione Lugduni, siue arbitraria post diem alio loco conueniare, sed liberari te soluendo æstimationem, de qua conuenit.[1] Nam etsi non essent aurei æstimati, adhuc tamen dicendum esset ex receptissima vbique gentium consuetudine, licet inuita iuris ratione, æstimationem solui posse.[2] Sed an, si contra te agam Camberij, cogendus eris soluere in assibus regiis, an liberaberis oblata & obsignata æstimatione sexaginta assium regiorum in moneta Sabaudiæ pro vnoquoquo aureo? Placet, me, qui Camberij ago, recusare non posse, quo minus accipiam solutionem in ea moneta, quæ & Camberiensium commercio & edicto Principis approbata est.[3] Sed tamen, quia Lugduni non Camberij soluere debuisti, nec æquum est auferri mihi facto tuo commodum loci, in quem solutio fuerat destinata, condemnandus es præterea quanti mea interest habere asses regios.[4] In quo continebitur quanti expensurus sum, vt ex moneta illa Sabaudica emere possim, mihique parare regiam, si forte Sabaudica nullius aut minoris vsus & vtilitatis mihi futura sit.[5] Eademque ratio facit, vt si offeras mihi Camberij pro singulis aureis sexaginta asses regios, ac proinde in moneta regia, nec tamen eo precio possim Camberij aureum comparare, propterea, quod in Sabaudia longe pluris quam Lugduni æstimetur, nec tu liberandus sis, nec ego accipere cogendus, quoniam ea res damno meo cederet, damnum autem ex eo contingeret, quod tu alio loco solueres quam destinato, quandoquidem si Lugduni solutio fieret, ex sexagenis assibus facile mihi aureũ pararem.[6] Igitur vltra regios asses sexaginta præstare te oportebit quantũ deerit, vt aureum Camberij habere possim

possim. Neque enim aliter fieri potest, vt indemnitatem videar à te consecutus, quam sine dubio plenissimam mihi præstare debes. 7 Sed etsi quid præterea intersit mea Lugduni potius quam Camberij nummos habuisse, 8 id quoque mihi præstandum erit, sicuti præstaretur, si vna eademque esset Lugduni & Camberij nummorum forma, materia & æstimatio. 9 Nam quod prudentibus placuit nunquam ratione nummorum præstari debere id, quod interest, ne facile in infinitum excurrat, 10 quemadmodum ad eas pecunias non pertinet, quæ certo loco & tempore dari debuerunt, 11 ita nec ad nostra tempora, quorum infelicitate fit, ac magno omnium malo, vt nihil sit incertius æstimatione nummorum, quæ vbique certa eademque esse deberet. 12 *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Bartholomæi Fosse pro mercatoribus quibusdam Lugdunensibus, 5. Non. Iul. 1591. & rursus pro fratribus Ponthus Lugdunensibus, contra N. Amedeum du Coudrey Iurisconsult. maximum, postea Sereniss. Ducis nostri Consiliarium dignissimum, 5. Cal. Septemb. 1592.

1 Æstimatio enim fit ob eam demum causam, *l. plerunque, D. de iur. dot.* Vide omnino tractatum nostrum *de varijs nummar. debit. solut.*

2 Bart. *in l. 1. D. de aur. & arg. legat.*

3 Agendo enim Camberij hoc ipso me obligaui, vt in ea moneta solutionem accipere cogi possem, quæ Camberij sit in vsu, & quam magistratus Camberiensis improbare non possit. Nam etsi nolentem te soluere iudex condemnaret, ac in iudicati executione bona tua capi necesse esset, precium, quod ex eorum distractione redigendum esset, non in alia moneta solueretur, quam qua Camberienses vulgo vterentur. Quidni ergo liceat de ea ipsa soluere? *arg. l. quod autem 6. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit. l. si reus 73. D. de procur.*

4 *L. 1. 2. 3. & pass. D. hoc tit.*

5 Quoties enim creditor in alia nummorum specie, quam quæ debetur, solutionem accipit, indemnis omnino seruari debet, *l. Paulus 99. alias l. creditorem D. de solut.* in qua vulgo male legitur *debitorem.*

6 Is enim, qui certo loco dare promisit, nullo alio loco, quam in quo promisit, soluere inuito stipulatore potest, *l. is qui penult. D. hoc tit.*

7 *d. l. creditorem.*

8 Forte, quia Lugduni ad eandem diem debebam pecuniam sub pœna aut pignore, quod fuerit distractum, *vt in l. 3. D. de in lit. iurand.*

9 Potest enim ex variis causis interesse, quarum vna sublata nihil prohibet aliam superesse, *l. Celsus 23. §. 1. D. de condit. & demonstr.*

10 *L. ex empto 11. D. de act. empt. l. curabit 5. D. eod.* Text. est elegans *in l. socium 60. D. pro socio.* vbi vsuræ pecuniæ debentur non quasi vsuræ, sed quasi id quod interest creditoris.

11 *d. l. 3. D. de in lit. iurand.*

12 *L. 3. D. hoc tit. de eo quod cert. loc.*

DEFINITIO III.

Non esse spectandum locum iudicij in præiudicium creditoris, qui inuitus agit arbitraria.

NOn est alienum à superioribus, quod cum certo loco soluere promissor debuit, si post moram [1] alibi conueniatur arbitraria, de eo quod certo loco, actione, nunquam iudicij locus spectandus sit, ex eo melior debitoris & durior creditoris conditio futura sit. [2] Tametsi soleat dici, in iis, quæ ad iudicij ordinationem pertinent, locum iudicij spectandum esse non contractus. [3] Est enim perpetuum & rationi apprime consentaneum, vt nunquam prodesse debeat promissori moroso, quod alio loco conueniatur, quam in quo soluere debuit. [4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 3. sup. vbi & apud quos caus. in integr. rest. agit. fit.

1 Non enim agi potest arbitraria, de eo quod certo loco, ante moram, *l. 1. & l. centum 8. & l. vlt. D. hoc tit.* aut quin saltem dies præterierit, intra quem peruenire poterat ad locum destinatum, si forte debitor alio loco carceratus ad destinatum venire non potuerit, nec ideo tamen in mora fuerit, vt Iaf. tractat *ad d. l. 1. ex illis verb. vel quia alias locis necessario distringeretur*, iunct. *l. sciendum 21. & seqq. D. de vsur.*

2 Quia nihil potest imputari ei, qui alio loco agit coactus & ex necessitate.

3 Dixi *Defin. 3. 3. vbi & apud quem cognit. in integr. restit.*

4 Alioqui prodesset ei sua frustratio & callidtas, contra *l. sed etsi 11. §. penult. D. ad exhib. l. hominem 73. D. mandat.* Sic dicimus eum, qui vitiose possidet, nunquam debere vincere ob hoc solum quod possideat, *l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

DEFINITIO IV.

Quando conueniri quis possit in eo loco destinatæ solutionis.

QVi contraxit Lugduni, aut, quod fere idem est, Lugduni soluere promisit (contraxisse enim vnusquisque intelligitur in eo loco, in quo vt solueret se obligauit [1]) non potest conueniri Lugduni & quasi contumax à Lugdunensi magistratu condemnari, [2] si neque domicilium ibi habeat, neque fuerit eo loco repertus. [3] Ne alioqui facile sit iustam boni debitoris ignorantiam circumuenire, [4] absentémque inauditum cui nihil imputari queat condemnare. [5] Atque ita accipiendum est, quod dici solet, in electione creditoris esse, an debitorem conuenire velit in loco domicilij, an in eo, qui solutioni destinatus fuit. [6] *Ita Senatus* in causa Andrææ Callier & Petri Ioannis Verdon, 6. Cal. Iun. 1594. Iunge Defin. 37. De solut.

1 *L. contraxisse 21. D. de obligat. & action. l. 3. D. de reb. auct. indic. possid.*

2 Tanquam contumax, si non sit ei denunciata citatio, aut ad eius notitiam aliter peruenerit.

3 Alterutrum sane sufficit, & vt eo loco repertus scilicet domicilium ibi non habeat, *l. heres absens 19. §. 1. D. de iudic.*

4 *Arg. l. si fideiussor 29. §. si debitor. D. mandat.*

5 Quia enim habet iustam ignorantiam, non potest videri contumax, *l. 3. quomod. & quand. iud.*

6 *dict. l. heres §. 1. de iudic.* iunct. *dict. l. contraxisse, de oblig. & act. & dict. l. 3. §. 1. de reb. auctor. iudic. possid.* Indeque est, quod solent creditores curare, vt debitor domicilium sibi eligat in eo loco, in quo contrahit, aut in quem solutio destinatur, vt possint eum, licet absentem, ibi conuenire.

DEFINITIO V.

Pecuniæ, quæ ad certam diem alterutro loco solui debuit sub vsuris, nullæ vsuræ debentur ante electionem, si fuit electio creditoris.

CReditor, cui pecunia ad certam diem solui debuit Lugduni aut Romæ vtrubi ipse mallet (excepta nimirum per creditorem loci electione [1]) non potest petere vsuras, etiam in stipulatum deductas, [2] nisi ab eo die quod elegit & voluntatem suam declarauit, quonam loco paratus esset accipere solutionem. [3] Nimirum, quia nec prius imputari potest debitori, cur non hoc aut illo loco soluerit, cum non habuerit electionem. [4] *Ita Senatus* pro Dom. de Montarsier Bellicensi fideiussore Abbatis de S. Sulpis, contra illustriss. Dom. Cardinalem Sanseuerinum, 16. Calend. April. 1595.

1 Alioqui electio est debitoris non creditoris, non vbi petatur, sed vbi velit soluere, *l. 2. §. Scæuola, D. hoc tit.*

2 Hoc enim ita supponendum est, quoniam alioquin vsuræ deberi non possent, *l. 3. C. de vsur. l. Titius 24. D. de præscr. verb.*

3 *Arg. l. pen. D. de adopt. leg.* ibi, *cum mater elegerit, a contr. sens.* Facit *l. Iulianus 13. §. offerri, l. si & per emptorem 51. de act. empt.*

4 Sic dicimus nullam esse moram vbi nulla petitio est, *l. si pupillus 127. de verb. oblig. l. mora 88. de reg. iur.* In proposito autem nulla fuit petitio ante electionem, cum per petitionem ipsam fiat electio, *d. l. 2. §. Scæuola, D. hoc tit.* Aliud igitur esset, si electio fuisset debitoris. Vide Philip. Dec. *cons. 2.*

BIU Cujas

[DEFINITIO VI.

Quantum interſit an quis debeat certo loco, an in ſolutum dederit pecuniam debitam certo loco.

EI qui certo loco dare promiſit, non bene comparatur is qui creditori ſuo delegauit, in ſolutum debitorem paris quantitatis certo loco ſoluendę, & certo tẽpore. Nam licet neque ſuo loco neque ſuo tempore ſoluta ſit pecunia, non ideo tamen poterit hic qui delegauit, vbique conueniri per arbitrariam, [1] vt nec in eo ipſo loco in quo ſolui, pecunia debuit, [2] cum nihil ipſe debeat qui fuit per delegationem liberatus, [3] Nec aliud erit tametſi nulla interuenerit delegatio, ſi modò nomen debitoris qui certo loco ſoluere debuerat, datum fuerit in ſolutum. [4] Neque ſolùm ſi periculo ceſſionarij facta ſit ceſſio, qui caſus minorem aut nullam potius recipit dubitationem, [5] Sed etſi periculo cedentis. [6] Quo tamen caſu ſicuti ad hoc tenetur ceſſionarius, vt debitorem ceſſum conueniat, [7] nec tantum in mora ſoluendi conſtituat, [8] ſed etiam in ius vocet, eumque aut in iudicio præſentem aduerſarium exhibeat, [9] aut per contumaciam pro præſente habendum, [10] Ita viciſſim cedentem obligatum habet vt conſtitutam cœptámque litem ſuſcipiat, & ſuis ſumptibus ſuoque periculo ad finem vſque perſequatur. [11] Id ni faciat intra tempus arbitrio iudicis conſtituendum pro locorum, temporum & perſonarum varietate, [12] condemnandus eſt. [13] Non ex prima obligatione, quæ per dationem in ſolutum ſemel extincta ipſo iure, non poteſt amplius reuiuiſcere, [14] ſed ob ſuſceptum ab eo periculum ceſſionis, cuius proinde pleniſſimum effectum præſtare, ex eaque cauſa indemnem ceſſionarium ſeruare debet, [15] præſertim verò ſi de omni impedimento tollendo ſe obligauerit. [16] Impedimentum enim ſubeſſe certum eſt, quoties non ſolùm ceſſat in ſolutione ceſſus & interpellatus debitor (nihil enim niſi moram inducere ea ceſſatio poteſt [17]) ſed etiam ad iudicem euocatus audet contradicere [18] ſiue neget ſe debitorem, [19] ſiue fateatur quidem ſe debere, ſed aut ſine cauſa differat ſolutionem, aut denique litigare malit, quàm ſoluere. [20] *Ita Senatus* in cauſa D. Comitis de la Foreſt & D. de la Fleſchiere 17. Maij 1614.

1 Quomodo conueniri poteſt is qui certo loco debuit, *l.1. & paſſ. D. hoc tit. l. vnic. C. eod.*

2 Actione ſcilicet directa ex ſtipulatione, Nec enim competit arbitraria niſi cum agitur alio loco *d. l. 1. D. hoc tit.*

3 Nam qui delegat ſoluit, *l. quamuis 8. §. interdum, D. ad SC. Vellæan.*

4 Nam & citra delegationem hoc fieri poteſt, *l. pupilli 96. §. ſoror, D. de ſolut. l. 1. Cod. de nouat. & in l. vltim. Cod. quand. fiſc. vel priuat.*

5 Cum hoc caſu nullum vnquam regreſſum habere poſſit ceſſionarius contra cedentem, ſi nihil dolo malo cedentis factum proponatur, *l. periculum 30. D. de pignor. Not. in d. §. ſoror.*

6 *Vt in d. §. ſoror.*

7 Vt ſciri poſſit hoc ipſum an malum ſit nomen ceſſum, & an de ipſius periculo tractari oporteat.

8 Quæ contracta intelligetur, ſi congruo loco & tempore interpellatus non ſoluerit, *l. mora 32. de vſur.*

9 Cum actio vtilis & efficax competat ceſſionario non cedenti, licet actiones directæ remaneant penes cedentem, *l. 3. C. de nouat. l. vlt. D. de tranſact.*

10 Contumax enim pro præſente habetur, *Auth. quæ in prouincia, C. vbi de crim. agi oport.*

11 Hoc enim demum eſt periculum nominis præſtare, *l. ſi vero, 12. §. ſi quis mandauerit, D. mandat.*

12 Longiores enim aliquando ſunt iudiciorum moræ, aliquando breuiores.

13 *d. §. ſoror.*

14 *L. qui res 98. §. aream, D. de ſolut. l. ob eam cauſam 9. D. de præſcr. verb.*

15 *d. §. ſoror, l. ſi plus 74. §. mota quæſtione.*

16 Solet enim hæc clauſula adiici cuius maior erit effectus ſi actum ſit de tollendo omni impedimento, tam facti quàm iuris. Alioqui non poteſt is qui de euictione tenetur conueniri ad præſtandam vim quæ ab alio nullo iure illata ſit, *l. vlt. Cod. de action. empt.*

17 *d. l. mora*, & quidem cum diſtinctionibus, de quibus *in l. ſciendum 21. & ſeq. cod. tit. de vſur.*

18 Contradictio enim & conteſtatio facit rem dubiam, *l. vnic. C. de lit. conteſt. l. vlt. C. quand. ad liber. proclam. non lic.*

19 Quod improbiſſimum conteſtationis genus eſt, ita vt lis creſcat interdum propter huiuſmodi inficiationem, *l. 4. Cod. de leg. Aquil.*

20 Quod facere plerique debitorum ſolent, quia iudicia omnia ſuas habent moras & incertum euentum, *l. legatum 15. D. vt leg. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat. l. quod debetur 51. D. de pecul.*]

TIT. XVI.

VBI IN REM ACTIO.

DEFINITIO I.

Si aduerſus eum, qui certo loco ſoluere debuit, agatur aut perſonali actione aut hypothecaria.

PErsonali actione conuentus in eo loco, in quo, vt ſolueret, ſe obligauit, fori præſcriptionem obiicere non poteſt, licet domicilium habeat in alterius iuriſdictionis territorio: [1] Nam tam, quod contraxiſſe vnuſquiſque intelligendus ſit in eo loco, in quo vt ſolueret ſe obligauit, [2] (non enim ex eo ſolo amittitur fori priuilegium, quod in alieno territorio contractum ſit, [3] dummodo in eodem ſuperioritatis diſtrictu ſit forum, ad quod remiſſio poſtulatur, [4] Alioqui paſſim fieret iis iniuria, quorum iuriſdictio eſt,) quam quia iniquum ſit, & aduerſus contrahentium voluntatem, vt alio loco creditor ius ſuum exequi cogatur, quam apud iudicem loci, in quo accipere debeat ſolutionem. [5] Sed hoc ita intelligendum eſt, ſi in eo ipſo loco debitor inueniatur. [6] Cæterum arbitraria agendum erit, vt & alio loco ſoluatur & præſtetur creditori quanti ipſius intereſt, quod deſtinato loco non ſoluatur. [7] Sed ſi in rem agatur & in pignora ſiue mobilium rerum, ſiue immobilium, ibi lis neceſſario tractanda eſt, vbi executio in rem facta fuit. [8] Nam ſi de rei mobilis pignore agatur, fori præſcriptionem non magis obiicere debitor poteſt, quam ſi rei immobilis pignus vindicetur. [9] Videtur autem reali actum & hypothecaria, quoties in rem ipſam executio fit, licet iuſſus ſit debitor vt ſolueret, quoniam iuſſum illum præcedere neceſſe eſt, etiam cum hypothecaria agitur contra debitorem, [10] quippe, quæ conditionem illam habeat, ſi pecunia non ſoluatur. [11] *Ita Senatus* ex tempore 12. Calend. Decembr. 1593.

1 *L. heres abſens 19. §. 1. D. de iudic.*

2 *L. contraxiſſe 21. D. de oblig. & action. l. 3. D. de reb. auctor. iudic. poſſid.*

3 Nam ſi ciuis Camberienſis mihi fundum vendiderit Necij, non ob id potero eum Necij conuenire, quamuis ibi repertum, ſi Camberij domicilium habeat.

4 Quid enim ſi Sabaudus vendat aut aliter contrahat in Gallia? Nemo dixerit eum in Gallia repertum habere fori præſcriptionem, vt ad Sabaudienſes magiſtratus remitti debeat.

5 Nam etſi ſolutio deſtinata eſſet Epheſi aut Romæ, electio deberet eſſe creditoris, ne in poteſtate debitoris eſſet, ne vnquam ſolueret, *l. 2. §. Scæuola, D. de eo quod cert. loc.* multo igitur magis poterit eum conuenire in loco deſtinato, ſi vnus tantum locus fuit.

6 Vt ſcripſi *Defin. 4. ſ. tit. prox.*

7 *L. 1. &*

BIU Cujas

7 *l.1.& tot.tit. D.de eo, quod cert.loco,l.vnic. Cod.vbi conuen.qui cert.loc.dar.promis.*

8 *l.vlt.C.hoc tit.*

9 Vtraque enim actio æque pignoris vindicatio est in rem, *l.si rem 9.§.proprie.D.de pign.act.*iunct.*l.pign.17.D.de pignor.*

10 Nisi cum hypothecaria est anomala, qualis illa, quæ contra clericum auctoritate iudicis laici exercetur, de qua scripsimus *Defin.19.3.de iurisd.omn.iudic.*

11 *l.grege 13.§.etiam,l.si fundus 16.§.in vindicatione,D.de pign.*

TIT. XVII.

VBI SENAT. VEL CLARISS.

DEFINITIO I.

De priuilegio Senatorum & aliorum, qui non nisi apud Sabaudiæ iuridicum maiorem conuenienti sunt.

SENATORVM & Rationalium, itémque eorum, quos Status Consiliarios appellamus, singulare ius est ex Principali indulgentia, vt siue agant siue conueniantur, iudicem habeant eum, qui Sabaudiæ iuridicus maior est, [1] non illa solum ratione, quod domicilium in eo loco habeant, in quo amplissimi ordinis collegium est [2] (nam non eo minus pristinum domicilium retinent in ea prouincia vnde traxerunt originem [3]) sed ob id potissimum, quod non sit iis liberum à loco maiorum discedere ad negotia sua in prouinciis explicanda, neque tamen æquum sit damnosum iis esse officium suum, quod facile accideret, si propriis litibus adesse prohiberentur: [4] Cum nemo sit qui ignoret, quantum vrgeat præsentia litigatoris ad lites citius feliciúsque expediendas. [5] An autem eo priuilegio vti Senatores deberent, si de re minima, vtputa de censu emphyteuticario ageretur, sæpius dubitatum fuit. Videbatur enim id non modo inuidiosum, [6] sed etiam iniquum, [7] vt pauperculus emphyteuta ab imis Sebusiæ finibus Camberium vsque euocaretur ad litem de ea re suscipiendam, quam sibi longe commodius esset delinquere suóque iure cedere [8] ad litis moras impensasque deuitandas. [9] Sed tamen, quia passim euenit, vt emphyteutarum dolo & peruicacia cogantur domini directi de huiusmodi minutis litigare ad seruandam totius directi dominij causam: Nihil rationis visum est cur de Senatoris potius quam de illius, qui cum Senatore contenderet, probitate dubitari oporteret. [10] Itaque placuit omni casu & de re qualibet saluum iis priuilegium esse debere. [11] Sed hoc tamen addito temperamento, vt pro sua prudentia videant Senatores, ne huiusmodi priuilegio in paupertum necem abutantur. [12] *Ita Senatus* pro D. Claudio de la Coux Abbate d'Ambournay, contra Syndicos vniuersitatis de Seziriaz. Prid.Calend.Februar. 1590.

1 *Arg.l.Senatores 2.C.hoc tit.*

2 *l.Senatores,*vbi DD.*de Senator.l.interdum,§.Senator,iudic.l.ciues,& seq.C.de incol.lib.10.l.2.C.hoc tit.*

3 Boer.*quæst.11.num.1.*

4 Itaque quod olim obtinuit, vt maior magistratus non posset conueniri in ea ciuitate, in qua erat magistratus, *l.2.D.de in ius voc.* hodie apud nos non obtinet. Ideo fortasse, quod magistratus sunt perpetui, qui olim non nisi annui erant.

5 Inde namque est quod Paulus respondit, etiam eum, qui ad litem suscipiendam procuratorem dedit, causæ suæ adesse non prohiberi, *l.Paulus respondit 69.D.de procur.*

6 *Arg.l.nec quicquam 9.§.aduocatos,D.de off.proconf.*

7 Priuilegia enim Senatorum ad aliorum iniuriam porrigi non oportet, *l.impuberi 40.D.de admin.tutor.l.in fraudem 15. D.de testam.milit.*

8 *Argum. l.in cum quo 7.* vbi Bartol. *D.de aqua & aquæ pluu. arcend.*

9 *Arg.l.4.§.non tamen,D.de alien.iudic.mut.cauſ.fact.*

10 *Argum.l.vnic.§.cunabulis, versic. credidit enim, Cod.de offic. præf.præt.*

11 Priuilegium enim quod est fauorabile, extendendum potius est, præsertim ex communi vsu, consuetudine & practica, quam restringendum, *arg.l.quæsitum 17.D.de reb.auct.iudic.possid. alias l.2.de priuil.credit.* Eo autem iure Senatores nostros perpetuo vsos fuisse constabat.

12 Nam amittere priuilegium deberet, qui in id committeret, *l.sed hoc ita 22.in fin.D.de re iudic.*

DEFINITIO II.

Qui apud priuilegiarium suum iudicem conuenitur, fori communis præscriptionem non habet.

QVid ergo si Senator aliusve ex clarissimis, qui priuilegium habent, conueniatur apud iuridicum maiorem Sabaudiæ pro re, quæ in alterius iudicis territorio sita sit; an audiendus erit, si ab ea iurisdictione declinare velit, & ad fundi iudicem remitti? Minime. [1] Inuitus enim iudicem illum habere debet, quem inuito quoque aduersario posset eligere. [2] Sed hoc ita si conueniatur. Nam si agat, ratio nulla est cur priuilegio vti cogatur, [3] cum nec aduersarij quicquam interest. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro D. de Breissieu, contra D.de Lambert, 5. Cal. Septemb. 1592.

1 Nihil enim actori potest imputari, cur hunc non conuenerit apud eum iudicem, à quo reuocandi domum ius ipse habuisset, *l.nec non 28.§.si cum in prouincia D.ex quib.c.aus.maior.*

2 *Argum.l.cum Papinianus 14.in fin.C.de sentent.& inter.omn. iudic*

3 Cum priuilegio suo renunciare pro arbitrio quisque possit, *l.si iudex 41.D.de minor.l.pen.C.de pact.*

4 Non enim videri potest facere iniuriam, qui iure publico & communi, & perpetuo vtitur, *l.si duorum 42.D.de act.empt.* Cum autem conuenitur is, qui forum multiplex habet, electio est actoris, dum ne vllum priuilegio præiudicium fiat, *l.cum clericis 25.in princip.* vbi Bald. *Cod.de epiſcop.& cleric. l.hæres absens 19.§.vltim.D.de iudic.*

DEFINITIO III.

Priuilegium fori datum Senatoribus, ad eorum viduas & liberos non transmittitur.

HOc autem priuilegium, quod Senatoribus nostris aliisque consiliariis Principis maioribus in hac Camberij vrbe degentibus concessum esse diximus, vt siue personali siue reali actione conueniantur in prouinciis, ius habeant reuocandi domum & ad Sabaudiæ iuridicum maiorem, [1] Ad eorum quidem vxores pertinet, [2] sed ad viduas non item, licet cætera priuilegia, quæ ratione dignitatis competunt, ad viduas & liberos quoque transmittantur. [3] Hoc enim non propter dignitatem datum est, sed propter officij necessitatem, [4] cuius administratio nec alibi fieri possit, nec facile & in singulos dies ob domestica negotia deseri, nec denique ita tractari, vt rei familiaris periculum sine causa subire nos oporteat. [5] Quod plerumque contingeret, si procuratorum fidei lites nostras committere vsque adeo cogeremur, vt adesse nosmetipsi non possemus. [6] Quæ rationes sicut in causis vxorum & liberorum cum patre habitantium locum habent: [7] Ita defunctis nobis in viduarum nostrarum ac liberorum personis omnino cessant. [8] *Ita Senatus* 17. Cal. Iulij 1597.

1 Dixi *Defin.1.3.ex l.2.C.hoc tit.*

2 Non solum, quod marito domicilium & conditionem vxor sequatur, *l.vltim.§.item rescripserunt mulierem,D.ad municip.* sed etiam, quia vxores à viris defendi æquum est, *l.2.D.de iniur.* quod apud non suum iudicem æque commode facere maritus non posset.

BIU Cujas

3 *L.filij 22. §.vidua, D.ad municip.* quoniam vidua quandiu vidua manet, in eodem matrimonio stare intelligitur, *l.vlt.C.*

4 Priuilegium enim semper interpretandum est, adeoque restringendum ex causa & ratione, quæ fuit eius inducendi, *l. Titia Seio 83. §.vsuras, de leg.2. l.testamenta 26. §.1. D.de testam.milit. l.impuberi 40. D.de admin.tut. l.5. §.immunitati, de iur.immun. l.3. §. quamuis, de muner.*

5 *Arg.l.5. §.vlt. D.de testib. l.sed si quis 7. D.testam.quem.aper.* vbi additur nemini officium suum debere esse damnosum, quod & scriptum est *in l.videlicet 29. D.ex quib.caus.maior.* Facit eleganter *l.apparitores 5. C.de exact.tribut. lib.10. tit.19.*

6 Contra, quam priuato cuilibet permissum sit, *l.Paulus respondit 69. D.de procurat.*

7 *l.medicos 6. C.de profess. & medic. lib.10. tit.52.*

8 Quia morte Senatoris finitur officium, licet dignitas duret in personis viduæ ac liberorum, quibus nec per casum patris à Senatu remoti auferretur, *l.filiam 9. D.de Senat.*

TIT. XVIII.

QVAND. LICEAT VNICVIque sin. iudic. se vindic.

DEFINITIO I.

Apparitori exequenti quando resisti possit.

VIM facit & delinquit, qui apparitori in ius ducenti aut in carceres rapienti non obtemperat: [2] Neque ob id solum venia dignus videbitur, quod ex postfacto appareat, duci eum rapique non debuisse. [2] Sic enim publica iuris legúmque auctoritas postulat. [3] Satisque sibi consultum credere debuit, quod perperam aut iniuste factam executionem iudex irritam facturus erat, & indemnitatem allaturus. [4] Sed si auctoritate propria, nullóque præcedente iudicis mandato apparitor exequi velit, impune ei resisti potest, tametsi iudicis nomen & auctoritatem obtendat. [5] Sed etsi clericus, quem talem esse constat, per apparitores seculares trahatur in carceres, placet impune auferri & eximi eum posse, [6] quasi videantur illi propria auctoritate facere, quod faciunt iubente illo, quem nemo dubitare possit, iubendi ius non habuisse. 7 Ita partim decisum, partim tractatum est pro Guyoto de la Corbatiere contra fratres de Briod, 7. Calend. Iunij 1590.

1 Vt apparet ex prætoris edicto, de quo *in l.1. & tot.tit. D.ne quis eum, qui in ius voc.est, vi eximat.*

2 *l.sed eximendi 4. §.item si quis, illo tit.* vbi scriptum est illi edicto locum esse, etiam si quis eum vi eximat, qui per calumniam in ius vocabatur.

3 Nam cum apparitor debeat citando reo edere iussiones magistratuum, *l.vltim. Cod.de sportul. & sumpt.in diuers.iudic. fac.* apparet, non posse apparitori resisti, quin magistratus dignitas offendatur.

4 Cum possit appellari aut ab executore, si vltra modum & præter vel contra mandati formam executus fuerit, *l.ab executione 5. C.quorum appell.non recip.* Aut ab ipso iudice, si quid iniuste exequendum præceperit. In eam rem enim appellationis auxilium iure comparatum est, vt iniquitas vel iudicis vel executoris per iudicem corrigatur, ne quis prætextus supersit priuatis, vt per seipsos faciant, quod per iudicem fieri debeat, *l.non est singulis 176. de reg.iur.* [Bene tamen edicto Serenissimi Ducis nostri prouisum est, quod publicatum fuit anno 1613. vt appellationes, quæ à iudicati executoribus interponuntur, admittantur quidem, cùm possit fieri, vt executor sententiæ ac mandati formam excesserit, sed tamen non suspendant vim executionis. Ne rerum iudicatarum executio, quam accelerari publicè interest, per huiusmodi tergiuersationes condemnatorum differatur. Vigor enim sententiæ in executione consistit, *l.penult. C. de exec.rei iudic.*]

5 *l.prohibitum 5. C.de iur.fisc. lib.10. vbi est text.elegans.*

6 Non enim quælibet iniuria & contumelia est rapi clericum in carcerem, *arg.l.si vero 5. §.1. D.qui satisd.cog.* Apparitoribus autem & executoribus omnibus districte prohibitum est, ne clericos vllis vexent contumeliis aut impulsionibus molestent, *l.omnes 33. §.præterea nullus, C.de episc. & cleric.* Et sane si delinquit, qui clericum vi rapit, contra sacras constitutiones, non delinquit, qui eum vi eximit, *l.1. in fin. D.ne quis eum, qui in ius vocat. est vi eximat.* Aut si vterque delinquit, deteriore loco esse debet is, qui in pari causa edicti petitoris partes sustinet, vt Paulus subiicit *in l.2. eod.*

7 Nimirum, cum incompetentia est omnino euidens, non ambigua. Nam & eo casu arresto Senatus nisi expressim cautum est, vt qui personaliter citatus prehendi iussus est, si appeller, non cogatur interim parere, quod diuersum esset, si minus euidens incompetentia proponeretur. Arestum latum est die vlt. Mart. anno 1594.

DEFINITIO II.

Dominus sæuiens in subditos iurisdictione sua priuandus est.

SCio comprobatam à Senatu nostro Philiberti Fabri patris mei sententiam, qui, cum iuridici apud Sebusianos meos maioris iurisdictionem sibi à Senatu mandatam summa cum dignitate fidéque gereret, pronunciauerat, ob atrocem potentis cuiusdam domini in subditos sæuitiam, eximendos subditos à domini imperio & potestate, ita vt ne vllam quidem in eos iurisdictionem retineret. [1] Quidni vero conquerentibus præsertim subditis, & supremi Principis opem implorantibus? [2] Cum etsi tacerent, id ipsum tamen bonus iudex pro imperij sui dignitate ex officio statuere & posset, & deberet. *Sine die.*

1 Nulli enim ex iis omnibus, qui recognoscunt superiorem, permissum est, vt sibi ius dicat, *l.vnic.* vbi Bart. *C.ne quis in caus.sua iudic.vel ius dicat.* iureque suo cadere debet quisquis vim facit, *l.extat. D.quod met.caus.* saltem in ea re, in qua vim facit, *l.si quis in tantam 7. Cod.vnde vi l.si quis ad se fundum 7. Cod.ad legem Iul.de vi publ.vel priu.* Nam & ex contrario, si libertinus abutatur libertate contra patronum, ea priuandus est, *l.2.3. & 4. Cod. de libert. & eor.liber.* [Principis ius sane singulare est, vt possit etiam in causa propria ius dicere, Bart. *in l.receptum, num.1. D.de iurisdict.*]

2 Nam nec libertus vincula perpeti aut seruile ministerium exhibere cogeretur, *l.libertos 6. Cod.de obsequ.patr.præst.* Minus autem iuris proculdubio habet dominus in subditos iurisdictionabiles, quam patronus in liberos. Facit *l.si manumissori 4. Cod.*

3 *l.illicitas 6. §.ne potentiores, D.de offic.præsid.* Bartol. *in l.1. de his qui sunt sui vel alien.iur.* Text. est elegantissimus *in l.2. §.dominorum,* vbi Bald. *eod.* Ioann. Faber *in §.fin. Instit.eod.* Guid.Pap. *quæst.62.* * Sed etsi dominus solius feudi, sæuierit in personam possessoris qui sit ex alterius iurisdictione, eúmque puta occiderit, priuandus est omni iure feudi. *Ita Senatus* pro D.de Blonay contra D.de S.Paul, 7.Cal.April.1611.

TIT. XIX.

DE INOFF. TESTAM.

DEFINITIO I.

Generalis renunciatio etiam iurata futuræ successionis non includit renunciationem legitimæ.

ESTI portio illa legitima, quæ in ascendentium bonis debetur descendentibus, & contra, nihil aliud est quam triens vel pro numero liberorum semis portionis ab intestato contingentis, [1] ob idque dici solet à legitimæ portione submouendum, quisquis à successione intestati excluditur. [2] Aliam tamen rationem esse successionis, aliam legitimæ, plerisque Senatus nostri consultis pronunciatum est. Finge filiam bonis paternis fu-

BIU Cujas

nis futuræque successioni legitimæ adhibito, vt ad renunciationis validitatem necesse est,[3] iureiurando, renunciasse. Non eo minus queri de inofficioso patris testamento poterit, si nihil patet ei reliquerit, quia nec legitimæ portioni, quam in bonis patris sperare debuit, renunciasse intelligitur,[4] siue testatum patrem decedere contingeret siue intestatum: quamuis ad intestati successionem admitti non possit.[5] Nempe non intelligitur succedere, quæ non nisi legitimam sibi naturę iure & ex legibus debitam consequitur portionem, æris alieni loco potius computandam.[6] Itaque specialis legitimæ huius portionis renunciatio requiretur.[7] *Ita Senatus* sæpius. Vide tit. ad SC. Tertullian. Defin. 1. & 2.

1 *l. cum quæritur 6. DD. ad auth. nouissima, l. parentibus 8. & l. quæ nuper 31. C. hoc tit.*

2 *l. posthumus 6. in princ. & §. 1. D. eod.* Excipe casus *auth. si qua mulier. C. de sacros. eccles. Auth. hoc amplius. C. de fideic. & l. quisquis 5. C. ad leg. Iul. maiest.* quibus locis filius etiam ab intestati successione exclusus legitimam nihilominus consequitur. Sed speciali in omnibus casibus ratione. Scripsi in Chiliad. *de error. pragmat. Decad. 12. Err. 5.*

3 *Cap. quamuis pactum.* vbi Canonist. *de pact. in 6.* alioqui non valeret pactio tanquam contra leges, *l. 3. C. de collat. l. vlt. ff. de suis & legit.* adeoque contra bonos mores, *l. stipulatio 61. D. de verb. oblig. l. ex eo 4. D. de inutil. stipul.*

4 Nam renunciatio bonorum paternorum & maternorum etiam iurata non protrahitur ad legitimam, cuius nulla mentio facta sit, *l. si quando 35. §. & generaliter.* vbi DD. *C. hoc tit.* Boer. post alios *quæst. 3. num. 7. 9. &* 10. vbi addit, quod quando lex pro forma actus requirit aliud specificari, tunc iuramentum non supplet illam formam. Sicut nec clausula illa vulgaris, per quam renunciatur iuri dicenti, non valere renunciationem generalem si specialis non præcedat. Non enim operatur vim renunciationis expresse factæ in contractibus, sed tantum in legibus, statutis & rescriptis. Ang. *in l. sed & si quis, §. quæsitum, D. si quis caut. & in l. omnes, C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Idem Boer. *dict. num. 10.* Adde eundem Boer. *quæst. 14. nu. 4. &* 5. Guid. Pap. *decis. 427.* Andr. Tiraq. *in l. si vnquam, in princ. num. 155. C. de reuoc. donat.*

5 In quo sane vis sit legibus & iuris rationi, cum non alius querelæ effectus esse possit, quam vt testatorem faciat intestatum. Cur vero hoc permittamus filiæ, quæ nec ipsa ab intestato succedere possit, nec intestati successionem, si eius capax esset, ad solam legitimam petendam derelinquere? Vide omnino, quæ contra hunc Pragmaticorum errorem scripsi loco supra citato *Decad. 12. Err. 5.*

6 Hoc quidem vere dicitur in ea quarta, quam ex Pij constitutione habere debet filius adrogatus in bonis adrogatoris, *l. si adrogator 22. D. de adopt. l. 1. §. si impubere, D. de collat. bon.* Sed in ea legitima, quæ liberis omnibus debetur ex legibus, aliud sane est.

7 *Ex d. l. si quando 35. § & generaliter, C. hoc tit.* ad quem tamen locum quid responderi possit, docuimus *dict. Error. 5. Decad. 12. de error. pragmat.*

DEFINITIO II.

In qua nummorum æstimatione soluenda sit legitima.

SI cui legitima portio relicta sit in nummis, quorum æstimatio alia fuerit tempore testamenti, alia tempore mortis, alia denique tempore petitionis; solum testamenti tempus spectabimus.[1] Sin testamentum factum non erit, tempus mortis,[2] nunquam petitionis.[3] Nam cum testamẽto facto si aliud nihil vrgeat idipsum præstandum sit, quod præstari testator voluit,[4] non de alia nummorum æstimatione cogitasse dici potest, quam quæ tum erat, cum testabatur.[5] Ab intestato autem si quando legitimæ petitio salua sit ei, qui ab intestati successione aut per propriam renunciationem, aut qua alia ratione exclusus est,[6] Id præcise tempus spectari oportet, quo legitima deberi incipiat, id est, quo moritur is, in cuius bonis legitima petitur.[7] Idémque est, si testamento non certa nummorum quantitas, sed legitima simpliciter illi relicta proponatur, qui eam in pecunia accipere cogi possit: forte, quod iam aliquam legitimæ portiunculam à viuo testatore in pecunia acceperat.[8] Hic enim sicuti legitimæ supplemento contentus esse cogitur,[9] ita & supplementũ illud in pecunia accipere, qui si legitimam integram petere posset, in corporibus hereditariis habere eam deberet.[10] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis de la Chambre, & Dominæ Margaretæ de la Chambre, 16. Cal. Septemb. 1588.

1 Text. est *in l. vxorem 41. §. testamento, de leg. 3. l. si ita esset, 7. D. de auro & arg. leg.* Excipe casum *l. pen. D. de instruct. & instrum. leg.* vbi inspicitur tempus mortis cum quæritur, quid veniat fundi legati instructi appellatione; nisi dicas, quod ego probabilius arbitror erratum esse in illis verbis, *ea quibus instructus sit fundus*, & pro *sit*, legendum potius *fuit*. Sequitur enim, *quæ sint in eadem causa, cum dies legati cedit*, vt sensus sit; spectandum quidem in hoc legato tempus testamenti, vt & in ceteris, sed in isto esse hoc amplius, quod non sufficit testamenti tempore fundum instructum fuisse iis rebus, quæ nunc peruntur, si non in eadem causa manserint in diem vsque mortis, quasi diminuto ex patrisfamilias voluntate legato, si postea & viuo adhuc eo fundus minus instructus esse cœperit.

2 Anterius enim tempus hoc casu nullum est, quod spectari possit. Spectari etiam solet, hoc tempore facto quoque testamento, cum quæritur de personis ad fideicommissum conditionale admittendis, *l. pennlt. D. de legat. præst.* Vide tamen *l. si cognatis 19. D. de reb. dub.*

3 Nam & de tempore petitionis quærebatur *in d. l. pen. ff. de instruct. vel instr. legat.* Vbi tamen spectari placet coniunctim duo alia tempora, testamenti & mortis, non petitionis.

4 Voluntas enim testatoris semper spectanda est, quoties iusta est, nec repugnat legibus, *vulgat. iurib.*

5 Solent enim testatores in onerandis heredibus eam patrimonij quantitatem inspicere, quam testamenti tempore habere se putant aut plus aut minus verisimiliter legaturi, si se vel ditiores vel pauperiores futuros arbitrarentur. Fit autem quisque vel ditior vel pauperior; aut, vt melius dicam, relinquit hereditatem tanto locupletiorem vel pauperiorem, quanto maior sit aut minor æstimatio monetæ, in qua solui legata debent.

6 Puta, si petitioni portionis legitimariæ specialiter & expressim renunciatum non sit, vt diximus *Defin. præced.*

7 Debetur siquidem legitima ex comparatione portionis hæreditariæ, quę ab intestato deberetur, si non esset filia exclusa ab intestati successione, *l. cum quæritur 6. C. hoc tit.* ideoque tempus mortis inspiciendum est, quo incipit esse hereditas, vt & in ponenda ratione legis Falcidiæ, *l. in quantitate 73. D. ad legem Falcid.* licet legitima non sit quota hereditatis, sed bonorum, vt scripsimus prox. Defin.

8 Sic enim vulgò creditum est, filium aut filiam, cui aliquid solui cœperit in pecunia pro legitima, non nisi in pecunia posse petere supplementum, vt dicemus *Defin. 9. f.*

9 *l. omnimodo 30. C. hoc tit.*

10 *l. scimus 36. ad fin. princip. in vers. repletionem, eod.*

DEFINITIO III.

In quibus rebus filio assignanda sit legitima?

NOn potest filius legitimam portionem sibi soluere in ea re hæreditaria quam elegerit,[1] sed totum id vel parentis, si testatus sit,[2] vel iudicis aut boni viri arbitrio permittitur:[3] quod ipsum tamen tale esse debet, vt neque ex preciosioribus bonis legitima soluatur, neque ex deterioribus, sed ex mediocribus.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Electio enim illa patris est non liberorum, nisi quatenus legis aut statuti potestas concurrat, quę certa bona fortasse primogenito attribuat, *l. si cogitationes 21. ibi quæ nulli generaliter assignauit, C. famil. erciss.* iunct. *l. nemo potest 55. de leg. 1.* Roll. à Vall. *consil. 12. num. 1. tom. 1.* post Bart. *in l. 2. C. quand. & quibus quart. pars.* Facit *l. si patr. ex debit. 44. vlt. D. de bon. libert.*

2 *d. l. si cogitationes, l. omnimodo 39. l. scimus 36. l. S. repletionem, C. hoc tit.*

3 *d. l. scimus, in princ.* iis verbis: *Etsi non adiiciatur viri boni arbitrio repleri.*

4 DD. *ad l. filius quem 24. C. famil. erciss.* Francisc. Rip. *ad l. in quartam, num. 116. D. ad legem Falcid.* Alex. *consil. 129. lib. 4.* Textus est *in l. si quis argentum 35. §. 1.* in illis verbis: *Nec dubi-*

BIU Cujas

riores omnibus sunt, sed status mediocris inueniuntur, Cod. de donat. l. legato generaliter relicto 37. de legat. 1. iunct. l. cum seruus 39. §. scio & l. si heres 10. eod.

DEFINITIO IV.

Filius non fit ipso iure possessor pro legitima, nec eam propria auctoritate capere potest, nisi cum institutus est in re certa.

INde fit vt possessio illa, siue consuetudinaria siue edictalis dicenda est, quæ à defuncto in legitimum successore ipso iure translata intelligitur, [1] in filium nihil nisi petendæ legitimæ ius habente minime transferatur. [2] Prius enim est scire qua in re legitima constituatur, quam de illo quæri, quid filius pro legitima possideat aut non. [3] Neque vero fictio illa translatæ possessionis iuuare vnquam potest singularem successorem, [4] qualis certe est legitimarius etiam posteaquam legitimam portionem est consecutus. Quandoquidem constat legitimam non hereditatis portionem esse, sed bonorum. [5] Vtpote in cuius ponenda ratione æs alienum ante omnia deduci oporteat. [6] Nec aliud est, tametsi institutionis titulo relicta sit, vt hodie relinqui debet, [7] nec enim eo minus accipienda est per manus heredis. [8] Nisi vno illo casu, quo etiam testator non tantum restitutionis iure, sed etiam in re aliqua certa reliquerit. [9] Quo tamen casu perinde necessaria erit possessionis adprehensio, vt interdictis & iis actionibus quæ soli possessori competunt expediri filius possit. [10] Quæ de liberis hic dicimus eadem de parentibus dicta intelligi volumus. *Ita Senatus* in eadem causa, & rursum in alia causa 14. Cal. Febr. 1591.

1 Ex edicto quod nos cum Gallis dicimus, *Le mort saisit le vif.*

2 Tiraquell. latè & sæpius in tractatu illo copioso, quem de illius edicti & consuetudinis potestate conscripsit, vbi citat in hanc rem innumeros.

3 Quia bonorum pars, quæ sit in certa ratione quotæ & loci, possideri nullo modo potest, *l. 3. §. iniuriam, l. locus 26. D. de acquir. possess. l. si fur 32. §. incerta, D. de vsucap.*

4 Quia verba edicti & consuetudinis eius duntaxat personam demonstrant, qui sit proximior magisque habilis ad succedendum hereditario iure, *arg. l. pater 10. §. 1. D. de captiu. & postlim.*

5 Dixi iam *Defin. 1. num. 1. 3.*

6 *L. Papinianus 8. §. quarta autem, D. hoc tit.* Paul. *lib. 4. sentent. tit. 5. §. 6.*

7 Ex communi DD. sententia *ad auth. nouissima, C. hoc tit. ex Nouell. 115. Vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum.*

8 Alioqui esset in potestate filij, vt quam rem vellet ex omnibus hereditariis sibi eligeret, quod tamen fieri debere negauimus *Defin. superiore.*

9 Hoc enim casu non potest locus esse interdicto: Quod legatorum contra testantis voluntatem, *l. Titia cum testamento 34. §. 1. de legat. 2.* licet non eo minus verum sit, filiam in certa re pro legitima institutum legatarij potius quam heredis loco habendum, *l. potius 13. C. de hered. instit.* Quanquam illud quoque verum est, in re legata legatarium quodammodo quasi heredem esse, vt Paulus loquitur *in l. id tempus 14. §. 1. D. de vsucap.*

10 Possessio enim cum facti sit ad nos non pertinet nisi corporaliter adprehensa, ac ne quidem ad suos heredes, *l. cum heredes 25. D. de acquir. poss.* quamuis ex quo adprehensa est iungatur cum possessione defuncti, perindeque sit acsi possessio defuncti quasi iuncta descenderet ad heredem, quomodo accipienda est *l. cum miles 30. D. ex quib. caus. maior.*

11 Eadem enim ratio est legitimæ quæ descendentibus aut ascendentibus debetur. Scripsi *Dec. 14. Err. 1.*

DEFINITIO V.

In quibus bonis legitimam petere filius possit?

SIcuti non potest filius legitimam sibi eligere in qua re velit: [1] Ita neque petere, vt detur sibi in singulis corporibus rerum hereditariarum. [2] Quota enim portio est bonorum omnium quæ defunctus reliquit, non corporum singulorum. [3] Ergo id vnum petere potest, vt boni viri arbitrio constituatur ex bonis, vt iam diximus, [4] mediocribus: & consequenter non ex Comitatibus, Marchionatibus, & aliis eiusmodi bonis, quæ adnexam habeant dignitatem aut iurisdictionem. [5] Imo neque ex feudalibus, [6] vt neq; ex iis rebus quæ alienari sunt prohibitæ, [7] nimirum si alia sint bona vnde filio alterive legitimam petenti possit satisfieri, [8] & ita si non eo loci in quo agitur consuetudo vlla sit in contrarium. [9] *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Marchionis de la Chambre, & D. Petri Vicecomitis Fratris 8. Calend. Septembr. 1588.

1 Vt scripsi supra Defin. 3.

2 Ne alioqui inducatur communio bonorum omnium inter filium & heredem, quod ne eueniat summopere cauendum est, inter illos etiam qui pari sunt iure propter discordias, quæ communionis materia excitare solet, *l. sancimus 34. §. ne autem communione inducta, C. de donat. l. cum pater 77. §. dulcissimus, de leg. 2.* præter id quod multo plus iuris habet heres in bonis omnibus hereditariis quam filius.

3 Nec enim potest diminutio fieri corporum hereditariorum propter legitimam non magis quam propter pecuniam, *in l. 5. de imp. in reb. dot. fact. l. deducta 58. §. accepta, ad Senatus. Trebel.*

4 *Defin. 3. 5.*

5 Guid. Pap. *quæst. 476. & 487. num. 2. ex §. 1. tit. de feud. March. Ducat. & Comit.*

6 *Dec. consil. 269.*

7 Guid. Pap. *quæst. 51.*

8 *Auth. res quæ C. commun. de leg.* Paris. *consil. 17. vol. 2.*

9 Bald. *in cap. imperialem, §. præterea Ducatus, de prohib. feud. alien. per Federic.*

DEFINITIO VI.

Filius non potest partem hereditatis petere pro legitima, nec si pro ea parte velit omnia onera subire.

FIlius, cui legitimam petenti obiiciebatur detrahendum ante omnia æs alienum, [1] auitumque fideicommissum quod æris alieni loco esset, [2] cum petitioni suæ longiorem ea ratione moram factum iri videret, [3] postulabat vt in possessionem hereditatis mitteretur pro ea portione, quæ ex numero liberorum ad legitimam sufficeret, non recusans quo minus onera omnia hereditaria pro parte sua subiret. [4] Placuit inciuilem esse petitionem, propterea quod legitima non hereditatis, sed bonorum quota sit, ob idque non nisi deducto ære alieno debeatur, [5] cuius soluendi necessitas soli heredi incumbit, [6] non etiam singulari successori. [7] Et vero, quomodo fieri potest vt post constitutum ex toto asse heredem, siue ex testamento, siue ab intestato, vlla hereditatis portio alteri detur? [8] Plane quoniam iniquissimum esset filium interim nihil habere tantisper, dum æris alieni ratio non est prorsus explorata [9] petere potest, vt certa pecuniæ quantitas pro modo patrimonij, & personarum conditione sibi prorogetur, [10] imputanda postmodum in fructus legitimæ, [11] aut si non sufficiunt, in eam bonorum portionem, quam pro legitima omnimodo debitam esse tandem apparebit, nulla satisfandi necessitate filio iniuncta. [12] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 1. De iur. delib.

1 *Ex l. Papinianus 8. §. quarta autem, D. hoc tit.*

2 *L. cum pater 77. §. Titio fratri, de legat. 2. l. in imponenda 6. l. irritum 8. C. ad leg. Falcid.*

3 Quia plerumque difficilis est indagatio & computatio latentis æris alieni, quod in dies singulos potest emergere, *l. 1. §. hæc verba, & seq. D. si cui plus quam per l. Falcid.*

4 Haud secus acsi pro ea parte heres.

5 Neque enim æs alienum deducitur aut vero deduci potest ex hereditate, quæ scilicet omnia continet commoda & incommoda, quomodo deduci necesse est priusquam legitimæ ratio ineatur, vt & falcidiæ *dict. §. quarta autem, d. §. hæc verba, d. l. in im-*

BIU Cujas

l.in imponenda & d.l.irritum: iunct. *l.3.in princip.& §.1. D.de bon. possess.* quo tamen loco bona accipiuntur, improprie pro hereditate, non proprie quasi à beando dicta, quæ plus commodi habent quam incommodi, *l.proprie* 83. iunct. *l.bonorum* 49. *de verbor. significat.* Facit *l.cogi* 16. *§.inde quæritur. ad Senatusc. Trebell.*

6 *l.11. D.si cert petat. l.2. C.de hered.act.* Nam & omnia iura hereditaria ipso iure, & per legem duodecim tabularum diuiduntur inter heredes, nisi si qua sint omnimodo indiuisibilia, *l heredes* 25. *§.an ea stipulatio, D.famil.erciscund.*

7 *l.æris alieni* 15. *C.de donat. l.1.§.si heres, D.ad SC. Trebell. l. vlt.§.1.D.de contr.empt.*

8 Nec enim possunt duo esse vni heredes in solidum, nec in parte hereditatis magis quam in tota hereditate, quod contra 141. *§.vni duo, de regul.iur.* idémque verum est filium, qui legitimam solam habet, neque heredem esse neque bonorum possessorem, *l.2.§.si quarta, D.famil.erciscund.*

9 Quem tamen certum est omnimodo & in omnem euentum habere legitimam debere, *l.ventre* 84. *D.de acquir.hered.l.4. §.vlt. & l.5.de bonor.possess.cont.tab.*

10 *Arg.l.vlt.C.de ordin.cognit.l.si instituta* 27. *§.penult. D.de inoff.testam.*

11 Quia debet filius habere legitimam cum fructibus *d.l. Papinianus, §.vnde si quis, D.hoc tit.*

12 Satisdatio enim onus est & grauamen & contumelia, *l.si patronum* 4. *in princ. de bon.libert. l.testamento* 17. *§.vlt. D. de testam. tutel.* legitima autem ab omni onere & grauamine immunis esse debet, *l.quoniam in prioribus* 32. *C.hoc tit.* iunct. *l.si patronum* 44. *in princ. D.de bon.libert.*

DEFINITIO VII.

Ius agendi ad supplementum legitimæ non nisi triginta annis præscribitur.

IVs agendi ad supplementum legitimæ non quinquennio, vt olim ius proponendæ querelæ de inofficioso testamento, sed tricennio duntaxat excluditur.[2] Etsi enim noua hæc actio, quam testamentorum fauore Iustinianus introduxit, in locum querelæ substituta est,[3] in hoc tamen differt quod multo fauorabilior est, vtpote quæ nec testamentum rescindat, cum potius ex testamento detur,[4] neque dementiæ furorisq; testatorem arguat.[5] Denique personalis actio est dicendáque condictio ex lege Iustiniani.[6] Quod actionum genus non minore quam triginta annorum præscriptione summoueri constat.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.Papinianus 8.§.vlt. & l.seq. D.hoc tit. l.si quis filium* 34. *in fin. C.eod.*

2 Quæ fuit Baldi sententia contra Bartolum eaque magis communiter probata, teste Guid.Pap. *quæst.*82. Mich.Grassi *in §.legitima, quæst.*47.

3 Quæ fuit præcipua ratio Bartoli, quia subrogatum solet sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur, *l.si eum* 10.*§. qui iniuriarum, D.si quis caution. l.1.§.si quis sub conditione, D.vt legat.seruand. caus.caueat.*

4 Adeo vt etiamsi filius certis rebus pro sua institutione contentus esse iussus sit, non eo magis supplementum legitimę petere prohibeatur, *§.cæterum, Nouell.*115. *vt cum de app.cognosc.* Boer.post alios *quæst.*3. *num.*10.

5 Qui color est querelæ inofficiosi testamenti, *l.2. D.hoc tit.* vt non immerito ob eam causam videri debeat illa odiosa, *l si pars* 10. *eod.*

6 *l.vnic.D.de condict. ex leg.*

7 *l.hereditatis* 7. *C.de petit.hered. l.3.& 4. C.de præscript.*30. *vel* 40. *annor.*

DEFINITIO VIII.

Monachi in computatione legitimæ nec partem faciunt nec numerum.

REligiosam & monasticam vitam professi vsq; adeo pro mortuis habentur ex edicto Diui Emanuelis Philiberti Principis nostri, vt in computatione legitimæ non solum partem non faciant, sed ne numerum quidem.[1] In quo deterioris conditionis sunt quam filia quæ renunciauit, vt pluribus scripsimus tit. De Episc.& cleric. Defin.2.

1 Exemplo deportatorum, de quibus *in l.1.§.filium*, vbi Bartol. *de bonor.possess.cont.tab.l 4.§.si deportatus, D.de bon.libert.* [Vide Boer. *decis.*164. & Ranchin. ad Guid.Pap. *quæst.*295. Andr. Fachin. *tab.4.cap.*31. *concl.*3.]

DEFINITIO IX.

De repudiatione legati pro legitima relicta.

IS cui certa pecuniæ quantitas pro legitimæ portionis iure relicta est, licet institutionis, vt par est titulo,[1] potest eam quantitatem quantamcumque repudiare & legitimam in corporib. bonorum hereditariorum perinde petere ac si nihil relictum esset:[2] nisi quod minus iuris habet ad impugnandum testamentum,[3] quod vtiq; non valeret si nec institutus esset, nec exheredatus.[4] Contentus enim esse cogitur legitima portione, nec quicquam præterea ex hereditate consequi potest.[5] Plane si quid iam acceperit in pecunia numerata quod in legitimam imputari debeat,[6] sola ei supereſt actio ad supplementum,[7] si quod testamento relictum est non æquet legitimam: sin æquet, nihil est quod conqueratur, quandoquidē legitimæ, quæ in pecunia numerata solui cœpta est, supplementum itidem in pecunia non in corporibus debetur.[8] Obtinent vero hæc omnia siue ex descendentibus, siue ex ascendentibus ille sit qui legitimam petit. Omnium enim idem & æque fauorabile hac parte ius est. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum communem nostrorum sententiam ad *auth. nouissima, C.hoc tit. ex §.aliud quoque capitulum, Nouell.*115. *vt cum de appell.cognosc.* Contra quam tamen vide quæ scripsi in Chiliade *De error.pragmat. Decad.*14. *Err.*6.

2 Ita enim vulgo creditum est, *ex l. scimus* 36. *§.repletionem C.hoc tit.* Qui tamen videtur mihi vnus esse ex erroribus pragmaticorum, contra quem vide quæ scripsi Decad.15.Error.2. Quibus adde text. *in l.omnimodo* 30. *hoc tit.* in illis verbis: *Id quod minus portione legitima sibi relictum est exigere.* iunctis illis sequentibus *& aliquam eis quantitatem*, &c. Item *in l.si patronum* 44. *§.vlt. D.de bon.libert.*

3 Cogitur enim agere ad supplementum si aliquid vel minimum, & quantulumcunque ei relictum sit. Idque est quod nostri iactitant sufficere, vt filius vel in vno nummo sit institutus.

4 Nec proinde hoc casu necesse esset aut possibile agi ad supplementum, *d.§.aliud quoque capitulum, l.inter cætera* 30. *D.de liber. & post.l.omnimodo* 30. *§.sin vero, C.hoc tit.* * Cùm non entis nullæ sint qualitates. Itaque si institutus sit filius in ea re quæ non extat, placet filium præteritum videri, & ideo testamentum nullius momenti esse: Bart. *in l.4.num.*8. *de hered. inst. ex d.l.omnimodo*, ibi, *nihil penitus eis reliquerint.* Quid si in re aliena postmodum euicta? Valet omninò testamentum & ad supplementum omnino necessario agendum est. Bartol. *ibid. num.6. ex l.scimus* 36. *in princ. C.hoc tit.* Quid denique si pro legitima aliquid relictum sit incertæ quantitatis quæ non possit certa fieri siue magnis litibus, & litium sumptibus, puta si pro legitima filius institutus sit in sumptibus studiorum? De quibus tamen dubitari probabiliter possit an in legitimam imputandi iuxta distinctiones positas *in l.quæ pater* 50. *D.famil. erciscund.* Non videbitur ritè institutus, sed præteritus, quia nec sciri potest hoc casu cuius quantitatis supplementum peti possit, & ita relinquenda filio legitima est, vt certam habeat quantitatem, nec vlla litigandi necessitate implicitam, alioqui grauamen nec paruum illud est legitimæ quod à legitima reijci omnimodò debet, nec tamen in hac specie potest sine lite & sumptibus arg. *l.4.§.1. D.de alienat.mutand.iudic.caus.fact. l.6. D. de minor.* Itaque quamuis sufficiat quamtulumcunque relictum esse, vt ad supplementum agi necesse sit, illud tamen modicum necesse est certum & liquidum esse, non intricatum, nec liquidandum. *Ita Senatus* in causa Maximiliani Fauerij Aduocati generalis, & fratrum eius, 7.Febr.1620.

5 *d.§.cæterum, Nouell.*115. *vt cum de appell. cognosc.*

6 Puta dotis nomine aut ante nuptias donationis, *l.quoniam nouella* 29. *C.hoc tit.*

7 Nec potest repudiare pecuniam iam acceptam, vt possit petere legitimam in corporibus bonorum, quia quod iam acquisitum est repudiari amplius non potest, *l.1.§.decretalis, D.de succeſſ.edict.*

8 Hoc enim casu placet nostris supplementum legitimæ

BIU Cujas

fieri debere non in corporibus bonorum, sed in pecunia. Guid. Pap. *quæst.* 487. quod tamen non improbauimus *Decad.* 14. *Err. vlt. & Decad.* 15. *Err.* 2.

9 Scripsi pluribus *Decad.* 14. *Err.* 5.

DEFINITIO X.

Qui agnouit legatum pro omni legitimæ iure relictum, nihilo magis legitimæ supplementum petere prohibetur.

INstitutus ex minore portione aut pecuniæ quantitate, quam quæ ad legitimam satis sit, non idcirco à supplementi petitione excluditur, quod defuncti voluntatem agnouerit sine protestatione: [1] Tametsi testamento ea lex adiecta esset vt nihil amplius peti posset. [2] Nam cum pro non scriptis habeantur quæcunque conditionem legitimę portionis deteriorem facere possunt; [3] perinde est acsi simpliciter nulloque adiecto onere minor quantitas relicta esset. [4] Quæ res non impediret petitionem supplementi, quod ipsum ex testamento quoque debitum esse intelligitur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Textus est *in l. si quando* 35. *§. & generaliter, C. hoc tit.* In eoque differt actio ad supplementum a querela, à qua proculdubio remouetur quisquis post mortem testatoris consensit testamento, *l. pen. in fin. D. eod.*

2 Dubitandi ratio est, quia voluntatem testatoris scindere nemo potest, *l.* 4. 5. *& 6. de leg.* 2. *l. à filio* 15. *de ann. legat.* Sed ratio decidendi sequitur in Defin.

3 *L. quoniam in prioribus* 31. *C. hoc tit.*

4 Ratio est Baldi *ad d. §. & generaliter.*

5 Nisi heres supplemento expressim renunciasset *dict. §.* & generaliter, *l. omnimodo* 30. *eod.*

DEFINITIO XI.

De fructibus legitimæ omnimodo adiudicandis.

TAmetsi legitima quota sit bonorum non hereditatis, fructus tamen à die mortis percepti sicut augerent hereditatem, [1] ita augent legitimam, [2] hac tantum differentia, quod hereditatis portionem quandam constituerent: [3] at legitimæ non tam portio sunt quam accessio, [4] non ea tantum ratione debita, quod si statim post obitum patrisfamilias soluta fuisset legitima, quæ ei debebatur, eos ille fructus nunc haberet; [5] sed ob id potissimum quod ea portio sit in vicem portionis hereditatiæ, quæ haud dubie per fructus augeretur. Augent vero non solum legitimam, sed etiam, quod est omnino consequens, legitimæ supplementum, [6] si forte minus legitima relictum sit. [7] Nec tantum eo casu quo supplementum ab initio debitum fuerit, sed quod magis est illo etiam, quo fuerit indebitum propter renunciationem adhibito iureiurando factam, si modo debitum esse cœperit, petita vt plerumque fit & obtenta aduersus renunciationem in integrum restitutione. [8] Licet enim bona fide & cum titulo percepti videantur ab herede, [9] fauor tamen legitimæ portionis elicit, vt potestas restitutionis tollat prorsus intellectum renunciationis, [10] & perinde sit acsi renunciatio nulla vnquam præcessisset. Quod in cæteris restitutionibus diuersum est, in quibus regulariter eo iure vtimur, vt non alios fructus restituere possessor cogatur, quam quos post litem contestatam perceperit, quasi nec ante eum diem in mala fide constitutus. [11] Denique fructus legitimæ eodem loco habentur acsi legitimæ portio essent non accessio; nisi quod vsurarum additamentum non recipiunt, [12] quomodo recipiunt fructus hereditatis ante litem contestatam percepti. [13] Quare nec ad rem pertinebit, quod eos heres dum re sua lautius se abuti putat bona fide consumpserit, nec locupletior factus sit. Omnimodo enim restituendi sunt, [14] nec ij tantum qui percepti fuerunt, sed & qui percipi potuerunt, [15] quanquam, vt plurimum solet Senatus, ne nouæ litis detur occasio, quincuncibus vsuris [16] eos æstimare. *Ita Senatus* 5. Id. Febr. & 8. Id. Iunij 1590.

1 *L.* 25. *§. vlt. & ll. seqq. de petit. hered.*

2 Boer. post alios multos quos citat *quæst.* 3. *num.* 3. *num.* 17. ex *l. Papinianus* 8. *§. vnde si quis, D. hoc tit.* Facit *l. mulier* 22. *§. sed enim, & §. cum proponeretur, D. de Senatusc. Trebell.*

3 Quia hereditas est nomen iuris recipiens augmentum & diminutionem; *l. pecunia* 178. *§.* 1. *de verb. sign. l. item* 20. *§. item non solum, D. de petit. hered.*

4 Scripsi *Decad.* 12. *de error. pragm. Err.* 1.

5 Vt proinde moram in legitima passus videatur ipso iure, vt alias in causis minorum dici solet, *l. Titia Seio* 87. *§. vsur. de leg.* 2. *l. in minorum* 3. *C. de in integr. restit. minor.*

6 Est enim pars portionis ab intestato competituræ, *l. quæ nuper* 31. *C. hoc tit.*

7 Debet enim legitima præstari cum fructibus, *l. Papinianus* 8. *§. vnde si quis, D. eod.*

8 Boer. *quæst.* 3. *in fin.* Marant. *disp.* 10. *num.* 24.

9 Bona fides autem lucrum fructuum solet inducere *l. bonæ fidei* 48. *de acquir. rer. domin.*

10 Vt Papin. loquitur licet in dissimili specie, *in l. si patroni* 55. *§. vlt. D. ad SC. Trebell.*

11 Sic enim vulgo creditum est, contra quam tamen sententiam scripsi *Decad.* 7. *Err.* 6. *& 7.*

12 Quia essent illæ accessiones accessionis prohibitæ, per *l. vlt. C. de vsur.*

13 *L. heres* 51. *§.* 1. *D. de petit. hered.*

14 Ex reliqua scilicet hereditate.

15 Boer. *d. quæst.* 3. *in fin.* post Bald. *in l. non est, C. famil. erciscund.* & alios ibi citatos.

16 Non tanquam vsuris, sed quasi in vicem & taxationem fructuum, *arg. l. socium* 60. *D. de solut.*

DEFINITIO XII.

Si filia, cui legatum est in diem aut sub conditione, totum pro legitima petere ante diem velit.

CVm pater in legitimæ supplementum certam pecuniæ quantitatem filiæ legasset soluendam post certum tempus; nec filia legatum agnouisset pro integro supplemento, sed in diminutionem duntaxat quantitatis, quam sibi longe maiorem debitam esse obtendebat, pecuniam legatam peteret; Placebat aliquando incerto eo quantum esset in patris facultatibus, vt sciri posset quid & quantum pro supplemento deberetur, reiiciendam diei adiectionem pendente lite, filiæque interea totum legatum solui oportere. [1] Non tam quod ita fieri omnino iustum videretur, [2] quam quia nihil esset quod in dubio melius æquius constitui posset: [3] Quasi paterfamilias, qui in dubio facultatum suarum probus æstimator fuisse credendus erat, [4] diem adiecisse videretur, vt faciliorem heredi solutionem redderet, [5] potius quam quod ita supplementi iusta ratio postularet. [6] Neque hoc casu locum habere quod constitutum est, vt legatum pro legitima eiusve supplemento relictum in eo quod excedit legitimam diem recipere possit aut conditionem. [7] Id enim tum vere dicit, cum in confesso aut aperto est plus legatum fuisse quam pro legitima deberetur, non cum de eo ipso controuertitur. [8] Filiam tamen satisdare ante omnia debere, se si quid amplius acceperit, quam pro supplemento accipere debuerat, æstimato commodo repræsentationis, [9] heredi restituturam: [10] Ne alioqui aut nihil prorsus interim habeat ex supplemento debito si patris voluntati omnino stetur, [11] aut plus consequatur quam consequi debeat si diei quem legato pater iniecit nulla ratio habeatur. [12] Sed tamen postea recessum est ab hoc tractatu, visumque conuenientius cogi filiam vt vel iudicium patris sequatur, vel repudiato eo, petat legitimam

BIU Cujas

mam qualis quantaque ex legibus sibi debetur. Interim verò contenta sit ea quantitate, quam portioni legitimæ respondere ex ipsius heredis confessione appareat. [3] Nisi malit illa pendente lite subministrari sibi sumptus necessarios in causam litis & alimentorum. [14] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Defin. 34. infr.

1 Eo colore quod legitima neque diem recipiat, neque conditionem, vulgat. *l. quoniam in prioribus 32. C. hoc tit.*

2 Erat enim sane inconueniens scindi voluntatem defuncti, *l. nam absurdum 7. D. de bon. libert.*

3 Nam quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est quod minimum habeat iniquitatis, vt in iuris regula, *l. quoties nihil 200. de reg. iur.*

4 Nisi quod plerumque euenit vt de suis facultatibus amplius quam in iis sit homines sperent, *l. in fraudem 10. D. qui & à quib. manum. §. 3. Instit. quibus manum. lic.*

5 Tempus enim in testamentis non nisi pro herede adiectum intelligitur, *l. cum tempus 17. de regul. iur.*

6 Nam nec quicquid solutionem moratur indebitum interea facit quod fuit debitū, *l. pater dotem 7. §. pen. C. de dot. præleg.*

7 *l. sciamus 38. §. cum autem, C. hoc tit.*

8 Controuersia enim quælibet facit rem dubiam & obscuram propter incertum euentum iudiciorum, *l. quod debetur 51. D. de pecul.* Nisi ex iuris ratione certissimum sit non nisi per iudicis iniuriam sequi posse condemnationem, *l. eo tempore 50. eod.* [Debet ergo is à quo legatum ante diem petitur affirmare legitimam esse minorem legato, Alioqui dies aut conditio omnimodo reiicienda est. *Ita Senatus* ex tempore pro Catherina Driuer, 10 Calen. Dec. 1612. Quamuis in ea specie hoc amplius esset, quod filia legatum ex testamento petebat mille florenorum, quos pater pro omni filiæ iure, & consequenter etiam pro legitima solui præceperat iis diebus, qui agnatorum & proximorum arbitrio statuerentur. Sed tamen pro filia faciebat quod iam per multos annos in matrimonio steterat, pluréque liberos susceperat, Itémque quod cùm de temporibus soluendæ dotis tractatum esset cum herede patris, visumque fuisset soluendam intra triennium, frater consenserat, non filia quæ tamen tam longo tempore litigare coacta fuerat, vt pendente lite & Arresti tempore triennium iam effluxum esset. Iunge Defin. seq. quæ cum hoc posteriore Arresto pugnare maximè videretur, nisi supradictæ facti circunstantiæ ius hoc singulare extorsissent. Item quòd nullam diem certam pater præscripserat, sed cognatorum arbitrio rem totam permiserat, cuius vicem supplere poterat arbitrium Senatus. Censetur enim id commissum arbitrio boni viri, vt in *l. cùm post 69. §. gener. D. de iur. dot.* Vtique autem vir bonus quilibet arbitrari debuisset soluendam statim dotem quæ pro legitima debebatur cùm in nulla litis parte ac ne in secunda quidem instantia fuisset allegatum maiorem esse quantitatem legati, quàm legitimæ, nec legitima æstimata minore vlla quantitate. Quid verò si quantitas aliqua in dotem data sit pro omni legitimæ iure, vt fieri solet, ac conuenerit vt ante tempus aliquod siue certum siue incertum peti non posset? Nullæ vsuræ debebuntur, quia dos licet succedat loco legitimæ: admittit tamen huiusmodi conuentionem, habétq; suas leges & conditiones quibus omnino standum est, longéque aliud est dotem petere, aliud verò legitimam. Sed pro hoc incommodo habet illud commodum is, cui dos promissa est, vt nullum interim siue doti siue legitimæ petendæ tempus currat. *Ita Senatus* in causa D. d'Aruffan, contra D. de Mont sainct Iean, mense Iulij 1613.]

9 *Vt in l. debitor 82. de legat. 2. l. 5. D. ad leg. Falcid.*

10 Quod hæc satisdatio non tam legitimæ, cuius quantitas adhuc est, quàm legati onus esse videatur.

11 Cum tamen pater ipse testamento suo declarauerit supplementum aliquod filiæ deberi. Facit *l. ventre 84. in illis verbis nomen iniquum erit, D. de acquir. hered.*

12 Plus enim tempore petit qui ante diem petit, *§. plus autem, Instit. de action.*

13 Quæ sententia nostra illa est quam contra pragmaticorum errorem defendimus, *in Chiliad. de error. pragmat. Decad. 15. Err. 1.* vbi vide.

14 Quod petere posset etiam exheredata, *l. si instituta 17. §. penule. D. hoc tit. l. vlt. C. de ordin. cognit.*

DEFINITIO XIII.

Quid si legatum ipsum statim petat tanquam purum?

QVid vero si in diem legatam pro legitimæ supplemento pecuniam filia velit petere? Multo minus ei permittendum est, vt quod in diem relictum fuit prius petat ex testamento quam dies venerit, nè testatoris voluntatem, quæ vna & indiuidua est, scindere velle videatur. [1] Ergo supplementum legitimæ petere debet repudiato legato. [2] Vigere autem vt in diminutionem quantitatis pro supplemento debitæ ea saltem pecunia statim prorogetur, quam legitimæ portioni parem esse heres fateatur, oblata nulla in eam rem satisdatione. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Contra *l. si ita stipulatio 39. in fin. D. de oper. libert. l. nam absurdum 7. D. de bon. libert.* Ageret enim ex testamento contra testamentum. [Vide tamen *Defin. præced. num. 8.*

2 Nec enim videbitur, fraudem fecisse quam potius excluserit, *l. cum pater 77. §. Titio fratri, de legat. 2. l. quia autem 6. §. si patronus, in fin. D. si quis omiss. caus. testam. l. qui totam 45. D. ad Senatusc. Trebell.*

3 Nam pro ea quantitate quam constat esse in legitima, non potest admitti onus vllum aut diei aut conditionis, aut satisdationis, *l. quoniam in prioribus 32. C. hoc tit.* iunct. *l. si patronum 44. in princ. de bon. libert.*

DEFINITIO XIV.

Quid si filia hæc iurato renunciauerat.

SI tamen filia dotalibus tabulis & adhibito, vt fieri solet, iureiurando, [1] paternæ successioni renunciauerat, aliud dicendum erit. Etsi enim potestas renunciationis superueniens patris iudicium non excludit, [2] fieri tamen nequit vt ex patris iudicio ante diem petatur quod in diem relictum est: [3] nec rursus pro legitimæ supplemento, quippe quod nullum debetur quandiu subsistit renunciatio: [4] quam proinde ante omnia rescindi necesse est, si patris iudicio omni ex parte stare filia nolit. [5] Porro cum nec rescindi possit, priusquam æstimatis ad amussim paternis facultatibus filiam renunciando læsam fuisse appareat, [6] consequens est, nullum quæstioni locum superesse quid & quantum lite pendente filia consequi debeat, cum post factam æstimationem statim finiri lis possit, adiudicata filiæ ea quantitate, quam exploratum erit ipsi debitam esse pro legitimæ supplemento. [7] *Ita tractatum est* in supradictis causis.

1 *Ex cap. quamuis pactum de pact. in 6.*

2 *l. si patronus 33. D. de bon. libert. Auth. ex testamento, C. de sacund. nupt. DD. ad d. cap. quamuis pactum.*

3 Vt diximus prox. Defin. præcedente.

4 Intellige si renunciatum sit non tantum futuræ successioni generaliter, sed etiam legitimæ portioni eiusque supplemento specialiter & expressim, secundum ea quæ diximus *Defin. 1. §. eod.*

5 Non enim potest videri minus dedisse is, in quem amplioris summæ actio non competit, *l. nemo potest videri 117. D. de verb. signific. l. 1. §. quod autem, D. si quid in fraud. patron.*

6 Læsionem interuenisse, probatamque esse necesse est priusquam rescindi possit renunciatio, siue ex capite minoris ætatis siue ex causa metus reuerentialis rescindatur, *l. nam posteaquam 9. § si minor, D. de iniur. l. 1. §. quæ oneranda, D. quar. rer. act. non det.*

7 Non enim ad prouisionalem sententiam recurrendum est cum diffinitiua ferri potest per modo constat, modo agatur, *l. 3. vt in possess. legat. l. 3. D. de recept. qui arbitr. l. quidam 21. D. de rebus credit.*

DEFINITIO XV.

Agnitio legati, quod non excludit læsionem in legitima, non excludit restitutionem.

FIliam, quæ dote à patre accepta bonis omnibus paternis interposito iureiurando renunciauerat, ac præterea legatum sibi pro omni iure testamento patris relictum annis viginti quinque agnouerat, placuit nihilominus in integrum restitui posse ad petendam legitimæ repletionem, si tam in legato quam in dote coniunctim minus sit quam filiæ pro legitima debeatur. Illa namque verba, *pro omni iure*, pro non adiectis ha-

BIU Cujas

bentur, quoties alioqui fraus legitimæ fieret. [1] Itaque perinde est acsi legatum simpliciter & sine adiectione vlla relictum proponeretur. [2] Etsi enim renunciatio præcesserat, qua subsistente, nullus ad legitimæ petitionem supererat regressus: [3] quia tamen in eo erat filia, vt quandocunque defuncto patre posset in integrum restitui, si in legitimæ portionis quantitate læsam eam appareret, non potuit ius illud petendæ restitutionis per solam legati minus sufficientis agnitionem perimi; quemadmodum nec sublatum fuisset ius petendi citra restitutionis auxilium supplementi, si vel nulla vel non iurata renunciatio præcessisset. [5] Hoc autem in proposita facti specie eo magis obtinere debebat, quod vt proponebatur agnoscenti legatum filiæ, & eius solutionem petenti fratres iidemque patris heredes non consenserant. Qua enim fronte postmodum recusare poterant, quo minus sorori liceret, si vellet, etiam ab agnitione legati resilire? [6] Non idem est si filia maior annis vigintiquinque post obitum patris supplemento legitimę renunciauerat. Tum enim cęterorum maiorum exemplo non aliter audienda erit, si petit restitutionem in integrum, quam si se probet læsam immodice, id est, vltra dimidiam. [8] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 11. Cal. Iunij 1590.

1 *l. quoniam in prioribus 29. C. hoc tit.* Dixi *Defin. 10. §. eod.*

2 *§. Cæterum, Nouell. 155. vt cum de appell. cognosc.* Boer. *qu. 3. num. 10.*

3 Intellige si legitimæ specialiter fuerat renunciatum, ex iis quæ scripsi *§. Defin. 1. num. 3.*

4 *Ex not. in c. quamuis pactum, de pact. in 6.*

5 Intellige de renunciatione non iurata, quæ facta sit viuo patre. Nam post mortem patris renunciatio legitimæ valet etiam sine iuramento, Boer. *quæst. 14. nu. 5. in fin.* post Bart. *in l. 1. §. qui habebat, quæst. 4. de bonor. possess. contr. tab. ex l. si quando, §. illud, C. hoc tit. l. penult. §. vlt. D. eod.*

6 Nam & huc pertinere potest quod dici solet non fieri iniuriam volenti *l. 1. vsque adeo, C. de iniur.* Facit *l. penul. C. de solut.*

7 Hoc ideo quia renunciatio generalis, siue iurata, siue non, etiam post obitum patris facta neque legitimam neque legitimæ supplementum comprehendit, *d. l. si quando, §. & generaliter.* Bart. post alios *d. quæst. 14. num. 6.*

8 *Ex l. 2 & l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.* Bart. & cæteri *ad l. 1. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.*

DEFINITIO XVI.

Non differre legitimam, quæ descendentibus debetur, ab ea quæ ascendentibus.

SVnt qui distinguant [1] inter legitimam portionem, quæ debetur ascendentibus, & illam quæ descendentibus, quod illa quoniam iure naturæ debita est, non possit inuitis solui in pecunia, sed omnimodo soluenda sit in corporibus bonorum, [2] nisi quid eo nomine iam acceperint in pecunia: Quo casu cum non tam legitima quàm legitimæ supplementum peti possit, consequens est vt in pecunia repleri possit, quæ iam in pecunia solui cœpta est. [3] Quæ vero ascendentibus debetur solui tota possit in pecunia, quasi hac parte minus fauorabilis, quod non iure naturæ, sed solo pietatis intuitu & ratione miserationis, [4] vtpote contra ipsorum parentum votum debeatur. [5] Sed non placet Senatui nostro ea distinctio, quippe quæ nec lege vlla nec bona ratione nitatur. Æque enim legitima vtraque fauorabilis est, licet alio & alio iure debeatur. [6] At neque eorum distinctio placet, qui masculos in ea melioris quam fœminas conditionis esse volunt, vt etiamsi legitimæ partem iam in pecunia acceperint, variare tamen possint, [7] & ea pecunia redditâ integram legitimam petere in corporibus bonorum. Nam sicuti cum de tota successione, ita & cum de legitima portione quæritur, idem omnino & in omnibus ius est masculorum & fœminarum. [8] Illaque ratio non minus masculis obstat quam fœminis, quod qui legitimæ partem in pecunia accepit, [9] ab eo iure aperte recesserit, quod habuit ob initio petendæ totius legitimæ in bonorum corporibus, si id maluisset. [10] *Ita tractatum est* 17. Cal. 1590.

1 Contra quos vide quę nos pluribus disputauimus in Chiliad. *De error. pragmat. Decad. 14. Err. 1.*

2 *Ex l. scimus 36. ad finem principij, in versic. repletionem, C. hoc tit.*

3 Ne alioqui eueniat vt vna eadémque res diuerso iure censeatur, *l. eum qui ædes 30. D. de vsucap. l. inter socerum 26. §. cum inter. D. de pact. dotal.* Mihi tamen neque hæc sententia probatur, contra quam vide quæ scripsi *Decad. 14. Err. vlt. & Decad. 15. Err. 2. l etiamsi 8. C. de iur. dot.*

4 *l. nam etsi 15. in princ. D. hoc tit. l. scripto 7. §. vlt. D. vnde liber.*

5 *l. Iulianus 26. D. si quis omiss. caus. testam. l. nihil interest 50. §. sed nunquid, D. de bon. libert. l. cum ratio 7. D. de bon. damn.*

6 Imo vero etiam quæ ascendentibus debetur legitima secundum naturam debita dicitur à Iustiniano *in Nouell. 1. de hered. & falcid. circa princ. §. primum itaque.* * Et dicitur esse necessitas, descendentibus relinquere ascendentibus partem propriæ substantiæ competentem, *§. discretis, vers. si verò filios non habuerit, Nouell. 99. quibus mod. natur. effic. sui. & Nouell. de triente & semisse §. 1. ibi sed tertiam partem substantiæ. iunct. versic. hoc obseruando. & 111. §. 1. Nouell. de hered. & falcid. in verb. propria substantia.* Per quę iura ita fi mat contra communem Ioan. de Garron. quem omninò vide *ad Authent. ex testamento, nu. 20. & 21. per totum, C. de secund. nupt.* vbi multos citat in vtramq; partem. Obserua verò matrem si ad secunda vota conuolet non debere proprietatem habere in legitima, sed tantum vsumfructum quomodo haberet in successione intestati; sic enim idem Ioan. de Garron. post multos quos citat *in d. Auth. ex testamento, num. 19. & 21.* post alios cibi citatos. Quibus adde Peregrin. *in tract. de fideicomm. artic. num. 4.* Scilicet cùm mater habet legitimam aut supplementum legitimæ non ex tacita voluntate filij, vt *in l. omnimodo 19. C. hoc tit.* sed præter aut contra filij voluntatem, puta si filius relicta ei modica quantitate plus eam petere prohibuit, vt idem Ioan. de Garron. supradicto loco ex aliorum multorum opinione explicat. Potest enim hoc casu filius minuere legitimam quantum ad proprietatem lege permittente in odium matris binubæ, quæ non magis potest ex testamento filij quàm ab intestato succedere in proprietate bonorum à patre profectorum nisi sicut extraneus quilibet *dict. Auth. ex testamento.* Ergo nec præter nec contra filij voluntatem. In alijs sane bonis filij aliundè quàm à patre profectis aliud est, quia non amittit eorum proprietatem mulier iterum nubendo siue succedat ex testamento, siue ab intestato, *dict. Auth. ex testamento.*

7 Et tamen non licet regulariter variare, *l. si fundus 4. §. eleganter, & l. pen. D. de leg. commiss.* maximè cum prima electio trahit aut iam traxit secum executionem, vt in proposita specie *l. apud Aufidium 20. D. de option. legat.*

8 Sublata iam pridem omni differentia sexus, per *l. maximum vitium 4. C. de liber. præter. & Nouell. 118. de hered. ab intest. venient. c. 4. de agnat. iur. in hered. sublat. §. nullam.*

9 Siue viuo siue mortuo eo, in cuius bonis legitima debetur, si interpretibus & pragmaticis nostris credimus, non mihi, qui non aliter hoc verum esse puto, quam si pro legitima quis pecuniam acceperit eo tempore, quo iam legitima debebatur, id est, post mortem testatoris, *arg. l. penult. in fin. D. hoc tit. l. qui potest 174. §. 1. de reg. iur.* Scripsi *Decad. 14. Err. 19.*

10 Præsertim cum existimem nec ab initio permittendum ei fuisse vt repudiaret legatum pecuniarium ad legitimam in bonorum corporibus consequendam, licet aliter vulgo receptum sit, vt scripsi *Defin. 9. §.*

DEFINITIO XVII.

Non semper legitimam deberi in corporibus bonorum.

SAne quod dicimus, ascendentibus æque ac descendentibus legitimam deberi in corporibus bonorum, non est omnino perpetuum. Quid enim si defunctus dedititiæ fuerit, & vt loquimur, talliabilis conditionis, sola relicta matre superstite? Fauor conseruandi feudi efficit vt audiendus sit Dominus si matri æstimationem legitimæ in pecunia soluere velit. [1]

Nam

BIU Cujas

Nam & si poneres decessisse sola superstite filia in ea prouincia in qua ex consuetudine receptum sit, vt in Sabaudia & Bugiensium agro, potiorem esse domini quam filiarum causam, [2] placet dotem quæ filiæ à domino danda est, [3] quamuis & in locum, & proportione legitimæ detur, [4] tamen in pecunia numerata solui posse, si id dominus malit. [5] Eadem omnino iuris aut potius æquitatis ratione, ne qua nisi quamparcissima feudi diminutio fiat. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nam nec summo iure vlla legitima deberetur matri in bonis feudalibus, quorum propria natura illa esse dicitur, vt nunquam ascendant, id est, nunquam ad ascendentes recurrant, sed semper ad descendentes deuoluantur, & quidem ad masculos duntaxat nisi de filiabus, & earum descendentibus specialiter conuentum sit, §. *hoc autem, tit. 1. feud. de his qui feud. dar. poss. & tit. 8. de success. feud. lib. 1. per tot.*

2 Quæ propria est ratio feudi, vt proxime diximus.

3 Eo namque iure vtimur, vt quo casu dominus præfertur filiæ defuncti eam dotare teneatur.

4 Aestimamus enim dotem congruam hoc casu, vt & alias ex legitimæ portionis comparatione. Notant nostri *ad Auth. res quæ, Cod. commun. de legat. l. mulier 22. § cum proponeretur ad Senatusconsult. Trebellian. § quamobrem, Nouell. 39. de rest. & ea quæ parit* XI. *mens.*

5 Boni enim consulere mulier debet quod hanc saltem pecuniam consequatur, quæ alioqui tanquam à successione intestati excluſa (quæ nec vlla in proposito est, vt & *in l. 2. D. de castr. pecul.*) nihil omnino habere summo iure deberet, *arg l. si res æstimata 12. § 1. vers. Marcellus, D. de iur. dot.*

6 Alioqui multiplicatis descendentium gradibus aut personis facile fieret, vt feudum ad nihilum redigeretur aut saltem ad semissem vsque si quinque essent filiæ diminueretur: Itemque vt inuitus dominus incideret in communionem, quod ne fiat solet interdum permitti etiam in pari causa vt æstimationem offerens audiatur, qui alioquin non esset audiendus, *l. sancimus 34. § ne autem communione, C. de donat. iunct. l. si patronum 44. in princip. de bon. libert.*

DEFINITIO XVIII.

Potest statuto excludi filia, quæ dotem à patre habuit, licet minorem legitimâ, nisi enormiter læsa proponatur.

SI lex municipalis iubeat filiam dote contentam esse, nullo casu plus petere potest, siue à patre, siue ab extraneo dotata sit, tametsi dos minor sit legitima. [1] Etsi enim dura lex videtur, tamen cum ita scripta sit seruanda est. [2] Nec aliud erit si ponas legem municipalem iis verbis conceptam, vt simpliciter excludat filias dotatas. [3] Lex enim bene præsumit de patre, [4] nisi prorsus immodica, & vt loquuntur, enormis læsio interueniat, [5] quæ ex summa æquitatis ratione semper excepta intelligi debet. [6] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Bonier & Petri Quinier Aduocati, 10. Cal. Dec. 1590.

1 Bald. *in auth res quæ, num. 16. C. commun. de legat.* Grammat. *decis. Neapol. 101. nu. 47. & 72.* Corn. *consil. 37. lib. 2.* Dec. *cons. 277. col. penult. vers. & ista conclusio.*

2 *Arg l. prospexit 9. D. qui & à quib. manum.* Iacob. Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 2. casu 149. num. 2. 3. & 4.* post Bald. *ad dict. Auth. res quæ.* [Nam & apud Augustanos nostros consuetudo facit, vt neque legitima vlla debeatur, neque locus sit querelæ inofficiosi.]

3 Castr. *cons. 275. incip. super primo quæsito, & cons. 400. visis & ponderatis, & 401. lib. 2.* Curt. sen. *cons. 81.* Dec. *cons. 26. nu. 2. cons. 89. nu. 4. cons. 181. nu. 5. & cons. 505. nu. 4.* Andr. Tiraq. *in præfat. l. si vnquam. num. 36. C. de reuoc. donat.*

4 *L. nec in ea 22. § vlt. D. ad leg. Iul. de adult. l. penult. vers. neque enim, C. de adopt.*

5 *Arg. l. si superstite 5. vers. sane, C. de dolo.*

6 Menoch. *vbi supr. num. 15. vers. Ex supracitatis.* Curt. Sen. *cons. 27.* Curt. Iun. *cons. 10.* Ias. *cons. 133. lib. 4.*

DEFINITIO XIX.

In quibus differat dos à legitima.

QVamquam vulgo dici solet dotem loco legitimæ esse eodémque iure censeri, [1] permultæ tamen sunt inter dotem & legitimam differentiæ. Filia enim quæ à legitima excluſa est dotari nihilominus debet. [2] Legitima institutionis titulo danda est, dos non item: [3] Legitima onus nullum admittit, Dos admittit: [4] Legitima sine personarum distinctione semper certa est, Dos incerta: [5] Legitima viuo patre non debetur, Dos debetur. [6] Frater sororem dotare interdum cogitur, [7] legitimam ei dare numquam, [8] tametsi instituta turpi persona liceat sorori [9] præteritæ querelam proponere inofficiosi testamenti. [10] Contra mater & auia filiæ neptique legitimam debent, [11] dotem non item si ex paternis bonis constitui possit. [12] Legitima debetur pure, [13] Dos non nisi sub conditione illa siue expressa, siue tacita, si filia nubet. [14] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Sic enim vulgo creditum est *ex l. quoniam, Nouella 29. Codi hoc tit.* Erroneè tamen vt scripsi *Decad. 12. Err. 2.*

2 Id enim est quod facit vt statuto possit filia excludi à legitima, quia dotari debet, Brun. in stat. Qui extant *masc. ant. 3. quæst. 8. num. 33.*

3 Castr. *cons. 196. in puncto quæritur col. 1. in fin. lib. 1.*

4 Brun. *vbi* & Castr. *cons. 323. super primo lib. 1.*

5 *L. quæro 90. § gener. D. de iur. dot.* Grammat. *decis. 101. numer. 64.*

6 *L. 1. § si impubere, D. de collat. l. vlt. C. de dot. promiss. l. capite 19. D. de rit. nupt.*

7 Scilicet consanguineam non vterinam, *l. cum plures 12. § cum tutor. D. de adminis. & peric. tutor.*

8 Nam dicitur hæc legitima deberi secundum naturam, cum à fratre instituta est turpis persona, *Nouell. 1. de herod. & falcid. in princ. § primum itaque.*

9 Consanguineæ scilicet, non vterinæ *l. fratres 27. C. hoc tit.*

10 *L. fratris 21. eod.*

11 §. *aliud quoque capitulum. Nouell. 115. vt cum de appellat. cognosc.*

12 *d. l. vlt. C. de dot. promiss. l. neque mater 14. C. de iur. dot.*

13 Nec enim recipit diem aut conditionem, *l. quoniam in prioribus 32. C. hoc tit.*

14 *L. Titio centum 71. § Titio genero.* vbi Bart. *nu. 2. de cond. & demonstr.* Paul. Castr. *cons. 73. incip. licet.* Ita Domina Lisa *lib. 1.*

DEFINITIO XX.

Dotem congruam non semper ex legitimæ comparatione æstimandam esse.

DOtem congruam plerique intelligunt etiam viuo patre eam, quæ legitimæ portioni responderet si tum pater moreretur. [1] Quod non ita est. Neque enim fieri potest vt viuo patre dos in locum legitimæ succedat, cum eo tempore nulla dum legitima filio in bonis parentis, vt proxime diximus, debeatur. [2] Proinde congrua esse potest etiam quæ legitimam non æquat. [3] Nec est contrarium, quod etiam cum de congrua dote agitur patris facultates æstimandæ sunt. [4] Id enim sic accipi debet, vt eius quoque temporis rationem haberi oporteat, in quod pater superesse possit, itemque liberorum tam suscipiendorum quam susceptorum. [5] Alioqui si dos congrua ex legitimæ comparatione censenda esset, quid attineret in ea re nobilitatem mulieris spectare, aut mariti dignitatem, [6] aut loci, in quo matrimonium fit, consuetudinem? [7] Neque enim ista immutant quantitatem legitimæ, quæ semper certa, eadémque est. [8] Sed & frustra quæreretur de imputatione dotis in legitimam, [9] frustraque distingueretur, [10] an dos data sufficeret ad legitimam necne, si congrua dos dici non posset, quæ legitimam non adæquaret: E contrario dos immodica dicenda esset, quæ legitimam excederet, quod vtique falsum est. Inofficiosam enim dotem appellamus & immodi-

BIU Cujas

cam non quæ legitimam excedit, sed quæ facit ne cæteris liberis legitima salua esse possit. [11] Plane si post mortem patris de dote quæratur an congrua sit, vt à legitimæ petitione repelli filia debeat: [12] Aut si ex lege municipali cautum sit, vt filia congruenter dotata excludatur à iure petendæ legitimæ; [13] Non improbabiliter defendi potest, dotem his casibus succedere iure legitimæ. Ideoque nec aliter congruam videri debere, quam si legitimæ respondeat, non vt maior esse nequeat, [14] sed vti ne minor tempore dotis constitutæ inspecto. [15] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Post Salic. *ad Auth. nouissima, C. hoc tit.*

2 *L. 1. §. si impubere, D. de collat.*

3 Nisi cum arbitratu boni viri dos constituenda est, cum legitima minuscula portio dicatur *in l. si quis suo 33. C. hoc tit.* Boer. *quæst. 3. num. 12.*

4 *L. cum post 69. §. gener & l. quæro 60. D. de iur. dot. l. si filiæ pater 43. de legat. 3. l. cognouimus 19. C. de hæret.*

5 *d. l. si filia* in illis verb. *ex facultatibus ex numero liberorum testamentum facientis.*

6 *d. l. quæro* ibi *& dignitate mulieris maritique d. §. gener & §. nuptis, d. l. cum post.*

7 *Arg l. si seruus 50. §. vlt. de leg. 1. l. quod si nolit 31. §. quia assidua, D. de ædilit. edict.* licet in dote exigenda non locus spectandus sit vbi contractum est matrimonium, sed vbi maritus domicilium habet, *l. exigere dotem 65. D. de iudic.*

8 Triens scilicet vel semis portionis ab intestato contingentis, *Auth. nouissima.* iunct. *l. cum quæritur 6. & l. quæ super 31. C. hoc tit.*

9 *L. quoniam nouella 29. eod.*

10 Quomodo nostri distinguunt cum disputant, An auctis post datam dotem patris facultatibus inspiciendum sit tempus mortis, aut dotis constitutæ. De quo dicemus ℣. *Defin. 23.*

11 *L. vnic. C. de inoffic. dotib.*

12 Quasi quæ in dote habuerit legitimam posteaquam placuit, dotem in legitimam imputari debere, *d. l. quoniam Nouell.*

13 Cuiusmodi statuta pleraque sunt in Italia.

14 Nihil enim vetat plus esse in dote, quam in legitima.

15 Secundum eam distinctionem, quam à Senatu nostro probatam esse dicemus ℣. *Defin. 23.*

DEFINITIO XXI.

Dos congrua dicitur inspecto tempore constitutionis, legitima congrua inspecto tempore mortis dotantis.

QVibus consequens est, vt in congrua dote æstimanda non aliud tempus spectari possit, quam quo dos promissa aut constituta est. [1] Est enim id generale & perpetuum, vt si aliud nihil obstet, contractus tempus spectari oporteat. [2] Cum tamen si de ineunda legitimæ æstimatione ageretur, tametsi legitima per contractum promissa esset, mortis tempus necessario inspiciendum esset, [3] quia nec legitima vlla ante id tempus debetur. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Bald. *in auth. res quæ, num. 16. C. commun. de leg.* Boer. *quæst. 62. nu. 13.* Dec. *cons. 277.* Cravet. *cons. 11. num. 14.*

1 *L. Rutilia 69. D. de contr. empt. l. qua legata 18. l. non omne 144. §. 1. de reg. iur. l. si voluntate 8. C. de rescind. vend.*

3 Iacob. Menoch. ex communi aliorum sententia; *de arbit. iud. centur. 2. casu 149.*

4 *L. 1. §. si impubere, D. de collat. bon. d. l. cum quæritur 9. C. hoc tit.*

DEFINITIO XXII.

Ad quid obligatus sit qui se dotem congruam daturum promisit?

ERgo qui se dotem congruam filiæ constituturum promisit, non de legitima cogitasse credendus est, [1] cuius quantitas semper incerta est, cum ex futuro euentu pendeat, & ex liberorum numero, auctisque vel diminutis facultatibus augeatur vel diminuatur, [2] ed de ea dote quam tum commode dare possit, inspecto eo quod sibi, quod aliis siue natis siue nascituris liberis seruare debeat. [3] Quod ipsum cum boni viri arbitrio æstimari oporteat, [4] non alterius quam ipsius patris arbitrio æstimandum est, [5] si non immodica læsio probetur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ita eleganter Grammat. *decis. 101. nu. 65. & seqq.* alioqui inquit, cogeretur pater viuus assignare legitimam filiæ, quod absurdum esset ac iniquum.

2 Tempore scilicet mortis inspecto, *d. l. cum quæritur, in quantitate 73. D. ad leg. falcid.*

3 *L. si filiæ pater 43. de leg. 3.*

4 *L. cum post 69. §. gener. de iur. dot.*

5 *L. parentibus 8. Cod. hoc titul. l. si cogitatione 21. Cod. famil. ercisc.*

6 *L. si superstite 5. C. de dolo, l. 1. §. quæ onerandæ.* vbi Bart. & cæteri, *Diquar. rer. act. non det.*

DEFINITIO XXIII.

In ponenda ratione legitimæ an tempus mortis spectandum sit, an constitutæ dotis?

HInc facile est intelligere, quî ad eam quæstionem responderi possit, quæ in scholis & tribunalibus tantis iampridem contentionibus agitata est. [1] Si pater congrua dote constituta postmodum auctus sit facultatibus, ita vt mortis tempore inspecto desinat dos esse congrua quæ prius fuerat, an ex bonis quæ superuenerunt dotem legitimamque filiæ augeri oporteat. Nam si de dote tantum agatur, duplex ratio est, quæ facit ne augeri vllomodo debeat. Vna illa quod, vt iam supradictum [2] est, dotis constitutæ tempus præcise spectari conuenit. [3] Altera, quod si ex contrario patris facultates diminutæ fuissent, non idcirco dos marito auferretur, [4] at nec soluto matrimonio in mulieris necem minueretur, nisi hactenus vt sibi suisque pater subueniret. [5] At si de legitima quæratur, cui non fuisse renunciatum proponas, dubitationem res non habet, quin pro modo facultatum quæ excreuerunt in tempus vsque mortis augeri eam oporteat: [6] quoniam ea demum tempore, quid in legitima sit, quærendum est. [7] Interueniente vero renunciatione adhibitoque in eam rem, vt fieri solet & debet, iureiurando, [8] nec dubitationi locus esse potest quandiu tenet renunciatio, quin legitima nulla, & consequenter neque supplementum vllum debeatur. [9] Sicut & rescissa ob causam aliquam renunciatione, cum perinde habeatur acsi facta nunquam fuisset, [10] mortis tempus spectandum esse nemo ambigit. [11] Sed cum ex causa enormis, vt vocant, & immodicæ læsionis, vt plurimum renunciationes huiusmodi rescindi soleant: [12] Quæstio tantum in eo esse potest, an in æstimanda læsione bonorum, quæ superuenerunt, rationem haberi oporteat, an eorum duntaxat quæ fuerunt, cùm dos constitueretur? In qua quæstione si iuris rationem inspicias illud statim occurrit, quod dicas ipsum contractus tempus præcise spectandum esse. [13] Vt si filia cum accepta dote renunciauit, non vltra dimidiam læsa fuerit ex comparatione eius quantitatis, quam pro legitima habere debuisset, si tum pater decessisset, nihil sit de quo conqueratur. [14] Sed quoniam renunciationes istæ odiosæ sunt vtpote iuris ciuilis rationi contrariæ, [15] quin & in futurum tempus conferuntur, quo legitima debebitur, [16] id est, in tempus mortis [17] cum tacitam eam conditionem habeant, si legitima quandoque debebitur, [18] (prius enim est vt legitima debeatur, quam vt ei renuncietur, [19]) Senatus noster æquissimum sequitur temperamentum: Vt si ab initio congruam dotem filia, id est, quæ respondeat legitimæ,

quam

BIU Cujas

quam habitura erat si tum pater obiisset, nihil ei prosit quod postea pater locupletior factus sit.[20] Quando-quidem nihil est quod patri imputetur, qui ex bona fide iustoque boni viri arbitrio paternum officium impleuerit.[21] Sin minus congrue dotata filia extitit, licet non immodice læsa,[22] restituatur in integrum ex causa læsionis æstimandæ pro quantitate bonorū quæ moriens pater reliquerit,[23] vt hactenus patris impietas puniatur,[24] qui propriam filiam circumuenerit, & ad iurandam renunciationem adegerit.[25] Nec ad rem pertinet si quis hoc etiam casu obiiciat, non esse audiendam filiam, quæ ampliorem portionem petat auctis paternis facultatibus, cum neque diminui acceptum dotem vellet iisdem diminutis.[26] Nam quod fauore dotis inductum est vt diminui non possit, filiæ[27] nocere non debet, ne amplius quicquam petere debeat, si petendi ratio subsit:[28] quæ subest proculdubio, cum saltem tum filia immodice læsa reperitur eo tempore, quo de legitima quæri oportet, id est, quo pater moritur, si iam inde ab initio non congruam habuit portionem.[29] Qua ratione non improbabiliter possit quis meo iudicio defendere, omni casu[30] spectandum tempus mortis patris in æstimanda læsione, cum nec ante id tempus renunciatio quantumuis iurata effectum vllum habere possit, propter tacitam illam inhærentem, quam diximus, conditionem, si quandoque legitima deferetur,[31] Adeo vt sit etiam hæc sententia consequens ei iuris regulæ, quæ habet: In ineunda læsionis æstimatione contractus tempus inspici oportere.[32] Contractum namque intelligere debemus non cum interuenit stipulatio, sed cum vtilis esse, viresque aliquas habere cœpit.[33] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Bouier & Petri Quinier Aduocati 10. Cal. Decemb. 1590. Et rursum in ea causa, de qua in Defin. 7. 9. & 21. sup de pact.

1 Et de qua scripsimus *in Chiliade. De error. pragmat. Decad. 13. Err. 5. 4. & 5.* vbi omnino vide.

2 *Defin. 20. in fin. & Defin. 21. 5.*

3 *Arg. l. Rutilia, Polla 69 ff. de contr. empt. l. si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit. l. quæ legata 10. l. non omne 144. §. 1. de reg. iur.* ex quibus locis apparet regulare esse in omnibus contractibus, vt contractus tempus obseruari oporteat.

4 *l. Titia 64. ff. de iur. dot. l. si donaturus 9. ff. de cond. caus. dat. l. 5. §. pen. ff. de doli mal. except.*

5 *Auth. sed quamuis, C. de rei vxor. action.* vbi constitutum est, vt si patris substantia decreuerit aliqua fortuita clade non amplius secundo marito in dotem dare cogatur, quam quantum facultates eius patiuntur. In hac autem ratiocinatione præsupponendum est non debere audiri eum, qui id petat cuius contrarium non fuerat postulaturus, *l. pen. C. de solut.*

6 *l. 4. §. deficientem ff. de muner. & honor. l. ab his 10. §. auctis ff. de vacat. & excus. muner.*

7 *l. cum quæritur 6.* iunct. *auth. nouissima C. hoc tit.* quia legitima est quota portionis ab intestato contingentis. *l. parentibus, 8. l. quæ nuper. 3. eod.* intestati autem successio non nisi mortuo patrefamilias defertur, *l. 1. §. sciendum, l. 2. §. proximum ff. de suis & legit.*

8 Ad validandam renunciationem, quæ alioqui non valeret *c. 2. de pact. in 6.*

9 Si modo specialiter & expressim renunciatum sit legitimæ eiusque supplemento, secundum ea quæ scripsimus *Defin. 1. supr.*

10 Is enim effectus est restitutionis in integrum, vt in eo statu reponantur omnia in quo essent si factum non fuisset id quod rescissum est, *l. quod si minor 24. §. restitutio ff. de minor. l. vnic. C. de rept. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

11 Adeo vt & ab eo die mortis fructus legitimæ debeantur, vt scripsi *Defin. 11. 3.*

12 Implorato beneficio *l. 2. C. de rescind. vend.* quam nostri volunt in omnibus contractibus locum habere, præsertim concurrente metu reuerentiali, qui iunctus cum enormi læsione inducit iustum metum, *ex notat. in l. 1. §. quæ onerandæ D. quar. rer. act. non det.*

13 *d. l. Rutili.*

14 *d. l. si voluntate 8. C. de rescind. vend.*

15 *l. 3. D de collat. l. vlt. D. de suis & legit.*

16 Illud autem præcipue tempus spectandum est in quod dispositio confertur *l. Stichus 39. de manum. testam. l. quod sponsa 4. C. de donat. ante nupt.*

17 *Vt dixi 5. nu. 7.*

18 Bart. Bald. Castr. & alij *ad l. qui superstitis 94. D. de acquir. hered.*

19 *l. si ita 45. §. si sub conditione, de leg. 2. l. qui potest 174. §. quod quis, de reg. iur.*

20 Nam & initium inspici solet cum quæritur, an locus sit in integrum restitutioni *l. 3. §. scio d. l. quod si minor 24. §. restitutio. ver. nam est origo. D. de minor. l. si patronum, 44. §. si ex bonis ff. de bon. libert.*

21 Quod & in dubio de patre præsumiendum est, *l. pen. C. de adopt. l. nec in ea 12. §. 1. D. ad leg. Iul. de adult.*

22 Nam cum filia immodice læsa est dubitationem res non habet quin omnimodo in integrum restitui debeat, *l. si superstite 5. vers. sane si læsa es immodice, C. de dolo.*

23 *Arg. d. l. cum quæritur, C. hoc tit.*

24 Dicitur enim contra officium pietatis inique & indigne fecisse pater, qui minus legitimam portionem filiæ dedit, *l. 2. 3. 4. & 5. D. hoc tit.*

25 Nam & adigere intelligitur pater tam etiam, cum filia iurare patitur *l. adigere, 6. D. de iur. patron.*

26 Quæ ratio præcipua est Boetij *qu. 62.* & aliorum omnium, qui mordicus & indistincte defendunt tempus constitutionis spectari oportere *ex l. pen. C. de solu. l. de fideicommisso. 11. C. de transact. l. si pater 12. C. hoc tit.*

27 Nec alia vlla ratione dotis conditio deterior fit, *l. Atilicinus 17. D. de pact. dotal.*

28 Ne inducta in fauorem adferant detrimentum contra *l. 3 §. duæ autem ff. de Carbon. edict. l. generaliter 5 §. 1. in fin. C. de sec. nup. l. plures 19. in fin. D. de fid. instr.*

29 *Argumen. d. l. si patronum ex debita 44. §. si ex bonis vbi* est textus non inelegans nec à re nostra alienus. *D. de bon. libert.*

30 Id est non minus cum dotem congruam ab initio pater dedit, quam cum incongruam. De quo vide omnino quę scripsi *Decad. 13. Err. 4 & 5.*

31 Castr. & cæteri *ad d. l. qui superstitis 19. ff. de acquir. hered.* Dixi *num. 18. 5.*

32 *d. l. 3. §. scio l. quod si minor 24 §. restitutio eo l. verum 11. §. item non restituitur & §. seq. ff. de minor. d. l. si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit.*

33 Quia quandiu conditio pendet, quod sub conditione factum est nihil est, *l. si Stichum 8. §. si quis ita & l. quoties 14. §. 1. de nouat.*

DEFINITIO XXIV.

Ex quæstione De fideicommisso non debet fieri mora legitimæ.

CVm in æstimanda portione legitima, quæ debetur in bonis defuncti, constet habendam esse rationem bonorum omnium quæ moriens in hæreditate reliquerit, id est, de quibus pro arbitrio disponere potuerit,[1] interdum quæritur, Quid si hęres vt legitimam minuat fideicommissa quędam ex auorum testamentis repetere velit, an prius de fideicommissorum iure quam de legitima disputari oporteat? Nemo enim dubitat, quin & æris alieni loco sint,[2] & legitimæ ratio non nisi subducto ære alieno ponatur.[3] Sed magis est vt petitioni portionis legitimę mora ex eo fieri nulla possit.[4] Itaque qui legitimam petit non prohibebitur in æstimationem deducere interim illa etiam bona, quæ fideicommisso obnoxia esse dicuntur:[5] Sed ita tamen, & hac per iudicem adiicienda lege, vt nullum ex eo præiudicium fideicommissi petitioni fiat,[6] si quando de eo constare poterit: Nisi in promptu res explicari possit per Modo constat, modo agatur, quomodo pragmatici loquuntur.[7] *Ita tractatum est* pro vxore D. de Dortans, contra liberos & D. Comitis de S. Amour, 9. Calend. Aug. Ann. 1592.

1 *l. cum quæritur, C. hoc tit. l. in quantitate 73. ad leg. falcid.*

2 *l. cum pater 77. §. Titio fratri antepen. de legat. 2. l. irritum 8. C. ad leg. falcid.*

3 Papinianus 8. §. *quarta autem, D. hoc tit.*

4 Non enim certæ & liquidæ petitioni mora sit per incertam, & quæ prolixiorē tractatum requirat, quomodo plerum-

BIU Cujas

que requirit cognitio de viribus & iure antiquorum fideicommissorum *l.illa à quo* 13. §. *si testamento. versic. quid ergo.* vbi Bart. *D. ad SC. Trebell.* legitimæ autem petitio moram nullam admittit *l.quoniam in prioribus* 12. *C. hoc tit.*

5 Ac si fideicommissum nullum relictum esset. In dubio enim præsumptio est contra eum qui dicit fideicommissum relictum esse *l.* 2. *D. de probat.*

6 *Vt & in l. Bebius* 30. *in fin. D. de pact. dotal.*

7 *Ex l.* 3. *D. vt in possess. legat.*

DEFINITIO XXV.

Monachus sicut legitimam ita legitimæ supplementum petere non potest.

SI quid pater filio monacho pro legitima reliquerit, quod minus sufficiens videatur, quæri interdum solet, An filio competere possit actio ad supplementum? In quo dubitationem illud facit, quod quamuis ex edicto Diui Emanuelis Philiberti Principis nostri,[4] vsque adeo successionis incapaces sint monachi, vt nec numerum faciant in legitimæ computatione,[2] ac multo minus admittantur ad partem,[3] ipso tamen edicto exceptæ sunt successiones testamentariæ:[4] condictio autem, quæ ex Iustiniani lege ad supplementum competit, ex testamento esse intelligitur.[5] Sed tamen magis est vt non alia hac parte supplementi ratio sit, alia legitimæ.[6] Nam & inde generaliter comparatum est vt nec supplemetum petere nec contra tabulas agere possit is, cui legitima nulla debetur,[7] vt in filio naturali cernere est, de quo scribemus Defin. 3. infr. De natur. liber. *Ita tractatum est* ex tempore in causa nondum decisa R. Dom. Michal monachi Sanrambertini 8. Cal. Sep. 1592.

1 De quo diximus *Defin.* 8. §.

2 Id est non numeretur persona monachi in partibus faciendis, quomodo loquitur Vlp. *in l.* 1. §. *vlt. D. de collat.*

3 Implicat enim contradictionem, vt qui nec partem nec numerum facit admittatur ad partem.

4 Quæ semper exceptæ intelliguntur, *l. si patronus* 33. *de bon. libert. auth. ex testamento, C. de sec. nupt.*

5 Dixi *Defin.* 10. §. *hoc tit.*

6 *l. omnimodo* 30. *C. hoc tit. l. inter* 26. §. *cum inter, D. de pact. dotal. l. etiamsi* 8. *C. de iur. dot. DD. ad Auth. nouissima C. hoc tit.* Nec sane potest videri filius minus habuisse a patre quam sibi deberetur, si nihil ei a patre debebatur, vt diximus *Def.* 14. *m.* 5. §. *ex l. non potest* 117. *de verb. signif.* itaque boni consulere debet quod hoc saltem consequatur ex patris testamento, sine quo nihil omnino erat habiturus, *arg. l. si res* 12. §. 1. *D. de iur. dot.* Alioqui fieret contra voluntatem, quod ex mera testantis voluntate & liberalitate proficisceretur, *l.* 7. *de vulgar. l. debitor.* 59. *in fin. princ. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XXVI.

Quid si monachus legitimam petat in pecunia, non in corporibus bonorum.

DE illo etiam nonnulli dubitant, An monachis liceat petere legitimam in pecunia, quam in bonis vtique petere non possunt. Quasi hac parte cessare videantur verba edicti,[1] & ratio quæ mouit Principem,[2] si corpora ipsa hereditaria omnia penes hæredes remaneant, vt familiæ dignitatem integram, quę ex patrimonij quoque facultatibus spectatur,[3] conseruare possint.[4] Sed non ita est. Neque enim fieri potest vt legitima etiam in pecunia soluatur, quin eatenus patrimonium perinde diminuatur acsi corpora præstarentur.[5] Neque rursus ratio iuris patitur, vt pro re quę nec peti aut solui potest propter petentis incapacitatem æstimatio pecuniave præstanda sit.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 De quo diximus prox. Defin.

2 Ne scilicet bonis ex monachi persona monasterio acquisitis tanto debilior fiat respublica ad præstanda Principi obsequia & debita pro ipsius reipubl. salute necessaria.

3 Licet non ideo quis humilis & abiectus dicendus sit, quia pauper *l. humilem* 7. *C. de incest. & inutil. nupt.*

4 Nam & hoc ad reipubliçæ dignitatem pertinet *l.* 1. §. *antepen. D. de inspic. ventr.*

5 Quia cui abest precium rei ipsa quoque res abesse videtur, *l. si seruus venditus* 21. §. 1. *versic. quamuis si ipse l. si pro re* 22. §. 1. *l. si rem* 29. *in princ. D. de euict.*

6 Textus est elegantissimus *in l. si mulier*, 9. §. *ex asse. vers. nam obligari D. de iur. dot.*

DEFINITIO XXVII.

Si legitima in dotem data sit mortis tempus spectandum est, non dotis constitutæ.

A Deo verum est quod supra sæpius diximus, in inecunda legitimæ æstimatione mortis tempus spectandum esse,[1] vt nec aliud dicendum sit si legitima illa portio filiæ in dotem data proponatur.[2] Ipsum enim legitimæ nomen significationis est tractum habentis in tempus mortis,[3] cum eo demum tempore nec antea de legitima quærendum sit.[4] Itaque non prohibebitur pater viuus alienare,[5] ac de bonis suis pro arbitrio inter viuos, dummodo fraudis consilium absit,[6] disponere, quod tamen facere non posset si certa certorum bonorum portio in dotem data esset.[7] Quanquam enim donatio patris bonorum non impedit, quo minus ex iis bonis res quælibet alienari possit,[8] non tamen ex eo diminuitur portio, quę donata est, sed ex aliis bonis non alienatis tantum supereſſe necesse est, quantum opus sit ad eam portionem conficiendam.[9] At legitima portio donata aut in dotem constituta tanto minor fit, quanto plus ex die donationis aut constitutionis alienatum reperitur.[10] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 29. infr. de iur. dot.

1 *L. cum quæritur* 6. iunct. *auth. nouissima*, vbi DD. *C. hoc tit.*

2 Postquam placuit interpretibus legitimam à patre volente prorogari atque ita in dotem dari posse, vt tractant illi *ad l. quoniam nouella* 29. *eod.*

3 Vt & alia nonnulla verba, de quibus pete exempla ex *l. epistolam* 75. §. *vlt. D. ad SC. Trebell. l. si ita quis* 51. *in princ. de legat.* 2. *l. vxorem* 41. §. *pen. de legat.* 3.

4 *l.* 1. §. *impubere D. de collat. bonor.*

5 Acsi in dotem dedisset trientem vel semissem portionis, quam ab intestato habitura esset filia in bonis, quę in ipsius patris morientis hæreditate quandoque essent superfutura, *vt in l.* 3. §. *cum Pollidius de vsur. l. Titius* 54. *l. deducta* 58. §. *pen. ad SC. Trebell.*

6 *l. sed etsi* 21. §. *quod autem, vers. nam & Diuus Marcus, de petit. hered.* Facit *l.* 2. *D. si à parent. quis manum.*

7 Nimirum propter connexum ius mariti qui dotem ex titulo oneroso habere intelligitur, *l. ex promissione* 17. *D. de oblig. & act. l. Iulianus* 47. *D. mand. l. sicut* 8. §. *sed si permiserit, D. quibus mod. pign. vel hyp. soluit. l. vlt.* §. 1. *vers. in maritum D. quæ in fraud. credit.*

8 Guid. Pap. *quæst.* 602.

9 *l. si quis argentum* 35. §. *sed etsi quis vniuersitatis C. de donat.*

10 *Arg. l.* 1. *& tot. tit. si quid in fraud. patron.* iunct. *d. l. cum quæritur* 6. *C. hoc tit.*

DEFINITIO XXVIII.

Legitima non minuitur per donationes causa mortis.

SI tamen aut mortis causa, aut in vltima voluntate donauerit is, qui legitimam aut hereditariam portionem in dotem constituerat, non ex eo diminuetur data portio:[1] quia cum donationes causa mortis capiantur ad instar legatorum,[2] consequenter sicut legata ex hereditate delibentur,[3] prius necessario est, vt hereditas aut hereditaria portio aliqua sit quam vt ex ea quicquam delibetur.[4] Atqui quo instanti hereditas aut hereditaria portio esse incipit, succedit potestas dotalis constitutionis vireſque suas exerit.[5] Proinde sera est qualiscunque diminutio hereditatis, licet eam

quis

BIU Cujas

quis velit inducere ex voluntate eius, qui inter viuos alienando diminuere patrimonium potuisset.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec si per vltimam voluntatem diminui dos ista posset, fauore nimirum dotis hanc interpretationem euincente, *l.2. vbi est text.elegans C.de iur.dot.*

2 *l.1.§.1.ff.si quid in fraud.patr.l.vlt.C.de mort.caus.donat.*

3 *l.legatum est delibatio 116.de leg.1.*

4 Mihi tamen ratio hæc suspecta est, quia donationes causa mortis si nec in testamento, nec in speciem legati vel fideicommissi sed per contractum factæ sint, non delibantur ex hæreditate, sed priusquam hereditas vlla sit, confirmantur morte donatoris, & ei demum instanti perficiuntur, ideoque ex contractu non tanquam ex vltima voluntate debentur, *arg. l.1.& 2. non videtur 32. ff.de mort. caus. donat. l.hereditarium 7. ff.de rebus auct.iud.possid.* Nec dubitari potest quin ob hanc causam donatarij causa mortis præferantur legatariis, inter se vero concurrant cuiuscunque sint temporis, vt scripsimus alio loco. Sed tamen non eo minus tuta est *Defin.* propter *l.2.C.de iur.dot.* à nobis citatam *num.1.* maxime vero si dotis constitutio præcesserit donationem causa mortis.

5 Simile quiddam est *in l.si Stichum 6. §.si quis ita, & in l. quoties,* 14.§.1.*ff.de noxat.*

6 Sic dicimus viuum libertum donare bene merentibus amicis posse, legare vero nec bene merentibus posse, quod patroni partem minuat, *l.cuius 9.ff.si quis in fraud.patr.*

DEFINITIO XXIX.

Casus in quo legitima videtur dari vtiliter sub onere & conditione.

QVemadmodum potest pater computare filio in legitimam ea, quæ filij nomine soluit, siue ad dimittendos ipsius creditores, siue in quam aliam iustam causam,[1] præterquam si pietate ductus, puta studiorum causa erogauerit:[2] Ita si quid testamento relinquat filio pro legitima potest eam legem dicere, vt prius cogatur filius heredi reddere quicquid pro ipso pater viuus præstiterit.[3] Nec videbitur contra leges onus imponere legitimæ portioni,[4] sed potius iure suo vti in taxanda ea quantitate, quæ pro legitima debeatur.[5] Vtpote quæ sit æstimanda computato eo, quod in legitimam vel inuiti filij imputari possit.[6] Cui consequens est, vt neque filij creditores in ea bona, quæ filio relicta sunt, actionem vllam habeant, quin prius ex filij persona soluerint quicquid filius ad consequendum legatum soluere cogeretur.[7] Nisi malint illi subducto eo omni quod legitimam minuit in eam duntaxat pecuniæ quantitatem agere, quæ filio pro supplemento legitimæ debeatur. Nam & id filio liceret,[8] si mallet supplementum petere quam legatum pro legitima relictum cum sua cõditione agnoscere.[9] Cæterum si neget filius impendisse patrem ea, quæ filio imputare noluit in legitimam, probatio ab heredib. exigetur.[10] Ne alioqui nimis facile sit patri fraudem facere legitimæ. Et multo magis si filij creditores agant, in quorum fraudem credibile sit collusum esse inter patrem & filium, vt prætextu non impletæ conditionis prohiberentur illi agere in legitimam sui debitoris.[11] *Ita Senatus* in causa Claudij Rochet & heredum Ioannis Meyton 3, Idib.Mart.1593.

1 Dummodo ex substantia patris profectum sit quod pater dedit, *l.quoniam nouella 29.in fin.C.hoc tit.*

2 *l.quæ pater 50. ff. famil. ercisc.* Adde si quid pater impenderit in fauorem filij pro persecutione officij vel beneficij, quod nec vendi, nec ad heredes transmitti possit. Nam neque in legitimam id imputatur. Boer.*quæst.*14.*num.*3. *ex l.non omnimodo 30.§ imputari* vbi Bald.Ias. & alij *ex l.1. §.sed an id quod ff. de collat.l.si filia 20.* §. *Neratius ff.famil.ercisc.* Imputatur sane filio si is alia bona habuerit quæ pater administrauerit, & ex quibus dicat eos sumptus à se erogatos, *l.vlt. ff.de petit.hered.l.Nesennius 34.ff.de negot.gest.*

3 Aut saltem in legitimam imputare, *arg. d. l. quoniam nouella. & dicti.§.imputari, l.pen.ff.de collat.bon.* Intellige tamen ita vt filio relinquatur aliquid certum & liquidum cuius supplementum peti possit, alioqui nec supplementum certum esse posset, si quod pro legitima relictum est incertum esset, nec nisi magnis litibus & sumptibus liquidati posset vt scripsi *ad Definit.9.num.5.5.*

4 *Contra l.quoniam 32.C.hoc tit.*

5 Ne voluntatis quæstio relinquatur, an ea pater voluerit filio esse præcipua, an in legitimam eius imputari?

6 *d.l.quoniam Nouella.*

7 Absurdum enim sit plus iuris habere quem ex alterius persona, quam alius ille esset habiturus, *l.in hu* 175. §.1. iunct. *l.nemo plus iuris 54.l.nemo 120. l aliud est 160.§.vlt.ff.de reg.iur.*

8 Vt eadem sit conditio filij, & creditorum eius.

9 Non enim cogitur filius in legitima sequi iudicium testatoris, si malit sequi iudicium legis. Dixi *Defin.9.5.*

10 Ex generali reg. *l.2. de prob.* iunct. *l. ommimodo 30, Cod. hoc tit.*

11 Collusio enim debitoris cum tertio non potest nocere creditori, *l.præses Cod.de pignor.* facile autem hæc fraudis præsumptio capitur ex persona patris & filij, *l.pen.in princ.ff.de rit. nupt. l.pen. §.sed nunquid, ff.de bon.libert. l.si perluserio 14.ff.de appellat.*

DEFINITIO XXX.

Simplex donatio neque imputatur neque confertur, secus si facta sit ob causam.

SImplex donatio facta inter viuos, si modo ab initio valuerit, non imputatur filio in legitimam:[1] Quæ autem non simpliciter sed ob causam aliquam facta est, imputatur.[2] Ob causam vero facta illa intelligitur, quę pro ratione habuit propositam aliquam ipsius donatoris, non donatarij vtilitatem. Proinde si in contractu matrimonij & nuptiarum fauore donatum sit, magis est vt simplex quam ob causam donatio facta videatur.[3] Ergo in legitimam non imputabitur, si non expressim id dictum sit.[4] *Ita tractatum est* in causa discussionis bonorum illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise viduæ Domini Ioannis Comitis de la Chambre 4. Id. April. 1593.

1 Cum nec conferatur, *l.illud 20.in fin.C.de collat.* quicquid enim imputatur confertur, licet non vice versa, *d.l.illud §. hæc autem.* Facit *l.si quando 25.§.vlt.C.hoc tit.*

2 *l.quoniam nouella 29.C.hoc tit.* Bart. *ad l.in quartam 91. & ibi apost. D.ad leg. falcid.* Michael Graff. *in libr. sentent. §.legitima quæst.19.*

3 Crauet. *cons.*114.*num.*17.*& cons.*136.

4 *d.l.si quando, §.& generaliter, l.si non mortis 21. ff.eod.* [*d.l. penult. in fin.* vbi est text. express. *in fin.* quantum ad collationem, licet eum locum male nonnulli interpretentur *Cod. de collat.*]

DEFINITIO XXXI.

Dos imputatur in legitimam debitam in iis bonis, ex quibus profecta est.

DOtem, quæ filiæ nubenti post mortem patris à matre & à vitrico simul constituta est, constat debere imputari in filiæ legitimam, quam in bonis matris petere postea velit:[1] Et quidem totam, si modo de solis matris bonis constitutam eam & vitrici personam quasi auctoritatis tantum præstandæ gratia adiectam fuisse apparet.[2] Non enim quis dotem promiserit, sed ex cuius bonis dos soluta sit inspici debet.[3] *Ita tractatum est* in causa N. Bernardi Dacquin procuratoris fiscalis Sabaudiæ & Ioannis Callet. Non. Iulij 1583.

1 *l.quoniam nouella 29.C.hoc tit.*

2 Quoties enim dos à pluribus promittitur qui non eandem ipsius promittendæ causam habuerint, præsumitur tota dos ab eo data, cuius officio incubuit vt daret, *l.vlt. C.de dot. promiss.* Etsi autem paternum non maternum officium est dotare filiam, vt ea lex ait, potest tamen interdum etiam esse maternum si forte ex paternis bonis dotari filia nequeat, *l.neque mater 14.C.de iur.dot.* Denique vsque adeo mater filiam dotare

BIU Cujas

non prohibetur, vt nec iuuari possit Velleiano, si se pro dote obligauerit *l.si dotare* 11. *l.vlt. C.ad SC.Velleian.*

3 *d.c.quoniam.* finalib. illis verbis: *Si ex substantia eius profecta sit, de cuius hereditate agitur.*

DEFINITIO XXXII.

Petitio legitimæ datur contra tertium possessorem sine metu exceptionis non factæ excussionis.

NOn factæ excussionis exceptio non obstat filio legitimam portionem aduersus tertium possessorem vindicanti,[1] quoniam cum legitima sit quota bonorum, fere est vt implicitam dominij quæstionem contineat.[2] Sed hoc ita videtur accipiendum si legitima ipsa petatur, quæ in ipsis bonorum corporibus debetur.[3] Nam si de supplemento duntaxat agatur, & in pecunia solui cœptum sit, sicut supplementum non nisi in pecunia peti potest,[4] ita ab herede non à tertio possessore peti debet:[5] Nisi hypothecaria exerceatur,[6] cuius conditio est, vt exceptione non factæ excussionis possit submoueri.[7] *Ita Senatus* in publico Auditorio pro N. Carion 4. Non. Decemb. 1593.

1 Quia exceptio illa non factæ excussionis contra hypothecariam tolam competit, non etiam contra dominij vindicationem. *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

2 Alioqui minus iuris haberet legitimarius quam legatarius quilibet, quem constat habere etiam dominij vindicationem, *l.1. C. commun. de leg.* in eaque actione non timere eum exceptionem non factæ excussionis: Quod tamen absurdum esset.

3 *l.scimus 36. ad fin. princip. vers. repletionem, C. hoc tit.*

4 Vt dixi *Defin. 9. num. 8. 5.*

5 Nemo enim vnquam sit debitor pecuniæ ob id solum quod rem obligatam possideat, vt personali actione conueniri possit, *l.vltim.* §.1. *de contr. empt. l.1.* §. *si hæres, D. ad SC. Trebellian.*

6 Quæ tota in rem est, *pignoris, D. de pign. l. pignoris, C. eod.* ad euocandam nudam possessionem, *l.si cum venditor 66. in prin. de euict.*

7 *d. auth. hoc si debitor.* * Ioan. Papon. *in Syntagm. lib. 20. de legitim. & tit. 7.* §. 4. post Boer. *decis. 145.* Guid. Pap. *cons. 203 nu. 11.* Alex. *ad l. in quartam, ff. ad leg. Falcid.*

DEFINITIO XXXIII.

Inuentarij confectionem petere potest filia, etiam quæ cum iureiurando renunciauit, si velit se læsam dicere, per in integrum restitutionem.

FIlia nupta etiamsi bonis paternis accepta in locum legitimę portionis dote cum iureiurando renunciauerit;[1] Mortuo tamen patre, si ad supplementum agere quandoque velit,[2] in eamque rem vt probet quid & quantum sit in facultatibus ad impetrandam ex causa læsionis restitutionem petat describi omnia patris bona, audiri debet.[3] Quia posteaquam receptum est, huiusmodi renunciationes quamuis iuratas rescindi posse ex causa enormis nedum enormissimæ læsionis,[4] concurrente præsertim iusto filiæ metu ex paterna reuerentia parendique necessitate inducto,[5] illa quoque omnia filiæ concedi necesse est, sine quibus nec læsionis probatio, nec proinde restitutionis æquitas constare possit.[6] Alioquin si describendorum bonorum facultatem petenti filiæ deneges, perinde erit ac si inauditam eam & causa non cognita excluderes à beneficio petendæ vnquam restitutionis.[7] Quare nec ad rem pertinebit, si quis obiiciat: Quandiu rescissa non est renunciatio, nihil iuris habere filiam in bonis patris.[8] Nam imo vero hoc saltem iuris habet, quod certum est posse eam restitui,[9] & petere supplementum si læsam se probabit, quod ipsum non aliter quam ex facultatum modo æstimari potest, nec facultatum modus explicari nisi quam cito fiat inuentarium.[10] Atqui, inquies, hæredis interest quisquis ille sit non pandi secreta patrimonij.[11] Fateor. Sed filię quoque interest ne qua sibi in legitima fraus fiat, quæ vel ipso naturæ iure debeatur,[12] & quæ sit quota bonorum.[13] Vt proinde nec dici queat omnino aliena esse bona, in quibus legitimam eiusve supplementum consequi filia possit.[14] Indeque est quod mirum videri non debeat meliorem hac parte constitui filiæ conditionem, quam sit fideicommissarij, aut alterius cuiuslibet creditoris. Quibus non prius petendę huiusmodi descriptionis facultatem concedimus quam docuerint de iure suo:[15] Tametsi futurum sit vt ob non cōfectum statim repertorium iuris sui iacturam & diminutionem patiantur. *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro Gros Iean de Nantua 7. Id. Decembr. 1593. & iampridem pro vxore Spect. Claudij Balland Aduocati, contra N. Carolum du Four. *Sine die.*

1 Vt hodie fieri assolet *ex cap. quamuis pactum de pact. in 6.*

2 Quod facere potest petita restitutione vt scripsi *Defin. 15. supr.*

3 Descriptionem enim bonorum adeoque instrumentorum, quæ difficilius concedi solet, petere possunt omnes quorum interest, *l.cum plures 15. D. de reb. auctor. iud. possid. 16. quod etiam vniuersorum facere eis erit permittendum.*

4 *Ex l.2. C. de rescind. vendit. l.si superstite, vers. sane, Cod. de dolo.*

5 *l.1.* §. *quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det. & l. pen. D. de furt.*

6 *Arg. l.2. D. de iurisd.*

7 Quid enim interest, an ius deficiat an probatio, *l.duo sunt Titij 30. D. de testam. tutel. l. in lege 40. D. ad leg. Aquil. cap. quoniam frequenter. Extr. vt lit. non contest.* Imo fauor probationum etiam iure potior est, *l.5.* §. *vlt. & l. seq. D. de in lit. iur.*

8 *d. cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

9 *Arg. l. Stichum aut Pamphilum 95.* §. *quod vulgo de solut.* in illis verbis: *Causa iuris honorarij quæ potuit auxilio minori esse, &c.* nec nouum est inspici quod euenire potest, *l. qui bona 13.* §. *cum inter de damn. infect.*

10 Nam & inde fit vt inuentarij conficiendi necessitas incumbat hæredi, qui non vult teneri vltra vires hæreditatis, *l.vltim.* si non euentus ille ex iniuria magis quam ex iure pendeat, *l.eo tempore 50. D. de pecul. C. de iur. delib. l. tutori, 7. D. de admin. tut. curatori l. vltim. Cod. arb. tut. vsufructuario, l.1.* §. *recte, D. de vsufruct. quem. caueat.* mulieribus dotem quandoque repetituris ex Leonis nouell. 110. quoniam aliter scire non posset quid hæres, tutor, curator, vsufructuarius, & maritus præstare deberent.

11 *l.vlt. C. de alim. pup. præst.*

12 *Nouell. de her. & falc.* §. *1. itaque.*

13 *L. cum quæritur 6. l. parentibus, 8. l. quæ nuper, 31. Cod. hoc tit.*

14 Nam commune quod est potest quis proprium dicere saltem pro parte *l.5.* §. *vltim. de leg. 1. l.2. C. de comm. ser. manu. l. illud, 46. D. de rit. nupt.* Sed & in honorem sanguinis liberis parentibusve legitimam petentibus consuli & faueri æquissimum est, cum pene ad propria bona veniant tum etiam cum succedunt *l.1.* §. *largius, de success. edict.* multo magis si nihil nisi legitimam petant.

15 Id est fideicommissum aliquod relictum esse aut aliquid deberi, *l. post quam 5.* §. *si dies D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caue.* Sed & fideicommissario interdum subuenimus, vt quamuis de fideicommissi viribus nondum constet, cogatur tamen eo postulante heres adire suspectam, ne si interea hæres decederet fideicommissum intercideret *l. ille à quo 13.* §. *1. D. ad SC. Trebell.* nimirum si exhibitum sit testamentum ex quo fideicommissum petitur, nec desit color fideicommissi petendi. Sic enim Vlp. intelligi debet *d.* §. *si dies.* Quanto magis ergo filiæ subueniendum erit ne ius petendæ legitimæ intercidat amissis probationibus, si inuentarij confectionem petere ipsi non concedatur? Placet sane temperamentum vel inuentarium ab ipso iudice fiat quam secreto fieri poterit absente quoque filia, & clausum obsignatumque remaneat in id vsque tempus, quo probationibus vincendum erit, ne interim secreta patrimonij pandantur, eoque iure Senatus noster vtitur. Sed & potest sufficere obsignari arcas aut cœnacula, in quibus nummi, aut instrumenta aliave mobilia esse dicuntur, quæ facile occultari possunt si id heres malit quam inuentarium confici. Perinde namq; indemnitati filiæ hac ratione consulitur, cum quod ad bona immobilia pertinet probatio non possit semper non esse æque expedita. Sufficit enim prouideri ne quid celetur, amoueatur, subripiatur.

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXXIV.

Non esse scindendam voluntatem defuncti, nec prorogandum ad alias personas onus satisdationis.

LEgatum ab ascendente pro legitima datum si sit agnitum, nec constet an legitimæ portionis quantitatem excedat necne, sua die, suisque conditionibus præstandum est. [1] Quamuis si appareret de iussa legitimæ æstimatione, ad eam vsque quantitatem & dies & conditio reiiceretur. [2] In dubio enim quid obsecro melius dicere possis, quam prudens iustumque parentis erga liberos iudicium fuisse? [3] Itaque necessario præcedere oportet vt sciatur quid sit in legitima, quam vt pro legitimæ ratione dies conditiove habeatur pro non adiecta. [4] Si tamen nepotibus ex filia legatum sit ab auo ea lege, vt eorum pater ante omnia caueret [5] de pecunia liberis suis restituenda, tum pater ante præstitam cautionem acceptumque legatum decesserit, absurdum sane sit heredem exigere cautionem à liberis, [6] quam non nisi liberorum fauore testator irrogauerat patri, cuius pietatem & administrationem suspectam habuisset. [7] Nec aliud erit tametsi proponas nepotes istos non esse frugi, cum nihil interfit hæredis an acceptam legati pecuniam consumpturi sint an seruaturi: [8] Si quidem in omnem casum tutus futurus est, parta semel per solutionem liberatione. [9] Sed etsi neptibus legatum fuerit, quæ prodigis & imprudentibus viris nuptæ sint, nec illæ cogendæ erunt nec ipsarum mariti ad cauendum: [10] quoniam extra testamenti causam, id est, & cautionis testamento præscriptæ quæ nec casum suum egredi potest, [11] nec personam cui cauendi necessitatem testator iniunxit. [12] Sufficitque, vt dos in tuto sit, aliis remediis posse mulieribus consuli, petita scilicet, vt vulgo vocant, assecuratione. [13] Neque enim quicquam interest heredis, qui male consumptis per maritorum mores dotibus, nec iterum dotare legatarias tenebitur, [14] nec legatum, quod iam bene soluerit, iterum soluere. [15] *Ita Senatus* ex tempore pro liberis Nicolai Vicaire procuratoris contra filias hæredesque Perrod procuratoris patrimonialis 11. Calend. Febr. 1594.

1 Ne defuncti voluntas & iudicium scindatur, contra *l. Nam absurdum 7. D. de bon. libert. l. quidam elogio 20. C. de iur. deliber.*

2 Hoc enim casu diuisionem voluntatis induxit Iustinian. *in l. scimus 36. § cum autem, C. hoc tit.*

3 *Arg. l. penult. C. de adopt. l. vlt. C. qui & aduers. quos in integr. restit. non poss.*

4 Quia non nisi ad concurrentem vsque legitimæ quantitatem adiectio illa diei reiicitur, *d. §. cum autem*, debetque filia sibi imputare cur non repudiauerit legatum ac non potius legitimam petierit in corporibus bonorum, secundum ea quæ scripsi *Defin. 12. & seqq. 5. eod.*

5 Scilicet heredi, non liberis. Nam inter patrem & liberos non possent interponi cautiones salua patria potestate, *l. Imperator 50. D. ad SC. Trebell.* Similis cautionis interponendæ exemplum est in *l. Ballista 32 D. eod.*

6 Nam nec persona supereſt cui fideicommissum restituendum, nec proinde cui cauendum sit, *argum. l. cum pater 77. §. prædium, de legat. 2.* Aptior text. est *in l. Titio centum 71. in princip. D. de condit. & demonstrat.* Facit *l. filius familias. 114. §. Diui 2. de leg. 1.*

7 Quam ob causam frequens olim fuit vsus fideicommissorum filiis familias relictorum sub conditione emancipationis, *l. 11. §. si cui de leg. 3. l. duos 70. l. si cui 92. de cond. & demonstr. 22. ad SC. Trebell. l. si ita 15. quand. dies legat. de instr. & instr.*

8 *d. l. Titio centum, d. §. Diui.*

9 Obligatio enim legati per solutionem semel extincta nunquam potest reuiuiscere, cum sit vnica nec nisi semel legatum fuerit, *argum. l. apud Ausidium 20. De opt. leg. l. qui res 98. §. aream. de solut.*

10 Neque enim onus alienum alteri nocere debet, *l. 2. Cod. de alluuion. & palud.* nec fieri debet extensio de persona ad personam in conditionibus, *l. qui hæred. 44. de condition. & demonstrat.*

11 *L. commodissime 10. D. de lib. & posth.*

12 Ne fiat extensio de persona in personam.

13 *Ex l. vbi adhuc 29. Cod. de iur. dot. auth. quod locum, Cod. de collat.*

14 Nec enim extranei officium est dotem dare, *l. vlt. C. de iur. dot. l. vnic. §. in præsenti, C. de rei vxor. act.*

15 *Ante restitutam 104. & seq. D. de solut.*

DEFINITIO XXXV.

Datum heredi contemplatione defuncti non auget legitimam liberorum.

QVod post mortem patris donatur liberis contemplatione defuncti patris & obsequiorum, quæ donator à viuo patre acceperat, non potest videri hæreditarium [1] vt in hereditate computetur ad augendam legitimam liberorum. [2] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 10. infr. famil. erciſc.

1 Licet aliquando hæreditarium quid dicatur etiam quod incipiat ab hærede, *l. hæreditarium 7. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

2 Quia legitimæ ratio ponenda est ex quantitate bonorum, quæ mortis tempore reperiuntur, *l. cum quæritur 6. C. hoc tit.* in quorum numero non reperiuntur quæ postea ex alterius hereditate obuenerunt, licet occasione defuncti obuenerint, quia potuerunt etiam non obuenire, nec potest videri defunctus in bonis suis reliquisse id, quod nec ipse nec heres eius petere vnquam potuit, tametsi alium sibi ad remunerandum obligauerit, *arg. l. sed etsi lege 25. §. consuluit. D. de petit. hered. l. si patronum 44. §. si ex bonis, D. de bon. liber.* Nec ad rem pertinet, quod ea potissimum persona inspicienda sit, cuius contemplatione legatum fuit, *l. si filiofamilias 42. de cond. & demonst.* Id enim tunc obtinet cum persona supereſt, cuius contemplatione aliquid factum fuit. Defuncti autem persona nulla est. Iunge *Defin. 11. J. famil. erciſc.*

DEFINITIO XXXVI.

Quænam actionum hæreditariarum æstimatio facienda sit in ponenda legitimæ ratione?

CVm legititima portio sit quota bonorum non hereditatis, consequens est vt in ea æstimanda, si quid fuerit mortis tempore in actionibus hereditariis, non debeat inspici quid tandem post varios anfractus ex eiusmodi actionibus redactum sit, sed quanti potuerit ab initio vendi & æstimari, [2] detracto periculo dubij euentus [3] metuque sumptuum, id est quanti dubius ipse euentus fuerit, si mortis tempore actio vendita fuisset. [4] Neque enim quod per heredis actiones exercentis operam & industriam accessit hæreditati augere debet legitimam in fauorem aliorum liberorum, qui non egerunt, nec si parati sint in sumptuum contributionem venire. [5] Ita fit vt si quis aut si qua ex liberis eo tempore quo incertus adhuc erat euentus exercendarum actionum legitimæ portioni renunciauerit accepta certæ pecuniæ quantitate, non ob id rescindi postea debeat renunciatio per restitutionem, quod congerit ex iis actionibus magnam pecuniam redactam esse. [6] Pendebat enim id ex dubio euentu [7] nec proinde iustam præbere potest causam restitutionis [8] si initium inspicias, quod semper inspiciendum est, [9] tempusque ipsum contractus. [10] Et hoc est quod dici solet, Eum qui contractus tempore læsus non fuerit, non posse restitui prætextu læsionis ex postfacto superuenientis, nec si minorem [11] proponas aut eccleſiam. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Auth. nouissima*, vbi Salyc. Ias. & alij. *C. hoc tit.*

2 Potest enim etiam actio vendi, vt & alia quælibet res mobilis aut immobilis, *tot. tit. De hered. vel act. vendit. D. & C.* item- que dubius euentus, *l. si iactum retis, 11. D. de act. empt.*

3 *L. eo tempore, 50. & l. quod debetur, 51. D. de pecul.*

4 Nam actionis emolumentum illud intelligendum est

BIU Cujas

quod supereſt deductis ſumptibus litis in eam rem vel inſtituendæ vel inſtitutæ, ſicut & fructus dicuntur deductis expenſis, *l.ſi quid poſſeſſor*, 31. §. *ſicut autem*, *l.heres furioſi*, 51. *D.de petit. hered.cum ſimilib.*

5 *Arg.l.quod ſi minor*, 24. §. *Scæuola*, *D.de minor.* Text.eſt elegans *in l.ſi culpa* 63. *D.de rei vind.*

6 *Arg.l.ſi patronum ex dubita*, 44. §. *ſi ex bonis*, *D.de bon.libert. d.l.ſi culpa*, *in fin.*

7 Poteratque fieri vt heres condemnaretur, quo caſu noluiſſet filia in ſumptuum contributionem venire, Facit *l.pen.C. de ſolut.*

8 *L.fideicommiſſo*, 11. *C.de tranſact.l.ſi pater*. 12. *C.hoc tit.*

9 *L.3.§.ſcio*, *d.l.quod ſi minor*, *§.reſtitutio*, *D.de minor.*

10 *L.ſi voluntate*, 8. *C.de reſcind.*

11 *L.verum* 11. §. *item non reſtituetur*, & §. *locupleti*, *D.de minor.*

12 Solet enim eccleſia vti iure minoris, *cap.ſuſcitata*, *vbi not. Extr.de in integr.reſtit.*

DEFINITIO XXXVII.

De computanda legitima nepotum ſiue ſoli ſint, ſiue patruum habeant ſuperſtitem aut auunculum.

ETſi nepotes ex filiis, & filiabus ſuccedunt auo & auiæ in ſtirpes non in capita, Non ſolùm ſi cum patruo, ſed etſi ſoli ac per ſe ſuccedant,[1] quoties tamen de legitima computanda eiuſque ratione ponenda quæritur, multum intereſt an ſoli nepotes ſuperſint, an verò etiam perſona aliqua ex filiis aut filiabus primi gradus. Poſteriore namque caſu legitimæ computatio fieri debet ex numero liberorum primi gradus, non autem nepotum, vt ſi prædefunctus filius quatuor liberos reliquerit, alius autem ſuperſit filius aut filia omnium legitima ſit triens tantùm non ſemis,[2] quaſi duobus tantum liberis relictis.[3] Priore vero caſu computatio facienda eſt ex numero nepotum, vt legitima ſit ſemis[4] non triens, Quod hoc caſu legitima nepotibus debeatur ex proprio capite citra ius vllum repræſentationis,[5] aut ſaltem tanquam repræſentantibus gradum duntaxat, non etiam perſonas parentum.[6] *Ita tractatum eſt* 28. April.1614.

1 *§.cùm filius & §.vlt.Inſt.de hered.quæ ab inteſt.defer.*

2 Guil.Bened.*in quæſt.de legit.part.*3.

3 Quoniam quandiu ſupereſt vel vna perſona ex liberis primi gradus, non poteſt fieri vt primi gradus ratio habenda non ſit.

4 Alex. *conſ.*63, *vol.*2. poſt Salycet. *ad Auth. nouiſſima C.hoc tit.* quem ſequitur Ias.*ibid.num.*5.

5 Paul.Caſtrenſ. *ad l.qui ſuperſtitis num.*4. *in fin. D. de acquir. hered.*

6 Dixi *Defin.*17. *3.de pact.*]

TIT. XX.

DE INOFFIC. DONAT.

DEFINITIO I.

Variarum donationum cumulatio fit, vt locus ſit querelæ inofficioſæ donationis.

VAriis donationibus, ſiue in vnam perſonam, ſiue in plures non eodem tempore collatis, etſi ſummarum cumulatio non admittitur ad conflandam eam quantitatem, quæ faciat, vt iure communi donationem inſinuari neceſſe ſit:[1] Admittitur tamen ad hoc, vt ſingulæ donationes perinde immodicæ & inofficioſæ fuiſſe videantur, atque ſi vnica liberalitate vniuerſum patrimonium exhauſtum proponeretur.[2] Ideo fortaſſe, quod tot donationes defectu inſinuationis irritas fieri durius futurum ſit,[3] omnes vero tanquam inofficioſas reuocari, fauorabilius, propter liberos, quibus vtique conſulendum eſt.[4] Cum tamen nihil eorum interſit, vnane an plures donationes factæ ſint. Vtroque enim caſu æquale damnum paſſuri ſunt, ſi non iis fauorabiliter conſulatur.[5] Et vero quamuis ad exemplum[6] querelæ inofficioſi teſtamenti querela inofficioſæ donationis introducta ſit, duplici tamen de cauſa videri poteſt minus odioſa, tum quia non reſcindit defuncti voluntatem eo prætextu, quaſi fuerit ille demens & inſanus,[7] ſed ſolo fauore illius, cui legitima debetur,[8] tum etiam quod ſuprema iudicia, quæ per querelam inofficioſi teſtamenti reſcinduntur, multo fauorabiliora exiſtimentur,[9] quam quæ inter viuos collatæ ſunt liberalitates. Cui conſequens fit, vt eorum reſciſſio tanto debeat odioſior exiſtimari.[10] *Ita Senatus* in cauſa Dominorum de Meſſimieu, & de Sarmoye, 15 Cal.Aug.1591.

1 Textus eſt *in l.ſancimus*, 34. §. *ſi quis autem C.de donat.*

2 Bart.Bald.& cæteri, *ad l.*1. *C.hoc tit. Per tet.in d.l.*1. *l.*2. 3. 5. & 6. *eod.* * Imo contra ſentit Bart.& Caſtrenſ. *ad d.l.*1. *ex l.ſi libertus* 16. §. *vlt. D.de iur.patron.*

3 Nunquam enim capienda eſt ea interpretatio, quæ faciat actum inutilem, *l.Titia cum teſtamento* 34. §. *Lucius*, *de leg.*2. & *d.* §. *ſi quis autem*, *verſ.& introducere modos per quos non valeant*, & *in irritum reuocentur.*

4 Per querelam inofficioſæ donationis, quod vnicum remedium eſt eo caſu neceſſarium, quod fraus facta ſit non ſolum legitimæ, ſed etiam querelæ inofficioſi teſtamenti, *l.Titia Seio*, 87. §. *Imperator*, *de legat.*2. *l.ſi liqueat*, 8. *C.hoc tit.*

5 *d.l.*1. *d.l.cum donationibus*, 6. *eod.*

6 Et ſimilitudinem, & quidem in omnibus, vt ait *l.vlt.eod.* [Vnde eſt quod querela inofficioſæ donationis, ſicut & inofficioſi teſtamenti non competit, niſi poſt mortem patris, nec poteſt viuo eo exerceri, ſed ſoli patri competit auxilium aduerſus inofficioſam donationem quam ipſe fecerit vt in *l.ſi totas* 5. *C. hoc tit.*/*ita Senatus* in cauſa N.Franciſciſci de Boyuin Baronis du Villars. 3. Non. Decembr. 1612.]

7 Qui color eſt querelæ inofficioſi teſtamenti, *l.*2. *cum ſeqq. D.de inoff teſtam.*

8 *d.l.Titia*, §. *vlt.* in illis verbis, *ſubueniendum ſit liberis.*

9 *L.*1. *C.de ſacroſ.eccleſ.l.vel negare*, 6. *D.teſtament. quemadmod. aperi.*

10 Nam & cauſa teſtamenti fauorabilior creditur, quam cauſa liberorum, *l.ſi pars* 80. *D.de inoff.teſtam.*

DEFINITIO II.

Donationes inofficioſæ in priorem coniugem collatæ per liberos ſubſecuti matrimonij in totum reuocantur.

SI quis immodicas donationes in vxorem contulerit, ſiue in contractu matrimonij, ſiue ante contractum, etſi non ex ſola liberorum ſuperuenientia reuocantur,[1] ſiue ex eodem matrimonio ſuſcepti ſint, quia de iis fuit cogitatum,[2] ſiue ex alio, quoniam non poſſunt illi eſſe fauorabiliores, quam ſi ex ipſo nati eſſent matrimonio:[3] Reuocantur tamen per querelam inofficioſæ donationis, nec tantum ad concurrentem vſque legitimæ quantitatem, quomodo ſi cui ex liberis facta eſſet,[4] ſed pro virilibus, vt euenit quoties extraneo donatum eſt.[5] Nam quod melior eſt conditio vxoris, quam liberorum hactenus, vt propter ſuperuenientes liberos non reuocetur donatio, facere non debet, quo minus extraneæ potius, quam liberorum iure cenſeri debeat mulier, quæ reuera extranea eſt,[6] cum donatio tanquam inofficioſa reuocatur. Sunt enim iſta reuocandarum donationum remedia prorſus diſſimilia, & ex cauſis longe diſſimilibus introducta.[7] Reuocantur donationes per ſuperuenientiam liberorum ex tacita donantis voluntate, qui cum de naſcituris liberis non cogitauit, credendus eſt, non fuiſſe donaturus, ſi de iis cogitaſſet.[8] At tanquam inofficioſæ reuocantur inuito etiam donatore, quoniam

quoniã in inofficioſę donationis querela iuris auxilium neceſſarium eſt, aduerſus donatoris impietatem mancó remedio querelæ inofficioſi teſtamenti. [9] Vnde illud quòque fit, vt reuocandæ donationis rationem illam, quam Conſtantiniana lex inducit, donator poſſit contraria voluntate non expreſſa ſolum, ſed etiam tacita excludere, ſi quoquomodo de liberis cogitauit. [10] Inofficioſæ vero donationis querelam auferre non item, quæ inuito eo competit, ex ſolo beneficio iuris. [11] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *Per l. ſi vnquam 8. C. de reuoc. donat.*

2 Nemo enim, ſic improbe ad matrimonium accedit ſine voto & ſpe ſuſcipiendorum liberorum, *l. 11. D. ſolut. matr.* Conſtitutio autem Conſtantini, *in d. l. ſi vnquam*, non habet locum quoties de liberis naſcituris cogitatum fuit, vt ad eam notant interpretes.

3 Et veriſimile non eſt de his fuiſſe cogitatum, *l. cum vir vxori 25. D. de condit. & demonſtr.*

4 Sic enim vulgo creditum eſt, *ex l. 5. & l. ſi liqueat 8. Cod. hoc tit.* Contra quam ſententiam vide quæ ſcripſi *lib. 3. Coniectur. cap. 17.*

5 *L. 1. vbi noſtri notant, C. hoc tit.*

6 Nam & inde fit, vt ad inteſtati ſucceſſionem non vocetur, niſi poſt omnes agnatos & cognatos, *l. ponu, C. vnde vir & vxor, l. 3. C. quor. bonor.*

7 Ex diuerſis autem, vt dici ſolet, non infertur, *vulg. l. Papinianus exuli 20. D. de minor.*

8 Et coniectura illa pietatis facit, vt nemo propriam ſobolem alienæ anteponere voluiſſe videatur, *l. cum acutiſſimi 20. in fin. Cod. de fideicomm. l. generaliter 6. §. cum autem, Cod. de inſtit. & ſubſtit.*

9 *d. l. 1. & d. l. ſi liqueat 8. C. hoc tit.*

10 Andr. Tiraqu. latiſſ. *ad eam legem ſi vnquam, Cod. de reuoc. donat.*

11 *d. l. Titia Seio 87. §. Imperator, & §. vlt. de leg. 2. & tot. hoc tit. C.*

DEFINITIO III.

Quantum interſit, an donationes reuocentur ex ſuperuenientia liberorum, an tanquam inofficioſæ?

INde illud etiam eſt quod noſtris placet, Donationes, quæ ex Conſtantini lege [1] reuocantur, ſemper pro virilibus ſuperuenientium liberorum portionibus reuocari, quas ab inteſtato habituri illi eſſent, ſi donationibus exhauſtum patrimonium non fuiſſet. [2] Et conſequenter in totum ſi alij nulli ſint liberi, quam quibus iniuria facta eſt. [3] Nam & viris appellatione interdum totum continetur. [4] Per querelam vero inofficioſæ donationis non niſi ad debitum vſque bonorum ſubſidium, [5] ſi non re ſimul & conſilio officioſa donatio fuerit, [6] ſecundum diſtinctionem, quæ ab interpretibus noſtris vulgo probata, à nobis tamen certiſſimis iuris rationibus prudentumque auctoritatibus iam pridem refutata eſt. [7] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *In l. ſi vnquam 8. C. de reuoc. donat.*

2 Quia non creditur donatarius habere pro ſe voluntatem donatoris, quam credibile eſt non fuiſſe donaturum, ſi de liberis ſibi naſcituris cogitaſſet. Sic enim noſtri ratiocinantur, contra quos tamen vide quæ ſcripſi *lib. 7. Coniect.* Simile quiddam de præſumpta teſtantis voluntate vide *in l. mulier 22. in princ. verſic. Braſidas, ad SC. Trebell.*

3 Sine totum patrimonium donatum fuerat, ſiue pro parte, vt ait *d. l. ſi vnquam.*

4 *L. virilis appellatione 145. D. de verb. ſignific. l. 2. Cod. de heredit. inſtit.*

5 *Ex l. ſi totas 5. & l. ſi liqueat 8. C. hoc tit.*

6 Vt in ſpecie *l. Titia Seio 87. §. Imperator, de legat.*

7 *Lib. 3. Coniect. cap. 17.* vbi omnino vide.

DEFINITIO IV.

Caſus, in qua inofficioſa donatio non reuocatur per liberos poſtea ſuſceptos, niſi vſque ad concurrentem legitimæ quantitatem.

EST etiam ſuperioribus conſequens, vt ſi pater, qui ante ſuſceptos liberos bonorum ſuorum partem donauerat, natis poſtea liberis legitimam reliquerit, aut quid aliud, quod ſit loco legitimæ, non niſi ad eam vſque quantitatem, ſi modo legitimæ ſufficiat, [2] donatio reuocetur: [3] manifeſta namque donatoris voluntas eſt pro donatario in omni eo quod excedit. [4] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Puta dotem, quam noſtri vulgo tradunt eſſe legitimæ, ob id quod in legitimam imputatur, *ex l. quoniam nouella 39. C. de inoff. teſtam.*

2 Alioqui locus eſt querelæ inofficioſæ donationis iure vetere, quemadmodum locus eſſet querelæ inofficioſi teſtamenti, ſi bona donata in donatoris hereditate reperirentur tempore mortis. Hodie tamen ex nouo iure, *& ex Nouell. Iuſtin. 29. de immenſ. donat. in fil. fact.* videtur ſola actio competere ad ſupplementum legitimæ exemplo eius iuris, quod iam antea idem Iuſtinianus conſtituerat de querela inofficioſi teſtamenti. *in l. omnimodo 30. C. de inoff. teſtam.* Niſi quis dicat ſpecialiorem eſſe nouellam illam, *conſtit. 92.* nec ad immenſas donationes quaſlibet pertinere, ſed ad eas tantum quæ in aliquem ex liberis collatæ ſint, vt & titulus, & conſtitutionis text. demonſtrat.

3 *L. ſi totas 5. C. hoc tit.*

4 *Arg. l. militis 36. D. de teſtam. milit. cum ſimil. ib.*

DEFINITIO V.

Pendente lite de inofficioſa donatione filius ex bonis litigioſis alendus eſt.

SI dubitetur an inofficioſa ſit donatio, aut an Conſtantinianæ legi locus eſſe poſſit ad reuocandam donationem, nec habeat interea filius vnde ſe alat aut litis ſumptus ferat, æquiſſimum eſt pendente facti quæſtione adiudicari filio certam pecuniæ quantitatem arbitrio iudicis conſtituendam, non ſecus ac ſi petitione hereditatis, vel de inofficioſo teſtamento experiretur, [2] Ne alioqui & inopia litem deſerere, & deſerta lite iuris ſui iacturam facere compellatur: nec minus contra donatarium fiduciaria illa adiudicatio [3] fieri & poteſt & debet, quam contra heredem. Cum eo maxime caſu donatarius loco heredis conſtitutus videri debeat, quo per donationis exceſſum factum eſt, ne donator heredem habere potuerit. [3] Nunquam vero præſtandæ ſatiſdationis neceſſitas filio ex hac cauſa iniungitur, [4] quem, dum fideiuſſores perquirit nec inuenit, fame interea perire impium certè fuerit & inhumanum. [5] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *Ex l. ſi inſtituta 27. §. penult. D. de inoffic. teſtam. l. vlt. C. de ordin. cognit.*

2 Pragmatici vulgo prouiſionalem ſententiam appellant.

3 Nam & ſic vulgo creditum eſt donatarium vniuerſalem eſſe loco heredis, Guid. Pap. *quæſt. 460.*

4 Quia ſatiſdandi onus plerumque graue eſt, præſertim homini egeno, cui non fuerit difficilius pecuniam inuenire ad ſoluendum, quam fideiuſſorem, *l. 2. §. ſed ſi dubitetur, D. de iudic.*

5 *L. 1. §. idem per contrarium l. 5. § ſi vel parens, & l. ſi neget 7. D. de agnoſc. & alend. liber.* vide *Diſi. 7. 5. tit.*

[DEFINITIO VI.

Donatio facta ſub nomine mutui ſimulati reuocatur per querelam inofficioſæ donationis, & quando valeat tanquam donatio inter viuos aut cauſa mortis.

MAter, quæ ſciebat habere ſe pleroſque creditores, [1] profeſſa erat, debere ſe vni ex liberis quem prædiligebat magnam pecuniæ quantitatem ex cauſa mutui, ſibique præſtitorum per longum tempus alimentorum: [2] Ac præceperat, vt ea quantitas non niſi poſt mortem ſuam peti poſſet: [3] Item, vt ſi debiti con-

BIU Cujas

trouersiam facere heredes vellent, iis hæreditas auferretur, & filio donatario applicaretur. Placuit, cum neque de mutui numeratione constaret, [4] neque de alimentorum exhibitione, quibus sufficere annui donatricis reditus poterant, donationem potius in filium collatam videri, quæsito mutui colore, vt fortior obligatio ex causa onerosa contraheretur. [5] Eo magis quod hic idem filius matri, postea cæteris quoque liberis donanti consenserat, nec de debito quicquam fuerat protestatus. [6] Itaque si quorundam ex liberis legitimæ fraus facta proponatur, exemplo cæterarum donationum, hæc quoque ad eam vsque quantitatem, quæ pro legitimæ supplemento debeatur, [7] reuocanda erit. [8] Nec indictam pœnam patientur, qui contractus simulationem objicient. [9] Cum eiusmodi contractibus hæreditas, sicut dari non potest, ita nec adimi, [11] neque præterea sufficiens causa illa sit ad exhæredationem. [12] Valebit tamen ea liberalitas iure donationis inter viuos, [13] si sit insinuata, [14] licet effectus eius post mortem collatus sit. [15] Sed si insinuatio non interuenerit, tuenda erit iure donationis causa mortis, [16] dummodo & præsenti facta sit, [17] & coram quinque testibus. [18] Alioqui non ex eo solo, quòd mortis mentio facta fuerit, & quod testes quinque interfuerint, censenda erit mortis causa donatio, si ex aliis coniecturis appareat voluntatem adfuisse donandi inter viuos, [19] vtputa si insinuari donationem voluerit is qui donauit. [20] Aut si ita donare se dixerit, vt nullo casu donatio reuocaretur. [21] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise, viduæ Illustris D. Ioannis Comitis de la Chambre, 4. Id. April. 1593.

1 Quorum causa semper potior est, quam sit liberorum in legitima quoque portione, quia legitimæ ratio non ponitur, nisi deducto ære alieno, *l. Papinianus* 8. § *quarta autem, D. de inoff. test.* Ex eo tamen quod quis scit se habere creditores, facilius capitur præsumptio consilij fraudulenti, *l. omnes* 17. §. 1. *D. quæ in fraud. cred.*

2 *Vt in l. qui testamentum* 27. *D. de probat.*

3 Quæ vulgaris natura & conditio est donationum causa mortis, cum quis mauult donatarium rem habere, quam hæredem, se autem quam donatarium, *l. 1. l. Senatus*, 35. §. 1. *D. de mort. caus. donat.*

4 Non enim creditur assertioni personæ suspectæ, *l. cum quis decedens*, 37. §. *codicillis*, & §. *Titia, de leg.* 3. solent autem fraudis suspecta esse, quæ inter parentes & liberos geruntur, quoties alius læditur, *l. penult. in princip. D. de rit. nupt. l. penul.* §. 1. *vers. sed nunquid, D. de bon. libert.* §. *perlusorio*, 14. *D. de appellat. l. data*, 27. *C. de donat.*

5 Solet enim potior in multis esse causa creditorum, qui onerosam causam habent, quam eorum qui lucratiuam, *l. quod autem* 6. §. *simili modo dicimus, l. vltim.* §. *si à socero, D. quæ in fraud. cred. l.* 4. §. *si cum legitima, vers. si quis autem*, & §. *auctoris, D. de doli mal. & met. except.*

6 Quod facturum eum fuisse verisimile erat, si quid sibi debitum putasset. Solent enim & debent creditores salua pignoris sui causa consentire, *l. si debitor* 4. §. 1. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

7 *L. si totas* 5. & *l. si liqueat*, 8. *C. hoc tit.*

8 Cum tamen reuocari non posset obligatio mutui si vera fuisset. Inspiciendum autem est id, quod reuera agitur potius, quam quod simulate concipitur, *l.* 1. & 101. *tit. C. plus valer. quod agit. quam quod simul. concip.*

9 Non enim habet iniuriam executio iuris, *l. iniuriarum* 13. *in princip. D. de iniur.* nec pœnam meretur, quod sit lege permittente, *vulg. l. Gracchus, Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Nec rursus valere possunt huiusmodi clausulæ, adiectæ in fraudem legis & legitimæ, *dict. l. cum quis*, 37. §. *Titia*, & *dict. l. qui testamentum, l. quoniam in prioribus*, 32. & *l. scimus*, 36. *ad fin. princip. Cod. de inoffic. testam.*

10 *L. hereditas*, 5. *C. de pact. conuent. tam. s. dot.*

11 Vbi enim dari non potest ibi nec adimi, vt in codicillis cernere est, §. *penultim. Instit. de codicill. l.* 2. §. *vltim. D. de iur. codicill.* iunct. *l. penult.* §. *vltim. D. de condit. instit.* Eadem enim ratio esse solet dationis & ademptionis, *l.* 3. §. *conditio*, *D. de adim. legat.*

12 Neque enim est ex iis causis quas Iustinian. iustas esse voluit, *Nouell.* 115. *vt cum de appellat. cognosc.* §. *aliud quoque capitulum.*

13 Donari enim videtur, quod nullo iure cogente conceditur, *l. 1. l. donari, D. de donat. l. donari* 82. *de reg. iur.*

14 Quia ex Senatus nostri stylo omnis donatio inter viuos eget insinuatione, excepta illa sola quæ fit in contractu matrimonij.

15 *l. vnic. C. vt action. ab hered. & contr. hered. incip.*

16 Præsertim si iurata sit postquam magistris placet iusiurandum habere vim clausulæ, *omni meliori modo, ex l. cum pater*, 77. §. *filius matrem, de legat.* 2.

17 Non enim potest donatio causa mortis fieri absenti, in eoque differt à donatione inter viuos, *l. absenti* 10. *D. de donat. & ibi not. d. nec ambig. 6. C. eod.*

18 Requirit enim donatio causa mortis quinque testes, *l. vltim. Cod. de mort. caus. donat.* exemplo alterius cuiuslibet vltimæ voluntatis, *l. vltim. Cod. de codicill.* cum tamen donatio inter viuos duobus testibus contenta sit, *l. vbi num. rus*, 12. *D. de test.*

19 Sæpe enim fit, vt non tam mortis causa, quam moriens quis donet, vt eleganter Pap. loquitur, *in l. Seia* 42. §. *vltim. de mort. caus. donat.*

20 Nec enim donatio causa mortis eget insinuatione, *d. l. vlt. C. eod. ill. tit.*

21 Tunc enim donandi causa magis mors est, quam mortis causa donatio, quomodo legendum est *in l. vbi ita donatur*, 27. *D. eod. tit. D. de mort. caus. donat.*

DEFINITIO VII.

Inofficiosam donationem non nisi inspecto tempore mortis donatoris æstimandam esse.

PLuribus separatim factis donationibus quæ simul iunctæ inofficiosæ sint, non eæ tantum, quæ posteriores factæ sunt, rescindi debent per querelam inofficiosæ donationis, ne alioqui facile sit donatori inane & illusorium reddere querelæ remedium multiplicatis donationibus, sed omnes coniungendæ sunt, [1] vt priores quoque, licet initio inspecto inofficiosæ non fuerint, [2] pro rata reuocentur. Perinde namque ex pluribus donationibus simul iunctis fraudandi animus præsumitur, atque ex vna, quæ sit vniuersalis. [3] Et vero necesse est in tempus vsque mortis manere in suspenso, an inofficiosa donatio futura sit. Nam etsi patrimonium suum quis totum donauerit, non ideo tamen inofficiosa dici donatio statim potest. Quid enim si postea donator alia bona acquirat, ex quibus dari possit legitima filio mortis tempore, etiam ex comparatione patrimonij, quod ante donationem donator habuerat? [4] Denique cum legitima non nisi mortis tempore deberi incipiat, consequens est, vt in æstimandis inofficiosis donationibus, quæ fraudandæ legitimæ causa factæ sint, [5] mortis tempus spectari oporteat. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt scripsi Defin. 1. §. *eod.*

2 Euentus enim hic potissimum spectandus est, vt & fere alias quoties de fraude disputatur, *l.* 1. & *vlt. C. qui manum. non poss.* & fraus accipienda est cum effectu, *l.* 1. *in fin. D. de statulib. d. ait prætor* 10. §. 1. *D. quæ in fraud. credit. l.* 1. §. *penu. D. si quid in fraud. patr.* Etsi distinguere nostri solent an donatio inofficiosa sit re & consilio, an re tantum, an consilio tantum, *d. l. Titia Seio*, 87. §. *Imperator, de leg.* 2.

3 Neque vero eius, qui de inofficiosa donatione conqueritur, quicquam interest, an per vnicam donationem, an per plures fraudem in legitima patiatur.

4 *Nouell. Iustin* 92. *De inuent. donat. vers. in tantum autem aucta quantitate, quantum habuit substantia patris, antequam donationibus exhauriretur.*

5 *L.* 1. §. *si impubere. D. de collat. bonor. l. cum quæritur*, 6. *C. de inoff. testam.*

6 Quemadmodum si querela inofficiosi testamenti proponeretur, *d. l. cum quæritur*, neque enim illa, neque hæc inofficiosæ donationis viuo donatore proponi potest.

TIT. XXI.

BIU Cujas

TIT. XXI.

DE PETIT. HERED.

DEFINITIO I.

Petenti hereditatem eius, qui mortuus negatur, non cogitur reus submini-strare sumptus litis & alimentorum pendente lite, nisi actor sit ex liberis aut parentibus.

CVM fratris quasi defuncti hereditatem ex paterno fideicommisso soror sibi restitui, mortisque quam aduersarius negat probandæ, & litis persequendæ gratia, quod inopia vrgeretur, sumptus ex hereditate prorogari postularet, oblata in eam rem satisdatione, Pronunciatum est male eam agere, quæ paupertatis obtentu intentionis suæ primordium aduersarij sumptibus probare vellet,[1] Nec est contrarium, quod descendentibus de ascendentium, itemque ascendentibus de descendentium hæreditate vniuersa, aut de legitima portione contendentibus certam pecuniæ quantitatem pro modo patrimonij, ad alimentorum litisque sumptus necessarios interea dari debere, nulla etiam prætita satisdatione innumeris Senatusconsultis decretum est.[2] Nam hac in re, vt & in aliis fere omnibus iuris partibus fauorabiliorem ascendentium & descendentium, quam agnatorum vel extraneorum causam esse æquum est,[3] cum his quidem ex naturæ iure communique parentum voto,[4] illis vero summa miserationis ratione,[5] hereditas debeatur, saltem ad finem eius portionis, quam ex legibus omnimodo habere debent,[6] ita vt si quando nihil vel minus habeant, non tam de ipsorum iure dubitandum,[7] quam de facta ipsis iniuria quærendum videatur.[8] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 9. April. 88. Item pro liberis D. de Sarmoye, contra Dom. Meximieu, 11. August. 88. & 18. Iul. 1591.

1 Hoc enim casu maxime illud obtinet, quod dici solet, neminem contra seipsum litis sumptus submiuistrare cogendum esse, *l. Imperatores, 17. D. de tutel. & ration. distr.*

2 Vt scripsi Defin. 6. *supr. de inoff. testament.* & Defin. 5. *supr. tit. prox. ex l. si instituta. 27. §. pen. D. de inoff. testam. & l. vlt. C. de ordin. cognit.*

3 *Argument. l. 1. §. largius, D. de succes. edict. l. 1. D. de inoffic. testam.*

4 *l. etsi is, D. eod. l. Iulianus, 26. D. si quis omiss. caus. testament. l. pen. §. sed nunquid D. de bon. libor. l. de emancipatis, 13. §. cum enim, C. de legit. hered.*

5 *l. scripto, 7. §. vltim. D. vnd. liber. l. iure succursum, 6. D. de iur. dot.*

6 *Nouell. 1. de hered. & falcid. §. primum itaque.*

7 Si modo constet eos esse liberos qui pene ad propria bona veniant, *d. §. largius, & l. in suis, 11. ff. de lib. & posthum.* Nam etsi negentur esse iusti liberi, interim tamen alendi sunt, *l. si neget, 7. D. de agnosc. & alend. liber.*

8 *l. non est enim, 4. D. de inoffic. testam.* Obserua tamen, si quis agat tanquam heres testamentarius eius, quem defunctum esse constet, ac proferat testamentum non cancellatum, audire eum debere, si pendente lite petat prouisionalem huiusmodi adiudicationem. Petr. Rebuff. *in tract. de execut. sentent. prouis. artic. 1. gloss. 2. nu. 32. ex l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. tollend.*

DEFINITIO II.

Heres falsus, non nisi volente vero herede hereditatem petere potest, licet possessor nihil omnino iuris habeat.

QVamdiu ei, quem siue ex testamento, siue ab intestato lex priorem ad hereditatem vocat, non est præclusa via hereditatis acquirendæ, nullus omnino sit sequenti locus.[1] Itaque si vel hereditatem vel rem aliquam singularem, tanquam hereditariam[2] petat ab eo, qui nullum sibi in hereditate ius adserat, repelli potest,[3] quasi qui sine iure & actione experiatur.[4] Nec videbitur ea exceptio de iure tertij,[5] quæ versus est de non iure actoris.[6] Prius enim de actoris, quam de rei iuribus quærendum est.[7] Atqui, inquies, ex earum exceptionum numero hæc est, quæ non aliter sunt exclusiuæ iuris agentis, quomodo nostri loquuntur, quam si tertius velit, quas ideo opponi non posse merito placuit, non accedente tertij voluntate.[8] Imo, inquam, ex iis est, quæ ius agentis excludunt, etiamsi tertius non velit,[9] dummodo nec nolit:[10] quarum vtilitas reo nunquam denegatur.[11] Quare nec ad rem pertinebit, quod non constet agnitam adhuc hæreditatem ab eo cui delata est. Sufficit enim, vt appareat non fuisse repudiatam posseque etiam hodie acquiri, quod vtique fieri quandocunque potest si modo tempora largiantur.[12] *Ita Senatus* pro Ioanne Musier, contra Ioannem Monnier, 6. Calend. Aug. 1588.

1 *l. is qui heres, 13. l. quamdiu, 39. l. in plurium, 70. D. de acqu. hered. §. placebat, Instit. de legit. agnat. success.*

2 Nam & aduersus eum, qui rem vnam hereditariam licet minimam possidet, competit petitio hereditatis, *l. regulariter 9. & seq. D. hoc tit.*

3 Id enim est quod dici solet, aduersus extraneos etiam vitiosam possessionem prodesse, *l. vltim. D. de acquirend. possessio.*

4 Nemo enim sine actione experiri potest, *l. si pupilli, 6. §. videamus, D. de negot. gest.*

5 Quæ regulariter non est admittenda, *l. loci corpus, 4. §. competit, vbi Bart. & alij, D. si seruit. vindic.*

6 *l. vlt. C. de rei vindicat.*

7 Cum actore nihil probante reus absoluendus sit, etiamsi nihil præstet, *l. qui accusare, 4. C. de edend. l. negantes, 9. C. de oblig. & act. l. actor quod asseuerat, 23. C. de probat.*

8 *l. 2. vbi late Bart. D. de except. rei iudic.*

9 Quia hereditas quæ alterius est, non potest esse actoris, *l. quod contra 14. §. vni duo, de regul.* & vt ait *l. 1. §. 1. si pars hered. pet.* qui hereditatem petit, non ex eo metitur, quod possessor occupauit, sed ex suo iure.

10 Aliud enim est velle, aliud non nolle, & contra aliud non nolle, aliud velle, *l. 4. D. de acquir. hered. l. 3. de reg. iur.*

11 *d. l. vlt. C. de rei vindic.*

12 *l. si curatoris, 9. C. de iur. delib.* Adde *Defin. seq.*

DEFINITIO III.

Heres ex parte, quamdiu coheredes adire possunt, non nisi suam partem hereditatis petere potest.

SImile est, quod plerisque Senatusconsultis pronunciatum memini, si ex pluribus hæredibus siue testamentariis, siue legitimis quidam hæreditatem agnouerint, alij nondum agnouerint, eum, qui non nisi pro parte hæres est, non posse hæreditatem, aut rem hæreditariam in solidum petere, aut actionem hæreditariam in solidum exercere, quamdiu in eo est hereditas, vt pro cohæredum portionibus agnosci ab iis possit,[1] quia nec interea iuri accrescendi locus vllus esse potest.[2] *Ita Senatus* sæpius.

1 Textus est elegans & apertus, *in l. 2. D. si pars hered. petat.* vbi obserua in illis verbis, *si cæteri non adierint*, Iurisconsultum dixisse *non* pro *nondum*, vt sequentia illa demonstrant, *non adeuntibus autem cæteris.* Adde Antonin. Thesaur. *Decis. Pedem. 4. num. 8.*

2 Ius enim adscrescendi sicut locum non habet in portionibus agnitis, *l. vnic. §. his ita diffinitis, Cod. de caduc. tollend.* ita nec in iis, quæ agnosci adhuc possunt, sed in iis demum quæ defecerunt vel morte, vel repudiatione, siue expressa, siue tacita, quæ ex solo temporis lapsu inducitur, *l. ex pluribus, D. de suis & legit.*

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Petitio hereditatis siue directa siue fideicommissaria cumulari potest cum vindicatione rerum singularum. Potest tamen si actor velit, & sit illa expeditior prius decidi.

PEtitio hereditatis fideicommissariæ contra singulares rerum fideicommissarum possessores non prius exerceri potest, quam restituta sit per fideicommissum hereditas,[1] nimirum ab eo ipso qui est grauatus, aut, quod hac parte idem est, à grauati herede.[2] Prius enim est, vt restituatur fideicommissum, quam vt ex fideicommisso transeant actiones,[3] quas tamen transiisse necesse est, priusquam agere fideicommissarius possit aduersus eum, qui fideicommissum non debet,[4] ne alioqui sine actione agere videatur.[5] Quod si heredis grauati heres nullus sit, decerni in eam rem curator hereditatis solet, vt cum eo de fideicommissi iure disputetur, & fideicommissum aut per eum restituatur,[6] aut pro restituto habeatur.[7] Si tamen, vt sæpius euenit, is ipse, qui fideicommissum restituere debet, hereditarias res possideat, potest recta conueniri, vt non tantum ius ipsum hereditatis restituat, sed ipsas quoque res singulas, quippe quæ hereditatis appellatione contineantur:[8] Sed si de singulis rebus longior tractanda sit quæstio, quod hereditarias esse neget ille, à quo fideicommissum petitur, nihil prohibet de solo fideicommissi iure ante omnia cognosci,[9] ne forte inanibus sumptibus oneretur is, qui dicit deberi sibi fideicommissariam hereditatem, si postquam probauerit has & illas res esse hereditarias pronuncietur nullum ei relictum fideicommissum.[10] Quare nec ei nocere debebit, quod supplici libello vtramque actionem[11] cumulauerit. Potest enim vtraque quidem cumulari, sed non ideo necesse est vtramque simul decidi.[12] *Ita Senatus* in causa D. Francisci de Bourdeaux, contra D. Bonam de Coste vxorem D. Baronis de la Serra, 15. Cal. Mart. 1595.

1 Quia cum fideicommissarius tantundem consequatur fideicommissaria hereditatis petitione, quantum heres directa petitione hereditatis, *l. 2. D. de fideic. hered. petit.* necesse est, vt heredis loco sit fideicommissarius priusquam hac actione experiri possit, quod non fit, nisi per restitutionem hereditatis, *l. 1. eod. §. restituta, Instit. de fideicomm. hered. l. facta 63. in princ. D. ad SC. Trebell. l. cum sponsus 12. §. is cui, D. de public. in rem act.* Quisquis enim agit petitione hereditatis, siue ciuili & directa, siue fideicommissaria, non ex eo metitur actionem suam quod possessor nullo iure hereditatem occupauerit, sed ex proprio suo iure, vt eleganter ait Vlpian. *in l. 1. §. 1. ff. si pars hered. petat.*

2 Alioqui non possent transire actiones ex Trebelliano, si non restitueretur hereditas quomodo testator voluit, & eo ipso quia actiones hereditarias omnes habet, id est, ab herede aut heredis herede, *l. 1. D. ad SC. Trebellian.* iunct. *l. si mulier 59. §. ex asse, D. de iur. dot.*

3 *l. si heres institutus 70. §. 1. & pass. D. ad SC. Trebell.*

4 Imo nec aduersus debitores hereditarios agere potest, *l. cum Artemidoram 4. C. vt in possess. legat.* aduersus eos vero, quibus heres pecuniam hereditariam credidit, ne quidem facta restitutione, nisi subsecuta cessione, *l. si heres pecuniam 73. D. ad SC. Trebell.* quia heredis non hereditaria actio est.

5 Quod fieri non potest, *l. si pupilli 6. §. videamus, D. de negot. gest.*

6 Hic enim perpetuus pragmaticorum error est, vt hereditati, quæ nullum heredem inuenit, dent curatorem contra manifestam iuris rationem, nulliusque legis auctoritate, vt scripsi pluribus locis *in Chiliad. de error. pragmat. Decar. 3. Err. 3.*

7 Quomodo putant plerique ex æquitate canonica fideicommissum haberi debere pro restituto quasi breui manu, & citra realem restitutionem, *ex cap. in præsentia*, vbi Bald. *Extr. de probat.* Vide Guil. Bened. *in cap. Raynutius*, quo tamen iure non vtimur.

8 Quasi in executionem vniuersalis iudicij petitionis hereditatis, qui tamen agendi modus vereor ne à iuris nostri ratione paulo alienior sit. Debet enim iudicium præcedere iudicij executionem, satisque petit res singulas qui petit hereditatem, *l. si quis 7. §. vltim. de except. rei iudic.*

9 Quia cum fideicommissaria hereditas sit hereditas, *tot. tit. de fideic. hered.* perinde nomen iuris est, atque alia quælibet hereditas, & ideo etiam sine vllo corpore iuris intellectum habet, *l. hereditas 50. D. hoc tit.*

10 *Arg. d. l. si quis 7. §. & generaliter, & §. vlt. D. de petit. hered.* Facit *l. ille à quo 13. §. 1. D. ad Senatusc. Trebell.*

11 Scilicet petitionem hereditatis fideicommissariam & specialem rei vindicationem, quas cumulari posse, admissum est eo prorsus modo, quo rescindentis & rescissorij cumulatio admittitur. De quo scripsi in Chiliad. *de error. pragmat.* Alia multa sunt quæ proponi possunt, & simul & consecutiue. Vide Ferrar. *in form. restit. in integr. 41. vers. ad dimittendum 15. nu. 2.*

12 Ne alteri quæ faciliorem & expeditiorem tractatum habet longior mora per alteram fiat, *argum. l. 3. D. vt in possess. legat. 1. dict. l. ille à quo §. 1. ad Senatusc. Trebell.*

DEFINITIO V.

Falsus heres, qui cœperat agere tanquam heres in eamque rem admissus etiam à iudice, repellendus est, apparente quandocunque postea vero herede.

QVi literas apostolicas monitorias in forma significauit, vt vocant, impetrauerat quasi Sempronij heres esset, vt quicquid ex hereditate occultatum dicebatur, sibi restitueretur,[1] alio postea herede apparente, si pergat earum literarum publicationem vrgere repellendus est,[2] cum verisimile sit non fuisse eum literas obtenturum, si se heredem mentitus non fuisset, quas tanquam heres impetrauit.[3] Nec ad rem faciet, si dicat heredem se institutum posteriore testamento, quod sit occultatum. Aliis namque in eam causam literis opus est, quas non tanquam Sempronij heres impetret, sed proprio iure & nomine, vt se heredem probet.[4] Sed & cum Senatus religione circumuenta, hic tanquam Sempronij heres publicandi monitorij licentiam inaudito vero herede obtinuisset,[5] postea autem verus heres exhibitis tabulis publicationi interfuisset, placuit non debere nocere Senatus decretum ei, qui auditus non fuisset,[6] neque ei prodesse, qui se falso heredem dixisset, cum sciret alium esse heredem.[7] *Ita Senatus* pro N. Petro Iuge, contra Claudium Iuge, ex tempore in secreto auditorio, Idib. April. 1595.

1 Actione scilicet petitionis hereditatis, qua vtique etiam fur & raptor tenentur *l. nec vllam 13. in prine. D. hoc tit.*

2 Quisquis enim agit petitione hereditatis, non ex eo metitur suam actionem, quod reus hereditatem, vel quid hereditarium occupauerit, sed ex suo iure, vt diximus *Defin. 2. & 3. ex Vlpiano in l. 1. §. 1. D. si pars hered. petat.*

3 Falso enim heredi nulla actio competere potest hereditatis nomine, nec ferendum est, vt ex sua improbitate actionem nullam consequatur, *l. itaque fullo 12. §. 1. D. de furt.*

4 Prius enim est, vt de eo quæratur, an hereditas sit delata, quam vt dicatur acquisita, *l. in qui heres 13. l. si in ad quem 12. D. de acquir. hered. l. delata 151. de verb. signif.*

5 Cum nemo ei adhuc faceret controuersiam hereditatis, neque enim diuinare id Senatus poterat.

6 *l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt. l. etiam 29. §. vlt. D. de minor. tot. tit. res inter alios act.*

7 Nam & hic pro herede possidere dicitur, id est, nullo iure, *l. pro herede 11. D. hoc tit.*

DEFINITIO VI.

Rerum singularum exhibitionem quando petere possit tertius opponens contra eum, qui agit fideicommissaria hereditatis petitione.

SI fideicommissaria hereditatis petitio instituta sit, & vt fieri assolet eodem libello petatur missio in possessionem bonorum fideicommissariorum in genere aduersus eum ipsum, qui de fideicommisso restituendo rogatus est,[1] non cogitur actor antequam pronunciatum sit de fideicommissi iure indicare heredi gra-

BIU Cujas

redi grauato, quænam bona illa sint, quæ fideicommisso contineantur. [2] Nihil enim habet id commune cum eo, de quo prius & ante omnia quærendum est, an fideicommissum debeatur. [3] Nec aliud erit tametsi specialis petitio facta sit huius aut illius fundi tanquam fideicommissarij, si modo actor dicat velle se vt in iudicati executionem ea quæstio differatur. [4] Sane post iudicatum si heres iuret, nescire se an possideat rem quæ petitur, erit ipsi à fideicommissario indicanda, vt scire possit, vtrum cedere debeat, an contendere. [5] Non item si iuret nescire se, an res illa sit fideicommissaria, id est, an ab eo qui fideicommissum reliquit, mortis tempore possideretur. [6] Id enim non ex oculari inspectione, sed ex probationibus à fideicommissario requirendis diiudicandum est. [7] Alia ratio est tertiorum possessorum, qui missioni in possessionem vltro interceſſerunt. [8] Hi enim siue ante sententiam de fideicommisso redditam, siue in iudicati executione interceſſerint, non sunt audiendi, si petant præsentem rem oculis exhiberi, vt sciant an possideant. Cur enim interceſſerunt priusquam scirent se possessores? [9] Itaque vel cogendi sunt defendere, si fateantur se possidere, [10] vel si negent transferenda est in actorem possessio in tædium, vt aiunt, tenere negantis. [11] *Ita Senatus*, contra Franciscum Guerin Neciensem, Non. Iun. 1595.

1 Secundum ea quæ diximus *Defin. 4. §.*

2 Pertinet enim id ad iudicij vniuersalis & iudicati executionem potius, quam ad fundandam intentionem actoris, aut exceptionem rei: prius autem iudicandum est, quam de iudicati executione tractandum, *l. 1. C. de exec. rei iudic.*

3 *L. ille à quo, 13. §. 1. D. ad SC. Trebell.*

4 Nam quod receptum est, vt harum actionum cumulatio fieri possit, factum est fauore actoris, vt tanto citius ad commodum suum perueniat, & minuendarum litium causa, *arg. l. 3. §. penult. D. de donat. int. vir. & vxor. l. quidam, 21. D. de reb. credit. l. 3. D. de recept. qui arbitr.* vnicuique autem licet contemnere ea, quæ pro se introducta sunt, *l. si iudex circumuento, 28. D. de minor. l. pen. C. de pact.*

5 *Arg. l. 1. D. de edend.* Nam & inde est, quod olim non fiebat vindicatio, nisi in rem præsentem his verbis solemnibus, *hanc rem ex iure Quiritium meam esse aio. l. 1. §. 1. D. si quis ius dicent. non obtemp.*

6 Quia quoties rogatur quis hereditatem restituere, id tantum rogatus videtur reddere, quod fuit hereditatis, *l. in fideicommissaria 18. D. ad SC. Treb.* non quæ aliunde hæres ipse habeat, *l. si adrogator, 22. §. 1. D. de adopt. l. coheredi, 41. §. cum filiæ de vulg. & pup. subst. l. sequens quæst. 68. de leg. 2.*

7 Quia incumbit fideicommissario onus huiusmodi probationis, *ex reg. l. 2. l. verius, 21. l. ante omnia, 23. de probat.* Sufficit tamen quod fideicommissarius probet rem illam, quam dicit fideicommissariam, possessam fuisse ab eo, qui fideicommissum iniunxit, scilicet tempore mortis, id est, vt probet tenutam quomodo loquuntur, non etiam dominium, saltem ad transferendum onus probandi in possessores. Iunge Definit. 23 *nu. 12. §. de probat.*

8 Potest enim intercedere quisquis priori iudicio non adfuit, *l. de vnoquoque, 47. de re iudic.*

9 Nam nec facile aliam intercedendi causam habere possunt, quam quia possident.

10 Imo etiamsi non possideret, cum se vltro liti obtulerit, tanquam possessor, *l. is qui se liti, 25. cum duabus sequent. D. de rei vindic.*

11 *L. vlt. D. eod. auth. item possessor, C. qui potior. in pign. hab.*

DEFINITIO VII.

Casus, in quo fideicommissarius exhibere debet reo rem, quam intendit esse fideicommissariam, etiam priusquam de fideicommisso pronunciatum sit.

Si tamen is qui fideicommissum petit ab initio litis curauerit, vt tertij quoque possessores in ius vocarentur, vt eodem iudicio, & fideicommissi quæstio, & iudicati executio tractaretur, [1] possessores autem interrogati, an possideant, [2] aut nulla etiam præcedente interrogatione iurent, [3] se nescire vtrum possideant, in eamque rem petant rem indicari, & oculis subiici, audiendi sunt etiamsi actor dicat, velle se, vt de solo fideicommissi iure ante omnia cognoscatur. [4] Quia ex quo quis vocatus est tanquam tertius possessor, siue ad rem restituendam, siue ad hoc solum, vt liti adsit, cœpit eius interesse, vt omnibus quibus facere potest modis, si possideat, fideicommissarium excludat. [5] Cum ex contrario, si non possideat, causa nulla sit, cur se inanibus sumptibus vexare debeat pro lite aliena. [6] Igitur ei res indicanda est, & quidem sumptibus fideicommissarij, [7] qui si ex ea re & sumptuum & longioris litis incommodum patiatur, imputare sibi debeat, cur causam missionis in possessionem cum fideicommissi petitione cumulauerit, [8] ob idque tertios possessores vocari voluerit, aduersus quos si possiderent, paratam habiturus erat executionem ex sententia contra eum solum reddita, qui fideicommissum reddere debuisset. [9] Is enim ordo seruari potuit & debuit, vt condemnato prius herede missio fieret in possessionem bonorum. [10] Cui missioni si quis tertius tanquam possessor interceſſisset, hoc ipso possessorem se dixisset, nec proinde fundi demonstrationem postmodum petere potuisset. [11] Idque omnino consentaneum est ei, quod iure nostro prouinciali generaliter & indistincte constitutum legimus, [12] vt in actionibus omnibus realibus iurante reo, se nescire an rem quæ petitur possideat, loci indicatio actoris sumptibus facienda sit. [13] Quod qui coarctant ad eas actiones, quæ ex feudi vel emphyteuseos iure proficiscuntur, faciunt certe sine iure & sine ratione. [14] Porro nemo dubitat, quin missio in possessionem ex causa fideicommissi aduersus tertios possessores mera sit in rem actio. [15] Licet ipsa fideicommissi persecutio contra hæredem grauatum in personam sit. [16] Nam & illa ipsa in rem scripta est. [17] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Celeritate coniungendarum actionum, vt diximus Definit. prox. *num. 4.*

2 Solet namque in eam causam fieri interrogatio, *ex tit. D. de interrog. in iur. faciend.*

3 Vt se per iusiurandum purgent de calumnia & dolo malo, *vt in l. quoties 21. §. prætor ait, D. de noxal. action. l. thesaurus, 15. D. ad exhib.*

4 In eoque differt casus hic ab eo, de quo diximus in Defi. præced.

5 Siue per non ius actoris, *vt in l. 4. C. de edend. l. vlt. C. de vindic.* siue exhibito etiam titulo suæ possessionis, licet illum exhibere, si nolit, non cogatur, *l. cogi §. C. hoc tit.*

6 *L. vltim. D. de rei vindicat. & argument. l. 1. D. de inoffic. testament.*

7 *l. sed etsi 11 §. 1.* in aliis verbis, *periculo & impendiis actoris, D. ad exhib. l. si res, 10. D. de rei vindic. cum seq.*

8 Quod autem ex culpa sua damnum sentit, nec sentire videtur, *ex l. quod quis, 203. de reg. iur.*

9 Solus enim fideicommissarij contradictor legitimus ille est, qui heres est, & de hereditate restituenda rogatus, si non colludatur, *l. si perlusorio, 14. D. de appell. l. si suspecta, 20. D. de inoff. testam.* Sufficit autem actum fuisse cum eo, qui agendi ius habuit, *l. si ideo 55. D. de euict. in fine princ.*

10 Scilicet in executionem iudicati.

11 Vt diximus Defin. præced. *num. 8.*

12 Stylo Senatus nostri.

13 *Arg. d. l. sed etsi, 11. §. 1. D. ad exhib.*

14 Nam cum eadem sit ratio in omnibus in rem actionibus, idem quoque ius statuendum est, *l. illud, 32. D. ad leg. Aquil. l. 3. §. vnde etiam, de iniust. rupt.*

15 *l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. tollend. l. vlt. §. sin autem, Cod. comm. de legat.*

16 *L. actio, 28. D. de oblig. & act.* iunct. *l. pecuniæ, 178. §. actionis, de verb. signif.*

17 Et ideo dicitur actio in personam rei persequendæ gratia, *dict. l. actio.*

DEFINITIO VIII.

Hereditatis petitio datur contra possidentem pro herede, siue bonæ siue malæ fidei possessor sit.

BIU Cujas

HÆreditatis petitio non tantum datur contra eum, qui possidet pro possessore,[1] id est, qui interrogatus, cur possideat, nihil aliud respondere potest, quam quia possidet,[2] sed etiam contra eum, qui possidet pro hærede,[3] puta ex testamento quod valere putat,[4] cum reuera non valeat, aut tanquam agnatus proximus, qui ab alio anteuertitur.[5] Nec distinguimus, an possessor bonam fidem habuerit, nec ne. Nam & bonæ fidei possessores hoc etiam iudicio teneri certum est,[6] nulla alia à prædonibus differentia, nisi quod isti totam hæreditatem in solidum restituere tenentur,[7] adeoque cum fructibus & vsuris fructuum ante litem contestatam perceptorum,[8] tametsi non sint facti locupletiores: illi vero non, nisi quatenus locupletiores effecti sunt.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 64. infra. De fructibus & lit. expens.

1 *L. regulariter 9. iunct. l. 11. in fin. D. hoc titul.* Fachin. *lib. 1. cap. 4.*
2 *l. qui interrogatus 12. eod.*
3 *d. l. regulariter cum duabus seqq. l. 1. C. de inoffic. testam.*
4 *l. pro herede 11. D. hoc tit.*
5 Hic tamen prædo non est, siue in facto erret, siue in iure, *l. sed etsi lege 25. §. scire eod.*
6 Nemo enim ex lola bona fide heres fit, si lex non deferat hereditatem, *l. lege obuenire 130. de verb. signif.*
7 *l. sed etsi lege 25. §. quod ait Senatus, & seqq. D. hoc tit.*
8 *l. heres 51. §. 1. & l. seq. eod.*
9 *d. l. sed etsi lege 25. §. consuluit, eod. l. 1. & pass. C. eod.*

DEFINITIO IX.

Qui pro fratre habitus est, potest ab intestato succedere, licet non concludenter probet se fratrem. Nec aliud erit, si produxerit testamentum, quo frater nominatus fuit, dummodo testamentum illud sit nullum.

QVi agit petitione hæreditatis tanquam fratris successor ab intestato, licet non præcise probet se fratrem, non eo minus tamen debet vincere, si se vulgo haberi pro fratre, habitumque fuisse ostendat, quam nostri fraternitatis quasi possessionem appellant.[1] Quod si in eam rem produxerit testamentum defuncti, forte vt probet, se à defuncto fratrem nominatum,[2] adhuc debebit vincere, si testamentum illud minus rite factum inueniatur. Nec enim quod tale est, cum pro nullo habeatur,[3] successionem intestati potest impedire,[4] neque rursum, quod actor ipse testamentum produxerit, facere debet, vt fratri videatur, fratrem testatum decessisse,[5] cum eius rei veritas & fides non à voluntate cuiusquam pendeat, sed à sola legis potestate,[6] in quo rerum genere nec expressa confessio contra ius facta noceret confitenti[7] non magis, quam si contra naturam ipsam facta proponeretur.[8] *Sine die.*

1 Afflict. *decis. 15.* post Cyn. Bald. & alios *in l. non epistolis, Cod. de probat.* Bart. *in l. vbicunque, D. de vent. in poss. mitt. & in l. non sine, D. de Carbon. edict.*
2 Etsi probatio hæc non est concludens, cum plerumque frater dicatur is, qui frater non est, si modo fraterna charitate diligatur.
3 *l. 11. D. de iniust. rupt. & irrit. fact. test.*
4 *l. penult. §. vlt. de leg. 2.*
5 Quamuis dici soleat, eum qui producit instrumentum, videri omnia confiteri, quæ in eo instrumento continentur, & per consequens non potest venire contra propriam confessionem Afflict. *dict. decis. 25. num. 5. per not. in 1. post legatum, de his quibus vt indign.* & per Bald. *in l. aliam, C. eod. tit.* & per DD. *in cap. cum venerabilis de except.*
6 *l. illa institutio, 32. D. de heredib. instit.*
7 *l. si veritas C. de fideicomm.* Abb. *in d. cap. cum venerabilis* Bart. *in l. 1. §. si quis ita, de verb. oblig.* Angel. *in l. 1. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Bald. *in l. 2. C. de error. aduoc.*
8 *l. confessiones 13. iun. & l. seq. §. vlt. de interr. in iur. fac.*

TIT. XXII.

DE REI VINDICAT.

DEFINITIO I.

Qui titulum iustum habet, non ideo potest vincere in iudicio vindicationis, si nunquam possessionem adeptus fuerit, quia nec dominus.

CVm pater bona filij aduentitia Titio contra legis prohibitionem vendidisset, eique vacuam possessionem tradidisset; post aliquot vero annos eadem bona filius patre consentiente auctoritatem præstante Sempronio vendita voluisset, tum illa Sempronius à Titio vindicaret, quærebatur, vtrius ex emptoribus potior causa esse deberet? Placuit, licet prior venditio non valuisset,[1] quippe cui iuris ratio ac prohibitio restitisset, pro possessore tamen contra vindicantem iudicandum, propterea quod in iudicio vindicationis non alius obtinere possit, quam qui dominium suum probet.[2] Atqui neque ex solo emptionis titulo dominium Sempronio quæri potuerat citra traditionem,[4] neque traditio per patrem aut filium fieri earum rerum, quarum possessio iam in alium translata esset.[5] Neque enim iuris prohibitio obstiterat, quo minus possessor fieri Titius potuisset,[6] quia nec alienare dicitur, qui omittit amittitve possessionem,[7] quæ cum facti sit potius, quam iuris,[8] etiam ex inutili contractu haud dubie transferri potest.[9] Prius ergo debuerat filius naturalem & corporalem illam possessionem, quam pater in Titium transtulerat, auocare, aut condictione, quæ ex Iustiniani lege competit, ad propriam possessionem à quocunque possessore repetendam,[10] aut implorato iuris Pontificij remedio vulgari,[11] aut denique proposita rei vindicatione,[12] vt postmodum possessor factus vacuam rei suæ possessionem, & per possessionem dominium,[13] in Sempronium transferre posset.[14] Quo non facto, Titij possessio, licet vitiosa, ei prodesse debuit aduersus Sempronium, qui extraneus esset,[15] id est, dominij ius nullum in iis bonis haberet.[16] Nec Sempronio profuit, quod mortuo quoque patre filius sui iuris effectus posteriorem illam venditionem ratam habuisset.[17] Illa namque semper causa fuberat, quæ dominij trãslationem impediret, quod possessionem, quam non habebat filius, in Sempronium transferre non potuerat,[18] vt nec sine possessione dominium,[19] & consequenter neque ius vllum proponendæ vindicationis.[20] *Ita Senatus* pro Ioanne Musier, contra Ioannem Monnier, 6. Calend. August. 1588.

1 *In l. cum oportet 6. & l. vltim. Cod. de bon. quæ liber. l. 1. Cod. de bon. matern.*
2 Neque enim potest valere venditio facta contra leges, *l. cum lex 46. D. de fideiuss.* Quia cum contractus omnes, etiam qui sunt iuris gentium, à legibus vires accipiant, fieri non potest, vt quicquam agatur, vbi lex impedimento est: *l. vbi lex 24. D. de vsucap.* Idque est, quod Baldus dicebat *ad l. nolle 4. D. de acquir. hered.* inanem esse voluntatem & vacuam, vbi iuris potentia non adfistit. Facit *l. quæcunque 15. §. qui à pupillo, D. de publican.*
3 *l. in rem 23. & pass. D. hoc tit. l. vlt. & pass. C. eod.*
4 Quia traditionibus, non nudis conuentionibus, id est, traditione destitutis dominia rerum transferuntur, *l. traditionibus 20. C. de pact.*
5 Rem enim, quam alius iam possidet, non magis fieri potest vt tu possideas, quam vt in quo loco ego sto, in eo ipso tu etiam stare videaris, *l. 3. §. ex contrario, D. de acquir. poss.* atqui tradere nemo potest rem quam non possideat, cum nihil aliud sit traditio, quam datio possessionis, vt definit *l. 3. D. de action. empt.* Facit *l. 2. §. 1. eod.*

6 Qui enim

BIU Cujas

9 Qui enim contra leges mercatur, prædo quidem est & malæ fidei possessor, sed tamen vere possidet, ideoque interdictis omnibus & actionibus possessoris, saltem contra eum, qui dominus non sit, experiri potest, *l.1.§.vlt. & l.2.D.vti possid.* quo etiam pertinet, quod vulgo iactari solet, spoliatum etiam prædonem ante omnia restituendum esse, *l.meminerint 6. & l.si quando 7.D.vnde vi, c.in literis, de rest.spoliat.*

7 *l.4.§.1. D.de alien.iudic.mut.caus.* Facit *l.non alienat. 119. de regul.iur.*

8 *l.denique 19. D.ex quibus caus.maior. l.cum heredes 23.§.1. D. de acq.poss.*

9 *l.1. §.si vir vxori*, vbi Bart. & DD. *l.possessionem pupillum 29.D.de acquir.poss.ess.*

10 *Ex l.vlt. C.de acquir.poss.ess.* de cuius tamen sententia vide quæ scripsi in Chiliad. *de error. pragmat.*

11 *Ex Can.redintegranda, 3. quæst. 1.*

12 Per quam scilicet possessio auocatur, *l.officium 9. l.is qui destinauit 24. l.vlt. & pass. D.hoc tit.*

13 *Vt in l.1.per Procuratorem 8.C.de acquir.poss.*

14 *l.ex empto 11.§.1.D.de action.empt.*

15 Quia aduersus extraneos etiam vitiosa possessio prodest, *l.vlt.D.de acquir.poss. l.1.§.vlt. & l.1.D.vti possid.*

16 Extraneum enim hic diffinimus, quisquis non est dominus, *l.vltim. C.hoc tit.* Alio sensu extraneus dicitur *in l. si extraneus 33.D.de iur.dot. & in l.vnic, §.extraneum, C.de rei vxor. act.*

17 Quæ ratihabitio mandato æquiparanda videbatur, *l.vlt. C.ad SC.Maced.l.vero 1. l.in fin. D.de solut.*

18 *Ex reg.l.nemo plus iuris, de reg.iur. & vulgar.*

19 *d.l.1. & l.per Procuratorem 8.C.de acquir.poss. d.l. traditionibus 20.C.de pact.*

20 *d.l.in rem 23.D.hoc tit.*

DEFINITIO II.

Quomodo agere debeat, qui ius cessum habet à vero domino, nec dominus tamen ipse est.

AN igitur in suprascripta specie nihil Sempronio proderit, quod & à vero domino & iuste emerit? Imo proderit non ad exercendam vindicationem, sed si sic agere volet, vt dicat, res sibi venditas ad suum venditorem [1] iure dominij pertinere, sibi verò à venditore ius omne cessum fuisse, ex eaque causa petat pronunciari, res illas ad se pertinere debere, [2] ac tam venditorem quam possessorem ad earum restitutionem condemnari. Alioqui sane absurdum fuerit, vt cessionarius, quisquis ille est, siue empti, siue alio quantumuis iusto titulo nitatur, dicat, pertinere ad se dominium eius rei, cuius nunquam nactus fuerit possessionem, [3] siquidem traditionibus non contractib. dominia transferuntur. [4] Et sicuti nunquam traditio transfert dominium, nisi subsit iusta transferendi causa ex legitimo titulo præcedente, [5] ita nec nudus titulus, si non traditio quoque sequatur. [6] Nec quod hodie scrupulosas illas actionum conceptiones & formulas sublatas esse constat, [7] facere debet, vt suprascripta obseruatio minus necessaria videri debeat, [8] Vtque vindicandi dominij ius habeat, qui dominus non est, ob hoc solum, quod actionem aliquam eum habere æquum sit. [9] Esset enim ista actionum iuriumque omnium confusio dicenda potius, quam formularum antiquatio. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Id est, ad filium, qui neque alienationem à patre factam contra leges dominus esse desierat, neque per eam, quam ipse fecisset eo tempore, quo non erat amplius possessor, quia sine possessione nec dominium transferre potuerat, nec verò vel vllam vsucapiendi causam, *l.sine possessione, D.de vsucap.*

2 Singularis est doctrina & practica Bartoli *in l.si ager 50. & apertius in l.si culpa 63. D.hoc tit.*

3 Ratio est eiusdem Bart. *in d.l.si culpa.* Adde Baldum subtiliter & varie suo more hæc tractantem *in l.emptor. l.qui tibi, & l.vlt. C.de hered. vel act. vendit. & in l.1. C.de oblig. & action.*

4 *l.traditionibus 20 C.de pact.* vbi tamen vide nonnullas limitationes per Dec. & alios in casibus, in quibus dominium transfertur ipso iure citra traditionem, *l.1. §.vlt. D.de publician. in rem act.* Inter quos sane non est hic, de quo agimus. Facit eleganter *l.Quintus 40.de action.empt.*

5 *l.nunquam nuda 31.ff.de acquir.rer.domin. l.nullo 23. C.hoc tit.*

6 *d.l. Quintus, d.l. traditionibus, l.sed etsi 7. §.vlt. de publician. in rem act.*

7 *Ex l.1. & 2.C.de formul. & impetr. act. sublat.*

8 Bald. *in l.ex legato, C.de legat.* vbi diuerte scribit, has subtilitates non esse superfluas, sed eiusmodi, quæ faciant, vt libellus aptus vel ineptus iudicandus sit.

9 Nihil enim commune habet actio personalis, quæ ex contractu datur, cum vindicatione, quæ non nisi domino competit, *d.l. Quintus.*

10 Vt scripsi *Defin.1. & 2. §. de formul. & impetr. act. sublat.* Adde, nec hoc casu quicquam prodesse clausulam constituti; ne quidem ad transferendam possessionem, vt Bart. tractat *ad dict. l.si culpa*, quia non aliter operari potest, quam si const. 2 tuens ipse possideat tempore constituti, *l. quod meo 18. de acquir. poss.*

DEFINITIO III.

Agenti vindicatione quæstionem dominij referre quilibet potest.

QVi ab alio emit, vtique non fatetur venditorem esse dominum, ideoque si vindicationis iudicio contendatur, siue à venditore ipso, qui fortasse aduersus venditorem restitui velit, [2] &, vt hodie fit, rescindens cum rescissorio cumulare, [3] siue ab eo, qui ex venditoris persona ius suum metiatur, [4] vtputa à creditore, cui venditor antea tandem rem quasi suam obligauerat, [5] non prohibetur emptor dominij quæstionem referre. Sed & quod magis mirum est, illi ipsi, quibus nominatim prohibitum est, ne dominij exceptionem possint obijcere, quales sunt, conductor, fructuarius, & similes si qui sunt, [6] si non personali, sed in rem actione vrgeantur, dominij quæstionem referre possunt, [7] quia fieri nullo modo potest, vt alius vindicandi ius habeat, quam qui sit dominus, [8] priusque de fundanda actoris intentione, quam de exceptionis viribus quærendum est. [9] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge. Defin. 10. De Locat.

1 Quia etiam alienæ rei venditio valet, *l.rem alienam 28. ff. de contr.empt. l.ex empto 11. §.1. l.si quis alienam, 46. ff. de act. empt.* Facit *l.qui familiæ 37. ff. famil. ercisc.*

2 Pura ex causa immodicæ læsionis, aut minoris ætatis, *ex l.2. C.de rese. vend. l.2. l.si quidem 11 C de præd. minor.*

3 Passim namque admittitur ita rescindentis & rescissorij cumulatio. De qua vide quæ scripsi *in Chiliad. de err. pragm.*

4 Qui vtique non plus iuris habere potest, quam auctor suus, *l.nemo plus iuris 54. l.in hu 175.§.1. de regul. iur.*

5 Etsi enim creditor non dicit se dominum, & separata est dominij ac pignoris causa, *l.1. ff. de pignor.* tamen hypothecaria implicitam habet dominij quæstionem, vt qua parte tenetur creditor probare rem esse aut fuisse in dominio debitoris sui, *l.31. & quæ nondum 15.§. quod dicitur, de pignor. l. ante omnia 23. ff. de probat.*

6 *l si quis conductionis 25. C. de locat.*

7 Bart. eleganter *in l. commodare, ff. commod. & in l.si alienam, ff. solut. matrim.* Corneus eleganter *cons. 219. vol. 4. per tot.* Crauet. *cons. 159. à num. 4. vsque ad num. 9.* vbi quamplures alios citat.

8 *l.in rem 23. D.hoc tit. l. doce 6. l. nullo 23. C. eod.*

9 *l.4. C.de edend. l. negantes 9. C.de oblig. & act.*

DEFINITIO IV.

Ex pluribus emptoribus præfertur is, qui prior factus est possessor, etiam per solum constitutum aut precarium.

QVod iure constitutum est, vt eadem re pluribus vendita diuersis temporibus potior sit in causa dominij is, cui priori tradita fuerit, [1] ad eum quoque pertinet, qui per solam constituti clausulam possessionem nactus est; [2] postquam placuit, vt eo quoque modo, licet fictitio, etiam vera & realis possessio transferatur, nec minus naturalis, quam ciuilis. [3] Idem-

BIU Cujas

que iuris est, si per precarium possessio translata sit: [4] quamuis vtroque casu maneat obligatus venditor ad corporalem traditionem, [5] adeo, vt si quibusdam credimus, nec ante res committi possit ob non soluta laudimia, [6] sicut nec illa debentur, priusquam possessio apprehensa sit. [7] *Ita tractatum est* 11. Calen. Decemb. 1588. [Et decisum pro Philippo Iaquenod, contra Petrum Rauier, 18. Iulij 1613.]

1 *l. quoties* 15. *C. hoc tit. l. siue autem* 9. *§. si duobus, D. de public. in rem act. l. qui tibi* 6. *C. de hered. vel act. vendit.*

2 Guid. Pap. *quæst.* 12. *num.* 3. *qu.* 46. 81. 101. 112. *&* 268. post Bart. *in l. si is qui pro emptore, de vsuc.*

3 *l. quod meo*, 18. *D. de acq. poss. l. quædam* 77. *D. hoc tit.*

4 *l. & habet* 25. *§. eum qui, D. de precar.*

5 Guid. Pap. *quæst.* 101. Facit *l. si quis* 35. *§. sed si quidem, Cod. de donat.* Vide tamen Bart. *ad l. ab emptione* 58. *D. de pact.*

6 Sic enim sentit idem Guid. Pap. *dict. quæst.* 101. contra quem tamen vide Apostill. ibid. contrarium tenentem, ac fortasse verius. Ex traditis per Bartol. *in dict. l. ab emptione* 58. *D. de pact.*

7 Quia nec sine possessione transfertur dominium, pro cuius tamen translatione laudimia debentur, *l. vltim. Cod. de iur. emphyt.* Cui consequens videtur, vt eum per constitutum transferatur possessio, quæ sufficiens sit ad inducendam dominij quoque translationem, perinde laudimia debeantur, iisque non solutis locus fiat commisso translata per constitutum possessione, ac si corporalis quoque possessio translata esset. De quo alibi scribemus.

DEFINITIO V.

Quando precium succedat loco rei & contra, siue in vniuersalibus iudiciis, siue in vniuersalibus.

IN iudiciis singularibus, quale est, quod vindicandæ certæ rei gratia exercetur, [1] non succedit pretium loco rei, nec res loco pretij, multoque minus res loco rei: [2] pretium enim non ex re, sed ex negotiatione percipitur. [3] Sicut & aliqua re vendita, quod ex redacto pretio comparatur, non pretij, sed conuentionis potestate acquiritur. [4] In iudiciis vniuersalibus, cuiusmodi sunt illa, quibus petitur hereditas, siue legitima, siue fideicommissaria, aliud est. [5] Hæreditatis namque nomen sicut iuris est, [6] & vniuersitatem successionis demonstrat, [7] ita rem vnam æque ac aliam, & rei pretium æque ac rem ipsam, & contra rem ex pretio comparatam æque ac rei pretium complectitur. [8] Quam ob causam illud quoque constitutum est, vt hæreditatis fructus augeant hæreditatem, [9] qui rem singularem non augerent: [10] tametsi non veniant in fideicommissariæ hereditatis restitutionem, quia hæres fiduciarius non videtur rogatus de restituendo, nisi quod hæreditatis fuisset moriente testatore: fructus autem non hæreditati, sed rebus ipsis hæreditariis accepto feruntur. [11] Si tamen rem hæreditariam hæres vendiderit, tum ex pretio aliam comparauerit, dici non potest, hanc in illius locum subrogatam intelligi, quia duplici subrogatione opus esset pretij, primum in locum rei, tum rei alterius in locum pretij, quod sane longe difficilius est, quam vt res in locum pretij, aut pretium in locum rei subrogetur. [12] Sin contra ex pecunia in hæreditate reperta hæres rem comparauerit, tum rem illam vendiderit, pecunia ex venditione redacta veniet in petitionem hæreditatis, [13] quoniam pecunia functionem recipit in suo genere, [14] species non item. [15] *Ita Senatus* 10. Calend. Decembr. 1588.

1 *l. 1. D. hoc tit.*

2 Bart. Castr. & cæteri, *in l. vtrum, l. si & rem, & l. sed etsi*, §. 1. *D. de petit. hered.* Adde *Defin. seq. num.* 1.

3 *l. venditor* 21. vbi est textus elegans, & ad probandam differentiam, quæ hic traditur, valde accommodatus, *ff. de hered. vel act. vendit.*

4 *l. qui aliena* 8. *C. si quis alteri vel sibi.*

5 Bart. Castr. & alij *vbi* 3. ex iis ipsis locis.

6 *l. hæreditas* 50. *D. de petit. hered.*

7 *l. 3. in princip. &* §. 1. *D. de bonor. possess.*

8 *dict. l. venditor* 21. *de hered. vel act. vendit. l. item veniunt* 20. *de pet. hered.*

9 *d. l. item veniunt*, §. *item non solum. &* §. *fructus. l. sed etsi* 25. §. *vlt. & ll. seqq. eod.*

10 Non enim rei, sed causæ appellatione continentur, *l. Iulianus* 17. §. 1. *d. præterea* 20. *l. qui restituere* 68. *D. hoc tit. l.* 2. *D. de vsuf.* ex quibus locis intelligendum est, quod contra scriptum videtur *in l. & ex diuerso* 35. §. *vbi autem, D. hoc tit.*

11 Verba sunt Vlpiani *in l. in fideicommissaria* 18. *in princip. ad SC. Trebell.*

12 Bart. eleganter *in l. Imperator* 70. §. *cum autem, de legat.* 2. *ex l. Titium* 47. §. *altero. ff. de admin. & peric. tutor.*

13 *Arg. d. l. veniunt, in princ. &* §. 1. *ff. de petit. hered.*

14 *l.* 2. §. *mutui datio, ff. de rebus credit.*

15 *l. manifesti* 13. *l. si operas* 20. *Cod. de solut. l. proponebatur* 76. *ff. de iudic.*

DEFINITIO VI.

Quando ei competat vindicatio, ex cuius pecunia aut nomine res empta est.

SIcuti, quod ex mea pecunia ab alio emptum est, non idcirco meum est, [1] ita neque commune aut communicandum, quod ex pecunia communi, [2] nisi proponas, emptionem ab eo factam, qui bonorum omnium etiam futurorum societatem contraxerat, [3] aut rem ab vno ex sociis communi nomine emptam esse. [4] Neque sufficiet mandatum emptori à socio, vt communi nomine emeret. Sed illud omnimodo requiritur, vt communi nomine empta adeoque per traditionem accepta sit. [5] Alioqui non prius communis fiet, quam ab emptore pro indiuisa parte tradita sit socio, qui mandauerat, [6] Vt contingit, si mandauerim tibi, vt rem emeres, tuque emeris. Non enim idcirco res mea fiet, vt eius vindicandæ ius habeam, priusquam mihi tradideris, si non meo quoque nomine tibi à venditore tradita sit. [7] Quemadmodum nec illud sufficiet, quod ratam habeam traditionem, quæ tibi per venditorem facta est, nisi vno illo casu, quo tu meo aut communi nomine emeris, traditamque rem acceperis. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. qui aliena* 8. *C. si quis alter. vel sibi, l. etsi de tua* 9. *C. de donat. int. vir. & vxor.* aliud enim res est, aliud pretium. *l. si alij* 42. §. 1. *ff. de vsufruct. l. fundum* 28. *D. de nouat. l. nemo* 82. *de verb. oblig.* ideoque nec res empta ex pecunia deposita fit deponentis, *l. si ex ea* 6. *C. hoc tit.* Nec dotalis, quæ empta est ex pecunia dotali, *l.* 12. *C. de iur. dos.* Adde *l.* 7. §. 1. *qui potior, l.* 67. §. 1. *ff. pro soc. l.* 48. *l. vlt. de furt.* [Excipiendi tamen sunt quidam casus, Puta si res empta sit ex pecunia militis, *l. si vt proponis* 6. *C. hoc tit.* vel pupilli aut adulti, *l.* 3. *C. arb. tutel. l.* 2. *ff. quand. ex fact. tutor.* Scilicet si empta sit ex eorum pecunia in totum, non si pro parte, ne alioqui incidant in communionem quod ab vtriusque vtilitate alienum esset, *l. si non sortem*, 26. §. *si centum, De cond. indeb.* An idem priuilegium dandum est filio contra patrem, si ex filij pecunia pater quid emerit? Non puto, quia plus iuris habet pater in pecuniam filij, quam tutor in pecuniam pupilli sui, *l. cum oportet* 6. *& l. vlt. C. de bon. quæ liber. Ita tractatum* est in causa Nicolai Toynet, & Francisci Burut. 5. Calend. April. 1612.]

2 *l. si patronus* 4. *C. commun. vtr. iudic.*

3 Quo casu cogitur socius iudicio societatis communicare id, quod emit, sed tamen etiam hoc casu res fit emptoris ante communicationem, *l. si quis societatem* 74. *ff. pro socio.*

4 Hoc enim casu res fit communis citra communicationem, *d. l. si patruus*, vbi Bart. & cæteri.

5 *l. si procurator* 13. *ff. de acquir. rer. domin.*

6 Traditionem enim fieri necesse est, & quidem à domino, & ei ipsi, in quem dominium transferendum est, aut saltem eius nomine, vt dominium transferatur, *l. traditionibus* 20. *Cod. de pact. l. multum* 6. *l.* 1. *& tot. tiul. Cod. si quis alter. vel sib.*

7 *l. res ex mandatu* 59. *D. de acquir. rer. domin. l.* 3. §. 1. *ff. qui potior. in pign. hab.*

8 Vt in specie *l. si ego hac mente* 24. *ff. de negot. gest.* vbi Bart. Bald. & Castrens. Idem Bald. *in l. si vt proponis* 8. *vers. considerandum ergo est, C. hoc tit.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO VII.

Casus, in quo, qui falso negauit se possidere, non priuatur possessione.

QVod dicimus, reum, qui vindicationis iudicio conuentus falso negauit se possidere, priuandum sua possessione propter mendacium, vt ea possessio in actorem transferatur,[1] de eo accipiendum est, qui simpliciter & absolute negauit se possidere. Non item de illo, qui petiit demonstrari sibi & indicari rem, de qua agebatur,[2] atque interim metu comminationum tantum, vt Pragmatici loquuntur, propriam negauit possessionem.[3] Hic enim non potest videri voluisse mentiri, qui ex contrario petita confinium demonstratione id egit potius, ne sibi postmodum mentiri liceret.[4] Sed hoc ipsum ita verum est, si ea iudicatio per calumniam petita non sit, ab eo fortassis, cui veritas ignota aut dubia esse non poterat.[5] Calumniam enim ob id solum, quod sit iniuncta mendacio, mitius puniri non oportet,[6] *Ita Senatus* ex tempore 5. Calend. Febr. 1589.

1 *L. vltim. D. hoc tit.* Facit *Auth. item possessor, Cod. qui potior. in pign. hab.*

2 Vt sciret, an contendere deberet vel cedere, *argument. l. 1. D. de edend.* Nam nec valere posset responsio à possessore facta ante exhibitionem, nisi quæ à sciente facta esset, *argum. l. 4. D. de opt. legat.* Etsi enim loquitur lex illa de responsione, non de electione, ipsa tamen responsio electio est, quia conuentus reus eligere potest & debet quid respondeat, an affirmatiue, an negatiue, an possidere se, an non possidere, *l. vltim. D. hoc tit.*

3 Ne alioqui pro confesso habitus fuisset, atque ita condemnandus tanquam possessor non esset, *l. qui petitorio 36. D. hoc tit. l. qui seruum 20. §. in iure*, iunct. *l. de ætate 11. §. qui tacuit, D. de interrog. in iur. fac.*

4 Quia contra probationem, vt loquuntur, ocularem, & quæ sit ab euidentia rei, nihil opponi potest, *l. si irruptione 8. §. ad officium, D. sin. regund.*

5 Qui enim iam certus est, magis certiorandus non est, *l. 1. in fin. D. de action. empt.* Finge, hunc ipsum aliquando professum se possessorem, per instrumentum, quod vocant, recognitionis, nec longo post tempore contra eum agi vindicatione, An non calumnioſe faciat, si eandem rem sibi exhiberi postulet?

6 Nunquam enim vnius delicti pœna minuitur ob aliud delictum, *l. 2. in princip. D. de priuat. delict.*

DEFINITIO VIII.

Ob interuenientem eius, qui se dominum rei locatæ dixit, admittitur quæstio dominij inter locatorem & conductorem.

PEtebam à te ex conuentione dimidiam partem fructuum fundi Titiani, quem tu à me conductum habebas & colueras. Cum tu soluere recusares, eoque nomine lis inter nos penderet, liti interuenit Sempronius, contendens suum esse fundum, ex eaque causa petiit inhiberi fructuum exportationem, quousque de iure suo cognitum fuisset. Dicebam agere me ex contractu & in personam, ideoque Titium prætextu dominij intercedere non posse, quandoquidem nihil commune habeat quæstio dominij cum personali obligatione.[2] Tu contra, Non posse te fructus mihi tuto soluere, quos alius suos diceret.[3] Neque rursus cogendum æstimationem præstare, quam non promiseras, si fructus ipsos præstare non posses,[4] præsertim cum non æstimatio, sed fructus ipsi in obligatione essent,[5] & consequenter in petitione.[6] Pronunciatum est, De illo prius cognoscendum & inquirendum esse, an ad me, an ad Sempronium fundus ille Titianus pertineret, vt sciri posset, vtri tu eos præstare deberes. Nec enim dubitari poterat, quin ad eum spectarent, cuius esset fundus,[7] cum non seminis, sed soli & dominij iure acquirantur.[8] Itaque si ad Sempronium fundus pertineret, consequens fieret, vt fructuũ ex eo perceptorum portio mihi sine causa promissa videretur:[9] cumque promissionis tuæ alia causa non fuerit, quam quod fundum meum esse dicerem,[10] non est alienum, vt tametsi agam ex obligatione, disputetur tamen de dominio, non inter nos quidem,[11] sed inter me & Sempronium, propter Sempronij interuentionem. Nam & si de possessione recuperanda tecum agerem, & alius interuenire vellet, dominiique quæstionem proponere, admittendus esset.[12] Verum in proposito vindicias lite pendente *Senatus* pro me dixit propter contractum; ita tamen vt caueremde restituendo cum fructibus Sempronio, si ad eum pertinere postea constaret.[13] *Ita Senatus* ex tempore 5. Calend. Febr. 1589.

1 Omnes enim obligationes, quæ ex contractu proficiscuntur, sunt in personam, *l. 1. l. actio 28. D. de oblig. & action.*

2 *l. Quintus 40. D. de act. empt. l. quoties 15. C. hoc tit.*

3 Denunciatio enim domini ius suum, præsertim in iudicio declarantis, inducit malam fidem, si quid postea factum sit in fraudem & præiudicium eiusmodi denunciationis, *l. si fundum 17. Cod. eod. hoc tit.* quamuis non idem sit in denunciatione per eum facta, cui ius denunciandi non fuit, *l. tutor 47.* vbi Bart. *in princip. D. de minor.* aut in causa depositi, *l. pen. in fin. C. depos.* interuentio autem in lite plus quam denunciatio est.

4 Quia tunc æstimationem præstare interdum debitor cogitur, cum id ipsum, quod debetur, accipere creditor potest, *l. si mulier 59. §. ex asse, D. de iur. dot.*

5 *Arg. l. fundum 28. D. de nouat. l. si alij 42. §. 1. D. de vsufr.*

6 Non enim aliud esse potest in petitione, quam quod est in obligatione, *l. si quis stipulatus fuerit decem in mille 57. D. de solut. l. 1. D. de penu legat. l. 1. §. item si ita, D. ad leg. Falcidiam*, cum obligatio sit actionis mater, *l. licet 43. §. ea obligatio, D. de Procurat.*

7 Itaque præiudicialis erat quæstio, cuius esset fundus, *vt in l. fundum 16. l. fundi 18. D. de except.*

8 *L. qui scit 25. §. 1. de vsur. l. in fideicommissaria 18. vers. fructus autem, D. ad SC. Trebell.*

9 *l. 1. in princ. & §. pen. & pass. D. de condict. sin causa l. qui agnitis 11. D. de except.*

10 Promittitur enim merces propter fructus, quorum dominium acquiritur conductori, cum eos percipit ex domini voluntate, *l. si seruus 61. §. locaui, D. de furt.*

11 Quia conductor dominij quæstionem referre non potest, *l. si quis conductionis 25. C. de locat.*

12 Mynsing. *cent. 2. obser. 1. ex cap. fin. de ord. cogn. & cap. cum ad sedem, de restit. spol.* Panorm. & alij *ad cap. olim. 2. eod.* Adde Bart. *in l. si perlusorio 14. §. 1. D. de appellat.* [*Fachin. lib. 1. cap. 5.*]

13 *Arg. l. fin. C. de ordin. cognit. & d. l. pen. in fin. C. depos.*

DEFINITIO IX.

Conuentus rei vindicatione licet se probet bonæ fidei possessorem, non ideo tamen obtinere debet, quandiu actor probare potest se esse dominum.

CVm vindicarem à te fundum, obiecisti & probasti, cum te iusto titulo & bona fide possidere,[1] ex eaque causa Iudex contra me pronunciauit. Visum est male nimisque propere iudicatum, propterea quod etiamsi iusto titulo & bona fide possideres, non tamen continuo esset consequens, vt vincere deberes.[2] Quid enim si à non domino emeras, quem dominum putabas?[3] Aut, quid si ab eo, qui eundem fundum priori mihi & vendiderat & tradiderat?[4] Itaque debuit Iudex interloqui, vt amplioribus & allegationibus & probationibus lis instrueretur.[5] *Ita Senatus* ex tempore 8. Cal. Iun. 1591.

1 Quod eum fundum emisses fortasse aut in solutum accepisses à Sempronio, Emptionis enim titulus iustus est, secutaque inde traditio facit emptorem bonæ fidei possessorem, licet venditor non fuerit dominus, *l. sed etsi 7. §. pen. & seq. l. siue autem 9. §. si duobus, D. de public. in rem act.* Quæstio enim illa, an venditor dominus fuerit nec ne, non ad causam possessionis pertinet, sed ad causam dominij, vt sciatur, an emptor factus sit dominus necne, *l. ex empto 11. §. 1. D. de action. empt.*

2 Probatio autem mediorum debet esse de concludentibus necessario, vt sententia ferri possit, alioqui pro batio dubia non

BIU Cujas

releuat, *l. neque natales 10. l. matrem 17. l. ad probationem seruitutis, 22. C. de probat. l. non hoc 4. C. vnd. legit.*

3 Hoc enim casu non potuisses fieri dominus ex venditione & traditione facta à non domino, *§. si quis à non domino, iunct. §. per traditionem, Instit. de rer. diuis. l. nemo plus iuris, 54. l. in his 171. §. 1. de regul. iur.* Ego igitur agens vindicatione probare adhuc poteram, me esse dominum, *l. in rem 23. & pass. D. hoc titul.*

4 Quo casu proculdubio potior esse deberem, siue venditor fuisset dominus, siue non, *l. si ea res 31. §. vlt. D. de action. empt. d. l. siue autem 9. §. si duobus ff. de public. in rem act.* ac proinde in iudicio vindicationis obtinere deberem.

5 Aut saltem vt ego actor excluderer à probando dominio, si intra dilationes mihi in eam rem datas probare nollem aut non possem, atque ita condemnarer non tam propter ius tuum, quam propter non ius meum: *ex l. vlt. C. hoc tit. l. 4. C. de edend.*

DEFINITIO X.

Causa restitutionis in integrum ex causa læsionis habet implicitam dominij quæstionem & vindicationem.

VIndicanti donatario referre dominij quæstionem potest is, qui à donatore post factam donationem comparauit,[1] cum fieri possit, vt ab eo, qui dominus numquam fuit, emerit, & ea ex causa donatorem ipsum habeat obligatum.[2] Quisquis autem directa vindicatione agit, eum necesse est probare se dominum,[3] nec pro domino haberi aut habitum esse sufficit, præterquam cum Publiciana agitur, quæ vtilis tantum vindicatio est.[4] Secundum quæ si mihi fundum vendideris, quasi tuum, qui erat alienus, & postea in integrum restitui velis, quasi rem tuam minore quam iusto pretio distraxeris, non aliter eris audiendus, quam si eius rei dominium probaueris ad te pertinere.[5] Neque enim læsus in pretio videri potest, qui vendidit rem alienam.[6] Quare nec distinguemus, an rem illam ex alia causa ad me pertinere dicam, an ad alium.[7] *Ita Senatus* in causa N. Giler, & fratrum Galet 7. Cal. Mart. 1593.

1 Nam etsi à donatario ipso comparasset, adhuc tamen ei vndicanti quæstionem dominij referre posset, vt diximus *Defin. 3. 5.* Quanto igitur magis ei, à quo non comparauit, licet ab eius auctore comparauerit?

2 De euictione *l. 1. & tot. tit. D. de euict. & C.*

3 *l. vlt. C. hoc tit. l. in rem 23. & pass. D. eod.*

4 *§. namque, Instit. de action. l. 1. & tot. tit. D. de Publician. in rem. act.* Quanquam & ob hanc causam Publiciana non datur, nisi eo colore, quasi iam vsuceperit actor, qui reuera nondum vsucepit, *dict. §. namque*, ne alioqui videatur non domino dari vindicatio, quod nec in vtili quidem vindicatione ferendum est.

5 Causa enim restitutionis in integrum habet implicitam dominij causam, & cogitur pupillus vel minor probare rem esse suam, vt restitui possit, *l. tutor 47. §. 1. l. si res pupillaris pen. D. de minor.* Aliud est, si dicant isti, male venditam rem esse, quod sit vendita sine decreto. Sufficit enim quod sit vendita quasi pupillaris, *l. magis puto 5. §. 1. D. de rebus eor. qui sub tutel.* cum pupillus tanquam bonæ fidei possessor Publicianam eius rei nomine habere posset, *§. namque, Instit. de Public. in rem. act.* Adde *l. 3. C. fin. regund.*

6 Cum hic emptorem potius deceperit, seque obligauerit de euictione, siue sciens, siue ignorans vendiderit, *tot. tit. D de euict. D. & C.*

7 Semper enim vincere debebo per non ius actoris, *l. vltim. C. hoc tit.*

DEFINITIO XI.

De venditione pluribus facta per Principem.

EAdem re pluribus separatim & consequenter diuersis temporibus vendita per Principem indistincte admittimus præferri eum, cui priori vendita est,[1] non adhibita ea distinctione, quæ in venditionibus à priuato factis adhiberi solet, cui prius res sit tradita.[2] Ideo fortasse quod iustam quamlibet Principis voluntatem ratam esse effectumq; habere conueniat, & Principis deceat maiestatem.[3] Sed hoc ita accipiendum est, si eam rem Princeps vendiderit, quæ vendi iure potuerit. Quid enim si vendita sit res ad coronæ domanium & patrimonium pertinens? Venditio edictis Principum nostrorum prohibita est, quibus patrimonium ducale in perpetuum inalienabile, constituitur,[4] necessitate etiam imposita Præsidi & Magistris Computorum iurandi solemniter nunquam se eiusmodi alienationibus consensuros. Etsi autem inualuit, vt plerumque alienationes istæ admittantur à Rationalibus, &, vt aiunt, verificentur, id tamen non fit, nisi trina saltem Principis iussio vrgeat, quæ vniuersum ordinem Rationalium à iurisiurandi, quod ad eam rem pertinet, obseruatione liberet atque eximat.[5] Itaque hoc casu ex pluribus emptoribus non is præferetur, cui res prius vendita aut tradita fuit, sed is demum, qui prior trinam illam iussionem à Principe impetrauerit. Qui enim non impetrauit quasi nullo iure nitatur, nullumque contractum habeat, dominus fieri, aut in dominij acquisitione alteri præferri non potest.[6] *Ita tractatum est 4. Id. April. 1593.*

1 Notant DD. *ad l. quoties 15. C. hoc tit. argument. l. breue à Zenone, Cod. de quadr. præscript. l. illud 10. Cod. de sacrosanct. Eccles. l. 34. Cod. de donat.* [Vide tamen Didac. Couarr. *lib. 2. var resolut. cap. 19. num. 3.* vbi ait hoc procedere si certum sit eam fuisse voluntatem Principis, vt transferret dominium sine traditione, siue de contractu agatur, siue de feudo, siue de priuilegio. Secus si tractemus de simplici contractu, quia præsumendum sit Principem secundum communes regulas iuris contraxisse, sed in priuilegio & in feudo, aliud est, præsumiturque tacita illa voluntas Principis, vt dominium transferre voluerit absque traditione. Ecclesiæ venditricis aut ecclesiastici venditoris non eadem quæ Principis ratio est. Didac. *ibid. num. 4.*]

2 *d. l. quoties, l. siue autem 9. §. si duobus, D. de Public. in rem act. l. si res 31. §. vlt. de act. empt.*

3 Ne alioqui fiat omnium exul, qui omnium est præsul, si liceat Principi à contractibus suis pro arbitrio resilire, vt bonus quidam Doctor dicebat.

4 Vide elegantiss. & vberrimum tractatum viri doctiss. Renati Choppini *de doman. reg.* & quæ tractant nostri *ad l. comperit 6. Cod. de præscript. 30. vel 40. annor. l. omnia 5. Cod. de pagan. & sacrif.* vbi Gothofr. notat domanium coronæ esse Principi ad instar dotis.

5 Scilicet de plenitudine potestatis, secundum quam dicitur Princeps esse supra leges, nec tantum suo, sed etiam alterius cuiuslibet iuri, adeoque publico posse derogare, de qua tamen absoluta potestate vide quæ scripsi *ad Defin. 1. uu. 10. 5. si contr. ius vel vtilit. public.*

6 *L. nullo 23. Cod. hoc titul. iunct. l. nunquam nuda 31. D. de acquir. rer. domin.*

DEFINITIO XII.

Præsumitur venditum à Principe, vt & ab alio quolibet, ius tantum quod habet in re.

SAne si posterioris venditionis tempore ius aliquod Principi supererat in re iam alteri vendita, æquissima est interpretatio, vt id dumtaxat videatur posteriore loco venditum, quod eo tempore Princeps habuit:[1] ne alioqui inducatur probatio fraudis à Principe initæ,[2] quæ in priuato stellionatus pœna coerceretur,[3] præter id, quod vulgo iactatur, non videri quem vendere nisi ius quod habet in re.[4] Quid si reditum certi castri in aliquot annos Princeps Titio vendiderit, deinde Sempronio castrum ipsum vendat? Non poterit prior emptor posterioris venditionis effectum impedire, tametsi prior venditio à Rationalibus iam approbata sit, quia nullum in proprietate ius habet, qui reditum duntaxat emit.[5] Plane quod ad reditum attinet præferetur.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Princeps enim in suis contractibus vtitur iure communi, & tanquam

& tanquam priuatus quilibet contrahere intell gitur. Bald. *in l. ex imperfecto in fin. C. de testam.* Thomm. Grammat. *decis. 65. num. 2.* Ideoque nec de plenitudine potestatis contra factum suum venire potest, Cynus, Castr. & alij *ad l. digna vox. D. de legib.* [Didac. Couarr. *lib. 2. var. resolut. cap. 19. num. 3.* Itaque cùm Serenissimi Principes nostri omnimodam iurisdictionem cum mero & mixto imperio concessissent Prioratus du Borget, aduersus subditos Prioratus vbicunque delinquentes intra territorium omne Principum: Deinde sequentes Principes omnem quoque iurisdictionem cum omni mero & mixto imperio certis finibus distinctam, nobili cuidam dedissent, Placuit saluum ius Prioratui esse in suos subditos, etiam in territorio nouæ, ac posterioris iurisdictionis delinquentes, quod à posteriore concessione exceptum intelligi deberet, quicquid præcedente contineretur. *Ita Senatus* pro Reuerendiss. Patribus collegij societatis Iesu Camberiensis, contra D. Baronem de la Serra, 18. Cal. Maij 1612.]

2 Quod esset alienissimum à maiestate Principis, qui ab illicitis abstinere debet, multo magis quam priuatus, *l. penult.* vbi Bald. *ff. de hered. instit.* Sed & vel sola ipsâ mutatio voluntatis Principe indigna videtur, eaque dubitandi ratio *ad l. cum heredes 7. in fin. vers. Imperator.* vbi Gothofred. *C. qui testam. fac. poss.*

3 *l. tutor 16. §. 1. & l. si quis 36. ff. de pignor. act. l. & quæ nondum 15. §. qui res suas, ff. de pignor. l. 3. §. 1. ff. de crimin. stellion. l. 1. 2. & vlt. C. eod.* Sed & pœna falsi ex hac causa locum habere potest, *l. qui duobus 21. ff. de leg. Corn. de falsi.* Vide Cuiac. *lib. 12. Obseru. cap. 21.*

4 *l. qui tabernas 32. ff. de contr. empt. l. vxor patrui.* vbi DD. *C. de legat.*

5 Quando causa fructuum separata est à causa proprietatis, *l. si Titio 33. §. 1. ff. de vsufr. l. pen. ff. de acquir. possess.*

6 Totumque reditum habebit solus, nec fiet concursus ille, de quo in specie longe dissimili, *in l. si alij fundum 19. D. de vsufr. leg.*

DEFINITIO XIII.

Curator bonis absentis datus Publicianam habet pro bonis, quæ ex diuisione inter alios fratres facta absenti obtigerunt, si quis ea postea absente ignorante vendiderit.

EX quinque fratribus, qui patris hæreditatem per multos annos indiuisam retinuerant, quatuor, absente quinto, bona omnia diuiserant, postea vnus ex iis non tantum suam, sed etiam absentis portionem extraneo cuidam vendiderat. Curator absentis bonis datus eam portionem, quæ absenti obtigerat, quasi male alienatam vindicabat. [1] Possessores vero, iidemque emptores negabant, dominium ad absentem pertinere, propterea quod mutuas ex diuisione adiudicationes dominiq; translationes fieri necesse esset, [2] quæ tamen absentis nomine fieri nullo modo potuerant, [3] nec proinde inter cæteros quoque coheredes, licet consentientes, cum in re communi & indiuisa suam quisque vel in minima glebulæ parte habeat portionem. [4] Curator respondebat, non posse emptores referre quæstionem dominij, cum ab eo emissent, qui bona illa suo absentisque nomine quasi sibi fratrisque ex diuisionis instrumento acquisita vendiderat. [5] Contra replicabant possessores, imo vero quotiescunque rei vindicatione agitur, posse referri quæstionem dominij, [6] adeoque ab ipso etiam conductore, cui alioquin id non liceret. [7] Sed neque ex diuisionis instrumento probari dominium, cum & alienam rem sicut vendi à non domino, [8] ita & perperam diuidi nihil prohibeat. Nec quod ab vno ex fratribus emissent facere, vt dominium ad eum eiusque fratrem absentem, cuius nomine vendidisset, [9] pertinuisse cogatur fateri. [10] Pronunciatum est, directam rei vindicationem à curatore exerceri non posse, qui dominium non probaret, [11] sed tamen Publicianam posse illi competere absentis nomine, [12] in quem paterna possessio cum iure hæreditario pro quinta hæreditatis parte transisset. [13] Alioqui quid dicemus? An nulla in ciuitate bona absens reliquisse videbitur? [14] tur? [14] An potius curatori necessitas incumbet quintam paternæ hæreditatis partem à coheredibus petendi, ac si nulla intercessisset diuisio? At quid si absenti vtilis & commoda fuit diuisio, vt eius interfit ratam eam remanere? [15] Cur cogamus curatorem, vt aduersus absentis commoda, quibus studere debeat, impugnet diuisionem? [16] Melius igitur est, vt perinde ei saltem vtilem vindicationem demus absentis nomine, ac si absens diuisionem approbasset: [17] tametsi non probarentur ea bona, quorum diuisio facta erat, ad patrem pertinuisse, à cuius heredibus possessores emerant, cum nec alium dominum allegarent. [18] Et sane quamuis quod à te emi non prohibear negare tuum fuisse, præsumptio tamen non leuis est pro te, nisi probem alterius fuisse. [19] Quamquam præsumptio illa non sufficit ad fundandam intentionem eius, qui se dominum dicit, & agit tanquam dominus. [20] *Ita Senatus* in causa Guidonis Thomasset & Ioannis Bochut, contra Guidonem de Petit Pierre Augustanum, Prid. Non. Iunij 1593.

1 Quod dominium absenti acquisitum siue ex hereditaria causa, siue ex diuisione ignoranti ipsi adimi alieno facto non potuisset, *l. si ego 9. §. 1. D. de iur. dot. l. nemo 6. C. de rebus alien. non alienand. l. 1. 2. & tot. tit. C. de com. res. alien.*

2 *l. item ab eo 22. §. 1. l. inter coheredes 44. §. 1. & pass. D. famil. ercisc.* vnde est, quod bona minorum, sicut alienari non possunt, ita nec diuidi possint, nisi maiore ad diuisionem prouocante, *l. 1. §. 1. vers. si communis, l. 5. §. vlt. l. si pupillorum 7. D. de rebus eor.*

3 Ex iuris reg. de qua *in l. id quod nostrum, de reg. iur.* ex quo fit, vt in re & iure communi potior sit causa prohibentis, *l. Sabinus 28. D. commun. diuid. l. in re communi 26. D. verb. præd.*

4 Ideoque potest quis suum dicere, quod cum alio commune habet, *l. 5. §. vlt. de leg. 1. l. recte 25. §. 1. de verb. signif.*

5 Nam & verba enunciatiua solent probare inter easdem partes, *l. optimam 14. C. de contr. & commis. stipul. l. ex hac scripturæ 16.* vbi Bart. *D. de donat.*

6 Dixi *Defin. 3. num. 7. 5.*

7 *l. si quis conductionis 25. C. de locat.*

8 *l. 2. in fin. C. res int. alios act.*

9 Nemo enim alienam rem vendendo suam facit, licet vendat tanquam suam, siue sciens, siue ignorans, quia ignorantia excusat quidem à delicto, sed nunquam ius tribuit, *l. tutor. 16. §. 1. D. de pignor. act.*

10 Potius enim conqueri poterant se deceptos, aut saltem dicere per errorem, se emisse rem alienam.

11 *Ex l. doce, l. vlt. & pass. C. hoc tit.*

12 *§. namque. Instit. de action l. 1. & tot. tit.* Curator enim bonis datus actiones omnes tempore perituras exercere absentis nomine potest, *l. 2.* vbi Bart. *D. de curat. bond. dand.* cuiusmodi sane hæc est, *l. 1. C. de commun. rer. alienat.*

13 Ex edicto, quod dicimus *Le mort saisit le vif*, iuncto iure suitatis, quod facit filios heredes necessarios, quamuis habeant beneficium abstinendi, *l. 1. §. qui sunt in potestate, D. si quis omis. caus. testam.*

14 Imo vero reliquit, ex quo pater fuit mortuus, ideoque & heredem habere ipse potest, *l. pen. D. de suis & legit.*

15 Nam & hoc facile contingere potest, quo casu dicimus, etiam pupillarium bonorum diuisionem valere, quæ tamen alioqui prohibita est, *d. l. si pupillorum 7. de rebus eor. qui sub tutel.* Bart. *in l. iubemus, C. de sacrosanct. Eccles. arg. l. si conuenerit 14. in fi. D. pro socio.*

16 *Argum. l. 3. §. duæ autem, D. de Carbon. edict. l. plures 19. in fin. C. de fid. instrum. l. generaliter, 5. §. 1. in fin. C. de secund. nupt.*

17 Ne interea nihil iuris habere videatur absens, qui tamen in omnem euentum, id est, siue reuersus diuisionem approbabit, siue non, partem suam habiturus est, *arg. l. ventre 84. in fin. D. de acquir. hered.*

18 Bona enim, quorum quis possessor fuit, mortis tempore ad eum pertinuisse in dubio præsumuntur, quousque constet de contrario, *l. Titia 48. D. de solut.* Bart. *in l. cum res 12. & l. 16. C. de prob.*

19 Vix enim est vt accedat quis ad emptionem eius rei, quam putet esse alienam.

20 Quia vbi probatio formaliter & præcise requiritur, non sufficiunt præsumptiones legis, *l. Lucius 83. D. de condic. & demonstr.* Alciat. quem ad eum locum citat Gothofr. *in tract. D. de præsumpt.*

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

Casus, in quo rei mobilis possessio pendente lite auferenda est possessori.

DVobus de rei mobilis, quæ furto subtracta dicebatur, dominio contendentibus, cum inuicem contrariæ pugnantesque adferrentur probationes, Iudex criminalem controuersiam in ciuilem conuerterat, & interea per fiduciæ speciem, perque modum, vt aiunt, prouisionis pronunciauerat, rem mobilem penes eum manere debere, qui litis cœptæ tempore possessor eius fuisset. Appellatione interposita visum est, quod ad primum sententiæ caput attineret, bene interlocutum Iudicem,[1] quod ad posterius autem male. Quamquam enim dici solet, non esse possessorem lite pendente priuandum sua possessione:[2] id tamen in proposito locum habere non poterat, propter imminens periculum, quod suberat, ne in locum rei controuersæ per calliditatem possessoris alia subiiceretur,[3] atque ita fieret, vt furti probatio eluderetur, quæ sine rei exhibitione fieri nulla posset.[4] Itaque placuit pendente lite rem in actuarij manibus relinquendam esse.[5] *Ita tractatum est* in publico Auditorio 12. Cal. Decemb. 1593.

1 Quia quæstio ciuilis hoc casu præiudicium facit criminali, *l. vnic. C. quand. ciuil. act. crimin. præiud.*

2 *l. Imperatores* 21. §. *vlt. D. de appell. l. moueor* 4. *C. si seru. export. vend.*

3 *Vt in l. cum æs* 20. *D. de furt. l. si quis in pignore* 36. *D. de pignor. act.*

4 *l.* 3. §. *item si optare, & §. si noxali, D. ad exhib. l.* 4. *D. de opt. legat.* Cuiac. *lib.* 20 *obseru. cap.* 10.

5 *Vt in d. l. Imperatores, §. vlt. l. ab executione* 5. *C. quor. appell. non recip. l. si fideiussor* 7. §. *vlt. D. qui satisd. cogant.* Omnibus enim modis prospicere bonus Iudex debet, ne probationes intercidant, *l. in lege* 40. *D. ad leg. Aquil. l. per hanc* 4. *in fin. Cod. de temp. & repar. appellat.*

DEFINITIO XV.

In iudicio vindicationis condemnatus potest etiam in iudicati executione habere ius retentionis, pro impensis à se in eam rem factis, nisi sit morosus.

IVssus rem petitam cum fructibus restituere, deductione tamen prius facta impensarum necessariarum aut vtilium, habet vtique non solum ex iudicato,[1] sed ex ipsa etiam iuris ratione ius retentionis in id vsque tempus, quo expensæ illæ & taxatæ sint & solutæ.[2] Proinde licet ea taxatio expediri tam cito nequeat, vt verisimile sit longiorem futurum iudicij tractum:[3] Non ideo tamen possessio erit auferenda condemnato,[4] nec si victor offerat satisdationem,[5] præterquam vno illo casu, quo appareat, eum, qui restituere debet, moram contraxisse in prosequenda iudicati executione sumptibusque declarandis, vt eo obtentu rem diutius retineret.[6] Tunc enim frustrationis coercendæ gratia æquissime constitutum est, vt ab eo res auferatur, & in aduersarium idonea prius satisdatione per eum præstita transferatur.[8] *Ita Senatus* in causa Amedei Mattel. 5. Id. Iun. 1595.

1 Quoniam ablatiui illi absoluti, *deductione facta*, important conditionem, *l. à testatore* 109. vbi Bart. *C. de condit. & demonstr. l. acceptis* 93. *D. ad leg. Falcid. l. deducta* 58. *in princ. & §. acceptis, D. ad SC. Trebell.*

2 Nam cui damus actionem, multo magis damus retentionem per viam exceptionis, *l. quæ omnia* 25. *in fin. cum l. si qu. D. de procur. l.* 1. §. *is autem, de superf.* quæ & interdum datur nullam habenti actionem, *l. si in area* 33. *in fin. ff. de cond indeb.*

3 Quia suas moras habet etiam executio iudicati, *l. quod debetur* 5. *ff. de pecul. l. etiam* 15. *vt legat. seru. caus. caueat.*

4 Non enim paruum commodum est possessionis ad extorquendam solutionem ab eo, qui rem habere velit, & quam si haberet, postea soluere nisi coactus nollet. Et hic verus sensus est eius, quod dici solet, plus cautionis esse in rem, quàm in personam, scilicet retinendo rem, non etiam agendo in rem. Plerumque enim incommodior & onerosior est actio in rem, quam in personam, vt Gothofr. ex Bellon. notat. *ad l. plus cautionis* 25. *D. de reg. iur.* in qua ideo malo legere, vt in Pand. Flor. *plus cautionis est in re, quam in persona*, non vt vulgo, *in rem, quam in personam.*

5 Numquam enim durior mea conditio fieri debet, ob id solum, quod aduersarius meus satisdare paratus sit, nisi quibus casibus iure aut stylo nostro cautum est, vt satisdatio pro iusta præstatione sit, quia satisdatio non mutat rationem iuris, nec tam opportunum iuris auxilium ad iniuriæ occasionem trahi debet, *l. nam quod* 14. §. *vlt. D. ad SC. Trebellian.*

6 Quod plerumque faciunt condemnati, vt frustratoria cunctatione & tergiuersatione victorem fatigent, & ad deserendam iudicati executionem, aut ad transigendum de eo, quod adhuc controuersum est, eum adigant.

7 Stylo Senat. nostri *artic.* 66. in nouis.

8 Ne possessori suus dolus prosit & sua frustratio, *contra l hominem* 37. *ff. mandat.* Facit in argumentum *l. Imperator* 50. *D. ad SC. Trebell.* vbi fideicommissi restitutio propter fraudem patris repræsentatur, etiamsi conditio nondum extiterit. Adde *l. vlt. D. hoc tit.* vbi propter possessoris dolum, qui ex solo eius mendacio colligitur, possessio ab eo transfertur in aduersarium, vt & aliis nonnullis casibus pœnæ causa transfertur possessio, *l.* 4. *ff. vt leg. caus. caueat. l.* 2. §. *vltim. ff. de collat. l. de bonis* 6. §. *vltim. ff. de Carbon. edict. l. vnic. C. vti possid.*

DEFINITIO XVI.

Quid si condemnatus frustretur executionem iudicati in alio, quam in sumptuum sibi restituendorum & propter quos retentionem habet taxatione.

QVid ergo si non in eo quidem morosus sit, quod ad taxandas impensas pertinet, sed in qua alia litis parte, puta in declarandis aut restituendis fructibus, vel sumptibus litis, ad quos fuerit condemnatus, & quibus taxatis futurum sit, vt condemnationis pati debeat executionem? Nihil hac de re iure nostro prouinciali cautum est.[1] Sed tamen eadem æquitatis ratione idem quoque hoc casu obtinere placuit,[2] præsertim cum ex fundi adiudicati qualitate verisimiliter conjici posset, non pluris fore impensas in rem factas & possessori restituendas, quam fructus essent sumptusque litis, qui vicissim à possessore victori restitui deberent.[3] *Ita Senatus* pro Iulio Arbareste, contra Amedeum Mattel, 16. Calend. Iul. 1595.

1 *dict. Styl. Senat. artic.* 66. *in nouis.*

2 Quia vbi eadem ratio est, idem quoque ius constitui debet, *vulg. l. illud* 32. *D. ad leg. Aquil. l.* 3. §. *vnde etiam, de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.*

3 Debet enim Iudex conscientiæ suæ religionem instruere ex iis, quæ verisimiliora compererit, *l. vltim. in princip. de eo quod met. caus. l.* 3. §. 1. *& §. eiusdem, ff. de testib. l. cum de indebito* 25. *ff. de probat. l. vltim. in fin. Cod. de usufruct. l. vltim. Cod. de contr. & commit. stipul.* [Obserua tamen sumptus à bonæ fidei possessore factos in rem alienam compensandos ei esse cum fructibus quos ante litem contestatam perceperit, quamuis non sint illi restituendi, sed ij tantum, qui post litem contestatam percepti sunt. *Ex l. sumptus* 48. *D. hoc tit. Ita Senatus* in causa D. Comitis de la foreſt & Hugonis Martin, 3. Calen. Septemb. 1613. Item multum referre an sumptus facti sint in rem alienam post acceptum iudicium motamve controuersiam: an vero ante. Nam qui ante facti sunt, necessariò restitui debent, licet non necessarij sint, sed vtiles tantùm, dummodo permanentes. Si verò post acceptum iudicium, non alij quam necessarij cùm imputare sibi debeat possessor, qui iam passus controuersiam impendit in rem alienam, nisi quatenus ei necesse fuit impendere ne res vel periret vel deterior fieret: quo nomine futurum erat vt ipse actori teneretur. Nec enim cuiquam permittendum est, vt post acceptum iudicium faciat duriorem conditionem aduersarij *l.* 4. §. 1. *de aqua & aqu. pluu. arc. act.* Facit verò duriorem, qui aduersarium etiam locupletem onerat refusione expensarum, quamuis vtilium, potestque videri eas donasse, quippe quas nullo cogente iure fecerit, *l.* 29. *de donat. l.* 81. *de reg. iur.* Vt in hoc deterioris conditionis sit qui litigat, quam sint alij malæ fidei possessores in sumptibus ante litem contestatam vtiliter factis, *l.* 37. *& sequ. ff. de hered. petit. Ita Senatus* in eadem causa.]

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XVII.

Rem alij legatam & à legatario etiam pro parte agnitam non potest heres ne quidem ab alio vindicare.

NOn potest heres vindicare rem, quæ alteri fuit legata, etiamsi ab eo possideatur, qui neque sit legatarius, neque doceat habere se ius à legatario, [1] si modo constet, agnitum à legatario legatum, [2] adeoque si pro parte agnitum sit. Nam cum certi iuris sit, legatarium non posse legatum pro parte agnoscere, & pro parte repudiare, [3] consequens est, vt si vel ex minima parte agnitum sit legatum, totius rei legatæ dominium recta via transeat à testatore in legatarium, [4] ita vt nullo instanti penes heredem fuisse videatur, [5] nec vllo casu ad heredem possit recurrere ipso iure, quin factum legatarij aliquod intercedat. [6] Igitur heredi nullo iure vindicanti vtiliter obiicietur exceptio dominij, itémque illa iuris regula, quæ habet, [7] aduersus extraneos vitiosam quoque prodesse possessionem. [8] *Ita Senatus* in causa N. Iuliani de Pradel & N. Anthenoris de Veygie. *Sine die.*

1 Nam in legatario, aut in eo, qui à legatario ius haberet, esset res sine dubio, cum legatarius in re legata sit ipse quodammodo heres, *l. id tempus* 14. *D. de vsucap.*

2 Agnitio enim legati necessaria est legatario, *l. ei qui* 13. *D. de condit. instit.* [Non quidem vt legatum transmittatur, transmittitur enim etiam ab ignorante, *l. cum pater* 77. *§. surdo, de leg.* 2. sed vt non possit repudiari, quomodo alioquin potest, *l. si tibi homo* 86. *§. cum seruus, de leg.* 1. *l. Titia* 34. *§. Lucia, de leg.* 2. *l.* 1. *§. decretalis, D. de succes. ed. ff.*]

3 *l. legatarius* 38. *de legat.* 1. *l.* 4. *& 5. de legat.* 2.

4 *l. à Titio* 64. *in fin. D. de furt.*

5 *l. legatum* 80. *de leg.* 2.

6 Quia id, quod semel nostrum factum est, non potest sine facto nostro à nobis discedere, *vulg. l. id quod nostrum* 11. *de reg. iur. l. ab emptione* 58. *D. de pact.*

7 Quæ nec est necessaria, cum actor nullum ius agendi habet, *l. nullo* 23. *l. vlt. C. hoc tit.* Non enim quærendum est de iure possessoris, aut de viribus exceptionis, cum actor nihil iuris habet, *l.* 4. *C. de edend. l. Paulus* 12. *§.* 1. *D. quib. mod. pign. vel hypot. solu.*

8 *l. vlt. D. de acquir. poss. ff. l.* 2. *D. vti possid.*

DEFINITIO XVIII.

Dominium probatur ex possessione & fructuum perceptione, si incidenter tantum, non etiam principaliter de dominio quæratur.

QVi per longum tempus in eorundem bonorum possessione fuisse, fructusque communiter dominij communis iure percepisse probantur, [1] licet eius dominij probationem aliam nullam adferant, pro indiuiso tamen dominium habuisse credendi sunt. [2] Non enim melius quam ex possessione probari potest dominium, aliis dominij probationibus deficientibus. [3] Etsi placet, non sufficere eam probationem, nisi si incidenter tantum, non etiam si principaliter de dominio controuertatur. [4] *Sine die.*

1 Id enim vere est pro domino se gerere, si quis fructus rei percipiat tanquam dominus, *vt in l. Titia, D. de solut.* Fructus enim non iure seminis percipi solent, sed iure soli & dominij, si alius titulus non probetur, *l. qui scit* 21. *§.* 1. *D. de vsur.*

2 Nec enim quisquam in dubio credendus est alienam rem potius, quam suam tenuisse, *l. merito* 51. *D. pro socio.* Nec amplius parte sua dominationem interposuisse, *l. duo fratres* 72. *D. de acquir. haered.*

3 *l. siue possidetis, & l. cum res, vbi not. C. de probat.* quia scilicet regulariter non solet acquiri dominium, nisi per possessionem, *l.* 1. *C. per procuratorem* 8. *C. de acquir. poss.*

4 Nam vbi principaliter de dominio controuertitur, vt in iudicio rei vindicationis, dominium necessario plenissime & concludenter probandum est, tanquam quod sit fundamentum intentionis actoris, *l. vltim. C. hoc tit. Not. in dict. l. siue possidetis, & dict. l. cum res.*

DEFINITIO XIX.

Qui falso dixit, se alieno nomine tenere rem, quam suo tenebat, perinde priuandus est sua possessione in pœnam mendacij, ac si omnino tenere se negasset.

NOn solum qui omnino negauit se tenere, sed & is, qui dixit, se alieno nomine tenere, [1] si postea conuincatur, eam rem proprio nomine possedisse, eandem sui mendacij pœnam pati debet, quam pateretur, si negasset, vt nimirum transferatur ab eo possessio in actorem, salua ei quæstione proprietatis. [2] Æque enim mendax vterque est, parumque refert, an quis neget se possidere, an dicat, se tenere quidem, sed alieno nomine, cum non tam possideat, quam in possessione sit, qui alieno nomine rem tenet. [3] *Sine die.*

1 De qua *in l. vlt. D. de rei vindic.* Iunge *Auth. item si possessor, C. qui pot. in pign. hab.*

2 Rom. *cons.* 70. *incip. visis,* post Bald. *in d. l. fin.* Bart. & Bald. *in l.* 2. *C. vbi in rem act.* Spec. *in tit. de prim. & sec. decret.*

3 *l. si quis ante* 10. *D. ee acq. poss. ff. l. pignori* 13. *D. de vsucap.*

TIT. XXIII.

DE VSVFRVCT.

DEFINITIO I.

An & quatenus vsufructuarius omnium bonorum teneatur ad onera.

VSVFRVCTVARIVS bonorum omnium etsi æs alienum soluere non cogitur, [1] cum personalibus actionibus non teneatur, [2] tamen proprietarium prohibere non potest, quo minus ex bonis fructuariis distrahat, quantum necesse est ad æris alieni exsolutionem, tametsi ita futurum sit, vt vsusfructus ipse pro rata portione minuatur. [3] Nam vt proprietarius de suo omnino soluere compellatur, nulla ratio est. Nec si proponas legatum vsumfructum ab herede, qui testatoris hereditatem purè agnouerit, [4] licet non desint qui contra sentiant. [5] Neque contrarium est, quod plerisque Senatusconsultis pronunciatum scio, viduam, eandémque bonorum omnium mariti ex legati causa fructuariam, dotem petere non posse retento vsufructu. Ideoque deliberare debere, dotemne an vsumfructum habere malit. Id enim tum vere dicitur, cum integrum vsumfructum mulier retinere vult, & nihilominus dotem integram exigere. [6] Sed si ex rerū hereditariarum distractione sibi satisfieri postulet, suúmque vsumfructum eatenus diminui consentiat, audienda est, ne aut pro vsufructu legato dotis iacturam facere, aut pro consequenda dote legatum amittere cogatur, quatenus habere vtrumque commode & citra heredis iniuriam potest. [7] Plane si æris alieni onus aut ex re ipsa proficiscatur, aut quod plerumque euenit personæ pro rebus indictum sit, nemo dubitat, quin fructuarius ex ipso vsufructu id soluere cogendus sit. [8] Sed etsi vel totius hereditatis vel portionis hereditariæ vsusfructus legatus proponatur, dici probabiliter potest, fructuarium teneri ad exsoluenda debita hereditaria pro modo patrimonij ex proprietate & vsufructu æstimandi. [9] Quod hoc casu non magis vsusfructus quam æris alieni soluendi necessitas ab hereditatis iure separari possit. [10] *Ita Senatus* in causa heredis & viduæ Procuratoris Alberti 15. Calend. Iunij 1590.

1 Quia singularis successor est, in quem proinde æris alie-

BIU Cujas

ni onus transire non potest, *l. æris alieni* 15. *C. de donat.* In eoque errauit Bart. qui contra putauit *ad l. vltim. D. de vsufr. legat.* & post eum Guid. Pap. *quæst.* 54. *incip. quidam testator.* Merito reprehensus à cæteris fere omnibus, quos refert & sequitur Didac. Couar. *lib. 2. var. resolut. c. 2. concluſ. 2. & 4. nu. 1. 4. 5. & 6. per text. in d. l. vlt. ff. de vsufr. legat. l. vsufructu* 69. *ff. ad legem Falcid. l. 1.* C. *si cert. pet. l. 2.* C. *de hered. action.* Mouebatur Bart. ed *l. vxori meæ* 37. *de vsufr. legat.* quæ ad rem non facit. Etsi enim loquitur de Calendario, tamen non de passiuis actionibus, sed de actiuis tantum intelligi potest. Mouebatur item *ex l. nam quod* 14. §. *vlt. ad SC. Trebell.* qui tamen locus de relicta proprietate est, non delegato vsusfructus.

2 Personales enim actiones non sequuntur singularem successorem, *l. 1.* § *si heres, D. ad SC. Trebell. l. vlt.* §. 1. *D. de cont. emp.* sed ex lege duodecim tabularum, vel transit ad heredem ex asse, vel inter coheredes pro æquis portionibus scinditur, *d. l. 1.* C. *si cert. petat. d. l. 2.* C. *de hered. act. l. 1. & 2.* C. *si vnus ex pluribus hered. cred.*

3 Quia sicut bona non dicuntur nisi deducto ære alieno, *l. subsignatum* 39. §. *bona, de verb. signif. l. mulier* 72. *de iur. dot. l. 2.* §. 1. *de collat. bonor.* ita nec bonorum vsusfructus, *d. l. vlt. D. de vsufr. legat. d. l. vsufructu* 69. *ff. ad l. Falcid.*

4 Quia spretum inuentarij beneficium facere non potest, quo magis heres teneatur supra quam ferat ratio iuris, aut voluntas testatoris, sed tantum vti ne in minus.

5 Bald. *consil.* 237. 1. Glos. *ad consil.* 94. quos reprehendit ex communi aliorum sententia Didac. Couarr. loco supra citat. Philipp. Dec. *consil.* 536. 590. *col. pen. & 620. in fin.* Crauet. *consil.* 137. *colum.* 1.

6 Quod sane fieri non potest. Et quamuis dos per legatum vsusfructus minui non debeat, vsumfructum tamen per dotem minui necesse est, cum dos sit æs alienum mariti soluto matrimonio. Quid enim refert, an mulieri ipsi, an aliis debeatur? [Caualcanus *in tract. de vsufr. mulier. relict.* vbi supradictam Guidonis Papij sententiam quam improbat in dote, probat in alimentis, itemque in vestibus vidualibus, aut, vt loquitur vidualibus mulieris, quæ facta sit vsufructuaria vniuersorum bonorum mariti, quòd hæc posteriora onera pertineant ad vsufructuarium, & ex reditu bonorum solui debeant. Aliud est in sumptibus funeris & infirmitatis. Pertinent enim omnia ad heredem, nisi aliter disposuerit testator aut loci consuetudo. Sic ille in supradicto tractatu *nu.* 95. 209. & 218. Quid ergo si vsusfructus bonorum omnium restringendus sit ad alimenta ex consuetudine illa Bulgari, de qua in *Defin.* 14. J. *de legat.* aut consentiat mulier vt restringatur? Poterit vtique præter alimenta petere etiam dotem & dotis vsuras à die finiti anni luctus ad ratam vsurarum quincuncium si aliud nihil sit quod maiores præstari suadeat, vt contingeret si fructus omnes, quod plerumque fit in antichresim donati proponerentur. Tunc enim besses vsuræ præstandæ essent, vt dicam *Defin.* 11. J. *de pact. pignor. Ita Senatus* in causa N. Georgiæ Brunet, & N. Petri Beyta, die 26. April. 1614.]

7 Sublatum enim hodie est fauore mulieris dotem repetentis edictum de alterutro, quod olim obtinebat, *l. vni.* §. *primum itaque, C. de rei vxor. act.* iunct. *l. vltim. Cod. Theod. de testament.*

8 Paul. Castrens. *consil.* 275. *num.* 8. *lib.* 1. Crauet. *consil.* 187. *col.* 1. quos sequitur Couarr. *vbi* §. *num* 6.

9 Carol. Ruin. *consil.* 41. *col.* 2. *vol.* 2. Didac. Couar. omnino videndus, *vbi sup.*

10 *L. ab omnibus* 104. §. *vltim. de legat.* 1. *l. si quis seruum* 8. §. *vltim.* iunct. *l. seq. de leg.* 2. Sunt qui huc pertinere putent, quod scriptum est *in d. l. vltim. de vsufr.* Sed longe alia illius loci sententia est. De qua vide quæ scripsi *lib.* 1. *Coniect. iur. ciuil. cap.* 14.

DEFINITIO II.

Vsufructuarius, si abutatur vsufructu, expelli potest licet satisfecerit.

QVod dicitur, fructuarium deteriorem rem facere non posse,[1] sic accipiendum est, vt non solum eo nomine teneatur ex interposita stipulatione De bene vtendo fruendo arbitrio boni viri, si male vtatur proprietate,[2] sed etiam vt vsufructu priuandus sit expellique possit,[3] exemplo conductoris, emphyteutæ, aliarúmque similium personarum.[4] Idémque probandum est, tametsi satisfecerit aut satisdare paratus sit de bene vtendo fruendo,[5] quia satisdatio non mutat maleuolum propositum satisdantis, sed diutius grassandi in re aliena facultatem ei præbet.[8] *Ita Senatus* in causa N. D. Nicolai Dauise Senatoris, & N. Aprin viduę Procuratoris Albert. Extempore 5. Cal. Decemb. 1592.

1 *l. si cuius rei* 13. §. *fructuarius* 4. *& seqq. l. sed si quid* 15. §. *proprietarius, l. si pendentes* 27. §. 1. *D. hoc tit.*

2 *l. 1. & tot. tit. D. vsufr. quemad. caueat. l. 1. C. hoc tit.*

3 Non quidem ex iuris veteris ratione: nihil enim tale vllo Pandectarum loco proditum est, maxime *in tit. illo, quibus mod. vsusfruct. amittat.* vbi contra scriptum est, *in l. 1.* §. *vltim. & fin.* §. *habet autem*, sed potius nouo iure, *ex Auth. qui rem*, C. *de sacrosanct. Eccles.* & illa tamen ratione, quam vetus quoque ius approbauit, quod malitiis non sit indulgendum, *l. in fundo* 38. *ff. de rei vindicat.*

4 De quibus *in d. Auth. qui rem*, quam tamen in Gallia locum non habere notat Gothofr. ad eum textum.

5 Satisdatio enim interponitur, quo magis, non quo minus bene & ex arbitrio boni viri vsufructuarius re aliena fruatur, *arg. l. legata inutiliter* 14. *de adim. leg.* Itaque quemadmodum expelli posset fructuarius, qui satisdare nollet, ita & qui satisdedit, si non bene vtatur fruatur, quia satisdatio ius ei duntaxat tribuit fruendi re aliena arbitrio boni viri.

6 *l. quia satisdatio* 6. *ff. de suspect. tutor.*

DEFINITIO III.

Fructuarius non cogitur satisdare nisi petenti, nec eo minus facit interim fructus suos.

NOn ex solo Iudicis officio cogendus est vsufructuarius satisdare vsusfructus nomine,[1] nec vltro satisdationem offerre,[2] sed ita demum, si proprietarius petat.[3] Nec eo minus faciet fructus suos, quos citra satisdationem perceperit, dummodo non sit constitutus in mora satisdandi per proprietarij congruam legitimamque interpellationem.[6] *Ita Senatus* pro Ioanna d'Aranton vidua Procuratoris Mussat, contra Petrum Volat, 16. Cal. Ianuar. 1592.

1 Neque enim ad publicam vtilitatem, aut alia vlla ratione ad Iudicis officium hoc pertinet, vt vsufructuarius satisfaciat, si proprietarius non petat, quia non potest satisdare & cauere nisi per stipulationem, *l. 1. D. vsufr. quemadm. caueat.* Nec rursus spondere & promittere animo stipulandi, si non sit qui stipuletur, *l. 1. & tot. tit. de verb. oblig.*

2 Quomodo contingit aliquando, vt quis vltro offerre debeat, si sibi prospicere velit, vt in specie, *l. 4.* §. *vltim. D. de legat. commiss. l. 2. circ. fin. C. de iur. emphyt.*

3 Non enim tale onus est, quod legato cohæreat, aut quod descendat ex voluntate testantis, sed solius hæredis fauorem respicit, adeo vt nec à testatore remitti possit, sed ab herede solo, *l. 1. l. 4. C. hoc tit.* Iul. Clar. *in* §. *testamentum, qu.* 54.

4 Notant nostri *ad dict. l. 1. C. hoc tit.* Adeo autem debetur hæc satisdatio proprietario petenti vt etiamsi vsusfructus nomine res tradita sit, nec satisdatum fuerit, liceat domino rem vindicare, & si obiiciatur exceptio de re vsusfructus nomine tradita replicare de non præstita satisdatione, *l. etsi vsusfructus* 7. *D. de vsufruct. quem. caueat.* Diuersum esset, si vsusfructus sub satisdandi conditione legatus esset. Non enim posset vsufructuarius suos facere fructus, quos ante impletam legati conditionem percepisset, tametsi de satisdando interpellatus nunquam fuisset, *l. nihil proponi* 120. §. *fructus*, ponderando verba illa, *pure legato, de leg.* 1. Aliud erit in vsufructu constituto per exceptionem & reseruationem, aut per inuestituram: tunc enim non satisdatur. Mynsing. 5. *obsc.* 36.

DEFINITIO IV.

An obuentiones bonorum talliabilium proprietario cedant, an fructuario?

DEfuncto sine liberis eo, qui deditiæ & talliabilis, vt aiunt, conditionis erat, aut eius generis bona possidebat, quæsitum est, an obuentionis emolumentum ad proprietatis & feudi dominum pertinere debeat, an potius ad vsufructuarium, si proponas eo tempore separatum vsumfructum à proprietate? Et constitit, sæpius à Senatu nostro iudicatum pro proprietario, quod non possint videri obuentiones istæ in fructu esse, cum non renascantur:[1]

item

BIU Cujas

item quia proprietas ipsa diminueretur, si tales obuentiones fructuario cederent, quod tamen repugnat vtique naturæ & conditioni vsusfructus.[2] Mihi tamen magis placebat distinctio illa, quam & plerique probabant, An realis obuentio esset, an personalis, hoc est, an ex ipsius fundi qualitate, an ex defuncti persona & conditione manaret: vt in reali quidem admittamus supra dictam sententiam,[3] in personali vero contrariam. Quid enim cum fundo & proprietate commune habent bona libera & allodialia, quæ talliabilis homo viuus possidebat, aut quænam obsecro feudi & proprietatis diminutio ex eo fiet? [4] Argumento est, quod vt plurimum vsuenire cernimus, feudorum dominos, qui reditus suos locant, obuentionum quoque spem conductoribus exponere, quasi sint illæ etiam in reditu, ex communi hominum existimatione.[5] Sane res ipsas ea talliabilitatis, vt ita dicam, conditione affectas dubitandum non est ad proprietarium pertinere, si aliud nihil dictum sit, quia nec ad vsufructuarium pertinere possent sine proprietatis & feudi diminutione,[6] nec potest dominium vtile, quod penes defunctum fuit, consolidari cum directo, quin reuertatur ad dominum directum.[7] Cuius appellatione proculdubio fructuarius non continetur.[8] Cumque obuentiones istas nihil aliud esse constet quam dominium vtile cum directo consolidatum, apparet fieri non posse, vt, quod dominium est, id ipsum in dominij fructu esse videatur.[9] *Ita tractatum est* in causa Dominæ de Corsans, & Claudij Boisson, 8. Calend. Mart. 1593.

1 *L. fructus 7. alias l. diuortio, §. si vir, D. solut. matrim. l. fin. D. de fund. dotal.* licet dici soleat, in fructu id omne esse, intelligi, quod in vsum hominis inductum est, *l. in fructu 42. de vsufruct. legat.* scilicet generalius sumpta fructus appellatione. Boer. *qu. 19. num. 2. &* 5. Bald. *ad dict. §. si vir.* Oldrad. *cons. 240.* Guid. Pap. *quæst. 477.*

2 Cum vsusfructus nihil aliud sit, quam ius alienis rebus vtendi fruendi salua earum substantia, *l. 1. D. hoc tit.*

3 Quia res ipsa, in qua vsusfructus constitutus est, alioquin minueretur, si obuentionis proprietas fructuario acquireretur.

4 Sufficere autem domino debet, quod integrum ius suum habeat, nullo modo ex vsufructu diminutum, nec illud præterea ei indulgendum est, vt ea omnia habeat, quæ habiturus erat, si vsusfructus alienus non fuisset, *arg. l. si patronum ex debita 44. §. si ex bonis, D. de bon. libert.* Alioqui etiam fructus ipsos reddere fructuarius deberet.

5 *Arg. l. quod si nolit 31. §. quia assiduæ, D. de ædilit. edict. l. vlt. vers. sin autem pactis conuentis, C. de fideiuss.*

6 Contra naturam & definitionem vsusfructus, vt diximus *num. 2. & 3.*

7 *l. quoties 34. in princip. D. hoc tit. l. 3. §. non solum, de vsufr. adcresc. l. si tibi 17. cum l. seq. l. si seruus 27. D. quibus mod. vsusfr. amitt. l. 4. D. de vsufr. quem. caueat.* vbi hoc ius consolidationis *confusionem* vocat Iureconsultus.

8 *l. recte dicimus 25. de verb. signif.* quia vsusfructus in iure non in parte consistit, *l. Mæuius 66. §. fundo, de legat. 2.* licet emolumentum rei contineat, vt ibi Papin. ait, ideoque dominij pars aliquando dicatur, *l. 4. D. hoc tit.* Adde *l. si Titio 33. §. 1. eod. l. si à reo 70. §. si à reo, D. de fideiuss. l. falsus 43. §. vlt. D. de furt.* Scripsi *lib. 15. Coniect. cap. 8.*

9 *Argument. l. vetus fuit quæstio 68. D. hoc titul. l. in pecudum 28. D. de vsur. l. cum vnus 10. §. verbis, de aliment. legat. l. 4. D. de pact. dotal.*

DEFINITIO V.

Obuentionum quæ proprietario cedunt vsusfructus ad vsufructuarium pertinet.

QVamquam autem obuentiones feudorum talliabilium ad proprietarium pertinent, non ad fructuarium, præsertim si reales sint, non personales, secundum supra dictam distinctionem, earum tamen vsumfructum fructuario deberi certum est,[1] adeo vt etiam non petente proprietario, imo eo inuito habeat in eam rem fructuarius actionem & interdictum vtile ad adipiscendam possessionem, saluo proprietarij iure.[2] Si tamen rei vindicatione fructuarius ageret, quasi sibi quæsito bonorum quæ obtigerunt dominio, condemnandus esset, absente licet tacenteque proprietario,[3] quia quisquis rei vindicatione agit, nisi probet se dominum, succumbere debet,[4] quamuis nullo prorsus iure possessor nitatur.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Atque hoc sensu accipiendum videtur, quod Bart. scripsit *ad l. fructus, alias l. diuortio, §. si vir, D. solut. matrim.* si maritus Notarius vxori relinquat vsumfructum, non debere mulierem habere fructum Protocollorum, quia semel extracta non renascantur, nimirum, vt quamuis eum fructum mulier non habeat, vsumfructum tamen emolumenti, quod ex Protocollis redigitur, habere debeat. Vide Boer. *quæst. 19. num. 5.* Ranchin. ad Guid. Pap. *quæst. 477.*

2 Habet enim fructuarius interdicta, quatenus sua interest, eo etiam casu, quo proprietarius ratione proprietatis eodem interdicto vti potest, *l. quanquam 12. cum l. seq. l. competit 16. §. 1. D. quod vi aut clam.*

3 Quia exceptio illa non tam esset de iure tertij, quæ regulariter non admittitur, *l. loci corpus 4. §. si competit, D. si seruit. vindicet.* quam de non iure actoris, quæ semper admittenda est.

4 *l. doce 6. l. nullo 23. l. vlt. & pass. C. de rei vindic.* Dixi *Defin. 1. 2. & 3. 3. tit. prox.*

5 Eo nimirum iure, quo possessores sunt potiores, licet nullum ius habeant, inquit Vlpian. *in l. vti frui 5. ad fin princip. D. si vsusfr. pet.* Adde *l. 4. Cod. de edend. l. vltim. D. de acquir. poss. l. 1. §. vltim. D. vti possid.* iunct. *l. 2. eod.*

DEFINITIO VI.

Laudimiorum omnium, quæ pendente vsufructu obueniunt, proprietas ad fructuarium pertinet, & ad heredem, qui de retinenda hereditate rogatus est.

LAudimiorum, quæ durante vsufructu obuenerunt, alia ratio est: pertinent enim omnimodo ad fructuarium,[1] & quidem pleno iure ac sine onere restitutionis,[2] sicut & pertinerent ad hæredem rogatum de restituenda hæreditate,[3] quia sunt in dominij fructu.[4] Sed tamen in hoc minus iuris habet fructuarius, quam hæres fiduciarius, quod ad hæredem rogatum, quia interim vere hæres & dominus est,[5] ius spectat laudandi, &, vt loquuntur, inuestiendi emptoris,[6] non item ad fructuarium,[7] tametsi maxime proprietarius velit, quippe qui dominus non sit.[8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 46. & 47. infr. De iur. emphyt. & feud.

1 Iul. Clar. ex communi Interpretum sententia *lib. 3. sentent. in §. emphyteusis, quæst. 23. num. 5.*

2 Quia percipit laudimia illa, tanquam fructus. Non tenetur autem fructus reddere, vtpote quos suos faciat statim, atque eos percipit, in quo minus iuris habet, quam bonæ fidei possessor, cuius fieri incipiunt fructus statim, atque à solo separati sunt, *l. si fructuarius messem 13. D. quibus mod. vsufruct. amittat.* Sed & plus vicissim in eo, quod bonæ fidei possessor fructus omnes restituit, quos non consumpsit, quia non nisi interim suos facit, *l. bonæ fidei 48. D. de acquirend. rer. domin.* iunct. *l. certum, 22. Cod. de rei vindicat.* fructuarius vero nullos restituit, ne extantes quidem. Imo nec eos, quos nondum percepit, si modo pro perceptis habeantur, *l. defuncta 58. D. de vsufruct.*

3 Hic enim plus quam fructuarius est, cum sit vere hæres, id est, dominus, nec tantum ante restitutam hæreditatem, sed etiam postea, *§. restituta, Instit. de fideicomm. hered.* iunct. *§. vltim. Instit. de hered. qual. & differ.* Ideoque obuentiones omnes indistincte lucratur, sed cum onere restituendi eas, quæ non sunt in fructu.

4 Soluuntur enim tanquam præmium in inuestituram, quam facit is qui dominus directus est, *l. vltim. Cod. de emphyt.* Conuenit autem ratio hæc non solum fructuario, sed etiam heredi rogato, vt appareat, non debere illum cum hereditate laudimia illa restituere, quæ percepit ante restitutionem, quia fructus hereditatis regulariter non veniunt in fideicommissaria

BIU Cujas

hereditatis restitutione, quod non tam hereditati, quam rebus accepto ferantur, *l. in fideicommissaria 18. D. ad SC. Trebell.*

5 *d. §. restituta, Instit. de fid hered.* iunct. *d. §. vlt. Instit. de hered. qual. & differ.*

6 Ad quem enim alium spectaret, cum nihil prorsus iuris fideicommiss. ante restitutam hereditatem habeat, quod ad dominium rerum, *l. facta 63. D. ad SC. Trebell.*

7 Guid. Pap. *quæst. 477.*

8 *l. falsus 43. §. vlt. D. de furt. l. si quis mihi bona 25. l. aditio 45. D. de acquir. vel omitt. hered.*

DEFINITIO VII.

Fructuarius minus iuris habet quam heres fiduciarius in hereditatis debitoribus conueniendis.

AT finge, defuncto, qui vsumfructum constituit, & heredem de restituenda hereditate rogauit, obligatum fuisse aliquem siue ex stipulatione, siue mandati actione, vt fundum venderet. In eo quoque plus iuris habebit heres grauatus, quam vsufructuarius, quod ea actio illi proculdubio,[1] non etiam huic competet, quamuis etiam fructuarij interfit vsusfructus nomine.[2] Quid ergo? agere vsufructuarius debebit aduersus heredem eius, qui vsumfructum constituit, vt ad venditionem agat,[3] tum secuta venditione eiusdem rei vsumfructum tradat. Alioqui certum est, non posse in fructuarium transire personalem actionem, quę defuncto competierit, siue ex stipulatu illa sit, siue mandati, siue alia quælibet.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia vere heres est, actionesque omnes, & actiuas & passiuas habere eum necesse est, vt in fideicommissarium eas transferre possit, *l. 1. & tot. tit. ff. ad SC. Trebell.*

2 Quod enim fructuarij interest, dat ei actionem contra proprietarium, vt vtendi fruendi facultatem præstet. Non eriam contra debitores hereditarios, quos, vt liberentur, necesse est soluere ipsi heredi, licet solutam heredi pecuniam petere ab eo possit vsufructuarius, præstita demum satisdatione, *l. 1. C. hoc tit.*

3 *Arg. l. Iulianus 13. §. penult. ff. de act. empt.* iunctis aliis locis, quos congessi *ad Defin. 1. num. 1. §. vt nemo inuit. ager.*

4 Quia ex lege duodecim tabularum actiones omnes in heredem solum transeunt, *l. 1. C. si cert. pet. l. 2. C. de hered. act.*

DEFINITIO XIII.

Item in manumittendis talliabilibus.

MElior etiam heredis fiduciarij, quam vsufructuarij conditio in eo est, quod manumissiones factæ ab herede fiduciario, pendente fideicommissi conditione valent etiam in præiudicium fideicommissarij, si postea conditio extiterit,[1] factæ à fructuario non valent.[2] Neque eo tamen minus agere proprietarius potest aduersus fructuarium eiusve heredem in id, quod sua interest, factas non esse,[3] si id malit, quam irritam facere manumissionem.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 1. & 2. infr. De his qui manumitt. non poss.

1 *Ex l. quidam ita 25. §. si quis filium, D. ad SC. Trebell.* iunct. *l. non ideo minus 68. D. de rei vindic.* Potest enim fieri, vt nunquam sit locus restitutioni fideicommissi conditionalis, forte si conditio deficiet, aut ante illius implementum fideicommissarius decesserit, *l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.* præterid, quod non solum ante restitutam hereditatem fiduciarius heres vere heres est, sed etiam post restitutionem, *§. restituta Instit. de fideic. hered.*

2 Quia fructuarius non est dominus, *l. falsus 43. §. vltim. D. de furt.* manumissio autem valere non potest, quæ fit à non domino, imo nec quæ fit à domino, si in id tempus conferatur manumissio, quo dominus esse desierit, *l. Stichus 39. D. de manu. test.*

3 Interest enim quasi facta eius conditione deteriore propter obiectum fauorem libertatis, *l. 3. §. 1. de alien. iud.* In eoque venient non tantum pretia manumissorum, sed etiam vtilitates, si quæ absint propter manumissionem, *l. inde Neratius 25. §. idem Iulianus, D. ad legem Aquil.* iunct. *l. si sterilis 21. §. cum per venditorem, D. de act. empt.*

4 Neque enim iure suo vti cogitur, *l. si iudex 28. D. de minor. l. penult. Cod. de pact.* præsertim cum nec quicquam interfit fructuarij, aut eius heredis, qui scilicet tantundem præstare cogeretur manumisso aut eius successoribus, si proprietarius manumissionem irritam facere vellet.

DEFINITIO IX.

Quantum interfit, an fructus quis percipiat iure vsusfructus, an iure pignoris?

QVantum interfit inter vsumfructum & ius percipiendi fructus,[1] ex eo cognosci potest, quod quisquis vsumfructum habet quoquo modo constitutum,[2] satisdare cogitur de bene vtendo fruendo,[3] non item qui ius habet fructuum fortasse ex antichresi percipiendorum.[4] Itaque hic omnimodo facit fructus suos in vicem legitimarum vsurarum, & consequenter ad modum vsque legitimum, ne alioqui in earum fraudem antichresis contracta videatur.[5] Vsufructuarius vero non facit fructus suos, nisi à die præstitæ satisdationis, nimirum si petita sit.[6] Nam si non sit petita, nihil est quod fructuario imputetur.[7] At finge, vtrumque ius in eadem persona concurrere, eundem nimirum esse & vsufructuarium & creditorem antichresticum, petitamque vsusfructus nomine, nec dum tamen ab eo præstitam satisdationem. Vtrum fructus, quos ab eo tempore percepit, suos fecisse videri poterit? Vtique: sufficit enim, quod ex alterutra causa ius habuerit fructus suos faciendi.[8] *Ita Senatus* in causa N. Aprin viduæ Procuratoris Albert, & N. filiæ D. Senatoris de Beausuiour 7. Id. August. 1595.

1 De quo vide text. elegantem, *in l. si vsusfructus 66. l. cum in fundo 78. ff. de iur. dot. l. si conuenerit 4. ff. de pact. dotal.*

2 Nisi per modum exceptionis & retentionis, *vt in l. quisquis, C. de donat.* aut per modum inuestiturę, vt scripsi *Defin. 3. num. 4. 5.*

3 *l. 1. & tot. tit. ff. vsufruct. quem. caueat.*

4 Quia iam satis obligatus hic est ex contractu, vt pignoratitia conueniri possit, si quid dolo malo fecerit, *l. si pecuniam 33. D. de pign. act.* item quia pignus habet ex ipsius debitoris voluntate, satisdatio autem tunc præstatur, cum alius petit, alius vsumfructum constituit.

5 Textus est *in l. si ea pactione 14. C. de vsur. l. cum debitor 8. D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.* Vide quæ in hanc rem scripsi de antichresi expressa & tacita in Chiliad. *de error. pragmat. Decad. 9 err. 5. & 6.*

6 *l. 1.* vbi notat *C. hoc tit.*

7 Dixi *Defin. 3. 5.*

8 Sublata enim causa vsusfructus ob non præstitam satisdationem supereret causa pignoris per antichresim contracti, ex qua fructus ad creditorem non quasi ad vsufructuarium, sed tanquam ad creditorem pertinent, *arg. l. cum is qui 32. §. mulier. D. de condict. indeb.* Non enim sufficit proprietario eidémque debitori ad sibi comparandam fructuum acquisitionem impedimentum vnum remouere ratione vsusfructus, si non remoueat etiam impedimentum pignoris. Vbi namque plura sunt impedimenta, nihil agit, qui alterum tantum remouet, *l. quia 77. §. 1.* vbi Castrens. *D. de condit. & demonstr.*

DEFINITIO X.

HAbitationis & vsusfructus, itémque alimentorum æstimationem aliter fieri obtinuit, si aut habitationis, aut vsusfructus, aut alimenta debeantur ex testamento, aliáve vltima voluntate, aliter vero si ex contractu. Priore casu eam computationem annorum fieri placet, quam Vlpianus pro ætatum varietate aliam atque aliam imponenda Falcidiæ ratione probabat.[1] Posteriore vero illam potius sequendam, quæ à Iustiniano præscripta fuit in reditibus donatis, vt quindecim annorum computatio ineatur.[2] Sed quoniam fieri potest, vt in longius tempus vita protrahatur,[3] illud etiam non immerito placuit, vt de soluendo eo, quod plus erit in debito, satisdationem præstari oporteat.[4] *Sine die.*

1 *in l. com-*

BIU Cujas

1 *In l.computationi,alias l.hereditatum 68.D.ad leg.Falcid.*
2 *In l.si quis argentum 35.§.sin autem donator,C.de donat.*
3 *l.an vsusfructus 56.D.de vsufr.l.si vsusfructus 8. D.de vsufr. legat.*
4 Vt alias fieri solet,quoties ex postfacto apparere potest, vt plus minúsve debeatur, *l.1.& tot.tit. D.si cui plus quam per leg. Falcid.l.statuliber rationem 5.D.de statulib.*

TIT. XXIV.

DE SERVIT. ET AQVA.

DEFINITIO I.

Sola prohibitio vtendi seruitute non interrumpit præscriptionem seruitutis,si ea prohibitio effectum non habuit.

NOn ex eo solo interruptus dici potest vsus seruitutis, quod is, qui per fundum tuum ire agere solebat, verbo prohibitus aliquando sit ne iret ageret,si modo ire agere non desiterit.[1] Requiritur enim contradictio iudicialis,aut quæ factis, non verbis testata sit.[2] Alioqui præbet ea res potius materiam inchoandæ præscriptionis, cum ab eo saltem tempore non possit videri clam aut precario seruitute vsus, qui te inuito vsus est:[3] at ne vi quidem,[4] cum in sui iuris quasi possessione perstiterit.[5] *Ita Senatus* Prid.Cal.Febr.1590.

1 *l.vlt.D.de itin.actúque priuat.*
2 Boer.*quæst.*39.
3 *l.vlt.D.quemadmod.seruit.amitt.*
4 Licet vi factum dicatur, si quis contra quam prohiberetur fecerit, *l.1.§.quid sit vi factum,D.quod vi aut clam.*Nec solum si contra testationem denunciationémque fecerit,sed & si cum sciret se prohiberi posse per vim molitus est ne posset, *d.l.1. §. sed & si contra,& §.seq.l.vi facit 20.eod.*
5 *d.l.vlt.de itin.actúque priuat.* Sufficit enim vt iure suo se facere putet,paratusque sit se iudicio defendere aduersus eos,qui interdicendum existimant,ne seruitute vtatur, *l.3.§.si quis paratus sit,& seq. D.quod vi aut clam.* Et sane nec vi nec clam facere videri potest,qui suam duntaxat continuat possessionem,nec si eam vi defendat, *l.1.C.vnde vi.*

DEFINITIO II.

Seruitus debita fundo vendito sequitur fundum, licet non sit tam necessaria emptori,quam fuit venditori.

QVi communia prædia habebant,cum diuisionem facerent, conuenerant, vt mutuo sibi prædia singulorum seruirent ad eundum,agendum & vehendum, nisi quatenus viam publicam in confinibus haberent. Vendito postea per vnum ex condiuisoribus prædio,ad quod non nisi per aliorum fundos accedi poterat, idem seruitutis ius distractum quoque prædium sequetur,[1] licet in condiuisorum duntaxat personis concepta stipulatio sit,[2] nisi euidenter appareat, id actum, vt personæ magis quam prædio seruitus deberetur,[3] quod tamen in dubio non est præsumendum,maxime si eius prædij fructus absque vsu eius seruitutis nullus futurus sit.[4] Nec intererit,an fundus hic, cui seruitus quæsita fuerat, simpliciter venditus sit, an, vt fieri solet, cum ingressibus & egressibus. Etsi enim non aliter præstare emptori seruitutem venditor debet, quam si nominatim promiserit, quamuis alioqui ad fundum accedere emptor non possit,[5] si tamen fundo seruitus debebatur, talis venditus intelligendus est, qualis penes venditorem fuit, ac proinde cum iure seruitutis, tametsi nihil de seruitute dictum sit.[6] Neque mutabit, quod is, qui à condiuisore emit, vicinum fundum habeat viæ publicæ contiguum, ad quam per fundum suum ire possit.Cur enim cogatur propriò prædio seruitutem imponere,quam si alius à condiuisore emisset,pati non cogeretur?[7] aut quid si eundem fundum, quem ipse emit, velit alteri vendere?[8] an idcirco per fundum suum hæreditarium viam præstare tenebitur,quod cum ille vtrumque possideret,ire agere,& vehere per eum posset? Minime. Nec igitur cogendus est, vt per fundum suum eat, si nolit, ne quidem si per multos annos ita feciſſe probetur.[9] Numquam enim ex eo, quod quis in suo fecit pro arbitrio,sumi ius potest,vt in posterum idem facere compellatur,[10] præsertim quod ad seruitutes attinet, cum nemo rei suæ, quamdiu sua est, seruitutem imponere possit.[11] *Ita Senatus* pro fratribus Chardon, contra fratres Ribitel Idib. Decembr.1592.

1 *l.cum fundo 36.D.de seruit.rustic.præd.* Facit *l.via 23.§.si fundus,& §.quæcunque,eod.tit.*
2 *d.l.cum fundo,vers.nec ad rem pertinet.*
3 *l.Mela 14.§.vlt.D.de alim.legat.*
4 Quæ videtur esse sententia, *l.4.& l.pen.D.de seru.rust.præd. l.pen.D.si seruit.vindicet.*
5 *dict.l.via, §.quæcunque, eod. l.in vendendo 66. D. de contrah. empt.l.tenetur 6.§.si tibi,& sequ. D.de action.empt. l.si aquæ 47. cum duabus seqq.*
6 *l.penultim.D.de euict.l.si partem 19. §.1. D.quemadmod.seruit. amitt.*
7 Nemo enim cogitur inuitus fundo suo seruitutem imponere, sed in eam rem consensus requiritur omnium, quorum interest, *l. in concedendo 8. cum duabus seqq. D.de aqua & aquæ pluu. arcend.* & quibus constituta seruitus noceret, *l.aquæ 4. C.hoc tit.* Nam & seruitutis constitutio alienationis species quædam est, *l.vltim. Cod. de rebus alien.non alienand.* nemo autem rem suam vendere cogitur, *l.nec quasi 70. D. de rei vindit. l.non enim 9. D.rer.amotar.* Facit *l.in fundo 38.ad fin. D.de rei vindic.*
8 Vtique enim non tam facile emptorem inuenturus est fundi,cui nulla seruitus debeatur,*arg.l.penult.D.de euict.*præsertim si ad eum fundum aliunde nullus pateat accessus,*d.l.via 23. quamuis in fin.D.rust.præd.*
9 In suo enim faciebat iure dominij, non seruitutis, *l.vt pomum 8.D.hoc tit.*
10 *l.si certis annis 28.C.de pact.l.operis 31.ff.de oper.libert.*
11 *l.vti frui 5.ff.si vsusfruct.pet.l.in re communi 26.D.verb.præd.l. cum essent 33.§.1.rust.præd.d.l.vt pomum,8.D.hoc tit.de servit.*

DEFINITIO III.

De seruitute amittenda non vtendo, vel vtendo retinenda.

SI tamen tanto tempore per aliorum condiuisorum fundum ire desierit, quanto amitti seruitus potest non vtendo,est quod sibi imputet, nec postea vindicare seruitutem ei licet.[1] Quod si ex contrario seruitute vsum condiuisorem appareat, itémque eum, qui emit à condiuisore, non quæremus, quanto tempore vsus sit, nec immemorialis temporis vsum exigemus,[2] qui inueterato nostrorum errore in seruitutum, quas discontinuas vocant,[3] præscriptione requiritur,[4] cum hoc casu non præscriptionis, sed constitutionis iure seruitus debeatur.[5] Sufficiet igitur ita vsum emptorem aut venditorem, vt non vtendo amissa non sit seruitus, adeo vt si ex pluribus condiuisoris aut emptoris hæredibus quidam vsi sint, quidam non, retineatur nihilominus tota seruitus, quia nec pro parte amitti potest, sicut nec acquiri.[6] Idemque erit,si vnus ex sociis in fundo communi & seruituti & liti eo nomine institutæ renunciauerit. Neque enim cæteris, qui non renunciarunt, si communem seruitutem vindicent, ea res nocere potest.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l.Labeo 17. cum l.sequ. & tot. titul. ff.si seruit. vindicet.* Nec rursum actionem vllam habet eo nomine aduersus venditor-

BIU Cujas

rem, *l. in vendendo 66. §. 1. D. de contr. empt.* Nimirum vt Pomponius eo loco scribit: Si venditor cum venderet, de seruitute fundo debita eum certiorauit. Alioqui ex empto teneri debet ob dolum.

2 *Ex l. hoc iure 3. §. ductus aquæ, D. de aqua quotid. & æstiu. l. 1. §. vlt. D. de aqua & aquæ pluu. arc.*

3 Cum tamen seruitutes omnes causam continuam habere debeant & perpetuam, nullæ discontinuam, *l. foramen, 28. ff. vrban. præd.* & è contrario continuam possessionem habere non possint, sed discontinuam omnes, *l. seruitutes prædiorum 14. D. hoc tit. gener. de seruit.*

4 Contra quam scriptum sit *in l. si quis diuturno 10. D. si seruit. vindic.* vbi diserte scriptum est, diuturnum vsum sufficere, id est, longi temporis ad eas quoque seruitutes acquirendas, quas nostri discontinuas vocant. Facit *dict. l. foramen 28. à cons. sinsi. D. vrb. præd. l. apparet 5. §. penult. D. de itin. actuque priuat. l. 2. C. hoc tit.*

5 Seruitutes enim pactionibus iustisque conuentionibus recte constituuntur & acquiruntur, *l. 4. D. hoc tit.*

6 *l. seruitut 5. l. aquam 16. vers. quod si plurium, l. vsu 20. cum seqq. ff. quemadm. seruit. amitt. l. pro parte 11. l. viæ, 17. D. hoc tit.*

7 *l. vnus ex sociis 34. D. rustic. præd. l. per fundum 11. eod. l. 2. D. hoc tit. l. vltim. D. commun. præd. l. si de communi 19. si ser. vind.*

DEFINITIO IV.

Seruitus indefinita sic interpretanda est, vt quam minimo fieri potest incommodo fundus seruiens oneretur.

OBseruandum tamen est, per eum seruientis fundi locum seruitutem constitui debere, vbi minore detrimento constitui possit; [1] quod ipsum ita intelligi oportet, tametsi per longum tempus probetur dominus fundi dominantis solitus ire agere per villam aut vineas fundi seruientis. Nam licet qua primum ille direxisset, ea demum ire agere deberet, nec amplius mutandæ seruitutis quantumlibet incommodæ potestatem haberet, quia sibi imputet, qui eum seruituti locum elegerit, [2] fauorabilior tamen videtur conditio domini prædij seruientis, [3] cum non habeat dominus fundi dominantis, quod conqueratur, si modo seruitus ei præstetur, qualis quantaque debita est. [4] Nam & consensus, qui ex sola patientia & ob quid non factum inducitur, leuior esse solet, minorisque momenti, quam qui ex facto ipso, [5] cum tacitus ille videri debeat, hic vero potius haberi pro expresso, quandoquidem nihil interest, verbo ne an facto quid exprimatur. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. si cui simplicius, 9. D. hoc tit. l. certo gener. de seruit. l. si via 26. D. rustic. præd.* iunct. *l. si mihi 21. & seq. eod.*

2 *d. l. si cui simplicius*, vbi Celsus hoc ipsum ex Sabini sententia scribit, *l. certo generi 13. §. 1. rustic. præd.*

3 Vt & debitorum omnium fauorabilior conditio esse solet, *l. Arrianus 41. de obligat. & act. l. fauorabiliores 125. de regul. iur.*

4 *Argum. l. si patronum ex debita 44. §. si ex bonis, D. de bon. libert.*

5 Nam qui tacet non vtique fatetur, licet verum sit eum non negare, vt est in iuris regula, *l. qui tacet 142. de reg. iur.*

6 *l. non tantum 5. ff. rat. rem haber.*

DEFINITIO V.

Quando superioris molendini dominus prohibere possit, ne in inferiore loco aliud molendinum extruatur.

SVperioris molendini dominus prohibere non potest, ne in inferiore loco alius molendinum extruat, [1] tametsi ex eo futurum sit, vt superioris reditus diminuatur: [2] Si modo iure suo inferioris dominus ædificauerit, siue in proprio loco, siue in publico, nisi constet eo animo ædificasse, vt vicino noceret potius, quam vt sibi prodesset, id est, ad æmulationem. [3] Sed si ex priuilegio ædificauerit, hoc est, ex concessione vel Principis, vel domini feudi, distinguendum est qua ratione superiori vicino noceat. [4] Nam si ob id solum, quod minus frequens superioris molendini commercium futurum sit, prohibendus non est, cum suam quisque possit conditionem meliorem facere, etiam cum alterius detrimento, dummodo citra iniuriam. [5] Si vero ob id quod cursus aquæ impediatur, & ex restagnatione fiat, vt superius molendinum perinde exerceri non possit, prohiberi potest. [6] Sic enim concessio & priuilegium intelligi debet, ne illi qui ius anterius habuit damnum inferatur. [7] Quod si ea construendi posterioris molendini forma ipso priuilegio præscripta sit, quæ restagnationis incommodum adferat, quærendum erit, [8] an qui priuilegium concessit, ius habuerit, tale concedendi, necne. Vtsi non habuerit, cogatur inferioris molendini dominus opus destruere: si habuerit, nulla in eam rem actio competat, [9] sed tantum aduersus concedentem, si is forte priore concessione se obligauerat, ne alteri in posterum idem priuilegium saltem in prioris molendini præiudicium concederet. [10] Aut si superioris molendini domino permiserat, vt eos, qui in alia siue superiore, siue inferiore eiusdem fluminis parte ædificare vellent, prohiberet. [11] Alioqui non ex eo solo, quo tibi promisero, molendinum ædificare in ripa fluminis, prohibeor aliis ius idem ædificandi concedere, tuo licet incommodo & damno. [12] *Ita Senatus* pro N. de Monteinard, D. de Marcieu, contra fratres Boclier. Et pro iisdem fratribus Boclier, contra Ioannem Marin, 4. Calend. Februar. 1593.

1 *Arg. l. cum eo, 9. l. inter seruitutes, 15. D. vrban. præd. l. altius 8. & l. seq. C. hoc tit.*

2 Quia ex eo, quod quis in suo iure faceret, teneri non potest, licet per consequentiam alteri noceatur, quia nec debet videri damnum facere is, qui eo veluti lucro, quo adhuc vtebatur, prohibetur, vt eleganter Vlpian. ait *in l. Proculus, 26. D. de damn. infect.* Facit *l. fluminum, 24. §. vltim. eod. l. nemo damnum, 251. de reg. iur.*

3 Nam ad æmulationem ædificare numquam licet, ne quidem pro ornanda ciuitate, *l. 3. D. de operibus publ.* Sic nec ædificatio per vicini inuidiam interrumpi debet, *l. pen. §. & hoc quidem 7. C. de ædif. priuat.*

4 Distinctio est Baldi, quem vide *in l. si manifeste, 7. Cod. hoc tit.*

5 *d. l. cum eo, d. l. inter, d. l. latius, d. l. fluminum, §. vlt. & d. l. Proculus, 26. de damn. infect.*

6 *l. 2. §. idem Labeo scribit si quis in suo, 28. D. ne quid in loc. publ. l. 1. §. sed apud 6. D. de aqua & aqu. pluu. arc.* Nam sic debet quis meliorem rem suam facere, ne vicini deteriorem faciat, *d. l. 1. §. sed & fossas, eod. l. sicut autem, 8. §. Aristo. D. si seruit. vindicet. l. quidam, 13. vrb. præd. l. is qui in puteum, 11. §. vltim. ff. quod vi aut clam.*

7 *l. 2. §. si quis à Principe, D. ne quid in loc. publ. l. sed cum ab herede, 12. D. ad SC. Trebell.*

8 Inanis enim & vacua est voluntas, cui iuris potentia non assistit, vt Bald. dicebat *ad l. 4. ff. de acquir. hered.* nec potest vllum effectum habere permissio facta per eum, qui non habuit ius permittendi in præiudicium alterius, *l. per fundum, 11. l. vnus ex socio, 34. ff. rust. præd.*

9 *d. l. 2. §. si quis à Principe*, in illis verbis, *Nisi forte quis hoc impetrauerit ff. ne quid in loc. public.*

10 Non enim, nisi in personam actio est eiusmodi contractu, *arg. l. si sterilis, 21. §. sed etsi ita, ff. de act. empt. l. quoties, 15. Cod. de rei vindic.*

11 Quo etiam casu persona tantum promittentis obligatur, nec impeditur translatio iuris ædificandi, ex permissione eodem facta, cum non eo minus maneat ipse dominus, quia nec sibi potest quis eam legem imponere, *l. pen. D. de pact. l. quod autem, 7. §. vxori, ff. de donat. int. vir. & vxor. l. Lucius Titius, 40. D. de fideic. libert.*

12 Esset enim hoc molendino tuo seruitutem acquirere, quod nisi expressim factum sit, numquam in dubio præsumi debet, *l. penultim. ff. de euict. l. qui vi optimæ, 90. D. de verbor. signific.*

DEFINI-

DEFINITIO VI.

Negatoria de seruitute agere potest is etiam, qui nouum opus facientem non prohibuit, cum posset per nunciationem, nec intra annum ad tollendum opus interdicto egit.

QVi passus est inferius molendinum, aut superius construi, ex cuius ædificatione suo præiudicium fiat, non idcirco prohibetur agere, vt vicinus, cui ædificandi ius non fuit, opus demoliri cogatur: [1] nisi expressim ipse ædificanti consenserit, [2] aut per longi temporis patientiam ius suum remiserit: [3] quamuis imputari ei possit, cur non nunciauerit nouum opus. [4] Non enim sicut facta nunciatio iuetur ius nunciantis, [5] sic omissa facere debet, vt iure ædificasse videatur, qui ædificandi ius non habuit. [6] Supererit igitur infra decennium de iure & proprietate quæstio, [7] licet post annum controuersia possessionis non admittatur. [8] Sane hactenus nocebit agenti taciturnitas, quod si postea iubebatur is, qui nouum opus fecit, illud destruere, eoque nomine in id omne, quod actoris interfuit, condemnetur, impunita tamen erit pro toto eo tempore, quo actor tacuit, [9] nec nisi à die litis contestatæ id, quod interest præstabitur. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quasi quod clam factum sit, ab eo scilicet, qui existimauit, aut probabiliter existimare debuit, sibi factam iri controuersiam: si non illi, ipsi denunciauerit, à quo controuersiam timere potuit, *l. altius* 8. ibi, *vi vel clam feciſſe conuincatur, C. hoc tit.* iunct. *l. 3. §. vlt. l. 4. & 5. in princ. D. quod vi aut clam.*

2 Quo casu non potest aduersarius vi aut clam feciſſe videri, qui aduersarij consensum habet. Nec enim volenti fit fraus vel iniuria, *l. quod autem 6. §. præterea, D. quæ in fraud. credit. cum similib.*

3 Quod contingit, si eo sciente per longum tempus in illo statu res manserit, quoniam scientia illa purgat clandestinitatem, vt ita dicam, quæ ab initio in ipso opere faciendo interuenerat, *l. 2. C. hoc tit.* Alioqui nullo tempore posset quis prædio suo acquirere seruitutem ex ea re, quam ab initio, aut vi, aut clam feciſſet, *l. si quis diuturno 10. D. si seruit. vindic. l. 3. §. illud sciendum quod vi aut clam.*

4 Potuit enim, *l. 1. & tot. tit. de operis noui nunciat.*

5 Impediendo ne fiat, quod nondum factum est, *dict. l. 1. §. 1.* iunct. *§. opus nouum, & seq.*

6 Sed hactenus sibi nocet, qui negligens fuit in nouo opere nunciando, vt remittendus sit ad interdictum, quod vi aut clam factum erit vt restituatur, *dict. l. 1. §. 1.* Cæterum sumptibus suis opus tollere cogitur, qui vi aut clam ædificauit, *d. l. altius 8. & l. si in ædibus 9. C. hoc tit.*

7 *d. l. 2.* in illis verbis, *si ante id spatium, C. eod.*

8 Interdicta enim fere omnia sunt annalia, præsertim illud, Quod vi aut clam, *l. semper 5. §. hoc interdictum, ill. tit. quod vi aut clam. l. Antæus 14. D. de aqua & aqua pluu. arcend.*

9 Scilicet, cum agitur post annum de iure habendi ædificatum, non de possessione. Nam si intra annum agatur de possessione per interdictum tanti lis æstimanda est, quanti actoris interest opus factum non esse, *d. l. semper, §. interdicto.*

10 Quia iudicium singulare est, in quo non veniunt accessiones & præstationes, nisi à die litis contestatæ exemplo vindicationis, *l. vtique 16. l. præterea 20. l. Iulianus 17. §. 1. & pass. de rei vindic.*

DEFINITIO VII.

Generalis concessio subsequens non extenditur ad ea, quæ prius fuerant specialiter prohibita.

PEtmiseram tibi, vt in ripa fluminis ædificares quicquid velles, & pro arbitrio, præterquam molendinum. Si postea permisero, vt in fundo tuo ripæ proximo, cuius dominium directum ad me pertinebat, columbarium extruas, aliaque omnis generis ædificia, siue voluptaria siue necessaria, non tamen videor permisisse, vt molendinum ædifices, quoniam generalis concessio ad ea extendi nunquam debet, quæ specialiter prohibita sunt, [1] sed speciali in eam rem voluntate opus est: [2] præsertim si ex eiusmodi molendini constructione futurum sit, vt vel mihi vel alteri, maxime qui ius anterius à me habeat, damnum inferatur [3]. Nec ad rem pertinebit, si obiicias in mea potestate fuisse legem apertius dicere. [4] Neque enim apertius dicere debui, qui iam antea satis aperte dixeram; & potius imputari potest tibi, qui speciali concessione indigebas, cur non eam apertius impetraueris. [5] Quare nec aliud erit, tametsi proponas fore vt secundū hanc interpretationem generalis illa concessio tibi inutilis futura sit. [6] Semper enim damnum concedentis, & alterius cuiuslibet exceptum intelligi debet. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. vxorem 15.* vbi nostri notant, *C. de nupt.* Vide omnino *l. si mihi 20. D. rustic. præd.* vbi est textus satis accommodatus.

2 Concessio enim generalis non alia continet, quam quæ concedens fuerat verisimiliter permissurus, *l. qui peculij 46. D. de pecul. l. obligatione 6. D. de pign. l. si filiusfamilias 7. D. de donat.*

3 *Arg. l. 2. §. merito & §. si quis à Principe, ne quid in loc. publ.*

4 *Ex l. veteribus 39. D. de pact. l. Labeo 21. D. de contrahend. empt.*

5 *d. §. si quis à Principe*, ibi, nisi forte quis hoc impetrauerit.

6 Etsi non facile capienda est illa interpretatio, *l. Titia 34. §. 1. de leg. 2.*

7 *l. præses 6. C. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Cui incumbat onus probandi, agenti-ne confessoria, an agenti negatoria?

NEgatoriam actionem proponenti ita demum incumbit onus probandi si fateatur aduersarium esse in quasi possessione seruitutis, aut si de eo constet alia ratione. [1] Alioqui cum vnaquæque res præsumatur libera, [2] exigenda erit probatio ab eo, qui confessoria nitetur. [3] Idque multo magis si aduersus agentem de damno dato ob vsurpatam seruitutem reus confessoriam proponat per modum exceptionis, actor vero negatoriam per modum replicationis. Reus enim in exceptione actor est. [4] Quanquam & in actione de seruitutibus, siue confessoria, siue negatoria, id perpetuum est, vt vterque sit & actor & reus. [5] Quid ergo si negatoriam exercens fateatur quidem aduersarium iuisse, duxisse iumentum vel vehiculum, aut quid aliud feciſſe, quod soleat fieri iure seruitutis, sed tamen dicat id factum vi aut clam, aut precario, aut iure familiaritatis? Exigetur omnimodo probatio ab actore, [6] quoniam huiusmodi confessio licet scindi non possit [7] sufficit tamen ad tollendam illam præsumptionem iuris, [8] quæ facit vt omnia pro liberis habeantur, saltem ad transferendum onus probandi in actorem. [9] *Ita Senatus* ex tempore in causa N. Caroli Vernat affinis mei, & Antonij de la Cuaz 3. Cal. April. 1593.

1 Puta ex instrumentis, aut denique quolibet alio modo.

2 *l. cum eo 9. D. de seruit. vrb. præd. l. altius 8. C. hoc tit. l. 4. D. de instit. & iur.* Afflict. *decis. 267. num. 4.*

3 Guid. Pap. *quæst. 28. ad fin.*

4 *l. in exceptionibus 19. D. de probat.* iunct. *l. præced. eod. tit. l. 1. D. de except.*

5 *§. æque.* vbi Ioan. Faber. *Instit. de action.*

6 Non solum, quia actor & petitor est (id enim est partes petitoris sustinere, vt dicebat Africanus *in l. si priusquam 15. in fin. D. de operis noui nunciat.*) sed etiam quia præsumptionem habet contra se, ne delicti præsumptio capiatur, *l. merito 51. D. pro socio.* Delictum enim est, si quid vi aut clam fiat. Precarium autem cum ad donationem proxime accedat, *l. interdictum 14. D. de precar.* præsumendum etiam non est, *l. siue possidetis 6. C. de probat.*

7 Styl. Senatus nostri, *artic. ex l. si ita stipulatio 39. in fin. D. de oper. libert. l. nam absurdum 7. D. de bon. libert.*

8 Maior enim præsumptio vincit minorem, *l. cum de indebito 25. de probat. l. Nesennius 34. D. de neg. gest.* & aliis vulgatibus.

BIU Cujas

9 Is enim est effectus fortioris præsumptionis, vt probandi onus transferat in aduersarium, *l.alimenta* 11. *C.de negot.gest. l.si chirographum* 24. *D.de probat.*

DEFINITIO IX.

Quid allegare & probare debeat, qui seruitutem aut immemorialem aut aliam petit.

QVi intendit se suosque auctores per fundum tuum iuisse tanto tempore, vt initij memoria non extet,[1] non cogitur probare, at ne allegare quidem factum id iure seruitutis, cum immemorialis ipsa possessio ius præbeat, & sit loco tituli constituti.[2] Tanti siquidem temporis lapsus omnem omnino præsumptionem excludit violentæ aut clandestinæ, aut precariæ possessionis.[3] Qua præsumptione cessante necessario sit consequens vt iure suo vsi sint, qui per fundum tuum iuerunt,[4] quod ius porro aliud esse non potest quam seruitutis.[5] Aliud est si quis diuturno tantum vsu, id est, decennij vel vicennij nitatur ad vindicandam seruitutem. Neque enim sufficit ad obtinendum allegare vsum tanti temporis, nisi allegetur etiam ius seruitutis.[6] Sed tamen ad id probandum cum difficilis sit probationis,[7] & vt cætera omnia, quæ in animo potius, quam in facto ipso consistunt,[8] sufficiet testes dicere, eam vocem & famam fuisse publicam, vt qui per fundum tuum ibat, toto eo tempore iure suo ire crederetur. *Ita Senatus* in causa Dn. Antonij Charpenei compatris mei obseruandiss. Senatoris meritissimi & eruditissimi & Syndicorum de Verdon, 6. Id. Nouemb. 1594.

1 De quo vide Paulum ad Labeonem, *in l.si arbiter* 28. *D.de probat.*

2 *l.1.§.vlt.D.de aqua & aqu.plum.arcend.l.3.§.ductus aquæ, D. de aqua quotid.& æstiu.*

3 Nam & præsumitur regulatiter bona fides in possidente, *l.penult.C.de euict.* Alciat. *de præsumpt.præsumpt.5.*

4 In dubio enim iure suo quis fecisse credendus est potius, quam alieno, *d.l.merito* 51. *D.pro socio.*

5 Nihil enim iuris in aliena re habere quisquam potest, nisi cuius personæ vel prædio res illa seruiat. Ius enim omne reale aut est dominij, aut pignoris, aut seruitutis. Nisi proponas itum fuisse, quasi per viam publicam, *l.vlt.D.quem.seruit.amit.* Iunge *l.vlt.D.de itin.act priuat.* Item intellige: Nisi aliqua sit probatio aut præsumptio libertatis in contrarium, puta si is, contra quem allegatur præscriptio, habuerit perpetuo, aut variis intermediis temporibus in domo ianuas vel fossas in agro ad introitum & exitum pro arbitrio prohibendum, quo casu possessio præsumitur fuisse ab initio vitiosa, id est, vel violenta, vel clandestina, vel precaria. Sufficit autem vt ab initio talis fuisse probetur vel præsumatur ad hoc, vt vitium possessionis perpetuo durare intelligatur, atque ita præscriptio etiam immemorialis impediatur, *l.1.§.idem Labeo, l.3.§.illud sciendum, l vim facit* 19. §. 1. *D.quod vi aut clam*, iunct. *l.nam etsi ramos* 9. §. *vltim. & l.vltim. §.si ianuam, eod.*

6 Id est, se vsum via vel itinere, vel alia seruitute, non vi, non clam, non precario, sed iure seruitutis, *l.si quis diuturno* 10. *D.si seruit.vindic.dict.l.vltim. D.quem seruit.amitt. dict.l.vlt.de itin. act.priuat.*

7 Nam in iis quæ difficilioris sunt probationis leuiores probationes admittuntur, *l.non omnes* 5. §. *à barbaris, D.de re milit.*

8 In quibus ideo solet plerumque sufficere iusiurandum, *l.thesaurus* 15. *D. ad exhib. l.cum plures* 15. *ad fin. de rebus auctor.iudic. possid.* Facit *l. dolum* 6. *Cod. de dolo, Auth. at qui semel, Cod. de probat.*

DEFINITIO X.

De prohibitione facta ad interrumpendam præscriptionem seruitutis.

DIci solet intertumpi præscriptionem seruitutis naturaliter per contradictionem & prohibitionem eius, aduersus quem præscribebatur,[1] sed id tamen intelligi debet, si prohibitio effectum habuerit.[2] Alioqui si prohibitus & in seruitute perseueraverit, tanto fortius erit ius præscribentis.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l.1.iunct.auth.malæ fidei, C.de præscript.long.tempt.l.2.& 3. C. de annal.except.*

2 *Arg.l.vlt.D.de itin.actúque priuat.* in illis verbis, *sed si prohiberetur non facturus.*

3 Aliud est, quod dicimus in iuribus negatiuis præscribendis non incipere præscriptionem currere, nisi ex die prohibitionis & contradictionis. Tunc enim is qui prohibet præscribit: Et quamdiu non prohibuit, potest aduersarius dicere, se non fecisse id, de cuius faciendi vel non faciendi iure disputatur potius, quod facere noluerit, quam quod non potuerit: sane prohibitionem omni casu effectum habuisse necesse est, *l.15.l.31.D.vrb.præd.*

DEFINITIO XI.

De seruitute pascendi pecoris toti vniuersitatis alicuius territorio acquisita, an & quomodo in alios transferri possit.

PAscendi pecoris seruitus,[1] cum prædij sit non personæ,[2] alteri acquiri non potest, quam qui prædium habeat.[3] Sed finge vniuersitati ius illud quæsitum esse, vt quisquis est ex vniuersitate ius illud habeat de pascendi sui pecoris in alieno[4] fundo, an singulis permittetur, vt ius suum transferant in alium, qui non sit ex eadem vniuersitate? Minime. Quoniam sicut ab initio acquiri non potest seruitus sine prædio,[5] ita nec quæsita transferri sine prædio cui debetur.[6] At neque ad eam transferendam sufficiet alienari fundum aliquem, qui in eius municipij territorio situs sit, ne alioqui facile sit eiusmodi fraudis commento, non solum fundi seruientis, sed etiam cæterorum qui ex vniuersitate sunt ius imminuere,[7] cum quo pauciores ius illud seruitutis habituri sunt, eo preciosius ipsis & commodius id futurum sit. Igitur dicendum est, sicut toti vniuersitatis territorio quæsita videtur seruitus, non huic aut illi prædio,[8] ita non nisi cum vniuersitate bonorum seruitutem hanc in alium transferri posse:[9] si secus factum sit, personalis tantum quædam concessio facta, non etiam seruitus translata videbitur.[10] Ideoque non confessoria aut negatoria de seruitute actio stipulanti competet, sed in personam duntaxat illius qui concesserit, si eiusmodi iuris controuersiam patiatur.[11] *Ita Senatus* pro D. de Mandolle, contra fratres Parchet, 5. Id. Ianuar. 1595.

1 De qua *in l.3.in princ.D.de seruit.rustic.præd.l.testatrix* 20.§.1. *D.si seruit.vindic.*

2 Si prædij fructus maxime consistat in pecore, *l.pecoris* 4. *D. de seruit.rustic.præd.* Adde *l.si mihi* 20.§.*vlt.eod.*

3 Seruitutes enim siue vrbanorum, siue rusticorum prædiorum, licet sint incorporales, tamen corporibus accedent, vt Paulus loquitur *in l.seruitutes* 14. *D.hoc tit.* Facit *l.si ædes* 32. §.1. *D. vrban.præd. l.Mela* 14. §.*vltim. de alim.legat. l.1.in fin. D.commun.præd.*

4 Nam & fundo municipium seruitus acquiri potest, *l.non dubito* 12. *D.hoc tit.*

5 *d.l.1.in fin.commun.præd.*

6 *l. via constituí* 23. §.*si fundus, &* §.*quæcunque, D.rustic. præd.l.cum fundus* 12. *D.commun.præd.* Imo nec sine fundo retineri potest seruitus, quæ semel prædio quæsita fuit, *l.pro parte* 11. *D.hoc tit. l.si sub vna* 39. *de verbor.obligat.* tametsi etiam inutilem seruitutem sibi quem excipere & retinere in fundo alienando nihil vetet, *l.si fundo* 19. *D.hoc tit. l.venditor* 13. *D.commun.præd.*

7 Quorum neutrum permitten dum est, *l.certo generi* 13. §.1. *l. Quintus* 15. *D.rustic.præd.l.3.§.is qui aquæ, D.de aqua quotid.& æst. l.cuius ædificium* 24. *D.vrb.præd.*

8 *d.l.non dubito* 12. *D.hoc tit.*

9 *dict.l.testatrix*, §.1. ibi, *sed nonnulli ex his qui hoc ius habebant prædia sua illa propria verum dederunt, D. si seruit. vindicet.* Obstat tamen, quod ibidem subiungit Scævola, Si tantum pars illorum propriorum fundorum legato ad aliquem transmissa

sit, hoc

sit, hoc quoque ius cessurum legatario, nisi dicas, quod & verum est non municipium, sed plurium ex municipibus prædiis acquisitum fuisse apud Scævolam ius pascendi pecoris, & aliud iuris esse si tota vniuersitas suis omnibus prædiis id ius stipulata esse proponatur.

10 *Vt in specie, d.l. Mela 14. in fin. D. de alim. legat.*

11 *Vt in specie, l. cum essent 33. §. 1. D. rustic. præd. l. venditor, in princ. D. commun. præd. l. vlt. §. 1. D. de contrah. empt.*

TIT. XXV.

FAMIL. ERCISCVND.

DEFINITIO I.

Per diuisionem hereditatis non præiudicatur fideicommisso conditionali, quod nec expressim repudiari posset.

PER diuisionem hereditatis inter fratres aliosve coheredes factam, vix vnquam credendum est, renunciatum fideicommisso, cuius dies postea cesserit: [1] nec si ex diuisionis instrumento aliterve appareat visa lectaque verba testamenti, quo fideicommissum relictum proponitur. [2] An quid generaliter iuri competituro difficilius renunciari possit, quam competenti, [3] vt vulgo creditur? Minime. Sufficit enim subesse causam de præterito, quomodo nostri loquuntur, vt iuris competituri hac parte eadem ratio sit, quæ iam competentis. [4] An quod remittendi per diuisionem fideicommissi causa nulla sit, portionibus iam aliunde æqualibus constitutis? [5] Atqui causa illa vel vna sufficit inter fratres, siue simplex siue reciprocum fideicommissum fuerit, vt fratrum concordia remoto captandæ alterius mortis voto improbabili retineatur. [6] Ratio igitur verior hæc est, quod conditionale fideicommissum ante conditionalis euentum non quacunque voluntate remitti potest, quando nec expressa repudiatione posset, [7] sed pacto duntaxat, & consequenter expresso, [8] vt aliquid sit, propter quod vtiliter remissum videri debeat potius, quam inutiliter repudiatum. [9] Quare nec ad rem pertinebit, quod vulgares illæ clausulæ diuisionis instrumento inseri solitæ adscriptæ sint, de non veniendo contra diuisiones huiusmodi perpetuas & irreuocabiles: Iure & titulo perpetuo & irreuocabili: Pleno iure: præstito iuramento: rata & firma perpetuo manere: nunquam contra facere vel dicere, & cæteræ si quæ sunt similes, [10] quia nec sufficit coheredes remittere fideicommissum voluisse, nisi eo modo voluerint, quo potuerunt. [11] *Ita Senatus* pro Dn. de Chastillon, contra Dominas de Bouuant, & d'Aiguebelete, Prid. Non. Iun. 1588. & in alia de qua SC. 5. supr. de pact.

1 DD. *ad l. qui Romæ 122. §. duo fratres, D. de verb. oblig.* De cuius tamen loci electione & sententia scribam in Chiliade, *de error. pragmat.*

2 Alioqui ea ratio transactionem impedit, quod de his controuersiis quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti, *l. de his 6. D. de transact. l. 1. §. 1. l. non est ferendus 12. eod. l. 1. §. 1. D. testam. quemadm. aper.*

3 *Argum. l. qui superstitis 94. D. de acquir. hereditat. l. si quando 35. §. illud & §. generaliter, C. de inoffic. testam.*

4 Bart. *in d. § duo fratres, num. 1.* Ias. *ibid.* qui dicit esse communem, Alex. *cons. 11. vol. 1.* Crauet. *cons. 24. num. 8.*

5 Solet enim fauorabilior esse dispositio, per quam liberi ad æqualitatem reducuntur, *arg. l. inter filios 11. D. hoc tit.* iunct. *l. maioribus 3. C. commun. vtriusque iudic.*

6 *l. de fideicommisso 11. C. de transact. l. 1. C. de pact.*

7 *l. si ita sit scriptum 45. §. si sub conditione, de legat. 2. l. toties 81. D. de acquir. hered.*

8 Non enim fieri potest per pactum tacitum, quod nuda voluntate fieri nequit. Neque nouum est, minorem esse vim taciti quam expressi, *vulg. iurib.*

9 Aliud enim est remitti spem fideicommissi, aliud repudiari. Condicionis incertum remitti potest, vt loquitur *l. 1. C. de pact.* Ius quod nondum competit repudiari non potest *l. qui potest 174. §. 1. de reg. iur.* Facit *l. pen. futuræ actionis 3. C. de donat.*

10 Licet vulgo plerique Doctorum contra sentiant, *ad d. § duo fratres.* Bald. *cons. 89.* Corneus *cons. 102.* Alex. *cons. 188. lib. 1. & cons. 8. lib. 5.* Socin. *cons. 43. lib. 4.* Dec. *cons. 11. circa fin.* Crauet. *cons. 24. num. 8.*

11 Inanis enim est voluntas, cui iuris potentia non assistit, vt dicebat Baldus *ad l. 4 D. de acquir. hered.* Ideoque accidit sæpenumero, vt quis, dum non vult, quod potest, nec possit quod velit, *l. quoties 9. in princ. D. de hered. instit. l. multum 6. in fin. Cod. si quis alteri vel sibi.* Mihi tamen semper probabilius visum est ex sola diuisione facta, inter coheredes prohiberi eum, qui ex ipsis fideicommissarius reperitur, ne vnquam fideicommissum petere posset, si non id specialiter exceperit, non quasi diuidendo, censendus sit repudiasse fideicommissum, quod nec expressim repudiare potuit, tametsi noluisset, vt ait Definitio. Sed quia si alius fideicommissum peteret, atque ita coheredum portiones euinceret, non eam quæ esset sua ipse de euictione teneretur, quam vtique inter coheredes præstari certum est exemplo emptionis, cuius vicem diuisio obtinet, *l. 1. C. commun. vtriusque iudic. l. si filia 20. §. si pater, D. hoc tit.* sicut & si vnam rem ex iis, quæ alicui ex coheredibus obtigissent, creditor quidam euicisset, *l. rem pignori 28. l. patersfamilias 33. l. ex parte 39. §. vltim. D. eod. l. cum pater 77. §. euictis vbi not. de leg. 2.* Multo minus igitur audiendus est is ipse, qui diuisit, si eorundem bonorum licet ex alia causa mouere velit quæstionem. Nam nec posset illo etiam casu quo alioqui de euictione non teneretur, *l. etsi is 10. D. de distract. pign.* Facit *l. vindicantem 17. de euict. cum com. ord.* Scribam latius in Chiliade *de error. pragmat.* Sane pro hac nostra sententia textus est non obscurus *in dict. §. duo fratres*, ad quem nihil aliud respondere nostri possunt, quam quod aiunt iudicem in illa specie ex aliis argumentis, quam ex diuisione motum fuisse, vt fideicommisso renunciatum pronunciaret, nullo tamen allato argumento.

DEFINITIO II.

De modo diuidendæ hereditatis, per sortem aut per electionem.

SI in diuidenda inter fratres hereditate quæratur, quis portiones constituere debeat, nec sorti, vt plerumque ac sæpius fit, rem committi velint: [1] cæteris quidem paribus præferri debet is, qui maior natu est, [2] sed si minor annis maiorem rerum hæreditariarum, earumque pretij notitiam habeat, præferendus est. [3] Nam & ob eam causam senior præferri solet, quod verisimile sit magis eum scire, quomodo fieri commodius diuisio possit. [4] Illud tamen perpetuo obseruatur, vt constitutis ab altero portionibus alterius sit electio, ne qua in re alterutrius captio vlla sit. [5] *Ita Senatus* in secreto auditorio in causa D. Martelli Episcopi Nicensis, & N. Lamberti Chamber, 4. Id. Febr. 1589.

1 Potest enim hoc sorti committi, *l. 12. C. quand. & quibus quarta pars, lib. 10. tit. 34.* vt & alia pleraque, de quibus vide *l. 5. D. famil. erciscund. l. 3. in princ. C. commun. de legat. l. sed cum ambo 14. D. de iudic. l. generaliter 24. §. quid ergo 17. D. de fideic. libert. Nouell. 162. cui tit. est, Sacr. form. transf. cap. 3. ad fin. & §. optionis 23. Instit. de leg.*

2 *Arg. cap. 1. Extr. de paroch. & parochianis.*

3 Panorm. & cæteri Canonist. *in d. cap. 1.*

4 Vide omnino Mynsing. pluribus hæc tractantem *lib. 3. obseru. cap. 37.*

5 Alioqui iudex in sua causa constitueretur, qui eligeret ex partibus quas ipse fecisset contra, *l. Iulianus 17. de iud. l. vnic. C. ne quis in sua causa.*

DEFINITIO III.

Diuisio bonorum communium in vna prouincia differri non debet ob id, quod in alia prouincia quædam sint communia si non steterit per actorem, quo minus illa etiam diuiderentur.

BIU Cujas

SI defuncti bona in diuersis prouincijs sita proponantur, & heres qui in vna habitat contra coheredem agat in alia, vt bonorum quæ in ea coheredis prouincia sunt diuisio fiat, [1] non potest is, qui conuenitur diuisioni moram facere ob id solum, quod nondum diuisa sint cætera, quæ in actoris prouincia sunt, [2] aut quod nondum constet, quænam illa sint: [3] semper enim diuisio facienda est rerum, quas & hereditarias & communes esse apparet, tum inquirendum, an alibi res sint, quas diuidi etiam oporteat. [4] Nisi per actorem ipsum steterit, quo minus rerum communium, quas in sua tenet prouincia, diuisio iam facta sit, neque enim audiendus esset, qui à coherede id exigeret, quod prior ipse ex parte sua præstare sine causa recusasset. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Arbitrium enim familiæ erciscundæ, vel vnus petere potest, & vnus cæteros apud iudicem prouocare, *l. arbitrium* 43. *D. hoc tit.*

2 Siquidem familiæ erciscundæ iudicium amplius, quam semel agi potest, dummodo eausa cognita. Et quamuis causa sæpius agendi non esset, tamen si quædam res indiuisæ relictæ essent de iis communi diuidundo agi posset, *l. si filia* 20. §. *familiæ, l. inter coheredes* 44. *eod. tit.*

3 Nam si quid contendis ex hereditate mihi tecum commune esse, quod ego ex alia causa meum proprium esse dico, id in familiæ erciscundæ iudicium interea non venit, *l. si quid contendis* 45. *eod.*

4 Ne liquidæ petitioni & cognitioni per non liquidam mora fiat.

5 *Argum. vulg.* §. *offerri, l. Iulianus* 13. *D. de action. empt.* Intellige nisi nunc consentiret, vt de iis rebus omnibus apud eundem iudicem nunc ageretur, *l.* 1. *&* 2. *D. de quibus rebus ad eund. iud. eat.*

DEFINITIO IV.

In familiæ erciscundæ iudicio seruanda est ea hereditatis diuisio, quam pater tabulis dotalibus fecit.

EX facto proponebatur, Claudium Chamoux, cum tres haberet filias, primogenitæ nubenti ducenta dedisse dotis nomine, vltra tertiam hereditatis partem, in qua heredem ipsam instituerat, [1] ex postfacto autem cum donationis pœniteret, declarasse voluntatem suam esse, vt ex æquis portionibus filiæ succederent, nec primogenita præcipui quicquam haberet. Placebat, si aliud nihil fuisset, non eo minus filiam primogenitam habere dotem præcipuam debere: proprerea quod nec reuocari donatio potuisset, quæ facta fuerat in contractu matrimonij, [2] nec ea salua seruari, aut induci æqualitas inter filias. [3] Idemque dicendum fore, si cæteris filiabus pater permisisset, vt se mortuo parem pecuniæ quantitatem ex hereditate præciperent, antequam familiæ erciscundæ iudicium susciperе cogerentur. Quoniam ea permissio nullius momenti esset, [4] vtpote collata in id tempus, quo dotalis constitutio præuenisse causam prælegati videretur. [5] Nec aliud admittendum, si cogitatione futuræ successionis officium arbitri diuidendæ hereditatis pater præueniendo voluntatem suam quocunque indicio vltimæ voluntatis declarasset. [6] Non enim simplex illa & inter viuos donatio dicenda esset, sed potius supremi iudicij diuisio. [7] Sed cum illam postremam eandemque priorem voluntatem pater irreuocabilem esse voluisset, adeoque iurisiurandi vinculo obstrinxisset, [8] visum est valere eam debere iure simplicis donationis, [9] ideoque officium arbitri in diuidenda hereditate tale esse debere, vt filiam primogenitam cogat, vel dotem suam conferre, vel quod effectu idem est pati, vt parem quantitatem sorores eius præcipuam habeant. Sed hoc ita, si facta sororibus donatio extra contractum matrimonij insinuata sit, quandoquidem aliter non valet, ne quidem inter liberos. [10] *Ita Senatus* in causa, de qua SC. 27. & 28. supr. De inoff. testam. 78.

1 Quibus verbis non solum institutа esse filia, sed ipsa etiam institutio dotalibus tabulis confirmata videbatur. Nam dictio *vltra* est implicatiua, vt & illæ, *præter hoc amplius*, habetque vim, vt loquuntur, repetitiuam cum omnibus suis qualitatibus, *l. qui ita* 3. vbi Bart. *de dot. releg. l. Seio* 10. *vxori de ann. legat. l. si pure* 54. vbi etiam Bart. *de legat.* 3. præsertim, vt vtrumque determinabile in eadem clausula positum, & ad idem datæ dotis verbum relatum, æqualiter & conformiter per eiusmodi verbum determinetur, *vulg. l. iam hoc iure* 4. *D. de vulg. & pupill. substit.*

2 *l. perfecta* 4. *C. de donat. quæ sub mod. l.* 2. 3. 5. *& tot. tit.* C. *de reuoc. donat.* Huiusmodi enim conuentiones, per quas datur hereditas fauore matrimonij, valent ex consuetudine, etiamsi non sint iuratæ, multo magis si iuratæ proponantur. Masuer. *in praxi, tit. de societ. versic. item licet institutio testamentaria.* Didac. Couarr. *in repet. cap. quamuis pactum, de pact. in 6. in init.* 3. *part. num.* 7.

3 Etsi multo fauorabilior est conuentio, qua promittit pater sibi ex æquo futurum heredem filium, de qua extat *Nouell. constit.* 19. Leonis, cui titulus est, De pacto paterno, Ex æquo heredem futurum filium.

4 Filia scilicet abstinente à iure successionis testamentariæ, vt & in *l. pater pen. D. de collat. dot.* & succedente ex vi & potestate conuentionis matrimonialis.

5 Vt Papinianus loquitur, licet in specie dissimili, *in l. si is qui mihi* 28. *D. de iur. fisc.*

6 *Vt in l. quoties* 10 *l. si cogitatione* 21. *l. vlt. C. hoc tit.*

7 Vt Vlp. ex Papiniano scribit, *in l. si filia* 20. §. *si pater. ff. eod.* Facit *l. si pater fam.* 33. *l. ex parte* 39. §. *vlt. eod.*

8 *Vt in l. cum pater* 77. §. *filius matrem. de legat.* 2.

9 *Ex l. vbi ita donatur* 27. *D. de mort. caus. donat.*

10 Imo nec ad æqualitatem inducendam inter liberos, quia lex nostra prouincialis non distinguit, nec alias donationes excipit, quam quæ fiunt in contractu & fauore matrimonij.

DEFINITIO V.

De diuisione paternæ hereditatis facta inter fratres præsentes, vno ex fratribus eodemq; coherede absente.

TRes fratres absente quarto, eodemque patris in virilem partem coherede, [1] paterna bona in tres portiones diuiserant, nulla absentis mentione facta, ac si iam tum decessisset. [2] Primus deinde portionem secundi emerat, ductaque vxore à qua dotem in pecunia numerata acceperat, moriens testamento bona sua omnia immobilia vxori pro dote, & compensandi animo legauerat. [3] Tertium fratrem ex reliqua hereditate instituerat: Tertius adita fratris hereditate, passusque viduam immobilium possessionem legati iure retinere, postea mutata voluntate, vt ei controuersiam faceret, petierat à iudice dari se curatorem bonis quarti absentis. [4] Quo impetrato, bonorum omnium immobilium partem dimidiam, tam ex sua quam ex fratris absentis persona vindicabat, quasi in quatuor partes pro numero liberorum diuidenda esset hereditas, quam is ipse priore diuisionis instrumento in trientes diuidi consenserat. Placuit, licet fratrum pactionibus absentis coheredis conditio deterior fieri non potuerit, ita vt ei quandocunque reuerso portionis hereditariæ persecutio nullo modo sit deneganda, [6] non esse tamen permittendum illi, qui ipse diuiserit & condiuisoribus, mutua communique interposita stipulatione, de euictione se obligauerit, vt ex absentis persona plus iuris sibi vindicet aduersus fratrem coheredem, [7] aut eam quæ à fratre ius habeat, [8] quâ ex propria vindicare posset. [9] Iuris enim regula est, contra factum suum venire neminem posse, ne quidem ex alterius persona, quoties ad suum, non ad alterius commodum id facere velit. [10] Hic autem licet absentis potius, quàm suum negotium gerere videbatur, qui tâquam curator agebat ex parte, [11] reuera

BIU Cujas

reuera tamen sibi quoque commodum parabat, [12] non solum, quod fratre non redeunte solus ipse illi succesſurus erat ab inteſtato, [13] ob idque & curator ei datus fuerat, quasi proximior ad ſuccedendum, [14] ſed etiam quod quartus is frater, qui iam inde à longo tempore aberat, pro mortuo iam tum habebatur, communi prouincialium omnium exiſtimatione, [15] adeoque tertij huius fratris opinione, qui patris bona ſic vt diximus cum fratribus diuiſerat, vt non maiorem abſentis, quam mortui rationem habuiſſet. [16] Accedebat, quod hic idem primi fratris, cum quo paternam hereditatem diuiſerat, quique bona ſua omnia immobilia vxori legauerat, hereditatem ſibi teſtamento delatam agnouerat, [17] vt proinde multo minus voluntatem eius impugnare poſſet, [18] quippe qui alienam quoque rem, ſi legata eſſet, redimere cogeretur, [19] aut ſaltem iuſtam ipſius æſtimationem præſtare, ſi forte reuerſus frater, cuius bona curabat, nollet iuſto precio vendere: [20] neque enim dubitari poterat, quin hoc caſu legatum valeret, etiam pro abſentis fratris portione, tametſi teſtator tota illa bona immobilia ſua eſſe putaſſet, [21] cum non ſolum vxori, quę coniunctiſſima perſona eſt, [22] ſed etiam pro dote & compenſandi animo relictum proponeretur. [23] Præſertim cum diceret illa non pluris eſſe quod legato, quam quod iudicio de dote continebatur. [24] *Ita Senatus* ex tempore 17. Cal. Iul. 1593.

1 Ab inteſtato, *l.* 1. *D. de ſuis & legit.* Eſt enim filius patri ſuus heres & neceſſarius etiam abſens & ignorans, tametſi habeat beneficium abſtentionis, ſi velit, *l. in ſuis* 11. *D. de lib. & poſth. l. ſi filius* 12 *de vulg. & pupill. ſubſtit. l.* 1. *§. qui ſunt in poteſtate, D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* imo & quamuis ſe abſtineat, *l. cum quaſi* 30. *§. ſed etſi ſuum, D. de fideic. libert.*

2 Et male. Debuerat enim diuidi hereditas inter omnes liberos ex æquis partibus, ac proinde in quatuor portiones, *l. inter filios* 11. *C. hoc tit.*

3 *Vt in l. compenſandi* 6. *C. de hered. inſtit. l. cum pater* 77. *§. Titio fratri, de legat.* 2.

4 Solet enim ea cura dari agnato proximiori, qui ſi abſens eſſet mortuus, ei ſuccedere ab inteſtato poſſet, aut alicui ex creditoribus quorum intereſt, *l.* 2. *de cur. bon. dand. l.* 7. *§. plane* 1. *ex quib. cauſ. in poſſ. eat.*

5 *l. coheredibus* 17. *hoc tit.*

6 Ne alioqui eueniat, vt alteri per alterum contra iuris regulas iniqua conditio inferatur, *l. non debet* 74. *de reg. iur.*

7 Vt fieri aſſolet, quia diuiſio emptionis vicem obtinet, *l.* 1. *Cod. commun. vtriuſque iudic.* Dixi ſupra *Definit.* 1. *numero* 11. *hoc tit.*

8 Eadem enim vt plurimum eſſe cauſa emptoris quæ venditoris, *l. emptori* 28. *Cod. de euict. l. inuitus* 156. *§. plerumque, de reg. iur.*

9 *Arg. auth. excipitur C. de bon. quæ liber.*

10 *l. ſi non ſortem* 26. *§. filius*, & ibi Paul. Caſtrenſ. *ff. de condict. indeb.*

11 *l. neque tutores* 11 *ff. de procurat.*

12 Sub nomine & imagine fratris abſentis, vt loquitur *l. & qui ſub imagine* 1. *C. de diſtract. pignor.*

13 *Auth. defuncto, C. ad SC. Tertyll.*

14 *Ex notat. in l.* 2. *ff. de curat. bon dand.* Semper enim abſentis bonis curator datur quiſquis proximior eſt ad ſuccedendum adeoque, licet ſit fœmina & pupilla, aut quæ aliter indigeat ipſa tutore vel curatore. Hæc enim curatio nihil niſi quædam futuræ ſucceſſionis occupatio eſſe creditur. Iunge *Defin. vlt. §. qui dare poſſ.*

15 Quæ ſufficiens eſt ad probandam mortem qualiter qualiter, cum mors eſt difficilis probationis, nec eſt fundamentum intentionis actoris, *l.* 2. *§. ſi dubitetur*, vbi Bart. & cæteri, *ff. teſt. quem. aper.*

16 *Vt in l. vlt. ff. de hered. inſtit. l. cum mater* 28. *ff. de inoffic. teſt. l. cum pater* 77. *§ cum exiſtimaret, de legat.* 2.

17 *Vt in l. quæ dotis* 32. *ff. ſolut. matrim.*

18 *d. l. cum pater* 77. *§. Titio fratri, de legat.* 2. iunct. *l. ex qua perſona* 149. *de reg. iur. cum ſimilib.*

19 *l. cum alienam* 10. *C. de legat. l. vnum ex familia* 67. *§. rem de legat.* 2.

20 *l. non dubium* 14. *§. vlt. de leg.* 3. *l. qui quatuor* 33. *vlt. eod. l. alieno* 31. *§. vlt. de fideicomm. libert.*

21 Licet regulariter non valeat legatum rei alienæ, quam teſtator ſuam eſſe putauit, niſi cum reperitur illa heredis, *dict. §. ſi rem.*

22 *d. l. cum alienam* 10. *C. de legat.*

23 Ac proinde ex cauſa onerosa, *d. l. ſi compenſandi* 6. *C. de hered. inſtit.*

24 *Vt in l. ſi cum dotem* 22. *ſi pater ff. ſolut. matrim.*

DEFINITIO VI.

Caſus in quo æris alieni onus præſtandum & ſoluendum eſt ex hereditate communi habita prælegatorum ratione, non autem pro portionibus hereditariis.

PAter liberis omnibus heredibus ſcriptis, bona ſua omnia inter ipſos arbitri officio functus diuiſerat [1] & præceperat, vt ne quid ex bonis prælegatis prius caperent, quam creditoribus omnibus ſatisfeciſſent. [2] Dicebam, non eſſe hic locum iuris regulæ, quæ habet, hereditaria onera non pro æſtimatione rerum prælegatarum, & emolumenti modo, ſed pro hereditariis portionibus ad heredes ſcriptos pertinere: [3] Patris enim voluntatem haud dubie illam fuiſſe, vt creditorum potior eſſet cauſa quam heredum, nec quicquam prælegato contineretur, niſi quod dimiſſis creditoribus ſupereſſet. [4] Æris igitur alieni onus de communi hereditate ſoluendum eſſe, hoc eſt, ex hereditatis fructibus in commune redactis ſi ſufficiant, nec creditores vrgeant, [5] ſi vero non ſufficiant, & creditores vrgeant, [6] boni viri arbitrio rem committendam, vt æſtimet quantum de cuiuſque portione decedere oporteat, ne tantum præſtet qui minus conſequitur, quantum qui vberius prælegatum, ſed eadem proportio ſeruetur, quæ eſſet ſi fructus in commune redigeretur, quo caſu plus vtique præſtare intelligeretur is, qui ampliorem portionem ex teſtamento haberet. [7] Cum tamen ex facto proponeretur, poſt patris mortem filiam, cui ampliſſimum prælegatum mater dederat, matrimonio collocatam fuiſſe, & ab ea dotis nomine datum marito prælegatum in cuius poſſeſſione maritus per multos annos manſerat conſentiente matre filiæ, quæ aliorum coheredum impuberum tutelam adminiſtrabat, & vrgentibus paternis creditoribus cæteræ filiæ puberes factæ peterent à ſorore eiuſque marito, vt in medium & commune conferret, non modo prælegatum, ſed etiam quos ex prælegato fructus perceperat, vt teſtatoris voluntati pareretur, & creditores de communi dimitterentur, [8] Placebat, quamuis, quod à matre tutrice contra patris voluntatem geſtum fuerat, ſorores ratum habere non cogerentur, [8] non prius tamen auferendam marito dotem, quam conſtaret [10] aliunde ſatisfieri iudicio patris & creditoribus non poſſe: [11] Vtputa ex fructibus quos mater eademque tutrix medio tempore, hoc eſt, à teſtatoris morte vſque ad nuptias filiæ ex tota communique hereditate perceperat, quos ampliſſimos fuiſſe conſtabat. [12] Quid enim ſi reliqua ex tutelæ rationibus conflata ad eam vſque quantitatem aſcenderent, quæ debebatur, cur non cogatur prius mater rationes reddere, ac, quod eſt conſequens, reliqua ſi qua ſint ſoluere? [13] Eo facto ſi quid adhuc deerit ad integrum æris alieni exſolutionem, tum demum de communi ſumendum erit, vt præſtetur. [14] Interea igitur coniuges in prælegati poſſeſſione retinendos eſſe viſum eſt, [15] præſtita tamen prius ſatisdatione, [15] non de hereditaria æris alieni portione ſoluenda, vt volebant, ſed de omnibus prælegati fructibus tam perceptis quam percipiendis in commune redigendis, ſi poſt redditas à matre rationes ad æris alieni ſolutionem id neceſſarium videretur. [17] Proprium tamen habituros, quod exſoluto æri

BIU Cujas

alieno superforet.[18] *Ita Senatus* in causa N. Antonij de Leschereine Dn. de la Composte Iuridici, maioris Gaiorum, & Dominæ de Liuron, Non. Iun. 1593.

1 *Vt in l. si filia 20. §. si pater, ex l. parte 39. §. ultim. D. famil. erciscund.*

2 Quæ noua voluntatis ratio est, solent enim parentes onera æris alieni pro modo possessionum distribuere, vt *in d. §. pater*, aut saltem pro portionibus hereditariis, secundum legem 12. *tabul. l. 1. C. si cert. petat.*

3 *l. ex facto 35. D. de hered. instit. l. qui non militabat 78. eod.*

4 Ac si deducto ære alieno hæreditatem pater inter suos liberos distribuisset, *arg. l. 2. D. ad SC. Trebell.* de cuius sententia & emendatione vide quæ scripsi *lib. 4. coniect. cap. 14.* Facit *l. 3. §. idem Pomponius, eod. tit.*

5 *Arg. l. mulier 22. §. cum proponeretur, versic. quod si tantos fructus, eod. tit. ad SC. Trebell.*

6 Qui scilicet nolint expectare, quousque ex fructibus tantum redactum sit, quantum necesse est ad omne æs alienum exsoluendum.

7 Id enim postulat voluntas testatoris, quæ in his quæstionibus totum facit, vt Vlp. loquitur *in d. l. ex facto, vers. rerum autem.* Facit *d. l. si filia 20. §. penult. in fin. hoc tit.*

8 Quasi plus illa percepisset contra iudicium patris, quæ fructus prælegati ante exsolutum æs alienum perceperat, *arg. l. Lucius 38. vers. Paulus respondit à contr. sens. D. hoc tit.*

9 *Arg. l. siue generalis 61. D. de iur. dot.* iunct. *l. cum plures 12. §. 1. D. de admin. & peric. tutor.*

10 *L. Titiæ 62.* in illis verbis, *nihil proponi cur marito dos auferenda sit, D. de iur. dot.*

11 Marito enim quantum fieri potest subueniendum est, cum dotem habeat ex causa onerosa, nec aliter fuerit ille vxorem ducturus, *l. si donaturus 9 §. 1. D. de cond. caus. dat. l. vlt. §. 1. D. quæ in fraud. cred. l. 5. §. pen. de doli mali except. l. ex promissione 19. D. de oblig. & act.*

12 Vt ex bonorum fructibus, si fieri posset, potius quam ex ipsis bonis satisfieret creditoribus, *argum. dict. § cum proponeretur.*

13 Id enim vere est rationes reddere, eas edere, & iis editis reliqua soluere, *l. non solum 8. §. is qui reddere, D. de liber. legat. l. cum seruus 81. de cond. & demonstr. l. si ita 13. §. hæc quæstio. D. de manum. testam.*

14 Secundum eam distinctionem, quam supradiximus *nu. 5. & 7.*

15 *Arg. l. Pomponius Philadelphus 35. D. hoc tit.* de cuius sententia scripsi *lib. 7. coniect. cap. 12.*

16 Nam cum agitur familiæ erciscundæ, interponendę plerumque sunt cautiones, *l. item ex diuerso 49. l. si filia 20. §. hoc amplius, l. heredes 25. §. idem iuris est, l. in iudicio 47. D. hoc tit.*

17 Ita scilicet postulante testatoris voluntate, contra quam percepti fructus nullo iure percepti videbantur: cauere enim ante omnia debet iudex familię erciscundę, ne defuncti voluntas intercidat, *l. is consequenter 38. §. idem quærit, hoc tit.*

18 Quia in superfluo causa prælegati subsistebat, iustaque erat ad fructuum acquisitionem, *d. l. ex facto 35. & d. l. qui non militabat 78. de hered. instit.*

DEFINITIO VII.

Si quidam ex coheredibus aliqua bona in solidum possideant ex hereditariis, nec eorum diuisionem pati velint.

PLuribus fratribus bona quamplurima in diuersis prouinciis habentibus, si quorundam diuisio facta fit, cætera vero in communi remanserint,[1] & alter ex iis non patiatur alios frui sui portionibus in ea prouincia, ad quam aut nullus aut difficilior iis accessus pateat,[2] Non inique decernet iudex alterius prouinciæ, in qua sunt bona communia, vt in eorum possessionem alij mittantur custodiæ causa,[3] fructus integros interim percepturi, ea tamen lege, vt reddendis quandoque rationibus obstringantur, quoties vicissim paratus erit frater hereditarias eorum portiones cum fructibus reddere,[4] obligata etiam in eam rem bonorum proprietate, vt cautum sit coheredum indemnitati.[5] Nec est quod quis existimet id fieri iure repræsaliarum,[6] quin potius summa ratione iuris, & ex æquitate iudicij familiæ erciscundæ, vt ad bonorum omnium diuisionę faciendam tuendámque facilius fratres omnes inuitentur.[7] *Ita Senatus* in causa fratrum du Coudree & de Seruette, 5. Calend. Septemb. 1590.

1 Quorum nomine iudicium communi diuidundo accipi possit, vel etiam iudicium familiæ erciscundæ iterum & causa cognita, *l. si filia 20. §. familiæ, l. inter coheredes 44. in princ. D. hoc titul.*

2 Nam in familiæ erciscundæ iudicio illud præcipue inspiciendum est, in quem locum facilius omnes coheredes possint coire, ibique sui præsentiam facere omnes debent, & consequenter ibi etiam omnes iudicium accipere, *l. 1. D. de quibus reb. ad eum iudic. eat.*

3 Quasi latitante eo, qui nec per se nec per alium defenditur, *l. 3. in princ. l. Fulcinius 7. §. plane, si non defendatur, D. quibus ex caus. in poss. eat.*

4 Non enim solum in iudicio finium regundorum, sed in hoc etiam familiæ erciscundæ iudicio præteriti temporis fructus omnes venire constat, *l. penult. D. hoc tit.* etiam qui ante aditam hereditatem percepti sunt, *d. l. inter 44. §. fructus, eod. l. non est ambiguum 9. l. coheredibus 17. C. eod.*

5 Nulla alia iniuncta satisdatione, *arg. l. filio 7. D. vt legat. seu fideic. nom. caueat.*

6 De quibus *in cap. vnic. de iniur. in 6. & Nouell. 52. vt non fiant pignor. pro aliis person.* vbi Cuiac. & Gothofr. Galli vocant *droit de marque.*

7 Iudex enim familiæ erciscundæ, quoad eius facere potest, nihil debet indiuisum relinquere, *l. heredes 25. §. iudex 20. D. hoc titul.*

DEFINITIO VIII.

Non creditur quis procuratorem constituere ad impugnandum & rescindendum contractum, quem ipse fecerit: sed speciali in eam rem mandato opus est.

CVm inter fratres hereditas paterna maternaque diuideretur, conuenerat, vt de maternis rebus, quæ aut perperam aut vili precio à matre alienatæ reperirentur, agere singuli in solidum possent,[1] adeoq; si opus esset restitutionem in integrum implorare,[2] mandatis inuicem in eam rem actionibus.[3] Non videbuntur mandato contineri eæ alienationes, in quibus vnius ex ipsis fratribus factum interuenerit, licet æque facile, puta ex causa immodicæ læsionis, quod ad eum quoque attinet, qui cum matre vendidit, rescindi contractus possit.[4] Difficilius enim est vt quis contra factum & iusiurandum proprium venire velit, quam vt contra alienum.[5] Ideoque speciali mandato aut ratihabitione opus est.[6] *Ita Senatus* in causa D. Senatoris Dauise, contra Franciscum le Maistre, prid. Cal. Septembr. 1593.

1 Alioqui & citra hanc conuentionem non posset vnus ex heredibus in solidum agere de re hereditaria, *l. 2. C. de hered. act. 1. & 2. C. si ex pluribus hered. cred.*

2 Restitutio namque in integrum specialiter cedenda est, alioqui non venit in mandato generali, *l. illud 25. §. 1. cum l. seq. D. de minor.* Dixi 5. *in tit. Etiam per procur. caus. rest.*

3 *Vt in l. si minoris 25. in fin. D. de admin. tutor.*

4 Nam cum hoc casu causa restitutionis sit in re, prodest omnibus quorum interest eademque subest, quod ad omnes personas, quæ læsionem allegare possunt.

5 Onerat enim id quodammodo existimationem, cum quisquis petit restitutionem, vel aduersarij circumuentionem alleget vel erroris proprij veniæ petitionem, *l. præfecti 17. D. de minor.* quorum vtrumque honesto viro minus decorum videatur. Sed nec in dubio præsumendus quis est mutasse voluntatem, *l. eum qui voluntatem 22. D. de probat.* ne quidem ex temporis mutatione, *l. legem 16. C. de locat.*

6 Adeoque absolutione à vinculo iurisiurandi, ne periurium committatur. In generali enim concessione veniunt, quæ quis difficilius fuit concessurus, licet ea etiam concedere potuerit, *l. qui peculij 42. D. de pecul. l. filiusfamilias 7. §. 1. D. de donation.*

DEFINITIO IX.

Ius redimendi quomodo veniat in familiæ erciscundæ iudicium.

Quoties

BIU Cujas

QVoties hereditarium aliquod ius est redimendæ rei, quæ à defuncto vendita fuerat, siue ex conuentione competat,[1] siue ex causa immodicæ læsionis,[2] potest vnus ex coheredibus vel inuitis aliis iure proprio ius illud exercere.[3] Propterea, quod sicuti non est cogendus is à quo redimitur vt partem retrouendat, qui vtique partem non fuerat empturus:[4] Ita coheredum agere fortassis nolentium contumacia damno afficere non debet eum, qui in iure suo persequendo vult esse diligentior.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Propter interpositum pactum de retrouendendo, vt *in l. 2. l. si à te 7. C. de pact. inter empt. & vendit.*

2 Quæ si sit enormissima, facit vt ius redimendi, quod erat temporale, sit perpetuum, vt scripsi *Decad. de error. pragm.*

3 Vt fit in cæteris omnibus hereditariis actionibus indiuiduis, *l. heredes 25. §. an ea stipulatio, D. hoc tit.* Intellige tamen, si emptor velit recedi à toto contractu. Alioqui potest, si malit pro coheredum portionibus rem retinere, nec cogitur eas retrouendere ei, qui mandatum ab aliis non habeat, *l. tutor 47. §. 1. D. de minor.*

4 *d. §. 1. prox. cit. l. si quis aliam 48. D. de solut.*

5 *Argum. l. vt in fin. Cod. depos.* Præsertim cum nec vlla cæteris coheredibus fiat iniuria, qui vtique restituta precij parte, quæ singulos eorum contingit, suas singuli partes sunt recuperaturi, *dict. l. heredes 25. §. contra, l. 2. §. ex his, de verbor. oblig.* [Quid si emptor decedat pluribus relictis heredibus? Vide *Definit. 2. num. 2. infr. de hered. act.*

DEFINITIO X.

Qua ratione debeat fieri æstimatio habitationis, vsusfructus & alimentorum?

IVs patronatus, quod ratione sacelli familiaris patri competebat, in eum quidem ex liberis, qui legatum duntaxat à patre meruit, aut in parte aliqua bonorum institutus fuit,[1] nullo modo transferri potest, quia heredem necessario sequitur, quandoquidem non nisi cum vniuersitate alienari aut in alium transferri possit.[2] Sed non ideo fiet, quin sepulturæ ius, quod in eo sacello familiare ac hereditarium fuit, legatario quoque commune sit. Cuius sane interest, in maiorum sepulchro potius, quàm in alio sepeliri.[3] Inter heredes quidem id certissimi iuris est, Religiosa loca in familiæ erciscundæ iudicium non deduci, eorúmque ius singulis heredibus in solidum competere.[4] Sed de legatario, qui nec ad familiæ erciscundæ iudicium admittitur,[5] nec iuris successor est,[6] dubitari magis poterat, nisi Senatus ad filij potius, quam ad legatarij ius noménque respexisset.[7] *Ita Senatus* pro Ioachimo de la Cuaz, contra Antonium de la Cuaz fratrem, Prid. Cal. Sept. 1593.

1 Nam & hic alio herede scripto, ex asse legatarij potius quam heredis loco habetur, *l. quoties 13. C. de hered. instit.*

2 *Cap. Extr. de iur. patron.* Quædam enim sunt eiusmodi, quæ non possunt sola alienari, per vniuersitatem vero transeunt, vt fundus dotalis transit ad heredem. Item res, cuius aliquis commercium non habet, inquit *l. quædam 62. D. de acquir. rerum domin.* Facit *l. 1. §. 1. D. de fund. dotal. l. pater 38. §. fundum, & sequentib. de legat. 3.* Facit *l. in modicis 24. l. æde 73. D. de contrah. empt. in §. 1.*

3 *l. in fundo 38.* ibi, *laribus & sepulchris auitis carendum habeat, D. de rei vindic. l. 1. §. & alias*, ibi, *vel parentes sepulti, D. si quid in fraud. patr. l. libertus 36. vers. veluti, D. de bon. libert.*

4 *l. fundus 30. in fin. D. hoc tit.*

5 Quia huic iudicio locus non est, nisi inter coheredes, *l. 1. in princ. & §. 1. l. cum putarem 36. D. hoc tit.*

6 *§. legatariis, Instit. de testam. ordin.*

7 Hoc enim ius liberis omnibus concessum est, cuiuscunque sexus sint vel gradus, siue filij familias sint, siue emancipati, siue se immiscuerint, siue abstinuerint. Imo vero etiam exheredatis eorum posteris, nisi specialiter testator iusto odio commotus, eos in sepulchro suo aut hereditario sepeliri vetuerit, *l. vel quod 6. vers. c. liberis, D. de relig. & sumpt. funer.* Sic dicimus ius patronatus transire ad liberos, licet non sint heredes patris, *l. 4. D. de iur. patron.*

DEFINITIO XI.

Bona data liberis contemplatione patris iam defuncti, non veniunt in iudicium familiæ erciscundæ.

QVod post mortem patris donatur liberis contemplatione defuncti patris & obsequiorum, quæ donator à viuo patre acceperat, non potest hereditarium videri, vt vel in hereditate computetur ad augendam aliorum legitimam, vel in iudicium veniat familiæ erciscundæ.[1] Argumento est, quod etiamsi non essent liberi heredes patris, non eo minus accipiendæ liberalitatis capaces essent.[2] Item, quod in res donatas nulla creditoribus paternis actio competit,[3] quæ vtique competeret, si hereditariæ censerentur.[4] Neque enim quicquam prohibet habere filium aliquid ob personam patris & occasione ipsius, non tamen iure hereditario.[5] Hereditarium siquidem nihil est, nisi quod in hereditate fuit moriente testatore,[6] non etiam quod ex hereditate subinde profectum est, aut occasione hereditatis acquisitum.[7] Aliud ergo erit, si quid liberis donatum sit, quasi in solutum eius, quod patri ex contractu vel quasi contractu debebatur.[8]

1 Dixi *Defin. 55. 5. de inoff. testam.* vbi vide.

2 Est enim filius, licet exheredatus, capax acquisitionis post mortem patris, adeóque, quod magis est, viuo etiam patre in iis, quæ patri per filium acquiri non possunt, *Auth. excipitur, Cod. de bon. quæ liber.* Nec sane inuidendum est exheredatis, vt qui nihil habent ex bonis paternis, aliquid saltem occasione patris habeant. Textus est elegans *in l. dotem, 6. D. de collation. bonor.*

3 *l. pater familias, 28. vers. itaque in id D. de reb. auct. iud. poss. vel venund.* De cuius loci lectione & sententia vide quæ scripsi *lib. 2. Coniect. c. 2.* Facit *l. si filius, 12. ff. de vulg. & pup. subst. l. quæsitum, 40. & l. 42. ff. de æquir. hered.*

4 *l. 2. Cod. de hered. action. l. 1. & 2. Cod. si vnus ex plur. hered. credit.*

5 Licet habeat etiam occasione hereditatis, vtputa conditionis implendæ causa, *l. in quartam, 91. l. acceptis, 93. D. ad legem Falcid.*

6 *l. in quantitate, 73. D. ad leg. Falcid. l. in fideicommissaria, 18. D. ad SC. Trebellian. l. hereditarium 7.* vbi Bartol. *de rebus auctor. iudic. possid.*

7 Nisi subrogatum sit in locum rei hereditariæ, iis scilicet casibus, quibus potest locus esse subrogationi. De quo vide, quæ scripsimus *Defin. 1. 5. de rei vindic.*

8 Tanto enim locupletiorem hereditatem reliquit, qui actionem ex contractu vel quasi contractu habuit. Et quamuis nomina non veniant in iudicium familiæ erciscundæ, tamen per interpositas stipulationes diuidi commode possunt, *l. 2. §. vlt. l. 4. in princ. D. hoc tit.* quod autem in solutum datur, siue pecunia sit, siue fundus, commodam percipit diuisionem, & haud dubie hæreditarium est, *l. sed etsi 25. §. consuluit, de pet. hered.*

DEFINITIO XII.

Ex diuisione hereditatis aliter facta inter coheredes, quam testator voluerat, non immutatur ius fideicommissi.

ADeo verum est, per diuisionem hereditatis inter coheredes factam non censeri renunciatum mutuo & reciproco fideicommisso,[1] vt etiamsi ab ea bonorum diuisione recesserint, quam testator ipse testamento præscripserat,[2] non ideo tamen ius fideicommissi abiecisse videantur, sed tantum portiones hereditarias permutasse.[3] Etsi enim à iudicio testatoris recessisse videri possunt, qui diuisioni ab eo factæ stare noluerunt,[4] eáque bona, quæ singuli nunc obtinent, ex diuisione potius quam ex testamento habere:[5] Tamen negari non potest, quin habeant iure hereditario, id est, tanquam coheredes, aut saltem occasione hæreditatis,[6] ac proinde ex eo ipso testamento, quo fideicommissum continetur. Itaque non est quod quis dicat habere illos ex pacto diuisionis,

BIU Cujas

vt inferat non esse obstrictos ad restituendum ex fideicommisso. [7] Nam etsi diuisio alia facta non esset, tamen ea bona, quæ testator ad singulos coheredes pertinere voluerat, fideicommissi vinculo tenerentur. Quid ergo interest coheredis an hæc an illa in fideicommissum veniant? [8] Aut quid incommodi vel iniqui est, si ea, quæ ex diuisione noua obtigerunt, in aliorum locum subrogentur, vt vice permutati dominij restituantur? [9] Neq; enim ea ratione vnus ex coheredibus magis quam alius læditur, cum proponamus mutuum esse fideicommissum, cuius proinde saluam esse causam æque interest vtriusque coheredum. [10] Hereditas enim fideicommissaria cum sit nomen iuris, [11] facile hanc admittit subrogationem vnius rei in locum alterius. [12] Perpetuo namque verum est, esse res illas ex hereditate per fideicommissum restituendas, [13] & iure, vt dixi hereditario perinde possideri, ac si à diuisione per testatorem facta recessum non esset. Hac sola differentia, quod quas vnus ex testamento possidere deberet, alius ex diuisione noua possidet. [14] Aliud sane esset, si fideicommissum singulare proponeretur. Eius enim alienatio quælibet siue per diuisionem, siue per quam aliam contractus speciem contigisset, omne proculdubio fideicommissi ius extingueret, [16] ne tam facile induci posset, vt alia res in huius locum permutata eodem fideicommissi onere teneretur: [17] Nisi forte proponeres conuenisse, vt à testatoris voluntate in cæteris nullo modo recessum intelligeretur. [18] Ex iis namque verbis satis apertum esset non eam fuisse coheredum voluntatem, vt à fideicommissi conditionalis necdum purificati iure recederent. [19] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 41. infr. De fideic. pro D. de Bordeaux & de Bressieu, contra Dominam de la Sertà, 13. Cal. Aug. 1595.

1 Scripsi *Defin. 1. §. hoc tit.*

2 Neque enim coguntur stare diuisioni factæ à testatore, si modo ab ea recedi omnes consentiant, quia quod non nisi ipsorum heredum fauore factum est, ab ipsis negligi potest, *l. filius familias 114. §. Diui 2. de leg. 1. l. Lucius 93. in princ. de leg. 3.*

3 Quæ permutatio fit tum etiam, cum statur diuisioni factæ à testatore, *l. si filia 20. §. si pater*, vbi *quasi certa lege permutationem fecerunt, D. hoc tit.* Quid enim hac parte refert, an permutatio fiat prælegatorum, an vero portionum, quas singuli heredes in prælegatis habeant?

4 *Vt in l. quædam 61. D. hoc tit.*

5 Cravet. *consil. 24.*

6 Quo enim alio iure nouam fecerunt diuisionem bonorum hereditariorum, quam quia sunt coheredes?

7 *Arg. l. debitor 59. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

8 Cum vtroque casu eandem habeat quotam hereditatis fideicommissi onere affectam.

9 *l. Imperator 70. §. vlt. & ll. seqq. de legat. 2.*

10 Eadem cum hac dubij euentus ratio est in vtrumque casum, *arg. l. de fideicommisso 11. C. de transact. l. si pater 12. C. de inoff. testam. l. penult. C. de solut.*

11 Est enim vere hereditas, *l. 1. 2. & 3. D. de fideic. hered petit.* iunct. *l. hereditas 50. D. de petit. hered.*

12 *d. l. Imperator, §. vlt. & l. seq. de leg. 2.*

13 Id autem videtur rogatus heres restituere, quod fuit hereditatis, *l. in fideicommissaria 18. D. ad SC. Trebell.*

14 Quæ tamen res non mutat causam iuris ac voluntatis.

15 Nam & per diuisionem contingit alienatio, *l. si pupillorum 7. in princip. D. de rebus eor. qui sub tutel.* Vnde est, quod diuisio emptionis vicem obtinere dicitur *in l. 1. Cod. commun. vtriusque iudic.*

16 Quæ scilicet facta esset fideicommissario consentiente, *l. nihil proponi 120. §. omnibus, de legat. 1. l. quoties ab omnibus 11. Cod. de fideicommiss.* Quæ ratio facit, vt nec aliud iuris admittendum esse putem in fideicommisso vniuersali, cui sane renunciant coheredes hoc ipso, quod hereditatem diuidunt, si non protestentur, vt scripsi *ad Defin. 1. num. 11. sup. eod.* vbi omnino vide.

17 Nam in rebus singularibus non tam facile fit subrogatio, vt scripsi *Defin. 5. §. de rei vindic.*

18 Neque enim quisquam dubitat, quin id excipere coheredes possint si velint, nudaque protestatione ius fideicommissi saluum sibi conseruare, quod qui faciunt, licet errore interpretum pro iure iampridem vtamur, prudentius tamen faciunt, & meo iudicio tutius.

19 Nam nec testator ipse facile credendus est ab ea voluntate recessisse, per quam sub conditione fideicommissum reliquerat, tametsi recessum voluerit à testamento, quo eiusmodi fideicommissum continebatur. Textus est elegans & singularis, *in l. Paula Callinico 27. §. Pompeius, de leg. 3.*

TIT. XXVI.

COMMVN. DIVID.

DEFINITIO I.

In pari iure potior est causa prohibentis, nisi publica vtilitas contra suadeat.

IN re communi potior quidem est causa prohibentis; [1] Sed fallit id inter cætera, si agatur de ædificij refectione. [2] Publice namque interest refici ædificia, [3] ne vrbs ruinis deformetur. [4] Ergo, etsi qua alia ratione publice interfit fieri, quod vnus ex sociis fieri prohibet, [5] non erit melior causa prohibentis. [6] Potiorem namque publicæ vtilitatis, quam priuatæ causam semper esse oportet. [7] *Ita in Senatu* tractatum est in causa Syndicorum du Sest & de Colonne Ioux apud Centrones, 6. Non. Decemb. 1592.

1 *l. Sabinus 28. D. hoc tit. l. in re communi 26. D. de seruit. vrb. præd.* Rationem reddit Caius *in l. paritem 8. eod. tit.* quia is, qui in re communi aliquid facere vult inuito socio, solus dominus non est. Adde *l. an vnus 11. D. si seruit. vindic.*

2 Gloss. *in d. l. Sabinus ex l. si ædibus 32. & l. in resciendo 41. D. de damn. infect. l. cum duobus 52. alias l. si fratres, §. idem respondit socius, D. pro socio, l. si vt proponis 4. C. de ædific. priuat.*

3 *l. singularum 8. C. eod. tit. de ædific. priuat. l. præses prouinciæ 7. D. de offic. præsid. l. à quo 45 alias l. ædificatum.* iunct. *l. seq. D. de damn. infect. l. vlt. C. de iur. reipub.*

4 *l. 2. §. si quis nemine 17. D. ne quid in loc. publ.*

5 Puta sepeliri socium in loco communi. Publica enim vtilitas hoc postulat, ne cadauera iaceant insepulta, *l. sunt personæ 43. D. de relig. & sumpt. funer.*

6 *l. vel quod 6. l. si plures 41. eod. tit.*

7 *l. ita vulneratus 51. §. vlt.* vbi Gothofr. *in verb. vtilitate, D. ad legem Aquil.* Alias limitationes vide apud gloss. *in d. l. Sabinus, ex l. quidam Hiberus 13. §. paritem, & l. fistulam 19 in princ. §. 1. & 2. de seruit. vrb. præd. l. si ædes 12. D. hoc tit. d. l. tum duobus 52. §. idem Mela 13. D. pro socio.* quo tamen loco actio in personam datur contra socium prohibentem, non autem ius faciendi socio inuito & prohibente.

DEFINITIO II.

Iudicium communi diuidundo accipi non potest de ea re, de cuius dominio & proprietate disputatur.

SI de diuidenda domo agatur, cuius partem aliquam communem esse neget suamque adserat vnus ex condiuisoribus, non prius ad diuisionem accedi potest, quam aut de totius fundi proprietatibus cognitum sit, [1] aut consentiat is, qui partem vindicat, vt ea quoque portio, salua dominij aut alterius sui iuris causa veniat in diuisionem. [2] Sed eam tamen legem adiici æquum erit, vt si postea pronuncietur, non fuisse eam partem in communione, diuisio noua fiat eius sumptibus, qui priorem præmature fieri voluerit. [3] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro N. Claudio Francisco Pobel D. de Pressy, contra D. fratres de Maillans & de Beaumont, 14. Calend. April. 1593.

1 *l. fundum 16. l. fundi 18. D. de except. l. 1. §. 1. D. famil. ercisc.* Facit *l. si quid contendit 45. eod. tit.*

2 Clausula enim illa, *salua dominij causa*, conseruat integrum

grum dominij ius & tuetur, *l.si debitor* 4.§.1. *D.quibus mod.pign. vel hypoth.solui*, *l.B bius* 30.*in fin.D.de pact.dotal.*

3 *l.sed etsi* 11.§.1.*vers.interdum*, *D.ad exhib.* Facit *l.si vero* 12.*D. de rei vind.* Ne alioqui ex aduersarij culpa superuacuis sumptibus oneretur is, cui nihil imputari potest.

DEFINITIO III.

Etiam prorę indiuisibili iudicium communi diuidundo vtile est.

NOn est iusta causa, propter quam recusare quis debeat, ne ad diuisionem veniatur, quod fundus, de quo diuidendo agitur, indiuisibilis esse dicatur[1]. Nam vel ob hoc ipsum arbitros diuisorios accipi necesse est, vt sciatur an fundus diuisionem commodam recipiat nec ne. Vel enim arbitri diuident si videbunt diuidi commode posse, vel iubebunt decurri ad remedium licitationis.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sicut nec quod fundus pupillaris sit sterilis, vt eius distractio facilius permittatur, *l.si fundus* 13.*D.de reb.eor.qui sub tut. vel cur.*

2 *l.item* 22.§.1. *D.famil.erciſc.l.ad officium* 3. *C.hoc sit. l.communi* 7.*l.item* 10.§.*vltim.D.eod.*

DEFINITIO IV.

Venditare communi alij quam socio contra fidem conuentionis citra hypothecam, iudicium communi diuidundo cum emptore exercendum est.

PArtem indiuisam communis fundi vendidit tibi vnus ex condiuisoribus;[1] Non eo minus iudicium communi diuidundo tecum accipere cæteri cogentur,[2] quod dicant obligatum se habuisse venditorem tuum vt eam partem sibi venderet.[3] Neque enim ea conuentio afficere potest singularem successorem,[4] aut ipsius rei retinendæ ius tribuere,[5] nisi addas ius aliquod in re ipsa quæsitum esse condiuisoribus, vtputa per expressam pignoris conuentionem.[6] Alioqui ex eiusmodi pactione, quamuis stipulatio interceſſisset, actio tantum personalis aduersus promissorem competeret:[7] ex pacto autem ne hæc quidem.[8] Nec ad rem pertinet, quod ex pacto nascitur exceptio ad retentionem.[9] Id enim aduersus paciscentem ipsum obtinet, non aduersus singularem paciscentis successorem.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod vtique pro suo iure facere potuit, *l.falso* 3.*C.de commun.rer.alien.*

2 *l.ad officium* 3.*vers.nam ea*, *C.hoc sit.*

3 Puta ex conuentione in eam rem interposita, vt in *l.si sterilis* 21.§.*si tibi*, *vers.sed etsi act.empt.*

4 In quem scilicet non transit obligatio personalis aut actio, *l.*1.§.*si heres*, *D.ad Senatusconſ.Trebellian. l.vlt.*§.1. *D.de contrah.empt.*

5 Etsi enim ex pacto nascitur exceptio, & propter exceptionem retentio, non aliis tamen prodesse aut nocere pactum debet, quam iis, inter quos conuentum est, *l.si vnus* 27. §.*pacta*, *vers.ante omnia*, *D.de pact.*

6 Hoc enim casu placet impediri alienationem vt pactioni stetur, *ex l.si creditor* 7.§.*vlt.D.de distr.pign.* De quo tamen vide quæ scripsi in Chiliad.*de error.pragmat.*

7 §.*de constituta*, *Instit.de action.l.cum mota* 9.*l.cum proponas* 17. *C.de transact.*

8 Quia ex pacto non nascitur actio, sed tantum exceptio, *l.sine apud acta* 28. *Cod.eod.tit. de transact. l.iurisgentium* 7. §.*igitur nuda*, *D.de pact.* Intellige, nisi pactum adiectum sit in continenti post alium contractum, vt in *dict.l.si sterilis* 21.§.*si tibi*, *D.de action.empt.* aut in re tradenda, *vt in l.vltim.Cod. de pact.inter empt. & vendit.l.in traditionibus* 48.*D.de pact.* Non enim nudum pactum censeri potest quod vel traditionis vel contractus cohærentia vestiatur, *l.vltim.C.de rerum permut.* Itaque hoc casu actio competit ex contractu vel præscriptis verbis, *d.*§.*si tibi*, *l.si filia* 20.§.*si pater*, *Cod.famil.erciſc.* Non aliter atque actio ex stipulatu competeret, si stipulatio interuenisset. Tantundem enim hoc casu prodest pactum, excepto singulari casu, *quod si locus* 11.*de relig.& sumpt.funer.* Sed actiones istæ omnes sunt personales, nec rem afficiunt.

9 *dict.l.iuris gentium* 7.§.*igitur nuda*, *D.de pact.d.l.sine apud acta* 28.*C.de transact.*

10 *d.l.si vnus* 27.§.*pacta*, *vers.ante omnia D.de pact.*

DEFINITIO V.

De diuidendis emolumentis iurisdictionis inter plures communis pro indiuiso.

SI plures proponantur eiusdem iurisdictionis domini pro indiuiso,[1] qui pares dominij partes habeant, & ex iis quidam in vnum scribam, & vt loquuntur, grapharium consentiant, alij in alium, diuidi inter grapharios debent emolumenta iurisdictionis pro iisdem portionibus.[2] Finge sex esse dominos, ad quorum vnumquemque sexta iurisdictionis pars pertineat: quatuor ex iis grapharium constituere Titium, duos Sempronium, sic diuidenda erit officij administratio, vt pro tertia anni parte percipiat emolumenta Sempronius, qui à tertia dominorum parte electus est: Titius autem pro reliqua anni parte.[3] Nam cum iurisdictionis exercitio commodam diuisionem in re ipsa percipere non possit, cum partes sunt indiuisæ,[4] necesse est pro modo & quantitate temporis fieri diuisionem, vt iurisdictionis commoda diuidantur.[5] Neque enim quod maiori parti dominorum placuit aliis nocere potest,[6] quorum interest vt singulorum.[7] Ergo, etsi dispares domini fuerint partes, eadem ratio faciet, vt non numero personarum dominorum, sed pro quantitate portionum dominij diuisionem fieri oporteat.[8] *Ita Senatus* inter Dunant & Dauid grapharios iurisdictionis de Cornillion, 4. Id. Maij 1595.

1 Nam si pro diuiso constat, posse vnumquemque pro arbitrio in parte sua constituere quos vult officiales, Boer.*quæst.*5. *num.*3. Post Luc.de Penna *in l.quicunque*, *Cod.de fund.limitroph. lib.*10.

2 Nec sequimur hac parte opinionem Boer.*ibid.num.*1.*&* 2. *post gloss.in can.licet* 16.*quæst.*3.in verb.*conuenit.* Roman.*sing.*562. *incip.sunt sub regina.*

3 Idem Boer.*vbi* 3.*num.*9. Quid, si nec hi nec illi velint consentire? Cogi possunt officio iudicis vt consentiant, *l.huiusmodi* 84.§.*vltim.de legat.*1. vel vt patiantur iurisdictionis commodum diuidi alternatis vicibus. Boer.*dict.num.*2. Sed tamen nec hoc necesse est.

4 Nec ad quemlibet hoc casu spectat iurisdictio in solidum. Bart. & cæteri *in l.*1.*de off.Proconſ.*

5 Alioqui impediretur exercitium iurisdictionis, cum par in parem non habeat imperium, *l.nam magistratus* 4. *de arbitr.c. innotuit*, *de elect.*

6 Idem Boer.*vbi* 3.*nu.*5. ex Bart.*in l.seruus communis in princ. de stipul.seruor.*

7 Id enim est, quod dici solet, id quod omnes tangit vt singulos à singulis approbari debere, *l. per fundum* 11. *D.rusticor. prædior.* Vnde fit, vt nec is, qui habet maiorem partem iurisdictionis, possit mulctam remittere in præiudicium socij non consentientis. Boer.*vbi* 3.*num.*7. post Abbat.*consil.*6.*incip.in quæstione*, *col.*3.

8 Bartol. *in dict. l.seruus communis*, *de stipulat. seruor.* Boer. *dict. quæst.*5. *num.*9. *&* 10. Nec sequimur opinionem eorum, qui putant illum, qui habet maiorem partem, ponere officiarios debere, *ex l.sancimus*, §.*ne autem*, *commun.inducta.* vbi Bald. *Cod.de donat. l.& suum* 7. §.*vltim. cum l.sequ.de pact.* Nimirum, quia non incommode fieri potest diuisio iurisdictionis ex diuisione temporis. Obserua tamen, quod supradicto loco notat Boer.*num.vlt.* Processum super vna eademque causa separatim factum coram talibus dominis partem iurisdictionis habentibus, non eo minus valere, si reus non opponat exceptionem, petatque fieri remissionem, ex Innoc.*in cap.cum M.Ferrar.* ibi citat text.*l.in à quo.*

BIU Cujas

TIT. XXVII.

COMMVN. VTRIVSque iudic.

DEFINITIO I.

De tacita diuisione vel diuisionis renunciatione.

QVi post diuisionem etiam in scriptis factam bona communia retinuerunt per continuum longi temporis spatium, censentur tacito consensu renunciasse diuisioni,[1] sicut per contrarium ex eo, quod per decennium continuum separatim fratres habitauerunt, nec communiter vsi sunt bonis antea communibus, diuisio fracta præsumitur.[2] *Ita Senatus* in causa procuratoris Episcopalis Maurianensis, contra fratres Nouel. Idib. Februar. 1593.

1 Crauet. *cons.* 73. *num.* 13. post Romanum *cons.* 418. Facit *l. quædam* 41. à contrario sensu in illis verbis, *Respondebatur consensisse eos diuisioni & multis annis, & c. D. famil erciſc.*

2 *l. filiusfamilias* 10. vbi DD. *Cod. de petit. hered. l. si maior* 4. vbi etiam DD. *Cod. commun. diuid.*

DEFINITIO II.

In contractu diuisionis an & quando locus sit pœnitentiæ.

SOrores nuptæ, quibus constante matrimonio paterna hereditas extra dotis causam obuenerat,[1] cum de diuidenda hereditate agerent, & portionum quas senioris maritus constituerat, electio, vt fieri solet, iuniori delata esset, ad notarium ierant, apud quem diuisionis stipulatio fieri posset, déque ea re publicum confici instrumentum. Scripto iam per notarium lectóque instrumento, cum nihil præter stipulationem deesset, sorores iterum consenserant, vt ad eum modum, qui scripto continebatur, diuisio fieret. Rursúmque natu grandior præsente marito dederat optionem iuniori, secutáque electione dixerat placere sibi, quod soror iunior eam bonorum partem elegisset, propter quam futurum erat, vt frequentius & facilius inuicem conuenirent.[2] Sed eius maritus, qui ipse instrumenti verba dictauerat, portionésque pro arbitrio distribuerat, quasi re melius considerata notarij stipulationem adhiberi prohibuerat, atque ita sorores viríque discesserant. Quærebatur, an perfecta diuisio videri deberet, ne amplius esset locus pœnitentiæ? Placebat quibusdam non esse perfectam nihilque actum dici posse, quamdiu agendum aliquid supereſſet.[4] Neque esse dubitandum, quin ex notarij stipulatione vires accipere contractus deberet, quæ tamen in proposito nulla interuenerat.[5] Ob idque locum esse legibus, quæ negant ex diuisionis placito agi posse, si neque stipulatio neque traditio interceſſerit.[6] Alij contra existimabant, non esse necessariam notarij stipulationem,[7] quæ nec aliam ob causam adhiberi solet, quam ad futuram rei memoriam:[8] Sufficere autem, quod sororum stipulatio interuenisset,[9] inducenda vtique ex mutua illa portionum delatione & acceptatione, quæ cum apud notarium facta esset, ad quem sorores venerant vt contraherent & stipularétur, dubitari non oportebat, quin stipulandi potius quam paciscendi animo facta omnia viderentur.[10] Præsertim cum gesto inter sorores negotio, non fuisset in potestate mariti, qui nullum in bonis non dotalibus ius habebat,[11] à contracta recedere, siquidé nec ipsius ratihabitio vel auctoritas vlla requirebatur.[12] Dicebam ea potius ratione defendi posse nihil actum, quod ea contrahentium voluntas fuisse videbatur, vt in scriptis contractus fieret, quando non aliam ob causam ad notarium itum videri poterat.[13] Constat enim, quoties id actum est, vt in scriptis contractus fieret, pœnitentiæ locum esse, quamdiu scriptura prorsus absoluta, adeóque solemniter in mundum redacta non est.[14] *Ita Senatus* in causa filiorum Ioannis Perrodi procuratoris patrimonialis tractatum est in publico Auditorio, non tamen decisum, Prid. Id. Decemb. 1593.

1 Potest enim mulier nupta habere res duplicis generis, quasdam dotales, quasdam non dotales & extra dotem constitutas, vt Scæuola loquitur *in l. penult. D. ad legem Falcid.* Et has rursum in duplici differentia, quasdam paraphernales, de quibus *in l. hac lege 8. & l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* scilicet, quas mulier secum adfert in domum mariti, & cum dote, sed ita tamen vt sint extra dotem, Galli veteres peculium dicebant, *l. si ego 9. §. dotis autem D. de inr. dot.* Alias, quæ mulieri obueniunt constante matrimonio, quæ magis proprie aduentitiæ dici possunt. De quibus omnibus Bart. *in disput.* quæ incipit, *mulier habens amplum patrimonium.*

2 Secundum ea, quæ diximus *Defin. 2. 3. famil. erciſc.*

3 Actus autem geminatus solet euidentem consensum inducere, *l. si mulier 22. C. ad SC. Velleian.*

4 *l. penult. in fin. C. de his, quib. vt indign.*

5 Licet enim instrumentum iam scriptum lectúmque erat, quo continebatur, & diuisionem factam esse, & stipulationem interuenisse, non tamen ea res faciebat stipulationem, quoadusque contrahentes omnia, quæ instrumento continebantur, sibi placere iurassent.

6 *l. diuisionis placitum 45. D. de pact. l. cum proponas 21. C. eod. l. si diuisionem 15. C. famil. erciſc.*

7 Non magis quam interuentum instrumenti, *l. instrumentis 9. Cod. de fid. instrum. l. pactum 17. Cod. de pact. l. 7. Cod. si maior. fact. rat. habuer.*

8 Quæ causa vt plurimum esse solet conficiendorum omnium instrumentorum, *l. cum te 5. C. de transact. l. contrahitur 4. D. de pignor. d. l. pactum 17.* vbi Gothofr. *C. de pact.*

9 Notarium enim adhiberi nil necesse est ad stipulationis validitatem, nisi cum is, cui commodum stipulationis acquirendum est, sibi ipsi stipulari non potest. Finge pupillum absentem, aut qui fari non possit, *l. 2. 3. & 4. D. rem pupill. sal. for.*

10 Solus autem ille stipulandi animus distinguit pactum à stipulatione, *l. iuris gentium 3. §. quod fere, D. de pact. l. 1. §. cum qui, D. de const. pecun.*

11 *d. l. hac lege 7. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

12 Text. est *in l. velles nec ne 6. C. de reuoc. donat.* Dixi *Defin. 4. 3. de eo, quod met. caus.*

13 Bald. Castrens. & cæteri *ad l. contractus 17. C. de fid. instrum. & l. testium facilitatem 21. C. de testib.*

14 Quia nec aliter nec prius vires habet contractus, vt loquitur Iustin. *in d. l. contractus.*

DEFINITIO III.

Quænam sit enormis & immodica læsio ad rescindendam ex ea causa diuisionem.

PErfectus diuisionis contractus ad exemplum venditionis cæterorúmque bonæ fidei contractuum ex causa enormis læsionis rescindi potest:[1] in eóque omnes consentiunt.[2] Quæstionis tamen est, an, vt in venditione, ita in diuisione enormis illa læsio dicenda sit, quæ sit vltra dimidiam iusti precij, an vero possit minor sufficere, vt rescissioni locus esse queat?[4] Dubitationem facit, quod non eadem diuidentis, quæ vendentis aut ementis voluntas est.[5] Nam qui vendit, id agit, vt rem suam alienet quantocunque potest precio. Qui vero emit, vt sibi acquirat quam minimo & vilissimo:[6] indéque est quod dicimus, licere iis naturaliter se decipere:[7] Maxime, quia difficile est reperire certum & commune precium, cum precia rerum pro locorum & temporum diuersitate ac ex personarum affectione varientur.[8] At ij, qui bona communia diuidunt, non id agunt, vt quicquam vel ac-

vel acquirent vel alienent, sed tantum, vt suam quisque auferat portionem. [9] Nec ad rem facit, quod diuisio fieri nequeat citra mutuas adiudicationes, & consequenter quin vnusquisque ex condiuisoribus alienet eam dominij partem, quam in condiuisoris portione habebat antea. [10] Illa etiam alienatio necessaria est, [11] nec nisi eo animo fit, vt suæ quisque partis dominus in solidum maneat. [12] Proinde nec æquitati nec diuidentium voluntati videtur consentaneum, vt alteruter vllo modo lædatur, nec intra dimidiam quidem. [13] Frequentior tamen Doctorum schola vult similem esse hac parte diuisionem venditioni, vt semel perfecta non aliter rescindi possit prætextu læsionis, quàm si læsio sit immodica & vltra dimidiam, [14] & quidem inspecto tempore contractus. [15] Soli Galli Pragmatici contra sentiunt, & in supremis Galliæ curiis sic obseruari testantur, vt ad rescindendam diuisionem sufficiat notabilem læsionem interuenisse: [16] qualem eam esse interpretantur, quæ ad quartam vsque precij ascendat: [17] quanquam non desunt, qui pro quarta tertiam constituant. [18] *Senatus* noster mediam quandam sententiam sequitur, vt, si de diuisione inter fratres facta quæratur, sufficiat læsionem notabilem, vt aiunt, interuenisse, licet nec ad quartam vsque ascendat; inter alios autem læsio vltra dimidiam requiratur. Cuius distinctionis ratio aut æquitas potius illa est, quod inter fratres potissimum & æquitas & æqualitas exuberare debeat, [19] vt fraterna inter eos concordia retineatur. [20] *Ita Senatus* in causa D. Guilielmi Oneiaci Senatoris integerrimi & eruditissimi, nunc Præsidis meritissimi, contra fratris filiam vxorem D. de Maillac, 4. Calend. Februar. 1594.

1 *Ex l.2.& l.si voluntate 8.C.de rescind.vendit.*

2 DD.*ad d.l.2.& ad l.maioribus 3.C.hoc tit.*

3 *d.l.2.& d.l si voluntate.*

4 Nam text. *d.l.maioribus 3. C.hoc tit.* illud duntaxat requirere videtur, vt aliqua sit inæqualitas, quasi corrigenda illa sit, quanta aut quantulacunque sit.

5 Vide textum elegantem *in l.seruos 34.* in illis verbis: *Non emendi, sed diuidendi animo, D.famil.erciſc.*

6 Emptor enim viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedunt, vixque post multas contentiones paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emptore autem huic quod obtulerat adiiciente, ad certum consentiunt precium. Verba sunt *d.l.si voluntate 8.vers.quod si*, C.*de rescind.vend.*

7 *l.in causæ 16.§.idem Pomponius, D.de minor.l.item si 22.§.vlt. D.locat.* vbi scriptum est, idem iuris hac parte esse in venditione & locat.

8 *l.3.D.de eo, quod cert.loc.l.precia rerum 63.ff.ad leg. Falc.*

9 Licet aliquando æstimationem in eam rem fieri necesse sit, *vt in d.l.seruos 34.famil.erciſc.*

10 Vnde & diuisio alienatio dicitur, *in l.si pupillorum 7. D.de reb.eor.qui sub tutel.* ideoque & emptionis vicem obtinet, *l.1. C.hoc tit.*

11 Ideoque nec minoribus interdicitur, si modo à maiore prouocentur, *d.l.si pupillorum, & in l.1.§.si communis, eod.ill.tit.*

12 Quia in diuisione quantum quisque à socio consequitur, tantum ei de suo vicissim præstat, ita vt post diuisionem neuter coheredum sit locupletior quam antea fuisset, *l.cum pater 77.in princ.de legat.1. l.deducta 58. §.acceptis, vers.diuersum, ad SC.Trebell.*

13 Quasi alienum id sit ab eo, quod actum est inter diuidentes, *arg.d.l.seruos 34.famil.erciſc.* Facit *l.si inter virum 21.C.de iur.dot.*

14 DD.*ad d.l.2.C.de rescind.vend.*

15 *d.l.si voluntate 8.in fin.C.eod.l.si ea lege 17.C de vsur.*

16 *Ex d.l.si maioribus 3.C.hoc tit.l.in contractibus 3.C.quibus ex cauſ.maior.* De quorum tamen locorum sententia vide quæ scripsi in Chiliad. *de error.pragmat.*

17 Rebuff. *in const.reg.*

18 Imbert. *in enchirid.*

19 *Arg.l.inter filios 11.C.famil.erciſc.*

20 *l.de fideicommisso 11. C.de transact.l.cum oportet 6. versic. etenim* in illis verbis: *Vel ad fratres suos, quod etiam grauius multis esse videtur*, C.*de bon.quæ liber.*

DEFINITIO IV.

De variis modis faciendæ diuisionis.

NOn eo minus rite rectéque contractus diuisionis inuitus videri debet, quod nulla bonorum æstimatio, [1] aut mensuratio, aut arbitrorum diuisoriorum conuentio, præcesserit. [2] Est enim moribus nostris receptissimus, nec lege vlla prohibitus mos ille diuisionis inter fratres faciendæ, vt maior natu portiones quales vult constituat, minor autem vtram velit eligat, [3] placétque Theologis & Canonistis omnibus propter exemplum diuisionis, quam ab Abrahamo cum Loth fratris filio sic factam esse sacris Scripturis proditum est. [4] Non enim de fratre, sed de seipso solo conqueri debet is, qui portiones inæquales constituit, fratris minoris, vt credibile est, circumueniendi gratia, si forte is minus perspicax minorem portionem elegisset. [5] Et vero, quantumuis minor frater, cui optio data fuit, longe precioſiorem partem elegerit, nemo tamen dixerit dolo malo quicquam ab eo factum videri, cum nihil aliud egerit, nisi vt oblata conditione vteretur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Etsi enim æstimationem illam rerum hereditariarum aliquando fieri necesse est animo diuidendi, *vt in l.seruos 34.D.famil.erciſc.* tamen id necesse non est.

2 Quid enim aliud agit iudex cum dat arbitros diuisorios, nisi, vt quam commodissime fieri possit, diuisio fiat? Quid ergo eius interest, dummodo facta sit de consensu omnium quorum interest? *arg.l.1.§.inde quæritur, D.de noui.oper. nunciat. l.si conuenerit 26.D.de re iud. l.3.§.1.D.de recept.qui arbitr.* Vnde etiam est, quod etiamsi diuisionis arbitrum is dederit, cui dandi ius non fuit, si tamen socij perperam factæ diuisioni consensum dederint, quod quisque eorum secundum placita possidet, pro parte socij dominium nactus esse intelligatur, *l.2.D.hoc tit.*

3 Scripsi *Desin.2.3.famil.erciſc.*

4 Genes. *cap.13.*

5 Nec enim audiendus est, qui id petit, cuius contrarium non fuerat postulaturus, *l.penult. Cod.de solut.* nec qui vti nolit eo iure, quod in alium statuerit, *l.1.& tot.tit. quod quisque iur.* Facit *l.1.in fin.& l.3.in princ. D.de solut.* Facit *l.iusiurandum 34.§. datur, D.de iureiur.*

6 *l.2.* ibi, *optabit quem velit, D.de opt.leg.* Sic enim verba illa accipienda sunt, vt qui habet optionem, eligere possit etiam optimum, Nam quod contra scriptum videtur *in l.legato 37. & in l.si heres 110.de legat.1.* ad eum casum pertinet, quo seruus generaliter legatus sit, non autem optio legatario data. Nam & idem est, si non in legatarij, sed in alterius tertij arbitrium optio collata sit, & is ante factam optionem decesserit, *l.vlt.§.1.C.commun.de l.gat.* Facit quod lex ait, non videri quem fraudare eos, qui sciant & consentiant, *l.quod autem 6.§.præterea, D.quæ in fraud. cred. cum simil.l.nullus videtur 55. de reg. iur.* Item quod ei, qui electionem obtulit, non alia patere debeat via, quam quæ ab ipso electa sit, *argum. l.si mulier 21.§.vlt. D.quod met.cauſa.l.1.§.illud, D.de separat.*

DEFINITIO V.

An aduersus diuisionem, quæ per optionem facta est, restitui possit tanquam læsus is ipse, qui optionem dedit?

ADuersus diuisionem à se factam potest quis restitui, etiamsi eo tempore maior fuerit, [1] maioremve se dixerit. [2] Imo etsi Doctor doctúsque & diligens alioqui paterfamilias, [3] si modo tantam probet læsionem, quantam in superioribus necessariam esse diximus [4] ad inducendum auxilium restitutionis. Quanti enim sit vnaquæque portio, in facto non iure consistit, [5] facti autem interpretatio etiam prudentissimos fallit. [6] Illud difficilius est, vt restitui in integrum possit maior, qui partes quantumcunque inæquales constituit, fratríque minori optionem dedit. Nam, vt proxime attigimus, quo maior probatur esse inæqualitas, eo magis videri potest in dolo esse is, qui partes

BIU Cujas

constituit, quem constat, si frater iunior minorem partem elegisset, non fuisse aduersus eiusmodi diuisionem petiturum restitutionem, sed fraudis suæ potius fructum quantum in se esset, retenturum: cur ergo audiatur petens id, cuius contrarium in diuersum euentum non fuerat postulaturus? [7] Sed tamen placuit Senatui, ne hoc quidem impedire rescissionem. Ea potissimum ratione, quod non sit probabile, per dolem fraudemve quicquam factum esse ab eo, qui fratri dederit optionem. [8] Prior enim ille incurrit in periculum damni, quod fratri ex inconsiderata electione possit accidere. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l maioribus 3. C. hoc tit. d. l. 3. C. quib. ex caus. maior. l. 2. Cod. de rescind. vend.*

2 Intellige secundum distinctionem quam posui in *Defin. vnic. 3. ill. tit. si minor. se maior. dixer.*

3 Etsi enim credibile id est, præsumendum non est, hunc facile in aliquo errasse, *l. cum de indebito 25. versic. & maxime si ipse, D. de probat.* tamen præsumptio cedit veritati, de qua in contrarium apparet, *l. si chirographum 24. eod. cum simil.*

4 *Defin 3. 3. eod.*

5 *l. in actionibus 5. §. vlt. & l. seq. D. de in lit. iur.*

6 *l. 2. D. de iur. & fact. ignor.*

7 *Contra l penult. C. de solut.*

8 Nemo enim suum iactare præsumitur, *dict. l. cum de indebito.*

9 Quis enim tam stupidus est, vt malit se vulnerari & postea restitutionis ancipitis remedium quærere, quam ab initio prospicere ne vulneretur? *arg. l. vlt. C. in quib. caus. restit. in integr. non est necess.* Vide tamen quæ scripsi *in Decad. Error.*

DEFINITIO VI.

De rescindenda transactione, quæ diuisionem secuta sit.

QVid vero si post eiusmodi diuisionem transactum quoque proponatur? [1] Multum intererit an de controuersia aliqua, quæ in consequentiam & approbationem diuisionis superuenerat, transactum sit, [2] an super lite mota vel mouenda, [3] ad rescindendam ex læsionis causa diuisionem. [4] Priore casu non impedit transactio restitutionem eadem probata læsione, quam probari sufficeret si transactio nulla interuenisset: quoniam diuisionis continuatio & perfectio quædam dicenda illa est potius, quam alius & nouus contractus. [6] Posteriore vero, hoc est, si de ipsa quoque læsione transactum sit, constat nihil amplius quærendum esse de diuisione, [7] cum bona ex nouo planeque diuerso iure possideantur. [8] Ob idque non aliam læsionem sufficere ad rescindendam diuisionem, quam quæ sufficeret ad rescindendam transactionem. [9] Id est, si nostris credimus, quæ sit vltra dimidiam, inspecto etiam dubio litis euentu. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hoc enim casu duplex videtur vinculum esse, vnum diuisionis, alterum transactionis, quod omnium solet esse fortissimum; *l. causas 26. C. de transact.* Nam & duo vincula sunt fortiora vno; *l. penult. C. de adopt.*

2 Consequentium enim idem iudicium esse solet & debet quod antecedentium; *l. si quis seruo 84. de legat. 2. & vulgar.*

3 Sufficit enim metus futuræ litis, *l. 2. C. de transact.*

4 Secundum ea quæ diximus *Defin. 3. & 5. 3. eod.*

5 Quandiu enim subest eadem causa concedendæ restitutionis non debet illa denegari, si modo nondum fuerit petita *l. doli 19. §. diuersum, D. de nouat.*

6 *Arg. l. 3. §. scio, D. de minor.*

7 Quia nec de errore quidem calculi quæri posset, si super eo transactum esset; *l. vnic. C. de error. calcul.*

8 Id est, causa transactionis non diuisionis, quia omnis transactio nouat Deo & alij *ad l. 1. de transact.*

9 In quam rem nec si læsio sit vltra quadruplum sufficere tamen potest, *l. Lucius 78. §. vltim. D. ad Senatusconsult. Trebellian.*

10 Ex traditione Bart. communiter recepta *ad l. 2. Cod. de rescind. vend. & ad l. si quis cum aliter 36. D. de verb. obli.* Contra quam tamen vide quæ scripsi in Chiliade *De error pragmat.*

DEFINITIO VII.

Rescindi potest diuisio ex causa læsionis ad trigesimum vsque annum.

QVid denique si per decennium aut vicennium integrum, fortassis etiam inter præsentes bona vtrinque sine controuersia possessa sint ex causa præcedentis diuisionis? [1] Non idcirco excluſa videbitur in integrum restitutio ex capite enormis læsionis. [2] Quia quod Iustiniani constitutione quadriennium in eam rem præfixum continuum in anni vtilis locum substitutum est, [3] non pertinet ad hoc genus restitutionis, quæ scilicet coniuncta est cum condictione ex lege. [4] Condictionum enim omnium commune ius illud est, vt non nisi triginta annorum præscriptione summoueantur. [5] Postquam placuit nouam Diocletiani & Maximiani legem [6] ad diuisionem quoque, vt & ad cæteros bonæ fidei contractus protrahendam esse, [7] vel ob id maxime, quod diuisio emptionis vicem obtinere existimatur. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Solet enim ea subsequens possessio magni esse momenti, etiam ad confirmandam diuisionem, quæ alioquin non valeret, *l. 2. l. si inter 8. C. hoc tit. l. si diuisione 15. C. famil. ercisc. l. quædam 41. D. eod.*

2 Id est, ex beneficio *l. 2. C. de rescind. vendit.*

3 *l. vlt. C. de temp. petend. in integr. restit.*

4 Sic enim appellare licet nouam illam actionem, quæ competit ex *dict. l. 2. C. de rescind. vendit. argum. l. vnic. D. de condic. ex legat.*

5 Sunt enim actiones personales, cum & actiones omnes in personam condictiones appellentur §. *actionum, Inſtit. de act.* actiones autem personales, non nisi longissimi temporis præscriptione summouentur, *l. hereditatis 7. C. de petit. hered. l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

6 *d. ct. l. 2. C. de rescind. vendit.* quæ primum hoc ius nouum induxit.

7 Vt scripsi *Defin. 3. 3. eod.*

8 *l. 1. C. hoc tit.* Dicitur etiam aliquando diuisio vicem permutationis obtinere, *l. si filia 20. §. si pater, D. famil. ercisc.* Sed & permutatio ipsa emptioni vicina esse dicitur, *in l. 2. D. de rerum permutat.* imo & vicem similiter emptionis obtinere, *l. 2. Cod. eod.*

DEFINITIO VIII.

In quo differat diuisio à venditione, cum rescindenda est, ex causa immodicæ læsionis.

ETsi autem diuisio vicem emptionis obtinere dicitur propter mutuas illas adiudicationes dominiique translationes, quæ fieri necesse est, vt vnaquæque portio ex communi fiat propria cuiusque condiuisorum: [1] Aperte tamen differt ab emptione in eo, quod neque pretium vllum in diuisione interuenit; neque diuidentium voluntas illa est, vt vel emant, vel distrahant, [2] sed vt suum habeant sibique proprium singuli quod habebant antea in commune. [3] Inde fit vt si de rescindenda diuisione agatur ex causa enormis & immodicæ læsionis, non possit locus esse remedio & æquitati legis nouæ ex ea parte, quæ dat emptori optionem, vt iustum pretium supplere possit, si id malit, quam rem reddere. [4] An igitur omnimodo rescindenda erit diuisio? At fuerit id iniquum, vt contractus bonæ fidei ex sola læsionis causa rescindatur; [5] Præsertim cum & æquitati & æquabilitati, quæ in bonę fidei iudiciis exuberare debet, aliter satisfieri possit, supplendo ex portione vnius quod deest alteri. [6] Potest enim fieri, vt interſit rei ex sua potius portione supplere quam inire nouam diuisionem. [7] Ac

BIU Cujas

nem.[7] Ac sanè ita est, si non longe maior læsio interuenerit, quam quanta esse debeat ad inducendam restitutionem.[8] Sed si enormissima læsio proponatur & inæqualitas prorsus intolerabilis, inspecta non solum æstimatione, sed etiam qualitate & conditione bonorum, quæ in diuisione præcipue spectanda est, æquum non est superesse condiuisori electionem, quæ nec emptori relinquitur, quoties venditor vltra bessem pretij deceptus fuit, quoniam, vt nostri tractant, dolus in re ipsa creditur interuenisse ex tam enormi læsione.[9] Hactenus tamen inter emptionem & diuisionem hoc etiam casu intererit, quod fructus omnes ab emptore restituuntur quasi sine titulo percepti,[10] nec tantum à tempore litis contestatæ, vt in cæteris restitutionum causis,[11] sed à die ipso contractus.[12] In diuisione vero, si sic facta sit, vt maior natu frater vel alius condiuisor quilibet fratri vel cohæredi iuniori, vt plerumque fit, optionem dederit,[13] nulla prorsus fructuum condemnatio fieri debet, ne quidem eorum, qui post litem contestatam percepti sunt.[14] Quasi per actoris, vt ita dicam, manus illos perceperit is, cuius nullum aliud in diuidendo factum intercessit, nisi quod sibi datam à socio optionem admisit.[15] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quoniam alioquin quilibet ex socijs, vel in minima parte glebæ indiuisæ portionem suam habet, *l. per fundum 11. D. rustic. præd. l. vlt. D. commun. præd. l. illud, 46. ff. de rit. nupt.*

2 Licet aliquando res communes æstimari necesse sit diuidendi non emendi causa, vt Papinian. loquitur, *in l. seruos 34. D. famil. ercisc.*

3 *l. in re communi 26. D. verb. præd. l. cum pater 77. §. dulcissimis, de legat. 2.*

4 *d. l. 2. l. si voluntate 8. in fin. C. de rescind. vendit.*

5 Nam nec æquum esset rescindi venditionem ex causa læsionis, si non fieret ea rescissio quodammodo ex voluntate emptoris nolentis iustum pretium supplere, vt scripsi in *Decad. de error. pragm.*

6 Id enim duntaxat facit qualitas iudicij bonæ fidei, vt res ad suam æquitatem & æqualitatem reducenda sit, *l. 3. C. hoc tit. l. 3. C. quibus ex caus. maior.* non etiam vt totum negotium rescindatur.

7 Noua enim diuisio facere posset, vt alia bona haberet, quæ habere nollet, si in hæc quæ nunc habet maiorem aliquam adfectionem gerat, *argum. l. si in emptione 35. D. de minor. l. 1. §.* & alias, *si quid in fraud. patr.*

8 Secundum eam distinctionem, quam probauimus *Defin. 3. 5. eod.*

9 Notant nostri *ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.* Scripsi *in Decadib. de error pragmat.*

10 Quia venditio habetur pro non facta & titulus reducitur ad non titulum propter dolum præsumptum, qui in re ipsa inesse creditur, vt scripsi *supra d. loco.*

11 Eo namque iure vtimur, vt ei qui in integrum restituitur ex qualibet causa, siue minor ille sit, siue maior, non alij fructus restituantur quam qui percepti sunt post litem contestatam, quod an rationem habeat disputaui in Chiliade, *De error. pragmat.*

12 Nec enim potest videri fuisse bonæ fidei possessor ad fructus lucrandos, qui titulum nullum habuit, *l. certum est 21. & seq. C. de rei vindic.*

13 Quomodo eam plerumque fieri diximus *Defin. 5. 2. famil. ercisc.*

14 Cum fuerint optimo iure & percepti & ex socij facto ac voluntate, *arg. l. si seruus 61. §. locaui. D. de furt.*

15 Quid enim aliud facere potuit, nisi vt oblatam à socio optandi & eligendi conditionem agnosceret? Facit *l. iusiurandum 34. §. datur, ff. de iureiur. l. penultim. §. siue autem C. de rebus cred. & iureiur. &* §. 1. sed & socio imputari potest non solum quod obtulerit optionem, sed etiam vbi læsus fuit distulerit restitutionem, *l. ab hostibus 15. §. vltim. ff. ex quibus caus. maior.* etsi ratio hæc ad eos tantum fructus pertinet, qui ante litem contestatam percepti sunt, non etiam ad eos qui post litem contestatam.

DEFINITIO IX.

Alia diuisionis & venditionis differentia in probanda læsione.

SEd & illa inter diuisionem & emptionem hac parte differentia est, quod in emptione rescindenda probandi onus incumbit ei qui allegat læsionem, vt doceat quanti præcise reuera, & ex communi hominum æstimatione res fuerit tempore contractus.[1] At in rescindenda diuisione sufficit ei, qui læsionem adfert pro causa impetranda restitutionis, vt probet inæqualitatem bonorum, quæ iam eo contractus tempore fuerit, licet non probet illius temporis æstimationem. Nam cum in diuisione pretium nullum interueniat, bonorumque qualitas & conditio præcipue spectanda sit, potest ea probatio sufficere ad restitutionem. Nisi aduersarius ex parte sua probet, inæqualitatem illam quæ sit in conditione bonorum corrigi per inæqualitatem, quæ vicissim sit in precio, siue quod pars ignobilior ex maiori constet bonorum quantitate, siue quod ex iis bonis conflata sit quæ contemplatione loci,[6] aut amplioris reditus,[7] videri debeant preciosiora.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vnusquisque enim tenetur probare id, quod est fundamentum suæ intentionis & causa petitæ restitutionis, *l. nam posteaquam 9. §. si minor, D. de iureiur.* Bart. *in l. prædiorum 10. & l. seq. C. de præd. minor.*

2 Licet nonnunquam æstimatio rerum communium necessario fiat. Sed fit animo diuidendi non emendi, vt ait *l. si seruos 34. D. famil. ercisc.*

3 Vt ex Boerio scripsi *Defin prox. nu. 9. 5. eod.*

4 Saltem quoadusque aduersarius susceperit in se onus probandi contrarium, vt sequitur *in Defin.*

5 Vix enim quisquam ignobiliora bona pro nobilioribus accepturus sit in pari quantitate & æstimatione.

6 *Vt in l. libertus 36. D. de bon. libert. l. 1. & §. alias, D. si quid in fraud. patron.*

7 Nam ex reditu maxime solent & debent fundorum precia constitui, *l. si fundus 13. in princ. D. de rebus eor. qui sub tutel. l. si fundum 92. de legat. 1.*

8 Possit tamen non improbabiliter disputari, probationem læsionis ad implorandam restitutionem debere necessario esse concludentem, *l. neque natales 10. l. ad probationem 22. C. de probat. l. non hoc 4. C. vnd. legit.* ideoque non sufficere actori, vt probet inæqualitatem conditionis aut quantitatis bonorum, nisi etiam probet æstimationem, cum nihil prohibeat inæqualem esse conditionem bonorum, & tamen æquales esse portiones suppleto in quantitate eo quod deest in qualitate.

DEFINITIO X.

Quid si is, qui aduersus diuisionem à se factam restitui vult, bona quædam ex iis, quæ sibi obuenerant, alienauerit?

SI post factam diuisionem is qui læsum se conqueritur bona quædam ex sua portione alienauerit, quæ ad nouam diuisionem faciendam in medium iam conferre nequeat, difficilius est dicere quid constituendum videatur.[1] Et quidem cum fieri non possit, vt ex integro omnia diuidantur, quasi nulla vnquam diuisio facta fuisset, cum res amplius non sit integra, constat satis id vnum superesse, aut quod alienatum fuit imputetur in alienantis portionem,[2] non pro ea æstimatione quæ in vendendo facta fuerit, si forte res minore pretio vænierit quam quanti vere fuit, licet præsente & subscribente socio (si adesse cum emptor voluerit, vt tutius emeret,[4] cum nihil sua interesse socius putaret, quippe qui nihil amplius iuris in socij parte habere se intelligeret,) sed pro vero communique pretio, quod nunc sit cùm noua diuisio facienda est.[5] At quæstio in eo est an eiusmodi imputatione facta id quod deest ad inducendam æqualitatem suppleri necesse sit ex alterius portione arbitrio boni viri? An noua potius diuisio facienda sit? Nam si dicas ex integro ineundam cæterorũ bonorum diuisionẽ, videaris facere iniuriam socio qui nihil ex parte sua distraxit.[6] Cui nimirum non licet eodẽ iure vti, vt suam

BIU Cujas

sperare partem possit in bonis omnibus, quæ socio ex priori diuisione obtigerant. [7] Nam & idem in emptione seruatur, vt quamuis læsio enormissima intercesserit, si tamen rem ipsam reddere emptor non possit, forte iam ab alio bonæ fidei possessore vsucaptam supplemento pretij necessario locum esse oporteat. [8] Idque in proposita specie tanto probabilius videbatur, quod is ipse agebat ad rescindendam diuisionem, qui portionis suæ partem alienauerat, atque ita effecerat ne omnia in integrum restitui possent. [9] Sed tamen æquius tandem visum est illud temperamentum, vt noua quidem diuisio fieret, sed imputarentur alienata in portionem alienantis. Vicissim autem socio ex cæteris bonis communibus præstaretur tantundem in qualitate, quantitate & valore priusquam ad diuisionem vllam accederetur. [10] Sane cum alienator idemque actor diceret paratum se conferre iustum pretium rerum alienatarum quasi in earum locum successurum, [11] placuit audiri eum non debere, quia cum actor esset, in eius fuerat potestate non agendo liberare se ab ea necessitate repræsentandorum bonorum quæ alienasset. [12] Neque referebat an bona fide, & ex causa necessaria, vt puta pro dimittendis creditoribus hereditariis an vltro & sine causa alienasset. [13] Et vero quod dici solet pretium in vniuersalibus succedere loco rei, [14] constat non esse perpetuum. Ad arbitrarias enim actiones pertinet, in quibus nisi arbitrio iudicis restitutio fiat sequitur condemnatio, [15] Non etiam ad illas in quibus siue ex bona fide, siue ex natura stricti iudicij rem ipsam præcise dari aut restitui oporteat. [16] *Ita Senatus* in eadem causa, & alio rursus inter easdem personas SC. 6. Non. Mart. 1594.

1 Imputari enim solet ei, qui restitui vult in integrum, vbi res in integro esse desiit, præsertim post res per eum ipsum venditas, *l. quod si minor* 24. §. *Scæuola, ff. de minor. l. si quis suus* 8. *D. de iur. delib. l. vlt. C. de repud. vel abst. hered.*

2 Quomodo & interdum collatio fieri solet, scilicet minus accipiendo & remittendo, *l.* 1. §. *quamuis, vers. sed eisi tantum, D. de collat. bonor.* Dat enim & confert & druidit etiam qui minus accipit.

3 Neque enim rei meæ aut communi ab alio pretium dici potuit, contra vel citra meam voluntatem, *l. portionem* 4. *Cod. de commun. rer. alien.*

4 Solet enim nocere ei qui venditioni adfuit & consensit, si postea ius suum exequi velit, *l. quoties* 11. *C. de fideic. l.* 4. §. *quæsitum est si cum fundi, D. de doli mal. except.*

5 Si enim bona non essent alienata nec deteriorata, venirent nunc in diuisionem in præsenti æstimatione, *arg. l. si sterilis* 21. §. *cum per venditorem, in fin. de empt.*

6 Textus est elegans *in leg. ex hereditate* 54. *D. famil. erciscund.*

7 In his autem iudiciis familiæ erciscundæ & communi diuidundo, quæ nos duplicia appellamus, quod in iis vterque & actor sit & reus, *l.* 3. §. *familiæ, l. inter* 44 *qui familiæ, D. famil. erciscund.* eandem vtriusque rationem constitui necesse est, non meliorem vnius quam alterius.

8 Notant DD. præsertim Arius Pinell. *ad l.* 2. *C. de rescind. vendit.*

9 Qua enim ratione alienam partem petere potest, qui suam alienauit? *arg. l. cum pater* 77. §. *libertis de legat.* 2.

10 Ita enim visum est seruari posse æqualitatem, & neutri iniuriam fieri. Quid autem aliud exigere possit socius qui nihil distraxerit, quam vt indemnis seruetur, neq; ex alienationibus per socium factis quicquam damni aut incommodi sentiat, *arg. l. dominus* 55. §. *vlt. D. locat.*

11 Eo prætextu, quod iudicium familiæ erciscundæ sit vniuersale tanquam quod admixtum quodammodo habeat iudicium petitionis hereditatis, *l.* 1. §. *vlt. & l.* 2. *D. famil. erciscund.* In iudiciis autem vniuersalibus pretium succedat loco rei, vt scripsi *Defin.* 5. §. *de rei vindic.*

12 Nihil enim causæ est cur ei succurri oporteat, qui seipsum coniecit in aliquam necessitatem, *arg. l. si fideiussor* 7. §. 1. *D. qui satisd. cog. l.* 2. §. *vis fluminis ff. si quis caution. l. si pignori* 29. *vers. non idem, D. famil. erciscund. l.* 5. §. *vlt. D. de doli except. l. vnic. Cod. vt nemi. inuit. ager. cog. l. petendæ* 6. *C. de tempor. pet. in integr. restit. l. cum autem* 13. §. *quare, D. de ædilit. edict.*

13 Huic enim distinctioni tum demum locus est, cum quæritur an pendente iudicio familiæ erciscundæ possit vnus ex sociis alienare, *vt in l. alienationis* 13. *D. famil. erciscund.* non cum is qui alienauit vltro postea petit restitutionem aduersus socium, qui nihil alienauit cum eiusmodi alienatione communio prorsus extinguatur, *d. l. ex hereditate* 54. *famil. erciscund.* Sine communione autem non possit accipi iudicium familiæ erciscundæ vel communi diuidundo.

14 *l. si & rem & pretium* 22. vbi Bart. *D. de petit. hered. l. Imperator* 70. §. *vlt. & ll. seqq. de legat.* 2.

15 *§. præterea, Instit. de action.*

16 Aliud enim res est, aliud rei pretium, *l. venditor* 21. *D. de hered. vel act. vend. l. fundum* 28. *D. de noxal.* Porro iudicium familiæ erciscundæ bonæ fidei est non arbitrarium, vt erat olim petitio hæreditatis, §. *actionum, Instit. de action.* sicut & in aliis quibusdam differt à petitione hæreditatis, *l. fundus* 51. *D. famil. erciscund.*

DEFINITIO XI.

Bonorum, quæ cum pupillis aut minoribus communia sunt, diuisio nulla fieri potest nisi datis prius vocatisque tutoribus & curatoribus.

SI ex pluribus bona communia habentibus quidam sint impuberes tutorem non habentes, aut minores annis sine curatore, & alij inuicem agant ad diuisionem, [1] ante omnia tutor impuberibus & curator minoribus dari debet, [2] non solum vt mutuæ illæ adiudicationes dominiiq; translationes fieri possint, quas interuenire necesse est in bonorum communium diuisione, [3] sed etiam vt sciatur, quanta portio eos contingat, qui prouocant ad diuisionem, ne quid inauditis iis quorum maxime interest constituatur, [4] cum fieri possit, vt maiorem sibi adferant portionem quam quæ à sociis conceditur. [5] Neque vero iis duntaxat petentibus tutor aut curator in eam rē dandus est (quomodo enim tutorem impuberes peterent? [6]) sed si maiores cæteri, qui iudicio familiæ erciscundæ aut communi diuidundo conueniuntur, petant eorum nomine atq; interea iudicium & arbitros diuersorios accipere recusent, audiendi sunt, [7] Quasi qui non tam de iure tertij, [8] quam de suo excipiant. Eorum quippe interest, ferri de diuisione faciendæ sententiam, vt retractari eam postea non oporteat, [9] vtque in iudicati executionem legitime subsequi diuisio possit. [10] Itaque si inauditis impuberibus aliisve minoribus iudex inter maiores pronunciet faciendam pro his aut illis portionibus diuisionem, licet addat, *vocatis omnibus quorum interest*, perperam pronunciasse videbitur, [11] poteruntq; ab eo appellare illi etiam, quorum portionibus nullum detrimentum fiat, si modo petierint, vt ante omnia pupilli minoresq; vocarentur, & illis in eam rem tutor curatorve decerneretur. [12] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio 4. Id. Mart. 1594.

1 Possunt enim qui maiores sunt alios pronocare, *l.* 1. *vers. si communis, l.* 5. §. *vlt. & l. si pupillorum* 7. *in princip. D. de reb. eor. qui sub tutel.*

2 Quia neque iis absentibus diuisio fieri potest, *l. coheredibus* 17. *C. famil. erciscund.* neque pro præsente haberi pupillus qui tutorem non habet. Imo & plus quam absens est, *l. cum filiusfamilias* 43. §. *in hac, D. de verb. obligat. l. in eo* 110. §. *pupillus l. vbi* 124. §. 1. *l. pupillus* 189. *de reg. iur.* Quanquam adulto minus necessaria est auctoritas curatoris, *l. puberes*, 101. *de verb. oblig. l.* 3. *C. de in integr. restit. minor.*

3 Vt scripsi *Defin.* 8. §. *eod.*

4 *l. nam ita* 39. *D. de adopt. l. etiam* 29. §. *vltim. D. de minor. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.*

5 De illo enim primum quærendum est, an cohæres quis sit, & ex qua parte, *l.* 1. §. *vltim. l. cum putarem* 36. *D. famil. erciscund.*

6 Qui tum etiam cum adsunt abesse intelliguntur, vt diximus, *num.* 2. & illa etiam quæ vident, ignorant, *l.* 1. *C. de falsmonet.*

7 *l. arbitrum* 43. in illis verb. *& præsentibus cæteris, D. famil. erciscund.*

8 Quod fieri non potest, *l. loci* 4. §. *competit. D. si seruit. vind.*

9 Quomodo retractari eam necesse esset, petentibus quan

doqu

doque illis qui iudicio non adfuissent, & quorum tamen interesset, *dict. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic. l. si perluforio* 45. §. 1. *D. de appell.*

10 Etiam inuito aduersario: Iudicium enim, itemque iudicati exceptio fit in inuitum, *l. inter* 83. §. 1. *D. de verb. obligat.*

11 Quia de iure portionum pronunciauit inauditis iis, quorum intererat, & qui ante omnia vocari debuerunt. Nec clausula illa, *vocatis omnibus quorum interest*, sententiam tueri potest, quia non sufficit vocari in executione iudicati eos qui ante sententiam vocandi fuerunt. Et præpostera illa pronunciatio est, *arg. l. 1. C. de execut. rei iudic.*

12 Nam & illorum interest, vt ait Defin. vel ob hoc maxime ne postmodum actum agere cogantur, atque ita vexent se sumptibus inanibus, *arg. l. minoribus* 6. *D. de minor.*

DEFINITIO XII.

De alienatione facta per eum ex sociis qui conuenerat, vt quoad diuisio fieret certis bonis separatim frueretur, aut ne ante certum tempus fieri diuisio posset.

INter socios conuenerat, vt quousque bonorum communium diuisio fieret, hic fundo Corneliano, ille Semproniano frueretur. Si tibi ille possessor Semproniani partem Corneliani sibi competentem vendiderit, non solum venditio valebit, cum socio partem suam rei communis vendere nihil prohibeat, [1] adeoque priusquam transactum sit tempus intra quod ne diuisio fieri posset conuenerat. [2] Sed etiam permittendum tibi erit, vt ea parte tanquam tua pro arbitrio vtaris fruaris. [3] Nec repelleris ea exceptione qua tuus actor repelleretur si totum fundum Sempronianum possidens Corneliani partem vindicare vellet. [4] Quia pactio, quæ inter socios facta fuerat, diuisionem fieri non prohibebat, sed tantum possessioni & administrationi bonorum communium modum quendam momentaneum & temporarium statuerat. [5] Itaque non magis aduersus conuentionem fecisse videtur, qui tibi fundi Corneliani partem vendidit, quam si socium ad diuisionem prouocasset: [6] quod vtique facere ei licebat salua conuentione. [7] Aliud igitur esset si inter socios conuenisset, vt ante certum tempus diuidere non liceret. [8] Tunc enim ante præteritum tempus facta venditio valeret quidem, sed non faceret quo minus ante tempus agendo tu communi diuidundo eadem pacti exceptione summouereris, qua tuus quoque auctor si ipse ageret summoueretur. [9] *Ita Senatus* pro R. D. Claudio de la Couz Abbate Ambroniacensi & Senatore meritissimo, contra nobiles fratres de Montou & Guilliet, 3. Non. Iunij 1594.

1 *l. falso* 3. *C. de commun. rer. alienat.*

2 Venditio enim partis communis non tollit communionem, ad quam conseruandam huiusmodi pactio pertinet, sed tantum mutat socium alienato per venditorem dominio suæ partis in emptorem, *l. ad officium* 3. *C. commun. diuid.*

4 Licet eadem plerumque soleat causa esse emptoris, quæ venditoris, *l. inuitus* 156. § *plerumque. De reg. iur.*

5 Simile quiddam est *in l.* 4. §. *vltim. D. de seruit. l. inter* 36. *D. de admin. tutor.*

6 Hoc ipso enim quod partem suam alienauit fecit, vt pars socij exiret de communione, *l. ex hereditate* 54. *D. famil. ercisc. l. in hoc* 14. *§. pen. D commun. diuid.*

7 Verba namque illa conuentionis, *quousque bonorum communium diuisio fieret*, in vniuscuiusque ex sociis arbitrio relinquebant, vt quoties vellet, diuisionem petere posset.

8 Quæ conuentio valet, *l. si conuenerit* 14. *D. pro socio.* licet non æque illa ne omnino diuisio fiat, *d. l. in hoc* 14. §. *si conueniat. D. commun. diuid.* quia nulla societatis in æternum coitio est, *l. nulla* 70. *D. pro socio.*

9 Text. est *in d. l. in hoc iudicium* 14. §. *pen. ff. commun. diuid.* Facit *l. Iulianus* 13. §. *idem Celsus, D. de act. empt.*

DEFINITIO XIII.

Pendente iudicio familiæ erciscundæ, aut communi diuidundo, quænam alienationes interdictæ sint, aut permissæ.

ACceptum inter cohæredes aliosve condiuisores familiæ erciscundæ, aut communi diuidundo iudicium, non facit quidem rem litigiosam, quia in iis iudiciis non de dominio & proprietate, sed de sola diuisionis ratione contenditur, cum constet res esse communes. [1] Sed tamen non eo minus prohibentur alienationes omnes, ex quo etiam mota controuersia est, nisi quæ sunt necessariæ, [2] quoniam interest condiuisoris non subiici alium condiuisorem, cum quo fortasse difficilior diuisio futura sit. [3] Sed hoc ita accipiendum est, si agatur de vendendis rebus singulis. [4] Nec enim prohibendus est vnus ex cohæredibus aut sociis, vt totam portionem suam distrahat si velit. [5] Multo magis si generaliter bona sua omnia vendiderit, dicendum erit etiam res communes in diuisionem venturas, quia nec nouum est, vt pleraque per alienationem transeant cum vniuersitate, quæ alioquin separatim alienari prohiberentur. [6] *Ita Senatus* pro liberis Oldradi Brocard, contra Michaelem de Bonnefoy, 5. Non. Iul. 1595.

1 Alioqui præiudicium reddendum est, si actor cohæres vel socius esse negetur, *l. 1. §. 2. & l. 2. D famil. ercisc. l. si quis contendit* 45. *eod.*

2 *l. alienationes* 15. *D. famil. ercisc.*

3 Semper enim durior fit conditio eius cui nouus aduersarius substituitur, fitque ex eo lis vtplurimum & longior & incommodior. Vnde fit, vt si res litigiosa legata sit peragenda sit lis cum hærede non cum legatario, etsi potest ille liti adesse si velit ne colludatur, *Nouell. 122. de litig. cap. 1.*

4 Ne in plures aduersarios distringatur qui cum vno solo in iudicio quasi contraxerit, *arg. l. & ancillarum* 27. §. *vlt. iunct. l.* 5. §. *idem scribit, D. de pecul.*

5 Quid enim si forte tanti habeat carere hæreditate ne propter eam cogatur litigare? *argument. l. 4. §. 1. De alien. iudic. mut. caus. fact.*

6 *l. quædam* 62. *D. de acquir. rer. domin.* Sane constat rem litigiosam posse ex contrario venire in diuisionem; *l. vlt. in fin. C. de litig.* sicut & legari potest *d. Nouell. 112. de litig. cap. 1.*

DEFINITIO XIV.

Si ex bonis diuidendis quædam sint indiuisibilia, quid faciendum.

CVm plures res inter cohæredes aut socios diuidendæ sunt, quæ singulæ diuidi commode non possunt, non vtique statim veniendum est ad licitationem, [1] Tametsi quidam ex sociis id petant, si non alij quoque omnes consentiant. [6] Sed sufficit hactenus recipere commodam diuisionem, vt quædam res vni, aliæ aliis adiudicari in solidum possint. [3] Nam & hæc diuisionis quædam species est, & quidem commoda. [4] Si quis enim ex sociis diceret, velle se in rebus singulis partem suam habere, cum id fieri nullo modo posset, non esset audiendus. [5] Porro licitationis vsus nullus est, nisi cum aut alia diuidendi ratio nulla supereſt, aut ij omnes consentiunt, quorum interest. [6] *Ita Senatus* in causa Claudij Willierme & Dominorum de la Biguerne. Idib. Sept. 1595.

1 Est enim licitationis remedium odiosum, & ideo non nisi deficientibus aliis omnibus amplectendum, *l. nam ad licitationem* 6. *famil. ercisc.*

2 Quid enim si alter ex sociis, qui non vult licitationem fieri, protestetur se non sufficere ad iusta precia, vt socium suum vilius licitantem possit vincere? Quomodo *in l. ad officium* 3. *in fin. C. commun. diuid.* quamquam hoc casu remedij loco introductum est, vt etiam extraneus ad licitationem sit admittendus, *d. l. ad officium.*

3 *d. l. ad officium, vers. cum autem.*

4 *l. communi* 7. *in princ. D. eod. tit. comm. diuid. l. nam satis* 6. §. 1. *vbi est text. eleg. D. quemad. seruit. amitt. l. Iulianus* 13. §. *idem Celsus* 17. *D. de act. empt. l. is qui fundum* 31. *D. de vsufr. legat.* eadem interueniunt *Instit. de re iudic.*

5 Lex enim duodecim tabularum neque diuisit, neque diuidi voluit inter cohæredes aut alios socios alia bona, quamquæ diuidi commode possunt, & eo modo quo possunt, *l. ha-*

BIU Cujas

redes 25.§.an ea stipulatio ff.famil.erciſc. in illis verbis, quia talis ſtipulatio per legem duodecim tabularum non diuiditur, quia nec poteſt.

6 l. item Labeo 22.§.1.verſ.ſed poteſt etiam ff.famil.erciſc.

TIT. XXVIII.

AD EXHIBEND.

DEFINITIO I.

De exhibendis actis curiæ an Caſtellanius, an curialis, & quando vterque teneatur?

EORVM quidem, quæ coram cuiuſque iuriſdictionis Caſtellano geſta ſunt, aſſeruandorum cura, vt quoties opus erit exhiberi poſſint, ad Scribæ quem Curialem vocant, non ad Caſtellani officium ex Sabaudiæ ſtatutis adeoque ex iuris communis ratione pertinet,[1] ita vt ſi exhibitio actorum petatur per eum, cuius intereſt, non magis Caſtellanus eo nomine conueniri poſſit, aut qui Caſtellani vices geſſit, quam iudex ad exhibitionem actorum iudicialium,[2] ſcilicet ad grapharij curam & diligentiam pertinentium. Sed ſi Curiali defuncto, in cuius protocollis repertum non ſit inſtrumentum, quod quæritur, Caſtellanus quaſi in ſubſidium, licet nullo iure conuentus, factum eſſe neget quod ipſius auctoritate ac præſente & ſubſcribente eo factum poſtea probetur, non improbabilis naſcetur præſumptio malæ fidei,[3] quæ oneret Caſtellanum, vt non ſolus quidem, ſed cum Curialis herede ad exhibitionem condemnetur,[4] & conſequenter, non facta exhibitione, in id omne quod intererit actoris.[5] Et quidem ſinguli in ſolidum ſalua alteri in alterum partis repetitione.[6] Hic enim vere illud vſurpari poteſt, quod iactari ſolet, calumnioſam negationem tollere beneficium iuris & omnium præſumptionum.[7] Quod ſi Curialis nullum hæredem reliquerit, ſolus Caſtellanus, ſi modo ſit ſoluendo, condemnandus erit in ſolidum, ſaluo illi regreſſu aduerſus hæreditatem aut bona Curialis, ſi qua ille reliquerit.[7] Sed neque quicquam referet an Caſtellanus aut curiæ ſcriba vere fuerit, qui tanquam talis conuenitur, ſi modo pro tali ſe geſſerit: tanto magis enim condemnandus eſt, qui vltro ſe ingerit adminiſtrationi officij, quod nec habeat, nec habere mereatur.[9] Exemplo eius qui pro tutore vel pro curatore alterius negotia geſſit, quem non ideo minus teneri certum eſt.[10] *Ita Senatus* in cauſa Stephani Bally, Georgij Girard & Dionyſij Raymond, 8. Id. Iul. 1593.

1 Nam & penes ſcribam manere debent acta iudicij, licet facta coram iudice non penes ipſum iudicem. DD. *in cap. quoniam contra de probat.* Boer. *qu.*15.*num.*4. Caſtellanus enim velut iudex eſt.

2 Specul. *in tit. De teſte,* §. *ſatis vtiliter verſ. pen.* Boer. *vbi ſupr. num.*5.

3 Scilicet ex turpi & improbabili abnegatione, cui pœnam aliquam conſtitui ſane æquum eſt, vt à Iuſtiniano factum fuit contra eum, qui prolatam manum ſuam negauit. *Nouell.*18. *de trient. & ſemiſſ. cap.*8.§. *ſtudium vero.*

4 Vt & alias ſua mendacio pœna conſtituta eſt, *l. vlt. D. de rei vindic. Auth. item poſſeſſor. C. qui potior. in pignor. hab.*

5 Æſtimabitur autem hoc caſu id quod intereſt ex iureiurando actoris, ſi dolus vel lata culpa aduerſarij interuenit, *l. ſi quando, C. vnde vi, cap. fin. quod met. cauſ.* Boer. *qu.*15.*nu.*5.

6 Actionis enim diuiſioni cauſam æquitas dare ſolet, ne alteruter nimis oneretur. Vnde eſt quod *diuiſionis æquitatem* dicere ſolent Iureconſulti, *l. penult. ff. de fideiuſſ. tut. l. vlt. C. de conſt. pecun.* Æquitas autem nulla eſt quæ faciat pro eo, qui ſit in mala fide, cui potius deneganda omnino eſſet repetitio aduerſus alium licet conſcium fraudis, *arg. l. ex facto* 30. *verſ. idem reſpondit ff. de neg. geſt. l. ſi plures* 38. *in fin. de admin. tutor. l. penult. D. ad SC. Trebell. l. itaque* 12.§.1. *ff. de furt.*

7 Vt calumnia non relinquatur impunita, *l.*1.§.1. *ſi mul. vent. nom. in poſſ. cal. cauſ. eſſ. dicet.* & fomenta calumniæ reſtinguantur, vt ait *hic. brandis* 19. *C. de nupt.*

8 Vt quod communi culpa peccatum eſt, communi quoque damno ſarciatur, *l. eandem* 9.§. *pen. de duob. reis.*

9 Hoc ipſo enim fit ſuſpectus, quod ſe vltro ingerit, *l. quæ omnia* 25 *ff. de procur. l. ex ſententia* 29 *ff. de teſtam. tutel. l. ſcire* 21.§. *vlt. ff. de tutor. & curat. dat. ab his.*

10 *l.*1. *& tot. titul. de eo qui pro tutor. prove curat. negot. geſtor. l. falſus* 21. *Cod. de furt.*

DEFINITIO II.

De punienda contumacia nolentis exhibere.

CVm alterutrius ex litigatoribus ſumptu rei controuerſæ ocularis, vt aiunt, oſtenſio faciendæ eſt,[1] ſi aduerſarius ad dictam diem non adſit, non idcirco iudex re infecta diſcedere debet,[2] ſed cum probis viris, quos & præſens pars elegerit, & ipſe ex officio pro abſente nominauerit, rem perficere.[3] Id ſi non fecerit, ſed in pœnam contumaciæ re infecta diſceſſerit,[4] non idcirco poſtmodum iubere poterit, vt contumacis eandem indicationem petentis ſumptibus ea fiat, ſed potius, vt priores ſumptus, qui ob contumaciam inanes fuerunt, reſarciat.[5] Alios, quos rurſum fieri neceſſe eſt, is ipſe præſtet qui priores præſtare debuit.[6] *Ita Senatus* in ea cauſa de qua SC. 26. infr. De pignor.

1 Solet autem vtplurimum fieri ſumptibus petentis, ſiue actor ille ſit, ſiue reus, niſi cum ex iuſta cauſa, vel à lege, vel à iudice aliter conſtitutum eſt. *leg. ſed etſi* 11.§.1. *D. hoc tit.*

2 Cum ex contrario ſtudere debeat, quantum poteſt, vt lis terminetur aut fiat breuior, *argum. l.* 3. §.1. *ff. de recept. qui arbitr.*

3 *Arg. l. ſi irruptione* 8.§.1. *ff. fin. regund.*

4 Quaſi exiſtimans per errorem iuris nihil ſibi faciendum eſſe abſente parte licet vocata, *arg. l. inter* 44. *D. de recept. qui arbitr.* cum tamen abſens rite citatus ſi ſit contumax pro præſente haberi debeat. Contumacia enim pro præſentia eſt. *Auth. quæ in prouincia, C. vbi de crim. agi oport.*

5 Sic enim contumacia puniri ſolet, *l. ſancimus* 15. *Cod. de iudic. & Nouell.*18. *De trient. & ſemiſſ. cap.*8.§. *ſtudium vero, verſ. Si vero longiori.*

6 Ita enim fit, vt indemnis ſeruetur is contra quem fuit aduerſarius contumax, quod ſufficere ei debet, vt neque contumacia impunita remaneat, neque grauius etiam quam æquum ſit puniatur. Quid enim aliud exigimus niſi vt contumacia nec proſit contumaci nec noceat aduerſario? Nemo ſiquidem ex delicto alterius lucrum ſentire debet, ſatiſque eſt, vt nec ſentiat damnum, *arg. l. item ſi* 14.§. *aliquando. De eo quod met. cauſ. l. dominus* 57. *in fin. ff. locat. l. hominem* 37. *in fin. ff. mandat.*

DEFINITIO III.

Actio ad exhibendum proponi poteſt coram iudice laico contra clericum, quia in rem ſcripta eſt.

AD exhibendum actio in perſonam quidem directa, ſed tamen in rem ipſam ſcripta eſt.[1] Ideoque exerceri coram iudice laico etiam contra clericum poteſt.[2] *Ita Senatus* in ea cauſa, de qua Defin. 37. ſup. De iuriſd. omn. iudic. & for. compet.

1 *l.*3.§. *vlt. l. Celſus* 5.§. *vlt. D. hoc tit.*

2 Scripſi *Defin.* 37. *ſupr. de iuriſd. omn. iudic.* vbi vide. Intellige autem eo potiſſimum caſu quo ſit hæc actio ad exhibendum præparatoria vindicationis ſiue ciuilis, ſiue hypothecariæ, quam in rem conſtat præcipue comparatam eam eſſe, *l.*1. *D. hoc tit. l.*1. *Cod. eod.*

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI
DEFINITIONVM FORENSIVM,
ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ
Senatu Tractatarum,

LIBER QVARTVS.

TITVLVS PRIMVS.

DE REB. CREDIT. ET IVREIVR.

DEFINITIO I.

Condemnatus ex iureiurando deciſorio nullas debet expenſas; Secus eſt in iureiurando ſuppletorio.

QVi iuſiurandum inficianti detulit,[1] aut etiam deferenti ſuperſtitioſa fortaſſe religionis veneratione [2] retulit,[3] ſi iurante aduerſario vincatur,[4] expenſarum condemnationi, quę temere litigantibus pœnę nomine infligenda eſt,[5] non ſit obnoxius.[6] Nec huic recte comparabitur is, cui neceſſarium, quod vocant, iuſiurandum ſupplendæ probationis gratia delatum à iudice litis victoriam ademerit.[7] Victurem enim, qui etiamſi peteret, ius tamen ſibi dicere credatur,[8] dolum culpamve aduerſarij ex propriæ conſcientiæ ſuſpecto alioquin teſtimonio [9] inducere abſurdum eſſet.[10] At vero, qui dubiæ probationis fidem vel inuito aduerſario ſoloque iubente iudice compleat,[11] veritatis præſumptionem, quę iuriſiurandi oblationi cauſam dederit, iurando non extinguit.[12] *Ita Senatus* die 23. Febr. 1588. Et rurſum in cauſa Goneti Perier & Bened. Bellemin, 4. Calend. Decemb. 1594. & pro Claudio Caſtellano, contra Ioannem Guibourg 28. Iunij 1591.

1 Expediendæ litis gratia, *l.1. de iureiur.* & vt ſe probandi neceſſitate exoneraret, *l. eum qui 30. eod.*

2 Sunt enim qui iurare nunquam velint, adeo ſunt timidi metu diuini numinis vſque ad ſuperſtitionem, vt Vlp. loquitur, *in l. quæ ſub conditione 8. D. de condit. inſtit. l. cum quidam 21. verſ. neque enim, C. de fid. inſtrum.*

3 Aut enim iurare cogitur, aut referre, quiſquis ille eſt, cui delatum fuit iuſiurandum, *l. manifeſtæ 38. D. hoc tit.*

4 Quia dato iureiurando non aliud quæritur, quam an iuratum ſit, remiſſa quæſtione an debeatur, quaſi ſatis probatum ſit iureiurando, *l. non erit 5. §. dato, D. eod.*

5 *l. properandum 13. §. ſiue autem alterutra C. de iudic. l. eum quem temere 79. ff. eod. l. 1. §. qui excuſatione. ff. de vacat. & excuſ. muner.*

6 Bald. & cæteri *ad Authent. generaliter, C. de epiſc. & clerie.* reprobata opinione gloſſæ *in l. pen. §. pen. in verb. ab altera parte, C. hoc tit.*

7 Noſtri vocant iuſiurandũ ſuppletiuum, de quo tractant *ad l. admonendi 13. ff. de iureiu. & ad l. in bonæ fidei 3. & d. l. pen. C. hoc tit.*

8 Qui enim iurat deferente aduerſario, is quodammodo iudex in cauſa conſtituitur, *l. in princ. D. quar. rer. act. non det.* [Ideoque nec poteſt à ſententia per quam ex aduerſarij iureiurando condemnatus ſit appellare *l. generaliter, §. ſin autem, C. hoc tit.* Fachin. *lib. 1. Contr. cap. 23.*]

9 Omnibus enim in re propria dicendi teſtimonij facultatem iura ſubmouerunt, *l. omnibus 10. iunct. l. etiam 3. C. de teſtibus* qua ratione nec puto defendi poſſe vlla iuris ratione iuſiurandum hoc, quod ſuppletiuum vocant. Quam in rem videnda ſunt quæ ſcripſi in Chiliad. *De error. pragmat.*

10 Sufficere enim ei debet, quod probandi neceſſitate fuerit exoneratus, ob idque vicerit, *arg. d. l. eum qui 30. D. de iureiur.* Idque eſt quod noſtri dicunt probationem hanc eſſe priuilegiatam, ob idque expenſarum condemnationi locum facere non poſſe. [Obſerua tamen quod Senatus noſter diſtrictè obſeruat, vt non condemnetur reus eâdem interlocutione qua actor admittitur ad iuſiurandum ſuppletiuum ne quidem cum hac clauſula quam inferiores iudices addere ſolent, *& præſtito iureiurando.* Ita enim videretur is qui certus eſſet de victoria inuitari ad iurandum, ac fortaſſe peierandum. Ergo in tempus præſtiti iureiurandi differenda eſt condemnatio. *Ita Senatus* 11. Iunij in publico auditorio 1611.]

11 Semiplenam enim probationem adeſſe oportet, vt iuramento ſuppletiuo locus eſſe poſſit. Bart. late & poſt eum cæteri *ad d. l. admonendi.* Imo & ſunt qui putent requiri plus quam ſemiplenam. Vide *Defin. 4. j.*

12 Ratio hæc colorata eſt magis quam vera. Nam negari non poteſt, quin & hæc probatio ſit priuilegiata, quo præcipue argumento Bald. *ad d. Authent. generaliter*, concludit, nec hoc caſu condemnationi expenſarum locum eſſe debere. De quo vide etiam quæ ſcripſi in Chiliad. *De error. pragmat.*

DEFINITIO II.

Periurij ex nouis inſtrumentis probandi commodum nullum remanere debet penes peierantem.

ETſi poſt deciſam iureiurando controuerſiam nulla de periurio ſupereſſe quæſtio ſolet:[1] Si tamen ex nouis inſtrumentis euidens periurium in promptu approbetur, boni iudicis officio congruit, vt videat, ne ex tam improbo delicto impium ſibi lucrum quærere victor poſſit:[2] Atque ideo, Et, ſi quid ex iureiurando iudicatoque ſolutum ſit, vt indebitum repetetur,[3] & quod ſolui debuerat, ſi nondum ſolutum ſit, oppoſita doli exceptione retinebitur:[4] Sin perperam abſolutus reus fuit, cauſa ex integro acta, non vt periurus,[5] ſed vt debitor condemnabitur.[6] *Sine die.*

1 *l. 1. & 2. D. hoc tit. l. quod ſi deferente 21. D. de dolo.*

2 *l. vlt. C. hoc tit.* Turpia enim lucra ſemper extorquenda ſunt etiam heredibus qui non deliquerunt, licet crimina morte finiantur, *l. 3. §. vlt. & l. 5. in princ. D. de calumniat. l. 3. in prin. D. de vi & vi armat.* cum ſimilibus.

3 *d. l. vlt.* in illis verbis, *repeti ab eo legatum vel fideicommiſſum.*

4 Nam cui damus ſoluti repetitionem, multo magis damus doli exceptionem ne cogatur ſoluere, vel ex iuris regula quæ habet, dolo facere eum qui petit quod redditurus eſt, *l. ſi ſocer 44. §. Lucius, D. ſolut. matr. l. dolo, 8. D. de doli mal. except. l. in condemnatione 173. §. vlt. de regul.*

BIU Cujas

5 Sufficit enim periurij pœna, *l.nam sufficit 22. D. de dolo*, id est, vitio Dei, cum iurisiurandi contempta religio solum Deum vltorem habeat, *l.2.C.hoc tit.* Fachin. *lib.1.Contr.cap.14.*

DEFINITIO III.

Nec iurare cogitur nec referre, qui aliter suam intentionem probare vult, adeoque potest delationem iurisiurandi à se factam reuocare.

QVi intentionem suam testibus aut instrumentis probare non diffidit, delatum sibi ab aduersario iusiurandum nec suscipere cogitur,[1] nec referre.[2] Non enim turpiter facere videri potest, sed modeste potius, qui religione magis quam conscientia motus tam facile iurare nolit.[3] Prudenter vero, qui nec litis victoriam, quam ex liquidis probationibus sibi exploratam comparare possit, certo deferentis periurio velit committere, quod haud dubie per iurisiurandi relationem contingeret.[4] Qua ex causa illud quoque non immerito constitutum est, vt is ipse, qui iusiurandum detulit, suis diffidens probationibus reuocare delatum possit in ipso etiam procinctu iurandi,[6] si quas forte alias habeat etiam, quibus antea consulto, vt aliquando tentandi aduersarij gratia fit,[7] renunciauerit. *Ita Senatus* innumeris Senatusconsultis & nouissime inter fratres Thomassin, [condemnato tamen eo qui delationem iurisiurandi reuocauit ad sumptus omnes quos ob reuocationem frustra factos esse apparuit.]

1 Quia iurare etiam de re certa & vera suspectum est & inuidiosum, *arg l.3.in princ.* ibi *alioquin facillimus quisque ad iusiurandum decurrens, D.hoc tit.* & plerique subtili reuerentia tenti, vt Iustin. loquitur *in l.cum quidam 21.versic. neque enim, C.de fid. instrum.*

2 Quoniam qui iusiurandum refert aduersario, perinde facit eum iudicem in propria causa atq; si deferret. Relatio enim delatio est, sed secunda non prima, *l.iusiurandum & ad pecunias 34.§.datur, & §.vlt.D.hoc tit.de iureiur.*

3 *l.quæ sub conditione 8 ff.de condit.instit.l.cum quidam 21.versic. neque enim, C.de fid.instrum.* Quod tamen vereor ne iuris rationi repugnet, qui video etiam in procuratore & defensore dubitasse Iureconsultos, an compellendi sint iurare, an vero sufficiat ad plenam defensionem, si parati sint iudicium accipere, *l iusiurandum & ad pecunias 34. §.procurator.D.de iureiur.* Quæ enim poterat esse dubitandi ratio, si nec dominus ipse iurare compelli posset paratus iudicium accipere? Et sane cum is, cui iusiurandum defertur, fiat iudex in causa propria, *l.1.D.quar.rer.act. non det.* vix est, vt non perpetuo verum sit, quod ait *l.38. D. de iureiur.* manifestæ turpitudinis esse nolle iurare, nec iusiurandum referre. Alioqui non esse semper hoc remedium aptum expediendis litibus, vt ait *l.1.eod.* Et vero verba edicti sunt præcisa: *Soluere aut iurare cogam. d.l.34.§.ait prætor.*

4 Nam cum relatio iurisiurandi sit etiam delatio, vt diximus *num.2.* facit aduersarium iudicem in causa propria is, qui iusiurandum refert, *d.l.1.in princ.D.quar.rer.act.non det.* ideoque parum tutus dicitur, qui iusiurandum refert, *d.l. iusiurandum 34.circ.princip.*

5 Cacher. Osasc. *Decis.Pedem.8. post Ias. in §.item si quis postulante Instit.de action.*

6 Quia nimirum nihil actum videtur, quandiu aliquid superest agendum, *l.pen.in fin. C.de his quibus vt indign.* licet dici soleat, id quod in procinctu faciendum est, pro facto haberi debere, *l.pen.D.de test.milit.* Sane non sufficit voluntas suscepti iurisiurandi, si non remittatur, *l.6. D.hoc tit.*

7 Vt si susceperit iusiurandum, & paratus fuerit iurare, perinde postea periurij arguatur atque si iurasset. In quo tamen dolus quidam inest. Sed extat expressa in hanc rem Iustiniani constitutio *in l.si quis 11. C.hoc tit.* quæ facit potestatem reuocandæ delationis vsque ad diffinitiuam sententiam, quoties aliam probandi viam eligit is, qui primum detulerat iusiurandum. Adde *Defin.22.& 29.§.eod.*

DEFINITIO IV.

Iusiurandum suppletorium dari solet in defectum probationis, quæ tamen sit semiplena.

ACrore quidem non probante, reus tametsi nihil præstet iure vulgato absoluitur,[1] Idemque in reo vicissim obseruatur, vt condemnari omnimodo debeat, si probata per actorem intentione necessariis exceptionum suarum, in quibus vice actoris fungitur,[2] probationibus destituatur.[3] Si tamen alteruter semiplenas, vt vocant, probationes adferat, quod iustis deerit, exacto per iudicis officium à petente[4] iureiurando suppleri posse, iampridem inueterato nostrorum errore obtinuit:[5] sed hoc ita demum, si semiplenas esse iudici liqueat,[6] ne alioqui decidendi vltro negotij potius quam probationis supplendæ potestatem facere iudex videatur ei, cui iusiurandum deferat.[7] Semiplena autem probatio esse creditur, si vel vnus testis adsit, dummodo integræ existimationis,[8] nec contraria vlla præsumptione, is qui testem habet, oneretur.[9] *Ita Senatus* passim.

1 *l.qui accusare 4.C.de edend. l.vtifrui 5. versic.quod si forte, D si vsufruct.petet. l.actor, 23.C.de probat. l.si priusquam 15.in fin.D.de oper.noui nunciat.*

2 *l.in exceptionibus 19.in princ.D.de probat.l.negantes 9.* in illis verbis, *petitore quidem non implente intentionem suam, vel exceptione submoto, C.de oblig.& action.*

3 *l.si pactum 9.l.quoties 18. §.qui dolo, D.de probat.*

4 Nam si non petatur iusiurandum, hoc suppletiuum non potest à iudice vltro deferri Bart. *ad l.admonendi 31.D.de iureiur.* licet contra putet Fachin. *lib.1.cap.16.*

5 Error enim interpretum & pragmaticorum nostrorum ille est, vt scripsi *ad Defin.1. nu 9. &. & Decad. prioribus, de Error. pragmat.* Defertur autem tam reo quàm actori contra Fachin. *lib.1.cap.18.*

6 Nam cum probatio nulla est, aut non saltem semiplena, non potest videri causa dubia, cum haud dubiè actor sit condemnandus. Iusiurandum autem hoc non exigitur nisi in dubiis causis, vt loquitur *d.l.admonendi.*

7 Siquidem iudex constituitur in causa propria quisquis iurat. *l.1.in princ.D.quar.rer.act.non det.*

8 Bart. Ias. & alij communiter *in d.l.admonendi.* Sunt tamen qui velint probationem esse plus quam semiplenam & præter testem vnum adesse quædam iudicia. De quo vide Boer. *quæst.* Sane constat testem debere esse summæ atque integræ opinionis *l.testium 18.C.de testibus.*

9 Nam si qua vel minima præsumptio sit contra testem, vel contra producentem, non potest videri semiplena probatio, quæ vnum duntaxat testem habet, *argum.c.1.de præscript.in 6.* Ferrar. *in form.lib.resp. rei consuent. in verb.iurisiurandi num.19. & 20.*

DEFINITIO V.

Iusiurandum, quod vocant purgatorium, contrarias probationes semper admittit.

IVsiurandum quod purgationis vocant, cum litis decisorium non sit,[1] probationes, quæ in contrarium ab aduersario proferri possunt, nunquam excludit.[2] Præsertim cum nec adhiberi soleat, nisi ad excludendam suspicionem doli,[3] cuius probationem semper saluam esse oportet,[4] ne ob id minus puniatur, quod cum periurio iunctus esse cœperit.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Id. Febr. 1589.

1 Datur enim illi, qui alioquin etiam sine iureiurando vincere debet, *cap.vlt.extr.de iureiur.*

2 *l admonendi 31. D. de iureiur.* quæ ad hanc iurisiurandi speciem videtur pertinere. Quamquam si de illius sententia plura scire voles, vide quæ scripsi *in Decad. Err.*

3 Purgans enim se de dolo tenetur deierare, *l.quoties 21.§. prætor ait, & §.quod si reus, D.de noxal.act.*

4 Adeo vt nec valeat pactio ne de dolo agatur, *l.si vnus 27.§. illud nulla, D.de pact.l.in commodato 17.in princ.D.commod.*

5 Nunquam enim vnum delictum alterius pœnam minuit. *l.2.in princip.ff.de priuat.delict.* [Et ob hanc causam minoris momenti est iusiurandum purgatorium quam decisorium, vt scripsi *Def.31.num.4.infr.*]

DEFINITIO VI.

Qui ad iurandum admissus est iurare potest, non obstante appellatione, & citra eius præiudicium, aduersario tamen præsente vel vocato.

Quoties

QVoties ad iurandum quis per iudicem admissus est, tametsi ab ea sententia aduersarius prouocauerit, iurari tamen interim apud eundem iudicem potest nil remorante appellatione.[1] Ne alioqui pendente illa mortuo eo qui iurare debuit probatio intercidat;[2] Sed ita tamen vti ne quid præiudicij fiat appellationi, id est, vt si ex appellatione causa cognita quandoque pronunciatum sit iusiurandum deferri non debuisse, nulla præstiti ratio habeatur.[3] Nec interest hac parte qua ex causa, aut quo iusiurandi genere[4] iuratum sit. Illud sane districte obseruandum est, vt præsente aduersario iuretur,[5] nisi absit per contumaciam, quæ faciat vt haberi debeat ille pro præsente.[6] *Ita Senatus* pro Franciſca Moreau, contra Alixiam Palluat, 8. Cal. Febr. 1590.

1 Nam si per aduersarium admissus sit, ipso aduersario deferente nullus appellationi locus relinquitur. Quis enim ferendus est ad appellationis veniens auxilium in iis, quæ facienda ipse procurauit? Inquit Iustin. *in l. generaliter* 12. *§. 1. in fin. hoc tit.*

2 *d. l. generaliter circa princ.* in illis verbis, *Euenit vt prouocatione lite suspensa hi quidem, qui iusiurandum præstare iussi sunt, ab hac fortasse luce subtrahantur, probationes autem rerum cadant.* iunct. *§. sin autem eius d. leg.*

3 *d §. sin autem is cui, vers. sin autem non rite.*

4 Id est, an iureiurando suppletiuo an purgatorio. De quo scripsimus proxima Defin. In vtroque enim permittitur iurare non obstante appellatione, sed tamen citra eius præiudicium.

5 *dict. l. generaliter, §. his de præsentibus, vers. licentia danda, C. hoc tit.*

6 Contumacia enim pro præsentia est, vt ait *auth. quæ in prouincia, vers. sed si nec ipse, C. vbi de crimin. agi oport.*

DEFINITIO VII.

De iureiurando ebrij & furiosi: Et an iis necessaria sit absolutio?

IVsiurandum ab ebrio præstitum non maioris momenti esse debet ad contractum confirmandum, quam si à furioso interpositum esset.[1] Neque enim ille magis quam hic mentis suæ compos videri potest, vt possit intelligere quod agit.[2] Cum tamen quæreretur an absolutionem à iureiurando impetrare deberet, visum est tutius, debere:[3] nec sufficere quod aduersus contractum eo tempore celebratum impetrallet restitutionem.[4] Ideo fortasse quod, cum ebrietatis plerique gradus sint, non facile sciri possit, an vsque adeo ebrius fuerit qui ebrietatem allegat, vt iudicio prorsus caruisse credi debeat.[5] Hactenus tamen ei indulgebimus, vt si non petita per imperitiam absolutione litem contestetur apud iudicem, non statim vtique condemnetur, tanquam periurus, sed in alium diem quasi conniuentibus oculis per iudicem cognitio differatur, vt aduersus exceptionem periurij possit ille sibi prospicere implorando absolutionem.[6] Quod in cæteris personis maioribus annis vigintiquinque restitutionem in integrum ex quacunque causa petentibus non similiter obseruari solet.[7] *Ita Senatus* in publico auditorio, Id. Decemb. 1590.

1 Bald. *in l. 2. quæst. 10. C. de rescind. vendit.*

2 Adeo vt furiosus tum etiam cum adest absens esse intelligatur, *l. vbi non voce 124. §. furiosus, de reg. iur.* & quidem per omnia, & in omnibus, vt ait *l. 2. §. penult. D. de iur. codicill. l. sed si vnius 17. §. filiofamilias D. de iniur.* Quomodo enim consentit qui nec sentire potest? Inquit *l. si tibi 8. §. vnius, D. de opt. legat.* Et vero constat iusiurandum tres perpetuos comites habere debere, iudicium, iustitiam & veritatem. Quodnam autem vel furiosi, vel ebrij hominis iudicium esse potest?

3 Propter periculum periurij quod Deum vltorem habet, *l. 2. C. hoc tit.* Nam vbi periculum animæ versatur, deferre non possumus, ne nimis magna cautio adhibeatur, vt res in tuto sit, Facit *l. quoties 80. de verb. obligat.*

4 Est enim multo facilius, vt ex iureiurando nascatur exceptio periurij, quam vt contractus confirmetur, cum eueniat plerumque, vt prosit iusiurandum ad inducendam exceptionem periurij, non etiam ad contractum confirmandum. Bart. late *in l. si quis pro eo, D. de fideiuss.*

5 Nam si euidenter constaret omni prorsus iudicio caruisse iurantem eo tempore, quo iurauit, nullam proculdubio iusiurandi rationem haberi oporteret, ideoque nec absolutio esset necessaria, quæ vinculum præsupponit.

6 Ne alioqui eueniat, vt summum ius summa sit iniuria.

7 Iis namque imputatur, cur non simul cum restitutione in integrum impetrauerint etiam absolutionem, quandoquidem constat contractum tenere, qui etiam ex puberis iureiurando confirmari possit, *Auth. sacramenta puberum, Cod. si aduers. vendit.* Debet enim actor venire paratus & instructus, cum in potestate sua habeat agere quando velit, *l. 5. §. vltim. D. de doli except. l. vnic. Cod. vt nemo inuit. l. petendæ 6. Cod. de tempor. petend. in integr. restit.* agit autem quisquis petit restitutionem. Siquidem nihil aliud restitutio est, quam redintegrandæ rei vel causæ actio, vt Paulus in sententiis definit.

DEFINITIO VIII.

Iusiurandum purgatorium ex solo iudicis officio deferri potest, suppletorium non item.

SIue actori, siue reo, qui suam intentionem semiplene tantum probauerit, iusiurandum, quod suppletiuum vocant,[1] non nisi petenti deferendum est.[2] Nec sufficiet quod ius & iustitiam, vt ex vulgari Aduocatorum stylo fit, sibi ministrari petierit.[3] Nam sicuti non facile quisquam credendus est iurare velle:[4] Ita nec ad iurandum à iudice inuitandus est,[5] propter periculum periurij si iuretur,[6] aut suspicionem calumniæ, si iusiurandum à iudice non petenti oblatum recusetur.[7] Iurisiurandi, quod ad purgationis duntaxat causam pertinet, alia ratio est. Solo enim officio iudicis defertur, & quidem ei cuius intentio iam satis aliunde probata sit, quique iusiurandum non tam petere debeat, quam accipere.[8] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Mauris, & Andreæ Grumel 3. Non. Mart. 1593.

1 De quo scripsimus *Defin. 4. §.*

2 Bart. *ad l. admonendi, num. 60. D. de iureiur.* Ferrar. *in form. responsi rei, in verb. iusiurandum, num. 13.* licet contra sentiat Fachin. *lib. 1. contr. cap. 16. & 18.*

3 Quamuis ita putet Alexand. *cons. 91. vol. 5.* Vide Apostill. ad Bart. *in d. l. admonendi.*

4 Metu scilicet diuini numinis, *l. quæ sub conditione 8. D. de condit. instit. l. cum quidam 21. C. de fid. instrum.*

5 Ne alioquin facillimus quisque ad iusiurandum decurrens periurium incurrat, *arg. l. 3. in princ. D. de iureiur.*

6 Etsi enim non præsumitur iurans immemor salutis æternæ, *l. vlt. C. ad leg. Iul. repet.* nemo tamen nescit quam facile plerique vel pro re minima peierent.

7 *Arg. l. manifestæ 38. D. de iureiur.*

8 Vt scripsi *Defin. 5. §.*

DEFINITIO IX.

Nemo præcise cogitur iurare, sed referre iusiurandum potest, nisi in certis casibus.

QVod vulgo iactatur manifestæ turpitudinis esse nolle iurare, nec iusiurandum referre,[1] ostendit satis nunquam in eas angustias coniiciendum eum, cui defertur iusiurandum, vt vel iurare cogatur, vel causa cadere.[2] Permittendum namque illi est, vt referre iusiurandum possit si malit.[3] Sunt enim plerique tam superstitiosa religione & conscientia, vt nec si sciant verissima esse quæ affirmant, iurare tamen velint.[4] Consequens ergo est, vt non alius admitti debeat ad delationem iurisiurandi, quam cui ipsi iurisiurandum referri possit.[5] Nisi referendi facultas ex persona illius cui delatio fit, impediatur, vt euenit cum filiofamilias aut seruo defertur iusiurandum,[6] aut in actione furti rerum amotarum,[7] aliisque similibus, quæ criminis causam adnexam habent.[8] *Ita Senatus* in causa Iarsu, contra Dom. de Seteney, Prid. Id. Maij 1591.

BIU Cujas

1 *l.manifestæ 38.C.de iureiur.*

2 Etsi verba edicti sic concepta sunt: *eum à quo iusiurandum petetur soluere aut iurare cogam. l.iusiurandum & ad pecunias 34. §. ait prætor, D.eod.* Id enim ita intelligi debet, nisi malit ille iusiurandum referre quam iurare, vt ibidem statim subiicit Vlpianus *in §.datur.*

3 *dict.§.datur, & §.vltim.eiusd.leg. l.actori 8. l.delata 9.Cod.eod.* [Quid ergo si dicat nolle sd iurare de facto quod antiquius sit decennio, & cuius memoriam ideo excidisse facilè credendum sit? Bona ratio erit ne cogatur in dubia conscientia iurare, sed non vti ne sit cogendus referre aut soluere, quia sufficit tale factum esse de quo iurari possit, licet nolendi iurare causam iustam habeat is, cui delatum est. *Ita tractatum* pro D.du Four, contra Illust.Margaretam à Camera, mense Iunij, 1612. Ex Cravet.*consil.*203. Placuit tamen temperamentum, vt si is, cui iusiurandum defertur dicat se immemorem, & ideo iurare nolit, nec referre, permittendum sit deferenti, vt præstet iusiurandum purgatorium, cuius tamen in eo minor vis est, quam decisorij quod admittit probationem in contrarium. Sed si is qui iurare non potest malit referre, audiendus est. *Ita Senatus* in eadem causa, 4. Cal. Dec. 1612.]

4 *l.quæ sub conditione 8.ff.de condit. instit. l.cum quidam 21. vers. ntque enim, C.de fid.instrum.*

5 Ne ex persona aduersarij fiat durior conditio eius, cui iusiurandum defertur. [Vide tamen Fachin. *lib.1. Contr.c.21.* post Cravet.*cons.*203.]

6 *l.si seruus 23.cum l.seq.ff.de iureiur.*

7 *l.Marcellus 11.§.vlt.& l.seq.ff.rer.amot.*

8 Nam nec regulariter locus est delationi vllius iurisiurandi in actionibus criminalibus, vt tractat Bart. & post eum cæteri ad *l.admonendi 31.ff.de iureiur.*

DEFINITIO X.

Formam delati ab aduersario iurisiurandi iudex sequi non cogitur.

IVdex cum iurari iubet ab eo cui aduersarius iusiurandum detulit, non semper delatam formam sequi cogitur, sed eius pro arbitrio ex iusta causa moderandæ ius habet. Quid enim si superstitionem admixtam delatio habuit?[2] Aut quid si deferens maiorem iurandi solemnitatem exigat quam pecuniæ de qua controuertitur quantitas patiatur, aut conditio personarum inter quas contenditur?[3] Sed & cum sub certa forma iusiurandum delatum est, nihilominus facere iudex potest, vt sub alia iuretur ab eo, cui relatum est.[4] Denique totum id in iudicis arbitrio positum est, dummodo tale arbitrium sit quale boni & circumspecti viri esse debet.[5] Idque Sabaudiæ etiam statuto cautum est, & constitutum ne super sacrosanctis Diui Antonij reliquiis iurare passim cogatur quilibet, quamuis eam iurandi formam præscripserit is qui detulit iusiurandum. *Ita Senatus* ex tempore. Eodem die.

1 *l.iusiurandum & ad pecunias 34.§.non semper, ff.de iureiur.* In eamque rem exstat apud nos statutum in veteribus statutis Sabaudiæ, vt sequitur *in Defin.*

2 *l.non erit 5.§.sed si quis illicitum, D.de iureiur.*

3 Finge pro pecuniæ quantitate perexigua deferri iusiurandum solemniter præstandum super sacrosanctis Diui Antonij reliquiis populo in eam rem per campanæ sonum conuocato, vt plerumque deferunt ij etiam qui sciunt liquido iurari posse, & tuto.

4 *d.§.non semper*, etsi non facile euenit, vt displicere debeat conditio iurisiurandi ei qui detulit, vt Vlpian. scribit *in cad.l. iusiurandum 34.§.datur.* Vide Cravet.*cons.*203.

5 Pro personarum scilicet, rerum, locorum & temporum varietate, ne quid durius aut remissius constituatur, quam causa postulabit, *d.§.non semper l.4.§.1.in fin.D.de incend.ruin.& naufrag.* [Itaque cùm ei qui iusiurandum detulerat super reliquiis sancti Antonij in æde sacra Camberiensi relatum esset, nec is propter senectutem & infirmitatem corporis Camberium venire posset, visum est ei permittendum, vt in alio loco minus incommodo iuraret si in eo essent aliæ sancti Antonij reliquiæ. *Ita Senatus* in causa N. Claudij Goy, & Cl.de Mondragon, 13. Decembr.1612.]

DEFINITIO XI.

Post præstitum iusiurandum nihil allegari potest quod iusiurandum impedire potuerit.

QVi aduersarium iurare patitur iis omnibus allegationibus renunciasse intelligitur, quæ ante iusiurandum interpositum obiici, iurisque iurandi præstationem impedire aut remorari potuissent.[1] *Ita Senatus* ex tempore 6.Cal. Iun.1591.

1 Quia iusiurandum habet vim rei iudicatæ, *l.1.& 2.ff.de iureiur.* nec post delatum præstitumque iusiurandum de alio quærendum est, quam an iuratum sit, *l.non erit 5.§.dato l.nam postea quam 9.in princ. l.alias 18.& pass. eod.tit. l.si quis iusiurand.in 11.in fin.C.eod.* vbi ratio redditur ne repetita lite finis negotij alterius causæ fiat exordium. Saluæ tamen manent omnes eæ exceptiones, quæ etiam in causa iudicati obiici possent, *l.eum qui 30.§. vlt.ff.eod tit.de iureiur.*

DEFINITIO XII.

Senator super obiectis causis suspicionis iurare non cogitur.

SI Senatorem suspectum quis dicat, & suspicionis causas probare iussus Senatoris religioni & sacramento rem committat, causatus nullas se alias habere probationes, non est audiendus. Id enim Senatoriæ dignitati, & honori tribuendum esse visum est, vt quod ad hanc rem pertinet, nec iurare Senator cogatur, nec iusiurandum deferre.[1] In inferioribus iudicibus sicut non eadem priuilegij ratio est, sic aliter obseruatur.[2] *Ita Senatus* 11.Cal.Iulij 1591.pro D.Senatore Cauet, contra Aduocatum doctiss.Gabrielem Damodry.

1 Nam & illustribus personis, quæ ad testimonium dicendum euocantur, solet interdum remitti iusiurandum ex Iustiniani constitutione, quam restituit Iacob.Cuiac. *lib.13 obseru.c.38.de qua in l.constitutio 10. C.de testib.* quamuis iurisiurandi religione testes omnes arctari voluerit Constant. *in l. iurisiurandi 9. eod.* Quanto magis igitur in proposito casu fauebimus Senatori?

2 Licet dicimus præstari debere à iudicibus iusiurandum, de quo *in l.rem non nouam 14.iunct. Auth.hodie Cod.de iudic.* quod tamen à Senatoribus præstari debere nemo dixerit, quippe qui pro sua prudentia & grauitate credendi non sint aliter iudicare velle, quam Princeps ipse esset iudicaturus, *l.vnic.§.his cunabulis, de offic.præf.præt.*

DEFINITIO XIII.

Absolutio à vinculo iurisiurandi ad fines agendi tantum concedi solet inaudito aduersario, nec tamen necessaria est heredi iurantis.

EO iure vtimur, vt ei qui iurauit concedi soleat venia iurisiurandi per Episcopum aut eius vicarium, etiam non citato aduersario, sed ad fines agendi tantum non vt à iurisiurandi vinculo plenissime liberatus intelligatur.[1] Sane non est heredi ea absolutio necessaria, ne quidem ad fines agendi,[2] quia quod ad inducendam periurij exceptionem attinet iusiurandum est personalissimum, nec transit ad hæredem,[3] licet eadem persona cum defuncto esse existimetur.[4] *Ita Senatus* sæpius.

1 Licet contra sentiat Guid.Pap. qui putat necessariam esse citationem *quæst.*140.

2 Idem Guid.Pap. *ibid.* & recte.

3 *Cap.veritatis*, vbi Innoc.Host. & cæteri. *Ext.de iureiur.*

4 *l.heredem 59.l.nihil 62.de regul.iur. l.vltim. Cod.de heredit.instit.cum similibus.*

DEFINITIO XIV.

Si pendente appellatione à delatione iurisiurandi decesserit is, qui iurare potuit nec iurauit.

ACtori, qui non satis plene intentionem suam probauerat, iudex suppletiuum, vt vocant, iusiurandum detulerat,[1] & ab ea delatione aduersarius prouocauerat,[2] tum appellatione adhuc pendente actor decesserat. Cum quæreretur, an probatio quæ ex iu-

BIU Cujas

ex iureiurando sperabatur intercidisset, an potius iusiurandum pro præstito haberi oporteret? Dicebam non esse pro præstito habendum, siquidem fieri potuerat, vt in ipso etiam procinctu iurandi religione aut conscientia impediretur actor ne iurare vellet. [3] Aut si omnimodo erat iuraturus, imputari ei poterat, cur post interpositam ab aduersario appellationem non petiisset, vt saluo iure appellationis iurare sibi liceret. Hoc enim veluti remedio consultum est ei, qui iurare debet, aduersus imminens periculum amittendæ probationis, ne damnum incurrat si forte inter ipsas appellationis moras moriatur: [4] Cuius tamen periculi non erat cur ratio vlla haberetur, si ita ius esset, vt mortuo interea actore iusiurandum pro præstito haberi posset. [5] Verum Senatus magis probauit, vt pro præstito haberetur. Non alia ratione quam quia per appellantem factum esset quo minus iuratum fuisset, [6] nec deberet ei appellatio iniusta prodesse, [7] ob id solum quod victor iuris beneficio pro se introducto vti noluisset, vt pendente appellatione iuraret. [8] *Ita Senatus* pro fratribus Fotet, contra Dom. de Choysi [8]. Calend. Septembr. 1592.

1 Secutus errorem illum interpretum & pragmaticorum, de quo scripsimus *Defin. 4 sup.*

2 Quod facere pro suo iure potest, vt diximus *Definit. 6. §. eod.*

3 Sic enim aliquando inspicimus id, quod potuit euenire facile dum citra iniuriam, aut malum omen, *l. qui bona* 13. §. *cum inter. de damn. infect. l. eo tempore* 50. *D. de pecul. l. cum tale* 72. *in prin. de cond. & demonstr.*

4 *l. generaliter* 12. §. 1. *C. hoc tit.* Dixi *dict. Defin. 6.*

5 Nulla enim hoc casu ratio faceret, vt recedi deberet à iuris regula, quæ non patitur innouari quicquam pendente appellatione, *tot. tit. Nihil innou. pend. app.* Neque vero defuncto actore probatio intercideret, quam tamen intercidere scriptum est, *in d. l. generaliter circ. princ.* illis verbis, *euenit vt prouocatione lite suspensa, hi quidem, qui iusiurandum præstare iussi sunt, ab hac fortasse luce subtrahantur, probationes autem rerum cadant.*

6 In toto autem iure quod per te factum est, ne fieret pro facto habendum est, *l. iure ciuili* 24. *l. Iulius* 81. §. *vlt. de condit. & demonstr. l. Labeo scribit* 50. *D. de contr. empt. l. iure* 161. *de reg. iur. cum similibus.*

7 *l. tutor condemnatus* 41. *in princ. D. de vsur.*

8 Quomodo enim is qui appellauit à delatione iuramenti obiicere & imputare aduersario suo potest, cur non iurauerit? Sed respondebam non posse quidem id imputari per aduersarium, qui ipse noluerit iurari. At non eo minus locum esse legibus, quæ volunt delationem iurisiurandi intercidere præmortuo eo, qui iurare debuit, siue iurandi non obstante appellatione potestatem habuerit siue non. Adducebatur *d. l. generaliter* 12. §. 1. *C. hoc tit.* in illis verbis, *vel si hoc recusauerit quasi illato sacramento præstito.* Sed tota illa lex loquitur de iureiurando, quod contra ipsum appellantem præstari debuit, non de eo, quod ab appellante, vt scripsi *in Chil. de err. pragm.* Iunge *Defin. 32. §. eod.*

DEFINITIO XV.

Si è contrario decesserit is, qui iusiurandum detulit, & cui potuit referri.

EAdem fere quæstio tractari potest, Si is qui iusiurandum detulit cum ei referri posset decesserit priusquam aduersarius iuraret, siue ante acceptatam, aut à iudice approbatam delationem iurisiurandi, siue post, an pro relato præstitoque haberi debeat, nolente aduersario cui delatum fuerat iurare, cum nec hæredi referre possit. [1] Nam si iurare velit vtique audiendus est, etiam post mortem deferentis: [3] Sin referre, non item, quia iniquum est cogi hæredem iurare de facto defuncti. [3] Verius tamen est pro relato & præstito habendum esse, ne ei cui delatum est prosit, quod perperam & sine causa iurare, vel referre recusauit. [4] *Ita tractatum est* in causa Francisci Garin procuratoris Neciensis, & N. Pollet, 4. Februar. 1593.

1 Sicut nec deferre, *l. Marcellus* 11. §. *iurare, ff. ver. amot.* vbi ratio redditur, quod iniquum sit de alieno facto alium iurare. Paul. *lib. 2. sent. tit. 1. §. 4.*

2 Neque enim mors deferentis extinguit delationem, cum eius præsentia suppleri possit per præsentiam heredis.

3 *d. §. iurare.*

4 *Argum. l. generaliter* 12. §. 1. *C. hoc tit.* in illis verbis, quæ retulimus, *num. vltim. Defin. præced.* Etsi enim verum est, quod diximus, *Defin. 9. §.* iurare non cogi eum qui non possit referre. In proposito tamen id dici non potest, cum per eum qui iurare potuit & debuit, aut referre, factum sit, ne hodie iusiurandum referri possit, mortuo scilicet interea eo, cui potuerat hoc iusiurandum referri, si voluisset. Scripsi *dict. Defin. 9. num. 6. & 7.*

DEFINITIO XVI.

Iusiurandum simpliciter & sine solennitate delatum quomodo præstandum sit.

SI de facti veritate simpliciter delatum tibi sit ab aduersario iusiurandum, nulla solemnitatis forma præscripta, sufficiat tibi ad victoriam, quod simpliciter rem ita se habere, aut non habere iurauerit. [1] Nam quod dici solet, Aliud esse iurare, aliud positionibus, vt vocant, & allegationibus aduersarij cum iureiurando respondere, tunc procedit cum solemne iusiurandum delatum est, [2] vtputa super sacrosanctis Dei Euangelijs, aut sanctissimo missæ Canone, aut venerabilissimis Diui Antonij reliquijs. Quibus vtiq; casibus iurasse non videtur, qui non iurauit sicuti delatum est, [3] tametsi adhibito iureiurando quid affirmauerit vel negauerit. *Ita Senatus* pro N. Poysat Procuratore fiscali apud Bugienses, contra N. Claudium de Miniod, 3. Non. Decemb. 1592.

1 Nam cum iurari oporteat sicuti delatum est iusiurandum, *l. 3. §. vlt. D. de iureiur.* consequens est, vt si simpliciter & sine vlla solemnitate delatum sit, simpliciter quoque & sine solemnitate iuratum esse sufficiat.

2 Quo casu solemniter quoque & in forma delata non perfunctorie iurandum est. Iunge *Defin. 25. §. eod.*

3 *d. l. 3. vlt.* iunct. *l. 4. & 5. eod.*

DEFINITIO XVII.

Infamis iusiurandum deferre non magis potest quam iurare.

INfamis sicuti iurare non potest, [1] ita nec iusiurandum deferre, ne referendi facultas ei adimatur cui fuerit delatum. [2] *Ita Senatus* pro Francisco Garin, contra Michaelem Pollet, 14. Cal. Ian. 1591.

1 Nam si bonæ & integræ opinionis ac frontis esse debet quisquis pro alio testimonium dicit, *l. 3. in princip. §. lege Iulia, & l. quæsitum* 13. *D. de testibus l. testium* 18. *C. eod.* quanto magis ille qui in propria causa iudex constituitur, *l. 1. D. quar. rer. act. non det.* Sed & cum periurij pœna præcipua illa sit, vt infamis fiat quisquis fuit periurus, *l. si quis maior* 41. *C. de transact.* cur iurare permittimus ei, qui ob infamiam suam iam aliunde contractam possit hanc periurij pœnam contemnere, vt *in l. si quis iniuriam* 35. *D. de iniur.* Notant nostri post Bart. *ad l. admonendi* 31. *D. de iureiur.*

2 Cum iurare non cogatur quisquis iusiurandum referre paratus est, *l. manifestæ* 38. *D. eod.* Scripsi *Defin. 9. §.*

DEFINITIO XVIII.

Habenti semiplenam probationem non defertur iusiurandum suppletorium, si qua vel minima contra eum præsumptio sit.

VT iusiurandum, quod nostri suppletiuum vocant, deferatur actori, qui suam intentionem vnius hominis testimonio probauit, non tantum necesse est, vt testis ille sit omni exceptione maior, [1] sed illud etiam, vt eius fides nulla contraria præsumptione debiliteur. [2]

BIU Cujas

Finge productos ab actore testes duos, quorum alter dicat se vidisse vel audisse id, quod per visum vel auditum probari debeat, [3] in eamque rem nominet alium contestem, qui aut neget se tum adfuisse aut fateatur quidem, sed neget se audisse vel vidisse. Non deferemus actori iusiurandum, quod alioqui si prior solus productus fuisset deferri oporteret. [4] Nec simile est quod dici solet sufficere solemnem numerum exaudire. [5] Neque enim aut solemnis, aut alius vllus numerus vno teste perficitur. [6] Et quamuis inueterato nostrorum errore receptum sit, vt vnus testis faciat semiplenam probationem, quia duo faciunt plenam: [7] Non illud tamen etiam receptum est, vt tam solemniter vnus testis sufficiat ad semiplenam probationem quam duo sufficerent ad plenam. [8] *Ita Senatus* in causa R. fratris Bonauenturæ Martin. Franciscani, & Matthæi Martin. 8. Id. Febr. 1593.

1 Quomodo Iustin. loquitur in *l. optimam* 14. *ad fin. Cod. de contr. & commit. stipul.*

2 Nam si non careat suspicione testimonium, siue ob personam à qua fertur, siue ob causam de qua fertur, nulla prorsus ratio eius habenda est, *d l. 3. ad fin. princ. D. de testib.* Bart. & post eum cæteri *ad l. admonendi* 21. *D. de iureiur.* [Ferrar. *in form. libell. resp. rei conuent. in verb. iurisiurandi, num.* 19. & 20.]

3 Debet enim testis rationem reddere dicti sui, & quidem per sensum qui in eam rem idoneus sit & accommodatus, *l. sola* 4. vbi DD. *C. de testibus l. si arbiter* 28. *D. de probat.*

4 Non potest enim suspectum non esse testimonium eius, qui contestem allegat illum quem non habet.

5 *l. heredes palam* 21. *in fin. princ. D. qui testam. facer. poss.* quo etiam pertinet quod ad illum locum & ex illo Baldus notat, plus credi testibus affirmantibus, quam negantibus.

6 *l. vbi numerus* 12. *C. de testib.* Nam, vt Philosophi dicunt, Vnitas non est numerus, sed principium numeri.

7 Argumentum, hoc est, quo nostri passim vtuntur post Bart. *ad d. l. admonendi.*

8 Id enim est quod Paulus scribit *lib. 3. sent. tit.* 4. §. 10. superfluos testes non nocere, vt intelligamus, E contrario igitur non superfluos nocere. Quis autem superfluum testem dicat eum qui non nisi secundus adhibeatur? *d. l. vbi numerus*, iunct. *l.* 18. *..vlt. eod.* Matthæi *cap.* 19. *in ore duorum. &c.*

DEFINITIO XIX.

Si iusiurandum non possit referri deferenti, nisi super aliis articulis, ad eundem tamen effectum & finem tendentibus.

CVm vidua mercatoris eandemque communium liberorũ tutrix peteret à te precium mercis, quam à se famulo tuo traditam diceret, ac cuius solutionem tu ipse marito dum viueret sæpius promisisset, tu vero vtrumque negares, detulit illa tibi iusiurandum. Dixisti nolle te iurare, nec cogi posse ad iurandum, vel referendum, quia quod attinebat ad traditionem mercis, quam illa diceret à se factam famulo tuo, alieni facti id esset non tui. De alieno autem iurare nemo cogendus est, [1] periurij metu. [2] Quod vero ad promissionem à te ipso factam soluendi pretij, iurare quidem te posse, si velis, sed cogendum non esse, [3] quod salua tibi esse debeat conditio referendi si referre malis quam iurare, vt sunt plerique tam religiosi, aut potius superstitiosi, vt nec si liquido & vere iurare possint, tamen id facere vnquam velint. [5] In proposito autem referri iusiurandum actrici non poterat, cum non sibi, sed marito suo eam promissionem à te factam diceret. [6] Erat enim id factum alienum, de quo tametsi maxime vellet iurare, ipsi tamen licere non deberet, nec si millies à viuo marito negotij gesti ordinem proprijs auribus audiuisset. [7] Proinde absurdum videbatur, cum id, quod erat facti & scientiæ debitoris, non esset facti & scientiæ creditoris, deferri iusiurandum super vno litis capite, & à debitore referri super alio. De eadem namque re iurare vel referre cogendus est is, cui iusiurandum defertur, non de vna iurare, vel referre de alia. [8] Nam & ob eam causam dicimus, cum qui iusiurandum detulit si referatur non posse recusare quo minus iuret, & quidem modo delato, quia quod refertur iusiurãdum, illud ipsum est quod ipse detulit, nec proinde in sua persona improbare potest conditionem quam in alterius persona æquam putauerit. [9] *Senatus* tamen pronunciauit cogendum te, vt vel iures, de eo nimirum quod scias ita esse aut non esse, vel referas actrici, de eo scilicet quod ad illius scientiam pertineat. Etenim aliud erat dicere traditam famulo tuo mercem, de quo iurare non poteras, aliud fuisse à te promissam marito actricis solutionem pretij quod petebatur, [10] de quo nec actrix ipsa iurare poterat, nec tu consequenter iusiurandum ei referre. [11] Vtrumque tamen tendebat ad eundem finem, connexáque vtriusque positionis potestas erat, scilicet vt traditæ mercis pretium solueretur. [12] Idque est quod Iurisconsulti tractant, Non semper consonans esse, vt per omnia referatur iusiurandum, quale defertur forsitan ex diuersitate rerum vel personarum quibusdam emergentibus, quæ varietatem inducunt, quod cum incidit officio iudicis terminandam esse conceptionem iurisiurandi. [13] Sed etsi nulla ratio esset iurisiurandi referendi, non eo minus tamen debitor iurare cogendus esset. Nec enim perpetua est illa iuris regula, [14] vt iusiurandum deferre non possit is, cui referri nequeat. [15] Quid enim si ob id duntaxat impediatur relatio, quod creditor decesserit, qui quandiu vixit sæpius interpellauit debitorem, vt solueret? [16] Cur frustratio debitoris ipsi proderit, [17] vt nec in propria causa ipse saltem iudex esse compellatur? [18] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio pro Iacobina de Meurs vidua Ioannis de la Brolie, contra Illustrem Georgium de Mouxi Comitem de Monreal, 8. Id. Febr. 1593.

1 *l. Marcellus* 11. §. *iurare*, *D. rerum amot.*

2 *l. videamus* 4. in illis verbis, *etiam periurium anceps subire*, *D. de in lit. iurand.*

3 Non enim quicquid alicuius potestati permittitur id ipsum etiam subiicitur iuris necessitati, *l. non quicquid* 40. *D. de iudic.*

4 Etsi enim verba illa edicti præcisa sunt, *aut iurare cogam aut soluere*, *l. iusiurandum* 34. §. *ait prætor*, *de iureiur.* admittunt tamen interpretationem & exceptionem illam, si non referre iusiurandum malit is cui delatum est, vt ibidem subiict Vlp. iunct. *l. manifestæ* 38. *eod.*

5 *l. quæ sub conditione* 8. *D. de condit. instit. l. cum quidam* 21. §. *neque enim*, *C. de fid. instrum.*

6 *d. l. Marcellus* 11. *§. iurare*, *D. rerum amot. d. l.* 4. *de in litem iurand. D.*

7 Nam etsi iuraret illa millies idipsum se à marito audiuisse, non plus tamen probaret, quam probare posset nuda & non iurata mariti assertio, quæ tamen nihil probaret, adeoque nec si maritus id cum iureiurando asseruisse probaretur per mille testes, quia non potest iusiurandum, quod quis præstitit neminе sibi deferente, *l. 3. in princ. D. de iureiur.*

8 *d. l. iusiurandum & ad pecunias* 34. *S. ait prætor.* iunct. §. *seq. & d. l. manifestæ* 38. *eod. tit.* Simile est quod dicimus, si de vna re iuratum sit, non debere prodesse iusiurandum in alia, *l. ait prætor* 7. iunct. *l. si actor* 36. *D. eod. tit.*

9 Hæc ipsa fere Vlpiani verba sunt, *in d. l. iusiurandum, & ad pecunias* 34. §. *datur*, *eod. tit.*

10 Traditio enim mercis facti est, sicut & promissio solutionis, *l. consilio* 9. §. *vlt. D. de curat. fur.* Itaque duo facta sunt & separata, in quorum altero proinde delatum iusiurandum ad alterum, extendi non potest, *l. si duo patroni* 13. §. *si quis iurauerit*, *D. de iureiurand.* Facit *l. in duobus* 28. §. *si quis iurauerit*, *eod.*

11 Vt supra dixi *num.* 6.

12 Sic dicimus, interdum etiam coniungendos testes singulares & pro contestibus habendos, nempe, si eorum testimonia tendant ad eundem finem. Notat. *ad l. iurisiurandi* 9. §. 1. *C. de testibus.*

13 Text. est *in dicti. l. iusiurandum*, §. *non semper*, *D. de iureiur.*

etsi non

etsi non est improbabile, totum illum §. Triboniani esse potius quam Vlpiani, vt alio loco scripsi.

14 Dixi supra *Defin. 9. eod.* Adde Aymon. Crauet. *consil. 203. per totum.*

15 De qua regula & eius fallentiis, vt loquuntur, vide Bart. & alios *ad d. l. manifestæ.*

16 Scripsi *Defin. 15. num. 4. s. eod.*

17 Contra *l. hominem 37. D. mandat.*

18 *l. 1. D. quar. rer. act. non det.*

DEFINITIO XX.

Tutor pro pupillo iurare aut iusiurandum deferre quando possit.

QVemadmodum tutori permittitur, vt pupilli nomine deferat iusiurandum, si aliis omnibus probationibus pupillus destituatur:[1] ita permittendum illi est, vt si reus ei iusiurandum referre malit, iurare possit, de eo nimirum, quod is ipse sciat ita esse aut non esse.[2] Sed etsi relatum à reo iusiurandum nolit accipere, cogendus est, cum imputare sibi debeat cur detulerit, si nolebat ex relatione iurare.[3] Estque hoc fauorabiliter pro pupillis receptum & contra iuris regulas,[4] vt ipsorum nomine & de ea re, quam ipsi nesciant, tutor iurare possit, ne alioqui damno litis afficiantur, si tutori non liceat iusiurandum deferre, aut iurare aduersario delatum sibi iusiurandum referente.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. tutor pupilli 35.* iunct. *l. iusiurandum quod ex conuentione 17. §. si tutor. D. de iureiur.* vbi ratio reddatur, quod & alienare res tutor potest, & ei solui potest, & ab eo res in iudicium deduci. Adeo, vt si ex tutoris delatione iuratum sit, audiri non debeat pupillus quandoque venire volens contra iusiurandum, alioqui non esset audiendus tutor deferens iusiurandum, *l. alias 18.* iunct. *§. vlt. dicti l. 17 eod.* Et sane verendum non est hoc casu, ne pupillus quandoque restituatur in integrum tanquam læsus, cum nullas læsionis probationes habiturus sit, nisi ponas alias ex postfacto superueniisse, quibus solis tunc vti velit, *arg. l. admonendi 31. eod.*

2 *l. videamus 4. D. de in lit. iurand.* iunct. *l. 11. §. pen. rer. amot.*

3 Non enim tutori tam facile succurritur, qui seipsum in eam necessitatem coniecit, vt nec alij cuilibet, *l. si fideiussor 7. §. 1. D. qui satisd. cogant.* & sibi imputet, qui processit ad delationem iurisiurandi, vt in simili ait *l. si non fuerit 37. D. de iureiurand.*

4 Vt & alia pleraque, *l. pupillus 9. D. de acquirend. hered. & similibus.*

5 Cum nec aliter liceat tutori deferre iusiurandum pupilli nomine, quàm si probationes omnes pupillo deficiant, vt ait *d. l. tutor pupilli*, ac proinde eo casu, quo fieri nullo modo possit, vt aliter quam ex delatione iurisiurandi pupillus vincat, qui vtique sine probationibus vincere non potest, nec in eo priuilegium vllum habet, quod sane habere non posset citra alterius iniuriam contra *l. sed cum ab herede 12. D. ad SC. Trebell. l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo, D. quæ in fraud. credit.*

DEFINITIO XXI.

Coheres nisi coheredibus consentientibus iusiurandum deferre non potest.

SI ex pluribus cohæredibus quidam iusiurandum deferant aliis inuitis aut etiam ignorantibus, audiendi non sunt, nec si velint cauere de rato,[1] propter periculum iuranti imminens, ne periurium detegatur, si contrarias probationes quandoque adferant, qui iusiurandum non detulerunt.[2] Ideoque si mater plurium, quorum alij sint impuberes, alij adulti, iusiurandum deferat eorum nomine, quos in tutela habet,[3] non aliter iurare cogendus erit aduersarius aut referre, quàm si adulti quoque delationi consentiant.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Bart. *in l. iusiurandum & ad pecunias 34. §. procurator, num. 4. D. de iureiur.*

2 Inde namque fit, vt quotiescunque periculum est, ne is, qui iurauit, postmodum ab alio conueniatur, iurare non sit cogendus, quia iusiurandum decisorium esse oportet, & tale, contra quod nulla vnquam probatio afferri possit, *l. si duo 13. §. idem Iulianus in fin. l. iusiurandum quod 17. §. si tutor, & §. vlt. cum duabus ll. seqq. l. tutor pupilli 35. D. eod.* Atqui iusiurandum ab vno delatum aliis neque prodest neque nocet, *l. 3. §. pen. l. nam postquam 6. §. vlt. & ll. seqq. eod. l. nec filius 7. C. eod. l. sed etsi 7. §. si pecunia, D. de publ. in rem act.* præterquam in duobus reis, *l. in duobus 28. in princ. & §. ex duobus D. de iureiur.*

3 Quod facere vtique potest non tanquam mater, sed tanquam tutrix, aliis scilicet probationibus omnibus deficientibus, vt ait *d. l. tutor 35. eod.*

4 Quorum scilicet nomine deferendi iurisiurandi nullum ius mater habet, neque tanquam mater, neque tanquam tutrix.

DEFINITIO XXII.

Iusiurandum delatum reuocari potest in ipso etiam procinctu iurandi.

IVsiurandum ab eo delatum, qui nouas habeat & tutiores probationes, reuocari potest, non solum posteaquam oblatam iurandi conditionem aduersarius aguouit, sed & in ipso procinctu iurandi.[1] Quia licet videatur pro iurato habendus, quisquis in procinctu iurandi fuit,[2] ne alioqui perinde arguatur de periurio aut saltem de peierandi voluntate, atque si iam iurasset: Verum tamen est, iuratum non esse, potuitque is, qui fingebat fortasse paratum se in promptu iurare, voluntatem subinde mutare & nolle iam iurare.[3] Denique ante actum perfectum locus est pœnitentiæ ex vtraque parte.[4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 4. id. Februar. 1593. contra N. Suchet Maurian.

1 *l. si quis iusiurandum 11. C. hoc tit.* Iunge *Defin. 3. s.*

2 *Arg. l. pen. D. de testam. milit.*

3 Alioqui sufficeret voluntas suscepti iurisiurandi, quod non ita est. Susceptum enim aut præstari à suscipiente aut à deferente remitti necesse est, *l. remitti 6. D. de iureiur.*

4 Quia nihil actum est quandiu aliquid supereſt agendum, *d. l. si quis iusiurandum, & l. pen. in fin. C. de his quib. vt indign.* [Sed tamen sumptus frustratorios qui facti sunt sarciri oportet ab eo qui delationem reuocauit. *Ita Senatus* inter fratres Thomassin, 12. Iunij 1613.]

DEFINITIO XXIII.

Exclusus ab omni probationum genere iusiurandum deferre non potest.

SIcuti nec iurare nec iusiurandum referre cogitur, quisquis alias probandæ veritatis rationes adferre paratus est, vt periurij periculum & suspicio, quantum fieri potest, euitetur:[1] ita ex contrario, qui ab omnibus probationibus exclusus est, si iusiurandum deferre velit, audiri non debet,[2] quoniam & hæc quoque probationis species quædam est, & quidem fortissima atque efficacissima.[3] *Ita tractatum est* in causa Claudij Gauem de Rumilly & Nicolai Curtet, 15. Cal. Mart. 1593.

1 Dixi *Defin. 3. s.* vbi tamen vide quæ scripsi *num. 3.* Adde Antonin. Tessaur. *Decis. Pedem.*

2 Abb. *in cap. accedens, Extr. de præbend.* Ias. post alios *in l. vlt. C. de codicill.* Videtur tamen obstare Iustin. constitutio *in fine quæ 11. C. hoc tit.* quæ eum, qui post desperatas alias probationes iusiurandum defert, ita demum vult audiendum non esse, si iam antea iusiurandum detulerat. Sed debet illa lex intelligi de eo casu, quo deferens nondum sit ab omni probationis genere exclusus, vt non tam ei noceat, quod exclusus sit à probando, quæ exclusio sola semper & omnimodo sufficeret, quam quod à delatione semel facta vltro resilierit.

3 *l. eum qui 30. ff. de iureiur.* contra quam probationem alia nulla postmodum admitti potest, *l. si duo 13. §. idem Iulianus eod.* Iunge *Definit. 28. infr.*

DEFINITIO XXIV.

Periurium ex nouis instrumentis probari potest, non vt puniatur, sed ne prosit peieranti.

BIU Cujas

SI deferente aduersario iuratum sit, & nouæ ex instrumentis probationes emergant, per quas manifeste de periurio appareat, de periurio quidem, quod solum Deum vltorem habet,[1] quæri non oportebit,[2] vt vlla eo nomine pœna infligatur,[3] sed tamen perinde qui iurauit condemnabitur, ac si non iurasset, ne ex periurio suo emolumentum improbum consequatur,[4] non solum si de vltima voluntate tractetur, sed & si de negotio, quod inter viuos gestum sit. Generalis enim ratio illa est, quæ mouit Iustinianum, vt ita constitueret.[5] Quanquam non idem admitti debet, si per testes velit quis docere de periurio, nec si dicat amissum esse instrumentum, velitque probare & amissionem, & quę instrumento continebantur.[6] Etsi enim plerumque hæc probatio recipitur iis etiam casibus, quibus ex scripto quid probari necesse est:[7] Iurisiurandi tamen auctoritas non patitur, vt periurij probatio testium fidei committatur.[8] *Ita Senatus* in causa Do. Petri de Reydelet D. de Charanson magistri Computorum, & Dominæ de la Foreſt, 11. Calend. April. 1593.

1 *l. 2. C. hoc tit.*

2 *l. 1. eod.*

3 Sufficit enim periurij pœna, *l. nam sufficit 22. ff. de dolo*, id est, vltio Dei, vt interpretati sumus *Desin. 2. num. 5.*

4 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

5 Solet enim ratio legis, prout generalior vel strictior est, ampliare & restringere legem, *l. cum pater 77. §. dulcissimis de leg. 2. l. quæsitum 13. ff. de testibus.*

6 *Arg. l. admonendi 31. ff. de iureiur.*

7 *l. testium 18. in fin. C. de testibus.*

8 Imo nec nisi nouis instrumentis vti debet, qui impugnat iusiurandum, *dict. l. admonendi l. 3. in fin. Cod. si minor se maior. dixer.* Iunge *Desin. 2. supr.*

DEFINITIO XXV.

Iurisiurandi solemnitas in dubio præsumitur interuenisse, maxime si aduersarius conquestus non sit.

DElatum simpliciter solemne iusiurandum, non nisi super sacrosanctis Euangeliis delatum intelligitur, & citra vllam aliam solemnitatem:[1] non item super sacro Missæ Canone.[2] Si autem, quod sæpius fit, delatum sit super sacrosancto Canone, & in delationis consequentiam legatur simpliciter præstitum, nec appareat, an super Canone nec ne, dubitari potest, an recte præstitum intelligatur. Et magis est, vt iuxta formam delatam præstitum esse in dubio videri debeat,[3] nempe vt valeat actus potius, quam pereat,[4] minusque scriptum quam factum intelligatur.[5] Præsertim, si in manibus Senatoris ad hoc dati aut alterius iudicis cuiuslibet iuratum fuerit, quem non sit credibile in eo erraſſe, quod præter aut contra formam delatam iurari permiserit.[6] Quid rursum, si constet contra formam delatam iuratum esse, nec tamen is, aduersus quem iuratum est, hoc obiiciat aut conqueratur? Valebit iusiurandum, quasi delatam solemnitatem tacito consensu aduersarius ex postfacto remiserit.[7] Quod vtique facere potuit, cum non sit hæc solemnitas ex earum numero, quæ ad ius publicum spectant, & quibus renunciari non potest.[8] Itaque non solum si aduersarius iusiurandum rite præstitum fateatur, sed etiam si taceat, nec conqueratur, pro rite præstito haberi debebit.[9] *Ita Senatus* in causa Ioannis Portier, pro R. D. Angelo Iustiniano Episcopo Gebennensi, & Francisci Blanc, Id. Nouembr. 1593.

1 Nota *dict. l. 1. & in Auth. sacramenta puberum ibid posita. C. si aduers. vendit. & in l. 3. in fin. C. si minor se maior. dixer.* Iunge *Desin. 16. §. eod.*

2 Maior enim illa solemnitas est, de qua in dubio non videtur fuisse cogitatum, poteratque imputari ei, qui iusiurandum detulit, potuitque delationi quam voluisset legem dicere, *l. 3. §. vlt. l. 5 in princ. ff. de iureiur.* cur non eam dixerit apertius, *Ex reg. l. veteribus 36. ff. de pact. l. Labeo scripsit 31. ff. de contrah. empt.* sicut & ei imputamus atque actionem ex iurisiurandi delatione denegamus, si iusiurandum detulerit, nec prius de calumnia iurauerit, *l. si non fuerit 37. ff. de iureiur.*

3 Quia solemnitas intrinseca facile præsumitur, *l. sciendum 30. vbi DD. de verb. oblig.* Facit *l. Titia 134. §. idem respondit eod. l. 1. C. de contrah. stipul. §. fin. Inst. de fide iuss.*

4 Iuxta regulam *l. quoties in actionibus 12. l. vbi 21. ff. de rebus dub. l. cogi 16. ad SC. Trebell.*

5 *Arg. l. vnum ex familia 67. §. si omissa, de leg. 2. l. cum auus 102. de cond. & demonstr.* Etsi ad vltimas voluntates magis, quam ad contractus ea coniectura adhiberi potest. Iusiurandum autem contractui aut rei iudicatæ similis est, non vltimæ voluntati, *l. 1. & 2. ff. de iureiur.*

6 Ita enim inutile esset iusiurandum, *d. l. 3. §. vltim. & l. 5. in princ. eod.* Facit *l. cum de indebito 25. D. de probat.* in his verbis: *Si ipse homo diligens est & studiosus*, (quales quippe iudices omnes, præsertim Senatores esse oportet) *cuius personam incredibile est in aliquo facile erraſſe.*

7 Vnicuique enim licet contemnere ea, quæ pro se introducta sunt, *l. si iudex circumuento 28. D. de minor. l. pen. C. de pact.* Et sane quemadmodum is, qui iusiurandum detulit, remittere totum si velit potest, *l. remittit 6. D. de iureiur.* ita & pro parte, id est, quod ad maiorem solemnitatem, licet solemnitas actus cuiuslibet sit quid individuum. Facit *l. 2. C. communia vtriusque iudic. l. pen. C. de recept. arbitr.*

8 *l. nemo potest 55. de leg. 1. l. vlt. D. de suis & legit. hered.*

9 Nam in iudicialibus taciturnitas habetur pro consensu, *dict. l. penultim. Cod. de recept. arbitr.* In extraiudicialibus non item, *l. sicut 8. §. non videtur, D. quibus mod. pignor. vel hypoth. soluit.* Iunge *Desin. 34. in f. eod.*

DEFINITIO XXVI.

Casus, in quo iurare cogitur is, cui delatum est iusiurandum, nec ei conceditur vt possit referre.

ALiquando euenit, vt is, cui delatum est iusiurandum, cogatur omnimodo iurare vel causa cadere, nec audiendus sit si referre velit, etiamsi id deferat, qui iurare ipse posset si vellet,[1] nimirum, cum ea delatio facta est ex abundanti. Id est ab eo, qui citra delationem ex litis actis & instrumentis exploratam habebat causæ victoriam.[2] Cur enim iurandi necessitatem irrogemus ei, de cuius iure iam satis appareat,[3] quique fortasse nimia & superstitiosa religione teneatur, vt si sibi iurandum esset causa cadere mallet quam iurare?[4] Plane aduersario iurante condemnandus est quantumcunque falso & mala fide iuratum constet,[5] quoniam imputare sibi debet, qui aduersarium in causa sua iudicem constituerit.[6] *Ita Senatus* in causa supradicta, anteriore & secreto Senatusconsulto 12. Cal. Maij 1592.

1 Quod tamen abhorret à communi iuris regula, *l. iusiurandum & ad pecunias 34. §. ait prætor, cum §. seq. & §. vlt. iunct. l. manifestæ 38. D. de iureiur.* Vide Cravet. *cons. 203.*

2 Sublata enim causa iurisiurandi, supereſt pristinus litis status ex quo vincere debet is, qui suam intentionem plenissime probatam habet, *argument. l. cum is 32. §. mulier, D. de condit. indebit.*

3 Nisi forte quis ei velit obiicere: Pateat tibi via quam elegisti. Sed hoc tunc ei posset obiici, cum aliquid agendum supereſſet ad victoriam litis consequendam, vt in specie *l. si quis 11. C. hoc tit.* non autem, cum nihil nisi iudicandum est, vt in proposito.

4 *l. quæ sub conditione 8. D. de condit. inst. l. cum quidam 21. vers. neque enim C. de fid. instrum.*

5 Excipe casum de quo *Desin. 24. §. eod.*

6 *l. 1. in princip. D. quarum rerum act. non det. l. si non fuerit 37. D. de iureiur.*

DEFINITIO XXVII.

Iusiurandum suppletorium deferri potest petenti etiam post didicita testificata, adeoque in causa appellationis.

QVæsitum est, an in supplementum minus plenæ probationis iusiurandum, quod ob eam causam suppletiuum

ſuppletiuum vocant, [1] peti poſſit in cauſa appellationis ab eo, qui ſemiplene probauit in prima inſtantia? Nam ſi in cauſa appellationis probationes factæ ſint, ſiue prima ſiue ſecunda appellatio proponatur, dubitationem res non habet, quin eadem in inſtantia iuſiurandum peti poſſit. [2] Quibuſdam placebat non poſſe, propterea quod ſuſpecta videatur fides eius, qui non prius petat admitti ſe ad iurandum quam didicerit teſtificata. [3] Et ſane iudiciarij moris eſt, vt in ipſo inſtanti, quo teſtationes producuntur, hoc etiam iuſiurandum petatur. [4] Sed tamen contra viſum eſt, nihil referre, antene an poſt didiſcitas teſtationes id fiat, non ſolum, quod probationes non ſint coangustandæ, [5] hæc vero quædam ſit probationis ſpecies; [6] ſed etiam, quia nullus hic ſubeſt metus ſubornationis, [7] nec quicquam cauſæ eſt, cur deterior eſſe debeat conditio eius, qui non petendi ab initio iuriſiurandi eam fortaſſe rationem habuit, quod veritatis ſibi pro ſe conſcius teſtium fidei & integritati aut memoriæ plus æquo confideret. [8] *Ita tractatum eſt* in cauſa N. Cantamot & N. Chatelard Auguſtanorum 12. Cal. Febr. 1594.

1 De quo diximus *Defin.* 4. §.

2 Cum enim iuriſiurandi genus ſit probatio, *l. admonendi* 39. *D. de iureiuran.* quiſquis in cauſa appellationis ad probandum admiſſus eſt, ad hoc quoque probandi genus admiſſus intelligi debet.

3 Nam ſolent, qui ſibi conſcij ſunt, de bona lite faciliores eſſe ad petendum, vt ſibi iuſiurandum hoc deferatur.

4 Vt probationes perficiantur eo tempore, quo incipit quæri, an per teſtationes probata ſit intentio eas producentis.

5 *l. generaliter* 12. *in princ. C. hoc tit.*

6 *l. admonendi* 31. *C. de iureiur.* ſecundum traditiones interpretum noſtrorum ad eam legem.

7 Qui tamen ſolus facit, ne poſt didiſcita teſtificata noui teſtes admitti poſſint, *c. ſeries. Extr. de teſtib. cum ſimilib.*

8 Nec enim vituperanda eſt modeſtia eius, qui non tam facilis fuit ad petendum ſibi deferri iuſiurandum vt vinceret in lite, in qua ſe putabat etiam citra iuſiurandum poſſe vincere. [Itaque poteſt peti etiam poſt concluſionem in cauſa. Fachin. *lib.* 1. *cap.* 17. Alio tamen iure vtimur. ex Ferrar. *in form. lib. reſp. rei conuent. in verb. iuriſiurandi num.* 17.]

DEFINITIO XXVIII.

De delatione iuriſiurandi deciſorij poſt alias probationes fruſtra tentatas.

DE iureiurando, quod deciſorium vocant, dubitatum eſt, an deferri poſſit ab eo, qui per teſtes intentionem ſuam probare voluit, nec potuit? Et quidem ante didiſcita teſtificata minorem habere dubitationem res videtur, [1] quaſi parum referat, an teſtes nondum ſint auditi, an ita auditi, vt quid dixerint neſciri poſſit. [2] Sed poſt didiſcita teſtificata difficilius eſt, vt deſperatis probationib. cæteris liceat recurrere ad iuſiurandum: [3] Sunt tamen qui adhuc putent, eo demum caſu denegandam iuriſiurandi deferendi licentiam, quo ante alias probationes tentatas iuſiurandum delatum fuerat, & ſubinde reuocatum. [4] Alioqui nihil cauſæ eſſe, cur deterioris conditionis eſſe debeat, qui alijs modis intentionem ſuam probare cum vellet non potuit, quam qui non voluit cum fortaſſe poſſet. [5] Neque probe recuſare poſſe eum, cui iuſiurandum defertur, quique in cauſa ſua iudex conſtituitur, [6] quo minus aut iuret aut referat ſi aliud nihil ſit, quod iuramenti delationem impediat aut relationem. [7] Verum re accuratius diſputata, placuit contraria ſententia, adeóque illo etiam caſu, quo nondum didiſcita ſint teſtificata, ſi modo omnis probandi via præcluſa ſit: [8] quandoquidem hoc iuriſiurandi genus probatio eſt, & quidem efficaciſſima. [9] *Ita Senatus* in cauſa R. Claudij Combet Archidiaconi Tarentaſ. & N. Antonij le Bœuf, Prid. Calend. Septemb. 1594.

1 Anton. Teſſaur. *in deciſ. Pedem.* 93. [Boer. *deciſ.* 95. *nu.* 4 5. *&* 6. vbi ait Bartoli opinionem vt excluſus à probando per teſtes poſſit iuſiurandum deferre, communiter improbatam eſſe & tamen pro ea fuiſſe à Curia iudicatum.]

2 Cluſis adhuc ſcilicet atteſtationibus. Nam de ſcriptura cluſa, aut, vt alij loquuntur, clauſa, non poteſt haberi vera certitudo, inquit Bald. *ad l. ſi quis mihi bona* 25. §. *an nominatim pet ill. text. D. de acquir. hered.* vbi addit, ob hanc cauſam atteſtationes clauſas eſſe oportere donec publicentur, ne committatur ſubornatio. [Sunt tamen qui putent poſſe hoc caſu recuſari iuramentum propter periculum quod ſubeſt ne periurium detegatur. Teſſaur. *vbi ſ.* Oſaſc. *deciſ.* 11. contra quos tamen & recte ſentit Fachin. *lib.* 1. *Contr. cap.* 22.]

3 Verba ſunt *legis ſi quis iuſiurandum* 11. *C. hoc tit.*

4 Qui verè caſus eſt *d. l. ſi quis iuſiurandum.*

5 Dici enim poteſt non magis vno quam alio caſu aduerſarij intereſſe, præſertim ob rationem, quæ ſtatim ſequitur *in Definis.*

6 *l.* 1. *in prine. D. quæſt. rer. act. non det.*

7 *l. manifeſtæ* 38. *D. de iureiur.* [Quod intellige etiamſi actor qui iuſiurandum hoc defert reo nihil probauerit. Fachin. *lib.* 1. *Contr. cap.* 19. Adde eundem Fachin. *cap.* 20. *eod. lib.*]

8 Alioqui quamdiu probandi tempora largirentur non eſſet prohibendus iuſiurandum deferre, qui alias probationes tentaſſet, dummodo non iam ſemel ante eas tentatas iuſiurandum detuliſſet, qui caſus eſt, vt diximus *d. l. ſi quis iuſiurandum* 11. *C. hoc tit.* *Vide Boer. *deciſ.* 95. *nu.* 4. 5. *&* 6. vbi ait Bartoli opinionē, vt excluſus à probando poſſit nihilominus deferre iuſiurandum: ſed tamen contrariam ſententiam eſſe magis communem, & nihilominus iudicaſſe Curiam pro ſententia Bartoli.

9 *l. eum qui* 30. *in princ. D. de iureiur.* Dixi *Defin.* 23. §. *eod.* [Eum tamen qui cum delatum à ſe iuſiurandum reuocaſſet, deinde à via probandi per teſtes excluſus eſſet, Placuit ſi poſtea beneficio Principis ad probandum admittatur, etiam iuſiurandum ex integro deferre poſſe, vt principale beneficium Principis & reſtitutionis quàm pleniſſimam recipiat interpretationem. *Ita Senatus* 14. Aug. 1610. Quid ſi quis ſit admiſſus ad probandum hoc adiecto quod ſolet adiici, *& patet in contrarium*? Non videtur de iurando cogitatum, quia contra probationem quæ ſit per iuſiurandum probatio nulla admitti poteſt. *Ita Senatus* in cauſa Andrææ Sonnet, 5. Id. Ianuar. 1612.]

DEFINITIO XXIX.

Iuſiurandum mala mente delatum reuocari poſtea nullo prætextu poteſt.

IAm diximus, iuſiurandum litis deciſorium à colligatore delatum, quamdiu præſtitum non eſt, reuocari poſſe in ipſo quoque procinctu iurandi. [1] Quamuis non videatur ea res carere ſuſpicione, ac quadam veluti exprobratione periurij, ſi poſtea cõtrarium probetur. [2] Sed hoc tamen ita accipiendum eſt, niſi is, qui iuſiurandum detulit, dixerit, habere quidem ſe alias probationes, ſed tamen iuſiurandum deferre malle, vt periculum faciat conſcientiæ aduerſarij. [3] Hoc enim caſu imputare ſibi debet, qui mala mente iuſiurandum deferre maluit, vt aduerſarius periurium incurreret, [4] quam per alias probationes & ſuæ liti & aduerſarij ſaluti conſulere. [5] *Ita Senatus* in cauſa Gaſpardi Bichon & Iohannis Pichod, 4. Id. Nouembr. 1594.

1 *Defin.* 22. §. *eod.* vbi vide.

2 Quia fere eſt, vt qui in iurandi procinctu eſt, habeatur pro iurato, vt ſcripſi *d. Defin.* 22. *arg. l. pen. D. de teſtam. milit.*

3 Dixi *Defin.* 3. *num.* 8. §. *eod.*

4 Neque enim malitiis indulgendum eſt, *l. in fundo* 38. *D. de rei vindicat.* & ſuæ malitiæ pœnam hanc iſtum luere æquum eſt, *arg. l. qui bona fide* 13. *§. cum inter, D. de damn. infect.*

5 Damnum enim, quod culpa ſua ſentit, ſentire nec videtur, vt eſt in vulgata iuris regula.

DEFINITIO XXX.

Ei, qui per vnum teſtem probauit promiſſionem de reddendo inſtrumento, deferri poteſt iuſiurandum ſuppletorium ſuper ſolutione.

PRobata promiſſio de reddendo inſtrumento obligatorio vſque adeo inducit probationem ſolu-

BIU Cujas

tionis, [1] aut potius taciti pacti de non petendo, quod ex ipsa instrumenti redditione induceretur, [2] vt si vel vnus testis integer omnique exceptione maior eam promissionem adfirmet, locus sit iuramento suppletorio, [3] postquam nostris placuit ad semiplenam probationem implendam iuramento locum esse. [4] Semiplenam vero probationem videri, cum testis vnus adest integræ existimationis. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Præsumptio ista dicenda esset potius quam probatio, vt & cum chirographum profertur cancellatum, *l. si chirographum, 24. D. de probat.* alioqui cum solutio sit facti, non potest probari, nisi probata numeratione vel vera vel confessa, *l. consil. 9. §. vlt. D. de curat. fur.*

2 *l. 2. vbi gloss. D. de pact.* Etsi enim aliud est pactum de reddendo chirographo, aliud redditio chirographi, in proposito tamen, & quod ad effectum nihil refert, nisi quod pactum de reddendo chirographo est expressum, pactum autem, quod ex chirographi redditione inducitur, est tacitum; maior autem vis taciti quam expressi esse non potest, *vulg. l. cum quid, 3. D. de rebus cred.*

3 Perinde, acsi testis ille vnicus testificatus fuisset de numeratione.

4 Notant nostri *ad l. admonendi, 31. per ill. text. D. de iureiur.*

5 Scripsi *Defin. 4. & 18. 3. eod.*

DEFINITIO XXXI.

Iurari an possit per procuratorem, aut coram alio iudice & in alia prouincia?

IVrare iussus aut referre non est audiendus, si iurare velit per procuratorem, [1] tametsi prohibeatur iusto aliquo impedimento ad eum locum accedere, in quo iurandum est, [2] quoniam multo facilius & audacius absens & per alium quam præsens peieraret. [3] At nec petere potest, vt à iudice, coram quo iurandum est, alius detur & in locum iudicis substituatur, quo presente, iuretur in eo loco, in quo habitat is, qui iurare debet. [4] Quoniam fieri plerunque solet, vt ex iurantis vultu & titubatione iudex periurium detegat, aut peierandi procliuem voluntatem. [5] Atqui si iurare liceret coram eo, qui non esset ipse iudicaturus, non posset iudex scire, qua fronte, quaque vel fiducia vel trepidatione iuratum fuisset. Nam ex alterius relatione idipsum explorare sane perquam periculosum esset, cum possint periurij indicia eiusmodi esse, quę intellectu percipi melius quam verbis exprimi queant. [6] Quonam tamen remedio succurrendum esset ei, qui iurare cogebatur, nec propter itinerum difficultatem accedere poterat, maioris deliberationis esse visum est. *Ex tempore* in publico Auditorio in causa N. Bugnet & Iacobi Marthod, Prid. Calend. Februar. 1595. [Postea tamen placuit si tam iustum sit impedimentum propter quod non possit quis in eum locum venire in quo iurandum est vt nulla calumniæ aut facilitatis periurij suspicio incurrat, permittendum ei esse vt iuret per procuratorem. Maximè verò si actor sit qui aliunde probatam habeat suam intentionem, nec nisi super aliqua rei exceptione iurare iussus sit. Ne alioqui ratio inuenta sit ob quam bonæ litis iacturam eum facere necesse sit. [7] *Ita Senatus* pro D. de Murat, contra D. de Choisy 12. Calen. Septemb. 1610. Sed ita tamen vt prius iurare debeat super sacro canone is qui aliud iusiurandum solemnius per procuratorem præstandum habet. Adeo vt nec iurasse videatur priusquam tota iurisiurandi solemnitas impleta sit per procuratorem. Itaque cùm Augustanus quidam cui delatum fuerat iusiurandum super reliquiis Sancti Antonij, quæ in illa prouincia nullæ sunt, admissus esset ex SC. ad iurandum Camberij per procuratorem, hac tamen lege vt prius ipse iuraret super sacro canone in prouincia apud altare Sancti Antonij, isque iam ex ea parte senatusconsulto satisfeciisset tum procuratore iam parato Camberij iurare, reuocata esset delatio iurisiurandi ab aduersario volēte suam intentionem probare per testes, Placuit valere reuocationem, quasi nondum esset iuratum, quod prius iusiurandum minùs solemne non fuisset præstitū nisi in ordine ad sequens solemnius quod nondum fuerat secutum. Eum tamen qui delationem reuocauerat visum est mulctandum refusione expensarum quas procurator fecerat qui Camberium venerat ad iurandum. *Ita Senatus* in causa N. Arigon. August. 1611.]

1 Quia iusiurandum est quid personalissimum, *cap. veritatis*, vbi Innocen. Hostiens. & cæteri, *Extr. de iureiuran.* cuiusmodi quæ sunt per procuratorem fieri non possunt, *l. generaliter, 12. §. his de præsentibus*, ibi, *necesse est vel ipsam principalem personam datis certis induciis ad iudicem venire, C. hoc tit.* Aliud est in eo, contra quem iuratur. Potest enim adesse per procuratorem si velit, imo & abesse, *d. §. his de præsentibus, versic. licentia.*

2 Hæc enim ratio materiam duntaxat præbet concedendarum plurium aut laxiorum induciarum, non etiam remittendæ solemnitatis iurisiurandi personaliter præstandi. Potiusq; substituendus esset in prouincia alius iudex, coram quo personaliter iuraretur, si aliud melius dici nihil posset, vt dicam *num. 4.*

3 Præcedere namque solent & debent admonitiones iudicis aut recuperatoris coram quo iuratur, vt qui iuraturus est, videat ne temere aut malitiosè peieret, quæ admonitiones parui nullius que momenti essent, si fierent procuratori non in suam sed in alterius animam iraturo. Sed & præsentia iudicis terret maxime peieraturum, ne tam impudenter peierare audeat.

4 Hoc tamen videtur permissum arbitrio iudicis, *d. §. his de præsentibus*, vers. *vel si iudex existimauerit in prouincia vbi degit, &c.* nisi dicas, quod iane verum est, totam eam legem esse de iuramento purgatorio, non decisorio. Sed tamen ex eo loco argumentum sumi nihil prohibet. Atque ita mihi videbatur. [Placet tamen etiam iusiurandum purgatorium personaliter præstandum esse non etiam per procuratorem quantumuis specialiter instructum si modò id fieri commodè possit, nisi in illa ipsa sententia quæ iusiurandum purgatorium detulit aliud expressum sit. Quin enim possit exprimi adeoque addi per interpretationem nemo dubitat, nisi grauis aliqua præsumptio vrgeat contra iuraturum, quo casu adeo necesse est iurari personaliter vt si non possit is qui iuraturus est venire ad iudicem debeat iudex ad eum ire ipsius sumptibus. *Ita Senatus* pro Antonio Le bœuf, contra Claud. Pauy, ex tempore, 5. Cal. Sept. 1612. Sanè iusiurandum purgatorium minoris momenti est quàm decisorium, cùm admittat probationem in contrarium, *Defin. 5. & 8. 3.*]

5 Vt de testibus scriptum est *in l. 3. in princ. & §. 1. & 2. iunct. l. ob carmen, 21. §. vit. D. de testib.* etsi difficilius est, vt non vincere debeat, qui deferente aduersario non ipso iudice iurauit, quamuis peierauit. Meliusque esset hoc casu iudicem, qui iuraturum videt velle peierare, ei denegare iurandi facultatem, si facere id posset saluo iure eius, qui iusiurandum detulit, quod tamen facere nullo modo potest.

6 Vt alia nonnulla sunt eiusmodi, quæ magis intellectu percipi quam elocutione exprimi possunt, *l. ratum 3. D. de solut. l. quo enim 12. §. Iulianus, D. rat. rem hab.*

7 [Vide Bart. *ad l. qui bona §. si alieno D. de damn. infect.*]

DEFINITIO XXXII.

Casus, in quibus iusiurandum habetur pro relato aut pro præstito, aut pro non relato.

SI is, qui iurare aut iusiurandum referre damnatus fuerat, prius decesserit, quam aut iurauerit aut retulerit, siquidem iurare paratus fuit, nec per eum stetit quo minus iuraret, perinde habendus est, ac si iurasset, [1] aut saltem hæredi eius permittendum est vt iuret, si velit. [2] Sin per eum mora facta est siue in iurando post delatam aut acceptam iurandi conditionem, siue in deliberando an iurare mallet an referre, non est æquum, ex eius morte deteriorem fieri conditionem aduersarij, qui detulit iusiurandum, [3] præsertim, si ea res tractetur, de qua iurare hæres non possit propter iustam ignorantiam. [4] Ideóque iusiurandum

pro

BIU Cujas

pro relato haberi debet potius, quam aut pro præstito aut pro non delato.[5] Sed si nec declarata voluntate, nec contracta mora decesserit is, qui vel iurare debuit, vel referre, causa nulla est, cur iusiurandum pro relato haberi debeat potius, quam pro præstito. Ne alioqui sola mors litis damnum adferat ei, qui iurare ac iurando vincere potuisset.[6] *Ita Senatus* in causa Ioachimi & Antonij de la Cuaz, 6. Calend. Maij 1595.

1 *Arg. l. iure ciuili 24. D. de cond. & demonst. l. Iulius 81. §. vltim. eod. l. in iure ciuili 161. de reg. iur. cum concord.*

2 Neque enim inuitus hæres iurare de facto defuncti vnquam cogitur, *l. Marcellus 11. §. iurare, D. rer. amot.*

3 Cum nihil sit, quod ei possit imputari, *l. 2. D. quod vi aut clam cum concord.*

4 Nam quod diximus, posse heredem iurare si velit, eo demum casu verum est, quo probabiliter heres scire possit id, de quo vult iurare.

5 Facta scilicet interpretatione contra eum, qui fuit in mora, & per quem stetit. *d. l. 24. & 81. in fin. D. de cond. & demonstr. d. l. 161. de reg. iur.*

6 Et tamen verum est, non fuisse iuratum, nec per eum stetisse qui detulit. Cur ergo iusiurandum pro præstito habemus, quod defunctus, si hodie viueret, præstare fortassis nollet? Vide *Definit. 14. supr.*

DEFINITIO XXXIII.

Ei, qui iurare debuit, non nocet propria mora, quæ per iudicis interlocutionem, à qua prouocatum non fuerit, purgata est.

QVid tamen, si post moram per eum contractam, cui iusiurandum delatum fuerat, iudex aliquid decreuerit, per quod mora purgata videri possit?[1] Finge aditum eum vt pronunciaret, an iurari deberet nec ne, post recusatum ab aduersario iusiurandum, interlocutum esse, vt ante omnia is, qui iusiurandum deferebat, distinctius & enucleatius proponeret, qua de re iurari vellet, nec ab ea interlocutione fuisse prouocatum, licet causa nulla esset ita interloquendi. Si interea decesserit is, qui iurare noluit, siue ante siue post sententiam interlocutoriam, mora purgata videbitur,[3] nec iusiurandum habebitur pro relato,[4] tametsi defuncti liberis deferri non possit.[5] *Ita Senatus* pro Margareta Rosset vidua Petri Iacoz, contra Margaretam de Vilasque, 4. Calend. 1595.

1 Neque enim nouum est, moræ purgationem fieri præsertim ex interlocutione iudicis admittentis aliquem ex litigatoribus ad faciendum post tempus, quod ante tempus fieri debuit. Mora enim purgatur nouatione, *lege partui 17. D. de cond. furt.* nouatio autem fit per sententiam iudicis etiam interlocutoriam, *l. item si 14. §. quid si homo, D. quod met. caus.*

2 Quo casu dubitari non potest quin sententia, licet iniqua, ius faciat. *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebel.*

3 Quia tamdiu licet ei, cui delatum est iusiurandum, iurare si velit.

4 Nam in pœnam contumaciæ illud inductum est, vt iusiurandum habeatur pro relato. Contumacia vero nulla est eius, quem iudex nondum arctauit, vt cogatur iurare.

5 Quia neque coguntur neque possunt de alieno facto iurare periurij metu, *l. Marcellus 11. §. iurare, D. rer. amot.*

DEFINITIO XXXIV.

De forma & solemnitate seruanda in iurando: Et quid si fuerit omissa?

CVm quis super sacrosancto missæ Canone iurare iussus est, obseruare iudex aut in eam rem datus recuperator debet, vt flexis genibus iuretur, cuiuscumque dignitatis & conditionis sit is qui iurat,[1] præhabita etiam admonitione, vt intelligat, quam periculosum sit peierare, aut incipitem periurij aleam subire.[2] Si tamen ea solemnitas seruata non sit, nec pars conqueratur, non eo minus validum erit iusiurandum, vt ex eo sequi possit condemnatio.[3] *Ita Senatus* in causa N. Andreæ de Bienuenu & N. Gothofredi de Dompierre Idib. April. 1595.

1 Ad testandam nimirum religionem & venerationem iurisiurandi ac diuini numinis, secundum vulgarem illam & concisam veteris iurisiurandi formulam, *Si Deus*, quam ex Iuliano refert Cuiacius *ad Nouell. 49. in fin.*

2 Non enim grauior periurij pœna esse potest, quam quod Deum solum vltorem habet, *l. 2. C. hoc tit. iunct. l. nam sufficit, 22. D. de dolo.*

3 Quasi remissa per aduersarium solemnitate iurisiurandi, *arg. l. remitti, 6. D. de iureiur. l. pen. in princ. C. de recept. arbitr. l. 2. Cod. commun. vtriusq. iudic.* Iunge *Defin. 15. 3.*

DEFINITIO XXXV.

Sententia de iurando non transit in rem iudicatam, priusquam iuratum sit.

INterlocutio iudicis pronunciantis iurandum esse, non prius habet vim distinctiuæ sententiæ, quam iuratum sit, nec prius transit in rem iudicatam, quia, quamdiu præstitum non est iusiurandum, semper pœnitentiæ locus est.[1] Inde fit, vt si ab initio litis delatum fuerit, nulliisque aliis probationibus tentatis[2] ventum sit ad interlocutionem iudicis, qua pronunciauerit iurandum esse, & ab ea interlocutione bis prouocatum fuerit, audiendus sit appellans, si in tertia instantia nouis allegationibus aut probationibus vti velit.[3] Nec ob eam causam expensas vllas refundere debeat, non magis, quam si in prima instantia idipsum fecisset.[4] *Ita Senatus* pro Margareta Rosset vidua Petri Iacoz, contra Margaretam de Vilasque, 4. Calend. Iun. Iunge Defin. 62. infr. De fructib. & lit. expens.

1 *l. si quis iusiurandum, 11. C. hoc tit.* Dixi *Defin. 3. & 22. 3.*

3 Nam reuocato semel iureiurando, aliisque tentatis probationibus, non esset permittendus reditus ad delationem iurisiurandi, *d. l. si quis.*

3 Puta, quæ postea superuenerint, vt *in d. l. si quis.*

4 Quoniam & in prima instantia idipsum facere impune posset. Expensarum autem condemnatio, non nisi in pœnam negligentiæ, aut male institutæ actionis, quam emendari necesse sit, irrogari solet, vt tractant nostri *ad l. edita, C. de edend.*

DEFINITIO XXXVI.

De mandatore, qui pecuniam, quam alteri numerari mandauerat, alieno nomine accepit.

QVi literas & fidem alicuius secutus numerat alteri pecunias, obligat sibi accipientem principaliter ex mutuo & de pecunia credita,[1] mandantem vero non nisi accessorie.[2] Sed si is ipse, qui mandauerat credi alteri, acceperit pecuniam sibi numeratam, licet alieno nomine, nemo dubitat, quin principaliter quoque & recta conueniri possit;[3] Nec minus tamen is, cuius nomine pecuniam accepit,[4] prout creditor elegerit. Habet enim singulos in solidum obligatos.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 9. infr. In quib. caus. pign. vel hypoth.

1 *l. si literas 7. cum seq. C. mandat.*

2 Id est, discussio prius eo, qui pecuniam mutuam accepit, quia is hodie prius conueniendus est, & ante mandatorem, ex Iustiniani *Nouell. 4. cap. 1.* quo casu conuenti primo loco debitoris iam olim obtinebat, vt non in aliud mandator teneretur, quam in id, quod à debitore seruari non posset, *l. si quis alicui, 27. §. vlt. D. mandat. l. si mandatu, 13. D. de fideiuss.*

3 Non secus quam si suo nomine accepisset. Nec enim probe obiicere potest, se accepisse nomine alterius, quo accipiente hic etiam ex suo mandato & proprio nomine obligatus fuisset.

4 Intellige, si modo vel ex ante gesto vel ex postfacto ratam habuit numerationem ei ipsi factam, qui credi mandauerat.

5 Saluo tamen mandatori beneficio exactionis, *ex d. Nouell. 2. de fideiuss. cap. 1.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXXVII.

Admittitur probatio contra iuramentum vltro præstitum ab vno ex collitigatoribus de viatico in litem facto.

ADuersus iusiurandum à collitigante vltro præstitum de sumptibus à se in litem factis,[1] admitti potest probatio in contrarium,[2] vt qui iurauit mendacij conuincatur & periurij,[3] quia non est hoc iusiurandum simile ei, quod à iudice aut ab aduersario delatum est.[4] *Ita Senatus* in publico Auditorio, 20. Decemb. 1595.

1 De quibus scilicet si quando disputetur, solet vt plurimum iudex stare à sacramento victoris, idque ex vetere statuto Sabaudiæ, quod iuris ratione non abhorret.

2 Nunquam enim probatio veritatis censetur excluſa, nisi cum idipsum lege aliqua cautum est, *l. si chirographum, 24. & sent. l. Imperatores, 29. §. vlt. D. de prob.*

3 Nec enim ex mendacio seu periurio lucrum facere quis debet, *l. vlt. C. hoc tit. l. rem alienam, 41. in fin. D. de pign. act.*

4 In quo iurisiurandi genere postquam iuratum est, non solet facile quæri de periurio, *l. 1. C. hoc tit. l. vltim. D. de in lit. iur. l. 5. §. dato D. de iureiur.*

DEFINITIO XXXVIII.

Procurator non est audiendus, deferens iusiurandum, nisi in casibus.

IVdex non debet admittere delationem iurisiurandi factam à procuratore,[1] licet aduersarius de eo nominatim non opponat. Sufficit enim, quod ille dixerit nolle se iurare,[2] quia est exceptio iuris,[3] quam iudex ex officio supplere & potest & debet.[4] *Ita Senatus* in causa D. Andreæ Mugnier magistri Computorum & Sappin, 18. Decemb. 1596.

1 Scilicet nisi procurator qui detulit, vniuersorum bonorum administrationem sustineat, aut in rem suam procurator sit, aut nisi ei nominatim idipsum mandatum sit, *l. iusiurandum quod ex conuentione, 17. §. vlt. & l. seq. D. de iureiur.*

2 Cum non alius possit deferre iusiurandum, quam qui dominus est negotij, vt nec solutionem accipere, quia iusiurandum loco solutionis cedit, *l. iusiurandum, 27. & l. seq. §. 1. D. de iureiur.* Procurator autem non est dominus negotij, sed litis, ideoque nec solutionem accipere potest, *l. hoc iure 86. D. de solutionib.*

3 Cum nec audiendus sit procurator, qui hoc iusiurandum defert, *l. alias 18. D. de iureiur.* Nimirum extra casus, quos excepimus, *nu. 1. Ita Senatus* in causa D. du Four, Prid. Non. Iun. 1612.

4 *Ex not. in tit. C. vt quæ des. Aduocat. part. iud. suppl.*

DEFINITIO XXXIX.

Non potest recusari iusiurandum relatum ab eo, qui delatum recusare potuit.

QVi iusiurandum detulit, si ei referatur, nullo prætextu recusare potest,[1] nec si potuit ab initio recusare is, cui primo delatum fuit.[2] In causa Procuratoris Ballet. *Sine die.*

1 *l. manifestæ, 38. D. hoc tit.*

2 *l. 1. & tot. tit. Quod quisque iur. l. 34. D. de condit. instit. l. illud, 25. §. 1. D. de conditis. pecun. §. datur, hoc tit. D. de iureiur.*

DEFINITIO XL.

Ad iurandum pro vniuersitate ij admittendi sunt, qui ex vniuersitate sunt, & qui veritatem sciunt.

ETiam vniuersitas, quæ suam intentionem siue agendo siue excipiendo non nisi semiplene probauit, audienda est, si admitti velit ad iusiurandum quod ex inueterato interpretum nostrorum errore supplendæ probationis gratia tanquam in causa dubia indulgeri solet.[1] Sed ad iusiurandum huiusmodi pro vniuersitate præstandum, quod vniuersitas ista per se præstare non posset, admitti debebunt ij ex vniuersitate, qui veritatis conscij dicentur, maxime vero, si in eo ipso negotio rem vniuersitatis tractasse probabuntur,[2] tametsi iurisiurandi præstandi tempore neque Syndici sint, neque actores vniuersitatis: Quales tamen eos esse oporteret, vt per ipsos vniuersitas aut transigere, aut agere, aut conueniri posset.[3] *Sine die.*

1 *l. admonendi, 3. D. de iureiur. l. 2. C. de reb. credit.*

2 *Arg. l. 4. D. de in lit. iur.*

3 *l. 1. §. quibus, l. item 6. §. 1. & 2. l. sicut, 7. §. fin. D. quod cuiusque vniuers. nom.*

DEFINITIO XLI.

SEntentia, quæ litigatorum controuersiam actoris aut rei iureiurando, vt vocant, decisorio finiri voluit,[1] cum de pluribus rebus restituendis ageretur, quarum maior pars penes eum lapsum, qui restitutionem vrgebat, reperta probabatur, sic interpretanda visa est, vt de iis tantum rebus, de quibus nihil probatum esset, iurati aut referri oporteret.[2] Ne alioqui via periurio aperiretur, quam præcludere & non recludere boni & religiosi iudicis est.[3] *Sine die.*

1 De quo *in l. 1. C. hoc tit & in l. 1. & tot. tit. D. de iureiur.*

2 Nam cum iusiurandum sit vice probationis, *l. non erit 5. §. dato, & l. eum qui 30. D. de iureiur.* frustra probaretur id, quod iam satis superque probatum esset, nec qui squam superuacua probatione onerandus est, *arg. l. hæc stipulatio, 14. §. 1. D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*

3 *l. 1. C. si aduers. vendit. l. vlt. C. hoc tit.*

DEFINITIO XLII.

DOtis debitor, qui consentiente patre stipulanti filiæ promiserat solutionem, cum se diceret patri soluisse ex filiæ voluntate,[1] nec eo minus à filia vrgeretur, probabat non modo permissum, sed etiam mandatum fuisse patri per filiam, vt solutionem acciperet.[2] Sed quid & quantum soluisset non probabat,[3] nisi ex patris confessione, facta iurato quidem, sed tamen pendente lite, quæ non tantum inter filiam & debitorem, sed etiam inter patrem & debitorem agitabatur, cum pater à debitore, vt indemnem eum aduersus filiam præstaret, conueniretur. Petebat tamen sibi deferri iusiurandum in supplementum minus plenæ probationis.[4] Placuit non esse audiendum, quod neque posset semiplena dici probatio, quæ sumebatur ex confessione alterius[5] in præiudicium tertij absentis, post motam litem facta.[6] Nec quicquam prodesset, vbi probanda solutio & numeratio fuerat, nudam solutionis confessionem probasse,[7] Sicuti nec, quod mandatum patri à filia esset, vt solutionem acciperet, quando neque solutionem & numerationem secutam postea fuisse probabatur.

1 Quo casu certum esset liberationem ei contigisse, *l. 3. & 4. l. dotem 37. D. solut. matrim.*

2 Plus autem est mandare quam consentire, quamuis, cum de solutione agitur, vtrumque sit eiusdem effectus, *l. vero procuratori 12. & pass. D. de solut.*

3 Quod tamen necessario probandum erat, quia non potest ex solutione liberatio contingere, nisi quatenus & in quantum solutum est, *l. stipulatus sum, 9. §. 1. D. eod. tit. de solut.*

4 *Ex l. admonendi, 31. D. de iureiurand. l. in bonæ fidei, 3. C. hoc tit.*

5 Nec enim vnius confessio alteri prodesse potest aut nocere, vt neque pactum vel interrogatio, *l. vlt. D. de interrog. in iur. fac. l. si vnus 27. §. pacta vers. ante omnia, D. de pact.*

6 Neque enim pendente lite quicquam fieri vnquam potest in præiudicium litis, *tot. tit. C. vt lit. pend.*

7 *l. pactum curatoris, 22. vbi not. C. de pact. l. non abstulit, 4. in fin. C. de nouat.*

8 Cum non aliter mandatum accipiendæ solutionis noceat man-

BIU Cujas

ceat mãdanti, quam si probetur secuta solutio, & quidem ante reuocationem, *dict. l. vero procuratori, l. si cum Cornelius*, 82. *D. de solut.*

DEFINITIO XLIII.

Etiam in criminalibus causis potest deferri iusiurandum suppletorium, si pœna sit tantum futura pecuniaria: Itemque ad probandam innocentiam rei.

ETsi non solet in causis criminalibus, quæ capitalis & corporalis pœnæ condemnationem admittunt, recipi delatio iurisiurandi, ne quidem eius, quod nostri suppletiuum vocant, cui scilicet locus est in supplementum probationis: [1] Si tamen leuius sit crimen, quod obtenditur, vt ex eo non nisi pecuniaria pœna irrogari possit, Placet perinde iusiurandum hoc deferendum esse, atque si de ciuili negotio tractaretur, & iis ipsis casibus, quibus in causa ciuili tale iusiurandum deferri posset. [2] Quod magis est, si reus non alias innocentiæ suæ probationes habeat, quam quas ex ipsius actoris iureiurando velit desumere, audiendus est deferens ei iusiurandum, [5] quandoquidem vix est, vt iniuriam sibi factam conqueri possit is, qui in causa sua iudex constituitur, [4] nisi si quas habeat proferatque in contrarium probationes. [5] *Sine die.*

1 *l. admonendi*, 31. vbi Bart. & alij *de iureiur.*

2 Alex. *cons.* 66. & 74. & 278. *lib.* 1. & *cons.* 112. *vol.* 2.

3 Est enim fauorabilissima innocentiæ probatio, quia melius est nocentem absoluere, quam innocentem damnare, *l. absentem* 5. *D. de pœn.*

4 *l.* 1. *D. Quar. rer. act. non det.*

5 Nemo enim cogitur iurare de eo, quod probare vult, *Not. ad l. manifestæ D. de iureiur.* Dixi Defin. 40. 3. [Adde nec cogendum quemquam iurare super positione turpi & famosa, puta quod vsuras centesimas aut alias maiores omni iure prohibitas acceperit. *Ita Senatus* ex tempore 26. Iunij 1612.]

DEFINITIO XLIV.

Casus fere omnes, in quibus iuramento suppletiuo locus esse non potest.

IVsiurandum, quod in supplementum semiplenæ probationis deferri posse vulgo creditum est, [1] non semper deferendum esse placuit. Quid enim si non sit verisimile id, super quo iusiurandum postulatur? [2] Quid si is qui iurare vult periurus probetur, aut falsarius, aut spurius, aut vsurarius, aut infamis eo infamię genere, quod per pœnitentiam & satisfactionem non fuerit deletum, [3] aut etiam deleri non potuerit? puta si res iudicata infamiam irrogauit, [4] nec aliud est si nondum periurus, eius tamen vitæ sit, vt facile credatur peieraturus? [5] Quid rursum si agatur de causa matrimoniali, [6] vel beneficiali, [7] vel criminali, siue criminaliter siue ciuiliter intentata? [8] Quid si is, qui semiplene probauit, ignoret veritatem? [9] Quid si insolitum sit id, de quo iusiurandum petitur? [10] Quid si causa sit vel præiudicialis, vel odiosa, puta in qua agatur de temporis præscriptione? [11] Quid si probatio semiplena non necessario probet, sed præsumptiue aut per præsumptionem elidatur contrariam? [12] Quid si præsumptio sit contra probantem, vnius tamen testis fide subnixum? [13] Quid si reus semiplene tantum, actor vero piene intentionem suam probauerit? [14] Quid denique si negotium tale sit, in quo is, qui semiplene probauit, non posset tametsi maxime vellet iudicem facere aduersarium ipsum? [15] Cur ei permittamus petere, vt ille ipse in propria causa & inuito aduersario iudex fiat? An ei licere debebit quod plus est, cui nõ licet quod est minus? His nimirum casibus omnibus placet, iusiurandum istud suppletoriũ, antiquis prudentibus plane incognitũ, nullo modo deferri oportere. *Sine die.*

1 *Ex l. admonendi, D. de iureiur. l. in bonæ fidei*, 3. *C. hoc tit.*

2 Hyppol. de Marsil. *ad tit. C. de probat. nu.* 111. *& ad l.* 3. *in princ. num.* 35. *de quæst.*

3 50. *dist. Can. ferrum, de consecrat. distinct.* 3. *can.* 2. *cap. cum te, de rescript. cap. testimonium, de testib.* Ioan. Andr. *in cap. semel malus, de reg. iur. in* 6.

4 Bald. *in l. quæ sub conditione de condit. instit.* Grammat. *in addit. ad Afflict. decis.* 36. post Hyppol. de Mar. *loco supradicto, & alii ibid. citatis.*

5 Marsil. *in l. pen. num.* 72. *D. de quæst.*

6 Bart. *ad l.* 3. *numer.* 2. *D. de iureiur.* Grammatic. ad Afflict. *vbi supr.*

7 Grammat. *ibid.*

8 Grammat. *ibid.* Excipe tamen casum de quo in Definit. præced. Vide Fachin. *lib.* 1. *Contr. cap.* 15.

9 Marsil. *in l. maritus, num.* 7. *de quæst.*

10 Idem *in l. de minore, eod.*

11 Marsil. *sing.* 635. incip. *memoriæ teneo.*

12 Idem Marsil. *sing.* 83. incip. *in ore vulgi.*

13 Idem *sing.* 451.

14 Stephan. Bertrand. *consil.* 27. *num.* 5. *part.* 1. Grammatic. ex quo supradicta omnia sumpta sunt, *in addit. ad Afflict. dict. decis.* 36.

15 Vt in specie, *l. in contractibus*, 14. §. *illo vid. licet, Cod. de non num. pecun. l. si quis*, 11. *C. de reb. credit. & iureiur.* Vide D. fin. 7. *inst. de non num. pecun.*

16 *Contra reg. l. non debet cui* 21. *D. de reg. iur.* [Adde alium casum si de vltima voluntate probanda agatur. Eam siquidem siue heredis siue legatarij iureiurando suppletorio probari nimis sane periculosum esset. *Ita Senatus* in causa N. Perroquini d'Vrtieres & Peronetæ Mojon 8. Id. Febr. 1612.

DEFINITIO XLV.

Iusiurandum decisorium aliquando differri potest & debet, etiam quantum ad pronunciationem, quousque appareat esse decisorium.

INterdum accidit, vt iustissima de causa iusiurandum deferatur, nec tamen statim cogendus sit aduersarius, vel iurare vel referre. [1] Quid enim si tale quid probare is velit, quo probato futurum sit, vt etiam si maxime verum esset id, de quo iurandum proponitur, condemnari nihilominus debeat is, qui iusiurandum defert? [2] An non superuacuum est iusiurandum, quod nec si deferenti referatur, ei tamen iuranti possit litis victoriam parare? [3] Nam & illud est quod dici solet, iusiurandum tale esse debere, vt eo siue ex delatione, siue ex relatione præstito nihil aliud quærendum supersit, [4] vnde & à nostris vulgo litis decisorium appellatur. [5] Quid ergo est? Tantisper differenda erit pronunciatio, donec appareat quid ab aduersario probatum sit, vt si suam ille intentionem probauerit, nulla delati iurisiurandi ratio habeatur, sed qui detulit condemnetur. [6] Si vero in probanda exceptione defecerit, tum vero actor ad probandam per aduersarij iusiurandum intentionem suam admittatur. [7] Nec verendum est, ne mortuo interim altero ex litigatoribus intercidat probatio, quæ ex iureiurando sperabatur, [8] cum eo casu futurum sit, vt iusiurandum, quod ab aduersario recusatum eo tempore, quo præstari commode poterat, hodie deferri nequit, non solum pro relato haberi debeat, si is qui detulit adhuc viuat, sed etiam pro præstito ex relatione, si prædefunctus proponatur, vt iurare amplius non possit. [9] Illud plane dici non potest, adigendum esse ad iusiurandum vllo casu eum, qui alia relatione possit vincere. [10] Essetque tolerabilius pati, vt probatio intercideret perempta iurandi facultate, quam vt eo metu iniquum ius in eum, qui iusta de causa iurare nollet, constitueretur. [11] *Sine die.*

1 Vt sit hæc vna de exceptionibus & limitationibus, quæ adferri solent, *ad l. manifestæ* 38. *D. de iureiur.*

2 Frustra enim probandum adsumitur, quod probatum non releuaret, *l. neque natales*, 10. *Cod. de probat. l. vltim. Cod. vnd. legitim.* [Interdum tamen accidit vt quamuis non possint ambo litigatores vincere, ambo tamen iurare debeant si sibi inuicem

BIU Cujas

deferant iusiurandum. Non super vno eodem articulo sed super diuersis. Quid enim si actor reo iusiurandum hoc decisorium deferat, reus autem tale quid alleget, quod si verum esset vincere deberet etiam citra iusiurandum? debebit vterque iurare. *Ita Senatus* in causa Nicolai Toynet & Francisci Burut Idib. Sept. 1612.]

3 Nihil porrò in iudiciis superuacuo faciendum est, *l. hæc stipulatio, 14. §. 1. D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*

4 *l. non erit, 5. §. dato iureiurando, ff. de iureiur.*

5 *Ad l. 1. per ill. text. D & C. hoc tit.*

6 Quid enim potest actori prodesse, quod suam intentionem probauerit, si reus quoque suam eamque iustam probauit exceptionem? cum exceptio sit actionis exclusio, *l. 1. D. de except.*

7 Nec enim potest actor vnquam vincere, quin suam intentionem plene probet, *l. 4. C. de edend. l. vlt. C. de rei vind.*

8 Cuius causam semper quantum fieri potest, saluam esse oportet, *l. curent, 22. D. de testibus, l. in lege, 41. D. ad leg. Aquil.*

9 *Arg. l. generaliter 12. C. hoc tit.*

10 Cum plerique ad superstitionem vsque sint timidiores ad iurandum, *l. quæ sub conditione, 8. D. de condit. instit. l. illud, aut illud, 25. D. de pecun. const.*

11 Non enim videtur frustrandi causa recusare iusiurandum is, qui iustam causam habet recusandi, *arg. l. sciendum, 21. & seqq. D. de vsur. l. ab hostibus, 15. §. vlt. D. ex quibus caus. maior.*

[DEFINITIO XLVI.

Iussus iurare in vno loco potest ex causa admitti, vt iuret in alio, & iterum tamen si velit iurare vbi prius iussus erat, seu refusis sumptibus frustratoriis.

QVI iussus in vno loco iurare postea obtinuit per longam litem prætextu grauioris ætatis aut valetudinis vt iuraret in alio [1] si rursum in priore loco iurare malit fortassis vt parcat sumptibus, quos in eam rem maiores fieri necesse esset, audiendus quidem est cùm nihil interfit aduersarij vtro loco iuretur, [2] præsertim qui tanta contentione vt in eo loco iuraretur prius petierat, [3] Sed refusis tamen expensis omnibus frustratoriis. [4] In quarum numero cùm de hoc quoque maximè dubitaretur, totius prioris instantiæ sumptus quæ de mutando iurisiurandi loco facta fuerat, magis placebat computandos esse, tametsi priore Senatusconsulto compensatos. [5] Neque ad id necessarium esse ciuilis supplicationis auxilium: [6] quod mutandi & quodammodo corrigendi Senatusconsulti causam daret inconstantia eius qui nullo primum in loco, deinde in vno, postea in alio iurare voluisset. [7] Æquum enim videbatur huiusmodi inconstantiam saltem sumptuum litis condemnatione mulctari. [8] Ita quod ad primam partem decisum, quod ad posteriorem tractatum est. In causa N. Claudij de Mondragon, 22. Maij 1613.

1 Pendet enim totum hoc ex facti circumstantiis pro personarum, locorum & temporum varietate, vt *in l. 34. §. non semper D. de iureiur.*

2 Nemo enim audiendus est, siue agendo siue excipiendo, nisi cuius interfit *l. sin autem 27. §. si homo de rei vindic. l. 3. §. 1. l. 38. §. alteri, de verb. oblig. l. ille à quo 13. §. 1. ad SC. Trebell.*

3 Nunquam enim fit iniuria ei qui ad eum statum reducitur in quo prior ipse se constituerat *l. si iudex 41. D. de minor.*

4 Nec enim ferendum vnquam est vt superuacuis & frustratoriis sumptibus quis oneretur, *l. 1. D. de inoff. test. l. hæc stipulatio, 14. §. 1. D. vt legat. seru. caus. caueat.*

5 Hinc nascebatur magna ratio dubitandi, Ne contraria viderentur de eadem re duo senatusconsulta, quod summopere cauendum est *l. singulis 6. de except. rei iudic.*

6 Quod alioqui solet esse necessarium, vt scribemus ad *tit. de sent. præf. prætor.*

7 Nec enim damnum videtur vllum sentire, quod ex culpa sua sentiret ob suam inconstantiam *l. quod quis, de regul. iur.*

8 Nec enim facile in iudiciis ferenda est inconstantia *l. in causæ 27. in princip. de procurat.* vbi pro *constantiam*, proculdubio legendum est *inconstantiam*, vt scripsi in Rationalibus, cùm in iudiciis quasi contrahatur *l. 3. §. idem scribit D. de pecul.*]

TIT. II.

SI CERT. PET.

DEFINITIO I.

Valet conuentio, vt pecunia credita in vna nummorum specie in alia reddatur, nec aduersus eam conuentionem datur restitutio.

QVI mutuam pecuniam accepit in moneta Sabaudica, si conuenerit, vt tantundem reddat in regia, id est, ad concurrentem vsque numeratæ quantitatis æstimationem, non numeratæ pecuniæ regiæ exceptionem obiicere non potest, [1] restitui vero in integrum aduersus conuentionem, tanquam læsus, [1] aut sine causa obligatus, [3] multo minus. Valet enim conuentio, cum monetarum omnium commune illud sit, vt recipiant in suo genere functionem: [4] nec tam ex nummorum corporibus, quam ex corporum æstimatione definiendum sit, quid & quantum debeatur. [5] Quare ad rem non pertinet, quod ex conuentione solutio fiat in nummis aut melioribus aut deterioribus. Id enim non ad substantialia, vt loquuntur, contractus pertinet, sed ad naturalia, quæ conuentione immutari posse certum est. [6] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro Ioanne Beynier, & Petro Huchard, contra liberos D. Ioannis Ribodi Iuridici maioris Sebusianorum, Prid. Non. Nouemb. 1588.

1 Non enim sicut introducta est exceptio non numeratæ pecuniæ, de qua in *tit. C. de non num. pecun.* Ita & illa induci potuit aut debuit, non numeratæ huius vel illius pecuniæ, quoniam pecunia recipit in suo genere functionem, vt sequitur in Defin.

2 Etsi enim pluris est moneta Regia quam Sabaudica, nulla tamen hic læsio est, cum quod deest bonitati & valori monetæ Sabaudicæ numero & quantitate maiore suppleatur, alioqui esset facta pactio in fraudem vsurarum.

3 Subest enim causa iusta, sc. mutui licet in moneta Sabaudica contracti.

4 *l. 2. §. mutui datio, D. hoc tit.* iunct. *l. 1. §. re contrahitur, D. de oblig. & action.*

5 *l. 1. D. de contr. empt. l. si is cui, 94. D. de solut.*

6 *l. cum quid 3.* vbi DD. *D. hoc tit. l. Lucius 24.* iunct. *l. seq. §. 1. D. depos. l. pacta conuenta, 72. D. de contr. empt.*

DEFINITIO II.

Quomodo æstimandum vno precio sit, quod iure annui debetur ad multos annos.

CVm quid annuum vno certoque pretio æstimandum est, distinguere oportet, [1] an ex legato aliave vltimæ voluntatis specie, an ex contractu inter viuos inito debeatur, vt sciri possit, quot annorum facienda sit computatio: Priore namque casu ætas illius, cui annuum debetur, omnino inspicienda est, eaque seruanda forma, quam Marcianus ex Vlpiano tradidit, [2] cum de legis falcidiæ ratione ponenda disputatur. Posteriore vero magis probat Senatus noster eorum sententiam, qui annorum quindecim reditus æstimari volunt, exemplo eius, quod in donatione Iustinianus constituit. [3] *Ita Senatus* pro D. Comite de la Chambre, contra Humbertum de la Biche, 8. Id. Mart. 1589. Et rursus in causa quadam Augustanorum, 16. Cal. Iun. 1591.

1 Distinctio est Matth. de Afflict. *decis. 34.*

2 *In l. computationi*, quam vulgo male citant, *l. hereditatem 68. D. ad leg. falcid.*

3 *In l. si quis argentum 35. §. sin autem donator, vers. in reditibus autem, C. de donat.* Tametsi quidam putent eam Iustiniani constitutionem nisi præcipuè fauore pauperis donatoris, nec proinde ita facile trahi debere ad omnia annua, quæ ex contractu inter viuos debentur.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Annuum quod debetur ex iudicato æstimatur, ad exemplum eius, quod inter viuos debetur.

QVid ergo si annuum illud, neque ex vltima voluntate, neque ex contractu inter viuos, sed quo alio iure, vt puta ex iudicato debeatur? [1] Fingamus ei ex liberis, cui adiudicata est legitima, cuius taxatio altiorem requireret indaginem annuum quidpiam adiudicatum esse, [2] tamdiu præstandum, quamdiu legitima ipsa præstita non esset. Quindecim annorum computatio fiet, vt sciatur cuius quantitatis tributum, &, vt vocant, emolumentum pro iudicato debeatur. [3] Idem obseruandum esse placuit, cum super fructibus cuiusdam beneficij annua quædam pensio Senatusconsulto adiudicata esset. Accedunt enim hæc omnia ad causam debiti inter viuos potius, quam vltimæ voluntatis. [4] *Ita Senatus* in causa suprascripta. Et rursum in causa Dn. Federici de Chauanes, 6. Calend. Dec. 1593.

1 Neque enim in toto iure textus vllus est, qui ad hunc casum nominatim pertineat.

2 Hanc enim adiudicationem saltem in speciem fiduciæ, &, vt loquuntur, per modum prouisionis faciendam esse constat, ne filius interea nihil habeat, cui certum est legitimam deberi, vt scripsimus *Defin. 6. §. de inoff. test.*

3 *Arg. l. si quis argentum 35. §. sin autem donator, C. de donat.* vt scripsimus Defin. præced.

4 Secundum eam distinctionem Matth. de Afflict. *decis. 34.* de qua diximus prox. Defin.

DEFINITIO IV.

Confessio numerationis etiam plene probata non probat debitum, nisi semiplene, si sit facta parte absente, & quando plene probata intelligatur.

SOla mutui accepti confessio extra iudicium & parte absente facta, licet sæpius repetita, certi condictionem ex mutuo inducere non potest: [1] Siquidem non confessione mutuum contrahitur, sed numeratione. [2] Nec rursum ea vis esse potest extraiudicialis confessionis, quæ absente parte facta sit, vt obligationis plenam probationem faciat. [3] Quid ergo? an nullius omnino erit momenti? Ne hoc quidem. Sed si plene probata sit, sufficiet ad semiplenam debiti probationem, vt actori, qui semiplene probauerit, iusiurandum deferri possit in supplementum probationis, [4] si ea semiplena probatio nulla præsumptione contraria debilitetur. [5] Certe probata plene intelligitur confessio extraiudicialis, etiam quæ per singulares testes, dummodo non pauciores quam quinque probata est. Actus enim est, vt nostri loquuntur, reiterabilis, in quo rerum genere vtiliter receptum est, vt singulares quoque testationes, dummodo ad eundem tendant finem, pro idoneis habeantur. [6] *Ita Senatus* in causa Franciscæ Moreau contra Alixiam Palluat, 8. Cal. Febr. 1590.

1 Osasch. Cacher. *decis. Pedem. 76.*

2 *l. 1. §. re contrahitur, ff. de oblig. & act. l. cum vltra 9. C. de non num. pecun. l. rogasti 17. §. si tibi, & pass. D. hoc tit.* & apud Iustin. *Instit. quibus mod. re contr. obligat. l. 1. C. de dot. caut. non num.*

3 *l. certum 6. §. si quis absente,* vbi DD. *D. de confess.*

4 Matth. de Afflict. *decis. Neapol. 364.* post Bart. Ias. & alios, *ad l. admonendi, ff. de iureiur.* Facit *l. Publia 26. §. fin. ff. depos.* Excipe casum *l. cum quis decedens 37. §. codicillis, de legat. 3.* vbi confessio sola probat plene depositum propter auctoritatem iurisiurandi, vt lex ait.

5 Nunquam enim iusiurandum suppletiuum defertur ei, qui semiplene tantum probauit, si aliqua sit contra eum præsumptio, quia impedit illa ne possit dici semiplena probatio, quæ alioqui talis esset, vt scripsi *Defin. 4. in fin. & 45. num. 12. & 13. sup.*

6 Alex. *consil. 53. vol. 1.*

DEFINITIO V.

Ob non restitutum chirographum condemnandus est reus, non ad pecuniam chirographo contentam, sed ad id tantum quod interest actoris.

CHirographum alienum restituere obligatus, si non restituat, non ad eam quantitatem quæ chirographo continetur damnandus est, sed in id tantum, quod actoris interesse potest, restitutum esse. Quid enim si aliunde suppetat probatio debiti? [1] Finge debitorem ipsum, cum ex chirographo conuentus esset, in iudicio antea confessum se debere. Videri potest nihil interesse creditoris. Chirographi namq; vtilitas non in eo est, vt obligationem inducat, [2] sed vt inductam probet. Probatio autem, quæ ex iudiciali confessione producitur, non minoris est potestatis, quam quæ ex chirographo: [3] Quinimo maioris, si verum est, quod pragmaticis nostris placet, [4] ex iudiciali agnitione chirographi nasci ius hypothecæ, [5] non item ex chirographo licet expressam habente pignoris conuentionem. [6] Loquimur enim de vera confessione non de ficta, qualis illa est, quæ inducitur ex contumacia debitoris, quam constat non nocere creditoribus, [7] sicut nec eam, quæ facta sit à procuratore speciale in eam rem mandatum non habente. [8] Quid rursum si inanis erat actio quæ ex chirographo competebat, forte propter inopiam debitoris, [9] aut quod exceptione aliqua creditor summoueri posset? [10] Non ergo debita ex chirographo quantitas, sed id tantum, quod creditoris vere potest interesse, venire debet in condemnationem. [11] *Ita Senatus* ex tempore 15. Calend. Iunij, & 10. Calend. Aug. 1591.

1 *L. qui tabulas 27. §. inde quæri,* iunct. *l. quidam tabularum 32. ff. de furt.* Facit *l. in lege 40. ff. ad leg. Aquil.*

2 Suæ namque subscriptioni & propriæ manus subuocationi stare quisque debet, *l. iubemus 29. l. cum antiquitas 28. C. de testam.* Facit *l. Publia 26. §. vlt. ff. depos.*

3 Cum in iure confessus pro iudicato habeatur, non etiam qui per chirographum duntaxat, *l. 1. l. certum 6. in princ. ff. de confess. l. si rem 9. §. vlt. ff. de pignor. act.*

4 Contra quos vide quæ scripsi hac de re *in Error. Decad. 1. de error. pragmat.*

5 Quasi sit hic vnus ex iis casibus, in quibus pignus & hypotheca tacite contrahitur, licet nulla eius mentio fiat *in tit. D. & C. in quibus caus. pign. vel hypoth.* neque alio vllo iuris loco. Addunt pragmatici in iudicio quasi contrahi, *ex l. 3. §. idem scribit, ff. de pec. l. donari 29. §. 1. alias, l. quidam, in princ. ff. de nonat.* Sed aliud est contrahi, aliud hypothecam nasci.

6 *Ex l. scripturas 11. C. qui potior. in pignor. hab.* sed longe alia illius loci sententia est, vt docuimus *in d. Error. 1.*

7 Quia quod fit in pœnam contumaciæ, non debet egredi personam contumacis, vt pœna suos auctores sequatur, *l. sanximus 22. C. de pœn.* Text. est *in l. si perlusorio 14. §. 1. ff. de appellat.*

8 *l. vlt. in princ. ff. de oblig. & action.* Sufficit tamen si habeat generale mandatum cum libera, *arg. l. nam & nocere 12. ff. de pact.* Facit *l. ignorantis 49. ff. de procur. cum simil.*

9 *Argument. l. nam is 6. de dolo, l. si quis iniuriam 35. ff. de iniur.*

10 *l. non videtur cepisse 13. l. Marcellus 66. l. nihil interest 112. de reg. iur. cum simil.*

11 In quo tamen etiam id quod debetur potest contineri, interdum etiam plus, *l. 1. ff. de actionib. empt. l. in interdicto 6. ff. vnde vi.*

DEFINITIO VI.

De differentia iudiciorum bonæ fidei, & stricti iuris, & arbitrariorum.

IVdiciorum, ex quibus siue certum siue incertum aliquid petitur, summa diuisio illa est, vt quædam sint stricti iuris, alia bonæ fidei, nonnulla etiam arbitraria. [1] Stricti iuris illa sunt, in quibus nihil nisi

BIU Cujas

formam & ius obligationis attendimus, vt ex eo, quod in obligationem stricte & præcise deductum est, concipiatur formula iudicij, fiatque condemnatio: [2] Bonæ fidei vero illa, quæ propter bonam fidē pleniorem exercent actionem, quam esset ipsa obligatio, quæ actionem produxit, inferente nimirum natura ipsa obligationis, ac prætoris formula & accessionum quoque præstationem ex officio iudicis admittente. [3] Arbitraria denique ea, quæ nec obligationis nec actionis vllius iure exercentur, at ne vllo quidem iudicis officio, nempe cui locus esse non potest, [4] vbi nulla obligatio nec actio subest, [5] sed arbitrio iudicis expediuntur, id est, ita vt nisi arbitrio iudicis satisfiat, sequi debeat condemnatio. [6] Id euenit, quoties aduersus eum agitur, qui neque ex contractu vel quasi, neque ex delicto vel quasi obligatus est, sed quem tamen æquum sit aliquid præstare, si boni viri arbitrio res committatur, vt puta si rem meam habeas, quam nec restituere velis mihi vindicanti, nec exhibere vt vindicare possim. Etsi enim nulla mihi contra te actio competit ad hoc, vt exhibeas aut restituas ex præcedenti obligatione, quæ nulla fuit, arbitrium tamen iudicis de ea re dati tale esse debet, vt iubearis exhibere & restituere, [7] quod si non facias, condemneris in id omne, quod mea potest interesse. [8] Idem est, si qua obligatio quidem præcesserit, sed tamen eiusmodi, vt contra formam ipsam obligationis agi necesse sit. Veluti cum is, qui certo loco [9] dare promisit, post diem, intra quem ad eum locum peruenire potuit, alio loco conuenitur. Quo enim iure possim Lugduni petere, quod tu ex conuentione Romæ dare promiseras? [10] Arbitrium iudicis in eam rem necessarium est. Iudex autem arbitrabitur, vt & alius vir bonus quilibet, æquum non esse, vt ob id solum libereris, quod nunquam velis ad eum locum accedere, in quo possim te ex verbis obligationis conuenire. [11] Ergo in bonæ fidei iudicijs condemnatio fit, non tantum iure obligationis sed etiam ex natura & æqualitate actionis, officioque iudicis. [12] In strictis non nisi mero obligationis iure: [13] In arbitrarijs nec obligationis nec actionis iure, sed arbitrio iudicis. [14] Inde fit, vt ex iudicijs strictis neque vsurę præstentur, neque id quod interest, licet mora interuenerit, siue per interpellationem extraiudicialem præcedentem, siue per litis contestationem, quia nihil est in obligatione, præter ipsam rem aut quantitatem quæ debetur, [15] nisi tempus obligationi adiectum sit. Illa enim temporis adiectio, ne inutilis sit, facit vt promisisse videatur debitor, quanti creditoris interfuerit si ad diem non solueretur. [16] De fructibus alia quæstio est. Etsi enim accessiones sunt fundi qui debetur, non fundus ipse aut pars fundi, [17] ideoque nec deberi possunt ex iudicio stricti iuris, si stricto & summo iure agatur, vulgo tamen receptum est ex æquitate, [18] vt præstandi sint, tanquam causa, id est, tanquam id quod habiturus erat actor, si petitionis tempore rem debitam accepisset. [19] Fructus enim ex fundo percepti ipsi fundo accepti feruntur, [20] suntque accessiones naturales, quod in vsuris, & eo quod interest dissimile est. [21] Quale autem quid est cum petitur tale dari debet. [22] At ex iudicijs bonæ fidei fit plerumque condemnatio plenior, quam fuerit obligatio, siue sola bonæ fidei ratione quæ in ipsis exuberat, [23] siue propter officium iudicis, cui incumbit, vt propter moram, siue iudicialem siue extraiudicialem, habeat rationem accessionum omnium, & consequenter non fructuum dumtaxat, sed etiam vsurarum & cæterarum vtilitatum, si quæ actori præstandæ videantur. [24] In arbitrariis denique nunc plenior, nunc exilior fit condemnatio, prout arbitrij æquitas ex facti circumstantiis suggerit religioni iudicantis. [25] Plerumque tamen ac fere semper & in omnibus iudiciorum bonæ fidei naturam imitantur. [26]

1 §. *actionum, Inst. de action.* iunct. §. *præterea, eod. l. 3.* §. *in his quoque ff. de vsur.*

2 Vt puta in iudicio ex stipulatu, *l. quicquid adstringendæ, 99. D. de verb. obligat.*

3 *l. Lucius, 24. l. bona fides, 31. D. depos. l. g. quia tantundem, 7.* iunct. *8. vlt. l. prec. D. de negot. gest.*

4 § *præterea, Inslit. de action.* De quibus vide quæ scripsi fusissime *lib. 16. Coniect.*

5 *l. qui per collusionem, 49.* §. *vlt. de action. empt. l. quæro, 54. D. locat.*

6 Verba sunt Iustiniani *in d.* §. *præterea.*

7 Nunquam enim æquum est, vt quis alienam rem inuito domino retineat, nec si iustum eius pretium soluere sit paratus, *leg. nec quasi, 70. D. de rei vindicat. l. non enim, 9. D. rer. amot.*

8 *l. qui restituere. 66. D. de rei vindic.* De cuius tamen sententia vide omnino quæ scripsi *d. lib. 20. Coniect. & tot. Decad. 20. de error. pragmat.*

9 Non idem est, si quis obligatus sit dare certo tempore. Nam qui debuit soluere Cal. Ian. multo magis ex verbis obligationis conueniri potest Calend. Febr. ideoque nil necesse est induci arbitrariam. In quo errauit Cuiac. vt scripsi *lib. 15. Coniect. cap. 3.*

10 *l. 1. 2. 3. & pass. de eo quod cert. loc.*

11 Vt Iureconsultus tractat *in dict. l. 1.* cum huius actionis comparandæ, quæ arbitraria ἐμφατικῶς dicitur, rationem reddit.

12 *d. l. quæro,* §4. *D. locat. d. l. quia tantundem, 7. de neg. gest.*

13 *l. rogasti, 11.* §. *si tibi, de rebus cred. d. l. quicquid, 99. de verb. obligat.*

14 *l. 1. l. 3.* §. *in his, l. 4. l. videamus, 38.* §. *si actionem, cum seqq. de vsur. leg. item si cum, 14.* §. *1. &* §. *hæc autem actio, ff. quod met. caus. l. arbitrio, 18. in princ. &* §. *1. D. de dolo.*

15 *l. 3. C. de vsur. l. Titius, 24. D. de præsc. verb.*

16 *l. si Calendis, 11. de re iud. l. si fundum certo die, 114. de verb. oblig.*

17 Loquimur enim de fructibus iam perceptis, aut à solo separatis, non dependentibns, de quibus *in l. fructus, 44. ff. de rei vind.* Facit *l. fundi, 17. ff. de act. empt.*

18 Ita loquuntur Iureconsulti *in d. l. 2. & l. 38.* §. *si actionem, de vsur.*

19 Id enim est, quod *causam* Iureconsulti dicunt, *l. Iulianus, 17.* §. *1. l. præterea, 20. D. de rei vind.*

20 *l. in fideicommissaria, 18. ad SC. Trebell.*

21 Percipiuntur enim vluræ ex iure magis, quam ex re, vt loquitur Papin. *in l. si nauis, 62. ff. de rei vind.*

22 Ratio est Papiniani *in d. l. 2. ff. de vsur.* Intellige autem tunc demum petitam rem intelligi, cum facta litis contestatio est, *l. amplius non peti, 15. ff. rat. rem hab.* iunct. *d. l. videamus, 38.* §. *si actionem, de vsur.*

23 *l. bona fides, 31. depos.* Id enim est, propter quod dicuntur iudicia bonæ fidei, cum alioqui in contractibus omnibus bona fides exigatur, *l. 4 ff. de oblig. & action.*

24 *d. l. quæro l. ex empto, 11. l. 1. & pass. de action. empt.*

25 Exemplum est textusque elegans *in l. 4.* §. *1. ff. de eo quod cert. loc.*

26 *l. 2. l. centum Capuæ, & l. vlt. ff. eod.* Vnde illud etiam est, quod, si quid certo loco præstari debuit ex contractu bonæ fidei, sufficiat in eam rem actio ex contractu, nec necessaria sit arbitraria, *l. in bonæ fidei, 7. ff. eod.*

DEFINITIO VII.

Quomodo ineunda sit æstimatio rei debitæ ex contractu stricti iuris.

His ita constitutis apparet, si quæratur de ineunda mercis debitæ æstimatione, quæ pro temporum varietate alia atque alia sit, vt fere omnium mercium esse solet, [1] distinguenda esse iudicia stricti iuris ab iis, quæ bonæ fidei appellamus. In iudiciis strictis, si dies obligationi adiectus non sit, inspicimus præcise tempus litis contestatæ, [2] ratione illa quæ Papiniano potissimum placuit, [3] quod quale quid est cum petitur tale dari debeat. Nec distinguemus an mora præcesserit, necne. Nam licet ex contractu stricti iuris perinde contrahatur mora etiam per simplicem

simplicem interpellationem, [4] atque si ex contractu bonæ fidei debitum esset, inutilis tamen mora illa est & sine effectu, nisi hactenus vt perpetuet obligationem, si forte species debeatur, quæ perire possit, & qua perempta, si mora nulla præcessisset, debitor liberaretur: [5] quod non euenit cum merx debetur, quæ quoniam genus est non species, & in suo genere recipit functionem, perire nunquam potest. [6] Et vero non solet mora, nec potest augere obligationem principalem, id est, facere, vt plus in obligatione sit post moram, quam fuerit ante moram, [7] sed mouere duntaxat officium iudicis, vt accessionum præstationibus augeat ex bona fide, vel æquitate, condemnationem, quoties actionis natura tale iudicis officium vel arbitrium admittit. [8] Cumque verum sit, quod proxime diximus, in iudicijs strictis, nec officio, nec arbitrio iudicis locum esse, sed ex mero iure obligationis faciendam condemnationem, ita præscribente formula prætoris iudicem dantis, consequens est, vt in æstimanda re ex contractu stricto debita nulla præcedentis moræ ratio habenda sit. [10] At nec sequentis, hoc est, eius quæ sequitur litis contestationem. Proinde tametsi post litem contestatam æstimatio frumenti creuerit, non ad aliam tamen debitor condemnabitur, quam quæ fuit tempore litis contestatæ: quia nouatio illa, quæ per contestationem fieri dicitur, non immutat naturam obligationis, ex qua primum agi cœptum est, eiusdemque conditionis actio manet. [11] An igitur debitori frustratio sua & mora proderit? Minime: [12] Sed nec nocebit, quoniam iudicium, quod exercetur, tale est, vt ob moram debitoris pinguior creditoris actio fieri non possit: [13] nec magis conqueri potest creditor de iniquitate iudicij, quam de seipso, cur ita contraxerit, aut cur non sit citius litem contestatus. In eoque maximus, ac fere perpetuus interpretum nostrorum, duplexque error est, quod putant præstandum creditori, quanti plurimi res fuit à tempore moræ, & quidem indistincte, id est, siue ex stricto, siue ex bonæ fidei contractu debeatur. [14] Quasi vero æstimatio quanti plurimi sit causa vel accessio quædam, quæ exemplo vsurarum eius, quod interest cæterarumque accessionum indies augeatur, ac non potius res ipsa quæ debetur, [15] quæque non aliter præstari amplius potest, mutata iam æstimatione, quandoquidem frumentum, quod nunc vilius est, non potest videri illud ipsum esse, quod præstari debuit cum erat carius, sed mutata æstimatione ipsa quoque res, quæ functionem recipit in suo genere immutata, & alia esse videtur. [16] Quemadmodum autem semel tantum debetur frumentum, quod non nisi semel positum est in obligatione: [17] Ita non nisi vnius præcise temporis haberi ratio potest in eo æstimando. Quare nec vnquam sic prudentes loquuntur, vt dicant præstandum quanti plurimi res fuit ab vno tempore in aliud tempus, [18] sed præcise quanti fuit hoc vel illo tempore. [19] Sed etsi æstimatio quanti plurimi non tam res ipsa esset, quam accessionis iure censenda, (quod sane nisi ridicule nemo dixerit) non ideo tamen dici posset augeri eam debere ex mora, per litis contestationem facta, quia, vt iam dictum est, quoties ex contractu stricto agitur, mora non magis inducere potest vberiores præstationes, quam efficere vt iudicis officio locus sit, ex quo eiusmodi præstationum vberiorum condemnatio proficiscitur.

1 *l.oleo,23. C.de vsur. l.3. de eo quod cert.loco.*

2 *l.vinum,22.de rebus cred. l.3. §.in hac commod. l.hominem,37. mand.l.vlt.de cond.tritic.*

3 *d. l.2. de vsur.*

4 Mora enim contrahitur, quoties quis opportuno loco & tempore interpellatus non satisfacit, *l.mora,32. D. de vsu.* multo magis contrahitur mora per contestationem, nisi in casu *l.3.D.de vsur.*

5 *l.si ex legati,23. l.si seruum,91. §.sequitur, de verb.oblig. l.quidecem,72.D.de solut.*

6 *l.incendium,11. C. hoc tit.*

7 Omnis enim obligatio æstimatur virelque suas accipit ex eo tempore quo contrahitur, tum etiam cum contrahitur sub conditione, *l.si filiusfamilias,76.de verb.oblig.*

8 *d.l.quæro locat.d.l.qui per collusionem, §. vlt. de act. empt.* iunct. *d.l.quia tantundem, 7.D.de negot. gest.*

9 *Defin.9.5. nu.2.& 13.*

10 Fallit si debeatur species, quæ post debitoris moram deterior facta sit, tunc enim inspicimus quanti fuit tempore moræ, vt mora debitoris ei noceat sicut si res periisset, *l.penult. de cond.tritic.* Sed nos eum casum tractamus, quo res non facta sit deterior, sed tantum minoris æstimationis, ob quam aliam causam extrinsecam.

11 *l.aliam, 29.de nouat.*

12 Nunquam enim id ferendum est, quantumuis strictum iudicium sit, ex quo agitur, *l.hominem,37. D.mandat.*

13 Nam & ideo strictum appellatur.

14 Vt dicemus infra Defin.15.

15 Inde fit vt rem ipsam peti oporteat, sed tamen æstimatio præstetur, *l.91.§.vltim.de verb.oblig. l.fundum,28.D.de nouat.*

16 *l.56. de verb.oblig.* in illis verbis, *alioquin alius, id est, alterius rei pactio erit,* vt Hotoman. legendum putat *in quæst. illustribus, quæst.16.* Etsi nos receptam lectionem tanquam aptiorem magis probauimus, *lib.16. Coniect.* itemque *Decad. 20. de error. pragmat.*

17 *l.si sterilis, 21.§.cum per venditorem, D.de action.empt.*

18 Nisi cum tractant de actione ex lege Aquilia, *l.ait lex, 21. ad l. Aquil.* vel de condictione furtiua cuius odio receptum est, vt quolibet instanti moram facere intelligatur, *l.in re,8.§.1. de cond.furt.* At in aliis personis licet moræ semel contractæ effectus sit perpetuus, tamen non nisi semel mora interuenire intelligitur *l.Titia Seio,87.§. vsuræs, de leg.2.*

19 *D.l.3.§.in hac, D.commod.l.3. §.si per venditorem, vlt. D. de act.empt.*

20 Extra casum *d.l.2. & l.videamus, 38. §.si actionem, D. de vsur.*

DEFINITIO VIII.

De ineunda æstimatione rei debitæ ex contractu bonæ fidei, aut ex iudicio arbitrario.

IN iudicijs vero bonæ fidei, cum de æstimanda mercè agitur, non spectamus præcise tempus litis contestatæ, sed etiam rei iudicatæ, [1] nimirum si eo tempore pluris res sit. Nam si tempore litis contestatæ pluris fuit, vtique eius temporis ratio habenda erit, [2] ne alioqui eueniat, vt debitoris ob id melior conditio sit, quod bonæ fidei iudicio conueniatur, cum si stricto conueniretur eam deberet æstimationem, quæ fuisset tempore litis contestatæ. [3] Cur autem non contestationis præcise, vt in stricti iuris actionibus, sed rei etiam iudicandæ tempus in his spectetur, ratio illa est, quod in iudiciis bonæ fidei, vt diximus, non tam inspicitur quid debeatur, & in obligatione sit, quam quid ex bona fide præstari æquum sit: Facit enim formula potestatem iudici condemnandi ex bona fide: [4] ac proinde bonæ fidei ratio, quam in eo contractuum genere præcipuam haberi oportet, ad tempus condemnationis refertur: [5] quod in strictis iudiciis secus est. [6] Apertissime autem æquum est præstari creditori, vtro tempore pluris res fuit, aut contestationis aut condemnationis, quia siue data fuisset merx quo tempore petita est, darique debuit, haberet eam nunc creditor, siue data non sit, saltem hodie dandum est, quod iam ante dari oportuit. [7] Quæ ratio cum ex æquitate ad naturam obligationi accommodata potius, quam ex ipsius obligationis iure deriuetur, mirum non est, si in iudicijs stricti iuris perinde locum habere non possit. [8] Nec conturbare debet, quod prudentes, quibus locis tractant de ineunda æstimatione mercis debitæ ex iudicio bonæ fidei, nuspiam meminerunt litis con-

BIU Cujas

testatæ. Id enim ab iis ratione illa factum videri debet, quod si, vt plerumque fit, mora per interpellationem extraiudicialem contracta sit ante contestationem, non contestationis, [9] sed præcedentis moræ tempus spectari oportebit, [10] non quod in bonæ fidei iudicijs magis, quam in strictis mora possit augere principalem obligationem, [11] sed quia si bonam fidem spectes parem interest, an quid petatur per iudicem, an per extraiudicialem interpellationem: [12] quandoquidem iudicium non nisi in inuitum redditur, [13] non etiam in eum qui bonam fidem agnoscere & præstare paratus sit. [14] Cæterum medij temporis, quod inter moram siue iudicialem siue extraiudicialem & condemnationem intercedit, ratio nulla habetur hac parte, [15] quia cum æstimatio quanti plurimi res ipsa sit quæ debetur, [16] non ad aliud tempus accommodari potest, quam quo res vel petitur, vel adiudicatur, [17] totumque medium tempus debitori, quantumlibet morosо immune est, nisi à præstationibus accessionum, quas officium iudicis ex mora elicere debet, vtputa vsurarum vel fructuum, vel eius quod actoris interest. [18] An non ergo eius æstimationis, quæ inspecto tempore moræ præstanda erit, vsuræ saltem ab eo tempore debebuntur, vt debitoris mora coerceatur? [19] Minime, quia quamdiu res iudicata non est, incertum est quid & quantum futurum sit in debito, [20] cum si rei iudicandæ tempore pluris res erit tanti condemnationem fieri oportebit. [21] Præposterum autem est, vt eius quantitatis, quæ vel nondum debetur, vel nondum certa est vsuræ vllæ debeantur, licet certum sit moram contractam esse. [22] Mora enim in soluenda merce contracta fuit, non autem in soluenda mercis æstimatione: Vsuræ autem non nisi ratione pecuniæ debentur. [23] Id vero quod interest, multo minus deberi potest, quia ratione pecuniæ nunquam præstatur, nisi cum dies solutioni dictus est vel locus. [24] Sed & fieri potest, vt frumentum ipsum, quod in obligatione est, in solutione quoque futurum sit, nempe si eadem proponatur æstimatio vtroque tempore, & quo res dari debuit, & quo iudicatum est. [25] Igitur fieri nequit, vt ante sententiam nascatur obligatio vlla præstandarum accessionum. De iudiciis arbitrariis idem dicendum est, quod de iis quæ sunt bonæ fidei, quia tantundem in arbitrariis potest arbitrium iudicis, quantum officium in bonæ fidei actionibus, aut in stipulationibus nominatim facta interrogatio. [26]

1 *d.l.3.§.in hac, D.commod.l.3.§.vlt.de act.empt.*

2 Si enim inspicimus tempus moræ etiam extraiudicialis, *d.§.vlt.* cur non multo magis spectabimus tempus moræ, quæ in iudicio contrahitur?

3 *d.l.3.§.in hac, D.commod.l.hominem 37.D.mandat.*

4 Vt ex antiquis iudiciorum formulis videre est apud Brissonium & alios, qui de formulis scripserunt.

5 Qualitas enim iuncta verbo intelligi debet secundum tempus verbi, *vulg.l.4.§.si extraneus, D.de noxal. act.*

6 In quibus scilicet sic concipiebatur formula, *Si apparet Lucium Titium debere*, nulla bonæ fidei in vllum tempus mentione facta.

7 Elegans ratio est Vlp. *in d.l.si sterilis, §. cum per venditorem, de action.empt.*

8 Neque enim iudicij stricti natura patitur, vt æquum videri debeat, aliud quicquam in condemnationem deduci, quam quod deductum fuerit in obligationem, *d.l.quicquid 99. l.si ita stipulatus 126.§.Chrysogonus ad fin.vers. plerumque enim, de verb.oblig.*

9 Simile quiddam traditur, *in l.sed si 25. §.si ante, D.de petit. hared.*

10 *d.l.3.§.vlt.de action.empt.*

11 vt scripsimus Defin.præced. *num.7.* & pluribus in tractatu nostro, *De variis num.debit.solut.*

12 *l.Titia 87.§.vsuras, de leg.2.d.l.mora 32.D.de vsur.*

13 *l. inter stipulantem 83.§.1. de verb.oblig.l.si reus 73.D.de procurat.*

14 *l.quoties 9.§.sicut autem, de admin. tutor. dict.l.si reus, l.si debitori 21.D.de iudic.*

15 *d.l.3.§.vlt.* in illis verbis, *vtro tempore pluris fuit*, quæ totum intermedium tempus excludunt, *d.l.si seruum 91.§.vlt. de verb.oblig.*

16 Vt diximus Defin.præced. *num.15.*

17 Ex ratione posita *in l.2.D.de vsur. & l.si Calendis 11.in fin. D.de re iudicat.*

18 Secundum distinctiones diuersasque qualitates actionum, de quibus Iurec. *in d.l.videamus 8.* iunct. *l.mora 32.§.in bonæ fidei, D.de vsur.*

19 *Arg.d.§.in bonæ fidei*, cum similibus iuribus, quæ volunt in iudiciis bonæ fidei omnimodo vsuras deberi à die moræ, *l. Titia 87.§.vsuras de leg.2.* adeoque etiamsi mora in antecedenti tantum facta sit, *l.si cui 92.in fin.de cond.& demonstr.l.si quis seruo 84.de legat.2.*

20 Id enim in debito esse intelligetur, quod erit in iudicato propter iudicati auctoritatem, *l.si fundus 16.§.si pluris.D.de pign.*

21 *d.l.3.§.in hac, D.commod.d.l.3.§.vlt.de action.empt.*

22 Nihil enim potest imputari debitori, cur ante sententiam non obtulerit debitam quantitatem, quæ omnino ignorabatur, licet ex postfacto appareat fuisse illum debitorem, & cuius quantitatis fuerit debitor. Itaque ad hanc rem non pertinet, quod scriptum est, *in l.vnum ex familia 167.in princ.de leg. 2.l.qui res 98.§.rem autem, D.de solut.*

23 Adde, & ratione moræ in soluenda pecunia contractæ, non enim propter lucrum non petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur, *l.cum quidam 17.§.si pupillo, D.de vsur.*

24 *l.3.de eo quod cert.loc.d.l.si Calendis 11.D.de re iudic.*

25 Nihil enim tunc interest creditoris.

26 *l. quia tantundem 7. de negot. gest. l.Titius 34. de præscript. verb.*

DEFINITIO IX.

De ineunda æstimatione mercis debitæ ad certum diem.

QVod si merx ad certum diem dari debuit, nec data sit, indistincte obseruabimus, id est, siue iudicium bonæ fidei fuit, siue stricti iuris, siue arbitrarium, vt eius præcise temporis ratio habeatur in ineunda æstimatione, [1] etiamsi tum minoris res fuit quam cum litis contestatio aut condemnatio secuta est, quoniam ex diei adiectione apparet id actum fuisse inter contrahentes. [2] Ergo hoc casu, quo dies obligationi adiectus fuerit, differentia prorsus nulla erit inter iudicia bonæ fidei & stricta. [3] Neque est quod quis dicat fieri hoc casu meliorem conditionem morosi debitoris, si forte contestationis vel rei iudicatæ tempore longe pluris res fuit. Non enim fieri potest vt non sit deterior, cum ex eo tempore sit condemnandus in id omne quod interfuit creditoris. [4] Esset sane creditori longe fauorabilius, vt ea æstimatio caperetur, quæ maxima fuisset post præteritum tempus, quod fuerat dictum solutioni: Verum satisfit iuris rationi, cum ita res temperatur, vt debitori mora sua non prosit. [5] Nec illud etiam necesse est, vt ei plus noceat, quam ex iudicij natura & conditione par sit. Non enim quid creditori commodius, sed quid debitorem præstare sit æquius, inspici oportet. [6]

1 *d.l.vnum 22. de rebus credit. l.vlt.de cond.tritic.l.si calendis 11. de re iudic. l.59. de verbor. oblig.* quibus addi potest, *l.si hominem 37.mandat.*

2 Ratio est *in d.l.si calendis, in fin.*

3 In hoc tamen nostri errant, quod in iudiciis quoque stricti iuris, sicut & in iis quæ sunt bonæ fidei, tanti ponderis esse volunt moram, quæ contrahitur per interpellationem extraiudicialem quanti ea est, quæ fit per lapsum diei in obligatione positi, cum euidens differentia illa sit, quod mora contracta ex lapsu diei tribuit ius ex verbis ipsis obligationis, & consequenter suos affectus parit, quantumuis sit strictum iudicium: Non item illa quæ per interpellationem extraiudicialem contrahitur, nisi quantum vrget ratio bonæ fidei, cuius tamen in contractibus strictis ad augendam condemnationem ratio nulla habetur.

4 *d.l.si calendis 11.D.de re iudic.*

5 *d.l.homi-*

BIU Cujas

5 *d.l.hominem 37.ff.mandat.*

6 Nam etsi homo petitus vendi carius potuisset pendente iudicio, quam nunc cum soluitur, perinde tamen possessor aut debitor eum soluendo liberaretur, quia soluerit idipsum quod deberet, neque ex mora sua fieret locupletior.

DEFINITIO X.

Quantum interfit, an merx an species debeatur.

QVod autem in superioribus diximus de merce, quæ & functionem recipit in suo genere, & in singula fere momentanea aliam atque aliam æstimationem facere non debet, vt putemus aliud iuris esse, si non merx, sed species debeatur, vt puta fundus aut homo. Nam licet æstimatio non magis, quam fundus pro fundo præstari possit, aut quam homo pro homine, ob idque eam ipsam speciem, quæ debetur in condemnationem deduci oporteat, [1] si tamen res ipsa præstari nequeat, & ideo quæratur de præstanda eius æstimatione, supradictis distinctionibus perinde locus erit, nisi res post sententiam perierit, quo casu æstimatio sane ad tempus mortis referenda est, largius tamen sumpto & ὐπλάτει, vt lex ait, [2] mortis tempore, ne si nouissimum vitæ instans spectetur, ad exiguum precium æstimatio redigatur in seruo forte mortifere vulnerato. Quid si mora præcesserit? Non idcirco spectabimus tempus moræ, nisi ab eo tempore res facta sit deterior. Quæ tamen exceptio in mercem debitam cadere nequit, quia sicut perire, ita deterior fieri non potest, sed tantum minoris æstimationis, quod longe diuersum est.

1 Textus est *in l.vlt.C.de fideic.libert.l.si seruum, 91. §.sequitur, & §.vlt.de verb.obligat.*

2 *l.pen.de condict.triticar.* de qua tamen vide omnino quæ scripsi *lib.16.Coniect.& Decad.20.*

DEFINITIO XI.

De differentia, quæ est inter actionem mandati & cæteras bonæ fidei actiones, in ineunda rei debitæ æstimatione.

CErte separandum omnino est iudicium mandati à cæteris bonæ fidei iudiciis. Nam si hominem siue certum siue incertum pro te dari fideiusserim & soluerim (solui tamen nisi certus non potest) & mandati contra te agam, vt nimirum eius hominis, quem solui præstes mihi æstimationem, placet æstimationem ad id potius tempus, quo à me solutus sit, quam quo agatur referri debere, & ideo etiamsi ante propositam mandati actionem mortuus fuerit, vtilem tamen eam actionem esse. [1] Idque singulari quadam ratione in mandati iudicio compatatum est, quia cum mandatarius neque lucrum, neque damnum ex mandato, quod pro alio suscepit, sentire debeat, [2] omnino & præcise inspiciendum est, quid ei absit, [3] quod ipsum tamen sciri non melius potest, quam si ad id tempus, quo mandatarius pro mandante soluit, æstimatio referatur: licet eo tempore nulla dum mora, nulla contestatio aut condemnatio facta sit, quia non aliter indemnis præstari mandatarius posset. [4] Qua ratione nec male fortassis idem quis in actione negotiorum gestorum admittendum esse dixerit. [5] At si in proposita specie stipulatio inter nos adhibita fuisset, & ego ex stipulatione agerem, non vt eum hominem, quem pro te solui mihi dares aut redderes, quod fieri non posset, sed quod est omnino consequens, vt eius æstimationem præstares, aliter seruaretur. Id enim tempus spectari oporteret, quo ageretur, non quo à me homo solutus esset, [6] nisi stipulationis verba ad id tempus referrentur, quo seruus solutus fuisset. [7] Itaque nec vtilis mihi esse posset illa ex stipulatu actio, nec eo accepti iudicij tempore iam mortuus homo propagaretur, quia nec mortuus homo, nec mortui æstimatio peti potest, nisi cum præcessit mora, quæ perpetuet obligationem, & faciat, vt viuus existimetur. [8] Idem est, si quo alio casu agatur ex stipulatione, siue ad hominem certum, siue ad hominis in genere alteriusve speciei æstimationem, aut, quod idem est hac parte, ad mercem, quæ recipiat functionem in suo genere, & quam in æstimatione præstari oporteat, quod pluris aut minoris nunc sit, quam antea fuerit. Spectabimus enim tempus, quo agitur, id est, litis contestatæ, nisi dies adiectus sit. Die namque adiecto id ipsum præcise tempus spectabimus, quo dari res debuit, siue tunc res pluris fuit, siue minoris, vt à nobis dictum probatumque est in præcedentibus. [9]

1 *d.l.hominem 37.mandat.*

2 Esset enim vtrumque contra bonam fidem, quæ in hoc potissimum contractu, quippe qui bonæ fidei sit, maxime dominatur, *l.idemque 10.§.si ex fundo, & sequ.D.mandat.l.ex mandato 20.eod.*

3 *l.inter 26.§.abesse, & §.præterea,* iunct. *l.si vero 12.§.si mihi mandaueris, l.si quis alicui 27.§.impendia, & pass.ff.eod.*

4 Si forte tum pluris homo fuit, sicut e contrario si fuit minoris, lucrum ex mandato sentiret contra bonam fidem.

5 Vt scripsi *lib.16.Coniectur.* vbi vide.

6 Et hic sensus est *d.l.homine,* in illis verbis, *aliter in stipulatione seruatur.* Itaque non pugnat Africanus cum Vlp. qui *in l.pen. de condict. tritic.* scribit, petito homine condictione triticaria (quæ siue ex stipulatu, siue ex alio contractu sit, semper stricti iuris est, nunquam bonæ fidei) deberi æstimationem, quæ fuit condemnationis tempore. Id enim procedit, cum homo ipse petitus fuit, & condemnationis factæ tempore præstari potuit, non eius æstimatio. Itaque ad condemnationem iam factam referendum est, non ad faciendum, *vt sup.* Quod nec Cuiacius, nec alij Interpretes intellexerunt. Sicut & in eo errant, quod putant, condictionem triticariam tam generalem esse, vt sit interdum etiam bonæ fidei, quod nuspiam proditum est, imo contrarium non male coniicitur ex comparatione illa condictionis triticariæ, & eius, quæ competit ex mutuo *in l.1.ill.tit.* Item *ex l. cum fundus 31.de reb.cred.* Vide quæ scripsi *lib.16.Coniect.& Decad. 20.de err.pragm.*

7 Spectanda enim sunt verba stipulationis, *l.fundum 28.D. de nouat.*

8 *l.si seruum 91.§.sequitur, & §.vlt.de verb.oblig.*

9 *Definit.9.supr.*

DEFINITIO XII.

Quomodo sit ineunda æstimatio rei debitæ contra fideiussorem?

AN & eum casum excipiemus, quo quis mercem in diem stipulatus fideiussorem acceperit? Nam hoc casu Africanus respondit, eius temporis æstimationem spectandam esse, quo satis acceperit. [1] Sed id ita accipiendum videtur, vt tamen eo demum die videatur fideiussor acceptus, in quem vt solueret se obligauit: [1] quemadmodum de eo, qui certo loco soluturum se promisit, proditum est, eo ipso loco contraxisse illum videri: [2] Eadem enim hac parte loci & temporis ratio est, [3] nisi quis malit apud Africanum sic legere, *cum quis in diem mercem stipulatus fideiussorem acceperit, eius temporis æstimatio spectanda est, non quo satis acceperit;* vt ea verba, *eius temporis,* ad eum diem referantur, in quem stipulator mercem fuerat stipulatus. [4]

1 *in l.cum quis 23.de oblig.& action.*

2 *l.contraxisse 22.* quia immediate præcedit, *eod.*

3 *l.vlt.de cond.tritic.l.vinum 22.D.hoc tit.*

4 Nisi malis probare interpretationes Accursij, quæ tamen sunt duriores, quamuis Cuiac. & Hotom. illam probent, vt fideiussor acceptus sit post diem, ad quem principalis debitor mercem soluere debuerat. Vide omnino, quæ nos de illius loci sententia & emendatione scripsimus *lib.16. Coniect. & Decad.20.de error.pragmat.*

BIU Cujas

DEFINI..O XIII.

Si rei debitæ æstimatio creuerit post condemnationem, quid iuris sit?

QVid vero si post condemnationem quoque frumenti æstimatio creuerit? An liberabitur debitor eam soluendo æstimationem, quæ fuit tempore condemnationis? Minime,[1] quia semel condemnatus quotidie condemnari intelligitur, quousque satisfaciat iudicato. Exemplo eius, quod de fure traditum est, moram semper eum facere videri & in singula momenta, ideoque in æstimanda re furtiua id tempus spectandum, quo vnquam plurimi fuerit.[2] Et sane fieret iniuria victori, si quandocunque post sententiam petens æstimationem præsentem non audiretur, quam vtique haberet, si condemnatus iudicato paruisset, adeoque si à sententia perperam prouocasset.[4] Ex qua ratione apparet, differentiam illam, quæ inter iudicia bonæ fidei & stricti iuris obtinet ante sententiam, post sententiam quoque durare, nisi cum eadem frumenti æstimatio fuit vtroque tempore litis contestatæ & rei iudicatæ, aut maior tempore litis contestatæ, quam condemnationis. Alioqui si contestationis tempore minor fuit, eaque nihilominus in condemnationem deducta sit, vt fieri debere diximus, consequens est, vt quamuis condemnatus debitor statim soluisset, non idcirco tamen creditor tantam frumenti quantitatem ex eo precio comparare potuisset, vt ex eo frumento rursus præsentem totidem modiorum æstimationem consequi hodie posset. Certe tempus, quod principalibus constitutionibus iudicato faciendo præstitutum est, licet immune sit à fructibus, vsuris aliisque similibus accessionibus præstandis, vbi mora nulla præcessit condemnationem,[5] non erit tamen immune à periculo præstandæ maioris æstimationis, si qua forte interea superuenerit,[6] quoniam, vt sæpius inculcauimus, valor ille quanti plurimi res sit, nihil aliud quam res ipsa est, nec accessionis iure censetur. Quanquam si malit condemnatus æstimationem ipsam soluere, ad quam condemnatus est, eiusque vsuras legitimas à die sententiæ, puto eum audiendum, nec quicquam esse, quod ab eo præterea possit exigi.

1 Ita Bart. Castr. & cæteri, *ad l. vinum, & ad l. 3. §. in hac, ff. commod.*

2 *l. in re 8. §. 1. de condict. furt.*

3 *Arg. l. si sterilis 21. §. cum per venditorem, de act. empt.*

4 Sic enim Antonini rescriptum interpretatur Papin. *in l. 3. de vsur.*

5 Contra Bart. & Castr. supra dictis locis, qui saltem debuerunt distinguere, an mora præcesserit condemnationem nec ne, cum etiam in vsuris Papinianus eam distinctionem necessariam esse putauerit.

6 Aestimatione enim ipsa in condemnationem deducta iam non res ipsa est, quæ debetur ex iudicato, sed pecunia, *argum. l. si fundus 16. §. si pluris, ff. de pignor.* Aliud igitur esset petita & adiudicata species, *vt l. penult. de condict. triiic.* Tunc enim de vsuris tractari non posset.

DEFINITIO XIV.

Præsens æstimatio semper debetur, cum ea maior est, nisi quo casu aliter statuto aliquo cautum est.

SVperioribus consentaneum sit, vt quoties merx aliqua debetur, quæ pluris sit eo tempore, quo petitur, quam antea fuerit, præsens æstimatio debeatur, licet mora nulla præcesserit, quia non propter moram petitur, sed propter rem ipsam, & iure obligationis. Quandiu enim merx soluta non est, tandiu verum est eam deberi, & consequenter æstimationem, quæ si hodie merx soluta esset, ex mercis precio redigi hodie posset, multo magis vero si mora præcesserit, ne aliter posito iure eueniat, vt debitori mora sua prosit.[1] Eamque nimirum ob causam vetere Statuto Sabaudiæ caueri necesse fuit, vt quoties census emphyteuticarius, qui annis præteritis & peti & solui debuit, eo tempore petitur, quo frumentum carius venditur, non præsens æstimatio debeatur, sed quæ fuit vnoquoque anno communior. Id enim remedium necessarium visum est aduersus improbam calliditatem eorum, qui, vt æquissima iuris ratione in debitorum perniciem abuterentur, differebant consulto exactionem in id tempus, quo frumentum carius venderetur. Sed si suo tempore interpellatio per creditorem facta sit, soluisque debitor in soluendi mora fuerit, ius commune obtinere proculdubio debet.

1 Quod esse numquam debet, *l. hominem 37. mandat.*

DEFINITIO XV.

Quid iuris hodie obtineat ex Interpretum traditionibus, cum agitur de ineunda rei debitæ æstimatione.

HÆc quamquam ita sunt, & ex iuris ratione verissime, ni fallor, disputantur, longe tamen alio iure vtimur ex Interpretum receptissimis traditionibus inducto. Sic enim sentiunt,[1] Nullam hac parte differentiam esse inter iudicia bonæ fidei & stricti iuris, nisi cum agitur de rei æstimatione per iusiurandum in litem ab actore probanda:[2] Sed tam in his, quam in illis inspici tempus moræ, si qua præcesserit contestationem, & eo tempore pluris res fuerit, siue mora re ipsa contracta sit, vt puta venditore post acceptum precium cessante in tradenda re vendita, cuius tradendę facultatem habeat,[3] siue per lapsum diei in obligatione positi,[4] siue per congruam interpellationem, quæ in iudicio aut extra iudicium facta sit:[5] Quod si moræ tempore minoris res fuit, crescere in singula momenta æstimationem ab eo die, quo mora contracta est in diem vsque condemnationis, si non medio tempore mora purgata, nec postea rursum contracta sit:[6] Sed & post condemnationem crescere,[7] siue à sententia perperam & sine causa prouocatum sit, siue post quadrimestre,[8] quod faciendo iudicato datur,[9] nouam moram contraxerit debitor iam condemnatus: Totius tamen illius quadrimestris temporis inducias, etiam cum mora præcessit condemnationem, condemnato immunes esse à periculo augendæ æstimationis, si forte interea creuerit.[10] Interdum vero spectari tempus contractus, eamque æstimationem deberi, quæ tum præcise fuerit, nimirum si ita ferant verba contractus, & æstimatio ipsa in obligatione sit, obligatio autem ipso contractus tempore oriatur, vt cum stipulatus fundum Cornelianum postea stipulor, quanti fundus ille est.[11] Nam si obligatio præstandæ æstimationis non statim oriatur, eius temporis habendam rationem, quo orietur, vt euenit in illo Africani casu, cum quis anterius mandato dari hominem fideiussit & soluit. Ab eo enim duntaxat die, quo soluit, nascitur obligatio & ius petendæ æstimationis.[12] Etsi autem tota hæc distinctio, si postremum membrum demas, quod dubitatione caret, à ratione iuris omnino abhorreat: Supremæ tamen Curiæ omnes propter consentientes Interpretum fere omnium hac parte sententias eam passim sequuntur, adeo receptus est alius ille error inueteratissimus, qui summo Iurisprudentiæ nostro malo inuexit, vt communis error ius faciat.[13] *Ita tractatum est* in causa R. D. N. Anisson Præceptoris monasterij Antonini Camberiensis contra Ludouicum de Grassis Procuratorem 15. Calend. August. 1592. Iunge Defin. 9. 10. 11. infr. De vsur. & mora.

1 Post

1 Post Bart. & Castr. *ad l. vinum 22. si cert. petat. l. 3. §. in hac commod.*

2 Ita enim accipiunt, quod scriptum est *in d. §. in hac*, quia ibi etiam de iureiurando agatur.

3 *Vt in l. curabit 5. C. de action. empt.*

4 *Vt in l. si Calendis 11. D. de re iudic. l. vinum 22. D. de rebus credit.*

5 *L. mora 32. D. de vsur.*

6 *Arg. l. in re furtiua 8. §. 1. D. de condict.* quasi alioqui futurum esset, vt morosо debitori sua frustratio prodesset, *contra l. hominem 37. D. mandat.*

37 *Ex l. penult. D. de condict. tritic.* quasi hic sit eius legis sensus.

8 Nam quadrimestre illud volunt esse immune à periculo præstandæ maioris æstimationis, *ex l. 3. in princip. D. de vsur.*

9 *L. vlt. C. de vsur. rei iudic.*

10 Contra quam Papinianus Antonini rescriptum interpretetur *in d. l. vlt.*

11 *Vt in l. fundum Cornelianum 28. D. de nouat.*

12 *Ex l. cum quis 23. D. de oblig. & action.*

13 Sic enim nostri passim iactare solent abutentes in hanc rem *l. 3. §. vlt. D. de liber. legat. l. Barbarius Philippus 3. D. de offic. prætor.* quorum tamen locorum longe alia sententia & ratio est, vt alibi scripsimus.

DEFINITIO XVI.

Cum species perempta est, quæ debebatur, præstanda est æstimatio vel arbitrio boni viri, vel ex actoris iureiurando.

QVi ex causa commodati vel conducti aliáve qua simili restituere mihi debuit rem, quæ non recipit functionem in suo genere, [1] puta speciem, vt equum, nauim, vel quid aliud eiusmodi, post rem peremptam liberatur præstando æstimationem faciendam arbitratu boni viri, si commode id fieri poterit. [2] Sin minus, præstito in litem iureiurando, [3] Aliam rem æquè bonam reddere non cogitur, quia id fieri nullo modo potest, nisi partes consentiant. [4] Quod si maioris aut minoris bonitatis facienda esset æstimatio, eadem subesset difficultas, & semper ad arbitrium boni viri, aut ad iusiurandum deueniri oporteret. [5] Sane si conuenerit, vt vel precium iustum vel alia res æquè bona viri boni arbitrio reddatur, prout creditor elegerit, valebit conuentio, & ex conuentione electio erit creditoris, [6] quæ alioqui iure communi esset debitoris. [7] *Ita Senatus* ex tempore pro Ioanne Verdon Mandosse contra N. Duport, 15. Calend. Iun. 1595.

1 Nam in rebus, quæ recipiunt functionem in suo genere, nullus huic dubitationi locus esse posset.

2 Puta, si res perierit non solum post moram, sed etiam post litem contestatam, quo casu cum litis contestatæ tempus præcise spectandum sit, si iudicium strictum fuit, aut etiam moræ, si eo tempore res pluris fuit, vt scripsimus *in Defin. super* potest commode iniri æstimatio præteriti temporis, etiam post rem peremptam, vt & fit in actione legis Aquiliæ, *l. ait lex 21. D. ad leg. Aquil.*

3 Scilicet cum neque Iudex, neque alius quisquam vir probus æstimare sine delatione iurisiurandi potest rem, quæ non extat, quod euenit, cum perempta res est post moram ante litem contestatam, *l. in actionibus, §. plane, cum l. seq. D. de in lit. iur.* De cuius sententia vide quæ scripsi *lib. 16. coniect. & decad. 20. de error pragmat.*

4 *L. 2. §. mutui datio, in fine, D. hoc tit. l. precij 9. Cod. de rescind. vend. l. eum à quo 16. cum l. seq. l. si operas 20. Cod. de solut.*

5 Secundum eam distinctionem, quam tradidimus *num. 2. & 3.*

6 *L. plerumque 10. §. vlt. D. de iur. dot.*

7 *dict. §. vlt. & l. iusiurandum, & ad pecunias 34. §. datur autem. D. de iureiur. l. ei apud quem 5. §. 1. D. depos. l. si in emptione 34. §. vltim. D. de contrah. empt. l. quod autem 7. §. si maritus, de don. inter vir. & vxor. l. adigere 6. §. 1. D. de iure patron. l. miles 6. §. 1. D. de re iud. l. Stichum aut Pamphilum 95. D. de solut. l. penult. C. de condict. indeb.*

DEFINITIO XVII.

Æstimatio Quanti plurimi quomodo incunda sit, & quando adiudicanda?

IN æstimando quanti plurimi res fuit post moram [1] non spectamus valorem maximum, qui vnius diei aut paucorum fuerit, sed eum, qui magis communiter eo anno fuit maximus: [2] Non facile autem condemnatio illa fit Quanti plurimi, nisi à die interpellationis iudicialis, [3] si non euidens & inexcusabilis mora præcesserit. [4] Sed & fieri potest, vt non nisi à die litis contestatę ratio eius habeatur, forte si ab eo duntaxat tempore petita sit per imperitiam aduocati. [5] Quanquam non desunt, qui apud Gallos aliter receptum esse referant, [6] vt etiam interueniente mora iudiciali commune duntaxat frumenti precium creditori præstetur. [7] *Ita Senatus* in causa N. Claudij Francisci Pobel, D. de Pressy, Equitis Senatorij nobilissimi & meritissimi, & D. Henrici Bay Præsidis Rationalium 4. Non. Aug. 1595.

1 Postquam eo iure vtimur ex Interpretum errore, vt æstimatio Quanti plurimi à die moræ præstanda sit, secundum ea, quæ scripsimus *Defin. 15 s. eod.*

2 *L. precia rerum 63. in princip. & §. vltim. D. ad legem Falcidiam.*

3 Quod temperamentum tanto magis sequendum est, quanto alienior est à ratione iuris sententia illa, vt vnquam debeatur æstimatio Quanti plurimi extra causam Actionis legis Aquiliæ & condictionis furtiuæ, vt scripsi *Defin. 7. num. 18. s. & latius lib. 16. Coniect.* itemque *Decad. 20. de error. pragm.*

4 Possunt enim multa interuenire, quæ faciant, vt dubitari merito debeat, an mora contracta sit necne, *l. sciendum 21. cum trib. seqq. D. de vsur.* Vnde fit, vt plerisque iuris locis tempus litis contestatæ dicant Iureconsulti pro tempore moræ, non etiam ad excludendam moram præcedentem, si quam contestationem præcesserit, *vt in tot tit. de vsur. & fructib. legat.* iunct. *l. si quis bonorum 23. l. cum res 47. de leg. 1. l. si quis seruo 84. l. Titiæ Seio 87. §. vsuras, de legat. 2.* Adde *l. sed etsi 25. §. si ante, D. de petit. hered.*

5 Dici enim solet, fatuum esse Iudicem qui & vltra & contra petita iudicat, *l. vlt. C. de fideicomm. libert.* sibique debet imputare, qui Aduocatum imperitum elegerit, *arg. l. cum mandatu 23. in fin. D. de min. l. diem proferre 27. §. stari autem, D. de recept. qui arbit.*

6 Iohan. Papon. *in syntagm. Arest.*

7 Quæ sententia mihi iane placeret tanquam non solum humanior, sed etiam iuris rationi conuenientior, ex iis quæ diximus *num. 3.*

DEFINITIO XVIII.

INter fundi locatorem & conductorem conuenerat, vt si propter vim belli conductor frui prohiberetur, mercedis remissio fieret arbitrio boni viri. Cum bello impeditus ille esset, ne frui potuisset, petierat per Iudicem, vt remissio fieret pensionis, in eamque rem arbitri constituerentur. Locator contradixerat, quasi nec bellum, nec remittendæ pensionis ratio vlla satis iusta interuenisset. Deque ea re per multos annos lis agitata fuerat, neque tamen conductor partem vllam debitæ pensionis obtulerat aut obsignauerat, causatus non posse scire se, quid & quantum ex eo contractu deberet, priusquam arbitrio boni viri æstimata remissio fuisset. Tandem ex litis euentu apparuerat, iustam remissionis petendæ causam habuisse conductorem, ad dimidiam vsque conuentæ mercedis. Quærebatur, quoniam merces in frumento constituta esset, [1] quænam frumenti æstimatio à conductore deberetur, an quanti plurimi fuisset à tempore saltem litis contestatæ, an quanti tum cum dari debuerat, [2] an denique quanti nunc esset? [4] Dubitationem faciebat, quod iniquum videretur, conductorem & re conducta, & mercede simul eodem tempore fruitum esse. [5] Locatorem vero prætextu remissionis, quæ pro par-

BIU Cujas

te tantum fieri debuit, vtroque in totum caruisse.

Cur non enim licuit conductori eam saltem frumenti quantitatem offerre & obsignare, quam debere se putaret? [7] Nam quod dici solet, non valere obsignationem, quæ fit, priusquam sciatur, quid & quantum debeatur, [8] eo pertinet, vti ne prosit offerenti ad constituendum aduersarium in mora, quia nec prius potest ille esse in mora accipiendi. [9] Sed non facit ea res, quominus prodesse possit obsignatio ad impediendam debitoris moram, ne interea & rem & precium retinuisse videatur. [10] Sed tamen in proposita specie placuit nihil nisi frumentum deberi, aut eam frumenti æstimationem, quæ solutionis tempore communis [11] esset, vtrum debitor idemque conductor eligeret, [12] quia per locatorem steterat, ne statim sciri posset, quantum ex mercede remitti, & consequenter quantum solui oporteret, [13] quando ea res arbitrio boni viri, qui statim eligi potuerat & debuerat, vna hora explicari potuisset; [14] præsertim cum per euidentem calumniam negatum esset, belli vim vllam interuenisse. [15] Itaque non poterat dubitari, quin locator fuisset in mora accipiendi ob hoc ipsum, quod per moram suam effecerat, ne sciretur, quid offerri deberet. [16] Nam & cum de frumento ex censu debito agitur, Statuto nostro [17] cautum est, sufficere, quod creditor fuerit in mora petendi, vt non nisi præsens æstimatio debeatur, si minor sit, quam antea fuerit, [18] licet non facile meo iudicio ius illud statutarium ad frumentum ex locationis alteriusve similis contractus causa debitum porrigi debeat. [19] Diuersum igitur in proposito fuisset, si neque locator in accipiendo, neque conductor in offerendo moram contraxisset. Illo enim casu communis saltem æstimatio solui nunc deberet eius quantitatis, quæ vno quoque anno debita fuisset. [20] Plane si ponneres, eam rem fuisse debitam, ex qua fructus aliquis à debitore interea perceptus fuisset, tum demum vere diceretur, iniquum fore, si conductor & re & pecunia simul fruitus esset. [21] At in frumento id non euenit, quod ex earum rerum numero est, quarum non fructus, sed vsus tantum est, quæ & vsu consumuntur. [22] *Ita Senatus* inter Iacobum Domenge & N. Gaion Prid. Calend. Sept. 1595.

1 In eo namque differt merces locationis à precio venditionis, quod cum non possit precium constitui nisi in pecunia numerata, vt Paulus disputat *in l. 1. C. de contrah. empt.* merces tamen potest consistere in iis omnibus, quæ constant pondere, numero & mensura, *l. si olei 21. C. de locat.*

2 Solet enim contestatio semper inducere malam fidem, *l. sed etsi 25. §. si ante, D. de petit. hered.* difficileque est, vt ad sententiam perueniatur, quin mora contracta sit saltem per litis contestationem, vt & Papinianus fatetur *in l. 3. D. de vsur.*

3 *Argument. l. vinum 22. D. hoc titul. l. vltim. D. de condict. triticar.*

4 Quia siue datum fuisset frumentum eo die, quo dari debuit, nunc locator illud haberet, siue datum non sit, saltem hodie dandum est, quod iam olim dari oportuit, ex Vlpiani ratione posita *in l. si sterilis 21. §. cum per venditorem, de action. empt.*

5 Vt in emptione dici solet, *l. ex empto 11. §. qui autem, & l. bona fides 50. D. de act. empt.* Constant enim emptio & conductio iisdem fere iuris regulis, *l. 1. & 2. D. locat.* Facit *l. 5. §. sed si accepit, in fin. D. de cond. caus. dat.*

6 Qui enim prætextu partis totum retinet, in dolo est, saltem in mora, *l. qui solidum 78. in princ. de legat. 2.* vbi Bart. notat, iustam causam in parte non tollere moram in alia. Facit *l. 8. D. si pars hered. petat.*

7 Aut saltem offerre satisdationem, quæ obsignationis adeoque numerationis loco esse solet, cum ignoratur, quid & quantum debeatur, *l. statuliber rationem 5. l. seruus 34. §. vlt. D. de statulib.*

8 Obsignationem enim præcedere debet oblatio, *l. acceptam 19. Cod. de vsur.* quæ porro incertæ quantitatis fieri certa non potest.

9 Cum probabiliter ignoret, quantum sibi debeatur. Est enim hæc res ex earum genere, quæ, quales antea fuerint, non nisi ex postfacto sciri & constitui potest. De quibus tractatur *in l. vnum ex familia 67. in princ. & l. qui res 98. §. rem autem, D. de solut.*

10 *Vt in l. vlt. D. de leg. commiss.* iunct. *l. 4. §. vlt. eod.*

11 Quia communis æstimatio vice rei fungitur, *dicta l. precia 63. D. ad legem Falcidiam, l. in Falcidia 42. eod. l. 2. in princ. C. vt nemin. lic. in empt. spec. se excus. l. 10. tit 27.*

12 Ex iuris regula, quæ vult, electionem esse debitoris, *l. plerumque. 10. §. vlt. D. de iur. dot.* & aliis per nos citatis. *Defin. 16. num. 7. 8. eod.*

13 Semper autem imputari potest ei, per quem stetit, *l. traiectitiæ 23. D. de oblig. & action. l. si soluturus 39. l. qui decem 72. in princ. & §. 1. D. de solut.*

14 Qui enim moram facit in antecedenti, etiam in consequenti facere intelligitur, *l. si quis seruo 84. de legat. 2. l. si cui legatum 92. in fin. de cond. & demonstr.*

15 Calumnia enim est, si quis neget, quod omnes verum esse sciunt, eaque manifesta, vt loquitur *l. postquam 43. D. de petit. hered.* Ea vero nunquam impunita est relinquenda, *l. 1. §. 1. D. si mul. vent. nomin.* Tantum abest, vt ei prodesse debeat ad condemnationem tanto ampliorem consequendam, *arg. l. hominem 37. in fin. D. mandat.*

16 *Arg. d. l. si soluturus 39.* ibi, *vt illud maxime spectetur, an per te steterit, quo minus incontinenti probaretur, D. de solut.* Multum enim hic distat à creditore, qui oblatam pecuniam accipere noluit, quam recusauit, quam distulit, quasi alia die accepturus, de quo loquitur Scæuola *in l. creditor 102. eod.* vbi ait, non esse illius periculum, si interim pecunia illa tanquam ærosa iussu Principis sublata sit.

17 Quod incipit Census in veteribus statutis.

18 Statutum enim factum est ad eorum auaritiam coërcendam, qui propter anni abundantiam repudiant ad tempus, & negligunt censuum suorum exactionem, ea mente & fine, vt inopiæ occasione captata possint precia postulare, quomodo loquitur *l. nulli 7. C. de erog. milit. annon lib. 12. tit 38.*

19 Est enim iuris communis correctorium, vt ex iis appareat, quæ superioribus Defin. diximus, ideoque non facile vltra limites suos extendendum, *vulg. l. sancimus 27. C. de testam. l. præcipimus 32. in fin. C. de appellat.*

29 Etiam ad formam statuti, quo iure passim vtimur.

21 *Arg. d. l. ex empt. 11. §. qui autem, & l. bona fides 50. D. de act. empt.* iunct. *d. l. 2. D. locat.*

22 *L. si vini 7. D. de vsufruct. earum rerum quæ vsu consum.* Inde enim est, quod rerum huiusmodi non vsusfructus verus potest constitui, sed tantum quasi vsusfructus, & quidem auctoritate, quæ in eam rem necessaria fuit Senatusconsulti, de quo *in l. 1. eod. tit.*

TIT. III.

DE PROHIB. SEQVESTR. pecun.

DEFINITIO I.

Donatario petenti lite pendente sequestrationem instrumentorum ad donationem pertinentium quomodo succurratur?

DONATARIVS vniuersorum bonorum, cum donationis tanquam per vim & dolum extortæ [1] controuersiam à donatore pateretur, postulabat vt lite pendente instrumenta omnia ad res donatas pertinentia in domo Procuratoris, quem donator ad lites constituerat, perquirerentur, cum describerentur, postremo sequestrarentur; in eamque rem supplicem libellum porrexerat, vt sine causæ cognitione & inaudito aduersario res expediretur. Plerique putabant, nihil inscio donatore constituendum, [2] quippe cuius maxime interesset, ne secreta patrimonij panderentur, [3] si forte donationem inutiliter factam esse quandoque ex litis euentu appareret. [4] Addebant, prohibitam

bitam regulariter sequestrationem, [5] nec nisi certis casibus permissam, [6] inter quos hic non censeretur. Denique odiosas huiusmodi perquisitiones, ac netum quidem, cum res furto subtracta quæritur, permittendas. [7] Contra respondebatur, exhibitionem petere posse omnes, quorum interesse constaret. [8] Quantum autem donatarij interesset, ex eo posse intelligi, quod & instrumento publicò niteretur, cuius rationem haberi oportebat pendente causa restitutionis, [9] & amissis rerum donatarum instrumentis ereptum sibi donationis commodum frustra post victoriam questurus esset. [10] Porro nullam donatori iniuriam fieri, si ea instrumenta, quæ quisque sua & propria diceret, in eius, qui superaturus esset, commodum sequestrarentur: [11] neque rursus differendam necessariæ cautionis executionem in id vsque tempus, quo donator ad eam petitionem respondisset, ne si certior de ea fieret, tanto magis de celandis subtrahendisque instrumentis cogitaret. [12] Quid enim absurdius aut iniquius, quam vnde præsentaneum aduersus periculum fraudis remedium petatur, inde commiscendæ fraudis faciendæque iniuriæ præberi occasionem? [13] *Senatus* ita rem temperandam existimauit, vt donatoris Procurator iuberetur, indicta etiam, ni id faceret, mulcta magna, instrumenta omnia, quæ penes se haberet, statim exhibere non aduersario, sed Senatori ad id Recuperatori dato, qui omnia quidem inspiceret, at ea duntaxat, quæ videret ad res donatas pertinere, apud ædituum sacrarij Senatorij seponeret, [14] vt eo facto donator vocaretur, nouæ scilicet petitioni responsurus, postea vero auditis partibus, postquam vtrique abunde cautum esset, [15] quid tandem de iis instrumentis principali pendente lite fieri oporteret, causa cognita decerneretur. *Ita Senatus* pro N. Petro de Poggie Italo, in relationibus libellorum 12. Cal. Iul. 1588.

1 Est enim id contra naturam donationis, vt per vim dolumve extorqueatur, cum pendere debeat ex mera donantis liberalitate, *l. 1. D. de donat.* donarique id demum videatur, quod non solum nullo iure, vt est in iuris regula, sed etiam nullo facto cogente conceditur, *l. donari 29. eod. l. donari 82. de regul. iur.* Denique nihil omnino, quod per vim, aut metum, aut dolum factum sit, rarum habere prætor debet, *l. 1. l. si mulier 21. §. 1. D. quod met. caus. l. 1. & pass. D. de dolo.*

2 Cum dici soleat, nullum esse iudicium tam summarium, in quo non sit citanda pars, ad omnem actum, ex quo lædi potest, *l. nam ita 19. D. de adopt. l. etiam 29. §. vlt. de minor. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

3 *L. 2. C. de alim. pupill. præst. l. 2. vers. quid enim tam durum, C. quand. & quib. quart. pars.*

4 Aliquando enim illud etiam inspiciendum est, quod potest euenire. *l. qui bona 13. §. cum inter, D. de damn. infect.*

5 *L. vnic. D. de prohib. sequestr. pecun* Sequestratio enim possessionis rei litigiosæ in alium translatio est, *l. si quis affirmauit 9. §. Labeo, D. de dolo.* Sequestrare siquidem nihil aliud est, quam seorsim ponere. Vide *l. sequester 110. de verb. signif.* Vnde est, quod sequestratio per seruum facta non nocet domino, cuius quippe ius ita deterius fieret ratione possessionis contra iuris rationem, vt ait *l. pen. D. depositi.* Facit *l. 5. §. 1. & 2. l. si in Asia 12. §. cum sequestre eod.* Interdum etiam sequestratio fit custodiæ tantum causa, *l. interesse 39. D. de acquir. possess.*

6 Quos ad decem vsque enumerat Ferrar. *in form. sequestri seu saximenti.* Adde Rebuff. *tom. 3. tract. de sequestr. seu commiss. rei captæ & saisitæ deputatis.* Papon. *lib. 8. syntagm. arrest. tit. 10. de sequestre & restablissement.* Oldendorp. *c. 50. de except.*

7 *§. conceptum Instit. de oblig. quæ ex delict. nascunt.*

8 *L. 3 §. sciendum & pass. D. ad exhib. l. quædam 9 §. vlt. cum l. seq. §. cum autem de edend.*

9 Nam pendente lite de in integrum restitutione, atque adeo de falso standum est instrumento authentico & guarentigiato vt diximus *§. ad tit. de in integr. rest. postul.* ne quid noui fiat. Facit *l. 2. C. ad leg. Cornel. de falsis.*

10 Prospicere autem bonus Iudex debet, ne fraudentur ij, quorum potest interesse, *l. penult. §. vlt.* vbi est text. elegans. *D. ad legem Falcid.*

11 Hoc enim remedio plerumque consulitur vtrique parti in casu *l. postquam 5. §. 1. in fin. D. vt legat. nomin. caueat. l. ab executione 5. C. quor. appell. non recip. l. 1. § 1. C. de adsert. toll. vlt. Cod. quibus ad libert. proclam. non licet, l. si fideiussor. 7. §. vlt. D. qui sat. sd. cog. l. si cum dotem 22. §. sin autem in sæuissimo, D. solut. matr. l. Imperatores 21. §. 1. D. de appell. Nouell. 88. de depos. cap. 2. l. vlt. C. de ordin. cognit.*

12 *d. l. penult. §. vlt. D. ad legem Falcid.* in illis verbis, *ne in potestate eius sit proferre quod velit, & per hoc in fraudem legatarij inducantur.* Facit *l. cum plures 15. D. de rebus auctor. iudic. possid. l. 1. & vlt. C. de edend.*

13 *d. l. penult. §. vlt. ad legem Falcid. l. meminerint 6. C. vnde vi.* Facit *l. 2. in fin. C. de indict. viduit. toll.*

14 Idque esse videtur, quod scribit Scæuola *in d. l. penult. §. vlt. ad legem Falcid. Ad Iudicis officium pertinere explorare ea, per quæ probetur, quantum sit in bonis.* Ita enim collocanda res est in tuto fauore donatarij, vt tamen donator inauditus ex eo non lædatur.

15 Quoties enim fraudis comminiscendæ periculum est, prius caueri & prospici debet, ne committi possit, non quidem festinatione iudicij, sed præueniendi periculi causa, cum periculum sit in mora, *l. si quis filio 6. §. quid si tamen, de iniust. rupt.* Facit *l. vlt. Cod. in quibus caus. in integr. restit.* Vide Nicol. Boer. *quæst. 174.* Adde *l. 1. de damn. infect.*

DEFINITIO II.

De sequestratione per Iudicem facta si per eam possessor spolietur sua possessione.

ETsi sequestratio permittitur etiam non citata parte, quando euidens periculum est in mora, [1] propterea quod sequestratio, quæ fit per Iudicem custodiæ causa, & vt res in tuto sit, non adimit possessionem ei, qui possidet. [2] Si tamen constet de animo Iudicis volentis spoliare possessorem, puta si tale quid statuat, quod possessori eripiat commodum suæ possessionis, appellari potest ab ea sequestratione. [3] Pone instrumenta censualia, quæ in auorum tuorum vtilitatem & eorum nomine scripta confectaque fuerant, penes me reperiri, qui nunc sum in quasi possessione census illos annuos percipiendi. Si postulante te Iudex ea instrumenta sequestrari præcipiat, quod alioqui facile fieri possit, vt occultentur, nec interea prohibeat me solitos redditus exigere, iusta sequestratio est. [5] Sed si emphyteutis inhibeat, ne mihi soluant, néve possessionis suæ & iuris mei professionem debitam emittant, spoliatio ea dicenda est potius, quam sequestratio. Proinde iustam habebo appellandi causam. [6] Nec ad rem pertinet, quod non probetur quis dominus instrumentorum ex eo solo, quod ipsa penes se habeat. [7] Sufficit enim ex eo præsumi possessionem, & ex possessione dominium, [8] aliis saltem indiciis concurrentibus, [9] præsertim si longissimi temporis possessio proponatur, & quæ iusti tituli causam habuerit, licet non constet de titulo. [10] Ne alioqui rerum dominia semper sint in incerto. [11] Nam neque præscriptio triginta annorum requirit titulum ad tuendum possessorem: [12] Sane si ex ipsa tituli inspectione constet de vitio possessionis, & mala fide possessoris, aut eorum, à quibus causam habeat, non nocebit ea possessio actori in iudicio & quæstione proprietatis. [14] Sed nocebit interea in controuersia possessionis, [15] cum ante omnia is, qui spoliatus est, etiam prædo, sit restituendus. [16] Nec aliud erit, si codex instrumentorum censualium, qui penes me reperitur, familiæ tuæ insignia præ se ferat. Etsi enim iusta præsumptio est, eius esse signatum, cuius est signum, [17] non tamen est perpetua. [18] Nec quamuis probaretur, fuisse instrumenta maiorum tuorum, consequens esset hodie mea non esse, cum per tanti temporis decursum facile ex tuis fieri potuerint mea. [19] Neque obstat, quod in dubio iustior possessio ea præsumenda est, quæ est antiquior, vitiosa autem quæ recentior. [20] Id enim fallit,

BIU Cujas

si recentior possessio sit tricenaria propter bonæ fidei præsumptionem, quæ ex longissimo tempore etiam absque titulo inducitur, si non mala fides probetur. [21] *Ita Senatus* pro heredibus Nobilium fratrum de Chappot contra N. Antonium Gaspardum de Riddes D. de Bleys 7. Id. Decemb. 1592.

1 Dixi *Defin. præced. num. 11. & vlt.* Alex. *in l. si fideiussor 7. §. vlt. D. qui satisd. cog.* Panorm. *in cap. dilectus, ex ir. de sequestr. poss. & fruct.*

2 Bart. *in l interesse 39. num. 4. D. de acquir. possess.*

3 Idem Bart. eodem loco supra citato.

4 Ne alioqui in potestate mea sit ea occultare, ibique fraudem facere, *l. penult. §. vlt. D. ad leg. Falcid.*

5 Videtur enim Iudex prouidisse duntaxat contra imminens periculum tuendi iuris tui gratia, si quod habes potius, quam animo iniuriæ mihi inferendæ, vt & in casibus earum legum quas attulimus *Defin. prox. num. 11.*

6 Priuat enim me pendente lite commodo meæ possessionis, quod tamen non paruum esse solet; *§ commodum, Instit. de interd. l. vlt. D. de acquir. possess. l. penult. D. depos.*

7 Nimirum si vt in proposito casu sint alieno nomine confecta, *l. ad probationem domini 21. C. de probat.*

8 *L. sive possidetis 16.* vbi DD. *& l. 2. C. eod.*

9 *d. l. ad probationem,* ibi; *cum igitur ne cætera probationum indicia reprobentur,* iunct. *l. vlt. eod.*

10 Sufficit enim in huiusmodi præscriptione titulum allegare, nec necesse est vt probetur. Crauet. post Angel. Alex. Dec. quos citat *cons. 201. num. 30.* Facit *l. cum de in rem verso 6.* vbi Bart. & cæteri *D. de vsur.*

11 *L. 1. D. de vsucap.* Nam nec facile capienda est præsumptio delicti, id est, quod possessor instrumentorum alieno nomine confectorum ea furto subtraxerit, vt loquitur *d. l. ad probationem.* præsertim si possessor sit vir probus & bonæ famæ. Solet enim bona fama tollere suspiciones contrarias, *l. 1. §. vlt.* vbi Bart. *C. de re militar.* Bald. *in l. fin. C. de probat.* Et præsumptio illa præfertur, per quem arguitur bonitas hominis, vt inquit Crauet. *consil. 8. num. 7. & consil. 75. num. 21. ex l. merito 51. D. pro socio.*

12 *L. sicut 3.* vbi DD. *C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

13 Siquidem vitia possessionis transeunt in successores, *l. eum heres 11. D. de diuers. tempor. præscr. l. vitia 11. Cod. de acquir. possess.*

14 Quia possessio, quæ ab initio fuit vitiosa & malæ fidei, nunquam potest prodesse, quod ad causam præscriptionis ratione dominij, præsertim iure Canonico, *ex cap. possessor, de regulis iuris, in sexto.* Crauet. *consil. 171. num. 3. & consil. 104. num. 14.*

15 Quoniam vitiosa possessio non eo minus possessio est, cum tota ex facto saltem magis quam ex iure æstimetur, *l. denique 19. D. ex quibus caus. maior. l. 1. § si vir vxori, D. de acquir. possess.*

16 *L. colonus 12. l. cum fundum 18. D. de vi & vi armat. l. si quis ad se fundum 7. Cod. ad leg. Iul. de vi publ. cap. in literis, de restit. spoliat. cum similib.* De quo late Crauet. post alios *cons. 140. num. 2. 3. & 4.*

17 *L. quod si neque 14. §. 1. D. de peric. & commod. rei vendit.*

18 Præsumptionem autem vincere potest non solum probatio, sed etiam alia præsumptio fortior, *l. fin. in princ. D. quod met. caus. l. nuptura 57. in fin. D. de iur. dot. l. si chirographum 24. cum l. seq. §. 1. D. de probat. l. Diuus 7. D. in integ. restit. l. penult. circa princ. D. de ritu nupt.*

19 In his enim, quæ tempore mutantur, præsumptio non est de præterito in futurum, maxime si facile mutari possint. Bald. *cons. 52 incip. literis, col. 2. lib. 5.* Secus est in cæteris Crauet. post alios quos citat *cons. 130. num. 3.*

20 Tractant nostri *ad l. naturaliter 12. §. nihil commune,* D. *de acquir. possess.*

21 Quemadmodum & iunior possessio titulata præferretur antiquiori non titulatæ, vt plurib. probat Crauet. *cons. 218. num. 21. & 22.* Nihil autem refert, an titulus sit præsumptus, an verus, cum in contrarium probatio nulla est, sed tantum præsumptio.

DEFINITIO III.

De beneficij vacantis sequestratione, sequestratique liberatione.

SEnatusconsultum, quo ducalis manus iniectio, quæ in ecclesiastica beneficia defunctis possessoribus fieri solet, solo Principis Procuratore audito sublata sit, (Pragmatici dicunt, *arrest de mainleuee*) etsi nec victori tribuit nec ius in beneficio, [1] nec tertij inauditi ius lædit, [2] hactenus tamen prodest, vt lite pendente, & quandiu de non iure eius, qui possessor factus est, non fuit cognitum, sequestrari beneficium non debeat, quantumuis inops, & restituendis fructibus, si condemnari eum postea contiget, impar esse dicatur. Pertinet enim id ad Senatus auctoritatem, sicut & vt quisquis ab eo possessionis beneficij retinendæ ius nanciscitur, cauere non compellatur, [4] nec si aduersarius aut obtinendæ aut sequestrandæ possessionis gratia cauere velit. [5] Plane causa cognita nihil prohibet auferri ab eo possessionem, siue per diffinitiuam sententiam, [6] siue vindiciis pro aduersario dictis, [7] siue denique neutro ius suum probante beneficium sequestrari debere visum sit. [8] *Ita Senatus* ex tempore contra Carol. Emanuelem Pomeum pro Eman. Marino possessore prioratus de Belleuaux Prid. Cal. Sept. 1593.

1 Quia non nisi ad momentaneam possessionem pertinet, præsertim cum Iudex laicus de iure beneficij, quod est mere spirituale, cognoscere non possit. Guid. Pap. *quæst. 1.*

2 *L. de vnoquoque 47. D. de re iudic. tot. tit. res int. alios act.*

3 Quia nec solet Senatus noster possessionem beneficij quam umlibet momentaneam ei concedere, qui nullo iuris colore nitatur. In eamque causam Procurator generalis legitimus contradictor est, quandiu alius non apparet. Facit *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

4 Quod in iis, qui apud Inferiores Iudices in momentaneo possessorij beneficialis iudicio obtinent, diuersum est, in honorem sci icet ordinis amplissimi, qui huiusmodi priuilegium mereri visus est, exemplo sententiarum à præfectis prætorio latarum, *Auth. quæ supplicatio,* ibi, *executio causæ sine fideiussione procedat, C. de precib. Imp. offer.*

5 Nunquam enim debet quis vincere ob id solum, quod satisdare paratus sit, si aliam vincendi causam nullam habeat, *l. testamento 17. §. non omnimodo, D. de testam. tutel. l. quia satisdatio 6. D. de suppl. negl. tutor.*

6 Quia sententia diffinitiua tollit omnes interlocutorias præcedentes contrarias, quæ & conditionem illam, siue expressam, siue tacitam, semper habere intelliguntur, si non postea in contrarium quicquam pronunciabitur, *l. quod iussit 64. D. de re iudic.*

7 Solent enim ante diffinitiuam sententiam, præsertim in beneficialibus, vindiciæ dici pendente lite pro eo, qui magis apparenti magisque colorato titulo nititur, si quid sit quod impediat, ne tam cito plenissima possessorij causa definiatur, quod & in profanis causis obtinet, vt certus possessor constituatur, quoties nullus adhuc est, *l. 2. §. & cum placuisset, de orig. iur. l. lite ordinata 14. C. de lib. caus.*

8 Sequestratio enim hoc casu loco vindiciarum est, adeo vt non nisi per diffinitiuam super pleno possessorio sententiam reuocari possit. Est autem tum demum necessaria, cum aperte constat de non iure vtriusque litigatoris. Alioqui cauere bonus Iudex debet, quantum potest, ne beneficium sequestretur, quia publice interest, vt certus sit possessor beneficij, quo melius diuino cultui satisfiat, eorumque omnium, quæ ad beneficium pertinent, conseruationi. Nam si cæterarum rerum omnium sequestratio odiosa est, multo magis beneficiorum. Quid tamen si factus beneficij possessor sine cautionis onere, quamuis impar esset fructibus reddendis, postea & lite adhuc pendente fructus dilapidet? Non solet quidem ea res inducere necessitatem satisdandi semel remissam, *l. vlt. in princ. D. vt legat. nom. caueat.* sed tamen videtur ille textus pertinere ad satisdationem remissam à testatore, non ad eam, quæ à Senatu alioue Iudice. Nunquam enim id Iudex agit, præsertim vero Senatus, vt vel delinquendi occasionem præbeat, vel faueat delinquenti, *argum. l. 1. Cod. de his qui ven. ætat. impetr. l. meminerint 9. Cod. unde vi.* Facit *l. Impp. 21. §. vlt. D. de appellat.* Itaque dubitandum non est, quin ex noua causa possit iniungi satisdandi necessitas, quæ fuerit siue tacite, siue expresse remissa. Qui enim potest totam sententiam interlocutoriam reuocare, quidni cautionis onus ex iusta causa superueniente poterit iniungere? In omni siquidem sententia, siue interlocutoria illa sit, siue definitiua, semper subintelligitur clausula, Rebus sic stantibus, *l. si mater 11. §. eandem causam, D. de except. rei iudic. l. si cui 25. §. 1. D. de liber. caus.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

De sequestratione instrumentorum pupillarium in domo vitrici post mortem matris, quæ tutrix fuerit, facienda.

CVm mulier, quæ filij impuberis tutelam gesserat, ad secunda vota conuolasset, non redditis instrumentis pupillaribus, quæ constabat in eius potestatem peruenisse, postea vero in vitrici domo decessisset, vium est iustum desiderium filij petentis, vt quæcunque instrumenta in iis vitrici ædibus reperirentur, obsignatis arcis in tuto collocarentur, deinde seponerentur, & redderentur, quæ ad tutelæ causam pertinerent: [1] Sed hoc tamen addito temperamento, vt soli Senatori, qui in eam rem recuperator dabatur, potestas esset, instrumenta illa omnia inspiciendi & legendi, ne conqueri vitricus posset, quod patrimonij sui secreta panderentur. [2] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro Antonio Iay contra Franciscum Truffon 7. Id. April. 1595.

1 Duplex enim hoc casu præsumptio & vtraque fortissima vrgebat contra matrem. Vna, quod ad secunda vota conuolasset, in quo etsi nihil fecerat illicite & contra leges, fecerat tamen proculdubio iniuriam liberis prioris matrimonij, præbueratque argumentum non leue perexigui sui in eos amoris, *l. hac edictali 6. §. vlt.* ibi, *liberorum suorum adfectione seruata, & pass. C. de secund. nupt.* Altera, quod ante contractas secundas nuptias instrumenta pupillaria non reddidisset, quæ omnimodo reddere debuerat, adeoque reliqua integra soluere, vt satisfaceret præscripto, *l. omnem 6. C. eod. ad SC. Tertull.* vbi Balb. & cæteri.

2 Secundum ea, quæ scripsi non dissimiliter *Desin. 1.* præsertim *num. 3. 14. & 15 3. eod.*

DEFINITIO V.

De modo tollendæ sequestrationis factæ postulante tertio, & quid si per collusionem facta esse dicatur.

SEquestratio licet nullo iure facta tolli non potest inaudito eo, qui impetrauit, vt fieret, [1] nec si agatur de executione iudicati. [2] Nec rursus si victor petat tolli eam per modum, vt aiunt, prouisionis, in eamque rem offerat satisdationem. [3] Nihil enim vnquam faciendum est inscio collitigatore, cuius nimirum interest, vt & vocetur, & audiatur: [4] licet alioqui videatur nihil interesse illius, qui petiit sequestrationem, dum ei cautum sit per satisdationem. [5] Sane si inter condemnatum & eum, qui sequestrationem petiit, collusio intercesserit, nulla sequestrationis ratio habebitur; [6] eo saltem casu, quo per victorem satisdatio præstetur. Multum tamen proderit ad collusionis suspicionem profligandam, si debitor condemnatus pecuniam obsignauerit, & consenserit, vt ei numeraretur, qui sententiam à Iudice meruisset. [7] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio 10. Calend. Septemb. 1595.

1 Habet enim pro se saltem Iudicis auctoritatem, cuius non potest ratio aliqua non haberi, quantumuis perperam adhibita sit, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell. cum simil.*

2 Quæ tamen fauorabilis esse solet, præsertim vt in ea summarie procedatur, *l. à Diuo Pio 15. §. si rerum, vers. sed sciendum est, & §. si post addictum, vers. cæterum, D. de re iudic.* Verum nullum iudicium est tam summarium, in quo non sit pars citanda, quia nec potest consistere sine reo. *cap. forus, de verb. signif.*

3 Quanquam satisdatio maximum & præcipuum remedium esse solet ad impediendam sequestrationem, cum non aliam ob causam fiat sequestratio, quam vt res sit in tuto, quod æque fit per idoneam satisdationem, *l. 5. §. 1. D. vt legat. nom. caueat.*

4 *L. de vnoquoque 47. D. de re iudic. tot. tit. C. res int. alios act.*

5 Sed tamen cautionis forma à Iudice præscripta aut admissa non tam facile & inaudito aduersario est mutanda. Obserua tamen, Iudicem illo etiam casu, quo ex causa permittit sequestrationem, debere semper exceptionem subiicere, nisi aduersarius satisdare paratus sit, vt tanto minus iustam appellandi causam ille habeat, siue auditus sit, siue non.

6 Quæ enim simulata & per collusionem facta sunt, pro infectis haberi debent, *l. si ex precio 6. Cod. si cert. pet. l. si per lusorio 14. §. 1. D de appell. l. cum ea 21. C. de transact.*

7 Collusio enim sicut probatur per coniecturas & præsumptiones, ita & contrariis præsumptionibus & coniecturis purgatur. Ex iis quæ scripsi *Desin. 2. num. 18. 3. eod.*

DEFINITIO VI.

Sequestratio etiam contra inauditum aliquando permittenda est ex æquitate.

ETsi non solet Senatus incipere à sequestratione, [1] vt nec ab alia executione, [2] sed ante omnia iubere, vt aduersarius in ius euocetur, etiamsi agatur ex instrumento authentico, adeoque guarentigiato, [3] interdum tamen euenit, vt euidentissima æquitate id suadente aliud obseruari oporteat, ne alioqui summum ius summa sit iniuria. [4] Finge, peti sequestrationem ab eo, qui in egregiam quantitatem fideiusserit liberaliter pro pensione beneficij debita per resignatarium alia bona nulla possidentem, & in solutione pensionis cessantem, fortassis etiam moribundum, aut iam mortuum nullis heredibus relictis. Quidni consulamus fideiussori alioqui periclitaturo? [5] Aut quænam iniuria fiat debitori, si petente fideiussore fructus sequestrentur, [6] oblata per fideiussorem satisdatione de præstando omni eo, quod interierit debitoris, si perperam & sine causa facta probetur sequestratio? [7] Sane vt eo minor fiat iniuria debitori, æquum est deferre illi conditionem, vt satisdando, si malit, possit impedire sequestrationem. [8] *Ita Senatus* pro N. Bernardo Dacquin, contra illustrem D. Abbatem d'Entremons, 7. Decemb. 1595.

1 Quæ semper odiosa est & regulariter prohibita, *hoc tot. tit. C de prohib. sequestr. pecun.*

2 *L. 1. C. de exec. rei iudic.*

3 Quo tamen casu inferiores Iudices patiuntur incipi ab executione, concessis literis, quas vocant *de main garnie*, quod & permittere Senatus solet, quoties fit executio ex diplomate, quod De debitis appellant.

4 Nam in iis, quæ sunt ex bono & æquo, plerumque sub auctoritate iuris scientiæ perniciose erratur, *l. si seruum 93. §. sequitur, D. de verb. oblig.*

5 Nec enim debet amici officium, quod impleuit, ei esse damnosum, *l. si seruus 61. §. quod vero, D. de furt. l. ne ex liberalitate 52. D. de re iudic.*

6 *Arg. l. Imperatores 21. §. vlt. D. de appellat.*

7 Satisdatio enim plenissimam tribuit indemnitatem & securitatem, *l. 1. D. qui satisd. cog. l. si quis libertatem 7. D. de hered. petit. l. 1. & tot. tit. qui satisd. cog.*

8 Cum petenti sequestrationem æque cautum futurum sit remedio satisdationis. *d. l. qui satisd. cogant.*

[DEFINITIO VII.

De sequestratione facta pecuniæ debitæ quidem creditori, sed quæ nec erat debitoris nec obligata debitori.

TItius vendiderat Sempronio fundum precio quingentorum cum esset dignus octingentis, sed recepta sibi suisque redimendi facultate. Subinde hyperocham eiusdem fundi vendiderat Mæuio, cum iure redimendi precio trecentorum. Obtulerat Mæuius quingenta Sempronio, & cùm recusasset accipere obsignauerat, Caius creditor Titij cum id præsensisset, bonaque Titij vniuersa obligata haberet, impetrauerat à iudice, vt quingenta illa sequestrarentur penes depositarium, trecenta vero reliqua nondum soluta quæ totum precium octingentorum faciebant, in manibus Mæuij debitoris non reluctante Titio quem debere constabat. Mæuius non solum sequestrationi consenserat, sed præterea dixerat paratum se eam precij pecuniam Caio

BIU Cujas

ſoluere, Et quidem trecenta pure, Quingenta vero ita demum ſi eius fundi quem Sempronius retrouendere noluerat poſſeſſor pacificus efficeretur. Interim egerat Mæuius contra Sempronium, vt receptis quingentis aureis fundum retrouenderet, tandemque obtinuerat, & ex authoritate Senatuſconſulti ſoluerat, & ita poſſeſſor factus fuerat, nulla in toto litis tractu facta ſequeſtrationis, quam Caius fieri curauerat, mentione, circa idem fere tempus cum Caius aduerſus Titium egiſſet pro mille aureis obtinuerat, vt condemnaretur Titius ad eam quantitatem præſtandam, detracta tamen prius ea ſumma quæ vrgente ipſo fuerat ſequeſtrata, & cuius ob eam cauſam exportandæ facultatem ei Senatus dederat. Exindeque cum iudicati executio plenior vrgeretur eam ſummam pro ſoluta Senatus habuerat, nec niſi pro reliqua quantitate ſiue ſortis, ſiue vſurarum nomine fieri executionem permiſerat, Inaudito tamen Mæuio qui iam ſoluerat pecuniam, quæ adhuc penes depoſitarium ex ſequeſtratione reſidere credebatur. Conuentus deinde depoſitarius, & in carceres detruſus cùm pecuniam non haberet, quam reddiderat iam Mæuio, vt eam poſſet Mæuius ſoluere Sempronio, reſtitutionem recuſabat, Mæuiumque interpellabat, vt ab ea moleſtia illum liberaret. Mæuius & ipſe melioris conſilij non minus quam pecuniæ inops ſic cum Caio tranſegerat, vt eum acciperet Caius in debitorem cederétque illi iuribus omnibus quæ habebat contra Titium. Quo facto conſenſerat Caius, vt depoſitarius carceribus eximeretur. Poſtea cum ex ea promiſſione vrgeretur Mæuius à Caio ad ſolutionem, impetrabat beneficium reſtitutionis in integrum, quaſi ſine cauſa ſe obligaſſet, quod nullo iure ſequeſtratio conſtitiſſet. Quandoquidem ſequeſtrata illa, & obſignata ſumma quingentorum neque fuerat vnquam in bonis Titij [1], neque Titio obligata [2] vt in eam aliqua illis actio hypothecaria competere poſſet. Nec ad rem pertinebat, quod & ſequeſtrationi ipſe conſenſerat, [3] & vt pecunia illa creditori Caio ſolueretur. Nam neque per imperitiam mutare iuris rationem potuerat, [4] neque rurſum adeo abſolute conſenſerat, vt pecuniam illam Caius acciperet, ſed ſub ea, vt diximus conditione, ſi fundi quem emerat, poſſeſſor pacificus efficeretur: Quod etſi poſtmodum ſecutum fuerat, nouam tamen cauſam ea res habuerat, Nempe quod eam pecuniam ipſe Sempronio ſoluiſſet. [5] Quam ſi Caio iterum ſoluere cogeretur, bis idem ſolueret, quod aperte iniquum eſſet. [6] Ac quamuis non diſſimili æquitatis ratione Caius ſe tueretur, quod ſi debitorem Mæuium amitteret debiti ſui iacturam faceret, cum Senatus ipſe Titium pro liberato habuiſſet, in promptu tamen contradictio erat, factum id dolo malo, vel ſaltem culpa Caij, qui in tota ea lite quam contra Titium exercuerat nihil de Mæuij interceſſione dixerat, quam ſi Senatus ſciuiſſet, neque inaudito Mæuio quicquam pronunciaſſet, [8] neque audito eo habuiſſet Titium pro liberato, cum nec ipſe, nec pro ipſo quiſquam alius Caio ſoluiſſet. [9] Contra obiiciebat Caius imputare ſibi Mæuium debere, quod condemnari ſe Sempronio paſſus fuiſſet, non citato Caio, [10] qui ſi vocatus in partem litis fuiſſet, vtique cumulando hypothecariam fundum ipſum iure anterioris creditoris obtinuiſſet, niſi pecuniam obſignatam ei potius ſolui placuiſſet. [11] Nec enim dubitare poterat quin Caij intereſſet quo poſtulante ſequeſtratum fuiſſe precium non ignorabat: [12] neque tamen de ea ſequeſtratione quicquam apud Senatum expoſuerat. Dicebam vtraque ex parte magnam hîc ſubeſſe æquitatem, quod neque Caium, neque Mæuium in damno morari æquum eſſet, totamque rem damno potius Titij cedere oportebat, quem vtrique indemnitatem debere conſtabat, tamen Senatuſconſulto pro obreptionem reddito fuerat liberatus. Nam de Sempronio qui nihil niſi debitam ſibi pecuniam ex cauſa retrouenditionis in Senatuſconſulti executione acceperat, neuter iuſtam querelæ occaſionem habebat, [13] cum præterea nihil niſi coactus & condemnatus feciſſet. [14] Itaque cum iniquitas tota ex eo profecta eſſet, quod inaudito Mæuio Titium Senatus liberauerat, Placuit non aliter corrigi hunc errorem poſſe quàm ſi curante id Mæuio Titius huic nouæ liti adeſſe iuberetur, vt per Mæuij perſonam Caius conſequi poſſet, [15] citra remedium ciuilis ſupplicationis, vt ad eam quantitatem Titius condemnaretur ſi non erga Caium ſaltem erga Mæuium cui pleniſſimam indemnitatem præſtare debebat, quique recuſare non poterat quominus hypothecariam exercenti Caio fundum anteriore tempore obligatum reſtituere cogeretur. [16] Nam & commodius futurum erat Titio vt ſolueret Caio, ne alioquin grauiorem condemnationem ex indemnitatis præſtatione pateretur. [17] Sanè pro trecentis quæ adhuc debebat Mæuius, nec ſoluerat, nec dubitabatur quin valeret ſequeſtratio, eſſetque ille omnimodo tanquam Titij debitor Caio condemnandus. [18] *Ita Senatus* in cauſa D. Præſidis de Murat, & Petri Roland. 15. Iunij 1613.

1 Quomodo eſſe oportet eam rem in quam agitur hypothecaria *l.15.§.quod ducitur, D. de pignor.*

2 Quod ſufficeret, vt poſſet capi pignori nomen debitoris, *l.5.C.quæ res pignor.l.ſi conuenerit 18.D. de pign.act.*

3 Dici enim ſolet non fieri iniuriam volenti, *l.in diem 9.§. 1.de aqua & aquæ pluu.arcend.*

4 *L.ſideiuſſor 32.de negot.geſt.*

5 *L.ſi ſeruus 21.§.pen. D.de euict.l.cui res 29.D de act.empt.*

6 Et quidem in Titij commodum, qui ſic bis idem conſequeretur contra *l.51.in fin.D.de re iudic.l.57.de reg.iur.*

7 *L.Iulianus 60.D.de cond indeb.*

8 *L.de vnoquoque 47.de re iudic.*

9 Nec alius legitimus modus conſequendæ liberationis contigiſſet, *l.penult.de ſolut.*

10 *Vt in l.Herennius 63.in princ.de euict.*

11 *L.2.& paſſ.C.qui pot.in pign.hab.*

12 Nam ſi ſequeſtratio non poteſt fieri partibus inauditis, multo minus poteſt facta tolli inaudito ſequeſtrante, *l.1.cum ibi not.C.hoc tit.* Guid.Pap. *quæſt 210.*

13 *L.cùm ea 68.§.1.de euict.l.repetitio 44.D.de condict indeb.*

14 Niſi fortè quis velit ei imputare cur iudicato non paruerit, quod facere habuit neceſſe *l.167.§.1.de reg.iur.*

15 Nec enim nouum eſt vt quis per alterius perſonam conſequatur id quod ex ſua non poſſet, *l.3.D. quæ res pignor.oblig. poſſ.l.ſi is qui 29.de liber.legat.*

16 *L.ſi fundus 16.§.in vindicatione, D.de pignor.& tot.tit.qui potior.in pign.hab.D.& C.*

17 Quia in actionem indemnitatis venit ſemper quanti actoris intereſt, *l.ſi commiſſa 13.rat.rem.hab.*

18 Tanquam debitor debitoris, cuius nomen Caio fuerat obligatum, *ex l.nomen 4. C. quæ res pignor.l.ſi conuenerit 18. D. de pignor.act.*]

TIT. IV.

DE CONDICT. INDEB.

DEFINITIO I.

De datione in ſolutum facta pro maiori quantitate, quam quæ debeatur.

DAtio quidem in ſolutum, ſi facta ſit vel pro nũmo vno ſupra quam debeatur, in totũ vitiatur. [1] Sed tamen retentioni locus eſt, quouſque totũ ſit exſolutũ, quod debetur. Ideoque indebiti cõdictio interim impe-

BIU Cujas

rim impedietur. [2] *Ita Senatus* in causa D. de Charmoisy & de Coendier, contra D. de Seruette, ex tempore 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 *L. si non sortem 26. §. si centum.* vbi Bart. & cæteri, *D. hoc tit.* Sed tamé intellige, cum pro pecunia datus est fundus, aut quæ alia species in solutum, quo casu non potest fieri confusio partis cum pecunia, ne inuitus compellatur ad communionem is, cui solutum fuit, vt eo loco Vlp. scribit. Aliud est, si quis pecuniam debens oleum dederit precij maioris, quasi plus debens, vel cum oleum deberet, maiorem olei modum dederit, quasi maiorem debens. Tunc enim superfluum duntaxat olei repetendum est, non totum, quia & quatenus solutum fuit, peremptа est obligatio, vt sequitur apud Vlp. *in §. idem Marcellus.* Sed & si cum fundi pars mihi deberetur, quasi totus deberetur æstimatione facta, solutio pecuniæ solidi precij facta sit, placet repeti posse non totum precium, sed partem duntaxat indebitam, vt idem Vlp. tractat *in §. seq. quia nullum hic communionis periculum subest.*

2 *d. §. si centum.* Intellige tamen secundum supra dictam distinctionem. Nam quibus casibus solutio parit liberationem, impeditur conditio, & e contrario, quoties non sequitur ex solutione liberatio, nascitur condictio, *d l. si non sortem, §. si decem, l. cum quis 38 §. de peculio, & §. qui hominem, D. de solut.* Excepto casu singulari, quem ex Neratio Caius refert *in l. Neratius 63. D. hoc tit.* Facit *l. eleganter 23. §. penult. in fin. eod.*

TIT. V.

DE CONDICT. OB CAVS. dator.

DEFINITIO I.

Qui tanquam accepturus à debitoris debitore solutionem liberat debitorem, an & quando possit condicere liberationem?

SI quasi accepturus ex mandato centum à Titio, quæ tibi ille debebat, cum tu mihi totidem deberes, apocham scripsero, [1] qua professus sim soluta mihi per te centum, quę debebas, nulla Titij mentione facta, [2] nec Titius postea mihi soluerit, siue quod se tibi quicquam debere neget, siue quod non habeat pecuniam in numerato, [3] possum condicere liberationem, [4] adeoque litem iam ante cœptam persequi debiti exigendi gratia, ac si apocha nulla conscripta esset, vtpote facta eam ob causam, quæ postea non sit secuta. [5] Titium tamen audiri potius oportebit, vt hoc ipsum sciatur, an mihi soluerit, [6] præsertim vero si tuas ad eum literas, quibus mandatum soluendi continebatur, exhibere nequeam, puta quas fortasse sine dolo malo meo amissas esse dicam. [7] Non idem erit, si Titij nomen periculo meo in solutum mihi dederis. [8] Imputandum enim mihi erit, cur id nomen vltro sim secutus. [9] *Ita Senatus* ex tempore pro Ioanna Rippet vidua N. de Courtoison, 6. Cal. April. 1593.

1 Apocham dicunt Iureconsulti pro pecuniæ solutæ professione, *l. vlt. §. Titius, D. de condict. indeb. l. qui tabulas 27. §. apocha, D. de furt. l. plures apochis 19. C. de fid. instr. tit. de apoch. public. lib. 10. C. tit. 22.* iunct. *l. pecuniæ solutæ 14. C. de solut.* Vulgo *quittantiam* vocant. Et in hoc plerisque locis errant Pragmatici, qui *apocham* pro chirographo dicunt.

2 Fidem scilicet tuam secutus, vt plerumque fit, præsertim inter mercatores, inter quos idcirco tanto exuberantior bona fides exigi solet.

3 Quid enim mea interest, cũ vtroque casu patiar moram?

4 Vt perinde tenearis pristina actione, ac si non esses liberatus. Quanquam apocha non tam inducit, quam probat liberationem, *l solutam 40. in fin. D. de solut.*

3 *Arg. l. si quis accepto 4. D. hoc tit.* Diuersum est in specie *l. si maiores 25. C. de transact.* vbi liberatio ei facta, cui me successurum sperabam, non ex eo solo reuocari potest, quod alius illi successerit, quia fuit spes illa rei incertæ, & in alterius liberum arbitrium collatæ, nec rursum valde probabilis propter implicitum votum mortis alienæ, *l. vlt. C. de pact.* quia nec valeret pollicitatio pura propriæ hæreditatis, *l. cum donationis 34. D. de transact.*

6 Vt si fateatur, se mihi non soluisse, tanto expeditior futura sit tibi contra eum actio.

7 Æquum enim est in eum statum reponi omnia, vt ex facto meo conditio tua deterior facta dici non possit. Nec leuis suspicio est, exactam à me solutionem ex vi tuarum literarum, si eas nunc exhibere nequeam, quia solent illæ debitoribus soluentibus reddi, vt probare possint, soluisse se ex mandato creditoris, si quando postea vel ab eo, vel ab eius heredibus controuersiam patiantur; alioqui ratihabitio esset necessaria ad inducendam liberationem, *l. si Procurator 6. §. Celsus, D. de condict. indeb.*

8 Nam si sola nominis delegatio pro solutione est, vt ait *l. quamuis 8. §. interdum, D. ad SC. Vellei.* quanto magis datio ipsa in solutum, *d. §. si centum, l. manifesti 17. C. de solut.* Facit *l. §. mandatu 45. §. penult. D. mandat.*

9 Quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorum delegatum, *l. inter causas 26. §. abesse, eod. tit. mandat. l. qui debitorem 18. D. de fideiuss. l. 1. §. illud sciendum, D. de separat.* Sed hoc intellige quod ad facultates. Præstare enim vt verus debitor sit is, qui delegatur, semper debet creditor, etiam qui delegat, quantumuis periculo creditoris, nisi aliud expressim conuenerit, *l. 4. D. de hered. vel act. vend. l si plus 74. §. vltim. D. de euict.* Facit *l. apud Celsum 4. §. quod si 15. D. de dolo mali excep.*

DEFINITIO II.

De repetitione dotis per mulierem errantem data in causam illiciti matrimonij.

MAtrimonium contra leges factum, puta cum ea, quæ alium virum habuit, viuum quidem, sed absentem, per errorem facti potius, quam per dolum & malitiam contractum præsumitur, si palam & publice celebratum fuit. Ideoque non incurrunt contrahentes pœnam illam nouæ constitutionis, quæ à Valentiniano, Theodosio & Arcadio in odium prohibitarum nuptiarum lata est. [2] Sed tamen non eo fauorabilior fit maritus, vt dotem retinere possit, quæ non potuit dos esse sine matrimonio. [3] Erit igitur locus condictioni pecuniæ quasi datæ ob causam, quæ non fuerit secuta. [4] In qua actione fructus quidem venirent, si fundus in dotem datus esset, quia sunt naturales accessiones, [5] sed vsuræ non æque, ne quidem à die litis contestatæ, [6] quia condictiones omnes sunt stricti iuris. [7] Quamuis si dos fuisset, deberentur à die finiti anni, post quem pecunia ipsa peti potuisset. [8] In eo sane melior erit condictio huius pecuniæ, quam si esset dotalis, quod statim exigi potest, nec annus expectatur, [9] tametsi æque ac si dotalis esset habeat priuilegium tacitæ hypothecæ, si probabilis fuit ignorantia mulieris pecuniam dantis in dotem, [10] puta quod prior maritus publica municipalium voce & fama defunctus [11] crederetur, siue per longum tempus abfuisset, siue non; alioqui si nullam habeat improbi facti excusationem, non potest videri mulier digna priuilegio, quæ pœnam meretur. [13] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 2. infr. tit. seq.

1 *L. vlt. D. de rit. nupt.* Error enim potius, quam dolus præsumitur in eo, qui palam male facit, secus in eo, qui clam, *l. non existimo 54. D. de admin tutor. l. pupillus 5. §. sane, D. de auct. tut. l 3. §. si quis palam, D. de iur. fisc. l. cum ipse 5. C. de contrah. empt.*

2 *In l. qui contra C. de incest. & inut. nupt.* quæ excipit diserte illos, qui per errorem contra fecerint, dum ne fuerit ille affectatus aut simulatus.

3 Id enim est, quod dici solet, nuptias prohibitas dotem non habere, *l. vlt. D. de condict. sin. caus. §. si aduersus, Inst. de nup. l. 3. D. de iur. dot. l. 52. l. à diuo Pio 58. D. de ritu nupt.*

4 *dict. l. vlt. in princ. & §. 1. de condict. sin. caus.* nihil enim refert, an ab initio sine causa quid datum sit, an causa, propter quam datum fuit, secuta non sit, *l. penult. eod.*

5 *L. qui se debere 7. §. vlt. D. hoc tit. l. indebiti 15. D. de condict. indeb. l. videamus 38. in princ. & §. 1. D. de vsur.*

6 Nam à die litis contestatæ fructus tantum debentur, & quidem ex æquitate duntaxat, *d. l. 38. §. si actionem,* iunct. *l. 2. eod.*

BIU Cujas

non etiam vsuræ, longeque alia est sententia, *l. ille contestata 35. eod.* vt docui *Decad. 1. de error pragmat. err. 1. ad fin.*

7 In quo actionum genere non magis veniunt vsuræ ex die litis contestatæ, quam ex die interpellationis extraiudicialis, vt docui pluribus *lib. 15. coniect. c. 1. & 3.*

8 *L. vnic. § exactio autem, C. de rei vxor. act. vers. sin autem superfuerit.*

9 Quoniam re vera dos nulla est, *d. l. fin. in princ. & §. 1. D. de condict. sin caus.*

10 *Leum qui duas 18. C. ad legem Iul. de adult.* in illis verbis: *omni exactionis instantia, l. sponsa 74. D. de iur. dot. l. quæsitum 17. §. vlt. D. de reb. auctor iudic. possid. alias l. 2. §. vlt. de pignor. act.* Etsi enim ij loci non pertinent nisi ad priuilegium quod olim dos habebat inter actiones personales, quia non habuit priuilegium hypothecæ tacitæ ante Iustiniani constitutiones, *in l. vnic. §. & vt plenius, C. de rei vxor. act. & l. assiduus 12. C. qui pot. in pign. hab.* nulla tamen inter huiusmodi priuilegia diuersitatis ratio hac parte reddi potest.

11 Fama enim & vox publica licet non plene probet, tamen prodest ad purgationem & excusationem, *dict. l. 4. C. de incest. & inutil. nupt. l. 3. in princ. D. ad SC. Macedon. l. 3. D. de offic. præsid. l. quid si fugitiuus 17. §. apud Labeonem, de ædil. edict. l. fugitiuus 19. D. de solut. l. cum quidam 30. § quod dicitur, D. de acquir. hered. l. cum mater 28. D. de inoffic. testam. l. vlt. D. de hered. instit.* Vide Felin. & DD. *in c. veniens, extr. de testib.* & nostros *ad l. 2. §. si dubitetur, D. testam. quemadm. aper.*

12 Etsi quò longior est absentia, eo probabilior videri debet rumor, qui circumfertur de mortuo. Bald. *cons. 398. incip. per solam famam, lib. 2.* Alexand. *cons. 25. col. 2. & cons. 117. col. 1. lib. 4.* cum aliis, quos refert & sequitur Cravet. *cons. 17. num. vlt.* Vbi addit, probari etiam mortem, si quis pro mortuo habitus sit per coniunctos, qui vestes lugubres detulerint.

13 Ex ratione Papiniani, quam Vlpia. refert *in l. Papinianus 20. D. de minor.* Etsi enim ibidem eam ille improbat, tamen in proposito casu optime procedit, *arg. l. testamenta 26. in princ. & §. 1. D. de testam. milit.*

TIT. VI.

DE CONDICT. OB TVRP. caus.

DEFINITIO I.

Fumi venditor tenetur condictione ob turpem causam.

CONSILIARIVM Principis, qui alterius potentioris aulici nomen & gratiam mutuatus literas legitimationis à Principis liberalitate pro Titio gratis extorserat, cum ex chirographo ducenda peteret, quæ in eam rem Titius pro legitimatione obtinenda promiserat, placuit doli exceptione summouendum esse, [1] quod pessimi & turpissimi exempli ea res esset, [2] quamque iam olim Alexander Seuerus vindicasse dicitur in persona illius, quem ex hac causa, quasi fumum vendidisset, fumo perire iussit. [3] Quas tamen impensas ob eam rem factas esse probaretur, eas restitui benigne placuit, [4] imputatis nimirum vsuris, quas per multos annos actor hic tanquam creditor à debitore indebitas exegisset. [5] Nec simile visum est, quod frequentissimo vsu receptum cernimus, vt Princeps aulicis suis quasi præmij & mercedis loco literas Nobilitatis, vt vocant, aut Notariatus concedat ea mente, vt quæ Principi pecunia eo nomine deberetur, iis soluatur. [6] Eo namque casu nihil fit contra Principis voluntatem, nec proinde contra honestatem, quomodo fit, cum quod Princeps vni se liberaliter concedere arbitratur, per alterum venditur. [7] *Ita Senatus* in secreto auditorio. *Sine die.*

1 Non quasi promissio illa facta esset sine causa, vel quasi secuta causa non fuisset, nec rursum quasi promissoris quicquam interesset, qua arte aut ratione creditor hic satisfecisset, nihil enim horum dici poterat, sed propter rationem, quæ in *Defin.* sequitur. Facit *l. 1. §. vlt. l. 2. l. 6. & pass. D. hoc tit.*

2 Neque enim Principis conscientia aut liberalitas falli debet, *l. vlt. C. de his qui à non dom. in man. iunt.* neque ferendum est, vt ex honestate Principis calumniæ facultas capiatur, *l. pen. C. de hered. instit.* nec parum à furto distant huiusmodi pactiones illicitæ, licet aulicis plerisque familiares, *arg. l. 1. C. de vsucap. pro empt.*

3 Vnde elegans illud Alexandri Imp. dictum, Fumo pereat, qui fumum vendidit. Refert Iulius Capitolinus in Alexandro.

4 *Argum. l. si pecuniam 5. in fin. princ. D. de condict. caus. dat.* iis verbis, *ita tamen, vt indemnitas tibi præstetur eius quod expendisti.*

5 Neque enim poterant videri debitæ vsuræ eius sortis, quam indebitam esse constabat, ideoque & condici poterant indebiti condictione, *l. indebitas 18. C. de vsur. l. si non sortem 26. in princ. & §. 1 & 2. D. de cond. indeb.* Quæ autem repeti possunt multo magis imputari, *l. creditor 102. §. vlt. D. de solut.* Nam de repetitione fuit olim dubitatum, vt constat *ex a. l. 8.* sed de imputatione nunquam. Est enim multo facilius, vt quid imputetur, quam vt restituatur, *l. sumptus 48. D. de rei vindic. l. mulier 22. §. si heres, & § cum proponeretur, D. ad SC. Trebell.*

6 Nihil enim refert, an quod Principi debetur ipsi soluatur, aut eius thesaurario, an alij ex eius voluntate, *l. solutam 49. D. de solut. cum similib.*

7 Hoc enim casu, vt diximus, & voluntas, & liberalitas Principis circumuenitur, quorum neutrum ferendum est.

DEFINITIO II.

Datum in causam illiciti matrimonij repetitur, quia ob nullam potius, quam ob turpem causam datum intelligitur.

DAta dote in causam illiciti vetitique matrimonij, si matrimonium secutum non sit, constat locum esse repetitioni, nec posse obiici, quod vulgo dici solet, Datum ob turpem causam honeste retineri, [1] aut potius in pari causa meliorem esse conditionem possidentis. [2] Non enim stupri, sed matrimonij causa data dos fuit, vt eleganter iam olim Papinianus noster respondit. [3] At quid si matrimonium secutum sit? [4] Idem dicendum est, siue factum [5] sciuerint contrahentes, siue ignorauerint. [6] Illa enim distinctio tunc tantum necessaria est, cum quæritur de iure fisci, cui ex Valentiniani & Theodosij constitutione [7] dos adiudicanda est, quoties à scientibus celebratum est contra leges matrimonij. [8] *Ita Senatus* in causa Iacobi Lombard de Tremesin, Ant. Calend. Decembr. 1593. De qua in Defin. 2. supr. tit. 1.

1 Etiam cum ex vtraque parte tam accipientis, quam dantis versatur turpitudo. Potior enim causa est possessoris, *l. pen. D. hoc tit.* Facit *l. vbi autem 3 cum l. seq. eod.* Non dissimile est quod dicimus, Multa interdum honeste accipi, quæ honeste peti non possunt, *l. 1. §. proinde, D. de extraord. cognit.*

2 *d. l. penult. l. siue autem 9. §. si duobus, D. de public. in rem act.* Idem est in pari delicto, *l. vlt. D. de condict. sin. caus. l. 2. C. hoc tit.*

3 *d. l. vlt. D. de cond. sin. caus.*

4 Scilicet de facto, non de iure.

5 Id est, causam impediendi matrimonij, quæ multiplex esse potest.

6 Nam & in vtraque specie, *d. l. vlt. D. de cond. sin. caus.* non poterant contrahentes ignorare proximam cognationem & affinitatem, quarum illa in priore specie impediebat matrimonium, hæc vero in posteriore incestum quoque inducebat, nec eo minus tamen condictioni sine causa locum esse vult Papinianus, quia nulla fuit causa dandæ dotis, cum reuera propter legum prohibitionem nullum esset matrimonium, aliud vtique responsurus, si non matrimonij, sed stupri, vel incestus committendi gratia dos data fuisset. Vide Bart. ad eam legem.

7 *In l. qui contra 4. C. de incest. & inutil. nupt.*

8 Ignorantes enim & errantes excusat ea ipsa constitutio, dummodo error sit acerrimus, non affectatus aut insimulatus, vt habent verba legis. Dixi ad *Defin. 2. num. 2. & 12. tit. seq.* Obserua tamen, si quid vicissim, vt fieri solet, sponsus futurus sponsæ dederit fauore huiusmodi matrimonij illiciti, nulla id actione peti posse. Nam quæ ratio dat mulieri repetitionem dotis, eadem impedit, ne habere possit donationis petitionem, quia neque dotis, neque donationis dandæ causa vlla subest, cum matrimonium nullum est. Vide Matth. de Afflict. Decis.

TIT.

BIU Cujas

TIT. VII.

DE OBLIG. ET ACTION.

DEFINITIO I.

Cessionarius siue vtili actione experiatur suo nomine, siue directa quidem, sed ad suum commodum, non potest incipere ab executione, secus si tanquam simplex Procurator agat.

MIS, cui actio vendita aut alio quocunque titulo cessa est, [1] etsi vere ac proprie creditor dicitur, [2] si tamen vtilem actionem, quam ei competere Pius voluit, [3] suo nomine exerceat, [4] præcise executionis ius non habet, siue diplomate principali, quod de Debitis vocant, in eam rem vti velit, siue literas à Iudice postulare, [5] quas pristinus creditor pro suo iure impetrare ante cessionem poterat, [6] & post cessionem quoque, si aliud nihil obstaret, adhuc posset. [7] Idem est, si directæ actionis potestate vtatur ex persona quidem cedentis, sed in sui ipsius commodum. [8] Incipere itaque debet ab actione, non ab executione. [9] Instrumentum enim, quod in persona cedentis fuit guarentigiatum & ab omni exceptionis periculo immune, [10] desinit esse tale in persona cessionarij, [11] cum passim occurrant multa, quæ aduersus cessionem aut cessionarium ipsum obiici possunt. [12] Nisi talem proponas cessionem, quæ sciente & consentiente debitore facta sit. [13] Hæc enim sicut proxima est delegationi, [14] ita eodem iure hactenus censeri debet, vt nulla exceptione repelli possit cessionarius. Ne ea quidem, quæ cedenti ipsi aut deleganti nocere potuisset. [15] Sane si cessionarius non suo, sed cedentis nomine & in eius commodum directis actionibus mandatis experiatur, cum alienæ actioni nudum præstet ministerium, [16] licet in rem suam Procurator factus sit, causa nulla est, cur non mandantis iure vti & possit & debeat. [17] *Ita Senatus* in publico auditorio ex tempore pro Iacobo Bluet, contra D. Emerium de Monfalcon. Iunge Defin. 10. De hered. vel act. vendit. *Sine die.*

1 Potest enim actio vendi, vt & alia res quælibet, *tot. tit. de her. vel act. vendit. D. & C.*

2 Creditores enim dicimus omnes eos, quibus ex quacumque causa debetur, dum ne exceptione vlla possint summoueri, *l. creditores 10. & seqq. l. 1. D. de reb. cred.* Roman. tractans de cessionario *cons. 142.*

3 *L. si cum emptore 16. D. de pact.*

4 Quod facere pro suo iure potest post rescriptum illud Diui Pij, *l. 1. C. hoc tit. l. post quam 7. cum seq. C. de hered. vel act. vend. l. vlt. C. quand. fisc. vel priuat.*

5 Nicolaus Boer. late *quæst. 10.*

6 Longe namque aliud est, suo nomine quem experiri, aliud alieno, *l. qui stipendia 9.* vbi DD. *C. de procur.* Facit *l. Procuratore 55. D. eod.*

7 Remanent enim penes eum directæ actiones, quarum vigore vtiliter agere potest, adeoque transigere, si nondum emptori solutum sit, aut cum eo transactum: quibus casibus doli exceptio competit debitori, cui & necessaria est, *d. l. si cum emptore 16. D. de pact. l. vlt. D. de transact. l. 3. C. de nouat.* De quibus tamen omnibus legibus vide quæ tusissime & per plura capita scripsimus *lib. 12. Coniect.*

8 Parum enim refert, an quis ex sua persona agat, an ex aliena ad suum commodum, *l. si non sortem 26. §. libertus.* vbi Castrens. *D. de condict. indeb.*

9 Qui legitimus est ordo iudiciorum, *l. 1. C. de execut. rei iudic. §. omnium, Instit. de pœn. temer. litig.*

10 Quo minus saltem paratam debuerit habere executionem. Ideo enim guarentigiata instrumenta dicuntur, quod habeant vim rei iudicatæ, non quidem ex iuris ratione, sed ex auctoritate statuti, vt scripsimus.

11 Vt euenit plerumque, mutatione personæ mutari statum & qualitatem rei, *l. per curatorem 90. §. 1. D. de acquir. hered. l. vlt. C. de inoffic. testam. l. sed si plures 10. §. filio, de vulg. & pup. substit.*

12 *Ex l. per diuersas 22. & l. ab Anastasio 23. C. mand.* Aut ex titulo *de alien. iudic. mut. caus. fact.* vel ex illo. *Ne liceat potent.*

13 Potest enim fieri non tolum ignorante illo, sed etiam inuito, *l. nominis 3. C. de hered. vel act. vendit.* In eoque differt cessio aut venditio nominis à delegatione, *l. 1. Cod. de nouat. & deleg.*

14 Neque tamen delegatio est, quia cedenti remanet directo obligatus debitor, qui per delegationem esset ab eo liberatus, solique illi obligatus, cui facta fuisset delegatio, quoniam omnis delegatio includit necessariam nouationem, *l. delegare 11. & pass. D. eod. de nouat. & deleg. l. 3. C. eod. l. pupilli 96. in princ. de solut.*

15 Nam & idem facta delegatione contingeret, *l. si quis delegauerit 12. l. doli 19. l. penult. D. eod.* Imo etsi non debitorem quasi debitorem delegauero creditori meo, nulla exceptio locum habebit, sed condictio aduersus eum, qui delegauit, competet, *l. si non debitorem 13. eod.*

16 Tanquam alius quilibet simplex Procurator, *l. quod meo 18. D. de acquir. possess.*

17 Castrens. & cæteri *ad d. l. qui stipendia 9. C. de procur.* Nam qui in rem suam Procurator factus & multo magis agere potest tanquam simplex Procurator & alieno nomine, quo casu perinde est ac si ipse alius ille ageret. Fallit tamen in illis casibus positis *in d. l. 3. C. de nouat.* quæ non de cessa actione loquitur, sed de mandatis actionibus, quod longe diuersum est, vt nos docuimus ad eam legem, *lib. 12. Coniectur.*

DEFINITIO II.

Persecutio fidicommissi an & quomodo cumulari possit cum petitione curationis bonorum?

QVi fideicommissariæ hereditatis restitutionem ex testamento petit, quasi impleta iam fideicommissi conditione per mortem eius, qui iam inde à multo tempore absens sit, [1] potest eodem libello aut iudicio, si mors negetur, petere, vt sibi absentis bonorum cura deferatur. [2] Etsi enim actiones hæ contrariæ & incompatibiles videntur, [3] propterea quod neq; fideicommissum ante mortem deberi potest, [4] neque cura post mortem decerni: [5] possunt tamen simul dummodo alternatiue proponi, [6] cum in huiusmodi genere actionis proponendæ vtraque in suo casu separatim vires suas exerat, perinde ac si sola proposita esset; [7] nisi cum alternatio ob eam causam fit, vt reus electionem habeat, vtram actionem excipere malit, quod quando euenit, vnius electione tollitur altera. [8] *Ita Senatus* ex tempore Non. 5. Iuniis, 1590.

1 Neque enim absentia longi temporis sufficit ad probandam mortem, præsertim cum mors est fundamentum intentionis, siue agendo, siue excipiendo. Bart. & cæteri *ad l. 2. §. si dubitetur, D. testam. quem. aper.* nisi probetur absens annum centesimum, si adhuc viueret, iam fuisse excessurus, qui finis vitæ longissimæ hominis est, eoque iure vtimur *ex l. an vsusfructus 56. D. de vsufr. l. si vsusfructus 8. de vsufr. leg.*

2 Is enim curator bonis dari solet, cuius magis interest bona conseruari, ac proinde qui bona in casum mortis habiturus est, cuiuscumque sexus sit aut ætatis, *l. 2.* vbi DD. *de curat. bon. dand.*

3 Ideoque non admittendæ, *l. si quis egerit 88. D. de furt. l. 1. C. eod.*

4 *L. Statius Florus 48. §. Cornelio. D. de iur. fisc.*

5 Nisi in casu *l. 1. §. quod si nihil, D. de curat. bon. dand.* & aliis casibus similibus, si qui sunt.

6 Scilicet cum protestatione, de qua *in l. 1. §. quia autem, D. quod legat.*

7 Sufficit enim, quod hic actor in alterutrum casum omnimodo rem habere debeat, licet alio atque alio iure, *arg. l. venire 84. de acquir. hered. l. 4. §. vlt. de bonor. possess. contr. tab.*

8 Bald. *ad d. l. 1. oppos. 3. C. de furt.* Crauet. *cons. 16. num. 6. 7. & 8.* Lanfr. Bald. *cent. 5. decis. 497.*

DEFINITIO III.

De iure agendi ex pacto de retrouendendo aut retropermutando contra tertium possessorem, aut heredem cum beneficio legis & inuentarij.

BIU Cujas

ACtio, quæ ex contractu competit ad redhibendam rem ea lege alienatam, [1] (vulgo retractum conuentionalem vocant [2]) licet in personam sit, vt cæteræ omnes, quæ ex contractu proficiscuntur, [3] iure tamen quodam singulari, quod veteris statuti auctoritate [4] introductum fuit, sic comparata est, vt aduersus possessorem quemlibet, siue vniuersalis, siue singularis successor ille sit, perinde exerceri possit, atque si ipse contraxisset. [5] Etsi autem de eo redhibendi iure Statutum loquitur, quod competit ex pacto de retrouendendo, non aliud tamen iuris est, si permutatio, non venditio præcesserit, & pactum interuenerit de retropermutando. [6] Nam sicut in cæteris fere omnibus, [7] ita hac potissimum in re vtriusque contractus eadem ratio est, [8] quæ facit, vt idem quoque ius constitui debeat. [9] Proinde si is, aduersus quem agitur, possideat rem redhibendam, tanquam heres illius qui contraxerat, licet vtatur beneficio legis & inuentarij, [10] tamen ad generalem discussionis instantiam inter creditores agitandam remitti actor non potest, quomodo remittendus esset, si personalis hæc actio aliarum iure censeretur. [11] Nam etsi singularis successor existeret, aduersus eum tamen perinde vt diximus agi ex cõtractu posset, [12] quasi re ipsa affecta huiusmodi conuentionis potestate. [13] *Ita Senatus* pro Illustri D. Georgio de Mouxi Comite de Monreal, contra Illustrem D. Henricum de Saluces D. de Cardé. Mens. Iul. 1592.

1 Quoties enim alienatio fit certa lege, actio competit ex ipso contractu, ad id, quod pacto comprehensum est, si ratio bonæ fidei sit, sin minus actio præscriptis verbis, quasi pactum sit pars contractus, *l. si venditor 6. §. vlt. D. de seru. export. l. fundi partem 29. D. de contrah. empt. l. si lib. 7. cum duabus seqq. & pass. D. de præscr. verb.*

2 De quo late Andr. Tiraq. *in tract. illo, de vtroque retractu conuent. & municip.*

3 *L. 1. & 2. actionum 25. & pass. D. de oblig. & act.*

4 Quod extat in ver. Statut. capit. incip. *Rempublicam.*

5 Quod ius statutarium plerique putant à iuris communis ratione non abhorrere secuti Castrens. *ad l. si cum venderet 13. D. de pign. act.* Contra quos tamen vide quæ scripsi *in Chiliade de error. pragmat.*

6 Quamuis dici soleat, statuta, quæ à iure communi exorbitant, non esse extra casus suos extendenda, ne quidem ex identitate rationis.

7 *L. 2. D. de rer. permut. l. 2. C. eod. l. Titia 62. D. de iur. dot.*

8 Vt placiti fides seruetur ei, qui bona fide contraxit, quique non aliter fuerat contracturus: vterque enim contractus bonæ fidei est, *d. l. 2. C. de rer. permut.* etsi permutatio non nisi re contrahitur, emptio autem nudo consensu, *l. 1. D. eod.*

9 *Ex vulg. reg. l. illud 32. D. ad leg. Aquil. l. 3. §. vnde etiam, D. de iniust. rupt.* præsertim in fauorabilibus, *arg. l. cum quidam 9. de lib. & posthum. l. hoc modo 64. de cond. & demonstr.* quale creditur esse hoc statutum.

10 Quod heredi competit tanquam heredi ex constitutione Iustin. *in l. vlt. C. de iur. delib.*

11 *d. l. vlt. §. & si præfatam & §. donec.* Facit *tot. tit. D. de rebus auctor. iudic. poss. vel venund.* qui non nisi ad personales actiones pertinet.

12 Vigore scilicet statuti, vt diximus *num. 5.*

13 Sic enim plerique putant, ex solo pacto de retrouendendo intelligi rem ipsam obligatam, contra quos tamen scripsimus *in Chiliad. de error. pragmat.*

DEFINITIO IV.

Syndicus finito officio, nec dum tamen redditis rationibus, an & quomodo conueniri possit pro debito Vniuersitatis?

SYndicus quidem finito officio non recte proprio nomine conuenitur pro Vniuersitatis debito, quod ipse durante officio & ex causa legitima contraxerit. [1] Sed tamen quandiu rationes non reddidit, [2] & conueniri potest & condemnari, vt cum effectu curet olui debitum per nouos Syndicos, [3] intra certum tempus arbitrio Iudicis pro personarum qualitate & debiti quantitate statuendum. [4] Quo elapso si creditori satisfactum non sit de suo soluat, mox a posterioribus Syndicis repetiturus, [5] quantum ratio & æquitas suadere videbitur. [6] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro R. D. Angelo Iustiniano Gebennensi & Priore de Talloire contra Syndicos Necienses, 8. Id. Febr. 1593.

1 Quia quod Vniuersitas debet, non debent singuli, *l. sicut 7. §. 1. D. quod cuiusc. vniuers. nom.* nec proinde Syndicus, qui finito officio suo non nisi priuatus est, & cui non debet officium suum esse damnosum, *l. videli. et 24. D. ex quib. caus. maior. l. sed si quis 7. D. testam. quem aper.* Idem est in tutoribus & curatoribus, *l. 1. C. quand. ex fact. tut.*

2 Quia tandiu potest ei imputari, cur non rationes reddiderit, habetque contra se præscriptionem. Etsi enim non sit certus debitor pecuniæ, quia fieri potest, vt post redditas rationes appareat creditor, tamen negari non potest, quin sit debitor reddendarum rationum.

3 Ad quos pertinebit, vt rationes sibi reddi curent ad inuestigandum, an penes hunc, qui fuit Syndicus, aliquid resederit ex Vniuersitatis pecunia, vnde solui possit.

4 Vt fieri solet in dilationibus omnibus, quoties tempus cœptum à lege statutum non est, *l. 1. 2. & vlt. C. de dilat.*

5 Quod enim Vniuersitatis nomine solutum est, ab Vniuersitate ipsa eiusve Syndico restitui æquum est, ex ratione *d. l. 29. ex quib. caus. maior.*

6 Hoc ideo adiectum est, quia si ex negligentia & contumacia huius quondam Syndici aucta sit quantitas debiti condemnatione expensarum, vel quo alio modo, non debet ea res nocere Vniuersitati, quæ pupillo hac parte comparatur, *arg. l. non est ignotum 6. C. de admin. tut. l. quoties 6. §. nec vtique, D. eod. l. qui solidum 78. §. etiam, de legat. 2.*

DEFINITIO V.

Alius casus, in quo Syndicus finito officio conueniri potest proprio nomine pro debito Vniuersitatis.

PRo debito Vniuersitatis capi singulos inciuile & iniquum est, [1] cum non singuli debeant, quod Vniuersitas debet: [2] Syndicos tamen & administratores capi posse receptum est, [3] præsertim ex quo interpellati vt soluerent fuerunt negligentes. [4] Idq; siue ipsi obligati sint, siue in obligatorum locum & officium successerint. [5] Addo *& officium*, quia, vt proxime dictum est, [6] finito officio neque Syndicus, neque heres eius pro debito Vniuersitatis vrgeri potest. Hoc ita, nisi Syndicus, qui pecuniam fortasse mutuam accepit, docere nequeat, versam esse in vtilitatem Vniuersitatis. Tum enim conueniri ipse potest, [7] & consequenter heres eius, si ante redditas rationes ipse decesserit. [8] Neque enim minus requiritur, vt probet Syndicus, versam pecuniam in vtilitatem Vniuersitatis, quam vt se Syndicum esse aut fuisse ad hoc vti ne proprio nomine conueniatur. [9] Igitur multo magis finito quoque officio Syndicus conuenietur, si probetur, in suos vsus acceptam pecuniam conuertisse. [10] Idemque erit, si pro debito priorem Syndicum contracto sequens Syndicus, consentientibus & mandantibus Vniuersitatis moderatoribus, pecuniam à singulis ad soluendum exegerit, [11] nec soluerit creditori. Nam & finito Syndicatus officio perinde conuenietur, si non probet à se solutam creditori pecuniam, [12] redditasve rationes. Quibus sane redditis nulla aduersus eum actio aut Vniuersitati ipsi, [13] aut Vniuersitatis creditori, [14] nisi pro reliquis [15] superesse potest. *Ita Senatus* ex tempore pro N. Colombet 15. Cal. Aug. 1593.

1 *L. vnic. C. vt mill. ex vican. pro alien. vican. debit. ten. lib. II. tit. 56.*

2 *L. sicut 7. §. 1. D. quod cuiusq. vniuers. nom.*

3 Difficile enim est, vt ex mera iuris ratione id defendi possit, *l. 1. §. quod si nemo, l. an ciuitates 8. eod.* Vide *l. 97. de cond. & demonst.*

4 Neque

BIU Cujas

4 Neque enim possunt conqueri, cum sibi debeant imputare, cur fuerint negligentes, *l.Diuus 14.in fin. de offic. præsid.l. non enim 16.D.ex quibus caus.maior.*

5 Eiusdem enim iuris est successor, cuius & decessor fuit, *l.properandum 8.§. sin autem vtraque, C. de iudic.* præsertim cum successor est ex necessitate, in quem etiam, licet sit singularis, transit instantia iudicij, *l.in iudicio 47.in fin.princ.D.fam.ercisc.*

6 *Defin.prox.num.1.*

7 *L.ciuitas 27.D.de reb.credit.*

8 Hic enim vt & in aliis fere omnibus succedit heres in ius & obligationem defuncti, cum eadem persona esse existimetur, *vulg iurib.*

9 Nam quod dici solet, neminem prius creditorem ciuitatis existimari, quam probauerit, versam esse pecuniam in rem Vniuersitatis, *Auth.hoc ius, in fin.C.de sacrosanct.Eccles. Nouell.120 de alien. & emphyt.c.6.§.2.circa fin.* tunc locum non habet, cum per Syndicos & administratores, qui repræsentant Vniuersitatem pecunia recepta est, vt Zasius, Gothofr. & alij notant *ad d. l.ciuitas.* post Bald.*ad d.Auth.hoc ius.*

10 Nam & cum de eo non constat, non aliam ob causam tenetur Syndicus finito officio, quam quod eam pecuniam in suos vsus conuertisse præsumatur. Denique semper tenetur proprio nomine, adeoque vt plurimum etiam apud vsuras, qui alienam pecuniam in suos vsus conuertit. *l.die 25.§.1.l.Quintus 28.D.depos.l.4.C.eod.* imo & furti actione hic se obligat. *l.3.eod.*

11 Id enim hodie per Syndicos locorum solet expediri secundum consuetudinem, quæ ibi recepta est. Nam & in quibusdam locis actores in eam rem & exactores constituuntur, quorum munus à Syndicorum officio prorsus est separatum. Facit *l.item eorum 6.§.1.in fin.& §.vlt.D.quod cuiusque vniuers.*

12 Adeo vt nec in aliam causam possit expendere pecuniam, quæ in hanc corrogata est, si Vniuersitas consentiat, vt nec quicquam aliud facere contra mandatum, *l.diligenter 5.in princ.& §.1 D.mandat.*

13 Qui imputare sibi debet, cur pecuniam in alios vsus erogari consenserit, quam in quos fuerat corrogata.

14 Qui vtique plus iuris habere nequit propter Vniuersitatem, quam ipsa Vniuersitas, si non delegatio facta sit, vt plerumque fit.

15 Nam nec rationes videtur reddidisse, qui reliqua non soluit. *l.cum seruus 82.in fin.de condit. & demonstr.l. non solum 8.§. is qui reddere, D. de liber. legat. l. si ita 13.§. hæc quæstio, D. de manum.test.*

DEFINITIO VI.

Obligatus tanquam administrator quando proprio nomine teneatur.

OBligatus ad certam pecuniæ quantitatem tanquam thesaurarij aut alterius administratoris vices gerens, si quo tempore se obligauit, ea instrumenta acceperit à creditore, ex quibus parata ipsi creditori aduersus thesaurarium actio esse poterat, non inutiliter post a vt soluat proprio nomine conuenitur, [1] licet de fiscali pecunia se dixerit soluturum. [2] Nempe quia obligationem alienam in se susceptisse videatur hoc ipso, quod creditori aduersus priorem debitorem agendi facultatem ademerit, [3] quasi prioris illius debitoris nomen emisse videatur. [4] Quod cum ita sit, nihil creditoris interest, ex qua pecunia sibi soluatur, [5] pertinetque ea res ad curam & onus expromissoris, vt sibi, vndecunque volet, pecuniam corroget, ex qua soluat. *Ita Senatus* in causa Turrelli Procuratoris 6. Cal.Aug. 593.

1 Quia ex proprio facto conuenitur, non tam quod promiserit, quam quod instrumenta acceperit.

2 Quæ adiectio facit quidem, vt tanquam thesaurarij vices gerens promisisse videatur, sed non vt eo minus proprio nomine teneri debeat, si instrumenta, quæ propriis manibus accepit, non reddat.

3 Est enim perpetuum, vt quisquis facto suo alteri actionem ademit hoc ipso teneatur, & quidem de dolo, si alia actio nulla sit, *l.si quis 9.§. item si tabulæ, l.rei quam 33. l.si quis tabulas 35.l.penult. D.de dolo, l.qui tabulas 42. D.ad legem Aquil.l.3.§.si quis dolo, D.de tab.exhib.* [Iunge *Defin.15.& 17.num.3.J.*]

4 Suas enim contra thesaurarium actiones huic condemnato mandare creditor debebit ipso saltem tempore solutionis, *argum. l.Modestinus 76.D.de solut.l.5.§.penult. D. quib.mod.pign. soluit.l.cum pupillus 21.D.de tutel.& ration.distr.*

5 Id est, ex fiscali an ex propria debitoris. Nam si ex aliena, non contingeret liberatio, quia non posset acquiri dominium eius pecuniæ creditori, *l.Cassius 17.D.de solut.cum simil.* Aliud est in credito, *l.non vnde 7.C.si cert.petat.*

DEFINITIO VII.

Contractus inutilis confirmatur ex subsecuta obseruatione.

CVm transactio aliúsve contractus, de cuius viribus alioquin dubitari poterat, effectum habuit ex subsecuta obseruantia, non est necessarium auxilium præscriptionis longi aut longissimi temporis. Tantum enim operatur obseruatio sola, quantum accedens præscriptio operari posset ad contractum confirmandum. [1] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Taloire & de Valmenier 13.Calend.Ianuar.1593.

1 *L.2.C.commun.vtriusque iudic.l.4.§.vlt. & seq. C. de arbitr.* Cravet.*consil.*...

DEFINITIO VIII.

Obligationes contractæ in fauorem militum, licet per instrumentum authenticum & guarentigiatum non habent hodie paratam executionem pendente lite propter præsumptionem, quæ contra milites vrget.

GRassante bello & militibus, vndique per fas & nefas, vt fit, pecunias corradentibus, [1] si probetur aliquis militi obligatus ex causa mutui, [2] licet numeratam fuisse pecuniam scriptum sit in instrumento authentico & guarentigiato, [3] debitor autem excipiat per vim aut metum adactum se vt contraheret, [4] nec nisi dicis causa factam numerationem, [5] de facti veritate necessario inquirendum est, priusquam fiduciaria vlla pro creditore fiat condemnatio. [6] Iuris enim præsumptio est contra militem, [7] maxime vero si proponas, Syndicum Vniuersitatis obligatum centurioni alicui ve, qui aliquam inter milites auctoritatem habuerit. Solent enim illi potissimum, qui potestate aliqua præditi sunt, indignissima huiusmodi facinora in Syndicorum necem comminisci. [8] Finge præterea filiumfamilias, qui non aliam habere potuerit pecuniam ad credendum, quam quæ ipsi ex rapinis & latrociniis accesserit. [9] Nulla sane ratio est, vt his casibus pro instrumento præsumamus pendente lite: [10] quamuis nihil probante Syndico consequens omnino futurum sit, vt contractui stari oporteat. [11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Syndicis du Bonuillaret, contra N.la Griue, 3.Non.Mart.1594.

1 Etsi enim iubentur milites tam mites & benevoli esse circa collatores tributorum, quam audaces & feroces esse debent contra inimicos, *l.2.§.sicut autem, C.de offic.præf.præt. Afric.* nemo tamen nescit, quam longe aliter hodie illi se habeant, & quantæ sint temeritatis & audaciæ, vt de publicanis scriptum est *in l.quantæ 12.D.de public.& vectig.* In tanta scilicet temporum nostrorum licentia, &, vt Cicero dicebat, impunitate gladiorum.

2 Etsi mutuam pecuniam dare miles non prohibetur.

3 Quod alioqui solet habere paratam executionem, quasi vim habens rei iudicatæ, vt Bart.tractat *ad l.cum vnus 11. D. de reb.auctor.iud.possid.*

4 Facit *l penult.& vlt.& tot.tit.D.quod met.caus.*

5 *Vt in l.4.D.commod.l.1.§.excusantur 34.D.ad SC.Sillan.*

6 Melius enim est ab initio prouidere, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l.vlt. C.in quibus caus.in integ. non est necess.* Eo magis, quod contra ius rationem receptum est, vt ex instrumento guarentigiato possit incipi ab executione, *l.1.C.de exec.rei iudic.*

7 His scilicet nostris temporibus, quibus vix vlla supersunt antiquæ disciplinæ militaris vestigia. Alioqui ad inuidiam nocere militi dignitatem suam non oporteret, *l.ad inuidiam 6. C. de eo quod met.caus.*

BIU Cujas

8 Quo quis enim potentior, eo & suspectior est inter eos, qui mali præsumuntur.

9 Nulla enim bona filius familias habere potest, *l. lex Cornelia 28. vers. qui a non efficitur, D. de vulgar. & pupill. substit.* nisi saltem probet, sibi obuenisse, postquam placuit Iustiniano *in l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.* vt capax sit aduentitiorum.

10 Sufficit enim sola negatio, præsertim facta in iudicio, vt res dubia fiat, *l. vlt. C. quib. ad libert. proclam. non lic.*

11 Non enim vsque adeo præsumendum est contra militem vt instrumenti publici fides penitus conuellatur, semperque incumbit probatio ei, qui vel dolum vel metum allegat etiam in exceptione, *l. quoties 18. §. qui dolo, D. de probat. cum similib.* & sufficit, pendente lite nullam haberi rationem instrumenti; nec simplici iussione, vt alias, sed causa cognita rem expediri, *d. l. vlt. §. vlt. quod met. caus.*

DEFINITIO IX.

In contractibus innominatis quando & quomodo locus sit pœnitentiæ.

QVod vulgo traditum est, in contractibus innominatis locum esse pœnitentiæ, [1] sic accipi debet, vt non solum re integra locus sit, sed etiam postquam ex altera utra parte contractus iam implementum habuit, [2] (quæ res initium obligationi præbere solet,) [3] nimirum ex parte illius qui impleuit. [4] Nam ex parte eius, cui impletum & satisfactum est, constat non esse locum pœnitentiæ, posseque illum cogi omnimodo, vt ex latere suo impleat. [5] *Ita Senatus* pro N. Andræa de Bienuenu Consiliario Principis, contra N. Gothofredum de Dompierre, Idib. April. 1565.

1 *L. si pecuniam 5. in princ. D. de condict. caus. dat.* vbi tamen vide plures exceptiones apud Gothofredum ex Iasone & Zasio: Nisi, inquit, agatur de pia causa, de dote, de libertate, de lite renouanda, nisi post dationem de re aliqua ex interuallo facienda conuenit, nisi pœnitendi facultati renunciatum sit, nisi de permutando, nisi sub conditione, nisi de contractu aliquo innominato non respectiuo actum sit, nisi denique talis contractus sit vestitus publica scriptura, vel partium iureiurando.

2 Non enim prodesse debet ei, qui ex parte sua non impleuit, quod aduersarius impleuerit.

3 Sunt verba Pauli, *in l. 1. §. item emptio, D. de rerum permut.* vbi loquitur de permutatione, quæ est contractus innominatus.

4 Quia nec poterat cogi, vt impleret aduersario prius non implente. Hoc tamen accipiendum videtur cum aliquo temperamento, nimirum si aduersario possit imputari, cur non citius impleuerit. *arg. l. quod dicimus 105. De solut. cum simil.*

5 Ne alioqui in eius potestate sit facere post contractam obligationem, ne sit obligatus, contra *l. 2. §. Scæuola, D. de eo quod cert. loc. l. 4. C. hoc tit.*

DEFINITIO X.

De obligatione contracta per promissionem de vendendo.

CVm à Titio emere vellem fundum Corneliannum, persuasisti mihi, vt ab eo tractatu discederem, quod in eo esses, vt non illum duntaxat fundum ab ipso emere velles, sed cætera quoque bona quæ habebat omnia. Et promisisti, te posteaquam bona illius omnia emisses, eum mihi fundum venditurum precio centum aureorum. [1] Non poteris petenti mihi denegare venditionem, eo solo prætextu, quod fundus ille tibi pluris venditus fuerit. [2] Nam etsi promisisses, te mihi donaturum fundum, [3] valeret conuentio, nec sine causa facta videretur, [4] cum satis iusta causa illa sit, quod propter te, tuamque fidem secutus à tractatu discessi, [5] atque ita effeci, vt & eum fundum & cætera Titij bona ex emptione habueris. Proinde non est, quod obiicias, fieri me hoc casu locupletiorem cum tua iactura: [6] Siquidem tanti æstimasse videris quod passus sum te mihi in emptione præferri, [7] cuius concursu & æmulatione multo deterior fieri conditio tua potuisset. [8] Id vero non eo solum casu procedit, quo tu omnia Titij bona vno precio emeris, vt nesciri possit, quanti fundus Cornelianus fuerit æstimatus, [9] sed etiam si fundo Corneliano certum precium separatim dictum sit, quod vix sit vt ita fieri conueneris, nisi malo consilio & fraudandi mei gratia, vt amplius precium à me exigeres & reposceres, quam quo te mihi promiseras venditurum. [10] *Ita Senatus* in eadem causa, de qua in Defin. 10. sup. De pact.

1 Simile quiddam est, *in l. & elegantem 7. §. fernus 8. & in l. si quis 9. §. 1. D. de dolo.*

2 *Arg. l. ad rescindendam 4. C. de rescind. vend.*

3 Quo casu de precij quantitate tractari non oporteret.

4 Nec rursus pactum nudum interessisse, quoties certa lege quid datum vel factum probaretur, *l. si dominus 8. in fin. l. solent 15. D. de præscr. verb.*

5 *Arg. l. naturalis 5. §. quod si faciam, eod. tit.*

6 Contra *l. nam hoc natura 14. D. de condict. indeb. l. iure naturæ 206. de reg. iur.*

7 *Arg. l. fundi partem 79. D. de contrah. empt. l. si venditor 6. §. vlt. D. de iure. export.*

8 Is enim est, quem nos dicimus calorem licitationis, *in l. locatio 9. de publ. & vectig.* Facit eleganter *l. ita vt 36. §. 1. vers. neque enim, D. mandat.*

9 Aliquando enim fit, vt plures res vendantur vno confusoque precio, aliquando vt separatim in singulas res certum precium constituatur, *l. si duorum 42. de act. empt. l. si duos seruos 47. l. cum plures 72. D. de euict.*

10 Quod tibi licere non debet, *d. l. 36. §. in fine, D. mandat.*

DEFINITIO XI.

Pœnalis stipulatio neque nouat præcedentem obligationem, neque facit eam alternatiuam, vt electionem acquirat debitori.

PRomisisti te mihi venditurum fundum Cornelianum precio centum aureorum, subiecta etiam, ni venderes, pœna, quanti mea interesset. Non idcirco liberaberis offerendo pœnæ nomine, quanti mea interest, si malim rem habere, nihilque aliud impediat, quo minus fundum ipsum vendere & tradere debeas. [1] Neque enim pœnalis stipulatio, nouat præcedentem obligationem, [2] sicut nec illud facit, vt obligatio quasi alternatiue concepta videatur, ac si promisisses vendere, aut id quod mea interesset præstare: quo casu electio tua esset ex regula iuris, quæ dat electionem debitori. [3] Igitur neque in mea electione erit pœnam petere, cum tu factum præstare possis, [4] neque in tua pœnam soluere, cum possim petere vt vendas. [5] Nam quemadmodum non potest cogi stipulator, vt agat ex pœnali stipulatione, [6] ita nec æquum est, pœnalem stipulationem prodesse debitori, vt adferat illi commodum electionis, cum aduersus eum interposita sit. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Præsertim si adaptes hanc Definitionem ad eum casum, de quo in præcedenti dictum fuit. Proxime enim accedit conuentio illa ad mandatum, ex quo non est æquum, vt lucrum aliquod tibi acquiras, aut vt impedias venditionem eo solo prætextu, quod me animosiorem emptorem cognoueris, vt ait Iauolenus *in l. ita vt 36. §. 1. in fin. D. mandat.* Alioqui posset dici promissionem de vendendo multum differre à venditione, vt tractat Bartol. *ad l. vltim. num. 8. D. de condict. caus. dat.* neque ex promissione de vendendo condemnari promissorem ad aliud posse, quam ad id, quod interest stipulatoris, cum tamen, si venditio facta esset, rem ipsam præcise tradere cogeretur, *l. 1.* vbi Bart. & cæteri communiter, *D. de act. empt.* Scripsi *lib. 6. Coniect. cap. 17.*

2 *L. si pacto quo pœnam 14. l. petens 22.* & vtrobique Dec. & cæteri, *D. de pact. l. prædia 28. D. de act. empt.* Excipe casum, *l. obligationum 44. §. vlt. D. hoc tit.*

3 *L. plerumque 10. §. vlt. D. de iur. dot. l. Stichum aut Pamphilum 95. in princ. D. de solut. cum concord.*

4 Nimirum vsque ad litem contestatam, *arg. l. si Titius 9. de verbor. oblig.* iunct. *l. 1. vers. habebit igitur, D. de pen. leg. l. rescriptum 10. §. si pacto, D. de pact.*

5 *d. l. prædia 28. D. de act. empt.*

6 Non

BIU Cujas

6 Non magis, quam vt agat ex sententia pro se lata, *l. si iudex circumuento*, 28. *ff. de minor.*

7 Similis ratio est, *in leg. in ratione*, 30. §. *tametsi*, *vers. cum talis oratio*, *D. ad legem Falcid.* Facit quod dici solet, inducta ad vnum effectum non debere operari contrarium, *l. legata inutiliter*, 19. *de leg. 1. l. legata*, 14. *ff. de adim. legat. l. cum tale*, 72. §. *vltim. de cond. & demonstr.* Facit *dict. l.* 10. §. *si pacto*, *de pact.*

DEFINITIO XII.

Lite pendente non fit adiudicatio prouisionalis creditori, contra quem vrget aliqua præsumptio.

NOn semper lite pendente prouisionalis, vt vocant, & fiduciaria adiudicatio ei facienda est, qui nititur ex contractu, siue per publicam scripturam, siue quod hac parte idem est per priuatam, cuius fides explorata sit, [2] contractus celebratus proponatur. [3] Quid enim si solutionis quam debitor obiicit præsumptiones quædam vrgeant contra creditorem? [4] Finge tractari litem inter debitorem ipsum, qui solutionem allegat, & creditoris iam defuncti hæredem, qui nescire possit, an solutio facta sit, necne. [5] Finge creditorem inopem fuisse, qui fame aut in mendicitate perierit, quem proinde non sit credibile pecuniam sibi debitam non exegisse, aut saltem non petiisse, vt in ius traheret recusantem vel differentem vel debitorem. [6] Finge debitorem probæ famæ, quem nemo facile credat, solutionem si facta non esset falso allegaturum fuisse. [7] Quid item si apocham proferat licet suspectam, nec dum falsi conuictam? [8] His casibus & aliis, si qui sunt similes magis est, vt locus esse non debeat prouisionali condemnationi. [9] *Ita Senatus* pro sanctissimis virginibus Sanctæ Claræ Camber. contra Petrum Louet, Prid. Id. April. 1595.

1 Id est, per instrumentum authenticum & guarentigiatum, de quo diximus, Defin. 8. *nu.* 3. 5. *hoc tit.* vbi vide.

2 De qua *in leg. scripturas*, 11. *Cod. qui potior. in pignor. habeant.*

3 Tametsi hoc casu regulariter contra obtineat, vt pendente lite prouisionalis adiudicatio facienda sit creditori, qui & pro se habeat probationem probatam. De quo videndus est Rebuff. *in tract. De sentent. prouis.*

4 Vt in specie, *l. si chirographum*, 24. *ff. de probat.*

5 De suo enim facto affirmanti magis creditur, quam ei qui de alieno, quoniam alieni non etiam proprij facti ignorantia probabilis est, *l. quanquam*, 7. *D. ad SC. Velleian. l. Marcellus*, 11. §. *iurare*, *D. rer. amot. l. vltim. D. pro suo*, *l. qui in alterius*, 42. *de reg. iur.*

6 Nemo enim in necessitatibus liberalis existit, *l. rem legatam*, 18. *in fin. D. de adim. legat.*

7 *Arg. l. cum de indebito*, 25. *D. de probat.* etsi parui adeoque nullius momenti esset hæc præsumptio, creditore ipso viuente & solutionem negante.

8 Nam in dubio standum est instrumento etiam obligatorio, ac multo magis liberatorio, tametsi falsum dicatur, quousque de falso cognitum sit. *l. 2. C. ad leg. Cornel. de falsis.*

9 Vide omnino Petr. Rebuff. *in supradicto tract. de sentent. prouis.* Neque vero magna fit hoc casu iniuria creditori, quantumuis vero cum id quod differtur non aufferatur, *l. deberi*, 6. *C. de fideic. libert.* & futurum sit, vt augeatur tandem condemnatio vsurarum accessione, si debiti natura id patiatur, *l.* 3. §. 1. *l. tutor*, 41. *D. de vsur. l. vltim. ff. de re iudic. l. negotiorum*, 24. *D. de appell.*

DEFINITIO XIII.

De pignoris obligatione expressim, aut tacite per chirographum constituta.

EX chirographo personalis tantum actio nascitur, [1] contra eum exercenda, qui est obligatus, [2] aut si absit, contra curatorem bonis datum. [3] Qui licet non personæ, sed bonis detur, tamen personam debitoris repræsentat, hactenus saltem, vt actiones creditorum excipere cogatur, quamuis non alias exerce-re possit, quam quæ sunt tempore perituræ. [5] Quin etsi chirographo bona debitoris, quod plerumque fit, [6] obligata sint, non prius tamen in bona iure pignoris agi potest, quam in personam actum sit ad hoc, vt chirographi recognitio fiat, [7] quæ sane per curatorem ipsum non minus, quam per debitorem fieri potest. [8] Ea vero facta vtique hypothecaria competit, si pignus chirographo expressum fuit, [9] aut chirographum ex ea causa scriptum, quæ taciti temporis priuilegium habeat: [10] Imo omni casu secundum eam sententiam qua vtimur, [11] vt creditor chirographarius ex sola chirographi recognitione aut denegatione fiat hypothecarius. [12] Sed non eo minus noua recognitio facienda erit, si tertius possessor alleget collusum esse inter creditorem & curatorem. [13] Quid si inter creditorem & ipsum debitorem? Minime. Cum pignoris obligatio nulla nasci ex chirographo possit in præiudicium tertij possessoris, nisi à quo tempore facta cognitio est. [14] Quo saltem tempore pignus contraheretur ex voluntate debitoris, [15] tametsi antea contractum non fuisset. [16] Quod non similiter euenit, cum recognitio fit à curatore, qui pignus ipse constituere non potest, [17] sed constitutum duntaxat agnoscere. Is tamen casus semper excipiendus est, quo scriptura priuata trium aut plurium testium subscriptione munita sit, quia quæ est eiusmodi comparatur publicæ, [18] etiam cum de pignoris iure & ordine aduersus alios creditores aut pignorum possessores disputatur. [19] *Ita Senatus* 53. Calend. Maij, 1595.

1 *Tit. de liter. oblig.* apud Iustin.

2 Ex natura personalium omnium actionum, *l. actionum*, 25. *D. hoc tit.*

3 Curator enim ex hac causa constitui solet. *l. 1. & tot. tit. de curat. bon. dand. D. & C.* Adde casum *l. 3. & 5 D. ill. tit.*

4 Vt titulus ipse ostendit, *de curat. bon. dand.* Facit *l. sciendum*, 20. *D. de rit. nupt. l. inter bonorum*, 48. *D. de administrat. tutor.*

5 Notatur nostri *ad l. 2. D. de curat. bon. dand.*

6 *Vt in l. cum tabernam*, 54. §. *idem quæsiit*, *D. de pignor.*

7 Sic enim obtinuit ex pragmaticorum errore, quem nos refutauimus, *Decad. 1. de error. pragm. Err. 2.*

8 Siue ex comparatione literarum, siue aliunde possit curator scripturam absentis discernere, *l. comparationes*, 20. *C. de fid. instrum.*

9 Vt in specie *dict. l. cum tabernam*, 34. §. *idem quæsiit*, *D. de pignor.*

10 *Ex tit. D. & Cod. in quibus caus. pignor. vel hypoth. tacit. contrah.*

11 Ex alio pragmaticorum errore, quem nos etiam refutauimus, *Decad. 1. Err. 1.*

12 Iure quodam tacitæ hypothecæ, cuius tamen nulla prorsus in iure nostro extant vestigia.

13 Nunquam enim vnius collusio alteri nocere debet, præsertim curatoris vel tutoris, *l. meminerint*, 6. *C. vnde vi*, *l. si per lusorio*, 14. *D. de appellat.*

14 *L. scripturas*, 11. *C. qui potior. in pignor. hab.* Alioqui facile esset prælato die, per scripturam priuatam, creditorum anteriorum licet hypothecariorum ius peruertere.

15 Intellige cum chirographo expressim constituta est pignoris obligatio. Pignoris enim vinculum sicut contrahitur, ita & multo magis confirmatur nudo consensu, præsertim qui in iudicio interpositus sit, vbi quasi contrahi intelligitur, *vulg. l. 3. §. idem scribit*, *D. de pecul.*

16 Ex eo namque recognitionis tempore cessat suspicio fraudis, quæ in id vsque tempus conuentionem pignoris inutilem fecerat.

17 Nisi proponas curatorem furiosi, pignusque datum vtilitate furiosi sic exigente, *l pignus*, 11. *D. de cur. fur.* aut minoris curatorem, qui in sui minoris rem pecuniam acceperit, *l. 3. C. si alien. res pign. dat. sit.* Curator vero bonis datus, licet bonorum quoque administrationem habeat, tamen multo minus liberam habet, neque bonorum statum qui dationis tempore reperitur, & conditionem immutare potest, quasi custodiam magis, quam plenam & liberam rerum administrationem habens, *d. l. inter bonorum.*

18 *d. l. comparationes*, 20. *C. de fid. instrum.*

19 *d. l. scripturas* 11. *C. qui potior. in pign. hab.*

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

Ei, qui per vim & iniuriam soluere debitum vniuersitatis coactus est, regressus dari debet per actionem negotiorum gestorum.

ET si pro debito vniuersitatis municipes singulos inquietari, etiamsi de fiscali tributo agatur, nec iuris ratio patitur nec æquitatis, [1] si tamen id factum sit non eo minus illi, qui fuerit inquietatus, actio indemnitatis contra vniuersitatem competet, si aduersus vniuersitatem agere malit, quam contra exactorem. Cum verum sit, vniuersitatis negotium ab eo gestum esse, qui solutione sua vniuersitatem liberauit. [2] Nec male hæc negotiorum gestorum actio dici potest, & quidem, quę ex stricti iuris ratione competat, [3] sed quam tamen alioquin ex æquitate dari quoque oporteret etiam citra cessionem. [4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 3. Non. Maij, 1595.

1 Dixi *Defin. 5. num. 1. & eod.*

2 Sufficit enim liberationem ex ea solutione contingere, licet ciuiliter non extra ordinem exactio fieri debuerit, vt loquitur Vlpian. *in l. vltim. in fin.* licet in alia specie, *D. quod met. causs.*

3 Nam quod quis ex necessitate, aut necessitatis suspicione aliena negotia gesserit, non impedit, quo minus negociorum gestorum & agere & conueniri possit, *l. 3. §. penult. D. de negot. gestor. l. ob negotium, 18. C. eod. l. quæ vtiliter, 45. §. vlt. D. eod.*

4 Quia negari non potest, quin huius facto pecunia peruenerit ad exactorem, & vniuersitati liberationem attulerit, *l. non omnis, 19. §. si pupillus, vers. non alia ratione,* iunct. *l. si & me & Titium, 32. D. de rebus credit.*

DEFINITIO XV.

Syndicus, qui pro debito vniuersitatis se suaque omnia pignori obligauit, licet tanquam Syndicus, conueniri tamen etiam finito officio potest.

SYndicus vniuersitatis nomine obligatus tanquam Syndicus, si bona sua obligauerit, præsertim cum clausula constituti, [1] (quanquam ne hoc quidem necesse est [2]) non male ex eiusmodi obligatione conueniri, etiam finito officio, potest, adeoque detrudi in carceres, si, vt plerumque fit, [3] personam quoque suam obligauerit pignori: Tametsi soleat dici obligationem ex causa officij contractam finito officio finiri, [4] & in sequentem Syndicum transferri: id enim tum vere dicitur, cum Syndicus nomine tantum vniuersitatis obligari voluit, non etiam suo, quod sane in eius persona non euenit, qui seipsum suaque omnia obligauerit. [5] Neque enim cogi quispiam potest, vt seipsum suaque bona pignori obliget, cum non nisi tanquam Syndicus obligari vult, sed tantummodo, vt vniuersitatis res pignori det vel hypothecæ. [6] Proinde videtur is, de quo dicimus obligationem vniuersitatis in se vltro suscepisse: [7] Quod vbi semel factum est, fieri certe nequit, vt semel bene contracta obligatio tempore finiatur. [8] Dices, Quid ergo debitori proderit, quod cum esset Syndicus obligationis tempore in ea se qualitate obligauerit? nimirum ne dubitari posset, quando vniuersitatis nomine contractum esset debitum, vt certus & expeditus contra vniuersitatem regressus superesset. [10] Cæterum fieri facile potest, vt qui cum Syndico contrahit, non aliter id facere velit, quam si Syndicus obligationem vniuersitatis in se suscipiat, seque & bona sua pignori obliget, vt paratam quocumque tempore, id est, finito etiam officio habeat actionem; [11] Neque tamen recuset quominus Syndicus tanquam Syndicus obligetur, quod videat nihil sua interesse, an regressum aduersus vniuersitatem Syndicus habiturus sit, nec ne. [12] *Ita Senatus* ex tempore, 4. Id. Iun. 1595. Iunge *Definit. 6. supr. 17. num. 3. infr.*

1 Per quam fecerit creditorem pignorum possessorem sub conditione, si pecunia ad diem soluta non erit, *vulg. l. quod meo, 18. iunct. l. qui absenti, 38 §. 1. D. de acquir. poss.*

2 Tantundem enim prodest hypotheca, quæ nudo consensu contrahitur, quantum pignus ad rem ipsam obligandam, *l. 5 §. pen. D. de pignor.*

3 Hoc enim receptum est generali fere gentium omnium consuetudine contra iuris rationem, quæ non patitur, vt quis corpus suum pignori obligare possit, cum nemo sit dominus membrorum suorum, *l. liber homo, 13. D. ad leg. Aquil. l. 6. Cod.* iunct. *l. 1. §. eam rem, D. quæ res pign. obligar. poss.* quæ negat valere pignus earum rerum, quarum commercium nullum sit. Hominis autem liberi commercium nullum est, *l. 1. §. si id quod, ff. hoc tit.* maximè inter scientes, *l. liberi, 70. D. de contr. empt.*

4 *L. vlt. D. de instit. act. l. 1. C. quand. ex fact. tut.*

5 *L. si non subscripsisti, 15. C. de admin. tut.*

6 *L. 1. C. vt nulli vican. pro alien. vican. deb. ten. lib. 11. tit. 16.*

7 Non tanquam fideiussor, *vt in d. l. si non subscripsisti,* sed potius tanquam expromissor, *l. 4. D. de condict. caus. dat. l. aliquando, 13. D. ad SC. Vell.*

8 Quia tempus non est modus tollendæ obligationis, *l. obligationum fere, 44. §. placet, D. hoc tit.*

9 Hoc enim erat quod notam faciebat dubitationem, *ex d. l. vlt. D. de instit. act. d. l. 1. C. quand. ex fact. tutor.*

10 Secundum ea quæ diximus Def. 4. *num. 5. & eod.*

11 Non enim paruum creditoris incommodum est in mutatione personæ, quam conuenire destinauerat, & cuius fidem secutus erat. Vnde est, quod neque debitor creditorem, neque creditor debitorem mutare inuitus cogitur. *l. nec creditoris, 6. C. de nouat. l. eum à quo, 16. C. de solut. cum similib.*

12 Qua ratione suam quoque actionem aduersus vniuersitatem cogeretur creditor præstare Syndico id petenti. *l. in creditore, 38. D. de euict.*

DEFINITIO XVI.

Consiliarius vniuersitatis ob ea, quæ per Syndicum gesta sunt, conueniri nullo modo potest.

COnsiliarius vniuersitatis non potest ex eo, quod à Syndico gestum est, conueniri, ob id solum quod ex iis fuerit qui consilium Syndico dederunt, [1] quia consilij pœnam nemo patitur. [2] Nec si ad hoc solũ conueniatur, vt facti rationem reddat, cum fieri possit, vt contra quam ipse faciendum putauerit, res gesta sit, [3] satisque esse debeat actori, quod Syndicus nomine totius vniuersitatis actionem excipere sit paratus. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Maillet de Chasteauneuf, 15. Cal. Iul. 1595.

1 *L. 1. §. solent, D. quand. appella. sit,* in illis verbis: *magis enim consilium dedisse videtur quis sit creandus, quam ipse constituisse.*

2 Nisi proponas consilium fraudulentum, *l. consilij, 47. de reg. iur.* Facit *l. & eleganter 7. §. vlt. cum ll. seqq. D. de dolo.*

3 Id enim est quod dici solet, non esse consilium obligatorium, cum sit cuique liberum apud se explorare, an id sequi expediat, *l. 2. §. vlt. D. mand.*

4 *L. 1. §. 1. & seq. D. quod cuiusque vniuers. nom.* adeo, vt nec cogatur Syndicus cauere de rato, nisi de mandato dubitetur, *l. item, 6. §. actor, eod.*

DEFINITIO XVII.

Casus, in quo etiam is, qui non nisi ratione officij obligatus erat, finito tamen officio adhuc conueniri potest.

OBligatus ratione officij, licet finito officio non sit regulariter ex ea obligatione conueniendus: [1] si tamen se obligando id egit, vt actionem, quæ alioqui aduersus alium iam competebat creditori, aut competitura erat, ipsi ademerit, non aliter liberatus intelligi debet, quam si eam actionem, & quidem perinde vtilem atque efficacem restituat. [2] Videtur enim dolo nunc facere, licet antea non fecerit. [3] *Ita Senatus* in publico auditorio, in causa Ioannæ Rippet, & Claudij Pomard. 8. Id. Iul. 1595.

1 *L. vlt.*

BIU Cujas

1 *L.vlt. D.de instit.act. l.1. C.quand.ex fac.tutor.* Nisi in casu Defin.15.3.*eod.*

2 Dixi Defin.3.*eod.*

3 *Arg.l.naturalis,§.§.quod si faciam, D.de præscr.verb.l.2.§. circa,D.de doli mal.except.* (Ergo si Thesaurarius Principis se alicui obligauerit pro re ad Principis negotia pertinente,sed de qua tamen Princeps ipse non erat antea eidem creditori obligatus, etiam post finitum officium poterit ex ea obligatione conueniri,cùm non tantùm Principem & patrimonium Principis obligauerit, sed etiam seipsum suáque bona. Nec ei proderit quod probet conuentum fuisse inter eum & creditorem, vt quamuis proprio nomine esset obligatus,non tamen nisi tãquam thesaurarius conueniri posset.Id enim non tacit quominus etiam finito officio conueniri possit,sed tãtùm vt conuentus regressum habere debeat contra Principem, in eamq; rem cogendus sit creditor probationes idoneas ei subministrare, quibus possit probari pecuniam creditam in vtilitatem Principis versam esse.De quo curandum nihil haberet,si Thesaurarium Principis non nisi proprio nomine sibi obligasset, nec de eo tanquam thesaurario conueniendo quicquam conuenisset.Planè quamuis eueniat plerũque, vt qui thesaurarius Principis est, & pro Principe se obligat non aliter fuerit se obligaturus,propter spem quam habuit recuperandæ solutionis a seipso ex pecunia suæ administrationis. Non ideo tamen consequens est, vt tanquam Thesaurarius se obligauerit, sed potius suo proprio nomine, quod semper in dubio præsumendum est, tùm quoque cùm negotium ad eum nullo modo pertinet, nisi tanquam ad Thesaurarium,*argum.l.4.D.de solut.& l.cùm ex pluribus, 97. eod.* Nam & creditor existimandus est, facilius contrahere voluisse cum priuato, quàm cum Principe propter conuentionis difficultatem, nisi aliter dictum sit, *argum l.2.D. qui satisd.cog.* Illud sanè constat non esse onerandum creditorem vt Thesaurario, siue proprio nomine, siue tanquam thesaurarius se obligauerit, aliqua contra Principem cedat actione quam nullam habet. Proinde nec de Principe ante omnia excutiendo tractari hic quicquam potest, qui nullomodo est obligatus. *Ita Senatus* pro Io.Baptista Gabaleone, contra N. Franciscum Paquelet, D.de Moyron. 17.Maij 1614. Iungo Defin.15 & Defin.6.3.*eod.*

DEFINITIO XVIII.

De beneficio diuisionis inter Syndicos, inter quos diuisa est administratio.

PLuribus anni vnius Syndicis vnica electione ab vniuersitate constitutis, [1] licet vnus tantum Syndicatus sit, [2] si tamen diuisa inter Syndicos administratio fuit, siue tacita siue expressa pactione, separatim quoque ab iis ratio exigenda est, [3] nec alius pro alio, qui idoneus sit conueniri potest. Nimirum exemplo tutorum. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro Antonio Chardon procuratore Neciensi, Idib.Iul.1595.

1 Quod plerumque fieri necesse est, præsertim his nostris temporibus, in summa & hominum penuria, & molestissimorum negotiorum importunitate,ne sine discrimine iisdem nimis oppressis, & viris & viribus respublica destituatur, vt Vlpian.loquitur *in l.3.§.præses prouinciæ,ff.de muner.& honor.*

2 Ideoque singuli possunt vniuersitatis nomine conueniri, quoniam ea diuisio Syndicatus, quæ sit inter Syndicos, iuris non iurisdictionis est, ideoque nec cum vniuersitate experiri volentibus obest, vt de tutelæ diuisione scriptum legimus, *in l. inter tutores, 36.ff.de admin. tut.* Nisi in ipsa electione diuisa sit administratio per loca vel tempora, *arg.l.2.C.de diuid.tutel.l. vlt.C.de auctor.præst.*

3 Ab vnoquoque scilicet,propriæ administrationis.

4 In quibus obseruatur,vt etiam,qui se non immiscuerunt tutelæ vel curæ, ex persona eorum qui gesserunt, & idonei sunt,non onerentur, *l.2. C.si tut.vel cur.non gess. l.nisi scisses,8.C. deadmin.tut.l.vlt.C.de diuid.tutel.*

DEFINITIO XIX.

De alimentis præstitis & salariis debitis famulo ægroto.

DVbitatum est,an ægroto famulo non tantum alimenta debeantur à domino, sed etiam salaria & medicamenta? Et quidem alimenta [1] & salaria deberi verius est ea saltem lege, vt cum conualuerit tanti temporis accessione damnum sarciat, quantum illud tempus fuit quo ægrotauit. [2] Sed quod ad medicamenta pertinet,magis est,vt ea dominus non debeat, nisi sint modica, [3] aut nisi probetur contractum esse morbum ex ea causa,quæ ad domini vtilitatem spectabat. [4] Si tamen ea dominus præstiterit sine protestatione ratio nulla est,vt habere debeat repetitionem, quasi pietatis intuitu potius, quam repetendi animo præstitisse credendus sit. [5] Quæ præsumptio in Christiano homine iustior est, cui nec conuenit, vt ex quacunque causa ægrotantem famulum, aut expellat, aut misere perire patiatur. *Ita Senatus* 3. Idib. Septembr.1595. in causa Nicolaæ Dauid & Claudij Lucian.

1 Nam & ei,qui non tantum famulus, sed etiam verus seruus esset,vsque adeo alimenta deberentur,vt si à domino præstita non fuissent hoc ipso seruus pro derelicto habitus, ob idque ex edicto Diui Claudij ipso iure liber factus diceretur, *l.2.ff.qui sin.manum. ad lib.per l.vlt.ff.pro derelict.l.4. §.5.C.de bon. libert. l.vnic.§.sed si.mus.C.de Latin.libert. toll.l.2.C.de infant.expos. Nou.22.de nupt. cap.12. & Nou 153.de infant.expos.c.1.vers. nam si nostris.*

2 Cum salaria non debeantur, nisi ratione obsequij,quanquam videtur humanius sufficere,quod non steterit per ægrotum, *arg.l.1.§.Diuus Seuerus,de extr.cogn.*

3 Nam & medicamentorum exhibitio necessaria est, sine qua periclitatur salus & vita hominis, ideoque dicitur esse necessaria, *in l.cum antiquitas 28. vers.si quid autem, C.de testament.* Faci *l.vltim.D.de alim.legat.l.27.§.rupisse, ad l.Aquil.*iunct.*l.vtrum, 47.D.de donat.int.vir & vxor.* (Idem tractari solet etiam circa personam mulieris, *Desi.26.num.1. 3.de rei vxor.act.*)

4 *Arg.l.5. § vlt.* ibi, *Nisi forte profectio manumissionis gratia morti causam præbuit, ff.de condict.caus.dat.*

5 *L.1.C.de negot.gest.* ibi, *cum etiam si quis pro affectione domestica aliquos sumptus fecerit, nulla ratione repetere eos possit, l.alimenta, 11. l.quod in vxorem, 13.vbi l.si paterno, 15.eod.* Idque obtinet, etiamsi per errorem iuris putauerit dominus obligatum se ad alimenta cum non esset, *l.cum is.32.§.mulier, D.de condict.indeb.* Protestatio igitur necessaria est,*vt in l Nesennius,34.D.de negot. gest.*Nisi qualitas magna expensarum præbeat contrariam conjecturam,& tamen non habeat de suo vnde possit soluere *dict. l.47.D.de donat.int.vir.& vxor.* Excipe casum *l.patrem, 16. C.de nupt.l.si quis,7.D.de calumnia.*

DEFINITIO XX.

De alimentorum præteritorum petitione.

ALimenta etiam præterita peti possunt,quæ actionis iure, [1] non etiam quæ ex officio tantum iudicis, [2] suo tempore debita fuerunt. Ita tractatum est in secreto auditorio,in causa fratris Henrici Perrod,contra liberos procuratoris patrimonialis Perrod, 3.Cal. Sept.1595.

3 Ideoque & de iis transigi potest, *l.de alimentis, 8. C.de transact.l.cum vnus, 10.§.1.l.libertis, 18.§.1.D.de aliment.& cibar. legat.*

2 Officio enim iudicis alimenta ideo decernuntur, vt quis viuat nec fame pereat, nemo autem in præteritum viuit, licet vixerit.Vnde est,quod de alimentis præteritis transigi potest, non etiam de futuris, *dict.l. de alimentis.* De alimentis officio iudicis præstandis textus est *in leg.1. Cod. de aliment. pupil.præstan.*

DEFINITIO XXI.

De interpretando contractu ex consuetudine Regionis.

IN obligationibus & contractibus interpretandis sequimur quidem id, quod actum est, etsi id non appareat, quod est in consuetudine Regionis. [1] Sed si qua consuetudo post contractum inducta sit, interpretationem ex ea recipere contractus anterior non potest. [2] *Sine die.*

1 *L.semper in stipulationibus, 34.de reg.iur.*

2 Boer. *qu.13. in fin.ex notat.in l.penul. C. de vsur.* Facit *l.non potest videri,23.ff.de iudic.cum similib.*

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Duobus de dominio feudi inter se contendentibus, interea liti eximendus est possessor, nisi ille ipse propria confessione se obstrinxerit.

QVod dici solet, quamdiu contenditur inter duos de dominio feudi possessorem interea liti eximendum, [2] locum habet si tertius sit possessor, non etiam si is ipse, qui recognouit & professus est, eiúsve hæres, cum sit hic obligatus, non solum tanquam possessor, sed etiam ex propria stipulatione, [2] licet nihil nisi tanquam possessor promiserit. [3] *Ita Senatus* in causa Dn. Marchionis d'Aix & liberorum Francisci Masson.

1 *L.litibus,*20.*C.de agric.& censit.lib.*11.*tit.*47.

2 Qui proinde non est audiendus si velit contra propriam venire confessionem, nisi probato prius errore, *l.generaliter,* 13. *C.de non numer.pecun. l.cum de indebito,* 25.*ff.de probat.* Idem si sit heres recognoscentis.

3 Nec enim ad recognitionem feudi & iuris emphyteutici, alius admitti potest vel debet, quam qui possessor est, *l.vlt. cum ibi not.C.fine cens.vel reliq.*

TIT. VIII.

NE VXOR PRO MARIT. aut marit. pro vxor.

DEFINITIO I.

In bonis dotalibus executio fieri non potest pro posteriore debito mulieris.

NOn potest executio fieri per creditorem in bonis dotalibus, quamdiu constat matrimonium, nimirum si iam constituta dote, mulier debitrix esse cœperit. [1] Nam si debitum præcedat dotis constitutionem, ratio iuris facit, vt potior creditoris hypothecarij causa esse debeat, [2] cuius conditio per dotem deterior fieri non magis potuit, [3] quam conditio mariti per creditorem vxoris. [4] *Ita Senatus* 16.Calend. Ianuar.1589.

1 Guid.Pap. *quæst.*447. incip. *Pone vxor conuenitur.* Adde Capyc.*decis.*128. & Petr.Rauenn.*singul.*163. Facit *l.Titia,*62. *in fin. D.de iur.dot.* ibi *respondi nihil proponi cur marito dos aufferendæ sit.*

2 *L.creditor,*52.*§.prædium,D.de action.empt.*

3 Neque enim vtimur Iustiniani constitutionibus, quę volunt mulierem in dote præferri creditoribus omnibus iam expressam hypothecam habentibus, *l.assiduis* 3, 12. *C.qui potior.in pign.hab.* De quo vide quæ scripsi pluribus, *lib.*13.*Coniect.iur.ciuil.* Obtinuit enim sententia Bulgari, vt non nisi tacitam habentibus mulier præferatur.

4 Si quidem dos constante matrimonio ad maritum non ad mulierem pertinet *l.doce,*6 *C.de rei vind.l.in rebus* 30.*C.de iur. dot. l.quamuis* 75.*D.eod.* ideoque nec a muliere oppignerari magis potest, quam alia quælibet res aliena, *l.& quæ nondum,* 15.*§.quod dicitur,D.de pignor.l.*1.*& tot.tit.C.si alien.res pign.dat.sit.* Denique generale est, vt ius vni quæsitum alterius facto tolli vel minui non possit, *l.*2. *§.merito, D.ne quid in loc.public.* iunct. *§.si quis à Principe,ead.leg.l.*2.*C.de prec.Imp.offer.l.*4.*C.de emancip. liber.l.sed cum ab herede,*12.*in fin. D.ad SC.Trebell.* Et cum de pignore agitur, regula est eum, qui prior sit tempore potiorem esse iure, etiam contra fiscum, *l.si pignus* 38.*l.potior,* 11.*D.qui potior.in pign.hab.* iunct. *l.*2.*C.de priuil.fisc.* extra casum *l.*5.6.7. *D. ill.tit.qui pot.in pign.hab.* Nec ad hunc casum pertinet, quod dici solet licere cuique adiiciendo sibi creditorem nouum facere veteris creditoris conditionem deteriorem, *l.*1.*§.ex contrario. D.de separ.* Id enim de chirographariis creditoribus accipiendum est, non de pignoratitiis & hypothecariis, de quibus nunc agimus.

TIT. IX.

NE FILIVS PRO PATR. aut pat. pro filio.

DEFINITIO I.

An pater cogatur subministrare filio reo læsæ maiestatis sumptus necessarios in causam litis aut alimentorum?

FILIO læsæ maiestatis reo sumptus purgando crimini probandæque innocentiæ necessarios à patre prærogari summæ quidem æquitatis, & beneuolentiæ est, [2] imputandos postea in legitimam filij portionem, si ita patri videbitur, [2] quamuis non minus patris, quam filij interesse videatur familiæ dignitatem à cuiuslibet, maxime vero tanti criminis macula & suspicione vindicari. [3] Sed si pater nolit eos sumptus exhibere, non est cogendus. [4] Præsertim cum non ex eo futurum sit, vt salus filij periclitetur. [5] Siquidem eorum exhibendorum necessitas accusatori priuato si quis sit irrogabitur, aut si nullus sit vel præ inopia non possit, ad Principis procuratorem, qui accusator publicus est, pertinebit, vt de fisco eos præstet, [6] qui semper soluendo est. [7] Quid enim si sciat pater, filium reuera conscium esse criminis, cur cogatur pecuniam suam perdere pro falsis filij allegationibus probandis, quæ probari nullo modo possint? [8] De alimentis filij in carceribus retenti minor dubitatio est, quin eo nomine pater non teneatur, non quod, vt quidam putant, pater filio alimenta ministrare non aliter cogendus sit, quam si vicissim patri filius operas præstet, [9] (quis enim filio nondum conuicto, & in carceribus retento imputet, cur non patri operas & obsequia præstet, cum nec possit, tametsi maxime velit? [10]) sed quia onus alimentorum captiui rei ad accusatorem pertinet, aut eo laborante inopia ad Principem, etiam cum reus soluendo est, [11] quamdiu condemnatio secuta non fuit. [12] Quid tamen si accusator inops sit, [13] Princeps vero prohibeat, [14] ne de fisco ij sumptus fiant? Vtique æquum erit, cogi patrem, vt paternæ pietatis iura erga filium exerceat. [15] Deducto tamen ne ipse egeat. [16] *Ita Senatus* in causa N. Amedei Ogier Necensis, 4.Non.April.1593.

1 Cum absolui filium non minus fere patris, quam ipsius filij interfit, *arg.l.isti quidem,* 8.*in fin.D.quod met.caus.§.vlt. Inst. de noxal. act. l.*1. ibi *quia semper parentis interest filium seruitutem non subire, ff.de liber.caus.*

2 *Arg.l.quæ pater,*50.*ff.famil.ercisc. l.Nesennius,* 34.*D.de negot.gest.cap.referente de delict.puer.l.omnimodo,* 30.*§.imputari,& l.si quando,*35.*§.& generaliter,C.de inoff.test.*

3 *d.l.*1.*ff.de liber.caus.d.l.*8.*ff.quod met.caus.*

4 Nulla enim actio in eam rem iure prodita est contra patrem, neque ex delicto, aut casu filij patrem innocentem sentire incommodum aliquod æquum est, si nolit; sicut è contrario filius paterno odio prægrauari non debet, *l.crimen,*26.*ff.de pœn.l.si quis suo,* 33.*§.*1. *C.de inoffic.testament. l.Diui,*17.*de iur. patron.*

5 Alioqui durum esset permitti patri, vt damni pecuniarij causa salutem filij periclitari pateretur, *arg.l.cum pater,* 77. *cum existimaret in fin.de leg.*2. Dicam *nu.*15.*§.eadem Defin.*

6 Vtrumque ex stylo & ritu practico Galliæ, quo nos in Sabaudia pro iure vtimur in criminalibus iudiciis exercendis.

2 *L.*2.*in fin.D.de fund.dot.* Vnde est, quod nec vnquam fiscus satisdat. *l.*3.*§.item sciendum,D.si cui plus, quam per leg.falcid.l.*1.*§.si ad fiscum,* 18.D.*vt legat. seu fideic.nom.caueat.*

8 Nam nec legitima vlla debetur filio eius, qui fuit reus maiestatis, *l.quisquis.*28.*C.ad leg.Iul.maiest.* Quanto minus filio qui ipse reuera sit reus & conscius tanti criminis?

9 *Arg.l.pen.*vbi Bart.*D.de oper.libert.*

10 Quid enim si vere sit innocens? Cur non satis erit, quod per eum

per eum non stet, *argum. l.1. §. Diuus Seuerus, D. de extraord. cognit.* Aut cur innocenti non subueniatur, ne interim sumptu necessario egeat, *argum. l. reo criminis 41. D. de solut.* Nunquam enim reus criminis iniuria afficiendus est ante probatum crimen, *l. vlt. ibi; ne quas ante probationes iniurias patiatur, C. vbi Senat. vel clariss.*

11 Ex eodem stylo & ritu practico Galliæ, de quo scripsimus *num. 6. sup.*

12 Secuta enim condemnatione datur actio & repetitio ei, qui sumptus prorogauit aduersus personam, aut bona condemnati.

13 Neque enim idcirco ab accusatione repellitur, præsertim in crimine læsæ maiestatis, in quo omnes non tantum accusatores, sed etiam milites esse iubentur, vt Tertul. *in Apologetic.* scribit, relatus à Gothofred. ad *l. 2. C. quand. lic. vnic. sin. iudic. se vindic.*

14 Siue rationem aliquam habeat prohibitio, quod difficile est, siue nullam.

15 Sic vocat, *leg. vltim. C. de alend. libr. l. 5.* ibi *ad necessarios sumptus, quos patria pietas non recusaret, C. ad SC. Macedon.* Facit eleganter *l. 2. C. de inf. expos.* in illis verbis: *nec enim suum quis dicere potest quem pereuntem contempsit.*

16 Nam & ea deductio fieret, etiamsi pater ex proprio facto, propriaque obligatione conueniretur, *l. cum ex causa, 30.* iunct. *l. patronus, 17. D. de rei iudic.*

DEFINITIO II.

Quid si filius condemnatus, & executio petatur in bona patris?

QVid si condemnatus sit filiusfamilias? Non potest cogi pater, vt pœnam pecuniariam soluat pro filio, siue quod nulla filio debeatur legitima vnto patre, [2] siue quod afflicto iam patri non alia danda sit afflictio, [3] nec pœna egredi debeat suos auctores. [4] Quare nec aliud erit, tametsi per egestatem filius soluere nequeat in ære, ideoque futurum sit, vt luere debeat in corpore. [5] Quanquam non deerant ex Senatoribus qui referrent alias coactum patrem redimere filium, cui, si non soluerat ad certam diem modicam mulctam pecuniarum, condemnatio triremium fuerat irrogata, quasi patris interesset filium pro modico non redigi in seruitutem. [6] Sed id supremo Principis imperio potius, quam Senatus decreto factum esse constabat, maloque exemplo: quoniam prorsus inciuile est cogi patrem innocentem pro filio crimino so pœnam soluere, [7] Et quod dicimus eius interesse, ne filius ignominia afficiatur, [8] facere tantum debet, vt pro filio vel inuito agere, & illum etiam reluctantem defendere pater, si velit, possit. [9] Non etiam vt iudicij & condemnationis euentum in se suscipere compellatur. [10] Nam & generale fereque perpetuum est, vt nec cogatur pater defendere filium, [11] nisi cum legitimus administrator est. [12] Sed & si filius ab hostibus captus sit, quamuis nullum in eo filij delictum versetur, non tamen præcise cogitur pater, vt in eius redemptionem quicquam conferat, nisi quod si nihil conferre voluerit, permittitur filio quandocunque testanti, id est, si testamenti tempore sit emancipatus, vt patrem ex ea causa exhæredet. [13] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. & pass. C. hoc tit. cap. referente, de delict. puer.*

2 *L. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor.* iunct. *l. 2. §. interdum de vulg. & pup. substit. l. 2. in fin. D. de his quæ vt indigen. l. donari, 29. alias l. quidam, in fin. D. de donat.*

3 *L. iure, 6. D. de iur. dot. l. si furioso, 25. in fin. C. de nupt.*

4 *L. sancimus, 22. C. de pœn.*

5 *L. 1. §. vlt. D. eod. l. si quis, 35. D. de iniur. l. qui ædes 9. in prin. D. de incend. ruin. & naufr.*

6 *L. 1. D. de lib. caus. l. seruus, 7. in fin. D. de seru. exp.*

7 Et alterius odio alterum prægrauari, *l. si quis suo, 13 §. 1. C. de inoff. test.* Dixi Def. prox. *nu. 4. 5.*

8 *d. l. 1.* iunct. *l. 2 & l. 3. de lib. caus. l. isti quidem, 8. ff. quod met. cæus. in fin. §. vlt. Inst. de noxal. act.*

8 *L. patri, 27. in princip. D. de minor.* iunct. *dict. l. 1. de liber. caus.*

10 Nisi filius peculium habeat. Hoc enim casu tenetur pater actione de peculio, quatenus duntaxat est in peculio, *l. 3. §. idem scribit D. de pecul.*

11 Glos. & Castr. *ad leg. vel cum de in rem verso, 20. D. de pact.*

12 Specul. *in tit. De actore, num. 28. in fin.* Defendere enim est eandem vicem quam reus subire, *l. minor. 51. D. de procurat.* quod de alieno nomine facere nemo cogitur. Quanquam facilius illud inducendum videtur, vt cogatur pater subministrare filio sumptus necessarios, *d. l. 5. C. ad SC. Maced.* quam vt eum defendere.

13 Boer. *decis. 126. num. penult. ex Nouell. 115. vt cum de appell. cognos. cap. 4. incip. iustum autem, §. his casib.* * *Authent si captiui. C. de Episcop. & cleric.* Planè si pater filium redimere voluerit & redemerit, non solùm facti pœnitere non poterit quod nec matri permitteretur, *l. liber captus, C. de postlim. reuers. & redempt.* sed neque potest hoc quod dedit in filij legitimam imputare quasi fecerit ex officio pietatis cùm non ob delictum aliquod sed casu captus est filius à latrunculis. Bart. *in l. Sticho. in fin. D. de pecul. legat.* Quantò magis si à Turcis hæreticis, aut infidelibus? Quid si pater voluntatem suam tantum declarauerit quod vellet filium redimere? nec mutare voluntatem potest quam habuit tam iustam se obligandi pro filio. Quam in rem extat elegans consilium Pauli Castrensis 443. *vol. 1.* Sufficit enim causa pietatis, vt nullus pœnitentiæ locus relinquatur, *d. l. liber captus, l. cùm is 32. §. mulier, D. de condict. indeb.* Sed an ideò bona patris erunt obligata tacitè pro omni pecunia quæ postmodum impensa fuerit pro filij captiui redemptione? nam de bonis ipsius captiui quin obligata sint tacitè nemo dubitat, cùm lex permittat vt bona ipsius vendantur. *d. Authen. si captiui*, quibus verbis tacita hypotheca satis inducitur. Placuit bona patris etiam qui pro filij redemptione obligari voluit non esse tacitè obligata, ideóque potiorem esse debere causam creditorum anteriorum siue expressam siue tacitam hypothecam habentium. *Ita Senatus* in causa Stephani Lullin Geneuensis in Constantinopolitana ciuitate habitantis, & liberorum Ioan. de Villars 7. Decemb. 1617.

DEFINITIO III.

Pater tenetur filij nomine dotare virginem, quam filius corrupit, partumque alere.

CVm quidam tamen filiusfamilias virginem corrupisset, ex eaque filium suscepisset, illa vero contra patrem egisset, vt & dotem constituere, & partui alimenta præstare cogeretur, audio condemnatum fuisse à Senatu patrem, vt vtrumque faceret, [1] saluo sibi iure imputandi in filij legitimam quicquid eius nomine præstitisset, [2] ea fortassis ratione, quod non tam in pœnam delicti, [3] quam ad onerandam conscientiam, crimenque purgandum ea condemnatio spectare videtur. [4] De alimentis sane minus dubitari poterat, propterea quod sicut proprio filio alimenta præstare tenetur pater, ita & nepoti suscepto ex filio, [5] quamuis per illegitimam coniunctionem, [6] ex æquitate saltem canonica. [7] Longeque fauorabilior causa est eorum alimentorum præstandorum, quam dotis constituendæ per patrem virgini, quam filius corruperit. [8] *Ita relatum est* in eadem causa.

1 Qui enim ex filio nascuntur liberi auo paterno sunt oneri, vt Marcellus scribit *in l. penultim. D. de agnosc. & alend. lib.* Nec quod ex iustis nuptiis nati non sint, & consequenter non sint in potestate, ad rem facit, quia ius alendorum liberorum vel parentum nihil commune habet cum iure potestatis, *l. 5. §. 1. & 2. D. eod.*

2 Nam cum officium aui erga nepotem ex officio patris erga filium pendeat, videtur filius ipse à patre habuisse, quod propter eum pater nepoti dare coactus fuit, *l. dotem 6. D. de collat. bonor.*

3 Quæ scilicet à filio ad patrem transire non deberet, vt diximus prox. Defin.

4 Nam cum hic agatur de salute filij, & quidem animæ, non corporis, leuius videri debet incommodum, quod pater pro filio sentit, quam vt filium periclitari patiatur, *arg. l. pen. in fin. D. de donat. l. cum pater, 77. §. cum existimaret, de legat. 2.* Vide quæ in hanc rem scribit vir doctissimus, & in Senatu nostro nunc Præses meritissimus, Guil. Onciac. Sabaudiæ nostræ decus in Academ. quæst. [Tenetur enim filius aut vxorem ducere aut dotare, *cap. 1. de adult.* Imo ducere præcise, si non potest

BIU Cujas

illa alium virum sibi æqualem & parem inuenire. Couatr. *De sponsal. effect. & vincul. cap. 4. num. 15.* Fernand. Rubellus. *De sponsal. nu. 7. & 11. quæst. 6. lib. 1. De contr. in communi, in lib. 3. de rest. stupr. qu. 8. pag 161.* Imò ex diuina lege, Deuteron. 22. Stuprator iubebatur vitiatam ducere in vxorem, & præterea patri eius quinquaginta cyclos reddere.]

5 Ratione illa quam posuimus *nu. 1. 3.*

6 Nec pugnat hoc cum iure nostro ciuili, nam etiam naturalibus alimenta debentur ab intestato. *Nouell. 89. quibus mod. natu. effic. sui, cap. 12. incip. discretis, §. si quis autem, 6.* Quanquam in susceptis ex damnato coitu aliud est, qui nec naturales nominandi sunt, nec ab ipso etiam patre alendi, *Authent. ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.*

7 Quæ nec spurios ab illegitimis hac parte distinguit, *cap. cum haberet, Extr. De eo qui dux. in matrim. quam poll. per adulter.*

8 Solet enim dos amplior esse alimentis, licet succedat loco alimentorum, vt notant nostri ad *l. quoniam Nouella, 29. C. de inoff. testam.*

DEFINITIO IV.

Pro filio, qui probatur ingratus, aut qui iam facto testamento tanquam ingratus exheredatus est, pater nihil præstare cogitur.

HOc ipsum tamen ita accipiendum videtur, si non probetur ingratus filius ex ea causa ingratitudinis, propter quam iuste exhæredari possit: [1] Ingrato enim filio ne alimenta quidem præstare pater cogitur, [2] & multo minus legitimam, quasi filio debitam prorogare. [3] Sed ingratitudinis causam in genere allegare nihil proderit, nisi & specialiter exprimatur & probetur. [4] Alioqui facile fuerit patri legem eludere. [5] Quin & si proponas iam antea factum à patre testamentum, in quo filium exhæredauerat, debet id sufficere ad excusandum patrem, ne quicquam pro ingrato filio impendere teneatur, nec exigemus ab eo probationes ingratitudinis, quarum onus in hæredes suos reiectum malit. [6] Neque enim hoc casu subest ea fraudis suspicio, quæ nascitur cum ex postfacto pater filio ingratitudinem obiicit, licet ex vetere & antiquiore causa conflatam. [7] Nec mouebit si quis obiiciat, non posse rationem vllam haberi exhæredationis in testamento factæ, quamdiu testator viuit, quia nec tamdiu testamentum vires vllas habet: ne alioqui testamentum in cæteris omnibus inutile ad solam exhæredationis notam proficere videatur. [9] Nam respondebitur, tantam quidem non esse vim exhæredationis viuo patre, vt non reuocari possit pro arbitrio patris quandiu viuit, [10] sed tamen quandiu reuocata non est, causaque ingratitudinis subest, non debere deteriorem esse conditionem patris viui, quam mortui, [11] nec meliorem filij ingrati viuo patre, quam eo mortuo. [12] Absurdum enim fuerit, plus iuris habere filium ingratum in legitima viuo adhuc patre, quam si is iam defunctus esset. [13] Porro quod de legitima dicimus idem de alimentis quoque dictum intelligi debet. Nam ex quibus causis pater filium exhæredare atque à legitima aut legitimæ supplemento summouere potest, ex iisdem potest etiam alimenta denegare. [14] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quas ingratitudinis causas omnes expressit Iustinian. *in Nouell. 113. vt cum de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum.*

2 *L. si quis à liberis 5. §. idem iudex.* & ibi Bart. *D. de agnosc. & alend. liber.*

3 Difficilius enim est vt legitimam quis debeat, præsertim viuus, quam vt alimenta, vt videre est in spuriis ex damnato coitu susceptis. Quibus licet legitima nulla debeatur, ne quidem ex æquitate canonica, alimenta tamen ex ea æquitate debentur, vt dixi *Def. prox. nu. 7.*

4 Intellige quod exprimi debeat per patrem & probari, quemadmodum & mortuo patre probanda esset per ipsius hæredes *d. Nouell. 115. §. aliud. iunct. l. omnino 30. C. de inoff. test.* quibus constitutionibus correctum est ius antiquum, quo liberi exheredati tanquam ingrati cogebantur probare se immerenter exheredatos *l. liberi, 28. C. eod.*

5 Quod non est ei permittendum, cum filij ad paterna bona venientes pene ad propria veniant, *l. in suis, 11. De lib. & posthum. l. 1. §. largius de succes. edict.* etsi professio patris grande præiudicium adferat filio *l. 1. §. Iulianus D. de agnosc. lib. l. ea quæ pater 13. C. ex quibus caus. infam. irrog.* Facit *l. Imp. 29. in fin. D. de probat.*

6 Nec enim cogendus est pater de causis ingratitudinis cum filio litigare, sufficitque exheredationem illam carere fraudis suspicione.

7 *Arg. l. multi 18. de lib. & post. l. pen. §. fin. de cur. fur. l. 12. §. 2. l. 47. in princ. de bon. liber.*

8 Intellige, quo minus reuocari possit, quoniam effectus eius confertur post mortem *l. 1. D. qui test. fac. poss.* & suprema voluntas est ambulatoria vsque ad supremum vitæ exitum, *l. 4. ff. de adim. lega. l. cum hic status, 32. §. pœnitentiam ff. de don. int. vir. & vxor.* Cæterum necesse est ab initio testamentum valere & vires habere, vt morte confirmari possit, *l. 4. ff. qui test. fac. poss. l. si filius 7. ff. de lib. & posth. l. si alienum 49. §. 1. ff. de hered. inst.* iunct. *l. pen. 2. ff. de reg. iur.*

9 *Arg. l. filium 20. ff. de bon. poss. contr. tabul.*

10 Cum possit filius quandiu pater viuit offensam ipsius placare, & eiusdem voluntatem promereri, *arg. l. cum quidam 24. de leg. 2.* Alex. *in l. 1. nu. 33. fol. matr.* Cotta. *in memor.* in verb. *filius f. qui à patre.*

11 Imo eo meliorem, quod pater quandiu viuit nullam legitimam filio debet, *l. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor.*

12 Imo tanto deteriorem quanto indignior est cui subueniatur filius, qui cum possit quandiu pater viuit veteris ingratitudinis memoriam delere, noua obsequij & obseruantiæ exhibitione, de patre tamen placando non cogitat, ingratusque remanet.

13 Cum ratio legitimæ non nisi inspecto mortis tempore ponatur, *l. cum quæritur 6. C. de inoff. test.*

14 Bart. *ad l. si quis à liberis 5. 5. idem Iulianus per ill. text. D. de agnosc. & alend. lib.*

DEFINITIO V.

Publicatis bonis filij non videntur ea publicata, quorum pater habet vsumfructum.

ILlum magis mirum est, quod si filiusfamilias condemnatus bona quædam habeat aduentitia, quorum vsusfructus ad patrem pertineat, [1] non possunt illa vendi aut fisco applicari pro delicto filij, si non pater ipse consentiat: [2] Nec si vsumfructum patri saluum esse fiscus velit, [3] quia fieri nequit vt vllo iure pater eorum bonorum vsumfructum habeat aut retineat, præterquam intuitu & contemplatione proprietatis ad filium pertinentis. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

2 Capel. Tholos. *decis. 2.* & ibi Aufrer. Faciunt notata per Bart. cum Apostill. *ad l. Stichus 16. D. de pecul. legat.*

3 Nihil enim vetat vendi fundum detracto vsufructu aliterve ab vsufructu separari, nec nisi nudæ proprietatis æstimationem fieri, *l. cum in fundo 78. præsertim §. vxor viro. D. de iur. dot. l. 6. §. 1. D. de vsufr. l. 4. D. si vsusfr. pet. l. si quis 6 §. penul. D. com. diuid.*

4 Est enim hic vsusfructus non formalis, vt nostrorum verbis vtar, sed causalis, id est, cum proprietate coniunctus, à qua proinde separari nullo modo potest quin alius fiat, & consequenter hoc ipso intereat, cumque ad patrem non nisi iure potestatis pertineat, consequens est vt proprietatem amittente filio nullum possit pater vsumfructum retinere. Ita fit vt propter coniunctum ius patris filius proprietatem retineat, quam alioquin amitteret. Facit *l. si is qui 29. D. de lib. leg. l. cum heredi tate 55. D. de acquir. her. l. 4. D. de decur.*

DEFINITIO VI.

De patre petente restitutionem aduersus obligationem à se contractam, vt filium à carceribus liberaret.

PAter, qui vt filium diuturnioris carceris tædio iam vexatum eximeret, pro eo se obligauit, atque ita vt liberaretur obtinuit, [1] non iustam habet causam petendæ in integrum restitutionis, ob id solum quod paterna pietate coactus, cum nihil ipse debe-

ret, s-

BIU Cujas

ret, se obligauerit. [2] Quænam enim, obsecro, iustior patri causa esse potest contrahendæ pro filio obligationis, quam paternæ affectus pietatis? [3] Itaque nec illud inspiciemus, an perperam & pro indebito, an pro debito filius in carceres detrusus esset. Sufficit enim detrusum fuisse, nec aliter liberari potuisse quam si aut soluisset, aut fideiussorem vel expromissorem dedisset, vt dici non possit non sine causa factam obligationem. [4] Et vero vix est vt non sit in dolo pater, qui vt filium carceribus eximeret vltro se fideiussorem pro filio obtulit, sic eo liberato velit in integrum restitui, nec paratus sit filium in eodem statu reponere: [5] Maxime vero si præcesserat condemnatio, quamuis iniusta, propter quam filius in carceres detrusus fuisset, [6] Multo magis si addas de iure in integrum restitutionis apud eum iudicem disputari, qui de viribus & iniquitate condemnationis cognoscere non possit. [7] Non est dissimile quod alibi scripsimus, [8] pronunciatum sæpius à Senatu, mulierem, quæ ad liberandum à carcerib. maritum soluendamque pro eo mulctam ex causa criminis irrogatam alteri se obligauit, non esse iuuandam Velleiano, quamuis certum sit nihil non facturam mulierem, cogente scilicet pietate, vt maritum alioqui virgis cædendum, aut ad triremes damnandum ab imminente periculo eximat conuertendæ pecuniariæ pœnæ in corporalem. [9] *Ita Senatus* pro Andræa Callier, contra Petrum & Ioannem Verdon, 6. Cal. Iunij 1594.

1 Finge per sententiam dictum fuisse, vt non prius eximi carceribus posset filius, quam satisfecisset: Rebus enim iudicatis standum est, *l. si patronus* 12. §. *si quis cum esset*, *D. de bon. lib.* Adde *l.* 7. §. *vlt. qui satisd. cog.*

2 *Argum. l. si duos* 5. §. *vlt. D. si quis caution.* Nec aliud erit etiamsi filius pro quo se pater obligauit post condemnationem decesserit, *l. si vero* 5. *D. qui satisd. cogant.*

3 *Arg. l. cum is* 32. §. *mulier, D. de cond. indeb. l. & si quis* 14. §. *sed interdum de relig. & sumpt. funer.*

4 *Arg. l. naturalis* 4. §. *quod si faciam, l. si dominus* 8. *& seq. solent* 15. *D. de præscr. verb. l.* 4. *D. de condict. caus. dat. l. quamuis* 8. §. *si pro primo, D. ad SC. Velleian. vers. proinde.*

5 Nam & hoc est ex natura cuiuslibet restitutionis in integrum, vt omnia in pristinum statum restitui debeant, & vnusquisque ius suum recipere, *l. quod si minor* 24. §. *restitutio, D. de minor.* Dixi *in tit. de reput. quæ fiunt in iud. in integr. restit.* Adde *l. si eum* 10. *in princ. & l. seq. D. si quis caut. l. quidam* 38. *& seq. D. de dolo.*

6 Rebus enim iudicatis standum est, vt dixi *num.* 1. *ex l. si patronus* 12. §. *si quis, de bon. libert. l. seruo* 65. §. *cum prætor ad SC. Trebell.*

7 Nam de iniquitate sententiæ ab alio iudice redditæ non potest cognoscere alius iudex, nisi qui superior sit & ex causa appellationis *l. si prætor* 75. *D. de iudic.* iunct. *l. in causæ* 16. §. *vlt. cum duab. ll. seqq. D. de minor.*

8 *Subsit ad SC. Velleian. Defin.*

9 Solet enim fieri hæc pœnæ commutatio ex pecuniaria in corporalem quoties non habet condemnatus quod possit in ære soluere. *l.* 1. §. *vlt. D. de pœn. l. si quis iniuriam* 35. *D. de iniur. l. qui ædes* 59. *D. de incend ruin. & naufrag.*

DEFINITIO VII.

De patre qui consentit nuptiis filij accipientis dotem, nec nisi portionem quæ se mortuo ad filium peruentura erat pignori obligauit.

PAter cum filiofamilias vxorem ducenti non modo auctoritatem, sed etiam consensum accommodaret [1] obligauerat in causam restituendæ dotis eam duntaxat bonorum suorum portionem, quam defuncto se filius esset habiturus. [2] Non eo minus cætera quoque patris bona obligata intelligentur. [3] Nec tantum si filius viuo patre decesserit (quo casu cessante conuentionis expressæ potestate tacitam hypothecam lege inductam locum habere necesse est, [4]) sed etiam si patri filius superuixerit, neque portio quam filio reliquit sufficit ad dotis restitutionem. [5] Quoniam hoc ipso, quod pater nuptiis filij consensum præbet, omnia bona ipsius pro dote obligata intelliguntur, eáque obligatio contrahitur ipso iure, & sola legis potestate. [6] Proinde impediuntur pactiones omnes, quæ dotis causam facere possunt deteriorem, [7] Cuiusmodi illa est per quam ius pignoris imminuitur, ne salua esse tota dos possit. [8] Nec ad rem facit quod dici solet, Expressum facere vt cesset tacitum. [9] Id enim tum demum vere dicitur, cum tacitum pendet ex sola eius voluntate, qui expressim voluntatem suam declarat. [10] Cur enim credatur aliud voluisse, quam quod expresserit? [11] At ius tacitæ illius hypothecæ, qua de agimus, non ex eo acquiritur mulieri, quasi maritus aut mariti pater videatur bona sua pro dote obligasse, [12] Sed quod vel inuitis iis ita lex ferat, vt bona vtriusque omnia ipso iure, sicuti diximus, obligata intelligantur. [13] Proinde nihil interest an expresserint, vt quædam tantum essent pignorata. [14] Nam etsi disertis verbis pater cauisset ne quicquam ex bonis suis pro dote, quam filius acciperet, obligatum videretur, vtique conuentio non valeret, esseteque fortior potestas legis. [15] *Ita Senatus* in causa Philiberti Bouier, & Ioannis Treyuet procuratorum, 3. Calend. Maij 1595.

1 Plus enim est consensum quam auctoritatem accommodare. Qui enim auctoritatem tantum præstat, se non obligat nec sibi nocet, secus est in eo qui consentit nisi lex contra disponat, *l. cum quædam* 26. vbi hæc verba, *auctoritas consensui* tanquam diuersa ponitur disiunctim, &c. *C. de admin. tut. l. vlt. D. de inoffic. testam. l. sicut* 8. §. *non videtur, D. quibus modis pign. vel hypoth. solut. l. tutorem* 22. *D. de his quæ vt indign. l.* 4. §. *quæsitum est, l. si cum fundi, de doli except. l. fideiussor* 20. §. *pater, in fin. D. de pignor.*

2 Non enim poterat ea portio per filium obligari, qui viuo patre non erat dominus, nec futurus erat nisi in casum male ominosum mortis patris. Qui enim pignori obligat, is necesse est vt sit dominus, *l. & quæ nondum* 15. §. *quod dicitur, D. de pign. tot. tit. C si alien. res pign. dat. sit.*

3 Iure scilicet tacitæ hypothecæ à Iustiniano inductæ, *in l. vnic. §. & vt plenius*: ibi, *siue principales ipsæ personæ dotes dederint vel promiserint, vel susceperint, siue aliæ pro his personæ, C. de rei vxor. act.* Nam & præsumitur tota dos peruenisse ad patrem tanquam ad potentiorem, *l. sicum dotem* 22. §. *transgrediamur, D. de solut. matr.* vbi Bart. & cæteri.

4 Filio enim prædefuncto deficit conditio pignoris collati in id tempus quo pater prædecessisset. Facit *l. si fundus* 16. §. *aliena res, D. de pignor. l. rem alienam* 41. *D. de pign. act.* Habent enim hæc verba implicitam conditionem, *l. si debitor* 39. §. *verisimile.* vbi Bart. *D. de contr. empt. l. Mæuio* 41. §. 1. *in fin. de leg.* 2. Iunge *l. grege* 23. §. *si sub conditione, D. de pign.*

5 *Authent. res quæ, Cod. commun. de leg. & incorp.* vnde sumitur.

6 *dict. l. vnic. §. & vt plenius, C. de rei vxor. act.* iunct. *dict. §. transgrediamur.*

7 *L. Atilicinus* 17. *D. de pact. dot.*

8 Etsi enim creditor, qui minus idoneum pignus accepit, non amittit exactionem eius debitæ quantitatis, in quam pignus non sufficit, *l. creditor* 26. *D. de rebus credit. l. quæsitum* 9. §. 1. *D. de distr. pign.* tamen constat plus cautionis esse in rem quam in personam, *l. plus cautionis* 25. *de reg iur.* etiamsi debitor soluendo sit, *l. cum debitore* 3 *D. de pignor. act.* iunct. *l. diuortio* 35. *in fin. princ. D. de negot. gest.* nec aliter videri idonee cautum esse quam si vel fideiussor vel pignora accepta sint, *l. si mandatu* 59. §. *vlt. ff. mandat.*

9 *L. vlt.* vbi vulgo nostri notant, *C. de pact. conuent. tam sup. dot.* qui tamen locus id non probat. Ibi enim tacita hypotheca nulla est, nisi quæ à Iustiniano inducitur, quam portio ille nullam inducit, nisi eo demum casu quo mulier sibi non cauerit per expressam. Melius probatur id brocardicum, *ex l. cum ex filio* 39. §. *filio de vulg. & pup. substit.*

10 *Vt in d. §. filio*, iunct. *l. iam hoc iure* 4. *eod.* Facit *l. seruo libertatem* 47. *de cond. & demonstr.*

11 *L. vnic. §. sin autem ad deficientis, C. de caduc. toll.* Facit *l. Labeo* 7. §. *vlt. de supell. leg.*

12 Vt in cæteris tacitis hypothecis euenire solet, *l.* 4. *& 6. D. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

13 Fauore dotis, in cuius tacita hypotheca speciale est vt ei

BIU Cujas

renunciari non possit, *arg. d.l. Atilicinus*, cum tamen cæteris possit si contrahentes velint.

14 Facit *l. vlt. D. in quibus caus. pign. tacit. cont.* vbi pignus ab herede tutoris datum in residuam quantitatem debiti post solutionem maioris partis ex transactione inter eos facta, intelligitur obligatum in veterem contractum, pro quo scilicet & pro omni debito tutelæ obligata erant tacite bona omnia tutoris, *l. pro officio* 20. *C. de admin. tutor.*

15 Speciali ratione & singulari iure ac fauore dotis, vt dixi *num.* 13. Vide Boer. *decis.*

TIT. X.

QVAND. FISC. VEL PRIVAT. debit. sui debit. conu. poss.

DEFINITIO I.

Creditor venditoris, an & quatenus agere possit contra emptorem eundemque pretij debitorem, si venditor nondum ex parte sua contractum impleuerit?

CVM Titius debitor [1] tuus fundum mihi venderet communem sibi cum sorore, [2] promiserat curaturum se vt eam venditionem soror intra mensem ratam haberet, [3] nec tamen curauerat. Interea egisti contra me, vt tibi soluerem precium quod debitori tuo debebam, [4] Vocato etiam in eam rem Titio, vt me liberaret, ne mea quicquam interesset vtri soluerem. [5] Si sit ille contumax, æquum quidem erit condemnari me tibi ad solutionem precij, [6] ne alioqui & rem habeam & precium: [7] Sed tamen satisdare oportebit de restituenda pecunia, si ratam venditionem habere soror venditoris mei te satagente nolet, [8] aut non poterit, [9] ex eaque causa pecuniam habere malim quam rem retinere. [10] Non enim fieri potest vt ex contractu inter me & Titium inito plus iuris aduersum me habeas, quam Titius ipse esset habiturus, [11] qui porro contractum ex parte sua omnimodo & ante omnia implere cogeretur. [12] Itaque non nisi fiduciariam, & vt loquuntur, prouisionalem condemnationem fieri oportet. [13] Diffinitiuam vero in id tempus differri quo constet an ratihabitio vlla sequi possit necne, & an rem empram habere malim sine spe ratihabitionis, an pecuniam. [14] Nam sicuti cogendus non sum stare venditioni cuius legi non pareatur nisi præstetur mihi quanti mea interest, [15] cum aliter non fuerim empturus: [16] Ita prætextu non secutæ ratihabitionis pecuniam precij retinere non possum quandiu rem ipsam habeo: [17] Ne quidem ex conuentione, quia bona fides hanc non patitur conuentionem, vt emptor & rem & precium retineat. [18] Ideoque tametsi iusta causa fuerit retinendæ pecuniæ, forte quod nec ratihabitio nec satisdatio [19] præstaretur, totius tamen eius temporis quod post traditionem interceſſit vsuræ debebuntur, [20] non propter moram, [21] sed in locum & vicem fructuum ex re ipsa perceptorum. [22] Etenim quæ iuris ratio & æquitas impedit ne aut emptor aut venditor rem preciumque simul retineat, eadem facit ne & rei fructus & precij vsuras retinere possit. [23] *Ita Senatus* in publico auditorio ex tempore Prid. Calend. Febr. 1589. Et rursus in alia causa 16. Cal. Iun. 1591.

1 Neque enim debitor ob id solum quod debitor est res suas etiam pignoratas vendere prohibetur. Alienat siquidem cum sua causa & citra præiudicium creditoris, *l. distractis* 14. *& seq. C. de pignor. l. si debitor* 12. *C. de distr. pignor. l. si conuenerit* 18. *§. si fundus, D. de pign. act.*

2 Nam & communis res vendi potest sicut & aliena, scilicet vt valeat ipso iure venditio & obligetur venditor de euictione, sed non vt prohibeatur dominus iure suo rem vendicare, *l. rem alienam* 28. *D. de contr. empt. l. vltim. & pass. C. de comm. rer. alien.*

3 Est enim necessaria ea ratihabitio vt totius rei communis dominium emptori acquiratur, *l. portionem* 4. *& pass. C. de com. rer. alien.*

4 Siue quod esses hypothecarius creditor, & nomina quoque debitoris tui obligata haberes iuxta *l. nomen* 4. *C. quæ res pign. oblig. poss.* siue quod alia debitoris tui bona nulla essent, quę pignoris loco capere posses, *l. 2. C. hoc tit.*

5 Liberatur enim etiam qui soluit alteri quam cui debet, dummodo consenteinte creditore, vel iubente, *l. solutam* 49. *D. de solut. l. fugitiuus* 19. *eod. l. inuito* 12. *C. eod.*

6 Cum futurum sit vt perinde liberer qui iubente iudice soluerim te propter contumaciam saltem tacite consentiente, *arg. l. ait prætor* 7. *§. 1. vers. quid tamen, D. de minor. l. sancimus* 25. *C. de admin. tutor.*

7 Quod bona fides non patitur *l. ex empto* 11. *§. qui autem, l. bona fides* 50. *D. de act. empt.*

8 Nec enim socius patris suæ alienationem à socio factam ratam habere cogitur, nisi cum à fisco vendita fuit, cuius in ea re proprium & singulare priuilegium est, *l. 2. C. de commun. rer. alien. l. vnic. Cod. de vendit. rer. fiscal. cum priuat. comm. l. 10. tit. 4.*

9 Forte quam alij iam vendiderit, quo casu crimen stellionatus incurreret, si eiusdem rei venditionem suo nomine ab alio factam ratam haberet, perinde acsi ipsa venderet, *l. 3. §. 1. D. de crim. stell.* adeoque crimen falsi, *l. qui duobus* 21. *D. ad leg. Cornel. de fals.*

10 Non enim videor rem habere quandiu mihi à Domino auferri potest: *l. in rem bonis* 52. *D. de acquirend. rer. dom. l. quod euincitur* 190. *de regul. iur. l. non videntur* 167. *l. omnes* 139. *§. 1. eod.*

11 *Vulg. l. nemo plus iuris* 54. *l. aliud est* 160. *§. absurdum eod. cum similib.* Textus est *in l. 3. C. hoc tit.*

12 *Vulg. l. Iulianus* 13. *§. offerri, D. de act. empt. l. si pater* 8. *in fin. Cod. eod. l. cum fundus* 31. *ad fin. in vers. sed adiicere, D. de rebus credit.*

13 Cui locus esse solet quoties aliquid est quod impedit aut remoratur sententiam diffinitiuam, nec eo minus tamen interim prouidendum est, vt *in l. ventre* 84. *de acquir. her. l. 1. D. de dam. infect. cum similib.*

14 Cum enim diffinitiua sententia non possit ferri sub conditione nec sub incerto *l. 3. & 4. C. de sent. quæ sin. cert. quant. prof. l. 1. §. biduum, D. quand. app. sit & intr. quæ temp. l. qui testamento* 37. *de excus. tut. l. in sententiis* 59. *D. de re iud.* expectandum necessario est vt sciatur quid in facto certum sit, priusquam ad sententiam deueniri possit.

15 *L. cum te fundum* 6. *C. de pact. int. empt. & vend.*

16 *L. tutor* 47. *§. 1. D. de minor. l. quod si vno* 13. *D. de in diem addict. l. si quis aliam* 46. *D. de solut.*

17 *Arg. d. §. offerri cum §. seq.*

18 *dict. l. exempto* 11. *§. qui autem, & d. l. bona fides* 50. *D. de act. empt.*

19 Quæ vtique præstanda est quoties in limine contractus imminet periculum euictionis, *l. si post perfectam* 24. *C. de euict. l. pen. §. 1. D. de peric. & commod. rei vend.*

20 *d. l. Iulianus* 13 *§ veniunt* 20. *ff. de act. empt.*

21 Etsi regulariter vsuræ non nisi propter moram non soluentium infliguntur, *l. cum quidam* 17. *§. si pupillo, in fin. de vsur. l. Titia Seio* 87. *§. vsuras de leg. 2.*

22 *Vt in l. curabit* 5. *C. de act. empt.* Cuiusmodi vsuræ etiam iure canonico debentur, sicut & quæ sunt in vicem eius quod interest *c. salubriter extr. de vsur.*

23 *d. l. Iulianus, §. veniunt, l. liberalitatis* 16. *D. de vsur. l. nec enim* 23. vbi est text. elegans, *ff. de pign. act.*

DEFINITIO II.

De nomine debitoris capto pignori in executione iudicati, & De differentijs pignoris conuentionalis & iudicialis.

POtest creditor nomen sui debitoris capere pignoris loco etiam in executione iudicati, [1] si modo debitor debitoris fateatur se debere. [2] Nam si neget, prius est vt à creditore suo conueniatur, quam à creditoris creditore, qui vtique nullam eo nomine actionem habet. [3] Loquimur enim de creditore chirographario, qui nullum pignus habet in bonis condemnati, nisi quod in iudicati executione captum & hoc ipso

ipso constitutum sit. [4] Nam siue nomen debitoris pignori datum sit specialiter, siue in generali bonorum omnium obligatione contineatur, [5] constat vtilem ex ea causa actionem competere creditoris creditori, per quam assequi possit, vt probet debitori suo deberi: [6] Vtroque tamen casu inficianti debitori debitoris inhiberi potest ne soluat ei, cuius debitor esse dicitur, [7] quoniam in eo nulla illi fit iniuria siue debeat siue non, [8] & nihilominus superioris creditoris indemnitati cõsulitur ne in eius necem inter debitorem & debitoris debitorem colludi possit, [9] si ex post facto appareat iam tum fuisse debitum cum nomen debitoris pignori capiebatur. [10] Sed & in eo multum refert, an qui agit in debitorem debitoris fuerit creditor pignoratitius necne? Quod si pignoratitius non fuit, non aliter bene captum pignus intelligitur, quam si alia bona nulla sint mobilia aut immobilia, aut se mouentia. Hæc enim si qua sint prius capi & excuti oportet; [11] quia nomina debitorum non sunt ex iis bonis, quorum obligatio summo & stricto iure permissa sit. [12] Quod non similiter locum habet, si omnia debitoris bona creditori fuerunt obligata. Est enim eo casu in arbitrio & electione creditoris, quænam pignora malit persequi. [13] Nec debitoris debitor iuuari potest exceptione non factæ excussionis, [14] quæ nouo iure competit tertiis possessoribus, [15] quandoquidem vulgatum est iura non possideri. [16] Eo tamen iure vtimur, vt is quoque creditor qui ante sententiam pignus nullum habuit perinde possit iudicati executionem incipere à debitore debitoris sui, etiam cum alia bona sunt, atque si pignori iam antea idipsum nomen habuisset. [17] *Ita Senatus* ex tempore 6. Calend. Aug. 1591. & rursum pro N. Wlliod, 7. Id. Mart. 1593.

1 *L 1. C. hoc tit.*

2 *L. si debitum 3. eod. l. à Diuo Pio 15. §. si rerum, in fin. & §. sed vtrum, D. de re iudic. l. fiscus 6. D. de iur. fisc.*

3 Si debitor debitoris neque delegatus sit, neque debitum constituerit, *l. si soluere, pen. C. de nouat.*

4 De quo etiam loquitur *l. 2. & tot. hoc titul. Cod.* Non enim bona debitoris cuiuslibet sunt tacite obligata creditori, sed ex certis tantum causis, *l. 1. & tot. titul. in quibus causis pigno. D. & Cod.*

5 Potest enim vtroque modo obligari, *l. 4. C. quæ res pign.* Bart. *l. Quintus, §. argento, de aur. & arg. legat.*

6 *d. l. 4.* in postremis illis verbis, *quatenus tamen ipsa debet.* Cui enim permissum est consequens, necessario & permissum intelligitur antecedens, *vulg. l. ad rem mobilem 56. & l. ad legatum 62. D. de procur.*

7 Dummodo tamen probauerit creditoris creditor sibi deberi, *d. l. 4.* Facit *l. 3. C. de nouat. l. vlt. ff. de leg. commiss.* Paris. *cons. 107. num. 65. & seqq. part. 3.* Nat. *cons 300.*

8 Cum inhibitio illa & denunciatio eum excuset ne in moram incidat, dummodo iusta causa fuerit eius faciendæ, *d. l. vlt. de leg. commiss. l. vlt. D. de transact. l. ait prætor 7. §. 1. D. de minor.* maxime vero si ea denunciatio facta sit auctoritate iudicis, vt *in dict. §. 1. l. non videntur 162. §. 1. de reg. iur.* iunct. *l. in damnum 167. eod. l. 4. de aqua & aqu. pluu. arcen. l. iniuriarum 13. §. si quis quod, D. de iniur.*

9 Neque enim id ferendum est, *l. 5. C. de pignor. l. si creditor 15. C. ad leg. Corn. de fals. l. si pariter 9. D. de lib. caus.*

10 Id enim omnimodo probandum est, *dict. l. nomen 4. C. quæ res pign.* in illis verbis: *vsque ad id, quod sibi deberi à creditore eius probaueris.* Est tamen aduersus denunciationes, & vt vocant sequestrationes huiusmodi promptissimum remedium satisdationis, vt scripsi *Defin. 5. num. 3. supr. de prohib. sequestr. pecun.*

11 *d. l. à Diuo Pio 15. § sic quoque, D. de re iudic. l. non prius 4. C. hoc tit.*

12 Vt innuit *d. l. nomen 4.* fin illis verbis, *iampridem placuit, l. postquam, C. de hered. vel act. vend. l. si conuenerit 16. D. de pign. act.* vbi Paulus scribit tuitione prætoria defendi pignus nominis, vt intelligamus non valere ipso iure non magis quam pignus pignoris, licet illud etiam receptum sit, *l. grege 13. §. cum pignori, ff. de pignor. l. 1. C. si pign. dat. sit.* Vtriusque iuris rationem pete ex iis, quæ scripsi *lib. 8. Coniect.*

13 *L. creditoris 8. ff. de distr. pignor. cum similibus.*

14 Qua iuuatur aduersus creditorem non chirographarium in executione iudicati, *d. l. à Diuo Pio §. sic quoque & l. 4. C. hoc tit.*

15 *Auth. hoc si debitor, C. de pignor. & incorp.* vnde sumitur Nouell. 4 *de fideiuss. cap. 2.*

16 *§. incorporales, Inst. de reb. corp. & incorp. l. 3. in princip. & §. 1. ff. de acquir. possess. l. 4. §. si viam l. si alienæ 10. ff. de vsu ap. l. seruitutes 14 ff. de seruit.* constat autem non factæ excussionis exceptionem fauore duntaxat possessionis inductam esse, vt probant verba constitutionis. Vide quæ scripsi de differentiis pignorum conuentionalis, iudicialis, & prætorij *dict. lib. 8. Coniect.*

17 Quasi nihil interesit, neque condemnati vnde soluat id quod omnimodo soluere debeat, neque primi debitoris cui soluat, cum æque liberetur soluendo creditori creditoris sui, præsertim auctoritate iudicis intercedente, vt scripsi *Defin. prox. num. 5. & 6. 3. eod.*

DEFINITIO III.

De pignore per antichresim constituto à debitore debitoris.

QVid ergo si debitoris debitor creditori suo fundum pignori dederat in antichresim? [1] Idem fundus creditori quoque creditoris pignori obligatus intelligetur. Est enim accessio nominis, quod ipsum obligatum est, [2] siue ex cõuentione siue auctoritate iudicis per se aut per apparitorem exequentis iudicatum. [3] Sed an cogetur creditor creditoris cõtentus esse eo pignore? Minime, quia nec creditor ipse cogeretur, sed posset si mallet debitum exigere, eoque accepto pignus reddere. [4] Nisi ponas conuenisse inter debitorem & proprium creditorem vt fructibus fundi in vicem vsurarum contentus creditor exigendi ante certum tempus debiti ius non haberet. [5] Tunc enim nec creditoris creditor ante id tempus exigere poterit, [6] ne plus iuris habere videatur ex persona debitoris sui, quam debitor ipse idemque creditor aduersus debitorem suum esset habiturus. [7] Nimirum si conuentio illa de non exigendo interea debito tum interposita sit cum pignus contrahebatur, aut saltem priusquam creditoris creditori ius vllum pignoris in eo nomine quæsitum esset. Alioqui iure iam quæsito constat nihil fieri posse in præiudicium creditoris. [8] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 3. infr. de compensat.

1 Hoc est ea lege vt creditor fructus pignoris perciperet in vicem vsurarum debiti, *l. si is qui 11. §. 1. D. de pignor. l. si pecuniam 33. D. de pign. act.* De vtraque antichresi expressa & tacita vide quæ scripsi in *Decad. de error pragm.*

2 Ideoque sequitur nomen quod obligatum intelligitur cum sua causa, *l. periculum 30. D. de pign. l. cum ea conditione 68. §. 1. D. de euict.*

Omnis enim vtilitas nominis pignori data captaque intelligitur, nec quicquam hac parte differt pignus conuentionis à iudiciali.

4 *L. 1. C. de pign. l. si pro mutuæ 8. in fin. C. si cert. pet.* Pignoris enim datio non liberat debitorem, at neque venditio, nisi totum debitum creditor perceperit, *l. creditor 28. D. de rebus cred. l. si creditor 26. D. de solut.*

5 Nam & vsuras in futurum tempus acceptas vel in stipulationem deductas esse sufficeret ad inducendum tacitum pactum de non petendo, *l. qui in futurum 67. D. de pact. l. 2. §. pen. D. de doli except.*

6 Est enim id singulare ius fisci, *l. 1. C. de cond. ex leg.*

7 Qui porro ante diem agere non posset, *l. si mandauero 22. in pr. & §. 1. D. mand.*

8 *L. vltim. D. de pact.* Non tamen videtur ius vllum quæsitum creditori creditoris antequam denunciauerit debitori sui debitoris, qui interea potest creditori suo impune soluere, *dict. l. 4. Cod. quæ res pignor.* Cur non igitur & cum eo pacisci? Vide tamen quæ scripsi *lib. 12. Coniect. & infra Definit. 9. numer. 8.*

DEFINITIO IV.

Si creditor idemque debitor pignus, quod à debitore suo accepit, deteriorauerit.

BIU Cujas

AT quid si creditor, qui fundum pignori acceperat in antichresim, eum fecerit male vtendo deteriorem, ita vt vel de dolo vel de culpa teneatur, an nocebit ea res creditoris creditori, cui nihil imputari potest? Nocebit vtique. [1] Etsi enim de pignoris deterioratione non prius quæri solet, quam agatur pignoratitia, [2] quæ porro non competit nisi soluto debito, [3] constat tamen damnum quod in pignore datum est, creditorem in rationem debiti deducere cogendum esse. [4] Proinde quamuis pecunia per debitoris debitorem creditori creditoris soluta, futurum sit vt saluam habeat primus debitor pignoratitiam contra proprium creditorem [5] eundemque pignoris possessorem: [6] Ipsius tamen interest si malit vt ante solutionem damnum quod in pignore contigit imputet creditori creditoris, [7] quandoquidem multo commodius ei futurum sit non soluere quam solutum repetere. [8] Neque vero æquum est meliorem esse conditionem superioris quam proprij creditoris, [9] cum sit etiam quod ei imputetur, cur non fuerit diligentior in exigendo debito, & auferenda pignoris possessione [10] ab eo, quem ex contrario passus est in pignore male versari. [11] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ex ratione posita *in Defin. præced. num. 7.* ne plus iuris habere videatur creditor creditoris ex persona sui debitoris, quam debitor ipse esset habiturus, contra *l. quod ipsis 143. l. ex qua persona 149. l. aliud est 160. §. absurdum, de reg. iur. l. creditor 12. de diuers. temp. præscr.* Facit *l. inuitus 156. §. plerumque, de reg. iur. cum concord.*

2 Quia nec prius quicquam videtur debitoris interesse, *l. si rem 9. §. omnis, D. de pign. act. l. nec creditores 10. C. eod.* Excipe casum *l. vlt. in fin princ. D. eod.*

3 Aut saltem oblato, & si creditor nolit accipere, obsignato *d. l. nec creditores, l. si dominium 9. l. creditor 20. C. de pignor.*

4 *L. creditor 7. C. de pignor. act. l. creditor 15. l. eleganter 24. §. vlt. l. vlt. in princ. D. eod.*

5 *L. debitor 40. §. vlt. eod.*

6 Nam si creditor creditoris possideat illi ipsi soluendum est, quod primo & proprio creditori debetur, atque ita contra ipsum quoque pignoratitia agendum, *l. grege 13. §. cum pignori. ff. de pignor. l. 2. C. si pign. pignor. dat. sit.*

7 Quia imputatio illa cum fiat ipso iure, facit vt tanto minus in debito superesse intelligatur, *argum. l. 1. & 2. Cod. de pign. act. d. l. eleganter 24.* in illis verbis, *illico pignus ancillæ soluatur, D. eod.*

8 *L. 3. D. de compens. l. si stipulatus 13. in princ. D. de fideiuss.*

9 *L. nomen 4. in fin. C. quæ res pign.*

10 Quod vtique pro suo iure facere poterat, *d. §. cum pignori.* iunct. *l. si conuenerit 18. D. de pign. act.*

11 Nam & sola patientia nonnunquam delinquitur, cum quis patitur alium facere quod prohibere posset, *l. Imperator 7. D. qui sin. manumiss. l. 1. C. si mancip. ita venier. d. culpa caret 50. l. nullum. 109. de regul. iur.*

DEFINITIO V.

De executione facta in nomen debitoris alieni pro debito procuratoris.

CVm procurator tuus centum tibi debita exactus esset, idemque tantundem mihi deberet sub omnium bonorum suorum obligatione, egi aduersus debitorem tuum, eique denunciaui ne procuratori tuo solueret. [1] Si velit ipse intercedere [2] siue proprio siue procuratorio nomine, audiendus non est, quippe in cuius potestate sit tantundem tibi soluendo liberationem consequi, [3] cum pecunia sit ex earum rerum numero, quæ recipiunt in suo genere functionem. [4] Cui consequens est, vt aliud dicendum sit, si non genus, sed certa species tibi debebatur. [5] Nisi in rem suam procurator factus proponatur, [6] qualis esse intelligitur, si rationum reddendarum necessitas ei remissa sit, [7] dataque libera exigendi ac pro arbitrio administrandi licentia. [8] Nam qui in rem suam procurator datus est in omnibus fere domini iure censetur. [9] Non idem erit si tu ipse intercedas. Neque enim aut meliorem meam conditionem aut tuam deteriorem facere illud potest, quod cum procuratorem constitueris, qui meus debitor fuit. [10] *Ita Senatus* pro Antonio Fou, 15. Cal. Ianuar. 1592.

1 Secundum ea quæ scripsi. *Defin. 2. num. 3. 5. eod.*

2 Nam si tu ipse intercedas, non est dubitandum quin sis audiendus, cum pro debito procuratoris tui molestiam aut damnum in bonis tuis pati non debeas, sicut nec e contrario, *l. Plautius 61. D de procur. l. penult. D. de compens. l. eius quod 9. Cod. eod. l. 4. in princ. D. de re iudic.* Ratio est in *l. ignorantis 49. D. de procur. & l. vlt. C. si alien. res pig. dat. sit.* & postea est in fine huius Defin.

3 Itaque nihil eius interest, nec proinde audiri debet siue agendo siue excipiendo. *l. ille à quo 13. si de testamento, D. ad SC. Trebell. l. 3. D. de verb. oblig.*

4 *L. 2. §. mutui datio, D. de rebus credit. l. 1. §. re contrahitur, de oblig. & act.* Idque est quod dici solet in pecunia non cogitari corpora, sed quantitatem, *l. si is cui 94. D. de solut.* iunct. *l. 1. D. de contrah. empt.*

5 Quia non similiter species recipiunt in suo genere functionem, *dict. §. mutui, versic. nam in cæteris, l. eum à quo 16. cum seq. C. de solut.*

6 Nam qui in rem suam procurator est domini loco habetur, ita vt ei quoque cuius procurator est in petitionis concursu præferatur, *l. quæ omnia 25. in fin. l. procuratore 55. D. de procur.*

7 Quoniam alioqui procurator quilibet etiam cum liberam rationem administrationis suæ reddere cogitur, præsertim si quid fraude vel dolo egerit, *l. si procurator 10. in fin. C. de procurat.*

8 Hoc vnum tamen non sufficeret, si primum deesset ex iis quæ proxime diximus.

9 *d. l. quæ omnia, d. l. procuratore, l. si quis in rem suam 34. ff. de procur. l. qui stipendia 9. C. eod.*

10 *d. l. ignorantis 49. D. eod. d. l. 1. & vlt. C. si alien. res pign. dat. sit.* Hic tamen videtur eadem exceptio locum habere, nisi procurator in rem suam factus sit, quonjam eo casu solius procuratoris videtur interesse, non etiam eius qui procuratorem constituit, qui proinde si intercedat audiri non debet, *argum. l. vlt. §. Titius, D. de cond. indeb.*

DEFINITIO VI.

Executio facta in nomen debitoris condemnati ita demum valet, si debitoris debitor ex ea executione non lædatur.

DEbitoris condemnati debitor in iudicati executione conuentus fassus fuerat se debere, & consenserat vt nomen suum pignori experetur, [1] sed ea lege vt suum sibi chirographum redderetur, ne quandoque à creditore proprio conueniri posset. [2] Non dubitabatur quin vtiliter pignus captum esset, tametsi condemnati consensus non interueniisset, [3] quia sicut iudicium redditur, [4] ita & executio iudicati in inuitum. [5] Sed an cogendus erit is qui iudicatum exequitur instrumentum illud à condemnato repetere, in eamque rem nouam aduersus illum litem instituere, vt debitoris desiderio satisfiat? Minime, [6] cum alia facilior & promptior ratio sit prospiciendi eius indemnitati, [7] nimirum vt pronuntietur securum & indemnem fore debitorem, qui creditoris sui creditori soluerit ac si proprio creditori soluisset. Tantundem enim proderit soluendi auctoritas iubentis magistratus [8] quantum ipsa chirographi redditio prodesse posset. [9] Dicat aliquis in ciuilibus causis non posse scindi confessionem aut oblationem, sed absolute vel reiici vel acceptari debere, & vt pragmatici loquuntur cum omnibus suis qualitatibus. [10] Verum longe diuersa hæc sunt, scindi oblationem, & per æquipollens satisfieri desiderio & securitati debitoris, [11] licet alia ratione quam ipse voluerit. [12] *Ita Senatus* in causa N. Vulliod. Matrat, 7. Id. Mart. 1593.

1 Quod alioqui summo iure capi non potuisset, vt diximus. *Defin. 2. num. 2. 5.*

2 Ipsius

BIU Cujas

2 Ipsius enim intererat vt suum sibi chirographum redderetur, *l. vlt. C. ad exhib. l. solutione* 18. secundum Cuiacij emendationem, *D. eod.*

3 *L. à Diuo Pio* 15 *§. si rerum. D. de iudic.*

4 *L. inter stipulantem* 83. *§. 1. D. de verb. oblig.*

5 Licet non ab inuito, *l. si iudex* 28. *ff. de minor. l. 2. l. si longis* 7. *l. 8. & 9. C. de exec. rei iud.*

6 Ne alioqui nimis longe res abeat vt *in d. l. à Diuo Pio §. sed si emptor.*

7 Simile aliquid est *in l. stipendia* 4. *C. de execut. rei iudic.*

8 *L. ait prætor* 7. *§. 1. ff. de minor. l. sancimus* 25. *C. de admin. tut. l. 1. C. si in caus. iudic. pign. cap. sit.*

9 Itaque nihil eo nomine interest debitori? *arg. l. qui tabulas* 27. *§. inde potest quæri ff. de furt.*

10 *L. si ita stipulatio* 39. *in fin ff. de oper. libert. l. 2. ff. de bon. libert. l. cum quæritur* 10. *ff. de admin. & peric. tut.*

11 Dici enim solet nihil referre quid ex æquipolentibus fiat *l. 3. C. de inst. & substit. l. si vsusfructus* 35. *§. 1. ff. de vsufr. l. certum* 6. *ff. de reb. cred.*

12 Sufficit enim vt nihil intersit debitoris qui reuera est liberatus, *arg. l. inter causas* 26. *§. si is qui. & l. vlt. §. 1. ff. mandat.* Et satisfieri dicitur ei, cuius desiderium impletur *l. 1. ff. qui satisd. cog. l. huiusmodi* 84. *§. si ita cui. de legat. 1.*

DEFINITIO VII.

Debitoris debitor qui ignorans captum esse pignori nomen suum soluit proprio creditori, omnimodo liberatur.

CVm postulante creditore iura debitoris omnia, nominaque ex causa [1] sequestrantur, constat debitoris debitorem qui postea creditori suo soluerit, ita demum intelligi liberatum, si nescierit sequestrationem. [2] Nam si sciuit siue à creditoris creditore, siue aliunde, & vndecumque sciuerit, imputare sibi debet cur vltro soluerit. [3] Sed an valeat consuetudo vt sufficiat publica præconis voce in loco & more maiorum factam esse sequestrationem? Sic enim apud Augustanos inualuisse quidam dicebant, apud quos fere omnia moribus magis quam legibus reguntur. [4] Placuit tamen ne quidem consuetudine induci posse, vt debitoris debitor, qui eam sequestrationem probabiliter ignorauit (vox enim præconis paucis innotescit [5]) prohibeatur ei soluere cui scit se debere, [6] Ne alioqui materia detur circumueniendæ iustæ ignorantiæ. [7] Posteaque constitit Augustanorum quoque moribus constitutum esse vt ea executio quæ fit in iura, & nomina debitoris legitime significari debeat iis, quos creditoris creditor nolit soluere proprio creditori. [8] Quod ipsum quomodo aliter fieri potest, quam si ex eiusmodi denunciatione certior fiat debitor de iure creditoris exequentis? [9] Proinde quamuis per iuris imperitiam debitor qui bona fide soluit post factam sequestrationem non alleget se liberatum, existimans fortasse non licuisse sibi post executionem licet clandestinam [10] soluere, nihilominus obtinere debet, dummodo probet solutionem: [11] solutio enim facti [12] liberatio iuris est. [13] Itaque cum de eo tantum litigatores contenderent, vtrum ante an post executionem debitor soluisset, idque in obscuro esset, [14] constaret tamen factam solutionem, priusquam debitori denunciatum fuisset ne solueret, pronunciauit Senatus liberatum debitorem, [15] neglecta facti quæstione illa quasi superuacua, de tempore solutionis. [16] *Ita Senatus* in causa N. Cantamor & N. Chatelard. Augustanorum 15. Calend. Februar. 1594.

1 Non enim nisi ex causa eiusmodi sequestratio fieri solet & debet, vt scripsi *Desin. 2. 3. ff. prohib. sequestr. pecun.*

2 *L. nomen, 4. C. quæ res pignor. l. vlt. ff. de transact.* Alieni enim facti ignorantia semper excusabilis est, *l. si fideiussor, 29. in princ. & §. si cum debitor ff. mand. l. vlt. ff. pro suo, l. vero* 12. *§. 2. l. si quis* 18. *ff. de solut.*

3 Poterat enim habere doli exceptionem contra suum creditorem, nj creditor faceret vt sequestrationis impedimentum tolleretur, *arg. l. si cum emptore* 9. *D. de pact. l. si conuenerit* 18. *D. de pignor. action. l. si pecunia* 77. *de legat. 1.*

4 Regulare autem est vt cuiusque loci consuetudinem spectari seruarique oporteat, *l. 1. C. quæ sit long. cons. l. 4. §. vlt. D. de recept. arbitr. cum similib.*

5 *Authens. qui semel. Cod. quomodo & quand. iudex.* Neque nouum est, vt illa etiam quæ in iudicio & publice fiunt, non facile credantur innotuisse. *Authent. hanc autem, Cod. de non num. pecun.*

6 *L. 12. §. 2 l. si cum Cornelius* 82. *l. 32. aliud est* 106. *ff. de solu. l. cum qui* 41. *ff. de rebus cred.*

7 Quæ tamen circumueniri, damnumque afferre non debet. *§. item si adhuc, Institut. de mandat. l. si præcedente* 58. *dict. l. si fideiussor.* 29. *in princip. & §. 1. & 2. l. inter causas* 26. *§. 1. D. eod.*

8 Vt & in specie *d. auth. hanc autem.*

9 *d. l. nomen d. l. aliud est, dict. l. si fideiussor. § si cum debitor.* Facit *l. 5. §. item si quis ff. de condict. caus. dat.* Potest tamen aliter etiam quam per denunciationem nota fieri sequestratio debitori, scilicet per proscriptionem, de qua *in leg. sed si pupillus* 11. *§. de quo palam*, iunct. *§ sequent. ff. de inst. action.*

10 Clam enim fieri dicitur, quicquid fit ignorante eo cui denuntiandum fuit, *l. 3. §. clam facere. ff. quod vi aut clam.*

11 Hic enim optime locum habet *tit. C. vt quæ des. aduoc. part. ind. suppl.*

12 *L. consilio* 7. *§. vlt. ff. de curat. fur.*

13 Certi enim sunt modi ad hoc inducti iure ciuili, vt quod alicui deberi cœpit desinat deberi *l. obligationum fere* 44. *§. placet, de oblig & act.* Inter quos est solutio, cuius potestas illa est, vt non tantum iuris auctoritate sed etiam naturaliter obligationem dissoluat, *l. verborum* 107. *ff. de solut. & tit. Inst. quibus mod. toll. oblig. in princ.*

14 Vt solent plerumque obscuræ esse quæstiones facti non iuris, *l. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonstr. l. 2. ff. de iur. & fact. ignor.*

15 Hic enim plus in re erat quam in existimatione, ideoque ignorantia iuris non impedit potestatem iuris, vt nec in specie, *l. regula* 9. *§ qui ignorauit ff. de iur. & fact. ignor.*

16 Non enim superuacuis quæstionibus, cautionibus aut probationibus litigatores onerandi sunt, *l. quidam* 21. *ff. de reb. credit. l. hæc stipulatio* 14. *§. 1. vt legat. nom. cau.*

DEFINITIO VIII.

Confessio debiti facta coram apparitore iudicatum exequente an & quatenus probetur ex solius apparitoris relatione?

VRgente creditoris tui creditore, apparitor, qui iudicatum exequebatur, sic contra te egerat ac si tu condemnato debitori aliquid debuisses, [1] suaque relatione testatum fecerat inhibitum à se tibi ne condemnando quantitatem illam solueres quam tum esses confessus illi te debere ex causa venditionis, nihil vero aliud à te responsum nisi daturum te operam ne iudicis imperium neglexisse videreris. [2] Postea conuentus vt eam pecuniam exsolueres negasti quicquam te debere. [3] Quæsitum est an apparitoris testationi credi vsque adeo deberet, vt ex confessione tua tanquam debitor condemnari posses? [4] Absurdum namque videbatur, vt ex solo & ipsius scripto & testimonio obligareris, si non aliunde constaret te debere. [5] Visum est credendum hac parte parte apparitori, [6] quoniam ea relatio ad officium exequentis, & ad necessitatem executionis, de qua agebatur pertineret, [7] alioqui nec ei credendum esse in eo, quod referret à te responsum esse curaturum te ne iudicis imperium videreris neglexisse. [8] Nam si nihil tum debebas, cur non ingenue & aperte respondebas nihil te debere? [9] Ita enim effecisses vt aliam exequendi iudicati rationem victor creditor indagasset, [10] cuius nunc ineundæ facultas fortasse nulla sit facto tuo, qui quasi debitor esses, executionem illam non improbaras: Fereque est vt in dolo esse videare qui per dissimulationem tuam iusto creditori damnum infligi velis. [11] An ergo si reuera nihil debeas, nullus veritati locus supererit? Imo supererit. Semper enim attendendum est quid sit in veritate, [12]

BIU Cujas

Nec erronea confessio nocere potest errore probato,[13] quæ res indebiti quoque condictionem solet inducere.[14] Neque vero fieri potest vt plus iuris contra te habeat victor ex persona condemnati, quam is ipse qui condemnatus est, & cuius ille te asserit debitorem.[15] Sed hactenus tamen confessio tua coram apparitore & testibus facta tibi oberit vt interea per fiduciæ speciem condemnandus sis,[16] Vtque cum eodem creditore disceptandum habeas, an debeas, necne, cum tamen si ab initio negasses te debere nullum illi ius contra te agendi competiisset.[17] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro N. de Grenand, contra D. de Vaugrenieuse, 7. Calend. Februar. 1594.

1 Secundum ea quæ scripsimus. *Def. 2. 3. eod.*

2 Quod apparitores & executores nostri sic exprimere solent, *lequel a fait response qu'il sse gardera de mesprendre.* Non enim potest dolo ca ere qui magistratus imperio non paruit, *l. non potest, 199. iunct. l. qui vetante 102. de reg. iur. l. iniuriarum 13. § si quis, D. de iniur.* Iudicis siquidem auctoritas semper excusat, *l. 4. in princip. D. de aquâ & aqu. pluu. arcend.* tum etiam cum inique aliquid iubet vel decernit, *l. ait prætor 7. D. de minor.*

3 Quod tamen dicere & præmonere debueras tempore executionis ad eam impediendam, *l. à Diuo Pio 15. §. sed si emptor. D. de re iudic.*

4 *Arg. l. 1. 3. 5. 6. & pass. D de confess.*

5 Multorum enim apparitorum praua admodum venalisque perfidia est, & ideo compescenda potius quam adiuuanda *l ne diu 21. Cod. de pœn.* Vnde illud etiam est quod de relationum, per eos factarum fide, etiam citra solemnem inscriptionem quæri potest ex iuris ratione, *l ea quidem 7. C. de accusat.* Inde etiam, quod huiusmodi apparitores qui per huiusmodi relationes quas & notoria & notorias lex vocat, *d. l. ne diu notoriis suis adsistere iubentur, l. ab accusatione 6. §. nunciatores, D. ad SC. Turpill.* non aliam ob causam quam vt eorum notoriis maior fides adhibeatur. Alioqui ea demum confessio solet nocere saltem ad transferendum onus probandi in consistentem, quæ fit apud acta, *l. interrogatam 24.* vbi Gothofr. *C. de lib. caus.*

9 *L. si fideiuss. 27.* ibi *præsentibus autem tabulariis hoc confessus est, Cod. de fideiuss.* alioqui incerta erunt ea litium plena omnia, si apparitoribus officium exequentibus non credatur. Quam ob causam iure nostro prouinciali cautum est, vt aduersus eas relationes apparitorum si quis impugnare volet perinde necessaria sit solemnitas inscriptionis ac contra publicum instrumentum, si modo vnius testis fide nitantur, aut impugnantis subscriptione. Nec enim videtur confessio huiusmodi facta esse absente parte, aut omnino extra iudicium, cum & auctoritate iudicis fiat executio, & factum iudicis & apparitoris censeatur factum partis, *argum. l. certum. 6. §. si quis absente, versicul. certe, D. de confess. l. 1. Cod. si in caus. iudic. pignor. capt. sit.*

7 In iis enim quæ sunt extra causam executionis & officium executoris constat non credi apparitori quantumlibet exequenti Ioan. Papon. *in syntagm. Arrestor.*

8 Quorsum enim iuberentur apparitores relationem facere & quidem in scriptis, si nec in iis, quæ ad ipsorum officium spectant fides vlla relationibus adhiberetur? Aut cur ei potius credamus qui semper sit negaturus id quod relatione continetur, si damnum timeat ex relatione? *arg. l. inter stipulantem 83. §. 1. in fin. D. de v. rb. obligat.*

9 Tacere enim nocet quandoque *l. clarum, 4. C. de auctor. præst.* nimirum cum ex ea taciturnitate aduersarius læderetur si non haberetur illa pro consensu, *vt in l. pen. Cod. de recept. arb. auth. ad hoc,* ib *aut sciens eam duci tacuit ex studio, C. de Latin. libert. l. 3. §. 1 l. vero 39. D. de act. empt.* Denique in iudicialibus qui tacet consentire videtur. Nisi potius interfit aduersarij vt pro negante habeatur quo magis in solidum conueniatur, *l. de ætate 11. §. qui tacuit de inter. in iur. fac.* Executio autem iudicati quæ fit per apparitorem licet fiat extra iudicium, habetur tamen pro actu iudiciali, quia fit calore & vigore iudicij, *l. 3. & vlt. Cod. de exec. rei iudic.* Imo plus auctoritatis & fauoris habet quam sententia, quia contra eam appellari non potest, *l. quoniam 21. C. de app. l. 4. D. eod. l. ab executione 5. C. quor. appell non recip. l. 1. C. de iur. & fact. ignor.* Et ipsa est quæ totum facit *l. habere 57. D. de euict.*

10 *d. l. à Diuo Pio. § si rerum, vers. sed illud.*

11 *Arg. l. pen. ff. de dolo, l. qui se liti 45. D. de petit. hered.* Indeque est quod dissimulans habendus est pro consentiente, *l. 2. C. de bon. libert.* Facit *l. qui tacet 142. de reg. iur.*

12 *Argum. l. Imperatores 29. in fin. D. de probat. l. illicitas 6. §. veritas, de offic. præsid. l. verba 6. C. de testam.*

13 Quia nec errantis consensus vllus est, *l. si per errorem 15. D. de iurisd. l. 2. D. de confess.*

14 Si modo error fuit facti non iuris, *dict. l. 2. de confess. l. 2. l. error 8. & seq. D. de iur. & fact. ignor. l. cum quis 10. & pass. Cod. eod.*

15 Dixi *Def. 1. num. 11. 5. eod.*

16 Quia in dubio magis credendum est apparitori publicam personam gerenti & cuius nihil interest, quam tibi qui semper negaturus es quod verum esse nolles, *dict. l. 83. §. 1. de verb. oblig.*

17 *dict. §. si rerum & §. sed vtrum eiusd. l. à Diuo Pio, l. 3. Cod. hoc tit.*

DEFINITIO IX.

Resolutio venditionis ex cuius causa emptor precium debebat, an & quatenus obsit emptoris creditori, eidemque cessionario precium illud postmodum exigere volenti.

CVm deberes mihi centum pro precio fundi quem ego tibi vendideram, ea cesseram actione quæ mihi contra te competebat, creditori meo, tu denunciatam tibi cessionem ratam habueras, teque ipsi soluturum promiseras,[1] professus nihil tua interesse cui solueres. Postea superuenientibus aliis quamplurimis creditoribus hypothecariis, qui in eo erant, vt fundi possessionem per quasi Seruianam auocarent, conuenerat inter nos vt ab emptione discederetur. Quærebatur, an ideo esses liberatus, quo minus cessi precij nomine conuenirr posses ab eo cui cessio facta erat? Mouebat quod non plus iuris habere posset meus creditor idémque cessionarius, quam ego ipse,[2] Constabat autem non potuisse me precium petere imminente periculo euictionis in ipso limine contractus (Siue euictioni causam illud dedisset, quod aliena res esset vendita, siue quod res fuisset alteri obligata[3]) nisi præstita prius satisdatione.[4] Quid vero si satisdare non potuissent? Sed tamen rectius visum est ius creditoris cui facta erat cessio, quique eam cessionem tibi denunciauerat non potuisse tolli ex sola nostra voluntate, quod fuerat irreuocabiliter quæsitum:[6] Præsertim cum à contracta perfectaque emptione ego & tu mutuo consensu potius quam ex iuris ratione[7] discessissemus. Quamuis soleat dici cessionem solam etiam adprobatam non facere vt debitor liberetur à creditore.[8] Id enim eo pertinet, vt si post cessionem solutum sit pristino creditori contingat ex ea solutione liberatio, sed vt non liceat cedenti in præiudicium ignorantis cessionarij[9] pacisci cum debitore.[10] Quia tamen ex facto proponebatur & probabatur, instantibus aliis creditoribus anterioribus, facta iudiciali auctoritate eiusdem pecuniæ sequestratio,[11] Placuit absolui te debere, ni creditor ille meus & cessionarius curaret vt ea sequestratio tolleretur:[12] Quoniam quod tu denuncianti cessionario respondisses paratum te soluere, interpretationem illam recipere deberet, si non ab aliis quibus prohibendi ius esset soluere prohibereris.[13] Præsertim iudicis auctoritate interueniente, quæ semper excepta intelligi debet.[14] Alioqui eueniret vt qui non nisi centum debeas plus quam centum soluere cogereris, quod aperte iniquissimum esset.[15] Plane non esset causa illa sufficiens ad denegandam solutionem, quod si creditori meo eidemque cessionario solueres, tumque fundus hic tibi euinceretur per creditores anteriores, fieret vt & rem & precium amitteres.[16] Imputare enim tibi debes cur mecum tam incaute contraxeris, nec melius tibi prospexeris.[17] *Ita Senatus* in causa Ioannis Guichard & Claudij Boutier 6. Calend. Iun. 1594.

1 Citra

1 Citra delegationem: facta enim delegatione res non haberet dubitationem, *l. si quis* 12. *l. doli* 19. *D. de nouat. & deleg.*

2 Dixi *Def.* 1. *num.* 11. 5.

3 *L. Hevennius* 63. §. 1. *D. de euict. l.* 3. 4. 5. *C. eod.*

4 *L. si post persectam* 14. *C. eod. l. pen. §. 1. D. de peric. & commod. rei vend.*

5 Nec enim satisdandi facultas semper & cuilibet præsens ac expedita est, *l. omnes* 33. *§. præterea cum, C. de epise. & cleric. l. postquam* 5. *§. 1. vt legat. nom. caueat.*

6 *Arg. l.* 3. *l. de nouat.* iunct. *l. vlt. D. de pact.*

7 Id est ex necessitate, contractus enim resolutio quæ est voluntaria non potest perimere ius quod medio tempore fuit alteri quæsitum, secus si sit necessaria, *l. ex vestigali* 31. *D. de pign.* iunct. *l.* 1. *D. qui potior. in pign. hab. cum similibus DD. ad l.* 3. *C. de rescind. vend.* Scripsi *Decad.* 25. *de error. pragm.*

8 *L.* 3. *C. de nouat.* iunct. *l.* 1. *eod.* Scilicet si delegatio nulla facta sit, *l.* 2. *eod.*

9 Facilius enim est vt solutio facta vero creditori noceat cessionario, quam vt pactum cum eo initum *l. fugitiuus* 19. vbi vide rationem *ff. de solut.*

10 Scripsi susius *lib.* 12. *Coniect.* vbi omnino vide.

11 Nam qui pro suo iure pecuniam exigere & executionem vrgere possunt, multo magis & pecuniæ requestrationem petere, quæ nec ob aliam causam regulariter prohibita est, quam quod non sit incipiendum ab executione, *l. vnic. D. de proh. seq. pecun.* Facit *l. non debet cui* 21 *de reg. iur.*

12 Remouendi enim impedimenti cura sumptusq; ad eum semper spectat, cuius interest remoueri, *l. sed esti* 11. *§.* 1. *D. ad exhib. l. si in Asia* 22. *§.* 1. *ff. depos.*

13 *Arg. l. si cum Cornelius* 82 *ff. de solut.*

14 Vt & alterius cuiuslibet superioris etiam in iureiurando, Bald. *in l. vlt. §. in computatione, C. de iur. de lib.*

15 *L. nomen* 4. ibi *quatenus tamen ipse debet. C. quæ res pign.*

16 Me scilicet existente non soluendo, alioqui tenerer tibi de euictione ad indemnitatem præstandam, quam & effectu ipso præstarem, vt scripsi *nu.* 3. *sup.* Etsi dici solet neminem ideo obligari, quia recepturus sit ab alio quod ipse præstiterit, *l. nemo ideo* 17. *de regul. iur.*

17 Etsi enim id ego tibi honeste obiicere non possem, cessionarius tamen meus potest, cui promisisti te soluturum, & cum sufficit quod te debitorem meum adeoque suum agnoueris. Poteras autem & debebas curare vt tibi satisdarem de euictione, si meæ facultates tibi erant suspectæ, *l.* 7. *l. de exceptione,* 11. *& pass. C. de euict. l.* 4. *l. emptori* 37. *l. si dictum* 56. *in prine. ff. eod.* iunct. *l. qui cum alio* 19. *de reg. iur.*

DEFINITIO X.

Is cuius liberatio in pendenti est conueniri interea non potest. Et de potestate mandati. De soluendo, ac in quo differat à delegatione.

DEbebam tibi centum, nec habebam pecuniam in numerato. [1] Vendidi Titio fundum dignum centum ea lege vt tibi pro me solueret, te tamen inscio [2] nemineque pro te stipulante. [3] Si qua ratione licet citra denunciationem sciueris quod inter me & Titium gestum est, eique mandaueris vt pro te tantundē, plusve minusve erogaret, data illi electione vtrum eam pecuniam in diminutionem precij, quod tibi pro me soluere debebat, & exonerandi sui gratia solutum vellet, an potius obligandi tui causa; [4] Non potes à me centum petere priusquam Titius electione sibi data vsus sit, suamque voluntatem declarauerit, [5] quia æquum est partam mihi liberationem intelligi, si Titius fidem exsoluens meo nomine soluerit tibi consentienti, quod ego tibi, ipse mihi debebat. [6] Itaque interim est in pendenti, vtrum ego tibi quicquam debeam. [7] Quo incerto non est tibi permittendum vt à me exigas. Nihil enim refert ad remorandam executionem an certum sit non deberi, an incertum sit deberi. [8] Plane si Titius maluerit te sibi obligare, quam seipsum exonerare, non eo minus poteris contra me agere, quod ei vendiderim & mandauerim vt tibi solueret, quamuis id mandatum tu quoque ratum habueris. Neque enim ratihabitio illa delegationi similis videri potest, vt ego à te videar liberatus. [9] Nam si cessionem nominis feciisse non sufficit ad acquirendam liberationem, [10] Multo minus sufficiet mandatum debitori factum de soluendo alteri, tametsi alter ille sciuerit quousque secuta sit solutio aut quid aliud simile quod solutionis vim habere possit. [11] Mihi tamen aduersus Titium actio competet in id quod interierit mea. [12] *Ita Senatus* in causa R. D. Abbatis Ambroniacensis, & N. Ioannis Dionysij Cauet, 3. Non. Iun. 1594.

1 Nec enim numeratio totius debiti semper est in expedito, inquit Vlp. *in l. si dubitet* 10 *ff. de stipulat. seruor.*

2 Nam & inuito te potest alius tibi pro me soluere, adeoque me etiam ignorante, & quod plus est inuito, *l. soluendo* 39. *ff. de negot. gest. l. solutione* 23. *D. de solut.* licet futurum sit vt non habeat contra me negotiorum gestorum actionem is, qui me specialiter prohibente soluerit creditori meo, *l. vltim. C. de negot. gest.*

3 Nam si quis pro te stipulatus esset, delegatio facta videretur, quæ nec inter absentes nec sine stipulatione contrahitur, *l.* 1. *&* 2. *C. de nouat. & deleg.*

4 Cum enim nullam contra Titium ex meo contractu habeas actionem, non sine causa debuisti ei dare electionem, vt tanto magis ad solutionem pro te faciendam eum inuitares. Alioqui posset, si mallet mihi soluere, & potest illius interesse, vt te obliget potius quam vt se liberet à me, quem expertus sit patientem creditorem.

5 Est enim hic casus ex iis, in quibus quid iuris antea fuerit apparet, ex postfacto, *l. qui res* 98. *§. rem autem ff. de solut. l. hinc scripturæ,* 15. *§.* 1. *ff. ad leg. Aquil.*

6 Nihil enim interest an ego tibi soluerim an pro me alius, præsertim te consentiente, *d. l. soluendo, d. l. solutione.*

7 Pendente enim causa pendet causatum, *l.* 12. *§. vlt l. sed esti quid* 25. *§.* 1. *ff. de vsufruct. l. seruus* 43. *§.* 1. *ff. de acquirend. rer. dom.*

8 *L. qui promisit* 48. *l. sufficit* 56. *de cond. ind. deb.* vbi scriptum est ex huiusmodi incertitudine non tantum impediri exactionem sed etiam induci condictionem.

9 Nam, qui mandat alij vt soluat etiam consentiente creditore, non eo minus obligatus manet quamdiu solutio facta non est.

10 *d. l.* 3. *C. de nouat. l. pupilli* 96. *§. soror. ff. de solut.*

11 Quia tandiu mandatum illud reuocari potest re integra, *l. si cum Cornelius* 82. *ff. eod. de solut. l. mulier,* 72. *§. vlt. D. de iur. dot. l.* 2. *C. eod.*

12 *L. vero* 2. *§. pen.* ibi *quid certam ff. de solut.*

DEFINITIO XI.

Debitor debitoris cuius nomen pignori captum est nullomodo interim potest vrgeri à suo creditore, nec si cum eiusdem creditoris sui creditore collusserit.

DEbitor qui postulante creditoris sui creditore prohibitus est per iudicem ne creditori proprio solueret, si ab eo conueniatur, cogendus non est de primi creditoris iure docere, [2] Nec si collusio inter primum creditorem & debitorem hunc interuenisse dicatur. [3] Pertinet enim ea res ad eius curam cuius odio interdicta est debitori facultas soluendi, [4] sufficitque ad exonerandum debitorem vt suo creditori non possit tuto soluere, [5] postquam placuit nomen quoque debitoris in executione capi posse. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Iuxta ea quæ scripsimus *Defin.* 7. *sup.*

2 Sufficit enim vt docent de iudicis imperio, cui non potuit non parere, adeo vt nec ab eo appellare potuerit aut debuerit tanquam cuius nihil interest, *l. ait prætor* 7. *§.* 1. *in fin. ff. de minor.* Cum non audiantur appellantes nisi quorum interest, *l.* 1. *ff. de appell. recip.*

3 Nullum enim damnum ex hac collusione sentit creditor idemque verus debitor cum soluere habeat necesse.

4 Vt probet se nihil debere ei, qui se dicit creditorem, aut vt ei soluat, quod vtrumque non nisi cum ipso creditore fieri potest, non cum primo debitore cuius nihil interest.

5 Non enim tuto soluit qui contra iudicis præceptum soluit, ideoque nec liberatur nec excusatur, vt pote qui sit in dolo, *l. non potest dolo carere* 199. *de regul. iur.*

6 *L. etiam nomen* 5. *C. de execut. rei iudic. l. à Diuo Pio. §. si rerum & §. sed vtrum, ff. de re iudic.*

BIU Cujas

TIT. XI.

DE HEREDIT. ACTION.

DEFINITIO I.

Hæres an & quando & quatenus venire possit contra factum defuncti?

HERES etsi personam defuncti sic repræsentat, vt idem propemodum esse existimetur,[1] adeo vt & in vitia omnia etiam ignorans succedat,[2] & quod magis est in malam fidem, quam defunctus habuit,[3] interdum[4] tamen potest ex proprio iure[5] id improbare, quod à defuncto gestum est, adeoque licet ex defuncti persona de euictione teneatur.[6] Nimirum si defunctus contra leges paciscendo[7] suum duntaxat non etiam sui hæredis factum promiserat. Qui enim alteri succedit, non aliter hoc ipso ratum habere factum defuncti intelligendus est, quam si defunctus illius nomine quem postea successorem habuit aliquid gesserat, vel spoponderat ratam eum rem habiturum.[8] *Ita tractatum est* in causa D. de Chastillion & Dominarum de Bouuant & d'Aiguebelete, Prid. Non. Iun. 1588.

1 Cum sit vniuersi iuris successor, *l. nihil aliud 24. ff. de verb. signif. l. heredem 59. l. hereditas 62. de reg. iur.*

2 *L. 4. §. heres qui D. de vsucap. l. cum heres 11. ff. de diuers. temp. præscript.*

3 Vt tenent Canonistæ *ad cap. si diligenti, & cap. vlt. Extr. de præscript.*

4 Regula enim est in contrarium vt non possit heres improbare factum defuncti, cuius hereditatem agnouerit, *l. cum à matre 14. C. de rei vindic. l. 3. C. de rebus alien. non alienand. l. si ab eo 7. C. de lib. caus. l. filium 30. D. eod. l. consensu 8. §. pen. C. de repud. l. 2. in fin. C. si in fraud. patron. l. vlt. C. de contr. & commit. stipul. l. siue possessio 14. C. de euict.* Vide omnino quæ scribam *ad Defin. 4. j. eod.*

5 Neque enim nouum est vt quibusdam casibus plus aut minus iuris habeat hæres quam defunctus, *l. si per imprudentiam 51. §. non mirum, D. de euict. l. 5. §. 1. D. de diuers. temp. præscr.*

6 *L. Seia 72. D. eod.* Olaich. *decis. 181. num. 15.*

7 Adde *& in fraude filij arg. d. l. 2. in princ. C. in fraud. patr.* Vide omnino Olasc. *Decis. Pedem. 180.* vbi ponit multas limitationes *ad d. l. cum à matre.*

8 Intellige nisi quatenus habet ex bonis defuncti, etiam si sit heres cum beneficio legis & inuentarij, Boer. *qu. 23. num. 17. vers. Et si tenetur.* Vbi addit, si dominus succedat non domino, qui non tenebatur de euictione, eatenus duntaxat repellendum esse dominum, quatenus ex defuncti hæreditate lucratus est, licet inuentarium non fecerit, *ex d. l. si ab eo 7. C. de liber. caus.* Idem est si defunctus quidem tenebatur de euictione, hæres autem idemque dominus non teneatur, vt puta si pater aut mater in hæreditate filij non reperiat legitimam propter æs alienum, quod absorbeat totam hæreditatem si credimus Bart. quem refert & sequitur Boer. *d. qu. 23. num. 17. in fin. & 20.* Adde Baldum *in l. qui se patris col. 9. vers. item quæritur si vasallus, C. vnd. lib. & in l. rem alienam col. 2. ff. de pign. act.* Crauet. *cons. 200. num. 7.* Iunge *Defin. 4. infr.*

DEFINITIO II.

Ius redimendi rem à defuncto venditam sub pacto de retrouendendo est indiuiduum, ideoque singulis heredibus in solidum competit.

SI is, qui ex lege venditioni adiecta ius habebat redimendæ rei venditæ, pluribus hæredibus relictis decesserit, cuilibet in solidum actio competet ante diuisam hæreditatem, acceptumque eo nomine inter cohæredes iudicium familiæ erciscundæ, vt res retrouendatur.[1] Propterea quod tradendi obligatio indiuidua sit, nec sit arctandus vnus ex hæredibus venditoris, vt in redimendo cogatur contentus esse venditione patris, cum ab initio non fuerit emptor partem empturus, qui rem totam emit.[2] Eandem enim rationem esse conuenit distrahendi negotij quæ fuit contrahendi.[3] Adde, quod si vni ex heredibus venditoris pro qua tantum parte heres esset retrouenditio fieret, euenire vt ne pro ea quidem parte facta videretur, cæteris nimirum cohæredibus in eadem parte suas portiones vindicantibus, vtpote nulladum hæreditatis facta diuisione.[4] Ita fit vt non aliter contingentem sibi portionem redemisse videri vnus ex hæredibus possit, quam si rem totam redemerit,[5] Neque tamen emptori cauere cogetur de indemnitate aduersus cæteros cohæredes præstanda, cum satis contra omnes ipso iure tutus sit, qui vni ex hæredibus retrouendere coactus fuit.[6] Sed vtile erit cohæredibus qui non redemerunt familiæ erciscundæ iudicium aduersus cohæredem qui redemit, si parati sint soluti precij partem numerare, nec velit ille rem à se redemptam eaque de causa factam hæreditariam communicare.[7] *Ita Senatus* pro D. de Lanfrey, contra Claudium Berger, 14. Cal. Ianuar. 1589.

1 *Arg. l. heredes 25. §. an ea & seqq. D. fam. ercisc. l. quod si vno 13. D. de in diem addict.*

2 *L. si quis aliam 46. D. de solut. l. tutor, 47. §. curator. de minor.* [Eadem ratio facit vt vnus quoque ex pluribus emptoris hæredibus conueniri in solidum possit ad retrouendendum & cogi retrouendere siue solus ipse possideat, qui casus minorem habet dubitationem, sed etiamsi omnes simul possideant. Tiraquell. *de retr. conuent. §. 1 gloss 9. num. 41. & seqq.* post Socin. *cons. 253. dub. 4. lib. 2. Ex l. 3 §. heres D. commod. l. 2. §. vlt. de præt. stipul. l. si plures* & ibi Bart. *de vi armat. l. qui fundum §. si in ex parte ad leg. falcid. Ita Senatus* pro N. Carolo Emanuele Roffier, mense Decemb. 1611. Iunge *Defin. 9. sup. fam. ercisc.* Obserua autem in hoc obligationis & contractus genere esse etiam locum iuri adiescendi, vt si forte vnus ex heredibus partem suam iuris huius amiserit, ea cæteris cohæredibus adcrescat. Socin. *cons. 1. vol. 4.*]

3 *L. plane 21. D. de condict. indebit. 3. l. prout, 80. de solut. l. nihil 35. de regul. iur.* Denique quod vno & indiuisibili consensu celebratum est diuidere non oportet, inquit Bart. *com. 95. incip. Lancelotus.*

4 Habet enim vnusquisque ex condiuisoribus partem suam vel in minima parte glebæ communis & hereditariæ. Ideoque succurri semper solet ei qui non aliter parte sua frui possit, quam si socij quoque portionem tractet, vtputa si quis ædificare velit insulam sibi communem cum eo, qui nullam sumptuum partem conferre velit, *l. si vt proponis 4. C. de ædific. priuat. cum concord.*

5 Nam cum non possit redimere nisi iure hæreditario, sit proculdubio hæreditaria pars illa quæ redempta est, & consequenter communis, licet videatur cohæres qui redemit in extranei emptoris potius quam in defuncti venditori ius hac parte successisse, *argum. l. an vitium 5 §. ex facto, ff. de diuers. temp. præsc.* Sed loquitur ille textus de herede qui redemit rem, cuius redimendæ ius nullum habebat tanquam heres, sed tantum quasi alius quilibet extraneus, vt probant verba illa vltima, *quemadmodum si ante redemisset sic deinde heres extitisset.* Nos contra loquimur de eo qui redimendi ius habuit tanquam heres, qui ideo non potest haberi similis extraneo, quo minus coheredibus suis bonam fidem præstare in omnibus teneatur, exemplo eius quod licet in alia specie scriptum est, *in l. si mandatu 59 §. 1. ff. mandat. l. fideiussor 26. in princ ff. de pign. l. 2. l. 5. §. 1. ff. de distr. pignor. l. 1. C. de dolo.* Facit *l. & puto 16. §. sed eisi dolo ff. famil. ercisc.*

6 *L. 2. 3. & 4.* iunct. *l. si pulationes non diuiduntur 7. ff. de verb. obligat.* vbi scriptum est stipulationem *fundum tradi* esse indiuiduam, ideoque ex ea vt ex cæteris omnibus indiuiduis & singulos hæredes promissoris in solidum teneri consequens est, & singulis hæredibus stipulatoris actionem ipso iure in solidum dari. [Bene autem habet Defin. *coactus fuit*, quia vix est vt dolo careat is, qui vltro vni offert quod pluribus debetur, si non vel iubeatur à Prætore vel saltem interpelletur ab eo cui soli soluit quod scit se omnibus debere *l. 1 §. si pecunia ff. depos. l. si stipulatus 81. §. 1. ff. de solut.* Ergo si quis pecuniam sub pœna vel sub pignore debitam soluat vni ex pluribus creditoris hæredibus vt totum pignus liberet quod indiuiduum est, non tantum pignus in solidum liberat ab hypothecaria sed & seipsum a personali actione, dummodo nihil faciat dolo malo, sed interpellatus ab eo cui soluit, si nolit expectare

BIU Cujas

pectare vt cogatur per Prætorem, quod sanè tutius est, *d.l.si stipulatus* §.1. Sed & si primus conueniatur nec vltro agat vt liberetur, potest desiderare vt is qui conuenit satisfaciat de eo defendendo *d.§.si pecunia*. Præsertim si alij cohæredes sint præsentes vt iis quoque offerri debuerit.]

7 *Arg d.l.2.§.ex his igitur, & §.item si, d.l.heredes* 25.§ *contra quoque & seqq. præsertim §.si vnus ex coheredibus, D.famil. ercisc.* iunct. *d.l. & puto* 16.§. *sed etsi dolo. eod.*

DEFINITIO III.

Causa restitutionis in integrum exerceri potest contra solum heredem cum beneficio inuentary, etiam non vocatis creditoribus hereditariis, licet possint illi adesse si velint.

IMpetrata in integrum restitutio aduersus emptorem, qui pendente lite decesserit relicto hærede cum beneficio legis & inuentarij, perinde exerceri potest contra hæredem solum, hoc est nec vocatis nec auditis creditoribus & legatariis, ac si is pure heres esset, [1] cum is legitimam contradicendi personam habeat, [2] & ipsa in integrum restitutio quamuis in personam detur in rem tamen scripta videatur, [3] postquam morib. nostris receptum est vt rescindens, quod aiunt, cum rescissorio cumulari possit. [4] Ideoque nec ad instantiam discussionis remitti actor potest; [5] Nec solum si aduersus emptorem viuum implorata sit restitutio, sed etiamsi ante imploratam eam defunctus sit is qui potuit conueniri. [6] Plane si liti adesse velint creditores & legatarij quorum vtiq; interest ne in eorum necem colludatur, non sunt prohibendi. [7] *Ita tractatum est* in causa Ioannæ Ioly, & heredum Petri Gleyron, 12.Cal.Mart.1593.

1 Quoniam non facit beneficium inuentarij quo minus heres vere heres sit, sed tantum ne supra vires & facultates hereditarias teneatur, *l.vlt.C.de iure lib.* In quo plerosque ex rudioribus pragmaticis nostris vulgo falli video, qui de huiusmodi hærede cum beneficio legis & inuentarij sic passim loquuntur, quasi non habeant eum pro vero hærede. De quo plura scripsi *in Decad.1.de error.pragmat.*

2 Quippe qui solus iuris successor est, *l.quoties* 9. §. *heredes* 12. *D.de hered.inst.* defunctique personam repræsentat, vt diximus, *Defin.1 sup.* Facit *l.si ideo* 55. in illis verbis: *etenim actam esse causam patam est, & æquis est ab eo cui ius agendi fuit causam esse actam D.de euict.*

3 Præsertim illa quæ competit ex edicto, *quod met. caus. l. metum*, 9.§. *animaduertendum quod met.caus.* Interdum etiam illam, quæ datur minoribus, *l.in causæ* 13.§ *interdum, D. de minor.*

4 De quo videnda sunt quæ nos contra hunc pragmaticorum errorem fusissime scripsimus, *Decad.Err.1.& seqq.*

5 Ad quam remitti solent illi duntaxat, qui non nisi puras mereque personales actiones exercent.

6 Idem enim ius est hæredis quod fuit defuncti in restitutionibus in integrum siue petendis siue excipiendis, vt & in cæteris fere omnibus, *l.non solum 6. D de in integr. restitut. l.minor autem*, 18.§.*vltim.D.de minor l.Pannonius*, 86. *D.de acquirend. hered.*

7 *L.si suspecta* 29. *D.de inoff. test. l.à sententia*, 5.§.§. *si heres, l.si pertusorio* 14. *in princ. D.de appell.*

DEFINITIO IV.

Filius idemque heres patris an & quando factum ipsius improbare possit?

POteſt filius venire contra factum patris defuncti si quid à patre gestum sit perperam & contra leges, licet sit ipse hæres patris, dummodo non veniat tanquam hæres [2] sed proprio iure, id est, ex legis aut hominis dispositione. [3] *Ita Senatus* in causa Laurentiæ Du Chesne, contra fratres Visan Augustanos, Prid. Calend.Sept. 594.

1 Osasch. Cacher. *decis. Pedemont.*19. *num.*1. vbi multos citat præsertim Cravet. *cons.*200. *num.*5. 6. & 7. & Grammat. *decis.*93. *numer.*7. Per text. *in cap.si vasallus, de alien. patern. feud. in vsib. feudor.* Addens stante nullitate venditionis factæ contra formam iuris & decretorum posse ipsummet qui alienauit, puta feudum, venire contra factum proprium & reuocare alienationem, non obstante iuramento, præsertim si alienatio sit nulla fauore alterius. Ex Bart. *in l.post mortem, in princip & ibid.* Alexand. *in Apostil. D.de adopt.* Sequitur in terminis alienationis rerum feudalium. Afflict. *decis.* 335. post alios multos, inter quos Alex. *consil.*123. *num.*5. *volum* 1. & *consil.*109. *num.*2. & *seq. volum.*4. vbi respondet *ad reg. l.vindicantem* 17. *D de euict.* Adde Bald. *in l.acceptam, col.pen. C.de vsur.* vbi ait posse per vnumquemque ex contrahentibus allegari nullitatem contractus, quoties ea nullitas procedit ex mutua culpa. Item *in l.2. notab.3. C.si aduers. rem indic.* vbi scribit posse patrem venire contra factum suum tam agendo quam replicando de nullitate, quia quod nullum est, inquit, nullam reo defensionem parere vnquam potest, ex *gloss.in* §.1. in verb. *interdict.2. Instit.quibus alien.licet vel non.* Nec quod venditor nunquam contradixerit venditioni à se factæ potest efficere vt eo magis valeat venditio, *cap quod ab initio. de reg.iur.in 6.* Ergo nec filius nocere debet etiamsi ipsi consenserint. Bartol. & Alex. *in l.si debitor, § si in venditione*, per illum text. *D.quibus mod.pign. ve. hypothec.soluit.* Multo minus quod sint hæredes, etiam sine beneficio legis & inuentarij, cum defunctus ipse si hodie viueret contrauenire posset. Secundo limitat Osasch. regulam *dict. l. cum à matre*, non procedere quando factum patris tendit ad priuandum filium hæredem eo, quod sibi debetur à lege, vel ex prouidentia anteceſſorum non ex facto defuncti. Ex gloss. communiter recepta *in sit. de succeſſ.feud.§.hoc quoque*, in verb. *inuestiri* ab innumeris probata quos ibid. refert Osasc. *num.*5. præsertim à Grammat. *dict.decis.*93. *num.*9. & 12. Non enim potest locus esse præsumptioni, quod pater sanum consilium capere voluerit pro filiis suis in quorum fraudem contraxerit. Præsumitur namque fraus ex magno excessu facto in alienanda re, quę filiis restitui debuit, *arg.l omnes* 17.§. *Lucius D quæ in fraud.credit.l.imperator* 50. iunct. *glos.in verb in fraudem, D. ad SC Trebell.* Alex. *cons* 57. *num* 2. *volum.*5. Gloss. Bart. & Castr. *in l.1.C.de donat.* Sed & mala fides præsumitur & fraus tam in venditore quam in emptore ex omissione solemnitatum requisitarum à iure aut à statuto, *l.1. vbi glos.* & communiter DD. *C.de fid. instr. & iur. hast.fisc.* Tertio limitat, *reg.in dict.l.cum à matre*, non procedere vbi hæres confecit inuentarium & feudum est mixtum seu ex pacto & prouidentia, adeoque etiamsi feudum esset hæreditarium mixtum ex Bald. *in l.qui se patris eod.6. C.vnd. liber.* Iul. Clar. *li.4.sent.§.feudum, quæst.*42. *vers.successiue quæro.* Grammat. *d.decis.*93. *num.*10. Hæc omnia ex Osasch. *d.decis.* 80. quæ tamen an ex iuris ratione omnia & omnino vera sint subsisto, & alio commodiore loco latius discutiendum relinquo. Videtur enim valde obstare text. *l.consensu* 8.§.*pen.C.de repud.l si ab eo* 7. *C.de liber.caus.l.filium* 1. *D.eod.l.si patri* 24. *C.de donat.* Et si pro supradictis distinctionibus facit non parum *l.2 in princip. C.si in fraud. patron.* quam miror ab Osascho citatam non esse. Facilis tamen responsio est singulari iure comparatum esse in persona patroni, vt quamuis succedat liberto ex asse siue ex testamento siue ab intestato, possit tamen reuocare quicquid in fraudem suam defunctus alienauerat, siue per Fauianam facto testamento, siue per Calusianam ab intestato, quia non sponte adit hæreditatem, sed ob id tantum quod neque bonorum possessione contra tabulas petere neque alio remedio sibi prospicere possit, vt eleganter Vlpian. tractat *in l.si patronus* 3. §. *patronum, & §.seq. D.eod.* iunct. *l.quod si in diem* 16.§. *idem scribit, D.de petit.hered.* Ex quo tanto magis apparet, in cæteris, quibus potest imputari cur defuncti hæreditatem agnouerint, aliud dicendum esse. Plane patrono fortasse putet quis comparandum esse filium, qui ex asse hæres institutus sit à patre, nec tamen possit legitimam saluam habere propter ea quæ à patre in legitimæ fraudem gesta essent. Nam neque huic permittitur vt solius legitimæ consequendæ gratia repudiet hereditatem, vt alibi scripsimus. Sed non est recta comparatio, tum quia non vsque adeo exæquandus est ingenuus liberto, vt ingenuo non sit libera rerum suarum alienatio, *l.2. D.si à parent.quis manum.* Tum etiam quia nihil prohibet quo minus hic filius paternam hæreditatem respuat, aut inuentarij beneficium imploret, vt contra factas à patre alienationes sui iuris tuendi gratia venire possit. Sed de his omnibus alias fortasse pluribus.

2 Imo & tanquam hæres venire potest contra factum defuncti, iis nimirum casibus, quibus ipse defunctus contra factum proprium venire potuit, secundum ea quæ proxime ex Osascho tractauimus. Sed tamen etiam hoc casu potest defendi meliorem esse debere conditionem patris quam filij. Patri enim permitti potest vt tanquam legitimus filij administrator reuocet alienationem bonorum filij, quam contra leges fecit, etiamsi iurauerit se nunquam contrauenturum, quia eiusmodi reuocatio fit in filij non in patris commodum. At filius qui est hæres patris quoties ex proprio iure reuocat ea, quæ in suam fraudem pater alienauerat, agit ad proprium commo-

BIU Cujas

dum, non ad commodum patris aut alterius. Quod vtique non debet ei licere, quandoquidem propria culpa potest ei imputari cur patris hæreditatem agnouerit à qua poterat abstinere. Vide omnino Bald. Castr. & alios, *ad l. vltim. §. in computatione, C. de iur.*

3 Ergo non alio casu locus erit tot legibus quæ volunt filium eundemque hæredem non posse impugnare factum patris, quam si factum illud non sit contra leges, vt puta si quid ex bonis maternis aut aduentitiis filij pater vendiderit. Quomodo ex communi sententia concludit Osasch. *decis. vlt. num. vlt.* vbi adfert rationem quod etiam res aliena vendi possit, *l. rem alienam 28. D. de contr. empt.* Quasi vero bonorum maternorum & aduentitiorum filij non sit districte patri prohibita alienatio, *l. 1. C. de bon. matern. l. cum oportet 6. & l. vltim. C. de bon. liber.*

TIT. XII.

EX DELICT. DEFVNCTOR.

DEFINITIO I.

Mortuo reo pendente appellatione nihilominus ferenda est sententia in causa appellationis propter damna factasque litis expensas.

SI ante decisam litem de crimine, aut post sententiam quidem sed pendente appellatione [1] reus decesserit, [2] licet non transeat criminis persecutio contra hæredem, [3] non eo minus tamen sententiam ferri necesse est, vt accusatori si obtineat sarciantur damna omnia, quæ reus ipse si viueret sarcire cogeretur. [4] In quo numero etiam litis expensæ continebuntur. [5] Nihil enim commune habet pœna criminis cum rei persecutione. [6] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Cal. Febr. 1589. & rursum in causa Amedei Dogier & Ioannis Chalonod, contra Petrum & Antonium De la Tour, 4. Id. April. 1593.

1 Cuius vtique vis illa est vt extinguat iudicatum reuocetque omnia ad terminos, vt aiunt, litis contestatæ *l. furti 6. §. 1. D. de his qui not. infam. l. §. vlt. D ad SC. Turpill.*

2 De quo extat *titul. in D. & C. si pendent. appellat. mors interuen.*

3 *L. si is qui 3. C ill. tit. si pend. appell. mors interuen. l. vnic. D. eod.* in illis verbis: *quamuis pendente appellatione morte rei crimen extinctum sit.*

4 *d. l. vnic.* ibi *si vero fisci interest, vel alterius contra quem appellatum est heres causas appellationis reddere necesse habet.*

5 *L. qui solidum 78. §. etiam de leg. 2.* in illis verbis, *sed damnum ab his sarciendum erit*, iunctis *seqq. nec aliud seruabitur in litis sumptibus.*

6 *L. defuncto 6.* vbi Bart. *D. de public. iudic.* Ioan. Faber. *in §. non autem Inst. eod.* Idem Bart. *in l. ex iudiciorum 20. D. de accusat. d. l. si is qui.*

DEFINITIO II.

Quid si pendente iudicio de appellatione deserta & post litem contestatam decesserit is qui appellauit.

ILlud difficilius, nec minus tamen verum est, quod placet, si pendente de appellatione deserta iudicio, & post litem iam contestatam appellans decesserit, iudicium desertionis licet pœnale sit, [1] transire tamen aduersus hæredem, [2] vt & ferri sententia possit in persona procuratoris à defuncto constituto, quippe qui à tempore contestationis dominus litis factus fuerit. [3] Nam & ex delicto defuncti transit pœna pecuniaria in hæredem, si cum defuncto lis fuerit contestata. [4] *Ita Senatus* 11. Cal. Decemb. 1589. ex tempore.

1 Nam in pœnam desertæ appellationis mulcta pecuniaria decem librarum fortium, vt vocant, constituta est lege nostra prouinciali contra eum qui temere appellauit, adeoque licet iustam prouocandi causam habuerit. Nec nisi à Senatu nostro cuius suprema manus & auctoritas est eiusmodi mulctæ gratia fieri potest.

2 In quem & regulariter transire solet instantia, quæ cœpta fuerat cum defuncto *l. hæres absens 19. l. si petitor 31. l. si is qui Romæ 34. D. de iudic.* Bart. *in l. si eum hominem 33. D. de fideiuss.*

3 *L. ab executore 4. §. vlt. D. de appell. l. procuratoribus 22. cum ll. seqq. C. de procurat. & similib.*

4 *L. vnic. C. hoc tit.* vbi additur: Etiam si non sit lis contestata, teneri tamen hæredem ex delicto defuncti in quantum ad eum peruenit, ne alieno scelere ditetur, quod & scriptum est *in l. quod diximus 16. in fin. D. quod met. causa l. 1. §. vlt.* iunct. *l. in princip. D. de vi & vi armat. l. 5. in princ. D de calumniat. l. in herede 26. D. de dolo l. 3. § ex furtiua, D. de pecul. l. 2. §. vltim. D. vi bonor. rapt. l. 1. D. de priuat. delict. l. sicuti 38. de regul. iur. l. 2. C. unde vi.* Adde *l. constitutionibus 33. l. sciendum 38. D. de obligat. & act.*

TIT. XIII.

DE CONSTIT. PECVN.

DEFINITIO I.

Constitutor habet exceptionem ordinis, quam habet fideiussor, nisi vel ei renunciauerit, vel interceſſerit animo nouandi.

QVI proprio nomine constituit se soluturum quod alius debet, quamuis nomine proprio sit obligatus, [1] cum tamen alienum sit debitum, pro interceſſore non secus ac fideiussor habendus est. [2] Proinde iuuari debet exceptione ordinis & excussionis non factæ, si ante debitorem conueniatur, [3] nisi exceptionis huius beneficio renunciauerit. [4] Eadem enim vrget ratio æquitatis, quæ fideiussoribus primum accommodandam exceptionem suasit, vt quantum fieri potest succurratur ei qui pro alieno debito est obligatus. [5] Vel ob hoc maxime ne litium materia & numerus multiplicetur si condemnatus constitutor aduersus debitorem regressum vt par est habere velit. [6] Hoc ita si non nouandi animo debitorem se constituerit, id est, nisi fuerit expromissor. [7] Hic enim cum promissione sua liberet debitorem [8] soluso; maneat obligatus, non potest excussionem obiicere principalis, qui nullus supereſt debitoris. [9] *Ita Senatus* in ea causa de qua in 1. Defin. De fideiussoribus infr. vbi hæc repetita est.

1 Quia obligatur ex proprio constituto, *l. 1. & tot. hoc tit. D. & C. sicut & fideiussor ex propria stipulatione l. blanditus 12. C. de fideiuss.*

2 Intercedit enim quisquis alienam in se recipit obligationem, *l. 1. & tot. tit. ad SC. Velleian D. & C.*

3 *Ex Auth. præsente, C. de fideiuss. & Nouell. 4. eod. tit. de fideiussor.* [Sunt tamen qui putent constitutorem & correum debendi ad quem pecunia non peruenit, qui etiam fideiussoris loco habetur, esse deterioris condicionis quam fideiussorem simplicem in eo quod ipsorum sumptibus fieri excussio debet. Roman. *cons. 114.* cùm in aliis fideiussoribus aliud sit.]

4 Renunciare enim potest quilibet iuri suo, *d. Nouell. 4.* iunct. *l. pen. C. de pact. l. pactum 46. eod. l. si iudex circumuento 41. D. de minor.*

5 Cum hoc fieri potest sine damno creditoris, quamuis non sine aliquo ipsius incómodo, *argum. l. plane 14. ff. eod tit. de minor.*

6 Ita enim euenit vt necesse sit fieri de lite lites, & ex vnius litis sine alterius nouæ litis materiam consurgere, quod ne accidat semper cauendum est, *l. pen. C. de rebus credit. & iureiur. l. terminato 3. D. de fructibus & lit. expens. l. 4. §. ait prætor. D. de re iudic. l. singulis 6. D. de except. rei iudic.*

7 Expromissor siquidem is dicitur, qui solus obligatus est pro alio, siue ante obligato, siue numquam obligato. In quo maxime differt à fideiussore.

8 Est enim nouatio prioris obligationis peremptio & in sequentem transfusio, *l. 1. D. de nouat.*

9 Excussio-

BIU Cujas

9 Excussionis enim non factæ exceptio præsupponit alium esse obligatum, qui & conueniri & exigi possit, *l. Moschis 47. D. de iur. fisc. dict. Auth. præsente, & Auth. hoc si debitor.* & vtrobique Doctores *C. de pignor.*

[DEFINITIO II.

De pecunia per legatum Principis constituta pro pensionibus à Principe debitis ac postea reuocatis.

LEgatus Sereniss. Ducis nostri ad Heluetios missus pensiones à Principe cuidam constitutas & ex ea liberalitate debitas professus fuerat per chirographum se non soluisse, sed pecunia quæ ad earum solutionem destinata fuerat vsum se fuisse, eiusque pecuniæ constituerat se debitorẽ, soluendæ per certum tempus; Cùm postea vetitus esset à Principe soluere ob detectam pensionarij perfidiam, & nihilominus post multos annos & post mortem eius qui perfidus fuisse dicebatur ab hæredibus eius conueniretur de constituta pecunia proprio nomine [1] quasi ex causa mutui pecuniam illam deberet, [2] negabat ille se teneri, [3] quòd pecuniam nullam aut à Principe ad soluendam pensionem aut à pẽsionario solutæ veluti pẽsionis titulo accepisset, [4] quodque pensionem illam soluere prohibitus ex iusta causa [5] fuisset reuocata per Principem liberalitate, [6] Præsertim cum aliunde constaret non fuisse reliquum quicquam legato ex pecuniis Principis, quin potius pro legationis sumptibus mansisse illum creditorem egregiæ quantitatis, quæ necdum fuerat ei soluta. [7] Hæres pensionarij literas Principis proferebat, quibus mandabatur Senatui, vt legatum quasi debitorem proprio nomine in quantitatem petitam si aliæ exceptiones nullæ adferrentur, condemnaret. [8] Conuentus reus alias exhibebat, quarum tenore testabatur Princeps, sed post annos quindecim, prohibitum à se iam olim legatum ne pensionem illam solueret perfidæ ac malè meritæ personæ. [9] Adicus de ea re Senatus nihil inconsulto Principe pronunciandum esse censuit, maxime cùm reus indemnitatis suæ authorem laudaret Principem, vt tantundem ab eo reposceret quantum hæredi pensionarij præstare cogeretur. [10] Princeps tandem in fauorem legati rescripserat. Senatus non dubitauit, quin pro eo quoque pronunciandum esset, quod ex voluntate & liberalitate Principis tota ea res pendêret, [11] nec tam quasi priuatus quàm quasi legatus Principis debitorem se constituisse videretur. [12] Vt proinde quod chirographo professus fuerat in alios vsus à se impensam pecuniam quæ pro pensione debebatur sic accipi deberet quasi eam non in proprios sed in Principis vsus impendisset. [13] Quæsito veluti hoc colore, vt plerumque legati facere solent, ne fateri cogeretur nullas se in promptu habere pecunias quod à Principis existimatione alienum fuisset, aut vt interim de pensionarij perfidia Principem faceret certiorem. [15] Accedebat quod pensionarius quandiu vixerat nunquam desiderauerat solui sibi pensionem quasi perfidiæ sibi conscius. [16] Non tamdiu vt credibile erat expectaturus si iustum se creditorem sensisset. [17] *Ita Senatus* pro illustri D. Claudio Francisco Pobello Equite Senatorio Comite Sancti Albani, 19. Nouemb. 1613.

1 Tenetur enim de constituta pecunia quisquis constituit, debitum siue à se, siue ab alio, *l. 1. §. debitum & seq. & pass. D. hoc tit.*

2 Sunt enim pleraque singularia circa pecuniam creditam, præsertim vt ex quacunque fere causa possit fieri credita etiam citra numerationem, *l. singularia, 15. ff. de reb. cred.*

3 Neque tanquam legatum Principis, cum legatione iam inde à multis annis perfunctus esset, neque proprio nomine, quo tamen co nueniebatur, idq; propter rationes quæ sequuntur in Defi . dicebat autem totam eam cautionem se tanquam legatũ emisisse cùm professus esset non solutas à se pensiones à Principe debitas cùm is proprio nomine nullas deberet. Indeque inferebat eodem sensu & eadem mente constitutam à se fuisse pecuniam, scilicet nomine Principis & tanquam legatus. Nihil enim vetat eiusdem pecuniæ eundem esse constituторem & debitorem principalem *d. §. debitum.*

4 Nam si pecuniam soluendæ pensioni destinatam accepisset à Principe, eámq; in suos vsus proprios conuertisset, dubitari non poterat, quin de constituta pecunia cõueniri suo nomine iure posset, quasi soluta pensione & breui manu pecunia credita, vt *in d. l singularia, l. 3. §. sed si debitorẽ ff. de don. int. vir & vxor.*

5 Et sera fuisset liberalitatis reuocatio, postquã res desisset esse integra & pecunia Principis soluta fuisset pensionario, deinde ab eo credita legato proprio nomine. Tandiu enim potest Princeps liberalitatem suam, & soluendi mandatum reuocare, quamdiu res est integra, *l. si mandauero 22. §. vlt. ff mandat.*

6 Quod enim ex liberalitate fit, ieruandum est arbitrio eius qui liberalitatem exercet. *l. cum plures, 12. §. pen. de adm. tut.*

7 Vt proinde non iam haberet in manib. ex pecunia Principis vnde pecuniam à Principe debitam solueret, quam porrò de suo soluere non debebat, cùm ei officium suum damnosum esse non deberet, *l. videlicet 29. ff. ex quibus caus. maior.*

8 Quibus literis videbatur Princeps debitum eiusque soluendi onus in legatum transferre, quasi legatus omnem pecuniam accepisset ex qua pensiones omnes soluere debuisset, Immemor nimirum eo tempore perfidiæ pensionarij, quæ reuocandæ liberalitati causam dederat. Motus item ex eo quod pensionarij hæredem fideliorem & amiciorem experiebatur. Quæ tamen res legati damno cedere non debebat qui Principi suo bene consuluerat retenta pensione potiùs quam perfido pensionario soluta.

9 Quæ confessio Principis plenè probabat pro legato, cum Principi de facto suo attestanti credendum sit.

10 Videbatur enim hoc solum pendere ex Principis voluntate vt rei suæ legem eam diceret quam vellet.

11 Etsi enim dantur pensiones pro bene meritis & iure quodam compensationis *l. sed etsi 25. §. consulnit de petit. hered.* deferuntur tamen ex liberalitate ad prouocanda obsequia eius qui accipit. Iunge *d. l. 1. §. pen. in fin. de admin. tutor.*

12 In dubio enim præsumendum est alieno nomine factum esse quod ab eo factum est qui aliena tractabat negotia *l. vlt. ff. quand. ex fact. tutor.* Et cum prima pars chirographi ostenderet conscriptum illud fuisse à Legato tanquam rem Principis tractante non potera alia pars recipere aliam interpretationem *arg. l. 4. d. vulg. & pup. subst.*

13 Quod nec facere probè & honestè potuisset nisi præcedente consensu vel Principis vel pensionarij *l. 1. & 2. l. 4 §. sed & qui l. sacrilegi 9 §. cum quoque ff. ad leg. Iul. pecul.* Præsumendus autem quisque est fecisse eo iure quo licite facere potuit *l. merito 51. ff. pro soc.*

14 Ad quam maximè pertinet vt non credatur ærarium Principis egestate laborare.

15 Hoc enim solum sufficiebat legato ad non soluendam pensionem vt iustam haberet causam existimandi & suspicandi Principem si sciret reuocaturum esse mandatum *l. si cum Cornelius 81. ff. de solut.*

16 *Vt in l. Procula 26. D. de probat l. cùm post 69. in princ. de iur. dot. l. vi vsuras 54. de donat. int. vir & vxor.*

17 *Arg. l. cùm quidam 17. §. diuus Pius D. de vsur.* Adde pro definitionis huius cõfirmatione quod extincto principali debito ipsum quoque constitutum extingui necesse est tanquam accessorium *l. cùm principalis 178 de reg. iur.* Hic autem extinctum fuerat principale debitum reuocata per Principem pensione. Nemo enim donat inuitus, & constat huiusmodi pensionum donationes sicuti causam habẽt tẽporalem scilicet meritorum, ita esse ad nutũ reuocabiles, nec nisi precariam esse huiusmodi liberalitatem, & consequenter reuocabilẽ, *l. 1. & pass. D. de prec.*

TIT. XIV.

DE PROBAT. ET præsumpt.

DEFINITIO I.

De testibus audiendis ante litem contestatam aut ad futuram rei memoriam.

VEritatis habendæ fauor [1] efficit vt probationum facultatem ampliari semper quantum fieri potest oporteat, restringi nunquam. [2] Inde fit vt aliquando nulla-

BIU Cujas

dum etiam mota controuersia testes audiri possint, & quidem cuiuslibet ætatis & conditionis, quoties periculum est ne in litis tempus dilatæ probationes intercidant. [3] Quod beneficium ex principali diplomate [4] non minus ei qui acturus, [5] quam qui conueniendus est, indulgetur. Mota vero controuersia, necdum tamen lite contestata, si factum tale sit, quod per testes aut seniores aut valetudinarios, aut breui abfuturos probari necesse sit, interrogari interea testes possunt nec minus actore petente quam reo, [6] tametsi videatur actori posse imputari, cur de iure suo citius expertus non sit, [7] sed ita tamen vt in eam rem diploma impetretur, [8] nec alios testes interrogare liceat, quã qui in eo sunt vt vel longioris absentiæ vel breuioris vitæ periculum præ se ferant, [9] Nisi ea sint tempora, in quibus grassante peste, aut bello, aut fame iuniores ac fortissimi quique perinde periclitentur. [10] Post litem contestatam idem beneficium non actori [11] sed soli reo competit, in cuius scilicet potestate non fuit quo tempore cõueniretur, litemve contestaretur: [12] Si non ea ratio actori quoque succurrẽdum suadeat, quod per tergiuersationes rei solito reorum more fugientis moram probationibus fieri appareat. [13] tamen facti causa distinctis articulis non solum in iudicium deducta esse cœperit, sed etiam per inficiationem contestata, positionibus quas vocant hinc inde productis, non eo minus ad probandas eas quæ negatæ sunt siue actor siue reus admitti poterit, quod nouas allegationes proponere aduersarius velit. Neque vllo Principis in eam rem rescripto opus est, [14] sed ea tantum cautio adhibenda, vt non prius testationes aperiantur quam ampliorum probationum via præclusa sit, [15] ne iniuria fiat aduersario qui si intentionẽ suam per testes suo tempore probare vellet, post apertas didiscitasque testationes non audiretur. [16] Plane si factum de quo probando agitur eiusmodi sit, quod non nisi per instrumentarios testes probari queat, indistincte seruandum est, vt audiri illi quandocunq; possint, [17] impetrato in id diplomate, [18] sed ita vt super aliis articulis, qui probari per alios testes commode possint, non audiantur. [19] *Ita Senatus* in causa fratrum De Chauasse ex tempore in publico auditorio 9. April. 1588. & rursus in relationibus libellorum 26. Aug. & 2. Decembr. 88. itemque 2. Decemb. 89. & in causa D. Abbatis d'Abondance 4. Cal. Iul. 1591.

1 Veritas enim semper inquirenda est cum omni diligentia & omni via, *l. vltim. §. si vero quis, Cod. de episcop. audient. l. vltim. §. licentia, Cod. de iur. delib. l. inquisitio veritatis* 18. *C. de solut.* quia præualet scripturæ, & eam vincit, *l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. l. si cum pater* 17. *C. ad SC. Velleian. l. multum interest* 6. *C. si quis alter. vel sibi.* Denique facit aperta & reperta veritas terminum disceptationis, vt loquitur, *l. cum seruum* 6. *Cod. de seru. fugitiu.* quod omnium fauorabilissimum est.

2 Ex iuris regula quæ vult, fauores esse ampliandos non restringendos, *vulg. l. cum quidam* 19. *de liber. & posthum. l. hoc modo* 64. §. 1. *de condit. & demonstr. l. si fuerit* 10. *vbi Castrens. de rebus dub.*

3 *Ex c. significauit* 41. *Extr. de testibus*, facit *l. in lege Aquilia* 40. *D. ad leg. Aquil. l.* 2. *C. de naufr. lib.* 11. *tit.* 5. Iunge *Defin.* 18. *de test.*

4 Hoc enim iure vtimur vt diploma & rescriptum Principis apud nos in eam rem necessarium sit, vt & apud Gallos teste Ioan. Papon. 1. *Notar. lib.* 10.

5 Etsi namque minus faueri solet actori quam reo, quia in eius potestate est quando agat, non etiam in potestate rei quando conueniatur *l. pure* 5. §. *xltim. D. de doli except. l. qui in alterius* 42. *de regulis iur. l. petendæ* 6. *Cod. de tempor. pet. in integr. restitut.* perinde tamen non modo æquum sed etiam necessarium est hac parte succurri actori, quia nonnullas moras semper habet exercitio iudicij, vt ait Paulus *in l. etiam* 15. *D. vt legat. nom. caueat.* præsertim fugiente reo & per dolum malum differente contestationem, vt reorum est fugere, ideoque & à Græcis φυγόδικοι appellantur, *l. properandum* 13. *Cod. de iudic.* nec minus fauorabilis est inquisitio veritatis ex parte & in vtilitatem actoris, quam ex parte rei, quia fauorabilis est propter seipsum.

6 *Cap. quoniam frequenter, Extr. vt lit. non contest.* Mynsing. 4. *obser. c.* 71. & 72. Ferrar. *in form.* 8. *ad futuram rei memor.* Gothofr. *ad d. l. illud.*

7 Quid enim si qua ratione impeditus fuit ne ageret? Nec sane cuiquam est præscribendum cur non hoc vel illo tempore egerit, cum variæ causæ possint interuenire, vt in simili scriptum est in *l. quia poterat* 4. *D. ad SC. Trebell.* iunct. *l. non enim* 16. *l. sed est* 26. §. *vlt. D. ex quibus caus. maior.* Facit *l. illa à quo* 13. §. 1. *D. ad SC. Trebell.*

8 Vt & in præcedente casu de quo dixi *num.* 4. Ideo fortasse quod inspecta iuris communis ratione non possunt audiri testes ante contestationem *capit. 1. capit. accedens* 2. *& d. capit. quoniam frequenter. Extr. vt lit. non contestat.* quia nec interim lis vlla est sed tantum controuersia, *l. sed est l.* 25. §. *si ante D. de petit. hered. l. amplius* 15. *D. rat. rem hab. l. vnic. C. de lit. contestat.* Nisi probabilius putes hanc obseruationem esse bursalem, vt loquuntur, & locupletandi ærarij causa inductam potius quam necessaria vlla iuris ratione, vt & alia pleraque in quibus vsu nostro obtinuit Gallorum exemplo, vt diploma Principis necessarium existimetur, tum etiam iudicis officio & auctoritate commodius expediri res posset, vt euenit in omnibus causis restitutionum in integrum, quas olim prætoris erat concedere aut præfecti vrbi aliorumve magistratuum pro sua cuiusque iurisdictione *l. 1. & tot. tit. D. de in integr. restit. tit. generali & seqq.*

9 In eo namque differunt interrogationes, quæ fiunt ex dispositione *d. cap. quoniam frequenter*, ab iis quæ fiunt *ex d. cap. significauit.* quod ex *d. c. significauit*, quiuis testes audiuntur. At *ex cap. quoniam frequenter*, non nisi valetudinarij aut mox abfuturi interrogantur. Item in eo quod qui deponunt, *ex d. cap. significauit*, probant perpetuo: qui vero *ex d. cap. quoniam* non nisi intra annum. Denique in eo quod depositio facta ex vi *d. c. significauit* continuo publicatur. At quæ facta est ex vi *d. cap. quoniam*, manet obsignata penes iudicem nec ante contestationem publicatur. Gothofr. *ad d. l. in lege* ex Mysing. & Ferrar. supradictis locis. [Obserua tamen in criminalibus non audiri testes ad futuram rei memoriam. Quod ita est accipiendum vt non possint audiri ad accusandum. Nam pro innocentia & iustificatione possunt audiri, dummodo reus iam de crimine sit interrogatus & ex ore responderit. Ea namque responsio in criminalibus pro contestatione est. Multo magis si contra eum audiri testes iam commissi proponantur. *Ita Senatus* pro Claudio Roux mense Aug. 1610.]

10 *L. casus maiori, C. de testam.*

11 Qui scilicet aliter sibi prospicere potest, præstando nimirum diligentiam in quæstione facti distinctis articulis proponenda, quo facto super articulis distinctis secuta contestatione, postea obtinere poterit ex iure communi, vt testes interrogentur, vt sequenti Defin. quod non similiter facere reus potest, qui exceptiones suas proponere nequit, antequam viderit non solum quid sit in actoris intentione, sed etiam quibus mediis eam intentionem adiuuare ac fulcire actor velit.

12 *dict. l. 5. §. vltim. de dol. except. d. l. qui in alterius* 42. *de regul. iur.*

13 Æquum enim est, haberi litem pro contestata in odium rei, per cuius tergiuersationem stat ne contestetur. Contumacia enim in contestando pro contestatione est, adeoque pro confessione, ita vt si absoluta perfectáque sit contumacia, procedi possit etiam ad diffinitiuam sententiam, *l. consentaneum* 8. *C. quomod. & quand. iud.*

14 Quia nihil in eo fit contra iuris communis rationem aut ordinem, nec est à Principe impetrandum, quod communi iure conceditur, *l. Imperatores* 30. *D. de rebus auctor. iud. possid. alias l.* 15. *D. de priuileg. credit.*

15 Vt dixi *num.* 9.

16 Metu scilicet subornationis, *cap. fraternitatis, & c. series. Extr. de testib.* vide Afflict. *decis.* 216. imo nec aduersarium interrogare posset, Ossasc. *dec.* 10 *nu.* 5. & 7. & *dec.* 97. [Vide Gabr. *lib.* 1. *comm. opin. de testibus conclus.* 21. *vbi posuit* 71. *limitationes.* Iunge *Defin.* 43. & 50. *tit.* 1.]

17 Quo maius periculum hoc casu est, ne probationes intercidant, *d. l. in lege* 40. *D. ad leg. Aquil.* item, quia testium instrumentariorum fides non potest esse suspecta, cum sint illi ab vtraque parte electi & approbati. Nam & vnus testis plenam fidem faceret, qui ab vtraque parte esset approbatus. Specul. *in tit. de test. §. restat. de numero testium, colum.* 3. *in fin.* Crauet. *cons.* 100 *in fin.*

18 Diploma enim & rescriptum Principis semper necessarium est, vt diximus *num.* 4. & 8. nisi in casu, de quo *nu.* 14. Solent autem in Gallia fieri rescripta ista & dirigi ad iudices Regios, iudices inquã, vel partium vel testium, vt scribit Gothof. *ad d. l. in lege ex Paponio loco supra citato.* Sed apud nos diriguntur ad

tur ad iudicem ordinarium, id est, qui in causa principali quando moueretur, esset futurus iudex, Bart. & alij *in l. societatem*, §. *arbitrorum, col. 4. D. pro soc.* Alex. *cons.* 103. *col. 1. vol. 3.* Imo & ad alium quemlibet inquisitorem pro arbitrio Cancellarij aut Procancellarij sub Principis nomine rescriptum concedentis. Illud sane semper requiritur, vt pars sit citata, vt tradunt DD. *ad d. c. quoniam frequenter. & ad Auth. si quis, C. de testib.* Addunt Doctores requiri etiam interlocutionem iudicis, testes examinandos valetudinarios esse vel abfuturos, ex gloss. Bart. & aliis *ad d. l. in lege* Socin. iun. *cons. 86. num. 14. vol. 1.* Sed alio iure vtimur, sufficitque vt inquisitor, quisquis ille sit, testem de eo interroget, an sit valetudinarius aut abfuturus, salua aduersario facultate obiiciendi de nullitate, si testis non eius sit qualitatis & conditionis.

19 Causam enim aliquam subesse oportet, timorem scilicet mortis vel absentiæ, Bart. *in l. fin. C. de vsur. pupill.* Felin. *in d. cap. significauit, col. 3.* Decius *cons. 302.*

DEFINITIO II.

Mortis probatio solis iudiciis contenta est, nisi cum mors est fundamentum intentionis.

MOrtis probationes vt plurimum difficiles sufficere qualescunque, id est, etiam leuiores, cum de re modici præiudicij agitur, non improbabili ratione nostris placuit. [1] Hactenus nimirum, vt in eum, qui vitam asserit, quæ multo facilioris probationis est, probandi onus transferatur. [2] Siquidem mortis cuiusque vnus tantum locus, vnum instans est, [3] vitæ vero & plures loci, & plura tempora. [4] Sed si fundandæ intentionis necessitas mortis probationem exigat, vtputa si testamentariam aut legitimam quis sibi adferat hereditatem, quæ viuentis hominis nulla esse potest, [5] aut fideicommissariam quasi defuncto eo, qui cum moreretur, restituere rogatus esset, [6] exactissima probatio requireretur. [7] Et siue actor ille erit, cui probandi necessitas regulariter incumbet, [8] siue reus, qui & in exceptione sua actor est, [9] si minus plenas mortis probationes adferat, [10] condemnabitur, tametsi nihil omnino aduersarius præstiterit. [11] *Ita Senatus* in secreto auditorio, 9. April. 88.

1 Ex Bart. & aliis *ad l. 2. §. si dubitetur, D. testam. quemadm. aper.* Vnde est, quod ex instrumento, in quo dicitur, *Titius filius quondam Sempronij*, probatur mors Sempronij, Alex. *in l. 1. §. hoc autem, D. de operis noui nunc.* post Iacob. Butr. & Imol. [Vide Boer. *quæst. 188. num. 1.* vbi distinguit an agatur de re magni vel modici præiudicij, & an de morte recenti, an de antiqua, &, vt ille loquitur, de longinquo, vt si de re magni præiudicij & de morte recenti, exactissima probatio requiratur & de visu, Alioqui sufficiat probatio per indicia & per famam.]

2 Maxime vero, si à communiter accidentibus verisimile sit mortuum esse aut præmortuum eum, de cuius morte tractatur, puta si non dubitetur mortuum esse filium cum patre aut matre, sed tantum quis eorum sit præmortuus. Olasc. *decis. 108. num. 9. ex l. qui duos, §. cum in bello, de reb. dub.* Addens *num. 10.* argumentum à communiter accidentibus, transferre onus probandi in aduersarium, ex gloss. *in l. neque natales. D. hoc tit.* Rom. *sing. 402* Euer. *in locis legal. c. 56.*

3 *L. vlt. D. de cond. inst. l. qui duos 18. §. 1. D. de manum testam.*

4 *L. an vsusfructus 56. D. de vsufruct. l. si vsusfructus 8. de vsufruct. legat. l. computationi 68. alias l. hereditatum, D. ad legem Falcid.*

5 *L. 1. D. de hered. vel act. vendit. l. donari 29. alias l. quidam, §. donationem, D. de donat.* Facit *l. vlt. C. de edict. Diui Hadrian. tollend.*

6 Quo casu potest fideicommissum intercidere fideicommissario ipso præmoriente, *l. filius familias 114. §. Diui 1. de leg. 1. l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici, C. de iur. fisc.*

7 Textus est elegans *in l. si eius 34. D. ad SC. Trebell. & in l. sed & in illo 18. D. de reb. dub.* Excipe tamen casum *l. ex facto 17. §. si quis autem, D. ad SC. Trebell.* vbi præsumitur in dubio, conditionem fideicommissi extitisse non fauore fideicommissi, quod alioquin odiosum est, nec quod non humanius sit, credere filium patri superuixisse, *l. cum pubere 22. de reb. dub.* sed quia proponebantur pater & filius simul periisse non diuersis temporibus, nec proinde poterat videri defecisse conditio fideicommissi, si sine liberis, quæ de superuenientibus tantum intelligi debeat, vt post Bart. & Imol. tractat Olasc. *decis. 108. num. 11.* vbi & alias ad eum §. responsiones adfert, quas ibi vide, præsertim *num. 14.* vbi subiicit, aliud esse, si substitutus simul decesserit cum eo, cui fuerat substitutus, quia nec aliter potest admitti ex substitutione, quam si superuixerit, *d. l. sed & in illo.* Denique quoties alterum superuiuere necesse est, non sufficit quod simul decedant, & quisquis superuenientiam allegat, eam probare debet, *l. quod de pariter 13. D. ead.* Sicut & qui allegat vitam, *l. spadonem 15. §. qui absolutus de excus. tut.* Olasch. *ibid. num. 11.*

8 *Vulg. l. qui accusare 4. C. de edend. l. actor quod asseuerat 23. C. hoc tit.*

9 *L. quoties 8. §. qui dolo, l. in exceptionibus 19. D. eod.*

10 Debet enim vnusquisque plenissime probare & implere intentionem suam, *l. 2. D. eod. l. vlt. C. de rei vindic.* id est, fundamentum suæ intentionis, etiamsi effectu ipso sit negatiuum, *l. optimam 14. C. de contr. & committ. stipul. l. in illa 8. de verb. oblig.* vbi Bart. & DD. Olasc. *d. decis. 108. num. 3. & 5. ex l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. toll.*

11 *d. l. 4. C. de edend.*

DEFINITIO III.

De probatione possessionis & dominij.

POssessio, quoniam facti magis quam iuris est, [1] per testes omnimodo probari debet. [2] Per instrumenta vix est vt probari vnquam possit, [3] nisi fauor antiquitatis, quæ alias probationes sustulit, hanc vnam admitti necessario debere suadeat. [4] Probata autem præsentis temporis possessio in præteritum quoque probata intelligi debet [5] hactenus, vt contrariæ probationis onus in aduersarium transferatur. [6] Dominij alia ratio est, quod cum, sicut maioris est momenti, [7] ita difficilioris sit probationis, [8] non facile præsumendum est, ne quidem ex præterita multorum annorum possessione, [9] ob idque plene probandum est, quoties principaliter, vt nostri loquuntur, non incidenter dominij quæstio exercetur. [10] Sane si fideicommissum petetur, quoniam agitur de omni iure, quod defunctus habuit, siue dominij, siue possessionis in fideicommissarium transferendo, [11] solam defuncti possessionem probare sufficiet, [12] saluo eius iure, qui postea dominij controuersiam fideicommissario facere volet. [13] Cæterum si de præcedente iusta possidendi causa appareat, facilius credendus est quis possedisse, & quidem ex eo iure quo possidere potuit: [14] Sin plures causæ concurrent ex ea, quam sibi fauorabiliorem esse putauerit, [15] si voluntatis probatio contraria nulla sit. [16] Inde fit, vt rem communem possidens non nisi pro sua parte possidere videatur, [17] sicut nec nisi pro ea parte testari, qui de re communi testatur, [18] vt suo tantum, non etiam alieno iure, quod non nisi improbe facere posset, [19] vti videatur. *Ita Senatus* pro D. de Chastillion, contra Dominas de Bouuant & d'Aiguebelete, prid. Non. Iunij 1588.

1 *L. denique 19. D. ex quibus caus. maior. l. cum heredes 23. in princ. §. 1. de acquir. possess.*

2 Facta enim non præsumuntur vulg. iur.

3 *L. prædia 48.* vbi Bart. & alij, *D. de acquir. possess.* Alex. *cons. 24. num. 2.*

4 Dec. *cons. 6. num. 36. & cons. 302. num. 10.* post Castr. & alios ibi citatos.

5 Salic. *in l. persona C. de probat.* Socin. *cons. 89. col. 1. vers. sed quid plura.* Idem è contrario pro dicente se adhuc possidere rem, quam antea possedit, maxime si possessio sit recens. Bart. *in l. sine possidetis, C. eod.* Olasc. *decis 40. num. 9.* id est, non antiquior biennio. Hier. Gabr. *cons. 193. num. 5. & 6.* Non idem est contra negantem se possidere. Gabr. *ibid. num. 4.* [Simile est quod dici solet, Probata possessione antiquioris & vltimi temporis, medij quoque temporis possessionem præsumptiuè probatam intelligi ex Bart. *in l. Celsus, de vsucap. arg. d. l. sine possidetis.* Quod tamen Mathesil. *sing. 117.* intelligit de possessione longi temporis non longissimi 30. vel 40. ann. quia possessio ciuilis, quæ solo animo retinetur non præsumitur durasse post decem annos propter obliuionem quæ ex decennio præsumitur. Itaque, inquit, probari oportet possessionem primi anni, & 11. & 21. & 31. & vltra si tractetur de præscriptione 40. annor. Iunge *Defin. 58. 3. de episc. & cleric.*]

BIU Cujas

6 Nam contra præsumptionem iuris potest semper admitti probatio. Alex. *consil.* 113. *col. fin. lib.* 1. *d. si chirographum* 14. *D. hoc tit.* [at non contra præsumptionem iuris & de iure,] nisi per confessionem partis, Olasch. *d. cis.* 101. *nu.* 33. *& sequent.*

7 Ideoque petitorium solet absorbere possessorium, *not. in l. naturaliter* 12. *§. nihil commune de acq. poss.*

8 *§. commodum Inst. de interd.*

9 Guid. Pap. *qu.* 28. Nec sufficit, quod probetur quis possedisse tanquam dominus, *l. Titia* 48 *de solut.* Aret. *in §. sed istæ. Instit. de act. num.* 8. Gabr. *consil.* 45. *num.* 6.

10 *Not. ad d. l. sine possidetis, & ad l. cum res C. hoc tit.*

11 *L.* 1. *D. ad SC. Treb.* Bart. *& l.* 1. *col. pen. de leg.* 3. Gabr. *consil.* 46. *num.* 23. *&* 24.

12 Scilicet contra hæredem grauatum, aut eius hæredem, Crauet. *consil.* 316. *num.* 5 *versic.* 9. Natt. *consil.* 400. Mantic. *lib.* 7. *tit.* 6. *num.* 5. Nam contra tertios possessores probandum est dominium. Mant. *ibid.* & Alex. *consil.* 82. *num.* 14. *vol.* 2. *& consil.* 138. *num.* 8. *vol.* 6. Crauet. *consil.* 61. *num.* 6. post Bald. *consil.* 41. *volum.* 4. Natt. *d. consil.* 400. *col. fi.* Idem est si contra heredem ipsum agatur non ex fideicommisso, sed vindicatione, adeoque hypothecaria, vt concludit Hier. Gabr. *consil.* 46. *num.* 48. aduersus Bald. *in auth. contra, num.* 11. *C. ad Treb.* Iunge *D. fin.* 11. *nu* 2. *ff. ad SC. Trebell.*

13 *L. de eu ctione* 69. *D. eod. titul. ad SC. Trebell.* non enim plus iuris transferre potest restitutio hæreditatis, quam defunctus habuerit, *l.* 1. *D. eod. titul.* aut hæres ipse fuerat habiturus, *l.* 2. *eod.*

14 *L. quædam mulier* 77. *D. de rei vindic. l.* 2. *C. de acquir. poss.* Bart. *in l. Celsus ff. de vsucap.* A primordio enim tituli posterior formatur euentus, *l.* 1. *C. de impe. lucr. descr. lib.* 10. Olasch. *decis.* 101. *num* 37. *& seqq.* vbi addit, non sufficere probari actus possessorios, nisi secuti probentur ex ea causa, ex qua dicit quis se possidere, ex Alex. *consil.* 50. *num.* 8. *vol.* 3. post Bart. *in l.* 1. *§. hoc interdicto, col.* 3. *de itin. act. priuat.* Inter actus autem possessorios primum locum obtinet fructuum perceptio. Bart. *in l. qui vniuersas, §. quod per colonum & in l. quamuis §.* 1. *D. de acq. poss. ff.* Alex. *consil.* 133. *col.* 3. *vol.* 1.

15 *d. l. quædam mulier, de rei vindic.* Intellige tamen, si vtraque causa sit comparabilis, alioqui posterior priorem destruit, *l. si quis ante conduxit* 10. *D. de acqu. poss.*

16 Puta, si possessionis suæ titulum certum & vnicum allegauerit aut produxerit. Ex eo namque solo præsumitur possidere. Afflict. *decis.* 376. *num.* 5. Olaich. *dict. decis.* 101. *numer.* 37. *&* 38.

17 *L. duo fratres* 78. *D. de acq. hered.*

18 *L. serui electione* 5. *§. vlt. de legat.* 1. Quod si non partem, sed ius aliquod in re habeat testator, de eo solo iure disponere intelligitur, etiam si futurum sit vt morte finiatur, *ex l. vxor patrui. vbi not. C. de legat. l. quod in rerum* 24. *§* 1. *de legat.* 1. Didac. *ex communi, in cap. filius. Extr. de testament. num.* 2. Nisi ius illud habeat testator vel partem iure hæredis. Tunc enim placet legatum omnino effectum habere & quod ad totam rem, *ex l. eum filius* 76. *§. dominus.* vbi Bart. & alij *de legat.* 2. Didac. *vbi supr. num* 3. *ad fin.* Iunge *l. vnum ex familia* 67. *§. si rem, eod. tit. de leg.* 2.

19 Ideoque præsumptio illa vitanda est, quæ delicti probationem induceret, *l. merito* 51. *D. pro socio.*

DEFINITIO IV.

Pecunia soluta præsumitur soluentis, nisi probetur contrarium, aliter tamen quam per confessionem personæ suspectæ.

IN dubio quidem credendum est solutam pecuniam fuisse soluentis. [1] Sed admittit ea præsumptio probationem in contrarium, [2] adeoque ex nuda eius, qui soluit, confessione: [3] nisi proponas personam suspectam, cuius proinde confessio quoque suspecta sit. [4] Finge maritum ære alieno laborantem, aut libertinæ conditionis hominem, quem talliabilem appellamus, cum suam conditionem non ignoraret, [5] professum esse publico, si voles, instrumento soluisse se precium rei, quam emit ex vxoris pecuniis; nullius momenti erit confessio, licet iurata, [6] quasi quam donandi fraudandique animus magis quam veritatis fauor expresserit. [7] Nam etsi confessus sit adhibito etiam iureiurando solutam sibi dotem ab vxore, siue constante iam matrimonio, [8] siue tum, cum matrimonium contrahebatur, [9] nulla præcedente dotis promissione, perinde inanis erit confessio, si non aliis adminiculis fulciatur: [10] nec aliud erit, quamuis adiecerit maritus, debitam sibi fuisse dotem aut vxori ex causa legati, aut præcedentis alicuius promissionis, si neque de legato, neque de promissione aliunde appareat. [11] Sane si ab alio quam ab vxore factam solutionem vir professus sit, quasi vxori debitam ex legato aliaue iusta causa, valebit ad probationem & obligationem sola confessio, quamuis neque legatum neque precedens alia vlla obligatio probetur. [12] Sed si numeratio reuera interuenerit, omnimodo confessioni standum erit, [13] nisi probet aduersarius, dicis tantum causa factam numerationem, [14] ne alioqui magno incommodo afficiantur huius conditionis homines, nemine cum iis contrahere volente, si bonam fidem agnoscere prohibeantur. [15] Idem fere tractatus est, si inter personas suspectas & prohibitas donatio ex causa remunerationis facta proponatur, quæ si meram contineret liberalitatem, non valeret. Neque enim stabimus donatoris assertioni, quantumuis iuratæ, sed meritorum probationem à donatario exigemus, vt ex meritorum, quæ probabuntur, modo donationis quoque modus æstimetur. [16] *Ita tractatum est* in causa D. de Monsaint Iean & D. Dyuonne, die 17. Cal. Iul. 1588.

1 Scilicet cum soluit proprio nomine, quod & in dubio præsumendum est, Bart. *in l.* 2. *C. pro socio. & in l. si patruus, C. comm. vtr. iud. & in l. Titio, §. altero, D. de admin. tut. ex l. & magis* 4. iunct. *l.* 1. *D. de solut.* Dec. *consil.* 651. *num.* 2. Facit *l. cum propria* 5. *C. si quis alt. vel sibi.*

2 Semper enim præsumptio probationi cedit, nisi sit iuris & de iure, *l. fin. in princip. C. quod met. caus.* Crauet. *consil.* 35. *num.* 5. *& consil.* 146. *num.* 7. Sed & contra præsumptionem iuris & de iure potest admitti probatio, non solum per confessionem patris, sed etiam per indirectum, id est, ratione facti, quod iuris præsumptio supponit, vt tractat Olasc. *decis.* 101. *num.* 33. *& seqq.*

3 Facile enim cuilibet contra se creditur, non etiam pro se. *l. inter stipulantem* 83. *§.* 1. *de verb. oblig. l. rationes* 6. *cum l. sequent. C. hoc tit.*

4 *L. qui testamentum* 27. *D. de probat. l. cum quis decedens* 37. *§. pen. de leg.* 3.

5 Alioqui fraudis suspicione careret, *l. omnes* 17. *§. Lucius, D. quæ in fraud. cred.*

6 Iusiurandum enim etsi maximam vim solet habere: *l. cum pater, §. filius matrem, de legat.* 2. præsertim ad probandum, *d. l. cum quis*, 37. *§. codicillis de leg.* 3. tamen æque suspectum est, cum adhibetur in actu suspecto, eiusque naturam induit, *l. vlt. C. de non num. pecun. l.* 5. *C. de legib.*

7 *d. l. qui testamentum, d. l. omnes, §. Lucius, Authen. sed iam necesse*, vbi Cyn. Bar. Ang. & alij, *C. de donat. ant. nupt.* Cap. Thol. *dec.* 340. apud Aufr. Crauet. *consil.* 40. Salic. *in l. si mater. C. de cont. empt.* Bald. *consil.* 66. *vol.* 1.

8 Quo casu alia ratione non valet confessio, scilicet, quæ donatio sit inter virum & vxorem: quanquam si aliud nihil obstaret, confirmaretur morte mariti in præiudicium heredum ipsius, *l.* 2. *C. de donat. caut. non num.*

9 Intellige semper quod ad creditores, vt ex huiusmodi confessione non fraudentur. Nam quod ad maritum ipsum eiusve heredes, id seruandum erit, quod scriptum est, *in dict. l.* 2. *&* 3. *& in auth. quod locum, Cod. de dot. caut.*

10 Nam si vel dotis promissio vel alia iusta causa præcesserit, aliud erit, Alex. *consil.* 18. *vol.* 3. Crauet. *d. consil.* 40. *num.* 5. & alij supra cit. *num.* 7. *&* 16. *f.*

11 Neque enim difficilius esset causam hanc falso comminisci, quam confessionem ipsam in fraudem creditorum, *l.* 1. *§. vlt. & ll. seqq. D. quæ in fraud. cred.* Facit *l. quidam* 29. *§. vlt. D. ad SC. Vell.*

12 Est enim hæc vna limitatio ex iis, quas nostri tradunt *ad dict. Authent. sed iam necesse, ex l. vir ab eo* 49. *& l. cum dotem* 71. *D. de iur. dot.* Etsi videtur Olasch. *decis.* 20. *num.* 10. hoc ita intelligere, vt ea confessio non noceat, nisi confidenti marito & eius hæredibus. Iunge eiusdem Olasch. *decis.* 172. præsertim *num.* 9. *&* 11.

13 Hoc enim casu videtur facta numeratio gratia implendæ confessionis & stipulationis, vt loquitur *l. cum enim* 7. *D. de nouat. l.* 1. *C. de dot. caut. non num.*

14 Vt *in l.* 4. *D. commod.* plus enim semper valet, quod agitur, quam quod simulate concipitur, vt est *in tit. C. plus val. quod agit.*

15 Vt de

15 Vt de minoribus scriptum est *in l. quod si minor* 24. §. *non semper de minor.* itemque in tutoribus, *l. quoties* 9 §. *nec vtique, de admin. tut.*

16 Guid. Pap. *quæst.* 95. Bart. *ad l. si forte, de castr. pecul.* Alex. & modern. *in l. si donatione, C. de coll.* Rip. *ad d. l. si vnquam quæst.* 15. *C. de revoc. donation.* Tiraq. *ibid.* in verb. *donatione, num.* 20. & 88.

DEFINITIO V.

Probatio insinuationis non sit nisi per scripturam, sed quam tamen etiam per testes aut per aliam scripturam probari sufficit.

INsinuatio, & vt alius quilibet actus legitimus, [1] quem apud acta fieri oporteat, [2] per scripturam omnimodo probari debet, non per testes. [3] Cur enim apud acta fieri oporteret, si testes sufficerent? [4] Sed si tamen scriptura eo nomine confecta casu aliquo deperdita sit, aut tam male custodita vt reperiri nequeat, sufficiet scripturam ipsam, nedum scripturæ amissionem, probari per testes, [5] ne postquã legi satisfactum est, probatio veritatis intercidat amissa scriptura, [6] cuius necessitatem is ipse veritatis fauor induxerat. [7] Sed & cum de donationis insinuatione tractaretur, visum est satis esse, quod per donantis confessionem in eo quoque contentam, instrumento, quod inter alios confectum erat, probaretur, scriptam aliquando fuisse insinuationem, [8] ex eáque confessione plenam nasci probationem etiam contra singularem successorem. [9] Non dissimile est, quod nostris placet, per duos testes probari posse factum solemniter & coram septem testibus idoneis testamentum, [10] licet ad probandam solemnem defuncti hominis voluntatem non pauciores quam septem testes requirantur. [11] *Ita Senatus* 7. Calend. Iul. 1588. & iterum in causa D. de Sarmoye & de Meximieu, 15. Calend. Aug. 1591.

1 Cuiusmodi sunt adoptio, legitimatio, emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, serui optio, & alij huiusmodi, de quibus vide *l. actus legitimi* 77. *de reg. iur.* & ibi Petr. Fabr.

2 Nihil enim aliud est insinuatio quàm testificatio rei gestæ apud acta, *l. donatio* 25. *in fin. l. data* 27. *C. de donat.*

3 Guid. Pap. *quæst.* 582. vbi & alios plerosque casus recenset, in quibus non admittitur probatio nisi per scripturam.

4 Inducta enim est solemnitas illa insinuationis ad euitandas falsitates *d. l. data*, quarum periculum multo maius subest, cum testium vel priuatæ scripturæ fidei committitur, quam cum ex actis publicis & iudicialibus veritatis probatio elicitur, *argum. l. testium facilitatem* 18. *in princip. Cod. de testibus l. scripturas* 11. *C. qui potior. in pign. hab. l. penult. C. si minor se maior. dix.*

5 *d. l. testium facilitatem, §. vlt.* vbi Bald. *& in l. emancipatione, C. de fid. instrum.*

Ita enim fieret, vt quod ad vnum effectum esset inductum, operaretur contrarium, contra *l. nulla* 25. *ff. de legib. l. quod fauore* 6. *C. eod. l. legata* 14. *D. de alim. legat.*

7 Non enim solent fieri scripturæ, nisi vt rerum gestarum veritas & probatio conseruetur, *l. contrahitur D. de pignor. l. in re* 4. *de fid. instrum. l. cùm te* 5. *C. de transact.*

8 Verba enim enunciatiua probant non solum inter eas. dem partes, *l. optimam* 14. *C. de contrah. & commit. stipul.* sed etiam inter alios contra enunciantem, præsertim ad probandam ex ipsius confessione solemnitatem, quam interuenisse necesse sit, vt actus valeat potiùs quam pereat, *ex reg. l. quoties* 22. *ff. de rebus dub.* Facit *l. Publia* 26. *§. 1. ff. depos. l. sciendum* 30. *de verb. oblig. & ibi notat.*

9 Cruet. *cons.* 301. *num.* 5. *per l. ex qua persona* 149. *D. de regul. iur.*

10 Bart. communiter approbatus *in l.* 2. *C. de bonor. possess. secund. tab. & ad l. admonendi, num.* 39. *D. de iureiur.*

11 Scilicet regulariter *l. vlt. Cod. de testam. §. sed prædicta & sequentib. Instit. eod.* Simile est quod dicimus, si declarare testator velit aliquid, quod in testamento scriptum sit obscurius, posse id fieri sine solemnitate, probarique per duos testes, *ex regul. l. vbi numerus* 12. *D. de testib.* Hic enim nihil nunc dat, sed datum significat, inquit Vlp. *in l. heredes palam* 21. *§. 1. D. qui testamenti fac. poss.*

DEFINITIO VI.

Verba enunciatiua quando & quatenus probent in antiquis.

VErba enunciatiua prolata non incidenter sed principaliter per modum causæ, vt nostri loquuntur, probant in antiquis, non solum inter easdem, [1] sed etiam inter alias partes. [2] Hactenus saltem vt contrariæ probationis onus in aduersarium transferatur: [3] Id enim antiquitati tribuendum est, per quam fit, vt alias probationes haberi difficillimum sit, [4] alioqui non probant contra tertium, nisi cum de re agitur, quæ sit difficilis probationis. [5] *Ita Senatus* pro D. Barone de Creissiaz, contra Syndicos de Cormoran, 5. Cal. Iul. 88.

1 Nam inter easdem partes probant vtique etiam in non antiquis, Bart. *in l. ex ea scriptura, D. de don. ex l. Publia* 26. *§. 1. D. depos.*

2 Idem Bart. *ad l. sciendum* 30. *num.* 4. *de verbor. obligat. ad l. Lucius §. socer, sol. matrim. l. cum scimus num.* 1. *Cod. de agr. & cens. lib.* 11.

3 Propter præsumptionem, quæ nascitur ex antiquitate, Crauet. *pass. in tract. de antiq. temp.* Est enim ea vis præsumptionum omnium, vt onus probandi transferant in aduersarium *l. alimenta* 11. *C. de neg. gest. cum similib.*

4 Alex. *cons.* 93. *vers. ex his vol.* 6. Crauet. *d. tract. de antiq. temp. part.* 1. *vers. ampliatur, num.* 12. & 13.

5 Puta si agatur de filiatione, quæ est difficillimæ ac penè impossibilis probationis, *l. filium* 6. *de his qui sunt sui vel alien. iuris l. Lucius* 83. *de cond. & demonst.* Alex. & Crauet. *supradict. locis.* Apost. ad Alex. *cons.* 13. *lib.* 6. Iunge *Defin.* 23. *infr.* * Quando autem præsumatur filiatio vide apud Boer. *quæst.* 299. vbi inter cætera ait, *num.* 2. eum qui natus est domi non præsumi filium domini si natus sit ex ancilla & vt loquuntur pedissequa. *Ita Senatus* in causa Amedei Dominici Testu & Amedeo Mugniet Maij 1615.

DEFINITIO VII.

An credatur iudici?

IVdici per sententiam asserenti, visum à se instrumentum ab actore productum, quo continebatur res actione depositi petitas penes reum depositas fuisse, hactenus creditur, vt instrumentum productum visumque negari non possit, sed non vt depositum factum probetur. [1] Præsertim si ponas ab ea sententia prouocatum, [2] tametsi biennium ab eo die, quo lata est, præterierit, [3] si non alia concurrant probationis adminicula, constétque de instrumenti amissione, saltem ex eius cuius fuerat iureiurando. [4] Verbis enim enunciatiuis iudicis de litigatorum facto aut iure non credimus, nisi de iis, quæ coram ipso fiunt tum cum pronunciat. [5] Sicut neque notario aut scribæ iudicis dicenti mandatam sibi testium audiendorum potestatem, si de mandato non aliunde appareat. [6] *Ita Senatus* in causa N. Burneti & viduæ Ioannis Pelleterij, 3. Id. Iul. 1588.

1 *Cap. quoniam contra.* vbi Abb. Fel. & alij, *Extr. de probation.* Bald. *in l. optimam, C. de contr. & comm. stip.* Bart. *in l. acta, D. de re iud. & in l.* 1. *C. de relat.* Crauet. *cons.* 171. *num.* 7. & *cons.* 197. *nu.* 10. & 265. *num.* 3. vbi ait, sententiam iudicis non probare factum, puta consensum partium.

2 Non enim potest sententia ius facere à qua est appellatum, *l.* 1. *§. vlt. D ad SC. Turpill.*

3 Diuersum esset, si ante multos annos ea sententia lata proponeretur. Tunc enim præsumerentur omnia solemniter acta, posteaquam acta sunt deperdita. Bald. post Cynum *in l. emancipatione, C. de fid. instrum.* & alij, quos refert Boer. *quæst.* 15. *in fin.*

4 *L. cum quidam* 21. *C. de fid. instrum.*

5 Bart. *in auth. nisi breuiores, C. de sent. ex breuic. recit. & alij* 5. *citati num.* 1.

6 Guid. Pap. *quæst.* 126.

DEFINITIO VIII.

Quomodo probari possit matrimonium.

BIU Cujas

MAtrimonij probatio cum sit & difficilis & fauorabilis, per testem vnum cum fama impleri creditur, quod sine alterius matrimonij præiudicio fiat. [1] Eadem ratio facit, vt alterius filium quem esse, quod multo difficilioris est probationis, [2] per coniecturas probari possit, [3] adeoque per solam famam, tametsi parentum tractatus nullus probetur, [4] hactenus saltem, vt qui negat probandi necessitate oneretur: [5] Maxime vero, si alia quoque adminicula quantulacunque concurrant, [6] vt puta si probationem illud faciat difficiliorem, quod distantia sint locorum aut temporum interualla. Solet enim ea res facere, vt leuiores quoque probationes admitti debeant, quæ alioqui non admitterentur. [7] Illa vero longe fortior erit probatio, si is, qui filius dicitur, in quasi possessione filiationis, vt aiunt, fuisse probetur, [8] id est, sic tractatus & habitus vt filius ab iis, quos ipse vicissim vt parentes obseruauerit & coluerit. [9] Nam & generale illud est, vt qui in quasi possessione alterius cuiuslibet qualitatis constitutus reperitur, [10] in ea retineri debeat, [11] quousque contrariis aduersarij probationibus superetur. [12] Idque in proposito tanto magis obtinere debet, quod etiam Pontificio perinde ac ciuili iure in liberæ mulieris consuetudine nuptiæ potius intelligendæ sunt, quam concubinatus, [13] ne delicti præsumptio, quæ si aliud nihil vrgeat semper vitanda est, [14] temere inducatur. [15] *Ita Senatus* in causa Ioannis Musier, contra Ioannem Monnier, 6. Cal. Aug. 1588.

1 *Ex decis. Capel. Tholos.* 173. Innoc. *in cap. præterea, de testib. & cap. illud, de præsumpt.* Notab. *gloss. in cap 1. de appell. & in cap. veniens 2. de testib.*

2 Imo pene impossibilis, vt dixi *Defin. 6. num. 5. 5. eod. ex l. Lucius 83. de condit. & demonstr.*

3 Quomodo & cætera omnia, quæ sunt difficilis probationis, *l. non omnes 55. §. à barbaris, D de re milit.*

4 Anton. de Butr. *in c. ex transmissæ Extr. qui filij sint legitim.* quem refert & sequitur Dec. *cons. 272. incip. viso processu, num. 4. circa med.*

5 Fulgos. *cons. 138. incip. visis præcepto facto, col. 2.*

5 Salic. *in l. 1. in princ. C. de testib.* quem sequitur Alex. *cons. 25. incip. in causa vertente inter Antonium, col. penult. vol. 4.*

7 Vnde est, quod etiam instrumento minus solemni credi solet propter locorum distantiam, Bart. *in l. admonendi, nu. 42. D. de iureiur.* Bald. *in l. comparationes, C. de fid. instr.* Corn. *consil. 247. col. 12. in princ. vol. 2.*

8 Nemo enim dubitat, quin saltem hoc casu transferatur onus probandi in aduersarium, *ex not. in l. non nuda, & in l. non epistolis, C. hoc tit.*

9 *L. 1. §. 1.* vbi Bart. *D. de quæst.* Idem Bart. *in d. l. non nudis, in l. 1. D. quor. bon. in l. 1. §. idem per contrarium, D. de liber. agnosc. & in l. fin. D. hoc tit.* Iacob. Butrig. *in l. quidam 13. eod. tit. ex l. cum de lanionis 18. §. asinam.* in illis verbis, *Sed fide dominica coleretur, D. de instruct. & instrum. leg.* Alciat. *1. præs. cap. 19.*

10 Quod ipsum etiam per solam famam sufficienter probari creditur saltem ad, transferendum onus probandi in aduersarium. Bart. *in l. de minore, §. plurium, D. de quæst. l. si mater, C. ne de stat. defunct. l. 2. C. si seruus aut lib. ad decur. aspir.*

11 *L. moueor 4. C. si seruus export. uen.*

12 Semper enim superest locus veritati, *l. Imperatores 29. §. vlt. D. hoc tit. cum similib.*

13 *L. in liberæ 24.* vbi Bald. *D. de ritu nupt.* Facit *l. si vicinis 9. C. de nupt. l. filium 6. in fin. de his qui sunt sui vel alien. iur.*

14 *d. l. moueor, in fin. l. merito 51. D. pro socio.*

15 Concubinatus enim hodie prohibitus est iure canonico vt & alius quilibet coitus tanquam illicitus extra matrimonium, Bart. & alij *in l. 3. D. de concub.*

DEFINITIO IX.

Minor ætas probatur per testes colligentes ætatem ex aspectu, sed non per dationem solam curatoris.

IN probatione minoris ætatis placet sufficere, quod testes ætatem ex aspectu colligant. [1] Sed non sufficiet, quod ei, qui minor dicitur, curator datus sit tanquam minori, nisi cum iis res sit, qui curatoris dationi adfuerunt & consenserunt. [2] Ne alioqui facile sit hoc prætextu probandi onus in eum transferre, qui sciens & prudens cum [3] re vera maiore contraxerit. [4] *Ita Senatus* pro N. Francisco Denarie, contra Bartholomæam de Valon, 8. Id. Aug. 1588.

1 Bart. *in l. de minore, num. 6. & 8. & in l. minor. num. 1. D. de minor.*

2 Nam quod ad eos, datio curatoris probat minorem ætatem, sed non quod ad tertium, Alex. *cons. 21. vol. 1.*

3 Finge agnatum proximum: is enim præsumitur scire ætatem agnati, ac multo magis si tutor eius fuerit; *l. de tutela 7. C. de in integr. restit. min. l. octaui 9. in fin. D. und. cogn.* Facit *l. si vicinis 9. C. de nupt.* sufficitque ea præsumptio ad transferendum onus probandi in negantem. Rol. à Val. *cons. 19. num. 39. lib. 1.*

4 *L. 3. vers. quod si per iniuriam, C. si min. se maior. dixer.*

DEFINITIO X.

Conditio rei probatur per vnicam recognitionem etiam sine aliis adminiculis, conditio personæ non item.

MVltum interest, an de prædij, an de personæ, iure & conditione tractetur. Etsi enim prædia quoque omnia præsumuntur libera, &, vt loquuntur, allodialia, [1] vnica tamen professio & recognitio sufficit vt probentur feudalia vel emphyteuticaria. [2] At si quis deditiæ conditionis esse dicatur, duplici professione & recognitione opus est, [3] aut ea saltem adminicula concurrere oportet, si vnica recognitio proferatur, ex quibus constare possit non sine causa vel effectu eam factam esse professionem. [4] Itaque si recognitio antiqua proponatur, quæ ad antiquiorem aliam referatur, designato die & Consule, licet de antiquiore illa non appareat, dummodo à maioribus facta sit, sufficiens erit probatio, [5] non secus, ac si duplex recognitio exhiberetur. [6] *Ita Senatum* iudicasse in causa quadam D. Comitis Turnonij relatum sæpius est. Et iterum me præsente in causa liberorum D. de Nouelles & procuratoris fiscalis Gebennensis, 4. Id. April. 1593. Iunge Defin. 19. inf. De dedit. libert. tol.

1 *Vulg. l. altius 8. Cod. de seruit. & aqua, l. cum eo 9. D. de seru. vrb. præd.* sicut & homines omnes præsumuntur liberi, quia tales nascuntur, *l. manumissiones 4. D. de iustit. & iur. l. libertus, D. de stat. hom. l. vnic. C. de SC. Claud. toll.*

2 Quia domino prædij licet rei suæ conditionem facere deteriorem, multo magis ex sua confessione & enunciatione probationem aduersario præbere, *arg. l. Publia 26. §. 1. D. depos.* Nulla enim fortior probatio est, quam quæ fit per confessionem partis, *l. generaliter, C. de non num. pecun. l. cum de indebito, D. hoc tit.*

3 Guid. Pap. *quæst. 272. in fin. & quæst. 315.*

4 Text. est *in l. cum scimus 22. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47.* quæ nec pluribus confessionibus contenta est, si non alia quoque adminicula concurrant. Quod tamen accipiendum est de pluribus confessionibus factis ad inducendam qualitatem potius, quam qualitatis probationem. Nec enim volens quisquam liber & ingenuus conditionem suam mutare potest, *l. nec si volens 6. de lib. caus.* quia nemo dominus est membrorum suorum, *l. liber homo 13. in princ. D. ad leg. Aquil.* Sed confessio, quæ non potest mutare conditionem, facilius inducit probationem mutatæ conditionis, *l. Publia 26. §. 1. D. depos.* Sufficit enim vt appareat præcedentem confessionem aut non sine causa factam fuisse, aut ex secuto effectu vires sumpsisse.

5 Non enim potest dici facta sine causa confessio, quæ ad aliam antiquiorem refertur, & in antiquis verba enunciatiua probant, præsertim inter easdem partes earumque successores non tantum vniuersales, sed etiam singulares. Bart. *in l. facta, §. si heres, D. ad SC. Trebell.* Cravet. *cons. 29. num. 1.*

6 Quo casu nulla esset dubitatio, quia geminatio actus solet potentius operari & inferre certam scientiam, *l. si mulier 22. C. ad SC. Vellei.* Bart. *in l. cum scimus, & in l. Balliста.* vbi omnes, *D. ad Trebell.* Rom. *consil. 65. viso themate, col. 2. cum simil. cumul.* per Dec. *in l. ex his, col. 2. C. de test. mil.* Iunge *Defi. 76. §. de iur. emphyt.*

DEFINITIO XI.

Clericatus probandus est per scripturam, & qualis debeat esse scriptura?

Clericatus

CLericatus probari per scripturam debet non per testes, [1] si non amissa sit scriptura eáque amissio per testes, quod fieri potest, probetur. [1] Cæterum non sufficiet, quod qui se clericum dicit, probet se presbyterum cum fieri possit vt per saltum promotus sit. [3] Clericatus autem literas, quæ proferuntur, vt fidem faciant, oportet esse subscriptas ab episcopo aut vicario, qui characterem imprimit, [4] ne alioqui facile sit falsum fingere. [5] Si tamen, ex aliis similibus literis appareat ita obseruare solitum episcopum, vt pro subscriptione sigillum suum soliúsque Secretarij manum adhiberi iuberet, fidem facient literæ etiam quæ ab episcopo non fuerint subscriptæ. [6] Præsertim si alios ordines adeóque presbyteratum subinde adeptum appareat. [7] Vitanda enim est præsumptio delicti [8] & per saltum promotionis: [9] adeóque publicè interest, ne tot probationes intercidant. [10] Sed & cum de sola beneficij possessione apud iudicem laicum agitur, [11] sufficit, vt qui se clericum dicit, se in quasi possessione clericatus esse probet. [12] *Ita Senatus* in causa Ioannis Chauellard & Claudij Poysat, 3. Calend. Ianuar. 1589.

1 Vt & alia pleraque, de quibus Guid. Pap. *q.* 582.

2 *L. testium facilitatem* 18. *§. vltim. C. de testibus* & ibi Bald. & *in l. emancipatione, C. de fid. instrument.* Iunge *Defin.* 5. *num.* 5. *supr. eod.*

3 Guil. Bened. in verb. *& uxorem, in tract. de success. ab intest. num.* 834. Chassan. *in tit. de iustices & droit d'ic lles in rub. Meßiers & sergens.* in verb. *sont creus, nu.* 12. post Bart. *in l. illud, D. de acquir. hered.* Cravet. *cons.* 134. *num.* 45. vbi limitat, si concurrat longum tempus.

4 Subscriptio enim illa est præcipue, quæ rei gestæ fidem facit, *l. si ita stipulatus* 116 *§. Chrysogonus, de verbor. oblig. l. si non subscripsisti* 15. *C. de admin. tut.*

5 Etiamsi adsit signum & sigillum episcopi, *in l.* 2. *de rebus alien. non alien.* etsi non facit subscriptio, quo minus falsum committi possit, *l. vlt. C. plur. valer. quod agit.*

9 Consuetudo enim episcopi & regionis hac in re, vt & in aliis plerisque seruanda est, *l.* 2. ibi, *secundum leges moresque locorum, Cod. testament. quemadm. aper. l.* 3. *§. vltim. ff. de testibus cum similib.*

7 Cum sine clericatu non posset ordinum collatio valere.

8 *L.* 4. *C. si ser. export. vsm. l. merito* 51 *ff. pro soc.*

9 Delictum enim est, si quis per saltum promoueatur. *tot. tit. de cleric. per salt. promot.*

10 *L.* 1. *ff. de off. prætor.* Guid. Pap. *qu.* 474.

11 Neque enim iudex laicus est competens in petitorio beneficij. Idem Guid. Pap. *qu.* 1.

12 Idem Guid. Pap. *quæst.* 138. *num.* 3. vbi rationem reddit, quod probatio tituli clericalis sit quid spirituale, *ex c. si iudex laicus, de sent. excomm in* 6.

DEFINITIO XII.

Confidentiæ probatio difficilis est, ideoque fieri potest per coniecturas.

CONfidentiæ probationes, licet minus claræ & apertæ, ac ex solis coniecturis, dummodo probabilibus, admittendæ sunt: [1] quoniam, quæ in rebus profanis dicitur simulatio, hanc in beneficialibus confidentiam appellamus: [2] cuius probatio perdifficilis esse solet, quod non nisi occulte ac per cuniculos fiat. [3] *Ita Senatus* in causa Humberti Chambard, & Francisci Cabod, Prid. Id. Decemb. 1588.

1 *Arg. l. non omnes* 5. *§. à barbaris, ff. de re milit.* nam & manifestum dicitur, quod elicitur per coniecturas, *l. cum proponebatur* 64. *de leg.* 2.

2 Vide regulam & ordinationem Pij Quinti summi Pontificis de confidentia. [Quæ constituit inter cætera vt pro confidentiæ probatione quilibet testes admittantur etiam singulares criminosi, & infames. Itémque vt sufficiat ex alterutra duntaxat parte confidentiam interuenisse. Et ex quibus causis confidentia probari possit, aut præsumi.]

3 Alioqui nunquam probari posset simulatio, vt tractant DD. *ad l. emptionem, C. si quis alteri vel sibi.* Cravet. late *cons.* 176. *nu.* 7. Facit *l. dolum* 6. *C. de dolo.* Est autem confidentia species simoniæ.

DEFINITIO XIII.

Ex iis, quæ resignans fecit in beneficio resignatorio ignorante, non probatur confidentia.

NOn bene probabatur confidentia ex eo solo, quod appareret resignantem multa in beneficio post resignationem fecisse, quasi beneficium adhuc possideret: [8] Cum ex aduerso probaretur, multa quoque & plura fecisse resignatarium iure legitimi possessoris, [2] neque constaret vidente aut sciente resignatario facta esse, quæ resignans fecerat. [3] Itaque pronunciauit Senatus, resignatarium ante omnia restituendum aduersus spoliatorem, [4] qui confidentiam obiiciebat. Quidni vero? Cum & contra ipsum resignantem, si quid ab eo spoliandi animo factum esset, restitueretur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa, licet alio posteriore placito. *Sine die.*

1 Licet soleat probari simulatio ex hac coniectura, cum is, qui tradidisse dicitur, remansit in possessione, *l. sicut* 8. *§. supervacuum ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

2 Præsumendus enim erat, fecisse ex titulo præcedenti, *l. quædam mulier* 77. *de rei vind. l.* 2. vbi Bart. *C. de acq. poss. ff.* Dixi *Defin.* 3 *num* 14. *sup.*

3 Ita credendus erat potius clam fecisse, *l.* 3 *§. clam facere, ff. quod vi aut clam.*

4 *Ex cap. in literis & tot. tit. Extr. de restit. spoliat.*

5 *Cap. olim. vbi not. Extr. eod.*

DEFINITIO XIV.

Per instrumentum locationis nec dominium probatur, nec possessio sed probatur tamen spoliatio.

ETsi per instrumentum locationis nec dominium probetur nec plene possessio, [1] nisi secuta probetur perceptio fructuum aut pensionis, quæ loco fructuum est: [2] probari tamen potest spoliatio, ex eo solo, quod quis alieni beneficij fructus locauerit tanquam suos aut tanquam beneficij ad se pertinentis: spoliatio enim est adeóque violenta, quoties inuito eo, ad quem beneficium pertinet, alius possessionem ingreditur, [3] licet aperte vis nulla fiat. [4] Sed etsi ignorante eo, spoliatio est, quam uis non violenta. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Cap. inter dilectos, Extr. de fid. instrum.* Vide Alex. *cons.* 68. *lib.* 3.

2 Nam per fructuum perceptionem & pensionis solutionem probatur plene possessio, non tamen dominium. *Notat. in d. c. inter dilectos. l. Titia* 48. *D. de solut.*

3 Vi enim factum dicitur, si quis contra quam prohiberetur fecerit, *l.* 1 *§. quid sit vi factum, ff. quod vi aut clam.*

4 Non enim vis tantum est si homines vulnerentur, sed & quoties quis rem etiam suam aut sibi debitam non per iudicem reposcit, *l. extat* 13. *ff. quod met. caus.*

5 Sed clandestina. Clam enim facere videtur, qui aduersarium celauit, nec ei denunciauit, si modo timuit eius controuersiam aut timere debuit. *l.* 3. *§. clam facere, D. quod vi aut clam.*

DEFINITIO XV.

Regulas Cancellariæ Romanæ sufficit allegare, licet non proferantur sub plumbo.

QVi veteres Romanæ Cancellariæ regulas allegat, non est arctandus, vt eas sub plumbo, quod aiunt, exhibeat, quia sunt notoriæ Senatui, qui secundum eas tam sæpe pronunciauit, vt earum aut fides aut substantia in dubium reuocari non possit. [1] Nec quod in singula lustra mutari possunt, quicquam facit, cum non eo minus obseruari videamus vt sint perpetuæ. [2] Itaque qui correctas aut immutatas dicet, idipsum probare debebit. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 Sunt enim constitutiones generales, quas nec ignorare cuiquam, nec dissimulare permittitur, *l. penult. C. de iur. & fact. ignoran.*

2 Quod enim non mutatur, quare stare prohibeatur? *vulg. l. sancimus 27. Cod. de testament. l. præcipimus 32. in fin. C. de appellat.* Neque vero semper attenditur quod fieri potest, donec factum sit, *l. 1. §. qui sunt in potestate, D. si quis omiss. caus. testament.*

3 Quomodo probare debet, quisquis dicit mutatam esse voluntatem, *l. eum qui voluntatem 22. D. de probat.* iunct. *l. 3. ead.*

DEFINITIO XVI.

Non debet iudex admittere litigatores ad probandum, nisi de eo requisitus.

COllitigatores, qui non petierunt admitti se ad probandum, non potest iudex ex officio admittere, tametsi eam facti quæstionem implicitam videat, quæ sine probationibus explicari non possit. [1] Credibile enim est, ideo non postulari facultatem probandi, quod probatione desperetur. [1] Sed & cum ex litigatorum consensu lis in eum statum deducta est, vt iudicis sententia expectetur, quod Pragmatici dicunt conclusum esse in causa, magis est, vt à probationibus, quibus litem instruere fortassis potuissent, recessisse videantur. [3] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Calend. Febr. 1589. Suaserim tamen bono iudici, vt per interlocutionem extorqueat consensum eius ex collitigatoribus, cui incumbit onus probandi, iubeátque deliberare eum, an ad probandum admitti velit, nec ne, vt certiore minúsque suspecto iudicio ad sententiam perueniri possit. [4]

1 Non enim solet nec debet iudex officium suum impertiri, nisi petenti, *l. 4. §. hoc autem iudicium, ff. de dam. infecto.* nisi in casibus, quos recenset Ripa ibid. vbi vide.

2 Vnde enim potest iudex diuinare, an litigatores habeant testes aut alias probationes quas velint producere? Aut cur non dicant litigatores, se velle probare si possint? Nam & plerumque deficit probatio, licet ius non deficiat, *l. 1. C. si aduers. cred. l. duo sunt Titij 30. de testam. tutel.*

3 Per processum enim ad vlteriora renunciatur anterioribus. Notant nostri. *Notat ad l. à procedente, 4. C. de dilat.*

4 Interest enim iudicis & reipublicæ ita ferri sententiam, vt prætextu nouarum probationum retractari non possit, *arg. l. singulis 6. de except. rei iudic. cum similibus 14.*

DEFINITIO XVII.

Confessio defuncti nocet heredi puro, non ei, qui beneficium legis implorauit, si de re ipsius agatur non de hereditaria.

COnfessio, quam quis fecerit in vna instantia, probat contra purum heredem etiam in alia, sicut & contra ipsum confitentem probaret, si viueret, quando vna eadémque puri hæredis & defuncti persona esse intelligitur. [1] Sed in eo herede, qui non nisi cum beneficio legis & inuentarij hæreditatem agnouerit; aliud est, si de re agatur, quæ ad ipsum proprio non hæreditario iure pertineat, quoniam hac parte alia persona est, [2] cui nocere confessionem ab alio factam ex vulgata iuris regula non oportet. [3] *Ita Senatus* ex tempore, 7. Id. Februar. 1589.

1 *L. cum heres 11. D. de diuers. temp. præscript. l. nihil est aliud 24. D. de verbor. significat. cum similibus.* Vide Guid. Pap. *quæst. 254.*

2 Siquidem & beneficio constitutionis Iustiniani *in l. vltim. Cod. de iur. deliber.* neque bona neque iura hæredis, qui legis beneficium implorauit, confunduntur cum bonis defuncti.

3 *Tot. tit. C. int. alios act. vel iudic. non nocer. l. vltim. D. de interrog. in iur. facien. l. nam posteaquam 9. §. fin. & l. seq. D. de iureiurand.*

DEFINITIO XVIII.

Virgini creditur iuranti se ab aliquo cognitam, non etiam meretrici, cui nec permittitur iusiurandum deferre.

CReditur virgini dicenti se ab aliquo cognitam, & ex eo prægnantem esse: meretrici non item: Quanquam si constet habitasse meretricem cum eo, à quo se dicit cognitam, locus esse potest condemnationi fiduciariæ, & vt aiunt, prouisionali pendente lite. [1] At quid si ea, quæ iam ante ex alio prægnans fuit, dicat se, à quo tempore peperit, non ab alio cognitam, quam ex quo se dicit nunc prægnantem? An ei iurare licebit? Minimè vero, quia turpis persona est. [2] Ergo nec iusiurandum deferre reo poterit, non illa solum ratione, quod ipsi referre reus non possit; [3] sed etiam, quia vtrum ab alio cognita mulier sit nescire vir potest. [4] Sane iusiurandum assertionis, vt vocant, aut de calumnia ex vtraque parte interponendum est. [5] *Ita Senatus* in causa Antoniæ Rubaton, contra Aduocatum Bernard. 13. Cal. Mart. 1589.

1 Boer. *quæst. 299. in fin. & quæst. 319.* Papon. *lib. 22. syntagmat. tit. de adulter. Arest. 13.* [Vide Maicard. *de probat.* in verb. *coitus num. 24.* Bald. *in cap. 1. §. iniuria de apost.* Card. *in cap. 1. Extr. de adult.* Clar. *in §. stuprum vers. Sed pone* Crauet. *cons. 166. num. 5.*]

2 Cuiusmodi personis permittendum non est vt in causa sua iudices fiant, quod euenire, si ipsarum iuramento res committeretur, *l. 1 D. quar. rer. act. non det.*

3 Cum modestius faciat, qui iusiurandum ex necessitate refert, quam qui ipse iurat, *l. illud, 25. §. 1. D. de const. pecun.* Nam nec aliæ personæ iusiurandum deferentes audiri debent, quam quæ ad id habiles sunt, *l. tutor. 35. §. 1. D. de iureiur.*

4 Nemo autem de alieno facto iurare vnquam cogendus est, *l. Marcellus 11. §. iurare D. rer. amot.*

5 *d. l. Marcellus, §. 1. l. iusiurandum & ad pecunias 34. §. qui iusiurandum, D. de iureiur.* Vide Baldum & Castr. *ad l. manifesta 38. eod.* Eundem Castrens. *in §. ait prætor. d. l. iusiurandum.* Alex. *cons. 158. volum. 5.*

DEFINITIO XIX.

Literis extraiudicialibus Abbatum creditur etiam quod ad tempus & contra tertium, sed de consuetudine, non de iure.

LIteris extraiudicialibus Abbatum, Episcoporum, aliorúmve ordinariorum non creditur, quod ad tempus concessionis attinet, sicut nec sigillis, præterquam in præiudicium ipsorum & producentis, maxime vero si testes nulli subscripserint, [1] Ne alioqui facile sit prælato die fraudem comminisci in eius necem, cui antea ius fuerit iam quæsitum. [2] Sed quamquam iuris ratio ita suadet, attamen inueterata consuetudine plerisque Senatusconsultis adprobata receptum est, vt huiusmodi scripturarum in omnibus tanta fides sit, quanta si essent publicæ, non solum si ab ipsis ordinariis subscriptæ sunt, [3] sed & si ab eorum duntaxat amanuensibus, quamuis alij testes nulli interuenerint. Itaque si quis earum fidem in dubium reuocare velit, perinde falsi accusationem instituere, & in crimen subscribere debet, acsi publicum instrumentum esset impugnaturus. [4] *Ita Senatus* in causa Illustriss. D. Vincentij Laurei Cardinalis du Montdeuis & Reuerendi Petri Goyet de Prioratu Nantuacensi collitigantium, 7. Calend. Mart. 1589.

1 Guid. Pap. *qu. 175.* Panorm. & Felin. *in cap. post cessionem, Extr. de probat. & in cap. scripta de fid. instrum.*

2 Vt in specie *l. scripturas 11. C. qui potior. in pig. hab.* vbi Bart. itemque Bald. *l. repetita 3. D. de fid. instrum. & l. si creditor, C. de fals.* Abb. *in cap. 2. Extr. de fid. instrum.* Tiraq. *de retract. conuent. §. 1. gloss. 7. nu. 13. vsque ad 48.*

3 Qui casus minorem dubitationem habet, quia minor

BIU Cujas

subest suspicio falsitatis in subscriptione ipsius ordinarij, quam in subscriptione amanuensis.

4 Idque propter publicam, vt puto, vtilitatem & ad materiam litium minuendam.

DEFINITIO XX.

Non sufficit sigillum, vbi necessaria est subscriptio.

LIteræ iudicis alteriusve cuiuscunque personæ publicæ quantumuis publicum sigillum habeant, nullam tamen fidem faciunt, nisi ab eo ipso, cuius nomen præ se ferunt, subsignatæ sint, aut ab amanuensi eius aliove qui subsignandi mandatum habeat & potestatem. [1] *Ita Senatus* sæpius.

1 Guid. Pap. *dist. quæst.* 175. Nam & sigillum potest adhiberi fraude interdum conquisita, *vt in l. 2. Cod. de reb. alien. non alien. l. vlt. C. plus valer. quod agit.*

DEFINITIO XXI.

Pecunia credita filio & patri simul, aut matri, quando ad vtrumque peruenisse præsumatur.

SI mater & filius simul cum alio contrahant, pecuniamque ambo accipiant aut sibi numeratam profiteantur, credimus eam ad quemlibet pro dimidia parte deuenisse: [1] nisi proponas matrem filij tutricem vel curatricem fuisse. Semper enim præsumitur tota pecunia ad eum peruenisse, qui habuit administrationem, [2] nec aliud in patre obseruatur, quam in matre. [3] Etsi enim in eo plus iuris habet quod legitimus administrator est bonorum aduentitiorum filij, [4] tamen in ea pecunia, quam cum filio accipit & cuius habendæ filius familias æque capax est, puta ex causa dotis, [5] nihil est quod impediat ne ad filium pro sua parte pecunia peruenisse præsumatur: nisi eo casu quo constet totius familiæ & acceptæ pecuniæ gubernationem penes patrem fuisse, nimirum patre & filio cum filij vxore simul habitantibus, soloque patre matrimonij onera ferente. [6] *Ita Senatus* ex tempore 9. Cal. Iul. 1590.

1 *Ex l. reos* 1. §. *cum in tabulis, de duobus reis.* Boer. *quæst.* 23. *num.* 9. 10. *&* 11.

2 Cinus *in addit. ad l. si cum dotem,* §. *transgrediamur, D. solut. matrim.* Boer. *dict. quæst.* 23. *num.* 12.

3 Boer. *d. quæst.* 23. *num.* 10. *&* 11. *ex d.* §. *transgrediamur.*

4 *L. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

5 *L. Pomponius Philadelphus* 35. *D. famil. ercisc.*

6 Ibi enim debet esse tota dos vbi sunt tota onera matrimonij. Boer. *dist. quæst.* 23. Castren. *consil.* 296. incip. *visis actis, vol.* 1. *num.* 1. Cravet. *cons.* 91. Eman. Soarez *in tit. D. col. pen.* Facit *l. si is qui* 56. §. *ibi dos, & seq. D. de iur. dot. & d. l. si cum dotem* 22. §. *transgrediamur.*

DEFINITIO XXII.

Coniugibus simul vendentibus ad quem pecunia peruenisse præsumatur.

SVperioribus consequens est, vt si vir & vxor simul vendiderint, non aliter præsumendum sit totam pecuniam ad maritum peruenisse, quam si aut mariti res vendita sit, aut mulieris fundus dotalis, [1] quippe qui constante matrimonio in bonis mariti est, [2] licet re vera sit mulieris. [3] Nam & suarum rerum & dotalium æque ac suarum administrationem maritus habet. [4] Cæterum si quid ex bonis mulieris venierit quod dotale non fuit, non minus ad mulierem, si plerisque credimus, quam ad virum pro sua quemque parte pecunia peruenisse intelligetur, siue aduentitium id mulieri fuit siue paraphernale. [5] Itaque non semper verum est, quod vulgo iactatur, pecuniam ad potentiorem peruenisse videri, [6] nisi quis dicat in mulieris bonis siue aduentitiis, siue paraphernalibus non esse maritum potentiorem, in quibus scilicet nihil omnino iuris ille habeat nisi volente mandanteque vxore: [7] alio tamen iure vtimur. [8] *Ita tractatum est* 7. Id. Nouemb. 1590.

1 Afflict. *decis.* 209. [Boer. latè *decis.* 23. Iunge *Defin.* 19. *&* 27. *J. ad Velleian.*

2 *L. quamuis* 75. *D. de iur. dot. l. duce* 9. *C. de rei vindic.*

3 *d. l. quamuis, l. in rebus* 30. *C. eod.*

4 *d. l. duce, l. si constante* 25. § *si maritus, D. solut. matrim.*

5 Quia scilicet in his bonis nihil iuris habet maritus nisi vxore consentiente, *l. hac lege* 8. *C. de pact. conuent. l. maritus* 21. *C. de procurat.*

6 *Ex l. si cum dotem* 22. §. *transgrediamur,* vbi omnes notant, *D. solut. matrim.*

7 *dict. l. hac lege, & d. l. maritus.* Iunge *l. si ego* 9. §. *vltim. D. de iur. dot.*

8 Vt scilicet pecunia semper & tota præsumatur peruenisse ad maritum propter metum reuerentialem qui hoc operatur, *arg. d. l.* 1. §. *qui onerandæ, D. quar. rer. act. non det. l. penult. in fin. D. de furt.* * Quid verò de fructibus bonorum paraphernalium & aduentitiorum vide apud Guid. Pap. *quæst.* 468. *& in addition.* [Sed an ideo possit mulier petere, vt rescindatur venditio saltem petita in integrum restitutione contra emptorem, alia quæstio est. In qua verius est prospiciendum esse mulieri, si nec precium possit repetere à marito fortassis egeno. Iniquum enim esset carere illam re sua & rei precio cum videatur vxor hoc casu esse adiecta persona, & ipsius nomen additum instrumento ad cautelam emptoris, vt post Baldum loquitur Boer. *decis.* 23. Cur non enim mulieri salua sit actio, saltem subsidiaria in eam rem quam cum marito vendidit, & quam credibile est nunquam fuisse vendituram sine marito? *l. vxor marito* 55. *de donat. inter vir. & vxor.* Sed si possit illa precij indemnitatem consequi ab heredibus mariti, difficilius est vt ei sit succurrendum contra bonæ fidei emptorem. *arg. l. planè* 14. *D. de minor. l.* 4. *vers. sed si prædia, C. ad SC. Velleian.* Textus est elegans *in cap. peruenit, extr. de empt. & vendit.* qui tamen casus rationem videtur habere specialem, vt scripsi *Defin.* 27. *num.* 12. *J. ad Velleian.* vbi vide. Sanè cum venditionis color siue à marito siue ab alio quæsitus est in fraudem Velleiani, non solùm restitutio dari potest mulieri, sed nec videtur necessaria, vt scripsi *Defin.* 27. *J. ad Velleian. & Defin.* 2. *num* 5. *de fund. dotal. ex l. vlt.* §. *item si mulier, D. ad SC. Vellei.* Castr. ad *Auth. si qua mulier, C. eod.* vbi addit non esse credendum confessioni mulieris affirmantis pecuniam ad se peruenisse, si non aliunde probetur. Et ita Senatus noster in publico auditorio pro Philiberta Bailly, 12. Cal. Sept. 1612. Quod intellige nisi confessio illa vxoris facta sit alio loco & alio tempore ex interuallo aut inter alias partes, aut saltem in alio actu non suspecto, puta in testamento. Quidni enim valeat saltem in vim relicti? *Ex not. in Auth. sed iam necesse, C. de donat. ante nupt. Ita Senatus* ex tempore 22. Maij 1614.]

DEFINITIO XXIII.

Verba enunciatiua quando probent siue in contractibus, siue in vltimis voluntatibus.

CVm de verborum enunciatiuorum potestate quæritur an probent, distinguere solemus vltimas voluntates à contractibus. [1] Nam in vltimis voluntatibus eo facilius & frequentius probant quo facilius & frequentius inducunt dispositionem, [2] in contractibus non aliter disponunt quam si à præsente præsenti dicta sint: [3] In vltimis voluntatibus nihil interest cum quo quis loquatur, sed illud tantum inspicimus in quem voluntatis intentio dirigatur. [4] Non tamen in vltimis voluntatibus perpetuum est, vt disponant, sed ita demum si in præteritum tempus conferantur, [5] & vt nostri loquuntur, propter se principaliter non propter aliud incidenter. [6] Nam si conferantur in futurum tametsi dirigantur ad honorarium videntur adulatoria potius quam dispositiua. [7] Sane nihil prohibet quin etiam in contractibus probent eo quoque casu, quo non disponunt, nimirum si inter easdem partes prolata sint, [8] aut inter alios quidem, sed accedente tamen temporis longinquitate, [9] cuius inter cætera priuilegia hoc vnum est quod facilius

BIU Cujas

inducit probationem, & iis etiam casibus quibus alioquin probatio nulla induceretur. [10] *Ita Senatus* in causa Ioannis Bouier, & Petri Quimier Aduocati, 10. Cal. Decemb. 1590.

1 Post Bart. *ad l. ex hac scriptura 16. num. 13. D. de donat.*
2 Plus enim est dispositionem inducere, quam probationem, *l. Publia 26. §. 1. D. depositi.*
3 *L. nuda ratio 26. D. de donat. l. non solum 49. in fin. D. de pecul.*
4 *L. miles ad sororem 75. in princ. l. cum pater 77. §. donationis, de legat. 2.*
5 *Vt in d. l. ex hac scriptura.*
6 Bart. *in d. l. ex hac scriptura ex l. ex his 7. C. de test. milit. l. Tizia testamento 34. in princ. & §. Caius, de leg. 2.*
7 *L. generali 31. in princ. D. de usufr. legat. l. Iuliano, alias l. testatorem 68. §. ex his verbis, de leg. 3. l. Lucius 78. §. filiam suam, ad Senatusc. Trebell.*
8 *Vulg. l. optimam, C. de contr. & commit. stipul.*
9 Nimirum si tempus sit longissimum, & ad minus quadraginta annorum, Afflict. *decis. 43. num. 7.* Vide tamen eandem *decis. 245. num. 4.*
10 Notant nostri *ad l. sciendum 30. D. de verb. oblig.* Cauet. *de antiq. tempor.* vbi alios citat.

DEFINITIO XXIV.

Frater pro fratre an & quando testis esse possit?

FRater pro fratre in causa criminali testimonium dicere non potest, in causa ciuili potest, dummodo tribus his cessantibus, patria potestate, bonorum communione, & cohabitatione. [1] Neque enim vllo iuris loco prohibitum est, ne frater fratri testis esse possit. [2] Quamquam tum maxime hoc verum est, cum testis probatæ fidei & in dignitate constitutus reperitur: [3] Aut si alius testis accedat, de cuius fide & probitate dubitari non possit. [4] Nam & euenit plerumq; vt minus idonei testis testimonium per eum qui omni exceptione maior est repleatur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Gloss. in l. parentes,* vbi Bart. *num. 4. C. de testib.* Bald. *in tract. de duob. fratrib.* Albert. de Rosat. *in tract. de testib.* Nell. de sanct. Gemin. *in tract. de testib. num. 8.*
2 Nam quod prohibitum non est hoc ipso censetur permissum, *argum. l. mutuus 43. §. 1. D. de procur.* iunct. *l. quæsitum 13. D. de testib.* Intellige si neque per consequentiam, neque aliter causa fratris testem attingat. Rebuff. *in tract. de reprob. & saluat. test.*
3 Hyppol. de Marsill. *sing. 273. num. 10.* Ant. Corset. *sing. 16.* Lanfranc. *in verb. testium depositio fol. 48.*
4 Ferrar. in forma iuramenti testium *cum addit. in verb. domestici.* Rom. *consil. 486.* incip. *in casu proposito.* Angel. *consil. 1. per text. in l. si quis ex argentariis 6. §. 1. de edend.*
5 Text. est elegans *in d. l. si quis §. 1.* in illis verbis, *Quid enim si humilis.* Bart. *in l. admonendi 19. D. de iureiur.* Ant. Gabr. *lib. 1. commun. opin. conclus. 1. per tot. præsertim num. 22. & 34.*

DEFINITIO XXV.

Ex confessione extraiudiciali facta etiam absente parte iusiurandum deferri potest in supplementum.

CONfessio partis licet absente parte & extra iudicium facta probat semiplene etiam ad obligandum, [1] plene autem si sit geminata, quoniam iudicialis vim & instar obtinet: [2] Maxime vero si de dote agatur, cuius fauore receptum est, vt etiam enunciatiua verba indistincte probent. [3] Igitur ei qui extraiudicialem habet aduersarij confessionem, licet non geminatam, si modo aliud nihil obstet, iusiurandum deferri poterit in supplementum probationis, [4] *Ita tractatum est* in eadem causa, & rursus 5. Non. Iul. 1591.

1 Bart. late *in d. l. admonendi 31. D. de iureiur.*
2 Idem Bart. *in l. 6. cum scimus, C. de agric. & censit.* Abb. *in cap. si cautio, in fin. D. de fide instrum.* Castr. *in l. Publia 26. §. si D. depositi.* Roman. *in l. si vero, D. solut. matrim.* Facit *l. si domus 71. §. in pecunia, de legat. 1.*
3 Afflict. eleganter *decis. 337.*
4 Bart. Rip. Ias. & cæteri *ad d. l. admonendi, & in l. bonæ fidei, C. de rebus credit. & iureiur.*

DEFINITIO XXVI.

Notario in quibus non credatur absolute.

NOtario qui scripsit testatorem quo tempore suprema ordinabat sanæ mentis fuisse non vtique adeo creditur, quin probari cõtrarium possit citra falsi accusationem. [1] Nam sicuti præsumitur quilibet sanæ mentis esse donec probetur contrarium, etiam tacente notario: [2] Ita credendus est notarius eam clausulam ex vulgari notariorum stylo potius quam ex proposito adscripsisse. [3] Idemque de aliis clausulis ius est, quibus exprimere notarij solent neque vi, neque metu, neque dolo factum quicquam fuisse. Non enim excludit ea res probationem interuenientis violentiæ, metusve, aut doli, tametsi is qui vim aut metum dolumve allegat de falso notarium accusare nolit. [4] Sed &, quod magis mirum est, si notarius scripserit in præfatione testamenti, testatorem codicillos facere voluisse, non eo magis tamen codicilli facti videbuntur, si contenta in ea scriptura testamento magis quam codicillis congruent. [5] Sic denique si Notarius dicat certioratam à se mulierem de vi & potestate Senatusconsulti Velleiani, cuius exceptioni renunciauerit, non ei creditur nisi hactenus, vt in mulierem contrarium asserentem probandi onus transferatur. [6] Est enim id perpetuum & generale, vt notarij assertio de iis tantum, quæ inter contrahentes geruntur, non etiam de aliis plenam fidem faciat. [7] *Ita Senatus* in causa Dominarum de Toyre, contra fratres Dominos dicti loci, ante Calend. Decemb. 1590.

1 Alexand. *consil. 141. num. 11. & 12. lib. 1.* post Bald. *in l. 2. D. de testam.* Salic. *in l. furiosum, C. qui test. fac. poss.* Angel. *in l. pen. de condit. & demonstr.* Idem Bald. *in l. 1. de confess. & in rubr. C. de fid. instrum.* * Vide Boer. *quæst. 23.* Socin. *consil. 42. lib. 1.* Dec. *consil. 445.* Roman. *consil. 365.*
2 Adeoque licet eodem tempore testator fuerit æger, *l. sanum mente 27. Cod. de transactionibus, cap. cum dilectus, de fid. instrum.*
3 Alexand. *d. consil. 141. in fin.* Vide Ias. *in l. sensum, C. qui test. facer. poss.* & addit ad Bart. *in l. furiosum, eod.* Guil. Bened. in verb. *in extremis positus, num. 7.* post Ang. & Bald. *in d. l. 2. D. qui test. fac. poss.* Boer. *quæst. 23. num. 73. & seq.*
4 Semper enim præsumptio cedit probationi, vt supersit locus veritati, *l. si chirographum 24. & seq. l. Imperatores 29. in fin. D. de probat.*
5 Angel. *in l. illud, §. tractari, D. de iur. codicill. arg. l. non codicillum, C. de testam.*
6 Feder. de Sen. *consil. 199.* incip. *quæritur an domina, arg. l. omnibus, C. de testib.* Imol. & Hostiens. *in cap. quoniam contra, de probat.*
7 Ant. de Butr. *in d. cap. quoniam contra.* Roman. *in l. sciendum, col. 6. de verb. obligat.* [Imo nec creditur notario, nisi de iis quæ fiunt coram eo, quãdo celebratur actus DD. ibid. Hyppol. de Marsill. *sing. 462.* vbi addit, si notarius in mutui instrumento hodie confecto asserat quod heri in sua presentia fuerit numerata pecunia, nihil probat de numeratione, quia tempore numerationis non fuit rogatus de ipsa numeratione, sed hodie: & ideo non potest attestari, nisi de visis tempore rogationis. Et ideo inquit, licet dicat falsum, non tamen punitur de falso, quia loquitur vt priuata persona. Ex Bald. *in l. ex his, col. 2. C. de testam. milit.* Sequitur & notabile, dicit Felin. *in cap. si cautio, col. 23. versic. & vnum perpetuo nota. de fid. instrum.* vbi monet, quod istud dictum nunquam exeat mentem tuam. Sic enim loquitur. Adde Notarium debere incontinenti requiri, vt recipiat instrumentum. Et ideo si postea ex interuallo recipiat, licet de omnibus bene recordetur, non tamen debet de præteritis instrumentum recipere. Specul. *in tit. de instr. edit. §. breuiter, versic. sed pone.* Bouerius *in suis singularibus,* in verb. *notarius num. 18.*]

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXVII.

Nobilitas generis probari potest per verba enunciatiua instrumentorum familiæ in antiquis, præsertim quæ facta sint coram Principe aut eius officialibus.

PRobari nobilitas generis solet ex antiquis familiæ instrumentis, quibus dictos appareat nobiles auos & proauos illius, de cuius nobilitate controuertitur. Verba enim illa enunciatiua licet inter alias partes & ad aliud prolata probant propter antiquitatem. [1] Maxime vero, si aut coram Principe aut apud Rationales principis instrumenta illa conscripta proponantur. Neque enim facile credendum est Principem aut Rationales permissuros, vt nobilem se diceret, qui nobilis non esset. [2] Cum non solum publice interfit, sed etiam Principis, vt nobiles ab ignobilibus distinguantur. [3] *Ita Senatus* in causa fratrum de Dompierre, contra Syndicos de S. Genis, 15. Cal. Ianuar. 1590.

1 Dixi *Defin. 25. num. 9. & 10.*

2 *Arg. l. omnium 19. C. de testam.*

3 *L. 1. §. sed etsi seruus, D. de inspic. ventr. l. 2. & tot. tit. Cod. vt dignit. ord. conseruet. lib. 12. tit. 8.*

DEFINITIO XXVIII.

Filiatio probatur per verba enunciatiua in antiquis.

FIliatio tamen, vt nostrorum verbo vtar, probanda est, si producens instrumenta negetur ex eorum genere esse qui nobiles dicti & pro nobilibus habiti sunt. At quomodo in antiquis ea fiet probatio? Nempe ex ipsis instrumentis, si scriptum sit Titium Sempronij filium fuisse, Sempronium Mæuij. [2] Non enim facile credemus alias fuisse personas, quam maiorum eius, penes quem instrumenta reperiuntur. [3] Præsumptione nimirum iuris pro eo semper vrgente, qui penes se habet instrumenta, vt ab illis ius habere videatur, qui in instrumentis nominati sunt, [4] si non contrariis probationibus aut præsumptionibus debilitetur. [5] Nam cum filiatio sit difficilis probationis, [6] probari potest per indicia etiamsi sit de recenti, [7] multo magis probari poterit per verba enunciatiua etiam inter alias partes in antiquis, vt antiquitas aliquid operetur, maxime si plurium instrumentorum antiquitas & auctoritas concurrat. [8] Cui illud etiam conuenit quod placet ex sola nominatione in antiquis probari filiationem. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nimirum probando nuptias *l. filium 6. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt.* Alioqui non modo difficilis, sed etiam impossibilis probatio est, *l. Lucius 83. de condit. & demonstr.*

2 Alex. *cons. 93. col. 3. vers. ex his responsum lib. 6.* Cravet. *de antiq. temp. part. 1. Section vers. Ampliatur nunc, num. 12. & 13.* vbi refert Rebuff. *in tract. de nominat.*

3 Ad vitandam nimirum præsumptionem subtractionis & delicti, *arg. l. merito 51. D. pro socio.*

4 *Arg. l. 1. C. de donat.*

5 Semper enim præsumptio probationi cedit, *l. si chirographum 24. & seq. l. Imperatores 29. § 1. D. de probat.*

6 *d. l. Lucius 83. de condit. & demonst.*

7 Alex. *d. cons. 93. Not. in cap per tuas, Extr. de probat.*

8 Cravet. *in d. vers. ampliatur nunc.*

9 Rebuff. *in d. tract. de nominat. in princ. vers. primo fallit.* [Et hoc haud dubie procedit, cùm is contra quem probanda est filiatio non indicat, quem alium patrem habuerit is de cuius filiatione tractatur. Etiam si agatur de re odiosa, puta de personali talliabilitate. *Ita Senatus* in causa Magninorum de la Mure, 18. Calen. Iul. 1611.] * Nec profuit reis quòd allegarent se aliunde ortos, & ex aliena non solùm familia, sed etiam ciuitate, cùm parentum suorum nomina propria ignorare se faterentur, licet cæteris paribus non fuissent rei probatione onerandi, sed actores.

DEFINITIO XXIX.

Titulus beneficij probandus est per scripturam, non per confessionem partis.

NOn ex eo solo probatur titulus, præsertim in beneficialibus, quod testes dicant eam se scripturam vidisse qua titulus continebatur. Omnimodo enim exhibenda est scriptura, [1] siquidem non de illo duntaxat quærendum est, an titulus aliquis fuerit, sed præcipue an bonus & validus, [2] quod non nisi ex scripturæ inspectione sciri potest. [3] Quare nec prodesse debebit alleganti ficta aduersarij confessio, qualis illa est, quæ per contumaciam inducitur, quia nec vera confessio prodesset. [4] Est enim generale, vt confessio neque prosit, neque noceat in his, quæ non pendent à voluntate confitentis. [5] Ergo neque proderit tibi ad tituli probationem, quod aduersarius tuus talem te nominauerit, siue in iudicio, siue extra iudicium, qualem te dicis. Nam nec nominatio, quam summus Pontifex etiam scienter adeoque motu proprio fecerit, vllum tamen ius in beneficio tribuit, tametsi in summi Pontificis potestate sit beneficium & cui & quomodo velit conferre. [6] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 14. sup. de Episc. & cleric.

1 Quamuis diuersum sit in plerisque aliis, etiamsi requirat probationem per scripturam *l. testium facilitatem 18. C. de test. Notat. in l. 2. C. de bon. possess. secund. tabul.*

2 Cùm nihil interfit an titulus nullus sit an inualidus, *l. quoties 6. D. qui satisd. cog. l. 2. D. de auctor. tutor.*

3 *Cap. 1. extr. de fid. instrum.*

4 Cum sine canonica institutione possideri beneficium non possit, *cap. 1.* vbi Dyn. *de reg. iur. in 6.* Boer. *quæst. 89.* Papon. *in syntagm. tit. De maintenue, &c.*

5 *L. confessionibus 13. in princip. & l. seq. §. vlt. de interrog. in iur. fac.*

6 Nominatio enim titulum præsupponit non tribuit *dict. cap. 1. de reg. iur. in 6.*

DEFINITIO XXX.

Possessio beneficij per filium non bene probatur ex fructuum perceptione facta per patrem.

POssessio beneficij non bene ex eo probata intelligitur quod eius, qui beneficium possedisse dicitur pater fructus beneficij per aliquot annos perceperit, [1] siue probetur percepisse tanquam filij procurator, nisi constet de mandato, [2] quod in dubio præsumendum non est, [3] siue tanquam legitimus administrator, quia in beneficialibus pater non magis legitimus filij administrator est, quam beneficij vsufructuarius, [4] nimirum quia nec ad ipsum filium familias, sed ad ecclesiam beneficij proprietas spectat: [5] Neque vero in huiusmodi causis filius familias sequitur ius patriæ potestatis, non magis quam in iis quæ ad ius publicum pertinent. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Licet perceptio fructuum soleat probare possessionem, *l. Titia 48. D. de solut.*

2 Nemo enim procurator est sine mandato, *l. 3. §. sed etsi forte, D. iudic. solui.*

3 Quia mandatum est facti, facta vero nunquam præsumuntur, *l. 1. C. de procur. l. ex mandato 20. in fin. D. mandat.*

4 *Cap. vlt. de iudic. in 6.*

5 *tot. tit. de reb. eccles. non alien.*

6 *L. nam quod 14. in princ. D. ad Senatusc. Trebell. l. quippe 78. D. de iudic.* Ius enim publicum non minus consistit in sacris & sacerdotiis quam in magistratibus, *l. 1. §. publicum ius, D. de iust. & iur.*

DEFINITIO XXXI.

Probatio quæ potest fieri statim maxime per iusiurandum, haberi debet pro facta.

PRo probato haberi solet quod statim, & vt nostri loquuntur, de proximo probari potest. [1] Vnde fit, vt etiam in possessorij quæstione, quæ probationum tempus expectare non solet, puta si mittendus sit heres

BIU Cujas

in possessionem hereditatis [2] & legitimus contradictor se obiiciat, admittendæ tamen sint probationes, quas in promptu reus habet, [3] Quod ipsum quid sit *statim*, positum est in arbitrio iudicis. [4] Inde sane illud etiam est, quod si reus actori iusiurandum deferat, perinde impeditur prouisionalis adiudicatio, ac si iam probata esset rei intentio, quæ in eo est, vt per actoris iusiurandum aut iurisiurandi relationem probari statim possit. [5] *Ita Senatus* sæpius. *Sine die.*

1 Paria enim sunt aliquid esse iam factum, vel in proximo faciendum, *l.penult.* vbi Bald. *D.de testam.milit.*
2 Ex beneficio *l.vlt.C.de edict.Diui Hadr.toll.*
3 *L.ille à quo* 13. *§.si de testamento, vers.quid ergo ad SC.Trebell. l.3.in princ.D.vt in poss.legat.*
4 Guid.Pap.*quæst.*132.
5 Est enim prompta & certa probatio quæ fit per iusiurandum, *l.cum qui* 30. *D.de iureiur.* cum posteaquam iuratum est de alio quærendum non sit, quam quid iuratum fit, *l.non erit, §.dato, & l.nam posteaquam* 9. *eod.*

DEFINITIO XXXII.

Professio certæ quantitatis pro reste, vt loquuntur, inducit probationem solutionis reliqui totius debiti.

SI creditor maioris quantitatis professus sit solutum sibi minimum quidpiam pro residuo, inducitur ex eo probatio solutionis totius debiti in necessarium antecedens [1]. Nam & creditor, qui partem debiti pro residuo petit, sibi nocet ne amplius quicquam possit petere, quasi reliquum iam sibi solutum fateri videatur, [2] Sed etsi testator testamento declarauerit, Sempronium quem habebat obligatum in trecentis centum duntaxat debere, placet prodesse eam confessionem debitori, & plenissimæ probationis loco cedere ad inducendam liberationem, vt non nisi centum ab eo exigi possint. [3] *Ita tractatum est* in Senatu, 3. Id. Maij 1595.

1 Paul.Castr.*ad l.ex pluribus, num.2.de solut.post gloss.ibid.*
2 Guid.Pap.*quæst.*176. & 177. Aliud tamen est si quis partem debiti professus sit, quasi solam eam deberet. Non enim liberatur quo minus etiam reliquam partem petere ab eo creditur possit, *l.si quidem* 34. *C.de transact.*
3 Post Bart. Azonem *ad l.rationes in vtraque lectura, C. hoc tit. ex l.3. §.cum Titio, D.de admin.legat.*

DEFINITIO XXXIII.

Tempus probare semper debet is, qui se fundat in tempore, siue actor sit siue reus.

QVotiescunque tempus fundamentum est intentionis siue actoris, siue rei, siue affirmet ille, siue neget, omnimodo & præcise ab eo probandum est, [1] Suam enim quisque intentionem probare semper cogitur [2] siue agat, [3] siue conueniatur. [4] *Ita Senatus* in causa Ioannis de Seruete & N. Ludouici de la Pallud 17. Cal. Iunij 1591.

1 Alex. *in l.si minorem, C.de in integr.restit.minor.* Castrens. *ad l. si inter, num.5 D.de reb.dub.*
2 *L.2.D.hoc tit.*
3 *L.verius* 21. *eod l.4.C.de edend. l.actor* 23. *C.hoc tit.*
4 *L.in exceptionibus* 19. *D.eod.*

DEFINITIO XXXIV.

Qui beneficium obtinuit in causa deuolutionis, debet probare scientiam prælati negligentis.

PRæsumitur ignorantia, imo ptobatur hoc ipso quod non probatur scientia, [1] maxime cum de ea re agitur, in qua ad fundandam intentionem scientiæ probatio necessaria est, [2] vtputa si tractetur de iure conferendi beneficij ob negligentiam inferioris ad superiorem deuoluto, cum deuolutioni locus sit in pœnam & odium negligentiæ illius duntaxat, qui beneficium vacare sciuit nec prouidit. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.verius* 21. *D.hoc tit.*
2 Debet enim vnusquisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis, vt dixi *Defin.prox.præced.*
3 Collatio enim facta iure deuoluti ante deuolutionem nullius omnino est roboris, adeo vt nec possit dici colorata. DD. *in cap.2.de concess.præb. & in cap.2.de præs.in* 6. Rebuff. *de deuol.num.* 32. Boer. *decis.*70.

DEFINITIO XXXV.

Identitas nominis probat identitatem personæ, de quo agatur incidenter non etiamsi principaliter.

EX identitate nominis & cognominis probatur identitas personarum, si non in contrarium probetur diuersitas, [1] præsertim si quæ alia indicia concurrant, [2] sed hoc ita si quæstio illa sit incidens non principalis. Nam qui intentionem suam fundat in identitate, exactius eam & certioribus demonstrationibus probare debet. [3] *Ita Senatus* in causa Michaelis Vuilliermet & Hugonis Mottet, Prid.Cal.Septemb.1592.

1 Crauet.*cons.*261. *num.*3. post Iason. *cons.*114. *lib.*1.
2 Vt tractat idem Crauet. vbi supra.
3 Decius *cons.*210. *num.*9. post Abbat. & alios ibi per eum allegatos. Crauet. *cons.*198. *num.*4.

DEFINITIO XXXVI.

Præsumptio legis Quintus 51. *de donat. inter vir. & vxor. non alij prodest, quam marito aut heredibus, aut creditoribus ipsius.*

IVris illa præsumptio, quæ facit, vt quicquid mulier constante matrimonio quæsiit ex viri pecunia quæsiisse intelligatur honestatis causa, & ad vitandam turpis quæstus suspicionem, [1] non est perpetua. Tum enim obtinet, cum inter virum & vxorem eorumve heredes agitur, non etiamsi extranei fauor in eo versetur, [2] dummodo meminerimus vix esse, vt hac parte extraneus habeatur, qui mariti creditor est. [3] Cur non enim ei liceat iuris sui tuendi gratia, & ex debitoris persona excipere de iure debitori competente? [4] Ita publice tractatum est pro N. Lancelot, contra vxorem Benedicti Penet, 18. Calend. Decemb.1592.

1 *L.Quintus Mucius* 51. *D.de donat.inter vir. & vxor.*
2 Bald. *in l.si vxorem, col.2. C.de cond.insert.* Vide Apostill. ad Bart. *in d.l.Quintus.*
3 Solemus enim cum agimus de creditore ei opponere extraneum. *l.cum bona* 16. *D.de reb.auctor.iudic.possid. alias l.1.de priuil.credit.*
4 Maxime si sit creditor hypothecarius, qui habeat obligata bona omnia sui debitoris, quo casu placet non esse ei necessariam cessionem, *arg.l.si res* 59. *in fin. D.de euict. l.si tertius* 7. *§ si quis prius.* vbi Bart. *D.de aqua & aquæ pluu.arcend.*

DEFINITIO XXXVII.

Commissarius ad inquirendum datus potest inquirere, non exstante appellatione in criminalibus, sed sine præiudicio appellationis.

QVi à Senatu aut ab alio inferiore iudice de crimine inquirere iussus est, si ab eo contra quem inquisiturus est rogetur, & vrgeatur, vt mandati quod habet copiam faciat, non magis edere id debet, quam patefacere, quid illud sit de quo habet inquirendum: [1] Nec si de ea causa ab eo appelletur deferre debet appellationi. [2] Sed & si suspectus dicatur, & obiectas suspicionis causas quasi falsas aut iniustas reiecerit siue iure siue iniu-

BIU Cujas

siue iniuria, & ab eo rursus ob hanc causam prouocatum sit, inquirere tamen de crimine nil obstante appellatione & potest & debet: nec idcirco attentare videbitur in spretum appellationis. [3] Nam quod traditum est, si ab interlocutione iudicis qui se competentem pronunciauit appellatum sit, non debere eum pendente appellatione de causa cognoscere, sed ad eum qui ipsius vice fungitur deuolui cognitionem, [4] in ciuilibus tãtum causis obtinet, non in criminalibus quod pertinet ad inquisitionem. [5] Nempe ne aliter posito iure eueniat, vt pessimo cuique aperiatur via eludendi magistratus, & faciendi vt pereant probationes delicti, quæ omnium sunt fauorabilissimæ. [6] Nam & idem probationum fauor etiam in ciuilibus causis elicuit, vt quoties audiendi sunt testes abfuturi aut valetudinarij ad futuram rei memoriam, si inquisitor suspectus dicatur eo tempore, quo iamiam sit inquisiturus, possit ille nihilominus inquirere, tametsi ab eo fuerit prouocatum, ob id quod allatas obiectionis causas reprobauerit, quoniam alioqui facile probationes perirent. [7] Sane nullum ex eo præiudicium appellationi fieri oportet. [8] Ideoque si ex postfacto appareat non sine causa suspectum videri potuisse, non parum de testimoniorum fide detrahetur, testésque si tum viuent non solum repeti, sed etiam ex integro audiri oportebit. [9] *Ita Senatus* in causa Parisij Chenauier & Pantaleonis Raymonde. Calend. Iul. 1591.

1 Secretò enim solet inquiri de crimine, ne alioqui reus facile probationes corrumpat & subornet testes.

2 Non enim deferendum est appellationi, per quam fiat ne res in tuto sit, *l. si quis filio 6. §. quid tamen, D. de iniust. rupt. l. vlt. de appell. recip. vel non.*

3 Quia non tam videtur fraudem facere, quam fraudem excludere, *arg. l. Iulianus 42. alias l. si pupillus, vers. nec enim videtur D. de acquir. hered. l. cum pater 77. §. antepenult. de legat. 2. d. l. si quis, §. quid tamen.*

4 Ita enim stylo Senatus nostri cautum est sub *tit. de recusation.*

5 Inquisitio enim facta facilius haberi potest pro infecta, quam infecta pro facta.

6 *L. terissime 34 §. si vero quis de cætero, C. de episc. audient.* in illis verbis: *& per omnem viam procedere ad eruendam veritatem.*

7 *Notat. ad l. in lege Aquilia 40. D. ad leg. Aquil. & ad tit. vt lit. non contest. Extr.*

8 Auxilium enim appellationis cum sit ex iure communi, *l. 3. §. falsus D. rat. rem haber. l. 1. D. de appell.* nunquam denegandum est, *tot. tit. nihil innou. appell. pend.*

9 Quia si periculosum est coram suspecto iudice litigare, multo periculosius est iis testibus credere, quos audierit commissarius, suspectus & iuste recusatus. Debent enim sine suspicione omnes lites procedere, *l. aperti ssimi 16. C. de iudic.*

DEFINITIO XXXVIII.

Non creditur nuncio aliquid referenti nisi in eo, quod sit de ipsius officio.

NVncio & apparitori referenti eum, qui postulante creditore vocabatur in ius tanquam fideiussor debitoris, confessum esse se fideiussorem, non creditur si postea neget ille se fideiussisse. Egreditur enim ea res notissimos officij exequutoris terminos. Proinde per testes aut aliis probationum adminiculis non ex sola exequutoris relatione probanda est. [1] *Ita Senatus* in causa Puret. 5. Id. Nouemb. 1592.

1 Ioan. Papon. qui refert in Senatu Tholosano ita iudicatum *in syntagm. Arest. lib. 6. tit. 7. Des huissiers & sergents*, §. 8. post Iacob. Rebuff. *in l. prohibitum, in princ. & in addit. ad eundem, C. de iur. fisc. lib. 10.*

DEFINITIO XXXIX.

Præsumitur filius præteritus vixisse tempore testamenti nisi mortuus probetur, si eo testamento facta sit iniuria cæteris fratribus.

SI testamento præteritus sit à Patre filius, quem ante testamentum in hominum natura fuisse certum est, testamenti vero tempore vixerit ne an mortuus iam fuerit, ignoratur, quæri solet, vtri incumbat onus probandi, an ei qui testamentum impugnat, [1] vt doceat filium viuere, an ei qui defendit, vt ostendat filium iam tum in rebus humanis non fuisse? [2] Nam quod vulgo iactatur præsumi quemlibet viuere centum annos [3] ad rem non pertinet. Cum vix admittendum sit, vt ex sola illa nec satis tuta præsumptione euerti debeat testamentum. [4] Præsertim si actor ille sit, qui impugnat testamentum. Regulariter enim ad actorem pertinet onus probandi, [5] nisi cum de fundanda rei exceptione & intentione tractatur, [6] Si tamen eo testamento cæteris quoque fratribus facta iniuria proponatur, [7] humanius est æqualitatis inter liberos seruandæ [8] gratia, vt viuere credatur quisquis vixisse aliquando, necdum mortuus esse probatur. [9] Hoc enim casu dici potest, non tam nuda præsumptione testamentum euerti, quam quod deficiat probatio mortis, quæ ad constituendam testamenti validitatem requireretur. [10] *Ita tractatum est* in ea causa de qua SC. 5. infr. de liber. præter.

1 Filio enim præterito testamentum ex ipso iure nullum, non modo si filius sit in potestate, vt olim *l. si filius 7. de liber. & posthum.* sed etiam si emancipatus, ex *Nouell. 115. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum.*

2 Dubitandi ratio est, quia ei qui dicit incumbit onus probandi, *l. 2. D hoc tit.* hic autem vterque dicit.

3 Sic enim vulgo nostri ex *l. an vsusfructus 56. D. de vsufr. l. si vsusfructus 8. D. de vsufruct. legat. contra l. computationi 68. alias l. hereditatum, D. ad legem Falcid.*

4 Publice enim interest, vt valeat potius testamentum & suum effectum sortiatur, *l. vel negare 6. D testam. quem aper.*

5 *L. 4. C. de edend. l. actor quod asseuerat 23. C. hoc tit.*

6 Nam in exceptione reus actor est, *l. in exceptionibus 19. D. eod.*

7 Omnibus forte exheredatis aut dato iis extraneo coherede, vt eorum interest ab intestato potius succedere, aut saltem contra testamentum, vt in *l. non putauit 8. §. vlt. C. si post mortem 10. §. vlt. de bonor. possess. contra tabul.*

8 Est enim æquissimus inter liberos valde fauorabilis, *l. vt liberis 17. l. illud 20. §. 1. C. de collat.*

9 Nam neque mors præsumitur nisi probetur, cum sit facti extrinseci & accidentalis, maximè verò si sit fundamentum intentionis, *l. 2. §. si dubitetur.* vbi Bart. & alij, *D. testam. quemadm. aper.* Nec rursus præsumitur filius ante patrem decessisse, *l. qui duos 9. §. cum bello, & ibid. not. D. de reb. dub.*

10 Adeo enim vtile est testamentum, in quo filius præteritus fuit, vt non conualescat etiamsi decesserit viuo patre, *d. l. si filius 7. de lib. & posth.* Secus in testamento posthumo præterito *l. posthumus 12. de iniust. rupt.*

DEFINITIO XL.

Præsumitur dominium ex sola possessione nisi constet de alio titulo.

DOminij quidem præsumptio ex sola possessionis probatione colligi & inferri solet, [1] siue quod alioqui difficillima sit exacta dominij probatio, [2] siue quod regulare sit, vt per possessionis acquisitionem dominium quoque acquiratur. [3] Sed si ex aduerso probetur alio quam dominij iure possideri rem potuisse, vt puta pignoris nomine, [4] non nocebit debitori pignoratitiam exercenti quod creditor, cui fundus in antichresim [5] pignori datus fuerat, eius fundi fructus percepisse, ipsiusque heredes omnia pro dominis egisse per longissimum quoque tempus proponantur. Fortior enim illa præsumptio est, præcedentis tituli iure facta omnia quæcunque fieri potuerunt. [6] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 21. 22. 23. infr. De luit. pignor.

1 *L. cum res 12. l. siue possidetis 16. & vtrobique not. C. hoc tit. l. Titia 48. D. de solut.*

BIU Cujas

2 *§.commodum, Instit. de interdict. l.is qui destinauit 24. D. de rei vindic.*

3 *L.per procuratorem 8. vbi not. C. de acquir. possess.* quamuis nihil commune habeat proprietas cum possessione, *l.naturaliter 2. §. nihil commune, D. eod. tit.*

4 Nam ex causa pignoris transfertur possessio in qua differt pignus ab hypotheca, *l.cum & sortis 35. in fin.* iunct. *l.si rem 9. §. proprie, D. de pignor. act.*

5 De qua *in l.si pecuniam 33. eod. l.si is qui 11. §. si antichresis, D. de pignor.*

6 *L.quædam mulier 77. vbi not. D. de rei vindic. l.2. C. de acquir. possess. l.prædia 48. D. eod.*

DEFINITIO XLI.

Præsumptio legis Quintus de donat. inter vir. & vxor. prodest etiam creditoribus mariti, adeoque donatario, nisi per contrariam præsumptionem aut probationem elidatur.

IVris præsumptio quæ facit, vt si quid mulier constante matrimonio quæsierit vel soluerit ex pecunia mariti quæsiisse aut soluisse videatur ad vitandam turpis quæstus suspicionem, [1] non tantum marito eiusve heredi prodesse debet, sed etiam mariti creditoribus, [2] si forte agant hypothecaria in rem vtrique ex coniugibus, aut mulieri soli venditam, si pretium illa non obtulerat, idque ex nummis suis solutum dicat nec probet. [3] Nam & donatarium, cuius causa longe minus fauorabilis est quam creditoris, cum certet de lucro captando [4] eadem præsumptione iuuari posse iam fere obtinuit. [5] Nec ad rem pertinebit si mulier diligens & industriosa materfamilias esse probetur, cum operas suas qualescunque marito præstare teneatur, si eam maritus exhibeat secumque habeat. [6] Si tamen dives mulier inopi marito nupserit, aut eo consentiente separatim negotiata fuerit, sæpius à Senatu nostro pronunciatum est cessare præsumptionem, [7] sicut & si præsente & consentiente aut saltem patiente marito mulier pecuniam numerans dixerit eam suam esse. [8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit. 9. infr. si quis alter. vel sibi.

1 *L. Quintus Mucius 51. D. de donat. int. vir. & vxor. l. etiamsi 6. C. eod.*

2 Qui cum habeant causam à marito eius iure vti possunt.

3 Præsumptio enim est, quod solutum fuerit ex pecunia viri. [Adde quod hæc eadem præsumptio multo magis habet locum in concubina, vt notat Bald. *in l.1. nu.1. C. de natur. liber.*]

4 *C. quod autem 6. §. simili modo dicimus, l. vlt. §.1. D. quæ in fraud. credit.*

5 Ex sententia Decij *consil. 237. in fin.* contra Baldum qui contrariæ opinionis auctor fuit, *in l.si vxorem, col. 4. C. de condit. insert.*

6 *L. sicut patronus 48. D. de oper. libert.*

7 Semper enim præsumptio probationi cedit, *l.si chirographum 24. & seq. D. l. Imperatores 29. in fin. & pass. D. hoc tit.*

8 *Arg. l. vlt. C. arbitr. tutel.* Vide Anton. Gabriel. *lib. de proba. conclus. 15. de præsumpt.*

[DEFINITIO XLII.

Ex alterius quam mariti confessione non tollitur præsumptio legis Quintus 51. de donat. int. vir. & vxor.

QVid vero, si qua alterius quam mariti scriptura proferatur testantis pecuniam mulieris fuisse? Nullam fidem ea testatio faciet, si non aliis quibusdam probationum adminiculis fulciatur. [1] Finge maritum cum sibi & vxori fundum emeret mille aureis, quingentos à te mutuos accepisse, nec tamen apparere, quod ex iis ipsis nummis soluerit, tum mulierem tibi quingentos illos soluisse. Nihil ei proderit quod de suo eam soluisse testeris, [2] sicut nec si dicas in eius fundi emptionem versam esse pecuniam quam tu marito credideras. Præsertim si pendente contra mariti creditorem lite ea testatio extorta fuerit, & verisimile sit ex aliqua causa fauere te mulieri impensius voluisse. [3] Neque vero credibile est mulierem de suo soluisse, quod maritus debebat, eo maxime inscio & absente. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ne alioqui inuenta sit ratio fraudis faciendæ legi & præsumptioni iuris. Non enim erit difficile inuenire aliquem, qui dicat pecuniam fuisse mulieris, nec tamen dicti sui rationem possit vllam reddere, *arg. l. Diuus 24. D. de testam. milit.* iunct. *l.5. §. si pupillus D. de reb. eor. qui sub tutel.*

2 Nisi appareat vnde illa potuerit habere de suo.

3 Sola enim testatio quæ nulla ratione fulcitur nihil probat, *l.si sola 4. C. de testib.*

4 Est enim mulierum genus auariſſimum, nec quisquam suum iactare præsumitur, *vulg. l. cum de indebito, D. hoc tit.*

DEFINITIO XLIII.

Mariti confessio quod pecunia sit vxoris non nocet creditoribus anterioribus, sed nocet posterioribus.

PLane nec mariti inopis confessioni siue expressæ, siue tacitæ standum erit, si agatur de præiudicio creditoris anterioris, cui nullo modo nocere maritus potuerit. [1] Secus est si posterior superueniat creditor in cuius fraudem nihil præcogitatum videri possit. [2] Non enim ea confessio habet instar fictæ aut prohibitæ donationis, cum fieri possit, vt pecunia fuerit reuera mulieris, nec nisi præsumptione quæ iuris tantum non etiam de iure est [3] mulier vrgeatur. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Auth. sed id necesse, vbi not. C. de donat. ante nupt.*

2 *L. ait prætor 10. §.1. quæ in fraud. credit.*

3 Nam si esset præsumptio iuris, & de iure, non admitteretur contra eam probatio in contrarium. Placet tamen etiam aduersus præsumptionem iuris & de iure prævalere veritatem in foro conscientiæ. Ioan. Andr. & Abb. *in cap. is qui, de sponsal.* quos refert & sequitur Boer. *quæst. 1. num. 74.*

4 Vide Gabriel. loco citat. *5. Defin. 43. num. 8.*

DEFINITIO XLIV.

Recentior possessio est infirmior nisi sit tricenaria.

QVanto antiquior possessio est, tanto iustior præsumitur, & ex contrario vitiosa illa quæ recentior, & vt loquuntur, iunior est, [1] nisi sit tricenaria. Hæc enim fauorabilior est propter bonæ fidei præsumptionem, quæ nascitur ex tam longi temporis decursu, [2] etiam absque titulo nisi mala fides probetur. [3] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 2. de prohib. sequest. pecun.

1 Sic enim vulgo nostri ad *l. naturaliter 12. §. nihil commune, D. de acquir. possess.* [Bart. *ad l.3. D. vti possid. num.3.* Alex. *cons. 99. num. 14. vol. 5. per text. in cap. licet causam, Extr. hoc tit.*]

2 *Auth. malæ fidei, C. de long. temp.*

3 Probatio enim excludit omnem contrariam præsumptionem, *l.si chirographum 24. & l. seq. D. hoc tit. l. vlt. D. quod met. caus.*

DEFINITIO XLV.

Confessio sola aduersarij non probat titulum, sed si de iure beneficij non agatur potest sufficere, nisi probetur erronea.

EX eo solo, quod quis aduersarium suum in actis litis Archipresbyterum aut alterius conditionis prælatum nominauit, non continuo probatur talem eum esse qualis nominatus est: [1] quoniam in beneficialibus cum requiratur titulus, [2] nec sit in potestate collitigatoris conferre titulum, [3] non potest ea nominatio & confessio nocere confitenti, sicut nec prodesse ei, qui de suo iure aliunde non doceat. [4] Si tamen non de iure aut possessione beneficij agatur, sed de iis quæ ex eiusmodi beneficij possessione dependeant, sufficiet

BIU Cujas

sufficiet ad plenam possessionis probationem, quod quis ab aduersario talis dictus sit,& conuentus vt talis: nisi probetur ea confessio & nominatio erronea: puta si constet alium esse qui tale beneficium,talémve dignitatem possideat. [5] *Ita Senatus* pro R. Ioanne Laboret Archipresbytero Decanatus Sabaudiæ, contra parochum de Montagnole, 11.Cal.Mart.1593.

1 Ioan.Papon. *in syntagm. Arrestor.tit. De maintenue en possession.*Boer. *quæst.*89.

2 Et canonica institutio *cap.*1.vbi Dyn.& alij Canonistæ, *de reg.iur.in* 6.

3 Nemo enim plus iuris alij dare potest,quam ipse habeat, *vulg. l.nemo plus iuris* 55.*de reg iur.* & collatio beneficij donatio est, *cap.vlt.de offic.vicar.in* 6.

4 Ita demum enim falsæ confessiones & prosunt & nocent, si à voluntate confitentis pendeant, *l.vlt. D.quod falsi tutor.auctor.* itemque si ius & naturam recipere possint, *l.confessionibus* 33.*& seq.in fin.D.de interrog.in iur.fac.*Crauet.*cons.*93.*num.*1.

5 Nunquam enim nocet confessio probato errore pet allegantem, *l.penult.D.de confess.* [Interim tamen nocet,præsertim maiori,si quid ille confessus sit,siue circa factum proprium, siue circa alienum aut interpretationem alicuius contractus aut consuetudinis. *Ita Senatus* pro Capitulo de Salanches, contra Syndicos de Chamonix,die 10.Iunij 1613.]

DEFINITIO XLVI.

Negatio quoque probanda est, quoties fundamentum est intentionis, siue actoris, siue rei.

NEgatio quidem per rerum naturam exacte probari non potest, sed tamen quoties ea fundamentum est intentionis probanda est, quantum per rerum naturam fieri potest, [2] siue agendo,siue excipiendo, [3] vt puta si quis dicat debitum sibi fideicommissum,aut debitam defuncti talliabilis successionem,propterea quod heres grauatus aut feudi possessor sine liberis decesserit. [4] Non desunt sane qui contra putent, item qui conciliandarum opinionum gratia distinguant, an constet defunctum liberos aliquando habuisse, necne. [5] Sed *Senatus* noster supradictam sententiam secutus est in causa Dominæ de Corsans, & Claudij Boisson, 8.Calend.Mart.1593.

1 *L.actor* 23.*C.hoc tit l.adseueratio* 10.*C.de non num.pecun.*

2 *L.ne codicillos* 5.*C.de Codicill.*

3 Pone aliud exemplum si instrumentum dicatur esse deperditum:Probabitur enim hoc ipso quod facta diligenti perquisitione ex auctoritate superioris non reperiatur.Boer.*quæst.* 15.*num.*6. quod tamen quomodo accipiendum sit, vide *Defin.* 16.*ĵ.D.de fid.instr.*& Ægid.de Bellam.*decis.*535.*& Defin.*59.*ĵ.*

4 Alex.*cons.*20.*in fin.lib.*1.Decius *cons.*86.

5 De quo vide Ant. Gabriel. *lib.*1. *de probat. concl.*6. *num.*25. [Probatur autem negatiua omnium optimè & concludentissimè per euidentiam rei, ideo fortasse quòd vt Bald. dicebat *cons.*338.*vol.*1.Quod patet expresse non est probare necesse.]

DEFINITIO XLVII.

Ex probatione & recognitione signi non probatur concludenter dominium signati ad obtinendum in rei vindicatione.

AGens rei vindicatione non ex eo solo potest obtinere quod probet rem mobilem de qua agitur aut suis insignibus signatam,aut sui nominis inscriptione munitam. Etsi enim dici solet cuius est signum,eius esse & signatum, [1] nihil tamen prohibet aduersus eam præsumptionem admitti probationem contrariam, [2] siue quod fieri possit,vt falsum sit signum,aut inscriptio corrupta, [3] siue quod & facile & passim contingat, vt quod aliquando meum fuit esse postea desierit, [4] secuta nimirum alienatione. [5] *Ita Senatus* ex tempore pro Ioanna Rippet, contra Benedictum Sauge,16.Cal. Aug.1593.

1 *L.quod si neque* 14.§.1.*D.de peric.& commod.rei vendit.l.*3. *C. de Fabricens.lib.*11.*tit.*9.

2 Semper enim præsumptio cedit probationi & veritati, *l.vlt.D.quod met.causâ.l.imperatore.*29.§.*vlt.D.hoc tit.*

3 *Arg.l.*2.*C.de reb.alien.non alienand.*

4 Probandum enim est præsens non præteritum dominium in rei vindicatione, *l.in rem* 23.*D.de rei vindic.*§.*commodum, Instit.de interdict.*

5 Cum alienatio sit actus omnis,per quem dominium transfertur, *l.*1.*C.de fund.dotal.*

DEFINITIO XLVIII.

Præsumitur dominus sciuisse quod in eius vtilitatem factum est à domesticis,nisi probetur ignorantia.

PRæsumptio probabilis est sciente ac volente domino factum esse,quòd à domesticis & familiaribus in eius domo factum est,si ex eo præsertim facto commodum aliquod immediate peruenturum sit ad dominum; [1] nisi aperte suam probet ille ignorantiam, & alia quidem ratione quam purgatorio,vt vocant, iureiurando. [2] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC.2. infr. si quis aliq. testar.prohib.vel coeger.

1 Bald.*in l.quicunque,col.*1.*C.de serv.fugit.* Gloss.*in l.si tutor, de peric tutor.& in c.*4. *de præsumpt.* Socin.*reg.*176.*& seq.* saltem ad transferendum in eum onus probandi.Cardin.*in clem.*1.*quæst.*4. *de foro compet.*

2 Nempe quia talis ignorantia non esset verisimilis, *text.in cap.vt circa.& cap.nulli,de elect.in* 6.Gloss.& Bart.*in l.atqui,*§.*cum me absente,D.de negot.gest.*

DEFINITIO XLIX.

Non est permittenda publicatio monitorij ne quidem ad exonerandum reum,si eo futurum sit, vt actor infametur, sed tantum significatio.

ACcusatus nobilis quidam, quod alij æque nobili viro & in dignitate constituto insignis erga Principem & patriam perfidiæ crimen exprobrasset, cuius nullas aut non satis idoneas probationes habebat, vocis & famæ publicæ auxilium implorabat,vt appareret non per calumniam confictum fuisse crimen quod communi omnium voce & fama pro vero ac notorio haberetur. [1] Petebátque vt eius famæ probandæ gratia permitteretur sibi publicatio literarum,vt vocant,monitorialium, ad fines releuationis tantum, [2] parte & consilio exceptis, [3] visum est permitti non debere: non solum quod ad ea duntaxat probanda, quæ occulta sunt,huiusmodi remedij vsus introductus sit, [4] quale id videri non potest quod sit in omnium ore & sermone: [5] sed etiam qui per eam publicationem fieret,vt qui iam de iniuria per conuitium illata conquerebatur, longe grauiorem ex publica infamatione iniuriam, eámque irreparabilem pateretur: [6] Cum etsi tandem eueniret, vt vinceret,fieri tamen posset,vt non iis omnibus victoria innotesceret,quibus monitorij publicatio innotuisset. [7] Nec est quod quis obiiciat ita futurum, vt rei salus aut dignitas, probationum inopia periclitetur, cui tamen non minus fauendum sit, quam actoris quisquis ille sit existimationi. [8] Nam imo vero hoc casu plus fauendum est actori, cum hoc saltem imputari reo possit cur eum infamauerit per conuitium, præsertim cuius probationes in promptu non haberet. [9] An igitur probandi via omnis reo præclusa erit? Minime. Sed ita res temperabitur,vt testes ipse nominet per quos rem probare velit. Quo facto si testimonium dicere recusent, tum demum monitoriales illas literas ipsis significari oportebit, vt metu ecclesiasticarum censurarum conscientiam exonerent. Itaque sola publicatio prohibita est,sed intimatio,vt loquuntur,& significatio permissa. [10] *Ita Senatus* 12.Cal.Sept.1593.

BIU Cujas

1 Nam cum accusator habet pro se famam vel auditum à fide dignis, vel alia similia indicia, excusatur à calumnia etiamsi defecerit in probatione. Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. fin. pract. crimin. quæst. 62. num. 8.* vbi dicit esse communem post Abbat. *cons. 78. num. 1. vers. venio nunc, lib. 1.* & Bart. *in l. cum quidam 30. §. quod dicitur, num. 3. D. de acquir. hered.* quem refert Guid. Pap. *dec. 446. vox publica, num. 1.* & Afflict. *in 1. part. constit. rubric. 32. numer. 11.* Cravet. *cons. 178.*

2 Quomodo solent regulariter concedi fauore probationum, vt semper salua probatio sit *ex reg. l. curent magistratus 22. D. de testib. l. in lege 41. D. ad leg. Aquil.*

3 Neque enim debet actor extrahere suas probationes de domo rei, *l. nimis graue est 7. C. de testib. l. vlt. C. de edend.*

4 Nam cum hoc remedium sit præparatorium excommunicationis, quæ adfert damnationem æternam, non facile aut passim concedi debet, sed tantum ex necessitate ac in subsidium aliis omnibus probationibus deficientibus.

5 Quid enim facilius quam probare id quod omnes scire dicuntur, *l. regula 9. §. 1. de iur. & fact. ignor.* Nam & dicimus ea quæ notoria sunt, allegari tantum debere non etiam probari, si modo notoria esse probentur. Guid. Pap. *quæst. 221.*

6 Itaque iniuriæ noua occasio inde caperetur, vnde iura nascuntur, contra *l. meminerint 6. C. vnde vi.*

7 Nec enim publicatio Arrestorum similis est publicationi literarum monitorialium, vt tam multis innotescat. Deinde diffamatio illa quantumuis calumniosa onerat existimationem apud probos & graues viros, iuxta illud Ausonianum. *Hæc casta est, de qua mentiri fama veretur.* Vide *l. 1. in fin. C. de famos. libell.*

8 Ex iuris regula, quæ vult fauorabiliores esse reos quam actores, *l. fauorabiliores 125. de reg. iur. l. Arianus 41. D. de oblig. & action.*

9 Potuit enim prospicere futurum, vt calumniatoris pœnam pati deberet si crimen obiiceret quod probare non posset, cum accusator eo ipso quod non probat suam intentionem præsumatur calumniari, etiamsi de calumnia iurauerit. Clar. *dict. quæst. 62. num. 6. & 7.*

10 Quo temperamento æquissime consulitur vtrique parti, quod semper facere bonus iudex debet quantum potest, *l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. credit.* Iunge *Defin. seq.*

DEFINITIO. L

Causa recusandi iudicis si sit famosa non potest probari per publicationem monitorij, sed tantum per significationem.

REcusandi iudicis causam ab altero ex litigatoribus propositam si iudex ipse veram esse, aut aduersarius neget, probare potest is, qui eam proposuit, adeoque si opus sit, via monitorij, quæ extraordinaria probationis species est: [1] Sed cum hoc tamen temperamento, vt si ea recusationis causa minus honesta sit, & talis quę si vera esset, iudicis existimationem oneraret, non sit permittenda monitorij publicatio, [2] sed tantum denunciatio & significatio iis facienda, quos in testes producere se velle impetrans dixerit. [3] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Romans, & Dominæ de Granchamp. 3. Cal. 1593.

1 Et ideo nec facile nec passim concedenda ob rationem allatam. *Defin. præced. num. 4.*

2 Est enim hic vnus ex casibus exceptis per sacrosanctum Concilium Tridentinum.

3 Secundum ea quæ proxime diximus *Defin. præced.* *Postea tamen arresto generali constitutum est ne aduersus vllum ex Senatoribus id fieri vnquam possit, cùm antea aliter atque aliter obseruatum fuisset. Prid. Cal. Augusti me præside 1610.

DEFINITIO LI.

Simulatio probari potest etiam per indicia, sed manifesta & bene probata: Alioqui standum est instrumento.

SImulatio contractus probari quidem potest ex coniecturis & indiciis, [1] quia difficilis est probationis, [2] sicut & dolus, [3] cum simulatio vix vnquam sit sine dolo. [4] Sed ea indicia oportet esse manifesta non obscura, [5] probabilissima & proxime, non aut improbabilia aut remota, [6] recte & plene probata, non per præsumptiones, [7] vt conuellatur fides contractus, & instrumenti, cuius probatio dicitur esse probata. [8] Alioqui fortior præsumptio est pro instrumento, [9] adeo vt nec facile & sine magnis contra instrumentum suspicionib. adigendus sit is, qui instrumento nititur ad præstandum iusiurandum, quod purgationis vocant, quippe cui non nisi in dubiis causis locus sit. [10] Solet tamen Senatus noster in huiusmodi causis decidendis vulgarem illam adiicere clausulam, *alio non apparente*, ne amplioribus simulationis probationibus, quas semper salvas manere oportet, præiudicium fiat. [11] *Ita Senatus* in causa Claudij Iay Donzel, & Antonij Mauris, 4. Id. Nouemb. 1593.

1 *Not. in l. 1. C. plus valer. quod agit. l. si ex pretio 6. C. si certum petatur.*

2 Nam quæ sunt huiusmodi per coniecturas & indicia probari possunt, *l. non omnes 5. §. à barbaris, D. de re milit.*

3 *L. dolum 6. C. de dolo.*

4 *L. 1. D. eod.*

5 *d. l. dolum 6. C. de dolo.*

6 Nam quod verisimile non est habet speciem falsitatis, *l. vlt. C. quod met. caus.*

7 Nam indicia probari per indicia absurdum esset, cum ea ratione daretur progressus in infinitum.

8 Quippe quorum fides publica est, *c. 1. extr. de fid. instrum. l. vlt. & pass. C. eod.*

9 *d. l. vlt. cum propria 5.* ibi, *docenti tibi veritatem precibus tuis adsistere, C. si quis alter. vel sibi.* Bart. & DD. *ibid.*

10 *cap. vlt. Extr. de iureiur. l. admonendi 31. D. eod.*

11 Probata enim quandocunque simulatione cõtractus pro nullo habendus est. Castr. ad *l. fin. num. 6. C. plus valer. quod agit.* Bart. *in l. nemo potest, num. 11.* & ibi Ias. *num. 42. & 43.* & Ripa *num. 65. & seqq. de leg. 1. l. ex imaginaria. de reg. iur. l. simulatæ nuptiæ, de ritu nupt. l. emptor 12. D de aqu. pluu. arcend.* quia medullam veri non habet, vt loquitur Bald. *ad l. & qui, C. de distr. pignor.*

DEFINITIO LII.

Casus fortuitus si allegetur ad innocentiam rei, debet ab eo probari.

QVi delictum ex casu fortuito excusat casum semper probare debet. [1] Nam in iis quæ per se ipsa delicta sunt, non potest dolus non præsumi, quandiu nec fortuitus casus, nec alia vlla asserendæ innocentiæ ratio probatur. [2] *Ita Senatus* in causa Ioannis Fabri de Corcelles, 13. Cal. Mart. 1594.

3 Quia etiam in criminalibus reus excipiendo actor fit & intentionem suam probare debet, post quam actor suam probauit ex generali regula, *l. 2. & l. in exceptionibus 19. D. hoc tit. l. 1. vbi not. C. ad leg. Cornel. de sicar.*

2 *d. l. 1.* in illis verbis, *qui si probauerit.* Nam in delictis præsumitur dolus potius quam casus. [Si tamen Princeps gratiam criminis faciat, non cogitur reus quicquam probare, dum ne quid allegauerit quod cum inquisitionibus & testationibus pugnet, quia iustificationis probationes Princeps fecisse creditur, & cauendum habet reus duntaxat à vitio obreptionis & subreptionis. *Ita Senatus* Cal. Iunij 1612.]

DEFINITIO LIII.

Actor laudatus in tertia instantia vtrum admittendus sit ad probanda ea omnia, quæ potuisset probare in prima.

MAndaueram Titio, vt in lapidicina tua lapidem meo nomine cæderet, quasi ius cædendi haberem. [1] Id ille fecerat, & ob eam causam passus à te controuersiam, cum fundum in quo erat lapidicina non solum tuum, sed etiam liberum esse contenderes, [2] negauerat. Postea cum in eo esses, vt intentionem tuam testibus ac instrumentis probare velles, idem ille me inscio, necdum lite mihi denunciata vltro confessus fuerat vera esse quæcunque tu allegaueras, atque ita iu-

BIU Cujas

ita iudex eum tibi condemnauerat. [3] Prouocatione facta iudex appellationis bene iudicatum dixerat, subiecta etiam sumptuum litis condemnatione. [4] Tum ille contraria mandati actione aduersum me proposita petierit, vt indemnem præstarem. [5] Ego indemnitatis præstandæ causa rursum appellaueram à posteriore sententia ad Senatum, [6] petebámque vt negationes quas in prima instantia Titius fecisset mihi prodessent, confessiones ne nocerent. [7] Constabat quidem appellare mihi licere à sententia etiam inter alios lata, quoniam mea maxime interesset, quasi essem ego ipse condemnatus, qui condemnatum Titium indemnem præstare deberem. [8] sed de illo maxime dubitabatur, an eo iure censeri deberem, vt primam exercere viderer instantiam an vt tertiam? Quæstionis autem effectus ille erat, quod si tertia dicenda esset instantia, non magis mihi permittendum esset quam Titio, vt noua instrumenta nouasque allegationes & probationes afferrem, nisi refusis prius expensis omnibus præstitoque iuramento, quod tum primum eæ allegationes & probationes mihi innotuissent. [9] Adeoque delata tibi conditione, vt si quid contra obiicere aut probare velles, id tu meis sumptibus faceres, quorum omnium nihil dicendum esset si prima tantum aut etiam secunda instantia proponeretur. [10] Videbatur vero ex vna parte non debere me conditionis melioris esse, quã Titium, cuius nomine appellaueram. [11] Quandoquidem appellatio mea vsque adeo illi proderat, vt ex iudicato amplius cum illo agi non posset, [12] præterquam expensarum gratia, quarum sicuti nullam contra me habere poterat repetitionem, qui scilicet nullam mihi litem denunciasset, [13] ita nec ei prodesse hoc nomine appellationem meam æquum erat, cum nihil mea interesset. [14] At ex alia parte mouebat, quòd nihil mihi poterat imputari cur non citius venissem ad iudicium, quippe qui litem ignorassem, [15] Item quod sumptuum antea cum Titio factorum petitio sibi salua esset aduersus Titium, vt proinde nihil ea de causa tua interesse videretur: [16] nisi quod propter Titij confessionem præclusa tibi esset fortasse facultas probandi ea, quæ tum commodius probare potuisses. [17] Sed hoc ipsum imputari potius tibi quam mihi poterat, quod cum scires à me mandatum Titio vt lapidem in fundo tuo cæderet, contra me quoque non egisses. [18] Placuit primam videri, quod ad me attineret, instantiam, [19] præsertim cum appellatio mea non maioribus te sumptibus oneraret, quam si in prima interuenissem instantia. Hactenus tamen tibi prodesse debere quod Senatum appellassem, vt postulante te de causa inter nos cognoscere Senatus deberet, quem ego iudicem elegissem appellando. [20] Ita fit, quod mirari quis possit, vt & habeat pro appellante, & primam tamen videar instantiam exercere. [21] *Ita Senatus* in causa N. Dom. de Noblens & Boni Gagnon, Idib. Matt. 1594.

1 Est enim hæc vna ex seruitutibus rusticorum prædiorum, *l. 3. §. eodem, lib. de seruit. rustic. præd.*

2 Neque enim licet in alieno fundo id facere citra seruitutem, *d. §. eodem, lib. aut domini permissionem, l. quis saxum 6. D. de donat.*

3 Nam in confessum nullæ sunt partes iudicis nisi ad condemnandum cum confessus habeatur pro iudicato, *l. 1. 2. & pass. D. de confess. l. si conuenerit 26. D. de re iudic.*

4 Qui enim succumbit in appellatione non modo sumptus litis debet, sed etiam multam, quæ iure nostro prouinciali omnibus temere appellantibus infligitur.

5 Debetur namque indemnitas mandatario à mandante, *l. si seruus 61. §. quod vero. D. de furt.*

6 Possunt enim omnes quorum interest appellare à sententia etiam contra alium lata, *l. si suspecta 29. de inoffic. test. l. 4. §. si heres. l. si perluforio 14. D. de appell. l. 1. de appell. recip.*

7 Potest enim per alium melior fieri conditio nostra, sed deterior non potest, *l. soluendo 39: de negot. gest. l. 2. D. quod vi aut clam.*

8 Ex legibus proximè citatis: *num. 6. l. sæpe 63. D. de re iud.*

9 Ita enim stylo Senatus nostri diuerte cautum est.

10 Nam in prima causa appellationis possunt non deducta deduci, & non probata probari citra vllam expensarum refusionem, *l. per hanc, vbi not. C. de tempor. & repar. appellat.*

11 Nam alium defendere nihil aliud est, quam eius vicem in omnibus subire, *l. sed & hæ 35. §. defendere, & l. minor 51. §. quoniam autem, D. de procurat.*

12 Suspensa scilicet sententia per appellationem. Habet enim appellatio vim suspensiuam & deuolutiuam, *l. si causa cognita 32. C. de transact. l. 1. & pass. D. de appellat.*

13 *L. emptor 8. vbi not. C. de euict. l. si ideo 55. D. eod.*

14 Quia nec appellare potui à sententia contra alium lata nisi quatenus mea interfuit, *d. l. 1. de appell. recip. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. oblig.*

15 *d. l. emptor, & seq. C. de euict.*

16 Quasi nulla quantum ad hoc interposita appellatione, quæ nec potuit interponi.

17 Fortasse mutuis exinde testibus qui tum viuebant, vt in *l. in lege 40. D. ad legem Aquil.*

18 Cum nihil interfit an quis faciat, an mandet, id est, an per se an per alium faciat, *l. 5. §. quod si quis tutelam, D. de adminis. tutor. l. si quis 7. §. vlt. D. de iurisd.*

19 Quia non aliena lis est & emptoris, quam venditor suscipit pro emptore, sed est propria venditoris, cuius periculo cessura euictio est, *l. 1. C. vbi in rem act. exerc. deb.*

20 Nunquam enim appellans potest recusare iudicem eum ad quem appellauit, aut eius iurisdictionem declinare, cum is qui appellatur in iudicem eligatur.

21 Cum tamen appellationis instantia semper sit secunda, *l. per hanc 4. C. de temp. & repar. appell.* Sed hoc fit diuersis respectibus.

DEFINITIO LIV.

Literarum monitoriarum publicatio quando permittenda sit cum clausula, nemine dempto.

IN quæstione illa, non solum inter vtriusque iuris interpretes, sed etiam in Senatu nostro tam sæpe agitata, vtrum passim aut certis casibus permitti debeat publicatio literarum monitoriarum, *nemine dempto*, an vero semper cum vulgari clausula, *parte & consilio exceptis*: Tandem placuit sic rem decidi, vt si ante motam litem huiusmodi literæ impetrentur nulla prorsus fiat exceptio, dum ne quis nominatim notetur, subiiciaturque periculo infamiæ, [2] post motam vero litem non aliter permittenda sit publicatio quam si pars & consilium, vt vocant, id est, aduocatus & procurator, dum ne in fraudem captati sint, [3] excipiantur. Ratione illa quod neque cogendus quisquam sit seipsum prodere, neque æquum sit de aduersarij domo extrahi probationes, [4] tametsi veritatis habendæ fauor sit maximus. [5] Sicut neque ciuile videri potest cogi aduocatum aut procuratorem ea prodere, quæ non nisi tanquam aduocatus aut procurator didicerit & quæ nesciret, ni cliens secretum suum ei tuto committere se posse credidisset. Secretum enim sancte & religiose custodiri non prodi debet. [6] Nec est quod quis obiiciat, ita futurum, vt detur ansa delinquendi [7] si hæc vna ratio habendæ veritatis è medio tollatur. Nam quod ad patronum causæ & procuratorem attinet, nihil vetat sic eos cum cliente se gerere, vt si quid ab eo peccatum doloque malo admissum esse intelligant hortentur hominem vt aduersario satisfaciat, quantum Christianæ pietatis & æquitatis religio suadere videbitur. Id ni faciat desistant à præstando patrocinio, [8] neque tamen in publicum proferat quæ secreto audierunt. [9] Quod si sint tam improbæ conscientiæ, vt clientis improbitatem, quam corrigere aut nolint, aut non possint, etiam consilio adiuuare malint, quis credat eos censuris quoque ecclesiasticis monitos perfidiam suam cum aliena coniunctam patefacturos? [10] Cliens vero sibi conscius famamque multorum more magis quam

BIU Cujas

conſcientiam pertimeſcens, [11] quomodo fieri poſſit, vt propria confeſſione ſeipſum coniicere velit in eas anguſtias, vnde regredi & eripere ſe nequeat citra infamiam, aliamve pœnam fortaſſis capitalem? [12] Quæ cum ita ſint, quid aliud afferre monitio eccleſiaſtica poteſt, niſi maioris damnationis materiem, certiuſque ſalutis periculum? Accedit quod ſi criminalis actio ſit, iniquiſſimum eſt cogi reum crimen confiteri, qui nec criminoſæ, vt loquuntur, poſitioni reſpondere cogeretur. [13] Crimen enim nullum eſt, cuius non aliqua pœna ſit, [14] quæ aut infamiam irroget, aut ſaltem apud bonos & graues oneret exiſtimationem. [15] Sin actio ciuilis eſt, aut etiam criminalis ciuiliter intentata, [16] vel ponimus litem iam conteſtatã, vel non. Si conteſtatam, adhibito ſcilicet, vt iure noſtro neceſſe eſt, iureiurando, [17] non eſt cogendus reus monitione eccleſiaſtica, vt ſe periurum probet. [18] Si nondum conteſtatam, ceſſat quidem periurij metus, ſed tamen iam certo aduerſario conſtituto iniquum eſt, vt diximus, ſumi probationes de ipſius domo, [19] ſibique imputare actor debet, cur non fuerit diligentior in monitoriis literis ante cœptam litem impetrandis. [20] Scio Gallos practicos non tantum à nobis hac in re, ſed etiam inter ſe diſſentire. Sunt enim qui referant paſſim hodie in Gallia receptum, vt huiuſmodi literarum imperratio permittatur cum clauſula, *nemine dempto*, poſteaquam Franciſco magno Regi placuit, vt de rei veritate litigatores iurato reſpondere cogerentur, [21] quaſi parum referat an periurus quis ſit, an excommunicatus. [22] Alij vero, clauſulam illam, *nemine dempto*, tum adiici ſolere cum de ſubtractis inſtrumentis communibus agitur inter coheredes, aut ſocios de bonorum diuiſione contendentes: [23] quod ſane ante ſupradictam Franciſci conſtitutionem obtinuiſſe in confeſſo eſt. [24] Tertij mediam quandam ſententiam ſequuntur, [25] vt vno illo caſu permittatur publicatio, *nemine dempto*, quo agitur de ſubtractis inſtrumentis exhibendis, dum ne idipſum in actionem deductum ſit, vt exhibeantur, ne alioqui actor ſuæ intentionis probationem depromere videatur de domo rei. [26] At *Senatus* noſtri conſulto, quod ad Non. Iunias factum editumque eſt anno 1563. generaliter conſtitutum fuit, vt ne liceat eccleſiaſtico iudici literas huiuſmodi publicare, quin prius impetrata ſit à Senatu aliove iudice ſeculari, coram quo lis pendeat, publicandi licentia, vt eæ perſonæ excipiantur, quas interdicto comprehendi æquum non ſit, alioqui ab ea conceſſione & publicatione appellari poſſit, tanquam ab abuſu. Ex quo apparet, neque ſemper addendam clauſulam, *nemine dempto*, neque ex contrario ſemper remouendam, ſed tum demum cum id Senatui æquum videatur. Quonam autem caſu æquum ſit, neminem excipi, Senatus non aperit eo Areſto, niſi quod is ſaltem caſus demonſtratur, quo nulladum lis pendeat, [27] ſane temperamentum illud æquiſſimum & probabiliſſimum videbatur, vt exceptio nulla fiat cum agitur de ſubtractis inſtrumentis, maxime ſi ponas agi de inſtrumentis communibus, quoniam eorum occultatio facilior eſt, & ob id odioſior inter eos qui ſunt in communione, quodque iure tacitæ cuiuſdam ſocietatis bonam fidem exuberantiorem præſtare inuicem debeant. [28] Exceptionis autem, quæ iubente ſeculari iudice talibus literis inſeritur, vis illa eſt, vt impediat ne excommunicatione ligentur exceptæ perſonæ, etiam in foro poli, propterea quod ex impetrantis intentione, & verborum poteſtate huiuſmodi admonitio vires accipiat, [29] Quamuis apud Deum non minus periclitetur qui peccatum mortale commiſit quandiu manet in peccato, quam ſi eſſet excommunicatus. Sed multum refert an apud Deum an in humano iudicio quis accuſetur. Nam crimen quod ſoli Deo eiuſque vicario, id eſt, confeſſori cognitum eſt, deletur omnino ex ſacramento pœnitentiæ: [30] Quod autem iudici tanquam iudici innoteſcit publica legum & iudiciorum auctoritate vindicatur, irrogatque vel pœnam aliquam capitalem vel infamiam. [31] Rurſus non eſt probabilis diſtinctio illa, quam video nonnullis placere, an infamatus iam ſit aduerſarius necne. Multum namque intereſt an aliorum vocibus, an ſua confeſſione quis infamatus ſit. Aliorum voces eludere facile vir improbus nedum probus poteſt, propriam confeſſionem non poteſt. [32] Illud vtique conſtat nunquam hodie excipi teſtes, quos quidam referunt in Gallia excipi ſolitos olim fuiſſe. [33] *Ita Senatus* in cauſa viduæ procuratoris Le Grec, contra viduam Aduocati Catinij, & pro Claudia Choudan, contra D. de Quiege, 15. Cal. April. 1594. & pro vidua Guilielmi de la Pallud, contra D. Ducem Gebennenſem 4. Id. April. 1595.

1 Dicitur enim hæc clauſula vulgaris, quia regulariter apponi ſolet.

2 Nam quandiu nominatim nemo notatus eſt, neſciri poteſt quis futurus ſit aduerſarius.

3 Dolus enim ſi quis interuenerit, doloſo prodeſſe nunquam debet, *l. procurator* 11. *§.* 1. *D. de doli mali except.*

4 *L. vlt. C. de edend. l. nimis graue* 7. *C. de teſtib.*

5 *L. curent* 22. *D. eod. l. in lege* 40. *D. ad leg. Aquil.*

6 Niſi ſuſceptum ſit in fraudem legis, *vt in l. & paſſ. D. de iur. fiſc. l.* 1. *§. ſi quis tabulas depoſ.*

7 Quod eſſe non debet, *l. vnic. §. hic autem, Cod. de Latin. libert. tollend.*

8 Non eſt enim patrocinandum & indulgendum malitiis, *l. in fundo* 38. *D. de rei vindic.*

9 Quamuis dici ſoleat delinquere illos qui delinquentem non manifeſtant, *l. ex Manichæo* 16. *§.* 1. *C. de hæret. & Manich.*

10 Nam ſemel malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, *l. non omnes* 5. *§. à barbaris, D. de re milit.*

11 Multi enim famam, vt ille dicebat, pauci conſcientiam verentur.

12 Et ita quod optima ratione inductum eſſet in remedium ſalutis animæ contrarium effectum operaretur, contra *l. nulla* 25. *D. de legib. l. quod fauore* 6. *C. eod.*

13 Nam nec alius quiſquam cogitur reſpondere qui laqueum timeat captionis, *l. & quia* 6. *in fin. D. de inter. in iur. faciend.* [Idque adeò verum eſt, vt nec ſit admittenda poſitio poſt didiſcita teſtificata quam ſi aduerſarius confiteretur, eſſet ipſe periurus & periurij teſtes qui pro eo auditi eſſent, licet noua cauſa ſuperueniſſe dicatur, Puta ſi allegem te confeſſum fuiſſe, Nunquam à me promiſſam tibi fuiſſe pecuniam, quam promiſſam tibi fuiſſe & iam iuraueras, & per iuratos teſtes probaueras. *Ita Senatus* pro D. de la Chabaudiere, contra N. Claudium de Mondragon, 11. Cal. April. 1614.]

14 Siquidem delictis pœnæ non præmia proponuntur, *Nouell.* 143. *de mulier. rapt. paſſ.* vt è contrario virtuti non pœna, ſed præmium, *l. vlt. C. de ſtatuis.*

15 Quod ſit multo facilius. Hanc enim facti non iuris infamiam dicere ſolemus. *l.* 4. *§. aduerſus, D. de doli mali except. l. probro* 41. *§.* 1. *de ritu nupt.*

19 Nam de criminibus quibuſdam poteſt agi etiam ciuiliter, vt de furto, & iniuria *l. vlt. D. de furt. l. vlt. D. de iniur.*

17 Nam ſi actor iurauit verum eſſe quod affirmauit, cogitur reus reſpondere modo aſſerto & iurare falſum eſſe quod negat.

18 *L. alias* 18. *in fin. D. de iureiur. l. rem alienam* 41. *in fin. D. de pignor. act.*

19 *d. l. vlt. C. de edend. l. nimis graue* 7. *C. de teſtib.*

20 Diligentibus enim iura ſubueniunt non negligentibus, *l. non enim* 16. *ex quibus cauſ. maio. l. pupillus* 24. *in fin. D. quæ in fraud. credit.*

21 Ioan. Papon. 3. *Not. tit. De lettres de ſignificauit.*

22 Vterque enim æternam incurrit damnationem. [Obſerua tamen quod aiunt Theologi excommunicationem non tam eſſe pœnam peccati, quàm pœnam contumaciæ, & obſtinationis in peccato, quæ ipſa contumacia & obſtinatio non peccatum nouum eſt, ſed nouus & eminentior gradus peccati, tùm quoque cùm excommunicatus ſeipſum prodere, & ſuum crimen vltro detegere non cogitur. Licet enim non idcirco incurrat excommunicationem, hoc ipſo tamen peccat grauius, quòd etiam admonitus perſtat in peccato. Itaque excommunicatio non afficit animam, quod ad formalem rationem, ſed tantùm quod ad

quod ad aggrauationem peccati. Nec aliter tamen quàm si excommunicatus sciat excommunicationem, licèt peccatum suum non ignoret.]

23 Ægist. Magist. *in decis. Senatus Parisiensis, tit. de appell. tanq. ab abus.*

24 Vt & Paponius loco supradicto fatetur.

25 Ioannes Imbertus in *Institut. forensibus.*

26 *Contra d. l. vlt. C. de edend. d. l. nimis graue 7. C. de testib.*

27 Quia eo tempore nihil fieri potest in præiudicium litis aut aduersarij, qui nullus adhuc est.

28 Societas autem ius fraternitatis quodammodo in se habet, *l. verum 62 in princip. D. pro socio.*

29 *Vulgd. non omnis 19. D. de reb. credit.*

30 Quoniam apud Deum erranti medicina confessio.

31 Nemo enim ex sola confessione & pœnitentia nocens esse desinit, *l. qui ea mente 65. D. de furt.*

32 *L. generaliter 13. C. de non num. pecun.*

16 Sic enim refert Paponius *d. Not. 3. tit. de lettres de significauit.* Vide Neuizanum qui omnium fusissime hanc materiam disputauit in sylua nuptiali in verb. *monitoria.*

DEFINITIO LV.

Datio curatoris non probat concludèter minorem ætatem.

MInor ætas non ex eo solo contra tertium bene probatur, quod alicui tanquam minori curator datus sit, [1] ne alioqui facile sit fraudem comminisci aduersus eos, qui cum hoc tanquam cum maiore contraxerunt. [2] *Ita Senatus* in causa Ioannis Guers & Claudij Voutier, 6. Non. Decembr. 1594.

1 Potest enim fieri, vt siue consulto, siue per imprudentiam curator datus sit tanquam minori ei, qui reuera fuerit maior, vt contra plerumque maior esse creditur is, qui reuera minor est, *l. minor 32. D. de minor. & tit. C. si minor se maiorem dixer.*

2 Alexand. *cons. 23. lib. 3.* Non tamen facilis debet esse iudex ad dandum curatorē tanquam minori nisi bene probata ætate propter grande præiudicium quod sit in aliis causis, cum aliquid de ætate falso pronunicatum est, *l. de ætate 43. D. de minorib.*

DEFINITIO LVI.

Ex restitutione quarundam rerum depositarum inducitur præsumptio restitutionis factæ omnium.

SI ex pluribus rebus à Titio penes Sempronium depositis quædam postea penes Titium reperiantur, præsumptio est omnes ei restitutas esse, [1] nisi probet quanam alia ratione possessionem earum recuperauerit. [2] Sed hoc ita si de corporis, vt loquuntur, identitate constet. Alioqui si chirographum depositarum rerum penes deponentem reperiatur, præsumenda erit rerum diuersitas potius quam identitas, quod credibile sit diligentem patremfamilias non nisi recepto aut notato chirographo res depositas fuisse restituturum. [3] *Ita Senatus* pro religiosis sacrisque Virginibus sanctæ Claræ, contra Petrum Louet, Prid. Id. April. 1595.

1 Sumpto argumento à parte ad totum, vbi est eadem ratio vtriusque. Nam nec partis restitutionem accipere depositarius cogeretur, cum pro rebus omnibus vnus fuerit depositi contractus, *arg. l. si quis aliam 46. D. de solut.*

2 Probatio enim contraria elicit præsumptionem, *l. si chirographum 24. & seq. si Imperatores 29. in fin. D. hoc tit.*

3 Id enim diligentes patresfamilias facere solent, *l. solutione 19. D. ad exhib.*

DEFINITIO LVII.

Instrumentorum amissio quando probetur ex sola perquisitione, & quando probari casum oporteat.

AMissio instrumentorum aut actorum litis si ob id tantum allegetur, vt alia instrumenta nouaque acta litis fieri possint, probata satis intelligitur hoc ipso, quod facta ex superioris auctoritate diligenti perquisitione non reperiantur. [1] Sed si is, qui exhibere aut restituere cogitur, amissionem alleget ad se exonerandum, non sufficiet eiusmodi perquisitio, [2] sed casum aliquem probari oportebit ex quo coniici possit dolum eius, qui amissionē allegat, nullum interuenisse. Sed & iusiurandum eius non abs re exigemus, vt purget se de dolo malo: ne alioqui in dolosi hominis potestate sit facile se exonerare in alterius necem. [4] *Sine die.*

1 Boer. *quæst. 15. num. 6.* post Bart. *in l. is potest, de acquir. hered. ex l. 3. §. Nerua filius de acquir. possess.*

2 Felin. *in cap. fin. Notab. 3. de probat.* AEgid. de Bellam. *decis. 535.*

3 Bart. *in l. si quis ex argentariis, § fin. D. de edend.* Bald. post Cyn. *in l. si creditor, C. de pign. act.* Felin. *in dict. cap. fin. l. sicut iniquum 5. C. de fid. instrum.*

4 Boer. *d. quæst. 15. num. 7.* ad finem vsque. Iusiurandum enim purgationis est necessarium quoties dolus potuit interuenire, licet non præsumatur interuenisse.

DEFINITIO LVIII.

Calendaria monasteriorum probant solutiones factas monasterio, ne qua possit obiici præscriptio, maxime vero si sint antiqua.

DE Calendariis monasteriorum an probent solutiones [1] annuarum pensitationum, quæ monasteriis plerisque debentur, aliquando dubitatum est. Et placuit probare non solum fauore piæ causæ, [2] sed etiam veneratione antiquitatis. [3] *Ita Senatus* in causa Patrum Franciscanorum ciuitatis Camberiensis, & fratrum Girod, 16. Mart. 1596.

1 Certum enim est omnem qui allegat solutionem probare illam debere, *l. 1. C. hoc tit.* cum solutio sit facti, *l. consil. 7. §. vlt. ff. de curat. furios.*

2 Quæ scilicet tam multa alia habet priuilegia. De quibus omnibus vide Tiraq. in eo tractatu, quem ex professo conscripsit *de priuil. piæ caus.*

3 Dixi *Defin. 6. num. 4. 5.*

DEFINITIO LIX.

Iusiurandum purgatorium non excludit probationes, quæ postea in contrarium adferri possunt: Secus in iuramento decisorio vel suppletiuo.

QVoties vnum ex litigatoribus iudex admittit, ad aliquid probandum per proprium iusiurandum, quod purgatorium [1] magis sit, quam decisorium, aut suppletiuum, [2] obseruare semper debet, vt saluam relinquat aduersario contrarium probandi facultatem, his verbis]: *Sauf à la partie de verifier le contraire, si bon luy semble. Ita Senatus* in causa heredum R. D. Petri de Lambert Episcopi Maurianensis, & Syndicorum de Foncouuerte, Cal. April. 1596.

1 De quo accipi debet quod scriptum est *in l. generaliter 12. C. de rebus cred. & iureiur. & in l. bonæ fidei 3. eod. l. admonendi 31. D. de iureiur.*

2 Nam in decisorio & suppletiuo aliud est, vt scilicet ex quo præstitum fuit nulla in contrarium probatio aut quæstio admittatur, *l. 1. D. de rebus cred. l. 5. §. dato, & l. nam posteaquam 9. & pass. D. de iureiur.* Nisi in casu *l. vlt. C. eod.*

DEFINITIO LX.

Simulatio venditionis factæ sub nomine pignoris quomodo probetur.

SImulatio contractus, vt venditio habeatur pro hypotheca, non probatur ex eo solo, quod venditor remanserit in possessione. [1] Sed tamen si emptor aut emptoris heres dixerit habere se eum contractum pro hypotheca, licet inter alias partes, poterit id sufficere, vt hypotheca potius contracta videatur. [2] Nec obstabit quod interuenerit clausula constituti. Nam & ex titulo hypothecæ transferri potest possessio. [3] Multo

BIU Cujas

minus obẽr it ea clauſula ſi emptor corporalem poſſeſſionem ex ea adprehendere per decennium neglexerit. 4 Illud tamen ſciendum eſt ſimulationis probationem eſſe in arbitrio & æſtimatione iudicis pro locorum, temporum, & perſonarum varietate. 5 *Ita Senatus* in cauſa Peronetæ Couz, & fratrum Perrier, 5. Decemb. 1596.

1 *L.1.vbi not. C.plus valer. quod agit. quam quod ſimul. concip.* Quamuis retentio poſſeſſionis magnam ſuſpicionem præbeat & coniecturam ſimulationis, *l.ſicut 8.§.ſuperuacuum, D. quibus mod.pign.vel hypoth.ſoluit.*

2 Cum ſimulatio non poſſit probari niſi per coniecturas, quia conſiſtit in animo, vt tractant DD. *in d.§.ſuperuacuum, & in l.1.C.plus valer.quod agit.*

3 Quomodo per contractum pignoris, *l.cum & fortis 35.§. 1. D.de pignor. act.* quamuis dici ſoleat in eo differre pignus ab hypotheca, quod pignoris poſſeſſio transfertur in creditorem, non hypothecæ, *l.ſi rem 9.§.proprie, D.de pignor.act.* Vide tamen *l.5.§.penult.D.de pignor.*

4 Cum per negligentiam decennalem amittatur poſſeſſio, *l.ſi id quod 25.D de acquir.poſſ.ſſ.* & ibi Bart.

5 Andr. Tiraq. late *in tract.de iur.conſtit.poſſeſſ.*

DEFINITIO LXI.

Repertæ ſcripturæ in archiuis monaſterij probant in antiquis etiam contra tertios.

LIbri acceptorum & expenſorum reperti in archiuis monaſterij faciunt fidem, etiam contra tertios in antiquis, non aliter. 1 *Ita Senatus* in cauſa Franciſcanorum Camber. & Dom. Ducis du Mayne, & heredum D. Ioannis Perraton Aduocati generalis. *Sine die.*

1 Crauet. late *de antiq.tempor.part.1.* Vide *Defin.58.3.*

DEFINITIO LXII.

Solutionis acceptæ confeſſio non probat ſemiplene, ſi ſit facta abſente parte, niſi pars alleget ſolutionem.

COnfeſſio acceptæ ſolutionis facta abſente parte non probat plene, ne quidem ad liberandum, 1 ideoq; nec ſuper ea deferri iuſiurandum ſuppletorium poteſt, 2 niſi ſolutio ipſa allegetur, non nuda ſolutionis confeſſio. 3 *Ita Senatus* in cauſa N. Andreæ Mugnier magiſtri Computorum, & Ant. de Botis, 18. Decembr. 96.

1 Quia confeſſio non eſt modus ſoluendæ obligationis, ſed tantum probandæ ſolutionis.

2 Quod ſcilicet non defertur niſi in ſupplementum ſemiplenæ probationis, Bart. & alij *ad l.admonendi, D.de iureiur. & ad l in bonæ fidei 3.C.de reb.credit.& iureiur.*

3 Nam ſi ſolutio allegetur aliud eſt, vt dixi *Defin.25.3.*

DEFINITIO LXIII.

Verba enunciatiua appoſita in contractu inito cum Principe, an & quando probent contra tertium?

VErba enunciatiua adpoſita in contractu geſto cum Principe probant, ſi veriſimile ſit quod enunciatur, 1 vtputa quod maritus ex mandato vxoris, de quo non aliter conſtat, tranſegerit de re vxoris. 2 Neque enim probabile eſt Principem contracturum fuiſſe cum eo, qui ſe mandatum habere diceret, niſi viuo mandato, 3 licet dici ſoleat mandatum nunquam præſumi. 4 Hoc vero maxime obtinet in antiquis. 5 *Ita Senatus* in cauſa N. Franciſci de Bellegarde, contra D. de Carde, 12. Decemb. 1596.

1 Valet enim argumentum à veriſimili, *l.vlt.in princ.D.quod met.cauſ.*

2 Nam & præſumitur habere maritus mandatum tacitum ad tractandas res vxoris, *l.maritus 21. C.de procurat.* maxime ſi habeat penes ſe inſtrumenta, *l.vltim. C.de pact. conuenr. tam ſup.dot.* Requiritur tamen mandatum ſpeciale ad tranſigendum, *l.mandato generali 60.D.de procurat.* Sed longe facilius eſt, vt etiam ſpeciale mandatum habere præſumatur is, qui iam præſumitur habere generale.

3 Cum Princeps non præſumatur ignorare iura quæ habet in ſcrinio pectoris *l.omnium 19.C.de teſtam.*

4 Bald. & Salic. *in l.1. C.de rebus alien.non alienand. & in l.2. C.ſi ex falſ. inſtrum.* maxime vero cum agitur de legitimanda perſona, vt ait Afflict. *Deciſ.368.*

5 Fauore ſcilicet & veneratione antiquitatis, quæ ſupplet defectum probationis in iis omnibus, quæ propter antiquitatem probari non poſſunt. Afflict. *deciſ. 13. deciſ.251. in fin.* poſt Alex. *conſ.79. col.3. & conſ.112.col.2.vol.1. & conſ.12. vol.4. circa fin. ad l.2. C. de reſcindit. vendit.* * Vide omnino Ioſeph Maſcard. qui in toto hoc tractatu inſtar omnium eſt *concluſ.14. 622. & 1233.*

DEFINITIO LXIV.

Cum tractatur de probanda læſione non minus credendum eſt teſtibus deponentibus pro emptore, quam deponentibus pro venditore, ſi ſint digniores, aut deponant veriſimiliora.

QVod Baldo & cæteris fere omnibus interpretibus vulgo placuit, 1 quoties agitur de probanda læſione, propter quam in integrum reſtitutio poſtuletur, plus credi duobus teſtibus de læſione pro venditore affirmantibus, quam mille pro emptore negantibus, falſum eſt. Ita enim fieret, vt nulla aut parua admodum emptoribus ſupereſſet facultas excludendę læſionis per contrarias probationes. 2 Inſpiciendum igitur eſt vtra ex parte plures teſtes ſint, aut digniores, aut qui veriſimiliora teſtificentur. 3 Sane cæteris paribus magis credendum erit paucioribus affirmantibus, quam pluribus negantibus. 4 *Ita Senatus* in cauſa N. Amedei Roget, & Ioannis Dominici De la Tour, 22. Mart. 1597.

1 Bald. *ad l.actor 23. C.hoc tit. col.3. & in cap.licet cauſam, col. penult.circa fin. Extr.eod. Not.in cap.bonæ. De Elect.* Felin. *in cap.in noſtra, col.1. Extr. de teſtib.* Afflict. *deciſ.324. num.9. & dec.400. num.9.*

2 Cum non poſſint teſtes deponere pro emptore quin negent, tanti rem eſſe quanti à venditore æſtimatur. Sed tamen habet hæc negatio incluſam affirmatiuam, ſcilic. quod res tanti fuerit, quo caſu quando teſtes qui deponunt negatiue, deponunt ſimul de affirmatiua, bene probant. Idem Bald. *in cap. ſi quis per triginta, col.2 ſi de feud.fuer.contr.* Abb. *in cap.cum Eccleſia Sutrina, de cauſ.poſſ.& propr.col.6.*

3 *Iuxta l.3.D.de teſtib.* Afflict. *deciſ.363. nu.16.*

4 *Vulg.l diem proferre, §.ſi plures verſ. inde quæritur. vbi gloſſ. D.de recept.qui arbit.recept.* Vide Ant. Gabriel. *lib.1.commun.opin. concl.4.de teſtib.*

DEFINITIO LXV.

Qui allegat ſolutionem pure & ſine conditione ac proteſtatione videtur fateri debitum.

AD ſolutionem debiti conuentus negabat ſe debere niſi certis legibus & conditionibus, quibus tanquam falſo allegatis obtemperare nolebat creditor, qui tamen aliam nullam debiti ſui probationem præter aduerſarij confeſſionem proferebat, cum poſtea conſtitiſſet partem debiti ab eodem debitore, ſiue iam pendente, ſiue nondum mota lite, ſine vlla proteſtatione ſolutam fuiſſe, ac perſtaret ille in offerendo quicquid ab eo debitum eſſe appareret. 1 Viſum eſt non alia debiti probatione onerandum creditorem. 2 Quia licet verum ſit, neque confeſſionem in cauſa ciuili factam ſcindi poſſe, 3 neque rurſus poſſe quem agere ex contractu vltro citroque obligatorio, quem prius ille ex parte ſua non impleuerit, 4 ſubſecura tamen ſolutio agniti debiti probabat, vel non fuiſſe in contractu adhibitas eas conuentiones, quarum implementum

BIU Cujas

plementum ab ipso quoque debitore negligeretur, vel ab eo iure, quod sibi debitor per eas quæsiuerat, vltro recedere ipsum ex postfacto voluisse. [6] Placuit itaque, nullis interuenientibus aliis probationibus condemnandum nihilominus debitorem, [7] nec ad hoc tantum, vt oblatam residuæ quantitatis solutionem præstaret, sed ad id etiam, vt omnes litis expensas resarciret, perinde ac si nihil obtulisset: [8] nihil enim offert is, à quo certa res, aut quantitas petitur, si generaliter duntaxat offerat quicquid debet, non expressa certa re vel quantitate, aut saltem captiosa oblatio est, ex qua neque condemnatio, neque exactio præsens sequi possit, [9] & quæ litis materiam illam semper comitem habeat, quod disceptari adhuc necesse est, quid & quantum debeatur. [10] Sed & damnorum omnium condemnatio eidem debitori irrogata est, ex natura scilicet obligationis, cui necessitas præstandæ indemnitatis causam & originem præbuisse proponebatur. [11] *Sine die.*

1 Quorum neutrum fieri debuerat ab eo, qui sciret, se nihil debere. Nemo enim suum iactare præsumitur, *vulg. l. cùm de indebito 25. D. de probat.*

2 Cum nulla sit melior probatio, quàm quæ fit per partis confessionem siue expressam siue tacitam, *vulg. l. generaliter, 13. C. de non numer. pecun.*

3 Bart. *in l. Aurelius 28. §. idem quæsiit, D. de liber. legat. l. cum quæritur, 16. ff. de admin. tut. l. si ita, 29. §. 1. de oper. liber. l. nam absurdum, 7. de bon. libert.*

4 *Vulgata lege Iulian. 13. §. offerri, D. de act. empt.*

5 Credibile enim est, quod debitor non soluisset, nisi post impletas prius omnes leges & conditiones, sine quibus non fuerat ille contracturus, *arg. l. cum te 6. & l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.* siquidem debitum petere non potest, qui quod debet facere differt. Afflict. *decis. 220. nu. 4. in fin.*

6 *Arg. d. l. cum de indebito, 25. D. hoc tit.*

7 Tanquam probato agnitoque debito per solutionem partis, Boer. *decis. 333. nu. 3.* post Anch. *in cap. olim, num. 6.* per illum text. *extr. de censib.* vide Dyn. *ad c. nullus pluribus de reg. iur. in 6. col. 3. & in c. exceptionem eod.* per *text. in l. siquidem, Cod. de except. Not. in l. non vtique, D. eod.*

8 Cum teneatur ad expensas litis debitor, qui moram facit in soluendo, *l. qui solidum 78. in princip. & §. 1. de legat. 2.*

9 Cum debeat condemnatio esse certa, *l. 2. & tot. tit. C. de sentent. quæ sine cert. quant. profer.* vide *l. si rem 9. §. vltim. D. de pign. act.*

10 Ea demum enim oblatio admittenda est, quæ litis materiam minuit, *l. quidam 21. D. de reb. cred.*

11 Puta ex causa mandati aut negotiorum gestorum.

DEFINITIO LXVI.

Duæ probationes semiplenæ iungendæ sunt, vt faciant plenam.

COnfessio quidem extra iudicium & parte absente facta non probat nisi semiplene. [1] Sed tamen si adsit testis, qui de ipsa negotij veritate testificetur, quamuis dici soleat, vocem vnius vocem esse nullius, [2] benignius est, fauore probationum iungi vtramque semiplenam probationem, vt ex duabus semiplenis fiat vna plena, de cuius fide dubitari nullo modo possit. [3] *Sine die.*

1 *L. certum, C. si quis absente. ff. de confess.* Bald. & Salic. *in l. in bonæ fidei C. de rebus cred.* not. Bart. & alij *ad l. admonendi. D. de iureiur. c. fin. de succes. ab intest. l. capite, D. ad l. Iuliam de adult. & in l. quæro, D. de ædil. edict.*

2 *L. iurisiurandi, C. de test.*

3 Bald. *in l. vnic. in princ. C. de confess. & in Auth. rogati, C. de test.* Salic. *in d. l. in bonæ fidei.* Alex. *cons. 143. vol. 2.*

DEFINITIO LXVII.

Principi non creditur de facto alieno in alterius necem.

NOn creditur Principi narranti rebellem eum fuisse, de cuius rebellione aliunde non apparet, [1] quamuis alioqui soleant verba Principis enunciatiua fidem facere etiam inter alias partes, [2] ne scilicet in potestate sit Principis ex aliorum plerumque perfidorum & calumniantium fide ita referentis bona existimationem, vitam denique ei eripere, qui veritate facti diligentius indagata rebellis probari non possit. [3] *Sine die.*

1 Afflict. *decis. 14. nu. 6.* post Andr. *in c. 1. in fin. de controuers. feud. apud par. termin.* intelligi nisi contra producentem. Afflict. *ibid. 2.*

2 Scilicet in antiquis, & cum agitur de facto alieno, Crau. *de antiq. temp. part. 1. num. 19. sect. 8. ex cap. si summus Pontifex de sent. excommun.* * Nam & generale est vt in antiquis credatur referenti, etiamsi non constet de relato. Crauet. *ibid. not. ad Authent. si quis in aliquo, C. de edendo.*

3 Ne alioqui iniuriarum occasio inde nascatur, vnde iura nascuntur, *vulg. l. meminerint. C. vnde vi.* Nam rebellis amittit omnia bona sua, & priuilegia ipso iure, Bald. *in tit. de pac. Constaut. in vers. nos Romanorum, in verb. priuilegio.* Afflict. *dict. decis. 14. num. 6.*

DEFINITIO LXVIII.

An possit reus pro sua innocentia probanda impetrare publicationem monitory cum clausula, nemine dempto?

DVrum equidem est cuiquam permitti, vt de aduersarij sui domo suas extrahat probationes, [1] præsertim si causa sit criminalis. [2] Sed tamen si quis de falso criminaliter postulatus non alias veritatis & innocentiæ suæ probationes habeat, quàm quas ex accusatoris ore possit elicere, non modo æquum, sed etiam necessarium est, vt monitorij impetratio & publicatio permittatur, etiam cum clausula, *nemine dempto.* [3] Nec enim visum est, adeo malitiis indulgendum esse, [4] vt innocentiam inopia probationum opprimi patiamur, [5] si per contumaciam accusatoris moneri nolentis appareat, non obscurè calumniosam fuisse accusationem. [6] *Ita tractatum est. Sine die.*

1 *L. minus graue, 7. C. de testibus, l. vlt. C. de probat.*

2 *L. qui accusare, 4 C. de edend.*

3 Quomodo etiam in aliquibus casibus talis publicatio permittitur cum eadem clausula, nemine dempto, de quo vide Ægid. Magistr. *in decis. Pariset. tit. de appellat. tanq. ab abus.*

4 *L. in fundo, 38. D. de hered. instit.* Nam & ex ratione iuris debet iurare de calumnia, quisquis vult alium accusare.

5 Melius enim est nocentem absolui, quàm innocentem damnari, *l. absentem, 5 de pœn.*

6 Quæ res facit, vt accusato in aliis multis faueatur ad innocentiam probandam, vt alibi scripsimus, *ex l. Arrianus 41. ff. de oblig. & action. l. fauorabiliores, de reg. iur.*

DEFINITIO LXIX.

De probatione identitatis & dominij.

PRæsumitur quidem identitas in personis ex identitate nominis, nisi diuersitas probetur. Sed in rebus contra præsumitur pluralitas, si non probetur identitas, [1] quam tamen ex coniecturis probari sufficiet, etiamsi diuersitas in nomine confinium interueniat, [2] quæ magnam diuersitatis præsumptionem inducit. [3] Nam & probari veritas & identitas confinium variis modis potest, puta per possessionem & per signa, si qua adsint, quæ rem significatam, cuius sit, ostendant. [4] Cum & dominium ipsum rei, quod difficilioris probationis est, per significatum, vt aiunt, probetur. [5] Commodius tamen & tutius est, vt res oculis subiiciatur, interueniente iudice cum testibus ad certiorem habendam veritatis probationem, [6] Quod si rei facies ita sit immutata, vt quamuis certum sit rem, de qua agitur, in ipso eo loco esse, discerni tamen nullo modo possit, siquidem facto possessoris, qui

BIU Cujas

fortassis in eo territorio quantumuis bona fide ædificauerit, obscuritas illa & incertitudo superuenerit, non debet ea res nocere petitori dominium rei suæ vindicanti. [7] Nam etsi non potest fieri restitutio rei, quæ non apparet, [8] nihil tamen vetat condemnationem fieri ad æstimationem, cum res ipsa præstari non potest, [9] quod formaliter fieri non potest, fiat saltem arbitrio boni viri. [10] Dominium sane probatum esse necesse est, aut concludenter, aut saltem præsumptiuè, [11] puta per famam in antiquis, [12] aut per confessionem partis. [13] Alioqui solus titulus emptionis, aut alterius acquisitionis, iuncta possessione non sufficit ad probandum dominium possessoris, nisi probetur etiam ius & dominium auctoris. [14] In dubia plane causa pro possessore contra petitorem pronunciandum est, [15] nisi Ecclesia sit, quæ agere proponatur. [16] *Sine die.*

1 Alex. *cons.* 134. *col.* 2. *vol.* 2.

2 Afflict. *decis.* 23. *num.* 3. post Alex. *cons.* 69. *in prine. d. volum.* 2. [Obserua autem non probari concludenter identitatem fundi per duos confines si non sint transuersaliter angulares, contra Socin. *cons.* 89. *vol.* 1. *Ita Senatus* in causa D. de la Barre 3. Aug. 1612. De probandis autem confinibus vide Guidon. Pap. quæst. 197. Adde *l. forma D de cens.* Bart. *in l. demonstratio de con. & d. mon.* Sane si nulla sit probatio aut præsumptio in contrarium sufficiet identitatem probari per duos confines quoscunque. Et ita intelligi ac restringi debet sententia Socini *d. cons.* 89. *num.* 1. *ex d. l. forma* 5. ibi *& quos vicinos duos proximos habeat.* Sed & ex sola lectura confinium si vndequaque similes sint placet probari sufficienter identitatem fundi. Nisi allegetur pluralitas fundorum similes vndequaque confines habentium. Ita vt nullos in eam rem testes audiri oporteat, cùm quotidiana rerum experientia compertum sit vix vnquam ac ne vix quidem nisi per euidentem calumniam negari saltem in huiusmodi casibus identitatem. *Sic Senatus* ex tempore 12. Calend. Aug. 1612.

3 Afflict. *ibid. num.* 3.

4 Bald. *cons.* 352. incip. *verba, vol.* 2. *& in Auth. des data, C. de donat. ant. nupt.*

5 *L. quod si neque,* 13. *in fin. D. de peric. & commod. rei vend.* Archid. *in c. si iudex, de sent. excommun. in* 6. Afflict. *d. decis.* 23. *nu.* 4. *ex l. stigmata C. de fabric. lib.* 11.

6 *Arg. l. si ruptione* 8. §. *vlt. D. fin. regund.*

7 Afflict. *vbi s. num.* 5. post Alb. de Ros. *in l. si in rem, D. de rei vindicat.*

8 *L. officium* 9. *l. qui restituere,* 69. *D. de rei vind.*

9 *L. aut lex,* 21. *D. ad l. Aquil. Not. ad l. vinum,* 22. *D. de rebus credit. l. penul. & vlt. D. de condict. triti.*

10 Bald. *ad l. in testamento quidam, D. de condict. & demonstr.* Specular. *in tit. de oblig. & solut.* §. *sequitur videre, vers. ad huius.*

11 Distinguendo scilicet, an de dominio quæratur principaliter an incidenter, vt priore casu debeat probari concludente, posteriore vero præsumptiue. *Not. in l. cum res, C. hoc tit.*

12 Ang. *in l. aliqui natura* 19. §. *cum me absente, D. de negot. gest.* Afflict. *d. decis.* 3. *nu.* 5. vbi addit, hoc ita procedere, si fama sit plane probata, ex Sal. c. *in d. l. cum res,* & Alex. *cons.* 88. *col.* 2. *& cons.* 201. *in prin. vol.* 2.

13 Afflict. *ibid. num.* 5.

14 Idem Afflict. *d. decis.* 40. *num.* 3. *& nu.* 1. post Bart. *ad l. rem alienam de pign. act.* Adde eundem Bart. *in l. cum rei, C. si alien. res pign. dat. sit.* Sed neque sufficit recognitio *l. censualis* 7. *C. de donat.* Cravet. *consil.* 157. *num.* 7.

15 *L. vlt. C. de rei vind. l. vlt. D. de acquir. poss.*

16 Alex. *cons.* 36. *vol.* 3. *& cons.* 92. *in fin. vol.* 4.

DEFINITIO LXX.

CVm duæ proferuntur apochæ paris quantitatis, [1] Sed quæ diuersitatem habeant aliquam siue personarum quibus aut à quibus solutio facta dicitur, siue loci, aut temporis, [2] Ad onus pertinet creditoris solutionem vrgentis, nec nisi vnius eiusdemque summæ solutæ confessionem admittentis, vt ita esse, ac vnam eandemque quantitatem vtraque apocha contineri probet, [3] cùm diuersitas circumstantiarum inducat facilè præsumptionem diuersitatis summarum, nulla in contrarium allata probatione. [4] Sed hoc ita si non adsint indicia quæ suadeant vt prior apocha spe tantùm futuræ numerationis facta esse existimetur. Nec enim pro soluta potest haberi ea quantitas de qua actum est vt postea solueretur. [5] *Ita Senatus* contra N. Claudium de Reydet D. de Maningod pro N. Iano Pensabin, 11. Cal. Iunij 1613.

1 Nam vbi dispar quantitas est inducitur necessaria probatio & illatio diuersitatis: solaque illa superest quæstio, An in ea quæ maioris summæ est altera continetur vt *in l.* 47. *de leg.* 2. *l.* 1. §. *si stipulanti de verbor. obligat.*

2 Quod alio loco & alio tempore factæ sint.

3 Tum quia generale est vt is probare debeat qui dicit, non qui negat *l.* 2. *D. hoc tit.* tùm quod proniores esse debeamus ad liberationem *l. Arrianus* 41. *D. de oblig. & act.*

4 Est enim ista præsumptio iuris non etiam de iure vt nostri loquuntur, ideoque admittit probationem in contrarium *l.* 29 §. 1. *D. hoc tit.*

5 *L.* 7. *& tot. tit. C. de non numer. pecun. & C. de dot. caut. non numer.* Vide Alex. *cons.* 4. *vol.* 1. & Afflict. *decis.* 198.

DEFINITIO LXXI.

De comparatione literarum.

ETsi non desunt qui putent probationem per comparationem literarum concludenter fieri nullam posse, sed requiri omnimodo testes qui dicant scribere se vidisse, quod tam multi sint quotidie qui alienas scripturas sic imitentur vt non possit non valde periculosa esse hæc probatio. [1] Hoc tamen iure vtimur, vt hæc quoque probationis species admittenda sit, [2] sed per eos demum testes qui scribentis manum adprimè nouerint. [3] Idque in causis ciuilibus duntaxat. [4] Sed in criminalibus in quibus periculum maius versatur aut capitis aut existimationis non item, [5] Adeo vt ne quidem indicium ad torturam ex ea literarum comparatione sumi possit. Nisi proponas talem esse reum quem mala fama suspectum alioqui faciat. Quo casu minus verendum est ne ex eiusmodi literarum comparatione lædatur. [6] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Lage, Idib. Sept. 1613.

1 Et ita vt audio seruat Rota Curiæ Romanæ.

2 *Ex l. comparationes* 20. *C. de fid. instr.*

3 Et qui dicant se vidisse aliquando illum scribere.

4 Rip. *ad l. admonendi col.* 20. *D. de iureiur.* quem refert & sequitur Cravet. *De antiq. temp. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 73.

5 Dec. *col.* 625. à Cravet. ibid. relatus & probatus.

6 Sic Cravet. *ibid.* restringens ad hunc casum quod generalius scripserat. Purpur. *in d. l. admonendi, col.* 20. Iunge Afflict. *Decis.* 81.

DEFINITIO LXXII.

Quibus modis probari possint confines parochiarum & iurisdictionum.

SOlent confines parochiarum & iurisdictionum probari per antiqua instrumenta, [2] Item per famam, [3] eaque fama ex antiquis etiam instrumentis. [4] Rursum per lapides fixos immobiles & antiquos scriptos, [5] vt etiam per montes & alia quæ vocant signa multùm apparentia. [6] Et ex communi opinione ac præsumptione, [7] Adeoque per testes etiam singulares, [8] Sed multo certiùs per immemorialem possessionem, [9] & per visum, quoties oculis subiici res potest. [10] Nam & cùm plures termini eiusdem denominationis reperiuntur: Satis tamen dicitur constare de corpore & identitate si constet de possessione. [11] Denique probantur confines in antiquis etiam per coniecturas & leuiores probationes. Possuntque iungi duæ species probationum vt fieri solet in rebus quæ sunt difficilioris probationis. [12] Planè cùm talis res est quæ per se certa sit, sufficit demonstrare locum vbi res sita est, vel vnum confinem. [13] *Ita tractatum est*

BIU Cujas

in causa Syndicorum & Communitatum de Tignes & de saincte Foy, Prid.Cal.Maij 1614.

1 Nunquam enim permittendum est quantum fieri potest vt termini parochiarum confundantur, *can.quicunque & can. licet 16.quæst.3.* vt neque iurisdictionem, *l.cùm vnus 12.§.pen.D. de reb.author.iudic.possid.*

2 Salic.& Castr. *ad l.cùm aliquis C.de iur.delib.* Cravet.*consil. 54.num.10.* Papiens.*in form.libell.in act.real.§.cui cohæret. num 30.* Guid.Pap.*quæst.193.* Hier.de Monte Brixiensis *in Tract.de finib. regund.cap.66.num.6.*

3 Bald.*cons.86.vol.1.* Brixiens.*d.cap.66.num.10.*

4 Glos.*in l.fin. C.hoc tit. & in l.atquin 19.§ cùm me absente de negot.gest.* Dec.*in cap.cum causam nu.2. Extr.hoc tit.*

5 Brixiens.*cap.16.nu.6.* Paris de Puteo *in cap.1.num.1.de usib. feudor.l.1.§.qui in rationibus, D.ad leg.Cornel.de fals. & in l.qui tabulas 27.in princ.de furt.*

6 Bald.*cons.152. incip. verba vol.2.* Papiens. *in d.§.cui cohæret.* Glos.*in d.cap.cùm causam.*

7 Dec.*in dict.cap.cùm causam, Extr.hoc tit.*

8 Linsr. *in cap.quoniam contra in verb.testimonium, Extr.hoc tit.* Brixiens.*cap.52. num.1.& 2.*

9 Alex.*cons.166.num.2. & cons.267.num.2.vol.2.* Socin.*consil. 187.num.15.vol.2.*

10 *Ex l.si irruptione 8. in fin.reg.* Corn.*cons.337.num.43.vol.1.* Matth.de Afflict.*decis.23.num.6.*

11 Paris.*cons.10. nu.25.vol.1.* Alex.*cons.79.in pr.vol.2.*

12 *d.cap.cùm causam, vers.& quæcunque adminicula, Extr. hoc tit.* Cravet.*consil.150.num.2.vol.1.* Paris.*d.cons.104.nu.42.vol.1.*

13 *L.forma 5.D.de censib.* Dec.*in l.testamentum num.3. C.de inst. & substit.* Iunge *D fin.69.3.*]

TIT. XV.

DE TESTIB.

DEFINITIO I.

Vxor pro viro testis esse non potest, contra virum potest, sed non cogitur, nec soror contra fratrem.

VXOR pro viro in causa criminali testimonium dicere non potest,[1] contra virum quin possit, nulla lege prohibitum est,[2] scilicet si velit:[3] nam inuita vt cogatur, nimis durum est.[4] Quin & cum absente per contumaciam marito mulier quædam aduersus eos, qui marito furtum facienti adfuerant, sic testimonium dixisset, vt maritum quoque furtum fecisse fateretur, in eaque testatione sæpius apud iudicem obiectis etiam reis constanter perstitisset; Postea autem reuerso viro, & in carceres detruso, idipsum denegasset, non putauit *Senatus*, aliorum testium exemplo torquendam eam in caput mariti, vt diceret, vtri testationi stare mallet:[5] At neque ex prioribus vxoris testationibus, licet iuratis, quæstionem de marito haberi debere visum est, tametsi indiciis plerisque vrgeretur,[6] quod & in eius domo repertum furtum fuisset,[7] & pœnæ metu aufugisset,[8] nec prius remeasset, quam socios criminis absolutos cognouisset.[9] Nimirum ne soli marito noceret vxoris testatio, quæ cæteris delicti correis non nocuisset.[10] Idemque in sororis, quod in vxoris persona, obseruandum esse placuit.[11] *Ita Senatus* 8.April.1558.

1 Est enim domesticum testimonium, & ideo prohibitum, *l.3.C.hoc tit.* vbi Bald. propter individuam illam, quæ inter coniuges est vitæ totiusque diuini & humani iuris societatem, *l.1. D.de rit. nupt.* Masuer.ad Ferrar.*in form. iuram.test.* in verb. *domestici.*

2 Inquit Grammat.*cons.14.* Omnes autem, qui non sunt prohibiti esse testes, videntur permissi, quia est hoc ex genere prohibitorum non permissorum, vt argumentatur Paulus *in l. munus, 43.§.1.D.de procur.*

3 Nam in solis parentibus & liberis constitutum est, vt non possint inuicem aduersus se testes esse, nec si velint, *l.parentes, 6.C.hoc tit.* Vide Guid.Pap.*qu.45.in fin.*

4 Thom.Grammat. *d.cons.14.*

5 In cæteris enim testibus ita obseruatur, vt si varient in suis depositionibus, non aliter fidem faciant, quàm si firment dictum suum in tortura, inquit Iul.Clar. *lib.5.sent. §.fin.qu.25. num.3.& quæst.53.num.15. vers.quartus est casus,* post Boss.*in tit.de tortur.test.num.3.*

6 Quamuis ex plerisque indiciis vrgentibus possit ad torturam perueniri. Imo ex vno solo, vt concludit Iul.Clar. *d.§. fin.quæst.64. num.14.* Iunctis iis, quæ idem tradit *d.§.fin.qu.21. per tot.*

7 *§.conceptum, Instit.de oblig.quæ ex delict.nascun.l.1. §.hoc autem D.de fugit.*

8 Fuga enim magnum indicium est ad torturam, vt ex iis constat, quæ tradit Iul.Clar.*d.quæst.21.num.18.& seqq.* Nimirum si fuga præcesserit inquisitionem, *vt ibid.ait, nu.23.*

9 Nam si ante sententiam rediisset, ac sponte comparuisset, vtique indicium, quod ex fuga oriebatur, purgatum esset, Clar. *vbi §.num.24.*

10 Simile quiddam est *in l filium 20. vers.ne testamentum, D. de bonor.possess.contr.tabul.*

11 Eadem enim fere saltem hac parte vtriusque ratio est.

DEFINITIO II.

Etiam post didicita testificata possunt audiri testes iam auditi, ad declarationem tantum & explicationem eorum, quæ obscurius testati sunt.

IN vindicationis iudicio, cum hinc inde proposita essent omnia, quæ ad facti quæstionem pertinere videbantur, vtrimque etiam auditi testes, actor vero post apertas didicitasq; testationes eorum non tam fidem, quàm sententiam dubiam redderet, propter quod in instrumento à se producto dominij probandi gratia,[1] super quo testes interrogati fuerant, mendum subesse diceret, erratumque in vno ex confinibus,[2] Iudex inferior per interlocutionem iusserat, petente quidem actore, sed animi tantum sui, vt loquuntur, informandi causa,[3] vt actoris sumptibus[4] vtrimque auditi testes iterum audirentur. Ab ea interlocutione reus appellauerat, propterea quod post didicitas testationes prohibita sit testium interrogatio, metu scilicet corruptionis,[5] qui in proposita specie tanto maior suberat, quod non ex mero nobilique iudicis officio, vt fieri debuerat,[6] sed actore ipso requirente, ea testium repetitio decreta esset.[7] *Senatus* censuit bene iudicatum, quoniam in ea re nihil fieret, quod alterutrius litigatorum ius posset lædere:[8] cum non tam emendandæ, quàm explicandæ prioris testationis facultas testibus singulis permissa videretur:[9] Iudex vero id tantum egisset, vt ad capessendam veritatem seipsum melius compararet: Quod vtique facere bonus iudex semper & potest & debet,[10] adeo vt nec vnquam licita sit ab eiusmodi interlocutione prouocatio:[11] Quare nec ad rem pertinebat, quod dici solet, eam testationum repetitionem, si quando facienda sit, solo iudicis officio non item alterutra parte requirente fieri debere, nisi vtraque consentiat.[12] Id enim tum obtinet, cum corruptionis metus iustus subest:[14] Causa vero aliqua est, propter quam æquum sit, vt iterum testes audiantur. *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 7.Calend.Iul.1588.

1 Quia dominium in vindicationis iudicio probandum necessario est, *l.in rem 23.& pass D.de rei vend. §.commodum, Instit. de interdict.* quod vix est, vt fieri possit sine alicuius tituli productione, *l.nunquam nuda, 31.D.de acquir.rer.dom. l.nullo, 24. C.de rei vindic.*

2 Nam sine demonstratione & probatione confinium non potest demonstrari corpus fundi, nec eius identitas probari, *l.si irruptione, 8.l.in finalibus 11.& seq. D. fin.regund.* Bart.*in l. demonstratio de cond.& demonst.*

3 Multa enim potest facere iudex animi sui informandi

gratia, si ex actis litis bene informari non possit, *vt d.l. si irruptione in fin.*

4 Tanquam id petentis & cuius maxime intererat.

5 *Cap. intimauit, & c. fraternitatis, extr. de testib.* Clem. *testibus vbi glos. eod.*

6 Nam quod iudex motu proprio, & ex nobili suo officio facit, minus suspectum est, cum id faciat ignorantib. quodammodo litigatoribus, *c. per tuas, vers. nisi forte*, & ibi Innocent. *extr. de testib.* Bald. *in l. si quis, §. nec iterum, D. de eden.* [Cæterum est etiam aliud genus testium qui mero & nobili officio iudicis audiuntur nec ab vlla parte producti fuerunt nec possunt à litigatoribus reprobari, ob idque nec eorum nomina litigatoribus quamuis id postulantibus edi debent, sed omnimodo testimoniis eorum stari oportet, quia nec solent iudices ad hoc remedium decurrere, nisi cùm probationes à partibus productæ sunt, aut dubias habent aut suspectas. *Ita Senatus* in causa Mariæ & Bartholomæi Poncet, 6. Id. Decemb. 1612. & iampridem in causa D. de Maningod & D. de Marest. *Sine die.* Alia ratio est eorum testium qui nobili officio iudicis audiuntur postquam requirente parte iam auditi fuerunt, de quibus loquitur hæc Defin. *& cap. per tuas.* Hi enim reprobari possunt nec de ipsorum nominibus edendis quæri potest cùm iam edita semel fuerint.]

7 Quod videbatur contra not. per Bald. *in l. fin. vers. ic. reuoco in dubium, C. hoc tit. & in cap. constitutus, extr. eod. tit.* Ioan. Papon. *in syntagm. Arest. lib. 9. tit. 1. Des preuues par tesmoings, & c. §. 5.*

8 Cum tamen quisquis appellat debeat probare se læsum, *l. 1. de appellat. l. præfecti, 17. D. de minor.* Quod enim vni prodest, & alij non nocet, facile conceditur, *l. in creditore, 38. in fin. D. de euict.*

9 Aliud si quidem est declarare, aliud vero aliud de nouo dicere, *l. heredes palam, 21. §. 1. vers. nihil enim nunc dat, D. qui testamentum facer. poss.* Tiraqu. *in l. vnquam, num. 20. C. de reuoc. donat.* quem refert & sequitur Tessaur. *decis. Pedem. 30. num. 2.*

10 *L. curent magistratus, 21. D. hoc tit. l. cum propria, 5. C. si quis alter. vel sib. l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agitur.*

11 Propter periculum, quod subest, damni irreparabilis, si per mortem testium pendente appellatione probationes intercidant, *l. in lege Aquilia, 40. D. ad leg. Aquil.* iunct. *l. vlt. D. de appell. recip. vel no.* [Multo minus censebitur excluse probatio quæ fiat per ocularem inspectionem & euidentiam rei, *arg. l. si irruptione 7. fin. reg.*]

12 Multo certe minor, quàm si iidem testes repetendi fuissent ob nullitatem prioris examinis, quo tamen casu certum est, quod iterum possent audiri. Tessaur. *decis. 18.* post multos ibi citatos.

13 Per ea, quæ diximus *num. 7.* post Ioan. Papon. *lib. 9. syntag. tit. 1. §. 5.* Guid. Pap. *qu. 72.* Masuer. ad Ferrar. *in form. iur. test.* in verb. *citati, in fin.*

14 Quæ tota ratio est, *d. c. fraternitatis.* [Obserua tamen posse officio iudicis audiri testes etiam nominatos à parte dummodo absente. Crauet. *cons. 17.* post Bald. *in l. ampliorem, C. de appella.* Sed non debet iudex mandare parti vt eos nominet. Crauet. *ibid.* nec pars requirere vt audiantur.]

DEFINITIO III.

Testes per turbam examinari possunt in causis ciuilibus, sed non in criminalibus, nisi ad probandam famam.

PLures testes in globo, & vt pragmatici loquuntur, per turbam auditi, vnius tantum testis loco habentur,[1] sed multo dignioris fidei, si ex omnibus nullus sit, cuius testimonium probabili aliqua obiectione labefactetur. Quæ res facit ex contrario, vt si vel vnius aut alterius fides suspecta sit, cæterorum quoque omnium, licet integræ sint existimationis, fidei derogetur,[2] sed non tamen vsque adeo, vt pro nullis omnino habeantur.[3] Cæterum in ciuilibus duntaxat causis huiusmodi ratio audiendorum testium recepta est,[4] in criminalibus non item, quia nec necesse est, cum delicti probatio certo testium numero nullo concludatur:[5] Præter id, quod neque ciuile aut humanum esset, tot obiectis simul testibus reum obrui, cui potius, quantum æquitas patitur, faueri & subueniri oporteat.[6] Si tamen de mala rei fama probanda agatur, nihil prohibet, quo minus multi in eam rē testes conglobati audiantur.[7] Neq; tamen eo minus exhiberi reo singuli debebunt, vel ob hoc ipsum, vt si quid aduersus eos obiicere reus volet, aut mentientes fortasse præsentia sua terrere, & ad palinodiam compellere, commodius id præstare possit.[8] *Ita Senatus* in causa Henrici Saraceni, 13. Cal. Iul. 1592.

1 Ioan. Papon. *lib. 9. syntagm. tit. 1. §. 20.* Vide Cynum *in l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

2 Cum omnes vnius tantum loco habeantur.

3 Aliud enim est, diminui aliquid de fide testis, aliud vero testis dictum reprobari, *l. 3. D. hoc tit.* vide *not. in pract.* Papiens. *in form. oppos. contr. test.* in verb. *in facto eorum proprio. num. 7.*

4 Et quidem ex consuetudine magis quam ex iure. Nullus enim textus est iuris aut ciuilis, aut canonici, qui de testibus per turbam examinandis loquatur, quod & Papon. supradicto loco obseruauit, vbi addit, hoc genus probationis ob eam causam minus probari à suprema Curia Parisiensi.

5 Quia publice interest, delicta probari & puniri, *l. ita vulneratus 51. in fin. D. ad leg. Aquil. l. si à reo 70. §. vlt. D. de fideiuss. l. Stichum 95. in princ. de solut.* In ciuilibus causis aliud est, quia refrænari debet numerus testium, vt not. *in c. significauit, & seq. extr. de testibus.* Ferrar. *in forma. oppos. contr. test.* in verb. *suntque publicatis iam testibus, num. 14.*

6 Sunt enim fauorabiliores rei, *l. fauorabiliores 125. de regul. iur.* maxime in criminalibus, *l. absentem 5. D. de pœn.*

7 Tum enim maxime necessarius est vsus turbæ, cum aliquid de totius populi opinione probandum est, vt ait Paponius loco supra citato.

8 Nihil enim denegandum est reo, quod prosit ad innocentiam eius probandam, cum melius sit, absentem absolui, quàm innocentem damnari, *d. l. absentem 5. de pœn.*

DEFINITIO IV.

Casus, in quo posterior depositio præualet priori etiam iuratæ.

SI variæ sint de eadem re vnius hominis testationes merito receptum est, vt primæ stari debeat, si fuit iurata.[1] Maxime vero cum secunda facta est post publicata, vt pragmatici loquuntur, & didicita testificata,[2] nempe propter metum subornationis & corruptionis.[3] Excipienda tamen est ea testatio, quam monitoriarum literarum potestas etiam à iurante extorserit. Nam si, vt fieri solet, is ipse testis postmodum, iubente iudice, qui de facto cognoscit, iterum interrogetur, nec primæ testationi secunda conueniat, posteriori vincet fide priorem, quod prior ad fines reuelationis tantum[4] facta esset potius, quam ad probandum,[5] scilicet non vocata parte, nulloque iudicis mandato præcedente.[6] Nam quod dicimus, potiorem esse priorem, tum verum est, cum cætera sunt paria.[7] *Ita Senatus* 16. Cal. Decemb. 1588.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 53. nu. 15.* post Didac. Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 13. num. 8.* Bart. *in l. si postulauerit, §. penult. de adul. post glos. in Auth. de testib. §. illud tamen.*

2 Guid. Pap. *quæst. 546.*

3 *Cap. fraternitatis, extr. hoc tit.*

4 Sic enim exprimi solet, quoties monitorij publicandi permissio impetratur, præsertim cum lis pendet coram iudice laico, ne videantur recipi & admitti testes ex auctoritate iudicis ecclesiastici, ex cuius iurisdictione monitorij impetratio proficiscitur.

5 Et ideo nihil probant huiusmodi reuelationes, ne actus operetur vltra intentionem agentis, *l. nam omnis 19. D. de rebus credit.* Vide tamen *Defin. 54.*

6 Quæ tamen omnia debent interuenire, vt dictum testis probet. Ferrar. *in form. iuram. test.* in verb. *citati & requisiti*, vbi tamen Masuer. *in addit. Auth. sed etsi quis, C. hoc tit.*

7 Vide Boer. *quæst. 108.* & Bart. *in l. eos qui, D. de fals.* Guid. Pap. *quæst. 72.*

DEFINITIO V.

Varij casus, in quibus testes audiri possunt etiam post didicita testificata.

IAm interrogati testes interdum etiam post didicita testificata iterum interrogari possunt etiam requirente

BIU Cujas

requirente eo, cuius interest.[1] Quid enim, si priores testationes nullius sint momenti ob non seruata solemnia, quæ seruati debuerunt, si præsertim interrogatoris non producentis culpa id acciderit?[2] Quidni liceat petere in integrum restitutionem,[3] vt iidem testes rursum audiantur?[4] Quanquam, si quid in eo peccatum est, de illo cognosci solet, vt corrigatur, priusquam testationum secreta inspiciantur.[5] Quid item, si non fuerint interrogati ad eum modum, quo interrogari debuerunt?[6] Quid si de causa matrimoniali agatur?[7] Quid si nullus subsit metus corruptionis & subornationis?[8] Quid si aduersarius ipse semel consenserit, nec in ea sit ætate, cui per in integrum restitutionem succurri oporteat?[9] Quid denique si instrumenta aliqua de nouo reperta sint, quorum, vt aiunt, concomitantia faciat, vt minus suspectæ videri debeant nouæ etiam testationes? Sane extra hos casus vix est, vt requirente alterutro ex litigatoribus,[11] iudex nouam testium auditionem permittere debeat,[12] licet ex officio, si quam subesse iustam causam videat, idipsum decernere non male possit.[13] *Ita Senatus* ibidem.[14]

1 Multæ enim adferuntur à Doctoribus exceptiones, *ad c. fraternitatis. Extr. hoc tit.* vt tradit Anton. Thessaur. *decis. Pedem.* 28. & 262.

2 Tessaur. *d. decis.* 28. *num.* 1. post multos ibi citatos, præsertim Guid. Pap. *quæst.* 72. & 124.

3 Hanc enim necessariam esse vult Ioan. Andr. *in c. auditis, de in integr. restit.* Et hoc tutius est.

4 Etsi enim hic casus minorem habet dubitationem, si culpa iudicis vel alterius interrogatoris interuenerit, idem tamen est etiamsi culpa producentis id acciderit, vt notat Tessaur. vbi supr. addens idem esse siue pars didicerit testificata, siue non didicerit, contra Campeg. *in tract. de testib. reg.* 176.

5 Datur enim terminus ad testationes impugnandas de nullitate, quod nostri Pragmatici dicunt, *fournir moyens de nullité contre l'enqueste*, antequam testationes aperiantur.

6 Hoc namque casu placet, posse testes iterum examinari & repeti etiam facta publicatione, & post conclusionem in causa Masuer. in addit. ad Ferrar. *in form. iuram. test. in verb. interrogatoria vlt.* ex not. per Alexand. *cons.* 174. *colum. pen. lib.* 2. *cons.* 41. *in fin. lib.* 4. *per tex. in cap. cum clamor. & cap. per tuas, ext. hoc tit.* Specul. *in tit. de testib. §. nunc videndum. in fin.* Dixi *Defin.* 2. *num.* 13. *supr.*

7 *c. series*, vbi Innoc. & alij, *Extr. hoc tit.*

8 Hæc enim sola ratio est qua nititur, *cap. fraternitatis, Extra hoc tit.*

9 Neque enim volenti fit iniuria, *l. in diem* 9. *§.* 1. *de aqua & aqu. pluu. arcend.*

10 Concomitantia enim instrumentorum tollit metum subornationis, *d. c. fraternitatis, & c. series, eod.*

11 Nam ex officio interdum potest, vt testatur Papon. *lib.* 9. *Syntagm. tit.* 1. *§.* 5.

12 Bald. *in l. fin. vers. reuoco in dubium, Cod. hoc titul.* Papon. *ibid.*

13 Nec super iisdem articulis, nec super directo contrariis, *§. si vero, in Auth. de testib. Auhen. atqui semel, cum ibi not. C. de probat.* Nisi Princeps hoc indulserit ex certa scientia. Ferrar. *in form. oppos. contr. test.* in verb. *suntque publicatis, num.* 3. *ex not. in l. fin. C. si contr. ius vel vtil. publ.*

14 Dixi *num.* 1. 3. Alias distinctiones vide apud Ferrar. *vbi s. num* 3. & 4.

DEFINITIO VI.

Plures quam decem testes quando super eodem articulo interrogari possint?

PLuribus quam decem testibus de eadem re productis & interrogaris in lite ciuili, qui denarium superant, nullam fidem faciunt,[1] si non agatur de probando eo, quod nunquam satis multis testibus probari posse videatur, vt puta de consuetudine, quam diuturnus tacitusque populi consensus præter iuris ordinarij rationem induxerit:[2] Aut nisi proponas testes singulos de diuersis & singulis actibus testificari. Licet enim ad eundem finem actus illi omnes tendant,[3] nihilominus valebunt quotquot erunt testationes:[4] Iis nimirum casibus, quibus receptum est, vt singulares testes probent.[5] At quo casu legitimum numerum excedere non licebit, nec in producentis arbitrio esse debebit, vt ex omnibus decem quos velit eligat, quorum fortasse vtiliores sibi futuras videat testationes:[6] sed qui supra legitimum modum auditi fuerint, omnimodo reiiciendi sunt, adeóque ipso iudicis officio, tacente licet eo, cuius reiici interesset.[7] *Ita Senatus* sæpius, præsertim in causa D. Episcopi Albiensis Abbatis Altacombani, contra Ioannem Dardier, Prid. Cal. Aug. 1591.

1 Sic enim stylo Senatus nostri cautum est, alioqui possent de iure audiri vsque ad quadraginta, vt notat Ferrar. *in form. oppos. contr. test.* in verb. *suntque publicatis iam testib. num.* 14. & *not. in c. significauit, & seq. Extr. hoc tit.*

2 Consuetudo enim est, quam totius populi tacitus consensus induxit, *l. de quibus* 32. *D. de legibus.* Et ob hanc potissimum causam inductum est, vt testes in turba audiri possint. Papon. *lib.* 9. *tit.* 1. §. 20. [Rebuff. *in tract. de testib. artic. vnic. glos.* 6. Iunge *Defin.* 14. & 32. *hoc tit.*]

3 Alioqui esset inanis multiplicatio numeri testium, si non tenderent omnes ad eundem effectum & finem.

4 Vt quod deest solemnitati iuris per numerum testium suppleatur. Hoc autem tum maxime obtinet, cum agitur de aliquo delicto probando in genere, non autem in specie. Iul. Clar. *in pract. crim. q.* 53. *num.* 18. & *seq.*

5 Quos casus vide apud Specul. *tit. de teste. §. restat, de numero testium* & Ferrar. *in form. oppos. contra test.* in verb. *suntque etiam singulares.*

6 *Arg. l. solemus* 61. *D. de iudic.*

7 *Est enim exceptio hæc iuris tit. C. vt quæ des. aduoc. part.*

DEFINITIO VII.

Testis instrumentarius audiri potest, etiamsi sit domesticus tempore testimonij.

TEstis instrumentarius non ex eo solo repelli potest tanquam suspectus, quod eo tempore, quo testimonium dicit, domesticus reperiatur.[1] Quod enim non nisi per instrumentarios testes probari potest, per eos, qualescunque sint probari necesse est,[2] quorum fidem sufficit semel à contrahentibus esse approbatam.[3] *Ita Senatus*, 13. Cal. Decemb. 1588. in publico Auditorio.

1 Quamuis alioqui domesticum testimonium repellatur, *l.* 3 *C. hoc tit.* & inspici soleat conditio testis eo tempore, quo deponit. Ferrar. *in form. iuram. test.* in verb. *protestante, nu.* 15. & 16. *ex not. in l.* 3. *D. hoc tit. & in l.* 1. *C. eod.* Vide Mal. *ibid.* in verb. *protestante in fin.*

2 Nam & domestici testes admittuntur de iis, quæ facta sunt domi, & quæ non per alios, quam per domesticos probari possunt, vt notatur *ad d. l. C. hoc tit. ex l.* 1. *vbi not. & tot tit. D. de SC. Silan.*

3 Cuius enim personam semel approbaui postea improbare non possum, *cap. quod semel placuit, de reg. iur. in* 6. *l. cum Papinianus* 14. *C. de sent. & interloc. omnium iudic. l. si quis testibus, Cod. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Testes iurandi sunt, & iurati habentur exinde pro auditis.

TEstationum vis & potestas adeo pendet ex testium iureiurando, vt nec aliter fidem faciant, quam si iuratæ sint,[1] nec alio die factæ videntur, quam quo iuratum est.[2] Itaque sufficiet iuratos esse testes intra dilationem audiendis iis præstitutam, licet nondum auditi sint, & die non feriata, quamuis postea die feriata audiantur. *Ita Senatus* sæpius.

1 *L. iurisiurandi* 9. *C. hoc tit. c. nuper. cap. quoties, & c. licet vniuersis, & c. fraternitatis, extr. eod.* Ferrar. *in form. iuram. test.* in verb. *constituti*, & in verb. *delato prius*, & in verb. *& non iurati*, [Excipe tamen casum illum, quo aliquis se in testem offerat vi literarum monitorialium. Hic enim iurare non cogitur nec

BIU Cujas

eo minus valet eius testatio quod non iurauerit, quia non est credendus velle periurio suam onerare conscientiam is qui non dicendi vltro testimonij causam habere se allegat quàm vt conscientiam suam exoneret. Planè hunc quoque iurare si velit, nihil prohibet. *Ita Senatus* in causa D. de Pressy & de Bordeaux 28. Aug. 1610.]

2 Guid. Pap. *quæst.* 125.

3 Quia, ex quo iurati sunt, habentur pro auditis & examinatis, vt ait Guid. Pap. *qu.* 125. Manuer. ad Ferrar. *in form. oppon. contr. test.* in verb. *iurauerit*, 2. vbi etiam Ferrar. *num.* 16.

DEFINITIO IX.

Testes auditi ex auctoritate alterius magistratus, si testationes ad Senatum referantur, sunt repetendi.

SI pendente coram Senatu lite de crimine, iudex alius, postulante actore, de alio delicto inquiri iusserit, [1] tum ad Senatum testationes referantur, [2] placuit nullam ei adhibendam fidem, sed prius eosdem testes ex actoritate Senatus, iterum audiendos, nec interim reum super iis testationibus interrogandum, [3] nisi forte proponas ex testibus quosdam subscripsisse, quo casu, quia præsumptio non leuis est, testationi constare fidem, [4] hactenus iis credi oportebit, vt de nouo crimine reus interrogetur. [5] Sed si ante litem apud Senatum institutâ eæ testationes factæ proponerentur, nihil causæ esset, cur non super iis statim interrogari reus deberet. [6] Reo tamen negante semper repeti testes oportet, qui ab alio, quam ab ipso iudice auditi fuerint. [7] Idemque à Senatu nostro factitatum memini, in iis etiam testationibus, quas vnus ex magistris computorum de mandato Cameræ dictauerat, cum de crimine tractaretur, cuius cognitio ad Cameram computorum nullo modo pertinebat, [8] & à magistro, qui Doctor non erat, dictata testatio proponeretur. [9] *Ita Senatus* in causa Curionis de Villereuersure, contra D. Gulielmum de Mombertod, Cal. Decemb. 1588. in alia causa Henrici Sarazin falsi monetarij, 13. Cal. Iul. 1592.

1 Nam de eodem delicto inquiri non posset, quin attentatum videretur in spretum Senatus. Rob. Lancelot. *in tractat. de attent. part. 2. c. de attent. lit. pendent.*

2 Vt grauioribus plurium criminum probationibus reus augeatur. Delicta enim sicut iterata, sic & varia grauius puniuntur, *Nouell. Leonis 67. §. vlt. l. si adulterium*, 38. *D. de adult. l. 3. §. si plures, D. de re milit.*

3 Quasi quæ nec iudicium vllum faciunt, ne quidem ad inquirendum.

4 *Arg. l. si non subscripsisti* 15. *C. de admin. tut. l. fideiussor*, 26. §. 1. *D. de pignor.*

5 Nulla præcedente repetitione, quamuis possit videri, non prius credendum esse subscriptioni, quàm scriptura fuerit recognita, vt de signis scriptum est *in l. cum ab initio*, 4. *& seqq. D. testam. quemadm. aper.*

6 Eo namque casu minus suspectæ essent, cum alioqui credibile sit, in odium litis factas esse omnes, quæcunque factæ sunt lite pendente.

7 Etiamsi auditi fuerint ex ipsius iudicis auctoritate, quia cum testibus credendum sit, non testimoniis necesse est, reo negante testes exhiberi iudici, & ab eo audiri, vt magis scire possit, an & quando fides iis adhibenda sit, *l. 3. D. hoc tit.* Clar. *in pract. crim. quæst. 26. in princ.*

8 Nam si cognitio criminis ad Cameram pertinuisset, aliud proculdubio constituendum fuisset.

9 Doctoribus enim qui testes audierint, maior fides adhibenda videtur, vt ex iis constat., quæ tractat Tessaur. *decis. Pedemont. 30. in fin.*

DEFINITIO X.

Etiam monachus potest per laicum cogi, captis pignori bonis temporalibus, vt testimonium dicat de crimine, si superior id monacho permiserit.

MOnachus aliusve religiosus quilibet, si de criminis veritate à iudice laico interrogatus, [1] cum superioris licentia interuenisset, [2] testimonium dicere noluerit, cogi potest captis pignoribus, [3] id est indicta pœna reductionis, vt vocant, bonorum temporalium, adeoq; prębendarum, fauore nimirum veritatis habendæ, [4] quam præsertim in detegendis crimininb. conquiri modis omnibus, & explorari publice quoque interest. [5] *Ita Senatus* in relat. libell. pro Claudio de la Roche, contra religiosos Lemens, Prid. Cal. Februar. 1589.

1 Nam monachus etiam Franciscanus potest esse testis. Ferrar. *in form. iurament. test. nu. 32. & seqq.* post glos. *in §. cogitandum*, Nou. *de monach. per text. in cap. nuper. extr. hoc tit.*

2 Est enim necessaria, cum monachus neque velle habeat neque nolle. *Can. non dicatis*, 12. *quæst.* 1. Masuer. ad Ferrar. *vbi supr.* in verb. *protestante, in addit.* ad verb. *veritas*, vbi multos citat.

3 Quomodo Senatores olim cogebantur venire in Senatum, teste Liuio, *l. pen. C. hoc tit. & extr. de testib. cogend.*

4 *Quæst. 5. can. non sane.*

5 Ne delicta maneant impunita, *l. ita vulneratus* 31. *D. ad l. Aquil.* vide Guid. Pap. *quæst. 65.*

DEFINITIO XI.

Confessio solutionis probata per vnum testem non sufficit ad iuramentum suppletiuum.

TEstis vnius testatio de solutione per nudam creditoris confessionem, nulla tamen certa quantitate expressa, non probat semiplene: [1] Ideoque nec facere potest, vt debitori certam pecuniæ quantitatem à se solutam asserenti iusiurandum deferri debeat, quod suppletiuum vocant, cui scilicet nō aliter locus esse potest, quam si adsit semiplena probatio. [2] Propter quam causam nec deferri iusiurandum potest, cum testis vnus est, qui recte quidem testificatus sit, sed cuius persona non sit integra. [3] Nam nec hic semiplenam facit probationem. [4] Denique parum refert, persona ne testis an testatio integra non sit. Neutro enim casu deferri à iudice iusiurandum oportet. [5] *Ita Senatus* pro D. de Iacot, contra Ioannem Rauasiot, Prid. Cal. Febr. 1590.

1 Quamuis soleat dici, testem vnum, si modo sit integer, probare semiplene. Bar. & alij *ad l. admonendi*, 31. *D. de iurtur.* Id enim debet intelligi de teste deponente per sensum visus, non per sensum auditus, nam nec confessio ipsa extraiudicialis bene probata faceret plenam probationem, cum esset facta absente aduersario, *leg certum, 9. §. si quis absente, vbi not. D. de confess.* Ferrar. *in form. libell. in act. real.* n verb. *compellatis, nu. 6.* vide Iacob. de Put. *quæst. 476. lib. 2.*

2 Notant omnes *ad d. l. admonendi, & ad d. l. in bonæ fidei, C. de reb. cred. & iureiur.*

3 Quia nec duo testes facerent plenam probationem, si non essent integræ existimationis, *l. quæsitum*, 13. *D. hoc tit.*

4 Præsertim cum dici soleat, quod verum est, vocem vnius esse vocem nullius, *l. iuristurandi*, 9. *C. hoc tit.*

5 Est enim hoc iusiurandum odiosum & periculosum, per quod scilicet iudex quis constituitur in sua causa aduersario inuito, contra *l. Iulianus*, 7. *D. de iudi. & tit C. ne quis in sua caus. iudic. vel ius dicat.* iunct. *l. in princip quæ. rer. abi. non det.* Qua ratione soleo defendere, iusiurandum hoc veteribus & prudentibus & imperatoribus fuisse incognitum, de quo vide quæ scripsi in priore parte *Hemisph. de error. pragmat.*

DEFINITIO XII.

Pupillus non potest esse testis in causa ciuili, in criminali vero an & quando esse possit.

ETsi pupillus in ciuili causa testis esse non potest, [1] in criminali tamen facit quale quale indicium, [2] si modo non requirente accusatore, sed ex mero iudicis officio testimonium dicere iussus sit. [3] Ergo etiamsi contestem habeat omni exceptione maiorem, non faciet vt plena probatio videri possit, [4] nec si ex aliquo rei mendacio noua contra eum nascatur præsumptio: [5] Præterquam in atrocioribus delictis, [6]

BIU Cujas

lictis, [6] quale est læsæ maiestatis. [7] Sed & in causa homicidij filio impuberi aduersus patrem à Senatu nostro pridem creditum fuisse, relatum est. [8] Cal. Iunij 1590.

1 *L.3.D.hoc tit.& 22.quæst.5.can.paruuli, & can.pueri.* vbi not. Ferr. *in form.iuram.test.*in verb.*protestante,num.*30.

2 Gloss. *in l.inuiti* 8. *D. hoc tit.* scilicet vt non tam probet, quam prosit ad veritatem indagandam, inquit Iul.Clar.*in pract. crim.quæst.*24.*num.*17.vbi multos citat.

3 Alioqui facile præsumitur subornatio in eiusmodi ætate, quæ ignorat enim illa quæ videt, *l.*1.*C.de fals.monet.*

4 Quamuis fides vnius soleat supplere defectum alterius, vt tractat addit. ad Ferr. *in form. iuram.test.* in verb.*domestici, in fin.* Ex Bald.*in l.si quis ex argentariis,§.*1.*per ill.text.D.de edend.& in l. Imperator,D.de stat.homin.*

5 Magna enim præsumptio est, quæ nascitur ex mendacio: Iul.Clar. *quæst.*21.*vers.*39.vbi multos citat.

6 Sic idem Iul. Clar.*d. quæst.*24.*num.*17.

7 *L.quisquis,& tot.tit.C.ad legem Iul.maiest.*

8 Cui simile quiddam vide apud Ioan.Papon. *lib.*24.*Arrest.tit.*19. *de la question, §.*7. * Latum fuit arrestum contra N.de Malet qui interfecerat aduocatum du Poncy, sine die.

DEFINITIO XIII.

Testationes nunquam valent, nisi quæ factæ sunt vocata parte.

PErpetuum est, vt de quaeunque re factæ testationes etiam apud competentem iudicem non aliter valeant, quam si præsente, aut, quod hac parte idem est, vocato & per contumaciam absente aduersario factæ sint, ne alioqui facile sit fraudem & iniuriam comminisci. [1] *Ita Senatus* pro Antonio Lespine, contra D.de Romans ex tempore, 9.Cal.Iulij 1590.

1 Non vt audiantur testes parte præsente, sed vt iurent. Masuer.ad Ferrar.in verb.*præsente dicto Sinonimo*, post Ioan.And.ad Specul.*tit.de teste,§.sequitur, versic.& nota.* Abb.*in cap. fraternitatis, Extr.hoc tit.* Vide text. *in l.si quando* 19. *cum Auth. sed & si quis,C.hoc tit.*

DEFINITIO XIV.

Quando plures quam decem testes super vno articulo audiri possint.

QVod merito vetitum est ad effrænatum testium numerum compescendum, ne super vno articulo plures quam decem testes audiantur, [1] ad eas causas non pertinet, quæ sunt maioris præiudicij, & quarum veritas ex quamplurimorum testimonio pendeat, vtputa, si agatur de probanda consuetudine. [2] Sed & hoc casu per turbam audiri plures possunt, [3] ita tamen vt non paucioribus quam decem testibus turba constet. [4] *Ita Senatus* in causa D.Episcopi Albiensis, contra Ioannem Dardier, Prid.Cal.Aug.1591.

1 Sic enim apud nos obtinet vt & apud Gallos, vt refert Papon.*lib.*9.*tit.*1.§.18. Adde Ferrar.*in form.oppos.contr.test.* in verb. *sunteque publicatis iam testibus,num.*14.vbi citat text.*in c.significauit, cum seq.Extr.de testib.*

2 Dixi *Defin.*10.*num.*2.*ſ.*

3 Ioan.Papon.*lib.*9 *tit.*1.§.20.

4 *Ex l.prætor* 4.*§.turbam autem ex quo numero, D. vi bonor. raptor.* quamuis tres dicantur facere collegium, *l.Neratius* 85. *de verb.signif.* Vide Imbert. *lib.*1.*Instit.Forens.* [Rebuff.*in tract.de testib. artic. vnic. gloss.*6.*num.*1. *& seqq.* vbi addit Consuetudinem probandam esse per turbam. Nec posse adduci vltra triginta testes pro turba, & quod probatio recipitur vsque ad tres turbas, & non amplius. Item in summariis & in probanda nobilitate, testes per turbam audiri posse. Iunge *Def.*6.*ſ.& 37.ſ.eod.*]

DEFINITIO XV.

Instrumento magis creditur quam testibus instrumentariis, nisi cum criminaliter agitur de falso.

MInus creditur instrumentariis testibus contra instrumenti verba testificantibus, quam instrumento, [1] præsertim mortuo iam notario. [2] Sed tamen, si instrumentum falsum dicitur, maiorem testibus quam instrumento fidem haberi necesse est. *Ita tractatum est*, 6.Id.Nouemb.1590.

1 Iul. Clar. *in pract.crim.§.falsum, num.*15. *& quæst.*53. *num.*17. Ferrar.*in form.libell.pro rescind.sent.*in verb.*fuerunt.*

2 Quia mortuus non potest audiri.

3 Addit.ad Ferrar.vbi supr.cum multis ibid.citatis.

DEFINITIO XVI.

Qui testimonium dixit vigore monitorij ad fines reuelationis tantum, potest & debet repeti ad fines probationis.

PEr monitorias, quas vocant, iudicis ecclesiastici literas testimonium dicere iussus, licet testationem suam propria subscriptione firmauerit, repeti debet, [1] quoniam ad fines, vt aiunt, reuelationis tantum, non etiam ad fidem plenæ probationis huiusmodi testationum genus permittitur. [2] Si tamen per absentiam testis factum sit, ne repeti potuerit, atque ita euenerit succumbere illum, pro quo testimonium dicturus erat, puta ex contrariis aduersarij probationibus; [3] Placet etiam in causa appellationis, adeóque post didicita testificata repetitionem admitti posse, [4] impetrata ex rescripto Principis in integrum restitutione, refusisque in eam rem dilationum & fruſtrationis sumptibus, [6] sed ita tamen vt nuda simplexque sit repetitio, nec in nouam vllo modo deflectat auditionem: metu scilicet corruptionis, & vt loquuntur, subornationis. [7] *Ita Senatus* in causa fratrum Goddet, contra D. de la Croix, prid. Id. Maij 1591.

1 Vel ob hoc ipsum, vt subscriptionem suam recognoscat cum sit priuata scriptura, *l.cum ab initio* 4. *& seqq. D. testam. quemadmod.aper.*

2 Nec potest actus operari vltra intentionem agentium, *l.non omnis* 19.*D.de rebus credit.* Dixi *Defin.*4.*ſ.*

3 Fortior enim probatio vincit minus fortem, si conflictus sit probationum, *l.*3.*D.hoc tit.l.admonendi* 31.*D.de iureiur.*

4 Ne scilicet absentia testis ei sit damnosa, qui eum producere potuit in testem, contra *l.absentia* 140.*de reg.iur.* Sunt enim fauorabiles probationes, vt per eas rei veritas habeatur, *l.curent* 22.*D.hoc tit.*

5 Secundum ea, quæ diximus *Defin.*5.*num.*3.*ſ.eod.*

6 Ita enim dari debet restitutio, vt non ideo beneficium Principis aduersario sit captiosum, *l.*4. *C.de emanc.liber. l.Paulus notat* 8. *D.de prætor.stipul.*

7 Qui metus semper magnus subest post didicita testificata, *cap.fraternitatis, Extr.hoc tit.*

DEFINITIO XVII.

Neque mulieribus, neque minoribus, neque rusticis licet producere testes post didicita testificata.

AB ea regula, quæ habet, Post didicita testificata nemini esse permittendum, vt super iisdem aut contrariis [1] articulis nouos producat testes propter metum corruptionis & subornationis, vt proxime diximus, [2] sunt qui excipiant personas mulierum, minorum & rusticorum, quasi parcendum sit sexui, ætati & rusticitati: [3] sed nos alio iure vtimur, quoniam huiusmodi personarum sicut & aliorum omnium lites per procuratores & aduocatos tractantur, quorum scientia æque ac ipsius litigatoris merito suspecta aduersario esse debet. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige de contrariis articulis, qui directo contrarij sint, ex Ferrar.*in form.oppos.contr.test.*in verb.*sunteque publicatis attestationibus.*

2 *Ex cap.fraternitatis, Extr.hoc tit.* quod tamen multas patitur exceptiones, vt dicit Anton.Tessaur. *decis.*28. de quarum nonnullis dixi *Defin.*5.*sup.* Reliquas omnes vide apud Masuer.in addit.ad Ferrar.*in form.oppos.cont.testament.*in verb. *sunteque iam publicatis*, in addit. quæ est ad verb.*in l.per hanc*, vbi late.

BIU Cujas

3 Cum his omnibus permittatur ius ignorare, *l.regula, 9.ff. de iur.& fact.ignor.* & ita Guid.Pap.*quæst.*14.

4 Sufficit enim, vt didiscita sint ab aduocato vel procuratore dicta testium, licet non fuerint didiscita ab eo ipso, qui testes produxit, & ideo vbi eadem ratio est, ibi & ius idem statui debet, *vulg.l.illud, 32.ad leg.Aquil. l.3. §.vnde etiam, D.de iniust. nupt.*

DEFINITIO XVIII.

Possunt quandocunque & cuiuscunque conditionis testes audiri, quoties periculum est, ne probationes intercidant.

INterdum euenit, vt quamuis nulla dum mota sit controuersia, testes tamen audiri possint, & quidem cuiuslibet ætatis ac conditionis, [1] nimirum quoties periculum est, ne in litis tempus dilatæ probationes intercidant, siue à reo, siue ab actore beneficium Principis in eam rem imploretur. [2] *Ita Senatus* pro D.Ludouico de Seyssel, contra D. Comitissam de Monreal, die vlt. April.1611.

1 Quamuis regulariter contra sit, *capit.1. & tot.tit. vt lit.non contest.*

2 Specul. *in tit.de teste, §.nunc tractemus.* Ferrar. *in form.c.quand. test.procur.ad futur. rei memor.* in verb. *coram vobis, nu.*1. vbi alios multos citat. Vide *cap significauit, 41. Extr.hoc tit.* & quæ scripsi *Defin.1.3.de probat.*

DEFINITIO XIX.

Nec aduocatus, nec procurator potest esse testis in ea causa clientis sui, in qua est aduocatus aut procurator.

PRocurator aut aduocatus in causa clientis sui, in qua vel procurator vel aduocatus est, testis esse nec potest nec debet, nec proinde ad testimonium dicendum cogendus est, [1] nisi ob eam causam in fraudem captatum ipsius patrocinium probetur. [2] In aliis causis nihil prohibet, quo minus testis esse possit. [3] *Ita Senatus*, 4.Cal. Iun.1591.

1 Quia præsumitur habere nimiam adfectionem ad ipsam causam, *cap.fin.de testib.lib.6.* At contra clientem potest, Guid. Pap.*quæst.*45.

2 Consilium enim fraudulentum consultori suo damnosum non vtile esse debet, *l.3.§.scio, D.de minor.l.procurator,* 11.§.1.*D.de doli mal.except.*

3 Gloss.*in l.fin.in fin.ff.hoc tit.* Ferrar. *in form.iuram.testam.* in verb.*protestante, num.*27. Nisi causa sit similis. Apost.ad Guid. Pap.*dict.qu.*45.

DEFINITIO XX.

Vnicus testis non facit indicium ad torturam, nec socius criminis, nec infamis, nisi in crimine læsæ maiestatis.

IN criminalibus causis regulare est, vt vnus testis, quantumuis integer, non faciat indicium ad habendam de reo quæstionem, si non aliæ adsint coniecturæ, [1] item vt socius criminis contra socium interrogari non possit, nec si fuerit interrogatus vllum faciat indicium, aut ad condemnationem, aut ad quæstionem. [2] Item vt qui infamis est infamia iuris ad testimonium dicendum non admittatur. [3] Sed tamen fallunt hæ omnes regulæ in crimine læsæ maiestatis, [4] *Ita Senatus* in causa, de qua illo loco.

1 Boer. *quæst.*163.*num.*3. vbi dicit hanc opinionem esse receptam in curiis Galliæ, contra Bart.*in l.1.D.de quæst.* Adde Alex. *cons.*124.*lib.*6.

2 *L.vlt.* vbi DD.*C.de accusat.*

3 *L.infamem, 76.de public.iudic.*

4 Vt dicam *Defin.4.ad leg.Iul.maiest.ex l.famosi, D.ill.tit.l.quisquis, 5.C.eod.dict.l.vlt.vbi gloss.C.eod.* Papon.*lib.24. Arest.tit.9.§.2.*

DEFINITIO XXI.

Possunt audiri testes etiam post interlocutionem reddita, de aperiendis testationum tabulis, si modo reuera non fuerint apertæ.

INterlocutio sola iudicis, De aperiendis testationum tabulis, quas vulgus pragmaticorum *inquestas* vocat, non impedit, quo minus super iisdem articulis noui testes audiri possint, si modo reuera & naturaliter apertas non fuisse constet. [1] Nihil enim aliud exigimus, nisi vt non sint didiscita testificata, quæ vtique clausis tabulis disci non potuerunt. [2] Quare nec hoc casu iusiurandum vllum purgationis necessarium est, neque quod didiscita non sint testificata, neque quod testes, qui postremi producuntur, nunc primum innotuerint. [3] Cum suo iure vtatur, qui testes producit, nec quicquam faciat hac parte contra communis iuris regulas. [4] *Ita Senatus*, 7.Cal.Iul.1591.Ex tempore in publico auditorio.

1 Naturaliter enim & reuera apertas esse tabulas oportet, *vt in l.3.§.aperire, D.de SC. Silan.* Non sunt autem apertæ ob hoc solum, quod pronunciatum fuerit aperiendas esse.

2 Quia solus metus subornationis impedit productionem nouorum testium, qui metus nullus subest, quamdiu non sunt didiscita testificata, *c.fraternitatis, Extr.hoc tit.*

3 Cui iuramento purgatorio tunc locus esse solet, cum noua facta deducuntur in tertia instantia, idque ex stylo Senatus nostri.

4 Est enim productio testium permissa regulariter (nisi in casibus prohibitis) nimirum post litem contestatam, *cap.quoniam frequenter, vt lit.non contest. in lege* 40. *D.ad leg. Aquil. l.current,*20.*D.hoc tit.*

DEFINITIO XXII.

Debiti in scriptis contracti solutio quando probari possit per testes.

IVstiniani constitutio, quæ debiti in scriptis contracti solutionem non aliter probari vult, quam per scripturam, aut saltem per quinque testes idoneos & integros, [1] ad ea debita non pertinet, quæ quinquaginta aureorum summam non excedunt, quasi modica illa summa sit, & in re tam modica non sit necessaria tam accurata obseruatio. [2] Extat sane in eam rem nouella alia eiusdem Iustiniani lex, quæ de vna auri libra loquitur: [3] Sed mallem cum recentioribus libram auri ex duobus & septuaginta solidis, quos nunc aureos vocamus, æstimare. [4] *Ita tractatum est*, in causa fratrum Goddet, contra Bartholomæum de la Croix, 4.Id. April.1593. & iam antea in causa N.Mellieur, 4.Non. Iul.1591.

1 *L.testium facilitatem,*18.*C.hoc tit.* [Quam tamen hodie apud nos in vsu non esse relatum est in Senatu, in causa N.Humberti de Ville & sororum Poncet, 17. April.1614.]

2 Iuxta glossibi positam in verb.*omnibus, argum.§.oportet, versic. vt autem, Nouell. 73. de instrumen. caut. & fid. ex l. vltim. C. si cert.pet.*

3 *dict. Nouell.63.de instrum.cautel. & fid.cap.8.§.oportet vero,* vbi ratio redditur, *vt non de exiguis rebus maximas attritiones homines sustineant.*

4 Ita Dionys.Gothofred.IC. clarissimus, *ad dict. §. oportet, in fin.*

DEFINITIO XXIII.

Quantum interest, an contractus sit in scriptis, an vero instrumentum de contractu scriptum, & quid in dubio præsumendum sit?

ILlud apertius est non esse constitutioni locum, nisi cum in scriptis contractum est. [1] In scriptis autem contractum dicitur, non quoties de negotio in contractum deducto scriptura confecta est, (solent enim vt plurimum scripturæ confici, vt formam dent contractui, sed facilioris probationis gratia, & ad futuram rei memoriam. [2]) At tum demum cum id actum est, vt non aliter contractus valeat, quam si in scriptum & mundum redigatur: [3] aut quod fere idem est,

cum

BIU Cujas

cum alteruter contrahentium non in ipso actu contrahendi, aut paulo ante contractum petiit, vt iretur ad notarium, aut vt notarius accerseretur, vel calamus afferretur, contrahendi & conficiendi instrumenti gratia. [4] Alioqui si post creditam forte pecuniam, aut alium initum contractum, ad cuius substantiam non erat scriptura necessaria, instrumentum de eo confectum fuerit, scriptus potius, quam in scriptis contractus dicetur. [5] Sicuti nec recte quis dixerit testamenta nuncupatiua quæ hodie frequentantur, in scriptis esse ob id solum, quod vt plurimum scribantur: nempe quia ex eorum substantia non est, vt scripturam habeant, [6] licet nihil prohibeat scribi. [7] In dubio autem si non appareat quid actum sit, credemus ad probationem potius, quam ad validitatem actus interpositam fuisse scripturam, cum actus talis est, qui sine scriptura potest subsistere, [8] vt iure communi magis quam speciali contrahétes vsi videantur. [9] Proinde solutionem debiti ex chirographo aut instrumento publico & authentico peti sufficiet probari per duos testes integros, [10] aut si quid erit, quod eorum fidem eleuet, vel si vnus tantum testis fuit, sed tamen integer & omni exceptione maior, suppleri probatio poterit per debitoris iusiurandum. [11] Et sane iniquissima fuerit Iustiniani constitutio si sic accipiatur, vt quoties debitor ex scripto conuenitur, nihil ei prosit, quod probet solutionem per duos aut tres quatuorve testes, qui interfuerint numerationi, si modo sint honestæ existimationis. [12] Nam nec valeret conuentio, per quam omnino excluderetur facultas solutionis probandæ per testes. [13] Propter quam causam tametsi in scriptis contractum sit, placet tamen Iustiniano posse probari solutionem per testes quinque, nec præcise scripturam exigi, cuius necessitatem illud inducere videbatur, quod eodem modo dissolui debitum oporteret, quo erat colligatum. [14] Ea namque ratio Iustinianum fortasse mouit, vt debiti in scriptis contracti solutionem difficilioris faceret probationis: [15] Quasi vero eadem sit ratio debiti & contrahendi & probandi, [16] nec solutione ipsa & numeratione citra scripturam tollatur debitum, quod re contractum fuit, quomodocunque tandem contractum sit, id est, etiamsi in scriptis. [17] *Ita Senatus* in iisdem causis, de quibus proximo SC. Iunge SC. 14. infr. De fid. instrument.

1 Vt verba legis probant.

2 *L. cum te 5. C. de transact. l. 28. eod. l. contrahitur, 4. D. de pignor. l. 4. D. de fid. instrum.*

3 *L. contractus, 17.* vbi Gloss. & DD. *C. de fid. instrum. l. generaliter, 13.* vbi etiam Bart. *C. de non num. pecun.*

4 Castrens. & post eum alij, *ad d. l. contractus.*

5 Ex singulari doctrina Baldi *in d. l. contractus pag. 2. vers. Tertio nota, de contractu.* Quam refert & sequitur Roman. *cons. 147. incip. amplissime Doctor. nu. 7.*

6 *L. in testamentis 26. C. de testam.*

7 Ad futuram scilicet rei memoriam, *d. l. 4. de fid. instrum. l. iubemus, 29. C. de testam.*

8 *d. l. 4. de fid. instrum. l. 4. D. de pignor.* Nam sicut nihil facile mutandum est ex solemnibus, ita neque sunt multiplicandæ solemnitates.

9 Nec enim necesse est ad ius singulare & speciale recurrere, cum sufficit commune, *l. Imperatores, 30. de reb. autor. iudic. possid. alias, l. 15. de priuileg. credit.*

10 *Ex reg. l. vbi numerus 12. D. hoc tit.*

11 Ex notatis per DD. licet contra nostram opinionem, *in l. admonendi, 31. C. de iureiur. l. in bonæ fidei 3. D. de reb. cred.*

12 Et ideo non deerant ex Dominis, qui dicerent nunquam se vidisse obseruari constitutionem Iustiniani, quæ extat, *in d. l. testium.*

13 De quo vide Franciscum Viuium, *lib. 2. commun. opinion. Opin. 209.* vbi ait hanc esse veriorem sententiam, quæ magnos etiam habet auctores, inter quos & Specul. *tit. De probat. §. videndum, vers. sed pone.* Mynsing. *centur. 1. obser. 5.*

14 *Ex reg. l. nihil tam naturale, 35. de regul. iur. l. prout, 80. D. de solut.*

15 Vt in Gallia constitutionibus Regiis cautum est, ne supra certam quantitatem pecuniariam, eamque satis exiguam probari quicquam possit per testes, vt & litibus & falsitatibus comminiscendis via præcludatur.

16 Quod tamen non ita est: Facilius enim fit, vt obligatio probetur, quæ iam est contracta, quam vt contrahatur, *l. Publia, 26. § 1. D. depositi.*

17 Solutio enim est naturalis modus dissoluendæ cuiuslibet obligationis quoquomodo contractæ, *l. pen. & tot. tit. D. de solut. & inst. tit. quibus mod. toll. obligat.*

DEFINITIO XXIV.

De lite apud iudicem laicum pendente, debet laicus excipere testationes, quamuis factus vigore monitorij ecclesiastici.

SI quando, vt fieri plerumque necesse est, petatur licentia publicandarum literarum, quas monitorias appellamus pro re, de qua lis in Senatu pendeat, [1] potest & solet Senatus excipiendas testationes, vt plurimum laico committere, siue vnus ille sit ex Senatoribus, siue alius, [2] licet testimonij dicendi necessitas ex iudicis ecclesiastici imperio proficiscatur. [3] *Ita Senatus* in causa illustris D. Guillielmi Chabod, & D. de Iacot Gubernatoris Sabaudiæ, contra Franciscum Carrel, 4. Id. Iul. 1591.

1 Plerumque enim accidit, vt aliter veritas haberi non possit, recusantibus per metum aut gratiam iis qui veritatem sciunt, de ea testimonium ferre.

2 Quod fit in causis grauioribus, vt tractat Thesaur. *decis. 28. in fin.*

3 Quia nec posset ecclesiasticus iudex pro suo imperio id iubere sine permissione Senatus aut alterius cuiuslibet iudicis, apud quem lis pendeat, alioqui videretur attentatum in præiudicium litis. Potest igitur is, qui permittit eam, quam vult legem permissioni dicere.

DEFINITIO XXV.

Casus, in quo permittitur auditio testium ad futuram rei memoriam etiamsi de crimine agatur.

NOn solet quidem indulgeri ei, qui de crimine extra ordinem conuenitur, vt defensionis suæ rationes, aut per procuratorem exponat, [1] aut per testes comprobet, priusquam super accusatione ex ore responderit. [2] Neque in eam rem locus est rescriptis principalibus, quibus auditio testium ante litem contestatam ad futuram rei memoriam permittitur. Id enim non nisi in causis ciuilibus & certis tantum casibus obtinet. [3] Cum tamen defuncti cuiusdam memoria de crimine læsæ maiestatis accusaretur, [4] cuius heredes tueri innocentiam volebant, comprobatum est à Senatu nostro factum clarissimi viri Raymondi Pobelli Præsidis, qui ab eis imploratum rescripti beneficium concesserat, & vni ex Senatoribus audiendorum interea pro innocentia testium potestatem fecerat, cum nondum essent illi in ius vocati. Non enim damnari poterat memoria defuncti, inauditis iis, quorum intererat, [5] præsertim hæredibus ad quos pertinebat, vt pro defuncto responderent. [6] Cum hæredibus vero, quibus proprium crimen non obiiciebatur, ciuiliter necessario agendum erat non criminaliter, [7] tametsi non alius iudicij exitus futurus esset, quod ad bonorum publicationem defunctique infamiam spectabat, quam si cum ipso perduellione criminaliter actum fuisset. [8] *Ita Senatus* pro Gasparda de la More, contra procuratorem generalem Principis, 7. Id. Iul. 1592.

1 Nam in criminalibus procurator non admittitur, nec ad agendum, nec ad defendendum, *l. pen. §. 1. de Pub. iud.* Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 32.*

2 Prius enim accusatio constituenda, quam excusatio allegenda est, *l. 4. C. de exhib.*

3 De quibus *in cap. quoniam frequenter, Extr. vt lit. non contest. cap significauit* 41. *Extr hoc tit. in lege* 40. *D. ad leg. Aquil.*

4 Quia criminis huius accusatio non finitur morte, *l. ex iudiciorum* 20. *D. de accus. l. quisquis* 5. *ad leg. Iul. maiest.*

5 Ex generali *reg. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.*

6 Tanquam qui personam defuncti repræsentent, *vulg. iuribus.*

7 Cum nemo de alieno crimine teneatur, *l. sancimus* 22. *C. de pœn.*

8 Vtroque enim casu probato crimine bona publicantur, *d. l.* 5. *C. ad legem Iul. maiest.*

DEFINITIO XXVI.

Non creditur apparitori aliquid extra officium suum referenti.

APparitori referenti se percussum esse ab eo, contra quem mandabat executioni literas iudicis, non creditur, nec si de ea re tanquam testis iuratus & cogente iudicis imperio testimonium dixerit, nisi habeat contestem. [1] Neque seruatur apud nos consuetudo, quam in contrarium apud Gallos & Delphinates obtinere quidam prodiderunt. [2] Nam sicut non leui pœna dignus est, qui apparitori exequenti vel minimam infert iniuriam, quod eo modo sacrosancta magistratuum auctoritas violari, adeoque Principis maiestas lædi videatur: [3] ita non facile huic hominum generi fides adhibenda est, præsertim de re ad officium non pertinente, [4] cum nec iis aliter credi debeat, etiamsi de re ad officium suum spectante quid referant, quam si alius testis adhibeatur. [5] *Ita Senatus* in causa Guillielmi le Riche, & Antonij Bourgeois, 3. Cal. Aug. 1592.

1 *Ex reg. l. iurisiurandi* 9. *C. hoc tit.*

2 Guid. Pap. *qu.* 628. [*& quæst.* 44. *in fin. vbi quærit*, quænam sit pœna apparitoris, & nuncij falsum referentis. De quo Spec. *in tit. de executore*, §. 1. *vers. sed qualiter.*]

3 Executio enim fit ex auctoritate magistratus, *l. à Diuo Pio* 15. *D. de re iudic.*

4 Ioan. Papon. *lib.* 6 *tit.* 7. §. 8. post Iacob. Rebuff. *in l. prohibitum, C. de iur. fisc. lib.* 10.

5 Hoc enim iure vtimur, quamuis contra sentire videatur Paponius loco supra proxime citato.

DEFINITIO XXVII.

Talliabilis non potest esse testis in causa domini, nisi de re quæ per alios probari non possit, aliud est in eo, qui tantum iurisdictioni subiectus est.

LIberi dedititij, quos talliabiles appellamus, licet non omnino recte seruis comparentur (viuunt enim liberi & moriuntur serui) [1] hactenus tamen seruorum iure censentur, vt testimonium ferre pro domino non possint, [2] quomodo possunt, qui iurisdictioni duntaxat, non etiam dominio & imperio subiecti sunt: [3] Si tamen de ea re agatur, quæ non nisi per huius conditionis homines probari commode possit, vt necessitas facit, vt eorum testimonium admitti debeat, fauore probationum, habendæque veritatis gratia, [4] exemplo eius, quod etiam receptum est, vt ad probanda ea, quæ domi fiunt, domestici quoque testes admittantur, qui alioquin non magis admittendi essent quam serui. [5] Quod si alij testes interueniant omni exceptione maiores, & verisimilia sint, quæ testationibus continentur, [6] tanto facilius recipiendum erit, vt fidem faciant, cum dici soleat, vnius testis suspicionem purgari per contestem: [7] Præsertim, quod neque omnino seruus sit, qui talliabilis est, vt diximus, [8] neque facile credendum sit Christianum, licet huius conditionis hominem, adeo salutis suæ immemorem, vt ad promerendum domini gratiam velit certam ex periurio damnationem incurrere. [9] *Ita Senatus* pro illustri Dn. Marchione d'Aix, contra Ioannem Dardier, 5. Non. Decemb. 1592.

1 Quæ olim propria erat conditio illorum, qui Latini Iuniani dicebantur, *§. sed hæc de iis, Instit. de succes. sibert.* sublata tandem per Iustin. *in l. vni. vers. quis enim patiatur, C. de Latin. libert. tol.* Sic libertus, qui ius annulorum consecutus erat, à Principe diceoatur viuere quasi ingenuus, & mori quasi libertus, *l. 3. in princ. D. de bon. libert.*

2 Non quasi sint domestici, sed quasi videatur posse iis imperari vt testes fiant, *ex reg. l. idonei* 6. iunct. *l. seq. D. hoc tit.*

3 Vt testatur Chassan. *in consuet. Burgund.* Grammat. *decis.* 38. *num.* 37.

4 *L. serui responso* 7. *D. hoc tit.*

5 *L. 3. vbi not. C. cod. l. consensu* 8. *§. seruis, C. de repud.*

6 Alioqui testis deponens id, quod non sit verisimile, suspectus est de falso.

7 Addit ad Ferrar. *in form. iuram. test.* in verb. *domestici, in fin.* ex Baldo *in l. si quis ex argentariis, §. 1. per ill. text. D. de edend. & in l. Imperator, D. de stat. homin.*

8 Est enim cognitus iuris ciuili, & capax eorum omnium, quæ sunt iuris ciuilis, adeoque testamenti, dummodo inter liberos aut conditores suos faciendi, quorum omnium nihil est, quod de vero seruo dici possit. *l. nullo modo* 7. *D. ad leg. Cornel. de fals. l. quod attinet* 32. *de regul. iur.*

9 *L. vlt. vers. & licet, C. ad legem Iul. repetund.*

DEFINITIO XXVIII.

An testes omnes repetendi sint etiam committendi & obiiciendi reo?

SÆpe accidit, vt auditi testes ab alio, quàm à iudice repetantur, [1] nec tamen reo committantur, quod pragmatici *confrontari* dicunt. Repetendi enim sunt etiam qui committi non possunt, cum fieri possit, vt repetita testatione reum vel onerent magis, vel exonerét. [2] Sed neque desunt, qui putent committendos esse etiam eos, quorum testatio nihil probet, vel ob hoc ipsum, vt difficilius scire reus possit à quibus testibus vrgeatur. Ita enim fit, vt difficilior quoque & periculosior ei futura sit testium subornatio. [3] Alio tamen iure vtimur, quod ad postremum hoc attinet, ne inanibus sumptibus litigatores vexentur. [4] *Ita Senatus* in causa Guillielmi le Marquis Castellani de Miribel, 10. Cal. Febr. 1593.

1 Alioqui multam fidem faciunt si reus neget, cum in criminalibus causis testes à iudice ipso audiri, vel saltem videri debeant, præterquam si agatur de re parui momenti.

2 Quid enim si negent se ita deposuisse? Quid si aliquid velint addere, quod antea vel per oblitionem omiserint, vel ab eo, qui testationes excepit, per incuriam aut dolo malo prætermissum sit?

3 Sic Ioan. Imbert. insignis apud Gallos pragmaticus, *lib. 4. Instit. forens.* [Illud sane constat eos quoque testes qui non nisi de fama deponunt obiiciendos esse & committendos reo, non solùm vt possit ipsos facilius reprobare, & confessionem aliquam ab iis extorquere, sed etiam, quod facile possit euenire, vt qui de fama tantùm deposuit, aliud quid adiiciat quod reum grauius onerare possit. *Ita Senatus* in causa Ioannis Georgij de Vellier, 30. Maij 1614.

4 *L. minoribus* 6. *D. de minor.*

DEFINITIO XXIX.

Testes instrumentarij non facile reprobari possunt, si auditi sint de re ad instrumentum pertinente.

QVoties quæritur, quid reuera actum fuerit, cum negotium gereretur, de quo instrumentum conscriptum est, [1] nulla certior probatio esse potest, quam quæ fit per testes instrumentarios, non solum quod iis potissimum perspectam esse veritatem credibile sit, quos rei gestæ interfuisse constat, [2] sed etiam quod eorum fidem certam & exploratam contrahentes habuerint, vtpote quos negotij testes habere voluerunt. [3] Proinde si quid postea contra eos obiicere alteruter contrahentium velit, quod alioqui fidem ipsorum conuellere aut labefactare posset, audiendus non est, nec si paratam habeat obiectionis probationem, puta quod

BIU Cujas

puta quod aduersario, qui eorum testimonio nititur, coniuncti sint sanguine vel familiaritate. Sufficit enim, quod ad hanc rem attinet, vt semel idonei testes habiti sint. [4] Tanto magis, quod vtplurimum per alios probari rei veritas non potest. [5] *Ita Senatus* in causa Claudij Gauen Romuliacensis, contra Nicolaum Curtet, 23. Cal. Mart. 1593.

1 Nempe quia semper plus valet, quod agitur, quam quod simulate concipitur, *l.1. & tot.tit. C. plus valer. quod agit. l. semper in stipulationibus*, 24. *de reg. iur.*

2 Ex instrumento adeo, vt nec iis credatur, si negent se interfuisse, præterquam si instrumentum criminaliter redarguatur de falso, vt dixi *Defin.* 13. *supr.*

3 Quorsum enim adhibentur testes, nisi vt fidem faciant veritatis? *l. Diuus*, 24. *D. de test. milit. l. iubemus*, 29. *C. de test.*

4 Quia semel probati postea improbari non possunt, *arg. l. cum Papinianus*, 14. *de sent. & interloc. omn. iudic. cap. quod semel placuit, de reg. iur. in 6. l. si quis*, 17. *C. hoc tit.*

5 Quo casu etiam domestici, & minus idonei testes admittuntur, vt dixi *Defin.* 27. *nu.* 4. *&* 5.

DEFINITIO XXX.

De testium dictis generalia quædam.

TEstificans de tractatu alicuius negotij non probat, nisi tractatum illum certo modo perfectum fuisse dicat. [1] Nec rursus qui testificatur ad sui commodum & exonerationem, vtputa correus debendi de solutione per correum facta. [2] Item nec qui pro affini proximo, affinitate adhuc constante. Secus si ea iam peremptа, [3] sed etsi plures testificentur de solutione diuersarum quantitatum, aut de modo solutionis diuerso, vel alio, quam qui dictus sit ab allegante solutionem, non probant. [4] In dubio autem interpretanda sunt dicta testium contra producentem: [5] Ita tamen, vt ante omnia si forte inter se dissidere videantur ad concordiam, quantum fieri poterit, redigantur. [6] Illud deniq; sciendum est, non posse testem sine iusta causa testationem suam corrigere ex interuallo, esseque in eam rem necessariam non tantum erroris, sed etiam causæ expressionem. [7] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Mauris & Andreæ Grumel, 3. Non. Mart. 1593.

1 Alex. *cons.* 18. *num.* 1. *vol.* 1. *cons.* 33. *num.* 21. *vol.* 3. *cons.* 28. *num.* 4. *vol.* 2. Dec. *cons.* 105. *vers. modo discurrendo.*

2 Omnibus enim in re propria dicendi testimonij facultas denegatur, *l. omnibus*, 10. *C. hoc tit. vbi notat.*

3 Affinitatis enim iam peremptæ ratio haberi non solet, *l. pen. D. de iur. dot. l. sed hoc ita* 22. *D. de re iud.*

4 Alex. *cons.* 43. *num* 9. *vol.* 4.

5 Idem Alex. *cons.* 12. *num.* 10. *vol.* 2. Guid. Pap. *sing.* 488. incip. *dictum testis.*

6 Iuxta *not. in cap. cum tu*, *Extr. de testibus & in capit. nihil obstat. Extr. de verb. signif.* Ferrar. *in form. oppos. contr. test.* in verb. *ac etiam varij*, *nu.* 6. Clar. *in* §. *falsum*, *nu.* 12.

7 Bart. *in l. eos*, *num.* 3. *ad leg. Cornel. de falsi.* Capic. *dec. Neap* 61. Incontinenti tamen potest testis se corrigere. Ferrar. *vbi supr. in verb. inuicem contrarij.* & ibi Matuer. *in addit.* in verb. *corrigat ex cap. præterea, extr. de testibus.* vbi Innoc. *& cap. cum dilect. extr. de accusat.*

DEFINITIO XXXI.

Confessio extraiudicialis probat ad liberandum, non ad obligandum, & quomodo probetur.

CVm certi iuris sit confessionem extraiudicialem non probare si tendat ad obligandum, probare autem si tendat ad liberandum, [1] dubitari potest, quid si probetur per testes confessum fuisse creditorem solutam sibi tantam pecuniam, quanta sufficere possit, non solum liberando debitori, sed ipsi etiam creditori obligando condictione indebiti, soluto nimirum pluri quam deberetur. Valde suspecta est probatio, quando perraro accidat, vt plus debito soluatur: [2] præsertim vero si ab initio conuentus debitor eam solutionem non allegauerit, quam scire potuit, [3] nec lapsum sit decennium ad inducendam obliuionis præsumptionem. [4] Itaque obseruare diligenter hoc casu, & alias semper, bonus iudex debet per quos, & quot, & quales testes ea confessio probetur, nec testimoniis potius credat, quam testibus. [5] Sed si testes sint idonei, & omni exceptione maiores, scindetur confessionis effectus, vt prosit ad inducendam liberationem, nō etiam ad obligationem; [6] tametsi facta sit à moriente, [7] & quod maximi ad probationem momenti esse debet, de conscientia exoneranda cogitante, [8] si appareat ab illo factam, non eo animo, vt se aut hæredem suum ad indebiti accepti restitutionem obligaret, [9] sed tantum, ne quicquam à debitore amplius peteretur. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Dixi *Defin.* 27. *tit. prox.* Intellige autem de confessione facta absente parte, *l. certum*, 6. §. *si quis absente*, *D. de confess.* & ibi Bartol. *l. fin. vbi gloss. de inter. in iur. fac. l. quæro*, §. *vltim. de ædil. edict.* Bartol. *in l. non solum*, 8. § *si liberationis*, & ibidem Alexand. *de liber. legat.* Alex. *cons.* 115. *num.* 1. *cons.* 185. *à contrario*, *volum.* 7. *& cons.* 20. *num.* 1. *vol.* 4. *cons.* 111. *num.* 7. *vol.* 3. Guid. Pap. *dec.* 176. Ferrar. *in form. lib. de interrog. feud.* in verb. *compellatis respondere*, Guil. Benedict. in verb. *si absque liberis*, *num.* 25.

2 *Vulg. l. cum de indebito*, 25. *D. de probat.*

3 Cum facti proprij ignorationem nemo possit obtendere, *l. quinquam.* 7. *D. ad SC. Velleian.*

4 Præsumitur enim obliuio post decennium, *Not. in l. si de eo*, §. 1. *& l. peregre. in princ. de acq. poss.*

5 *L.* 3. *D. hoc tit.*

6 Proniores enim debemus esse ad liberationem, quam ad obligationem, *l. Arianus*, 41. *D. de oblig. & action.*

7 *Arg. l. si quis in graui*, 3. §. *si quis moriens*, *cum ibi not. D. de SC. Silan.*

8 Cum eo maxime tempore nemo præsumatur immemor salutis æternæ, *l. vlt. C. ad leg. Iul repet.*

9 *Vt in l. cum quis*, 37. *codicillis de leg.* 3.

DEFINITIO XXXII.

Quando possint produci testes, etiam post apertas reuera testationes?

ETiam post apertas testationes permittitur interdum aduersario testes producere, si modo iuret se nec vidisse, nec didicisse ea, quę testationibus continentur. [1] Sed hoc parcissime & perraro admittendum est, ne corruptionibus fenestra aperiatur, [2] & ita demum si post testationes apertas modicum interuallum interceserit, hoc est, non longius tempuc quam decem dierum, [3] vt probabile sit, non fuisse didicita testificata. [4] *Ita Senatus* pro liberis impuberibus D. de Nouelle Neciensis, contra procuratorem fiscalem Gebennensem. In ea causa, de quo Defin. 1. & seqq. infr. De præscript. quæ pro libert. Ideo fortasse, quod & de statu ac capite defuncti hominis in illa lite agebatur, [5] & de causa pupillorum, quib. in re præsertim tanti momenti [6] fauere æquum erat, hactenus, vt non facile admitteretur scrupulosa illa tamque exacta stricti iuris obseruatio, [7] cum dolum abesse constaret. [8]

1 Imo & sunt qui putent non repelli à productione, quasi testium dicta didicerit, qui ea vidit & simplici transcursu, & lectione testationum. Boer. *quæst.* 1. *nu.* 57. post Domin. *in cap. cum personæ, de priuileg.* quod tamen esset valde periculosum, ideoque nec in praxi sequendum. [Gabriel *lib.* 10. *commun. cap. de testib. concl.* 21. *num.* 29. *Ita Senatus* in causa Io. Rancurel & Io. Rez. Nouemb. 1613.]

2 *Ex cap. fraternitatis, cum ibi not. Extr. hoc tit.*

3 Hoc enim dicitur modicum tempus, *l. promissor*, 21. §. 1. *ff. de pecun. constit.*

4 Nam sicuti via fraudibus & subordinationi testium præcludenda est, *d. cap. fraternitatis*, ita non facile præcludenda est via probationibus, *l. curent.* 22. *D. hoc tit.*

5 Quæ causa status fauorabilior esse solet, *tot. tit. D. & C. ne de stat. defunct. post quinquenn. quærat.*

BIU Cujas

6 Quanti est causa status, quæ ideo maiores iudices habere & solet & debet, *l. non distinguemus, 32. §. de liberali, D. de recept.*

7 *L. pen. C. ad SC. Trebell.* quamuis non sit fauendum pupillo in alterius iniuriam, *l. sed cum ab herede. 12. D. eod.* nec prætextu ignorantiæ, quæ per ætatem contingit, *l. quod autem, 6. §. si quid cum pupillo, D quæ in fraud. credit.*

8 Nam si quid factum sit à pupillo doli mali capace, non debet in eo melioris conditionis esse pupillus, quam cæteri, *l. impuberem, 23. D. de furt. l. pupillum, 111. de reg. iur.*

DEFINITIO XXXIII.

Testes auditi ad futuram rei memoriam, non obstante appellatione interposita post recusationem, an & quando probent?

QVi testes ad futuram rei memoriam audire iussus fuerat in partibus, vt loquuntur, [1] cum ex falsa & calumniosa causa suspectus dictus esset ab eo, contra quem erat inquisiturus, recusationem reiecerat; & appellatione à recusatore interposita nihilominus testationes exceperat. Pendente apud Senatum lite appellatoria, defunctisque iam pluribus testibus petebat is, qui testes produxerat, vt de recusationis iure antea cognosceretur. [2] Placebat, si summo iure agendum esset, de appellatione prius cognosci debere, ac reuocari omnia, quæ post interpositam appellationem facta fuerant quasi attentata. [3] Debuerat enim proculdubio deferri appellationi, cum recusatus commissarius in domicilij sui loco [4] & aditus & recusatus fuisset. Nec quod multo ante tempore dies audiendis testibus dicta fuisset ad rem faciebat. [5] Sed tamen videbatur, summum hoc ius summam fore iniuriam. [6] Si enim prius de appellatione cognosceretur, & siue bene siue male à commissario pronunciatum diceretur, attentatorum rationem in primis haberi necesse erat, vt quicquid in spretum appellationis factum esset, reuocaretur. [7] Vnde euenire necesse esset, vt testationes omnes irritæ fierent, nec minus eæ, quæ essent testium iam defunctorum, quam quæ superstitum, [8] atque ita probationes intercidérent, [9] litisque iacturam incurreret pupillus fortasse; cui aliæ probationes nullæ superessent, [10] idque propter calumniosam recusationem, si forte decisa appellatione calumniosam eam esse appareret. [11] Quid enim prodesset actori post factas irritas testationes cognosci de calumnia, & calumniam detegi aut vindicari eo tempore, quo nouis probationibus locum nullum mors testium reliquisset? [12] Quid vero iniquius, quam scrupulosam illam iudiciorum obseruationem a commissario forte per imperitiam aut calumniæ odio neglectam nocere illi, qui testes produxerit, aduersarij vero calumniam calumniatori non solum non nocere, sed etiam prodesse? [13] Præsertim vero, cum probationum fauor sit maximus, [14] & Senatus, qui sola veritate facti inspecta iudicare debet, [15] æquitatis maiorem quam stricti iuris rationem habere soleat. [16] Itaque visum est probabilius & iustius, nonnihil hac parte à iudiciarij ritus obseruatione recedere, & antequam de attentatis & appellatione cognosceretur, de causa recusationis inquirere, [17] vt si yeram esse constaret, appellatio quoque iusta pronunciaretur, & habita in primis attentatorum ratione testationes omnes ad irritum deducerentur. [18] Sin falsam & calumniosam, non solum rata haberentur omnia, sed etiam mulctæ obnoxius fieret is, qui recusationem calumniosam proposuisset. [19] Quod si falsa duntaxat esse non tamen calumniosa, placebat temperamentum illud, vt quod ad testes interim defunctos attineret fides inquisitioni haberetur, [20] Cæteri eo tempore superstites, quo de appellatione pronunciatum esset, ex integro audirentur. [21] *Ita Senatus* ex tempore pro Domina de Romans. Idib. Maij, 1593. Et 5. Non. Mart. 1594.

1 Hoc est in loco domicilij litigatorum, non in quo lis pendebat.

2 Scilicet cum periculum esset, ne pendente instantia appellationis cæteri quoque testes morerentur, atque ita probationes intercidérent, *arg. l. in lege, 40. ad legem Aquil.*

3 Est enim regulare & commune ius attentatorum omnium, vt de iis antea cognosci oporteat, vt sæpius diximus ad Tit. *vt lit. pendent. supr.* ex Robert. Lancelot. *in titul. De attentat.*

4 Hoc enim addendum est, quia ex Senatus nostri stylo & Arestis, si commissarius non sit recusatus, antequam domo excederet, recusari postea non potest.

5 Quia, quamdiu res integra est, recusari commissarius potest, nec potest ipse recusationis causas reiicere tanquam friuolas, quomodo posset iudex ordinarius qui eum delegauit, *l. apertissimi, 16. vbi not. C. de iudic.*

6 Vt in quæstionibus, quæ sunt ex bono & æquo, plerumque sub auctoritate iuris scientiæ pernicioſe erratur, *leg. si seruum, 91. §. sequitur, de verb. obligat. l. 2. §. item Varus de aqua pluu. arcend.*

7 *L. vnic. D. nihil innou. appell. interpos.*

8 Quod enim aut nullum aut annullandum est, effectum nullum habere potest, *cap. non præstat. de reg. iur. in 6.*

9 Quas è contrario saluas esse expedit, *l. curent, 22. D. hoc titul.*

10 Siquidem non entium & non apparentium idem est iudicium, *§. si aduersus, Instit. de nupt. l. duo sunt Titij, 30. D. de test. tutel.*

11 Nec enim cuiquam sua calumnia prodesse vnquam debet, *l. tutor, 41. D. de vsur. l. in summa. 65. §. 1. D. de cond. indeb.*

12 *Arg. d. l. in lege, 40. ad leg. Aqu. l.*

13 *Contra l. ne ex dolo, 12. D. de dolo, l. procurator, 11. §. 1. D. de dol. mal. except.*

14 *d. l. in lege, & l. curent, 22. D. hoc tit.*

15 Vt late Tessaur. *in præfat. Decis. Pedem.*

16 *L. placuit, 8. C. de iudic.* Cognoscit enim Senatus vice Principis, quomodo olim præfecti prætorio, *l. vnic. C. de offic. præf. prætor.* iunct. *l. 1. C. de legib.* Iunge *l. quoties nihil, 200. de regul. iur.*

17 Vt scilicet rei maiori non fieret præiudicium per minorem, *arg. l. scio, 4. D. de in integr. restit. l. rei maiori, D. de except.*

18 *Ex d. tit. Nihil innou. appell. interpos.*

19 Non enim fauendum est calumniis & malitiis. *L. in fundo, 39. D. de rei vindic.* Lancel. *in 2. part. cap. 17. de attent. null. pend. num. 131.*

20 Distinguenda enim est falsitas à calumnia, sicut & calumnia manifesta à calumnia præsumpta, secundum distinctiones, quas in hac materia deducit Rob. Lancelot. *d. part. 2. cap. 18. num. 61. & seqq.*

21 Vt scilicet & attentatorum & probationum simul ratio haberetur, quantum fieri posset, nec vlli ex litigatoribus iniuria fieret, *l. ex his, 8. in fin. D. quæ in fraud. cred.* Text. est *in l. vlt. C. hoc tit.*

DEFINITIO XXXIV.

Quando standum sit primæ depositioni potius quam secundæ, & contra?

SEcundæ testationi, quæ in iudicio facta sit, potius standum est, quam primæ extraiudiciali. [1] Nam quod dici solet priori standum esse, [2] de ea accipiendum est, quæ sit iudicialis & consequenter iurata. Cuius ea vis est, vt nec si reuocetur in articulo mortis attendatur tamen reuocatio, [3] sicut nec si reuocetur, & reuocari perseueretur in tormentis, siue in alio iudicio, & inter alias personas variæ illæ testationes factæ sint, siue in eodem iudicio & inter easdem partes: nisi secunda in continenti facta esset post primam, id est, priusquam testis litigatorem allocutus esset. [5] Quanquam verum est ex eiusmodi reuocatione fieri, vt minus plena fides adhibeatur primæ testationi. [6] At cum prima testatio extra iudicium facta est, stamus secundæ iudiciali & iuratæ, quia etsi prima in iudicio nullo facta esset, adhuc staremus secundæ in iudicio valido factæ: [7] Sed supradicta obtinent, si aut solo iudicis officio, aut requirente ipso teste, vel procuratore

curatore fiscali, testis iterum audiatur. Nec si alterutro ex litigatoribus requirente, secundo testatio emerserit, distinguendum est, an is requisierit contra quem, an pro quo prius testimonium dixerat. Posteriore casu stamus secundæ testationi, siue iudicialis illa sit, siue extraiudicialis, siue iurata, siue non, quod imputare sibi debeat is qui petiit, vt idem testis iterum interrogaretur. [8] Priore vero non solum nulla fides adhibenda est secundæ testationi, sed neque audiendus est is, contra quem hic testis iam testimonium dixerat, si petat vt rursum testificari iubeatur, propter magnum qui subest metum corruptionis. Ideoque summopere cauere bonus iudex debet, præsertim in causis criminalibus ab huiusmodi testium repetitionibus ad instantiam partium faciendis, quod sæpe numero magnam ad comminiscendas falsitates fenestram patefaciant. [9] Quid si prima testatio extraiudicialis quidem fuit, sed iurata? Magis est vt ei stari oporteat, testisque tanquam falsus & periurus puniendus sit, qui posteriorem contrariam fecerit testationem. [10] Quid si testis primo interrogatus negauerit se scire, postea vero de negotio testificetur? Illi credendum non est, tanquam aut periuro, aut etiam corrupto. [11] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 9. infr. De testam.

1 Hanc enim communem esse nostrorum sententiam receptam, contra Bart. qui aliud existimauit, *in l. eos, nu. 4. ff. de fals.* testatur Clarus in pract. crimin. *qu. 53. num. 11. vers. Primus casus*, vbi multos citat.

2 Vt scripsi *Defin. 4. §. eod*

3 Iul. Clar. vbi supra *num. 12.*

4 Idem Clar. ibid. *nu. 13. ante finem*, post Alciat. *de præsump. reg. 2. præscript. 29. circ. fin.*

5 Idem Clar. *dict. quæst. 53. num. 55.* circa medium, post Capic. *decis. Neapolit. 142.* & Didac. Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 13. post num. 8.*

6 Vt concludit Clar. *§. dict. nu. 15.*

7 Gloss. *fin. in cap. cum causam, de testibus*, quam communiter probatam esse post Felinum testatur Clarus, *dict. num. 13. in fin.*

8 Ratio est, quam adfert Clarus *dict. num. 15.* paulo ante finem.

9 Ita Iul. Clar. *ibid. cap. fraternitatis, Extr. de testib.*

10 Clar. *dict. numer. 11.* vbi ait Bartoli opinionem posse hoc casu procedere.

11 In hoc enim omnes consentiunt teste eodem Iulio Claro, *dict. qu. 53. num. 14.* [Hinc dicimus testem qui semel depositi, non debere super eodem interrogari sine causa, & suspectum esse si dicat se minus fuisse recordatum tempore primæ depositionis, quo tempore memoria erat recentior. Vide Crauet. *cons. 10. nu. 13. ex l. produci, D. de testib. l. vlt. C. eod.* Dec. *consil. 175. col. pen. vers. tertio responderi potest & cons. 186. col. 6. vers. 4. & vltim. ita Senatus* in causa D. Aymonier, & Mariæ Regis Augustanorum. Septemb. 1612.

DEFINITIO XXXV.

Vnius testis testimonio quandoque creditur.

ALiquando euenit, vt vnius testis solius testimonium admittendum sit, nimirum testantis de facto proprio, [1] & de negotio, cuius ratione nihil sua interfit, vter ex litigatoribus vincat. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Salycet. *in l. si quis decurio, ff. ad leg. Cornel. de fals.* Alexan. *cons. 197. nu. 3. lib. 7.* Socin. *cons. 61. nu. 8. lib. 1.*

2 Crauet. *cons. 220. nu. 18.* Vide alios casus apud Speculat. *in tit. de teste, §. restat de numero testium.* Ferrar. *in form. oppos. contra test. in vers. sunt que etiam singulares.*

DEFINITIO XXXVI.

Solutio probari potest per confessionem aduersarij probandam per testes, etiam in tertia instantia.

QVi solutionem debiti allegauit in prima instantia, & admissus ad probandum [1] probare non potuit, potest in tertia quoque instantia allegare confessionem creditoris de soluta pecunia, & per testes, si qui erunt, illam probare. [2] Quoniam licet ea res spectet ad probationem solutionis, dicique soleat, non esse admittendas eorundem aut contrariorum articulorum probationes, post didicita testificata propter metum subornationis, [3] nisi accedat concomitantia instrumentorum: [4] nunquam tamen excluſa videri debet ea probatio, quæ fit per aduersarij confessionem, nec proinde eius confessionis probandæ via. [5] Si tamen aduersarius, qui confessus dicitur, contrarium probare volet, vtique id ei concedendum erit, [6] & quidem expensis debitoris, [7] cum alioquin in secunda appellatione, quæ tertia instantia est, non esset ille ad nouas positiones & probationes admittendus. [8] Nec ad rem facit, quod etiam in iudicati executione solutionis exceptio & probatio admittatur, vtpote quæ non impugnet iudicatum. [9] Id enim tum procedit, cum super solutionis veritate nec cognitum fuit, nec pronunciatum. [10] Alioqui vbi semel iudicatum est solutum non esse, impugnat proculdubio sententiam quisquis solutum dicit. [11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in causa Dn. Damidoux, Non. Decemb. 1593.

1 Eius namque est probare qui allegat solutionem, cum solutio sit facti, *l. consilio, 7. §. vlt. D. de curat. furios. l. testium facilitatem, 18. C. hoc tit. l. 1. C. de procurat.*

2 Pecuniæ enim solutæ possessio maiorem rei gestæ probationem continet, quam si chirographum acceptæ mutuæ pecuniæ fuisset redditum, *l. pecuniæ, 14. Cod. de solut.* siue ea professio probetur per instrumentum, vt *in dict. l. pecuniæ*, siue per testes.

3 *Cap. fraternitatis, Extr. de testib.* Dixi Defin. 17. & alibi sæpe *§. eod.*

4 *Cap. series, eod. tit. de testib.*

5 Cum nulla sit melior probatio, quam quæ fit per confessionem partis, *l. cum te, 5. C. de transact.* vbi Bald. *l. generaliter 13. C. de non numer. pecun.* [aut per euidentiam rei. Nam vt idem Baldus dicebat *cons. 338. vol. 1.* Quod patet expresse non est probare necesse.]

6 Nunquam enim vni ex litigatoribus permittitur probandi facultas, quin etiam aduersario permittatur, vt in iudiciis seruetur æqualitas, *l. non debet actori, 41. & ibi not. de regul. iur.*

7 Ex stylo Senatus nostri, quoniam tertia instantia est.

8 Id enim permittitur in prima tantum causa appellationis, *l. per hanc, 5. C. de temp. & repar. appellat.*

9 Est enim generale, vt exceptiones, quæ non impugnant iudicatum, possint opprimi in executione iudicati, *l. sunt qui, 16. & seqq. D. de re iudic.*

10 Sed tantum quod plerumque fit super debito.

11 Cum sint ista contradictoria, ita vt alterutrum eorum falsum esse necesse sit, vel quod iudicatum est solutum non esse, vel quod post iudicatum opponitur solutum esse.

DEFINITIO XXXVII.

Pauciores quam decem testes per turbam auditi an & qualem fidem faciant?

ETsi nonnullis placet, non paucioribus quam decem testibus turbam testium constare posse: [1] Hoc tamen iure vtimur, vt si pauciores adhibiti sint, non eo minus fidem faciant, [2] licet non tantam, quantam si solemnis numerus adhibitus esset. [3] Nam quod dici solet decem testes simul & in turba, vt aiunt, interrogatos vnius tantum loco haberi, eo pertinet, vt pro vno quidem omnes numerentur: [4] sed ita tamen, vt in alterius testis, qui solus auditus sit, comparatione maior turbæ fides habeatur, quia longe difficilius est plures quam vnum mentiri. [5] At cum solemnis numerus testium, qui ad conflandam turbam necessarius est, non interuenit, non solum omnes vnius loco habentur, sed etiam si cum aduersarij testibus singulatim productis conferantur, non maiorem fidem faciunt, quam si vnus tantum testis auditus esset, nec

BIU Cujas

habent priuilegium, quod testium turbæ datur, [6] quia nec turbam reuera constituunt. [7] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Greisy, contra R.D.Antonium de la Rauoire, 13.Cal.Ianuar.1593. & rursum in causa R.Patrum Societatis Iesu & Syndicorum de Megene, mense Mart.1594.

1 Sic enim placet Imberto *in Instit.forensib.* [Rebuff.*in tract.de testib.& quot exam.deb.glos.6.num.2.* Iunge Defin.6.& 14.*sup.eod.*]
2 Ioan.Faber. *in §.ex non scripto, Instit. de iur. natur. gent. & ciuil.*
3 Vbi enim maior numerus testium adest, ibi certior probatio esse solet, si cætera sint paria, *l.3.D.hoc tit.*
4 Ita vt nouem alij testes audiri adhuc possint, cum tamen non plures quam decem super vno eodemque articulo admittantur, vt dixi *Defin.*14.*§.eod.*
5 Sicut & plurium hominum difficilior quam vnius corruptio est.
6 Vt magis eis credatur, quàm si vnus tantum testis esset.
7 *L. prætor ait*, 4.§. *turbam autem ex quo numero, D. vi bonor.rapt.*

DEFINITIO XXXVIII.

Sacerdoti reuelanti sacramentalem confessionem nullo modo creditur.

SAcerdos neque cogi potest à suo Superiore, vt confessionem sibi factam propalet, & reuelet, neque si id faciat fide vlla dignus est, siue quod sit illicitum testimonium contra leges sacrosque canones datum, [1] siue quod non sit credendus Sacerdos scire tanquam homo, quæ illi tanquam speciali Christi Opt.Max.vicario explicata sunt. [2] *Ita Senatus* in causa Ioannis Martinet, 15. Cal.April.1594.

1 Idcirco enim dicitur secretum confessionis, quia diuulgandum non est, *vt in l.1.§.si quis tabulas* 38.*D.depositi.*
2 *Cap.dilectus*, vbi Panorm. *extr. de excess.præla.* Rip. *ad finem tract.de poste, nu.59.& seqq.*

DEFINITIO XXXIX.

Post didicita testificata non possunt audiri testes in causa appellationis, ne quidem pro pupillo, nec rursus possunt probari articuli deducti in prima instantia, si probandi via præclusa fuit, sed est necessaria restitutio.

IAm sæpius diximus, non esse audiendos testes post didicita testificata, non solum super iisdem articulis, sed nec super iis, qui sint directo contrarij, siue in prima instantia id petatur, siue in causa appellationis. [1] Sequimur enim hac parte ius Pontificium. [2] Nec aliud erit, si tutor in causa quoque appellationis imploret in eam rem beneficium restitutionis ex rescripto Principis nomine pupillorum. Subest enim metus subornationis, qui non patitur, vt hac parte pupillo in præiudicium aduersarij faueatur, [3] maxime cum, si quid ex ea causa pupillus damni patiatur per negligentiam tutoris, paratam habiturus sit aduersus tutorem eo nomine actionem. [4] Sane si neque tutor soluendo sit, neque magistratus, qui tutorem dedit, [5] difficile est vt non ei debeat subueniri, ne in damno moretur, [6] cui nihil imputari possit, & in quem cadere nequeat probabilis suspicio subornationis. [7] Extra hunc casum ad rem non pertinebit, quod tutor iurare paratus sit, nunc primum sibi innotuisse testes, per quos probare velit. [8] Alij sane articuli dissimiles possunt deduci in causa appellationis, etiam citra beneficium restitutionis, itemque probari, [9] sed non sine restitutione probari illi, qui in priore instantia deducti fuerunt, posteaquam probandi via semel præclusa fuit. [10] Sic enim accipi debet, quod vulgo dici solet, *In causa appellationis quæ non deduxi deducam, quæ non probaui probabo.* [11] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 15. Cal. April.1594.

1 *Defin.5.& 17.§.hoc tit.*
2 *In c.fraternitatis, exer.hoc tit.& clement.testibus, eod. tit.* Aliud enim est iure ciuili, *l.per hanc 5.C. de tempor. & repar.app.* præterquam in certis casibus, quos enumerat Specul.*in tit.de teste, §.satis vtiliter.* quem refert Ferrar. *in form.oppos.cont.test.* in verb. *suntque publicatis iam testib.nu.4.* vbi hanc iuris ciuilis & pontificij differentiam late explicat, addens, in foro ciuili seruandum esse ius ciuile, quod hæc Definitio negat. Idemque in Senatu Gratianopolitano obseruari testatur Guid.Pap.*quæst.*72.& 124. Vbi vide annotationem Ranchini.
3 Non enim fauendum est pupillo, si quid extra ordinem in alterius iniuriam postuletur, *l.sed cum ab herede* 12. *D. ad SC. Trebell.*
4 *L.properandum* 14.*§.vlt.C.de iudic.*
5 Quippe qui in subsidium tenetur, *ex tit.de magist.conuen.*
6 *Arg.l. vlt.D.de admin.tutor.l.2.D.quand.ex fact.tutor.*
7 Cum hæc ætas ignoret etiam illa, quæ vide *l.1. C.de fals. monet.* loquimur enim de pupillo, qui non sit doli capax, vt in *Defin.*32.§.
8 Intellige, nisi probabile sit, non fuisse adhuc didicita testificata, *vt in d.Defin.*32.
9 *L.per hanc 5.C.de tempor.& repar.appellat.*
10 Appellatio enim extinguit quidem iudicatum, sed non præparatoria iudicati. [Adeo autem verum est, eum qui exclusus est à probando, nihil amplius probare posse, vt nec admittendus sit ad probandum prætextu monitorij, etiam contra tertium impetrati, ne per indirectum liceat quod directò non licet, *l.scire* 21.§.1.*de tut.dat.ab his. Ita Senatus* pro D.de la Chabaudiere, contra N.Claudium de Mondragon. 22.Mart.1614. Sane contra tertium, & in ipsius duntaxat præiudicium impetrari monitorium posse non dubitatur. *Ita Senatus* eodem Arresto.]
11 Notat *ad l.per hanc.* Ferrar. vbi supra.

DEFINITIO XL.

Testes etiam minus solemniter interrogati faciunt aliquale indicium; imo & aliquando faciunt plenam probationem.

TEstes licet minus solemniter interrogatos placet facere aliquale, vt aiunt, indicium, [1] quinimo concludere, ac plenam fidem inducere apud viros bonos & graues, maxime vero apud eos Iudices, quibus mandatum est vt procedant, sola facti veritate inspecta, [2] præsertim si mortui sint, vt repeti non possint, [3] multo magis si agatur de facto antiquo, cuius probatio aliter haberi nequeat. [4] Id enim postulat fauor probationum, [5] casusque necessitas. [6] *Ita in Senatu* in causa Patrum Societatis Iesu Collegij Camberiensis & Syndicorum de Megene tractatum est 14.Cal.April.1594.

1 Alex.*cons.*147.*vol.*6.
2 Dec.*cons.*54.*nu.*2.*vers.postr.* Bald.*in l.solam, circa fin. C.hoc tit.*
3 *L.vlt.C.eod.*
4 Antiquitas enim temporis facit, vt admitti debeant leuiores quoque probationes, vt pasl. Crauet. *in tract.de antiq.tempor.l.si arbiter.D.de probat.*
5 *L.curent* 22.*D.hoc tit.*
6 Quomodo loquitur IC.*in l.si mulier* 59.*§.ex asse ff.de iur.dot.*

DEFINITIO XLI.

Testes de auditu admittuntur in probando eo, quod dicitur immemoriale.

DIci solet, non credi testibus de auditu testificantibus, quorum repelluntur auctores, [1] ne alioqui facile fraus fiat, si exemplo magis credatur, quam authentico instrumento. [2] Sed in eo tamen adhibenda videtur quædam distinctio. Nam si agatur de probanda possessione aliaue re immemoriali, facilius admittendum est, vt admittatur testimonium eorum, qui dicant, ita se audiuisse à senioribus eo tempore, quo suspecta esse non poterat eorum testatio, nulla dum

mora

BIU Cujas

mota aut mouenda lite, tametsi hodie si viuerent suspecta esser:[3] alioqui vix reperirentur, qui immemoriale possessionem probare possent,[4] in iis præsertim locis, ad quæ vix vlli alienigenæ & peregrini soleant accedere. Nam & ob eandem fere causam domestica quoque testimonia admittere solemus contra iuris regulam, quoties aliter quam per domesticos testes haberi veritas non potest.[5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Cap. fraternitati, extr. de hæret. can. nullus* 3. *quæst.* 4. Bart. *in l. admonendi, D. de iureiur.* Ferrar. *in form. oppos. contr test. in verb. de alieno.* vbi Maluer.

2 Aut, vt nostri loquuntur, si plus crederetur copiæ, quam originali. Dec. *cons.* 82. *& consil.* 210.

3 *Arg. l. si arbiter* 28. *D. de probat.*

4 Cuius tamen probatio tanto fauorabilior est, quanto difficilior, & quanto potentior est hæc præscriptio, quæ tituli vim habet, *l.* 3. *§ ductus aquæ, D. de aqua quotid. & æstiu. l.* 1. *§. vlt. D. de aqua & aqu. pluuiarcend.*

5 *Notat ad l.* 3. *Cod. hoc tit. ex l.* 1. *& tot. tit. D. de SC. Silan.*

DEFINITIO XLII.

Testi contra suum commodum testificanti magis creditur.

IN dubio longe magis credendum est testibus aduersus propria commoda testificantibus.[1] Quis enim credat velle eos peierare, vt sibi noceant?[2] siquidem nec peieraſſe quisquam præsumitur,[3] si nullum ex testatione sua sentiat commodum.[4] *Ita tractatum est*, in eadem causa.

1 Bald. *in l. omnibus, nu.* 5. *C. hoc tit.*

2 Nemo enim facile credendus est velle iactare suum, *l. cum de indebito* 15. *D. de probat.*

3 *L. vlt. C. ad leg. Iul. repetund.*

4 Illud enim semper inspiciendum est, & quærendum, Cui bono? [Et hoc adeo verum est, vt testis etiam alioqui suspectus non eo minùs fidem faciat, si deponat contra suum commodum. Maximè si contestem habeat nullo modo suspectum. Quòd si vterque suspicione aliqua laboret, non erit quidem plena probatio. Sed ad eam supplendam deferri iuramentum poterit, si fuerit petitum. *Ita Senatus* pro D. de Grenand, contra Petrum Roland. 26. Maij 1614.]

DEFINITIO XLIII.

Post apertas testationes, si nondum sint didicita testificata, audiri testes possunt, & an standum sit iuramento eius, qui testes producit?

REfert multum, an didicita sint testificata, an publicatæ duntaxat testationes.[1] Post didicita testificata non est audiendus, qui super iisdem aut directo contrariis articulis nouas vult probationes adferre per testes.[2] Licet minor proponatur aut rusticus, qui admitti vult ad probandum:[3] nihilque interest, an litigator ipse, an eius Procurator aut Patronus testificata didicerit.[4] Sed si tantum publicatæ sint testationes, nihil vetat, quo minus contrariæ probationes recipiantur ex beneficio Principis,[5] refusis nimirum expensis contumaciæ & retardatæ litis.[6] Verum si dubitetur, an didicita sint testificata, quæstionis est, an qui negat didicita credendus sit, si paratus sit iurare?[7] Et placet distinguendum esse, vt si ex die publicatarum testationum tempus modicum interceſſerit, sacramento negantis stati possit. Modicum autem tempus videtur, si nec dum decennium effluxerit,[8] Si vero multum temporis præterierit, alia opus sit & concludenti probatione.[9] Qualis illa esse potest, si actuarius iuret, asseruatam semper penes se scripturam testationum, nec vnquam aduersario editam, vt legẽdi describendive copiã habere potuerit.[10] Sane non tantũ post publicatas testationes, sed etiam post eas exceptas & conscriptas, si aduersarius nouos articulos dictare velit, quorum refutandorum gratia cogatur is, qui iam ex parte sua testationes protulit, nouas quærere & allegationes & probationes, æquissimum est aduersarij sumptibus id fieri,[12] cuius nimirum facto & culpa accidit, vt nouis sumptibus opus sit ad ea probanda, quæ alioqui eodem tempore iisdemque sumptibus expediri potuissent.[13] *Ita Senatus* in causa N. Marini de Conzieu & DD. fratrum de Monfort 9. Calend. April. 1594.

1 Possunt enim publicatæ esse testationes, neque tamen adhuc didicita testificata, vt dixi *Desin.* 32. 5. *eod.*

2 Propter metum subornationis, qui semper magnus subest, *c. fraternitatis, extr. hoc tit.*

3 Quemadmodum scripsimus *Desin.* 17. 5.

4 Communi casu subsit idem metus subornationis, vt dixi *in d. Desin.* 17 *num.* 4.

5 Est enim necessaria restitutio, vt scripsi *Desin.* 5. *nu.* 3. 5.

6 Ne beneficium Principis aduersario sit captiosum, *contra l. Paulus notat* 8. *de prætor. stipulat.*

7 Iuramento scilicet purgationis, de quo *in l. generaliter* 12. *C. de reb. cred. & iureiur. c. vlt. extr. de iureiur.*

8 Vt dixi *Desinit.* 32. *supr.* quia iuratur hoc casu super verisimili.

9 Periculosum enim est rem totam committere sacramento aduersarij nisi iusiurandum per partem ipsam deferatur, *vt in l.* 1. *D. quar. rer. act. non det.* [Ant. Gabriel. *lib.* 1. *de testib. conclus.* 21. *num.* 29.]

10 *Arg l.* 1. *& tot. tit. D. testam. quemadm. aper.*

11 Ne sit in potestate vnius ex collitigatoribus aduersarium suum grauioribus sumptibus onerare, *l. minoribus* 6. *D. de minor.*

12 Proinde nullum videtur damnum sentire, quod ex culpa sua sentit, *l. quod quis* 203. *de reg. iur.*

DEFINITIO XLIV.

Non creditur testationibus scriptis ad futuram rei memoriam, si nondum sint publicatæ.

TEstationibus scriptis ad futuram rei memoriam[1] nec dum publicatis nulla fides adhiberi potest, vt ex ea causa vindiciæ dicantur pro eo, qui testes produxit, si non aliunde sufficientes habeat probationes,[2] quia numquam Iudex bonus rationem habere potest instrumenti aduersario numquam editi.[3] Et in iudicio quolibet quantumcunque summario omnia iudicij solemnia auditis partibus tractanda sunt.[4] Porro testationes ad futuram rei memoriam conscriptæ sunt eiusmodi, vt neque ab aduersario inspici possint ante publicationem,[5] nec publicari debeant, priusquam aduersarius quoque testes suos produxerit, & audiri curauerit, ne alioqui per testes probandi ratio nulla supersit ei, qui testationes ab aduersario prolatas iam didicerit.[6] *Ita Senatus* pro Amedeo Vincent, contra Franciscum Thibaud, 11. Calend. Iul. 1594.

1 Iuxta formam *c. quoniam frequenter, extr. vt lit. non contest. & c. significauit, extr. de testib.*

2 Intellige, etiamsi apertæ sint, quantum ad Iudicem, vt aperiri plerumque solent ad informandam animum Iudicis, & postea iterum claudi, alioqui non posset locus fieri quæstioni, an Iudex vindicias dicere posset vel deberet ex iis testationibus, quas nec ipse vnquam vidisset cum non aliter explorari veritas possit de iis, quæ ex testationibus pendent, quam iis lectis & cognitis, *argum. l. de his* 9. *D. de transact. l.* 1. *D. testament. quem aper.*

3 Cuius scilicet editio fieri debet, quam Pragmatici appellant communicationem instrumentorum non minus quam actionis, *l.* 1. *§. edenda, ff. de edend. l. instrum.* 6. *l.* 7. *& vlt. C. eod.*

4 Nec quicquam faciendum inaudito eo, qui ex eiusmodi facto lædi posset, *l. nam ita* 39. *D. de adopt. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.* [Adde quod huiusmodi testationes factæ ad futuram rei memoriam, priusquàm publicentur, debent produci apud acta & deponi penes graphariũm, ita vt de eo constare ex scripto possit, debétque ea depositio fieri non à litigato-

BIU Cujas

re, sed à Commissario ipso qui testes audiit. Alioqui fiunt suspectæ, imo nullius fidei, maxime si penes litigatorem reperiantur quamuis claustæ. *Ita Senatus* in relationibus libellorum 7. Id. Febr. 1612.]

5 Cum publicari eas nihil aliud sit, quam iuberi, vt aperiantur.

6 Propter metum scilicet, qui eo tempore magnus subesset corruptionis & subornationis, *c. fraternitatis extr. de testib.*

DEFINITIO XLV.

Infamia facti non sufficit ad repellendum testem, nec obiectio infamiæ iuris, nisi de ea constet per sententiam.

AD infectandos & reprobandos testes admissus, si furti crimen aliudve quid simile obiiciat, nec alleget secutam ex ea causa condemnationem, audiendus non est, [1] quoniam nemo ex solo delicto fit infamis infamia, vt vocant, iuris, sed ex sententia. [2] Quod si addat latam de crimine sententiam, ne hoc quidem sufficiet, nisi eam proferat, quia non per testes probari ea sententia debet, sed per scripturam, [3] & quidem in promptu. [4] Itaque si Iudex nullam huiusmodi infectationis rationem habeat, nec eum, qui sententiam obiecit, admittat ad probandum, non idcirco iustam appellandi causam dedisse videbitur. [5] *Ita Senatus* pro D. de Cohendier, contra N. Mallin, 4. Id. Ianuar. 1595.

1 Est enim illa infamia facti, quæ licet existimationem minuat apud bonos & graues viros, neminem tamen repellit à testimonio dicendo, sed tantum infamia iuris. *l. 3. §. lege Iulia, D. hoc tit. l. is cui lege* 18. *§. 1. ff. qui testam. facer poss.* Capell. Tholos. *quæst.* 173.

2 *L. infamem 7. ff. de public. iudic. l. furti 6. in princ. & §. 1. & pass. ff. de his, qui not. infam.*

3. Cum sententiæ omnes scribantur, & in actis describantur, *l. 2. & vltim. C. de sent. ex breuic. recit.* Nisi forte scriptura probetur per testes fuisse deperdita, *vt in l. testium*, 18. *in fin. C. hoc tit.*

4 Ne alioqui fiant de lite lites, & prima lis in longius tempus protrahatur, *l. 4. §. ait prætor. ff. de re iudic. iunct. l. quidam* 21. *de rebus cred. l. properandum* 13. *C. de iudic.*

5 Quia debet sibi imputare is, qui sententiam non produxit.

DEFINITIO XLVI.

Testes singulares, qui per se non probant, quando coniungantur vt probent.

VVlgatum est, testes singulares non probare, quia cùm non sint contestes, non possunt iungi, vt numerum faciant: [1] ideoque non plus probant mille quam vnus, imo minus, quoniam alter alterius fidem debilitat, [2] Vnde illud etiam est, quod eo casu, quo plures sint de eadem re testes singulares, nó defertur iusiurandum, quod alioqui deferretur in supplementũ probationis, nisi testes deponãt de actu reiterabili, eorumque testationes ad eundem tendant finem. [3] Sed etsi de probanda possessione agatur, constat quidem probata possessione præteriti temporis & præsentis, videri quoque probatam medij, si nulla in contrarium probatio afferatur, sed tamen si testis vnus testificetur de possessione decem annorum, alius de possessione aliorum decem annorũ, non possunt coniungi testationes, vt fiant contestes, qui vere sunt singulares. *Ita Senatus* in causa D. de la Velliere & D. de Rogemont 10. Cal. Febr. 1595.

1 Nisi in casibus, de quibus vide Dec. *cons.* 47. *lib.* 1. *& consil.* 60. *nu.* 29 *eod lib.*

2 Si sint singulares singularitate obstatiua, non adminiculatiua. Iacob. de Put. *decis.* 476. *lib.* 2.

3 Not. *in l. admonendi*, vbi Caccialup. *de iureiur.* Capell. Tholos. *quæst.* 11.

DEFINITIO XLVII.

Testis male interrogatus iterum ex integro est audiendus.

MAle auditis testibus ob non seruata ea, quæ seruari debuerunt, [1] cum testationes nullæ sint, iterum audiri eos ab alio inquisitore [2] oportet: audiri vero non per repetitionem, vt Pragmatici loquuntur, sed ex integro, ac si nunquam auditi fuissent. [3] Verendum enim esset, ne testes vt plurimum rustici & timidi metu periurij aliud nihil prodere vellent, quam id ipsum, quod priore testatione contineretur: vnde fieret, vt iterata illa auditio nullius plane effectus esset. [4] Quid ergo si ex integro interrogatus testis nolit testimonium dicere, quin prius copiam habeat testationis præcedentis? Vtrum id ei denegabitur? Mouet, quod si hoc ei indulgeatur, ita futurum est, vt vix aliud postmodum dicturus sit, quam quod iam ante dixerit. [5] Rursus iniquum videtur cogi eum, vt periurij periculum subeat ob solam inquisitoris culpam, [6] præsertim si ponas plures annos à tempore prioris testationis præteriisse. [7] Itaque placuit permittendum illi, si vrgeat, vt priorem suam testationem inspiciat, & ita tamen, vt non eo minus ex integro audiatur. [8] *Ita Senatus* in causa D. de Thoyre, contra D. de Cholex, 14. Cal. Mart. 1595.

1 Nam & in testibus audiendis variæ solemnitates requiruntur, de quibus late Ferrar. *in form. iuram. testium, & in form. oppos. contr. testes.*

2 Ne iterum peccet, qui iam semel peccauit, *cap. vt debitus honos, & ibi not. extr. de appellat.*

3 Quia quod nulliter factum est, pro infecto magis, quam pro facto habendum est, *l. si filius 7. de liber. & posthum. cap. non præstat, de reg iur. in 6.* adeo vt etiam post dilucida testificata possint hoc casu alij testes super iisdem articulis admitti. Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* 28.

4 Nec enim videretur differre à prima, ad quam relata esset, cum dici soleat, inesse relatum in referente, & quidem cum omnibus suis qualitatibus, *vulg. l. esse toto* 77. *D. de hered. instit.*

5 Hoc enim vsu quotidiano ita compertum est, metu scilicet vacillationis & variationis, propter quam possit fieri, vt nó solum nulla testi fides habeatur, *l. 2. D. hoc tit.* sed etiam vt puniri debeat tanquam periurus, ex iis quæ late tractat Ferrar. *in form. oppos. contr. test.* in verb. *inuicem contrarij*, & in verb. *ac varij.* Nec facile conniciendus est testis in eas angustias, vt vix sine captione possit testimonium dicere, ne scilicet damnosum ei sit officium suum, vt mox sequitur *in Defin.*

6 *Arg. l. & quia 6. in fin. D. de interrog in iur. fac.* iunct. *l. sed si quis 7. D. testam. quem aper.* iunct. *l. 3. §. vlt. D. hoc tit.*

7 Cum fragilis sit & labilis hominum memoria ex solo temporis lapsu, *l. peregre* 44. *l. si rem mobilem* 47. *D. de acquir. possess.*

8 Anton. Tessaur. *decis.* 255. *nn.* 8.

DEFINITIO XLVIII.

Cuiuscunque ætatis & conditionis testes audiri possunt tempore pestis & belli.

TEmpore belli aut pestis, aut egestatis publicæ audiri possunt testes ad futuram rei memoriam, illi etiam, qui nec sunt senes, nec valetudinarij, nec abfuturi, nimirum propter imminens cuiuscumque ætatis & conditionis hominibus periculum mortis, [1] & fauore probationum ne pereant. [2] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 7. Id. April. 1595.

1 Quod periculum licet omnibus immineat omni tempore, quia omni hora periclitamur, nemo tamen negauerit, maius esse ac grauius eo tempore, quo vel bellum vel pestis grassatur, vt passim tractat Rip. *in tract. de peste.*

2 *L. in lege* 40. *D. ad l. Aquil. l. curent* 22. *D. hoc tit.*

DEFINITIO XLIX.

Non creditur virgini iuranti se cognitam à coniugato.

ETsi virgini iuranti, se ex Titio prægnantem esse, credi solet, non tamen id est perpetuum. [1] Quid enim si Titius vxorem habeat? Nulla ratio est, cur virgini

virgini credatur, ne alioqui & turbetur matrimonium, [2] & adulterij accusatio vnius mulierculæ testimonio alioquin suspectissimo [3] perficiatur. *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 4. Id. Maij 1595.

1 Varias enim circa hanc materiam distinctiones vide apud Boer. *decis.* 299. & Anton. Tessaur. *decis.* 3. *num.* 4.

2 *Arg. l.* 1. *§. vlt. D. de liber. exhib.*

3 Est enim suspectissimum testimonium mulieris, quæ iam deliquit, nisi si Titius eam à se cognitam fateatur, vt tractat Tessaur. *d. decis.* 3. *num.* 7. *concluſ.* Vide Capell. Tholos. *dec.* 172.

DEFINITIO L.

Post didiscita testificata, quibus vti nolit is, qui testes produxit, potest aduersarius nouos super iisdem articulis testes producere.

QVod districte Iudices obseruare solent & debent, ne post didiscita testificata nouas super iisdem aut contrariis articulis admittat testationes, [1] exceptiones pleraſque habet. [2] Quid enim si pro alterutro duntaxat litigantium auditi sint testes, & is testationibus vti nolit, siue quod eas sibi aduersantes videat, [3] siue qua alia de causa? Non erit audiendus, si ad hoc solum testationibus vti velit, vt eas alleget, ad impediendum, ne qua probandi via aduersario patefiat. Imputet enim sibi, cur eas non producat, & apud Iudicem exhibeat. [4] Nec aliud erit, tametsi eas antea apud acta produxerit, earumque describendarum potestatem aduersario fecerit, quoniam à iure sibi per eam productionem quæsito recedet, quantum facere potest, qui non vult illas iterum producere, [5] eo præsertim tempore, quo Iudex acta litis inspecturus est, & ius dicturus. [6] *Ita Senatus* in causa fratrum Brunet, 6. Cal. Aug. 1595.

1 *Exc. fraternitatis, extr. de testib.* [nisi adsit concomitantia instrumentorum, *cap. series, eod.* aut alia iusta causa, *cap. ex tenore, eod.*]

2 De quibus vide Tessaur. *in decis.* 28. *&* 262. [Et Anton. Gabriel. *lib.* 1. *commun. opin. de testib. concl.* 21. vbi ponit 71. limitationes. Quibus adde alium casum, si agatur de probando notorio. Quis enim potest esse metus subornationis testium in eo quod est notorium? Ideoque dicimus non esse probandum id quod est notorium verum esse, sed tamen probandum est esse notorium. Puta si dicatur quis fuisse demens aut furiosus. Nec enim potest talis esse quis, quin sit notorie, sicuti de fama & infamia scribit Gabr. *vbi supr. limit.* 70. Adde etiam alium casum, si agatur de ea re de qua non possint testes deponere, nisi de credulitate. Ibid. *num.* 71. quale etiam illud est, quod diximus de probanda alicuius dementia & insania. *Ita Senatus in* causa Ioannis Rancurel & Ioannis Rez. Nouembr. 1613. In qua causa etiam aderat concomitantia instrumentorum, itémque quod & paupertas & aduersa valetudo aliquam præbebat excusationem. Item quòd prima erat instantia post quam nulla superaret, in qua vulneri remedium adferri aliquod posset, cum tamen de toto fere patrimonio ageretur eius qui volebat admitti ad probandum, & quidem eos ipsos articulos quos ante didiscita testificata proposuerat. Ex quibus apparet hoc Senatusconsultum esse singulare, nec facilè trahendum ad consequentias]

5 Nemo enim testibus pro se auditis, vt nec alio iure suo vti cogitur, *l. si Iudex circumuento* 28. *D. de minor. l. pactum* 46. *D. de pact. l. penult. Cod. eod.* Quod tamen intellige, nisi testationum productio facta sit in actis sine vlla protestatione: extunc enim testationes sunt communes, sicut & acta litis omnia sunt communia. *Not. ad l. Procurator, C. de edend. l.* 1. *§. edenda, D. eod.*

4 Cum non entium & non apparentium idem sit iudicium, *§. si aduersus, Instit. de nupt. l. duo sunt Titij* 30. *D. de testament. tut.*

5 Potest autem si aduersarius consentiat, quamuis non possit eo inuito, *vt in l. cum hereditate* 51. *D. de acquirend. heredit.*

6 Eo namque maxime tempore editio & productio instrumentorum omnium facienda est, cum non possit Iudex iudicare nisi secundum allegata deducta & producta. *Not. in l. illitas* 6. *§. veritas. D. de offic. præsid.*

DEFINITIO LI.

Non probatur actus reiterabilis per pauciores testes singulares, quam quinque.

PAuciores quam quinque testes singulares non probant plene, [1] ne quidem in iis actibus, qui, vt nostri loquuntur, sunt reiterabiles, [2] maxime vero si testificentur, non solum extra articulata, (quo casu constat nullam induci probationem, ne aduersario fiat iniuria, qui contrariis probationibus causam suam munire alioqui potuisset [3]) sed etiam de re ad contractum pertinente, quæ post & extra contractum promissa dicatur. [4] Sunt enim huiusmodi allegationes vt plurimum commentitiæ, & ob id semper suspectæ, [5] in quibus admittendis cautius idcirco agendum est, vtpote quib. causam plerunque det facilitas testium conquirendorum & subornandorum. [6] *Ita Senatus* in causa Claudij Lucian & Cornelij Pernet, 9. Cal. Decemb. 1595.

1 Intellige, etiamsi sint singulares singularitate adminiculatiua, non obstatiua, vt loquitur Iacob. Put. *decis.* 476. *lib.* 2.

2 Et successiui, quos in confessione extraiudiciali nominatim excludit Afflict. post multos per eum citatos *decis.* 364. Vide Capell. Tholos. *quæst.* 11.

3 Bart. *in l. si quis libertatem* 7. *de petit. hered.* quem refert & sequitur Tessaur. *decis.* 361. *num.* 3. vbi vide limitat.

4 Etsi enim nihil potest allegari nec probari, quod sit directo contra instrumentum citra solemnem falsi accusationem, nihil tamen vetat allegari & probari ea, quæ sunt præter & extra contractum.

5 Quidni enim contrahentes curassent id scribi in instrumento, si de eo cogitassent, *l. vnic. §. vbi autem, vers. sin autem ad deficientis. C. de caduc. tollend.*

6 *L. testium* 18. *C. hoc tit.*

DEFINITIO LII.

Testimonium & viua voce & secreto dici debet.

TEstimonium dicere non nisi viua voce [1] & secreto [2] testis debet, licet in aliis pleriſque causis parum referre soleat, an viua voce, an scripto sententiam suam quis exprimat. [3] Nam & illud inspicere potissimum Iudex debet, qua constantia aut trepidatione testes loquantur, vt scire melius possit, quantam iis fidem adhibere oporteat. [4] *Sine die.*

1 *L.* 3. *quæst.* 9. *can. testes.* Notat. Salic. *in l. iurisiurandi, C. hoc tit.* Canon. *in cap. testibus extr. eod.* licet contrarium teneant, Bart. & Bald. cum distinctione, quos refert & refellit Boer. *qu.* 1. *nu.* 38.

2 *Cap. venerabili, extr. de testib. l. si quando, C. eod.* Creditur enim testis ex veritate & conscientia testimonium dicturus, si secreto potius, quam si aliis præsentibus audiatur, inquit Boer. *d. quæst.* 1. *num.* 25.

3 Dicam *Defin.* 10. *ff. de hered. instit.*

4 *L. de minore* 10. *§. tormenta, D. de quæst.* Idem Boer. *vbi s. num.* 39.

DEFINITIO LIII.

Magis creditur commissario, qui adiunctum habuit, cum testem interrogauit, quam testi neganti se ita dixisse.

NOn auditur testis, qui à duobus interrogatus aut à Commissario, qui adiunctum habuit, [1] negat à se testificatum id, quod in testationem redactum est. [2] Plus enim duobus testibus, etiam cum cætera sunt paria, quam vni credendum esse constat. [3] *Sine die.*

1 Nam & ob hanc maxime causam Commissariis testes examinantibus etiam Senatoribus adiuncti dantur, vt late tractat Tessaur. *Decis.* 255. vbi vide.

2 *Cap. vt nostrum de hæret. in* 6. Bald. *in l. nullum, C. de testib.* Alex in addit. ad Bart. *in l.* 1. *§ si quis negat. testam. quem. aper.* Boer. *quæst.* 1. *nu.* 51.

BIU Cujas

3 *L.3.D.de testib.l.iurisiurandi 9.C.eod.* Vnus enim testis non probat regulariter, nisi in casibus, quos refert Specul. *tit.de teste,§.restat de numero testium.* Vide Ant. Capyc. *decis.61. num.5.* Iul.Clar.*5 falsum,num.10.*vbi distinguit, an agatur de puniendo teste,vel notario de falso,vt tunc neutri credatur: An vero,cui maior sit adhibenda fides in negotio,in quo fuit auditus testis, vt tunc credatur magis Notario. Sane si omnes testes negent se dixisse, quod scriptum sit, plus credi debere testibus, quam Notario.

DEFINITIO LIV.

Casus in quo posterior depositio præualet primæ etiam iuratæ.

ETsi regulare est, vt primæ depositioni testis, quæ iurata fuit, magis stetur, quam secundæ,[3] aliquando tamen ab eo iure receditur. Quid enim si priorem testationem sola Iudicis auctoritas, posteriorem vero literarum monitorialium & ecclesiasticarum censurarum potestas extorserit? Vtique stabimus posteriori,[2] præsertim si aut verisimilior sit,[3] aut aliis adminiculis fulciatur.[4] Etsi enim si summo iure agatur, vix est, vt fides vlla ei adhibenda sit, qui se periurum aut siue precio,siue precibus corruptum fateatur,[5] mouere tamen illud debet,quod his nostris temporibus communis ille vulgi error apud nos inualuit, vt non aliter rustici etiam iurati ab ipso Iudice putent iniunctam sibi testificandæ veritatis necessitatem, quam si ecclesiasticis monitionibus vrgeantur. Nec desunt,qui rogati dicere testimonium protestentur apud eum, à quo producendi sunt,etiam falsum se dicturos:sed ita tamen, vt si postea monitorium impetrabitur, veritatem sint testificaturi.[6] Vnde illud etiam fit, vt passim & pro minima quaque re ad censuras illas ecclesiasticas decurratur, nimia concedentium facilitate, ad quorum sane officium pertineret, ne tam sancto & in Dei Ecclesia necessario iuris remedio tam facile,abuti laicos paterentur.[7] Cæterum non eo minus puniendus erit is, qui periurus fuisse probabitur,[8] quanquam & vulgaris ille error hactenus ei prodesse debet, vt mitius puniatur.[9] *Ita Senatus* in causa Blasij Pontarly & Martinel, 29,Nouembr.1595.

1 Dixi *Defin.4.& 34.§.hoc tit.*

2 Nec est contrarium quod diximus *dict. Defin.4.§.* Ibi enim tractauimus de depositione facta vi monitorij ad fines reuelationis tantum: hic vero de ea,quæ fit facta ad fines probationis & apud Iudicem competentem ab eo,qui contra testificatus fuerat ante monitorij impetrationem.

3 In omnibus enim,sed maxime in probationib.inspiciendum est præcipuè,quid sit verisimile, *l.vlt. D.quod met.caus. l. cum de indebito 25.ff.de probat.*

4 Coniunguntur enim & indicia & præsumptiones,vt plenior fiat probatio, *l.sola 4.C.hoc tit.l.dolum 6.C.de dolo.*

5 Potius enim repellendus est & puniendus tanquam periurus ac falsarius, quam vt ei permittendum sit variare, *l.eos, l. qui falsa, D.de fals.* Ferrar. *in form.oppos. contr.test.* in verb. *ac etiam varij, num.4.* Iul.Clar.*in pract.crim.quæst.53.num.10.11.& seqq.*

6 Nec enim nouum est vt error ius faciat,aut saltem iuris noui occasionem præbeat,*vt in l.3.in fin.de supellect.legat.*

7 Vilescunt enim sola frequentia & assiduitate ipsa etiam Dei miracula, vt dicebat beatus Augustinus non minus eleganter,quam vere.

8 Iul.Clar.vbi supra,*num.13.*

9 Errantes enim puniendi sunt mitius tum quoque cum delinquunt,quasi nec delinquere videantur,*l. vlt.D.de vit.nupt.* Non enim delictum fit sine dolo. Error autem à dolo excusat, qui potius imperitiam detegit, *l.si per errorem 15.D.de iurisdict. l.regula 9.de iur.& fact.ignor.*

DEFINITIO LV.

Testis varius torqueri potest, & pro criminis grauitate etiam ad triremes condemnari.

TEstis, qui res plane contrarias secumque pugnantes testificatur non solum torqueri potest, vt sciatur, vtri depositioni stare malit, si ea res ad habendam veritatem videatur prodesse posse,[1] sed etiam ad triremes aut perpetuas, aut ad tempus, si criminis atrocitas exigat condemnandus tanquam falsus.[2] *Ita Senatus* in causa Blasij Pontarly, 16.Mart.1596.

1 Iul.Clar.*in pract.crimin.quæst.25.* Alexand. *cons 63.li.1.per text.in l.eos 2.*vbi Bart. *D.ad l.Cornel.de fals.*Petr.de Anchar.*in l. de testibus.extr.de testibus.* Butr. *in c.cum de sua,eod.tit. Ex not.in l. cap.5.D.ad l.Iul.de adult.& in c.per inquisitionem de elect.*

2 Iulius Clar. vbi supra. Regulariter tamen non est puniendus testis de simplici mendacio, nisi aliqua leui pœna pecuniaria,quomodo mendaces puniuntur. Boer. *decis.208. numer.10.*

DEFINITIO LVI.

Mediatores non facile audiendi sunt,nisi vtraque parte consentiente.

EOrum, qui litigantium vota & rationes sub amici nomine inquirunt,vt eos ad concordiam inducant, (vulgo mediatores appellantur) testimonia solent esse suspecta,nec facile admittenda sunt,[1] præsertim si vnius ex litigatoribus dolo & calliditate,quod plerumque fit, eiusmodi mediatores subiecti proponantur ad extorquendam ab aduersario confessionem, aut quid aliud eiusmodi, quod actionem vel ciuilem vel criminalem parere possit. Solent enim qui litigant agere liberius cum istis mediatoribus, quasi cum confessario & causæ patrono.[2] *Ita Senatus* pro Ioanna Martinel, contra Blasium Pontarly, 23.Nouembr. 596.

1 Ioann.Bernard.Diaz.reg.48.post Innocent.Host.& alios *in cap.non sine,de arbitr.*Bart.*in l.ne in arbitris C.eod.* etsi loquuntur illi de arbitrio,non de mediatore, in quo longe maior ratio est, vt sequitur *in D.fin.* Idem est in proxeneta Papiens.*in form.iuram.test.* in verb. *protestamur, num.15.* Vide Cap. Tholos. *quæst.142.*

2 Qui non coguntur esse testes, quoniam nec debent secretum sibi commissum euulgare, *l.1.§.si quis tabulas,D.depos.* Intellige,si vtraque pars consentiat,vt mediator audiatur,Bartol.*in §.quoniam vero,Nouell.de testib.*

DEFINITIO LVII.

Testis qui semel interrogatus nihil aliud respondere vult apud Iudicem, nisi quod perstat in priore sua depositione, non caret falsi suspicione, & ideo torqueri potest.

TEstis, qui non ita dudum de recenti negotio testimonium dixit, si ex solito iudiciorum ordine apud Iudicem repetendus sit, etsi potest petere, vt sibi testatio sua exhibeatur & legatur,[1] non caret tamen suspicione falsi, si interrogatus nihil aliud dicere velit, nisi quod rustici plerique solent,perstare se in sua testatione,&quod scriptum est,bene scriptum esse.Sic enim plerumque fit, etiamsi de iis rebus testis interrogetur, quæ in priore testatione comprehensæ non sint, & quas ignorare probabiliter non possit.[2] Itaque hoc casu torquendus erit, non solum vt veritas facti habeatur,[3] sed etiam vt sciatur, à quo testis sic corruptus sit, ne alioqui impune Iudici illusum videatur.[4] Nec ad rem pertinebit, quod in principali negotio de re minimi præiudicij agatur, indeque futurum sit præparatorium grauius præparato, vt loquuntur.[5] Neque enim id nouum est,quoties incidens quæstio grauior est,cuiusmodi est quæstio falsi.[6] *Ita Senatus* in causa Philippi Mermilliod, contra Berthod Martinet & alios, Calend. Mart.1592.

1 Nicol.

BIU Cujas

1 Nicol.Boer.*decis.*108.*nu.*9. Curt.Iun. *in l.si quis intentione ambigua, de iudic.* [*Auth.apud eloquentissimum, C.de fid.instrum.* vbi hanc ob causam dicitur, in criminalibus non esse testes remittendos à iudice vnius prouinciæ ad iudicem alterius loci, Quoniam scilicet absurdum esset torqueri eos à non suo iudice, qui tamen si res exegerit etiam torquendi sunt, vt ibi scriptum est. Interdum tamen vidi alio iure nos vti cùm Senatus noster à Curia Grationopolitana requisitus est, vt testes, qui ex nostra prouincia sunt, euocentur in Delphinatum, vt reis Delphinalibus committantur. Idque ad testificandam mutuam illam, quæ inter nos est, adiuuandæ inuicem, administrandæque iustitiæ voluntatem.]

2 Cogendus enim est testis, vt testificetur de veritate, quam perspectam habet, *tot.tit. de testib. cogend.* Clar. *in pract. crimin. quæst.*24.*versic.successiue, & seq.*

3 Curare enim semper debet magistratus, vt rei veritas, quibus fieri potest modis, habeatur, *l.curent* 22. *Cod. hoc tit. l.in lege Aquilia* 41.*D.ad legem Aquil.* Testis autem falsus videtur, qui supprimit veritatem. Bald. *in l.ea quæ commendandi, D. de contrab. empt. & in l.præscriptione, in fin. Cod. si contr.ius vel vtil.publ. & in l. peremptorias, circa fin. Cod.sent.rescind.non poss.* post Gloss. & DD. *in l. Lucius, D.de his qui not.infam.* Curt.Iun. *in tractat.de testib. concluſ.*15.

4 Contemnit enim Iudicem, qui iussus sæpius & interrogatus non vult respondere, *l.de ætate* 11. *§.qui tacuit, cum ibi not. D. de interrog in iur.fac.l.si quis ex aliena* 5. *D.de iudic.*

5 Quod regulariter absurdum est.

6 Scilicet cum quæstio criminalis incidit in ciuilem. [Obserua tamen pœnam falsi hoc casu non debere esse capitalem, sed tantùm deportationem, *l.1.in princ. & §.pœna, de falsi.* Guid. Pap.*quæst.*44.*& cons.*89.*incip.circa merita num.*1.]

DEFINITIO LVIII.

Fœmina in causis ciuilibus regulariter admittitur in testem sed excipiuntur quidam casus, & tamen etiam in casibus non exceptis minus plene probat.

FOeminam in ciuilibus quoque causis testimonium dicere nihil prohibet,[1] præterquam si quo casu specialiter vetitum sit, vt in testamentis,[2] aut cum agitur de probanda re, quæ per masculos æquè probari potest, vt puta de consuetudine:[3] minor tamen iis fides debetur, quam masculis,[4] adeo vt nec si duæ mulieres de crimine consentiant, sequi tamen possit condemnatio, si alia probationum adminicula non concurrant.[5] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Coruat, & Henrici & Marini Pic fratrum, 29.Mart.97.

1 Nam in criminalibus posset admitti iure ciuili, *l.ex eo* 18. *D.de test.* adeo vt nec desint, qui putent, etiam iure canonico id verum esse, vt videre est apud Decium *ad l.2.nu.*34. *& 35. de regul.iur.*

2 *L.qui testamento* 20.*§.mulier, D.qui testam.fac.poss.* Excipe testamentum ad pias causas, Dec. *vbi §.num.*28. post Bald. *ad l. pen. C.de sacros.Eccles.*

3 Non enim potest consuetudo ignota esse masculis: nec potest mulier esse omni exceptione maior, etiam eo casu, quo potest in testem admitti. Alex. *cons.*99.*lib.*1. Dec. *vbi §.nu.*35.

4 Dec. *vbi §.nu.*34. post Abbat. *in c.forus.§.fin.de verbor.signific.* Bald. *cons.*21.*lib.*2.

5 Decius *ibid.num.*35.*vers. & non sunt integri testes.*

DEFINITIO LIX.

Testium dicta fauorabiliter interpretanda sunt & adiuuanda, vt ad concordiam redigantur, non calumnianda.

DIcta testium etsi sic interpretanda sunt, quantum fieri potest, vt testes ad concordiã redigantur:[1] non sic tamen, vt similiter ad mentẽ & intẽtionem eius, qui testes produxit, detorquẽatur,[2] ne alioqui litigatoris ipsius testimoniũ in causa propria contra iuris rationẽ admitti videatur.[3] Illud sane in perpetuũ obseruare bonus Iudex debet, ne dicta testiũ per cauillationẽ & calumniã male accipi patiatur, quæ potius benigne adiuuanda sunt fauore probationũ,[4] si modo testis persona talis sit, cui non minus quam eius testimonio fidem adhibere oporteat.[5] *Sine die.*

1 Papiens. *in form. oppos. contr. testes post public. in vers. at etiam varij.num.*4. *ex cap.cum tu, extr.de testib.* Autr.ad Capell.Tholos. *dec.* 11.

2 Sunt enim potius in dubio contra producentem interpretanda. Eman.Soarez *in thesaur.recept.sent. versic. testium verba ambigua.*

3 *L.omnibus* 9.*C.hoc tit.*

4 Sunt enim probationes omnes fauorabiles fauore veritatis, *l.curent* 22.*D.hoc tit.l.in lege* 41.*D. ad leg.Aquil.*

5 Non enim testimoniis est credendum, sed testibus, *l.*3.*D. hoc tit.*

DEFINITIO LX.

Testimonia domestica non sunt admittenda, ne quidem per viam monitorij, nisi in quibusdam casibus.

DOmestica testimonia non ob id magis admittenda sunt,[1] quod vi & potestate monitionis ecclesiasticæ, quasi vrgente conscientia, ab inuitis extorta potius, quam per subornationem à suspectis personis elicita videantur. Nec enim minore iurisiurandi religione tenetur testis, qui ab vno ex litigatoribus productus, quam qui per monitorias literas euocatus fuit;[2] alioqui facile fraus legi fiet impetratis passim monitoriis,[3] vt ad testimonium dicendum ij inuitati censerentur, quos alioqui de domo producere non liceret. Nam & ipso vsu compertum est, monitiones istas ecclesiasticas vt plurimum ob eos impetrari, qui cum vltro testimonium dicere ambiant, id tamen agunt quantum possunt, vt coacti dixisse videantur, quæsito ex ipsa etiam religionis sanctitate, necessitatis, adeoque, quod detestabilius est, plerunque improbitatis & perfidiæ colore.[4] Quare nec hoc casu audiendus erit is, qui domesticis huiusmodi testimoniis nitatur, si petat, vt quod probationum fidei deest proprij iurisiurandi auxilio suppleatur.[5] Plane si probandum id fuit, quod nisi per domesticos probari non potuit,[6] aut si aliorum testium, qui omni exceptione maiores sunt,[7] aut etiam instrumenti alicuius non suspecti fides, cum domesticis consentiat,[8] nihil de testium fide, ob id solum, quod domestici fuerint, detrahetur, neque iurisiurandi auxilium nisi frustra requiretur, ne vel ad impossibilis probationis necessitatem nimia iuris seueritas litigatores adigere,[9] vel lubrico periurij sine causa viam aperire videatur.[10] *Sine die.*

1 *L.2.vbi not.C.hoc tit.*

2 Cum omni casu sit periurus, siue exprimat falsum, siue taceat veritatem, si modo iurauit, adeo vt idem sit etiamsi extra iudicium iurauerit. Aufrer.ad Capell.Tholos. *decis.*377. Guid. Pap.*quæst.*546.*& 593.*

3 Similis ratio est *in l.*5. *§. si pupillum, D. de rebus eor. qui sub tutel.l.scire* 21.*§.*1.*De legit.tutor.*

4 Itaque tanto maior & grauior impietas est, quæ sub pietatis specie delitescit.

5 Non enim locus est iuramento suppletiuo, cum non subest semiplena probatio. Notat. *ad l.admonendi, D.de iureiur. & ad l. in bonæ fidei* 3.*C.de rebus credit.& iureiur.*

6 *L.consensu* 8.*§.seruis, C.de repud.*

7 Quia vnius testis fides per alium testem suppletur. Gabriel. *lib.*1.*commun.opin.concl.*5.*de testib.*

8 Nam propter concomitantiam instrumentorum etiam post didicita testificata testes admittuntur, *c.fraternitatis, & c. seriei, de testib.*

9 Nam testes etiam minus idonei probant, quando veritas aliter haberi non potest Gabriel. *concluſ.*7.*de testibus.*

10 *Contra l.*1.*C.si aduers. vendit.*

DEFINITIO LXI.

De testibus auditis non citata parte, & de sententia super talibus testimoniis lata.

BIU Cujas

TEstes quidem auditi non citata parte, licet iurati sint, nihil probant, [1] sed si qua super eiusmodi testimoniis sententia feratur, nō eo minus valebit, quamuis Iudex tacite, vt fieri solet, retulerit se ad acta. [2] Nam nec si in actis error aliquis esset, ideo tamen vitiaretur sententia, quæ errorem specifice expressum non contineret. [3] Et vero quamuis dici soleat, sententiam latam, nullis probationibus factis, nullam esse ipso iure, [4] nemo tamen dixerit probationes testium esse de substantia processus, vt loquuntur, [5] nisi forte proponas, oblatos fuisse Iudici testes, aut alios probationis modos, quos admittere Iudex noluerit. [6] Quid enim si data sit dilatio ad probandum? [7] Aut quid si alia ratione motus fuerit Iudex ad iudicandum, puta ex confessione, quam coram Iudice fecerit litigator viua voce, & quæ tamen non fuerit scripta in actis? [8] Quid si agatur de eo, quod sit notorium Iudici? Nam etsi non sit probandum notorium in prima instantia, nihil tamen vetat & allegari & probari in causa appellationis, [9] cum possit sententia primi Iudicis confirmari & iustificari etiam ex nouis probationibus, & quæ priori Iudici incognitæ fuerunt. [10] Quod tamen non æque fieri posset, si prima sententia ipso iure non valeret. [11] Quam nec illud facere nullam potest, quod manifestam & euidentem iniquitatem habeat, etiam quæ ex actis manifestetur, [12] si non expressum contineat errorem. [13] *Sine die.*

1 *L. si quando C. hoc tit. c. in nomine Domini, extr. eod.*

2 *L. præses ff. de re iud. l. seruo 65. §. cum Prætor, ad SC. Trebell.* cum aliis allegatis per Alex. *cons. 59. vol. 3. & cons. 123. volum. 1.* Afflict. *decis. 28. nu. 5.* vbi multos citat.

3 Bald. & Castr. *in l. 1. C. de error. calc.* Felin. *in c. inter cæteras, de re iudic.*

4 Card. *in c. Ecclesia, de constit.* post gloss. *ibid.*

5 Bart. *in l. probatam, C. de sent. & interl. omn. iud.* Bald. *in l. is apud quem, C. de edend.*

6 Bald. *in d. l. prolatam.* Afflict. *decis. 28. nu. 4.*

7 Idem Bald. *in d. l. cum ex minore, C. si aduers. rem iudic.*

8 Bald. *in l. quoties, §. 1. D. de prob. & in l. 1. C. de indict. vidui toll.* Felin. *in c. cum venerabilis, col. 1. 4. de except.*

9 Innoc. *in c. tuæ, circa fin. de cohab. cleric. & mulier.* Rot. *in tit. de fid. instr. in antiq.* Afflict. *ibid. nu. 6.*

10 *L. vlt. D. quod cum eo.* Bald. *in d. l. is apud quem, C. de eden.* Afflict. *vbi 5. num. 4.*

11 Quia sententia ipso iure nulla confirmari nullo modo posset, cum id, quod nullum est, non sit confirmabile, *tot. tit. de confirm. vtil. vel inut.*

12 Bald. *in l. 1. C. ne filius pro patr. per l. palam §. quæ in adulterio, D. de rit. nupt.* Alex. *in l. præses, de re iudic. per d. l. prolatam,* Afflict. *d. decis. 29. nu. 8.* quamuis multi contra tenuerint, quos ibi Afflict. refert. *num. 7.*

13 *L. si expressim, D. de appell. l. posthumus, §. si quis ex his, D. de inoffic. testament. l. Papinianus, alias l. diuortio, §. vltim. D. de solut. matrimon.*

DEFINITIO LXII.

Casus, in quibus possunt admitti noui testes etiam super iisdem aut contrariis articulis post didicita quoque testificata.

NOn solet admitti probatio per testes post testimoniorum publicationem, neque super iisdem articulis, neque super contrariis propter metum subornationis; [1] sed si vel testes publicati nulliter, vt aiunt, & recepti sint, vel ad concomitantiam scripturæ, vel denique, si de probatione contraria non potuerit pars instrui ante publicationem, aliud placuit, quod his casibus vel metus subornationis nullus sit, vel in ea causa sit is, qui nouos testes producere vult, vt nihil ei possit imputari. [2] *Sine die.*

1 *Cap. fraternitatis,* & ibi Canon. *extr. hoc tit. de testib.*

2 Notat. *in d. cap. fraternitatis, & in c. series, eod. tit.*

DEFINITIO LXIII.

ETiam testium qui in causa criminali obiici reo & cōmitti debent nomina, cognomina, & professiones edi reo ante omnia debent, si id fieri postulet, vt præuidere possit quid vicissim obiicere illi possit. Etsi etiā post conflictum solet in eam rem dari reo tempus trium dierum. Sed tamen debet ea editio fieri cum hoc temperamento, ac veluti præcautione, vt inhibeatur reo ne per se, aut per interpositam personam testes alloquatur, Aut quid faciat quod subornationis suspicionem aliquam inducere possit, cuius alioqui grauissimus sanè metus subesset. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 8. Id. Februar. 1612. Sed & testium pro iustificatione rei auditorum nomina debent edi accusatori, vt possint reprobari, sed per acta & scripturas duntaxat. *Ita Senatus,* 6. Id. Decembr. 1612.

DEFINITIO LXIV.

NOn præsumitur quis mortuus ex eo vulnere, quod ante quadraginta dies illatum probetur, Siue quod, si medicis credimus, lethalis vulneris curatio non facilè vltra id tempus extendi possit, Siue quod in tam longo temporis interuallo multa possint accidere, quæ mortis periculum quod antea nullum suberat adiecerint. Et hoc quidem indubitatum est si ponas vulneratum aliquando melius habuisse ex die illati vulneris. Sed si in diem vsque mortis aucto semper periculo tandem decesserit, licet post quadragesimum diem, difficile est dicere, vt non ex eo ictu mortuus probetur veriùs, quàm præsumatur. [1] *Ita tractatum est* in relationibus libellorum, 14. Calend. Iunij 1612.

1 Boer. qui hanc rem totam pluribus tractat *Decis. 313. præsertim num. 11.*]

TIT. XVI.

DE FID. INSTRVMENT.

DEFINITIO I.

Instrumentum à duobus Notariis exceptum, & ab altero tantum subscriptum, an & quando probet?

INstrvmentvm, quod à duobus Notatiis exceptum est, non aliter probat, quam si ab vtroque subscriptum, aut ab vno scriptum, ab altero subscriptum sit, [1] nisi, vt pletunque fit, in solidum singuli rogati proponantur, aut alteruter ante subscriptionem decesserit, aut infamis factus fuerit, aut Notariatus officio priuatus, aut instrumento ab vno tantum ex Notariis subscripto aduersa pars vsa fuerit, ne quid ex ea solemnitate, quam ad contractus fidem contrahentes necessariam voluerunt, detrahatur. [2] Idem igitur multo magis & sine distinctione admittendum est, si ex necessitate propter legem aliquam aut consuetudinem duos Notarios adhiberi oporteat. [3] *Ita Senatus* in causa D. de Chastillon, & Dominarum de Bouuant & d'Aiguebelete, Prid. Non. Iunij 1588. & iam ante pro D. Marchione de la Chambre, contra D. Marchionem d'Aix.

1 *Auth. de hered. & Falcid. §. si vero absunt.* Bald. & Salicet. *in l. iurisiurandi, C. de testib.* quos refert & sequitur Boer. *qu. 21. nu. 1. & 2. ex clem. 1. §. dudum, de iureiur.* Guid. Pap. *quæst. 122.* Alex. *cons. 124. nu. 4. lib. 7.* Bertr. *cons. 219. nu 3. lib. 2.*

2 *Arg.*

BIU Cujas

2 *Arg.l.contractus 17.C.de fid.instrument.* [Si tamen plures Notarij ad aliquod instrumentum recipiendum adhibiti & rogati sint, præsumentur in dubio singuli rogati in solidum, vt instrumentum valeat potius quàm vt corruat. Dec. communiter adprobatus *cons.36.* Nisi omnes simul rogatos fuisse appareat, vt in casu Alex. *consil.124. lib.7.* Officium enim cuiuslibet tabellionis, licet vtilitate priuatum sit, tamen authoritate est publicum, *l.1.l.generali, C. de tabul.lib.10.* Bald. *in l.1.col.4. C. per quas pers.nob. acquir.* & habent iurisdictionem quandam ordinariam voluntariam, dicuntúrque iudices chartularij, Glos. *in l.2.* in verb. *qui tribunali, D. de iudic.* Socin. *consil.51. num.2. volum.1.* & habent administrationem officij sui ordinariam, & quidem in solidum, *dict.l.generali, & c.2.de fid.instru.* Quando autem plures sunt, quorum officium authoritate est publicum, & administratio huius officij est ordinaria, tunc competit cuilibet in solidum, Bart. eleganter in *repet, l.1.§.si plures, col.2. vers. vt igitur liqueat hæc materia. D. de exercit. act.* Ergo censeri debet quilibet in solidum rogatus, Alex. *consil.92 num.3, vers. sit autem tabelliones li.7.* Guill. Bened. in verb. *mortuo 1.num.417. & 419.* Et sicuti præsumitur Notarius rogatus ex eo quod fecit instrumentum, Alex. *cons.73.num.7.vol.1.* Ita & præsumi debet solus rogatus qui solus subscripsit. Semper enim pro tabellione in dubio præsumendum est. Dec. *cons.653.num.5.* maxime concurrente antiquitate temporis. Aret. *cons.36.col.1.* Boer. *decis.281. num.71.* Et in dubio semper pro instrumento præsumendum est, Bart. Alex. Ial. *§ vltim. D. de oper. noui nunciat.* Vide *l.7. de bonor. poss. secund. tabul.*] * Est autem in plerisque locis consuetudo talis vt duos notarios adhiberi sufficiat, etiam nullo teste addito, vt apud Parisienses. Apud nos requiritur pro solemnitate subscriptio non modo notarij sed etiam testium qui modo sciant scribere, idque non solum generali Senatusconsulto quod factum est anno, sed etiam edicto generali Principis nostri D. Caroli Emanuelis anno 1604. sub comminatione nullitatis, falsitatis & damnorum omnium. Obseruandum tamen est neque Senatusconsultum neque edictum loqui nisi de contractibus: Ergo ad testamenta porrigi non debebit, de quibus ob eam causam noua lex & constitutio apud Gallos ferenda fuit, cùm prior de contractibus tantum locuta esset. Quid ergo si plures testes adfuerint quorum aliqui literas nescierint, alij scierint, nec tamen subscripserint? sufficiet solemnem numerum compleri posse ex iis, qui nescierunt scribere, nec vitiabitur instrumentum ob id quod alij qui poterant scribere non subscripserunt. *Arg.l.heredes palam 21.§.1.D.qui test. fac.poss.* Quid si constet ex prothocollo notarij, nullas eum solitum adhibere testium subscriptiones forte edicti ignoratione? Iniquum sanè fuerit tot instrumenta ex loci vitio corruere, de quorum fide nemo dubitet. Arg. *l.Barbarius 3.de offic.prætor.* Quid denique si paratus sit is qui nititur instrumento à testib. non subscripto probare omnia quæ in ipso continentur? Admittenda erit probatio, quia verba edicti instrumentum duntaxat irritum faciunt non contractum ipsum & conuentionem, quod non pendeat ex scriptura nisi cùm contractus in scriptis celebratus fuit. *Ita Senatus* pro Francisco Gallex contra Petrum Fabrum, die Iunij 1616.

3 Boer. *d.qu.21.num.5.& 6.* vbi etiam probat alias limitationes hic positas.

DEFINITIO II.

Instrumentum ab alio Notario descriptum an & quando probet?

INstrumenti, quod ab alio Notario exceptum sit, alius descriptionem facere, nisi mandante Iudice, non potest. [1] Proinde si de mandato non appareat, quod nec ex quantacunque temporis longinquitate præsumitur, [2] nullius plane fidei momentique erit descriptio, [3] nisi quid aliud sit, quod aduersarium, contra quem producitur, ab huiusmodi obiectionis iure debeat summouere, vtputa si eo instrumento is ipse alias vsus sit, [4] aut in obiiciendo iudicialis mandati defectu fuerit negligentior. Nam apud nos intra primam dilationem huiusmodi obiectiones omnes proponendæ sunt, quæ ad instrumenti formam extrinsecam labefactandam pertinent. In eadem causa.

1 Guid.Pap. *quæst.2.* Masuer. ad Ferrar. *in form. opp. contr. instr.* in verb. *dignoscitur*, ad verb. *protocollum.*

2 Quia est solemnitas extrinseca, quæ non præsumitur. Ex not. *in l.sciendum 30.D. de verb.oblig.* Vide *Desin.27.*

3 Nullitas enim nullitatum est, si quid factum sit à non habente potestatem, *l Barbarius Philippus 3.vbi not. D. de offic. prætor.* Nec vllam fidem faciunt exempla, si authentica instrumenta non proferantur, *cap.1.extr. de fid.instr. Auth. si quis in aliquo vbi notat. C. de edend.*

4 Nam instrumentum, quod semel quis probauit, postea reprobare non potest, *Auth. ad hæc, vbi not. C. hoc tit.* sicuti scriptum est de teste *in l.si quis testimonium 17. Cod. de testib. & de Iudice, in l.cum Papinianus 14. Cod. de sent. & interloc. omn. Iudic.* Ferrar. *in form. produc. instr.* in verb. *exhibens & producens, paulo ante finem.*

DEFINITIO III.

Pluribus productis scripturis contrariis, quæ conciliari nullo modo possint, vtri potius standum sit.

SI ab eadem parte plures scripturæ proferantur, quæ nulla interpretatione conciliari inter se commode possint, [1] vtraque reiicienda est, siue vtraque publica sit, siue vtraque priuata, siue publica vna, priuata altera. Neque enim hoc casu distinguimus, vtra sit dignior, cum imputare sibi debeat, qui contrarias scripturas produxit. [2] Sed si hinc inde productio facta sit, standum est digniori, id est, publicæ scripturæ potius, quam priuatæ; [3] nisi priuata munita sit subscriptione trium pluriumve personarum integræ probatæq; existimationis: quo casu placet haberi eam pro publica, adeo vt qui ex ea ius pignoris sibi asserit, cæteris creditoribus posteriorem hypothecam ex scriptura quantumuis publica habentibus præferatur. [4] Stabimus enim protocollo potius, quam instrumento per Notarium exscripto, quia protocollum originalis, &, vt loquuntur, matrix scriptura est, respectu exscriptionis, quam expeditionem vocant. [5] Quod si plura sint instrumenta, quæ dicantur originalia, standum ei erit, quod magis originale probabitur: [6] item ei, quod in ampliorem formam redactum erit. [7] At finge, cum de testamento nuncupatiuo conscribendo Titius & Sempronius Notarij rogati essent, instrumentum ab vtroque subscriptum fuisse in protocollis Titij, in protocollis vero Sempronij à solo Sempronio, sed in capite protocolli Titiani scriptum fuisse testatumque manu Titij, testamentum illud in ampliorem formam redactum esse in Sempronij protocollis; Stabimus protocollo Semproniano potius, quam Titiano, quod ea Titij testatio subscriptionis vice esse debeat, [8] præsertim si testationi veritas congruat, & ex vtriusque protocolli comparatione appareat, plus à Sempronio scriptum esse, quam à Titio. Nec quod Titij protocollum à Sempronio quoque subscriptum sit, facere debet, vt Titio maior fides adhibeatur, cur id nimia Sempronij facilitate & per errorem fieri potuerit: [9] neque minus testationi & adnotationi Titij credendum sit in fauorem Sempronij, quam subscriptioni Sempronij in fauorem Titij. Quid autem si alter ex iis Notariis sibi aut vni ex suis legatum ascripserit? [10] Non eo minus quidem legatum debebitur, si alterius quoque protocollum consentiat. [11] Sed si hac parte contrariæ sint scripturæ, aut vna plenior altera, ei omnimodo stabimus, quæ minus suspecta est, ab eo nimirum confecta, cuius nihil interfit. [12] Longe siquidem dignior est, cui credatur is, cuius nihil interest, quam cuius interest. [13] Itemque cæteris paribus is, qui Latinè loquitur, quam qui barbare, aut qui solœcisat. [14] *Ita Senatus*, 3. Calend. Decembr. 1588.

1 Sunt enim concordandæ scripturæ, si fieri possit, vt de testibus scripsimus *Desin.30.nu.6.5.sit.prox.*

2 *L.scripturæ diuersæ 14.* & ibi Bart. Bald. & DD. *C. de fide instrum.*

3 *L.cum de ætate 13.D. de probat.*

BIU Cujas

4 *L. scripturas* 11. *C. qui potior. in pignor. habeant.*

5 *Nouell. per tabellion. per tot. & Auth. si quis in aliquo, C. de edend.* Bart. & Bald. *in l. Sempronius Proculo* 47. *de legat.* 2. Idem Bald. *in l. cum proponebatur, in vlt. quæst. eod. tit.* Guid. Pap. *qu.* 19. Cora. *cons.* 28. *col.* 1. *& per tot. vol.* 1. Dubitatur tamen, an protocollum per se probet sicut instrumentum, vt tractat Ferrar. *in form. oppon. contr. instrum.* in verb. *dignoscitur esse falsum, num.* 7. *&* 8. vbi etiam late Matuer. *in addit.* ad verb. *protocollum.*

6 *d. Nouell. de tabellion. §. si.* Bald. *in d. l. Sempronius.*

7 Quia in eo, quod plus est, continetur quod est minus, non contra, *vt in d. l. Sempronius* 47. *de legat.* 2. de cuius tamen sententia & emendatione vide, quæ alio loco scripsi.

8 Quorsum enim subscriptio requiritur, nisi vt sit pro approbatione, *l. si non subscripsisti* 15. *C. de admin. tutor. l. si fideiussor* 26. *§. pater, D. de pignor. l. sicut* 8. *§. non videtur, D. quibus modis pign. vel hypoth. soluit.* Ergo & approbatio quælibet pro subscriptione esse debet, quomodo dicimus in priuata scriptura, nihil interesse, an quis subscribat, an totam scripturam sua manu componat, vt tractat Roman. *cons.* 103. *incip. hæc scriptura, ex l. cum antiquitas, §. fin. C. de testam.*

9 *Arg. l. cùm proponebatur* 64. *de legat.* 2. *l. errore* 7. *C. de testam. l. illicitas* 6. *§. veritas, D. de offic. præsid.*

10 *Contra l.* 1. *& tot. tit. C. de his qui sibi adscrib.*

11 Quoniam vnius fides per alium suppletur, vt diximus de testibus, *Defin.* 27. *num.* 7. *§. tit. prox.*

12 Non enim caret suspicione falsi is, qui sibi aut suis legatum adscribit, etiam in testamento nuncupatiuo, vt concludit Ferrar. *in form. oppon. contr. instrum.* in verb. *aliisque de causis, num.* 10. *& seq.*

13 *L. omnibus* 10. *C. de testib.* iunct. *l.* 3. *D. eod.*

14 Quamuis falsa Latinitas non vitiet instrumentum, sed tantum rescripta Principum, maxime Papalia & Imperialia, *cap. significantibus, & cap. ad audientiam, extr. de rescript.* Ferrar. *vbi supr.* in verb. *erratum.* Vide *l. Plautius* 8. *D. de auro & argent. legat.*

DEFINITIO IV.

Diuersitas scripturæ in substantialibus vitiat vtramque scripturam.

DVobus eiusdem testamenti exemplaribus, siue ab vno Notario, siue à pluribus exscriptis subscriptisque, in quorum altero scriptum erat, rogatum Mæuium, vt sine liberis masculis moreretur, hereditatem Caio restitueret, in altero autem simpliciter concepta conditio, *si sine liberis*, nulla masculorum adiecta mentione: Placuit neutri instrumento standum esse, repellendumque fideicommissarium, qui ex eo testamento fideicommissum peteret, tametsi Mæuius non solum sine masculis, sed etiam sine liberis decessisset,[1] propterea quod, priusquam quæratur, an fideicommissi conditio extiterit, pro certo constituendum sit, quibus verbis concepta proponatur,[2] quod in proposito contrariis exemplaribus productis sciri non poterat, cum cæteris omnibus paribus, vtri potius standum esset, discerni non posset.[3] *Ita Senatus* eodem Senatusconsulto.

1 Propter quod poterat videri quæstio superuacua, an solos masculos, an vero liberos omnes testator in conditione posuisset, cum nullos penitus liberos reliquisset, maxime cum in dubio dicendum videatur, extitisse conditionem fideicommissi, *l. ex facto* 17. *§. si quis autem, D. ad SC. Trebell.* iunct. *l. si quis ita* 33. *D. de hered. instit.*

2 *Vt in l. precibus* 8. *C. de impub. & aliis substit.*

3 Ita in terminis eleganter & late Marian. Socin. *cons.* 2. *per tot. volum.* 2. Adde Boer. late & aperte contra morem suum hæc tractantem *decis.* 252. *per tot.* Vide tamen text. *in l. Sempronius* 47. *de legat.* 2.

DEFINITIO V.

Codex rationum qualis esse debeat vt probet.

COdex rationum non aliter fidem facere potest, quam si accepta dataque omnia specialitur notentur, vt rationes recte explorari possint,[1] quid probe acceptum expensúmve latum sit.[2] Sed & nomina eorum, à quibus acceptum, quibúsve datum est, exprimi debent, & ex qua causa,[3] maxime si de societatis rationibus reddendis agatur,[4] nec societas vniuersalis fuerit, sed vnius aut alterius negotiationis.[5] Denique illud præcipuè obseruandum est, vt rationes nec implicitæ sint,[6] nec nudæ.[7] *Ita Senatus* inter Dom. Ioannem Claudium de la Roche, tunc Senatorem, nunc Rationalium Præsidem primarium meritissimum, & Ioannem Bay Thadeum, & Cæsarem Grand. Non. Decemb. 1588.

1 *L. cum seruus* 82. *de condit. & demonstr.* Angel. *cons.* 287. Bart. *in l.* 2. *C. de nauicular. lib.* 11. Bald. *in l. rationes, num.* 1. *C. de probat.* Ias. *in repet. l. admonendi, num.* 96. *D. de iureiur.*

2 Non autem sufficit, vt in folle rationes conscribantur, quomodo loquitur IC. *d. l. cum seruus.*

3 *L. apparitores, C. de exact. tribut. lib.* 10. *l. neminem, C. de suscept. & præpos. arcan. lib.* 11.

4 Nam creditori socij non obligatur socius, nisi pecunia in communem vsum societatis versa sit; *l. iure societatis* 82. *D. pro socio.* Et quod nomine proprio non societatis fit, non venit in rationem societatis, *l. si vnus* 67. *§. si vnus, eod.* neque impensæ societati imputantur, nisi quæ ipsius causa factæ sunt, *l. cùm duobus* 32. *alias l. si fratres, §. si quis ex sociis. eod. tit.*

5 Cum enim societas facta est vnius negotiationis, non habetur ratio eorum, quæ in alienam negotiationem impensa fuerunt, *d. l. cum duobus, §. vlt. eod. tit. pro socio.* Straccha late *tract. de mercat. part.* 2. *num.* 56. *& seqq. vsque ad* 60.

6 Bart. *cons.* 150 *in fin.*

7 Id est, sine causa, *vt in l. nuda ratio* 26 *D. de donat.* Abb. *in cap.* 2. *num.* 12. *extr. de fid. instrum.* Alex. *cons.* 172. *incip. lectis, num.* 6. *vol.* 2. Bart. *in l. quicquid adstringendæ* 98. *de verb. oblig.* Bald. *in l. generaliter, num* 4. *&* 9. *C. de non num. pecun.* Ioan. de Anan. *cons.* 129. *incip. oritur, cum ibi per eum allegat.*

DEFINITIO VI.

Producens expeditionem non suspectam instrumenti publici non cogitur exhibere protocollum.

QVi profert instrumentum in publicam formam redactum, non rasum, non cancellatum, nec qua alia ratione in forma siue intrinseca, siue extrinseca apparenter suspectum, non est arctandus ad protocolli editionem, tametsi dicat aduersarius, paratum se viso protocollo falsi accusationem instituere.[1]

1 Quia omnimodo standum est instrumento, cum habet formam suam debitam, *ex l. cum res & l. cum precibus, C. de probat.* & nimis graue est, vt quis cogatur contra se producere aut testes, aut instrumenta; *l. nimis graue* 7. *C. de testib.* vt concludit Ferrar. *in form. oppon. contr. instr.* in verb. *dignoscitur esse falsum, num.* 7. *& seq.* quamuis ibi alleget in contrarium, *l. contractus, & l. penult. cum ibi not. C. hoc tit.* Vide *Defin.* 5. *§.* de edend. *& Defin.* 16. *§. hoc tit.*

DEFINITIO VII.

Heres Notarij quamuis Notarius non potest instrumenta defuncti in publicam formam redigere citra Iudicis auctoritatem.

NOn solet Senatus noster potestatem facere heredi Notarij, vt mandet, cui volet, describenda publicandáque omnia Notarij instrumenta. Sed mandat ipse,[1] & hominem eligit, cuius fidem & industriam habeat exploratam,[2] quique nec heredi inimicus aut suspectus sit, licet ab herede nominari eum non deceat.[3] Non tanta Iudicum inferiorum auctoritas est. Generaliter enim mandandi ius non habent, sed specialiter duntaxat, si de hoc aut illo instrumento describendo publicandoque rogentur.[4] *Sine die.*

1 Guid. Pap. *quæst.* 2.

2 Est enim magna, in quacunque arte inter artifices differentia, *l. inter artifices* 31. *D. de solut.*

3 *Arg. l. obseruandum* 46. *D. de iudic.*

4 Quia plus est generaliter quam specialiter delegare: & quod

BIU Cujas

quod generaliter imperatur aut conceditur, legis quodammodo vim habet, cuius condendæ potestas penes solum Principem est, & penes eum magistratum, qui Principis vice fungatur, hactenus vt si non legem, saltem legi similem constitutionem facere possit, §. *quos autem, Inst. de bonor. possess.*

DEFINITIO VIII.

Clausula constituti non potest ex interuallo adiici, ne quidem consentientibus contrahentibus sine Iudicis auctoritate.

SI post confectum instrumentum, in quo non erat apposita clausula constituti, conuenerit inter contrahentes, vt eam Notarius adiiceret fauore creditoris,[1] placet non debere id fraudi esse posterioribus creditoribus, qui medio tempore contraxerunt,[2] adeoque peccare Notarium, qui eam clausulam ex postfacto adiiciat, licet consentientibus partibus, si non Iudicis quoque accedat auctoritas.[3] Iudex vero id ipsum permittere non aliter debet, quam hac addita cautione, vt nullum ex ea re aliis quorum interierit damnum inferatur:[4] ob eamque causam Notario districte præcipiendum est, vt instrumentum descripturus Iudicis quoque decretum inserat, ne alioqui eius decreti ignoratione facile decipiatur tertius, aduersus quem postea creditor acturus est ex illa clausula.[5] *Ita Senatus* in causa D. Henrici Bay, tum magistri Computorum, & Dominæ March. de la Chambre, Prid. Id. Decemb. 1590.

1 Non tam enim ex stylo Notarij adiicitur, quam ex voluntate contrahentium, vt de clausula codicillari tractat Bart. & post eum cæteri *ad l. 1. D. de iur. codicill.*

2 *Arg. l. 1. l. qui balneum 9. l. potior 11. ff. qui potior. in pign. hab.*

3 Vbi enim semel instrumentum perfectum est & redactum in mundum, officio suo functus est Notarius, siue bene, siue male, vt de Iudice scribitur *in l. Iudex posteaquam 55. D. de re iudic.* simile quiddam est, quod de corrigendo errore in data testamenti, scribit Guid. Pap. *quæst. 130.*

4 Semper enim illæsum seruandum est ius tertij, *l. de vnoquoque 47. eod. tit. l. 2. §. merito, & §. si quis à Principe. ff. ne quid in loc. publ.*

5 Implorato scilicet beneficio constitutionis Iustinianeæ, *in l. vlt. C. de acquir. poss.* secundum ea, quæ tractabimus *ad ill. tit.* ex Pragmaticorum nostrorum opinione.

DEFINITIO IX.

Errorem suum corrigere Notarius per se & sine Iudice quandoque potest.

ERrorem, qui in conscribendo instrumento solius Notarij facto & imperitia contigit, solus quoque Notarius sine Iudice corrigere potest, dummodo prius id faciat, quam alterutri contrahentium describserit instrumentum in publicam formam redactum:[1] tametsi in die, quo instrumentum confectum dicitur, erratum proponatur.[2] Iudicis tamen auctoritatem interuenire, in eamque rem audiri eos, qui contraxerunt, tutius est,[3] præsertim si erratum sit in substantialibus.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Bart. *in l. Imper. 2. ff. de stat. homin. & in l. si librarius, de reg. iur.*

2 *Arg. l. errore 7. vbi not. C. de testam. l. illicitas 6. §. veritas, D. de offic. præsid.*

3 Ne quid fiat inauditis iis, qui ex eiusmodi erroris correctione lædi possent, *l. nam ita 39. D. de adopt.* Præsentia enim Iudicis tollit omnem doli suspicionem, *l. non videntur 167. §. 1. de reg. iur. cum similib.*

4 Est enim grauior error, qui fit circa substantialia, & consequenter periculosior talis erroris correctio.

DEFINITIO X.

Producens instrumentum, in quo erratum sit, potest nihilominus errorem allegare & probare.

QVi produxit instrumentum, licet fidem eius suspectam facere aut productionem reuocare ex pœnitentia non possit, errorem tamen, cui non expressim ipse consenserit, & allegare & probare non prohibetur.[2] Semper enim veritati errorem cedere oportet,[3] ipsi autem onus probandi incumbet, non illa solum ratione, quod instrumentum produxerit,[4] sed etiam quia generale est, vt, qui errorem allegat, eum probare teneatur.[5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quia instrumentum productum in actis dicitur esse de actis, & consequenter commune. Osasch. Cacher. *decis. 39. nu. 41.* quem refert & sequitur Masuer. ad Ferrar. *in form. produc. instrum.* in verb. *exhibens & producens.*

2 *L. nec ignorans 10. C. de donat. l. 4. D. de pact. l. 1. & 2. C. plus valer. quod agit.* Textus est in *l. 4. C. de testam.*

3 *L. 1. vbi not. Cod. de error. falcid. l. si per errorem 15. D. de iurisd.*

4 Atque ita omnia in eo instrumento contenta approbauerit, *Auth. ad hæc, C. hoc tit.*

5 *L. si post diuisionem 4. l. cum testamentum 8. & pass. C. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XI.

Confessio Notarij falsum esse instrumentum confitentis non nocet contrahentibus, nisi aliæ sint probationes, & quales eæ esse debeant.

NOtario dicenti falsum à se confectum instrumentum propter suppositam à debitore dolo personam falsi creditoris, qui pecuniam sibi solutam profiteretur, non vsque adeo creditur, vt statim falsum dici debeat instrumentum,[1] quamuis id ex fide & persona Notarij præcipuas vires accipiat,[2] siue Notarius turpitudinem suam alleget,[3] quod euenit, si dolum à se participatum fateatur, siue causetur, facilitatem suam debitoris dolo circumuentam esse.[4] Fides enim illa publica, quam instrumentum semel habere cœpit, non ita facile labefactari potest in præiudicium eius, qui instrumento nititur,[5] præsertim cum ex eo crimen falsi contra producentem inducatur.[6] Nam si non auditur perire volens,[7] multo minus audietur, qui id agit, vt & ipse & alius pereat.[8] Ergo alias probationes ad falsum probandum conquiri oportebit, inter quas præcipua illa erit, si is, qui suppositus fuisse dicitur, id ipsum quoque fateatur.[9] Quod si testes instrumentarij consentiant, tum vero nullus ambigendi locus relinquitur:[10] idemque est, si testibus instrumentariis iam defunctis aut absentibus probetur per alios testes, alibi fuisse creditorem ea ipsa hora, qua contraxisse dicitur.[11] Sed hoc ita, si contrarias nullas pro instrumento probationes adferat reus, qui instrumento vtitur.[12] Hoc enim casu veritate in dubium reuocata, necessario habenda de reo quæstio est:[13] qui si patientia sua vim tormentorum fregerit, non idcirco absoluendus erit, sed pœna extraordinaria, puta ad triremes, aut perpetuas, aut temporales, pro Iudicis arbitrio condemnandus.[14] Adiecta etiam, si opus sit, pœna palinodiæ, & reste collo inducta, vt appareat, parum abesse, quin vltimo capitis supplicio affici debeat, qui eiusmodi probationibus premitur: pœna vero pecuniaria ob eam quoque causam debita pro modo patrimonij grauior aut leuior esse debet, itémque pro numero liberorum, quibus certe consulendum est, ne ex patris delicto innocentes illi perpetua laborent egestate.[15] *Ita Senatus*, contra Claudium Chappelle, 5. Calend. Maij 1591.

1 Ne sit in potestate Notarij contrahentium ius lædere, *arg. l. 2. D. quod vi aut clam, l. non debet alteri 74. de reg. iur.* Ius enim, quod vni ex contrahentibus semel fuit quæsitum ex instrumento publico, non debet ei auferri sine vllo ipsius facto,

BIU Cujas

arg.l.vlt.D.de pact l.Granius 71.§.pen.ff de fideiuss. vt de iure quæsito ex dicto testis scribit Iulius Clarus *in pract.crim.qu.53.num. 12.& 13.vers.cum enim.*

2 Ideo enim publica instrumenta dicuntur, quod fidem habeant publicam ex persona Notarij, qui publicum officium gerit, ideoque nec ab alio creari potest, quam à supremo Principe, aut ab eo, cui supremus Princeps permisit. Innoc.& alij *in c.cum P.tabellio.extr.de fid.instr.* Ferrar. *in form.prod.instr.* in verb. *exhibens & producens, num.10.*

3 Quod fieri non potest, *l.iusiurandum 17.* vbi Bart. *in §. Procurator, cum l.seq.in fin. D.de iureiur.l.mercalem 5. C. de condict.ob turp.caus.*

4 Sibi enim facilitatem suam quisque debet imputare, non alteri, *l.1.§.dolum, D.de eo, per quem fact.erit, l.3.§.pen. D.de in rem vers.*

5 *Ex legib.citat.num.1.*

6 Qui enim producit falsum instrumentum, & qui vtitur falso instrumento, dicitur falsum committere, *l.maiorem 4.C.de fals.* quamuis non puniatur, nisi sciuerit falsum. Iul.Clar. *in §. falsum, nu.23.& seq.*

7 *L.non tantum 6.in fin.ff.de appellat.*

8 *d.l.2.ff.quod vi aut clam.*

9 Nemo enim præsumitur sibi esse inimicus, sed potius proprium sanguinem velle redimere quibuscumque modis, *l. 1.D.de bon.eor.qui mort.sibi cons.*

10 Nam & plus crederetur testib.instrumentariis, quam Notario, cum agitur de falso criminaliter, vt dixi *Defin.15.sup. tit. prox.* Paul.*lib.5.sent.tit.25.§.5.* Text.est *in l.optimam 14. in fi. C. de contr.stipul.*

11 *d.l.optimam in fin.* Gothofr.*ad l.1.C.de testib.*

12 In dubio enim standum est instrumento, *l.cum res 12. l. cum precibus 18. C.de probat.*

13 Cum non sit ex suspicionibus iudicandum, *l.qui sententiam 16.C.de pœn.l.vlt.C.de probat.* præsertim si Notarius sit bonæ famæ. Guid. Pap. *quæst.129.nu.2.*

14 Non enim omnino absoluendus est, si tormentis addictus fuit sine præiudicio probationum.

15 *L.cum ratio vlt.D.de bon.damnat.* Excipe tamen casum singularem *l.quisquis 5.C.ad l.Iul.maiest.* Extra quem casum filius paterno odio prægrauari non debet, *l.si quis suo 33.§.1.C.de inoff. testam.l.sancimus 22.C.de pœn.*

DEFINITIO XII.

Instrumentis exemplum collatum cum originali parte citata, & mandante Iudice, plenissimam fidem facit.

EXemplum instrumenti ex alienis protocollis deumptum fidem numquam facit,[1] nisi cum authentico & protocollo collatum sit, præsente aut per contumaciam absente aduersario, si forte in eam rē legitimè citatus adesse collationi noluerit.[2] Quo nimirum casu si ex eius, qui contulit, relatione appareat, authenticum tale esse, vt eius fides suspecta fieri non possit, nihil supererit, quod aduersus exemplum obiiciatur.[3] Nec audiendus erit contumax, si aliam collationem sumptib. producentis fieri velit.[4] Plane si petat, vt præsente se noua collatio fiat suis impensis, non est ei denegandū.[5] *Ita Senatus* in causa Dominæ Comitissæ d'Antremons & de Monbel, contra D.de Monfleury, 3.Cal.Iun.1501.

1 Instrumentum enim debet scriptum esse aut saltem subscriptum manu propria illius Notarij, qui in eo describitur, alioqui non facit fidem, *l.si quis decurio 21.* vbi Cyn. *C. de fals.* Ferrar. *in form.oppos.contr.instr.* in verb. *aliisque de causis, num.3.* post Specul. *in tit. de instr.edit.§.postremo, vers.1.* Iunge *cap.1.extr. hoc tit.* Guid.Pap. *quæst.2.*

2 Nihil enim refert, an quid per se certum sit, an per relationem ad aliud, *l.certum est, 6.D.de reb.cred.* nec rursus an quis præsens fuerit, an euocatus, *l.etiam 29.§.vlt. D.de minor.* quia contumacia pro præsentia est. *Auth. quæ in prouincia, C.vbi de crim.agi oport.*

3 Eandem enim fidem faciet post legitimam collationem, quam faceret ipsum authenticum & originale.

4 Id enim esset actum agere, ac proinde frustra. Atqui neque lex, neque magistratus quicquam agere frustra vnquam debet, sicut neque natura, nec rursus superuacuis sumptibus litigatores onerare, *arg.l.6.D.de minor.l.hæc stipulatio 14.in fin.ff. vt legat.seu fid.caus.cau.*

5 Cum id sine aduersarij incommodo ac dispendio futurum sit, *l.in creditore 38. in fin.D.de euict.*

DEFINITIO XIII.

Non est permittendum, vt peregrino idiomate publica instrumenta conscribantur.

CAmillus Spinola Genuensis, cum pro Catholico Hispaniarum Rege Philippo Serenissimi Ducis nostri socero pleraque[1] in Camberij vrbe negotia tractaret, cum iis maxime ex nostratibus, qui Italici idiomatis peritiam habebant, postulabat à Senatu, vt quoniam Gallicæ linguæ ipse omnino ignarus esset, permitteretur Notario, quem conficiendis instrumentis adhibiturus erat, sermonem Italicum vsurparet. Non putauit Senatus id ei concedendum, nec quicquam hac parte iuri publico derogandum,[2] quo generaliter inductum & constitutum est, ne alio posthac quam nostro, id est, Gallico idiomate instrumenta per Notarios publicos conscribantur, cum antea non nisi Latine conscribi solerent.[3] Etsi enim nouum illud ius ea potissimum ratione institutum videtur, ne qua facile fraus fieret contrahentibus Latinæ linguæ omnino expertibus,[4] potuit tamen ea quoque ratio mouere Principem, quod è Reipublicæ nostræ dignitate non videretur vt peregrinum idioma, ac nec Latinum quidem, tametsi omnibus commune gentibus,[5] nostro præferri pateremur. Sicuti nec vnquam passuri sint Itali, aut Hispani, aut Germani, vt qui ex nostratibus apud eos contrahere velint, nostro in publicis instrumentis dictandis vtantur.[6] Nec ad rem facit, quod dici solet, ei, qui Latine interrogauerit, posse responderi Græce, dummodo congruenter respondeatur, & omni sermone concipi vtiliter verborum obligationem.[7] Aliud enim est, si quæratur de contrahenda obligatione, aliud si de conscribendo ad probationem contractæ obligationis publico instrumento. Prius quacunque lingua fieri potest, posterius non item, præsertim vbi lex in contrarium scripta est.[8] An igitur publicæ scripturæ commodo priuandus erit Italus, aut Hispanus, aut Germanus apud nos contracturus? Minime vero. Ad hoc enim fiunt publicæ scripturæ, vt & omnibus, ad quos res pertinet, & apud omnes prodesse possint.[9] An ergo cogendus erit, vt patiatur conscribi instrumentum eo idiomate, cuius nec ipse peritiam habeat, nec ij, apud quos sit ille postea instrumento vsurus? Ita sane:[10] sed hoc tamen, vice remedij, adhibito temperamento, vt instrumentum Gallice conscriptum Italicam accipiat interpretationem, in eamque rem bonus & fidus Interpres à contrahentibus eligatur, eoque facto non minor Italicæ quam Gallicæ scripturæ fides constet.[11] Sic enim fiet, vt neque iuri publico, neque priuatorum commodis iniuria vlla inferatur.[12] *Ita Senatus 6.Id.Iul.1591.*

1 Ne scilicet alioqui euenire necesse esset, vt tanti momenti negotia per alios tractare cogeretur, quæ putabat longe commodius & vtilius fore, vt per se ipsum tractaret. Ita enim comparatum est, vt diligentior quisque sit in rebus suis, quam in alienis tractandis, quia omnes malunt sibi bene esse quam alteri.

2 Nihil enim facile mutandum est ex solemnibus, *l. etsi nihil 183.de reg.iur.*

3 Cum enim ea sit generalis lex & determinatio, generaliter quoque omnes ligat, etiam aduenas & alienigenas in Sabaudia contrahentes, *arg.l.in fraudem 15.in fi. D.de testam.milit. l.1.§.generaliter, D.de legat.præst.*

4 Cum facto instrumento publico plus credatur scripturæ, quam contrahentibus, adeoque quam testibus, vt dixi *Defin.5. 5.tit.prox.*

5 Sicuti Roma ipsa communis patria est, *l.Roma 33. D. ad municip.*

6 Atque ita locus est edicto Prætoris, *Quod quisque iur.*

7 *L.1.§.vlt.D.de verb.oblig.*

8 Quia

BIU Cujas

8 Quia cum scripturæ publicæ totam vim suam & auctoritatem accipiant ab auctoritate Principis, vtique quod ad scripturas & instrumenta pertinet, lex scripta Principis omnino seruanda est, etiamsi maxime dura esset, *arg. l. prospexit D. qui & à quib. manum.*

9 Ad faciendam rei gestæ plenissimam probationem, *l. 4. D. hoc tit. l. 4. D. de pignor.*

10 Quoties enim nihil sine ratione inuestigari potest, id potius eligendum est, quod minus habeat iniquitatis, *l. quoties 200. de regul. iur.* & semper publicæ dignitatis ratio maior habenda est, quam priuatæ vtilitatis, *Auth. res quæ, C. commun. de legat.*

11 Silicet inter contrahentes, qui eum Interpretem elegerunt.

12 Atque ita omnibus optime consulatur, *arg. l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. cred.*

DEFINITIO XIV.

Quomodo dignoscatur contractus in scriptis à contractu scripto.

REfert valde, an in contractu ineundo conuenerit, vt de contractu instrumentum conficeretur, an potius vt contractus in scriptis fieret. Posteriore hoc casu non valet contractus, priusquam in scriptum & mundum redactus sit, [1] non solum si id specialiter actum sit, vt non aliter valeat, [2] sed etiam si de eo nihil dictum fuerit, ideoque interim locus est pœnitentiæ. [3] Priore vero non tam id actum intelligitur, vt contractus in scriptis fieret, quam vt sine scriptura initus perfectúsque ad futuram duntaxat rei memoriam describeretur. [4] Sed hoc ita, si non in ipso contractu ineundo conuenerit, vt Notarius adiretur, qui scripturam & instrumentum de contractu conficeret. Tunc enim, licet dici non possit, contractum in scriptis celebratum esse, quando non inde cœperit conuentio, [5] ob idque nec necesse sit conuentionem, vt perfecta dicatur, in scripturam mundam redigi, Notarium tamen adiri necesse est, priusquam contractus absolutus & perfectus dici possit, totumque proinde medium tempus alterutrius contrahentium pœnitentiam admittit, [6] non item si post conclusum negotium agatur, vt plerumque fit de rogando & adhibendo Notario. [7] *Ita tractatum est* ex tempore in secreto auditorio in causa N. Rey & N. Nant. Prid. Id. Feb. 1593. ibidemque relatum iam pridem sic placuisse Senatui in causa Dominorum Comitum de Grolee, & d'Entremons. Iunge Defin. 23. sup. de testib.

1 *L. contractus 17. C. hoc tit.*

2 Quo casu res non habet dubitationem, cum in stipulationibus cæterisque contractibus semper sequamur id, quod actum est, *l. semper 34. de reg. iur.*

3 Quasi nondum perfecto contractu, *vt in l. vlt. C. de contrah. empt.*

4 *Ex l. 4. D. de pignor. l. 4. D. hoc tit.*

5 Siquidem initium cuiusque contractus & conuentionis spectandum ad dignoscendam eius naturam & qualitatem, *l. si procuratorem 8. in princ. D. mandat. l. 1. §. si seruus 39. D. depos. l. si tantum 12. D. de SC. Macedon.*

6 Nihil enim actum videtur, quandiu aliquid supereſt agendum, *l. penult. in fin. C. de his quib. vt indign.*

7 Censetur enim hæc conuentio subiici in consequentiam & ad probationem perfecti contractus, non ad eius vim suspendendam, cum contractus, ex quo perfectus & absolutus est, non amplius sit voluntatis, sed necessitatis, *l. sicut 5. C. de obligat. & action.* Atque ita omnium apertissime ac iudicio meo exactissime Paul. Castrens. *ad d. l. contractus, num. 3. 4. 9.* & 10. iunctis iis, quæ ibidem tradit Bald. *col. 1. ad fin.* [Vide Boer. *quæst. 48. num. 17.* Adde alium casum in quo contractus non potest dici perfectus ante factam & completam scripturam. Scilicet si conuenerit de instrumento conficiendo postquam aliquid factum esset, puta postquam aliquis ratum habuisset contractum. Nam sicuti necesse est ratihabitionem fieri ante scripturam, ita fatendum est requiri hoc casu omnimodo scripturam, vt appareat nihil amplius agendum superesse, quia etiamsi nihil de scriptura dictum esset, conuentiones tamen cæteras omnes prius impletas esse oporteret, vt perfecta emptio dici posset, *l. 2. de in diem addict. l. si ex plagis §. 2. §. quidam, ad legem Aquil. Ita Senatus* pro Philippo Iaquenod, contra Petrum Rauier, Iulij 1613.]

DEFINITIO XV.

Non debet instrumentum obligatorium de pecunia credita exemplari, vt loquuntur, inaudita parte, quæ soluisse potest, obligatorij.

TAbellionem, qui authentici instrumenti iam semel traditi exemplum à se subscriptum [1] dat creditori inscio Iudice & inaudita parte, culpa non vacare constitit, [2] ideoque si summo contra eum iure agatur, puniri debere: lata enim culpa illa est & in officio, quæ proinde excusationem non meretur, [3] quamuis certum sit, ex eiusmodi exemplo nullum exequendi ius competere posse creditori, sed tantum impetrandi à Iudice, vt aduersarius in ius vocetur. [4] Quam ob causam in Comitatu Burgundiæ receptum audio, vt instrumenta obligatoria & guarentigiata, vt vocant, quæ non sunt perpetua tabellionum, protocollis non inserantur, vitandi scilicet huius periculi causa, ne in creditoris dolosi potestate sit colludente tabellione, aut nimis facilem ad obsequium se præbente, bis idem à debitore [5] aut eius heredibus factæ solutionis veritatem fortasse ignorantibus [6] exigere. *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de Belly D. des Eschelles, & Claudij Baussan, 3. Cal. Mart. 1593.

1 Exemplum enim instrumenti tantum probat, quantum exemplar ipsum & originale, quoties subscriptum est ab eodem ipso Notario. Bartol. *in authent. si quis in aliquo, Cod. de edend.* Masuer. ad Ferrar. *in form. pet. cop. instrum.* in verb. *copiam fieri, ante fin.*

2 Debet enim exemplum extrahi parte citata, quæ ex eo læsi potest. *Not. in d. Auth. si quis in aliquo.* Alex. *cons. 6. col. vlt. lib. 4.* Guid. Pap. *quæst. 471.* Castr. *in l. sancimus, C. de diuers. rescript.* Masuer. ad Ferrar. *vbi s.*

3 *L. nulli 3. C. quor. app. non recip.* lata enim culpa proxima est dolo, *l. quod Nerua 31. D. depos. l. latæ culpæ 223. l. magna negligentia 226. de verbor. signific.* Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 73. num. 3. & 4.*

4 Causam scilicet dicturus, propter quam non possit nec debeat ex eo instrumenti exemplo conueniri.

5 Contra bonam fidem, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic. l. bona fides 57. de regul. iur.*

6 Nam qui in alterius iura succedit, iustam habet ignorantiæ causam, vtrum id, quod petitur, debeatur, *l. qui in alterius 42. de reg. iur. l. vlt. D. pro suo.*

DEFINITIO XVI.

Protocollum an produci debeat, & cuius sumptibus, si instrumentum publicum nec suspectum producatur.

CVm prolatum est instrumentum publicum nullo vitio visibili suspectum non cogitur is, qui produxit, exhibere protocollum, siue statuti nostri verba inspicias, siue ius commune, [1] nec si aduersarius dicat, se paratum ex protocolli exhibitione falsi accusationem instituere; [2] secus est, si instrumentum primo intuitu, &, vt Pragmatici loquuntur, in prima sui apparentia falsi suspicionem præ se ferat, aut vitium aliquod habeat, [3] aliunde quam ex ipsa temporis antiquitate conflatum. [4] Tunc enim etiam ante inscriptionem & citra conscriptionis necessitatem cogendus est producens exhibere protocollum, sed vtrumque ita si exhiberi possit. Quid enim si dicatur & probetur deperditum? Iniquum sane fuerit ad impossibile quem vrgeri, dummodo purget se de dolo malo is, qui exhibere debuit, id est, iuret, sine dolo suo fuisse deperditum; [5] nec eo minus tamen falsi accusatio instituí poterit, cum alias falsitatis probationes habere aduersarius possit, puta ex comparatione literarum, [6]

BIU Cujas

sed & si in perquirendo protocollo diligentiam præstare velit is, qui exhibitionem eius desiderat, licere illi vtique debet, quamuis rite iam & eo vocato & auctore superiore facta sit protocolli perquisitio per eum, ad quem exhibendi necessitas pertinebat. Dixi, *eo vocato*, quoniam alioqui non potest rite facta videri perquisitio, [8] nisi eo demum casu, quo ex abundanti fieret, hoc est, ab eo, cui exhibendi protocolli necessitas iniungi non potuisset. [9] Finge, imperatam protocolli exhibitionem non tam ob suspicionem falsitatis, quam vt ex eius lectione sciretur, quid in producto instrumento scriptum esset, quod perlegi fortassis non posset propter deformatam atramenti aut papyri vitio scripturam per temporis antiquitatem. Hoc sane casu quantulacumque perquisitio sufficiet ad onus diligentioris perquisitionis transferendum in aduersarium, licet non vocata parte facta sit, satisque legi posse ea, quæ ad contractus substantiam pertinent. [10] Plane post institutam solemni inscriptione falsi accusationem ratio facit, vt qui instrumento nititur, ad protocolli exhibitionem teneatur, quoniam per inscriptionem cœpit esse suspectum, & minus integræ fidei & probationis. [11] *Ita Senatus* in causa N. Philiberti Fabri D. de la Tornelle, & D. de la Rochette, 8. Id. Maij, 1595.

1 *In l. cum quidam* 21. vbi Castrens. & alij, *C. hoc tit.* Rol. à Val. *cons.* 44. *nu.* 3. *vol.* 1.

2 Ferrar. *in form. opp. contr. instrum.* in verb. *dignoscitur esse falsum, nu.* 7. *ex l. minus graue* 7. *C. de testib. c.* 1. *extr. de probat.* vide tamen *Defin. seq.*

3 Vitia enim ista visibilia reddunt instrumentum suspectum & aliqnando vitiosum. *Ex trad. in cap. inter dilectos, de fid. instr. cap. cum venerabilis, ext. de relig. domib.* Ferrar. *in form. opp. contr. instr.* in verb. *tum quia est abrasum. Not. in l. vlt. C. de edict. diui. Hadr. tollend.*

4 Antiquitas enim auget, non minuit fidem. Crauet. late & pass. *de antiq. temp.* * vide textum elegantem *in Nouell.* 111. *hæc constit. in nou. constit.*

5 Perditio enim instrumenti tunc probata intelligitur, cum facta diligentia ex superioris auctoritate non reperitur, Boer. *quæst.* 15. *num.* 6. vbi addit, hoc accipi debere, vt succurri possit ei, cui nocet, perditum fuisse per alterum, non etiam ei, qui dicitur ipse perdidisse. Hic enim probare debet verisimilem aliquam causam amissionis. Sed tamen probatur etiam amissio instrumenti ex iureiurando, *l. vlt. C. hoc tit.* Papon. *tit. des moyens de faux*, §. 4.

6 *L. comparationes* 20. *vbi not. C. eod. tit.*

7 Qui enim se onerat probatione, nullam aduersario facit iniuriam, Castr. *ad l.* 3. *C. de non numer. pecun.*

8 Ad omnem enim actum citanda est pars, quæ ex eo actu lædi posset, *l. nam ita* 39. *D. de adopt. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.*

9 Nam quod posset non fieri, quoquo modo fieri potest, cum ea, quæ abundant, non vitient, *l. non solent* 94. *de reg. iur.*

10 Substantia enim cuiusque contractus in paucis consistit, & multiplicatio verborum, qua passim vtuntur Notarij, plerumque inutilis est, nec afficit rerum substantiam, *l. pediculis* 32. §. *Labeo, D. de aur. arg. mund.*

11 Quod non sit credendum, velle quem sine magnis ac pene indubitatis probationibus ad tam periculosam actionem instituendam accedere. *l. pen. & vlt. C. de probat.*

DEFINITIO XVII.

Quando possit protocolli exhibitio postulari.

VT quis sciat, an producti ab aduersario instrumenti fidem impugnare debeat instituta falsi accusatione, potest exhibitionem protocolli postulare, [1] nec prius quam exhibitum sit cogitur in crimen subscribere: [2] non tamen ita fieri editio debet, vt falsi accusationem minitanti tradatur protocollum, ne forte falsum ipse committat, [3] sed ita vt in manibus commissarij aut grapharij eius inspiciendi describendique copia fiat. [4] *Ita Senatus* in eadem causa in relationibus libellorum, 6. Id. Maij 1593.

1 At non contra aduersarium, vt dixi *Defin. præced. nu.* 2. sed contra Notarium, aut alium, qui habet penes se protocollum.

2 Aliter tamen Ioan. Papon. *lib.* 9. *syntagm. tit.* 10. *des moyens de faux*, §. 4. vbi ait faciendam primum inscriptionem, deinde facta inscriptione, antequam falsi probationes instruantur, exhiberi & adferri protocollum debere ab eo, qui nititur instrumento. Dixi *Defin. præced. num.* 11. [Et hanc sententiam Senatus noster plerumque secutus est. Scilicet cum prolata expeditio nihil suspecti habet. *Ita Senatus* in causa de qua *Defi.* 24. *nu.* 4. *i.*]

3 *Arg. l.* 1. §. *editiones, D. de edend.*

4 *Ex not. in l.* 1. *D. de testam. quemadm. aper.*

DEFINITIO XVIII.

Notæ Notarij quomodo per eum extendi possint, & quomodo per alium Notarium.

NOtarius, qui primam, &, vt vocant, matricem instrumenti scripturam confecit, ac pleraque breuiter, vt moris est, perscripsit, hac nota, &c. pluribus locis subiecta, [1] potest quidem in ampliorem formam, & in longiores clausulas instrumentum extendere etiam ex interuallo, sed ita tamen, vt nihil suppleat, quod ad actus & negotij, quo de agitur, substantiam pertineat, verum clausulas duntaxat consuetas adiiciat, aut si qua sint verba ambigua, vel ita generalia, vt commodam interpretationē admittant, ea interpretetur. [2] Credendus enim est, si bonæ & probatæ famæ sit, [3] eam interpretationem facere ex testatoris aut contrahentium voluntate, quam habeat perspectam. [4] Sed si ab alio Notario, quam qui stipulatus est, extendatur scriptura instrumenti, hactenus ei licet vt clausulas consuetas interserat, iuxta eum stylum, quem defuncto Notario constat fuisse familiarem, non etiam vt quicquam suppleat vel interpretetur. [5] Itaque cum in matrice scriptura sic esset scriptum, *volo vt de vno ipsorum bona mea perueniant ad alios*, Placuit, Notarium, qui testamentum exceperat, interpretationis loco potuisse sic extendere, vt scriberet *de vno ipsorum institutorum & substitutorum*, quoniam interpretatio hæc potius, quam suppletio dicenda est. [6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 30. & 31. infr. de fideic.

1 Nam & inde dicti sunt Notarij, quod vt plurimum scriberent notis, *l. Lucius* 40. *in princ. D. de testam. milit.* Vide Cuiac. *lib.* 3. *obseru. c.* 3.

2 Et hoc demum sensu potest recipi, quod tradit Guid. Pap. *deci.* 129. vbi etiam Apostill. in verb. *extendere* post Bald. *in rubr. C. de fid. instrum. col.* 6. *vers. quarto quæritur.*

3 Quod vnum maxime inspiciendum est, quoties de instrumenti veritate aut falsitate quæritur. Guid. Pap. *dict. quæst.* 129. *num.* 2. vbi etiam Apostill.

4 Non enim facile credendus quisquam est velle falsum committere vt tractat Ferrar. quamuis imprudenter disputant contra Iureconsultum, *in form. petend. cop. instrum.* in verb. *cum anno, mense & die, versic. certe hæc ratio.*

5 Bart. *in l. argentarius, D. de edend. & in l. Gallus*, § *idem credendum*, vbi Apostill. & alij Doctores, *D. de liber. & posth.*

6 Aliud enim est supplere aliud vero declarare, *arg. l. here: des palam* 21. §. 1. *vers. D. qui testam. fac. poss.*

DEFINITIO XIX.

De instrumento per Notarium vni ex contrahentibus tradito ante subscriptionem, & postea subscripto absente parte.

NOtarius post stipulationem instrumentum nondum à se, & à contrahentibus testibusve subscriptum, consentiente altero contrahentium, [1] alteri tradidit, vt antiquioris cuiusdam instrumenti in eo relati diem adscriberet, [2] ac post biennium idem instrumentum subsignauit, & tam à testibus, quam ab eo cui ipsum tradiderat subsignari curauit, præsente etiam & auctoritatem præstante iudice, sed non vocato per iudicis imperitiam, [3] altero ex contrahentibus, cuius interesset, &

BIU Cujas

intererat, & inauditis quoque iis, qui eiusdem instrumenti exhibitionem, quasi sua interesset, apud iudicem postulauerant. [4] Culpa vacare non videtur, tametsi eius qui subscriptioni non adfuit consensus ex postfacto accedat. Cum poterat inconsulta illa Notarij facilitas etiam citra dolum præbere materiam falsitatis, vt ad voluntatem eius ex contrahentibus, qui instrumentum penes se tamdiu retinuerat, vnum instrumentum pro alio subiiceretur. [5] Nec tamen eo magis audiendus erit, qui falsum & suppositum instrumentum volet dicere, nisi paratus sit criminalem instituere falsi accusationem, [6] quia sufficit, vt quo tempore instrumentum exhibetur, formam habeat publicam, quæ vel ex sola Notarij subscriptione æstimatur, [7] quandoque adposita sit, quamuis neque contrahentes, neque testes subscripserint. [8] Ideoque tanto magis puniendus est notarius, pœna tamen pecuniaria non corporali, [9] qui in officio deliquerit, [10] etiamsi neque falsum interueniisse, neque dolo malo quicquam factum fuisse probetur. [11] *Ita Senatus* in causa Stephani Mochet, & Michaelis Duplan, 16. Cal. Aug. 1593.

1 Qui proinde nullam videri poterat in eo feciſſe iniuriam, cum iniuria non fiat volenti, *l. in diem 9. §. 1. de aqua & aq. pluu. arcend. l. nemo videtur 145. de reg. iur.*

2 Ne quid ſcilicet inſtrumento deeſſet.

3 Debuerat enim iudex præcipere, vt vocaretur quiſquis ex eo actu lædi poſſet, *l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt.*

4 Poſſunt enim exhibitionem inſtrumenti petere omnes quorum intereſt, *l. ſi quis ex argentariis, §. pertinere.* vbi Bart. *D. de edend. l. cum plures 15. de rebus auctor. iudic. poſſid.* Ferrar. *in form. pet. cop. inſtr.* in verb. *cum anno, n. 3. & 4.*

5 Delinquit enim is quoque, qui delinquendi materiam & occaſionem alij præſtat. Et qui occaſionem damni dat damnum dare videtur, *l. is damnum dat 169.* vbi notat, *de regul. iur.* debuerat namque notarius prouidere, quod poſſet hoc euenire, *argum. l. ſi quis domum 9. §. 1. locat l. 1. §. editiones, D. de edend.*

6 Non enim bona conſequutio eſt, ſi quis dicat falſificatum fuiſſe inſtrumentum ob id ſolum, quod falſificari potuerit. Cum probatio debeat eſſe concludens, *l. penult. & vlt. C. de probat.*

7 *Not. in cap quoniam contra falſum, Extr. de probat.* Ferrar. *in form. produc. inſtrum.* in verb. *exhibens & producens, num. 12.*

8 Niſi cum ea forma & ſolemnitas ſtatuto & lege municipali præſcripta eſt, quomodo apud nos extat Senatuſconſultum, quo iubentur notarij facere, vt tam à teſtibus, quàm à contrahentibus ſi literas ſciant inſtrumenta ſubſcribantur. Neque tamen id Senatuſconſultum ad teſtamenta pertinet, ſed tantum ad contractus, vt ex eius verbis apparet.

9 Mitius enim puniendus eſt qui caret dolo.

10 Qui enim delinquit in officio ſuo veniam non meretur. Ferrar. *in form. oppon. contr. inſtr.* in verb. *non fuit, num. 5. ex l. ſi quis aliquid. C. de ſuſcept. & archar. lib. 12.*

11 Quamuis falſitas cauſata per errorem non ſit punibilis, vt tractat Maſuer. ad Ferrar. vbi ſupr. in verb. *caret formis, in fin.* Iunge *Defin. ſeqq.*

DEFINITIO XX.

Non poteſt citra ſolemnem falſi accuſationem negari notariatus eius, qui tanquam notarius inſtrumentum redegit in formam publicam.

LIcet non probetur quis notarius ex eo ſolo, quod tanquam talis publica fide ſæpius ſtipulatus proponatur, [1] qui tamen negat eum fuiſſe notarium, in falſi crimen ſubſcribere debet, [2] nec aliter audiri, ne alioqui facile ſit publicæ cuiuſque ſcripturæ fidem ſola inficiatione conuellere. [3] Sed etſi eiuſmodi inſtrumenti authentici deſcriptio facta ſit, iubente & auctoritatem præſtante iudice, licet inter alias partes, dummodo à notario publico exemplum ſubſcriptum ſit, æque neceſſaria erit ad illud impugnandum ſolemnis falſi accuſatio, [4] niſi quod petere poteſt is, quo abſente exemplum factum eſt, vt authentica ſcriptura exhibeatur, [5] ſed ipſius petentis non producentis ſumptibus ea exhibitio & collatio fieri debebit, cum ſcriptura, quæ producitur in prima ſui figura vitium viſibile non habet. [6] *Ita Senatus* ex tempore in ſecreto auditorio, 5. Idib. Febr. 1594. in cauſa D. de la Serra, & D. Franciſci de Bordeaux.

1 Niſi etiam illud concurrat, vt communi voce & fama ab omnibus vicinis reputatus ſit pro tabellione, & eius inſtrumentis tanquam publicis fuerit adhibita fides, tam in iudicio quam extra vt tractat Ferrar. *in form oppon. contr. inſtru.* in verb. *non fuit, nec eſt publicus*, ex not. per DD. *in l. Barbarius, de offic. prætor. & in cap. ad probandum, Extr. de re iudic. & in cap. inter dilectos, Extr. hoc tit. de fid. inſtr.*

2 Quia falſum committit quiſquis in ſubſcriptione dicit ſe notarium, cum non ſit. Ferrar. vbi *num. 3. ex l. 2. D. hoc tit. l. fin. C. de edict. Diui Hadr. toll. l. 2. D. teſtam. quem. aper.*

3 Inficiatio enim poteſt quidem facere rem dubiam, *l. vlt. C. quibus ad libert. proclam. non licet*, ſed non ideo tollere veritatis præſumptionem, quæ facit pro inſtrumento, *l. cum res 12. & l. cum precibus 18. C. de probat.*

4 Dicitur enim publicum inſtrumentum etiam illud, quod ex iudicis auctoritate publicatum eſt, *l. publicati, vbi not. C. de teſtam.* Ferrar. *in form. produc. inſtrum.* in verb. *exhibens & producens, num. 12. verſ. tertio dicitur.*

5 *Not. in auth. ſi quis in aliquo, C. de edend.*

6 Dixi *Defin. 12. num. 4. & 5.*

DEFINITIO XXI.

Inſtrumentum, nec ſcriptum, nec ſubſcriptum à notario, & tamen repertum in protocollo non probat, maxime ſi aliunde eſt ſuſpectum.

INſtrumentum, quod neque ſcriptum neque ſubſcriptum eſt à notario, fidem nullam facere poteſt, [1] licet repertum ſit in notarij protocollo. [2] Nec aliud erit, tametſi in extrema protocolli pagina notarius, vt fieri ſolet, omnia ante ſcripta inſtrumenta, licet aliena manu exarata, tanquam dictante & ſtipulante ſe conſcripta adprobauerit, [3] niſi ex præcedentibus aut ſubſequentibus paginis appareat eo protocolli ordine ſcriptum eſſe inſtrumentum, de quo agitur, vt neque fraus neque falſum committi potuerit. [4] Finge ſcriptum charactere multo recentiore, quam cuius vulgaris vſus erat notarij temporibus. Finge ſcriptum alio planeque diuerſo ſtylo, & in ea pagina in qua nihil aliud ſcriptum ſit notarij manu. Finge repertum protocollum in domo & poteſtate producentis. [5] Quid ſi debitor ipſe qui eo inſtrumento liberatus dicitur, cum ad ſolutionem, quaſi non ſoluiſſet, vrgeretur paſſus fuit ſe condemnari, nec ſolutionem vnquam allegauit, [6] quam tamen ſi à ſe facta fuiſſet, ignorare probabiliter non potuiſſet? [7] His coniecturis aliiſue ſimilibus concurrentibus haud dubie ſuſpecta erit fides inſtrumenti, [8] vt ad ipſum proinde generalis notarij adprobatio & ſubſcriptio non videatur pertinere. [9] Itaque non erit neceſſe, vt qui falſum dicet, falſi accuſationem criminalem cum ſolemni inſcriptione peragat: quod vtique eſſet neceſſe, ſi inſtrumentum ipſum à notario ſcriptum aut ſubſcriptum, aliterue vel minima literula adprobatum proponeretur. [10] Et ad hunc maxime caſum pertinet, quod conſtitutum eſt eos, qui ſuſpectas ſcripturas comminiſcuntur tanquam falſarios eſſe puniendos, niſi veritatem iis adeſſe probauerint. [11] Neque enim probatione onerandus eſt is, qui inſtrumentum ab aduerſario productum dicit eſſe ſuſpectum, ſi publicam illud fidem non habeat, [12] errantque miſere qui conſtitutionis eam ſententiam eſſe putant, [13] vt qui ſuſpectum dicit inſtrumentum, ſi non probet falſum eſſe, perinde ac falſarius ipſe puniatur. Repugnant enim legis verba, cum longe aliud ſit inſtrumentum falſum dicere, aliud vero ſuſpectam ſcripturam comminiſci. Comminiſcitur enim non qui accuſat, ſed qui vtitur inſtrumento. [14] *Ita Senatus*

BIU Cujas

in causa Dominorum de Marest, & N. Annæ de Menthon, 15. Cal. Mart. 1594.

1 Est enim subscriptio notarij vnum de essentialibus instrumenti, *l. generaliter, vbi not. C. de tabell. lib.* 10. Ferrar. *in for. produc. instrum.* in verb. *exhibens & producens*, *num.* 8. Iunge *Defin.* 25. *num.* 1. j.

2 Cum nihil vetat etiam falsum instrumentum inseri protocollo vero.

3 Quæ tamen generalis subscriptio sufficit ad validanda omnia instrumenta in eodem protocollo scripta manu notarij, quamuis non subscripta, Ferrar. vbi supra *num.* 6.

4 Tunc enim probatio erit concludens & indubitata, quod instrumentum non sit falsum, si ea quæ scripta sunt cum iis congruant quæ scribi debuerunt; *l. vnum ex familia* 67. *§ si omissæ, de leg.* 2.

5 Hæc siquidem omnia præbent coniecturam & suspicionem non leuem falsitatis, & ideo transferunt onus probandi in eum qui producit instrumentum, etiam citra solemnem falsi accusationem.

6 Cum tamen nemo præsumatur velle iactare suum, *l. cum de indebito* 25. *D. de probat.*

7 *L. quanquam* 7. *ad SC. Velleian.*

8 Nam quod non est verisimile, habet imaginem & speciem quandam falsitatis, *l. vlt. in princ. D. quod met. caus.*

9 Verba enim generalia semper ex eo, quod verisimile est, recipere debent interpretationem, *l.* 1. vbi Bald. *D. test. quemad. aper.* & restringuntur ad similia, non ad dissimilia, *l. vltim. D. de tritic. vinc. vel oleo legat.*

10 Postquam placuit de falso ciuiliter agi hodie non posse, sed agendum esse necessario criminaliter per inscriptionem solemnem falsi, vt sæpius diximus in præcedentibus.

11 *L. iubemus, penult. C. de probat.*

12 *Arg. d. l.* 1. *§. vlt. D. testam quemadm. aper.*

13 Ioan. Papon. *lib.* 9. *syntagm tit.* 10. *des moyens de faux, nu.* 4.

14 Et sensus constitutionis haud dubie ille est, vt non magis liceat vti suspectis, quam falsis scripturis.

DEFINITIO XXII.

Casus, in quo instrumentum à duobus notariis exceptum, & ab vno tantum subscriptum plene probat.

EXcepto à duobus notariis instrumento, etsi vtriusque subscriptio necessaria est ad vtilitatem instrumenti, si non proponantur ambo in solidum rogati, [1] fieri tamen interdum potest, vt vnius subscriptio sufficiat, vtputa si instrumentum proferatur ab antiquo, vt loquuntur, grossatum & expeditum: Antiquitas enim temporis facere debet, vt præsumendum sit instrumentum à duobus notariis originaliter subscriptum, licet ab vno duntaxat descriptum sit. [2] Quid ergo si prima illa & originalis scriptura proferatur ab vno tantum notario subscripta? Non faciet antiquitas tẽporis, vt inducatur præsumptio contraria veritati, de qua appareat. [3] Sed tamen facere adhuc poterit, vt quilibet ex notariis præsumendus sit in solidum rogatus, nõ solum vt actus valeat, [4] qui alioquin probationis defectu corrueret, [5] sed etiam quia rogatum fuisse quemlibet ex notariis probari fortasse posset, ni antiquitas temporis obstaret, quam proinde æquum est supplere defectũ probationum. [6] Erit vero fortissima illa & indubitata præsumptio, quod singuli notarij sint rogati, si vnusquisque ex notariis instrumentum separatim conscripserit, & in propriis protocollis. [7] Maxime vero si de testamento, aut alia vltima voluntate agatur, [8] non de contractu. Nam cum contractus ex duorum consensu cõstet, [9] credibile est adhibitis in vno contractu pluribus notariis, non æque vnius ex iis fidem vtrique contrahẽtium fuisse exploratam. [10] At in testamentis aliisque vltimis voluntatibus, quæ ex vnius hominis pendent voluntate, [11] verisimile est plures adhibitos notarios, non tam falsitatis metu, quam ea cogitatione, ne tam facile probatio intercideret, si forte, vt plerumque fit, vnius ex notariis chartæ iniuria temporum & vetustate perirent. [12] *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Bordeaux, contra Dn. Bonam de Coste, Dominam de la Serra, 15. Calend. Mart. 1595.

1 Dixi *Defin.* 1. *§. eod.* vbi vide, Præsertim in *alleg. num.* 2.

2 Siquidem solet antiquitas temporis facere, vt omnia solemniter acta præsumantur, *l. sciendum*, 30. *vbi not. D. de verbor. obligat.*

3 Semper enim præsumptio cedit veritati, *l. si chirographum* 24. *& seq. l. Imperatores* 29. *in fin. D. de probat.*

4 In dubio enim faciendũ est, vt actus valeat potius, quam vt pereat, *l. quoties* 12. *D. de reb. dub. l. quoties* 80. *de verb. oblig.* Maligna enim est interpretatio, per quam id agitur vt actus destruatur, *l. si ita stipulatus* 126. *§. Chrysogonus, eod. tit.*

5 Cum tamen probationes tanquã fauorabiles semper sint adiuuandæ, *l. in lege* 40 *D. ad leg. Aquil. l. curent* 22. *de testib.*

6 Inde namque est, quod dicimus possessionem immemorialem habere vim tituli, *l. hoc iure* 3. *ductus aquæ. D. de aqua quotid. & æst. l.* 1. *§. vlt. & l. vlt. D. de aqua & aq. pluu. arcend.*

7 Nihil enim possunt separatim facere, quibus aliquid faciendum coniunctim mandatum est, *l. pluribus* 32. *vbi not. D. de procurat.*

8 Quæ semper fauorabilior est, *l.* 1. *C. de sacros. eccles. l. vel negare* 6. *D. de testam. quemadm. aper.*

9 Vt pactum quodlibet, *l.* 1. *D. de pact. in princ. D. de pollicit.*

10 Et ideo adhibitos duos notarios, vt sibi quisque ex contrahentibus caueret.

11 Vltimas enim voluntates per se firmas esse oportet, non ex alieno arbitrio pendere, *l. illa institutio, D. de hered. instit.*

12 Eam nempe ob causam potissimum chartæ & scripturæ fiunt, vt rerum gestarum probatio salua sit, *l contrahitur* 4. *D. de pignor. l.* 4. *D. hoc tit.*

DEFINITIO XXIII.

Scripturæ priuatæ recognitio semper facienda est, nec tantum subscriptionis, sed etiam notæ quæ subiecta sit loco subscriptionis.

QVidam ignarus literarum, cum pecuniam mutuam acciperet, cauerat priuata cautione à pluribus testibus subscripta, eam se pecuniam ex mutuo causa debere: & cum subscribere ipse non posset, notulam quandam propria manu adscripserat. [1] Postea scripturæ fide à possessoribus bonorum debitoris in dubium reuocata, petebat creditor, vt ad probandum admitteretur, [2] possessores negabant admittendum, quod chirographum non posset dici, [3] quando neque scripsisset quicquam debitor, neque subscripsisset. Visum est non eo minus admitti probationes debere, [4] cum non figura literarum, sed oratione quam exprimunt literę obligatio contrahatur, [5] nihilque interfit, an propria manu quis subscripserit, an notam aliquam adscripserit, quæ subscriptionis instar esse possit. [6] Nam etsi neque subscriptio neque adscriptio vlla proponeretur, quærendum adhuc esset de fide subscriptionis testium quæ pro debitoris subscriptione sufficere deberet. [7] *Ita Senatus*, 13. Cal. Maij 1595.

1 Vt facere solent rustici nostri qui literarum rudes sunt, etiam cum in iudicio tanquam testes audiuntur.

2 Nec enim scriptura priuata fidem facit, nisi recognoscatur, *l.* 1. *l. cum ab initio* 4. *& tot. tit. D. testam. quemadm. aper.*

3 Ipsa enim nominis etymologia ostendit, chirographum nihil aliud esse, quam quod propria manu scriptum est.

4 Omnibus enim modis agere bonus iudex debet, vt rei gestæ veritas habeatur, *l. curent* 22. *D. de testib.*

5 *L non figura* 38. *C. de oblig. & action.*

9 Nihil enim refert, quid ex æquipollentibus fiat, *l. mulieri* 22. *D. ad SC. Trebell. & vulgar.*

7 Viderentur tamen hoc casu tres ad minus testes requiri, si debitum excederet quinquaginta libras auri, etiamsi debitor ipse chirographum scripsisset, vel subscripsisset, *ex l. vlt. C. si cert. petat.* In imperito autem literarum quinq; testes requiruntur, si cõtractus libram auri excedat, *Nouell.* 73. *de instrum. cautel. & fid. cap.* 8. *§. oportet vero.* Alio tamen iure vtimur, quia etiam nulla interueniente scriptura sufficeret probari numeratione pecuniæ per duos testes. Vide *l. cum tabernam* 34. *§. idem quæsit. D. de pign.* & Dion. Gothofr. *ad l. scripturas* 11. *C. qui potior. in pign hab.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXIV.

Matrix & originalis scriptura præualet protocollo, & protocollum instrumento.

SI instrumentum in publicam formam redactum exhibeatur, nullum habens vitium visibile, [1] sed etsi protocollum æque authenticum sit, & eiusmodi, quod publicam fidē habere debeat, [2] potest tamen interdum fieri, vt impugnari possit citra falsi accusationem, [3] nimirum si aduersarius paratus sit matricem, vt vocāt, & originalem scripturā edere, ex qua appareat aliter conceptam fuisse stipulationem. [4] Nam sicuti standum potius est protocollo, quam expeditioni, ita & magis originali ac matrici scripturæ potius quam protocollo. [5] Quid si matrix quoque ipsa suspecta sit? Omnia ex eo solo suspecta fient. [6] Itaque ex aliis aut anterioribus, aut posterioribus instrumentis, aliisve probationum adminiculis æstimandum erit, quid sit in veritate. [7] *Ita Senatus* pro N. Andræa de Poipon, D. du Chaney, contra D. du Rosey, 5. Id. Iun. 1595.

1 Quo casu standum est instrumento, vt dixi *Defin.* 16. ℨ.

2 Puta totum scriptum subscriptumque à notario, vt dixi *Defin.* 21. ℨ.

3 Contra vulgares iuris nostri regulas.

4 Cuiusque enim rei origo spectanda est, à qua velut à fonte cætera omnia profluunt. Matrix autem scriptura est scheda seu nota & abbreuiatura, & minuta, vt pragmatici nostri loquuntur, ex qua sumitur protocollum: Protocollum vero id, ex quo sumitur instrumentum, & eius expeditio in publicam formam redacta. [Ideoque nimirum is, qui exhibet matricem scripturam nunquam cogendus est exhibere protocollum cum fides protocolli ex matrice scriptura æstimandum sit non contra. *Ita Senatus* in causa D. de Chaffardon & Petri Cusin, 3. Cal. Decembr. 1613. vbi etiam conclusum est non eo minus valere matricem scripturam, quod in protocollum non sit redacta, dummodo à notario & à contrahentibus testibusque, qui literas sciant subscripta sit, licet non eo minùs puniendus sit notarius qui in protocollum & in ordinem redigere eam debuit. Nec enim culpa notarij contrahentibus fraudi esse oportet. Sed & ibidem conclusum est, Eum qui profert instrumenti expeditionem nullo vitio laborantem nec suspectam, non esse cogendum exhibere protocollum, licet dicat aduersarius paratum se in crimen falsi subscribere statim atque protocollum inspexerit. Tunc enim id obtinet cum expeditio habet aliquid suspecti. Et sic intelligenda est *Defin.* 17. ℨ. Planè post solemnem inscriptionem si dubitetur non de fide aut conceptione verborum alicuius clausulæ, sed de tota substantia instrumenti, quod negetur vnquam factum fuisse, non sufficiet exhibitio matricis scripturæ, sed etiam protocollum edi oportebit, Ex cuius scilicet inspectione si aliquod sit, multa possunt probari & colligi quæ falsi suspicionem vel augere possint vel delere. Quod si nullum sit protocollum, tanto suspectior erit scheda quam vocant minutam præsertim si minutarium nullum reperiatur & minuta vlla in manibus partis sit non penes notarium. *Ita Senatus* in eadem causa Ant. de Chaffardon & Petri Cusin, 10. Iun. 1614.

5 Nam etsi duo sint instrumenta originalia, adhuc tamen stabimus magis originali, *Nouell.* 44. *de tabell. §. fin.* Bald. *ad leg. Sempronius* 47. *de leg.* 2. Dixi *Defin.* 3. ℨ.

6 Falsum namque in totum est quod veritatis primordio non adiuuatur, *l. cum filius* 76. *§. heres meus, de legat.* 2.

7 *L. pen. & vlt. C. de probat. l.* 3. *D. de testib.* Vide omnino Masuer. cum aliis per eum citatis ad Ferrar. *in form. oppon. contr. instrum.* in verb. *dignoscitur esse falsum*, in verb. *protocollum.*

DEFINITIO XXV.

Si exemplum instrumenti deperditi consentiat cum scheda notarij plene probat, non aliter, nisi aliæ adsint probationes.

EX instrumenti obligatorij, quod deperditum dicitur, exemplo non potest sequi condemnatio, siue prouisionalis, siue diffinitiua, siue matrix scriptura proferatur, [1] qua tamen prolata, si debitor nihil probet, condemnandus est: [2] Sed interea & pendente lite nihil contra eum decernendum est, quia præsumptio facit contra creditorem, qui instrumentum obligatorium penes se habere deberet, si solutum non esset; [3] nisi forte ex vsurarum solutione, aut debitoris confessione, aut qua alia ratione appareat, debitum adhuc esse. [4] *Ita Senatus* ex tempore in causa N. Abelli Bessonet, & heredum D. de Rossillion, Id. Sept. 1595.

1 *Cap. 1. Extr. hoc tit. de fid. instrum.* [Idem intellige de scriptura etiam quæ à Senatore subscribi debuerit. Non enim aliter valet quam si subscripta sit à Senatore ipso, & quidem eo tempore quo scriptura primùm profertur. Nam si ex interuallo Senator attestetur ita rem gestam esse vt scripta est à grapharo, quamuis ei attestationi subscribat, non tamen censetur ea scriptura solemnis esse, potestque impugnari citra solemnem falsi inscriptionem, quod tamen fieri non posset si à Senatore simul & ab eius grapharo subscripta proponeretur, siue tanquam authentica proferatur, siue tanquam exemplum desumptum ex authentica, de qua non constet. *Ita Senatus* in causa D. Prioris de Beluaux, 22. Ianuar. 1611. Iunge *D. fin.* 2. ℨ. *nu.* 1. & 10.]

2 Cum matrix scriptura maiorem vim habeat, quam protocollum, vt dixi *Defin. præced.*

3 Solet enim facta solutione instrumentum reddi debitori, *l. solutione* 18. *D. ad exhib. l. qui tabulas* 27. *de furt.*

4 *L. sicut* 5. *C. hoc tit.*

DEFINITIO XXVI.

Aliena instrumenta quando possint ab alio notario expediri.

EX viuentis notarij protocollis non potest alius notarius publicum instrumentum excerpere, nisi si notarius ille impeditus proponatur, ne instrumentum describere ipse possit. Quod cum euenit parum refert, an mandante notario ipso, qui impeditus est, an vero iudice, alius notarius in eam rem adhibeatur. [1] *Sine die.*

1 Afflict. *decis.* 6. Ferrar. *in form. produc. instrum.* in verb. *exhibens & producens, num.* 6.

DEFINITIO XXVII.

Cuius sumptibus fieri debeat exhibitio protocolli.

QVoties protocolli aut matricis scripturæ exhibitio desideratur, fieri debet sumptibus requirentis, siue actor ille sit, siue reus. [1] Sed si neuter requirat, officioque iudicis eam exhibitionem fieri oporteat, eius sumptibus facienda est, qui instrumento suspecto nititur, [2] *Ita Senatus* in causa Collat, & N. Abellis Bessonet, 7. Mart. 1597.

1 *L. prætor ait* 4. *§. vltim. D. de edend. l. nisi malit* 11. *D. de rei vind.*

2 Quia præsumptio est contra eum qui vtitur & nititur instrumento suspecto; adeo, vt nec tale instrumentum probet, si suspicio falsi resultet ex inspectione scripturæ, Castr. *in l. iubemus, C. de probat.* vel si sint duæ suspiciones. Craueta. *consil.* 134 Gabriel. *lib.* 7. *commun. opin. de crimin. concl.* 6. *num.* 5. 16. *& per totum.*

DEFINITIO XXVIII.

Reexpeditio instrumenti ex alienis protocollis quas solemnitates requirat.

ITerata instrumenti expeditio, quam vulgo reassumptionem, Itali nostri reexpeditionem vocant, si ab alio Notario fiat regulariter, non nisi octo illis concurrentibus fieri potest, [1] vt petentibus iis, quorum interest, vt auctoritate iudicis, vt à notario, vt fideliter nullo mutato, addito vel detracto, vt in publicam formam redigatur, vt vocatis iis omnibus quorum interest, vt notario qui fuerat rogatus iam mortuo, vel impedito ex aliqua causa longum temporis tractum habēte, vt denique notarius reducat notam in protocollum.

BIU Cujas

itaque cum notarius quidam rogatus in exilium ex causa criminis damnatus esset, visum est posse decretum Iudicis ordinarij sufficere, vt alij notario ex ea re expediendi instrumenti potestas detur, [3] neque hic locum habere, quod alioqui iactari solet, quandiu viuit notarius, qui instrumentum fecit, non posse ex ipsius protocollo per alium reassumi instrumentum, [3] nisi ex ipsius mandato. [4] Quid enim refert, an mortuus sit notarius, an ita absens, vt non magis operam suam in hanc rem præbere possit, quam si esset mortuus? [5] Obseruandum tamen est eo casu, quo sola iudicis auctoritas interueniat, non debere notarium dicere se rogatum, sed auctoritati magistratus acceptum referre, ac præterea testes, qui contractui interfuerunt, reexpeditioni subscribere oportere. [6] *Sine die.*

1 Afflict. *decis.6.num.2.* post Abbat. *in cap. cum Tabellio, Extr. de fid. instrum.*

2 Quod enim notarius ipse facere potest, quidni eo absente poterit fieri per iudicem supplentem tactum partis, quod etiam lex ipsa interdum supplet? *l.vlt.C.si mancip. ita fuer. alien. l.4.C.si in caus. iudic. pign. cap. sit.*

3 Text. *in Auth. de Tabellion.* Bart. *in l. de offic. cons. & in l. quædam, §. nihil, D. de edend.* Alex. *cons.129.vol.1.* Afflict. *d. decis.6. num.1.*

4 Quo tamen casu notarius, qui mandauit debet ipse subscribere, Alex. *d. cons.129.vol.1.* Ant. *in cap. inter dilectos 8. Cod. de fid. instrum.* Afflict. *vbi s. num.2.*

5 *L.vlt.C. de bon. quæ liber.* Maxime si habeatur absens pro mortuo, vtputa si sit rebellis, vt in casu Afflicti ex notat. per Angel. *in l. quisquis 5. Cod. ad legem Iuliam maiest. & in l.1. §. fin. de bon. possess. contr. tabul.* Nam rebellis amittit omnia quæ iunt iuris ciuilis, *l. amissione, §. qui desiunt, D. de cap. dimin.* & consequenter etiam notariatum, Bald. *in tit. de pac. constant. §. nos Romanorum.*

6 Afflict. *dict. decis.6. in fin.* adde Papiens. *in form. pet. cop. instrum. versicul. cum anno, num.3.* Roland à Valle. *cons.26.num.16. vol.3.* Iunge *Nouell.44. de tabellion. §. vltim.* & statutum vetus Sabaudiæ.

[DEFINITIO XXIX.

De instrumento pro parte falso an in totum sit falsum.

INstrumentum quod pro parte falsum conuincitur, an in totum falsum reddatur dubitant interpretes: Sunt qui distinguant an instrumenti capitula sint separata & æquè principalia necne, vt priore casu non etiam posteriore falsitas in vno capitulo instrumentum totum viciet, ac corrumpat. [1] Alij magis probant vt si falsitas sit circa tale quid quod ad substantiam actus pertineat, non circa ea quæ sunt accessoria corruant cætera quoquè capitula quantumuis separata & æquè principalia: [2] quæ sententia verior sanè videtur cùm totius instrumenti fides vna & indiuidua sit, [3] in quo rerum genere vtile per inutile vitiatur. [4] Sed tamen plerisque durior esse creditur. [5] Illud planè constat, si iam confecto instrumento aliquid falsò adiectum sit non debere ex eiusmodi adiectione in totum vitiari instrumentum quod aliquando totum constitit. [6] *Ita tractatum est* in causa Antonij Tanioli, April. 1614.

1 Ita Boer. *quæst.253.num.6.* vbi multos citat & dicit communem.

2 Ferrar. *in form. libell. iuram. test. gloss.7.num.3.* post Innoc. *in cap. fraternitatis, Extr. de hæret.* vbi addit eandem distinctionem locum habere in teste falsum in aliquo deponente si quæratur an in totum falsus videri debeat.

3 Accipit enim totam vim suam à stipulatione & subscriptione notarij quæ vnica & indiuidua est.

4 *L. placuit 29.* vbi *Nor. D. de vsur. l. vna est via 18.* iunct. *l. per fundum 11. D. de seruit. rustic. præd.* harum enim rerum diuisio corrumpit stipulationem *l. stipulationes 72. l. cum ex causa 139. de verb. oblig.*

5 Præsertim Boerio & aliis quos ipse citat *d. q.233. n.6.*

6 *Arg. l. verbis 5. D. ad legem Falcid.*

TIT. XVII.

PLVS VALER. QVOD AGIT.

DEFINITIO I.

Contractus simulatus nullius est citra restitutionem, probaturque simulatio per coniecturas.

CONTRACTVS simulatus, quoniam contrahentium voluntate, quæ omnium conuentionum anima est, [1] destituitur, vsque adeo nullus est, vt pro infecto habeatur, [2] neque contractus nomen mereatur: [3] Itaque nec per in integrum restitutionem nec qua alia vlla ratione rescindendus est, probata simulatione, [4] sed id omnino attendendum, quod re vera gestum apparet. [5] Simulatio autem cum in simulantis animo consistat difficillimæ probationis est, [6] ideoque etiam per coniecturas probari potest, [7] præsertim si inter personas suspectas & prohibitas dicatur interuenisse. [8] Plerunque etiam ex clausulis pactisque insolitis coniicitur: [9] itemque ex possessionis retentione, si contractus is gestus fuit, ex quo possessionem transferri oportuit. [10] Quantum vero & quibusnam coniecturis tribuendum sit, iudicantis arbitrio & religioni committitur, pro personarum, rerum, causarum, & temporum varietate prudenter omnia æstimaturi. [11] *Ita Senatus* in causa D. de Mon-sainct-Iean, & D. Dyuonne Chamberi, Idib. Iun. 1588.

1 Et radix, vt loquitur Boer. *quæst.num.11. ex l. Diuus 25. D. de testam. milit. l. sciendum 16. §. dictum, de ædilit. edict.*

2 *L. cum ea 21. C. de transact. l. si ex precio 8. C. si cert. petat.*

3 *L. imaginariæ 16. de regul. iur. l. simulatæ 30. de rit. nupt. l. contractus 54. D. de oblig. & action. l. nuda 55. D. de contrah. empt. l. emptor 12. de aqua pluu. arc.*

4 Nam restitutio in integrum præsupponit contractum tenere ipso iure, *l. in causæ 16. in princip. de minor. l.3. C. eod. l. pen. C. si aduers. rem iudic. l.3. Cod si aduers. libert. l.2. C. de præd. minor.* Atqui contractus simulatus ipso iure non tenet, quia simulatio medullam veri non habet, inquit Bald. *in l. ei qui, C. de distr. pignor. & in l. ab Anastasio, notab.4. C. mandat.*

5 *L.1.2.3. & 4. C. hoc tit. l. multum interest 6. C. si quis alter. vel sibi.* Veritas enim semper præualet, *l. adjumptio 6. D. ad municip. l.6. §.1. de offic. præsid.*

6 Vt & cætera omnia, quæ in animo cuiusque consistunt, *l. pro herede 20. D. de acquir. hered. l. potuit 5. & seq. C. eod.* iunct. *l.3. de interrog. in iur. fac. l. dolum 6. C. de dolo.*

7 *L. non omnes 5. §. à barbaris, D. de re milit.* alioqui esset impossibile detegere, aut saltem probare simulationem, vt tractant DD. *in l.3. C. hoc tit.* Bart. Cœpol. pass. *in tract. de simulat. contract.* late Crauet. post alios, *cons.156. num.17.*

8 Inter quas scilicet tanto facilius fraus interuenisse præsumitur, quanto facilius occultatur, *l. qui testamentum 27. D. de probat. l. data 27. C. de don.* Guid. Pap. *qu. 95.* DD. *in l. si vnquam, maxime Rip. qu.15. C. de reuoc. don.* Bart. *in l. si forte, de castr. pecul.*

9 Gloss. Bald. Angel. & alij, *in l. si quis sub conditione 7. D. de condict. instit.* Cœpoll. *de simulat. contract. num.48.* Canonist. *in cap. illo vos, de pignor. & in cap. ad nostram, de empt. & vendit.*

10 *L. sicut 8. §. superuacuum, D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. quamuis 4. C. si quis alter. vel sibi.* Cœpoll. *dict. tract. de simul. contract. num.56.* Crauet. *dict. cons.156. num.10.* Adde *l. si filij 16.* vbi Bald. *C. de donat. inter vir. & vxor.*

11 Quæcunque enim non nisi per coniecturas probari possunt, si quæratur an probata sint, pendet ex arbitrio & religione iudicantis, quomodo & vniuersam probationum materiam arbitrariam esse dicimus, *l.3. per tot. l. quæsitum 13. D. de test.* Denique omnia quæ in facto, non in iure consistunt, *l.1. §.1. vers. quorum alterutrum, D. ad SC. Turpill. l. ordine 15. D. ad municip.*

DEFINITIO II.

Simulationem contractus potest obiicere quilibet successor, etiam singularis.

Simula-

BIU Cujas

SImulationem contractus non modo contrahentes obiicere possunt, sed & eorum heredes, [1] adeoque singulares successores, [2] quin & tertij possessores, si eorum interfit. [3] Est enim simulatio vitium contractus non personæ, ac proinde tale quod afficit rem, quæ ex eiusmodi contractu petitur, vel possidetur. *Ita Senatus* pro fratribus Archiprete, contra Amedeum Pugiat, 7. Cal. Febr. 1590.

1 Sunt enim heredes successores in vniuersum ius quod defunctus habuit, *l. quoties 9. §. heredes, & l. non minus 31. in fin. D. de hered. instit. l. heres 22. l. de vsucap. nihil est aliud 24. de verb. signific. l. hereditas 62. de reg. iur.* Ideoque heres ignoratione sua defuncti vitia excludere non potest, *l. cum heres 11. de diuers. temp. præscr.*

2 Solet enim plerumque eadem causa esse singularis successoris, puta emptoris, quæ fuit auctoris, *l. inuitus 156. §. plerunque, de reg. iur. l. venditor 13. D. commun. prædior.*

3 Qui enim obiicit simulationem, non dicit aliquod ius sibi quæsitum esse per simulationem, (quia nullum ei per liberam personam quæri potuisset, *l. & licet 15. D. de constit. pecun. l. cum vnus 12. de reb. auctor. iud. possid.*) sed tantum negat ius vllum aduersario quæsitum esse ex eo contractu, qui probatur simulatus, ex iis, quę diximus prox. Defin. quibus adde *l. si eum pater 17. C. ad Senatusc. Velleian. l. si pater 8. C. de act. empt. l. nec omissa 15. C. de liber. caus. l. nec ex vera 8. C. de acquir. possess. l. 3. C. de contrah. empt.*

DEFINITIO III.

Contractus simulatus valet secundum id, quod actum est, si eo modo valere possit.

QVod dicimus contractum simulatum nullas omnino vires habere, quia nec contractus nomen mereatur, [1] ita accipiendum est, vt quod simulate gestum est, pro infecto habeatur, [2] neque tamen eo minus valeat, quod reuera actum probatur, si quo iure valere possit. [3] Itaq; si proponas inter contrahentes actum, vt permutatio esset quam venditionem esse dixerunt, valebit vt permutatio, quæ tanquam venditio valere non potest. [4] Denique tum demum prorsus inutile est negotium, quod simulate geritur, cum nec eo modo valere potest, quo actum est vt valeret, puta si fœneratitius & vsurarius contractus sub venditionis nomine initus proponatur. [5] Alioqui semper sequimur quod actum fuit, vt plus valeat quod agitur, quam quod simulate concipitur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt diximus *Defin. 1. num. 2. & pass. §. eod.*

2 *dict. l. si ex precio 6. Cod. si certum petat. l. cum ea 21. Cod. de transact.*

3 Textus est *in l. 3. C. hoc tit.* si eam intelligas cum Cuiacio, *lib. 16. obser. cap. 26.* quomodo videtur intelligenda, de secundo creditore, vel de fideiussore, qui pignus emerit à primo creditore, *ex l. 2. l. 5. §. vlt. & l. seq. D. de distract. pign.* iunct. *l. si mandatu 59. §. 1. D. mandat.* Ibi enim emptio, quæ non potest valere tanquam emptio, valet ad transferendum ius pignoris in emptorem. Adde *l. 3. C. de contrah. empt.* vbi simulata venditio defenditur iure donationis, *l. cum in venditione 36. l. si quis donationis 36. D. eod. l. si quis conduxerit 46. D. locat.* Nec obstat *l. vltim. C. hoc tit.* Ibi enim non tam simulatio est, quam defectus voluntatis ex parte vtriusque contrahentium, vno volente locare, alio emere. Potest etiam illa lex intelligi de contractu, quem mandatum ita fieri in scriptis. In quo genere contractuum speciale est, vt si aliud scriptum sit, quam quod actum est, non magis valeat quod actum est sine scriptura, quam quod scriptum est per simulationem, cum ex scriptura æstimentur, *l. contractus 17. C. de fid. instrum. l. item quæritur 13. in fin. D. locat.*

4 *d. l. 3. C. de contrah. empt. l. 3. C. hoc tit.*

5 Intellige iis locis & casibus, quibus fœneratitij & vsurarij contractus interdicti sunt, vt in terris ecclesiæ, aut si fœnus sit immodicum, & supra modum legitimarum vsurarum, *arg. l. si ea pactione 14. C. de vsur.* Adde aliud exemplum, si donationis causa venditio fiat inter coniuges nummo vno. Nam neque venditio valet, neque donatio, *dict. l. si quis donationis 38. D. de contrah. empt.*

6 *d. l. 3. & tot. hoc tit. C.*

DEFINITIO IV.

Standum est instrumento pendente quæstione simulationis, nisi ea quæstio per iusiurandum decisorium terminari statim possit.

QVanquam eo, qui ex contractu conuenitur, excipiente de ea re, quæ præter & extra contractum gesta sit, standum interea est contractui, [1] & lite pendente, quandiu facti veritas in obscuro est, pro contractu præsumere iudicem, [2] ideoque & pro actore interloqui oportet: [3] Si tamen obiiciatur contractus simulatio, & iureiurando, quod assertionis appellamus, [4] de simulatione reus iurauerit, non prius pro cõtractu præsumendum erit, quam ab actore vicissim iuratum sit, non aliud inter contrahentes actum esse, quam quod scriptum fuit. Nam cum plus valeat quod agitur, quam quod simulate concipitur, [5] ante omnia inspiciendum est, reuocata in dubium negotij gesti veritate, quid actum sit: [6] quod ipsum non ex verbis instrumenti æstimandum est, sed ex contrahentium mente, [7] quæ porro non nisi ab iis ipsis, qui contraxerunt, explicari potest. [8] Sed & si actor simulationem interuenisse negauerit, eique reus iusiurandum detulerit, non est, quod lite pendente, ac priusquam iuratum sit, pro actore pronuncietur, [9] cum in eo res sit, vt statim iureiurando quod præstandum vel referendum est tota quæstio diffiniri possit. [10] *Ita Senatus* in causa D. Emerij de Montfalcon, tunc iuridici Sabaudiæ partiarij, nunc Senatoris clarissimi, & Iacobi Bluet ex tempore in publico auditorio, Idib. Iul. 1591.

1 Semper enim probandi onus incumbit ei qui dicit, non qui negat, *l. 2. D. de probat.*

2 *L. cum precibus 18.* vbi DD. *C. eod.*

3 Tum etiam, cum instrumentum quo actor nititur, falsum esse dicitur, *l. 2. C. ad leg. Cornel. de fals.*

4 Multiplex enim iusiurandum est, Voluntarium, necessarium, iudiciale, de quibus *in tit. de iureiur.* item de calumnia, de quo *in tit. de iureiur. propt. cal. dand.* Item promissorium & assertorium, de quibus *in l. 1. cum Authent. seq. C. si aduers. vendit. & l. penult. in fin. C. si minor se maior. dixer.* item purgatorium, de quo *in cap. vlt. Extr. de iureiur. & in l. generaliter 12. C. de rebus credit. & iureiur.*

5 *L. 1. & toto hoc tit. C.*

9 Semper enim & in contractibus omnibus sequimur id, quod actum est, *l. semper in stipulationibus 34. de reg. iur. l. in conuentionibus 219. de verb. signific. l. contractu 54. cum seq. l. omnibus 57. de oblig. & action.*

7 Opponitur enim mens verbis, & id quod actum ei quod dictum est, *l. sed Celsus 6. §. 1. D. de contrah. empt. l. ex empto 11. §. 1. D. de act. empt.*

8 *L. cum quis decedens 37. §. codicillis in fin. de legat. 3.* Neque enim possunt illi ipsi qui contraxerunt facti proprij ignorantiam prætendere, *l. quanquam 7. D. ad SC. Velleian.* quam tamen possunt prætendere ij, qui in ius ipsorum successerunt, *l. vlt. D. pro suo, qui in alterius 42. de regul. iur.*

9 Quia nec pendere lis intelligitur, quæ in eo est, vt statim terminari possit, vt nec durare tutela, quæ statim finem sit acceptura, *l. penult. D. de testam. milit. l. non tantum 17. in princ. D. de excus. tutor. l. 4. §. de dolo 29. de dol. mal. except.*

10 Manifestæ siquidem turpitudinis est, nolle iurare nec iusiurandum referre, *l. manifestæ 38. de iureiur.* vbi dicitur non tantum manifestę turpitudinis hoc esse, sed etiam, quod ad rem nostram magis pertinet, manifestæ confessionis.

DEFINITIO V.

Simulationis præsumptio inducitur ex sola possessionis retentione inter personas suspectas, si ratio nulla fuerit retinendæ possessionis.

NOn leuis coniectura simulationis est, si donator vel venditor in rei donatæ vel venditæ possessione manserit sciente ac patiente emptore vel do-

BIU Cujas

natario.[1] Nec quod in contractu interuenerit clausula constituti, propter quam videri possit donator aut venditor alieno potius quam suo nomine possediſſe,[2] ad rem faciet. Nam si aliud nihil sit, non tollit fictitius ille veram possessionem tradendi modus[3] præsumptionem simulationis.[4] Sed tamen vt ex eiusmodi coniectura præsumi possit simulatio, causam aliquam concurrere necesse est, propter quam simulate negotium geri debuerit,[5] vt puta si agatur inter personas prohibitas aut suspectas.[6] Finge Sempronium, qui tibi bona sua omnia donauerat, excepto sibi quorundam vsufructu, consensisse vt ea venderes quorum habebat vsumfructum.[7] Si cætera ex eo tempore possediſſe probetur, credendus potius est eam possidendi causam habuisse, vt rebus non venditis in vicem remissi vsusfructus frueretur.[8] *Ita Senatus* in causa liberorum Ludouici Machet procuratoris fiscalis apud Gebennenses, 13. Calend. Nouemb. 1592.

1 *L. sicut* 8. §. *superuacuum*, vbi Bart. & alij, *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit*, *l. quamuis* 4. *C. si quis alter. vel sibi.* Dixi *Defin.* 1. *num.* 10. & *eod.*

2 *Ex l. quod meo* 18. *de acquir. possess. l. quædam mulier* 77. *D. de rei vindic.* Idemque dici potest de aliis clausulis, per quas possessio transfertur, vt puta per retentionem vsusfructus, *l. quisquis* 28. *C. de donat.*

3 Placet enim per clausulam constituti, & alias similes transferri veram possessionem, nec eam tantum quam ciuilem vocant, sed etiam naturalem, Bart. *in l. si is qui pro emptore, de vsucap.* Guid. Pap. *quæst.* 22. 46. 81. 101. 112. & 268.

4 Plus enim semper valere debet, quod agitur, quam quod simulate concipitur, *tot. hoc tit. C.* Cœpoll. post alios *de simul. contr. præsumpt.* 34.

5 In dubio namque præsumendum est pro scriptura & veritate potius, quam pro simulatione, vt diximus *Defin.* 4. §.

6 Dixi *Defin.* 1. *num.* 8. §. *eod.*

7 Solet enim fructuarij consensus hoc casu exigi, ne postea liceat fructuario efficaciter vindicare vsumfructum, *l.* 4. §. *quæsitum est* 12. *D. de doli mali except.*

8 *Arg. l. generali* 32. §. 1. *vers. Claudius, D. de vsufr. leg.* Ergo nihil causæ erit cur huiusmodi donatio videri debeat simulata.

DEFINITIO VI.

Clausulæ appositæ in contractu simulato nihil operantur vbi constat de simulatione, alioqui interim operantur.

CReditor propriam pignoris possessionem auocans ex clausula constituti, in eo instrumento apposita, quod simulatum esse dicitur, non potest simulationis quæstionem detrectare & eludere, illo vno prætextu, quod non de crediti iure agat, sed tantum de possessione.[1] Nam quoties contractus, de quo instrumentum factum est, simulatus dicitur & probatur, cōstat omnes quoq; clausulas, præsertim accessorias in eo instrumento adpositas, simulatas etiam intelligi, & quod est consequens nullius prorsus esse roboris & momenti.[2] Sane pendente simulationis quæstione, si nihil aliud sit quod impediat, pro instrumento præsumendum erit,[3] ideoq; sua creditori tuenda possessio in speciem fiduciæ, quod pragmatici dicunt *per modum prouisionis*, addito saltem onere cautionis.[4] Nam & falsi quæstione pendente, quæ longe maior est,[5] pro cōtractu interea præsumendum & iudicandum est.[6] *Ita Senatus* in causa Claudi Iay Donzel, & Antoniæ Mauris, 4. Id. Nouemb. 1593.

1 Quanquam pro hoc prætextu illud facit, quod solet dici, causam possessionis ante omnia terminandam esse. Prius etiam quam de personarum aut actionis iure disputetur, *l. si de vi* 37. *de iudic. l. qui cœtu* 5. §. 1. *ad leg. Iul. de vi publ. l.* 1. §. *est igitur, D. vti possid. l.* 15. *qui destinauit* 24. *D. de rei vind.*

2 Ne alioqui contractus, qui ex consensu & veritate vires accipit, confirmari videretur per clausulas, quæ non valent, nisi ex contractu, *arg. l. quod per manus* 10. *D. de iur. eod.*

3 Dixi *Defin.* 4. *num.* 1. 2. & 3.

4 Vt fieri solet, quoties pendente facti quæstione, quæ semper incerta est, pro alterutro litigantium pronunciatur, *vt in l. statuliber* 5. *D. de statulib. lib.* 1. & *tot. tit. D. si cui plus, quam per l. falcid.*

5 Simulatio enim habet consensum aliquem saltem fictum, falsitas vero ne fictum quidem.

6 *L.* 2. *C. ad leg. Cornel. de fals.*

DEFINITIO VII.

Modicitas precij iuncta cum pacto, de retrouendendo & quibusdam aliis circunstantiis, inducit præsumptionem simulationis, etiam citrà consuetudinem fœnerandi.

ETsi modicitas precij cum pacto de retrouendendo coniuncta non sufficit ad probādam simulationem venditionis, non accedente consuetudine fœnerandi,[1] fieri tamen potest, vt aliis concurrentibus indiciis facile simulatio præsumatur.[2] Inter quæ non minimum illud erit, si euictionis nomine datus fideiussor, cuius negotium gestum esse credibile sit,[3] cōductionis titulo subinde rem venditam retinuerit,[4] repetita per multos annos locatione, nec vnquā aucta vel imminuta mercede,[5] præsertim vero si merces legitimarum vsurarum modo magis, quam fructuum quantitati & æstimationi respondeat:[6] non tamen ea sola præsumptio sufficiet, vt contractus simulatus probetur:[7] *Ita tractatum est* in causa Dn. Dufour, & Iacobinæ Berru, 3. Id. Maij 1595. cum septingentorum florenorum precio vendita res esset, quæ non ita multo post octingentis aureis fuerat æstimata.[8] Accedebat quod ipse fideiussor euictionis, idemque conductor eandem rem postea vendiderat.[9] Quo enim iure, aut qua fronte vendidisset, si priorem venditionem, cui accesserat, valere tradidisset?[10]

1 Secundum magis communem opinionem Doctorum, *ad l. si quis cum aliter* 36. *D. de verb. oblig.* & *ad l.* 2. *C. de rescind. vendit.* Cagnol. *ad l.* 2. *C. de pact. inter empt.* & *vendit.* Canon. *ad cap. illo vos, de pign.*

2 Iam enim diximus *Defin.* 1. *num.* 7. probari per indicia & coniecturas simulationem. * Vide autem exemplum coniecturæ *Defin.* 18. *num.* 1. *de præscript. triginta vel quadr. annor.*

3 Fit enim plerumque, vt quis in rem suam fideiubeat, *vt in l.* 5. *D. de liber. legat. l. sed si fideiussor* 24. *de pact. l. de die* 8. §. 1. *D. qui satisd. cogant.*

4 Magna enim simulationis præsumptio est ex retentione possessionis, *l. sicut* 8. §. *superuacuum, D. quibus modis pign. vel hypoth. soluit.*

5 Cum tamen pro temporum varietate soleant mutari precia, vt rerum omnium ita & locationum, *l. precia rerum* 63. *D. ad legem falcid. l. ex conducto* 15. §. *Papinianus alias, l. si vno anno, D. de locat. & conduct.*

6 Debet enim merces locationis respondere modo fructuum, cum pro fructibus detur, *l. si ea pactione* 14. *C. de vsur.*

7 Non enim facile & sine magna ac propemodum necessaria causa simulationis præsumptio capi debet, cum simulatio omnis dolum adnexum habeat, qui semper probandus est, nunquam præsumendus, *l. dolum* 6. *C. de dolo, l. quoties* 18. §. *qui dolo. D. de probat.*

8 Ex qua æstimatione probabatur læsio plus, quam enormissima. Illa enim enormis dicitur, quæ dimidiam iusti precij excedit. Enormissima veræ quæ bessem, vt tractant moderni, *ad d. l.* 2. *C. de rescind. vendit.* & *ad d. l. si quis cum aliter* 35. *de verb. oblig.*

9 Quanquam nihil vetat alienam quoque rem vendi, etiam à sciente, *l. rem alienam* 28. *D. de contrah. empt.*

10 Nec enim hoc fieri potest, quin incurratur crimen falsi, aut saltem stellionatus, *l. qui duobus* 21. *C. ad leg. Cornel. de fals. l.* 3. §. 1. *de crimin. stellion.*

DEFINITIO VIII.

Incertitudo futuri pretij fructum non facile patitur, vt eorum venditio videri debeat, facta viliori precio in fraudem vsurarum.

EMptio frumenti in ipso messium tempore vili precio facta non ob id solum simulata & vsuraria videri

videri potest, quod venditor frumenti quantitatem post aliquot menses tradere promiserit, quo tempore frumentum multo carius reperiatur; cum ex contrario fieri potuerit vt vilesceret. [1] Si nihil aliud sit, ex quo vsura possit coniici, puta si emptor solitus sit fœnerari, [2] si frumentum nondum perceptum in herba, vt loquuntur, venditum sit, [3] aliudve quid simile interuenerit. *Ita Senatus* ex tempore pro vidua Gaspardi Casusse medici, contra Claudium & Andream Cartier, 4. Idib. Aug. 1595.

1 Plerumque enim inspiciendum est non tam quid euenerit, quam quid euenire potuerit, & futuri euentus incertitudo facit vt multa permittantur, quæ alioqui non permitterentur, *l.1.C.de pact.l. de fideicommisso* 11.*C.de transact.l.si pater* 12.*C.de inoffic.testam. l.oleo* 23.*C.de vsur.l.penult. C.de solut.* iunct. *l.precia rerum* 63.*ff.ad l.falc.l.verum* 11.§.*item non restituetur, & seq.ff.de min.*

2 Illud namque ante omnia inspici fere solet quoties dubitatur an contractus aliquis sit vsurarius, vt & in aliis plerisque consuetudo patrisfamilias spectanda est, *l.si seruus* 50. §. *vlt.de leg.1.l.nummis* 75.*de leg.3.l.3.*§.*vlt.de Iupell.legat. l.qui semissis* 13.*in fin.D.de vsur.*

3 Quod plerisque Principum nostrorum edictis Senatusque nostri consultis districte prohibitum est, cum improbi fœneratores hanc plerumque fœnoris crudelissimi exercendi occasionem captarent.

TIT. XVIII.

DE PIGNORAT. ACTION.

DEFINITIO I.

De pignoratitia danda debitori post pignoris distractionem.

NON competit pignoratitia debitori aduersus creditorem, qui pignus vendidit, siue ex conuentione, [1] siue iudice permittente, [2] nisi ad hoc vt restituatur plus, quod plus est in precio pignoris, quam in debito, si pluris pignus fuit: [3] Aut nisi in venditione dolus creditoris interuenerit, [4] siue ob omissam denunciationem, quæ præcedere debuit [5] si non expresso pacto fuerat remissa, [6] siue qua alia ratione. [7] *Ita Senatus* in causa de qua 5C. infr. de distract.pignor.

1 Quæ vulgaris erat conuentio *l. pactum vulgare* 4. *Cod. de pign. act. l. si conuenit* 4.*D.eod.* Et quamuis expressim facta non esset, tacite tamen inerat nisi contrarium expressim actum esset, quo etiam casu interpositi pacti de non distrahendo pignore, permittebatur tamen venditio, si modo trina denunciatio præcessisset, *d. l.si conuenit, cum l.seq.* iunct. *l.1.C.de pact.pignor.l si cessante* 7.*C.de distr.pign.*

2 Solet enim & debet iudex competens hanc venditionem permittere, *l.si in hoc* 14.*eod.tit.* C. *de distract.pign.* præsertim debitore possidente, *l.penult.C.de pign.action l.3. C.de pignor.*

3 *L.eleganter* 24.§.*si vendiderit, D.de pign.act l.1. C.eod.l si inter* 21.§.*vlt.de pignor.& hypoth.l.creditoris* 15.*D.de furt.l.qui occidit* 30. §.1.*D.ad legem Aquil.* Sed & vsuras superfluas debet creditor, siue superfluam pecuniam fœnerauerit, siue ea vsus sit *l.quamuis* 6.§.1.*D de pign.act.*

4 *L.1.l.* 4.*C.si vend pign.agat.l.si cessante* 7.*C.de dist.pign.*

5 *L. creditor* 4. *C.eod.tit. de distr.pignor. l.3.*§.1. *C.de iur.dom. imperr.* Ratio petenda est ex *l.necesse* 8. *D. de in diem addict.* vt scilicet debitor possit alium subiicere emptorem, qui pluris licitetur.

6 Onus enim denunciationis per pactum remitti potest *l.Heremius* 63.*D.de euict.*

7 Puto ob non factam publice ac solemniter pignoris venditionem, *l.si eo tempore* 6. *l.si hypothecas* 8. *C.de remiss.pign.d.l.1. & 4.C.si vend.pign.agat.*

DEFINITIO II.

De oblatione facienda ad pignoratitiam inducendam.

OBlatio debiti in iudicio facta perinde proficit ad inducendam pignoratitiam actionem, atque si soluta creditori esset pecunia aut aliter eo nomine satisfactum, quamuis ex stricta iuris ratione solutionem ipsam & satisfactionem præcedere oporteat. [1] Nec tantum ad rei pignoratæ restitutionem actio competet, sed etiam ad id omne quod interierit debitoris. [2] An ergo & ad fructus, si quos creditor fortassis antichresticus post oblationem in iudicio factam ex pignore perceperit? nam & fructus veniunt in pignoratitiam actionem, tametsi prædo sit qui in alienam rem pignori dederit: [3] sicut & vendito pignore pluris quam creditori deberetur, superfluæ quantitatis vsuras creditor debet siue ea pecunia vsus sit, siue in illa restituenda moram fecerit. [4] Sed id tum demum dici potest, cum oblatio facta in iudicio non verbalis tantum fuit, vt loquuntur, at realis, & quæ numeratam pecuniam præ se tulerit. [5] Alioqui obsignatio necessaria est, quæ vim solutionis obtineat, [6] nec iudicij auctoritas facere potest vt soluisse videatur qui non nisi verbo pecuniam obtulit. [7] Imo nec qui re vera obtulit, si oblatam pecuniam domum retulerit, quia non videtur oblata pecunia, quæ non durat oblata, [8] sicut nec in rem versum quod non durat versum. [9] Ita fit vt omnimodo obsignatam esse pecuniam necesse sit ad consequendam fructuum restitutionem: [10] Adeo vt nec ipsa quoque litis contestatio sufficere possit: quamuis facere soleat vt etiam in stricti iuris iudiciis exinde fructus debeantur; [11] nimirum ne aliter posito iure eueniat vt & re & precio vsus debitor videatur, quod vtique bona fides non admitteret. [12] Eo sane iure vtimur vt ad pignoratitiam actionem exercendam sola verbalis oblatio in iudicio facta sufficiat, nec repellatur agens debitor tametsi pecuniam in manu non habeat, sed ita tamen vt actionis iudicatique effectus in id tempus conferatur, quo debitor re vera satisfecerit. [13] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Amedei Martini procuratoris & N. Zachariæ de Lanfrey, nono Calend. Decembr. 1592.

1 *L.si rem alienam* 9.§.1.*& vlt.D.hoc tit.* Ratio est, quia pignoratitiæ actionis conditio, quæ illa est, si debitum solutum erit, pro impleta habetur cum stat per creditorem quo minus solutionem accipiat, ex *reg.l.in iure* 61.*de reg.iur.* Ex qua ratione apparet intelligi hoc debere de oblatione reali, non verbali, quia re ipsa non verbo impleri hæc conditio potest. Denique debitorem oportet esse paratum soluere, *l.quod si* 10.*hoc tit.* Ergo venisse cum sacco quandoquidem in potestate illius est quando agat, *l.5.*§.*vlt. de dol.except.* nec habet hic locum æquitas quæ inducit temperamentum, de quo *in l.quod dicimus* 105. *D.de solut.* Idque est quod sequitur in Defin.

2 *d.l.9.* §.*vlt. hoc tit.* Est enim hoc ex natura pignoratitiæ actionis vt detur ad omne id, quod interest debitoris, *l.si creditor* 5.*C.eod.*

3 *L.si pignore* 22.§ *si prædo, D.eod.* iunct. *d.l.9.*§.*penult.*

4 *L.quamuis* 6.§.1.*eod.*

5 Ob eamque causam optimum consilium est ad eludendam huiusmodi verbalem debitoris oblationem, vt creditor quoque verbo dicat paratum se accipere, quia vbi facto opus est, verba non sufficiunt, ne alioqui verbis collatur obligatio, quæ non fuerit contracta verbis *contra l.an inutilis* 8.§. *acceptum, D.de accept.* Et vero si non sufficit præsentem offerre fideiussorem, *d.l.quod si* 10.*hoc tit.* quanto minus proderit offerre pecuniam, quæ non sit præsens?

6 *L.obsignatione* 9.*Cod.de solutionibus l.qui mutuam* 56.§.1. *D. mandat.*

7 Quia solutio est facti *l.consilio* 9.§.*vlt.D.de curat.furios.*

8 *L.si soluturus* 39.*D.de solut.l.vlt.D.de leg.commiss.*

9 *L.si pro patre* 10.§.*versum, de in rem vers. l.item eorum* 6.§.1. *D.quod cuiusque vniuers.nomin.l.nam etsi* 15.§.*vlt.de inoff.test.l.4.*§. *tunc in potestate, D.de vsucap.* Sic è contrario interpellatio creditoris licet congruo loco & tempore facta non constituit debitorem in mora, si omissa sit debiti repetendi instantia *l.mora* 32.§.1.*de vsur.*

10 *L.nec creditores* 10.*& l.vltim.C.hoc titul.l.acceptam* 19. *C. de vsur.*

11 *L.3.de vsur.* vbi Pap. scribit hoc vulgo receptum esse, vt

BIU Cujas

in actionibus quoque in personam causa omnis ex die litis contestatæ præstetur, quia quale quid est cum petitur tale dari debet.

12 *L. exempto* 11. *§. qui autem, l. bona fides* 50. *de action. empt. l. curabit* 5. *C. eod. l. Iulianus* 13. *§. veniunt* 20. *D. eod. l.* 2. *C. de vsur.*

13 Itaque actio debitori datur, sed non exactio, vt proinde nihil creditoris interesse videatur. Sed tamen vereor ne hæc praxis alia ratione iuris, quæ sicut non patitur vt quis agat sine actione *l. si pupilli* 6. *§. vlt. de negot. gest.* ita neque vt ex contractu vltro citroque obligatorio nascatur actio priusquam is, qui agere vult, contractum ex parte sua prior impleuerit & conditioni satisfecerit, sub qua ius dat actionem, *d. l. Iulianus* 15. *§. offerri, D. de act. empt. d. l. acceptam* 19. *C. de vsur.*

DEFINITIO III.

Pignoratitia indiuidua est etiam in personis heredum siue debitoris siue creditoris.

EX pluribus creditoris heredibus, qui totum pignus solus possidet, pignoratitia in solidum conueniri potest, [1] nec eo magis præscriptione longissimi temporis iuuabitur, ad remouendum ius offerendi quod pro parte coheredis personâ tertij possessoris gerere videatur. [2] Nam imo vero si ex hereditatis diuisione eâ rem possideat, censendus est totam habere iure hereditario, cum quantum ex coheredis portione hereditaria in ea re accepit, tantum ipse vicissim de sua coheredi præstiterit in iis bonis, quæ ad coheredem peruenerunt. [3] Sed etsi iure prælegati rem illam nactus sit, quo demũ casu partem à seipso capere intelligitur, partẽ à coherede, [4] idem tamen iuris est, vt pignoratitia in solidum conueniri quandocunq; possit. [5] Est enim pignoris ius indiuiduum, [6] cumque sit ille vnus ex heredibus creditoris, talem ab eo suscipi & agnosci obligationẽ necesse est, qualis in ipsius creditoris persona fuit. Neque enim ex heredum persona aut numero potest obligationis conditio immutari, [7] aut rei obligatæ pars vna diuerso ab alia iure censeri in persona eius, qui ipse creditor est, licet non nisi pro parte. [8] Et vero sicuti creditor ab initio partem pignoris accepturus non fuit, qui totam rem sibi pignori dari voluit, [9] ita nec cogendus est debitor, vt pignus pro parte luat, qui totum debitum offerre cogitur. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Pignoratitia enim datur ad hoc vt pignus restituatur, *l.* 1. *§. creditor, D. de oblig. l. vlt. C. de luit. pign.* Is autem totius rei restituendæ facultatem habet, qui solus totam possidet, *l. si possessor* 55. *D. de rei vindic.*

2 Constat enim ius offerendi posse per tertium præscribi *l.* 2. *C. si antiq. cred. pig. vend. l si mandato* 59. *§.* 1. *D. mandat.*

3 Vnde est quod diuisio permutationis vicem obtinere dicitur *in l. si filia* 10. *§. si pater, in fin. D. famil. ercisc.* & emptionis, *l.* 1. *C. commun. vtr. iudic. l. filius quem habentem* 24. *versic. compensato, C. famil. ercisc.*

4 *L. in quartam* 91. *D. ad legem falcid. l. deducta* 58. *§. acceptis, D. ad SC. Trebell. l. miles ad sororem* 75. *§.* 1. *de leg.* 2.

5 Nec enim actio pignoratitia dominij mutatione aut extinguitur aut immutatur vt nec hypothecaria, quia persecutio pignoris nulla societate dominio coniungitur, *l.* 1. *§. cum prædium* 2. *D. de pignor. l. iusto* 44. *§. non mutat, D. de vsucap.*

6 *L. rem hereditariam* 65. *vers. idque placebat, D. de euict. l.* 1. *&* 2. *C. si vnus ex plurib. hered. debit. vel credit.*

7 *L.* 2. *§. ex his, D. de verb. oblig.*

8 Tritum enim est vnam eandemq; rem diuerso iure censeri non debere *l. eum qui ædes* 23. *D. de vsucap.*

9 *L. si quis aliam* 46. *D. de solut.*

10 *L. si necessarias* 8. *§. si vnus, l. solutum* 11. *§. si creditori. ff. hoc tit. l. quandiu* 16. *l. vnus ex multis* 16. *C. de distract. pign. l.* 1. *C. de luit. pign.*

DEFINITIO IV.

Pignoratitia nullius temporis præscriptione summouetur.

PIgnoratitiæ actionis singulare ius est, vt nullius temporis quantumcunque longissimi præscriptione summoueatur, [1] quia nec competit priusquam debitor pecuniam à se debitam obtulerit creditori: [2] Absurdum autem fuerit, adeóque ἀδιανόητον prius actionem perimi, quam fuerit nata, [3] vt scribemus pluribus SC. 21. 22. 23. 24. infr. De luit. pignor. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. pignori* 15. vbi Bart. *D. de vsucap.* Idem Bart. *ad l. cum notissimi* 7. *§.* 1. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* Olasc. Cacheran. *decis. Pedem.* 115.

2 *L. si rem* 9. *§. omnis pecunia, D. hoc tit.*

3 *L.* 1. *§.* 1. *D. quibus mod. vsusfr. amit. l. si partem* 19. *D. quem seruit. amis. l. si ita sit scriptum* 45. *§.* 1. *de legat.* 2. *l.* 1. *§. decretalis, de succes. edict.*

DEFINITIO V.

Periculum monetæ debitæ, nec obsignatæ quamuis oblatæ spectat ad debitorem.

SI debitor, qui pignoratitiam actionem instituit, pecuniam debitam obtulerit in iudicio nec obsignauerit, superueniens immutatio monetæ siue in intrinseca siue in extrinseca bonitate, cedit periculo debitoris, [1] non solum si procuratori ad tractandam litem constituto obtulerit, (qui vtique ad solutionem accipiendam datus non videtur [2]) sed & si ipsi creditori. Quanquam enim oblatio, quæ in iudicio facta est, interdũ prodest, præsertim ad inducendam pignoratitiam actionem, [4] nunquam tamen habet vim solutionis, nisi secuta riteque facta obsignatione. [5] Hoc vero tum maxime obtinet, cum non nisi ob viliorum monetarum deteriorationem aucta fuit, vt nostris his temporibus aurei æstimatio, quia nihil videtur interesse debitoris: [6] Cum si eadem nummorum corpora nunc habeat, quæ habebat oblationis tempore, eadem ipsa nunc possit soluere, [7] sin ea consumpserit, æqui consulere debet, quod iis vsus fuerit. Neque enim potuerunt iidem nummi duplicem vsum præstare, cum scilicet in quem sunt consumpti, & hunc præterea vt perinde habeantur ac si oblationis tempore soluti fuissent. [8] Nec aliud erit tametsi creditor integros totius medij temporis fructus ex iudicati auctoritate retinuerit, pignore fortassis in antichresim dato. [9] Non enim potest induci compensatio fructuum pignoris cum ipso debito aut aliqua sortis parte, sed tantum cum vsuris debiti, [10] quarum longe diuersa ratio est, & accessionis illius quæ ob monetarum deteriorationem præstaretur. [11] Licet enim augeat quantitatem, sed sortis potius pars quædam est [12] nec accessionum iure censeri debet. [14] *Ita Senatus* in eadem causa 16. Cal. April. 1593.

1 Tanquam qui sit dominus pecuniæ quam debet, *l.* 1. *in princ. D. de liber. legat.* periculum enim casuum fortuitorum spectat ad dominum, *l. quæ fortuitis* 6. *C. de pig. act. l. contractus* 23. *in fin. D. de reg. iur.*

2 *L. hoc iure* 86. *D. de solut. l. sed si tantum* 13. *de pact.* ob idque nec transigere potest, *d. l. sed si tantum.* iunct. *l. transactionis* 7. *C. de transact.* Litis enim tantum dominus est post litem contestatam *l. procuratoribus* 22. *& sq. C. de procurat.* sed non rei quæ in litem deducta est.

3 *Arg. l. si soluturus* 39. *D. de solut.*

4 Vt scripsimus *Defin.* 2. 3.

5 *L. acceptam* 19. *C. de vsur. l. obsignatione, C. de solut. l. qui mutuam* 39. *§.* 1. *D. mandat. l. nec creditores* 10. *& l. vlt. C. hoc tit.*

6 Nec enim vera & realis est hæc immutatio monetæ, vt pluribus scripsi in tractatu De variis nummariorum debitorum solutionibus.

7 Fit enim hoc casu solutio in ea bonitate & qualitate, quæ fuit tempore contractus & de qua consequenter tunc à contrahentibus cogitatum fuit. Verba rerumque contractus semper referenda sunt ad tempus contractus, nisi aliud sonent *l. Rutilia* 69. *D. de contr. empt.* Adde textum meliorem *in l. creditorum*: sic enim legẽdum est *non debitorem*, alias *l. Paulus* 90. *de solut.* vbi additur quod magis est, etiam in alia forma nũmos accipere cogendum creditorẽ, si nõ ex ea re damnum aliquod passurus sit.

8 Sunt

BIU Cujas

8 Sunt enim nummi ex earum rerum genere quæ primo vsu consumuntur, *l.2.l.5. & pass. D.de vsufruct. earum rerum quæ vsu consum.* quod autem semel consumptum est nullum amplius vsum præstare potest.

9 Antichresis enim est cum creditor mutuum habet vsum pignoris tanquam in vicem vsurarum, sicut & debitor vtitur pecunia creditoris, *l.si pecuniam 33. D.hoc tit. l.si is qui 11. §.1. D. de pign. & hypoth.*

10 Cum fructus pignoris in antichresim dati perrineant ad creditorem vice vsurarum, *dict. l.si is qui, §.1. l.si ea pactione 14. C. de vsur.*

11 Quod vulgo augmentum monetæ vocant.

12 Ideo enim debetur ne alioqui damnum patiatur creditor, & minus ei reddatur, quam debeatur si solutio fiat in nummis qui sint deteriores, non autem vt creditor lucrum sentiat *d.l.99. de solut. l.eleganter 24. §. qui reprobos, D.hoc tit. l.cum quid 3. D.de rebus credit.* Nec enim videtur reddi pecunia quæ deterior redditur, *l.3. §.1. D.commod. l.1. §.si res deposita 16. D.depos.*

13 Quo tamen nomine & iure accessionum censentur semper vsuræ, *tot. tit. de vsur. fruct. & omnib. access. & mor.*

DEFINITIO VI.

Qui obsignauit pecuniam debitam, non ideo tanquam liberatus possessionem pignoris à se dati capere propria auctoritate potest.

LIcet obsignatio vim solutionis habeat ad pignoratitiam actionem inducendam, [1] non tamen facere potest vt debitor propria auctoritate possessionem pignoris nanciscí possit, quam in creditorem transtulerat: [2] quia cum nec aliter valeat obsignatio quam si creditor oblatam solutionem recusauerit [3] sine causa, [4] prius est vt constet fuisse illum in mora solutionis accipiendæ, quam vt pro solutione haberi obsignatio debeat. [5] Itaque de eo ante omnia pronunciandum est, [6] nec permittendum debitori vt in causa propria sibi ius dicat. [7] *Ita Senatus* pro Michaele Tolen, contra Guillielmum Armengeat Prid. Non. Maij 1595.

1 *L.nec creditores 10. & vlt. C.hoc tit.*

2 Sicut nec creditor per conuentionem vel præsidialem iussionem debiti causa res debitoris possidentis aufferre pro suo arbitrio potest, *l.pen. eod. l.3. C. de pignor.* vbi dicitur etiam, creditores, qui non reddita sibi pecunia conuentionis legem exercent ingressi possessionem, vim quidem facere non videri, attamen auctoritate iudicis possessionem adipisci debere.

3 Obsignationem enim semper debet præcedere oblatio solutionis ex parte debitoris, & mora in accipiendo ex parte creditoris, *d.l.10. & vlt. C.hoc tit. l.acceptam 19. C.de vsur. l.4. §. vlt. & l.vlt. D.de leg. commiss.*

4 Quid enim si obligatio facta sit incongruo loco vel tempore? Hoc casu nec oblatio valebit nec oblationem secuta obsignatio, *l.si soluturus 39. D. de solut. l.mora 32. D. de vsur. l.cum filiusfamilias 49. §. vlt. D.de verb. oblig.*

5 Fatendum enim est obsignationem non esse reuera solutionem, sed tantum solutionis iure censeri, *l.obsignatione, 9. C. de solut.* quibus verbis cum fictionem quandam significemus, apparet non aliter inducendam eam esse quam si veritati locus esse nō possit. Ad hoc enim debitor obligatus est, vt soluat non vt obsignet, nec æquum est eum prius liberari quam fecerit idipsum quod debet. Vt vero liberetur per obsignationem inductum est ex mera necessitate ne aliter posito iure in potestate creditoris futurum sit, vt nunquam debitor liberetur, scilicet si ab eo nolit accipere solutionem. Atqui placuit certis modis obligationes sicut contrahi, sic & dissolui, *l.obligationum fere 44. §.placet, D.de obligat. & action.* quia cum obligatio sit iuris vinculum, vt ex definitione ipsius constat, & ita minuat quodammodo ciuis Romani libertatem, nunquam pateretur iuris ciuilis legislator eam contrahi, si non posset etiam dissolui inuito quoque creditore. Nam & inde est quod impossibilium nulla cōtrahi potest obligatio, *l.impossibilium 185. de reg. iur.* quia dissolui numquam posset. An ergo necessaria erit obsignatio in omni casu oblationis, vt oblatio effectum habere possit? Minime, sed tunc tantum cum agetur de tollenda obligatione siue sortis siue vsurarum. Nec enim hac parte differentia vlla est, cum tandiu debeantur vsuræ sortis, quandiu sors ipsa debetur, *d.l.10. & vlt. C.hoc tit. l.si creditrici 6. C.de vsur.* Cæterum si agatur non de tollenda obligatione, sed tantum de implenda conditione aliqua, vt puta ad inducendam pignoratitiam actionem, vel ad excludendam quasi Seruianam, sufficiet oblatio sine obsignatione, quia sufficit conditionem haberi pro impleta, licet reuera non impleatur, *d.l.acceptam 19. Cod. de vsur.* habetur autem pro impleta ex parte debitoris quoties per creditorem stetit ne imploretur per veram solutionem, *l.iure ciuili 24. D.de cond. & demonst. l.in iure 161. de regul. iur.* Sed & aliquando euenit vt nec oblatio ipsa necessaria sit, sed sufficiat nihil posse imputari ei, qui non obtulit, forte si non fuit persona cui posset afferre, & certet de damno vitando, maxime vero de pœna vt in specie *l.vlt. D.de leg. commiss.* iunct. *l.4. §.vlt. eod.* Nec enim illius *l.vlt.* sensus is est, vt emptor, qui non habuit cui statuto die pecuniam offerret, ob hoc sit liberatus per obsignationem sacculi, præsertim nulla secuta depositione, ob idque nec dubitandum est quin ad precij non soluti vsuras semper teneatur, sicut & cæteri emptores qui rem sibi venditam acceperunt, nec precium soluerunt *l.curabit 5. C. de act. empt. l.2. C.de vsur.* sed vt ei prosit defuisse venditricem, hactenus ne in vēditionis legem commisisse videatur, cum namque liberatum non esse ex eo constat quod eadem lex ponit denunciatum a fisco ei fuisse ne solueret venditrici. Cur vero ei denunciatum hoc nisi tanquam debitori debitricis? Ergo hi gradus diligenter sunt distinguendi, an agatur de tollēda obligatione, vt eo casu requiratur solemnis obsignatio, siue de sorte tractetur, siue de vsuris, an de implenda conditione aliqua vt tunc sufficiat oblatio, an denique de impediendo ne qua conditio contra debitorem impleatur, vt hoc casu nec oblatio necessaria sit, si nemo fuerit cui offerri potuerit, *vt in l.17. §.si pupillo, D.de vsur.* Iunge *Defin. 39. ĵ. de vsur.* Sufficit enim hoc casu per debitorem non stetisse, licet nec creditor ipse moram contraxerit, quam vtique non potest videri contraxisse is, cui nihil vnquam oblatum fuit. An igitur si agatur de inducenda actione & implenda conditione, adeoque de tollenda obligatione, nec sit persona cui debitor offerat, nullo modo debitori succurremus? Imo hactenus succurremus, vt ei liceat adire iudicem competentem, & ex eius decreto pecuniam, quæ debetur, ibi vbi iudex præceperit obsignatam deponere. Sic enim fiet vt perinde valeat obsignatio non tantum ad sistendum cursum vsurarum, sed etiam, quod non est difficilius, ad dissoluendam sortis obligationem, quam si solemnis oblatio præcessisset, *d.l.si creditrici 6. & d.l.acceptam 19. C.de vsur.* Sane quantum interfit an quis dicat se paratum soluere, an vero pecuniam re ipsa offerat, constat ex *l.penult. D.de rescind. vendit.* vbi Bart. notat nunquam impediri alienationem & subhastationem ex eo solo, quod debitor dicat se paratum offerre pecuniam, sed requiri vt ea offeratur realiter & vere.

6 Scilicet an rite & solemniter facta sit obsignatio, id est seruatis seruandis, nimirum totius debiti in pecunia nec reproba nec deteriorata, & post oblationem congruo loco & tempore factam omnia præsentibus testibus. Hæc enim fere sunt, in quibus tota obsignationis solemnitas consistit, *dict. l. obsignatione, d.l.si soluturus, d.l.acceptam.* iunct. *l.si creditrici 6. l.ex prædiis 11. C.eod. de vsur. l.qui Romæ 122. in princ. de verb. oblig.*

7 Id enim semper exosum habet legislator & suspectum, vt quis in causa sua ius sibi dicat *l.1. D.quod legat. l.extat 13. D.quod met. caus.* tum quoque ex conuentione id liceret *d.l.2. C.de pignor.* ne scilicet occasio rixæ & tumultus detur *l. non est singulis 276. de regul. iur.*

TIT. XIX.

QVOD CVM EO QVI IN alien. potestat.

DEFINITIO I.

Filiusfamilias heres patris pro quo contraxerat, quamuis non sit heres nisi cum beneficio inuentarij, tamen etiam pendente instantia discussionis prouisionaliter condemnandus est sub satisdatione.

FILIVSFAMILIAS patris mercatoris institor merces emerat, [1] proprioque chirographo promiserat curaturum se, vt precium per patrem intra certū tempus solueretur. [2] Defuncto post diem patre necdum soluto precio, idem filius heres institutus hereditatem ipsius

BIU Cujas

quasi suspectam non nisi cum beneficio legis & inuentarij agnouerat.[3] Placuit tantisper dum bonorum hereditariorũ excussio peracta non est moram ab eo fieri creditori non debere,[4] sed statim, & quod magis mirum est, inauditis etiam cæteris creditoribus condemnari filium oportere.[5] Non quidem proprio nomine, cum pro patre & eius iussu obligatus proponeretur,[6] sed ita vt ex hereditate solueret,[7] præsertim quam ipse opulentam & idoneam literis ad eundem creditorem scriptis testatus esset,[8] cum onere tamen satisdationis,[9] ne si forte hereditas soluendo non esset cæteris creditoribus iniuria fieret.[10] Itaque vt de crediti iure & ordine disputaretur, ad excussionis instantiam remitti actorem debere visum est,[11] adiudicata ei tamen pro fiduciæ duntaxat specie debitæ pecuniæ quantitate.[12] *Ita Senatus* ex tempore, pro N. Denaud. Lugdunensi, contra Henricum Pic. 5. Cal. Dec. 1593.

1 Ex qua causa mercium emendarum constat posse filiumfamilias à patre iuo huic negotiationi præpositum institorem mutuam quoque pecuniam vtiliter accipere propter acceptæ pecuniæ speciem tabernæ negotio mixtam, vt loquitur Papin. *in l. penult. §. tabernæ, D. de instit. act.* licet regulariter filiusfamilias ex causa mutui non obligetur efficaciter ob exceptionem SC. Macedoniani *l. 1. & tot. tit. de SC. Macedon. D. & C.* Extra quam causam certum est obligari filiumfamilias ex quocunque contractu & quidem in solidum, *l. si quis cum 44. D. de pecul. l. tam ex contractibus 57. D. de iudic.*

2 Quibus verbis videbatur filius pro patre quodammodo fideiussisse, quod vtiq; facere ei licet hactenus saltem vt teneatur in quantum facere potest etiam post mortem patris, quamuis ei heres non extiterit, *l. si ex alio 9. C. hoc tit. l. filiusfamilias 28. C. de fideiuss. l. si dubitet 10. §. filiusfamilias D. eod. l. 1. in fin. C. de filiofam. minor. l. si paternam 8. C. ad SC. Velleian. l. 2. §. quod ait prætor, D. qui satisd. cogant.*

3 Quo beneficio, quam sæpe hodie abutantur heredes, præsertim domestici, & qui in hereditate sub mortis tempus pro arbitrio grassandi facultatem habuerunt, quotidiana experientia compertissimum est.

4 Cum duplici iure obligatus esset tam ex sua persona tanquam fideiussor patris, quam ex persona defuncti, cui solus extiterat heres.

5 Contra quam tamen solitum sit obseruari, vt scribemus *ad tit. de bon. auctor. iud. possid.*

6 Et quamuis pro patre fideiussisse videretur, vt diximus, *num. 2.* non tamen poterat tanquam fideiussor conueniri, nisi discusso debitore principali, *Auth. præsente. C. de fideiuss.*

7 Beneficium enim inuentarij sicuti non facit quo minus heres vere heres sit, ita nec quo minus ex rebus hereditariis satisfieri debeat iis qui primi veniunt creditoribus, *l. vlt. §. & si præfatam, C. de iur. delib.*

8 Præbebat enim ea res iustam suspicionem, vt dolo malo heredis beneficium inuentarij ab eo captatum videretur ad moram creditoribus faciendam, cum nulla eius vtilitas alia esse possit si hereditas sit soluendo, *d. l. vlt. C. de iur. delib.*

9 De hac pecunia in massam hereditariam redigenda si qui alij creditores essent anteriores, quibus priore loco satisfieri oporteret.

10 Quibus inauditis nihil fieri debebat, quod in eorum dispendium vergeret, *l. nam ita 39. D. de adopt. l. etiam 29. §. vlt. de minor.*

11 Vt creditoribus omnibus simul & ex ordine consuleretur, *l. cum vnus 12. & pass. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

12 Ita enim remedio prouisionalis adiudicationis & satisdationis succurri solet, ne vero creditori mora fiat, neve alius quispiam ex eo periclitetur, vt *in l. 1. in princ. & §. etsi quidem cum seq. & pass. D. si cui plusquam per leg falcid.*

DEFINITIO II.

In re per filiumfamilias quæsita patri potentius est ius potestatis, quam conuentionis factæ inter filium & alium quam venditorem.

Filiusfamilias empturus fundum Cornelianum, quem ego emere volebam, promiserat eum se fundum posteaquam emisset mihi eodem subinde pretio venditurum. Secuta emptione si pater intercedat, eumque fundum sibi per filiumfamilias quæsitum velit, dubitari eleganter potest, vtrum conuentionis ius fortius esse debeat, an patriæ potestatis? Quidam putabant conuentionis ius potentius esse debere, postquam placuit ex omnibus contractibus filiumfamilias vtiliter obligari,[1] nec posse patri per filiumfamilias ita quicquam acquiri, vt alia aut meliore conditione sit penes patrem, quam futurum esset penes filiumfamilias, si esset ille capax acquisitionis.[2] Ego contra putabam. Quo enim instanti filiusfamilias aliquid acquirit causam castrensis vel quasi castrensis peculij, sic acquiritur per filium patri, vt ne momento quidem temporis acquisitio in filiifamilias persona consistat.[3] Dominium autem patri quæsitum quomodo potest ab inuito eo discedere?[4] Aut cur cogetur filij conuentioni stare pater, qui ipse non contraxit?[5] Illud sane facilius est vt in filiumfamilias qui promissa non impleat detur actio ad id omne, quod interest, cum sit vtiliter obligatus.[6] Sed tamen non male adhuc quis dixerit excusandum filiumfamilias, qui paternæ potestatis ius infringere nec possit nec debeat.[7] Nam & in omni promissione tametsi iurata semper exceptam intelligimus potestatem & auctoritatem superioris,[8] ita vt periurus dici non possit, qui quod promisit præstare prohibetur ab eo cui parere habeat necesse.[9] Plane mortuo quandocunq; patre quasi cessante impedimento, quod non tam obligationem filij, quam obligationis executionem remorabatur, vtilem & efficacem fieri dicendum est actionem, quæ viuo patre exerceri non poterat.[10] Sed neque patri permittendum est vt patriæ potestatis ius in alterius fraudem exerceat, si cum filiofamilias collusisse dolumque participasse probetur. *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 11. sup. De pact.

1 *L. tam ex contractibus 57. D. de iudic. l. si quis cum filiofamilias 44. D. de pecul. l. si ex alio 9. C. hoc tit.*

2 *Arg. l. si habitatio 9. D. quand. dies legat. ced.*

3 *L. placet 79. D. de acquirend. hered. l. 1. D. si quis à parent. manum. sit.*

4 *L. si ego 9. §. si res, D. de iur. dot.* vbi quod magis mirum est, hac eadem ratione Vlp. negat conuentionem factam cum defuncto posse effectum habere contra heredem.

5 Tractamus enim de conuentione per filiumfamilias emptorem facta non cum venditore (quo casu non posset pater venditionem diuidere, sed vel totam agnoscere deberet, vel à tota abstinere, *arg. l. vlt. C. de pact. inter empt. l. cum quæritur 16. D. de admin. tut. l. si ita 39. in fin. ff. de oper. lib. l. nam absurdum 7. de bon. libert.*) sed cum tertio, cui nulla nisi personalis actio ex eo pacto quæri potuit, nec illa tamen ex vendito, quomodo *in l. qui fundum 75. D. de contrah. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de act. empt. l. 2. C. de pact. inter empt.*

6 *d. l. 57. iudic.*

7 *L. 41. culpa caret 50. l. nullum 109. de reg. iur.*

8 *Cap. veniemes.* vbi *gloss. de iureiur. l. vlt. D. qui satisd. cog.* Bald. *in l. vlt. §. in computatione C. de iur. delib.*

9 *d. l. nullum crimen 109. de regul. iur.* Periurium enim nunquam est sine dolo vt nec aliud vllum delictum, *l. 1. C. si aduers. vendit. l. 1. C. de rebus credit. & iureiur.* non videtur autem dolo facere qui parere habet necesse, *l. non videntur 187. §. qui iussu, de reg. iur.*

10 Ponimus enim filium hunc patri defuncto heredem extitisse, atque ita conuentioni suæ satisfacere posse, alioqui non magis efficax erit actio contra filium mortuo patre, quam eo viuo, nisi vt condemnetur ad id quod actoris intererit, & ita demum si qua aliunde bona habeat, *d. l. si ex alio 9. Cod. hoc tit. l. si dubitet 10. §. filiusfamilias D. de fideiuss.*

13 Parum enim refert an dolo quid fecerit is, qui contraxit alieno iuri subiectus, an vero is, cui per alium acquiritur, *l. 4. §. in hac exceptione 17. D. de doli mal. except.* Et semper dolus patris est vindicandus etiamsi contra filium ipsum admissus fuerit, *l. Imperator 50. D. ad Senatusconsult. Trebell. l. si superstite 5. C. de dolo,* quanto magis igitur si admissus sit contra tertium? Denique malitiis & dolo nunquam indulgendum est, *l. in fundo 38. D. de rei vindic.*

TIT.

BIU Cujas

TIT. XX.

AD SC. MACED. ET de ratihab.

DEFINITIO I.

Ratihabitio non retrotrahitur, quæ fit post præstitutum tempus, nec quæ in præiudicium tertij aut re non integra.

RATIHABITIO sicuti mandato comparatur, [1] ita eo tempore fieri debet, quo fieri posset id ipsum quod ratum habetur. Alioqui sera est & inutilis. [2] At nec si congruo tempore facta sit, semper tamen vtilis est & efficax, nimirum si medio temporis curriculo ius alteri quæsitum proponatur. [3] Nec enim vnquam in præiudicium tertij retrotrahitur [4] propter medium inhabile, quod, vt nostri solent dicere, impedit coniunctionem extremorum, [5] facitque ne liber sit recursus. [6] *Ita Senatus* in causa D. de Monsain-Iean & D. d'Iuonne, 16. Cal. Iulij, 1588.

1 *L. si pupilli 6. §. item quæritur, de negot. gest. l. licet verum 56. D. de iudic. l. 1. §. sed & quod alius 14. D. de vi & vi armat. l. vero procuratori 12. §. fin. D. de solut. l. semper 60. l. hoc iure 152. §. in maleficiis, de reg. iur. l. ei qui 7. in fin. C. quod cum eo qui in alien. potest. l. vlt. C. hoc tit.*

2 *L. pen. D. rat. rem. haber. l. cum filiofamilias 5. in fin. princip. D. quis ord. in bonor. poss. seruet.*

3 Glos. ordin. *in cap. ratihabitione, de regul. iur. in 6.* Afflict. *decis. 335. num. 12.* & alij quos refert Osasc. *Decis. Pedem. 119. numer. 25.*

4 Ne in alicuius potestate sit alterius tertij ius lædere, quod nunquam ferendum est, *l. 1. §. vlt. l. qui balneum 9 §. 1. vers. si modo l. potior 11. in princip. D. qui potior. in pign. hab.*

5 *L. si ego, 9. §. si res, D. de iur. dot.*

6 Itaque quod dici solet ratihabitionem reducere negotium ad illud tempus, quo contractum fuit, *d. l. 6. §. item quæritur de negot. gest. l. donationes 25. ad fin. C. de donat. int. vir. & vxor.* non potest hoc casu locum habere cum res non est integra. Tiraq. *De retract. gentil.* in verb. *intra annum §. 1. glos. 10. num. 85.* vbi multos citat, itemque Osasc. *d. decis. 119. nu. 23. & seq. & 28.*

DEFINITIO II.

Iudicium à falso procuratore institutum non potest ratum haberi ad constituendum aduersarium in contumacia & dolo.

INde fit vt, si falsus procurator pro te contra me iudicio adfuerit, ego vero abfuerim, non possit pro te ferri sententia, quamuis tu falsi procuratoris factum ratum habueris, siue ante, siue post sententiam, si non à tempore ratihabitionis secutæ ex integro fiam contumax. [1] De iudic. Defin. 8.

1 Potest enim fieri vt ideo abfuerim, quia sciebam falsum procuratorem eum esse, qui tuo nomine contra me agebat, & ideo non posse me ex ea causa fieri contumacem, sed ius meum durare, *arg. l. sicut 8. §. non videt. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solut.* Et sane cum procurator falsus est non solum iudicium esse non potest, sed neque dici controuersia, *l. licet in principio 24. C. de procurat. l. 1. Cod. quibus res iudic. non nocet. l. falsus, 21. C. de furt.* Neque igitur contumacia vlla videri potest eius, qui liti à falso procuratore institutæ adesse noluit: cum neque actor adfuerit aut per se aut per verum procuratorem, *l. ad peremptorium 68. cum seqq. ff. de iudic.* Itaque peremptorium edictum hoc casu necessario circumducendum est, *l. & post edictum 73. §. 1. eod.* semel vero circumductum, adeoque quòd in ea causa fuit vt circumduci debuerit, restitui postea non debet ob superuenientem ratihabitionem in præiudicium eius, cui nihil potest imputari. Contumax enim ille tantum est, cui potest imputari cur iudici non paruerit, *l. contumacia 53. D. de re iudic.* Falsus autem procurator est, qui vel nullum mandatum habet, vel reuocatum, ab eo qui mandandi ius non habuit. Bald. *ad d. l. licet, 24. C. de procur.*

DEFINITIO III.

Macedoniani exceptio datur contra creditorem ex mutuo, etiamsi chirographum filij sigillo patris signatum sit. Et quid si contractus fuerit simulatus?

MAcedoniani Senatusconsulti exceptio [1] non eo minus prodesse debet filiofamilias ex causa mutui obligato, quod sigillo patris exquisita per creditorem fraude chirographum filij obsignatũ proponatur, [2] si non ex aliis probationibus appareat consensum patris interuenisse. [3] At quid si filiusfamilias ex chirographo conuentus neget sibi creditam pecuniam, dicatque mutui colorem quæsitum à creditrice muliere, vt quasi tanto locupletior facilius illa chirographi exhibitione maritum inueniret? Non idcirco melior fierit conditio creditricis. Nam siue audiendus non sit filiusfamilias, qui fraudis ineundæ consilium se habuisse alleget, [4] sola supereſt causa mutui, quæ sicuti scripto probatur, ita SC. improbatur, [5] siue audiendus, eique fides adhibenda sit, cessante Senatusconsulto, subest causa simulationis, quæ impedit ne obligatio contrahatur. [6] Sunt enim hæc longe diuersa, captatum simulationis ineundæ consilium, vt facilius mulier creditrix nuberet, [7] & dotem sub mutui titulo constitutam esse. Quo sane posteriore casu, licet non valeret constitutio viuo patre, quoniam esset donatio, [7] quæ à filiofamilias fieri nunquam potest, nec si liberam habeat peculij administrationem: [8] valeret tamen in præiudicium filij, maxime post mortem patris, [9] accedente præsertim iureiurando. Obligatur namque filiusfamilias tam ex contractibus quam ex delictis præterquam ex mutuo & ex voto. [10] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de la Balme & D. Iacobinæ de Mombel, Comitis d'Antremont, Cal. Febr. 1593.

1 Quæ exceptis certis casibus datur filiofamil. ex causa mutui obligato, *l. 1. & pass. hoc tit. D. & C.* item ex aliis causis, si fraus SC. facta sit, *l. 3. §. is autem, l. 7. in princ. & §. 1. & 2. D. eod.*

2 Textus est *in l. 2. C. de reb. alien. non alien.* quamuis regulariter ex sigillo probetur aut saltem præsumatur consensus eius, cuius sigillum est, *l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus*, vbi DD. *de verb. oblig.* nisi appareat signasse quem quasi testem, *l. si pater 6. C. de fideiuss.* Vide text. *in l. fideiussor 26. §. 1.* ibi, *cum neque consensu accommodauerit patri aut signo suo. ff. de pignoribus, l. Caius Seius 39. ff. de pign. act.*

3 Patris enim consensu interueniente, Macedoniani exceptionem cessare certum est, *l. item si 7. alias l. sed Iulianus, §. interdum, & §. penult. l. si tantum 12. l. filium 14. D. hoc tit.* neque refert an interuenerit ab initio an ex postfacto, *l. vltim. C. eod.* Sed & interuenisse patris consensus intelligitur, si filiusfam. absente patre quasi ex eius mandato pecuniam acceperit, & ad patrem literas emiserit vt eam pecuniam solueret. Debet enim pater hoc casu, si filij actum improbat, continuo interponere testationem contrariæ voluntatis, *l. filiusfamilias 17. D. eod.*

4 Non enim audiendus est allegans propriam turpitudinem, nisi excipiendo aut replicando, inquit, aduersus participem turpitudinis, Bartol. *in l. iusiurandum 34. §. procurator. num. 5. D. de iureiur.* Vide tamen *l. 4. §. Marcellus 13. D. de dol. except.*

5 *tot. hoc tit. D. & C.*

6 Simulata enim semper pro infectis haberi debent, *tot. tit. plus valer. quod agit, l. si ex pretio 6. C. si cert. pet.*

7 *L. donari 82. l. cuius 53. de reg. iur. l. donari 29. de donat.*

8 *L. filiusfamilias 7. eod. l. contra 28. §. si filius de pact. l. 1. §. 1. ff. quæ res pign. oblig. pass.*

9 *d. l. si ex alio 9. C. quod cum eo.* Adde etiam fauorem dotis, *l. cum is 32. §. mulier, ff. de condict. indeb. l. si dotare 14. l. vltim. Cod. ad Velleian.* Iunge *l. si extraneus 33. ff. de iur. dot.* Adde *l. cum dominus 19. §. vlt.* vbi Bart. *de pecul. legat. l. 3. l. constante 21.* vbi

BIU Cujas

glos. C. de donat. Idem Bart. in l. 2. §. fin. D. solut. matr. Olasc. decis. 94. num. 7. 8. 20. 21. Crauet. cons. 195. num. 2.

10 L. tam ex contractibus 57. D. de iudic. iunct. l. 2. §. 1. de pollicit.

DEFINITIO IV.

Minor filiusfamilias qui se obligauit pro patre non potest restitui, nec tanquam minor si maior factus debitum adprobauerit, neque tanquam filiusfamilias, neque tanquam læsus si possit quandoque indemnitatem consequi bonis patris.

FIliusfamilias iussu patris se bonaque sua omnia præsentia & futura pro debito patris Titio creditori obligauerat: cum eo tempore minor esset annis viginti quinque. Postea maior factus impetrauerat à Principe beneficium respirationis, vt vocant, & annalis ad soluendum dilationis. Mox restitutionem in integrum ex causa minoris ætatis, itemque metus reuerentialis & læsionis. [1] Placuit audiri eum non debere, quod maior factus eiusmodi literarum impetratione debitum haud dubie adprobasset. [2] At neque læsum se conqueri poterat ob id solum, quod se pro patre obligasset; cum eam pecuniam in rem communem patris & filij versam esse appareret, [3] nec allegaretur adeo inopem esse patrem, vt ex eius bonis indemnitas sperari non posset. [4] Neque enim prohibitum est filiofamilias vt se pro patre obliget, non magis quam patri vt pro filio; sed hoc tantum ne filius pro patre aut pater pro filio conueniatur, scilicet si non se prius obligauit. [5] Multo minus exceptio Macedoniani locum habere poterat in eo debito, quod ex patris non modo voluntate sed etiam iussu contractum probabatur. [6] *Ita Senatus* pro N. Iano Pensabin, contra N. Godard. 5. Cal. Iul. 1605.

1 *Ex not. in l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.*

2 *Arg. l. ad solutionem, 5. C. de re iudic.* Non enim dantur eæ literæ nisi debitoribus debitum fatentibus, vt diximus *in tit. de precib. Imp. offer.* ex Rebuff. *in tract. de liter. dilat.*

3 *Argum. l. vir vxori 17. §. mulier & Titius, D. ad SC. Velleian.*

4 Nec enim venit in diuisionem hæreditatis aut in collationem id, quod post mortem patris filius ex causa debiti habere intelligitur, *l. pen. D. de collat. bonor.*

5 *L. 1. & tot. tit. C. ne filius pro patr.*

6 *L. 2. & vlt. C. hoc tit. l. si tamen D. eod.*

TIT. XXI.

AD SC. VELLEIAN.

DEFINITIO I.

De Velleiani auxilio dando mulieri, quæ cum filio vendidit rem filij tanquam correa venditionis.

MAter, quæ neque filij curatrix erat, neque ius vllum in re filij habebat, eam rem vendiderat præsente filio simulque vendēte quasi correa venditionis. Videbatur pro filio fideiussisse potius quam proprio nomine cōtraxisse, quęsito in fraudem Senatusconsulti colore obligationis correorum. [1] Nam quod nimis fortasse generaliter nostris placet, quoties duo correi constituuntur in re & negotio ad alterutrum duntaxat pertinente pro intercessore habendum eum, ad quem res nullo modo pertinet, [2] hoc saltem casu admittendum est, propter iustam suspicionem fraudis Senatusconsulto factæ, cui non aliter occurri potest. [3] Illud multo facilius admitti debet, in dubio præsumendum nihil ex emptionis pretio ad mulierem peruenisse videri, ad quam negotium non spectabat: [4] quod & in cæteris correis debendi generale est, [5] quamuis si iuris rationi plus quam nostrorum traditionibus tribuas, nihil omnino refert ad quem ex correis debendi pecunia peruenerit, [6] quippe quorū obligationi nihil tam sit contrarium, quam vt alius pro alio fideiussisse aliterve intercessisse existimetur. [7] Ergo in proposita specie iuuabitur mulier exceptione Velleiani acsi pro filio fideiussisset, [8] nec ipsa tantum si conueniatur sed & hæres eius, [9] præterquam si filius ille sit cum quo vendidit. Hic enim qua fronte auxilium Senatusconsulti ex persona matris implorabat, qui ex propria tenetur de euictione? [10] Nam nec mulier Senatusconsulto iuuari posset, si filio qui principalis venditor fuit hæres extitisset, [11] nisi is filius fuit cui ex causa minoris ætatis aut læsionis indulgeri restitutio debuerit. [12] *Ita Senatus* pro N. Francisco Denarie contra Bartholomeam de Vallon. Id. Aug. 1588. Iunge Defin. 1. De contr. empt.

1 *Vt & in l. vir vxori 17. §. mulier & Titius, D. hoc titul.* Sicut enim duo pluréve correi debendi fieri possunt, non tantum verbis sed etiam cæteris contractibus, veluti emptione, venditione, locatione, depositō, commodato, testamento, *l. eandem 7. ff. de duob. reis.* Ita & omnibus his modis potest fraus fieri SC. Velleiano per speciem obligationis correorum.

2 Bart. *ad Auth. si qua mulier, C. hoc tit.* itemque *ad l. reos 11. D. de duobus reis.* Crauet. qui alios quamplures refert, *cons. 91. num. 2.* contra quam tamen sententiam vide quæ scripsi *lib. 11. Coniectur. cap. 1.*

3 Fraudis enim suspicio subest quoties mulier siue pro alio siue cum alio contrahit, & hoc casu debet esse creditor diligentior in quærendo in quam rem pecunia impendatur, quam si ab initio cum sola muliere contraheret, *dict. l. vir vxori 17. in fin. primi responsi D. hoc tit.* iunct. *l. doli 19. §. vltim. D. de nouat.*

4 Crauet. *d. cons. 91. num. 2.*

5 *L. propter mutuam 4. C. de duob. reis.*

6 Vt scripsi *dict. cap. 1. lib. 11. Coniect.*

7 Nisi cum id expressim actum est, vt *in dict. l. reos 11. D. de duob. reis.*

8 Nam & pro alio intercedere potest mulier fundum vendendo siue suum, siue alienum, vel maxime propter obligationem de euictione, *l. vlt. §. item si mulier. D. hoc tit.* Aliud est si fundum suum sola ipsa vendiderit suo nomine quamuis postea proprium soluerit creditori mariti, *l. 4. C. eod.*

9 *L. mulierem 14. in fin. eod. hoc tit. C.* Sane ius hypothecæ, quod in ea re pro dote aut aliter habuit mulier eiusmodi venditione remisisse intelligitur, licet non quod ad cætera filij bona, Boer. *quæst. 23. num. 9.* Vide *Defin. 23. 3. de probat.* Senatusconsultum enim Velleianum, quod improbat venditionem & obligationem non similiter improbat pignoris liberationem, *l. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* iunct. *l. etsi pignus 18. D. quod in fraud. credit.*

10 *L. vindicantem 17. ff. de euict l. cum reus 14. ff. de fideiuss.* secundum eam lectionem & interpretationem, quam docuimus *lib. 1. Coniect. cap. 5.* Adde *l. etsi is 10. ff. de distract pignor.*

11 *d. l. mulierem 14. vers. vnde si mater. C. hoc tit.*

12 Restitutionem enim in integrum quæ defuncto competit ad heredem transmitti certum est, *l. non solum 6. ff. de in integr. rest. l. minor autem 18. §. vlt. cum l. seq. ff. de minor. l. Pannonius 86. de acquir. hered.*

DEFINITIO II.

Non debet iudex auctoritatem præstare mulieri volenti pro marito aut alio id facere, per quod futurum sit vt dos periclitetur.

CVm vxor Titij multo ære alieno laborantis à Senatu peteret vt sibi liceret hypothecæ dotalis iura remittere, quo facilius emptorem bona coniugis inuenirent, ita vt nihil sibi iuris supereſſet in eas res, ex quarum pretio mariti creditoribus licet posterioribus satisfactum esse constaret, non putauit

Senatus

Senatus id mulieri concedendum, quæ maritalibus aut minis aut delinimentis coacta non satis sibi caueret,[2] sed ex iuris ratione omnia æstimanda, quæ non aliter renunciationes eiusmodi ratas habet, quam si alia supersint marito bona, ex quibus vxori quandocunque dotem repetenti satisfieri possit. [3] Alioqui vel emptores fidem Senatus secutos à Senatu decipi necesse esset, [4] vel Senatum ipsum litem suam facere, ac mulieri indemnitatem præstare, [5] si à marito postea seruare illa non posset dotem, quæ omnimodo ei salua esse debet. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 3. Idib. Decemb. 1589.

1 Non enim nisi frustra id petebatur in eum casum, quo alioqui Velleiano locus esse non potuisset, inique vero si contra SC. auctoritatem id cedere debuisset. At Senatus cauere debuit ne quid vel frustra vel inique decerneret, præsertim ne tanti Senatusconsulti quantum Velleian. est auctoritas labefactaretur, *arg. l. quidam 29. §. vlt. D. hoc tit. l. 5. §. vlt. ff. de capt. & postlim. l. Imperatores 30. de reb. auct. iud. possid. alias l. 15. de priuil. cred.*

2 Sic nouercalia delinimenta dixit Caius, *in l. 4. ff. de inoff. testam.* vbi ait huiusmodi delinimentis & instigationibus iudicium corrumpi. Iunge *l. vlt. ff. si quis aliq. test. prohib.*

3 Sic enim vulgo accipitur quod de hypothecarum remissione scribit Imper. *in l. iubemus 29. C. hoc tit.* quia non valent pacta per quæ fiat deterior conditio dotis, *l. Atilicinus 17. ff. de pact. dot.* cum interfit Reipub. dotes integras mulieribus saluas esse, *l. 1. ff. solut. matr. l. interest 18. de reb. auct. iudic. possid.*

4 Quod esset iniquum. Semper enim id agere quilibet magistratus debet, ne beneficium suum cuiquam sit captiosum aut iniuriosum, *l. Paulus notat 8. ff. de prætor stipul.* quod & ad ea beneficia pertinet, quæ à principibus conceduntur, *l. 4 Cod. de emancip. lib. l. ex facto 43. de vulg. & pup. substit.* multo minus ferendum est vt decipiatur qui fidem publicam secutus est, *l. 2. & 3. C. de quadr. præscript.* Idque est quod dici solet fidem hastæ fiscalis facile conuelli non debere, *l. si hypothecas 8. C. de remiss. pign.*

5 *Ex tit. de magistr. conuen.* quamuis titulus ille ad tutelas pertineat non ad dotes. Nec magistratus vnquam faceret litem suam, sed tantum pedaneus iudex, *l. vlt. D. de extr. cognit. & tot. tit. C. de pœn. iudic. qui male iudic.*

DEFINITIO III.

Mulier non iuuatur Velleiano contra emptorem, quem ipsa quæsit, si neque mariti creditor ille sit, neque ab eo subiectus, neque alia ratione color quæsitus sit in fraudem SC.

MVlier, quæ maior annis vigintiquinque fundum suum vendidit, licet ex precio pecuniam pro marito soluerit, [1] tamen Senatusconsulti auxilium implorare non potest: [2] nec si aut cum marito ipso vendiderit, aut sola quidem, sed ea lege ab initio dicta vt mariti creditoribus emptor pretium solueret. [3] Neque enim intercessio hæc videri debet, cum mulier non obligetur, sed de re sua pro arbitrio constituat. Nam nec donanti nec alienanti nec soluenti mulieri Senatusconsultum succurrit, aut noua Iustiniani constitutio, sed tantum obligatæ & intercedenti. [4] Præterquam si quid in fraudem legis à marito factum probetur, inducto per eum aut per eius creditorem emptore, aut male persuasa muliere vt venderet, ad hoc duntaxat vt intercessioni color quæreretur. [5] Plane si creditor ipse mariti emptor proponatur, non obscura fraudis suspicio est, contra quam vix est vt probatio in contrarium admitti debeat. [6] Sed cessante fraudis suspicione nihil causæ est, cur mulieri hoc solo, quod mulier est, subueniatur, [7] quæ iure communi vsa est. [8] *Ita Senatus* pro Iacobo Pic, contra Peronetam Coruat, 15. Cal. Febr. 1590.

1 Nam in muliere minore, quæ læsa esset, restitutio in integrum locum habere posset, *tot. tit. de minor. D. & C. de in integr. rest. minor.*

2 *L. Senatusconsultum 4. in fin. C hoc tit.*

3 Dummodo illa ipsa quæsierit emptorem, non maritus aut creditor mariti, *l. vlt. §. item si mulier.* vbi gloss. *D. hoc tit.*

4 *L. 4. eod. tit.* iunct. *l. si pro aliquo 21. eod.*

5 Quoties enim colorem intercessioni quæsitum esse constat, non potest valere quod in Senatusconsulti fraudem factum est, *l. quidam 29. in fin. ff. eod.* quæsitus autem color videtur si mariti vel alterius creditor fundum ipse emerit, aut emptorem quæsierit, *vt in d. §. item si mulier, l. vlt. hoc tit.* vt sequitur in Defin.

6 Gloss. *in d. § item si mulier, d. l. vlt.*

7 Non enim semper nec per omnia mulier habenda est loco minoris 25. annis circumscripti, vt passim ei subueniri oporteat, *d. l. vltim. in princ.* vt intelligamus difficilius ei subueniri quam minori. Quanquam nec minori semper succurritur, sed causa cognita, sed vel aduersarij dolo vel inconsulta sua facilitate læsus proponatur, *l. verum 11. §. sciendum l. quod si minor 24. §. 1. D. de minor. l. nam posteaquam 9. §. si minor. ff. de iureiur.*

8 Neque enim decipitur qui iure communi vtitur, *l. nihil consensui 116. §. 1. de regul. iur. l. vltim. C. de in integr. restitut. minor. l. inter eos 51. §. penultim. D. de fideiussor. l. in pupillo. 47. in fin. de solution.*

DEFINITIO IV.

Mulieri etiam ab alio deceptæ non subuenitur aduersus eum, quem ipsa decepit.

ETiam cum mulier maritalibus blandimentis decepta est vt pro marito intercederet, si eum qui contrahere nolebat induxerit, vt vel pecuniam marito crederet, vel fundum dotalem emeret, ex cuius pretio creditoribus mariti satisfieri posset, frustra postmodum legis Iustinianeæ [1] aut SC. auxilium implorat. [2] Certum enim est, deceptis duntaxat non etiam decipientibus mulieribus subueniri oportere. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De qua *in Auth. si qua mulier, C. hoc tit.*

2 Dolus enim, quo maritus ad eam circumueniendam vsus est, non facit quo minus ipsa quoque dolo versata sit in circumueniendo emptore, nec debet dolus mariti nocere emptori qui fuit ipse circumuentus, tantum abest vt dolo quid fecerit, *l. 4. item quæritur 20. ff. de doli mal. except.*

3 *L. 2. §. sed ita demum l. si decipiendi, 30. D. hoc tit.* Idemque in aliis obtinet, vt ei quæ dolo malo aliquid fecit numquam succurratur, *l. cum post mortem 43. §. 1. vers. præterea, D. de administrat. tutor. l. auxil. 37. §. 1. D. de minor. l. 2. Cod. si minor. se maior. dixer.*

DEFINITIO V.

Qui mandante muliere vel minore soluit vero creditori mulieris vel minoris, contra quem restitutio impetrari poterat, secutus est.

QVi mandante muliere ei soluit bona fide, apud quem mulier pro viro aliove contra SC. intercesserat, non idcirco Senatusconsulti exceptione repellendus est, quasi & ipse contra Senatusconsultum fecerit. [1] Sufficit enim mulieris indemnitati hactenus consultum esse, quod aduersus primum creditorem saluam habet, non tantum exceptionem sed etiam actionem, rescisso contractu per in integrum restitutionem, [1] nisi malit aduersus eum agere pro quo intercesserat, siue maritus ille sit, siue alius. [3] Nam & cum quis creditori minoris soluit, contra quem restitui minor in integrum poterat, si postmodum restitui minor velit, non aduersus eum qui soluit, sed in eum cui solutum est restitutionem impetrare debet. [4] Nec ad rem pertinebit quod eo forte tempore soluendo is esse desierit: [5] cum ab initio vtiliter solutum sit, nec curiosus esse debuerit in quam causam pecunia impenderetur is, qui minoris fidem secutus est. [6] Atqui nemo dixerit mulieris meliorem quam minoris causam esse debere. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 Alioqui nemo cum fœminis contrahet, cum ignorari possit quid acturæ sint aut quid antea egerint. Imo tunc SC. locus est, cum creditor scit mulierem intercedere, *l. si mulier, 11. in fin. & l. seq. l. bona fide 27. D. hoc tit.*

2 Mulier enim quæ contra SC. intercessit habet condictionem aduersus eum cui soluit, *l. quamuis 8. §. interdum eod. tit.*

3 Nec enim auxilium vnum mulieri competens adimit ei ius commune, ex quo datur fideiussori actio mandati contra eum pro quo fideiussit, si mandatum interceserit, aut saltem negotiorum gestorum si nihil mandatum fuerit, *l. ex mandato 20. §. 1. l. si fideiussor 29. & pass. D. mandat.* Textus est *in l. penult. D. hoc tit.*

4 Non enim potest videri male rem minoris gessisse is qui soluit ei, cui tunc reuera minor erat obligatus, *arg. l. si mulier 31. C. de minor. l. doli 19. vers. diuersum si iam*, in illis verbis: *quamuis adhuc possit restitui aduersus priorem creditorem. D. de nouat.*

5 Initium enim spectandum est non euentus, tum etiam cum de minoris restitutione tractatur, *l. 3. §. scio l. verum 11. §. item non restituetur & seq. D. de minor.*

6 *d. l. doli 19. in fin. de nouat.*

7 Est enim è contrario melior conditio minoris quam mulieris, *l. vlt. in princip. D. hoc tit.*

DEFINITIO VI.

Mulier iuuatur Velleiano contra suum fideiussorem, etiamsi soluerit ille ita, vt repetere non possit, quia poterat etiam ille eadem exceptione se tueri.

MVlieri, quæ apud alienum creditorem intercesserat & fideiussorem dederat, competit exceptio SC. non tantum aduersus creditorem si ab eo conueniatur, sed etiam contra fideiussorem si forte is creditori vel inuita vel inscia muliere soluerit, moxque solutam pecuniam à muliere repetere velit. Duplex enim hic intercessio est, [1] & vtraque aduersus Senatusconsultum facta. [2] Ita fiet vt in damno fideiussor moretur, vtique si sic soluerit ne posset repetere. [3] Alioqui habebit condictionem indebiti, cum exceptione perpetua tutus fuerit, [4] nimirum exceptione Velleiani quam constat non minus mulieris fideiussoribus, quam ipsi mulieri competere. [5] Quæ ratio facit, vt tanto magis contra eum quoque mulieri subueniendum sit, cum sibi imputare ille debeat cur vltro soluerit creditori, quem exceptione iusta, adeoque perpetua potuit summouere. [6] *Ita tractatum est* ex tempore 13. Calend. Iul. 1590.

1 Vt & *in l. quamuis 8. §. si mulier apud Primum, D. hoc tit.* de cuius loci sententia & emendatione scripsimus *lib. 18. Coniect. 1. cap. 1.* Adde *l. doli 19. §. diuers. est in muliere, D. de nouat.*

2 Omnes enim mulierum obligationes, quæ pro alieno debito factæ sint, Senatus improbat, *l. 2. § pen. D. hoc tit.* Alioqui parum esset quod iuuaretur mulier contra creditorem, si non iuuaretur etiam contra suos fideiussores, ne per medias eorum personas ipsi creditori soluere cogi videretur, *l. 5. D. de lib. leg.* qua de causa etiam fideiussoribus mulieris pro alio intercedentis per hoc SC. subuenitur, *l. si vxor 15. C. hoc tit. l. cum lex 46. de fideiuss.* Idemque est etiamsi fideiussor non pro muliere se obligauerit, sed pro alio, ex mandato tamen mulieris, *l. si fideiussores 6. l. si decipiendi 30. §. 1. D. eod.* Imo vel sola pignoris nedum fideiussoris datio faciat intercessionem, *d. l. quamuis 8. in princ. eod.*

3 Puta si prudens & sciens omiserit exceptionem, quam sibi competere sciebat, *Ex reg. l. cuius per errorem 53. de reg. iur.* iunct. *l. si fideiussor 29. §. non male, ff. mandat. l. si quis negotia 23. D. de negot. gest.*

4 *Ex reg. l. qui exceptionem 40. l. si non sortem 26. §. indebitum l. ex his omnibus 54. D. de condict. indeb. l. qui hominem 34. §. vltim. D. de solut.* Intelligenda tamen est hæc regula de exceptione, quæ sit inducta fauore excipientis, qualis est Velleiani, non de ea quæ odio creditoris, qualis est Macedoniani. Illa enim non parit condictionem, vt explicat Marcian. *in dict. l. qui exceptionem.* iunct. *l. sed etsi 9. §. pen. D. de SC. Maced.*

5 *d. l. si vxor 15. C. hoc tit.*

6 *d. l. si quis 23. D. de negot. gest. d. l. si fideiussor. 20. in princ. & §. 1. D. mandat.*

DEFINITIO VII.

Mulier, quæ solicitauit & quæsiit creditorem, non facile iuuanda est Velleiano, etiamsi facta sit correa debendi cum marito.

CVm absente viro mulier creditorem solicitasset, vt sibi pecuniam crederet, ac creditor mulieris nomen bona fide secutus esset, placuit non esse Senatusconsulti Velleiani exceptione repellendum, siue pecuniam eodem marito absente mulier accepisset, tum pro eo impendisset, [1] siue postea simul cum viro contraxisset, ac vterque pecuniam sibi creditam esse in solidum professus esset. [2] Nam siue dicas præsumi totam pecuniam ad virum peruenisse, tanquam ad potentiorem, siue quod verius est, ad quemlibet ipsorum pro æquis portionibus, [3] vix est vt non habeat decipiendi animum mulier, quæ creditorem vrget vt obligationem tanquam idoneam admittat, tametsi sic faciat illa intercedendi animo. [4] Iam enim supra diximus deceptis duntaxat non decipientibus mulieribus subueniri oportere: [5] nec odiosam esse creditoris causam, nisi cum apparet id eum scientem dolo malo egisse vt mulier intercederet, [6] aut per calliditatem fecisse aut consensisse, vt ex eius persona obligatio sumeret exordium. [7] Quandiu tamen de mulieris dolo non apparet, credendum est intercessionem mulieris, licet iusiurandum accesserit, [8] contra Senatusconsultum factam esse [9] ob idque nec pendente lite condemnari mulier debet, quę paratum pro se habeat iuris communis auxilium, [10] nec rursus statim absolui cum in eo sit vt condemnari debeat, si quid ab ea dolo malo factum probabitur. Itaque ante omnia de facti veritate inquirendum erit, & in aliud tempus differenda sententia. [11] Absolutionem tamen à iureiurando statim à muliere impetrari necesse est, ne obstet ei periurium, propter quod in ipso litis primordio debeat condemnari. [12] *Ita Senatus* in causa N. Matrat. Idib. Decemb. 1590.

1 Nam qui bona fide personam mulieris in contrahendo secutus est, ob ea, quæ inter virum & vxorem accepta pecunia gesta sunt, exceptione Senatusconsulti non submouetur, *l. bona fide 27. in princ. D. hoc tit.* Alioquin nemo cum fœminis contrahet ne quidem bona fide, cum ignorari possit quid postea sint acturæ, *l. si mulier 11. eod.* iunct. *l. ait prætor, 7. alias l. eisi sine, §. quæsitum in fin. D. de minor.*

2 Quo casu facti essent vir & vxor duo rei debendi, vt & *in l. vir vxori 17. §. vlt. D. hoc tit.*

3 Secundum ea quæ scripsimus *Defin. 1. 5. hoc tit. DD. ad §. transgrediamur, l. si cum dotem 22. D. solut. matr.*

4 Animus enim ille latet, nec imputari potest ei qui cum muliere contrahit, cur nesciuerit quo animo accederet ma ad contrahendum, *d. l. si mulier 11. & d. l. bona fide 27. D. hoc tit.* Imo vt sit locus SC. necesse est quod creditor sciat eam intercedere, *l. imo 12. & l. 4. eod. tit.*

5 *L. 2. §. sed ita demum l. si mulier 23. l. si decipiendi 30. in princ. D. hoc tit. l. fœminis 18. C. eod. l. in eo 110. §. vlt. de reg. iur.* vbi proculdubio legendum est, *defraudantur*, non vt vulgo *defendantur*, quod monuimus alio loco.

6 *d. l. imo, 12. D. hoc tit.* cum aliis supra citat. iunct. *l. vir vxori 17. in princ. eod.*

7 *Vt in l. quamuis 8. §. si cum essem penult. l. Seia 28. §. 1. D. hoc tit. l. cum ad eas 19. C. eod.*

8 Qua enim facilitate mulier intercedit, eadem & iurat, nihilque esset facilius, quam huiusmodi commento interponendi iurisiurandi fraudem facere Senatusconsulto, quę tamen ne vlla fieri possit, summopere cauendum est, *l. quidam, 29. §. vltim. D. hoc tit.* Solet etiam iusiurandum sequi naturam & regulam contractus in quo interponitur, *l. vltim. C. de non num. pecun.*

9 Qui enim dolum allegat eum probare semper debet, *l. quoties 18. §. qui dolo D. de probat. l. dolum 6. Cod. de dolo.*

10 Quoties enim quis mulierem corream debendi cum marito accipit, suspectam habere debet intercessionem & ideo diligens & curiosus esse debet in faciendo, vt probare quandoque pos-

BIU Cujas

que possit in quam rem versa sit pecunia, *dict. l. vir vxori 17. in princ. & §. vlt. D. hoc tit.* quamuis alioqui creditor contrahens cum persona non suspecta non debeat esse curiosus, *l. doli 19. in fin. D. de nouat.*

11 Vt faciendum semper est cum facti quæstio est obscura. Ex facto enim ius oritur, *vulg. l. si ex plagis 52. §. in cliuo. d. ad leg. Aquil. l. vt responsum 11. C. de transact.*

12 Exceptio enim periurij semper obstat iure pontificio ei, qui agit contra proprium iusiurandum quod seruari possit sine dispendio salutis æternæ. *cap. debitores & pass. Extr. de iureiur.* Vide Tessaur. *Decis. Pedem. 222. & seqq.*

DEFINITIO VIII.

Mulier quæ se pro marito egeno obligauit de pecunia in causam alimentorum familiæ conuersa, non iuuatur Velleiano.

NOn eo minus pro marito interuenisse mulier videtur, quod mutuam pecuniam acceperit ad seipsam communesque liberos exhibendos: [1] Cum ea res ad onus mariti pertineat [2], nisi probetur non habuisse maritum vnde se suosque aleret. Eo namque casu inhumanum certe sit fame perire mulierem, [3] nemine haud dubie cum ea contracturo, [4] si ius ita constituatur vt ei non liceat se suaque obligare in causam adeo non solum vtilem, sed etiam necessariam. [5] *Ita Senatus* in eadem causa. Et rursus in alia ex tempore tractata Cal. Iuniis 1591.

1 Fit enim hoc casu mulier pauperior pro marito, quod sufficit ad inducendum Velleianum, *l. 3. l. si pro aliquo, 21. D. hoc tit.*

2 Ad quem certum est pertinere omnia onera matrimonij, *l. si filia 20. §. hoc amplius l. Pomponius 35. D. famil. ercisc.* iunct. *l. si maritus 46. eod. l. actione 65. §. vltim. D. pro socio 66.* ob eamque causam solet marito dos dari à muliere, *l. dotis 3. ff. de iur. dot. l. pro oneribus 20. C. eod.* Iunge *l. si quis pro vxore 21. ff. de donat. int. vir & vxor.*

3 Quis enim iudex propitiis auribus mulierem audiat volentem alij imputare, cur eam cum liberis suis marito que fame perire passus non sit, *argum. l. si extraneus 33. D. de iur. dot.* Nemo siquidem culpam alij obiicere potest in eo facto, ex quo ipse lucrum senserit, *l. cum in fundo 78. §. quod mulier, 2. eod.* Nec videtur mulier hoc casu facta pauperior, *l. 13. l. 25. D. hoc tit.*

4 Atque ne id eueniat vel mulierum ipsarum interest maxime, *l. ait prætor 7. alias l. etsi sine §. quæsitum, ff. de minor.* alioqui quod in earum fauorem constitutum est in earundem odium retorqueretur, contra *l. nulla 25. ff. de legib. l. sancimus 7. C. ad SC. Trebell. l. §. 1. in fin. C. de secund. nupt.*

3 Siquidem ex huiusmodi causis placet dotem posse solui mulieri adeoque filiæfamilias, etiam constante matrimonio, *l. mutuus, 73. §. 1. D. de iur. dot. l. quamuis, 20. D. solut. matr.*

DEFINITIO IX.

Mulieri ne se cum marito obliget quatenus sit interdictum: Et an absolutio heredi mulieris quæ contraxit & iurauit sit necessaria?

QVanquam non semper mulieri prohibitum est ne se cum marito obliget, sed ita si & pro marito & animo intercedendi obligari velit: [1] Præsumptio tamen est, si egenti marito & vxori simul credita sit pecunia, totam videri mulierem eam ad maritum peruenisse, [2] ideoque videri eam intercedere, siue in solidum se obliget, [3] siue in viriles, [4] & consequenter non valet obligatio, [5] nisi proponas iuratam, Interueniente namque iureiurando sequimur ius pontificium, [6] & propter iurisiurandi auctoritatem contractum valere admittimus, [7] non solum hactenus vt necessaria sit absolutio propter metum periurij, [8] sed etiam vt restitutionem in integrum ex scripto Principis ad rescindendum contractum impetrari sit necesse. [9] Proinde licet hæredi mulieris quæ contraxit & iurauit non sit absolutio necessaria, qua iurisiurandi vinculum, quod ad incurrendum periurij pœnam attinet, personale est: [10] erit tamen beneficium restitutionis omnino necessarium vt contractus rescindatur. [11] *Ita tractatum est* ex tempore Cal. Iun. 1591.

1 *L. 1. & tot. tit. D. & C. Nouell. 134. vt nulli iudic. liceat haber. loci seruat. cap. 8. de interces. mulier.* vnde sumpta est *Auth. si qua mulier, Cod. hoc tit.* Paul. Cattr. *cons. 41. lib. 1.*

2 Boer. *quæst. 33.* Vide *Def. 8. j. de iur. dot.*

3 Tanquam correa debendi, *vt in l. vir vxori 17. §. mulier & Titius, D. hoc tit.*

4 Quod euenit cum vir & vxor simul obligati reperiuntur simpliciter non tanquam correi debendi, *l. reos 11. §. cum tabulis ff. de duob. reis.* Iunge *l. Paulus respondit eos 43. de rei vindic.*

5 Ex Iustiniani constitutione, *in d. Auth. si qua mulier.* Hoc enim ille addidit ad Senatusconsultum Velleianum, quod mulieri dabat in exceptionem duntaxat, *l. 2. 3. & pass. C. eod.* Sic namque accepta sunt verba illa Senatusconsulti, *neve in eat actio detur*, vt non detur efficax sed per exceptionem elidatur, *l. 2. §. 1. l. 6. l. si mulier, 23. ff. eod.* iunct. *tit. ff. quar. rer. act. non det.* Ideo fortassis quod quæstio illa, an intercessio facta sit magis facti quam iuris, esse videatur possitque fieri vt malit mulier vti iure communi, *l. pen. & l. vlt. §. pen. eod.* Et sane fuit æquissimum melioris conditionis esse mulierem quæ pro marito se obligauit, quam quæ pro alio, vel hoc ipso quod facilius est vt eam decipiat maritus quam alius, vnde & iam olim ante Velleianum ita ius erat ne pro marito vxor posset intercedere, *l. 2. in princip. ff. eod.* Iunge *l. 4. in fin. eod.*

6 Iure namque ciuili certum est contractum initum contra leges non confirmari iuramento, *l. non dubium 5. in fin. Cod. de leg.*

7 *Cap. cum contingat. Extr. de iureiur. cap. 4. de pact. in 6. contra glos. in d. auth. si qua mulier.*

8 Cum possit iusiurandum hoc seruari citra dispendium salutis æternæ, *cap. debitores & pass. eod. tit. de iureiur.*

9 Vt euenit quoties iusiurandum valet non tantum ad inducendam exceptionem periurij, sed etiam ad confirmandum contractum, vt in *authen. sacramenta, C. si aduers. vendit.* iunct. *l. 1. eod.*

10 *Notat. in d. cap. cum contingat. & pass. Extr. de iureiur.*

11 Quod secus esset si iusiurandū non faceret, vt contractus ipso iure teneret, vt in casu de quo Decius *cons. 537. num. pen. & vlt.* post Alex. *cons. 59. viso instrumento, lib. 1. & cons. 151. viso themate vers. tertius casus, lib. 7.*

DEFINITIO X.

Mulieri succurrendum ne fiat indotata etiamsi iurauerit, sed ei absolutio & restitutio necessaria est.

QVid tamen si ex ea obligatione mulier ob inopiam mariti fiat indotata? [1] Dubitari non potest quin hoc casu enormissima læsio interuenire videatur, [2] ex qua inferri solet probatio doli re ipsa interuenientis, quem rursus nostri dolo, vt vocant, ex proposito æquiparare solent. [3] An igitur ea res faciet vt neque restitutio, neque absolutio à iureiurando necessaria sit? Et sunt qui ita putent, illa potissimum ratione moti, quod obligatorium non sit iusiurandum, quoties dolo, vel vi vel metu extortum est, [4] sicut nec quid contra bonos mores præstitum. [5] Verum longe alia ratio est doli ex proposito interuenientis, alia eius qui ex sola enormissimæ læsionis probatione inducitur, [6] vt ex eo appareat, quod post edictum Diui Emanuelis Philiberti [7] transactiones ex causa prioris doli rescinduntur, ex causa posterioris non item. Itaque tutius fuerit, & absolutionem à iudice ecclesiastico, & restitutionem ex rescripto Principis impetrare. [8] Eoque passim iure Senatus noster vtitur. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nullam enim actionem habere videtur qui eam habet, quam de industris eludit inopia, *l. nam is, 6. D. de dolo.*

2 Nec tantum læsa videtur mulier sed etiam respub. cuius interest saluas esse dotes, *l. 1. solut. matr. l. interest, 18. de rebus auctor. iudic. possid.*

3 Ita nostri *ad l. si quis eum aliter 36. de verb. oblig.* late Decius post alios *cons. 180. num. 6. & 7.*

BIU Cujas

4 *L.cap.cum contingat.& pass.de iureiur.* Alex.*cons.*196.*nu.*3.*lib.* 6.Dec.*post alios cons.*532.*ad fin.*

5 *Cap.non est obligatorium de regul.iur.*

6 Dolus enim personalis longe odiosior est, vt scripsi in *Decad.de error.pragmat.*plerisque locis.

7 De quo edicto scripsimus *Defin.*10.3.*de transact.*

8 Vt & quoties dubitatur an contractus alioqui nullus iureiurando confirmatus sit, vt apud Alex.& Decium locis citatis *Defin.præced.num.vlt.*

DEFINITIO XI.

Si mulier indigeat restitutione contra intercessionem factam pro marito oneratur probatione, quod maritus non sit soluendo, secus si nulla egeat restitutione, puta quia non iurauerit.

IMplorata verò à muliere eiusve hærede aduersus intercessionem, aut pignorum dotalium remissionem iuratam in integrum restitutione, ad eius onus pertinebit, vt probet maritum illiusve hæredem, si quis est aut hæreditatem soluendo non esse: [1] non quasi possit ei obiici exceptio non factæ excussionis, quæ creditoribus pignora sequentibus obiici solet; [2] cum quandiu renunciatio rescissa non est negari non possit quin per eam extincta sit pignoris obligatio, [3] sed vt hoc ipsum sciatur an ex parte mulieris interuenerit læsio, quo causam dare debeat restitutioni, non enim læsa videretur si ei aliunde satis cautum esse posset. [4] Quod si iusiurandum nullum interuenerit, sicuti nulla opus est restitutione, [5] ita ex contrario probandi onus incumbet creditori qui pignoris remissione nitetur: [6] quandoquidem non aliter lex patitur eam remissionem à muliere fieri, quam si appareat ex aliis mariti bonis indemnem eam seruari posse. [7] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 3.infr. De remiss.pignor.

1 Qui enim restitutionem in integrum petit cum sit actor debet probare id, quod est fundamentum restitutionis, *l.nam posteaquam* 9. §. *si minor. De iureiur. notat. in l.*1. *Cod. si aduers. credit.*

2 *Auth.hoc si debitor,C.de pignor.*

3 Pignoris enim remissio fauorabilis est & extra causam SC.Velleiani, *l.quamuis* 8. *in princ. D.hoc tit. l.*1. §.1. *quibus mod. pign.vel hypoth.solu.it.l.etsi pignus* 18.*D quæ in fraud.credit.*

4 Cum nihil eius interfit à quo suum consequatur, dummodo nullam dotis iacturam sentiat, idemque in minorum etiam restitutionibus seruatur, *l.cum mandatu* 23.*D.de minor.*

5 Quia contractus ipso iure non tenet, *l.*2.*C de præd.minor. l.*3. *Cod. si aduers. libert.* propter Iustiniani constitutionem *in d. auth.si qua mulier,C.hoc tit.*

6 Semper enim probatio incumbit ei qui dicit non qui negat *l.*2.*D.de probat.*

7 Not.*communiter ad l.iubemus,*21.*C.hoc tit.*

DEFINITIO XII.

Mulier non potest restitui aduersus creditorem, ex cuius pecunia dimisit priorem creditorem apud quem etiam intercesserat, nisi prior etiam contractus rescindatur.

MVlier, quæ pro filio intercesserat apud creditorem bonaque sua omnia obligauerat, [1] cum in eo esset vt bonorum suorum & filij, quæ ipsa pro dote habebat obligata, distractionem pati cogeretur, [2] mutuam cum filio pecuniam acceperat ab alio, apud quem vt & apud priorem creditorem ex posterioris pecunia dimissum intercesserat. [3] Cum aduersus posteriorem hunc creditorem postulasset restitutionem ex rescripto Principis, quasi Velleiano iuuari deberet, visum est non esse audiendam, quod quandiu de prioris creditoris iure non disputaretur, dubitari non posset quin ea pecunia in rem mulieris versa videretur: [4] Præsertim cum posterior hic creditor prioris iura & actiones ex cessione nactus esset, inque locum eius successisset. [5] Quod si inspecto negotij initio [6] iusta aliqua causa fuit, propter quam mulieri succurri oporteret, debuerat illa aduersus priorem creditorem restitutionem petere non contra posteriorem, [7] cui nihil imputari potest, & ex cuius pecunia prior dimissus fuit. [8] *Ita Senatus* pro Francisco Bernard mercatore Lugdunensi, contra Antoniam Rauot, 12. Cal.April.1592.

1 In quo duplex erat intercessio, nam & pignoris datio facit intercessionem, *l.quamuis* 8.*D.hoc tit.*

2 Nec enim pignoris distractionem impedire debitor potest, siue proprio nomine sit debitor siue alieno, *l.*1.*&* 2.*C.debit.vendit.pign.imped.non poss.*

3 Itaque certum erat vtroque contractu factam esse à muliere intercessionem pro filio, vt & *in d. l.quamuis* 8.*§.si mulier apud primum, D.hoc tit.& in l.doli* 19. *§.diuersum est in muliere D. de nouat.*

4 Huius rationis pondus totum in eo consistit, quod intercessio à muliere facta etiam contra Velleianum nihilominus valet, si sit confirmata iuramento. Adeo vt sit mulieri necessaria eo casu non tantum absolutio sed etiam restitutio in integrum, vt scripsimus *Defin.*9.3.*eod.* Ergo non impetrata restitutione verum est, pecuniam hanc posterioris creditoris in rem mulieris versam esse, ex qua causa cessat SC. etiamsi ab initio facta sit intercessio, *l.aliquando* 13.*l.si pro aliquo* 21.*D.hoc tit.* Iunge *l.si pupilli* 66.*de solut.*

5 Quomodo facile potest succedere quisquis ex pecunia sua priorem creditorem dimittit, si præsertim de eo expresse conuenerit, *l.*1.*& tot.tit.C.de his qui in antiq.credit.loc.succed.l.mulier* 19.*D.qui potior.in pign.hab.*

6 Quod semper inspicien dum est in contractibus, *l.si tantum* 12.*D.de SC.Maced.l.si procuratorem* 8 *in princ.D.mandat.*maxime in restitutionibus *l.*3.*§.scio,l.verum* 11.*§ item non restituetur D.de minor.*

7 Aut saltem contra vtrumque simul, quod tutius fuisset, *l. in causæ* 12.*in fine principij D.eod. tit. de minor.* præsertim concurrente vtriusque iure in personam posterioris creditoris propter factam ei à priore cessionem.

8 Qui enim proprios creditores ex aliena pecunia dimisit, pecuniam ipsam adhuc penes se habere intelligitur, siquidem non absumitur quod in corpore patrimonij retinetur, *l.idem seruandum* 72.*de legat.*2. Erit vero tanto æquius Senatusconsultum hoc, si ponas priorem creditorem fuisse soluendo. Habet enim mulier condictionem *l.*8.*§.interdum,D.hoc tit.*

DEFINITIO XIII.

Cum quæritur an valeat remissio pignorum dotalium, inspiciendum est tempus restituendæ dotis: Probandi tamen onus mulieri incumbit, præsertim si renunciauerit cum iureiurando.

MVlieri quidem constante matrimonio licet remittere ius pignoris sibi pro dote competentis in certis bonis mariti, dummodo supersint marito alia, vnde mulieris indemnitati possit esse consultum: [1] Sed si post eam pignoris remissionem maritus lapsus sit facultatibus, ita vt eo tempore quo de dotis restitutione agitur satisfieri mulieri non possit, humanius est vt pignorum remissio ab initio inutilis fuisse intelligatur, [2] vtpote per quam deterior facta sit dotis conditio aduersus iuris ciuilis regulas, quæ omnes huiusmodi improbant pactiones, [3] sed eas præcipue quæ fiunt constante matrimonio, [4] ne alioqui mulieris inconsulta facilitas iacturam ei dotis inferat. [5] Sed quid si contendatur an eo tempore mariti bona sint soluendo, vxore negante, creditore vero affirmante? Incumbet onus probandi mulieri, quia creditor, in cuius fauorem renunciatum est iuri hypothecæ, fundatam habet intentionem, [6] cum non teneatur nisi in subsidium, & ita demum si mulier ex renunciatione læsa sit, [7] præsertim vero si mulier cum iureiurando renunciauerit, vt necessaria sit in integrum restitutio, quemadmodum supra scripsimus. [8] Nam pendente iudicio restitutionis contractum

tractum tenere necesse est.[9] Quid si mulier, vt in promptu probet mariti bona soluendo non esse, paratam se dicat iis omnibus cedere recepta dote? Non erit sufficiens probatio, cum fieri possit,[10] vt longe pretiosiora sint bona, nec tamen creditor in ius mulieris possit succedere, quod dotis debitæ numerationem non habeat in expedito.[11] *Ita Senatus* in causa Dominæ de la Cuille, & Domine de Charrin, Prid. Non. Iulij 1593.

1 *L. iubemus 21. C. hoc tit. cap. peruenit, de empt. & vendit.* Boer. *quæst. 23. num. 9.* vbi addit duplicem exceptionem, nisi mulier iurauerit, & nisi in renunciatione dixerit se certam esse, quod alia mariti bona sufficiant, sed neutram exceptionem Senatus noster probat, præsertim petita per mulierem in integrum restitutione.

2 Afflict. *decis. Neapol. 313.* vbi vide.

3 Per quas scilicet fit deterior conditio dotis. Melior enim fieri potest, deterior non potest *l. Attilicinus 17. D. de pact. dot.* nisi in eum casum quo interuenerint liberi & morte mulieris solutum sit matrimonium *l. 2. eod. tit.* vel diuortio culpa mulieris facto *l. 1. §. 1. D. de dot. præleg.* iunct. *l. 3. C. de pact. conu.*

4 Quo tempore interdicti sunt omnes contractus inter coniuges, per quos contractus fiat vnus ex iis pauperior, & alius locupletior *l. 5. §. concessa, l. si id quod 28. §. si quas, de donat. inter vir. & vxor.* iunct. *l. vxor 55. vers. non enim eod.*

5 Quam mulieri saluam & integram conseruari non tantum mulieris interest, sed etiam reipublicæ *l. 1. D. solut. matrim. l. interest 18. de rebus auct. iudic. possid.*

6 Et quidem ex iure communi, cum huiusmodi renunciatio expressim permissa sit *d. l. iubemus.*

7 Hæc enim exceptio & interpretatio adhibetur vulgo à nostris *ad d. l. iubemus.*

8 *Defin. 9. 3. hoc tit.*

9 *Cap. suscitata. Extr. de in integr. restit. notat. ad l. vnic. C. de restit. in integr. postul.*

10 Probatio enim quoties necessaria est, debet fieri ex mediis necessariis & concludentibus, *l. non hoc 4. C. vnd. legit. l. neque natales 10. l. ad probationem seruitutis 22. Cod. de probat.*

11 Non enim semper facilis est nominis emptio, cum numeratio totius debiti non sit in expedito, *l. si dubitet 10. in prin. D. de fidciuss.*

DEFINITIO XIV.

Cessat Velleianum in causa dotis per mulierem promissa ei, qui alioquin vxorem ducturus non fuit.

INtercessionem mulieris pro dote factam non pertinere ad SC. Velleianum indubitati iuris est, nec solum si mulier sui iuris & arbitrij proponatur,[2] sed & si nupta, quæ reuerentia maritali adactam se dicat, vt de suo dotem promitteret ei, quam dotare maritus debuerat.[3] Neque enim prætextu maritalis reuerentiæ[4] decipi eum oportet, qui non aliter fortasse vxorem fuerat ducturus,[5] nisi minæ probentur aut verbera:[6] quo sane casu æquius esset succurri mulieri, quã marito etiam ignoranti.[7] Nunquam enim quod per vim metúmve gestum est ratum haberi debet.[8] Sed si contracto iam matrimonio pro dote, quam alius dare debuit, mulier se obligauerit; licet nihil vetet constante matrimonio dotem & augeri & constitui,[9] Velleiano tamen locum esse verius est, quia nec tantus esse debeat fauor dotis, quæ contrahendo matrimonio causam non dederit,[10] nec dicere possit maritus se deceptum, qui antequam mulier quicquam promitteret iam duxerat vxorem.[11] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Charrin, & Dominæ de la Cuille, Prid. Non. Iul. 1593.

1 *L. si dotare 12. l. vlt. C. hoc tit.* vbi & alios casus notat Gothofr. in quibus cessat Velleianum, nempe fauore libertatis, *l. penult. eod.* si mulier renunciauerit Velleiano *ex l. iubemus 20. eod.* iunct. *l. vlt. §. pen. D. eod.* si precium intercessionis accepit *l. antiquæ 23. C. eod.* si secundo cauerit post elapsum iam biennium. *l. si mulier 22. eod.* si denique alium receperit, *l. si sine 5. in fin. l. fœminis 8. eod.* Quibus adde si in rem suam intercesserit, *l. 3. ff. eod.* aut si cum pro alio intercessisset postea pecuniam in rem suam verterit, *l. aliquando 13. eod.*

2 Id est, quæ nec filiafamilias nec nupta sit.

3 Puta filiæ etiam communi *l. vlt. vers. vtramque igitur, C. de dot. promiss. l. neque mater 14. C. de iur. dot.*

4 Tametsi metus reuerentialis soleat interdum attendi ad excludendum consensum saltem voluntarium *l. 1. §. quæ onerand.* vbi Bart. & cæteri. *D. quar. rer. act. non det. l. pen. D. de furt. l. 7. §. 1.* vbi Bald. *quod fals. tut.*

5 *L. si donaturus 9. §. 1. de condict. caus. dat. l. Titia 62. in fin. D. de iur. dot. l. 5. §. penult. D. de dol. except.*

6 *L. ad inuidiam 6.* vbi Bart. *Cod. de his quæ vi metusve caus. gest. sunt.* Obserua tamen ex probationone minarum ita demum probari metum, si factæ sint & probentur in specie. Dec. *cons.* 189. *num.* 17. Metum vero, qui semel illatus probetur, non purgari ex actu vllo sequenti, quamuis ex interuallo tamdiu durat eadem causa metus, puta inter coniuges, quamdiu durat idem matrimonium. Dec. *consil. 468. num. 23. & seqq. & cons. 609. num. 11. & 12.* post Bart. *ad l. si ob turpem, D. de condict. ob turp. caus.*

7 Ignorantia enim vnius quantumuis iusta, non debet alteri esse captiosa *l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo qua in fraud. credit. l. cum heres 11. de diuers. temp. præscript.*

8 *L. si mulier 21. §. 1. quod met. caus.*

9 *L. vlt. C. de donat. ante nupt. & l. penult. eod. §. aliud quoque.* Nouell. 97. *de æqual. dot.*

10 Fauor enim dotium æstimatur ex fauore matrimoniorum contrahendorum, *l. cap. 19. de ritu nupt. dicta l. 1. D. solut. matrim.*

11 Dum ne dolus aliunde vllus probetur, vt *in l. in prine. de doli except.*

DEFINITIO XV.

De priuilegio mulieris pignus remittentis.

IN muliere consentiente, vt res sibi vel pro dote vel alio nomine obligata alteri obligetur, aut vendatur, aut donetur, singulari iure receptum est, vt non nisi quod ad eum pertinet, cuius fauore facta renunciatio est, sibi præiudicet, adeo vt aduersus alium quemlibet possessorem perinde hypothecariam exercere possit, ac si ius hypothecæ numquam remisisset. Sic enim placuit Iustiniano,[1] vt nec ad alias personas nec ad alias res,[2] quam de quibus nominatim actum est, renunciatio extendatur, quod in cæteris creditoribus hypothecaria iura remittentibus diuersum est.[3] Sed illud multo singularius & mirabilius est, si verum esset, quod nostris placet, hoc etiam speciali iure[4] vti mulierem, vt si non expresse remiserit ius hypothecæ, non videatur ex eo solo tacitè remisisse, quod pignus alteri obligari aut in alium transferri consenserit, sed potius intercessisse, vt proinde iuuanda sit Velleiano. Sic enim illi ex eo moti quod Africanus quodam loco[5] scripsit, si mulier dixisset sibi rem dotis nomine obligatam, & creditor curasset ei pecuniam dotis solui, quo idem pignus acciperet, & cum mulieri etiam pecunia credita deberetur, si possessor creditor aduersus eam Seruiana agentem excideret, si non voluntate eius pignus datum esset, replicationem Senatusconsc. mulieri profuturam ita demum, si sciisset etiam aliam pecuniam ei deberi. Sed ego didici longe aliam illius loci rationem esse. Illam videlicet, quod cum mulieri vt pignus remitteret dos tantum soluta esset, non etiam pecunia quam illa crediderat, & cuius quoque nomine eadem res pignoris iure tenebatur, id actum videretur inter contrahentes, vt solius dotis nomine pignoris remissio fieret, propter sublatam ex hac causa personalem obligationem: pro alia vero pecunia credita pignus quidem superesset, sed ita tamen in eo nouus creditor mulieri præferretur: quæ conuentionis species siue in muliere siue inter alias quascunque personas, cum neque pignoris remissio sit,[6] neque redditio,[7] neque donatio,[8] mera sane intercessio est: quæ vtique esset remissio, si propter nullam specialem huius vel illius

BIU Cujas

debiti causam remissum pignus proponeretur. Itaque non est hac parte separanda mulier à cæteris personis, sed remissio pignoris, quæ fit generaliter ab ea quæ causam habeat imitatam, ne actus operetur vltra agentis intentionem,[9] vt est in vulgari nostrorum brocardico. *Ita tractatum est*, in eadem causa.

1 *In l. iubemus 21. Cod. hoc tit.*

2 Boer. *quæst. 23. num. 9. ad fin.* post Guid. Pap. *cons. 156. incip. in quadam causa.*

3 Ius enim pignoris simpliciter remissum, quod ad omnes res & personas remissum esse intelligitur, *l. sicut 8. §. 1. l. Paulus respondit 12. in princ. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

4 Ius enim commune in contrarium est vt pignoris vinculum solutum remissumque videatur ex eo solo, quod quis consenserit vt alij obligaretur, *l. si consenserit 7. l. sicut 8. §. non videtur, l. Titius 9. in fin. & pass. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. & l. Paulus 12. in princ. eod.*

5 Is locus est in *l. vir vxori 17. §. si mulier, D. hoc tit.*

6 Non enim remissum videri potest pignus quod non simpliciter remissum est, sed ex causa limitata & in consequentiam remissæ aut potius extinctæ obligationis personalis, quæ vna tantum erat ex pluribus.

7 Non enim redditur pignus quod pro alio debito remanet obligatum, *l. vnic. Cod. etiam ob chirograph. pecun. pignor. retin. poss.*

8 Nam neque plena pignoris redditio donatio est, *l. 1. §. 1. quib. mod. pign. vel hypoth. solus. l. etsi pignus 18. quæ in fraud. credit.* at nec intercessio *l. quamuis 8. in princ. D. hoc tit.*

9 *Ex l. non omnis 19. D. de reb. credit. cum similibus.*

DEFINITIO XVI.

Mulier non iuuatur Velleiano si se obligauerit pro marito liberando, qui in carceres detrusus erat ex causa delicti, secus si ex causa æris alieni.

CVm maritus ex causa delicti carceribus mancipatus liberationem ex SC. obtinuisset, sub onere tamen præstandæ satisdationis, nec fideiussorem præ inopia inueniret ad præscriptam vsque pœnæ quantitatem,[1] excepta vxore quæ paratam se diceret fideiubere, quæsitum est, an admittenda esset ad fideiussionem, an vero repellenda tanquam minus idonea propter exceptionem Senatusconsulti Velleiani:[2] placuit admittendam esse, cessareque hoc casu Senatusconsultum, propterea quod honestum sit desiderium mulieris virum non tam à carceribus, quàm à pœnæ corporalis aut infamiæ periculo[3] eximere volentis. [4] Aliud tamen dicendum foret, si ex causa ciuili & pro debito maritus in carceres detrusus proponeretur. [5] Et diuersitatis ratio est, quia pro ciuili debito vir captiuus potest bonis cedere, atque ita consequi liberationem, [6] non item cum ex causa delicti: [7] Item quoniam aliter posito iure facile fraus fieret Senatusconsulto, [8] eo scilicet duntaxat acto per creditorem, vt in carceres maritus coniiceretur, statimque mulier nimio mariti amore vita se spoliaret. [9] At non similiter verendum est ne maritus delictum patrare velit, & carceris incommoda subire, vt vxori fraudem faciat. [10] Qua ratione satisfieri potest iis qui obiiciunt, minus fauorabilem esse debere causam mariti, qui ex delicto quam qui ex ciuili debito in carceres detrusus est. Quod licet vere dicatur, [11] tamen ratione concedendæ vel denegandæ exceptionis, quæ ex Velleiano competit, prorsus alienum est. *Ita Senatus* pro Claudio Raboton in relationibus libellorum, 10. Cal. Mart. 1593. & rursus pro Petro Chappelle, 16. Cal. Sept. Item pro Bartholomæo Duport, Prid. Cal. easd. Sept. Denique pro Stephana de Plantens, contra Ioannem Ruffin, 3. Cal. Maij 1594.

1 Nec enim semper facile est inuenire fideiussorem, *l. postquam 5. §. 1. ff. vt legat. seu fideic. nom. caueat, l. omnes 33. §. præterea, C. de episc. & cleric. Nouell. 88. de depositi. & denunciat. inquil. in §. vlt.* Iunge *l. 3. de cust. & exhib. reor.*

2 Generalia enim sunt verba Senatusconsulti Velleian. quæ prohibent ne possit mulier pro alio præsertim pro marito obligari, & ad omnem debiti causam omnemque obligationis speciem pertinentia, nec magis permittitur mulieri maritum suum quam alium defendere, *l. 2. in princ. & §. penult. & vlt. D. hoc tit.* Sunt etiam generalia verba constitutionis Iustinianeæ *in Auth. si qua mulier, C. eod.* Itaque vbi lex non distinxit nec à nobis distinguendum videbatur, *vulg. l. de precio 8. D. de public. in rem act.*

3 Quoties enim quis non habet in ære, luere debet in honore, aut si id non sufficiat vel fieri non possit, debet luere in corpore, *l. vlt. D. de in ius vocand. l. 1. §. solent. de offic. præf. vrb. l. si quis iniuriam 35. ff. de iniur. l. 1. §. vlt. ff. de pœn.*

4 Nam ex hac causa etiam dos alienari potest, adeoq; constante matrimonio, *l. mutuum 73. §. 1. D. de iur. dot. l. quamuis 26. cum seq. ff. solut. matrim.*

5 Sicque intelligendum, quod in contrarium iudicatum in Gallia fuisse refert Papon. *lib. 12. Arest. tit. 9. §. 8.*

6 *L. 1. & tot. tit. C. qui bon. ced. poss.*

7 Vt constat ex locis citatis, *num. 3.*

8 Irrita vero esse debent omnia, quæ in fraudem Senatusconsulti excogitata videri possunt, *l. quidam 29. §. vlt. D. hoc tit.* cauendumque summopere est, ne his fraudibus via aperiatur, *vulg. l. non dubium 5. C. de leg. l. 4. C. de excus. tutor.*

9 Cuius etiam periculi metu dicimus prohibitas esse inter virum & vxorem donationes, ne ob mutuum amorem se inuicem bonis suis spolient, *l. 1. ff. de donat. int. vir & vxor.*

10 Aliam enim pœnam timere deberet, quam carceris, qui nec ad pœnam dari solet, sed ad custodiam, *l. aut damnum 8. §. soleni. ff. de pœn.* nisi in casu *l. 3. ff. de custod. & exhib. reor.* adeo vt nec vnquam permittatur carceris perpetui pœna, *l. 5. C. eod. l. ius incredibile 6. C. de pœn.*

11 Nemo enim debet melioris esse conditionis ob id, quod deliquerit, *l. Papinianus 20. l. auxilium 37. in fin. ff. de minor. l. non fraudatur 134. §. 1. de reg. iur.*

12 Quomodo iam olim Vlpianus, contra Papinianum hic disputauit, *in d. l. Papinianus.* Non enim hic quæritur, quid mariti delicto, sed quid iusto vxoris dolori indulgendum sit.

DEFINITIO XVI.

Non iuuatur Velleiano mulier, quæ ad eludendam executionem, quæ fiebat contra maritum, & vt executori illuderet, obligauit se pro marito.

CAptis in executione iudicati aduersus maritum condemnatum pignoribus,[1] cum in eo esset creditor, vt pignora ex debitoris domo in forum deportari iuberet,[2] mulier depositariam se constituerat, & promiserat, se, quotiescunque petitum esset, aut pignora illa exhibituram, aut quanti creditoris interforet, soluturam. [3] Si postea ex huiusmodi promissione conueniatur, [4] non est iuuanda exceptione Velleiani Senatusconsulti, eo prætextu, quasi se pro marito obligauerit. [5] Fere enim est, vt in dolo sit, quæ oblata depositi restituendi fide [6] iudicati executionem impedierit, si postea susceptam obligationem in creditoris fraudem damnumque irritam facere velit. [7] Iam autem sæpius diximus, deceptis tantum, non etiam decipientibus mulieribus Senatusconsulto subueniri. [8] Nec aliud erit, si probet mulier, non rei traditione, sed sola confessione depositum contractum fuisse. [9] Nihil enim refert, quod ad contrahendam depositi obligationem attinet, cum non nisi per mulierem steterit, quo minus depositum re ipsa contraheretur. [10] Tantoque magis hoc ipso teneri debet, quod non acceperit, quanto sit ex eo euidentius, ius dicentis & iudicatum exequi mandantis auctoritati illudere eam voluisse. [11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, Prid. Id. Febr. 1594.

1 Vt fieri solet iure ordinario, *l. à Diuo Pio 15. ff. de re iud. & tot. tit. C. si in caus. iud. pign. capt. sit.*

2 Pignorum enim captionem sequitur distractio supradictis legibus. Inutile namque esset pignus, quod vendi non posset, *l. 4. ff. de pign. act. & tot. tit. de distract. pign. D. & C.*

3 Atque ita videbatur intercessisse pro marito, cum is non solum debitor esset, verum etiam condemnatus. Sed non est ista interceſſio, vt sequitur *in Defin.*

4 Scili-

4 Scilicet alternatiue, vt vel pignora exhibeat, vt vendi possint, vel pecuniam, pro qua capta fuerint, soluat.

5 Non tam enim pro marito videtur se obligasse, quam pro seipsa, in eum scilicet casum, quo non exhiberet pignora, quæ penes se deposita fuisse dixisset. Itaque sufficere ei debet, quod possit exhibendo pignora effugere condemnationem. Siquidem in alternatiuis electio est debitoris, *l. plerumque, 10. §. vlt. D. de iur. dot. cum similibus.*

6 *Argum. l. is qui se obtulit 25. ff. de rei vind. l. 4. ff. de re iud. l. Plautius 1. ff. de procur.*

7 Licet enim ab initio nihil dolo malo fecerit, nunc tamen facit, cum neque depositum reddere vult, neque soluere, *arg. l. 2. §. circa de dol. except.* Rebus scilicet non amplius integris, *arg. l. si quis 8. de iur. delib. l. mancipiorum 6. in fin. ff. de opt. legat. l. vlt. C. de repud. hered.*

8 *L. 2. §. sed ita demum, l. si decipiendi 30. D. tot. tit.*

9 Etsi enim depositum non nisi re solet contrahi, *leg. 1. §. is quoque apud quem. de oblig. & action.* aliquando tamen contrahitur confessione rei acceptæ, quod vulgo interpretes vocant depositum irregulare & ciuile, sicut & mutuum ciuile, de quo DD. *in l. 3. ff. de reb. cred.* Fit enim plerumque, vt celeritate coniungendarum inter se actionum vna occultetur, *l. singularis 15. eod. tit. l. 3. §. pen. de don. int. vir. & vxor.* Nec dubitandum est, quin possit depositum probari ex confessione facta inter easdem partes, licet non contrahi, *l. Publ. 26. §. 1. ff. depos.*

10 Cum reuera contractum esset pignus iudiciale, quod vtique rursus capi & distrahi potest, etiamsi iam semel fuerit distractum, si pecunia non fuerit soluta. *d. l. à Diuo Pio 15. §. si post addictum, in fin. de re iud.*

11 Atque ita apparitorem & eum, cuius nomine fiebat executio, decepisse *l. si mulier, 23. D. hoc tit.* iunct. *d. l. Plautius 61. de procur.* Publice namque interest, non impediri executionem rerum iudicatarum, per quam scilicet rei iudicatæ vigor ad effectum adducitur, *l. pen. C. de exec. rei iud. l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.* Iunge *l. si pro aliquo 21. in princ. & §. 1. ff. hoc tit. l. rem alienam 41. in fin. ff. de pign. act.*

DEFINITIO XVIII.

Mulier potest in integrum restitui aduersus remissionem pignorum dotalium, etiam constante matrimonio ex causa, quando & quomodo.

INterdum euenit, vt aduersus hypothecarum dotalium remissionem mulier restituenda sit in integrum, etiam constante matrimonio, [1] adeoque quod magis mirum est, licet ex cæteris mariti bonis indemnitatem dotis consequi possit. [2] Quid enim si minis & verberibus adacta sit ad renunciationem? [3] Constat numquam ratum haberi debere id, quod per vim metumve gestum est. [4] In eoque fauorabilior est restitutio, quæ ex hac causa conceditur, quàm quæ ex capite doli vel minoris ætatis. Nam neque dolus, neque minor ætas quicquam prodest ad restitutionem, nisi læsio interueniat. [5] Vis sola metusve sufficit ad inducendum auxilium Prætoris. [6] Sed & fieri aliquando potest, vt mulierem restitui æquum sit, tanquam læsam, licet maritus adhuc sit soluendo. Finge incipere illum vergere ad inopiam, vt locus sit tempusque cogitandi de dote in tuto collocanda, [7] bona autem, quæ marito supersunt, non nisi mobilia esse aut edificia, quorum fructus citra venditionem constare nullus possit. [8] Cum ex contrario pignora, quibus renunciatum fuit, essent eiusmodi, quæ fructuum commodum allatura essent, si durarent; [9] an non mulieris interest, ea potius habere pignora, ex quorum fructibus se, maritum, communesque liberos alere queat, [10] quàm hæc, quæ nec dum possit vendere, nec fructum ex iis vllum consequi citra venditionem? Ita sane est. [11] Sed an expectabimus, vt de dote, quomodo loquuntur, assecuranda cognitum & pronunciatum sit? Minime. Etsi enim nihil eius interesse videtur, quamdiu nec restitutionem aut assecurationem dotis petit, hoc ipso tamen iam interest, quod in eo res est, vt assecutationem petere quandoque possit, eoque casu futurum sit, vt moretur in damno, si non in integrum restituatur. [12] Planeque iniquum fuerit, non prius posse illam de iure suo experiri ad pristinas hypothecas recuperandas, quàm assecurationem impetrauerit, [13] vt pendente iudicij tractu, [14] cogatur misere famem perpeti, longaque egestate laborare. [15] Quamuis non idcirco, quod fuerit in integrum restituta, debeat statim mitti in possessionem pignorum, [16] multo minus in ea retineri, si vel maritus vel alius ex mariti creditoribus contradicat. [17] Assecurationem enim iudicis auctoritate impetratam esse necesse est, priusquam constante matrimonio quicquam sibi iuris in mariti rebus vindicare vxor possit. [18] Nec aliud erit, tametsi in dotalibus tabulis proponas interuenisse clausulam constituti, cum pignus constitueretur. [19] Ea namque clausula sicuti accessoria est, ita principalis debiti, id est, dotis naturam sequitur, [20] vt non prius vires suas exerat ad possessionem mulieri parandam, quàm restituti aut in tuto collocari dotem oporteat, habétque clausula constituti in pignore tacitam illam conditionem, [21] quam & actio ipsa hypothecaria, *si debitum non soluetur.* [22] Proinde ante conditionis euentum nullius prorsus vtilitatis est. [23] Cui consequens fit, vt illo etiam casu, quo mulier constante matrimonio necdum petita assecuratione restituenda sit in integrum aduersus pignorum remissionem, nullos ei fructus restitui oporteat, [24] ne quidem eos, qui ab aduersario percepti sint post litem contestatam, [25] quia quamdiu nec restitutio nec assecuratio dotis petita est, nihil iuris habet mulier in bona mariti, [26] nisi vt ius pignoris per renunciationem amissum restituatur. Illud sane omnimodo probare mulier debet, maritum vergere ad inopiam, vt restitutionem mereri possit. [27] *Ita Senatus* in causa Stephanæ Plantens, contra Ioannem Ruffin & Nicolaum Duc. 3. Cal. Maij 1594.

1 Mulieris namque interest etiam constante matrimonio, vt habeat dotem, *l. seruo legato 69. §. si testator, in fin. de leg. 1.*

2 Hoc enim aliquando solet impedire restitutionem in integrum, nempe si eius concedendæ ratio tota pendeat ex læsione, vt in specie, de qua diximus *Defin. 11. 3. eod.*

3 Dixi *Defin. 14. nu. 6. 3. eod.*

4 *L. si mulier 21. §. 1. ff. quod met. caus. & tot. ill. tit. D. & C.*

5 *L. 1. in prin. & tot. tit. ff. de dolo, l. 1. l. verum 11. §. sciendum, & seq. l. quod si minor 24. §. 1. & pass. ff. de minor. l. nam posteaquam 9. §. si minor, ff. de iureiur.*

6 *L. non interest 5. & l. vlt. C. de his, quæ vi metusve caus.*

7 *Ex leg. si constante 24. ff. solut. matrim. l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.*

8 Id enim aliquando euenire potest, tametsi vsusfructus constitui possit, & mobilium & ædificiorum, vt aliorum bonorum immobilium, *l. vsusfructu 7. in princ. & §. 1. de vsufr.*

9 Sunt enim prædia quædam aliis non solum preciosiora, sed etiam fructuosiora, id est, maioris reditus, *l. si fundus 13. in princ. de reb. eor. qui sub tutel. l. si fundum 92. de legat. 1.*

10 Hac enim lege permittitur vxori dotem repetere, constante matrimonio, vt ex fructib. maritum & liberos communes alat. *d. l. vbi adhuc.* Ob idque non euenit hoc casu, quod alias solet, vt pignoris fructus imputentur creditori in sortem, nisi contracta sit antichresis, *l. 1. 2. & pass. C. de pign. act.*

11 Nam nec facile semper reperitur emptor pignorum, *l. 2. & 3. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

12 Nam ad inducendam restitutionem sufficit, quod possit quis damnum pati ex eo, quod fecit, licet nullum adhuc passus sit, *dict. l. verum 11. §. si locupleti in fin. l. minor annis 40. in princip. D. de minor.* Inspiciendumque est non tantum, quod iam euenit, sed etiam quod euenire potest, cum res ordinata est ad casum, vt loquitur Bart. *ad l. si quis domum 9. §. 1. ver. idem quæritur per illum text. D. locat. l. qui bona fide 13. § cum inter, D. de damn. infect.*

13 *L. aliquando 13. §. vlt. l. debitrix 24. §. si Senatusconsulto, D. hoc tit.*

14 Iudicium enim omne habet tractum temporis & suas moras, *l. etiam 15. in princ. D. vt legat. nom. caueat, l. quod debetur 51. D. de pecul.*

15 Melius namque est ab initio prouidere quàm post vulneratam causam remedium quærere, *l. 2. l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integ. rest.* in iis præsertim, quæ sunt irreparabilia, *l. 1. de ventr. in poss. mitt. l. si neget 7. ff. de agnosc. liber.*

BIU Cujas

16 In integrum enim restitutio reponit omnia in pristinum statum, nec facit meliorem conditionem eius, qui restitutus est aduersus contractum, quàm fuisset antequam contraxisset. Id enim duntaxat reddit, quod abstulerat læsio, *l.sed etsi 26.§.quoties, D.ex quibus caus.maior.*

17 Semper enim audiendi sunt ij, quorum interest, si contradicere velint, *l.nam ita 39.D.de adopt.l.etiam 29. §.vltim.D.de minor.l.de vnoquoque 47.D.de re iud.*

18 Hoc enim est, quod dici solet, debere præcedere declaratoriam, quod maritus sit pauper, & quod locus sit assecurationi dotis. Quæ fuit Pauli Castrensis sententia communiter à nostris probata, *in d.l.vbi adhuc 29.C.de iur.dot.* de qua dicemus latius *ad tit.de iur.dot.*

19 Quæ clausula non minus potest, quàm realis traditio ad transferendam possessionem pignoris in creditorem, *vulg. l.quod meo 18.D.de acquir.possess.*

20 Clausulæ siquidem accessoriæ non debent ampliare, aut alterare, aut mutare principalem dispositionem. Decius post alios *cons.305.num.7.& cons.373. num.14. ex clem.1.in fin. de præbend.l.vlt.C.de non num.pecun.*

21 Nam & sub conditione possessio transferri potest, *l.qui absenti 38.§.1.D.de acquir.possess.*

22 *L.si rem 9.§.omnem. D.de pign.act.l.aliquando 13.§.1. D.hoc tit.l.grege 13.§.etiamsi, D.de pig.l.debitor 59.D.ad SC.Trebell.l.pen. §.1.de except.rei iud.*

23 Ex natura omnium actuum conditionalium, qui nec vlli esse videntur, quandiu pendet conditio, *l qui Romæ 122. §.Agerius, de verb.oblig.l.cedere diem 213.de verb.signif.*

24 Quamuis enim fructus soleant venire in iudicium restitutionis in integrum, *l.sed & partus 12. D.quod met.caus.l.pastri 27.§.1.l.minor 40.§.1. D.de minor.l.videamus generaliter 38. de vsur.* præsertim in *§.item Fauiana*, iunct. *l.restituere 35.l.hæc verba 73.& l.75.l.vlt.§.1.de verbor.signif.*

25 De quorum tamen restituendorum iure multo minus dubitari potest, cum post litem contestatam omnes possessores sint pares, id est prædones, *l.sed etsi lege 25. §.si ante, D.de petit.hered.l.2.C.de fruct.& lit.expens.*

26 Cum obstet ei ratio iuris, quæ non patitur restitui dotem constante matrimonio, nec si maritus velit, quia id obtinet instar donationis, quæ prohibita est inter virum & vxorem, *l.vnica, C.si dos const.matr.solut.fuer.*

27 Cum sit hoc fundamentum petendæ in integrum restitutionis, præsertim constante matrimonio, *d.l.vbi adhuc.* Debet enim vnusquisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis, etiam cum est mera negatiua, Bart. *in l.hoc iure 10. vers. do regulam, de verb.oblig. & in l.5. §.docere, per ill.text. D.ne quis eum qui in ius vocat. est vi exim.* Canonist. post Domin. de Sancto Gemin. *in c.1.not.2.de confess.*

DEFINITIO XIX.

Multum interest, an mulier vendat sua bona creditori mariti, an alij, vt soluat pro marito.

NOn iuuatur equidem Vellleiano mulier, quæ bona sua Titio vendidit, redactamque ex iis pecuniam Sempronio mariti creditori pro marito soluit.[1] Sed si Sempronio ipsi vendidisset, & tradidisset ea conditione, vt emptor acceptam pecuniam viro referret, quàuis vindicanti ei possit obiici exceptio rei venditæ & traditæ, vtiliter tamè à muliere replicabitur, *si ea venditio contra Senatusconsultum facta non sit.*[2] Idémque est, si creditor ipse non per se emerit, sed alium interposuerit, quo mulier ea ratione careret re sua.[3] Nec eo minus iuuabitur mulier Velleiano, quod eius pecuniæ, quæ debebatur, nomine maritus in carceribus detineretur, dummodo ex contractu, non ex delicto pecunia deberetur.[4] Dixi *ex delicto*, non autem *ex criminali iudicio.* Fieri enim potest, vt contra innocentem actum sit criminaliter, isque postea absolutus sit, irrogata nihilominus, vt plerumque fit, cum priuatus accusator nullus est,[5] sumptuum non tam condemnatione, quàm iactura.[6] Quo casu placet, non magis pro liberando eo soluendisque eiusmodi sumptibus permitti mulieris intercessionem, quàm si pro ciuili debito esset vir in vinculis,[7] cum verum sit, neque delictum vllum esse, neque prohiberi virum, quo minus eorum quoque sumptuum nomine bonis cedere possit, perinde ac si ex contractu deberentur.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Textus est *in l.4. versic.sed si prædia, C.hoc tit.* iunct. *l.4. in fin. l.si pro aliquo 21. §.1.D.eod.* [An tamen rescindi possit hoc casu venditio per in integrum restitutionem alia quæstio est, de qua vide quæ scripsi ad *Defin.22. num.vlt.§.de probat. & Defin.27.§.& Defin.2.num.5.§.de fund.dotal.*]

2 *L.vlt.§.item si mulier, D.eod.* Sic enim loci illi conciliandi sunt distinguendo casum illum, quo idem sit emptor & creditor ab eo, quo alius sit emptor, alius creditor.

3 Fere enim eadem ratio esse solet eius, qui aliquid facit per se, & eius, qui per interpositam personam, nisi quod personæ interpositio facit rem magis suspectam, *l.pupillus 5.§. sed si per interpositam, D.de auctor. tut. l.& qui sub imagine 10. C. de distract.pign.* Paul. *lib.2.sentent.tit.13.§.4.* iunct. *l.vlt.D.de ritu nupt.l.5. C.si quis alter. l.2. C. de rer. hered. l.1.* vbi Bart. *C.de natur.liber.*

4 Secundum ea, quæ scripsimus supra *Defin.16.* vbi distinximus, an pro debito an pro delicto in carceribus esset maritus, cuius liberandi gratia vxor intercessit.

5 Procurator enim Principis sumptus litis nec petit vnquam nec præstat.

6 Non enim sic concipitur sententia, vt, qui est innocens, condemnetur in sumptus litis, quod non solum esset iniquum, sed etiam ridiculum, sed ita vt ille absoluatur, soluendo tamen sumptus, quos fieri necesse fuit ob hoc ipsum, vt sciri posset, an esset absoluendus.

7 Quod enim placet pro liberando marito, qui in vinculis sit, etiam dotem impendi posse, *l.mutus 73.§.1. D.de iur.dot.l. quamuis 20.& seq.D.solut.matrim.* tunc obtinet, cum aliter maritus se ab iis vinculis liberare non potest, quod hic non contingit, vt sequitur in Defin.

8 Quoniam enim odio dignus est, qui reperitur innocens, quique expensarum litis adiudicationem cum victoria obtinuisset, si aduersarium habuisset, *l.eum, quem temere 79.de iud.l. qui solidum 78.§.etiam, de legat.2.*

DEFINITIO XX.

Mulier, quæ se constituit corream debendi pro marito, siue simpliciter, siue cum clausula, quilibet in solidum, *iuuatur Velleiano.*

VIr & vxor iisdem tabulis se obligauerant in certam pecuniæ quantitatem ex causa mutui,[1] postea defuncto viro vxor eademque communium liberorum tutrix tam proprio, quàm tutorio nomine[2] conueniebatur, vt solueret. Visum est, non posse illam nomine proprio conueniri ex intercessione, propter auctoritatem Senatusconsulti Velleiani[3] & Iustinianeæ constitutionis,[4] cum in rem eius nihil versum probaretur.[5] Nec mouebat, quòd creditor diceret, non fuisse se cum viro contracturum, si mulier se non obligasset. Tanto enim magis ex eo apparebat, mulierem intercessisse.[6] Neque hic locum habere poterat, quod dici solet, creditorem, qui bona fide mulieris personam in contrahendo secutus est, ob ea, quæ inter virum & vxorem accepta pecunia gesta sunt, exceptione summoueri non debere.[7] Id enim ad eum pertinet, qui cum sola muliere contraxit, non ad eum, qui cum muliere aut viro simul, aut cum illa sola, sed viro præsente.[8] Scire namque debuit fore, vt ex iuris præsumptione pecunia tota ad maritum peruenisse crederetur,[9] & mulier Senatusconsulto iuuaretur. Multo minus audiendus sit creditor, si aduersus mulierem in solidum agere velit, quandoquidem etiam inter alias personas obligatio diuideretur, tametsi illa etiam vulgaris clausula adiecta esset, *Quilibet in solidum*, propter Iustiniani constitutionem de duobus reis,[10] si non beneficio diuisionis nominatim renunciatum proponeretur.[11] Ergo totius debiti onus ad mariti heredes deferetur. Proinde ita concipienda erit sententia, vt mulier, quatenus ex propria persona conuenitur, absoluatur, nulla tamen expensarum facta condemnatione,[12] tutorio autem nomine condemnetur cum expensis,[13] iis nimirum,

BIU Cujas

nimirum, quæ quod ad liberos, non quod ad matrem factæ fuerint. [14] *Ita Senatus* in causa illustris Dominæ Isabellæ de Rochandry viduæ D.Marchionis d'Aix, 9. Cal.Decemb. 1595.

1 Vt & *in l.vir vxori 17.§.mulier & Titius, D.hoc tit.*
2 Etsi enim dici solet, difficile esse, vt vnus homo duorum vicem sustineat, *l.si plures 9.ff.de pact.* id tamen non est nouum, *l.debitor 59.§.vlt.ad Trebell.l.aduersus 30.§.1.ff.de inoff.testam.l.tutorem 22.D.de his quæ vt indign.*
3 *d.l.vir vxori 17.§.vlt.hoc tit.*
4 De qua *in auth.si qua mulier, C.eod.*
5 Aliud enim nihil est, quod possit excludere Velleianum, cum mulier pro alio intercessit, *l. aliquando 13. in princ. l.si pro aliquo 21.D.eod.*
6 Quamuis non eo minus intercessio sit, si cum muliere contraxerit is, qui alioquin cum alio fuerat contracturus, *leg. quamuis 8.§.penult.eod.*
7 *L.bona fide 27.D.hoc tit.* iunct. *l si mulier 11.eod.*
8 Hic enim diligentior esse debuit, inquit Afric. *in d.l.vir vxori 17.in fin.princ.eod.*
9 Ex doctrina Bart. & alior. ad *l.si cum dotem 22. §. transgrediamur, D.solut.matr.* Dixi *Defin.1.5.*
10 *Nouell.99.de reis promitt.* Intellige tamen, si correus debendi sit soluendo, alioqui non diuideretur obligatio, ne quidem inter confideiussores, *l.inter eos, 51.in princ. & §.duo rei, & §.penult.ff.de fideiuss.*
11 Placet enim, huic beneficio diuisionis renunciari posse, ex regula iuris, quæ vult, posse quemque renunciare iuri pro se introducto, *l.penult.C.de pact.*
12 Quod pragmatici sic concipere solent, *sans despens.*
13 Ex regula, quæ vult, victum victori condemnandum esse in expensas, *l.eum quem temere 79. ff. de iudic. l. properandum 13. C.eod.*
14 Neque enim debet quis condemnari ad expensas litis communis, quatenus lis illa ad alium pertinuit, cum expensarum condemnatio sit semper personalis, vt dicemus ad *tit. de fructib. & lit.expens.*

DEFINITIO XXI.

Potest mulier se suaque bona etiam dotalia obligare & vendere ad soluendam mulctam, in quam ex causa delicti condemnatus fuit maritus in carcere ideo retentus.

CVm maritus ex causa delicti in carceres coniectus veniam à Principe impetrasset, eamque Senatus approbasset, sub eo tamen onere, vt mulctam aduersario penderet, nec haberet ille de suo, vnde solueret; Placuit mulieri permittendum, vt ex ea causa dotalem fundum vendere, dotémque diminuere posset pro marito liberando. [1] *Ita Senatus*, 5. Calend. Febr. 1596.

1 *Ex l.quamuis 20.cum ibi not.ff.solut.matrim.* Dixi *Defin.16.5. hoc tit.* vbi vide. [Nam posset hoc etiam casu maritus non satisfaciens condemnari ad pœnam corporalem, perinde acsi criminis gratiam non impetrasset. *Ita Senatus* in causa Claudij Bernard, 6. Iunij 1614.

DEFINITIO XXII.

Mater, quæ pecuniam mutuam accepit ad soluendum debitum filiorum, quorum tutrix erat, aut conuenienda est tanquam tutrix, aut iuuanda Velleiano.

MAter tutrix liberorum pecuniam mutuam acceperat, hac causa adiecta, vt filiorum debitū hæreditarium persolueret. Dicebam, cōueniri eam debere quasi tutricem, [1] aut si proprio nomine conueniretur iuuandā Velleiano, quod pro filiis intercessisset. [2] Nihil enim refert, an mulier intercedat fideiubendo, an pecuniā mutuam accipiendo. [3] Nec me mouebat, quod quidam contra obiiciebant, fuisse in potestate mulieris, vt pecuniam sibi numeratam in alios & proprios vsus cōuerteret. Ideoque posse ei imputari, cur id non fecerit, curque se proprio nomine obligauerit, id enim tūc obtineret, si nesciuisset creditor, in quos vsus pecunia mutuā acciperetur. Nam imputari ei non posset, cur non fuisset curiosior & diligentior, sufficeretque ad excludendum Velleianum, quod mulieris nomen bona fide secutus esset. [4] At in proposito erat sane, quod imputaretur creditori pecuniam numeranti, quam sciebat à muliere mutuam accipi, vt in rem liberorum impenderetur. [5] Ita ex tempore tractatum publice in causa Dominæ de Leschaux, & Velat Camberiensis, 29. Nouem. 1596.

1 Quod enim tutor quilibet facit pro negotio pertinente ad pupillum, præsumitur facere tanquam tutor, non proprio nomine, *l.vlt.vbi not.D.quand. ex fact tutor. & in l.post mortem §.1. eod.* Thom. Grammat. *decis.103.nu.172.*
2 *L.3.l.si mater 6.vers.sin autem C.hoc tit.*
3 *L.2.vers.quod ad fideiussiones, & §.vlt.D.eod.*
4 *L.bona fide 27.iunct.l.sed si ego 4.eod.*
5 *L.vir vxori 17.in fine principij eod.tit.*

DEFINITIO XXIII.

Mulier, quæ verberibus & minis adacta sollicitauit emptorem etiam ignorantem, non eo minus iuuatur Velleiano.

MVlierem, quæ emptorem, vt secum contraheret, sollicitasse probatur, constat non esse iuuandam Velleiano, quia deceptis, non decipientibus subuenire Senatus voluit. [1] Sed tamen si probet mulier, mariti minas & verbera præcessisse, non ei nocebit, quod emptorem sollicitauerit, quia per vim & metum id fecisse credenda est potius, quàm animo alterius decipiendi. [2] Neque ad rem pertinebit, quod ille, cum quo postea contraxit, vim istam metúmque illatum ignorauerit. Nam & actio & exceptio quod metus causa in rem est, non in personam, nec aliud inspiciendum est, quàm vtrum vis facta sit, non etiam à quo. [3] Nunquam enim ratum habendum est, quod per vim metúmve gestum probatur. [4] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Coruat, & Henrici & Marini Pic fratrum. *Sine die.*

1 *L.2.§.verba itaque, D.hoc tit.l.fœminis 18.C.eod.*
2 *Nov.ad l.ad iuuidiam 6.C.quod met.caus.l.qui in alienam, §.vlt. D.de acquir.hered.*
3 *L.item si cum exceptione 14. §. in hac, & §. aliquando, D. de eo quod met.caus.l.apud Celsum 4.§.penult.D.de doli mal.except.*
4 *L.si mulier 21.§ 1.quod met.caus.*

DEFINITIO XXIV.

Res deposita penes coniuges factos correos debendi ex causa depositi non præsumitur tota peruenisse ad maritum, ideoque potest conueniri mulier, siue sit ipsa heres mariti, siue alius.

MVlier correa debendi constituta ex causa depositi cum marito, [1] non potest iuuare se iuris præsumptione illa, quod tota res peruenerit ad maritum. [2] Ea namque præsumptio locum habet, cum agitur de pecunia aut alia re, de qua disponendi arbitrium translatum sit in vtrumque, quia tunc præsumitur res peruenisse ad potentiorem, quod hic non contingit, cum tam marito, quam vxori interdictum sit, ne re deposita vtatur. [3] Hoc vero tum maxime obtinet, cum etiam defuncto viro eæ ipsæ res penes mulierem, & in eius potestate, licet in mariti domo reperiantur. [4] Quare nec ad rem pertinebit, quod alius quàm vxor sit heres mariti. [5] *Ita Senatus.*

1 Possunt enim fieri correi debendi etiam ex causa depositi, vt ex alio quolibet contractu, *l.eandem 9.ff.de duob.reis.*
2 *Ex l.si cum dotem 22.§.transgrediamur.cum ibi not.ff.solut.matrimon.*
3 Cum non possit depositarius vti re deposita citra furtum,

BIU Cujas

l. Lucius 24. D. depoſit. l. ſi pignore 53. D. de furt. §. furtum autem Inſt. de oblig. quæ ex delict. naſc.

4 Tunc enim non habet mulier, quod conqueratur, cum habeat reſtituendi facultatem, *arg. l. officium 9. ff. de rei vind.*

5 Quamuis ille caſus ſit minus dubitabilis, ſi vxor ſit heres mariti, cum eo caſu teneatur duplici iure, & ex propria perſona, & tanquam heres mariti.

DEFINITIO XXV.

Mulier maior non reſtituitur ad appellandum à ſententia, cui conſenſit, ſi nihil ab ea factum ſit contra Velleianum.

MVlier maior 25. annis, quæ per imperitiam ſexuſque imbecillitatem conſenſit executioni ſententiæ, à qua debuerat appellare, ſi poſtea beneficium Principis imploret ad hoc, vt in integrum reſtituatur, ad appellandum exemplo minoris [1] non eſt audienda. Neque enim loco minoris circumſcripti per omnia habenda eſt mulier: [2] ſed eo demum caſu, quo contra Senatuſconſulti Velleiani auctoritatem ſiue pro marito, ſiue pro alio interceſſiſſe proponatur. [3] Si tamen ex eo facto mulier iacturam dotis aliquam paſſura videatur, ſuccurrendum ei erit fauore non tam ſexus quàm dotis, quam ſaluam eſſe intereſt, non mulieris tantum, ſed etiam Reipublicæ. [4] Nam & mulieribus per meram iuris ignorantiam lapſis toties ſuccurrendum eſt, quoties de damno vitando certant, ſaltem in quibuſdam cauſis propter ſexus infirmitatrm. [5] *Sine die.*

1 Minor enim haud dubiè ex hac cauſa reſtitueretur, ſi modo probaret ſe læſum, vt dixi *Defin. ſupr.*

2 *L. vlt. in princ. D. hoc tit.*

3 *Ex l. 1. & paſſ. hoc tit. D. & C.*

4 *L. 1. vbi notat. ff. ſolut. matr. l. intereſt 18. ff. de reb. auctor. iudic. poſſid.*

5 *L. error facti 8. & ſeq. ff. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XXVI.

Difficile eſt, vt non ſit ſubueniendum mulieri, quæ remiſit iura hypothecarum, ſi ex eo futura quandoque ſit indotata.

NOn dubitamus, quin poſſit mulier remittere iura hypothecarum, etiam conſtante matrimonio, [1] ſed ita tamen, ſi eo tempore, quo de dote reſtituenda agitur, ex aliis mariti bonis ſatisfieri poſſit mulieri. Nam ſi maritus factus ſit non ſoluendo, licet ſine culpa eius, qui pignora poſſidet, ius pignoris redintegratur, [2] quaſi nec vnquam remiſſum aut extinctum, [3] nec aduerſus poſteriores bonorum mariti emptores agere mulier cogitur, ſi priſtina hypothecarum iura repetere & perſequi malit. [4] Quid ergo ſi emptor ille id egerat, cum ius pignoris remittebatur, vt dos in tuto collocaretur, & tamen pecunia dotalis poſtmodum perierit? ſiquidem ex cauſa, quam potuit ille & debet præuidere, eſt ſane, quod ipſi potiùs quàm mulieri imputetur. [5] Finge collocatam precij pecuniam, quæ pignoris vice eſſet, apud locupletem hominem, qui ſe conſtituerit mulieris debitorem ſub cenſu annuo, [6] vt dubitari non poſſit, quin ciuſmodi contractu mulieris negotium fuerit initio inſpecto vtiliter geſtum: [7] ſed ita tamen, vt fuerit in debitoris arbitrio à contractu reſilire, reſtituta quandocunque pecunia ſiue ex conuentione illa, quæ in huiuſmodi cõtractuum genere neceſſaria eſt, [8] ſiue iuris poteſtate, quod cenſus fuerit immodicus, & ob id contractus ipſe vſurarius. [9] Abſurdum ſane ſit dicere, liberatam hypothecam, cum præuidere emptor potuerit & debuerit futurum, vt pecunia mulieri reddi quãdocunque, tum perire poſſet. [10] Quid ſi cum debitor ille vellet pecuniam reddere, emptor interceſſerat, cauſatus ſua intereſſe non reddi, ne ea fortaſſe amiſſa, rei quoque emptæ amittendæ periculum incurreret, Iudex tamen nulla ciuſmodi interceſſionis habita ratione admiſerit debitorem ad ſoluendum? An emptori aliquid imputabimus? Vtique ſi potuerit petere, nec petierit, vt pecunia in tuto collocaretur, [11] aut ſi hoc ipſum petiit, nec eum iudex audiit, cur non ab iniqua iudicis ſententia prouocauerit? [12] Nec aliud erit, tametſi mulier ſententiæ acquieuerit, ſiue præſente, ſiue abſente viro, quia nec ei permittendum eſt, vt conſtante matrimonio deteriorem faciat dotis ſuæ conditionem. [13] Quanquam multò facilius ſuccurrendum eſt mulieri, ſi proponas minis & verberibus mariti adactam illam, vt ad iudicem iret, aut iniquo iudicato acquieſceret. [14] Quid vero ſi emptor pignorum id egerit, vt precij pecunia in emptionem fundi conuerteretur, fundus vero ille chaſmate perierit? Difficilius eſt, vt hoc caſu periclitetur poſſeſſor, cui cauſam damni caſu fortuito emergentis imputare nemo poſſit. [15] Sed tamen verius eſt adhuc ſuccurrendum mulieri, ſi nulla ipſius culpa probetur. Emptori enim hoc ſaltem imputari poteſt, cur pignus dotale ſciens emerit, aut ſi ignorauerit, cur non fuerit diligentior in inquirendo, an res illa pro dote obligata eſſet, nec ne. [16] *Ita tractatum eſt* in cauſa Ludouici Geneuois, & Antonij Perret, 21. Mart. 1596.

1 *L. iubemus 21. C. hoc tit.*

2 Afflict. *deciſ. 313. in fin.* [Obſtare tamen videtur *cap. peruenit 4.* ibi *ac factæ venditionis tempore. Extr. de empt. & vend.*]

3 *Arg. d. penult. §. 1. in fin. ff. de except. rei iud. l. debitor 59. D. ad SC. Trebell. l. grege 13. §. etiam ff. de pign.*

4 Nam ſi vel maritus vel mariti hæres non ſit ſoluendo, nec bona vlla poſſideat, poteſt mulier conuenire poſſeſſorem omnem, id eſt, quemlibet, *l. Moſchis 47. D. de iur. fiſc.*

5 Semper enim imputatur ei, qui debuit proſpicere, quod euenire potuit, *l. ſi quis domum 9. §. 1. D. locat.*

6 Iuxta formam *cap. per veſtras, extract. D. de donat. int. vir. & vxor.*

7 Quod videtur ſufficere quamuis non ſit ſecutus effectus, *l. ſed an vltro 10. §. 1. D. de neg. geſt. l. vlt. D. de exerc. act.*

8 Alioqui enim cenſetur pactio vſuraria, ſi non fuerit liberum ius redimendi, vt conſtat ex Extrauag. Regimin. quæ hoc ius primum induxit.

9 Quia cum cenſus eſt immodicus, præſumitur facta conuentio in fraudem vſurarum.

10 Eſt enim pecunia ſine peculio fragilis, vt dicebant illi, quos refert IC. *in l. ſi chorus 79. §. 1. de legat. 3.* & facile perit, *l. lex quæ tutores 22. C. de admin. tut.*

11 Debuit enim eſſe curioſior & diligentior, vt ſibi proſpiceret aduerſus futurum periculum, quod videbat imminere, *arg. l. vir vxori, 17. in fin. princ. D. hoc tit.*

12 Obſtare tamen videtur, quod ſcriptum eſt *in l. ait prætor. 7. §. 1. verſ. permittitur. ff. de minor.* niſi dicas, fauorabiliorem eſſe cauſam dotis conſeruandæ, quam minoris petentis reſtitutionem, propter iunctam reipub. vtilitatem, *l. 1. ff. ſolut. matr. l. intereſt, 18. ff. de rebus auctor. iud. poſſid.*

13 *Vulg. l. Attilicinus, 17. ff. de pact. dotal.*

14 Quod enim per vim vel per metum geſtum eſt, ratum haberi nunquam debet, *l. ſi mulier, 21. §. 1. ff. quod met. cauſ.*

15 *L. contractus, 25. in fin. de reg. iur.*

16 *d. l. vir vxori. in fin. princip.* Emere enim non eſt neceſſe, *l. quod ſi minor 24. §. reſtitutio, ff. de minor.* Itaque eum hoc caſu culpa præcedat caſum; caſus non poteſt liberare illum, qui prior fuit in culpa. Nam & moram præceſſiſſe ſufficeret, quæ poteſt eſſe ſine culpa, *l. item ſi verberatum, 15. in fin. ff. de rei vindic. l. ſi ex legati, 23. de verb. oblig. l. item Mela. 11. l. ſi putator, 71. & paſſ. ff. ad leg. Aquil.*

DEFINITIO XXVII.

De auxilio Velleiani dando mulieri quæ rem ſuam ſiue dotalem ſiue paraphernalem iuſto precio vendidit cum marito aut pro marito vel alio.

ETſi non ſolet Senatuſconſulto Velleiano iuuari mulier quæ rem ſuam vendidit, ei ex redacto precio creditoris mariti ſui aut alterius cuiuſlibet perſonæ

BIU Cujas

sonæ satisfecit, [1] quia obligatæ duntaxat mulieri Senatus subueniendum putauit, non etiam soluenti aut donanti, [2] si tamen probetur quæsitus color venditionis in fraudem Senatusconsulti, iuuanda erit mulier replicatione Velleiani, [3] si aduersus vindicantem illam obiiciatur exceptio rei venditæ & traditæ. [4] Videtur autem captatum fraudis consilium si vxor cum marito vendiderit. Tunc enim præsumendus est maritus non mulier emptorem quæsiuisse & interueniisse. [5] Item si venditio facta sit ea lege, vt mariti creditoribus soluere-tur, [6] non solum si emptor sit creditor aut ab aliquo creditorum interpositus: [7] sed & si alius quilibet, [8] cùm his casibus non possit emptor ignorare factam à muliere intercessionem, [9] siue pro marito facta sit, siue pro alio. Quælibet enim Senatusconsulto infirmatur. [10] Ea res facit, vt si hic emptor alij quamuis bona fide ementi & ignoranti vendiderit, perinde tamen danda sit mulieri vindicatio contra secundum emptorem, Ne alioqui melioris condicionis emptor sit quam fuerit venditor. [11] Nisi proponas triginta annorum præscriptionem tutum esse bonæ fidei emptorem: [12] quæ semper necessaria est, ei qui emit à malæ fidei possessore: [13] qualis qualis vtique ille censendus est, qui contra leges mercatus est, licet emerit à domino. [14] *Ita Senatus* pro N. Petro Noe de Bellegarde Archidiacono Sanctæ Capellæ Camberiensis, contra hæredes Florentini d'Albert, 8. Iunij 1612.

1 *L.4.versic.si prædia C.hoc tit.*

2 *L.4.& 5.D.eod.*

3 Omnia enim quæ in fraudem SC. facta probantur, irrita haberi debent *l.Paulus 29.in fin.eod.*

4 *L.vlt.§.item si mulier eod.*

5 Not. *in Auth.si qua mulier. D. hoc tit.* Glos. Bart. & alij ad d.§. *item si mulier*, licuti cùm vir & vxor pecuniam accipiunt præsumitur tota pecunia ad virum peruenisse, *l.si cùm dotem 22. §.transgrediamur D.sol.matr.* Boer. *qu.23.*

6 Quo casu non potest emptor ignorare geri negotium viri magis quam vxoris, *d.§.item si mulier* iunct. *§.seq. quod secus est in l.bona fide 27.eod.*

7 *Vt in d.§.item si mulier.*

8 Quia præsumitur ille quisquis sit interpositus à marito iuxta Cassianum illud, Cui bono?

9 Non quidem aperte: sed quod odiosius est subdole & in fraudem Senatusconsulti, *vt in dict.l.vltim.§. si mulier ne ipsa, D. hoc tit.*

10 Quamuis semper odiosior sit intercessio quæ fit pro marito, quia eam facilius facit mulier & plerumque *male gratibus suis*, vt loquitur *Castr. ad d. Auth.si qua mulier.* vbi ait intercessionem quæ fit pro marito esse ipso iure nullam. Quæ autem pro alio, non nisi ope exceptionis.

11 Verba sunt Pomponij *in d.l.vlt.§.1.*

12 *Vt in cap. peruenit 4. Extr. de empt. & vend.* vbi tamen alia sunt requisita propter specialem casum illius *cap. vbi tractatur de re donata propter nuptias vendita per maritum consentiente vxore contra prohibitionem d. Auth.si qua mulier.* & ideò vt melior causa sit emptoris quàm mulieris requiritur non solùm præscriptio 30.annor. sed etiam vt vir tempore venditionis habuerit alia bona vnde possit mulier sibi consulere, & vt precium fuerit conuersum in communem vtilitatem, vt ibi post Io.And. notant Canonistæ. Sed aliud esset in dotali re aut paraphernali vendita siue per maritum solum, sed vxore consentiente, siue per vtrumque simul. Plus enim iuris habet vir in re donata vxori propter nuptias, quia speratur ad eum reditura vel ad hæredes eius soluto matrimonio, sicut dos ad vxorem aut ad vxoris hæredes. Castr. *ad d. Auth.si qua mulier*, vbi tamè nihil de d. *cap.peruenis*, quod miror. Quid ergo si precium conuersum esset in rem viri pro maiore parte, in rem vero vxoris pro minore? Non esset locus Decretali exorbitanti à iure communi quæ loquitur eo casu quo precium sit versum in communem vtilitatem. Quod intelligi debet ex æquis partibus. Alioqui nihil esset facilius quàm lædi mulierem, aut necesse esse contractum tenere pro parte tantum, quod fieri non potest *l.cùm ex causa 139.de verb.oblig.*

13 *Auth.malæ fidei C.de præscr.30.annor.*

14 *L.quemadmodum 7.C.de agr.& cens.* Vide Franc. Marcum §.327.*part.*1. Cæterùm si mulier quæ cum marito fundos suos etiam dotales, quamuis inalienabiles vendidit, malit eorum veram æstimationem ex bonis ipsius mariti consequi tanquam in eam causam vel expresse vel tacitè obligatis audienda est. Habet enim electionem an contra maritum velit regredi, an agere contra emptores. Nisi probetur emptionis precium in rem eius versum fuisse, & quatenus probabitur: Plane si elegerit & actionem instituerit contra emptores non est ei permittendum ante finitam litem inquietet tertios bonorũ mariti possessores. *Ita Senatus* in causa Philibertæ Gay & Guillielmi Gay, 19 Nouem. 1612. & iam antea inter easdem partes. *Sine die*, ann. 1608.]

DEFINITIO XXVIII.

De muliere quæ alium rogauit vt fideiuberet.

MVlierem, quæ ne mariti indignationem ac verbera experiretur fratri siue inuito persuaserat, vt pro marito intercederet apud creditorem anteriorem qui dotalem hypothecam alioqui venditurus erat aut apud eum qui fundum emerat à marito sub pacto de retrouendendo intra certum tempus quod in eo erat, vt breui laberetur, Placebat posse quidem iuuari Velleiano si à fratre postmodum actione mandati conueniretur, quasi & ipsa pro marito suo intercessisse hoc casu videatur, *ex l.si vxor* 15. *C.hoc tit.* Eandemque exceptionem fideiussori ex persona mulieris accommodandam esse si principalis creditor fideiussorem rogante ac mandante muliere interueniisse cognouisset, *l.7.§.1.vers.intercessionis, D.de exception.* Sed si creditor, fideiussoris personam & fidem simpliciter secutus probaretur, non interueniente mulieris persona, sicuti æquum non esset succurri contra eum fideiussori, *arg. l.bona fide 27. D. hoc tit.* ita & misero fideiussori contra mulierem hactenus subueniendum esse visum est, vt si in mariti bona pro indemnitate ageret, non posset à sorore impediri prætextu pignorum dotalium ne fundum illum venderet aut eius distractionem more solito vrgeret etiam mortuo marito, & citra ius offerendi, quod alioquin posteriori creditori necessarium est, sed ita tamen vt ex precio distracti fundi satisfiat, primum mulieri, deinde fratri, vt in hoc saltem neceat mulieri, quòd fratrem impulit ad fideiubendum, vt non cogendus sit ille sibi prospicere per ius offerendi, cum oblatio pecuniæ non semper sit in expedito. *l.si dubitet* 10. §.1. *de fideiussor.* Nec distinguendum esse visum est, an creditor qui fideiussorem acceperat, anterior esset muliere an posterior, Cùm fideiussionis tempore fundi possessionem haberet quam fuerat retenturus & contra mulierem agentem hypothecaria discussionem obiecturus cæterorum bonorum si doti restituendæ sufficerent. Itaque placuit omnia mariti bona vendi debere, vt ex omnium precio creditoribus omnibus ex ordine satisfieret. *Ita Senatus* pro spectabili Iacobo Andreæ contra sororem Andream mense Maio 1618.

TIT. XXII.

DE NON NVMER. PECVN.

DEFINITIO I.

Exceptio non numeratæ pecuniæ perpetua est, sicut & doli mali, si debitor velit probare, non fuisse numeratam.

QVI [1] spe futuræ numerationis circumuentus dolo malo debitoris apocham [2] conscripsit, sibique solutum esse debitum professus est, nihilominus debitum petere potest, & debitore solutionis exceptionem obiiciente replicare de dolo, tametsi tempora præterierint, intra quæ exceptio non numeratæ pecuniæ locum habere potuit. [3] Doli enim replicatio perpetua est, [4] adeoque exceptio ipsa

II

non numeratæ pecuniæ quoties, qui eam obiicit onerat se [5] probatione, quod non fuerit numerata.[6] Dolum igitur probari oportebit, [7] adeoq; in eam rem iurisiurandi veniam impetrari, si apocha iureiurando confirmata proponatur. [8] An & necessaria erit restitutio in integrum ex rescripto Principis? vtique tutius id fuerit, & eo iure vtimur. [9] Sane si non ex sola creditoris confessione, sed ex ipsa notarij assertione probetur, solutam fuisse pecuniam, neque de dolo quærendum erit, neque de exceptione non numeratæ pecuniæ, sed de falso agi, & in crimen solemniter, vt mores nostri ferunt, inscribi oportebit. [10] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 3. Id. Maij 1591.

1 Sic enim plerumque euenit, vt quis se obliget ex stipulatione, adeoq; pignus det spe futuræ numerationis, nec sequatur numeratio, quo casu prædita est exceptio non numeratæ pecuniæ, *l.1.l.3.l.si quasi 7. & pass. C.hoc tit. l.1. C.si conuent. pign. numer. secut. non fuer.* Et e contrario, vt creditor quasi solutionem acceperit conscribat apocham, & profiteatur, se accepisse solutionem, quam non acceperit. Quo casu potest etiam creditor obiicere, non fuisse sibi numeratam pecuniam, sed intra triginta tantum dies, *l. in contractibus*, 14 §. *super cæteris, eod. adde l. 2. §. circa, D. de doli except.*

2 Id est pecuniæ solutæ professionem, sic enim vocatur *in l. pecuniæ*, 14. *C. de solut.* iunct. *l. si accepto*, 19. *§. 1. D. de accept.* vbi Vlpian. notat, inter acceptilationem & apocham hoc interesse, quod in acceptilatione omnimodo liberatio contingit, licet pecunia numerata non sit, apocha vero non alias, quàm si pecunia soluta sit. In quo errant vulgo interpretes existimantes, ne quidem acceptilationem valere, quam creditor probet, à se factam spe futuræ numerationis. Quasi vero acceptilatio sumat vires ex solutione vera, cum sit ipsa nihil aliud, quam imaginaria solutio, & ciuilis, *l. pen. D. de solut. §. 1. Inst. quib. mod tollit. oblig.* Cum enim non possit acceptum ferri, nisi quod verbis contractum est, vnde introductus fuit vsus stipulationis Aquilianæ, de qua *in d. §. 1.* iunct. *l. an inutilis, 8. §. acceptum, de acceptil.* quia scilicet non nisi verbis contrahitur acceptilatio, vt ea lex ait, apparet ad roborandam acceptilationem non esse necessariam numerationem.

3 Id est triginta dies in eam rem præscripti à Iustiniano, *in d. l. in contractibus*, 14. §. *super cæteris, C. hoc tit.*

4 Cum sit species exceptionis, *l. 2. D. de except.* omnes autem exceptiones sint perpetuæ. Quæ enim temporalia sunt ad agendum, ea perpetua sunt ad excipiendum, ex ratione posita *in l. 5. §. vlt. de dol. except.*

5 Alioqui proprium est huius exceptionis, vt probatione oneret reum eundemque creditorem, *dict. l. 3. l. adsueratio*, 10. *C. hoc tit.*

6 Quo iure vti etiam Gallos testatur Rebuff. *in proem. Constit. reg. nu. 59.* Quamquam difficile est dicere, quomodo possit probari, non fuisse numeratam pecuniam, cum huiusmodi negationis nullo certo loco vel tempore coarctatæ nulla per rerum naturam probatio esse possit, *d. l. adsueratio.*

7 *L. dolum 6. C. de dolo. l. quoties*, 18. *§. qui dolo, D. de probat.*

8 Ne obstet periurij exceptio, quæ pontificio iure obstaret, *cum contingat. extr. de iureiur.* quamuis iure ciuili nullius momenti sit hoc iusiurandum, *d. l. in contractibus*, 14. *§. illo videlicet. l. vlt. C. hoc tit. l. non dubium 5. l. de legib. l. si quis 1. 2. §. vlt. de leg. 1.*

9 Omnis enim restitutio præsupponit, contractum tenere, *l. in causæ*, 16. *in princip. D. de minor. l. 1. D. de præd. minor.* dolus vero incidens in contractum etiam bonæ fidei, non facit eum nullum, sed tantum inducit auxilium restitutionis, *l. & eleganter*, 7. *C. de dolo.*

10 Nec enim potest impugnari veritas instrumenti moribus nostris per viam ciuilis actionis, vt olim, *l. falsi 5. l. si lis*, 11. *l. de fide*, 16. *C. ad leg. Cornel. de fals.* sed tantum proposita criminali actione & præcedente solemnitate inscriptionis, quæ nullo alio casu necessaria, aut etiam in vsu est. Adde Bart. *in l. error facti, nu. 11. C. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO II.

De differentia exceptionis non numeratæ pecuniæ & simulationis.

SI debitor fateatur, sibi numeratam re vera pecuniam, sed dicat in continenti post cõtractum redditam, quod euenit plerumq; dicis tãtum causa facta numeratione, [1] non tam de pecunia non numerata, quàm de contractus simulatione conqueri videtur. [2] Ideoque audiendus est etiam post decem adeoque viginti dummodo intra triginta annos: [3] nec præscriptione temporis, quod obiiciendæ exceptioni nõ numeratæ pecuniæ præstitutum est, [4] repellitur. Placet enim, querelam De contractus simulatione, siue agendo, siue excipiendo esse perpetuam, vt non nisi trigesimo anno etiam ad agendum [5] finiatur. Multo magis igitur post effluxa tempora, intra quæ exceptio non numeratæ pecuniæ obiici debuit, iusiurandum deferri poterit, [6] quamuis cum agitur de non numerata pecunia post effluxa tempora non magis iusiurandum deferri possit, quàm exceptio obiici, [7] nisi vno illo casu, quẽ nouella Iustiniani constitutio excepit, [8] cum quis scripsit, se argentarij debitorem, nec debiti tamẽ causam expressit. [9] *Ita Senatus* in causa D. Emerij de Montfalcon Sabaudiæ iuridici partiarij & Iacobi Bluet, ex tempore, Idib. Iul. 1591.

1 Hoc est perfunctorie, & ob id tantum, vt possit dici factam numerationem, vt *in l. 4. D. commod. l. 1. §. excusantur*, 34. *D. de Senat. Sillan.*

2 Simulatio enim est, non cum id non fit, quod fieri dicitur, sed cum fit alio animo, quàm quo fieri dicatur. *tot. tit. C. plus valer. quod agit. quàm quod simul. concip. l. si ex precio. 6. C. si cert. petat.*

3 Exceptioni enim simulationis non minore quam triginta annorum spatio præscribitur, vt nec aliis iuribus, quæ ob id perpetua dicuntur, *l. sicut*, 3. *& l. omnes, C. de præscr.* 30. *annor.*

4 Olim quinquennij, hodie biennij, *l. in contractibus*, 14. *C. hoc tit.*

5 Hoc enim tempus in omni præscriptione exigitur, vbi breuius nullum definitum fuit, *d. l. sicut, & d. l. omnes.*

6 Nam exceptio etiam post hoc tempus durat in perpetuum, vt diximus *Defin. præced. num. 4.*

7 Non enim conqueri potest is, cui iusiurandum defertur, cum fiat iudex in causa propria, & iusiurandum referre possit, *l. 1. in prin. D. quar. rer. act. non det.* iunct. *l. manifestæ*, 38. *& pass. D. de iureiur.*

8 *d. l. in contractibus*, 14. *§. illo videlicet. C. hoc tit.*

9 *Nouell. 136. de argent. contr. §. vltim. incip. in illo vtique casu.* Hoc enim casu debitor non solum obligatur vtiliter, ita vt exceptionem doli non possit excipere, in quo vis sit regulæ, de qua *in l. 2. §. circa, de doli mal. except.* sed nec excipere potest de pecunia non numerata, siue ducta præsumptione ab officio creditoris siue argentarij, vt ibi Gothofr. scribit, siue quod argentariis hoc priuilegium concedi debere visum sit, vt & alia pleraque, de quibus ad eum locum Cuiac. omnino videndus. Potest tamen, si velit, iusiurandum deferre, nec tantum argentario, sed ipsius etiam hæredibus, at ex abundanti, vt ait constitutio, & ita demum si sit intra tempora opponendæ exceptionis non numeratæ pecuniæ. Quibus verbis Iustinianus significat, non esse quidem necessarium iusiurandum argentarij ad probandam causam debiti, quæ si non haberetur pro probata, exceptioni vtique locus esset, sed non debere tamen argentarium recusare, vt vel eo magis appareat, iustam esse debiti causam. Cæterum non aliter deferri iusiurandum poterit, quàm si tempora largiantur, intra quæ posset alioquin excipi de pecunia non numerata.

DEFINITIO III.

Commodior est exceptio non numeratæ pecuniæ, quàm restitutio in integrum aduersus cautionem, & quare.

QVanto fortior sit exceptio non numeratæ pecuniæ, quàm restitutio in integrum aduersus instrumentum postulata, ex eo apparet, quod exceptio non numeratæ pecuniæ hoc ipso, quod obiicitur, si modo tempora largiantur, vires suas exerit, & impedit executionem obligationis quantumlibet iuratæ. [1] At impetrata aut, vt melius dicam, postulata restitutio facere non potest, quo minus iudex decernere debeat, vt interea & pendente facti quæstione cautioni stetur. [2] Nimirum quia exceptio non numeratæ pecuniæ onerat creditorem, vt probare debeat numerationem: [3] restitutio vero debitorem, [4] qui vult in integrum restitui aduersus cautionem, quam hoc ipso approbare intelligi-

BIU Cujas

intelligitur.[5] *Ita Senatus* in causa Franciscæ Fabri & Claud.de S.Real,15.Cal.Aug.1592.

1 *L.1.& vlt.& pass.C.hoc tit.*

2 Ita enim vulgo nostris placet *ad tit.C.de restit. in integr.post ne quid noui fiat*, vbi & de eo scripsimus ex *c.suscitata*, vbi Canonistæ,*extr.de in integr.restit.*

3 *d.l.1.l.si ex cautione*,3.*l.adsseueratio*, 10. *C.hoc tit.* adeo vt cum vult debitor ipse, qui dicit pecuniam numeratam non esse, probatione se onerare, habeat perpetuam illam exceptionem, vt supra diximus *Defin.1.num.6.* Notat Castrens.*ad d.l.3.nu.6.& ad l.si quasi*,7.*in fin.& ad d.l.assseueratio.*

4 Regula enim iuris exigit probationem ab eo, qui dicit, præsertim qui actor est, vt nimirum probet id, quod est fundamentum suæ intentionis, *d l.1.l.actor*,23.*C.de probat.l.2.D.eod.*

5 Omnis enim restitutio præsupponit contractum tenere, *dict.l.in caus.*16.*in princip.D.de minor.l.3. C.si aduers.lib.l.2. Cod.de præd.min.*

DEFINITIO IV.

Actio, qua competit ob non numeratam pecuniam, biennalis est, sicut & exceptio.

CVi, si conueniretur ex causa mutui, non competeret exceptio non numeratæ pecuniæ, puta post biennium,[1] eidem multo minus competet actio ad condicendum chirographum, quasi sine causa factum.[2] Subest enim causa mutui, quam pro vera haberi necesse est, quoties non numeratæ pecuniæ exceptio obiici posse desiit,[3] nec fieri potest, vt, quæ etiam ad excipiendum sunt temporalia, eadem non sint etiam ac multo magis temporalia ad agendum.[4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, pro Ioanne Berguera, contra Ioannem Franciscum Lucquet, Prid.Cal.April.1593.

1 Hoc enim tempus substituit Iustinianus in locum quinquennij, quod olim dabatur, *l.in contractibus*, 14.*in princip. C. hoc tit.*

2 Quam condictionem competere necesse est, quoties non numeratæ pecuniæ querela proponitur per modum actionis, non per modum exceptionis. Exceptioni enim non potest locus esse, nisi cum proponitur actio, *l.5.§.vltim de doli except.* atque ita esset in potestate creditoris non agendo, nisi post biennium, auferre debitori commodum exceptionis non numeratæ pecuniæ, quod maxime in eo consistit, vt nihil probare teneatur, vt diximus prox.Defin.*nu.3.* si non esset in potestate debitoris, non expectata creditoris actione, querelam deferre de non numerata pecunia, vnde etiam factum videtur, vt quamuis hoc casu debitor se constituat actorem, non tamen se oneret probatione, quia magis habetur pro reo, perinde ac si excipere t aduersus agentem creditorem, quo casu nemo dubitaret, quin creditor, qui & ageret, & affirmaret numeratam à se pecuniam, idipsum probare deberet ex vulgaribus iuris regulis, *l.1.l.actor.23.C.de prob.l.2.D.eod.l.4. Cod.de edend. l.neque scripturæ 6.C. de compens.*

3 Adeo vt nec iusiurandum hoc casu deferre creditori possit debitor, *d l.in contractibus §.illo videlicet, hoc tit.*

4 Si quidem è contrario solent quæ temporalia sunt ad agendum perpetua esse ad excipiendum, *d.l.5.§.vltim. D. de doli except.*iunct.*l.vnic.C.vt nem.inuit.ager.vel accusar.cogat.*

DEFINITIO V.

Aduersus liberationem debiti liberaliter factam non admittitur querela non numeratæ pecuniæ.

REmissio & liberatio debiti gratuito ac liberaliter facta per creditorem non eo prætextu reuocari potest, quod pecunia nulla numerata sit. Neque enim exceptio non numeratæ pecuniæ aduersus debiti liberationem locum habet, nisi cum liberatio causam habet ex facta solutione, & ita demum si intra dies triginta obiiciatur.[1] Nec sine causa & inutiliter facta remissio videbitur, ob id solum, quod solutio non allegetur. Causam enim requirimus ad contrahendam obligationem,[2] sed non ad dandam liberationem,[3] pro qua vtique sufficit nuda voluntas creditoris liberaliter[4] debitum remittentis: qui si postea causam aliquam suæ liberationis à debitore ipso iam liberato velit exigere, non est audiendus.[5] Ea siquidem gratuita remissio debiti donatio est,[6] & quidem inter viuos quoties pura est,[7] & consequenter irreuocabilis, licet fiat à morien-te.[8] Ideoque nec pro reuocata haberi potest ex clausula derogatoria in præcedente testamento adposita, qua testator declarauerat velle se, vt irritæ fierent donationes omnes, quascumque in alium quam in hæredem ipsum esset in posterum collaturus.[9] Nam ad mortis tantum causa donationes, quæ sui natura reuocabiles sunt,[10] non ad puras & irreuocabiles ea clausula pertinet:[11] multo minus ad liberationes pertinere poterit, cum sit perabsurdum, testatorem, qui exigendi, si velit, debiti potestatem habeat, dandæ liberationis licentiam non habere.[12] Nec aliud erit, tametsi aliud in bonis non habuerit creditor, quam quod debebatur sibi ab eo quem liberauit. Donatio enim bonorum omnium præsentium[13] non est prohibita,[14] præsertim quæ fit per viam liberationis.[15] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, pro liberis Domini de la Croix Autherin, contra Aduocatum De Pradel, 7.Id.Iul.1593.

1 *d.l.in contractibus* 14.*§.super cæteris, C.hoc tit.* Sicut dicimus aduersus creditorem non aliter obiici posse non numeratæ pecuniæ exceptionem, quam si ex pecunia quasi credita petatur, *l.aduersus* 5.*C.hoc tit.*

2 Quia non potest contrahi obligatio sine causa saltem, vt habeat effectum, *l.2.§.circa, ff.de doli except.* cum obligationes omnes ad hoc fiant comparatæ, vt quisque sibi acquirat, quod sua interest, *l.stipulatio ista* 38. *§ alteri, de verb.oblig.* Obligatio enim odiosa est, tanquam quæ sit iuris vinculum, atque ita diminuat quodammodo libertatem ciuis Romani. Ergo non aliter permittenda, quam si interfit. Interesse porro non potest, nisi iusta præcedente causa.

3 Ad quam procliuiores vtique esse debemus, *l. Arrianus* 47.*ff.de oblig.& act.* quippe quæ fauorabilior est hoc ipso, quod pristinam ciuis Romani libertatem restituit, quam obligatio, vt proxime diximus, quodammodo diminuerat.

4 Hoc ideo quia si probaretur apocham factam esse spe futuræ numerationis aliud esset, *l.si accepilatum* 19 *§.1.ff de accepilat.* quamuis nec hoc casu putem hodie admittendam hanc siue querelam, siue replicationem post illos 30.dies à Iustin.præscriptos *in d.l.in contractibus, §.super cæteris.*

5 Remittentibus enim actiones suas non datur ad eas regressus, *l.quæritur* 14.*§.si venditor, de ædil.edict.l.Papin.*20.*§.vlt. & l.seq.*

6 *L.cuius per errorem* 53.*l.donari* 82.*de reg.iur.*iunct.*l.donari* 29. *de donat.*

7 *L.vir vsuras* 54. *ff.de donat. int.vir. & vxor. l.Protula*, 29. *ff. de probat.* Tiraquell. *ad l.si vnquam*, in verb. *donatio*, *Cod.de donat.*

8 *L.vbi ita* 27.*l.Seia* 42.*§.vlt.in fin ff.de mort.caus.donat.*

9 Sic enim fit aliquando, vt per priorem scripturam posteriori derogetur, *l.similis* 12.*§.vlt. de leg.1.l.si quis in princ.*22. *de legat.*3.& ibi Bart.& cæteri.

10 *L.2.dict.l.vbi ita* 27 *l.non videtur* 32. *& pass.de donat.mort. caus.*

11 Perfecta enim donatio inter viuos reuocari nunquam potest, nisi ex causa ingratitudinis, vel non secuti implementi, *l.1.l.si donationem cum seq.vltim.& pass C.de reuoc.donat.* Semper autem supponendi sunt termini habiles, *l.adigere* 6. *§.quamuis de iur.patron.*

12 *L.cui recte* 10.*ff.de nouat.l.rescriptum* 10. *§.vltim. & seqq.ff. de pact.*

13 Secus enim si etiam futurorum, quia tolleret illa testamenti actionem. *Not.ad l.vltim. C.de pact. & ad l.stipulatio hoc modo* 61.*de verb.oblig.*

14 *L.omnes* 17.*§.1.ff.quæ in fraud.credit.l.2.4.5.& 6. C.de inoffic.donat.*

15 Vt dixi *num.3.5.*

DEFINITIO VI.

Tempus datum ad opponendam exceptionem non numeratæ pecuniæ, an currat mulieri constante matrimonio.

MVlier constante matrimonio rem suam[1] vendiderat, pretiumque sibi solutum fuisse eodem

BIU Cujas

instrumento professa erat, si post mariti mortem in integrum restitui velit aduersus venditionem, eo solo prætextu quod pretium non acceperit[2] audienda non est,[3] sicut nec si de ea re post triginta dies iusiurandum emptori deferre velit.[4] Illud namque legitimum tempus triginta dierum, quod ex Iustinian. constitutione in eam rem præstitutum est,[5] non idcirco minus currit mulieri, quod sit in matrimonio, cum perinde possit agere,[6] acsi nupta non esset,[7] præterquam si ponas venditum fundum dotalem. Nam quemadmodum de fundo dotali solus vir agere potest,[8] ita mulieris dotem diminui aut amitti, ob id solum, quod per plures quam triginta dies à die venditionis matrimonium steterit, æquum non est.[9] Nec distinguendum hac parte an maritus venditioni adfuerit necne. Nam cum venditioni dotalis fundi maritus adfuit, alia ratio est, quę pro muliere facit, vt precium quasi non solutum petere quandocumque possit,[10] illa nimirum, quod præsumatur pecunia peruenisse ad maritum, licet cauerit illa factam sibi ipsi solutionem.[11] Cæterum etiam re non dotali vendita nihil prohibet, quo minus mulier aliis rationibus probet si velit, conscriptam à se apocham sine causa, & sola spe futuræ numerationis,[12] sicut etsi aliam habeat petendæ restitutionis rationem, vtputa quod in venditione læsio dolusve interuenerit, eam proponere & probare non prohibetur.[13] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio in causa Claudij Talabard & aliorum Augustanorum, 4. Calend. Maij 1595.

1 Et consequenter non dotalem: dos enim licet sit mulieris, tamen est in bonis mariti, *l. quamuis 75. D. de iur. dot. l. dotis 9. C. de rei vindicat.*

2 Possunt enim aliæ esse restitutionis causæ & quidem iustæ, puta si vim, aut metum dolumve maritus, vel emptor mulieri intulisset, vt diximus *Defin. 14. tit. præced.*

3 Scilicet post triginta dies, vt ostendit ratio quæ sequitur in Definitione.

4 *L. in contractibus 14. §. illo videlicet, C. hoc tit.*

5 *d. §. illo videlicet.*

6 Præsupponit hęc ratio vulgare nostrorum brocardicum, non valenti agere non currere præscriptionem, ex *l. 1. §. vlt. C. de annal. except. l. 1. §. vlt. cum auth. seq. C. de bon. mat. l. in reb. 30. vers. ea mulieribus C. de iur. dot.* Quod tamen an verè dicatur disputabimus *Decad. 1. de error. pragm. err. vlt.*

7 Nec enim quicquam iuris habet maritus in rebus vxoris non dotalibus, etiam quas vxor ei tradiderit extra dotem, quæ paraphernales appellantur, *l. hac lege 8. & vlt. C. de pact. conuen. tam sup. dot. l. maritus 21. C. de procur. l. penult. D. ad leg. Falcid. l. de his, 7. C. de donat. int. vir. & vxor.*

8 Tanquam qui sit dominus non solum constante matrimonio, *d. l. doce 9. C. de rei vindic. d. l. in rebus 30. C. de iur. dot.* sed eo quoque soluto donec facta sit dotis restitutio, *l. quædam 62. de acquir. rer. dom. l. dotis actione 9. Cod. solut. matrimon. l. 1. §. vltim. D. de fund. dotal.* Nec pugnant leges quæ dicunt dotem esse mulieris, *dict. l. in rebus, l. si constante 24. §. si maritus, D. solut. matrim.* Sic enim conciliari debent, vt maritus sit dominus bonitarius, vxor vero domina quiritiaria ex *d. l. quamuis 75. D. de iur. dot.* de quo alibi scripsimus latius. Cæterum quoties dominus bonitarius cum quiritiario concurrit, præfertur bonitarius, vt Vlpianus scribit *in regul. tit. 19. de domin. & adquisit. rer. §. antepenult.*

9 Cum nihil possit imputari mulieri, quæ scilicet non potuit agere de re dotali constante matrimonio, *d. l. doce. d. l. in rebus.* Nec ad rem pertinet, quod fundus ipse dotalis fuerit, non pretium ex eius venditione redactum, sicut nec furtiua est pecunia quæ redigitur ex venditione rei furtiuæ, *l. qui vis 48. §. cum furt. D. de furt.* Nec è contrario furtiua res, quæ è nummis furtiuis comparata est, aut mea quæ ex pecunia mea, *l. si ex ea 7. C. de rei vindicat.* nec dotalis quam maritus sibi emit ex pecunia dotali, *l. ex pecunia 12. C. de iur. dot.* nec pignorata quæ ex pignoratis nummis alterius quam pupilli, *l. idemque 7. D. qui potior. in pignor. hab.* Etsi enim aliud res est, aliud rei pretium, *l. si alij 42. §. 1. de vsufruct. l. fundum Cornelianum 28. D. de nouat. l. nemo 82. de verbor. oblig.* cum tamen fundus dotalis venditur ab alterutro ex coniugibus altero consentiente, videtur hoc ipso inter eos id agi, vt precium succedat loco rei, & fiat dotale, *l. vltim. in princip. D. de pact. dotal.* Ex quo apparet, quod ait hæc Definitio, permittendum mulieri, vt contra eum cui vendidit deferre possit querelam non numerati pretij, sic esse accipiendum, si maritus eiusve hęres non sit soluendo. Alioqui contra mariti hæredem agere deberet de dote, vt fieri alias solet, cum imputari potest marito cur dotem non exegerit, nempe si probare possit, se marito denuntiasse intra triginta dies, quod ei emptor precium non numerasset. Alioquin eo non facto, non video qua fronte possit illa conqueri de marito potius, quam de seipsa quæ professa sit pretium sibi numeratum. Nec enim potest imputari marito cur eam ipsam non præcipitauerit ad solutionem, *l. si extraneus 33. D. de iur. dot.* aut cur non diuinauerit apocham spe futuræ numerationis factam fuisse, *argum. l. si fideiussor. 29. §. si cum debitor, D. mandat. l. si putator 31. in fin. ad leg. Aquil. l. 4. §. illa etiam quæstio 23. D. de doli except.* Plane si maritus venditioni adfuerit, qui casus sequitur in Definit. non poterit ipsius hæres excipere de non facta certioratione: quia non debuit certiorari, qui sciuit aut scire debuit veritatem rei gestæ, *l. 1. §. vltim. D. de action. empt. l. nam si 26. D. de rei vindic.* Posset tamen fortassis etiam tentari, querelam non numeratæ pecuniæ hoc casu competisse mulieri, non marito, quamuis fundus fuerit dotalis, quoniam querela hæc neque res est, neque rei pretium, sed quid tertium, quod nec dotale vnquam fuerit, nec quasi dotale. Verùm negari non potest, quin sit loco & vice rei cuius occasione competit, ex notat. per Bartol. & alios *in l. si sic 75. §. vltim. de legat. 1.* & improba esset hæc interpretatio per quam fieret, vt mulier indotata constitueretur, *l. cum pater 10. D. de pact. dotal.*

10 Scilicet non ab emptore, qui pro se habet apocham, sed à mariti hęredibus. Sed hoc ita si modo mulier non neget pretium ab emptore numeratum. Alioqui secum pugnaret, si diceret pretium non fuisse ab emptore numeratum, & nihilominus illud ipsum peteret ab heredibus mariti, quasi ad quem pecunia peruenisset. Non enim potuit ad maritum peruenire id, quod ab emptore non fuerit solutum: & iuris prę\u0303sumptio semper supponit terminos habiles, *l. filium 6. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

11 Ex notat. per Bart. & DD. *in l. si cum dotem 22. §. transgredimur ff. solut. matrim.* Dixi *ad Defin. 1. tit. præced.*

12 Quo casu, etiamsi in matrimonio non fuisset, admitteretur ad probandum pecuniam non fuisse solutam, secundum ea quæ supra diximus *Defin. 3. num. 3.* ex Castrens. *ad l. 3. nu. 6. & ad l. si quasi 7. in fin. & ad l. adsseueratio 10. Cod. hoc tit.* iunct. *d. l. si accepto 19. §. 1 ff. de accept. lat.*

13 *Ex tot. tit. C. & D. de dolo l. 2. C. de rescind. vendit.* Nemo enim pluribus iuribus & actionibus dummodo non repugnantibus vti prohibetur, *l. 1. C. de furt. l. 1. § quia autem ff. quod legat.* quoties vnius electio aliam non consumit, *l. qui seruum 34. l. quoties 41. l. numquam 60. de oblig. & action.* iunct. *l. cum filius 76. §. varius, de legat. 2. l. vltim. C. de fideiuss. cum similibus.*

DEFINITIO VII.

Exceptio non numeratæ pecuniæ aduersus apocham probari potest per testes vsque ad 30. annos, sed non per iusiurandum, ne quidem decisiuum, multo minus per suppletorium.

ADuersus professionem solutæ pecuniæ non admittitur exceptio non numeratę, nisi intra triginta dies, quos in eam rem Iustiniani constitutio præscripsit.[1] Adeo, vt neque audiendus sit is, qui negat numeratam, si de eo iusiurandum deferre aduersario velit.[2] Si tamen suam intentionem per testes probare velit, non est prohibendus, in annum vsque trigesimum,[3] quo demum tempore iura omnia concludunt.[4] Quid ergo si non plene sed semiplene tantum probauerit, & postea petat deferri sibi iusiurandum in supplementum probationis?[5] Non audietur, non magis, quam si decisorium iusiurandum detulisset, mox parato iurare aduersario reuocasset, rursusque regredi ad iusiurandum vellet, quod vtique ex iuris ratione non permitteretur.[6] Nam cui non licet iudicem facere aduersarium,[7] multo minus licere debet, vt prætextu semiplenæ probationis seipsum faciat iudicem, qui vel plenissimas probationes adferre debuit, vel cedere.[9] *Sine die.*

1 *L. in contractibus 14. §. super cæteris, C. hoc tit.*

2 §. illo

2 §. *illo videlicet obseruando, d. l. in contractibus.*

3 *L. adseueratio* 10. *eod. tit.*

4 *L. sicut* 3. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.*

5 Ex eo pragmaticorum errore, qui inualuit, & quem nos refutauimus pluribus in prjore parte *Chiliadis de error. pragmatic.*

6 *L. si quis iusiurandum* 11. *C. de reb. credit. & iureiur.*

7 Quomodo facit iudicem qui defert ei iusiurandum decisorium, *l. 1. in princ. ff. quar. rer. act. non det.*

8 Fit autem iudex in sua causa is, cui defertur iusiurandum suppletiuum, & quidem inuito aduersario, quæ res haud dubie facit iniquum hoc iusiurandum, cuius ob eam causam nulla vnquam facta fuit mentio à prudentibus nostris.

9 Est enim actoris suam intentionem implere, id est, plenissime probare, alioqui absoluendus est reus etiamsi nihil præstiterit, *l. 4. C. de edend. l. vlt. C. de rei vindic.*

TIT. XXIII.

DE COMPENSAT.

DEFINITIO I.

De compensatione inter fratres pro iis, quæ inter eos gesta sunt viuo patre.

DVo fratres bona quædam à patre sub pacto de retrouendendo vendita redemerant, viuo adhuc patre, ita tamen, vt longe maiorem pretij quantitatem alter de suo intulisset. [1] Post aliquod tempus is, qui in redemptionis causam minus contulerat, fratris debitum etiam viuo patre de suo soluerat. [2] Tum idem ille, cum pro beneficio & sacerdotio pensionem annuam deberet certo pretio, vt fit, redimendam, redemerat illam per delegationem paterni debiti, [3] cui delegationi pater quoque consenserat. [4] Defuncto patre post annum circiter decimumquintum, cum is, qui in fundorum redemptionem plus impenderat, aduersus fratrem eo nomine ageret, [5] frater autem compensationem obiiceret debiti, quod pro fratre soluisset, [6] alius vero replicaret debere fratrem eam quantitatem compensare cum pensionis debito, quod ex paterna pecunia dissoluerat, quibusdam videbatur mutua compensatione tollendas, aut potius iam sublatas videri debere mutuas istas inter fratres actiones, propter concurrentes ex taciturnitate longi temporis & consanguinitate proxima tacitæ remissionis coniecturas. [7] Aliis contra, non posse fratri creditori nocere taciturnitatem temporis si aduersus fratrem non egisset viuo patre, in cuius ambo erant potestate: [8] præsertim cum nec mutuæ inter eos vnquam redditæ fuissent rationes. [9] Itaque placuit fratrem debitorem creditori cõdemnandum esse: [10] compensato tamen eo quod sibi inuicem à fratre deberetur. [11] Sed quod ad paternam pecuniam extinguendæ pensioni impensam attineret, nullam eius nomine, aut actionem, aut compensationem competere, propterea quod à patre, qui delegationem adprobasset, donata videretur, [12] tametsi soleat dici patrem in beneficialibus legitimum filij administratorem non esse. [13] *Ita Senatus* Calend. Decemb. 1588.

1 Facile enim hoc euenire potest hodie, postquam placuit Iustiniano, *in l. cum oportet 6. & l. vltim. Cod. de bon. quæ libe.* vt filiifamilias sint acquisitiouis capaces, etiam inuitis parentibus.

2 Nihil enim vetat, quod alius debeat alium soluere etiam pro ignorante, quo casu habet actionem negotiorum gestorum, dum ne soluerit pro inuito & prohibente, *l. soluendo 39. ff. de negot. gest.* iunct. *l. vltim. C. eod. l. solutione 23. ff. de solut.*

3 Delegatio namque vice solutionis est *l. quamuis 8. interdum, D. ad SC. Vell. l. inter causas 26. abesse, D. mandat. l. qui debitorem 18. D. de fideiuss. l. 2. C. de nouat.*

4 Alioqui non potuisset alienus debitor ignorante creditore suo delegari, cum delegare nihil aliud sit, quam debitorem suum vice sua alterius debitorem constituere, *l. delegare 11. D. de don.* plane consentiente creditore nihil prohibet alienum quoque debitorem delegari, sicut & ex aliena pecunia solui domino consentiente, *l. si is cui nummos 94. l. pupilli 96. in princ.* vbi ratio dubitandi hinc petenda est *ff. de solut.*

5 Sed qua actione? Non enim potuit fratri contra fratrem quæri actio viuo patre, in cuius ambo erant potestate, *l. frater 38. ff. de cond. indeb.* præsertim cum in vtilitatem patris non fratris ea redemptio tunc cessisset, nec fratris, sed patris negotium frater gessisset, vt proinde nec post mortem patris negotiorum gestorum contra fratrem agere posse videretur, siue proprio nomine fratris eiusdemque cohæredis, siue hæreditario siquidem nec fratrem obligare voluit, nec patrem potuit, at neque fratrem ipsum ciuiliter, obstante vbique iure patriæ potestatis, *l. Imperator 50. ff. ad SC. Trebell.* iunct. *l. in hoc iudicium 14. § 1. l. si quis cum 29. ff. commun. diuid.* Debet ergo hic locus intelligi de iudicio familiæ erciscundæ, quod mortuo patre locum habet inter fratres cohæredes, & in quo arbitri officium est, non minus naturalium quam ciuilium obligationum rationem haberi. Naturalem vero obligationem certum est contrahi posse, non minus inter patrem & filium, quam inter fratres familias. Quod vtrumque probatur ex *d. l. frater in princ. & §. 1. de condict. indeb.*

6 Est enim is vnus ex obligationis naturalibus effectibus, vt inducat compensationem sicut & deductionem, *d. l. frater, l. etiam 6. D. hoc tit.*

7 Placet enim tacitam remissionem induci ex consanguinitate proxima, qualis est inter fratres, & taciturnitate longi temporis, puta decennij, si quis alius actus concurrat ordinatus ad tacitam remissionem inducendam, *l. Procula 9. D. de probat.*

8 Quia non potuit agere viuo patre, neque contra patrem, neque contra fratrem obstante iure patriæ potestatis, non magis quam pater contra ipsam, *l. lis nulla 4 l. si à me 11. ff. de iudic. l. actiones 7. de oblig. & act. l. ne cum filiofamilias 16. de furt. l. 1. §. vlt. C. de annal. excepi.*

9 Quod vnum est ex iis tribus, quæ ad tacitam remissionem inducendam requiruntur, in *d. l. Procula 19. de probat.* Secus esset, si de vsuratum duntaxat remissione tacita ageretur. Tunc enim sufficeret consanguinitas proxima cum longi temporis taciturnitate, *l. cum quidam, 7. §. Diuus Pius de vsur.* Dec. *consil. 79.*

10 Iudicio scilicet erciscundæ, cum essent fratres isti cohæredes, alioqui non magis hodie quam olim possent habere actionem, quia Iustinianus licet fecerit filiumfamilias capacem acquisitionis etiam inuito patre, non tamen sustulit patriam potestatem, nec cætera quæ ratio iuris facit consequentia patriæ potestati. Vide quæ scripsi *lib. 7. Coniect. cap. 9.* Iuo autem veniunt ista in iudicium familiæ erciscundæ, quia fundus qui fuit redemptus venit in diuisionem hereditatis, quæ tanto locupletior reperitur ex pecunia filiorum qui eum redemerunt.

11 Quod enim venit in compensationem pro soluto habetur cum fiat ipso iure, *l. si ambo 10. §. 1. ff. de compens. l. qui inuicem 30. de cond. indeb.*

12 *Arg. l. 4. §. 1. l. quamuis 8. §. plane si mulier, D. ad SC. Velleian. l. vir & vxor 39. l. vir vsuras 54. de donat. int. vir. & vxor l. quæ pater 50. ff. famil. ercis. l. vlt. ff. de petit. hered. l. sine emancipatis 17. ff. de donat. l. seruus 38. de donat. int. vir. & seq. de donat. int. vir. & vxor.*

13 *Cap. fin. de iudic. in 6.*

DEFINITIO II.

De compensatione pecuniæ, quæ debetur in vna specie monetæ, cum pecunia, quæ debetur in alia.

CErtam pecuniæ quantitatem in moneta soluere obligatus, compensationem obiicere potest eius quantitatis, quæ sibi à creditore in aureis debeatur, licet incertus sit nummi aurei valor, vt liquidatione & taxatione opus sit, quod hac nostra tempestate sæpius accidit. [1] Etsi enim verum est, quod vulgo iactatur, non nisi de liquido ad liquidum admittendam compensationem, [2] pro liquido tamen habendum est, quod in promptu liquidari potest. [3] Non idem fore quidam putabant, si is qui aureos deberet, obiicere vellet compensationem eius, quod sibi in moneta argentea vel

BIU Cujas

ærea deberetur.[4] Quod non quemadmodum argentum in auro continetur, idque eminentiori & excellentiori modo, ita similiter aurum in argento.[5] *Ita Senatus* in causa D. Senatoris de la Roche & N. Ioannis Bay, 6. Id. Maij 1591.

1 Quod tamen nunquam accidere debet in republica bene constituta. Certa enim & perpetua esse debet nummorum æstimatio, *l. 3. D. de in lit. iur. l. 1. ff. de cont. empt. l. si ita 42. C. de fide iuss.*

2 *L. vlt. C. de compens. ut.*

3 Sicut & pro probato habetur, quod statim probari potest, nec requirit altiorem indaginem, vt Bart. & cæteri tractant ad *l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. tollend.* Iunge *l. pen. C. de test. milit. l. non tantum 17. in princ. ff. de excus. tutor. l. 4. §. de dolo 26. ff. de doli mal. except.* Quid autem illud sit, quod statim fieri possit, in iudicis arbitrio est. Guid. Pap. *quæst. 132.*

4 Obiiceret enim compensationē eius pecuniæ, quam non posset soluere, quia pro auro argentum vel æs solui non potest, ne aliud pro alio soluatur. *l. eum à quo 16. & seq. C. de solut.* Obstat tamen quod compensatio fieri potest etiam ipeciei ad speciem *d. l. vlt. C. de compens.* Quidni ergo argenti cum auro ad concurrentem vsque æstimationis quantitatem?

5 Quia in iis quæ sunt sub eodem genere, vt sunt aurum & argentum sub metallo, id quod minus est continetur in eo, quod est plus, *l. 1. §. si stipulanti de verb. oblig. l. cum furti 9. de in lit. iur. l. quoties 9. §. sed si maiorem, ff. de hered. instit.* [An autem compensatio locum habeat vbi quantitas ex vna parte debetur, ex altera verò quantitas se habens ad instar speciei. vide Fach. *lib. 1. c. 6.*

DEFINITIO III.

Compensatio, quæ poterat obiici contra cedentem, non potest obiici contra cessionarium, si vel causam habeat ille onerosam, vel habuerit sui debitoris bona omnia obligata ante natum ius opponendæ compensationis.

SOcius meus, cui centum debebas, cum totidem sub omnium bonorum suorum obligatione[1] mihi deberet, cœpit postea tibi ex noua causa in aliis centum esse obligatus. Non ideo minus actionem sibi contra te competentem cedere mihi poterit, quod ei quandocunque acturo potuerit obiicere compensationem,[2] quam agenti mihi ex onerosa cessione obiicere non possis.[3] Nam ex quo cœpisti ei debere, cœpit quoque nomen tuum mihi esse obligatum,[4] vt proinde ex persona illius vtili contra te actione etiam citra cessionem agere potuerim.[5] Quo iure mihi semel quæsito, non fuit in potestate socij & debitoris mei tecum contrahendo ius meum deterius facere,[6] quamuis si tu ei soluisses, vtique & liberationem tibi quæsiisses, & actionem mihi ademisses.[7] Nec est contrarium quod dici solet, compensationem solutionis vim habere.[8] Id enim tum obtinet, cum exceptio compensationis obiicitur.[9] At ponimus factam mihi cessionem non solum priusquam à te opposita esset compensatio,[10] sed etiam eo tempore quo nomen tuum iam mihi erat obligatum,[11] vt dici possit factam eam non in fraudem tuam, & vt tibi nocerem, sed potius, vt mihi consulerem.[12] Qua ratione possit etiam defendi non male idem admittendum esse, tametsi debitoris mei bona pignoris vinculo nullo tenerentur.[13] Sufficit enim cessas mihi à creditore tuo actiones in solutum & ex causa onerosa, vt inferri possit, non esse me cogendum cedentem defendere.[14] *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Claudij de la Roche Senatoris, & N. Ioannis Bay, 6. Id. Maij 1591.

1 Qua obligatione bonorum omnium, certum est bona omnia tam futura, quam præsentia contineri, ex *l. vlt. C. quæ res pignor. oblig. poss.* nec minus nomina debitorum, quam res corporales. *l. nomen quoque 4. C. hoc tit.*

2 Non enim quod compensationis exceptio obiici potest facit, vt pro opposita factaque haberi debeat ad extinguendam actionem & impediendum ne cedi ea possit, vt dicetur postea in Definitione.

3 Certum enim est, cessionario ex causa onerosa non posse compensationem opponi, quæ cedenti opponi potuisset, si modo cessionarius agat vtilibus actionibus sibi ex propria persona competentibus, non mandatis ex persona cedentis, secundum ea quæ pluribus scripsi *lib. 12. coniect. cap. 9.*

4 Propter vim & potestatem obligationis generalis, quæ & nomina sicut cætera bona omnia futura comprehendit, vt diximus *num. 1.*

5 Post rescriptum Diui Pij, de quo *in l. si cum emptore 16. ff. de pact.* iunct. *l. vltim ff. de transact. l. emptor. 5. l. postquam 7. & seq. ff. de hered. vel act. vendit. d. l. 4. C. quæ res pignor. l. si communeris 18. ff. de pignor. act.*

6 *Ex reg. l. id quod nostrum 11. l. non debet alteri 74. de reg. iur.* Nec obstat quod in *l. 1. §. ex contrario, ff. de separ.* scriptum est, licere cuilibet adiiciendo sibi creditorem facere conditionem creditoris sui deteriorem. Id enim pertinet ad chirographarios creditores, non ad pignoratitios, quibus nihil potest imputari, cum sibi diligenter prospexerint, vt de eo qui fideiussorem idoneum acceperat scribit Papinian, *in l. 3. eod. tit. de separat.* Sibi enim æque bene prospicit qui vel pignus, vel fideiussorem idoneum accipit. *l. si mandatu 59. §. vltim. D. mandat.*

7 Nisi ego ipse te prius certiorem feciſſem de facta mihi cessione, *d. l. 4. §. quæ res pignor. l. 3. C. de nouat.*

8 *L. si constat 4. & seq. l. inuicem 12. & pass. C. hoc tit. l. si ambo 10. eod.*

9 *L. 2. l. si propter 8. l. vlt. & pass. C. eod.* iunctis iis quæ dicemus *in seq. Defin.*

10 Nec enim potuit tibi opponi tanquam exceptio prius quam egeris, *l. 2. ff. de except.* licet non tantum exceptionis vim habeat, sed etiam mutuæ petitionis, *l. amplius 15. ff. rat. rem haber.* Bart. *ad l. qui inuicem 30. de cond. indeb.* vnde & mutua petitio appellatur in *l. neque scriptura 6. C. hoc tit.* iunct. *l. quod in diem 7. §. 1. ff. eod.* vbi ratio dubitandi hinc petenda est.

11 Atque ita in consequentiam præcedentis obligationis, quæ nullius fraudis suspecta esse poterat, *l. 1.* vbi Bart. *D. qui potior. in pign. hab.*

12 Non enim fraudem facere videtur, qui fraudem excludit, *l. cum pater 77. §. antepen. de legat. 2. l. quia autem 6. §. si patrimus in fin. ff. si quis omiss. caus. test.* quia permittitur cuilibet consulere sibi, quamuis per consequentias alteri noceat, *l. Proculus 26. ff. de damn. infect. l. 3. §. quod ais prætor, de incend. ruin. & naufrag.*

13 Tanto magis enim debet licere creditori, vt vigilet ad suum consequendum, cum vigilantibus non dormientibus iura succurrant, *l. pupillus 24. in fin. quæ in fraud. credit.* iunct. *l. quod autem 6. §. sciendum, 3. eod. l. summa 21. in fin. princip. ff. de pecul. l. 2. in princ. C. de annal. except.*

14 Illa enim distinctio adhiberi à nostris solet, an cessio causam lucratiuam habeat an onerosam. Bartol. & cæteri *ad l. 4. §. si cum legitimæ, ff. de doli except. & in l. si ruam quoque 33. §. vlt. cum l. seq. de procurat.* scripsi late *lib. 12. Coniect. cap. 2. & 10.*

DEFINITIO IV.

Compensatio fit ipso iure, sed ita demum si opponatur, præterquam in pœnalibus.

COmpensatio non vsque adeo fit ipso iure, quin opponi eam sit necesse,[1] quamuis ex quo opposita est vires suas exerat ipso iure.[2] Fallit id in pœnalibus causis, in quibus receptum est odio pœnæ, & ne pœna committatur, vt compensatio prius etiam quam opposita sit facta intelligatur, sola legis iurisque potestate.[3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Dixi *Defin. præced. nu. 9. DD. ad l. si constat 4. C. hoc tit.* Est enim compensatio exceptio, quam certum est suppleri non posse, sed opponi debere, quia facti quæstionem immixtam habet, an quod compensari petitur debeatur, & quidem liquido, *l. vlt. & pass. hoc tit. C. & D.*

2 *d. l. si constat, & d. l. vlt. C. eod.*

3 Guid. Pap. *quæst. 171.* & ibi Apostill. *arg. l. etiam 5. D. hoc tit.* iunct. *l. cum quidam, 17. §. si pupillo, de vsur.*

DEFINITIO V.

De formula pronunciandi contra compensationem.

QVoties obiicitur compensatio debiti, quod nec liquidum sit,[1] nec in eo, vt statim liquidari possit,[2]

cauere

cauere iudex debet, ne ita pronunciet, vt reprobet compensationem, sed ita potius, vt dicat nullam se oppositæ compensationis rationem habere, [3] ne alioqui reo qui compensare voluit, debitum quandocunque petenti & probanti noceat exceptio rei iudicatæ. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hoc ideo quia non fit compensatio liquidi ad non liquidum, *l. vlt. C. hoc tit.*

2 Quod enim tale est, licet reuera nondum sit liquidum, pro liquido tamen habetur, vt dixi *Defin. 2. nu. 3. & eod.*

3 Ita eleganter Vlpianus *in l. quod in diem 7. §. si rationem, D. hoc tit.*

4 *L. si autem 8. §. si quocunque, D. de negot. gest.*

DEFINITIO VI.

Quod debetur sub onere præstandæ satisdationis ante eam præstitam compensari non potest.

SI pendente lite mutuas collitigantibus adiudicationes iudex fecerit, iniuncta vtrique necessitate præstandæ satisdationis, [1] & alter satisfecerit, alter fideiussorem quidem obtulerit, sed qui tamen à iudice nondum fuerit admissus, [2] placet non posse interea obiici compensationem: [3] propterea quod ea, quæ sub onere cautionis debentur, ante præstitam cautionem nullo modo exiguntur, [4] possuntque multa incidere, quæ difficilem faciant & longis ambagibus inuolutam fideiussionis præstationem. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt fieri solet cum mutuæ sunt petitiones, quæ implicitam habent & obscuram facti quæstionem, necdum liquido constat an debeatur, vtrinque tamen adsint tales probationes, vt vtrique debitum prouisionaliter, quod aiunt, adiudicandum videatur, *argum. l. 1. & tot. tit. D. si cui plus quam per leg. falcid. l. statuliber rationem 5. l. seruus 34. §. vlt. D. de statulib. l. prætor ait 20. §. deinde ait prætor, D. de operis noui nunciat. l. 3. de tut. & rat. distr. l. grege 13. §. penult. de pignor.*

2 Quo casu non potest videri præstita satisdatio, saltem quousque constet, stare per aduersarium quo minus satisdetur, *d. l. prætor ait, §. si quis paratus, l. si residuum 5. Cod. de distr. pignor.* Aliud enim est satisdare velle, aliud satisdedisse, *l. si rem 9 §. omnis pecunia, cum l. seq. D. de pignor. act. l. item liberatur 6. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. solutam 49 in fin. D. de solut.* vbi tamen legere mallem *satisfactionis*, quam *satisdationis*, *ex l. satisfactio 52. eod.*

3 Vt nec aliarum rerum, quæ nondum peti cum effectu possunt, cuiusmodi sunt quæ in diem, multo magis quæ sub conditione debentur, *l. quod in diem 7. l. quæcunque 11. l. cum militi 16. §. 1. D. hoc tit.*

4 Non quasi non debeantur, sed quia cautionis præstandæ necessitas solutionem moratur, quamuis non faciat indebitum quod fuit debitum, inquit Papin. *in l. pater 7. §. si forte, D. de dot. præleg.* Sic nec compensari potest, quod alternatiue debetur quousque facta sit electio, *l. si debeas 22. D. hoc tit.* quia nec prius certum est, quid omnimodo debeatur. Itaque ex hoc apparet, quod sub onere satisdandi debetur, non haberi pro debito sub conditione, *l. multo 6 §. 1. D. de tutel.* iunct. *l. sub conditione 16. de condict. indeb.*

5 Cum facti quæstio plerumque occurrat, an idoneus sit fideiussor qui offertur necne, siue quod suspectæ sint eius facultates, siue quod habeat fori præscriptionem, *l. si vero 5. §. 1. l. si fideiussor 7. D. qui satisd. cog.* æquum autem non est moram fieri ei qui satisfecit, *l. etiam 15. D. vt legat. nomin. caueat. l. ille à quo 13. §. 1. versic. quid ergo, D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO VII.

Casus in quo alimentorum petitioni obiicitur compensatio.

ALimentorum quidem petitioni compensatio obiici non potest: [1] sed tamen cum pendente lite super æstimatione, &, vt pragmatici loquuntur, liquidatione legitimæ fructuumque ex ea causa debitorum, Senatus noster iustis quibusdam rationibus adductus, certam pecuniæ quantitatem vni ex liberis adiudicasset alimentorum nomine, [2] placuit petentem eum cogendum compensare, quod inuicem fratri condemnato eidemque patris heredi ab eo deberi liquido constaret, si aliud nihil compensationem impediret, causa scilicet debiti inspecta, [3] quandoquidem legitimæ fructuumque exinde debitorum petitio eam exceptionem pateretur. [4] Huc enim pertinet, quod vulgo nostri iactitant, subrogatum sapere naturam eius, in cuius locum subrogatum est. [5] *Ita Senatus* pro D. Ioanne Marchione de la Chambre, contra fratrem Comitem, in mense Iul. 1592.

1 *L. 3. vbi not. C. hoc tit.* ibidemque alij nonnulli casus ponuntur, in quibus compensatio locum non habet. Ratio pendet ex fauore alimentorum, quorum cura præsens ac momentaria est, vt loquitur Papin. *in l. pecuniæ 8. de alim. legat.*

2 Ita enim fieri necesse erat, ne is interim fame periret, *l. si instituta 27. §. penult. D. de inoffic. testam. l. vlt. C. de ordin. cognit. l. filius 9. D. de iur. delib.* iunct. *d. ait prætor 7. §. in causæ eod. l. pen. D. vt in poss. leg. l. 1 in princ. & §. & generaliter 15. D. de venir. in possess. mitt.*

3 Quam constat inspici semper debere *l. 3. §. scio, D. de minor. l. si procuratorem 8. in princ. D. mandat. l. si tantum 12. D. de Senat. Maced.*

4 Ex regula generali, *d. l. vlt. C. hoc tit.* postquam dici vere potest, in omnibus actionibus & casibus esse hodie locum compensationi, adeoque ipso iure, præterquam in quibus specialiter prohibita est, vt in deposito *d. l. vlt.* & aliis, de quibus *in l. 3. eod.* vbi vide.

5 *Vulg. l. si quis eum 10. § qui iniuriarum, D. si quis caution. l. cum filius 76. §. heres meus, de leg. 2. l. 1. §. si sub conditione. D. vt legat. nom. caueat.*

DEFINITIO VIII.

Quod tutor debet, non potest compensari cum eo quod pupillo debetur, nec contra. Potest tamen tutor pro pupillo conuentus compensare, quod sibi proprio nomine debetur.

ID quod pupillo debetur si tutor petat, non patitur compensationem eius pecuniæ, quam tutor ipse suo nomine aduersario debeat, [1] sicut nec ex contrario, quod tutori proprio nomine debetur admittit compensationem eius quantitatis quam pupillus debeat: [2] nempe quia generale illud est, vt eius, quod non debetur ei qui conuenitur, sed alij, compensatio obiici non possit: [3] nec si creditoris creditor pro eo qui conuenitur ob debitum proprium velit compensare, [4] ne aliter posito iure redimendarum vndique actionum materia quæreretur. [5] Sed tamen si tutor pupilli nomine conueniatur, non iniqua aut improbabilis sententia est, vt possit ille compensare, quod sibi proprio nomine debeatur: [6] non solum quia nihil vetet tutorem de suo pro pupillo soluere, [7] sed etiam quod constante tutela fieri facile possit, vt tantundem pupillo tutor debeat, quantum liberandi ipsius gratia velit compensare. [8] Quasi cum ita facit, liberandæ fidei causa & pro se exonerando potius, quam pro alio soluendi animo facere videatur. [9] Maxime vero cum & quod alij debetur compensari possit, si debitum illud à creditore cessum sit: [10] nam cum cessio inter tutorem & pupillum fieri nequeat, [11] alterutrum euenire necesse est, vt vel deterioris conditionis sit pupillus quam cæteri, si ea compensandi ratio tutori pro pupillo denegetur, quod nemo æquum dixerit, [12] vel cessio pro facta habeatur quasi tacita legis potestate, siquidem per legem ipsam fit, ne propter pupilli ætatem & conditionem ea cessio fieri expressim possit. [13] *Ita tractatum est* in publico auditorio in causa quadam N. Abelis Bessonet, contra viduam D. de Compois, Prid. Id. Iul. 1592.

1 *L. penult. D. hoc tit.* aliud enim est deberi tutori proprio nomine, aliud tanquam tutori, *l. 22. de indign.*

2 Vt *ad. l. penult.* notat Castrens. vulgo adprobatus.

3 *L. cum militi 16. in princ. eod. l. eius quod 9. C. eod.* Excipe ca-

BIU Cujas

sum, *l. si quid 5. D. eod.* Id est, si fideiussor conueniatur ex causa fideiussionis. Potest enim compensare non tantum quod sibi debetur, sed etiam quod reo, ex cuius persona & pro cuius debito conuenitur. Adde alium casum ex *l. si cum 9. §. 1. eod.* si cum filiofamilias agatur, & velit ille compensare quod patri debetur, nisi quod hoc casu cauere filius debet patrem eius pecuniæ nomine nunquam acturum, vt ea lex ait. Item in correis debendi si sint socij non aliter, *l. si duo 10. D. de duobus reis.* Noli addere etiam exceptionem *ex l. in rem 8. D. hoc tit.* Ibi enim agitur de procuratore dato in rem suam, cui tamen non datur ius compensandi, nisi eo casu, quo post litis contestationem vice mutua conueniatur, nempe quia per contestationem fit dominus litis, *l. procuratorib. 22. cum l. seq. C. de procurat.* Nec tantum litis, sed etiam ipsius rei in litem deductæ, hoc ipso quod factus est procurator in rem suam, *l. si quis in rem 34. l. procuratore 55. D. eod.*

4 Verba sunt Papiniani *in d. l. in rem 18. §. 1. D. hoc tit.*

5 Quam è contrario restringi oportet, cum odiosæ sint alienarum litium redemptiones, & odiosiores quam lites ipsæ, *l. 4. §. 1. vers. non tantum, D. de alien. iudic. mut. caus. fact. l. per diuersas 22. cum l. seq. C. mandat. l. 23. & 4. C. de litigios.*

6 At non è contrario, vt possit ille proprio nomine conuentus compensare id, quod sibi tanquam tutori debetur, ex iis quæ diximus *num. 3.* quamuis possit debitorem pupilli creditori suo delegare, *l. pupill. 96. in princ. de solut.*

7 Sicut & pro alio quolibet, *l. soluendo 39. D. de negot. gest. l. solutione 23. D. de solut.*

8 Etsi enim tutelæ ratio exigi non potest, quandiu tutela durat, debet tamen tutor quotidie eam à se exigere, potestque aut sibi soluere, quod ei pupillus debet, aut pupillo, quod ipse tutor ei debet, *l. quoties 9. §. sed si sub vsuris & seq. & §. non tantum. D. de admin. & peric. tutor.*

9 Futurum enim est, vt pro rata temporis, quo pupilli debitor fuisse reperietur, cogatur præstare vsuras pupillares, *l. tutor 7. §. si vsuras & seqq. l. Lucius 46. §. quæsitum, D. eod. l. 1. & tot. tit. C. de vsur. pupill.*

10 Bald. post gloss. *ad d. l. eius 9. C. hoc tit.*

11 Quia tutor cum pupillo contrahere non potest, nec ei in rem suam auctoritatem præstare, *l. 1. l. quod dicimus 7. de auctor. tut.*

12 Est enim pupillus fauorabilior cæteris, nec debet esse deterioris conditionis *l. sancimus 7. C. ad Trebell.*

13 Iuris enim ciuilis regula est, pactum nullum posse fieri à pupillo sine tutoris auctoritate, *l. contra 28. de pact.* Indeque pendent omnia quæ pro pupillis tam multa fauorabiliter in iure nostro constituta reperiuntur.

DEFINITIO IX.

Potest obiici compensatio eius quod defunctus debuit cum eo, quod heredi proprio nomine debetur, licet heres fecerit inuentarium.

HÆredi, etiamsi beneficium legis & inuentarij implorauerit,[1] si quid proprio nomine petat, perinde obiici potest compensatio eius pecuniæ quam defunctus debuit, atque si pure hæres esset. [2] Nec est contrarium, quod legis beneficio saluas habet proprias actiones. [3] id enim eo pertinet, vti ne per eam confusionem quæ aditione hæreditatis fit [4] sublatæ videantur, non etiam vti ne solutionis potestate tolli possint. [5] Atqui compensatio solutionis vim & vicem obtinet. [6] Nec sane minus debitor intelligitur qui debitoris hæres est, cum beneficio legis & inuentarij, quam qui legis beneficium non implorauit: [7] vnum illud ei indulgetur, vt quamuis sit debitor, tamen vltra vires hæreditarias non teneatur. [8] Eamque ob causam temperamentum illud necessario adhibendum est, vt qui huiusmodi hæredi obiicit compensationem satisdet eam se quantitatem in hereditate repositurum, quotiescumque iudici bonum id & æquum videbitur, [9] vt si alij erunt creditores anteriores, quibus priore loco soluere hæres debebit, [10] habeat ille ex hæreditate vnde soluat, nec de suo quicquam erogare compellatur. [11] Nam & idem obseruari solet cum pendente discussionis instantia petit aliquis ab hærede, & fiduciariam, ac, vt loquuntur, prouisionalem ex iusta causa obtinet adiudicationem. [12] Neque vero valde refert an de petitione tractemus, an de compensatione, [13] quandoquidem is etiam qui compensat agere quodammodo & petere videatur. [14] *Ita Senatus* pro Illustri Georgio de Mouxi Comite de Monreal, contra Illustrem Henricum de Saluces D. de Carde, mense Iul. 1592.

1 Quod hodie plerumque fit ex *l. vlt. C. de iur. deliber.*

2 Est enim perinde hæres, id est, successor in vniuersum ius quod defunctus habuit acsi beneficium legis non imploraſſet, *d. l. vlt.* Certum autem est hæredem posse compensare id quod defunctus potuit, *l. 3. de contrar. iudic. tutel.*

3 *d. l. vlt. §. in computatione, vers. si vero & ipse aliquas, C. de iur. deliber.*

4 Aditio enim hereditatis iure confundit obligationem, *l. sicut 75. l. Stichum 95. §. aditio, D. de solut. l. debitori 50. D. de fideiuss. l. debitori 7. C. de pact.*

5 Est enim solutio naturalis & verus modus tollendarum omnium obligationum, vt ipsa obligationis definitio demonstrat. §. 1. *Instit. de oblig. l. solutione 23. l. penult. & pass. D. de solut.*

6 *L. si constat. 4. l. inuicem 12. C. hoc tit. l. si ambo 10. & pass. D. eod.* [Ideoque potest opponi etiam à iurato debitore. Fachin. *lib. 1. contr. cap. 7.*]

7 Alioqui non posset directis actionibus hereditariis conueniri, ne quidem quatenus vires hereditatis paterentur, quod tamen falsum est, *d. l. vlt. §. & si post præfatam, C. de iur. delib. & Nouell. 1. de hered. & Falcid.* iunct. *l. 1. C. si cert. pet.*

8 Quod olim secus erat, *l. quæ dotis 33. D. solut. matrim.* cum heres qui hereditatem adit hoc ipso se obliget æri alieno, *l. more 8. de acq. hered.* quasi contraxerit cum creditoribus defuncti adeoque cum legatariis, *§. heres, Inst. de oblig. quæ ex quasi contr. l. 3. §. heres quoque, D. de oblig. & action. l. 3. §. vlt. cum l. seq. D. quibus ex caus. in poss. eat.*

9 Vt & aliis quibusdam casibus necessarium est remedium satisdationis, vt compensatio admitti possit, *l. si cum filiofamilias 9. §. 1. D. hoc tit.*

10 Seruanda enim est inter defuncti creditoris temporis prærogatiua, *d. l. vltim. §. in computatione in fin.* licet iis soluere statim cogatur heres qui priores veniunt, tametsi iniure crediti sint posteriores, *d. l. vlt. vers. & si præfatam.*

11 Parum tamen videtur interesse heredis cum sit securus, qui soluit creditori prius venienti quamuis in creditorum ordine posteriori, *dict. §. & si præfatam.* Aliis enim creditoribus anterioribus actio nulla supereſt contra hæredem hunc, qui soluit bona fide, sed tantum contra creditorem posteriorem qui solutionem accepit *d. l. vltim. §. sin vero heredes.* Itaque remedium hoc satisdationis non tam videtur necessarium, vt heredi quam vt creditoribus anterioribus, si qui sunt, consulatur, præsertim si creditor hic posterior, qui primus venit, non sit soluendo.

12 Quo tamen casu perinde tractari posset frustra desiderari satisdationem ab herede, qui omnimodo futurus sit securus, nisi aliis creditoribus consuli oporteret.

13 Quamuis Iustin. *in d. l. vlt. §. etsi præfatam*, loquatur de his creditoribus qui primi veniunt, primus autem non veniat is, qui conuenitur primum, deinde compensat.

14 *L. amplius 15. D. rat. rem haber.* Bart. *in l. qui inuicem 30. D. de cond. indeb.*

DEFINITIO X.

Compensari non potest debitum controuersum cum liquido, licet controuersum possit ex iudicis auctoritate prouisionaliter, vt aiunt, exigi præfita cautione.

DEbitum ex sententia, à qua prouocatum est, compensari non potest cum eo, quod ex instrumento liquido, authentico, &, vt loquuntur, guarentigiato debetur: [1] quamuis iudex præceperit mandari sententiam executioni non obstante appellatione, præstitaque, vt fieri solet, satisdatione, [2] adeoque nec si iam satisdatum proponatur. [3] Quoniam si contingeret sententiam rescindi per appellationem, [4] quod in dubio litis euentu positum est, [5] appareret ex postfacto compensatum fuisse id, quod fuisset indebitum, [6] in eoque factam iniuriam creditori, [7] quæ sane cautionis prætextu non minuitur. [8] Cum vel ob hoc ipsum introductum sit ius compensationis, [9] quod nostra interfit non soluere potius quam solutum

BIU Cujas

tum repetere.[10] *Ita Senatus* ex tempore inter fratres Riondet, 12. Cal. Aug. 1592.

1 Quoniam appellatio extinguit iudicatum & rem reuocat ad terminos litis contestatæ, *l. furti 6. §. 1. D. de his qui not. infam. l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill.*

2 Non enim eo minus verum est extinctam hoc casu vim iudicati per appellationem, alioqui non esset necessaria victori satisdatio, cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. ingenuum 28. de stat. homin. l. res iudicata 206. de reg. iur.* & sit potentior quam contractus quantumuis in authenticam scripturam redactus, *l. minor. 40. D. de minor.*

3 Satisdatio enim non facit liquidum debitum, quod liquidandum imo adiudicandum est per iudicem appellationis, siquidem non solet satisdari nisi in casu dubio & incerto, *l. hæc stipulatio 14. §. 1. vt legat. nom. caueat.* Et sicut necessitas præstandæ satisdationis non facit indebitum, quod fuit debitum, *l. pater 7. §. pen. de dot. præleg.* ita nec oblata aut præstita satisdatio facit omnino debitum id quod forsan apparebit indebitum, *l. 2. D. vt legat. nom. caueat.*

4 Ideo enim comparatum est auxilium appellationis, licet nonnumquam is qui ex appellatione pronunciat, in peius reformet iudicatum *l. 1. D. de appellat.*

5 Dubius enim & incertus est euentus iudicij cuiuslibet, *l. quod debetur 51. D. de pecul.*

6 Posteriore sententia tollente intellectum prioris, vt loquitur Papin. *in l. si patroni, 55. §. vulg. ad SC. Trebell.*

7 Qui eam rem cuius compensationem passus esset videretur soluisse, quam tamen non debuisset. Nemo autem indebitum soluere cogitur, cuius etiam soluti habet condictionem, *l. indebiti 15. & pass. D. de condict. indeb.*

8 Nemo enim obligatur ad soluendum, vel compensandum ob id solum, quia postea recepturus sit, siue ab eodem, siue ab alio quod ipse præstiterit, *l. nemo i. eo 171. de reg. iur. d. l. 7 vt legat. nom. caueat. l. testamento 17. in princip. & §. 1. de test. tutel. l. suspectus 5. cum seq. D. de susp. tutor.*

9 *L. 3. D. hoc tit.*

10 *L. si stipulatus, 15. in princip. D. de fideiussor.* Ergo vt admittatur compensatio non sufficit tale debitum esse, quod peti possit nisi etiam sit liquidum, sicut nec vt iam liquidum sit si adhuc peti non possit, *dict. l. quod in diem 7. & l. si debeas 22. D. hoc tit.*

DEFINITIO XI.

Non potest compensari quod non posset solui.

COmpensatio, quæ inuito debitore fieri non potest, vim solutionis non habet, quandiu debitoris voluntas non interuenit.[1] Nam nec quod tibi debeo in certam causam, possum vel creditori tuo soluere, vel tibi ipsi in aliam causam,[2] ni tu consentias.[3] Cæterum, quibus casibus possum te inuito soluere, possum etiam compensare.[4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, Prid. Cal. Aug. 1592.

1 *d. l. si debeas 22. D. hoc tit.*

2 Imo & si cui petitioni specialiter destinata, id est, obiecta sit compensatio, placet in cæteris causis obiici eam non posse, *l. quod Labeo 13. D. hoc tit.* quia vbi ait Bart. vna causa non potest operari circa diuersos effectus, quamquam id perpetuum non est, vt constat ex *l. in numerationibus 44. ff. de solut.*

3 Consentienti enim & volenti non fit iniuria, *l. 1. §. vsque adeo de iniur. l. inuito 13. l. manifesti 17. C. de solut.*

4 Cum compensatio pro solutione sit, *l. si ambo 10. & pass. D. hoc tit. l. si constat 4. C. eod.*

DEFINITIO XII.

Expensæ taxatæ possunt compensari etiamsi appellatum sit ab executione, dum ne ab ipsa condemnatione vel taxatione.

EXpensarum litis quæ & iam adiudicatæ sunt & taxatæ compensatio obiici potest, tanquam debiti liquidi,[1] licet ab executione facta condemnatus prouocauerit, dum ne ab ipsa adiudicatione, aut taxatione. Non enim facit ea appellatio quo minus liquidum sit debitum.[2] *Ita Senatus* in causa Ioachimi de la Cuaz & hæredum Benedicti Vernat. 4. Id. Decemb. 1592.

1 Taxatum enim dicitur, quod deductis deducendis reliquum est, *l. Mæuio 41. § 1. de legat. 2.*

2 Sed in ea quæritur tantum an executor fines mandati excesserit, *l. 4. D. de appell. l. quoniam 21. C. eod. l. ab executione 5. C. quor. appellat. non recip.* Aliud ergo est, si ab ipsa condemnatione, vel taxatione sit appellatum, vt dixi *Defin. 9.*

DEFINITIO XIII.

Fideiussor creditoris sui potest obiicere compensationem summæ pro eo solutæ ex iudicato, licet à sententia fuerit prouocatum.

DEbitor certæ quantitatis si obiiciat compensationem concurrentis alterius summæ, quam quasi fideiussor creditoris sui pro eo soluere coactus sit, audiendus est,[1] si aliud nihil impediat compensationem.[2] Nec distinguendum est, an ea soluendi necessitas ex sententia diffinitiua manauerit,[3] an ex interlocutoria & prouisionali, quæ non obstante appellatione executionem habere debuerit:[4] neque rursus an creditor cui compensatio obiicitur ab ea condemnatione prouocauerit[5] necne. Sufficit enim quod eius nomine soluere coactus fuerit fideiussor,[6] qui nunc quasi debitor conuenitur:[7] cum appellantis indemnitati satis consultum esse possit aduersus victorem, si iusta quandoque appellatio pronunciabitur,[8] nec fideiussoris indemnitatem ex ea causa suspendi oporteat.[9] *Ita tractatum est* in publico auditorio inter fratres Riondet, 4. Ianu. 1593.

1 Verum enim est esse hunc quoque creditorem eius scilicet pecuniæ, quam pro creditore suo soluit, & pro qua repetenda mandati actionem habere posset, aut negotiorum gestorum mandato nullo interueniente si agere mallet, quam compensare, *l. ex mandato 20. §. 1. & pass. D. mandat.* Hoc vero compensationem inducit, quæ nihil aliud est, quam debiti & crediti inter se contributio, *l. 1. & 2. & pass. D. hoc tit.*

2 Quid enim si fideiusserat donandi animo vel in rem suam? Non poterit compensare, quia nec mandati agere posset, *l. sed si fideiussor 24. D. de pact. l. 5. D. de liber. legat.*

3 Condemnato per diffinitiuam sententiam fideiussore, quo casu non posset mandati agere prius etiam quam soluisset *l. Lucius 38. §. 1. D. mandat. l. si fideiussor 45. D. de fideiuss.*

4 Solet enim & debet iudex cum nondum bene liquet interloqui, & prouisionalem, vt vocant, facere condemnationem, præstita satisdatione, eoque iure passim vtimur.

5 Quod suo iure facere potest tanquam cuius interfit propter regressum, quem contra eum habiturus est fideiussor, *l. 2. §. 1. D. quand. appell. sit l. 1. de app. recip.* indeque sumenda est ratio decidendi *ad l. Herennius 63. §. 1. D. de euict.*

6 At neque semper expectandum est, vt soluat aut iudicio accepto condemnetur, forte si diu in solutione debitor cessauit, aut bona sua dissipauit, *d. l. Lucius 38. §. 1. D. mandat. l. si pro ea 10. Cod. eod.* Illud sane constat parum referre an fideiussor soluerit coactus, an metu ne compelleretur, *l. nouissime 7. §. 1. vbi Bald. quod fals. tutor. auctor. gestum esse dicetur.*

7 Haberet enim nunc pecuniam, quam suo ipso creditori posset soluere, si eam pro ipso creditore alij non soluisset.

8 Eo namque casu futurum est, vt pecuniæ solutæ restitutionem consequatur.

9 Cum sufficiat quod iam cœperit ei abesse ex causa fideiussionis, vt habeat præsentem actionem, *l. inter causas 26. §. abesse, D. mandat.*

DEFINITIO XIV.

Conductor potest obijcere victori, & in executione iudicati compensationem pecuniæ debitæ locatori suo licet condemnato.

COnductor interdicto, aut in rem iudicio conuentus[1] locatori litem denunciauerat, locator autem pro eo litem susceperat. Condemnatione secuta, fructibusque petitori adiudicatis,[2] quorum tamen compensandorum iustam causam locator habeat[3] (postquam placuit etiam in actionibus in rem

BIU Cujas

locum esse compensationi [4]) aut saltem retinendorum, puta pro legato annuo sibi à victore debito, [5] non est victori permittendum, vt aduersus conductorem qui proprias defensiones nullas habet iudicatum exequatur ratione fructuum. [6] Quamuis dici soleat perinde mandandam executioni contra possessorem sententiam, quæ aduersus auctorem lata est, acsi contra possessorem lata fuisset. [7] Id enim eo pertinet, vt melioris conditionis non sit possessor, quam qui ab eo laudatus est, [8] non etiam, vt debeat esse deterioris, licet ipse non eius auctor fructus perceperit. [9] *Ita Senatus* in causa R. Bonauenturæ Martin Franciscani & Matthæi Martin, 8.Id.Febr.1593.

1 Atque ita prohibitus frui libere & pacifice re conducta, ex qua causa solet dari actio conducti, *l. ex conducto* 15. *§.1. D. locat.* iunct. *l. si quis domum* 9. *& l. habitatores* 27. *§.1. eod.*

2 Veniunt enim fructus in actione in rem etiam speciali ex die litis contestatæ, *l. vtique* 16. *cum l. seq. §.1. & pass. D. de rei vindic. l. cersum* 22. *C. eod.*

3 Quia forte sibi inuicem aliquid à petitore debeatur, nam & fructus, sicut cæteræ res compensari possunt, cum vsuris, *l. minor.* 40. *§. prædia, D. de minor. l.1. §. pacto, D. de pignor.* aut cùm sumptibus, *l. sumptus* 48. *de rei vindic. l. in insulam* 42. *§.1. D. solut. matrim.*

4 Ex constitutione Iustiniani *in l. vlt. C. hoc tit.*

5 Aliud enim est compensare, aliud retinere: omnis qui compensat retinet, sed non è cõtrario omnis qui retinet compensat, *l.3. D. hoc tit l. filius quem* 24. *C. famil. ercisc.* Ex quo loco solet etiam colligi & recte, aliud esse compensationem, aliud deductionem, cum fiat compensatio ipso iure, deductio vero vi exceptionis. Facit *l. amplius* 15. *D. rat. rem haber.*

6 *Arg. l. si quid à fideiussore* 5. *D. hoc tit.* vbi permittitur fideiussori compensare etiam quod reo non sibi debeatur: quasi is qui ab alio defendendus est, & qui alium defendit ex necessitate vnius personæ iure censeantur. Inde namque est quod dici solet, posse quemlibet vti iure auctoris sui, *l. inuitus* 156. *§. plerumque; de reg. iur. cum similib.*

7 Ita enim habet stylus noster practicus & iudiciarius.

8 Sibi enim debet imputare quod sit passus alium agere de iure suo, ideoque res contra alium iudicata contra ipsum iudicata videtur, *l. sæpè* 63. *vers. scientibus, D. de re iudic.*

9 Nam & post rem iudicatam in ipsius iudicati executione potest opponi compensatio, *l.2. C. hoc tit.*

DEFINITIO XV.

Compensatio potest opponi, & post litem contestatam, & in causa appellationis, non etiam reconuentio.

REconuentio quidem nec post litem contestatam, [1] nec proinde in causa appellationis [2] recipitur. Sed si is, qui reali actione conuentus, aut interdicto possessorio condemnatus fuerat, appellauerit, & in causa appellationis iustam compensandæ rei, aut etiam iure pignoris retinendæ rationem adferat, audiri debet, [3] quoniam longe aliud est retinere, aut compensare, aliud conuenire. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Auth. & consequenter*, vbi DD. *C. de sent & interloc. omn. iudic. & incorpor. Nouell. 96. vnde simitur. De execut. & de iis qui conuen. & reconuen. cap.2.*

2 Quia appellatio extinguendo iudicatum reducit rem ad terminos litis contestatæ, *l.1. §. vltim. D. ad Turpillian.* & ideo quæ non possunt fieri post litem contestatam, nec in causa appellationis fieri possunt, *l. exceptionem* 19. vbi DD. *C. de probat. & l. vltim. C. de præscript.* Not. DD. *ad d. Authent.* & consequenter.

3 Compensatio enim cum fiat ipso iure quandocumque sit opposita retrofingitur facta fuisse, ex quo die mutuo deberi cœpit, *l. cum alter* 11. *l. posteaquam* 21. *D. hoc tit.* Reconuentio autem non fit ipso iure, quia nihil nisi factum continet.

4 Vt apparet non solum ex hoc, quod proxime diximus, sed etiam ex eo quod in actionibus quoque in rem locus est compensationi, *d. l. vlt. C. hoc tit.* At in iis nó est locus reconuentioni, id est, qui conuenitur actione in rem non potest reconuenire, vt multis rationibus à nobis probatum est in secunda parte Chiliadis nostræ *de error. pragm.* Quamuis ille qui personali actione conuentus est, possit reconuenire etiam in rem, secundum sententiam Bald. *ad l. cum Papin.* in verb. *obnoxius, C. de sentent. & interloc.* probatam à Socin. *ad cap.1. D. de mut. petit. nu.49.* Adde text. in *l.2. C. hoc tit.* vbi dicitur posse opponi compensationem in executione iudicati.

DEFINITIO XVI.

Creditor mariti non potest mulieri obiicere ex persona mariti compensationem quantitatis debitæ sibi à marito.

MVlieri petenti [1] ex iudicato litis expensas, quas maritus in dotis conseruandæ causam necessariam prorogauerat, non potest condemnatus obiicere compensationem eius, quod sibi maritus debeat, tametsi proponas eiusmodi expensis dotem ipso iure diminutam esse in mariti vtilitatem, [2] adeoque ipsa in re, quod contingit, si non in corporibus dos consistat, sed in pecunia numerata. [3] Quid enim si soluto matrimonio futurum est, vt maritus iudicio de dote teneatur ad præstationes aliquas, quarum nomine diminutio illa dotis, quam impensæ necessariæ fecerunt, eadem iuris potestate sarciatur? Denique verum est, non quod vxor marito debeat id eam quoque mariti creditori debere: [3] Proinde succedit iuris regula, eius quod non debetur illi qui conuenitur, sed alij, compensationem fieri nullam posse. [6] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 6.Cal.Iul.1593.

1 Ab alio scilicet quàm à marito, puta à tertio rerum dotalium possessore.

2 Dici enim solet minui dotem ipso iure per impensas necessarias, *l. si is qui* 56. *§. quod dicitur, D. de iur. dot. l.5. quod dicitur* 15. *D. de impens. in reb. dotal. fact. l. dote* 5. *D. de dot. prælegat. l. vnic. §. sed nec & impensas, C. de rei vxor. action.*

3 *d. l.5. D. de impens. in reb. dot fact.* de cuius sententia & emendatione scripsi *lib.2. Coniect. cap.2.*

4 Nulla enim ratio est, cur priuari mulier debeat beneficio compensationis, quam illo casu habitura est, contra maritum ipsiusve heredes, cum interfit dotem integram, si fieri potest, retinere, *l.3. D. hoc tit.* Nam soluto matrimonio, cum dos repetitur, compensationi plerumque locus est, *l. si constante* 24. *l. quoties. & §. si vxor. l. viro* 39. *D. solut. matr.* etiam ratione sumptuum necessariorum, *l. in insulam* 42. *§.1. eod.*

5 Nec enim debitor debitoris fit debitor creditoris citra delegationem, *l. vltim. C. quand. fisc. vel priuat. l.3. C. de heredit. action.* nisi nomen debitoris datum sit in solutum, vel pignori, vel venditum, quo casu is, cui datum est, habet vtiles actiones, ex rescripto Diui Pij *d. l. vlt. l. si cum emptore* 16. *D. de pact. l.1. & 2. C. de oblig. & action. l. emptor* 5. *l. postquam* 7. *& seq. C. de her. vel act. vendit.*

6 Quod enim peti non potest, id neque compensari potest, *l. quod in diem* 7. *l. quæcumque* 14. *D. hoc tit.* cum compensatio sit petitio, *l. amplius* 15. *D. rat. rem hab.* præterquam si quid natura tantum debeatur. Hoc enim compensari potest, quamuis peti non possit, *l. etiam* 6. *D. eod.* Nempe quia iure gentium peti posset, si qua eo iure actio comparata esset, *l. cum amplius* 84. *§. in natura debet, D. de reg. iur.* in eoque fauorabilius est, quod naturali tantum iure quam quod ex stipulatione in diem debetur, *d. l. in diem.* Quia licet quod in diem debetur, iam debeatur ciuiliter, ne tamen cum effectu peti adhuc possit, fit ex ratione & æquitate naturali, ne violetur conuentio, quæ est iuris gentium, *l.1. l. iuris gentium* 7. *D. de pact.* Atqui quod alij debetur peti non potest, vt ipsa actionis definitio demonstrat, *l. nihil aliud* 51. *D. de obligat. & action.* Ergo neque compensari, *l. eius quod* 9. *C. hoc tit. l. in rem suam* 18. *§.1. D. eod.* Adde quæ dixi *Defin.7.5.*

DEFINITIO XVII.

An quis proprio nomine conuentus possit obiicere compensationem eius quantitatis, quæ sibi tanquam alterius procuratori debeatur?

PRocurator, qui potestatem habet accipiendæ solutionis mandatumque in eam rem sufficiens, [1] compensare id potest etiam cum eo, quod ipse suo nomine debeat. [2] Perinde enim est, ac si ex pecunia nomine mandantis accepta debitum ille suum solueret, [3]

BIU Cujas

tueret,[3] quo casu haud dubie liberatio contingeret,[4] salua mandanti actione in personam procuratoris, cuius fidem secutus esset.[5] Quid enim refert breuine an longa manu id fiat?[6] Quamquam dubitandi ratio non inelegans illa mihi subesse videbatur, quod pecunia meo procuratori nomine meo tradita mea fieret, ex pecunia autem mea facta solutio creditori procuratoris mei non pareret liberationem, saltem quandiu exstaret, quia nummorum, qui mei essent dominium me inscio in alium transferri non posset.[8] Iuris enim regula est solutis nummis, qui alienari nequeant, non nasci liberationem,[9] quæ nec nascitur cum nummi possunt condici,[10] quamuis condictio non nisi eo casu competat, quo reuera trãslatum sit dominium nummorum:[11] sed in proposita specie recessum est ab hoc tractatu, quia cum de compensatione ageretur, quæri non poterat an exstaret pecunia necne, quæ re vera soluta non esset, sed pro soluta tantum haberetur.[12] *Ita Senatus* ex tempore in causa Guilielmi le Marquis & Salomonis Balmæ, 13. Calend. Ianuar. 1593.

1 Puta cui specialiter hoc mandatum est, vel cui omnium negotiorum administratio commissa fuit, *l. vero procuratori 12. D. de solut.* Nam si ad litem dumtaxat datus esset solutionem accipere non posset, *l. hoc iure 86. eod. l. sed si tantum 13. D. de pact.* sicut nec transactionem facere, *l. transactionis 7. C. de transact.*

2 Qui enim compensationem patitur hoc ipso soluisse intelligitur, *l. si constat 4. & pass. Cod. hoc tit.* Qui ergo & petere potest, & solutionem accipere, cur non poterit compensare? Nam & qui compensat hoc ipso petit. *l. amplius 15. D. rat. rem haber.* Itaque plus iuris habet ad compensandum hic procurator, quam qui compensare vult, quod alij debetur etiam consentiente creditore, quam compensationem non esse admittendam diximus *Defin. 7. num. 3. & 4. ex l. in rem 18. §. 1. hoc tit.* quia consensus ille interueniens creditoris non tribuit agendi & petendi ius huic compensare volenti, quomodo mandatum idoneum & sufficiens tribuit procuratori. Mirum igitur non est hunc posse compensare, illum non posse.

3 Hic ergo euenit quod & alibi sæpe, vt celeritate coniungendarum inter se actionum vna occulteretur, *l. 3. §. penult. l. si cum 6. D. de donat. int. vir. & vxor. l. singularia 15. D. de rebus cred.* vt breui manu fiat, quod longa fieri posset, *l. licet 43 §. 1. D. de iur. dot.*

4 Secuta nimirum consumptione aut confusione, vel permixtione nummorum, ita vt discerni non possint. Alioqui fatendum omnino est liberationem non posse contingere ex solutione nummorum, quos fatendum est alienos esse, vt sequitur *in Defin. ex l. si alien. 78. D. de solut.* vbi recte Gothofredus notat immixtionem habere vim consumptionis, consumptionem vero vim iustæ solutionis.

5 Actione scilicet mandati, *l. Cassius 17. eod. tit de solut. l. si vero 1. §. dedi tibi, D. mandat.*

6 *d. l. licet 43. §. 1. D. de iur. dot. l. pecuniam 79. D. de solut.* Posset autem hæc sententia facilius admitti, si poneres procuratorem obligatum fuisse proprio nomine, ex ea tamen causa quæ mandato contineretur. Id enim plerumque fit, & eo casu nihil mala fide facere videri potest procurator, qui cum eo quod debet pro negotio alieno compensat, quod illi ipsi debeatur.

7 *L. si procurator 13. l. si epistolam 65. D. de acqu. rer. domin.*

8 *d. l. Cassius 17. d. l. si alieni 78. de solut.*

9 *d. l. si alieni. l. si is cui 94. eod. tit.* vbi tamen ait Papin. si is cui alieni nummi soluti sunt iis integris pergat petere quod sibi debetur, nec offerat quod accepit summouendum cum exceptione doli.

10 Est enim perpetuum, vt quibus casibus locum habet condictio non habeat locum liberatio, & è contrario quibus casibus non habet locum condictio inducatur liberatio. *l. cum quis 38. §. 1. & seqq. vsque ad finem legis, l. in perpetuum 61. D. de solut.* excepto casu *l. Neratius 63. D. de condict. indeb.* Potest tamen fieri, vt neque condictio locum habeat, neque liberatio, puta si soluerim tibi ex nummis tuis. *l. si mandauero 22. §. si mandauerim.* iunct. *l. si procuratorem 8. §. si liber homo. vers. plane. D. mandat.*

11 Nemo enim rem suam condicit nisi à fure. *§. itaque Instit. de action. l. vlt. D. de vsufr. quem. caueat. l. 1. & tot. tit. D. de condict. furt.* nec rursus eam rem quæ numquam fuerit sua. *l. videamus 78. §. item si indebitum cum seq.* iunct. *§. si actionem, D. de vsur. l. indebiti 15. D. de cond. indeb.* Nascitur autem condictio domino cuius nummi soluti fuerunt, cum illi nummi sunt consumpti, aut pro consumptis habendi propter commixtionem & confusionem, *d. l. si alieni, & d. l. Cassius 17. de solut.* vbi ratio redditur, ne si aliter obseruaretur creditor in lucro versaretur, & alienos nummos sibi solutos & à se consumptos impune retineret. Adde *l. si à furioso 24. de oblig. & act. l. 12. & 13. l. si ego 18. & pass. D. de reb. credit.*

12 Dicebam tamen non aliud obseruandum hoc casu, quam si pecunia soluta fuisset procuratori, deinde à procuratore creditori proprio, *argum. l. si filius familias 14. vers. quoniam cum l. seq. eod. tit. de rebus credit.* Durum enim sane videtur, vt liceat mihi compensare pecuniam, quam si haberem non possem soluere saltem, ita vt statim ex solutione liberatio mihi acquireretur. Itaque hæc Definitio, ne quid dissimulem mihi suspecta est. Pro ea tamen facit, quod procurator qui alienam pecuniam accepit eiusque debitor est, actione mandati liberatur si tantundem reddat; quia pecunia recipit functionem in suo genere, *l. 2. §. 1. D. de rebus credit.* Sed ea res non facit, vt pecuniam sibi alterius nomine traditam possit suam dicere eamque pro se soluendo facere accipientis, vt probatur apertissime ex *d. l. Cassius*, & aliis innumeris iuris nostri locis. Alioqui quisquis alienam pecuniam habet, siue ex causa depositi, siue quo alio iure, etiam, si voles, tanquam fur & prædo, posset ex ea creditori suo soluere, quod tamen nemo vnquam dixerit.

[DEFINITIO XVIII.

De compensatione rerum ex iudicato debitarum, aut imputandarum.

RErum, siue in eodem iudicio, siue in diuersis inter eosdem iudicatarum compensationem objici posse nemo dubitat.[1] Sed si mutuæ adiudicationes sic factæ sint, vt in vnam quantitatem alia imputari iussa sit, non est ferendum, vt diuersæ summæ per posteriorem sententiam adiudicatæ, licet ex anteriore causa debitæ imputatio, & compensatio fiat,[2] ne priori iudicato derogetur.[3] Nec aliud erit etiamsi summa ei debita, qui compensationem obiicit, sufficere possit vtrique compensandæ de liquido, vt fieri compensatio debet,[4] ad liquidum, si imputatio priore iudicato imperata etiam non liquidis debitis inseruire debeat.[5] Fieri enim nequit vt quod in vnam summam imputandum est, in aliam compensari possit, non magis quàm si iam esset imputatum. Siquidem imputatio solutionis, vim perinde habet atque compensatio, licet in eo differat, quod in imputationem etiam non liquida venire possunt, quæ numquam veniunt in compensationem.[6] Planè si ex vtraque parte plura debeantur, quorum aliqua sint liquida, aliqua non liquida, de omnibus in iudicati executione eodem iudicio cognosci æquum erit, vt tandem vniuersa liquidatione facta condemnetur aduersario is, quem post omnes imputationes, & compensationes admissas plus debere constiterit.[7] Sed interim prouisionalis iudicati executio ei permittenda est, qui claram & liquidam obtinuit adiudicationem, etiamsi liquido constet creditorem aduersarium esse maioris quantitatis, quæ compensari quoque posset, si eius in aliam causam imputandæ necessitas ex priore iudicato non subesset.[8] *Ita Senatus* pro N. Ludouica Bertrand, contra Ioannam Lucretiam de Gilly, 12. Calend. Iunij 1612.

1 *L. 2. C. hoc tit. l. cùm militi 16. §. 1. D. eod.*

2 *L. quod Labeo 13. eod.*

3 Cui semper standum est, *tot. tit. C. de re iudic.*

4 *L. vlt. C. hoc tit.*

5 Id enim est quod dici solet, Sententiam esse stricti iuris.

6 *d. l. vlt.*

7 *Vt in l. filius quem 24. C. famil. erciscund.*

8 *d. l. quod Labeo.* Iunge *Defin. 21. §. de re iudic.*]

BIU Cujas

TIT. XXIV.

DE VSVRIS ET MORA.

DEFINITIO I.

Vsuræ promissæ ad certum tempus in perpetuum debentur, quandiu nec solutio, nec noua de vsuris conuentio facta est, nisi contraria obseruatio secuta sit.

QVi pecuniam intra biennium soluere promisit, & interea maiores vsuras [1] stipulanti spopondit, [2] si ad diem non eo minus easdem vsuras debebit, quod conuentionis in quam maiores deductæ fuerant tempus præterierit. [3] Id enim actum esse videtur, vt quandiu sors soluta non esset, eædem vsuræ præstarentur, si de aliis noua conuentio nulla fieret. [5] Maxime vero, si post decursum tempus de quo conuenerat ad eundem modum pro sequentibus annis vsuras solutas fuisse appareat. Nam etsi conuentio nulla præcessisset, sola vsurarum præstatio per aliquot annos vniformiter, [6] vt nostri loquuntur, continuata sufficere posset ad inducendam in posterum tempus obligationem, [7] quod ea res modici & leuioris præiudicij esse existimetur. [8] Idem erit si non vsura, sed quid aliud in vicem vsuræ præstari conuenerit, dummodo legitimæ vsuræ modus numquam excedatur. [9] *Sine die.*

1 Puta besses aut dodrantes, aut dextantes. Maiores enim apud nos licitæ nullæ sunt. Quæ vero magis frequentantur sunt septunces ex conuentione, quincunces vero ex iudicato, si conuentio nulla præcesserit.

2 Non enim debentur vsuræ pecuniæ fœnebris citra stipulationem, *l.3.C. hoc tit. l. Titius 24. D. de præscr. verb.*

3 Vsurarum enim stipulatio quamuis debitor non conueniatur, committitur, *l. pecuniæ 9.* § 1. *D. hoc tit.* nisi per debitorem ipsum non stet quo minus soluat. *l. traiectitiæ 23. de oblig. & act.* Solerque mens ea esse contrahentium, vt donec tota pecunia soluatur, eædem vsuræ præstentur, quæ ab initio sunt promissæ licet sint maiores, vt *in l. Seia 12. D. hoc tit.* Vide tamen *l. si creditor, 7. versic. nec enim, C. hoc tit.*

4 *d. l. Seia.* Etsi enim priori stipulationi tempus adiectum fuit, eo tamen finito cum sors adhuc debeatur absurdum est, dicere finiri obligationem vsurarum (extra casum *l. Titia Seio 87.* § *vsuras de leg. 2.*) melioremque esse conditionem debitoris post moram quam prius fuisset, vt minores vsuras nunc debeat, qui antea maiores debuit, *l. 3. in princip. D. de vsur.*

5 Ex eo namque quod secutum est, colligitur voluntas contrahentium, eaque seruanda est etiam contra formam stipulationis, *l. qui semisses 13. D. hoc tit. l. aduersus 5. quamuis 8. C. eod.* Quanto magis ergo si congruat stipulatio quæ præcessit?

6 Quia ex actibus difformibus nihil potest inferri, siue ad præscriptionem, siue ad consuetudinem inducendam. Crauet. *cons. 134. nu. 20.* post Bartol. & alios *ad l. 2. D. solut. matr.* * Oportet tamen hoc casu præstitas fuisse vsuras tanquam promissas, alioqui sola præstatio non sufficit, *d. l. creditor, versic. nec enim,* vbi glos. ex *l. si certis annis, C. de pact. inter emptor. l. creditor 10.* § *vlt. D. de solut.*

7 *Ex l. cum de in rem vers. 6.* vbi Bart. *nu. 1. 7. 14. D. hoc tit.* De cuius tamen legis sententia vide quæ scripsi *lib. 7. Coniect. c. 8. & 9.*

8 Itaque videntur hoc casu locum habere quæ tradit Bart. *ad d. l. cum de in rem vers. nu. 7.* Iunge *l. si peculium 6.* § *penult.* in iis verbis, *& annuum quod ei solitum erat dare &c. D. de pecul. legat.*

9 Id enim semper cauendum est, ne legitimis vsuris fraus fiat, *d. l. pecuniæ 9. in princ. &* § 1. *l. placuit 29. l. quod in stipulatione 31. l. pœnam 44. hoc tit. l. quamuis 8. l. si ea pactione 14. l. eos 26. C. eod. l. cum non frumentum 16. eod.*

DEFINITIO II.

Etiam inter mercatores ordinariæ & consuetudinariæ vsuræ apud nos sunt quincunces.

ETiam cum inter mercatores agitur, non solet Senatus noster vsuras maiores quincuncibus adiudicare, [1] si nulla præcedat conuentio, [2] nec probet creditor coactum se, vt sub grauioribus vsuris mutuam pecuniam acciperet: [3] hic enim honestior modus vsurarum visus est, [4] præsertim inter Christianos, quos deceret ex sacrosancto religionis nostræ præscripto fame potius perire, quam vllas vel quantulascunque vsuras accipere: ni ciuilis legislator publicæ societatis tuendæ gratia potiorem auaritiæ quam salutis singulorum habere rationem cogeretur. [5] *Ita Senatus 8. Calend. Decembr. 1590.*

1 Sunt enim solitæ istæ quincunces vsuræ, & quæ hodie magis frequentantur. Nihil autem vetat mercatorem vti iure communi, cum nec dicatur mercari quotiescunque contrahit, puta si conducat vel emat fundum, aut eum locet vel vendat, quamuis alij mercatori. Crauet. *cons. 6. nu. 11.* post Bart. *ad l. legatis. quæst. pen. de leg. 3.* Alex. *in l. diuortio in princ. col. 8. vers. & idem etiam dicit. D. solut. matr.*

2 Vbi enim nulla conuentio est, consuetudo loci seruanda est, præsertim quod ad vsuras, *l. Caius Seius 12.* ibi, *fuit autem consuetudo, D. hoc titul.* Nisi consuetudo illa sit contra leges, permittens vsuras supra legitimum modum, *dict. l. eos 26.* § *cæteros, sup. hoc titul.* Facit *l. tutor 7.* § *quæ autem, in fin. de administrat. tutor.*

3 Hoc enim casu grauiores eædem vsuræ deberentur, non tanquam vsuræ, sed tanquam interesse, quia tanti creditoris interesset. *l. 3. D. de in lit. inrand.*

4 Honestus autem modus in rebus omnibus seruandus est, non immoderata cuiusque adfectio subsequenda, *l. ex damni 40. in princip. D. de damn. infect.* Hic vero modus honestus ideo creditur, quia meliorum fundorum reditus huic modo respondet, ac vicesimo anno æquat sortem. De quincuncibus vsuris agitur *in l. 5. C. hoc tit. & in l. cum quidam 17. D. eod. d. l. tutor 7.* § *quæ autem in fin. D. de admin. tut. l. alimenta 16.* § *Basilicæ de alim. leg.* dicuntur que leuiores vsuræ in d § *quæ autem,* & modestæ à *Perso Satyr. 15.*

5 Neque enim possunt accipi sine peccato mortali, vt omnes Theologi consentiunt, licet repugnet Molin. in suo illo *tract. de vsur.* malus hac in re Theologus, vt in cæteris omnibus. Itaque à Principibus Christianis non tam permittuntur, quam tolerantur. Exstat in hanc rem perelegans constitutio nouella Leonis 83. quæ non nisi vsque ad trientes eas tolerat, id est ad quatuor nummos in centenos singulos. Vide Iul. Clar. *in* § *vsuræ, quæst. 20. lib. 2. sent.*

DEFINITIO III.

Condemnatio quanti plurimi facienda est, quanti plurimi res fuit vnoquoque anno, & admittit vsuras ex die moræ.

COndemnatio quanti plurimi res fuit, siue ex mora, vt nostri vulgo sentiunt. [1] siue, vt ego probabilius arbitror, ex natura iudicij & propositæ actionis causam habuerit, [2] numquam sic interpretanda est, vt præstet condemnatus quanti plurimi res fuit ab eo tempore, in diem vsque solutionis, sed quanti plurimi vnoquoque anno quo dari res debuit. [3] Nam ab eo tempore si mora solutioni facta sit, quæ excusationem non mereatur, vsurarum accessio admittenda est. [4] *Ita Senatus 8. Calend. Decembr. 1590.*

1 Bart. & cæteri *ad l. vinum 22. D. de rebus credit. & ad l. 3.* § *in hac D. commod.*

2 De quo scripsi late *lib. 16. Coniect. cap. 1. & seqq.*

3 Exstatque de hoc apud nos statutum speciale. Vide Bald. *in l. acceptam Cod. hoc tit. & in l. non dubium, C. de legib. DD. in l. quod te & in d. l. vinum, D. de reb. credit.*

4 Iis nimirum casibus, quibus placuit vsuras deberi ex mora. *l. Titia Seio 87.* § *vsuras de leg. 2. l. cum quidam 17.* § *si pupillo l. moræ 32.* § *in bonæ fidei, D. hoc titul. l. in bonæ fidei, 13. Cod. eod.* Dixi autem in Definitione, *si mora excusationem non mereatur,* quia non omne quod differendi causa fit, adnumerandum est moræ si fiat optima ratione & iusta aliqua de causa, non fraudandi consilio, *l. sciendum, 21. & seq. D. eod.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Neque fructuum, neque vsurarum vsuræ vnquam præstandæ sunt, præterquam petitione hereditatis.

ACcessionis accessio numquam præstanda est. [1] Inde fit, vt neque fructuum, [2] neque vsurarum vsuræ [3] vnquam debeantur, nec si certa quantitate fuerint fructus æstimati, aut vsuræ taxatæ. Non enim permittendum est, vt redigantur in nouam sortem ad facilius admittendam vsurarum accessionem. [4] Præterquam vno casu, si petita sit hereditas. Nam cum & fructus & vsuræ augeant hereditatem, [5] consequens est, vt & fructuum & vsurarum, quibus aucta est hereditas, perinde vsuræ debeantur, ac reliquæ hereditatis, nisi à quo tempore lis contestata est. [6] Exinde namque accessionis non hereditatis iure censeri incipiunt. [7] In eoque, quod nouum est, & contra iuris regulam, [8] facit deteriorem suam conditionem, qui litem contestatur. [9] *Ita in Senatu* tractatum in causa Guilielmi de Riddes, 5. Non. Decemb. 1590.

1 *L. vlt. C. hoc tit.* Accessio enim accessionis, cum sit accidens accidentis, non potest in rerum natura esse, non magis quam seruitus seruitutis, quæ ideo nec in bonis nostris, nec extra bona nostra esse dicitur *in l. 1. D. de vsufr. legat.*

2 *L. aequa 15. D. hoc tit.* vbi scriptum est, neque eorum fructuum, qui post litem contestatam officio iudicis restituendi sunt, præstandas esse vsuras, neque eorum qui prius percepti quasi malæ fidei possessori condicuntur. Omnes enim fructus sunt accessiones, & ob id incrementa appellantur, *l. 1. §. bellissime, D. vt legat. caus. caueat. l. ita tamen 27. §. heres, D. ad Senatusconsult. Trebell. l. si ita 43. §. 1. de legat. 2. l. non est ambiguum 9. Cod. famil. erciscund.*

3 *d. l. vlt. C. hoc tit.* Nam & vsuræ sunt accessio & incrementum *l. Lucius 24. D. depositi. l. 1. §. si indemnitas, D. de administrat. rer. ad ciuit. pertin.* Vnde *tit. D. si conceptus est. de vsur. fructib. & caus. & accession.* Adde *l. vlt. C. de vsur. rei iudic.*

4 Ne alioqui fiat anatocismus, quem nominatim prohibet Iustiniani constitutio *in d. l. vlt. C. hoc tit.*

5 *L. sed etsi lege 25. §. vlt. cum ll. seqq.* iunct. *l. item veniunt 20. §. item non solum, D. de hered. petit. l. illud quoque 40. §. præd. eod. l. 1. & vlt. C. eod.*

6 Ita eleganter Papin. *in l. heres furiosi 51. §. 1. D. eod. tit. de petit. hered.*

7 Nec enim hereditas potest recipere augmentum vel diminutionem ex die litis contestatæ, quia quale quid est cum petitur, tale dari debet, *l. 2. D. hoc tit.* petitur autem res tũc cum litis contestatio fit non antea, *l. sed etsi lege 25. §. si ante, D. de petit. hered.* iunct. *l. amplius 15. D. rat. rem haber.*

8 Iuris enim regula est neminem contestando litem facere conditionem suam deteriorem, *l. non solet 86. cum l. seq. de regul. iur. l. aliam 29. D. de nouat. l. in compensationem 8. D. de compens. l. vlt. D. de separat.*

9 Nam quo tardius contestatio fieret, tanto longiori tempore fructuum vel vsurarum vsuræ præstarentur: ob idque fortassis supradicta regula non absolute concepta est, sed illis verbis, *non solet* & adiecta dictione, *plerumque, dict. l. non solet.* Cur autem nemo contestando faciat deteriorem suam conditionem, quamuis per contestationem nouatio fiat, siquidem in iudicio quasi contrahitur, *l. 3. §. idem scribit, D. de pecul. l. 1. C. de oblig. & act. l. solutione 23. de solut.* ratio illa est, quia hæc nouatio non fit ex voluntate, sed ex necessitate, *d. l. aliam, d. l. vlt. de separat.* semper autem succurrendum est ei, qui inutilis ex necessitate aliquid fecit, *l. si fideiussor 7. §. si necessaria, D. qui satisd. cogant. l. 2. §. vlt. D. de curat. bon. dand.* Adde hanc Definitionem nec pœnarum vsuras deberi posse, *l. vlt. D. de magistr. conuen. l. 1. C. de fiscal. vsur. lib. 10. tit. 8.*

DEFINITIO V.

Sublata petitione sortis quando superstet petitio vsurarum, & quando non.

SVblata per solutionem, [1] adeoque longissimi temporis præscriptionem [2] obligatione sortis, non potest superesse petitio vsurarum ex mora debitarum. [3] Nec distinguemus an ex conuentione an officio tantum iudicis debitæ fuerint, dummodo propter moram: [4] quia solutio accepta sine protestatione purgat moram præcedentem, & quod est consequens commissam præcedentis moræ pœnam diluit. [5] Illa autem vulgaris distinctio, an vsuræ debeantur ex conuentione an officio iudicis, vt priore casu sublata quoque sortis obligatione vsuræ peti possint, [6] posteriore non item, [7] pertinet ad eas vsuras ex conuentione debitas, quæ nulla etiam mora intercedente perinde deberentur, [8] quales illæ sunt, quæ propter lucrum petentium potius, quam ob moram non soluentium infliguntur: [9] id est, quæ principaliter magis quam accessorie in stipulationem sic deducuntur, vt omnimodo [10] debeantur. Idemque de fructibus iuris est. [11] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Solutione enim tollitur ipso iure omnis obligatio & naturalis & ciuilis, *l. solutione 23. de pœn. & passim, D. de solut.*

2 Etsi tempus non est modus tollendæ obligationis, *l. obligationum fere 44. §. placet, D. de obligat. & action.* placuit tamen Impp. hoc longissimi temporis spatio extingui actiones omnes, quæ olim erant perpetuæ, nec vlterius viuendi habere facultatem, *l. 3. & 4. C. de præscript. trigint. vel quadrag. annor.*

3 Cum enim sortis obligatio sit principalis, vsurarum vero accessoria, non potest accessorium subsistere sublato principali *l. nihil dolo 139. §. 1. l. cum principalis 178. de regul. iur.*

4 Aliquando enim ex conuentione debentur etiam citrà moram, vt in specie *l. qui Romæ 122. in princ. de verb. obligat.* de cuius sententia vide quæ scripsi *lib. 1. Coniect. cap. 1.*

5 *L. centum Capuæ 8. in fin. l. vlt. D. de eo quod cert. loc. l. Æmilius 38. vers. dicebam, D. de minor. l. de lege 6. §. vlt. cum l. seq. D. de leg. commiss. l. 4. C. de pact. inter empt. & vendit.* Adde *l. item 18. §. vlt. de const. pecun.*

6 Sunt enim hoc casu in obligatione, quæ non potest videri sublata ex solutione sortis, quia solutio non tollit aliam obligationem, quam in cuius causam facta est, *l. qui per collusionem 49. §. 1. D. de action. empt. dict. l. certum 8. versic. ibi enim duæ, D. eo quod cert. loc.* iunct. *l. 1. & seqq. D. de solut.*

7 *d. l. qui per collusionem 49. §. 1. de act. empt. l. si depositæ 4. C. depositi.* vbi ratio redditur: non enim duæ sunt actiones, alia sortis, alia vsurarum, sed vna, ex qua condemnatione facta iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur.

8 Vt cum pecunia ab initio accipitur fœnori & sub vsuris, vt *in d. l. qui Romæ 122. in princ. de verb. oblig. l. Caius 11. l. qui semisses 13. l. si bene 33. & pass. D. hoc tit.*

9 Quod diuersum est in iis vsuris, quæ veluti pœnæ nomine præstantur, *l. Seia 12. l. cum quidam 17. in princ. & in §. si pupillo, in fin. D. hoc tit.* iunct. *l. mora 32. §. in bonæ fidei, eod.*

10 Hoc est, nulla etiam contracta mora, quomodo etiam accipitur *in l. videamus 38. §. penult. D. eod.* Mora enim illa esse solet, quæ & officium iudicis inducit in bonæ fidei iudiciis, & in arbitrariis, & committit stipulationem vsurarum, *dict. l. cum quidam, & d. §. in bonæ fidei, l. 3. §. 1. & in princ. eod. l. minorum 3. C. in quib. caus. in integr. restit. non est necess.*

11 Eadem enim ratio esse solet fructuum & vsurarum *l. vsuræ 34. D. hoc tit.* licet etiam in nonnullis differant, de quibus Cuiac. *lib. 18. obseru. cap. 3.* Non contra interpretes etiam scripsimus in prima parte Decadis nostræ *de error. pragmat.*

DEFINITIO VI.

Iudex appellationis potest pronunciare de vsuris, etiam in primo iudicio petitis, & de quibus prior iudex nihil pronunciauerit.

PEtieram à te centum pro pretio fundi tibi per me venditi cum vsuris à tempore moræ. [1] Condemnauit te iudex ad solutionem pretij, & expensas litis, de vsuris nihil dixit. Appellasti tu solus. In appellationis causa pretij, vt & sententia confirmaretur, & præterea in pretij vsuras condemnareris. [2] Dicebas obstare mihi exceptionem rei iudicatæ, propterea quod cum vsuras priore instantia petiissem, nihil de iis iudex pronunciauerat, & consequenter vsurarum petitionem repulisse videbatur. [3]

BIU Cujas

Placuit Senatui posse sententiam confirmari: eaque salua de vsuris nihilominus pro me iudicari, [4] quia de iis nihil pronunciatum fuerat, [5] cum tamen iure actionis, & ex ipso contractu deberentur. [6] Promiseras enim te soluturum ad certam diem pœna hac adiecta, *a peine de tous despens, dommages & interests.* Quod si officio tantum iudicis debitæ fuissent propter moram, & ex natura iudicij bonæ fidei, vtique nulla earum nomine petitio post iudicatum superesset. [8] Pronunciata enim super principali negotio sententia iudex omni officio functus videretur. [9] In proposito tamē accedebat, quod vsuræ pretij non tam propter moram, & ex natura iudicij debebantur, quam propter quantitatem negotij, & in vicem fructuum, tametsi neque pactio, neq; mora vlla præcessisset, [10] cum admitti non posset, vt tu eiusdem temporis & fructus fundi & pretij vsuras retineres. [11] *Ita Senatus* 16. Calend. Iunij 1591.

1 Debentur enim vsuræ in iudicio venditi, sicut & in cæteris bonæ fidei iudiciis ex die moræ, *d.l.mora 32. §. in bonæ fidei, D.hoc tit.l.in bonæ fidei 13.C.eod.l.3. C.in quib.caus. in integr.rest.* Imo & citra moram debentur venditori qui rem tradidit, vt dicemus in fine Definit.

2 Appellatio enim deuoluit ad iudicem appellationis totum negotium, quale fuit apud priorem iudicem post litem contestatam, *l.vnic.D.nihil innou.pend.appell.*

3 *Arg.l.terminato 3.C.de fructib.& lit.expens.* Bertac. in verb. *iudicis potestas vers.226. & 272.* quem refert nec tamen probat, sed potius improbat Crauet. *consil.320. num.1.* post Corneum *cons.49.col.2.lib.2.*

4 Nihil enim vetat iudicem appellationis pronunciare de vsuris, de quibus primus iudex non pronunciauerit, *l.tutor 41. in princ. D.hoc tit.* licet ea lex tractat de vsuris tantum medij temporis, id est, quod intercesserat à die appellationis frustratoriæ, & diem sententiæ in appellationis causa redditæ.

5 Nec bona est consecutio: Iudex non condemnauit reum ad vsuras: Ergo eum ab vsuris absoluit, vt disputat Crauet. *dict. consil.320.numer.1.* vbi addit argumentum à contrario sensu non posse valere vltra limites sensus directi ex Paul. Castrens. 106. *libr.2.* Decian. *in l.1.in princ. column.15. D.de offic.eius cui mand. est iurisd. & consil.110. col.2. & consil.216. col.fin. & consil.283. col.4.*

6 *Vt in l.centum Capuæ 8.de eo quod cert.loco.*

7 Quibus posterioribus verbis vsuras significari placet, vt dicemus *Defin.seq.* [An autem hæc verba sufficiant, vt pœna omnimodo committatur, nec purgari mora possit, alia quæstio est, de qua vide *Defin.6.*]. *de contr.& committ.stipul.*]

8 Ex ea distinctione quam posuimus *Defin. præced. num.6. & 7. l.qui per collusionem 49. §.1. de action.emption. dict.l.4. C.depost.*

9 *d.l.terminato 3. C.de fructib. & lit.expens. l.iudex posteaquam 55.ff.de re iudic.*

10 *L.curabit 5.C.de act.empt.l.2. C.hoc tit.*

11 *L.Iulianus 13. §.veniunt autem, ff. de action.empt.* Itaque quod scriptum est *in l.initio 5.C.de pact. inter empt. & vend.* pretij tardius exsoluti vsuras ab initio non promissas ex mora tantum deberi, sic omnino accipi debet, vt tamen mora facta videatur, ex quo die traditio facta est rei venditæ, nisi probet emptor per se non stetisse quo minus pretium solueret venditori, *argum.l.traiectitiæ 23.de oblig.& action.* Sic dicimus bonam fidem non pati, vt emptor rem habeat & pretium retineat, ideoque nec de eo factam conuentionem valere, *l.ex empto 11. §. qui autem, l.bona fides 50. ff. de action.empt.* Sic è contrario dicendum est, nullas vsuras debere emptorem, cui res non est tradita *l.liberalitatis 16.§.1.ff.hoc tit.* Adde *l.nec enim 23.in fin.ff.de pign.action.*

DEFINITIO VII.

Ex promissione eius quod intererit ob pecuniam sua die non solutam debentur in dubio vsuræ quincunces.

FActa, vt fieri solet, promissione eius, quod interit creditoris ni ad diem pecunia soluatur, [1] sic interpretamur conuentionem, vt vsuræ promissæ videantur, & quidem quincunces, [2] etiamsi creditor non probet sua interesse, nedum tanti. [3] Neque enim dubitandū est, quin creditoris intersit, quod pecuniam ad diem non acceperit: [4] cumque probatio eius quod interest plerumque difficillima sit, [5] quia in facto non in iure consistit, [6] nec ratione pecuniæ præstetur vnquam id, quod re vera interest, nec facile in infinitum excurrat, [7] nulla iustior taxatio fieri potest, quam ad modum vsurarum legitimarum, & quarum vsus frequentior est, cuiusmodi sunt quincunces, [8] ne alioqui inutilem esse creditori stipulationem fatendum sit, [9] aut ad taxandum id, quod ipsius interest difficilem & scrupulosam litem institui sit necesse. [10] In ea autem specie de qua superiore SC. scripsimus tanti creditoris interfuisse, quanti quincunces vsuræ essent, ex eo constabat, quod pecunia pro rei venditæ pretio debebatur, cum rei venditæ fructus emptor idemque debitor percepisset. Fructus enim fundi ex comparatione vsurarum quincuncium magis communiter æstimantur. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt quotidie fieri solet his verbis vulgaribus, *à peine de tous despens, dommages & interests*, vt dixi *Defin. præcedenti numer.7.*

2 Tanquam leuiores, & quæ apud nos frequentantur. Dixi supra *Defin.2 num.1.& 4.*

3 Quod secus esset si accessio ista deberetur, tanquam interesse non tanquam vsura, *l.vlt.D.de præt.stipulat.*

4 *L.3.D.de in lit.iurand.l.5.si Calendis 11.de re iudic.*

5 *d.l.vlt.D.de prætor.stipulat.*

6 *L.quatenus 24.de regul.iur.*

7 Nisi cum adiectione loci vel temporis limitata est obligatio, vt in *d.l.3 de in lit.iurand.l.4.l.centum 8.& pass.de eo quod cert.loc.* alioqui lucrum, quod ex indefinita negotiatione pecuniæ sperari potest, infinitum est, ob idque nimirum solent creditores pecuniæ stipulari vsuras vel pœnam ex consilio Iurisconsulti, *in d.l.vlt.de præt.stipul.* iunct. *l.stipulatio ista 38.§.alteri, de verb.oblig.*

8 Vide *Defin.2.num.1.& 4.5.eod.*

9 Quod non est dicendum, potiusque verba sunt improbanda, quam vt ea capiatur interpretatio per quam dispositio fiat inutilis, *l.quoties in stipulationibus 80. de verb.oblig. l.si quando 109.de leg.*

10 Quod ne eueniat cauere bonus iudex debet, id est, ne lis altera consurgat ex litis prima materia, *l.terminato 3. C. de fructib.& lit.expens. l.fratris 10.C.de transact.* Et sane interpretatio hæc multas quæstiones dirimit, ideoque vel hoc solo amplectenda est, *l.1.§.si heres, in fin.D.ad Senatusc.Trebell.* Sic enim fit, vt eadem sententia contineat & condemnationem, & condemnationis taxationem, vt loquitur *l.si traditio 5. C. de action. emption.*

11 Quod dicimus ad rationem quinque aureorum pro vnoquoque centenario.

DEFINITIO VIII.

Vsuræ quibusdam casibus etiam diuino iure permittuntur.

VSurarum prohibitio iure diuino, [1] & consequenter pontificio [2] introducta ad eas vsuras non pertinet, quæ ex natura & æquitate negotij quod geritur debentur in vicem fructuum, quos vicissim debitor ex re creditoris percipiat, aut pro eo, quod re vera intersit creditoris; ratione non lucri cessantis, [4] sed damni emergentis. Inde est, quod vsuræ etiam damni citra conuentionem, & omnimodo debentur venditori, qui rem venditam tradidit, ne alioqui & re, & pretio careat: [5] Item quod si marito dos suo tempore soluta non sit, potest ille vsuras petere, [6] ne in euitandi damno moretur, cum ferat onera matrimonij. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Exod.*cap.22.* & Lucæ Euang.6. Iul. Clar. *lib.5.sentent.§.vsuræ, quæst.20. & Novell. Leonis 83. vt ad trient. vsur.pecun. licit. mutet.*

2 *Cap.debitores de iureiur.cap.1. & pass.hoc tit.*

3 *Cap. conquestus. & cap. salubriter.* vbi Canonist. *de vsur. in 6.*

4 Etsi

4 Etsi enim id quod interest æstimatur etiam ex lucro cessante, *l.si commissa* 13. *D.rat.rem haber. l.2. de eo quod cert. loc. l.si fundus* 33. *ad fin. locat. l.si mulier* 21. *§.antepen. D.rer.amot. l.vnic.C. de sentent.quæ pro eo,quod interest*: odiosior tamen est petitio lucri cessantis,quam damni emergentis,quia fauorabilior est qui certat de damno vitando, quam qui de lucro captando, *l. non debet* 41. *§.1. D.de reg.iur.* Charitas Christiana non cogit nos pati damnum ex aliena culpa, sed vetat nos ex eadem culpa captare lucrum.

5 *L.curabit* 5. *C. de act.empt.l.2.C.hoc tit.* Dixi *Defin.6.num.*10. & 11. *eod.* Iunge *Defin.*21.*num.*10.

6 *d.cap.salubriter.*

7 Nam & inde est,quod causa dotis dicitur onerosa quantum ad maritum,non lucratiua, *l.ex promissione* 19. *de obligat. & action.l.vlt.§.1.quæ in fraud.credit.*

DEFINITIO IX.

Æstimationis quanti plurimi vsuræ ex mora præstandæ sunt.

ÆStimatio quanti plurimi non excludit accessionem vsurarum, quæ ratione pecuniæ debentur in vicem eius quod interest, quoties iudicium tale est, vt ex bona fide præstationes eiusmodi admittat. [1] Nam cum ea æstimatio nihil aliud sit, quam res ipsa quæ debetur, tanti æstimata, [2] nihil prohibet vsuras deberi: [3] Sicut &, cum ob deteriorationem monetarum augetur quantitas condemnationis, [4] non eo minus vsuræ damnaque alia, si qua sint, præstantur, adeoque pro rata auctæ quantitatis, quoniam augmentum illud, quod vocant, & incrementum pars est principalis debiti non accessio [5], vt proinde dici non possit, hoc casu præstari accessionem accessionis, contra iuris regulam. [6] Sæpe pro eo anno, cuius ratio habetur in æstimando quanti plurimi res fuit, accessiones nullę debentur, quibus scilicet sola debitoris mora locum facit. Mora autem nulla eo anno contracta videri potest, in præstanda æstimatione, quanti plurimi, priusquam annus præterierit,quia nec prius sciri potest,quãti plurimi eo anno res fuerit. [7] Ergo & si post eum annum aliquid interuenerit, propter quod dici possit moram non ita cito contractam fuisse, quod ex variis causis potest accidere, [8] vsuræ æstimationis nullæ debebuntur. [9] *Ita Senatus* in causa Georgij Exertier Secretarij Senatus & Claudij Fauier, 5. Non. Iul. 591. Et rursum pro Dom. de la Barre, contra Claudium Vallet, 12. Calend. Septemb. 1593. Cumque ex Senatoribus nostris quidam eam sententiam duriorem putarent, & alias contra iudicatum dicerent, re accuratissime disputata, vt sciretur tandem quid in posterum constanter iudicari oporteret, id ipsum Senatus pronunciauit in causa D. Ludouicæ Pobel viduæ Domini de Leydier, contra Annam Vessu viduam N. Chappuis & alias, Prid. Non. Iul. 1595.

1 Hoc est,quoties iudicij natura patitur,vt ex mora vsuræ debeantur,quod euenit in bonæ fidei iudiciis non in strictis; *l. mora* 32. *§.in bonæ fidei, D.hoc tit.l.in bonæ* 13. *C.eod.l.*3. *C.in quibus caus.in integr.restit.non est necess.*

2 Est enim loco rei, *l.ait lex* 21. *ad leg. Aquil.l.*8. *§.*1. *de cond. furtiua*, licet formaliter aliud sit res, aliud rei æstimatio, *l.si alij* 42. *§.*1. *de vsufr.l.fundum* 28. *de nouat.*

3 Tandem accessione sui principalis. Etsi nullo iuris loco ita scriptum reperias, quia nec æstimationis quanti plurimi vllo iuris loco fit mentio, nisi cum tractatur vel de lege Aquilia, vel de condictione furtiua, quæ actiones non admittunt præstationem vsurarum ex mora, cum sint strictæ. Scripsi *lib.* 16. *Coniect. & in Decad.*17. *de error.pragmat.* vbi vide.

4 Quia quod debetur reddendum est in eadem bonitate & qualitate, *l.*3. *D.de rebus credit.l.creditorem* 69. *D.de solut.*

5 Cum nihil aliud sit, quàm ipsum debitum non imminutum verius quàm auctum, licet vulgo vocent augmentum, vt scripsi in tractat. meo *de variis nummar.debitor.solut.*

6 De qua scripsimus *Defin.*4. *§.ex l.vlt. D.hoc tit.l.vlt. Cod. de vsur.rei iud.*

7 Præposterum enim est, vt mora contrahatur, priusquam peti possit, *l.si pupillus* 127. *de verb.oblig. l.nulla* 88. *de reg.iur.l.lecta* 40. *de rebus credit.*

8 *L.sciendum* 21. *cum seqq. D.hoc tit.* vbi dicitur, non omnem dilationem, quæ fiat in soluendo debito, moræ adscribendam.

9 Quæ scilicet non tam propter lucrum petentium, quam propter moram non soluentium infliguntur, *l.cum quidam* 17. *§.si pupillo,in fin. D. hoc tit.*

DEFINITIO X.

Mora committi potest in præstanda æstimatione quanti plurimi etiam priusquam ea æstimatio per iudicem taxata sit.

AN vero dicendum erit, non prius contractam videri moram in soluenda æstimatione quanti plurimi, quam cognitum sit & taxatum, quanti plurimi res fuerit? Minime. Sufficit enim, vt sciat debitor, se rem debere, cuius æstimatio petitur, cum ex eo scire etiam potuerit & debuerit æstimationem pro re præstandam, & offerre eam quantitatem, quam iustæ æstimationi respondere putabat, [2] aut si creditor recusaret obsignare. [3] Sed si probabili ignorantia incertus fuerit, quid & quantum deberet, puta quod debitum inter plures pro rata patrimonij & bonorum à singulis possessorum diuidi oporteret, [4] nec dum diuisio illa facta esset, quod euenit plerumque in debito canonis emphyteuticarij, [5] cessasse in solutione potius quàm moram contraxisse videbitur. [6] Ideoque nec vsuras vllas debebit, [7] licet non eo minus futurum sit, vt debeat æstimationem quanti plurimi. Hæc enim non propter moram præstatur, sed propter obligationem, cum nihil aliud sit, quàm res ipsa, quæ debetur, tanti nimirum æstimata, vt superiore Definitione scripsimus. [8] Mora enim siue creditoris, siue debitoris neque minuere, neque augere vnquam potest principalem obligationem, sed tantum accessiones. [9] *Ita Senatus* in eadem causa D. Ludouicæ Pobel viduæ Domini de Leydier, Prid. Non. Iul. 1595.

1 Hoc vero ita esse videbatur, quia difficile est, vt mora contracta videatur, priusquam sciri possit, non solum quid, sed etiam quantum debeatur, quandoquidem incertæ quantitatis solutio fieri non potest, non magis quàm eius rei, quæ an debeatur, incertum sit, *l.sufficit* 56. *l.Iulianus* 60. *de condict. indeb.* iunct. *l* 3. *§.incertam, l.locus* 26. *de acquir.possess.l.si fur.*32. *in fin. de vsucap.* iunct. *l.vbi autem* 75. *de verb.oblig.*

2 Incertitudo namque debiti impedit quidem, ne interim possit fieri exactio, sed non ideo facit indebitum, quod re vera est debitum, vt Papinian. licet in dissimili specie loquitur, *in l.pater* 7. *§.penult. de dot præleg.* Iunge *l.quæ de tota* 76. *§.incertæ partis, D.de rei vindicat. l.*1. *§.vltim.si pars hereditis petat. l.etsi* 8. *§.*1. *D. commun.diuidund. l.*1. *& tot. titul. si cui plus quam per leg. falcid.*

3 Obsignatio enim solutionis vim habet saltem addita satisdatione de præstando eo, quod adhuc incertum est, cum certum erit. Hoc enim necessarium est, *l.*5. *l.seruus* 34. *§.vlt. de stat. lib.* iunct. *l.acceptam* 19. *C.hoc tit.*

7 Hanc enim diuisionem inter possessores pro modo portionum fieri oportet, *l.cum possessor* 5. *D.de censib.* quoties scilicet non tam personæ, quàm prædia conueniuntur, *l.Imperatores* 7. *de public. & vectig. l.denique* 19. *D.de iur.fisc.*

8 Præstatur enim pro prædio, *l.*2. *& vlt. C.de iur.emphyt. l. lex vectigali* 31. *D.de pignor.* sicut & tributum, *de quo in d.l.*5. *de censib.*

9 Non omnis autem cessatio mora est, *l.sciendum* 21. *& seqq. D.hoc tit.*

7 Quæ scilicet non debentur citra moram, *d.l.cum quidam* 17. *§.si pupillo, l.mora* 32. *§.in bonæ fidei, D.eod. l.Titia Seio* 87. *§. vsuras de legat.*2. [Ergo saltem post taxationem & liquidationem factam vsuræ omnimodo debebuntur, nec facile pro anteriori tempore adiudicandæ sunt. *Ita Senatus* pro N. Ioanne Amedeo Martini, contra Ludouicum Chaniere, ante Calend. Decemb. 1611.]

BIU Cujas

8 *Num.2.* ex interpretum tamen noſtrorum magis quàm ex noſtra ſententia. Quid enim de tota hæc quæſtione ad æſtimationem quanti plurimi pertinente ſentiendum putemus, ſcripſimus *Defin.6. & ſeqq. vſque ad 16. 3. ſi cert. petat. & latius lib.16. Coniectur.* & in prima parte Chiliadis noſtræ *de error. pragmat.*

9 *L.centum 8.de eo, quod cert. loc. l. fundum 28. D. de nouat.*

DEFINITIO XI.

Vſuræ taxatæ & in certam quantitatem redactæ non eo magis recipiunt vſurarum acceſſionem.

NOn eſt ſimile, quod ſi vſuras aliaſve præſtationes ob moram adiudicatas iudex ad certam, vt fit, quantitatem taxauerit, [1] non idcirco eius quantitatis aliæ vſuræ ab eo tempore debebuntur, quaſi noua ſorte ex prioribus vſuris conflata. Neque enim fieri poteſt, quin vſuræ illæ priores, quæ ab initio acceſſiones fuerunt, tales quoque perpetuo maneant. Itaque aliter poſito iure fieret, vt vſurarum vſuræ præſtarentur, & conſequenter, acceſſiones acceſſionum. Quod ne eueniat, diſtricte & expreſſim lege prohibitum eſt, ne qua ratione liceat vnquam vſuras in ſortem redigere. [2] Proinde non eſt, quod quis dicat, pro facto habendum id, quod nec expreſſa quidem conuentione fieri potuiſſet. [3] Quamquam nec deerant, qui alias contra pronunciatum dicerent, [4] quod ego vix ſane credere poteram, probare vero nullo modo. *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Taxatio enim neceſſaria eſt, tum etiam cum vſurarum modus certus eſt, nimirum propter calculum, quamuis ſoleat calculus plerumque ſine iudicio dirimi. Sic enim lego, id eſt, *ſine* pro *fere. in l. furti 6. §. vlt. de his qui not. infam.*

2 Id eſt ne fiat vnquam anatocismus, *l. vlt. Cod. hoc tit. l. vlt. C. de vſur. rei iud.* vide quæ ſcripſi *Decad. 20. de error. pragmat.* * Adeo autem vſuræ interdictæ ſunt vt permitti nunquam debeant, ſed officio iudicis reiiciendæ ſint, etiam parte non conquerente. *Ita Senatus* in cauſa Bartolomæi Baudin & coniugum Iordani, 16. Nouembris 1622. Agebatur autem de vſuris vſurarum ſumptuum, quorum nec primas vſuras peti poſſe placuit, cùm eorum fructus poſſeſſor percepiſſet, nunquam enim pecuniæ vſuras habere debet is qui rei fructus habuit *l. Iulianus 13. §. veniunt, D. de act. empt.* Et verò cum iuris ratio hæc eſſet non facti potuit à Senatu ſuppleri.

3 Eadem enim vis taciti & expreſſi eſſe poteſt, ſed maior taciti, quàm expreſſi eſſe non poteſt, *l. 3. vbi notat. D. de rebus credit.* & quod vna via prohibitum eſt, alia permittendum non eſt, *l. ſcire oportet 21. §. 1. D. de tutor. & curat. dat. l. ait prætor 7. §. quid ſi autem, de iur. delib.*

4 [Ex gloſſ. *in d. l. vlt. C. hoc tit.* Quam tamen communiter à doctoribus reprobatam eſſe Caſtrenſis ibidem teſtatur. Cum Caſtrenſi tenet Ioannes Thomas Minadous *deciſ. Neapol. 17.* vbi ait ſupra dictam gloſſ. intelligi debere, quando nihil factum eſt in fraudem vſurarum. Vide Borgn. Caualcanum *deciſ. 14. num. 29.*

DEFINITIO XII.

Expenſarum litis adiudicatarum vſuræ non debentur ex die ſententiæ, ſed ex die moræ, quæ interuenerit in iis poſt taxationem ſoluendis.

ALia ratio eſt pecuniæ, quæ pro adiudicatis taxatiſque litis ſumptibus debetur. Recipit enim illa acceſſionem vſurarum, ab eo nimirum tempore, quo taxatæ & petitæ, non quo prorogatæ fuerunt. [1] Nempe quia non acceſſiones ſunt principalis debiti, ſed proprium debitum conſtituunt in pœnam temere litigantis à iudice conſtitutam. [2] Etſi autem à die ſententiæ & adiudicationis eiuſmodi debitum naſcitur, [3] ſpectamus tamen, quod ad vſurarum acceſſionem admittendam pertinet, tempus taxationis, [4] quia non niſi ab eo die certam legem & formam habere incipit. [5] *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Id eſt, ex die moræ contractæ in iis ſoluendis, non ex quo die cœperunt abeſſe probo litigatori.

2 *L. eum quem temere 79. D. de iud. l. properandum, C. eod. l. 3. & 4. C. de fructib. & lit. expenſ.* etſi nonnunquam parcitur victo, ne ad litis expenſas condemnetur, nimirum ſi iuſtam habuit cauſam litigandi, *l. qui ſolidum 78. §. etiam, de leg. 2.*

3 Etſi enim ſententiæ ius nouum tribuere non ſolet, ſed tantum quod eſt declarare, quia ſemper referenda eſt ad id, quod petitum fuit, *l. 2. D. hoc tit.* id tamen locum non habet in expenſis, quæ ſcilicet non obligationis iure debentur, aut ex cauſa, quæ ſententiam præceſſerit, ſed officio iudicis, *d. l. properandum 13. C. de iudic.*

4 Non condemnationis. Non enim ſufficit condemnatio, niſi etiam condemnationis taxatio ſequatur, vt ſciatur, quid & quantum ex iudicato debeatur, quoties id, quod in condemnationem deductum fuit, incertum eſt in quantitate, *l. ſi traditio 4. in fin. C. de act. empt.* præſertim cum nec valeat ſententia, quæ profertur ſine certa quantitate, niſi quatenus refertur ad taxationem, aut iam in actis factam aut faciendam, *l. 3. & tot. tit. C. de ſent. quæ ſine cert. quant. proſer.*

5 Itaque hoc caſu poteſt illud vſurpari, quod alias dici ſolet, nihil actum videri, quamdiu aliquid ſupereſt agendum, *l. penult. in fin. C. de his quib. vt indign. l. ædificia 139. §. 1. de verb. ſignif.* Propria enim cuiuſque rei forma contingit ei ex conſummatione, *l. ſi is qui 80. §. quædam. D. ad leg. falcid.*

DEFINITIO XIII.

CVm in obligatione alternatiua electio eſt creditoris, quod euenit interdum ex conuentione, [1] non poteſt videri debitor eſſe in mora, prius quam creditor elegerit, [2] & interpellauerit, [3] quia nec creditor ipſe aut agere aut interpellare poteſt, niſi facta electione. [4] Idemque eſt in vltimis voluntatibus, ſi forte tibi legatum ſit illud aut illud, vtrum elegeris: [5] ſi tamen qui legauit tibi decem ſoluenda poſt annum à die mortis ſuæ permiſerit tibi, vt pro eo legato, ſi ad diem non ſolueretur, fundum certum poſſideres, eiuſque fructus tuos faceres, non videbitur vtrumque alternatiue legatum, ſed decem duntaxat, fundus vero ita demum ſi velis. [6] Proinde ſi heres ad diem non ſoluerit pecuniam, mora per eum contracta videbitur etiam citra interpellationem, dummodo legatum à te agnitum eſſe conſtet. [7] Ideoque & ab eo tempore vſuræ debebuntur, tanquam à die moræ, non quod ad inducendam moram, aut vſurarum ex mora præſtationem ſufficiat, diem legati veniſſe (interpellatio enim requiritur [8]) ſed quia ſi fundum eligeres fundi fructus à die finiti termini deberentur tibi [9] ex iudicio teſtatoris, [10] in quorum locum vſuras cedere æquum eſt, ſi pecuniam petere malis quàm fundum. [11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro N. Poyſat procuratore fiſcali apud Bugienſes, contra N. Claudium de Miniod, 3. Non. Decembr. 1592.

1 *Vt in l. Stichum aut Pamphilum 95. in princ. D. de ſolut.* alioqui in alternatiuis electio regulariter eſt debitoris, *l. plerumque 10. §. vltim. D. de iur. dot. l. ei, apud quem 5. §. 1. D. depoſ. l. quod autem 7. §. ſi maritus 51. de donat. inter vir. & vxor. l. ædigere 6. §. 1. de iur. patron. l. miles 6. §. 1. D. de re iud.*

2 *L. ſi debeas 22. D. de compenſat.* & ideo ſi ex duabus rebus, quę alternatiue debebantur, altera perierit, non remanet ipſius æſtimatio in obligatione, ne quidem alternatiua, ſed ſola res, quæ ſupereſt, *d. l. Stichum 95. de ſolut. l. ſi in emptione 34. §. penult. de contrah. empt.*

3 Mora enim, quam regularem noſtri vocant, id eſt, regulariter non contrahitur ſine interpellatione, *l. mora 32. D. hoc tit. l. ſi ex legati 23. de verb. oblig.* vbi etiam Bart. *num. 6.*

4 Ideoque nec compenſare, *d. l. 22. D. de compenſ.* quoniam qui compenſat quodammodo petit, *l. amplius 15. D. ratam rem haber.* Bart. *in l. 6. §. decem, de re iud. & in l. 75. §. qui illud, de verb. oblig.*

5 Duo enim ſunt legata, quorum vtrum debeatur dici non poteſt ante factam electionem, *l. plane 34. §. ſi ita Titio, de leg. 1. l. Lucius 23. de leg. 2. l. ſi Titio 10. D. de vſufruct. legat.* Adde text. elegantem

BIU Cujas

elegantem *in l.si sic legatum 75.§.vltim.* vbi Bart. *de legat.1. l.vt heredibus 50.§.1.alias l.si Titius,de legat.2.l.2.& tot.tit.de opt.leg.*

6 Electionem enim accipis, non ex legato,sed ex posteriore voluntate testatoris separata à legato, vt in *l.miles 6.§.decem, D. de re iud.* electionem condemnatus habet non à se etiam, sed à lege,sic & *in l.1. §.item si ita, D.ad legem falcid.* penus quæ primo loco fuit relicta non tamen legata esse intelligitur, sed tantum in præstatione est, *l.cum sine 19. l.si penum 24. D.quand. dies leg.ced.*

7 Nec enim potest videri heres in mora soluendi legati,antequam fuerit, *l.ei qui 13. D.de cond.instit.* Nec nisi minorum fauore receptum est, vt in legatis vel fideicommissis, quæ iis relicta sunt,mora ipso iure & citra interpellationem contrahatur, *l.Titia Seio 87.§.vsuras,de legat.2.l.in minor.3. C.in quibus caus.restit.in integr.necess.non est.* Is enim pupilli fauor est, vt ei mora fiat reipsa,*l.si tamen 5.D.de minor.l.1.§.vltim.D.hoc tit.* Idemque est in legatis relictis ad pias causas, *l.sancimus 46. §.supra autem, C.de epis.& cleric.*

8 *d.l.si ex legati 23.de verb.oblig.d.l.mora 32.ff.hoc tit. l.si quis bonorum 23.de leg.1.* sufficitque non stetisse per heredem, *l.si optione 10. D.ad exhib.* præterquam in duobus illis casibus, de quibus *num.prox.* Adde *d.l.si penum 24.* ibi *forte quia interpellatus heres non sit, D.quando dies legat.ced.*

9 Neque enim fructus suos facere potest heres, ex quo scit fundum tibi legatum, & legatum à te agnitum fuisse, *l.quæsitum 40. vers. quia etsi fundum, D. de acquir. rerum domin.* non tamen careret id dubitatione propter id, *dict.l.si quis bonorum, de leg.1.* & alias leges,quæ nolunt deberi vsuras & fructus legatorum, nisi ex die litis contestatæ, *tot.tit. C.de vsur. & fruct.legat.* aut saltem ex die moræ, *l.si quis seruo 84. de leg.2.* & aliis supra citatis, si non essent in hac specie fructus expressim legatario relicti.

10 Sunt enim hoc casu fructus in legato,ideoque debentur etiam citra moram,vt eleganter tractat Papin. *in l.cum vnus,10. §.verbis,de aliment.& cibar.legat.* itemque Scæuola *in l.libertis 18. §.1.eod.*

11 Non enim debent vsuræ à fructibus separari, vbi eadem ratio est aut iuris aut voluntatis, *l. vsuræ 34. ff. hoc tit.* debentur enim vsuræ citra moram, quoties locum tenent fructuum, in quibus nulla mora esset necessaria, *argum. l.curabit 5. C. de actor.empt.*

DEFINITIO XIV.

Qui fundum debuit retrouendere, si sit in mora, condemnandus est ad restitutionem fructuum, quos venditor ipse percipere potuisset.

EVm,qui ex conuentione fundum retrouendere debuerat, & oblatum precium obsignatumque accipere sine causa distulerat, fundi fructus ex mora restituere debere constabat,[1] nec eos tantum, quos percepisset, sed etiam quos percipere potuisset.[2] Sed quos propter peremptum casu fortuito fundum percipere non potuit, eos visum est in condemnationem non venire,[3] licet mora casum præcessisset.[4] Finge molestrinam in ea esse ciuitate,quæ propter grassantem eo tempore pestem nullos aut perpaucos habitatores habuerit. Finge subito aquarum impetu dirutam,aut alia vi maiore,cui resisti ac prouideri non potuerit.[5] Æquum sane non est, moratorem quicquam præstare eius incommodi nomine,quod similiter euenisset possessione rei iam penes actorem constituta.[6] Plane si quid culpa debitoris contigerit,siue ante siue post moram,id eum præstare oportebit.[7] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de la Foreſt D.de la Barre, & heredum Petri Gleyron, Ante Id.Ianuar.1593.

1 *L.2.Cod.de pact.inter empt.& vend.* alioqui & re & pretio simul caruisse venditor videretur,quod esset iniquum, *l.quia autem,l.ex empt.31.& l.bona fides 50.de act.empt.*

2 Quomodo ad fructus condemnari solet quilibet alius malæ fidei possessor, *l.2. C.de fruct.& lit.expens. l.fructus 33. ff.de rei vind.l.certum 32.C.eod.* hic enim malæ fidei possessor est, qui contra propriam conuentionem retinet rem alienam,cum obsignatio rite facta pro solutione habeatur, *l.accepta 19. Cod.hoc tit.l.obsignatione 9.de solut.*

3 Necesse enim est, vt probetur, potuisse eos percipi adeoque honeste nedum reuera, *dicta l.fructus 33.* licet in fructibus perceptis ea distinctio non adhibeatur, *l.si possessor. 52. de petit. hered.*

4 Solet enim à nostris distingui,an culpa præcesserit casum nec ne, ex *l.idem iuris 8.§.1.l si seruus 27.§ si fornicarius, l.si putator 31.l si ex plagis 52.§.1.& §.in cliuo.ff.ad legem Aquil. l.si negotia 11.de negot.gest.l.1.§.& ille quidem,in fin.de oblig. & act.l.contractus 23.in fin.de reg.iur.*

5 *d.l.contractus,in fin.& d.§.& ille quidem,in fin.dict. l.1.de oblig. & act.*

6 Sic enim distinguere Iureconsulti solent, an res fuerit æque penes actorem peritura, vt eo casu nihil præstetur, *l.si plures 14. §.1. depos. l.item si cum 14. §.quid si homo, quod met.caus. l.is qui 44.ff.ex quibus caus.maior,l.si alius 7.§.est & alia.ff.quod vi aut clam.*

7 Culpam enim suam præstare semper quisque debet, *d.l. contractus,& aliis supra citatis,* iunct. *l.quod quis 203.eod.*

DEFINITIO XV.

Ex die tantum agniti aut denegati chirographi vsuræ hodie adiudicantur.

EOque iure aut potius errore à pragmaticis inducto vtimur, vt ex chirographo vsuræ quamuis promissæ,si ad diem pecunia non solueretur, non nisi à die recogniti aut denegati chirographi debeantur.[1] *Ita pronunciatum* in ea causa,de qua SC.8.de contr.& commit. stipulat.

1 Contra quem errorem vide quæ scripsi *Decad.1. de error. pragmat.error.2.*

DEFINITIO XVI.

Paucorum dierum mora non attenditur. Eius tamen temporis, quo causa appellationis protrahitur, vsuræ præstandæ sunt.

CVm tamen eiusmodi quæstio incidisset, ac sexto aut septimo post chirographi recognitionem die sententia contra debitorem lata fuisset,nec de vsuris iudex quicquam pronunciasset, visum est, tametsi inter mercatores ageretur,bene iudicatum,[1] propterea quod in mora tam modici temporis parum creditoris interesset.[2] Plane cum appellationis causa per aliquot menses tracta fuisset,æquum visum est, totius illius temporis,quod interceſſisset,moram impunitam esse non debere,vsurasque præstari oportere.[3] *Ita Senatus* in causa Benedicti Gisland,8.Id.Iulij 1593.

1 Præsupposito nimirum errore illo pragmaticorum,de quo diximus *Defin.præced.*

2 Neque enim magnum damnum est in mora modici temporis,inquit Vlpian. *l.si debitor 21. D.de iud. l.etsi post tres 8. D.si quis caut.l.quid tamen 21.alias l.si cum dies,§.vlt. D. si quis caut. l.si ita quis 131.§.Seia,de verb.oblig.l.quod dicimus 105.de solut. l.sed etsi alia die 17.D.de const.pecun.*

3 *L.tutor 41.in princ.D.hoc tit.l.vlt.D.de re iud. negotiorum 24. de appellat.*

DEFINITIO XVII.

Soluens vltro partem debiti chirographarij, licet agnoscat debitum,non tamen se obligat ad præstandas vsuras, quas non deberet,si nihil soluisset.

QVid vero si pars debiti multis ante iudicialem interpellationem mensibus à debitore soluta proponeretur?[1] An non satis agnitum ex eo chirographum dicendum esset,[2] vt proinde vsuræ saltem exinde deberentur? vtique,[3] sed agnitio illa chirographi,quæ inducitur ex solutione, licet tantum prosit, quantum si publice & in iudicio agnitum esset chirographum ad hoc, vt ab eo tempore bona debitoris creditori obligata intelligantur (postquam inueterato nostrorum errore receptum est,vt per solam chirographi agnitionem tacita

BIU Cujas

inducatur hypotheca,[4]) non tamen quod ad hoc, vt vsuræ deberi incipiant quasi ex mora, cum ex contrario prodesse potius debeat solutio ad purgandam moram, si qua ante contracta est. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nihil enim vetat solui partem debiti saltem consentiente creditore, *l.quidam 21.D.de reb.cred.l.permittendum 8. D.si pars hered.petat.l.vlt.D.quibus mod.pign.vel hypoth.solu. l.stipulatus sum 9.§.1.D.de solut.*

2 Soluens enim partem debiti agnoscit totum debitum, si modo debitum sit ipsius proprium non alienum, *l.vltim. C.ne vxor.pro marit.* sicut & agnoscens partem legati totum legatum agnoscere intelligitur, *l.cui 58.de leg.2.* & partis petitio totius præscriptionem interrumpit, *l.25.qui vsumfructum 22.* vbi Bart. & Bald. *quibus mod.vsusfruct.amit.* & rursum vsus partis seruitutis facit, vt tota seruitus retineatur, *l.2.l.si stillicidij, & §.1.quem. seruit.amitt.*

3 Cum nihil esset, quod impediret, quominus vsuræ deberentur ex die solutioni dicta, nisi quod nondum agnitum esset chirographum. Quid vero refert, quomodo agnoscatur, an verbis, an factis, *l.non tantum, D.rat.rem.hab.* iunct. *l.cum quis 37.§. eodicillis, de leg.3.*

4 De quo sci ipsi *Decad.1.de error.pragmat.Error.1.*

5 Vt diximus *Definit.6. num.5. 3.eod.* Aliud tamen esset in vsuris, si quæ eo chirographo promissæ essent, vt dicam *infra Definit.26.*

DEFINITIO XVIII.

Ex stipulatione pœnali vsuræ non debentur, nec nouat illa præcedentem obligationem.

PRomiseras facturum te, vt mihi intra annum proximum fundo Corneliano frui liceret, ac nisi id feciſſes, daturũ pœnæ nomine te centum. [2] Si post multos annos petam centum ex ea causa, quod non feceris, vsuras nullas debebis, [2] nisi saltem ab eo tempore, quo centum illa pœnæ nomine petere cœperim. [3] Neque enim eodem temporis momento contracta videri potest mora in faciendo eo, propter quod non factum commissa sit, & in pœna soluenda. [4] Præter id quod cum pœnalis stipulatio non nouet præcedentem obligationem, [5] licet pœnalis stipulatio ipso iure committatur, [6] prius tamen est, vt dicat stipulator velle se pœnam consequi, quàm vt in ea exsoluenda moram contraxisse videatur. [7] Itaque ad rem non pertinet, si quis obiiciat, in pœnalibus diem interpellare pro homine. [8] Nam id eo spectat, vt ex eo solo diei lapsu pœna committatur, [9] non etiam vt pœnæ in pecunia numerata debitæ vsuræ vllæ debeantur. [10] Certè pœna ipsa omnimodo debetur post moram, nec moræ purgatio admittitur, postquam cœpit iam interesse. [11] Maxime vero si ea purgatio nullam creditori vtilitatem sit allatura. Vtputa si iure aut facto suo id iam consecutus sit, quod facto & diligentia promissoris consequi debuerat. [12] *Ita Senatus* ex tempore pro heredibus Iacobi Pic, contra Dominos fratres de Leschereine, Prid. Calend. Auguſt. 1597.

1 Quomodo stipulationibus faciendi solet subiici pœnalis stipulatio, *l.prædia 28. de act.empt. l.obligationum fere 44. §.vlt.de oblig.& act.* ex consilio Iurisc. *in l.vlt.de præd.stipul.*

2 Vsuræ enim ex stipulatione non possunt deberi, nisi quæ in stipulationem sint deductæ, *l.3. C.hoc tit. l.Titius 24. D.de præscr.verb.* ne quidem ex mora. Id enim bonæ fidei iudiciorum, vt & vltimarum voluntatum, proprium est, vt in iis vsuræ debeantur ex mora, *l.in bonæ fidei 13.C.hoc tit.l.3. C.quib. caus.in integr.rest.non est necess.*

3 Addenda fuit dictio *saltem*, quia non est sine dubitatione, quod dicimus, huius pœnæ deberi vsuras etiam post moram, cum generaliter sit constitutum, vsuras pœnarum non deberi, *l.vlt.D.de magistr.conuen.* nisi dicamus de pœnis iudiciariis intelligi debere, de quibus *& in l.3.C.de fiscal.vsur.lib.10.tit.8.* non etiam de conuentionalibus.

4 *L.promissor 21.§.1.ff.de const.pec.* iunctis iis, quæ de illius loci sensu scripsimus, *lib.13.coniect.c.4.*

5 *dict.l.prædia 28. de act. empt. l.si pacto quo pœnam 14. de pact.* Nam implicat contradictionem, vt stipulatio sit pœnalis, & vt nouet præcedentem obligationem, quia si eam nouaret, hoc ipso liberaret debitorem, in cuius pœnam tamen interposita est. Et vero cur ad pœnam teneretur promissor ob non factum id, à quo faciendo per stipulationem pœnalem esset liberatus? Nec obstat *d.l.obligationum fere 44.§.vltim.de obligat. & act.* Ibi enim stipulatio illa secunda, *& si non feceris centum*, non fuit pœnalis, qualis nec in dubio præsumenda vnquam est, sed adiecta potius ad taxandam incertam quantitatem eius, quod interest, iuxta consilium Iureconsulti *in dict.l.vlt.de præt.stipulat.* iunct. *l.si quis ab alio 13.§ vlt.D.de re iud.l.quoties quis alium 81. de verb.oblig.* Habet autem hæc stipulatio simile illud cum stipulatione pœnali, quod in neutra quærendum est, an aut quantum interfit stipulatoris, *l.stipulatio ista 38. §.alteri, eod.* sed hoc dissimile, quod hæc nouat, aut saltem quasi nouat, illa non item, vt diximus. Rursum quod hæc stipulatio vsurarum accessionem facilius admittit, quoniam ex ea id, quod interest, debetur non tanquam accessorium, sed tanquam principale, etsi semper verum est vsuras non promissas ex stipulatione non deberi.

6 *L.quid tamen 21.alias l.si cum dies.§.vlt. l.Celsus 23.§.vltim. cum l.seq.D.de recept qui arbitr.*

7 Quid enim, si quod principaliter promissum fuerat, petere maluisset? *d.l.prædia, l.si debeas 22.D.de compensat.*

8 *L.ad diem 77.D.de verb.oblig.l.magnam 12.C.de contr.& commiss.stipulat.*

9 *d.l.21.§.vlt.& d.l.Celsus 23.D.de recept.qui arbitr.*

10 Præsertim vero citra interpellationem & moram, duplici illa ratione, quam attulimus, & quia pœnæ vsura non debetur, *d.l.vlt. D.de magistr.conuen.* & quia ex stipulatione non possunt vsuræ non promissæ peti, ne quidem post moram, non quod ex stipulatione mora non contrahatur per interpellationem etiam extraiudicialem, vt plerique vulgo male putant, sed quia in stipulationibus aliisque contractibus strictis nullus est effectus morę ad inducendum officium iudicis pro accessionibus, quomodo esset in iudiciis bonæ fidei & arbitrariis, *l.moræ 32.in bonæ fidei. D.hoc tit.* iunct. *l.3.in princ. & §.1.* sed tantum ad perpetuandam obligationem principalem, *l.si ex legati 23. de verb.oblig.*

11 *d.l.quid tamen 21.§.vlt.cum l.seq.D.de recept.d.l.etsi post tres 8. D.si quis caution. l.si ita quis 155. §. Seia*, ibi, *nec mulieris quicquam propter eam moram interesset, D.de verbor.obligat.* Vide tamen, quæ de purgatione moræ scripsi pluribus, *lib.6.coniect. cap.7.*

12 Non enim potest videri purgata mora, nisi omnia sint, vel reponantur in integro, quod non fit, quoties propter moram promissoris aliquid abfuit stipulatori, quod adhuc ei abest, *vt in l.si seruus 21. §.& ideo, cum l.seq l.si rem 29. D.de euict. l. quod si minor 24.§.Scæuola, D.de minor. l.vltim. C.de repud.vel abstin.hered.l.si quis suus 8.de iur.delib. l.mancipiorum 6.in fin. D.de option.legat.*

DEFINITIO XIX.

Ad quam proportionem redigenda sit emptio reditus annui frumentary vel vinary.

SI quis reditum annuum certa quantitate æstimatum in mercibus puta in tot cadis vini aut olei totve frumenti modiis consistentem emerit, [1] quamuis ob incertitudinem precij contractus licitus videatur, [2] cum tamen eo prætextu plerique abuterentur, infamesque vsuras passim sub emptionis titulo exercerent, [3] rectissime prouisum est edicto sereniſſimi Ducis Emanuelis Philiberti, vt in pecuniariam vsuram is reditus conuerteretur ad modum vsque septuncis. [4] Idque iam antea à Gallorum curia, cum in hac prouincia armis occupata ius redderet, citra edictum factitatum & obseruatum audio, vt quoties venditor de reditus excessu conquerebatur, ad eundem modum æstimaretur. [5] Sed hoc hodie plus est propter edicti auctoritatem, quod etiam non conquerente racenteque venditore contractus habetur irritus, quod ad reditum in mercibus præstandum attinet, quatenus septuncis vsuræ modum excedit, fitque ea reductio non solum ipso iure, sed etiamsi non petatur. [6] An ergo de crimine vsuræ accusari non poterit, qui supra modum edicti annuum reditum in mercibus emit? Ita videtur, cum id, quod excedit, pro non scripto sit, [7] possitque

BIU Cujas

possitque etiam solutum repeti via ordinaria & ciuili, id est, indebiti condictione :[8] sed tamen absurdum sit dicere, eum, qui si edictum non esset, vsuræ crimen commisisse videretur, hoc solo liberari à criminis suspicione, quod contra edictum fecerit.[9] Igitur criminis persecutio etiam post edictum salua erit, maxime vero si creditor idemque reditus annui emptor supra statutum modum quid exegerit.[10] *Ita Senatus* in causa Ludouici Ortolan, & D. Ioannis Bail Canonici de S. Ioire, 6. Id. Decemb. 1593.

1 Sicut enim possunt vendi fructus, ita & reditus fundi consistens in fructibus, & sicut reditus vnius anni, ita & perpetuus reditus annuus, qui consistat in fructibus, *l. si debitor 39. §. 1. D. de contrah. empt. l. cum certus 5. D. de tritic. legat. l. stipulationum 74. §. usque adeo, de verb. oblig. l. legatum 17. §. 1. D. de ann. legat.*

2 Incertitudo enim pretij multa suasit admitti, quæ alioqui non essent admittenda, *l. si ea lege 17. l. oleo 23.* iunct. *l. frumenti 11. l. si ea pactione 14. C. hoc sit.*

3 Facile namque est in huiusmodi contractibus fraudem facere vsuris legitimis, ideoque ne hoc eueniat, diligenter cauendum est, *l. cum non frumentum 16. C. eod.* etsi lex illa non loquitur de emptione reditus annui, quæ licita est per extrauag. *regimini*, sed de pecunia fœnori accepta ea lege, vt modi actio certa tritici præstetur, ac nisi sua die is modius oblatus esset mensurarum additamenta præstarentur, idque in fraudem legitimarum vsurarum.

4 Vt nimirum aucto modij valore liceat debitori soluere vsuras in pecunia, id est septunces, tanquam ex electione, quomodo in Gallia dari ei electionem testatur Molin. *in tract. de vsur. quæst. 21. numer. 122.* Papon. *lib. 12. Arrest. tit. 7. num. 17.* [Obserua tamen huic edicto apud Augustanos locum non esse.]

5 Quanquam in Gallia modus alius est vsuræ legitimæ. Nam constitutionibus regiis cõstituitur reditus ad analogiam Assij, vt loquitur Gothofr. *ad d. l. cum non frumentum*, quod Galli dicunt, *au denier douze*. Secundum quod modio valente decem aureis reditus modij emendus erit centum & decem, vt ille ibidem scribit. Ex ratione iuris alia est proportio, ad quam redigenda est emptio reditus frumentarij, nimirum ea, de qua in *Nouell. 34. ne quis quod agricolæ mutuam pecuniam dedit.* vnde sumpta est *auth. ad hæc, C. hoc tit.* vt in vnoquoquo anno pro modio vno pars octaua modij inferatur : quæ vsura paulo minor est Gallica, de qua proxime diximus.

6 Ne alioqui fiat iniuria creditori, si aucta mercis æstimatione diminuatur vsura, quæ tamen è contrario non augeatur imminuto valore. Sic enim fit, vt contractus claudicet, nec æqua sit ratio dubij euentus in vtrumque casum, quod videtur alienum à regulis iuris, vt supradicto loco disputat Gothofr. Nec enim debet quisquam id petere, cuius contrarium non fuerat in alium euentum postulaturus *l. penult. C. de solut. l. de fideicommisso 11. C. de transact. l. si pater 12. C. de inoffic. testam.* Itaque melius & æquius est ab initio prouideri, vt contractus isti certam habeant naturam, quæ nihil vnquam possit habere iniquitatis, quam post vulneratam causam remedium illud contra iniquitatem quærere, quod nonnihil iniquitatis eo tempore habiturum esse videatur, *arg. l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*

7 *L. licet 12. D. vt leg. nom. cau.* Quicquid enim fit contra leges pro non scripto est, ipso iure nullius effectus, *l. non dubium C. de legibus.* Videtur autem implicare contradictionem, vt quid pro non facto habeatur, & tamen puniatur ob id solum, quod factum sit. Namque & ob eam causam delicta eleganter admissa appellantur à Papin. *in l. Stichum aut Pamphilum 95. §. 1. D. de solut.*

8 Vt euenit aliis quibuscunque vsuris illegitimis solutis. Repetuntur enim condictione indebiti, non tanquam vsuræ, sed tanquam sors indebita, si iam sors ipsa sit soluta, vt in eam non possint imputari, *l. si non sortem 26. in princ. & §. 1. D. de condict. indeb. l. creditor 162. §. vlt. de solut.* Simile est, quod è contrario dici solet, eum, qui pœnam promiserat, si quid non faceret, nullam pœnam debere, si id non fecerit, dummodo ob hoc ipsum, quod non fecit, habeatur pro facto sola legis potestate, *l. pen. & vlt. C. si mancip. ita fuer. alien.* Cur ergo pœnam debebit ille, qui id fecerit, quod à lege pro non facto habeatur?

9 Nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, vt vllius impunitas detur, nec delicti vnius pœna ob aliud delictum minuitur, *l. 2. D. de priuat. delict.* hic autem ad crimen vsuræ accessit, quod factum est aduersus edictum, *dict. l. non dubium, vers. nec pœnas*, iunct. *vers. hoc est.*

10 Non enim sicut quod scriptum est contra leges habetur pro non scripto, ita & quod iniuriose exactum est, potest haberi pro non exacto, *l. illicitas 6. D. de offic. præsid.*

DEFINITIO XX.

Vsuræ debentur etiam citra agnitionem chirographi si chirographaria pecunia petatur ex causa mandati vel negotiorum gestorum.

ETiam quod ex chirographo petitur[1] quasi ob eam causam debitum, quod solutum sit pro debitore qui conuenitur,[2] vsurarum accessionem admittit non à die recogniti chirographi, vt contingeret si de mutua data pecunia tractaretur,[3] sed ab eo tempore quo factam constat solutionem :[4] Id nimirum exigente causa debiti, id est, siue negotiorum gestorum, siue mandati actione.[5] *Ita Senatus* pro Marino Mugnier, contra D. de Dinge, 6. Id. Mart. 1594.

1 Ratio enim dubitandi illa erat, quod non solent vsuræ etiam promissæ ex chirographo deberi, nisi à die chirographi vel agniti, vel denegati, vt ex inueterato pragmaticorum nostrorum errore scripsimus, *Defin. 15. eod.*

2 Puta à fideiussore, siue mandatum ille habuerit, siue non. Vtroque enim casu habet actionem pro consequenda indemnitate, aut mandati, si mandatum præcessit, aut negotiorum gestorum, si mandatum nullum interuenerit *l. ex mandato 20. §. 1. D. mandat.*

3 Secundum id quod scripsimus *dicta Defin. 15.*

4 Ex eo namque tempore abest pecunia ei, qui pro alio soluit, quod vnum est inspiciendum, vt debeantur etiam vsuræ, *l. si vero 12. §. si mihi mandaueris, & §. seq. D. mandat.* iunct. *l. inter causas 26. §. abesse, & pass. eod. tit. l. 1. l. post solutionem 18. C. eod.* Paul. *lib. 2. sent. tit. 15 de mandat. §. si meis nummis.*

5 Nam in actione quoque negotiorum gestorum constat venire vsuras, quas negotiorum gestor præstitit, vel quas ex pecunia sua percipere potuit *l. atqui natura 19. §. penult. D. de negot. gest. l. ob negotium 18. C. eod.* Adhibenda tamen distinctio est de qua *in l. & in contraria 37. D. hoc tit.* Etsi in proposito casu non tam negotiorum gestorum, quam mandati actio locum habere videbatur, cum interuenisset voluntas debitoris, pro quo fuerat solutum *d. l. ex mandato 20. §. 1. D. mandat.*

DEFINITIO XXI.

Non facile maiores quam quincunces vsuræ præstandæ sunt.

AVus cum generi mores suspectos haberet,[1] legauerat nepotibus ex filia præmortua pro omni legitimæ iure certam pecuniæ quantitatem[2] soluendam sua die genero, sed ita tamen, si ille satisdaret heredi eam se pecuniam post mortem suam filiis suis restituturum,[3] quod ni faceret, iusserat mercatori idoneo pecuniam solui,[4] qui moderatas vsuras (scriptum erat *à prix honneste*) nepotibus iisdémq; legatariis præstaret. Patre ante præstitam satisdationem defuncto, si mora legatariis facta sit, non idcirco eas vsuras debebit heres, quæ inter mercatores frequentantur,[5] quæque sperari poterant & percipi à mercatore, si non nisi post patris mortem heres in soluendo moram contraxerit.[6] Alius enim hic casus est, in quem testator non prouidit.[7] Quincunces igitur vsuras præstari sufficiet,[8] eo magis quod si legitima in corporibus bonorum deberetur, non pluris æstimarentur fructus, qui accessionis iure deberentur,[9] nec aliud eius, si proponas, toto eo tempore, quo mora durauit, eam fuisse mercium & fructuum, qui ex bonis hereditariis percepti sunt, æstimationem, vt ex eorum distractione longe plus percipi potuerit, quàm vsurarum quincuncium ratio ferat. Vsurarum enim iustus modus etiam, cum vice fructuum præstantur, ex communi fructuum valore, non ex momentaneo & insolito æstimandus est.[10] Accedebat, quod honestas & moderatas vsuras etiam à mercatore præstari testator iusserat. Cuiusmodi esse quincunces ex eo constat, quod eas passim adeoque inter mercatores sæpissime, nisi aliud vrgeat, probare Senatus noster solet.[11] *Ita Senatus* in causa N. du Freney, & Humberti Fay, 13. Cal. Iunij 1594.

BIU Cujas

1 *Vt & in l.penult.§.1.vers.potuit, D.de curat.furios.*

2 Vt hodie fieri solet, addito duntaxat titulo institutionis in ea quantitate, quasi nihil aliud requiratur ad validitatem testamenti, contra quem errorem nostrorum interpretum scripsi in prima parte nostræ Chiliadis, *de error.pragmat.Decad.14. error.6.*

3 Etsi enim non potuit hæc satisdatio à patre præstari propriis liberis saluo iure potestatis, *l.Imperator 50.D.ad Senatusc. Trebell.* potest tamen præstari heredi, tanquam cuius interest, ne alioqui male consumpta pecunia possint quandoque nepotes ei imputare, cur non exegerit cautionem, adeo vt etiamsi testator exigi satisdationem prohibuerit, dubitetur tamen, an hac ex causa cogendus sit pater satisdare, etsi verius est nihil faciendum contra voluntatem, *l.licet 12.l.vltim.D.vt legat.nom. caueat.*

4 Quod vulgare temperamentum est tunc necessarium, cum satisdatio ex aliqua causa præstari non potest, *l.1.§.1.vers. sed si nec ipsi, eod.tit. vt leg.nom.caueat. l.1.§.si frater 10.D.de collat. bon.c.per vestras, extr.de don.inter vir.& vxor.*

5 Quæ vt plurimum sunt dextantes, cum inter alios sint quincunces.

6 Vsuræ tamen totius antecedentis temporis non eo minus debentur, cum dilatio sit apposita in fauorem nepotum eorumdemque legatariorum, non ipsius heredis grauati, *l.si ita relictum 43.§.Pegasus, de legat.2. l.3.§.cum Pollidius, D.hoc tit. l.liberto 21.§.filium in fin.de ann.legat. l.Lucius 78. §.heredum 12.D.ad SC.Trebell.*

7 Itaque tanquam casus omissus remanet in dispositione iuris communis, *l.si cum dotem 22.in princ.D.solut.matr.l.commodissime 10.de liber.& posthum.* Poterat tamen dici, ex testatoris voluntate heredem debuisse hoc casu afferre pecuniam genero, exacta satisdatione, aut si ille satisdare vel non posset, vel nollet, eam soluere mercatori, vt se ab iniunctarum vsurarum onere liberaret. Ne alioqui eueniat, vt mora patris in petendo fideicommisso noceat liberis, quibus è contrario voluit eam prodesse testator, *l.1.§.1.hoc tit.l.4.§.vlt.de leg.*

8 Quas solitas & modestas vsuras esse diximus *supra Definit.2.*

9 Æstimandi scilicet ad proportionem vsurarum quincuncium, quas vix est vt possint excedere, cum fructus dicantur, qui deductis sumptibus supersunt, *l.si à dominio 36.§.vlt.de petit.hered.l.quod in fructus 49.ff.hoc tit.l.1. C.de fructib.& lit.expens.*

10 *L.precia 63.in princ.& in fin.ff.ad legem falcid.* [Hinc est, quod si venditus sit reditus annuus ad modum vsurarum septuncium certo precio constituto, isque reditus sua die solutus non sit, placet vsuras eius quantitatis deberi quidem, sed quincunces duntaxat, & quidem ex die quo præstari debuit, & citra interpellationem scilicet tanquam fructus rei venditæ ex *l.curabit 5.C.de act.empt.* Reditus enim ipse annuus huiusmodi in venditionibus non vsura est precij, sed res ipsa vendita, vt alibi scripsimus. *Ita Senatus* pro liberis Aduocati l'Empereur, contra D.de Choisy, 10.Cal.Febr.1612. Iunge *Defin.8.num.5.§. Et Defin.13.num.19.] de pact.inter empt.& vend.*]

DEFINITIO XXII.

Certiorari non debet, qui iam certus est, nisi certioratio fiat ad alium constituendum in mora vel in culpa.

QVi iam certus est, non eo minus certiorari debet per specialem denuntiationem, si eo tendat certioratio, vt excitetur is, qui fit certior, ad aliquid faciendum, aut ne quid faciat prohibeatur.[1] Tunc enim certioratio non requiritur, cum ad aliud necessaria non est, nisi vt aduersarius certioretur. Nam qui iam certus est, amplius certiorandus minime est,[2] sufficit igitur hoc casu scientia qualiscumque. In dubio autem credendum est, certiorationem ob hoc solum requiri, vt certior fiat aduersarius, non vt ad aliquid faciendum excitetur, aut à faciendo prohibeatur.[3] *Ita Senatus* in causa Illustris Dom. Marchionis de la Chambre, & Sp. Caroli Francisci Ruffin. 12. Calend. Ianuar. 1594.

1 Bart. *de oper.nou.nunciat.*

2 *L.1.§.vlt.ff.de action.*

3 Ea namque res magis accedit ad denunciationem, quàm ad certiorationem.

DEFINITIO XXIII.

Vsurarum quoties principale debitum constituunt, vsuræ deberi possunt.

PRomiseram soluturum me pro te mille aureos Titio intra biennium, si pro me Romam ires, & interea septunces totius pecuniæ vsuras. Cum tu Romam ire cessares, egi contra te ad vsurarum restitutionem, ac præterea ad earum vsurarum vsuras tanquam ex stipulatu, aut bonæ fidei iudicio debitas.[1] Placet non eo minus condemnari te ad eas oportere, quod accessionis accessio nunquam permittatur. Neque enim quod ad me attinet, accessionis ista accessio est, cum ex iis vsuris, quas pro te solui, constet sors & principale debitum, quod mihi abest.[2] Sane vsurę istæ vsurarum alias vsuras non parient.[3] *Ita Senatus* in causa Illustriss. Do. Ducis de Nemours, contra D.de Garde, 4.Cal. Maij 1595.

1 Vt scripsimus *Defin.4.§.ex l.vlt.C.hoc tit.& l.vlt.C.de vsur. rei.iudic.* Illa sane ratio melior est, propter quam nullę hic vsuræ debeantur, quia non debentur ex stipulatione, nisi quæ in stipulationem deductæ sunt, *l.3.C.hoc tit.* nec rursus ex actione præscriptis verbis, *l.Titius 24.ff.de præscript.verb.* qualis ista est, cum nascatur ex contractu innominato, *l.naturelis 5. §.at cum do, eod.* At neque ex bonæ fidei iudicio debentur vsuræ citra moram, *l.mora 32. §.in bonæ fidei, ff.hoc tit.l.in bonæ 13.C.eod.* In proposito igitur casu nullæ vsuræ possunt deberi tanquam vsuræ. Potest tamen deberi id, quod interest, cuius loco solet facile Senatus noster quincuncem vsuram adiudicare, ne fiat noua lis, & longior in probando quantum interfit, cum certum est interesse, vt scripsi *Defin.7.§.eod.*

2 Aliud enim est de vsuris debiti quærere, aliud de iis, quæ ipsæ sint in debito, *l.cum vnus 10.§.verbis, de alim.legat.*

3 Esset enim ille anatocismus prohibitus, *in l.vlt.C.hoc tit. & d.l.vlt.C.de vsur.rei iudic.*

DEFINITIO XXIV.

Fortuiti casus pertinent ad periculum moratoris, nisi probet, rem æque apud actorem perituram fuisse.

QVod dicimus, casus fortuitos ad dominum spectare,[1] toties fallit, quoties in restituendi mora fuit is, penes quem res casu fortuito periit.[2] Nam ex plurib. moræ effectibus vnus ille est, vt periculum rei transferat in morosum.[3] Sed hoc ita accipi debet, si non æque res peritura erat penes aduersarium.[4] Hoc enim casu & humanius & verius est, ratione moræ haberi nullam debere, quasi nihil interfit aduersarij, qui si rem habuisset, æque illam amisisset.[5] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Carlet, & Ludouici Durand, 13.Cal.Iunij 1595.

1 *L.quæ fortuitis 6. Cod.de pign.act. l.contractus 23.in fin. de reg. iur.*

2 *L.si ex legati 23.ff.de verb.oblig.*

3 *L.si seruum 91.§.sequitur, & §.vlt.eod.tit. l.item si verberatum 15.§.vlt.ff.de rei vindic. l.cum seruus 39.§.1.l.cum res 47. §.vltim. l.si seruus 108. §.si seruus 11.de legat.1. l.si vsusfructus 6.ff.de vsufruct. leg.l.2.C.de vsur.& fruct.legat.*

4 *L.si plures 14.§.1.ff.depos. l.item si cum 14.§.quid si hom. ad finem, ff.quod met.caus.* Facit *l.is qui reipublicæ 44.ff.ex quibus caus. maior.*

5 *L.si alius 7. §.est & alia exceptio, ff. quod vi aut clam.* Ei tamen, qui moram fecit, incumbit onus, vt probet, rem fuisse æque perituram, alioqui contra eum præsumptio est, quod creditor, si moram passus non esset, rem illam distraxisset, atque ita se ab interitu rei illius periculo liberasset, *d.l. item si cum 14.§.quid si homo, in fin. ff. quod met.caus. d.l. item si verberatum 15. §.vlt.de rei vind.*

DEFINITIO XXV.

Fructus pignoris quando computandi sint in sortem, aut pro vsuris remanere debeant penes creditorem.

Fructus

FRuctus ex pignore percepti à creditore, cui sub vsuris pecunia debebatur, si conuentarum vsurarum modum excedant, aut restituendi sunt, aut in sortem imputandi, [1] si non iusta antichresis contracta sit. [2] At finge, illam fuisse & vsurarum & hypothecæ conuentionem, vt quamdiu debitor viueret, septunces vsuræ præstarentur, nec creditor corporalem rerum obligatarum possessionem ingrederetur: Eo vero mortuo liceret creditori possessionem hypothecarum nancisci, & retinere in id vsque tempus, quo debitum solueretur. Nemo dubitat, quin si pluris fuerint fructus percepti, quàm septunces vsuræ, superfluum debeat restitui debitori eiusve successori. Neque enim vsurarum conuentarum modum augere illud potest, quod in pignorum corporali possessione creditor fuerit, cum de lucrandis fructibus nihil conuenerat. [3] Nam nec nisi quincunces vsuræ debitæ essent, si recederes à conuentione facta de septuncibus. [4] Sed dubitari probabilius potest, an septunces debeantur, cum earum conuentio ad id tempus relata proponatur, quo debitum peti non posset, id est, quo debitor viueret, vt proinde ad sequens tempus protrahi non debere videretur, quo in potestate fuerat creditoris, vt vel actione, vel pignorum distractione suum consequeretur. [5] Est enim multo fauorabilior causa creditoris, (quod ad vsuras pertinet) qui sortem exigere non potest, tametsi maxime velit, quam eius qui cum possit non vult. [6] Accedebat, quod diximus, [7] nulla facta vsurarum conuentione futurum, vt quincunces tantum vsuræ deberentur. Quid vero interat mortuo iam debitore, an nulla de vsurarum modo interuenisset pactio, an interuenisset de vsuris viuo duntaxat debitore præstandis? [8] *Senatus* tamen pronunciauit, easdem vsuras ab herede vniuersali, aut à donatario, qui heredis loco esse crederetur, [9] deberi, quas defunctus præstitisset. [10] Quasi tacite continuata pactione quandiu non esset immutata, licet tempus conuentionis præteriisset, [11] nimirum si tanti quoque essent fructus percepti ex pignore. Nam si ad eam quantitatem non ascenderent, causæ nihil videbatur, quamobrem præter fructus aliquid vsurarum nomine præstaretur creditori, qui cum posset suum consequi, tamen incumbere pignori maluisset. [12] *Ita Senatus* in causa Amedei Moche, & D. de la Tornette, Idib. Iul. 1595.

1 *L. 13. & vlt. C. de pign. act.*

2 Antichresis enim est, cum pignus ea lege datur, vt in vicem vsurarum creditor percipiat fructus pignoris eosque suos faciat, *l. si is qui* 11. *§. si antichresis, D. de pign. l. si pecuniam* 33. *D. de pign act.* Est autem antichresis duplex, vna expressa, alia tacita. De qua vtraque scripsimus *Decad. 9. Error 5. 6. & 7.*

3 Quod enim creditor fuerit in pignoris possessione, consentiente debitore, non facit antichresim, cum pecunia gratuita non est, sed sub vsuris, *l. cum debitor 8. D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

4 Cum quincunces vsuræ sint eæ, quæ apud nos magis frequentantur, vt diximus *Defin. 2.* quod præcipuè inspiciendum est, *l. tutor 7. §. quæ autem, in fin. D. de admin. tut. l. cum seruus 39. §. 1. vers. in vsurarum, de legat. 1.*

5 Vsuræ enim sicut ex stipulatione tantum debentur fœneratitio creditori, *l. 3. C. hoc tit. l. Titius 24. D. de præscript. verb.* ita non nisi quatenus ex stipulatione promissæ sunt. Iunge *l. si pro parte 19. §. sed vtrum, D. de in rem verso.*

6 Huic enim non potest imputari, quod alij potest, cur non egerit ad debitum consequendum. Adeo vt hoc casu etiam Theologi patiantur, creditæ pecuniæ vsuras exigi etiam non promissas.

7 *Num 4.*

8 Conuentio enim ad certum tempus limitata vltra illud tempus porrigi non potest, *l. cum pater 11. D. de pact. dotal. l. Thais 41. §. intra certa tempora, D. de fideicomm. libert. l. si intra 23. D. de statuliber.*

9 Sicut & emptor hereditatis, *l. 2. §. vlt. D. de hered. vel actor. vend.* Vide tamen Capell. Tholos. *quæst. 386.* vbi Aufrer. Nec enim puto, donatarium quantumuis bonorum vniuersorum heredis loco vnquam esse, vt alibi scripsi contra Guid. Pap. *quæst. 460.*

10 *Arg. l. cum de in rem verso 6. D. hoc tit.* de cuius sententia scripsi *lib. 7. Coniect. c. 8. & 9.*

11 *Arg. eorum quæ scripsimus Defin. 1. num. 3. 4. & 5. 3. eod.* quibus adde *l. si certis annis 28. C. de pact. l. operis 31. de oper. libert. l. aduersus 5. l. creditor 7. C. hoc tit.*

12 Videbatur enim ex verbis huius conuentionis id actum, vt mallet creditor habere fructus pignoris quam vsuras, cum de vsuris non conuenisset, nisi pro eo tempore, quo nec pignus tenere, nec fructus ex eo percipere creditor posset. Cæterum nihil vetat percipi fructus pignoris à creditore, cui vsuræ debeantur, quæ excedant valorem fructuum, ita vt ad concurrentem vsque fructuum quantitatem imputentur in vsuras, pro eo vero quod deest vsuræ peti possint, sicut è contrario, cum fructus pluris sunt quam vsuræ, quatenus excedunt vsuras, in sortem imputantur, *l. 5. §. vltim. D. de solut. l. si non sortem 26. D. de condict. indeb. iunct. l. 1. 3. & vlt. C. de pign. act.*

DEFINITIO XXVI.

Pecuniæ chirographariæ vsuræ deberi possunt citra agnitionem chirographi, puta ex causa mandati etiam non promissæ, & propter solutionem partis debiti, si sint promissæ.

ETsi eo iure vtimur, vt pecuniæ chirographariæ vsuræ, licet expressim promissæ, non debeantur, nisi à die recogniti vel denegati chirographi, [1] id tamen fallit cum agitur iudicio mandati. Indemnem enim omnimodo seruari mandatarium oportet. [2] Idem est, si debitor antequam in ius vocaretur, debitum iam agnouerit extra iudicium, siue per nudam confessionem, siue per solutionem partis debiti, aut vsurarum. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 9. infr. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.

1 Ex eo pragmaticorum nostrorum errore, quem retulimus *Defin. 15. 3. eod.*

2 Dixi *Defin. 20. 3. eod.* vbi etiam monui non aliud in actione negotiorum gestorum obtinere.

3 Nihil enim vetat etiam extra iudicium agnosci bonam fidem, *l. quoties 9. §. sicut autem, vers. nec vtique, D. de administr. tut.* cum iudicia non sint comparata, nisi in perfidos; vt tractat Theoph. *in tit. de action.* & in inuitos, *l. si reus 73. D. de procurat. l. si debitori 21. D. de iudic. l. debitoribus 31. D. de re iudic. l. interstipulationem 83. §. 1. de verb. oblig.* Nec est huic Definitioni contrarium, quod diximus *Defin. 17.* cum, qui vltro soluit partem chirographarij debiti, licet agnoscat debitum, non ideo tamen se obligare ad præstandas vsuras, quas non deberet, si nihil soluisset. Ibi enim agebamus de vsuris ex sola mora debitis, non etiam chirographo promissis: Hic vero de iis, quas chirographaria promissio debitas fecerit.

DEFINITIO XXVII.

De potestate clausulæ soluendæ, ad primam creditoris interpellationem, quam ex nunc facit.

CLausula illa, quæ in chirographis apponi plerunque solet, *payable à sa premiere requeste, laquelle il fait dés à present*, nullius momenti est in mutuo, quia repugnat naturæ mutui, quod ita contrahi necesse est, vt de meo fiat tuum. [1] Atqui non alienantur nummi, qui sic dantur vt statim recipiantur. [2] Igitur nec proderit, vt ex eo die debitor in mora constitutus videatur, vsurasque debere incipiat, & [3] consequenter alia interpellatione opus est, [4] nec tantum si ex chirographo agatur, sed & si ex publico instrumento. [5] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis d'Aix, & D. de Marcosey, 9. Cal. Decembr. 1595.

1 *L. 2. §. appellata D. de reb. cred.*

2 *L. qui sic soluit 55. D. de solut.* Cui non obstat quod scriptum est *in l. qui id quod 33. §. 1. D. de donat.* posse ea lege donationis causa pecuniam Titio numerari, vt statim donatori mutua detur, non impediri transactionem dominij, ac propterea iisdem nummis donatori creditis nouum dominium in eis

quæri. Id enim fit propter diuersitatem tituli, cum ex nouo titulo & iure penes donatorem sint nummi, ideoque ex tali titulo, cui non aliter locus esse possit, quam si ex priore traditione translatio dominij inducatur.

3 Præposterum enim est, vt priùs aut tam cito sit quis in mora restituendæ pecuniæ mutuæ, quam ex ea causa mutui suam fecerit, *l. promissor 21. §. 1. D. de constit. pecun.* * Iunge *l. quoties 24. vers. & ideo, de oper. libert.*

4 Vt debitor in mora constituatur, quæ regulariter sine interpellatione non contrahitur, *l. mora 32. D. de vsur. l. si ex legati 23. de verbor. obligat.* Præsupponit autem hæc ratiocinatio deberi omnimodo ex mora vsuras, siue tanquam vsuras, siue tanquam id quod interest. Quod in bonæ quidem fidei iudicis verum est, sed in strictis falsum, si iuris rationem inspicias magis, quam pragmaticorum nostrorum errorem. Volunt enim illi in omni contractu deberi vsuras, & id quod interest ex die moræ, quasi hodie contractus omnes sint bonæ fidei. Quem errorem nos satis superque refutauimus *Decad. 9. de error. pragmat. error. 1.*

5 Publicum enim instrumentum non facit ampliorem aut fauorabiliorem causam debiti, sed tantum probationem eius certiorem, *l. 4. D. de pignor. l. scripturas 11. Cod. qui potior. in pignor. hab.*

DEFINITIO XXVIII.

Pactum de retrouendendo non facit contractum vsurarium, quamuis res ideo minoris vendatur, nisi adsit læsio etiam subducta æstimatione pacti.

NOn ob id solum contractus dici potest vsurarius, quod is qui vendidit sub pacto de retrouendendo viliore pretio potuerit carius vendere, si absolute vendidisset. [1] Quid enim si re sua omnino carere noluit? [2] Cur ei imputemus, quod licito contractus genere vti maluerit? [3] Alioqui erunt huiusmodi contractus omnes vsurarij, cum fieri nequeat, vt non pluris res vendatur absolute & simpliciter, quam sub pacto de retrouendendo. [4] *Ita Senatus* in causa D. de Chaffardon, & Clement. Angusard, 5. Cal. Decemb. 1595.

1 Quamuis ita putet Guid. Pap. *quæst. 516. num. 2.* post gloss. *in cap. conquestus, de vsur.* Ioan. Papon. *in syntagm. lib. 12. tit. 7. de contr. vsur. §. 4.* Et male, nam gloss. *in dict. cap. conquestus*, loquitur de illo casu quo pretium emptionis sit modicum, id est, minus, quam res æstimari iuste debeat, etiam deducta iusta æstimatione pacti de retrouendendo, de qua vide *Defin. 26. ſ. de rescind. vendit.*

2 *Arg. l. in causæ 13. §. interdum, & l. si ex causa 9. in princ. D. de minor.*

3 Est enim licitum genus contractus venditio facta sub pacto de retrouendendo, vt ait Guid. Pap. *d. quæst. 516. in princ. l. 2. l. si à te 7. C. de pact. inter empt. & vend.*

4 Cum pactum ipsum de retrouendendo sit pars pretij, vt dicam in *Defin. 26. ſ. de rescind. vendit. ex l. fundi partem 79. D. de contr. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de action. empt. l. si venditor 6. §. 1. in fin. D. de seru. export.*

DEFINITIO XXIX.

Æstimationis quanti plurimi accessiones frumento mutuo dato non debentur, ne quidem à die litis contestatæ.

FRumenti mutuo dati æstimatio quanti plurimi præstanda quidem est à die litis contestatæ, [1] sed non accessiones eius æstimationis, [2] quia stricti iuris contractus est. [3] *Ita Senatus* 17. Cal. Mart. 1596.

1 Ex notat per Bart. & alios, *in l. vinum, D. de rebus cred. l. 3. §. in hac, D. de commod. l. vlt. D. de condict. tritic.*

2 Neque enim debentur accessiones ex contractu stricto, nisi naturales, vt sunt fructus, & quidem officio iudicis, *l. 2. l. videamus 38. §. si actionem, D. hoc tit.*

3 Nisi pactum interuenerit & quidem in continenti. Tunc enim debentur accessiones frumenti mutuo dati, *l. frumenti 17. C. hoc tit.* ob rationem positam *in l. oleo 23. eod.* Non etiam pecuniæ creditæ, *l. 3. eod. tit.*

DEFINITIO XXX.

Moræ purgatio admittitur, quandiu non interest creditoris, licet cæperit interesse illius, qui habet ius cessum à creditore.

FAcile admittitur purgatio moræ, licet ex conuentione descendentis, cum nihil interest actoris. [1] At quid si actor iure suo cesserit, & ex aliqua causa interfit cessionarij, licet non interfit actoris? Non habebitur ratio huius vtilitatis, ne ex facto cedentis durior fiat conditio cessi debitoris. [2] *Ita Senatus* in causa N. Gaspardi de Lucinge, & liberorum N. Petri de Bellegarde de S. Ciergue, 8. Non. April.

1 *L. si ita quis 135. §. Seia, cum ibi not. D. de verb. oblig. l. etsi post tres 8. D. si quis caution.*

2 Neque enim potest quisquam credendo facere deteriorem sui debitoris conditionem, *l. 1. D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

DEFINITIO XXXI.

Mora non contrahitur ex solo lapsu diei tacitæ, ideoque nec debentur fructus nisi à die litis contestatæ, cum nulla præcesserit interpellatio.

NOn potest quis in mora constitui eo ipso instanti, quo obligatur tacitè ad rem tradendam. [1] Secus si conuenerit expresse, vt certo die res traderetur. [2] Ideoque interpellatione opus est, [3] & in eo nimirum minor est vis taciti quam expressi. [4] Proinde non possunt ex eo contractu fructus deberi, nisi à die litis contestatæ, [5] si interpellatio nulla præcesserit. [6] *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Bellegarde, contra D. de Carde, 12. Decemb. 1596.

1 Vt dixi *Defin. 27. ſ. & Defin. 12. ſ. de contrah. empt ex l. premisso 21. §. 1. D. de pecun. constit.*

2 Quia tunc eodem tempore & dies venit, & mora contrahitur, si vltimo saltem instanti eius diei solutio facta non sit, *l. qui hoc anno 42. l. ad diem 77. D. de verb. oblig.* iunct. *l. si fundum 114. eod.*

3 Quæ regulariter necessaria est ad debitorem in mora constituendum, *l. mora 32. D. hoc tit. l. Titiæ Seio 87. §. vsuras, de legat. 2.*

4 Quod non est nouum, vt notant nostri *ad l. 3. D. de rebus cred. & ad l. expressæ 88. de reg. iur.*

5 *L. 2. l. videamus 38. §. si actionem, D. hoc tit.* cum tamen deberentur isti fructus ex die deposita in stipulatione, si stipulatio in diem concepta esset, *d. l. si fundum 114. de verb. oblig.*

6 Intellige si contractus talis sit, ex quo debeantur fructus à tempore moræ, quod ius proprium est contractuum bonæ fidei, *d. l. videamus 38. §. penult. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXXII.

Vsurarum conuentio ab vno facta non potest nocere alteri, nisi ei qui alias eiusdem contractus partes sibi prodesse velit.

COnuentio vsurarum facta per eum, cui tu indemnitatem præstare debeas, te quidem afficere non potest, si maiores ille promiserit, quam quæ citra conuentionem deberentur, [1] nisi post moram tuam ea conuentio facta sit: tunc enim potest imputari tibi, cur non prius satisfeceris, aut de vsuris ipsis meliore conditione conueneris. [2] Sed si creditor tuus cum primo creditore transegerit de debito in tuam vtilitatem, non est tibi permittendum, vt conuentionem vsurarum improbes, & reliquam contractus partem sequare. Itaque conditio tibi deferenda est, vt vel omnia, quæ ab eo gesta sunt, probes vel præstes quicquid primo creditori deberetur, si ei nondum satisfactum esset. [3] *Ita Senatus* in causa D. de Sauigni, & D. Comitis de Saleneufue.

1 Ne

1 Ne sit in alterius potestate tuam ignorantis conditionem nem deteriorem facere, *l.2.D.quod vi aut clam, l.soluendo 39.D.de negot.gest.*

2 Quod si fecisses, non habuisset necesse is, cui indemnitatem præstare debes, de vsuris conuenire. Itaque mora tua conuentioni sic ineundæ causam & necessitatem dedisse videtur.

3 *Arg.l.cum quæritur 16.D.de admin. tutor. l.nam absurdum 7. D.de bon.libert.l.si ita stipulatio 39.§.1.D.de oper.libert.*

DEFINITIO XXXIII.

Vsuræ adiudicantur ex mutuo à die litis contestatæ, siue contestatio vera intercesserit siue ficta, quæ inducitur ex contumacia.

VSuras ex mutuo à die litis contestatæ deberi obtinuit ex inueterato pragmaticorum errore[1], contra iuris rationem, quæ sane non patitur, vt ex contractu stricto vsuræ vllæ citra stipulationem debeantur,[2] ne quidem à die litis contestatæ, sed fructus duntaxat, & quidem ex æquitate. [3] Quid ergo si vera litis contestatio nulla intercesserit, [4] Sed debitor in ius vocatus contumax fuerit? Contumacia perfecta habebitur pro contestatione. [5] Itaque non ex die vocationis in ius, sed ex die perfectæ contumaciæ vsuræ adiudicabuntur. [6] *Ita Senatus* in causa N. Volant, 8. Id. Maij 97.

1 Quasi ea sit sententia *legis lite contestata 35. D. hoc tit.* cuius tamen longe alia sententia est, vt scripsi *in Error. 1. Decad. 1. de error. pragmat.*

2 *L.3.C.hoc tit. l.Titius 24 D.de præscr.verb.*

3 Ex ratione posita *in l.20.& l.videamus 38.§.si actionem, D. hoc tit.* quia fructus sunt accessiones naturales, vsura autem non natura, sed iure percipitur, *l.si nauis 62. D.de re iudic.* Vide quæ scripsi *in Error. 1. Decad. 11. de error. pragm.*

4 Quæ fit per narrationem negotij apud iudicem, *l.vnic. C. de lit. contest.*

5 Alioqui non posset ad sententiam procedi aduersus contumacem, cum litis contestatio necessaria sit, quod tamen non ita est, *l.contumacia 53.D.de re iudic. Auth. quæ in prouincia, C. vbi de crimin. agi oport.*

6 Vt idipsum operetur fictio in casu ficto, quod veritas in casu vero.

DEFINITIO XXXIV.

Non potest conductor prætextu remissionis faciendæ totam mercedem retinere, quin hoc ipso se obliget ad vsuras eius quantitatis, quam debitam esse tandem apparebit.

CONductor, cui mercedis remissio ex iusta causa fieri debuit, [1] si eo prætextu totam mercedis quantitatem, an plus quam deberet retinuerit, [2] non ob id liberatur, quo minus eius quantitatis, cuius tandem vetus debitor reperitur, vsuras præstare debeat, licet non potuerit certo scire, quam demum quantitatem soluere deberet. [3] Eiiamque potest imputari, cur non saltem eam summam, quam putabat se debere, obtulerit, & recusante locatore obsignauerit. [4] Quod cum non fecit, æquum non est, vt & rei conductæ fructus, & mercedis vsuras pro eodem tempore retineat. [5] *Ita Senatus* in causa D. de Moyron Thesaurarij Ducis Gebennensis, & Dn. Ducis de Mercœur, 3. Non. Maij, 1597.

1 Puta ob sterilitatem, *l.ex conducto 15.§.Papinianus, alias l.si vino, D.locat. l.licet certis annis 8.C.eod.*

2 Quod facere plerumque conductores solent.

3 Siquidem ea remissio mercedis arbitrio boni viri solet fieri, quod plerumque imo semper incertum est, *l.si libertus 32. D.de oper.libert. l.societatem 79.in fin.cum seqq.D.pro socio.*

4 Vt pro ea saltem quantitate obsignatio esset vice solutionis, *l.obsignatione 9.C.de solut.*

5 Est enim id alienum à bona fide non minus quam vt rem & pretium aut emptor aut venditor retineat, *l.ex empt.§.qui autem, l.Iulian.13.§.veniunt autem, l.bon.fid. l.liberalit.16.§.1.D.hoc tit.*

DEFINITIO XXXV.

Venditori, qui rem tradidit, debentur vsuræ pretij non soluti tanquam interesse damni emergentis, interdum etiam fructus ipsi.

VSuræ quidem prohibitæ sunt omni iure, id est diuino & Pontificio, & ciuili, sed eæ demum, quæ nomen fœnoris merentur, & auaritiæ notam exprobrant petitori. [1] At non etiam illæ, quæ in vicem fructuum, & quasi iure eius quod interest debentur, [2] quales sunt, quas venditori præstari æquum est ab emptore, qui in pretio soluendo moram fecit post acceptam à venditore rei venditæ possessionem, ex qua fructus vel perceperit vel percipere potuerit. [3] Hoc enim casu mora contrahitur re ipsa etiam citra interpellationem, [4] cum contra bonam fidem sit, vt emptor & rem habeat, & pretium retineat. [5] Ergo si iustam non soluendi causam emptor habuerit, forte quod ab initio & in ipso, quod aiunt, limine contractus immineret periculum euictionis, nec venditor de euictione satis dedisset, [6] aliter dicendum erit, vt ad vsurarum præstationem nullo modo emptor condemnetur. [7] Tutius tamen fecerit, si pecuniam pretij obsignauerit, ne eodem tempore & rem & pretium habuisse dici possit. [8] Plane si venditor non contentus vsuris pretij petat etiam quanti sua interest ratione lucri cessantis, vix est, vt audiri debeat, nec si probetur solitus negotiari, lucrumque ex negotiatione sentire, [6] nisi probet in eo statu res suas fuisse, vt omnimodo, & vt loquuntur, certitudinaliter lucrum ex negotiatione fuerit percepturus. [10] Hæc autem tunc obtinent, cum venditor, qui rem tradidit, fidem de pretio habuit emptori, alioqui nec dominium rei venditæ, quamuis traditæ transit in emptorem, [11] nec proinde fructus ex re vendita percepti acquiruntur, cum fructus iure soli non seminis percipiantur; [12] nisi cum bona fides tantum possidenti præstat, quantum veritas præstaret. [13] Proinde si pars pretij soluta sit, nec de reliquo pretio fides habita, fructus quidem pro rata pretij soluti emptori acquirentur iure dominij: [14] venditori autem non tam reliqui pretij vsuræ debebuntur, quam fructuum ab emptore perceptorum, aut vindicatio, si extent, aut si consumpti sint condictio salua erit, [15] nisi malit vsuras pretij non soluti petere, fructuumque commodum relinquere emptori. [16] *Sine die.*

1 *Cap.1.& pass.extr.de vsur.*

2 Canonist. maxime Ioan.de Anan. *in cap.conquestus, & in cap.salubriter, eod.tit.de vsur.*

3 *L.curabit 5.C.de action.empt.*

4 Vt & aliis quibusdam casibus, de quibus *in l.3.de in integ. restit. min. l.Titia Seio 87.§.vsuras de leg.2.*

5 *L.ex empto 11.§.vlt.l.bona fides 50.de action.empt.* Bald. *in l.fin. in fin.D.de iur.dot.* Alex. *cons.121 vol.4.*

6 Iuxta formam, *l.si post perfectam, C.de euiction.*

7 Afflict. *decis.20.nu.5.* post Bald. *ad l.1.C.de bon.matern.*

8 *Arg. l.si per te non stat 7. & l.acceptam 19. Cod.hoc tit.* Dixi *Defin.præced.*

9 Quamuis hoc casu videatur licite peti interesse, etiam lucri cessantis, secundum Bart. *in l.vnic. Cod. de sent. quæ pro eo quod interest,* Canon. *in cap.salubriter, & in cap. conquestus, Extr. hoc tit.*

10 Afflict. *d.decis.20.* post Castr. *in l.2.§.nunc de officio, de eo quod cert.loc.per text.in l.quemadmodum, §.si nauis, in fin. D. ad leg. Aquil. l.naturalem, §.1.de acquir.rer.domin.*

11 *L.quod vendidi 19.D.de contr.empt.*

12 *L.qui scit 25.§ 1.D.de vsur.*

13 *L.bona fides, D.de reg.iur.*

14 Quia licet non potuerit cogi venditor, vt acciperet partem precij, *l.Iulianus 13.§.offerri, de action.empt.* sibi tamen debet imputare cum accepit.

15 Tanquam quorum dominium non sit acquisitum emptori, nec amissum venditori, nisi per consumptionem, *l.sarti*

BIU Cujas

condictio 9.§.si nummi, D.de reb.cred.l.si à furioso 12.D.eod.

16 Non enim potest recusare emptor, quo minus ita volente venditore retineat fructus, quos percepit, præstetque vsuras pretij, quod promisit. Quidni enim liceat venditori habere fidem de pretio etiam ex postfacto? Vid. Thom. Grammat. in addit. ad Afflict. *dict. decis.* 20. & Steph. Bert. quem citat *cons.* 318. *nu.* 7. *part.* 1. & *cons.* 109. *part.* 3. Anchar. *cons.* 19. *num.* 2. [Obserua tamen eo quoque casu, quo non potest cogi emptor ad soluendum, puta si in limine ipso contractus immineat periculum euictionis, nec venditor offerat satisdationem. Posse tamen venditori pro satisdatione sufficere ad obligandum emptorem in vsuras pretij, vt dicat paratum se pati pecuniam deponi penes mercatorem qui eius vsuras sit præstaturus. Æque enim hoc modo indemnitati emptoris consulitur. Sed si emptor quoque paratum se dicat pretium penes mercatorem deponere, petatque in eam rem nominari aliquem aut perquiri à venditore, non priùs in mora esse intelligetur, quàm venditor mercatorem quæsiuerit & nominauerit suo periculo. Nec enim debet ea res emptoris damno aut periculo cedere. Ideoque nec vllas interim vsuras debebit, tametsi fructus rei venditæ perceperit nec pecuniam obsignauerit. *Ita Senatus* pro Dom. Ioanne Fabro medico, & Francisco Gay, Idib. Septemb. 1613. Nempe, quia hoc casu non potest emptor videri fuisse in mora, ex Afflict. *dict. decis.* 20.]

DEFINITIO XXXVI.

Relicta repetitio vsurarum ad exonerandam conscientiam quam vim habeat, & quam recipiat interpretationem?

NObilissima fœmina, quæ magnam pecuniæ quantitatem, tam ex paternis maternisque, quam ex mariti facultatibus corrogauerat, cum toto fere viduitatis suæ tempore fœnus exercuisset, tandem in extremis constituta, & à religioso confessario vt animæ iamiam periclitanti consuleret persuasa, accersito confestim notario, & præsentibus septem testibus declarauerat, velle se in exonerationem conscientiæ, vt vsuræ omnes, fructus, reditus, lucra denique & emolumenta omnia, quæ à suis debitoribus viua percepisset, eisdem omnibus à suis heredibus restituerentur, si quid pro interusurio præteriti temporis debebatur, id ne vnquam peteretur, nemine tamen ex debitoribus stipulante, at ne tum quidem præsente. Sequenti die mutata sententia, eodémque vocato notario, & adstante solemni testium numero dixerat pœnitere se prioris voluntatis, nec causam vllam habere, propter quam suis heredibus tantum infligere damnum deberet, vt iis prodesset, à quibus nullum vnquam beneficium accepisset. Mox ab eodem à quo prius confessario admonita, vt de salute animæ serio, & ante omnia cogitaret, tertia vel quarta post priorem scripturam hora redierat ad primam voluntatem, expressimque præceperat heredibus rogare debitores, à quibus illa vsuras perceperat, vt liberaliter illas defunctæ condonarent. Id si à debitoribus impetrare heredes non possent, vniuersas iis vsuras, lucraque omnia, quæ debitores à se persoluta dicerent, heredes ad vltimum vsque quadrantem redderent. In eaque voluntate post paucas horas, & eo ipso die decesserat. Cum heredes à debitoribus, qui per multos annos vsuras partim septunces & besses, partim decunces soluerant, ad earum restitutionem vrgerentur, negabant se teneri eas reddere, quas defuncta intra legitimum & Principum nostrorum edictis licitum modum accepisset,[1] non alias autem hucusque prohibitas fuisse, quam quæ supra decunces essent, cæteras omnes & ipsas quoque decunces, nisi quæ ab initio anni prorogarentur, atque ita in decunces deflecterent, si non expressim permissas, tacito tamen & Principis & magistratuum consensu in hunc vsque diem fuisse toleratas.[2] Addebant per debitorum fraudes extortam eam liberalitatem à defuncta, quæ toties mutata voluntate non obscurè indicasset solicitatam se à confessario, ipsis fortasse debitoribus instigantibus, potius quam certo iudicio aut pietatis zelo ad eam dispositionem decurrisse.[3] Placuit contra defunctæ voluntatem heredes facere, ac parum piè, si non omnes vsuras restituerent, quarum perceptione conscientiam suam defuncta oneraisset: In quo numero dubitari non oportebat, quin omnes eæ essent, quæ fœnoris iure censebantur, etiamsi quincunces tantum, aut etiam quincuncibus minores proponerentur.[4] Nec enim quænam iure ciuili aut permissæ essent aut toleratæ[5] inspiciendum erat, sed quænam licitæ in foro conscientiæ,[6] quænam illicitæ.[7] Porro illicitas esse constabat omnes, quotquot fœnoris appellatione continerentur, fœnus autem & vsuram esse quicquid excedit sortem.[8] Nec voluntatis secundæ ratio habenda videbatur, quæ & per tertiam posteriorem reuocata fuisset,[9] & anteriorem factam in piam causam & exonerandæ conscientiæ gratia reuocare nullo modo potuisset, tametsi per speciem vltimæ voluntatis, non per donationem inter viuos ea vsurarum restitutio fuisset imperata.[10] Quid verò indignius, quam propitiis auribus audiri heredes, qui ne conscientiam defunctæ exonerarent, propriam onerare non erubescerent? Neque ad rem pertinebat, quod vice eius, quod interesset, perceptæ viderentur ab ea, quæ si sortem exegisset, bona pleraque ex suis pecuniis comparare, eorumque fructus suo iure ac licite subinde percipere potuisset. Idem enim de pecunia qualibet fœneratitia tractari posset, atque ita fieret, vt si bona esset ratio, fœnus omne saltem moderatum licitum dici deberet, in foro conscientiæ, quod tamen Theologi numquam admitterent.[12] Plane quas vsuras ab iis defuncta percepisset, qui vicissim fructus pignorum dotalium ex contractu cum ea inito perceperant, placuit nullomodo restitui debere, tanquam quæ omnino licite, ac salua conscientia percipi potuissent, dum ne quincuncibus grauiores fuissent.[13] *Ita Senatus* pro Dom. Comite de Grolee, & aliis, 13. Calend. Ianuar. 1604.

1 Quod enim sit lege permittente pœnam non meretur, *vulg. l. Gracchus 4. C. ad leg. Iul. de adult.* Papiens. *de act. hypoth. vers. sine aliqua, num.* 4.

2 Nec enim alij vsurarij apud nos hucusque mulctati & condemnati sunt, quam qui probantur vsuras grauiores decuncibus exegisse. Ita scilicet ferente temporum auaritia & infelicitate.

3 Nemo enim credendus est tam facile mutasse voluntatem in ea re, quam prius certo iudicio constituerit, *l. non ad ea 89. de condit. & demonstr.*

4 Cum vsuræ omnes prohibitæ sint omni iure diuino, Pontificio & ciuili, vt diximus *Defin. proxim. præced. in princ.*

5 Hoc ideo, quia verum est, nullas vsuras permissas esse etiam iure ciuili, sed tantum toleratas, quod longe diuersum est. Sic dicimus concubinatum iure ciuili toleratum esse non permissum, *l. 3. D. de concub.*

6 Cum defuncta dispositionis suæ causam non ad ius nostrum, sed ad conscientiam suam retulisset.

7 *Cap. 1. & pass. Extr. de vsur.*

8 Adeo vt nec salutationem à debitore aucupari vel accipere ex hac causa liceat citra peccatum, iuxta Theologos.

9 Vltima enim voluntas præualet in vltimis voluntatibus, *l. si mihi 12. §. 1. de leg. 1. l. si quis 22. de leg. 3.*

10 Quia relictum pro male ablatis videtur relictum vt debitum, & habet vim debiti confessati in præsentia partis, vt loquitur Guil. Bened. in verb. *si absque liberis 1. nu. 27. 28. & 29.* Nimirum si relictum sit certis personis, aut incertis ex certis, non autem si incertis prorsus, idem Boer. *num. 30.*

11 *Arg. Auth. hoc autem, C. de fideic. l. cum quis 37. §. codicillis, de leg. 3.*

12 Nam interesse taxatum ab initio non debetur, nisi probetur, Afflict. *decis. 284. nu. 3.*

13 Did. Cou. *lib. 3. var. resol. cap. 4. ad l. curabit, num. 5.*

DEFI-

DEFINITIO XXXVII.

Debitor qui à suo debitore cessò post multos annos pecuniam exegit totius præteriti temporis vsuras debet.

DEbitor cum à creditore vrgeretur ad solutionem debiti vsurarij nec haberet pecuniam in numerato, mandauerat creditori suo actiones contra proprium suum debitorem in solutum, [1] nulla tamen interposita delegatione. [2] Creditor eo mandati instrumento per multos annos frustrà retento cùm sæpius debitoris sui debitorem, nec tamen testato, vt debuerat, [3] & per scripturam [4] interpellasset, solutionem extorquere non potuerat. Tandémque idem ille debitor, qui exigendam pecuniam mandauerat, ipsam exegerat. Postea conuentus ad vsuras totius præteriti temporis [5] negabat se teneri, propterea quod per eum non stetisset quominùs cessus debitor citiùs satisfeciſſet, at per creditorem potiùs qui nullas diligentiæ, quam præstare debuerat, probationes adferebat. [6] Visum est non posse illum recusare quominus etiam illius temporis quod exactionem præcesserat vsuras præstaret, cùm ille ipse pecuniam exigendo mandatum quod prius dederat reuocasset. [7] Nam etsi debitor aliquis etiam recusante solutionem creditore, [8] obsignasset debitam à se quantitatem, quæ per multos annos mansisset obsignata, tandemque debitor ipse pecuniam abstulisset, nemo dubitaret quin si vsuraria erat pecunia deberentur vsuræ, etiam pro eo tempore quo obsignatio constitisset. Quia numquam videatur obsignatum quod non durat obsignatum. [9] Sic ergo nec mandatæ videntur actiones quæ non durant mandatæ. [10] *Ita Senatus* ex tempore pro Dominico Grena, contra D. de Montsaint-Iean, Cal. Sept. 1612.

1 *Vt in l. 1. Cod. de obligat. & action. l. vltim. C. quand. fiscal. vel priuat.*

2 Nam si interposita fuisset delegatio non esset locus quæstioni cùm habeat illa vim solutionis *l. delegare 11. & p. ff. D. de nouat. & deleg. l. quamùis 8. §. interdum D. ad SC. Velleian.* Et ideo longè aliud est cedere aliud delegare debitorem, *l. 1. Cod. de nouat.*

3 Vt appareret serio rem agi vt *in l. qui Romæ 122. in princ. & § cæterùm de verb. oblig.* Sed & cauere debet creditor vt non omittat debiti repetendi instantiam *l. mora 32. D. de vsur.*

4 Quod pragmatici nostri dicunt *paracte.*

5 Quia vt posuimus debitum erat vsurarium.

6 Semper enim pro facto contra te habendum est, quod per te stetit ne factum sit, *l. in iure ciuili 61. D. de reg. iur. cap. imputandum 41. & cap. cùm non stat 66. eod. tit. in 6.* Paria autem sunt non esse & non apparere *§. si aduersus Inst. de nup. l. duo sunt Titij 30. de test. tutel.*

7 Posterior enim mora & posterius factum semper nocet *l. qui decem 72. D. de solut.*

8 Semper namque obligatio debet præcedere obsignationem *l. acceptam 19. C. hoc tit. & D. fin. 40. 3. de solut.*

9 Sicut nec videtur in rem versum, quod non durat versum, *l. si pro patre 10. §. versum D. d. in rem vers.* neque permissum, quod non durat permissum, *l. item 6. §. pæn. quod cuiusque vniuers. nomin.* Nec lis mota quæ non perseuerat *l. nam etsi 15. §. 1. de inoff. test.* Nec res in potestatem domini reuersa, quæ non durat reuersa, *l. 4. §. nunc in poest. te D. de vsucap.*

10 Mandatum enim reuocatum nihil est, *l. si vero 12. §. pen. D. mandat.* Sed si creditor pecuniam ipse non exegisset, superfuisset quantum ad vsuras illa facti quæstio an per debitorem cessum stetisset an potius per creditorem cui mandatæ erant actiones vt soluta pecunia non esset. Quia mora cuique sua debet nocere non alteri *l. factum 155. de reg. iur.*

DEFINITIO XXXVIII.

De obsignatione facta legitime & reuocata.

ETsi verum est quod proximè diximus, non videri obsignatam pecuniam quæ non durat obsignata, ideoque nec liberari ab vsuris debitorem qui obsignauerat. [1] Aliud tamen iuris est in eo debitore qui post factam legitime obsignationem conuentus, vt solueret distulit aut recusauit solutionem, aut quod effectu idem est obsignatæ quantitatis numerationem. Hoc enim casu à die quidem obsignationis non currunt vsuræ in tempus vsque denegationis. Sed ab eo tempore quo denegata solutio, vel obsignationis restitutio est, vsuræ debebuntur. [2] Nec quod constet obsignatam pecuniam fuisse debitori restitutam ea lege, vt depositario quandocunque petenti redderetur, [3] facere poterit vt depositum in eodem statu mansisse videatur. Aliud enim est debitoris qui deposuit personam in obligatione noua constitui. [4] Aliud verò depositum retineri, neque potest noua hæc obligatio personalis retinere depositum, quod sicut non nisi re contrahitur, [5] ita & sola rei redditione dissoluitur. [6] *Ita Senatus* in causa fratrum Ioannis & Petri Vulliod, contra Violon, ante Cal. Iunij 1613.

1 Dixi *defin. prox. num. 9.*

2 Textus est elegans *in l. debitor 7. D. hoc tit.*

3 Hoc enim plerumque fit vt consulatur depositario qui alioquin conueniri à creditore depositum repetente quandoque posset, quando is ratam habere vellet obsignationem a suo debitore factam.

4 Nunquam enim fuerat antea debitor depositario obligatus.

5 *L. 1. §. is quoque de oblig. & act.*

6 *L. prout. 80. de solut. l. 35. de reg. iur.*

DEFINITIO XXXIX.

Non tenetur obsignare qui non habet cui possit soluere.

NOn potest videri in mora esse debitor qui pecuniam non soluit ad diem minori, à quo vicissim actionum cessionem iustam accipere debuerat, [1] si eo tempore minor curatorem nullum habuerit, cùm neque cogendus fuerit soluere absque cessione, [2] neque cessio ritè fieri potuerit sine curatoris authoritate. [3] Præsertim cùm idipsum verbis Senatusconsulti discrètè comprehensum esset, vt eam cessionem ex authoritate curatoris fieri oporteret. [4] Nec ad rem pertinuit quod ea pecunia ex licitatione deberetur, in quo genere placet, non nisi præsenti pecunia expediri rem debere. [5] Semper enim verum est, non prius cogendum quemquam soluere quàm in eo statu res sit, vt soluendo tutam & plenam liberationem consequi possit. [6] Adeò vt nec possit ei imputari, quod pecuniam à se debitam non obsignauerit. [7] Nec enim obsignare vnquam tenetur is qui non habet cui soluat etiamsi maximè velit. [8] *Ita Senatus*, contra sorores Cochet, 9. Sept. 1613.

1 Vt in specie *l. mulier 19. ff. qui potior. in pign. hab. l. in creditore 38. de euict.*

2 Propter exceptionem ei competentem cedendarum, vt vocant, actionum, de qua in *l. rem hereditariam 65. ff. eod. tit. de euict.*

3 Nam etsi etiam interueniente authoritate curatoris potest minor in integrum restitui *tot. tit. C. si tut. vel cur. interuen.* Tutiùs tamen contrahitur adhibito curatore *l. ait Prætor 7. §. permittitur ff. de minor, l. 4. §. vlt. ff. de euict. l. sancimus 25. C. de admin. tutor.*

4 Forma enim Senatusconsulto præscripta ad vnguem seruanda est, *l. cùm hi 8. § si Prætor ff. de transact.*

5 *L. à Diuo Pio 15. §. sed si emptor ff. de re iudic.*

6 *dict. l. sancimus l. quod autem 6. §. apud Leonem ff. quæ in fraud. credit.*

7 Quo remedio succurri solet ei qui non potest soluere, *l. vltim. ff. de leg. commiss. l. acceptam 19. C. hoc tit. l. obsignatione 9. C. de solut.*

8 *L. cùm quidam 17. §. si pupillo ff. hoc tit.*

DEFINITIO XL.

Venditio pensionis annuæ certo precio an & quando sit vsuraria.

BIU Cujas

CErti iuris est venditiones illas quæ hodie passim fiunt annuæ pensionis etiam pecuniariæ pro certo precio in pecunia quoque constituto [1] non esse vsurarias cùm Pontificia Martini Papæ constitutione licitæ sint & adprobatæ. [2] Nec enim pensio quæ venditur vsuræ vicem obtinet, sed ipsius rei venditæ, vt è contrario pecunia vicem precij non sortis. [3] Sed hoc ita, si pensio legitimum modum non excedat aut eum qui pro legitimo constitutus sit à Principe, [4] ne alioquin videatur facta conuentio in fraudem vsurarum. [5] Sed quid si conuenerit, quod plerumque fit, vt si bis aut ter cesset venditor in solutione pensionis annuæ possit pecunia reposci, quæ pro precio data fuit? Putant plerique Theologi adiectione huius conuentionis fieri contractum vsurarium. [6] Sed alio tamen iure Senatus noster vtitur, vt hac velut pœna potiùs quàm vsura venditoris rem venditam non præstantis contumacia coerceatur. [7] Quasi sit hoc pactum oppositum legi commissoriæ, [8] quæ in venditionibus non est improbata. *Ita Senatus*, pro illustri D. Margareta de la Chambre, contra D. de Maningod, *Sine die*. Et iterum in causa D. Guilielmi de Chabod Comitis de S. Mauris, contra Garinum Mugnier & Iacobum Rebut, 4. Iun. 1614.

1 Galli vocant, *rentes volantes constituees à prix d'argent*, de quibus *Defin. II. nu. 7. ff. de verb. signific.*

2 Scilicet constitutione Martini Papæ quinti, quæ extat *in Extrauag. Regimini.*

3 Venditio autem est quoties sciri potest quid sit merx & quid precium, *l. I. D. de rer. permut.*

4 Cuius nimirum est modum illum constituere & qui aliter atque aliter constitui solet pro Principum voluntate ac temporum & regionum diuersitate.

5 Quod nunquam ferendum est *l. pecuniæ 9. l. placuit, 29. D. hoc tit.*

6 Nempe quia constitutio Martiniana requirit vt in potestate venditoris esse debeat venditam pensionem annuam redimere precio quandocunque restituto. Non autem in potestate emptoris vt precium quod dedit possit nunquam reposcere nec si precium non soluatur, *l. venditor II. l. ea conditione, 14. C. de rescind. vendit.* Itaque facultas hæc repetendæ pecuniæ ostendit contractum fuisse mutuum potiùs quàm venditionem, quia conuenit naturæ mutui. Repugnat autem naturæ venditionis.

7 Quasi taxato breui manu eo quod interest emptoris solutam esse & solui sua die venditam annuam pensionem, vt *in l. 4. C. de act. empt.* Ne alioqui id quod interest facile excurreret in infinitum si præstaretur ratione pecuniæ debitæ sine vllius loci vel temporis adiectione *l. 3. D. de in lit. iur.*

8 Lex enim commissoria est vt ni pretium intra tempus soluatur res fiat inempta *l. I. & pass. D. de leg. commiss.* Hic vero sit inempta res vendita ob id solum quod suo tempore non sit tradita.

9 Sed tantùm in pignoribus *l. vlt. C. de pact. pign.* Licet etiam in venditionibus sit odiosa *l. Æmilius 41. D. de min.* [Planè si nulla pactio interuenerit, non poterit precium repeti per quantoscunque annos cessatum sit in solutione pensionis annuæ. *Ita Senatus* in dicta causa D. de Iacob, 4. Iunij 1614.]

TIT. XXV.

DE DEPOSIT.

DEFINITIO I.

Qui rei propriæ sequestrem se fieri patitur, non ideo dominium amittit.

QVi rei, quam bona fide comparauerat sequestrem se fieri passus est per [1] simplicitatem & rusticitatem, [2] cum ius suum tueri potius debuisset, non idcirco dominij ius, aut aliud si quod habebat, amisisse intelligitur. [3] Nam quod dici solet rei suæ depositarium neminem esse posse, [4] facere debet vti ne tale depositum valeat [5] potius, quàm vt dominium, quod nec nuda voluntate, nec nisi certis modis amittitur, [6] à se abdicasse videatur, qui iuris ignorantia lapsus est. [7] *Ita Senatus*, 30. Calend. Decembr. 1588.

1 Sequestrem vocant Iureconsulti non depositarium quemlibet, sed eum penes quem deponitur per plures aliqua res inter eos controuersa, *l. licet 19. in princ. D. depos.* vbi monet Florentinus videri hoc casu vnumquemque contrahentium rem in solidum deposuisse, quod aliter est, cum plures rem communem deponunt. Videtur enim vnusquisque partem suam duntaxat, non rem ipsam in solidum deposuisse, *l. I. §. sed si duo, 44. iunct. l. proprio, 6 & l. præced. eod.*

2 Quis enim nisi simplicitate aut rusticitate nimia patiatur res suas penes se deponi? *arg. l. vlt. C. de arbit. tutel.*

3 *L. qui rem suam, 15. l. bona fides, 31. §. I. vers. si tamen ignorans, D. hoc tit.*

4 *L. neque pignus 45. ff. de reg. iur.*

5 *d. l. qui rem. & d. l. neque.*

6 *L. si quis vi 17. §. differentia, de acquir. possess.*

7 Vide Bald. *ad l. ad probationem, vers. quæro si instrument. C. de locat. ex l. cum falsa, 5 C. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO II.

Qui per mendacium se obtulit & constituit depositarium, ad impediendam executionem iudicati, nullam habet exceptionem.

NIhil interest, quod ad depositi iudicialis restitutionem attinet, an depositum re ipsa & per traditionem contractum sit, [1] an nuda confessione eius, qui se vltro depositarium constituit, fidemque habuit de re deposita. [2] Perinde enim vtroque casu condemnandus est, ne iudicis auctoritati impune videatur illusisse, qui mentiendo se depositarium in causa facit, ne alia fieret executio contra debitorem aut condemnatum. [3] Proinde si eas exceptiones proferre velit, quas verus depositarius obiicere non posset, non erit audiendus. [4] Plane cum depositum non nisi re contrahatur, in arbitrio erit creditoris si mallet aduersus debitorem agere, quam aduersus depositarium, & pristinam actionem exercere, non secus, ac si nullum depositum factum esset, quod nec reuera factum vllum intelligitur. [5] Iniquum enim fuerit ex falso ciusmodi deposito fisti cursum vsurarum, aut fructuum lucrum acquiri, cum non nisi vera obsignatio, & quæ rite facta est, illa sit, quæ solutionis loco habetur. [6] Nec aliud erit, si reuera pecunia numerata sit, aliaue res tradita, vt in depositum esset, si postea siue in continenti, siue ex interuallo reddita sit. [7] Neque enim videtur depositum, quod non durat depositum, sicuti nec versum, quod non durat versum, [8] Simulatæ tamen obsignationis probationem ab eo exigemus, qui dicet, non etiam ab eo, qui pro se habet depositarij confessionem. [9] *Ita Senatus* extempore in publico auditorio, 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Quomodo regulariter contrahitur re & traditione, *l. I. §. is quoque D. de oblig. & action.*

2 Licet enim depositum non nisi re contrahatur, confessio tamen nuda, id est, traditione destituta, quæ non prodest ad obligationem inducendam prodest ad implendam depositarum rerum probationem, *l. Publia, 26. §. vlt. D. hoc tit. l. cum quis decedens, 37. §. codicillis, de legat. 3. l. ea quæ, 57. D. de donat. int. vir. & vxor.*

3 *Vt in l. penultim. D. de dolo. l. qui se liti 45. D. de hæredit. petit. l. is qui se obtulit, 25. & leg. sin autem, 27. D. de rei vindic. l. 4. in princip. D. de re iudicat.* ne alioqui parta ex causa iudicati executio ad initium nouæ petitionis redigatur, vt *in l. minor. 48. in princip. D. de minor.*

4 Nec melioris conditionis sit, qui apparitori iudicis illusit, quam qui negotium bona fide gessit. Verus enim depositarius nullas contra depositi actionem potest obiicere exceptiones, *l. vltim. C. de compensat. l. penult. C. hoc tit.* Depositi enim restitutionem denegare nec potest is, qui accepit, *l. quod seruus, 11. D. eod.*

BIU Cujas

11. ff. eod. nec is qui negando, quamuis vere se depositum accepisse, hoc ipso arguit suum mendacium, l. rem alienam, 41. in fin. ff. de pignor. action. iunct. l. cum de indebito, 25. in fin. ff. de probat. l. generaliter, 13. C. de don. num. pecun. [Ergo hoc casu condemnandus est omnimodo depositarius, vt idipsum restituat, quod se in depositum accepisse confessus est si adhuc extat, Aut si non restituat, aut præstet non solùm eam quantitatem quæ debebatur venditori, quo vrgente depositum contractum est. Sed veram iustamque rei depositæ æstimationem, quam præstari semper interest veri creditoris, siue vt possit sibi consulere per retentionem, si quid ei aliunde debeatur. *Ex tit. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.* Siue quòd actione pignoratitia teneatur debitori cuius pignus est superfluum reddere l. si fundus 16. §. in vindicatione ff. de pignor. l. si inter 21. §. vlt. eod. l. quamuis 6. §. 1. & pass. ff. de pignor. act. Solent enim huiusmodi deposita fieri iure pignoris vrgentibus executionem creditoribus. *Ita Senatus* ex tempore pro Iacobo Brino, contra Morrier, 6. Septembr. 1612.]

5 Ne alioqui pœna mendacis depositarij sit præmium & liberatio veri debitoris, contra l. si sequens gradus, 15. D. de Senatusc. Silan.

6 L. acceptam, 19. C. de vsur. l. nec creditores, 10. l. vlt. C. de pign. act. l. obsignatione, 9. C. de solut. l. si soluturus, 39. D. eod.

7 Puta si fuerit deposita dicis causa, quemadmodum de pecunia commodata tractat Iurisconsultus, in l. 4. D. commod. id est perfunctorie, & ob id tantum, vt dici possit factum depositum. Sic & in l. 1. §. excusantur, 34. D. de SC. Silan.

8 L. si pro patre, 10. §. versum, & seqq. D. de in rem verso. plusque valere debet quod reuera actum est, quam quod simulate conceptum, l. 1. 2. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. l. si ex precio, 6. C. si vert. petat.

9 Simulatio enim nulla est sine dolo & mendacio, cuius præsumptio nunquam in dubio capienda est, vt scripsimus Disp. 4. & 5. plus valer. quod agit.

DEFINITIO III.

Depositi actio personalis habet priuilegium inter creditores personales post dotem, depositi autem vindicatio ante omnes citra priuilegium.

DEpositarius quidem nullas habet exceptiones, si depositi conueniatur, [1] sed si ante redditum depositum decesserit, & heredem cum beneficio legis ac inuentarij reliquerit, [2] non vsque adeo fauebimus deposito, vt non cogatur is qui deposuit eo nomine agere, sicut & cæteri creditores in generali discussionis instantia. [3] Est enim depositi actio personalis, [4] quamuis inter cæteras actiones habeat priuilegium post dotem. [5] Plane si deposita pecunia extet vindicari poterit, neque eo casu de priuilegio aut de discussionis instantia quærendum erit. [6] Nam cum per depositum nec transferatur dominium, nec possessio, [7] apparet rem depositam, quamdiu extat, esse extra causam hereditatis, [8] ideoque persecutionem eius nihil commune habere cum personalibus aliorum creditorum actionibus. [9] *Ita Senatus* in causa N. Alexandri d'Vretal, & N. Gallet, 4. Calend. April. 1593.

1 L. penult. C. hoc tit. l. quod seruis, 11. D. eod. l. vlt. ad fin. C. de compensat.

2 Quo casu relinquit heredem suum obligatum actione depositi, licet heres depositarij non sit depositarius, nec fides eius electa dici possit, l. in Asia. 12. §. cum sequestre, l. die sponsalium 25. in princip. D. hoc tit. l. si is qui, 8. cum seq. C. eod. Omnes enim actiones ex contractu descendentes transeunt in heredem, exceptis perpaucis casibus, §. aliquando, Inst. de perpet. & temp. action. l. ex depositi. 12. l. ex contractibus, 49. D. de oblig. & action. Scripsi lib. 1. Coniect. cap. 12.

3 Secundum ea quæ constituta sunt in l. vlt. §. & si præsentium. num. seqq.

4 Cum nascatur ex contractu, l. 1. & tot. hoc tit. D. & C. d. l. 1. de oblig. & action.

5 L. si hominem, 7. §. quoties, vbi glos. D. hoc tit. iunct. l. si ventri, 24. §. in bonis, D. de rebus auct. iudic. poss. aliàs l. 9. de priuil. cred.

6 d. §. in bonis, in fin.

7 L. licet, 17. §. rei depositæ, D. hoc tit.

8 Extra quam scilicet sunt omnia, quæ in bonis defuncti non possunt computari, l. sequens quæstio 67. de legat.

9 L. procuratoris, 5. §. pen. ff. de tribu. act. l. si à domino. 36. ff. de petit. hered. l. depositi 38. in princ. ff. de pecul. Vide quæ scripsi Decad. 2. de error. pragm. Err. 1.

DEFINITIO IV.

Depositarius non tenetur de culpa, nisi certis casibus, tenetur autem de dolo etiam præsumpto.

DEpositarius quidem, qui neque culpam promisit, [1] neque depositò se vltro obtulit, [2] de culpa non tenetur, multoque minus de casu fortuito, [3] sed tantum de dolo. [4] Sed tamen dolum præsumptum esse sufficiet, vt conueniri possit. [5] Finge depositas pecunias in eo loco, cuius claues semper penes depositarium fuerint, & illæso cubiculo amissas subtractasque res depositas, ac præterea nihil ex iis rebus, quæ ad depositarium ipsum pertinebant. Negari non potest, quin doli præsumptio vrgeat contra depositarium, ideoque teneri eum depositi æquum erit, [6] adeoque quanti actor in litem iurauerit, si non appareat quid & quantum depositum fuerit, [7] sicut & si cista obsignata deposita esset, quæ aperta redderetur. [8] Nec depositario proderit, quod probet ex rebus subtractis quasdam in alterius manu & potestate visas esse, nisi probet etiam qua ratione fieri potuerit, vt ad possessorem res illæ peruenerint. [9] Cum alioqui necessario præsumendum sit, peruenisse facto & dolo eius, qui claues habuit, sine quibus fieri non poterat, vt illæsis ianuis aut fenestris cubiculi, in quo res erant reconditæ, quicquam ex iis subtraheretur. [10] Nulla præsertim probata amissione earum, quæ ad depositarium ipsum pertinebant. [11] *Ita Senatus* pro N. Antermet, mens. Mart. 1594.

1 Nam qui culpam promisit eam præstare debet cum contractus ex conuentione legem accipiant, l. 1. §. si conuenit, 6. D. hoc tit.

2 Hic enim periculo se illigauit, ita scilicet, vt non solùm præstare dolum debeat, sed etiam culpam & custodiam, non tamen casus fortuitos, d. l. 1. §. sæpe euenit, D. eod. [Melior igitur conditio esse debet Iudicis & Senatoris, qui instrumenta litis omnia quæ ad iudicandum habuit penes se deposita amisit. Hic enim cum sit depositarius necessarius non minùs ex sua quam ex litigantis parte, non nisi de dolo & lata culpa teneri potest. Plane de dolo & lata culpa se purgare per iusiurandum debet. Sed & quantam potest diligentiam præstare, vt deperdita instrumenta, si fieri potest, inueniantur, impetratis in eam rem monitoriis, aut si inueniri nulla arte poterunt, saltem transcribantur suis sumptibus. Non tam quod ad id summo iure teneatur, quam vt omnem non solùm doli, sed etiam culpæ suspicionem à se propulset, quod ad boni & innocentis iudicis dignitatem maximè pertinet. Minor tamen contra iudicem præsumptio est, si non modo vnius ex litigatoribus, sed omnium litigantium instrumenta perdiderit, quæ habere singulorum interfit. Nec enim hoc casu dici potest voluisse iudicem aut Senatorem celare instrumenta litis, vt vni ex litigatoribus contra alium faueret. Sed & specialis illa ratio pro iudicibus & Senatoribus facit, quod deposita penes se litium acta & instrumenta solent seruare in diæta bibliothecaria, vbi & studere & litigatoribus accedentib. faciles & expositos se præstare debent, eamque ob causam apertas semper fores habere: atque ita quicquid in diæta illa est, expositum dolis & machinationibus litigatorum. *Ita Senatus* pro N. Iacobo Salreur Senatore, contra Ioannem Varambon, 21. Iunij 1613. ex Boer. quæst. 15. num. 6. & seqq. vbi tractat de Senatore qui naufragio quidem totum processum cum aliis suis rebus plerisque amiserat, sed cui tamen poterat obiici culpa quæ casum præcesserat, quod post rem iudicatam noluisset processum restituere prætextu sportularum, quasi earum nomine haberet ius retentionis, quod certè non habebat.]

3 L. contractus, 23. de reg. iur. in fin. l. quæ fortuitis, 6. D. de pign. act.

4 L. 1. §. is quoque, D. de oblig. & action.

5 Nam & magnam negligentiam placuit hoc casu in doli crimen cadere, d. §. is quoque in fin. & l. quod Nerua, 32. D. hoc tit. l. mulier. 22. §. sed enim, D. ad SC. Trebell.

6 Textus est, in l. 1. C. de locat.

7 Nam in actione depositi, sicut & in cæteris bonæ fidei actionibus, ex quibus quis petat rem suam, quapropter aduersa-

BIU Cujas

rij dolum cauere cogatur, in litem iuratur, *l.1. §.in depositi, 26. D.hoc tit. l.in actionibus, 5.D.de in lit iur.l.vlt.C.vnde vi.* Non tamen similiter in depositi actione contraria, quia in ea non agitur de fide rupta, sed tantum de calculo, *l.ei apud quem, 5. D.hoc tit.* iunct. *l.furti, 6.§.vlt.de his qui not.infam.*

8 *L.1.§.si pecunia, 36.& §.si cista, 41.D.hoc tit.*

9 Debent enim probationes esse concludentes, nec probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, vt vulgo dici solet, *ex l. neque natales, 10.l.non nudis 14. & pass. C.de probat.l.non hoc, 4.C. vnde legit.*

10 *d.l.ponderando verba illa, illæsis horreis, C.de locat.*

11 Non enim parua suspicio est, male, circa res alienas versatum eum, qui suis eundem casum perpessis melius prospexerit, *arg. l.chirographis 57. D.de admin.tut.* vbi non dubito quin pro *priores* legendum sit *proprios* in illis verbis, *cum idem circa priores debitores fecissent.* Adde *l.procurator, 55. D.mandat.* iunct. *l.1.C.de furt.*

DEFINITIO V.

De depositio ex voluntate & stipulatione deponentis restituendo filiabus depositarij tanquam iure donationis non insinuatæ. Et quid si agatur eo nomine hypothecaria contra tertium.

TItius acceptis in depositum à Sempronia centum, cauerat Semproniæ se filiabus suis quibus illa donatum inter viuos volebat, eam pecuniam restituturum singulis viriles cùm nuptias contracturæ essent, aut solidum ei quæ vltima supereſſet, in eamque rem bona sua omnia obligauerat, ipsis etiam filiabus cum donatrice ac notario stipulantibus: neque tamen vlla eiusmodi donationis inter viuos facta insinuatio proponebatur. Cum Titius ea bona quæ obligauerat, vendidisset Mæuio, & Mæuius à Titij filiabus post contractas nuptias, per quasi Seruianam conueniretur, dicebat eos nullo iure agere, propterea quod iure nostro prouinciali donatio quantulæcunque summæ ob defectum insinuationis nullius omnino esset momenti, [1] Itemque quod inter patrem & filios quos eo tempore habebat in potestate nulla ciuilis obligatio contrahi potuisset. [2] Visum est etiamsi donatio illa non valuisset tanquam donatio, quod insinuata non fuisset, defendendam tamen illam iure fideicommissi: [3] quippe quod etiam à depositario relinqui posse constabat, [4] nec minùs per epistolam aut contractum, quàm in testamento vel in codicillis. [5] Nec posse vicium donationis facere, vt eam depositarij promissionem de restituendo liberis suis deposito sine causa factam esse dici posset, cùm subesset obligatio restituendi depositi, non solùm ipsi deponenti, sed etiam omnibus, quibus illa restitui mandasset, ex quacunque tandem causa restitutionem imperasset, [6] cùm restituendi necessitas non aliam causam exigat, quàm contractæ obligationis & voluntatem eius qui deposuit, [7] quæ in proposita facti specie minime vnquã mutata dicebatur. Itaque sicut ipse depositarius iustam illam denegandæ restitutionis causam habere non posset, quod donatio non valuisset, [8] Sic neque Mæuio habenti causam ab eo, licet onerosam, permittendum esse, vt eiusmodi exceptione vteretur, [9] aut patriæ potestatis impedimentum obiiceret, quod depositarius citra insigniorem perfidiam obiicere non potuisset. Quidni enim saltem propriis liberis depositum restituat mandante ea persona quæ deposuit, quod & ipsi deponenti & alij cuilibet ex eius mandato restituere cogeretur? [10] Præsertim cum negari non possit quin saltem naturalis obligatio inter patrem & filium contrahatur, [11] cui obligationi naturali perinde ac ciuili pignus & hypothecam accedere posse certum est. [12] Itaque pro liberis Titij contra tertios pignorum possessores, etiam viuo Titio pronunciandum esse placuit. [13] Tanto magis quòd in causa quodammodo dotis ea restitutio in filias depositarij collata esset. Sublata enim causa donationis supererat causa pietatis. [14] Nec decipiendi erant mariti qui eo contractu freti ad nuptias faciliùs contrahendas fuerant inuitati. [15] Iunge Def.10. infr. De donat. *Ita Senatus* pro Iacobo Verchey, contra Ant. Band. 9. April. 1614.

1 Vt scribemus ĩ *l.lib.8.tit.39.de instit.donat.*

2 *L.imperator 50.D.ad SC.Trebell. l.ne cum filiofamilias 16.D. de furt.*

3 Inspecta scilicet qualitate negotij potius quam nomine contractus, vt in *l.ex conducto 15.§.Papinianus, alias l.si vna D. locat.*

4 *L.si pecunia 77.de leg.1.l.cùm quis 38.§.pater in fi.de leg.3.*

5 *L.& in epistolam 22.Cod.de fid.l.Publia, 26. in princip. & §.1. D depos.*

6 *L.quamuis 40.§.vlt.l.41.42.D.ad SC.Trebell.*

7 Depositum enim semper restituendum est vel ei qui deposuit vel cui ipse voluerit sine vlla exceptione, *l vlt.de compens. & tot.hoc tit.D.& C.*

8 Nec enim ideo deberet depositum cedere lucro depositarij, *l.bona fides 3.D.hoc tit.*

9 *Ex reg.l.quod ipsis 145.de reg.iur.*

10 Debet enim depositario sufficere, quod ei restituendo cui voluit is qui deposuit liberationem perinde sit consecuturus, *d.l.si pecunia 77.de legat.1.*

11 *L.frater à fratre 38.§.1.de cond.ind.*

12 *L.5.in princ.D.de pignor.*

13 *L.1.& tot.tit.eod.*

14 *L.cum is 32.§.mulier D.de cond.ind.15.l.5.§.pen.de doli except.*

TIT. XXVI.

MANDAT.

DEFINITIO I.

Pactum de certo quamuis maximo salario valet, quamuis non de quota litis.

NOn videri contra bonos mores pactum fecisse de quota litis aduocatum, qui alienam litem maxima mercede prosequendam susceperat, *Senatus* pronunciauit in causa D. Dintroz Augustani, 3. Non. Decemb. 1588. Quid enim, aut quantum salarij nomine detur, nihil interest, [2] dum ne qua litis portio eo nomine præstetur aut promittatur. [3]

1 Per text. *in l.si remunerandi, 6.§.vlt.cum l.seq.D.hoc tit.l.vnic. C.de suffrag.*

2 Salarium tamen certum esse oportet, *l.salarium, 17.Cod.hoc tit.* iunct. *l.1.eod.l.qui mutuam, 56.§.pen.D.eod.tit.*

3 Hoc enim districte prohibitum est, tanquam quod sit contra bonos mores, *l.sumptus 53. D.de pact.l.litem, 15. C.de proc.l.si contra 20.C.hoc tit.l.si quid aduocatorum, 5. C.de postul.* iunct. *l.quisquis 6.§.præterea eod.* Adde *l.1.si cui cautum, D.de extraor. cognit.* Guid.Pap. *qu.102.*

DEFINITIO II.

Ex facto substituti tenetur qui eum substituit, sed non nisi in subsidium.

QVi per substitutum fecit, quod per seipsum facere debuit, tenetur ex facto substituti. [1] Sed an principaliter, an in subsidium duntaxat? Placuit Senatui non nisi in Subsidium. [2] Pro Pantaleone Thomassin, contra D. Bonauenturam Besse, ex tempore, 10. Cal. Aug. 1591.

1 Hoc enim est quod dici solet, eum, qui per alium facit, per seipsum facere videri, *l nullus, 60.l.neminem, 64.C.de decur.li.10. tit.31.l.2.C.de period.nominat.lib. 11.tit.33.* Papon. *lib.6. symagm.tit. 6.§.1.* Adde *l ex facto, 30. de negot.gest.*

2 Vt ille semper primus conueniatur, qui primus gessit, quamdiu soluendo est, vt euenit in tutoribus, quamquam simul & in solidum singulis obligatis, *l.2.C.si tut.vel curat. non gesser.l. etsi scisses, 8.C.de admin.tutor.l.vlt.C.de diuid.tutel.*

DEFI-

DEFINITIO III.

Ex violento facto executoris non tenetur is, pro quo facta executio est, nisi is ratam eam habuerit.

SI apparitor aliusve executor te mandante perperam & iniurioſe executus ſit, eoque nomine & in pœnam pecuniariam & in litis expenſas mihi condemnatus,[2] tum cedat bonis,[3] æquum eſt dari mihi contra te actionem in omne id, quod ab eo ſeruare non potuero,[4] tametſi non ei mandaueris vt mihi iniuriam inferret,[5] ſi modo vel præſente te facta ſit executio,[6] vel tu eam ratam habueris.[7] Imputari namque tibi poteſt, cur talem elegeris executorem,[8] & cur non ſtatim ab eo iure, quod tibi per executoris iniuriam quæſitum fuerat, receſſeris.[9] *Ita Senatus* in cauſa Clementis Anguiſardi, 12. Cal. Mart. 1589.

1 Puta ſi exceſſerit fines mandati, *vt in l. ab executione, 5. C. quor. appellat. non recip.* aut ſi facta ſit executio contra formam iuris, ſiue communi, ſiue municipali præſcriptam, quo caſu licet etiam de facto, vt aiunt, reſiſtere executori, *l. contra noſtra. 5. C. de execut. & exact. lib. 12. tit. 61.* alioqui iuris executio non poteſt habere iniuriam, *l. iniuriarum, 13. §. 1. & §. quæ à magiſtratu D. de iniur.*

2 Neque enim cuiquam permitti debet, vt publicæ auctoritatis prætextu in alterius necem abutatur, *l. illicitas, 6. in princip. & §. ne potentiores, cum ſeq. D. de offic. præſid.*

3 Atque ita meam actionem mihi quodammodo eripiat, nulla enim actio eſſe videtur, quam debitoris excludit inopia, *l. nam is, 6. D. de dolo mal.*

4 Factum enim executoris, vt & interdum ipſius iudicis cenſetur factum partis, *vt in l. ſi ob cauſam, 13. C. de euict. l. 1. C. ſi in cauſ. iudic. pign. capt. ſit.*

5 Mandato enim generali numquam cenſetur comprehenſum mandatum delinquendi, cum nec rei turpis mandatum vllum ſit, *l. ſi remunerandi, 6. §. rei turpis l. ſi mandauero 22. §. qui ædem, D. hoc tit.*

6 Quo caſu poteſt tibi imputari cur paſſus ſis id fieri, quod ne fieret, poteras prohibere, *d. l. ſi remunerandi, 6. §. ſi paſſus ſim, l. qui patitur, 18. l. qui ſide, 53. D. hoc tit. l. ſi ſideiuſſor, 6. C. eod.* quibus omnibus locis ſcriptum eſt præſentem & patientem haberi pro mandante.

7 Tritum enim eſt, ratihabitionem comparari mandato, *l. vlt. C. ad Maced.* & per eam fieri meum negotium, quod alioqui non eſſet meum, *l. ſi pupilli. 6. §. item quæritur, l. Pomponius, 9. D. de neg. geſt.*

8 Vt de eo dici ſolet, qui talem depoſitarium elegit, *l. 1. §. is quoque, de oblig. & act.* aut talem iudicem, *l. cum Papinianus, 14. C. de ſent. & interl. omn. iudic.*

9 Quo caſu proculdubio ſecurus fuiſſes, quia tibi alienum factum imputari non potuiſſet, cùm alterius facto vel odio alius non debeat prægrauari, *l. ſi quis ſuo 33. §. 1. C. de inoff. teſt. l. ſancimus, 22. C. de pœn. l. non debet, 74. de reg. iur.*

DEFINITIO IV.

Neque tranſactio, neque compromiſſum alieno nomine fieri poteſt ſine ſpeciali mandato.

SIue tranſigere de alieno iure, ſiue, quod tranſactioni proximum eſt, compromittere quis velit, ſpeciali mandato indiget, nec generale ſufficit.[1] *Ita tractatum eſt* 7. Id. Iun. 1591.

1 *L. mandato 60. ff. de procurat.* Guid. Pap. *quæſt. 69.* Sunt etiam alij caſus, in quibus mandatum ſpeciale requiritur, *vt in l. non ſolum 39. §. vlt. & l. ſeq. l. qui duos, 47. & ſeq. ff. de procur. l. illud 25. §. 1. & ſeq. ff. de minor.*

DEFINITIO V.

Mandatum finitur interueniente noua cauſa, quæ rerum ſtatum mutet.

VT mandatum finitum videatur, ſufficit mandatarium iuſtam habere cauſam timendi, ne præter aut contra voluntatem mandatoris mandatum exequatur. Inter cæteras enim finiendi mandati rationes illa etiam eſt, ſi noua cauſa emergat.[1] Siquidem in omni mandato ſubintelligitur ſemper clauſula illa, ſi res in eodem ſtatu permanſerit.[2] *Ita Senatus* in ea cauſa de qua SC. 7. infr. De inſin. donat.

1 *L. quod ſeruus, 35. l. ſi cum Cornelius, 82. ff. de ſolut. l. quod ſeruus, 11. ff. depoſit.*

2 Vt & in aliis rebus fere omnibus, *l. cum quis, 38. verſ. tacite enim ff. de ſolut.*

DEFINITIO VI.

De mandato exigendarum pecuniarum conuenta mercede.

MAndauerat tibi Sempronius, vt à debitoribus ipſius exigeres,[1] data tibi in mercedis vicem debiti parte, ſed ea lege, vt in ſingulos menſes exactarum pecuniarum rationem redderes. Cum à pluribus, non tamen ab omnibus exegiſſes, nec dum rationem vllam reddidiſſes, petierat Sempronius à iudice, porrecto in eam rem ſupplici libello, vt inhiberetur tibi, ne quid amplius exigeres, quoadusque exacti ratio per te reddita eſſet.[2] Ob eam cauſam in ius vocari te iudex præceperat: Tu ex quo die vocatus fueras nihil exegeras. Quærebatur, an imputare tibi Sempronius poſſet, cur non exegiſſes, ſi interea facti eſſent non ſoluendo ij, à quibus debitum alioqui ſeruari potuiſſet. Placuit non poſſe, vtpote reuocato mandato contraria expreſſaque mandantis voluntate.[3] Etſi enim non prohibuerat te exigere, tamen ſufficiebat, quod ſupplicem libellum, quem porrexerat Iudici, vt prohibendi ius haberet, tibi inſinuaſſet:[4] neque enim mandati reuocatio eſt ex earum rerum numero, quæ per Iudicem expediri debent, cum pendeat ex ſolo animo reuocantis.[5] Quinimo ſatis eſt, quod iuſtam dubitandi cauſam habueris, ne inuito Sempronio exigeres.[6] Nec ad rem pertinebat, quod mandatum hoc non potuerat te inuito reuocari, cum non tantum mandantis, ſed etiam tua gratia factum fuiſſet.[7] Non enim id tibi nocere debebat, quod in gratiam & vtilitatem tuam conſtitutum eſſet,[8] præſertim ſi tali reuocationi conſenſiſſe te facto ipſo comprobaſſes. Nam quid intererat, an verbis, an facto voluntatem tuam declaraſſes?[9] Plane ſi conſtaret, non eo minus exegiſſe te à debitoribus, æquiſſimum eſſet imputari tibi, cur ab omnibus non exegiſſes.[10] Hic enim locum habere poterat, quod proditum eſt, Dolum eſſe, ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt, aut ſi quis non exegerit, vel ſoluerit, quod exigere, ſoluere.[11] Quaſi hoc ipſo, quod à quibuſdam debitoribus exegiſſes, ſatis declaraſſes, nolle te reuocationi conſentire.[12] Diuerſum eſſet, ſi ad nutum Sempronij mandatoris reuocari mãdatum potuiſſet. Nam quod exegiſſes, poſt reuocationem nõ faceret, vt de eo, quod non exegiſſes, rationem reddere deberes, ſed potius vt furtum feciſſe videreris, ideoque & furti poſſes conueniri.[13] *Ita Senatus* in cauſa Franciſci Garin Procuratoris Necienſis, & N. Pollet, 3. Cal. Febr. 1593.

1 Mandatum enim ita contrahi poſſe certum eſt, *l. ſi vero 12. §. pen. D. hoc tit.* Sed tamen quod ſequitur, conuentum fuiſſe de mercede, impedit, ne hoc mandatum dici poſſit, quia mandatum omne gratuitum eſſe debet, cum originem ex officio & amicitia trahat, contrarium autem officio eſt merces. Nam interueniente pecunia, res ad locationem & conductionem potius reſpicit, *l. 1. §. vlt. l. ita vt 36. §. 1. ff. eod. tit.* quamuis impleto mandato nihil vetet remunerationem promitti, *l. ſi remunerandi 6. in princ. eod.* quomodo accipiendæ ſunt omnes, quæ loquuntur de ſalario conſtituto ei, qui mandatum ſuſcepit, *vt in l. ſalarium 7. eod. l. 1. l. ſalarium, 17. iunct. l. ſi contra 20. C. eod.* Itaque hæc Definitio magis pertinet *ad tit. de locat.* quam ad hunc.

2 Certum enim eſt, potuiſſe mandatum finiri, imo vero fuiſſe extinctum finita mandantis voluntate, *d. l. ſi vero 12. §. pen. hoc titul.*

3 *d. §. pen. l. 3. C. eod. l. ante litem 16. ff. de Procurat.*

4 *Arg. l. ſicut 3. verſ. niſi allegato, Cod. de præſcript. 30. vel 40.*

BIU Cujas

annor. *l. item veniunt* 20. *§. petitam, & l. sed etsi* 25. *§. si antè, D. de petit. hered.*

5 Quo casu qualiscunque certioratio sufficit per qualemcunque denunciationem facta, *arg. l. nomen* 4. *C. quæ res pignor. l. vlt. D. de transact.*

6 Vt diximus Defin. *præced. ex l. quod seruus* 11. *D. depositi. l. quod seruus* 35. *l. si cum Cornelius* 82. in illis verbis: *Nec causam habuisset existimandi id inuita Seia facturum esse, D. de solut.*

7 Imo, cum non tam mandatum esset, quam locatio & conductio, vt diximus *nu.* 1. Certum namque est, in contractib. nominatis, ex quo tempore semel perfecti sunt, non esse locum pœnitentiæ, *l. sicut initio* 5. *C. de oblig. & act.*

8 Absurdum enim fuerit, aduersarium tibi imputare velle, cur ei tam facile consenseris, & in odium tuum retorquere, quod in tui fauorem fuerit constitutum, *l. nulla* 25. *D. de legibus l. quamuis* 6. *in princip. D. de pign. act. l. Lucius* 40. *§.* 1. *D. de fideic. libert.*

9 *L. non tantum* 5. *D. rat. rem haber.*

10 Non enim tibi licere debuit inducere diuisionem voluntatis aduersarij, & eam partim probare, partim improbare, *l. cum quæritur* 16. *D. de admin. tutor. l. eum qui* 18. *§. vlt. de his quæ vt indign. auser. l. si ita* 39. *§.* 1. *D. de oper. libert. l. nam absurdum* 7. *D. de bon. libert.*

11 *L. dolus est* 44. *D. hoc tit.* Sic enim habet vulgata illius loci lectio, quam nescio cur Haloander, Robert. Stephan. & alij nonnulli emendarint.

12 Eadem ratione, quam supra attulimus *nu.* 9. quod nihil interfit, an verbis, an factis voluntas declaretur, *d. l. non tantum* 5. *D. rat. rem haber.*

13 *L. si is quæ* 66. *§. Iulianus, D. de furt.* Non eo minus tamen debitores, qui tibi soluissent, liberarentur, dummodo soluissent ignorantes reuocatum mandatum, *l. eius qui* 41. *D. de reb. credit. l. si quis seruo* 18. *d. l. quod seruus* 35. *l. cum quis* 38. *§.* 1. *D. de solut.* Nec enim hic falsus Procurator omnino videtur, qui aliquando verus fuit, *arg. l. cum filius* 76. *§. heres meus, de leg.* 2. Nam in falso Procuratore aliud est, quia nummi manent debitoris, qui soluit, & ideo debitor non liberatur, *l. falsus* 43. *§.* 1. *cum l. seq. l. si vendidero* 8. *§. falsus, D. de furt. l. falsus* 16. *C. eod.*

DEFINITIO VII.

Qui habet idoneum mandatum non cogitur exhibere domini ratihabitionem, quamuis eam promiserit.

CVm Titij nomine & tanquam eius Procurator ex mandato, de quo constabat, fundum venderes, promisisti facturum te, vt is ratam haberet venditionem: [1] si pretium petas, priusquam ille ratam habuerit, non es repellendus ea exceptione, quasi ex parte tua prior non satisfeceris. [2] Superuacua enim est illa de rato promissio intercedente mandato, [3] nisi forte de mandati viribus & potestate dubitetur, quo casu aliqua ratihabitionis vtilitas esse possit. [4] *Ita Senatus* ex tempore, 14. Calend. Mart. 1593.

1 Quæ clausula solet apponi in omnibus contractibus per Procuratorem initis, tum etiam cum de mandato constat, ne facti quæstio superesse possit, an seruata sit forma mandati, & consequenter an valeat, quod ex mandato gestum est, *l. diligenter* 5. *D. hoc tit. l. cum mandati* 12. *C. eod.*

2 Qui enim agit ex contractu reciproco, & vltro citroque obligatorio, prior implere debet, *l. Iulianus* 13. *§. offerri, D. de act. empt. l. si pater* 8. *C. eod. l. cum fundus* 31. *vers. sed adiicere, D. de reb. credit.*

3 Nullus enim alius ratihabitionis effectus esse potest, quam vt mandato æquiparetur, *l. vlt. C. ad SC. Maced. l. vero* 12. *in fin. D. de solut.*

4 *L. quod si* 26. *D. de minor. l. non solum* 39. *§. pen. D. de procur.* Adde idem esse, si probabiliter dubitari possit, an forma mandati sit seruata ex iis, quæ dixi *nu.* 1. Alioqui non est audiendus quisquam, siue agendo, siue excipiendo, si eius non interfit, *l.* 3. *§.* 3. *l. stipulatio ista* 38. *§. alteri, de verb. oblig.* [An verò mandatum in dubio præsumendum sit, & quando & quomodo probandum. Vide Boer. *quæst.* 281. *per tot.* Vbi concludit præsumi mandatum, & quidem legitimum ex decursu longissimi temporis, & posse probari per testes, Nisi cùm cogitur de mandato ad pecuniam exigendam & solutionem accipiendam.]

DEFINITIO VIII.

Cessionarius à præcisa executione incipere non potest suo nomine, alieno potest, non tamen contra heredem debitoris.

CEssionarius suo nomine incipere à præcisa executione non potest [1] cedentis nomine, & tanquam simplex mandatarius & Procurator potest, aduersus debitorem quidem ipsum, [2] sed non etiam contra eius heredem. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 10. infr. De hered. vel act. vendit.

1 Non solum si spectes rationem iuris, quæ non patitur, vt ab executione vnquam incipiatur, *l. 1. C. de execut. rei iudic.* sed etiam si ius illud inspicias, quo hodie vtimur; ex quo receptum est, vt possit incipi ab executione instrumenti guarentigiati, vtpote quod habeat vim sententiæ & condemnationis, quia instrumentum cessionis non potest esse guarentigiatum, vt loquuntur; de quo late Boer. *quæst.* 10.

2 Quoniam qui mandatis actionibus experitur, alieno agit nomine, non suo *l. qui stipendia* 9. *l. ita demum* 13. *C. de Procurat. l. filius familias* 8. *§. veterani, l. Procuratore* 55. *D. eod.*

3 Quia non potest instrumentum esse guarentigiatum contra debitoris heredem, quantumuis sit ille eiusdem iuris, cuius & defunctus fuit, quin prius exploratum sit, heredem eum esse, quod facti est & animi, non iuris, *l. pro herede* 20. *l. gerit* 88. *de acquir. hered.* Prius ergo est citandus heres & interrogandus, an sit heres, & pro qua parte, *l.* 1. *& tot. tit. D. de interrog. in iur. faciend.* Quod si nec ipse cedens, qui actiones directas habet, non potest incipere ab executione contra heredem, quanto minus cessionarius, qui suo nomine non habet nisi vtiles, alieno vero non plus iuris habere potest, quam habeat is, ex cuius persona agit; *d. l. Procuratore* 55. *de Procur. l. si cum emptore* 16. *D. de pact. l. emptor* 5. *l. postquam* 7. *& seq. C. de hered. vel act. vendit.*

DEFINITIO IX.

Cessiones quales prohibitæ sint Anastasiana constitutione.

NOn omnes cessiones Anastasiana lege, [1] quæ apud nos obtinet, [2] improbatæ sunt, [3] sed eæ tantam, quæ fiunt alienarum litium redimendarum gratia, data in eam causam pecunia, siue venditionis nomen cessioni insertum sit, siue nuda cessio facta proponatur, citra causam tamen donationis [4] abrogato hac parte iure vetere, quod nominis etiam controuersi cessionem & venditionem fieri permittebat. [5] Quid ergo si cui cessio facta sit pure & simpliciter, nulla pretij adiecta mentione, sed intuitu tamen nouæ obligationis, quam cessionarius contraxerit, de pari quantitate cedenti post diem soluenda? Addito etiam pacto, vt quanto minus à debitore exigi poterit, tantundem de noua illa obligatione deduceretur. Quidam putabant, non pertinere casum hunc ad Anastasij constitutionem, quasi facta cessione ex causa onerosa, [6] susceptoque potius gratuito mandato bona fide de alieno debito exigendo, [7] cum id aperte actum esset, vt exactionis periculum ad cedentem pertineret: [8] alij contra, non videri causam onerosam, quam hic cessionarius vltro subiisset. Quid enim cogebat eum nouam in se suscipere obligationem alieni debiti, nisi quod prius alieni debiti exactionem vltro suscepisset? [9] Quod vero exactionis periculum ad se pertinere noluisset, an non faciebat potius, vt aduersarij tantum vexandi gratia cessionem audacius suscipere voluisse videretur, nullo scilicet imminente damni metu? [10] Nam si periculo suo fieri cessionem voluisset, equidem excessisset ea res notissimos mandati terminos, [11] sed tamen magis ex bona fide rem gessisse credendus esset, præsertim cum cedens pupillus proponeretur, [12] tametsi tutoris auctoritas interuenisset. [13] Denique non poterat videri gratuitum mandatum susceptum, cum cessionis instrumento expressum esset, factam cessionem ad cessionarij heredumque ipsius vtilitatem, eumque in rem suam Procuratorem constitutum fuisse, [14] quamuis non dubitaretur, quin potuisset ille nudi & simplicis mandatarij officium exequi, si maluisset. [15] *Ita tractatum est*, in eadem causa.

1 Quæ extat *in l. per diuersas* 11. *Cod. hoc titul.* * Casus ille excipitur, si quis cessionem acceperit pro munimine rerum

rerum apud se constitutarum, quod intellige bona fide & sine vicio: nemini enim debet prodesse, quod prædonis more alienam possessionem inuaserit, vt ita possessor factus captatis postmodum cessionibus illatam à se iniuriam prætextu iuris tueretur, vt lita sæpius à Senatu nostro pronunciatum est, maxime in causa Gorge & Dorlier, Nouemb. 1622.

2 Quamuis in Gallia eam non obtinere quidam scripserint. Imbert. in enchirid. in verb. *Peines pecuniaires.* Gothofr. *ad d.l. per diuersas.* Bugnonius in legibus abrogatis.

3 Alioqui sequeretur abrogatum esse, *tit. de hered. vel act. vendit. D. & C.* quod absurdum esset.

4 *d.l. per diuersas: & l. ab Anastasio 23. Cod. hoc titul.* ex quibus locis petendæ sunt exceptiones, in quibus placuit Anastasio cessionem actionis fieri posse.

5 *L. si nomen 4. l. qui filij familias 14. l. nomina 17. l. venditor 23. & pass. D. de hered. vendit.* Nec enim ante Anastasium quicquam erat, quod talem venditionem impediret, etiam inuito debitore, *l. 3. C. eod. l. 1. C. de nouat.*

6 Excipiuntur enim Anastasiana constitutione cessiones factæ ex causa onerosa, *d. l. per diuersas, vers. exceptis.*

7 *Vt & in l. si vero 11. §. penult. D. hoc tit.*

8 Quod tamen regulariter solet pertinere ad cessionarium, si eius fauore facta sit cessio, *l. pupilli 96 §. soror. D. de solut.* Scripsi *lib. 12. Coniect. c. 7. & 12.*

9 Cum enim quis vltro se in aliquam necessitatem coniicit, non eo minus actus dicitur voluntarius, *l. si fideiussor 7. §. 1. D. qui satisd. cogant.*

10 *L. 1. & 2. C. ne lic. potent. patroc. litig. præst. vel action. in se transfer.*

11 Mandatum enim sicuti gratuitum esse debet, ita nec mandatario damnosum, *l. ita vt 36. §. 1. & pass. D. hoc tit. l. si seruus 61. §. quod vero ad mandati, D. de furt.*

12 Contra quem minor præsumptio & suspicio fraudis est, *l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo, ff. quæ in fraud. credit.*

13 Quo tamen casu tutoris dolus, si quis esset, pupillo nocere deberet, *l. 4. §. illa etiam quæstio, ff. de doli except.*

14 Qui enim gratuitum mandatum suscipit, nihil ex mandato acquirit: at is, qui sit Procurator, in rem suam acquirit sibi vtiles actiones, *l. Procuratore 55. ff. de procurat.*

15 *L. qui stipendia 9. l. ita demum 13. C. eod. tit. de Procurat. l. quamtis 40. §. vlt. & seqq.* vbi DD. *& in l. apud Iulianum 11. §. virum, D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO X.

Agenti ex cessione vitiosa debet obiici vitium ante litem contestatam, aut numquam.

PVrgatur vitium cessionis, si debitor agentem cessionarium admiserit, quem Anastasianæ cōstitutionis auxilio potuit summouere.[1] Itaq; sicut ante omnia cessionarius docere debet de cessione:[2] ita & debitor vitium cessionis statim obiicere, id est, ante litem cum cessionario contestatam.[3] Multo magis nocebit debitori, si cessionario soluere inceperit.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec enim prohibitæ sunt cessiones nisi in fauorem eius, contra quem fiunt; ei vero, vt & alij cuilibet, licet iuri pro se inducto renunciare, *l. penult. C. de pact.*

2 Vt diximus *Defin. 8.* ex Boer. *quæst. 10.*

3 Alioqui litem contestando cum cessionario videtur cum eo quasi contrahere, *l. 3. §. idem scribit. ff. de pecul.* & cessionem agnoscere, *l. 3. C. de nouat. l. 3. C. de oblig. & action.*

4 *d. l. 3. C. de nouat.* de qua vide quæ scripsi *lib. 12. Coniect. cap. 6.*

DEFINITIO XI.

Plenior est mandati actio quam ex empto.

PLenior est mandati actio, quæ competit fideiussori aduersus debitorem, pro quo soluit,[1] quam ex empto, quæ emptori aduersus venditorem ex causa secutæ euictionis laudatum.[2] Etsi enim vtraque est ex bona fide,[3] omnes tamen impensas in litem factas fideiussor repetit, etiam quas ante denunciationem fecerit,[4] si non eas propriæ potius culpæ possit adscribere:[5] emptor vero non alias, quam quæ factæ sunt post solemnem denunciationem.[6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 26. infr. de fideiuss.

1 Mandato scilicet intercedente: alioqui non mandati, sed negotiorum gestorum actio est, *l. ex mandato §. 1. D. hoc tit.*

2 *L. 2. l. si in venditione 60. D. de euict. l. non dubitatur 6. & pass. C. eod.*

3 Nam inter bonæ fidei actiones & mandati & ex empto actio numerantur, *in §. actionum, Instit. de action.*

4 Nec enim damnum pati debet ex impleta fide suscepti mandati, *l. si seruus 61. §. quod vero, D. de furt.*

5 Aut etiam casibus fortuitis. Nam nec ea, quæ casibus fortuitis potius, quam mandato imputantur, ex mandati iudicio non præstantur, *l. inter causas 26. §. non omnia. D hoc tit.* licet Accurs. ad eum locum notet, illius loci sententiam de curialitate non obseruari, id est, à bono & honesto mandatore negligi. Sane mandatario propriam ipsius culpam imputandam esse constat, *dict. l. inter causas, §. sed cum seruus.*

6 *L. Herennius 63. in princ. & §. 1. D. de euict. l. emptor 8. & seq. & pass. C. eod.*

DEFINITIO XII.

Vsuræ ex causa mandati præstitæ repetuntur etiam contra eum, qui vel nullas vel minores debuisset.

CVm deberes Titio trecenta ex chirographo, nec haberes vnde solueres, actum erat inter nos, vt pro te expromissorem me constituerem.[1] Itaque tuum tibi Titius chirographum reddiderat. Ego vero me Titio in eandem quantitatem obligaueram quasi meo nomine & ex causa mutui, tametsi nulla mihi pecunia numerata esset. Tu mihi vicissim eandem quantitatem promiseras, nulla quidem Titij aut prioris debiti mentione facta, sed tamen vtroque chirographo manu tua scripto & eodem die iisdemque conditionibus expressis,[2] hoc est, vt si ad diem non solueres, præstares mihi, quanti mea interesset, si mora per me fieret solutioni. Constat, agenti mihi contra te ex chirohrapho condemnari te debere, vt easdem vsuras præstes, quas Titio à me præstitas docuero.[3] Etsi enim eo iure vtimur, vel inuita iurisprudentia, vt ex chirographo, etiam cum certa dies solutioni dicta & vsurarum pœna subiecta est, vsuræ nullæ debeantur, nisi à die interpellationis:[4] id tamen obtinet, cum ex chirographo agitur certi condictione, quæ ex mutuo proficiscitur.[5] Hic autem subesset causa mandati,[6] inspecta scilicet non tam chirographi scriptura, quam negotij gesti veritate.[7] Iniquum namque fuerit propter mandatum tuum damno me affici,[8] licet proponas, pristini debiti conditionem talem fuisse, vt nullæ eo nomine vsuræ deberentur.[9] Nec rursus mihi obierit, quod vsuras vltro soluerim, quarum petitio nulla erat ex chirographo citra interpellationem.[10] Non enim ex bona fide est, vt mihi imputetur, cur bonam fidem agnouerim, vt eas vsuras soluerim, quas promiseram.[11] Finge Titium mercatorem esse, qui vsuras decunces solitus sit ex negotiatione percipere.[12] Denique indemnem me abs te præstari æquissimum est, & tanto magis si neges mandatum,[13] cuius vtique apertissimam coniecturam illud præbebat in proposita specie, quod eodem tempore iisdem verbis & conditionibus, eademque tua manu chirographum vtrumque scriptum constabat, nulla præsertim prolata in contrarium probatione.[14] Quanquam si certus promissarum vsurarum modus non fuit, non debui te inscio maiores soluere, quam quæ tum ex regione frequentarentur, aut quas Iudex taxauisset. Quid enim si vsuras centesimas vltro soluerim ei, qui non nisi quincunces petere in iudicio potuisset? Non debet id tibi nocere,[15] nisi probem, centesimas aut eas ipsas, quas soluerim, fuisse debitas, & exigi iure potuisse.[16] *Ita Senatus* in causa D. de Charanson magistri Computorum & Dominæ de la Foreſt, 11. Cal. April. 1593.

BIU Cujas

1 Sic enim plerumque solutio fieri solet expromissore dato, si creditor pro pecunia expromissorem accipere sit paratus, non aliter. *l. quod si 10. ff. de pign. act. l. quamuis 8. §. si conuenerit, D. ad SC. Velleian.*

2 Ex quibus circumstantiis non obscure colligi posse videbatur, in vtroque chirographo actum fuisse de eodem negotio. Id enim est, quod dici solet, ea, quæ fiunt in continenti, inesse videri, *l. iuris 7. §. quinimo, ff. de pact. l. lecta 40. D. de rebus credit.*

3 Iudicio scilicet mandati, *l. si vero 12. §. si mihi mandaueris, vers. sed esse D. hoc tit.*

4 Vt diximus *Desin. 15. C. de vsur.*

5 Quia condictio certi ex mutuo est stricti iuris, *§. actionum, Inst. de action.* & consequenter non facile admittit accessionem vsurarum, at nec aliam quamlibet, *l. 3. §. in his quoque, l. mora 32. §. in bonæ fidei ff. de vsur. 17. de naut. fœnor.*

6 Dixi *D. fin 26. C. de vsur.*

7 *L. 1. l. pen. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. quam quod simul. concip.*

8 *L. si seruus 61. §. quod vero ad mandati, ff. de furt.*

9 *d. l. si vero 12. §. mihi, l. si quis alicui 27. §. impendia. D. hoc tit.*

10 Quamuis dici soleat, parum fideliter facere fideiussorem, qui reo eximit potestatem vtendi iure suo, *l. Quintus Mucius 48. vers. parum enim, ff. eod.*

11 Numquam enim debet fideiussori esse noxiæ, si peperceret pudori suo, *d. l. Quintus, in fin. princip. l. si fideiussor 29. §. quædam tamen, ff. hoc tit.*

12 Frequentantur enim & tolerantur grauiores vsuræ inter mercatores, quam inter cæteros, propterea quod pecuniam vberiore lucro exercere solent, propter pericula quæ vicissim subeunt grauiora, *arg. l. 3. 4. 5. & pass. 3. de nautic fœnor.*

13 Maior enim fit perfidia ex inficiatione. Vnde & inficiator grauius puniri solet, *l. inde Neratius 23. §. pen. ff ad l. Aquil. l. cum de indebito 25. §. 1. ff. de probat. l. si quis inficiatus 13. ff. depositi.* iunct. *l. 1. §. hæc autem, in fin. eod.*

14 Ex iis quæ dixi *num. 2. C. eod.*

15 Parum enim fideliter facere videor, qui facio conditionem tuam deteriorem, *l. Quintus 48. vers. parum enim, ff. hoc tit.*

16 Eo namque casu absurdum & iniquum esset non potuisse me impune vltro soluere, quod vt soluerem cogi poteram per prætorem, *l. quod autem 6. apud Labeonem, ff. quæ in fraud. credit.*

DEFINITIO XIII.

Pecuniæ debitæ ex causa mandati, si conuersa sit in causam pretij soluti, vsuræ non debentur.

AT finge, in supra scripta specie conuenisse inter nos, vt tu mihi fundum venderes, nullo quidem pretio conuento,[1] sed quem tamen constaret longe pluris esse, quam trecentorum aureorum,[2] & inter nos actum fuisse extra contractum, vt pecunia illa, quam te mihi ex causa mutui debere dixeras, in causam pretij spe futuræ numerationis conuerteretur,[3] nec tamen secutam venditionem,[4] an eo minus cogendus eris vsuras mihi reddere, quas ego pro te præstiterim? Dubitationem facit, quod semper verum est, eas mihi abesse, & quidem ex mandati tui causa.[5] Sed tamen verius est, si per me, non per te steterit, quo minus venditio fieret, non magis ad has vsuras te condemnandum esse, quam si vendidisses:[6] quo casu nemo diceret condemnari te debere ad vsuras eius pecuniæ, quam non vt mutuam, sed tanquam tibi ex causa venditionis debitam accepisses.[7] Quid enim tua referret, qua conditione, aut à quo pecuniam illam mutuatus essem, vt tibi soluerem, cum in eo meum negotium, non tuum gessisse me appareret?[8] nec quod nulla secuta venditione incipiat pretium huiusmodi penes te esse sine causa,[9] faciet vt causa condictionis vsurarum obligationem inducat, nisi à quo tempore proposita condictione fueris in mora restituendi:[10] quod euenit, si retinendæ pecuniæ causam nullam habueris.[11] Quid enim si per me steterit, quo minus venditio secuta sit, vt eo nomine condemnari etiam debeam in id omne, quod tua interfit?[12] Quid si tantundem aliunde tibi debebam ciuiliter aut naturaliter? Non videberis moram feciisse, si efficaciter à te pecunia peti & exigi non potuit.[13] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Propter quam causam si nihil aliud interuenisset, venditio contracta videri non posset, quæ scilicet sine pretio esse non posset, cum eius substantia consistat ex pretio, *l. 1. & 2. §. 1. l. pacta conuenta 72. & pass. ff. de contr. empt.*

2 Vt proinde nihil vetaret eum fundum mihi vendi aut in solutum dari pro ea pecunia, quam mihi debebas, *vt & in specie l. vlt. in princ. ff. eod. tit. de contr. empt.*

3 Pecunia enim ex causa mandati debita facile in aliam causam potest conuerti, *l. singularia 15. ff. de reb. credit.* licet cum ea lege pugnet, *l. qui negotia 34. D. hoc tit.*

4 Aliud autem est venditio, aliud promissio de vendendo, *l. vlt.* vbi Bart. *nu. 8. ff. de condict. caus. dat.*

5 Quæ res solet inducere actionem mandati, *l. inter causas 26. §. abesse, & pass. D. hoc tit.*

6 Semper enim habetur actus pro impleto in præiudicium eius, per quem stetit, ne impleretur, *l. iure ciuili 24. de condict. & demonstr. l. in iure 161. de reg. iur. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.*

7 Eius namque pretij vsuræ solent deberi, quod solutum non fuit, non eius, quod solutum est, aut pro soluto habetur, *l. 2. C. de vsur. l. cuxabit 5. C. de act. empt. cum similib.*

8 Nemo enim ex eo negotio, quod tanquam suum gessit, actionem habere contra alium debet, *l. ita vt omnes 36. §. quod si fundus ff. hoc tit.* iunct. *l. creditor 60. §. 1. vers. palam enim. eod. l. si pupilli 6. §. sed & si quis 3. de neg. gest.*

9 Nihil enim refert, vtrum ab initio sine causa quid datum sit, an causa, propter quam datum fuit, secuta sit, *l. pen. ff. de condict. sin. caus.*

10 Condictiones enim sunt stricti iuris, ex quibus proinde non debentur vsuræ, ne quidem ex die moræ, adeoque nec ex die litis contestatæ, si rationem iuris inspicias potius, quam Interpretum opinionem, *l. videamus 38. §. si actionem, ff. de vsur.* iunctis iis, quæ scripsi *in Err. 1. Decad. 11. de error. pragmat.*

11 Non enim moram facit, qui iustam causam habet vel recusandæ vel differendæ solutionis, *l. sciendum 21. cum tribus seqq. ff. de vsur.*

12 Id enim euenit in omnibus faciendi obligationibus, vt in locum facti succedat id, quod interest, quamuis non fuerit promissum, *l. si quis ab alio 13. §. vlt. ff. de re iudic. l. quoties quis alium 81. ff. de verb. oblig.* Iunge *l. 1. ff. de act. empt. l. si traditio 4. C. eod.*

13 Mora enim nulla esse potest, vbi petitio nulla est, *l. si pupillus 127. de verb. oblig. l. nulla 88. de reg. iur.*

DEFINITIO XIV.

Qui debet vsuras ob defectum aliquam conditionem casualem, quæ si extitisset, nullas ille fuerat debiturus, certiorati debet de conditione defecta, vt in mora constitutus, & exinde vsuras debere videri possit.

QVid rursum si inter nos conuenerat, vt tu mihi fundum venderes sub aliqua conditione casuali,[1] cuius euentus in neutrius nostrum fuerit potestate, vt proinde non impleta conditione, ob idque nec secuta venditione, neutri ex nobis imputari quicquam possit,[2] an non perinde condemnandus eris ad eas vsuras, quas ego pro te soluerim Titio, si legitimum modum non excedant, ac si nulla contrahendæ venditionis spes ab initio fuisset?[3] Minime. Debui enim, cum primum defecta conditio est, denunciare tibi,[4] vt intelligeres, cessante causa venditionis superesse pristinam mandati causam, ex qua maneres mihi obligatus,[5] vt si eam tibi duriorem fore prospiceres ob vsuras, quas me Titio pro te soluere oportet, tanto citius pecuniam conquireres ad dissoluendam obligationem.[6] Finge, post elapsam diem, quæ chirographo dicta solutioni fuerat, venditionis spem adhuc subsitisse, vt si pecuniam eo tempore mihi obtulisses, fuerim ego recusaturus, vtpote quæ nondum defecta promissæ venditionis conditione in pretij causam conuerti adhuc potuisset,[7] an non in dolo sim, si defecta postea sine facto tuo[8] conditione imputare tibi velim, cur ad diem non solueris, eo solo

prætextu,

prætextu, quod ad eandem diem soluere me Titio oportuerit, aut ob non solutam sortem exinde vsurarum præstationi obnoxium fieri? [9] Noua igitur interpellatione & denunciatione opus fuit ad inducendam obligationem vsurarum, quasi pecuniæ siue creditæ, siue ex mandato debitæ. [10] Itaque cum in supra scripta facti specie de vsuris tantum quæreretur, & ego negarem, id inter nos actum, vt pecunia, quam tu mihi debere fassus esses, in pretij solutionem cederet, [11] tametsi non inficiarer, ea spe factam à me expromissionem, vt si venditio sequeretur, tantùdem ex pretio soluisse viderer: [12] Pronunciauit Senatus, deferente te iusiurādum, cogendum esse me, vt iurē vel referam, [13] quia non aliter sciri possit, an vsuræ mihi debeātur, quas pro te soluerim, an vel nullæ, vel minores. [14] Nec ad rē pertinuit, quod chirographo scriptum fuerat, creditā esse pecuniam nulla futuræ venditionis vt tractatus de ea habiti facta mentione. Plus enim valere debuit quod actum, quam quod simulate conceptum esset. [15] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Prudentes nostri vocant non promiscuam ad differentiam conditionis potestatiuæ, quam promiscuam appellant, *l. si iam fil. 11. §. 1. de cond. & demonst.* Ideo fortasse, quod de facili possint impleri, vt Cuiac. scribit *lib. 14. obser c. 2.*

2 Quod enim casu euenit, vel non euenit, nemini potest imputari *l. contractus 23. in fin. D. de reg. iur.* Ex contractu porro conditionali nihil debetur, antequam conditio extiterit, sed tantum spes est debitum iri, *§. ex conditionali, Inst. de verb. oblig. l. cedere diem 113. de verb. signif.*

3 Siquidem actus conditionalis, cuius conditio defecit, pro nullo habetur, sicut è contrario, si conditio extitisset, pro puro haberetur, *l. 2. l. potior 11. §. 1. D. qui potior. in pign. hab.*

4 *Arg. l. si filius familias 7. D. de SC. Macedon.*

5 Hic enim ita sunt duæ causæ obligationis, vt ex vna alterius origo solutionis proficiscatur, vt loquitur Paulus *in l. Iulianus 60. in princ. de condict. indeb.*

6 Alioqui potes causari, te ignorasse, defectam esse conditionem, citiusque soluturum fuisse, si id sciuisses. Itaque hic necessaria est denunciatio tantum impletæ conditionis, at non etiam interpellatio.

7 Secundum ea, quæ diximus *Defin. præced. nu. 3.*

8 Si enim factum tuum interuenisset, aliud probandum esset. Semper enim de suo facto quemlibet teneri æquum est, *l. de tuo 9. D. hoc tit. l. 2. in princ. D. de hered. vel act. vendit.*

9 Neque enim audiendus quisquam est id petens, quod in contrarium euentum non fuerat postulaturus, *l. pen. C. de solut. l. 4. in princ. D. de doli mal. except.*

10 Prius enim est, vt sciri debeat non solum, an pecunia debeatur, sed etiam quonam iure, quam vt vsuræ debeantur. Hic vero iustam habuisti causam non soluendi, quandiu ignorasti defectam conditionem, quæ si extitisset, nihil debuisses. Merito enim expectatur conditio, cuius euentus aliquid potest operari, *l. aliquando 13. §. vltim. ad Velleian. l. si quis ita 33. de hered. instit.*

11 Quasi iam exinde contracta venditione sub conditione, *vt in l. vlt. in princ. D. de contr. empt.*

12 Non enim potest ea spes facere venditionem, quæ scilicet expressum & formalem consensum exigit, *l. 1. & pass. D. de contr. empt.*

13 *Ex l. manifestæ 38. iunct. l. iusiurandum 34. §. pen. D. de iureiur. l. actori 8. cum l. seq. C. de rebus credit. & iureiur.*

14 Hoc enim demum casu necessarius est vsus iurisiurandi, vt nimirum probetur id ex quo pendet decisio litis, præsertim si aliter probari non possit. *l. penult. & pass. eod. tit. C. de rebus credit. & iureiur. iunct. l. tutor pupilli 35. in princ. D. eod. de iureiur.*

15 *L. 1. & pass. C. plus valer. quod agit. quam quod simul concip.*

DEFINITIO XV.

Suscipiens mandatum renouandorum instrumentorum censualium intra certum tempus, vt fit certa mercede, condemnandus est ad census ipsos præstandos cum vsuris etiam decuncibus.

NOtarius, qui certa, &, vt fit, ampla mercede censualium & emphyteuticariorum instrumentorum renouandorum mandatum susceperat, [1] & in eo exequendo longiorem moram fecerat, cum nullas moræ excusationes haberet, vt proinde ipsius negligentiam dolo malo potius, quam culpæ imputandam esse constaret, [2] æquissimo Senatusconsulto condemnatus est, vt annuarum pensitationum reliqua omnia solueret, quæ ob non confecta redditaque instrumēta exigi non potuerant. [3] Adeoque, quod magis mirum videri possit, cum vsuris decuncibus, [4] salua illi cessaq; in eam rem actione pro reliquis exigendis aduersus prediorum possessores, [5] non tam quod tanti interesse mandantis videretur, quam vt hac veluti pœna Notarii contumacia coërceretur. [6] Quam enim non negligenter solum, sed etiam dolose in huiusmodi mandatis exequendis versari soleant ij, quibus cura ista iniungitur, sciunt omnes, qui eorum implorant operam, & ex frequentissimis, quæ aduersus eos proponuntur, querelis Senatus noster optime compertum habet. [7] Sic iam pridem à Senatu pro D. Guilielmo du Four Iuridico maiore Sabaudiæ, contra N. Chandeuil relatum est in causa quadam Curati des Allues, contra Ludouicum Plaisance, Prid. Id. Auguſt. 1593.

1 Hoc vero non tam mandatum videri debet, quam locatio & conductio, cum merces interuenerit. Mandatum enim gratuitum esse debet, vt diximus *Defin. 6. nu. 1. 5. eod.* Adde *l. naturalis 5. §. at cum do, D. de præscr. verb.* hoc enim factum tale est, quod locari & potest & solet.

2 Magna enim negligentia culpa est: magna vero culpâ dolus est, *l. magna negligentia 226. de verb. signific. l. quod Nerua 32. D. depositi.*

3 Tanti siquidem videbatur interesse actoris, cui etiam ex hac causa iusiurandum in litem deferri posset, *l. in instrumentis 10. D. de in lit. iur. l. 4. C. eod.* sicut & in actione ex conducto iuratur in litem, cum dominus cogitur re sua carere, *l. si cui locauerim 48. §. 1. D. locat.* iunct. *l. in actionibus 5. D. de in lit. iur.*

4 Veniunt enim vsuræ ex mora in iudicio locationis, vt & in aliis bonæ fidei iudiciis, officio nimirum Iudicis, *l. quæro 54. D. locat.* Non tamen decunces, sed quæ in regione magis frequentantur, *l. 1. in princ. D. de vsur. l. tutor. 7. §. quæ autem, D. de admin. tut.* Neque vero solet Senatus noster vsuras decunces, aut, vt alij vocant, dextantes facilè adiudicare, ne quidem inter mercatores, vt diximus *Defin. 2. 5. de vsur.*

5 Cui enim non hoc saltem æquum videatur, consequi reum ab actore id, quod sine dispendio actoris futurum est? vt ait *l. in creditore 38. de euict.* licet non facile audiendus sit, qui actiones sibi cedi postulat, si sit ipse in mala fide, *l. mulier 19. D. qui potior. in pign. hab.* Debet enim sibi imputare, *arg. l. & ex diuerso 35. §. pen. D. de rei vindic.*

6 Publice enim interest, negligentiam hanc puniri, quæ tam multis malo exemplo sit, & tam multis dominis noceat.

7 Ideoque tanto grauius & acerbius cum iis agendum fuit, *arg. l. aut facta 16. §. vltim. D. de pœn. l. quantæ 12. D. de public. & vectig.*

DEFINITIO XVI.

Mandatum exercendæ iurisdictionis an & quando reuocari possit?

EVm, cui iurisdictionis dominus mandauit exercendam iurisdictionem, posse ad mandantis nutum reuocari, non ambigitur, si liberalis & voluntaria mandandi causa fuit: [1] tametsi probet is, cui mandata est iurisdictio, magnis à se beneficiis affectum eum, qui mandauit, in quorum compensationem videatur ea veluti merces debita fuisse. [1] Nec aliud erit, si iureiurando affirmauerit dominus, rata se habiturum omnia, quæ gesserit is, cui mandauit, nisi etiam iurauerit, numquam à se reuocatum iri mandatam iurisdictionem. [3] Quamquam enim dici solet, iusiurandum sequi naturam actus, in quo interponitur, [4] mandatum autem omne sui natura est reuocatorium: [5] Tamen quod ad ius reuocandi pertinet, addit aliquid, firmumque facit & irreuocabile, quod alioquin erat reuocabile, cum id ipsum nominatim iuratum est De non reuocando: [6] nemo enim dubitat, quin eam

BIU Cujas

sibi legem dominus possit dicere, quæ nec turpis, nec illicita est. [7] Imo tanto honestior, quanto difficilius est, vt ea reuocatio fiat sine auaritiæ aut vindictæ suspicione. [8] Propter quam fortasse causam singulari quodam iure illud receptum est, vt qui à supremo Principe iudicandi munere donati sunt, non similiter ad nutum reuocari possint. [9] Beneficium namque Principis decet esse mansurum, [10] nec de eorum animo & voluntate male vnquam suspicari licet. [11] Quo exemplo addunt nonnulli idem admittendum esse in iis, quibus à Prælato, puta Abbate aut Episcopo, mandata iurisdictio sit. Sed nos alio iure vtimur, & Prælatos quantumuis præcelsæ dignitatis hac parte vasallis potius, quam principibus æquamus. [12] Plane cum ex causa remuneratoria aliaue onerosa mandatum exercendæ iurisdictionis interuenit, licet non desint, qui referant, à Senatu Parisiensi iudicatum, non eo minus reuocandi ius habere dominum, salua Iudici reuocato actione pro indemnitate consequenda: [13] sequimur tamen contrariam sententiam existimantium, reuocandi facultatem sine causa nullam superesse, quasi inito contractu, solutoque eo, quod debebatur. [14] *Ita Senatus* ex tempore pro R. D. Abbate d'Entremons, contra Dom. Floccard Præsidem Rationalium apud Gebennenses, in secreto auditorio, 6. Idib. Decembr. 1593.

1 Est enim hoc ex natura cuiuslibet mandati, vt reuocari possit ad nutum mandantis, *l. si vero 12. §. pen. D. hoc tit.* qui enim mandatam iurisdictionem habet, alienam habet, non suam, *l. 1. §. qui mandatam, l. 9. D. de offic. eius, cui mand. est iurisd. l. solet prætor 16. ff. de iurisd. l. iudicium soluitur 58. ff. de iudic.*

2 Non enim quasi remunerandi gratia solutum fuisse præsumendum est, quod mandans ita in alium transtulit, vt tamen suum esse manereque voluerit.

3 Reuocando namque iurisdictionem non reuocat gesta ab eo, cui mandauerat iurisdictionem, sed impedit tantum, ne quid amplius gerere is possit, ex quo reuocationem sciuit, *l. si vero 12. §. penult. D. hoc tit. l. si quis seruo 18. l. si cum Cornelius 82. D. de solut.*

4 *Vulg. l. vlt. C. de non numer. pecun.*

5 *§. recte quoque, Inst. de mandat. l. si mandassem 15. D. eod.*

6 Iuramentum enim omne seruandum est, quod seruari potest citra dispendium salutis æternæ, nisi iurisiurandi gratiam is fecit, qui facere potuit, *l. vlt. in princ. D. ad municip. c. cum contingat, extr. de iureiur. c. 2. de pact. in 6.*

7 Vt enim iuramentum sit obligatorium sufficit, quod non sit contra bonos mores, *c. non est obligatorium, de reg. iur. in 6.* & vt habeat tres comites, iustitiam, veritatem & honestatem, *c. animaduertendum 22. quæst. 2.*

8 Fecit enim seculi nostri infelicitas, vt ista quoque iudicandi & iurisdictionis exercendæ officia venalia sint plerisque, contra sanctissimam Iustiniani constit. *Nouell. 8. vt ind. sine quoquo suffrag. fiant.*

9 Adeo vt tum etiam, cum Princeps alicui concessit iurisdictionem ordinariam ad suum beneplacitum, non ideo tamen illius morte extinguatur, sed necessaria sit reuocatio successoris. Bald. *ad l. meminisse, de offic. proconsul. ex Nouell. 80. de quæst. in §. super hoc.* Capic. *decis. 116. & 126.*

10 Adeoque plenissimè interpretandum, *l. penult. ff. de constit. Princip.*

11 Principes enim magis quam alij ab illicitis abstinere debent, *l. penult.* vbi Bald. *D. de heredit. institut.* præsertim ne quid per auaritiam aut vindictam facere videatur, *l. vnic. C. si quis Imp. maled.*

12 Vt possint ad nutum reuocare Iudices à se constitutos.

13 Quasi mandatum nullum esse possit, quod hoc ipso non sit reuocatorium, quod tamen falsum est. quia Procurator constitutus in rem suam reuocari non potest, *l. quæ omnia 25. vers. plane, l. Procuratore 55. D. de Procurat.*

14 Qui enim remuneratur, agnoscit debitum saltem naturale, cum esset naturaliter obligatus ad *aliquid ex*, videturque genus quoddam permutationis contraxisse, *l. sed etsi lege 25. §. consult. D. de petit. hered.* Vnde & speciem lucri esse dicimus, etiam ex alieno largiri, & beneficij debitorem sibi acquirere, *l. si pignore 54. §. 1. D. de furt.* Porro naturalis quoque obsignatio impedit repetitionem soluti, *l. naturales 10. D. de oblig. & actor. l. fideiussor 16. §. naturales, de fideiuss. l. naturaliter 13. & pass. D. de cond. indeb.*

DEFINITIO XVII.

Mandati actio datur in solidum contra singulos ex mandatoribus, negotiorum gestorum actio non item.

MAndatum factum ab vno ex pluribus, quorum erat negotium, non eo minus in solidum obligat mandantem, vt solus conueniri possit totius indemnitatis nomine, nec cogitur mandatarius aduersus alios agere, qui solius mandantis fidem secutus est. [1] Diuersum esset, si nullo intercedente mandato negotiorum gestorum agi oporteret propter gestum negotium, quod plurium commune fuisset. Tunc enim contra eos omnes agi necesse esset, ad quos negotium pertineret. [2] *Ita Senatus* pro Ogerio Inard, contra Syndicos de Mellionnax, Prid. Non. Februar. 1595.

1 Nam etsi plures simul mandassent, vnus tamen ex mandatoribus eligi posset, etiamsi non esset dictum in mandato, *l. si mandatu 59. §. Paulus respondit vnum ex mandatoribus D. hoc tit.* adeo vt nec vnius electione alij liberarentur, quod olim diuersum erat in fideiussoribus, *l. reos 23. & l. vlt. C. de fideiuss.* [Hodie tamen ille conueniendus prior esset, ad quem negotium principaliter pertineret, quoniam alius solus pro interceßore haberetur. Ex nostrorum traditione, *ad l. reos 11. §. cum tabulis, de duobus reis.* Nec aliud dicendum esset, tametsi alter ille pecuniam accepisset alterius nomine. Quod enim scriptum est *in l. si literas 7. C. hoc tit.* eum qui pecuniam accepit teneri condictione ex mutuo tanquam principalem, ad eum pertinet, qui accepit suo nomine non ad eum qui alieno. Et rursum, licet dicat illa lex vtrumque teneri, eum scilicet qui accepit condictione certi ex mutuo. Illum verò cuius fidem & literas creditor secutus est, actione mandati. Id tamen sic accipi debet, vt mandator non nisi suo ordine, & posteriore loco conueniri possit, *vt notat ad d. l. si literas.* Maxime verò si non nisi indemnitatem promiserit. Is enim etiam olim habebat beneficium excussionis, *l. decem 116. de verb. oblig. Ita Senatus* in causa Iacobi Quiblier, & Ant. Mathieu, 4. Non. April. 1612.]

2 Et quidem in viriles, nisi ab altero ex sociis esset prohibitus, *l. si autem 8. §. Iulianus, de negot. gest.*

DEFINITIO XVIII.

Procurator in rem suam constitutus potest habere executionem sententiæ etiam in mandantis fauorem latæ, dummodo faciat ea, quæ mandans facere deberet.

PRocurator in rem suam constitutus ab eo, qui ex conuentione litem iam cœptam suo nomine persequi debuit, [1] non ex eo solo credendus est à contractu recedere voluisse, quod sententiam postmodum siue à Iudice, siue ab arbitrio redditam in persona cedentis concipi passus sit: [2] cum ex conuentionis potestate ita fieri oportuit, nec dubitari debeat, quin & ex persona & nomine mandantis possit agere cessionarius. [3] Cui consequens est, vt si per sententiam condemnatus sit is, qui mandauit, vt aliquid daret vel faceret, liceat mandatario id ipsum dare vel facere, dummodo perinde aduersarij indemnitati consulatur. [4] Finge, cum de diuidenda hereditate inter fratres ageretur, bona vniuersa, siue quia commodam diuisionem non reciperent, siue qua alia ratione vni ex fratribus adiudicata fuisse, [5] alteri autem certam pecuniæ quantitatem ea lege, vt ex parte pecuniæ fundus emeretur in causam fideicommissi mutui inter fratres delicti. [6] Sufficiet, cessionarium, qui pecuniam hanc ex cessione petere potuit, fundum emisse, fratris cedentis, licet absentis, nomine, [7] quamuis nulla sequi possit ratihabitio propter absentiam cedentis. Nihil enim alterius fratris interest. [8] Igitur & pecuniam, quæ fratri solui debuit, soluere cessionario cogendus erit frater, qui vniuersa bona retinet, [9] licet fratri non cessionario fuerit condemnatus. [10] Nec vlla in eam rem noua cessione aut indemnitatis

demnitatis repromissione opus erit. [11] Adeo verum est hereditate vendita iura omnia, quæ venditori competebant, ad emptorem cum hereditate ipsa & habitu & potentia transire. [12] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 13. sup. Commun. vtriusque iudic.

1 Nihil enim vetat, eum quoque, qui alium constituerit Procuratorem, in rem suam nihilominus agere, & in litem persequi suo nomine, cum retineat etiam inuitus actiones directas, nec cogatur Procurator eas ipse alieno nomine exercere, si nolit, *l. 3. C. de noual. l. Paulus respondit 69. D. de procurat. l. Procuratoribus 22. C. eod.* vbi eis, qui mandauerint, denegatur facultas negotia persequendi, eo demum casu, quo Procurator factus sit dominus per litis contestationem. Nec rursus quicquam interest, vtrum ab initio, an cœpta iam lite negotium ad personam Procuratoris transitum fecerit, *l. nihil arbitramur 20. C. eod. tit. de procurat.*

2 Debet enim sententia ferri conformis libello & actis iudicij, *l. vt fundus 18. D. commun. diuid. l. vlt. C. de fideicomm. libert. l. vinum. D. si cert. petat.*

3 Si malit directam alieno nomine exercere, quam vtilem suo proprio, *l. emptor 5. l. ex nominis 7. C. de hered. vel act. vendit. l. procuratore 55. D. de procurat.*

4 Cui enim aliquid conceditur, illa etiam concessa intelliguntur, sine quibus id facere non possit, *l. 2. D. de iurisd. l. ad rem mobilem 56 l. ad legatum 62. D. de procurat.* Sed & cuilibet licet pro alio soluendo eum liberare, *l. soluendo 39. D. de negot. gest. l. solutione 23. D. de solut.*

5 *L. ad officium 3. C. commun. diuid. l. 3. l. item Labeo 22. §. 1. & pass. ff. famil. erciscæ.*

6 Vt quod inde comparatum esset, vice permutati dominij restitueretur, *vt in l. sed quod inde 71.* iunct. §. *vlt. d. præced. de legat. 2.*

7 Postquam placuit ex generali consuetudine locorum omnium, vt Notarius alteri vtiliter stipuletur, siue ex causa emptionis, siue ex alia qualibet, etiam absenti & ignoranti. Anton. Tessaur. *decis. Pedemont. 70.*

8 Ei vero, cuius nihil interest, neque actio, neque exceptio dari debet, *l. 3. §. 1. l. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. ob. ig.*

9 Ne alioqui permittatur ei & rem & pretium retinere, *contra l. ex empto 11. §. vlt. & l. bona fides. ff. de act. empt.* Cettum enim est, Procuratori in rem suam dato recte solui posse, tanquam qui sit dominus non solum litis post contestationem, sed etiam ipsius rei, quamuis non cæteris Procuratoribus ad litem duntaxat datis, *l. hoc iure 86. ff. de solut. l. sed si tantum 13. ff. de pact. l. transactionis 7. C. de transact.*

10 Qui enim Procurator in rem suam datus est, iudicati executionem ex persona cedentis habere potest, sicut & in ipsum iudicati executio datur, *l. 4. in princ. ff. de re iudic.*

11 Est enim iniquum, onerari quem superuacua siue cautione, siue cessione, siue repromissione, *l. hæc stipulatio 14. §. 1. ff. vt legat. nom. caueat. l. 1. §. vlt. & l. 2. ff. vt in possess. legat.*

12 *L. 2. & pass. ff. de hered. vel act. vendit. l. qui nondum 4. C. eodem.*

DEFINITIO XIX.

NOn semper proximi mandantis morte finitur mandatum, [1] si alius mandans superior supersit, [2] ad quem præcipue negotium pertineat. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 24. sup. De Procurat.

1 Quamuis regulare sit, vt mandantis morte mandatum finiatur, *l. si quis alicui 27. §. morte,* iunct. *l. inter causas 26. D. hoc tit. l. mandatum 15. C. eod.*

2 Quod euenit, cum Procurator datus alium Procuratorem substituit, siue ab initio datus esset cum substituendi potestate, vt plerumque fit, siue litem esset contestatus, *l. nulla dubitatio 23. C. de procurat.* Ioan. Papon. *lib. 6. tit. 4. §. 15.*

3 Puta quia Procurator ab eo constitutus, quem ponimus decessisse, non fuerat factus Procurator in rem suam, sed in rem mandantis. Similiter nec finitur mandatum eius, qui à Procuratore substitutus est, quamuis decesserit prior mandans, si modo decesserit post litem à Procuratore contestatam, *dicta l. nulla 23 C. de procurat.*

DEFINITIO XX.

VT cessio valeat, quæ fit dato pretio, necesse est interuenire veram numerationem, & numerationis probationes veras esse, non ex sola cedentis confessione effictas. [1] Quoties enim actus aliquis prohibitus aut suspectus est, siue ratione personarum, siue ex qualitate negotij, quod tractatur, cõfessio sola contrahentis non potest sufficere ad probationem, [2] ne alioqui facile fraus fiat legi, [3] tametsi quod ad cedentem pertinet, verius sit nocere illi debere propriam confessionem. [4] Quod si cessio facta sit ex causa dationis in solutum, causa quidem iusta est & legitima, [5] sed tamen eadem iuris ratione probãdum necessario est præcedens debitum, quod sit loco pretij. [6] Et consequenter si quis fingat se debitorem, & propterea cedat, & det in solutum, cessio non valebit. [7] Diuersum tamen est, si cedens non tantum confessus sit, sed etiam affirmauerit, se debitorem, adiecto in eam rem iureiurando. [8] Iusiurandum enim pro veritate habetur, [9] nec facile credendus est cedens peierare voluisse vexandi tantum debitoris gratia, [10] præsertim si quo tempore de cessionis viribus disputatur, cedens iam defunctus proponatur, vt non sit integra probatio debiti cessionario, [11] qui fortassis tempore cessionis instrumenta sua omnia reddiderit cedenti, existimans, sibi satis cautum esse iurata cedentis assertione. [12] Illud sane omnimodo requiritur, vt cessio facta sit inter personas non suspectas. [13] Quid enim si extra casus exceptos facta sit Aduocato, aut Procuratori, aut alteri, qui litium redemptor videri possit? [14] *Ita Senatus* in causa Ioannis Paquier & Henrici Capitan, 12. Cal. Sept. 1595.

1 *L. per diuersas 22. versicul. vsque ad ipsam, Cod. hoc titul.* & ibi DD.

2 Cravet. *cons. 175. num. 4.* post Dec. *cons. 351. col. 2. in fin. & in c. præterea, col. 6. de offic. delegat.*

3 Quod ne fieri possit diligenter cauendum est, *l. qui testamentum 27. D. de probat.*

4 Nemini enim licet venire contra suam confessionem, *l. cum de indebito 25. ff. de probat. l. generaliter 13. Cod. de non numer. pecun.*

5 Est enim titulus pro soluto proximus titulo emptionis, *l. pro soluto 46. & l. pen. de solut. alias l. 2. & pen. D. pro soluto.*

6 Non enim valet datio in solutum, ne quidem ex parte, si non respondeat quantitati alterius debitæ, id est, si plus vel minus reperiatur debitum, quam pro quanto fiat datio in solutum, *l. si non sortem 26. §. si centum.* vbi Bart. & alij, *ff. de condict. indeb.*

7 *d. l. per diuersas,* in illis verbis, *vel is, qui res aliquas possidet pro debito, & c. l. hoc tit.* Gabr. *lib. 2. conclus. 5. de act. num. 21.* ex Aret. *cons. 95. d. b. 2.*

8 *Arg. l. cum quis decedens 37. §. codicillis, in fin. de legat. 3.* iunct. *l. cum pater 77. §. filius matrem, de legat. 2.*

9 Sicut & res iudicata, *l. ingenuum 28. ff. de stat. homin. l. res iudicata 208. de regul. iur.* iunct. *l. 1. & 2. ff. de iureiur.*

10 Nec enim probabilis in dubio est suspicio periurij, cum periurium sit crimen, & quidem grauissimum, quod solum Deum vltorem habere potest, *l. vltim.* ibi, *sed si verum fuerit inuentum, l. de rebus credit. & iureiurand.* iunct. *l. merito 51. ff. pro socio.*

11 Solent siquidem ex huiusmodi casibus intercidere probationes, *l. in lege Aquilia 40. ff. ad leg. Aquil. l. qui Romæ 122. §. Agerius, de verb. oblig.*

11 Intellige tamen, nisi aduersarius oneret se probatione, quod cessio sit simulata, & confessio cedentis falsa, quamuis iurata: nec enim æquum esset, maiorem esse vim iurisiurandi inter alios præstiti, quam veritatis, de qua constet in contrarium.

13 Multo enim maior fraudis suspicio est inter personas suspectas & prohibitas, *d. l. qui testamentum 27. ff. de probat. l. data 27. C. de donat.*

14 *L. sumptus 53. ff. de pact. l. quisquis 6. §. præterea, Cod. de postul. l. litem 15. Cod. de procurat.* Vide tamen in hanc Defin. Anton. Gabriel. *lib. 2. commun. opin. tit. de action. conclus. 5 num. 3.* vbi defendit, cessionem actionis etiam iuratam non valere; & eundem *lib. 3. tit. de donat. conclus. 3. num. 13.* vbi ait, confessionem dotis receptæ factam per maritum constante matrimonio, etiamsi iurata sit, nocere quidem marito, sed non creditoribus. Quod & post Bart. tractat Ferrar. *in form. libell. quo vxor agit ad dot. & vsumfruct.* in verb. *dedit & tradidit in dotem, num. 5. in fin.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXI.

Vt valeat cessio, sufficit habitam esse fidem de pretio, & pretium aliquando solutum fuisse pendente etiam iudicio.

QVod tamen proxime diximus, non valere cessionem, nisi probetur vera pretij numeratio, locum non habet, si fides habita sit de precio. [1] Sed habere fidem de pretio, non illud est, cedentem, qui non sit debitor, mentiri se debitorem, [2] at sequi fidem cessionarij promittentis se soluturum ad certam diem. [3] Quo casu etsi valet cessio, non prius tamen agi ex ea potest, quam pretium solutum sit. [4] Plane si prius actum sit, & pendente iam lite solutum fuerit, placet ex solutione quandocunque secuta precedens iudicium confirmari. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Solent enim ista plerumque esse similia, solutum esse pretium, & fidem habitam esse de pretio, *l. quod vendidi 19. ff. de contr. empt.* iunct. *l. vt res 53. eod. l. si rem 9. §. omnis ff. de pign. act. l. satisfactio 52. D. de solut.* DD. *ad d. l. per diuersas 22. & ad l. ab Anastasio 23. C. hoc tit.* * Vide Guid. Pap. *q. 567. num. 8.*

2 Ita enim facile fraus fieret legi, quæ requirit veram & realem, non fictam numerationem, vt diximus, *Defin. præced. num. 1. & 2.*

3 Hoc enim casu certum est deberi, cum iam dies cesserit, licet nondum venerit, *l. cedere diem 213. de verb. signific. l. in diem 10. D. de condict. indeb.*

4 Quia cum non aliter lex permittat valere huiusmodi conditionem, quam sub ea veluti conditione, si cessionis precium solutum erit, necesse est impleri conditionem, priusquam ex cessione agi possit, quia conditionalis actus, quandiu conditio pendet, pro nullo est, *d. l. cedere diem, l. qui Romæ 122. §. Agerius, D de verb. oblig.*

5 Ex postfacto enim apparet, cessionem ab initio non sine causa factam fuisse, atque ita suspicione fraudis finita nihil impedit, quo minus dicendum sit, cessionem ab initio valuisse. Actus enim conditionalis, ex quo tempore extitit conditio, habetur pro eo, ac si fuisset ab initio purus, *l. potior 11. in fin. principij, ff. qui potior in pign. hab.* Textus est in hanc sententiam satis accommodatus, *in d. l. si rem 9. §. vlt. ff. de pignor. act.*

DEFINITIO XXII.

Cessio facta per dationem in solutum non valet nisi ad concurrentem vsque quantitatem, quæ debetur, nec admittit accessionem vsurarum, nisi ex quo die actum sit ex cessione.

CVi octingenta debebantur tam sortis quam vsurarum nomine, cesserat creditori suo actionem in solutum sexcentorum, [1] non nisi sexcenta cessionario debebuntur [2] cum vsuris à die cessionis. Loquimur enim de debito, quod vsurarum accessionem admittebat in persona cedentis. [3] Alioqui enim dici non potest, meliorem esse debere conditionem cessionarij, quam cedentis, [4] vt vsuras consequi debeat à debitore, nisi ab eo saltem tempore, quo egit ex cessione. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Certum enim est, pro pecunia posse in solutum dari nomen, volenti nempe creditori, non etiam si nolit. *l. eum à quo 6. C. de solut.*

2 Quia pro ea duntaxat quantitate cessio pretium habuit, quod necesse est interuenire ad validitatem cessionis, *l. per diuersas, Cod. mandat.* Dixi in duabus præcedentibus Definitionibus.

3 Puta quod deberetur pro emptionis pretio, *vt in l. 2. C. de vsur. l. curabit 5. C. de action. empt.*

4 *L. inuitus 156. §. plerumque, l. aliud est 160. §. absurdum est, de reg. iur.*

5 Exemplo eius, quod dicimus legatario, qui cessionarius quodāmodo est, *l. ex legato 18. C. de legat.* non deberi vsuras neque fructus nisi ex die litis contestatæ, *l. 1. & tot. tit. C. de vsur. fructib. legat.* aut saltem ex die moræ contractæ per interpellationem, *l. Titia Seio 87. §. vsuras, de legat. 2. l. si quis seruo 84. eod. cum similibus.*

DEFINITIO XXIII.

Non valet cessio sic facta, vt cessionarius post victoriam litis pretium soluat cedenti.

CEssionem actionis ad litigandum factam ea lege adiecta, vt post victoriam cessionarius conuentum pretium cedenti solueret, placuit nullius esse momenti: [1] neque permittendum cessionario vt ex ea ageret, ne quidem ad illam vsque quantitatem, de qua fides debita fuisset, [2] quod ex dilatione soluēdi pretij in tempus vsque victoriæ apparet, non nisi vexandi aduersarij gratia factam cessionem, [3] & in odium litis, quam idem cessionarius paulo ante ab eodem debitore passus fuerat. [4] Sane saluum cedenti ius suum manere constitit. [5] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, pro Hugone Mottet, contra Ioannem Rauassot, 8. Cal. Septemb. 1595.

1 Hæc enim cautio futuri emolumenti societatem suspensa lite polliceri videbatur, quod districte prohibitum est, *l. 1. §. si cui cautum, ff. de extraord. cognit.*

2 Quamuis soleant huiusmodi cessiones valere non minus cum habita est fides de pretio, quam cum pretium reuera numeratum est, vt dixi *Defin. 21.*

3 Quæ præcipua ratio fuit improbandarum cessionum, *in d. l. per diuersas 22. & l. seq. Cod. hoc tit.* Iunge *l. si quis 7. §. exigitur, D. de edend.*

4 Solent vero reuocari, aut potius, vt loquuntur, annullari omnia, quæ fiunt in odium litis iure & priuilegio attentatorum, vt supra diximus *in tit. Vt lit. pendent. vel post pronocat. aut definit. sent. null. lic. Imper. supplic.*

5 *L. 2. C. de litigios.*

DEFINITIO XXIV.

Potest fideiussor etiam prius quam soluerit petere, vt capiantur & vendantur bona debitoris, ex quorum pretio satisfiat creditori.

FIdeiussor licet mandati agere non possit antequam soluat: [1] si tamen à creditore inquieteretur, aut in eo sit, vt mox inquietandus videatur, [4] potest iure petere, vt debitoris bona capiantur, ex quibus possit satisfieri creditori, [3] adeoque ex iis bonis ipse tantum potest vendere, quantum satis sit debito exsoluendo. [4] Sicque alias iudicatum à Senatu in causa D. de Roasson, & iudicandum esse tractatum est in causa N. Moret, 13. Calend. Mart. 1596.

1 Nisi in casibus, de quibus *in l. Lucius 38. §. 1. D. hoc tit. l. si pro ea contra quam 10. C. eod.*

2 Parum enim refert, an quid fiat per meram & præsentem coactionem, an vero metu futuræ & proximæ coactionis, *l. nouissime 7. §. 1.* vbi Bald. notat, *D. quod falso tutor. auctor.*

3 Nec enim quicquam interest debitoris, qui indemnitatem omnimodo præstare debet fideiussori. Interest autem fideiussoris non soluere potius, quam solutum repetere, *l. si stipulatus 15. in princ. D. de fideiuss. l. 3. D. de compensat.*

4 Quasi videatur fideiussor mandatum habere à debitore ad soluendū, & consequenter ad ea omnia facienda, sine quib. non possit soluere, ac proinde ad bona ipsius debitoris vendenda, vt ex pretio satis fiat non fideiussori ipsi, cui nihil adhuc abest, sed creditori. [Et hoc sane obtinet in fideiussore paupere, qui non est cogendus expectare, vt detrudatur in carceres. Hippol. de Marsil. *ad Rubr. de fideiuss. num. 429.* *Emanuel Soarez *in commun. opinion. in verbo fideiussor*, vbi tamen loquitur de fideiussore paupere; & tractat eum casum quo alioqui miser fideiussor pro debito alieno sit detrudendus in carceres: quos certe vt patiatur cogi eum inuitū non est æquum, nec probè potest debitor obiicere fideiussori cur se in carceres detrudi passus non sit, cūid oneret existimationē apud bonos & graues viros, & pulset verecundiā, vt loquitur Papinianus, *in l. pecuniæ, 8. in fi. de annu. leg.* Nec si habuit fideiussor ex persona rei bonam aliquā exceptionem dūmodo eā allegauerit. Nam si ea posthabita creditor pergat fideiussorem vrgere in carceres non est imputandū fideiussori cur soluerit potius quā vt se in carceres detrudi passus sit, cùm neq; aduersus eam iniuriā appellare debuerit, si appellatio non fue-

BIU Cujas

non fuerat effectum executionis remoratura arg. *l. ait prætor 7. §. permittitur in fin. D. de minor.* puta si mandatum iudicis eam habeat clausulam quæ aduersus obligatos ex instrumento authentico & guarentigiato inseri solet, *non obstante oppositione aut appellatione.* Præsertim verò si potest imputari ipsi debitori cur non citiùs eam ipse exceptionem opposuerit & inhiberi creditori curauerit ne is aduersus fideiussorem exequeretur. Debuit enim hoc ille primum suo sumptu, suáque diligentia curare, neque expectare vt in eas angustias coniiceretur, vt necesse haberet, vel pati carceres vel soluere. *Ita tractatum est* in causa Philippi Mermillod & heredum Iacobi Coste in publico auditorio Iulij 1615. Iunge definit. 26. ℣. vide *l. si mandata 45. D. hoc tit.* Iunge *Desin. 26. num. 7. ℣. eod.* In alio fideiussore non inope vix est, vt hæc sententia obtineat.]

DEFINITIO XXV.

Fideiussori, qui pecuniam aliquam accepit pignori à debitore, non potest imputari, cur ex ea non soluerit, & ideo non ob id minus plenam habet actionem mandati contra debitorem.

QVi erga Titium fideiussorem meum incertæ quantitatis nomine fideiusserat, certam quantitatem à me in numerato acceperat, penes se mansuram pignoris iure pro sua indemnitate. Sed si ea summa indemnitati non sufficeret, voluerat habere te fideiussorem in id omne, quod excederet. Cumque ad diem neque per me, neque per Titium solutum esset, condemnatus fuerat Titius non tantum in quantitatem debitam, sed in id etiam, quod creditoris interesset. Quæsitum est, cum ille aduersus secundum fideiussorem egisset, ac obtinuisset, secundus autem contra te ageret ad consequendam indemnitatem, an præstare ei deberes quicquid ex condemnatione præstitisset, detracta ea pecunia, quæ apud se pignoris loco esset, an vero id duntaxat, quod primi fideiussoris interfuisset, ob non solutam eam quantitem, quæ excederet summam pignori datam? Videtur enim ad eam vsque quantitatem fideiussoris facto & culpa accidisse, vt tanto pluris interesset creditoris, cum si ea saltem quantitas soluta fuisset, tanto minus creditoris interfuisset. [1] Aliud tamen visum est, quoniam non ideo pecunia erat penes secundum fideiussorem, vt ex ea solueret, sed vt, si quid ob fideiussorem quandoque præstare eum oporteret, haberet vnde indemnitati suæ aliqua ex parte consuleret. [2] Itaque placuit totius debiti & accessionum nomine teneri te, vt indemnem eum præstares, [3] sed tamen prius subducendum, quantum ex pecunia pignorata eiusque vsuris, de quibus ab initio conuenerat, satisfieri posset. [4] *Ita Senatus*, in causa D. Bernardi Castagne, & Domini Ciza, & Andreæ Sardez.

1 Nempe quia pro parte, quæ fuisset soluta, contigisset liberatio tam sortis, quam vsurarum, *l. quidam 21. D. de rebus creditis. l. stipulatus sum 9. §. 1. D. de solut. iunct. l. eos Cod. de vsur.* Proinde nihil videbatur hac parte tua interesse, quia quod quis ex culpa sua damnum sentit, sentire nec videtur, *l. quod quis 203. de regul. iur.*

2 Et velut pignoris iure. Nam & pecunia pignori dari potest, *l. idemque 7. in fin. D. qui potior. in pignor. hab.*

3 Actione nimirum mandati, per quam is, qui agit, plenissimam consequi debet indemnitatem, *l. inter causas 26. §. abesse, & pass. D. hoc tit.*

4 Quia nec videtur ei abesse, nisi quanto plus solutum est, quam esset in quantitate pignorata.

DEFINITIO XXVI.

Fideiussori competit actio contra debitorem etiam prius quam condemnetur, sed ad liberationem tantum, non ad solutionem.

QVibusdam casibus euenit, vt fideiussori competat actio mandati etiam prius quam soluerit, inter quos ille est, si fuerit condemnatus, [1] aut quod fere idem est, si pro condemnato habeatur, [2] qualis ille est, qui obligatus est ex instrumento authentico & guarentigiato, quod sententiæ, & condemnationis vim obtinet. [3] Obseruandum tamen est his casibus, & si qui alij sunt similes, non in id agere fideiussorem debere, vt sibi soluatur, [4] sed vt liberetur, [5] aut vt ex ipsius debitoris bonis soluatur, & satisfiat creditori. [6] Quæ actio multo magis fideiussori competere debet, si qua illi molestia facta sit ad extorquendam solutionem, [7] licet nihil dum soluerit, siue molestia illa iure facta sit, siue non: sufficit enim quod molestia fideiussori facta sit ob hoc ipsum, quod soluta non sit pecunia, pro qua fideiussor acceptus fuit. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. Lucius 38. §. 1. D. hoc titul. l. si pro ea contra quam, 10. Cod. eod.*

2 Parum enim refert, an reuera quis condemnatus sit, an vero pro condemnato habeatur, *l. 1. D. de confess. l. 1. C. eod.*

3 Ex auctoritate nimirum statuti, & ex recepta consuetudine potius, quam ex iuris communis ratione, vt dicemus *ad tit. de exec. rei iudic.*

4 Cum nihil adhuc ei absit in pecunia.

5 Hoc enim tantum ei abest, quod ex causa fideiussionis est obligatus.

6 Secundum ea, quæ diximus *Definit. 24. supr. numer. vltim.* vbi vide.

7 Nec enim cogendus est expectare, vt detrudatur in carceres, & solus coactionis metus pro coactione est, *l. nouissime 7. §. 1.* vbi Bald. *C. quod fals. tut. auct.*

8 Cum si debitor soluisset eam pecuniam, fideiussor nunc talem molestiam non pateretur, Facit *l. si plus antepen. §. nota quæstione, D. de euict. l. siue in libertatem 12. C. eod.*

DEFINITIO XXVII.

Fideiussori debentur sumptus ab eo facti etiam prius quam litem debitori denunciauerit, maxime si fideiussor fuit ex aliena prouincia.

QVi pro me Camberiensi fideiusserat Grationopoli, & soluerat, priusquam mihi denunciaret, postea egerat contra me apud Iudicem Grationopolitanum, & cum aduersus me ignorantem quasi contumacem peractus esset ordo edictorum, obtinuerat. Constabat, non satis rite apud alienum Iudicem me conuentum & condemnatum fuisse, qui non nisi Camberij apud meum Iudicem debueram conueniri. [1] Sed tamen cum sententiæ Gratianopolitanæ executio contra me Camberij peteretur, visum est ex bona fide, quæ in iudicio potissimum mandati exuberat, [2] vt non solum pecuniam pro me solutam, sed etiam impensas omnes eo nomine factas restituere debeam, [3] quia verum est, per me factum esse, vt eas impensas feceris, quibus scilicet faciendis locus nullus relictus fuisset, si aut tu pro me non fideiussisses, [4] aut ego diligentior fuissem in soluendo creditori, aut in numerando tibi pecuniam, ex qua soluere quandocunque posses. [5] Non idem fortasse censuisset Senatus, si indemnitas ex causa euictionis peteretur. [6] Minus enim plena est illa actio, quam quæ exercetur ex causa suscepti impletique mandati. [7] *Ita Senatus* in publico Auditorio pro Petro Vassal Gratianopolitan. contra Ioannem Gautier.

1 Est enim mandati actio personalis, in qua proinde cogitur actor sequi forum rei, *l. vlt. C. vbi in rem act. l. 2. C. de iurisd. omn. iudic.*

2 *L. si fideiussor 29. §. quædam, D. hoc tit.*

3 Cum non possint illa impendia alii causæ quam mandato imputari, *l. inter causas 26. §. non omnia, eod. tit.*

4 *L. si seruus, 61. §. quod vero, D. de furt.* vbi est textus elegans.

5 Debueram enim ego esse diligentior, & me ipsum interpellare, vt euitarem condemnationem, quam præuidere potui

BIU Cujas

à me subeundam, si quid tu pro me ex fideiussionis causa præstare cogereris.

6 Quia tunc non potest emptor vllos sumptus repetere à venditore, nisi qui facti sint, ex quo die lis fuit denunciata venditori, *l. emptor 8. cum ibi not. C. de euict.*

7 Quoniam actio mandati est fauorabilior, nempe quod emptio fiat gratia vtriusque contrahentium, mandatum vero, de quo agimus, gratia solius mandantis, *d. §. quod vero, & d. §. quædam*, præsertim cum denunciandi necessitas pacto remitti possit, *l. Herennius 63. in princ. D. de euict.*

DEFINITIO XXVIII.

Qui agit ex cessione, non potest petere, nisi quatenus cessum est, etsi plus cedenti debebatur.

CReditor centum florenorum, quorum nomine ob deteriorationem monetarum augmentum debebatur, [1] cessit tibi nomen, [2] hac adiecta causa, *Pro simili quantitate, quam tu eo cessionis die ipsi credidisti.* [3] Cessio tibi proderit pro centum florenis duntaxat, non etiam pro augmento, quod ille petere potuit, quoniam apparet id actum esse, vt, quantum tibi debere cœpit, tantum tibi cederet. [4] Porro augmentum monetæ nullum tibi debuit. Ergo si augmentum monetæ petas, repellendus es, quasi qui agas sine cessione. [5] Sed hoc ita, si non te in locum suum, vt fieri solet, substituerit, aut te Procuratorem suum constituerit, siue expresse id fecerit, siue tacite, id est, tibi tradito instrumento, [6] ex quo non modo centum florenos, sed etiam augmentum petere potuisset. *Ita Senatus* in causa Ioannis Bruyer & Michaelis Tissot.

1 Secundum ea, quæ scripsimus *ad tit. de solut. ex l. 3. ff. de reb. credit. l. Paulus 99. alias l. creditorem. ff. de solut.*

2 Postquam placuit etiam nomen & vendi & cedi posse, *l. postquam 7. & seqq. Cod. de heredit. vel actor. vendit. l. si nomen, 4. ff. eod.*

3 Cessionem enim nominis & actionis, vt valeat, necesse est fieri ex aliqua iusta causa, maxime vero dationis in solutum, ne contra bonos mores lis redempta videatur, *l. per diuersas 34. Cod. hoc tit.*

4 Non enim potest fieri datio in solutum, nisi pro eadem ipsa quantitate, quæ fuit debita, adeo vt non valeat, si vel in vno nummo excedat per errorem, *l. si non sortem 26. §. si centum, de condict. indeb.*

5 Et consequenter sine actione, quod fieri non potest, *l. si pupilli 6. §. vlt. de neg. gest.*

6 Ex qua traditione præsumitur mandatum, *l. 1. Cod. de donatione.*

DEFINITIO XXIX.

Non competit actio mandati pro casu fortuito, etiam qui per occasionem, si non etiam per causam mandati contigerit.

QVi pro negotiis Vniuersitatis iter susceperat, iacturam equi, quo vehebatur, ex casu fortuito in itinere passus, iustam eius æstimationem, ac præterea quanti interesset, contrario mandati iudicio repetebat, tanquam qui damnum illud passurus non fuerat, si mandatum non suscepisset. [1] Placuit, non teneri Vniuersitatem id damnum præstare, quod casui fortuito magis, quam mandato imputari oporteret, [2] quanquam si inter priuatos ageretur ciuilius mandator facturus videbatur, si eum quoque casum præstaret, cui mandatum si non causam, saltem occasionem præbuisset, quique non contigisset, si mandatum nullum interuenisset. [3] *Sine die.*

1 *L. si seruus 61. §. quod vero 5. ff. de furt.*

2 *L. inter 26. §. non omnia 6. ff. mandat.*

3 Glos. *ad §. non omnia, verb. mandato, in fin.*

DEFINITIO XXX.

Cessionarius non potest agere proprio nomine, si neque pretium, neque alia cedendi causa iusta interuenerit, sed tanquam simplex Procurator directas exercere potest.

EX ea nominis cessione, quæ nec pretij conuentionem, nec aliam causam vllam habeat, actionem cessionario competere nullam posse certum est, [1] scilicet si proprio nomine agere velit, & vtiles actiones ex propria persona exercere, quas rescriptum D. Pij emptori nomen dedit. [2] Nam si ex cedentis persona & mandatis actionibus directis experiri malit, tanquam simplex Procurator audiendus est. [3] In dubio tamen credendus est agere suo nomine potius quam alieno. [4] *Sine die.*

1 *L. per diuersas 34. C. mand.*

2 *L. si cum emptore 16. ff. de pact. l. postquam, & l. seq. C. de hered. vel act. vend.*

3 *L. quamuis 37. §. vlt. & l. seq. ff. ad SC. Trebell. l. qui stipendia 9. & pass. C. de Procurat.*

4 *L. 4. & 5. ff. de solut.*

DEFINITIO XXXI.

Non competit actio mandati nisi ad id solum repetendum, quod mandatarius probat sibi abesse,

MAndatarius si actione mandati experiatur, vt quod sua interest consequatur, allegetque, solutas à se vsuras fuisse, non aliter audiendus est, quam si quod allegat probet. [1] Quid enim refert, an nihil alleget, an nihil probet? [2] Neque vero præsumi potest solutio, [3] cum sit facti: [4] neque rursus odium vsurarum patitur, vt si qua consuetudo in contrarium allegetur, ea debeat admitti, [5] aut vt stari debeat dicto mandatarij, si non in forma mandati id ipsum nominatim expressum proponatur, [6] ne alioqui facile eueniat, vt lucrum per occasionem mandati sentiat mandatarius, cui satis est hactenus prospici, ne in damno moretur. [7] *Sine die.*

1 *L. actor quod asseuerat 33. ff. de prob.* Bart. *in l. illa ff. de verb. obli. & in l. si quis C. de fabric. lib. 11. l. ab ea parte 5. & in l. in exceptionibus 19. ff. de probat.* Nam nec Papa, qui habet plenitudinem potestatis, posset quemquam condemnare ad debitum non probatum. Alex. *cons. 2. vol. 2.* Et qui fundat suam intentionem super quantitate certa, debet eam probare, *l. vlt. ff. de prætor. stip.* Bald. *in l. fin. C. de appell.*

2 Alex. *cons. 72. vol. 3. §. si aduersus, Instit. de nupt.*

3 *L. 1. C. de probat.* Not. Glos. & DD. *in l. 2. C. de iur. emph.* Bart. *in d. l. in illa.*

4 *L. consilio 7. §. vlt. ff. de curat. furios.*

5 Quia neque propter bonum, neque propter vitandum malum debet permitti exactio vsurarum, cum sint prohibitæ etiam iure diuino. Not. *in Clem. 1. de vsur.* Alex. *cons. 1. & cons. 131. in fin. col. 2.*

6 Bart. *in d. l. fin. de præt. stip.* Affli. *dec. 22. nu. 4.*

7 *L. qui proprio 41. §. Procurator ff. de Procur. cum similib.*

DEFINITIO XXXII.

Is qui vnius nomine à mandato pecuniam accepit ab altero, quid ei præstare debeat, à quo accepit.

QVi mandante Titio accepit centum aureos à Sempronio Titij nomine, ex mutui, aut depositi causa, si conuentus ad restitutionem à Sempronio Titius neget se mandasse, cogendus est vt mãdati literas exhibeat intra certum tempus & competens. [1] Quo elapso restituat ipse pecuniã ac si suo nomine accepisset. Parũ enim refert an suo nomine acceperit, an illius qui neget se mãdasse. [2] Planè si de mandato appareat, siue ex mandantis confessione, siue quo alio modo, vix est vt aliud quicquã

probare

BIU Cujas

probare debeat mandatarius, qui se probat mandatarium, qualem se dixit, cum accepit pecuniam.[3] Quam licet fortassis male consumpserit, non eo magis tamen debet teneri Sempronio, qui non ipsius sed Titij mandantis fidem secutus est. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Ludouico d'Ariod, contra Michaelem Bataillin, Idib. Iun. 1613.

1 Cur non enim cogatur id præstare quod sine vllo suo dispendio futurum sit? *l. in creditore 38. in fin. de euict.* Nimirum vt possit Sempronius paratam habere actionem mandati contra Titium, quam alioqui paratam habere non posset.

2 Arguitur enim de mendacio mandatarius, qui mandatum allegat, nec probat, *arg. l. rem alienam 41. in fin. D. de pignor. actor.*

3 Sufficit enim vt talem se quis præstet, qualem dixit vt non arguatur de mendacio, *l. 5. ff. de hered. vel act. vend. l. 1. & 2. cum ibi not. cred. euict. pignor. non deber.*

4 Nam si eius fidem secutus esset, dando ei mutuam pecuniam, aut eam apud ipsum deponendo, aliud esset *l. si literas 7. C. hoc tit.* Sane quin is qui Titij mandatu pecuniam a Sempronio accepit, eam malè consumpserit, teneatur eo nomine Titio ad indemnitatem ei præstandam contrario mandati iudicio dubitari non oportet.]

TIT. XXVII.

PRO SOCIO.

DEFINITIO I.

Non tenetur socius ad æs alienum à socio contractum extra causam societatis.

SOcii creditori non obligatur socius, nisi pecunia in communem societatis vsum versa sit.[1] Quod enim vnus ex sociis facit proprio, non ipsius societatis nomine, non venit in rationem societatis.[2] Ergo nec aliæ impensæ societati imputabuntur, quam quæ ipsius causa factæ sint.[3] Et consequenter si vnius negotiationis societas contracta est, non habebitur ratio sumptuum in aliam negotiationem erogatorum.[4] *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Claudij de la Roche Senatoris, & Ioannis Bay Thadei & Cæsaris Grand. Non. Decemb. 1588.

1 *L. iure societatis 82. D. hoc tit.* Sicque accipiendum & restringendum est, quod paulo generalius ait Paulus *in l. omne 27. eod.* omne æs alienum, quod manente societate contractum est, de communi soluendum esse. Ita enim scripsit ad includendum etiam illud æs alienum, quod vnus ex sociis pendente conditione contraxerit, scilicet ex causa societatis, non etiam illud, quod vnus ex sociis pro suo negotio extra causam societatis contraxerit, *l. sed nec æs 12. eod.*

2 *L. si vnus 67. §. 1. D. eod.* qui tamen locus ostendit, intelligendum hoc esse de societate, quæ non sit vniuersorum bonorum, quomodo etiam accipienda est, *l. si quis societatem, 47. eod. tit.*

3 *L. cum duobus 52. alias l. si fratres, §. item in communem,* iunct. *l. pro socio 38. §. 1. d. l. si vnus. §. pen. eod.*

4 *d. l. cum duobus, alias l. si fratres, §. si quis ex sociis, eod.*

DEFINITIO II.

De facto institoris socius, qui eum præposuit, cæteris etiam, si eum institorem admiserint, tenetur. Præposuisse autem intelligitur, qui salarium constituit.

CVm ex pluribus sociis quidam institorem præposuerunt, tenentur ij actione pro socio de omni damno, quod societati per institorem contigerit:[1] nec ad rem pertinebit, quod is institor à cæteris sociis admissus probatúsque proponatur, nec si lucra, quæ per eum obuenerunt, diuiserint.[2] Possunt enim dicere, id à se ob eam causam factum, quod scirent futurum, vt si quod ab eo damnum societati eueniret, per eos, qui præposuissent, sarciri oporteret.[3] Sane qui præposuerunt, inuicem de institoris facto agere non possunt.[4] Præposuisse autem ij demum videntur, non qui pecuniam expendendam numerarunt, (cur non enim socij institori, quemadmodum & ipsi socio dare alij potuerunt?[5]) sed qui laboris salarium constituerunt,[6] quod socio constitui non fuerat necesse.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. qui admittitur 19. cum 7. seqq. D. hoc tit.*

2 Non enim potest hoc casu compensari damnum, quod per hunc institorem societati accessit cum lucro, quod per eundem obuenerit, nec socio dicete, *abstine commodo, quod per seruum accessit si damnum petis, l. de illo 23. in fin. D. eod.*

3 *Arg. l. sicut 8. §. non videtur,* in illis verbis, *quod sciebat vtique pignus durare, D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

4 *L. plane si ambo 24. D. hoc tit.*

5 Parum enim refert, an per se, an per alium negotia societatis quis gerat, *d. l. qui admittitur.* & qui pecuniam numerat institori, videtur numerare illi, qui eum præposuit, *l. 1. & tot. tit. De de instit. action.*

6 Salarij enim constitutio probatio est præcedentis mandati & præpositionis, *l. 1. §. vlt. D. mandat.*

7 Debet enim socius conferre quantum potest operæ & industriæ ex natura contractus, quæ ratio est *l. non ob eam rem, 25. & seq. D. hoc tit.*

DEFINITIO III.

Tacita societas quando intelligatur contracta inter fratres?

SI fratres indiuisam parentum hæreditatem quantumuis longo tempore retinuerint, certum est, id, quod alteruter aliunde quæsierit, non esse in commune redigendum:[1] numquam enim societas vniuersorum bonorum contracta intelligitur, nisi cum specialiter id actum est.[2] Interdum tamen euenit, vt tacite id actum videatur, nimirum si fratres non tantum hæreditatem parentum indiuisam habuerint, sed etiam bona cætera omnia, in quorum communionem inciderunt, si simul habitauerint, lucra etiam omnia & damna communicauerint, nec à se inuicem rationes vnquam exegerint.[3] Hæc enim omnia coniunctim requiruntur, quorum si vel minimum desit, puta si quid quantulumcunque alter proprio nomine gesserit sibive habuerit, vniuersalis societas minime contracta videbitur.[4] *Ita Senatus* in causa Petri Mermier & N. Porterat, 4. Calend. Iulij 1591.

1 *d. l. cum duobus 52. §. cum duo, & §. Papinianus, alias d. l. si fratres, D. hoc tit.*

2 *L. 3. §. 1. l. societates 5. l. si vnus 67. §. si vnus, D. eod.*

3 *l. Titium 47. §. altero,* vbi Bart. & cæteri, *D. de admin. tut.*

4 *L. si patruus 4. C. commun. vtriusque iudic.* [Si tamen vnus ex sociis ignorante altero acquirat aliquid suo proprio nomine in fraudem socij, non ideo soluitur societas. Sed sufficit scientia præsumptiua. Crauet. *cons. 26. nu. 2.* post Anchar. *cons. 302. dub. 2. Rom. cons. 291.* Idem Crauet. *cons. 123.*

DEFINITIO IV.

Tacita societas licet finiatur morte, tamen renouari facile potest consensu tacito, præterquam à pupillo vel minore, quia nec expressim renouare isti possent, nisi per ratihabitionem factam post annum vicesimum quintum.

AT finge, contractam inter fratres tacitam hanc bonorum societatem, tum altero defuncto superstitibus liberis iisdemque heredibus, alterum bona omnia communi nomine administrare, nec sibi quicquam separatim quærere.[1] Si fratris præmortui hæredes eadem faciant, quæ ipse facere solitus

BIU Cujas

erat, eadem durabit societatis inducendæ ratio, non quod prior morte vnius ex sociis finita non sit, (illud namque in omni societate, siue expressa, siue tacita, perpetuum est vt morte finiatur,[2]) sed quod iisdem modis, quibus contracta primum fuerat, videatur postea renouata & tacito consensu repetita.[3] Sed hoc ita, si hæredes tales sint, qui si vellent expressam societatem inire possent.[4] Finge, pupillos aut minores annis viginti quinque. Constat, non posse illos sine tutoris auctoritate obligari,[5] hos vero ne curatore quidem auctore sine decreto alienare.[6] Atqui per societatem vniuersalem fit bonorum omnium communicatio,[7] & consequenter alienatio.[8] Non potest igitur tacita societas contrahi cum pupillo aut minore,[9] nec renouari, quæ contracta cum defuncto fuerat, & ipsius morte finita.[10] Si tamen pupillus aut minor maior factus rata habeat omnia, quæ à patruo communi nomine gesta sunt, tacita societas, quæ antea, vt diximus, nulla fuerat, velut nasci & conualescere videbitur, vt eosdem producat effectus, quos si ab initio contracta vel continuata fuisset,[11] propter ratihabitionem.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Concurrentibus scilicet iis omnibus, quæ requirunt nostri post Bart. *ad d.l.Titium 47.§ altero, ff.de administr. & pericul. tutor.*

2 *L.4.§.1.l.heres socij 40.l.actione 65 §.morte, cum duob.seqq. ff. hoc tit.* vbi ratio redditur, ne alioqui fiat quis inuitus socius ei, cui esse non vult. Idque adeo verum est, morte scilicet solui societatem, vt nec ab initio pacisci liceat, vt heres quoque succedat societati, *l.cum duobus 52. alias l.si fratres, §. idem respondit societatem, l.adeo 59 in princ.ff.eod.*

3 Vt euenit facile in cæteris quoque contractibus, qui consensu perficiuntur, *l.item quæritur 13.§.qui impleto, ff.locat. l.in rebus 4.§.vlt.* iunct. *l.1.& l.precario 9.ff.de precar.*

4 Semper enim supponendi sunt termini habiles, *l.adigere 6.§.quamuis, ff.de iur.patron. l.1.§.vlt ff.ad SC.Tertull.*

5 *L.pupillus 5.l.obligari 9.& pass.ff.de auct.tut.*

7 Scilicet res immobiles, quarum scilicet prohibita est alienatio: prædiorum quidem rusticorum & suburbanorum, ex oratione Seueri, *l.1.& tot.tit.de rebus eor.qui sub tutel.l.prædia 8.cum seq.C.de præd.minor.* vrbanorum vero adeoque etiam rerum mobilium exceptis vilioribus ex lege Constantini *in l. lex quæ tutores 22.C.de admin.tutor.* Imo nec res mobiles poterat olim minor alienare sine curatore, si curatorem haberet, quamuis potuisset is, qui curatorem non habuisset, *l.si curatorem habens 3.C. de in integr.restit.minor.*

7 *L.1.§.vlt.& l.2.d. l.cum duob. 52.alias l.si fratres, §.socius, D. hoc tit.* [Non tamen per societatem tacitam per quam scilicet quæstualia tantum & fructus bonorum, non etiam bona ipsa communicantur. Alex.*cons.48.lib.2.*& alij quos refert & sequitur Crauet.*cons.26.num.1.*]

8 Alienat enim, qui rem suam alteri communicat, *l.vt sit 3. cum seqq.ff.eod. l.2.ff.commun.diuid.*

9 *L.vlt.in conductionibus 33.& seqq.D.hoc tit.* Imo nec minori aut pupillo permittitur prouocare ad communionem ob hanc eandem rationem, quia diuisio rei communis non potest fieri citra alienationem, *l.1.§.1. l.magis puto 5.§.vlt. cum ll.seqq. l.qui neque 8.in fin.ff.de reb.eor.qui sub tutel.l.penult.C.de præd.min.* [Vide Alex.*cons.49.vol.1.& cons.48.vol.2.* vbi videntur pugnantia respondisse.]

10 Alex.*cons.24.num 5.volum.1.& cons.30.num.8.& 9.volum. 4.* Guid.Pap.*consil.104.& 226.* Crauet. *consil.26.numer.1.3.& 4. consil.123.& cons.159.286.* Anchar.*cons.300.* Decius *cons.21.66. 488.& 548.*

11 Alex.*cons.37.lib.4.* post Bald. ibidem citatum.

12 Quæ mandato æquiparari passim solet, *l.vlt. C. ad SC. Maced. l.vero 12.§.vlt.ff.de solut.* [Obserua tamen posse pupillum approbare societatem secum factam, multo magis renouatam si sit in ipsius vtilitatem, Crauet.*dict. cons.286.num.2.* vbi dicit *contractum hoc casu claudicare post* Socin. *cons.87. col.6.* vers. *nec videtur lib.1.* Alex.*d.cons.19.vol.1.*]

DEFINITIO V.

De re empta ex pecunia communi vel ex pecunia redacta ex re communi an sit communis?

CVm vero ita sit, vt tacita videatur contracta societas inter fratres propter communicata bona & lucra omnia, nec vnquam exactas inuicem rationes,[1] quæri potest, si ex pecunia, quæ inter fratres communis fuerat, altero præmortuo superstes aliquid acquirat proprio nomine, an id sit commune inter acquirentem & præmortui heredes? Non quærimus an communicandum, sed an commune sit?[2] Communicandum enim non esse certum est, quandoquidem, vt diximus,[3] nulla hic est tacita societas:[4] nec si eos præmortui heredes proponeres, qui societatis ineundæ capaces essent.[5] Nempe quoniam actus ille priuatæ acquisitionis alienus est ab ineundæ societatis ratione, quæ lucrorum & quæstuum omnium exigit communicationem.[6] Et hoc ipso, quod quis sibi acquirit proprio nomine, vel declarat, nolle se tacitam vllam societatem contrahere, vel si qua iam contracta fuerat, exinde illam dissoluit:[7] nisi ponas, & ante & post acquisitionem illam ab vno separatim factam, cætera & bona & lucra omnia inter eos inuicem communicata,[8] vtroque nimirum negotiante, non si vel alteruter tantum, vel neuter.[9] Quæstio igitur in eo tantum esse potest, an fundus extra societatis causam ab vno quæsitus ex pecunia communi sit communis. In quo statim occurrit quod respondeamus, sicuti res per te empta ex pecunia mea non est mea, sed tua,[10] ita rem emptam ex pecunia communi non esse communem; sed propriam illius, qui comparauit,[11] salua ei, cuius pecunia pro parte fuit, actione in personam, ad eam pretij partem repetendam.[12] Sed fallit ea res in quibusdam personis, quarum fauore singulariter receptum est, vt ad quærendum iis dominium sufficiat, rem ex pecunia ipsorum emptam esse. In eo numero sunt milites,[13] pupilli & minores, (si tutor vel curator, non etiam alius comparauerit,[14]) itemque ij, quibus testator ex pecunia hereditaria fundos comparari iussit.[15] Multum tamen intererit, an empta res sit ex pecunia cum pupillo communi, quo casu dicimus, rei quoque ex ea pecunia emptæ communionem induci,[16] an vero res empta sit ex pecunia, quæ ipsa fuerit redacta ex venditione rei communis. Nam cum ea pecunia redacta ex re communi non sit communis,[17] quia pretium non ex re, sed ex negotiatione percipitur,[18] consequens est, vt multo minus communis sit res ex iis nummis comparata,[19] nisi forte propter personam pupilli duplex priuilegium velis inducere; vnum ratione pecuniæ redactæ ex venditione rei communis:[20] alterum ratione fundi ex pecunia empti:[21] sed id nequaquam admittendum est, maxime si nostris credamus, qui negant, plura singularia circa eandem personam posse concurrere.[22] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Tria enim illa sunt, ex quibus tacitam societatem inducunt nostri post Bart. *ad d.l.Titium 47.§.altero, D. de administr. & peric.tutor.* [licet non desint qui putent, & verius tacitam societatem vniuersorum bonorum contrahi nullam posse, vt Castrens.*cons.349.incip.ex die, col.fin.lib.1.* cuius tamen sententiam communiter reprobatam esse testatur Crauet.*cons.26.nu.5.* Rom. *con.168.dub.2.& 291.*]

2 Sunt enim ista differentia, cum nec sit communicandum, quod iam est commune, nec adhuc commune, quod est communicandum. Quia sicuti quod iam meum est, non magis fieri meum potest, *l.non vt ex pluribus 159. de regul. iur. §.sic itaque, Inst.de action.* Ita nec magis commune, quod iam est commune.

3 *Defin.præced.*

4 Quæ porro sola illa est, per quam posset induci necessitas communicandi, *d.l.1.§.vltim.& d.l. cum duobus 52. alias l.si fratres, §.socium, D.hoc tit.*

5 Id est, qui liberam bonorum suorum administrandorum & alienandorum potestatem haberent. Hi enim sunt termini habiles, quos ad tacitam societatem contrahendam supponendos esse diximus *Defin.præced.num.4.*

6 Tacita enim societas non aliam interpretationem habere potest,

BIU Cujas

re potest, quàm quam haberet expressa facta simpliciter. Atqui ea, quæ expressim quidem, sed simpliciter coita est, videtur coita esse quæstuum vniuersorum, *l. coiri 7. cum duab. seqq. D. hoc tit.* [Sed intellige vt per istas acquisitiones separatim factas dissoluatur societas si factæ sint sciente socio & patiente, vt dixi *Defin. 3. num. vlt. supr.* Item adde limitationem, si is qui separatim sibi acquisiuit ex bonis communibus fuerit tutor socij sui. Tunc enim cogitur ei communicare omnia acquisita. Cruet. *cons. 286. num. 1. & 2.* vbi dicit non habere hoc casu locum, quod scriptum est in *l. si patruus 4. C. commun. vtr. iudic. vbi sic* Bart. Bald. & alij.]

7 Licet contra sentire videatur Bart. *in d. §. altero, num. 6.* vbi vide amplam additionem in verb. *contracta societas.* Itemque Anchar. & Roman. in consiliis ibi citatis.

8 Anchar. *cons. 137. & 289.*

9 Ex doctrina Bart. communiter approbata, *in d. §. altero.*

10 *L. si ex ea 6. C. de rei vindic. l. ex pecunia 12. C. de iur. dot. l. multum 6. l. qui aliena 8. C. si quis alter. vel sibi.*

11 *L. si patruus 4. C. commun. vtriusque iudic.*

12 *L. 2. C. hoc tit.* Roman. *cons. 3.*

13 *L. si vt proponis 8. C. de rei vindicat.*

14 *L. 2. D. quand. ex fact. tutor. vel curat. l. 3. C. arbitr. tutel.* Vide tamen, quæ in hanc rem scripsi contra Interpretes *lib. 5. Coniect. c. 9.* Iunge *l. 7. qui pot. in pign.*

15 *d. l. 3. C. arbitr. tutel.*

16 Ex priuilegio pupillari, de quo *in d. l. 2. D. quand. ex fact. tutor.*

17 Sed eius propria, qui eam redegit suo nomine, sicut nec pecunia est furtiua, quæ redigitur ex pretio rei furtiuæ, *l. qui vas 48. §. vlt. D. de furt.* & è contrario non fit res pignorata, quæ emitur ex pignorata pecunia, *l. idemque 7. §. vlt. D. qui potior. in pign. hab.*

18 *L. venditor 21. vers. quoniam, D. de hered. vel action. vendit.*

19 *d. l. 47. §. altero, de admin. tut.* vbi tractatur de patruo tutore, qui merces omnes negotiationis communis vendiderat, & sibi redemerat, suoque nomine negotium exercuerat, & tamen negat eo loco Scæuola, compendium negotij præstare eum debere, sed tantum vsuras pecuniæ. Cui non valde dissimile est, quod scribitur de socio, qui pecuniam communem suo nomine fœnerauit, *in l. si vnus 67. §. 1. D. hoc tit.*

20 Vt videatur illa esse communis, contra id quod dixi, *num. 17.*

21 Vt videatur etiam communis, tanquam emptus ex pecunia communi, quod etiam falsum est, nisi cum tractatur de re, quam tutor ipse suo nomine emerit ex pupilli pecunia, vt diximus *num. 14.* Alioqui priuilegium pupilli totum in eo est, vt rem illam ex nummis suis emptam tacite habeat obligatam, *l. idemque 7. in princ. D. qui potior. in pign. hab.*

22 *Ex vulg. l. 1. C. de dot. promiss.* etsi alibi scripsimus, brocardicum hoc nobis non probari.

DEFINITIO VI.

Pecunia præsumitur fuisse ementis & soluentis præterquam certis casibus.

QVid autem si dubitetur, an pecunia, ex qua comparatum est, communis sit nec ne? Credemus, in dubio eius fuisse, qui emit,[1] præterquam si is filiusfamilias fuit,[2] aut mulier nupta,[3] aut rector Ecclesiæ, aliusve administrator.[4] Cui simile illud quoque est, quod dicimus, videri quem in dubio emere, sicut & soluere proprio nomine potius, quam alieno,[5] ne extrinsecus persona intelligatur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si defunctus 10. C. arbitr. tutel.*

2 *L. cum oportet 6. vbi glos. C. de bon. quæ liber.*

3 Hæc enim præsumitur emisse ex pecunia viri ad vitandam suspicionem turpis quæstus, quod & in vidua obtinet, *l. Quintus Mucius 52. D. de donat. int. vir. & vxor.* Nempe si non demonstretur, aliunde profectam esse pecuniam, vt ibi loquitur Pomponius. Semper enim præsumptio veritati cedit, *l. si chirographum 24. cum l. sequent. & pass. D. de probat.*

4 *Auth. licentia, C. de Episcop. & Cleric.* Bart. *in d. l. Titium 47. §. alter. D. de administ. & peric. tutor.*

5 Idem Bart. ibidem *ex l. & magis 4. D. de solut.* Excepto casu *l. qui negotiationem 58. D. de admin. tut.* propter præcedens mandatum testatoris. Adde Roman. *cons. 3.*

6 Quod nunquam faciendum est, *l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus, in fin. D. de verb. oblig.*

DEFINITIO VII.

In societate vniuersali non communicantur dotes, sed tantum fructus dotium.

IN societate quantumuis vniuersali non communicantur dotes, sed tantum fructus dotium,[1] quia nec facere societas potest, vt mariti socius maritus existimetur,[2] sed tantum vt onera matrimonij communicentur,[3] quod ad mulieris & liberorum exhibitionem pertinet.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Roman. *cons. 306.*

2 Maritus autem non nisi quia maritus est fit dominus dotis bonitarius, *l. quamuis 75. ff. de iur. dot. l. doce 6. Cod. de rei vindic. §. 1. Instit. quibus alien. licet vel non. l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

3 Quandiu & matrimonium & societas durat, *l. actione 65. §. vlt. cum l. seq. D. hoc tit. l. si filia 20. §. hoc amplius, l. si maritus 46. l. fundus 51. ff. famil. ercisc. l. 2. C. eod.*

4 In his enim præcipue consistunt onera matrimonij, *dict. §. hoc amplius, & dict. l. si maritus, l. si u qui 56. §. post mortem, ff. de iur. dotal.*

DEFINITIO VIII.

DVo socij quorum alter in societatis Calendario debitorem se scripserat, in dissoluenda postmodum societate sic conuenerant, vt pro iure omni quod habebat ille in bonis societatis certam pecuniæ quantitatem à socio perciperet. Hoc etiam addito, vt ea quantitas ex nominibus creditorum melioribus præstaretur. Cùm pecuniam creditor peteret, obiiciebat aduersarius compensationem eius quantitatis, cuius creditor ex Calendario fuerat ante dissolutam societatem. Placuit nullam huiusmodi compensationis habendam esse rationem, cum promissa quantitas, qua totum societatis commodum, & periculum æstimatum videbatur, nullam diminutionem pati posset citra iniuriam actoris, qui non minore pecunia partem suam societatis fuerat venditurus. Alioqui dicendum esset si maior fuisset quantitas ex Calendario debita, quàm quæ per societatis dissolutionem promissa erat, non solùm nihil ex conuentione cõsecuturum creditorem, sed etiã quod plus quàm in Calendario fuisset, debiturum, quod vtiq; nemo non fateatur iniquum fore. Præsertim cùm in cessione qualibet quantumuis generali, regulare sit vt intelligatur excepta persona cedentis, nec quisquam credendus sit actionem aliquam contra seipsum cedere voluisse. Maximè verò in specie proposita, in qua expressim conuenerat, vt promissa quantitas ex melioribus nominibus, actiuisque, vt scriptum erat, debitis solueretur. Non enim ex actiuis, sed ex passiuis solutio fieret, si quod ipse antea societati debuerat in solutum accipere cogi posset. *Ita Senatus* pro Ioanne Paquier, contra Brunod. Maij 1611.]

TIT. XXVIII.

DE CONTRAH. EMPT.

DEFINITIO I.

Mater curatrix eademque fructuaria si vendat cum filio, an & quatenus de euictione obligetur?

SI mater, quæ & minoris filij curatrix erat[1] & vsufructuaria,[2] rem filij cum ipso distraxerit, credenda est, si non aliud actum appareat, curatorio potius quam proprio nomine vendidisse,[3] & consequẽter tanquã curatrix de euictione se obligasse.[4]

BIU Cujas

maxime vero si curatricem se dixerit. Id enim constat sufficere, vt hoc ipso nomine contraxisse videatur. [5] Neque tamen eo minus doli mali exceptione repelletur, si vsumfructum, quem in venditione non exceperit, vindicare quandoque velit. Satis enim est ad tacitam vsusfructus remissionem inducendam, quod sciente & consentiente fructuario fundus venditus sit, tametsi ex ea causa nulla pretij pars ad fructuarium peruenerit. [6] Negari autem non potest, quin venditioni consenserit mater, quæ ipsa vendidit, alieno licet nomine. [7] Quod si proponas, non curatricem fuisse matrem, sed fructuariam duntaxat, magis est, vt sui vsusfructus solum ius remisisse potius, quam vt pro filio se obligasse intelligatur. [8] His consequens est, vt priore casu, si res euicta sit, non in matrem danda sit actio, [9] sed tantum in filium minorem, quatenus ex pretio locupletior factus erit: [10] posteriore vero ita demum teneri mulierem æquum sit, si propter vsusfructus remissionem aliquid acceperit: [11] hactenus nimirum vt ad acceptæ pecuniæ restitutionem, non etiam ad id, quod emptoris interierit, teneatur [12] vtpote quæ vsumfructum certo pretio amisisse potius, quam cessisse videri debeat, [13] quem nec cedere extraneo potuit, quin eo ipso amitteret, locumque daret consolidationi. [14] *Ita Senatus* in causa N. Francisci Denarie & Bartholomeæ de Vallon, 8. Id. Aug. 1588. Iunge Defin. 1. Tit. ad SC. Velleian.

1 Postquam placuit, matrem filio dari posse tutricem & curatricem ex noua Iustin. constitutione 118. *de hered. ab intest. venient c. 5. §. ex his.*

2 Nihil enim vetat vtrumque ius in eandem matris personam aut auiæ concurrere, quamuis non idem sit in cæteris, *Nouell. 94. vt sine prohib. matr. debitr. & creditr. tutel. ger. minor.*

3 *Arg. l. quoties 81. §. si Procurator D. de verb. obl.*

4 Obligatio enim de euictione sicut fit in consequentiam venditionis, ita eandem recipit interpretationem, quam venditio, cum clausulæ accessoriæ interpretandæ sint ex eo, quod actum est in negotio principali, *vulg. iurib.*

5 *L. post mortem 5. §. 1. ff. quand. ex fact. tutor. l. vlt.* vbi Bart. *ff. de instit. action.* Idem Bart. *in l. Titiam 47. §. altero, nu. 2. in fin.* vbi vide *addit. in verb. dicam, ff. de admin. tutor.*

6 *L. apud Celsum 4. §. quæsitum est, ff. de doli mali except.*

7 Adeo vt ex ea causa de euictione teneatur, *l. seruum Titij 49. ff. mandati.* vbi ob hanc causam ei quoque, qui rem suam ignorans vendidit, tanquam Procurator vindicatio denegatur.

8 Nunquam enim faciles esse debemus ad obligationem inducendam, cum alia interpretatio capi potest, *l. Arrianus 47. ff. de oblig. & action.*

9 Scilicet proprio nomine, nisi se proprio nomine de euictione obligauerit, *vt in l. Procurator qui pro euictione 67. ff. de Procur.* alioqui potest conueniri tanquam ea, quæ aliquando curatrix fuerit, vt de Procuratore scriptum est *in d. l. seruum Titij.*

10 Intellige, si petita sit per minorem in integrum restitutio, *vt in l. patri 27. §. 1. versic. item ex diuerso, ff. de minor.* nimirum cum ipso iure contractus tenuit, interueniente vel iuramento minoris vel decreto Iudicis. Nam si contractus non tenuit, nulla opus est restitutione, *l. 2. C. de præd. minor.* sed ea tantum cautione, ne locupletetur minor ex aliena iactura, *l. vtero 14. eod. l. si fundus 13. §. 1. ff. de rebus eor. qui sub tutel.* Sicut è contrario, cum contractus tenet, neque rescinditur per restitutionem, minor, qui alienam rem vendidit, tenetur in solidum de euictione, vt alius venditor quilibet.

11 Alioqui videtur donasse, *l. donari 29. de donat.* iunct. *l. 3. ad fin. ff. quæ in fraud. credit.* donator autem non tenetur de euictione, quam non promisit, si non sit in dolo, *l. 1. C. de iur. dot.*

12 Condictione scilicet sine causa, quia incipit penes eam esse sine causa id, quod ei datum fuerat ex causa venditionis, *l. 1. §. pen. & vltim. l. 2. ff. de cond. sin. caus.* Condictio autem nunquam competit ad ciuiles accessiones, sed tantum ad naturales, *l. indebiti, 15. ff. de cond. indeb. l. videamus, 38. §. item si indebitum, ff. de vsur.*

13 Aliud enim est cedere, aliud amittere. Qui cedit, transfert, qui amittit, nihil transfert, sed tanti habet re carere, si quid eo nomine accipiat.

14 *§. finitur, Instit. de vsufruct. l. si vsusfructus, 67. ff. de iur. dot.* Potest tamen vsusfructus etiam extraneo vendi, *l. arboribus, 12. §. vsufructuarius, l. non vtitur, 38. & seq. D. de vsufruct.* de quo alibi scripsi.

DEFINITIO II.

De contractu innominato simili venditioni.

CONuenerat inter te & fabrum lignarium, vt ligneam supellectilem tibi faceret, tuque vicissim ei dares, quantum pecuniæ satis esset, si tibi opus probaretur. Cum fecisset, & à te probatum opus esset, noluerat accipere, hoc solum causatus quod aliunde tibi parasses. Agebat ille vt pretium solueres, quantum arbitrio boni viri cõstitueretur, tu contra dicebas, non esse contractam venditionem, cum de pretio nullo cõueniisset, [1] quod aut certum esset, [2] aut per relationem ad arbitrium certæ personæ certum fieri posset: [3] offerebas itaque quanti eius interesset. [4] Recusante eo accipere, & præcise ad pretium agente, acta causa est in publico Senatus auditorio. Placebat non videri factam venditionem, quia neque de pretio conuenerat, neque vlla dum pecunia numerata fuerat, vt opus fieret: [5] sed potius cõtractum dici debere innominatum, *facio vt des.* [6] In quo contractus genere, si postea quam feci cessas dare, nulla nisi de dolo actio nasci potest. [7] De dolo autem actio ad id duntaxat competit, quod interest actoris. [8] Pronunciatum tamen est condemnandum te, vt pretium solueres, quale quantumque bonus vir arbitretur, [9] non quasi contracta venditione, sed quasi taxato breui manu eo, quod poterat interesse petitoris: [10] In quo dubitari non poterat, quin ipsa saltem iusta operis æstimatio contineretur. [11] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Cal. Ianuar. 1590.

1 Nam sine precio nulla venditio esse potest, *l. 1. D. hoc titul.*

2 Pretium enim debet esse certum, adeoque consistere in pecunia numerata, *§. sed & certum, cum §. seq. Inst. eod. l. pen. C. de rer. permut. l. 1. D. eod. d. l. 1 l. si quis fundum, 37. hoc tit.*

3 Hoc enim sufficit pretium esse certum per relationem, *l. hæc venditio, 7. in princ. & §. 1. eod. l. vlt. C. eod.*

4 Nam ex contractibus innominatis agi solet in id, quod interest, cum similes sunt emptioni, *l. 1. C. de rer. permut.*

5 Ex legibus citatis, *num. 1. & 2.*

6 Est enim contractus innominatus quisquis nomen non habet, dummodo habeat *συναλλαγμα l. naturalis, 5. & pass. D. de præscr. verb. l. iurisgentium, 7. §. 1. D. de pact.* quia plura sunt negotia quam vocabula, *l. 4. cum acced. de præscr. verb.*

7 *d. l. naturalis, 5. §. quod si faciam, eod.*

8 *L. arbitrio, 18. & pass. D. de dolo.*

9 *Arg. d. l. hæc venditio, 7. hoc tit.*

10 Quia quatenus cuiusq; interfit, in facto non in iure consistit, *l. quatenus 24. de reg. iur.* Ideoque sicut prudentes faciunt contrahentes, cum taxant id quod interest, ex consilio Iurisconsulti *in l. vltim. D. de præt. stipulat.* ita & iudex ne longioris litis materia detur, & vt suppleat, quod à contrahentibus omitti non debuit, *argum. l. quæsitum, 13. vers. verum tamen, D. de testibus.*

11 Vix enim est, vt id quod interest non contineat iustum pretium, *l. in interdicto, 6. D. de vi & vi armat. l. 1. D. de act. empt.*

DEFINITIO III.

Quantum intersit, an venditio incipiat à corpore, an à modo vel mensura?

IN venditione certi corporis, cum modi aut mensuræ adiectione, si quæratur quid in venditionem veniat, aut quando perfecta venditio videatur, placet Senatui ea distinctio, [1] quæ & summa nititur iuris ratione, an venditio à corpore cœperit, an à modo vel mensura? Nam posteriore casu non prius perfecta venditio videtur, quam modus probatus sit, aut mensura. [2] Ideoque & periculum rei venditæ interim ad venditorem pertinebit, si non facta sit mora per emptorem. [3]

BIU Cujas

prorem. [3] Nec plus minúsve venditum intelligetur, quam quod in modo erit, vel in mensura, licet confines plus minusve largiantur. [4] Priore vero casu non ex modo [5] vel mensura æstimatur venditio, sed ex corpore certis confinibus demonstrato. [6] Illud autem difficilius est, an à mensura cœpisse venditio dicenda sit, non solum si ager venditus sit, vt loquuntur, ad mensuram, sed etiam si prius facta sit mentio corporis, deinde mensuræ ante fundi confines iudicatos. Sed tamen magis est, vt hoc casu incipiat venditio à corpore, [7] & consequenter, vt statim perfecta intelligatur, & quicquicquid intra confines est pro vendito habeatur. [8] Alioqui vix sane esset, vt inciperet vnquam venditio à corpore, cum vtplurimum non nisi postremo loco, id est, post expressam mensuram, confines subiiciantur. [9] *Ita Senatus* in causa Ioannis Claudij de la Cley Aduocati, & Sebastiani de la Cley, 8. Id. Mart. 1591. & rursum in causa Ioannis Gorrandi, contra Petrum Ramum, 13. Cal. Decemb. 1592.

1 Quam vulgo probatam esse testatur Capic. *decis. Neapolit.* 14.

2 *L. quod sæpe* 35. *§. in his quæ pondere, & seq. D. de contr. empt. l.* 1. *§.* 1. *D. de peric. & commod. rei vendit. l.* 2. *C. eod.*

3 *d. l.* 2. *C. de peric. & commod. rei venditæ*, mora enim facit periculum eius, alioquin non esset, *l.* 4. 5. *& l. quod si neque* 14. *& pass. D. eod. l. si ex legati* 23. *D. de verb. oblig.*

4 Videtur enim hæc venditio facta sub conditione, quæ per modi & mensuræ probationem impletur, *d. l.* 1. *§.* 1. *D. de peric. & commod. rei vend. d. l.* 35. *§. in hoc tit.*

5 Quem sic prudentes nostri exprimere solent, vt dicant auersione factam esse venditionem, *l. qui officij* 62. *§. vlt. hoc tit. d. l.* 4. *§.* 1. *& 2. D. de peric. & commod. rei vend.* id est, confuse, & vno pretio, *d. l.* 35. *§. in hu, hoc tit.* Quod Galli dicunt *vendre en gros & en bloc.*

6 *L. claubus* 74. *D. hoc tit. l. si vina* 15. *D. de peric. & commod. rei vend.*

7 Quia verum est venditum esse corpus ipsum fundi, non autem tot iugera. Omnes enim contractus æstimandi sunt ex modo ineundi, *l. si procuratorem* 8. *in princ. D. mandat. l. si tantum* 12. *D. de SC. Maced.*

8 Siue maior siue minor sit modus, quam expressum sit in contractu. Modum tamen de quo venditor pronunciauit, & expressim adfirmauit, præstare debet, si emptori ignoranti adfirmauerit dolo malo, *l. si duorum* 42. *D. de action. empt.* Nec ideo tamen potest causari similiter se non vendidisse, quicquid est intra confines, si maior sit modus, quam qui fuerit expressus, quia imputare sibi omni casu debet, cur & modum & confines simul expresserit: vtraque enim illa expressio fit pro emptore, neutra pro venditore, si vtraque simul fiat, *d. l. si duorum*, iunct. *l. quæro* 39. *eod.* & ita mihi omnino videtur ex *d. l. si duorum, vers. nec enim.*

9 Expressio enim confinium facta post fundi modum expressum, intelligitur facta ad locum fundi demonstrandum, & ne quid ex vicinorum fundis venditum videatur potius, quam ad restringendum modum, qui separatim quoque expressus reperitur. Alioqui expressio modi superuacua inueniretur, quod non est dicendum. Verba enim omnia in quacumque dispositione, sed præsertim in contractibus, debent operari, *l. si quando* 106. *de leg.* 1. *l. generali*, 32. *§.* 1. *de vsufr. leg. l.* 4. *D. de vsur. cum similibus.*

DEFINITIO IV.

Intelligitur venditio cœpisse à mensura, quoties restricta est ad mensuram verbis præcisis & limitatiuis.

EXceptio tamen adhibenda est, nisi post demonstratum corpus proponas venditum fuisse, *quantum est in tali mensura.* His enim verbis, cum restrictiua sint, vt nostri loquuntur, & limitatiua, verius est cœptam videri venditionem à mensura, [1] licet verborum ordo corpus ipsum prius demonstrauerit. [2] Quid ergo si longe plus minusve sit in mensura, quam verbis contractus expressum fuerit? Id quidem, quod intra confines quantum aut quantumcumque erit, pro vendito habebitur, sed ita tamen, vt pro modo eius, quod deest vel excedit, pretium arbitrio boni viri vel suppleatur, vel minuatur, [3] cum venditio cœpit à corpore. Nam si à mensura, nec plus nec minus venditum intelligi vnquam potest, [4] nimirum si magnus sit excessus vel defectus. Nam qui modicus est, eius ratio haberi nulla debet. [5] Mensura præsertim dicta cum adiectione illa, quam vix vnquam notarij prætermittunt, *ou enuiron*, [6] quæ pro ratione & comparatione quantitatis, de qua agitur, plus minusue solet operari. [7] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 Limitata enim causa limitatum parit effectum, *vulg. l. in agris* 16. *D. de acquir. rer. domin.*

2 Ordo enim scriptúræ non potest mutare ordinem iuris & voluntatis, *l. cum pater* 73. *§. fidei tuæ* 12. *de leg.* 2. *l. nec enim* 6. *de solut.*

3 Non enim hoc casu pro emptore locum habere potest ea ratio, quam attulimus ad *Defin. præced. num.* 8. *&* 9. propter vim & potestatem restrictionis.

4 Secundum ea quæ diximus *Defin. præced.* Est tamen notanda meo iudicio hæc differentia inter expressionem modi & confinium. Quod expressio modi aut mensuræ semper intelligitur fieri limitatiuè, sed ita tamen, vt per subiectam expressionem confinium ampliari possit fauore emptoris, non autem restringi. Expressio autem confinium fit demonstratiuè, quantum ad emptorem, limitatiue vero quantum ad venditorem, ne possit prætextu minoris modi vel mensuræ dicere quicquam exceptum ex omni eo, quòd intra confines reperiatur, quia potest imputari venditori, non autem emptori; *d. l. si duorum* 42. *vers. nec enim, de action. empt.*

5 *l. scio* 4. *de in integr. restit. l. res bona fide* 54. *D. hoc tit. d. l. si duorum* 42. *vers. vtique si exiguus modus syluæ desit, D. de action. empt.*

6 Quod iidem notarij solent Latine sic exprimere, *aut circiter, vel circa.*

7 Arbitrio nimirum boni viri, ex personarum & facti circumstantiis æstimaturi, quid probabiliter actum videri possit eiusmodi adiectione.

DEFINITIO V.

Standum est scripturæ, nisi in his quæ post scripturam & extra contractum facta proponuntur.

NOn est audiendus qui dicit viginti iugera sibi vendita, si tabulis venditionis pauciora contineantur. [1] Cur non enim curauit ille vt viginti scriberentur? [2] Nisi forte decipiendi animum ille habuit: quo admisso æquum sane est ipsi esse fraudi malum quod iniit alterius fraudandi consilium. [3] Hoc ita, si non secunda nouáque venditio post scriptas tabulas contracta proponatur. Posteriores enim conuentiones, licet non scriptas, prioribus etiam scriptis derogare certum est in iis contractibus, [4] in quibus scriptura non requiritur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum enim nulla in verbis ambiguitas est, non debet admitti quæstio voluntatis, *l. ille aut ille* 25. *§.* 1. *de leg.* 3. Ad quid enim verba, nisi vt animi sensum exprimant, *l. non aliter* 67. *l. Labeo* 7. *§.* 1. *ff. de supell. legat.*

2 Semper enim est imputandum ei, qui potuit apertius dicere aut scribere, *l. veteribus* 39. *de pact.* Nec facile in contractibus euenit quod in testamentis, vt plus dictum minus scriptum intelligatur, *l. cum auus* 102. *ff. de condict. & demonstrat.* Sed potius vt propositum in mente retentum nihil operetur, *l. si maiores* 25. *C. de transact. l. si repetendi* 7. *C. de cond. indebit. l. quod quis* 50. *ff. eod.*

3 Qua enim fronte posset turpitudinem propriam allegare? *l. alias* 18. *in fin. ff. de iureiur. l. si plures* 38. *in fin. ff. de administr. tutor. l. itaque* 12. *§.* 1. *ff. de furt.*

4 *L. pacta nouissima* 12. *C. de pact. l. pacta conuenta*, 72. *ff. hoc tit.*

5 Cuiusmodi sunt omnes contractus, iis exceptis, quos in scriptis fieri placuit, de quibus *in l. contractus*, 17. *Cod. de fid. instrument.* Scriptura enim adhiberi solet, non ad substantiam actus, sed ad rei gestæ probationem perpetuamque memoriam, *l.* 4. *ff. de fid. instrument. l. cum te*, 5. *C. de transact.*

BIU Cujas

DEFINITIO VI.

Qui sub venditoris nomine accedit alienæ venditioni, censetur iure fideiussoris, vtiq; potest exceptionibus conuenditori suo competentibus, dummodo rei cohæreant, non personæ.

CVm fundum, quem sciebam ad matrem tuam pertinere, vellem emere vili pretio, vererer tamen ne tu quandoque defuncta ea venditionem improbare velles, dixi non aliter me cum matre contracturum, quam si te simul venditorem adhiberet, promissa etiam tibi in eam rem pecunia aliqua, vt nomen tuum venditionis instrumento adiici patereris. Magis est, vt non tam venditor quam venditionis fideiussor esse videaris: [1] quippe qui contractui accesseris pro re & negotio ad alium pertinente. [2] Cui consequens est, vt si qua matri tuæ exceptio doli, metúsve, aut petendæ in integrum restitutionis ratio competere potuit, eadem tibi prodesse debeat, siue ex empto ad rem tradendam, siue de euictione conueniaris, dummodo talis sit exceptio, quæ rei & causæ non tantum personæ priuilegio nitatur. [3] Cuiusmodi illa est quæ datur ex causa doli, [4] vel simulationis, [5] vel enormissimæ læsionis. [6] Rem enim ipsam contractumque afficit & inficit, adeo vt ad eum statum rem reduci oporteat, in qua esset, si contractus nullus præcessisset. [7] *Ita Senatus* in causa Dom. Senatoris Dauise, contra Franciscum le Maistre, Prid. Calend. Septembr. 1593.

1 Inspecto scilicet eo, quod reuera actum fuit potius, quam quod simulate conceptum, *l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit.*

2 *L. vir vxori 19. §. mulier. & Titius, D. ad SC. Velleian.*

3 Omnes enim exceptiones, quæ rei & causæ magis quam personæ cohærent, transeunt in fideiussorem, *l. exceptiones 7. vers. rei autem cohærentes, D. de except. l. & heredi 21. §. vltim. cum seq. D. de pact.*

4 *dict. §. rei autem 2. §. 1. & 2. D. de doli mal. except. l. si testamento 49. D. de fideiuss.*

5 *L. si non singuli 5. & seq. C. si cert. petat.*

6 *L. si quis cum aliter 36.* vbi DD. *de verb. oblig.*

7 Si quidem enormissima læsio reddit contractum ipso iure nullum, vt nostri tractant *ad dict. l. si quis cum aliter.* vbi æquiparant hoc casu dolum qui sit in re ipsa dolo ex proposito. Nunquam autem dolus suus prodesse cuiquam debet, *l. 1. §. 1. D. de doli except.* Simulata vero pro infectis semper habenda sunt, *d. l. si ex pretio.*

DEFINITIO VII.

Res redempta ex voluntate illius, qui habebat ius redimendi, quando irreuocabiliter acquiratur redimenti.

QVi rem sub pacto de retrouendendo venditam ab emptore redemit, præsente & consentiente eo, ad quem redimendi ius pertinebat, non tantum in emptoris iura successisse intelligitur, [1] quæ scilicet etiam ignorante adeoque inuito primo venditore nanciscì potuit, [2] sed etiam dominium quod non nisi reuocabile fuerat penes emptorem sibi acquisiisse irreuocabiliter, perinde ac si primus venditor redemisset tum, cum huic vendidisset. [3] Hic enim contingit, quod & sæpe alias, vt celeritate coniungendarum inter se actionum vna occultetur. [4] Sed hoc ita si nullum redimendi ius alioqui competere poterat ei, qui ex venditoris voluntate redemit. Nam si redimendi pro parte ius habebat, & consequenter in solidum, quandoquidem ius illud redimendi indiuiduum est: [5] vtputa si plures fuerunt eiusdem venditoris coheredes, consensus interueniens coheredũ licet non necessarius non impediet, quo minus in iudicium familiæ erciscundæ veniat res à coherede redempta. [6] oblato ei pretio quod de suo reddiderit, [7] quia nec aliam causam consensus coheredum hoc casu interuenisse creditur, quam dubitationis tollendæ gratia, [8] id est, vt minus dubitandum haberet emptor, quin vni ex coheredibus retrouendere cogeretur. *Ita Senatus* in causa D. de la Tornette, & Philibertæ Gay, 7. Calend. Febr. 1595.

1 Quia cum sit ipse emptor succedit in iura omnia sui venditoris, qui & ipse emptor erat, *l. inuitus 156. §. plerumque, de regul. iur.*

2 Potest enim quilibet ius suum vendere, nisi vbi aliqua impedit prohibitio, vel legis vel hominis, *l. vlt. C. de reb. alien. non alien. l. 1. C. de nouat.*

3 Quo casu non posset dubitari, quin dominium esset irreuocabiliter acquisitum emptori, quod fuisset irreuocabiliter penes venditorem, *l. traditio 20. D. de acquir. rer. domin.*

4 *L. 3. §. sed si debitorem, D. de donat. inter vir. & vxor. l. singularia 25. D. de rebus credit.* quod Iurisconsulti dicunt breui manu, *l. licet 43. §. 1. D. de iur. dot.*

5 Non enim cogendus est pro parte retrouendere, qui pro parte non fuerat empturus, ne inuitus incidat in communionem, *l. si quis aliam 46. D. de solut.* iunct. *l. si non sortem 26. §. si certum. D. de condict. indeb.*

6 Tanquam redempta ex eo iure, quod fuit hereditarium & commune, vt in locum iuris redimendi succedat ipsa res redempta, *l. heredes 25. §. si vnus ex coheredibus, D. famil. erciscic.*

7 Officium enim arbitri est curare, vt indemnitas inuicem præstetur, *l. ex parte 39. in princ. l. inter coheredes 44. §. vltim. & pass. eod.*

8 Quæ autem dubitationis tollendæ gratia fiunt ius commune non lædunt, *l. qui mutuam 56. D. mandat. l. quæ dubitationis 81. reg. iur. l. testamentum 17. C. de testam.*

DEFINITIO VIII.

Qui iura sua & actiones tantum præstare obligatus est, non tenetur de euictione, nisi de suo facto, Laudimia tamen quæ soluit repetere non potest.

REm, quam emere volebam, permisi tibi vt emeres, ita tamen vt mihi eandem certo conuentoque inter nos pretio traderes. Pretij adiecta mentio facit, vt perinde sit, ac si vendere promisisses. [1] An ergo mihi obligaberis de euictione ex natura venditionis? [2] Minime. Id enim duntaxat inter nos actum videtur, vt tu me in locum tuum substitueres, id est, iura tua & actiones mihi præstares. [3] Ex quo contractus genere constat nullam de euictione obligationem nasci, [4] nisi hactenus, vt de facto suo repromittere cedens debeat. [5] Adeo vt neque de pretio euicta re teneatur, cuius nomine ex cessa actione agi potest, sicut & ad id omne, quod interest aduersus primum venditorem. [6] Sed an laudimia, quæ tu prior emptor directo domino soluere coactus es, [7] ego tibi restituere debebo? Videntur enim accessiones esse emptionis, [8] sed verius est me ad id non teneri, cum ob posteriorem hanc alienationem, quam te in me facere oportet, noua laudimia sim debiturus: [9] tibique imputari possit, cur cautius non fueris negotiatus, [10] id est, cur tibi emens non etiam emeris amico per te eligendo. [11] Quod si fecisses, tumque me in amicum elegisses intra tempora constituta, [12] vna tantum venditio fuisset, [13] cuius ego solus laudimia debuissem, tu nulla. [14] *Ita Senatus* pro N. Andræa de Bienuenu, contra N. Gothofredum de Dompierre, Idib. April. 1595.

1 Quia venditio est, quoties conuenit de certo pretio pro re dando, *l. 1. D. de rerum permutat. l. naturales 5. §. 1. de præscript. verb.*

2 Ea siquidem est natura venditionis, vt venditor teneatur de euictione, quamuis nihil dictum sit, *l. si in venditione 60. & pass. D. de euict.*

3 Videor enim ego non solum tuam, sed etiam tui venditoris fidem tecum secutus esse, tuque mihi quodam modo nomen tuum duntaxat accommodasse.

4 *L. 2. D.*

BIU Cujas

4 *L.2.D.de hered.vel.act.vend.*

5 *d.l.2.l.de tuo 9.D.mandat.*

6 *d.l.si in venditione 60.§.prec.D.de evict.*

7 Pro inuestitura, iuxta *l.vlt.C.de iur.emphyt.* Clar.in verbo *emphyteusis quæst.15.*

8 Quia debentur in consequentiam alienationis, siue per venditionem, siue aliter facta sit, *d.l.vlt.* Iul.Clar.*d.q.15.17.18. 23.& alibi.*

9 Tot enim laudimia debentur, quot sunt alienationes cum non debeantur, nisi propter alienationem, vt proxime diximus. Alienatio autem esse intelligitur, quoties dominium transfertur, *l.1.C.de fund.dotal.*

10 *Vt in l.2.C.de furt.& seru.corrupt.*

11 Moribus enim nostris contra iuris rationem receptum est, vt possit quis emere, non tantum sibi, sed etiam alij, adeoque incertæ personæ, quem vocant amicum eligendum, dummodo sequatur electio intra quadragesimum diem, vt dicemus *ad tit.si quis alteri vel sibi.*

12 Id est, intra quadragesimum diem, vt proxime dixi.

13 Quia & eligens, & electus, quoties rite fit electio, vnius tantum personæ vice funguntur.

14 Nam & ob hanc causam introducta est forma ista electionis, vt vna tantum laudimia debeatur, quæ alioqui ex pluralitate venditionum plura deberentur, vt dixi *num.9.*

[DEFINITIO IX.

NOn semper præsumitur mandatum habere ad agendum is qui penes se habet instrumentum, ex quo agi potest, [1] Sed ita demum si ab eo qui agendi ius habuit traditum probetur. [2] Traditio enim illa est, quæ taciti mandati præsumptionem inducit, non sola possessio, [3] sicuti solemus dicere ex eo, quod chirographum etiam cancellatum reperiatur penes debitorem non induci tacitum pactum de non petendo, nisi redditum, id est, retrotraditum probetur. [4] Et quidem redditum ab eo, qui ius habuerit reddendi. [5] In dubio tamen ipsa quoque traditio præsumenda erit si non sit domestica persona, quam constet aliter quàm per manus creditoris habere instrumentum potuisse, [6] Nimirum, vt furti aut alterius delicti præsumptio euitetur. [7] *Ita Senatus*, 3.Id.Quintiles 1612.

1 Quod tamen pragmatici plerique vulgo imperitè putant.

2 *Ex l.1.C.de donat.l.vlt. C.de pact.conuent. tam sup.dot.* & vtrobique Bart.Bald.& alij Boer. *quæst.nu.7.& qu.154.*

3 Traditionem enim necesse est factam esse ad aliquem finem, & effectum, qui finis & effectus in dubio non alius esse potest, quàm vt ex eo agatur, *l.qui chirographum 59.de leg.3.*

4 *L.2.§.1.& l.seq.ff.de pact.*

5 Non enim ius vllum tribuere potest traditio facta ab eo, qui nullum ius habuit, *l.traditio 20.ff.de acq.rer.dom. vulg.l.nemo plus iuris 54.de regul.iur.*

6 Not.*in d.l.2. §.1. de pact.& in l.si chirographum 24. ff. de probat.*

7 Quæ semper euitanda est *l.marito 51.ff.pro socio.* Iunge *Def.n.28.] de solut.*

TIT. XXIX.

DE HAERED. VEL act. vendit.

DEFINITIO I.

Ius competens ex contractu conditionali translatum intelligitur per omnium iurium alienationem, etiam quæ facta sit ante impletam conditionem.

VEnditione pignoris sub ea conditione contracta, si ad diem pecunia non soluetur, [1] debitor idemque venditor sibi ius redimendi exceperat, [2] tum antequam dies venisset sua omnia rerum quas alienasset redimendarum iura Titio donauerat, aut si mauis vendiderat, [3] Si postea existat prioris venditionis conditio, ius quoque redimendi, quod priore venditione exceptum fuerat, posteriore contractu translatum intelligetur, [4] non secus ac si iam eo tempore prioris venditionis conditio existisset: [5] quia conditionum omnium natura illa est, vt quandocunque existentes ad initi contractus diem retrotrahantur, [8] præterquam si potestatiuæ sint, [7] ac præterea alteri medio tempore ius quæsitum proponatur. Id enim vnum est, quod impedit retroactionem. [8] At in proposito nullius interest, nisi forte defuncto ante diem solutioni dictam venditore heres eius sua interesse dicat, vt tanto locupletiorem habeat hereditatem. Sed cum heredis eadem quę defuncti persona esse intelligatur, [9] non magis audiendus erit hic heres, quam audiretur venditor ipse si viueret, [10] eaque ratione contenderet posteriore contractu ius illud redimendi translatum non esse, quod sua maxime interesset ad hoc, vt ampliore patrimonio frueretur. [11] *Ita ex tempore tractatum*, non tamen, quod sciam, decisum est, 11. Calend. Iunij 1593. Iunge Defin.4. de contr. & commit.stipul.

1 Potest enim ita fieri pignoris datio & venditio, dummodo id agatur, vt res obligata tunc certo pretio æstimetur, *l.si fundus 16.§.vlt.D.de pignor.*

2 Vt passim hodie fieri solet, *l.2.l.si à te 7.C.de pact.int.empt.& vendit.*

3 Nihil enim refert cum æque per donationem ac per venditionem fiat alienatio, *l.1.C.de fund.dotal.*

4 Etsi tunc res erat in pendenti. Est enim hoc ex eorum genere, in quibus quid ante fuerit ex postfacto demum apparet, de quibus *in l.quædam 15. D.de rebus dub.l.qui res 98.§.rem autem.D.de solut.*

5 Inspecto scilicet tempore contractus, quod semper inspiciendum est, etiam in contractibus conditionalibus, secuto quandocunque conditionis implemento, *l.si filiusfamilias 78. D.de verb.oblig.*

6 *d.l.si filiusfamilias, l.qui balneum 9. l.potior 11. D.qui pot. in pign.hab.*

7 *L.1.in fi.eod.* Tunc enim tempus prioris actus inspicitur, cum id quod postea fit habet necessariam, vt loquuntur, dependentiam à priore illo actu, *d.l.1.in princip.*

8 Quia nunquam debet esse in vnius potestate, vt ius alteri iam quæsitum tollat, *vulg.l.id quod nostrum 11.& l.non debet alteri 74.de reg.iur.d.l.qui balneum,& d.l.potior.*

9 *L.nihil est aliud 24.D.de verb.signif.l.quoties 9. §.heredes, D. de hered. instit. l.si rem 6. D.de except. l.cum heres 11. D.de diuers. temp.præscript.*

10 Absurdum enim est plus iuris habere heredem, quam habiturus esset defunctus ipse si viueret, *l.aliud est vendere 160. §.absurdum,de regul.iur. l.nemo plus commodi 120.l.quod ipsis 143. l. qui in ius 177.eod.*

11 Non enim sufficit quoquo modo interesse, nisi iusta & honesta causa sit, ex qua interest, *l.si plures 38. in fin.de administ. tut.l.1.§.item quæritur, cum præced. D.de separat. l.3.§.si mecum,D. ad exhib.l.cùm is 11.& seq.D.de furt.*

DEFINITIO II.

Etiamsi cedens retineat directas actiones, easque efficaces, tamen cessionarius liti sistendus est, si debitor id postulet.

VEnditis aliterve cessis [1] per creditorem actionibus, vsque adeo quidem remanent directæ penes cedentem vel inuitum, [2] vt ex iis, si volet, perinde ac ante cessionem possit agere: [3] sed tamen cogendus est cessionarius liti quoque sistere, si id debitor postulet, cuius nimirum interest, vt eodem iudicio de vtriusque iure cognoscatur. [4] Itaque cum actor quidam actionibus suis cessisse diceretur, & de eo apud iudicem interrogatus respondere nollet, quasi superuacua & illusoria esset interrogatio. [5] propterea, quod siue cessio facta esset, siue non, agere nihilominus posset ex directa, nulla dum per cessionarium facta debitori denunciatione, [6] Senatus pronunciauit dignam esse

BIU Cujas

interrogationem, cui responderi oporteret, siue quod facta cessione vocari in ius cessionarium interesset debitoris,[7] siue quod si periculo & commodo cessionarij facta, cessio proponeretur, posset debitor cum eo transigendo litem effugere.[8] *Ita Senatus* 7. Cal. Febr. 1590.

1 Cessio enim actionis potest fieri aliis multis modis, quam per venditorem, *l. per diuersas 22. & seqq. C. mandat.*

2 Quia directę actiones non possunt separari à persona, cui semel adhæserunt, &, vt nostri loquuntur, inhærent ossibus, *l. ita tamen 27. §. qui ex Trebelliano, l. cum hereditas 49. l. si heres 70. D. ad SC. Trebell.* [Vnde fit, vt quamuis cessionarius possit ex sui cedentis persona directas actiones exercere quasi mandatas, *l. emptor 5. l. ex nominis 8. C. hoc tit.* & vtiles ex propria *l. si cum emptore 16. D. de pact. l. vlt. D. de transact.* Nimirum si directę expressim mandatæ sint, vt constat ex dictis locis, & ex *l. qui stipendia 9. C. de procur.* Si tamen cessionarius alteri cesserit, non possit secundus cessionarius exercere directas, neque ex sui cedentis persona, qui eas non habuit, neque ex persona primi cedentis, qui eas ipsi non mandauit. *Ita Senatus* in causa perillustris Dom. Guillielmi Chabod Comitis sancti Mauritij, & Garini Mugnier, & Iacobi Rebut, Iunij 1614.]

3 *L. 3. C. de nouat. & deleg.* vbi hæc differentia ponitur inter cessionem & delegationem actionis, *& in l. 1. eod.*

4 Vt res cum vno iudicata prosit cum alio, *l. vlt. D. de transact. l. si cum emptore 16 D. de pact. & l. 3. C. de donat.*

5 Non enim admittendæ sunt passim interrogationes, sed vbi necessitas causæ vel euidens æquitas iudicem mouerit, *l. penult. D. de interrog. in iur. fac.* & cauere bonus iudex debet, quantum potest, ne quid superuacuum in lite fiat, *l. hæc stipulatio 14. in fin. D. vt legat. nomin. caueat.*

6 Aliud enim esset si per cessionarium facta fuisset denunciatio, quia eo casu directa, quæ manssisset penes cedentem facta esset inutilis, *d. l. 3. C. de nouat. l. nomen 4. C. quæ res pignor. oblig. poss.*

7 Vt dictum est *num. 4.*

8 Placet enim transactionem factam quandocunque cum cedente nocere cessionario, quoties facta est cessio periculo & commodo cedentis. De quo scripsi *lib. 12. Coniect.*

DEFINITIO III.

Cessionarius in rem suam procurator factus potest etiam directas actiones exercere suo nomine, dummodo ex persona cedentis.

CEssione sic alicui facta, vt is procurator in rem suam sit constitutus,[1] etsi non eo minus directam actionem exercere potest is, qui cessit,[2] nihil tamen vetat ipsum quoque cessionarium directis actionibus experiri,[3] & quidem suo nomine, si modo non ex sua, sed ex cedentis persona experiatur,[4] & tanquam simplex procurator.[5] Neque enim minus iuris ad agendum habere debet ob id solum, quod in rem suam fuerit constitutus.[6] Nec inutilis videri potest deliberatio, quasi nihil referat, directane, an vtili agat, cum vtraque eiusdem soleat esse effectus & potestatis,[7] fieri siquidem queat, vt exceptio, quæ obstaret exercenti vtilem actionem, non obstet agenti directa.[8] *Ita in Senatu tractatum* in eadem causa.

1 Vt contingit in ea cessione, quæ fit fideicommissario aut legatario, aut in solutum, de qua *in l. per diuersas 22. C. mand. l. si quis in rem suam 34. l. procuratore 55. D. de procurat.*

2 Quoniam directa actio semper remanet penes cedentem etiam inuitum, vt dixi *Defin. præced. num. 2.*

3 *L. qui stipendia 9. l. ita demum 13. C. de procurat.*

4 Nihil enim vetat suo nomine quem experiri, & ex alterius persona, *d. l. qui stipendia.*

5 Id est, tanquam alius quilibet procurator, qui non esset in rem suam constitutus, de quo *in l. quamuis 40. §. vltim. cum ll. seqq. D. ad SC. Trebell.*

6 Ideo enim constituitur quis Procurator in rem suam, vt plus iuris habeat, non vt minus, & inducta ad augmentum non debent operari diminutionem, *l. legata inutiliter 14. de adim. legat. l. legata 19. de leg. I.*

7 *L. actio 47. D. de negot. gest.*

8 Cum exceptio accommodanda sit ad naturam actionis cui opponitur, *l. cum reus 14. de fideiuss.* de cuius sententia & emendatione scripsimus *lib. 1. Coniect. cap. 8.* Adde *l. seruum quoque 33. §. vlt. cum l. seq. D. de procurat.*

DEFINITIO IV.

In obscuro iure potior est causa venditoris pretium petentis, quam emptoris, cui iam tradita res est, nec potest emptor discedere ab emptione inuito venditore.

HEreditatem Titij Sempronius vendiderat ea lege, vti ne de euictione supra eam quantitatem quam ab emptore acciperet, teneretur.[1] Cum ex hereditate vendita deducendum esset fideicommissum, quod Mæuio adiudicatum fuerat,[2] placuit non eo minus integrum venditionis pretium ab emptore persolui debere,[3] nisi constaret in promptu detractiones ex fideicommisso faciendas, cæteraq; hereditatis iura minoris esse, quam vt conuenti pretij quantitatem æquare possent.[4] Nam quamdiu de eo dubitatur venditoris causam potiorem esse conuenit,[5] præstita tamen per eum satisdatione, de restituendo, si quid amplius acceperit pretij nomine, quam ex conuentione accipere debuerit.[6] Alioqui haberet interim emptor & rē, & pretium, si venditori actio ad pretium lite pendente denegaretur.[7] Quid vero si emptor paratum se dicat recepto pretio ab emptione discedere? Ne hoc quidem ei permittendum est,[8] si non venditor quoque consentiat, vt à perfecta venditione resiliatur.[9] *Ita Senatus* in causa N. Bernardi d'Auise, contra D. de Varax, 3. Cal. Febr. 1590.

1 Valet enim hæc conuentio etiam in rei singularis venditione, *l. ex empto 11. §. vlt. D. de act. empt.* multo magis in venditione hereditatis, cuius venditori sufficit, vt sit aliqua hereditas, & vt sit ipse heres, dum ne quid faciat dolo malo, *l. cum hereditatem 7. cum 6. seq. D. hoc tit.*

2 Tanquam quod esset æris alieni loco, *l. cum pater 77. §. antepenult. de leg. 2. l. irritum 8.* iunct. *l. in imponenda 6. Cod. ad leg. falcid.*

3 Actione scilicet ex vendito, *dict. l. ex empto 11. D. de action. empti.*

4 Si enim emptor dicat, velle se de eo docere, in promptu audiendus est, *l. 3. vt in poss. legat.*

5 Eius siquidem est probare, qui dicit, non qui negat, *l. 2. de probat.* Est enim ista exceptio emptoris, qui licet reus sit, tamen in exceptione sua actor est *l. in exceptionibus 19. eod.*

6 *Arg. l. 1. & tot. tit. si cui plusquam per leg. falcid. l. statuliber 5. de statulib.*

7 Quod esset iniquum, *d. l. ex empto 11. §. vlt. l. bona fides 50. de act. empt.*

8 Contractus enim ab initio sunt voluntatis, ex postfacto necessitatis, *l. 5. C. de oblig. & act.*

9 Scilicet re adhuc integra, aut si res integra non sit, omnia retroagenda sunt, *l. 1. & 2. C. quand. lic. ab empt. disced. l. ab emptione 58. de pact.*

DEFINITIO V.

Actionis cessio regulariter non valet, nisi ad concurrentem dati reuera pretij quantitatem, aut nisi facta sit per meram donationem.

ACtionis cessio, si non per meram donationem facta sit,[1] non aliter valere potest, quam intercedente iusto pretio, & re vera numerato, exceptis iis casibus quos Anastasij cōstitutio exceptos voluit.[2] Quod si partim vendita actio, partim donata proponatur, non nisi ad concurrentem vsque pretij quantitatem valebit cessio, ne qua fraudis comminiscendæ detur occasio.[3] Ergo neque valere poterit, si cedens fateatur pretium numeratum, nec aliunde probetur numeratio,[4] nisi fidem de pretio habitam fuisse ex solemni obligationis instrumento, aliisve idoneis probationibus appareat.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 9. Calend. Iulij 1590. Et rursum in causa Iacobi Bluet, & D. Emerij de Montfalcon Aduocati, Idib. Iulij 1591.

1 *L. per diuersas 22. in fin. cum l. seq. C. mandat.*

2 *d. l. per*

BIU Cujas

2 *d.l.per diuersas.*

3 *L.ab Anastasio 23.§. si quis autem, eod.*

4 Nuda enim confessio in actibus suspectis semper suspecta est, & nunquam probat, *l.qui testamentum 27. de probat.* Alioqui erit inuenta ratio, per quam facile fraus legi fiat, vt in simili argumentatur Vlp. *in l.5.§. si pupillus, de reb.eor.* iunct. *l.scire oportet 21.de tutor. & cur.dat.*

5 Nihil enim refert, an pretium reuera solutum fuerit, an fides habita sit de pretio, *l.quod vendidi 19.de contrah.empt.§. venditæ 41. Inst.de rer.diuis.*

DEFINITIO VI.

Sola meritorum assertio in actu suspecto non probat.

CVi consequens est, vt si remunerationis color cessioni validandæ quæsitus sit ad hoc, vt non minus ex causa onerosa cessio facta videatur, quam si solutum pretium probaretur, non aliter valere illam admittendum sit, quam probatis meritis, quorum remuneratio obtenditur. Sola enim meritorum assertio nunquam pro probatione est ad validitatem actus, qui alioqui suspectus sit & prohibitus, ne huiusmodi commento nimis facile fraus fiat legibus. [2] *Ita Senatus* ex tempore, Prid.Id.Maij 1591.

1 Non enim donat qui remuneratur, *l. Aquilius Regulus 27.de donat.l sed etsi lege 25.§. consuluit, de petit.hered.*

2 Dixi ad *Defin.præced.num.4.*

DEFINITIO VII.

Non est prohibita cessio condictionis ex Canon. redintegranda contra spoliatorem in fauorem domini directi, etiam ratione fructuum.

EMphyteuta spoliatus iura sua omnia per cessionem in dominum directum transtulerat, [1] adeoque ius repetendorum cum possessione fructuum, quos à spoliatore perceptos constaret; addita etiam illa cessionis faciendæ causa, [2] quod æquum non esset manere emphyteutam obligatum ad præstandum directo domino censum annuum pro ea re, quam à spoliatore præpotente aduersario auocare non posset. Conuenerat autem, vt litem eo nomine contra spoliatorem exercendam directus dominus propriis sumptibus persequeretur: in qua si obtineret, cogeretur ea ipsa bona emphyteutæ reddere, ita tamen, vt & nouas conuentiones inire, & nouum censum constituere posset, deque ea re separatim ac priuata scriptura cautum fuerat. Quærebatur an ea cessio valeret? Videbantur enim obstare Anastasij & Iustiniani constitutiones, [3] quæ licet apud Gallos abrogatæ, [4] apud nos tamen sunt in vsu: præsertim cum ex pactione illa de retrocedendo extra contractum, & quasi clam facta, [5] videretur directus dominus vexandi spoliatoris gratia potius, quam pro suo iure tuendo alienam actionem redemisse. [6] Verum placuit non esse hoc casu locum constitutionibus, propterea quod interfit domini directi, emphyteutam non esse spoliatum: [7] qui si re carendum habeat, multo iustius est dominium vtile cum directo, quod iam penes cessionarium sit, consolidari. [8] Sed & fere est, vt huiusmodi cessio necessariam causam habere videatur, [9] ne alioqui euenire necesse esset, vt spoliatus emphyteuta, qui à potentiore aduersario possessionem recuperare non posset, censum nihilominus persoluere compelleretur. [10] Neque enim ad solutionem denegandam ea ratio sufficeret, quod emphyteuta diceret se spoliatum, quippe cui ad reuocandam possessionem ordinario iuris remedio consultum esse possit, vt per eum stare videatur quo minus possideat, si non possidet. [11] Nam quemadmodum rem ipsam ita & possessionem habere videtur, qui actionem habet ad eam persequendam. [12] Accedebat, quod non videatur in fraudem quicquam facere is, qui actionem idcirco cedit in potentiorem, ne à potentiore opprimatur. [13] Nec nocebat pactum adiectum de retrocedendo, [14] quia conuenerat, vt ea retrocessione nouæ conuentiones fierent, aliúsque census imponeretur, [15] non vt pristino iure esset ea res penes emphyteutam. Proinde nec frustra nec simulate fiebat cessio, quæ retrocedenti domino directo quale quantumque vellet commodum esset allatura. [16] Non tamen deerant, qui putarent quod ad fructus à spoliatore ante cessionem perceptos attineret, non idem iuris constitui debere, ex eaque parte inutilem & prohibitam videri debere cessionem, quod ea fructuum restitutio nihil cum directi dominij iure commune haberet, [17] nec quicquam cessionarij eo nomine interesset, qui toto illo tempore solitos census annuos à spoliato perceperat. [18] Proinde videbatur digna res æquitate Senatus, vt in eo saltem, quod in fraudem legis excogitatum videri poterat, inutilis cessio pronunciaretur. [19] Sed aliud Senatui visum est, & quod ita ferat huius iudicij natura, vt fructus omnes à spoliatore indebite perceptos restitui oporteat, [20] quasi ex consequentia necessaria, per quam concedi multa solent, quæ alias non concederentur. [21] Et quia eius commodi spe videretur facilius inductus dominus directus, vt propriis expensis persequendæ litis necessitatem in se susciperet. [22] Maxime quod spoliatoris odium tale esset, vt nullo fauore adiuuandus videretur. [23] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Definit.32.infr.de iur. emphyt.

1 Recepta enim est apud nos in praxi, vt & apud interpretes, distinctio illa duplicis dominij, vtilis & directi: contra quam vide quæ scripsi *lib.20. Coniect.*

2 Nec enim posset valere cessio, quæ causam eamque iustam non haberet *l.per diuersas 34.C.mandat.*

3 *In d.l.per diuersas, & l.ab Anastasio 35.C.mandat.*

4 Nisi cum factæ sunt in potentiorem aut iudicij mutandi causa, teste Paponio in syntagmate Arestorum.

5 Nam vt Tertullianus dicebat, malum est quod occultatur, & ad dolum proxime accedit, si quid clam fit, *l.vlt.in fin.de vit.nupt.l.pupillus 5.§. sed si per interpositam, D.de auct.tutor.*

6 Quæ ratio fuit prohibendarum cessionum, per constitutionem Iustiniani *in d.l.per diuersas.*

7 Est enim hic vnus casus ex iis qui excepti sunt, *in d.l.per diuersas.* Cum cessio facta est ad tuitionem iuris, quod habuit cessionarius ante cessionem.

8 Vnaquæque enim res facile redit ad suam naturam, *l.si vnus 27.§.pactus ne peteret, in fin. D.de pact.*

9 Cuiusmodi quæ sunt, id est, quæ causam necessariam habent cessiones, semper valent, vt & cæteræ alienationes, quæ alioquin essent prohibitæ, *l.alienationes 13 famil.erciscr. l.1.de fund. dotal.d.l.per diuersas.*

10 Et ita sentiret incommodum pro ea re, ex qua nullum sentiret commodum, contra *l.secundum naturam, 10.de reg.iur.*

11 *L.vlt.C.de action.empt.*

12 *L.is qui actionem 15.de reg.iur.*

13 Non enim facit dolo, qui dolum excludit, *l.cum pater, 77.§.antep.de leg.2.l.Iulianus 42.de acq.hered.*

14 Quod pactum solet esse suspectum, quoties adsunt aliæ coniecturæ, vt dici solet de pacto retrouendendi, quasi non videatur habere animum alienandi is, qui voluntatem habet rei retinendæ vel recuperandæ, *l.qui sic soluit 55. de solut.l.sicut 8.§. superuacuum, D.quibus mod.pign.vel hypoth.soluit.l.& qui sub imagine 10.C.de distr. pignor.*

15 Nouæ siquidem conuentiones, præsertim circa censum, faciunt nouum contractum emphyteuticum, qui nec aliam naturam habet, quam quæ formatur ex partium conuentione, *l.1.C.de iur.emphyt.*

16 Nec enim alioqui contractus emphyteuticus semel perfectus posset reformari ex interuallo, inuito emphyteuta, *l.7. §. quinimo, & §.adeo, de pact.l.vero 12. §.penult.de solut.*

17 Separata namque est causa proprietatis & fructuum, *l. pen.de acqu.poss.l.bonæ fidei 48.de acquir.rer.domin. l.si seruus 61.§. locaui, de furt.*

18 Nam census isti annui debentur à re, non à persona, *l.Imperatores 7.de public. & vectig.*

BIU Cujas

19 *Arg.l.placuit 29.D.de vsur.*

20 *Can. redintegranda 3. quæst.1. leg.1. §.ex die, de vi & vi armat.*

21 *L.1.l.quod diximus 7.de auct.tut.*

22 Non alias susceptur us, *l.vlt.C. de pact.int.empt.& vend.l.5. §.pen.D.de dol.except.*

23 *L.non est singulis 176.de regul.iur.§.sic itaque, Instit.de act.*

DEFINITIO X.

Cessionarius non potest agere præcise ex persona sua, sed potest ex persona cedentis, sicut & heres, non tamen contra heredem debitoris.

CEssionarius, licet non possit à præcisa executione incipere aduersus cedentis debitorem, [1] siue vtili actione experiri velit, siue directa ex persona cedentis, si ad proprium suum commodum eam referat, (nam ante omnia cessionis fidem facere debet [2]) si tamen & ex cedentis persona, & ad ipsius vtilitatem, non ad suam, fieri executionem curauerit, rite facta executio videbitur: [3] quoniam cessio facere non potest, quin directæ actiones remaneant penes cedentem, [4] quas proinde ab eo exerceri, aut eius nomine ab alio nihil prohibet, præsertim si cessionarij voluntas non refragetur. Ipsum quoque cessionarium simplicis procuratoris & mandatarij vicem gerere nihil prohibet, si id sibi vtilius, & ad debiti solutionem extorquendam commodius esse existimet, [5] cum paratam ex cessione actionem habiturus sit aduersus cedentem, vt quicquid eius commodo exactum erit sibi restituat. [6] Nec aliud erit si non creditor, sed creditoris hæres cessisse proponatur. Idem enim quod ipsi creditori ius competit incipiendi ab executione ex instrumento guarentigiato, si modo postea se in totum, vel pro parte hæredem esse, & alleget & probet. [7] Sane aduersus debitoris hæredem nec creditor ipse eodem iure vtetur, quia prius est, vt constet quod debitoris hæres sit, quam vt pro tali conueniatur & vrgeatur. [8] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Mauris, & Andrææ Grumel, 3. Non. Mart. 1593.

1 Bald. *in l.per diuersas, quæst.10.C.mand.* Roma. *cons.142.incip. quod cessionarius.*

2 Boer. qui supra dictos & alios plerosque refert & sequitur, *quæst.16. num.1.& 2.* Bart. & Ang. *in l.postulante, D.ad SC. Trebellian.* contra distinctionem Baldi, de qua idem Boer. *numer.3.*

3 *Notat.in l.qui stipendia 9.C.de procur.*

4 *L.3.vbi notat.C.de nouat.l.si heres 70.D.ad SC.Treb.*

5 Notatur ad *d.l.qui stipendia, & in d.l.per diuersas.* Imo & in dubio credendus est cessionarius egisse via sibi vtiliore, Bald. in *l.ait prætor, §.si quis, de procur.* Boer. *d.qu.10.nu.3.*

6 *Not.in d.l.3.C.de nouat.*

7 Eadem enim persona est creditoris & hæredis, *Auth.de iureiur.à mor.præstit.* Atque ita concludit Boer. vbi supra, *numer. vltim.* post Decium. *cons.536.num.1.& 2.volum.3.* licet contra sentiant plerique, quos idem Boer. refert *dict.num.fin. & præcedent.* existimantes male hæredem creditoris non posse constituere debitorem in mora quousque probauerit se hæredem.

8 Bart. *in d.l.postulante, & in l.si decesserit, D.qui satisd. cogan.* Boer. *dict.qu.10.nu.1.& 2.* vbi addit aliud esse, si executio facienda sit contra tertium detentorem. Hanc enim fieri statim posse *ex cap.veniens, de testib.* post Bart. *in l.1. §.necessario D.si ventr.nomin.mulier.in poss.*

DEFINITIO XI.

In cessionarium transit pignus, sed non possessio pignoris.

NOminis cessionarius haud dubie succedit etiam in iura hypothecarum, [1] non tamen succedit in ius possessionis pignorum, [2] præsertim quam cedens habuerit ex sola clausula constituti, nisi ipse quoque cedens expresse constituerit, se illius nomine possidere. Possessio enim, quæ per clausulam constituti mihi quæritur, [3] licet videatur pendere ex animo prioris constituentis, qui meo tantum, non etiam tuo nomine possidere constituit: [4] potest tamen eo quoque inscio per me transferri in te, sed hoc vno modo, si tuo nomine constituam possidere. [5] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Id. April. 1593. Et iterum in causa D. de Seruette, & Dominorum de Charmoisy & de Cohendier, 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 Hactenus scilicet vt ei præstandæ sunt hypothecæ, non vt hypothecariam exercere possit sine speciali cessione, *l. emptori, 6. D.hoc tit.*

2 Possessio enim est facti, quæ ideo numquam transit ipso iure, *l.cum heredes 23.D.de acqu.possess.l.denique 19.D.ex quib.caus. maior.*

3 *Vulg.l.quod meo 18.D.de acq.poss.*

4 Actus autem non possunt operari vltra intentionem agentium, *vulg.l.non omnis, 19.D.de reb.cred.*

5 Quia modus transferendæ per constituti clausulam possessionis est fictitius, licet veram quoque, realem & actualem possessionem transferat, *d.l.quod meo*, vbi notat.

DEFINITIO XII.

Casus, in quo expensæ ante litis denunciationem factæ veniunt tamen in actionem de euictione.

NOmen Titij, quasi is centum tibi deberet, mihi cesseras in solutum paris quantitatis, quæ mihi abs te debebatur. [1] Cum aduersus Titium agerem, passus est se per contumaciam condemnari, sed postea ex iudicato conuentus prouocauit ab ea sententia, [2] & in causa appellationis negauit, se tibi quicquam debere. Ab eo tempore litem tibi denunciaui, vt nomen, si bonum esset, defenderes. [3] Noluisti ad iudicem venire, atque ita mihi per contumaciam es condemnatus. [4] Placet, prioris litis, quam cum Titio exercui, sumptus in condemnationem deduci oportere. Nam quod dici solet eum, qui ad litem pro alio defendendam auctor laudatus est, eas duntaxat impensas actori restituere debere, quas ipse post denunciationem, non quas ante fecerit, adeo vt si omissa sit ante sententiam denunciatio, ne quidem actio de euictione vlla superstit, [5] nisi is, qui condemnatus est, doceat, se non iniuria, sed iusta ratione superatum; [6] Id, inquam, in proposita specie locum non habet, cum imputari non possit mihi, tur non litem tibi denunciauerim, quamdiu debiti controuersiam Titius nullam fecit. Auctorem enim tum laudari sufficit, cum quæstio & controuersia fieri incipit. [7] Quia tamen Titius quantumuis bonam causam habeat, non prius audiendus est, quàm contumaciam purgauerit, hoc est, sumptus omnes contumaciales, vt vocant, refuderit. [9] Æquum sane non est, eorum sumptuum nomine, quos à Titio vel iam consecutus sim, vel consequi æque commode possim, mihi contra te actionem dari, potiusque tibi ex ea causa doli exceptio accommodabitur, si aut ego bis idem exigere velim, [9] aut iure meo aduersus Titium vti nolim, ob hoc solum, quo magis damno te afficiam. [10] *Ita Senatus*, 4. Non. Aug. 1593.

1 Vnam enim rem pro alia, & fundum pro pecunia in solutum dari posse receptum est, si modo creditor consentiat, *l.si non sortem 26.§.si certum, D.de condict.indeb. l.eum à quo 16.& seq. C.de solut.*

2 Eo siquidem iure vtimur, vt contumax possit appellare intra tempus legitimum computandum à die notitiæ, refusis tamen prius expensis contumaciæ.

3 *L.si nomen 4.& seqq. D.hoc tit.*

4 Contumacia enim eorum, qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coërceri solet, *l.contumacia 53.D.de re iud.*

5 *L.emptor fundi 8.C.de euict.*

6 *L.si ideo 55.* vbi Bart. & alij contra gloss. *ibid.D.eod.tit.*

7 Auctor

BIU Cujas

7 Auctor enim laudatur ad rem duntaxat defendendam, quod fieri non poteſt, niſi poſt motam litem, *l. ſi plus 74. §. mota queſtione. eod. tit. d. l. emptor* 8. *& ſeq. C. eod.*

8 Nemo enim contumax auditur, quouſque deſinat haberi pro contumace, quod ſit purgata per ſumptuum refuſionem contumacia, *l. 1. & 4. C. quor. appell. non recip. l. properandum* 13. §. *& ſiquidem, C. de iudic. l. ſi prætor* 73. *ff. eod.*

9 Improbus namque eſt, qui bis idem conſequi velit, *l. ſi quis dolo* 51. §. 1. *de re iud.*

10 Nihil enim mea intereſſe videtur, nec malitiis indulgendum eſt, *l. in fundo* 38. *ff. de rei vind.*

DEFINITIO XIII.

Ceſſio iurium ſtricti iuris eſt, probandaque eſt per ſcripturam, nec probari poteſt per iuſiurandum ſuppletiuum.

IVrium ceſſio ſtricti iuris eſt, [1] Ideoque nec in eam veniunt, niſi quæ expreſſa ſunt. [2] Propter quam cauſam non deſunt, qui putent, per teſtes probari eam non poſſe, ſed per ſcripturam duntaxat, [3] & conſequenter nec ad eius probationem iuſiurandum, quod ſuppletiuum vocant, deferri oportere. [4] *Ita tractatum eſt* ex tempore, 7. Cal. Sept. 593.

1 Contrahitur enim per ſtipulationem, quæ ſui natura ſtricti iuris eſt, *l. quicquid* 98. *de verb. oblig.*

2 Aut expreſſis conſequentia, *l. emptori* 6. *D. hoc tit.* [Vbi dicitur facta ceſſione nominis præſtandã eſſe ceſſionario etiam perſecutionem pignorum. Quo exemplo dicimus dandam ei eſſe actionem etiam contra fideiuſſores. Bart. *ad l. heres* 21. *D. de fideiuſſ. & l. ſi heres* 73. *D. ad Senatuſc. Trebell.* Vide *Defin.* 20. *ſ. hoc tit.* Et Bald. *in l. ſi in ſolutum, C. de oblig. & action.* vbi dicit contra quam ſcriptum ſit in hac Definit. *Et ſic nota ceſſiones non eſſe ſtricti iuris, quia extenduntur ad ſuas conſequentias.* Sed parum recte. Nihil enim intereſt an quid expreſſum ſit an expreſſo conſequens. Denique dicimus acceſſorium tranſire cum principali ceſſo. Idem Bald. *in l. ſi à creditore, in fin. C. de obligat. & action & in l. 1. num. 9. C. commun. de legat.* Specul. *in tit. de ceſſ. act. §. 1. verſ. ſed numquid cedens.* vbi ait actionem ceſſam contra debitorem intelligi ceſſam etiam contra fideiuſſorem, cùm talis caſus eſt in quo poſſint tranſire vtiles actiones etiam abſque ceſſione, quod fit in emptione nominis. Gloſſ. *in l. 1. C. de oblig. & action.* Maximè ſecuta traditione inſtrumenti, ex qua ſcilicet præſumitur mandatum contra omnes eo inſtrumẽto obligatos. Not. *in l. 1. C. de donat.* Bald. *in l. vlt. C. quand. fiſc. vel priuat.* Quaſi per omiſſionem tacitum ſit nomen fideiuſſoris potiùs quam ſecundum partium intentionem Zaſ. *in §. actionum, num. 49. Inſtit. de action.* In contrarium tamen quòd ceſſa actione contra debitorem non tranſeant actiones contra fideiuſſorem. Tenuit idem Bald. *in l. dotalem, notab.* 4. vbi etiam Imol. *D. ſolut. matrimon. & in l. ſi pignori, D. famil. erciſcund.* Per text. *in l. venditor actionis* 23. *D. hoc tit.* iunct. *l. qui filiifamilias* 14. *eod. l. nouatione* 4. vbi Bald. *C. de fideiuſſ.* Sed priorem ſententiam affirmatiuam tanquam veriorem defendit Alex. *ad l. creditor* 52. *D. de act. empt.* Planè ceſſa perſonali actione non tranſire hypothecariam defendit Zaſius *ad l. quicquid adſtringendæ* 99. *de verb. oblig.* Videturque ea ſententia non male probari *ex d. l. emptori* 6. *D. hoc tit.* quę non ait emptori nominis dandam eſſe pignorum perſecutionem etiam quæ non ſit ceſſa, ſed eſſe præſtandam, id eſt, cedendam, vt fideiuſſoria obligatione apertiùs ſcriptum eſt in *d. l. venditor.* Vt proinde videatur hæc opinio negatiua magis eſſe iuri conſentanea, licet à Senatu noſtro fuerit improbata *Defin.* 20. *ſ. hoc tit.* Illud ſanè conſtat ſi quis tanquam fideiuſſor interuenerit in contractu venditæ pennonis annuæ certo precio, pro ſolutione ſcilicet penſionum, Non etiam pro reſtitutione precij in caſum longioris ceſſationis in ſolutione penſionis (valet etiam pactio, vt ſi penſio non ſoluetur poſſit repeti pretium, vt ſcripſi *Defin.* 40. *ſ. de vſur.*) fideiuſſorem ad reſtitutionem precij conueniri nullomodo poſſe, quia fideiuſſoris obligatio ſemper eſt ſtricta cum non obligetur niſi ex ſtipulatione *l. Blanditiis* 12. *C. de fideiuſſ.* Niſi fideiuſſerit in omnem cauſam vt *in l. quæro* 54. *D. locat. Ita Senatus* in cauſa per Illuſtriſſ. viri D. Guilielmi Chalot, Comitis ſancti Mauritij, & Garini Mugnier & Iacobi Rebut, die 4. Iunij 1614. Vide Apoſtill. ad Specul. *in litt. e, in verbo quicquid, §. dict. tit. de ceſſ. action.* Planè tum quoque cum actiones fideiuſſoriæ non tranſeunt, ſi tamen nomina fideiuſſorum ſunt obligata poteſt ceſſionarius agere etiam contra fideiuſſores tanquam contra debitores debitoris. Ex *l. nomen* 4. *C. quæ res pignor. Ita Senatus* in eadem cauſa de qua *Defin.* 1. *ſ. ſi pignus pignor. dat ſit.*]

3 Quomodo dici etiam ſolet de contractu emphyteutico, *l. 1. C. de iure emphyt.* & aliis nonnullis, quæ neceſſario probanda ſunt per ſcripturam, ne tam facile in iis fit falſum commiſci, *l. teſtium facilitatem* 18. *vbi not. C. de teſtib.*

4 Iuſiurandum enim ſuppletiuum habet vim probationis per teſtes, quia qui iurat, fit hoc caſu teſtis non iudex in cauſa propria, ſecus in iureiurando deciſiuo, *l. 1. quarum rerum act. non det.*

DEFINITIO XIV.

Ceſſionarius actionis litigioſæ cogitur pati executionem, quam cedens ipſe pati cogeretur.

CVm venditor fundi ab emptore ex cauſa euictionis laudatus imploraſſet reſtitutionem, ac lite pendente prouiſionaliter, vt aiunt, condemnatus actione ſua fratri per donationem ceſſiſſet, deinde frater ex iure ceſſo litem proſequeretur defuncto iam cedente, qui alium heredem reliquerat, dubitabatur an ea indemnitas, quam emptori præſtare interim ex iudicato cedens debuerat, à ceſſionario præſtãda eſſet? Placuit præſtandam eſſe. An quia cum in defuncti ius ſucceſſiſſet, quod ad eum fundum pertinebat, obnoxius eſſet præſtandis iis omnibus, quæ eiuſdem fundi nomine emptor præſtare debuiſſet? [1] Minime. [2] Actio enim ex empto, cum in perſonam ſit, non ſequitur ſingularem ſucceſſorem. [3] Sed quia in ius reſtitutionis nominatim ceſſum fuerat, adeoque lite iam pendente, [4] ac proinde cum non rei duntaxat, ſed ipſius quoq; actionis ſucceſſor eſſet donatarius, recuſare non poterat, quo minus omnia actionis incommoda ſubiret: [5] inter quæ illud erat, vt pendente reſtitutionis iudicio, quæcunq; per cõtractum promiſſa fuiſſent, impleri oporteret. [6] *Ita Senatus* in cauſa D. de Cheurier, & fratrum de Beaumont, 4. Non. April. 1594.

1 *Argum. l. ex qua perſona* 143. iunct. *l. aliud eſt* 160. §. 1. *de regul. iur.*

2 *L. ex empto* 11. *& paſſ. D. de action. empt.*

3 *Vulg. l. vlt. §. 1. ff. de contr. empt. l. 1. §. ſi heres, ff. ad SC. Trebell. l. æris alieni* 15. *C. de donat.*

4 Et ita eo tempore, quo non potuit fieri per ceſſionem durior conditio aduerſarij, nec litis ſtatus mutari, *l. 1. & tot. tit. de alien. iud. mut. cauſ. fact.*

5 Fit enim ſemper alienatio cum ſua cauſa, *l. alienatio* 67. *D. de contrah. empt.*

6 Id enim eſt, quod pragmatici dicunt, pendente lite contractum tenere, quamuis certum ſit, reſtitutione in integrum poſtulata nihil noui fieri debere, *l. vnic. C. ill. tit.* ad quem vide quæ ſcripſi.

DEFINITIO XV.

Quid præſtare debeat is, qui nomen ceſſit precio accepto.

CEdens quicquid iuris habet accepto pretio aliave re qualibet, [1] venditoris loco eſt. [2] Ideoque ſi ceſſionario ex cauſa aliqua prorſus inutilis ſit ceſſio & infructuoſa, tenetur cedens ad reſtitutionem pretij, eorumque omnium, quæ accepit. [3] Non tamen ad id, quod ceſſionarij intereſt, [4] ſi non expreſſe conuenerit, [5] aut niſi ipſius dolo malo aliquid factum ſit, [6] puta ſi ius, quod antea habebat, aut in totum, aut pro parte, vel exegerit vel remiſerit. Tenetur enim de facto ſuo. [7] Et quamuis non teneatur facere bonum nomen, tenetur tamen facere verum, id eſt, præſtare ſe creditorem, licet non locupletem debitorem. [8] Præſtare autem ſe potiorem non tenetur, niſi hactenus, ne pretium aliave, quæ ceſſionis nomine accepit, retinere poſſit. [9] *Ita tractatum eſt* in cauſa Reuerend. D. Alphõſi d'Elbene Abbatis Altacombani, & Claudij Thorombert, 10. Cal. Maij 1594.

1 Scilicet quæ ſit loco pretij, vt *in l. 1. C. de rer. permut.*

2 *L. naturalis* 5. §. 1. *D. de præſcr. verb.* iunct. *l. pacta conuenta* 72. *verſ. an idem. D. de contr. empt.*

BIU Cujas

3 Per condictionem, quia incipit pretium penes eum esse sine causa, *l.cum hereditatem 7.in fin.D.hoc tit.*

4 Nunquam enim id, quod interest, venit in condictionem, quia actio stricta est, *l.videamus 38.§.si actionem, de vsur.* Aliud est, si agatur ex empto, *l.5.& 9.D.hoc tit.*

5 *L.si nomen 4.in fin.eod. illo tit.*

6 *L.hoc autem 12.eod.*

7 *L.de tuo, D.mandat.*

8 *d.l.nomen.*

9 Intellige, nisi alia vendita sit, & quasi iactus retis, vt *in l. quod si 10.& seq.D.hoc tit.*

DEFINITIO XVI.

Non valet præcisa executio facta per cessionarium, siue proprio suo nomine, siue simpliciter, sed tantum quæ facta est ex cedentis persona.

VTiles quidem actiones habet cessionarius,[1] nec solum personales, sed etiam reales aduersus eum, cuius nomen cessum est, si suo nomine agere velit.[2] Itemque directas ex persona cedentis, si mandatæ sint.[3] Sed tamen si ex causa cessionis præcise velit exequi ex principali diplomate, quod nos de debitis appellamus, non potest, & si fecerit, irrita pronuncianda est executio,[4] etiam quæ simpliciter facta fuit, id est, non expresso eo, an proprio, an ipsius mandantis nomine, propterea quod quoties simpliciter quis facit, quod suo & alieno nomine facere potuit, suo potius quàm alieno fecisse credendus est.[5] Igitur tum demum rite facta executio dicetur, cum apparebit, factam à cessionario tanquam procuratore cedentis, & mandatam non vtilem actionem exercente.[6] *Ita Senatus* in causa Ioannis Guichard & Claudij Bonier, 6.Cal.Iunij 1594.

1 Post rescriptum diui Pij, de quo *in l. si cum emptore 16. D. de pact.l.2.C.de oblig.& action.*

2 Dixi *ad Defin.1.num.1.*

3 *L.qui stipendia 9.C.de procur.* Dixi *Defin.10.num.3.*

4 Vide *d.Defin.10.*

5 *L.4.D de solut.*

6 Hoc enim casu executionem valere constat, vt dixi *Defin.10.supr.*

DEFINITIO XVII.

Valet facta etiam ex interuallo post solutionem cessio contra eum, qui per solutionem non fuit ipso iure liberatus.

NOn semper verum est, cessionem factam ex interuallo esse inutilem.[1] Quid enim si per solutionem debitor non sit liberatus? Finge non tam ipsius nomine solutum esse, quàm ex alia causa. Proculdubio cedi actio poterit, quæ penes creditorem adhuc manet integra.[2] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Masuyer & Antonij Bourgeois, 8.Id.Iun.1594.

1 Est tamen hoc regulare ex *l.Modestinus 76.D.de solut.*

2 Vt *in l.si res obligata 58.de legat.* & aliis similibus, de quibus vide quæ scripsi *lib.12.Coniect.*

DEFINITIO XVIII.

Solutio facta cedenti nocet cessionario, qui non denunciauit, secus in conuentione facta cum cedente. Et quid in mandatario.

CEssus debitor, qui cessionem sciuit, licet non ab ipso cessionario, non potest de debito pacisci aut transigere cum cedente in præiudicium cessionarij,[1] cui nimirum post rescriptum Diui Pij vtiles ex propria persona competunt actiones.[2] Soluere tamen non prohibetur, quamdiu ab ipso cessionario de cessione nominatim certior factus non est,[3] quamuis cedentem ipsum, si nunc ageret, doli exceptione repellere posset,[4] quia dubitare probabiliter potest, an ius suum exequi cessionarius velit, qui minus diligens est in certiorando debitore,[5] & tamen verum est, factam solutionem vero creditori,[6] & quidem bona fide. Ex qua causa non potest non contingere debitori liberatio[7] eius, qui nullas ex propria persona vtiles actiones habeat, sed tantum alienas & mandatas, ac proinde ex persona mandantis[8] alia ratio est. Namque solui quidem vtiliter potest, si exigendæ solutionis gratia fuerint mandatæ,[9] sed non eo minus soluere debitor mandatori poterit, tametsi ab ipso mandatario certior antea factus sit de mandato,[10] nisi mandatarius vel litem contestatus sit, vel debiti partem acceperit (quo tamen casu obseruandum est, residui actionem non impediri[11]) vel debitori denunciauerit, ne solueret mandatori.[12] *Ita Senatus*, in causa Illustris D.Marchionis de la Chambre & Sp.Caroli Francisci Ruffin Referendarij Augustæ, 12.Calend.Ianuarij 1595.

1 Sola enim probabilis ignorantia tueri eum potest, *l.vlt. D.de transact.& contrar.sens.*

2 *L.si cum emptore 16.D.de pact.*

3 *L.nomen 4.C.quæ res pignor.* in illis verbis, *certior à te factus, l.3.C.de nouat.*

4 *d.l.si cum emptore.*

5 Quia enim tarde quid facit, diu noluit, inquit Seneca *lib.1.cap.1.de benefic.*

6 Cedens enim remanet verus creditor, cum penes eum remaneant directæ actiones, vt dixi *Defin.10.num.4.*

7 *L.penult.D.de solut.*

8 De quo *in l.3.C.de nouat.& in l.1.C.de oblig.& action.*

9 *Vt in dict.l.3.* Alioqui non potest solui procuratori ad solam litem dato, *l.hoc inre 86.D de solut.*

10 Cum exigendi debiti ius totum hoc casu remaneat penes mandantem, *l.qui stipendia 9.vbi notat. C.de procurat. l.4.C. ad nouat.*

11 Secundum eam sententiam, quam nos attulimus *ad d.l. 3.C.de nouat.lib.12.Coniect.*

12 *d.l.3.C.de nouat.* vbi tres tantum casus isti excipiuntur.

DEFINITIO XIX.

In emptorem hereditatis transit ius implendæ conditionis, vt & cætera omnia.

IN emptorem hereditatis sicuti cætera iura omnia transeunt,[1] ita & ius implendæ conditionis, quam venditor, siue ex testamento, siue ex iudicato implere debuit,[2] nec vlla aut ratihabitione, aut indemnitatis repromissione ex ea causa opus est.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin.19.sup.mandat.

1 *L.2.& pass D.hoc tit.*

2 Sicut e contrario, quod heredi dari conditionis implendæ causa debuit, etiam emptori hereditatis dari potest, quasi transiata conditio videatur, *l.4.§.si sub conditione, D.de fideic. libert.*

3 Emptor enim hereditatis succedit in vniuersum ius venditoris, *d.l.2.§.cum quis, D.hoc tit.* licet succedat titulo singulari, non vniuersali.

[DEFINITIO XX.

Cessio facta contra debitorem principalem censetur hoc ipso facta etiam contra fideiussorem.

QVamuis dici soleat cessionem iurium esse stricti iuris,[1] nec actus vllos operari debere vltra intentionem agentium.[2] Si tamen is qui habebat obligatos plures, aut tanquam correos debendi, aut tanquam debitorem vnum & fideiussorem alterum, mandauerit actiones suas iisque cesserit aduersus vnum ex correis, aut aduersus principalem debitorem, placet videri cessas actiones etiam contra correos & contra fideiussores:[3] quamuis in cessione legati aliud sit, puta in ea quæ fit ex Trebelliano, vt maior sit hac parte

potestas

potestas hominis quàm legis. [4] Sed si cessio contra vnum ex correis, aut contra debitorem facta proponatur cum dictione taxatiua *duntaxat*, non extendetur ad fideiussores aut alios correos,[5] quia nihil vetat ex pluribus personis obligatis vnam ab obligatione eximi, aliam verò in obligatione retineri.[6] Quod in persona fideiussoris multo magis probandum est, quo cuento etiam principalis debitor per consequentias conuenitur in solidum,[7] cùm tamen correus per correum non nisi pro parte conueniatur,[8] nisi tota pecunia ad eum peruenerit: quo casu alter correus pro fideiussore potius habendus est.[9] *Ita Senatus* pro N. Ioanne de Loriol D. d'Asnieres, contra Bernardum & Amedeum Liuet fratres, Cal. Febr. 1613. Iunge Defin. 13. supr.

1 *Defin. 13. §.*
2 *Vulg. l. non omnis 19. D. de rebus credit.*
3 Bart. *in l. heres 21. D. de fideiuss. l. si heres 73. ad SC. Trebellian.* post Azon. in summa *tit. C. de hered. vel act. vendit.*
4 Sic enim Bart. supradictis locis distinguit *ex d. l. heres, & d. l. si heres* iunct. *l. emptori 6. D. hoc tit. l. vlt. C. quand. fisc. vel priuat.* quæ lex maximè procedit in datione in solutum.
5 Quoniam hoc casu cessio est personalis *l. nisi hoc actum 22. D. de pact.*
6 *L. Granius 72. D. de fideiuss.*
7 Propter regressum quem fideiussor contra reum habere debet actione mandati *l. cum lex 46. eod. tit. & heredi 21. §. vlt. cum ll. seqq. D. de pact. l. 5. de liber. legat.*
8 Secundùm Gloss. *in l. 1. alias 2. C. de duobus reis.*
9 Ex traditis per DD. ibid. & in *Auth. hoc ita eod. l. vir vxori 17. §. mulier & Titius ad Velleian.* licet contra scripserim *lib. 17. Coniect. cap. 1.* Iunge quæ scripsi *Defin. 13. num. 2. §.*

DEFINITIO XXI.

Nunquam debet cessus debitor & condemnatus soluere cedenti non admonito cessionario.

CEssus debitor & ex ea cessione iam condemnatus soluere cessionario si postea soluat cedenti ex authoritate rei quæ in alio foro inter cedentem & cessionarium ex vtriusque consensu iudicata esse dicatur, non ideo à cessionario aut ipso iure liberatus intelligitur aut per exceptionem liberandus est.[1] Cùm possit ei imputari cur soluerit tam facilè non certiorato cessionario cui iam fuerat condemnatus.[2] Maximè verò si soluendo non curauerit sibi restitui obligatorium instrumentum quod hodie adhuc penes cessionarium reperiatur.[3] Ex quo sanè vbi primùm agere cessionarius & litem contestari cœpit actiones vtiles ad eum pertinuerunt, & directæ, quę in persona cedentis manserant, ineficaces factæ fuerunt.[4] Quare nec ad rem pertinet quod cedens in lite interueniat, & rem iudicatam ex litigantium conuentione tueri velit. Non enim potest ea res ius quæsitum iam cessionario lædere,[5] sed tantùm cesso debitori prodesse, cui omnimodo indemnitatem præstare cedens debet qui pecuniam accepit.[6] Quòd si etiam de Arresto in alterius prouinciæ suprema Curia reddito tanquam falso & supposititio cessionarius conqueratur,[7] Tanto magis ei consulendum est vt pendente falsi quęstione debitor cessus ei soluere iubeatur,[8] Nisi vltro conditionem deferat cessionarius vt in finem vsque litis, & cognitionis falsi solutio differatur.[9] *Ita Senatus* in causa Georgij Bruni, & Claudij Bertrandi, & Matthæi Bruni, 17. August. 1613.

1 Nec enim post significatam cessionem alij quàm cessionario soluere debitor potuit, aut debuit *l. 3. C. de nouat. l. vlt. D. de transact.*
2 Condemnatio enim supponit semper litis contestationem, quæ sola hoc casu sufficeret *d. l. 3. 4. C. quæ res pignor.*
3 Instrumenti enim redditio probat liberationem *l. 2. §. 1. ff. de pact. l. pecuniæ 14. C. de solut.*
4 *d. l. 3. C. de nouat.*
5 *L. vlt. D. de pact.*
6 Quasi reuocata cessione. Nec enim duobus soluere debitor cogendus est.
7 Nam si fateretur se cessionis reuocationi consensisse, dolo sane faceret, qui ex ea cessione agere pergeret, ideóque doli exceptione repellendus esset, quia non eo magis debitor, qui cedenti soluisset inaudito cessionario liberatus ipso iure intelligeretur.
8 Licèt dici soleat pendente falsi quæstione standum esse instrumento, quod falsum dicitur *l. 2. C. de fals.*
9 Sicut in proposito casu factum fuerat *l. si conuenerit 26. de re iudic.*]

TIT. XXX.

DE RESCIND. VENDIT.

DEFINITIO I.

Restitutio in integrum ex beneficio l. 2. C. hoc tit. non amittitur per clausulas positas in contractu venditionis, nec per iusiurandum.

QVOD in venditionum instrumentis emptorum gratia exprimi solet, vltro donatam à sciente[1] venditore hyperocham[2] rei venditę, quanticumque sit pretij, non magis excludit beneficium restitutionis, quæ venditoribus vltra dimidiam iusti preti deceptis competit,[3] quàm si ei nominatim beneficio venditor adhibito etiam, vt fit, iureiurando renunciasset,[4] non tam illa ratione, quæ vulgo affertur,[5] quod credibile non sit, venditorem de tam graui damno, &, vt loquuntur, excessu cogitasse,[6] quàm quia bonæ fidei contractus non facilè tam iniquas admittat conuentiones,[7] quodque dubitandum non sit, quin ea ipsa facilitate, qua venditor contrahit & decipitur, iusiurandum etiam interponat, cæteraque eiusmodi vulgares clausulas inseri patiatur,[8] tametsi nec donandi animum habeat, nec beneficij, quod sibi competiturum intelligat, abiiciendi.[9] Quare nec nocebit venditori, quod venditio fuerit geminata, si vtraque eodem læsionis immodicæ vitio laborabit.[10] Sane non tantum iurisiurandi venia ab Episcopo, aut eo, qui Episcopi vices gerat, impetranda erit,[11] sed etiam in integrum restitutio ex principali diplomate postulanda, vt contractus rescindatur, qui re vera tenet,[12] cum emptoris dolus in contractum inciderit potiùs, quàm contractui causam dederit, nisi in hoc ipso circumscriptus venditor proponatur, vt venderet,[13] quo tamen etiam casu tutius fuerit impetrari restitutionem, ne disputationi locus relinquatur, an propter sacramenti auctoritatem contractus nihilominus teneat.[14] Nam quod dici solet iusiurandum, quod iustitiæ, veritatis & æquitatis potissimum veneratione sacrosanctum esse debeat, iniquitatis vinculum esse non oportere, restitutionis quidem beneficium inducit, at non etiam facit, vt omnino & impune contemni possit religio iurisiurandi, quod nullo salutis æternæ periculo seruari queat.[15] Plane Augustanorum hac parte ius singulare est, vt sacramenti absolutione impetrata nullo egeant Principis diplomate, sed tamen egent in integrum restitutione, ad rescindendam ex causa immodicæ læsionis venditionem.[16] *Ita Senatus* 9. April. 1588. Et rursus in alia causa, 16. Calend. Iunij 1591.

1 Hoc ideo, quoniam alioqui læsio faceret præsumi ignorantiam, cum nemo præsumatur iactare suum, *vulg. l. cum de indebito 25. ff. de probat.* Bart. & alij *ad l. 2. C. hoc tit.*
2 Vulgo probare vocant *pluris valentiam*, de qua *in l. &*

BIU Cujas

quæ nondum 15.§.vltim. D.de pign.l.quærebatur 20. D.qui potior.in pign.hab. Tess.*decis.*165.*num.*8.

3 *Ex l.2.C.hoc titul.l.si voluntate 8.eod.*

4 Contra quam traditum sit à Bart.& aliis vulgo *ad d.l.2.*

5 *Ex l.si libertus ita iurauerit 30.C.de oper.libert.*

6 Cessat enim hæc ratio,cum verba illa sunt addita, *quanticunque sit pretij*,quæ omnem excessum comprehendunt.

7 *Argum.l.ex empto 11. §.vltim. D.de action.empt. l.bona fides 50.eod.*

8 Itaque aliter posito iure inuenta esset ratio fraudandę legis, quod non est ferendum, *arg. l.5.§.si pupillus, D.de reb.eor.l. quidam 29.§.vlt.D.ad SC.Velleian.*

9 Non enim habet donandi animum,qui vendit, etsi valet venditio facta donationis causa pretio viliore, *l.si quis 38.D.de contrah.empt.*

10 *Arg.l.doli 19.§.diuersum,D.de nouat.& deleg.*

11 Ne periurium incurratur, cum seruari possit iusiurandum sine periculo salutis, vt sequitur in Definitione.

12 Hoc enim iure vtimur,vt beneficium *d.l.2.C.hoc tit.*non nisi per auxilium restitutionis imploretur, quæ res facit beneficium plenius, quia facilius potest amitti beneficium legis, quàm restitutionis in integrum,quæ scilicet tanto magis competit,quanto magis læsus quis est per clausulas supradictas.Aliud ergo esset, si quis vellet venire aduersus contractum ex beneficio solius legis citra restitutionem.Et ad eum casum restringendi sunt Doctores, qui contra hanc Definitionem sentiunt,quos vide apud Tessaur. *decis.*165.

13 Eo namque casu contractus est ipso iure nullus, *l.7.in princ.D.de dolo*, nec proinde opus est restitutione, vt rescindatur, *l.in caulæ 16.in princ.D.de minor.l.2.C.de præd.minor.*

14 Et vt quod de facto præcessit,de facto quoque rescindatur,quomodo pragmatici nostri loquuntur.

15 *Cap.cum contingat, c.debitores. Extr de iureiur.* iunct. *cap. quanto,eod.*

16 Idque etiam iure communi obtinet, ex quo prætor ipse restituit,non Princeps, *l.1.& tot.tit.D.de restit.in integr. l.1.D.ex quibus caus.maior.* iunct.*l.Imperatores 30.de rebus auctor.iud.possid.* Quamuis non sit iure communi hac in specie necessarium auxilium restitutionis,vt dixi *num.*12.

DEFINITIO II.

Enormis læsio est, quæ vltra dimidiam;& probanda est per testes, inspecto tempore contractus & communi opinione.

IMmodica læsio,quam nostri enormem vocant, in venditionibus aliisve contractibus non aliter interuenisse creditur, quàm si dimidiam iusti, &, quod hac parte idem est,veri precij excedat,[1] etiamsi de ecclesiæ, quæ fauorabilior esse solet, iuribus controuertatur.[2] Probari autem per instrumenta, cum incerti facti sit, vix potest,[3] per testes commode potest,non solum si de annuo reditu testificentur, ex cuius comparatione verus iustusque rei valor dignosci possit, quæ tamen certior probatio est:[4] sed etiam si alias rationes adferant ex loci aut temporis,aliisve eiusmodi circumstantiis depromptas: cum fieri possit, vt pro locorum & temporum varietate illa quoque prædia, quæ minoris sint reditus, pretiosiora tamen existimentur.[5] Illud districte obseruãdum est, vt de ea æstimatione testes loquantur, quæ & ad id præcise tempus, quo contractum, & ad communem hominum proborum existimationem,non ad singulorum testium opinionem referatur.[6] *Ibidem.*

1 *L.2.l.si voluntate 8.C.hoc tit.*

2 Interest enim ecclesiæ, cum nec aliter possit valere venditio rei ecclesiasticæ, quàm si facta sit ob ecclesiæ necessitatem,*arg.l.ratas 7.C.hoc tit.* iuncto *tit.de reb.eccles.non alien.l.iubemus 14.in fin.& Auth.hoc ius porrectum, C. de sacrosanct.eccles.c.1.* vbi gloss.*de restit.*

3 *L.prædia 48.de acquir.possess.l.pretia 63.de leg.falcid.*

4 Obserua tamen non eo minus æstimanda esse ea, quæ nullius sunt reditus,vtputa castra,turres,ædificia. Nam & hæc tunc etiam æstimarentur, cum de solius reditus quantitate ageretur, si modo ad conseruationem non solum personarum, sed etiam fructuum facta essent, Boer. *quæst.*19. *num.*1. *ex l.si à domino, §.fructus, de petit. hered. l.fin. de impens.in rebus dotal. fact.* Iunge *l.si fundum 92.de legat.1.l.si fundus 13.D.de rebus eor.qui sub tutel.* * Quod si testes ex vtraque parte auditi dissentiant, & æque probabiles dictorum suorum rationes afferant, solet Senatus noster eam primam æstimationem constituere quæ ex dictis testium actoris pro actore faciat, item illam quæ ex dictis testium pro reo,postea verò ex duabus communibus vnam facere communem æstimationem quam Senatus sequatur. Ita factum est in causa D. de Siccard & Antonij Pellissarij, 8. Februarij 1620.

5 *L.1.§.& alias videamus, D.si quid in fraud.patron. d.l.pretia rerum 63.D.ad leg.falcid.*

6 *d.l.pretia,l.si seruum 33.D.ad leg.Aquil.* Et hæc verior ratio est, propter quam læsio non potest bene probari per instrumenta,quia sunt singulorum.

DEFINITIO III.

Emptor, qui venditorem enormissime læsit, non habet electionem supplendi iusti pretij,& ad omnium fructuum restitutionem condemnatur.

SI in venditione læsio tam immodica interuenerit, vt non solum vltra dimidiam, sed etiam vltra bessem iusti pretij venditor deceptus sit,quam nostri enormissimam lęsionem appellant,sic rescindenda erit venditio, vt emptori electio non relinquatur, an supplere iustum pretium malit remque retinere.[1] Condemnandus enim est, vt rem ipsam præcise restituat,[2] adeoque cum fructib.omnibus,quos à contractus die perceperit, aut percipere potuerit,[3] vtpote qui perinde malæ fidei possessor cẽsendus sit,ac si possessionis suæ titulum nullum haberet.[4] Tanta enim læsio præ se fert inesse contractui dolum te ipsa, qui hac parte dolo ex proposito non male comparatur.[5] *Ita Senatus* ex tempore pro Dom.Doger, contra D.de Boege Sarciny, 7. Calend. Aug.1588.

1 Quia contractus hoc casu ipso iure nullus est, tanquam continens dolum in re ipsa,vt sequitur in Defin.Vide Tessaur. *decis.*165.*num.*6.& 7.

2 Tanquam nullo titulo eam possidens,vt *in l.eleganter 7.ff. de dolo,l.nullo 24.C.de rei vind.*

3 Vt seruatur in quolibet alio malæ fidei possessore, *l.certum 22.C.de rei vind.*

4 Nihil enim refert,an quis habeat titulum nullum, an vitiosum, *l.quoties 6 qui satisd.cog.l.2.de auctor.tutor.*

5 *L.si quis cum aliter 36.*vbi DD. *de verb. oblig.* Tess. *d.decis. 165. num.6.*

DEFINITIO IV.

Etiam venditiones publicæ sub hasta factæ rescinduntur ex causa immodicæ læsionis, nullo quoque dolo probato.

PVblicas venditiones,quæ sub hasta fiunt,non facile ex causa lęsionis in pretio irritas fieri publice interest,[1] non solum quod alioqui futurum sit, vt difficilius reperiantur, qui ad eiusmodi emptiones velint accedere,[2] propterea quod nulla de euictione obligatio hoc casu quæritur,[3] sed etiam quia vix sciri possit,quodnam sit iustum pretium ex communi hominum opinione æstimandum,[4] ni iustum illud est, quod publice facta venditione constitutum reperitur.[5] Id enim est, quod dici solet,tanti rem esse,quanti vendi potest:[6] neq; vero vlla de iusto pretio probabilior testatio est,cum de priuata venditione rescindenda agitur, quàm si testis eam dicti sui rationem adferat, quod si res publice vendita fuisset,tanti vendi potuisset.[7] Ne tamẽ sub nomine subhastationis publicæ locus fraudibus relinquatur,æquissimè placuit,vt si immodica,&, vt loquuntur, enormis læsio interuenerit, perinde publica ac priuata venditio rescindi possit,[8] etiamsi neque fraus neque collusio aliter probetur,[9] quæ sane vtplurimum difficillimæ esset probationis:[10] eoque passim iure Senatus noster vtitur, nec alias

BIU Cujas

nec alias ad publicę venditionis reſciſſionem probationes requirit, quàm ſi de priuata reſcindenda tractaretur.[11] *Ita Senatus* in cauſa viduæ D. de Genuille, contra Ioannem Baptiſtam Varronem Geneuenſem, 13. Calend. Septemb. 1588.

1 *L. ait prætor 7. alias l. eiſi ſine, §. quæſitum, l. quod ſi minor. §. non ſemper, D. de minor.*
2 *Quæ ratio eſt Vlpiani in d. §. quæſitum.*
3 *L. 1. & tot. tit. C. credit. euict. pignor. non debere.*
4 Quomodo æſtimandum eſſe conſtat, *l. pretia rerum 63. ad leg. falcid. l. ſi ſeruum 33. ad leg. Aquil.*
5 *d. § quæſitum, l. pupillus 5. §. ſane, D. de auctor. & conſ. tutor.*
6 *Arg. l. ſi fundus 13. in princ. D. de rebus eor. qui ſub tutel. l. 1. §. ſi heres ad Trebell.*
7 Vt teſtificetur de communi, non de ſua opinione, vt dixi num. 4.
8 *Ex l. ſi quos 16. C. hoc tit.* cuius tamen aliam eſſe ſententiam docuimus in priore parte Hemiſchiliadis noſtræ *de error. pragmat.* vbi videbis, quid nos in hac quæſtione ſentiamus.
9 Hoc enim caſu res nullam habet dubitationem, *l. 2. C. de fid. & iur. haſt. fiſcal. lib. 10. tit. 3.*
10 Vt & cætera omnia, quę in animo conſiſtunt, *l. non omnes 5. §. à barbaris, de re milit. l. 3. de interrog. in iur. fac.*
11 Ideo fortaſſe, quod plerunque emptorum calliditate fiat, ne iuſto pretio res diſtrahantur, tum quoque cum publice venditio fit. Quamuis Guid. Pap. *quæſt. 22. num. 3. in fin.* teneat contrarium, etiam in rebus minorum, venditis ſub haſta. Nec ſequimur diſtinctionem, quam ibi ponit Ranchinus: An ſubhaſtatio facta ſit ex decreto iudicis inferioris, an ex decreto Senatus, vt conſtat ex *Defin. 25. §.*

DEFINITIO V.

Venditio facta ſub pacto de retrouendendo temporali non annullatur ex cauſa enormiſſimæ læſionis, ſed perpetuatur, & quid de fructibus.

CVm in venditione læſio enormiſſima interuenit, multum intereſt, an pure contracta fuerit, an ſub pacto de retrouendendo temporali. Illo caſu ſic reſcindi venditionem oportet, vt omnimodo res cum fructibus omnibus reſtituatur, ac ſi titulus nullus præceſſiſſet:[1] poſteriore vero pactum de retrouendendo venditioni inſertum facit, vt quod temporale fuit ex conuentione, fiat ex læſione perpetuum,[2] & conſequenter ne ad aliorum fructuum reſtitutionem emptor teneatur, quam quos perceperit poſt litem conteſtatam.[3] Nam nec alios deberet, ſi ex pacto retrouenditio peteretur,[4] niſi conteſtationem mora emptoris aliqua cum pretij obſignatione præceſſiſſet.[5] Hoc ita ſi non ſolitus ſit emptor fœnerari. Hoc enim etiam concurrente ſimulatus & pignoratitius contractus eſſe intelligitur, ob idque nullum ex eo commodum fructuum acquiri emptori poteſt.[6] *Ita Senatus* pro Benedicto Boſſon, contra Claudium Morellum, 16. Cal. Auguſt. 1587.

1 Dixi *Defin. 3. §. hoc tit.*
2 Vt ſcilicet ab ea forma, quam ex conuentione contractus habuit, minus recedatur. Quid enim neceſſe eſt reſcindi venditionem, cum poteſt conſultum eſſe venditori per pactum de retrouendendo? Vbi namque hoc pactum interuenit, nulla poteſt eſſe læſio, niſi in temporis præfinitione, nec igitur ad aliud danda reſtitutio eſt, quàm vt eiuſmodi præfinitio tollatur. Id enim tantùm reddere debet reſtitutio, quod abſtulit læſio, *l. ſed eiſi 26. §. quoties, D. ex quibus cauſ. maior.*
3 Nam poſt litem conteſtatam poſſeſſores omnes ſunt pares, *l. ſed eiſi lege 25. §. ſi ante, de petit. hered.*
4 Sed ita vt viciſſim à tempore litis conteſtatæ condemnaretur emptori venditor ad vſuras pretij, ne alioqui & rem & pretium habere videretur, quod bona fides non admittit, *l. ex empto, §. vlt. l. bona fides 50. de action. empt.*
5 Eo namque caſu fructus exinde perceptos reddere deberet emptor, nec viciſſim tamen vſuras petere vllas poſſet, quia obſignatio pro ſolutione eſt, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. l. obſignatione 9. C. de ſolut.*
6 Nemo enim dubitat, quin contractus ſit pignoratitius, cum hæc tria concurrunt, Pactum de retrouendendo, modicitas pretij, & conſuetudo fœnerandi, quamuis plerique tertium hoc non requirant. Quorum ſententiam communiorem eſſe teſtatur Gramm. *deciſ. 76.* quamuis mihi videatur minus vera.

DEFINITIO VI.

Emptori redimenti pignora publice vendita non reddūtur fructus, niſi qui poſt litem conteſtatam percepti ſunt.

EA res fortaſſe facit, vt quoties publice & ſub haſta venditio facta eſt, indiſtincte verum ſit, emptorem non alios fructus reſtituere compelli, quàm quos lite iam conteſtata perceperit,[1] quia cum redimendi ius ex ſtatuto intra ſemeſtre competat,[2] huiuſmodi venditionum genus comparari debeat venditionibus factis ſub pacto de retrouendendo potius, quam iis, quæ pure & ſimpliciter factæ ſint.[3] Quanquam & illa ratio pro emptore facit, quod vix ſit, vt non iuſte videatur poſſidere, qui auctore Prætore poſſidet,[4] hactenus ſaltem vt fructus ſuos feciſſe videri debeat.[5] *Ita Senatus* ſæpius.

1 De quibus dubitari non poteſt, quin exinde debeantur, vt dixi *Defin. præced. num. 3.*
2 *Lib. 9. ſtatut. Sabaud. c. 13. in ſtatut. Philipp. fol. 98.*
3 Adeo enim hoc verum eſt, vt ſi intra ſemeſtre luatur pignus, nulla debeantur laudimia, quaſi nulla facta venditione, vt dicam *ad tit. de iur. emphyt. Defin. 30.*
4 *L. iuſte poſſidet 11. de acquir. poſſeſſ.*
5 *L. bonæ fidei 48. de acquir. rer. domin. l. certum 22. Cod. de rei vindic.*

DEFINITIO VII.

Cum enormiſſima læſio perpetuat pactum de retrouendendo, reſtitutio rei præciſe petitur, nulla præcedente retrouenditione.

OBſeruandum tamen eſt, iis etiam caſibus, quibus enormiſſima læſio facit, vt perpetuum ſit ius redimendi, quod ex pacto erat temporale,[1] non in id agi contra emptorem, vt retrouendat, ſed perinde ac ſi retrouenditio iam facta eſſet, fundi reſtitutionem poſtulari.[2] Quia quæ legis poteſtas redimendi facultatem dat perpetuam citra conuentionem, eadem efficit, vt retrouenditio pro facta habeatur, præciſamq; reſtituendi neceſſitatem iniungit.[2] *Ita Senatus* pro Claudio Morel, contra Benedictum Boſſon, 12. Cal. Iunij 1590. Iunge Defin. 8. & 9. de diſtract. pignor.

1 Hoc eſt, cum non concurrit fœnerandi conſuetudo, ſecundum ea, quæ dixi *Defin. 5. num. 6.*
2 Oblato ſcilicet pretio, vt & *in l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFINITIO VIII.

Nec donatio nec proinde liberatio gratuita poteſt reſcindi ex cauſa immodicæ læſionis.

AD reſcindendam liberationem gratuitam ex cauſa enormis & immodicæ læſionis non magis actio competit, quam ad reſcindendam donationem.[1] Nam & eiuſmodi gratuita liberatio donationis ſpecies quædam eſt:[2] qui autem donat, eum neceſſe eſt vel nunquam lædi, vel ſemper lædi.[3] Vnde illud etiam eſt, quod pleriſque placet, gratuitam liberationem non valere citra inſinuationem,[4] quia nec donatio valet.[5] Quanquam magis eſt, vt hac parte alio iure vtamur fauore liberationis,[6] vel ob id maxime, quod ex liberatione ſolemniter facta inducitur ſaltem pactum de non petendo,[7] quod ad producendam exceptionem inſinuatione egere nemo dixerit.[8] Plane cum liberatio non liberaliter, ſed certo reſpectu & intuitu

BIU Cujas

mutuæ alicuius præstationis facta est, vix est vt donationi comparari debeat, [9] quin potius contractui innominato, [10] in quo contractuum genere si immodica læsio interuenerit, placet ad rescindendum contractum agi posse. [11] *Ita tractatum est* in causa N. Guilielmi de Riddes, 5. Non. Decemb. 1590.

1 Qui enim donat, non potest conqueri se læsum, siquidem donare nihil aliud est, quam vltro perdere, *l. filiusfamilias 7. ff. de donat. l. Campanus 47. de oper. libert.*

2 *L. donari 81. de reg. iur. l. donari 28. ff. de donat.*

3 *L. cum donationis 34. C. de transact.*

4 Tiraq. *ad l. si vnquam 8.* in verb. *donatione largitus, C. de reuocat donat.*

5 Nempe iure communi si excedat quingentos aureos, *l. si quis argentum 35. C. de donat.* Iure vero nostro prouinciali cuiuscunque summæ sit.

6 Solemus enim proniores esse ad liberandum, *l. Arrianus 41. ff. de oblig. & act.*

7 *L. si accepto latum 18. ff. de acceptilat. l. si vnus 27. §. penult. ff. de pact.*

8 Pacta enim pariunt exceptionem ex æquitate naturali *l. Stichum 95. §. naturalis. ff. de solut.* quæ æquitas nulla indiget insinuatione, aliave solemnitate.

9 Quemadmodum dici solet de donatione remuneratoria, ex *l. Aquilius. Regulus 27. ff. de donat.*

10 *L. naturali 5. §. 1. & seqq. de præscr. verb.*

11 *Ex doctr.* Bart. & aliorum, *ad l. 2. C. hoc tit.*

DEFINITIO IX.

Non potest læsio æstimari ex futura incertaque vsurarum adiudicatione, vt neque ex debito augmento, quod aiunt, monetæ.

QVoties in contractu pecuniario immodica & enormis læsio interuenisse dicitur, non est habenda ratio vsurarum, quæ aut ex conuentione aut officio iudicis adiudicari potuerunt, cum certam ab initio legem formamque non habuerunt. [1] Etsi enim solet Senatus noster quincunces infligere, [2] fieri tamen potuit, vt vel trientibus vel leuioribus contentus esset creditor, quinimo vt ne leuissimas quidem poscceret, quas nec popoſcit is, qui omnes remisit. [3] Augmentum vero illud, quod propter monetarum deteriorationem præstari solet, æque ad ineundam læsionis æstimationem nihil prodest, sed alia ratione, quia debiti contracti pars est, [4] nec auget quantitatem debitam, sed tantum numerum corporum, quæ pro quantitate debita solui debuerunt, & quidem ita demum, si in deteriore moneta offeratur solutio, nec velit creditor accipere. Inuitus enim non cogitur. [5] Cæterum si de monetæ, in qua soluitur, deterioratione non conqueratur, perinde contingit debitori liberatio, atque si in meliore moneta solueret, ideoque nec læsus creditor potest, qui solutioni vltro consensit, cum in deteriore moneta debitum offerretur. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Læsio enim debet esse certa, qualis esse non potest illa, quæ ex incerto vsurarum debito elicitur, *arg. l. Seio 10. §. 1. de annuis legat.*

2 Quia hæ sunt, quæ potissimum in Sabaudia frequentantur, de quibus *in l. cum quidam 17. ff. de vsur. l. tutor 7. §. quæ autem, in fin. de admin. & peric. tutor.*

3 Vsurarum enim remissio etiam tacita facile præsumitur, *d. l. cum quidam, §. Diuus Pius, de vsur. l. vir vsuras 54. ff. de donat. inter vir. & vxor.*

4 *L. cum quid 3. vbi notat. ff. de rebus credit.*

5 *L. creditorem 99. alias, l. Paulus,* vbi late Bart. & cæteri, *ff. de solut. & d. l. cum quid.*

6 Quia etiam aliud pro alio volenti & consentienti creditori solui potest, *l. manifesti 17. & præced. C. de solut.*

DEFINITIO X.

Aduersus delegationem damnosam solus minor non restituitur, non etiam maior, ne quidem ex causa immodicæ læsionis.

QVi minus idoneum debitorem pro diuite admisit ex causa delegationis, non idcirco iustam causam habet petendæ restitutionis tanquam læsus immodice: neque enim læsus videri potest, qui iure communi vtitur. [1] Iuris autem communis ratio illa est, vt bonum nomen facere videatur quisquis admittit debitorem delegatum: [2] vtque nouatione facta prior obligatio non eo minus perimatur, quod sequens, in quam fit transfusio, aut ipso iure non teneat, aut ex aliqua causa sit ineffcax ad agendum, [3] solus minor priuilegium habet propter ætatem, vt aduersus damnosam nouationem à se factam restitui debeat. [4] Ergo in maioribus aliud iuris est, [5] nisi dolo debitoris, cui delegauit aut falsa eius persuasione inductus sit creditor, vt malum nomen admitteret. Hoc enim casu ex capite doli, aut saltem ex generali clausula, si qua mihi iusta causa videbitur, dubitari non oportet, quin locus sit indulgendæ restitutioni. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. vlt. C. de in integr. restit. minor.*

2 *L. inter causas 26. §. abesse, D. mandat.*

3 *L. 1. D. de nouat.*

4 *L. patri 27. §. 1. D. de minor.*

5 Plenior enim est & facilior restitutio, quæ minoribus datur, quàm quæ maioribus *l. minoribus 61. l. præses 41. eod. l. vlt. in princ. D. ad SC. Velleian.*

6 Est enim dolus semper iusta causa restitutionis, ne alioqui lucrum adferat dolosо, *l. ne ex dolo 12. & pass. D. de dolo.*

DEFINITIO XI.

Etiam cessio iurium omnium rescindi potest ex causa immodicæ læsionis, sed subducto dubio euentu litis.

QVi per cessionem in alium transtulit quicquid iuris habebat in fundo Corneliano, hoc etiam addito vt de euictione non teneatur, [1] licet eo nomine pretium acceperit, non eo minus tamen implorare potest vulgare auxilium restitutionis in integrum ex causa immodicæ læsionis. [2] Ea siquidem cessio, cum fiat accepto pretio, emptio & venditio est, aut saltem emptioni & venditioni similis. [3] Alioqui facile fraus fieret legi & æquitati restitutionis, quæsito per emptorem colore cessionis iurium omnium, ne venditor quantumcunque certo & explorato iure dominus rei venditæ læsum se vnquam conqueri posset. [4] Neq; obstat, quod qui vendidit, quicquid iuris habuit, non tenetur de euictione, nisi ex facto suo, aut eius, in cuius locum successit. Non enim facere ea res potest, quo minus probata læsione restitui possit aduersus venditionem: scilicet quia subducto dubio euentu nulla supereſt incertitudo, quæ facere possit, ne qua læsionis ratio haberi debeat. [6] Sane dubium euentum subduci necesse est, euentum inquam non conditionis alicuius contingentis, quæ indifferenter potuerit existere aut non existere, [7] sed litis, quam pro venditoris iure explicando emptor iam susceperit, aut susceperus fuerit, [8] vt fit, cum aduersus transactionem non vi, non metu, non dolo factam ex sola læsionis causa restitutio postulatur. [9] *Ita Senatus* in causa Claudij Iacobi Picquet contra sorores Picquet, Cal. Mart. 1591.

1 Quæ conuentio valet, *l. ex empto 11. §. vltim. ff. de action. empti.*

2 Scilicet si pretium, quod accepit, sit intra dimidiam æstimationis eorum iurium, quæ in alium transtulit.

3 *L. naturalis 5. §. 1. de præscript. verb. l. 1. C. de rer. permut.*

4 Nunquam autem admitti debet id per quod fraus possit fieri legi vel æquitati, *l. 5. §. si pupillus ff. de rebus eor. qui sub tutel. l. scire oportet 21. §. 1. de tutor & curat. dat.*

5 *L. quod si 10. ff. de hered. vel act. vendit.* iunct. *l. de tuo 9. ff. mandat.*

6 Incertitudo enim obstat, ne haberi possit ratio læsionis, quæ sem-

BIU Cujas

quæ semper certa esse debet, vt dixi *Defin. 2. num. 1.*

7 Non enim posset euentus hic subduci, quin conditio tolleretur, nec proinde quin actus ipse conditionalis destrueretur.

8 Litis namque euentus semper dubius & incertus est, *l. quod debetur 51. D. de pecul.*

9 Ex doctrina Bart. *ad l. 2. C. hoc tit. & ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.* quam tamen truffam esse non immerito dixit Baldus, vt scripsi in priore parte Hemischil. *de error. pragm.* Æstimari tamen interdum potest etiam dubius euentus, *l. propter spem 23. famil. ercisc.*

DEFINITIO XII.

Qui alij vendidit quicquid iuris habuit, cum nullum haberet, nisi petendæ restitutionis contra suum auctorem, non eo minus potest restitui contra emptorem ex causa læsionis.

SEd & si Titio, qui fundum Cornelianum minore pretio vendiderat, heres extiteris, [1] tum alteri vendideris quicquid iuris in eo fundo haberes, verius est, te aduersus secundam venditionem posse restitui, si modo prius obtinueris, vt prima rescindatur. [2] Eo namque facto ad illum statum res reducitur, in quo futura erat, si posterioris venditionis tempore in tuo dominio res fuisset. [3] Meraque cauillatio est, si quis dicat, restitutionem in integrum ex causa immodicæ læsionis non aliter concedi, quàm si ea læsio probetur, quæ fuit tempore contractus, [4] vt inferat non posse te videri læsum, qui eo tempore rem iam à Titio venditam in bonis amplius non habebas. [5] Sufficit enim, quod tum haberes in bonis actionem ad rem reuocandam rescissa venditione. [6] Sicut nec ad rem pertinebit, quod prior venditio sumptibus secundi emptoris rescissa proponatur. Id enim efficit duntaxat, vt eos sumptus emptori restitui oporteat, [7] non vt eo prætextu rem retinere emptor debeat, [8] aut vt tanto minoris res fuisse videatur. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quo casu competit tibi illud ipsum ius restitutionis, quod competebat defuncto, *l. non solum, D. de in integr. restit.*

2 Hoc vero potest obtineri viribus actionis, quæ competebat ad petendam restitutionem, cum ea actio non adeo per venditionem transferri potuerit in emptorem, vt non remaneat directa penes venditorem. Alioqui non posses tu contra auctoris tui venditorem agere sine actione, *l. si pupilli 6. §. vlt. de negot. gest.*

3 Restitutionis namque proprium hoc est, vt omnia in pristinum statum reponat, *l. quod si minor 24. §. restitutio, D. de minor.* Itaque ex postfacto apparet venditum fuisse fundum Cornelianum, non autem solum euentum restitutionis, *arg. l. qui res 98. §. rem autem, D. de solut.*

4 *L. si voluntate 8. in fin. C. hoc tit.*

5 Quasi vendita re aliena, vt *in l. rem alienam 28. de contrah. empt.*

6 Cum is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam quoque rem habere videatur, *l. is qui actionem 15. de reg. iur. l. rem in bonis 52. de acquir. rer. domin.*

7 *L. quod si nulla 8. in fin. D. de hered. vel act. vend.*

8 *Argum. l. in fundo 38. D. de rei vind. l. si seruos 25. D. de pignor. act.*

9 Nihil enim cum vero rei valore commune habet necessitas sumptuum ad eam repetendam faciendorum.

DEFINITIO XIII.

Cum quis vendidit quicquid iuris habuit imputandum est in pretium quicquid emptor in eam rem impendit.

NOn idem erit, si, cum alicui vendidisses quicquid iuris in eo fundo haberes, ita vt nullus illi contra te regressus daretur, [1] is postea pro re tuenda aduersus creditores, aut pro ea ab iniustis possessoribus vindicanda de suo aliquid impenderit. Eas namque impensas in pretio computari oportebit tanquam partem pretij, [2] vt tanto maiore pretio vendidisse videaris, si forte nunc causari velis læsionem immodicam & vltra dimidiam interuenisse. Nisi fortasse ante petitam restitutionem expensas illas emptori restituere condemnatus sis, siue per imperitiam iudicis, [3] siue quod ad id omnimodo tenereris, puta dolo tuo interueniente, [4] cum tu eandem rem inscio nouo emptore alteri iam aut vendidisses, aut obligasses. [5] Nam sicuti de facto tuo te teneri æquum est, [6] ita sumptus quos emptori de tuo solueris tibi in pretium imputari non oportet. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quo casu videtur incertum ipsum veniisse, vt in retibus, *l. nam hoc modo 11. D. de hered. vel act. vend.*

2 *Arg. l. fundi partem 70. D. de contr. empt.* Vilius enim emere solemus eas, quarum nomine, si euincantur, nullum regressum habituri simus, *d. l. nam hoc modo*, iunct. *l. quod si 8. eod. l. pen. D. de hered. vel act. vendit.*

3 Alioqui non debuisti condemnari, qui vendidisti tantum quicquid iuris habuisti, *d. l. nam hoc modo & præced.*

4 Doli enim causa semper excepta esse intelligitur, *l. 1. vbi notat. C. credit. euict. pign. non deber.*

5 Quibus casibus crimen stellionatus & falsum committitur, *l. & quæ nondum 15. §. vlt. de pign. l. 3. de crim. stel. l. qui duobus 21. de leg. Cornel. de fals.*

6 *L. de tuo 9. de mandat.*

7 Ita namque fieret, vt bis eos præstares, quod esset iniquum, & contra bonam fidem, *l. bona fides 57. de reg. iur. l. si quis dolo 51. §. 1. de re iudic.*

DEFINITIO XIV.

Quod ad extinguendam pensitationis annuæ obligationem soluendum est ab emptore, prodest ei ad pretij diminutionem.

ILlud sane constat, si vendideris mihi quicquid iuris in illo fundo haberes, & fundus annuam pensitationem decem aureorum Sempronio debeat, [1] quousque ducenta soluantur, ducenta illa etiam prius quam à me soluta sint in æstimationem fundi venire, nempe quia tantisper fundus tanto minoris esse intelligitur, [2] cum non nisi à me solui ducenta debeant, qui nullam eo nomine contra te habeo actionem. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod in eam rem sit obligatus, iure pignoris: alioqui personalis obligatio non sequeretur emptorem, *l. vlt. in fin. D. de contrah. empt.*

2 Cuius scilicet dominium pleno iure liberum habere non possum nisi prius soluto iure pignoris, siquidem alienatio omnis fit cum sua causa, *l. alienatio 67. de contrah. empt. l. 1. §. cum prædium D. de pignor.*

3 Emi siquidem periculo meo, cum emi quicquid iuris habuisti, *l. nam hoc modo 11. D. de hered. vend.*

DEFINITIO XV.

Impensæ factæ ab emptore non augent pretium ad impediendam immodicæ læsionis probationem.

DE vtilibus impensis in eum fundum factis, quem quis periculo suo emerit, emendo duntaxat quicquid iuris in illo fundo venditor habuit, dubitatum quoque est, an in computationem pretij venire debeant, [1] cum de læsione iustaque rei æstimatione disputatur, an in restitutionem tantum? [2] Sed placuit non nisi in restitutionem venire. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt tanto minore pretio fundus venditus fuisse videatur, vt in specie *Defin. præced.*

2 Vt scilicet restitui debeant emptori, si venditor fundum euincat ex causa immodicæ læsionis, quæ aliunde probata sit.

3 Inspiciendum enim est tempus contractus in cuiusque rei æstimatione ineunda, *l. si voluntate 8. in fin. C. hoc tit.* Impensæ autem post emptionem factæ faciunt quidem rem pretiosiorem, sed ex postfacto.

BIU Cujas

DEFINITIO XVI.

De metu reuerentiali concurrente cum læsione magna.

EVenit aliquando, vt etiam inter maiores locus sit rescindendæ venditioni ex causa læsionis, licet ea læsio non sit immodica, id est, vltra dimidiam iusti pretij, [1] vt puta si cum læsione ad immodicam proxime accedente concurrat duplex metus, reuerentialis, id est, paternus & maritalis. [2] Alioqui læsionem immodicam interuenire necesse est, vt ex edicto De eo quod metus causa rescindi contractus possit. [3] Quantum vero interfit an ex capite metus rescindatur venditio, an ex causa læsionis, ex eo apparet, quod priore casu non habet emptor electionem supplendi iusti pretij, [4] quam posteriore habet. [5] *Ita Senatus* in causa quadam Augustanorum, 16. Cal. Iunij 1591.

1 Regulariter tamen contra est, *l. in causa 16. §. idem Pomponius, D. de minor.* iunct. *l. 2. C. hoc titul.*

2 *Argum. l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det. l. penult. D. de furt.*

3 *Notat ad d. §. quæ onerandæ, & ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.*

4 Quia id quod per vim aut metum gestum est, prætor nullo tempore ratum habet; *l. si mulier 21. §. 1. quod met. caus.*

5 *Ea. l. si voluntate 7. C. hoc tit.*

DEFINITIO XVII.

Qui petit rescindi venditionem ex causa læsionis, debet probare se dominum fuisse.

REstitutio in integrum ex causa immodicæ læsionis habet implicitam dominij quæstionem, [1] cum fieri nequeat, vt in pretio læsus videatur, qui vendidit rem alienam. [2] Inde fit, vt dominium probare actor debeat, perinde ac si rem vindicaret aduersus eum, qui ab alio emisset. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 10. supr. de rei vindic.

1 Vnde est quod nostri passim cumulant rescindens & rescissorium ex *l. in causæ 13. §. interdum, D. de minor.*

3 Nihil enim alienat qui vendidit rem alienam, cum alienatio dicatur is demum actus, per quem dominium transfertur *l. 1. C. de fund. dotal.* nisi in casu *l. vltim. C. de rebus alien. non alien.*

3 Non quasi is, qui emit possit referre quæstionem dominij, nisi si venditor velit ab eo vindicare, vt alibi scripsi, sed quia non aliter probari potest læsio, quam tamen probare actor omnino debet, *d. l. 2. d. l. si voluntate 8. C. hoc tit. l. 2. D. de probat.*

DEFINITIO XVIII.

Si emptor periculo suo susceperit necessitatem expellendi præpotentis spoliatoris, tanto maiore pretio emisse intelligitur.

QVamquam ob id solum, quod emptor per alterius vim re vendita frui prohibeatur, non habet ex empto actionem, [1] si tamen agatur de rescindenda venditione ex causa immodicæ læsionis, non parum emptori proderit, quod contractus tempore res vendita per occupatoris præpotentis violentiam detineretur, licet nullum sibi ius in re adferentis, si nec facile & primo iudicis imperio, nec sine magnis difficultatibus & expensis inde expelli potuit. [2] Nemo enim dubitat, quin tanto minoris res sit, quanto difficilior futura est eius fruitio. [3] Cumque vacuam rei possessionem emptori tradere venditor teneatur, [4] sane pro parte pretij haberi illud debet, quod emptor conuentus iure venditoris, eas possessionis adprehendendæ difficultatis periculo suo adsumpserit, & à rei tradendæ obligatione vēditorē ab initio liberauerit. [5] Neque audiendus est vēditor, si post difficultates illas ab emptore superatas, expulsumque spoliatorem, velit rescindere venditionem, eo prætextu quasi rem viliore pretio distraxerit, [6] nec si emptor nacta possessione rem eandem alij non ita multo post longe pluris vendiderit, quia non quid ex postfacto emptoris industria, diligentia & periculo euenerit, [7] sed quid euenire potuerit, inspiciendum est, isque rei valor & status attendendus qui fuisse probatur contractus tempore. [8] non tam enim facilitate inconsulta quam certo rectoque iudicio fecisse credendus est, qui ipse tanti æstimauerit re carere, ne propter eam aut sæpius, aut cum potentiore violentoque aduersario litigaret. [9] Præsertim vero si cum creditori iam esset condemnatus, iamiamque ex iudicato vrgendus, nec haberet vnde solueret, iura sua illa vendiderit, vt se ab ea obligatione liberaret, ac litium perplexitatibus sumptibusque eximeret. [10] Cur enim verecundam cogitationem eius qui lites execratur reprehendemus? [11] aut consilium debitoris, qui vt certum debitum dissolueret, præsentique molestia se liberaret, in solutum dederit, certam quidem sibique haud dubie competentem actionem, sed tamen cuius executio innumeris difficultatibus implicita maiorem sumptus quam compendij materiam erat allatura? [12] *Ita Senatus* in causa Claudiæ Rigollet, & Ioannis Quinerry, 16. Cal. Iul. 1593.

1 *L. vlt. C. de action. empt.*

2 Id tamen exacte probandum est, *l. vlt. in princ.* & per totam legem *D. quod met. caus.*

3 Et persecutio, cuius euentus plerumque incertus est, nec sine sumptu, *l. quod debetur 51. D. de pecul. l. minor. 40. in princ. D. de minor.* iunct. *l. minoribus 6. eod.*

4 *L. l. 3. in princ. l. ex empto 11. D. de act. empt.*

5 *Arg. l. fundi partem 79. de contrah. empt. l. si venditor 6. §. 1. in fin. D. de contrah. empt.*

6 *Ar. l. quod si minor 24. Scæuola, D. de minor.*

7 Potest enim fieri, vt alij pluris vendiderit ex stultitia ipsius emptoris, vt *in l. 3. D. ad legem falcid.* nam nec tam ex re, quam ex negotiatione pretium percipitur, *l. venditor 21. de hered. vel act. vend.*

8 *L. 2 l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

9 *L. 4. §. 1. D. de alien. iudic. mut. caus. facti.* Potentioribus enim pares esse non possumus, inquit Caius *in l. 3. in princ. eod.*

10 Nec enim deceptus quis videri potest in eo, quod vltro facere coactus fuit, vt sibi suisque rebus prospiceret, quodque diligentissimus quilibet paterfamilias facere debuisset, *l. verum 11. §. si locupleti, l. minor 48. §. 1. de minor.*

11 *d. l. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. facti.*

12 *d. l. minoribus 6. D. de minor. l. in summa 63. §. 1. de condict. indeb.*

DEFINITIO XIX.

Læsio non bene probatur ex præsenti æstimatione, neque ex instrumentis præcedentium, aut subsecutarum venditionum.

QVoniam vero in probanda læsione, quoties ad rescindendam venditionem agitur, venditionis tempus præcise spectandum est, [1] cum pro temporum non minus quam locorum varietate pretia rerum mutentur, [2] consequens est, vt non satis probata videatur læsio, si testes dicant tanti rem nunc esse, nec minoris fuisse tempore contractus, quod eiusdem bonitatis, iam tum esset, cuius nunc est. Fieri siquidem potest, vt eadem bonitate eodemque rei statu manente, nunc tamen res aut pluris, aut minoris sit quam antea, solo pretio ex aliis causis extrinsecis immutato. [3] Multo minus ergo probata videbitur ex eo solo, quod testes eam dicti sui rationem adferant, quod eadem res non facta melior postea longe pluris distracta sit. Nam præter id, quod tempus contractus semper inspici debet, [4] spectandus quoque est communis valor, hoc est, ex communi hominum opinione non ex huius

BIU Cujas

ex huius vel illius emptoris stultitia æstimandus.[5] Quod si duæ eiusdem rei venditiones diuersis quidem, sed æque proximis temporum interuallis factæ proponantur, vna publice, priuatim altera, proculdubio ex illa potius, quæ publica, quam quæ priuata fuerit, iusti valoris probatio sumetur,[6] cum dici soleat, tanti rem esse quanti vendi potest, quamuis non eo minus verum sit, ex causa immodicæ læsionis aduersus publicas quoque venditiones restitutionem dari,[8] eadem ratione admittendum est potiorem fore iusti valoris probationem, quæ fiat per publici, vt vocant, catastri exhibitionem, quam quæ per testes.[9] *Ita Senatus* in eadem causa, & iterum in causa N. Ducloz Maurianensis, 11. Calend. August. 1593.

1 *L. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*
2 *L. pretia rerum 63. D. ad legem falcid. l. si seruum 33. D. ad legem Aquil.*
3 *L. 3. D. de condict. tritic. cum similib.*
4 *d. l. si voluntate.* Iunge *l. Rutilia Polla 69. D. de contr. empt.*
5 *d. l. pretia; d. l. si seruum.* iunct. *l. 3. D. ad legem falcid.*
6 Nam quod publice fit, hoc ab omnibus si non factum, certe adprobatum intelligitur.
7 Dixi *Defin. 4. 5. eod.*
8 Scilicet ex ea interpretum opinione, quam retulimus *dict. Defin. 4.*
9 Semper enim potentior est fides publica quam priuata, tanquam minus obnoxia fraudibus & falsitatibus, *l. data 27. C. de donat. l. scripturas 11. C. qui potior. in pignor. hab.* iunct. *l. testium facilitatem 17. C. de testib.*

DEFINITIO XX.

Non bene probatur læsio, si non omnium circumstantiarum ratio habeatur, quæ rem minoris faciant.

QVid si testes de communi quidem pretio testificentur,[1] adeoque contractus tempore inspecto,[2] sed tamen non æstimato eo quanto minoris res sit ob id, quod emptor omne euictionis periculum in se susceperit, & venditorem à vacuæ possessionis tradendæ obligatione liberauit, cum & anterioribus creditoribus eam rem obligatam, & à violento potentique spoliatore occupatam esse constaret? Manca erit probatio, quia certe hoc ipso longe minoris res est, cum vel maxime intersit emptoris, & vacuam possessionem sine dispendio consequi, & venditorem habere de euictione obligatum.[3] Quid si testes de totius rei valore testificentur, cum tamen pars quædam duntaxat eius rei vendita sit? Non sufficiet ad hoc, vt læsio bene probata videatur. Nam si fundus commode diuidi non possit,[4] aut aut prædium forte sit vrbanum, cuius pars diuisa nullam possessori suo vtilitatem adferre queat,[5] nemo negauerit longe pluris rem esse, si tota æstimetur, quam pro parte sit pars, si separatim & tanquam diuisa consideretur.[6] Itaque si pars illa socio vendita sit, tanto minoris æstimanda est, quod eam solam alius fortasse præter socium nullo pretio empturus fuisset,[7] propter metum discordiarum quas materia communis excitare solet,[8] cum forte is, qui partem socij emit, suam non æque fuerit venditurus.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 17.

1 Iuxta id quod supra diximus *ex dict. l. pretia rerum 63. ad leg. falcid.*
2 *Ex l. si voluntate 8. in fin. C. hoc tit.*
3 Dixi *Defin. 17. 3. eod.*
4 Quod plerunque euenit, *l. 3. C. commun. diuid. cum simil.*
5 Facilius enim hoc euenit in prædio vrbano, quam in rustico, vt commode diuidi regionibus non possit.
6 Pluris enim sunt partes totius totaliter consideratæ quam partes singulæ separatim sumptæ, quamuis dici soleat eandem esse rationem partis quod ad partem, quæ est totius, quod ad totum, *l. quæ de tota 76. de rei vind.* iunct. *l. si duo 51. in fin. D. de admin. tutor.*
7 *L. si quis aliam 46. D. de solut.*
8 *L. cum pater 77. §. dulcissimis, de legat. 2. l. si non sortem 26. §. si centum, de condict. indeb. l. vlt. C. commun. diuid.*
9 Nec enim regulariter quisquam cogitur partem suam vendere, *l. fundus 30. D. famil. ercisc.* sicut nec emere, *l. nec emere 16. C. de iur. delib.*

DEFINITIO XXI.

Probata enormi læsione satis videtur imploratum beneficium l. 2. Cod. hoc titul. ab eo qui maius auxilium implorauit.

VEnditor cum diceret aduersarij dolo inductum se, vt venderet, & in pretio supra dimidiam circumuentum, impetrauerat rescriptum Principis, vt in integrum restitueretur,[1] nec tamen dolum emptoris, sed læsionem duntaxat in pretij quantitate[2] probauerat. Placuit tametsi nulla litis pars imploraſſet beneficium nouæ constitutionis,[3] quæ emptori dat supplendi iusti pretij facultatem, iudicem tamen ex officio sic ferre sententiam debere, vt iubeat emptorem vel fundum cum fructibus à die litis contestatæ reddere recepto pretio, cum vsuris ab eodem tempore quincuncibus, aut quod iusto veroque deest pretio supplere.[4] Videtur enim illius legis æquitas officium iudicis inducere potius, quam potestatem actionis, quod ad pretij supplementum pertinet,[5] solamque rei venditæ restitutionem in petitione esse, pretij verò supplendi facultatem in emptoris potestate & electione.[6] Licet tutius sit, ne plus petere venditor videatur, vt electionem det emptori.[7] Sed cum hodie sublatum sit periculum pluris petitionis, quod ad causæ bonæ iacturam attinet,[8] nihil vetat quod actor in libello prætermiserit iudicis officio ac iurisdictione suppleri & temperari.[9] *Ita tractatum est* in causa N. de l'Isle, & Claud. du Cloz, 12. Cal. Aug. 1593.

1 Quo casu dicitur dolus dedisse causam contractui, *l. & eleganter 7. D. de dolo.*
2 Ex qua pretij quantitate dolus nec probatur, nec præsumitur, *l. dolus 10. C. hoc tit.*
3 Quæ exstat *in l. 2. C. hoc tit. & in l. si voluntate 8. eod.*
4 Quomodo iudicari solet & debet, cum agitur ex beneficio *d. l. 2.*
5 Quia pendet id ex æquitate iudicij, nec tam fit ex contractu, quia præter contractum, vt contractus iniquitas corrigatur, quomodo etiam contingit in specie *l. maioribus 3. Cod. commun. vtr. iudic.*
6 Exemplo eius, quod de noxali actione scriptum est *in l. miles 6. §. decem. D. de re iudic.* Iunge *l. 1. §. item si ita, D. ad legem falcid. l. cum fine 19. & l. si penum 24. D. quand. dies leg. ced. & si quis stipulatus 57. D. de solut.*
7 Petit enim plus causæ, qui suo aduersario adimit electionem, *§. huic autem. Instit. de action.*
8 *§. sed hæc quidem, eod. tit.*
9 *Argum. l. si res obligata 58. in fin. de leg. 1. l. quæsitum 13. D. de testib.*

DEFINITIO XXII.

De annui reditus venditione & redemptione.

QVi annuum reditum perpetuum quandocunque redimendum certo iustoque pretio[1] comparauit, licet cogere non possit venditorem, vt redimat,[2] dummodo paratus ille sit annuum reditum præstare,[3] si tamen reditum petens ea exceptione repellatur per venditorem, quasi iam facta fuerit redemptio, pretiumque restitutum, idque per calumniam & falso dictum appareat, æquissimum est venditorem eas mendacij sui pœnas luere, vt reditum redimere cogatur, si id emptor malit,[4] cuius sane quam maxime interest, non habere rem diutius cum tam improbo debitore.[5] Nam & idem est, si in reditu præstando moram contrahere venditor soleat, emptoremque litibus ac sumptibus vexare.[6] Etsi autem iuris regula est, nihil esse tam naturale, quam vnũ

BIU Cujas

quodque dissolui eo modo quo colligatum est, [7] præsertim in emptione, [8] in hoc tamen contractus genere speciale videtur, vt ad resoluendum contractum nulla retrouenditione opus sit, solaque sufficiat restitutio pecuniæ, qua reditus ille annuus velut iusto pretio fuerat æstimatus. [9] An quod hypotheca potius, quam venditio contracta videatur? [10] Minime. Alioqui iure Pontificio [11] contractus improbaretur tanquam vsurarius, quandoquidem quicquid excedit sortem vsura & fœnus est. [12] Sed quoniam licet contractus hic vltro citroque obligatorius sit, mutuasque præstationes habeat, quandiu subsistit, ex vna tamen duntaxat parte restitutionem habet, cum resoluitur, [13] nempe ex parte venditoris, qui pretium reddit, non item ex parte emptoris, qui cum nihil aliud à venditore acceperit præter annuos reditus, quos vtique restituere cogendus non est, [14] nihil habet quod possit restituere: satisque hoc ipso cautum est venditori, quod post restitutum à se pretium nulla amplius emptori actione tenebitur, pro annuo reditu in futurum exhibendo: [15] quippe sublata causa propter quam debebatur nulloque subsistente pretio, ex cuius comparatione & relatione obsignatio reditus subsistere possit. [16] Id scilicet exigente correlatiuorum natura, vt sublato vno alterum quoque tolli sit necesse. [17] Quare etsi instrumentum, quod de eo contractu scriptum fuerat, cancellatum reperiatur penes emptorem, aut venditori ab ipso emptore redditum probetur, perinde tutus erit venditor solutionis præsumptionem obiiciens, [18] aut exceptionem pacti, de non petendo, [19] ac si mutui & pignoris oblatio contracta, cum chirographum, aut cancellatum, aut redditum proponeretur. [20] Quamuis non idem esset in cæteris contractibus vltro citroque obligatoriis, ad quorum resolutionem omnia retroagi oporteret. [21] Vnde illud etiam fit, vt si emptor deperditum instrumentum conqueratur, non magis nouam ipsius descriptionem à notario petere possit, inscio venditore, quam si esset creditor, inscio debitore. [22] *Ita Senatus* in causa Ludouici Ortolan & D. Ioannis Bail Canonici de sainct Ioire, 6. Id. Nouemb. 1593.

1 Intelligitur autem iustum esse pretium ex constitutionibus Gallicis ad ratam duodecimæ, quod nos dicimus *au denier douze, à huit & tiers pour cent.*

2 Alioqui contractus esset vsurarius & prohibitus.

3 Nam si in eo præstando moram faciat, resolui contractus potest, vt in specie *l.1.& 2.si ager vectigal. l.lex vectigali 31.D.de pignor.*

4 Non enim potest dicere se nolle redimere, qui falso allegat se iam redemisse. Sic punitur mendacium, & in *l.vlt.D.de rei vindic.& in Auth.possessor.C.qui potior.in pign.hab.*

5 Improbus enim est, & perfidus, & violator iuris gentium, qui negat se debere, *l.cum amplius 84.§.is natura debet, de reg.iur.* Theoph. initio *tit.de action.*

6 Interest enim cuiusque non vexari litibus, *l.minoribus 6. D.de minor.l.1.Cod.de admin.tutor.l.4.§.1.D.de alien.iudic.mut.caus. fact.*

7 *L.nihil iam naturale 35.de reg.iur.l.prout 80.de solut.*

8 *L.ab emptione 58.D.de pact.l.2.D.hoc tit.*

9 *Vt & in specie l.2.C.de pact. inter empt.& vend. & in l.si à te 7.eod.*

10 *Vt in l.3.C.plus valer.quod agit.*

11 Quo perinde ac iure diuino vsuræ omnes districte sunt prohibitæ *tot.tit.Extr.de vsur.*

12 *L.rogasti 12.§.si tibi, de reb.cred.*

13 Quod non similiter contingit in venditione rerum corporalium, *d.l.ab emptione 58.de pact.*

14 Quippe quos non sine causa accepit, sed suo iure. Nec enim hoc casu contractus iste ita resoluitur, vt nunquam factus videatur, quomodo contingit cum resoluitur ex lege commissoria, vel ex pacto addictionis in diem, *l.4.§.sed & Marcellus, D.de in diem addict.*

15 Ne alioquin emptor & rem, & pretium habeat, quod fieri non potest, *l.ex empto 11.§.vlsim. l.bona fides 50. de action. empt.*

16 Pretium enim non dicitur nisi ex comparatione rei venditæ *l.1.D.de rerum permutat.*

17 *L.1.C.de cupress.lib.11.tit.vlt.* cum similib.

18 *Ex l.si chirographum 24.D.de probat.*

19 *Ex l.2.§.1.de pact.*

20 Vt in legibus proxime citatis.

21 *d.l.ab emptione.*

22 Quamuis neque emptor ipse sit creditor, neque venditor sit debitor. Differunt enim toto genere ista Emere & credere *l.quod si minor 24.§ restitutio, D.de minor.*

DEFINITIO XXIII.

Geminatio contractus non excludit beneficium l.2. C.hoc tit. si in secundo quoque contractu enormis læsio interuenerit.

INterueniente geminata renunciatione successionis totius, aut legitimæ portionis etiamsi læsio interuenerit, sunt qui putent non esse restitutioni locum, [1] nec si læsio immodica & vltra dimidiam iusti pretij proponatur, [2] dummodo secunda renunciatio ex interuallo facta sit, [3] quamuis primus consensus in minori quoque ætate interuenerit: [4] nam & generaliter nostris placet, approbantem contractum non posse postea petere vt rescindatur propter dolum, aliamve causam restitutionis, [5] itemque ex actu geminato tolli omnem erroris metusque præsumptionem, [6] induci probationem seruilis conditionis, [7] excludi beneficium Velleiani, [8] exceptionem dotis non solutæ, [9] itemque non numeratæ pecuniæ. [10] Cui simile illud etiam est, quod dicimus, ex geminatione contractuum cessare præsumptionem simulationis, [11] & verba geminata in contractibus probare etiam, vbi alias non probarent. [12] Sed tamen licet tanta vis sit geminationis, verius est, si in secunda quoque renunciatione talis intercesserit, quæ sufficiat ad petendam restitutionem non eo minus concedi debere, cum eadem semper subsit causa restitutionis. [13] Quod & ex contradictoribus plerique non illibenter admittebant, eo saltem casu quo renunciatio ante biennium elapsum reiterata proponatur. [14] *Ita Senatus* in causa D. de Bellegarde, contra N. Annam de Bellegarde vxorem de Bienvenu, 15. Cal. April. 595.

1 Propter potestatem geminationis, cuius effectus plerique sequuntur in Definitione.

2 Quasi non possit dici læsus ab alio quam à seipso is, qui cum possit petere contractus rescissionem maluit cum nouo contractu confirmare, *l.1.§.in summa, vers.sed si post eum interuallum, D.quar.rer.actio non det. l.si mulier 22. C.ad Senatusconsult. Velleian.*

3 Vt in locis supradictis. Alioqui ea quæ in continenti fieret videretur eadem esse cum prima non alia, cum ea quæ in continenti fiunt dicantur inesse, *l.iuris gentium 7.§.quinimo, D. de pact.l.lecta 40.de reb.credit.*

4 Posterior enim consensus prævalet, qui in maiori ætate interuenit, *tot.tit.Cod.si maior fact.rat.habuer.& tit.C.si maior fact. alienat.rat.hab.*

5 Cum dolus præteritus possit remitti per transactionem, *l.penult.C.de transact.*

6 *L.2.C.de his quæ vi metusve caus.*

7 *L.cum scimus 22.C.de agric.& censit.lib.11.tit.47.*

8 *d.l.si mulier 22.C.ad SC.Velleian.*

9 *L.in contractibus 14. §.sed quoniam, Cod. de non numer. pecun.*

10 *L.cum fidem 4.l.generaliter 13.eod.tit.*

11 Quia talis geminatio inducit magnam scientiam & deliberationem, Tessaur. *decis.223.num.6.* Corset. quem citat *in tract.de geminat.*

12 *Argument.l.4.de vsur.l.Balliſta 32. ad Senatusconsultum Trebellian.*

13 *Arg.l.doli 19.§. diuersum, D.de dol.except.*

14 *Argum.dict l.si mulier 22. C. ad Velleian.* quæ non aliter mulierem excludit à beneficio Senatusconsulti ob secundam, & geminatam eius intercessionem, quam si secunda facta sit post biennium.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXIV.

Non læditur qui remittit actionem iustam quidem, sed inutilem, siue ob exceptionem aliquam, siue ob egestatem debitoris.

EX maternæ hæreditatis renunciatione nullo aut modico accepto facta non potest induci læsio,[1] si materna hæreditas tota in iuribus consistat aduersus paternam hæreditatem exercendis, paterna autem hereditas nec sit soluendo, nec heredem habeat purum[2] qui faciat, vt pro idonea habeatur.[3] Parum namque interest, an nulla prorsus sit actio, an inanis, & inefficax,[4] nec rursum an propter exceptionem aliquam quæ opponi potest inanis sit,[5] an propter inopiam & egestatem debitoris.[6] Itaque non posse ex ea causa locum fieri restitutioni, pronunciauit *Senatus* in eadem causa.

1 Æstimanda enim semper est læsio ex damno quod reuera & in effectu passus sit is, qui se læsum dicit, vt de lege Aquilia scribit Paulus *in l. si seruum 33. ad leg. Aquil.*

2 Id est, non cum beneficio legis & inuentarij: nam qui beneficium illud implorauit, perinde quidem heres est vere, sed non pure, *l. vlt. C. de iur. delib.*

3 Soluendo enim est hereditas, quæ inuenit heredem, *l. libertum 36. D. de bon. libert. l. quæ dotis 33. solut. matrim.*

4 Omnis enim actio refertur & ordinatur ad exactionem in eoque totum actionis emolumentum versatur, *l. vlt. §. vlt. D. quæ in fraud. credit.*

5 *L. nihil interest 112. de reg. iur.*

6 *L. nam is 6. D. de dolo.*

DEFINITIO XXV.

Subhastationes etiam Senatus decreto confirmatæ possunt rescindi ex causa immodicæ læsionis, quæ sit bene probata.

ETiamsi Senatusconsulto confirmatæ sint subhastationes tanquam bene riteque peractæ,[1] non tamen prohibetur debitor implorare beneficium restitutionis ad eas ex causa immodicæ læsionis rescindendas,[2] nulla quoque in eam rem proposita ciuili, vt vocant, supplicatione,[3] quoniam noua hæc agendi causa est, nouumque ius, quod sicut in iudicium antea deductum non fuit, ita nec de eo cognitum & pronunciatum videri potest.[4] Nec aliud erit tametsi nondum solutum pretium subhastationis debitor arestum acceperit. Quod enim fit in executionem iudicati non magis nocere condemnato quam iudicatum ipsum debet.[5] Sed si debitor ad probandam læsionem petat bona iterum sub hasta vendi, quod ita futurum sit, vt tanti esse probentur quanti vendi poterunt, non est audiendus,[6] imo ante omnia probare cogitur immodicam læsionem in priori venditione interuenisse,[7] non solum quod aliter posito iure passim eueniret, vt publicarum venditionum fides facile conuelleretur,[8] sed etiam quia læsio probanda est inspecta æstimatione, quæ fuit tempore factæ subhastationis, non quæ nunc est.[9] *Ita tractatum est* in publico auditorio, contra N. Riondet, Cal. Iul. 1595.

1 Quod fit si debitor pignora non redemerit intra sex menses à die missionis in possessionem numerandos.

2 Postquam eo iure vtimur, vt ex hac causa subhastationes quoque rescindi possint, vt dixi *Defin. 4. §.*

3 Quæ tamen necessaria est, quoties condemnatus vult impugnare rem à Senatu iudicatam: *Auth. quæ supplicatio, Cod. de precib. Imp. offer.* [Aliter tamen à Senatu Parisiensi, bis iudicatum fuisse refert Papon. in Syntagm. *lib. 18. tit. 6. §. 2.* non posse scilicet hoc casu, rescindi subhastationes ex causa immodicæ læsionis, ne quidem per viam ciuilis supplicationis post arrestum, licet ibidem subiiciat, si iudex inferior decretum interposuerit, posse ab eo decreto appellari, & contra subhastationes restitutionem impetrari.

4 *L. cum quæritur 12. & seqq. D. de except. rei iudic.*

5 Initio scilicet inspecto, & quia non fit nisi in consequentiam, *l. 3 §. scio, D. de minor.*

6 Nec si consentiat, vt emptori non prius possessio auferatur, quam fuerit eis satisfactum.

7 Quia rescindenda est subhastatio, cum bona quæ fuerunt vendita transierint in dominium emptoris *l. 1. & 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit l. 3. C. de fid. & iur. hast. fiscal.*

8 Quod esse non debet, *l. si hypothecas 8. C. de remiss. pign.*

9 *L. si voluntate 8. Cod. hoc tit.* Dixi *Defin. 2. §.*

DEFINITIO XXVI.

Rescissis ex causa immodicæ læsionis subhastationibus, fructus tamen non restituuntur.

IS qui fidem publicam secutus sub hasta emit adeo fructus suos facit,[1] vt etiamsi enormissima læsio, id est, vltra bessem interuenerit, & ex ea causa subhastatio rescissa sit,[2] fructus tamen perceptos restituere non cogatur:[3] quod in priuatis venditionibus secus esse supra diximus.[4] Ideo fortasse, quod ex tam immodica & enormi læsione inducatur dolus re ipsa qui dolo ex proposito æquiparatur.[5] Quæ, vt ita dicam, æquiparatio in priuatis tantum venditionibus locum habere potest, non etiam in publicis, in quibus scilicet non debitor vendit, sed pro debitore apparitor exequens iussum iudicis,[6] nec sciri potest, quis emptor futurus sit.[7] Proinde nec fieri facile potest, vt dolus emptoris vllus ex proposito interueniat re vera, ergo neque, vt per fictionem, aut præsumptionem interuenisse videatur.[8] *Ita Senatus* in causa Guilielmæ Morel, 14. Calend. Septemb. 1595.

1 Tanquam qui sit bonæ fidei possessor, vt dixi *Defin. 6. §.* si modo bene peractus sit ordo subhastationis, *l. 1. & 2. C. de fid. & iur. hast. fisc. lib. 30. tit. 3.*

2 Secundum ea quæ scripsimus *prox. Defin.*

3 Nisi quos perceperit post litem contestatam, vt dixi *Defin. 6. §.*

4 *Defin. 5. §. hoc tit.*

5 *L. si quis cum aliter 36. vbi not. de verb. oblig.*

6 *L. si ob causam 13. C. de euict. l. 1. C. si in caus. indic.*

7 *L. 2. C. eod. ill. tit.*

8 Fictiones enim istæ debent respondere veritati, *l. confessionibus 13. & l. seq. §. vlt. D. de interrog. in iur. fac.*

DEFINITIO XXVII.

Æstimandum est pactum de retrouendendo, cum tractatur de immodica læsione, & quanti æstimandum sit.

VEndita re sub pacto de retrouendendo, si venditor dicat se immodice læsum, non aliter læsio per testes probata videri potest, quam si testificentur de communi æstimatione, subducto eo quanto minoris res est, propter pactum illud De retrouendendo, quod vtique pars pretij est,[1] sed tamen magis est, vt si de ea testificentur æstimatione, quæ tanta sit, vt appareat etiam subducto pretio pacti de retrouendendo adhuc immodicam læsionem interuenisse, non eo minus pro venditore pronunciari oporteat.[2] Est enim ea res iuris magis quam facti, & plerosque latet etiam perspicaces viros,[3] quanti æstimandum sit onus illud talis pacti, cum de eo ipsi quoque interpretes dubitent,[4] quanquam magis communiter nec sine ratione receptum videtur, vt res quæ alioqui digna esset centum aureis non æstimetur nisi septuaginta, si sub eiusmodi pacto vendita sit;[5] nimirum si pactum de retrouendendo fuit liberum & perpetuum. Nam quo breuius est eo certe minoris est, & consequenter tanto minus pretium diminuit, licet non desint qui hanc temporum distinctionem non probent.[6] *Ita Senatus* pro Ludouico Velat, contra Bartholomæum Truchet, 3. Cal. Decemb. 1595.

BIU Cujas

1 *L.fundi partem 79.D.de contrah.empt.l.si venditor 6.§.1.in fin. D.de seruæxport.l.vlt.C.de pact.inter empt.& vendit.l.si sterilis 21.§. si tibi fundum,D.de act.empt.*

2 Quasi bene probata læsione. Testium enim dicta adiuuanda sunt,& benigne accipienda,non calumnianda:tanquam quæ sint fauorabilia, *arg.l.cum quidam 19.D.de liber.& posth. l.hoc modo 64.de condit.& demonstr.*

3 Ideoque per Iudicem facile suppleri potest, *arg. tit. C.vt quæ dos.aduoc.part.& l.quæsitum 13.D.de testib.*

4 Nihil enim de eo certi constitutum est à Iureconsultis.

5 Andr.Tiraq. *in tract. de retract. conuent. in præfat.numer.20. & 25.*

6 Ludouic. Petus. *decis.97.* vbi ait semper ita esse æstimandum hoc pactum, adeoque tum etiam cum triennio concluditur.

DEFINITIO XXVIII.

Pactum de retrouendendo ita demum facit partem pretij, si adhibitum sit in continenti, non si ex interuallo.

QVod tamen diximus, pactum de retrouendendo esse partem pretij,[1] sic accipiendum est, si in ipso venditionis tractatu interuenerit, aut in continenti post factam venditionem, vt inesse contractui videatur,[2] Alioqui si ex interuallo secutum sit,& proinde ex mera liberalitate emptoris, non potest fieri, vt pretij partem constituat.[3] Propter quam causam solent plerique emptores,vt sibi prospiciant,nec tam facile dubitari possit, an simulatus & fœneratitius sit contractus necne,[4] curare,vt pactum de retrouendendo separato instrumento conscribatur,ac plerumque coram aliis testibus alioque notario stipulante,& intermedio dierum aliquot interuallo.[5] Quod si faciant data per chirographum fide[6] venditori non aliter contracturo,& ita gesta res probetur, inane fraudis consilium est,[7] tantoque suspectius pactum videri debet.[8] Non enim quid aut quando, aut quomodo scriptum sit inspiciendum est,sed quid actum & tractatum,cum venditio contraheretur.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l.fundi partem 79. D. de contrah.empt.* & aliis citatis *Defin.prox.num.1.*

2 Quoniam quæ in continenti fiunt inesse videntur, *l.iuris gentium 7.§.quinimo,D.de pact.l.lecta 40.D.de reb.credit.*

3 Magisque hoc casu accedit ad causam donationis, & liberalitatis, *arg.l.donari 29.D.de donat.l.donari 82.de reg.iur.*

4 Quia solet huiusmodi pactum inducere præsumptionem simulationis,si concurrat immodica læsio, maximè accedente consuetudine fænerandi,vt dixi *Defin.5.num.vlt.*

5 Non enim alia in continenti facta dici possunt, quam quæ fecerunt contrahentes priusquam ad alia negotia diuerterent.

6 *Vt in l.in tacitis 103.de leg.1.*

7 Numquam enim ratum habendum est, quod dolo malo & in fraudem factum probatur, *l.in fraudem 29. de legib. l.quidam 29. in fin. ad Senatusconf. Velleian. l.qui testamentum 27. D.de probat.*

8 Suspectum enim semper est quod clam fit,*l.vlt.in fin.de ritu nupt.*

9 *L.semper in stipulationibus 34.de reg.iur.*

DEFINITIO XXIX.

Pactum de retrouendendo cum læsione etiam enormissima non facit contractum pignoratitium, nisi adsit consuetudo fœnerandi.

EX solo pacto de retrouendendo etiamsi accedat enormissima læsio in pretio, non præsumitur venditionis contractus fœneratitius & simulatus, nisi fœnerandi quoque consuetudo interueniat ex parte emptoris,aut alia coniectura.[1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vide in hanc rem Doctores citatos à Thoma Grammat. *decis.76.* vbi tamen concludit opinionem contrariam, quæ prioribus duobus contenta est, magis esse communem. Eam sane in supremis Galliæ curiis receptiorem esse audio. Dixi *Defin.5.*

DEFINITIO XXX.

Quantum interfit an is,qui enormissimam læsionem allegauit,eam probauerit,an enormem tantum.

QVi contractum nullum dicit ex causa enormissimæ læsionis non censetur implorare beneficium nouæ constitutionis,[1] ideoque etiamsi probauerit enormem læsionem debet succumbere,[2] nec emptori danda est electio iusti pretij, quæ alioqui daretur.[3] *Ita Senatus* in causa Ludouici Velat, & Bartholomæi Truchet,3.Cal.Decemb.1595.

1 Hoc est,*legis 2.C.hoc tit.* Illa enim lex præsupponit contractum valere,sed vel rescindendum esse,vel ad æquitatem suam reuocandum. Qui vero allegat enormissimam læsionem, contendit nullum esse ipso iure contractum propter dolum qui ineat,ipsa re quem nostri volunt æquiparari dolo ex proposito, Dixi *Defin.3.*

2 Tanquam qui suam intentionem non impleuerit, *l.qui accusare 4.C.de edend.l.vlt.C.de rei vind.l.actor 23.C.de prob.*

3 Sicut è contrario emptor condemnandus esset præcise ad restitutionem rei,si enormissima læsio probata esset, vt dixi *Defin.3.*

DEFINITIO XXXI.

Casus singularis, in quo etiam enormissima læsione probata fructus non restituuntur venditori, nisi qui lite contestata percepti sunt.

ALiquando accidit,vt enormissima sit læsio, ex eaque inducatur dolus reipsa qui dolo ex proposito æquiparatur,[1] nec tamen fructus à die contractus restitui oporteat,sed tantum à die contestationis, vt contingeret si enormis tantum læsio proponeretur,[2] aut à die obsignati pretij quod datum & restituendum est.[3] Quid enim si magnus probationum conflictus sit, emptorque probet non tam grandem læsionem interuenisse,& tamen venditoris probationes præponderent?[4] *Ita Senatus* iampridem in causa D.de Charmoisel D.de la Pie,contra fratres Ponthus Lugdunenses. *Sine die.*

1 Secundum ea quæ scripsimus *D fin.3.§. ex l.si quis cum aliter 36.vbi not.D.de verb.oblig.*

2 Quia vsque in tempus litis contestatæ emptor bonæ fidei possessor est,non prædo,qui scilicet pretium numerauit,*l.nemo prædo est 126.de reg.iur.*

3 *Vt in l.2.C.de pact.inter empt.& vendit.*

4 In huiusmodi enim causis dubiis,de quibus in *l.admonendi 31.D.de iureiur.* multa permittuntur arbitrio iudicis, præsertim quantum ad fructus attinet, sumptusque litis, *l.3. D. de testib.l.qui solidum 72.§.1.de leg.2.*

DEFINITIO XXXII.

Probabilis ignorantia iusti valoris excusat emptorem à restitutione fructuum, ante litem contestatam perceptorum, etiamsi læsio enormissima probata sit.

QVid si emptor probabiliter ignorauerit iustum rei valorem? Finge pupillum, cuius nomine tutor comparauerit,[1] tutorem vero nihil dolo malo fecisse. Scio nocere pupillo interdum scientiam tutoris, sed hactenus ne ex tutoris facto pupillus cum aliena iactura locupletetur,[2] non etiam, vt damnum sentiat.[3] Atqui damnum sentiret si fructus omnes restituere teneretur, etiam ex quibus non esset factus locupletior.[4] Igitur iusta valoris ignorantia excusare debet à fructuum restitutione,[5] quandiu præsertim venditor

BIU Cujas

venditor pretium retinet. [6] Eaque ignorantia iusti pretij in dubio præsumenda est contra venditorem, qui neque vi neque dolo coactus vendidit, [7] nisi proponas emptorem solitum fœnerari. [8] Sane cum quæritur an redimendi ius temporale perpetuetur ex causa enormissimæ læsionis, nulla distinctione opus est, an emptor iustum valorem sciuerit an ignorauerit. Vtrobique enim casu perpetuatur. [9] Non idem est si quæratur, an remedium quod ex canone pontificio spoliatis datur [10] cumulandum sit cum in integrum restitutione, quæ aduersus venditionem competat ex causa enormissimæ læsionis. Eadem enim distinctio adhibenda est interscientem & ignorantem, [11] quoniam non idem alioqui vtriusque actionis euentus & effectus futurus sit, cum ex canone pontificio fructuum omnium restitutio omnimodo debeatur. [12] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 29. supr.

1 Nam illa ætas etiam ea quæ videt ignorat. *l. vnic. C. de falsi monet.*

2 *L. 4. §. illa etiam quæstio. D. de doli mal. except. l. sed & ex dolo 15. D. de dolo.*

3 *L. 3. & 4. D. quod ex fact. tutor.*

4 *L. sed etsi lege 25. §. consuluit de petit. hered.*

5 Vt bona fides tantum hac parte præstet possidenti quantum veritas, *l. bona fidei 48. de acquir. rer. domin. l. bona fides 136. de reg. iur.*

6 Ne alioqui futurum sit, vt & re & pretio fruitus videatur, quod esset iniquum, *l. ex empto 11. §. vlt. l. bona fides 50. D. de act. empt.*

7 Non enim facile præsumenda est mala fides, nec dolus, *l. dolum 6. C. de dolo.*

8 Quia fœneratores sunt odiosi, etiam ij qui non sunt improbiores, de quibus *in l. improbum 20. Cod. de his qui notam. infam.* quoniam pecunia res sterilis est, nec pecuniam gignit. Ideoque dicitur vsura percipi iure non natura, *l. si nauis 62. D. de rei vindic.* Iunge *l. 1.* vbi Bald. *Cod. si aduers. credit.*

9 Ex iis quæ diximus *Defin. 5. 3.*

10 *Ex can. redintegranda 3. quæst. 1.*

11 Nec enim ignorans quisquam alium spoliat.

12 *Ex dict. can. redintegranda*, quia remedium illud datur etiam contra eum qui bona fide & cum titulo possidet, ac plenissimam continet restitutionem, vt dicemus ad *Titul. Vnde vi.*

DEFINITIO XXXIII.

Agenti ad rescindendam venditionem ex causa læsionis non est necessaria probatio æstimationis per probos viros.

CVm agitur de rescindenda venditione ex causa immodicæ læsionis, potest esse necessaria æstimatio, [1] quæ fiat per probos viros ab vtraque parte eligendos: [2] sed ita demum si conflictus aliquis sit & magnus probationum, vt non facile sciri possit, vtrius partis probationes præponderent. [3] Cæterum si alterutra pars intentionem suam sufficienter probauerit, nihil causæ est cur recurratur ad æstimationem. [4] *Ita Senatus* in causa, de qua Definit. 28. Tit. de vsur.

1 *Ex l. 2. & si voluntate 8. Cod. hoc tit.*

2 *Arg. l. 1. §. cum dicitur, D. si cui plusquam per leg. Falcid.*

3 Quod euenit plerumque, aliis atque aliis testibus, aliter atque aliter rem æstimantibus. Vnde est quod interpretes nostri solent agitare, vtrius testibus magis credendum sit, an venditoris deponentibus de affirmatiua, an emptoris deponentibus de negatiua. De quo scripsimus *in Titul. de Testibus.*

4 Ne scilicet superuacua probatione, & superuacuo sumptu oneretur is, qui suam intentionem plene iam probauit, *l. hac stipulatio, 14. in fin. D. vt legat. seu fideicommiss. seruand. caus. caueat.*

TIT. XXXI.

SIN. CENS. VEL RELIQ.

DEFINITIO I.

Canonis annui præstandi obligatio transit in quemlibet possessorem. Et quid de laudimiis.

CANONIS soluendi canonis ex contractu emphyteutico debiti adeo reale est, [1] vt re alienata transeat in quemcumque possessorem, [2] nec pactione vlla fieri possit ne transeat. [3] Nempe quod ad domini directi ius attinet, cui aliorum pactionibus derogari non oportet. [4] Nam inter eos qui contraxerunt, si aliud nihil obstet, lex contractus seruanda est. [5] Domini vero directi interesse potest, vt in rem ipsam, aut in noui possessoris personam agat potius, quam aduersus alienatorem: [6] licet alienator quoque, si aut emphyteusim acceperat, aut emphyteuticariæ obligationis professionem emiserat, perinde obligatus remaneat, eiusque hæres ac si possideret, [7] quamdiu nec dominus directus ratam habuit alienationem, nec à possessore obligationem suscipere parato, vt ratam haberet interpellatus est. [8] Certe non vsque adeo transit hoc onus in possessorem, vt secum trahat personalem illam obligationem ex qua conueniri poterat is, qui alienauit. Neque enim personalis obligatio ex contractu proficiscens transire potest in successorem singularem, qui non contraxit: [9] Nec fauore quidem Principis aut Reipublicæ si agas de tributo, quod ex conuentione, non item de eo quod ex lege debeatur. [10] Ob idque nimirum necessaria fuit Statuti nostri auctoritas, quæ faceret, vt possessor quilibet personali actione conueniri posset. [11] Laudimiorum non aliud ius est. Nam si per multorum personas emptio rei emphyteuticariæ ambulauerit, laudimia omnia ab eo solo qui possidet exigere dominus poterit, non vt cogatur ille præcise soluere, sed vt, ni soluat omnia, liceat domino quasi commissam rem vindicare. [12] Quamquam multo consultius faciet dominus si à singulis emptoribus singula laudimia petat, [13] ne alioqui rem emphyteuticariam, cuius dominium directum retinet, vltro grauiore onerans obligatione sibi ipsi damnum inferat. Idque est quod dici solet, [14] laudimium actione in personam, Canonem annuum actione in rem peti debere. *Ita Senatus* in causa N. Claudij Leyderij, Ioannis Pensabini, & Procuratoris fiscalis Gebennensis, 5. Idib. Iul. 1588. Vide tit. de iur. emphyt. Defin. 4. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

1 Debetur enim à re in dominij directi recognitionem, non à persona, *l. 1. & vlt. C. de iur. emphyt.*

2 *L. Imperatores 7. de public. & vectigal. l. alienatio 67. de contrah. empt.*

3 *L. 2. & 3. C. hoc tit.*

4 *L. inter debitorem 42. D. de pact.*

5 *L. epistola 52. §. pactum eod.* [Si tamen dolo malo venditoris celata fit annua pensitatio, quæ super eo fundo maior debebatur, quam emptor crederet, non tantum improuisi oneris ratio habenda est, vt *in l. in venditione 41. de act. empt.* sed etiam potest interdum ea res facere, vt venditionem ipsam rescindi aut potiùs resolui oporteat, Non quasi dolus det hoc casu causam contractuum, cum potius incidat in contractum. Sed quia non debuit decipi emptor, quem credibile est, si tantum onus sciuisset non fuisse empturum. Nec ad rem pertinet quòd venditor dixerit se fundum vendere cum omnibus suis oneribus. Non enim ea clausula purgat dolum venditoris, qui non debuit tacere quod sciuit, *l. quæro eod. tit. de act. empt.* Maximè verò si venditor iurauerit se nescire. Sanè cùm hæc omnia ex facto contigissent, & illud præterea quod ob non soluta reli-

BIU Cujas

qua eiusmodi pensitationis annuæ ab ipso venditore debita fuerat fundus emptus, & sub hasta venditus condemnato etiam venditore, qui ab ea sententia non prouocauerat. Placuit Senatui retoluti venditionem & pro infecta haberi. Extempore pro Marino Pic, contra Matthæum Martin, prid. Cal. Maij 1611. tametsi nulla in integrum restitutio aduersus contractum petita fuisset.]

6 Quia solet plus cautionis esse in rem quam in personam *l. plus cautionis 25. de reg. iur.*

7 Quia obligatus est ex contractu & personali obligatione, quæ non potest eo iure extingui per alienationem rei, quamuis propter ipsam rem fuisset contracta, *l. vlt. in fin. D. de contr. empt.* Obligationes enim semel contractæ non nisi certis modis finiuntur, *l. obligationum fere 44. §. placet. de oblig. & action.* inter quos modos non est alienatio.

8 Interpellatus enim dominus directus non potest recusare, quo minus venditionem laudet in fauorem noui possessoris, ex eoque tempore vetus emphyteuta omnino liberatur, *l. vlt.* vbi Iaf. & alij. *C. de iur. emphyt.*

9 *dict. l. vltim. in fin. de contr. empt. l. 1. §. si heres. D. ad SC. Trebellian.*

10 *L. cum possessor 5. in princip. & §. vltim. D. de rei vind.* Res enim oneri addicta est non persona, *l. 2. C. de præd. nauicul. lib. 11. tit. 2.*

11 *In cap. rempublicam lib. 3. Statutorum Sabaudiæ cap. 4.*

12 *L. vlt. C. de iur emphyt.*

13 Actione scilicet personali, quia debentur laudimia ob investituram, quæ necessaria est cuilibet nouo possessori, *d. l. vlt. vbi notat.*

14 A pragmaticis scilicet. Nulla enim lex est, quæ hoc dicat.

TIT. XXXII.

DE PERIC. ET COMMOD. rei vendit.

DEFINITIO I.

Facta venditione rerum, quæ consistunt in pondere, vel numero, vel mensura, quando periculum ad emptorem pertineat, quando ad venditorem.

IN iis rebus, quæ pondere, vel numero, vel mensura constant, placet hæc distinctio, vt si non vno pretio venierint, sed ita, vt in singulas amphoras vinum, in singulos metretas oleum, in singulas libras argentum, aut quid aliud simile certo pretio vendatur, non prius perfecta dici possit venditio, quam res huiusmodi adnumeratæ, admensæ, adpensæve sint, quasi contracta sub hac conditione.[1] Ergo si rei venditæ damnum aliquod interea contigerit, ad venditorem non ad emptorem pertinebit.[2] Quid autem si vinum degustatum quidem sit, sed nondum tamen admensum? Non poterit verum esse quod dici solet,[3] plenissime venisse videri vinum statim atque fuit degustatum, & ex eo tempore periculum ad emptorem spectare. Id enim tum recte dicitur, cum singulatim emptæ sunt certæ vini amphoræ, perfectaque venditio est.[4] Cui conuenit quod dicimus, aliam causam esse degustandi vini, aliam metiendi: gustum enim ad hoc tantum proficere, vt improbare liceat, mensuram vero non, vt plus vel minus veneat, sed vt sciatur quantum ematur.[5] Proinde facta etiam degustatione, cum nondum perfecta emptio est, periculum qualitatis puta acoris, aut mucoris non minus quam substantiæ spectabit ad venditorem.[6] Plane si emptor vina degustauerit, & male probauerit, iam tum forte acida aut mucida, de se queri debebit, nec eo solo prætextu quod nondum perfecta sit emptio ea improbare postea poterit, quæ semel probauit.[7] *Ita tractatum est* in causa N. Berthet Nantuacensis, contra N. Franci scum Gela Lugdunensem, 5. Non. Aug. 1588. Iunge SC. 3. & seq. sup. de contr. empt.

1 Textus est elegans *in l. quod sæpe 35. §. in his, D. de contrab. empt. l. 2. D. hoc tit.*

2 Damnum enim quod rei venditæ contingit ante perfectam emptionem ad venditorem pertinet, *d. l. 2. & l. 1. eod.*

3 *L. 1. D. hoc tit.*

4 Alioqui obstarent supradicti iuris loci & alij innumeri, quibus idem probatur.

5 *d. l. si in emptione 34. §. alia causa est, D. de contr. empt.*

6 Eadem enim vtriusque ratio est, quia omne periculum pertinet, vt dixi, ad venditorem quousque perfecta venditio sit. *§. cum autem, Instit. de empt. & vendit.*

7 *L. si quis vina 15. D. hoc tit.* Vide Anton. Capyc. *decis. 14. & Defin. 3. 5. de contr. empt.*

DEFINITIO II.

De fructibus venditis creditori in vicem vsurarum cuius periculo sint.

QVI mutua centum à Titio acceperat soluenda post tres annos, eique bona sua omnia pignori obligauerat, alio & seperato contractu certi prædij fructus eidem vendiderat pretio legitimarum vsurarum, vt in earum vicem cederent. Cum ex causa belli secuti ac vi maiore factum esset, vt eo prædio frui creditor numquam potuisset, petebat restitui sibi pecuniam, quamuis eius soluendæ dies nondum venisset, adeoque cum vsuris legitimis, & obtinuerat. Prouocatione facta dicebam male iudicatum, quia cum fructus illi certo pretio essent venditi, periculum eorum non ad venditorem eundemque debitorem, sed ad emptorem eundemque creditorem pertinuerat, adeoque tametsi numquam traditus fundus fuisset,[1] ni mora in tradendo facta esset:[2] Proinde non debebat ex eo quod fructus vna cum prædio periissent durior fieri conditio debitoris, præsertim vt ante diem conueniretur,[3] qui iam satis magnum ex ipsius prædij amissione damnum sentiat.[4] Quamquam nec aliud dicendum esset, etiamsi fructus soli periissent. Eadem enim iuris ratio subsisteret.[5] Nec simile est quod locato fundo, si eo frui conductor nequeat, licet vi maiore mercedis remissio facienda est.[6] Locator enim & rei locatæ[7] & fructuum[8] dominus manet, quod in fructuum venditore diuersum est.[9] Cum tamen in promptu quidam contradicerent, quibus contra quam mihi absurdum videbatur priuari creditorem commodo vsurarum, itemque fructuum pro vsuris venditorum,[10] nihil ex tempore decisum est. In publico auditorio, Prid. Id. Aug. 1593. in causa Nicolai Morin.

1 Text. est *in §. eum autem Instit. de empt. & vendit. l. 1. C. hoc tit. l. necessario 8. D. eod.*

2 Semper enim periculum pertinet ad eum qui est in mora, *l. quod si neque 14. eod.* cum sit ille vnus ex moræ effectibus, vt periculum transferat in moratorem, *l. si seruum 91. §. sequitur, iunct. l. si ex legati 23. eod.*

3 *L. qui hoc anno 42. cum similibus eod.*

4 *Arg. l. iure succursum 6. D. de iur. dot.*

5 Quod nimirum perfecta esset venditio ac proinde ipsorum periculum ad emptorem pertinere deberet.

6 Socin. *cons. 107. lib. 3.*

7 *L. non solet 39. D. locat. l. neque pignus 45. de reg. iur.*

8 Scilicet quousque conductor eos percepit. Exinde namque pertinent ad conductorem tanquam percepti ex re quidem aliena, sed tamen ex domini voluntate. *l. si seruus 61. §. locaui de furt.*

9 Quia venditio titulus habilis est ad transferendum dominium, scilicet secuta traditione, *§. vendita. Instit. de rer. diuis. l. ex empto 11. in princ. l. si quis alienem 46. D. de act. empt.*

10 Vide quid simile in *l. si ea pactione 14. C. de vsur.* vbi agitur de habitatione data in vicem vsurarum.

TIT.

BIU Cujas

TIT. XXXIII.

DE ACTION. EMPT.

DEFINITIO I.

Qui onus rei venditæ quod sciuit celauit, tenetur eo nomine non tantum quanto minoris, sed etiam ex empto in id omne quod interest, etiamsi per clausulam generalem id onus transferre voluerit in emptorem.

QVi feudi emphyteuticarij possessionem, annuumque canonem eo nomine debitum professus erat, post septem annos eundem fundum tibi vendiderat, & conuenerat, vt pensitationem illam annuam quantacunque esset tu præstare tenereris. Interrogatus tamen quid, & quantum, & cui deberetur, dixerat & iurauerat se nescire. Visum est dolo malo eum fecisse qui celauerit quod sciebat [1], quodque denũciare tibi ex bona fide cum posset debuerat.[2] Ideoque condemnandum esse non solum quanto minoris empturus fueras, si tam graue fundi onus sciuisses,[3] sed etiam in id omne quod tua interesset deceptum non esse.[4] Nam generalis illa cautio venditoris tibi adscribentis onus soluendi canonis, qui debebatur prodesse illi non debuit in eo, quod specialiter exprimere poterat & debebat, sed in eo tantum si quid erat quod verisimiliter ignoraret.[5] Atqui nec facti proprij ignorantiam prætendere poterat,[6] nec obliuionem priusquam decennium elapsum esset.[7] Denique quanto minoris actio datur contra ignorantem: ex empto autem ad id omne quod emptoris interest, contra scientem venditorem.[8] *Ita Senatus*, Prid. Id. Ianuar. 1589.

1 *L. quod sæpe 35. §. vltim. l. ea quæ 41. §. vltim. D. de contrah. empt. l. 1. §. vltim. l. Iulianus 13 §. idem Iulianus, l. si sterilis 21. §. 1. D. hoc tit.*

2 *d. l. Iulianus in princ. l. quoties 61. de ædilit. edict.* Vide Mynsinger. *obseru. 56. centur. 1.*

3 De quo dubitari nullo modo potest, *l. si minor. 9. Cod. hoc titul.*

4 Secundum distinctionem positam in *dict. l. Iulianus, in princip.*

5 Textus est *in l. quæro 39 D. hoc tit.*

6 *L. quamquam 7. ad SC. Velleian. l. vlt. D. pro suo.*

7 Nam ex lapsu decennij obliuionem præsumi volunt nostri *ad C. si de eo 40. & l. peregre 44. de acq. poss.*

8 *d. l. Iulianus 13. in princip.* Videtur enim hoc casu venditor esse in mala fide, quæ facit plerumque, vt etiam de euictione teneatur is, qui alioqui non teneretur. *l. vltim.* vbi Bald. *C. credit. euict. pign. non deber.* Obstare tamen videtur quod *in d. l. si minor. 9. C. hoc tit.* non distinguitur sciens ab ignorante. Sed id ita intelligi debet, vt quod pertinet ad actionem, quanto minoris, nulla distinctio adhibeatur, nam ignorans quoque ex actione tenebitur. At quod ad actionem ex empto, ad id quod interest, adhibenda est distinctio, quia sciens tenetur, ignorans non tenetur.

DEFINITIO II.

Lis mota emptori per quasi Seruianam non facit, quo minus interim soluendum sit pretium venditori, offerenti satisdationem de euictione.

NOn potest emptor recusare solutionem pretij ex eo solo, quod sibi mota sit lis à creditore venditoris, quasi Seruianam exercente, si modo venditor rem defendere litemque suscipere sit paratus:[1] nam & si de fundi venditi proprietate lis moueretur, satisdationem præstari sufficeret.[2] Nec aliud erit si iam pro creditore dicta sit, nondum tamen executioni mandata sententia, cum etiam post sententiam fieri facile possit, vt emptori nihilominus rem habere liceat,[3] præsertim si non directa rei vindicatio, sed hypothecaria tantum proponatur: neque enim habendi spes abscissa videri debet quandiu solui pecunia potest.[4] Rursum quid si emptor à sententia pro creditore lata prouocauerit? Aut cum prouocare posset vel deberet, vel ob hoc ipsum, vt venditori litem denunciaret, eique defendendæ rei potestatem faceret[5] appellationis auxilium consulto, vel per imperitiam neglexerit? vtique nemo dixerit æquum esse, vt interea emptor & rem & pretium retineat.[6] Quandoquidem omni casu satis ei consultum & cautum esse potest oblata per venditorem satisdatione.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 11. Cal. Iun. 1590.

1 *l. si plus 74. § mota quæstione, ff. de euict. l. 3. C. eod.*

2 *l. si post perfectam 24. C. eod.*

3 *l. habere licere 57. D. eod. tit.*

4 *l. si mancipium 34. §. vlt. & l. seq. eod. ill. tit. de euict.*

5 Appellatio siquidem extinguit iudicatum & reducit rem ad terminos litis contestatæ, *l. 1. §. vlt. ff. ad SC. Turpill.*

6 *l. ex empto 11. §. vlt. & l. bona fides 50. D. hoc tit.* Non tamen amittit hoc casu emptor actionem de euictione, si modò probet fundum vel alienum fuisse, vel obligatum, *l. Herennius 63. §. Caia Seia, D. de euict.*

7 *d. l. si post perfectam.*

DEFINITIO III.

Qui pupillarem fundum à tutore emit sine decreto, nullam actionem eo nomine habet contra tutorem, antequam sit res euicta.

PVpillarem fundum Titius Mæuij tutor tibi sine decreto vendiderat, seque de euictione tam proprio quam tutorio nomine obligauerat. Non est quod vel ex rescripto Principis vel qua alia ratione licere tibi debeat resilire à contractu, hoc solo prætextu, quod venditio illa contra leges facta prorsus nulla sit,[1] vt ex ea rem habere omnimodo non possis. Imputare namque tibi debes cur priusquam emeres tibi diligentius non prospexeris, siue fundum pupillarem esse sciuisti,[2] siue ignorasti:[3] totaque tua illa ratio pertinet ad ius tertij nunquam fortassis acturi.[4] Quid enim si pupillus maior factus eam venditionem fortasse sibi vtilem aut pacto expresso, aut longi temporis silentio ratam habebit?[5] Sed neque omnino verum est, venditionem hanc nullam esse, cum non solum vt pupillaris, sed etiam tanquam alienus fundus à te venditus proponeretur:[6] tuque non tantum tutorio, sed etiam proprio nomine de euictione obligatus. Nam venditio rei alienæ valet, hactenus nimirum, vt obligatio nascatur & ex empto actio.[7] Nulla igitur rescindendæ venditionis ratio tibi superesse potest, si non vel immodica læsio,[8] vel dolus ex proposito,[9] aut vis metusve, aut aliud quid simile interuenerit.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quæ scilicet non patiuntur valere venditionem rei pupillaris immobilis sine decreto, *l. 1. & tot. tit. de rebus eor. qui sub tutel.*

2 Nam in mala fide est quisquis sciens contra leges mercatur.

3 Non enim debuisti esse ignarus conditionis eius personæ, cum qua contrahebas, nec rei de qua contrahebas, *l. qui cum alio 9. de reg. iur.*

4 Nemo autem se iuuare potest iure tertij, *vulg. l. loci 4. §. competit.* vbi Bart. *D. si seruit. vindic.*

5 His enim casibus confirmaretur ex postfacto venditio, quæ ab initio non valuisset. *tot. tit. C. si maior. fact. rat. habuer. & tit. C. si maior fact. alien. rat. hab.*

9 Ea namque demum venditio fundi pupillaris non valet quæ facta est tanquam fundi pupillaris, *l. 5. §. 1. D. de reb. eor.*

BIU Cujas

7 *l.rem alienam 28.D.de contrab.empt.*
8 *ex l.2.C.de rescind.vendit.*
9 *l.dolus 10.l.si dolo 5.eod.*
10 *l.si voluntate 8.eod.*
11 Est enim hoc casu in potestate minoris, vt bonum faciat contractum, qui proinde claudicat, sicut si quis à pupillo sine tutoris auctoritate comparasset, *l.Iulianus 13. §.si quis à pupillo, D.de act.empt.*

DEFINITIO IV.

Vsuræ pretij non soluti ab emptore, qui fructus rei venditæ percepit, possunt peti etiam in causa appellationis.

VEnditori qui rem tradidit, vsuræ pretij vsque adeo debentur in vicem fructuum, quos vicissim emptor ex re vendita percepit, [1] vt quamuis prior iudex de iis cum petitæ essent nihil pronunciauerit, [2] earum tamen petitio salua sit in causa appellationis, [3] tametsi solus emptor non etiam venditor à sententia prouocauerit, [4] si non à priore iudice pronunciatum sit vsuras nullas deberi. Eo namque casu ab obtinendas vsuras, ne obstaret exceptio rei iudicatæ, prorsus necessaria esset prouocatio. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.6. supr.de vsur.

1 *l.curabit 5.C.hoc tit.*
2 Nam si pronunciasset nullas vsuras deberi, standum esset sententiæ quantumuis iniquæ, à qua non esset appellatum, *l.res iudicata 207.de reg.iur.vt sequitur in Defin.*
3 Siue debeantur iure obligationis, vt cum in pretij obligatione adiecta est pœna vsurarum his verbis vulgaribus *à peine de tous despens dommages & interests*: quo casu adhuc pronunciari potest de vsuris, siue debeantur tantum officio iudicis. Quia licet eo casu iudex qui de principali negotio pronunciauit functus fit officio, *l.qui per collusionem 49. §.vlt. D.hoc tit. l.si deposita 4. C.deposit.* iniquum tamen est, & contra bonam fidem locupletari emptorem cum iactura venditoris, quod eueniret si & fructus rei & vsuras pretij retineret, venditor autem vtrisque careret, *d.l.curabit.*
4 Quamuis enim dici soleat videri iudicem repulisse petitionem super qua non pronunciauit, id tamen non perpetuum est, scilicet si æquitas interpretationem hanc non patiatur, *l quod in diem 7. §.1. de compens. l.si autem 8.§.si quocunque de negot. gest.*
5 Propter rei iudicatæ auctoritatem, *l.seruo 65. §.cum prætor ad Trebell. l.si fundus 16.§.si pluris, D.de pignor.*

DEFINITIO V.

Qui rem communem sine sociis vendidit, quos venditionem laudaturos promiserat, cogitur quidem satisfacere, aut satisdare, sed non ideo potest interim emptor pretium retinere impune, si rem tam teneat.

SI quis rem sibi cum aliis communem vendiderit ea lege, vt venditionem à sociis approbari curet, [1] cogendus quidem est conuentioni satisfacere, hoc est, vel curare cum effectu, vt venditio à sociis approbetur, vel eo nomine cauere, [2] si non approbari confestim poterit, De præstando quanti emptoris interierit, si quid aduersus venditionem à condiuisoribus factum erit. [3] Sed si emptor interea rem habeat, eiusque fructus percipiat, nec soluat pretium, æquum sane non est, vt prætextu non impletæ per venditorem conuentionis, impune ille & rem & pretium retineat. [4] Ergo vice fructuum quos ex re vendita percipit condemnandus est ad vsuras, [5] sicut & venditor, si contractum non impleat, in id omne, quod emptoris interierit impletum esse. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia socius non potest vendere partem socii inuiti, vel ignorantis, *l.fundus 30.famil.ercisc.*
2 Illa enim cautio & satisdatio vice implementi esse potest, si aliud nihil melius fieri possit.
3 *arg.l.Iulianus 13.§.offerri, D.hoc tit.*
4 *l.ex empto 11.§.vlt.l.bona fides 50.eod.*
5 *l.curabit 5.C.hoc tit.*
6 *l.ea conditione 14.C.de resc.vendit.*

DEFINITIO VI.

Res vendita & iam tradita potest tota repeti iure pignoris, de quo conuenerit, deinde tota retineri pro parte pretij non soluti.

POst rei venditæ traditionem, si de pretio fidem venditor habuit, atque ita dominium rei venditæ in emptorem transtulit, [1] emptor autem parte pretij iam soluta in reliquo soluendo moram facit, potest venditor si de pignore, siue generaliter, siue specialiter conuenerit, [2] totam rem venditam pignoris iure vindicare, tum retinere quoadusque totum sibi pretium soluatur. [3] Nam & idem esset si nulla intercedente pignoris conuentione necdum tamen habita fide de pretio, cuius pars adhuc deberetur, ageret emptor ex empto, ad rem tradendam. Posset enim venditor quasi pignoris iure totam rem retinere in id vsque tempus, quo pretium integrum solutum esset. [4] Nec recte emptor causabitur ita futurum, vt & rem venditam & pretij partem fortasse maiorem venditor penes se habeat, quod vtique à bona fide alienum esse videatur: [5] cum in potestate emptoris sit pignus luere, oblato quandocumque eo quod adhuc ex pretio debeat. [6] Quod si pecuniam in manu non habeat ad luendum, hoc ipsum tamen commodi emptor consequetur, vt fructibus quos ex pignore venditor percipiet in sortem computatis [7] tanto citius pignoratitiam exerciturus sit, toto debito ea ratione soluto, quanto ampliores fuerint fructus quos venditor percepit. Tanto autem ampliores erunt quanto pluris erit res vendita, aut quanto plura erunt bona, quæ pignoris iure venditor retinuerit. Itaque nihil hac parte videri potest emptoris interesse. [8] *Sic tractatum est*, in publico auditorio, 13. Calend. April. 1593. relatumque alias ita iudicatum in causa Dominorum de Leschaux, contra Dominos Dyuonne. *Sine die.*

1 *L.quod vendidi 19.D.de contr.empt.*
2 Alioqui nullam actionem habere potest in rem venditam, *l.procuratoris, 5. §.plane si in eadem taberna. D.de tribut. actor.*
3 Quoadusque enim totum debitum soluatur totum pignus ei peti & retineri iure potest, *l.quamdiu 6.C. de distr. pign. l.2.versic.nam si vel modicum, Cod.debit. venditor. pignor. imped. non possess.*
4 *L.Iulianus 13.§.offerri. D.hoc tit.*
5 *L.ex empto 11.§ quia autem l.bona fides 50.eod.*
6 Qui autem potest facere, vt possit, iam posse is videtur, *l.qui potest facere 174.de reg.iur.*
7 Fructus enim pignoris certum est imputari in sortem, *l.1.2.3.& pass.C.de pignor.act.*
8 Cum fiat locupletior quisquis à debito liberatur, *l.si pupilli 66.in fin.de solut. l.species 11.D.de acceptilat.*

DEFINITIO VII.

Non valet antichresis expressa in eo quod excedit legitimum modum vsurarum.

AT quid si conuenerit, vt parte pretij non soluta possit venditor totam rem venditam retinere iure pignoris in antichresim, hoc est, ita vt fructus ex eo pignore percepti in sortem non imputentur? [1] Non valebit conuentio, quatenus plus erit in fructibus quam in legitimo modo vsurarum. Sic enim contrahitur antichresis, vt fructus pignoris vice vsurarum cedant. [2] Alioqui in fraudem legis, id est, legitimarum vsurarum facta conuentio videbitur, [3] licet emptori liberum ius luendi relictum sit. Quid enim

BIU Cujas

enim si pecuniam non ita habeat in expedito? [4] *Ita tractatum est* in eodem auditorio.

1 Nam & hic contractus licitus, de quo *in l. si pecuniam 33. D. de pign. act. l. si is qui* 11. §. 1. *D. de pignor.*

2 Indeque nimirum nomen apud Græcos sumpsit. Nihil enim aliud est ἀπέχεσθαι quam contrafruitio.

3 *L. si ea pactione* 14. *C. de vsur.* Valebit tamen conuentio vsque ad legitimum modum, *l. placuit* 29. *D. eod.*

4 Nec enim tam facile est, vt semper habeat debitor totius debiti numerationem in expedito, *l. si dubitet* 10. *D. de fideiussor.*

DEFINITIO VIII.

Pro parte pretij non soluti potest venditor totam rem venditam quanticumque pretij sit vendere, si modo habeat eam obligatam.

RVrsus finge, venditorem eundemque creditorem, vt citius & vnica solutione debitum consequatur non per partes [1] (quod fieret imputatis in sortem annuis fructibus pignoris, [2]) malle pignus vendere, an ei permittendum erit, vt pro ea pretij parte, quæ nondum soluta est, fortasse perexigua, distrahat vniuersa bona, quæ ille ipse longo pluris vendiderit? vtique, cum & venditionem impedire emptor possit oblato debito, & vendita bona redimere intra constitutum tempus oblato precio. [3] Nam etsi pluris vendita sint quam debeatur, superfluum emptori eidemque debitori restituetur, deducto eo quod in debiti solutionem cedet. [4] Quod si præ nimia egestate nec pretium offerre emptor possit nec debitum, & post elapsum semestre quod ad pignora sub hasta vendita redimenda præfixum est, [5] decreto confirmari subhastationes venditor velit, aliud remedium creditori non supereſt, quam vt vel aduersus decretum interpositum postulet in integrum restitutionem ex causa enormis læsionis, si læsio vltra dimidiam duntaxat iusti pretij interuenerit, [6] vel non obstante decreto perpetuum sibi ius redimendi adserat, hoc est, in annum vsque trigesimum, [7] si enormissimæ læsio, id est, supra pretij bessem fuit. Denique idem obseruabimus his omnibus casibus, quod obseruaremus si in alia emptoris & debitoris bona actum esset, quam quæ fuissent vendita. [8] Neque enim durior esse debet creditoris conditio ob id solum quod ipse vendiderit. [9] Nec quod in pretio fortasse emptorem decepit facere debet, vt eorundem bonorum partem eodem pretio in solutum accipere cogatur, cum suo iure id fecerit. [10] Alioqui facto & voluntate solius emptoris morosi eueniret, vt pro parte venditio rescinderetur, [11] & vt partem duntaxat venditor vendidisse videretur, quem tamen verisimile sit non fuisse, si hoc scisset, partem fundi venditurum. [12] Nam nec emptio emptori danda est, vt à toto contractu recedatur, si venditor non consentiat, quia nec venditori daretur inuito emptore. [13] *Ita tractatum est*, in eadem causa.

1 Habet enim solutio per partes magna incommoda *l. 3. D. famil. ercisc.*

2 *L. 1. & 2. C. de pignor. act.* Nam & fructus per partes & per annos singulos percipiuntur.

3 Itaque sibi imputare debet, si iure suo communique non vtatur.

4 *l. eleganter* 24. §. *si vendiderit, D. de pign. act. l. vlt. C. de distrah. pignor. l. vlt.* §. *pen. C. de iur. domin. impr.*

5 Nimirum ex statuto Sabaudiæ & eo iure quo vtimur.

6 Secundum ea quæ diximus, *Definit.* 4. *Titul. de rescind. vendit.*

7 Vt scripsimus *Defin.* 5. *eod. ill. tit.* vbi vide.

8 Omnium enim bonorum eadem ratio in eo est, quod bona omnia sunt debitoris.

9 Deberet enim ea ratio potius venditorem facere fauorabiliorem, tanquam qui cæteris creditoribus præbuerit pignoris causam. Vnde est quod si conuenerit de pignore habet ius prælationis, *arg. l. licet* 7. *C. qui potior. in pign. hab.*

10 Siquidem in emendo & vendendo licet contrahentibus naturaliter se decipere, *l. in causæ* 16. §. *idem Pomponius, D. de minor. l. item si pretio* 22. §. *vlt. locat.*

11 Quod tamen fieri non potest, quia substantia contractus est indiuidua, &, vt dicunt Philosophi, essentiæ omnes rerum indiuiduæ sunt.

12 *l. si quis aliam* 46. *D. de solut.* Ne scilicet inuitus incidat in communionem, in qua nec inuitus manere cogeretur, *l. si non sortem* 26. §. *si centum. de cond. indeb. l. vlt. C. comm. diuid. l. cum pater* 77. §. *dulcissimus de leg.* 2.

13 *l. tutor.* 47. §. 1. *D. de minor.* Contractus enim vbi perfecti sunt, necessitatis sunt, non vt ab initio voluntatis, *l. sicut* 5. *C. de oblig. & act.*

DEFINITIO IX.

Venditare sic tradita, vt non prius transferatur dominium quam solutum sit totum pretium, non eo minus habet creditor eius persecutionem.

QVid rursum si in vendendo sibi exceperit venditor, vt nec prius dominium in emptorem translatum intelligeretur, quam totum pretium solutum esset? [1] Fere est, vt quis dicat non esse permittendum venditori, vt rem suam pignoris iure persequatur. [2] Quin potius cogendum eum, vt vel vniuersa bona vendita sibi retineat, reddita ea pretij parte, quæ iam soluta est, [3] vel si malit bonorum partem pro rata pretij portione. Hanc enim electionem ei dari vel inuito emptore æquum est, tametsi bonorum partem is empturus non fuerit, quoniam per eum stat quo minus totum pretium soluatur. [4] Sed tamen magis est, vt non sit hoc casu deterior conditio venditoris, quam esset, si nullum sibi in re vendita præterquam pignoris ius retinuisset, [5] cum ea dominij exceptio & reseruatio ipsius venditoris causa facta sit. [6] Itaque si venditionem ratam habere velit post acceptam pretij partem, non erit prohibendus pro reliquo pretio quod debetur vniuersa bona vindicare, [7] nec eo magis tamen quod ex pretij causa acceperit quasi sine causa apud eum esse cœperit ipsi condicetur. Subest enim causa venditionis, quæ ex voluntate & facto solius emptoris, vt diximus, irrita fieri non potest, [8] & in cuius consequentiam non solum pretium retinetur solutum, sed etiam quod solutum non est petitur, [9] pignoribus in eam rem captis mox distrahendis si non soluatur. [10] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nam nec sufficit traditam esse rem venditam, si neque precium sit solutum neque habita fides de pretio, *l. quod vendidi* 19. *de contr. empt.*

2 Nemini enim res sua potest esse obligata, *l. neque pignus,* 45. *de reg. iur.*

3 Vt omnia in pristinum statum restituantur potius, quam vt iniquitas aliqua inducatur, vt in *l. cum te* 6. *Cod. de pact. int. emptor & vendit.*

4 Itaque nullum damnum sentire videtur, qui non nisi ex culpa sua sentit, *l. quod quis* 203. *de reg. iur.*

5 Textus est elegans & accommodatus, quamuis in specie dissimili, *in l. in bello* 12. §. *si quis, versic. rursum seruum, D. de capt. & postlim.*

6 *Arg. l. quamuis* 7. *D. de pignor. act. l. in ratione* 30. §. *tametsi ad leg. Falcid. l. nulla* 25. *D. de legib. l. quod fauore* 6. *C. eod.*

7 *l. quamdiu* 6. *C. de distr. pign. l.* 2. *ad fin. C. debit. vend. pign. imped. non poss.*

8 Dixi *Defin. præced. num.* 13.

9 *l. naturales* 10. *de oblig. & act.*

10 *Tot. tit. C. debit. vend. pignor. imped. non poss.*

DEFINITIO X.

Qui alienam rem vendidit, non aliter cogitur implere venditionem dominium postea nactus, quam si venditio ab initio valida fuerit & iusta.

BIU Cujas

QVod dicimus, eum, qui rem alienam siue sciens, siue ignorans vendidit, si postea dominus factus sit, actione ex empto cogendum, vt venditionem impleat,[1] hoc est, vt dominium transferat in emptorem, aut iam forte translatū manere penes eum patiatur,[2] eo demum casu obtinet, quo venditionis contractus, ipso iure valuerit.[3] Nam si vel ab initio nullus fuerit, vel annullandus ex causa doli, siue ex proposito,[4] siue in re ipsa propter enormissimam læsionem,[5] absurdum fuerit cogi venditorem ad implendam venditionem.[6] *Ita tractatum est* in causa D. Senatoris Dauisc contra Franciscum le Maistre Prid. Cal. Sept. 1593.

1 *L. si quis alienam* 46. *D. hoc tit.*
2 *L. Seia* 73. iunct. *l. vindicantem* 17. *D. de euict.*
3 Siquidem etiam res aliena vendi potest, *l. rem alienam* 28. *de contr. empt.*
4 *L. si dolo* 5. *l. dolus* 10. *C. de rescind. vendit.*
5 *Ex l. si quis cum aliter* 36. *D. de verb. oblig.*
6 Glos. singul. *ad d. l. si quis alienam in fine ex l. si seruo* 20. *D. qui & à quib. manum.*

DEFINITIO XI.

Non secuta ratihabitione, quam venditor promisit, debet ille satisdare, vt pretium petere possit.

RE aliena, aut quæ alteri obligata fuit, sic vendita, & ea lege, vt dominus aut creditor ratam haberet venditionem intra certum tempus, si ratihabitio non sequatur, non statim contractus irritus constituendus est, sed condemnandus venditor, vt contractum impleat si possit, si non possit præstet quanti interest emptoris.[1] Porro interesse nihil videbitur si venditor satisdet de euictione.[2] Ideoque præstita ea satisdatione actionem ad consequendum pretium habere debet,[3] cum alioqui absurdum futurum sit prætextu non secutæ ratihabitionis emptorem, qui à nemine adhuc controuersiam patiatur, frui interim & re & pretio.[4] Quid ergo si nec satisdare venditor possit?[5] Idoneis saltem pignoribus cauere debet.[6] Quid si ne hoc quidem? Tantisper, vt puto, abstinere debet à pretij petitione,[7] emptor autem ne & rem & pretium retineat, pretium obsignare cogendus est.[8] *Ita Senatus* in causa N. D. Liebe de la Fontaine & N. Dubois Prid. Cal. Sept. 1593.

1 *L. ea conditione* 14. *C. de rescind. vendit.*
2 Cum per satisdationem securus fiat is cui cauetur, *l.* 1. *D. qui satisd. cog.*
3 *L. si post perfectam* 24. *C. de euict.*
4 *L. ex empto* 11. *§. quia autem, l. bona fides* 50. *D. hoc tit. l. curabit* 5. *C. eod.*
5 Nec enim semper facile est inuenire fideiussorem, *l. omnes* 33. *§. præterea, C. de epis. & cleric.*
6 *L. si mandatu* 59. *§. vlt. D. mandat. l.* 4. *§. addici* 8. *D. de fideic. libert.*
7 *L. Iulianus* 13. *§. offerri, D. hoc tit.*
8 Obsignatio enim hoc casu vice solutionis cedit, *l. obsignatione* 9. *C. de solu. l. acceptam* 19. *C. de vsur.* Alioqui satisfaciente postea quandocunque venditore cogendus esset emptor vsuras totius præteriti temporis præstare, *d. l. curabit* 5. *Cod. hoc tit.* quippe quæ hoc casu non tam propter moram deberentur, quam ob perceptos ab emptore fructus.

DEFINITIO XII.

De emptore qui conuenit, vt in casum secutæ euictionis non nisi ad pretij restitutionem agere ex empto possit.

CONuentio in contractu venditionis apposita, vt secuta euictione venditor non nisi ad pretij restitutionem teneatur, non etiam ad id quod præterea interfit emptoris, haud dubie valet,[1] sed tum demum vires suas exerit, cum emptori rem habere non licet, puta quod sit aliena aut eiusmodi quam alius iure dominij vindicare, & emptori omnimodo auferre possit:[2] Nam si duntaxat pignoris iure obligata dicatur, non eo minus luere pignus debebit venditor, præsertim si rem liberam ab omni pignoris iure, vt fieri solet, ac vti optima maximaque est vendiderit, quamuis pro longe maiori quantitate obligata sit, quam quæ est in precio,[3] quoniam cum emptori habere liceat, vel inuito petitore, soluto per debiti oblationem vinculo pignoris,[4] non potest videri commissa stipulatio, quæ de solo pretio restituendo non nisi in casum secutæ euictionis interposita fuit.[5] Si tamen post eam clausulam, qua fundum ab omni pignoris iure liberum & immunem venditor affirmauit, subiecta sit conuentio his verbis, *& sur ladite piece vendue & autres siens biens promet maintenir ledit prix*, id omnino actum intelligitur, vt si pignoris luendi causa plus creditori præstare emptorem oporteat, quam sit in pretio, liberetur tamen venditor solius pretij restitutione:[6] quasi ob id tantum adiecta priore conuentionis parte, ne rem qualis esset suoque prorsus periculo comparasse emptor videretur.[7] Nec aliud erit si promissa sit pretij restitutio cum legitimis accessionibus. Eo namque verbo accessiones pretij intelligendæ sunt, id est, vsuræ legitimæ[8] & quincunces,[9] non autem id quod interest emptoris. Numquam enim ratione pecuniæ præstatur id quod interest nisi ad æstimandam loci vel temporis, in quo solui debuit, vtilitatem.[10] *Ita Senatus* in causa Aynardi Thomæ 8. Cal. Febr. 1594.

1 *L. ex empto* 11. *§. quia autem D. hoc tit.*
2 *L. habere licere* 57. *D. de euict. empt.*
3 *L. si mancipium* 34. *§. vlt. & l. seq. cod.*
4 *L. Paulus* 4. *§.* 1. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. euictus* 5. *D. de euict.*
5 Ne sit in potestate venditoris non faciendo id quod facere debet, assequi tamen, vt se obligatione grauiore exoneret contra *reg. l. qui non facit* 121. *de reg. iur.*
6 Imputare namque sibi debet emptor, cur ea lege emerit, curque pignus luere maluerit quam re carere & pretij à se dati restitutione contentus esse: denique tanti ipse incommodum suum æstimauit, *arg. l. Imperator* 70. *§. si centum, de leg.* 2.
7 Vna enim clausula per aliam interpretanda est, *l. verum autem* 23. *de petit. hered.*
8 Sunt enim illæ accessiones pretij *l. vlt. C. de vsur.*
9 Hæ namque sunt, quæ apud nos maxime frequentantur.
10 Ne alioqui res excurreret in infinitum, *l.* 3. *D. de in lit. iurando.*

DEFINITIO XIII.

Quæ venditori debentur propter rem venditam pro annis præteritis, non transeunt in emptorem, si nihil de iis specialiter dictum sit.

IVS, quod venditor habuit exigendi reliqua præstationis annuæ, quæ fundo vendito debebatur non ex eo solo translatum in emptorem intelligitur, quod venditor cum re ipsa iura sua omnia in eum transtulerit. Id enim ad futuras præstationes pertinet, non ad illas præteritorum annorum,[1] quippe quæ iam personali actione debeantur ei quoque, qui rem ipsam amplius non habeat, postquam earum dies non tantum cessit, sed etiam venit.[2] Ideoque speciali in hanc rem conuentione & cessione opus est.[3] Plane si eo nomine iam ipso venditionis tempore lis erat per venditorem instituta, isque litis acta emptori tradiderit, potest ea traditio cessionis loco esse, vt hoc quoque ius cessum intelligatur.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 24. infr. de acquirend. vel amitt. possess.

1 Quia futuræ præstationes sequuntur eum cui debentur, non etiam præteritæ *l. item quod dictum* 6. *D. de in diem addict. l. si venditor* 14. *§. pen. & vlt. eod.*

2 *l. cedere*

BIU Cujas

2 *L. cedere diem 213. de verb. signific.*
3 Cum venditio possit effectum suum habere plenissimum, etiamsi reliqua ista non comprehendat.
4 Scilicet quia instrumentorum traditio pro mandato est, *l. 1. vbi notat. C. de donat.*

DEFINITIO XIV.

Quod quis luit vel redimit ex persona sui venditoris, licet ex propria ipsius emptoris pecunia, ex causa venditionis habere intelligitur.

EMisti à me ius, quod habebam luendi à Titio pignoris aut redimendæ rei, quam ego antea vendideram sub pacto de retrouendendo,[1] secuta postea luitione, aut redemptione, licet neque pecuniam neque aliud quicquam præstiterim, videris tamen & à me & ex nostro contractu illo rem habere, [2] cum si tecum non contraxissem, neque luendi, neque redimendi ius habuisses. [3] Ita fit, vt quamuis in creditoris mei, aut emptoris iura ex cessione successeris, non tamen possis negare quin ex meo quoque contractu rem habeas. Proinde si quid causę sit, cur ab eo contractu velis & possis recedere, cogendus es ab eo quoque commodo discedere, vt omnia in pristinum & integrum reponantur,[4] restituta nimirum per me pecunia, quæ tibi abest.[5] Et quidem etiamsi quo tempore à contractu discedimus, elapsa sint tempora intra quæ pignus lui aut res redimi debuisset. Non tam enim de pristino creditoris, aut emptoris iure quærendum est, [6] quam de nostro, faciendumque ne quid ex eo contractu commodi penes te remaneat.[7] Sed etsi pecuniam in numerato non habeam, quam tibi possim reddere, non eo minus æquum erit, præstare te mihi vicissim, quod ex eo contractu debeas, quasi impleto contractu ex mea parte.[8] Quod si cum eo luendi aut redimendi iure bona quædam alia tibi vendideram, quę postmodum euicta sint, aut quę tu habere possidereve numquam potueris, ita æquum erit haberi huius rei rationem, vt pro portione duntaxat impleti cõtractus cogaris præstare pretium, aut si quid aliud vice pretij conuentum sit, vt puta annuam pensionem. Neque enim ob id solum, quod contractui in omnib. non satisfecerim, iustum est, frui te integro pretio & parte rei meæ, ac si nihil omnino præstitissem.[9] Quantum autem eo nomine præstare debeas, in iudicis arbitrio est, idipsum ex causarum & personarum qualitate pretiique & rerum venditarum collata quantitate æstimaturi.[10] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in causa N. Bernardi Dacquin procuratoris in Sabaudia fiscalis, & Francisci Lucquet, 18. Cal. Maij 1595.

1 Nam & hoc ius vendi posse placet interpretibus nostris, *ad l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.*
2 Vt scilicet contractus origo & prima luitionis ac redemptionis causa inspiciatur, *l. quoties 16. D. de iur. dot.*
3 Nec enim alius luere potest, quam debitor, nec alius redimendi ius habere, quam qui vendidit, *d. l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. & tot tit. de luit. pign.*
4 Nullum enim debet quis retinere commodum ex eo contractu, à quo recessit, *arg. l. cum quæritur 6. D. de admin. & peric. tutor. l. si ita stipulatio 39. de oper. libert.*
5 Nam nec æquum esset, te morari in damno ex eo contractu, ex quo nullum commodum sentias, *l. secundum naturam 10. de reg. iur.* Iunge *l. tutori 47. §. 1. de minor.*
6 Quod extinctum fuit per luitionem & redemptionem, aut saltem immutatum per conuentionem inter nos factam.
7 Alioqui contractus remaneret pro parte, quod fieri nequit, vt diximus.
8 Ita tamen vt interim rem retineas, quæ ex contractu nostro ad te peruenit.
9 Nam & pecunia & emolumentum contractus potest recipere diuisionem.
10 Ista enim omnia, quæ ex facti circumstantiis pendent, arbitrio iudicantis relinquuntur, *l. ordine 15. D. ad municip.*

DEFINITIO XV.

Oblatio sola non liberat emptorem à præstatione vsurarum, nisi secuta sit obsignatio, quamuis venditor fuerit in mora accipiendi.

EMptor, qui accepta re conuentum pretium ad certam diem soluere debuit, si adueniente die pecuniam obtulerit venditori, vẽditor autem sine iusta causa solutionem accipere distulerit aut recusauerit, atque ita moram contraxerit, non eo minus ad vsuras pretij condemnandus est, ni eam pecuniam obsignauit.[1] Non enim hoc casu locum habet, quod dici solet, oblationem solam debiti sufficere, vt vsurarum cursus impediatur,[2] cum huiusmodi vsuræ non tam propter moram debeantur, quàm in vicem & compensationem fructuum, quos vicissim emptor percipit ex re vendita sibique tradita,[3] quia nec vllo casu æquum esse potest, vt emptor & rem & pretium retineat,[4] nec consequenter vt rei fructus prefiiq; commoda nanciscatur.[5] *Ita Senatus* in publico auditorio pro petro Pignier, contra N. Forey, 15. Cal. Maij 1595.

1 *Ex l. curabit 5. C. hoc tit.*
2 *L. si per te non stat 9. C. de vsur.* Oblatio enim sufficit ad impediendam moram, sed non ad obligationem tollendam, vt scripsi in Decadibus.
3 *d. l. curabit.*
4 *L. ex empto 11. §. quia autem, l. bona fides 50. D. hoc tit.*
5 Eadem enim ratio est fructuum ex re perceptorum & vsurarum, quæ ex pecunia percipi potuerunt, quæ est ipsius rei & pretij.

TIT. XXXIV.
SI QVIS ALTERI VEL SIBI.

DEFINITIO I.

Cum quis emit sibi & amico aut electo aut eligendo, ac postea eligit, vna tantum venditio est, dummodo fiat electio intra dies 40. & eodem pretio.

ETsi iure ita comparatum est, vt sibi tantum emere quis possit, non [1] etiam alteri, in cuius non sit potestate, moribus tamen nostris receptum est, vt quisquis sibi emere potest, possit etiam alij adeoque incertæ personæ, amico scilicet, vt vocant, aut electo, aut eligendo.[2] Cuius inducendi iuris ratio ex iis primum venditionibus originem habuisse videtur, quæ publice sub hasta fiunt, propterea quod non facile honesti plerique viri ad emptionem accedentes nomina sua publicis eiusmodi actis inseri patiantur, veriti ne ambitiosum id aut inuidiosum existimetur,[3] malintque per alios rem agere, ex quorum persona non minus iuris habituri sint, quàm si illi ipsi comparassent. Postea vero ad priuatas quoque venditiones id ius tractum est, vsuque apud nos frequentissimo comprobatum. Ita vt licet non in continenti, sed distinctis temporibus contractuque separato ea fiat electio, vnus tamen contractus, vna emptio esse intelligatur, emptorisque iure non tam qui elegit, quàm qui electus est, censeatur,[4] quamuis non eo magis liberetur, qui cum venditore cõtraxit, ne pretij nomine conueniri possit, si id venditor malit, quam ob causam indemnitatem eligenti repromittere electus solet, cum fieri potuerit, vt qui eligenti vendidit, non item electo fuerit venditurus.[5] Inde fit, vt si ager vẽditus vectigalis vel emphyteuticarius esse dicetur, nõ nisi vna laudimia,

BIU Cujas

& quidem etiam ab electo debeantur, [6] tametsi verum sit, quot sunt venditiones dominiique translationes, totidem laudimia deberi. [7] Sed ne fraudi locus relinquatur, optima ratione illud etiam receptum est, vt intra certum tempus electionem fieri oporteat, id est, intra quadraginta dies ab inito contractu numerandos. [8] Illud etiam necesse est, vt conuento pretio, neque adiiciatur quicquam, neque detrahatur. Alioqui cum emptionis substantia consistat ex pretio, fieri sane non potest, quin pretij quantulacunque diuersitas emptionis quoque diuersitatem inducat. [9] De cæteris pactis ad venditionis causam potius quàm substantiam pertinentibus dubitatio maior est, an si in facienda electione apposita sint, nouam emptionem efficiant, vtputa si eligens de euictione se obligauerit. [10] Sed magis est, vt nisi per notarij inscitiam aut aduersarij dolum ea clausula irrepserit, valeat obligatio, [11] ne emptionem aliam faciat, quandoquidem nihil prohibet, eum quoque, qui non sit venditor, obligari de euictione, si velit, vt in donatore aliisque personis euenit. [12] Cæterum si tale pactum sit, quod videri possit constituere partem pretij, veluti vt pro me Romam eas, aliud est. [13] *Ita Senatus* in causa Petri Rubin ex tempore, 9. Cal. Iul. 1592.

1 *L. multum interest 6. C. hoc tit. l. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. oblig. l. quæcunque 11. D. de oblig. & action.*

2 Nulla enim sane huius iuris vestigia extant in libris nostris. In eoque multi abutuntur hoc titulo, qui est in codice, quasi eius sensus sit, valere emptionem, siue quis sibi siue alij emerit. Cum è contrario leges omnes tituli probent, sibi quidem posse quem emere etiam ex aliena pecunia, sed alij non posse.

3 *l. pupillus 5. §. sane si ipse, D. de auctor. & consens. tutor.*

4 Quasi eligens nudum tantum ministerium electo præbere videatur, quomodo de procuratore scriptum est *in l. quod meo 18. D. de acquir. poss.* [Vnde fit, vt si is qui elegit iura sua omnia postmodum in alium transferat nihil agat, quia nulla iura habet. Nec si à contractu electionis mutuo partium consensu recessum sit, quia nouo contractu opus est, nouaque retrotraditione, vt ius electo quæsitum non tam recurrat ad eligentem, quàm vt ei nunc primum acquiratur, cui nunquam fuit quæsitum. *Ita Senatus* pro Claudio Iaquemard, contra heredes procuratoris du Roc, mense Martij 1611.]

5 Præsertim cum electi persona semper sit incerta, aut saltem incognita venditori, qui proinde non potest videri eius fidem secutus, *l. qui cum alio 19. de regul. iur.*

6 Quoniam vnica tantum dominij translatio est, quæ fit à venditore in electum tanquam verum emptorem.

7 Debentur siquidem laudimia ob dominij translationem, *l. vltim. C. de iur. emphyteut.* At hic vna tantum translatio est, vt dixi.

8 Alioqui plures venditiones esse intelliguntur, & consequenter laudimia plura debentur.

9 *l. pacta conuenta 72. D. de contr. empt. l. 2. de rescind. vend.*

10 Ratio dubitandi est, quia pacta hæc partem pretij constituere videntur, *l. fundi partem 79. eod. tit.* Sed id pertinet ad ea pacta, quæ adhibentur fauore venditoris, non ad ea, quæ fauore emptoris.

11 Alioqui quod per dolum aut per errorem adiectum est ratum haberi non debet, *l. si quis per errorem 15. D. de iurisd. l. si dolo 5. C. de rescind. vend.*

12 *l. 1. C. de iur. dot.*

13 Diuersitas enim talium pactorum pretij quoque diuersitatem necessario inducit, *arg. d. l. fundi partem*, iunct. *d. l. pacta conuenta, l. 6. §. 1. in fin. D. de seru. export.*

DEFINITIO II.

Electia acceptata post quadragesimum diem nouam venditionem facit.

QVid vero si ante quadragesimum diem electio quidem facta sit, sed absentis & ignorantis, solo notario citra mandatum stipulante? Valebit quidem electio, [1] sed secuta quandocunque post quadragesimum diem acceptatione noua venditio contracta videbitur, ob idque & noua laudimia debebuntur, [2] quasi non ante perfecta electione, [3] quippe quæ post notarij quoque stipulationem reuocari potuerit. [4] Nec aliud erit, tametsi proponas à principe factam venditionem, quam à Rationalium Curia approbari oporteat. Non enim ea res facit, quo minus à die contractus initi tempus computandum sit, [5] maxime si bona vendita sint eiusmodi, quæ ad Principem magis, quàm ad coronam, vt aiunt, pertinetia liberam patiantur distractionem. [6] Nam etsi ex domanio coronæ fuissent, secuta quandocumque Curię approbatio ad ipsum contractus diem retrotraheretur, licet fieri potuerit, vt non sequeretur. [7] Neque enim edictis Principum nostrorum prohibitum est, ne tales alienationes ante Cameræ approbationem valeant, sed constitutum duntaxat, vt non prius effectum habeant: quæ res non impedit retroactionem, quia neque ex Curiæ approbatione, sed ex ipsa venditione secutaque traditione dominium translatum videri debet. [8] *Ita Senatus* pro Passerato conductore reditus Calnimontis in prouincia Gebennensi, contra D. Baronem de Viry, mense Iulio 1588.

1 Quia intra diem quadragesimum factam eam esse verum est.

2 Tot enim laudimia debentur, quot sunt venditiones dominij translationes, *l. vlt. C. de iure emphyt.*

3 Perfectum enim quid dici non potest in contractuum genere, quamdiu reuocari potest, *l. sicut 5. C. de oblig. & action.*

4 Non enim ex stipulatione notarij acquiritur ius irreuocabiliter ante acceptationem, Tessaur. *decis. 70.* vbi quam plures citat.

5 *Arg. l. sciendum 19. §. vltim. de ædilit. edict. l. ait lex 21. ad leg. Aquil. l. annu 6. de calumniat. l. mariti 29. §. sex mensium, D. ad leg. Iul. de adult. l. 1. §. dies, de lib. agnosc. l. vltim. de manu test.* Tiraquell. late *in tract. de retr. lign.* in verb. *de dans l'an, glos. 10. num. 115. & seq.*

6 Potest enim Princeps pro arbitrio suo rem priuatam propriam alienare, Iacob. de sanct. Georg. *in tract. feudorum*, in verb. *in feudum, num. 2.* late Ias. *in vsib. feudor. nu. 67. &* 78. Iunge *l. bene à Zenone 4. §. quæ omnia*, & paulo ante *fin. C. de quadr. præscr.*

7 Nam & ita concipi Aresta solent, vt huiusmodi alienationes approbentur secundum tenorem contractus. Ergo ex die contractus.

8 *L. traditionibus 20. C. de pact. l. nunquam nuda 31. D. de acquir. dom.* Approbationem tamen sequi necesse est, *l. nec venditio 2.* ibi *nisi apud acta*, C. *de præd. decur. lib. 10. tit. 33.* Bald. *in l. iubemus. C. de sacros. Eccles.* Bart. & Alex. *in l. prohibere, §. plane, quod vi aut clam.*

DEFINITIO III.

Pluribus electis amicis ab vno eodemque emptore, an & quando plures venditiones contractæ intelligantur.

PLuribus rebus confuso pretio venditis ei, qui sibi amicoque suo eligendo emerat, nihil prohibet, vel in vna amicum ab emptore eligi, vel in singulis singulos. [1] Nec idcirco plures emptiones contractæ videbuntur, vt consequenter plura laudimia debeantur, si modo ea pretij distributio facta sit, vt vir bonus ex singularũ rerum inter se comparatione arbitraturus sit, nihil de cõuento pretio immutatum. Pretium enim licet confuse pluribus rebus dictum pro cuiusque portione in singulas ab initio constitutum intelligitur. [2] Ergo si vtraque separatim æstimata fuit decem aureis viginti vno pretio promissis, siue pluris essent siue minoris, & vnius nomine electus Titius quindecim præstiterit, non eodem pretio facta electio videbitur, tametsi pro altera electus Sempronius non nisi quinque dederit, ideoque & laudimia debebuntur. [3] E cõtrario si cum Titio conuenerit, vt decem tantum præstaret, cum Sempronio autem, vt quindecim daret, Titius laudimia nulla debebit, debebit Sempronius. [4] Vterque vero, si vel diuersis electionibus res singulæ vel vnica electione omnes simul

BIU Cujas

simul pluris æstimatæ sint, quàm fuerant venditæ, inspecta scilicet conuenti duntaxat non etiam iusti pretij quantitate.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia moribus nostris receptum est, vt possit ista electio fieri etiam pro parte.

2 *L. si duos 47. l. cum plures 72. D. de euict. l. si duorum 42. de act. empt.*

3 *Arg. d. l. si duorum.*

4 Quia quod ad Titium, noua venditio non est, sed quod ad Sempronium propter pretij mutationem, *l. pacta conuenta 72. de contr. empt. l. 2. D. de rescind. vendit.*

5 Emptionem enim facit pretium, quod conuentum, non quod iustum est, *l. vlt. C. de contr. empt.*

DEFINITIO IV.

Electio facta per talliabilem in fraudem patroni quatenus reuocanda sit contra tertium bonæ fidei possessorem.

TItius cum esset dedititiæ, &, vt loquimur, talliabilis conditionis, nec minus tamen se pro ingenuo gereret [1], fundum emerat sibi amicoque eligẽdo,[2] quem in continenti & ante traditionem elegerat fratris sui filium tum absentem,[3] notario absentis nomine, vt fieri adsolet, stipulante: [4] pretiúmque in promptu soluerat ex pecuniis, vt instrumenti verba ferebant, [5] penès se paulo ante à fratris filio depositis: sibi tamen, quoad viueret, eius fundi vsumfructum exceperat. [6] Idem postea moriens eundem ex fratre nepotem hæredem scripserat,[7] & ne fundum illum alienaret, expressim prohibuerat, substitutis etiam, si contra faceret, pauperibus ciuitatis.[8] Feudi dominus, controuersiam hæredi faciebat, quasi fundus ille cum cæteris libertini bonis ex cõsuetudinaria feudi conditione sibi obuenisset,[9] nec nisi simulate facta electio, electique nostro instrumento inscriptum fuisset. [10] Pendente lite, sed per multos iam annos silente, hęres fundum illum tanquam suum ignoranti litem Sempronio vendiderat, qui postmodum repetita lite iudicio adesse iussus erat, vt iudicato parendum haberet, si quid in actoris commodum pronunciaretur.[11] Cum simulationis coniecturæ pleræque concurrerent, nec dubitaret Senatus, quin fraudandi patroni consilium Titius habuisset: Pronunciauit tamen nihil eum iuris in fundo habere, propterea quod ne momento quidem vno in persona Titij acquisitio constitisset,[13] ob electionem secutam in continenti,[14] & ante traditionem, per quam venditor ius omne dominij & possessionis in electum fratris filium transtulerat. Quantumuis enim pro certo haberetur id re vera Titium egisse, vt sibi non fratris filio fundum quæreret, non alius tamen dominus fieri potuerat, quam cui fundum venditor, ipso præsertim Titio consentiente, tradiderat,[15] traditionem vero in electi vtilitatem notario quoque stipulante factam constabat, vt dubitari non posset, quin venditoris voluntas illa fuisset, vt in electum, non in Titium dominium transferretur,[16] maxime cum nec diceretur venditor fraudem cum Titio participasse.[17] Pretij tamen nomine domino aduersus hæredem saluam actionem esse *Senatus* voluit,[18] vt quæ in pretio duntaxat vere facta fraus fuerat, in pretio quoque coerceretur.[19] Nec ad rem pertinuit, quod pecuniam fratris filio inter viuos palam donare libertinus potuerat.[20] Multa enim tenent facta palam & bona fide, quæ si per cuniculos fiant, in fraudem facta creduntur & reuocantur.[21] Neque rursus donandi animum habuisse videbatur, qui re vera id egerat, vt sibi non alteri rem quæreret.[22] Atqui potuerat libertinus etiam in fraudem patroni pecuniam abiicere & perdere.[23] Fateor, sed nec poterat videri deperdita, quæ in fundi emptionem versa erat.[24] Sane tametsi ea inopia hæredis proponeretur, vt pretij nomine nulla in eum efficax actio exerceri posset,[25] non idcircò tamen visum est, subsidiaria vtili vindicatione teneri debere emptorem, qui bona fide litisq; nescius emerat,[26] quem teneri ex contrario æquum fuisset, si sciens emisset.[27] Quanquam enim emptoris ignorantia litigiosi vitium non excludit,[28] sicut nec actorem, qui litigiosam rem effecit, damno debet afficere,[29] in proposito tamen non tam de illo mota lis videbatur an fundus esset Titij, quam de illo, vtrum ex feudi conditione commissa actori deberetur.[30] Proinde nullum litigiosi vitium subesse videbatur, quod non nisi per motam de dominio & proprietate quæstionem contrahitur.

1 Quæ res potest præbere coniecturam, & suspicionem simulationis, quia isti nihil non agere solent, vt dominos fraudent: Idem namque euenit in iis omnibus, quæ facta sunt per suspectas personas aut per prohibitas, *l. qui testamentum 27. D. de probat.*

2 Quod ex generali consuetudine receptum est, vt dixi *Defin. 1. supr.*

3 Hinc quoque alia coniectura fraudis. Non enim facile solet quis absenti potius quàm sibi stipulari. Omnes enim sibi malunt bene esse quàm alteri.

4 Nam & hoc quoque generali consuetudine receptum est, vt possit notarius etiam absenti stipulari, Tessaur. *decis. 71.* quod plerique volunt deductum ex eo, quod de seruo publico alij stipulante scriptum est, *in l. non aliter 18. D. de adopt. l. 2. D. rem pupill. salu. for.* de quo alibi scripsimus.

5 Quæ verba enunciatiua prolata per suspectam personam fidem nunquam faciunt, nisi forte iureiurando assertorio comprobatæ sint, *l. cum quis decederis 37. §. codicillis, de leg. 3.* In proposito autem tanto maior erat fraudis suspicio, quod regulariter præsumitur facta solutio de pecunia soluentis, *leg. 2.* vbi Bart. *C. pro socio.*

6 Hoc vero quo iure aut colore si pecuniam fratris filius præbebat? Erat igitur hæc quoque alia coniectura simulationis, *l. 6. §. superuacuum: quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

7 Voluerat igitur viuus quasi futuro hæredi prouidere, vt *in l. tale pactum 40. §. 1. de pact. l. cum quo 56. §. vltim. ad l. Falcid.* cum tamen sciret, se ex testamento hæredem habere posse neminem.

8 Erat hæc vltima coniectura simulationis: solet enim quisque & debet de rebus suis testari, non de alienis, *l. conficiuntur 8. §. si post factum, de iur. codicill. l. 1. verbis legis 120. de verb. signif.*

9 Ex generali enim consuetudine obtinet, vt moriente talliabili sine liberis & condiuisoribus, bona ipsius omnia pertineant ad dominum feudi, vt dicam *ad titul. de Lat. libert. tollend.*

10 Potest enim simulatio probari etiam per coniecturas, tanquam sit difficilimæ probationis, quia in animo consistit magis quàm in re ipsa, DD. *in l. emptione 3. C. plus valer. quod agit.* Cravet. *cons. 156. num. 7. l. dolum 6. C. de dolo, l. non omnes 5. §. à barbaris D. de re milit.*

11 Ne alioqui posset ille frustrari executionem iudicati, hoc prætextu, quod esset res inter alios acta, *titul. Cod. int. alios act.*

12 Ex coniecturis scilicet supradictis.

13 Non enim potest dominus feudi habere plus iuris ex persona defuncti talliabilis, quàm defunctus ipse habuerit.

14 Electio enim dummodo rite facta hoc efficit, vt electus primi emptoris loco habeatur.

15 Siquidem traditionibus tantum non malis conuentionibus rerum dominia transferuntur, *l. traditionibus 20. C. de pact. l. 1. 2. 3. 4. l. multum 6. & pass. C. hoc tit.*

16 *L. in omnibus rebus 55. D. de oblig. & action.*

17 Nihil enim vetat venditorem bona fide vendere, licet emptor sit in dolo.

18 Quia ex pecunia defuncti talliabilis pretium fuerat solutum, *l. penult. C. hoc tit. l. 2. C. pro socio, l. si ex ea 6. C. de rei vindicat.*

19 In eo namque debet puniri fraus, in quo est admissa, *l. rescriptum 6. de his quæ vt indign. l. Paulus 24. alias l. Falcidiæ, D. ad l. Falcid.*

20 *L. viuus libertus 9. D. si quid in fraud. patr.*

21 *L. pupillus 5. §. sane si ipse, D. de auctor. tutor. l. vltim. D. de ritu nupt.*

22 *L. si id quod à liberto 10. D. si quid in fraud. patr.*

23 *L. idem seruandum 72. de leg. 2.* Nam & lucri species est acquirere sibi beneficij debitorem, *l. si pignore 54. §. 1. D. de furt.*

BIU Cujas

24 Inanis enim est actio, quam debitoris eludit inopia, *l. nam is 6. D. de dolo.*

25 *Arg. l. 1. §. sed si rem quidem, D. si quid in fraud. patr.*

26 *Arg. d. §. sed si rem, iunct. l. vxor marito 55. de donat. inter vir. & vxor.*

27 *L. vlt. C. de litigios.*

28 Nunquam enim vnius ignorantia debet alteri esse captiosa, *l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo, D. quæ in fraud. cred.*

29 Aliud enim est deberi fundum Titio, aliud esse Titij, quia nemini res sua deberi potest. §. *sic itaque, Instit. de action. l. non ex pluribus 159. de reg. iur.*

30 *Auth. litigioſa C. de litigios.*

DEFINITIO V.

QVid ergo si electio non in continenti, sed ex interuallo, id est, post factam Titio traditionem secuta fuisset? Non eo quidem minus vnica emptio contracta videretur, emptorque constitutus is, qui intra quadragesimum diem electus esset potius, quàm qui elegisset.[1] At quia negari non potest, quin dominium rei venditæ, quod à bonis venditoris abscessit in Titij persona toto medio tempore constiterit,[2] omnino consequens est, vt simulata electio quandocunque secuta non debeat nocere domino, præsertim cui ius interea quæsitum fuit[3] propter Titij fraudem, quæ etsi nulla simulatio interuenisset, locum faceret reuocationi.[4] Quo casu resoluto datoris iure, resolui quoque ius emptoris licet bonæ fidei possessoris necesse esset.[5] *Ita Senatus* pro D. Dyuonne Chamberiensi, contra D. de Clairmont, Dominum de S. Cassin, Id. Iun. 1588.

1 Vt dixi *Defin. 1. num. 8. 3. hoc tit.*

2 Id est, à tempore factæ traditionis vsque ad tempus secutæ electionis, quia dominij translatio non potest pendere, nisi per retrofictionem, *l. de hereditate 19 §. quid autem, D. de castr. pecul. l. seruus 4. §. vlt. de acquir. rer. domin.*

3 Solet enim retroactio impediri, quoties medio tempore ius alij est quæsitum, etiam in iis casibus, in quibus alioqui locum haberet *l. penult. D. rem vat. haber. l. si ego 9. §. si res, D. de iur. dotal.*

4 Contra eum scilicet, qui fraudem fecisset, aut qui à fraudatore ius habuisset, tametsi fraudem ipse non participasset, *l. 1. §. si quid in fraudem, D. si quid in fraud. patr.* In quo melior est conditio domini, quem patrono comparamus, quàm creditoris reuocatoriam exercentis, *ex tit. quæ in fraud. cred.*

5 *Vulg. l. lex vectigali fundo 31. D. de pignor.*

DEFINITIO VI.

Voluntas ineundæ societatis non potest declarari post mortem eius, cuius viuentis socius fieri quis potuisset.

SI emero fundum mihi itemque tibi, stipulante notario, adiecta tamen hac conditione, *si socius meus in eo fundo esse volueris*, placet non posse te voluntatem tuam declarare, nisi me viuo[1]: alioqui fundum mihi soli & in solidum emptum videri.[2] Nam si societas iam contracta vnius ex sociis morte dissoluitur,[3] quanto minus post mortem eius, qui socius esse debuerat, contrahi poterit?[4] At quid si priusquam emerem, ita inter nos conuenerat, vt tibi mihique coniunctim fundum compararem ad certam vsque pretij quantitatem, non ideo tibi pars vlla proprietatis acquiretur, nisi subsecuta etiam emptione res empta tibi tradatur pro parte, in eámque rem tuam declares voluntatem,[5] quoniam traditionibus, non conuentionibus rerum dominia transferuntur.[6] Quanquam & illud verum est, eo nomine teneri me tibi ex præcedenti conuentione,[7] cui non satisfecerim, vt debueram, ad tradendam tibi rem pro parte, vt inter nos communis fiat.[8] *Ita Senatus* in causa Petri Ludouici de Lallee, & Anton. Chardon, mens. April. 1589.

1 *L. qui Romæ 122. §. Agerius, de verb. oblig.*

2 *L. fundus ille 64. D. de contrah. empt.*

3 *L. 4. l. actione 65. §. morte, pro socio.*

4 Nihil enim potest incipere ab eo tempore, quo, si iam cœptum esset, finiretur, *l. Titio cum moreretur 51. D. de vsufr. l. nemo potest 35. D. pro socio.*

5 *L. 1. 2. 3. & pass. C. hoc tit. l. res ex mandatu 58. D. de acquir. rer. domin.*

6 *Vulg. l. traditionibus 20. C. de pact.*

7 *Arg. l. si sterilis 21. §. penult. D. de action. empt.*

8 *Arg. l. 2. C. pro socio, l. si ex ea 6. C. de rei vind.* vide *l. si fundum 35. & seq. D. mandat.*

DEFINITIO VII.

Res, quam sibi emit mulier constante matrimonio, vindicari per creditores mariti non potest.

MAriti creditore per hypothecariam vindicante eam rem, quam mulier suam esse dicat, & à se emptam, inhibenda est pignoris persecutio,[1] & audienda mulier, si probare volet, eam se rem emisse suo nomine.[2] Nec ad rem pertinet, quod iuris præsumptio sit emptam ex pecunia mariti.[3] Iuris enim præsumptio tantum illa est, non etiam de iure, vt nostri loquuntur, ob idque probationem, quæ in contrarium afferri potest, non excludit.[4] Neque vero si constaret emptam ex pecunia mariti, tamen sufficeret, vt mariti rem esse probaretur. Cum enim de rei dominio disputatur, non ex cuius pecunia, sed cui res empta & tradita sit, inspiciendum est.[5] Sed etsi ponas, agi de re mobili, quæ in domo mariti reperta fuerit, præsumptio quidem erit, eam rem mariti esse:[6] sed si mulier contra probare velit suam esse, nihil causæ est, cur non sit audienda.[7] *Ita Senatus* ex tempore, Calend. Iun. 1591.

1 Quæ non aliter iure competit, quàm si creditor probet, in dominio sui debitoris rem esse, aut saltem aliquando fuisse ex die contracti pignoris, *l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur, D. de pignor.*

2 Nec enim mulierem constante matrimonio sibi emere fierique locupletiorem, quicquam vetat, *l. multum interest 6. C. hoc tit.*

3 Vitandæ scilicet suspicionis turpis quæstus gratia, *leg. Quintus 51. D. de donat. inter virum & vxor. l. etiamsi 6 in fin. C. eodem.*

4 Debet enim semper præsumptio cedere probationi, suspicio veritati, *l. si chirographum 24. & l. seq. l. Imperatores 29. in fin. & pass. D. de probat.*

5 *d. l. multum 6. l. qui aliena 8. & pass. C. hoc tit. l. si ex ea 6. de rei vind. l. 2. C. pro soc.*

6 Nam cuius est domus, eius & bona omnia, quæ in ea domo sunt, esse præsumuntur, Bart. *in l. is cui 5. §. bonorum, D. vt in poss. legat.*

7 Quia & illa præsumptio iuris tantum est, non etiam de iure.

DEFINITIO VIII.

Electus ab emptore nunquam potest plus iuris habere contra venditorem, quàm haberet primus emptor, qui eum elegit.

ADeo verum est, quod iam supra diximus,[1] cum quis sibi & amico siue electo, siue eligendo aliquid emit, facta electione vnicum nihilominus contractum esse,[2] vt si forte is, qui elegit, prohibitus erat emere ab eo, qui vendidit, puta cui propter prodigalitatem, aut ex qua alia causa sciret interdictam venditionem,[3] non eo minus noceat ea res electo, quod prohibitionem aliudve siue iuris siue facti impedimentum ignorauerit.[4] Itaque perinde vindicandi ab eo dominij ius venditor habere debebit.[5] Qui enim electionis iure in emptoris locum substituitur, vt ipse emptor fiat, id omnino agit, vt eadem prorsus conditione rem nanciscatur, qua esset penes eligentem, si electio nulla facta fuisset:[6] habeturque huiusmodi electio pro iurium cessione, in qua agi solet, vt nec plus nec minus iuris, quàm cedens habuit, in cessiona-

cessionarium transferatur:[7] quanquam cessionarij interdum alia causa esse potest, quàm cedentis:[8] electi alia nunquam esse potest, quàm eligentis,[9] nisi cùm interuenit diuersitas pretij,[10] aut pactorum, quæ veluti partem quandam pretij constituere videantur.[11] *Ita Senatus*, in causa Petri Rubin, de qua SC. 1. supr.

1 *Desin. 1. 2. 3. & 4. 5. hoc tit.*

2 Nempe cum electio rite facta est, eodem pretio intra diem quadragesimum, & non in fraudem, vt dictum est in præcedentibus.

3 *L. 1. D. de curat. furios. l. is cui bonis 6. D. de verb. oblig.*

4 Scientia enim eligentis debet nocere electo, qui eius facto & ministerio vtitur ad acquirendum: *l. ex qua persona 149. de regul. iur.*

5 Qui scilicet cum eligente, non cum electo contraxit.

6 Vt in specie *l. 2. D. de hered. vel act. vend. l. 2. D. ad SC. Treb.*

7 *L. nemo plus iuris 54. l. quod ipsis 143. de reg. iur.*

8 Adhibendæ enim sunt quædam distinctiones, de quibus *in l. 4. §. si cum legitima & seq. & §. auctoris, D. de doli except. scripsi lib. 12. Coniect.*

9 Quia electus semper habet causam lucratiuam, cum nihil vnquam præstet ob id, quod electus est, quin hoc ipso noua venditio contracta videatur, vt sequitur in Definit.

10 Quæ semper inducit diuersitatem emptionis, *leg. pacta conuenta 72. de contr. empt.*

11 *Lsundi partem 79. eod. titul. l. si sterilis 21. §. si tibi, de act. empt.*

DEFINITIO IX.

Ex contractu mariti stipulantis cum notario acquiri potest dominium vxori etiam absenti, si ei quoque res tradita sit per clausulam constituti.

EMerat maritus fundum sibi suæque vxori coniunctim,[1] vxore tamen absente, sed notario pro ea, vt fieri solet, stipulante, subiecta etiam constituti clausula, per quam rei venditæ possessio in ambos coniuges transferretur. Quærebatur, an soli marito, an & vxori pro parte quæsitum dominium videretur? Non enim deerant, qui putarent, vxoris nomen simulate adiectum intelligi,[2] propterea quod absens ea fuisset. Dicebam cessare simulationis præsumptionem, quoties absentis vxoris nomine alius quã maritus stipulatus proponitur, qui stipulandi ius habuerit,[3] quomodo notarius, quem constat ex generali & vbique gentium recepta consuetudine pro absentib. stipulandi ius habere.[4] Itaque omnibus aliis simulationis indiciis deficientibus hoc solum marito eiúsve heredibus aut creditorib. superesse ius poterat, vt agerent ad pretium, aut mulierem partem fundi vindicantem exceptione summouerent, si non partem quoque pretij offerret.[5] Illud enim sane constat præsumi pecuniam ex bonis viri profectam, vt vitetur suspicio turpis quæstus, etiam cum ab ipsa muliere pretium solutum est,[6] nec aliud dicendum esse, si vxor pretium venditori soluens de suo soluere se dixerit, nisi præsente & consentiente aut saltem patiente marito id dixerit: quo demum casu & aliis præterea nonnullis præsumptioni iuris contra mulierem locus nullus est.[7] *Ita Senatus* in causa Iacobi Durand, & Peronetæ Talon, 8. Cal. Decemb. 1592.

1 *Vt in l. 2. C. pro socio.*

2 *Vt in l. cum propria 5. & seq. C. hoc tit.*

3 Maxime si non tantum stipulatio, sed etiam traditio interuenerit pro vxore, vt *in l. multum interest, 6. C. hoc tit.* Hic autem interuenerat traditio ficta per clausulam constituti, *l. quod mea 18 D. de acquir. poss.*

4 Vt dixi *Desin. 4. nu. 4. 5.*

5 *d. l. 2. C. pro socio. l. si patruus 4. C. comm. vtriusque iudic. dict. l. multum & l. pen. C. hoc tit.*

6 *l. Quintus 51. D. de donat. int. vir. & vxor. l. etiamsi 6. l. etsi de tua 9. C. eod.*

7 Ita Salicet. *ad l. cum propria 5. C. hoc tit.* quem post alios multos refert ac sequitur Cravet. *cons. 61. nu. 7.*

DEFINITIO X.

Quantum interest, an quis ex aliena pecunia sibi emat, an vero alteri ementi nomen dumtaxat suum accommodet.

QVi alteri ex propria pecunia ementi nomen dumtaxat suum accommodauerit, multum differt ab eo, qui ex aliena pecunia sibi emit, alteri postea, cuius pecunia fuit, reuenditurus. Ille enim nihil sibi vel momento vllo temporis acquisiuisse videtur, sed ei soli, cui nomen accommodauit, quamuis traditio ipsi facta sit,[1] inspecto scilicet eo, quod vere actum est potius, quàm quod simulate conceptum;[2] ideoque & ad fructuum omnium restitutionem tenetur, quos ex illa re perceperit:[3] quod eos non solum ex re aliena, sed etiam mala fide & contra proprij facti coscientiam percepisse dicendus sit.[4] Hic vero, qui ex aliena pecunia sibi emit, & cui traditio facta est, quantumuis se obliget pecuniæ domino de eadem re illi ipsi subinde eodem pretio vendenda, interea tamen fit dominus rei emptæ,[5] nec nisi personali actione conueniri potest de pretio, aut vt reuendat.[6] Proinde nec ad restitutionem fructuum medio tempore perceptorum tenebitur, nisi ab eo die, quo fuerit in mora reuendendi,[7] mora autem per eum contracta videbitur, statim atque interpellatus vt reuenderet recusauerit, vel sine causa distulerit.[8] Neque enim necessaria esse potest obligatio[9] & obsignatio eius pecuniæ, quæ pretium rei constituat, cum & pretium iam solutum sit ex actoris pecunia. Duplicem enim pretij solutionem pro vna re fieri non oportet, licet duplex venditio intercedat.[10] *Ita tractatum est* in causa Dominæ du Four, & viduæ Andreæ Pignier Medici 9. Cal. Mart. 1593. Sed nihil fuit pronunciatum lite postea per transactionem sopita.

1 *L. cum propria 5. & l. seq. C. hoc tit.*

2 *Ex l. 1. & tot. tit. C. plus val. quod agit. quam quod simul. concip.*

3 *dict. l. cum propria, in fin.* sic enim debet intelligi, vt fructus omnes hoc casu restituantur, non ij tantum, qui post litem contestatam percepti sunt, cum nulla ibi fiat mentio litis contestatæ.

4 Est enim ista non tantum mala fides, sed etiam calumnia, vt loquuntur Impp. *in l. quamuis 4. C. hoc tit.*

5 Cum in eius fauorem & venditio præcesserit, & traditio secuta sit, *l. nunquam nuda 31. de acquir. rer. dom. l. traditionibus, 20. C. de pact.*

6 *arg. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. l. si sterilis 21. §. pen. D. de action. empt.*

7 Nam in bonæ fidei iudiciis fructus omnimodo debentur ex die moræ, *l. videamus 38. §. pen. D. de vsur.* Ante moram vero hic bonæ fidei possessor est, qui proinde fructus suos facit, *l. bonæ fidei 48. de acquir. rer. domin.*

8 *L. mora 32. D. de vsur.*

9 Quę alioqui esset necessaria, *d. l. 2. C. de act. int. empt. & venditor. leg. si per te non stat 7. C. de vsur. l. acceptam, 19. eod. ill. tit.*

10 Offerri tamen necesse est remissionem actionis, quæ alioqui competeret huic actori ad pretium recuperandum. Plus enim quàm soluere offert is, qui actionem pro eadem pecunia sibi competentem remittere paratus est.

DEFINITIO XI.

Quantum interest, an pecuniam à me acceperis, an mandatum, vt mihi fundum emeres.

NOn idem esset, si mandassem tibi, vt fundum mihi emeres.[1] Tunc enim quantumuis tibi emisses, nullos tamen fructus tibi ex eiusmodi emptione retinere posses, sed omnes restituere te oporteret, ne lucrum ex mandato captare videreris.[2] Id nimirum exigente bona fide, quam in iudicio mandati

BIU Cujas

Præcipue exuberare oportet.[3] Nam & inde fit, quod magis mirum videri debet, vt fideiussor, qui rem pignoris iure ablatam à creditore emit, mandati iudicio conuentus à debitore aut eius hærede oblato omni debito restituere eam cum fructibus cogatur, neque hac parte similis habeatur extraneo emptori.[4] Denique perpetuum illud est, vt ex mandato apud eum, qui mandatum suscepit, nihil remanere oporteat.[5] Cum vero dedi tibi pecuniam, vt tibi emeres, subiecto tamen pacto, vt mihi postea eodem pretio reuenderes, non tam mandatum est, quàm contractus innominatus,[6] qui licet mandato proximus,[7] non tamen easdem, nec tam vberes recipit præstationes.[8] Atqui mandare tibi possum, vt ab alio tibi stipuleris. Quo casu licet obligatio tibi acquiratur, possum tamen tecum agere mandati, vt vel debitorem accepto liberes, vel si hoc malim deleges eum mihi, aut alij, cui voluero. Ita est:[9] sed mandatum in hoc casu intercessit, quod in specie à nobis tractata nullum intercedebat.[10] Itaque quamuis parum aut nihil intersit, quod ad contrahendam mandati obligationem attinet, vtrum mandauerim tibi, vt mihi emeres, an vt tibi,[11] multum tamen refert, an mandauerim tibi, vt ex pecunia mea emeres, an vero pecuniam tibi dederim, vt emeres, subiecto tantum pacto vt mihi reuenderes.[12] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Vt in l. fundum 35. & seq. D. mandat.*

2 *L. qui proprio 46. §. procurator. D. de proc. l. 2. l. si autem 8. §. item si fundum de negot. gest.*

3 *L. si seruus 61. §. quod vero de furt. l. creditor 60. §. vltim. l. ita vt 36. §. 1. D. mandat.* iunct. *l. si fideiussor 29. §. quædam, l. idemque 10. §. si mandauero & §. idem Labeo ait, l. si procuratorem 8. §. vltim. eod.*

4 Textus est elegans *in l. si mandatu 59. §. 1. eod tit. l. 1. C. de dolo, l. cum secundum 5. §. 1. & l. seq. D. de distr. pignor. l. Paulus respondit 59 D. de fideiuss.*

5 *d. l. qui proprio 46. §. procurator, de procurat. dict. l. ita vt, §. 1. l. ex mandato 20. eod.*

6 Scilicet do vt facias, quod ex ipsa ineundi contractus forma apparet.

7 *L. naturalis 5. §. at cum do, & §. sed si facio, D. de præscript. verb.* iunct. *l. Titius 24. l. si tibi 13. eod.*

8 *d. l. Titius.* Contractus enim omnes innominati sunt stricti iuris, *d. l. naturalis, §. 1. & seqq. vbi notat.*

9 *d. l. idemque 10. §. si cui mandauero, D. mandat.*

10 Mandati enim actio esse non potest, vbi mandatum nullum interceßit, *d. l. ex mandato 20. §. 1. eod.*

11 Vtroque enim casu mandatum intercedit, ac proinde mandati actio competit.

12 Quia hoc posteriore casu mandatum nullum est, sed tantum mandato simile ac finitimum negotium.

DEFINITIO XII.

Vsuræ citra moram non debentur ei, ex cuius pecunia fuit ab alio res comparata, quamuis alius ille fructus perceperit.

DE vsuris pecuniæ dubitatio maior erat, an præstare eas primus emptor deberet. Mouebat, quod alioqui & rem & pretium habuisse videretur.[1] Sed tamen verius visum est, non eandem hac parte constituendam esse rationem eius, qui venditionem sibi fieri peteret; tametsi pecuniam pretij iam numerasset, quæ constitueretur venditoris re per eum tradita necdum soluto ipsi pretio. Ille enim cum rem suam tradiderit, eiúsque fructibus careat, vsuras saltem pretij consequi debet in vicem fructuum,[2] & consequenter etiam citra moram.[3] Hic vero, de quo loquimur, pecuniam quidem suam tradidit, sed ei, qui eandem pecuniam alteri dare coactus fuit, vt rem haberet, ac proinde qui nullo tempore & rem & pretium simul habuit.[4] Alioqui eadem ratione dicendum esset, eum, qui ex aliena pecunia comparasset sibi, nec de reuendendo se obligasset, perinde obstrictum fore præstationi vsurarum ab eo die, quo vel pecuniam accepisset, vel fundum emisset, quod tamen nusquam proditum est:[5] solam enim de pretio actionem lex illi dat, non etiam de pretij vsuris, si mora nulla interuenerit.[6] Quin nec moram interuenisse sufficeret, si pecunia tantum credita proponeretur. Neque enim mutui vsuræ debentur ex mora citra vinculum stipulationis. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod numquam permittendum est, tanquam bonæ fidei contrarium, *l. curabit 5. C. de act. empt. l. Iulianus 13. §. veniunt autem, D. eod. d. 2. C. de vsur. Paul. li. 2. sent. tit. 17. §. 9.*

2 *d. §. veniunt.*

3 *d. l. curabit. & d. l. 2. C. de vsur.*

4 In quo vno tamen maxime iniquitas eluceret, *l. ex empto 11. §. quia autem, l. bona fides 50. D. de action. empt.*

5 Nam de solo pretio recuperando, non etiam de pretij vsuris loquuntur Impp. *in l. multum 6. & l. pen. Cod. hoc tit. l. 2. Cod. pro soc.*

6 In locis proxime citatis.

7 *L. 3. C. de vsur. l. Titius 24. D. de præscr. verb.*

DEFINITIO XIII.

Qui se dicit electum, licet tanquam talis missus sit in possessionem consentiente debitore, non potest tamen vincere in petitorio, si non proferat instrumentum electionis.

SI, vt fieri adsolet, pignora sub hasta vendita quis emerit pro se aut amico iam electo vel eligendo,[1] non aliter audiendus est, qui electum se dicit, & decreto subhastationes confirmari postulat,[2] quàm si doceat, se electum fuisse,[3] ac per eiusmodi electionem translatum in se ius emptionis,[4] nec quod tanquam electus in possessionem iam missus sit consentiente debitore, quicquam ei proderit, nisi cum de possessione agetur.[5] Decreti namque interpositio ad causam proprietatis dominiique adiudicationem pertinet,[6] cuius gratia necesse est præcedere tituli probationem, ex quo dominium transferri possit.[7] Constat autem ex emptione per alium facta non alij posse quæri dominium,[8] nec si procurator fuisse probetur is, qui suo nomine comparauit,[9] aut pro amico electo vel eligendo, si nulla electio proferatur.[10] *Ita Senatus*, ex tempore in causa N. Francisci de la Couz & Euerardi Dauignon 13. Calend. April. 1593.

1 Vt solent honestiores homines non facile pati nomina sua publicis actis inscribi, *l. 5. §. penult. de auctor. tutor.* Dixi *Defin. 1. supr.*

2 Post elapsos sex menses à die missionis in possessionem numerandos.

3 Semper enim qui agit tanquam talis, talem se ante omnia probare debet, *vulg. iuribus.*

4 Ita loquendum est, non ius emptoris, cum sit ipse emptor, & quidem primus, vt dixi *Defin. 1. & aliis 5.*

5 Nam cum de possessione agitur, sufficit probari possessionem, quæ nec violenta sit, nec clandestina, nec precaria, *l. 1. §. vlt. & l. 2. D. vti possid.*

6 Quæ causa proprietatis nihil commune habet cum causa possessionis, *vulg. l. naturaliter, 12. §. nihil commune, D. de acqu. possess.*

7 Dominium enim sine titulo non transfertur, neque traditione interueniente, *l. numquam nuda, 31. de acquiren. rer. domin.* Estque facilius, vt transferatur dominium sine traditione, quam vt sine titulo, *l. 2. D. de publician. in rem action.*

8 *L. quæcunque gerimus, 11. D. de oblig. & action.*

9 *L. res ex mandatu, 59. D. de acquir. rer. domin.* iunct. *l. si procuratorem, 3. eod.*

10 Nulla enim secura electione subsistit & residet emptio in persona emptoris, qui ipse emit & contraxit, quique beneficio, quod habet, vt alium eligere possit, non cogitur vti, si nolit: est enim ea eligendi facultas meræ voluntatis & libertatis.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

Maritus procurator vxoris ad vendendum si emat, soluſque & ſuo tantum nomine rem accipiat, & ſe obliget de pretio, ſibi ſoli acquirit, licet initio dixerit, ſe tam ſuo, quàm procuratorio nomine contrahere.

MAritus ab vxore procurator conſtitutus, vt bona ſibi cum fratre communia diuideret, partemque ſuam venderet, partem fratris ante diuiſionem emerat, & in contractus præfatione dixerat, ſe tam ſuo ſuorumque, quam vxoris nomine contrahere: item poſtrema inſtrumenti parte, tam ſuo, quam vxoris nomine promiſerat, eum contractum perpetuo ratum fore. In ipſa tamen ſtipulationis & traditionis clauſula ſolius mariti mentio facta fuerat, non etiam vxoris aut procurationis, totoque reliquo contractu maritus ſolus emptor & ceſſionarius dicebatur. Cum quæreretur, an vxori pro parte quæſitum eſſet bonorum emptorum dominium, placuit non eſſe. Etſi enim nouum non eſt, vt vna contractus clauſula interpretationem capiat ex alia:[1] in emptionibus tamen & ſtipulationibus omnibus præciſe ſpectanda ſunt verba ſtipulationis,[2] & veritas traditionis.[3] Nec alij quæſitum videri poteſt ex emptione dominium, quam cui venditor rem tradidit.[4] In quo differt cauſa dominij à cauſa poſſeſſionis: nam in transferenda poſſeſſione accipientis voluntas potiſſimum inſpicitur, cui acquirere poſſeſſionem velit:[5] In transferendo autem dominio voluntas tradentis, cui tradere cogitet.[6] Idque in propoſito tanto certius erat, quod maritus non ad emendum, ſed ad vendendum procurator conſtitutus fuerat,[7] quodque pretij non ſoluti nomine in eodem inſtanti, coram eodem notario, iiſdemque teſtibus maritus ſolus, & ſuo tantum, non etiam procuratorio nomine ſe obligauerat.[8] *Ita Senatus* pro N. Claudio de Platiere, contra hæredes N. Ioannis Geneuois, 7. Cal. Iun. 1594.

1 *L. Titia, 134. §. idem reſpondit plerumque, de verb. oblig. l. qui ſtichum, 17. de leg. 1.*

2 *L. veteribus 39. ff. de pact.*

3 *L. 4. 6. & pen. Cod. hoc tit.*

4 *dictis legibus & l. ſi ex ea, C. de rei vindic. iunct. l. traditionibus, 20. C. de pact.*

5 Quia poſſeſſionis acquiſitio ſolo acquirentis facto & animo contenta eſt, faciliorque eſt alienatio poſſeſſionis, quam dominij, *l. ſi quis vi, 17. §. 1. ff. de acquir. poſſ.*

6 Afflict. *deciſ. Neapol. 301.*

7 Ac proinde emerat ſine mandato, diligenter enim fines mandati cuſtodiendi ſunt, *l. 5. ff. mandat. l. maritus, 21. C. de procurat.*

8 Non alius enim emptor videri poterat, quam qui de pretio eſſet obligatus, *l. 1. ff. de rer. permutat. l. ex empto, 11. de act. emptor.*

TIT. XXXV.

DE COMM. RER. ALIEN.

DEFINITIO I.

Communi re vendita, interdum cauſa venditionis eſt indiuidua, etiam ex parte venditoris, ita vt reſtitutio vni ex venditoribus conceſſa debeat prodeſſe alteri.

RESTITVTIO minoris prodeſt maiori in cauſis indiuiduis, in diuiduis non item:[1] quid ergo ſi minor & maior ſimul fundum vendiderint? An dicemus agi de re diuidua, quia fundus commode diuidi poſſit?[2] Atqui etiam res pignori obligata poteſt commodam recipere diuiſionem,[3] nec eo minus tamen hypothecaria dicetur indiuidua.[4] An ergo dicemus contractum venditionis indiuiduum, vtpote ex vno eoque indiuiſibili actu æſtimandum? Atqui id non, niſi ex parte emptoris verum eſt, qui partem empturus non fuit,[5] non etiam ex parte venditoris minoris, qui cum non niſi partem habuerit in re diuiſibili, non poteſt dicere partem venditurum ſe non fuiſſe:[6] ſed tamen poteſt aliquando contingere, vt non aliter poſſit videri minor pro parte ſua reſtitutus in integrum, quam ſi in ſolidum reſtituatur.[7] Finge venditum eſſe nō fundum, ſed ius redimendi fundi, qui iam antea fuerat venditus ſub pacto de retrouendendo:[8] aut quod idem eſt venditam hyperocham, quam vulgo *pluriſualentiam* vocant,[9] ius indiuiduum venditum videbitur, quia non poteſt redimi fundus pro parte:[10] ponimus ſiquidem factam eam venditionem alteri, quam priori emptori. Alioqui non tam venditio illa dicenda eſſet, quam remiſſio iuris venditori competentis, cum fundus & fundi hyperocha nihil hac parte diſtent.[11] Hoc igitur caſu reſtitutio minoris proderit maiori.[12] Sed & ſi fundus ipſe venditus ſit, fieri poteſt, vt minoris reſtitutionem neceſſe ſit prodeſſe maiori. Finge venditum fuiſſe fundum communem à fratribus, qui in eum vſque diem indiuiſam retinuerant parentum hæreditatem,[13] ſi minorem duntaxat reſtituas in integrum, non facies, vt ſit in integrum reſtitutus: efficies enim, vt incidat in communionem cum emptore, qui antea longe meliore conditione in communione erat cum fratre, cum quo familiæ erciſcundæ accepto iudicio[14] potuiſſet aſſequi, vt totam rem illam ſibi haberet, tantundem ex reliquis bonis fratri conceſſurus.[15] *Ita tractatum eſt* in cauſa D. Fratrum Du Saix, & d'Aruen contra D. de Conflens, 4. Mart. 97.

1 *Notat. in l. 1. C. ſi in commun. cauſ. reſtit. in integr. pet. ſit.*

2 Ponimus enim talem fundum eſſe, qui poſſit commode diuidi regionibus, quamuis non omnes fundi poſſint diuidi.

3 Nam & fundus poteſt obligari pignori, *l. ſi fundum, 16. & paſſ. D. de pignor.*

4 *L. 1. & 2. C. ſi vnus ex pluribus hered. debit. vel credit. leg. rem hereditariam, 68. D. de euict.*

5 *L. tutor vrgentibus, 4. §. 1. D. de minor. l. ſi quis aliam, 46. D. de ſolut. l. cùm ex cauſa 139. D. de verb. oblig.*

6 Cum non potuerit totum vendere, niſi vendendo rem alienam.

7 Quo caſu non eſt dubitandum, quin minori conceſſa reſtitutio debeat etiam maiori prodeſſe.

8 *Vt in l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.*

9 De qua *in l. & quæ nondum, 15. §. vlt. D. de pignor. l. quærebatur, 20. D. qui potior in pignor. hab.*

10 Not. per Bart. & alios *ad d. l. ſi quis aliam, 46. D. de ſolut.*

11 *Arg. d. l. & quæ nondum, 15. §. vlt. D. de pign.*

12 Ne alioqui eueniat, vt nec ipſi minori ſit profutura.

13 *Vt in l. cum duobus, 52 §. Papinianus, alias l. ſi fratres. D. pro ſocio, & tot. hoc tit. C. de commu. rer. alien.*

14 Quod non poteſt accipi cum nouo ſocio, quia iudicium familiæ erciſcundæ non accipitur, niſi inter coheredes, *l. 1. & 2. l. cum putarem & paſſ. D. famil. erciſc.*

15 Sic enim plerunque fit diuiſio hereditatis, ſcilic. per mutuas adiudicationes, *l. 3. l. item Labeo. §. familiæ, & paſſ. eod. tit.*

DEFINITIO II.

De pluribus eandem rem communem vendentibus, & ſe in ſolidum de euictione obligantibus, quorum vnus minor, alius maior fuit.

QVid vero ſi plures fratres, quorum vnus minor, alius maior fuit, ſic fundum vendiderint, vt quilibet in ſolidum de euictione ſe obligauerit? Nemo dubitat, quin videantur hoc caſu inuicem fideiuſſiſſe.[1] Proinde non eſt æquum, vt reſtitutio minoris proſit maiori,[2] cum nec proſit fideiuſſori, niſi ſi dolus in-

BIU Cujas

teruenerit.[3] Cui consequens est, vt nec pro sua parte possit minor in integrum restitui, si sit hæres maioris, qui in solidum obligatus fuit. [4] Dicebam tamen non semper id verum esse: Tunc enim verum est restitutionem minoris non prodesse fideiussori, cum fideiussor acceptus est intuitu minoris ætatis, & contemplatione iuris prætorij. Non etiam si acceptus sit pro minore eo modo quo accipi solet, etiam pro maiore. [5] In proposito autem, id est, non eo solum ex fratribus, qui maior fuit, sed etiam minore in solidum vendente, [6] apparet id actum esse, vt non magis fideiuberet maior pro minore, quam minor pro maiore, ideoque admittendum esse, vt minoris restitutio prosit maiori, nec proinde impediatur ex eo, quod minor ipse maiori hæres extiterit. [7] Senatus nihildũ, quod sciã, decidit. In eadem causa.

Poterant & debebant hæ Definitiones collocari sub titulo, si in commun. caus. in integr. rest. postul. vbi per errorem fuerunt prætermissæ.

1 Cum negotium non spectet ad singulos in solidum, sed ad vnumquemque pro parte, *arg. l. vir vxori, 17. §. mulier & Titius, cum ibi not. D. ad SC. Velleian.*

2 *L. 3. §. sed vtrum, l. cum mandato, 23. D. de minor.*

3 *L. 2. C. de fideiuss. minor. cum ibi notat.*

4 Quia censetur eadem persona cum defuncto, *Nouell. 48. de iureiur. à morient. præst.*

5 Vt dixi *in tit. de fideiuss. minor. 5. ex l. Stichum aut Pamphilum, 95. §. quod vulgo, D. de solut. d. l. 6. C. de fideiuss. min.*

6 Nam & ex causa venditionis possunt fieri correi debendi, *l. eandem 9. D. de duob. reis.*

7 Ne alioqui deterior sit conditio minoris, qui maiori heres extitit, quam futura esset ipsius maioris, quod absurdum esset. Sufficit enim vt non sit melior. Sed hoc intellige, vt possit minor restitui pro sua parte, at non etiam pro parte maioris cui minor hæres extitit.

TIT. XXXVI.

DE PACT. INT. EMPT. & vendit.

DEFINITIO I.

Pactum prælationis paciscenti prodest contra nouum emptorem, si paciscens possideat, aut si de pignore quoque conuenerit.

VENDIDISTI mihi fundum excepta tibi facultate redimendi, quod vulgo pactum de retrouendendo appellant. [1] Et promisisti eius fundi hyperocham, & [2] vt barbari loquuntur plurisualentiam, te non alij quam mihi, si aliis præferri velim, venditurum: [3] Si alij postmodum contra legem inter nos dictam vendideris, vtilis mihi erit exceptio pacti, [4] siue in ipsa venditione, siue post eam contractam, maxime in continenti adpositi, cum non plus iuris contra me habere possit, qui à te emit, & ex tua persona agit, quam tu haberes, si ipse experireris. [5] Verum enim est pacta in continenti facta vestiri, vt aiunt, cohærentia contractus, eique vsque adeo inesse videri, [6] vt contractus portio esse existimentur. [7] Quare nec requiremus, vt in eo pacto quicquam de pignore conuenerit, instar namque pignoris esse debet, quod ex pacto retentionis ius habeo. [8] Quæ ratio facit, vt nec aliud dicendum videatur, tametsi ex interuallo pactum initum sit. Nam & pacta ex interuallo facta vtilia sunt ad excipiendum, licet non ad agendum. [9] *Ita tractatum est* in publico auditorio, Idib. Decemb. 1589.

1 De quo nostri *in l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.* Aliud patum est, de quo *in l. si super, 9. C. de transact.*

2 De qua *in l. si pecuniam, 33. D. de pign. act. l. quærebatur, 20. D. qui potior. in pign. hab.*

3 Vulgo pactum prælationis vocant, de quo *in l. si sterilis, 21. §. penult. D. de action. empt. l. dudum, 14. Cod. de contrah. empt.*

4 Semper ex pacto datur exceptio, *l. iuris gentium, 7. igitur nuda, D. de pact.*

5 *L. quod ipsis, 143. de reg. iur. l. si à te, 9. §. vlt. & l. seq. D. de except. rei iudic.*

6 *dict. l. iuris gentium, §. quinimo, de pact. l. lecta, 40. D. de rebus credit.*

7 *L. fundi partem, 79. de contrah. empt. l. si sterilis, 21. §. si tibi, de act. empt.*

8 Requirimus enim conuentionem de pignore ad agendum, non ad excipiendum, semperque facilior est retentio, *leg. 1. D. de pign.*

9 *d. §. igitur nuda.* * Quid verò si conuentionalis retractus fuit & conuenerit vt soli venditori eiusque filiis retrahere liceret? non licebit filio cognatis id ius vendere, & si vendiderit nihil agit, ergo ius integrum redimendi retinebit. *Ita Senatus* 10. Februarij 1620.

DEFINITIO II.

SEd si cum alius à te fundum emisset & possideret, ea conuentio inter nos facta sit, vt fundi hyperocham non alij, quam mihi posses vendere, deinde alij vendideris, tu quidem personali ex empto actione mihi teneberis, [1] sed tamen emptor ille mihi præferetur, quoniam plus iuris habet ad rem is, cui vendita iam res est, quam cui vendi debuit. [2] Multo minus aliqua mihi contra ipsum actio competet, si forte rem iam redemerit, eiusque possessor factus sit. Neque enim ex contractu inter alios inito, vt nec ex pacto dari potest actio contra singularem successorem, qui non contraxit. [3] Ac præterea tametsi vtrique facta venditio esset, is tamen in quæstione dominij præferretur, cui prius tradita res fuisset. [4] Cui consequens est, vt si mihi cauerim per clausulam constituti, per quam iurium perinde ac rerum corporalium possessionem transferri placuit, [5] præferri debeam iure possessorio, [6] quandoquidem ad tuendam meam possessionem non minus vtilis est exceptio pacti cum actoris auctore initi, quam si actor ipse pactus proponeretur, cum ex cuius persona quis agit eius factum præstare debeat, licet non nisi singularis sit successor. [8] Sed & nulla adiecta constituti clausula præferri me oportebit, si mihi sic prospexeram, vt hyperocham illam iure pignoris haberem obligatam, siue speciali, siue generali conuentione de pignore. Nam cum pignus tribuat ius non ad rem solum, sed etiam in re, [9] fieri nequit, vt semel affecta res in quemquam transeat, nisi cum suo onere. [10] Et consequenter nulla est venditio, vt pactioni stetur. [11] Neque specialem hypothecam constitutam esse necesse est, cum hac parte, vt & in aliis fere omnibus iuris partibus, [12] tantundem prosit generalis, quantum specialis, [13] maxime vero coniuncta clausula constituti, [14] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. si sterilis, 21. §. pen. D. de action. empt.*

2 Etiamsi neuter possideret, ac multo magis si idem ille qui emit, possidet, *l. quoties, 15. C. de rei vindic.*

3 *L. vlt. in fin. D. de contr. empt. l. 1. §. si heres, D. ad SC. Trebell. l. aeris alieni, 15. C. de donat.*

4 *dict. l. quoties, l. siue autem, 9. §. si duobus, D. de publician. in rem action.*

5 *L. quod meo, 18. de acq. poss.*

6 Nam & cæteris paribus semper plus iuris habet, qui possidet hoc ipso quod possidet, *d. §. si duobus, l. 1. §. vlt. l. 2. vti possid. l. vlt. de acquir. poss.*

7 *L. si ducem, 17. §. pactum conuentum, D. de pact.*

8 *L. ex qua persona, 149. de reg. iur. l. quod ipsis, 143. eod.*

9 *L. pignoris, 17. D. de pignor.*

10 *L. 1. §. 1. eod. l. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.*

11 *L. si creditor, 7. §. vlt.* vbi Bart. *D. de distr. pignor.*

12 Hoc

11 Hoc propter speciem *l.licet.7. C.qui potior.in pign.hab.* vbi specialis hypotheca requiritur.

13 *L.quamuis 17.C.de pign.l.12.eod.*

14 *d.l.quod meo,18.de acquir.poss.*

DEFINITIO III.

Per actionem quæ competit ex pacto de retrouendendo debentur omnimodo fructus ei, qui pecuniam obtulit & obsignauit siue à possessore, siue à primo emptore.

VEndideram tibi fundum subiecto pacto de retrouendendo. Tu eundem subinde Titio, ea lege adiecta, vt mihi quandocunque redimere volenti retrouendere cogeretur. Titius denique Sempronio, eadem expressa conditione. Certum est in mea electione positum esse ex Statuti nostri potestate, [1] an contra te velim agere, vt retrouendas, licet non possideas, [2] an cõtra possessorem eundemq; emptorem, tametsi mecum non contraxerit? [3] At quid si contra te agere maluero, ignorans forte ab alio possideri fundum, tu dixeris vendidisse te Titio, mox ego aduersus Titium quoque egero, & ille rursus dicat se vendidisse Sempronio, vt postremo agam etiam contra Sempronium, isque conuentus statim retrouenditionem offerat, sed tamen iam perceptis fructibus, qui eo tempore, quo tecum agere cœperam nondum erant percepti? Placuit non posse mihi Sempronium condemnari fructuum nomine, cum eos suo iure perceperit, [4] neque in mora fuisse videri queat, priusquam conueniretur: [5] nec si multo ante tempore debitam pecuniam tibi obtulerim atque obsignauerim, nihil enim est quod ei ignoranti possit imputari. [6] Quid ergo? An perdidisse me fructus dicendum erit, qui pecuniam congruo loco & tempore tibi obtuli, teque recusante obsignaui? At id iniquum fuerit. [7] An ad fructuum restitutionem condemnaberis, quos ipse non perceperis? Ita sane est. Perinde fructuum nomine condemnari debes, ac si possideres, [8] quia per te stat, id est, per venditionem à te factam, quo minus possideas: [9] non potuit autem ea venditio inscio me facta iuri meo derogare. [10] Idque tanto magis in proposito dicendum videbatur, quod imputari tibi poterat, cur à me conuentus non tertium emptorem indicasses, qui possidebat, sed secundum, qui cum non possideret retrouendere mihi non potuerat, & contra quem, quia nec possidebat, nec contraxerat, nulla mihi actio competebat. [11] Nam si tertium emptorem eundemque possessorem indicasses, potuissem aduersus eum confestim agendo assequi, vt in mora constitueretur, [12] atque ita ad fructuum exinde percipiendorum restitutionem obligaretur. [13] *Ita Senatus* ex tempore pro Dn. Du col Mauriacensi, contra N. Deplans, 4. Id. Nou. 1590.

1 *In cap. rempublicam, lib.3. statut. cap.4.*

2 Nam & qui non possidet, retrouendere tamen potest & debet, cum vt id faciat obligatus est, potestque facere citra iniuriam possessoris, qui fundum ea lege emit, vt retrouenderetur.

3 In quo statutum nostrum abhorret à iure. Nec enim potest possessor ob hoc solum, quod possessor sit, teneri vlla personali actione, si neque contraxerit, vel quasi, neque deliquerit, vel quasi, præterquam cum nascitur obligatio ex variis causarum figuris, *l.1. D. de oblig. & action. §.1. Instit. eod.*

4 Id est, tanquam Dominus. Fructus enim iure soli percipiuntur, *l.qui scit, 25. §.1. de vsur.* quanquam sufficeret bona fides ad fructuum acquisitionem, *l.bonæ fidei, 48. de acquir. rer. domin.*

5 *l.2. C. hoc tit. l.mora, 32. D. de vsur.*

6 Nunquam enim vnius mora nocet alteri, *l.in condemnatione, 73. §.1. de reg. iur.*

7 Cum obsignatio legitime facta pro solutione sit, *l.obsignatione 9. C. de solut. l.acceptam, 19. C. de vsur.*

8 Nec enim nouum est, vt etiam is, qui non possidet, fructus quoque ab alio perceptos restituere teneatur, *l.sed etsi lege, 25. §. sed verum is solus, D. de petit. hered.*

9 Ne alioqui in potestate vnius sit, alterius non delinquentis conditionem deteriorem facere, *l.1. ff. de alien. iud. mut. caus. fact. l.2. quod vi aut clam.*

10 *L.4. alias, leg. si ex duobus, §. sed & Marcellus, D. de in diem addict. l. penult. D. de seru. export.* Dec. *cons.239.*

11 Non enim potest nasci hæc actio, nisi vel ex contractu vel ex statuto, statutum autem non dat eam, nisi contra possessorem. Iunge *l.si cum venderes 13. D. de pign. act.*

12 Potest enim constitui in mora quisquis potest interpellari & conueniri, *l.mora, 32. D. de vsur. l.si pupillus, 127. de verb. oblig.*

13 Nam in bonæ fidei iudiciis fructus omnimodo præstandi sunt ex die moræ, *l.videamus, 38. §. penultim. de vsur. l.2. C. hoc tit.*

DEFINITIO IV.

Pactum de retrouendendo simulatum esse potest ex variis causis, etiamsi in persona emptoris non concurrat fœnerandi consuetudo.

ETsi pactum de retrouendendo non ob id solum simulatum videri debet, quod pretij vilitas interuenerit, nisi accedat quod emptor solitus sit fœnerari, [1] potest tamen ea præsumptio capi ex aliis quamplurimis causis, pro personarum & rerum varietatibus, [2] inter quas non leuis illa est, si in continenti post venditionem venditor ab emptore eundem fundum conduxerat, & ex ea causa in possessione remanserat, [3] ipsa autem pensio constituta non tam quantitati fructuum ex fundo percipiendorum, quam iusto fœnori pecuniæ pro pretio datæ respondere videatur. [4] Finge illud etiam accedere, vt finito tempore, quod ad redimendum priore contractu statutum fuerat, aliud tempus idque longissimum in eandem rem venditori emptor indulserit. Ex eo sane fit credibile, non nisi de pecuniæ reditu acquirendo & pignorum fide stabilienda emptorem cogitasse. [5] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua Definit. 12. & 13. infra De legat.

1 Eo nimirum iure quo Senatus noster vtitur. Nam in Gallia præualet contraria opinio, vt sufficiat pactum de retrouendendo cum pretij vilitate. Quam esse communem nostrorum opinionem testatur Thom. Gramm. *dec.if.76.*

2 Simulatio enim cum sit dolus & in animo consistat, probari potest ex solis indiciis & coniecturis, *l.1. & 3. vbi not. Cod. plus valer. quod agit. l.dolum. 6. C. de dolo, l.non omnes, 5. §. à barbaris de re milit.*

3 *Leg. sicut, 8. §. superuacuum, D. quibus mod. pignor. vel hypothec. soluit.*

4 Alioqui pactum hoc non est prohibitum, *l.qui fundum, 75. D. de contr. empt.* Iunge *l.si ea pactione, 24. C. de vsur.*

5 Vera enim conductio solet æstimationem pensionis inire ex fructuum comparatione, cum per eam fiat, vt conductori acquirantur fructus tanquam percepti ex domini voluntate, *l.si seruus, 61. §. locaui, D. de furt. l.ex conducto, 15. per tot. & pass. D. locat.*

DEFINITIO V.

Non cogitur quis ducere in conuentionem, quod potest aduersarius solus facere per protestationem.

SI fundum tibi vendiderim sub pacto de retrouendendo, & ea lege adiecta, vt quandocunque volente me rei hyperocham, aut ius omne, quod in eo fundo habebam vendere, tu eodem pretio oblato, quod alius offerret, omnibus præferreris: [1] agenti mihi ex contractu, vt retrouendas non potes recusare hoc prætextu, quod nolim fortasse pati, vt in redemptionis instrumento eadem de iure prælationis conuentio repetatur. Neque enim tua quicquam interest, [2] cum & inuito me protestari possis, vt saluum tibi sit ius prælationis, [3] nec eo minus saluum tibi futurum esset, si nulla facta protestatione reuendidisses. Dispar siquidem hac parte causa est venditionis, quæ vltro ac voluntarie fit, & eius quam fieri necesse est ex iure & ne-

BIU Cujas

cessitate præcedentis contractus: illa non tantum venditoris ius perimit, quod vel in re, vel ad rem habebat,[4] sed eorum quoque omnium, qui venditioni consenserunt.[5] Hæc vero nec illi ipsi, qui vendidit, nocet. Ex eo namq; quod vel inuitus quis facere cogitur, voluntatis coniectura capi non potest, quasi ius suũ vltro remisisse intelligatur.[6] Porro superuacuam conuentionem instrumento inseri, vt quis patiatur, cogi non potest.[7] *Ita Senatus* ex tempore in causa D. de Sion & de Longecombe, contra Dn. de Pierrecloz, 8. Id. Maij, 1593.

1 Quod pactum prælationis dicitur, & vulgare est in omnibus venditionibus, quæ fiunt sub pacto de retrouendendo. De quo dixi *Defin. 1. num. 3.* Iunge *l. qui fundum, 75. D. de contr. empt.*

2 Nunquam autem vel actio vel exceptio danda est ei, cuius nihil interest, *l. 3. §. 1. l. stipulatio ista, 38. §. alteri, de verbor. obligat.*

3 Nec enim protestatio exigit consensum aduersarij, cum ius nullum tribuat protestanti, sed tantum conseruet, si quod habeat *l. 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. et si quis, 14. §. plerique, de relig. & sumpt. funer.*

4 *Leg. ex empto, 11. §. 1. de act. empt. l. et si is, 10. D. de distract. pignor.*

5 Saltem hactenus, vt per doli exceptionem repellantur, *l. 4. §. quæsitum est si cum fundi, D. de doli mal. except.*

6 Iis demum namque imputari potest, cur non contradixerint, qui contradicere potuerunt, non illis quibus inuitis fieri actus potuit, *l. Caius 39.* vbi Bart. & alij notant, *D. de pign. act.*

7 Quamuis dici soleat ea, quæ abundant, non vitiare, *l. non solent, 94. de reg. iur.*

DEFINITIO VI.

Obsignatio non est necessaria ad impediendum, ne currat tempus intra quod retrouenditio peti debuit.

INtra certum tempus, quod redimendo fundo præscriptum fuerat, interpellarat emptorem venditor, vt retrouenderet, ac recusante eo pretium obsignauerat, sed non tamen integram quantitatem, quæ emptori restitui debuerat.[1] Non eo minus interrupta præscriptio videbitur, quod obsignatio non satis plena fuerit. Ad solam enim fructuum acquisitionem obsignationis vtilitas pertinet,[2] non etiam ad præscriptionis interruptionem, quæ sola etiam interpellatione, verbalique oblatione contenta est,[3] nisi cum venditori dicenti paratum se pretium numerare, emptor respondit paratum se accipere. Sic enim verbalis oblatio verbali acceptatione eludenda est.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ac proinde non fuit sufficiens obsignatio, debet enim esse plena & integra, adeo, vt si quid debeatur, quod minus liquidum sit, satisdari eo nomine oporteat, *l. Statuliber rationem, 7. D. de statulib.* iunct. *l. obsignatione, 9. C. de solut.*

2 Aut potius ad hoc, ne is, qui fructus petit, vsuras vicissim præstare cogatur. Nam, vt fructus restituendi sint venditori agenti ex pacto, de retrouendendo sola oblatio videtur sufficere sine obsignatione, *l. 2. C. hoc tit.* Saltem ex die contestationis, vt dicam Defin. 17. infr.

3 Cum per eam oblationem & interpellationem emptor in mora constituatur, *dict. l. 2. & l. si per te non stat, 7. Cod. de vsur.*

4 Bart. *ad l. creditor, 13. num. 5. ff. de distract. pign. arg. l. aut qui aliter. 5. quod vi aut clam, l. 1. de liber. agnosc.*

DEFINITIO VII.

An & quando valeat obsignatio debiti, si nihil pro monetæ augmento obsignauerit is, qui petit retrouenditionem?

AT finge obsignatum pretium integrum, quod ad numerum duntaxat, & quantitatem corporum debitorum attinet, non etiam quod ad nummorum bonitatem, vt proinde emptori ius sit petendi augmenti quod ex monetæ deterioratione debetur, vulgo *renfort* vocant,[1] sufficiet ad obsignationis validitatem, vt protestatus sit venditor, paratum se maiorem quantitatem, si opus erit, obsignare, nec requiretur, vt eo nomine præstet satisdationem, quæ alioqui pro non liquidis necessaria esse solet.[2] Nempe quia licet augmentum monetæ dicatur, sitque pars debiti principalis,[3] in facto tamen & plerumque in incerto est, an moneta, quæ soluitur, deterior sit, an melior, aut æque bona, item an parem aut minorem, maioremve vtilitatem afferre possit ei, qui accipit solutionem. Ideoque facto & declaratione voluntatis opus est, vt sciatur, an de imminuta bonitate intrinseca conqueri velit is, cui pecunia debetur.[4] Quid enim si nec post factam obsignationem conqueratur? Quod si conqueratur, siue ante, siue post litem inchoatam, siue in prima, siue in secunda instantia, ab eo demum tempore minus obsignatum videbitur, si monetæ augmentum non offeratur,[5] & quoadusque liquidatum sit cautio eo nomine præstetur.[6] Nec obsignanti proderit, quod pro accessoriis, quæ vt plurimum sunt incerta, certam quantitatem obsignauerit, cum protestatione, vt fieri solet, vel addendi vel detrahendi,[7] quoniam, vt dictum est, monetæ augmentum non est quid accessorium ad principale debitum, sed ipsius principalis debiti partem integralem constituit.[8] An igitur fructus, qui ante petitum augmentum ex fundo percepti sunt ab eo, qui retrouendere debuit, ad eum pertinebunt, qui obsignauit quamdiu nihil ei potest imputari, hoc est, quamdiu de non obsignato augmento conquestus non est is, qui solutionem accipere debuit, post id vero tempus quasi purgata mora retineri ab emptore poterunt? Maxime, quia posterior mora nocere venditori debet.[8] Plane si emptori augmentum illud in iudicio perenti venditor in iudicio quoque offerat, licet nec statim soluat, nec obsignet, nec satisdet, perinde condemnandus est emptor ad fructuum omnium in id vsque tempus perceptorum restitutionem, ac si augmentum hoc, vel nunquam petitum, vel ab initio consignatum, aut eo nomine cautum fuisset,[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De quo vide quæ scripsi late *in tract. de variis numm. debit. solut.*

2 *L. Statuliber rationem, 5. ff. de statulib.*

3 Nascitur enim ex eo, quod, qualequid est quod debetur tale solui debet, ac in eadem bonitate & qualitate, *l. 3. D. de reb. cred. l. creditorem, 99. alias l. Paulus, de solut.*

4 Sunt enim plerique creditores minus difficiles, qui de ista bonitatis imminutione non conqueruntur, ne nimis onerosi videantur. Fuitque tempus cum nulla apud nos huius iuris ratio habebatur, vt nec hodie habetur vlla in plerisque Galliæ locis.

5 Quia sane ex iuris ratione debetur, *d. l. 3. de rebus credit. d. l. 99. de solut.*

6 *Ex d. l. statuliber rationem, 5. ff. de statulib.*

7 Quæ protestatio prodesse solet, quia nihil potest imputari ei, qui non obsignauit quantum debuit, si quantum debuit ignorauit, *arg. l. non potest improbus 99. ff. de reg. iur.*

8 Cum nihil aliud sit, quam eadem quantitas debita corporum non deterioratorum, *d. l. 99. de solut.*

9 *L. qui decem, 72. §. 1. & seq. D. eod. tit. de solut.*

10 Eam nempe vim habet iudicialis oblatio, vt impediat moram, quia nimirum ex ea sequi condemnatio statim potest, *l. si rem alienam, 9. §. vlt. D. de pignor. act.*

DEFINITIO VIII.

De retrouendendo actio scripta hodie est in rem, non in personam, ideoque & contra possessorem quemcunque competit ad rem præcise habendam, & ad instantiam discussionis remitti non potest.

ACtio venditori competens ex pacto de retrouendendo in continenti adposito, licet in personam sit, cum ex contractu proficiscatur,[1] in rem tamen scripta

BIU Cujas

scripta est, eo præsertim iure quo vtimur, quando ex statuti nostri potestate non tantum aduersus emptorem datur, sed etiam aduersus quemcumque possessorem: [2] Daturque ad rem præcise consequendam, nec liberaretur emptor, aut alius possessor præstando id, quod venditoris interesset, [3] sicut nec venditor ipse qui ad rem tradendam obligatus est. [4] Plus enim iuris habet certe non minus venditor ad eam rem quæ aliquando sua fuit redhibendam, quam emptor ad habendam à venditore illam, quam nunquam habuit. [5] Ideoque si is, qui retrouendere debuit decesserit non alio hærede relicto, quam cum beneficio legis & inuentarij, non erit venditor, aut qui ab eo causam habet remittendus ad instantiam generalis discussionis hæreditariæ: quæ scilicet eorum propria est, qui personalibus non directis in rem ipsam actionibus experiuntur. [6] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio in causa Claudij Duport chirurgi, 10. Cal. Aug. 1593.

1 *L. 2. C. hoc tit. l. qui fundum, 75. D. de contr. empt. leg. dudum, penult. C. eod.*

2 Dixi *Defin. 3. §.* Nec desunt qui putent, sed male, meo iudicio, id esse ex iuris ratione, post Paul. Castrens. *ad leg. si cum venderet, 13. D. de pignor. act.*

3 Interest enim venditoris rem ipsam habere potius, quam rei æstimationem.

4 De quo nostri tractant, *ad l. 1. D. de act. empt.* Scripsi *lib. 6. Coniectur.*

5 Quia non aliter fuerat rem suam alienaturus, *l. vlt. Cod. hoc tit.* Semperque minus fauorabilis est is, qui persequitur rem, quæ numquam fuit sua, *l. videamus 38. §. si actionem, D. de vsur. iunct. l. si in emptionem 35. D. de minor.*

6 Excipe tamen eos qui agunt hypothecaria. Nam & isti in rem agunt, & tamen non eo minus ad instantiam discussionis remittendi sunt, quia actio hypothecaria non principalis est, sed accessoria ad personalem, sicut & hypotheca ipsa accessio est debiti principalis.

DEFINITIO IX.

Ex pacto prælationis si adsit hypotheca etiam generalis, præsertim cum clausula constituti datur actio etiam contra secundum emptorem.

CVm rem meam tibi venderem, aut cum tua permutarem, constituetam me tuo nomine possidere, atque ita possessionem in te transtuleram, [1] sed hoc tamen acto & retento, vt si alij eam rem velles vendere, præferrer ego cuilibet emptori eodem pretio oblato, [2] bonis quoque nostris in eam rem inuicem obligatis. [3] Tu subinde alij vendideras me inscio. Cum autem rei dominium & possessionem auocare vellem, obiiciebat ille translatum in se ius dominij proprietatis & possessionis, nec aliquam mihi actionem, nisi personalem contra te competere: [4] quæstio in eo esse videbatur, an ex pacto illo de iure prælationis ius aliquod mihi contra nouum emptorem acquisitum esset. Sunt enim qui putent non aliter id admitti posse, quam si duo hæc concurrant, nimirum, vt res illa, in qua ius prælationis exceptum est, sit specialiter obligata, [5] & vt adsit clausula constituti, quæ in eum casum faciat possessorem illum, qui prælationis ius stipulatus est: [6] neque sufficere generalem pignoris conuentionem, etiamsi adsit clausula constituti. Alij contra nihil referre putant, vtrum generalis an specialis obligatio interuenerit, vtramque enim eiusdem esse hac in re potestatis, [7] Quæ sententia Senatui nostro probabilior videbatur, in proposita autem specie pro me faciebat, quod id prælationis ius ego mihi exceperam & retinueram in actu ipso transferendi dominij & possessionis: [9] nemo enim dubitat, quin traditioni & alienationi rei meæ potuerim quam volui legem dicere, [9] etiam quæ alioqui nō valeret. [10] Quo admisso illud etiam consequens est, vt is, cum quo cōtraxi, non alia lege & conditione dominium transferre in alium potuerit, quam qua ipse habuit. [11] Itaque eueniente conditione iuris prælationis si legem contractus exerceam, non tam videtur per me auocari dominium à secundo emptore, quam nec translatum in eum fuisse, [12] præter id, quod nec nisi certa illa lege & conditione dominium ac possessionem à me abdicaueram. [13] *Ita Senatus* ex tempore pro Amedeo Besson, contra Antonium Richard, 11. Calend. Februar. 1594.

1 *Vulg. l. quod meo, 28. de acquir. poss.*

2 Iam enim diximus in præcedentibus huiusmodi pactum prælationis frequentissimum esse in omnibus venditionibus, quæ fiunt sub pacto de retrouendendo, sed & fiunt etiam plerumque in venditionibus puris, *l. qui fundum 75. D. de contrah. empt. l. si sterilis, 21. §. pen. D. de act. empt.* [Sed & interdum nascitur ex vltima voluntate si pater disponens inter liberos iubeat vt nemo ex iis possit bona paterna vendere, nisi denuntiatione prius fratribus facta, vt si velint, habeant ius prælationis, quæ pactio sit etiam plerumque inter cohæredes, *l. qui Romæ 122. §. coheredes, de verbor. oblig.* Quibus casibus, si ex fratribus vnus inconsultis aliis fundum vendiderit, admittendi sunt cæteri ad ius prælationis iure fideicommissi vel conuentionis. Sed ita vt à iudice statuatur iis tempus breue, puta mensis vnius, intra quod tempus redimere cogantur. Eōque elapso, nec prius interim emptor pretium venditori soluere cogatur. *Ita Senatus* in causa N. Claudij Goy, & Dominorum de Salins & Monterminod, 7. Mart. 1587.

3 Hoc enim modo fit pactum potentius, quia non tantum personam paciscentis afficit, sed etiam rem ipsam, vt dixi, *ad l. 2. in fin. supr. ex l. si creditor, 7. §. vlt. D. de distract. pignor.*

4 *Ex d. l. qui fundum, 75. D. de contr. empt. l. si sterilis, 21. §. pen. D. de action. empt.*

5 *Arg. l. licet, 7. C. qui potior. in pign. hab.* Imbert. *in Enchir.* in verb. *locatio.*

6 Vt non tam de reuocanda possessione laborandum habeat, quam de retinenda. Facilius enim est, vt possidenti detur retentio, quam non possidenti actio, *l. 1. D. de pignor.*

7 *Arg. l. 3. & l. quamuis, 17. C. eod. tit. de pignor.* Semper enim specialia generalibus insunt, *l. semper, 147. de reg. iur.* Castr. *in l. si ita quis 135. §. ea lege, de verb. oblig.*

8 Vt apparet non aliter me fuisse venditurum, *l. vlt. C. hoc titul. l. 5. §. pen. de dol. except.*

9 *L. in traditionibus, 48. D. de pact.*

10 *L. ei fundo, 19. D. de seruit.* iunct. *l. quoties, 15. eod. l. venditor, 13. D. commun. præd.*

11 Alienatio siquidem semper fit cum sua causa, *l. alienatio, 67. de contrah. empt. l. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.* Imo in hoc casu videtur non valere alienatio propter alienandi prohibitionem, quæ includi videtur in pacto prælationis, quod ideo solet concipi negatiue, *dict. leg. qui fundum, & dict. leg. si sterilis, §. penult.* iunct. *l. vltim. Cod. de rebus alien. non alienand. dict. l. si creditor, 7. §. vlt. de distract. pignor.*

12 Propter prohibitionem *d. l. vlt. C. de reb. alien. non alienand. d. l. si creditor. 7. §. vlt. de distr. pignor.*

13 Vt in certum casum ad me rediret, esset que mihi quasi manus iniectio, *argument. l. penultim. versic. nec poterit, de seru. export.* Vide in hanc Definit. supra *numer. 5. & 7.* Tiraquell. *de retract. conuent. §. 3. gloss. 1. numer. 6. & sequent.* Ioann. Fabrum, *in l. ea lege C. de condict. ob caus.* vbi defendunt specialem hypothecam requiri.

DEFINITIO X.

Pactum vt ex causa euictionis non præstet venditor id quod interest valet, sed alias & alias recipit interpretationes.

ETsi valet conuentio inter emptorem & venditorem, vt secuta euictione non nisi ad pretij restitutionem venditor teneatur, non etiam si quid præterea emptoris interfit: [1] aliam tamen atque aliam ex præcedentibus & sequentibus ea pactio recipere potest interpretationem.

1 *L. ex empto, 11. §. quia autem, ff. de action. empt.*

2 Exemplum pete ex iis, quæ scripsi Defin. 12. *supra de action. empt.*

BIU Cujas

DEFINITIO XI.

Qui cessum nomen promisit præstare idoneum, non potest conueniri ante excussum debitorem.

INter emptorem & venditorem conuenerat de pretio, & vt in solutum venditor acciperet nomen debitoris, [1] in eamque rem cessum fuerat nomen, & instrumenti obligatorij traditio secuta: sed tamen ea subiecta lege, vt exactionis impensam & diligentiam duntaxat præstaret venditor, periculum autem nominis ad emptorem pertineret, vt cogeretur de suo soluere, si forte nomen exigi non posset. [2] Egerat venditor aduersus debitorem, eique non soluenti carceres indixerat. Cum debitor apparitori non paruisset, regressus venditor aduersus emptorem, agebat ex vendito ad pretium, quasi stipulationis conditio extitisset, nec maiorem in exigendo diligentiam præstare debuisset. [3] Emptor contra dicebat, neque personæ, neque bonorum debitoris legitime factam excussionem, debuisseque venditorem exactiore diligentia curare, vt vel debitor in carceres detruderetur, vel bona eius sub hasta venderentur. [4] Visum est, iustum esse desiderium emptoris, quasi partem pretij pactum illud constituisset, [5] maiusque pretium emptor ipse obtulisset, quod eam sibi commodius soluendi pretij oblatam videret conditionem, [6] sine qua credibile erat, aut non accessurum eum ad venditionem, aut minus oblaturum fuisse difficultate explicandæ pecuniæ. [7] Siquidem longe minus est actionem habere ad rem, quam rem ipsam, [8] nec similis causa videbatur huius venditoris, & illius, qui numeratam pecuniam credidisset, tumque debitoris nomen supradicta lege in solutum accepisset. [9] Esset enim multo æquius illi subueniri statim, atque vel leuissimam diligentiam præstitisset in exigendo nomine, [10] ne alioqui debitæ sibi pecuniæ partem maximam in eiusmodi litis sumptus erogare cogeretur. [11] Quanquam imputari adhuc ei posset, cur ita contraxisset. [12] Semper enim in stipulationibus cæterisque contractibus sequimur id, quod actum est, & quod nominatim conuenit. [13] At non est quod conqueratur venditor, qui accepto in solutum debitoris nomine eo ipso instanti, quo de pretio conuenit, tanti rem suam æstimasse videatur, quantum deductis litis & exactionis sumptibus in nomine supereset. [14] Nec magis ei succurrendum est, quam si rem longe pluris dignam viliore pretio vendidisset. [15] Imo multo minus, quoniam illo casu, si supra dimidiam læsio interuenisset, locus esset restitutioni. [16] Hoc vero casu nullus restitutioni locus esse potest, propter incertitudinem quantitatis sumptuum in futuram litem erogandorum, [17] cum inspecto initio dubium fuerit, an futura lis vlla esset, aut quanto tempore duratura. [18] *Ita Senatus* in publico auditorio in causa Rey, & N. Paquier, 3. Non. Mart. 1594.

1 Hoc enim fieri potest, *l. vlt. C. quand. fisc. vel priuat. l. cum à quo, 16. & seq. C. de solut.*

2 Alioqui citra conuentionem istam periculum nominis ad venditorem, eundemque cessionarium pertinuisset, *l. pupilli, 96. §. soror, D. de solut.* Scripsi *lib. 12. Coniect.* Iunge *l. si nomen, 4. D. de hered. vel act. vend.*

3 Paria enim videntur nihil esse quod possideatur, aut id, quod est sine controuersia possideri non posse, *l. quamuis 13. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

4 Excussum enim debitorem esse, necesse est, vt huius stipulationis conditio exstitisse videatur, *l. decem stipulatus, 116. in fin. D. de verbor. obligat.* Iunge *leg. si fideiussores, 41. D. de fideiuss.*

5 *L. fundi partem, 79. de contr. empt. l. si sterilis, 21. § penult. D. de action. empt.*

6 Est enim plerunque facilius dare nomen in solutum, quam pecuniam numerare, *d. l. eum à quo, 16. C. de solut. l. si dubitet, 10. D. de fideiuss.*

7 *Arg. l. si venditor, 6. in fin. D. de seru. export.*

8 *Vulg. l. plus cautionis, 25. de reg. iur. l. minor. 40. in princ. D. de minor.*

9 Vt in specie *d. l. eum à quo.*

10 Tractamus enim non de fœneratore, sed de creditore gratuito, cuius fauorabilior causa esse solet, *l. cum debitor, 8. D. quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

11 Vt quod de sumptibus prorogandis conuenisset ad modicos sumptus restringeretur, nec ad immodicos extenderetur, *arg. l. si libertus, 30. D. de oper. libert.*

12 Debuit enim cautius negotiari, *l. 2. Cod. de furt.* iunct. *l. quod quis 203 de reg. iur.*

13 *L. semper in stipulationibus, 34. eod. tit.*

14 *Arg. l. Imperator, 70. §. si centum, de leg. 2.*

15 Quo casu non restitueretur regulariter, quia contrahentibus permissum est in emendo & vendendo se decipere in pretio, *l. in causæ, 16. §. idem Pomponius. D. de minor.*

16 *Ex l. 2. C. de rescind. vendit.*

17 Debet enim læsio certa esse ab initio, & contractus tempore inspecto, *l. si voluntate, 8. eod. l. si ea pactione, 14. Cod. de vsur.* Et multa propter incertitudinem tolerantur, quæ alioqui non valerent, *l. oleo, 23. eod. l. 1. Cod. de pact. l. fideicommisso, 11. C. de transact. l. si pater, 12. C. de inoff. testament. l. penult. C. de solut.*

18 Poterat enim sperari & fieri, vt debitor bonam fidem agnosceret, nec litigare vellet, cum actiones non sint comparatæ, nisi in perfidos, vt ait Theoph. *initio tit. de action.*

DEFINITIO XII.

Ei, qui debitorem excutere debuit, non potest imputari cur non vrserit ad solutionem illum, quem constat fuisse non soluendo.

SI tamen emptoris debitor non soluendo esse proponatur & probetur, imputari venditori non poterit, cur eum in carceres non detruserit. [1] Neque enim ob id locupletior est debitor, quod in carceres coniectus sit vel coniici possit, [2] neque id actum esse credendum est, vt inanibus se expensis venditor ad consequendam pecuniam vexaret, [3] quippe pro quarum repetitione nullam sit postea, vel in emptorem ipsum, vel in debitorem habiturus actionem. In quo melior videtur esse debere conditio istius venditoris, quam sit creditoris hypothecarij, excussionem debitoris sui peragentis, ad parandam sibi contra tertios possessores actionem. [4] Is enim, tametsi inopis debitoris excussionem facere cogitur exactissime, id est, ad peram vsque, vt loquuntur, & sacculum: [5] nempe quod ita postulet fauor tertij possessoris, [6] qui non contraxit, & cui nihil, nisi debitoris factum imputari possit, vt quam tardissime fieri potest inquietetur: [7] neque tamen ex eo læditur ius creditoris, qui pro eiusmodi sumptuum omnium repetitione ad vltimum vsque quadrantem eandem hypothecam, idemque temporis priuilegium habiturus sit in res pro debito principali obligatas. [8] Itaque eadem ratio faciet, vt si in proposita specie emptor interpellatus, vt debitoris sui, qui non soluendo esse dicitur, bona quædam indicet, quæ pignori capi possint, [9] nulla indicare velit, statim condemnandus sit, vt de suo soluat: [10] cum tamen tertius possessor creditori excussuro debitoris facultates nullas indicare sit cogendus. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nemo enim vnquam cogendus est contra eum agere, qui non sit soluendo, cum nulla & inanis actio sit, quam debitoris inopia eludit, *l. nam is 6. D. de dolo.*

2 Posseque hoc casu non male illud dici, quod ait Papin. *in l. si seruus 7. de seru. export.* de pœna non irrogata, non irrogati carceris indignationem solam duritiam continere: nec enim coniicitur in carcerem debitor pœnæ nomine, sed vt creditor tædio carceris ab eo extorqueat solutionem, *l. is cui 5. in princ. D. vt in poss. legat.*

3 Esset enim hæc maligna interpretatio, & ideo reiicienda, *l. si ita 126. §. Chrysogonus, vers. sequens, de verb. oblig.* Iunge *l. si extraneus 33. de iur. dot.*

4 Ex forma

BIU Cujas

4 Ex forma *Auth. hoc si debitor, C. de pignor. & Nouell. 4. de fideiuss.*

5 Vt nimirum adigatur debitor tædio carceris ad faciendam bonorum cessionem. Notat. *ad d. Auth. hoc si debitor.*

6 Non enim alij possessori cõpetit hoc beneficium, quam ei, qui sit iustus, id est, habeat titulum & bonam fidem, vt sit dignus cui succurratur, *l. mulier 19. C. qui pot. in pignor hab.*

7 Idque interest etiam rei publicæ, ne tam facile fiant de lite lites, odio scilicet multiplicandarum litium, *l. singulis 6. de excep. rei iudic.*

8 *L. Lucius 18. D. qui potior. in pign. habeant.*

9 Adde, & possideri sine controuersia, *ex l. quamuis 13. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

10 Quasi qui negare iam non possit, extitisse conditionem stipulationis, ex qua conuenitur.

11 Eo namque iure vtimur, vt creditor cogatur inquirere in facultates debitoris, & probare, quod non sit ille soluendo, licet id in negatione consistat. Ferrariens. *in form. libell. in act. hypothec.*

DEFINITIO XIII.

Venditio pensionis annuæ certo pretio soluto an resoluatur ipso iure ob solam cessationem, & an possit purgari mora?

ANnuam pensionem vnius & viginti aureorum pretio trecentorum quidam vendiderat soluendam in singulos annos certa die, eiusque rei nomine dederat fideiussorem, adiecta ea lege & conditione, vt ni ad dictam diem solueretur pensio, cogi venditor posset ad eam redimendam,[1] restituendosque emptori aureos trecentos, quos ex venditione acceperat:[2] venditor post continuatam per aliquot annos solutionem decesserat, impuberibus hæredibus relictis, qui in solutione per aliquod tempus cessauerant. Cum ob eam tausam emptor non tantum aduersus pupillos eorumque tutores, sed etiam contra fideiussorem ageret, vt emptionis pretium redderent, quasi resoluta venditione sola vi & potestate pacti pœnalis,[3] visum est male illum agere, non ea quidem ratione, quod tale pactum nullum sit & inualidum, quasi factum in fraudem vsurarum, vt quidam male crediderunt,[4] sed quia interpellatus tutor itemque fideiussor præteritorum annorum pensiones confestim obtulerat, & recusante solutionem emptore obsignauerat.[5] Constabat sane, tametsi cum pupillis res esset, motam tamen ipso iure contractam intelligi ex solo lapsu diei propter subiectam pœnam,[6] quanti emptoris interesset, pactumque illud pœnale, de quo diximus: neque hic locum esse legibus, quæ negant, pupillum in mora constitui posse, à quo scilicet peti non possit.[7] Nam quoties certa dies solutioni dicta est pœnaque adiecta, nulla interpellatio necessaria est, & pœna cõmittitur, etiamsi nemo sit, qui interpellari queat, vtputa si iaceat hæreditas,[8] Sed tamen erat hæc mora eiusmodi, quæ etiam à maiore contracta purgari posset quandocumque, dummodo ante litem contestatam satisfaciente venditore.[9] Propterea quod contractus venditionis non tantum pretij conuentione, sed etiam traditione perfectus, sola pacti potestate resolui non poterat, nouoque in eam rem contractu opus erat.[10] Idque inter contrahentes satis aperte actum fuerat subiecta expressim conuentione, vt si in solutione pensionis venditor cessaret, eam redimere cogeretur.[11] Proinde interpellatio erat necessaria, vt hac ipsum sciretur, an à contractu recedere emptor vellet, cum ipsius gratia eiusmodi conuentionem adiectam constaret.[12] Interpellatus autem venditor eiusve hæres si satisfacere paratus sit, indemnemque constituere emptorem, quidni sit audiendus?[13] Porro non aliter indemnis seruari emptor poterat, quam si omnes ei litis sumptus sarcirentur, ac præterea quanti ipsius interesset.[14] Neque enim ea videri poterat accessio accessionis,[15] cum pensio illa annua nõ tanquam vsura aut accessio, sed tanquam res ipsa vendita deberetur.[16] Constat autem, venditorem, si rem venditam non tradat, condemnandum ex ea causa in id omne, quod interest emptoris.[17] Quamquam quod ea res vendita consistat in pecunia numerata, difficilius admittendum est, vt ad condemnationem vsurarum eius quantitatis deueniatur, quin prius emptor probauerit sua interesse.[18] Nam cum non debeatur vt pretium aut vt pecunia, sed vt res ipsa vendita, quemadmodum diximus, consequens est, vt eo nomine vsuræ nullæ debeantur,[19] sed tantum si quid reuera intererit, puta si sub grauioribus vsuris, aut sub pœna probetur emptor pecuniam mutuatus.[20] Neque quod solutionis cessatio in pupillorum tempora inciderit, quicquam iis proderit, vt liberentur à pœna, quæ ex contractu cum maiore gesto debeatur[21] ob moram ipso iure ex solo lapsu diei contractam, & citra interpellationem. Multo minus proderit ætas pupillorum fideiussori, à quo sane pretium repoici nihil prohibet, etiamsi numquam fuerit interpellatus, dummodo ea mora per pupillos contracta sit, quæ amplius purgari nequeat, puta si litem secum contestari passi sint.[22] Neque enim nouum est, moram debitoris principalis nocere fideiussori.[23] Quamquam probabile est, si pupillo vtilius sit stare contractui, posse eum in integrum restitui aduersus moram, quæ non nisi ex tutoris facto & culpa contigerit:[24] cui consequens est, vt ea restitutio fideiussori quoque prodesse debeat,[25] nisi nominatim ille interpellatus moram ex propria quoque persona contraxerit.[26] *Ita Senatus* in secreto auditorio pro liberis Nicolai Villaret & Martini Bruyset Procuratoris patrimonialis, contra D. de Giniſſiaz, 17. Cal. Ianuar. 1594.

1 Nam citra hanc conuentionem non posset venditor cogi vt redimeret, haberet tamen liberam redimendi facultatem etiam inuito emptore. Id enim est, quod facit, ne huiusmodi conuentiones possint dici vsuriæ, quia pensio venditur, non pro vsura datur. Extrauag. *regimini*, quæ hoc ius induxit, Galli vocant *rentes constituées à prix d'argent. De quibus dicam Defin. 11. num. vlt. ff. de verb. signif.*

2 Iniquum enim esset, cogi emptorem in singula solutionum tempora litigare, eiusque interest, litibus & sumptib. non vexari, *l. 6. D. de minor.* Vide *Defin. 40. ff. de vsufr.* Theologi tamen vix hoc admitterent, vt dixi ibid.

3 Exemplo eius, quod scriptum est de lege commissoria, *in l. 4. l. de lege 6. & pass. ill. tit. de leg. commiss.*

4 Est enim pactum iustissimum, vt dixi *num. 2.* quia & laudanda est cogitatio eius, qui lites execratur, *l. 4. §. 1. de alien. iud. mut. caus. fact.* Adde *l. pecuniæ 8. in fin. D. de alim. & cibar. legat.*

5 Quæ oblatio iuncta cum obsignatione non modo purgabat moram, sed etiam vim solutionis habebat, *l. qui decem 72. §. 1. de solut. l. obsignatione 9. C. eod. l. si per te 7. l. acceptam 19. Cod. de vsur.*

6 Nam in pœnalibus dies interpellat pro homine, *l. magnam 12. C. de contr. & commit. stipulat.*

7 *L. si pupillus 127. de verb. oblig.* iunct. *l. nulla 88. de reg. iur.*

8 *L. ad diem 57. de verb. oblig.*

9 Moræ siquidem purgatio facile admittitur vsque ad litem contestatam, *l. si insulam 84. eod. tit.* nisi actoris ius factum sit deterius, aut eius cœperit interesse, *l. si ita quis 135. §. Seia eod. l. etsi post tres 8. D. si quis caution.* Posterior enim mora nocet, *l. qui decem 72. §. 1. de solut.*

10 *L. ab emptione 56. D. de pact. l. 2. D. de rescind. vendit.* In quo differt hoc pactum à lege commissoria, quæ supponit, nondum fuisse solutum pretium, nec proinde impletum contractum, vt scripsi *Decad. 21. de error. prag.*

11 Relatis nimirum verbis conuentionis, non ad ius, sed ad factum, quod nunquam suppletur, nisi potestate iuris repræsentetur, vt in specie *l. vlt. C. si mancip. ita fuer. alien.*

12 Quam proinde non poterat cogi vt exerceret si nollet, vt de lege commissoria scriptum est *in l. 2. & 3. D. de leg. comm.*

13 *Arg. d. l. si insulam 84. & d. l. si ita quis 135. §. Seia, de verb. obligat.*

14 *L. eum quem temere 79. de iudic.*

15 Quæ numquam permissa est, *l. vlt. C. de vsur.*

16 Nam cum sit emptio & venditio sicut pretium ex

BIU Cujas

vna parte, ita ex altera rem & mercem esse oportet, *l.1. de rer. perm.*

17 *L.1. D.de action. empt. l.si traditio 4. C. eod.* iunct. *l.curabit §. eod.*

18 Quatenus enim cuiusque interfit in facto, non in iure consistit, *l quatenus 4. de reg.iur.* ideoque probatione opus est, *l.vlt. D.de prætor stipulat.*

19 Vsura enim accessio est pecuniæ, quatenus pecunia, non quatenus merx est, *l.ex empto 15. §.1. l.qui per collusionem 49.§.1. D. de act. empt.* [Intellige tamen vt non debeantur hoc casu vsuræ, tanquam vsuræ, sed tanquam fructus rei venditæ: *ex l.curabit 5.C.de act.empt. Et Ita Senatus* pronunciauit, contra D.de Choisy, 10.Cal.Febr.1612. Iunge *D. fin.21.num.10.5.de vsur. & mor.* Et iterum in causa per illustris D.Guillielmi Chabod Comitis Sancti Mauritij, contra Garinum Mugnier, & Iacobum Rebut, 4.Iunij 1614.]

20 *Vt in l.3.de in lit.iur.*

21 *L. Æmilius 38. D.de minor. l.3 §.1. ex quibus caus.in poss. eat.l.2 C.si aduers.vendit.pignor.*

22 S quidem post contestationem mora purgari non potest, *d.l.si insulam, l.si Titius 9.de verb.oblig.*

23 *L.mora 88.eod.tit.* iunct. *l.cum filius familias 49.eod.*

24 Quia, vt dixi, necessaria est interpellatio, vbi autem aliquid vel minimum gestum est cum pupillo vel tutore, restitui pupillus potest. Bart. & alij *ad d.l. Æmilius.*

25 *L.2.C.de fideiuss.minor.l.7.§.1.de except.*

26 *L.2.C.de fideiuss.minor. d.l.mora. l.si seruum 91. §. nunc videamus eod.*

DEFINITIO XIV.

Ad retractum municipalem admittitur etiam is, qui contractus tempore non fuit in rerum natura.

IVs retrahendi consuetudinarium apud nos nullum est, præterquam in prouincia Augustanorum, apud quos anno & die vno concluditur.[4] Intra id tempus si venditori nascatur filius, admittetur proculdubio ad retrahendum, & iis omnibus, qui venditionis tempore proximiores agnati fuerunt, licet venditoris hæres sit, præferetur,[2] quia ex propria persona venit, non ex iure defuncti.[3] Non enim venditionis, sed euenientis diei tempus inspiciendum est, cum quæritur, quis sit proximior, vt ad retrahendum admittatur.[4] Sicut & cum de fideicommisso conditionali agitur, quod proximioribus de agnatione & familia relictum sit, non testamenti aut mortis, sed existentis conditionis tempus spectamus, quantumcunque tempus sit quod interceßit:[5] adeo vt ad fideicommissum ij quoque admittantur, qui ex iis personis nati sunt, quas aut propria renunciatio aut alienatio, contra testatoris voluntatem facta à fideicommissi petitione excluſit.[6] *Sine die.*

1 Vt scriptum est *in lib.de moribus & consuet. Augustan.*

2 Boer. *qu.12.num.12.& 3.*

3 Et tanquam filius, non tanquam hæres, denique iure sanguinis, non successionis. * Obserua autem ius hoc retrahendi non posse cedi extraneo, ex notat.per Petr. & Cyn. *in l.ad officium C.commun.diuid.* vbi Angelus addit idem esse in iure redimendi quod competit ex contractu, vt scilicet alii cedi non possit, tanquam quod sit personale & cohæreat personæ venditoris ob affectionem quam habet ad rem venditam, & ita concludit Carolus Ruin. *cons.72.a num.3.vsque ad finem.* Cuius sententiam Senatus noster iampridem secutus est in causa quadam D.Marchionis Aquensis & D.de Floris & Dauenieres, licet contra sentiat Castrens. *cons 45.incipiente videtur dicendum*, & Roman. *in l.1. §.fin.ff de nou.oper. nunciat. in addit.per d.l. ad officium* vbi scribitur quod licitatio cedi potest.

4 Boer. *d num.3* contra Chassan. *in consuet. Burgund.tit.de consuet.retr.§.1.* in glos. *le plus proch.in num.14.*

5 *L.si in persona, C.de fideic. l.eum qui post*, vbi glos. & DD. *de cond.& demonst.l.interuenit de leg præt.*

6 *L.peto 69.§.fratre, de leg 2. l.si cognatis, de rebus dub.* Boer. *vbi s.num.4.* post Fulgosium & Corneum *in l.quoties C.de fideic.* Non tamen admitterentur hi ad legitimam patris familias successionem, quia neque agnati, neque cognati videri possunt, qui post mortem concepti fuerunt. Ergo neque ad ius retrahendi, quia non aliis ius illud competit, quam iis, qui ab intestato succedere possent. Boer. *quæst.13.num.22.*

DEFINITIO XV.

Etiam ex interuallo apposita pacta, si sint correspectiua, tantum possunt, quantum si in continenti adhibita fuissent.

ETsi quæ ex interuallo fiunt non solent inesse,[1] si tamen ad ea, quæ alio tempore facta sunt, referantur, vt correspectiua videri possint, perinde alia ex aliis interpretanda sunt, ac si semel eodemque tempore facta essent, ita vt si quid sit quod impediat, ne vnum ex iis fieri possit, nec alterum quoque fieri debeat.[2] Secundum quæ, cum quidam vno die centum frumenti modios alij vendidisset pretio mille florenorum, quos sibi solutos esse profitebatur, sequenti vero die emptor pro ea nummorum quantitate certum ferri pondus eidem venditori tradere promisisset,[3] neque tamen ab eo traditum fuisse constaret, visum est, non esse ei permittendum, vt frumentum ex venditione peteret,[4] quasi iam soluto pretio, cuius soluti professionem non nisi spe futuræ habitionis factam esse ex posteriore instrumento apparebat.[5] *Sine die.*

1 Sed ea tantum quæ fiunt in continenti, *l iuris gentium 7. l.quinimo, & seq.D.de pact.l.lecta 40.de rebus cred.*

2 *L.cum te 6. C.de pact.int.empt. & vend. l.1. Cod. de cupres. lib.10.*

3 Ex qua promissione apparebat, pretium non fuisse contra solutum. Nam verba enunciatiua probant inter easdem partes, *l.optimam 14. C.de cont. & commit.stipul.*

4 Prius enim debet implere is, qui agit, ex contractu vltro citroque obligatorio. *l.Iulianus 13.§.offerri de action.empt.*

5 *L.asseueratio 10.C.de non num.pecun.*

DEFINITIO XVI.

Pretium solutum priori creditori mulieris, cuius pecunia fuerat, per maritum deperdita, an prioris creditoris periculo esse debeat, an posterioris, ar. mulieris?

MVlier & Titius coniuges vendiderant Mæuio fundum Cornelianum sub pacto de retrouendendo pretio mille florenorum, postmodum eiusdem fundi hyperocham[1] vendiderant Sempronio quingentis florenis, ea proinde lege adiecta, vt Mæuio pretium prioris emptionis, id est, mille florenos Sempronius reddere cogeretur. Mæuius ex eo contractus conuentus vt retrouenderet recusabat, quasi ius prælationis habere deberet.[2] Tandemque fuerat condemnatus ad retrouendendum, atque ita mille florenos à Sempronio acceperat.[3] Postmodum muliere aduersus vtrumque emptorem in integrum restitutionem postulante quærebatur, an iure ageret, vt eos mille florenos quasi male, nec in rem suam vtiliter consumptos restituere non teneretur; & eo casu vtrius periculum esse deberet, an prioris emptoris, an posterioris? Prior dicebat, nihil sua interesse, quippe qui nec amplius possideret, nec dolo possidere desisset,[4] quippe non à muliere, sed à Sempronio, nec volens & lubens, sed inuitus ex iudicati auctoritate coactus mille illos florenos accepisset.[5] Nullam enim repetitionem esse ab eo, qui suum acceperat, licet alius soluerit, quam qui debebat:[6] Sempronius vero dicebat, non posse sibi imputari, cur Mæuio soluisset eam pecuniam, quam muliere mandante, & ex contractu cum ea gesto soluere debuerat,[7] cum alioqui futurum erat, vt nullum ex hyperochæ emptione commodum sperare posset.[8] Neque posse negare mulierem, quin vtiliter in rem suam & pecunia impensa esset, quæ Mæuio soluta fuerat, quamdiu saltem prior ille contractus cum Mæuia initus subsisteret,[9] qui si rescinderetur, cum Mæuio de ea pecunia, non

BIU Cujas

nia, non cum Sempronio disceptari oportere. [10] Replicabat Mæuius, rem nō esse amplius integram, vt secum de rescindendo contractu disputari posset, posteaquam contractus ille iam esset resolutus secuta retrouenditione. [11] Vrgebat pro muliere, quod non posset videri, Mæuio bene soluta pecunia & in rem mulieris versa, si quam Mæuius ipse soluerat à marito misere perditam profligatamq; constaret. Debuisse etiam Sempronium esse diligentiorem, vt sciret & inquireret, in quos primum vlus ea pecunia impensa fuisset. [12] Videri enim in se suscepisse periculum hoc ipso, quod Mæuium ad retrouenditionem vrsisset. [13] Placuit condemnandam mulierem, vt fundum recipiendo mille illos florenos Sempronio redderet, quos ille Mæuio soluerat, quasi ei bene solutos, à quo inuito fundus ablatus fuisset. [14] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Coruat, & Henrici & Marini Pic fratrum. Quidam tamen dubitabant, magisq; fere probabant, vt Sempronij periculum esse deberet. [15]

1 Vulgo plurisualentiam vocant, *l. & quæ nondum 15. §. vlt. D. de pignor. l. quærebatur 20. D. qui potior. in pign. hab.*

2 Ex pacto scilicet, quod allegabat, nec tamen probabat.

3 Secundum legem dictam in venditione facta Sempronio.

4 *Argum. l. officium 9. l. qui restituere, 68. l. vlt. D. de rei vindic.*

5 Quid enim potest imputari ei, qui nihil fecit nisi tutore auctore, cui parere habuit necesse? *l. non videntur 167. §. 1. de reg. iur. l. sancimus 25. C. de admin. tut.*

6 *L repetitio 44. D. de condict. indeb.*

7 Iniquum enim est impune non soluere illum, qui possit per prætorem cogi, vt soluat, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit.*

8 *L. & quæ nondum 15. §. qui res suas, D. de pignor.*

9 Subsistente siquidem illo contractu negari non poterat, quin, quod fuerat solutum Mæuio, solutum esset vero creditori.

10 Cum Mæuij potissimum interesset, *vulg. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. etiam 29. §. vlt. D. de minor.*

11 Contractus enim iam resolutus non potest rescindi per restitutionem in integrum, *l. ab emptione 58. D. de pact. l. voluntate 10. D. quibus mod. pign. vel hyp. solui.*

12 *Arg. l. vir vxori 17. D. ad SC. Velleian.*

13 Cum ita fecerit, vt ex eo tempore desierit periculum posse ad Mæuium pertinere.

14 Cum non potuerit citra iniuriam fundus auferri Mæuio, nisi prius restituta ei sua pecunia, *l. cum te 6.* iunct. *l. 2. C. hoc tit.*

15 Ob rationem allatam *num. 12. & 13.*

DEFINITIO XVII.

Qui agit ex pacto de retrouendendo lucratur fructus ex die litis contestatæ etiam citra obsignationem, sed vsuras vicissim præstare cogitur.

VEnditori retrouenditionem ex pacto vrgenti contra emptorem necessaria quidem obsignatio est, adeoq; totius & integri pretij, ita ne quid vel minimum desit, ad hoc vt ex die obsignationis lucrum fructuum exinde ab emptore perceptorum venditori acquiratur. [1] Sed non faciet ea res, vt si vel nulla penitus, vel minus plena [2] interuenerit obsignatio, debeant fructus omnes cedere lucro emptoris, etiam quos post litem de redimendi iure contestatam perceperit, cum ex eo saltem die, quo lis contestata fuit, malæ fidei possessor effectus sit, [3] exindeque propterea fructuum omnium, quos & percepit & percipere potuit, restitutioni obstrictus. [4] Nemo enim dixerit, necessariam esse obsignationem, vt ex litis contestatione mala fides inducatur, [5] aut vt malæ fidei, quæ ex contestatione inducitur, rationem haberi oporteat in irroganda fructuum restitutione. [6] Sed cum pro eo quoque tempore condemnandus sit venditor emptori ad vsuras pretij, ne alioqui & rem & pretium simul penes se habuisse videatur, [7] hactenus nocebit venditori, quod vel nullo modo vel minus rite pecuniam pretij obsignauerit, cum si obsignasset, nulla hodie vsurarum præstatione oneraretur, [8] fructusque integros non ex contestationis duntaxat, sed ex ipso obsignationis die lucraretur. [9] *Ita Senatus* in causa Illustris D. Comitis de la Foreſt, & Francisci Vectier Procuratoris, mense Iunij 1605.

1 *L. 2. vbi not. C. hoc tit.* Ideo autem Definitio loquitur de pretio, quia pro accessoriis, quæ non sunt liquida, sufficit offerri, & præstari satisdationem, vt ibid. not. *ex l. statuliber rationem 5. D. de statulib.* [Loquitur etiam Definitio de venditore, quia pactum hoc in dubio censetur personale nec transit ad hæredem venditoris, nisi hæredis quoque persona pacto comprehensa sit. *Ita Senatus* sæpius & nouissime relatum est 9. Calend. Febr. 1612.]

2 Nam nec quicquam interest, an nulla facta sit obsignatio, an aliqua minus rite, *vulgd. quoties 6. D. qui satisd. cog. l. 2. D. de auctor. tutor.*

3 *L. sed etsi lege 25. §. si ante, D. de petit. hered.*

4 *L. 3. D. de vsur. l. 2. C. de fructib. & lit. expens.*

5 Cum sola litis contestatio per se possit sufficere ad effectum illum inducendum, etiam citra obsignationem. Similis ratiocinatio est *in l. cum is 36. §. mulier, D de condict. indeb.*

6 Quos vtique restituendos esse constat ex die moræ & motæ controuersiæ, *d. l. 3. de vsur. d. l. sed etsi 25. §. si ante, D. de petit. hered.*

7 Contra *l. ex empto 11. §. qui autem, l. Iulianus 13. §. veniunt autem, l. bona fides 50. D. de act. empt. l. curabit 5. C. eod. l. liberalitate 16. §. 1. D. de vsur.*

8 Cum obsignatio pro solutione sit ad inducendam plenissimam liberationem, *l. si per te non stat 7. in fin. l. acceptam 19. C. de vsur. l. obsignatione 9. C. de solut.*

9 Quoniam eos haberet sine onere vsurarum in fructuum vicem præstandarum. * Aliquando tamen contingit vt is qui precium obsignauit etiam legitime nullos tamen fructus consequi debeat nullas quoque in vicem fructuum vsuras, puta si post obsignationem fructus illos attētatorie lite pendente perceperit, quia cùm eos in pœnam attentati restituere cogatur, certum est pœnas expensas non posse repeti, *l. pœnæ. D. de cond. indeb.* nec proinde vsuras ei deberi in vicem fructuum quos ille culpa sua amiserit. *Ita Senatus* in publico auditorio contra Iacob. Duc. Augustanum 11. Februarij 1620.

DEFINITIO XVIII.

Non facile ex coniecturis præsumendam esse retrouenditionem neque precy restitutionem, nec si venditionis instrumentum penes venditorem reperiatur.

CVm quis vendidit rem sub pacto de retrouendendo, & post præstituta redimendi tempora in rei venditæ possessione reperitur, duplex quæstio potest occurrere, vna, an contractus fuerit simulatus & pignoris potius quàm venditionis, [1] quod sane in dubio credendum est, si emptor numquam fuerit in reali possessione. [2] Præsertim verò si ponas interuenisse vilitatem precij, & cōsuetudinem fœnerandi: quæ duo per se sufficerent etiam non retenta per venditorem possessione. [3] Altera, an retrouenditio, de qua non apparet, secuta præsumi debeat, preciumque emptori quod debeat, restitutum. Finge instrumentum ipsum venditionis simul cum rei venditæ possessione penes hæredem venditoris reperiri. [4] Cum adnotatione quam venditor propria manu fecerit, de instrumento sibi reddito per emptorem, vt ea redditio pro retrouenditione esset. [5] Finge rem gestam inter cognatos aut adfines proximos, inter quos potuerint, & debuerint omnia geri ex bona fide, [6] aut ob id etiam fortasse vti ne facto aliquo retrouenditionis instrumento, noua laudimiorum petitio directo domino acquireretur. [7] Quid si etiam illud concurrat, vt venditor alios fundos vendiderit, protestatus in ipso venditionis contractu ideo se vendere, vt ex precio redimeret, eam rem quam prius sub retrouendendi lege vendiderat, quamuis de nummis in eam causam postea consumptis non appareat. [8] Quid si emptor per sex aut septem annos superuixerit, nec de

BIU Cujas

continuata per venditorem possessione vnquam conquestus sit, neque tamen ab eo an fructus vllos, aut vsuras, quæ vice fructuum essent percepisse probetur? [9] Adde nec deesse testes aliquos, sed tamē leuioris fidei, [10] qui dicant se ab emptore audiuisse nullam quidem à se factam retrouenditionem, sed tamen precium restitutum sibi fuisse. [11] His omnibus concurrentibus & ipsa etiam venditoris bona fama, qui precium à se solutum sæpius scripserat, [12] non dubitabatur quin magnæ pro eius hæredibus præsumptiones vrgerent, vt rei venditę quasi retrouenditæ retinendæ ius habere viderentur. [13] Cùm tamen ex aduerso constaret, non modo translatam ex contractu possessionem in emptorem per clausulam constituti, [14] sed etiam primi anni fructus ab emptore perceptos. [15] Et in diurnis rationibus emptoris adnotatum, Mansisse instrumentum venditionis penes venditorem, & pro sequentibus annis conuenisse, vt pro fundi venditi fructibus venditor singulis annis emptori quinquaginta florenos præstaret ne quid iurgij inter venditorem, & vxorem ipsius, quæ soror emptoris erat, moueretur. [16] Placuit nihil de retrouenditione præsumendum, [17] quæ nec nisi per contrarium actum retro similem fieri potuisset, ad reddendum venditori, cum possessione dominium, quod per constituti clausulam fuerat trāslatum. [18] Sed quia de precio maior vrgebat præsumptio, quod restitutum esset, visum est, ita rem ex æquitate temperandam, vt quamuis redimendi tempora effluxissent, liberum tamē esset venditoris hæredi iam possidenti vexationē redimere precio restituto cum vsuris. [19] Sed hoc ipsum tamen, vt emptoris filia quæ fundum venditum vindicabat purgaret se de dolo malo, iuraretque nihil se vnquam de precij solutione aut à patre aut ab alio audiuisse. [20] *Ita Senatus* pro Anton. Ginet, & Peroneta Valier, 8. Cal. Sept. 1612.

1 De quo vide *Defin. 60. ℨ. de probat.*

2 *Ex l. sicut 8. §. superuacuum D. quibus mod. pign.* etsi hæc sola coniectura non sufficit, vt dixi *in dict. Defin. 60.*

3 *Defin. 29. ℨ. de vesc. vend. & Defin. 4. ℨ. hoc tit.*

4 Nascitur enim ex huiusmodi possessione instrumenti magna præsumptio, *l. si chirographum 24. D. de prob. l. instrumenta 24. D. de fideic.*

5 Solet enim eiusmodi redditio inducere saltem tacitum pactum de non petendo, *l. 2. D. de pact. Defin. 28. ℨ. de solut.*

6 Debet enim bona fides inter huiusmodi personas exuberare.

7 Debentur enim laudimia etiam ex retrouenditione, vt ex alio quolibet actu translationis dominij, *l. vlt. C. de iur. emphyt. Defin. 74. ℨ. ill. tit.*

8 Est tamen hæc leuior præsumptio, quia non semper effectus sequitur propositum, *l. vlt. D. de exerc. act. l. bona fide 20. D. ad SC. Velleian.*

9 Videtur hæc præsumptio fortior, quia nemo suum iactare præsumitur, *l. cùm de indebito, 25. D. de probat.* nec facile credendus est emptor, & fundo, & fructibus, & precio, & vsuris carere voluisse, *l. ex empto 11. §. qui autem l. Iulianus 13. §. veniunt, l. bona fides 50. D. de act. empt.* Præsertim cum emptorem constaret, esse hominem frugi, qui pecuniam suam ociosam habere noluisset.

10 Erat enim vnus ex testibus filius emptoris, qui à patre sæpius audiisse se dicebat, restitutum fuisse precium à venditore. Et tamen ille ipse partem eiusdem fundi quasi suam vendiderat sororis suæ viro, ac rursus multa per ætatis lubricum circa hoc ipsum leuiter, & inconstanter fecisse probabatur. Alterum erat testimonium viduæ emptoris quæ idipsum à marito sæpius audiuisse se adfirmabat, cum qua tamen & ciuilem & criminalem litem exercebat filia emptoris, quæ fundum hunc vindicabat. Et ideo non poterat videri non suspectum testimonium inimicæ personæ, *l. 3. D. de testibus.*

11 Cur non enim stetur confessioni defuncti etiam inter alios factæ? *vt dict. Defin. 60. ℨ. de probat.*

12 Manu propria & in pede istius instrumenti, quæ tamen probatio semper est valde suspecta, & periculosa, *l. 5. 6. 7. C. de probat.* Tantoque magis in proposito, quod eundem venditorem constabat, non satis ex bona fide gessisse cætera cùm dotem quam ab vxoris suæ fratre acceperat, & cuius apocham conscripserat, post modum mortuo fratre ab eius filia & herede iterum petiisset, *l. bona fides 57. de reg iur.*

13 Nam quæ non prosunt singula multa iuuant, *vulg. l. 4. D. de vsur. AEmilius 41. D. de minor.* Et in dubio fauendum est possidenti. *l. 1. D. de pignor. §. commodum, Inst. de interd.*

14 Quæ scilicet vim habet traditionis, *l. quod meo, 18. de acquir. poss. Not. in l. quoties 15. C. de rei vind.*

15 Ex quo apparebat non fuisse contractum simulatum, *d. §. superuacuum & contr. sens.*

16 Quod erat satis probabile inter personas tam cōiunctas, saltem ad inducendam præsumptionem aliquam ex scriptura illa quamuis priuata, contra præsumptiones, quas heres venditoris inducere volebat, ex scriptura ipsius itidem priuata.

17 Quia retrouenditio facti est, vt & venditio, *l. cons. 7. §. vlt. de cur. fur.* facta autem probanda sunt non præsumenda, *l. 1. C. de prob. l. 2. D. eod.*

18 *L. ab emptione 58. D. de pact. l. 2. & 3. D. de resc. vend.*

19 Vt hactenus saltem ei prodesset, quod pacificam fundi venditi possessionem tam viuo quàm mortuo emptore per duodeviginti annos retinuisset.

20 Poterat enim fieri, vt idipsum à patre audisset filia, quod frater ipsius idemque coheres, & rursum eius vidua dixerant se audiuisse. Et ideo ad purgandam hanc suspicionem conueniens fuit deferri iusiurandum, vt in cæteris omnibus dubiis causis. *Ex l. admonendi 39. de iureiur.* quam ego semper putaui accipiendam de huiusmodi iureiurando purgatorio, non vt vulgo de suppletiuo.]

TIT. XXXVII.

DE LEG. COMMISSOR.

DEFINITIO I.

Non legitur emptor stare venditioni facta sub lege commissoriæ, etiamsi venditor velit, si res desierit esse integra, præsertim si facto venditoris id acciderit.

LEGEM commissoriam in venditione appositam exercere venditor non cogitur; [1] emptor autem, si venditor velit, omnino venditioni stare eamque implere cogitur. [2] Sed hoc ita, si emptori integrum sit, vt rem emptam sine controuersia possideat. [3] Nam si iam vel alteri vendita vel addicta fuit, vel ab alio possessa, non est cogendus emptor, vt litem pro contractus lege exerceat. [4] Ideoque pecuniam sibi debitam (si in pignore pactum hoc cum iureiurando interuenerit) petere potest, quamuis nondum euicta res sit, paratumque se dicat venditor satisdare de euictione. [6] Imminet enim hoc casu periculum euictionis non post perfectam emptionem, quo casu satisdatio sufficeret, [7] sed pendente etiam conditione, & prius quam venditio perficiatur, cum ab initio contractum fuit pignus, & pactum huiusmodi appositum in pignoris conuentione, [8] alioqui sane venditio non tam sub conditione contracta, quam sub conditione resoluenda videretur. [9] Quamquam & eo casu perinde fere hac parte de venditione iudicandum est, ac si non esset perfecta, cum ex contrahentium voluntate legem illam ab initio acceperit, vt resolui posset. [10] Id vero certius & indubitate procedit, si vel extra iudicium vel in iudicio consenserit venditor, vt venditio pro resoluta haberetur, [11] aut si sententiæ de ea re pro emptore latæ acquieuerit, [12] adeo vt nec si in integrum restitui postea velit, audiendus sit, [13] quia res hæc ex earum genere est, in quibus non licet variare. [14] *Ita Senatus* ex tempore in causa Francisci Croset & Claudij Lombard, 5. Calend. Decembr. 1593.

1 Quia pactum hoc fit pro venditore, non pro emptore, *l. 2. & 3. D. hoc tit.* Iunge simile quiddam *in l. in ratione 30. §. tamets, ad l. Falcid. l. Lucius 40. in fin. D. de fideic. libert.*

2 Numquàm

2 Numquam enim est in potestate illius, qui obligatus est, an sit obligatus, *l.2.§.1.de eo quod cert.loc.* Ratio est *in l.sub hac 8. D.de oblig.& action.*

3 Sunt enim ista fere paria, non posse quid possideri, & non posse sine controuersia, *l.quamuis 13. D. de rebus auctor. Iudic. possid.*

4 Laudanda enim est cogitatio eius, qui lites execratur, *l. 4.§.1.de alien.iudic.mut.caus.fact.*

5 Quo casu placet interpretibus, hoc pactum valere propter auctoritatem iurisiurandi, quod potest seruari citra dispendium salutis æternæ, *c.debitores, & c.cum contingat. de iureiur.* Quamuis alioqui putent, hoc ipsum pactum in pignoribus esse improbatum, *l.vlt.C. de pact.pignor.* De quo vide quæ scripsi *Decad.21.de error pragmat.*

6 Quæ satisdatio solet sufficere, quoties imminet periculum euictionis, *l.si post perfectam 24.C.de euict.*

7 *d.l.si post perfectam.*

8 Cur enim cogatur emptor emptionem implere & perficere, quam venditor ex parte sua implere ac perficere non potest, *l.ex empto 11.l.Iulianus 13.§.offerri, l.si quis alienam 46. D. de action.empt.* Iunge *l.si fundus 16.§.vlt. D.de pignor.l.cum ab eo 41. in fin princip.D.de contr.empt.*

9 *L.1.D.hoc tit.l.2.D.de in diem addict.*

10 *Arg.l.4. alias l.si ex duobus, §.sed & Marcellus, eod.tit. l. lege 5. D.hoc tit. l.voluntate 10.in fin.D.quibus mod.pign.vel hypoth. solu.*

11 Id enim nihil aliud est, quam legem commissoriam exercere, per quam scilicet fit vt venditio resoluatur ipso iure, si venditor velit.

12 Quia res iudicata pro veritate habetur, *l. res iudicata 207.de reg.iur.*

13 Non enim læditur qui ius commune sequitur, *l.vlt.C.de in integr.restit.minor.*

14 *L.si fundus 4.§.eleganter, l.post diem 7.D.hoc tit.*

TIT. XXXVIII.

DE REB. ALIEN. NON alienand.& prohib.alien.

DEFINITIO I.

Venditio facta per minorem alienare prohibitum à lege & à testatore, aut à testatore solo, non valet, etiamsi sit vallata iuramento.

SI pater filium minorem annis vigintiquinque hæredem ex asse institutum quicquam ex bonis suis ante 30. annum alienare prohibuerit, & si alienaret, venditionem nullam esse iusserit, dato etiam curatore, certum est, nullas esse ipso iure & irritas venditiones ante eam ætatem à filio factas, non solum si sine curatore, sed etiam si cum auctoritate curatoris factæ proponantur. Prohibitio namque testatoris impedit omnino alienationem,[1] nec sine causa videri potest, quæ aduersus ætatis lubricum prospicit filij commodo & vtilitati.[2] Parumque interest, antene an post vicesimumquintum annum factæ sint, dummodo ante trigesimum completum.[3] Nisi quod ante vicesimumquintum duplex prohibitio concurrit, legis nimirum & hominis.[4] Sed siue vtraque concurrat, siue hominis tantum adsit, idem effectus est,[5] adeo vt nec iureiurando confirmetur alienatio, quæ confirmaretur, si sola legis prohibitio adesset.[6] Hoc enim casu nominatim id iure caurum est,[7] non item illo. Nec nouum est, vt hominis prohibitio fortior sit quam legis,[8] plane quod dicimus iureiurando minoris confirmari alienationem sine decreto factam, cum sola legis prohibitio impedimento fuit,[9] non aliter verum est, quam si minor curatorem nullum habuit. Alioqui iusiurandum non magis prodest, quam si ab impubere præstitum esset,[10] cum minor curatorem habens pupillo hac parte comparetur,[11] id est, quod ad rerum saltem immobilium alienationem attinet.[12] *Ita Senatus* in causa quadam Augustanorum, 13. Cal. Ianuar. 1588. Iunge SC. 1. & 2. De in integr. restit. minor.

1 *L.filius familiâs 114.§.diui, de legat.1.l.vlt. C.hoc tit.*

2 *Arg.d.§.diui, l.3.§.cum Pollidius, de vsur.*

3 Cum prohibitio testatoria in annum vsque trigesimum eumque completum extendatur. Potest enim testator quam velit legem bonis suis dicere, dum ne quid statuat contra leges, *§.disponat. Nouell.22. de nupt.d.l.vlt.C.hoc tit.*

4 Solet autem dici, duo vincula esse fortiora vno, *l. pen.C. de adopt.cum similib.*

5 Præsertim post Iustiniani constitutionem *in d.l. vltim. C.hoc tit.*

6 Not. *ad Auth.sacramenta puberum, C.si aduers.vendit.*

7 *d.Auth.sacramenta.* Ante quam constitutionem aliud sane iuris erat, *l.non dubium 5.in fin. C.de legibus l.si quis inquilinos 112.§.vlt.de leg.1.l.Iuris gentium 7.§.& generaliter, D. de pact.*

8 Circumueniri enim voluntatem testatoris non oportet, qui non eum casum excepit, quo iuratum esset, quem tamen lex ipsa excipit, quæ iurisiurandi tantam esse vult potestatem, *d.Auth.sacramenta.* Sic dicimus prouisionem hominis facere, vt cesset prouisio legis, nempe quia fortior est, *l.vlt.C.de pact. conuent.tam sup.dot.*

9 *d.Auth.sacramenta.*

10 Atqui noua constitutio non nisi de sacramentis puberum loquitur.

11 *L.si curatorem habens 3.C.de in integr.restit.minor.*

12 Aliud enim est, si de solo minore obligando tractetur, *l.puberes 101.* Iacob. Cuiac. *D.de verb.oblig.*

DEFINITIO II.

Prohibita alienatione etiam transactio censetur prohibita, per quam res in alium transferatur.

ALienare prohibitus non magis per transactionem, quam per aliam quamlibet[1] alienationis speciem rei suæ dominium amittere potest. Omnis enim actus prohibitus intelligitur, per quem dominium in alium transferatur.[2] Transigere tamen non eo minus poterit, dum ne per transactionem res vlla dimittatur.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.non solum 4.C.de præd.minor.*

2 *L.vlt.C.hoc tit.* vbi additur, etiam constitutionem vsusfructus & pignoris hoc casu prohibitam intelligi, quamuis ex his causis dominium non nisi per occasionem transferatur, ne scilicet alioqui inuenta sit ratio alienandi, *l.5. §.si pupillus, D.de rebus eor.qui sub tutel.* Iunge *l.1.C.de fund.dotal.*

3 DD. *in l.cum proponas 2.& l.si pro fundo 33.C.de transact.*

DEFINITIO III.

Prohibitus alienare ante certum tempus nihil interim potest facere, per quod alienatio vel confirmetur vel inducatur.

AT quid si in supra scripta specie post annum vicesimumquintum venditor pretium exigat, atque ita comprobet venditionem? Non idcirco confirmabitur alienatio, quæ ab initio perperam facta fuit. Initium enim inspiciendum est,[1] nisi noua conuentio facta sit.[2] Sed neque nouam ante tricesimum annum completum factam esse quicquam proderit, obstante nimirum prohibitione testatoris,[3] quæ tanti momenti est, vt nec probare cogatur venditor se læsum:[4] quod tamen probandum esset, si sola interueniente legis prohibitione iusiurandum à minore interpositum alienationem confirmaret.[5] Læsionis enim probatio tum necessaria est, cum ipso iure contractus tenet, vt per in integrum restitutionem rescindi eum necesse sit.[6] An vero pretium emptori restituere filius rem suam vindicans compelletur?[7] Minime, nec si post annum vicesimumquintum accepisse pretium probetur. Nam & id æque contra prohibitionem testatoris factum videri debet.[8] Qui enim vetat vendere,

BIU Cujas

vetat etiam venditionis nomine pecuniam accipere, [9] Igitur hoc etiam casu, sicut in restitutionibus minorum fere semper euenit, incumbet emptori onus probandi versam pecuniam in rem venditoris. [10] Quid denique si minor hic maior factus ante tamen quam tricesimum annum compleuisset, impetrationi restitutionis in integrum renunciauerit? [11] Non valebit renunciatio, tametsi iudicialis, quoniam & hæc quoque alienationis species quædam est. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Non id, quod fit in consequentiam præcedentis actus, *l. 3. §. scio, D. de minor.*

2 Quo casu locum haberet *tit. C. si maior. fact. rat. hab. in præsentia, extr. cap de probat.*

3 Vbi enim secundus actus eodem vitio laborat quo primus, nihil operatur, *l. dol. 19. § diuersum, D. de nouat.*

4 Sufficit enim vt probet, factam esse alienationem contra testatoris prohibitionem, *d. l. vlt. C. hoc tit.*

5 Tessaur. qui multos citat *decis. 66. num. 2.*

6 *l. 2. l. si quidem 11. C. de præd. minor. l. nam posteaquam 6. §. si minor, D. de iureiur.*

7 Sic enim fieri solet tum quoque, cum minor restituitur, vt omnia in pristinum statum reponantur, *l. quod si minor 24. §. restitutio, D. de minor.* Nec æquum est, vt filius & rem, & pretium retineat, *l. ex empto 11. §. quia autem, l. bona fides 50. D. de action. empt.*

8 Quæ ex hypothesi ad trigesimum vsque annum extenditur.

9 *Arg. l. 1. C. de cupress. lib. 11. tit. 77.*

10 *l. prædiorum 10. vbi notat. C. de præd. minor. l. patri 27. §. item ex diuerso, D. de minor.*

11 Potest enim quilibet renunciare iuri suo, *l. pactum 46. D. de pact. l. pen. C. eod.*

12 Alienat enim qui amittit actionem, sicut & qui amittit debitorem, *§. nunc admonendi, vers. ideoque. Inst. quib. alien. licet vel non.*

DEFINITIO IV.

Prohibitus res suas alienare vel obligare ante certum tempus, interim tamen tutor esse potest.

QVi patris testamento prohibitus fuit ante trigesimumquintum annum impletum res suas gerere, alienare vel obligare, non eo minus cogi poterit, vt proximi agnati, cui ab intestato successurus esset, tutelam agnoscat, [1] dum ne minor sit annis vigintiquinque, [2] aut re vera prodigus, [3] aliisve moribus, propter quos etiam à suscepta tutela remoueri deberet. Etsi enim qui tutelam agnoscit eo ipso res suas obligat pro reddendis rationibus, [5] ea tamen obligatio necessaria est, vtpote quæ ex legis potestate & magistratus imperio [6] potius, quam ex prohibiti facto descendat. Ideoque nec ad eam prohibitio per testatorem facta extendi potest. [7] *Ita Senatus* contra N. Trollioux, 14. Calend. Febr. 1591.

1 Quia ad quem hereditas, ad eundem & tutela pertinet, *l. quo tutela 73. D. de reg. iur. & Inst. de legit. patron. tutel.*

2 Hoc enim hodie prohibitum est, ne quis minor 25. annis possit esse tutor, ne quidem legitimus, quod olim non obtinebat, *l. vlt. C. de leg. tut.*

3 Absurdum enim est, aliena negotia ei committi, qui sua tractare nesciat, *d. l. vlt.*

4 Facilius enim est, vt quis ad tutelam non admitti, quam vt ab ea remoueri debeat, cum multa facta teneant, quæ fieri prohibentur, *vulg. l. patre furioso 8. D. de his qui sunt sui vel alien. iur.*

5 Quia tutelæ actio adeoque & protutelæ tacitam habet hypothecam, *l. pro officio 20. C. de admin. tutor. l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. action.*

6 Cui non parere dolus est, *l. non potest 192. de reg. iur.* vt è contrario non potest videri dolo facere, qui Iudicis iussu aliquid facit, cum parere habeat necesse, *l. non videntur 167. §. 1. eod.*

7 Excipiuntur enim semper alienationes, quæ causam habent necessariam, vt & quæ fiunt ex auctoritate Iudicis, *l. alienationes 13. famil. erciscund. l. 3. D. de reb. eor. l. filiusfamilias 114. §. diui. de legat. 1. l. puto 68. §. 1. de leg. 2.*

DEFINITIO V.

Recognitio directi dominij facta per minorem sine curatoris sui auctoritate non eo minus valet.

NOn dissimile illud est, quod si minori à patre curator datus sit & interdicta administratio, placet non eo minus posse illum profiteri se possessorem fundi emphyteuticarij, [1] quam nos vulgo recognitionem appellamus: siue quod profitendi obligatio & necessitas ex re ipsa, non ex persona proficiscatur, [2] siue quod non possit videri læsus minor, qui iure communi vsus est, [3] dummodo ex præcedentium recognitionum comparatione appareat, nihil per errorem & inconsultam minoris facilitatem factum fuisse. [4] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 6. Id. Iun. 1591.

1 Quamuis dici soleat, minorem, qui habet curatorem, æquiparandum esse pupillo aut prodigo, *l. si curatorem habens 3. C. de in integr. restit. minor. & ibi not.*

2 Obligationes enim, quę ex negotio & re ipsa proficiscuntur, etiam furiosum & pupillum tenent, *l. furiosus 46. D. de oblig. & action.*

3 *L. vlt. C. de in integr. restit. minor. l. nullus videtur 55. de regul. iur.*

4 Non enim læditur minor, qui id facit, quod maior quilibet bene sanus & bene consultus facere deberet, *l. verum 11. §. item non restituetur, & seq. l. minor 48. §. 1. D. de minor.*

DEFINITIO VI.

De alienatione & emphyteusi rei ecclesiasticæ.

RES ecclesiastica sicut alienari non potest sine solemnitatibus, inter quas est ipsa quoque alienandi necessitas, ita nec in emphyteusim dari. Est enim contractus emphyteuseos alienationis species. [2] Nec quicquam refert, an res sit ex bonis Ecclesiæ, an de mensa tantum Episcopi. [3] Nec rursus, an sit sterilis & inutilis, necne: nam nec quæ sterilis est alienari potest sine solemnitate, sicut nec fundus pupillaris, [4] quamuis non desint, qui distinguant, vtrum res omnino & simpliciter sit inutilis, an, vt loquuntur, respectiue duntaxat, id est, ex aliarum rerum comparatione. [5] Certe si necessitas vrgeat, possunt terrulæ & vincolæ, aliaque huiusmodi, quę nullius fere reditus sunt, sine solemnitate alienari, [6] sicut & ea, quæ plus incommodi & dispendij, quam vtilitatis Ecclesiæ afferunt, in quibus hoc plus est, quod ad earum alienationem nulla alienandi necessitas requiritur. [7] Quod si & alienandæ rei necessitas aliaue iusta alienationis causa interuenerit & solemnitas, vtique valebit alienatio, tametsi Ecclesia læsa sit, siue in pretio, siue qua alia conuentionis parte: sed ex causa læsionis competet ei in integrum restitutio. [8] Si causa non fuerit alienandi, licet cæteræ alienationes adsint, non tenet alienatio. [9] Sin è contrario solemnitates desint, quamuis iusta sit alienandi ratio, æque nulla alienatio est: [10] nisi vno illo casu, quo ex communi hominum existimatione credebatur alienatio vtilis Ecclesiæ, cum reuera non esset. [11] Si tamen dubitetur & in obscuro sit, an Ecclesiæ vtilis fuerit alienatio, an non præsumendum erit pro validitate alienationis, quasi videatur locupletior facta Ecclesia, quæ non probatur facta pauperior, aut potius quod satis sit, non probari factam Ecclesiam pauperiorem. [12] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua SC. seq.

1 *Tot. tit. de reb. Eccles. non alien. maxime in c. nulli.*

2 *L. vltim. C. hoc tit. c. 1. & 2. de rebus eccles. non alien. in 6. c. 1. & c. tua, de his quæ fiunt à prælat. sin. consens. capit. can. sine exceptione 12. quæst. 2. Clem. 3. de rebus eccles. non alien. Nouell. 7. de non alien. aut*

BIU Cujas

alien. aut permut. rebus eccles. §. emphyteusim. Guid.Pap. *quæst.* 100. Didac.Couarr. *lib.2. variar. resol. c.16. & 17.*

3 *Cap. possessiones, extr. de rebus eccles. non alien.* Alex. *consil.* 45. *ad fin. lib.3.* [Inde est quod nec officium laicum & adnexam habens præbendam laicam potest infeudari per Abbatem sine solemnitate, ne quidem sub onere annui canonis, sed potest revocari ad nutum, etiamsi fuerit possessum per quantoscunque annos. *Ita Senatus* contra Franciscum Leblanc pro R.D. Petro Gaspardo Roncas Abbate d'Entremontz, 12. Iun. 1614.]

4 *L. si fundus 13. D. de reb. eor. qui sub tutel.* Capyc. *decis. Neapol.* 105.

5 Idem Capycius *decis.* 113.

6 *Can. terrulas 12. quæst. 2.*

7 *d. can. sine exceptione. in fin. ead. quæst.*

8 *Cap. 1. extr. de in integr. restit.*

9 Ita Couarr. contra Hostiensem *d. cap. 17. num. 2.*

10 Quamuis contra sentiat gloss. magna *in dict. can. sine exceptione.* quam in eo communiter reprobatam esse testatur ibi Apostillator Parisiensis.

11 Anton. Corset. in singularibus, *in verb. alienatio.*

12 Gloss. magna *in d. can. sine exceptione.* vbi idem Apostillator notat, hoc iure vti Senatum Parisiensem.

DEFINITIO VII.

Valet hodie emphyteusis rei ecclesiasticæ indistincte, dummodo facta sit in vtilitatem Ecclesiæ.

QVamquam autem supra dicta ex iuris ratione verissime disputantur, eo tamen iure vtimur, vt emphyteusis cuiuslibet rei ecclesiasticæ valeat, etiam nulla necessitate alienandi, aut solemnitate interueniente, dummodo facta sit in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. [1] Credo, ne alioqui, quod in Ecclesiæ fauorem constitutum est, in eius odium retorqueatur, si ne quidem Ecclesiæ vtilem emphyteusim permittamus. [2] Id vero potissimum procedit, si pro possessore adsit adminiculum longissimi temporis, aut saltem viginti annorum. Tanti enim temporis decursu nascitur præsumptio, quod rite omnia & solemniter acta sint, licet ex tituli exhibitione non constet de solemnitatibus, [3] ex ea vero præsumptione alia quoque nascitur, videri omnia in Ecclesiæ vtilitatem facta, nisi contrarium probetur. [4] Neque ad rem pertinet, quod dici solet, non currere præscriptionem aduersus Ecclesiam, quamdiu viuit Prælatus, qui perperam alienauit: [5] aliud enim est quærere de præscriptione, aliud vero ex longinquitate temporis solemnitatum præsumptionem inducere, [6] nec possidenti præscriptio necessaria est, nisi cum male & in dispendium Ecclesiæ alienatio facta est. Quo demum casu quæri potest, à quo tempore præscriptio currere incipiat: [7] frustra enim hodie tractetur de præscriptione rei ecclesiasticæ in emphyteusim datæ, posteaquam hac parte iuri derogarum est generali locorum fere omnium consuetudine: [8] ex qua obtinet, vt possit emphyteusis constitui rei ecclesiasticæ sine vlla solemnitate, non solum si res talis sit, quam emphyteuta diligentia sua meliorem fecerit, aut quæ dari in emphyteusim solita sit, quibus casibus ita olim ius erat, [9] vt diximus, sed & si res iam exculta proponatur, nec vnquam in emphyteusim concessa, dummodo fiat ea res in vtilitatem Ecclesiæ, quod variis ex causis potest cõtingere, tametsi emphyteutæ sexta pars annui & soliti reditus remittatur. [10] Sane si proponas, pretiosiores Ecclesiæ res in emphyteusim sine solemnitate datas esse, difficile est, vt emphyteusis valeat, quia & vix est, vt in Ecclesiæ vtilitatem id factum videatur. [11] Quænam vero solemnitates requirantur in alienatione rei ecclesiasticæ, & an emphyteusis ecclesiastica ad quartam vsque generationem aut in extraneos heredes transire possit, alibi tractandum erit. [12] *Ita Senatus* pro Ioanne Baptista Durant, contra Archiepiscopum Tarentasiensem, 4. Id. Aug. 1592.

1 Ex sententia Baldi *ad Auth. res quæ, ad fin. Cod. comm. de legat.*

2 Quod esset absurdum, *l. quod fauore 6 C. de legib. l. nulla 25. D. eod. l. penult. C. ad SC. Trebell.* Vide addit. ad Guid.Pap. *quæst.* 156.

3 Alex. *cons. 79. vers. sed præmissis omnibus, lib. 1. & cons. 45. ad fin. lib. 3.* Dec. *cons. 341.* Not. *ad l. sciendum, D. de verb. obligat.*

4 Alex. *d. cons. 79. vers. fortificatur.* post Bald. *in c. 1. col. 5. qui feud. dar. poss. arg. l. 1. C. de præd. decur. lib. 10. tit. 33.*

5 Bart. *in l. qui fundum 7. §. si tutor, D. pro empt.* Guid.Pap. *quæst.* 150. *per text. in can. si sacerdos 16. quæst. 3.*

6 *Cap. noscitur de his, quæ fiunt à prælat. sin. cons. capit.* Idem Guid.Pap. *quæst.* 15. *in fin.*

7 De quo tractat Guid.Pap. *quæst.* 161.

8 *Cap. ad aures, extr. de reb. eccles. non alien.* Didac. *dict. cap. 17. lib. 2. variar. resolut.* Iul. Clar. *lib. 4. sentent. in §. emphyteusis, quæst. 6.*

9 Alexand. *dict. cons. 79. col. 4. versic. præterea & in contractu,* post Specul. *in tit. de locat. 2. nunc aliqua, versic. 6. quæritur.* Et Angel. *in §. quia vero, Auth. de non alien. aut permut. reb. eccles.*

10 Idem Alex. *d. cons. 75. in quinto dubio.*

11 Vide addit. ad Guid.Pap. *quæst.* 156. *incip. istud videtur esse verum.*

12 De quo vide Didacum & Clarum supra dictis locis, Guid.Pap. *à quæst.* 149. *vsque ad* 162.

DEFINITIO VIII.

Res capta pignori per apparitorem non potest vendi à debitore in præiudicium creditoris vel emptoris iudicialis.

VEnditio rei, quę iam auctoritate Iudicis in pignus capta sit, non valet, [1] nec qui emit præferri potest creditori, cui pignus illud postea sit addictum, [2] sicut neque extraneo emptori: [3] nempe quoniam licet emerit à domino, tamen à tempore constituti pignoris prætorij aut iudicialis non dominus possidebat, sed curia. [4] Sine possessione autem non potest transferri dominium: [5] ideoque nec potest hoc casu locum habere, quod dici solet, ex pluribus emptoribus eum præferri, cui prius res tradita fuerit. [6] Id enim tum obtinet, cum traditio facta est ab eo, qui tum possidebat. *Ita Senatus* ex tempore in causa N. Philippi & Claudij de Toyre, 9. Cal. Febr. 1594.

1 Guid.Pap. *quæst.* 81.

2 Vnica enim executio est, quæ incipit à captione pignoris, & finitur eiusdem addictione aut venditione, *l. à Diuo Pio, per tot. D. de re iudic.*

3 Eadem enim hac parte causa est creditoris & extranei emptoris, quia non solet addici pignus creditori, nisi in vicem extranei emptoris, nulloque alio emptore existente, *l. 1. & 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

4 Cum non constituatur pignus prætorium, nisi ex quo dic ventum est in possessionem, *l. non est mirum 26. §. 1. D. de pignor. act.*

5 *L. traditionibus 20. C. de pact. l. Procuratorem 8. Cod. de acq. possess.*

6 *L. quoties 15. C. de rei vindic. l. siue autem 9. §. si duobus, D. de Publician. in rem act.*

7 Et quidem iusta possessione non à iure improbata, cum traditio nihil aliud sit, quam datio possessionis, *l. 3. de action. empt. l. quod meo 18. de acquir. possess.*

DEFINITIO IX.

Res alienari prohibita & à lege & ab homine nullomodo alienari potest, ne quidem ex causa necessaria, si alia sint bona.

ALienationis prohibitio facta non solum ab homine, sed etiam à lege, vsque adeo impedit translationem dominij, vt quamuis necessaria sit alienatio, & alioquin permissa, hoc tamen casu prohibita censeatur. [1] Inde fit, vt si rei per fideicommissum re-

BIU Cujas

lictæ prohibita sit per testatorem alienatio, & contingat, ex delicto heredis grauati bona applicari fisco, licet huiusmodi condemnationis ea vis esse soleat, vt durante vita delinquentis bona transeant ad fiscum: [2] aliud tamen in proposito dicendum sit propter expressam hominis prohibitionem. [3] Idem igitur est, si agatur de facienda solutione legatorum, præsertim si alia bona sint alienari non prohibita, ex quibus solui legata possint. [4] Quod & ad æris alieni soluendi causam pertinere videtur, [5] quamquam multo magis necessaria est solutio æris alieni, quod sit fideicommisso antiquius, quam legatorum. Illud etiam obseruandum est, actum generaliter prohibitum, nec nisi certo casu permissum præsumi in dubio factum in casu prohibito potius, quam in permisso. [6] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis d'Aix, contra dominos de Drameley & d'Asnieres, Cal. Febr. 1595.

1 Glossa magna *ad l. fin. in fin. C. hoc tit.* Alexan. *consil. 93. in fin. vol. 7.* Ias. *in l. filius familias* 114. *§. diui, lect. 1. num. 23. de leg. 1.* Crauett. *consil. 20. num. 42. in fin. ex § sanctissimas, Nouell. 7. de non alien. reb. eccles.* [Guid. Pap. *cons. 40. num. 7.* vbi aut rem alienari prohibitam à lege ob causam fideicommissi & à testatore, non posse alienari, aut obligari, ne quidem ex causa dotis.]

2 *L. Statius Florus* 48. *§. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.*

3 Bart. *ad l. Imperator, D. de fideicommiss. libert.* Alex. *consil. 23. vol. 1.*

4 Rip. *ad l. in quartam, num. 100. D. ad legem falcid.* Ias. & ad eum Purpur. *in d. §. diui.*

5 *L. pater filium* 38. *in princ. de legat. 3.*

6 *L. qui testamentum* 27. *D. de probat.*

DEFINITIO X.

De alienatione facta ex causa delicti per irrogatam pœnam confiscationis, Et quid si confiscationis sententia reuocata sit non executio.

ALienasse videtur etiam is, qui ex delicto suo, vel ex contumacia, quę & ipsa delictum est, condemnationi & confiscationi bonorum quamuis iniustæ causam dedit. [1] Itemque is, qui rei possessionem, quam auocare iure potuerat, penes alium manere passus est. [2] Maximè vero si in eius rei vicem quid aliud acceperit. [3] At multo magis si etiam de euictione se obligauerit, [4] licet possessionem ipse non transtulerit, quæ iam fuerat translata & amissa. [5] Nam & alienare is intelligitur, qui vsucapionem etiam inchoatam currere & compleri patitur, si vsurpare illam potuit, & interpellare. [6] Hinc est, quod si tale quid acciderit heredi de restituenda hereditate rogato, licet non possit confiscatio etiam ex causa læsæ maiestatis, [7] ius fideicommissarij lædere, [8] in quartam tamen, quæ ex fideicommisso deduci potest, imputari debeat quicquid ex eiusmodi confiscatione ad fiscum peruenit, [9] quomodo imputarentur cætera per heredem alienata. [10] Nec tantùm si de quartæ deductione inter fiscum & fideicommissarium disputetur, [11] sed etsi inter fideicommissarium & verum heredem, qui ex postfacto appareat, [12] reuocata fortassis, aut per contrariam sententiam, [13] aut per Principis indulgentiam, [14] confiscatione. Nam & hoc casu imputabuntur vero heredi in quartam ea omnia quæcunque ex causa confiscationis apud fiscum remanserunt, [15] licet causa redierit ad non causam. [16] Parum enim est reuocatam esse ipso iure sententiam, quæ mandata iam fuerat executioni, si non ipsa quoque executio reuocetur, in qua totus sententiæ vigor consistit. [17] Vt quod de facto processit de facto reuocetur. [18] Nec si per iniuriam facta dicatur cõfiscatio, nocere fideicommissario debet, [19] sed ei potius cui facta iniuria est, penes quem aut eius heredem remanere illam multo æquius est, quàm in fideicommissarium innocentem transferri, [20] vt litem eo nomine aduersus fiscum instituere cogatur. [21] *Ita Senatus* in eadem causa, de qua in Defin. 19. infr. ad SC. Trebell.

1 *L filius familias* 114. *§. Diui* 2. ibi. *Sed eam rem neque fisco, neque creditoribus fraudi esse, de leg.* 1. iunct. *l. exceptione* 67. *D. de fideiuss.*

2 Licet dici soleat non alienare illum, qui omittit tantum possessionem, *l.* 4. *§.* 1. iunct. *§. Pedius alias l. non solum. l. ex hoc* 8. *§. alienare, de alien. iud. mut. l. non alienat.* 119. *de reg. iur.*

3 Hoc enim casu videtur ad eum peruenisse æquipollenter id, cuius vice aliquid aliud peruenit, quasi permutationis iure, vt *in l. sed etsi* 25. *§. consuluit, D. de petit. hered.*

4 Obligatio enim de euictione præsupponit alienationem, *l.* 1. *& tot. tit. de euict. l.* 1. *C. de iur. dot.*

5 Qui enim possessionem aut rem aliam quamlibet habere potest, iam habere eam videtur, *l. is qui actionem* 15. *de reg. iur.*

6 *L. alienationis* 28. *de verb. signific. l.* 3. *§.* 1. *quæ in fraud. cred.* Excipe casum *l. si fundum* 16. *D de fund. dotal.*

7 Quæ tamen omnium grauissima est, ita vt etiam innocentes afficiat, & non tantùm filiis, verùm etiam agnatis noceat, *l. quisquis* 5. *C. ad leg. Iul. maiest.*

8 *L. Statius Florus* 48. *§. Cornelio Felici, de iur. fisc. l. ex facto* 17. *§. ex facto, D. ad SC. Trebell.*

9 Quia idem ius habet fiscus deducendæ quartæ, quod haberet heres nulla confiscatione interueniente, *l. cùm tacitum* 49. iunct. *l. quod placuit* 37. *de iur. fisc.*

10 Et quidem prius ea quæ sunt primo loco alienata *l.* 3. *§. res quæ, D. ad Trebell.* Non enim sicut Falcidia minuit ipso iure singula corpora legatorum *l. in quantitate* 72. *§. vlt. ad legem falcid.* ita & Trebellianica, sed massam ipsam hereditatis, vt & legitima massam bonorum. Ideoque dicimus solui eam debere aliquando etiam in pecunia, vt in *Defin.* 5. *&* 17. 3. *de inoffic. test.* Aliquando & regulariter in corporibus bonorum. At non in singulis, sed in mediocribus, *l. scimus* 36. *v. rsic repletionem, & ibi not. & in Auth. nouissima, C. de inoffic. testam.*

11 Est enim fiscus hoc casu legitimus contradictor, *d. l.* 48. *§.* 1. *& l.* 49. *de iur. fisc.* adeo vt ei incumbat necessitas restituendi fideicommissi tum quoque cum bona vacantia subiecta fideicommisso non vult agnoscere *l. recusare* 6. *§. si fisco, D. ad Trebell.*

12 Sic enim sæpe accidit vt post transactionem factam cum falso herede alius heres verus appareat vt *in l.* 3. *§. vltim. D. de transact.* Iunge *l. controuersia* 14. *& l. vlt. eod.*

13 Beneficio scilicet appellationis si iudex inferior pronunciauit aut ciuilis supplicationis si Senatus.

14 *Ex tit. D. & C. de sent. pass. & rest.*

15 Quasi nulla secuta reuocatione, quod ad hæc bona saltem cum effectu. Non enim potest videri fisco ablatum, quod in corpore patrimonij fiscalis retinetur, *arg. l. idem seruandum* 72. *de leg.* 2.

16 In his enim quæ sunt facti magis quam iuris, magis attenditur effectus quam causa *l.* 1. *§. si vir vxori, D. de acquir. poss. l. denique* 19. *D. ex quibus caus. maior. l. in bello* 12. *§. facti, de capt. & postlim.*

17 Cùm inanis sit sententia quamdiu executioni mandata non est *l. penult. & tot. tit. C. de exec. rei iudic.*

18 Quomodo loquuntur pragmatici Galli cùm tractant de necessitate petendæ restitutionis in integrum aduersus contractum etiam nullum.

19 Quia factum cuique suum nocere debet non alteri, *l. factum* 155. *de reg. iur. d. l.* 3. *in princ. de transact.*

20 Ratio est elegans posita *in d. l. exceptione* 67. *D. de fideiuss. l. si per imprudentiam* 51. *D. de euict.*

21 Nam nec paruum est incommodum cogi litigare, præsertim cum fisco, qui semper est potentior ob tam multa quæ habet priuilegia.]

TIT. XXXIX.

DE MONOPOL. CONuent. negotiat.

DEFINITIO I.

Indictio tributorum non nisi ex necessaria causa fieri potest, ne quidem ab ijs, qui indicendi ius habent, si secus fiat, suspendendum priuilegium est.

MONO-

BIU Cujas

MONOPOLIA, quæ nostri barbare sic vocant,[1] pro conuentionibus citra Iudicis licentiam factis non solum priuatis interdicta sunt, sed etiam corporibus vniuersitatum, nisi quibus aut ex priuilegio concessa sunt à Principe, aut ex inueterata consuetudine,[2] quæ priuilegij instar obtineat.[3] Cui consequens est, vt neque ad indicendum tributum, quantumuis iusta indicendi causa sit, liceat vniuersitatis hominibus in vnum conuenire,[4] nisi prius impetrata à Iudice aliove superiore, ad quem ea res pertinet, licentia, quoniam vel hoc maxime ad Principis publicamque vtilitatem spectat, ne priuato cuiquam sine magistratus auctoritate tributum indicatur.[5] Sed & si cui ciuitati priuilegium huiusmodi concessum sit, eam interpretationem habere debet, vti ne tamen sine iusta & necessaria causa indictio tributi vlla fiat.[6] Itaque si priuilegio ciuitas, vt plerumque fit, abutatur, eæ magistratus partes esse debebunt, vt priuilegij vim suspendat, quousque priorem dolum, adeoque doli & abusus suspicionem vniuersitas purgauerit.[7] *Ita Senatus* in causa Ioannis Autman Germani aut ciuitatis Montislupelli, 8. Id. Febr. 1589.

1 Aut à Iudice, aut ab alio superiore eam potestatem habente Bart. *ad l. actor rem rat. haber.*

2 Guid. Pap. *quæst.* 106. *incip. omnes villæ.*

3 Scilicet quę hominum memoriam excedat, *l. 1. §. vlt. de aqua & aqu. pluu. arcend. l. 3. §. ductus aquæ, de aqua quotid. & æstiu.*

4 *Inon est singulis* 186. *de reg. iur.*

5 Tributorum namque indictio de iuribus regalibus est, quæ proinde non competit, nisi quibus data est à Principe, *l. vnic. C. de super. indic. lib. 10. tit. 18.*

6 Vide Guid. Pap. *quæst.* 5. 7. 87. 372. *& 631. incip. in quadam causa nu. 5. & 6. & ibi addit in verbo, pro necessitate.*

7 In eo namque puniri quis debet, in quo peccauit, *l. rescriptum 6. D. de his quæ vt indign.* Et publice interest, ne quis re sua male vtatur, *§. 1. Inst. de his, qui sunt sui vel alien. iur.*

TIT. XL.

DE VECTIGAL. ET commiss.

DEFINITIO I.

Conductores publicorum vectigalium non vtuntur iure fisci.

PVBLICORVM vectigalium conductores, etsi fauoris publici causam fouere creduntur, non tamen habent ea priuilegia, quæ haberet fiscus, aut Princeps, à quo conduxerunt, si non speciali conuentione sibi prospexerint,[1] quia non fisci, sed propriam causam agunt, & quidem propriæ, non publicæ vtilitatis causa, nec aliud in ecclesiasticorum reditum, cæterisque similibus causis obtinet. *Ita Senatus* sæpius.

1 Guid. Pap. *quæst.* 208. Post Specul. *titul. de immunit. eccles. in fin.*

DEFINITIO II.

Non adiudicantur commissa, nisi probato dolo. Probatus autem dolus purgari non potest.

COmmissa etiam, quæ petuntur ob fraudata vectigalia publica, vel ob non soluta laudimia, annuáve illa debita fundiaria, quæ nos seruitia appellamus, vel denique ob non factam solemnem contractus acquisitorij, vel potius instrumenti de contractu facti inscriptionem, quæ ex Sereniſſimi Ducis Emanuelis Philiberti edicto fieri debet,[1] odiosa esse creduntur. Ideoque vix vnquam adiudicantur, si non probetur dolus aliquis eius, qui conuenitur.[2] Sane post dolum probatum sera debiti oblatio est. Nec enim, sicut mora interdum, ita & doli purgatio vnquam admittitur ad eludendam pœnam, quæ vel iure communi, vel per edictum Principis, solo delinquentis facto demonstrato, iam sit irrogata.[3] *Ita Senatus* pro Illustri D. Ludouico de Coste, Comite de Chastilion, & Pontdeueyle, contra N. Gonard. *Sine die.*

1 Quia sunt pœnalia, Guid. Pap. *quæst.* 335. vbi ait, pupillum ob hanc causam non incidere in commissum. Adde eundem Guid. Pap. *quæst.* 73. *& seq.*

2 Nam nec delictum potest esse sine dolo, *vulg. iurib.* Interim ergo potest euitari condemnatio, & purgari mora, si debitum offeratur.

3 Idem Guid. Pap. *quæst.* 171. vbi late.

DEFINITIO III.

Nulla debentur vectigalia pro mercibus, quæ proprij vsus aut victus causa transuehuntur.

VEctigalia transuehendis mercibus imposita, ad eas tantum merces pertinent, quæ negotiationis & commercij gratia transuehuntur, non ad eas, quæ proprij vsus aut victus causa.[1] Nec enim aliquo tributo æquum est onerari eum, qui necessitatibus suis prospicere cogatur, sed illos tantum, qui hac lege tractant commercium publicum, vt priuatam ex eo vtilitatem captent. *Sine die.*

1 Guid. Pap. *quæst.* 4. *per l. vniuersi. vbi DD. C. hoc tit.* Non ergo debebitur vectigal pro mercibus, quæ domus faciendæ vel reficiendæ gratia transuehuntur. Guid. Pap. *ibid. per gloss. fin. in d. l. vniuersi.*

TIT. XLI.

DE RER. PERMVT.

DEFINITIO I.

Potest vnus idemque contractus partim emptionis, partim permutationis iure censeri.

PERMVTATIONE inter nos sic inita, vt pro fundo æstimato mille aureis idem tibi fundum æstimatum quingentis ac præterea quingentos aureos, placet non tam permutationem, quam emptionem contractam videri,[1] pro ea nimirum æstimationis parte, quæ excedit concurrentem valorem rerum permutatarum.[2] Itaque cum in ea prouincia contractum proponeretur, in qua ius municipale sic comparatum erat, vt ex permutatione laudimia non nisi dimidiata, ex emptione vero integra deberentur,[3] *Senatus* pronunciauit, deberi in proposito laudimia pro portione dimidij pretij ad quingentos vsque aureos, pro reliquo autem pretio sine diminutione, quasi partim ex permutatione, partim ex emptione.[4] *Ita Senatus* 8. Id. Mart. 1589.

1 *Arg. l. 1.* ponderanda verba illa, *licet non taxata quantitate, C. hoc tit. l. naturalis 5. §. 1. D. de præscr. verb.*

2 Nam vsque ad concurrentem valorem vera permutatio est, cum non possit vterque contrahentium, aut vnus magis quam alius vel emptor dici vel venditor, *l. 1. D. hoc tit.*

3 De quo vide Boerium *quæst.* 144. & Guid. Pap. *quæst.* 91. *incip. de consuetudine.*

BIU Cujas

4 Nec nouum id videri debet propter similitudinem & affinitatem magnam, quam habet permutatio cum emptione, *2. C. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Qui rem alterius ex permutatione accepit, suam vicissim dare debet. Et quid si pœniteat eum qui iam dedit.

QVi ab alio rem ex permutatione accepit, si ex parte sua implere nolit, non vtique cogi potest, vt rem tuam tradat, sed condemnandus est, vt acceptam restituat, & præterea præstet, si quid alterius interfit, nimirum ratione doli. [1] At quid si cum rem tuam accepissem, & vellem tibi meam tradere, tu recusaueris, negans perfectam adhuc permutationem, & petens tuam tibi restitui, quasi datam ob causam, quæ non sit secuta? [2] Si probetur perfecta permutatio, [3] cogendus es rem meam accipere, si exter, & in litis expensas condemnandus, [4] si modo, cum recusares rem meam accipere ab initio oblatam, ego illam deposuerim, si res mobilis fuit. [5] Quod si res amplius non extet, sed aut casu amissa sit, aut naturaliter, propterea quod seruando seruari non poterat, [6] distinguendum etiam est, an depositio illa facta fuerit nec ne. Depositione legitime facta periit tibi, ac si soluta esset, quia in odium eius, qui moram fecit, depositio habet vim traditionis. [7] Sed si depositio nulla, aut, quod idem est, non satis rite facta [8] præcesserit, dicendum est, mihi periisse non solum tanquam domino, [9] (neque enim ex solo pacto permutationis citra traditionem transfertur dominium [10]) sed etiam tanquam moratori, quoniam hoc ipso in mora fui, quod rem tuam habens meam quoque retinui: [11] nec quod tibi eam obtuli excusare moram potest, quandoquidem vbi traditio necessaria est, sola oblatio non sufficit, quæ nec traditionis vim habet, sed depositio requiritur. [12] Hic autem fuit necessaria traditio, non modo vt ex parte mea contractum implerem, [13] sed etiam ne eodem tempore & tuam & meam rem viderer habuisse. [14] Quare nec mihi proderit, quod tu à me oblatam sine causa recusaueris: perinde enim condemnandus sum in id omne, quod tua interest, siue rem meam tibi postea tradam, si extet, nec deterior facta sit, [15] siue perempta illa vel deteriore facta cogat tibi condicenti rem tuam restituere. [16] Debetur namque ex mora id quod interest; [17] præsertim in permutatione rerum venalium, quæ censetur bonæ fidei esse & ad instar venditionis. [18] In venditione autem constat, si emptor acceptæ rei vendita pretium non soluerit, licet obtulerit recusanti sine causa venditori, non eo minus debere eum vsuras pretij, si non obsignauerit, ne alioqui & re & pretio vsus videatur. [19] *Ita Senatus* in causa Ioannis Guibourg & Claudij Chastelain 4. Cal. Iul. 1591.

1 *l. 1. §. vlt. D. hoc tit. l. vlt. & pass. C. eod.*

2 Eo fortassis prætextu, quod in contractibus innominatis locus sit pœnitentiæ, quousque contractus impleatur ex vtraque parte, *l. si pecuniam*, vbi Bart. *D. de condict. caus. dat.*

3 Non quidem per traditionem, quia hoc modo non perficitur, nisi cum res vtrinque data est, & datio quæ fit ex vna tantum parte mixtum duntaxat obligationi præbet. *l. 1. §. item empsio, D. hoc tit.* Sed interueniente stipulatione, quo casu non tam permutatio est, quam stipulatio ex causa permutationis, *l. si ita 6. & seq. §. 1. D. de nouat.* Ideoque hoc casu nullus pœnitentiæ locus esse potest, *l. 3. C. hoc tit.*

4 *L. qui solidum 78. §. etiam, de leg. 2. & Instit. de pœn. temerè litig.*

5 Vt depositio illa vim habeat traditionis, quomodo haberet obsignatio vim solutionis, si de pecunia tractaretur, *l. acceptam 19. iunct. l. si per te non stat 7. C. de vsur.*

6 Cuius conditionis sunt fere res omnes mobiles, *l. lex quæ tutores 22. C. de admin. tutor.*

7 *d. l. accepta 19. C. de vsur. l. obsignatione 9. C. de solut.* Mora enim transfert semper periculum in moratorem, *l. si ex leg. 23. & seq. l. si seruum 91. §. sequitur, D. de verb. oblig.*

8 Nihil enim refert, an quid factum non sit, an minus rite factum sit, *l. quoties 5. D. qui satisd. cog. l. 2. de tutorum auctor.*

9 *l. quæ fortuitis 6. C. de pign. act.*

10 *l. traditionibus 20. C. de pact.*

11 Neque enim æquum est, vt alteruter contrahentium vtramque rem retineat, nec magis in permutatione, quam in emptione, *l. 1. & 2. D. hoc tit. l. ex empto 11. §. vlt. l. bona fides 50. de action. empt.*

12 *d. l. si per te non stat 7. l. acceptam. 19. C. de vsur.*

13 Permutatio enim non tantum traditionem mutuam requirit, sed etiam mutuam dominij translationem, *l. 1. §. 1. vers. ideoque, D. hoc tit.*

14 Contra *d. l. ex empto, §. vlt. & l. bona fides 50. D. de action. empt. l. curabit 5. C. eod.*

15 Quo casu tradi semper potest.

16 *l. cum precibus 4. & seq.* iunct. *l. 1.* ibi, *non immerito id quod sua interest, C. hoc tit.*

17 *dict. l. 1. l. si permutationis 29. C. de euict.* Gloss. *in l. 1. §. vltim. D. eod.*

18 *d. l. 1. & 2. C. hoc tit. l. 2. D. eod.* Sunt tamen aliquæ differentiæ inter venditionem & permutationem, quas vide apud glos. & Bart. *in d. l. 1. D. hoc tit.*

19 *dict. l. curabit 5. de action. empt.* iunct. *l. si per te non stat 7. C. de vsur.*

DEFINITIO III.

Si res permutanda non datur, præstanda est æstimatio, quanti plurimi res fuit à tempore moræ.

AT finge factam permutationem mercium, quarum æstimatio in singulos dies variatur, [1] cuius temporis incunda erit æstimatio? Si rem ipsam, de qua permutanda conuenit, possim tradere, quod extet adhuc, nec deterior facta sit, non est quærendum de æstimatione, sed solum facienda condemnatio eius, quod præterea interest aduersarij. [2] Sed si rem ipsam non possim tradere, quod perempta sit aut facta deterior, [3] cum necessario recurrendum sit ad æstimationem, condemnandus ero, vt præstem, quanti plurimi res fuerit à tempore moræ vsque ad tempus condemnationis, [4] vt in cæteris bonæ fidei iudiciis, [5] aut quod idem est, vtro tempore pluris res fuit, aut moræ, aut condemnationis: [6] nec ideo tamen excludetur condemnatio eius, quod præterea interierit, [7] maxime si agatur inter mercatores, inter quos lucri quoque cessantis ratio habenda est. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. pen. & vlt. D. de condict. triticar.*

2 Nam id quod interest plerumque & rem & rei pretium egreditur, *l. 1. l. si sterilis 21. §. cum per vendisorem, D. de action. empt. l. in interdicto 6. D. vnde vi.*

3 Neque enim reddi videtur res, quæ deterior redditur, *l. 3. §. 1. l. in rebus 18. §. 1. D. commod. l. 1. § si res depositæ, D. depos.*

4 *l. 3. §. in hac, D. commod. l. pen. & vlt.* vbi notat. *D. de cond. triticar.* Iunge Bart. *in l. 2. D. hoc tit.*

5 Bartol. & alij *in dict. §. in hac, & ad l. vinum 22. D. de rebus credit.*

6 Quomodo loquitur Vlpian. *in l. 3. §. vltim. D. de action. empt.*

7 Quia æstimatio *quanti plurimi* non excludit præstationem eius quod interest, quia æstimatio *quanti plurimi* est ipsa res, quæ principaliter debetur, id vero quod interest, est quid accessorium.

8 Nam id quod interest, æstimatur etiam ex eo, quod actori abest, quodque lucrari potuit, *l. si commissa 13. D. rat. rem haber.* præsertim si creditor mercator proponatur. Et huius interesse habetur potissimum ratio in bonæ fidei iudiciis, ac proinde in actione ex permutatione, quæ etiam bonæ fidei est, *§. fuerat, Instit. de action. l. 2. C. hoc tit.* Nec ad rem facit, quod permutatio sit contractus innominatus. Habet enim easdem fere præstationes, quas contractus emptionis & venditionis, vt solent cæteri etiam contractus innominati iudicari secundum naturam contractuum nominatorum, quibus æquiparantur, Bart. *ad l. 2. per ill. text. D. hoc tit.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Euicto vel redhibito feudo, quod fuerat permutatum, an aliud feudum in eius vicem dandum sit, an pecunia dari possit?

TRansactione facta inter Sereniſſimum Sabaudiæ ducem Carolum, & Antermum Baronem de Miolans, conuenerat, vt caſtrum de Cuſy ad Antermum pertineret. Poſtmodum alio contractu placuerat, vt caſtrum illud de Cuſy Dominis de Luxembourg donatum eſſet, viciſſimque & permutationis iure Antermus baroniam & iuriſdictionem de Monfalcon ſibi haberet cum iuribus annexis omnibus, ea tamen lege adiecta, vt Sereniſſimo Duci ius eſſet redhibendæ illius quandocumque *reddendo & reſtituendo* (verba erant inſtrumenti) *ipſum caſtrum de Cuſy aut pro eo aliam recompenſam ad valorem dicti caſtri de Cuſy*. Cum poſt multos annos de redhibitionis iure quæreretur inter Illuſtrem Georgium de Mouzi Comitem de Monreal, qui à Sereniſſimo Duce ius habebat, & Illuſtrem Henricum de Saluces D. de Cardé, qui in Antermi iura ſucceſſerat, dubitabatur, quid pro caſtro de Cuſy actor reo præſtare deberet. Dicebant quidam, condemnandum eum eſſe, vt in vicem feudi de Monfalcon aliud feudum ſubſtitueret ad valorem vſque feudi de Cuſy, eamque fuiſſe procul dubio nec obſcuram contrahentium voluntatem: [1] Alioqui paſſurum iniuriam Dominum de Cardé, ſi pro fundo feudoque pecuniam accipere, [2] atque ita rem ſuam quodammodo vendere quantumcunque iuſto pretio cogeretur. [3] Non enim æſtimatio caſtri de Cuſy in caſum redhibitionis promiſſa fuerat, ſed vt contractus verba ſonabant, *recompenſam ad valorem*: adiecta etiam dictione, *aliam*, quæ implicare ſolet identitatem, vt noſtri loquuntur, & naturæ, & qualitatis. [4] Atqui prima permutatione datum fuerat pro caſtro de Cuſy caſtrum de Monfalcon feudum nobiliſſimum, & præcipuæ inter cætera dignitatis, non pecunia. [5] Neque vero permutatio contracta videretur, ſed venditio potius, ſi conueniſſet, vt pro re dari poſſet pecunia. [6] Nec rurſum negari poterat, quin eius, cui feudum euincebatur, maxime intereſſet, feudum aliud habere magis quam pecuniam, [7] quæ & perit facilius, [8] & ſiue in arca reponatur, ſiue detur fœnori, nullam poſſeſſori ſuo dignitatem afferre poteſt. [9] Atque ita, cum octo in Senatu ſententiam diceremus, quatuor præcipuæ eruditionis Senatores ſentiebant. Cæteri contra, in quorum ſententiam poſtea iuit vnus ex aliis, ne votorum diuiſione & æqualitate Senatuſconſultum impediretur. Duplex autem ratio illorum fuit. Prima, quod nomen *recompenſe*, quo contrahentes vſi fuerant, non minus pecuniæ, quam fundi dationem vi ſua comprehenderet, quandoquidem per pecuniam res omnes æſtimantur. [10] Faciendaque præſertim interpretatione fauore Principis contra priuatum, qui potuerat legem apertius dicere, [11] maxime cum is, qui recompenſam dare promiſerat, emptori ſimilior, quam venditori videretur. [12] Altera, quod ſi cogeretur Princeps in vicem feudi de Monfalcon aliud feudum reddere, eadem ſemper ſubeſſet ratio vindicandi quandocunque feudi illius, quippe quod perinde eſſet inalienabile, & conſequenter eo tandem recidere rem oporteret, vt quod vltimo loco vindicaretur certo pretio æſtimandum eſſet. [13] Aliis tamen neutra ratio probabatur. Non prima, quoniam & ex verbis contractus, & ex initio permutationis, quæ inita fuerat, ſatis apparebat, quid actum eſſet, nimirum de dando feudo, quod ex comparatione valoris caſtri de Cuſy æſtimandum eſſet: quid enim aliud ſignificare poterant verba illa, *ad valorem caſtri de Cuſy*? Atqui pecunia, quæ ad cæteras res omnes æſtimandas comparata eſt, æſtimare ſe ipſam, aut ab alia re æſtimari non poteſt. [14] Non altera, quoniam nihil erat quod obſtaret, quo minus Princeps iure priuati feudum aliquod à priuato emeret, eiuſdem valoris, cuius eſſet caſtrum de Cuſy, quod proinde inalienabile videri non poſſet, [15] vt pote fiſco coronæ nunquam incorporatum. [16] Certi namque iuris eſt, Principem in his, quæ tanquam priuatus gerit, priuati iure cenſeri. [17] Item quia non Princeps hic actor erat, ſed alius plurium feudorum poſſeſſor & dominus, in cuius erat poteſtate aliud feudum dare, [18] cuius reſtituendi certoque pretio æſtimandi nulla vnquam futura eſſet neceſſitas. [19] Tametſi enim is in iura Principis ſucceſſerat, non tamen idcirco videri poterat ipſius perſonam vſq; adeo repræſentare, vt quæ de proprio patrimonio erogaſſet, ea de coronæ domanio erogaſſe videretur. [20] *Ita Senatus* Iulij 1592.

1 Id enim, quod in alterius rei locum ſubrogatur, debet eiuſdem eſſe naturæ & conditionis, *l.3.l.2. §.appellata, D. de rebus credit.*

2 Text. eſt *in c. de inueſtit. de re alien. fact.* quem mirabilem eſſe ait poſt Baldum & alios Boerius *quæſt.19. num.3.* Iunge *l. qui autem, 14. §. quod ſi ante, de conſtit. pecun. l. ſi quis donum 9. D. locat. l. Labeo 30. §. vlt. de arbitr.*

3 *Contra l. nec quaſt 70. de Publician.*

4 Idem Boer. *dict. quæſt.19. num. vlt.* paulo ante fin. vbi citat Bald. Aug. Imol. & Modernos *in l. qui liberis, in princ. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

5 Nam ſicuti non poteſt quis inuitus cogi, vt rem pro pecunia accipiat, *l. eum à quo 16. & ſeq. C. de ſolut.* ita nec vt pecuniam pro re.

6 *L. naturalis 5. §. 1. de præſcript. verb.*

7 Non enim ſicut is, qui rem habet, æſtimationem quoque habere videtur, ita & rem habere, qui æſtimationem habet, *§. ſi res aliena, verſ. hac ratione, Inſtit. de legat. cum ſimilib.*

8 Eſt enim pecunia res fragilis, *l. ſi chorus 79. §. 1. de leg. 1.* & ſterilis, *l. ſi nauis 62. D. de rei vindic.*

9 Quam adfert feudum nobile, quippe quod nobilitat, vt pluribus ex profeſſo diſputat Tiraq. *in tract. de nobilit.*

10 Eſt enim pecunia menſura rerum omnium, præterquam ſui ipſius, *l. ſi ita fideiuſſorem 42. D. de fideiuſſ.*

11 *Ex reg. l. veteribus 39. D. de pact.*

12 Emptoris autem eſt pecuniam pro re, non aliam rem dare, *l. 1. D. hoc tit. l. ex empto 11. §. 1. de action. empt.*

13 Ne alioqui dandus eſſet progreſſus in infinitum, quod noſtra Iuriſprudentia non minus, quam natura ipſa abhorret, *l. vt inter 23. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. item ſi vnus 17. §. principaliter, D. de recept. qui arbitr.*

14 *d. l. ſi ita fideiuſſorem 42. D. de fideiuſſ. l. 1. D. hoc tit. l. 1. D. de contrah. empt.*

15 Non enim omnia, quæ Princeps habet, ſunt alienabilia, ſed ea tantum, quæ ad domanium coronæ pertinent, cum in cæteris, quæ habet tanquam priuatus vtatur iure priuati, *l. bene à Zenone, §. ſed ſancimus, C. de quadr. præſcript.* Vide Specul. *in tit. de feudis, §. quoniam, quæſt. 24.*

16 Sic enim noſtri loqui ſolent.

17 *L. fiſcus 6. D. de iur. fiſc. l. cum quidam 17. §. fiſcus, de vſur.*

18 Semper enim præſtandum eſt id, quod debetur, ſi non præciſe in ſpecie ſaltem per æquipollens, quantum fieri poteſt.

19 Nihil enim magis naturale eſt, quam domini res ſuas in alium transferre volentis ratam haberi voluntatem, niſi lex impedimento ſit, *l. qua ratione 9. §. hæ quoque res, D. de acquir. rer. domin.*

20 Mutatione ſcilicet perſonæ ipſa quoque bonorum qualitas & conditio immutatur, *l. per curatorem 90. §. 1. de acquir. hered. l. vlt. C. de inoff. teſtam.*

DEFINITIO V.

Cùm agitur de æſtimanda re, cuius ſolutione debitor liberaretur, ſolutionis tempus inſpiciendum eſt.

SVperiori proxima ſucceſſit quæſtio, cuius temporis rationem in æſtimando caſtro de Cuſy haberi oporteret, vt ſciri poſſet, quid & quantum reo

BIU Cujas

ab actore præstandum esset, an eius temporis, quo permutatio facta fuisset, an quo ex permutatione ageretur: Placuit, non tanti quid fuisset, cum contrahebatur, inspiciendum esse, sed quanti nunc sit aut erit, cum feudum de Monfalcon redhibebitur. Id enim ex bona fide erat & ex natura permutationis, vt, quemadmodum si permutatio illa facta non fuisset, aut si nunc retro fieret, haberet hodie D. de Cardé castrum de Cusy, quale nunc quantumque est,[1] ita in æstimando ea præsentis temporis ratio haberetur, siue pluris hodie esset, siue minoris.[2] Quare cum Comes de Monreal pretium offerret, quod paucis post permutationem diebus vendito castro illo de Cusy redactum fuisse constabat, quasi ipso permutationis tempore tanti fuisset,[3] non admisit Senatus oblationem. Iusta siquidem pretia rerum non ex præterita emptione, sed ex præsenti æstimatione constitui oportet,[4] cum, sicut diligenti cultura ampliantur, ita si prædia negligentius habita fuerint, minui ea necesse sit.[5] Hactenus tamen contractus initi tempus inspici debere visum est, vt ea demum bona æstimarentur, quæ eo tempore ad castrum de Cusy pertinebant, non illa etiam, quæ exinde accessissent. Id enim agebatur proculdubio inter contrahentes, vt in eum casum, quo feudum castrumque de Monfalcon redhiberetur, aliud quidpiam in eius vicem daretur, quod adæquaret valorem castri de Cusy, quale tunc quantumve esset, non quale quantumve postea futurum esset: quod in dubio euentu erat positum. Atque ita nimirum accipi debet, quod dici solet. In contractibus tempus contractus inspici oportere,[6] nempe cum quæritur, quid veniat in contractum & obligationem, aut cui ex contractu acquiratur actio,[8] non etiam si agatur de æstimando, quod debetur.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Similis fere ratiocinatio est, qua Paulus vtitur *in l. si sterilis 21. §. cum per venditorem in fin. D. de acquir. rer. domin.*

2 *Arg. l. penult. D. de condict. triticr.*

3 Tanti enim vnaquæque res esse creditur, quanti vendi potest.

4 *L. pretia rerum 63. D. ad leg. falcid. l. si seruum 33. D. ad leg. Aquil.*

5 *L. 1. §. diui fratres, D. de iur. fisc.*

6 *L. Rutilia Polla 69. D. de contr. empt. l. si filius familias 76. D. de verb. oblig. l. bonitatis 13. D. de euict.*

7 *Vt in d. l. Rutilia, l. 3. D. de rebus credit. l. 2. §. 1. de hered. vel action. vendit.*

8 *Vt in d. l. si filius familias.*

9 *L. vinum 22. D. de rebus credit. l. penult. & vlt. D. de condict. triticar. l. 3. §. in hac, D. commod. l. hominem 37. mandat. l. 3. §. vltim. de action. l. quoties in diem 59. de verb. oblig.* Excipe casum *l. cum quis 22. D. de oblig. & action.* Valde tamen obstare huic Definitioni videtur quod scriptum est *in dict. l. bonitatis 13. D. de euict.* nisi relatiuum *quæ* referas non ad æstimationem, sed ad bonitatem *argum. l. ex mille 67. versic. cæterum, eod. tit.* Et sane absurdum est id, quod etiam hodie solui in specie possit, pluris minorisve æstimari quam quanti nunc sit. Vide quæ scripsi *lib. 16. Coniect.*

DEFINITIO VI.

Differentia permutationis & venditionis quoties rei permutatæ & traditæ controuersia sit possidenti.

EX contractu permutationis, qui rei sibi traditæ controuersiam patitur, etiamsi nondum sit euicta, actionem habet, vt interim quod dedit recipiat,[1] saluo tamen contractu, id est, ita vt si is, qui controuersiam faciebat, succubuerit, reddatur vtrimque, & præstetur, quod ex contractu dari præstarique debuit. Vtrumque enim ex bona fide est, vt neque facile & sine iusta causa contractus rescindatur,[2] neque pendente controuersia cogatur is, qui rem suam tradidit, aut carere vtraque, aut litem pro vacua possessione suscipere. Venditionis alia ratio est. Neque enim si rei venditæ controuersiam emptor patiatur, statim actio ei danda est, vt lite pendente vel pretium repetat, vel id, quod sua interest, consequatur.[3] Hæc tam varie, quoniam non sicut ex permutatione, ita & ex venditione nascitur actio, vt id, quod datum est, reddatur:[4] sed tantum ad rem defendendam, si rei controuersia fiat,[5] aut ad id quod interest, re tandem euicta,[6] aut denique ad solutionem pretij & vsurarum, si in soluendo pretio emptor moram fecerit.[7] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in causa R. D. Præceptoris Antoniani Camber. contra D. Dufour. Non. Maij 1594.

1 Qui enim alienam rem ex permutationis causa tradidit, is nullam videtur contraxisse permutationem *l. 1. vers. ideoque, D. hoc cit.* Et idcirco quasi ex sua parte contractum non impleuerit tenetur condictione, *d. l. 1. §. vltim. l. 3. 4. & pass. C. eod.*

2 *L. res bona fide 54. D. de contrah. empt.* Est enim permutationis contractus fauorabilissimus, quia vetustissimus, à quo scilicet commercia cœperunt, *d. l. 1. D. eod.*

3 Tantum enim obligatur venditor ad rem defendendam litemque pro emptore suscipiendam *l. si plus 74. §. penult. D. de euict. l. 3. C. eod.* præterquam si aliter conuenerit, *l. siue in libertatem 12. eod. tit.* Aut satisdandum, si in limine contractus immineat periculum euictionis, *l. si post perfectam 24. eod.*

4 *L. ea conditione 14. D. de rescind. vendit.* Bart. *ad l. vlt. num. 5. C. de condict. caus. dat. caus. non sec.*

5 *d. l. 74. §. penult.*

6 *L. si in venditione 60. D. de euict.*

7 *L. ex empto 11. §. 1. l. qui per collusionem 49. §. 1. D. de action. empt.*

DEFINITIO VII.

Resoluta permutatione, quæ per traditionem fuerat perfecta, non recuperatur possessio, nisi retrotraditio sequatur.

TRanslata cum dominio possessione ex causa permutationis, si aut mutuo permutantium consensu, aut per sententiam Iudicis resoluta sit permutatio, non idcirco reddita videbitur possessio, si non retrotraditio quoque sequatur.[1] Neque enim aut nudo consensu, aut per solam sententiam transferri possessio potest.[2] Ideoque etsi alter contrahentium rei, quam permutauerat, possessionem recuperauerit, nihilo magis poterit alius interdicto experiri, siue retinendæ, siue recuperandæ possessionis,[3] multo minus stante permutatione, cum propriam ipse possessionem facto suo amiserit, rem suam permutando.[4] An igitur resoluta permutatione, & reddita vni ex contrahentibus re sua, nulla actio alteri competet ad rem suam repetendam? Imo competet condictio aduersus permutantem, quasi sine causa rem alienam habere incipiat, qui suam recepit.[5] Ea vero actione consequetur actor, vt reus vel rem ipsam tradat, si tradendi habeat facultatem, vel actionibus suis possessoriis cedat[6] aduersus detentorem, si qua ratione naturalem & corporalem rei possessionem amiserit. *Ita Senatus* in causa D. du Four, & Iacobinæ Berru, 3. Idib. Maij 1595.

1 Nihil enim tam naturale est, quam vnumquodque dissolui eo modo, quo contractum fuit, *l. nihil tam naturale 35. de reg. iur. l. prout 480. ff. de solut. l. ab emptione 58. ff. de pact.*

2 Traditio siquidem necessaria est, *l. traditionibus 20. C. de pact.* quia nec acquiritur possessio sine corpore, *l. 3. §. in amittenda. l. quemadmodum 8. ff. de acquir. poss.*

3 Quia possessio facti est, *l. denique 19. ff. ex quibus caus. maior. l. cum heredes 23. de acquir. poss.*

4 Qui enim facto suo cecidit à possessione, numquam potest vincere in iudicio possessorio, cum debeat sibi imputare.

5 *L. 1. §. vlt. ff. hoc tit. l. 3. 4. & pass. C. eod.*

6 Et quidem periculo suo, non illius, cum quo contraxit, cuius

BIU Cujas

cuius vtique ius deterius reddere non potuit, *arg. l. item si cum excepione 14. §. quatenus, vers. quid si homo, D. quod met. caus.*

DEFINITIO VIII.

Periculum rei permutatæ spectat ad eum, qui dominus est: sufficit tamen vt in eum fuerit translata possessio per clausulam constituti.

INter venditionem & permutationem hoc interest, quod rei venditæ periculum statim atque nudo consensu perfecta venditio est ad emptorem pertinet, licet nondum secura traditio sit,[1] adeoque quamuis sub conditione contracta emptio proponatur, nec dum conditio euenerit. [2] At rei permutatæ periculum, quandiu non est traditio secuta, pertinet ad permutantem: ideo nimirum, quod emptio solo consensu,[3] at permutatio non nisi rei traditione perficiatur. [4] An vero satis erit, factam traditionem per clausulam constituti, si corporalis possessio manserit penes constituentem? Vtique: nam per eam clausulam, licet fictitius modus sit transferendæ possessionis, transferetur tamen vera possessio, nec solum ciuilis, sed etiam naturalis & realis, licet non corporalis,[5] ideoque si corporalem quoque possessionem nancisci velit is, cuius nomine alius possidere se constituit, non ad vacuam possessionem tradendam agere debet,[6] sed rem quasi iam traditam & ex traditione suam effectam vindicare. [7] Cui consequens est, vt si interim res perierit casu fortuito, nec possessoris culpa vlla casum præcesserit, periculum eius sit, qui potuit vindicare, non eius, qui adhuc corporaliter rem detinebat. Iuris enim regula est, casus fortuitos ad eum spectare, qui sit dominus,[8] licet in emptione, vt dictum est, aliud obtineat; propterea quod solo consensu perficitur, & ab eo tempore ius habet emptor dominij, quandocunque volet, nanciscendi.[9] *Ita Senatus* pro Ioanne Carlet, contra Ludouicum Durand, 13. Cal. Iun. 1595.

1 *L. 1. C. de peric. & commod. rei vendit. §. cum autem, Inst. de empt. & vendit.*

2 Scilicet si res deterior tantum facta sit, non etiam si perierit, *l. necessario 8. in fin. principij, D. de peric. & commod. rei vendit.* alioqui necessarium est pactum, vt res seruetur periculo emptoris, *l. si in venditione 10. eod.*

3 *d. §. cum autem, Inst. de empt. & vendit.*

4 *L. 1. §. item emptio, D. hoc tit.*

5 *L. quod meo 18. de acquir. possess.* & ibi omnes notant.

6 Quomodo agi solet & debet contra eum, qui rem tradere debuit, nec dum tradidit, *l. 1. in princ. l. 3. l. ex empto 11. in princ. de act. empt.*

7 Effectus enim vindicationis est, vt corporalis possessio, quæ penes reum sit, actori restituatur, *l. officium 9. D. de rei vindicat.*

8 Vulg. *l. quæ fortuitis 6. Cod. de pign. act. l. contractus 25. in fin. D. de reg. iur.*

9 Vt proinde quamuis dominus non sit ante traditionem, *§. venditæ, Inst. de rer. diuis.* perinde tamen haberi debeat, ac si iam esset dominus, cum non stet nisi per eum, *arg. l. is qui actionem 15. & l. qui potest facere 174. de reg. iur.*

DEFINITIO IX.

Ex placito permutationis etiam secuta traditione nulla sive in personam, sive in rem actio nasci potest contra tertium possessorem.

EX permutatione rem meam in te transtuli, tu vero in tradenda tua moram feciſti, & interea tamen eam, quam à me habueras, Titio vendidisti,[1] licet ex placito permutationis secuta ex vna parte traditione nascatur actio præscriptis verbis ad hoc, vt vel placitis stetur, vel quod acceptum est restituatur, non tamen ea res faciet, vt contra emptorem aliumve singularem successorem, qui à vero domino causam habuit, actio vlla siue in personam,[2] siue in rem[3] dari debeat. Heredis & alterius cuiuslibet successoris vniuersalis, qui heredis loco sit, alia causa est. Hic enim eadem actione conueniri potest, qua defunctus ipse, si viueret, conueniretur,[4] nec magis præscriptione longi temporis tueri se potest, si forte post trigesimum aut quadragesimum annum conueniatur, obstante nimirum fide, quam placet etiam heredi & vniuersali successori cuilibet nocere.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. 3. 4. 5. & vlt. C. hoc tit.*

2 Neque enim personalis obligatio transit in singularem successorem, *l. vlt. in fin. D. de contrah. empt. l. 1. §. si heres, D. ad SC. Trebell.*

3 Non enim actione in rem alius tenetur, quam qui possidet rem vel alienam, vel obligatam, §. 1. *Instit. de action. l. pignoris 17. D. de pignor.*

4 *L. vlt. C. de heredit. action. l. 1. C. si cert. petat.*

5 *L. cum heres 11. D. de diuers. temp. præscript.* Edicto tamen Serenissimi Ducis Emanuelis Philiberti constitutum est, vt actiones omnes personales etiam hodie spatio triginta annorum præscribantur, ac proinde non tantum ab heredibus debitoris, sed etiam à debitore ipso.

DEFINITIO X.

Qui rei sibi traditæ ex causa permutationis vel dominium amisit, vel possessionem, nullum eo nomine regressum habere potest.

PErmutaueram tecum Insulam, quæ tibi iam tradita fuerat, postmodum casu fortuito exusta. Cum aream negligeres, nec annuum canonem emphyteuticarium eo nomine debitum directo domino solueres, is iure suo vsus[1] aream siue vt vacantem, siue vt commissam ob cessatam canonis solutionem occupauerat; tum alteri in nouam emphyteusim concesserat: nouus emphyteuta in ea area ædificauerat. Si tu Insulam nunc vindicare velis,[2] & nouus emphyteuta te repellat, siue longi temporis præscriptione,[3] siue quod neget, aream tibi deberi, in qua nouum ille ædificium bona fide sumptibus suis construxerit, quasi res alia facta sit,[4] nulla tibi eo nomine actio contra me competere potest, quia non per me, sed per te factum fuit, quo minus aream habeas. Cum si post exustam periculo tuo Insulam[5] aut in area ædificare voluisses, aut saltem areæ possessionem retinere,[6] debitumque pro ea canonem annuum persoluere, ius tuum hodie saluum esset.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. lex vectigali fundo 31. D. de pignor. l. vlt. C. de iur. emphys.*

2 Scilicet per vtilem in rem actionem, quæ datur emphyteutæ etiam contra dominum directum, *l. 1. §. vlt. D. si ager vectig. petat.*

3 Quod possederit cum titulo & bona fide per decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes. Est enim titulus emphyteuseos habilis ad acquirendum dominium saltem vtile, *d. l. vlt. C. de iur. emphyt. l. vlt. C. de rebus alien. non alien.*

4 Propter nouum ædificium in ea constructum, *l. si chorus 79. §. area legata, de leg. 3.* Nam si nullum sit aut supersit nouum ædificium, area perinde atque antea debetur, *l. si à grege 22. de leg. 1.* Iunge *l. 5. §. vlt. quib. mod. vsufr. amitt. l. qui res 98. §. aream, de solut.*

5 Periculum enim rei permutatæ post traditionem pertinet ad eum, qui accepit, tanquam qui factus sit dominus, vt dixi *Defin. 8. 5.*

6 Est enim area pars Insulæ, & quidem maxima, cui etiam superficies cedit, *d. l. qui res 98. §. aream, de solut.*

7 Proinde est quod tibi imputes, nullumque videris damnum sentire, quod ex culpa tua sentis, *l. quod quis 203. de reg. iur.*

DEFINITIO XI.

Qui possessionem rei suæ amisit ex causa permutationis, si postea rem illam recuperet, potest iisdem remedijs possessorijs vti, quibus poterat ante permutationem.

BIU Cujas

PErmutatione inter te & Sempronium facta, cum fundi Corneliani, quem à Sempronio acceperas, controuersiam possessionis patereris à Mæuio, auctorem laudaueras Sempronium, & obtinueras, vt fundus, quem Sempronio ex permutatione tradideras, tibi redderetur. [1] Permittendum est Sempronio, vt tanquam auctor tuus etiam citra cessionem iisdem actionibus contra Mæuium experiatur, siue proprietatis, siue possessionis ratione, quibus tu ipse experiri potuisses. [2] Proinde, licet tradendo tibi fundum Cornelianum desierit eum possidere facto suo, [3] perinde tamen interdictis retinendæ & recuperandæ possessionis vti poterit, atque tu vtereris, si fundum tuum non recepisses. [4] Indemnitas enim, quam tibi Sempronius præstat, facit, vt pristinum ius suum recipiat, perindeque haberi debeat, ac si nulla vnquam permutatio facta esset, [5] eamque ipsam controuersiam pateretur, quam tu passus es. *Ita Senatus* in causa D. du Iour, & Iacobinæ Berru, 29. Mart. 97.

1 Iuxta *l. 1. in fin. C. hoc tit.*

2 Qui enim auctor laudatus est, is litem tractat partim suam, partim alienam *l. 1. C. vbi in rem act.*

3 Ei autem, qui facto suo desiit possidere, non solet dari actio ad repetendam possessionem, *l. vlt. vbi not. C. de acquir. possess.*

4 Nec enim nouum est, vt ex alterius persona facere quis possit, quod per se ipsum facere non posset, *l. Aristo 3. in fin. D. quæ res pignor. oblig. poss. l. cum hereditate 55. D. de acquir. hered. l. si is qui duos 29. de liber. legat.*

5 Quia potestas euictionis & restitutionis tollit intellectum permutationis, vt in simili loquitur Papinianus *in l. si patroni 55. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XII.

De permutatione rerum Ecclesiæ, siue fiat cum Principe, siue cum priuato.

POtest quidem Princeps rem suam cum re Ecclesiastica ex iusta causa permutare, etiam Ecclesia inuita, si modo indemnitatem præstet Ecclesiæ, [1] & imploret auctoritatem superioris, per quem rector Ecclesiæ cogi possit. [2] Sed hoc ita, si pro se ipso, non pro alio eiusmodi permutationem facere Princeps velit. [3] Alioqui seruanda sunt omnia, quæ in permutatione inter Ecclesiam & priuatum facta requirerentur, vt nimirum facta sit vel in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, vel ob Ecclesiæ necessitatem. [4] Illud etiam obseruandum est, ne permutatio fiat rei spiritualis cum temporali, [5] quia neque fieri citra simoniam posset. [6] Item ne per eiusmodi permutationem Episcopatus aliquis extingueretur, quod nec nisi ex magna causa facere summus Pontifex solet. [7] Quid rursum si non possit fieri à Principe, quin faciat ille aduersus ea, quæ ipsius prædecessoribus placuerunt, quorum factum præstare teneatur? [8] Quid denique si res, de qua permutanda agitur, data sit Ecclesiæ, ea lege, ne alienari vnquam posset? Hoc nimirum casu certum est, non posse illam alienari, ne quidem ob euidentem Ecclesiæ vtilitatem, at neque ob necessitatem, quandiu alia Ecclesiæ bona sunt, quæ alienari possint. [9] *Sine die.*

1 *Cap. 1. extr. de rer. permutat.*

2 Afflict. *decis. 17. num. 1. ex cap. quæsitum, eod. tit.* post Abbat. *in d. cap. 1.*

3 *Auth. vt de cætero non fiant commut.*

4 *d. cap. quæsitum.* vbi Abbas *& in cap. nisi cum pridem, de renunciat. 7. quæst. 1. can. scias, & can. Episcopus.* Not. Archid. *in c. 1. de rer. permut.*

5 *Cap. fin. extr. de rer. permut. dict. cap. fin. & c. cum pridem de pact. & 1. quæst. 2. cap. quam pia.* Not. *in c. super hos, de renunciat.* Iunge *cap. irrefragabili, §. inter, de offic. ordin.* Oldr. *consil. 262. incip. in quæstione.*

7 Andr. de Isern. *in cap. 1 in addit. magnæ de capit.* Corrad. *cap. sicut vnicæ, de Eccles. præl. gloss. not. 9. quæst. 3. can. per principalem:* non enim posset hoc fieri nisi per vnionem, quæ nunquam facienda est, nisi ob euidentem vtilitatem vel necessitatem, secundum Andr. *ibid.* & Oldrad. *d. cap. 262. c. exposuisti, de præb. cap. dudum, de reb. eccles. non alien. in 6.* Afflict. *dict. decis. 17. num. 4.*

8 *Cap. 1. qui succed. ten.* Not. Cyn. & Bald. *in l. digna vox, C. de legib.* Not. *in cap. Abbate sane, de re iudic. in 7.* Afflict. *ibid. num. 5. & decis. 2. num. 2.*

9 Gloss. *in c. verum, de condic. appos.*

TIT. XLII.

DE LOCATO.

DEFINITIO I.

Conductor frui prohibitus ex ea causa, quam locator præuidere poterit, indemnis omnino & plene seruandus est à locatore.

CVm Canonicus quidam præbendæ suæ fructus in triennium locasset, ac Capitulum Ecclesiæ ad quotidianas eleemosynas præstandas in maxima frumenti penuria singulorum Canonicorum præbendas pro suo iure reuocaret, ex ea causa controuersiam passus conductor fruique prohibitus postulabat, vt quanti sua interesset locator condemnaretur. Ille teneri se negabat, nisi hactenus vt mercedem remitteret, quasi vi maiore impediretur, [1] cum Capitulo ius suum exequenti resistere non posset. Placuit, non eo minus condemnandum in id omne, quod conductoris interesset, quandoquidem vi maiore factum videri non posset, quod iure factum diceretur, [2] præsertim cum ex ea causa frui conductor prohiberetur, quam locator contractus tempore & scire potuerat, [3] & præmonere ex bona fide debuerat. [4] Cum tamen ex plerisque coniecturis appareret, non nisi per Capituli & Canonici collusionem institutam litem in necem conductoris, visum est absolui potius conductorem debere. [5] In secreto auditorio ex tempore, 8. April. 1588.

1 *Arg. l. si fundus 33. D. hoc tit.*

2 Non enim vi aut dolo malo quicquam facere videri potest is, qui iure suo vtitur, *l. si duorum 42. D. de action. empt.*

3 Nec enim poterat ignorare, quibus legibus præbendam haberet. Facit *l. si quis domum 9. §. 1. in illis verbis, quia hoc euenire posse prospicere debuit, D. hoc tit.*

4 *Arg. l. quæro 39. D. de action. empt.*

5 Neque enim malitiis vnquam indulgendum est, *l. in fundo 38. D. de rei vindic.* Et lis per collusionem instituta ac proinde simulata pro non lite est, quia simulata semper pro infectis habenda sunt, *l. si ex pretio 8. C. si cert. petat. l. in summa 65. §. 1. D. de condict. indeb.* qui tamen locus est de lite per calumniam, non per collusionem instituta.

DEFINITIO II.

Suscipiens in se casum fortuitum tenetur etiam de insoluto, præsertim si de incogitatis quoque casibus tractatum sit.

COnductor, si in se receperit periculum casuum omnium fortuitorum, [1] mercedis remissionem prætextu pestis postea emergentis quantumcunque grauis & insolitæ petere non potest. [2] Nihil enim est quod prohibeat, quo minus valeat conuentio, vt de casu fortuito teneatur, qui alioqui non teneretur, [3] cum ob eam causam tanto viliore mercede factam conductionem credibile sit ab eo, qui non aliter fuerat locaturus; [4] nec probabilis est eorum sententia, qui con-

BIU Cujas

qui conuentionem hanc sic interpretantur, vt ad casus insolitos extendi nolint.[5] Neque enim extensio illa dicenda est, si generaliter casuum omnium fortuitorum periculum susceptum sit :[6] præsertim vero si, vt fieri assolet, tam de non cogitatis, quam de cogitatis casibus tractatum proponatur.[7] *Ita Senatus* pro Syndicis Chamberiensibus, contra Ioannem Socquet Non. Iul. 1588. & alias sæpius.

1 Valet enim conuentio, vt quis de casu fortuito teneatur, *l. si quis domum 9. §. Iulianus, D. hoc tit. l. licet 8. C. eod. l. 1. C. commod. l. quæ fortuitis 6. C. de pign. act.*

2 Quam vtique alioquin petere posset, si modo læsio esset vltra dimidiam mercedis. Ita Bart. *ad l. inter stipulantem, §. sacram. de verber. oblig. & ad l. si merces 25. §. maior. per ill. text. D. hoc tit.*

3 Seruanda enim sunt, quę inter contrahentes placuerunt, si non legibus aut bonis moribus aduersentur, *l. iuris gentium, 7. §. ait prætor, D. de pact.* hæc autem conuentio non est improbata, vt constat ex legibus ætatis, *num. 1.*

4 *arg. l. si venditor 6. §. 1. in fin. D. de seru. export. l. si sterilis, 21. §. si sibi, D. de action. empt.*

5 Gloss. & Bart. *ad l. sed etsi quis, §. quæsitum, D. si quis caut. & in l. fistulas, §. frumenta, D. de contr. empt.*

6 *Per text. in dict. §. frumenta, & in l. 1. vers. ita, vt si interdum, à contr. sens. C. de iur. emphyt.* Semper enim specialia generalibus iniunt, *semper specialia 147. de reg. iur.* Vide Bald. *in l. sub prætextu, C. de transact.* Iunge *l. ex conducto 15. §. si vis, hoc tit.*

7 Crauett. late *cons. 294.* Rip. *in tract. de pest. à nu. 74. vsque ad 84.* Boer. *quæstion. 228.* Guid. Pap. *quæst. 171. in fin. & ibid. Apostill.* * Obserua tamen in locatione quantumuis generali nunquam contineri iura de quibus non fuit cogitatum, & quę locator ipse nō fuerat percepturus si vixisset, nec locasset, quia inter locatorem & conducterem id agi intelligitur vt nihil amplius siue minus habeat conductor quam habiturus locator fuerat, vt dici solet de emptore & venditore *l. 2. in princ. D. de hered. vel act. vendit.* Itaque cum tutor D. Marchionis à Camera omnia iura Marchionatus in quadriennium locasset, tum intra locationis tempus decessisset. Placuit non deberi conductori Placita vt vocant, *les plaits*, quæ per mortem Domini ab emphyteutis omnibus præstari solent, quia nunquam locator ea fuerat habiturus etiamsi nō locasset. Prætèr id quod nec expressa conuentione poterat tutor, idemque impuberi substitutus citra malum omen ea placita locare, arg. *l. cum tale legatum, 72. in princ. D. de cond. & demonst. l. Paula. 27. §. Pompeius, de legat. 3.* Non idem est fructibus bonorum post Domini mortem perceptis, quia licet dominus eos nunquam perceperit, percepisset tamen si vixisset nec locasset, & locatio transit etiam in heredem, *l. viam 10. C. hoc tit.* Nec tamen consequens est vt Placita illa ideo deberentur conductori, quia deberentur heredi, non enim iura heredis locat, vt nec qui sua bona obligat. *l. Paulus 30. in princ. & §. 1. D. de pign.* Quanquam nec Placita illa solent cedere heredi sed successori in feudo aut fideicommissario. Aliud iuris est in Placitis quæ domino debentur per mortem emphyteutæ, hæc enim ad conductorem pertinent, quia & ad dominum pertinerent si vixisset nec locasset. *Ita Senatus* pro D. Comitissa de Montreal contra Iacobum Hallesan. 27. Mart. 1620.

DEFINITIO III.

Non potest peti remissio mercedis, nisi læsio sit vltra dimidiam, nec nisi in fine locationis.

Læsis vi maiore aut tempestate, alióve quo fortuito casu fructibus, non aliter mercedis remissionem ex ea causa petere conductor potest, quam si alioqui futurum sit, vt supra dimidiam conuentæ mercedis partem iacturam sentiat :[1] confusis scilicet omnium annorum fructibus & pensionibus,[2] si in plures annos locatio facta sit, vt si quid priorum vbertati defuit, sequentium fertilitate compensetur.[3] Neque enim tot locationes videri debent, quot anni sunt, sed omnium annorum vnica & consequenter indiuidua est locatio, multas licet, distinctasque habens præstationes.[4] Itaque non, nisi finita locatione omnibusque annis præteritis, de mercedis remissione tractandum est.[7] *Ita Senatus* sæpius sine die. Et nouissime in causa D. Episcopi Maurianensis, contra Claudium Pernollet, ante Cal. Septemb. 94.

1 Bart. *ad l. inter stipulantem 83. §. sacram. de verb. oblig. & ad l. si merces 25. §. vis maior, per ill. text. D. hoc tit.* D. xi *Defin. præced. nu. 2.*

2 *l. licet certis annis 8. C. hoc tit.*

3 *L. ex conducto 15. §. Papinianus alias, l. si vno, D. hoc tit.*

4 Omnium enim rerum essentiæ sunt indiuiduæ, vt aiunt Philosophi.

5 Nam etsi facta esset remissio primo anno pro sterilitate, quam sequentium annorum vbertas compensasset, adhuc peti posset pensio totius anni, *d. §. Papinianus, alias d. l. si vno.* Hoc ita, nisi conuenerit, vt in singulos annos seperatim pensionis remissio peti possit, quod hodie plerumque fit.

DEFINITIO IV.

Pendente lite conductor, qui negat sibi frui licuisse, condemnandus est prouisionaliter & oblata satisdatione, nisi conquestus sit ante litem sibi motam.

Ex locationis contractu, cum sit vltro citroq; obligatorius, non est præcise cogendus conductor, vt mercedem soluat.[1] Prius enim est, vt constet impletum ex locatoris parte contractum,[2] id est, per eum non stare, quo minus conductor fruatur re conducta,[3] quam vt paratam ex contractu habeat actionem. Si tamen facti quæstio discutienda sit, an conductori liceat re conducta frui, nec ne, æquissimum est pendente lite mercedis condemnationem fieri, quam prouisionalem vocant, præstita scilicet per locatorem satisdatione, vt hoc veluti remedio solitis conductorum fraudibus occurratur, qui hac plerunque vtuntur cauillatione,[4] cum ad solutionem vrgentur, vt & rem & pecuniam habeant.[5] Sane si conductor, priusquam solutionis dies venisset, aut quam ex locato conueniretur, conquestus erat frui sibi non licere, eoque nomine locatorem, siue in iudicio, siue extra iudicium testato interpellauerat, magis est, vt cessante cauillationis suspicione non ante condemnandus sit, quam locator intentionis suæ probationem impleuerit,[6] tametsi satisdatio per locatorem offeratur.[7] *Ita Senatus* sæpius.

1 Non enim solent dari literæ præcisæ, nisi ex instrumento guarentigiato; non potest autem tale instrumentum.

2 Nam qui prior agit ex contractu vltro citroque obligatorio, prior quoque implere debet, *l. Iulianus 13. § offerri, D. de action. empt.*

3 Debet enim locator conductori præstare, vt frui possit, *l. ex conducto 15. §. si vis tempestatis, in fin. D. hoc tit.*

4 Cauillatio enim hæc est, maxime si non allegetur ista fruitio, nisi postquam pensionis dies venit: verisimile namque est, quod non fuisset conductor tamdiu expectaturus, si frui non potuisset, vt sequitur *in Defin.*

5 Quod est contra bonam fidem, *l. ex empto 11. §. vlt. l. bona fides 50. D. de action. empt.*

6 Debet enim prior probare is, qui prior agit, vt dixi *num. 2. ex l. Iulianus 13 §. offerri, D. de act. empt.*

7 Nemo enim debet ideo cogi soluere, quod ab alio postea sit repetiturus, *l. nemo ideo 171. de reg. iur.* quoniam interest nostra non soluere potius, quam solutum repetere, *leg. 3. D. de compensat. l. si stipulatus 15. in princ. D. de fideiuss.* Iunge *l. quia satisdatio 6. D. de suspect. tutor. l. testamento 17. §. non omnimodo, De testam. tutel.* Iunge *Defin. 7. f.*

DEFINITIO V.

Res empta ex pretio alterius rei venditæ non censetur in eius locum substituta, nisi destinatione contrahentium.

Frequentissimum est apud nos locationis nouum genus, quo quis animalia sua nutrienda alteri curandáque tradit, æstimata quidem, vt, si forte conductoris culpa, non etiam facto suo aut casu pereant vel deteriora fiant, sciatur quid ille reddere debeat,[1]

BIU Cujas

sed ita tamen vti ne liceat conductori ea vendere inscio locatore,[2] nec eo minus fœtus, qui pendente conductionis tempore prouenerit, inter locatorem & conductorem diuidatur, ac si communis inter eos esset proprietas, reliquus fructus ad solum conductorem spectet.[3] Commendam vulgo vocant.[4] Finge igitur ex vacca sic locata editum vitulum, quem conductor inscio locatore vendiderit, tum ex pretio alium comparauerit, quem rursum alteri vendiderit, vix est, vt locatori vlla in posteriorem hunc emptorem actio competat, siue in rem, siue in personã, quia nec locatoris vnquam vitulus fuit, nec substitutus videri potest in locum prius venditi,[5] quando certissimi iuris est in iudiciis singularibus quale est vindicationis, rem vnam nunquam in alterius locum succedere,[6] multo minus vero eam, quæ comparata sit ex pretio alterius rei venditæ: nam nec in vniuersali iudicio ea subrogationis species admitteretur.[7] Sed si ponas conductori, destinatione[8] id actum, vt is vitulus ex prioris pretio emptus eius loco cederet, adeoque conductorem constituisse, eum se vitulum possidere nomine locatoris, magis est, vt locatori traditus videatur,[9] & consequenter ita acquisitus, vt cum possit à quocunque possessore vindicare.[10] Quod sine dubio procedit, si addas prioris vituli venditioni consensisse locatorem, ea lege, vt ex pretio alius emeretur, & in prioris vicẽ substitueretur,[11] præsertim si illud etiam concurrat, vt conductor non sit soluendo: ex qua causa, etiamsi directa vindicatio deficeret, vtilis tamen ex æquitate competere deberet.[12] Etsi enim non solet dominium nuda voluntate transferri,[13] in proposito tamen destinatio illa conductoris vitulum hunc suo licet emptum nomine & ex propria pecunia, tamen, pro locatore possidentis, traditionis vicem repræsentat ad transferendam possessionem,[14] & per possessionem dominium,[15] præcedente nimirum propter conuentionem vtili transferendi dominij causa.[16] *Ita Senatus* 10. Cal. Decemb. 1588. Iunge SC. 5. De rei vindicat. & SC. 9. infr.

1 Fit enim aliquando æstimatio ob hanc causam, non vt venditionem faciat, *vt in l. si inter* 21. *C. de iur. dot. l. æstimatis*, 50. *solut. matrim.*

2 *d. l. æstimatis*, ibi, *si neque volente, neque ratum habente muliere. l. vlt. D. de pact. dotal.*

3 Nec enim nouum est, vt fructus rei locatæ pertineant ad conductorem, quamuis non sit ipse dominus, quia eos percipit ex domini voluntate, *l. si seruus* 61. *§. locauit, D. de furt.*

4 Quo tamen nomine depositum magis, quam locatio significatur, *l. in pœnis quem* 6. *l. cum hereditas* 9. *Cod. depos.* [Itali *Socidam* vocant, de qua Socin. *ad l. si pascenda* 81. *C. de pact. & ibid. alij.*]

5 Actio autem in rem non datur, nisi ei, qui sit dominus vel iure gentium, vel iure ciuili, *l. in rem* 23. *D. de rei vind.* vel qui habeat rem obligatam, *l. pignoris* 17. *D. de pignor.* Vide Crauett. *cons.* 202. *num.* 3.

6 Bart. Castr. & alij, *in l. vtrum, l. si & rem, l. sed etsi §. 1. D. de petit. hered.*

7 Bart. *in l. Imperator* 70. *§. si centum, de leg.* 2. *ex l. Titium*, 47. *§. altero. D. de admin. tutor. l. si patruus* 4. *Cod. commun. vtr. iud.* Vide Bald. *in l. si mater* 3. *C. de rei vindic.* Non enim res ex pretio, aut pretium ex re percipitur, sed ex negotiatione, *leg. venditor* 21. *D. de hered. vel act. vend.*

8 Sæpe enim multum potest destinatio, *l. fundi* 17. *§. pen. & vlt. D. de action. empt. l. si chorus* 79. *§. 1. de leg.* 3. *l. qui res* 98. *§. aream, D. de solut.*

9 Quia per clausulam constituti transfertur vera possessio, *l. quod meo* 18. *de acq. poss.*

10 *L. traditionibus* 20. *C. de pact.*

11 Non enim debet pacti sui commodo fraudari ille, qui non aliter fuerat contracturus, *l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.* [*l. in traditionibus* 44. *D. de pact. l. si venditor* 6. *in fin. De seru. expor. l. si sterilis* 21. *§. si tibi, D. de action. empt.*]

12 *Arg. l. vxor marito* 55. *D. de donat. int. vir. & vxor.*

13 *d. l. traditionibus.*

14 *d. l. quod meo, l. si quis conductionis* 25. *C. hoc tit.* Iunge *l. res ex mandatu* 59. *D. de acquir. rer. domin.*

15 *L. per procuratorem* 8. *C. de acquir. poss.*

16 Titulum enim aliquem præcedere necesse est, qui sit habilis ad dominium transferendum, *l. nunquam nuda* 31. *D. de acqu. rer. domin.*

DEFINITIO VI.

In contractu, quem commendæ vocant, consuetudo loci seruanda est, & maxime attendendum, ne fiat per conductorem deterior conditio ignorantis locatoris.

IN eo locationis genere, de quo proxime diximus, sicut & in cæteris omnibus, id maxime seruandum est, quod inter contrahentes actum probatur, siue scriptum sit, siue non,[1] dummodo nihil in fraudem legitimarum vsurarum factum fuerit.[2] Iam enim eo deuentum est, vt plerique hac contractus specie, in quo maxime bonam fidem præstari oporteret, ad occultandas vsurarias pactiones impiissime abutantur. Cessante conuentionis potestate, cuiusque loci consuetudo seruanda est. Alias enim apud alios contractus hic admittit conditiones.[3] Illa tamen fere vbique viget consuetudo, vt liberum sit conductori ex animalibus conductis, aut quæ ex conductis edita sint, quæ vult vendere, dum alia emat, & in venditorum locum substituat, ita vt non possit deterior facta videri conditio ignorantis locatoris.[4] Itaque sicuti hoc casu nulla locatori vindicatio pristini dominij iure competit aduersus emptorem;[5] ita rem à conductore proprio quamuis emptam nomine, tanquam in suæ locum ipso iure substitutam, vindicare non prohibetur:[6] tametsi iuris regula faciat, vt quod ex mea pecunia comparatum est, non idcirco meum fiat,[7] multoque minus quod emptum fuerit de pecunia ex rei meæ venditione redacta, quandoquidem nec pecunia illa mea vnquam fuisse videri potest.[8] Plane si locatoris inscij animalia conductor vendiderit, nec alia substituerit, quæ sint eiusdem aut maioris etiam pretij, æquum est, saluum esse locatori ius reisuæ, à quocunque possessore vindicandæ, siue bonæ fidei emptorem proponas, siue malæ fidei possessorem.[9] Nam quod dici solet, moribus Galliæ, qui non omnes ad nos vsque peruenerunt, receptum esse, vt mobilium, aut se mouentium rerum persecutio nulla sit, ad quasi Seruianam inhibendam pertinet,[10] non ad auferendam domino, cuius voluntas in alienatione non interuenerit, directam rei vindicationem.[11] *Ita tractatum & decisum est* in eadem causa.

1 *L. semper in stipulationibus* 34. *de reg. iur.*

2 *Arg. l. si ita pactione* 14. *C. de vsur.*

3 Quia contractus consuetudinarius est, & iuri nostro incognitus.

4 Nunquam enim alter alterius conditionem deteriorem facere potest, *l. 2. quod vi aut clam, l. non debet alteri* 74. *de reg. iur. l. 1. D. de alien. iud. mut. caus. fact.*

5 Cum ex ipsius voluntate videatur conductor eam rem vendidisse.

6 Vice permutati dominij, vt loquitur Papin. *in l. sed quod inde* 71. *& seq. de leg.* 2.

7 *l. qui aliena* 8. *C. si quis alteri vel sibi, l. si ex ea* 6. *C. de rei vindic. l. si patruus* 4. *C. commun. vtriusque iudic. l.* 2. *C. pro socio.* Idemque est etiamsi res empta sit ex mandatu meo, *l. res ex mandatu* 59. *D. de acquir. rer. domin. l.* 3. *§. 1. qui potior. in pign. hab.* nisi fuerit etiam meo nomine tradita, *l. si procurator rem*, 13. *De acquir. rer. dom. l. si ego* 24. vbi Bart. Bald. Castr. *de negot. gest.* Idem Bald. *in l. si vt proponis, pag. 1. vers. considerandum ergo est, C. de rei vindicat.*

8 Pecunia enim pretij non ex re, sed ex negotiatione percipitur, *leg. venditor* 21. *D. de hered. vel act. vendit.* sicut nec res empta ex pecunia pignorata est pignorata, nec contra, neque rursum pecunia furtiua, quæ redacta est ex pretio rei furtiuæ, *l. idemque* 7. *in fin. D. qui potior. in pignor. hab. l. si vnus* 67. *§. 1. D. pro socio, l. qui vas* 48. *§. vlt. D. de furt.*

9 *Ex reg. d. l. non debet alteri*, iunct. *l. id quod nostrum est* 11. *de reg.*

BIU Cujas

de reg.iur. Hoc enim casu possessor & iuris communis & consuetudinis potestate destituitur.

10 Facilius enim est vt pignoris, quam vt dominij ius extinguatur.

11 *L.si liberam 10.C. quod cum eo, qui in alien. potest.*

DEFINITIO VII.

Executio, etiam quæ non sit præcisa, non potest fieri vigore literarum præcisarum aduersus conductorem.

QVod supra diximus[1] ex contractu locationis, cum sit vltro citroque obligatorius, exactionis præcisæ ius locatori aduersus conductorem non competere, adeo verum est, vt nec si locator admittat intercessionem conductoris,[2] valere tamen debeat executio, quæ ex præcisis literis à iudice perperam concessis facta sit,[3] si non in ipso executionis primordio, & ante omnia locator protestetur, nolle se præcisam fieri executionem.[4] Idemque est si de alio quolibet contractu simili agatur, id est, qui sit vltro citroque obligatorius.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Cal. Decemb. 1588.

1 *Defin. 4. hoc tit.*

2 Quæ tamen non solet admitti, cum executio fit ex literis præcisis, hactenus nimirum, vt impediat aut suspendat effectum executionis.

3 *Arg. l. 3. in princ. D. quod quisque iur.* Metus enim coactionis coactio est, *l. nonissime 7. §. 1.* vbi Bald. *D. quod fals. tutor. auctor.*

4 Hoc enim casu non habet conductor, de quo conqueratur, *arg. l. 1. §. quia autem, in fin. D. quod legat.*

5 Puta de contractu emptionis, *l. Iulianus, 13. §. offerri, de action. empt.* Nam emptio & locatio iisdem fere iuris regulis constant, *l. 2. in princ. D. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Casus, in quo locator non cogitur præstare, vt conductor fruatur ipsa re conducta, quæ aliy iam locata fuerat.

PRæstare quidem locator ex natura contractus debet, vt conductori re conducta frui liceat.[1] Sed si tibi plures res vno contractu locauerim, quarum nonnullas iam antea alij locaueram, tuque sciens & prudens, licet tacente me, ad hanc conductionem accesseris, & pensionem, quam à priore conductore habere debueram, tu pro tuo iure me consentiente acceperis,[2] placet nulla me tibi actione teneri, si postea rebus ipsis frui malis,[3] quod sufficiat pati me, vt pensionem accipias. Adeo, vt etsi forte cum priore conductore conuenerat, vt pensionis remissio ex causa peti posset, tecum vero ne vllo casu,[4] non ideo tibi remissionem fieri oporteat, quod integram pensionem ab alio iure exigere non possis: videris enim consensisse, vt quod ad eum pertinebat in meum locum succederes, isque tibi, tu mihi solus maneres obligatus.[5] Idque facilius admittendum est, si minori pensione rem conduxeris, quam ille conduxisset.[6] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Calend. Decemb. 1588.

1 *L. ex conducto 15. §. 1. & 2. in fin. D. hoc tit.*

2 Quasi translata in te locatione.

3 Nemo enim consilium mutare potest in alterius iniuriam, *l. nemo potest mutare 75. de reg. iur.* & quod semel placuit, amplius displicere non potest, *vulg. cap. quod semel, eodem tit. in sexto.*

4 Iam enim diximus conuentionem istam valere, *Defin. 2. supr.*

5 Quasi breui manu, *l. 3. §. sed si debitorem, D. de donat. inter vir. & vxor. l. licet 43. §. quoties, D. de iur. dot.* Itaque potest tibi imputari, cur secutus sis nomen prioris conductoris, *arg. l. 1. §. illud sciendum, D. de separat.*

6 Quasi fuerit hoc pretium periculi, vt loquitur Scæuola *in l. vlt. D. de nautic. fœnor.* Iunge *l. si venditor 6. in fin. D. de seru. export. l. si sterilis 25. §. si tibi, de act. empt.* Cæterum his omnibus casibus videtur secundus conductor.

DEFINITIO IX.

Æstimatio rei locatæ neque dominium neque periculum transfert in conductorem.

NOn quælibet æstimatio facit emptionem, sed ita demum, si id actum sit, & negotij natura patiatur.[1] Itaque si ea locatio facta sit, de qua supra diximus,[2] non liberabitur conductor soluendo æstimationem, si locator animalia ipsa habere malit.[3] Et vicissim si sine culpa conductoris animalia illa perierint, locatori peribunt non conductori.[4] Neque enim id actum videri potest locatione contracta, vt dominium in conductorem transferretur.[5] Proinde cum quidam aduersus debitorem suum personali actione egisset ex chirographo, debitor autem prædium rusticum alij locasset cum animalibus æstimatis, adiectaque conuentione, vt finita conductione æstimatio solueretur, placuit iure postulasse creditorem, vt ea animalia, tanquam ex bonis condemnati debitoris pignori caperentur,[6] neque potuisse conductorem eo prætextu intercedere, quod paratus esset æstimationem conuentam offerre, si non integrum debitum persolueret, cuius consequendi gratia executio facta est.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Calend. Decemb. 1588.

1 *L. 1. D. de æstimat. l. si inter 22. C. de iur. dot. l. æstimatis 50. solut. matrim.*

2 *Defin. 5.*

3 *Vt in d. l. si inter.* Æstimatio enim fit hoc casu ea prorsus mente, qua *in d. l. si inter.*

4 Æstimatio enim periculum non facit eius qui accipit, nisi cum in eum transfert dominium, *d. l. 1. §. vlt. de æstim. act. l. plerunque 11. de iur. dot.*

5 *L. non solet 39. D. hoc tit.*

6 *L. à Diuo Pio, D. de re iudic.*

7 Cum enim agitur hypothecaria oblatio facienda est totius debiti aut executio patienda, *l. quamdiu 6. Cod. de distract. pignor.*

DEFINITIO X.

Varij casus, in quibus potest conductor locatori referre quæstionem dominij.

CErtum quidem est, locatori ex contractu locationis agenti non posse referri quæstionem dominij:[1] sed tamen si dominij quæstionem in iudicium deductam à conductore locator contestatus sit, vtilis erit conductori exceptio iusti dominij:[2] quemadmodum & si ex nouo iure post locationem contractam res locata ad conductorem pertinere cœperit.[3] Sed & si ponas locatum fundum, aut ea lege acquisitum locatori fuisse, vt eum retrouendere cogeretur illi ipsi, cui subinde locauerit, aut pignoris tantum iure, vt plerunque fit, possessum,[4] nihil prohibet, quo minus possit conductor ex locatione conuentus luere pignus, aut rem redimere. Non enim locatori iniuriam facere videri potest, aut mutare sibi causas possessionis, qui iure suo vtitur.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 16. Cal. Ian. 1589. Iunge Defin. 3. De rei vindic. & Defin. 12. infr. hoc tit.

1 *L. si quis conductionis 20. C. hoc tit.* Iunge *l. conductores 34. eod. l. male agitur 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. non absre 10. C. vnde vi.*

2 Propter vim contestationis, quæ facit, vt in iudicio quasi contrahatur, *l. 3. §. idem scribit, D. de pecul.* Facit *cap. 1. Extr. de restit. spoliat.*

3 Iacob. Menoch. *in remed. 11. recip. possess. numer. 42. & per totum.*

BIU Cujas

4 *Vt in l. qui fundum 75. D. de contrah. empt. l. quædam mulier 77. D. de rei vindicat.*

5 *L. non solum 33. § quod vulgo, in fin. D. de vsurpat. & vsucap.* Iunge *l. si duorum 42. D. de act. empt. l. iniuriarum 13. § 1. D. de iniur.*

DEFINITIO XI.

Conductor iis casibus, quibus expelli per locatorem potest, non nisi ex auctoritate magistratus expelli debet.

CONductorem, qui re conducta male vtitur, expelli posse certum est. [1] Sed an propria locatoris auctoritate & facto ipso, an iudicis accedente cognitione & imperio? Senatui placuit, non nisi causa cognita id fieri debere, ne tumultus aut iniuriæ detur occasio, si locatori ius suum sine iudice exequi concedatur: [2] cum fieri possit, vt tandem appareat nihil dolo malo factum à conductore, si eo audito, & apud iudicem negotium disceptetur. [3] *Ita Senatus* pro Bartholomæo Blanc, contra D. Baronem de la Serra, 3. Id. Febr. 1589. & iterum pro N. Burdinat, contra N. Rauier, 17. Calend. Ianuar. 1589.

1 *L. æde 3. C. hoc tit.* Didac. Couarr. *lib. 2. var. resol. cap. 15.*

2 *L. non est singulis 176. de reg. iur. l. extat 13. D. quod met. caus. l. 3. C. de pignor.*

3 Vide Ioannem Imbertum in Enchiridio, *in verb. Le fermier.* Secus tamen est, si iam finita locatione velit locator conductorem propria auctoritate expellere. Id enim tunc potest Guid. Pap. *quæst. 480.* Boer. *cons. 7.* Canon. *in cap. vlt. extr. hoc tit.* Innoc. *in cap. de immunit. eccles.*

DEFINITIO XII.

Casus, in quo non potest conductor referre quæstionem dominij, nec ob ius quæsitum ex post facto, nec si locator super eo nouo iure litem fuerit contestatus.

FVndum, quem à Titio emeram ea lege, vt ei quandocunque pretium offerenti restituere deberem, [1] tibi in quinquennium locaueram. Finito locationis tempore, cum ex locato agerem, vt fundum redderes, dixisti te non teneri, quod redimendi ius Titio competens tibi acquisiuisses. [2] Itaque oblato mihi pretio cum accessionibus petiisti, vt ad retrouendendum condemnarer. [3] Placuit non prius cogendum me fundum retrouendere, aut de iure redimendi tecum disputare, quam possessio mihi per te fuerit restituta. [4] Nam si aduersus locatorem ex locationis contractu agentem dominij quæstionem referre conductor non potest, [5] rametsi iam factus dominus, [6] multo minus ex ea causa poterit, quæ ad quærendum dominium pertineat, siquidem plus iuris habet, qui iam dominus est, quàm qui in eo est, vt dominus fieri debeat. [7] Nec aliud erit, quamuis super ea redimendi facultate, quam tibi competere intendis, litem tecum sim contestatus: [8] si non adeo in promptu doceas de iure tuo, vt nihil à me in contrarium obiici possit. Tunc enim circuitus vitandi causa æquissimum est, [9] de tua quoque petitione de qua cognitum sit statim pronuntiari. [10] Alioqui non ex eo solo, quod minus caute super iure redimendi contestari cœpero, vsque adeo mihi imputandum est, vt lite pendente possessionis meæ iacturam pati debeam. [11] Illud vero multo alienius est, si quis dicat, quoties cumulatum est petitorium cum possessorio, debere vtrumque eadem sententia terminari, propterea quod petitorij quæstio possessionis momentum absorbeat. [12] Neque enim hoc casu ea cumulatio facta videri potest, cum reconueniendo potius, quam excipiendo, redimendi ius in iudicium à te deductum intelligatur. [13] Tantumque abest, vt in proposito petitorium absorbeat possessorij quæstionem, vt vel ad hoc ipsum præstandum quod petis, id est, ad retrouendendum tibi, necesse sit me prius fieri possessorem: cum retrouenditio suapte natura requirat retrodationem, [14] quæ nisi à possessore fieri nullomodo potest. [15] Itaque multum hic casus ab illo differt, quo tu rem iam esse tuam diceres, dominiique non acquirendi, sed iam quæsiti referres quæstionem. [16] *Ita Senatus* 15. Cal. Ianu. 1589.

1 *Vt in l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

2 *Arg. eorum quæ diximus Defin. 10. num. 3. §.*

3 Vitandi circuitus gratia, qui semper vitandus est, *l. dominus 53. D. de condict. indeb.*

4 Nunquam enim ob id solum debes me vincere, quod possideas, si à me habeas possessionem, *l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

5 Vt dixi *Defin. 10. num. 1. §.*

6 Intellige si factus sit dominus ex causa affectata, & malo more acquisita, vt comminiscendæ iniuriæ color quæreretur, sicut in proposita specie, ne alioqui obstet, quod dixi *Defin. 10. num. 3. §.*

7 Plus enim est, quæsitum ius habere, quam quærendum, *Not. in l. is qui actionem 11 ode reg. iur.*

8 Atqui in iudicio quasi contrahitur per litis contestationem, vt dixi *Defin. 2. num. 10. §. eod.* Sed in proposito facta fuit contestatio super dominio quærendo, non super quæsito, quæ minoris est efficaciæ ad impediendam restitutionem possessionis, vt sequitur *in Defin.*

9 *Arg. d. l. dominus 53. D. de condict. indeb. l. 3. § pen. de donat. inter vir. & vxor.*

10 Quod Pragmatici nostri solent dicere, *per modo constat, modo agatur, ex l. 3. in princ. D. vt in possess. legat.* Iunge *l. ille à quo 13. § si de testamento, vers. quid ergo, ad SC. Trebell.*

11 Magnum enim commodum est possessionis pendente lite, *§. commodum, Instit. de interdict.* Nec eius damno tam facile affici debet litigator ob contestationem, quæ fit persæpe metu comminationum, vt Pragmatici nostri loquuntur.

12 *Ex notat.* per Bart. Alex. & alios, *ad l. naturaliter 12. §. nihil commune, D. de acquir. poss.* Canonist. *in c. etsi causam, extr. de caus. poss. & propr.*

13 Aliud enim est reconuenire, aliud excipere, *l. cum Papinianus 14. iunct. Auth. & consequenter, vbi not. C. de sent. & interloc. omn. iudic.*

14 Quemadmodum venditio requirit traditionem, *l. 1. D. de action. empt. l. ab emptione 58. D. de pact.*

15 Cum nihil aliud sit traditio, quam datio possessionis, *l. 3. in princ. D. de act. empt.*

16 Quo demum casu ea obtinere deberent, quæ scripsimus *Defin. 10.*

DEFINITIO XIII.

Casus, in quo locator possessionem rei locatæ non potest repetere à conductore citra satisdationem.

CVm tamen in suprascripta specie in retrouenditionis petitæ pretium vna cum accessionibus omnibus obsignasses, [1] satisdationis præstandæ onus mihi Senatus iniunxit, [2] nimirum de restituendis tibi fructibus, si redimendi ius tibi competere quandocunque constaret, propterea quod dubitari eo casu non posset, quin ab illo tempore mora per me contracta fructus tibi deberentur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod necesse est fieri ad hoc, vt fructus possint peti, nec vicissim vsuræ vllæ debeantur, vt dixi *Defin. 6. num. 2. §. de pact. inter empt. & vendit.*

2 Est enim satisdatio maximum & promptissimum in iure nostro remedium ad iniquitates multas corrigendas.

3 *L. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFINITIO XIV.

Exceptio, quæ ex ipsis contractus verbis nascitur, facit ne pendente facti quæstione conductor sit prouisionaliter, vt aiunt, condemnandus.

IN locatione conuenerat, vt si qua de causa conductor re conducta frui prohiberetur, remissio fieret pensionis.

BIU Cujas

pensionis.[1] Cum allegaret conductor, se propter pestem frui non potuisse, locator vero negaret, visum est nullam locatori adiudicationem fieri debere, ne fiduciariam quidem, lite pendente,[2] quoniam ea exceptio ex contractu ipso, & verbis conuentionis nasceretur,[3] præsertim cum eo tempore pestem grassatam esse constaret:[4] Ita que de facti veritate ante omnia inquiri debere placuit. *Ita Senatus* 4. Non. Decemb. 1590.

1 Quæ tamen conuentio superuacua videbatur, cum inesset ex ipsa natura contractus, *l. ex conducto*, 15. *§.* 1. *& sequent. D. hoc tit.*

2 Quomodo fieri solet adiudicatio ista prouisionalis, cum talis nulla conuentio expresse interposita fuit, vt dixi, *Defin.* 4. *supr.*

3 Sunt enim fauorabiliores exceptiones, quæ ex ipsis contractus verbis nascuntur, quam quæ ex sola negotij æquitate, sicut & illæ, quæ ex negotio nascuntur, fauorabiliores sunt, quam quæ extrinsecus veniunt, *arg. l. maioribus*, 3. *C. comm. utr. iudic.*

4 Quod enim notorium est allegari sufficit, nec probari necesse est *vulg. iurib.*

DEFINITIO XV.

Minor non potest restitui aduersus conductionem ob id solum, quod receperit in se casus fortuitos, nisi aliunde læsio probetur.

ADeo verum est plurium annorum facta locatione vnicum contractum intelligi,[1] & vnius anni sterilitatem cum aliorum vbertate compensari debere,[2] vt nec minor audiendus sit, si in integrum restitui velit aduersus conductionem, ex eo solo quod periculum in se receperit omnium casuum fortuitorum,[3] per quos factum sit, vt per aliquod tempus frui non potuerit. Fieri enim potest, vt sequentis temporis vbertas cum eo incommodo compensata fructuosam tandem & vtilem faciat conductionem.[4] Aliam igitur probandæ læsionis rationem inire minor debebit, vt restituatur.[5] In proposita vero specie illud etiam minori obstabat, quod non solus ipse, sed cum patre, & ex patris consilio contraxerat, vt nihil temere & inconsulto per ætatis lubricum feciisse videretur.[6] Quanquam magis placebat, si aliunde læsio bene probaretur, non ex solo impediri debere restitutionem, non magis quam si minor cum alio maiore contraxisset.[7] *Ita Senatus* in causa Ioannis Antonij Gleyron, & Ioannis Crispini, contra D. de Moyron, Idib. Decemb. 1590.

1 Dixi *Defin.* 3. *num.* 4. *&.*

2 *L. licet certis annis*, 8. *C. hoc tit. l. ex conducto*, 12. *§. Papinianus*, alias *l. si vno*, *D. eod.*

3 Non enim restituitur minor aduersus eam pactionem, quæ etiam à maiore eoque diligente patrefamilias fieri possit, *l. minor* 48. *§. vltim. D. de minor.* iunct. *l. verum* 11. *§. item non restituetur & seq. eod. ill. tit.*

4 *d. §. Papinianus, alias, d. l. si vno anno.*

5 Non enim restituendus est minor ob hoc solum, quod sit minor, nisi se etiam læsum probet, *d. l. verum*, *§. sciendum*, *l. quod si minor*, 24. *§. non semper, de minor. l. nam posteaquam*, 9. *§. si minor. de iurei.*

6 Nullum enim melius consilium est pro filio, quam paternum, *l. vlt. C. de curat. furios. l. vlt. C. qui & aduers. quos.*

7 Nam & restitueretur contra patrem ipsum, si ab eo læsus esset, *l. si superstite*, 5. *verf. sane. C. de dolo.* Iunge *tit. C. si tut. vel curat. interuen.*

DEFINITIO XVI.

LOcauerat mihi Titius fundum in triennium fruendum ex eo tempore, quo prior alterius triennij conductio finita esset, quæ ex verbis contractus finem accipere debuerat Cal. Nouembribus. Eundem fundum ego tibi sublocaueram ex iisdem Calend. Nouemb. subiecta clausula vt præstarem, tibi frui licere, eo prorsus modo, quo frui mihi ex contractu meo liceret. Euenerat, vt propter intercalatum eo anno decendium celebri illa, neque vnquam satis laudata Diui Gregorij decimitertij Pontificis maximi constitutione,[1] prioris constitutionis prorogatio facta esset in vndecimum vsq; Nouembris diem: facto in eam rem generali Senatusconsulto,[2] ne qua ex eiusmodi intercalatione debitoribus aut creditoribus iniuria fieret.[3] Non putauit Senatus teneri me præstare, vt ex Calendis Nouembribus frui incipias, cum ego non nisi post elapsum decendium illud incipiam habere ius fruendi nec ad rem pertinuit, quod alienam rem sicut vendere, ita & locare potuerim,[4] sitque mihi imputandum, cur ex eo præcise die Calendarum Nouembrium conductionis tuæ tempus incipere voluerim.[5] Quis enim credat id inter nos actum, vt sine causa, nullóque proposito fraudis emolumento plus iuris in te transferre vellem, quam ego haberem?[6] Aut quid apertius, quam noluisse me in duriorē causam obligari, cum hoc ipsum diserte inter nos conuenisset, vt eodem prorsus modo tu ego que fruerēmur?[7] Præsertim cum fruendi impedimentum non ex facto meo, aut in aliquam meam vtilitatem veniat, sed ex casu fortuito, hoc est, ex summi Pontificis improuisa voluntate,[8] Senatusque ad Pontificiam constitutionem interpretatione, commodo autem prioris conductoris. Minus mouere potuit, quod subiecta illa clausula generalis sic intelligi debere videretur, ne præcedenti clausulæ speciali derogaret.[9] Neque enim aliam quam supradictam interpretationem recipere poterat, cum alioqui futurum esset, vt nihil operaretur.[10] Eratque potius quod imputaretur tibi, cur non fuisses diligentior in exquirendo, quonam demum tempore conductionis meæ tempus inchoandum foret.[11] Ita enim cognouisses, non ex eo die, quem conductionis tuæ principio destinaueram inchoatum eam iri, sed ex eo tantum, quo prior conductio finem accepisset.[12] Satis igitur tibi esse debet, maxime lucrum captanti,[13] si quanto tardius frui cœpisti, tanto tardius frui desinas, prorogato etiam in aliud decendium conductionis tuæ tempore,[14] quamuis tua possit interesse si forte posterioris decendij longe minor sit, quam prioris vtilitas ob casuales & fortuitas aliquas obuentiones.[15] Vtique enim euenire ex contrario potuit, vt maior esset, non tam autem quid euenerit, quam quid euenire potuerit, regulariter in interpretandis contractibus inspiciendum est:[16] sicuti nec iam quod nominatim dictum, scriptumque, quam quod reuera & ex bona fide actum est.[17] *Ita Senatus* ex summa æquitate contra verborum rigorem consentientibus omnium sententiis pro Andræa Morad, contra Ioannem Franciscum Durandard, procuratorem fiscalem Tarentasiæ, 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Quæ in Calendarij emendationem facta est, anno 1582.

2 Quo adprobata fuit illa Calendarij emendatio.

3 Vt ius subconductoris ex persona & iure primi conductoris æstimetur, ne plus iuris habeat secundus conductor, quam primus.

4 *L. rem alienam*, 28. *D. de contr. empt. l. non solet*, 38. *D. hoc titul.*

5 Cum enim nulla in verbis est ambiguitas, non debet admitti quæstio voluntatis, *l. ille aut ille*, 25. *§.* 1. *leg. non aliter*, 69. *de leg.* 3.

6 Contra *vulg. l. nemo plus iuris*, 71. *de reg. iur. l. qui tabernas*, 2. *D. de contr. empt.*

7 Tanquam substituto secundo conductore in ius & locum primi, vt in specie *l.* 2. *D. ad SC. Trebell. l.* 2. *§.* 1. *de hered. vel act. vend.*

8 Voluntas enim Principis, quæ præuideri non potuit, censetur casus fortuitus, *l. Lucius* 11. *D. de euict. l. si fundus*, 33. *D. hoc tit.*

9 Vna enim clausula recipit ex alia interpretationem, *l. qui filiabus*, 17. *de leg.* 1. *l. Titia*, 134. *§. idem respondit, de verbor. oblig.*

10 Est autem ea semper interpretatio capienda, per quam

BIU Cujas

fiat, vt verba omnia aliquid operentur, *l. si quando*, 109. *de leg. 1. l. 4. D. de vsur.*

11 *Arg. l. qui cum alio*, 19. *de reg. iur. l. 2. C. de furt.*

12 Idque euidenter actum fuit inter nos, semper autem in stipulationibus, cæterisque contractibus sequimur id quod actum est, *l. semper in stipulationibus*, 34. *de reg. iur.*

13 Est enim semper minus fauorabilis causa eius, qui certat de lucro captando, quam eius de damno vitando, *l. quod autem*, 6. *§. simili modo dicimus, D. quæ in fraud. credit. cum similib.*

14 Ita enim fit, vt nihil de conductionis tuæ tempore detrahatur.

15 Quæ ideo casuales appellantur, quod non nisi casu obueniant, ac proinde indifferenter ad quodcunque tempus.

16 *L. pen. C. de solut. leg. si pater*, 12. *C. de inoff. testam. l. qui bona*, 13. *§. cum inter, D. de dam. infect. l. Statius Florus*, 48. *§. 1. de iur. fisc.*

17 *dict. l. semper in stipulationibus, l. Labeo*, 7. *§. vltim. de supell. legat.*

DEFINITIO XVII.

Conductor non est condemnandus pendente lite, si certam alleget solutionem, quousque actor ipse eam negauerit.

CONductor ex locationis instrumento conuentus ad solutionem pensionis, si fateatur se vsum re conducta, sed alleget solutionem,[1] non prius condemnationi fiduciariæ & prouisionali fit obnoxius,[2] quam locator ipse de solutionis veritate interrogatus vel confessus sit, vel negauerit, cum non nisi per negationem fiat res dubia,[3] nec æquum sit bis idem solui.[4] Sed hoc ita, si solutio non in genere allegetur, sed in specie, hoc est, expresso tempore solutionis & quantitate pecuniæ solutæ, vt scire locator possit, quid respondere debeat, & quid fateri vel negare.[5] *Ita Senatus* ex tempore pro Dn. de Combefort, contra N. Coyrin, 4. Id. Decemb. 1592.

1 Est enim solutio alleganda, adeoque probanda cum sit facti, *l. consilio*, 7. *§. vlt. D. de curat. furios.*

2 Cui solet locus esse pendente quæstione facti inter locatorem & conductorem, vt dixi *Defin. 4. 5.*

3 *L. vlt. C. quib. ad libert. procl. non licet.*

4 *L. si quis dolo* 51. *in fin. D. de rebus iudicat. leg. bona fides*, 57. *de regul. iur.*

5 Solent enim captiosæ & incertæ esse generales allegationes, *l. cum Aquiliana* 5. *D. de transact. l.* 3. *D. de accusat.*

DEFINITIO XVIII.

Si solutio probetur in continenti, vel probari possit intra dilationem competentem, non est interim conductor condemnandus.

SEd nec vsque adeo præcipitandus est conductor allegans solutionem, vt non ei detur dilatio competens, si dicat, velle se eam in promptu & per instrumenta probare.[1] Interea igitur fiduciariæ & prouisionali condemnationi locus nullus erit.[2] Quod si locatori non cum conductore res sit, sed cum ipsius herede, qui legis & inuentarij beneficium à se imploratum dicat, multo magis differenda omnis condemnatio est, dandaque heredi dilatio, intra quam doceat de inuetario.[3] Cum eo etiam facto adhuc sustinenda sit condemnatio in id vsque tempus, quo vocati sint, & auditi cæteri creditores & legatarij, omnes denique quorum interest.[3] Sane post elapsa dilationis datæ tempora si nihil probatum sit, prouisionali adiudicationi locus fit, interdum etiam diffinitiuę.[5] *Ita Senatus* pro heredibus Petri Gleyron, contra Illustres Comites de Rouillasc, fratres R. Archiepiscopi Tarentasiensis, 17. Cal. Febr. 1593.

1 Officium enim boni iudicis est lites & diminuere, & expedire quantum potest, *l. quidam*, 21. *de rebus credit. l.* 1. *C. de administr. tutor.*

2 Vt his expediatur *per modo constet, modo agatur, l.* 3. *in princip. vt in poss. legat. l. ille à quo*, 13. *§.* 1. *D. ad SC. Trebull.*

3 Inuentarium enim facit, vt non possit heres condemnari nisi quatenus est in hereditate, *l. vlt. C. de iur. delib.*

4 *d. l. vlt. §. & si præfatam*, iunct. *l. etiam*, 21. *§. vlt. D. de minor. l. nam ita* 39. *de adopt.*

5 Ex post facto enim apparet, non nisi per calumniam & falso allegatam fuisse solutionem, cum non entium & non apparentium idem sit iudicium, *vulg. l. duo sunt Titij*, 30. *D. de testam. tutel. §. si aduersus rest. de nupt.*

DEFINITIO XIX.

Successor in beneficio non tenetur stare colono prædecessoris, vt nec emptor colono venditoris, nisi in casibus.

REctor Ecclesiæ non tenetur stare colono prædecessoris, cum non ab eo, sed ab ordinario beneficij collatore ius in beneficio habeat.[1] Nam nec emptor tenetur stare colono venditoris, si non ea lege emerit.[2] Nec tantum in emptore fundi id locum habet, sed & quod magis est in emptore fructuum. Id enim est quod Galli dicunt, *Vente de fruicts rompt censé.* Sed hoc ita, si non fructus ipsi specialiter, aut fundus conductus, aut denique bona locatoris omnia generaliter sint conductori obligata: eo namque casu non prius locatori res aufferenda est, quam indemnitas ei præstita sit.[3] Sed ea distinctio non cadit in rem ecclesiasticam, quippe quæ à prælato non magis obligari possit, nisi in vtilitatem ecclesiæ, quam alienari.[6] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi Falcoz, contra R. Petrum Trabuchet Canonicum Maurianensem. 5. Id. Februar. 1593.

1 Bald. *in l. emptorem*, 9. *vers. quæro numquid successor, C. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst.* 480. * Idque in eo qui succedit in beneficio alio iure quam per resignationem indubitatum est, si rector præcedens locauerat non ecclesiæ nomine sed suo, Rota *decis.* 232. *in nou. text. in cap. fin.* vbi Innocent. Abbas & alij *extr. ne prælat. vic. suas, & ibid. glos. nouiter approbata & in cap. fin. de præscript. in* 6. Castrens. *cons.* 2. *num.* 3. *& 5. lib.* 1. quem refert & sequitur Gregor. Lopes *lib.* 5. *partit. tit.* 8. *lib.* 2. *in glos. el heredero.* Rot. *decis.* 1. *de locat. & conduct.* Couarr. qui dicit communem *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 15. *num.* 6. Socin. *cons.* 34. *lib.* 2. Ioan. Gutier. *Can. quæst. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 4. Vincent. Caroc. *de locat. & conduct. part.* 3. *concl.* 1. *num.* 8. Sed si beneficium vacauerit per resignationem non desunt qui putent teneri resignatarium stare colono, hactenus saltem vt colonum indemnem seruet: quam sententiam cum hoc temperamento Senatui Tholosano placuisse testatur Maynard. *lib.* 1. *notab. quæst. cap.* 36. & aduocatus Parisiensis de Chenu ad Ioan. Papon. *lib.* 1. *tit.* 13. *arrest.* 5. *in fin.* cùm pensio quoque imposita super beneficio quantumuis odiosa sit transeat in successorem. Robert. *rer. iudicat. lib.* 1. *cap.* 7. Communis tamen doctorum sententia in cõtrarium est etiam hoc casu pro resignatario ex Paul. Castrens. *consil.* 4. *lib.* 1. *dict. cap.* 15. *num.* 16. *versic. Idem erit.* Guttier. *d. cap.* 36. Flamm. de *resignat. lib.* 1. *quæst.* 14. *num.* 47. Bellarmin. *decis.* 747. Put. *decis.* 181. *lib.* 1. vbi dicunt solere Rotam ita iudicare, quoniam ex superuenientia successoris extinguitur locatio. Put. *ibid. num.* 12. Resoluto enim iure datoris resoluitur necessario ius acceptoris, *l. lex vectigali* 31. *D. de pignor. l.* 4. *§.* 1. *de in diem addict.* Nec minus cùm beneficium vacauit per resignationem, quàm si per obitum, quia non ideo resignatarius habet ius à resignante licet facta sit resignatio in fauorem, sed à Papa qui beneficium contulit, & resignatio est tantum veluti conditio Sine qua non, sicut esset mors rectoris si beneficium vacasset per obitum. Est autem hoc tanto certius si locatio sit facta per resignantem post admissam resignationem, quamuis nondum sciret admissam esse. Adeoque si facta sit ante admissam, sed tamen eo tempore quo non supererat amplius tantum spatij, vt posset reuocari procuratio facta ad resignandum, aut reuocatio illa significari; Nam statim atque exploratum est non posse reuocari procurationem ad resignandum habenda est resignatio exinde pro admissa si modo tandem admissa sit, arg. *l. Gallus* 29. *§. videndum, de lib. & posth. l. hoc iure* 10. *l. stipulationes* 72. *§. vltim. l. cùm stipulatus* 113. *versic. nam si tum, l. ita stipulatus* 115. *§. sed etsi ita, ff. de verbor. obligat.* frustra enim expectaretur tempus cuius euentus nihil operaretur, vt de conditione solemus dicere, *l. si quis ita* 33. *ff. de hered. instit.* an verò tantum supersuerit temporis necne quanto fuit opus ad significandam procura-

BIU Cujas

procuratori reuocationem mandati apparebit ex tempore posteà secutæ admissionis, *argum. dict. §. videndum, & l. 15. cui ita* 18. *in fin. D quand. dies legat. ced. in fin.* Quid si prior rector ecclesiæ locauerat vltra triennium? facilius probandum est non teneri successorem stare colono saltem post triennium, quia nec locator ipse teneretur ex constitutione Pauli secundi quæ vulgò Paulina vocatur, *in extrauag. ambitiosæ sub tit. de rebus eccles. non alien.* Adeo vt nec talis locutio facta vltra triennium valeat pro triennio. Vide Afflict. *decis.* 107. Etsi verò multi negant constitutionem illam non esse in vsu; Id tamen debet intelligi quantum ad pœnas externas excommunicationis & priuationis beneficij, non quantum ad nullitatem actus vt attestatur Beniten. *decis.* 13. *num.* 9. Caualc. *decis.* 43. *numer.* 71. Iacob. de S. Georgio *in Authent. qui rem. num.* 137. *Cod. de sacrosanct. eccles.* vbi etiam Cagnolus: etsi non desunt qui dicant, etiam quod ad nullitatem actus non esse receptam in aliquibus locis, sed iis perpaucis vt Nauarr. *in enchirid. cap.* 27. *num.* 149. Bursat. *cons.* 51. *num.* 20. *volum.* 1. In dubio tamen præsumenda est recepta, cùm in corpore iuris clausa sit. Berous *cons.* 8. *numer.* 9. *volum.* 3. Decius *consil.* 92. *col.* 1. & 2. Rodoan. *de rebus eccles. non alienand. quæst.* 6. *versicul. ex præmissis, numer.* 12. Supradicta autem intellige, nisi facta sit locatio à Prælato nomine Ecclesiæ & ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem. Didac. Couarr. *lib.* 2. *var. resolut. cap.* 15. *numer.* 6.]

2 *d. l. emptorem, l. si merces,* 25. §. 1. *D. eod.*

3 Imbert. *in Enchirid.*

4 *Nouell.* 7. *de non alien. rebus eccles.* Didac. Couarr. *d. lib.* 2. *var. resolut. cap.* 16.

DEFINITIO XX.

Quicquid habet à meo conductore, non magis potest referre mihi quæstionem dominij, quam conductor ipse.

REm quam tu mihi vendideras, ego subinde tibi locaueram, [1] eandem tu alteri postea donaueras, quasi venditio sine causa & perperam facta fuisset, possum aduersus donatarium, perinde ac contra te agere, [2] nec magis ei licebit referre quæstionem dominij, quam tibi liceret si ex locato conuenireris, [3] non solum quod lucratiuam causam habeat, ideoque nocere illi debeat dolus auctoris sui, [4] sed etiam quod cum ab eo ipso ius habeat, qui mihi vendidit, non possit ille plus iuris habere ex donatione, quam ego ex venditione, saltem quamdiu venditio subsistit, [5] saluo ei iure, si quod habeat impugnandæ meæ emptionis. [6] Sed etsi agam interdicto retinendæ possessionis aduersus donatarium, tuendus ero in mea possessione, licet eam donator, idemque conductor meus corporaliter donatario tradiderit, [7] non solum si agam condictione ex lege Iustiniani, vt facto conductoris amissa possessio, & in alium translata, retenta videatur, [8] sed etiam si quid aliud sit, quod odiosam faciat donatarij causam, [9] vt puta si prætextu donationis à muliercula extorte alienam litem redemisse [10] existimetur. *Ita Senatus* in causa quadam Augustanorum ex tempore, 10. Cal. Mart. 1593.

1 Fit enim hoc plerunque, nec semper hoc pactum illicitum aut vsurarium est, *l. qui fundum* 75. *D. de contr. empt.* quasi in partem pretij ea res sit, *leg. si sterilis,* 21. §. *si tibi, D. de action. empt.*

2 *Iuxta reg. l. quod ipsis,* 143. *de reg. iur.*

3 Tibi autem certe non liceret, *l. si quis conductionis,* 25. *C. hoc tit.*

4 *L. apud Celsum,* 4. §. *si cum legitima. D. de doli except.*

5 *L. siue autem,* 9. §. *si duobus, D. de publician. l. si ea res,* 31. §. *vlt. de action. empt.*

6 Nam neque potest donari res quæ iam fuit vendita, quamuis à non domino, cum, si postea is qui vendidit dominus fuit, cogatur implere venditionem, *l. si quis alienam,* 46. *eod. tit. de act. empt.*

7 Non enim potuit conductor meus in alium transferre rei meæ possessionem quam ipse non habuit, *l.* 2. *C. de præsc.* 30. *vel* 40. *annor.*

8 *Ex l. vt. vbi not. C. de acquir. possess.*

9 Quæ semper minus fauorabilis ideo est, quia donatarius certat de lucro captando, *l. non debet* 41. §. 1. *de reg. iur. l. quod autem* 6. §. *simili modo dicimus, D. quæ in fraud. cred.*

10 Sunt enim odiosi omnes alienarum litium redemptores, *l. per diuersas* 44. *Cod. mandat.* præsertim qui donationis colorem quærunt vt fraudem faciant legi, *l. ab Anastasio* 35. *eod.*

DEFINITIO XXI.

Periculum fructuum collectorum pertinet ad conductorem, nec nisi omnes fortuito perierint, remissio tamen eo nomine vlla peti potest.

PEnsionis remissio non solet fieri conductori ob damnum casu fortuito aut vi maiore contingens in fructibus iam perceptis, [1] quoniam eorum periculum ad conductorem pertinet, ad quem & dominium spectat. [2] Etsi enim fructus non tam seminis quam soli iure percipiuntur, [3] ex locatione autem nec dominium transfertur, [4] nec possessio, [5] domini tam voluntate eos percipere conductor videtur, ideoque & suos facit perceptione sola, [6] quasi perceptionis patientia sit vice traditionis. [7] Nam & inde fit, vt, si fundi locati fructus conductor aut clam deportauerit, id est, præter voluntatem domini, cui pro pensione obligati expresse fuerant, aut alteri ante perceptionem vendiderit, furtiui fiant deportatione, [8] quia priore casu voluntas deficit ex parte domini, posteriore vero deest perceptio ex parte conductoris, quippe cum eos emptor suo non conductoris nomine percipiat. [9] Et sane cum perceptis à conductore fructibus locator ex parte sua contractui prorsus satisfecerit, æquissimum est, & ex bona fide, vt vicissim conductor ex parte sua satisfaciat, quod non aliter facere potest, quam si conuentam pensionem totam soluat, [10] etiamsi quid esset quod impediret ne conductor fructuum dominus factus videretur. Nam & eadem ratione constitutum cernimus, vt quamuis rei venditæ dominium ante traditionem maneat venditoris, [11] periculum tamen spectet ad emptorem statim atque perfecta emptio est, [12] quod fit nudo consensu citra traditionem, [13] nimirum, quia emptori imputari potest, cur ex quo perfecta emptio fuit non obtulerit pretium, & petierit rem sibi tradi: [14] quamquam non eadem prorsus hac parte conductionis & emptionis ratio est, vt nos primis Coniecturarum nostrarum libris docuimus. [15] Illud sane obseruandum est, non statim atque fructus sunt à solo separati esse eos periculo conductoris, sed ita demum si fuerint collecti, & in horreo reconditi, [16] quia nec ante percepti videntur, [17] dummodo non steterit per conductorem quo minus eos colligeret suo tempore. Nam si in mora fuerit colligendi & percipiendi, ad eum perinde periculum spectare debebit. [18] *Ita Senatus* in causa Nicolai Fabri, contra Ioannem Mauton & alios, 5. Cal. Mart. 1593.

1 Bart. *ad l. ex conducto* 15. §. *si vis tempestatis, D. hoc tit. & ad l. si merces,* §. *vis maior. eod.*

2 Casus enim fortuiti pertinent ad dominum, *l. quæ fortuitis,* 6. *C. de pign. act.* Castrens. *ad d. §. si vis, num.* 2. & 3.

3 *L. qui scit,* 35. §. 1. *D. de vsur.*

4 *L. non solet* 39. *D. hoc tit.*

5 *L. si quis ante* 10. §. 1. *de acq. poss. l.* 2. *C. de præsc.* 30. *annor.*

6 *L. si seruus* 61. §. *locaui de furt.*

7 *Arg. l.* 2. *C. si quis alter. vel sibi, l. quis saxum* 6. *versic. quasi traditio, D. de donat. l.* 1. §. *vlt. rustic. præd.*

8 *d. §. locaui l. si seruus* 61. *de furt.*

9 *l. Pomponius* 29. *quibus mod. vsusfr. amitt.*

10 Ratio est Bartoli *ad d. l. si merces* 25. §. *vis maior.*

11 *§. venditæ, Instit. de rer. diuis. l. traditionibus* 20. *C. de pact.* sed neque traditio secuta ex causa venditionis transfert dominium nisi solutum sit pretium aut saltem habita fides de pretio, *l. quod venditi* 19. *D. de contr. empt.*

12 *§. cum autem Inst. de empt. & vendit. l.* 1. *Cod. de peric. & commod. rei vendit.*

13 *d. §. cum autem, l.* 1. §. *item emptio, D. de rer. permut.*

BIU Cujas

14 Vt proinde nullum damnum sentire videatur ex regulis *l. quod quis* 203. *de reg. iur.*

15 *Lib. 2. Coniect. cap. 4. & 5.*

16 Castrens. *ad d. l. ex conducto*, 15. §. *si vis*, *hoc tit.*

17 *L. si fructuarius messem* 13. *D. quibus mod. vsusfr. amitt.*

18 Item Castr. *ad d. §. si vis in princ. l. si ex legati* 23. *& seq. l. si seruum* 91. §. *sequitur*, *de verb. oblig. l. lectos* 12. *& l. quod si neque* 14. *D. de peric. & commod. rei vendit.*

DEFINITIO XXII.

De differentiis conductorum, & quando fructus pereant locatori.

DIstinguendæ tamen sunt hac parte tres conductorum & colonorum species. [1] Aut enim colonus partiarius est, aut qui totam rem sibi conduxerit certa mercede in pecunia, qui magis proprie conductor dicendus videtur, aut qui certam illam mercedem præstet in frumento, vino, vel oleo aliave simili re qualibet, [2] & hic contractus innominatus est, locationi tamen simillimus & proximus, easdemque recipiens præstationes. [3] Priore casu damnum quod in fructibus contingit, etiam postquam percepti sunt, inter dominum & colonum pro partibus diuiditur, quasi contracta inter eos societate. [4] Secundo vero demum casu ea obtinent quæ supra diximus, vt mercedis remissio fiat propter damnum emergens vi maiore ante non post perceptos fructus. [5] Quo etiam pertinet quod rescriptum est, [6] dominum horreorum periculum vis maioris & effracturam latronum præstare non debere, id est, periculum fructuum in horreo reconditorum, quippe qui iure dominij, vt diximus, spectent ad conductorem, ex quo percepti sunt. [7] Quamquam & damnum, quod ante perceptos fructus contingit, non semper locatori imputandum est, sed ita si graue sit & intolerabile. [8] Vltimo vero casu licet fructuum dominium perinde eandemque ratione spectet ad percipientem, quod eos voluntate domini percipiat: [9] si tamen conuenerit vt merces soluatur ex iis ipsis mercibus, quæ in fundo locato nascerentur, indubitatum est ad eam vsque quantitatem, quæ mercedis nomine præstari debeat, damnum fructuum quamuis perceptorum ad locatorem pertinere: [10] sed si de mercibus, in genere actum sit, puta si locatus sit fundus frumentarius certo modiorum frumenti numero, aut oliuetum sub certa olei ponderatione, difficilius est quid dicendum videatur. [11] Adhuc tamen tentari potest æquum esse vt ad eam vsque quantitatem, quæ pro mercede debeatur, succurramus conductori quia nihil ei potest imputari cur non citius distraxerit, aut consumpserit fructus perceptos, quos vtique locatori reddere aliquando debuit. [12] Nec ad rem facit quod iis venditis potuisset alios soluere, cum frumentum, oleum, & alia eiusmodi sint ex earum rerum numero, quæ recipiunt in suo genere functionem: [13] Boni enim consulere dominus debet, quod ex iis fructibus qui in suo fundo prouenerunt sibi soluatur. [14] Neque cogendus est conductor, vt vitandi periculi causa fructus, quos percepit, & iam in horreo habet, ante tempus distrahat, aliosque subinde comparet, [15] præsertim cum cariores esse soleant, qui longiore post messes tempore comparantur, [16] aliaque causa est eius, qui fundum ad pecuniam numeratam conduxerit. Hic enim si fructus tardius distrahat, quod pro suo iure facere credendus est, idcirco facere videtur vt carius postea vendat. Proinde est quod sibi imputet si eum spes fallat, & quod sperato lucro, quod euenire poterat, damnum præsens sentiat, quasi qui huius periculi pretio lucri spem vltro æstimauerit. [17] Ergo si maiore vi siue diuina, [18] vt nostri distinguunt, siue humana fructus omnes absumantur, totius mercedis remissio facienda erit. Sed hoc ita si & sine culpa conductoris damnum contigerit, [19] & ante tempus quo merces solui debuit. Nam post lapsum id tempus imputari potest conductori cur ad diem non soluerit, [20] cessatque supradicta ratio, quæ antea conductorem excusabat [21] licet dici soleat non ex solo temporis lapsu constitui debitorem in mora, nisi sequatur interpellatio, [22] præterquam in pœnalibus: [23] non enim sola moræ ratio facit vt fructus post diem pereant conductori, sed illa etiam & præcipua, quod fructuum dominium ad eum pertineat, [24] & regulare sit vt res pereat domino, [25] si non euidens æquitas contrarium suadeat. Sufficitque diem euenisse, cuius expectandi necessitas conductorem in id vsque tempus à periculo liberauerat. Dico expectandi necessitatem, quia plerunque locatoris interest vt ante dictam diem promissa in fructibus merces non soluatur, [26] cum seruando seruari nequeant, & plerumque longiore custodia vel minuantur, vel deteriores fiant. [27] *Ita tractatum est* in supradicta causa.

1 Ex doctrina Bart. *ad l. si merces* 25. §. *vis maior*, *D. hoc tit.*

2 *Vt in l. si olei* 21. *C. hoc tit.*

3 Ex doctrina eiusdem Bart. *ad l.* 2. *D. de rer. permut.*

4 *dict.* §. *vis maior. in fin.* Damna enim omnia sicut & lucra inter socios communicantur, *l. pro socio arbit.* 38. *& pass. D. pro socio.*

5 Dixi *Defin. præced.*

6 *In l.* 1. *C. hoc tit.*

7 *d. l. si seruus* 61. §. *locaui de furt.*

8 *d.* §. *vis maior.* Dixi *Defin.* 3. §.

9 Quæ ratio est Africani *in d.* §. *locaui.*

10 Quasi hoc casu conductor sit debitor speciei potius quam generis, aut, quod effectu idem est, generis quidem, sed per modum speciei, *arg. l. si debitor* 39. §. *verisimile*, *de contr. empt.*

11 Quia hoc casu conductor est debitor generis, quod perire numquam potest, *l. incendium* 11. *C. si cert. pet.*

12 Hoc enim damnum ad conductorem pertinet cum aliquid potest ei imputari.

13 Sicut cætera omnia, quæ consistunt in pondere, numero & mensura, *l.* 2. §. *mutui D. de reb. credit.*

14 Quos & tacite obligatos habuit pro pensione, *l. in prediis* 7. *C. in quibus caus. pign. tacit. contr.*

15 Nam & qui inde comparati essent æque perire possent.

16 Pretia enim rerum pro temporum varietate mutantur, *l. pretia* 63. *D. ad leg. Falc.* & quo rariores sunt merces, eo etiam pretiosiores, sunt autem rariores posteriore anni tempore.

17 *Vt in l. vlt. D. de nautic. fœnor. l. pen. C. de solut.*

18 Quam Græci θεῖον βίαιον appellant, de qua *in dict.* §. *vis maior.*

19 Numquam enim casus fortuitus eum excusat, cuius culpa præcessit casum. * *l. videamus* 71. §. 1. *D. locat.* Papiens. *in hoc tit. glos.* 2. *nu.* 8. *& 9.*

20 Etiam citra interpellationem, quia debuit offerre vt se periculo eximeret, & in mora constitueret aduersarium, vt periculum in eum transferret, semper enim periculum eius est, qui est in mora, *l. si seruum*, 91. §. *sequitur*, *de verb. oblig.*

21 Vbi autem diuersa ratio est, ibi ius quoque diuersum esse debet, *l. illud* 32. *ad leg. Aquil.*

22 *L. mora* 32. *D. de vsur.*

23 *Ex l. magnam* 12. *C. de contr. & commit. stipul.*

24 Dixi §. 7. §.

25 *L. quæ fortuitis* 6. *C. de pign. act.*

26 Quo casu cum dies pro creditore apposita est, non potest ei solui ante diem, *l. eum qui* 15. *alias l. Iauolenus*, *de ann. leg. l.* 3. §. *cum Polidius*, *de vsur. l. si ita relictum* 43. §. *Pegasus*, *de leg.* 2. Esset tamen tutius vt conductor etiam ante diem offerret merces istas locatori, vt appareret an sui gratia locator adiectam diem vellet, an gratia conductoris. Alioqui poterit semper causari locator, sibi etiam ante diem solui potuisse, ne possit conductor dicere nihil sibi esse imputandum, quod non soluerit, quia tempus regulariter adiicitur pro debitore non pro creditore, *l. quod certa die* 70. *de solut.*

27 De quibus *in l. lex quæ tutores*, *ad fin. Cod. de administrat. tutor.*

DEFINITIO XXIII.

Fructus à conductore percepti ei pereunt, quamuis æque fuissent apud locatorem perituri.

Illud

BIU Cujas

ILlud vero conductorem excusare non debet à periculo damni post diem vi maiore contingentis, quod si ad diem soluisset æque damnum illud locatori contigisset. [1] Potuit enim locator eos fructus, si ad diem habuisset, vendere, atque ita futuri cuiuslibet periculi metu deliberare. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. l. si alius 7. §. est & alia, D. quod vi aut clam.* in illis verbis: æque perituris ædibus.

2 *L. cum res 47. §. vlt. de leg 1. l. item si cum 14. §. quid si homo, in fin. D. quod met. caus. l. item si verberatum 15. §. vltim. D. de rei vindic. l. in Asia 12. §. vl. D. de posit.*

DEFINITIO XXIV.

Damnum contingens fructibus in odium aut locatoris aut conductoris ei imputatur, cuius odio contigit.

NOn solum autem imputatur omnimodo conductori damnum, quod in fructibus contingit post diem, quo solui domino mercedis nomine debuerunt, [1] sed etiam si eius culpa aut facto damnum ante diem contigerit. [2] Culpæ autem annumeratur etsi ab eius inimico, aut in ipsius odium damnum datum sit, siue iustæ, siue iniustæ inimicitiæ proponantur. [3] Ex contrario igitur, si in odium aut incommodum locatoris damnum emerserit, præstare id locator conductori omnimodo debet. Multo igitur magis remissionem pensionis pro portione damni facere compelletur. [4] Exemplum esto, si frumentum ex decimis ecclesiasticis collectum à conductore & in ipsius horreo iam reconditum in vsus belli occupatum sit imperio supremi Principis aut magistratus, qui non frumenta conductoris, sed fructus decimarum capi iusserit. Id enim apparet fieri in præiudicium & dispendium possessoris beneficij, ad quem decimæ ipsæ pertinent, non conductoris. Alia ratio est damni, quod rebus coloni in fundo locato existentibus illatum est. Id enim omnimodo pertinet ad conductorem, tanquam ad dominum, [5] nisi in odium locatoris contigerit. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ diximus *Defin. 22. num. 20. 3.*

2 *L. si quis domum 9. alias l. si quis fundum, §. si colonis & seqq. l. videamus 21. & pass. D. hoc tit.*

3 *L. si merces 25. §. conductor.* vbi glos. *eod. tit. l. in his rebus 65. D. solut. matrim. l. si is cum quo 26. D. commun. divid.*

4 Facilius enim est, vt locator teneatur remittere pensionem, quam vt cogendus sit præstare id quod interest conductoris.

5 *L. quæ fortuitis 6. C. de pign. act. cum simil. & apertius in l. damnum 12. C. hoc tit.* Bart. *in l. si merces 25. §. vis maior. D. eod.*

6 *d. §. conductor est, d. l. in his rebus 66. solut. matr.*

DEFINITIO XXV.

De differentia locationis & venditionis fructuum itemque taciti & expressi pignoris fructuum pro pensione.

NOn est fructuum emptio in omnibus similis conductioni. Etsi enim vtroque casu dominium fructuum acquiritur percipienti: [1] tamen ex causa emptionis acquiritur statim atque fructus à solo separati sunt (quandiu enim solo cohærent fundi dominium vel inuito domino sequuntur, [2]) ideoque eos deportare inscio venditore, & alij etiam ante perceptionem vendere emptor potest citra periculum furti. [3] Quod secus est fructibus locati fundi. Illi enim, vt diximus, non prius acquiruntur conductori, quam eos perceperit, & quidem ex domini eiusdemque locatoris voluntate: [4] quamquam hac parte distinguendum est; an fundi locati fructus expresse obligati sint locatori, an tacite duntaxat. [5] Hoc enim casu, cum de pignore nihil conuenit, non facit furtum conductor, qui fructus deportat inscio domino. Alioqui furtum facerent omnes fere conductores, qui cum fructus percipiunt non solent domino denunciare, nisi si dominus ipse prius sibi cauerit, & à iudice, vt moris est, impetrauerit, ne conductori liceat fructus exportare, quin prius aut mercedis solutio, aut saltem quantitatis & qualitatis fructuum descriptio facta sit. [6] Ac expressa illa conuentio, vt fructus specialiter obligati sint pro mercede, facit vt iam inde ab eo tempore, quo pignus contractum est, videatur dominus voluntatem suam declarasse, [7] sibique per fructuum retentionem consulere voluisse, [8] si ante perceptionem solui debuit, [9] nec solutum fuit. Proinde non est hic verum, quod iactari solet, eandem taciti & expressi esse potestatem. [10] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 De quo vide quæ scripsi in priore parte Chiliadis nostræ *de error. pragmat.*

2 *L. fructus pendentes 44. de rei vindicat.*

3 Iure namque suo vtitur qui vendit rem, quam emit prius. Facit *text. in l. si seruus, §. locaui, D. de furt.*

4 Ideoque fiunt furtiui si eos emptor perceperit suo nomine, vt ratiocinatur Afric. *in d. §. locaui.* vbi additur idem esse si conductor eos clam deportauerit, id est inscio locatore.

5 Nam & tacite obligari intelliguntur, *l. in prædiis 7. D. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

6 Nam cum pensio non soluitur, etiam expelli conductor potest, *l. æde 3. C. hoc tit.* multo magis possunt ex causa fructus sequestrari in quo præcipuum taciti pignoris cõmodum versatur.

7 Quod nollet se inscio eos fructus exportari.

8 Pignus enim tribuit ius retentionis possidenti, *l. 1. D. de pignor.* locator autem ille est qui possidet, non conductor, *l. si quis ante 10. §. 1. D. de acquir. poss. l. 2. C. de præscr. 30. annor.*

9 Solent tamen soluendæ pensionis tempora in id tempus differri, quo fructus etiam omnes percepti sint & ex parte vendi potuerint ad pecuniam explicandam.

10 De quo tractant nostri ad *l. 3. D. de rebus credit. & ad l. expressa 195. de reg iur.*

DEFINITIO XXVI.

Refert an vendantur fructus nascituri ex certo fundo, an vero perceptio fructuum ex eo fundo.

MVltum interest, an fructus quis vendat, qui ex eo fundo nascentur, an vero perceptionem fructuum ex eo fundo. Priore casu quasi conditionalis venditio est, quæ non nisi natis fructibus perficitur: ideoque si nulli fructus eo anno ex illo fundo prouenerint, nihil venditori debetur. Posteriore vero pura emptio est & alea potius quam certa aliqua res empta intelligitur. [1] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Bart. *ad l. cotem §. qui maximos, ff. de public. & vectigal. ex l. nec emptio. 8. ff. de contr. empt.* Bald. *ad l. licet 8. C. hoc tit.* Iunge *l. si debitor, 39. §. verisimile, ff. de contr. empt. l. si vsus fructus 66. in fin. ff. de iur. dot.*

DEFINITIO XXVII.

Secundus locator cogitur interdum facere remissionem mercedis secundo conductori, etiamsi non possit eam ipse petere à primo locatore.

QVi vniuersum fundi reditum ad pecuniam numeratam conduxerat, eundem per partes pluribus sublocauerat, conuenta pensione non in pecunia, sed in frumento, aliaue fructuum specie, [1] si fructus illos secundo conductori vis maior eripuerit, cui nec secundus locator resistere potuerit, [2] non eo minus facienda erit remissio secundo conductori culpa carenti, quod eam secundus locator à primo locatore impetrare non possit: cum quod in vna reditus parte damnum contingit, maiore lucro in alia superueniente compensari possit, eaque pecuniæ quantitas, quæ ex generali conductione debetur, vel ex minimæ partis fructuum distractione plerumque conficiatur. [3] Maxime

BIU Cujas

vero si generalis illa conductio plurium annorum fuit, specialis vero vnius duntaxat.[4] Item finge secundum locatorem prius se condemnari passum esse, & consensisse, quam secundus conductor debitæ sibi remissionis & apud iudicem iam petitæ causas explanasset. Debuit enim potius secundi conductoris defensiones adiuuare, vt eodem ipse contra locatorem suum iure, si fieri posset, vteretur.[5] Plane si talem vim secundo conductori factam proponeres, cui primus resistere potuisset, si ei denunciatum fuisset, imputabitur secundo conductori cur, cum resistere ipse non posset, ei non denunciauerit, qui resistere potuerat, & cuius periculo nunc velit cessisse damnum, quod alioqui fortasse non contigisset.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. si olei 21. C. hoc tit.*

2 Illa enim dicitur vis maior, cui resisti non potest, *l. si merces 25. §. vis maior. D. eod.*

3 Itaque non habet hoc casu locum id quod dici solet, idem esse iudicium partis ad partem, quod totius ad totum. Est enim hic diuersa ratio partis & totius.

4 Compensatio enim facienda est vbertatis vnius anni cum sterilitate aliorum, *l. ex conducto 15. §. Papinianus, alias l. si vno, D. hoc tit.*

5 Nec potuit factum ipsius alij quam ipsi nocere, *l. factum 155. de reg. iur.*

6 Culpa enim est non denunciare vim ei, qui si sciret prohibere posset, *l. vltim. quod met. caus. l. si fundus 33. ad fin. D. hoc titul.* Iunge *l. culpa caret qui scit, & l. nullum crimen patitur. de reg. iur.*

DEFINITIO XXVIII.

Etiamsi primum locator solutionem acceperit à secundo conductore: non ideo tamen amittit actionem aduersus suum conductorem.

PRædium quod à me conduxeras alteri sublocaueras,[1] me inscio, aut si mauis alium loco tuo substitueras.[2] Ille autem mihi pensiones quasdam soluerat iuxta eum contractum qui inter nos initus fuerat. Ita factum est vt negotium, quod inter te & illum gestum est, videar ratum habuisse.[3] Non idcirco nouatus prior contractus videbitur,[4] sed perinde salua mihi erit contra te actio, si cesset ille in solutione pensionis, acsi conductionis periculum tibi retinuisses.[5] Neque enim delegationis potestatem inducere illud potest, quod ab eo quem tuo loco constitueras solutionem sæpius acceperim,[6] cum proprio tu nomine conduxisses, nec mea quicquam referret, an tu ipse solueres, an alius quod tu debebas.[7] Itaque & tu mihi condemnandus eras, & ille vicissim tibi.[8] Quod si tu pro te, & vt plerumque fit pro amico tuo electo aut eligendo à me conduxisses, postea Titium elegisses, possem vtique si mallem contra Titium agere,[9] sed si te mallem obligatum habere quam Titium, non eo minus danda mihi esset contra te actio, quia semper verum est tecum me non cum Titio contraxisse,[10] & electio postea secuta sicuti me inscio fieri potuit, ita mihi nocere non debuit.[11] *Ita Senatus* ex tempore pro Domina de Carde, contra Bonum Iacquilliard & N. Grosset. 3. Cal. Mart. 1593.

1 Nec enim cogitur conductor frui per seipsum, satisque fruitur qui alij locauit, *l. non vtitur 38. & seq. D. de vsufr.*

2 Quod facere potuisti etiam per fructuum venditionem, *l. si seruus 61. §. locaui, D. de furt.*

3 Ratum enim habere possumus, non tantum verbo & contractu expresso, sed etiam facto & tacite, *l. non tantum 5. D. rat. rem haber.*

4 Nouatio enim nunquam fit, nisi id actum dictumque sit, *l. 2. D. de nouat. l. vlt. C. eod.*

5 Obligationes enim legitime contractæ non nisi certis & legitimis modis finiuntur, *l. obligationum fere 44. §. placet, D. de oblig. & action.* inter quos modos non est sublocatio.

6 Delegatio siquidem non fit sine stipulatione, quæ interponatur inter primum creditorem & nouum debitorem, *l. delegare 11. D. de nouat. & delegat.*

7 Nam & alius pro alio etiam ignorante adeoque inuito potest soluere, *l. soluendo 39. de negot. gest. l. solutionem, 23. de solut.*

8 *Argum. l. si res quam 57. D. de euict. l. indebitam, 47. D. de cond. indeb.*

9 Quasi mecum ille etiam contraxerit, quoniam vnicus contractus esse intelligitur, vt dixi *Defin. 1. num 4. 5. si quis alter. vel sib.*

10 Intellige tamen nisi ego Titij nomen vltro sequi maluerim, quo casu debeo mihi imputare, *l. 1. § illud sciendum, D. de separat.*

11 Ne sit in vnius potestate conditionem alterius ignorantis facere deteriorem, *l. 2. quod vi aut clam.* & actionem quæsitam alij adimere, *l. Granius 71. §. vlt. D. de fideiuss.*

DEFINITIO XXIX.

Potest interdum locator exigere pensionem, etiam antequam tradiderit instrumenta, sed ea tamen postea tradere debet. Nec valet conuentio in contrarium.

CONductor prædij rustici, cui ex lege locationis tradi debuerunt instrumenta censualia ad exigendas annuas pensitationes, si primæ pensioni soluendæ eum diem dixerit, quo nondum dies exactionis venturus fuerit, nullam recusandæ solutionis aut petendæ remissionis causam habet eo prætextu, quod instrumenta illa nondum à locatore acceperit.[1] Præsertim si prædij reditus non tantum ex iis censibus constet, sed etiam ex decimis fortasse aliisve obuentionibus, quas conductor iam perceperit, aut percipere suo tempore possit.[2] Videtur enim ille ad conductionem ea lege accessisse, vt primæ saltem pensioni soluendæ nulla mora fieret obtentu futuræ, necdum tunc competituræ exactionis.[3] Sane si perseueret locator ea instrumenta non tradere, quæ habeat, & sine quibus non possit conductor frui re conducta, æquissimum erit in sequentibus solutionibus rationem huius rei haberi,[4] quamuis contraria pactione locator sibi prospexerit. Neque enim bona fides conuentionem hanc patitur, vt conductor mercedem præstare cogatur, locator vero instrumenta ad fruendum necessaria dolo malo retineat.[5] *Ita Senatus* in causa Illustrissimi D. Cardinalis de Montelbero Prioris de S. Ioire & Claudij Combet procuratoris, ex tempore 3. Non. Mart. 1595.

Id enim actum esse inter contrahentes apparet ex die solutioni dicta, vt non expectaretur censuum exactio ad soluendam pensionem.

2 *Vt in Defin. 28. & 29. 3.*

3 Certum enim est, quod in diem debetur non posse peti antequam dies venerit, *vulg. l. cedere diem 213. de verb. signif. l. qui hoc anno 42. D. de verb. oblig.*

4 Quia debet locator omnimodo præstare conductori vt possit frui, *l. ex conducto 15. §. 1. & seq. D. hoc tit.*

5 *L. ex empto 11. §. quia autem, l. Iulianus 13. §. offerri l. bona fides 50. D. de act. empt.* iunct. *d. 2. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXX.

De remissione pensionis facienda ob belli casum, si iam conductionis tempore bellum erat.

QVid vero si iam cœpto bello inita sit locatio, & tamen conuenerit, vt si belli causa frui conductor non posset, remissio mercedis ei fieri deberet?[1] Videbitur de illo casu cogitatum, quo sæuius bellum exardesceret, vt difficilior esse inciperet fruitio rei conductæ. Alioqui non potest conductor conqueri de eo rerum statu, qui fuerit tempore conductionis.[2] Imo nec de eo quem breui futurum præuidere tum potuit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Huius-

BIU Cujas

1 Huiusmodi enim conuentionem valere constat, vt & cæteras omnes quæ fiunt in locatione si modo sint ex bona fide, *l. si quis domum 9. §. Iulianus, alias l. si quis fundum, D. hoc tit.*

2 Nam & in omni conuentione subintelligitur clausula, *rebus sic stantibus, l. cum quis 38. l. si cum Cornelius 82. de solut.*

3 *Arg. d. l. si quis domum 9. §. 1.* in illis verbis, *quia hoc euenire posse prospicere debuit, D. hoc tit.*

DEFINITIO XXXI.

Locatio non probat possessionem nisi probetur effectum habuisse, aut nisi in præiudicium scientis & consentientis.

CErtum est locationem non solum dominium non probare,[1] sed nec possessionem, nisi secuta probetur solutio pensionis fructuumque perceptio.[2] Sed si de præsente & consentiente adeoque subscribente locauerim Titio fundum, de cuius possessione inter te & me postea contendatur, negari non potest, quin ex eiusmodi locationis instrumento probetur mea possessio in tui præiudicium.[3] Etsi enim dici solet, testis officium non debere illi esse damnosum,[4] quis tamen credat passurum te fuisse locari à me rem meo nomine, quam tu ipse possideres? An potest quisquam tam simplex aut supinus inueniri, qui in publico instrumento aliquid contra se scribi patiatur?[5] quin & tentare quis fortasse possit, eiusmodi subscriptione remissum à te ius pignoris, si quod tibi in re locata competebat.[6] Sed non ita est, nisi hactenus vt pendente locatione conductorem inquietare non possis.[7] Quia locatio temporaria sicut dominium transferre non potest,[8] ita pignoris remissionem perpetuam nec exigit, nec inducit.[9] *Ita Senatus* ex tempore in causa N. Baulx, contra N. Paquier, 13. Cal. April. 1593.

1 Quoniam res aliena locari potest, sicut & vendi, *l. rem alienam 28. ff. de contr. empt.* iunct. *l. 2. D. hoc tit.*

2 Fructuum enim perceptio maxime illa est, quæ probat possessionem, *l. Titia 48. ff. de solut.*

3 *Arg. l. si non subscripsisti 15. C. de admin. tutor.*

4 Glos. *in l. Caius 39. ff. de pignor. act.*

5 Verba sunt Iustiniani in *l. vlt. C. arbitr. tutel.* Iunge *l. ex sententia 29. in fin. de test. tutel.*

6 *Arg. l. fideiussor 26. §. 1. ff. de pign. l. sicut 8. §. non videtur, ff. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

7 Non quasi actionem amiseris ipso iure, sed quia obstare tibi debet exceptio doli, si ius tuum exequi velis contra conductorem, *arg. l. 4. §. quæsitum est si cum fundi, ff. de doli mal. except.*

8 *l. non solet, 39. D. hoc tit.*

9 Ne latius pateat effectus quam causa.

DEFINITIO XXXII.

Resoluta locatione resoluitur etiam ius tertij, cui ex lege locationis solui debuit.

REsoluto contractu locationis,[1] quo conuenerat vt pensionis partem conductor alteri solueret, ius quoque tertij resolui necesse est etiam post factam ab illo acceptationem,[1] adeoque licet causam habeat onerosam,[2] præsertim si locatore ipso postulante ea resolutio fiat, licet ex facto & culpa conductoris,[3] nisi delegatio interuenerit, quæ debitoris obligationem transtulerit in personam conductoris.[4] Non enim fieri potest, vt sublata conductione obligatus maneat conductor ad præstandum huic vel illi, quod non nisi in pensionis nomine præstari debuit.[5] Idemque dicendum est si ex alio quolibet contractu, qui postea resolutus sit, debeatur.[6] *Ita Senatus* in causa procuratorum Claudij Combet, & Petri Mongella, ante Cal. Iul. 1593.

1 Hoc enim est quod dici solet resoluto iure datoris resolui ius acceptoris *vulg. l. ex vectigali fundo 31. ff. de pign. act. l. 4. aduersus l. si ex duobus, §. sed et Marcellus, ff. de in diem addict.*

2 Vt in legibus supra citatis.

3 Quamuis dici soleat ex vnius facto non debere alterius conditionem fieri deteriorem, *l. 2. D. quod vi aut clam. l. nec debet alteri 74. de reg. iur.*

4 Delegatio enim cum sit nouatio mutat debitorem, *l. 1. C. de nouat. l. delegare 11. D. eod.*

5 Sublata enim causa effectum quoque tolli necesse est, *vulgat. iurib.*

6 *d. l. lex vectigali d. §. sed & Marcellus.* Iunge *l. voluntate 10. in fin. D. quibus mod. pign. vel hyp. soluit. l. cum te 6. C. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFINITIO XXXIII.

Qui ab hoste post occupatam prouinciam conduxit, eique soluit, non potest ex ea causa per priorem locatorem pro hostilitatis tempore restituta per pacem prouincia conueniri.

CVm Gallorum & Heluetiorum exercitus infestis armis fines nostros inuasisset, ac Chablasiensem prouinciam maiori ex parte occupasset, conduxerat quidam ex nostris ab hostibus prædia rustica, quæ iam ante bellum ex causa conductionis cum domino contractæ possidebat, sed longe viliore mercede quam illa esset, de qua inter eum & dominum conuenerat, subindeque hostibus soluerat. Postea recuperata fortiter feliciterque prouincia, idem conductor à prædij domino conueniebatur ad totius pensionis exsolutionem, & quidem eius quantitatis, quam pro superioribus annis præstare solitus erat. Quidam existimabant iustam esse domini petitionem, cum hac tamen distinctione, si tanti eo anno fructus fuissent, quasi huic conductori imputari posset, cur cum hoste publico qui longe plus quam prædo est contraxisset.[1] Sed humanitus visum est non teneri eum nisi iuxta formam locationis, quam hostis fecerat, & pro ea duntaxat parte, quæ hosti soluta non inueniretur,[2] exemplo eius quod in vrbanis prædiis à prædone locatis constitutum est.[3] Eadem enim hac parte ratio est prædij rustici, si in pecunia, non item si in parte fructuum facta conductio sit.[4] Neque vero imputari quicquam posse videbatur ei, qui iam occupata prouincia cum hoste contraxerat,[5] sibique ex negotiatione lucrum aliquod quæsierat, quod alioquin hostis fuerat erepturus.[6] *Ita tractatum est* in causa R. D. Philiberti Milliet Episcopi Maurianensis Abbatis d'Aux, 12. Cal. Septemb. 1593.

1 Nec enim ei succurri solet, qui prudens & sciens alienam rem vel emit, vel conduxit, id est ab alio quam ab eo quem dominum sciuit, quia est in mala fide, adeoque si emat à vero domino quem tamen sciat alienandi ius non habere, *l. si sciens 26. ff. de cont. empt.*

2 Quia prior conductio per hostilem inuasionem fuerat interrupta, cum neque resistere neque denunciare conductor potuisset, *l. item quæritur 13. §. exercitu veniente, & l. ex conducto 15. §. si vis tempestatis, in fin. D. hoc tit.*

3 *Ex l. vrbana prædia 55. D. de condict. indeb.*

4 Gloss. & Bart. *ad d. l. si vrbana.*

5 Multo minus ei qui soluerat illi ipsi cui fuerat obligatus, *arg. l. si filiæ 88. ff. de solut.*

6 Nullum enim damnum infert qui auffert rem æque perituram, *l. si alius 7. §. est & alia.* ibi *æque perituris ædibus, ff. quod vi aut clam.*

DEFINITIO XXXIV.

Procurator non potest petere salarium post biennium, à die tamen finiti officij non finitæ litis numerandum.

DEbitum procuratori ob locatas à se operas salarium si intra biennium non petatur, peti apud nos, & eo iure quo vtimur, non potest.[1] Sed id ita debet accipi, vt biennium illud non à die exhibitionis operarum, sed finiti officij computetur.

BIU Cujas

Itaque qui per triginta plus minus annos pro Titio procurationem exercuit, primi quoque anni mercedem etiam post trigesimum elapsum non male petit, dummodo à quo tempore procurare destitit biennium [3] non effluxerit. Nec distinguemus an eadem lis per tam longum tempus tractata fuerit, an plures, quarum vna finita alia emerserit. Sufficiet enim toto illo tempore, quod inter susceptum finitumque mandatum intercessit, vel vnam litem superfuisse, quam procurator hic exercuerit, nec biennium vllum præteriisse, à quo procurare desierit. [4] Alioqui sane transacto biennio, si qua de nouo lis emergat, non ideirco præteriti temporis salariorum extincta petitio reuiuiscet, [5] quod idem ille procurator nouam litem exercere iussus sit, nisi intermedio illo biennij tempore aut salarium petiisse probetur, aut ne instantius vrgeret præsens aliquid à Titio accepisse. [6] *Ita Senatus* pro Claudio Combet procuratore, contra heredes D. Amedei Michal magistri Computorum, Prid. Calend. Sept. 1593.

1 Hoc autem commentitio & recepto potius quam constituto iure; nato fortassis ex eo, quod procuratoris officium, vt & mandatum quodlibet debeat esse gratuitum, *l.1. §. vlt. D. mandat.* & vnaquæque res facile redeat ad suam naturam, *l. si vnus 27. §. pactus ne peteret, in fin. de pact. l. cum quidam 17. §. Diuus Pius, de vsur.*

2 Quamdiu enim officium durat, non potest imputari ei qui procurator fuit cur non egerit, sed ex quo tantum officio suo functus est.

3 Ideo autem biennium, quia plerisque casibus hoc tempus longum esse creditur, vt in specie *l. æde 3. vbi gloss. C. hoc tit. l. si mulier 22. C. ad SC. Velleian.*

4 Eadem enim ratio est iuris & æquitatis in omnibus istis casibus. Ergo idem ius, *vulg. l. illud 32. D. ad leg. Aquil.*

5 Semel enim extincta obligatio nunquam reuiuiscit, *l. quires 98. §. aream, de solut.* iunct. *l. 3. & 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

6 Ex quo appareat noluisse illum tacite remittere id quod sibi debebatur.

DEFINITIO XXXV.

Si conuenerit de facienda in singulos annos remissione non potest vnius anni sterilitas cum vbertate sequentium compensari.

CVm ob vnius anni sterilitatem plurium annorum conductor remissionem petit ex lege conductioni dicta, multum interest an ita simpliciter concepta sit conuentio & consequenter ex iuris communis ratione interpretanda, [1] an vero ita vt singuli anni sint demonstrati? [2] Hoc enim posteriore casu si de primi anni sterilitate constet pensionis remissio statim facienda est, id est non expectato eo an sequentium annorum vbertas talis futura sit, vt cum ea possit sterilitas compensari. [3] Priore vero casu non aliud obseruatur, quam quod citra conuentionem ex iuris ratione seruari oporteret. Itaque frustra remissio petetur quandiu spes est, compensari posse vnius anni sterilitatem cum sequentium fertilitate. [4] *Ita Senatus* ex tempore in causa R.D: Episcopi Maurianensis Abbatis d'Aux, contra Claudium Pernollet, Idib. Nouemb. 1593.

1 Conuentiones enim omnes recipiunt interpretationem ex iure communi, quia & cõtrahentes in dubio censentur velle se conformare, vt nostri loquuntur, cum dispositione iuris communis, sicut & testatores, *l. vlt. vbi not. C. de verb. signific.*

2 Hoc scilicet modo vt in singulos annos conductionis peti possit remissio, si qua eius petendæ iusta causa erit.

3 Quod tamen expectari oporteret ex iuris communis ratione, *l. ex conducto 15. §. Papinianus, alias l. si vno anno. D. hoc titul.*

4 Nam etsi remissio facta esset primo anno, appareret autem ex vbertate sequentium annorum fieri eam non debuisse, tota pensio nihilominus peti posset, *d. §. Papinianus.*

DEFINITIO XXXVI.

Heres illius, qui socius fuit conductoris, neque à locatore, neque à conductore conueniri potest, nisi perstiterit in societate.

ET obligatio, quæ descendit ex contractu locationis transit vtique in heredes, [1] si tamen is, qui fundum à te conduxerat, me in conductionis socium admiserit, tum ante finitum locationis diem decesserit, non possum cogi aut à te, aut ab eius heredibus vt manean in conductione. [2] Non à te, quia tecum non contraxi, nec vlla tibi ex contractu cum alio aut inter alios inito, contra me competere potest actio. [3] Non à conductoris heredibus, quia inter me tuumque conductorem non conductio inita fuerat, sed societas, quæ morte vnius ex sociis haud dubie finitur. [4] Plane si mortuo iam conductore præstitero in gerendis rebus conductionis, scientibus & patientibus heredibus conductoris, tacita quædam videbitur redintegrata societas, [5] à qua proinde mihi resilire non licebit, [6] nisi heredes offerant conditionem. [7] *Ita Senatus* ex tempore pro heredibus Claudij Quimier, contra N. Cheuron, 3. Non. Iunij 1595.

1 *L. viam veritatis 10. C. hoc tit.*

2 Quamuis dici soleat omnes istos contractus ab initio esse voluntatis, ex postfacto autem necessitatis, *l. sicut 5. C. de obligat. & action.*

3 *L. quæcumque 11. D. de oblig. & action. cum similib.*

4 *L. actione 65. §. morte, l. 1 & pass. D. pro socio.*

5 Aut certe imago quædam societatis, vt loquitur Vlpian. *in l. 1. §. vlt. D. de bon. libert.*

6 Coita enim societate ad tempus, is qui ante tempus renunciat, socium quidem à se, sed non se à socio liberat, *dict. l. actione, §. item qui societatem pro socio.* tenetúrque quanti interest socij in cuius fraudem renunciauit, *§. diximus, & seq. ead. leg.*

7 Eadem conditio est in specie, *l. cum hereditate 55. D. de acquir. hered.*

DEFINITIO XXXVII.

Tacita reconductio inducitur ex patientia mulieris etiam nuptæ, siue de bonis dotalibus agatur, siue de paraphernalibus.

SI nupta mulier fundum suum locauerit, & maritus cum ea simul contraxerit, ac finito locationis tempore constante adhuc matrimonio passa sit conductorem in conductione remanere, æque renouata conductio videbitur ac si matrimonium nullum fuisset. [1] Nam siue fundus dotalis fuit, fructus eius ad maritum pertinuerunt quandiu vixit; [2] eo vero mortuo imputare sibi debet illa, cur non conductori fundum abstulerit. [3] Siue fuit aduentitius aut paraphernalis [4] non potuit matrimonium impedire, quo minus illa contradiceret ac finito conductionis tempore rem suam auocaret. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 57. supr.

1 Eadem enim ratio est in hoc casu quæ in aliis personis, & generalis est sententia Vlpiani, *in l. item quæritur 13. §. qui impleto, D. hoc tit.*

2 Scilicet pro oneribus matrimonij, *l. pro oneribus 20. C. de iur. dot.*

3 Quod vtique facere potuit, dummodo præstita marito indemnitate, *l. si filiofamilias 25. §. si vir in quinquennium.* vbi Bart. & cæteri, *D. solut. matrim.*

4 De quo bonorum genere agitur, *in l. si ego 9. §. vlt. D. de iur. dot. l. hac lege 8. C. de pact. conuent.*

5 Quoniam in hoc bonorum genere nihil penitus iuris habet maritus prohibente vxore, *d. l. hac lege.* iunct. *l. maritus 21. C. de procurat.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXXVIII.

De differentia venditionis fructuum & conductionis, quantum ad tacitam prioris contractus continuationem.

QVid rursum si aliquot annorum fructus & reditus venditi sint? is contractus locationi quidem similis est, sed tamen à locatione distat, quia venditio est.[1] Itaque si finito tempore venditor passus sit emptorem in fundi possessione remanere, non censebitur venditio continuata. In eoque obseruanda differentia est inter venditionem & locationem.[2] Venditio enim dominium rei venditæ transfert in emptorem, & quidem in perpetuum non ad tempus,[3] in ea autem re quæ vendita non est nullum omnino ius, at nec iuris occasionem vllam tribuit emptori.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Aliud enim est vendere, aliud locare, licet iisdem regulis venditio & locatio consistant, ideoque veteres istis appellationibus promiscue vsi sint, *l. veteres 19. & seq. D. de action. empt.* iunctis iis quæ docet Cuiacius *lib. 9. obser. cap. 15.* Vide *l. liberto 21. in princ. D. de ann. legat.* & quæ scripsi in priore parte Hemichialidis *de error. pragmat.*

2 Quæ differentia nascitur ex diuersa natura negotiorum.

3 Quia transfertur dominium per traditionem, quæ non fit nisi semel, ac proinde nihil est quod possit de tacita continuatione tractari in venditione. At locatio fit ad tempus, ideoque potest continuari & quidem per solam patientiam sine noua traditione, quia sufficit vt conductor percipiat fructus ex voluntate locatoris ad eos acquirendos, *l. si seruus 61. §. locauit, D. de furt.*

4 Quoniam id quod reuera venditum non est pro vendito possideri non potest, nec si traditum sit ex causa falsa venditionis, *l. penult. D. de vsucap. alias, l. pen. de solut.*

DEFINITIO XXXIX.

Non semper ex causa inobseruantiæ potest rescindi aut resolui locatio.

COnuenerat inter locatorem & conductorem vt censualia instrumenta quæ habebat omnia locator traderet conductori,[1] sed ita tamen vt eo prætextu non traditorum instrumentorum solutio pensionis differri non posset.[2] Conductor postea conquestus de mora locatoris, quasi is non omnia quæ in manibus habebat tradidisset, ac nihilominus ex contractus lege præteriti temporis pensionem soluere condemnatus, nec conuentioni, nec iudicato paruerat.[3] Locator ex ea causa contractum resolui postulabat, expellique conductorem, propter inobseruantiam,[4] vt nostri loquuntur. Placuit, in mora quidem esse conductorem, qui contra legem contractus solutionem differat prætextu non traditorum instrumentorum,[5] sed tamen non id sufficere ad contractus resolutionem si ex parte quoque locatoris mora aliqua probetur interuenisse.[6] Cum non solum ex natura contractus prior satisfacere debeat qui prior agit,[7] verum etiam in proposito mora conductoris ex præcedente mora locatoris descendere videatur. Non enim poterat conductor pecuniam soluendæ pensioni necessariam in promptu habere, si ob non tradita instrumenta censualia vti frui re conducta nequiuisset.[8] Denique ita demum ex inobseruantia resolui contractum locationis necesse est, si eius solius mora interuenerit aduersum quem resolutio postulatur, eaque aperta & explorata, non si tantum, vt vocant, dubitatiua[9] aut si ex parte vtriusque.[10] Prius igitur de illo inquirendum visum est, an in tradendis instrumentis censualibus mora per locatorem contracta esset, conductorem vero ad id duntaxat condemnandum vt pensiones quarum dies cessisset interea solueret. An etiam vt eo nomine satisdaret?[11] Minime. Nec enim iusta interponendæ cautionis ratio est, quod conductor in mora sit quandiu dubitari probabiliter potest, an in mora quoque sit locator, præsertim in præstando eo ad quod ex contractus natura sit obligatus.[12] *Ita Senatus* in causa Illustriss. D. Cardinalis de Montelbero Prioris Sancti Georgij, & Claudij Combet procuratoris, 9. Cal. Iul. 1593.

1 Scilicet quia censuum exactio aliter fieri non posset, *l. 2. §. 1. de pact. l. qui chirographum 59. de leg. 3. l. instrumenta 24. C. de fideic. l. 1. C. de donat.*

2 Solent enim conductores vt plurimum per tergiuersationem hoc prætextu recusare solutionem citantes, *vulg. §. offerri, l. Iulianus 13. D. de act. empt.*

3 Atque ita duplicem moram contraxerat.

4 Ex traditis in *l. æde 3. C. hoc tit.* & per Alexand. *consil. 105. volum. 3.*

5 Lex enim contractus semper seruanda est, *l. legem, C. de pact. l. 1. §. si conuenerit. D. depos.*

6 Odiosa enim est interpretatio, per quam bonæ fidei contractus resoluitur, vnde & odiosa esse creditur lex commissoria, *l. Æmilius, 38. D. de minor.*

7 *d. l. Iulianus, 13. §. offerri, D. de action. empt.*

8 Plerumque enim fit, vt nulla possit esse exactio sine actione scilicet, cum debitor non vult bonam fidem agnoscere, Theophil. *initio tit. de action.* Actio autem bene exerceri non potest sine probationibus, quæ porro in hac specie petendæ sunt ex censualibus instrumentis, nostri vocant libros recognitionum.

9 Id est, de qua dubitari possit, an mora dici debeat. Est enim quæstio hæc facti, & ideo plerumque obscura, *l. mora 32.* iunct. *l. sciendum, 21. D. de vsur.*

10 Hoc enim casu compensatio morę vtrimque fieri debet, sicut fieri solet etiam doli & delicti, *l. domum, 57. in fin. D. de contr. empt. l. viro, 39. D. solut. matr.*

11 Nam in bonæ fidei iudiciis ex iusta causa plerumque satisdandi necessitas iniungitur, *l. in omnibus, 41. D. de iudic. l. pro socio, 38. D. pro socio.*

12 d. §. *offerri.* Ex natura enim locationis est, vt locator præstet, conductori licere vti frui, *l. ex conducto, 15. §. 1. & pass. D. hoc tit.* [Cæterum quamuis constet in mora esse locatorem, non eo minus tamen condemnandus erit conductor ad semissem vel bessem, aut quid aliud locatori præstandum, si constet fruitum esse conductorem pro aliqua parte. Quis enim ferat eum qui pro parte aliqua fruitus est re conducta nullam penitus mercedis partem præstare eo prætextu, quod per locatorem factum sit, ne in totum frui ipse potuerit? sed quid & quantum interim locatori præstare conductor debeat, arbitrio iudicis relinquendum est, qui ex personarum & rerum, & moræ circumstantiis id æstimare aliter atque aliter debebit. *Ita Senatus* pro Carolo Lomel, contra Claud. Rubeum, 3. Sept. 1612.

DEFINITIO XL.

Quomodo succurrendum sit locatori, si conductor non sit soluendo, & tamen aliquid sit, propter quod non possit locator cogere conductorem ad solutionem.

QVid ergo si negetur conductor esse soluendo? An patiemur nil soluentem eum frui re conductoris?[1] Quid si reditus ex plerisque aliis fructibus constet, ad quorum perceptionem nulla sint instrumenta necessaria?[2] An adhuc dicemus, locatorem facilitati & stultitiæ suæ imputare debere, quod cum tali contraxerit?[3] Iniquum sane videatur, vt idcirco moretur in damno, cui obuiam iri possit.[4] Igitur sic temperanda res erit, vt vir bonus ab vtraque parte eligatur, apud quem vt sequestrem fructus deponantur,[5] prius tamen præstita per locatorem cautione de iudicato soluendo, si in mora ipse fuisse comperietur,[6] nisi conductor ipse cauere malit, & satisdare de pensionibus futuris ad diem soluendis, præteriti vero temporis reliqua in promptu soluere. Ipsi enim deferenda conditio est.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Solet enim hæc iusta causa esse iniungendæ satisdationis, *d. l. in omnibus 41. de iudic.*

2 Non enim potest hoc casu capi prætextus non traditorum

BIU Cujas

censualium instrumentorum, si nullam pensionis partem soluat conductor, qui bonis locatis fruitur ex parte.

3 *Arg. l. qui cum alio, 19. de reg. iur. l. penult. D. de iur. dot.*

4 Melius enim est ab initio intactum quem & illæsum conseruare, quàm post vulnus remedium quærere, *l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. rest.*

5 *Arg. l. postquam, 5. §. 1. in fin. D. vt legat. nomin. caueat.*

6 Est enim locator quodammodo reus, ex qua parte potest ex conducto reconueniri ad id, quod interest conductoris; *arg. l. non solum, 39. §. est & casus, D. de procur.*

7 Nam cum sequestratio sit odiosa, *tot. tit. de prohib. sequestra. pecun.* nec permittatur, nisi vt aduersario cautum sit, præferendum est remedium satisdationis remedio sequestrationis *d. l. postquam, §. 1. iunct. l. 1. D. qui satisd. cog. l. Imperatores, 21. §. vlt. de appellat.*

DEFINITIO XLI.

Conductor locatori vindicanti dominium referre quæstionem dominij potest, at non conducenti possessionem.

PAssus bonorum suorum venditionem, in quorum possessionem creditor, idemque nouissimus licitator [1] missus fuerat, ab eodem creditore bona eadem sibi, vt plerumque fit, [2] ex conductionis causa retinuerat. Si creditori non dominium vindicanti, [3] sed possessionem suam repetenti controuersiam facere velit, eo prætextu quod nondum subhastationes decreto confirmatæ sint, quodq; in iis aut enormissima læsio, aut aliqua, vt loquuntur, nullitas interuenerit, audiendus non est, etiamsi sex mensium tempus, quod ad redimenda pignora præstitutum est, nondum præterierit, quoniam possessionem ante omnia restituere conductor debet, sic deinde redimere, aliudve ius suum prosequi, si quod habet. [4] Hoc ita si merces non pro vsuris pecuniæ debitæ conuenta sit, sed pro fundi fructibus, licet iusto vsurarum modo magis quàm fructuum æstimationi respondeat. [5] Nam si de pecuniæ debitæ vsuris à debitore, eodemque conductore exsoluendis conuenerit, αὐτάρκως conseruare, quàm ius dominij sibi adserere voluisse videatur. [6] Proinde redimendi ius saluum erit debitori, etiam post sex menses. [7] Neq; enim quicquam prohibet tempus illud, quod ad redimendum pignus creditori per statutum indulgetur, ex voluntate creditoris, longius fieri, si crediti magis quam dominij ius exequi velit. [8] Quod si creditor idemque locator dominium vindicet, referre quidem dominij quæstionem etiam conductor poterit, [9] sed ita erit accipiendum, si dominium ad se aut ad alium pertinere doceat, aut quod satis est ad actorem pertinere neget, [10] non etiam si de creditoris iure, quod ab ipso debitore habuit, & ex pignorum addictione creditor quæsiit, contendere debitor velit. Qua enim fronte inficiari debitor possit ius creditoris, quod ab ipso habeat debitore? Neque sane rursus æquum est prodesse illi possessionem aduersus creditorem, quam ab ipso creditore habuerit. [11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, in causa viduæ D. Battandier Collateralis Necien sis, & hæredum Petremandi Falquet, Prid. Cal. Aug. 1593.

1 Idem enim potest esse creditor & licitator non quidem cum venditur pignus à creditore iure creditoris, [5] *l. & qui sub imag. 10. Cod. de distr. pign.* sed cum venditur ex auctoritate iudicis, *vt in l. 1. & 2. Cod. si in caus. iudic. pign. capt. sit. l. cum bona 26. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 1. de priuileg. credit.*

2 *l. qui fundum 75. ff. de contr. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi, ff. de action.*

3 Nam si ageret vindicatione etiam contra conductorem dominium probare omnimodo deberet. Bart. *in l. commodare, ff. commod. & in l. si alienam solut. matr.* Corn. *cons. 219. vol. 4.* Crauet. *cons. 157. à num. 4. vsque ad 9. ex l. vlt. C. de rei vindic.*

4 Non enim potest dominij quæstionem referre locatori possessionem solam repetenti, *l. si quis conductionis 25. C. hoc tit.*

5 *Arg. l. si ea pactione 14. C. de vsur.*

6 Non enim possunt deberi vsuræ nisi ex comparatione sortis debitæ, sors autem nulla debetur creditori, qui vere pignus emit, *d. l. & qui sub imagine 10. ad fin. C. de distr. pign.*

7 Quasi subhastatione & licitatione simulate facta, *d. l. & qui sub imagine.*

8 Quandiu enim creditor remanet verus creditor, tandiu superest debitori ius offerendi, *d. l. & qui sub imagine l. si mandatu 59. §. 1. D. mand. l. 2. & 3. §. 1. l. 5. & 6. D. de distr. pign.*

9 Dixi *num. 3.*

10 Hic enim sufficit, *l. vlt. C. de rei vindicat. l. vlt. D. de acquir. poss.*

11 *l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

DEFINITIO XLII.

Potest expelli conductor, qui diu cessauit in solutione pensionis, etiamsi dederit fideiussorem idoneum.

ADuersus conductorem, qui præteritorum annorum pensiones non soluit, tametsi fideiussores idoneos dederit, potest dominus vti iure suo, [1] & prohibere ne sequentium annorum fructus conductor prius percipiat, quam pro præteritis satisfecerit: [2] ac multo magis si, vt fieri solet, bona sua omnia conductor obligauerit. [3] Quidni enim tantundem iuris habeat dominus in rei suæ fructibus, quantum in alienis percipiendis? [4] Nam & constat ex ea causa conductorem expelli posse, quod in exsoluenda pensione moram fecerit. [5] Nec quod fideiussores idoneos conductor dedit prodesse illi debet, vt tanto liberius re aliena abutatur. [6] Nisi curet vt solutio per fideiussores fiat, quoniam interest domini vt rei suæ incumbat potius quam vt in personam experiatur. [7] Neque aliud erit, etiamsi dominus cum fideiussoribus pactum fecerit de non petendo, siue simpliciter, [8] siue ante certum tempus. Non enim sicut pactum cum debitore factum prodest fideiussoribus, [9] ita ex contrario pactum cum fideiussoribus initum prodesse debet reo. [10] Et sane absurdum fuerit conductorem imputare locatori, cur fideiussoribus suis voluerit fauere. [11] *Ita tractatum est* in publico auditorio pro R^mo. D. Philiberto Milliet Episcopo Maurianensi Abbate d'Aux, contra Claudium Pernollet, Calend. Mart. 1594.

1 Nec enim fideiussores dedisse soluisse est, *l. quod si non soluere 10. D. de pign. act. l. item liberatur, 6. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

2 Quia satisdatio diutius grassandi in re aliena potestatem facere non debet, *l. quia satisdatio 6. D. de susp. tutor.* iunct. *l. æde 3. C. hoc tit.*

3 Plus enim cautionis in rem esse solet quam in personam, vulg. *l. plus cautionis 25. de reg. iur.*

4 Posset enim per hypothecariam auocare possessionem prædiorum conductoris obligatorum pro pensione eorumque fructus suo iure percipere, quamuis cum onere imputandi eos in sortem, *l. 1. 2. & pass. C. de pign. act.* Sunt enim fructus isti tacite pro pensione obligati tum quoque, cum de pignore non conuenit, *l. in prædiis 7. D. in quibus caus. pign. tacit. contr.*

5 *d. l. æde 3. C. hoc tit. l. quæro 54. §. inter locatorem, D. eod.*

6 *d. l. quia satisdatio 6. D. de susp. tutor.* Nam si publice interest ne quis re sua abutatur, §. 1. *Inst. de his qui sunt sui vel alien. iur.* multo magis ne aliena, *l. si constante 24. §. si maritus, D. solut. matrim.*

7 *d. l. plus cautionis 25. de reg. iur.*

8 Id est de nunquam petendo. Pactum enim de non petendo duplex est, vnum perpetuum, alterum temporale. Vtriusque exempla vide *in l. si pactus 54. & l. qui in futurum 57. & pass. D. de pact.*

9 *L. quod dictum 32. eod. tit.*

10 *L. fideiussoris 23. cum præced. & seq. eod.*

11 Qui vtiq; aduersus conductorem ipsum habituri fuerant regressum, *l. cum lex 46. de fideiuss. & dict. l. quod dictum.* Quamquam nec aliud esset etiamsi donandi animo fideiussissent, *vt in d. l. quod dictum l. 5. de liber. leg.* Est enim in potestate creditoris plures debitores habentis, quem velit conuenire & quem velit liberare, dum persona tantum eximatur, non etiam obligatio tota extinguatur, *l. Granius 71. D. de fideiuss. l. penult. C. eod.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XLIII.

Non est facienda prouisionalis adiudicatio locatori, qui vrgetur aliqua præsumptione doli.

NOn semper ex contractu locationis condemnatio prouisionalis pendente lite fieri debet aduersus conductorem solutum allegantem, tametsi solutio in promtu non probetur:[1] nempe si doli præsumptio aliqua vrgeat contra locatorem. Finge hominem esse malinominis, solitum bis idem exigere,[2] qui post decem pluresve annos ex eo contractu agat contra heredes conductoris,[3] quicum sæpius posuerat rationes.[4] Finge nolle hunc locatorem iurare de calumnia, & purgare se de dolo malo.[5] His sane concurrentibus nemo dixerit pro locatore præsumendum esse. Igitur litis exitus expectandus erit, vt sciatur an reuera debeatur.[6] *Ita Senatus* ex tempore, 11. Calend. April. 1594.

1 Quod tamen regulariter obtinet, vt dixi *Defin. 4. 3.*

2 Quod qui facit improbus est, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic. l. bona fides 57. de reg. iur. cum concord.*

3 Qui possunt verisimiliter ignorare solutionem à defuncto factam & probationes, quas haberet defunctus si viueret, *l. qui in alterius 42. de reg. iur. l. vlt. D. pro socio.*

4 Ex quo sumi potest coniectura non tantum solutionis, sed etiam tacitæ remissionis saltem aliis concurrentibus, de quibus in *l. Procula 26. D. de probat.*

5 Quod sane manifestum est calumniæ argumentum, & ideo hoc iuramentum de calumnia neque patrono neque parentibus remittitur, *l. iusiurandum 34. § qui iusiurandum, D. de iureiur.* Vide tamen Cuiac. *lib. 9. obseru. cap. 37.*

6 Nunquam enim pendente lite iudicandum est pro eo, contra quem aliqua vrget præsumptio, cum ea præsumptio in ipsum transferat onus probandi, *l. si chirographum 24. D. de probat. l. mouior 4. C. si seruus export. uen.*

DEFINITIO XLIV.

Cessante conductore per biennium in solutione expelli per locatorem potest, nisi vel satisdet, vel sequestrationem fructuum patiatur.

SI iterum atque iterum conductor in solutione pensionis cessauerit, non vtique statim expelli à locatore potest, sed ita demum si diu cessauerit,[1] id est per biennium integrum, vt vulgo nostri interpretantur.[2] Quod si superueniens egestas conductoris[3] iustam suspicandi causam præbeat, vt non sua die soluere conductor possit,[4] aut si male is rei conductæ fructus, remque suam dilapidet,[5] æquum est locatori consuli per fructuum sequestrationem, præstita satisdatione:[6] nisi paratus sit conductor eiusmodi sequestrationis impediendæ gratia satisdare de soluendo ad præscriptum diem omni eo quod debetur,[7] quodque in futurum ex conductione debebitur.[8] Nec melior conductoris esse debebit conditio, quod cum ab initio contraheret iam dederit fideiussorem, siue idoneus ille sit siue non,[9] si modo perinde in soluendi mora sit fideiussor. Neque enim cuiquam permittendum est vt sub prætextu præstitæ satisdationis in re aliena libere grassetur:[10] nec eo minus bonam fidem conductor præstare debet in exsoluenda mercede quod satisdederit, quippe qui etiam satisfacere promisit.[11] Nam qua fronte, obsecro, potest conductor imputare locatori, cur tali fideiussore contentus fuerit, qui ipse promissa non impleat? Imputaret sane, si locator, cui hucusque ad diem satisfactum esset, alium peteret fideiussorem maioris cautionis & indemnitatis habendæ causa.[13] Facilius vero quis admittat succurrendum locatori, si datus antea fideiussor nõ solum in solutione cessauerit, sed etiam de conductoris mora & dilapidatione conqueratur,[14] ex eaque causa fructuum sequestrationem postulet, aut eorum percipiendorum fieri sibi potestatem vt habeat vnde possit soluere. Quod certe ipsi concedi, si alio modo locatori non consuleretur, longe esset æquius, quam pati vt ex conductoris improbitate aut locator, aut fideiussor periclitaretur.[15] *Ita Senatus* pro R. D. Episcopo Maurianensi, contra Claudium Pernollet, 3. Id. Maij 1594.

1 *L. æde 3. C. hoc tit.*

2 *Ad d. l. æde.*

3 Egestas enim, quæ iam ipso contractus tempore fuisset, attendi non deberet, *ex reg. l. qui cum alio 19. de reg. iur.*

4 *Arg. l. in omnibus 41. D. de iudic.*

5 *d. l. æde.*

6 *L. Imperatores 23. § vlt. D. de appellat.*

7 *Argum. l. postquam 5. § 1. in fin.* illis verbis, *sed si is qui uiuit non posit cauere, D. vt legat. seu fideicomm. seruand. causs. caueat.*

8 Satisdandum enim est in omnem causam locationis, *l. quæro 54. C. hoc tit.*

9 Dixi *Defin. 31. num. 6. 3.*

10 *L. quia satisdatio 6. D. de suspect. tutor.*

11 Plus enim est satisfacere quam satisdare, quia satisfactio non satisdatio pro solutione est, *l. satisfactio 52. D. de solut. l. solutionis 176. de verb. sign.* iunct. *l. 1. qui satisd. cogant.*

12 Nec enim datur fideiussor vt debitor liberetur, sed potius vti pro iam obligato debitor nouus adiiciatur.

13 *L. si ab arbitrio 10. § 1. D. qui satisd. cogant. l. 1. § item quæritur, D. de separat.*

14 Quomodo potest conqueri ex eaque causa etiam prius quam soluat agere mandati, *l. Lucius 38. mandat. l. si pro ea contra quam 10. C. eod.*

15 Nec enim malitiis est indulgendum, *l. in fundo 38. de rei vindic.* Nec ferendum vt fideiussori officium suum sit damnosum, *l. si seruus 61. § quod uero, de furt.*

DEFINITIO XLV.

De tacita reconductione.

COnductor, qui finito conductionis tempore remansit in conductione prædij rustici, reconduxisse quidem intelligitur iisdem, quib. antea conditionibus,[1] sed non in annos totidem, si forte prior in plures annos facta fuerat, at pro eo anno dũtaxat,[2] si quotannis prædij conducti fructus extent,[3] ne tacitus consensus, qui ex facto inducitur, vltra quam factum sit extendatur.[4] Propter quam causam separamus hac parte rusticum prædium ab vrbano, quia vrbani prædij fructus in singulos dies percipitur.[5] Nam & ex contrario si rusticum tale esset, quod non nisi in triennium aut quinquennium fructus ferret, dicendum esset in triennium aut quinquennium subsequens repetitam intelligi conductionem.[6] *Ita tractatum est* in causa D. Dufour & Iacobinæ Berru, Idib. Ianuar. 1595. Iunge Defin. 37. infr.

1 *L. item quæritur 13. § qui impleto, D. hoc tit. & l. seq.*

2 *d. § qui impleto,* in illis verbis, *vt in ipso anno.*

3 Quid ergo si bis in anno fructus ex eo fundo proueniant, aut lustratim? Eadem reconductio censebitur, inquit Gothofred. *ad d. § qui impleto.*

4 Quod enim ex facto inducitur non potest extendi vltra quam factum est, ne latius pateat effectus quam causa.

5 *d. § qui impleto, in fin.*

6 Dixi *num. 3.* ex Gothofredo & aliis *ad d. § qui impleto.*

DEFINITIO XLVI.

Periculum fructuum collectorum ad conductorem omnino pertinet.

FRuctus à conductore percepti, & à solo separati periculo ipsius sunt, non locatoris, siue casu fortuito perierint, siue vi maiore,[1] quia iam inde à quo tempore percepti sunt facti fuerunt conductoris.[2] Idque multo magis obtinet, si constet fuisse eos à

BIU Cujas

conductore in longius tempus asseruatos vt carius venderentur. Cur enim recuset damnum suscipere, cuius periculum spe maioris lucri vltro incurrere voluit? [3] *Ita Senatus* pro N. Bernardo Dacquin, contra Franciscum Iambaz, 9. Cal. Iunij, 1595.

1 Dixi *Defin. 21. & seq. 3. hoc tit.*
2 Tanquam percepti ex domini voluntate, *l. si seruus 61. §. locaui, D. de furt.*
3 Ad quem enim spectare potuit commodum, ad eundem spectare etiam incommodum debet, *vulg. l. secundum naturam 10. de reg. iur.*

DEFINITIO XLVII.

Compensatio facienda est vbertatis cum sterilitate non tantum ratione temporis, sed etiam ratione specierum, in quibus fructus consistunt.

LOcatione in plures annos facta, non tantum vnius anni sterilitas cum aliorum annorum vbertate compensatur, [1] sed etiam vnius specie sterilitas cum aliarum specierum fertilitate. [2] Cum enim vnicus contractus sit, [3] sufficit vt conductor aliqua ratione indemnis seruari possit. [4] Itaque si cum vinum & frumentum speraretur, frumenti penuria magna, vini copia maxima fuerit, remissionem mercedis nullam fieri oportebit. [5] Non idem erit si aliqua conducti fundi parte frui conductor prohibitus sit. Omnimodo enim præstare locator debet, vt tota re conductor frui possit, [6] licet alia pars qua fruitus est indemnitatem plenam attulerit. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. ex conducto 15. §. Papinianus alias, l. si vno, D. hoc tit.* Dixi *Defin. 3. & 15. 3.*
2 Ratio & exemplum sequitur in Definitione.
3 Ac proinde indiuiduus, quia essentiæ omnes rerum sunt indiuiduæ secundum Philosophos, vt Dixi *Defin. 3. nu. 4. 3.*
4 Imo quod magis est non debet recusare modicum damnum, qui immodicum lucrum sperare potuit, *l. si merces 25. §. vis maior, D. hoc tit.*
5 Confundi enim debent fructus omnes & messis & vindemiæ, *l. fructus 7. §. Papinianus, alias l. diuortio, D. solut. matrim.*
6 *L. ex conducto 15. §. 1. & seq. D. hoc tit.*
7 *Arg. l. si duorum 42. D. de act. empt. l. sicut periculum 12. l. eod. iunct. l. 2. D. hoc tit.*

DEFINITIO XLVIII.

Contractu locationis in scriptis habito tacita reconductio nulla esse potest.

QVod placuit conductionem prædij rustici ad certum tempus factam finito tempore intelligi tacite reperitam, si locator patiatur conductorem in possessione remanere, [1] constat non habere locum si contractus fuerit in scriptis celebratus. [2] Tunc enim, cum contractus ex scriptura vires suas accipiat, solus ille tacitus consensus, qui ex locatoris patientia inducitur, [3] facere non potest vt plus scriptum videatur quam reuera scriptum sit; quanquam ex Iustiniani constitutionibus [4] potius quam ex iuris veteris ratione ea distinctio profecta videatur. [5] *Ita Senatus* in causa fratrum Nouellet, 12. Calend. Septembr. 1595.

1 Dixi *Defin. 34. 3.*
2 *L. item quæritur, 13. §. qui impleto, in fin. D. hoc tit.*
3 *L. qui patitur, 18. D. mandat.*
4 *In l. contractus 17. C. de fid. instrum.*
5 Scripsi in priore parte Hemischiliadis, *de error. pragm.*

DEFINITIO XLIX.

Casus, in quo conductor temporalis non potest expelli, ne quidem post tempus quandiu soluit pensionem, vt alius conductor inducatur.

LOcator cum conductore conuenerat, vt quandiu conductor pensionem solueret non posset expelli ad alium substituendum conductorem. [1] Proderit ea conuentio conductori, vt etiamsi conductionis tempus effluxerit, tamen expelli non possit si soluat pensionem: [2] nimirum si ob id eum expellere locator velit vt alij locet. Nam si vt ipse vtatur fruatur per se aut per domesticos, vtique licere ei debet, etiamsi alia nulla subsit causa ex iis, propter quas iure receptum est vt etiam ante tempus expelli conductor possit. [3] Tunc enim quærimus an iusta causa aliqua sit expellendi conductoris, cum vult eum locator expellere ante tempus, [4] non cum post tempus. [5] *Ita Senatus* in causa Claudij Lucian & Cornelij Pernet, 9. Calend. Decemb. 1595.

1 Potest enim hac lege fieri conductio, vt sit huiusmodi pactum velut in partem emptionis, quomodo de simili pacto in venditione appositio scriptum est in *l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de action. empt. l. qui fundum 75. D. de contrah. empt.*
2 Non enim nisi perfide posset fides frangi ei qui præstat quod promisit, *l. 1. D. de constit. pecun. l. si diuersa 14. C. de transact. l. cum te 6. C. de pact. int. empt. & vendit.*
3 De quibus *in l. æde 3. C. hoc tit.*
4 Quod certe sine causa facere non potest, nec si paratus sit præstare quanti interest conductoris, quia contractus isti omnes ab initio quidem sunt voluntatis, ex post facto autem necessitatis, *l. sicut 5. C. de oblig. & action.*
5 Nam & quæ ad tempus sunt prohibita censentur post tempus permissa, nec quisquam vrgendus est rationem reddere cur id faciat, quod suo iure facere potest, *l. 4. D. ad SC. Trebellian.*

DEFINITIO L.

Expensarum, quæ à conductore factæ sunt in rem conductam ad suam vtilitatem, repetitio quando conductori detur?

EXpensæ per conductorem factæ, licet bona fide & sciente locatore, non ad meliorandam aut conseruandam rem conductam, sed proprij commodi, & propriæ negotiationis exercendæ gratia, [1] non sunt ei restituendæ, si locator illum expellat suo iure. [2] Quid enim si locatori plus incommodi afferant quam commodi? Sane si per iniuriam conductor expulsus sit, nemo dubitat quin præstare locator debeat quanti ipsius interest. [3] In quo etiam expensæ proculdubio continebuntur. [4] Quamquam non est permittendum locatori vt expellat eo prætextu, quod paratus sit indemnem præstare si malit conductor stare locationi, [5] nisi cum iusta causa superuenit, quam conductor prospicere debuit euenire posse. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Potest enim facile fieri vt alia sit negotiatio locatoris, alia conductoris.
2 Non enim facit iniuriam qui suo iure vtitur, *l. iniuriarum 13. §. 1. D. de iniur.*
3 *L. ex conducto 15. §. 1. l. si fundus 33. versic. nam etsi colonus D. hoc tit.*
4 Imo etiam lucrum, *d. l. si fundus*, ibi *in quo etiam lucrum eius continebitur.* Mea enim dicitur interesse siue quid mihi absit siue quid lucrari potuerim. *l. si commissa 13. D. rat. rem. haber.*
5 Idipsum enim semper præstandum est quod debetur, si præstari possit, non aliud pro alio inuito creditore, *l. 2. §. mutuis de rebus credit. l. eum à quo 16. & seq. C. de solut.* Aliud autem est id quod interest frui, aliud fruitio: nec recurrimus ad præstationem eius quod interest, nisi in obligationibus faciendi ne scilicet alioqui necesse esset cogere quem præcise ad factum, quod sine vi & impressione fieri non posset, *l. si quis ab alio 13. §. vltim. D. de re iudic. l. quoties quis alium 81. iunct. l. stipulationes non diuiduntur 72. in fin. princip. de verb. obligat.* Atqui locator non tam ad factum tenetur quam ad patientiam. Sufficit enim vt neque ipse impediat fruitionem neque alius quisquam ex iis quos prohibere potest, *d. l. si fundus.*
6 Iusta enim causa potissimum illa est, quæ sit vna ex tribus, de quibus in *l. æde 3. C. hoc tit. l. quæro 54. §. inter locatorem, D. eod.*

DEFI-

DEFINITIO LI.

Non potest conductor expelli prætextu necessitatis, nisi de ea constet aliter quam per iuramentum locatoris, & nisi ea necessitas superuenerit ex post facto.

LOcatoris iuramento standum non est si ante finitum conductionis tempus velit conductorem expellere, eo prætextu quod domo egeat ad habitandum.[1] Sed probanda est necessitas per ædium inspectionem, consideratis præsertim qualitate personarum & quantitate familiæ.[2] Necessitatem vero illam superuenisse necesse est. Nam si iam suberat tempore contractæ locationis, ea quæ de nouo non emergunt nouo non egent auxilio.[3] Alij sane casus sunt, in quibus etiam licet expellere conductorem quamuis soluentem, inter quos ille est, si domus ruinam minetur, & reficienda sit.[4] Sed hoc fallit si in contractu locationis conuenerit, vt conductori domum reficere liceret, quæ iam tum erat æque ruinosa.[5] *Ita tractatum* & conclusum est ex tempore in causa viduæ D. de Montfort des Eschelles, & D. Aduocati Poncier, 13. Febr. 1596.

1 Semper enim nimis periculosum est iudicem quem fieri in sua causa, *l. Iulianus 17. ff. de iudic.* iunct. *l. in princip. D. quar. rer. act. non dat. & tit. Cod. ne quis in sua caus. iudic. vel ius dic.* Præsertim ne sit in potestate vnius ex contrahentibus recedere à contractu iam perfecto, *l. sicut 5. C. de oblig. & action.* Maxime his temporibus, quibus plerique hominum tam faciles sunt ad iurandum.

2 *L. æde 3. vbi not. C. hoc tit.*

3 *L. de ætate 11. §. ex causa à contr. sens. D. de interrog. in iur. facien. Not. ad d. l. æde.*

4 *d. l. æde.*

5 Quia prouisio hominis hoc casu vt & in aliis plerisque facit cessare prouisionem legis, *l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot. l. maritus 21. C. de procur.*

DEFINITIO LII.

Periculum fructuum iam perceptorum pertinet omnimodo ad conductorem.

OB fructus à conductore iam perceptos, sed postea, quamuis intra annum quo vendi potuissent, maiori vi ereptos, remissionem mercedis petere conductor non potest, ad cuius periculum à die perceptionis, quo dominus eorum factus fuit,[1] pertinere cœperunt.[2] *Sine die.*

1 Fructus enim à conductore percepti pertinent iure domini ad conductorem non ad locatorem. Qui licet fructus non iure seminis percipiantur, sed iure soli *l. qui scit 25. §. 1. D. de vsur.* tamen eos percepit conductor ex voluntate locatoris, quod sufficit, *l. si seruus 61. §. locaui, D. de fur.* Sic creditor quamuis non sit dominus pignoris tamen vendendo pignus transfert dominium, quia vendit ex domini voluntate, *Instit. quibus alien. licet vel non.*

2 Est enim regulare vt periculum casus fortuiti pertineat ad dominum, *l. quæ fortuitis 6. C. de pign. act. l. contractus 25. in fin. D. de reg. iur.*

DEFINITIO LIII.

Potest conductor in se suscipere periculum omnium casuum fortuitorum quantumlibet insolitorum.

CONductor, qui casuum omnium fortuitorum tam incogitatorum, quam cogitatorum periculum aperta conuentione in se recepit, non est audiendus si postea remissionem mercedis petat ob casum fortuitum, qui superuenerit, quantumcumque insolitus proponatur.[1] Etsi enim non solent conuentionum clausulæ quamuis generales ad incogitata extendi,[2] non potest tamen dici de casibus insolitis non cogitasse illos, qui incogitatum quemlibet conuentione comprehendi voluerunt.[3] *Sine die.*

1 Pacta enim & conuentiones legem dant contractibus, *l. 1. §. si conuenerit ff. depositi. l. contractus 23. de reg. iur.*

2 *L. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9. §. 1. D. de transact.*

3 Vt dixi *Defin. 2. supr. hoc tit.*

DEFINITIO LIV.

Conductor, qui re conducta frui prohibetur non ad remissionem agere debet, sed ad id quod interest, interim tamen non est inquietandus, dummodo abstineat à tota conductione.

SI quid ex bonis locatis sit quo conductor vti prohibeatur, siue à locatore ipso, siue alterius cuiuslibet vi maiore, non mercedis remissio eam ob causam petenda est,[1] sed ad id agendum quod interest conductoris,[2] aut mercedis solutio deneganda, quam scilicet locator petere non potest ex contractu vltro citroque obligatorio, quem ipse prior ex parte sua non impleuerit:[3] sed obseruare hoc casu conductor debet, ne in reliquorum bonorum conductione perseueret, ne alioqui eo prætextu deficientis pro parte perceptionis fructuum totius mercedis solutionem denegando reliquos fructus impune ac sine causa retinere velle videatur.[4] *Sine die.*

1 Quæ scilicet non solet peti nisi quando conductor fruitus quidem est, sed minus percepit ex fructibus quam sperari potuit, idque ob nouam aliquam & inopinatam causam.

2 Quia locator conductori patientiam præstare debet, *l. ex conducto 15. vbi not. D. hoc tit.*

3 *L. Iulianus, 13 §. offerri, D. de action. empt.* iunct. *l. 2. D. hoc tit.*

4 Ita enim fieret vt conductor & rem & pensionem haberet, quod bona fides pati non potest, *l. ex empto 11. §. veniunt, l. Iulianus 13. §. veniunt autem, l. bona fides, 50. D. de action. empt.*

DEFINITIO LV.

Prius est vt locator respondeat, si obijciatur non fuisse ab eo impletum contractum, quam vt interim conductor ei prouisionabiliter condemnetur.

IS qui ex contractu vltro citroque obligatorio conuenitur, sicuti non prius vrgeri potest ad præcisam solutionem, quam aduersarius se ex parte sua contractum impleuisse ostenderit,[1] ita nec facile pendente lite per modum, vt loquuntur, prouisionis, & in fiduciæ speciem condemnari debet,[2] quantumcunque oblata in eam rem, vt offerri necesse est, indemnitatis satisdatione:[3] sed tunc demum cum ad ea, quæ debitor in suis exceptionibus iurato allegauerat, creditor, idemque actor iurato responderit, & quæ ille affirmauerat, hic negauerit.[4] Interim ergo si adiudicatio fiduciaria petatur, non debet iudex ita pronunciare, vt actorem ab ea petitione submoueat, ne, si postea & suo tempore actor petat exceptione rei iudicatæ, repellatur: sed nullam petitionis rationem habere, vt sit ei integrum eandem adiudicationem, si quando iterum petetur, vel concedere, vel denegare.[5] *Sine die.*

1 *L. Iulianus 13. §. offerri, D. de act. empt.*

2 Quamuis dici soleat pendente lite mandandum esse contractum executioni per modum, vt aiunt, prouisionis.

3 Quæ semper præstanda est quoties adiudicatio aliqua fit pendente lite, *l. 1. & tot. tit. D. si cui plus quam per leg. Falcid.*

4 Hæc enim negatio est quæ rem dubiam facit, *l. 2. C. quib. ad libert. proclam. non licet.*

5 Exemplo eius quod scriptum est, *in l. quod in diem 7. §. 1. D. de compens. l. non solum 8. si quocunque, D. de negot. gest.*

BIU Cujas

DEFINITIO LVI.

Conductor qui ante elapsa conductionis tempora non est conquestus non auditur, si postea quid allegare velit, quo minus lite pendente prouisionaliter sit condemnandus.

CONductor ad pensionis exsolutionem conuentus, non solum dominij quæstionem referre non potest,[1] ac multo minus obiicere, quod bona ad alium pertineant, quam ad locatorem,[2] sed neque allegare, nullos se ex bonis conductis fructus percipere potuisse, si totum conductionis tempus sine querela elabi passus sit. Nec enim credibile est non citius conquesturum fuisse conductorem, & molestiam denunciaturum locatori, si qua de causa frui re conducta prohibitus fuisset.[3] Quod tamen non eo pertinet, vt istam non fruitionis exceptionem omnino reiici oporteat,[4] sed vt ne qua per eam solutioni & condemnationi fieri debeat mora pendente lite, & vt loquuntur, per modum prouisionis: oblata scilicet per locatorem cautione de restituenda pecunia, si ex faciendis probationibus, euentuque litis apparebit nihil aut minus conductorem locatori debuisse.[5] *Sine die.*

1 *L. si quis conductionis, C. de locat.*

2 Nam & aliena res locari potest, sicut & vendi, *l. rem alienam 28. de contrah. empt.* iunct. *l. 2. D. locat.* hactenus nimirum vt personalis obligatio inter contrahentes inducatur, non vt domino quicquam noceatur.

3 *Arg. l. cum quidam 17. §. Diuus Pius de vsur. l. cum postulassem 44. D. de damn. infect.*

4 Debet enim locator præstare conductori vt liceat ei vti frui, *l. si quis domum 9. & pas. locat.*

5 Secundum id quod dixi *Defin. prox. præced. num. 3.*

DEFINITIO LVII.

Potest instrumentum locationis haberi pro guarentigiato ex conuentione partium.

ETsi neque ratio iuris, neque forensis vsus patitur, vt ex instrumento locationis præcise cogi possit conductor ad promissæ mercedis solutionem, quoniam contractus vltro citroque obligatorius est,[1] in quo contractus vltro citroque obligatorius est,[1] in quo contractuum genere incipiendum est ab actione, non ab executione,[2] si tamen expressa conuentione placuerit, vt pro temporis præteriti pensionibus præcise vrgere conductor posset, tanquam si ex instrumento, vt vocant, guarentigiato conueniretur, quod plerique prouidi locatores facere solent, vt sibi prospiciant aduersus solitas conductorum fraudes & tergiuersationes, seruanda conuentio est.[3] Non enim habet conductor de quo conqueratur, qui eam sibi legem dicere & voluit & potuit, & cui locatorem verisimile est non alia lege fuisse locaturum.[4] *Sine die.*

1 *L. 1. C. de execut. rei iudic.*

2 Nec enim ex contractu vltro citroque obligatorio agere quisquam potest, nisi prior impleuerit ex sua parte, *l. Iulianus 13. §. offerri D. de act. empt.*

3 *Vulg. l. 1. l. iuris gentium 6. §. ait Prætor, D. de pact. l. 1. §. si conuenerit, D. depos.*

4 *L. vlt. C. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFINITIO LVIII.

Post finitam locationem potest tam locator quam qui à locatore emit propria auctoritate conductorem expellere sine metu interdicti, quamuis conductor dicat se à locatore emisse priorem, nisi hoc ipsum probet.

FInita locatione si conductor locatoris sui possessionem velit interuertere, aut mutare sibi causam possessionis,[1] quasi possideat ex emptione, quam locator interdenisse neget,[2] ciuilius quidem & congruentius locator faciet, si per iudicem expellat conductorem,[3] ne forte maioris inde rixæ vel tumultus occasio nascatur.[4] Sed si possessionis suæ tuendæ gratia iure suo vti malit, ac propria auctoritate conductorem expellere,[5] non est prohibendus. Nec iustam querelæ causam conductor habebit, quasi vim priuatam vel iniuriam aliquam passus, cum neque vim neque iniuriam faciat, qui iure suo vtitur.[6] Multo minus autem permittendum ei erit, vt quasi spoliatus petat restitui sibi pristinam possessionem[7] cum numquam possederit, qui nullo nisi conductionis titulo rem tenuit,[8] ac proinde locatori non sibi,[9] eo quoque tempore quo stetit locatio,[10] qua finita, quis obsecro possessionis color ei superesse potuit?[11] Nam & si locatorem volentem ingredi possessionem rei suæ post finitam locationem prohiberet, vtique hoc ipso vim faceret,[12] adeoque deiici dummodo in continenti etiam per vim posset impune,[13] cum aduersus vim nihil sine vi fieri possit.[14] Sed & interdictis aliisque actionibus possessoriis recte conueniretur, quæ scilicet locatori semper competunt, conductori numquam.[15] Nec distinguemus an conductori res sit cum locatore ipso, an cum eo, cui locator rem vendiderit.[16] Planè si durante locatione vel locator ipse ex emergente causa aliqua necessaria conductorem velit expellere, iis nimirum casibus quibus hoc ipsum licet,[17] vel is qui à locatore emit, ius suum exequi velit, (nec enim colono stare cogitur[18]) certum est nihil nisi per Iudicem fieri oportere,[19] quod non improbabilem rei tenendæ causam habeat conductor etiam aduersus locatorem quandiu ex causa conductionis eam naturaliter tenet,[20] quamuis nec dominij nec possessionis quæstionem referre possit.[21] *Ita tractatum est* ex tempore in publico auditorio, 3. Idib. Aug. 1605.

1 Quod facere nemo potest, nisi probetur noua causa possidendi, quæ superuenerit, *l. non solum 33. §. quod vulgo, D. de vsucap. l. 2. §. 1. D. pro heredit.* Imo nisi possessio prima dimittatur, *l. qui bona 19. §. 1. de acquir. possess.* quamquam non conuenit hoc conductori qui ne possidebat quidem, *l. 1. §. sed si is qui, eod. tit.*

2 Quæ negatio facit vt longe minus credendum sit conductori quam locatori: semper enim probandi onus ei incumbit qui dicit, *l. 2. D. de probat. l. in exceptionibus 19. & pas. eod.*

3 *Arg. l. creditores, 3. C. de pignor.*

4 *L. non est singulis 196. de reg. iur. l. 1. D. quod leg. l. si cuius alias, l. æquissimum 13. D. de vsufr.*

5 Eo scilicet iure quo liberum est cuique de rebus suis disponendi arbitrium, *l. in re mandata, 21. C. mandat. l. 2. D. si quis à parent. manum. sit.*

6 *L. nullus videtur 55. de reg. iur.* Iuris enim executio non habet iniuriam, *l. iniuriam 13. §. 1. D. de iniur.* Itaque non potest hic obiici quicquam de vi priuata, *ex l. extat, 13. quod met. caus. l. vlt. D. ad leg. Iul. de vi priuat.*

7 *Ex can. redintegranda 3. quæst. 1.* ex quo agere nemo potest nisi qui possedit.

8 Aliud enim est possidere, aliud vero esse in possessione, *l. si quis ante conduxit 10. D. de acquir. poss.* vbi dicitur conductorem non possidere sed locatorem. Facit *l. si de eo 40. §. 1. l. si colonus 31. eod. tit.*

9 *L. communis 8. §. neque colonis, D. commun. diuid. l. certe 6. §. 1. D. de precar.*

10 *L. male agitur 2. Cod. de præscript. 30. vel 40. annor.* Qui autem agit *ex Canon. redingranda* dicit se antea possedisse.

11 Ius enim omne siue dominij siue possessionis, quod ex contractu quæsitum fuerat finiri necesse est finito contractu, *l. ab emptione, 58. D. de pact. l. voluntate 10. D. quibus mod. pignus vel hypot. soluit. l. 4. §. sed & Marcellus, D. de in diem addict.*

12 *L. vim facit 11. & seq. D. vnde vi & de vi armat.*

13 *L. 3. §. cum igitur eod. tit.*

14 *L. vt vim 3.* vbi omnes scribentes, *D. de iustit. & iur.*

15 Liceret

15 Scilicet aduersus locatorem à quo possessionem habet, *l.1.§.vlt.D.vti possid.* Nam aduersus alium à quo fuerit colonus vi deiectus nihil vetat habere illum interdictum vnde vi, *l.colonus 12.D.vnde vi*, in illis verbis, *vi ab alio deiectus est*, quod minus bene perceptum videtur ab iis, qui verba illa emendant vt reponant, *vi ab eo deiectus est.*

16 *d.l.colonus, vers.dixi nihil interesse.*

17 De quibus *in l.æde 3.C.hoc tit.*

18 *L.emptorem 9.eod.l.si merces 25.§.1.D.eod.*

19 *Not.in dict.l.æde.*

20 Conductor enim naturaliter & ex voluntate domini rem tenet, *l.certe,6.§.1.D.de precar.d.l.communi,8.§.neque colonis, D.commun.diuid.*

21 *L.si quis conductionis,25. C.hoc tit.* Vide pro hac Definitione Guid.Pap.*quæst.*480.& Ioan.Papon.*in syntagm.hoc tit.§.6.* vbi tamen notat moribus Galliæ receptum esse, vt quicquid propria auctoritate per se facere quis potest, id per Iudicem expediri oporteat. Quod & Rebuff. tradidit. Sed nos iure scripto vtimur hac parte, vt & in aliis fere omnibus. Non tamen potest agere conductor ex *Can.redintegranda*, qui numquam possedisset, sed vt ei restitueretur possessio, in qua fuisset durante conductione. Conductor enim etsi non possidet, tamen est in possessione, *l.si quis ante 10. D.de acq.poss.* Galli appositè dicunt, *est restabli*, quod longe aliud est. Debet enim petere, vt restituatur in possessionem non quidem suam, quam nullam habuit, sed in qua erat, aliud enim est possidere, aut possessionem habere, aliud esse in possessione, *d.l.si quis ante.*

DEFINITIO LIX.

Expensæ litium criminalium incumbunt oneri locatoris, & domini iurisdictionis, non oneri conductoris, si nihil de eo dictum sit.

LOcatis fructibus & reditibus vniuersis castri omnimoda, vt loquuntur, iurisdictione insigniti, multas quoque pecuniarias, cum sint fructus iurisdictionis,[1] ad conductorem pertinere constabat, præsertim cum de iis quoque, vt conductori cederent, conuenisset.[2] Expensas tamen, quas pro criminis persecutione in causam litis fieri oportebat, cum nihil de illis in lege locationis comprehensum esset, ad onus locatoris spectare visum est.[3] Non solum quod in dubio facienda sit interpretatio contra locatorem, qui legem apertius dicere potuit, & debuit,[4] sed etiam quia expensæ illæ onera sint, non tam fructuum iurisdictionis,[5] (tametsi non nisi pro erogatis sumptibus, in litem criminalem necessariis, spectari mulcta pecuniaria & adiudicari possit[6]) quam ipsius iurisdictionis.[7] Eiusque rei argumento illud est, quod etiam vel accusati innocentia eum condemnationi subtrahat,[8] vel euidens inopia faciat, vt qui corporalem pœnam meretur, pecuniariam nihilominus euadat.[9] Proinde tamen cogitur dominus iurisdictionis curare, vt lis de crimine ad exitum perducatur, in eamque rem sumptus omnes litis, si priuatus accusator desit,[10] non modo de castri sui fructibus, si sufficiant, sed etsi sufficere non possint, de aliis subministrare.[11] Quod ea res maxime ad publicam tranquillitatem pertineat, vt vindicentur delicta, neque ob incommodum expensarum remaneant impunita,[12] quæ ratio locatorem solum, cuius iurisdictio est, non conductorem onerare debet. Nam & illud magis communiter probatum est, onera, etiam realia, vtputa collectas, adeoque seruitia per fundos ipsos conductos debita, si de eo nihil ex contractu dictum sit, locatori incumbere,[13] qui percipiendo pensionem, quæ pro fructibus à colono penditur, ipsos fructus percipere intelligitur,[14] & quidem suo iure, quod non similiter de conductore dici potest, qui non suo iure, vt emphyteuta[15] fructuarius[16] fructus percipit, vt eos in lucro habeat, sed ex conductionis causa,[17] quæ ipsi haud dubie onerosa est.[18] Neque vero desunt, qui emphyteutam quoque, licet fructus suo iure percipiat, negant teneri ad pensionis annuæ exsolutionem, nisi pro rata fructuum, si pensio talis tantaque sit, vt dubitari nequeat, quin ex comparatione fructuum potius, quam ob solam directi dominij recognitionem constituta videatur.[19] Nec simile est, quod locatis etiam, vt fieri adsolet, laudimiis & canonibus emphyteuticariis, si quæ lis ad eorum exactionem instituenda, & ad tractandam litem expensa facienda sit, totum id & periculo & incommodo conductoris cedat, non etiam locatoris, si nullam laudimiorum emphyteuticariorum redituum portionem sibi exceperit.[20] Tametsi negari non possit, quin & laudimia, & cæteros reditus perinde videatur percipere, qui tanto maiorem eo nomine percipit ex conductione pensionem.[21] Sunt enim expensæ illæ onera, vt loquuntur, adæquata fructuum, qui locati sunt,[22] non iurisdictionis,[23] aut pensionis. Ideoque liberum est conductori, ab eiusmodi emolumentorum commodo & petitione abstinere, si tanti æstimet, iis carere potius, quam litem, vel dubiam, vel damni plus, & incommodi, quam vtilitatis habituram, eo nomine instituere.[24] At criminis persecutionem, prætextu damni pecuniarij[25] negligere numquam licet ei, ad cuius onus pertinet, vt publicam vindictam persequatur.[26] Ob idque nimirum solemus dicere; Iurisdictiones omnes hodie patrimoniales esse, adeoque onerosas & dispendiosas magis, quam vtiles & fructuosas. *Sine die.*

1 Chassan. *in consuetudin. Burgund. titul. des iustices, §.6.in princip.*

2 Lex enim contractus omnimodo seruanda est, *l.1. §.si conuenerit, D.depos.l.pen. & pass. D.hoc tit.l.contractus 23. de regul. iur.*

3 Ioan.Papon.2.*Notar.lib.7. titul.des procés criminels & extraordinaires, vers.nous auons dõne.*

4 *Vulg.l.veteribus,39.D.de pact.l.Labeo,21. l.cum in lege, 23. & seq.D.de contr.empt.*

5 Nam si essent onera fructuum, aliud dicendum esset, cum fructus non dicantur, nisi deductis expensis, quæ ad eos colligendos faciendæ sunt, *l.si à domino, 36. §.vlt. D.de petit.hered.l. quod in fructus,46.D.de vsur.*

6 Itaque expensæ istæ se habent ad fructus iurisdictionis per modum conditionis, sine qua non, potius, quam per modum causæ.

7 Ergo spectare debent ad dominum iurisdictionis, Capell. Tholos.*quæst.41.vbi §.*

8 Nec enim, qui innocens est, condemnari ad pœnam debet, *l.sancimus, 22. Cod.de pœn. l.si pœna, 20. & l.absentem, 5. D. eod.*

9 *Vt in l.1.§.vlt.eod.l.si quis iniuriam,35.D.de iniur.*

10 Nam si priuatus aliquis sit accusator, ad eius onus hæc res pertinet. Papon.*vbi §.* Imbert.*lib.4.Instit.forens.*

11 Sibi enim imputet, qui tanti æstimauit iurisdictionem habere à Principe, ad quem alioquin & iurisdictio, & eius onera omnia pertinerent. Omnes enim iurisdictiones manant à Principe, tanquam à fonte.

12 *L.ita vulneratus,51.ad leg.Aquil.l.Stichum,95.de solut.l.si à reo,70.§.vlt.de fideiuss.*

13 Osasch.Cacher.*decis.83.num.5.& 6.* Alex. *cons.35. num.12. lib.4.*

14 *L.non vitiur,38.& seq.D.de vsufr.*

15 Hic enim dominus vtilis est, *l.vlt.* vbi omnes notant, *C. de iur.emphyt.*

16 Hic enim naturaliter possidere videtur, propter ius, quod habet percipiendorum fructuum, *l.naturaliter, 12. D.de acq.poss. l.si fructuarius messem,13.quibus mod.vsufr.amitt.*

17 Nam neque fructus suos facit alio iure, quam quia eos percipit, ex domini locantis voluntate, *l.si seruus,61.§.locaui, D. de furt.*

18 Abest enim ei pecunia, quam dat pro mercede conductionis. Itaque pro conductore facit duplex illa distinctio, quam tradit Bald.*ad l.1.C.de fruct.& lit.expens.* Referre, an nomen fructuum apponatur ab homine in contractu, an à lege, vt posteriore tantum casu, non etiam priore, fructus dicantur deductis expensis. Item, Referre, an fructus debeantur alicui ratione perceptionis, quod eos reus perceperit, vt tunc sumptus deducantur. An vero ratione promissionis, & tunc ita demum deducantur, si ex causa lucratiua debeantur, non etiam, si ex onerosa.

BIU Cujas

19 Iul. Clar. *lib. 4 sententiar. in §. emphyteusis, quæst. 46. in fin.*

20 Alioqui teneretur locator ad expensas litis pro rata parte laudimiorum & seruitiorum, quam sibi excepisset, ob rationem, quæ sequitur in Defin.

21 *d. l. non vtitur 38. & seq. D. de vsufr. l. Pomponius 29. D. quibus mod. vsufr. amitt.*

22 Nam neque aliam causam habent, quam colligendorum fructuum, neque sine iis colligi fructus isti possent.

23 Cum qua scilicet nil commune habent, possunt enim deberi, & passim debentur ei, qui nullam iurisdictionem habeat.

24 Nam neque iure suo vti cogitur, si nolit, *l. si iudex 28. D. de minor. & tot. tit. C. vt nem. inuit. accus. vel ager. cogat.* Neque verecunda eius cogitatio, qui lites execratur, vituperanda est, *l. 4. §. 1. de alien. iud. mut. caus. fact.*

25 Simile quiddam est *in l. cum pater. 77. §. cum existimaret. de legat. 2.*

26 Semper enim publica vtilitas præferenda est priuatæ, *l. vulg. auth. res quæ, C. commun. de legat.*

TIT. XLIII.

DE IVR. EMPHYTEVT. & feud.

DEFINITIO I.

Acquisito subfeudo per Principem an ius feudi extinguatur.

VAsalli feudatarij subuasallus inscio eo & irrequisito subfeudum in Principem ex causa donationis transtulerat. Postmodum Princeps id feudum nobili cuidam vendiderat, præfatus id se facere, vt ad suam naturam feudum reuerteretur, priorique feudatario pristinum ius suum restitueretur. Eodem contractu Princeps cauerat, nulla eo nomine laudimia per emptorem debitum iri, repromissa etiam indemnitate, si de iis controuersiam pateretur. Quærebatur de iure primi feudatarij, an extinctum prorsus fuisset per alienationem factam in Principem, an hactenus saluum esset, vt saltem laudimiorum petendorum ius haberet. Constabat, non idcirco equidem videri commissam amittendi feudi conditionem ad superioris feudatarij commodum, quod in alienatione ipsius consensum vasallus inferior non exquisiisset; [1] quando apud nos, vt & apud Gallos redacta hodie sunt feuda omnia ad instar patrimoniorum. [2] Sed tamen quia subuasalli facto deterior ignorantis vasalli conditio fieri non potuerat, reuocandi à Principe feudi, si summo iure secum ille agi pateretur, potestatem ei fieri debere, [3] quoniam ipsius quàm maxime interesset, eum habere vasallum, à quo debita obsequia exigere pro arbitrio posset: [4] nec à Principis dignitate aliena videbatur ea sententia, cum Principem vasalli sui vasallum fieri prorsus incongruum foret, [5] quod tamen alioqui euenire necesse esset, nisi quis tentare vellet, quod multo esset absurdius & iniquius, [6] ex ea donatione, cui vasallus non consenserat, omnia feudi iura extincta fuisse quasi consolidationis potestate. [7] Quænam enim, obsecro, vtilis dominij consolidatio fieri potuit cum eo dominio, quod penes Principem manserat, quod scilicet non directum erat, sed subiectionis potius & superioritatis? [8] Eo nimirum fere iure, quo dicimus, omnia Principis esse imperio non dominio. [9] Denique eum rei gestæ ordinem esse oportuerat ad faciendam consolidationem, vt dominium vtile cum directo primum, deinde directum cum superioritatis dominio coniungeretur. [10] Alioqui medium illud ius directi domini, quod sane inuito & ignoranti ei aufferri non potuit, [11] obstat omnino, ne alia duo iungi possint. [12] Quam ob causam illud quoque non immerito placuit, si subuasalli bona ob admissum crimen læsæ maiestatis confiscanda sint, non debere eam rem nocere domino directo, qui nihil deliquerit, [13] ideoque rem ita temperandam esse, vt feudum vendatur, redactumque pretium æquis portionibus inter Principem & vasallum diuidatur, [14] ne aut vasalli ius obstet Principi, aut Principis maiestas vasallo iniuriam adferat. [15] Quanto minus igitur nocere vasallo debebit, quod subfeudum illud ad Principem non feudi iure, vt nostri loquuntur, primæuo & naturali, sed ex mera subuasalli voluntate, adeoque liberalitate peruenerit? [16] Proinde non dubitandum videbatur, quin ex vera iuris ratione saltem laudimia Princeps deberet [17] propter inuestituram, [18] quæ ipsi non secus ac alij cuilibet necessaria esset, iure prioris vasalli integro subsistente. [19] Etsi enim dici solet, inuestituræ ius hoc esse, vt eam præcedere aut subsequi debeat fidelitas, [20] quam vasallum à Principe suo exigere ferendum non sit, [21] nihil tamen prohibet, remissa propter Principis personam præstandæ fidelitatis necessitate, [22] supersesse ius reale feudi, cuius ratione & inuestituram accipere necesse sit, & laudimia soluere, [23] quorum quippe obligationi causam det res ipsa, non persona, [24] licet ob contractum debeantur, & proposita vt plurimum in personam actione exigantur. [25] Quanquam nec defuerunt, qui dicerent, Principem, cum hac parte, vt & in cæteris omnibus contractibus priuati iure censendus sit, [26] iuste recusare non posse, si feudum retinere malit, quo minus hominium, aut, vt vocant, homagium etiam vasallo suo præstet saltem per procuratorem. [27] Sed cum id plane indecens, & inconueniens futurum sit, [28] nec omne, quod licet, expediat; [29] modestius vtique & prudentius vasallus fecerit, si contra Principem ius suum non exequatur, Princeps vero & liberalius & magis ex dignitate, si feudum sibi donatum aliterve acquisitum, quamprimum in alium transferat, nec suprema sua potestate in vasalli dispendium abutatur. [30] Quam ob causam nec errauerit, meo iudicio, qui eam alienationem necessariam esse dixerit. [31] Illud certe indubitatum est, & superioribus prorsus consequens, & ea alienatione, quam in priuatum Princeps contulerit, laudimia deberi, non ea solum ratione, quod quæ in persona Principis mouere poterant, ea locum habere in priuato nequeant, qui haud dubie capax sit & accipiendæ inuestituræ, & præstandæ fidelitatis, [32] sed illa etiam quam diximus, quod vtile dominium cum superioritatis dominio consolidari non potuerit propter intermedium ius directi domini, quod impedit coniunctionem extremorum, [33] cum eodem tempore penes duos in solidum esse nequierit. [34] In quo errarunt grauiter, qui contra scripserunt, feudum, quod ad Principem quouis modo redierit, ad primam naturam rediisse intelligi, ob idque à præstandæ fidei vel homagij necessitate immune esse, [35] quod nos negamus. *Ita Senatus* pro Passerato conductore reditus Caluimontis Gebennensis, contra D. Baronem de Viry, mense Iulij 1588.

1 Quod tamen dicendum esset de iure communi feudorum, *tit. quibus mod. feud. amitt. §. vlt. in vsib. feudor.*

2 Boer. *decis. 204 num. 7.*

3 *L. non debet alteri, 74. de regul. iur.* Speculat. *in titul. de feud. §. de homagio & fidelitate, quæstion. 40. & leg. milites, C. de loc. & conduct. curial. leg. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact. cap. 2. Extr. eod.*

4 Quod

BIU Cujas

4 Quod non tam facile fieri potest contra Principem, quia potentioribus pares esse non possumus, *l.3.in princip. D.de alien. iudic.mut.caus.fact.* Specul.*d.quæst.*40.

5 Quia vasallus tenetur præstare fidelitatem & homagium domino suo, & inuestituram solet sequi vel præcedere fidelitas, in signum subiectionis & superioritatis, atqui absurdum est dicere aliquem esse superiorem Principe in ipsius Principis territorio, Iac.de Sanct. Georg. *de feud.§. qui quidem inuest. num.*64.

6 Ex ratione posita *num.*1.5.

7 Quæ sententia est Petri Gregorij, *part.3.syntagm. lib.*45. c.16.*nu.*5.& 6. AEgid.Magister, qui sic iudicatum refert *tit. de feud.* qui si res vnaquæque facile redeat ad suam naturam, *l. si vnus*, 27 *§.pactus, ne peteret.*

8 Dominium enim vtile non potest consolidari nisi cum directo, Directum porro cum dominio illo superioritatis, maxime vero hoc obtinet, cum dominij vtilis acquisitio facta est non ex natura & iure primæuo feudi, sed ex causa extrinsecus accedente: placet enim dominum feudi conueniri posse tanquam extraneum quemlibet possessorem, quando nactus est rem feudalem, non potestate feudali, sed ex alia causa voluntaria vti priuatus velut ex emptione, donatione, legato.. Vide Cacher.*consil.*239.*num.*9.& 14.vbi citat *cap.imperialem, §.præterea, & § callidis* vbi DD. *de prohib.feud.alien.* per Feder.Dec.*cons.* 239 *num.*12.& *cons.*607.*num.*12. Afflict.*ad dict.tit.de prohib.feud. alien.in princ. num.*14. Paril. *vbi s.§.*30.*quæst.*22.*num.*93. Guill. Bened.in verb. *& vxorem num.*560. Steph.Bertr. *cons.*207.*vol.*1. *& cons.*3.*inspecto in fin. lib.*3. Guid.Pap. *quæst.*575. Iacob. de S. Georg.*in tract. de feud.* in verb. *qui quidem inuest. col.*16. *vers. item quæro.*

9 Sic Seneca quodam loco scribit, quem refert ac alios plerosque in hanc rem Dionys. Gothofred. *ad Nouell* 105. *de consulib.in fin.* vbi vide. Et sane non poterat dominium directum hoc casu esse penes Principem, cum ab eo alienatum esset in vasallum, qui habebat subuasallum, nec quicquam sibi Princeps reseruasset nisi superioritatem. Vnum enim idemque dominium non potest in solidum esse penes duos *l.*1. *§.si duobus vehiculum, D. commod. l.de hereditate* 19.*§.pater D.de capt. & postlim.*

10 Nam cum Princeps supremus habet vasallum & subuasallum, fit necessario vt dominium directum sit medium inter dominium vtile, & dominium superioritatis.

11 Ex citatis *num.*3.5. Iunge *l.vlt.D.de pact.*

12 Medium enim inhabile semper impedit coniunctionem extremorum *l.pen.D.rat.rem haber.l.*1.*in fin.l.potior*, 11.*in princ.D. qui potior.in pign.hab.cum similib.*

13 Specul.*in d.§.de homagio & fidelit.qu.*40. *ex l.res vxoris* 24. *C.de donat.int.vir.& vxor l.dotem* 11.*§.dominus de public.& vectig. l.sancimus* 22.*C.de pæn. l.si finita* 15 *§.si de vectigalibus, vers. sed decernendum.D.de damn.infect.*

14 Specul.ibid.*ex l.qui solidum* 78. §.1.*de leg.*2.*l.item si verbe-* *natum* 15. §.1. *D.de rei vindic. l.si fundus* 33.*locat. l. Lucius* 11.*D.de euict.* Nam & fiscus vendere potest rem communem inuito socio, dummodo ei partem pretij restituat. *l.*2.*C.de com.rer.alien. l.vnic.C.de vendit.rer.fiscal.cum priuat.com.lib.*10.*tit.*4. Nam nec dominus directus cogitur incidere in communionem *l.actione* 65.*§.socias D.pro socio.*

15 Vide Capell.Tholos.*quæst.*395.*&* ibi Aufrer.

16 Ex citatis *nu.*8 *supr.*

17 Laudimia enim sunt ex fructibus feudi & dominij directi, cum fructuum nomine veniant etiam fructus ciuiles & omnes obuentiones, omnisque vtilitas rei, Bald.*in l.si traditio* 4. *C.de act.empt.* Alex.*ad l.diuortio alias §.Papinianus l.fructus solut. matr.per l.cum autem* 23.§.*vlt.de ædil.edict.l.mercedes* 29.*D.de petit. hered.* Chass. *cons.Burg.tit.*4.§.17.*gloss.*5.

18 Hæc enim vnica ratio est propter quam laudimia debentur, in recognitionem scilicet dominij directi *l.vltim.* C. *hoc titul.*

19 Et ideo qui contra putant coguntur dicere extingui hoc casu ius vasalli, quod sane iniquum esset, vt supra diximus.

20 *tot.tit.quid præced. deb. an inuest. an fidel.in vsib.feud.* iuncto *tit.quid sit inuest. & seq.*

21 Iacob.de Sanct.Georg.*de feud. in §.qui quidem inuest. nu.* 62. & Prætext.*in c.*1.*an filij vel agnat.poss.reb.feud.* Specul.*d.§.de homagio quæst.*24.

22 Propter illam inconuenientiam, vt in *l.interdum* 34.*D.de oper.libert.*

23 Quamuis laudimia in signum subiectionis debeantur, vt notat Aluarot. *in tit.de prohib.feud.alien.* per Frid. §.*illud*, quem refert Gozad.*cons.*65.*nu.*13. Bud.ad *l.Herennius, de euict. DD. in l.fin. C.hoc tit.*

24 Sunt enim laudimia onera realia feudi nō minus quam seruitia & rem sequuntur, quocunque progrediatur. Chass. *in cons.Burg.rubr.*11.*gloss.*1.*nu.*9. Res enim transit regulariter cum suo onere *l.alienatio* 67. *D. de contr.empt. l.vnic.rem alien. gerent. non interd. rer. suar.alien. l.possessores* 12.*vers. illud quoque*, *Cod.de fund.patrim lib.*11 *tit.*91.

25 Vulgaris enim Pragmaticorum vox est, Seruitia in rem, laudimia in personam peti debere.

26 Princeps enim aut fiscus succedens priuato vtitur iure priuati *l.fiscus 6. D.de iur.fisc. l.cum quidam* 17. *§.fiscus de vsur. l. via* 23. *§.si fundus, rustic.præd.* Specul. *in tit.de feud. §. quoniam quæst.*24.

27 Specul. *in d.§.de homagio quæst.*24.*&* 40.

28 *d.l.interdum* 34.*de oper.libert.*

29 *L.non omne* 144. *de reg iur.*

30 Nam cum Princeps non sit dominus vniuersalis rerum in suo territorio existentium, nisi quod ad iurisdictionem & protectionem, Gloss.& DD. *ad l.*3.*C.de quadr.præscr.* Gloss.& Bartol. *in l.*2.in verb. *& cuius, C.in quibus caus.colon.censit. dom. accus.poss.lib.*11 *tit.*49.non potest inferri à iurisdictione, & potestate suprema ad iura feudalia & emphyteutica, quę nihil commune habent cum iurisdictione, sed per se ac separatim consistunt. Alex. *cons.*112. *in causa & lite vol.*4. Rebuff.*de cong. port. num.*125.

31 Necessariæ autem alienationes semper sunt permissæ, *l. alienationes* 13.*D.famil.ercisc.*

32 Quod enim absurdum & inconueniens est in persona Principis, vt vasallo suo fidelitatem & homagium præstet, non est inconueniens in persona priuati, & pro varietate personarum mutatur qualitas & conditio bonorum *l.per curatorem* 90. *§.*1.*de adquir.hered.l.vlt.C.de inoff.testam.*

33 Dixi *nu.*10.*&* 12.5.

34 *l.*1. *§.si duobus vehiculum D.commod. l.de hereditate* 16. *§.si pater D.de castr.pecul.*

35 Quos retulimus *nu.*7. *supr.*

DEFINITIO II.

Directus dominus an & quando teneatur ad onera feudi vel subfeudi ad se reuersi?

NOn tenetur directus dominus ad onera feudi aut subfeudi, quod iuris feudalis potestate ad se reuersum est; qui tamen si iure priuato & ex causa aliqua voluntaria puta ex emptione, donatione, legato, aliaue simili rem feudalem nactus esset, vt extraneus possessor quilibet non male conueniretur.[1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Osasc. Cacher. *decis.Pedem.*156.*num.*9.*&* 14. Tiraquell. *de retract.conuent.§.*3.*gloss.vnic.num.*13. & alij quos citaui supra *Definit.prox.num.*8. Adde Guid.Pap.*qu.*57. vbi Ranchin.in addit.

DEFINITIO III.

Ex alienatione subfeudi debentur laudimia feudi domino, si Princeps subfeudum alienauerit posteriore loco.

QVi dominus erat feudi & subfeudi, vtrumque diuersis personis eodem tempore vendiderat, aliove genere alienationis transtulerat. Nulla eo nomine laudimia deberi constabat. Sed si diuersis quoque temporibus sic contraxerit, vt feudum primum deinde subfeudum alienauerit, ex causa posterioris venditionis laudimia nouo feudi domino haud dubie debebuntur:[1] quasi reddita feudo subfeudoque per alienationem pristina natura, quæ dominij confusione in eiusdem domini & possessoris persona paulo ante intercidisse videbatur.[2] *Sic tractatum* in eadem causa.

1 Facilis enim est vniuscuiusque rei reditus ad suam naturam, *l.si vnus* 27. *§.pactus ne peteret in fin.D.de pact.Can.quæris de consecr.dist.*4.

2 Simile quiddam est *in l.penult.* §.1. *de except. rei iudic. l.qui res* 98.§.*aream D.de solut.*

DEFINITIO IV.

Laudimiorum onus est reale, & pro laudimiis perinde atque pro seruitiis competit hypothecaria.

BIU Cujas

LAudimiorum præstandorum obligatio sicut ex re ipsa proficiscitur, [1] quandoquidem laudimia in directi dominij fructu esse existimantur, [2] ita sequitur quemcunq; fundi possessorem, [3] petique possunt etiam hypothecaria, si dominus directus suum ius exequi, & dominij vtilis consolidationem quasi existente conditione persequi nolit. [4] In ea vero actione hypothecaria si alij creditores concurrant, directus dominus sine dubio omnib. omnimodo vt anterior præferetur, [5] non secus ac pro annui canonis pensitatione. [6] *Sic tractatum* in eadem causa. Vide tit. fin. cens. vel reliq. Defin. 1.

1 Quia causam habent à translatione dominij rei feudalis vel censualis, vel emphyteuticæ, *l. vlt. vbi not. D. hoc tit.* Chassan. *in consuet. Burg. rubr* 11. §. 1. *nu.* 3. & 9. Mod. *in consuet.* Paris. *tit.* 1. §. 22. *nu.* 156. *& fusius in* §. 1. *glos.* 5. *num.* 1. & 2.

2 Siquidem fructuum nomine continentur etiam ciuiles, & omnes obuentiones. Bald. *ad l. si traditio*, 4. *C. de act. empt.* & alij citati, *Defin.* 1. *nu.* 17. 3.

3 Sicut & cætera onera omnia realia, *leg. si debitor*, 12. *C. de distr. pign.* Dixi *Defin.* 1. *nu.* 17. 3.

4 Nec enim cogitur quisquam vti iure suo, aut pro se introducto, *l. si iudex*, 28. *ff. de minor.*

5 Nemo enim priuilegium habere potest contra dominum in ea re, quæ est ipsius domini, *l. ex facto* 52. *vers. respondit, ff. de pecul.* quamuis ea lex non habeat locum contra creditores pignoratitios. Glos. ibid. *ex l.* 5. §. *quid tamen ff. de tribut. act.* melius facit, *l. in liberto* 77. *ff. de solut.* [*arg. l. in liberto* 77. *ff. de solut. l.* 3. *C. an seruus ex suo fact.*]

6 Quamuis dici soleat, seruitiorum petitionem esse in rem, laudimiorum vero in personam. Dixi *Defin.* 1. *num.* 24. *& 25.* 3. Vide Amed. de Pont. *in quæstion. laudim. quæstion.* 45. Excipe tamen creditores possidentes eam ipsam rem, pro cuius venditione laudimia petuntur. Quia sicut non debentur laudimia sine translatione dominij vtilis, vt vocant, ita neque transferri potest dominium illud in emptorem, nisi per translationem possessionis, quæ porro auferri non potest creditori pignoratitio, quin ei debitum offeratur, posteaquam placuit etiam feudalia bona & emphyteutica posse alienari, obligari, & eorum possessionem transferri, etiam ignorante domino, adeoque inuito, *Defin.* 8. *num.* 2. 3. Itaque cum laudimia non debeantur, nisi in casum, & quidem in eum casum, quem creditor anterior, idemq; possessor impedire potest, consequens est, vt potior debeat esse causa possessoris, quam emptoris, & consequenter, quam domini, cuius ius hac parte pendet ex causa emptionis. Aliud iuris est in seruitiis, quæ debentur absolute, non in casum, & immediate in recognitionem domini directi.

DEFINITIO V.

De tributo subditis indicto ob equestris dignitatis accessionem.

TRibutum, cuius subditis indicendi ius feudatarij plerique habent ob equestris dignitatis accessionem, [1] non eo minus indici potest, quod dominus equestrem dignitatem nactus sit ab alio Principe, quàm qui in eos subditos supremam habeat potestatem. Est enim ius hoc personale competens ob iurisdictionem, quam in subditos habet dominus, cui proinde sufficit, quod eques est, vndecunque tandem eam nactus sit dignitatem. [2] *Ita Senatus* pro D. Barone de Creissiaz, contra Syndicos & incolas de Cormoran, 5. Cal. Iul. 1588.

1 De quo vide Chassan. *in consuet. Burg. titul. Des iustices & droits d'icelles* §. 4. in verb. *Nouuelle Cheualerie, ex leg. vnic. Cod. de assr. coronar. lib.* 10. *tit.* 74.

2 Chassan. vbi supra *nu.* 44. *vers. vt à diuerticulo.* Bart. *ad l.* 1. *C. de mulier. & in quo loco. Papon. in syntagm. Arestorum, tit. Des tailles és quatre cas. Arest.* 5.

DEFINITIO VI.

De taxatione tributi per subditos pendendi quatuor casibus.

QVi ius habent indicendi subditis tributi [1] quatuor illis vulgaribus notissimisque casibus, si nuptui collocanda sit primogenita filia, si transmarina profectio ineunda ad bellum contra infideles gerendum, si iusto bello captus dominus magna pecunia redimendus sit, si denique equestrem dignitatem à Principe quolibet nactus fuerit, non pro arbitrio quantum lubet possunt indicere, sed quod iustum & moderatum videatur. [2] Id vero Senatus noster cum de ea re quæstio incidisset, sic temperandum existimauit, vt in singulos casus à singulis focis quatuor florenos monetæ nostræ domino pendi oporteret, focorum duntaxat, non etiam capitum aut facultatum habita ratione. [3] Sic iudicatum contra D. Marchionem de la Chambre, 5. Id. Iun. 1581.

1 Quod ius necesse est proficisci vel à concessione Principis, tanquam quod sit ex regalibus, *c. 1. quæ sunt regal. in vsibus feudor.* Alex. *cons.* 145. *volum.* 2. *lib.* 1. vbi Bart. *C. de superind. lib.* 10. *tit.* 8. Vel à conuentione & recognitione expressa, Guil. Bened. *in repet. cap. Raynutius*, in verb. *& vxorem, decis.* 4. *nu.* 555. *vers. tamen.* vel denique ex generali & immemoriali consuetudine, quæ vicem legis & priuilegij obtineat, Guid. Pap. *cons.* 1. Boer. *quæst.* 126. Chass. *tit. Des iustices & droits d'icelles*, §. 4. *nu.* 55. *ex cap. super quibusdam*, §. *præterea, de verb. signif. l.* 3. §. *ductus aquæ, de aqua quotid. & æstiu.*

2 *Arg. l. si libertus*, 30 *ff. de oper. libert.*

3 Quia loci onus magis est, quam personæ & patrimonij. Nam qui non habitat in territorio iurisdictionis, ille demum ad onera ista tenetur. [Obserua tamen hoc Senatusconsultum specialem habere rationem in Marchionib. Comitibus & aliis feudis magnam aliquam dignitatem habentibus. Nam in cæteris minoribus satis visum est si debita subditorum annua duplicentur, vt ab eodem Senatu nostro pronunciatum est pro D. de Malyuert, & de Conflens, cùm is filiam suam D. Francisco Crasso Senatori clarissimo nuptum daret. *Sine die.*]

DEFINITIO VII.

Vindicatio & hypothecaria & actio in personam competunt domino directo contra emphyteutam, & quidem tertia etiam contra heredem eius post alienationem factam irrequisito domino, cæteræ vero duæ contra possessorem.

QVi emphyteusim accepit, & eo nomine ad canonis annui, quod seruitium dicimus, præstationem stipulanti domino se obligauit, si non soluat, triplici actione, quamdiu rem tenet, conueniri potest. Vindicatione, quoniam qui emphyteusim concessit, dominium directum penes se retinuit, nec ei nocere debet, quod vtile certa lege transtulerit in eum, qui contractus legi non obtemperat. [2] Hypothecaria, propter illam vtilis dominij translationem, quæ facit, vt in cæteris fere omnibus eadem sit emphyteutæ conditio, quæ esset, si directum quoque haberet. [3] Etsi enim dici solet, nemini rem suam obligatam esse posse, [4] verumtamen est vtile dominium, cuius solius ratione pignus contrahitur, ad directum dominum non pertinere. [5] Denique in personam, quia ex contractu propriaque stipulatione obligatus est. [6] Si rem alienauerit irrequisito domino, constat iuris emphyteuticarij rationem illam esse, vt iure suo cecidisse dicendus sit, ac domino directo liberum esse debeat rem quasi commissam reuocare, nullo etiam pretio emptori restituto. [7] Sed si malit, potest agere non solum vindicatione aut hypothecaria aduersus nouum possessorem, [8] sed etiam personali aduersus emphyteutam, ac si rem adhuc possideret, quia dolo malo desiisse videtur possidere, qui alienauit non exquisito domini consensu, quem ante omnia exquirere debuit. [9] Ideoque pro possessore condemnandus est, cum dolus pro possessione sit. [10] Nam & domini directi interest, vt quamplures ad suum consequendum habeat actiones, [11] & consequenter vti ne amittat personalem illam, quam contra nouum possessorem,

BIU Cujas

rem, qui nec contraxit, nec quasi, [12] habere nullam potest. [13] Sed etsi emphyteuta decesserit, eius hæres licet non possideat, eadem personali actione perinde tenebitur, ac si possideret, [14] cui nimirum dolus factumque defuncti æque ac ipsi defuncto, cuius vices gerit, nocere debeat. [15] Hæc ita si non ex postfacto alienationem sciuerit dominus directus, & laudauerit. Tum enim non magis æquum est teneri emphyteutam, ipsiusve hæredem personali actione, [16] quàm si prius requisito & consentiente domino alienatio facta esset. [17] Quid enim interest, an domini consensus præcesserit, an subsecutus sit? [18] Aut quænam personalis obligatio superesse debeat aduersus eum, qui rem possidere desierit, volente illo, cui non nisi propter rem illam erat obligatus? [19] *Ita Senatus* in causa N. Claudij Leyderij, Ioannis Pensabini, & Procuratoris fiscalis Gebennensis Prouinciæ, 5. Id. Iulij 1588. Iunge sequentem Definitionem.

1 Datio namque in fendum vel emphyteusim non est modus transferendi dominij directi, sed potius retinendi, *l.1. & pass. C. hoc tit. l.1. D. si ager vectig. & emphyt. petat.* Transfertur tamen ex his causis dominium vtile, secundum interpretes. De quo vide quæ scripsi *lib. vlt. Coniect.*

2 Non enim potest contractu se tueri is, qui prior ipse facit aduersus contractum, *l. quæro* 54. §. *inter locatorem*, *D. locat. l. Iulianus*, 13. §. *offerri*, *D. de act. empt. l.2. & 3. D. si ager vectigal.*

3 Adeo vt habeat vtilem actionem in rem etiam aduersus dominum, *l.1. §. vlt. cod. tit. si ager vectig. id est emphyt. pet.*

4 *L. neque pignus* 45. *de reg. iur. l. penultim. §.1. D. de except. rei iudic.*

5 Et consequenter directo domino obligari posse. Non enim potest vtrumque dominium directum & vtile locum habere in eadem persona, sicut nec obligatio directa & vtilis, quia maior & plenior tollit minorem, *l. debitori* 50. *D. de fideiuss.* [Intellige igitur hypothecariam hoc casu competere domino directo, si vt passim fit, bona omnia emphyteutæ sint domino obligata. Nec enim credendum est dominum directum habere priuilegium vllum tacitæ hypothecæ quasi in hoc similis sit legatario vel fideicommissario, qui habet easdem istas tres actiones, personalem vindicationem, & hypothecariam *l.1. C. commun. de legat.* Etsi autem omnia emphyteutæ bona tam emphyteuticaria, quàm cætera, solent in recognitionibus obligari, in hoc tamen interest an agatur in emphyteuticaria an in cætera, quòd in emphyteuticariis dominus directus potior est omnibus creditoribus tanquam antiquior, *argum. l. in liberto* 77. *de solut. l. ex facto* 52. *D. de pecul.* In cæteris verò non item quasi in singulos annos noua fit obligatio, quæ nascitur de soluendo canone emphyteutico. Idque videtur ex æquitate constitutum. Ne nulla ratio superfit posterioribus creditoribus euitandi huius incommodi, cùm vix fit, vt non semper antiquior inueniatur dominus directus, nec tam curiosi esse debeant, qui cum emphyteuta de bonis non emphyteuticis contrahunt, vt inquirant, vtrum reliqua vlla pro bonis emphyteuticis debeantur, potius quàm ex mera iuris ratione, cùm par sit & æquale ius pignoris quæsitum domino directo in omnibus bonis obligatis. *Ita Senatus* ex tempore, 17. Maij 1614. & iam antea in causa D. Senatoris de Coysiaz, & Iacobi Pontarlier. *Sine die.* Iunge *Defin. 2. §. de bon. author. iudic. possid.*]

6 *L.1. de oblig. & action. l.1. & pass. de verb. oblig.*

7 *L. vlt.* vbi Ias. & alij, *C. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst. 162. ex cap. imperialem*, *§ callidis de prohib. feud. alienat.* per Frideric. *& quæstion. 101.*

8 Quia cum sint istæ actiones in rem, non possunt exerceri, nisi contra possessorem, *l. qui petitorio* 36. *D. de rei vindic. l. pignora* 17. *D. de pign.*

9 Dolo enim facit quisquis non facit id, quod facere debet: aut id facit, quod facere non debet, *l. qui non facit* 121. *de reg. iur. l.* 4. *D. quæ in fraud. credit.*

10 *L. qui dolo* 31. *l. parem* 150. *de reg iur.*

11 *L. cum filius* 76. *§. variis, de legat. 2. l.1. §.1. D. quod legat.*

12 Actio enim personalis non potest dari, nisi præcedente aliqua obligatione, nec obligatio vlla nasci, nisi ex contractu vel quasi, aut ex delicto vel quasi, aut aliis quibusdam modis, *l.1. l. nihil aliud* 51. *de oblig. & action. l. licet* 43. *§. ea obligatio, de procurat.*

13 Obligatio enim personalis non sequitur singularem successorem, *l. vltim §.1. D. de contrah. empt. l.1. §. si heres, D. ad SC. Trebell.* Specul. *in tit. de Locato. §. nunc aliqua, vers.* 108. *quæritur, numer.* 132. *& versis præced. numer.* 153. *& versic.* 166. *num.* 192. *ex l.3. §. vlt. l. esi usus fructus* 7. *D. de usufruct. quemad. cau.* Anchar. *consil.* 386. incip. *in lite & quæstione.* late Ias. *in l. vlt. fol. mihi* 33. *col.1.* quem omnino vide in principali notab. Guid. Pap. *quæst. 9.* vbi defendit gardam Delfinalem, vt ipse loquitur, debitam ex recognitione, deberi ab herede recognoscentis, etiam qui bona non teneat, nec esse onus reale, quale est tributum Principi debitum, vt efficiat tertium possessorem, nisi cum heres vel nullus apparet, vel soluendo non est. Et ita ibidem Ranchin. *ex l. fin. de contrah. empt. l.1. C. in quibus caus. l. Imperatores, de public. & vectig. l.1. C. in quibus caus. pign. l.1. C. de annon. & tribus. lib.* 10. *l. fin. C. sine cens. vel reliq.*

14 Quia omnes personales obligationes & actiones transeunt in heredem, *l. vltim. C. de hered. action. l.1. C. si cert. petat.* Vide *l.1. C. hoc tit.* Bart. *inl.1. numer.7. & 8. D. de condict. ex leg.* Speci. *in d. §. nunc aliqua, quæst. 9. num.* 18. *quæst.* 56. *num.* 70. *& vers.* 127. *num.* 153.

15 Ex regula *l. quod ipsis* 143. *& l. ex qua persona* 149. *de regulis iuris.*

16 Quæ non supererat nisi in pœnam alienationis factæ domino irrequisito, quæ pœna remittitur, cum venditio quandocunque approbatur, *vt in l. de lege* 6. *§.1. & l. sequ D. de leg. commiss. l. vlt. de eo quod cert. loc.*

17 Nec enim cogitur dominus vti iure suo, si nolit; *l. si iudex* 28. *D. de minor. l. pactum* 46. *D. de pact.*

18 Non enim requiritur hic consensus pro forma actus, vt præcedere debeat quomodo *in l. si quis mihi bona* 25. *§. iussum, D. de acqu. hered.* sed pro tuendo iure domini directi, ne sit in potestate emphyteutæ ius ipsius lædere, *l. vltim. vbi not. Cod. hoc tit.*

19 Obligatio enim emphyteutæ est quidem personalis, quia nascitur ex stipulatione, sed tamen non alia de causa contrahitur, quam quia is rem emphyteuticam possidet, ideoque cum non competat, nisi quatenus contra possessorem, non potest superesse aduersus eum qui desiit possidere, si nulla ei culpa obiici possit, *l. vltim. vbi gloss. fin. C. sin. cens. vel reliqu.* Nec contrarium est quod ait *l. apud Iulianum* 40. *§. heres de leg.1. & l. quæ concubinam* 39. *§. qui hortos de leg.3.* heredem cogi tributa præterita legati prædij soluere. Sic enim id accipi debet vt teneatur legatario non reipub. vt *ibid. gloss.* interpretatur. Denique tritum est cessante causa finali cessare quoque dispositionem, *vulg. l. vlt. de hered. inst.*

DEFINITIO VIII.

Postquam bona emphyteuticaria redacta sunt ad instar patrimoniorum, an & quo casu possit prior emphyteuta conuenire etiam post alienationem?

AT postquam moribus nostris eo decursum est, vt non tantum bona emphyteuticaria, sed feuda quoque ipsa redacta sint ad instar patrimoniorum, [1] ac proinde irrequisito etiam domino non secus ac ea quæ prorsus libera sunt, & vt vocant, allodialia alienari possint: [2] illud quoque consequens fuit, vt per quamlibet fundi emphyteuticarij alienationem tam personalis illa actio, quæ contra emphyteutam competebat, quam fundi velut commissi auocandi ius intercidat, [3] si modo emphyteuta possessorem exhibeat, [4] qui & personalem obligationem annui canonis soluendi in se suscipere, & laudimia, quæ propter alienationem debentur, soluere paratus sit. [5] Alioqui licet in promptu varias certasque actiones dominus habeat, quibus possit adigere possessorem, vt vel re cedat, vel emphyteuticariæ obligationis conditionem agnoscat, ipsius tamen interest emphyteutam iam obligatum in obligatione retinere potius, quam litem aduersus nouum possessorem, vt se obliget instituere. [6] Itaque non minus agere cum emphyteuta eiusve hærede hoc casu poterit vt in posterum quoque præstet canonem etiam post alienationem, [7] quam vt reliqua soluat, si qua forte pro annis præteritis alienationis tempore debebantur, [8] idque domino directo plerumque sane commodius est, quoniam emphyteuta eiusve heres, neque dominij, neque possessionis quæstionem referre potest. [9] At qui ab emphyteuta comparauit, potest, quousque probauerit dominus eam ipsam esse rem, quæ pri-

BIU Cujas

mum in emphyteusim concessa fuerit.[10] Plane si nouus possessor petat inuestituram laudimiaque offerat, cogitur dominus laudare ratamque habere alienationem.[11] Pro quo incommodo, quod inuitus emphyteutam habere cogitur illum, quem prior emphyteuta elegerit,[12] in eo quoque ipsi prospici æquum fuit,[13] quod statuto nostro[14] summa ratione constitutum est, vt quisquis rem emphyteuticariam tenere probatur, hoc ipso perinde obstrictus sit ad census & canonis annui professionem solutionemque faciendam, ac si is ipse contraxisset.[15] Quo veluti remedio aduersus frequentissimas possessorum cauillationes proposito,[16] cœpit parum interesse domini quod eo irrequisito possit res emphyteuticaria alienari,[17] cum triplicem illam actionem, quod aduersus emphyteutam exercere poterat, æque habiturus sit contra notum possessorem,[18] adeo vt & quasi iam obligatum eum ad hoc cogere possit vt se obliget, debitique professionem faciat, quam vulgo recognitionem appellant, ne alioqui lapsu temporis, mutatisque possessorum personis tantum eueniat, vt probationes pereant, hoc est, vt nesciatur an res de qua agitur illa ipsa sit, quæ in emphyteusim data dicitur.[19] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Guid.Pap.*quæst.*59.

2 Ioan.Faber *ad §.adeo, num* 3. *Instit.de locat.* Boer. *decis.*204. *num.*7. Ita que otiosa hodie quæstio est, quæ olim fuit agitata inter nostros, An possit emphyteuta donare irrequisito domino, vt notat Ranchin.ad Guid.Pap.*quæst.*46.

3 Tanquam quæ non possit subsistere sine possessione rei propter quam datur, *argum. l. Imperatore* 7. *de procurat. & vectigal.*

4 Non enim sufficiet, vt dicat se non possidere quod sufficeret in actione in rem, *l.vlt. D.de rei vindic.* quia non potuit in amittenda possessione damnum inferre domino, Dixi *Defin. præced.num.*9.

5 Quo casu non potest sane dominus directus dicere quicquam sua interesse. Nemo autem sine interesse aut agere aut excipere potest, *l.*3.§.1.*l.stipulatio ista* 38.*§.alteri, de verborum obligationibus.*

6 Interest enim cuiusque non vexari litibus & sumptibus. *l.minoribus* 6. *D.de minor.l.*1. *D.de inoff.testam.l.*1. *C.de administr. tutor.*

7 Spec.*in tit.de locat.§.nunc aliqua, quæst.*9.*nu.*18. *& quæst.*56. *num.*76. *& vers.*127.*num.*153.

8 Quamuis reliquorum præstandorum obligatio sequatur emptorem, *l.vlt.& tot.tit.C.sin cens.vel reliq.*

9 *L.si quis conductii.ne*25.*C.de locat.*

10 Nec enim confessio & recognitio vnius potest aduersus alium fidem facere, *tot.tit.in alios act.*

11 *L. vlt.vbi not.C.hoc tit.*

12 Nemo enim cogitur alium socium habere quam quem ipse elegerit, *l.actione* 65.§.*societas D.pro socio.* Emphyteuta vero socius quodammodo est, §.*adeo, Instit.de locat.& conduct.*

13 Vt qui in vno grauatur in alio releuetur, *vulg. l.eum qui* 30.*de ritu eitur.*

14 *Incip.rempublicam lib.*3.*statut.Sabaud c.*4.

15 Hoc vero non tantum per actionem in rem, sed etiam per actionem personalem, Guid.Pap.*quæst.*42. Vide quid non prorsus dissimile *in l.quidam* 29.*D.ad SC.Velleian.* Intelligo tamen pro annis secutis alienationem. Nam pro reliquis præteriti temporis, non potest nouus emphyteuta conueniri in personam, neque hoc statutum loquitur.

16 Solent enim possessores vt plurimum cum ex iure emphyteutico conueniuntur negare omnia, dominium scilicet directum eius qui agit, & identitatem rei pro qua conueniuntur, vt actorem onerent quam grauiore possunt probatione, & consequenter maioribus sumptibus.

17 Est enim alia ratione succursum dominis directis, vt pro pretij quinquagesima, quam olim habebant laudimiorum nomine *l.vlt.C.hoc tit.* habeant hodie aut tertiam aut quartam, apud nonnullos etiam dimidiam, vt plurimum vero sextam precij partem.

18 Scilicet vindicationem hypothecariam, & actionem personalem: de quibus omnibus dictum est *Defin.præced.*

19 Hoc enim vnum est quod hodie probari debet propter statuti nostri auctoritatem. Alioqui ex ratione iuris probandum esset, quod is qui recognouit fuerit dominus vtilis & possessor tempore recognitionis, ne alioqui requeretur vt verba enunciatiua probarent in non antiquis etiam inter alios partes, contra ea quæ notantur in *l.optimam*, *Cod.de contr. & com. stipulat.* Iunge *Defin.seq.*

DEFINITIO IX.

Neque rem emphyteuticariam nouo censu onerare licet sine voluntate domini directi, neque alius profiteri potest, quam qui reuera possidet. Et quid si contra factum sit.

EDicto diui Emanuelis Philiberti Ducis nostri prohibitum est non solum ne emphyteutæ liceat, quod nec iam olim licebat,[1] rem emphyteuticariam alienando nouum ei censum aliudve vllum onus imponere, ne sit in ipsius potestate duriorem facere domini directi conditionem,[2] cum eo difficilius pretioque viliore emptorem res inueniat, quo grauiori onere affecta est, sed etiam ne quis annui census obligationem tanquam possessor profiteatur, nisi qui verus sit possessor: nimirum ne illudatur domino directo, cuius sane interest, vt sciat quis rem possideat,[4] cum nec quicquam iuris ei tribuat ea professio contra verum possessorem, si ab eo facta probetur qui non possidebat.[5] Etsi enim statuto nostro remissa est domino directo necessitas probandi, quod professionis tempore possideret is, qui professionem emisit,[6] tamen contrariæ probationis facultas illi qui ex eiusmodi obligatione conueniatur, erepta non est.[7] Sed & domini interest scire an vetus emphyteuta rem alienauerit, cum propter laudimia quæ ex alienatione debentur,[8] tum etiam vt sciat vbi res sit, si vel ob non soluta laudimia rem quasi commissam persequi velit,[9] vel qua alia ratione in rem agere malit, quam in personam.[10] Neque tamen eo minus obligatur is, qui cum non possideret mentitus est se possidere,[11] multoque magis ex ea professione tenebitur, si subinde canonem annuum per aliquot annos soluerit,[12] adeo vt nec cogendus sit dominus ab eius obligatione discedere, si contra eum agere malit quam contra nouum possessorem,[13] tametsi possessor ipse totam obligationem in se suscipere non recusat: ne quod in domini fauorem inductum Princeps voluit, in eius incommodum iniqua interpretatione retorqueatur.[14] Nec rursum condici poterit ea obligatio aut solutio quasi sine causa facta, ob id solum quod qui professus fuit non possideret.[15] Subest enim vetus illa causa, quod iam ante fuerat eo nomine obligatus,[16] quodque imputare sibi debeat, qui in obligatione remanere maluerit, quam suscipiendæ obligationis necessitatem in nouum possessorem transferre.[17] At non liberabit ea res nouum possessorem, si malit illum dominus habere obligatum.[18] Quamquam si aduersus eum egerit, aut quo alio modo alienationem inscio se factam laudauerit,[19] non erit ipsi permittendum, vt recurrere possit contra priorem emphyteutam, à quo semel recesserit.[20] Solent vero qui tanquam possessores profitentur, vt huic periculo occurrant, in ipso actu protestari, vt si quid per errorem professi sunt nocere iis non debeat.[21] Qua protestatione sicut multorum rusticitati & imprudentiæ consulitur,[22] ita iuuari eos æquum non est, qui vltro professi cum scirent se non possidere fraudandi domini consilium habuisse credendi sunt.[23] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam cum liceret olim emphyteutæ rem alienare irrequisito domino, multo minus poterat nouum ei censum imponere aliquando, *l.vlt.vbi not.C hoc tit.*

2 Quod permitti nunquam debet, *l.*1. *D. de alien. iudic. mut. caus fact.l.*2. *D.quod vi aut clam.*

3 *L.si venditor* 6.§.*vlt.de seru.export.l.fundi partem* 79.*l.qui sundum* 75.*de cont.ab.empt.*

4 Nempe

4 Nempe ad laudimia & seruitia exigenda, quorum nomine actio in rem competit aduersus possessorem, vt dixi *Defin. 4. supr.* Iunge *l. 4. §. is vero qui agrum, & §. si cum ego, D. de censibus.*

5 Census enim professio neque dominium auffert vero domino, neque possessionem vero possessori, *l. quæ quisque 64. D. de acquir. rer. domin.*

6 *In c. rempublicam*, de quo dixi *Defin. præcedent. num. vlt.* Et sane non quilibet admittitur ad profitendum, sed is demum quem prius constitit possidere.

7 Semper enim contra præsumptionem supereſt locus veritati, *l. si chirographum 24. & seq. l. Imperatores 29. in fin. D. de probat.*

8 Debentur enim ex quacunque dominij translatione, *l. vlt. C. hoc tit.* alienatio autem est omnis actus per quem dominium transfertur, *l. 1. C. de fund. dotal.*

9 Quod suo iure facere potest, *l. vlt. vbi not. C. hoc tit.*

10 Cum dici soleat plus cautionis esse in rem, quam in personam, *l. plus cautionis de reg. iur.*

11 In pœnam scilicet mendacij, vt & in *l. vlt. D. de rei vindic. Auth. item possessor. C. qui potior. in pign. hab.* nisi postea veniam petierit vt sibi liceret professionem emendare, vt *in d. l. 4. §. vlt. de censibus.*

12 Quia per eiusmodi solutionem tanto magis decipitur dominus directus, *argum. l. Pomponius 29. D. quibus modis vsusfruct. amitt.*

13 Scilicet actione illa personali quæ nascitur ex contractu ipso emphyteutico.

14 *Arg. l. nulla 25. D. de legibus: l. quod fauore 6. C. eod.*

15 Quasi hoc ipso probetur facta per errorem: semper enim incipitur a professione possessionis, vt sequatur professio debiti.

16 Ergo conueniendus est hoc casu ex prima confessione, non ex secunda.

17 Nunquam enim ei succurritur qui seipsum in necessitatem coniecit, *l. si fideiuss. 7. §. si necessaria, D si quis satisd. cog. l. 2. §. vim fluminis, D si quis caution.*

18 Est enim obligatus ille nouo & proprio iure, quia rem possidet, idque ex auctoritate statuti, de quo diximus in præcedentibus.

19 Laudat vero satis hoc ipso, quod contra eum agit tanquam contra possessorem, *argum. l. 1. §. illud quæritur, D. de separat.*

20 Iis enim qui suas actiones, siue expresse, siue tacite remittunt, non est dandus regressus, *l. quæritur 14. §. si venditor, D. de ædilit. edict. d. l. 1. §. illud quæritur, de separat.*

21 Vnde & professiones istæ à rusticis nostris vt plurimum vocantur protestationes.

22 Cum sane succurri æquum est aduersus errorem, siue iuris ille sit, siue facti, vt & in aliis fere omnibus: *l. vlt. vbi not. C. de testam. l. si quis id quod 7. §. pen. D. de iurisd.* Iunge *l. regula 9. D. de iur. & facti. ignor.*

23 *l. is qui se obtulit 25. & l. sin autem 27. D. de rei vindic. l. pen. D. de dolo, cum similib.*

DEFINITIO X.

Potest fundus emphyteuticarius diuidi inter plures personas, & ita solutio quoque canonis annui, sed possessorum expensis ac sine incommodo domini directi.

ETsi solutio per partes magna incommoda habere dicitur,[1] non tamen prohibetur is qui fundum amplissimum in emphyteusim accepit per partes eum distrahere, tametsi ita futurum sit vt canonis annui solutio inter omnes possessores pro rata diuidi debeat:[2] siue quod id omnino consequens sit ei, quod dicimus bona omnia emphyteuticaria adeoque feudalia redacta esse ad instar patrimoniorum,[3] siue quod pro leuiore illo incommodo longe maius commodum dominus sentiat[4] in laudimiorum perceptione, quæ præcipuum iuris emphyteutici fructum constituit:[5] Nam quo plures fuerint possessorum personæ, eo plura sperari possunt laudimia ex plurium spe venditionum.[6] Hactenus tamen domino succurritur, vt quæ in distribuendis diuisi canonis portionibus cura, diligentia, impensáque necessaria est, tota ab ipsis possessoribus conferatur,[7] nec ad aliud teneatur dominus, quam vt censualia instrumenta, quorum inspectione in eam rem opus est proferat, vt sciatur quid & quantum; & pro qua quantáve bonorum emphyteuticariorum quantitate debeatur,[8] si in eo negligentes possessores fuerint, non proderit singulis, quod partem offerant, ni totum soluant,[9] totiusque emphyteuseos auocandæ ius domino perinde competet ac si nemo offerre vellet.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. 3. in princ. ff. famil. ercisc. l. cum hi 8. §. in causa, ff. de transact. l. 3. ff. de alim. legat.*

2 Vel vt confundatur, quomodo loquitur Vlp. *in l. com. diuid.* ob hanc causam scriptum est iudicem non facile debere agrum vectigalem regionibus diuidere.

3 Scripsi *Defin. 8. §. ex* Guid. Pap. *quæst. 59.*

4 *Arg. l. eum qui 30. ff. de iureiur.* Sic commodum compensari debet cum incommodo in specie, *l. 1. §. vlt. de aqua & aqui pluu. arcend.* Spec. *quæst. 71. num. 92. & seq. de locat.*

5 *l. vlt. vbi not. C. hoc tit.*

6 Quia facilius est vt ex plurib. vnus velit vendere aut alter alienare, quam si vnus tantum esset, qui alienare posset.

7 Ne videatur in eorum fuisse potestate vt læderent ius domini directi, *d. l. 7. in princ. ff. com. diuid.*

8 *Arg. l. instrumenta 24. C. de fideic.* Quidni enim hoc saltem præstare cogatur dominus directus, quod sine dispendio ipsius futurum sit, *arg. l. in creditore 38. ff. de euict.*

9 Propter naturam actionis, quæ indiuidua est, *l. rem hereditariam 65. ff. de euict. l. quandiu 6. C. de distr. pign. l. 2. C. debit. vendit. pign. imped. non poss.*

DEFINITIO XI.

Emphyteuta potest inuito domino directo rem derelinquere vt liberetur etiam ab actione personali, dummodo omnia derelinquat quæ coniuncta sunt in onere.

IVris quidem ratio prohibet, ne liceat emphyteutæ inuito domino resilire à contractu, qui vltro citroq; obligatus est.[1] Sed tamen eo iure vtimur,[2] vt si emphyteuta, licet personali actione conuentus rem derelinquere malit quam canonem soluere, audiri debeat,[3] si non expressa conuentione sibi dominus in contrarium prospexerit:[4] quoniam & plus præstat,[5] si modo non deteriore conditione res sit, quo tempore derelinquitur, quam erat cum accipiebatur,[6] nec quicquam impediat quo minus vacuam eius possessionem nancisci dominus possit:[7] sed & illud requiritur, vt præteritorum annorum reliqua omnia ad quadrantem vsque soluat is, qui rem derelinquere paratus est,[8] itemque vt nihil omnino ex iis bonis retineat, quæ vnius tantum canonis confusum onus ab initio habuerunt.[9] Cetera enim quæ eodem quidem contractu, sed distincto canonis onere concessa fuerint, retinere, si velit, non prohibetur,[10] solius Principis ius illud est, vt qui tributum debet personæ, vt plerumque fit pro bonis indictum, non liberetur, tametsi maxime bonis velit cedere, quoniam inuidiosum id & à Principis maiestate alienum videatur.[11] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 37. infr.

1 Cum enim hic sit contractus verus propriam naturam propriumque nomen habens, *l. 1. C. hoc tit.* ab initio quidem est voluntatis, sed ex postfacto necessitatis, vt cæteri, *l. sicut 5. C. de oblig. & action.*

2 Ex consuetudine quæ hic maxime spectanda est. Chassan. *in Consuet. Burgund. tit. De mains mortes, §. 8.* in verb. *en delaissant, num. 4.* post Alberic. de Rosat. *in l. cum fructuarius 64. de vsufruct.* Spec. *tit. de locat. §. nunc aliqua, vers. 128. nu. 154. ex l. venditor 13. §. si constat. D. com. præd.*

3 *Arg. d. l. cum fructuarius & seq. l. si absente 48. D. de vsufr. l. etsi forte 6. §. etiam in fin. D. si seruit. vindic.* Alber. *in d. l. cum fructuarius, & in l. 2. col. pen. C. de inr. emphyt. Not. in c. quæ in ecclesiarum, de constit. & in c. 1. de vas. qui contra const. Lot.* Vide tamen Bart. *ad l. is cum quo, de aqua & aqua pluu. arcend.* vbi distinguit an onus sit certum an incertum, vt posteriore casu liberetur possessor rem derelinquendo, priore non item per *l. quicunque, C. de feud. patrim. lib. 11. l. Imperator 70. §. si centum,*

BIU Cujas

de leg.2.l.prætor 7.§.1.*de dam.inf.§.si vero quis locat. Nou.de alie.& emph.* nisi conueniatur actione reali vel officio iudicis, inquit Bart. *ex d.§.1.& d.§.etiam.*

4 Plus enim potest conuentio quam consuetudo, *l.licet* 8. *l.citra* 19.*C.hoc tit.* vbi Cuiac. ex Græcis ob hanc causam legit affirmatiue *si specialiter exprimatur*, sublata dictione *nihil*, quę est *in vulg.edit.*

5 Quo casu admittit Bart. posse rem derelinqui etiamsi onus fuerit certum à principio, ex *l.illud* 7.§.1.*de tribut.act.& d.l.is cum quo.* Non aliter ex *l.propter* 5.*C.qui bon.ced.non poss.l.penult. C.de rescind. vendit.* Vide *l.cum qui* 15. *alias l.Iauolenus de ann. legat.*

6 *l.sed cum* 65.*de vsufr.*

7 Vide Aufrer. *ad decis.Cap.Tholos.*404.

8 Nam quod rem derelinquit non debet ei prodesse quantum ad tempus quo ipse possedit, cum sibi debeat imputare, cur non citius dereliquerit.

9 Est enim hoc onus plane indiuiduum, *d.l.*7.*in princ.communi.diuid.l.cum quæritur* 16.*de admin.tut. l.si ita* 39.*in fin. de oper. libert.* Iunge *Defin.*76.*f.*

10 Quia eorum causa est separata, *arg. l.etiam* 29.§.1.*D.de minor.*

11 *dict.l.propter* 5. *C. qui bon. ceder.poss. l.quicumque cum gloss. in l.*1.*C.de fund.patrim. lib.*11.*tit.*61. Chassan. *tit. De mains mortes* §.8.in verb.*en delaissant,num.*4. vbi distinguit an agatur de censu, tributo, & collecta quæ debentur Principi, an de huiusmodi oneribus debitis priuato aut alicui domino inferiori, vt posteriore casu liberetur possessor rem derelinquendo, non etiam priore.

DEFINITIO XII.

Primus emphyteuta quam actionem habeat contra secundum sine cessione.

SI is qui fundum in emphyteusim acceperat eundem alteri in secundam emphyteusim, quam liuellum vocant, concesserit,[1] eodem iure aduersus liuellarium vti potest, quo is ipse domino directo teneatur,[2] quasi domini quoque directi iure censeri debeat si cum secundo emphyteuta comparetur.[3] Quamquam enim eiusdem rei duo in solidum domini eiusdem dominij genere esse nequeunt,[4] nihil tamen prohibet duos esse directos dominos, duosque vtiles diuersis, vt aiunt, respectibus.[5] Itaque si primus emphyteuta ex propria obligatione cõuentus canonem soluerit, quem secundus ex sua soluere debuit, potest eo nomine contra secundum etiam citra cessionem eisdem actiones exercere, quas & directus dominus aduersus eum quem ex illis vellet, posset,[6] vendicationem scilicet saltem vtilem,[7] hypothecariam, & personalem. At quid si non appareat, quo iure & per cuius personam ad possessorem peruenerit res emphyteuticaria, pro qua canonem domino soluere primus emphyteuta coactus sit? An vlla ei aduersus possessorem pro repetitione actio competet?[8] Mouet quod suum potius quam alienum negotium gessisse videatur qui id soluit, ad quod proprio nomine & ex propria obligatione tenebatur.[9] Atqui verum est obligationis illius personalis contrahendæ aliam causam non fuisse, quam quod tum emphyteuta rem haberet, quæ nunc ab alio possidetur.[10] Ergo æquius est vtili saltem negotiorum gestorum actione teneri possessorem, qui solutionis commodum sentit,[11] quod rem habet quam alioqui dominus non soluto canone iure suo euincere potuisset.[12] Siquidem canonis præstandi onus reale est, & proinde rem ipsam sequitur ad quoscumque transeat possessores,[13] nec cogi potest directus dominus fidem à se emphyteutæ datam seruare possessori, non satisfaciente ex sua parte emphyteuta, à quo necesse est, vt possessor quisquis ille est causam habuerit proximam, aut remotam.[14] Emphyteutæ vero multo minus imputare possessor potest, cur non soluat canonem eius rei nomine debitum, quam ipse non emphyteuta possideat.[15] Tutius tamen emphyteuta fecerit si soluens domino impetret in continenti cessionem actionum, vt indemnitati suæ melius consulat,[16] nec personalem tantum habeat actionem, sed etiam hypothecariam & vindicationem, quas haud dubie citra cessionem & suo iure habere non potest.[17] *Ita Senatus* in eadem causa. Vide tit. Sin. cens. vel reliq. Defin.1.

1 Est tamen differentia intra contractum emphyteuticum, liuellarium & censualem, de quibus omnibus tractant nostri ad *l.*1.*& vlt.C.hoc tit.*

2 Vt scilicet indemnis præstetur à secundo emphyteuta, in quem ius suum transtulit, quamuis non nisi periculo suo, *Auth. sed & periculum, C.sin. cens.vel reliq.* Spec. *in tit. de loc. §.nunc aliqua, vers.*166. *num.*192. Ias. *in l.fin. num.*154. *Cod. hoc tit.*

4 *L si vt certo* 5.§.*si duobus vehiculum, D.commod.l.de hereditate* 19.§.*pater de castr.pecul.*

5 Ioann.Faber. *in §.adeo, num.*6.*Inst.de locat.*

6 Quia eas habet ex proprio contractu nec proinde indiget cessione.

7 Non enim potest habere directam, cum reuera non sit dominus directus, *l.*1.*D.si ager vectig. l.*1.§.*quia autem,& seq.D. de superfic.*

8 Intellige sine cessione. Nam si qua cessio per dominium directum facta esset, res non haberet dubitationem, quia ius cessum æstimatur semper ex persona cedentis. *l.fid.iussoribus,*17. *l.vt fid.iussor* 39.*de fideiuss. l.Modestinus* 79.*D.de solut.*

9 Nemo autem actionem habet pro repetitione eius, quod soluit suo nomine, *l.Papinianus* 28.*D.mandat.l.si quid possessor.*31. *de petit.hered.*

10 *d.l.vlt.vbi not.C.hoc tit.*

11 Alioqui fieret locupletior ex aliena iactura contra *l.nam hoc natura* 14.*D.de condict.indeb.l.si & me & Titium* 32.*D.de rebus credit.* Afflict.*decis.*153.

12 *l.si pupillo* 6.§.*sed & si quis negotia mea, D.de negot.gest.l.plane* 38.*D.de petit.hered.* Specul. *in d.§.nunc aliqua, vers.*127. *ex l. omnes* 3. §.*vlt.l.si vsusfructus nomine* 7. *D.vsufr.quem. caueat.l.ex vectigali* 31.*D.de pignor.*

13 Bald.*in Auth.si quas ruinas num.*5.*C.de sacrosc.eccl.* Castr. *in l.Imperatores, de publ.& vectig.* Afflict.*decis.*95. Negus.*in tract. de pignor.in* 4.*parte patris principalis, num.*127. Ias.*in l.*1.*nu.*70. *C.hoc titul.ex l.murileguli* 11.*C.de murileg. lib.*11.*tit.*7.*l.inter debitorem* 42. *de pact.* Crauet.*cons.*17.*num.*6.

14 *Arg.l.cum proponas* 17. *C.de pact.& c.peruenit. Extr.de iureiur.* Debet enim possessor vti possessione auctoris sui cum suis oneribus & vitiis, *l.*3.§.*eum qui, D.de acquir.poss. c.pastoralis & c.cum non sit. Extr.de decim.* Iunge *l. quod ipsis* 145. *& l.ex qua persona* 149.*de reg.iur.*

15 Cum huius canonis soluendi onus transierit in ipsum possessorem. Specul. *d.vers.*166. *numer.*192. *argum.l.cum fundus* 12. *commun. præd. & vers.*9. *numer.*18. *ex l.soluendo* 75. *de negot. gest.*

16 Nam cum sit possessor bonæ fidei potest petere, vt sibi cedantur actiones, *l.mulier* 19. *D. qui potior. in pign. hab.* quas præstare sine suo incommodo creditor potest, *l.in creditore* 38. *D.de euict.*

17 Non desunt tamen qui putent, primum emphyteutam habere vtilem actionem in rem aduersus quemcunque possessorem, Specul. *in d.§.nunc aliqua, qu.*66.*nu.*80. adeo vt in ea actione præferatur domino directo, si forte velit dominus directus contra possessorem directa experiri, vt concludere videtur idem Specul. *qu.*51.*nu.*65. *ex l.si cum emptorem* 16.*D.de pact.l. si procurator* 28.*l.procuratore* 55.*D.de procurat.*

DEFINITIO XIII.

Emphyteuta rem vltro derelinquens non potest impensas repetere, quas in eam fecit.

EMphyteuta si re emphyteuticaria quam meliorem fecerat cedere domino velit, vt se liberet à præstandi canonis annui necessitate, nullam sumptuum à se factorum habere potest repetitionem: quoniam ad hoc ipsum emphyteusim acceperat, vt rem meliorem faceret, sibiq; imputaret debet, quod meliorem factam velit vltro derelinquere.[1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Videtur enim donare, *arg.l.donari* 82.*de regul.iur. l.adeo* 7.§.*ex diuerso de acquir. rer. domin.* vel saltem tanti habuisse re carere, *arg.l.*4.§.1.*de alien.iudic.mut.caus.fact.* Clar. §.*emphyteusis, qu.* 45.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

Remissio præteritarum pensionum non præsumitur ex recognitione futurarum.

DIrectus dominus, qui emphyteutam admittit ad censualis aut emphyteuticarij debiti nouam professionem, non ex eo creuendus est præteriti temporis pensiones non solutas remittere voluisse, tametsi nihil sit protestatus.[1] Neque enim noua illa professione id actum videri potest, vt emphyteuta vllo modo liberaretur, at potius, vt magis obligaretur, & consequenter non minus ad præteritarum, quam ad futurarum pensionum solutionem.[2] Idem de laudimiis, si qua iam debebantur, iuris est.[3] Quid enim absurdius quam ex eo instrumento quod ad obligationem inducendam conscriptum sit inducere liberationem?[4] Hoc ita si nulla consuetudo sit in contrarium,[5] qualis est apud Augustanos. *Ita Senatus*, 13. Cal. Ianuar. 1588.

1 Quamuis nonnulli contra putent, eo prętextu, quod credibile sit dominum directum pręteritas pensiones exigere ideo noluisse, vt facilius emphyteutam aut possessorem nouum alliceret ad recognoscendum, *argum. l. cum quidam 17. §. Diuus Pius, D. de vsur. l. vir vsuras 54. D. de donat. inter vir. & vxor.*

2 Cum tam præteritæ pensiones quam futuræ ex eadem causa eodémque contractu debeantur. Vide Abbat. *in c. potuit, num. 14. Extr. de locat.*

3 Ex eodem enim fonte debitum laudimiorũ & seruitiorum proficiscitur, quamuis laudimia non in singulos annos, sed in singulas tantum alienationes debeantur, *l. vlt. C. hoc tit.*

4 Ita enim fieret, vt actus operaretur, vltra intentionem agentis contra, *l. non omnis 19. D. de rebus credit.* Itemque vt ad vnum finem inducta contrarium effectum operarentur, contra *l. legata inutiliter 14. de adim. legat. l. in ratione 30. §. tametsi, D. ad leg. falcid. cum similibus.*

5 Consuetudo enim cuiusque loci spectanda est in his maxime, quæ ad hanc contractus speciem pertinent, *l. circa locationes 19. C. de locat. Not. in l. vlt. C. hoc tit. & in l. venditor 13. §. si constat, D. commun. præd.*

DEFINITIO XV.

Emphyteuta tenetur ad æstimationem quanti plurimi ex tempore moræ duntaxat, & quando in mora esse videatur.

EMphyteuta, qui canonem annuum ad certam diem & ad domum creditoris soluere debuit,[1] si non satisfecerit condemnandus est, vt præstet quanti plurimi vno quoquo anno merx fuit, etiamsi nulla interpellatio præcesserit.[2] Hoc enim casu sola dies interpellat satis ad constituendum in mora debitorem, cum ad eius domum ire creditor non debuerit.[3] At si dies dicta non sit, requiritur denunciatio, ad hoc duntaxat, vt sciat & certioretur emphyteuta ad quam diem dominus sit ad futurus: ne cum ad creditoris absentis domum venerit frustra id fecerit.[4] Quod si de solutione ad creditoris domum facienda nihil conuenerit, interpellari debitorem oportet, vt in mora constituatur.[5] Quo facto transferetur in debitorem necessitas soluendi, cum antea domino incumberet necessitas petendi.[6] Extra hos casus non quanti plurimi eo anno merx fuit, sed ad communem æstimationem solutio fieri debebit.[7] *Ita Senatus* in eadem causa, & iterum pro N. Iacobo de Montfort, contra Antonium Mollier, 13. Calend. Iulij 1592. Iunge Defin. 2. de contr. & committ. stipul. & Defin. 5. De solut.

1 Quod euenit cum reditus est portabilis, vt nostri loquuntur, vocant enim *rente portable.*

2 Ex ea scilicet Doctorum nostrorum opinione, quæ vult in bonæ fidei iudiciis deberi æstimationem quanti plurimi à die moræ. De quo Bart. & alij ad *l. vinum 22. D. de rebus credit. l. penult. & vltim. D. de condict. tritic. l. 3. §. in hac, D. commo dat.*

3 Quomodo tamen regulariter cogitur creditor ire ad domum debitoris si aliud nihil conuenerit, *l. item illa 18. vbi not. ff. de pecun constit.*

4 Nec enim est in mora qui ad diem non soluit, si nemo fuit cui soluere tur, *arg. l. vlt. ff. de leg. commiss. l. cum quidam 17. §. si pupillo ff. de vsur.*

5 Siquidem regulariter non solet contrahi mora, nisi per interpellationem factam congruo loco, & congruo tempore, *l. mora 32. eod. tit. de vsur. l. si pupillus 117. de verb. obligat.*

6 Vide Afflict. *decis. 316.* Ant. Gabriel. *lib. 3. commun. opin. de solut. & liber. conclus. 9.*

7 AEstimatio enim quanti plurimi numquam præstatur, nisi in pœnam moræ aut delicti, *l. in re furtiua 8. §. ff. de condict. furt. l. 3. §. si per venditorem, ff. de act. empt.* Vide tamen quæ scripsi late circa hunc tractatum *lib. 16. coniect. iur. ciuil.*

DEFINITIO XVI.

Commisso renunciat dominus directus, qui sciens ius suum exigit canonem, aut admittit possessorem ad recognoscendum.

COmmisso renunciasse videtur dominus directus, qui post ius sibi quæsitum, cum rem ipsam posset ab emphyteuta auferre, canonem annuum ab eo petere & exigere maluit:[1] adeoque si emphyteutam ad canonis annui nouam professionem admiserit,[2] vtique si ius suum non ignorabat.[3] Ius enim commissi cum pœnale sit, facile remissum intelligitur:[4] sicut euenit, cum alia qualibet pœna commissa ob non solutam die pecuniam sors petitur post diem:[5] aut cum venditor qui legem commissoriam exercere potuit, pretium petere maluit.[6] Quare nec domino proderit quod canonem annuum exigendo protestatus sit, ne quid ex eo præiudicij fieret petitioni commissi. Inutilis enim protestatio est cum fieri nequeat, vt & commissum, & secuti temporis pensitatio emphyteuticaria debeatur.[7] *Ita Senatus* in ea causa de qua scripsimus Defin. 14.

1 Abbas *in cap. potuit, num. 14. Extr. de locat.*

2 Posteriora enim semper derogant prioribus, *vulg. l. pacta nouissima, C. de pact.* cum nec quisquam cogatur vti iure suo, *l. si iudex circumuento, D. de minor. l. pactum 46. D. de pact.*

3 Alioqui nemo credendus est voluisse remittere ius quod sibi competere ignorabat, *l. mater decedens 19. D. de inoffic. testam. l. Campanus 47. de oper. libert.*

4 In odium scilicet pœnarum, quæ semper odiosæ sunt, siue conuentionales sint, siue legales, *l. vlt. de eo quod cert. loc. l. penult. D. de pœn.*

5 *l. apud Celsum 4. §. Labeo ait 7. & l. 2. §. non male, D. de doli mali except.*

6 *l. de lege 6. §. 1. l. post diem 7. D. de leg. commiss.* iunct. *l. 3. eod.*

7 Guid. Pap. *quæst. 171. num. 1. & 4.*

DEFINITIO XVII.

Nouus possessor quando incidat in pœnam commissi, & quando ab ea excusetur.

EXcusatur à pœna commissi emptor, cui vendita res fuit tanquam libera, si à domino intra statutum tempus non petierit inuestituram.[1] Sed tamen indiget restitutione in integrum,[2] quæ ipsi vtique concedenda est,[3] ex generali illa clausula, *si qua mihi iusta causa esse videbitur.*[4] Non idem erit si edicto non satisfecerit, quod de inscriptionibus vocant, quo cautum est, vt quisquis fundum acquisiuit quocumque tandem acquisitionis & contractus genere, id ipsum apud loci Curiales testetur intra duos menses proximos, alioqui pœnam commissi incurrat. Id enim dominorum directorum causa constitui necesse fuit, vt exploratis ea ratione alienationibus certiores fieri possent de iure suo, nec per acquirentium

BIU Cujas

aut fraudem, aut ignorantiam circumuenirentur, [5] si forte aut simulatus contractus factus esset, [6] aut alienata res tanquam libera, quæ tamen vel feudalis esset, vel emphyteuticaria. [7] Quam ob causam recte probatum est, etiamsi de eo contractu agatur, ex quo nulla laudimia debeantur, [8] non eo minus tamen commisso locum fore, si edicto non fuerit satisfactum, cui nimirum satisfieri necesse fuit, vel ob hoc ipsum, vt sciri posset an laudimia vlla deberentur. [9] Humaniter tamen & æquissime receptum est, vt siue ob non factam inscriptionem, siue quod in laudimiorum solutione cessatum sit, commisso locus apertus fuerit, moram purgare liceat quandocumque ante litem contestatam. [10] *Ita in Senatu tractatum est* in eadem causa.

1 Est enim in bona fide non solum ob assertionem venditoris, & probabilem ignorantiam facti & iuris alieni, *arg. l. vlt. ff. pro suo, l. qui in alterius 42. de reg. iur.* sed etiam quia bona omnia naturaliter sunt libera & talia præsumuntur, *vulg. l. altius 8. C. de seruit. & aqua l. cum eo 9. ff. vrban. præd.* Clar. *in §. emphyteusis, quæst. 8.*

2 Guid. Pap. *qu. 24.* quia verum est ipso iure commissam rem fuisse ob non petitam inuestituram, etiamsi non fuerit interpellatus possessor, *Notat. in l. 2. & vlt. C. hoc tit.*

3 Guid. Pap. *d. quæst. 24.*

4 De qua *in l. 1. & tot. tit. ff. ex quibus caus. maior.* Andr. Gayl. *lib. 2. obs. cap. 48. num. 4.*

5 Nam neque dolus, neque ignorantia vnius fraudi esse alteri debet, *l. 1. l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo & pass. ff. quæ in fraud. credit.*

6 Quales hodie plerique fiunt in fraudem dominorum directorum: quæ res dedit causam edicto.

7 Non enim quid in opinione sit hoc casu inspicimus, sed vt in aliis plerisque quid in veritate.

8 Qualis est apud Sebusianos meos contractus donationis, at non etiam apud Sabaudos.

9 Simile quiddam scriptum est *in l. 2. ff. si quis in ius vocat. non ier. & in l. si quis ex aliena 5. ff. de iudic.*

10 Guid. Pap. *quæst. 123.* vbi etiam tractat quid in vasallo, & quid in promissione iurata.

DEFINITIO XVIII.

Dominus directus non cogitur rem emphyteuticam indicare possessori, qui ipse recognouit, nec heredi eius.

QVamquam eo iure vtimur, vt dominus directus agens contra fundi emphyteuticarij possessorem ad canonem annuum siue profitendum, siue soluendum, teneatur possessoris conuenti oculis subiicere, digitoque demonstrare rem, de qua agitur: [1] non tamen id locum habet cum aduersus eum ipsum agitur qui iam semel professus est, & ex propria confessione obligatus. [2] Hic enim si vel iterum profiteri, vel soluere recuset eo prætextu, quod dicat se non possidere aut nescire an possideat, non aliter audiendus est, quam si fundi possessorem indicet, [3] vt contra quem subinde possit dominus experiri. Nec id emphyteutis durum videri debet, [4] qui si summo cum iis iure ageretur, rem emphyteuticariam irrequisito domino alienare non possent. [5] In herede emphyteutæ licet nondum professus sit idem obseruatur, [6] nisi quod ante omnia interrogandus est, an heres sit & pro qua parte, [7] præsertim si personali agatur. [8] Alioqui non potest aut tanquam heres, aut tanquam possessor statim condemnari, [9] nec si filius emphyteutæ proponatur. [10] Plane si heres sit non distinguemus an pure an cum beneficio legis & inuentarij hæreditatem agnouerit, [11] quia beneficium legis nihil commune habet cum iure dominij directi, ad quem res ipsa pertinet, [12] & cui ante omnia satisfieri necesse est, ne dominium vtile quod in hereditate repertum fuit, cum directo consolidetur, atque ita hereditarium esse desinat. [13] *Ita Senatus* in eadem causa, & iterum pro Antonio De la Cuaz, contra Dominum Marchionem de Villars ex tempore, 7. Id. Iulij 1591.

1 Quod fieri etiam solet & necesse est in iudicio finium regundorum, *l. si irruptione 8. §. 1. iunct. l. 4. §. finium & l. penult. D. finium regund.* & generaliter quoties possessor dicit se nescire an possideat rem de qua agitur.

2 Stare enim quemque oportet suæ confessioni, *l. cum de indebito 25. in fin. de probat.* & elegantius *in l. generaliter 13. vers. nimis enim indignum, C. de non numer. pecun.*

3 Non enim potuit amittere possessionem quam semel habuit, nisi interueniente aliquo facto suo, aut saltem quia sciat à quo fuerit spoliatus, cum possessio non amittatur nisi animo & corpore, *l. quemadmodum 8. l. si quis vi, 17. §. 1. D. de acquir. poss.*

4 Cum in possessore indicando neque dispendium, neque incommodum vllum sit, *arg. l. in creditore 38. D. de euict.*

5 *l. vlt. vbi notant omnes, C. hoc tit.*

6 Est enim heres successor in vniuersa defuncti iura etiam in vitia ipsius, *l. cum heres, 11. ff. de diuers. tempor. præscript.*

7 *l. 2. 3. & pass. ff. de interrog. in iur. faciend.*

8 Quia personales actiones non transeunt in singularem successorem, sed tantum in heredem, aut eum qui hæredis loco sit, *l. vlt. C. de hered. act. l. 1. §. si heres ff. ad SC. Trebell. l. vlt. in fin. ff. de contr. empt.*

9 Hæres enim nemo præsumitur nisi probetur, quamuis ea probatio plerumque difficilis sit, *d. l. 3. de interrog. in iur. fac. l. nec emere 16. C. de iur. delib.*

10 Nam post inductum à prætore beneficium abstentionis filius non præsumitur hæres in odiosis, secundum doctrinam Bart. *in l. 1. C. si vt minor se ab hered. abstin.* contra quam tamen vide quæ scripsi in Hemichiliade, *de error. pragmat. ex l. 1. §. qui sunt in potestate ff. si quis omissa caus. testam. l. ita tamen 27. §. si pater filium ad SC. Trebell.*

11 Nam & qui cum beneficio legis & inuentarij hæres est, perinde hæres vere est ac si beneficium legis non imploraſſet.

12 Dominus enim directus vere est dominus, nec proinde potest in hæreditate aut penes hæredem repetiri nisi dominium vtile quod fuit penes defunctum, *l. 1. §. Scæuola, D. si is qui testam. lib. ess. iuss. est.*

13 Est enim antiquius & potentius ius domini directi quam heredis aut creditorum defuncti, in ea saltem re quæ data est in emphyteusim. [Intellige tamen & interpretare hanc Definitionem secundum id quod scriptum est, *Defin. 25. ff. hoc tit.* Quod nota, vidi enim multos in hoc errare.]

DEFINITIO XIX.

Solutio facta per emphyteutam ei, qui procurator credebatur, valet ad liberationem.

EMphyteutæ, qui canonem emphyteuticarium soluit actori, de cuius mandato non constat, imputari nihil potest, si vulgo habebatur ille pro actore & procuratore ad eam rem constituto, [1] multo minus si non ignorabat dominus, quod is tanquam procurator exigere solitus esset. [2] Neque enim solet pro leuioribus huiusmodi debitis exigendis mandati exhibitio esse necessaria, [3] vt nec apocham [4] in singulas solutiones conscribi necesse est, [5] sufficitque nihil mala fide ab emphyteuta factum esse, & imputari potius d omino posse, cur non fuerit diligentior in canone per se aut per verum procuratorem exigendo. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa, de qua SC. 14.

1 *Arg. l. 3 in princ. D. de SC. Maced. l. sed si pupillus 11. §. de quo palam & seqq. D. de instit. action.*

2 Qui enim patitur mandare videtur, *l. qui patitur 18. D. mandat.* Ratum enim quis habet non tantum verbo, sed etiam facto, *l. non tantum 5. D. rat. rem haber.*

3 *Arg. l. sancimus 25. vers. non autem, & l. constitutionem 27. C. de admin. tutor.*

4 Id est, pecuniæ solutæ professionem, vt loquitur *l. pecunio 14. C. de solut.*

5 Quia nec moris est. Id enim maxime inspici debet, quod fieri consueuit, *l. quod si nolit 31. §. quia assidua, de ædilit. edict.*

6 Nec enim machinatio domini directi debet nocere emphyteutæ, *l. 2. in fin. C. hoc tit.* Vide Guid. Pap. *quæst. 173.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XX.

Ex pluribus rebus in emphyteusim ab eodem recognitis an & quando possit emphyteuta quasdam derelinquere & quasdam retinere?

QVi ab eodem domino plures res in emphyteusim accepit, potest quasdam derelinquere, vt se ab annui canonis præstatione eximat, alias vero retinere.[1] Nisi constet vel omnes res simul & vnica concessione in emphyteusim datas, licet distinctis oneribus,[2] vel plures sub eiusdem canonis onere recognitas fuisse.[3] His enim casibus manifesta domino fiet iniuria si emphyteutæ liceat obligationem diuidere,[4] quę indiuidua ab initio contracta fuit:[5] quod contingeret si ex eiusmodi rebus emphyteuticariis posset, quibusdam derelictis, alias retinere.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Tot enim videntur esse obligationes & stipulationes quot sunt res *l. scire debemus 29. D. de verb. oblig. l. quia dicitur 32. D. de euict.*

2 Quo casu non est cogendus dominus partem recipere, quia non fuerat partem duntaxat in emphyteusim concessurus, *arg. l. si quis aliam 46. D. de solut. l. tutor. 47. §. 1. D. de minor. l. quod si vno 13. D. de in diem addict.*

3 Vna enim res esse intelligitur quæ vnicum & indiuiduum onus habet, *l. sed duobus 5. §. 1.* iunct. *l. præced. De legat. 2.* Nam ex comparatione oneris interpretamur dispositionem *l. alumnæ 30. §. ab heredibus D. de adim. legat.*

4 *Argum. l. cum quæritur 16. de adm. tut. l. si ita 39. de oper. libert.*

5 *Arg. l. communi 7. D. commun. diuid.* Certam enim legem ab initio habuit stipulatio quæ immutari postea non potest, *l. vero 12. §. penult. D. de solut.*

6 Aut igitur totum onus agnoscat, aut à toto contractu recedat, *d. l. cum quæritur*, iunct. *l. nam absurdum 8. D. de bon. libert.* Nunquam enim est inducenda diuisio voluntatis, *l. eum qui 18. in fin. D. de his, quæ vt indign.*

DEFINITIO XXI.

Etiam singularis successor cogitur titulum suæ possessionis edere domino directo, si fateatur rem esse emphyteuticam.

NOn solum is qui fundum accepit in emphyteusim cogitur contractum edere domino directo quandocunque petenti,[1] sed & is qui fundum emphyteuticarium siue emptionis, siue alio quouis titulo ab emphyteuta comparauit,[2] si modo contractum fuisse constet. Nam si negetur, nullum hac parte ius aliud est domini directi,[3] nisi vt si id ipsum postea probet, atque ita per calumniam negationem factam esse appareat, commisso locus fiat[4] in pœnam doli & mendacij.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 16. Cal. Iul. 1590.

1 *l. 2. vbi not. C. hoc tit.* Editionem enim & exhibitionem petere possunt omnes, quorum interest, *l. quædam 9. §. penult. & vlt. D. de edend. l. 3. §. sciendum, D. ad exhib.*

2 Licet enim obligatio personalis non soleat transire in singularem successorem, transit tamen hoc casu ex auctoritate statuti, de quo dixi *Defin. 8. & 9. sup.* Et præterea est hoc onus rei, non personæ, quia propter rem non propter personam hæc editio facienda est, *l. vlt. & tot. tit. C. fin. cens. vel reliq. fund. comp. non poss.*

3 Negatio enim facit rem dubiam, *l. vltim. C. quibus ad libert. proclam. non licet*, quousque actor plene probauerit suam intentionem, *l. 4. C. de edend.*

4 Dolus enim & contumacia possessoris locum facit commisso: cum ad hoc sufficeret etiam sola negligentia & cessatio in solutione per triennium in emphyteusi priuata, per biennium vero in Ecclesiastica, *d. l. 2. C. hoc tit. & Nouell. 7. de non alien. aut permut. §. emphyteusim. versic. scire autem.* Iul. Clar. *in §. emphyteusis quæst. 8.*

5 *Arg. l. vlt. D. de rei vindic. Auth. item possessor. C. qui potior in pignor. hab. l. si quis inficiatus 13. in princ. D. depos.* Est autem hic casus notandus, quia regulariter nemo cogitur titulum possessionis suæ ostendere *l. cogi 11. C. de petit. hered.*

DEFINITIO XXII.

Oblatio sola canonis annui sine obsignatione impedit ne æstimatio quanti plurimi debeatur.

CAnonem annuum emphyteuticarium ad certam diem certumque locum ex lege emphyteusi dicta soluere obligatus si congruo loco & tempore obtulerit, non idcirco æstimationis quanti plurimi quandoq; præstandę periculum vereri poterit, quod recusante solutionem creditore is debitam mercem non obsignauerit.[2] Sola enim oblatio sufficit ad impediendam moram, licet ad eam purgandam non item.[3] Receptissima autem est, quamuis mihi suspectissima, interpretum nostrorum traditio, æstimationem quanti plurimi non nisi ob moram præcedentem peti posse.[4] Porro de ea oblatione intelligimus, quæ rite facta sit, ita vt creditor nullam recusandæ solutionis causam habere potuerit. Alioqui nec in mora creditorem constituere poterit, nec debitorem à mora liberare.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 9. Calend. Iunij, 1590. pro Antonio Lespine, contra Dominum de Romans.

1 Alioqui oblatio inutilis est, *l. qui Romæ 122. in princ. de verb. oblig.* de cuius sententia scripsi *lib. 1. Coniect. cap. 1.*

2 Obsignatio tamen necessaria est ad euitandam pœnam commissi, tum quoque cum dominus directus est in dolo. *l. 2. in fin. C. hoc tit.*

3 *l. si per te non stat 7.* iunct. *l. acceptam 19. C. de vsur.*

4 Bart. *ad l. vinum 22. D. de reb. credit. & ad l. 3. §. in hac, D. commod.* Dixi *Defin. 15. 5.*

5 *d. l. qui Romæ 122. in princ. de verb. oblig. l. mora 32.* iunct. *l. sciendum 21. & seq. D. de vsur.*

DEFINITIO XXIII.

Laudimia de consuetudine debentur, etiam pro emptione facta sub hasta.

EX publica distractione pignorum, quæ sub hasta postulante creditore facta sit, receptum est ex inueterata consuetudine, vt laudimia debeantur, quamuis ex iuris feudalis ratione numquam ex venditione necessaria qualis illa est peti possint.[1] *Ita tractatum est 7.* Id. Nouemb. 1590.

1 Guid. Pap. *quæst. 411. nu. 2.* Ioan. Papon. *lib. 13. tit. 2. §. 22.* Inde est, quod ex remissione, quæ fit inter socios, vel coheredes diuidentes, nulla debeantur laudimia. Idem Guid. Pap. *quæst. 48. in fin.* post Bartol. *in l. & ideo, D. de condict. furt.* Est enim illa alienatio prorsus necessaria, cum nemo cogendus sit stare in communione, *l. vlt. C. commun. diuid.* At venditio, quæ fit sub hasta, cum intelligatur fieri à debitore, non à creditore, *l. 1. & 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.* non tam ex præcisa necessitate fit, quam ex voluntate debitoris, qui hoc mauult, quam aliter soluere, *l. si ob causam, 13. C. de euict.* adde Ranchin. *in annot. ad* Guid. Pap. *d. quæst. 48.*

DEFINITIO XXIV.

Meliorationes reddit dominus directus, nisi cum emphyteusis, vel feudum ad eum redit ex culpa possessoris.

SI quando vindicandi feudi ius domino obtigit, impensas in rem factas, quæ necessarium aut vtilem ac permanentē casum habuerunt, ante omnia reddere cogitur, habetq;[1] vasallus aut is qui in eius locum successit ius retentionis, eo nomine;[2] nimirum si nō ex dolo & delicto vasalli feudum apertum sit domino, sed aliter puta defectu masculorum aut agnatorum.[3] *Sine die.*

1 Ne scilicet alioqui eueniat, vt ex alterius iactura locupletetur dominus directus, contra *l. plane 38. D. de petit. hered. l. iura naturæ 206. de regul. iur. l. nam hoc natura 14. de cond. indeb.*

BIU Cujas

2 *L.si in area 33. D.de condict.indebit.l.heres 21. D.ad SC.Trebellian.*

3 Guid.Pap.*quæst.*169. Iul.Clar. *in §.emphyteusis, quæst.*45. VVrmbser.*1.pract.3. obseru.*2. Iunge *l.dominus* 55.§.1 *l.colonus* 61. *D.locat.* Vide eundem Iulium Clarum *in §.feudum, quæst.*88.

DEFINITIO XXV.

Dominus directus cogitur indicare possessori rem emphyteuticam, etiam ei qui recognouit si is neget se possidere, sed periculo possessoris.

QVod dici solet, dominum directum pro emphyteusi agentem contra possessorem non esse cogendum indicare rem emphyteuticariam, si is possideat, qui ipse emphyteusim accepit aut professus est, eiusve heres,[1] ad eam indicationem pertinet, quam alioqui fieri necesse est priusquam possessor ad litem contestandam vrgeatur. [2] Nam si lite contestata negetur fundi possessio, & vt loquuntur, identitas,[3] tametsi confines iidem proponantur ex scripto, non eo minus cogendus erit dominus intentionem suam implere,[4] & quidem per testes, quoniam fieri nequit, vt per solam instrumentorum exhibitionem & collationem certa fiat rei controuersæ demonstratio.[5] Inter hanc vero & illam indicationem hoc interest, quod illa non afficit damno vllo aut incommodo possessorem, qui ea facta paratus sit satisfacere.[6] Hæc vero cum post moram & calumniosam denegationem possessoris fiat,[7] adeo ei nocet, vt etiamsi alias exceptiones alleget, priuandus tamen sit non tantum possessione rei in odium pœnamq; mendacij,[8] sed & omni alio iure, quod in ea re habuit singulari quodam emphyteuticarij iuris priuilegio.[9] *Ita Senatus* pro D.Marchione d'Aixi 17.Cal.Decemb.1590.

1 De quo scripsimus *Defin.*18.3. quæ Definitio supplenda est ex hac & interpretanda.

2 Neque enim cogitur possessor litem contestari priusquam appareat possideri ab eo rem quæ emphyteuticaria dicitur.

3 Dicente scilicet possessore, eam rem quam possidet aliam esse quam de qua in instrumento recognitionis emphyteuticariæ.

4 Ex regula quæ vult actorem debere omnimodo intentionem suam implere, alioqui condemnandum esse. *l.4. C.de edend.l.vlt.C.de rei vindic.l.2.D.de probat.l.actor quod adseuerat* 23. *C.eod.*

5 Nihil enim vetat confines qui sint reuera diuersi habere tamen eadem nomina, scilicet quæ ab hominibus sunt, non à natura, *l.4.ad leg.*1. Bart. *in l.demonstratio. D. de condit. & demonstrat.*

6 Fit enim expensis domini propter bonam fidem possessoris *ex reg.l.qui in alterius*, 42.*de reg.iur.*

7 Siquidem post litem contestatam omnes possessores sunt pares, *l.sed si lege* 25.§.*si ante.D.de petit.hered.*

8 Ex *l.vlt.ff.de rei vindic. Auth.item possessor. C.qui potior. in pign.hab.*

9 Ita scilicet constituto iure *in l.2.& 3.C.hoc tit.*

DEFINITIO XXVI.

Contentio de dominio directo inter plures excusat emphyteutam ne interim cogatur soluere.

QVoties de dominij directi iure inter duos controuersia est, excusatur emphyteuta nec moram contrahere videtur, si cesset in canonis annui solutione, quandiu mutuo vtriusque consensu, aut per sententiam decisum non est vtri solui oporteat:[1] ne accidat vt cum vni soluerit, ab altero non sit liberatus.[2] Quid tamen si is qui prior egit paratus sit satisdare de eo aduersus quemcunque alium defendendo? non faciet ea res meliorem actoris conditionem.[3] Alioqui eadem iuris & æquitatis ratione dicendum esset, vtroque offerente satisdationem condemnari emphyteutam vtrique debere:[4] quod tamen sani iudicij nemo dixerit.[5] *Ita Senatus* 16.Cal.Decemb.1590.

1 Requiritur tamen vt possessor offerat se paratum ei soluere, pro quo iudicabitur.

2 Is enim demum liberatur qui soluit vero creditori non qui aliis: verus autem creditor hoc casu ille est qui probat se dominum directum.

3 In quo differt hæc species ab illa, de qua *in l.penult. D.de petit.hered.l.is à quo fundus* 57 *D.de rei vindic.*

4 Consentire igitur vel sua sponte debent, vel iudice imminente, alioqui se mutuo impediunt, vt *in l.in huiusmodi* 84.§. *vlt.de leg.l.1.l.inuicem* 43.*de hered. instit.*

5 Nec enim possunt esse duo domini directi eodem respectu, *l.si vt certo* 5.§.*si duobus vehiculum ff.commod.*

DEFINITIO XXVII.

Maior est potestas conuentionis quam legis in eo, vt per cessationem in solutione canonis annui res committatur, nec mora purgari possit.

IS, cui in emphyteusim res concessa est, ea lege, vt si vel vno anno cesset in canonis emphyteuticarij solutione cadat à iure suo,[1] liberumque sit domino directo fundi possessionem ingredi propria auctoritate,[2] priuãdus est emphyteusi ob solam cessationem, etiamsi nulla interpellatio præcesserit. Neque enim admoneri & interpellari debuit, qui ipse emphyteusim ea conditione accepit.[3] Præsertim cum ea sit quoque emphyteuticarij contractus natura, tametsi expressa conuentio nulla proponatur. Quamquam hoc casu hactenus melior emphyteutæ conditio est, quod moram purgare quandocumque potest, dummodo ante litem contestatam,[5] quod tamen interueniente conuentione diuersum est, si non saltem pars aliqua census annui soluta sit.[6] Inde illud etiam fit, vt eius, qui in emphyteutæ ius successit, siue vniuersali iure, siue singulari, melior conditio esse debeat, quam emphyteutæ,[7] in eo nimirum, vt non magis cadat à iure suo propter solam cessationem, licet conuentio interuenerit,[8] quam si nulla interuenisset, quia iustam eius ignorandæ causam habet quandiu admonitus & interpellatus non est:[9] sed & accedente admonitione & interpellatione citra instrumenti emphyteuticarij exhibitionem, ratio facit, vt etiamsi summo iure cum successore agere liceret, legemque contractus commissam dicere,[10] ipsi tamen succurri æquum esset ex generali illa edicti clausula, *si qua mihi iusta causa esse videbitur*;[11] cum is qui in alterius locum succedit iustam hoc ipso habeat ignorantiæ causam, vtrum id quod petitur debeatur.[12] *Ita Senatus* in publico auditorio, 6.Id.Iunij 1591.

1 Est enim necessaria ista conuentio, alioqui requiritur cessatio per triennium, nec antea cadit emphyteuta à iure suo, etiamsi iurauerit se annuatim soluturum, si credimus Iulio Claro contra communem *in §.emphyteusis quæst.*8.

2 Est etiam hæc pactio vtilis, alioqui officio iudicis expellendus est emphyteuta non propria auctoritate. Clarus *in d.§. emphyteusis, quæst.*11.VVurmbser.11.*pract.*34.*obseru.*1.

3 *L.2.vers.neque præcedente, C.hoc tit.*

4 Vt scilicet nulla interpellatione opus sit, sed debeat emphyteuta non tantum offerre, verum etiam obsignare, vt pœnam commissi effugiat *d.l.2.in fin.*

5 *Cap.potuit de locat.Nouell.*91. *vt exact.instant. §. illud quoque versic.qui enim dare voluit.*

6 Solutio enim partis census impedit commissum; Guid. Pap.*quæst.*174.

7 Quamuis dici soleat eiusdem iuris esse successorem, cuius fuit auctor, *l.inuitus* 56.§.*plerumque.de reg.iur.*

8 Nihil enim potest mala fide facere is, qui nescit se debere, quia ignorantis nulla voluntas est, *l.si per errorem* 15.*D.de iurisdict.l.1.C.de falsi monet.l.pen.C.de iur.& fact.ignor.*

9 Non solum quod alieni facti ignorantia semper probabilis sit, *l.vltim. D. pro suo.* sed etiam quia vnaquæque res præsumitur libera & allodialis, *vulg. l.alius* 8. *C. de seruit. & aqua.*

10 Secun-

10 Secundum ea quæ diximus *Defin. 17. num. 2. 3.*

11 De qua *in l. sed etsi 26. §. vlt. D. ex quibus caus. maior.*

12 *Vulg. l. qui in alterius 42. de regul. iur.* Ideoque adieci *citra instrumenti emphyteuticarij exhibitionem*, quia cum instrumentum hoc exhibitum fuit, non potest possessor facti ignorationem obtendere, *l. quamquam 7. D. ad SC. Velleian. l. 1. §. vltim. D. de actionem. empt.* Vide Andr. Gayl. 2. *obser. cap. 48. num. 4.* & annotationes clarissimi Iureconsulti Dionysij Gothofredi, *ad l. 2. & 3. C. hoc tit.*

DEFINITIO XXVIII.

Ex contractu nullo non debentur laudimia, sed ex resoluto & reuocato debentur.

QVamuis ex contractu nullo laudimia non debeantur, propterea quod nec dominium ex eo transfertur,[1] sicut neque ex contractu sub conditione inito priusquam conditio impleta sit,[2] adeo vt per errorem soluta repeti possint:[3] si tamen venditio, aut alia quælibet alienatio constiterit ab initio, ex eaque translatum sit per traditionem dominium,[4] non eo minus laudimia debebuntur, quod ex postfacto alienationem illam resolui contigerit,[5] siue fiat ea resolutio interueniente hominis facto licet necessario, puta ex retrouenditione ad quam emptor se obligauerat,[6] siue ex spontanea cõtrahentium voluntate,[7] siue ipsa etiam iuris potestate, vt puta susceptis ab eo liberis qui bona sua extraneo donauerat.[8] Nam quemadmodum huiusmodi reuocatio non retrotrahitur ad tempus donationis, vt ex eo apparet quod fructus medio tempore perceptos restituere donatarius non cogitur,[9] ita fieri non potest, vt semel debita laudimia ob solam donationis resolutionem deberi desinant.[10] Vt enim perpetuo debeantur, sufficit semel translatum fuisse dominium ex ea causa, quæ sui natura potuerit esse perpetua,[11] cum sola dominij translatio illa sit, quæ laudimiorum præstandorum obligationem parit.[12] At si donatio nulla ab initio fuit, forte quod inter coniuges facta,[13] nec iuramento firmata,[14] aut iurata quidem, sed non insinuata,[15] consequens est, vt laudimia nulla debeantur.[16] *Ita Senatus* ex tempore Non. Iul. 1592. contra Priorem monasterij de Talloire.

1 Quia quod nullum est, effectum nullum producere potest, *l. filium 20. D. de bonor. possess. contr. tabul.* Vide Steph. Bertr. *cons. 45. vol. 1.*

2 Guid. Pap. *cons. 126. in 2. dub. ex not.* per Bart. *in l. 4. alias l. si ex duobus, §. sed & Marcellus, D. de in diem addict.*

3 *Lanius per errorem 53. de regul. iur. & tot. tit. D. de condict. indeb.*

4 Transfertur enim dominium per traditionem, quoties iusta & habilis causa præcedit, *l. nunquam nuda 31. iunct. l. traditio 20. D. de acquir. rer. domin.*

5 Quia resolutio contractus non facit, quin verum sit, dominium aliquando translatum fuisse, *d. §. sed & Marcellus.* laudimia vero debentur ob translationem dominij, *l. vlt. C. hoc tit.*

6 Iacob. de sanct. Georg. *in tract. de royais, col. 20. vers. per praedicta infertur.* post Bald. & Ang. *in l. ab emptione 58. de pact.* licet contra sentiat Ioan. Faber *in l. vlt. D. commun. legat.* quem refert & sequitur Chassan. *in rubr. de censes, §. 1.* in verb. *laouds, num. 15. & §. 7. num. 5.*

7 Specul. *in tit. de locat. §. nunc antiquæ, vers. 96.* vbi etiam Ioann. Andr. Chassan. *in rubr. de droits & appert à gens mariez, §. 1. in verb. contraiz vifs, num. 5.*

8 *Ex l. si vnquam 8. C. de reuoc. donat.*

9 Ioan. Bernard. Dias *reg. 213. limit. 10.*

10 Semel enim commissa stipulatio resolui postea nunquam potest, *l. cuicta 16. §. si seruus, l. habere 17. D. de euict.*

11 Nam nec solet dominium transferri ex causa temporali, *l. 1. D. de iur. dot.* vbi & Cuiac. notat.

12 *L. vlt. C. hoc tit.*

13 *L. 1. D. tot. tit. de donat. inter vir. & vxor. D. & C.*

14 Hoc enim iure vtimur, vt huiusmodi donationes iuramento confirmentur, *cap. cum contingat, extr. de iureiur.*

15 Quia iuramentum supplet quidem defectum insinuationis legalis, sed non statutariæ.

16 *num. 1. supr.*

DEFINITIO XXIX.

Etiam ex donatione debentur laudimia, nisi vbi contraria viget consuetudo.

QVæsitum est inter veteres, an ex valida donatione laudimia debeantur? Et magis communiter placuit deberi,[1] non secus ac ex alia qualibet translatione dominij.[2] Idque statuto Sabaudiæ cautum est. Sed hoc ita intelligi debet, si non in contrarium vigeat loci inueterata consuetudo.[3] Nam apud Sebusianos meos obtinuit, vt nulla debeantur. Alij sunt apud quos debentur quidem, sed non nisi dimidiata, sicut & ex permutatione in tota ferè Sabaudia, vt & apud Delphinates.[4] Igitur cuiusque loci consuetudo spectanda seruandaque est. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Guid. Pap. *quæst. 48. & consil. 16.* incip. *consului, vers. ad sextum.*

2 *L. vlt. vbi not. C. hoc tit.*

3 Consuetudo enim seruanda est, *l. venditor 13. §. si constat, D. commun. præd.* Sunt enim tolerabilia quę vetus comprobat consuetudo, *l. Imperatores 13. in fin. D. de pollicit.* Obserua tamen etiam de iure differentiam esse inter donationem, & cæteros contractus, quod donari res potest, etiam irrequisito domino, non autem vendi, aliterve alienari. Guid. Pap. *quæst. 46.*

4 Guid. Pap. *quæst. 46.*

DEFINITIO XXX.

Laudimia ex subhastationibus debentur ei, qui habuit ius dominij directi tempore expeditionis, non ei qui tempore elapsi semestris.

ELeganter disputatum est, bonis debitoris sub hasta venditis, subsecutaque missione in possessionem eo tempore, quo directi dominij fructus[1] ad te ex conductione pertinebant, si sexto post mense iidem fructus finito conductionis tuæ tempore ad me pertinere cœperint, vtri ex nobis laudimia debentur? Et plerisque placebat tibi deberi, propterea quod sola dominij trãslatio facere possit, vt debeantur:[2] negari autem non possit, quin ab ipso expeditionis instanti iudicialis illa venditio perfecta sit, adeoque translatum ex ea dominium, posteaquam generali fere locorum omnium consuetudine, & eo iure municipali quo vtimur obtinuit, vt per solam calami traditionem possessio translata intelligatur,[3] & consequenter per possessionem dominium,[4] idque euidenter ex eo apparere, quod à die expeditionis fructus omnes ad emptorem pertinent,[5] non alio vtique quam dominij iure, perinde acsi debitor ipse vendidisset.[6] Quod si sola calami traditio non sufficeret ad possessionis & dominij translationem, ipsa saltem missio in possessionem, quæ realis traditionis loco est, sufficere deberet.[7] Quo respexisse ij videntur qui ius nostrum municipale sic constituerunt, vt sex illi menses intra quos licet debitori bona redimere, quæ vendita sub hasta fuere, non à die expeditionis currant, vt antea ex vetere statuto currebant, sed ex die ipso missionis in possessionem.[8] Nec est contrarium, quod plerisque iuris locis traditum est, neque dominium, neque possessionem transferri ex primo decreto, sed tantum ex secundo.[9] Pragmaticorum enim error ille est, quod bonorum sub hasta venditorum expeditionem primo decreto comparant, cum tamen dominij non custodiæ causa bona vendantur:[10] sicuti neque secundo decreto similis est ea iudicis sentẽtia, quam nos decreti interpositionem appellamus:[11] quandoquidem nullo modo necessaria est, nulliusque vtilitatis, si subhastationes rite rectèque peractæ sint.[12] Sufficit enim elapsum semestre, vt redimendi ius debitori adi-

BIU Cujas

matur.[13] Plane si quid in subhastationum forma peccatum sit, facit interpositio decreti propter auctoritatem rei iudicatæ, vt rite & solemniter acta omnia existimentur. Multo minus autem ad rem faciet, si quis obiiciat, venditiones huiusmodi quæ sub hasta fiunt videri conditionales propter ius redimendi, quod intra sex menses competit, conditionalium autem venditionum naturam illam esse, vt ante conditionis euentum imperfectæ habeantur, ob idque nec prius laudimia ex iis vlla debeantur.[15] Nam permultum interest, vtrum venditio sub conditione contrahatur, an vero pure contracta sub conditione resoluatur,[16] vt cernere est in venditione quæ fit sub pacto legis commissoriæ,[17] aut addictionis in diem.[18] Hæc autem, quæ sub hasta fit, proculdubio pura est, tametsi resoluenda sub ea conditione, si intra sex menses bona redimentur.[19] Non igitur eo minus laudimia debebuntur, propter translationem dominij.[20] Quemadmodum & si debitor ipse venderet sub pacto de retrouendendo laudimia deberentur,[21] adeoque duplicia, secuta quandocunque retrouenditione,[22] nisi vbi consuetudo contraria obtinet.[23] Atque ita sæpius à Senatu nostro pronuntiatum, quod ad causam retrouenditionis attineret, plerique ex Dominis Senatoribus referebant. Quidam tamen in proposita quæstione contra sentiebant, laudimia nimirum secundo conductori deberi non primo. Mouebantur quod longo apud nos vsu receptum videbant, vt ex subhastationibus quantumuis perfectis & absolutis nulla nisi post elapsos sex illos menses laudimia debeantur,[24] iis vero elapsis non duplicia, sed simplicia præstentur. Exeo namque vel maxime apparet, non esse rectam in omnibus conuentionalis & iudicialis venditionis, itemque statutariæ & conuentionalis redemptionis comparationem.[25] Inde porro inferebat, laudimia quæ non debentur nisi post elapsum semestre,[26] ei demum deberi, qui eo tempore iura fructusq; dominij haberet, quasi tum solum impleta conditione non venditionis, quam ab initio pure contractam fuisse sane fatēdum est, sed debiti laudimiorum.[27] Cumq; ea conditio, si debitor intra sex menses redimere nollet, sit mere potestatiua, tum etiam cum debitor pecuniam nullam habet ex qua possit soluere,[28] succedit iuris regula, quæ non patitur, vt conditio potestatiua vnquam retrotrahatur in præiudicium illius, cui interea & medio tempore ius quæsitum est: quod in conditione casuali vel mixta non similiter obtinet.[29] Sed eos postea subtilius cogitantes in contrariam sententiam illud reuocauit, quod vere dici nequeat ius vllum petendorum laudimiorum medio tempore quæsitum esse secundo creditori. Quippe qui eo tantum instanti ius aliquod habere incipiat, quo sextus mensis omnino præterierit.[30] Prius enim est, vt impleatur conditio quæcunque tandem illa sit, quam vt ob eam impletam ius vllum acquiratur.[31] Atqui vltimo sexti mensis instanti conditio illa impletur, sub qua laudimia certum erat debitum iri, si debitor non redimeret.[32] Neque enim potest redemptio fieri in instāti, cum requirat non modo numerationem ex parte redimentis, verum etiam retrocessionem ex parte retrouendentis.[33] Ergo nihil est quod impediat, quo minus conditio illa quamuis potestatiua retrotrahatur ad tempus subhastationum,[34] ac proinde priori non posteriori domino aut conductori laudimia debebuntur.[35] Nam vltimum illud instans quo impletur conditio illa negatiua si debitor non redemerit, non septimo mensi computandum est, sed sexto; exemplo eius quod dicimus vltimum instans vitæ, quod ipsum instans mortis appellatur, non morti computandum esse, sed vitæ, quia mortuus non moritur, sed viuus.[36] *Ita Senatus* in causa Francisci Louys & N. Porral. 4. Id. Dec. 1592.

1 Quo fructuum nomine certum est laudimia contineri, quia nascuntur & renascuntur pro alienationum diuersitate, *arg. l. fructus 7. alias l. diuortio, §. si vir, D. solut. matrim.* Dixi *Defin. 1 num. 17. §.*

2 *L. vlt. C hoc tit.*

3 Guid. Pap. *quæst. 22.*

4 *L. 1. l. per procuratorem 8. C. de acquir. poss. ff.*

5 Fructus enim acquiruntur non iure feminis, sed iure soli, *l. qui scit 25 §. 1. D. de vsur.*

6 Factum enim iudicis aut apparitoris hoc casu est factum partis, *l. si ob causam 13. Cod. de euict. l. 1. Cod. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

7 *L. non est mirum 26. §. 1. D. de pignor. act.*

8 Quasi ante illud tempus amiserit quidem debitor suam possessionem, scilicet per pignoris captionem, quam nos leuationem appellamus, sed tamen non sit emptor adhuc factus possessor.

9 *L. 5. in princ. l. si finita 15. §. Iulianus, D. de damn. infect. l. cum legatorum 12. quibus ex caus. in poss. eat.*

10 Cum e contrario ex primo decreto bona non dominij, sed custodiæ causa possideantur, *l. is cui 5 in princ. D. vt in poss. legat.* Iunge *l. inter bonorum 48. D. de admin. tutor.*

11 Quæ nihil aliud est quam pronunciatio, quæ fit causa cognita de validitate subhastationum.

12 Nisi hactenus, vt de illarum validitate dubitari non possit, quia res iudicata pro veritate habetur, *l. res iudicata 207. de regul. iur.*

13 Nempe si neque in materia neque in forma subhastationum peccatum sit.

14 *dict. l. res iudicata.* & ideo hoc casu necessaria est alienatio.

15 *L. necessario 8. D. de peric. & com. rei vendit.* Dixi *Defin. 28. num. 2. §.*

16 Vide Purpur. *in l. 2. §. appellata, D. de rebus credit. num. 33.* Socin. *cons. 70. num. 10. vol. 4.* Boer. *quæst. 5. num. 25.*

17 *L. 1. D. de leg. commiss.*

18 *L. 2. D. de in diem addict.*

19 Quod redimendi beneficium competit ex sola auctoritate statuti.

20 *d. l. vlt. C. hoc tit.*

21 Quia pactum de retrouendendo non impedit dominij translationem, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.* Quid autem interest an redimendi ius competiturum sit ex pacto, an ex statuto?

22 Quia duplex traditio necessaria est, *l. ab emptione 58. D. de pact.* & consequenter duplex dominij translatio interuenit.

23 Est enim seruanda consuetudo, vt dixi *Defin. præced.*

24 Quamuis laudimia debeantur ob translationem dominij, dominium autem transferatur in eum qui sub hasta emit, prius quam semestre elapsum sit.

25 Venditio enim, quæ fit ex auctoritate statuti recipit interpretationem & suas conditiones ex ipso statuto, conuentionales vero non nisi ex partium voluntate, & ex iure communi, *arg. l. in conuentionalibus 52. D. de verb. oblig. l. si finita 15. in princ. D. de damn. infect. l. in præto ij 9. de præt. stipulat.*

26 Et in hoc nimirum errabant, quia laudimia debentur ex die translati dominij, licet non possint peti ante sex menses elapsos, fauore nimirum debitoris, cui totum illud medium tempus ad soluendum indulgetur, simile quiddam est in *l. in bello 12. §. si quis seruum, & l. si patre 15. D. de capt. & passim.*

27 Quasi nihil vetet venditionem esse puram, laudimia vero sub conditione deberi.

28 Quia difficultas solutionis recedit ab impedimento naturali & pertinet ad facultatem dandi, *l. continuus 137. §. illud, D. de verb. obligat.*

29 *L. qui balneum 9. l. potior 11. l. Claudius 16. D. qui potior. in pign. hab. l. si partem 9. §. vlt. D. quem seru. amitt.*

30 Vide Purpur. *in simili ad l. 2. §. appellata, in fin. D. de rebus credit.*

31 *L. is qui 13. de condit. instit. l. conditionibus 5. D. de condit. & demonstr.*

32 Tunc enim impletur cum incipit certum esse redemptionem intra tempus fieri amplius non posse, vt in *§. si filius 16. D. de liber. & posthum. l. vlt. D. de condic. instit.*

33 *L. ab emptione 58. D. de pact. l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vendit.*

34 Tanto magis quod ista conditio, si qua sit, negatiua est, ideoque sicut solo temporis lapsu impletur, ita facilius retrotrahitur.

35 Si quidem lapsus sex mensium non inducit translationem dominij, sed tantum irreuocabilem eam, quæ alioqui erat in id vsque tempus reuocabilis.

36 *d. l. vlt. de condic. instit. l. qui duos 18. §. 1. ff. de manum. test.*

DEFI-

DEFINITIO XXXI.

Laudimia soluta ei, cui nulla debebantur, non eo minus exigi possunt per eum cui debentur.

AT quoniam priori conductori soluta laudimia proponebantur, non deerant qui putarent vel hac vna ratione repelli posse posteriorem, qui ab eodem emptore pro iisdem bonis laudimia peteret, tametsi alioquin ad eum non ad priorem pertinere laudimia debuissent. [1] Exemplo eius quod traditum est, si quis ob promissionem de vendendo laudimia perceperit, quæ non debebantur, tum sequatur venditio traditioque, non alia peti posse laudimia & præcedentem licet indebitam solutionem sufficere. [2] Sed non sunt hæc similia. Id enim tum obtinet, cum ex promissione de vendendo laudimia accepit ille ipse, cui nunc ex secuta venditione deberentur. [3] In quo nec ipsi nec alij vlli fit iniuria, si quod prius indebitum fuit postea factum debitum in eam causam imputetur, ex qua deberi cœperit. [4] Nos vero eum casum tractamus in quo posteriori conductori sane fiat iniuria, si hoc solo prohibeatur à petitione laudimiorum sibi debitorum, quod ea conductor alius indebite ac sine causa perceperit, [5] Non enim solutio alij facta quam cui debetur liberare debitorem potest. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ne dublici præstatione nouus possessor oneretur, & ne bis soluere cogatur, *arg. l. si vrbana 55. de condict. indeb.*

2 Ita Iacob. de sanct. Georgio *in tract. de roydis, nu. 38. & 39.*

3 Facilius enim est, vt mutetur causa solutionis in persona eiusdem creditoris, quam si ipsa creditoris persona mutetur, *arg. l. Iulianus rerum debitorem 60. de cond. indeb.*

4 Nam & species lucri est liberari ab obligatione, *l. si pupilli 66. § de solut. l species 11. D. de accept.*

5 *d. l. si vrbana* ibi, *ob indebitum ei tenebitur, de cond. indeb.*

6 *L. nihil interest 4. l. inuito 12. C. de solut.*

DEFINITIO XXXII.

Remedia possessoria, quæ competunt emphyteutæ turbato in sua possessione aut spoliato, dantur etiam domino directo, siue cessionem aliquam habeat, siue nullam.

POtest dominus directus agere remediis omnibus possessoriis, quibus posset emphyteuta, siue ad retinendam, siue ad recuperandam possessionem, si emphyteuta vel turbatus fuerit, vel spoliatus. Interest enim procul dubio domini directi, qui ipse in emphyteutæ persona turbari spoliarive intelligitur. [1] Itaque cum emphyteuta quidam spoliatus cessisset domino directo ius omne, quod habebat recuperandæ possessionis aduersus spoliatorem, visum est non posse obiici vitium cessionis, quasi factæ in potentiorem, aut vexandi animo, [2] nec eo minus concedendam ex cessione actionem, quæ & citra cessionem esset competitura. [3] Nam nec dubitatur, quin ius recuperandæ possessionis, siue ex ciuilibus, siue ex pontificiis constitutionibus, [4] vt & alia fere omnia, cedi possit. [5] *Ita Senatus* pro R. D. Archiepiscopo Tarentasiensi, contra heredes D. Michaelis Thierry, iuridici maioris Tarentasiæ 4. Id. August. 1592.

1 Ioan. Fab. *l. cum aliquid 8. nu. 2. C. vbi caus. fiscal. post* Specul. *in tit. de caus. poss. & propr. § 1. vers. & sciat.* citans *cap. 1. extr. de iniur. l. 1. C. commun. de vsucap. l. serui 15. D. de appellat.*

2 Dixi *Defin. 7. 3. de hered. vel act. vendit.* vbi vide.

3 Quid enim potest interesse spoliatoris, quem æque possit conuenire dominus directus etiam citra cessionem?

4 Scilicet ex remedio, quod hodie omnium vsitatissimum est, *Can. redintegranda 3. quæst. 1.*

5 Andr. Tiraq. *in tract. de retract. gentilit. § 26.* in verb. *le consentement, gloss. 3. num. 18.*

DEFINITIO XXXIII.

Emphyteuta ab alio spoliatus citra factum & consensum domini directi perinde annuum canonem soluere cogitur.

NOn est iusta causa denegandæ solutionis canonis emphyteuticarij, ex eo solo quod emphyteuta dicat probetque se ab alio spoliatum, si non ipsius directi domini factum spoliationi causam dederit, [1] aut consensus illius interuenerit. [2] Nam cum emphyteuta ordinario iuris remedio sibi consulere possit ad reuocandam possessionem, [3] per eum stare videtur quo minus possideat, si ob id tantum desierit possidere, quod fuerit spoliatus. [4] Sicut enim rem ipsam ita & possessionem habere videtur, qui actionem habet ad eam persequendam. *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 9. de hered. vel act. vendit.

1 Quod enim propter aliquem infligitur damnum, ab ipso etiam ignorante inflictum intelligitur, *l. si merces 25. § culpa autem, D. locat. l. penult. in princ. D. solut. matrimon. l. si is cum quo 20. D. commun. diuid.*

2 Culpa enim non caret qui sciuit nec prohibuit si potuit prohibere, *l. item quæritur 13. § exercitu, D. locat. l. 2. § 1. D. de noxal. act. l. adigere 6. in princ. D. de iureiur. Notat. in l. culpa caret 50. de regul. iur.*

3 *L. vlt. C. de act. empt.*

4 *L. is qui actionem 15. D. de reg. iur.*

DEFINITIO XXXIV.

Feuda etiam recta & propria feuda possunt hodie alienari ex causa dotis.

QVod iure feudorum obtinet, vt feuda recta & propria non possint alienari, ne quidem ex causa dotis, [1] apud nos abrogatum est, non solum statutis diuæ Yolandæ Augustæ, & Philiberti Ducis nostri, sed etiam generali consuetudine nobis cum Gallis communi, per quam feuda redacta sunt ad instar prtrimoniorum. [2] Nec aliud est tametsi ad legis prohibitionem ipsa quoque testatoris prohibitio accesserit, siue generalis sit, quia causa dotis tanquam necessaria excepta esse intelligitur, [3] sicut & cæteræ omnes alienationes necessariæ; [4] siue specialis, quoniam contra bonos mores esse crederetur, quasi per quam matrimonij contrahendi facultas impediretur, [5] si non alia essent bona, quæ congruæ doti constituendæ sufficerent. Quandiu enim alia sunt ex quibus dos constitui possit, non magis permittendum est, vt constituatur ex feudalibus, quam vt ex iis quæ fideicommisso obstricta proponerentur. [6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 4. infr. Commun. de legat.

1 *§ donare, tit. 9. qualis olim. poter. feud. alien. in vsib. feud. lib. 2.*

2 Dixi *Defin. 8. num. 1. & 2. 3.*

3 Et omnium fauorabilissima propter publicam vtilitatem, *Auth. res quæ, C. commun. de legat., l. mulier 22. § cum proponeretur, de legat. 2.*

4 *L. alienationes 13. D. famil. ercisc. l. filius familias 114. § diui 2. de legat. 1.*

5 Vix enim est, vt reperiatur qui velit vxorem ducere sine dote, *l. 1. D. solut. matrim. d. § cum proponeretur, l. § § penult. de del. exæq.*

6 Guid. Pap. *quæst. 96.*

DEFINITIO XXXV.

Feudum datum ea lege, vt nullo modo possit alienari, ne quidem ex causa dotis, est omnino inalienabile, & quod in eius vicem datum fuit.

QVid tamen si Princeps ab initio & cum feudum concederet eam legem dixerit, vt ne quidem ex

BIU Cujas

causa dotis alienari vnquam posset? Contractus lex vtique seruanda erit. [1] Nec tantum si de eo feudo agatur, quod illa lege concessum sit, sed etiam si de alio, quod in locum ipsius fuerit subrogatum. [2] Nam & si ponas in vicem feudi Pedemontani substitutum, siue ex permutatione, siue qua alia ratione feudum Sabaudicum, ita vt iisdem legibus eodemque iure possideretur, dubitari non potest, quin subrogatum eius naturam induat, pro quo subrogatum est. [3] Itaque primæuam propriamque feudorum naturam retinebit, quomodo feuda omnia quæ sunt apud Pedemontanos. [4] Sed & eo casu quo feudum alienari potest, ex causa dotis aut alia eiusmodi æquissima est sententia existimantium non nisi vocato Principe & agnatis permittendam distractionem, vt cæteris emptoribus eadem oblata conditione, si velint, præferantur. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L.vlt.C.de pact.inter empt.& vendit.l.1. C.hoc tit.l.1. §.si conuent. D.depos it. l.ei fundo 19. D.de seruit. l.venditor 13. D. commun. præd.*

2 *Arg.l.sed quod inde 71.de legat.2.*

3 *Vulg.l.si enim 10.§.qui iniuriarum, D.si quis caution.*

4 Non enim sunt redacta illa ad instar patrimoniorum, vt in Gallia & in Sabaudia.

5 *Arg.l.vlt. C.hoc tit. l.cum bona 19. D.de rebus auctor. iudic. possid. alias l.1.de priuil.credit.*

DEFINITIO XXXVI.

Diminuta re emphyteuticaria pensionis quoque diminutio fieri debet, si soluatur propter fructus non propter vtile dominium.

CErtum est, quandiu aliquid supereſt ex re feudali vel censuali, vel emphyteuticaria, totius oneris sine diminutione præstandi necessitatem superesse, tametsi nihil vtilitatis possessor ex ea re percipiat, [1] nec aliter liberari possessorem, quam si vel tota recedere paratus sit, [2] vel tota res perierit, [3] sed tamen non est perpetuum. Nam si tale onus sit, ex cuius grauitate & comparatione cum annuo reditu appareat locationem potius iusta mercede factam, quam feudalem, vel censualem, vel emphyteuticum contractum, possessori vtique succurrendum est, hactenus nimirum, vt vel à census solutione prorsus liberetur, vel remissio aliqua mercedis ei fiat arbitrio boni viri. [4] Nec ad rem faciet, quod contractus verba non sonent in locationem. Semper enim & in omnibus contractibus sequimur id quod actum est, [5] nec tam nomen conuentionis inspiciendum est, quam natura & conditio negotij, quod geritur. [6] Constat autem hoc potissimum differre contractum locationis ab emphyteutico, quod qui dat emphyteusim præstare tantum patientiam tenetur, non etiam vt emphyteuta vtatur fruatur. Nisi fruendi impedimentum ex eo proficiscatur, quod emphyteuseos eo modo constituendæ ius habuisse negetur is, qui constituit. Iuris enim non etiam facti euictionem præstare dominus directus debet. [7] Qui vero locat non tantum ad id tenetur, vt patientiam præstet, sed etiam ad faciendum, vt conductori liceat vti frui, [8] siue iure, siue iniuria, siue per vim alterius, siue per ipsam rem fiat, vt frui prohibeatur. [9] *Ita Senatus* pro D. Antonio de Brucil, Barone de l'Isle, contra heredes Francisci Derchet, Prid. Idib. Nouembr. 1592. Et iam antea, vt quidam referebant, pro Canonicis sanctæ Mariæ de Mousiers, contra R. Dn. Archiepiscopum Tarentasiensem.

1 *L.1.in fin.Cod.hoc tit. & ibi omnes.* Iul.Clar. *lib.4.sentent.§. emphyteusis, quæst.4.* Andr.Gayl. *lib.2.obseru.pract. cap.23.num. 23.* Idem obtinet in annua pensione, assignata super aliqua re, quæ postea sit diminuta. Nec enim eo minus integra pensio peti potest. Guid.Pap. *quæst.8. per l.Lucius Titius 9.de aliment. & cibar.leg.* post Ioan. Fabr. *in l.si quis argentum, in princ.C.de donat.*

2 Secundum ea quæ diximus *Defin.11.5.hoc tit.*

3 Vnde illud vulgare nostrorum brocardicum, *si pereat tota liberabitur emphyteuta.*

4 Bald. *ad l.2.col.3. vers.quæro, an propter sterilitatem, C.hoc tit. vide l.1.vbi.D.de superficieb.* Petr.Anchar. *3.quæst.78.nu.2.*

5 *L.semper in stipulationibus 34.de regul.iur.*

6 *L.3.& pass.C.plus valer. quod agit; l.cum secundum 5.§.1. & l. seq.D.de distract.pignor.*

7 Dixi *Defin.33.5.*vbi vide.

8 *L.ex conducto 15.§.1.& seq.in fin.& D.locat.*

9 Iaſ. *& cæteri ad l.1.C.hoc tit.*

DEFINITIO XXXVII.

Non liberatur emphyteuta per rei peremptionem, quæ paulatim contingit per negligentiam possessoris.

SEd quod proxime diximus liberari emphyteutam, si tota res perierit, ita accipiendum est, si casu fortuito & vno impetu forte chasmate vel inundatione perierit, [1] non si paulatim & per negligentiam possessoris, qui, si in ripa munienda aut protegenda insula fuisset, vt esse debuerat, diligentior, seruare rem potuisset. [2] Itaque cum quidam in emphyteusim accepisset moletrinam, quæ postea vetustate & per possessorum iniuriam ita erat collapsa, vt nihil ex pristina facie, solum tamen supereſſet, placuit condemnandos nihilominus possessores ad annui canonis præstationem: sufficit enim extare solum, [3] & ius fluuij, ac consequenter reædificandi facultatem. [4] Quænam enim alia ab initio causa fuit constituendæ emphyteuseos, nisi vt vilissima quæque res & nullius momenti vel vsus aut pretij modici sumptibus emphyteutæ melior fieret? [5] Qua ratione nec male à plerisque melioratio nis contractus appellatur, [6] cui & illud quoque consequens est quod iam supra monuimus. [7] Vt quamuis emphyteutæ liceat rem derelinquendo immunitatem canonis consequi: id tamen ei permittendum non sit si rem deteriorem velit relinquere, quam ipsi aut ij à quibus haberet accepissent, dummodo per eorum culpam & negligentiam ea deterioratio contigerit. Rursus vt impensas ad rem meliorandam factas repoſcere non possit emphyteuta, qui rem derelinquit. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Idem si qua alia vi maiore cui resisti non potuerit.

2 Nullum enim hoc casu damnum sentire videtur emphyteuta qui sentit ex propria culpa, *l.quod quis 203.de reg.iur.*

3 Siquidem solum pars est ædificij & quidem maxima, *l.qui res 98.§.aream, D.de solut.*

4 *L.quo minus vbi vulgo notant, D.de fluminib.*

5 Nam etsi quod commodum accedat rei emphyteuticariæ per alluuionem id ad emphyteutam pertinet. Iul.Clar. *in §. emphyteusis, quæst.41.* Debet igitur cum hoc commodo compensare incommodum si quod accedit, *arg.l.1.§.vltim.D.de aqua & aqu.pluu.arcend.*

6 *l.vlt.vbi notat.in prin.C.hoc tit.*

7 Dixi *Defin.11.num.6.5.*

8 Quemadmodum si per dolum aut culpam suam amitteret rem emphyteuticariam, de quo scripsi *Defin.24.& 13.5.*

DEFINITIO XXXVIII.

Confirmatis quandocunque subhastationibus laudimia debentur ei, qui expeditionis tempore habuit ius ea petendi.

QVod senatus noster facere solet, vt ex causa proroget solutionis tempus debitori, cuius bona sub hasta vendita fuerunt, detque illi ius redimendi etiam post elapsos sex menses, quos in eam rem posterioribus Principum nostrorum statutis præscribi placuit, vtputa si egregia quantitas sit quæ debetur, quam non facile explicare debitor possit, [1] aut si inter consanguineos agatur, [2] vel si quo alio modo peccatum sit in forma &

BIU Cujas

forma & solemnitate subhastationum,[3] aut denique si longe pluris sint bona capta pignori, quam fuerit in debito.[4] Id inquam non facit quo minus redemptione nulla secuta teneat subhastatio viresque suas exerat, perinde acsi ea prorogatio data non esset. Ideoque & laudimia debebuntur ei, qui addictionis, & vt loquuntur, expeditionis tempore dominus directus fuit, aut à domino directo causam habuit, non illi qui eo tempore quo iudicatum est.[5] Nec aliud erit tametsi subhastatio aliquo vitio laboret. Quamuis enim quoties actus aliquis nullus & inualidus confirmatur, confirmantis potius quam confirmati rationem haberi oporteat:[6] Id tamen in proposito locum habere non potest, quoniam subhastatio quantumuis nulla dommodo pro debito facta sit, tenet, ac consequenter necessario confirmanda est, si debitor non offerat & soluat, aut obsignet id quod debet.[7] Itaque ad tempus factæ addictionis semper retrotrahi debet confirmatio quandocumque sequatur.[8] Quemadmodum & si missioni in possessionem, quæ post expeditionem fit, siue debitor, siue alius quispiam frustra intercesserit, semestre quidem illud tempus quod currit à die duntaxat missionis in possessionem interea non currat.[9] Sed tamen quandocunque secuta missionis confirmatione, dominium iam inde à die expeditionis in emptorem translatum intelligetur, eique fructus omnes, si quos medio tempore debitor percepit, restitui oportebit. *Ita Senatus* pro Francisco Louys, contra Franciscum Porral, in ea ipsa causa de qua supra Senatusconsl. 30. & seq. 4. Id. Decemb. 1592.

1 Nec enim semper numeratio totius debiti est in expedito, *l. si debitor* 10. *ff. de fideiuss.* Iunge *l. si debitori* 21. *ff. de iudic.*

2 Nam & consanguinitatis ratio habenda est, vt *in l. cùm bona* 6. *de reb. auctor. iudic. poss. alias l.* 1. *de priuil. cred.*

3 Omissio enim formæ vitiat quidem actum, sed ita tamen, vt non liberet debitorem, qui nec potest nullitatem obiicere aduersus subhastationes pro debito factas, nisi prius offerat debitum. Idque tam ex iure quam ex Stylo Senatus nostri.

4 Nam & statuto nostro differre cautum est ne possit pignus capi, quod excedat duplum debitæ quantitatis.

5 Iudicatum enim nullum ius nouum tribuit, sed quod iam est declarat. Vide quæ scripsi *Defin.* 30. 5.

6 *Ex notat. in cap. cum ecclesia de caus. possess. & propriet.*

7 Nam & nullitati si non causam, certe occasionem dedit factum debitoris, qui si soluisset quod debebat, nulla fuisset facta subhastatio, nec proinde in subhastationis forma peccatum fuisset, dixi *num.* 3. 5.

8 Initio scilicet inspecto, vt *in l.* 3. *§. scio, ff. de minor.*

9 Quia intercessio etiam iniusta remoratur vim executionis, si modo talis sit intercessio quę per executorem admitti debuerit. Quid enim si debitor iam condemnatus interceserit, & eam interceſſionem apparitor male admiserit? Habenda est pro non facta. Et ita Senatus pronunciauit pro Comite Pontisuallium, contra D. Romagnialem, mense Martij 1604.

DEFINITIO XXXIX.

Per diuisionem feudi emphyteuticarij inducitur diuisio pensionis. Et ad quid hoc casu dominus directus teneatur?

Diuiso fundo emphyteuticario pensionis quoque onus inter possessores diuidi necesse est.[1] Nec tantum si in personam, sed & si in rem agatur,[2] si modo pro certis & æquis partibus, non etiam pro regionibus duntaxat diuisus fundus fuit. Alioqui inter condiuisores eorumque non domini sumptibus & diligentia diuidi pensio debebit: nec aliud quicquam præstare dominus cogetur,[3] nisi vt instrumenta emphyteuticaria in re præsenti, & vt pragmatici loquuntur, super loco exhibeat per manus notarij & commissarij ad excipiendas conscribendasque possidentium professiones constituti.[4] In qua pensionis diuisione facienda, si negligentiores sint condiuisores, hactenus negligentiæ suæ pœnas luent, vt singulorum partes pro tota pensione interea velut pignoris iure capi possint.[5] Ita ex tempore tractatum est pro Illustri D. Carolo Emanuele de Seyssel Marchione d'Aix, contra N. Alexandrum Gallay, Idib. Decemb. 1592.

1 Dixi *Defin.* 10 *sup.* vide.

2 Qui tamen casus maiorem habet dubitationem, quoniam in rem agitur per hypothecariam, quæ indiuidua est, *l. rem hereditariam* 65. *D. de euict.* Sed hoc casu diuidua est, vt & in specie *l.* 1. *C. commun. de legat.*

3 Dixi *in dict. Defin.* 10. *num.* 7. & 8.

4 Aliud est in exhibitione illa oculari, quam dominus directus tenetur facere suis expensis, de qua diximus *Defin.* 18. 5.

5 Quandiu enim diuisio facta non est, ius canonis annui est indiuiduum, *l. communi* 7. *ff. commun. diuid.* Simile quiddam est *in l. tale pactum* 40. *§. post diuisionem, ff. de pact.* Vide Guid. Pap. *quæst.* 176. Manuer. *in sua praxi, tit. de locat. nu.* 18.

DEFINITIO XL.

Sola oblatio canonis annui facta in iudicio impedit moram.

Is, à quo annuæ pensationes per iudicem petitæ sunt pro fundo emphyteuticario,[1] si dicat paratum se soluere, nec tamen soluat, moram contrahere non videtur:[2] Ideoque nec condemnandus est ad æstimationem quanti plurimi,[3] nisi vel ad creditoris domum solutionem facere debuit,[4] vel creditorem, qui ad debitoris domum cum sacco venerat, verbali inanique oblatione eluserit.[5] Moram enim, quæ per iudicialem petitionem contraheretur, per iudicialem quoque oblationem non tam purgari quam impediri æquum est, cum de ea re agitur, quæ in ipso iudicio solui non potest,[6] & ad cuius solutionem facto aliquo ipsius creditoris opus sit, puta vt eat ad domum debitoris.[7] Nam si ex conuentione ad ipsius creditoris domum ire debitorem oportuit; aut si pecunia debita fuit, quæ solui vbique commode potest, sola oblatio in iudicio facta, moram non impediet.[8] Procedunt vero supradicta multo magis si creditor plus petebat quam sibi deberetur. Imputari namque minus potest debitori cur non soluerit, quandiu creditor non declarauit paratum se accipere quod oblatum fuit.[9] *Ita Senatus* in causa D. Antonij du Passier Senatoris meritissimi, tutoris liberorum D. Senatoris de la Chappelle, & N. Ioannis Antonij Bruni nunc magistri Computorum, 13. Calend. Ianuar. 1592.

1 Oblatio enim iudicialis magnam vim habet, quoniam ex ea statim potest sequi condemnatio, *l. si rem* 9. *§. vlt. ff. de pign. act.* Quamuis dici soleat non sufficere verba vbi facto est opus, nimirum ad acquirendam liberationem, quod difficilius est, quam vt mora impediatur.

2 Nam & ei qui fatetur se debere danda est dilatio ad soluendum, *l. si debitori* 21. *D. de iudic. l. si rem paratus* 73. *D. de procurat.*

3 Cui scilicet locum facit sola mora, *l. in re furtiua* 8. *§.* 1. *D. de cond. furtiu.* scripsi *Defin.* 22. 5.

4 Dixi *Defin.* 15. 5. vbi vide.

5 Non enim potest verbalis oblatio prodesse contra eum qui se quoque dicit paratum accipere. Bart. *in l. creditoris* 8. *D. de distr. pignor.*

6 Nec enim cum sacco nummario litigare debitor cogitur, vt statim & in ipso iudicio soluat, *l. quod dicimus* 105. *D. de solut.*

7 Cum enim facto creditoris opus est nulla potest intercedere mora debitoris antequam creditor fecerit, quod facere debuit. Vide Dec. *cons.* 2. vbi eleganter.

8 Satis enim dicit se paratum accipere is, qui solutionem in iudicio petit.

9 Nec enim mora fieri potest ei qui plus petit, *l. qui solidum* 78. *in princ. de legat.* 2.

BIU Cujas

DEFINITIO XLI.

Pacta inter contrahentes inita cum pars fundi emphyteuticarij alienaretur, an & quatenus noceant domino?

QVi fundum emphyteuticarium totum possidebat, partem eius vendidit & conuenit, vt totius canonis annui soluendi onus emptori incumberet. Valebit quidem inter emptorem & venditorem conuentio, vt ni emptor satisfaciat teneatur ex vendito.[1] Sed non idcirco prohibebitur directus dominus ius suum exequi aduersus venditorem, & petere, vt inter emptorem & venditorem oneris annui distributio fiat pro rata cuiusque fundi portione communibus possessorum expensis.[2] Cum in eius ignorantis præiudicium nihil ab emphyteuta fieri potuerit, siue iuris rationem spectes,[3] siue edictum Sereniss. Emanuelis Philiberti Ducis nostri, quod in eam rem nominatim factum est.[4] Sed & quod magis est, si emptor velit recedere, vt ab onere liberetur & suam fundi partem derelinquere, oblatis etiam reliquis (alioqui nec qui totum fundum derelinquere vult audiendus est,[5]) non aliter admitti debebit, quam si venditor quoque aliam eiusdem fundi partem dimittere paratus sit,[6] si modo totus fundus ab initio sub vna clausula totius canonis onus susceperit,[7] quoniam hac parte indiuiduum est ius domini, licet prohibere dominus non possit, quo minus canonis præstatio inter emptorem & venditorem diuidatur,[8] quia neque prohibere potest, quo minus venditor fundi partem distrahat, saluo laudimiorum iure.[9] *Ita Senatus* pro R.D. de Chauanes Æduo de S. Ioire, contra D. Senatorem du Passier & Ant. de Cloistre procuratorem, 10. Cal. Febr. 1593.

1 *L. epistolæ 52. §. pactum, D. de pact.*
2 Secundum ea quæ diximus *Defin. 39. §.*
3 *L. inter debitorem 42. D. de pact. l. 1. & tot. tit. Cod. sin. cens. vel reliq.*
4 De quo *in Defin. 9. §.* Vide Castrens. *in l. cum hi, §. si vni, D. de transact. num. 4.*
5 Secundum ea quæ dixi *Defin. 11. §.*
6 *Arg. l. tutor vrgentibus 47. D. de minor.*
7 Nam si ab initio diuisum fuit onus, aliud est, vt scripsi dicta *Defin. 11.*
8 Postquam redacta sunt feuda itemque emphyteuses ad instar patrimoniorum, vt scripsi *Defin. 8. §.*
9 *L. vlt. vbi notatur, C. hoc tit.*

DEFINITIO XLII.

Ex stipulatione domini directi an & quatenus actio acquiratur ecclesiæ, adeoque cuilibet donatario ad canonem emphyteuticarium à possessoribus singulis exigendum.

EVenit plerumque, vt iuris emphyteutici professio, & vt nostri loquuntur, recognitio fiat in vtilitatem domini directi, Canonis autem annui soluendi promissio alterius commodo cedat.[1] Quo casu placet ex domini directi stipulatione acquiri actionem alteri non posse.[2] nisi forte fauor piæ causæ interueniat, qui ius hoc elicere debeat.[3] Sed tamen non eo minus permittendum ei, cui stipulator acquiri[4] voluit, vt ex eius promissionis instrumento agat aduersus emphyteutas singulos,[5] quasi in rem suam procurator constitutus fuerit, hoc ipso quo instrumenta censualia à domino directo acceperit.[6] Facit enim ea res, vt pluris iuris habere debeat, quam qui solutionis tantum gratia obligationi adiectus est, quem constat accipere solutionem, non etiam exigere possit.[7] Neque tamen idcirco dominus directus ex ea stipulatione agere prohibebitur, cum & ei soli quæsita sit actio, & ipsius interest, vt ei soluatur, cui solui promissum est.[8] Nam & hoc sensu accipiendum est posse stipulari alteri, cum interest stipulatoris, nempe vt ex stipulatu agat stipulator ipse, non alius cui stipulatus fuit.[9] *Ita Senatus* pro fratribus Franciscanis Camberiens. ex tempore, 3. Calend. Februar. 1593. Et iterum in causa Francisci Gerlier & Francisci Falquet, Calend. Decemb. 1593.

1 Scilicet ita stipulante domino directo.
2 *L. stipulatio ista 38. §. alteri, & §. si stipuler. de verb. oblig.* iunct. *l. liber homo 118. in fin.*
3 Nemo enim nescit, quam multa in iure nostro & constituta & recepta sint fauore piæ causæ, de quo amplissimum tractatum edidit Andr. Tiraquell. quem inscripsit *de priuil. piæ causæ.*
4 Est enim ista haud dubie donatio, *l. donari 82. de reg. iur.* in qua singulari iure constitutum est, vt ex stipulatione donatoris acquiratur actio donatario, siue à priore donatario stipulatus sit donator, *vt in l. 3. C. de donat. quæ sub mod.* siue ab eo, qui ex alia quam donatoris causa stipulatoris fuerat obligatus. Bartol. & alij *ad l. qui Romæ 122. §. Flauius, de verb. oblig.*
6 Traditio enim instrumentorum habet vim mandati, *l. 1. C. de donat.*
7 *L. quod stipulatus 10. D. de solut cum similib.*
8 *d. l. liber homo 118. in fin. D. de verb. oblig.*
9 *d. l. stipulatio ista 38. §. alteri, eod.*

DEFINITIO XLIII.

Potest sententia lata contra priorem emphyteutam mandari executioni contra posteriorem, dummodo prius ad hoc vocatum.

SEntentia aduersus emphyteutam lata, qui postea rem alienauerit, non potest quidem mandari executioni contra nouum possessorem inauditum,[1] quia quę ex iudicato nascitur actio personalis est in factum,[2] nec proinde sequitur fundi possessorem,[3] sed si nouus hic possessor citetur, causam dicturus cur non aduersus se quoque pati debeat executionem, non male dominus egisse videbitur.[4] Itaque si fateatur se possidere nec quicquam aliud alleget, quod ius actoris imminuat, recte condemnabitur, vt sententiæ, licet aduersus alium redditæ executionem pati compellatur.[5] Nempe quia vtriusque condemnationis eadem causa est, cum nec alia ratio fuerit prioris emphyteutæ condemnandi, quam quia rem emphyteuticam possidebat.[6] Aliud ergo erit, si prior condemnatio personalis obligationis causam habuit.[7] Neque enim ex ea vllo modo agi potest aduersus alium quam condemnatum eiusve heredem.[8] *Ita Senatus* in eadem causa Franciscanorum Camber. 3. Cal. Febr. 1593.

1 *Vulg. l. de vnoquoque 47. ff. de re iudic. tot. tit. C. int. alios act. vel iudic. aliis non nocer.*
2 *l. actori 8. C. de rub. credit.*
3 *l. vltim. in fin. ff. de contrah. empt. l. 1. §. 1. si heres, ff. ad SC. Trebell.*
4 Ne alioqui diuersa ea melior sit conditio emptoris quam venditoris, contra *l. inuitus 156. §. plerumque, ff. de reg. iur.*
5 Nam & similiter dicimus exceptionem rei iudicatæ à persona venditoris transire in emptorem, licet non è conuerso, *l. si à te 9. §. Iulianus, ff. de except. rei iudic.* iunct. *l. si mater 11. §. penult. l. exceptio 28. eod. tit.*
6 Iuxta ea quæ scripsi *Defin. 8. §.*
7 Vt contingit quoties actio est personalis, quia qualis actio est, talis & solet esse obligatio, quæ actionem parit, *l. licet 43. §. ea obligatio, ff. de procurat.* Propriumque est actionum in rem, vt dentur contra non obligatum, *§. 1. Instit. de action.*
8 Quia personales obligationes, & actiones transeunt in heredem & vniuersalem successorem, non etiam in singularem, *l. vltim. C. de heredit. act. l. æris alieni 15. C. de donat.* Dixi *num. 3. §.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XLIV.

De priuilegio Sebusianorum pro feudis, quæ habent à Principe, & de eius interpretatione.

QVod priuilegium nobiles Sebusiani mei habent tam ex scripto, quam ex inueterata consuetudine, vt pro feudorum prouincialium acquisitione (iis exceptis quæ pendent à Marchionatu de Vilars) nulla debeant laudimia,[1] non facit, vt qui ab iis manumittuntur homines dediticiæ conditionis, quos talliabiles vocant, immunes sint ab onere præstandi tributi, quod vulgo Tot quot appellatur.[2] Ratio est euidens diuersitatis, quia per feudi venditionem non diminuitur ius retrofeudi, quod ad Principem spectat, sed vasalli & vtilis domini persona tantum mutatur.[3] At manumissione hominis sicut fit pauperior feudi dominus, qui hac ratione amittit hominem, & consequenter patrimonium diminuit,[4] ita retrofeudum quoque diminui necesse est.[5] Ac proinde fieret iniuria Principi, si non tantum eo nomine daretur illi quantum directo domino,[6] cui satis faueatur in eo quod inconsulto quoque Principe manumittendi serui atque ita diminuendi feudi potestatem habebat.[7] Nempe quod feuda, vt sæpius diximus, redacta hodie sint ad instar patrimoniorum.[8] *Ita tractatum est*, Idib. Febr. 1593.

1 Quod diuersum est in reliquis omnibus prouinciis ducatus Sabaudiæ, in quibus scilicet debentur laudimia ex venditione feudorum, nisi si qua sint priuilegiata.

2 Tributum est quod penditur Principi à talliabili manumisso, tantæ quantitatis quanta per eum præstita est domino directo ex comparatione bonorum, quæ talliabilis habuit tempore manumissionis.

3 Feudum enim ad quascunque manus perueniat, remanet semper de retrofeudo.

4 Vnde est, quod manumissionem alienationi comparamus, *l. obligari 9. §. 1. D. de auctor. tutor. l. vltim. Cod. de rebus alien. non alien.*

5 Nihil enim potest esse in retrofeudo, quod non prius sit in feudo, vt nomina ipsa demonstrant.

6 Ne alioqui sit in potestate vasalli diminuere ius domini feudalis ignorantis & inuiti, *l. 2. in fin. l. penult. & vlt. D. de noxal. act.*

7 Quod certe de summo iure feudorum fieri non posset: nam nec in emphyteusi simplici id liceret, *l. vlt. C. hoc tit.*

8 Dixi *Defin. 8. in princ. 5. & alibi sæpe.*

DEFINITIO XLV.

Peræquatio canonis annui diuiso fundo emphyteuticario fit non solum sumptibus possessorum, sed etiam pro modo bonitatis naturalis, non autem accidentalis, quæ superuenit.

CVm alienatio per partes & in diuersas personas fundo emphyteuticario peræquationem fieri necesse sit inter possessores omnes, vt sciatur quotam quisque partem debeat canonis annui, qui pro indiuiso primum fuerat constitutus, & quidem sumptibus possessorum non domini directi, quemadmodum supra diximus,[1] Quæri potest si, vt plerumque euenit, ex pluribus fundi partibus aliæ aliis sint meliores, an pro modo quantitatis & mensuræ diuisio illa canonis facienda sit, an potius pro bonitate & qualitate portionum? Et quidem si eo tempore quo diuidi fundus incipit ea peræquatio fiat, verius est bonitatis rationem habendam esse, ne alioqui afficiatur iniuria is, cui sterilior pars fundi obtigerit, si parem subeat oneris portionem.[2] Sed & si post multum temporis à die diuisi inter possessores fundi peræquatio canonis fiat, nec sciri amplius possit quænam fuerit singularum portionum bonitas eo tempore, quo fundus ille pluriū esse cœpit,[3] æquum non est eos, qui in excolendis propriis portionibus diligentiores fuerint, easque longo labore ac multis forsitan expensis meliores reddiderint, ex aliorum negligentia onerari.[4] Potiusque in dubio præsumendum est fuisse fundum sibi ab initio vbique similem, & æque bonum.[5] Proinde pro rata quantitatis non bonitatis præstatio canonis diuidetur. Plane si appareat alias partes fundi aliis esse naturaliter meliores, bonitatis naturalis ratio semper habenda erit, vt in hoc differat naturalis bonitas ab accidentali & superuenienti.[6] *Ita Senatus* in causa N Iani Pensabin, & Ludouicæ Pobel, viduæ Nobilis de Leydier, 8. Calend. Mart. 1593.

1 *Denn. 10. & 79. 5.*

2 Etsi enim non tam pro fructibus solet præstari canon hic annuus, quam in recognitionem dominij directi, solent tamen prædia emphyteuticaria, quo meliora sunt & fructuosiora, eo maiore canone onerari.

3 Mutatur enim & bonitas rerum & bonitatis æstimatio pro temporum varietate, *l. bonitatis 13. D. de euict. l. pretia rerum 63. D. ad leg. Falcid.*

4 Non enim debent melioris conditionis esse negligentes quam diligentes, *l. non enim 16. D. ex quib. caus. maior. l. pupillus 24. in fin. D. quæ in fraud. credit.* nec stulti quam periti, *l. 4. D. quod vi aut clam.*

5 Siquidem quod est ex accidenti nunquam præsumitur, *l. 1. §. 1. de tutel.* ex accidenti autem est, vt fundus fiat melior aut deterior, nisi cum naturalis status & habitus fundi ita fert *l. 2. l. quisquis 6. & seq. C. de omni agro deser. lib. 11. tit. 58.*

6 Vide Bart. *in l. si partem 25. D. de seruit. rustic. præd.*

DEFINITIO XLVI.

Ad fructuarium laudimia pertinent, ius tamen inuestiendi ad proprietarium.

LAudimia quidem, si qua durante vsufructu obueniant, ad fructuarium pertinent. Sunt enim in fructu directi dominij,[1] licet aliud sit in commissis, si proprietas ipsa ex causa aliqua committatur, & dominium vtile cum directo consolidetur.[2] Sed an idcirco nouum emptorem laudare, vt loquuntur, & inuestire vsufructuarius debeat, quæstionis esse potest. Quasi per vsusfructus traditionem videatur habuisse à proprietario mandatum[3] exequendi omnia illa, quæ ad causam vsusfructus pertinent. Verùm probabilius visum est ad proprietarium eam rem non ad fructuarium spectare,[4] quia fructuarius dominus non est:[5] nec quicquam prohibet quo minus vni laudimia soluantur, & tamen ab alio inuestitura accipiatur, licet verum sit laudimia non nisi ob inuestituram deberi.[6] *Ita Senatus* in causa Dominæ du Four & Isabellæ Scarron, viduæ Andreæ Pignier Medici, 9. Cal. Mart. 1593. Quamuis non fuerit pronuuciatum propter sopitam transactione controuersiam.

1 Iul. Clar. *lib. 4. sentent. §. emphyteusis, quæst. 23. num. 5.*

2 Guid. Pap. *quæst. 477.* Oldrad. *cons. 240.*

3 Est enim vsufructuarius quodammodo procurator proprietarij, sicut creditor pignoratitius dicitur quasi debitoris procurator in re pignorata, *l. si pignori 29. in fin. D. de pign. act.*

4 Non enim alius potest vtile dominium transferre, aut ab alio translatum laudare, quam qui dominus directus est, *l. vlt. vbi not. C. hoc tit.*

5 Est enim separata causa vsusfructus & proprietatis, adeoque possessionis, *l. penult. D. de acquir. possess.* cum nec re sua vti frui quisquam possit, *l. vtifrui 5. D. si vsusfr. petat.*

6 Quia hoc casu laudimia soluuntur ex voluntate domini directi à quo inuestitura accipitur, *arg. l. si seruus 91. §. locaui, D. de furt.* Iunge *l. falsum 43. §. vlt. eod. l. si quis mihi 25. D. de acqu. hered. l. aditio 45. §. præterea, eod.* Guid. Pap. *quæst. 477.*

DEFINITIO XLVII.

Plus iuris habet heres grauatus de restituenda post mortem suam hereditate, quam fructuarius hereditatis.

BIU Cujas

EIus, qui heres institutus est, & rogatus hereditatem post mortem suam restituere, longe dissimilis ratio est, nec bene fructuario comparatur, quia cum vere sit heres[1] consequenter est dominus. [2] Proinde non tantum laudimia ei acquiruntur, sed etiam commissa & obuentiones cæteræ, ad eumque ius pertinet laudandi & inuestiendi noui emptoris. [3] Plane sicut hereditatem restituere rogatus est, ita & ea omnia reddere debet, quæ occasione hereditatis habuit, nisi quæ sunt in fructu. [4] Ita fit, vt vi ipsa non multo plus iuris habeat, quam fructuarius, cum & hic quoque in cæteris omnibus habeat vsumfructum. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec enim restitutio hereditatis facit vt heres non maneat, qui semel fuit, §. *Institutus, Instit. de fideic. hered.*

2 Veteres enim heredem pro domino dicebant, §. *vlt. Inst. de hered. qualit. & differ.*

3 Cum hæc omnia pertineant ad causam dominij & proprietatis, vt diximus *Defin. præced.*

4 Ratio est *in l. in fideicommissaria* 18. *vers. quoties, D. ad SC. Trebell.*

5 Scripsi *Defin. 5. 5. de vsufr.*

DEFINITIO XLVIII.

Ius prælationis datum domino directo in re emphyteuticaria moribus nostris abrogatum est, & quas ob causas, sed postea restitutum.

IVs prælationis, quod ex Iustineanea constitutione[1] directo domino competit in re emphyteuticaria, moribus nostris abrogatum est. Et merito. Nam nec dominus ipse in exigendis laudimiis communi iure vtitur, cum pro quinquagesima parte pretij, quæ ab emptore pro inuestitura deberetur, soleant domini directi exigere, vt plurimum sextantem, alij quadrantem, plerique trientem, nonnulli etiam semissem. [2] Et vero ita posito iure, vt dominis directis saltuum & integrum esset ius prælationis, non haberet homo ingenuus liberam rerum suarum alienationem. [3] Cum perpauci apud nos fundi reperiantur, qui non sint emphyteuticarij, & facile eueniret, vt dominis directis hoc prælationis iure vtentibus, omnia acquirerentur. [4] Quod non perinde dici tum poterat, cum Iustiniani lex hac de re lata est. Noua enim contractus species erat emphyteusis, vixque adhuc certain à Zenone formam & naturam acceperat, [5] cum dubitaretur inter veteres, an emptio esset, an locatio. [6] Nec proinde tam frequenter accidebat, vt de feudi emphyteuticarij conditione ageretur, quam hodie accidit. Abrogatum autem esse ius hoc prælationis, [7] vel ex eo maxime apparet, quod, quæ alias fuit inducendi eius causa, nunc sublata est. Proficiscebatur enim ex eo, quod nec venditio nec alienatio rei emphyteuticæ fieri poterat irrequisito domino, cuius consensus necessario exquirendus erat priusquam ad alienationem deueniretur: alioqui si id factum non esset, cadebat emphyteuta à iure suo. [8] Nam secuta venditione & alienatione nusquam caurum reperias, vt liceat domino vti iure prælationis, & emptori rem auferre pretio ipsi restituto. Ius enim ablationis dicendum illud fuisset, non prælationis. [9] Ergo domini ius hac parte illud fuit, vt eo irrequisito alienari emphyteusis non posset. [10] Et consequenter, vt tum cum requireretur, dominus posset ipse emere si vellet, [11] id est, ante factam venditionem. Re enim iam alterius facta perfectaque vtiliter emptione, fieri non potuisset, vt res inuito emptori auferretur. [12] Atqui hodie non solum emphyteuses, sed feuda quoque ipsa redacta sunt ad instar patrimoniorũ, vt de iis pro arbitrio disponere domini vtiles possint tam inter viuos quã in vltima volũtate, perinde, ac quilibet de bonis suis allodialibus. [13] Nec quicquam aliud edictis Diui Emanuelis Philiberti Principis nostri faciendum emptori iniungitur ad euitandam commissi pœnam, nisi vt postquam feudum emphyteuticarium acquisierit testationem de ea re conscribat apud acta, vt scire dominus possit, quænam & à quo laudimia exigere debeat. [14] Potest igitur venditor irrequisito domino vendere citra metum commissi, [15] nec ipsi domino rem offerre cogitur, aut ei denunciare, quod paratus ipse sit vendere. Et quod olim venditori onus erat iniunctum, vt priusquam venderet exquireret domini voluntatem, [16] id hodie translatum est in emptorem, vt emptione facta; non quidem exquirat domini voluntatem, vtrum ratam venditionem habere velit (inuitus enim cogitur[17]) sed ei denunciet perfectam emptionem, vt habeat dominus laudimia, quæ in præmium laudati & approbati acquisitoris debentur, & in signum, vt aiunt, ac recognitionem dominij directi, [18] licet ea laudatio & approbatio vel ab inuito extorqueatur. [19] Ac sane si ius prælationis obtineret, vix quisquam reperiretur, qui ad rei emphyteuticariæ emptionem vellet accedere, alteri quippe, id est, domino directo potius quam sibi mercaturus: [20] Solent enim homines proprij tantum, non etiam alieni compendij causa negotiari, præsertim cum vendendo aut emendo tractant de quantitate pretij. [21] Itaque dominum, qui hoc prælationis iure nitebatur, quasi nullam litiganti iustam causam habuisset, non solum à petitione sua repellendum, sed etiam in omnes litis sumptus condemnandum esse placuit. [22] *Ex tempore* in publico auditorio, 7. Id. Mart. 1593. pro Paulo Arbellot Burgensi, contra Dominam du Saix. Postea tamen deliberatum vidi de huiusmodi prælationis iure dominis directis per edictum Principis restituendo. Et puto fore vt breui restituatur. Et restitutum tandem est edicto quod publicatum fuit anno 1606. quo & alia pleraque constituta sunt circa ius emphyteuticum fauore dominorum, & ad emphyteutarum fraudes ac tergiuersationes comprimendas.

1 *L. vlt. C. hoc tit.* Obserua tamen, ius hoc datum esse domino, vt eo vtatur pro seipso, non etiam pro amico. Guid. Pap. *quæst.* 411. *ex l. vlt. §. sed ne hac occasione, in fin. C. hoc tit. & Nouell. vlt. vt de cæter. non fiant commutat.*

2 Cum quo commodo debent compensare incommodum & iacturam istam iuris prælationis, *arg. l. eum qui* 30. *D. de iurei iur. l. 1. §. vlt. de aqua & aqu. pluu. arcend.*

3 Quod indignum & iniquum esset, *l. 2. D. si à parent. quis manum sit. l. dudum* 14. *C. de contrah. empt. l. quæ ratione 9. §. hæ quoque, & Dide acq. rer. domin.*

4 Hoc vero non solum à publica, sed etiam à priuata dominorum directorum vtilitate alienum est.

5 *In l. 1. C. hoc tit.*

6 *§. adeo, Inst. de locat.*

7 De quo attestatur Purpur. ad Ias. *in dict. l. vlt. num. 10. hoc tit.* Tessaur. *decis. 169. num. 2.* Ant. Sola *ad cap. rempublicam, gloss. 2. part. 1. num. 10.*

8 *d. l. vlt. C. hoc tit.*

9 *Arg. l. penult. D. de seru. export.*

10 *d. l. vlt. C. hoc tit.*

11 Nec enim aliam ob causam requiritur consensus eius, nisi vt possit emere si velit, *d. l. vlt.* Et ideo placet valere donationem rei emphyteuticæ, etiam irrequisito domino, quia in donatione ius prælationis habere locum non potest, Guid. Pap. *quæst. 47.*

12 *Vulg. l. id quod nostrum 11. D. de reg. iur.*

13 Ioan. Faber *in §. adeo, Instit. de locat.* Guid. Pap. *quæst. 59.*

14 Ne alioqui per priuatas & clandestinas alienationes facile sit fraudem facere domino directo, *argum. l. data 27. C. de donat.*

15 Possunt enim etiam leges scripturæ abrogari per desuetudinem, *l. de quibus 32. vbi not. D. de legib.*

16 Iuxta constitutionem Iustiniani *in d. l. vlt. C. hoc tit.*

17 Nec potest dominus feudi vel emphyteuseos impedire alienationem, ne fiat, in quem vasallus aut emphyteuta velit.

18 *Notæ.*

BIU Cujas

18 *Notad. in d. l. vlt.* Inde est, quod ius prælationis non habet locum de iure in casibus, in quibus laudimia non debentur. Guid. Pap. *quæst.* 48. *num.* 2.

19 Nec enim nouum est, vt quis cogatur consentire ei, quod alius fecerit, *l. si ego* 9. *§. si res. D. de iur. dot.* nec rursum vt quis commodum aliquod sentiat etiam ex eo quod inuitus fecerit, *l. qui ex causa* 29. *de bon. libert.*

20 Et si non semper ratio hæc impedit ius prælationis, vt constat *ex l. cum bona* 16. *D. de reb. auctor. iudic. possid. l. alias l.* 1. *de priuileg. credit.* Posset tamen emphyteuta rem vendere sub ea conditione, si dominus directus laudare voluerit, atque ita impedire, ne possit dominus rem capere iure prælationis. Guid. Pap. *d. quæst.* 47. post Bart. *in l. quod sæpe, §. si quis amico, D. de contrab. empt.*

21 *L. si voluntate* 8. *C. de rescind. vendit. l. in causæ* 16. *§. idem Pomponius, D. de minor.*

22 *Ex l. eum quem temere* 78. *de iudic.* iunct. notatis *in l. qui sortitam* 78. *§. etiam de legat.* 2.

DEFINITIO XLIX.

Casus, in quibus dominus directus etiam ex ratione iuris nullum habet ius prælationis.

DE illo certe nullo modo dubitari poterat, quin iustinianeæ constitutioni [1] locus nullus esse posset, si dominus vtilis fundum emphyteuticarium vendidisset, impetrata prius à domino directo licentia vendendi. [2] Siue pacto in eam rem expresso, [3] siue tacito, multo minus si cogente magistratus imperio publice facta venditio esset. Aut denique si contraria, vt apud nos consuetudo inualuisset. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *In d. l. vlt. C. hoc tit.*

2 *L. quoties ab omnibus* 11. *C. de fideicomm.*

3 Socin. Iun. *consil.* 70. *vol.* 1.

4 Tessaur. *decis.* 169. Adde Guid. Pap. *quæst.* 48. vbi enumerat casus, in quibus ius prælationis locum non habet, quia nec laudimia debentur.

DEFINITIO L.

Venditio etiam vno nummo facta valet ad euitandam pœnam incapacitatis, quia & donatio valeret.

CVm tenendæ emphyteuseos incapax possessor iubetur alium possessorem constituere morientem, vt dicunt, & confiscantem, aut incapacitatis suæ pœnam pendere (Gallis est *amortiser*) satisfacit legi aut iudicato si vel vno nummo vendat alteri, dummodo capaci: nec audiendus est dominus directus si ex ea modicitate pretij aliisve coniecturis simulatam & imaginariam venditionem esse dicat, [2] cum nihil eius intersit, si modo ex persona noui possessoris qualiscunque ille sit iura sua, quæ pro emphyteusi habet, salua retineat. [3] Quantumuis enim simulata & imaginaria esset venditio, [4] perinde tamen in omnibus persona supposititi emptoris inspiceretur siue moreretur ille, siue confiscationis causam præberet, acsi alienatio vera fuisset, [5] atque ita legi nulla fraus fieret. Neque vero nouum est vt vno nummo fiat venditio, quoties fit ex necessitate & vt subtilitati iuris pareatur. [6] Nec ad rem pertinet quod donationis instar habeat venditio aut donatio quæ fit vno nummo. [7] Nam & in proposito satisfeciisset legi aut iudicato possessor incapax, si alteri capaci donasset. [8] Proinde nec potest causari dominus sua interesse quod venditio vno nummo facta sit prætextu laudimiorum, [9] quia & donare potuit, qui vendidit, [10] & multo igitur magis minori pretio vendere. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De quo Paponius *in syntagm. Arest. tit. d' Amortisations.*

2 *Arg. l. si quis conduxerit* 46. *D. locat.*

3 Nam nec alia causa est istius, vt vocant, amortizationis.

4 Quæ tamen non potest dici imaginaria precio aliquo accedente. *l. imaginaria* 16. *de reg. iur.*

5 Nec enim posset venditor obiicere simulationem, quam ipse fecisset, *arg. l. si plures* 36. *in fin. ff. de admin. tut. l. rem alienam* 91. *in fin. ff. de pign. act.*

6 Nam & idem euenit in specie, *l. si ususfructus* 66. *ff. de iur. dot.*

7 *dict. l. si quis conduxerit* 46. *locat. l. si quis donationis* 38. *D. de contr. empt.*

8 Cum per donationem æque ac per venditionem dominium transferatur, *l. portionem* 12. *l. si ea* 23. *& pass. C. de donat. l. numquam nuda* 31. *ff. de acquir. rer. domin.*

9 Quæ scilicet debentur ex comparatione pretij, *l. vltim. C. hoc tit.*

10 Quamuis non sit hoc perpetuum, *l. filiusfamilias* 7. *ff. de donat. l. cuius est* 163. *de reg. iur.*

11 *d. l. si quis donationis.*

DEFINITIO LI.

Dominus directus non tenetur de euictione nisi ad pretij restitutionem, præterquam si fuerit in dolo.

SI quando emphyteuticaria re euicta dominus directus de euictione conueniatur, non ad aliud condemnandus est quam vt acceptam pecuniam restituat. [1] Nam cum emphyteusis speciem quandam habeat beneficij, [2] æquum sane est mitius agi cum domino directo, [3] si modò non fuerit in dolo. [4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 12. infr. De euict.

1 Non etiam vt præstet id quod interest, quod tamen præstari solet ex causa euictionis. *l. si in venditione* 60. *D. de euict. l. si ob causam* 13. *Cod. eod.* Iaſ. *in l.* 1. *C. hoc tit. arg. l. vlt. §. vlt. C. comm. de legat.*

2 Quia vili mercede dominus dat rem suam alij in perpetuum fruendam, *l. si ager vectig. l.* 1. *C. hoc tit.* Idque multo magis de feudo dici potest. Nam nec feudi nomen nihil aliud nisi beneficium significat, vetere lingua Longobardorum.

3 Ne ex liberalitate sua periclitetur, *arg. l. ne liberalitate* 50. *D. de re iudic. l. si extraneus* 33. *D. de iur. dot.*

4 *l.* 1. *C. eod. tit. de iur. dot.* Beneficio enim iuuari nos oportet non decipi, *l. in commodato* 17. *§.* 1. *vers. idemque, D. commod.*

DEFINITIO LII.

Emphyteuta non potest expelli ob id quod male re vtatur, sed cogi potest vt vel bene vtatur, vel rem derelinquat.

NOn est idonea petendæ in integrum restitutionis causa ad rescindendum contractum emphyteuticum, quod emphyteuta male re vtatur, licet ex ea causa simplex locatio resolueretur. Plus enim iuris habet, qui perpetua quam qui temporali nititur conductione, [2] cum fiat hic dominus vtilis, [3] ille non item. [4] Sane domino directo paratum est in eam rem aduersus emphyteutam iuris communis auxilium vt conuentionibus satisfacere compellatur, [5] hoc est, vt vel tanquam bonus paterfamilias vtatur re emphyteuticaria, [6] vel à contractu discedatur. [7] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, contra D. Abbatem de Sixt. prid. Cal. Iul. 1593.

1 *l. æde* 3. *C. de locat.*

2 Emphyteuta autem perpetuus conductor est, & plus quam conductor, quia & quodammodo socius est, *§. adeo. Inst. de locato*, & dominus vtilis, *vt sequitur in Defin.*

3 Secundum interpretes, qui duplex dominium agnoscunt, directum & vtile. Nos enim hanc distinctionem improbauimus *lib.* 20. *Coniect.*

4 *l. non solet* 39. *D. locat.*

5 *l.* 1. *C. hoc tit.*

6 Nemini enim permittendum est vt re aliqua etiam quæ sua sit abutatur, *§.* 1. *Inst. de his qui sui vel alien. iur.*

7 *Argum. l. cum te* 6. *& l. vltim. Cod. de pact. inter empt. & vend.*

BIU Cujas

DEFINITIO LIII.

Emphyteusis ecclesiastica non potest rescindi prætextu nullitatis ob non seruatas solemnitates, maxime post longissimum tempus, nisi probata læsione.

ADuersus emphyteuticos contractus restitui ecclesia non potest, præsertim post longissimum tempus,[1] ex eo solo quod non seruatis solemnitatibus in rerum ecclesiarum alienatione necessariis emphyteusis data sit,[2] si non læsio aliqua, nec ea quidem minima interuenisse proponatur.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Magna enim vis est longissimi temporis ad confirmanda etiam ea, quæ ab initio non valuerunt, *arg. l. si cum fideicommissa 16. §. Aristo. D. qui & à quibus manum. l. 3. & 4. C. de præscr. 30. annor.*

2 Quamuis non minus emphyteusis quam alia quælibet alienatio rerum ecclesiasticarum sit interdicta, *§. emphyteusim. Nouell. 7. de non alien. aut permut. l. vltim. Cod. de rebus alien. non alien.*

3 Scripsi *Defin. 6. & 7. §. in tit. de reb. alien. non alienand.*

DEFINITIO LIV.

Quantum interesit an onus aliquod annuum debeatur ab habitatoribus certi loci iure subiectionis, an ratione foci?

ANnua illa pensitatio, quæ in plerisque locis ratione foci debetur, à forensibus quoque & aduenis in eo territorio habitantibus, & focum siue coniunctim cum aliquo ex municipibus & oriundis, siue separatim facientibus debetur,[1] secus si ratione subiectionis tantum & iurisdictionis, quam dominus habeat super hominibus & feudis suis, ea præstatio debeatur. Tunc enim non alius tenetur, quam qui aut subditus esse, aut in feudo lares fouere probatur.[2] In dubio autem si de præstationis causa non appareat iurisdictionis & subiectionis iure potius quam foci ratione impositum onus intelligendum erit.[3] Quid ergo, si ex censualium instrumentorum lectione causa non appareat, sed per testes probetur? Nihil prohibebit quod instrumentis deest ex testationibus suppleri.[4] Adeo vt nec eo minus condemnari possit vt soluat, qui nouus est aduena,[5] quamuis melius hoc casu iudex facturus videatur, si manuteneat dominum in possessione exigendi & percipiendi annuas illas pensitationes ab eo, qui non est obligatus, vt sententia in rem potius quam in personam concipiatur.[6] Si tamen vel vna ex recognitionibus quæ toto volumine continentur exprimat causam, propter quam annuum illud debeatur, non improbabilis coniectura capietur cæteras quoque recognitiones, quibus eadem & vniformis præstatio promissa sit, eandem etiam causam habere.[7] Maxime vero si in cæteris causa expressa fuerit his verbis vulgaribus, *pro vsagiis*, quæ hunc sensum habent, pro eo, quod recognoscens vtitur rebus & bonis in eo territorio existentibus, permittente & patiente domino territorij. Vtitur enim quilibet idcirco, quod in eo territorio focum facit.[8] Itaque iis verbis additis, perinde est, ac si scriptum esset, deberi pensitationem ratione foci.[9] *Ita Senatus* in causa Petri Guilliet, & R. Stephani De la Couz Camerarij de S. Rambert. 14. Calen. Septemb. 1593.

1 Quia debetur ratione foci & territorij, & consequenter obligat omnes focum facientes in illo territorio, *l. 4. §. is vero, de censib.*

2 Vt nimirum limitata causa limitatum producat effectum, *vulg. l. in agris 16. D. de acquir. rer. dom.*

3 Est enim actus iurisdictionis, aliquid exigere à priuatis, *c. 1. quæ sint regal.*

4 Par enim fides est testium & instrumentorum, nisi cum lex nominatim requirit probationem, quæ fiat per scripturam, *l. 1. D. de fid. instrument.* iunct. *l. testium facilitatem 18. Cod. de testib.*

5 Quasi obligatio hoc casu ex re ipsa proficiscatur propter priuilegium in eam rem specialiter datum, *arg. l. libertus 17. §. sola ratio. D. ad municip. & de incol.*

6 Condemnatio enim præsupponit obligationem, quam non præsupponit actio in rem, *§. 1. Instit. de action.*

7 Quorum enim idem effectus est, eandem quoque causam esse præsumi oportet, cum effectus pendeat à sua causa, *l. 4. in fin. D. de testam. tutel.*

8 Semper enim æquum est, & secundum naturam eius rei sentire quem incommoda, cuius & sentit commoda, *vulg. l. secundum naturam 10. de reg. iur. l. 1. §. vltim. de aqua & aquæ pluu. arcend.*

9 Parum enim curatur conceptio verborum, si constet de re & de eo quod actum fuit inter contrahentes, *l. semper in stipulationibus 34. de reg. iur.*

DEFINITIO LV.

Laudimia non debentur pro dote, sed tamen debentur pro fundo dato in solutum ex causa dotis pecuniariæ.

IN dotem fundo dato licet ex ea causa dominium saltem bonitarium transferatur in maritum,[1] nulla tamen eo nomine laudimia directo domino debentur. Idque statuto nostro nominatim cautum est, siue quod ea alienatio sit necessaria perinde ac necesse est matrimonia contrahi ad replendam liberis ciuitatem,[2] ex alienatione autem necessaria nulla debeantur laudimia, quia nec domini directi voluntas exquirenda est an alienationem pati velit,[3] quæ causam habeat necessariam,[4] siue quia dos marito data sic in bonis eius fiat, vt tamen sit maneatque mulieris,[5] maxime post Iustiniani constitutionem, qua factum est vt sibi semper tacite stipulata videatur mulier, sibi suisque heredibus dotem soluto matrimonio reddi, ex eáque tacita stipulatione maritus eiusve heres ad restitutionem sit obligatus.[6] Sed si cum dos promissa esset in pecunia numerata fundus postea in solutum datus fuerit, licet constante matrimonio, haud dubie laudimia debebuntur, quoniam nouus contractus est dationis in solutum,[8] emptioni cum in cæteris fere omnibus simillimus,[9] tum in eo maxime, quod ex eo æque ac ex emptione laudimia præstantur.[10] Nec ad rem pertinet quod ob causam dotis, quæ, vt diximus, necessaria est, ea datio in solutum facta sit.[11] Neque enim similiter dici potest, fuisse necesse vt dos, quæ in pecunia solui debuerat, in hoc fundo solueretur.[12] Itaque plane voluntarium illud fuit, quod hic fundus pro pecunia solutus est.[13] *Ita tractatum est* in causa Guilielmi le Marquis, die Nouemb. 1593.

1 *L. quamuis 75. D. de iur. dot. l. dote 9. Cod. de rei vindicat. §. 1. Instit. quibus alien. licet.* Guid. Papæ *quæst. 48. numer. 2.* & ibid. Ranchin. *in annot.* Et ibid. num. 13. addatur. Adde alios omnes casus, in quibus laudimia nulla debentur. Guid. Pap. *quæst. 48. num. 2.* vbi ait, iisdem casibus nullum competere ius prælationis.

2 *L. 1. D. solut. matr. Auth. res quæ C. com. de leg. l. hoc modo 64. in fin. de cond. & demonstr.*

3 Quæ tamen res potissimum inducunt laudimiorum præstandorum obligationem, *l. vlt. vbi not. C. hoc tit.*

4 Necessitas enim semper facit licitum, quod alioquin esset illicitum, *l. alienationes 13. D. famil. ercisc. l. minorum 6. C. de præd. minor. l. 3. C. de locat. l. qui propter necessitatem 165.* vbi Goth. & alij, *De reg. iur. c. quod non est. Extr. eod.*

5 *d. l. quamuis l. si constante 24. §. si maritus D. solut. matr. l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

6 *in l. vnic. §. 1. & pass. C. de rei vxor. action.*

7 Nihil

7 Nihil enim vetat ei cui debetur pecunia dari fundum in solutum si consentiat. *l.manifesti 17.cum præced.C.de solut.*

8 Et differt à contractu dotis, quia dos datur marito nomine mulieris, datio autem in solutum dotis pecuniariæ fit fauore solius mariti.

9 *L.si prædium 4.Cod.de euict. l.1. Cod.si antiqu. credit.pignor. vendit.*

10 Quia per dationem in solutum transfertur dominium, & persona domini vtilis mutatur non minus quam per venditionem, *l.si non sortem 26.§.si centum.ff.de condict.indeb.*

11 Quamuis videatur nec fundus subrogatus in locum pecuniariæ.

12 Non enim poterat adigi ad hoc mulier, at neque maritus, vt fundum acciperet in solutum pro pecunia, *l.eum à quo 16.C.de solut.*

13 Modern. post Baldum, quem citat *in consuet. Paris. §.22 numer.28.*

DEFINITIO LVI.

Emphyteuta, qui rem alienauit etiam sine dolo, non prius absoluendus est quam indicauerit possessorem, qui sit condemnatus.

EX stipulatione, quæ pro canonis emphyteuticarij solutione annua interponitur, personalis quidem nascitur actio contra promissorem [1] & eius heredes, [2] sed non nisi ratione rei quæ emphyteuticaria est & præstandi canonis onere affecta. [3] Itaque ea re alienata, si nihil dolo malo per promissorem factum sit, [4] non potest ille eiusve hæres ex stipulatione conueniri, [5] nisi hactenus vt iudicio præsentem sistat emptorem, aliumve nouum possessorem, cuius æque facilis & expedita futura sit condemnatio. Proinde non prius debebit absolui, quam nouus ille possessor [6] & vocatus sit in ius, & condemnatus. [7] Ex tempore in causa D.de Poypon & de S.Paul, 8.Calend.Febr.1594.

1 *L.1.de oblig.& act.l.1.& pass.de verb.oblig.*

2 *L.vlt.C.de hered.act.& vulg.*

3 Non quasi nascatur hæc actio & obligatio ex re ipsa, sed quia nascitur propter rem, quod longe diuersum est, *l.eo tempore 50.in fin.D.de pecul.l.1.§.nunc videamus 14.in fin.D.de coniung. cum emancip.liber. eius.*

4 Nam si dolus interuenisset is pro possessione esset, *l.qui dolo 131.de regul.iur.*

5 Quamuis alioqui regulare sit vt nemo exuat se obligatione personali ob id solum, quod se bonis exuat, *l.1.& pass. C.qui bon.ceder.poss.l.vlt.in fin.D.quæ in fraud.cred.*

6 Quem ideo iudicare ipse, aut ipsius hæres semper cogitur, scripsi *Defin.18.3.*

7 Quod vbi factum est, iam nihil interest domini directi eiusdemque stipulatoris, qui ex statuto Sabaudiæ actionem habet etiam personalem contra possessorem. Vide quæ scripsi *Defin.7.supr.num.13.*

DEFINITIO LVII.

Domino directo commissum petenti ob non solutionem laudimiorum laudimia adiudicari possunt.

SI ob non soluta laudimia directus dominus commissum esse dicat aduersus legem emphyteusi dictam, petatque ex ea causa vtilis dominij cum directo consolidationem, iudex tamen subesse videat rationem aliquam, propter quam parcendum sit cunctationi emphyteutæ, [1] non male iudicabit, nec vltra petita, [2] si emphyteutam condemnet ad laudimiorum solutionem. Qui enim rem ipsam petit pro non solutis laudimiis, multo magis laudimia ipsa petere censendus est, in eum saltem casum quo ipsius rei adiudicationem consequi non possit, [3] quomodo dicimus posse non male prouisionalem sententiam ferri pro eo, qui diffinitiuam vrgebat. [4] *Ita Senatus* ex tempore, 4. Calend.Febr.1594.

1 Non enim omnis cunctatio moræ adscribendæ est, *l.sciendum 21.& seq.de vsur.* multo minus dolo: sine quo tamen vix vnquam fit locus commisso cum sit quid pœnale, *l.commissa 14. iunct.l.Imperatores 7.§.1.de public.& vectig.*

2 Quod cauere semper bonus iudex debet, *l.vltim. C.de fideic.libert.*

3 Nam nec nouum est vt quod non est in petitione sit tamen in præstatione ad euitandam pœnam, *l.1.§.item si ita, D.ad leg.Falcid.l.cum sine, 19.l.si penum 24.D.quand dies leg.ced.*

4 Qui enim petit quod plus est, vtique petit etiam quod est minus, *l.qui solidum 78.in princ.de leg.2. l.in toto 113. de regul. iur.* [Idem est etiamsi commissum petatur ob non factam inscriptionem acquisitionis, ex edicto de quo *Definit.74.infr.* Nam nec facile ex hac causa solet Senatus commissum adiudicare, sed pro commisso laudimia, si non euidens dolus & calumnia acquisitoris detegatur. *Ita Senatus* ex tempore, contra N. Violon D. de la Peisse, pro Peissard Necensi, die 22.Iunij 1614.

DEFINITIO LVIII.

Si conuenerit vt ex pignoribus dentur in solutum ea, quæ creditor elegerat, debentur laudimia inspecto tempore secutæ electionis non conuentionis.

CReditore pignorum distractionem publicam persequente, priusquam tamen secuta esset addictio [1] conuenerat inter debitorem & creditorem, vt eligeret creditor ex bonis pignori captis quænam in solutum accipere mallet ad concurrentem vsque debiti quantitatem. Secuta postmodum electione debebuntur laudimia, sed illi qui eo tempore fuerit directus dominus aut ab eo causam habens, non illi qui fuit tempore contractus. [2] Nam cum non nisi ob translatum dominium debeantur, [3] apparet translationem non tunc factam esse cum eligendi potestas data, sed cum electio secuta fuit: [4] vel maxime propter incertitudinem bonorum eligendorum, quæ incertitudo impedire solet acquisitionem dominij, eo quoque casu quo alioquin ipso iure fieret eiusmodi acquisitio. [5] Nec simile est quod supra scripsimus, [6] bonis sub hasta venditis elapsoque semestri, quod redimendis iis præstitutum est, laudimia deberi ei qui dominus sit adiectionis & expeditionis tempore, non ei qui tunc cum semestre præteriit. Id enim fit, quia per addictionem illam dominium statim & pure, licet non irreuocabiliter translatum intelligitur. [7] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 4.Calend.Februar. 1594.

1 Quam statutum nostrum vocat expeditionem.

2 Quamuis dici soleat spectandam esse originem, vt in casu de quo scripsi *Defin.30.supr.*

3 *L.vlt.vbi not.C.hoc tit.*

4 *Arg.l.vnum ex familia 67.in princ.de leg.2.l.apud Ausidium 20.& pass.de option.legat.*

5 Ex notat.per Bart.*in l.non amplius 26.§.vlt.de leg.1.*

6 *dict.Defin.30.3.hoc tit.*

7 Adeo vt ex ea dominij acquisitione etiam fructuum acquisitio sequatur, vt dixi *in dict.Defin.30.*

DEFINITIO LIX.

Dominus directus præfertur omnibus non tantum in feudo emphyteuticario, sed etiam in cæteris bonis emphyteutæ, si sint ei obligata.

CVm inter creditores de ordine & iure prælationis contenditur, placet dominum directum petentem reliqua pensitationum annuarum ex causa emphyteuticaria debitarum cæteris omnibus præferendum esse, [1] & quidem simpliciter & indistincte, si mitti velit in possessionem fundi ipsius emphyteuticarij. [2] Nam cum ob non solutum laudimium ius illi sit petendi vt dominium vtile cum di-

BIU Cujas

recto consolidetur, [3] apparet potiorem eius causam esse debere, qui rei suæ dominium, quam qui alienæ pignus vindicat: [4] si vero de aliis fundis agatur, qui non sunt emphyteuticarij, id ipsum ita demum admittimus si vt fieri solet emphyteuta pro canonis annui solutione bona sua omnia obligauerit, & contractus emphyteuticarius cæteris antiquior proponatur. [5] Nam si ea obligatio non esset, aliud vtique diceremus. Quamuis enim emphyteuta ipse non liberetur à præstandis reliquis ob id solum quod rem derelinquere & dominij vtilis cum directo consolidationem pati paratus sit, [6] nimirum quia personali quoque obligatione tenetur: [7] non tamen dat ea res actionem domino directo hypothecam non habenti in præiudicium creditorum pignoratitiorum, licet sint illi tempore posteriores. [8] Quid tamen si reliqua illa pensitationum annuarum non domino directo debeantur sed conductori, qui ab eo ius habeat? Facit dubitationem, quod non eadem ratio videatur locum habere in conductore, quæ in domino directo, cum dominij consolidationem petere non possit, [9] solámque habere videatur personalem actionem. [10] Sed verius est, vt cum à domino ius & causam habeat, eodem iure & priuilegio vtatur. [11] Prælationis enim ratio non tam ex iure consolidationis pendet, quod fundos emphyteuticarios non egreditur, [12] quam ex eo quod canonis emphyteutici debitum proficiscatur ex causa & contractu antiquiore, cuius implendi gratia solent, vt diximus, obligari bona omnia præsentia & futura. [13] *Ita Senatus* in causa N. Stephani Diuonne, contra R.D.Episcopum Bellicensem; 14.Cal.Mart.1594.ibidémque relatum est, sic iampridem fuisse pronunciatum in causa discussionis bonorum D.de Montagny.

1 Quia plus quam creditor est qui dominus quoque directus est, *arg.l.1.§.vlt.D.si à parent.quis manum.sit.*

2 Nemo enim potest in eo fundo ius antiquius habere, tanquam creditor.

3 *Ex l.vlt.*vbi omnes *C.hoc tit.*

4 Est enim potentior vindicatio dominij quam pignoris, *tot.tit. Cod. si alien. res pignor. data sit*, nec plus iuris habere possunt qui cum domino vtili contraxerunt, quam habuerit dominus ipse vtilis, *l.lex vectigali 3. D.de pignor.cum similibus.*

5 Nam inter creditores hypothecarios priuilegia æstimantur ex tempore, non ex causa, *l.2. & pass.Cod.qui potior.in pignor.hab.*

6 Vt dixi *defin.11.supr.*

7 Quæ non nisi certis modis tolli potest, *l.obligationum fere 44.§.1.de obligat.& act.l.pen.D.de solut.*

8 Non enim creditor quilibet hypothecam habet, sed is demum qui conuenit de pignore, *l.3.D.quæ res pign. oblig.poss. & Nouell.136.de argent.contract. cap.5.§.insuper.* Præterquam in casibus, in quibus lex tacitam dat hypothecam, *tot.tit.in quibus caus.pign.vel hypoth.tac.contr.* Scripsi *in Error.1. Decad.1. de error. pragmat.*

9 Scilicet quia dominij vtilis consolidatio non est in fructu, vt scripsi *Defin.46.nu.2.5.*

10 Quasi procurator & ex persona domini directi, *arg.l.si pignori 36.in fin.D.famil.ercisc.*

11 Omnis enim vtilitas dominij directi quantum ad fructus in conductorem translata intelligitur, cum locator teneatur ei præstare, vt possit plene vti frui, *l.ex conducto 15.§.1.& seq. in fin.& pass.D.locat.*

12 Quia non alibi potest esse consolidatio, quam vbi dominium vtile concurrit cum directo in vna eademque persona.

13 *L.& quæ nondum 15.§.quod dicitur, D.de pignor.l.vlt. C.quæ res pignor.*

DEFINITIO LX.

Laudimia non debentur ex antichresi quantocunque tempore durauerit, nisi facta sit in fraudem domini directi.

ANtichresis ita contracta fuerat, vt quandiu pateretur debitor frui creditorem re obligata in vicem legitimarum vsurarum [1] non posset vrgeri ad sortis debitæ solutionem. Creditor plus quam decennio integro antichresim possederat. Quærebatur an laudimia deberentur? Quibusdam placebat deberi, propterea quod tam longo tempore continuata antichresis instar haberet alienationis, exemplo eius quod à nostris probatum est de conductione ad decennium facta, cuius nomine non est qui dubitet, quin laudimia debeantur, quasi alienationis speciem contineat. [2] Senatui tamen contra videbatur, non illa solum ratione quod laudimia non nisi propter dominij translationem debeantur, [3] quæ porro ex antichresi quanticumque temporis nulla fieri vnquam potest, [4] cum ex natura pignoris sit vt lui queat, [5] sed etiam quia cum toto medio tempore fuerit in potestate debitoris oblato debito antichresim exsoluere, apparet non ex obligationis necessitate, sed sola debitoris voluntate factum esse, vt in decennium vsque antichresis duraret: [6] ob idque non magis laudimia ex eo contractu deberi æquum est, quam ex conductione annua in singulos annos vltra decennium repetita. [7] Plane conductioni rectius comparari antichresis posset, si eam sic contractam proponeres, vt ante decennium luendi pignoris ius debitor non haberet. [8] Quo tamen casu irritam conuentionem quasi fœneratitiam hæc conditio faceret, [9] si non legitimarum vsurarum modo fructuum quantitas omnino responderet. [10] Cæterum in proposita specie fieri vno casu potest vt laudimia debeantur, nimirum si antichreseos color quæsitus sit in fraudem directi domini & laudimiorum. [11] Id vero probari & colligi potest ex coniecturis, vtputa si pecunia credita iusto pretio rei æquipolleat, vt non sit verisimile debitorem pignus vnquam luiturum. [12] *Ita in Senatu* tractatum est in causa viduæ procuratoris Francisci Tiollier, & N.Paquier 8.Id.Mart. 1594. Iunge Defin. 74.infr.eod.

1 Hinc enim pendet ius & nomen Græcum huius contractus, *l.si is qui 12. §.1. de pignorat. l.si pecuniam 33. D.de pignorat. action.*

2 Siquidem ex huiusmodi conductione ad longum tempus facta creditur transferri dominium vtile, quia conductori competit vtilis actio in rem, *l.1.§.quod ait prætor, D.superficiebus* iunct. *l.vltim.C.de reb.alien.non alienand.* contra tamen Boer. *quæst.235.*

3 *L.vlt.*vbi omnes *C.hoc tit.*

4 Quoniam antichresis pignus est: pignus autem dominium numquam transfert, *l.cum & sortis 35.in fin.ff.de pign.act.*

5 *L.1. & tot.tit.C.de luit.pign.*

6 *L.1 l.potior 11.in princ.D.qui potior in pign.hab.*

7 Quo casu nemo diceret deberi laudimia, quia tot locationes essent, quot anni.

8 Quæ conuentio satis frequens est, sed apud eos qui soliti sunt fœnerari.

9 Nam & pactum de retrouendendo, quod minus suspectum est, tanquam quod toto genere differt à pignore, vsurarium tamen esse creditur si non sit liberum, notat Cagnolus late post alios *ad l.2.C.de pact.int.empt.& vendit.*

10 Quamuis expressa antichresis non soleat seruare legitimum modum vsurarum, *l.si ea pactione 14.C.de vsur.* quod in tacita secus est, *l.cum debitor 8.D.in quib.caus.pign. vel hypoth.tacit. contr.*

11 Quæ fraus hodie est frequentissima.

12 Solet enim ab initio pluris esse quod datur iure pignoris, nisi quatenus ex postfacto crescit debitum ex vsuris; *l.si res obligata 58.de legat.1.* Vide *Dec.cons.120.* Amed.à Pont. *quæst.laudim.34.Defin.74.5.*

DEFINITIO LXI.

Res emphyteutica, quæ ex lege ab initio dicta redit ad dominum directum, an redeat cum oneribus in ea per emphyteutam medio tempore constitutis?

Tractatum

TRactatum fuit, si quis in emphyteusim bona quædam concesserit ea lege, vt emphyteuta quandocumque sine liberis decedente ea bona ad se rediret, [1] & medio tempore possessor eas res pro dote aliave ex causa obligauerit, [2] tum stipulationis conditio, & vt loquuntur, casus reuersionis euenerit, an potior sit in iis bonis causa domini directi an creditoris? Pro domino facit quod habet ius anterius, in quo nullum ei inscio & inuito præiudicium fieri potuit? Nec plus iuris habere debet creditor in re debitoris, quam ipse debitor. [4] Proinde resoluto iure datoris ex causa antecedenti & necessaria, resolui quoque necesse est ius acceptoris, [5] eademque ratio locum haberet, si non pignori data, sed vendita, aliterve per emphyteutam alienata ea bona proponerentur. [6] Neque enim hac parte distingui potest pignus à venditione, præsertim cum dici soleat, quæcumque vendi possunt eadem & oppignerari posse. [7] At contra pro creditore mouet, quod non tantum debitoris fidem secutus sit, sed etiam pignoris cautionem, cum forte bonorum conditionem, vt plerumque fit, ignoraret, [8] nec æquum sit eum decipi, qui totum debitoris patrimonium in contrahendo intuitus est. [9] Mihi tamen ratio hæc non placebat: ne alioqui similiter inferre liceret, potiorem esse debere causam creditoris pignoratitij in re fideicommissaria, quam ipsius fideicommissarij, quod tamen sani iudicij nemo dixerit. [10] Illud sane constabat, multum referre an vniuersam defuncti successionem dominus vindicet propter seruitutem, vt ita dicam, & conditionem personalem, an vero certa duntaxat bona, quæ ea qua diximus lege fuerint in emphyteusim data, aliterve alienata. [11] Priore casu nemo dubitat quin æs alienum ante omnia deducendum sit, quia nec in bonis quicquam esse intelligitur, nisi deducto ære alieno. [12] Posteriore vero casu non tam aliena bona petuntur, quam propria repetuntur posteaquam euenit casus repetitionis. [13] Ob idque dubitari longe probabilius potest an ob æs alienum defuncti durior esse debeat conditio domini, qui neque hæres aut successor, neque hæredis aut successoris loco est. [14] Quare nec quisquam dubitat quin si alia bona sint ex quibus satisfieri creditoribus possit, non debeat iis dari persecutio pignoris in bona illa, quæ ad dominum recurrunt, nec si specialiter iis fuerant obligata adeoque cum clausula constituti. [15] Cur non enim potius hæres teneatur, si quis est, [16] aut ex bonis vacantibus satisfiat dato curatore, si hæres nullus sit? [17] Ita enim fiet vt & creditori & domino consulatur, manente vtriusque iure illæso. De illo igitur dubitari solum potest, an in subsidium pignus maneat, quod in iis bonis ad dominum recurrentibus fuerat constitutum. Quod etsi quidam magis probabant, mihi tamen primo intuitu minus probabile & à iuris ratione alienum videbatur, [18] ea saltem casu quo res emphyteuticaria ex lege ab initio dicta, id est, ex necessaria non ex voluntaria causa ad dominum recurreret. [19] *Senatus* nihil tum decidit in ea causa, de qua in Defin. 15. sup. De hæred. vel act. vendit. Vide tamen Definit. 23. inf. De dedit. lib. tollend. præsertim numer. 15.

6 Nam nec alius pignori dare potest, quam qui posset vendere, cum inutile sit pignus, quod vendi non potest; *l. mulier* 11. *& pass.* C. *de distr. pign. l.* 4. *D. de pign act.*

7 *l. sed & quod* 9. *§.* 1 *D. de pign. l.* 1. *§. eam rem D. quæ res pignor. oblig. poss. l. si conuenerit* 18. *D. de pign. act.*

8 Est enim probabilis hæc ignorantia tanquam facti alieni, *l. vlt. D. pro suo*, præsertim cum bona omnia naturaliter sint libera, ideoque præsumantur allodialia, *cap. imperialem de prohib. feud. alien. per Frider. lib.* 2. *tit.* 55.

9 *Vt in l. si ex duobus* 32. *vers. sed licet, D. de pecul.* iunct. *l. hinc quæritur* 19. *§.* 1. *eod.*

10 Excepto casu *Anib. res quæ. vbi notatur C. commun. de legat. l. mulier* 22. *§. cum proponeretur ad SC. Trebell. l. vlt. §. vlt. de leg.* 2.

11 Fieri enim potest vt persona sit talliabilis & bona libera, & contra vt persona sit libera, bona autem talliabilia, vt loquuntur, qualia censentur apud nos illa quæ data sunt in emphyteusim eo pacto, de quo hic agimus.

12 *l. mulier bona* 72. *D. de iur. dot. l. subsignatum* 39. *§.* 1. *de verb. signific.*

13 Est autem semper fauorabilior causa eius qui reposcit rem, quæ aliquando fuit sua *arg. l. videamus* 38. *§. si actionem, de vsur. l. cum te* 6. C. *de pact. int. empt. & vend.*

14 Nam nec successorem singularem solet sequi onus æris alieni, *l.* 1. *§. si hæres ad SC. Trebellian. l. æris alieni* 15. C. *de donat.*

15 Vterque indemnis seruetur quantum fieri potest.

16 *l. vlt.* C. *de hered actio.*

17 *Arg l.* 1. *§. an bona D. de iur. fisc.*

18 *Arg. d. l. lex vectigali* 31. *D. de pign.* [Guid. Pap. *quæst.* 428. *& 575.* vbi Ranchinus Boer. *decis.* 181. *num.* 3. *&* 8. Afflict. *decis.* 380.

19 Nam si ex voluntaria aliud esset, *arg. l.* 3. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* Placet autem hæc nostra sententia etiam eo casu, quo dominus directus nolit pretium restituere emptori, *arg. cap. imperialem, de prohib. feud. alien. per Frider. l. vltim. §. vltim. C. commun. de legat.* * Atque ita sentit Guid. Pap. *quæst.* 428. *&* 575. Boer. *quæst.* 161. Iul. Clar. in *§. Emphyteusis quæst.* 18. Afflict. *decis.* 380. Vide tamen *definit.* 27. *infr. de dedit. libert. tollend.* [Et hanc sententiam tandem magis probauit Senatus noster, licet quibusdam dissentientibus in causa D. Comitis de S. Alban, contra curatorem datum hæreditati iacenti D. Henrici Baij Præsidis computorum, 22. Maij 1614. tanquam rationi iuris magis conuenientem. Non constituto de consuetudine vlla in contrarium. Idque *ex dict. l. lex vectigali & authoritatibus suprà citatis.* Fuit autem, ob hanc causam eo Senatusconsulto conclusum, Non esse cogendum dominum directum, vt patiatur se remitti ad instantiam discussionis, vt de iure suo disputet cum creditoribus aduersus quos tam iusta defensione sit tutus, si quando volent illi in hunc feudalem aut emphyteuticarium agere tanquam obligatum, dummodo probet ille aut feudalem esse, aut emphyteuticarium.]

1 Contractus enim emphyteuticus quaslibet conditiones recipit, præterquam si sint contra leges aut contra bonos mores, *l.* 1. C. *hoc tit.*

2 Potest enim emphyteuta rem emphyteuticariam obligare tanquam dominus velis, ne quis hic obiiciat *tit. C. si alien. res pign. dat sit.*

3 *l.* 1. *& vlt.* C. *hoc tit. l. id quod nostrum* 11. *de reg. iur.*

4 *Arg. l. quod ipsis* 145. *l. ex qua persona* 149. *eod.*

5 *Vulg. d. lex vectigali* 31. *D. de pign.*

DEFINITIO LXII.

Dominus directus, qui tanquam creditor vrsit venditionem rei emphyteuticariæ, non cogitur offerre creditoribus, qui post emphyteusim constitutam superuenerunt.

DOminus directus cum cessaret emphyteuta in canonis annui solutione fundi possessionem condixerat, eumque sub hasta venditum cum extraneus hæres non reperiretur, emptoris iure retinuerat. [1] Non idcirco Seruiana agenti creditori qui cum emphyteuta ante ipsius moram contraxerat debitum offerre dominus cogetur: [2] quippe qui sit multo anterior, & in eo fundo, cuius dominus directus est, creditoribus omnibus præferendus non tam crediti quam dominij iure, licet quasi creditor fundi venditionem vrserit, quam sibi curare quasi dominus remque iam suam emere non potuisset. [4] Neque enim subsecuta emptio tollere potest priuilegium iuris, quod antea ex directi dominij ratione competebat, nisi hactenus vt si alius quispiam creditor huic directo domino, eidemque emptori offerre velit quantum fuit in debito (retenta tamen canonis annui in futurum tempus soluendi obliga-

BIU Cujas

tione, restitutoque dominij iure quod extinctum videbatur[6]) audiri debeat:[7] qui vtique non esset audiendus si directus dominus pristino directi dominij iure potius quam ex noua emptionis causa fundum retinere voluisset. Numquam enim ius directi dominij per ius offerendi tolli potest,[8] licet creditori, qui pignoris dominium ex venditione per iudicem pro debitore facta nactus est, perinde offerri possit atque ipsi debitori offerretur, in cuius locum creditor hic successit.[9] *Ita in Senatu* tractatum est in causa Michaelis Ganiuet, contra D.de la Grange, Id.Maij 1594.

1 Vtrumque enim potuit facere pro suo iure, *l.1.& 2. C.si in causs.iud.pign.capt.sit;l.cum bona 16.de reb.auct.iud.possid.alias l.1. de priuil.credit.*iunct.*l.vlt.C.hoc tit.*

2 Quomodo cogeretur alius quilibet posterior creditor, *l.1. C.si antiq.cred.pign.vendid. l.vlt. eod.l.1.l.prior 5 & pass. C. qui potior. in pign.hab.*

3 Dixi *Defin.59.supr.*

4 *l.suæ rei 16. D.de contr.empt.*

5 Absurdum enim esset ob id minus iuris habere dominum directum, quod sit etia m emptor, *arg.l.in bello 12.§.si quis seruum, D.de captiu. & postlim. l.1. §.vltim. si à parent. quis manum. sit.*

6 *Argum.l.pen.§.1. de exceptione rei iudic.*

7 Quia hæc venditio necessitate iuris fieri solet, *arg.l.2. l.5. §.1 & l.seq. D.de distr. pign.*

8 Quia ius dominij est perpetuum tanquam habens causam perpetuam; *l.1.D.de iur. dot.* non temporale, vt pignoris, quod habet causam temporalem, *l.Paulus 16.§.1. quibus mod. pign.vel hypoth.soluit.*

9 *dict.l.1*, C.*si antiq. credit.pign. vendid. l.si rem meam 20. D. de solut.*

DEFINITIO LXIII.

Non potest referri quæstio dominij ei, cui solutus est per multos annos canon annuus, tanquam ius habenti à domino directo.

QVi per multos annos actori soluit canonem annuum emphyteuticarium, aut ab eo emit, qui soluere solitus fuit, non potest referre dominij quæstionem, quasi actor ius non habeat ab eo qui primus emphyteusim concessit,[1] præsertim cum alius nemo est, qui ius illud sibi adserat.[2] Satis enim actoris ius agnouit, qui in dominij recognitionem, vt loquuntur, canonem vltro soluit.[3] Sed hoc ita si ex contractu emphyteutico conueniatur.[4] non item si directa rei vindicatione. Huic enim semper obstat exceptio dominij, quæ & à quocumque obiici potest, etiam à conductore.[5] *Ita Senatus* pro D.de Cohendier, contra N.Mallin, 4. Id.Ianuar.1595.

1 Solutio enim annui canonis expressa agnitio est directi dominij, cum nec aliam ob causam præstari soleat, quam in dominij directi recognitionem, *l.vltim. C.hoc tit.* Aliud est, si venditor in vendendo dixerit, rem venditam esse de tuo dominio directo. Non enim ideo probatur dominium tuum directum, si alias probationes non habeas. Guid.Pap. *qu.24. ex Specul. in tit. de locat. §. nunc aliqua vers.74.* Prodest tamen ea accessio venditoris, ad constituendum emptorem in bona fide. Guid.Pap. *ibidem ex l.si ego, §.item Iulianus, D. de Publician. in rem act.*

2 Hoc enim casu aliud esset, quia cum non possint esse duo domini directi, eodem dominij genere & eodem respectu, prius esset lis inter eos terminanda, quam emphyteuta alterutri eorum condemnandus, vt dixi Defin.26.*supr.*

3 *Ex notat.in l.cum de in rem verso, 6. D. de vsur.* Iunge *l.2. C.de eo, quod met. caus.*

4 *Arg.l.si quis conductionis,25.C.de locat.*

5 Dixi Defin.10.*§.tit.prox.* vbi vide.

DEFINITIO LXIV.

Domino directo an competat exactio reliquorum pro eo tempore, quo dominium illud alij locatum fuit?

IS, cui annuum quid debetur fundi nomine, si eum fundum locauerit, & pro iis annis, quibus locatio stetit, reliqua petat à possessore, repellendus est, quasi qui sine actione experiatur,[1] quoniam conductoris actio esse incipit propter locationem.[2] Eoque passim iure vtimur. Quod tamen ego non aliter admittendum putabam, quam si fructus venditi proponerentur, quia venditio transfert dominium, quod penes venditorem fuit.[3] Sed locato dumtaxat fundo contra putabam, quia locatio neque dominium transfert, neque possessionem,[4] nisi hactenus, vt conductor fructus suos faciat, quos nimirum domini voluntate perceperit.[5] Sed id fit sola perceptionis, non conuentionis potestate.[6] Proinde qui à conductore nondum percepti sunt fructus ad locatorem iure dominij pertinent,[7] & consequenter eos petere locator potest, ui conductor prohibeat & denunciet debitori ne soluat.[8] Nam & solutione locatori ante denunciationem facta, vtique debitor liberaretur, nullaque actione conueniri à conductore potest, cui non est obligatus:[9] nisi forte sciuerit locatum fundum, & iam aliquando soluerit conductori.[10] Nam ab eo tempore cum sciat ius conductoris, mala fide facere videtur, si soluat locatori,[11] etiamsi nulla per conductorem denuntiatio facta sit.[12]

1 Atqui nemo sine actione experiri potest, *l.si pupilli, 6. §.vltim. D.de negot.gest. l.quoties, 9.§. & generaliter, D.de admin. tut.*

2 Cum ex locatione transferatur in conductorem ius omne percipiendorum omnium fructuum, *l.si seruus, 61.§.locaui, D.de furt.*

3 Differt enim venditio fructuum à locatione vt dixi Defin.48. *§.tit prox.*

4 *l.non solet, 39.D.locat.l.si quis ante, 10.D.de acq.poss.*

5 *d.l.si seruus, 61. §.locaui, D.de furt.*

6 Nam nec fructuarius suos fructus facit, priusquam eos perceperit, cum tamen plus iuris habeat quam conductor, *l.si fructuarius messem, 13.D.quibus mod.vsufr.amitt.*

7 Sequuntur enim ius soli & dominij, *l.qui scit, 25.§.1. D. de vsur.*

8 *Argum.l.3. C.de nouat. l.nomen, 4. C.quæ res pignor.obligat. poss.*

9 Solutio enim, quæ fit vero creditori præsertim bona fide, semper liberat debitorem, *l filiæ 88.D.de solut.*

10 *Arg.d.l.3.C.de nouat.*

11 *Arg l.vlt.D.de transact.*

12 Qui enim iam certus est, non debet magis certiorari, *l.1. in fin.D.de action.empt.*

DEFINITIO LXV.

Ex contractu, qui ab initio tenuit, licet postea resoluatur, laudimia debentur.

EX contractu, qui ab initio nullus fuit, aut ita conceptus; vt postmodum annullari cum omnimodo oporteret, laudimia non debentur.[1] Sed si vel ex partium voluntate, vel qua alia ex re extrinsecus emergente resoluatur, & in irritum recidat, cum initio inspecto subsisteret, laudimia perinde debentur, ac si resolutus non esset.[2] Itaque finge, domum Sempronij, publice & sub hasta venditam, mihi vt pluris licitanti ab executore traditam fuisse, sed cum in possessionem mitti vellem, intercessisse Titium anteriorem Sempronij creditorem, qui pro suo iure obtinuerit, vt ea domus iterum venderetur, aut sibi pignoris vel dominij iure addiceretur.[3] Resolui priorem venditionem necesse est, & quidem ex causa anteriore,[4] sed tamen non eo minus laudimia debebuntur, cum perfecta fuerit venditio dominiique translatio per addictionem, reique traditionem ab executore factam:[5] sola enim dominij translatio illa est, vt sæpius diximus, quæ facit vt laudimia debeantur.

BIU Cujas

beantur. [6] Translationem verò à die addictionis, & vt loquuntur, expeditionis factam esse, argumento illud est, quod ab eo tempore fructus emptori acquirantur,[7] nec alio quam dominij iure, licet nulla dum secuta sit missio in possessionem. [8] Plane si venditioni Titius interfuisset, aliud esset, quia faceret intercessio, ne perfecta venditio videri posset. [9] *Ita tractatum est* in Senatu in causa Claudij Rochet, & Chartusianorum, ex tempore, 5. Calend. Maij, 1595.

1 Parum enim refert, an quid ab initio nullum sit, an ex postfacto omnimodo annullandum.

2 Quia non debet esse in contrahentium potestate, vt tollant ius quæsitum domino directo, *l. potior, 11. in princip. D. qui pot. in pign. hab. l. 3. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

3 Plerumque enim admittuntur apud nos anteriores creditores, ne pignus iam distractum iterum distrahatur, nisi priori venditioni aut expresse, aut tacite consensisse probetur. Quod diuersum est apud Gallos, facta venditione, vt loquuntur, ex directo.

4 Alioqui non posset inuito primo emptore vendi ea res, quæ iam alteri vendita fuisset, *argument. l. si ego, 9. §. si res, D. de iur. dot.*

5 Semel enim commissa stipulatio resolui postea numquam potest, *l. evicta, 16. §. si seruus, leg. habere, 57. in fin. D. de evict.*

6 *L. vlt. C. hoc tit.*

7 Sic enim statuto Sabaudiæ expressim cautum est.

8 Vt scripsi *Defin. 30. 3.*

9 *L. à Diuo Pio, 15. §. si rerum, D. de re iudic.* Sane perfecta est venditio statim atque pignus addictum sit, licet nondum sit secuta missio in possessionem, *d. l. à Diuo Pio, §. si post addictum.*

DEFINITIO LXVI.

Laudimia soluta ex contractu iurato, quamuis nullo, non possunt repeti, & non soluta possunt peti, nisi aduersus eum contractum & restitutio in integrum, & absolutio impetretur.

LAudimia ex contractu etiam nullo aut omnino resoluendo promissa, solemni, vt fit, stipulatione interueniente, adhibitoque iureiurando vtiliter peti possunt. [1] Estque promissori necessaria in integrum restitutio & absolutio, vt aduersus agentem creditorem iusta se exceptione tueri possit. [2] Proinde siue ante petitam restitutionem soluerit, non condicet tanquam indebitum, qui iurisiurandi religionem agnouit, [3] siue litigare maluerit, non effugiet pœnam temere litigantium, vt in omnes sumptus condemnetur ad id vsque tempus factos, quo restitutionem impetrauerit, [4] si modo post eam impetratam à lite discedat actor, quippe qui ab eo tempore bonam causam habere non possit. [5] Alioqui posterior mora noceret, [6] hactenus saltem, vt litis expensas ratione mutuæ victoriæ compensari oporteret. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam & quod indebitum est, si cum iureiurando promissum sit, præstandum est, si seruari iusiurandum possit citra dispendium salutis æternæ, *cap. debitores, Extr. de iureiur.* Pone exemplum in pacto commissorio iurato, ex quo alioqui certum est, laudimia non deberi. Guid. Pap. *quæst. 48. num. 2. & quæst. 46. in fin.*

2 Exceptio enim doli competit aduersus eum, qui agit ex stipulatione interposita sine causa, *leg. 2. §. circa, de doli except.*

3 Siquidem iusiurandum facit debitum, quod esset alioqui indebitum, *d. cap. debitores.*

4 *Ex l. cum quem temere, 79. D. de iudic.*

5 Nec iustam litigandi causam, quod vnum inspiciendum est, *l. qui solidum, 78. §. etiam, de legat. 2.*

6 *L. qui decem, 72. de solut. d. l. qui solidum, in princ.*

7 Cum iuris regula sit, victum victori in expensas condemnandum esse, *l. properandum 13. C. de evict.*

DEFINITIO LXVII.

Neque ex contractu pignoratitio, neque ex cessione iurium omnium creditoris debentur laudimia, etiamsi adsit clausula deuestituræ & inuestituræ.

SIcut ex contractu pignoratitio laudimia nulla debentur, [1] ita neque ex venditione iurium omnium, quæ creditori ex eiusmodi contractu competere potuerunt, licet adsit vulgaris clausula deuestituræ & inuestituræ: [2] quia non debentur laudimia ex sola translatione possessionis, sed ob translationem solam dominij, [2] quæ porro fieri nulla potest, cum venditor dominij ius nullum habuit, [4] nisi cum rem vendidit iure creditoris, quo casu licet dominus non sit, tamen dominium transfert. [5] *Ita Senatus* in causa N. Claudij Francisci Pobel, D. de Pressy Equitis Senatorij nobilissimi, & Dn. Henrici Bay præsidis Rationalium, 4. Non. August. 1595.

1 Quia non transfertur ex eo dominium, *l. cum & sortis, 35. in fin. D. de pign. act.*

2 Quia cessio iurium non potest plus iuris transferre in cessionarium, quam habuerit cedens, *l. nemo plus iuris, 54. de regul. iur.*

3 *L. vlt. C. hoc tit.*

4 *L. traditio, 20. D. de acquir. rer. dom.*

5 *§. 1. Instit. quibus alien. licet, vel non, l. qui à creditore, 18. & pass. C. de distr. pignor.*

DEFINITIO LXVIII.

Laudimia peti possunt, & actione in personam & in rem, contra quemlibet possessorem, non etiam impensæ factæ eo nomine contra priorem emphyteutam.

LAudimia non tantum actione personali peti possunt, [1] sed etiam actione in rem, siue is ipse qui contraxit, siue alius rem emphyteuticariam possideat. [2] Plane personalis actio non nisi aduersus eum dabitur, qui ex proprio contractu conuenitur, hæredemve ipsius, non item successorem singularem ex contractu auctoris sui. [3] Quod si aduersus auctorem iam actum proponatur in eam rem, vt laudimia solueret, annuamque pensitationem, an ad expensas repetendas actio in rem contra nouum possessorem competet, quod occasione rei factæ sint? [4] Minime: quoniam temeritas litigantis personam duntaxat ipsius afficit, non rem de qua litigatur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex ratione iuris contra emphyteutam eiusve hæredem, ex statuto autem nostro contra possessorem quemlibet, vt dixi *Defin. 9. & 12. 3.*

2 Cum etiam hypothecaria competat ex hac causa, vt dixi *Defin. 12. num. 13.*

3 Hoc ita si agatur ex contractu, at non item si ex statuto, vt dixi *num. 1.*

4 Quasi alienatio non potuerit fieri, nisi cum sua causa, *vulg. l. alienatio, 67. D. de contr. empt.*

5 *L. eum quem temere, 79. D. de iudic. & Instit. tit. de pœn. temer. litig.*

DEFINITIO LXIX.

Emphyteuta perseuerans in lite post productas testationes, condemnandus est etiam in anteriores expensas litis.

EMphyteuta, qui iustam ab initio causam habuit dubitandi an rem possideret, cuius nomine conueniebatur, si post prolatas testationes, aliasque idoneas probationes litem defendat, nec cedat,

BIU Cujas

moram iam antea contraxisse videtur, ideoque ad omnes litis expensas condemnandus est, quasi temerarius litigator, nisi aliquid sit, quod compensationem inducere debeat, vt puta mutua victoria si plus petebatur, quam deberetur. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Creditur enim æque fuisse ab initio temere litigaturus, quisquis ex postfacto temere litigat, *argum l.2.§.circa, D.de doli mal.except.*

2 *Vt in l.qui solidum 78.in prine.de leg.2.*

DEFINITIO LXX.

Secundus emphyteuta non tenetur superiori domino directo, ex cuius consensu accepit emphyteusim, nisi quatenus ipse permisit.

FVndum, quem à te in emphyteusim habebam, permisisti vt in nouam emphyteusim alij concederem, [1] si cessem in canonis annui solutione, nulla tibi in fundum ipsum actio competet, dummodo secundus emphyteuta conuentionibus inter se & me initis satisfaciat. Videris enim alienationi meæ consentiendo ius tuum remisisse, quod ad illum attinet, [2] nisi hactenus, vt quod ille mihi debet obligatum habeas, iure dominij directi, perinde ac si tibi non mihi deberetur. [3] Cæterum si cum ego tibi non soluerem passus sis, vt mihi solueret, dubitari non potest, quin is plenissimam liberationem sit consecutus, vt eo nomine à te inquietari non possit. [4] Quid ergo? Sola personalis in me actio tibi ex contractu competet, itemque hypothecaria in cætera bona mea si fuerunt tibi expressim obligata. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 86. supr. De sacrosanct.eccles.

1 Alioqui non possem hoc facere, siue ex iure communi, de quo *in l.vltim.C.hoc tit.* siue propter edictum, de quo *Definit. 9.supr.*

2 *Argument.l.sicut, 8.§.non videtur, D.quibus mod.pignus vel hypothec. soluit. l.4.§. quæsitum est si cum fundi, D. de except. rei iudic.*

3 Videor enim eatenus admonendi emptoris, & liberandi mei causa ita cauisse, *argum.l.pen.vers. & posterior, D.de seru.export.*

4 Cum soluerit & vero creditori, & ex tua voluntate, quod sufficit, *l.vero procuratori 12. & pass.D.de solut.*

5 Secundum ea quæ dixi *Defin.59.5.*vbi vide.

DEFINITIO LXXI.

Laudimia non debentur ex donationibus factis inter parentes & liberos.

AVdio Senatum aliquando pronunciasse, ex donatione, quam pater aut mater filio, aut filius patri vel matri fecerit inter viuos, laudimia nulla deberi. [1] Pro fratribus Vulliod, eorumque matre, contra Capitulum Sanctæ Capellæ Camberien. *Sine die.*

1 Quasi sit illa non tam acquisitio ex parte donatarij, quam debitæ successionis præoccupata quædam perceptio, *argum.l.in suis 11.D de liber.& post.l.1.§.larzius, D.de succes.edict.* iunct. *leg. scripto. 7. §. 1. D. vnd. liber. l. nam etsi, 15. D. de inoff.testam.*

DEFINITIO LXXII.

Non debentur laudimia pro venditione pensionis annuæ & perpetuæ impositæ super fundo emphyteutico, sed onus illud pensionis extinguendum est.

PRo pensione annua & perpetua imposita super re emphyteuticaria & censuali, si ipsa quoque pensio recognita non sit de feudo & emphyteusi, laudimia nulla debentur, licet eiusmodi pensio censeatur quid immobile. Neque enim statim consequens fit, vt censeri debeat iure fundi feudalis aut emphyteuticarij, cum non sit recognita. [1] Atqui laudimia non debentur nisi quoties transfertur dominium rei feudalis, aut emphyteuticariæ. Hoc ita, nisi consuetudo sit in contrarium. [2] Dices ita fore, vt facile fraus fiat domino directo, cuius fundus vtique minoris sit ob impositum onus annuæ & perpetuæ pensionis. [3] Respondeo aduersus eam fraudem succursum esse domino per edictum Principis, quo huiusmodi pensionum super rebus emphyteuticariis impositio districte prohibita est, adiecta etiam pœna commissi, si secus fiat. Quid ergo si malit dominus consentire, vt ea pensio retineatur? Neque enim dubium est, quin fauore solius domini directi edictum ita factum sit. [4] Sed tamen ita placet non esse permittendum, vt quicquam fiat aduersus legem, [5] præsertim cum possit ea res damnum afferre Principi, si forte res illa emphyteuticaria vel feudalis sit de Principis retrofeudo, quod plerumque ignoratur, licet in dubio non præsumatur. [6] Nec aliud erit, etiamsi pro ea pensione bona omnia generaliter obligata esse proponantur, præter specialem hypothecam super fundo emphyteuticario impositam. Non enim facit generalis illa hypotheca, quin pensio sit speciale onus fundi, [7] cum si possessores bonorum generaliter obligatorum conueniantur hypothecaria possint obiicere exceptionem non factæ excussionis fundi specialiter obligati, [8] quia nec alius conueniri solet pro huiusmodi pensionibus, quam qui rei specialiter obligatæ possessor est. [9] Sane pensionis illa constitutio, quæ generalem duntaxat hypothecam habeat, tolli non potest, quia non facit rem emphyteuticariam viliorem. [10] An vero quod ad specialem attinet pronuntiandum erit, constitutionem pensionis ipso iure nullam esse, quasi contra edictum factam, an vero extingui duntaxat debere? Et placuit pronuntiandum esse, extingui debere: quia edictum non procedit annullando, vt loquuntur, sed tantum prohibendo. [11] *Ita Senatus* in causa fratrum de la Chenollaz, & Chartusianorum d'Aillon, 30. Maij 1597.

1 *L.vlt.vbi not.C.hoc tit.*

2 Qualem esse in Pictauia refert Andr. Tiraq. *in tract.de retract.municip.§.32.gloss.1.num.83.& seqq.*

3 Est enim onus illud pars quædam precij, *l.in venditione 41.iunct.l.si sterilis 21 §.si tibi, D.de act empt.*

4 Nemo autem cogitur vti iure quod pro eo fuit introductum, *l.iniuitas 156.§.vlt.de reg.iur.l.pen.C.de pact.l.si iudex circumuento 41.D.de minor.*

5 Ne priuatorum conuentiones legum auctoritate censeantur, contra *l.vlt.D.de suis & legit.leg.1.non dubium, Cod.de legibus.*

6 Cum à contrario vnaquæque res præsumatur libera, *l.altius 9.C.de seruit.& aqua.cum ibi not.*

7 *d.l.in venditione, l.lex vectigali fundo 31.D.de pignor.*

8 *L.2.C.eod.tit de pignor.*

9 Onus enim sequitur rem quocunque ierit, quoniam est reale, & alienatio semper fit cum sua causa, *l.alienatio, 67. de contrah. empt. l.vnic. Cod.rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.*

10 Quia non afficit rem illam specialiter.

11 Inter quæ multum interest, vt tractant nostri, *ad tit.C. ne fideiuss.dot.dent.*

DEFINITIO LXXIII.

Cum feudum, quod fuerat extinctum per consolidationem, reuiuiscit per alienationem, laudimia debentur domino retrofeudi, non domino noui feudi.

QVi fundum habebat sub onere, vt aiunt, retrofeudi, rem feudalem emerat à domino vtili, eamque

BIU Cujas

eamque per multos annos possederat. Deinde cum eandem rem alij venderet, exceperat feudum, vt penes nouum emptorem eodem esset iure res vendita, iisdemque oneribus, & seruitiis annuis affecta, quibus erat penes pristinum venditorem. Cum quæreretur de laudimiis, quæ venditor hic iure feudi sibi debita esse, dominus vero retrofeudi ad se pertinere contendebat: Visum est pro retrofeudi domino potius pronunciandum esse, propterea quod emptionis titulo acquisitum dominium totum feudi ius, quod antea emptori competierat, per consolidationem extinxisset, nemo enim potest esse dominus directus & vtilis eiusdem rei, non magis quam sui ipsius debitor & creditor. [1] Atque ita quod in superioris domini persona retrofeudum fuerat feudum simplex & immediatum effecisset, retrofeudum enim nullum esse potest, vbi non est feudum aliud immediatum. At potest feudum esse sine retrofeudo: Nemo autem dubitat, quin ei qui venditionis tempore feudi dominus simplex & immediatus reperitur, laudimia debeantur. [2] Nec habet emptor quod conqueratur, cum debeat sibi imputare, qui rem feudalem emerit, & ita consolidatione ius suum extinxerit, [3] satisq; ei esse debeat, quod extinctum in persona sua feudum resuscitare inuito superiore domino quandoque potest, [4] quod ei licere summo iure non deberet. Nec enim parua fit iniuria ei, cui inuito feudum adimitur, vt in retrofeudum conuertatur. [5] Nulla siquidem fere vtilitas est retrofeudi, si hanc tollas, quæ domino superiori contingit, conuerso retrofeudo in feudum, & alienata re feudali ante feudi extincti restitutionem. [6] Prius enim est vt alienatio fiat, & propter eam laudimia debeantur, quam vt propter factam alienationem feudum, quod extinctum fuerat, restituatur. [7] Moribus tamen nostris, longaque consuetudine ita obtinuit, vt, inuito etiam superiore domino, possit feudum consolidatione extinctum noua alienatione & conuentione resuscitari. [8] Sed ita tamen vtex ea causa illi, qui posterioris alienationis tempore solus feudi dominus fuit, laudimia præstari sit necesse. [9] *Sine die.*

1 *L. lex vectigalia 31. ff. de pignor. l. debitori 50. iunct. l. heres 21. §. quod si stipulator. ff. de fideiuss.*

2 *l. vlt. C. hoc tit. cum ibi notat.*

3 *Vt in l. penult. ad fin. ff. de except. rei iudic.*

4 Postquam placuit feuda possideri hodie ex generali consuetudine ad instar bonorum allodialium, Boer. *decis. 204. nu. 2. Dixi Desin. 8. 3. eod.*

5 Non debet autem cuiquam licere, vt alterius ignorantis conditionem faciat deteriorem, *l. 2. ff. quod vi aut clam, l. non debet alteri 74. de reg. iur. l. si ego 9. §. si res. ff. de iur. dot.*

6 Frustra autem constitueretur retrofeudum, quod nullo casu esset vtile, *l. Stichus 139. §. ff. de manum. test. l. heres à debitore 21. §. pen ff. de fideiuss.*

7 Est enim difficile, vt semel extinctum ius reuiuiscat, *leg. qui res 98. §. aream. ff. de solut.* Nisi cum agitur de hypotheca, quæ scil. specialem habet rationem, de qua *in d. l. pen. §. 1. in fin. ff. de except. rei ind. l. debitor 59. ad SC. Trebell. l. grege 13. §. etiam. ff. de pign. l. si rem 9. §. omnis, de pignorat. act.*

8 Ex ea scilicet consuetudine, de qua diximus *nu. 4.* id est, quæ fecit vt feuda omnia redacta sint, quantum ad liberam dispositionem ad instar patrimoniorum.

9 Vt hunc saltem habeat fructum iuris sui, quod alioqui foret inutile.

DEFINITIO LXXIV.

Neque ex venditione rei alienæ, neque ex contractu pignoris debentur laudimia, nec commissum peti potest, ob non factum huiusmodi contractuum inscriptionem.

EX emptione rei alienæ constat nulla deberi laudimia, [1] quæ scilicet non aliam ob causam deberi possunt, quam propter dominij translationem. [2] Dominium porro, vt à non domino in emptorem transferatur, fieri nullo modo potest, nisi secuta domini ratificatione, & ex eo demum tempore. [3] Neque ad rem facit, quod dici solet etiam alienæ rei venditionem valere. [4] Id enim ad personalem venditoris de euictione obligationem, [5] non ad dominij, quod venditor non habuit, transferendi causam pertinet. [6] Illud difficilius est, si huiusmodi venditionis inscriptio & adnotatio in actis Curiæ facta non sit, quam ex diui Emanuelis Philiberti edicto intra mensem sub commissi pœna fieri oportere constitutum est, an commisso locus esse possit. Sunt enim edicti verba generalia & enixa, vt omnes omnium contractuum species comprehendere videantur; ne qua supersit via fraudibus, quas emptores in dominorum directorum perniciem passim comminiscuntur. [7] Adeo vt in pœnam non factæ inscriptionis, ea quoque bona committi placuerit, quæ postmodum appareat esse allodialia, quamuis certum sit eorum nomine laudimia nulla deberi. [8] Ne scilicet causari alioquin emptor possit, ideo non factam à se inscriptionem, quod bona sibi vendita libera, & vt loquuntur, allodialia esse existimaret. [9] Sed tamen magis est, vt nec edictum illud ad rei alienæ venditiones pertineat, sed ad eos tantum contractus, quibus vt verba ipsa edicti sonant, alienatio contineatur, [10] quo nomine certum est eos tantum actus significari, quibus dominium transfertur. [11] Alioqui dicendum erit, quod nemo adhuc dixit, si forte quis rem suam pignori dederit, aut iure pignoris sibi in rem aliquam competentis alij cesserit, perinde habiturum eum quoque inscribendi necessitatem sub pœna commissi, quod tamen ridiculum fuerit. [12] Quid enim est quod possit committi in præiudicium eius, qui neque directum neque vtile dominum vllum habeat? Si quidem commissum illud esse definimus, quod tale est, vt statim desinat eius esse, qui crimen contraxit, & cuius dominium confestim alteri acquiratur, [13] quod re aliena vendita tractari nullo modo potest. Res enim est, quæ in commissum incidit, non persona. Nec proinde committi res potest, nisi in præiudicium domini, cum ei, qui rem non habet, perire res non possit. Quare nec laudimia vlla ex huiusmodi contractibus debentur, vtpote ex quibus dominium non transferatur. Nec si per mille annos pignus quis possideat, [14] maxime si luendi ius perpetuo liberum fuit. [15] In quo minus iuris creditor pignoratitius habet, quam qui in decennium rem aliquam conduxit. Huic enim dominium vtile ex longi temporis conductione acquiri vulgo creditum est: quia nec ei inuito aufferri res interim potest, ideoque laudimia ab eo perinde, atque ab emptore præstari oportere. [16] Nec est contrarium quod alienatione prohibita, etiam datio pignoris prohibita intelligitur. [17] Id enim ex eo fit, non quod is qui dat pignori alienet, cum transferat solam possessionem, [18] sed quia per causam pignoris etiam ad dominij alienationem peruenitur. [19] Plane si color pignoris in fraudem laudimiorum quæsitus proponatur, nemo dixerit ferendum esse, vt dolosus emptor ex dolo suo lucretur. Probabilis autem est doli præsumptio tunc tantum cum à domino res data fuit pignori pro pretio, vt aiunt, æquiualenti. Sed hoc ita, si præterea illud concurrat, vt in creditorem pignoris possessio corporalis translata sit, aut vt creditor fructus pignoris perceperit, quorum neutrum tamen per se sufficeret, adeoque nec vtrumque, si pro non æquiualenti [20] pretio pignus datum esset. *Ita tractatum est* in relationibus libellorum. Prid. Calend. Iun. 1597.

1 Amed. à Pont. *quæst. 39.*

BIU Cujas

2 *L. vlt. vbi omnes notant, C. hoc tit.*

3 Hoc enim est, quod tractat supradicto loco Amed. à Ponte, dominum directum non habere fundatam intentionem, pro consecutione laudimij ex venditione rei alienæ (si modo constet liquido rem esse alienam) ante secutam dominij ratificationem.

4 *L. rem alienam 28. D. de contr. empt.*

5 *L. si in venditione 60. l. evicta re 70. & pass. D. de evict.*

6 *d. l. rem alienam l. traditio 20. D. de acquir. rer. domin. l. nemo plus iuris 54. de reg. iur.*

7 Quotidiano enim vsu compertum est, multa fieri in fraudem laudimiorum & domini directi.

8 Vult enim edictum bona ista allodialia committi in vtilitatem, non quidem domini directi, quem nullum habent, sed domini iurisdictionalis, & vt edictum loquitur, iustitiarij. [Obserua tamen non posse ex hoc edicto pœnam commissi petere dominum directum aut illum, qui ab eo ius habeat, si eo præsente & sciente contractus acquisitionis factus sit. Nec enim potest dicere se deceptum qui sciuit, *l. nam si 26. D. de rei vind.* nec debuit iam certus magis certiorari, *l. 1. §. vltim. de act. empt. Ita Senatus* contra Franciscum Clapey, 10. Iun. 1614.]

9 Præsertim cum bona omnia sui natura præsumantur libera & allodialia, quandoquidem illa est qualitas naturalis, vt personarum, ita & rerum omnium, *leg. 4. D. de iustit. & iur. l. at ius 8. C. de seruit. & aqua.*

10 Quæ verba sunt stricte ac proprie interpretanda, cum edictum sit exorbitans à iure communi & pœnale, ac proinde restringendum potius quam ampliandum, *cap. odia, de reg. iur. in 6. & l. cum quidam 19. de liber. & post. l. hoc modo 64. de cond. & demonst. l. pen. D. de pœn.*

11 *l. 1. C. de fund. dotal.*

12 Quia ex contractu pignoris certum est dominium nullum transferri, *l. cum & sortis 35. §. 1. D. de pignor. act. l. pign. 13. D. de vsucap.*

13 *l. commissa 14. D. de publican. vectig. & commiss.* commissum enim possessionis nullum est, nisi cum tractatur de feudo propter obsequia, quæ feudi possessor quilibet domino debet, non etiam emphyteuta.

14 *d. l. pignori 13. de vsucap.* Amed. à Ponte, *qu. 34.*

15 Quia tunc non ex necessitate, sed ex mera debitoris voluntate rem tamdiu detinet creditor.

16 Quamuis contra sentiat Boer. *qu. 235.* & verius.

17 *l. vlt. C. de rebus alien. non alienand.*

18 *L. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact. l. non alienat. 119. de reg. iur.*

19 *l. qui à creditore 18. C. de distr. pign.*

20 Amed. à Pont. *d. qu. 34.*

[DEFINITIO LXXV.

Condicio sola reuersionis in defectum liberorum, neque emphyteusim constituit, neque talliabilitatem.

COndicio illa quæ in recognitionibus fundorum talliabilium inseri solet, si recognoscens sine liberis morietur, licèt personis recognoscentium adiecta videatur, fundum tamen ipsum sequitur, & fundi quemlibet possessorem. [1] Ita vt neque prosit, neque noceat possessori, quòd recognoscens aliquos reliquerit liberos vel nullos, sed illud tantum inspici oporteat, cui condicio extiterit necne in persona possessoris. [2] Sic enim ex inueterata consuetudine apud nos obtinuit, Ratione licèt iuris refragante, cùm omnes condiciones sui natura sint personales. [3] Proinde cùm Prælatus quidam fundum ecclesiasticum magni precij concessisset alij, fruendum in facturam culturam & coloniam, [4] ea lege adiecta inter cæteras, vt colonus tertiam partem fructuum præstaret in annos singulos, & vt si is, eiúsve successores sine liberis morerentur, aut leges contractus non implerent, fundus ille ad concedentem reuerteretur, iure commissi & escheatæ, [5] vt instrumenti verba ferebant. Deinde post aliquot annos colonus eundem fundum vendidisset, mox sine liberis decessisset, placuit reuersionis conditionem extitisse, neque expectandum fuisse, vt emptor quoque sine liberis moreretur, [6] quòd is contractus nihil nisi locatio esset, eáque non perpetua, sed cum coloni liberis finem acceptura, Cùm Prælato non liceat rem pretiosam ecclesiasticam nec in emphyteusim dari solitam, in emphyteusim dare, [7] quæ & cùm bene data est, neque in fœminas transire solet, neque in extraneos hæredes. [8] Sed etsi emphyteusis dicenda esset, non tamen consequens fieret, vt talliabilis dici deberet, ac talliabilium fundorum iure censeri, cùm de eo nihil in contractu dictum proponeretur. [9] Nec enim quælibet condicio reuersionis in defectum liberorum inducit talliabilitatem, [10] vt neque locatio quælibet perpetua constituit emphyteusim, [11] scilicet si ex pactis appareat aliud actum fuisse, [12] puta si merces annis singulis præstanda quantitati fructuum respondeat. Proinde visum est non ex consuetudine in fundis talliabilibus inducta, sed ex iuris communis ratione faciendam contractus interpretationem. *Ita Senatus* contra Philib. Vincent. 10. Calend. Maij 1612.

1 Quia talliabilitas realis rem ipsam afficit, & ita facit conditionem realem, & in ipsius possessoris persona implendam, quo modo à Senatu nostro iudicatum est pro D. de Maningod, anno 1608.

2 Vt in *l. venditor 13. D. comm. præd.*

3 *l. qui Romæ 122. §. Agerius, de verb. oblig. l. à testatore 109. de cond. & demonst.*

4 Quo nomine nihil significari poterat, nisi locatio, quæ dominium numquam transfert, *l. non solet 39. locat. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

5 Vt in *l. lex vectigali 31. D. de pignor.*

6 Exemplo eius, quòd scriptum est in *l. cùm pater 77. §. ab instituto 15. de leg. 2.*

7 Vt scripsi *Defin. 6. nu. 6. 5. de reb. alien. non alien.*

8 Iul. Clar. in *§. emphyteusis quæst.*

9 Non enim quælibet emphyteusis est talliabilis, licèt sit reuersibilis, nisi cùm id expressim dictum est, *l. 1. C. de iur. emphyt.* aut cùm quid vel minimum pro tallia præstandum est.

10 Est enim talliabilitas omnis etiam realis odiosa.

11 Licet soleat transferre dominium, vide Not. ad *l. 1. §. si ager vectig.* Boer. *qu. 235.*

12 *d. l. 1. C. de iur. emphyt.*

DEFINITIO LXXVI.

QVidam duos fundos separatim antea & sub diuersis annui canonis oneribus bis recognitos, simul recognouerat, nec tantùm vnica, vt fit, professione, sed etiam confuso canone, & promissa certæ quantitatis frumenti & pecuniæ quantitate pro iis fundis, Tanta scilicet, quanta ex prioribus recognitionibus pro vtroque fundo debebatur. Sed adiecta tamen clausula vulgari, & quæ omnibus eiusmodi professionibus inseri solet, *ad formam præcedentium recognitionum*. Idem postea duos illos fundos duobus separatim vendiderat, quorum vnus à domino directo conuentus, vt dimidiam & virilem partem confusi canonis persolueret, déque ea re per nouam recognitionem se obligaret, Negabat se teneri, propterea quòd fundus ille quem possideret, longè minore ac leuiore canone obstrictus esset anteriore recognitione, quam ideo sibi exhiberi postulabat [1] paratus omne id soluere, quod antiquiore illo instrumento contineretur. Actor exhibitionem recusabat, quòd suam intentionem satis supérque probatam diceret duplici probata recognitione, cùm vna sufficere in hanc rem potuisset. [2] Alioqui nullum fore exhibitionis flagitandæ finem, si ob supradictam clausulam exhibitio semper facienda esset recognitionis prioris ad quam posterior relata proponeretur, [3] Addebat frustra quoque & inutiliter postulari exhibitionem, cùm etiamsi ex antecedente recognitione constaret vtriusque fundi onera diuisa aliquando fuisse, non eo minùs tamen verum esset distinctam

postea

BIU Cujas

postea fuisse ab eo, qui cùm vtriusque fundi dominus esset, vtique confundendi seruitij ius habuisset. [4] Quo facto non poterat fundus reo venditus alio iure apud eum esse, quàm quo fuisset penes venditorem. [5] Replicabat reus exhibitionis huius petendæ causam dedisse actorem, qui eam ipsam recognitionem eidem reo extra iudicium exhibuisset, ac in ipsa exhibitione conuenisset, vt ad formam illius recognitionis canon annuus solueretur, & in posterum recognosceretur. Placuit de facti huius veritate ante omnia inquirendum, [6] vt si vera esse appareret quæ reus diceret, exhibitionem petitam facere actor cogeretur, & ea canonis quantitate contentus esse, quæ priore illa recognitione, non quæ posterioribus comprehensa esset, cùm per relationem in posterioribus factam ad anteriorem constaret non eam fuisse contrahentium voluntatem, vt onera pensitationis annuæ confunderentur, si quando contingeret, vt fundi illi ad plures peruenirent. [7] Et si in vnius eiusdémque domini persona parùm interesset, an confusio illa induceretur necne. Nisi hactenus, vt confusione facta, non posset ille ad declinandam canonis solutionem fundum vnum derelinquere retento altero, quod tamen si confusio nulla facta esset, permitteretur. [8] Itaque per errorem & incuriam notarij, vt celeriùs expediret potiùs quàm ex voluntate contrahentium prior forma recognitionis per subsequentes, quantum ad solum corticem verborum immutata videbatur. [10] *Ita Senatus* in causa Chartusianorum, & N. Claud. de Mondragon, 7. Calend. Iunij 1612.

1 Quia cogitur actor edere reo ad fundandam exceptionem, *l. si vbi not. C. de edend.*

2 Dixi *Desin. 10. §. de probat.*

3 Quia vix vlla profertur recognitio tam antiqua, quæ non ad aliam antiquiorem referatur. Non est autem dandus progressus in infinitum, *l. 2. C. de re iudic.*

4 Est enim quilibet rei suæ moderator & arbiter, *l. in re mandata 21. C. mandat.*

5 Ex regula *l. nemo plus iuris 54. de reg. iur.*

6 Ex facto enim ius oritur *l. si ex plagis 52. §. in cliuo, D. ad leg. Aquil.*

7 Nulla enim causa noua superuenerat canonis confundendi, cùm possit vnus & idem possessor plures fundos habere de dominio directo eiusdem domini sub seruitiis separatis.

8 Vt dixi *Desin. 11. §.*

9 Simile quiddam est in *l. si ita quis 66 ff. de hered. inst.* ibi, *quia non tam coniunxisse quàm celeriùs dixisse videtur.*

10 Semper autem sensus spectandus est potius quàm sonus verborum, *l. vbi purè 19. §. 1. ad SC. Trebell. l. 5. §. 1. D. de pign.* Et error numquam nocet, quia imperitiam detegit, *l. si per errorem 15. D. de iurisd. l. errore 7. C. de testam.* vide *l. penult. D. fin. regund. & l. in finalibus 3. 11. eod. l. 2. Cod. eod.* ibi & vicinorum noui consensus.

DEFINITIO LXXVII.

Impensæ factæ in rem venditam sub pacto de retrouendendo non augent laudimia debita ex retrouenditione.

NOn idcirco maiora laudimia ex retrouenditione debentur, quod per impensas & meliorationes ab emptore in rem venditam factas, [1] maior ei quantitas pecuniæ restituenda sit à venditore, quàm quæ precij nomine data fuerat. Non enim auget ea res quantitatem precij, [2] ex cuius solius comparatione laudimia debentur, [3] quamuis oneret venditorem. [4] *Ita tractatum est* in causa D. de la Barre, & Antonij Le beuf, ante Id. Septemb. 1613.

1 Quas nemo dubitat restitui emptori debere per venditorem, cùm eas emptor iure suo fecerit, & rem pretiosiorem reddiderit. Ne alioqui venditor ex emptoris iactura locupletetur, quod etiam in prædonis persona iniquum esset, *l. plane 38. D. de heredit. petit.* Impensas tamen aut necessarias, aut saltem vtiles, & permanentes esse oportet, *l. in fundo 37. l. sumptus 28. de rei vindic.*

2 Precium enim illud est de quo in vendendo conuenit ad æstimandam rem venditam, *§. precium, Instit. de empt. & vend. l. 1. de contrah. empt.* Adeo vt si quid vel minimum addatur, vel detrahatur precio, noua emptio fieri videatur, *l. pacta 72. §. Paulus notat. eod. tit.*

3 *l. vlt. C. hoc tit.*

4 Aliud enim est onerari venditorem, aliud verò augeri precium venditionis.

DEFINITIO LXXVIII.

Dominus directus potest petere laudimia etiam ignorante, dum ne inuito conductore.

QVæsitum aliquando fuit, An dominus, qui omnes dominij sui directi fructus alij locauerit, & nominatim, vt fieri solet, ius percipiendorum laudimiorum, possit ipse nihilominus laudimia petere, si non inuito saltem ignorante conductore. An verò sit repellendus, quasi agens nullo iure & sine actione. [1] Videbatur enim hoc casu totum ius exigendorum laudimiorum ad solum conductorem ex contractu locationis pertinere, [2] nec proinde aliter posse domino directo competere, quàm si ius à conductore retrocessum haberet, [3] aut saltem volente conductore experiretur. [4] Visum tamen est saluum ius esse domino laudimia petendi, dum ne inuito & contradicente conductore. [5] Cùm laudimia iure directi dominij debeantur, [6] quod nemo dixerit per locationem transire in conductorem. [7] Et quamuis in vtriusque concursu potior conductoris causa esse debeat, quem locator prohibere non potest frui re conducta, [8] Est tamen hæc exceptio, vt apparet, de iure tertij, neque ipso iure exclusiua iuris agentis, [9] sed tantùm per oppositam doli exceptionem, neque hoc ipsum aliter, quàm si tertius velit. Quod genus exceptionum admitti numquam debere meritò placuit. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam sine actione agere nemo potest, *l. si pupilli 6. §. vltim. de negot. gest. l. quoties, 9. §. & generaliter. D. de admin. tutor.*

2 Cum id actum sit inter locatorem & conductorem, vt in re conducta esset conductor vice & loco ipsius locatoris, *l. ex conducto 15. & pass. D. locat.*

3 Est enim retrocessio necessaria, cùm alioquin iis qui iura sua & actiones remittunt, non sit dandus regressus, *l. queritur 17. § si venditor, de ædilit. edict.*

4 Nec enim volenti & consentienti fit iniuria, *l. in diem 9. §. 1. de aqua & aqua pluu. arcend.*

5 Nam inuito conductore, locatorem agere iniquum esset, & contra bonam fidem, ideoque repellendus esset exceptione doli, vt in *l. si pecunia 77. de leg. 1. l. sæpe 63. versicul. scientibus D. de re iudic.*

6 *L. vlt. C. hoc tit.*

7 *L. non solet 39. D. locat.*

8 *d. l. ex conducto 15. & pass. D. locat.*

9 Quod esset necesse, vt possit opponi *l. 4. §. competit*, vbi Bart. & alij *D. si seruit. vindic.*

10 Bart. & alij ad *l. 2. de except. rei iudic.* Iunge *l. si seruus 61. §. locaui, de furt.* Vbi dicitur conductorem non habere ius vllum in fructibus prædij conducti, antequàm eos perceperit. Ac ne quidem cùm percepit, nisi quia ex domini voluntate eos percepit.

DEFINITIO LXXIX.

Ex venditione facta per suum heredem etiam post abstentionem debentur laudimia.

ELeganter dubitatum est, cùm filius, qui se paternis bonis abstinuerat, fundum paternum tanquam suum vendidisset, an ex ea venditione laudimia deberentur. Occurrebat enim, quod filius qui

BIU Cujas

se abstinuit, licet nihilominus ipso iure hæres maneat,[1] effectu tamen, & apud Prætorem hæredis loco non habetur.[2] Nec rursus potest se immiscere post abstentionem, tametsi maximè velit,[3] nisi minor proponatur, vel intra triennium à Iustiniano præstitutum constitutus.[4] Itaque non alio iure censenda venditio hæc videbatur, quàm quo censeri solent venditiones omnes rei alienæ, ex quibus cùm dominij translatio nulla fiat,[5] nec laudimia vlla deberi constat,[6] licèt non eo minùs valeant ad obligandum emptori venditorem.[7] Sed tamen verius visum est laudimia ex hac venditione deberi, vtpote, per quam fatendum sit dominium, quod penes suum hæredem ipso iure manserat[8] translatum in emptorem fuisse.[9] Maximè cùm per eam abstentionem bona patris ad alium neminem peruenissent,[10] sed à filio prætextu hypothecarum dotalium, vt fieri solet, retenta essent.[11] Manet enim filius etiam post abstentionem hæres,[12] nec tantùm nudo nomine,[13] & iure ciuili, sed etiam apud Prætorem & effectu ipso, quod ad omnia excepto eo, quod neque à creditoribus hæreditariis conueniri potest, neque aduersus debitores hæreditarios agere,[14] adeò vt si paternam hæreditatem alij restituere sit iussus à qua dixerit se abstinere, non ideo cogendus sit se immiscere, vt in aliis hæredibus necessariis euenit,[15] sed citra vllam immixtionem restituendo hæreditatem rectà transferat actiones,[16] & rerum omnium hæreditariarum dominium bonitarium,[17] quod vtique transferre non posset, si non haberet.[18] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. cùm quasi 30. §. sed etsi suus de fideic. lib.*
2 *L. si filius 12. D. de interrog. in iur. fac.*
3 *L. si seruum 71. §. vlt. de acquir. hered.*
4 *Ex l. vlt. C. de repud. vel abst. hered.*
5 Nemo enim plus iuris transferre potest, quàm ipse habeat, *l. 54. de reg. iur. l. traditio 20. de acquir. rer. domin.*
6 Quæ scilicet non debentur, nisi ob translationem dominij *l. vlt. C. hoc tit.* Dixi *Defin. 74. 5.*
7 *L. rem alienam 28. D. de contrah. empt.*
8 *d. §. sed etsi suus.*
9 *d. l. traditio 20. de acqu. rer. domin. l. ex empto 11. §. & in primis, de action. empt.*
10 Quod tamen plerumque fit, vt in *l. ex contractu 44. de re iudic. l. paterfamilias 28. de rebus auth. iud. possid.*
11 Quippe quarum nomine competit retentio, & mulieri & liberis eius iure hypothecæ, siue tacitæ, siue expressæ, *l. assiduis 12. C. qui potior. in pign. hab. l. in rebus 30. C. de iur. dot. l. 1. in princ. de pignor.*
12 *dict. § sed etsi suus.*
13 Vt loquitur *l. 2. §. sed si sint, D. ad SC. Tertyl. l. etsi 6. §. si filius, de bon. libert.*
14 *d. l. si filius 12. de interrog. in iur. fac. l. necessariis 57. de acquir. hered.*
15 *L. recusare 6. §. hoc Senatusconsultum, D. ad SC. Trebell.*
16 Textus est elegans in *l. ita tamen 27. §. si pater filium eod.*
17 *L. facta 63. in princ. eod.*
18 *d. l. 54. de regul. iur. cum similibus.*

DEFINITIO LXXX.

Vendita hyperocha debentur laudimia totius quantitatis, quam soluere emptor debet.

EX venditione hyperochæ,[1] quam vulgo pluris valentiam vocant, laudimia debentur ad ratam, & proportione non eius tantùm precij, quod pro hyperocha conuentum fuerit,[2] sed computato etiam eo quod alij soluendum est priusquam rei cuius hyperocha vendita est, possessio adprehendi possit,[3] siue teneatur ea res ab alio iure dominij, puta cui fuerat vendita viliore, vt fit, precio, sub pacto de retrouendendo,[4] siue iure pignoris & hypothecæ.[5] Nam quemadmodum hyperochæ solius venditio totam rem ipsam continet, postquàm fuerit à primo, siue emptore, siue creditore liberata:[6] Ita nec aliud huiusmodi venditionis precium esse intelligitur, quàm quod ex summis omnibus quæ ab emptore præstari debent simul iunctis constituitur.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic vocatur in *l. quærebatur 20. D. qui potior. in pign. hab.*
2 Quæ res nullam penitus dubitationem habet.
3 Quasi totum illud constituat partem precij. Quid enim refert an emptor pecuniam soluat venditori, an ex voluntate venditoris alij, cui eam soluere venditor debuit? *l. quia perinde 42. D. ad SC. Trebell. l. 3. §. si debitorem, de donat. int. vir. & vxor. l. si venditor 6. §. 1. D. de seru. export.*
4 Aut alio simili, vt in *l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.*
5 Vt in *l. & quæ nondum 15. §. vlt. D. de pignor.*
6 *dict. §. vlt.*
7 *d. l. 6. §. 1. de seru. export. l. si sterilis 21. §. si tibi, de act. empt. l. fundi partem 79. D de contr. empt.*

DEFINITIO LXXXI.

Neque feudatarius, neque emphyteuta potest domum feudalem vel emphyteuticam fortiorem facere sine consensu domini.

ETsi cunctis permittitur murali ambitu fundos proprios & loca dominij sui constituta vallare pro arbitrio, si nullo alio, quàm communi iure prohibeatur:[1] feudatario tamen & emphyteutæ non licet ex domo arcem & quasi fortalitium facere, quod barbari dicunt, *domum incastellare*, sine domini consensu & voluntate,[2] vt liberum sit domino ingredi & egredi cùm volet. *Ita tractatum est* Idib. Septemb. 1613.

1 *L. per prouincias. C. de ædific. priuat. l. 9. 14. & 24. vtb. pred.*
2 Boer. *quæst. 320.* Bald. *ad l. fin. Cod. de pact. int. empt. & vendit.* Chop. *super consuet. Andegauenses lib. 1. cap. 42.*

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI
DEFINITIONVM FORENSIVM, ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ Senatu Tractatarum,
LIBER QVINTVS.
TITVLVS PRIMVS.
DE DONAT. ANTE NVPT.

DEFINITIO I.

Donatio certæ quantitatis restringenda sub conditione interim tenet, quousque probetur conditionem restrictionis extitisse.

AMPLISSIMIS donationibus inter coniuges fauore matrimonij factis in eius vtilitatem, qui supereſſet, (quas *de superuita* vulgo vocant,[1]) ſubiecta bonorum omnium obligatione cum clauſula conſtituti, eodē inſtrumento conuenerat, vt quoniam mariti facultates vxoris facultatibus non reſpondebant, liberalitas mulieris ad eam quātitatem reſtringeretur, quæ ex mariti bonis in contrarium euentum redigi poſſet. Plerique putabant vxore præmortua, non prius maritum in poſſeſſione bonorum dotalium ex eiuſmodi donationis cauſa retinendum, quam oſtendiſſet, quid ille in bonis habuiſſet contractus tempore, haberetve hodie, ſi auctæ non imminutæ ipſius facultates proponerentur, vt ex eo ſciri poſſet, quantum viciſſim ex donatione ſibi ab vxore facta conſequi deberet.[2] Videbatur enim ſub conditione factam donationem,[3] ideoque nec conſtituti clauſulam ei prodeſſe poſſe ad retinendam poſſeſſionem,[4] non ſolum quod in contractu cōditionali appoſita vires nullas habere poſſit ante euentum conditionis,[5] ſed etiam quod neque incerta pars bonorum tradi & poſſideri queat,[6] neque certorum bonorum hypotheca pure contrahi ad concurrentem vſque incerti debiti quantitatem.[7] Sed propius intuentibus poſtea viſum eſt, vtramque illam & mutuam inter coniuges donationem pro pura habendam, reſtringendam tamen ſub conditione, ſi ex poſtfacto appareret, tanti non eſſe mariti facultates.[8] Proinde incerto eo tuendum maritum in poſſeſſione bonorum mulieris ad concurrentem vſque ſummam integram, quæ expreſſa eſſet, ſaltem præſtita cautione, ſi quid amplius, quam per conuentiones liceret, accepiſſet, id ſe reſtituturum.[9] Cui conſequens fuit, vt mulieris heredibus incumberet onus probandi, quod in mariti facultatibus minus eſſet, quam vt tantam donationem mereretur, qui tantam de ſuo præſtare non poſſet.[10] *Ita Senatus* in cauſa Illuſtris D. Chriſtophori Durſe, & Dominorum fratrum de la Chambre, 6. Non. Mart. 1594.

1 Cuiuſmodi donationum vix eſt, vt mentio vlla reperiatur in l. bris noſtris. Nam *lex ſi inter* 8. *D. de rebus dub.* loquitur de donatione facta inter coniuges conſtante matrimonio, & quæ ab initio non valeat, ſed tantum donatoris morte confirmetur, de qua & *in tot. tit. de donat. int. vir. & vxor.* D. & C. Vide Guid. Pap. *quæſt.* 65.

2 Ex natura ſcilicet correlatiuorum, quæ illa eſt, vt vnum ab alio declaretur & reguletur, *l. vtrum* 7. *§. vlt.* vbi Cuman. *de reb. dub.*

3 Sub illa nimirum, ſi tātundem in bonis haberet maritus.

4 Prius enim eſt, vt poſſeſſio acquiſita ſit, quam vt poſſit retineri.

5 Conditio enim quandiu non eſt impleta ſuſpendit actum, nec minus circa acceſſoria, quam circa principale, *l. cedere diem*, 213. *de verb. ſignif. & tot. tit. de cond. & demonſt.*

6 *L. locus* 26. *verſ. incerta D. de acquir. poſſ.* iunct. *leg.* 3. *§. incertam, eod. l. ſi furt.* 32. *§.* 1. *de vſucap.*

7 Debet enim certa eſſe ſumma, pro qua pignus datur, vt lui poſſit *tot. tit. C. de luit. pignor.*

8 Eſt enim longe aliud fieri contractum ſub conditione, & reſtringi aut reſolui ſub conditione, *l.* 1. *de leg. commiſſ. l.* 2. *D. de in diem addict.*

9 *Argum. l.* 1. *& tot. tit. D. ſi cui plus, quam per leg. Fale.*

10 Semper enim probandi onus incumbit ei qui dicit, & debet quiſque probare id, quod eſt fundamentum ſuæ intentionis, *l.* 2. *l. in exceptionibus* 19. *& paſſ. D. de probat.* Facit *l.* 3. *C. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Veſtes vxori traditæ à marito, ſiue nuptiarum tempore, ſiue conſtante matrimonio, quando reddendæ ſint marito aut eius heredi.

VEſtes pretioſæ, quas maritus cum nuptias contraheret vxori dedit, poſtea ſoluto matrimonio reſtituendæ ſunt marito, eiuſve hæredibus[1] non etiam quæ mulieri datæ ſunt ad vſus quotidianos.[2] quæ datæ ſunt ante nuptias, beneuolentiæ tantum promerendæ aut teſtificandæ gratia, eæ numquam reſtituuntur, nec ſi pretioſæ ſint, quia pure & ſimpliciter donatæ intelliguntur.[3] In qua cauſa id etiam eſt, quod ipſo nuptiarum die extra dotales tabulas datum ſit.[4] Quod ſi ſint æſtimatæ veſtes, ita vt tam pro dote, quam pro veſtibus nuptialibus, quod plerumque fit, certa quantitas à marito promiſſa datáve ſit, omnes omnino erunt reſtituendæ, quas poſtea maritus in vxorem contulerit, ne duplici veſtium præſtatione maritus eiuſve hæres oneretur.[5] Sed tales reſtituentur, quales erunt matrimonij ſoluti tempore, nec imputabitur mulieri, cur eas vtendo attriuerit.[6] Quod tamen non, niſi de iis veſtibus accipiendum eſt, quæ ipſo nuptiarum tempore datæ ſint vxori. Nam quæ conſtante iam matrimonio datæ

probabuntur, eæ si ad quotidianos vsus, id est, non pretiosæ fuerunt, [7] nullo modo restituuntur. [8] Porro facta æstimatione, non distinguimus, an talis tantaque sit æstimatio, vt appareat pretiosas vestes æstimatas, an minus pretiosas. Cum enim æstimatio faciat emptionem, [9] videtur maritus tanti nuptiales vestes æstimasse, eaque pecunia non tam vice vestium, quam pro earum pretio ad mulierem peruenisse. [10] Annuli nuptialis alia ratio est. Is enim, quanticumque sit pretij, numquam restituitur. Nimirum quia dubitari non potest, quin is mulieri donatus sit, non solum vt cætera, quæ vocant iocalia, quæ ideo nec ipsa soluto matrimonio restituuntur, [11] sed specialiore quadam ratione in signum & testimonium contracti matrimonij, [12] quod licet postea solutum sit, non eo minus tamen verum est, aliquando contractum fuisse. [13] Quæ ratio facit, vt si talis eueniat casus, in quo iocalia omnia restitui oporteat, vtputa transeunte muliere ad secunda vota, tumque decedente superstitibus ex priore matrimonio liberis, [14] annulum tamen nuptialem nullo casu restitui debere placeat, nec si sit pretiosissimus. [15] *Ita Senatus* in causa N. Catharinæ de Lallee viduæ D. Senatoris de Beauuiour, & Dn. de la Fontaine soceri, 6. Id. Martij 1594. Iunge Def. 13. supr. De secund. nupt.

1 Quasi datæ ad decorem & ostentationem potius, quam donatæ: Non enim facilis est præsumptio donationis rei pretiosæ, *vulg. l. cum de indebito 25. ff. de probat.*

2 Nam quæ data sunt ad vius quotidianos, si talia sint, quę vsu consumantur, non possunt videri data animo repetendi, præsertim cum ista contineantur etiam alimentorum nomine, quæ vxori exhibere maritus debet, *l. legatis, 6. ff. de aliment. legat.* Vide Afflict. *decis. 315.* Capell. Tholos. *numer. 336.*

3 *L. quod sponsæ 4. l. cum veterum 15. & seq. C. hoc tit.*

4 Ad quarum scilicet acquisitionem vel osculum sufficeret, *l. si à sponso, 16. eod.*

5 Contra id, quod verisimile est actum esse, *arg. l. Titia 34. §. qui inuita, vers. non est enim verisimile. de legat. 2.*

6 Debuit enim maritus prospicere ita euenturum, vt huiusmodi vestes vsu adeoque solo tempore fierent deteriores, *arg. l. si quis domum 9. §. 1. vers. quia hoc euenire, ff. locat.*

7 Non enim dari solent ad vsus quotidianos vestes pretiosæ, sed ad ornatum, *l. quamuis 26. l. cum in testamento 28. l. si vxori 39. in princ. ff de aur. arg. mund.*

8 Quia hæ alimentorum nomine continentur, non etiam nuptiales, *d. l. legatis.*

9 *L. 1. & 3. ff. pro emptor. l. 1. ff. de æstimat. act. l. sed etsi 7. §. 1. ff. de publician.*

10 Quia æstimatio venditio est, *l. plerumque 10. §. penult. ff de iur. dot.* excipe casum, *l. æstimatis 50 ff. solut. matr. l. 5. inter 21. C. de iur. dot.*

11 Nisi in casu cum mulier transit ad secunda vota, vt sequitur in Definitione.

12 Solet enim talis annulus dari, cum sponsalia contrahuntur per verba de præsenti, aut in ipsa nuptiarum apud ecclesiam solemnitate.

13 Cum neque solui possit matrimonium, nisi quod contractum fuit, *l. si in diem 46. l. Titio vsufructus 96. de condit. & demon. l. non potest videri 208. de reg. iur.*

14 *l. fœminæ, 3. C. de sec. nupt.*

15 Vt fit in memoriam bene transacti matrimonij, *l. vnum 67. §. vlt. de leg. 2.*

DEFINITIO III.

Dotis augmentum consuetudinarium non semper debetur ex dotis comparatione. Imo aliquando nullum debetur.

AVgmenti dotalis, quod Sabaudiæ moribus frequentatur, tantus fauor est, vt non solum citra conuentionem & ipso iure debeatur, [1] sed etiam ita ne vlla conuentione deterior eius conditio fieri possit, [2] sicut nec dotis. [3] Debetur autem ad concurrentem vsque dotis dimidiatæ quantitatem. [4] Quid ergo si dos bonorum vniuersorum constituta fuerit, quæ & incertæ & amplissimæ sint æstimationis? An non iniquum sit, tantum tamque incertum onus maritum subire, cuius integræ facultates eiusmodi augmento præstando fortasse non sint sufficturæ? Ita sane est. [6] Ideoque solet hoc casu certa quantitas augmenti nomine promitti. Vel ob id saltem, ne dotis æstimandæ necessitas quandoque occurrat, quæ & sumptuum & litium materiam ingentem præbeat. [7] Itaque cum tali facta dotis constitutione augmentum certæ quantitatis promissum diceretur, nec tamen probaretur, tametsi probata esset dotis vniuersorum bonorum constitutio, Senatus noster nihil augmenti nomine deberi pronunciauit. [8] In ea causa, de qua in Definit. 16. infra, Qui potior. in pignor. hab.

1 Non tamen cuilibet mulieri nubenti, sed virgini duntaxat in præmium virginitatis. *Defin. 1. infr. de iur. dot.* vbi vide *num. 9.* Est autem longe diuersa ratio huius augmenti & illius sponsalitiæ largitatis, de qua *in Nouell. 119. vt sponsal. largit. special. sit contr.*

2 Est enim veluti pars dotis, *l. inter socerum 29. §. 1. ff. de pact. dotal. etiamsi 8. Cod. de iur. dot.* Vide *Definit. 1. infr. de pact. conuent.*

3 *L. Attilicinus 17. ff. de pact. dotal.*

4 Iure ita moribus nostris recepto.

5 Nihil enim vetat mulierem dare in dotem bona sua omnia, *l. 4. C. de iur. dot.* nisi ita faciat vel fraudata ipsa, vel fraudans, vt ibidem nostri notant. Iunge *l. mulier bona 72. ff. eod. ill. titul.*

6 Numquam enim credendus quis est velle immodice obligari, *l. si libertus ita 30. ff. de oper. libert.* nec beneficio decipi quemquam oportet, sed iuuari, *l. in commodato, 17. §. 1. ff. commod.*

7 Interest enim etiam mulieris, neque litibus, neque sumptibus vexari, *l. minoribus 6. ff. de minor. l. 1. C. de admin. tut. l. vlt. ff. de prætor. stipulat.*

8 Promissio enim augmenti certæ quantitatis est facti, *l. cons. 3. §. vltim. de curat. fur.* facta autem probanda sunt, alioqui non deficit quidem ius, sed probatio, *l. duo sunt Titij 30. ff. de testam. tutel.*

DEFINITIO IV.

Augmentum dotis consuetudinarium etiam certa dote constituta aliquando incertum est, & pro arbitrio boni viri statuendum.

COnsuetudinarium illud augmentum, de quo proxime diximus, tum deberi intelligitur, cum apparet de dote, quæ constituta sit, & quidem in pecunia. Nam si nulla proferatur dotis constitutio, sicuti nulla dos est, [1] ita neque dotis augmẽtum vllum intelligi potest. [2] Sed & cum dos in bonis immobilibus consistit, æquum non est ad ratam æstimationis bonorum augmentum constitui, quia non eandem vtilitatem marito adfert vsus bonorum immobilium, quã pecuniæ numeratæ. [3] Idemque est, si bona mulieris mobilia proponantur. [4] Sed & quoniam bona non intelliguntur nisi deducto ære alieno, [5] difficile est vt sciatur, quid reuera in bonis sit, [6] quod tamen sciri necesse esset ad augmenti quantitatem constituendam, quæ semper certa esse debet, præberetque eares ingentem litis materiam. [7] An igitur nullum eo casu augmentum debebitur in præmium virginitatis? Imo debebitur, sed quod boni viri arbitrio ex personarum qualitate potius, quam ex dotis comparatione constitui oporteat. [8] Nec aliud erit si ponas data in dotem bona omnia filiæ, quæ vniuersam patris hæreditatem acceperit, tametsi nihil in hæreditate sit præter pecuniam numeratam. Nam vt taceam, quod hoc casu idem contingit, vt non facile sciri possit, quid sit in hæreditate, quandoquidem hæreditas est nomen iuris, habetque commoda & incommoda;

BIU Cujas

moda; illa etiam ratio facit, ne ex dotis proportione augmentum possit constitui, quod alioqui facile euenire, vt maritus oneraretur supra modum, si poneres, in ea hæreditate amplissimas in pecunia fuisse facultates, quæ deducto omni ære alieno supereſſent. [10] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua in Defin. 18. & 19. infr. de test.

1 Nimirum iis casibus, in quibus non præsumitur mulier bona sua omnia dedisse in dotem, de quibus vide Bart. *in quæst. incip. mulier habens amplum patrimonium.* Potest enim matrimonium esse sine dote, quamuis non æque possit dos esse sine matrimonio, *l. 3. D. de iur. dot.*

2 Sunt enim ista correlatiua, quorum alterum sine altero esse non potest, *l. 1. C. de express. lib. 11. tit. vlt.*

3 Itaque minus commodam, licet magis tutam dotem habere creditur, qui eam habet in bonis immobilibus, quam qui in pecunia, propter facultatem & vtilitatem negotiationis.

4 Quorum scilicet vsus tantum aliquis est, at fructus nullus, *l. 1. & pass. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.*

5 *L. subsignatum 39. §. 1. de verb. signific. cum similib.*

6 *L. vltim. D. de vsufr. legat. l. si quis seruum 8. §. vlt. cum l. seq. de leg. 2.*

7 Vt cætera omnia, quæ incertitudinem aliquam admixtam habent, *l. vlt. de præscr. stipulat.* quia non potest ferri vtiliter sententia, quæ sit incerta, *l. pen. & vltim. Cod. de sent. quæ sin. cert. quant. profer.*

8 Quomodo & dos ipsa aliquando constituitur arbitrio boni viri, *vt in l. cum post 69. §. gener. D. de iur. dot.*

9 *L. hereditas 50. de petit. hered. l. 1. & 2. D. de bonor. possess. l. 4. D. ad SC. Trebell.*

10 Vt diximus *Defin. præced.* in cuius tamen specie illud amplius est, quod nullum dotis augmentum debetur, quia ex facto propositum erat, nec tamen probatum, certæ quantitatis augmentum promissum fuisse. Prouisio enim hominis etiam ab eo allegata, qui probare ipsam non possit, tollit prouisionem legis siue scriptæ, siue non scriptæ, *vulg. l. vlt. Cod. de pact. conuent. tam sup. dot. l. maritus 21. C. de procurat.*

DEFINITIO V.

Consuetudo prouinciæ Bugiensis circa dotis augmentum consuetudinarium & conuentionale.

SÆpius relatum est, in prouincia Bugiensi consuetudinem inueteratam obtinuisse, vt defuncta sine liberis muliere, cui dotis augmentum siue in contractu matrimonij donatum, [1] siue ex more regionis acquisitum fuerat, reuertatur augmentum ad mariti heredes quoscunque etiam extraneos. Idque alias & probatum & pronunciatum in causa quadam viri clarissimi Claudij Guichardi Sereniſſimi Sabaudiæ Duci Consiliarij, & supplicum libellorum magistri eruditissimi affinis mei. *Sine die.*

1 Quo tamen casu difficilius videtur, vt stipulatio & conuentio pura tacitam habeat conditionem, sub qua dos ad maritum reuertatur, quamquam nec hoc in dote nouum est, *l. dos à patre 4. Cod. solut. matrimon. l. stipulationem 21. ff. de iur. dot.* [Intelige tamen hanc consuetudinem Bugiensem, nisi mulier malit esse contenta augmenti parte dimidia, quo casu partem illam dimidiam habet sibi pleno dominij & proprietatis iure, nec eam reddit extraneis mariti sui heredibus. Electionem igitur habet an malit toto dotis augmento frui quamdiu viuit restituendo post mortem suam extraneis, an vero dimidiam partem augmenti habere sine onere restitutionis. Plane liberis suis omni casu augmentum seruare cogitur. *Ita Senatus* 29. Maij 1566.]

DEFINITIO VI.

Augmentum dotale consuetudinarium non transmittitur ad extraneos heredes mulieris prædefunctæ, nisi expresse dictum sit.

AVgmentum dotale consuetudinarium, quod in Sabaudia frequentatur, eam conditionem tacitam habet, vt si mulier sine liberis ante maritum decesserit, remaneat penes maritum, nec ad alios quoscumque mulieris heredes transmittatur, [1] nisi vno illo casu, quo viuenti mulieri pleno iure fuerit quæsitum, quod euenit cum mulier superstes fuit. [2] At finge, tabulis dotalibus conuenisse, vt maritus, eiusve hæres & dotem & augmentum mulieri eiusve heredibus restitueret euenientе casu restitutionis. An præmortua vxore sine liberis augmentum conuentionale sequetur naturam dotis, vt mulieris heredibus etiam extraneis restituatur? [3] Dubitationem facit, quod quamuis non valeant pactiones, per quas fit deterior conditio augmenti dotalis, sicut nec per quas dotis, [4] valeat tamen per quas fit melior, cuiusmodi hæc est. [5] Sed placuit contraria sententia, quia hæc conuentio interpretationem accipere debeat ex consuetudine, [6] quæ non vult augmenti dotalis restitutioni aliter locum esse, quam si aut mulier superuixerit, aut superstitibus liberis prædecesserit; idque sonant verba illa conuentionis, [7] *Euenientе casu restitutionis.* Nam quo tempore casus ille esset euenturus, non fuerat expressum conuentione, proinde remanebat id in dispositione iuris consuetudinarij: [8] nec aliud esset, tametsi verba illa non fuissent addita, quia pro expressis haberi deberent. [9] Neque ad rem pertinebat, quod eadem clausula conuentum fuerat de dotis & augmenti restitutione. [10] Non enim idcirco fieri poterat, vt idem casus esset restitutionis augmenti & dotis, cum diuersa sit ratio. [11] Dos enim à muliere proficiscitur, augmentum vero à liberalitate mariti. Et licet propter defloratione detur, non tamen vsque adeo absolute datur mulieri liberos ex eo matrimonio non suscipienti, vt si præmoriatur, transmittere possit ad extraneos, quomodo transmittit dotem. [12] Sane quin expressa conuentione huic consuetudini derogari possit fauore augmenti, dubitari non oportet. [13] *Ita Senatus* in causa Hyppoliti Fillion & Antoniæ du Prà. *Sine die.*

1 Quia persona mulieris est, quæ nunc fauorem meretur propter defloratione. Et ideo non transit hoc ius ad mulieris heredes, *l. quia tale 14. D. solut. matrim. l. ex pluribus 42. D. de admin. tutor. l. priuilegia 196. de reg. iur.* Adde not. *in l. 1. C. de priuil. dot. l. assiduis 2. C. qui potior. in pign. hab.* [Imo neque transit ad liberos ex eo matrimonio susceptos donatio propter nuptias, si mulier prædecesserit, *l. si quis liberis 18. C. de donat. ante nupt.* Ex ratione scilicet iuris communis. Nam augmenti nostri consuetudinarij alia ratio est.]

2 Eo namque casu mutatur qualitas & conditio augmenti, & quod prius fuit augmentum dotis fit proprium patrimonium mulieris, *argum. l. per curatorem 9. §. 1. de acquir. hered. l. vltim. Cod. de inoffic. testam. l. 1. §. veteres, vbi not. ff. de acquirend. possess.*

3 Mulier enim transmittit dotem ad quoscunque heredes etiam extraneos, *d. l. assiduis & d. l. 1. C. de priuileg. dot.*

4 *l. Attilicinus 17. iunct. l. inter socerum 26. §. cum inter, ff. de pact. dotal. l. etiamsi 8. C. de iur. dot.*

5 *d. l. Attilicinus.*

6 Optima enim sicut legum, ita & contractuum interpres est consuetudo, *l. si de interpretatione 37. ff. de legibus*, iunct. *l. quod si nolit 31. § quia assidua, ff. de ædilit. edict.*

7 Quæ in omnibus conuentionibus, maxime vero in stipulationibus sunt præcipue attendenda, *l. quicquid adstringendæ 99 D de verb. oblig.*

8 Nam casus omissus remanet in dispositione iuris aut communis, aut consuetudinarij, *vulg. l. commodissime 10. de liber. & posthum. l. si cum dotem 22. in princip. D. solut. matr.*

9 Par autem est virtus taciti & expressi, *l. cum quid 3. D. de rebus credit.*

10 Propter quod videbatur fieri debere æqualis determinatio, *l. iam hoc iure 4. ff. de vulg. & pupill. substit. l. 4. C. de impub. & aliis substit.*

11 Vbi enim diuersitatis ratio aliqua reddi potest, diuersum quoque ius statuendum est, *l. 3. §. vnde etiam, D. de iniust. rupt. l. illud 32. ad leg. Aquil.*

12 Itaque in augmento certat mulier de lucro captando, in dote vero de damno vitando, inter quæ multum interest, *l. quod a. 6. §. simili modo dicimus, l. vltim. §. 1. ff. quæ in fraud. credit.*

BIU Cujas

13 Ne alioqui, quod fauore dotalis augmenti constitutum est, in eius odium retorqueatur, contra *l. nulla* 25. *D. de legibus l. quod fauore 6. C. eod.*

DEFINITIO VII.

Nulla præcedente dotis constitutione, aut expressa, aut tacita, nullum dotis augmentum deberi potest.

LIcet maritus omnia vxoris bona constante matrimonio possedisse & administrasse probetur, si tamen nulla dotis constitutio præcesserit, neque aliqua ex iis circumstantiis, quæ facere possunt, vt dos etiam, quæ constituta non est, pro constituta habeatur,[1] non potest mulieri deberi dotis augmentum, quod pro dote constituta deberetur, quia non potest augmentum dotis esse sine dote.[2] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Coruat, & Henrici & Marini Pic fratrum, 29. Mart. 1597.

1 De quibus circumstantiis & casibus vide Bart. *in quæst. quæ incipit, Mulier habens amplum patrimonium.* * *& Defin.* 18. *j. de iur. dot.*

2 Non magis quam vllum esse accessorium sine principali, *vulg. l. cum principalis, & ibi not. de reg. iur.* Vide *l. inter socerum* 26. *§. 1. de pact. dotal.*

TIT. II.

DE NVPTIIS.

DEFINITIO I.

De differentia matrimonij carnalis & spiritualis.

ESt si in plerisque matrimonij carnalis & spiritualis eadem ratio esse creditur, vt ab vno ad aliud argumentum trahatur:[1] in multis tamen differunt.[2] Inter cætera autem in eo, quod matrimonium carnale solo consensu qualitercumque declarato etiam sine verbis contrahitur:[3] spirituale vero non aliter, quam si verba eaque apta & idonea probentur interuenisse.[4] *Sine die.*

1 *Cap. inter corporalia, de transact. prælat.*

2 Differentias vide apud Ioan. Andr. & Imol. *in capit. tua, de sponsal.*

3 *d. c. tua, vbi Canon. l. nuptias consensus facit de reg. iur.*

4 *Cap. quia propter, de elect. c. si quis iusto, §. fin. eod. in* 6. Boer. *quæst. 1. num. vlt.*

DEFINITIO II.

Valent nuptiæ, etiamsi filiusfamilias sine patris consensu vxorem duxerit, & an ex ea causa possit filius per patrem exheredari?

QVod quæri solet inter iuris Interpretes, an valeant nuptiæ, quas filiusfamilias sine consensu patris contraxerit, sicuti nullam iure ciuili habet dubitationem, quia eorum, in quorum potestate sunt coniuges, non minus requiritur consensus ad validitatem nuptiarum, quam ipsorum nuptias contrahentium:[1] Ita post sacrosanctum Concilium Tridentinum, quo in causis matrimonialibus vtimur, vt & in cæteris, quæ ad animam & ad sacrosancta Ecclesiæ sacramenta pertinent, dubitationem habere desiit. Constitutum enim est, vt non eo minus valeat matrimonium, quod patris consensus non interuenerit, si modo nihil desit ex solemnitatibus requisitis.[2] Plane ex ea causa poterit pater filium exheredare, sed ita demum, si eam vxorem filius duxerit, quæ sit ignominiosa & dedecori futura patri,[3] non aliter.[4] *Ita Senatus* sæpius,

1 *L. 2. l. filius* 25. & ibi Gothofr. *D. de rit. nupt.*

2 Vide Concil. Trident. *Sess. de matrim. 24. c. seu decretal. i.*

3 *L. 3. si emancipatus filius vxore, D. de bonor. poss. contr. tabul.* Potestque hæc ingratitudinis causa contineri sub verbis generalibus, quæ extant *in Nouell. 115. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum, vers. si grauem & inhonestam iniuriam eis intulerit.*

4 Neque enim habet hoc quicquam commune cum iis causis ingratitudinis, quas Iustiniani constitutio expressit, *d. Nouell. 115. Vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum.* Et ita pronunciatum fuit a Senatu inter Nobiles Claudium & Philibertum Machetos fratres Necienses, anno 1585.

TIT. III.

DE INCEST. ET inutil. Nupt.

DEFINITIO I.

Pœna incesti confiscatio est omnium bonorum, non mors, si aliud crimen admixtum nullum sit.

INcestas nuptias scienter contrahens etiamnum publicationis bonorum omnium pœnam patitur,[1] quam vsque adeo ipso iure aut potius facto ipso incurrit,[2] vt quamuis ante condemnationem decesserit, non eo minus memoriam eius damnari, bonaque vniuersa tanquam amissa iam & publicata illi, qui hæredem se putabat, adimi oporteat:[3] haud fere secus ac si læsæ Maiestatis crimen admissum proponeretur.[4] Summum tamen capitis supplicium non irrogabitur, si non adulterium quoque aliudve graue crimen coniunctum sit.[5] *Ita in Senatu tractatum est* contra Claudium le Noir, Senatu extra ordinem habito, Prid. Non. Ianuar. 1590.

1 *Ex Auth. incestas, C. hoc tit.* quam non esse correctam per *Auth. bona damnatorum, C. de bon. proscript.* quæ confiscationis pœnam extra certos casus sustulit; tenet Boer. *quæst. 264. nu. 15. circ. fin.*

2 Quoties nimirum incestui aliud nullum crimen admixtum est, licet non agatur de incestu ratione sanguinis, Iul. Clar. *lib. 5. sentent. in §. incestus.* Nam si aliud crimen admixtum sit, pœna mortis est, vt ibi Clarus tractat & sequitur *in Defin. An & confiscatio.* Vide *Defin. 3. j.*

3 Csar. *in d. §. incestus, nu. 1.* Vide Ioann. Papon. *in syntagm. tit. de adul. arest. 7.* Boer. *quæst. 318.* Didac. Couarr. *in libro pract. quæst. cap. de incest. nuptiarum 6.*

4 *d. Auth. bona damnatorum, C. de bon. proscript.*

5 Iulius Clarus *vbi s.* Iunge *Defin. 3. j. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Incestus quid sit, & an ex qualibet illicita coniunctione contrahatur?

INcestus etsi proprie contrahitur ratione consanguinitatis,[1] interdum tamen etiam inter eos est, qui affinitatis tantum, non etiam consanguinitatis vinculo tenentur.[2] Proprie autem incestum committere dicitur is, qui cum personis siue consanguinitatis, siue affinitatis veneratione prohibitis nuptias contrahit:[3] Incestus enim esse non potest, vbi nec cestus est. Cestum autem constat fuisse olim quoddam nuptiarum σύμβολον & argumentum. Non contractis nuptiis illicita quidem coniunctio est, sed non proprie incestus, quamuis & eo nomine interdum vocetur,[4] & eadem pœnas patiatur,[5] quas & tanto grauiores pati deberet, quanto facilius ei succurrendum est, qui matrimonium licet illicitum contraxit.[6] Ideo fortasse quod palam is peccet, & consequenter, vt credibile est, per

iuris

iuris aut facti ignorantiam, vel per amentiam: quorum vtrumque si non excusatione, saltem commiseratione aliqua dignum est. [8] Sunt tamen, qui putent probabilius, cum quibus & ego sentio, incestum sic à matrimonio appellatum, non quod inter eos dumtaxat contrahatur, qui per matrimonium coniuncti sunt, sed potius quod inter eos omnes, qui matrimonium contrahere prohibentur: coniunctio enim illicita ipsa est, quæ incestum facit, non figura coniunctionis. [9] Sane si quæratur, an ex illicita coniunctione affinitas contrahatur, vt sciri possit, an incestus intercesserit, distinguendum est inter coniunctionem, quæ per nuptias, & eam, quæ extra nuptias, ex fornicario, vt loquuntur, coitu facta est. Nuptiis enim accedentibus procul dubio contrahitur affinitas, & per consequentias incestus, vtputa si sororem eius, cum qua rem habuisti, vxorem duxeris. Sed si nuptiæ nullæ sint, separandum est ius canonicum à ciuili. Iure canonico contrahitur affinitas etiam ex coitu fornicario, ita vt sororem eius, cum qua rem habuisti, perinde vxorem ducere prohibearis, ac si iam antea eius sororem tibi per matrimonium iunxisses. [10] Iure autem ciuili affinitas non nisi per nuptias contrahi potest, [11] & quidem iustas, adeo vt si qua de causa iure ciuili interdictæ sint, affinitas nulla concilietur. [12] *Ita Senatus* contra Amedeum Mantellum, 7. Calend. Aug. 1591.

1 *L.vlt.§.1.D.de condict.sin.caus.l.vlt.D.de rit.nupt.*
2 *L.si qua mihi 12.l. adoptiuus 14.cum seq.l.sororis 39.§.1.l.incestæ 52.& seqq.d.l.vlt.de rit.nupt.* Vnde est, quod incestum nostri definiunt, consanguineorum vel affinium abusum. Boer. *quæst.* 246. *num.* 13.
3 *d.l.sororis.§.1.*
4 *L.etiam 56.eod.tit.*
5 *L.si quis viduam 5.D.de quæst.*
6 *L.si adulterium 38.§.nonnunquam, D.ad leg.Iul.de adult.*
7 *Arg.d.l.vlt.D.de rit.nupt.* Vide Iacob. Cuiac. *ad Nouell.* 12. *de incest.nupt.*
8 *L.vnic.C.si quis Imper.maledix.*
9 Vnde est, quod ea demum & sola iuris naturalis coniunctio esse dicitur, quam nos matrimonium appellamus, *l.*1. §.1. *D.de iustit.& iur.*
10 *Cap.discretionem, & cap.fraternitatis, extr.de eo qui cogn.consang.vxor.suæ.*
11 *L.non facile 4.§.affines, D.de gradib.& affin.*
12 *§.sciendum, ead.l.* Anchar. late & eleganter *cons.* 391.

DEFINITIO III.

Quæ sit pœna incesti.

QVid ergo si de incesto puniendo tractetur? Distinguendum est, An incestum cum adulterio, an simpliciter admissum sit? Et cum simpliciter, an in figura matrimonij, an extra? Si incestum cum alio crimine, veluti adulterio aut stupro connexum sit, pœnam habet mortis. [1] An & confiscationis bonorum? maior dubitatio est. Nam Iustiniani constitutio, [2] quæ nouum hoc ius induxit, non videtur ad hunc casum pertinere, sed ad illum dumtaxat, de quo supra scripsimus, [3] cum quis incestas contraxit nuptias: siue quod cum non nisi exilij pœnam infligat, quæ leuior est, facilius admitti potest, vt bonorum amissione mulctetur is, cui mortis pœna remittitur: [4] siue quod ea constitutio, cum sit pœnalis, & à iuris tam veteris, quam noui ratione omnino aliena, [5] non facile extra fines suos sit extendenda. [6] Verius tamen est, irrogandam hoc etiam casu pœnam confiscationis propter delicti atrocitatem, [7] quæ & alias plerumque facit, vt etiam in casibus non exceptis possit locus esse confiscationi arbitrio iudicantis, siue supremus ille Iudex sit, siue ex inferioribus, qui modo confiscandi ius habeat. [8] Neque enim omnes habent. [9] *Ita Senatus* in iis causis, de quibus scripsimus in superioribus.

1 *L.si adulterium cum incesto 38.vbi glos.commun.approbata D.ad leg.Iul.de adult.* iunct. *l.quamus adulterij 12.in fin. Cod.eod.* Didac. late *super 4.Decret.part.2.cap.6.§.8.& cap.7.§.7.nu.16.& seq.* Papon. *in syntagm.lib.22.tit.9.de adulter.arest.7.*
2 *In Auth.incestas, C.hoc tit.*
3 *Defin.1.hoc tit.*
4 Quasi cum eo transactum sit de maiore pœna per pecuniam, *argum.l.quid ergo 13.§.pœna grauior, D.de his qui not.inf.m.*
5 Vt constat *ex Authent.bona damnatorum, Cod. de bon.proscript.*
6 *L.penult.D.de pœn.*
7 Ne minorem quis pœnam patiatur hoc ipso, quod maiorem meruit, *arg.l.cui pacto 5.D.de ser.export.*
8 Vt tractat Boer. *qu.* 264. *nu.* 15. *circ.fin.*
9 *L.vnic.C.ne fin.iuss.Princip.liceat cert.iudic.confisc.*

DEFINITIO IV.

SAne cum paupertas condemnati ea esset, vt subductis impensis litis mulctisque pecuniariis, quarum causam præcedere oportebat, nihil superfuturum esset, quod confiscari posset; [1] *Senatus* in causa illa, quam contra Amedeum Mantel tractatam diximus, [2] nihil de confiscatione pronunciauit. [3] Quamquam illud quoque accedebat, quod in ea specie nec petita confiscatio fuerat: [4] ideo fortasse, quod hoc casu bona confiscari aut confiscata pronunciari nil necesse est, cum ipso iure ipsoque facto confiscationis pœna infligatur. [5]

1 Non enim possunt alia bona ad fiscum pertinere, quam quæ sunt superfutura dimissis creditoribus, cum id bonorum cuiusque esse intelligatur, quod æri alieno supereat, *l.non possunt D.de iur.fisc.*
2 *Defin.2.3.*
3 Inanis enim esset pronunciatio & confiscatio, ex qua nihil commodi posset ad fiscum peruenire, *l.1.§.an bona, D.eod.tit. de iur.fisc.*
4 Non solet autem Iudex quisquam nec debet iudicare vltra petita, *l.vlt.C.de fideic.libert.*
5 Vt scripsimus *Defin.*1.3. Didac. *d.cap.6.§.8. num.6.* post Boer. *d.quæst.* 264. *num.* 12.

DEFINITIO V.

Incestum iure gentium admissum etiam per figuram matrimonij punitur morte, non etiam quod iure tantum ciuili.

AT si incestum simpliciter admissum sit, siquidem per figuram matrimonij locus est iis pœnis, quas Iustiniani constitutio [1] præscripsit, nimirum si de eo incesto agatur, quod non nisi iure ciuili tale sit, id est, cum personæ ex latere aut aliæ moribus prohibitæ inter se coëunt. [2] Nam aliud incesti genus, quod committitur iure gentium, quoties ascendens descendenti coniungitur, [3] sicuti longe grauius est, nullámque omnino admittit excusationem, ne in mulieribus quidem, aut minoribus, [4] ita seuerius & supremo capitis supplicio puniendum est, siue matrimonium interuenerit, siue non. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *In d.Auth.incestas, C.hoc tit sumpta ex cap.1.Nouell.12.de incest.& nefar.nupt.*
2 *L.Libertinus 8.l.sororis 39.§.1.& l.vlt.D.de rit.nupt.*
3 *d.l.vlt.& l.nuptiæ 53.eod.l.vlt.D.de condict.sin.caus.*
4 *L.si adulterium 38.§.1.de adulter.l.auxilium 37.§.1.* vbi & Iacob. Cuiac. *D.de minor.*
5 *L.nemini 7.C.de nupt.d.l.adulterium 38.§.1.de adult.*

DEFINITIO VI.

Pœna incestarum nuptiarum iure ciuili constituta locum habet etiam in iis, quæ non nisi iure canonico sunt incestæ.

SEd & Iustinianeæ constitutioni pœnisque per eam præscriptis [1] locus est, non solum si nuptiæ iure

BIU Cujas

ciuili incestæ proponantur, verum etiam si secundum dispositionem iuris canonici, ad quam procul dubio ciuiles constitutiones hac parte accommodandæ sunt. [2] Quoties enim de nuptiis apud nos tractatur, sequimur ius canonicum, quandoquidem ea res ad religionis & sacramenti causam pertinet. [3] *Ita tractatum est* in iisdem causis.

1 *In d. Auth. incestus, C. hoc tit. & in corpore vnde sumitur.*

2 Hanc enim magis communem & veriorem esse nostrorum sententiam scribit Didac. *super 4. Decret. part. 2. c. 6. §. 8. num. 18.* licet repugnet Iul. Clar. *in d. §. incestus, nu. 3.*

3 Notant nostri *ad tit. de nupt. Instit.*

DEFINITIO VII.

De incesto simplici & iuris positiui extra figuram matrimonij contracto.

QVod si incestum extra matrimonij figuram quis contraxerit, non contra ius gentium, sed contra ius positiuum, siue ciuile illud sit, siue canonicum, neque aliud crimen annexum sit, pœna capitis irroganda non est, [1] licet non desint qui irrogandam existiment. [2] Plane & exilij & confiscationis irrogabitur, ne meliore conditione sit, qui clam deliquit, quam si palam contractis nuptiis per nimiam aut amentiam, aut iuris imperitiam deliquisset. [3] Accedente alio crimine pœna capitis, vt diximus, [4] infligenda est, nisi aliquid sit, quod molliendam pœnam suadeat, vt in perpetuas triremes supplicium capitis commutetur. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra Defin. 1. Nam cum aduersus Claudium le Noir iam ægrotum & moribundum instituta iussu Principis peractaque fuisset accusatio, visum est vel hac sola miserationis ratione, quodque sanus potuisset innocentiæ aut defensionis suæ probationes melius fortassis instruere, mitius cum eo agendum esse.

1 Sed tantum confiscationis bonorum, *ex d. Auth. incestas.*

2 Didac. Couarr. *d. cap. 6. §. nu. 1.* post Grilland. *in tract. de pœn. omnifar. coit. quæst. 4. nu. 4. ex can. de incestu, & can nec eam 35. quæst. 3.* iunct. *glos. ibid.* in verb. *concubitu.* Refert Boer. *quæst. 318. num. vlt.* paulo ante fin.

3 *L. vlt. D. de rit. nupt. l. si adulterium 38. §. 1. D. de adult.* quicquid in contrarium scripserit Anchar. *cons. 391.*

4 *Defin. 3. §.*

5 Nam nec alia incesti pœna fuit hoc casu quam deportationis, *l. si quis viduam 5. D. de quæst.*

DEFINITIO VIII.

Non punitur incestum ab ignorante admissum.

SOrores duas cum eodem amasio rem habentes, atque ita incestum committentes, etiam extra figuram matrimonij, virgis cædendas esse placuit, si modo altera alterius crimen sciuisse probarentur. Scienti enim necessaria est, non vt incestum contrahatur, sed vt pœna committatur. [1] *Ita Senatus* in causa illa, de qua in Defin. 1. Non item in ea, quæ contra Amedeum Mantel: [2] in qua mouit Senatum, quod à sententiæ prioris Iudicis, quæ pecuniariam dumtaxat mulctam inflixerat, nō fuerat tanquam à minima condemnatione prouocatum. [3]

1 Iul. Clar. *in §. incestus, num. 8.* post Bart. *ad l. si adulterium cum incestu, nu. 11. D. ad leg. Iul. de adult.*

2 De qua diximus *in Defin. 2. §.*

3 Nec enim potest sententia rescindi, quæ transit in rem iudicatam, *tot. tit. C. sentent. rescind. non poss.* in eamque rem necessaria est aut appellatio, aut in integrum restitutio, *l. præfecti, 17. D. de minor.*

DEFINITIO IX.

Confessio facta in fauorem vxoris antea cognitæ per adulterium præsumitur simulata.

CVm quis vxorem eam duxit, quam prius polluerat per adulterium, cum aliam haberet vxorem, [1] facile præsumptio sumitur, si quam ab ea dotem se habuisse fateatur, quod confessio illa sit simulara & in fraudem liberorum prioris matrimonij, si qui supersint, [2] maxime vero si alterutrum concurrat eorum, de quibus alibi scripsimus, [3] id est, si machinata probetur adultera in necem legitimæ vxoris, aut data ei fides sit de ipsa post mortem prioris ducenda. [4] Quid non enim machinentur in fraudem liberorum prioris matrimonij, qui machinantur in necem ipsam legitimæ vxoris? [5] Itaque si alioqui dubiæ sint simulationis probationes, quod plerumque euenit propter probationum difficultatem, [6] oneranda erit probatione mulier, quæ se vxorem secundam dicit, vt nisi aperte probet, veram esse confessionem, hoc ipso probetur simulata. [7] Neque vero duobus illis casibus potest res habere dubitationem, cum nec matrimonium subsistat, nec lucrorum nuptialium inter ipsos coniuges fauor vllus sit, nec ius vllum liberorum in causa legitimæ successionis. [8] *Ita Senatus* in eademcausa, de qua iis locis.

1 Hoc enim matrimonium licitum est, dummodo peracta prius pœnitentia, *can. illud 31. quæst. 1. & can. super hoc, extr. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.*

2 Cur enim bene præsumamus de iis, qui male facere voluerunt? *arg. l. pen. D. ad SC. Trebell. l. vlt. D. de rit. nupt.*

3 *Defin. 10. & 11. §. de legit. hered.*

4 Quibus casibus matrimonium illicitum est, etiam pœnitentia peracta *c. 1. vers. licet, extr. de eo qui dux. in matrimon. quam poll. per adult.*

5 Nam cui inuisa est vxor, sunt etiam inuisi omnes ex ea suscepti liberi. Propter quam causam fiebat olim, vt odio vxoris etiam posthumus quantumlibet innocens posset exhæredari, *l. 3. & pass. de liber. & posthum. l. si quis suo 33. §. 1. C. de inoff. test. l. 3. §. si emancipatus de bonor poss. contr. tab.*

6 Est enim simulatio difficilis probationis, quia in animo consistit, sicut & dolus, ideoque probatur etiam per indicia, *l. dolum 6. Cod. de dolo, l. non omnes, 5. §. à barbaro, D. de re milit.*

7 Sic enim fit quoties actus est suspectus, *l. qui testamentum, 27. D. de probat. Auth. sed iam necesse,* vbi DD. *C. de donat. ante nupt.*

8 Scripsi *d. Defin. 9. & 11. §. de legit. hered.*

DEFINITIO X.

Simulata dos non est dos, nec potest confiscari.

AT non videtur, inquies, proximæ quæstioni locus esse posse, an dos vera fuerit, an simulata, si verum est, quod vulgo creditur, [1] superioribus duobus casibus locum esse ciuili constitutioni, quæ non tantum lucra nuptialia, sed etiam dotem ipsam mulieris, quæ vetitas nuptias contraxit, fisco vult applicari. [2] Respondeo, imo posse locum esse, in fauorem liberorum prioris matrimonij, si qui supersint, siue aduersus fiscum contendant, qui dotem illam petat quasi sibi quæsitam, quoniam dos confiscari non potest, quæ nulla est [3] (nulla autem est, quæ est simulata [4]) siue tacente fisco ea dos petatur per liberos ex vetito mattimonio susceptos. Neque enim dubium est, quin, si fiscus taceat, [5] ius sit hæredibus matris, siue liberi illi sint, siue alij, dotem à matre datam repetere, [6] nec liberorum prioris matrimonij lucro cedere debere, quando id nulla lege cautum est. Accedit, quod non omnia mulieris bona hoc casu confiscantur, sed tantum id, quod illa vel dotis titulo, vel ex mariti liberalitate habuerit. [7] Igitur semper interest sciri, an habitæ dotis confessio vera sit, an simulata? [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De quo scripsi *d. Defin. 11. de legit. hered. infr.*

2 *L. 4. si quis intest. 6. C. hoc tit.*

3 Cum non entis nullæ sint qualitates, *vulgat. l. eius qui in*

BIU Cujas

qui in prouincia 41. D. de rebus. & dict. l. ex facto 19. D. de hæred. instit.

4 Simulata enim pro infectis haberi debent, l. si ex pretio 8. C. si cert. pet. l. simulatæ nuptiæ 30. C. de rit. nupt. Not. ad l. 1. & 3. C. plus valer. quod agit. quam quod simul. concip.

5 Cum non magis fiscus, quam alius quilibet cogendus sit vti iure suo, præsertim si aliqua sit iusta causa, vt in l. 1. §. an bona, D. de iur fisc.

6 Nam & vulgo quæsiti succedunt matri, l. 2. §. sed & vulgo quæsiti, D. ad SC. Tertyll. l. 2. l. 4. D. vulg. cognat.

7 d. l. 4. & 6. C. hoc tit. l. incestæ 51. l. dote 61. de rit. nupt.

DEFINITIO XI.

Matrimonium etiam ignoranter contractum ab ea, quæ alium virum viuentem habuit, non valet, & dos eo nomine data condicitur: augmentum vero dotis etiam promissum non debetur.

MVlier, quæ cum superstitem virum haberet, mentita erat se viduam, iterum nupserat, siue scienti, siue ignoranti nupserit, & quantocumque annorum numero ac interuallo absens prior maritus fuerit, matrimonium iure pontificio non valet, [1] quantumlibet probabili errore ducta sit, vt existimaret ex communi hominum voce & fama, quod prior maritus defunctus esset. [2] Itaque donationes propter nuptias intuicem factæ quasi sine causa factæ non valebunt. [3] At nec augmentum dotis vllum debebitur, quia sicuti dos esse non potest, vbi nullum est matrimonium, [4] ita neque dotis augmentum, vbi dos nulla est. [5] Quod tamen dotis nomine datum fuit, quasi sine causa datum cõdicetur. [6] Nimirum si eius publicandæ ratio nulla sit, id est, si iustam & probabilem habuerit mulier ignorantiam, [7] alioqui contracto tam illicito matrimonio & contra legum prohibitionem dos etiam ex ciuilibus constitutionibus publicanda est, [8] nec tantum dos, sed etiam donatio propter eiusmodi nuptias facta. [9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 2. infr. de repud. & iudic. de moribus sublat. Iunge Defin. 2. sup. de condict. ob turp. caus.

1 Quia sacramentum matrimonij non nisi per mortem est dissolubile, nec potest quis eodem tempore duas vxores, aut vna mulier duos viros habere, §. *affinitatis, & seq. Inst. de nupt. cap. in præsentia, 19. de sponsal. ex matr. cap. 2. extra de secund. nup.* vide tamen *cap. 2. & cap. ex tenore qui filij sint legit.* adde *auth. hodie*, C. de repud.

2 Quæ tamen distinctio iure ciuili adhibetur, *l. qui in prouincia 57. §. 1. D. de rit. nupt. l. 4. vers. exceptis, C. hoc tit.*

3 *l. vlt. D. de condict. sin. caus.*

4 *l. 3. D. de iur. dot.*

5 *l. inter socerum 26. cum inter D. de pact. dotal.*

6 *l. 1. C. de condict. ob caus. dator.*

7 Hic enim casus excipitur *in l. qui contra 4. dict. vers. exceptis, C. hoc tit.*

8 *l. incestæ 51. l. dote 91. ff. de rit. nupt. & d. l. qui contra.*

9 *l. cum hic status 32. §. vlt. D. de donat. int. vir. & vxor.*

DEFINITIO XII.

An possit curator prohibere, ne se inscio nuptias minor contrahat?

EDicto diui Emanuelis Philiberti prohibitum est, ne curator patiatur minorem, cuius curam gerit, nuptias contrahere sine consensu agnatorum & cognatorum. Sed an ideo fiet, vt curator prohibere possit & interdicere minori, ne se inscio nuptias contrahat? Consequens id videtur. [1] Sed tamen cum edicta omnia stricta recipiant interpretationem, [2] magis est, vt non habeat curator ius prohibendi, ne minor vxorem ducat, quam velit, dum ne quid fiat insciis aut inuitis agnatis, cognatisque proximis. [3] *Ita tractatum est* in causa N. Claudij de Villa, & D. de Challod, 15. Decemb. 1595. nondum tamen decisum est.

1 Nam qui iubetur aliorum præsentiam adhibere, multo magis eius præsentia videtur esse necessaria.

2 Sunt enim omnia stricti iuris, vt tractant nostri *ad l. 1. C. de summ. Trinit. & fid. Cathol. & ad l. omnes populi, D. de iustit. & iur.*

3 Sufficit enim, vt satisfactum sit solemnitati, quam lex aut edictum requirit, vt nihil contra factum dici possit, præsertim cum edictum est pœnale & ad pœnam euitandam, quę alioqui ipsa per se odiosa est, *l. pen.* vbi not. *D. de pœn.* Est enim tritum & perpetuum, in pœnalib. & odiosis nunquam faciendam esse extensionem, *vulg. l. cum quidam 19. D. de liber. & posthum.* iunct. *l. hoc modo 64. in fin. de cond. & demonst. cap. odia, de reg. iur. in 6.*

TIT. IIII.

SI EX RESCRIPT. nupt. petant.

DEFINITIO I.

Potest ex rescripto Principis permitti mulieri, vt nubat ante petitum tutorem & ante redditas filio impuberi rationes tutelæ.

MAter equidem, quæ maior viginti quinque annis, [1] non petito tutore impuberi filio, vel post susceptam tutelam & ante redditas administrationis suæ rationes ad secunda vota conuolauit, eam festinationis & impatientiæ suæ pœnam patitur, vt impuberis defuncti hæreditatem, siue testamentariam ex pupillari substitutione, siue legitimam vindicare prohibeatur, [2] eique omnis successio; salua tamen in omnem casum legitima portione, [3] denegetur. Sed potest illa sibi consulere, legumq; pœnam euitare, si festinandarum nuptiarum licentiam impetret ex rescripto, quam vtique à Principe concedi posse non ambigitur. [4] Is enim sicuti supra leges constitutus, ideoque legibus solutus est, [5] ita & ea omnia, quæ iure ciuili sancita sunt, dummodo nec æquitas naturalis, quæ à iure ipso naturali parum distat, nec ius gentium violetur, pro arbitrio corrigere ac emendare, in totum etiam si velit tollere haud dubie potest, [6] quamuis ea res in proximorum impuberis agnatorum vergat dispendium, ad quos alioquin legitima filij hæreditas peruentura esset. [7] Nec idcirco ipsorum consensum interuenire aut exquiri necesse erit, qui esset necessarius, si post iam contractas nuptias defunctumq; impuberem vellet mater eius pœnæ, quam incurrisset, veniam & remissionem à Principe impetrare. [8] Multo enim facilius est, vt quærendo iuri, quam vt quæsito per Principem derogetur. [9] Ergo & post contractas per festinationem nuptias, si tamen nondum filius impubes decesserit, saluum matri ius erit adeundi Principis & veniæ impetrandæ, quando nullum ius interim agnatis quæsitum dici potest in viuentis pupilli hæreditate, [10] quem si in pubertatis annos viuere, in eaque demum ætate mori contingeret, impunitum foret factum matris, nec eo magis illa defuncto filio succedere prohiberetur, [11] quasi remissa per filium pœna hoc ipso, quod cum posset illatam sibi à matre iniuriam vindicare alio hærede instituto, intestatus tamen mori, atque ita matrem, quam sciebat ab intestato successuram, tacito iudicio instituere, [12] agnatisq; omnibus, nisi si quos fratres ex vtroque latere coniunctos habuerat, [13] præferre maluisset. Illud tamen sciendũ est, cum ex rescripto nuptiæ petuntur, non ad paruam, sed ad magnam, vt loquuntur, Cancellariam, & ad viuæ vocis oraculum, sicut & quoties vis aliqua legib. facienda est, recurri oportere. [14]

BIU Cujas

Ita tractatum est in relationibus libellorum & rescriptorum, 4. Non. Aug. 1593. in causa cuiusdam nobilissimæ fœminæ, cuius nomini parcendum esse existimamus.

1 Nam in minoribus aliud est, nec ad eas legis potestas & asperitas pertinet, *l.2.C.si adversf.delict.*

2 *d.l.2.§.si mater non petierit, & seq. D.ad SC.Tertyll.l.matres 3 l.omnem 6.C.eod.l.2.§.1. & seq.l.vlt.D.qui pet.tutor.*

3 Matrem enim non esse hoc casu priuandam legitima portione, vt dicam *Defin.1.ad SC.Tertyll.*

4 Nec enim ad hunc casum pertinent eæ prohibitiones, de quibus *in l.1.& 2. C.hoc tit.* Facit *l.4. C. ad SC.Tertyll.l.solet 10.D.de iis qui not. infam.*

5 *L.Princeps 31.D.de legib.l.1.l.digna vox 4.C.eod.*

6 Ex notat.per DD.*in l.vlt.C.si contr.ius vel vtil.public.*

7 *Auth.cessante, C.de legit.hered.*

8 *Arg.l.non aliter 18.& l.nam ita 39.D.de adopt.*

9 Iuri enim iam quæsito derogare Princeps non tam facile potest, nec velle creditur, *l.2.§.merito & si quis à Principe, ff.ne quid in loc.public.* Vide Fachin.*lib.3.cap.65.* vbi negat eximi pœnis secundarum nuptiarum mulierem, quæ ex Principis permissu transiit ad secunda vota, Contr.Boer. *decis.185. num.25.* vide *d.l. solet, 10.D.de iis qui not.infam.l.vlt.D.de Senatoribus.*

10 *L.4.C.de emancip.liber.* quamuis placeat, posse illum derogare etiam iuri iam quæsito per actus ciuiles, vt notant nostri *ad d.l.vlt.C.si contr.ius vel vtil.public.*

11 *L.2.§.interdum, D.de vulgar.& pupill.substit.l.1.§ si impubere, D.de collat.*

12 *d.l.matres 3.C.ad SC.Tertyll.*

13 *L.conficiuntur 8.§.1. & l.3.in princip. D.de iur. codicill. l.ab exheredat.126.de leg.1.*

14 Nec enim Cancellarius Principis est supra leges, vt iis pro arbitrio possit derogare, sed è contrario est custos legum. Dixi *Defin.2.5.de tempor.petend.in integr.restit.*

TIT. V.

DE SECVND. NVPT.

DEFINITIO I.

Iure Canonico sublatæ sunt pœnæ festinatarum nuptiarum, at non secundarum.

QVAE pœnæ mulieribus intra luctus annum secundo nubentibus iure ciuili infliguntur,[1] eæ omnes iuris Pontificij constitutionibus[2] remissæ sunt. Nec illæ tantum, quæ mere pœnales sunt, qualis illa est, vt mulier infamis fiat,[3] sed etiam quæ liberorum prioris matrimonij fauorem & vtilitatem respiciunt:[4] remanent vero eæ solæ, quę post luctus annum nubentibus non tam secundarum nuptiarum odio, quam fauore liberorum irrogantur.[5] Neque enim religionis nostræ sanctitas admittit, vt quæ prioris viri lege soluta est, prohibeatur in Domino nubere quandocunque.[6] Ergo antenuptialis quoque donationis vsumfructum retinebit mulier intra luctus annum nubens,[7] quoniam & si post annum nuberet, haud dubie retineret.[8] *Ita tractatum est* in Senatu, 6. Cal. Septemb. 1588.

1 De quibus *in l.1.& Auth.eisdem pœnis, C.hoc tit.*

2 *Cap.penult.& vlt.extr.eod.*

3 Quæ fuit olim sententia Petri de Bella Pertic. vt refert Bald. *in d.l.1.col.3.*

4 Contra quam credidit Innocét.à Baldo vbi supra relatus.

5 Itaque non est deterior conditio viduæ intra annum, quam post annum nubentis, quamuis Bald.supra dicto loco absurdum hoc esse putet.

6 Iuxta dictum Apostoli *d.cap.pen.& vlt.*

7 Contra quam constitutum sit *in d.auth.eisdem pœnis.*

8 *L.fœminæ 3.& l.generaliter 5.C.hoc tit.* Baldus tamen *in d.l.1.in glos.super verb. his etiam* putat, etiam vsumfructum antenuptialis donationis amittere illam, quæ nubit intra annum luctus.

DEFINITIO II.

Mulier secundo nubens non amittit ea, quæ ipsi data sunt contemplatione prioris mariti.

CONstitutiones in odium mulierum secundo nubentium latæ, licet optima & æquissima ratione nitantur,[1] hoc ipso tamen odiosæ sunt, quo pœnales:[2] ideoque nec in aliis lucris nuptialibus locum habent, quam in dote & donatione propter nuptias, de quibus nominatim constitutiones loquuntur.[3] Ergo multo minus locum habebunt in iis bonis, quæ mulieri secundo nubenti relicta fuerint prioris mariti contemplatione.[4] *Sine die.*

1 De qua *in l.fœminæ 3.& in l.generaliter 5.C.hoc tit.*

2 Omnes enim pœnę quantumuis iusta ratione constitutæ sint, odiosæ tamen existimantur, *l.pen.ff.de pœn.*

3 Quia constitutiones odiosæ sunt potius restringendæ, vt è contrario fauorabiles ampliandæ, *dict. l. pen. l.cum quidam 19. de liber.& posthum. l.hoc modo 64. in fin. de condit.& demonstrat.* Hoc enim iuxta Defin. intellige de lucris nuptialibus ab alio datis, quàm à marito, *ex dict.l.generaliter, versic. nec interest, iuncta authent. in donatione, eod.* Nam quod à marito ipso donatum est, quocunque tandem titulo donatum sit, mulier seruare debet liberis communibus, *dict. l. fœminæ, & dict.l. generaliter*, quæ hac in parte non loquuntur tantum de dote & donatione propter nuptias, sed de omnibus liberalitatibus mariti.

4 Roman. *cons.405. per tot.* quamuis dici soleat, parum referre, an ab aliquo profectum quid sit, an ab alio huius contemplatione, *l.sed si plures 10. §.in adrogato, de vulg.& pupill. substit. l.sed etsi quid 22.D.de vsufr.* [Eâdem igitur ratione dicendum est constitutiones quæ parenti binubo aufferunt proprietatem bonorum quæ filius præmortuus habuit à parente, non debere extendi, ad ea quæ habuit filius ab auo, quia non loquuntur de auo. Boer. qui dicit communem *quæst.192.num.7.* licet contra sentire videatur Bart. *ad Auth.ex testamento C.hoc tit.* Vide Ant.Gabr. *conclus.3. de secund.nupt.num.16.* post Ioannem de Gartonibus *ad d.auth.testamento num.27. qui tenent* cum Boerio.]

DEFINITIO III.

Quod coniugi datur plus quam vni ex liberis prioris matrimonij, restringitur indistincte ad legitimam portionem.

ETsi constat, parentem cuiuscunque sexus ad secundas venientem nuptias non plus coniugi posse relinquere, quam ei ex liberis primi matrimonij, cui minus relinquit,[1] si tamen alicui liberorum minus legitima reliquerit, non idcirco cõiugis portio ad eam quantitatem reducetur, nec minor erit, quam sit filij legitima,[2] quia nec ipsa filij portio minor esse potest.[3] Nec distinguimus, quomodo nonnulli distinguendum putant;[4] an relictum sit minus legitima cum dictione taxatiua *tantum*, an simpliciter, vt sciatur, an legitimæ supplementum petatur ex voluntate, an contra voluntatem parentis? Nam quid interest, an taxatiua dictio adiecta sit necne?[5] Cùm eo quoque casu, quo adiecta est, pro non scripta habeatur.[6] Vnde illud quoque fit, vt non eo minus supplementum legitimæ ex testamento, & consequenter ex testatoris iudicio debeatur.[7] *Ita tractatum est* in causa fratrum Ballin, contra fratres Bollier, 4. Non. Decembr. 1590. * In Curia tamen Delfinali audio contra pronunciatum fuisse solemni & generali arresto restringendam esse liberalitatem ad id quod tum est de facto non de iure.

1 *l.hæc edictali 6. C.hoc tit.*

2 Hic enim sensus esse creditur, *d.l.edictali, versf.ita tamen vt quarta pars.*

3 *L. cum quæritur 6. l. parentibus 8. & passf. C. de inoffic. testament.*

4 Steph.Bertr. *ad d.l.1.hac edictali, in d.versf. ita tamen.*

5 Quamuis

5 Quamuis plerumque expressa noceant, quæ non nocerent, *vulg.l.nonnumquam 51.de cond. & demonstr. l.expressa 195. de reg.iur.*

6 *L.quoniam in prioribus 32.C.de inoff.testam.*

7 *L omnimodo 30.eod.tit.* * Obserua autem condictionem ex *l.hac edictali* transire ad liberorum prioris matrimonij hæredes etiam extraneos si modo parenti superuixerint liberi nec ad hunc casum pertinere quod scriptum est *Nouell.22.de nupt.cap. 27.§.optimè*, vnde sumpta est Authent. *ad eos solos*, vbi quod dictum est, *solos*, scriptum est ad exclusionem liberorum alterius matrimonij qui antea admittebantur, per *leg.quoniam præteritæ, C.hoc tit.* non autem ad exclusionem extraneorum hæredum, nisi cum liberi ante parentem decesserunt. *Ita Senatus* pro fratribus Dacquin contra Ambrosium Rosset procuratorem, 19. Nouemb. 1622.

DEFINITIO IV.

Per sponsalia contracta verbis, de præsenti, incurritur in pœnas secundarum nuptiarum.

AMittitur proprietas lucrotum nuptialium per solum contractum secundi matrimonij conceptum, per verba quæ vocant de præsenti, [1] licet nullus sit secutus concubitus. [2] Nuptias enim consensus, non concubitus facit: [3] sed hoc ita tamen si matrimonium valuerit. Nam si qua ex causa inutiliter contractum sit, sicuti alium effectum habere nullum potest, ita ne hunc quidem. [4] *Ita tractatum est*, 14. Calend. Febr. 1591.

1 Nam per verba de præsenti contrahitur matrimonium tanquam solo consensu egens ante Concilium Tridentinum. Nec ad rem pertinet, si quis obiiciat, appellatione vxoris contineri sponsam de præsenti in fauorabilibus duntaxat, non etiam in odiosis, vt Boer. tractat *quæst.22.nu.38.* ex Bald. *cons.384. vol.1.* Nam exclusio mulieris ad secundas nuptias transeuntis non est odiosa, imo fauorabilis respectu liberorum, & prioris mariti, licet constitutiones in hanc rem latæ extra suos casus non sint extendendæ, vt dixi *Defin.2.3.*

2 Multo magis si secutus sit concubitus, licet non fuerit mulier cognita, quia ex solo concubitu bene probatur consummatio matrimonij, *l.mulierem, cum duabus seqq. de rit.nupt.* Boer. *quæst.22.nu.36.* vbi rationem reddit, quia per mulierem hoc casu non stetit.

3 *L.nuptiæ*, vbi Dec. *de reg.iur.l.cui fuerit*, vbi Socin. *de cond. & demonst.* Boer. *d.q.22. nu.33.*

4 Ne matrimonium alioqui per omnia irritum prosit ad solam pœnam, *arg.l.filium 20. vers.ne testamentum, & l.vlt. D.de condict. sin.caus.*

DEFINITIO V.

Nullas pœnas merentur secundæ nuptiæ, quæ consensum habent siue expressum, siue tacitum, aut prædefuncti coniugis, aut superstitum liberorum.

NVllas pœnas patitur parens, qui ad secunda vota conuolauit, si ex consensu vel prædefuncti coniugis, vel liberorum omnium ex priore matrimonio superstitum, ita fecerit: [1] tractari tamen solet, an expressus consensus requiratur, an tacitus sufficiat? Et quidem prædefuncti coniugis tacitum sufficere verius est. [2] Sed si neque expressus, neque tacitus interuenerit ex parte coniugis, difficilius videtur, vt ex parte liberorum idem admitti debeat, [3] præsertim si ponas, agi de patre, qui liberis prioris thori nouercam induxerit. Quis enim credat, consensum illum tacitum liberorum non extortum nimio metu reuerentiali potius, quam ex libera voluntate profectum? [4] Sed tamen magis receptum est, vt hac etiam parte consensus tacitus sufficiat, dum ne ex eo solo inducatur, quod liberi passi sint patrem ad secundas venire nuptias, quas nec si voluerint impedire potuerunt; [5] nititurque hæc sententia duplici ratione, fauore matrimoniorum, quæ libera esse debent, [6] & odio pœnarum, quas, licet, iustissimas, restringi tamen, quantum fieri potest, oportet. [7] *Ita Senatus* ex tempore, 5. Cal. Iun. 1591. At quid si mater quæ nullos habebat masculos, sed tantùm filias legata filiabus dederit, maritum verò instituerit, & ipsius masculos ex legitimo matrimonio procreandos. Annon videbitur saltem tacitè permisisse marito vt ex alia vxore liberos susciperet? Minimè, quia parens quilibet præsumitur de communibus liberis sensisse si qui adhuc sperari potuerunt: Ne alioqui successionem alienam propriæ anteposuisse videatur. [8]

1 Nam cum pœnæ istæ constitutæ sint fauore, siue præmortui coniugis, siue superstitum liberorum. *Nouell.22.de nupt.* certum est, posse quemlibet iuri pro se introducto renunciare, *l.si Iudex 28.D.de minor. l.pen.C.de pact.* nec volenti vllam fieri iniuriam *l.in diem 9.§.1.D.de aqua & aqu.pluu.arcend.*

2 Late Philipp.Dec. *cons.206.* Vbi tamen loquitur de consensu liberorum: sed de consensu coniugis vide Rom. *cons.219.* Fulgosius tamen *cons.63. col.2.* requirit consensum expressum etiam coniugis.

3 Ne alioqui nimis facile fraus fiat legi, cum sit facilius, vt hic tacitus consensus extorqueatur, quam vt expressus, quia tacita voluntas coniecturis contenta est, non etiam expressa, *l. cum proponebatur 64.de legat.2.*

4 *Arg.l.1.§.quæ onerandæ, D.quar.rer. act. l.non det.l.pecul. D. de furt.*

5 Nihil enim potest imputari ei, qui scit, sed prohibere non potest, *l.Caius Seius 39.* vbi not. *D.de pignor.act. l.vulpa caret 50. de reg.iur.l.nullum crimen 109. eod.*

6 *L.si cogente 22.de rit.nupt.l.hoc modo 64.de condit. & demonst. & tot.tit.C.de indict.viduit.toll.*

7 *L.pen.D.de pœn.* Dixi *Defin.2.3.* Vide tamen Granat. *in apost. ad Dec.d.consil.206.& 604.& ad l.fœminæ*, vbi defendit, tacitum consensum liberorum non sufficere, nec si liberi expressim consenserint matrimonio.

8 *L.cum vir 25.l.si vir 61.* & vtrobique Bart. *de cond.& demonstr. l.cum acutissimi, 30.C.de fideicom.* Ias. *cons.53. col.1. vol.1.* Andr. Fachin. *lib.3.cap.65.* Boer. *qu.185.nu.22.* Dec. *cons.393.*

DEFINITIO VI.

Detrahitur legitima ante diuisionem faciendam ex l.hac edictali, si contra eam legem peccatum sit, alioqui non detrahitur.

SI mulier binuba plus contulerit in secundum virum, quam in eum ex liberis primi matrimonij, cui minus reliquit, eo iure vtimur, vt filij legitimam portionem primum detrahi, tum quod reliquum est, inter vitricum & filium diuidi oporteat. [1] Sed si ex æquis portionibus instituti sint, ita vt nec plus honoris, nec minus oneris vitrico quam filio relictum sit, aliud iuris est. [2] Cessante enim querela inofficiosi testamenti, itemque inofficiosæ donationis, adeoque actione ad supplementum, [3] neque de legitima quæri potest, neque de conductione ex Iustiniani lege, [4] aduersus quam nihil factum est. *Ita Senatus* pro fratribus Ballin, contra fratres Bolliet, 4. Id. Aug. 1592. Et rursum in causa Illustris D.de Chalant, D. de Chastillion, & D. de Breissieu, 14. Cal. Mart. 1594.

1 Francisc.Rip. *cons.190. in fin.*

2 Vt scilicet non prius legitima detrahatur. Steph. Bertr. *ad l.hac edictali 6. vers.ita tamen, nu.13.C.hoc tit. ex §.optime, Nouell. 22.de nupt.*

3 Cum ponamus, relictum esse filio supra legitimam, *l.cum quæritur 6.& l.omnimodo 30.C.de inoff.testam.*

4 *In d.l.hac edictali*, quæ prohibet, ne superstes coniux possit nouo coniugi plus relinquere, quam ei ex liberis prioris matrimonij, cui minus reliquit.

DEFINITIO VII.

Auth.nunc autem, Cod.hoc tit. habet locum etiam in parente conuolante ad secunda vota ex consensu prædefuncti coniugis, non tamen in legato.

NOuella Iustiniani constitutio, quæ induxit, vt parentes videantur conseruasse liberis suis lucra

BIU Cujas

nuptialia, licet alios heredes scripserint, si non expressim de ipsis quoque lucris in heredum fauorem disposuerint,[1] non illo tantum casu locum habet, quo parens, qui testatur, ad secunda vota non conuolauerit, sed illo etiam, quo ex prioris coniugis voluntate secundas nuptias contraxerit. Parum namque inter hæc distat.[2] Vtroque autem casu sic interpretanda est, vt non nisi in dote & donatione propter nuptias obseruanda sit, itemque in iocalibus, vt vocant, quæ donationibus etiam adscribuntur; at in legato non item.[3] Neque enim ad fauorem liberorum respicere videtur, qui legat vni ex coniugibus,[4] quomodo respicit proculdubio, qui dotem dat, aut propter nuptias donat,[5] tametsi nihil aliud sit legatum quam donatio.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *In Auth. nunc autem, C. hoc tit.* & in corpore vnde sumitur.

2 Cum nullam pœnam mereantur secundæ nuptiæ, si accedat consensus prædefuncti coniugis, vt dixi *Defin. 5.*

3 *Ex gloss. ad d. Auth. nunc autem,* probatam per Cyn. Salicet. & alios *ibid.*

4 Quia legatum non solet aliam causam habere, quam meritum personæ, cui relinquitur, *l. nec adiecit 9. D. pro socio.*

5 Cum tam dos, quam donatio propter nuptias detur contemplatione matrimonij, ex quo liberi sperantur, *l. 1. D. solut. matrim.*

6 *L. legatum 36. de leg. 2.*

DEFINITIO VIII.

Mulier, cui legatum aliquid est etiam in casum secundarum nuptiarum, nihil amittit ex cæteris liberalitatibus mariti.

CVm is, qui ex coniugibus ad secunda vota conuolat, ex præmortui permissu & voluntate non patiatur pœnas secundarum nuptiarum, vt iam supra diximus,[1] non immerito illud etiam placuit, vt si quis vxori quingenta legauerit, siue vidua maneret, siue iterum nuberet, & illa iterum nubat, non solum quingenta ipsi salua sint, sed etiam cætera omnia, quæ ex prioris viri liberalitate ad ipsam quocunque titulo peruenerant.[2] Secundarum enim nuptiarum licentiam vel in vnius nummi legato datam esse satis est, si non distertis verbis ad eius legati commodum restricta sit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Defin. 5. 3. hoc tit.* ex Decio *consil. 206.* & Francisc. post Bald. *sing. 75.*

2 Cui enim maritus in casum secundarum nuptiarum etiam legatum dedit, multo minus credendus ille est, cætera, quæ iam dederat, auferre voluisse: siquidem plus est dare, *vulg. iurib.*

3 Alioqui limitata causa limitatum produceret effectum, *vulg. l. in agris 33. de acquir. rer. domin.*

DEFINITIO IX.

Quod mulier binuba disponit circa personam secundi mariti, si possit recipere interpretationem ex arbitrio boni viri, non debet videri factum in fraudem legis.

VXor præmoriens maritum cum liberis primi & secundi matrimonij ex æquis partibus heredem instituerat, & impensarum sui funeris modum ex mariti arbitrio constitui præceperat; hoc etiam addito, vt de earum quantitate iuranti ipsi crederetur, Non propterea permittendum erit marito, vt plus impendat, quam boni viri arbitrio impendi oporteat,[1] habita ratione dignitatis, facultatumque mulieris & liberorum, itemque secundi coniugis.[2] Nec si plus à se impensum maritus iuret, habebitur ei fides, aut restituetur, quod plus debito re vera impenderit,[3] ne alioqui facile sit mulieri hoc colore quæsito fraudem legi facere, & amplius marito relinquere, quam liberis ex priore matrimonio susceptis.[4] Est enim voluntas illa vxoris iubentis stari sacramento viri valde suspecta,[5] propter prohibitam inter eas personas donationem,[6] tametsi inter alios seruanda esset:[7] neque tamen faciet ea res, vt liberis primi matrimonij liceat primum legitimam detrahere ad minuendam secundi mariti portionem, quod contingeret, si vel in vno nummo vitrici institutio priuignorum institutionem superaret.[8] Non enim contra leges factum videri potest, quod iustam & commodam ex boni viri arbitrio interpretationem admittit,[9] nisi constaret, fraudandæ legis animum habuisse mulierem, quæ secundo viro de sumptuum à se factorum quantitate iuranti fidem adhiberi voluisset,[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 His enim verbis arbitrium boni viri inesse credendum est, *arg. l. Titius 54. ad SC. Trebell.*

2 Contumelia enim est, si quis locupletem hominem modico sumptu funeret, *l. etsi quis 14. §. Iudicem, D. de relig. & sumptib. funer.*

3 In eo namque, quod plus impendit, quam debuit, potest ei imputari, *arg. l. siue generalis 61. D. de iur. dot. l. cum post mortem 43. §. 1. vers. curator, D. de administr. tutor.*

4 Omnis enim color & prætextus fraudis prohibendus est, quantum fieri potest, ne quod directum fieri nequit, per inditectum concedatur, *l. scire 21. §. 1. de tutor. & curat. dat. l. 5. §. si pupillus, de reb. eor. qui sub tutel.*

5 Quia iuramentum species est probationis, *l. eum qui 30. in princ. D. de iureiur. l. si quis iusiurandum 11. C. de rebus credit. & iureiur.*

6 *L. hac edictali 6. C. hoc tit.* Nam *tit. de donat. inter vir. & vxor.* ad hunc casum non pertinet.

7 Sic *in l. qui testamento 27. C. de probat.*

8 Iuxta eam sententiam, quam à Senatu nostro probatam diximus *Defin. 6. 3.*

9 *Arg. l. cum post 69. §. gener. D. de iur. dot.*

10 Qui tamen animus fraudandi numquam præsumendus est, quoties alia interpretatio capi potest, *vulg. d. merito 51. D. pro socio, l. quoties 19. §. qui dolo, D. de probat.*

DEFINITIO X.

Qui dicit, immoderatam esse liberalitatem, probare debet.

QVoties quæritur de liberalitate binubi coniugis ad legitimum modum reducenda,[1] incumbit onus filio primi matrimonij, qui immoderatam dicit, vt id probet.[2] Neque enim fundatam, vt aiunt, habet intentionem, in eoque actor est, quod contra legem donatum fuisse contendit.[3] *Ita Senatus* in causa N. Bernardi Dacquin Procuratoris fiscalis Sabaudiæ, & N. Callet, 8. Id. Iulij 1593.

1 *Iuxta l. hac edictali 6. C. hoc tit.*

2 *L. cum donationibus 6. cum duab. seqq. C. de inoff. donat.*

3 Debet enim quisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis, *l. 4. & vlt. C. de edend. l. 2. D. de probat.*

DEFINITIO XI.

Inspicitur tempus mortis in æstimando eo, quod coniugi plus donatum est, & quod excedit applicatur liberis.

QVod secundo coniugi donatum est à coniuge, licet donationis tempore inspecto non excedat modum lege præstitutum, non eo minus tamen reuocandum est, si mortis tempore plus secundo coniugi, quam vni ex liberis prioris matrimonij donatum appareat,[1] ob æs alienum postea contractum, aut alio casu diminutas mariti facultates. Mortis enim tempus inspiciendum esse constat.[2] Sed de illo magis dubitari potest, an eo casu, quo donator non

soluendo

BIU Cujas

ſoluendo factus ſit, quod immoderatè donatum reperitur, poſterioribus creditoribus proficere debeat, an ſolis liberis primi matrimonij acquiri, an denique inter ipſos & perſonam, cui donatum eſt, diuidi? Et quidem poſteriores creditores illud repellit, quod ſi liberorum fauor non obſtaret, totius donationis emolumentum donatarius retineret, vt proinde nihil eorum intereſſe videatur. [3] Quid enim ſi iure ſuo vti nollent? [4] Ergo ſolis liberis totum id, quod excedit, attribui debere verius eſt & conuenientius verbis Iuſtinianeæ conſtitutionis, [5] licet Interpretes plerique refragentur. *Ita tractatum*, nec dum tamen deciſum eſt, Prid. Calend. Auguſt. 1593.

1 *Ex l. hac edictali, C. hoc tit.* & ibi Bald. * *Et Nouell. 22. de nupt. cap. 28. §. quia verò.*

2 Sicut & alias, quoties de legitima quæritur, *l. cùm quæritur 6. C. de inoff. teſtam.* cum liberalitas mariti in ſecundam vxorem æſtimanda ſit ex comparatione legitimæ, *d. l. hac edictali, verſ. ita tamen.* Vide Steph. Bertrand. ad illam legem. * *Ita Senatus* pro fratribus Dacquin 18. Nouemb. 1622.

3 Quomodo in ſpecie, quamuis diſſimili, argumentatur Iauolenus *in l. paterfamilias 28. verſic. eorumque nihil interfuerit, D. de rebus auctor. Iudic. poſſid.*

4 Nec enim coguntur, *l. penult. C. de pact. l. pactum, 46. D. eodem.*

5 *dict. l. hac edictali, ad fin. principij.* Quamuis gloſ. *ibid.* in verbo, *diuidi*, aliter ſentire videatur. * Excipe tamen caſum Nouellæ 22. *de nupt. cap. 31. §. de augmentis*, id eſt, ſi diminutio dotis vel donationis propter nuptias fiat in fraudem liberorum prioris matrimonij & legis *hac edictali*.

DEFINITIO XII.

Inæqualitas inducitur inter vitricum & filium inſtitutos ex æquis portionibus, ſi æris alieni partes habeant inæquales.

MAter filium prioris matrimonij & vitricum teſtamento ex æquis partibus hæredes inſtituerat: ſed hoc tamen addito, vt quod vitrico ipſa debebat totum ex filij portione ſolueretur, nec quicquam vitricus cum ſua portione compenſandum haberet. Viſum eſt aperte inæqualiter, & ex minore parte inſtitutum filium, [1] cuius portio non niſi pro rata per æs alienum imminui debuerat. [2] Non enim ex ſola portionis denominatione æſtimandam æqualitatem, ſed præcipue ex portionum emolumento. [3] Hic autem euidenter plus emolumenti peruenerat ad vitricum, cuius videlicet ſemis nulla æris alieni contributione minuatur, cum tamen obligatio vitrico quæſita confuſione extingui pro parte hæreditaria debuiſſet. [4] Nec obſtat ſi quis obiiciat, extra teſtantis matris hæreditatem conſtitutum videri, quod ipſa ſecundo ſuo coniugi debeat, [5] obidque non eo minus æqualem eſſe bonorum maternorum diuiſionem inter filium & vitricum, quod ſolus filius æris alieni vitrico debiti onus ſubire iuſſus ſit. Nam imo vero inæqualitatem manifeſtam ex eo induci neceſſe eſt, quod ſoluto eiuſmodi ære alieno per filium ſolum neceſſario conſequens futurum ſit, vt multo minus is habeat à matre, quam vitricus, qui non modo ſuum habiturus ſit, ſed etiam ex bonis defunctæ coniugis ſemiſſem illibatum. Neque aliud concludit ſupra dicta obiectio, niſi quod nihil prohibet, vitricum plus habere, quam filium, ſi ad id, quod ille habet ex bonis vxoris, iungas eam pecuniam, quæ ab vxore debebatur; ſed ex bonis vxoris plus habere illum quam filium, quod haud dubie hoc caſu eueniret, numquam permittendum eſt. [5] *Ita Senatus* in cauſa Dominorum de Breſſieu & de Chalant, 14. Calend. Mart. 1594.

1 Ac proinde locum eſſe reductioni, *ex l. hac edictali, 6. Cod. hoc titul.* ſecundum ea, quæ ſcripſimus *Defin. 6. ſuprà hoc tit.*

2 *Ex l. 1. C. ſi cert. pet. l. 1. & 2. C. ſi vnus ex pluribus hered. debit. vel cred.*

3 Ne alioqui facile fraus fieret legi, ſi inſtitutus ex maiore portione pro ea tamen minimo contentus eſſe iuberetur.

4 *l. debitori 50. D. de fideiuſſor. l. debitori 7. C. de pact.*

5 Ideo namque dicitur æs alienum, quod alij debetur, *l. cedere diem 213. §. æs alienum, de verb. ſignific.*

6 Id enim diſtrictè prohibet Iuſtiniani conſtitutio *in d. l. hac edictali.* * Quam tamen obſerua non habere locum niſi in ipſis liberis & deſcendentibus, nec poſſe beneficium eius tranſmitti ad extraneos. Cravet. *conſil 142. num. 6.* Bertrand. *ad d. l. hac edictali num. 15.* tranſit autem in filios etiamſi non ſint hæredes patris aut matris, Boer. *deciſ. 201. num. 7.* Iunge *l. 11. C. hoc tit. Ita Senatus* pro fratribus Dacquin, contra Ambroſium Roſſet procuratorem die, Februarij 1617.

DEFINITIO XIII.

De differentia augmenti dotalis, iocalium & donationis de ſuperuita.

ALia dotalis augmenti ſeu donationis propter nuptias, quam Sabaudi augmentum dotis vocant, alia iocalium ratio eſt. Augmentum enim ad communes liberos omnimodo redit matre mortua, tametſi à ſecundis nuptijs abſtinuerit. [1] Iocalia non niſi vno illo caſu, quo mater ad ſecunda tranſierit vota. [2] Itaque ſi abſtinuerit, perinde teſtari poteſt de iocalibus atque de dote ipſa, dum liberis ſaluam legitimam relinquat. [3] Apud Sebuſianos meos diuerſa ratio eſt eius donationis, quæ inter coniuges non niſi ſub conditione & in caſum, vt loquuntur, ſuperuitæ [4] contrahitur. Hæc enim exiſtente quandocunque conditione ſic acquiritur ſuperſtiti, vt communibus liberis ſeruanda non ſit, niſi eo caſu, quo per ſubſequentes ſecundas nuptias eius proprietas amittatur. [5] Proinde quamuis nec augmenti dotalis apud Sabaudos, nec eiuſmodi donationis apud Sebuſianos petitio vlla mulieri competat, niſi præſtita prius ſatisdatione: [6] illa tamen differentia eſt, quod aliter atque aliter concipi ſatisdationis verba neceſſe eſt. Nam de reſtituendo liberis augmento, ſatisdatur in id tempus, quo mulier morietur nulla adiecta conditione: [7] de reſtituenda vero propter nuptias donatione, & in tempus mulieris morituræ, & ſub ea conditione, ſi ad ſecundas nuptias conuolabit. [8] Quo fit, vt melior ſit cauſa eius, qui pro donatione, quam illius, qui pro augmento fideiubet. Hic enim fieri non poteſt vt non aliquando debeat, cum ſolo die petitio ſuſpendatur, [8] niſi proponas filium, ad quem redire augmentum debuit, ante matrem deceſſiſſet: [10] ille vero fieri poteſt vt numquam debeat, ſuperſtite licet filio, nimirum ſi conditio reſtitutionis defecerit, nullis ſecutis nuptiis. [11] *Ita Senatus* in ea cauſa, de qua Defin. 2. infr. De donat. ant. nupt.

1 Ita ſcilicet ferente conſuetudine, quæ augmentum induxit, *Auth. lucrum, C. hoc tit.*

2 In iis enim non ſequimur rationem iuris communis, quæ ſcilicet nulla ex iure communi deberentur, *l. in his 15. D. de legibus.*

3 Semper enim & de bonis omnibus, quæ parens habuit, mortis tempore legitima liberis debetur, *l. cum quæritur 6. C. de inoff. teſtam.*

4 Quam ideo donationem de ſuperuita vocat Guid. Pap. *quæſt. 565.*

5 *Ex l. fœminæ 3. & l. generaliter 5. C. hoc tit.*

6 De reddenda liberis communibus donatione, ſi caſus reſtitutionibus eueniet.

7 Itaque ſtipulatio concipitur tantum in diem, qui tamen dies incertus eſt, & ideo pro conditione habetur, *l. dies incertus 71. de condict. & demonſtrat.* cum poſſint liberi ante patrem mori, *l. Statius Florus, 48. §. Cornelio Felici, D. de iur. fiſc.*

BIU Cujas

8 Vtroque tamen casu illa etiam conditio tacita subintelligitur, si ex liberis communibus aliquis superstes erit.

9 Quia diem mortis venturum esse certum est.

10 Quo casu remanet augmentum penes matrem, & sine onere vllo restitutionis, ac proinde transmissibile ad quemcumque matris heredem etiam extraneum. [Vnde fit, vt filius etiam, qui habeat multos creditores hypothecarios, adeoque iam condemnatus exactione personali possit impune remittere matri superstiti petitionem futuram augmenti dotalis, nec ideo possit conueniri heres matris aut hypothecaria, aut reuocatoria per creditores filij, quamuis postea contigerit, matrem mori superstite filio, quia verum est, filium quandiu vixit nihil vnquam iuris in eo augmento habuisse, *l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur, D. de pignor.* nec videtur fraudare creditores, qui acquisitam iam spem acquirendi vltro omittit *l. 7. D. quæ in fraud. cred.* Nec aliud est etiamsi in tabulis dotalibus conuenerit, vt augmenti vsusfructus ad vxorem pertineat, ea verò mortua ad filium reuertatur. Non enim facit ea conuentio, vt mulier solum vsumfructum habere videatur: sed imperitorum illa locutio est, qui vsufructuarium vocant eum, quem necesse sit, post mortem suam id restituere, cuius proprietatem viuus habeat, vt *in l. species 15. de aur. & arg. legat. l. vlt. de vsufruct. ear. rer. quæ vsu consum.* Maxime vero si ea conuentio ad ius consuetudinarium relata proponatur. *Ita tractatum est* in causa Philibertæ Gay, 19. Nouemb. 1612.]

DEFINITIO XIV.

COnuolans ad secunda vota mulier non tenetur satisdare pro augmenti dotalis restitutione, si nihil aliud petat, nisi vt mittatur in possessionem bonorum obligatorum, in id vsque tempus, quo sibi satisfiat, bonorum scilicet immobilium. [1] Plane iam inde ab initio promittere eam oportebit, satis se daturam, quotiescumque pignoris luendi gratia pecuniam numeratam heredes mariti offerent. [2] *Ita Senatus* ex tempore in causa D. de la Foreſt, & D. de Montiernoz, 7. Id. Iun. 1594.

1 Nec enim facilis est amissio aut dilapidatio bonorum immobilium, adeo vt nec satisdare cogatur quisquis immobilia possidet, *l. sciendum 15. D. qui satisd. cogant.*

2 Tum enim fieri incipit locus periculo amittendæ pecuniæ, quæ tamen in eo sit, vt restitui aliquo casu debeat. Fragilis enim est pecunia *l. si chorus 79. §. 1. de legat. 3.*

DEFINITIO XV.

De natura augmenti dotalis consuetudinarij, & de renunciatione filiæ non extendenda ad id, quod lucrata est ex culpa binubi parentis.

AVgmentum illud dotale, quod ex receptissima consuetudine in Sabaudia frequentatur, non est simile sponsalitiæ illi largitati, de qua Iustiniani Nouellæ constitutiones loquuntur, [1] sed proprium ius habet & consuetudinarium, quod pro diuersitate locorum alias & alias leges admittit. Nam sponsalitiæ largitatis lucrum non acquiritur mulieri superstiti, quod ad dominium & proprietatem attinet, sed tantum quod ad vsum. [2] At dotis augmentum apud nos acquiritur mulieri, etiamsi supersint communes liberi, & defuncta ea recurrit ad communes liberos, siue secundo nupserit, siue non. [3] Apud Bugienses contra. Redit enim ad viri heredes quoscunque etiam extraneos, nec existentibus quoque legitimis liberis communibus. Apud Sebusianos meos nullus augmenti vsus est, sed tantùm donationis propter nuptias, quæ non aliter ad communes liberos recurrit, quam si ad secundas mater conuolet nuptias. [4] Plane cum mulier transit ad secunda vota, certum est priuari eam proprietate, si secundarum nuptiarum tempore supersint communes liberi, solumque vsumfructum ei saluum esse: [5] in eamque rem non est quod iure consuetudinario vtamur, cum sufficiat commune. [6] Hinc fit, vt si post transitum matris ad secundas nuptias filia renunciauerit bonis omnibus paternis materniſque, non ideo tamen videri debeat renunciasse dominio sibi quæsito in bonis, quorum proprietatem iam amiserit mater, quoniam ea bona reuera neque paterna sunt neque materna, sed ipsius filiæ propria. [7] Constat autem renũciationes huiusmodi & odiosas esse & stricti iuris, [8] nec in eas venire, nisi quatenus verbis expressum est. [9] Quod si ante secundas nuptias matris renunciatio talis facta sit, cessat quidem hæc ratio, sed alia tamen supereſt, quæ impedit, ne ad ea bona ex postfacto extendi renunciatio possit; illa nimirum, quod non sit verisimile cogitasse filiam de iure, quod nondum sibi tunc quæsitum esset, quodq; postea ex culpa & quasi delicto matris, solaque legis dispositione ipsi filiæ præter votum & expectationem accesserit: [10] vno tamen casu fieri queat, vt generali renunciatione huius generis bona comprehendantur; nimirum si non bonis omnibus paternis materniſque, sed iuribus omnibus ad paterna maternaque bona competentibus renunciatum sit post ius iam quæsitum. Nam quod ex secundis parentis nuptiis filiæ quæsitum est, licet neque paternum sit, neque maternum, vt diximus, ius tamen est ad paterna bona, ex quibus vtiq; augmentum solui debet. [11] Plane ad hunc etiam casum subijcienda exceptio est, nisi renunciatio talis sit, quæ huiusmodi interpretationem non patiatur, vtputa si quod à matre accepit filia, vt renunciaret iuris omnibus pro futura legitima & alia quauis ratione sibi in bona paterna maternaq; competentibus aut competituris, tam exiguum, vt vel solam æquet legitimam, vel eam duntaxat quantitatem, quæ pro augmento iam quæsito debeatur. Tunc enim longe æquior interpretatio illa est, vt de solis iuribus hereditariis transactum & cogitatum videatur, ne alioqui facta inueniatur renunciatio sine causa, & nullo accepto, [12] quæ res aut pareret exceptionem doli aduersus eum, qui renunciatione niteretur, [13] aut in integrum restitutionis beneficium induceret ex æquitate. [14] Cur non igitur tantundem proderit æquitas ad inducendam iustam interpretationem, quæ faciat, ne sit necessaria restitutio, quantum ipsa restitutio prodesset? [15] Præsertim cum apud Senatum res agitur, ad cuius sane officium pertinet, vbi manifesta vrget æquitas, ius dicere sola facti veritate inspecta, & litium anfractus, quantum fieri potest, excludere. [16] Illud sane non placebat, quod quidam dicebant, in proposita specie renunciationem quantumuis generalem non facile extendi debere ad iura, quæ ex postfacto competere cœpissent. [17] Neque enim negari poterat, augmentum illud, de quo tractabatur, iam tum filiæ quæsitum fuisse, cum renunciabat, quamuis viuæ matri vsusfructus eripi non deberet. [18] Accedebat, quod legitimæ quoque renunciatum proponebatur, quæ tamen necdum debebatur, nec nisi mortua demum matre deberi poterat, [19] vt proinde dubitari non posset, quin de iuribus quoque in futurum competituris remittendis actum esset. [20] Illa igitur ratio sola mouere Senatum & potuit & debuit, quod liberalitatem filiæ captiosam interpretatione prudentum frangi æquissimum videretur. [21] *Senatus* in causa N. Amblardi de Pilla D. de la Pierre, contra N. Ioannem de la Foreſt D. de la Barre, 7. Non. Iun. & Prid. Cal. Iul. 1594.

1 *Nouell. 119. Vt sponsalis. largit. & Nouell. 98. Neque virum quod ex dot.*

2 *d. Nouell. 98.*

3 Vt dixi *Defin. 13. 5.*

4 Dixi *in d. Defin. 13. 5. aod.*

5 *Ex l. fœminæ 3. C. hoc tit.*

6 *Arg. l. Imperatores 30. de reb. auctor. iudic. possid.*

7 Potestate scilicet & applicatione legis: lex enim est vnus ex modis

BIU Cujas

ex modis acquirendi iure Quiritium dominij, vt scribit Vlp. *in fragment. tit. 19. de acquisit. rer.*

8 Tanquam quæ sint contra ius publicum, *l. vlt. D. de suis & legit.* nec nisi iurisiurandi auctoritate confirmentur, *c. 2. de pact. in 6.*

9 *l. quicquid astringendæ 99. de verb. oblig.*

10 Renunciatio enim quantumlibet generalis numquam refertur ad incogitata, *l. 5. l. qui cum tutoribus 9. D. de transact.* Guid. Pap. *quæst. 228.*

11 Et ita accipiendum est, quod scribit Gabriel *in commun. opin. lib. 3. concl. 1. de secund. nupt.*

12 Quo casu non valeret renunciatio, nec quicquam operaretur iusiurandum, tanquam quod esset vinculum iniquitatis, *d. c. 2. vbi not. de pact. in 6.*

13 *l. 2. §. circa, D. de doli mal. except.*

14 Omnes enim restitutiones ex æquitate dantur iis, quoquo modo læsi & circumuenti sint, *l. 1. de in integr. restit.*

15 Melius enim est iura intacta seruari, quam post vulneratam causam remedium quæri, *l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*

16 Vt tractat Antonin. Tessaur. *in præfat. Decis. Pedem.*

17 Ex not. per Bart. & alios *in §. duo fratres, l. qui Romæ, de verb. oblig.*

18 *d. l. fœminæ, & Auth. ex testamento, C. hoc tit.*

19 *l. 1. § si impubere D. de collat. bonor.*

20 *Arg. l. vlt. in fin. de tritic. vin. & oleo leg.*

21 *Vt in l. cum Aquiliana, 5. D. de transact.*

DEFINITIO XVI.

Parentes, qui per secundas nuptias amiserunt proprietatem, eam recuperant, si postea omnes liberi præmoriantur.

DOminium, quod ex vnius coniugum liberalitate in coniugem translatum ad communes liberos rediit per transitum ad secundas nuptias, solo vsufructu parenti relicto, [1] non omnimodo [2] acquiritur communibus liberis, sed ita demum si superuiuant; alioqui recurrit ad parentem superstitem, cuius nuptijs quæsitum fuerat. [3] Proinde si ponas decessisse filium viua matre secundis iam nuptijs funestata, non poterit filius de iis bonis pro arbitrio, aut qua alia vlla ratione disponere. [4] An ergo dicemus, dominium, quod ad communes liberos redit, non nisi ad tempus iis acquiri? Id vero iuris ratio non patitur, quia dominij translatio, præsertim quæ fit sola legis potestate, neque ad tempus, neque in diem fieri potest. [5] Quid igitur? Dominium communibus liberis pure quæritur, sed non irreuocabiliter, [6] sicut nec parenti secundas postea nuptias incunti fuerat irreuocabiliter quæsitum. [7] Et quæ legis potestas parenti dominium abstulerat fauore communium liberorum, eadem prædefunctis liberis communibus in solatium, [8] & quasi finita causa idem dominium superstiti parenti restituit. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. fœminæ 3. & l. generaliter 5. C. hoc tit.*

2 Id est reuocabiliter.

3 Ad quid enim bonum esset fauere liberis, qui succedere ipsi non possint, quia præmortui fuerint, vt in simili argumentatur IC. *in l. si post mortem 10. §. vlt. ff. de bon. poss. contr. tab.*

4 Cum eo tempore, quo moritur, superstite adhuc matre, incipiat dominium ab eo discedere, *arg. l. Titio cum morietur 51. ff. de vsuf.* [Vt scilicet redeat ad matrem, si nulli alij sint liberi ex eo matrimonio superstites, aut ad fratres ipsos, si non omnes decesserint, *d. l. fœminæ §. vlt.*]

5 Debet enim transferendi dominij causa esse perpetua, *l. 1. vbi & Cuiacius notat, ff. de iur. dot.*

6 Aliud enim est acquiri dominium pure; aliud vero acquiri irreuocabiliter, *l. 2. l. 4. alias l. si ex duobus, §. sed & Marcellus, ff. de in diem addict. l. 1. ff. de leg. commiss.*

7 Sed cum periculo amittendi scilicet, si ad secunda vota superstite aliquo ex liberis communib. quandoque conuolaret.

8 *Arg. l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. scripto 7. §. vlt. ff. vnd. liber. l. vlt. C. de instit. & substitut.* * *Nouell. 3. c. ip. 2. & Nouell. 22. cap. 22. ad finem. Authent. sed & si quis, C. hoc tit.*

9 Non tam enim odio parentum ad secundas nuptias conuolantium, quam fauore communium liberorum huiusmodi pœnæ inductæ sunt, ideoque nec iure pontificio sublatæ sunt, *c. vlt. extr. hoc tit.* Vide *l. fœminæ vers. quod si &c. auth. quod & si quis, C. eod.*

DEFINITIO XVII.

Parens qui conuolat ad secunda vota sicut non amittit vsumfructum, ita neque possessionem.

AMissa per secundas nuptias bonorum à præmortuo coniuge acceptorum proprietate, sicuti non perditur vsusfructus, [1] ita nec possessio, quam saltem vtendi fruendi gratia remanere necesse est. [2] Itaque si liberi ex priore matrimonio susceptí eam possessionem propria auctoritate occupauerint, tenebuntur interdicto recuperandæ possessionis, [3] itemque condictione ex canone pontificio in eam rem comparato; [4] nullo ipsis ex ea re præiudicio in proprietate generando. [5] *Ita Senatus* in causa de Marignaz, contra D. de Montiernoz, anno 1593. Relatum est in causa D. de Gimilieu, contra D. de Mirignaz, 4. Non. Aug. 1595.

1 *L. fœminæ 3. l. generaliter 5. & Auth. ex testamento, & pass. C. hoc tit.*

2 Naturaliter enim possidet fructuarius, *l. naturaliter 12. D. de acquir. possess.* Nec quicquam commune habet iactura proprietatis cum iactura possessionis, sicut nec ipsa proprietas cum possessione, *d. l. naturaliter, §. nihil commune, d. l. fœminæ §. vltim.*

3 Quia non est iis permittendum vt sibi ius dicant, *l. 1. D. quod legator. l. dotis actione 9. C. solut. matrim.*

4 *Can. redintegranda 3. quæst. 1.*

5 Quamuis videantur priuandi iure suo ob vim factam in eo, quod sibi ius dixerunt, *ex l. extat 13. D. quod met. caus.* sed alio iure vtimur, nisi vim publicam admiserint, *contra l. si quis in tantam, C. vnde vi.* [Sanè possessionem quam habuit pater antequam per transitum ad secundas nuptias amitteret proprietatem, amittit simul cum proprietate, hoc ipso, quod ex proprietario fit vsufructuarius, quia quisquis est vsufructuarius, possidet quidem naturaliter suo nomine, sed ciuiliter non nisi nomine proprietarij. Retinet ergo possessionem naturalem tantùm, sed ciuilem amittit, quæ ipso iure transit ad liberos, quibus proinde ex eo tempore possunt competere interdicta possessoria non solum patre mortuo, sed etiam viuo illo, dummodo authoritatem filio præstante, dum ne sit pater absens, *l. vlt. C. de bon. quæ liber. Ita Senatus* in ea causa de qua *Defin. 4. num. 1. ff. de bon. quæ liber.* Vide *Rebuff. in præfat. tract. de mater. poss. num. 92.*]

TIT. VI.

DE DOT. PROMISS.

DEFINITIO I.

Dos per matrem & fratrem defuncto patre constituta ex maternis fraternisque bonis in partes constituta intelligitur.

SI mater filiæ, eidemque sorori frater dotem constituerint, non minus de maternis, quàm de fraternis bonis constituta intelligetur. [1] Nam Iustiniani constitutio, [2] quæ matris personam pro adiecta tantum haberi vult, dotemque ex paternis dumtaxat bonis constitutam intelligi, ad eum casum pertinet, quo pater & mater simul dotem constituerint: [3] optimamque habet rationem, quod officium paternum, vt docet filiam, [4] quamdiu paternæ facultates sufficere possunt, [5] licet maternarum quoque mentio facta sit. At patre mortuo paterni illius officij ratio vlla haberi amplius non potest, cumque dotanda sit filia ex propriis bonis, quæ à patre

BIU Cujas

habuit, nihil causæ est, cur non vtiliter obligata mater videri debeat, quæ dotem vltro promisit, in eamque rem bona sua obligauit. [6] Patris enim officium non transit in fratrem,[7] licet patris hæredem, nisi hactenus vt eam hæreditatis vel bonorum partem sorori præstet, quam ex paternis facultatibus habere illa debeat.[8] *Ita Senatus* ex tempore, 9. Calend. Iulij 1590.

1 *Arg. l. reos* 12. *§. cum tabulis, ff. de duobus reis.*
2 *In l. vlt. C. hoc tit.*
3 Itemque ad illum casum, quo solus pater dotem constituerit ex rebus tam suis, quam maternis, vel aliis ad filiam pertinentibus, vt constat *ex vers. vbi autem.*
4 Ratio hæc posita est, *in d. l. vlt. versic. neque enim.* Iunge *l. capite* 19 *D. de rit. nupt. l. si socius pro filia* 81. *D. pro socio.*
5 Nam ex magna & probabili causa etiam mater cogitur dotare, *l. neque mater* 14. *C. de iur. dot.* id est, si patris bona non sufficiant, neque aliunde habeat filia.
6 Adeo vt neque ex hac causa possit mater se iuuare Velleiano, *l. si dotare* 12. *l. vlt. C. ad SC. Velleian.*
7 Neque enim frater cogitur dotare sororem nisi consanguineam, & in subsidium, si aliter nubere honeste non possit, *l. cum plures* 12. *§. cum tutor. ff. de admin. tutor.*
8 Pro legitima portione, quam filia omnimodo habere debet, *l. parentibus* 8. *C. de inoff. testam.*

DEFINITIO II.

Dotis promissio incerta nunquam valet, nec si facta sit à patre.

DOtis promissio incerta valere non potest etiamsi à patre facta sit,[1] nec hac parte, si iuris rationem potius, quam Interpretum traditiones inspicias,[2] quicquam referre potest, an à patre, an ab extraneo, aut ab ipsa muliere dos marito promissa sit? Est enim in causis & personis omnibus perpetuo verum, promissionem incertam non valere,[3] nec fauor dotis contrarium ius elicere vllo modo potest.[4] Hoc sane interest, an pater, an extraneus, aut mulier ipsa dotem promiserit, quod cum extraneus aut mulier promisit, nihil est, quod ab iis exigi possit, quia vel minimum quid pro dote dando liberarentur, cum nec dotem vllam dare teneantur:[5] At pater congruam dare compellitur,[6] non quia dotem incertam promiserit, sed quia etiamsi dotem, quod idem est, nullam promisisset, filiam tamen ex paterno officio dotare teneretur. *Ita tractatum est* in causa Ioannis Bouier, & Petri Quimier Aduocati, 10. Calend. Decemb. 1590.

1 *L. 1. C. hoc tit.*
2 Solent enim Interpretes distinguere, an dos promissa sit ab extraneo an à patre, *ex l. cum post* 69. *§. gener. ff. de iur. dot.*
3 Quemadmodum & incertitudo solet vitiare legatum & stipulationem, *d. §. gener.*
4 Vt constat *ex d. l. 1. C. hoc tit.* quæ & de dote loquitur, & solam hanc rationem habet, non illam, quam Interpretes ibi afferunt, quod duo specialia circa idem concurrere non possint. Est enim falsa illa propositio, vt alibi docuimus.
5 Bald. *ad d. l. 1. C. hoc tit.* Harmenop. *lib. 4. cap. 8.* Papon. *lib. 1. Notar. cap. 4. Du contract. de mariage.*
6 *L. capite* 19. *ff. de rit. nupt.*
7 *L. vlt. C. hoc tit.*

DEFINITIO III.

PLane non incerta dos promissa videbitur, siue ab extraneo, aut à muliere, siue à socero ipso arbitratu soceri promissa sit:[1] non tam enim soceri, quam boni viri arbitrium demonstratum intelligitur.[2] Ideoque nullo etiam secuto ante soceri mortem arbitrio[3] non minus valebit promissio, quia mortuo quoque socero sequi potest arbitrium boni viri ex paternis facultatibus, maritique dignitate certam dotem constituturi.[4] Nec est contrarium, quod si arbitratu Lucij Titij rem aliquam mihi restitui stipulatus sim, alius quam ipse Titius arbitrari non potest.[5] Id enim fit, non quod, vt quidam putant, aliud in stipulatione receptum sit, quam in bonæ fidei contractibus,[6] sed quia multum interest, an in tertij cuiuspiam, an in alterutrius ex contrahentibus arbitrium stipulationis conditio conferatur,[7] sicut & an ex boni viri arbitratu, an ex simplici absolutaque promissoris voluntate obligatio constituatur?[8] Illud sane exploratum est, non posse videri incertam dotis promissionem, si pater congruam dotem, nulla etiam quantitate expressa, daturum se promiserit, cum ex mariti dignitate patrisque facultatibus certa fieri possit.[9] Idemque est, si pater, cum minorem, quam par fuisset, quantitatem dotis nomine promisisset, postea eam se dotem congruenter auctorum nulla demonstrata quantitate promiserit.[10] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Vt in l. cum post* 69. *§. gener. D. de iur. dot.*
2 Vt ibidem Papin. ait. Iunge *l. 3. C. hoc tit.*
3 Qui sensus est eorum verborum, *detracto quoque arbitrio, in d. §. gener.*
4 *d. §. gener. & d. l. 3. C. hoc tit.* Iunge *l. siue generalis* 61. *D. de iur. dot.*
5 *l. si quis arbitratu* 43. *& seq. D. de verb. oblig.*
6 Eadem enim omnium contractuum hac parte ratio est, *l. si merces* 25. *D. locat. l. si cota* 75. *D. pro socio, l. vlt. in. C. de contrab. empt.*
7 *d. l. 3. C. hoc tit. l. in personam* 22. *§. 1. de reg. iur. l. si societatem* 6. *l. societatem* 76. *D. pro socio, l. hæc venditio* 7. *D. de contr. empt. l. si in lege* 24. *D. locat. l. si sic legatum* 75 *de leg. 1.*
8 Hoc enim posterius fieri non posset, *l. sub hac conditione* 8. *D. de oblig. & act. l. stipulatio non valet* 17. *de verb. oblig.*
9 *d. §. gener. & d. l. siue generalis* 61. *de iur. dot.* Iunge *l. certum* 6. *D. de rebus cred.*
10 *L. si filiæ pater* 43. *de legat. 3.* Quid enim interest hac parte inter dotem & dotis augmentum? *l. inter socerum* 26. *§. cum inter, D. de pact. dotal. l. etiamsi* 8. *C. de iur. dot.*

DEFINITIO IV.

PAter iam octogenarius tres habens filias, cum duabus prioribus nuptis dotem quadringentorum aureorum singulis dedisset, ac tertiam Sempronio nobiliori viro collocare vellet, qui eam quantitatem dignitati suæ minus congruam existimabat,[1] ampliorem quidem se dotem daturum promiserat, sed id ipsum in tabulas dotales referri noluerat, causatus vereri se, ne cæteris filiabus generisque discordiæ & odij materiam ea res daret. Postea condito in scriptis testamento, ne suprema voluntas aliis innotesceret, quam soli Sempronio insinuauerat, filiam hanc hæredem solam scripserat, reliquis non nisi legata reliquerat, Sempronio ne diffidere posset tabulas ipsas quasi pignoris loco custodiendas tradiderat. Post paucos menses defuncta vxore, ex qua nulli per ætatem liberi sperabantur, puellam duxerat, qua subinde prægnante facta, Sempronius nihil amplius vxori suæ suisque in soceri successione sperandum ratus, cum in eo rem esse videret, vt testamentum agnatione posthumi aut quasi posthumi ruptum iretur, socerum vrgebat lite in eam rem instituta, vt promissa impleret, dotemque ampliorem filiæ constitueret. Socer negabat se teneri, propterea quod promissio de donando multum differret à donatione,[2] locumque admitteret pœnitentiæ.[3] Deinde quod se viuo præmatura & importuna esset petitio, cum nullo præfinito tempore sufficeret augeri dotem quandocumque.[4] Proinde expectandum tempus quo moreretur: quo tempore filiam, quæ non renunciauerat, habituram esse constabat aut partem hæreditatis, si intestatus ipse decederet,[5] aut saltem legitimam portionem, si alius hæres scriberetur.[6] Qua ratione promissio-

promissioni commode satisfieret, quando non aliam ob causam dos data in proposito casu minus congrua dicebatur, quam quod legitimam non adæquaret. [7] Quid enim aliud posset illa petere? An vt prohiberetur pater intestato decedere, aut si testaretur, reliquas filias ex æquis partibus heredes scribere? Atqui nec si expresse ita conuenisset, pacto tamen valeret, vtpote quæ iuri publico derogaret, [8] ex quo liberum cuique est supremi iudicij arbitrium, [9] cuius causam fauorabiliorem quam dotis esse debere nemo ambigit. [10] Adde, quod ex eiusmodi pactione pater ad inducendam inter liberos inæqualitatem inuitaretur, aut potius obstringeretur. [11] An vt viuus pater legitimam filiæ repræsentaret? [12] At iam diximus, expressum non fuisse, viuone an mortuo socero dotem augeri oporteret, ob idque magis esse, vt ea interpretatio accipi deberet, quæ socero faueret, vt nihil ab eo quandiu viueret exigeretur. [13] Nam & conuentione id fieri posse certum est, [14] illamque non modo soceri, sed etiam generi voluntatem fuisse ex eo apparebat, quod socer voluntatem suam testamento declarauerat, [15] gener autem nuda tabularum traditione sibi satisfactum crediderat. [16] Sed & ea sola ratio afferebatur ex parte generi, cur dotis augendæ promissio scripta non fuisset, quod vereretur socer, ne viuo se conflaretur ex liberalitate inuidia, si ampliorem huic filiæ quam reliquis dotem daret. [17] Accedebat, quod legitimæ portionis æstimationem iniri oportet inspecto mortis tempore: [18] vnde fit, vt nec vllo casu à viuente debeatur; [19] cumque non nisi deducto ære alieno & funeris impensa legitimæ ratio poni possit, [20] an non fuerit impium & inhumanum de soceri viuentis funere quæri, [21] eiusque facultates non solum explorari, sed etiam detegi, [22] antequam moreretur. [23] Pro Sempronio illud tantum faciebat, quod sub specie amplioris dotis promissæ decipi non debuisset, qui aliter vxorem non duxisset. [24] Quidam putabant remedij loco inducendum, vt legitima quidem etiam viuo patre huic filiæ propter conuentionem adiudicaretur, ad augendam dotem, sed eius æstimatio in id tempus differretur, quo pater esset mortuus, vt vtrique citra alterutrius iniuriam consuleretur. [25] Sed displicuit sententia, quia fieri poterat, vt aucto interea liberorum numero, diminutisque facultatibus paternis legitima eo tempore minor esset quam dos data, quo casu inutilis Sempronio futura esset pactio, & inutile remedium. [26] Deinde quia nusquam scriptum est, congruam dotem ex legitimæ comparatione accipiendam esse: potest enim congrua esse, tametsi legitimæ æstimationem superet. Potest & interdum, etiamsi ad legitimam non accedat, nempe pro temporum, rerum & personarum varietate. [27] Itaque placuit condemnandum socerum, vt statim dotem augeret hactenus, vt congruam faceret & competentem: [28] congruam autem intelligendam non habito respectu ad legitimæ quantitatem, quæ futura esset cum ipse moreretur, aut quæ fuisset, si promissionis tempore decessisset, sed arbitrio boni viri, non æstimatis ad amussim paternis facultatibus exploratisque creditoribus, sed largius ex communi viciniorum de patris patrimonio existimatione: [29] ita tamen vt eius quantitatis, quæ dotem augeret, exactio in tempus mortis paternæ differretur, [30] nec amplioris legitimæ petitioni præiudicium fieret, si patrem facultatibus augeri contingeret, [31] quamuis si pauperior fieret non idcirco minui dos deberet, quæ semel certa constituta & debita, licet nondum soluta fuisset. [32] Non enim hoc casu locum habere potest, quod dici solet, eandem dubij euentus rationem in vtrunque casum esse debere, [33] cum augendæ dotis iusta causa sit propter conuentionem, diminuendæ nulla. [34] Cum tamen ex testationibus constaret, socerum de augenda dote tractantem quadringentorum aureorum summam sæpius expressisse, idipsum Senatus secutus est, non quod boni viri arbitrium tale omnimodo esse deberet, vt duplari dotem oporteret, [35] sed quia deficientibus aliis probationibus omnibus nihil causæ erat, cur à patris tanquam boni viri arbitrio recedendum esset. [36] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam pro maiore dignitate mariti maiorem quoque dotis constitutionem fieri æquum est, *l. cum post 69. §. gener, D. de iur. dot. l. quæro 60. eod.*

2 Nicol. Boer. *decis. 48.*

3 Bart. *in l. vlt. num. 8. D. de cond. caus. dat.*

4 Quod enim nullo tempore adiecto promissum est, quandocunque solui potest, sicut & vbique quod debetur sine vllius loci adiectione, *l. continuus 137. §. cum ita, D. de verbor. oblig.* Nec facile ferendum est, vt præcipitetur pater ad solutionem, *l. si extraneus, 33. D. de iur. dot.* Obserua tamen id, quod sine die debetur, sicut quandocunque solui potest, ita quandocunque peti posse, & præsenti die, *l. cedere diem 213. de verbor. signific.*

5 *L. maximum vitium 4. C. de liber. præter.*

6 *L. parentibus 8. l. omnimodo 30. l. quoniam in prioribus 32. & pass. C. de inoff. test.*

7 Cum possit congrua esse dos, etiam quæ minor sit legitima, Bald. *in auth. res quæ, num. 16. C. commun. de legat.* Dec. *consil. 277. col. pen. vers. & ista conclusio, & cons. 505. nu. 4.* Grammat. *quæst. 101. num. 47. & 72.*

8 *l. posthumus 6. vers. quid ergo, D. de inoffic. testam. l. vlt. de suis & legit. l. ius publicum 38. D. de pact.*

9 *l. 1. C. de sacros. eccles. l. stipulatio hoc modo concepta 68. de verbor. oblig. l. 4. C. de inutil. stip. l. cum duobus 52. alias l. si fratres, §. idem respondit societatem, D. pro socio.*

10 *l. vel negare 6. D. testament. quemadmod. aper.* iunct. *l. mulier 22. §. cum proponeretur, ad SC. Trebell. l. pactum 15.* vbi Dec. *Cod. de pact.*

11 Cum tamen è contrario nihil sit æquius, quam vt inter liberos æqualitas seruetur, *l. vt liberis 17. l. penult. §. 1. C. de collat. §. illud, Nouell. 22. de nupt.*

12 Atqui impossibile est legitimam à viuo patre deberi, aut solui, cum nihil aliud sit quam portio portionis ab intestato contingentis, *l. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor. l. quæ nuper 31. C. de inoffic. testam.*

13 *Arg. d. l. si extraneus 33. D. de iur. dot.*

14 *l. cum pater 11. D. de pact. dotal. & l. præced. l. Bæbius 30. eodem.*

15 Testamenti autem effectus nullus est, nisi post mortem testatoris, *l. 1. D. qui testam. fac. poss.*

16 *Arg. l. cum pater 77. §. donationis, & §. pater pluribus, de leg. 2.* quid autem interest, an verbo, an facto quis declaret suam voluntatem? *l. non tantum 5. D. rat. rem hab.*

17 Ex ratione autem dispositionis interpretanda & regulanda est dispositio, *l. vlt. D. de hered. institis. d. l. cum pater 77. §. dulcissimis, de leg. 2.*

18 *l. cum quæritur 6. & pass. C. de inoffic. testam. l. Papinianus 8. §. quarta autem, D. eod.*

19 *d. l. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor.*

20 *d. §. quarta autem.*

21 Est enim hoc plenum tristis & periculosi euentus, *l. vlt. C. de pact.*

22 Interest enim cuiusque, ne patrimonij secreta pandantur, *l. 2. C. de alim. pupill. præst.*

23 Improbus enim est, qui solicitus est de hereditate viuentis, & contra ius gentium festinat, *l. 2. §. interdum, de vulg. & pupill. substitut. l. donari 29. alias l. quidam, §. donationem, D. de donat.*

24 *l. penultim. ibi, quid enim, D. de iur. dot. l. si donaturus 9. §. 1. D. de cond. caus. dat. l. vltim. §. 1. D. quæ in fraud. credit. l. 5. §. penult. D. de dol. except.* Parum autem interest, an maritus nullam dotem habeat, an vero tam exiguam, *authent. præterea,* vbi DD. *Cod. unde vir. & vxor.* Natt. *consil. 37. num. 4.* Tess. *decis. 192. numer. 2. in fin.*

25 Nihil enim vetat condemnationem statim fieri, condemnationis vero exactionem differri, *l. in lege 40. D. ad legem Aquil.*

26 Augetur enim vel minuitur legitima pro numero liberorum, & pro quantitate facultatum, *Nouell. 36. de trient. & semiss. & l. cum quæritur 6. & pass. C. de inoff. test.*

27 Grammat. *decis. 101. num. 65. 66. & seqq.* Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 2. casu 149. num. 28.*

28 Nam quod multi putant congruam censeri dotem, quæ-

BIU Cujas

cunque à patre detur, Grammat. *dict. decis.* 101. *num.* 68. *& seqq.* non pertinet ad hunc casum, in quo pater promiserat se dotem aucturum, agnoscens, satis non esse congruam eam quam dederat.

29 Totum enim hoc arbitrio iudicis relinquendum est, vt tractat Menoch. *d. cas.* 149. *num* 34. post Barbat. *cons.* 80. *in fin. lib.* 3. Afflict. *in cap.* 1. *num.* 21. *ex quib. caus. feud. amitt.*

30 Ex ratione posita, *num.* 15. *&* 16. *de solut.*

31 Ne facta ad augmentum inducerent diminutionem, *l. quæsitum* 12. *§. penult. de instr. leg.*

32 *l. vero* 12. *§. penult. de solut.*

33 *l. de fideicommisso* 11. C. *de transact. l. si pater puellæ* 12. C. *de inoffic. testam. l. penult.* C. *de solut.*

34 Nec enim potest dotis conditio deterior fieri ex postfacto, ne quidem per actum, *l. cum dos* 7. *& l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dot.* Itaque non est hac parte eadem ratio augmenti & diminutionis, vt nec *in l. deducta* 58. *§. penult. ad SC. Trebell.*

35 Nihil enim certi potest constitui in re incerta, & ex facti circumstantiis æstimanda.

36 Semper enim creditur pater bonus vir, & æquus arbiter in causa liberorum, *l. nec in ea* 22. *in fin. D. ad leg. Iul. de adult. l. vlt.* C. *de curat. furios.* Grammat. supra citatus *num.* 28. nisi filia enormiter læsa sit, Menoch. *d. casu* 149. *num.* 15. Curt. Sen. *consil.* 27. Ias. *cons.* 133. *lib.* 4.

DEFINITIO V.

Differentia, quæ est in exactione dotis promissæ aut legatæ.

EX dotis, siue præstandæ, siue augendæ promissione, quam pater non filiæ, sed genero fecerit, gener agere potest, filia non potest. [1] In legato secus est. Nam si genero dos legata sit, filiæ non generi actio est, [2] quia in legatis illud tantum inspicimus, cuius interfit, vt sciamus cuius contemplatione testator legauerit. [3] Mulieris autem maxime & præcipue interest habere dotem. [4] At in stipulationibus quærendum est qui stipulatus, & cui promissum sit. [5] Nec ad rem pertinet, quod, etiamsi promissio nulla interuenerit, filia, quę minus congruam dotem habuit, interpellare patrem potest, vt congrue dotetur. Id enim fit implorato iudicis officio, [6] quemadmodum si nulla dos adhuc data aut promissa esset. [7] Sed vt ex promissione alius agat, quam cui promissio facta est, id fieri nullo modo potest. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l si pater marito* 5. C. *hoc tit.* Guid. Pap. *quæst.* 145. incip. *pater pro filia.*

2 *l. seruo legato* 69. *§. si testator, de leg.* 1.

3 *l. fideicommissa* 11. *§. plerunque & §. interdum. de leg.* 3.

4 *d. §. si testator*, cum dos sit proprium filiæ patrimonium, *l.* 3. *§. sed virum*, C. *de minor. l. vlt. D. de collat. dot.*

5 Quia alteri stipulari nemo potest, *l. stipulatio ista* 38. *§. alteri, de verb. oblig.*

6 Non vi actionis, quia filia non potest agere contra patrem, *l.* 4. *de iudic.* ne quidem ex causa dotis, vt scripsi in Rationalibus meis, *ad d. §. sed virum*, contra Cuiacium.

7 Quia paternum officium est dotare filiam, *l. vlt. C. hoc tit. l. capite* 19. *D. de rit. nupt.*

8 *l. quæcunque* 11. *D. de oblig. & act.*

DEFINITIO VI.

Vsuræ dotis, quæ promissa fuit à muliere, debentur ex die nuptiarum, non ex lapsu biennij. Secus si dos ab extraneo sit promissa.

MElior interdum conditio est extranei, qui dotem promisit, quam mulieris. Extraneus enim si doti soluendæ breuiorem diem non dixerit, non prius vsuras debet, quasi ex mora quam biennium præterierit, quod Iustiniani constitutione in eam rem præfinitum est. [1] Mulier vero ex ipso nuptiarum die moram facere intelligitur, [2] seque per consequentias ad præstationem vsurarum obligat, tametsi non sint deductæ in stipulatum, si modo cum viro habitet qui ferat onera matrimonij. [3] Ibi enim dotem, aut saltem dotis fructum esse, necesse est, vbi sunt onera matrimonij. *Ita in Senatu* tractatum in ea causa, de qua SC. 22. De iur. 16. Calend. Septemb. 1592.

1 *l. vlt. §. præterea*, C. *de iur. dot.*

2 Ideoque & de domo mariti potest expelli ob non solutam dotem, Boer. *quæst.* 22. *num.* 1. *&* 3. Nec est necessaria hoc casu mora illa legalis, de qua *in d. §. præterea*, & de qua Aug. *in §. fuerat, vers. vnum tamen tene menti, Instit. de act.*

3 Debentur enim dotis fructus marito pro oneribus matrimonij, *l. pro oneribus* 20. *Cod. de iur. dot.* Atque ita disputat Bartol. pro gloss. contra alios *in dict. §. præterea*, & ibid. post eum Salycet.

DEFINITIO VII.

Dotis promissio per patrem & matrem simul facta an & quando censeatur ex bonis etiam maternis facta esse?

NVbenti filiæ pater & mater simul vnam eandemque pecuniæ quantitatem dotis nomine promiserant, adiecta etiam clausula, vt eam singuli in solidum deberent, obligatis quoque in eam rem specialiter bonis quibusdam maternis. Tum ex ea causa iisdem tabulis filia futuris parentum successionibus renunciauerat. [1] Placuit ita interpretandam promissionem, vt à solo patre dos constituta videretur, matris autem persona adiecta, vt accessionis potius & fideiussoris vice fungeretur, [2] quam vt correa debendi constitueretur. Receptum enim est, vt quoties duo correi debendi fiunt pro negotio, quod ad alterum duntaxat pertinet, pro fideiussore habeatur is, ad quem res non pertinet. [3] Dotandi autem onus patri incumbit, non matri, [4] nisi ex magna causa, [5] id est, si pater adeo egenus sit, vt de suo dotare non possit. Vnde illud quoque fit, quod Iustinianus constituit, [6] vt si iam delata filiæ materna hereditate pater dotem ipsi constituerit hoc addito, *tam ex paternis, quam ex maternis rebus*, de paternis duntaxat si sufficiant dotasse videatur. Quam Iustiniani legem etsi Leo Imp. abrogauit, [7] ipsa tamen Leonis constitutio Iustinianeæ legis potestate victa nunquam obtinuit. [8] Plane sicut congruam dotem, quam pater dare debet ex modo facultatum paternarum, æstimamus, [9] Ita quod excedit, ex aliis quam paternis bonis promissum videri necesse est, [10] sumpta videlicet ex comparatione dotis & paterni matrimonii coniectura voluntatis. [11] Sed etsi tantam dotem de suo aliis filiabus dare pater solitus probetur, nihil de modo facultatum ipsius vltra inquirendum erit, quippe quarum æstimator alius magis idoneus non sit querendus, [12] nisi medio tempore inopinatus aliquis fortunæ impetus superuenerit, qui facultatibus patris cladem intulerit. [13] Consequens igitur est, vt, quo casu tota dos ex bonis paternis constituta intelligitur, non ex maternis, renunciatio maternæ successionis per filiam facta non valeat, etiamsi iurisiurandi vinculum accesserit, quasi sine causa facta, nulloque æquitatis colore subnixa, [14] nil obstante pontificia constitutione, [15] cui nimirum locus hoc casu esse non potest. [16] Nam & cum aliquid filiæ datum est, vt renunciet futuræ dotantis successioni, si læsio enormis nedum enormissima intercesserit, constat posse illam impetrata absolutione restitui in integrum, non solum si minor fuerit, sed etiam si maior, ne iusiurandum, quod æquitatis vinculo sustineri conuenit, iniquitati tuendæ deseruiat. [17] Ex quo apparet non esse perpetuo & indistincte verum, quod quibusdam placet, [18] Iustiniani legem, quæ induxit vt dotis promissio, facta ex bonis

paternis

BIU Cujas

paternis & maternis, de solis paternis si sufficiant facta censeatur,[19] non procedere si maternæ quoque successioni renunciatum sit. Nihil enim prodesse patri aut nocere filiæ debet renunciatio maternæ successionis, nisi cum ad eliciendam eam aliquid ex maternis bonis erogatum est;[20] potiusque renunciatio ex promissione, quam promissio ex renunciatione æstimari debet.[21] Quod vero iidem addunt,[22] non esse etiam locum constitutioni, si ea persona, ad quam spectant bona, ex quibus dotem se promittere pater dixit, consentiat, in extraneo quidem, cui libera contradicendi potestas esset, admitti fortasse potest.[23] At in persona vxoris, aut filiæ non est probabile, quas pudor impedit, paternaque aut maritalis verecundia, ne resistere & contradicere possint.[24] *Ita Senatus* pro illustri Dn. Ludouica de la Chambre, vxore Dn. Comitis de Monreal, contra Dominos Marchionem Comitem & Vicecomitem de la Chambre fratres, 4. Id. Iun. 1593.

1 Quoniam hodie valent huiusmodi renunciationes, si sint iuratæ, *ex cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

2 Bald. Nouell. *in tract. de dot. part. 6. priuil. 3. num. 3.*

3 Bart. *in l. reos* 12. *D. de duob. reis, & ad Auth. hoc ita, C. eod. ex l. vir vxori* 17. *§. vlt.* vbi Castr. *D. ad SC. Velleian.* Corneus *cons. 124. num. 4. & 5. vol. 1. & cons. 316. num. 3. & 4. vol. 4.* Vide tamen quæ contra scripsi *lib. 11. Coniect. cap. 1.*

4 *L. capite* 19. *alias l. qui liberos, D. de ritu nupt. l. cognouimus* 19. *C. de hæret.*

5 *L. neque mater* 14. *C. de iur. dot.*

6 *In l. vlt. C. hoc tit.*

7 *Nouell. 21.*

8 Vtimur enim eo iure, quod Iustinianus constituit *in d. l. vlt. C. hoc tit.*

9 *L. quæro* 60. *l. cum post* 69. *§. gener. & §. nuptiis, D. de iur. dot.*

10 *Arg. l. & ideo 7. §. vlt. D. de in rem vers.* * Adde idem esse si filia patri legitimè consentiat: Campes. *de dot. part. 1. quæst. 16.* vbi vide alias limitationes.

11 *Arg. l. quidam* 30. *de legat. 2.*

12 Solent enim patresfamilias frugi facere patrimonij sui æstimationem, *l. cum pater* 77. *§. pater qui filio, de leg. 2.*

13 Id enim euenit plerunque, *Auth. sed quamuis, C. de rei vxor. act. l. 4. D. vt in poss. legat.*

14 Nam contra eum, qui agit ex stipulatione interposita sine causa, semper datur doli exceptio, *l. 2. §. cir. a, D. de dol. mal. except.*

15 *In cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

16 *Arg.* sumpto ex illis verbis, *accepta dote à contr. sens.* Anchar. ad eum locum *not. 2. & cons. 19. in princ.* Salic. *in l. pactum dotal. 3. C. de collat.* & ibid. post eum Dec. *num. 7. Ita Senatus* pro Peroneta Grange, 14. Cal. Iulij 1611.

17 Decius *cons. 551. num. 2.* Didac. Couarr. post Decium & alios innumeros, *ad d. cap. quamuis.*

18 Cruet. *cons. 84. vol. 1. num. 4.*

19 *In d. l. vlt. C. hoc tit.*

20 Vide Ias. *ad l. 1. num. 23. D. solut. matrim.*

21 *d. cap. quamuis pactum.*

22 Idem Cruet. *d. cons. 84. num. 6. vol. 1.*

23 Sibi namque imputet qui non contradixerit cum posset, *arg. d. qui patitur* 18. *D. mandat. l. si fideiussor* 26. *§. 1. D. de pignor. Not. ad l. Caius* 39. *D. de pign. act.*

24 *Argum. l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det. l. pen. D. de furt.* * Aliquando tamen accidit vt imputetur ei qui potuit & debuit contradicere, etiamsi non potuit contradicere sine verecundia. Anton. Gabriel. *commun. opin. conclus. 3. de præsumpt. num. 15.*

DEFINITIO VIII.

Dos, quamuis ab vtroque parente in solidum promissa, soli tamen patri imputatur, si paternarum facultatum modo respondeat.

DOs ab vtroque parente communi obligationis vinculo promissa, si non excedat eam quantitatem, cui paternarum facultatum modus respondeat, non eo minus ex solius patris bonis promissa videtur,[1] quod aduersus matrem filia vel eius maritus de dote egerit, & ex actione condemnationem, ex condemnatione exactionem retulerit. Quandoquidem fideiussionis nomine mater conueniri potuit,[2] & quidem perinde vtiliter & efficaciter, ac si dotandi munus vel inuita subire debuisset, quia ad eam mulieris intercessionem, quæ pro dote facta est, Senatusconsulti Velleiani potestas non extenditur,[3] sicut nec Nouella Iustiniani constitutio in fauorem mulierum lata.[4] Nec mutabit, quod agens filia vel eius nomine gener dixerit in iudicio vniuersam dotem ex maternis bonis deberi, quasi non sit ei permittendum variare,[5] si postea totam dotem patri ex contrario imputare velit. Nihil enim prohibet, quo minus & ex bonis matris tota debeatur, & soli patri imputetur, matre scilicet non nisi fideiussorio nomine obligata.[6] Quod apparebit euidentius, si ponas, eodem Senatusconsulto, quo mater condemnata est, relictum ei regressum aduersus maritum, aut mariti heredes. Solet enim regressus hic fideiussoribus dari,[7] non correis debendi, nisi quatenus vice mutua videntur fideiussisse.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ diximus *Defin. præced.*

2 Nec enim nouum est, vt etiam ex pluribus correis debendi alter fideiussoris loco habeatur, maxime si id actum sit, *l. reos* 11. *in princ. vbi not. D. de duobus reis.*

3 *L. si dotare* 12. *l. vlt. C. ad SC. Velleian.*

4 *Nouell. 134. cap. 8.* vnde sumpta est, *Auth. si qua mulier, C. eod. tit. ad Velleian.*

5 Cum in iudiciis quasi contrahatur, *vulg. l. 3. §. idem scribit, D. de pecul.*

6 Quod enim fideiussor debet, soluit quidem de suo, sed tanquam postea repetiturus.

7 Per actionem mandati, *l. ex mandato* 20. *§. 1. & pass. D. mandat. l. cum lex* 46. *& pass. D. de fideiuss.*

8 *L. 1. alias l. 2.* & ibi Bart. & cæteri, *C. de duob. reis.* Vide quæ scripsi latissime, *lib. 1. Coniect. iur. ciuil.*

DEFINITIO IX.

De dote aucta constante matrimonio inscio socero, qui bona sua pro dote dotisque augmento obligauerat, an etiam pro dotis auctæ incremento socer eiusque bona teneantur?

PAter filio vxorem ducenti, dotemq; accipienti consenserat, deque suis bonis augmentum dotis constituerat, & in eam rem, vt fieri solet, bona sua omnia obligauerat.[1] Constante matrimonio filiæ pater dotem auxerat,[2] cique testamento certam pecuniæ quantitatem legauerat soluendam genero, vt in dotem conuerteretur. Eam gener acceperat, dotisque esse voluerat inscio patre suo. Non erat dubitationi locus, quin pro portione auctæ dotis ipsum quoque augmentum, de quo in tabulis dotalibus conuenerat, augeri oporteret.[3] Est enim consuetudinarium, debeturque non solum citra vllam conuentionem, sed ita etiam, vt nulla conuentione fieri possit, ne debeatur.[4] Sed de illo non ineleganter quærebatur, an mariti pater eo nomine conueniri posset? Quidam putabant non posse, propterea quod eo inscio dos aucta esset, iniquumque videretur, ignorantis aut inuiti patris duriorem fieri conditionem,[5] qui certis legibus, nec nisi ad certam vsque quantitatem filij nomine obligari ab initio voluisset.[6] Alioqui quid dicemus, si dos adeo in immensum excreuerit ob liberalitatem ab aliquo in mulierem collatam, aut ex causa fortassis opulentissimæ hereditatis ad mulierem deuolutæ, vt augmento præstando soceri facultates sufficere non possint?[7] An cogemus patrem, amisso iam filio, totius præterea patrimonij sui iacturam facere, & ob præstitum à se ex bona fide paternæ pietatis officium perpetua egestate laborare?[8] Alij contra dicebant, obligationem illam, quæ pro dotis augmẽto contrahatur, esse accessoriam,[9]

BIU Cujas

& consequentem obligationi, quam pater filij nomine dotem accipiendo vltro susceperat. Nec posse mariti patrem recusare, posteaquam matrimonio consenserat, vt eas omnes obligationes in se susciperet, quæ ex causa matrimonij penderent. [10] Proinde quemadmodum prohibere non potuisset, quo minus etiam constante matrimonio dos augeretur, [11] ita neque posse illum aucta dote recusare, quo minus pro eius dotis auctæ portione præstet augmentum de suo, si alia bona filiusfamilias non habeat, ex quibus sumi possit. [12] Nam si haberet, dubitandum non esset, quin ex iis prius satisfieri mulieri oporteret, in eoque saltem patri subueniri, vt non nisi in subsidium teneretur. [13] Itaque parum referre videbatur, an sciente vel ignorante patre maritus dotem augeri constante matrimonio voluisset. Cur non enim ignorante patre fieri potuit, quod eo quoque inuito fieri potuisset? [14] Alioqui videretur decepta mulier, quam credibile est non aliter filiofamilias nupturam fuisse, quam si soceri potius, quam mariti facultates & patrimonium intuita esset. [15] Nisi quis dicat non potuisse cogi maritum, vt dotem constante matrimonio augeri pateretur. [16] Ideoque non ei permittendum fuisse, vt augeri patiendo deteriorem faceret conditionem patris ignorantis, non magis, quam si nouum illud incrementum, quod pro aucta dote petitur, ex conuentione duntaxat, non etiam ex consuetudine deberetur. Quo casu certum esset, nullam mulieri ex conuentione cum marito facta aduersus socerum actionem quæri posse. [17] At hoc nimis durum est. Quid enim si quod mulieri constante matrimonio obuenit, ea lege datum ei fuit, vt doti cederet? An non iniquum esset priuari eam commodo relicti, itemque maritum fructu amplioris dotis ob id solum, quod pater dotem augeri nollet, ne ad maioris quantitatis augmentum se obstringeret? [19] Quid item si filiæ pater sibi conscius minorem à se dotem filiæ constitutam, quam quanti esse legitima deberet, testamento legauerit filiæ quantum ad supplendam legitimam deesse videbatur, & ea lege, vt quantitate illa dos augeretur, quasi quæ antea minus congrua fuisset? [20] Quidni liceat filiæ & marito legatum agnoscere, vt inuito socero? [21] Aut quis socerum propitiis auribus audiat nolentem pati, vt filij sui vxor eam dotem habeat, quam ipse vxoris pater cõgruam esse putauit? [22] Denique quis credat in fraudem soceri relictum esse mulieri dotis nomine, quod ipsi constante matrimonio obuenerit, vel auctam ab eo dotem, vt eo magis socer læderetur? [23] Fraude vero non interueniente cur permittamus socero, vt de dote bona fide aucta conqueratur? [24] Itaque in hanc sententiam proclinior erat Senatus noster, dum ne vsque adeo immoderata dos proponeretur, vt ex æquitate aliud constitui oporteret. [25] Nihildum tamen decisum fuit. *Ita tractatum est* pro N. Catharina de Lallee vidua Dom. Senatoris de Beausuiour, contra Dom. de la Fontaine magistrum Computorum, 6. Id. Mart. 1594.

1 Quæ etiam tacite obligata intelliguntur hoc ipso, quod pater nuptiis filij consentit, *l. si cum dotem 22. §. transgrediamur*, & ibi DD. *solut. matrim. l. 1. C. de filiisfam. & quemadm. pro iis pat. teneat. lib. 10. tit. 60.*

2 Nam & constante matrimonio dotem augeri posse constat, *l. vlt. C. de donat. ante nupt.*

3 Tanquam quod sit pars & quota dotis.

4 Exemplo scilicet dotis, de qua *in l. Attilicinus 17. D. de pact. dotal.* iunct. *l. inter socerum 26. §. cum inter, D. de pact. dot. l. etiamsi 8. C. de iur. dot.*

5 *Arg. l. 2. D. quod vi aut clam, l. non debet alteri 74. de reg. iur. cum similib.*

6 *Arg. l. vero procuratori 12. §. penult. D. de solut.*

7 Nemo enim credendus est voluisse obligari in immensum, & ad immodicam quantitatem, *l. si libertus ita iurauerit 30. D. de oper. libert.*

8 *Contra l. iure succursum 6. D. de iur. dot.*

9 Pendet enim ex constitutione & proportione dotis, quæ si nulla esset, neque augmentum vllum esse posset.

10 Nimirum ex vulgari iuris brocardico, quod habet, eum qui vult antecedens velle etiam videri quicquid est consequens necessario, *d. l. 1. Cod. de filiisfam. & quem. pro iis pat. ten. & d. §. transgrediamur.*

11 *d. l. vlt. C. de donat. ante nupt.*

12 Cum sciuerit pater, aut scire debuerit, non posse augeri dotem, quin ipsum quoque dotis augmentum hoc ipso augeatur. Itaque debuit cautius negotiari & saltem pacisci, ne pro dotis augmento supra certam quantitatem teneretur, quanquam eo quoque casu de pacti viribus dubitari posset, *arg d. l. Attilicinus*, & eius quod dictum est *num. 4. 5.*

13 Obligatio enim patris subsidiaria est, & quasi fideiussoria, *d. §. transgrediamur.*

14 *L. qui potest 16. de reg. iur.*

15 *d. §. transgrediamur, & arg. l. hinc quæritur 19. §. 1. & l. & ancillarum 27. §. vlt. D. de pecul.*

16 Cum inuito beneficium non detur, nec beneficio decipi aut onerari quem oporteat, sed adiuuari, *l. in commodato 17. §. sicut, D. commod. l. hoc iure 19. §. non potest, D. de donat. l. inuito 69. de reg. iur.*

17 Est enim regula generalis, conuentiones inter alios factas aliis nec prodesse nec obesse, *l. si vnus 27. §. pacta, vers. sane omnia, D. de pact.*

18 *Vt in l. seruo legato 69. §. si testator, de leg. 1. l. Titio centum 71. §. Titio genero, de condict. & demonstr.*

19 Esset enim hoc propemodum mutare consilium in alterius iniuriam, quod fieri nunquam potest, *l. nemo potest mutare 75. de reg. iur.*

20 Scilicet ad impediendum, ne filia ageret ad supplementum, vel dotis vel legitimæ, quod alioqui facere posset, *l. quoniam nouella 29.* vbi DD. *C. de inoff. test.*

21 Nam nec possunt vltimæ voluntates pendere ex tertij voluntate, *l. illa institutio 32. D. de hered. inst.*

22 Nec enim prohibendus est pater bonum consilium capere pro filia & satisfacere officio paterno ac legibus, quod vtiq; non aliter ab eo factum videri potest, quam si congruam dotem filiæ dederit, *l. 19. D. de ritu nupt.*

23 Ex eo siquidem, quod fit secundum leges, & ex officio pietatis paternæ, nemo nisi maligne ac improbe fraudis suspicionem & coniecturam capere possit, *argum. l. si extraneus 33. de iur. dot.*

24 Nam & quæcunq; bona fide gesta probantur, tum quoque rata haberi debent, cum iuris ratio repugnat, tametsi ex eo fiat, vt alius quoque lædatur, *arg. l. quoties 44. D. de acquir. hered. l. vlt. §. vlt. de leg. 2.*

25 *Arg. d. l. si libertus ita iurauerit 30. D. de oper. libert.*

DEFINITIO X.

Dos à sola matre promissa pro bonis paternis & maternis, neque ex solis paternis promissa intelligitur, neque ex solis maternis, sed ex vtriusque simul.

QVod Iustinianus constituit, vt pater, qui dotem filiæ dedit, siue simpliciter dare se dixerit, siue hoc etiam addito, *pro bonis paternis materniſque*, non nisi de bonis suis dotasse videatur, si substantiam in id idoneam habeat, [1] non similiter locum habet in matre. Legis enim ratio est, quod paternum officium sit, vt filiam dotet: [2] Quæ ratio, tantum abest, vt matri conueniat, vt ex contrario matrem excludat apertissime. [3] Igitur si mater filiæ nubenti dotem promiserit aut dederit pro iuribus omnibus, quę filia super bonis paternis maternisque habere poterat, non ideo tamen de solis maternis constituta dos videbitur. [4] Quamuis tantundem ex maternis solis debeatur, quantum dotis nomine promissum aut datum est, [5] neque rursum ex solis paternis, [6] sed ex vtrisque simul. [7] *Ita Senatus* in eadem causa, de qua SC. 15. & 16. supr. De secund. nupt.

1 *L. vlt. C. hoc tit.*

2 *L. capite 19. alias l. qui liberos, D. de rit. nupt.*

3 Neque enim hoc officium ad matrem vllo modo pertinet, nisi ex magna causa, vt diximus *Defin. 7. num. 4. & 5. 5. sod.*

4 Quo-

4 Quomodo de solis paternis constituta videretur, si talis constitutio a patre facta esset, *d.l. l.vlt.C.hoc tit.*

5 Superest enim actio ad supplementum, non dotis, sed legitimæ, si plus ex maternis bonis filiæ debeatur.

6 Cum dos constituta sit ab ipsa matre, nec minus pro maternis bonis, quam pro paternis.

7 *arg.l.reos*, 12. *§.cum tabulis*, *ff.de duob.reis*, *l.sed etsi*, 25. *§.adeo autem*, *vers.tertia vtrique*, *D.de pecu.hered.* Nec simile est quod Paulus tractat. *in l.Nesennius*, 34. *in fin.ff.de neg.gest.*

DEFINITIO XI.

Dos promissa filio soluenda est patri, si cum eo filius habitet, sin secus, ipsi filio, quamuis in potestate constituto.

CVm quæritur, an dos filiofamilias promissa ipsi soluenda sit, an patri, sequimur distinctionem illam, quæ & interpretibus magis communiter probata est, an filius vna cum patre habitet, an separatim? Vt si cum patre, soluenda sit patri, sin minus ipsi filio: [1] Perpetuum enim est, vt ibi dos esse debeat, vbi sunt onera matrimonij. [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 7. supr. Ne filius pro patre, aut pater pro filio.

1 Ferrariens. post Bart. & alios, *in form.libell.quo vxor. agit ad dot. in verb.vxor, nu.6.*

2 *l.si quis*, 56. *§.ibi dos.ff.de iur.dot.leg.si cum dotem*, 22. *§.transgrediamur solut.matrim.*

DEFINITIO XII.

Dos promissa, nec dum soluta, quando & quatenus habeatur pro soluta.

FAcilius est vt dos promissa pro soluta habeatur, quam vt ea, quæ nec data nec promissa est, intelligatur promissa, [1] scilicet in vtilitatem mariti, cui solui debuit, [2] non etiam mulieris, quæ fuit in mora soluendi. [3] Itaque eam dotis partem, quam ex statuto vel consuetudine lucrari maritus debet, perinde lucrabitur, si dos sibi tantum promissa sit, ac si iam soluta fuisset. [4] At non æque mulier donationem propter nuptias lucrari debebit ob solam promissionem dotis, si per eam steterit, quo minus dos marito solueretur. [5] Sed tamen quod ad consuetudinarium illud dotis augmentum apud nos receptissimum, alio iure vtimur, vt siue promissa tantum, siue soluta dos fuerit, siue à muliere, siue à patre aut donatore, aut etiam à mulieris debitore, augmentum illud mulieri omnimodo debeatur. [6] *Ita Senatus* sæpius.

1 Boer.*quæst.22.numer.7.* post innumeros alios ibidem citatos.

2 Idem Boer.*ibid.nu.12.* post Ioan.Campesium *in tract.de dot. 5.part.qu.14.* Intellige tamen, nisi statutum loquatur nominatim de dote soluta, vt in casu quem ibidem tractat Boer. *nu.8.* Bart. *in l.iubemus*, *§.sane*, *C. de sacrosanct.eccles.*

3 *§.penultim. Auth. de non elig. secund. nub. l.pollicitationem*, *Codic.de donat.ante nupt.* Boer.*vbi supr. numer.16.* post Guid.Pap. *cons.19.*

4 Boer.*d.num.12.*

5 Cuman.& Socin.*in l.de diuisione*, & Castr.*in l.si marito*, *§.1. solut.matr.* Boer.*d.nu.16.* vbi rationem reddit, vt inter coniuges seruetur æqualitas.

6 Vide Defin.1. *§.tit.prox.* & Boer.*vbi s.nu.19.20.21.*

DEFINITIO XIII.

Pater non tantum semel, sed iterum quoque tenetur dotare filiam, quæ sine culpa sua dotem amisit.

PAter tenetur dotare filiam, quæ semel dotata licet congrue, dotem amisit, sine culpa sua. [1] Non idem est in patrono Ecclesiæ, qui eam semel dotauerit, neque enim iterum dotare illam cogitur, quia dotandi officium vltro susceperat ab initio. [2] Pater vero dotandi necessitatem habet. [3] Ita tractatum est. *Sine die.*

1 *Notat.ad l.vltim. C.hoc tit. & ad Auth.sed quamuis*, *C.de rei vxor.act.*

2 Cum ecclesiam aliquam dotare nemo cogatur, & sit hoc ex mera dotantis liberalitate, vnde inductum est ius patronatus, vt eo veluti præmio inuitentur homines, etiam laici ad ecclesias dotandas, *tot.tit. Extr.de iur.patron.*

3 *l.capite quinto* 19. *D.de ritu nupt.d.l.vlt.hoc tit.*

DEFINITIO XIV.

Delegatus à muliere, cui nihil ille aut minus debebat, nullam ideo exceptionem vel actionem habere contra mulierem potest.

QVi cum mulieri nubenti aut nihil aut minus deberet, passus tamen est se ab ea delegari marito, eique cauerat se soluturum, si postea ex huiusmodi promissione conueniatur, non est audiendus si velit computare. [1] Sed si quid indebitum, vel promiserit vel soluerit, aduersus mulierem agere debet, quæ delegauit, non aduersus maritum, qui suum recepit. [2] *Sine die.*

1 Hoc est, allegare se vel nihil vel minus debuisse. Qui enim patitur se delegari, videtur remittere omnes exceptiones quas habuit aduersus delegantem, *l.si quis delegauerit* 18. *D.de nouat.*

2 Quique non est decipiendus, cum non fuerit ducturus vxorem indotatam, *l.si donaturus* 9. *§.1.D.de condict.caus.dat.l.pure* 5. *§.vltim.D.de doli mal.except.l.Titio* 62. *D.de iur.dot.*

TIT. VII.

DE IVR. DOT.

DEFINITIO I.

Potest peti augmentum dotis etiam non solutæ, adeoque tota dos restituenda est à marito, etiam non soluta si modo maritus de ea fidem habuerit.

DOtem, quam pater patruusque tanquam correi debendi nubentis nomine diuisis præstationibus soluendam promiserant, nec integram soluerant, mulier ab heredibus mariti integram, totiusque dotis promissum augmentum reposcebat, eo prætextu, quod de tota dote fidem habuisse maritus videretur, [1] qui dotem exigere suo tempore noluisset: [2] neque recusabat, quo minus iis actionibus, quas aduersus patrem patruumque habebat, cedere iuberetur. [3] Heredes contradicebant, propterea, quod parcendum esset marito, qui neque socerum egenum adfinitatis veneratione parentis loco habendum, [4] neque patruum ex liberalitate sua conueniendum, [5] præcipitasset ad solutionem. [6] Senatui placuit nihil ab heredibus mariti, nisi quod ipse viuus exegisset, restitui debere, [7] sed tamen non eo minus integrum totius dotis augmentum iudicio de dote mulieri soluendum esse, [8] quod non tam propter dotem, (licet ex dotis comparatione) quam propter defloration-em, vt aiunt, & in virginitatis præmium, [9] moribus nostris etiam non promissum nubenti deberetur. *Ita Senatus* 16. Iulij 88. Iunge SC. 15. 16. 17. infr.

1 Dos enim, de qua fides habita est, pro soluta habetur, *arg. l.quod vendidi*, 19. *De contrah.empt. l.fundi partem*, *eod.* Guid. Pap. *quæst.565.*

BIU Cujas

2 Boer. *quæst.22.num.15.* post Bart. *cons.133. ex §.fin. Nouell. vt exact.inst.dot.* Idem Boer. *num.5. ex l.doce ancillam 6.Cod.de rei vindic.*

3 Neque enim denegare potest cessionem, quæ sine dispendio ipsius futura est, *l.in creditore 38.D.de euict.*

4 *l.quia parentis 16.D.solut.matr.*

5 *l.Neseni us 41 §.vlt.D.de re iudic.*

6 *l.si extraneus 33.D.hoc tit.* quæ tum habet locum, cum promissor dotis lapsus est facultatibus.

7 *Ex d.l.si extraneus*, quæ ostendit aliud dici debuisse, si dos à necessario mulieris debitore promissa fuisset.

8 Facit quod notat Salyc. *in l.si constante*, Cod. *de donat.ante nupt.* Guid.Pap.*d.quæst.565.* Boer.vbi 3.*nu.7.& 9.& 19.20.& 38* vbi hoc refert ad consuetudinem potius, quam ad iuris rationem, Guid.Pap.*quæst.430.*

9 Sufficit tamen contractum esse matrimonium per verba de præsenti, licet nulla sit subsecuta copula, *l.cui fuerit*, vbi Socin.*de condict.& demonstr.l.nuptias*, vbi Decius *de regul.iur.* Boer. post alios multos, *d.quæst.22. num.33. &* 3. vbi tamen requirit, quod mulier fuerit traducta ad domum mariti, & quod vir cum ea cubuerit ex Dec. *cons.260.* Nisi consuetudo sit in contrarium, inquit idem Boer.*dict.quæst.numer.34.* vide *l.cum hic status 32.§.si quis sponsam, de donat. inter vir. & vxor. l.cum te, Cod.de donat.ante nupt.* Iunge *Definit.16.infr.* & *Definit.8. infr. de dot.caus. non numer.*

DEFINITIO II.

Quantum interſit inter reſtitutionem & aſſecurationem dotis.

INter dotis restitutionem & indemnitatem, quam assecurationem vocant, hoc interest, quòd mulier vergente ad inopiam marito petens indemnitati dotis consulit, cogitur ex mariti bonis tantum accipere, quantum boni viri arbitratu ad concurrentem vsque dotis quantitatem, largiore tamen facta æstimatione,[1] sufficere videbitur:[2] nec præterea petere quicquam potest.[3] At quæ soluto iam matrimonio petit restitutionem, eoque nomine pignora longe pretiosiora, aut etiam si voles bona mariti omnia, siue tacite duntaxat, siue etiam expresse obligata persequatur, non nisi oblata sibi solutaque dote, integra repellitur.[4] Cuius dissimilitudinis ratio illa est, quod mulieri constante matrimonio agenti dos solui nequeat, etiamsi maxime velit, maritusque & creditores consentiant,[5] ne dotalis pecuniæ postmodum amittendæ periculum incurrat, quæ id agit, vt dotem in tuto collocet,[6] quodque non tantum vxori, sed etiam communibus ex eo matrimonio liberis eodem remedio cauendum sit, quos ex pignorum fructibus ali oportet:[7] quam ob causam, nec in bonis mobilibus, nec in iis immobilibus, quorum nullus aut perexiguus fructus sit, mulieri consuli debet, vt nec in pretiosioribus, sed in mediocribus.[8] Itaque æquum est succurri per legem creditoribus, qui per ius offerendi sibi ipsis succurrere non possint.[9] Postquam vero solutum matrimonium est, restitui dos & potest & debet.[10] Ideoque sicut communi cæterorum creditorum iure mulier vtitur, ita imputare sibi debet is, à quo pignora euincuntur, siue posterior creditor ille sit,[11] siue nudus possessor,[12] cur oblata dote pignorum dotalium vinculum non dissoluat. Donationis propter nuptias augmentique dotalis, quo vtimur eadem quæ dotis hac parte causa est.[13] *Ita Senatus* 4. Id. August. & 6. Cal. Sept. 1588.

1 Id enim est quod ait statutum Sabaudiæ, *ad largam æstimationem.*

2 *L.vbi adhuc 29.C.hoc tit.l.si constante 14.D.solut.matr.*

3 Id est, nihil cæterorum bonorum, quædotis quantitatem valore excedunt.

4 Scilicet iure communi, quo vtuntur creditores omnes hypothecarij, *l.quamdiu 6.C de distr.pign.l.creditoris 8. D.eod. l.2. C.debit.vend.pign.imp.non poss.*

5 Nisi ex certis causis, de quibus *in l.quamuis 20.D.solut.matrim.& in l.vnic.C.si dos const.matr.solut.fuer.*

6 Fragilis enim & lubrica res est pecunia, quæ facile perire potest, *l.si chorus 79.§.1.de legat.3.l.lex quæ 22. ad fin.Cod.de admin.tutor.* Alia tamen ratio adfertur *in d.l.vnic.Cod.si dos const. matr.solut.fuer.* quod dotis restitutio facta constante matrimonio habeat instar donationis, quæ prohibita est inter coniuges. Eadem ratio ponitur *in Nouell.22.de nupt.cap 39. incip.dotes autem.*

7 *d.l.vbi adhuc 25.C.hoc tit.* Itaque hæc hypotheca non habet illam conditionem, quam habent cæteræ, si debitum non soluatur, *l.grege 13. §.etiam, D.de pignor. l.Paulus 16.§.1.quibus mod. pign.vel hypoth.soluit.*

8 *Not.ad dict.l.vbi adhuc, & ad d.l.si constante 24. D.solut.matrimon.*

9 Quomodo possent ex ratione iuris communis, si lex non resisteret, *d. § etiam, & d.l.16.§ 1.*

10 *Tot.tit.D.& C.solut.matrim.*

11 Nam & posterior creditor cogitur offerre, vt sui pignoris ius confirmet, *l.1.l.prior 5.C.qui potior.in pign.hab.*

12 Non enim quærendum est de iure possessoris, cum tollatur ius creditoris soluto pignore, *d.l.16. §.1. quib. mod. pign. vel hypoth.soluit.*

13 Nam & in cæteris eadem ratio est dotis & augmenti, *l. inter socerum 26.§.cum inter, de pact.dotal. l.etiamsi 8.C.hoc tit.*

DEFINITIO III.

Aſſecuratio dotis facienda eſt non tantum pro ſumma dotali, ſed etiam pro ſumptibus in litem à muliere factis, nec interim quicquam præſtandum poſterioribus creditoribus.

SVperioribus consequens est, vt, siue mulieris procurator, siue mulier ipsa consenserit, vt constante matrimonio dos in pecunia reddatur, non debeat ea res nocere mulieri,[1] at potius iustam præbeat causam restitutionis in integrum, si à muliere petatur restitutio, quæ tamen nec necessaria est.[2] Sic & idem admittendum est in sumptibus litis, quos propter inopiam mariti pro dote conseruanda mulierem aduersus creditores prorogare oportuit. Nam eorum quoque nomine ex mariti bonis, non in pecunia satisfieri mulieri æquum est, ne alioqui dos minuatur.[3] Itaque cum Senatusconsulto sic decretum fuisset, mulier autem eiusve procurator in executione iudicati consensisset, vt eos litis sumptus condemnatus creditor solueret in pecunia numerata, mulieri postea succursum fuit, ne pecuniam pro pignore accipere cogeretur:[4] non enim habet hæc hypothecaria conditionem illam, quam habent cæteræ. Si pecunia non soluatur,[5] Cumque rursus is, qui iudicato exequendo datus fuerat, posterioribus mariti creditoribus bona quædam addixisset, licet addito eo, vt nullum ex eiusmodi addictione præiudicium fieret mulieri, quod ad monetæ augmentum, litisque sumptus pertineret,[6] appellantem ab executore mulierem Senatus audiendam putauit, quod ei omnino & ad quadrantem vsque satisfieri necesse esset, priusquam vlli ex posterioribus creditoribus locus daretur.[7] Neque enim parum interest mulieris, bona sibi obligata interim non alienari, quod alienatione facta difficilior ei multoque dispendiosior futura sit pignoris persecutio.[8] *Ita Senatus* 14. Calend. Decemb. 1588. & 17. Calen. Aug. 1591.

1 Ipso enim iure nullus est consensus, per quem fieret deterior dotis conditio, tanquam qui præstitus sit contra leges, *l.Attilicinus 17. D.de pact.dot.* & potest quis etiam contra proprium factum venire, cum factum est ipso iure nullum & contra leges. Not. *in l.cum à matre, C.de rei vind.*

2 Non enim potest necessaria esse restitutio aduersus id, quod ipso iure non tenet, *l.2. l.siquidem 11. C.de præd.minor. l.in causa 17. D.de minor.*

3 Amissa scilicet pecunia, quam mulier ob eam causam excepisset, vt dixi *Defin.præced.num.6.*

4 Plus enim cautionis est in rem, quam in personam: *l.plus cautionis 25.de reg.iur.* quamuis possit dos quæ consistit in corporibus

BIU Cujas

poribus conuerti in pecuniam, cum id mulieri vtile est, *l. ista constante 26. & seq. l. sive generalis 61. §. 1. D. hoc tit.*

5 *L. grege 13. §. etiam, D. de pignor. l. debitor 59. D. ad Senatusc. Trebell. l. si rem 9. §. omnis 2. de pign. act. l. penultim. §. 1. de except. rei iudic.*

6 Quæ adiectio videbatur illæsum mulieris ius conseruare, *l. Bæbius 30. in fin. de pact. dotal.*

7 *L. quamdiu 6. C. de distract. pignor. l. 2. C. debit. vend. pign. non poss.*

8 Cum in multis fauorabilior sit conditio possessoris tertij, quam debitoris pignus tenentis, *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.* quia & contra debitorem potest cumulari personalis cum hypothecaria, non contra tertium possessorem, in quem scilicet non transit actio personalis, *l. vlt. in fin. D. de contrab. empt. l. 1. §. si hæres, D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO IV.

Marito, etiam qui non sit soluendo, debitor dotalis soluere & potest & debet, & quo remedio mulieri succurratur.

NOn semper eadem est ratio pecuniariæ dotis exactæ & exigendæ. Aliter enim atque aliter mulieri succurritur, vrgente marito ad inopiam. Si dotem vir iam exegerit, seruanda sunt ea quæ in superioribus diximus.[1] Sin iam factus pauper dotem exigat, ad aliud non tenetur, quam vt satisdationem offerat, qualem præstare potest. Quæ si non sufficiat, mercatori dos tradenda est, vt ex honesto lucro se & mulierem, suosque maritus alat.[2] Si tamen mulieris debitor inopi viro dotem soluat, adeoque antequam solutionis dies venerit,[3] placet liberationem contingere,[4] etiamsi sciat debitor maritum soluendo non esse.[5] Non enim potest mulier imputare debitori, cur ei soluerit, cui non solum dotem illa dederit, sed seipsam quoque crediderit.[6] Imo vero si dotis debitor petenti marito deneget solutionem, quod dicat non esse illum soluendo, condemnabitur, quia eius non interest,[7] cum dos etiam inuita muliere recte soluatur viro,[8] sibique potius imputare mulier debet, quod non fuerit diligentior in agendo, petendoque, vt dos in tuto collocaretur.[9] Plane si colludens cum marito debitor solutionem simulate & dicis causa fecerit,[10] non eo minus mulieri ipsum teneri æquum erit.[11] *Ita Senatus* in causa Franciſci Andreæ, contra Claudiam Andreæ, Calend. Iul. 1591. Iunge Defin. 19. & 30. infr.

1 *Defin. 2. & 3. ex l. vbi adhuc 29. C. hoc tit. l. si constante 24. D. solut. matr.*

2 Textus est *in cap. per vestras, Extr. de donat. inter virum & vxorem.*

3 Nam & quod in diem debetur, ante diem solui potest, cum plus præstet qui ante diem soluit, *l. Iauolenus 15. alias l. eum qui, de ann. legat. l. quod certa die 70. D. de solut.*

4 Solutio enim est naturalis & legitimus modus tollendæ obligationis, *l. penult. D. de solut.*

5 Non enim minus iuris in agendo creditor habet ob id, quod non sit soluendo, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit.*

6 *L. 1. & 2. C. ne fideiuss. dot. dent.* & iniquum est non posse impune soluere illum qui ad solutionem cogi per prætorem possit, *d. §. apud Labeonem.*

7 Nemo enim aut agendo, aut excipiendo auditur, si non eius interfit, *l. ille à quo 13 §. 1.* vbi Alex. *D. ad SC. Trebell. l. 3. §. 1. de verb. oblig.*

8 *L. doce 9. C. de rei vindic.*

9 Implorato scilicet remedio, vel iuris ciuilis, *d. l. vbi adhuc*, vel iuris pontificij *d. cap. per vestras.*

10 *Vt in l. 4. D. commod.*

11 Plus enim valere debet quod agitur, quam quod simulate concipitur, *l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit.* & simulata pro infectis semper habenda sunt, *l. si ex pretio 8. C. si cert. petat.* Denique marito permissum est solutionem dotis accipere non remittere, vt de tutore & curatore scriptum est *in l. pactum curatoris 22. C. de pact.*

DEFINITIO V.

De æstimatione iocalium à parte mariti ex causa dotis debitorum.

ANnuli dotales cæteraque ad mundum mulierem pertinentia, quæ vulgo iocalia vocant, si certam ex conuentione legem non acceperint, boni viri arbitrio sic æstimari debent pro personarum qualitate & conditione, vt si inter plebeios agatur vicesimæ dotis parti respondeant, si inter nobiles, decimæ, sin inter illustres, quintæ.[1] *Ita Senatus*, 14. Cal. Decemb. 1588. & rursum in causa discussionis bonorum Dn. Barbaræ d'Amboise, 4. Id. April. 1593.

1 Hoc enim iure vtimur, nec alia certior ratio reddi potest. [Intellige, nisi vbi consuetudo est in contrarium, vt apud Gebennenses, apud quos nulla debentur iocalia inter ignobiles citra expressam conuentionem. Obserua autem maritum debere iocalia ad ratam dotis constitutæ, licet non solutæ, sed non ratione augmenti quod à marito ipso debetur, ne is alioquin duplici onere prægrauetur. *Ita Senatus* in causa Sibillæ 13. Septemb. 1610.]

DEFINITIO VI.

Pro debito vxoris, an & quando fieri possit executio in bonis dotalibus constante matrimonio?

NOn potest executio fieri per creditorem in bonis dotalibus pro debito vxoris quandiu constat matrimonium,[1] nisi debitum præcedat dotis constitutionem.[2] Nam si præcedat, ratio iuris facit vt potior creditoris causa esse debeat, cuius conditio per dotem deterior fieri nō potuit.[3] *Ita Senatus*, 16. Cal. Ianuar. 1589.

1 Guid. Pap. *quæst. 447. incip. Pone vxor conuenitur.* Capyc. *decis. 128.* Petr. Rauen. *sing. 103.* [Itaque cogendi sunt creditores mulieris expectare dissolutionem matrimonij. *Ita Senatus* sæpius.]

2 Adde aliam limitationem. Nisi pro expensis litis quam vxor consentiente & auctoritatem præstante marito exercuerit. arg. eorum quæ de patre auctoritatem filio præstante tractat. Boer. *quæst. 7. numer. 17.* ex Bald. *in l. fin. col. 2. C. de vsur. rei iudic.*

3 *L. debitorem 15. C. de pignor.* Intellige autem de creditore hypothecario, qui sicut priore tempore ita potior sit iure, *l. 3. l. prior 5. C. qui potior. in pign. habeant.*

DEFINITIO VII.

Vidua luxurioſe viuens etiam intra annum luctus non amittit dotem, ſed liberalitates, quas à viro habuit, amittit.

QVæstionis est non inelegantis, an vidua luxurioſe viuens dotem amittat, quam amittit mulier quæ luxurioſe viuit constante matrimonio.[1] Extantque hac de re Interpretum nostrorum plane discrepantes sententiæ.[2] *Senatus* eorum sententiam sequitur, vt humaniorem, qui dotem ex hac causa amitti negant,[3] reiecta etiam distinctione illa, quę nonnullis placuit,[4] an intra annum luctus luxuriata sit, necne. *Ita Senatus* pro vidua quadam, cuius nomen consulto tacemus, 7. Calend. Mart. 1589. Sed de dotis augmento aliisque liberalitatibus à marito in vxorem collatis, an idem dici debeat, maior dubitatio est. Etsi enim non ignoro sublatas esse pontificio iure pœnas omnes festinatarum nuptiarum,[5] non tamen æquum est fornicationem, quæ intra luctus annum fiat, gaudere priuilegio nuptiarum, quæ licet festinatæ, sanctę tamen sunt, & in Domino.[6] Proinde nihil causæ esse videtur, quamobrem ciuili constitutioni hac parte locus non sit.[7] Quanquam non deerant qui dicerent, iam pridem à Senatu idem in

BIU Cujas

mariti liberalitatibus quod in dote pronunciatum fuisse. De quo tamen, quia SC. videre aut scire non potui, nihil ausim affirmare.

1 Videtur enim mulier perseuerare in eodem matrimonio quandiu vidua manet, §. *deinceps.* ibi & in prioribus steterint nuptiis. *Nouell. 22. de nupt.* Iunge *Auth. sed hodie & seq. Cod. de adult. & in corp. vnde sumitur.*

2 Plerique enim putant dotem hoc casu amitti. Paul. Cast. *ad l. sororem, C. de his quibus vt indign.* Vide Boer. *decis.* 338. Papon. *lib. 22. tit. Des adulteres, Arest.* 16.

3 Quæ primum fuit sententia Alex. *in d. l. sororem.*

4 Hypol. de Marsill. *singul.* 416. Petr. Girard. de Petrasancta *sing.* 48. *& ibi addit.* quam omnino vide.

5 *Cap. penult. & vlt. Extr. de secund. nupt.* Dixi *Defin. 1. supr. eod. illo tit.*

6 Deterioris enim conditionis esse debent stulti, quam prudentes, *l. regula* 9. §. *vlt. D. de iur. & fact. ignor. l.* 4. *D. quod vi aut clam.* & qui peccant, quam qui non peccant, *vulg. l. Gracchus* 4. *C. ad leg. Iul. de adult.*

7 *In l.* 1. §. *vlt. C. de secund. nupt.* Vide Cravet. *cons.* 205. Vide *Authent. eisdem pœnis & Nouell. 39. cap. 2. §. secundum vero.* vbi est textus expressus, quod antenuptialis donatio hoc casu amittitur. Etsi autem textus Nouellæ loquitur de ea, quæ parit intra decimum mensem, quia & hanc certum est concepisse intra annum luctus, & partum non esse ex semine defuncti, *gloss. ibid.*

DEFINITIO VIII.

Pretium venditionis, quod marito & vxori simul solutum fuit, præsumitur totum ad maritum peruenisse, siue bona fuerint dotalia, siue paraphernalia.

TRactatum est, bonorum dotalium, & eorum quæ mulieri constante matrimonio obuenerunt longe diuersam rationem esse, non in eo solum quod dotalium alienatio marito prohibita est, tametsi mulier consentiat,[1] aduentitiorum vero non item, sicuti nec paraphernalium; [2] sed in illo etiam quod bonis dotalib. per maritum & vxorem simul venditis, quamuis vtrique solutum pretium probetur, tamen tota pecunia præsumitur ad maritum solum peruenisse, [3] nimirum fauore dotis quæ alioqui facile mulieri periret. [4] Quæ ratio facit, vt nec aliud dicendum sit, si vendita sint bona non dotalia, sed pro dote duntaxat obligata. [5] At rebus mulieris quæ extra dotis causam sint ab vtroque coniunge venditis, cessat ea præsumptio, nec minus ad mulierem quam ad maritū peruenisse intelligetur pretium, quod vtrique solutum probatur. [6] Ideo fortasse, quod hac parte non possit dici maritus potentior, qui nullum in iis bonis ne administrationis quidem ius habeat, nisi volente muliere & permittente. [7] Cuius consensu interueniente, est sane quod sibi imputet cur cum marito vendiderit, eúmque ad pretij participationem admiserit, hactenus saltem, vt si totam pecuniam ad maritum peruenisse contendat idipsum probare debeat, nec se iuris præsumptione sola tueatur. Sed postea tamen contra conclusum est, me referente, nihil hac parte bona dotalia à paraphernalibus differre. [8] Pro Peroneta Coruat, contra fratres Pic.

1 *l. vnic. §. & cum lex Iulia C. de rei vxor. action.*

2 *l. hac lege* 8. *C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

3 Tanquam ad potentiorem, *l. si cum dotem* 22. *§. transgrediamur, D. solut. matrim.* vbi Bart. & alij.

4 Vide quæ dixi *Defin. 2. num. 6. 5.*

5 Id enim semper agendum est quantum fieri potest, vt dos salua sit, *l. iubemus*, 21. *C. ad SC. Velleian. l. assiduus*, 12. *C. qui potior. in pign. hab.*

6 Contra Bart. *cons.* 124. & alios quos refert Boer. *quæst.* 23. *num.* 1. Ex Bald. *in Auth si qua mulier. C. ad Velleian. per text. illum & in l. cum quis decedens*, §. *Titia.* vbi Bart. *de leg. 3. & in ca. peruenit. de empt. & vendit.* Idem Boer. *ibid. numer. 6. & 7.* vbi citat *l. vir vxori, §. vltim. ad SC. Velleian. & leg. fœnebris*, C. *eodem.* Subdit tamen huiusmodi confessionem nocere mulieri, quod ad emptorem, si mulier iurauerit, quod & defendit Afflict. *decis.* 209. Sed alio iure Senatus noster vtitur. Sane inducit ea venditio tacitam pignoris remissionem. Boer. *ibid. numer. 9.*

7 *d. l. hac lege, & l. maritus* 21. *C. de procurat.*

8 Ex Bartolo, Baldo & Boerio in locis supra citatis, *num. 6.* qui defendunt totum pretium vtroque casu præsumendum peruenisse ad maritum, scilicet tanquam ad eum qui omni casu sit potentior, & cui mulier non ausit contradicere, *l. pen. de furt. l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.*

DEFINITIO IX.

Tenetur omnimodo maritus reddere vxori dotem promissam à fratre, tametsi eam frater non soluerit, quamuis adhuc soluendo sit.

DOtem frater sororis nomine marito promiserat, nec eam maritus ad dictam diem exegerat. Potest ille a mulieris heredibus, aut eius heredes à muliere conueniri pro ea quoque dotis parte, quàm non exegit, cum imputandum ei sit cur non exegerit. [1] Nec id tantum si frater defectus sit facultatibus, qui casus minorem aut potius nullam habet dubitationem, [2] sed & si adhuc soluendo sit. Quia nimirum pro exacta habetur dos, quæ ne exacta sit per maritum ipsum stetit. [3] At quid si sit ille paratus actionib. suis aduersus debitorem cedere? Si ideo duntaxat mulieri aut eius heredibus teneretur, quod actionem contra fratrem haberet, vtique liberaretur præstando actiones ex eleganti nec ignota iuris regula. [4] Verum quia non ob id tenetur, quod actionem habeat, sed potius, quod dotem non exegerit, quam exigere debuit, magis est vt sola actionis cessione non liberetur. [5] *Ita Senatus* 13. Cal. Iul. 1590.

1 *L si extraneus* 33. *D. hoc tit.* Non enim idem est fauor fratris, qui patris aut extranei donatoris, nisi ponas etiam fratrem donasse dotem sorori, vt *in l. cum plures* 12. *§. penult. D. de admin. tutor.*

2 Quia hoc casu procedit indubitate, quod scriptum est *in d. l. si extraneus.*

3 In omnibus enim causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit quo minus fiat, *l. in omnibus causis* 39. *de regul. iur.*

4 Quæ habet: In omnibus, qui ideo tenentur, quod actionem habeant, delegationem pro iusta præstatione esse, *l. quod debetur* 51. *in fin. D. de pecul. l. quod si in diem* 16. *§. vltim. l. item veniunt* 20. *§. ait Senatus* 17. *D. de petit. hered. l.* 2. *§. peruenisse, de hered. vend. l. si socer* 44. *§. Lucius, D. solut. matr.*

5 Tanquam qui ex propria culpa sua & negligentia conueniatur, *arg. l. si plures* 38. *in fin. D. de admin. tutor.*

DEFINITIO X.

Mulier potest petere assecurationem dotis probata viri paupertate per viam exceptionis, etiam citra declaratoriam.

VErgente ad inopiam marito potest mulier petere dotis indemnitatem, non tantum proposita in eam rem actione, sed etiam opposita exceptione, si forte creditores mariti posteriores pignora sua persequantur. [1] Vtroque autem casu sufficit, vt pendente lite probetur paupertas mariti, nec eorum sententiam sequimur, qui volunt præcedere de ea re sententiam, vt vocant, declaratoriam: [2] Maxime vero si mulier non agendo, sed excipiendo dotem suam tueatur. Neque enim in mulieris potestate est, quo tempore conueniatur & excipiat. [3] Nec rursus ei nocere debet quod in eius potestate sit, quo tempore agat, ex quo maritus ad inopiam vergere, id est, ferendis matrimonij oneribus impar esse incipit. [4] Cur enim cogatur inopiam mariti patefacere, quandiu cæteri creditores conquiescunt, nec mariti bonis, aut doti perniciem minantur? [5] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Non. Mart. 1591.

1 Nam

BIU Cujas

1 Nam cui damus actionem eidem multo magis exceptionem competere fatendum est, *l.1. §.is autem, D.de superfic. l.inuitus 156. §.cui damus, de regul.iur.* Atqui certum est hoc casu competere mulieri actionem, *ex l. vbi adhuc 29. & seqq. Cod. hoc tit.*

2 Vide Castrens. *ad d.l.vbi adhuc.*

3 Ex quo fit generaliter, vt melior conditio esse soleat reorum, quam actorum, *l.petendæ 6.C.de tempor.in integr.restit.l.pure 5.§.vlt.D.de dolli mali except.*

4 Sic enim nostri *ad d.l.si constante 24.D.solut.matrim.*

5 Satis enim eam excusat, quod sciuit ius suum durare, *arg. l.sicut 8.§.non videtur, D.quib.mod.pign.vel hypoth.soluit.*

DEFINITIO XI.

Mulieri possidenti bona mariti totum debitum ante omnia efferendum est. Alioqui si spoliata sit restituenda ei erit possessio, nec debiti oblatio sufficiet.

IVs dotis est inter cætera, vt eo nomine possit mulier bona mariti retinere, in quorum possessione reperitur eo tempore, quo maritus moritur, cum habeat illa iure pignoris obligata,[1] licet non sit inserta dotalibus tabulis clausula constituti.[2] Inde fit, vt, si de mariti defuncti statu controuersiam facturus Sempronius, quasi fuerit maritus dedititiæ cõditionis, possessionem bonorum inuaserit, & propria auctoritate occupauerit,[3] liceat mulieri dicere se spoliatam, ac petere vt ante omnia sibi possessio plenissime, hoc est, cum fructibus omnibus restituatur.[4] Sed quid si mulieri dotem Sempronius offerat cum accessionibus, an non cogenda erit litecedere?[5] Minime, quoniam vitium intrusionis & spoliationis prius purgandum est,[6] quam in rem omnino necessaria est possessionis restitutio, nec debiti oblatio sufficit.[7] Nec ad rem pertinuit, quod mulieris nihil videretur interesse, cum non ipsi, sed mariti agnatis delata esset ab intestato hereditas.[8] Nam imo vero ipsius non parum intereat sciri, maritum non fuisse seruilis, aut, quod propemodum idem est, dedititiæ conditionis, quando ex mariti statu mulieris quoque conditio pendet, saltem quandiu vidua manet.[9] Item quod defuncti fratribus cæterisque agnatis & cognatis repudiantibus erat illa successionis capax ex ea parte edicti, Vnde vir & vxor vocantur.[10] Denique quod sicuti excipiendo non auditur, nisi cuius interest, ita nec agendo.[11] Proinde etsi neque actoris neque mulieris in proposita specie quicquam interesse videbatur, tamen in pari causa æquum erat faueri magis mulieri, vel hoc ipso quod cum & rea esset & possideret, ipsius sane intererat possessionem retinere, quandiu saltem de iure suo actor non doceret.[12] Non enim offerendi ius alij competere potest, quam qui vel creditor ipse sit, vel possideat.[13] Itaque placuit redintegrandam mulieri possessionem, tum eo facto status quæstionem diligentius examinandam.[14] *Ita Senatus* ex tempore, 15. Calend. Iunij 1591. Iunge Defin. 2. inf. vnde vi.

1 Si non semper expresse saltem tacite, *l.vnic. §.1. C.de rei vxor.act.l.assiduis 12. C.qui potior.in pign.hab.* Nam & ob chirographariam quoque pecuniam pignus retineri potest, *l.vnic. C.etiam ob chirogr.per pign.retin.poss.*

2 Inserta enim hæc clausula facit vt res minorem habeat dubitationem, cum per eam possessio mulieri acquiratur, *l. quod meo 18.D.de acquir.poss.l.quædam mulier 77.D.de rei vind.*

3 Quod citra vim fieri vix vnquam potest, *l.extat 13.D.quod met.caus.l.penult.& vlt.D.ad leg.Iul.de vi priuat.*

4 Ex plenissimo remedio *Can. redintegrandæ 3. quæst.1.*

5 Ratio dubitandi est, quia iam exinde videtur nihil eius interesse. Quid enim attinet quærere de iure dominij cum extinguatur ius mulieris soluto pignore? *l.Paulus 12. §.1. D.quib. mod.pign.vel hypoth.solut.l.secundus creditor 22.C.de pign.l.cum tibi 10.C.qui potior.in pign.hab.*

6 Cum etiam prædo ante omnia sit restituendus, *cap.in literis, & pass.Extr.de restit.spoliat.*

7 Nam sicut vitium furti non purgatur, nisi res furtiua redierit in potestatem domini, *l.4. §.quod autem, & l.si rem subreptam 41. D.de vsucap.* ita nec vitium spoliationis aliter purgari potest, quam si res redierit in potestatem possessoris, *dict.can. redintegranda 3.quæst.1.*

8 Agnati enim cognatique mariti præferuntur vxori tanquam extraneæ, *l.1.C.vnde vir & vxor.l.vlt.C.quor.bonor.*

9 *L.filij 22.§.vidua, & l.vlt.§.item rescripserunt, D.ad municip. l.mulieres 13.C.de dignit.lib.12.l.vnic.vbi not.C.de mulier. & in quo loco, lib.10.tit.62.*

10 *d.l.1.C.vnde vir & vxor.*

11 *L.3.§.1.de verb.oblig. l.ille à quo 13. §.si de testamento, D.ad SC.Trebell.*

12 Nam aduersus extraneos, id est, qui de nullo iure docent, etiam vitiosa possessio prodest, *l.vlt.D.de acquir.poss.l.2.D. vti possid.*

13 *d.l.secundus creditor 22.C.de pignor.d.l.Paulus 12.§.1.D.quib. mod.pign.vel hypoth.soluit.*

14 Præsertim cum requireret ea quæstio altiorem indaginem, *arg.d.§.si de testam.C.1.l.3.in princ.D.vt in poss.leg.*

DEFINITIO XII.

Sola paupertas non absentia mariti facit locum assecurationi dotis.

SOla mariti absentia non dat mulieri actionem pro dote in tuto collocanda, quantumuis longi temporis absentia probetur, si non facultates quoque mariti labare proponantur probenturque.[1] Inopiam vero & allegare & probare mulier poterit non solum si agat, sed etiam si à mariti creditoribus pignora sua persequentibus inquietetur.[2] *Ita Senatus* ex tempore, Cal. Iun. 1591.

1 Quid enim vetat etiam absentem multas relinquere domi facultates? Not. *in l.si constante 24.D.solut.matrim. & in l.vbi adhuc 29.C.hoc tit.*

2 Scripsi *D.fin.10.3.* vbi vide.

DEFINITIO XIII.

Mulier habet priuilegium dotis etiam pro expensis, quas fecit in malam litem & iniustam pro dote tuenda, dummodo careat dolo.

CVm mariti creditores bona ipsius iure pignoris persequerentur, vxor sine causa interceserat,[1] ob eamque causam interceßionis repulsam passa in expensas quoque litis condemnata fuerat,[2] salua nihilominus ei suo tempore dotis repetitione,[3] Si postea defuncto marito aut ad inopiam vergente appareat mulierem in dote anteriorem fuisse cæteris creditoribus omnibus, placuit præferri eam debere in pignore,[4] non solum quod ad dotem ipsam pertineret, sed etiam quod ad eas expensas, in quas condemnata fuerat, vt omnimodo seruaretur indemnis, nec dotis detrimentum vllum sentiret,[5] etiamsi quod ex bonis mariti supererat, non satis futurum esset ad dimittendos creditores.[6] Quod plerisque sane mirum, ne dicam, minus probabile videbatur. Ita namque fit, vt creditoribus inutilis & infructuosa fiat expensarum victoria, cum quantum illi à muliere consecuti sunt eo nomine, tanto minus postea ex principali debito sint consecuturi.[7] Illud sane constabat, si expensarum condemnationi causam dedisset dolus aut contumacia mulieris, nullam earum repetitionem siue aduersus maritum, siue aduersus creditores superesse. Suam enim frustrationem & contumaciam mulieri non aliis nocere æquum est,[8] vt huc saltem pertineat, quod dici solet, pœnas depensas repeti non solere.[9] Nam nec causa vlla est, propter quam dolosæ aut contumaci mulieri fauere debeamus,[10] longeque minus odiosa illa est, quæ solo metu amittendæ dotis perculsa nimis temere & inconsulto litigauit.[11]

BIU Cujas

Ita Senatus in causa Lamberti de Rouere, & Christophori Poche, contra Dominicam Dalfin, 7. Idib. Iun. 1591. & 14. Cal. Septemb. 1592.

1 Non enim satis est mulieri ad victoriam, quod habeat mariti bona obligata, nisi præterea locus sit vel restitutioni vel assecurationi dotis, *l. vbi adhuc 29 & seq. C. hoc tit.*

2 Vt solent & debent condemnari, qui non habent iustam litigandi causam, *l. eum quem temere 79. D. de iudic. l. qui solidum 78. §. etiam, de legat. 2.*

3 Id est salua ei pignoris sui causa, *vt in l. 4. §. 1. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

4 Non ex priuilegio, de quo *in l. assiduis 12. C. qui potior. in pign. hab.* sed ex iure communi, quo qui prior est tempore, potior est iure, *l. 1. 5 & pass. C. qui potior. in pign. hab.*

5 Quoniam idem est ius & ordo hypothecæ, quantum ad accessoria, & quantum ad debitum principale, *l. Lucius 18. D. qui potior. in pign. hab.*

6 Alioqui parum refert scire, cui prius soluatur, cum satis est in bonis, vnde omnibus solui possit.

7 Ex quo sequitur, vt remaneant in damno sumptuum, quos pro bona, & necessaria lite fecerunt, quod videtur iniquum, *tot. tit. de pœn. tem. litig.*

8 *l. hominem 37. D. mandat. l. si plures 38. in fin. D. de auctor. tutor.*

9 *l. pœnæ 42. D. de condict. indebit. l. si pignore 22. de pign. act. l. quod à quoquo 46. de reg. iur.*

10 *L. 2. §. sed ita demum, D. ad SC. Velleian.*

11 Quo casu certe fragilitas sexus iuncto fauore dotis auxilium aliquod meretur, cum & huic sexui ius ignorare permittatur, *l. regula 9. D. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XIV.

Restituendæ sunt mulieri impensæ omnes, quibus non restitutis dos minueretur.

ERgo si neque dolus, neque contumacia mulieris interuenerit, non aliter audiendus creditor mulieri soluto matrimonio dotem offerens pignoris sui confirmandi gratia,[1] quàm si eas quoque impensas offerat, quas pro tuenda dote mulier fecerit, ne alioquin eueniat, vt dos ex parte minuatur,[2] quam mulieri saluam integramque seruari non tantum mulieris, sed ipsius quoque reipublicæ interest.[3] Nam & in cæteris causis, ex quibus debetur, sub pignore generale est, vt priuilegium temporis non tantum ad principale debitum, sed etiam ad accessiones omnes,[4] multoque magis ad impensas tuendi pignoris gratia factas[5] referatur, siue expressim, siue tacite pignus contractum sit. *Ita Senatus* in causa Michaelis du Mont, 5. Non. Iul. 1591.

1 *Iuxta l. secundus creditor 22. C. de pignor. & l. 1. & pass. C. qui potior. in pign. hab.*

2 Quia tanti vnaquæque res esse intelligitur, quanti æstimari potest deductis sumptibus in eam factis, *l. 5. D. de impens. in reb. dot. fact. l. si à domino 36. §. vlt. D. de hered. petit.*

3 *l. 1. D. solut. matr. l. interest 18. de reb. auct. iudic. possid.*

4 *l. Lucius 18. D. qui potior. in pign. hab.*

5 Hæ siquidem impensæ saluam faciunt totius pignoris causam, *l. interdum 5. & 7. D. eod. tit.*

DEFINITIO XV.

Quando teneatur maritus ad restitutionem dotis & solutionem augmenti, etiamsi dos non probetur soluta.

PArum interest an maritus dotem re vera acceperit, an de ea fidem habuerit, si modo effluxa sint tempora opponendæ exceptionis, quæ competit De dote cauta non numerata. Vtroque enim casu obligatur mulieri ad dotis restitutionem, itemque ad præstandum augmentum dotis,[1] vel donationem illam, quæ inter coniuges à prædefuncto superstiti fieri solet, quam Pragmatici *De superuita* vocant.[2] Nec distinguimus hoc casu, an dos promissa sit ab extraneo debitore, an à donatore, imo nec an à patre, quomodo distinguendum est cum de dote fides habita non fuit.[3] Sibi enim imputet qui dotem habuit pro soluta.[4] Siquidem habere fidem de dote non illud est stipulari dotem, sed fateri datam, seque obligare ad eius restitutionem quasi solutæ.[5] Proinde dubitari non potest, quin à tempore constitutæ & promissæ dotis bona mariti omnia sint mulieri obligata,[6] etiam in præiudicium anteriorum creditorum:[7] quibus nimirum deneganda quoque est exceptio dotis non numeratæ, quam non nisi ex persona mariti habere possunt.[8] *Ita Senatus* ex tempore pro vidua N. Chabot, contra Do. Amedeum Michal magistrum Computorum, 7. Idib. Iul. 1591.

1 Guid. Pap. *quæst. 274. & 230.*

2 De qua idem Guid. Pap. *quæst. 565. incip. in contractu.*

3 Secundum ea quæ scripsimus *Defin. 1. §. hoc tit.*

4 *L. vlt.* iunct. *Auth. quod locum, C. de dot. caut. non num.*

5 *L. quod vendidi 19. D. de contrah. empt.* iunct. *d. l. vlt.*

6 *L. 1. D. qui potior. in pignor. hab.*

7 Scilicet si chirographarij tantum sint, non etiam si hypothecarij *Not. in l. assiduis 12. C. eod. ill. tit. qui pot. in pign. hab.*

8 Cravet. *consil. 40. num. 6.* Dicam *in Defin. 2. & 8. de dot. caut. non numer.*

DEFINITIO XVI.

Facilius est vt mulieri debeatur augmentum dotis non solutæ, quam dos ipsa non soluta.

IN eo sanè dispar est conditio dotis & augmenti dotalis, quod etiam cum fides de dote habita non est, augmentum tamen perinde debetur, & quidem totum, ac si tota dos soluta esset.[1] Ipsa vero dos non debetur si aut à patre, aut à muliere, aut ab extraneo donatore promissa sit, sed tum demum cum ab extraneo debitore, quem honeste potuerit maritus & debuerit vrgere ad solutionem.[2] *Ita* in eadem causa.

1 Dixi *Defin. 1. §.* Intellige etiamsi maritus decesserit ante elapsa tempora soluendæ doti præstituta. In quo melior est conditio mulieris quam mariti. Nam si vxor intra ea tempora decesserit, maritus non lucratur eam partem dotis, quam defuncta tardius vxore lucraturus erat. Angel. *con. 158.* quem refert & sequitur Boer. *quæst. 22. num. 40. & 41.* vbi addit *Auth. æqualitas, C. de pact. conuent.* quæ contra facere videtur, generali fere locorum omnium consuetudine abrogatam esse.

2 *l. si extraneus 33. de iur. dot.* Dixi *Defin. 1. §.* & latius *Defin. 8. §. de dot. caut. non num.* vbi vide.

DEFINITIO XVII.

ILla quoque distinctio necessaria est, cum fides habita fuit de dote, an effluxa sint tempora intra quæ exceptio dotis non numeratæ potest obiici,[1] necne. Nam quandiu exceptioni locus est, non potest efficax esse de dote actio.[2] Nec eo minus exceptio locum habet, quod fides habita sit, cum vel vno illo maxime casu necessario recurrendum sit ad æquitatem exceptionis.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.[4] Alia quæstio est, de qua dicemus sub tit. De dot. caut. non numer.

1 De quibus in Nouell. 110. vnde sumpta est *Auth. quod locum, C. de dot. caut. non num.*

2 *l. nihil interest. 112. de reg. iur.*

3 *l. vlt. & d. Auth. quod locum, C. de dot. caut. non num.*

4 *l. in contractibus 14. §. 1. Cod. de non numer. pecun.* Cujacius *ad dict. Nouell. 100. in fin.*

DEFINITIO XVIII.

Bona mulieris quando præsumantur dotalia citra constitutionem expressam.

BOna mulieris non præsumuntur dotalia, si dotis constitutio nulla præcesserit.[1] Cum enim facti sit,[2] præ-

BIU Cujas

sit,[1] præsumi nulla ratione potest. [2] Nec sufficiet quod sciente & patiente vxore maritus administrationem eorum habuerit, fructusque oneribus matrimonij ferendis impenderit. [4] Sed tamē si vel minima constitutionis præcedentis coniectura emergat, aliud erit, vt puta si ex parte mulieris traditio vera intercesserit; [5] aut si ea bona idcirco mulieri donata aut legata fuerunt, vt essent ei in dotem, vel ipsi soluerentur cum nuberet. [6] Quasi nuptiarum sola mentio facilius inducat, vt qui mulieri donauit vel legauit, de dote constituenda cogitasse videatur. [7] Sed & illa coniectura potest sufficere, si mulier ipsa dixerit etiam inter alias partes bona illa esse dotalia. Vtcunque enim dotis constituendæ animus quæratur coniectura potest admitti,[8] (scilicet in præiudicium mariti non tertij, qui antea fortasse fundum tanquam non dotalem à marito comparauerit,[9]) præsertim cum dotatam esse mulierem non modo interesse viri,[10] sed etiam mulieris, vt & faciliorem maritum experiatur, & difficiliorem faciat bonorum suorum venditionem. [11] Plane in ea muliere, quæ secundas contrahit nuptias, longe minor dubitatio est, quoniam ex prioris matrimonij tabulis siue dotem marito constituerit, siue non facillime capi coniectura potest, an secundo viro dotem quoque constitutam voluerit, necne? Nam quæ dos in priore matrimonio data fuit, eadem quoque in secundo, si aliud nihil obstet, repetita intelligitur. [12] *Ita Senatus* in causa Franciscæ Fabri, & Claudij de S. Real, 15. Cal. Aug. 1592.

1 Late Bart. *in quæst.* incip. *mulier habens amplum patrimonium.* Iunge *D. fin. 7. §. de donat. ante nupt.*

2 Vt & cæteri contractus & traditio quælibet, *l. consilio 7. §. vlt. de cur. fur.* iunct. *l. 1. C. de dot. caut.*

3 *L. 2. & pass. D. de probat.*

4 *L. penult. D. ad leg. falcid.* iunct. *l. de his 17. C. de don. int. vir.*

5 Quanquam etiam *παράφερνα* tradi possunt, nec ideo fiunt dotalia, *l. si ego 9. §. vlt. D. hoc tit.*

6 *Vt in l. Titio centum 71. §. Titio genero, de condit. & demonstr. l. Theopompus 14. de dot. releg.*

7 Fere enim est, vt dotis datio sit de solemnitate matrimonij, *l. fin. C. de donat. ante nupt.* Boer. *quæst. 22. num. 2.* licet nihil prohibeat matrimonium esse sine dote, *l. 3. D. hoc tit.* Vide *d. l. Theopompus, l. sancimus 24. C. de nupt.*

8 *Arg. d. l. si ego 9. §. vlt. D. hoc tit.* Iunge *l. dotem 30. eod.*

9 Nunquam enim potest fieri ista retroactio in præiudicium tertij, cui medio tempore ius fuit quæsitum, *arg. l. potior 11. D. qui pot. in pign. hab. l. penult. D. rat. rem. haber.*

10 Vt ex fructibus dotis ferat onera matrimonij, *l. pro oneribus 20. C. hoc tit.*

11 Secundum ea quæ diximus *Defin. 8. §.*

12 *Ex l. dotem 30. D. hoc tit.* quæ tamen videtur loqui de secundo matrimonio inter easdem personas contracto, vt apparet ex *l. seq.* * Vide Menoch. *lib. 3. de præsumpt. tota præsumpt. 6.* Mach. Vvesemb. *tota resp. 25.* Rol. a Valle *de iur. dot. quæst. 71.* Oalch. Cacher. *decis. 22.*

DEFINITIO XIX.

Soluens marito contra legem in dote danda dictam non liberatur.

VErum quidem est quod iam supra scripsimus,[1] Marito quamuis inopi recte solui dotem etiam muliere inuita, si non illa sibi consulat implorato iuris auxilio, vt dos in tuto collocetur.[2] Sed tamen cum dotalibus tabulis conuenisset, vt maritus dotem pecuniariam in corpora conuertere aut idoneis pignoribus doti consulere teneretur; [3] Visum est eo non secuto liberationem ex solutione viro facta non magis debitoribus dotis potuisse contingere, quam si pecunia soli mulieri debita, nec in dotem data viro soluta esset. [4] Qui enim mulieris dotisque debitor est, si turo velit soluere, vt liberetur, non solum curiosus esse debet vt sciat, an in dotem data sit pecunia, sed etiam qua lege & conditione data sit. Ne alioqui marito male soluat, si aut nulla dos aut certis conditionibus data sit, quibus non satisfiat. [5] *Ita Senatus* pro Roleta de Gorreuod, contra viduam Illustris Ludouici de Gorreuod, Vicecomitis de Salins, 12. Cal. August. 1592. Iunge SC. 4. sup. & 30. infr.

1 *Defin. 4. §.*

2 *Ex l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

3 Vt esset dos tutiore loco, quia plus cautionis est in rem quam in personam, *l. plus cautionis 25. de regul. iur.* & facilius perit pecunia quam corpora, *l. lex quæ tutores 22. ad fin. Cod. de admin. tutor.*

4 Quo casu non potuisset maritus sine mandato accipere solutionem, *l. hac lege 8. C. de pact. conuent. tam §. dot. l. marito 21. C. de procur.* licet aliis locis non tam videatur requiri, vt mandatum aliquod habeat maritus, quam vt sit prohibitus se in paraphernis immiscere.

5 Immutari enim ex postfacto, & inuita muliere non potest stipulatio præsertim dotis, quæ ab initio certam legem habuit, *l. vero 12. §. penult. D. de solut.* iunct. *l. cum dos 7. D. de pact. dotal.*

DEFINITIO XX.

Fructus bonorum dotalium, si sint & ipsi dotales, ad mulierem non ad maritum maritue heredes pertinent.

FIliæ naturali pater quingenta pro dote legauerat, in eamque causam certa prædia pignori & in antichresim obligauerat, quorum fructus in diem vsque soluti legati ad filiam pertinerent. [1] Illa cum nuberet, nec dum solutum legatum esset, bona sua iuraque omnia in dotem dederat. Soluto post multos annos morte viri matrimonio quærebatur, an pignorum fructus, quos neque mulier neque maritus perceperat, aut in vicem fructuum vsuræ legati mulieri deberentur, an potius mariti heredibus pro toto eo tempore quo matrimonium stetisset? [2] Nam cum mulier bona sua omnia in dotem dedisset, dotis autem fructus ad maritum pro ferendis matrimonij oneribus pertineant, [3] videbatur mariti aut heredum vel creditorum ipsius non mulieris actionem esse, [4] nec quicquam iuris in iis fructibus petendis mulierem habere. Sed placuit contraria sententia, quia non quingenta duntaxat, sed iura sua omnia generaliter in dotem mulier dederat, & consequenter fructus quoque ipsos pignorum, cum inter cætera iura illud etiam mulieri competeret percipiendorum ex pignoribus fructuum, quandiu quingenta illa soluta non fuissent. [5] Proinde fructus illi dotales potius quam dotis fructus videbantur atque ita mulieri non marito debiti, [6] Cum si eos vir percepisset nunc ab eius heredibus iudicio de dote restituendi essent. [7] Erant namque in legato, & ex testatoris iudicio debiti, non propter moram. [8] Itaque pronunciauit Senatus fructus omnes bonorum obligatorum à die mortis testatoris mulieri præstandos. Computato tamen detractoque si qui heredes patris medio tempore pro alimentis filiæ erogasse probarentur. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hæc enim vera est antichresis, de qua in *l. si is qui 11. §. 1. D. de pignor. & in l. si pecuniam 33. D. de pignor. act.* cum creditor fruitur pignore in vicem vsurarum.

2 Ius enim fructuum qui ad maritum pertinuerunt ad ipsius heredes transmittitur, vt & cætera iura omnia defuncti *vulg. iuribus.*

3 *Vulg. l. pro oneribus 20. C. hoc tit.* [Ergo in fructibus bonorum, siue paraphernalium, siue aduentitiorum aliud est, vt ad maritum pertinere non debeant, sed ad mulierem, ita vt si maritus eos perceperit, eorum rationem mulieri aut eius heredibus reddere teneatur, *l. penult. D. ad leg. falcid.* Nisi ex voluntate mulieris eos perceperit & consumpserit, vt in *l. si fructus 8. C. de donat. inter vir. & vxor.* Quod in dubio præsumendum est in paraphernalibus, quorum administrationem habere censetur

BIU Cujas

maritus ex tacita voluntate mulieris, *l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* at non etiam in aduentitiis, *l. maritus* 21. *C. de procur.* Vt proinde fructus aduentitiorum etiam vidente & patiente muliere percepti dissentiente potiùs, quàm consentiente eo percepti videantur propter metum reuerentialem, *l.* 1. §. *quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.* Ita Ioan. Campes. *de dote part.* 1. *quæst.* 9. post Alex. *cons.* 63. *num.* 6. *lib.* 2. *&* *cons.* 42. *lib.* 1. Bart. Socin. *cons.* 82. *vol.* 4.]

4 *L. doce* 9. *C. de rei vindic.*

5 Nam nec quicquam vetat bona futura & fructus nondum percepros dari in dotem, sicut & pignori dari possunt, *l. vlt. C. quæ res pignori, l. si conuenerit* 4. *D. de pact. dotal.*

6 Aliud enim est fructus esse dotales, aliud vero esse rerum dotalium, *d. l.* 4. quomodo dicimus aliud esse de vsuris legatorum vel fideicommissorum tractare, aliud vero de vsuris legatis vel fideicommissis, *l. cum vnus* 10. §. *verbis fideicommissi, D. de alim. vel cibar. legat.*

7 *Tot. tit. solut. matrim. D. & C. l. in rebus* 30. *C. hoc tit.*

8 *Vt in d.* §. *verbis.*

9 Nec enim poterat mulier habere & alimenta & dotem præcipuam, cum dos cedat loco alimentorum, *l. qui filium* 4. *D. vbi pupill. educ. deb. l. capite* 19. *vbi not. D. de rit. nupt.*

DEFINITIO XXI.

Mulier agens siue ad restitutionem, siue ad assecurationem dotis, cogitur primum imputare quæ penes se habet deinde excutere bona mariti, postea agere contra tertios possessores.

SI mulier, quæ constante matrimonio de dote in tuto collocanda experitur, vergente scilicet marito ad inopiam, [1] bona quædam mariti alienasse aut penes se habere probetur, non eo minus audienda est, sed ita tamen vt ea omnia sibi primum imputet, [2] Deinde si qua sint bona vacantia, hoc est nondum alienata, & quæ sine controuersia possideri possint, [3] ea quoque persequatur. Neque enim minus repellitur mulier exceptione non factę excussionis, siue constante, siue soluto matrimonio agat, quàm cæteri creditores. [4] Nisi pro se habeat clausulam constituti, quæ cæteris quoque creditoribus perinde prodesset. [5] Excussis vero mariti bonis omnibus, quæ excuti potuerunt, & debuerunt, si ad tertios veniat possessores, quos auctoritas iudicis in pignorum possessionem miserit, quamuis vocata ea & condemnata, [6] (priusquam tamen dotis conseruandæ remedium imploraſſet) non repelletur exceptione rei iudicatæ. Alia enim nunc causa est, aliudq; ius quam de quo fuerat pronunciatum. [7] *Ita Senatus* in causa Dominicæ Delfin & Christophori Poche, 14. Calend. Septemb. 1592.

1 *Ex l. vbi adhuc* 29. *C. hoc tit. & l. si constante* 24. *D. solut. matrimon.*

2 Nam quod creditor quilibet penes se habere sine causa ex bonis debitoris sui, vel debere debet, vel imputare, *l. filium quem* 24. *C. famil. erciſc.* Est autem expeditior soluendi modus imputatio ad circuitum vitandum, *l. in quartam* 91. *D. ad leg. falcid. l. in fideicommissaria* 18. *versic. plane, D. ad Senatusc. Trebell.* [Finge penes mulierem aut mulieris heredem esse mobilia quædam marito data in dotem æstimata, cogetur mulier aut eius heres imputare ea sibi in restitutionem dotis iuxta conuentam æstimationem, si ea sibi retinere velit. Sed quia possunt facta esse deteriora in ipsius potestate esse debet, vt ea reddat marito, & quidem qualia fuerunt soluti matrimonij tempore, quia cùm æstimata sunt, periculum eorum semper ad maritum pertinet, *l. si inter* 21. *C. hoc tit. l. plerumque* 10. *D. eod. Ita Senatus* in causa Antonij Toniolle, contra D. de Versoney, 17. Maij 1614.]

3 Nam quæ sine controuersia possideri non possunt, ea nec possideri posse creduntur, *l. quamuis* 13. *D. de rebus auctor. iudic. possid.*

4 Iure scilicet communi, quod induxit Iustin. *Nouell.* 4. *de fideiuss.* vnde sumpta est *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.* Nullum enim hac parte priuilegium dotis est. [Aliud ergo iuris est, si mulier non agat ad dotis assecurationem, sed eam petat per viam exceptionis, & contradictionis. Hoc enim casu non cogitur mulier facere excussionem, quæ facienda numquam est, nisi ab eo qui agit, Rebuff. post Imol. *in tract. de constit. redit. art.* 1. *gloss.* 14. *num.* 43. Debet tamen ante omnia satisfieri mulieri ex bonis mariti, si qua supersint, deinde veniri ad tertios possessores. *Ita Senatus* pro liberis N. Antonij Des portes, contra N. Mariam de Rusinans, 6. Cal. Decemb. 1610.]

5 Quoniam clausula constituti facit possessorem constitutarium, *l. quod meo. D. de acquirend. possess.* Exceptio autem excussionis competit possessori non contra possessorem, *dict. Nouell.* 4.

6 Nec enim mulier habet ius intercedendi pro dote, nisi in casum restitutionis vel assecurationis, vt dixi *Defin.* 13. *num.* 1. *supr.*

7 Et consequenter non obstat exceptio rei iudicatæ, *l. cum quæritur* 12. *cum seq.* 2. *de except. rei iudic.*

DEFINITIO XXII.

Dotis vsuræ non promissæ quibus casibus marito ante biennium debeantur.

MOra illa legalis, [1] quæ non nisi lapsu biennij contrahitur, [2] vt exinde vsuræ debeantur, cum extraneus dotem promisit, [3] non est necessaria, cum vxor ipsa dotem constituit, & in mariti domo habitat. [4] Tum enim sicut vir fert onera matrimonij, ita æquum est vicissim vsuras dotis eum consequi ab vxore. [5] Idemque est si extraneus doti soluendæ diem præfixerit biennio breuiorem. Nam eo casu non expectabimus biennium, sed ex solo lapsu temporis constituetur extraneus in mora, [6] vt ab eo die vsuras promissæ dotis debeat, etiam quas vir non deduxerit in stipulatum. [7] *Ita tractatum est* 15. Calend. Septemb. 1592.

1 Sic enim appellant nostri, de qua Angel. *in* §. *fuerat, vers. verum tamen tene menti, Inst. de action.*

2 *Ex l. vlt.* §. *præterea, C. hoc tit.*

3 Hic enim est casus constitutionis Iustinianeæ, de qua *in d.* §. *præterea.*

4 Dixi *Defin.* 6. §. *tit. prox.*

5 Vt ibi dos sit vbi sunt onera matrimonij, *l. si in qui* 56. §. *ibi dos, D. hoc tit. l. pro oneribus* 20. *C. eod. cap. salubriter, extr. de vsur.*

6 Vt prouisio hominis faciat hoc casu cessare prouisionem legis, vt *in l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

7 Quod enim Iustinianus constituit in fauorem dotis non impedit quo minus possit melior esse conditio dotis propter pactum, *argum. l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dotal.* Alioqui non debebantur olim vsuræ dotis, nisi in stipulatu deductæ, *l. vir vsuras* 54. *D. de donation. inter virum & vxor.* aut nisi ex mora, vt in cæteris bonæ fidei iudiciis, *l. moræ* 32. §. *in bonæ fidei, de vsur.*

DEFINITIO XXIII.

Augmentum dotis debetur pro nominibus in dotem datis, siue ab initio fuerint, siue ex postfacto facta sint idonea, siue maritus ea pro bonis habuerit.

AVgmentum dotis, de quo supra scripsimus, [1] licet mulieri debeatur etiam dote non soluta, adeoque quamuis pactio in contrarium facta sit, [2] non tamen debetur, si forte nomina minus idonea in dotem data sint, quæ maritus exigere numquam potuerit. [3] Nisi ea nomina, vt bona, vltro secutus sit, deque iis fidem habuerit, [4] quod ipsum tamen in dubio facile præsumendum non est, [5] Itaque probare mulier debebit, nec solum legitima nomina fuisse, quæ in dotem dedit, sed etiam, vt ita dicam, exigibilia, [6] eo nimirum tempore inspecto, quo in dotem data sunt. [7] Neque enim legitima fuisse sufficeret, si aut propter debitorum inopiam, aut ob persecutionis difficultatem exigi vtiliter non potuerunt. [8] Si tamen ex postfacto fiant idonea, quæ constitutæ dotis tempore minus idonea putabantur, eorum quoque nomine augmentum debebitur, quandoquidem exactionis difficultas, quæ initio fuit, non facit

quominus

quominus aut in dotem data, aut eadem nomina esse videantur. [9] *Ita Senatus* in causa N. de la Verriere viduæ Bartholomæi Fosse, contra hæredes & creditores mariti, 12. Cal. Sept. 1592.

1 *Defin. 15. §. hoc tit.*
2 Dixi *Defin. 3. §. de donat. ant. nupt.*
3 Nullam enim actionem habere videtur is, qui eam habet quam debitoris excludit inopia, *l. nam is 6. D. de dolo.*
4 Bonum enim nomen facit quisquis admittit debitorem *l. inter causas 26. §. abesse, D. mandat. l. 1. §. illud sciendum 10. D. de separat.*
5 Non enim facile prudens quisquam paterfamilias debitoris nomen admittit periculo suo, *l. si mandatu 45. §. penult. D. mandat.*
6 Aliud enim est nomen esse, aliud vero esse exigibile, *l. si nomen 4. D. de hered. vel act. vendit. l. si plus 74. §. ultim. D. de evict.*
7 Hoc enim tempus inspiciendum est, *l. Titia, 62. in fin. D. hoc tit.*
8 Quia tunc pro nullis habentur, vt dixi *num. 3. ex l. nam is 6. D. de dolo.*
9 *L. 1. pen. vlt. & pass. Cod. qui bon. ceder. poss. §. vlt. Instit. de replicat.*

DEFINITIO XXIV.

Dotis augmentum debetur ex comparatione æstimationis rerum dotalium, quæ fuit constitutionis tempore, nisi fuerint æstimatæ, quo casu æstimationis tempus spectatur.

NOn idem erit, si species in dotem datæ vel pretiosiores vel deteriores constante matrimonio factæ proponantur. Quanti enim constitutæ dotis tempore fuerint inspiciemus, vt sciatur quantum vir vxori pro dotis augmento præstare debeat. [1] Nec si casu [2] aucta sit dos vel imminuta, augeri quoque conueniens est, vel minui eam portionem, quæ pro dotis incremento datur. [3] Si tamen ab initio conuenerit vt res dotales æstimentur, siue adiectum sit vt ad ratam æstimationis augmentum debeatur, siue nihil de eo dictum fuerit, non constitutæ dotis, sed factæ æstimationis tempus spectabimus, [4] Nisi alterutrius coniugum dolo culpave dilata æstimatio proponatur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Augmentum enim debetur ex comparatione dotis, dos autem æstimatur ex eo tempore, quo data est, *l. Titia, 64. in fin. D. hoc tit. l. Rutilia Polla 69. D. de contr. empt.*
2 Aliud enim est, si ex conuentione *Auth. sed iam necesse, C. de donat. ant. nupt.*
3 Obligatio enim, quę ab initio certam legem & quantitatem habuit, non potest ex post facto vel minui vel augeri citra nouam conuentionem, *Arg. l. vero 12. §. pen. D. de solut. l. centum Capue 8. vbi not. D. de eo quod cert. loc.*
4 AEstimatio enim facit hoc casu emptionem & nouum contractum, *l. plerumque 10. D. hoc tit.*
5 Semper enim pro facto habetur id, quod ne factum sit alius in mora fuit, *l. in omnibus causis 39. de reg. iur. l. quod sæpe 35. §. in his, de contr. empt.*

DEFINITIO XXV.

Excussionem bonorum mariti facere mulier cogitur, siue constante siue soluto matrimonio pro dote agat, & quid si habeat clausulam constituti.

MVlier pro indemnitate, &, vt loquuntur, assecuratione dotis agens constante matrimonio, vergente scilicet marito ad inopiam, [1] si tertios inquietet possessores, ita demum audienda est, si cætera mariti bona doti non sufficiant. Nam si sufficiant, cur non in eorum possessionem mittatur potius, quàm vt ei liceat bonæ fidei possessorem turbare? [2] Nec aliud respondendum erit, etiamsi dotalibus tabulis clausula constituti inserta proponatur. Etsi enim possessio quæsita per eam clausulam, [3] & amissa per secutam alienationem reuocari potest per conductionem ex Iustiniani lege: [4] Non idcirco tamen melior esse potest conditio mulieris, vt pleniorem de possessione, quam de iure pignoris actionem habeat constante matrimonio. Neutram enim exercere eo tempore potest, nisi, quatenus necesse est, vt dos salua fiat. [5] Nil autem necesse est, quamdiu ex bonis nondum alienatis indemnitati dotis consultum esse possit. [6] Neque vero deerant, qui putarent, nullam clausulæ constituti vim esse, quoties de assecuratione tantum, non etiam de restitutione dotis ageretur, propterea quod multum differat actio hæc ab hypothecaria, [7] nec videatur clausula constituti in pignoris conuentione apposita prodesse debere, nisi cum de pignore conuentionali disputatur. [8] Sed impugnat hæc sententia vtilitatem mulieris, cui æquum est prospici, vt saluam habeat dotem in omnem casum, [9] id est, siue constante siue soluto matrimonio, & constante multo magis quàm soluto, siue expresse siue tacite bona mariti obligata proponantur. [10] Nec quod in casum duntaxat soluti matrimonij, & dotis restituendæ concepta stipulatio fuit, ad rem faciet, quando id ratione illa factum videri potest, quod non sine malo omine fieri poterat, vt futuram mariti inopiam mulier præuideret, in eumque casum sibi prospiceret. [11] Proderit igitur mulieri clausula constituti ad seruandam dotem etiam constante matrimonio, vt paratiorem habeat actionem, sed non etiam, vt pleniorem, quàm si ageret hypothecaria, [12] quomodo plenior esset, si soluto matrimonio exerceretur, vel hoc ipso, quod excussionis non factæ exceptionem non timeret, [13] quam timet hypothecaria. [14] Ideo fortasse, quod actio quælibet mulieri competens dotis nomine constante matrimonio eam omnino conditionem habeat, si dos in tuto non sit: [15] quæ conditio deficit, quamdiu supersunt marito bona, ex quibus dos salua fieri possit. [16] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Genier & Dionysiæ Plancheuille, 18. Cal. Decemb. 1592.

1 *Ex l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*
2 In dubio enim parcendum est & fauendum emptori, cui nihil potest imputari, *l. 1. §. si quis in fraudem, ff. si quid in frau. patr. l. plane, 14. ff. de minor.*
3 *L. quod meo 18. D. de acq. poss.*
4 Implorato beneficio *l. vlt. C. de acq. poss.*
5 Est enim subsidiarium hoc remedium, quod inductum est per *l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot. l. si constante 24. ff. solut. matrimon.*
6 *Arg. Auth. hoc si debitor, C. de pignor. l. decem, 116. de verb. oblig. l. Moschis 47. de iur. fisc.*
7 Vt ex eo apparet, quod mulieri isto remedio agenti non potest dos offerri, vt dixi *Defin. 2. §.*
8 Nec clausula apposita ad vnum finem ad alium operetur, contra *l. in ratione, 30. §. tametsi, D. ad leg. Falc.*
9 *l. 1. D. solut. matrim. l. interest, 18. D. de rebus auctor. iudic. possid. l. Titio centum 71. §. Titio genero, vers. constante, D. de cond. & demonstr.*
10 Nam & iure vetere idem erat, vt constat ex *dict. l. interest*, & aliis innumeris, cum tamen eo iure dos nullum haberet priuilegium tacitæ hypothecæ ante *l. vnic. Cod. de rei vxor act.*
11 Casum enim aduersamque fortunam hominis spectari & expectari neque ciuile neque naturale est, *l. inter stipulantem 38. §. sacram. vers. homo liber. D. de verb. obligat. l. cum tale 72. in princip. de cond. & demonstr.* Iunge *l. mulier 22. circa princ. vers. Brasidas, D. ad SC. Trebell.*
12 Absurdum enim esset, plus iuris habere mulierem pro dote constante matrimonio, quàm eo soluto, *l. in rebus, 30. C. hoc tit.*
13 Numquam enim nocet exceptio non factæ excussionis ei, qui implorat beneficium clausulæ constituti, & *l. vlt. C. de acq. poss.*
14 *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*
15 Cum nec ob aliam causam sit introducta, quàm vt dos in tuto collocetur, *d. l. vbi adhuc, 29. C. hoc tit.*
16 *L. decem, 116. D. de verb. oblig.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXVI.

Mulier repulsam passa eo tempore, quo maritus erat soluendo, postea factis per maritum alienationibus debet agere prius in res alienatas.

QVid vero si ex iis bonis, quæ maritus adhuc habebat iudicati tempore, quædam postmodum ab eo alienata sint, vt iam impar sit reddendæ doti, qui cum actionis repulsam passa est, & dotis restitutioni & ferendis matrimonij oneribus sufficiebat?[1] Non idcirco plus iuris habebit mulier in absolutos victoresque tertios possessores:[2] cum paratam habeat actionem in res alienatas,[3] siue sententiam emptor sciuerit, siue ignorauerit[4] Nam & cæteris paribus prius inquietari vltimos emptores æquum est.[5] *Ita tractatum* & pronunciatum est in eadem causa.

1 Alioqui non nisi perinique repulsam pati mulier potuisset, *d.l.vbi adhuc.*

2 Quamuis res iudicata perpetuam illam conditionem habeat, si res in eadem causa manserit. Non enim nocet exceptio rei iudicatæ, cum alia causa est, *l.si mater* 11. *§.eandem causam, l. & an eadem*, 14. *D.de except.rei iudic.*

3 Nec enim per alienationem fieri deterior potuit conditio mulieris, *l.1.de alien.iudic.mut.caus.fact.l.debitorem*, 15. *C.de pign.*

4 Ne melioris conditionis sit emptor, quàm venditor, quod esset absurdum, *l.vlt.§.1.D.ad SC.Velleian.*

5 Ne fiant de lite lites, si priore loco conueniantur priores, qui postea regressum habituri sint contra posteriores, *arg. l.si quis habens*, 24. *D.qui & à quibus manum.* quamuis non sit hoc perpetuum, vt alibi scripsi ex *l.Moschis*, 47. *D.de iur.fisc.*

DEFINITIO XXVII.

Casus, in quo mulieri offerri potest etiam constante matrimonio.

QVod vulgo & summa cum ratione receptum est, vt mulieri de dote in tuto collocanda constante matrimonio agenti dotem ipsam in pecunia numerata offerre mariti creditor nequeat,[1] quasi non possit in tuto esse dos, quæ consistat in pecunia numerata,[2] non potest esse perpetuum. Quid enim si in bonis mariti nihil sit præter domum, quæ commodam diuisionem non patiatur,[3] sed quæ tamen longe maioris sit æstimationis, quam dos ipsa, vt ex eius pretio non eo minus cæteris mariti creditoribus, quam mulieri satisfieri possit?[4] An non iniquum sit prætextu dotis, quæ non periclitetur, in damno morari creditores?[5] Atqui alio remedio creditoribus consultum esse non potest, quam vt ad totius domus licitationem deueniatur.[6] Hactenus igitur mulieri consulendum erit, vt redactum ex licitatione pretium, quantum ad dotis & augmenti exsolutionem satis erit, penes idoneum mercatorem deponatur, per cuius manus vsuras legitimas mulier percipiat, vt se suosque alat. Nam & idem obseruatur si dotem nondum solutam vir petat, cuius facultates iam tum restituendæ doti sint impares.[8] Ideo fortasse, quod pecunia sit deposita, cum perire nequeat[9] maioresque fructus ferat, quam si in immobilibus consisteret, non male immobilis rei fundique iure censeatur.[10] *Ita Senatus* in causa Iacobi Durant & Peronetæ Talon, 8. Calend. Decemb. 1592. Et iterum pro Sp. Gabriele Damodry Aduocato, contra N. Buisson, 4. Calend. Decembr. eod. anno.

1 Dixi *Defin.2.§.hoc tit.*

2 Quæ pecunia res fragilis & lubrica est, *l.si chorus* 79. *§.1. de legat.3. l.lex quæ tutores* 22. *ad fin. C.de admin. tutor. l.Iulianus* 30. *D.de hered petit.*

3 Vt *in l.3.C.commun.diuid. & l.1. eod.*

4 Vt *in l pro debito* 6. *in fin. C.de rebus auctor.iudic.possid. l.quod autem* 6. *§.sciendum D.quæ in fraud.credit.*

5 Semper enim id agendum est quantum fieri potest vt nemo fraudetur, *l.ex his* 8. *eod.tit. quæ in fraud.credit.*

6 Cum pecunia semper recipiat commodam diuisionem *l.stipulationes non diuiduntur*, 72. *D.de verb.oblig.*

7 *Cap.per vestras, Extr.de donat.int.vir. & vxor.*

8 Vt dixi *Defin.4.§.ex dict.cap.per vestras.*

9 Quia pecunia debita per modum generis perire non potest, *l.incendium* 11. *C.si cert.pet.*

10 *Arg.l.3.vbi not.C.arbitr.tutel.*

DEFINITIO XXVIII.

Mulier neque in restitutione neque in assecuratione dotis præfertur creditoribus anterioribus expressam hypothecam habentibus.

QVemadmodum soluto matrimonio, cum de restituenda dote agitur, creditores anteriores hypothecam expressam habentes mulieri præferūtur, secundum eam nostrorum sententiam qua vtimur,[1] ita si constante matrimonio de dote in tuto collocanda tractetur,[2] aduersus eos duntaxat creditores mulieri succurrendum erit, qui posteriores reperientur, non etiam aduersus illos qui sunt anteriores,[3] si non tacitam duntaxat, sed expressam hypothecam habuerunt.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic enim vulgo nostri ad *l.assiduis* 12. *C.qui potior.in pignor. hab.* contra quos tamen scripsi in libris Coniecturarum.

2 Ex remedio *l.adhuc* 26. *C.hoc tit.*

3 Ne plus iuris habeat mulier pro dote constante, quam soluto matrimonio, contra *l.in rebus* 30. *C.hoc tit.*

4 Certum enim est mulierem etiamsi nullam haberet expressam hypothecam, præferri tamen debere omnibus etiam anterioribus non nisi tacitam habentibus, *d.l.assiduis.*

DEFINITIO XXIX.

Qui filiæ dotem certæ quantitatis dedit vltra legitimam portionem, non ideo legitimam in dotem dedisse videtur.

PAter filiæ nomine dotem dederat certæ quantitatis, & adiecerat, *vltra legitimam portionem quæ se defuncto filiæ deberetur.* Quærebatur an legitima quoque portio mortuo quandoq; patre in dotem data intelligeretur? Dubitationem faciebat, quod huiusmodi dictiones, *præter, vltra, hoc amplius*, & aliæ si quæ sunt similes, habent vim, vt nostri loquuntur, repetitiuam, idque cum suis omnibus qualitatibus,[1] præsertim vero vt vtrumq; determinabile in eadem clausula positum, & ad idem *constituendi* verbum relatum æqualiter & vniformiter per eiusmodi verbum determinetur.[2] At in contrarium illud mouet, quod ea verba, *vltra legitimam portionem*, non tam in dispositione addita videantur, quam exceptionis gratia, acsi scriptum esset *extra legitimam portionem*, ne legitima portio quandocunq; obueniens confunderetur cum dote pecuniaria, aut per eam minueretur.[3] Itaque multum interesse videtur an ita scribas: *Erunt in dotem ducenta vltra fundum Cornelianum*, an ita, *vltra legitimam aut hereditariam portionem.* Nam superiore casu si fundus Cornelianus in dispositione, & in causa dotis non esset, nihil supradicta verba operarentur, si ponas filiam nihil iuris alioquin in eo fundo habere potuisse.[4] Porro in dispositione includi non potest quin datus quoque in dotem videatur.[5] At legitima aut hereditaria portio non eo minus ad filiam perueniret, quod adiecta non essent verba illa, *vltra legitimam portionem.*[6] Plane in eam legitimam portionem si adiecta non essent pecuniaria dos imputaretur.[7] Satis igitur esse debet, quod faciunt ne imputetur, nec illud præterea inducere debent, vt legitima ipsa portio in dotem data videatur.[8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin.2. & 3. infr. de collat.

1 *L.qui ita* 3. vbi Bart. *de dot.releg l.Seio* 10. *§.vxori de ann. legat. l.si pure* 54. vbi etiam late Bart. *de leg.3.*

2 *Vulg.*

BIU Cujas

2 *Vulg.l.iam hoc iure 4.de vulg.& pupill.substit.l.4. C.de impub. & aliis substit.*

3 Si quidem certum est dotem imputari in legitimam, *l. quoniam nouella 29.D.de inoff.testam.*

4 Verba enim omnia potius sunt improprianda, quam vt nihil operentur, *vulg.l.si quando 109.de legat.1. cum similib.*

5 *d.l.3.de dos.releg.d.l.si pure 54.de leg.3.*

6 Quia non potest filiæ fraus fieri in legitima, *l. parentibus 8.l.quoniam in priorib. 32.C.de inoff.testam.*

7 *d.l.quoniam nouella 29.eod.tit.*

8 *Arg.l.eum qui 30.D.de iureiur.*

DEFINITIO XXX.

Dotis debitor qui iterum dotare non tenetur solutionem, prætextu inopiæ mariti recusare non potest, maxime ita iubente iudice, qui tamen melius iusserit dotem deponi.

DEbitor dotis, si à marito vrgeatur ad solutionem, nullam ex inopia mariti exceptionem habere potest, siue maritum inopia laborare dicat, siue male vti eum substantia sua, & à tempore dotis constitutæ factum esse pauperiorem. Etsi enim ex eiusmodi causis petere mulier potest vt dos in tuto collocetur, [1] ea tamen defensio non cuicunque dotis debitori competit, sed vel ipsi mulieri, vel alteri qui in ea conditione sit vt ipsam, si dos amitteretur, iterum dotare teneretur, [2] vt pura patri vel alteri ex ascendentibus, [3] non etiam fratri [4] aut extraneo, qui si marito quantumuis inopi dotem soluat, etiam inscia dummodo non prohibente muliere, [5] satis tutus est, [6] ac multo magis si soluat mandante iudice etiam inferiore, [7] & à quo appellari possit, adeo vt nec illi necessarium sit auxilium appellationis, neque vero audiendus sit appellare volens, quippe cuius nihil intersit. [9] Quamquam ne collusisse dicatur, aut aliquid sit quod ei imputetur, melius fecerit si rem denunciet mulieri, quo possit illa sibi consulere, si volet. [10] Verum in proposita specie mihi ad Senatus officium & æquitatem pertinere videbatur prouidere vt dos in tuto collocaretur, non solum ignorante muliere, sed ea quoque inuita, [11] propter coniunctum ius reipublicæ publicæque vtilitatis cum mulieris dote. [12] Non quidem iniuncta marito satisdandi necessitate, cum fideiussores dotium dari non possint, [13] sed deposita dote pecuniaria penes virum probum, per cuius manus vir legitimas vsuras accipiat ad onera matrimonij ferenda. [14] Quod temperamentum, licet tum Senatus noster secutus non sit, postea tamen probauit. *Ita Senatus* Prid.Cal.Febr.1593.pro Claudio Brun, contra Petrum Chappelle. Iunge Defin.4.& 19.supr.

1 *Ex l.vbi adhuc 29. C.hoc tit.l.si constante 24. D.solut.matrim.* Intellige tamen si mulier ignorauit maritum fuisse inopem iam ipso tempore nuptiarum, alioqui iuxta Cyni sententiam à Senatu nostro probatam licet à Bart. improbatam *in d.l.si constante.*

2 Quo casu interest sane illius qui dotare iterum teneretur, vt dos sit in tuto, *l.pater filiæ 71. D.de euict. Auth.sed quamuis, C. de rei vxor.act.*

3 Quorum scilicet officium est filiam neptemque dotare. Nempe si sint ascendentes ex linea paterna, *l.vlt. C.de dot.promiss. l.cap.15. D.de ritu nupt.* Nan nec mater, nec ascendentes materni tenentur nisi in subsidium, *l.neque mater 14. C.de iur. dot.l.penult.D.de agnosc.& alend.lib.*

4 Præterquam consanguineo, si soror consanguinea honeste aliter nubere non possit, *l.cum plures 12. §.pen.D.de adminis. tutor.*

5 Posset namque imputare ei qui post denunciationem soluisset, *arg.l.3.C.de nouat.l.4.C. quæ res pign.oblig.poss.* nimirum si non multo post imploret mulier auxilium iuris ad dotem in tuto collocandam, alioqui denunciatio illa & prohibitio mulieris esset inanis, vt scripsi *Defin.9.§.*

6 Dixi latius *Defin.4.§.*

7 *l.quod autem 6.§.apud Labeonem, D.quæ in fraud.credit.*

8 *L.ait prætor 7.§.1. vers.quid tamen, D.de minor.*

9 *L.1.D.de appell.recip.*

10 Quo non facto postea non nisi de seipsa conqueri mulier possit & debeat, *arg.l.nam si actor 26.D.de rei vindic.*

11 Cum huius sexus consilium laboret plerumque contra propria incommoda, *l.si pater 4.in fin.C.de sponsal.*

12 *L.1.D.solut.matrimon. l.interest, 18. D.de rebus auctor.iud. possid.*

13 *Tot.tit.C.ne fideiuss.dot.dent.*

14 *Ex cap per vestras. Extr.de donat.int.vir.& vxor.*

DEFINITIO XXXI.

Maritus etiam solus potest totam dotem exigere, etiam quæ ipsi & vxori simul sit promissa.

NOn eo minus dotem constante matrimonio petere maritus solus potest, quod ipsi & vxori eius coniunctim promissa & constituta sit. [1] Nam etsi soli mulieri promissa esset, vel ipsa dotis appellatio faceret, vt eius exigendæ actio constante matrimonio soli marito competere deberet. [2] Ibi enim dos esse debet vbi sunt onera matrimonij. [3] Idque multo magis admittendum est, si ponas tabulis dotalibus obligatum maritum, quod passim fit, vt dotem restituat. Priusquam enim reddere teneatur, antecedens est vt habere & exigere eam possit. [4] Obtinuit tamen vt frequentius tam vxori quam viro dos promittatur, nempe quoniam vtriusque interest. Nam quamuis dos sit in bonis mariti, est tamen mulieris. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ratio dubitandi *ex l.reos 11.§.cum tabulis, ff.de duobus reis.*

2 *l.doce 9.C.de rei vindic.*

3 *l. si is qui 56. §.ibi dos, D.hoc tit. l.pro oneribus, 20. Cod. eod.*

4 Qui enim vult consequens, vult etiam necessarium antecedens, *vulg. l.ad rem mobilem 56. & l. ad legatum 62. D.de procurat.*

5 *l.quamuis 75.l.Titia 62.D.hoc tit. l.in rebus 30. C.eod.* Ergo hoc casu maritus neque mandatum vxoris proferre cogetur, neque de rato cauere.

DEFINITIO XXXII.

Mulier, quæ ex bonis mariti pro dote possidet, ad largam æstimationem non est inquietanda ab aliis creditoribus, quandiu alia sunt mariti bona, ex quibus satisfieri eis possit.

SI marito ad inopiam vergente cautum sit mulieri, datis ei pignoris nomine bonis immobilibus æstimatis largiore, vt fit, æstimatione ad concurrentem vsque dotis & donationis antenuptialis quantitatem, non est audiendus alius mariti creditor si mulierem inquietare velit eo prætextu, quod longe pluris sint bona, quæ ipsa possidet, quam ei debeatur. Nisi prius probet non alia marito superesse, ex quibus possit sibi satisfieri. [2] Hoc enim casu cum maritus pignorum dominus maneat, [3] sufficiatque indemnem seruari mulierem, [4] non erit prohibendus creditor quo minus hyperocham [5] pignorum pro suo iure persequatur. [6] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 10.Cal.Mart.1593.

1 Secundum ea quæ diximus *Defin.2.§.hoc tit.*

2 Quandiu enim alia bona supersunt, ex quibus possit satisfieri posteriori creditori, nihil eius interesse potest, *arg.l.decem 116.de verb.oblig.*

3 Adeo vt nec mulieri liceat quicquam ex iis alienare constante matrimonio, *l.vbi adhuc 29.C.hoc tit.*

4 Idem enim duntaxat lex agit vt dos sit in tuto.

5 Vulgo pluris valentiam vocant, de qua *in l. & quæ nondum 15. in fin. D.de pign. l.quærebatur, 20. D. qui potior, in pignor. hab.*

6 Ita enim fiet vt nemo fraudetur, *l. ex his 8.in fin.D.quæ in fraud. credit.* Nec enim beneficium quod mulieri conceditur debet alijs esse captiosum, *l.Paulus 8.de prætor.stipul.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXXIII.

MVlier, quæ societate bonorum & quæstuum marito in tabulis dotalibus contracta [1] cœpit ob eam causam obligata esse ad exsolutionem æris alieni pro rata portione ex consuetudine regionis, in qua matrimonium initum est, non idcirco prohibetur totam dotem soluto matrimonio exigere. [2] Absurdum enim esset adeoque iniquum huiusmodi confusione perire mulieri partem dotis [3] cuius fauore societas illa consuetudinaria introducta sit. [4] Possunt sane coniuges in vltima voluntate liberationem sibi inuicem, si velint, relinquere ab ea debitorum communione. [5] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Illustris D. Barbaræ d'Amboise, viduæ illustris D. Ioannis Comitis de la Chambre, 4. Id. April. 1593.

1 De hoc societatis genere vide *cap. significauit, de donat. ins. vir. & vxor. & in l. si reum* C. *de re iudic.* Boer. *quæst. 22. numer. 27.* Vide *l. alimenta 6. §. vlt. de alim. legat.*

2 Contra Boer. *d. quæst. 22. num. 29.* non posse mulierem esse communem in bonis & habere dotem præcipuam, sed cogendam esse vt pro parte cedat actionem heredibus viri aduersus promissorem dotis vel hæredes eius. Plane constat non eo minus societati huic locum fore, quod nulla dos marito soluta nec promissa sit. Imputare namque sibi maritus debet cur vxorem acceperit sine dote. Boer. *ibid. num. 31.*

3 Intellige ita tamen, nisi mulier abstineat à petitione partis bonorum mariti, & malit contenta esse sua dote. Nam & totam dotem & simul partem in bonis mariti habere non potest. Et ita fortasse intelligi Boerius debet.

4 Potest enim per consuetudinem sicut per actum fieri melior conditio dotis, sed deterior non potest, *l. Attilicinus 17. ff. de pact. dotal.*

5 Vt valeat ea remissio iure donationis & legati, *arg. l. 5. §. Iulianus alias l. quidam decedens de admin. tutor.* Intellige tamen vt valeat ea liberatio inter coniuges, non etiam in præiudicium creditorum, si aliquod ius iis quæsitum sit ex consuetudine contra mulierem propter eiusmodi societatem, *arg. l. filiusfamilias 114. §. Diui 2. in fin. de leg. 1.* iunct. *l. cum hereditate 55. de acquir hered.*

DEFINITIO XXXIV.

Cum dotis debitor aliquid in solutum dedit marito stipulanti cum notario pro se & vxore, quæ postea heres extiterit cum beneficio inuentarij, quanam & contra quem actio mulieri competat?

MAritus à dotis debitoribus in solutum acceperat constitutionem annui cuiusdam reditus, tam suo, quàm vxoris absentis nomine, ea tamen lege, vt si sua die reditus ille non solueretur, pristina dotis petitio superesset, cessantibus in solutione debitoribus, non prius ipso iure resolutus contractus videbitur, quàm voluntatem suam coniuges declarauerint, vtrum contractus legem, quæ pro ipsis apposita est, exercere velint. [1] Tam vxori autem, quàm marito pro virilibus ille annuus reditus acquisitus intelligetur, si modo mulier ratam habeat mariti ac notarij stipulationem. [2] Porro ratam habuisse videbitur, non solum si ex contractu egerit, sed etiam si de illo reditu quasi suo testata sit. [3] Quid si marito hæres ipsa extiterit cum beneficio legis & inuentarij? Poterit vti beneficio contractus in totum, si velit, hoc est, vel totam dotem habere pro soluta, sibique reddita (quo casu non tantum dotis debitoribus plena continget liberatio, sed ipsi quoque hæreditati mariti [4]) vel à datione in solutum prorsus discedere, & dotem petere, non à mariti hæreditate (ponimus enim ratam eam habuisse, quod à marito gestum esset [5]) sed à debitorib. quasi nõdum liberatis. [6] Potest etiam, si velit, ratam haberi mariti stipulationem pro sua duntaxat parte, pro parte vero mariti aduersus curatorem hereditati datum agere, [7] quasi pro ea parte soluta marito dote, nec ipsi mulieri reddita. [8] Nec illi obiici poterit à curatore aut creditoribus hæreditariis, quod dotis debitores in annui reditus solutione cessauerint. Sufficit enim, maritum habuisse fidem de dote. [9] Salua curatori hæreditatis actione aduersus eos, qui reditum annuum dederunt in solutum: itemque electione resiliendi à datione in solutum, si malint illi legem contractus exercere. [10] Quod si mulier prius decesserit, quàm contractum ratum habuerit, certum est, integram heredibus eius actionem superesse aduersus maritum, aut mariti hereditatem pro totius dotis restitutione, [11] aduersus debitores autem dotis nullam, [12] nisi quatenus malint hæredes mulieris ratum habere contractum, & legem in eo appositam exequi, postquam placuit contractum, qui absentis nomine gestus est, ab ipsius quoque herede ratum haberi posse. [13] Nam etsi viua mulier ratum habuisset, nec tamen voluntatem suam declarasset, perinde liberum exercendæ conuentionis arbitrium, quod illa habuerat, in eius hæredes translatum intelligeretur, [14] pro ea scilicet parte, quæ mulieri ex stipulatione notarij quæsita fuisset. [15] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Montou, & Ioannis Blanchard & Claudij Geneuois 6. Id. April. 1593.

1 Nam legem, quam ipsi pro se dixerunt exercere non coguntur, si nolint, *arg. l. 3. de leg. commiss.*

2 *Ex leg. reos 11 §. cum tabulis D. de duobus reis.*

3 *Arg. l. si auia, 6. de iur. delib.* nemo enim præsumitur de alienis rebus velle testari, quia nec potest, *l. conficiuntur, 8. § si post factum, D. de iur. codicill.* iunct. *l. verbis legis, 120. de verbor. signific.*

4 Quæ hæreditas alioquin duplici præstatione dotis oneraretur, *l. vlt. D. hoc tit. l. vlt. D. de pact. dotal.*

5 *dict. l. vlt. de pact. dotal.* in illis verbis, *quoniam voluntate mulieris.*

6 Propter legem dationi in solutum dictam, quam diximus posse mulierem exercere, si velit, *d. l. 3. de leg. commiss.*

7 Postquam placuit hæreditari, quæ agnita sit, cum beneficio legis & inuentarij dandum esse curatorem, tanquam iacenti, de quo scripsi in priore parte *Hemichil. de error. pragm.*

8 Non enim potest inuitæ mulieri aliud pro alio solui, vt nec aliis creditoribus, *d. l. vlt. D. de pact. dotal. l. 2. §. minui, D. de rebus cred.*

9 Cum paria sint, solutionem accipere & fidem habere de solutione, *l. quod vendidi, 19. D. de contr. empt. l. satisfactio, 52. D. de solut.*

10 Quidni enim habeant electionem, quam defunctus habuit mortis tempore? Siquidem electio, quæ aut ex contractu competit, aut ex iuris beneficio, vt hæc, transmittitur ad hæredem, sicut cætera iura omnia defuncti, *vulg. iurib.*

11 Quia non potuit dotis conditio ignorante muliere per maritum immutari, *dict. l. vlt. D. de pact. dotal. l. si extraneus, 33. D. hoc tit.*

12 Quia actio, quæ contra eos cœpit competere marito, non potest redire ad vxorem aut eius hæredes, sine cessione.

13 Antonin. Tessaur. *decis. 70.*

14 Tanquam in successores vniuersi iuris, quod habuit defunctus, *l. hereditas, 62. de reg. iur.*

15 Nam pro alia parte mariti actio est, *d. §. cum tabulis, l. reus, 11. D. de duobus reis.*

DEFINITIO XXXV.

Mulier, quæ constante matrimonio idonea pignora accepit pro dote in tuto collocanda, non potest reliquorum bonorum possessores tertios inquietare, soluto matrimonio.

QVæ marito ad inopiam vergente, vt sibi pro dote cautum esset, egerat, & partem bonorum mariti à tertiis possessoribus ex ea causa vindicauerat, [1] morruo inter iudicij moras viro ad dotis restitutionem agere cœperat [2] aduersus alium tertium possessorem, qui priore quoque iudicio cum cæteris conuentus, nec dum

necdum tamen condemnatus fuerat. Cum ille obiiceret, satis superque mulieri satisfactum esse iis bonis, quæ iam illa ab aliis vindicauerat, quod in eorum æstimatione longe plus esset, quam in dote; [3] illa vero diceret, pignorum suorum ius indiuiduum esse, [4] nec proinde aliter à possessore inhiberi posse, quàm si is totum debitum offerret; [5] Placuit ex æquitate sic rem temperari, vt quæ illa iam possidebat, publicæ actioni subiicerentur, ex quorum pretio ipsi satisfieret non tantum dotis nomine, sed etiam vsurarum quincuncium [6] à die finiti luctus, expensarumque litis omnium. [7] Si sufficere pretium non posset, tum demum is fundus, quem tertius hic possessor tenebat, venderetur. Quod Senatusconsultum, licet si iuris rationem inspicias, quæ pignoris ius indiuiduum esse vult saluo possessori cuilibet iure offerendi [8] duriusculum videatur, æquissimum tamen est, propterea quod & mulieris & tertij possessoris ius tueatur. [9] Quid enim mulieris interest, si ex iis pignoribus, quæ possidet, consequi suum possit? [10] Aut cur ægre ferat distractionem pignorum, quorum possessionem si diutius retineret, futurum esset, vt quos perciperet fructus in diminutionem sortis & vsurarum imputare cogeretur? [11] Maxime verò, postquam aduersus meram iuris rationem ex æquitate hoc iure vti cœptum est, vt etiam posterior creditor agens aduersus anteriorem eundemque possessorem petere possit distractionem pignorum, nec debitum offerre compellatur. [12] Neque enim melior conditio esse potest creditoris agentis quam possidentis. [13] Siquidem imputari ei potest, cur agat, si ea pignora, quæ iam possidet, exsoluendo debito sufficiant. Non etiam cur ampliſſima pignora possideat, quæ vt sibi magis caueret, ex debitoris voluntate aut magistratus imperio acceperit. [14] *Ita Senatus* ex tempore in causa Claud. Thorombert. 5. Cal. Sept. 1593.

1 Competit enim hoc remedium etiam contra tertios possessores, *l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

2 Mutata, quod plerunque fit, qualitate iudicij & actionis, id est, mutata assecuratione in restitutionem.

3 Nam cum agitur de dote in tuto collocanda non datur mulieri ex bonis mariti, nisi quantum satis est, ad largam tamen æstimationem, vt dixi *Defin. 2. supr.*

4 *l. rem hereditariam 6. D. de euiction.*

5 *l. quamuis 6. C. de dist. pignor. l. 2. C. debit. vendit. pignor. imped. non poss.*

6 Quamuis lex hoc casu non videatur infligere vsuras grauiores trientibus, scilicet ad tertiam vsque partem centesimæ, *l. vnic. §. exactio, vers. fin. autem super sederit. C. de rei vxor. act.* sed hoc ideo, quia vsuræ quincunces apud nos frequentantur tanquam minimæ, nec æquum est minores vsuras præstari pro dote, quam pro cæteris debitis.

7 Nam & hæ habent eundem ordinem hypothecæ, tanquam accessiones necessariæ, per quas dotem minui non oportet, *l. Lucius 18. D. qui potior. in pign. hab.*

8 *l. 1. l. 5. C. qui potior. in pign hab.*

9 Semper enim ea ratio sequenda est quantum fieri potest, per quam nemo fraudetur, *l. ex his 8. D. quæ in fraud. credit.*

10 *Arg l. 2. C. de pignor.*

11 *l. 1. 2. 3. & pass. C. de pignor. act.*

12 Vt diximus *ad tit. de pignor.*

13 *Tit. C. etiam ob chirograph. pecun. pign. retin. poss. l. 1. D. de pign.*

14 *d. l. 2. C. de pignor.*

DEFINITIO XXXVI.

Mulieris pignora possidentis conditio non fit deterior ob beneficium legis & inuentarij à mariti herede imploratum.

MVlier habens clausulam constituti, aliam, vel per quam nacta sit possessionem bonorum mariti pro dote lucrisque nuptialibus obligatorum, [1] habet ius retentionis etiam aduersus heredem cum beneficio legis & inuentarij, perinde ac contra heredem purum, [2] quia ex beneficio legis ius mulieri aliisve creditoribus quæsitum adimi nec potest nec debet. [3] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio in causa viduæ N. De Miege & N. Thorombert. 13. Calend. Ianuar. 1593.

1 *Iuxta l. quod meo 18. de acquir. possess.*

2 Natta *cons. 453. lib. 2.* Decius *consil. 232.* Alex. *consil. 181. lib. 6.* Grammat. *decis. 58. & 92.*

3 *l. vlt. D. de pact. l. Paulus notat. 8. D. de præt. stipulat.*

DEFINITIO XXXVII.

Vidua secundo nubens præsumitur eandem dotem secundo viro dedisse.

QVod quæri solet an mulier, quæ nubendo nullam dotem constituit, censeatur bona omnia in dotem constituisse, [1] ad eam mulierem non pertinet, quæ secundo nupsit. Certum enim est eandem dotem ab hac constitutam videri secundo viro, quam constituerat priori, [2] coniectura voluntatis ex præcedentibus, vt alias plerumque fit, in sequentes actus capienda. [3] *Ita Senatus* ex tempore, 15. Calend. Februar. 1594.

1 De quo vide amplissimum tractatum apud Bart. *in quæst. incip. mulier habens amplum patrimonium.*

2 Bart. *ibid.* Tractant nostri *ad l. 1. D. solut. matrim.*

3 *l. dotem 30. D. hoc tit.* Iunge *Defin. 18. 3. eod.*

DEFINITIO XXXVIII.

Creditores mariti an & quando possint agere super fructibus bonorum dotalium.

FRuctus bonorum dotalium ita demum ad maritum pertinent pleno iure dominij, si ab eo sint percepti aut à solo separati. [1] Quandiu enim sunt pendentes creduntur esse pars fundi, eiusque dominium & conditionem sequuntur. [2] Itaque tandiu dotales sunt, & consequenter eodem iure ad mulierem spectant, quo dos ipsa. [3] Inde fit vt quamuis dotis, vt loquuntur, assecuratio in bonis immobilibus fieri debeat, non in mobilibus aut fructibus, quippe quorum ratione vix mulieri satis cautum esse posset: [4] si tamen alius mariti creditor fructus pendentes in fundis dotalibus iure pignoris persequatur, audienda sit mulier si pignoris inhibeat vel capionem, vel persecutionem, [5] vergente scilicet ad inopiam marito, [6] siue sententia super dotis assecuratione iam reddita sit, siue non, postquam placuit mariti inopiam per mulierem etiam exceptionis iure & nulla præcedente declaratoria contra agentes creditores obiici posse. [7] Nam etsi fructus iam percepti essent à marito necdum consumpti, quo casu haud dubie mariti creditoribus in eos actio competeret, [8] ius tamen esset mulieri intercedendi ne à creditoribus caperentur. Quia licet ad maritum pertineant, ea tamen lege pertinent, vt ex iis, si aliunde non possit, & mulierem & communes liberos alat, non vt creditores suos dimittat, vxore liberisque fame pereuntibus. [9] Hoc tantum interest, an percepti sint an pendentes, quod in perceptis nihil prorsus iuris habet mulier, siue agere, siue excipere velit, quandiu ex aliis bonis, siue mobilibus, siue immobilibus ei cautum esse potest. [10] In pendentibus vero tantundem iuris habet, quantum in bonis ipsis immobilibus, [11] præterquam eius portionis ratione, quæ ob impensas in ipsos fructus factas ad maritum quasi colonum partiarium pertinet. [12] In qua sane non plus iuris habere mulier potest, quam si alterius coloni diligentia sumptibusque dotalis fundus excultus esset. Ideoque in eam fructuum partem salua certaque semper est mariti creditoribus actio, siue pen-

BIU Cujas

dentes sint, siue iam percepti, dum ne consumpti.[13] *Ita Senatus* in causa N. Morel Presbyteri, & Leonardæ Simon, 13. Cal. Mart. 1594.

1 Vt saltem tantundem iuris habeat, quantum cæteri bonę fidei possessores, *l. si fructuarius messem 13. D. quibus mod. vsusfr. amitt.*

2 *l. fructus pendentes 44. D. de rei vindicat. l. vlt. §. fructus, D. quæ in fraud. credit.*

3 Est enim dos mulieris, *l. in rebus 30. C. hoc tit.* quamuis sit etiam in bonis mariti, *l. quamuis 75. D. eod. l. doce. 9. C. de rei vindicat.*

4 *l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.* Iunge quæ dixi *Definit. 2. num. 6. supr.*

5 Tanquam eius rei, quæ sit sua nec vnquam fuerit mariti.

6 Alioquin nihil iuris habet mulier in dotis fructibus constante matrimonio, *l. pro oneribus, 20. C. hoc tit.*

7 Dixi *Defin. 10. 8.*

8 Tanquam in bona debitoris sibi obligata.

9 *d. l. pro oneribus l. vbi adhuc 29. eod. l. si is qui 56. §. mortem, D. eod.* [Itaque ob hanc causam iudicatum aliquando est fructus bonorum dotalium inter maritum, vxorem, & communes liberos ita diuidi debere, vt tertiam partem maritus habeat, aliam vxor, aliam liberi. *Ita Senatus* in causa Caual. *Sine die.*]

10 Pertinent enim ad maritum pleno iure & dominij, & possessionis.

11 Vt dixi *num. 3. supr.*

12 Quæ pars apud nos dimidia esse solet. Nam nec vlli fructus esse intelliguntur, nisi qui deductis sumptibus supersunt, *l. si à domino 36. §. vlt. D. de hered. petit.*

13 Consumptione siquidem & dominium & pignus extinguitur, cum non entis nullæ possint esse qualitates, *vulg. iurib.*

DEFINITIO XXXIX.

Fructus bonorum dotalium aut pro dote obligatorum conseruandi sunt mulieri, non vt dos in tuto collocetur, sed vt in communes vsus consumantur.

SAne quod dicimus, posse mulierem intercedere ne bonorum dotalium fructus pendentes à mariti creditorib. distrahantur, tametsi ex aliis mariti bonis cautum satis esse possit,[1] ita accipiendum est, vt non ideo tamen dotis cautio in ipsis fructibus constituatur (alioqui eueniret vt consumptis fructibus tantundem de dote diminutum intelligeretur[2]) sed in communes vsus matrimonij fructus illi consumantur.[3] Nam & ob eam causam comparatum est vt in bonis immobilibus dotis nomine caueatur, non solum quod minus facile perire possint,[4] sed etiam quod ex ipsis percipiantur fructus, per quos matrimonij oneribus succurratur.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nisi ex aliorum etiam bonorum fructibus mulieri consultum esse possit vt habeat vnde se alat.

2 Id autem agendum est vt dos in tuto collocetur non vt periclitetur, *l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

3 *d. l. vbi adhuc.*

4 *l. lex quæ tutores 22. in fin. C. de admin. tutor.*

5 Non tam enim valor rerum inspiciendus est, quam fructuum, quoties alicui succurrendum est ne egeat, *l. qui bonis 6.* vbi Bart. *D. de cess. bonor.* Boer. *quæst. 19. num. 7.* Vnde illud est, quod si cui relicta sint alimenta, sunt ei præstanda secundum patrimonij reditum, non secundum proprietatem fundorum, Boer. *ibid. num. 8. & 9.* vbi citat *l. fundi Trebatiani de vsufr. leg. l. 2. C. de præd. nauicul. lib. 11.*

DEFINITIO XL.

Mulier habens specialem hypothecam quando impedire possit cæterorum creditorum super ea speciali hypotheca persecutionem.

AD inopiam vergente marito, qui vxoriæ dotis nomine bona quædam specialiter mulieri obligauerat, cum agente vxore bona alia haberet, quæ sine controuersia poterant possideri, dubitatum est an ius esset mulieri prohibendi, ne in specialem hypothecam agerent cæteri creditores, quibus aliunde consultum esse posset? An potius repelli mulier deberet, quæ eo tempore quo nondum de dotis restitutione tractari poterat, creditores mariti prohibere volebat ne pignora vindicarent, cum aliunde salua fieri posset dotis causa: quasi nihil eius interesse videretur?[1] Mouebat pro muliere, quod imo vero ipsius interesse possit ea potius habere pignora, de quibus ab initio speciali conuentione sibi prospexerit:[2] Contraque nihil interfit creditoris vtrum hæc an illa pignora persequatur ac distrahat,[3] præsertim si sit tempore posterior, vt mulieri prius consuli æquum sit.[4] Mihi distinctio illa ex tempore probabatur, an mulier de dote in tuto collocanda certaret agendo an excipiendo, vt si agendo non audiretur aduersus creditorem, sine cuius dispendio posset ex aliis bonis consequi indemnitatem.[5] Sin excipiendo, melior esset ipsius causa quam creditoris:[6] Ita tamen si tempore anterior mulier proponeretur. Nam cum posterior est, licet bona mariti dimittendis creditoribus omnibus sufficiant, dici non potest cur faueri mulieri debeat potius quam creditori.[7] Cum si bona exsoluendo æri alieno non sufficerent mulieris periculum damnumque esse oporteret non creditoris.[8] *Senatus* tamen, cum in publico auditorio causa perorata esset, dignam rem putauit, de qua amplius deliberaretur. In causa Dn. de Rossillon, & Hippolitæ Constantin, 6. Cal. Sept. 1594.

1 Si quidem numquam auditur is, cuius nihil interest, siue agat, siue conueniatur, *l. 3 §. 1. D. de verbor. oblig. l. ille à quo 13. §. si de testamento,* vbi Alex. *D. ad SC. Trebell.*

2 Solet enim specialis hypotheca constitui in iis bonis quę commodiora videantur, & ideo quæ specialiter sunt obligata prius discuti debent, *l. 2. C. de pignor.*

3 Dummodo sint idonea, *d. l. 2.*

4 Nam mulier, quæ prior est tempore potior est iure. Imo etiamsi sit posterior, si sequimur quod voluit Iustinianus, *in l. assiduis 12. C. qui potior. in pignor. hab.*

5 Quia hoc casu verum esset dicere nihil mulieris interesse.

6 Est enim semper fauorabilior conditio excipientis, quam agentis. *l. 1. D. de pignor.*

7 Sic enim vulgo à nostris accipitur Iustiniani constitutio in *d. l. assiduis*, vt non faueat mulieri contra creditores anteriores expressam hypothecam habentes.

8 Cum iure communi quisquis prior est tempore sit etiam potior iure, *l. 2. & 4. C. qui potior. in pign. hab.*

DEFINITIO XLI.

Mulier potest detrudi in carceres non pro ciuili debito, sed tamen pro sumptibus ex causa delicti descendentibus.

MVlier, quæ sit vilis persona, in carceres detrudi potest pro sumptibus ex causa delicti descendentibus,[1] nec prohibendi ius habet maritus, cui ipsa in dotem omnia bona sua dederit. Cum in eius potestate sit vxorem habere, adeoque ex ipsa dote soluere, quam hoc casu vt & aliis pleriſque etiam constante matrimonio minui posse constat.[2] Neque ad rem pertinet quod vulgo iactari solet, Pro ciuili debito mulierem incarcerari non debere.[3] Quamquam enim alia solet esse ratio mulctæ, quæ pro crimine irrogatur, alia sumptuum in criminalem causam factorum,[4] vt ex eo constat quod bonorum cessio admittitur pro sumptibus, quæ pro mulcta pecuniaria non admitteretur:[5] non ideo tamen consequens est vt prorsus ciuile debitum dici debeat, quod descendit ex delicto & criminali condemnatione.[6] Sane in muliere honesta, si non atrocitas delicti valde vrgeat, vix est vt hęc sententia admittenda videatur.[7] *Ita Senatus* in causa N. Alterier Necensis 11. Calend. Septemb. 1594.

1 Aliter

BIU Cujas

1 Aliter enim cum tenuioribus personis, agitur aliter cum honestioribus ex causa delicti, *l. capitolium 28. §. non omnes, D. de pœn. cum similib.*

2 Ne alioqui prætextus dotis adferat mulieri impunitatem, sitque impunitus eius dolus, quod esset iniquum, *l. 4. §. cum dominus, D. de noxal. action.*

3 At ne quidem in causa criminali. Sic enim Iustin. constituit *Nouell. 134. vt null. in tic. cap. 9. §. necessarium*, quæ tamen constitutio in causa quidem ciuili obseruatur, sed in criminali non item.

4 Quia sumptus isti non pro delicto irrogantur, sed in pœnam temere litigantis, *tot. tit. Instit. de pœn. temer. litig. l. eum qui temere 79. D. de iudic.*

5 Dicam *ad tit. qui bon. ceder. poss.*

6 Qualis enim actio est, talis & condemnatio expensarum, quæ sunt accessoriæ.

7 Ex ratione quam supra dixi *num. 1.*

DEFINITIO XLII.

Vsuræ dotis non debentur marito, si neque mora neque conuentio vlla præcesserit.

VSuræ dotis, quæ nulla die solutioni dicta non prius soluenda fuit, quam per maritum peteretur, non ob id magis debentur, quam per multos annos maritus vxorem exhibuerit, cæteraque matrimonij onera sustulerit, sed ab eo demum tempore, quo mora contracta erit, id est, quo petita nec soluta dos fuerit. [1] Neque enim tam fauorabilis est causa dotis præsertim pro marito, vt vsurarum additamentum recipiat, si neque mora, neque conuentio in eam rem vlla præcedat. [2] *Ita tractatum est* in publico auditorio in causa Pantaleonis Guilli & Augustani, 5. Non. Decemb. 1594.

1 Nam & dotem ipsam potuit maritus remittere. Roman. *sing. 601.* quem refert Boer. *quæst. 22. nu. 24. post gloss.* Cyn. Bald. & Salyc. *in l. si constante*, in verb. *forma, Cod. de donat. ante nupt.* Iunge *l. vir vsuras 54. D. de donat. inter vir. & vxor.*

2 *dict. l. vir vsuras.* Vsuræ enim aut ex mora aut ex conuentione necessario debentur, etsi mora interdum re ipsa quoque fieri intelligitur, *vt in l. Titia 87. §. vsuras, de leg. 2. l. curabit 5. C. de action. empt.*

DEFINITIO XLIII.

In fundum etiam æstimatum habet mulier regressum, si maritus non sit soluendo.

SI mulier in dotem dederit fundum æstimatum, fundi quidem dominium ad maritum pertinet, solaque æstimatio in dote esse intelligitur. [1] Sed si maritus fiat non soluendo, damus mulieri regressum in fundum ipsum vtilémque vindicationem, ac si fundus non fuisset alienatus. [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 1. infr. de remiss. pignor.

1 Quoniam æstimatio facit emptionem, *l. plerumque 10. §. si ante, & seq. l. quoties 16. D. hoc tit. l. vnic. §. cumque ex stipulatu, vers. æstimatorum, C. de rei vxor. action.*

2 *Arg. l. vxor marito 55. in fin. D. de donat. inter vir. & vxor.* Ne alioqui mulier damnum dotis incurrat.

DEFINITIO XLIV.

Expensæ factæ à marito pro dote æstimata non sunt ei restituendæ, nisi cum res ipsæ æstimatæ mulieri restituuntur.

MAritus vxorem ducturus, quæ vniuersorum bonorum controuersiam patiebatur, cum vniuersa mulieris bona in dotem accipere vellet, cauerat acceptos à se mille aureos restituendos soluto quandocunque matrimonio. Iisdem dotalibus tabulis mulier procuratorem eum constituerat in rem suam ad litem de bonis omnibus tractandam & peragendam. Cum maritus vicisset, ac bona multo maioris pretij obtinuisset, tum soluto matrimonio dos ab ipsius heredibus restituenda esset, Placuit nulla impensarum facta deductione restituendam integram pecuniam, quam maritus sibi solutam professus erat, quasi dotem ille tanti vltro æstimasset. [1] Nam & constat, procuratorem in rem suam constitutum expensas, quas eo nomine fecerit, repetere non posse. [2] Plane si mulier fundos habere mallet, & maritus consentiret (neque enim inuito marito posset mulier æstimatas res dotales repetere, nisi in subsidium, [3] aut eo casu quo conuenisset, vt nil obstante æstimatione eædem species redderentur [4]) vtique impensas dotis causa factas marito reddi oportet. [5] *Ita tractatum est* in causa, de qua in Defin. 8. & 19. infr. De testam.

1 Quia poterat dos in effectu vel pluris esse, vel minoris, *arg. l. imperat 70. §. si centum, de legat. 2.* Potiusque dubitari posset, an quod plus in bonis esset, restituere maritus deberet, quia non simplex venditio facta esset, sed dotis causa, *l. quoties 16. in fin. D. hoc tit.*

2 Quia licet ex alterius persona agat, tamen ad suum commodum agit, non ad alienum. *l. qui stipendia 9. C. de procur.*

3 Vt in specie *Defin. præced.*

4 *Vt in l. æstimatis 50. D. solut. matrim. l. si inter 21. C. hoc tit.*

5 Tanquam quæ minuant dotem vel ipso iure, si sint necessariæ, vel saltem per deductionem & retentionem, si sint vtiles; *l. 5. D. de impens. in rebus dot. fact. l. si is qui 56. quod dicitur, D. hoc tit.*

DEFINITIO XLV.

Mulieri, quæ perperam & temere litigauit, præsertim contra liberos non sunt restituendi sumptus litis, quamuis futurum sit vt dos minuatur.

QVod dicimus, dotem non debere minui per expensas litis, nec per tributum illud, quod pro iudicato pendi solet, [1] vulgo emolumentum vocant, non est perpetuum. Quid enim si rite oblatam dotem mulier accipere recusauerit, [2] litemque de ea re instituere perperam, aut institutam male prosequi maluerit? Præsertim aduersus proprios liberos, quibus parcere potius debuisset? Proximitatis ratio fortasse faciet, vt matri parcendum sit hactenus saltem, vt expensarum compensatio inducatur, [3] sed non vt liberi, quibus nihil imputari potest, condemnandi sint ad sumptus, quibus sola matris culpa causam dederit. [4] At neque, vt emolumentum integrum à liberis præstetur, aut sportulæ, quæ iudici ob sententiam ex scripto latam debentur. [5] Quid ergo? Sumptus omnes erunt compensandi, & consequenter ab vtraque parte pro virili sua exsoluendi. [6] *Ita Senatus* pro N. de Crescherel de Nicolle, contra vxorem N. Petri Ludouici De Lescheraine, 11. Calend. Maij 1593.

1 Ratio est, quia mulieri integram dotem saluam conseruari non tantum mulieris, sed tantum reipubl. interest, *l. 1. D. solut. matrim. l. interest. 18. D. de reb. auct. iud. possid.*

2 Atque ita fuerit mulier ipsa in mora, *l. qui decem 72. in princ. §. 1. D. de solut.*

3 Matrem enim condemnari liberis suis ad sumptus litis, aut liberos matri, durum sane est propter adfectionem personarum, quæ facit plerumque, vt iuris regulæ negligantur, *l. Caius 45. in fin. D. solut. matrim.*

4 Suam enim cuique culpam nocere oportet, non alteri, nec sumptus litis præstantur ob debitum, sed ob litem temere susceptam, *l. eum quem temere 79. D. de iudic. l. properandum 3. C. eod.*

5 *Tot. tit. C. de sportul. l. 1. & tot. tit. C. de fructib. & lit. expens.*

6 Vt ita leuius fiat incommodum, quod inter litigatores ex æquo diuiditur.

DEFINITIO XLVI.

Non potest mulier, quæ tutrix fuit, agere de dote ante redditas tutelæ rationes, sed si possideat non eo minus habet ius retentionis aduersus alios posteriores creditores.

BIU Cujas

MVlier, quæ impuberis filij tutrix fuit, licet exceptione non redditæ rationis repelli possit, si dotem exigat, non solum si aduersus filium agat, sed & si aduersus eum, qui à filio ius habeat dotisque pignora possideat.[1] Tamen, si cum filiis bona iure pignoris possidens conueniatur ab aliis creditoribus per hypothecariam & dotis retentionem obiiciat, non est danda creditori replicatio ad elidendam exceptionem ob non redditas rationes. Est enim fauorabilior & maiore priuilegio digna mulier, quæ possessionem suam tuetur, quam quæ agit.[2] *Ita Senatus* pro Angela Morisset, contra Ioannem Rosset, 8. Id. Maij 1595.

1 Quia dos ipsa filio est obligata pro tutelæ rationibus reddendis, *l. pro officio 20. Cod. de admin. tutor.* ideoque retineri potest, *l. vnic. Cod. etiam ob chirograph. pecun. pign. retin. poss.* Bart. Socin. *consil. 180. lib. 2.* [Sed intellige fauore liberorum non autem fauore alterius cuiuslibet tertij; quia nec aliis quàm liberis dos ipsa est obligata pro rationibus tutelæ. Nisi ponas tertium illum habere ius à filio, & pignora possidere, vt in Definit.]

2 *l. 1. D. de pignor. & d. l. vnic. C. etiam & chirogr. pecun.*

DEFINITIO XLVII.

Mulier petens assecurationem dotis non habet fundatam intentionem, qua tamen probata, potest retinere non tantum bona immobilia mariti sed etiam fructus ex iis iam perceptos.

VErgente quidem viro ad inopiam, succurrendum est mulieri aduersus creditores posteriores hypothecariam exercentes, etiamsi declaratoria nulla præcesserit.[1] Sed tamen pendente lite, ac quousque paupertatem probauerit, non habet fundatam intentionem, potiusque pro creditore iudicandum est,[2] quoniam in dubio præsumptio est contra mulierem, quæ regulariter nihil iuris in dote habet constante matrimonio.[3] Sane probato casu assecurationis habet mulier ius retinendorum, non modo bonorum immobilium mariti, sed etiam fructuum ex iis iam perceptorum, vt se suosque liberos alat,[4] licet dotis cautio non in fructibus, etiamsi maxime mulier velit, sed in bonis immobilibus ei omnimodo præstanda sit.[5] *Ita tractatum est* in publico Auditorio, 4. Id. Iun. 1595.

1 Vt dixi *Defin. 10. §.*

2 Debet enim quisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis, siue agendo, siue excipiendo, *l. 2. l. in exceptionibus 19. & pass. D. de probat. l. 4. & vlt. C. de edend.*

3 *l. si constante 24. & tot. tit. D. solut. matrim.*

4 *l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

5 Dixi *D. fin. 33. §. eod.*

DEFINITIO XLVIII.

Mulieri acquisita bona inter primum & secundum matrimonium non censentur in secundum constituta.

BOna, quæ mulieri obuenerunt inter primum & secundum matrimonium, non censentur constituta in secundam dotem.[1] Nec si in priore matrimonio bona omnia mulieris doti data proponantur.[2] Nisi expressim data sint etiam futura.[3] *Ita tractatum est* in publico Auditorio, Calend. Iul. 1595.

1 Nam ea ipsa dos, quæ priori viro constituta fuerat, secundo quoque data intelligitur, vt dixi *Defin. 37. §.*

2 Quoniam ea constitutio restringi debet ad bona præsentia, *l. si ita esset 7. D. de aur. & argen. leg.*

3 In solo namque pignore ita est constitutum, vt qui bona sua omnia generaliter & simpliciter obligauit, censeatur etiam futura obligasse, *l vltim. Cod. quæ res pignor. obligar. possunt.*

DEFINITIO XLIX.

Non est retinenda mulier in possessione bonorum mariti pro dote in tuto collocanda, nisi ad concurrentem vsque dotis solutæ quantitatem, licet non possint ea bona sufficere ad onera matrimonij.

COnstante matrimonio agens mulier ad dotis, vt vocant, assecurationem marito vergente ad inopiam, licet omnium mariti bonorum eo nomine expressim obligatorum possessionem sibi quæsierit per clausulam constituti,[1] non tamen potest hoc prætextu bona mariti omnia retinere, si alij sint vel creditores vel emptores, aliterve possessores, à quibus velit illa propriam possessionem condictione ex lege Iustiniani auocare:[2] sed eatenus duntaxat, quatenus solutæ doris quantitas exigit,[3] licet ita futurum sit, vt non habeat illa sufficienter vnde se suosque alat, si forte tam exigua sit dos, vt matrimonij oneribus ferendis impar sit. Nam quod dici solet pignoris causam esse indiuiduam, quantulumcunque illud sit, quod debetur,[4] ad hunc casum non pertinet, in quo non licet aliis mariti creditoribus aut pignorum possessoribus sibi consulere per ius offerendi.[5] Quos tamen interea & quandiu durat matrimonium in damno morari non oportet: sed tanto magis consulendum iis est, quod sibi ipsi consulere non possunt.[6] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Molar & Mauricij Veyrat, Prid. Non. Iul. 1595.

1 *Ex l. quod meo 18. D. de acquir. poss.*

2 *Ex l. vlt. C. eod tit. de acquir. possess.* Cuius beneficium necessario implorandum est, quoties auocatur possessio à tertio possessore.

3 Quia remedium hoc introductum est non vt dos augeatur, sed ne quid ex ea pereat, *l. si constante 24. D. solut. matr. l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

4 *l. rem hereditariam 65. D. de euict. l. quamdiu 6. C. de distract. pignor. l. 2. C. debit. vendit. pign. imped. non poss.*

5 Dixi *Defin. 2. §.*

6 *L. Diuus Marcus 14. D. de offic. præsid. l. in minorum 3. C. de in integr. restit. minor.*

DEFINITIO L.

Cum agitur de assecuranda dote, quæ tota non sit soluta, eadem adhibenda est distinctio, qua si ageretur de dote restituenda.

SI non integram dotem maritus à socero aut ab ipsa muliere exegerit, sed dotis partem dumtaxat, tum vergere cœperit ad inopiam, non potest mulier petere dotis totius assecurationem, sed pro ea dumtaxat parte, quæ soluta reperitur, cum nihil sit, quod imputari possit marito,[1] qui aut socerum aut mulierem ipsam non præcipitauit ad solutionem.[2] Diuersum est si extraneus, id est alius, quam qui ex officio dotem dare debuit, dotem promiserit ex necessitate, id est, non animo donandi. Nihil enim hac parte refert, an constante matrimonio agatur ad dotem in tuto collocandam, an soluto matrimonio ad restitutionem.[3] Sane vtroque casu integri augmenti rationem habere placuit.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Boer. *qu. 22. nu. 18.* contra Bart. & alios multos ibi citatos.

2 *L. si extraneus 33. D. de iure dot.* Obserua tamen, non posse mulierem expelli de domo mariti ob non solutam dotem, quæ promissa fuerit ab extraneo aut à patre mulieris, Boer. *qu. 22. nu. 40.* post Socin. *reg. 258 fallent. 2.* Sed ita demum, si ab ipsa muliere dos promissa fuit. Idem Boer. *nu. 1. 2. 3. & 6. ad fin. C. ad SC. Velleian.* Bald. *ad Auth. res quæ C. commun. de legat.*

3 Quamuis alias soleat multum interesse, vt ex iis apparet, quæ diximus *Defin. 2. §.*

4 Dixi *Defin. 15. §.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO LI.

Non liberatur debitor dotis soluens dotem constante matrimonio, si soluat contra formam à iudice præscriptam.

MVlieris debitor constante matrimonio à muliere conuentus vt solueret, si ob allegatam mariti inopiam iussus sit pecuniam idoneo mercatori collocare,[1] aut, si de mercatore conueniri non posset, apud actuarium obsignare,[2] non aliter liberari potest, quam si pareat iudicato.[3] Itaque si marito soluerit, qui iam tum fuerit non soluendo, perinde remanet in obligatione, licet pecunia dotalis proponatur.[4] Nec ad rem pertinet, quod marito quantumuis inopi, dos recte soluitur, cum imputare sibi potius mulier debeat, cur vergente marito ad inopiam non petierit dotem in tuto collocari.[5] Nam in proposita specie ea ratio locum non habet, cum assecurationis, vt loquuntur, vice sit cautio, quam iudex inducit, vt pecunia vel mercatori vel actuario, non etiam marito solueretur.[6] Quid si non marito, sed ipsi mulieri soluta sit? Ne hoc quidem sufficiet,[7] quoniam magna præsumptio est, mulierem marito nomen accommodasse,[8] & pecuniam, præsertim quæ dotalis fuerit, ad maritum potius quam ad mulierem peruenisse.[9] Itaque mulieri facile aduersus debitorem succurremus, si pergat illam pecuniam petere tanquam non sibi solutam, maxime si contra propriam confessionem imploret in integrum restitutionem.[10] Nam sicuti non liberatur is, qui dotem mulieri reddit aut soluit constante matrimonio, licet mulier consentiat, quia omnimodo dos in tuto collocanda est:[11] Ita nec is, qui aliter soluit, quam quomodo solui iudex iussit, qui doti & mulieris indemnitati prudenter consulere voluit. Ergo si vel idem iudex vel alius superior ex appellatione cognoscens, iusserit pecuniam mulieri solui, nihil erit, quod imputetur debitori, qui ex præscripto iudicis & metu fortasse carceris mulieri soluerit.[12] Proinde nec erit audienda mulier, si eam pecuniam ab eodem debitore quasi non liberato velit petere & probare perditam illam & à marito profligatam. *Ita Senatus* ex tempore in causa Bernardæ Fauier, & Claudij Du Chesne, 5. Id. Septemb. 1595.

1 *Ex c. per vestras. Extr. de donat. int. vir. & vxor.*
2 *L. acceptam 19. C. de vsur.*
3 Propter rerum iudicatarum auctoritatem, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell. l. si fundus 16. §. si pluris, D. de pign.*
4 Alij enim soluit, quam cui debuit soluere. Præceptum enim iudicis sequendum est, *l. ait prætor 7. §. 1. vers. quid tamen D. de minor.*
5 Dixi *Defin. 30. 5.*
6 Iuxta *d. c. per vestras.*
7 Nam neque mulieri dos solui potest constante matrimonio, nisi in casibus, de quibus *in l. quamuis 20. D. solut. matrim. l. vnic. C. si const. matr. dos solut. fuer.*
8 *L. cum proponas 5. & seq. C. si quis alter. vel sib.*
9 *L. si cum dotem 22. §. transgrediamur, D. solut. matr.*
10 Quia, qua facilitate decipitur, eadem confitetur.
11 Dixi *Defin. 2. 5.*
12 *d. l. 7. §. 1. vers. quid tamen: de minor. l. 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit.*

DEFINITIO LII.

Qui nomina accepit in dotem, pecuniam ex iis redactam cogitur iudicio de dote restituere, sed deductis expensis.

CVm nomina in dotem data vir exegit, condemnandus quidem est, vt pecuniam ex iis redactam restituat,[1] sed ita tamen, vt sumptuum ad exactionem factorum ratio habeatur, quatenus necessarij fuerunt.[2] Constat enim per impensas necessarias minui dotem ipso iure,[3] adeoque ipsa in re, cum dos consistit in pecunia numerata.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 9. infr. solut. matrim.

1 Quæ enim dat in dotem nomina, censetur dare pecuniam ex ipsis nominibus redigendam, *arg. l. si conuenerit 18. D. de pignor. action.*
2 Obserua tamen quod tractat Boer. *quæst. 22. num. 23.* hæredes mariti non posse deducere expensas per virum in exactione dotis factas, ex Specul. *tit. de donat. int. vir. & vxor. §. fin. vers. illud etiam quæritur,* & ibi Ioan. Andr. & Matuer. *tit. de dot. vers. item si mulier.* Sed hoc videtur accipiendum de expensis factis contra promissorem aut debitorem dotis, non de iis, quas fieri oportuit contra tertium, vt sciretur, quid esset in dote, quam ipsa mulier constituisset.
3 *l. 5. de impens. in rebus dot. fact.*
4 Scripsi *lib. 1. Coniect. c. 2.* * Iunge *defin. 44. 5.* Ferrar. *in formâ libell. quo vxor agit ad dotem, glos. 6 num. 7.* Campes. *de dot. part. 2. qu. 44. & ibi in addit.* Bald. *ad l. per diuersas, nu. 10.* C. *mandat.* Cæsar Visilla ad Afflict. *decis. 319.*

DEFINITIO LIII.

Cum restitutio dotis euadit in assecurationem, non potest offerri mulieri.

ALiquando euenit, vt restitutio dotis euadat in assecurationem, iisdemque vtatur priuilegiis,[1] vtputa si mulier, quæ matri suæ hæres extitit, dederit in dotem bona sua omnia, præsentia & futura.[2] Non enim dos matris offerri poterit à posteriore creditore, quasi cuius restituendæ dies iam venerit. Incipit enim esse dos filiæ, quæ fuit antea dos matris.[3] *Ita Senatus*, 30. Ianuar. 1596. ex tempore.

1 Inter quæ illud est, vt non possit offerri mulieri, vt dixi *Defin. 1. 5.*
2 Quæ enim prius fuit dos matris, fit ea defuncta matrimonium filiæ, & consequenter conuertitur in dotem, *l. nulla, C. de iur. dot.*
3 Dos autem filiæ ei offerri non potest, sicut non potuit offerri matri, *l. vbi adhuc 29. vbi not. C. hoc tit.*

DEFINITIO LIV.

Actio mulieris pro dote in tuto collocanda non patitur exceptionem specialis hypothecæ non excussæ, quam actio dotis restituendæ pateretur.

MVlier petens assecurationem dotis potest incumbere hypothecæ generali æque ac speciali, licet specialis idonea proponatur,[1] siue ipsa, siue maritus possideat.[2] Itaque tam ex iis bonis, quæ generaliter obligata sunt, quam ex iis, quæ specialiter, dandum ei est, ex quo se alat suosque,[3] arbitrio boni viri, & prout æquius melius videbitur.[4] *Ita Senatus* ex tempore in secreto Auditorio, 3. April. 1596.

1 Quod non similiter obtinet, cum agitur de restitutione dotis, quia tunc facienda est excussio specialis hypothecæ, priusquam ad generalem deueniatur.
2 Alia scilicet bona, quam quæ sunt hypothecæ specialis. Alioqui si vel maritus vel mulier possideat hypothecam specialem, quæ sit idonea, non est ei permittendum, vt agat contra tertios pignorum generalium possessores, cum nihil eius interfit, *arg. d. l. 2.* Iunge *Defin. 25. 5. de iur. dot.*
3 Iuxta *l. vbi adhuc 22. C. hoc tit. l. si constante 24. D. solut. matrim.*
4 Ad largam scilicet æstimationem, vt habent verba Statuti nostri.

DEFINITIO LV.

Dotis vsuræ à marito quamdiu vixit non petitæ, ab herede ipsius exigi non possunt tanquam donatæ.

DOtis vsuras, qua marito solui debuerunt, si earum petitio nulla facta sit, nec aliquo voluntatis indicio retenta, mariti hæres quasi tacite remissas

BIU Cujas

donataſque petere nullo modo poteſt.[1] *Sic tractatum eſt* in cauſa Dominæ Ludouicæ de la Chambre viduæ D. Comitis de Monreal, & D. Marchionis de la Chambre, menſe Febr. 1597.

1 *l. vir vſuras* §4. *D. de donat. inter vir. & vxor. l. cum quidam* 17. §. *Diuus Pius, D. de vſur.*

DEFINITIO LVI.

Maritus de moribus vxoris conqueſtus, apud iudicem Eccleſiaſticum, non poteſt interim agere tanquam maritus ex dotali conſtitutione, ſiue contra dotis debitores ſiue contra poſſeſſores bonorum dotalium.

MAritus de moribus vxoris conqueſtus quod dotem ſibi adiudicari poſtulabat, & ſeparationem thori petebat apud iudicem eccleſiaſticum, Placuit non poſſe illum interim agere tanquam maritum ex dotali conſtitutione, ſiue contra dotis debitores ſiue contra poſſeſſores bonorum dotalium. Eſt enim quæſtio illa de moribus & adulterio præiudicialis vt ſciri poſſit ad quem ius dotis pertineat, & an ſuo nomine agat, an coniunctorio; vtraque enim ſimul agere ſiue præcisè ſiue alternatiuè non poteſt, cum certus eſſe actor debeat de iure ſuo & ex qua perſona agat. *Ita Senatus* pro fratribus Cheurier, 10. Febr. 1620.

DEFINITIO LVII.

Conſtituta dote dimidiæ portionis bonorum patris, additis verbis, Ad formam diuiſionum, *&* Iuxta tenorem teſtamenti paterni, *quomodo facienda diuiſio.*

CVm pater duas ex ſemiſſibus heredes filias inſtituiſſet & poſt eius mortem facta bonorum paternorum diuiſio fuiſſet, poſteriori nuptæ dos conſtituta fuerat dimidiæ portionis bonorum patris, ſed his verbis additis, *Ad formam diuiſionum*, ſed ſtatim poſt, *Iuxta tenorem teſtamenti paterni*. Maritus de diuiſione facta conquerebatur, & vt noua fieret vrgebat, Contradicebatur ei quaſi non aliud in dotem accepiſſet, quàm quod diuiſionis inſtrumento comprehenſum eſſet. Viſum eſt dimidiam partem bonorum omnium quæ patris fuiſſent in dotem videri conſtitutam, Illa autem verba *ad formam diuiſionum*, demonſtratiuè potiùs quàm reſtrictiuè intelligi debere, *l. quidam* 96. *de legat. 1. l. Lucius* 12. *de aliment. legat. Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

TIT. VIII.

DE REI VXOR. ACTION.

DEFINITIO I.

Caſus, in quo debentur vſuræ dotis pecuniariæ etiam ante annum & ex die ſoluti matrimonij.

MAritvs ab vxore cohæres ex ſemiſſe inſtitutus, ſi familiæ erciſcundæ iudicio conueniatur à cohærede pro parte dotis in pecunia numerata conſtitutæ, condemnandus ad vſuras, non à die tantum finiti anni, poſt quem ex Iuſtiniani conſtitutione reddi dos debuit,[1] ſed ab ipſo mortis tempore.[2] Nam in iudicio vniuerſali, quale eſt familiæ erciſcundæ,[3] conſtat venire fructus & vſuras à tempore mortis.[4] Tametſi enim pro ea cohæredis parte maritus non quaſi heres conueniatur, ſed tanquam maritus & debitor:[5] tamen aperta eſt voluntas teſtatricis, quæ duos ex æquis partibus hæredes inſtituit, ne quicquam ex dote, vt nec ex reliqua hæreditate maritus amplius, quam cohæres conſequeretur,[6] quod eueniret, ſi interuſurium medij temporis in lucro haberet.[7] Proinde vſuræ huiuſmodi debebuntur tanquam acceſſiones pecuniæ non dotalis, ſed hæreditariæ.[8] Aliud igitur erit, ſi maritus non familiæ erciſcundæ iudicio, ſed rei vxoriæ actione ad dotis reſtitutionem conueniatur. Nam ſicuti ante annum peti dos non poteſt, quæ conſiſtit in pecunia numerata:[9] ita totius eius temporis moram inculpatam eſſe conuenit[10] Quamuis nec defuerint, qui putarent, eo quoque caſu maritum medij temporis interuſurium lucrari non debere.[11] Quorum ſententia merito exploſa eſt, vel hac vna ratione, quod alioqui futurum ſit, vt iuris beneficium marito eiuſve hæredi pene inutile & illuſorium reddatur.[12] Vt taceam, quod ſoluto per mariti mortem matrimonio mulierem toto eo anno exhibere hæredes debent in vicem legitimarum vſurarum.[13] *Ita Senatus* nonnullis licet diſſentientibus pro Reuerendiſſ. D. Martello Epiſcopo Nicienſi deſignato, contra N. de Lambert, 17. April. 1589.

1 Ex *l. vnic.* § *exactio, C. hoc tit.*

2 Ex ſententia Cyn. *in d.* §. *exactio.*

3 Non quod admixtam habeat petitionem hæreditatis, cum non detur hoc iudicium, niſi inter veros cohæredes, *l. cum putarem*, 36. *D. famil. erciſcund.* ſed quia in hoc iudicium venit quicquid eſt hæreditatis, ſi commodam recipiat diuiſionem. Denique per hoc iudicium diuiditur hæreditas, *l. 2. & paſſ. D. famil. erciſc.*

4 Cum fructus augeant hæreditatem, *l. ſed etſi lege* 25. §. *vlt. cum legibus ſeqq. D. de hered. petit. l. non eſt ambiguum* 9. *& l. coheredibus* 17. *C. famil. erciſc.*

5 Non enim poteſt conueniri tanquam hæres, niſi pro qua parte hæres eſt, cum hæreditas eum obliget, *l. ſiue à certis* 17. *D. de duobus reis l.* 1. *C. ſi cert. pet. l.* 2. *C. de hered. actio.*

6 Non enim eſſent hæredes ex æquis partibus, ſi plus ad vnum quam ad alium ex cauſa hæreditatis perueniret, aut etiam occaſione hæreditatis, vt Paulus loquitur *in l. debitor* 59. §. *vlt. D. ad SC. Trebell.*

7 Nihil ſiquidem eſſet, quod in vicem eius interuſurij cohæres viciſſim perciperet. De interuſurio vide *l. debitor* 82. *de legat.* 2.

8 Cenſetur enim hæc pecunia duplici iure & tanquam dotalis, & tanquam hæreditaria.

9 *d. l.* 9. §. *exactio, C. hoc tit.*

10 Cum vſuræ non propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infligantur, *l. cum quidam* 17. § *ſi pupillo, D. de vſur.*

11 Vide Zaſium *ad l. vnic. C. hoc tit.*

12 Non enim magnum beneficium eſt, ſi quis habeat dilationem annalem ad ſoluendum, & pro eo tamen tempore ſoluat vſuras, *l. vlt. C. de exec. rei iudic.* niſi cum præceſſit priuſque nata fuit obligatio vſurarum, *vt in l.* 3. *D. de vſur. d.* §. *exactio, verſ. ſin autem ſuperſederit.*

13 Notat *ad d.* §. *exactio.* Alioqui fame periret mulier, quæ nec dotem nec alimenta haberet, nec rurſus honeſte poſſet nubere intra annum luctus, *l.* 1. *C. de ſecund. nupt.*

DEFINITIO II.

Exceptio non factæ excuſſionis nocet mulieri agenti hypothecaria, ſicut & cæteris creditoribus.

REi vxoriæ actio priuilegium non habet aduerſus tertios poſſeſſores, quo minus poſſint illi dotem per hypothecariam repetenti mulieri ſicut & alij cuilibet creditori exceptionem obiicere non factæ excuſſionis.[1] *Ita Senatus* in cauſa Michaelis Du Mont, 5. Non. Iul. 1591. Iunge Defin. 1. & 2. inf. de priuil. dot.

1 Eſt enim generalis determinatio conſtitutionis Iuſtinianeæ *in Nouel. 4. de fideiuſſ.* vnde ſumpta eſt *Auth. ſi hoc debitor. C.*

BIU Cujas

tor Codic. de pignorat. iunct. *l. in fraudem* 15 *§ vltim. D. de testamento milit.* Nec reperitur hoc priuilegium inter cætera priuilegia dotis.

DEFINITIO III.

Specialis hypotheca hominis non tollit generalem legis, nisi id expresse dictum sit.

MVlier, quæ mariti testamentum agnouit, in quo maritus specialem illi hypothecam pro dote constituit, non idcirco prohibetur generalis siue expressæ siue tacitæ legalisque hypothecæ beneficium implorare, si id sibi commodius esse videatur. Neque enim aliam mariti voluntatem fuisse credendum est, si non specialiter expresserit. [1] Sed nec sufficiet expressisse, nisi præter dotem quid amplius vxori legauerit, propter quod valere legatum possit. [2] Quo demum casu sane voluntas defuncti seruanda erit, etiamsi dotis exactio in longiorem diem dilata sit, si legatum mulieris acceperit. [3] *Ita* in publico auditorio *tractatum est*, 10. Cal. Mart. 1593. In causa Aduocati Depradel, & Procuratoris Martinel.

1 Quis enim credat maritum cogitasse de adimenda generali hypotheca ei, cui dedit præterea specialem? *arg. l legata inutiliter 14. D. de adim. legat. l. 3. §. si emancipatus, de bon. possess. contr. tabul.*

2 Non enim valet legatum factum creditori, si nullam secum adferat vtilitatem, *l. sin autem 29.* iunct. *l. præterea. de leg. 1. l. debitor 82. de leg. 2.*

3 Sibi enim debet imputare, quod legatum agnouerit, tantique æstimauerit commodum legati, *l. Imperator 80. § si centum. l. cum pater 77. §. qui dotale de leg. 2.* Nec enim verisimile est, maritum voluisse hæredem suum grauare duplici præstatione dotis, *l. Titia 34. §. qui inuita, eod. l. si cum dotem 22. §. si pater filiæ, D. solut. matrim.*

DEFINITIO IV.

Actioni de dote potest obijci retentio ob rationes tutelæ aut protutelæ nondum redditas.

NOn est perpetuum, quod vulgo iactatur, actioni de dote nullam obiici posse retentionem. [1] Eas namque retentiones duntaxat sublatas esse Iustinianus voluit, quæ olim fiebant ob liberos, ob res amotas, ob mores, aut ob expensas vtiles in dotem factas. [2] Cæterum, si mater filij impuberis aut minoris bona administrauerit, siue tutrix fuit, siue pro tutrice se gessit, cum bona eius omnia pro reddendis rationibus sint tacite obligata, [3] & consequenter ipsa quoque dos eodem pignoris iure teneatur, [4] Placet posse dotem à filio eiusve hærede retineri in id vsque tempus, quo tutelæ aut curæ ratio sit reddita. [5] Nec solum si mulieris hæres agat, sed etiamsi mulier ipsa, siue iam secundo nupta, siue iterum nuptura (cuius ideo causa plerumque fauorabilior est, [6]) de dote experiatur. [7] *Ita Senatus* sæpius, vt relatum est in causa discussionis bonorum Illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise, 4. Id. April. 1593.

1 *L. vnic. §. taceat, C. hoc tit.*

2 Vt apparet *ex d. l. vnic.* quæ de his tantum retentionibus specialiter loquitur.

3 *l. pro officio 20.* iunct. *glos. Cod. de administr. tutor. l. vnic. §. 1. C. hoc tit.*

4 Nam in vniuersitate bonorum mulieris venit etiam dos, cum sit mulieris & proprium ipsius patrimonium, *l. quamuis 75. D. de iur. dot. l. in rebus 30. Cod. eod. l. 3. §. sed vtrum, D. de minor.*

5 Socin. *cons.* 180. *vol.* 1.

6 *l. interest 18. D. de rebus auctor. iudic. possid. Authent. sed quamuis, C. de rei vxor. act.*

7 Facilius enim est, vt possidenti detur retentio, quam vt non possidenti persecutio pignoris, *l. 1. D. de pignor.*

DEFINITIO V.

Vsuras dotis debet maritus, qui moram contrahit in ea restituenda.

VSuras dotis in pecunia numerata consistentis, quæ post annum à die soluti matrimonij reddita non sit, aut mulieri, si vir prædecesserit, aut si superuixerit, heredibus mulieris præstandas esse ad tertiam vsque partem centesimæ, placuit Iustiniano: [1] nec tantum si in pecunia numerata dos consistat, sed & si in bonis mobilibus aut se mouentibus, quorum idcirco facienda æstimatio est. [2] Eoque iure vtimur, quamuis contraria sententia frequentiore interpretum calculo recepta videatur, vt vsuræ istæ non debeantur, nec si expressa conuentione promissæ sint propter iuris canonici prohibitionem. [3] Non enim æquum est impunitam esse moram viri eiusve hæredis, dotem sua die non restituentis, [4] aut meliorem esse conditionem mariti in dote restituenda, quam sit mulieris in exsoluenda. [5] Nam si etiam iure Pontificio permittitur marito exactio vsurarum dotis tardius solutæ, eo prætextu, quod matrimonij onera ferre illum necesse sit; [6] quod ni mortuo viro mulier vsuras dotis consequatur quamdiu caret dote, cum eadem onera ad mulierem recurrant, & illud præcipue, quod seipsam alere cogitur? [7] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 4. & 5. inf. solut. matrim.

1 *In l. vnic. §. exactio C. hoc tit.*

2 Vsura enim pecuniæ est, non rei mobilis aut immobilis.

3 Alex. *cons.* 200. *vol.* 6. & Crauer. *cons.* 89. & quamplurimi alij ab Antonio Tessauro relati *decis. Pedemont.* 43. inter quos est Bald. *cons.* 166. *vol.* 1.

4 *l. 3. in princ. l. cum quidam 17 §. si pupillo, D. de vsur.*

5 *l. Attilicinus 17. D. de pact. dot.*

6 *Cap. salubriter Extr. de vsur.*

7 Finitur siquidem ius & onus mariti finito matrimonio, *l. in rebus 30. C. de iur. dot.* [Si tamen mulier aut hæres mulieris perceperit aliquo tempore fructus bonorum pro dote obligatorum, nullæ pro toto eo tempore vsuræ debebuntur, licet ea bona postmodum euicta sint, puta iure fideicommissi. Nec enim fructus & vsuras eodem tempore habere debet, *l. Iulianus 13. §. veniunt, D. de action. empt. Ita Senatus* in causa D. de Boniuard, contra D. de Combefort, 17. Maij 1614.

DEFINITIO VI.

Pro anno luctus nullæ vsuræ dotis restituendæ mulieri debentur, sed interim alimenta ei præstanda sunt.

PLane quamdiu peti dos non potest, id est, intra annum luctus, [1] vsuras præstari non oportet, quippe quæ non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur: [2] mora autem esse non potest vbi nulla petitio est. [3] Sed ideo nimirum constitutum fuit, vt toto eo anno viduam alere mariti hæredes debeant, eique vestes lugubres, aliaque id genus ad victum & vestitutum necessaria præbere. [4] Quamuis si alimenta illa intra annum non petierit, post annum petens audienda non sit, nisi in eam causam æs alienum contraxerit. [5] Porro, quæ de dote dotisque vsuris dicimus, eadem de dotis incremento & incrementi vsuris dicta intelligi debent. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec enim ius exactionis incipit nisi post annum, *l. vnic. §. exactio, C. hoc tit.*

2 *l. cum quidam 17. §. si pupillo D. de vsur.*

3 *l. nulla 88. de reg. iur. l. si pupillus 127. D. de verb. oblig.* Non tamen desunt qui defendant, nec medij temporis interusurium mariti lucro cedere, ex Zasio *ad d. §. exactio.*

4 Bart. *ad l. fructus 7. §. Papinianus, alias l. diuortio, D solut. matrim.* Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* 43.

5 Idem Tessaur. *decis.* 44.

6 Idem Tessaur. *decis.* 45.

BIU Cujas

DEFINITIO VII.

Dos pecuniaria conuersa in corpora statim restituenda est. Itemque cum pignus, quod mulier habuit, marito in dotem datum est.

DOtem, quæ in pecunia numerata data est, si constante matrimonio conuersa sit & permutata in corpora, quod vtique fieri potest quoties mulieri expedit, [1] non post annum à die soluti matrimonij, sed statim restituendam esse constat, vt restitutionis potius quam constitutionis tempus spectemus, cum quærimus, an in pecunia an in corporibus dos consistere videatur. [2] Sed si mulier, cui pecunia debebatur sub pignore, pignus ipsum in dotem dederit, dubitatio maior esse potest, obligata pignoris nomine re immobili, an corporum an potius pecuniæ dos censeri debeat, vt vel statim vel non nisi post annum restituatur? [3] Mouet ex vna parte, quòd ius pignoris solui potest, oblato quandocumque debito, [4] vt proinde cui pignus datum est, ei solutionis quoque accipiendæ facultas data intelligatur. [5] Quod si ita est, pecuniam, quæ debetur, in dotem datam fuisse magis dicendum est. [6] Ex altera vero, quod quamdiu solutum non est debitum, negari non possit quin hypotheca subsistat, & quidem in re immobili, [7] ac consequenter, quod ad maritum attinet, in dotem ei datam videri rem immobilem, ideoque præsenti restitutioni locum esse. [8] Nam etsi ius aliquod in dotem datum fuerit, cuius parata sit restitutio, non dubitatur, quin soluto matrimonio perinde ac res immobilis restitui statim debeat. Eáque sententia probabilior sane videbatur, [9] maxime in ea specie, quæ ex facto tractabatur, cum tabulis dotalibus conueniisse proponeretur, vt si pignus luere vellent prioris mariti hæredes, secundus maritus non aliter accipere posset, quam si in prædiorum emptionem continuo eam collocaret. [10] Ex eo namque apparebat, non pecuniæ, sed tantum pignorati fundi nomine mulierem mariti fidem secutam fuisse, cuius nimirum facultates suspectas habuisset. [12] *Ita in Senatu tractatum est* in causa Illustris D. Christophori d'Vrfe, D. de Bussy, & Dominorum fratrum de la Chambre, in publico Auditorio perorata, Prid. Calend. August. 1593.

1 *l. ita constante 26. cum l. seq. ff. de iur. dot.*

2 *l. cum in fundo, 78. §. si fundus*, vbi est text. elegans, *eod. titul.*

3 Siquidem dos pecuniaria statim restituenda est, quæ vero consistit in bonis immobilibus non nisi post annum: *l. vnic. §. exactio, C. hoc tit.*

4 *§. omnis, & §. vlt. l. si rem 9. ff. de pign. act. l. Paulus 12. §. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu.*

5 Nam & vtilem actionem suo nomine posset exercere post rescriptum Diui Pij, *l. nomen 4. Codic. quæ res pignorat. obligar. poss.*

6 *Arg. l. si conuenerit 18. ff. de pignor. act.*

7 Adeoque etiam post extinctam tempore vel confusione personalem obligationem, *l. 2. C. de luit. pignor. l. debitor 59. ff. ad Trebell. l. penult. §. 1. ff. de except. rei iudic. l. cum notissimi 7. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

8 *d. §. exactio.*

9 Differtur enim exactio dotis, non vt noceatur mulieri, sed vt consulatur marito, propter difficultatem explicandæ tam cito pecuniæ, *l. cum miliii, 16. §. 1. ff. de compensat.*

10 Pecunia namque destinata in prædiorum emptionem censetur quid immobile, *arg. l. 3. C. arbitr. tut.*

11 Facilius siquidem perit pecunia quam prædium, *l. lex quæ tutores, 22. ad fin. Cod. de administr. tutor. l. si chorus 79. §. 1. de leg. 1.*

DEFINITIO VIII.

De actione assecurandæ, vt loquuntur, dotis mutata in actionem, quæ pro dote restituenda exerceatur, & de differentia fructuum & vsurarum.

ALia quidem actio est, quæ mulieri competit constante matrimonio ad dotem in tuto collocandam, cum maritus vergit ad inopiam, [1] alia, quæ soluto matrimonio competit ad dotis restitutionem. [2] Sed si, cum prior in iudicium deducta esset, maritus ante sententiam super ea latam decesserit, ac proinde actione illa extincta alteri locus esse cœperit, non idcirco, quod mutata actio sit, in prioris litis expensas mulier condemnabitur, [3] quod ea mutatio necessaria sit, hoc est, quæ ex iuris ratione & casus necessitate potius, quam ex mulieris voluntate aut temeritate causam habeat. [4] Cæterum non quemadmodum fructus bonorum mariti, in quorum possessionem mulier dotis nomine mitti debuerat, ei restitui debuissent à die litis contestatæ: [5] ita vsuræ dotis in pecunia consistentis ex posteriore iudicio ab eodem tempore debebuntur. Alia enim fructuum, alia vsurarum condemnatio est. [6] Fructus accessiones sunt bonorum per hypothecariam actionem vindicatorum, [7] vsuræ vero accessiones ipsius dotis pecuniariæ, quam soluto demum matrimonio reddi oportet. [8] Itaque nec vsuræ deberi possunt pro eo tempore, quo non dos, sed bonorum possessio petebatur: nec similiter fructus in eam actionem venire, per quam non bona mariti, sed sola dos petatur. [9] Sed neque fieri potest, vt, extincta cum marito pristina actione, quæ ad dotem in tuto collocandam competebat, supersit ratio aliqua condemnandi possessoris ad restitutionem fructuum, qui non obligationis iure, sed tantum officio iudicis debebantur. [10] Illud igitur restat, vt vsuras duntaxat à die finiti anni luctus petere mulier possit, aut à die ipso mortis mariti, super totum annum luctus neque ab hæredibus neque ex bonis viri cibaria & vestiaria perceperit. [11] Ita fit, vt tertio possessori prosit ad lucrandos fructus, quod improbus fuerit litigator. [12] Sed hoc ita, si quo tempore agitur ad dotis restitutionem, supersint bona marito, quantum ad mulieris indemnitatem satis est, [13] nec mulieri quicquam absit ob præteriti temporis alimenta, quæ ex mariti bonis præstari debuerunt. [14] Alioqui mulierem in damno morari non oportet, potiusque admittendum est, vt fructus, quos tertius possessor post litem contestatam perceperit, tanquam indebite & à malæ fidei possessore percepti ab eo restituantur. [15] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 35. sup. de iur. dot.

1 *Ex l. si constante 24. D. solut. matrim. & l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.*

2 De qua *in tit. solut. matr. D. & C.*

3 Quomodo condemnari solet, quisquis post litem contestatam mutat actionem, *l. edita 3. vbi not. C. de edend.*

4 Semper enim habenda est ratio necessitatis, *l. alienationes 13. ff. fam. ercisc. l. 2. in fin. D. de distr. pign. l. si fideiussor 7. §. si necessaria qui satisd. cogantur.*

5 Quia exinde possessores omnes sunt pares, id est, malæ fidei possessores, *l. sed etsi 25. §. si ante, D. de petit. hered.*

6 Quamuis dici soleat, vsuras vicem fructuum obtinere, *l. vsuræ 34. D. de vsur.*

7 *l. si fundus 16. §. interdum, D. de pignor.*

8 Et quidem non nisi post annum luctus præteritum, *l. vnic. §. exactio, C. hoc tit.*

9 Etsi enim tam fructus quam vsuræ sunt accessiones, in eo tamen differunt, quod fructus accessiones sunt bonorum immobilium, vsura vero est accessio pecuniæ. Fructus sunt accessiones naturales, vsura vero iure magis & negotiatione quam natura percipitur, *l. si nauis 62. D. de rei vind. l. indebiti 15. D. de cond. indeb.*

10 Sublata enim actione, nullum potest officium iudicis supereſſe

BIU Cujas

supereſſe, *l. qui per colluſionem* 49. § 1. *D. de act. empt. l. quæro* 54. *D. locat.*

11 Secundum ea, quæ dixi *Deſin.* 6. *ſupr.*

12 Cum ſi bonam fidem agnouiſſet, ſtatimque lite ceſſiſſet, vtique eos fructus non percepiſſet. Atque ita notandus valde eſt hic caſus tanquam ſingularis.

13 *Arg. l. iubemus* 21. *C. ad SC. Velleian.*

14 Quid enim ſi ob eam cauſam contraxerit æs alienum? vt dixi *D. ſin.* 6 *ſupr.*

15 Siue extent, ſiue non extent, ſi modo res non ſufficit, *arg. l. ſi fundus* 16 § *interdum, D. de pign.* vbi quod requiritur vt fructus extent, ad eos fructus pertinet, qui neque debitoris vnquam fuerunt, neque vnquam debiti creditori, de quibus & *in l.* 1. § *cum prædium, in fin. eod.* Hi vero fuerunt aliquando debiti ſaltem officio iudicis, & etiamnum eſſent adiuuandi, ſi prima actio de dote in tuto collocanda ſupereſſet.

DEFINITIO IX.

Augmentum pro deterioratione monetæ debetur etiam ad cauſam veſtium nuptialium ab initio æſtimatarum.

VEſtibus nuptialibus ab initio æſtimatis, augmentum illud, quod ex ſubſecuta monetæ deterioratione inducitur, [1] eo quoque nomine debetur, & eadem rei vxoriæ actione, qua dos ipſa peti poteſt. [2] Eſi enim veſtes neque vtendo neque non vtendo meliores factæ fuiſſent, ſed potius deteriores, [3] pretium tamen earum æſtimandarum gratia conuentum, quodque certam ab initio legem accepit, non idcirco minui oportet: [4] quomodo ſane minueretur, ſi imminutæ bonitatis intrinſecæ monetæ ratio nulla haberetur. [5] Idemque de iocalibus & de dotis augmento vel donatione propter nuptias iuris eſt: [6] quia quoties quæritur, quantum ſit in obligatione, ſemper contractus tempus inſpiciendum eſt, non ſolutionis. *Ita Senatus* pro N. Catharina de Lallee vidua D. de Beauſiour, contra D. de la Fontaine magiſtrum Computorum, 6. Id. Mart. 1594.

1 De quo noſtri poſt Bart. *ad l. Paulus* 99. *aliàs l. debitorem, de ſolut.* & latiſſime in tractatu quem edidimus de variis nummatiorum debitorum ſolutionibus.

2 Eſt enim veluti portio quædam & pars debiti principalis, *l. cum quid* 3. *D. de rebus credit.*

3 Sunt enim ex earum rerum genere, quæ nec vtendo nec ſeruando ſeruari poſſunt, *l. lex quæ tutores* 22. *C. de admin. tut.*

4 Cum non aliam ob cauſam earum æſtimatio facta videri poſſit, *l. ſi inter* 21 *in fin. C. de iur. dot.* niſi interceſſerit pactum de quo, *in l. æſtimatis* 50. *D. ſolut. matr.* iunge *l. plerumque* 16. *de iur. dot.*

5 Minus enim ſoluitur, quod in deteriore moneta ſoluitur, *l.* 99. *de ſolut.*

6 Eadem enim ſolet ratio eſſe augmenti dotalis, quæ dotis, *l. inter ſocerum* 26. § *cum inter, D. de pact. dotal. l. etiamſi* 8. *in fin. C. de iur. dot.*

DEFINITIO X.

Mulier non poteſt propria auctoritate occupare poſſeſſionem rerum dotalium aut pro dote obligatarum. Et quid ſi maritus fuit talliabilis?

MVlier quidem, quæ nec habet clauſulam conſtituti, nec eſt in corporali poſſeſſione bonorum mariti pro dotis reſtitutione, ſiue expreſſe, ſiue tacite, ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter obligatorum poſſeſſionem propria auctoritate & ſine hæredum licentia ingredi & occupare non poteſt, [1] quia nec poſſet bonorum dotalium, [2] in quibus tamen plus iuris habet. [3] Sed ſi maritus ſine hærede deceſſerit, aut hærede relicto eo, qui propter abſentiam aliamve cauſam non facile conueniri poſſit, [4] non eſt ferendum, vt reſtitutioni dotis mora fiat, interea careat mulier pignorum poſſeſſione. [5] Sed & ſi mulier in poſſeſſione reperiatur, ſine vitio habere debet ius retentionis. [6] Quid autem, ſi maritus deditiæ, & vt loquuntur, talliabilis conditionis fuiſſe proponatur? An domini directi conſenſus erit mulieri neceſſarius, tanquam eius qui ſit hæredis loco? Siquidem occupat bona omnia, licet iure pecuhj potius quam hæreditatis, [7] ob idque æris alieni ſolutionem & detractionem pati cogitur. [8] Atqui verum eſt, non eſſe illum hæredem cum ex contrario impediat, ne defunctus hæredem habere poſſit. [9] Quod ſi hæres non eſt, neque poſſeſſor dici poteſt ex edicto illo, quo apud nos obtinet, vt mortuus viuum faciat poſſeſſorem. [10] Eius namque edicti beneficium ad ſolos heredes pertinet, aut teſtamentarios, aut legitimos, non etiam ad anomalos ſucceſſores, [11] qualis eſſe dicitur dominus directus. Multo minus poſſit ille poſſeſſorem ſe dicere iure directi dominij. Conſtat enim, eoque iure vtimur, directum dominum nullam prorſus habere poſſeſſionem, quouſque illam apprehenderit, [12] ideoque nec interdicto retinendæ [13] aut recuperandæ poſſeſſionis [14] agere poſſe, ſed tantum adipiſcendæ. Quod adeo verum eſt, vt idem quoque obtineat, ſi iudice auctore miſſus ſit in poſſeſſionem, nec ea miſſio denunciata ſit aduerſario, qui ſi ſciuiſſet intercedere potuiſſet. [15] Igitur cum dominus directus ſuo iure poſſeſſor non ſit, nihil cauſæ eſt, cur eius conſenſum exquirere mulier debeat ad occupandam hypothecarum dotalium poſſeſſionem. *Ita Senatus* in cauſa R. D. Alphonſi d'Elbene Epiſcopi Albienſis & Abbatis Altacombani, & Claudij Gaillard, & Cl. Thorombert, 10. Cal. Maij 1594.

1 Ita vt ſi occupet, vim facere dicatur, quia ſibi ius dicere non debuit, *arg. l. extat* 13. *D. quod met. cauſ. l.* 1. *ff. quod legat.* 3. *C. de pignor.* vbi Bart. & alij.

2 *L. dotis actione* 9. *C. ſolut. matrim.*

3 Eſt enim longe dignius & potentius ius dominij quam pignoris. Vnde fit, vt pignus extinguatur per acquiſitionem dominij non contra, *l. pen.* § 1. *ad fin. D. de except. rei iud.* iunct. *l. neque pignus* 45. *de reg. iur.*

4 Parum enim refert an hæres nullus ſit, an vero abſit, ita vt conueniri non poſſit, *argum. l. vltim.* § *vbi autem, C. de bon. quæ liber.*

5 Ideoque mulieri ſuccurrendum eſt, cuius interim certum ius eſt, vt ſcilicet in poſſeſſionem mittatur, ſi nemo ſit qui hæreditatem vel hæredem velit defendere, *tot. tit. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* Bald *in l. penult. C. de non num. pecun. & in l.* 1. *C. de ſeru. pign. dat. man.*

6 *Argum. l.* 11. *D. de pignor. l. vnic. Cod. etiam ob chirogr. pecun. pignor. retin. poſt l. filiam fratribus* 56. vbi Bart. *D. ad SC. Trebell* Dec. *conſ.* 232. *&* 671.

7 Exemplo eius quod ſcriptum eſt *in l.* 2. *D. de Caſtr. pecul.*

8 Non vt à creditoribus poſſit ipſe conueniri aliqua perſonali actione, ſed quia bona dici non poſſunt, niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt, *l. non poſſunt* 11. *D. de iur. fiſc. l. mulier bona* 72. *de iur. dot.*

9 Nullum ſiquidem hæredem habere is poteſt, qui bona nulla in ciuitate reliquit, neque relinquere potuit, *l. lex Cornelia* 28. *ad fin. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

10 Edictum enim loquitur de ſucceſſore vniuerſali, qui in omne ius defuncti ſucceſſerit, ac proinde titulo hæreditario.

11 Sic Baldus noſter ſæpe vocat eos, qui iure communi nec hæredes ſunt, nec in omnibus hæredis loco.

12 Transfertur ſiquidem poſſeſſio cum dominio vtili in emphyteutam, *l.* 1 *& vlt. C. de iur. emphyt.*

13 Quod non datur niſi ei qui poſſidet, *l.* 1. *& tot. tit. D. vti poſſid.*

14 Quia licet alias poſſederit, tamen facto ſuo cecidit poſſeſſione, nec proinde poteſt dicere ſe ſpoliatum, *Not. in can. redintegranda* 3. *quæſt.* 1.

15 Videtur enim hoc clam factum eſſe, *l. clam poſſid. re, D. de acq. poſſ. l.* 3 § *vlt. quod vi aut clam.*

DEFINITIO XI.

Dotis ſuæ die reſtitutæ debentur vſuræ mulieri viduæ, ſiue diuiti, ſiue inopi.

MAxima quidem inter noſtros dubitatio eſt, an reſtituendæ dotis vſuræ mulieri eiuſve hære-

BIU Cujas

dibus debeantur? Et magis communiter placuit non deberi propter iuris canonici prohibitionem, etiamsi cum iuramento sint promissæ, adeo, vt nec statuto, nec consuetudine contrarium induci posse putent. Sed tamen Senatus noster contrario iure vtitur, & cum tractatur de dote restituenda, perinde ac cum de soluenda, vsuras omnimodo deberi pronuntiat, [1] siue diuiti, siue inopi mulieri dos restituenda proponatur. [2] *Ita Senatus* in causa dominorum de la Perriere & de la Barre, Prid. Cal. Jul. 1594.

1 Dixi *Defin. 5. supr.* vbi vide.
2 Quanquam maior ratio est, vt inopi succurratur, *arg. l. in fundo 38. D. de rei vindic.*

DEFINITIO XII.

Mulier, quæ tutelæ rationes non reddidit, petitionem dotis interim non habet, sed retentionem habet.

MVlieri dotem repetenti, siue per actionem rei vxoriæ, siue per hypothecariam, obstat quidem exceptio non redditarum rationum si filij tutrix fuit, aut pro tutrice gessit. Sed si ipsa possideat & agenti creditori hypothecario obiiciat ius retentionis, non est ex ea causa creditori danda replicatio ad elidendam exceptionem, quia fauorabilior est mulier quæ possidet, quam quæ agit. [1] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 46. supr. de iur.

1 Dixi *Defin. 46. supr. de iur. dot.* vbi vide & Socin. *consil. 180. libr. 2.*

DEFINITIO XIII.

SEd nec mulieris creditoribus nocet, quod mulier, quæ tutrix aut curatrix fuit, aut pro tali se gessit, [1] rationes non reddiderit, siue in personam filij, [2] aut in bona eius pro dote obligata, [3] experiri velint, licet sint tempore posteriores, quia neque onus reddendarum rationum ad eos pertinet, tametsi agant ex iure & persona eius quæ reddere deberet. [4] Imputet enim sibi filius cur rationes non exegerit, cum fieri possit, vt iis redditis debitor is ipse reperiatur. [5] Quod & in dubio præsumendum est aduersus eum, qui in illis exigendis præbet se negligentem. [6] Plane si protestari velit, vt saluum sibi sit ius pignoris, si quando ex rationum redditione aliquid debitum apparebit, non est id ei denegandum. [7] *Ita Senatus* pro N. Andrea de Poypon D. du Chaney, contra N. Jacobum Dalliex D. du Rosey, 5. Id. Jun. 1595.

1 Nam protutelæ actio habet priuilegium tacitæ hypothecæ, *Gloss. in l. pro officio 20. C. de admin. tut.*
2 Mandatis scilicet in eum à muliere actionibus, alioqui non possent agere in personam, cum qua nunquam contraxissent.
3 Cum etiam pignus pignori dari possit ex æquitate, *l. vnic. C. si pignus pign. dat. sit.*
4 Non enim adeo repræsentant personam mulieris debitricis, vt eius factum in omnibus præstare debeant.
5 Quid enim vetat creditorem esse eum qui rationes debeat reddere, *l. 3. in princ. D. de contr. iudic. tutel.*
6 *L. 1. §. vlt. eod. tit.*
7 Talis enim protestatio nemini nocet, sed tantum ius protestantis conseruat, *l. si debitor 24. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

DEFINITIO XIV.

Pro rationibus tutelæ retineri dos mulieris potest, quandiu rationes rite redditæ non sunt, secus si redditæ sint rite, quamuis non recte, dummodo absit dolus.

VErum quidem est quod diximus, [1] matris dotem à filio retineri posse, aut à filij heredib. pro administratione, quam mater habuit, siue tutrix illa fuit, siue protutrix, quousque administrationis suæ rationem illa reddiderit. Nam sicut aliorum tutorum, ita & matris bona omnia tacite sunt obligata, [2] & consequenter dos ipsa. [3] Ex quo pignoris iure nascitur proculdubio ius retentionis etiam ob chirographariam pecuniam, [4] sed quid si mater aut alius contutor matris nomine rationes quidem reddiderit, aut minus rite, vt puta in folle, [5] aut nullo præstito iureiurando, quod fides rationibus constet? [6] Non videbuntur redditæ. [7] Patia enim sunt factum quid non esse, aut minus rite factum esse. [8] Quid si rite quidem redditæ sint, sed non recte, puta additis vel omissis quæ vel addi vel omitti non debuerunt? Iterum quidem erunt reddendæ rationes, sed si nihil dolo malo factum sit, non erit interea locus retentioni. Semel enim satisfecit mulier quæ rationes rite reddidit, & reliqua si qua fuerunt, persoluit, vt dici non possit debitricem adhuc eam esse rationum reddendarum, quas iam reddiderit. [10] Fieri sane potest, vt futura sit debitrix maioris quantitatis cum fuerint iterum redditæ. Sed eo pendente, & incerto dotem ipsius retineri aut quid aliud etiam extra dotem inciuile esset, cum fieri ex contrario possit, vt iterum redditis rationibus ipsi debeatur. [11] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal, & Joannis Falquet, Non. Septemb. 1595.

1 *Defin. 12. supr. hoc tit.*
2 Pro administratione tutelæ, *l. pro officio, 20. Cod. de admin. tutor.*
3 Cum sit matrimonium mulieris, *l. 3. § sed vtrum ff. de minor.* præsertim soluto matrimonio, *l. in rebus 30. C. hoc tit.*
4 *L. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*
5 Contra quam fieri oporteat, *l. cum seruus 81. ff. de cond. & demonstr.*
6 Est enim hoc iuramentum purgationis, quod hodie in qualibet rationum redditione pro solemnitate adhibetur, quamuis non sit necessarium iure ciuili.
7 *dict. l. cum seruus, l. non solum 8. §. is qui reddere, D. de liber. legat.*
8 *L. quoties 6. ff. qui satisd. cog. ff. de auctor. tutor.*
9 Sunt enim ista differentia, quia prius respicit formam & solennitatem actus, Posterius vero rem ipsam & materiam negotij, *l. non putauit 8. § non quauis, ff. de bon. poss. contr. tab.*
10 *d. l. cum seruus, & d. l. non solum, § is qui de liber. leg.*
11 Quod enim pendet non pro eo est quasi sit, *l. is damnum dat. 169. §. 1. de regul. iur.*

DEFINITIO XV.

Clausula constituti apposita in contractu dotali in casum dotis restituendæ non impedit retentionem bonorum obligatorum contra matrem, quæ dotem repetat non redditis rationibus.

AT quid si mater pro dotis restitutione non solum obligata habuit mariti bona omnia, sed etiam, vt plerumque fit, cum clausula constituti? [1] Dubitatio ex eo nascitur, quod filio non aliam ob causam damus retentionem, quam quia possidet. Nam qui non possidet, is nec retinere potest. [2] In proposito autem possessio bonorum mariti per clausulam constituti in mulierem ipsam translata intelligitur, [3] existente quandocumque conditione dotis restituendæ. [4] Sed cum bona omnia matris obligata sint, vt diximus, & ipsa quoque possessio, quæ per clausulam constituti quæsita fuit, in bonis ipsius sit, [5] magis est, vt hoc quoque casu perinde filio competat ius retentionis. Sufficit enim vt habeat asininam possessionem, id est, detentationem. [6] Quæ cum sit meri facti, [7] proculdubio non transfertur per eam clausulam, [8] tametsi & vera & naturalis possessio transferatur. [9] Eamque sententiam magis probauit *Senatus* noster in supradicta causa.

1 Per

1 Per quam possessio pignoris transferatur, *l. quod meo* 18. *de acquir. possess. iunct. l. cum & Sertis* 35. *in fin. D. de pign. act.*

2 *L. 1. D de pign. r.*

3 *d. l. quod meo.*

4 Nam & possessio transferri potest sub conditione *l. qui absenti* 38. §. 1. *D. de acq. poss.*

5 *L. rem in bonis* 52. *D. de acquir. rer. dom. §. commodum. Inst. de interd.*

6 Siquidem retentio non est dominij, sed possessionis.

7 *L. si quis autem* 10. *D de acquir. poss. l. stipulatio ista* 78. §. *hæc quoque stipulatio & seq. D. d. verb. oblig.*

8 Quia fictio iuris non potest ad ea pertingere, quæ sunt facti. *l. denique* 16. *D ex quib. caus. maior.*

9 Afflict. *decis.* 139. *ante fin.* Notant omnes *ad d. l. leg. quod meo.*

DEFINITIO XVI.

Etiam contra mulierem, cui rationum redditio remissa est à marito, competit retentio dotis, ob nullas redditas rationes.

QVid rursum si mariti remissa sit per patrem redditio rationum? Non impediet ea res dotis retentionem, quousque redditæ sint rationes, [1] quia nec prodest matri ea remissio, nisi quod attinet ad scrupulosam nimisque exactam redditionem. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex iis quæ diximus in præcedentibus.

2 *L. 5. §. Iulianus, alias l. quidam, vbi not. D. de admin. tut. l. si seruus vetitus* 119. *de leg. 1.*

DEFINITIO XVII.

An & quandiu permittendum sit filiæfamilias, vt agat de dote siue profectitia, siue aduentitia sine consensu patris?

ETsi ratio iuris non patitur, vt filiafamilias, siue vidua sit, siue secundo nupta, de prioris matrimonij dote agat sine patris consensu, [1] præterquam vno illo casu, quem Nouella Iustiniani constitutio induxit, si maior sit dos quam futura speretur portio, quæ in bonis patris filiæ deberi quandoque potest, vt in damno moratoria esset, etiamsi nudæ actionis collatione liberaretur: [2] Prævaluit tamen in foro error vulgaris Interpretum nostrorum existimantium etiam filiæfamilias non minus quam emancipatæ permittendum, vt agat de dote siue profectitia, siue aduentitia, etiam inuito patre, adeoque contra patrem. De aduentitia quidem omnimodo, [3] de profectitia vero saltem eo casu, quo pater passus sit filiam sibi dotem profectitiam stipulari, aut etiam quo ipse pro filia stipulatus sit nominatim, aut simpliciter, qua in specie placet filiæ potius quam suo nomine stipulatum eum videri. [4] Item cum dos magna est, qualem esse interpretantur eam, quæ 100. librarum auri summam excedat, abutentes in hanc rem Iustiniani constitutione. [5] Quæ si ut longe alium sensum habet: ita nec vno illo casu, quo permittit filiæ, vt agat inuito patre, permissum tamen ei vult vt possit agere ignorante patre, & non prius requisito eius consensu, quod Interpretes permittunt. [6] *Sine die.*

1 *L. 2. §. 1. in illis verbis quandoque sui iuris filia fuerit facta, D. solut matrim.* Facit *l. si pater* 4. in illis verbis, *& mortuo patre filia cum priore viro ageret. eo d. tit.*

2 Nouell. 97. *de æqual. dot.* Vnde sumpta est, *Auth. quod locum, C. de collat.*

3 Bart. vulgo adprobatus *in d. l. 2. § quod si in patris, & in l. post dotem* 40. *n.* 25. *D. solut. matrim.* post Accurs. *in dict. Auth. quod locum, & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

4 Ex not. per Bart & alios *ad d. l. post dotem.*

5 Quæ extat *in dict. Nouell. 97. de æqual. & d. ct. Auth. quod locum.*

6 De quo vide quæ scripsi pluribus, *lib. 13. Coniectur. cap. 6. & 7.*

DEFINITIO XVIII.

De profectitia dotis solutione facta patri habenti penes se instrumentum dotis, siue dos illa fuerit communis patri, & filiæ, siue propria filiæ ex eius stipulatione.

DOtis quidem actio communis est patris & filiæ, [1] ita vt quamuis patri soli exercitium actionis competat, non aliter tamen aut agere, aut solutionem accipere pater possit, quam si filia sciens non contradicat, [2] nec causam contradicendi vllam habeat, quo casu consentire vtique intelligitur hoc ipso quod non dissentit. [3] Sed si pater filiam sibi stipulari passus est, siue ab initio, siue post solutum matrimonium, non sufficiet filiam non dissentire, si Interpretibus nostris credimus, nisi etiam consentiat, [4] quod hoc casu dos proprium filiæ patrimonium esse intelligatur, [5] in qua proinde minus iuris habere patrem æquum sit, quam esset in dote communi habiturus, [6] poterit tamen etiam tacitus consensus sufficere, qui forte ex chirographi & instrumenti obligatorij traditione inducatur, ex qua scilicet non leuis mãdati præsumptio capi soler. [7] Præsertim si illud etiam concurrat, quod alioqui per se non sufficeret, vt filia sciens dotem à patre exigi tacuerit, nec contradixerit, quia nec iustam contradicendi causam vllam habuerit, [8] & ita pronunciatum est: Mihi vero de iuris ratione asserenda magis quam de interpretum erroribus tuendis laboranti probabilius videbatur liberari filiæ debitorem, si patri soluerit: non solum si tanquam procuratori & instrumentum ipsum pro mandato habenti, [9] sed & si tanquam legitimo administratori filiæ, [10] dummodo eius vitæ sit, & honestatis, vt de legitima eius potestate non debuerit dubitare is, qui bona fide soluebat. [11] Nam & quo casu filia ipsa siue consentiente patre, siue ignorante, aut etiam inuito dotem exegisset, emolumentum tamen & proprietatem solutæ pecuniæ patri etiam ignoranti acquisiuisset, si dos non aduentitia, sed profectitia proponeretur. [12] Nec enim quicquam in profectitiis innouauit Iustinianus, [13] sed in aduentitiis tantum, quorum capaces fecit filiosfamilias, qui antea non aliter capaces erant, quam si pater sibi per filium acquiri nollet. [14] *Ita tractatum est* Cal. Jul. 1594.

1 *L. 2. §. 1. & l. 3. D. solut. matrim.*

2 *d. l. 2. §. vlt.*

3 *L. si cum dotem* 22. § *necnon illud l. dotem* 37. *D. eod. tit. solut matrim.*

4 *L. post dotem* 40. vbi Bart. & alij, *D. eod. tit.*

5 *L. 3. §. sed vtrum, D de minor. l. vlt. D de dot. collat.*

6 Quod enim commune est, vtriusque quodammodo est, non etiam quod omnino alterius est, *l. illud* 46. *D de rit nupt. l. Sabinus* 28. *D. commun. d uid. l. 5. §. vlt. de leg 1.*

7 *Vulg. l. 1. C. de donat.*

8 Quo nimirum casu habenda etiam est pro consentiente. *d. l. 2. § vlt. & d. l. dotem* 37. *D solut. matrim.* Vide Bart. ad *d. l. si cum dotem § eo autem tempore.*

9 Solutio enim vero procuratori facta liberat debitorem, *l. vero procuratori* 12. *D solut. matr.*

10 *Ex l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

11 Si enim talis vitæ sit pater, vt merito debeat ei suis quoque bonis interdici, auferenda ei est bonorum filij administratio, quo facto si ei soluatur, quod filio debebatur, non potest contingere liberatio, *l. Imperator* 50. *cum ibi not. D. ad SC Trebell.*

12 Quia quicquid per liberos, quos in potestate habemus nobis acquiritur, vt ne momento quidem temporis acquisitio consistat in eorum persona, *l. placet* 79. *De acquir. hæred. l. 1. in princ. D. si à parent. quis manum. sit.*

13 *In l. cum oportet. 6 & l. vlt. C de bon quæ liber.*

14 *L. 1. C. qui admit. ad bon. poss. ss poss l. 4. §. sed & filiusfamilias. D. de edend. l. is qui heres* 13. *§. vltim. l. cum heres* 51. *D. de acquir. hered. l. in suis* 11 *D. d. liber & posthum. l. cogi* 16. *§. si pater, d. l. Imperator, D. ad SC. Trebell.*

BIU Cujas

DEFINITIO XIX.

An filia posit viuo patre dotem repetere ab herede prioris mariti, qui eam soluit patri sine filiæ consensu, cum filia eam dotem sibi stipulata esset patre consentiente? Et quid si eam dotem pater secundo viro dederit?

ILlud sane nec Interpretes nostri diffitentur, eo casu, quo patri & filiæ communis dos sit, si pater solus & sine filiæ voluntate de dote egerit, vel exegerit, filiæ nocere patris factum, quamdiu pater viuit, filiamque retinet in potestate sua, vt interim iteratam solutionem ab eo qui patri soluit vrgere non possit: [1] Non nocere postquam morte, vel emancipatione, vel quo alio modo filia facta fuerit sui iuris. [2] Visum tamen est, siue dos communis fuerit patris & filiæ, siue propria solius filiæ, semper eum casum excipiendum esse, quo pater eidem filiæ postea nubenti nouam dotem constituerit, siue maiorem priore, siue parem, qui casus nullam penitus recipiunt dubitationem, [3] siue denique etiam minorem quam pro omni iure, quod filia in bonis patris prætendere potuisset, cum hoc etiam casu indemnitatem à patre consecuta sit filia, nimirum ad eam vsque quantitatem, quæ in causam posterioris dotis data fuerit: [4] Cum nihil possit filiæ abesse videri pro ea quantitate, cuius nouum debitorem habet maritum posteriorem, [5] licet non eo magis liberetur pater, quo minus tantam dotem filiæ in secundo matrimonio constituere debeat, quantam constituerat in primo, si non fortuita clade facultatibus suis lapsus probetur, quas prioris matrimonij tempore habuerat. [6] In eo igitur quod posterioris eiusdemque minoris dotis quantitatem excedit, salua erit filiæ actio aduersus veterem debitorem, tanquam qui ex solutione patri perperam facta non fuerit liberatus. [7] Nam nec superiore casu tam eum liberat solutio facta patri, quam quæ à patre, qui nouam dotem constituendo filiæ, tantumdem videtur ei reddere, & soluere ex priore, [8] cuius indebita perceptione fecerat se filiæ suæ debitorem, [9] ne alioqui contra patris voluntatem filia duplicem à patre dotem habuisse videatur, quam ei pater non nisi vnicam dare voluit. [10] Quare nec aliud erit etiamsi patri nihil fuerit solutum ex ea dote, quam filia sibi fuerat stipulata ab hærede prioris viri. Neque enim ei permittendum erit, vt contra promissorem agat pro ea quantitate, quam ei pater in secundæ dotis causam dederit. [11] Sed è contrario licebit patri tantumdem à debitore repetere saltem officio iudicis implorato, etiam nullis à filia cessis actionibus. [12] Cur enim patri inuideamus ius potestatis, [13] in ea præsertim re, in qua filiæ captio nec vlla sit, nec esse possit. [14] Quamquam si eas actiones præstari sibi per filiam pater velit, non erit ei denegandum, cum nihil filiæ intersit, [15] & ne alioqui filia ex patris iactura locupletetur. [16] *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 *L.2.§.1.D.solut.matrim.* in illis verbis: *Cæterum si pater solus iussit dotis actio filiæ non erit adempta, quandocumque sui iuris filia fuerit facta.* Bartol. in terminis *ad d. §.1. num. 6.* vbi ait, interim quamdiu filia non est sui iuris factum patris ei nocere. Adde tamen eundem Bart. *ad l. si constante, numer. 47. & seqq. eod.*

2 Quia non potuit pater in dote cuius actio communis fuit deteriorem facere filiæ conditionem, *d.l.2.§.1. & vlt. & l. 3. eod. tit. solut. matrim.*

3 *L. dotem 37. in fin. D. eod. tit.*

4 Nam vsque ad eam quantitatem verum est eandem dotem quæ data fuerat priori marito posteriori quoque datam esse, vt eadem sit ratio partis, quod ad partem, quæ totius, quod ad totum, *vulg. l. quæ de tota 76. D. de rei vindic.*

5 Est enim tanto locupletior quæ habet dotem, & quæ ad eam repetendam habitura est actionem, soluto quandocunque matrimonio. *Ex reg. l. qui actionem. 15. de reg. iur.*

6 *Auth. sed quamuis C. hoc tit & in corpor. vnd. sumit.*

7 *d.l.2.§.1. & l.3 D solut. matrim. l. qui hominem 34.§ si gener. D. de solut.*

8 Textus est expressus *in l. si pater 4. eod tit.* Quæ licet loquatur de dote communi patris & filiæ, quia nullo casu admisissent veteres prudentes, dotem profectitiam posse filiæ propriam esse, habet tamen rationem generalem, ne filia, quam pater vnica dote contentam esse & voluit & velle potuit, duplicem dotem in onus & dispendium patris habere videatur, quod esset iniquum, *l. Titia cum testamento 34. § qui inuita, de legat. 2.* vt sequitur in Desi. Idem est siue filia patris hæres extiterit, siue ab ipso tantum acceperit legati nomine quantum in dote fuit, *l. si cum dotem 22. § si pater, D. solut. matr.* De cuius tamen sententia & emendatione vide quæ scripsi *lib. 4. Coniect. iur. ciuil. cap. 9.*

9 Etsi non tam contra patrem, aut eius hæredem filia hoc casu actionem habeat, quam contra prioris mariti hæredem tanquam non liberatum, *d.l.4. d.l. si cum dotem, §. si pater, D. solut. matrim.*

10 Pater enim cogitur quidem dotare filiam, *l. vltim. C. de dot. promiss.* sed non iterum dotare, nisi cum sine culpa filiæ dos amissa est, vt ibid. notat *& in l. capite quinto, 19. D. de rit. nupt.*

11 *d.l.4. & d.l.22 § si pater D. solut. matrim.*

12 Nimirum ex æquitate, *argum. l. si res obligata 57. in fin. D. de legat. 2.*

13 Ex quo fit, vt omnia iura filiæ ipso iure acquirantur patri, *l. placet 79. de acquir. hered. l. 1. in princip. D. si à parent. quis manum. sit.*

14 *Arg. l. vlt. D. de iur. dot.*

15 *Arg. l. in creditore 38. in fin. D. de euict.*

16 Contra *l. iure naturæ 206. de reg. iur.*

DEFINITIO XX.

Dote quam priori viro pater dederat soluta patri sine consensu filiæ, & postmodum secundo eiusdem filiæ viro ab eodem patre data, quomodo consulendum sit mulieri, si pater aut maritus incipiat labi facultatibus.

QVid ergo si posterioris dotis restituendæ tempore nec secundus maritus soluendo sit, nec pater? [1] An æquum erit filiam facere damnum dotis, quam prioris mariti hæres, idemque debitor idoneus soluerit patri ipsa ignorante, cum filiæ non patri dos deberetur? [2] Nec enim actionem vllam habere credenda est filia, quæ ob inopiam debitoris nihil ex ea actione possit consequi: [3] nam hoc rursum imputari potest hæredi prioris mariti, eidemque debitori, cur alij soluerit, quam cui debebat, nec explorata prius creditricis suæ voluntate. [4] Sic igitur temperanda res erit, vt non aliter prioris dotis debitor eiusmodi solutione liberationem nactus videri debeat, quam si sub omnium bonorum suorum obligatione caueat mulieri de indemnitate in eum casum, quo dotis restituendæ plena exactio, neque ex patris, neque ex mariti posterioris facultatibus fieri possit. [5] Sed ex eo tempore facultates æstimandæ erunt, quo posterior dos data fuit, cum si exinde dumtaxat fuerit diminutum patrimonium possit imputari mulieri, si implorato remedio constitutionis Justinianæ non egerit etiam constante matrimonio, vt dos in tuto collocaretur, [6] nempe si minores fuerint eo tempore posterioris dotis constitutæ, quam tempore dotis restituendæ. Nam si ex postfacto creuerint, non debet ei nocere, qui patri citra vel contra filiæ voluntatem soluit, quod antea fuerint non soluendo ij, qui in ipso solutionis momento idonei reperiuntur. [7] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Potest enim fieri, vt eo tempore quo agitur incipiat vterque labi facultatibus. Alioqui durum esset expectare aduersam aut

fam aut patris, aut mariti fortunam, *l. inter stipulantem*, 83. §. *sacram de verb. oblig.*

2 Hoc vero aperte iniquum esset, *l.* 2. §. 1. *& vltim. l.* 3. *D. solut. matrim.*

3 *L. nam is* 6. *D. de dolo l. si quis iniuriam*, 35. *D. de iniur.*

4 Solutio enim non est naturalis & legitimus modus tollendæ obligationis, nisi cum sit vero creditori aut eius procuratori, aut saltem ex ipsius voluntate, *l. vero procuratori* 12. *in princip. D. de solut. & pass. ill. titu. l. quamuis* 40. §. *vlt. & legibus seqq. D. ad SC. Trebell.* Textus est *in l. qui hominem* 34. §. *si gener. D. de solut.*

5 Inspiciendum enim est tempus restituendæ dotis, quoties quæritur an maritus, aut alius, qui dotem reddere debet sit soluendo, Afflict. *decis. Neapol.*

6 *Ex l. vbi adhuc* 29 *Cod. de iur. dot. l. si constante* 24. *D. solut. matrim.*

7 Nihil enim mulieris interest, cum tempore dotis restituendæ illi qui dotem debent sunt soluendo. Quid enim prodest aut nocet, fuisse antea ditiorem vel pauperiorem? *l. quæsitum est* 30. *D. de pecul. l. quod si in diem* 16. *D. de hered. petit. l. sin autem* 27 §. 1. *D. de rei vindic.*

DEFINITIO XXI.

Filia præsentia non est necessaria, vt ei dos acquiratur ex constitutione facta marito, sed est necessaria, vt futuræ successioni renuntietur.

NEc distinguemus, an posterioris constitutionis tempore filia præsens fuerit necne? Non enim ipsius præsentia necessaria est, vt ei dos constituatur, quam ex ratione iuris non filiæ, sed genero nomine filiæ constitui oporteret, [1] cum inter patrem & filiamfamilias obligationes contrahi non possint, salua patria potestate, [2] nec eo minus verum est dotatam à patre filiam, quod absente filia dos genero promissa vel dotata probetur. [3] Plane si non tantum dotare filiam pater velit, sed etiam, quod plerumq; fit, renuntiationem futuræ successionis ab ea extorquere, [4] aut pacisci de non petendo quidquam amplius, siue dotis congruæ nomine, siue pro legitima, filiæ præsentia omnimodo necessaria est, [5] quam & iurare oportet, non quidem si amplioris tantum dotis petitioni renuntiet, [6] sed si futuræ successioni, cui nec cum iureiurando Prudentes nostri, nec sine iureiurando Sacrosancti Pontifices renunciari posse voluerunt. [8] *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 *L. Pomponius Philadelphus* 35. *D. famil. ercis.* de cuius sententia & interpretatione vide quæ scripsi *lib.* 7. *Coniect. c.* 12. *l. cum dos* 7. *de pact. dot.*

2 *L. Imperator* 50. *D. ad SC. Trebell. l. ne cum filiofamilias* 16. *D. de furt.*

3 *d. l. cum dos.*

4 Ita demum enim ratæ sunt huiusmodi renuntiationes, si fiant accepta dote, *cap. quamuis pactum* 2. & ibi Didac. Couarr. *de pact. in* 6. Vide Crauet. *cons.* 84. *num.* 4.

5 Secundum ea quæ scripsi *Defin.* 25. *supra de pact.*

6 Valet enim huiusmodi renunciatio etiam simplex & non iurata, qua & circa renuntiationem non potest filia dotem vllam petere, si iam sit congrue dotata. *Not. ad l. vltim. C. de dot. promiss. l. quæro* 60. *& seq. l. cum post* 89. §. *gener. D. de iur. dot.*

7 *L. vlt. D. de suis & legit. l.* 3. *C. de collat.* iunct. *l. non dubium* 5. *in fin. C. de legib. l. iuris gentium* 7. §. *& generaliter, D. de pact. l. si quis inquilinos* 112. §. *vlt. de legat.* 1.

8 *d. cap. quamuis pactum de pact. in* 6. quæ constitutio nititur sola potestate iuriburandi, quod omnimodo seruãdum est quoties seruari potest citra dispendium salutis æternæ, *c. debitores, & cap. cum contingat. & pass. Extr. de iureiur.*

DEFINITIO XXII.

Dos etiam promissa filiæ in stipulatione dotali potest solui patri, qui habuit penes se instrumentum dotale: Et quid si postea tota dos ex eo instrumento petatur per filiam, aut alium, cui pater post eas solutiones acceptas instrumentum tradiderit.

PAter, qui accepto à filia vidua instrumento, quo Titius cauerat, se filiæ magnam ex causa prioris dotis debere pecuniæ quantitatem, varias à Titio solutiones acceperat. Cum minima debiti portio soluenda superesset, quam idem pater, dum filiæ nomine dotem constitueret, genero promitti curauerat per Titium in eam causam delegatum, postea non satisfaciente Titio instrumentum eidem genero tradiderat, vt ex eo, si posset, solutionem extorqueret, gener vero quasi tota summa deberetur, quæ instrumento cauta erat, excepto eo quod per apochas ad instrumenti marginem adscriptas solutum probabatur, quia tamen totum ipse petere non poterat passus erat vxorem agere, & impetratis præcisis, vt vocant, literis, ex ea causa miserum debitorem in carceres, quasi totius summæ debitorem, detrudere, qui solutiones à se patri factas, indemnitatemque filiæ iam à patre præstitam allegabat, secunda dote per patrem eiusdem filiæ nomine pro iuribus omnibus genero constituta. [1] At filia negabat solutiones rite factas, quasi non patri, cui nihil debebatur, sed ipsi filiæ, quam patre præsente & consentiente soli sibi stipulatam constabat, [2] solutio fieri debuisset. [3] Placuit non eo minus iniuriosam fuisse executionem, [4] cum neque in eam rem, aut pro tanta quantitate exigenda, sed pro eo tantum quod soluendum supererat, non filiæ, sed genero pater instrumentum tradidisset, [5] qui si penes se id retinere maluisset, vtique conuentus eo nomine siue à filia, siue à genero compensationem quantitatis in posteriorem dotem conuersæ, cum eo quod ex priore, quantumuis indebite perceperat obiicere, atque ita & Titio securitatem, & sibi liberationem acquirere potuisset. [6] *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ scripsimus. *Defin.* 19. *supra ex l. si pater* 4. *l. dotem* 37. *D. solut. matrim.*

2 Soli enim filiæ actio competit quoties pater passus est solam filiam sibi suisque hæredibus stipulari, secundum doctrinam Bart. communiter adprobatam *in l. post dotem* 20. *q.* 4. *n.* 7. *D. solut. matrim.* Adeo, vt non desint qui dicant, etiam à patre profectam dotem censeri debere aduentitiam filiæ, si pro ea dote pater filiam adegerit ad renunciandum successioni paternæ, quod plerumque fit, quasi hoc casu videatur filia renunciationis pretio stipulationem dotis sibi comparasse. Crauet. *cons.* 84. *num.* 4.

3 *L. qui hominem* 34. §. *si gener. D. de solut l.* 2. § 1. *& vlt. & l.* 3. *D. solut. matrim.*

4 Scilicet tanquam factam pro indebito, *arg. l. iniuriarum* 13. §. *si quis per iniuriam l. si creditor* 19. *D. de iniur.*

5 Omne siquidem mandatum siue expressum, siue tacitum habet tacitam conditionem, ne quid fiat, nisi ex bona fide, *l. creditor* 60. §. *vlt. D. mandat.*

6 *L. si pater* 4. *l. si cum dotem* 22. §. *eo autem tempore, D. solut. matrimon.*

DEFINITIO XXIII.

Conuentio expressa specialis hypothecæ pro dote non tollit priuilegium tacitæ, quam dos habet à lege.

MVlier quæ pro dote certa mariti bona pignoti accepit, non eo minus cætera omnia generaliter obligata ex Iustiniani constitutione [1] habere credenda est iure tacitæ hypothecæ; ne alioqui specialis conuentio pignoris fecerit deteriorẽ dotis conditionem, [2] quam debuit facere meliorem. [3] Nam & contrahentium voluntas vtique illa fuit, vt doti melius cautum esset per specialem hypothecam, [4] non vt magis dos periclitaretur, cui semel acquisitum ius & priuilegium tacitæ hypothecæ postmodum nulla conuentione, nec si expressa voluntas adfuisset, lædi potuit. [5] Alia ratio est tacitæ hypothecæ, quam idem Iustinianus datam voluit mulieribus in bonis

mariti pro bonorum paraphernalium administratione. [6] Non enim dedit nisi sub ea veluti exceptione, si non expressim mulier sibi de pignore cauisset. [7] Quod in tacita hypotheca pro dotibus inducenda non similiter obseruauit. [8] Quare nec ad hunc casum protrahi debebit, quod ex alia Iustiniani lege interpretes solent inferre, hominis prouisionem facere, vt cesset prouisio legis, [9] Nempe interest Reip. dotes mulieribus saluas esse, [10] quod de bonis paraphernalibus nusquam scriptum inuenitur. *Sine die.*

2 *In l. vnic. C. hoc tit.*

2 Nec enim conuentione vlla potest fieri deterior conditio dotis, *vulgat. l. Attilicinus, 17. D. de pact. dotal.* Boer. *decis. 332.*

3 Nec enim quod in fauorem alicuius personæ factum est, debet in eius odium retorqueri, *l. nulla 25. D. de legibus l. quod fauore 6. C. eod. l. pen. D. ad SC. Trebell.*

4 Ex vulgari errore imperitorum, cum tamen generalis hypotheca sit securior, vel ob hoc ipsum, ne creditori possit obiici exceptio non excussæ specialis hypothecæ, quæ excutienda necessario est, *ex l. 2. C. d. de pignor.* nisi cum adiecta est vulgaris clausula, vt generalitati non deroget specialitas nec contra, quomodo notari loquuntur. Commodum enim specialis hypothecæ nullum est, nisi cum antichresis contrahitur, quia esset absurdum & iniquum vniuersa debitoris bona per antichresim à creditore possideri non minus quam si ea dominii iure omnia possidere vellet, *l. 1. C. de iur. domin. impetrand.*

5 *d. l. Attilicinus 17. D. de pact. dotal.*

6 *In l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

7 Ita enim expresse habent verba constitutionis.

8 Dedit enim dotib. priuilegium tacitæ hypothecæ adeoque tacitæ stipulationis pure ac simpliciter & sine vlla conditione, *in d. l. vnic. C. hoc tit.*

9 Sic enim nostri ex *d. l. vlt. C. de pact. conuent. & l. maritus 21. C. de procurat.*

10 *L. 1. D. solut. matrim. l. interest 18. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

DEFINITIO XXIV.

Viduæ censetur eandem dotem dare posteriori marito tacita constitutione, sed non æque dotis augmentum, quod à priore viro habuit.

QVod sæpius quæri solet an mulier, quæ nullam dotem constituit, hocipso censeatur bona sua omnia in dotem constituisse, [1] ad viduam secundo nubentem non pertinet, quæ scilicet eam ipsam dotem posteriori marito dedisse intelligitur, quam priori dedisse probatur. [2] Sed an dotis augmentum, quod à priore marito vicissim habuit, posteriori quoque simul cum priore dote in dotem dedisse videatur, quæstionis est? Non enim solet in cæteris alia causa esse incrementi, & additamenti dotalis, quam ipsius dotis, siue de priuilegio tractetur, siue de pactis dotalibus circa dotem: [3] in proposito tamen probabilius visum est, non ampliorem dotem posteriori marito, quam priori datam videri, cum hoc etiam admisso melior conditio futura sit posterioris, quam fuerit prioris in eo, quod augmentum dotis nullum præstare cogitur, quod prior maritus præstare habuit necesse. [4] *Sine die.*

1 De quo late Bart. *in quæst.* incip. *mulier habens amplum patrimonium*, vbi vide.

2 *L. dotem, 30. de iure dot.* [quam tamen soleo intelligere de muliere quæ secundum matrimonium contraxit cum eodem marito à quo prius diuerterat, quod olim frequentissimum erat, non de ea quæ cum altero licet nostri vulgo aliter interpretentur.]

3 *L. inter socerum, 26. §. 2. de pact. dotal. l. de his. Cod. de iur. dot.*

4 Moribus enim nostris augmentum dotis virgini tantum debetur, non viduæ, tanquam quod ex consuetudine quidem, sed tamen non nisi propter defloration em debeatur, vt scripsi *Defin. 1. suprà de iur. dot.*

DEFINITIO XXV.

Patris bona sunt tacite obligata pro dote, quam pater simul cum filio accepit aut stipulatus est, adeoque si modo filio se obliganti pater consenserit.

VErgente ad inopiam marito, qui acceptæ, aut promissæ dotis tempore in patris erat potestate, non tantum filij bona capi possunt pro dote in tuto collocanda; [1] sed etiam bona patris, siue à patre ipso fuerint expresse obligata, [2] siue à lege, [3] quod sit patre dotem simul cum filio aut accipiente, aut stipulante. [4] Itaque si defuncti patris hæredes postea velint agere contra mulierem directa rei vindicatione, tanquam domini, [5] non sunt audiendi, [6] sed retinenda in possessione mulier veluti pignoris & custodiæ loco. [7] Hoc ita tamen, vt non eo minus suos fructus faciat, nec eos in sortem imputare cogatur, [8] sed tantum in mariti & communium liberorum alimenta expendere, cæteraque matrimonii onera perferre. [9] *Sine die.*

1 *L. si constante 24. sol. matr. l. vbi adhuc 29. C. hoc tit.*

2 Vt in casu de quo Aflict. *decis. 6.*

3 *Ex l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.*

4 *L. si cum dotem 22. §. transgrediamur. D. solut. matr.* & ibi Bart. *num. 7.*

5 Non enim dominium acquiritur mulieri ex causa assecurationis Bart. *in d. l. si constante. versic. secundo quæro.* Aflict. *d. decis. 9. num. 2.*

6 Quamuis soleat vincere in vindicatione quisquis est dominus, *l. in rem 23 D. de rei vindic.*

7 *d. l. vbi adhuc.*

8 *Not in cap. salubriter, de vsur.*

9 *d. l. vbi adhuc.*

DEFINITIO XXVI.

Alimenta vxori à marito debentur, itemque sumptus litis si vxor cum viro litiget, suntque in eam rem mariti bona mulieri obligata.

NOn tenetur quidem maritus alimenta præstare vxori quæ seorsim habitat, nec vllas ei operas præstat, [1] si vel promissam dotem non soluerit, [2] vel solutam receperit. [3] Sed si de hoc ipso dubitetur, an dos vel marito soluta sit, vel mulieri restituta, æquissimum est pendente facti quæstione condemnari maritum ad alimenta vxori præstanda, [4] adeoque, quod magis est, etiamsi aliunde mulier habeat, vnde possit viuere, [5] quasi non tantum officio iudicis, sed etiam iure actionis alimenta huiusmodi debeantur, [6] pro quibus etiam bona mariti tacite obligata esse placuit. [7] Nec tantum alimenta, sed etiam sumptus litis vxori esse præstandos visum est, sicut fieri solet litigante monacho cum Abbate, [8] aut cum de vniuersitate bonorum agit is, qui nihil possidet, [9] siue prima siue appellationis instantia proponatur. [10] Nam extra has causas sumptus litis ab aduersario petere inciuile est. [11] *Sine die.*

1 Nisi per culpam mariti factum sit, vt mulier discesserit à viro, Iac. de Arct. Cyn. & Bald. *ad l. quod in vxorem. C. de negot. gest.* Aflict. *decis. 10. num 1.* [Sane vxori ægrotæ non tantum alimenta vir debet, sed etiam expensas omnes ad curationem necessarias, si modicæ sint non etiam magnas, si dotem illa habeat. *Ita Senatus* in causa Antonij Toniole, 17. Maij 1614. *Ex not. in d. l. quod in vxorem.*]

2 Quo casu potest etiam expelli à viro Guid. Pap. *quæst.*

3 Obligatio enim præstandorum mulieri alimentorum à dote proficiscitur. Dos enim datur marito vt vxorem & liberos alat. *l. si is qui 56. § ibi dos, D. de iur. dot. l. pro oneribus 20. C. eod.* Ergo si mulier ipsa dotem receperit, non est alenda à viro, sed virum ipsum potius, communesque liberos alere debet si vir laboret inopia, *l. vbi adhuc 29. eod.* [Sed & post mortem mariti certũ est mulieri alimenta deberi pro anno luctus etiã iacente

iacente hereditate aut herede deliberante. Imbert. *in Enchiri. in verb. mulieri.* post Rebuff. *ibi citat. Et ita Senatus* noster pro vidua D. de S. Pierre, mens. Mart. 1612. Rebuff. *in tract. de sentent. promiss. art. 3. gloss. 1. n. 14. & seq. vsque ad* 18. vbi addit idem dicendum esse in muliere quæ seorsim habitat à viro, nõ culpa sua, sed viri. Vide *l. penult. vt in poss. leg. D. Et ita Senatus* pronuntiauit 6. Non. Maij 1611. Ex Afflict. *decis.* 10. *cum addit.* vbi ait etiamsi nondum constet de viri sæuitia, interim tamen alendam esse viri sumptibus mulierem. Nec aliud esse probandum in sumptibus ei ad litem subministrandis.]

4 Afflict. *dict. decis.* 10.

5 Bald. *in l. de alimentis, C. de transact.*

6 Aliud enim esset si officio tantum iudicis deberentur, cuiusmodi sunt alimenta, quę filio debentur à patre, & patri à filio, de quibus nulla competit actio pro tempore præterito. Bart. *in l.* 1. *C. de mendicant. valid. lib.* 10 *& in l. si quis à liberis* §. *sed si filius, D. de liber. agnos.* Nisi filius aut pater fecisset se debitorem pro alimentis præteritis, quia tunc teneretur debitum soluere is, qui aliměta debuisset. *Notat. in l. liberis quos.* §. 1. *D. de alim. legat.* Afflict. *d. decis.* 10. *n.* 4.

7 Bart. *in l. si cum dotem* 22. §. *sin autem in sæuissimo, D. solut. matrim.* Spec. *in tit. de donat. inter vir. & vxor.* §. *fin. versic. sed nunquid bona.* Afflict. *ibid. num.* 3.

8 *Not. in cap. ex parte de accusat.*

9 *L. si instituta* §. *de inofficioso, D. de inoffic. test. l. si. vbi gloss. C. de ord. cognit. Not. in cap. si forte, de elect. lib.* 6.

10 Eadem enim est ratio æquitatis vtroque casu. Afflict. *decis.* 11.

11 *L. Imperatores* 17. *D. de tutel. & rat. distrah.*

DEFINITIO XXVII.

De impensis in res dotales & in litem de iis susceptam factis.

CIrca impensas in rem dotalem factas, cum quæritur an soluto matrimonio eas exigere maritus aut mariti hæres possit, placet Senatui nostro ea distinctio quæ interpretibus recepta est, vt modicæ à magnis separari debeant. Et modicas quidem omni modo maritus præstare cogatur & compensate cum fructibus, [2] non solum si quærendorum & colligendorum fructuum gratia factæ sint, quas repeti nunquam posse certum est, [3] sed etiam si ad rem conseruandam. [4] Magnas vero extra causam fructuum factas possit ex dote restituenda deducere, ex eaq; causa dotem retinere siue necessariæ sint, siue vtiles tantum sed ex voluntate mulieris factæ. [5] Non etiam si voluptariæ, quarum scilicet neque exactio neque deductio vlla competit, nec si ex voluntate mulieris factæ sint, sed earum duntaxat tollendarum potestas, si absque rei detrimento fieri possit. [6] Videntur autem factæ ad rem conseruandam, si tales sint, quæ per decennium durare possint, dum ne totum illud decennium durante matrimonio præterierit. [7] Hęc si ita dos non æstimata proponatur. Si enim æstimata sit, nullis distinctionibus locus est, nullique expensarum repetitioni, quòd eo casu maritus pro emptore habeatur, ad eúmque tanquam ad dominum totius dotis periculum & incommodum spectet. [8] Quid ergo si nomen in dotem datum sit? [9] An quia videtur dos hoc casu in pecunia numerata consistere, [10] pro æstimata habebitur? [11] Minimè. Id enim potius doti datum intelligitur, quod ex nomine exigi poterit. [12] Detracta igitur impensa quæ ad exactionem necessaria est. [13] Quid si hereditas forte litigiosa? vt plerumque fit. Eadem distinctio adhibenda est an æstimata sit necne, vt si æstimata sit, nulla impensarum deductio fiat. Sed si non æstimata omnes impensas in litem factas restitui oportear. [14] Nec solùm si mandante muliere factæ sint, siue à marito ipso siue ab alio, quem ipsa procuratorem constituerit, puta filio mariti. [15] Sed etiamsi ignorante adeóque inuita muliere, [16] quasi non aliud in dotem datum sit, quam quod impensis deductis supererit. Sunt enim huiusmodi impensæ necessariæ, quæ proinde omni casu minuunt dotẽ. [17] Distinguemus an bonum euentum lis habuerit, [18] dum ne imputari quicquam marito possit, quem constat in omni contractu dotali non solùm bonam fidem præstare debere, sed etiam diligentiam exactissimam & solicitudinem. [19] Patris alia ratio est, qui ex fructibus bonorum filij omnes impensas etiam magnas, & in litem præstare debet, [20] ob eámque causam si fructus non sufficiant etiam bona filij vendere potest: [21] quia nimirum habet vsufructum ex causa lucratiua, & iure patriæ potestatis, [22] non vt maritus ad ferenda onera matrimonij, quibus dotem deseruire necesse est, [23] non autem negotiis mulieris gerendis. [24] *Ita Senatus* in causa fratrum Aduocatorum Vectier, die 14. Maij 1612.

1 Post gloss. & Bart. *ad l. 1. de impens. in reb. dot. fact.*

2 *L. pen. l. 3.* §. 1 *l. vlt. eod.*

3 Quia fructus non intelliguntur, nisi deductis expensis, *l. si à domino* 36. §. *vlt. de pet. hared.*

4 *d. l. pen.*

5 *L.* 5. *& pen. de imp. in reb dot. l. vtilium* 8. *eod.*

6 *L. in voluptariis* 11. *eod. l. vnic.* §. *sed nec ob impensas, C. h. t.*

7 Campel. *de dot. part.* 2. *quæst.* 44. post Gloss. & Bart. *ad d. l.* 5. *de imp. in reb. dot. fact.*

8 Campel. *in dict. tract. part.* 2. *quæst.* 48. post Bart. *vbi suprà.* Bald. *ad l. per diuersas, num.* 10. *C. mandat. & ad l.* 2. *C. de oblig. & act.* iunct. *l. plerunque* 10. *D. de iur. dot.*

9 *Vt in d. l.* 2. *C. de oblig. & act.*

10 *L. qui chirographum* 59. *de leg.* 3. *l. si pater* 44. §. 1. *l. nuptura* 57. *D. de iur. dot.*

11 Pecunia enim illa est, quæ res omnes æstimat, *l. si ita* 42. *D. de fideiuss.*

21 *d. l. nuptura, l. Mœuio* 41. §. 1. *in fin. de leg.* 2.

13 *Ibid.* Dixi *Defin.* 44. *&* 52. *suprà de iur. dot.*

14 *d. Defin.* 44. Campel. *vbi suprà quæst.* 28.

15 Nihil enim refert quis ab ea procurator constitutus sit, *l.* 3. §. *vlt. de min. l. quamuis* 40. §. *vlt. ad Treb.*

16 Non enim potest mulier prohibere ne maritus dotales actiones persequatur, *l. illam* 33. *C. de donat.*

17 *d. l.* 5. *de imp. in reb. dot. l.* 5. *D. de dot. releg.*

18 *L.* 4. *C. mand.*

19 *L. in rebus* 17. *D. de iur. dot. l. etiam.* 18. §. 1. *solut. matrim.* Campel. *d. quæst.* 48 *in fin.*

20 *L.* 1. §. *vlt. C. de bon. mat. d. l. vlt.* §. *vbi autem, C. de bon. quæ liber.*

21 *d. l. vlt.* §. *non autem licentia.*

22 *d. l. vlt. & l. cùm oportet* 6. *eod.*

23 *L. pro oneribus* 20. *C. de iur. dot.*

24 Non enim debent fructus in duplicem causam computari, *L. quod Labeo* 13. *de compens.* Campel. *d. q.* 48. vbi omnino vide. Et Bart. *ad l.* 1. *de imp. in res dot. fact.* quẽ sequitur Salycet. *ad l. si extraneus* 33. *de iur. dot.* Cæsar Vrsillus ad afflict. *dec.* 359. Ferrat. *inform. libell. quo vxor agit ad dot. gloss.* 6. *n.* 7. quamuis contra sentiat Bald. *ad d. l. per diuersas, n.* 10. *& ad d. l.* 1. *C. de oblig. & action.* Cum quo tamen videtur sentire Boer. *q.* 22. *n.* 21. post Specul. *in* §. *fin. de donat. int. vir. & vxor. versillud etiam quæritur.* & Masuer. quos retuli ad *Defin.* 52. *sup. de iur. dot.* Sed Senatus noster sequitur sententiam Bartoli, quam & magis communem testatur ex Iasone Vrsillus vbi supra. Apostillator tamen ad Campel. *d. quæst.* 44. tenet pro Baldo.]

TIT. IX.

DE PACT. CONVENT. tam sup. dot.

DEFINITIO I.

Augmentum dotis debetur etiam dote non soluta, adeoque licet solutionis dies nondum venerit nec valent pactain contrarium facta, sed seruanda est consuetudo.

SOLVTO matrimonio non tantum dos mulieri restituenda est, quæ [1] soluta fuit, aut tam bene cauta, vt exceptioni nõ numeratæ dotis locus esse non possit, [2] sed etiam ea

BIU Cujas

pecunia, quæ augendæ dotis gratia debetur, [3] siue dos ipsa soluta fuerit, siue non. Reiecta etiam distinctione illa, an soluendæ dotis dies iam venerit, necne. Adeoque licet speciali conuentione actum proponatur, vt non nisi pro proportione dotis solutæ augmentum illud præstetur. Nam cum sit portio quædam dotis, [3] bonique publici fauorem admixtum habeat, [6] eodem quoque iure censeri par est, iisdemque prorsus priuilegiis gaudere: [7] Et consequenter non magis valere pacta, quę deteriorem faciunt augmenti conditionem, quam quæ dotis. [8] Deteriorem vero augmenti conditionem facere illa videntur, quæ iuri consuetudinario, quod in quaque prouincia aliud & aliud est, derogant in mulieris dispendium & detrimentum. [9] Ergo loci cuiusque consuetudo districte hac parte seruanda est. [10] *Ita Senatus* pro Philippa De Chauanes, contra hæredes Alexandri Mugnier, 7. Calend. Febr. 1589.

1 *L. 1. & tot. tit. solut. matrimon. D. & C.*

2 Nam intra certa tempora locus est exceptioni dotis non numeratæ, *de qua in Auth. quod locum & tot. tit. C. de dot. caut. non numer.*

3 Nam & augmentum dotis non alio iudicio petitur, quam de dote. *l. si marito* 31. §. *vlt. D. solut. matr.*

4 Vide Guid. Pap. *quæst.* 274. 430. & 565. Boer. *quæst.* 22. licet contra teneat Afflict. *decis.* 242.

5 *L. inter socerum* 26. §. *cum inter. D. de pact. dotal. l. etiamsi* 8. *C. de iur. dot.*

6 *L. 1. D. solut. matrim. l. interest*, 18. *D. de rebus auctor. iudic. possid.*

7 Vt eadem sit ratio partis quæ totius, *vulg. l. quæ de tota* 76. *D. de rei vindic. l. si duo* 51. *in fin. D. de admin. tutor.*

8 *L. Attilicinus* 17 *D. de pact. dotal.*

9 Cum consuetudo sit ius non scriptum, nec minorem auctoritatem habeat, quam lex scripta, *l. de quibus* 32. iunct. *l. sed & ea* 35. & *seq. D. de legib.*

10 *d. l. de quibus l. venditor* 13 §. *si constat, D. commun. prad. l. Imperatores* 13. *in fin. D. de pollicit.* [Proinde si contractum sit matrimonium, licet a Sabaudo secundum consuetudinem Burgundiæ, valebit pactum, nec vllum augmentum debebitur, sed tantum illud, quod vocant doharium. *Ita Senatus* contra liberos N. Antonij Des portes, pro Maria de Rusinans, 6. Cal. Decembr. 1610.]

DEFINITIO II.

Potest maritus facere deteriorem dotis conditionem quantum ad fructus & vsuras pertinet, & pro tempore constantis matrimonij, sed non quantum ad dotem ipsam.

SI maritus, qui ex soceri voluntate dotem in numerato accipere debuerat, conuenerit, vt certis diebus diuisisque pensionibus dos soluatur, non potest vxor viuo marito licet consentiente petere, vt sibi dos soluatur pure, hoc solo prætextu quod dotis conditionem deteriorem facere maritus non potuerit. [1] Non enim quod tempore minus soluitur, [2] propter solutionis diem prorogatum ad dotem pertinet, eiusque diminutionem, sed ad dotis fructus, de quibus potest vtique maritus libere, & pro arbitrio disponere, quoniam ad eum spectant non ad mulierem. [4] Itaque si conuentioni vxor consenserit, licet minor annis vigintiquinque multo minus audienda erit, si petat in integrum restitutionem. [5] Plane si antequam solutionum tempora venerint maritus decesserit, omnimodo mulieri ius competet repetendæ dotis ac si pactum nullum interuenisset, [6] quia verum est non potuisse vllo pacto deteriorem fieri dotis conditionem. [7] *Ita Senatus* in publico auditorio. Prid. Non. Februar. 1589. Et rursum pro liberis D. Isaaci Chanal, contra Annam Chanal cognatam meam, 8. Id Iun. 1590.

1 Si quidem deterior est conditio debiti quod soluitur partes, quia eiusmodi solutio habet magna incommoda, *l. 3. ff. famil. ercisc.*

2 §. *si minus*, iunct. §. *plus autem Instit. de action. l. 1.* §. *editiones, ff. de edend.*

3 Id est, vsuras, *l. vir vsuras* 54. *ff. de donat. int. vir. & vxor*, vsuræ namque vicem fructuum obtinet. *l. vsuræ*, 34. *ff. de vsur.*

4 *d. l. vir vsuras, l. pro oneribus* 20. *C. de iur. dot. l. si fructus* 8. *C. de donat. int. vir. & vxor.*

5 Non enim potest restitui minor circa læsionem, *l. non omnia* 44. *& pass. ff. de minor. l. nam postea quam* 9. §. *si minor ff. de iureiur.*

6 Cum ex die finiti matrimonij dos pleno iure pertineat ad mulierem, *l. in rebus* 30. *C. de iur. dot.*

7 *d. l. Attilicinus* 17. *ff. hoc tit. de pact. dotal.* [Quid ergo si conuenerit vt dos etiam pecuniaria post annum reddatur? Sunt qui putent valere pactum si dos restituenda sit, non ipsi mulieri, sed eius hæredibus extraneis. Petr. Gregor. in *syntagm. lib.* 45. Ego contra *ex l. Attilicinus*, 17. *ff. hoc titulo*, iunct. *l. vnic. §. exactio. C. de rei vxor. act.* vbi non distinguitur an mariti an mulieris morte solutum sit matrimonium, daturque priuilegium hoc non personæ mulieris, sed doti quasi debitæ ex stipulatione, quæ procul dubio transiret ad hæredes extraneos, vt & tacita hypotheca *d. §. exactio.*]

DEFINITIO III.

Dotis constitutio non inducitur ex eo solo quod mulier passa sit maritum agere de re sua.

MVlier, quæ nupta sine dote postea constante matrimonio passa est, vt de re vxoria maritus pacisceretur, non idcirco dotem ei constituisse intelligitur. Dotis enim constitutionem, cum meri facti sit, non iuris, expressim factam esse necesse est, vt pro facta habeatur. [1] Nam & si fœneratitias cautiones mulier marito tradiderit, non ideo cautiones fiunt dotales. Imo vero penes vxorem remanent actiones, nec quicquam præter agendi sine mandato licentiam in virum translatum intelligitur. [2] *Ita Senatus* in eodem auditorio.

1 Nisi in casu *l. dotem* 30. *& seq. D. de iur. dot.*

2 *L. vltim. C. hoc tit. l. 1. C. de donat.* Vide Guid. Pap. *quæst.* 499. *num.* 2.

DEFINITIO IV.

Non potest dos augeri supra modum, vt immodico augmento maritus oneretur.

CVm pater minus congruam dotem daret genero filiæ nomine, promiserat extra dotales tabulas aucturum se ad eam vsque quantitatem, quæ congrua & competens videretur, nec tamen de eo dotis incremento, quod ex parte mariti ad mulierem exinueterata consuetudine peruenire debebat, quicquam conuenerat. Placuit aucta postea quandocunque dote siue per patrem, siue eo reluctante, arbitrio boni viri, [1] condemnandum quoque maritum, vt prorata additæ portionis dotem ipse augeat, siue pater ab initio certam quantitatem, siue nullam demonstrasset, [2] dum ne quid ex immoderata patris liberalitate dispendij genero accideret. [3] Nam cum id tantum gener egerit, vt congruam dotem haberet, eoque intuitu se quasi ex tacito pacto ad consuetudinarij augmenti præstationem obligauerit, non debet onerari, si forte in eius fraudem socer dotem ampliorem velit filiæ constituere, quam necesse sit, vt congrua videatur, [4] *Ita Senatus* in causa Petri Quimier Aduocati, & Joannis Bouier, 10. Cal. Decembr. 1590. De qua scripsimus in Defin. 2. 3. 4. & 5. De dot promiss.

1 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 4. 5. de dot. promiss. exc. cum post* 69. §. *gener. D. de iur. dot.*

2 Sufficit enim quod possit fieri certa quantitas augmenti ex comparatione certæ dotis, *d. §. gener. l. cerium* 6. *D. de rebus credit.*

BIU Cujas

3 Iuuari quippe maritum beneficio auctæ dotis, non decipi oportet, *l. in commodato* 17. §. *sicut D. commod.* Nemo enim creditur velle immodice obligari, *l. si libertus ita* 30. *D. de oper. libert.*

4 Hactenus enim consentire gener cogitur, vt tamen nulla eius captio sit, *l. vlt. D de iur. dot.*

DEFINITIO V.

Filia, quæ non renunciauit accipiendo minus congruam dotem à patre, non ob id postea renunciare cogitur, quod eam dotem pater auxerit & congruam fecerit.

IN eadem facti specie quæsitum est an filia, quæ tabulis dotalibus, cum dotem à patre minus congruam acciperet, paternæ successioni non renunciauerat, si postmodum aucta dote congruam & competentem portionem habeat, cogi possit, vt renuncier? [1] Et visum est non posse, non illa solum ratione, quia pater ex propria promissione conuentus non idcirco quod satisfacit deteriorem facere debeat conditionem filiæ, sed etiam quia huiusmodi renuntiationes adeo sunt odiosæ, iurisque ciuilis rationi contrariæ, [2] vt non aliter valeant, quam si iureiurando confirmentur. [4] Quis autem admittat, vt ad iusiurandum, quod ex mera liberaque irritantis voluntate vires accipit adigi filia possit, si iurare nolit? [5] Neque vero damnum in ea magnum est aut patris, aut aliorum liberorum, cum morientе quandocumque patre futurum sit, vt ea portio doti addita perinde ac dos ipsa, quæ primum data est, in legitimam imputetur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ratio dubitandi illa erat, quod solent filiæ accepta dote congrua renunciare legitimæ parentum successioni, *ex cap. quamuis pactum, de pact. in 6.*

2 Nemo enim se liberando alium obligat.

3 *L. vlt. D de suis & legit. l. 3 C. de collat.*

4 *d. cap. quamuis pactum de pactis in 6.*

5 *C. adigere 6. D. de iur. patron.*

6 *L. quoniam nouella 29. C. de inoffic. testam.*

DEFINITIO VI.

Valet pactum præsertim iuratum quo datur hæreditas in contractu matrimonij, idque ex consuetudine.

HÆreditas quidem pacto dari non potest, [1] nec si in dotalibus tabulis pactum conscriptum sit, [2] solis militibus exceptis, de bonis suis in expeditione aut in procinctu ad expeditionem inuitem disponentibus. [3] Contraria tamen consuetudine fere vbique gentium receptum est, vt huiusmodi conuentiones valeant in contractu matrimonij, [4] nec solum inter nobiles, in quorum personis facilius id admitti potuit, [5] sed etiam inter alios quoscunque, nullum licet iusiurandum interuenerit, multo magis si interuenit: [6] Præsertim vero si eiusmodi pactiones sint, vt per eas legitima successio conseruetur. [7] Neque vero videri possunt abhorrere à bonis moribus naturalibus, [8] (quod si esset ne iureiurando quidem confirmarentur,) [9] quamuis negari non possit quin auferant liberam testandi facultatem. [10] *It Senatus* in causa Amedei Pugeat, & Claudij Brunet, 5. Id. Februar. 1595.

1 *C. hæreditas 5. C. hoc tit.*

2 *L. pactum quod dotali 15 C. de pact.*

3 *L. licet 19. eod. titul.* Adeo, vt nec iuramento confirmetur pactum huiusmodi, secundum Bart. Paul. Alexand. & Ias. *in d. l. pactum.* Tiraquell. late *de iur. primogen. quæst. 6. num. 17. & 18.*

4 Bald. *in § filij nati, cap. 1. si de feud. fuer. contr.* Rip. *resp. 1. de pact.* Masuer. *in praxi titul. de societ. vers. item licet institutio testamentaria.* Guill. Bened. in verb. *duas habens filias, num. 23. & seq.* Moder. Paris *cons. 36. num. 5. 6. & 7.* Ioan. Pap. *lib. 0. syntagmat. tit. 2. §. 1.* Hotom. *cons. 1.*

5 Propter dignitatem & amplificationem familiarum. Papon. & Hotom. *supradictis locis.*

6 Oldrad. *cons 132. num. 1.* Alexand. *cons. 128. incip. ponderati, vol. 3.* Bald. *in d. l. licet, & in l. fin C. de pact.* Dec. *cons 515. n. 5. & 6. & in d. l. pactum, num. 4.* Aufrer. *ad dec. capell Tholos 452. in 2. addit.*

7 Bart. *in l. stipulatio hoc modo concepta 61. de verb. oblig. & in d. l. fin. C. de pact.* Alexand. *cons 59. incip. super primo, col. 1. lib. 1.* Guid Pap. *cons. 23 num. 4.* Chassan. *cons. 139. n. 14.* Marc. Anton. Nat. *cons. 174. num. 8. vol. 2.*

8 Didac. Couarr. *in repetit. d. cap. quamuis pactum init. 3. part. num. 2.*

9 *Ex reg. non est obligatorium Extr. de reg. iur.*

10 *d. l. pactum quod dotali.* Vnde & dicuntur esse contra bonos mores, scilicet ciuiles, *dict. l. stipulatio hoc modo concepta & l. ex eo 4. Cod. de inutil. stip.* Adde Fachin. *lib 5. cap. 84. cum quatuor seqq.*

DEFINITIO VII.

Pactum, quo datur hæreditas in contractum matrimonij, non potest reuocari per pœnitentiam.

SAne cum in contractu matrimonij adiicitur talis pactio, non tam vltimæ voluntatis iure censeri debet, quam pacti & donationis ob causam, videlicet vt sequatur matrimonium, quod fortassis & verisimiliter alioqui non sequeretur. [1] Ideoque nec septem testium numerum requirit, nec alias testamentorum solemnitates, nec proinde reuocari ex pœnitentia potest. [2] Dotis enim aut donationis propter nuptias semel constitutæ nequit pater ex postfacto deteriorem facere conditionem. [3] Idque adeo verum est, vt vel sola promissio à patre facta intuitu futuri matrimonii de filio ex æqua portione instituendo patrem obliget, detque filio actionem aduersus fratrem ex asse institutum, si matrimonium postea secutum sit, licet eiusmodi promissio nec scripta fuerit nec iurata. [4] *Sic tractatum est* in eadem causa, relatum que alias ita pronuntiatum fuisse pro N. D. Daussans Aduocato Necensi. *Sine die.*

1 Hæc enim ratio est, quæ hoc ius primum induxit fauore matrimoniorum, ad quæ multi inuitantur huiusmodi pactionibus.

2 Rip. *resp. 1. de pact. num. 4. & 5. argum. l. si extraneus 6 ff. de condict. caus. dat.* Iunge *l. si donatarius 9 §. 1. eod. l. 5. § pen. ff. de dol. mal. except.*

3 *L. cum à socero 7. C. de iur. dot. l. cum dos 7. ff. hoc titul. de pact. dotal.*

4 *Ex Nouell. Leonis 19. de pact. patern. ex æquo hæred. futur. fil.*

DEFINITIO VIII.

Donatio siue vniuersitatis, siue quotæ bonorum facta, in contractu matrimonij valet. Et quid si facta sit per verba importantia institutionem?

IDem dotium & matrimonij fauor efficit, vt quamuis donatio bonorum omnium præsentium & futurorum nec per se valeat, nec iuramento confirmetur, [1] valere tamen debeat si facta sit ex causa dotis. [2] Quod si donatio siue promissio quotæ bonorum in contractu matrimonij à patre facta fuerit, dubitari non potest quin valeat, nec trahetur ad quotam hæreditatis, vt minor sit quæstioni locus. [3] Sed & si ponas, in contractu matrimonij institutam à patre filiam in quota bonorum, atque ita factam ei donationem verbis importantibus institutionem, [4] vt nostri loquuntur, & redolentibus vltimam voluntatem, nihilominus valebit etiam & irreuocabilis erit conuentio. [5] Nam & illud receptum est, conuentionem vel promissionem ex causa honesta factam posse induci per verba institutionem importantia, nec

BIU Cujas

ideo videri factam vltimam voluntatem, sed contractam ab initio vtilem obligationem, dilata tantum exactione in tempus mortis patris. [6] Cui consequens est, vt à tempore talis donationis celebratæ, nec alienate quicquam in præiudicium donatarij filij pater possit, [7] nec nouum æs alienum contrahere, quo minus integram quotam filius post patris mortem consequatur [8] ex iis saltem bonis, quæ patri tum supererunt, conficiendam. *Ita tractatum est* in eadem causa, 5. Id. Febr. 1593.

1 Notant nostri *ad l. vlt. C. de pact. & ad l. stipulatio hoc modo concepta* 61 *D. de verb. oblig.*

2 Late post alios Petr. Duen. *reg.* 219. incip. *donatio omnium bonorum, col.* 7. *vers limita primo.*

3 Modern. Paris. *consil* 36. *num.* 6. & 7. Chassan. *consil.* 39. *num.* 13.

4 Vnde est quod eum heredem contractualem Galli vocant.

5 Secundum id quod diximus *Defin.* 6. *suprà.*

6 Oldrad. *consil.* 139 incip. *ad habendam*, quam refert & sequitur Chassan. *d. cons.* 39. *num.* 17. & Paris. *d. cons.* 36. *num.* 5. & 6. & 14.

7 Si quidem perfecta donatio pœnitentiam non admittit, *l.* 3. 4. 5. & 6. *C. de reuoc. donat.* multo minus ea, quæ facta sit in contractu matrimonij, vt dixi *Defin.* 7. *suprà.*

8 Nam nec æris alieni etiam anterioris onus solet sequi donatarium, *l. æris alieni* 15. *C. de donat.*

9 Neque enim is qui partem bonorum suorum donauit prohibetur aliquas res etiam in solidum alienare, dummodo superfit, quantum satis est ad implendam donationem. Guid Pap. *quæst.*

DEFINITIO IX.

Valde interest, an filia sit instituta in quota hereditatis, an in quota bonorum.

ANigitur idem erit, si dotalibus tabulis pater filium aut filiam cum cæteris liberis ex æqua portione hæredem instituerit? Minime. Est enim hoc casu filia instituta non in quota bonorum, sed in quota hereditatis, [1] ac proinde in ea re, quæ viuo patre nulla est, cum viuentis non sit hæreditas: [2] & consequenter liberum esse debet patri quamdiu viuet, vt de suo patrimonio, dummodo inter viuos & citra fraudandi consilium pro arbitrio disponat, [3] nec dotium aut matrimonij fauor efficere potest, vt qui filium aut filiam in quota hæreditatis instituit, eidem quotam bonorum donasse videatur, id prohibente scilicet verbo non *institutionis*, [4] sed *hereditatis*. [5] Nam non quemadmodum fauore nuptiarum nihil interest, quibus verbis pater aliquid dederit, ita etiam dici potest nihil referre quid dederit. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Aliud enim est dicere quotam bonorum, aliud vero quotam hæreditatis *l. Papinianus* 8. *si quarta autem, D. de inoffic. test. l. cum quæritur* vbi Ias. & alij, & ad Auth. *vnde & si parens, Cod. eod. l.* 8. §. *vlt. & seq. de leg.* 2.

2 *L.* 1. *D. de hered. vel act. vendit. l.* 1. *D. pro hered.*

3 *L.* 2. *D. si à parent. quis manum. sit* iunct. *l. viuus libertus* 9. *D. si quid in fraud patr.* Scripsi *Defin.* 27. & 28. *de inoffic. test.*

4 Ex iis quæ dixi *Defin. prox. num.* 4 *suprà.*

5 Hæreditas enim est nomen iuris, *l. hæreditas* 50. *de petit. hæred.* nec incipit nisi ex instanti mortis. Bonorum autem appellatio vt plurimum naturalis est, *l. proprie* 83. iunct. *l. bonorum* 49. *de verb. signif.*

DEFINITIO X.

Generalis renunciatio futurarum successionum in tabulis dotalibus facta non valet, multo minus extenditur ad maternam successionem, etiamsi mater præsens fuerit.

REnunciatio futurarum successionum simpliciter & indistincte facta per filiam, cui nubenti dos à patre data vel promissa fuerat, extendenda non est ad mattis hæreditatem, licet matre præsente & consentiente scriptum sit, tam ex maternis, quam ex paternis rebus promissam esse dotem, si modo ea interpretatio capi possit, vt de solis patris facultatibus dos data vel promissa videatur. [1] Quoties enim siue per renunciationem, siue per statutum filia excluditur, non nisi à dotantis hereditate exclusa videri debet. [2] Sed etsi à matre patrem dotis filia accepisset, magis est, vt generalis illa futurarum successionum renunciatio non valeat, sed speciali opus sit, [3] quoniam odiosa, & contra iuris communes regulas est huiusmodi pactio, [4] nec nisi iurisiurandi religione defenditur. [5] Quid si expressa quidem maternæ successionis renunciatio facta sit, sed postea mater aduersus eam dotis constitutionem, cuius intuitu renunciatio facta est, restitui in integrum voluerit, & succubuerit? nam si obtinuerit, constat ex vtraque parte rescindi contractum iuxta naturam restitutionis. [6] Placet renunciationis vim dissolui hoc ipso, quod mater, de cuius hereditate pactio facta fuerat, in eadem voluntate non perseuerauit: [7] Nec semel extinctam resuscitari ob hoc solum quod fauore dotis & propter filiæ contradictionem denegata sit matri restitutio, si noua eiusdem voluntatis declaratio non interuenerit, & voluntas quæ defecerat, iudicio recenti non redierit. [8] Cum enim & iudicium & sententia reddatur in incertum, [9] nemo dixerit condemnatione secuta rediisse voluntatem ipso iure, quæ non iuris, sed facti est. [10] Quod eo certius erit si proponas, matrem non proprio, sed fideiussorio nomine condemnatam, quia nec renunciationis iusta causa vlla est, in fauorem eius personæ quæ nihil de suo dederit. [11] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 7. & 8. de dot. promiss.

1 Quod in dubio præsumendum est *l. vlt. C. de dot. promiss.*

2 Late Antonin. Tessaur. *decis. Pedem.* 62. post Bald. *in l. i. C. de legit hered.*

3 Vt renunciationem, quæ alioqui futura sit captiosa, interpretatio prudentum frangat. *Argum. l. cum Aquiliana* 5. *D. de transact.*

4 *L.* 3. *C. de collat. l. vlt. D. de suis & legit.*

5 Ex constitutione Bonifacij in *cap. quamuis pactum, de pact. in* 6. *Dec. cons.* 551. *num.* 1.

6 *L. quod si minor* 24. §. *restitutio, D. de minor. l. Titia* 61. *D. de iur. dot.*

7 Requiritu enim perseuerantia continua, *l. vlt. C. de pact.*

8 Vt loquitur Papinianus in *l. qui ex liberis* 11. §. *testamento, D. de bon. poss. secund.*

9 *L. inter stipulantem* 81 §. 1 *D. de verb. oblig.*

10 *L. voluntatis* 7. *C. de fideic.* iunct. *l. ordine* 15 *D. ad municip.*

11 *dict. cap.* 2. ibi, *accepta dote. Extr. de pact.* Iunge *Defin.* 7. *suprà, de pact.*

DEFINITIO XI.

Augmentum non debetur filiæ ad ratam dotis conuentæ per scripturam in fraudem patris mariti, sed ad ratam dotis reuera constitutæ, si modo filia sciuit.

PAter cum nupturæ filiæ dotem constituere vellet septingentorum duntaxat aureorum, futuri vero generi pater non aliter nuptiis consentiret, quam si mille darentur, conuenerat cum genero & filia prídie quam nuptiæ fierent, vt septingentorum tantum dos esset, & consequenter, vt quamuis patri sponsi mille numerarentur, sponsus tamen trecentos reddere teneretur, atque interea semisses vsuras præstare. Postero die contracto matrimonio dos mille aureorum patri sponsi numerata fuerat, qui conuentionum ignarus totidem se soluto matrimonio restituturum promiserat, ac quod erat consentaneum quingentos præterea aureos pro augmento consuetudinario, centum denique pro iocalibus & mundo muliebri.

Mortuo

Mortuo subinde post socerum sponso, patre superstite mulier integram summam à socero suo reposcebat. Cumque plures aliæ fierent mutuæ petitiones, conuenerat per arbitros, vt compensatis omnibus mille & sexcenti aurei pro omni iure mulieri redderentur. Ab eo tempore socer factus certior de iis, quæ ante nuptias inter mulieris patrem sponsumque tractata fuerant, quæ & cum matrimonium fieret, & cum transigeret ignorauerat, negabat se teneri ad præstandum dotis augmentum mundúmque muliebrem, nisi adtatam septingentorum aureorum, quæ quantitas erat reuera constitutæ dotis. Quærebatur in publico auditorio, quid iuris esse deberet? Dicebam si priores conuentiones insciæ filiæ factæ fuissent, non debere nocere filiæ susceptisque ex eo matrimonio liberis, quod gener cum socero de minore dote transegisset, [1] cum generi pater mille aureos dotis nomine reuera accepisset. [2] Neque recusare eum posse quo minus dotis quoque augmentum, & iocalia integra præstaret, [3] salua ei in bona filij, si quæ reliquisset, [4] aut aduersus hæredes dotantis à quo deceptus fuisset indemnitatis actione. [5] Sed cum filia non tantum præsens, sed & consentiens fuisse proponeretur, [6] plus valere debere, quod reuera gestum, quam quod simulate conceptum esset. [7] Nam quod inter patrem & filiamfamilias vtiliter ex hac causa contrahi potuisset, sed quoniam in constituenda dotis quantitate solius patris non etiam filiæ voluntas exquireretur, [8] iatisque esset eam patris voluntatem filiæ innotuisse, [9] vt mala fide facere videretur, si à genero maiorem dotem exigeret, quam reuera minorem constitutam esse sciret, [10] Nec habere quod conqueretur dummodo congrua dos esset. [11] Neque vero hic locum habere poterat, quod dici solet dotis conditionem deteriorem fieri non posse, nec si filia consentiat. [12] Non enim dos vlla est priusquam sit constituta, [13] priusque est, vt certa sit, & vera dotis quantitas, quam vt quæratur an pacto diminui dos possit. [14] Denique dos constituta in nullius arbitrio est, ne quidem filiæ, cui omnimodo salua & integra manere debet. [15] Constituenda vero in solius patris arbitrio est, nisi hactenus quod congruam dare cogitur. [16] Cæterum nec simulatæ dotis fauor vllus est, [17] sed eius tantum, quæ vere non simulate sit constituta. [18] *Ita tractatum est* in causa N. Philibertæ Battandier, & N. Amedei Ogier, 4. & 5. Cal. Jul. 1595.

1 Est enim generale, vt ignorantis conditio deterior fieri nunquam possit, *l. ignorantis* 49. *D. de procur. l. non debet alteri* 74. *de reg. iur.* maxime in dote, *l. cum dos* 7. *D. de pact. dotal.*

2 Dotem enim numerario facit, maxime vero si scriptura numerationi consentiat, *l.* 1. *C. de dot. caut. non numer.*

3 Eadem enim semper est ratio augmenti dotalis, & dotis *l. inter socerum* 16. *§. cum inter vers. nec separabitur, D. hoc tit. de pact. dotal. etiamsi* 7. *C. de iur. dot.*

4 Postquam placuit Iustiniano, vt hodie etiam filiusfamilias possit habere hæredem ab intestato *Nouell.* 118. *de hered. ab intest. venientibus.*

5 Nunquam enim ferendum est, vt quis ex dolo suo lucretur, *l. ne ex dolo*, 12. *D. de dol mal.* [Et ob eam causam vix est, vt huiusmodi pactiones dotales, quæ clam fiunt insciis propinquis valere vnquam debeant contra id, quod in tabulis matrimonij conuentum & scriptum reperitur. Sunt enim contractus isti contractus familiarum, non tantum personarum contrahentium, vt pluribus tractat Ann. Robert. *lib. 1. rer. iudic. c. 2.* Itaque cum quidam sororis suæ filio vxorem ducenti bessem bonorum suorum donasset cum fructibus contemplatione matrimonij, quod alioqui contractum non fuisset, vt ipsa instrumenti verba ferebant, post ea vero diceret conuenisse inter se & maritum, vt quandiu donator ipse viueret saluum haberet rerum donatarum vsumfructum, protestatus non aliter se donaturum, deque ea re iusiurandum inficianti marito detulisset. Dicebam non esse audiendum donatorem, qui propriam quodammodo turpitudinem allegaret, fraudemque detegeret, quam ignoranti puellæ, liberisque ex eo matrimonio suscipiendis facere voluisset. Quid enim si nolente marito iurare donator iuraret ac postridie maritus moreretur relictis ex ea vxore pluribus liberis & superstite donatore, qui per multos annos vsumfructum retinuisset? An non esset indignum decipi mulierem, & cum liberis egestate laborare, quæ diuiti marito nuptam se arbitrabatur? Cùm tamen liti, quæ inter maritum & donatorem mouebatur vxor non adesset, atque ab ea fructuum donatione maritus posteriore contractu recessisset, cuius ideo recessione ex causa immodicæ læsionis postulabat. Recessum est ab hoc tractatu, & pronuntiatum, debere maritum, aut iurare aut iusiurandum referre, cum non posset conqueri cur in causa sua iudex constituetur. Non enim aduersus instrumenti tenorem ea conuentio proponebatur, sed vt aliud in instrumento scriptum, aliud inter contrahentes actum appareret. *Ita Senatus* in causa Ludouici Gruffet, & Ludouici Velat, 1. Cal. Mart. 1613.

6 *Vt in d. l. cum dos 7. de pact. dotal.*

7 *L. 1. & tot. tit. Cod plus valer. quod agit. quam quod simul. concip.*

8 Hoc enim fieri potest salua patria potestate, *l. Imperator* 50. *D. ad SC Trebell. l. 2. C. de inoffic. donat. l. siue emancipatis* 17. *C. de donat.*

9 *d. l. cum dos.* Paternum enim officium est dotare filiam, *l. cupite* 29 *D. de vit. nupt. l. vlt. C. de dot. promiss.* & bonum consilium capere pro filia, *l. vlt. C. de curat. furios.*

10 Nam qui scit, certiorari non debet, *l.* 1 *§. vltim. D. de act. empt.* cum non ab ab alio decipiatur, sed à seipso, *l. nam si scit* 26. *D. de rei vind. cat.*

11 Cùm dotem sola numeratio faciat non scriptura, *l.* 1. *C. de dot. caut. non numer.*

12 Congrua vero dos esse intelligitur ita demum, si respondeat legitimæ portioni, quamuis non putent plerique hoc locum habere in ea dote, quæ sit per patrem constituta. Not. *in l. quoniam nouella* 29 *C. de inoff. testam.*

13 *L. Attilicinus* 17 *D. hoc tit.*

14 *d. l.* 1. *C. de dot. caut. non numer.*

15 Quia non entis nullæ sunt qualitates, *vulg. l. eius qui in prouincia* 41. *D. de rebus credit.*

16 Propter admixtum publicæ vtilitatis fauorem, *d. l. Attilicinus l.* 1 *D. solut. matrim. l. interest* 18. *D. de rebus auctor. iudic. possid.*

17 Habita scilicet ratione dignitatis & facultatum patris, & mariti, *l. siue generalis* 60. *l. cum post* 60. *§. si gener. D. de iur. dot.* Vide quæ scripsi *in Error.* 2. *Decad.* 12 *de error. pragm.*

18 *d. l.* 1 *& 2. C. de dot. caut. non numer.*

19 Simulata enim pro infectis haberi semper debent, *l. si ex pretio* 3. *C si cert. pet.* Aliud est in dote, quam nostri putatiuam vocant. Illa enim licet vera dos non sit, tamen nec simulata est, ideoque veræ dotis priuilegia plerumque habet, *l. quæsitum* 17. *§. vlt. D de rebus auctor. iudic possid.* Notant nostri *ad l.* 1. *D. sol. matr.* Vide Ann. Robert. *lib.* 1. *rer. iudic. cap.* 2.

DEFINITIO XII.

Renunciatio facta in fauorem masculorum, extinctis masculis euanescit.

REnunciatio per filiam cum nuptui collocaretur facta patri, masculum & alias filias habenti, solius masculi fauore facta intelligitur, præsertim inter nobiles, quibus magis familiare est ad conseruandam, augendamque familiæ dignitatem, masculos ex asse hæ edes scribere, filias vero pro certa quantitate siue dotis, siue legati titulo excludere. [1] Idque apparet euidentius si ponas hunc ipsum patrem, cum suprema ordinaret, solum masculum hæredem scripsisse, filiam vero, quæ necdum nupta erat, nec renunciauerat non ex ampliore summa, quam quanta cæteris filiabus cum nuberent data esset. [2] Cui consequens est, vt defuncto postea sine liberis masculo intestato, perinde ad successionem admitti debeat filia, quæ renunciauit, atque illa quæ non renunciauit. Quasi extincta vi, & potestate renunciationis hoc ipso, quod e medio sublata est persona, cuius fauore facta fuerat renunciatio. [3] Idque indubitatum est, si filia quæ renunciauit non nisi paternis bonis renunciauerit. Ex quo enim filius institutus hæres extitit patri, facta sunt fraterna bona, quæ fuerant paterna. [4] Ideoque licet profecta sint

BIU Cujas

à patre, tamen non continentur renunciatione, quæ stricti iuris est, strictéque interpretanda, [5]vt pote quæ sit odiosa propterea quod impediat ius legitimæ successionis. [7] Sed etsi fraternis bonis quoque renunciatum sit, siue præsente, siue absente fratre, idem est, non quod renunciatio non valeat, [8] sed quia pro non facta habeatur quando non supereſt persona, cuius intuitu facta dici possit renunciatio. [9] Non est autem verisimile curasse patrem, vt filia quæ nubebat, renunciaret bonis fraternis in fauorem alterius sororis, quæ si non renunciauit factum id videri debet potius, quod nondum nupserit, quam quod eam renunciare pater noluerit, quam haud dubie aliarum exemplo ad renunciandum adegisset, si viuus eam marito collocasset. [10] An igitur inutilis erit renunciatio facta de fraterna successione? Vtique si nullus fratri frater superstes fuit, cum verum sit quod diximus non nisi masculorum fauore factam videri renunciationem tam fraternorum, quam paternorum bonorum. Ponimus enim patrem sibi suisque non filio stipulatum renunciationem fraternorum. [11] Itaque masculo vno tantum superstite & hæc ede existente, exerit vires suas renunciatio. Eo vero postea sine masculis descendentibus, aut consanguineis defuncto non supereſt persona, cui renunciatio prodesse queat. [12] *Ita Senatus* in causa filiarum Dom. de Bellegarde de S. Ciergue, 29. Decembr. 1595.

1 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 75. de pact. num.* 10.

2 Quo casu euidens patris voluntas est, vt par & æqualis conditio sit omnium filiarum, perinde acsi filiam istam ad renunciandum adegisset, secundum ea quæ scripsi ad *Defin.* 12. *supr. de pact. arg. l. Paula Callinico* 27. §. *Pomponius, de legat.* 3.

3 De quo vide quæ scripsi pluribus *Decad.* 27. *&* 28. *de error. pragmat.* contra Bart. & alios *ad l.* 2. §. *vltim. D. ad SC. Tertyll.*

4 Cum ex mutatione personæ mutetur qualitas & conditio bonorum, *l. per curatorem*, 90. §. 1. *D. de acquirend hered. l. vltim. de inoffic. testam.* Not. *ad l.* 1. §. *veteres*, *D. de acquir. possess.*

5 Et ita origine sint paterna, quæ origo inspicienda est aliquando, vt in *Auth. ex testamento, C de secund nupt.*

6 Vt & omnes stipulationes, *vulgat. l. quidquid adstrinda* 99. *D. de verb. oblig.*

7 *L. vlt. D. de suis & legit. l. pactum dotale* 3. *C de collat.*

8 Valet enim cum facta est stipulante patre, vt scripsi *Defin. 7. supr. de pact.*

9 Est enim generale & perpetuum, vt cessante causa finali cuiuscumque dispositionis cesset dispositio, *l. vlt. vbi not. D. de hered.* Tiraq. *in tract. cessante causa pass.*

10 Nec enim in dubio credendus est pater vnam ex filiabus magis quam cæteras, & æqua cum masculis affectione dilexisse.

11 Nam si filio stipulatus esset non sibi res haberet minorem dubitationem, vt mortuo filio nulla renunciationis potestas supereſſet.

12 Ac proinde deficiente causa finali, deficit etiam dispositio, vt dixi *num.* 9.

DEFINITIO XIII.

Mulieris bona non dotalia, si nulla dos constituta fuit, non habent priuilegium tacitæ hypothecæ.

BOna propria mulieris nuptæ, quæ nullam dotem viro constituit, non habent priuilegium tacitæ hypothecæ, quod habent ex Iustiniani constitutione bona paraphernalia, [1] quia nec videri paraphernalia possunt, id est, extra dotem, cum dos nulla constituta est. [2] Itaque si in ea bona quidam agant ex mariti creditoribus non potest mulier hypothecariam inhibere, sed tantum iuuari exceptione non factæ discussionis, si iuste possideat. [3] *Sic tractatum est* in eodem auditorio.

1 *L. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

2 Qui enim dicit aliqua bona extra dotem esse necessaria præsupponit dotem. Nam & constitutio Iustiniani requirit, vt bona paraphernalia tradita sint marito in dotali instrumento, quamuis Accurs. ad eum locum noter sufficere, vt de traditione constet etiam aliunde quam ex tabulis dotalibus.

3 Exemplo scilicet alterius cuiuslibet possessoris iusti. *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

TIT. X.

DE DOT. CAVT. non numer.

DEFINITIO I.

Mariti confessio de dote recepta si causam habeat non præsumitur simulata nisi talis à creditoribus probetur.

ETsi verum est, mariti confessionem de dote recepta constante matrimonio factam, si neque numeratio interuenerit, neque dotis constitutio præcesserit, suspectissimam esse, nec creditoribus etiam posterioribus nocere, [1] non tamen est id perpetuum. Nam si confessio probabilem causam habeat, asserente marito redactam pecuniam ex venditione rei ad vxorem pertinentis, remque ipsam & venditionis diem, adeoque notarij qui instrumentum conscripserit personam designante, vix vlla fraudis suspicio subesse potest, [2] cum ex notarij protocollis explorari possit, an vera causa fuerit an simulata; sumptibus tamen & opera eius, qui confessionem impugnare volet. [3] Tum enim fraudis præsumptio mulieri nocet, cum eius probandæ facultas creditoribus, aliisque quorum interest nulla relinquitur. [4] Quod si protocollum forte deperditum sit, quærendum erit an iam tum esset deperditum cum facta fuit confessio, necne. Vt priore casu nulla confessioni fides adhibeatur; [5] posteriore contra, vel eo magis, quod in proposita specie non nisi cum posterioribus viri creditoribus mulieri res esse potest. [6] *Ita Senatus* 4. Id Aug. 1588.

1 Bartol. & cæteri Doctores vulgo *ad Auth. sed iam necesse, C. de donat. ant. nupt.* Quia inter personas suspectas & prohibitas facile præsumitur simulatio & consilium fraudis, *l. qui testamentum* 27. *de probat. l. cum quis decedens* 37. §. *pen de legat.* 3. Vide Castrens. *cons.* 373. incip. *circa primum lib.* 2. Bald. *in rubr. quæ in fraud. cred.* Rub. *cons.* 119. Socin. post alios *ad l.* 1. *D. solut. matrim.*

2 Cravet. *cons.* 40. *&* *cons.* 44. Alex. *cons.* 142. *lib.* 5. *&* *cons.* 45. *lib.* 1.

3 In dubio enim standum est instrumento, Not. *in l. vlt. C. de fid. instrum.*

4 Scilicet quia fraudis & simulationis probatio perdifficilis est, cum in animo consistat: iniquum autem esset oneraci creditores tam difficili adeoque pene impossibili probatione, *argum. l. actor* 23. *C. de probat. l. ad seuerationem* 10. *C. de non numer. pecun.*

5 Quasi exquisito in fraudem colore iam deperditi protocolli, ne per eius exhibitionem fides veri cõstare vlla posset.

6 Nam cum neque numeratio, neque dotis constitutio vlla præcesserit, non potest mulier ius vllum habere nisi ex die confessionis, quod diuersum est, si vel numeratio vel constitutio aliqua præcesserit, *l.* 1. *D. qui potior. in pign. hab.* Cæterum facilius est, vt mariti confessio noceat posterioribus creditoribus, quam vt anterioribus. Not. *in dict. Authent. sed iam necesse.*

DEFINITIO II.

Exceptio non solutæ dotis non potest obiici à creditoribus mariti post elapsa tempora, intra quæ opponi à marito potuit.

LApsus temporis, intra quod ex Iustiniani constitutione [1] maritus exceptionem non nummeratæ dotis

dotis obijcere potuit, non tantum marito nocet, sed etiam mariti creditoribus, [2] quippe qui licet propriam rem persequantur, tamen non nisi ex persona mariti, qui dotem sibi solutam cauit, eam exceptionem habere possunt. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Nouell.*100. *de tempor. non solut. pecun. sup. dot.* vnde sumpta est *Auth. quod locum C. hoc tit.*
2 Cauet. *cons.* 40. *num.* 6.
3 Ne alioqui plus iuris habeant ex persona mariti, quam maritus ipse, *contra l. vlt.* §. 1. D. *ad SC. Velleian. l. si rem legatam* 6. D. *de except.*

DEFINITIO III.

Exceptio non numeratæ dotis locum non habet aduersus confessionem factam ex causa præcedentis constitutionis.

Si maritus, cui nuptias ineunti dos promissa fuerat, post contractum matrimonium confessus sit solutam sibi dotem, & exceptioni non numeratæ dotis renunciauerit, nihil causæ est cur suspecta videri debeat ea confessio & renunciatio, cum multo verisimilius sit interuenisse numerationem ex consequentia præcedentis promissionis. [1] Ideoque nec marito nec mariti creditoribus posterioribus competet exceptio dotis non numeratæ, quæ proculdubio competeret, nihil obstante renunciatione facta constante matrimonio, si dotis numerandæ obligatio nulla præcessisset, [2] dummodo tempora obijciendæ exceptioni præstituta largirentur, [3] si non contrarijs & vrgentissimis coniecturis illa iuris præsumptio elideretur. [4] Donandi enim animo videretur facta confessio. [5] Donatio autem quæ fit inter coniuges, cum non statim valeat, sed morte tantum confirmetur, [6] reuocari quandocumque ab ipso donante potest, [7] & morte confirmata quoniam exinde tantum valet, [8] fieri nequit, vt creditorum ius lædat, qui cum viuo donatore contraxerunt. At si ante contractum matrimonium, aut in ipso contractu, quo tempore permissæ sunt inter virum & vxorem donationes, [9] ea cõfessio solutę dotis & exceptionis renunciatio facta sit, valebit vtique donationis iure, & consequenter futuris creditoribus nocebit siue hypothecarijs, siue chirographarijs, sed & antiquioribus, si non hypothecarij fuerunt. [10] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua SC. 15. sup. De iur. dot.

1 *Arg. l.* 1. D. *qui potior. in pignor. hab. Auth sed iam necesse,* vbi Bart. & alij. C *de donat. ant. nupt.*
2 Vt dixi *Defin.* 1. supra *hoc tit.*
3 De quibus *in Auth. quod locum. C. hoc tit.* & in corpore vnde sumitur.
4 Semper enim præsumptio cedit probationi, suspicio veritati. *l. si chirographum* 24 *& seq. l Imperatores* 25. *in fin.* D. *de probat.*
5 Donandi enim animus in fraudem legum facile præsumitur inter suspectas personas & prohibitas. *l qui testamentum* 27. D. *de prob. l. vir vsuras* 54. *de donat inter vir. & vxor.*
6 *l. cum hic status* 32. *& pass. eod. tit.*
7 *d. l. cum hic status. §. pœnitentiam.*
8 Quoniam quod placuit Iustiniano vt retrotrahatur. *l. donationes quas parentes* 25 C. *de donat. int. vir. & vxor.* verum est in præiudicium donantis, at non in præiudicium tertij, cui medio tempore ius fuit quæsitum, *argum. l. potior* 11. D. *qui potior in pignor. hab. l. pen.* D. *rat. rem haber.*
9 *l.* 1 C *de donat ant. nupt.*
10 Nam inter hypothecarios, qui prior est tempore potior est iure. *l.* 1. *l prior* 5. *& pass. C. qui potior.* Intellige tamen nisi fraudati sint creditores tempore donationis inspecto, ex *l. quod autem* 6. §. *simili modo dicimus.* D. *qua in fraud. credit.*

DEFINITIO IX.

Aduersus apocham acceptæ dotis factam spe futuræ numerationis admittitur probatio intra annum 30. *Interea tamen standum est apochæ.*

Exceptioni non numeratæ dotis noluit Iustinianus locum esse, si præter instrumentum dotale maritus apocham quoque conscripserit, sibique solutam dotem professus sit. [1] Sed non facit ea res, quominus in mariti potestate sit probare quandocunque (dummodo intra trigesimum annum [2]) conscriptam apocham spe futuræ numerationis aut dolo malo extortam, eoque probato condicere liberationem; sicut etsi ob eam causam exceptio denegaretur, quod eius obijciendę tempora effluxissent. [3] Lapsus enim temporis, intra quod exceptio non numeratæ dotis opponi potuit & debuit, hactenus tantum prodest creditori, vt non sit onerandus probatione, qua oneraretur si exceptioni locus esset. [4] Cæterum veritati præiudicium ex eo fieri non potest, si debitor in se transferat onus probandi. Interea tamen standum erit apochæ, cui vtique non staretur, si locum exceptio habere posset. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 3. sup. de non numer. pecun.

1 *l in contractibus* 14. § 1. *vers. illis etiam securitatibus. C. de non numer. pecun.* Cuiac. *ad Nouell.* 100. *in fin.*
2 Quo saltem tempore actiones omnes finiuntur *l.* 3 *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *annor.*
3 Paul. Castr. *ad l. si ex cautione* 3 *num.* 6. *& ad l si quasi* 7. *in fin. & ad l. ad seueratio* 10 *C. de non numer. pecun.*
4 *l* 1. *d l. si ex cautione* 3 *eod tit.*
5 *d. l* 1. *& tot. ill eod. tit.*

DEFINITIO V.

Mariti confessio de dote recepta per verba enunciatiua in contractu donationis apposita non probat ad liberandum debitorem dotis absentem.

Qvi soluendo non erat, fereque omnium bonorum suorum venditionem publicam vrgentibus creditoribus iam passus fuerat, cum in fraudem creditorum vxori donare, quod reliquum habebat, vellet, ne fraudandi consilium habuisse videretur, eam se donandi causam habere donando dixerat, quòd se innumeris beneficijs vxor persecuta esset, sibique dotem amplissimam dedisset, quam à mulieris debitoribus numeratam sibi soluramque profitebatur; vxore quidem præsente & stipulante, sed ijs tamen absentibus, qui dotis debitores erant. Quæsitum est an ea confessio debitoribus prodesse deberet, vt liberati viderentur, ne soluto postea matrimonio à muliere conueniri possent? Et placuit prodesse non debere. Etsi enim ita ius comparatum est, vt solutæ dotis cautio licet constante matrimonio facta, si constitutio præcesserit, neque simulationis, neque non numeratæ pecuniæ exceptionem patiatur, [1] maxime si maritus vxori per aliquot annos alimenta præstiterit, nec de dote non soluta vnquam conquestus sit: [2] Id tamen eo pertinet, vt ex eiusmodi confessione parata esse possit mulieri actio aduersus virum, aut viri heredes, ad dotem repetendam. [3] Non etiam vt debitores, qui non soluerunt, liberati intelligantur, [4] si propter mariti inopiam inanis aduersus eum futura sit de dote actio. [5] Nam præterid, quod verba enunciatiua prolata incidenter, vt nostri loquuntur, & ad alios fines non solent inducere dispositionem aut probationem, ne ad liberandũ quidem, [6] præsertim fauore absentis, [7] & cum prolata sunt inter personas suspectas, [8] illud etiã constat, confessionem adpositã in contractu

BIU Cujas

fraudulento & simulato simulatam quoque intelligi, [9] atque ideo nec nocere cuiquam debere nisi confitenti, qui si turpitudinem propriam allegare vellet non audiretur. [10] Mulieri vero multo minus nocere illam æquum esset, quando ita fieret, vt indotata constitueretur, [11] cuius nimirum actionem inopia mariti ex vna parte, ex altera vero simulationis exceptio eluderet, [12] si forte aduersus pignorum dotalium possessores agere vellet. Neque vero quod mulier fraudem participasse cum marito videbatur, vsque adeo ei nocere conueniens erat, vt dotis iacturam pati deberet [13] commodo debitorum, in quorum fraudem nihil gestum proponebatur. [14] Nam nec potuerat donanti atque ita pro arbitrio loquenti marito non consentire. [15] *Ita Senatus* pro Roleta de Gorreuod, contra Dominã de Malin viduam illustris Ludouici de Gorreuod, 12. Cal. Aug 1592.

1 Socin. post alios *ad l 1. D. solut. matrim. l in contractibus 14. § 1. C de non numer pecun.*

2 Bald. *in l 1. C de priuil. dot.* Socin. *cons. 28.* Crauet. *cons. 40.* Afflict. *decis. 92.* quia donationis præsumptio nulla est, quoties alia coniectura capi potest, *l si cum aurũ 50. D de solut. l Campanus 47. D de oper. libert.*

3 Dixi *Defin 1. §.*

4 Non enim confessio inter alios facta potest parere debitori liberationem.

5 *Ex l. nam is 6 D de dolo.*

6 Bart. *in l. hac scriptura. num 16 D. de donat.*

7 *L iubemus 41. C. de liber. caus.* Bart. *cons. 114. & in l. certum 6. §. si quis absente D de confess.* Gloss. & Bald. *in l 1. C. eod.* Idem Bart. *in l non solum 8. § si liberationis, D. de liber. leg. & in l. cum quis 37 §. codicillis, de leg 3.*

8 Bald. *in l. optimam, C. de contr. & committ. stipul.* Bart. *in l. si forte, de cas. pecul.* Alexand. *in l si donatione 13. C. de collat.* Idem Bart. *in § Titia, l. cum quis 37. de leg 3.*

9 Aufrer. *in dec. Capell. Tholos 340.* Crauet. *cons. 40.*

10 *L. mercalem 5. C. de condict. ob turp. caus. l rem alienam 41. in fin D de pignor. act.*

11 Quod esse non debet, *l. 1.* vbi not. *D. solut. matrim.*

12 *L nihil interest 1. 2 de reg iur.*

13 Non enim vtique adeo solet fraus nocere, quamuis nunquam debeat prodesse.

14 Ne alioqui latius pateat effectus quam causa contra *l. rescriptum 6. D de his quæ vt indign. l. Paulus 24. alias l Falcidia, D ad leg falcid.*

15 Non potest autem quis damnum pati ex eo quod consenserit, cum non potuit contradicere *l. Caius 39. D de pign. act.* Donator enim potest quam vult legem suæ liberalitati dicere, *l perfecta 4 vbi not. C. de donat. quæ sub mod.*

DEFINITIO VI.

Mariti confessio simulata de dote recepta à debitoribus dotis nocet marito eiusque heredibus, sed nihilo magis dotis debitoribus prodest.

QVid ergo si maritus soluendo fuisset? Noceret vtique ea confessio quantumuis simulata mariti heredibus, hactenus saltem, vt & iure donationis defenderetur, & morte confirmata videretur. [1] Sed non idcirco fieret consequens, vt contra dotis debitores agere mulier si mallet, minus posset, siquidem per confessionem quam maritus animo donandi vxori fecisset, non essent illi liberati. [2] Fateor probationem induci posse ex confessione facta in contractu etiam inutili, [3] & ex contractu inter alios inito posse ius quæri absenti, si actus talis sit, qui ab vnius voluntate pendeat, [4] Sed id ita accipi debet, vt soli confitenti, eive, qui contraxit, ea res noceat, non etiam alijs, quorum potest interesse. [5] Quemadmodum & si quis dicat, verba enunciatiua facere plenam probationem in causa dotis etiam pro absente, [6] in promptu responsio est, id fauore dotium introductum esse, vt alia pleraque iure quoddam singulari. Non debere igitur in odium mulieris retorqueri, vt indotata constituatur. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L 2. C. hoc tit. l antepenult. Cod. de donat. caus. mort.* Bart. *in l. cum quis 37. §. Titia, de leg. 3.* Bald. *in l. 1. C. de donat. ante nupt.* Alex. *consil 26 vol 2.*

2 Vt dixi *Defin prox num 4.* sup.

3 *L si ita stipulatus 126. § Chrysost de verb. oblig.* & ibi Bart. *num. 3 & in l. 1. C de præscr. 30 annor.* Lal. & Rom. *in l. certi condictio 9. §. nummos, D. de rebus credit.*

4 Cyn. *in l si in fraudem, C. si quid in fraud patr.* Bart. *in d. §. Titia, & in l Pomponius de nec. gest. & in l quo enim 2. § nam habere, D. rem rat. hab.* Alex. *cons 126. in fin. vol 5.* Crauet. *de antiq. temp part 1 num. 23 in verb. absens.*

5 *L vlt. D. de interreg. in iur. fac. tot. tit inter alios act.*

6 Bart. *cons. 123. post gloss in l 2. C de dot promiss.*

7 *L quod fauore 6. C. de legibus, l. nulla 25 D eod.*

DEFINITIO VII.

Quod mulier consecuta est ex instrumento, quo continetur simulata dotis recepta confessio, non exonerat debitores.

AT quid si mulier ex ea donatione in fraudem creditorum facta lucrum aliquod, siue viuo, siue mortuo marito, perceperit? An non ad eam saltem vsque quantitatem liberati debitores videbuntur, [1] vt confessio in donationis instrumento adscripta eatenus mulieri noceat, quatenus ei donatio profuit? [2] Minime. Quid enim commune habet emolumentum donationis cum dote mulieris? [3] Aut cur id, quod mulier exegit à mariti heredibus, ex iure sibi per donationem quæsito, proderit debitoribus dotis ad liberationem, cum neque ex eorum pecunia, neque ipsorum nomine, neque ab ipsis solutum sit? Illud sane potius admittendum est, conquerentibus mariti creditoribus, in quorum fraudem facta fuit donatio, imputare mulierem sibi in solutum debere, quicquid ex eiusmodi donatione consecuta est, si quid ei forte extra causam dotis anteriore quam cæteris creditoribus iure à marito debebatur. Nam si posterior creditrix fuit, vtique cessabit quidem conditio, sed reuocatoria actione tenebitur, si fraudem participauit. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ratio dubitandi est, quoniam hoc casu nihil videtur mulieris interesse.

2 Hoc enim est quod dici solet, ex diuersis non inferri, sicque argumentatur Vlp. contra Papinianum *in l. Papinianus 20. D. de minor.*

3 Quod enim quis suo nomine soluit, & propter factum suum vel sui actoris, nunquam liberat debitorem, *l si quid possessor 31. D. de petit. hered. l. Papinianus 28. D. mandat.*

4 *Ex l. 1. & tot. tit. quæ in fraud. credit.* Quod si mulier non fuit ex alia causa creditrix mariti, omnimodo tenebitur reuocatoria, etiamsi fraudem non participauerit, *l quod autem 6. §. simili modo dicimus eod. tit.*

DEFINITIO VIII.

Creditorum mariti ius in diem est quod ipsius mariti in exceptione dotis non solutæ. Et quando ea exceptio competat?

NOn magis creditor mariti excipere potest de dote non soluta, quam maritus hereſve eius, si constet maritum fidem habuisse de dote, nec fraudandorum creditorum consilium interueniſſe. [1] Perinde enim actionem de dote habet mulier, adeoque de dotis argumento, itemque heres quilibet mulieris, ac si vere dos soluta esset, [2] salua marito aut eius heredibus vel creditoribus actione in eum, qui dotem soluere debuit. [3] Hoc ita si lapsa sint tempora opponendæ exceptionis de dote non numerata: alioqui si factus ille fuerit non soluendo, & talis persona proponatur, quam ad solutionem vrgere maritus non debuerit, puta mulieris pater aut donator, qui ex propria liberalitate conueniendus fuit, aliud probandum erit. [4]

e it.[4] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 3. Id. Mart. 1593. & in causa discussionis bonorum illustris Dominæ Barbaræ Amboise, 4. Id. April. 1593.

1 Cum hac parte nullum ius possint habere mariti creditores, nisi ex persona ipsius mariti, vt dixi *Defin* 2. sup. a

2 Dixi *Defin* 15. & 16. supra *de iur dot*

3 Necenim idcirco liberatur ille, qui soluere debuit, neque soluit, *arg l. si quid possessor* 31. *D de petit. her & l. Papinianus* 28. *D. mandati*

4 Cum hoc casu non possit mulier imputare marito, per socerum aut donatorem non magis quam cur mulierem ipsam non præcipitauerit ad solutionem, *l. si extraneus* 33. *D. de iur. dot* Obserua tamen, non minus hoc casu teneri maritum eiusve heredes ad totũ dotis augmentum, quamuis ad ipsius dotis restitutionem non teneatur, vt dixi *Defin.* 15. *in fin* 5 *de iur. dot.* Sane si fides habita sit de dote, quam maritus confessus sit accepisse ab alio, quã ab ipsa muliere aut ab eius patre, id est, à tertio, certum est non esse distinguendum, an elapsa sint tẽpora opponendæ exceptionis de dote cauta, & non numerata, quia nec opponi vlla hoc casu potest, Ias. *ad* §. *fuerat. col.* 13 *Inst. de action.* Salycet. *ad Auth sed iam necesse*, C *de donat. ante nupt.* Ergo in tota hac quæstione duplex distinctio adhibenda est. Prior illa, an fides habita sit de dote, an nõ? Si habita nõ sit, subdistinguendum est, an mulier ipsa vel pater eius, vel donator aliquis dotem promiserit, an vero aliquis extraneus debitor, non donator. Priore casu rursus subdistinguendum est, an is, qui dotem promisit, soluendo sit nec ne. Si soluendo sit, non habet maritus quod conqueratur, etiamsi vrgeatur ad totius dotis restitutionem, cum sit habiturus vtilem regressum. Nec enim hoc casu procedit l. *si extraneus* 33 D. *de iur dot.* Plane si mulier ipsa sit, quæ dotem promisit, frustra & inuerecunde postulatura sit restitutionem dotis, quam ipsa non soluerit, & ad cuius solutionem adhuc teneatur possitque efficaciter conueniri. Eique proculdubio obstabit regula *l. dolo facit* 8. D *de dol. mal except.* Si vero is, qui dotem promisit, soluendo nõ sit, & pater sit aut donator, periculum dotis ad mulierem nõ ad maritum pertinet, ac multo magis si mulier ipsa promiserit, *d l si extraneus.* Neque in casu vllo huius subdistinctionis quærẽdum est de exceptione dotis cautæ non numeratæ, quia non competit. Quod si extraneus debitor dotem promiserit, omnimodo tenetur maritus. Neque hoc casu locum habet exceptio, quæ sumi solet *ex d.l si extraneus*, vt neque exceptio dotis nõ numeratæ, vt diximus ex Ias. & Salycet. At si fides habita sit, de dote æque sed aliter subdistinguendum est, nimirum an lapsa sint tempora opponendæ exceptionis, quæ hoc casu competit, an non. Priore casu maritus aut mariti heres omnimodo tenetur mulieri aut eius heredibus, siue pater mulieris aut mulier ipsa, siue etiam donator dotem promiserit, *l. vltim.* iunct. *Auth. quod locum* C *de dot. caut.* Dixi *Defin* 15 5 *de iur. dot.* nec distinguitur hoc casu, an is, qui dotem promisit, soluendo sit necne. Posteriore vero casu adhibenda est distinctio, quæ ponitur *in d. l. si extraneus* vt scriptum est in hac Definitione. Nimirum cum is, qui dotem promisit factus est non soluendo. Si enim soluendo sit, aliud est; nec vlla fit iniuria marito, vt in alio membro distinct. onis supra dictum est.

DEFINITIO IX.

Promissio dotis, quæ dicitur præcessisse solutionem, probanda est aliter, quam per partium confessionem.

ET si ius hypothecæ dotalis non ex die numeratæ dotis incipit, sed ex quo promissa est: [1] Si tamen præcedens illa promissio non nisi per coniugum confessionem probetur, non nocet ea res creditoribus, qui medio tempore interuenerunt, sed tantum posteritoribus propter maximam inter personas suspectas fraudis suspicionem. [2] Quæ ex eo etiam non parum augebitur, si post elapsum decennium ea confessio facta proponatur. [3] Itaque per testes promissio illa probanda erit, & quidem per eos, qui sunt omni exceptione maiores, [4] ne alioqui in tanta præsertim quanta nunc est & temporum & hominum licentia facile sit legitimi creditoris, qui medio tempore bona fide contraxerit, ius interuertere. [5] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de S. Real, & Claudiæ Chambet, ant. Calen. Ianuar. 1594.

1. L. 1. D. *qui potior. in pign hab.*

2 Alioqui erit inuenta via fraudandorum creditorum, cum tam facile sit fateri promissionem præcedentem, quam fraudare velle, *arg. l* 5 §. *si pupillus*, D *de reb. eor qui sub tutel. l scire* 21. §. 1 *de legit tutor.* Iunge *l. cum quis decedens* 37. §. *penult. de leg* 3 *l. qui testamentum* 27. D. *de probat.*

3 Cum vix credibile sit, tantum temporis interuallum inter promissionem & solutionem interceßisse. Est enim longum hoc tempus decennij, *l* 1 *& tot tit. C de præscr long temp. l. si cum fideicommissa* 16. §. *Aristo.* D *qui & à quib manum.*

4. Quoniam quanto suspectior res est, tanto certiores exiguntur probationes.

5 *Arg. l testium facilitatem* 18 *C de testib. l.* Diuus 24. *versic. alioqui non difficulter*, D. *de testam. milit.*

[DEFINITIO X.

Maritus qui confessus est dotem habuisse à dotantis debitore ex ea causa liberato non habet exceptionem dotis non numeratæ.

NOn habet exceptionem dotis causæ non numeratæ is, qui nulla intercedente numeratione cõfessus est se dotem accepisse, ex eaque causa dotalem liberauit per acceptilationem si confessus sit solutam sibi dotem non à donante ipso, sed à tertio, puta ab aliquo dotantis debitore, qui ex ea causa vicissim liberationem consecutus sit per acceptilationem à dotante, siue delegatus à suo creditore, [1] siue etiam citra delegationem. [2] Non enim sine causa potest videri facta eiusmodi confessio quantum ad dotantis personam attinet, quamuis acceptilatio posterior facta sit fortassis sine causa, cùm is, qui dotauit æquè omni casu debitorem suum amiserit, quem liberauit, [3] non liberaturus si non prior ipse liberatus fuisset. [4] Quare nec restitutio in integrum aduersus huiusmodi liberationem quasi sine causa factam [5] impetrari poterit, nec si minor proponatur is, qui dotantem liberauit [6] si nulla causa sit propter quam restituenda pariter actio sit liberato contra veterem suum creditorem æquè liberatum, [7] ne in damno moretur is, qui nulla sua culpa nulloque lucro inuitatus debitorem suum liberauit ob eam tantum causam, quod esset ipse liberatus. [8] Denique qui dotem acceptam eauit spe futuræ numerationis à tertio qui verus fuit debitor, huiusmodi exceptionem dotis cautæ non numeratæ obijcere nunquam potest: [9] sibi enim debet imputare, qui fidem tertij secutus est: [10] Sicuti nec ille hanc exceptionem habere potest, qui à tertio se dotem habuisse confessus est. [11] *Ita Senatus* pro N. Hũberto de Ville, contra Matthæam & Philibertam Poncet sorores, 17. April. 1614. de qua Defin. 12. infr. de nouat.

1 Qui casus nullam habet dubitationem, cum delegatio quælibet includat nouationem & liberationem *l. delegare* 11 *& pass.* D. *de nouat.* quasi solutionis potestate, cum is, qui delegat soluere censeatur, *l quamuis* 8. §. *interdum*, D. *ad Senatusconsult. Velleian*

2 *Vt in l pupilli* 96. §. *soror* D. *de solut.*

3 Nam sicuti fit locupletior qui liberat se ab obligatione & amittit creditorem, *l. si pupilli* 66 *in fin eod tit.* Ita pauperior qui amittit debitorem, *l patri* 27. §. *si minor, & seq.* D. *de minor.*

4 Ita enim fit vt deceptus videatur qui non aliter fuit contracturus, *l* 1. §. *vlt.* D. *de donat. l. vlt. C de pact. inter empt. & vendit. l* 5 §. *penult.* D. *de doli mali except. l. ob eam causam* 9. D. *de præscr. verb.*

5 Quod etiam sine causa fit vel nullam parit obligationem *l iurisgentium* 7. §. *sed cum nulla*, D. *de pact.* vel eam parit quæ elidenda sit per doli exceptionem *l* 2. §. *circa*, §. *de del except.*

6 Nunquam enim restituitur minor, quia minor nisi ut etiam læsus, *l. nam posteaquam* 9. § *si minor*, D. *de iureiur. l non omnia* 44. D. *de minor.* Non autem læditur minor ex eo quod se vni obligat si ab alio liberetur, licet non idcirco fiat locupletior, nisi duriorem creditorem elegerit, *d l. patri*, § *penult. de minor.*

7 *Vt in l. quamuis* 8 § *quoties, & seq* D. *ad Senatusc Velleian.* vbi hæc actio quæ in veterem debitorem restituitur restitutoria appellatur: deberet igitur hoc casu minor impetrare restitutionem contra vtrumque, *vt in l. in causa* 13 *in princ.* D *de minor.*

BIU Cujas

8 *d. l. ob eam causam & aliis supra citatis num* 4.

9 *L promittendo* 41. *§. si à debitore & l. si pater* 44. *§. quæ debitorem, D de iur dot.*

10 *d §. si à debitore l.* 1. *§ illud sciendum est. D. de separat.*

11 Nam qui dotem se habuisse confessus est, quam non habuit videtur donasse *l.* 2. *C. hoc tit l donari* 29. *D. de donat. l donari* 8. *de reg. iur.* donasse autem non vxori suæ sed extraneo in quem conferre liberalitatem potuit. Nemo enim donare extraneo prohibetur. Nam etsi à muliere ipsa confessus esset se dotem accepisse, dummodo non in ipso dotali instrumento sed post dotalis instrumenti confessionem, exceptio hæc locum non haberet, *l. in contractibus* 14. *§.* 1. *C. de non numer. pecun.* Sufficit enim vt omnib. his casibus confessio aliquam causam habeat antiquiorem & extrinsecam,]

TIT. XI.

DE DONAT. INTER virum & vxor.

DEFINITIO I.

Donatio per virum facta vxori etiam absenti patre stipulante cum notario confirmatur iuramento irreuocabiliter, etiam vxore prædefuncta.

VIR vxori absenti, liberisque ex communi matrimonio nascituris, bona quædam constante iam matrimonio donauerat, stipulante vxoris patre [1] ac notario. [2] Cum iusiurandum donatoris interuenisset, addito etiam pacto de fructuũ retentione [3] clausulaque constituti ad transferendam donatarum rerum possessionem; [5] Pronunciauit *Senatus* non eo minus vtilem fuisse donationem, quod & à coniuge facta esset, & vxor ante virum decessisset. [6] Valuerat namque statim ab initio, [7] nec inutiliter pro filia nepotibusque nascituris pater fuerat stipulatus. [8] Non Februar. 1588

1 Nec enim nouum est, vt pater filiæ stipuletur, ex eaque stipulatione actio filiæ acquiratur saltem vtilis ex communi nostrorum opinione propter affectionem personarum *l Caius* 45. *solut. matrim l si ita conueniat* 9 *D. de pact. dotal l quandocunque* 45. *§. si quis ita, D. de verb oblig. l pater* 7. *C de pact conuent* Vide tamen quæ contra scripsi *lib.* 1. *Coniect. cap.* 4. & fusius *lib.* 19 *cap* 17. *& sequen.*

2 Postquam placuit generali fere omnium locorum consuetudine, notarium quasi seruum publicum cuilibet quamtumuis absenti posse stipulari, *ex l non aliter* 8. *D de adopt l.* 2. *C eod l* 2 *D rem pupill salu for.* Tessaur. *decis.* 70.

3 Quo iureiurando solent confirmari donationes etiam illæ, quæ alioqui non valerent. Guid. Pap *quæst.* 146.

4 Per quam fructuum retentionem solet transferri possessio & cum possessione dominium *l. quisquis* 28. *C de donat.*

5 *Ex vulg. l. quod meo* 18. *D. de acquir. poss.*

6 Quamuis non valeant donationes inter virum & vxorem, nisi donatore in eadem voluntate prædefuncto, *l. cum hic status* 32 *& pass D hoc tit.*

7 Propter iusiurandum quod confirmat eam irreuocabiliter, quamuis donatarius prædecedat. Cravet. *Cons.* 02. quem refert & sequitur Anton. Gabriel. *lib.* 3. *commun. opin. titul. de donat. conclus* 3 contra Decium *cons.* 40 *&* 536.

8 Ex legib. citatis *num.* 1.

DEFINITIO VI.

Donationes inter coniuges iuramento confirmantur, etiam si donatarius prædeceat.

DOnationes inter virum & vxorem, licet moribus improbaræ sint, [1] non tamen bonis morib. repugnant; [2] ob idque iureiurando vtiliter confirmantur. [3] Nec quod eam personam, cui donatum fuerat, ante donantem decedere postea contigerit, facere potest, vt inutilis fiat donatio, quæ ab initio constitit. [4] *Ita Senatus* ibidem.

1 Scilicet ciuilibus & constituentibus ius ciuile non scriptum ob rationes positas *in l.* 1. *&* 2. *D. hoc tit.*

2 Intellige naturalibus, de quibus accipiendum est quicquid scribitur de bonis moribus.

3 Quo tamen confirmari non potest, quicquid est contra bonos mores naturales, *cap. non est obligatorium de reg. iur. in* 6.

4 *Ex not. Defin præced num.* 7. Iunge *l. verbis* 5. *in fin D. ad leg. Falcid* [Cùm tamè aliquando accidisset vt mulier donataria eademque à marito prædefuncto hæres ex asse instituta, cum onere fideicommissi testamentum agnouisset, ac legata pleraque soluisset, adeoque hæreditatem ante mortem suam fideicommissario restituisset, visum est nullam eius hæredibus ex donatione actionem competere posse tanquam à qua vterque coniugum resiliisset, nec donationis obliuionem aut instrumenti amissionem obtendi posse. *Ita Senatus* pro Hospitali Camber. Febr. 1612.

DEFINITIO III.

Donationes inter coniuges etiam iuratæ sunt insinuandæ, nisi confirmentur morte.

SEd hoc ita si ea donatio fuerit insinuata. [1] Iusiurandum enim iuris quidem impedimentum tollit, sed non supplet defectum solemnitatis, quam lex municipalis requirit in donationibus omnibus, & consequenter etiam in iuratis. [2] Cæterum neque iusiurandi, neque insinuationis ea vis esse poterit, vt excludat beneficium restitutionis in integrum, si mulier forte, quæ donauit, post modum reuocare donationem velit, siue viuo siue mortuo marito, [3] tanquam metu extortã maritali, &, vt interpretes loquuntur, reuerẽtiali. [4] Quod si ante maritum decesserit, non aliter transmittet in hæredem ius petendæ restitutionis, quam si eam præparauerit, declarata voluntate, quod donationem voluerit reuocatam. [5] Alioqui morte confirmatur donatio, quoniam etsi neque iusiurandum, neque insinuatio interuenisset, morte confirmaretur: [6] nec deterioris conditionis esse debet donatio, quæ ab initio valuit, licet per restitutionem in integrum ex capite doli vel metus rescindi potuerit, quam si nunquam valuisset. [7] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 5. Cal. Julij 1591.

1 Cuiuscunque sit quantitatis, quia ius nostrum municipale non distinguit, quamuis lex ciuilis distinguat, *in l donationes quas parentes* 25. *C. hoc tit.* Ita contra Decium disputat Cravet. *cons.* 102.

2 Sic Rebuff. *in ordin. reg de insin donat.*

3 Nihil enim aliud facit iusiurandum nec insinuatio, nisi vt valeat donatio, non etiam vt non possit rescindi.

4 *Ex l.* 1. *§. qua onerandæ* vbi Bar. *D quar. rer. act. non det.*

5 *Arg. l. vlt. C de reuoc. donat.*

6 Intellige tamen secundam distinctionem *d. l donationes quas parentes.*

7 *L. verbis* 5 *in fin. D. ad leg. Falcid.*

DEFINITIO IV.

Vsuræ dotis etiam in stipulatum deductæ facile censentur à viro donatæ, si eas viuus non petierit, aliis præsertim coniecturis concurrentibus.

VSuræ dotis etiam in stipulatum deductæ censentur donationis titulo remissæ, si vir per totum matrimonij tempus vxorem exhibuerit, nec tamen vsuras vnquam petierit. [1] Nec aliud erit si dos pro parte soluta proponatur: tanto enim maior præsumptio est remissarum vsurarum, si nulla de iis protestatio facta sit, [2] præsertim vero si longum tempus interceserit. Ex cuius solo lapsu vel inter extraneas personas præsumitur creditor vsuras emittere voluisse, vt gratior esset debitori, [3] siue de iis vsuris agatur, quæ odiosę sunt, id est, pecuniæ creditæ, siue de iis, quæ causam

causam fauorabiliorem habent, vt puta dotis & alimentorum. [4] Multo autem magis hoc admittendum est, si ad taciturnitatem longi temporis accedat consanguinitas proxima cum actu aliquo tacitæ remissionis. His enim cõcurrentibus etiam fideicommissum, quantumlibet magnæ quantitatis, remissum intelligeretur. [5] Atqui maritus, licet non sit consanguineus, ne liberis quidem primi tori, [6] comparatur tamen consanguineo non male, quia caput & principium est affinitatis. [7] Actus porro tacitæ remissionis in proposita specie multi concurrebant. Et ille primum, quod cum vitricus tanquam tutoris procurator res priuignorum per multos annos administrasset, nullam tamen, cum rationes redderet, [8] vsurarum mentionem fecerat, quas vtique sibi soluere potuisset: ac pro solutis computare, si voluisset, [9] Item quod soluta à priuignis pecuniam non in debitum vsurarum, aut dotis & vsurarum simul, sed in dotis duntaxat diminutionem imputauerat. [10] Denique vsurarum tacita remissio eo facilius præsumenda videbatur, quod cum inter virum, & vxorem cæteræ donationes prohibitæ sint, fructus tamen & vsuræ licitam habent donationem. [11] *Ita Senatus* pro fratribus Ballin, contra fratres Bolliet, 4. 4 Jd. Aug. 1592.

1 *L. Vir vsuras 54. D hoc tit.* Francis. Cremens. *sing. 5.* Boer. *decis. 196. num. 4.*

2 Quamuis sola debiti solutio non sufficeret ad tollendum debitum vsurarum, quæ in stipulatu deductæ essent. Secus tamen esset, si tantum iudicis officio deberentur. *l centum Capua 8 & l vlt. de eo quod cert. loc. l. qui per collusionem 49. §. 1. de act. empt.*

3 *L. cum quidam 17 §. Diuus Pius, D. de vsur.*

4 Ita post Bald. quem citat Petr. de Rauen. *sing. 201.* quamuis contra sentiat Angel. qui in hac opinione solus est, *ad §. fuerat, vers. vnum tamen tene menti, Instit. de action.*

5 *L. Procula 16. D. de probat.*

6 Quia nec vxori consanguineus est, *l. vlt. C. quor. bonor.*

7 *L. marius 21. C. de procur.* vbi Castrens.

8 Qui casus est *d l. Procula 16. de probat.*

9 *L. quoties 9 §. sicut autem, D. de admin. tut. l. 3. §. vsuras, vers. si tamen de contr. tutel & vtil. action.*

10 *L 5. §. Imperator D. de solut. l. 1. C eod.*

11 *L de fructibus 17. D. de donat. inter vir & vxor.* Vide Oldrad. *consil. 32.*

TIT. XII.

DE REPVD. ET IVDIC. DE morib. sublat.

DEFINITIO I.

Mulieri à marito expulsæ ministrandi sunt sumptus ad litem & alimenta, sed ex dote ipsa, si quam habeat, priusquam de bonis mariti.

MVLIEREM à marito propter suspicionem adulterij domo expulsam, inuicémque mariti mores accusantem, [1] mariti sumptibus interim exhibendam esse placuit, [2] adeóque cogendum maritum, si nullam illa dotem haberet, expensas illi in litem de suo subministrare: [3] ne alioqui facile esset viro improbo per calumniam insimulare, & domo eiicere eam, quæ indiuidua diuini humanique iuris societate gaudere debeat. Quod si dotem mulier habeat, æquum sane est, sumptus illos omnes ex dote deduci, eáq; deductione dotem imminui, [4] si modo ex litis euentu appareat iustam querelæ causam maritum habuisse. [5] Sin minus, iniquissimum certe fuerit, ex culpa & calumnia mariti dotis fieri diminutionem. [7] Quid vero si alia bona sint de quorum dominio dubitetur, an ad maritum, an ad vxorem pertineant? Finge reperiri penes mulierem nomina debitorum, quæ in suam ipsa vtilitatem contraxerit, maritum vero contendere, contracta fuisse ex pecunia sua per vxorem subrepta. [8] In dubio præsumemus pro marito ad euitandam turpis quæstus suspicionem, in ea præsertim, quæ se negat adulteram. [9] Jdeoque de dote potius quam de huiusmodi bonis deducendum erit, quod interea mulieri præstabitur. [*Ita Senatus* in causa Joannis du Chesne, & N. du Clouz, 12. Cal. Mart. 1593.

1 *L. Viro 39 l. cum mulier 47. D. solut. matrim.*

2 Est enim hoc præcipuum onus matrimonij, *l si quis 56. §. post mortem, D de iur. dot.*

3 *Arg. l. si instituta 27. §. de inofficioso penul. D. de inoff. test. l vlt. C de ordin. cogn.*

4 *L. 1 D de ritu nupt.*

5 *d. l si is qui, §. quod dicitur, D. de iur. dot. l. 5. D. de impens. in reb. dotal. fact.*

6 Vt damno expensarum litis coerceatur ea persona, quæ temere litigauit, *l eum quem temere 9. D. de iudic. l. qui solidum 78. de legat. 2.*

7 Ne delictum vnius sit pœna alterius, cum debeat pœna sequi suos auctores, *l sancimus 22. C. de pœn.*

8 Quo casu licet nomina ipsa non sint furtiua, nullum tamen damnum ex furto mulieris pati maritus debet.

9 *Ex l Quintus 51. D. de donat. inter vir & vxor.*

DEFINITIO II.

Matrimonium non dissoluitur per lepram, nec ideo dos restituenda est, sed tantum leprosæ mulieri subueniendum ex fructibus, & si non sufficiant ex dote ipsa.

LEgitime contractum matrimonium sicuti per adulterium non dissoluitur, ita nec per lepram, siue iam tum inerat, siue iam ex postfacto superuenit tantum inducitur separatio thori. [1] Nec dotis restitutio facienda est, [3] nisi in quantum necesse est, vt leprosæ mulieri ex dote dotisve fructibus potius, quam vt ex publico subueniatur. [4] Multo minus ferendum est vt dos adiudicetur Syndicis municipij, eo prætextu, quod alendæ mulieris onus ad eos pertineat. [5] Sufficit enim dotis fructus sequestrari, & obligatos manere in illam causam & ad eam vsque quantitatem, quæ alimentis exhibendis necessaria videbitur, [6] nimirum, si possunt fructus illi sufficere, alioqui ex dote ipsa capiendum erit, vt quod deerit suppleatur. [7] *Ita Senatus* in causa Iacobi Lombard de Tremessin, Ant. Calend. decembr. 1595.

1 Sacramenti enim vis durat & perpetua est, vt contra miseros seculi nostri nouatores sacrosancta Synodus Tridentina sanxit.

2 *Cap. 1. & 2. Extr de coniug. leprof.* Aliud est, si sponsalia tantum fuerint contracta, & lepra superuenerit ante matrimonium, *cap vlt eod.*

3 Cuius scilicet restitutioni locus nullus est, nisi soluto demum matrimonio, *tot. tit solut. matrim quemad. dos pet.* præterquam in casibus, de quibus *in l. quamuis 20 eod l vnic. C si const. matr. dos fuer. solut.*

4 *L si cum dotem 22. § si maritus, D solut. matrim.*

5 Dos autem ibi esse debet vbi sunt onera matrimonij, *l. is qui 56. §. ibi dos, D de iur. dot.*

6 Nam ad onera matrimonij ferenda fructus dotis destinati sunt, non dos ipsa, *l pro oneribus 20. C. de iur. dot.*

7 *d §. si maritus.*

DEFINITIO III.

Si sponsa monasterium ingrediatur, salua remanent viro iura & pacta dotalia.

MVlierem, quæ post contracta sponsalia monasterium ingredi, quam viri amplexus experiri

BIU Cujas

maluerat, pie quidem & licite feciſſe conſtabat,[1] ſed tamen non debere eam rem viro nocere, quod ad dotalia pacta pertineret,[2] ſi nulla ipſius culpa, ſed mulieris tantum voluntas interueniſſet.[3] *Sine die.*

1 *L. Deo nobis, C. de epiſc. & cler. c. commiſſum, de Sponſal. cap. ex parte, de conuerſ. coniug.*

2 Bald. *conſ* 276 *vol.* 1 Boer. *queſt* 22. *num.* 39.

Nam ſi per virum aut per eius culpam ſteterit aliud eſt, inquit Boer. *d. num.* 39. *arg l. quaro, § inter locatorem D. locat.*

TIT. XIII.

SOLVT. MATRIM. QVEM-admod. dos petat.

DEFINITIO I.

Mulier vſufructuaria omnium bonorum mariti poteſt nihilominus petere dotem ſoluendam, tamen ex rebus hereditariis.

SÆPIVS pronunciatum eſt, mulierem, cui maritus bonorum ſuorum omnium aut hereditatis vſũfructum legauerit,[1] non poſſe dotem petere cum legato,[2] ſed deliberare debere, dotemne an vſũfructũ habere malit: ne alioqui nimis oneretur heres, ſi de ſuo dotem ſoluere compellatur integri vſusfructus mulieri conſeruandi gratia, quod ſane iniquum eſſet,[3] tametſi legis & inuentarij beneficium ab herede non imploratum proponeretur.[4] Sed id tum demũ obtinet, cum & integrũ vſumfructum mulier retinere vult, & nihilominus dotem exigere. Nam ſi ex rerum hereditariarum diſtractione dotem ſibi ſolui, ſuumque vſumfructum eatenus diminui conſentiat, quidni audiatur?[5] Aut cur pro vſufructu legato dotis iactutam facere, vel pro conſequenda dote legatum amittere cogatur? Si quidem habere vtrumque cõmode & citra heredis iniuriam eo caſu poteſt.[6] *Ita tractatum eſt* in ea cauſa, de qua ſupra S C. 1. De vſufr.

1 Multum tamen intereſt inter legatum vſumfructum bonorum & hereditatis, *l. ſi quis ſeruum* 8. *§. vlt. & l ſeq. de legat.* 2 *l vlt.* D *de vſufr. legat.*

2 Quamuis hodie ſublatum ſit edictum de alterutro per Iuſtinianum *in l. vnic C. de rei vxor. act.*

3 Cum debita hereditaria non alia ex re ſolui melius aut commodius poſſint, quam ex bonis, quæ fuerunt defuncti. *l. in ratione* 11. *§. quod vulgo, D. ad legẽ falcid. l* 1. *& tot tit. D. de ſeparat.*

4 Nam cum hoc beneficium imploratum eſt, minorem dubitationem res habet, cum non poſſit hoc caſu heres teneri vltra vires hereditarias, *l vlt C de iur. delib.*

5 *d l. vlt. de vſufruct. leg. l. vſufructu* 69. *ad leg. falcid.* Caſtr. *in l fin § ſin autem, Cod, de bon quæ liber. conſil* 294. *&* 460. *lib.* 2 Alex. *in dict. l vſufructu, & in l ſi filio, §. ſi vir, colum.* 3 D *hoc tit.* Dec. *conſ* 485. 586. *num.* 13. *&* 590. Crauet. *conſ.* 187. Gualdenſ. *de art teſt tit de legat cautel.* 62. Vide Didacũ Couarruu. *lib.* 2. *variar reſolut. cap* 2 *cõcluſ.* 2. *&* 4 *nu.* 1. 4. 5. *&* 6.

6 Si quidem ſublatum hodie eſt edictum de alterutro, vt dixi *num* 2.

DEFINITIO II.

Qui per errorem facti promiſit dotis reſtitutionem, poteſt in integrum reſtitui, non qui promiſit marito, niſi minor.

SI qui à muliere perſuaſus ſoluto iam matrimonio dotis reſtitutionem promiſerit, non animo donandi, ſed tanquam debitor dotis reſtituẽdę, cum tamen te vera debitor non eſſet;[1] Placet poſſe eum reſtitui in integrum, adeóque impetrata ab ſolutione, citra reſtitutionis auxilium condicere vt indebitam promiſſionem:[2] quanquam Principis beneficium in eam rem implorari tutius eſt,[3] nimirum, quia dotis fauor hic nullus eſt, vt in vtilitatem mulieris æquum ſit decipi eum, qui falſo putauit ſe debitorẽ:[4] quando nec quicquam ex ea cauſa perit mulieri, cui aduerſus verũ debitorem ſalua actio eſt.[5] Diuerſum ſane erit, ſi quis iuſſu mulieris, licet per errorem marito dotem promiſerit. Multo minus enim æquum ſit decipi maritum, & vxorem habere indotatam.[6] Conſtante ſi quidem matrimonio duplex fauor cõcurrit, dotis ſcilicet & mariti.[7] Quæ res facit vt fauorabilior videri debeat cauſa dotis marito ſoluẽdæ, quam mulieri reſtituẽdæ,[8] cum nec imputari marito quicquam poſſit, cur non fuerit curioſior ad inquirendum, an mulieris debitor eſſet nec ne, qui marito dotem promittebat.[9] Etſi nec nouum illud eſt, vt aduerſus dotem quoque marito promiſſam detur in integrum reſtitutio, ſi forte & minor & læſus fuerit, qui promiſit, quoniam imputari marito poteſt nõ minus quam cæteris, quod cum minore contraxerit.[10] Quid ni vero? cum & mulieri ipſi, quæ dotem circunuenta conſtituit, & eius heredibus contra maritum ipſum reſtitutio concedatur?[11] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, Prid. Non. Junij 1590.

1 Ac proinde per errorem, *l. cuius per errorem* 53. *de reg. iur.*

2 *Ex tot tit. de condict indeb. D. &* C. Aliud eſt ſi ſoluerit, & poſtea velit condicere *l. cum is* 32 *§. mulier, D. eod.*

3 Vt quod de facto proceſſit, ſaltem de facto reſcindatur vt loquuntur Pragmatici.

4 Error ſiquidem in facto ſemper tolerabilis eſt, & facile parit condictionem, *l. error* 7. *& l. cum quis* 20. *C. de iur. & fact. ignor.*

5 Vetus enim debitor ſemper manet obligatus quouſque ſublata ſit obligatio aliquo ex legitimis modis, de quibus *in l pen. D. de ſolut.*

6 *L ſi donaturus* 9 *§.* 1. *de cõdict. cauſ. dat. l pure* 5. *§. penul. de dol. mal. except.*

7 Quia dos, quamuis ſit mulieris, tamen eſt in bonis mariti *l. quamuis* 75. *D. de iur. dot. l Titia* 62. *eod.*

6 Quia in dote reſtituenda ſolius mulieris fauor verſatur, *l. in rebus* 30. *C. de iur. dot.*

9 *Arg l. doli* 19 *§ diuerſum, D. de nouat.*

10 *L ait prætor* 7. *in princ. D. de minor.*

11 *L. vnic. C. ſi aduerſ. dot.*

DEFINITIO III.

Veſtes dotales cuius periculo deteriores fiant?

VEſtes, quas vxori curare vir promiſit, cui in eam rem certe pecuniæ quantitas data eſt, debentur mulieri in æſtimatione conuenta, ſoluto quãdocunque matrimonio, ſi eas vir non præſtiterit.[1] Si præſtitit, diſtinguẽdum eſt, an illas mulier in matrimonio attriuerit nec ne. Si attriuerit dum marito ſubſeruit, non eo minus æſtimationem earum reddere mariti heredes debebunt:[2] tametſi alias veſtes quotidianas maritus ipſi vtendas dederit. Has enim[3] mulieris lucro cedere æquum eſt, ſecus ſi pretioſas, quod hæ in conſumptarum locum ſubſtitutę videri debeant potius, quam donatæ.[4] Si non conſumpſerit, veſtes retinere mulier, non æſtimationem petere debebit.[5] Quid ſi ad alium virum tranſierit, & ea poſt multum temporis defuncta quæratur de veſtibus, nec conſtet,[6] apud quem ex viris conſumptæ ſint? Placet, nec prioris nec poſterioris viri heredibus, præſertim ſi fratres vterini ſint, mutuam eo nomine petitionem vllam ſupereſſe, quaſi cõiectura capiẽda, quod æque apud vtrumque virum conſumptæ ſint.[7] In dubio autem vix audiẽdi erunt poſterioris mariti heredes, ſi poſt

si post lõgissimum tempus præstitarum vestium probationem à prioris viri liberis aut heredibus exigant, cum neque probabile sit, contractas sine nuptialibus vestibus nuptias, neque obseruari soleat, vt de huiusmodi rebus apocha conscribatur.[8] *Ita Senatus* pro fratribus Ballin, contra fratres Bollier, 4. Id. Aug. 1592.

1 *Arg. l. æstimatis* 50. *D. hoc tit si inter* 21 *C. de iur dot.*

2 Quasi attritæ sint in rem & ob vtilitatem mariti. Cui sicut operas vxor debet, & maritus vxori victũ & vestitum, vt sit melioris conditionis vxor libera quam liberta, de qua *in l. suo victu* 18 *D. de oper. libert.*

3 Scilicet vestes nuptiales. Neque enim ideo dantur mulieri, vt eius periculo atterantur constante matrimonio, sed vt eo soluto simul cum dote reddantur, quasi faciant partem dotis.

4 Nemo enim præsumitur liberalis in necessitatibus, *l. rem legatam* 18. *de adim. legat.* Est autem in necessitate soluendi quisquis est obligatus, *in stit de oblig. in princ.* Vide Bart. *in l. Titia* 34 § *qui inuita, de leg* 2.

5 Quasi iam fuerit ei satisfactum in speciebus ipsis, quæ debebantur. *d. l. si inter.*

6 Nam si constaret de veritate, nullus præsumptioni locus relinqueretur, *l. si chirographum* 24, *& seq. D. de probat.*

7 Nihil enim est, quod in proposito melius dici possit.

8 In omnibus autem, præsertim bonæ fidei iudiciis, ea maxime obseruanda sunt, quæ moris sunt & consuetudinis, *l. quod si nolit* 31 §. *quia assidua, D. de ædil. edict.* Facit melius *l. vlt. C. de fideiussor.*

DEFINITIO IV.

Possessionem bonorum dotalium propria autoritate apprehendere etiam soluto matrimonio nec mulier potest, nec eius heres, nisi possessio fuerit quæsita per clausulam constituti.

QVod moribus nostris & generali fere omnium gẽtium consuetudine receptum est, vt defuncti possessio non secus ac rerum hereditariarum dominium in heredis persona continuetur,[1] facere non potest, vt, soluto per mulieris mortem matrimonio, heredes eius rerum dotalium possessionem propria auctoritate & sine mariti consensu ingredi possint.[2] Nam ne ipsi mulieri id permitteretur, si morte mariti soluto matrimonio heredibus non consentientibus rerum dotalium possessionem suo iure repetere vellet,[3] Sed hoc ita, si non in tabulis dotalibus & in ipsa restituendæ dotis obligatione interuenerit ex parte viri clausula constituti, per quam possessio bonorum dotalium non minus, quam cæterorum pro dote obligatorum translata in mulierem eiusve heredes intelligatur.[4] Tum enim consensus mariti eiusve heredum non erit necessarius ad retinendam possessionem, quæ iam quæsita sit.[5] Quod si maritus hereſve illius contradicat, de possessione contendendum erit apud iudicem.[6] In qua contentione potiores vtique erunt partes mulieris heredumve eius, quam mariti,[7] nimirum quod ad bona immobilia pertinet, quod cum ex Iustiniani lege statim sint restituenda,[8] nulla in eo fit iniuria marito, si pro restitutis habeantur, viteturque circuitus, qui non tãtum mulieri, sed etiam ipsi marito eorumve heredibus incommodus esset ac dispendiosus.[9] Cæterum si vel clausula constituti nulla interuenerit, vel quæ interuenit sic concepta sit, vt ad bona dotalia referri nequeat, sed ad ea tantum, vt fieri solet, quæ maritus pro ipsa dotalium restitutione obligata esse voluit,[10] non aliter, quam per mariti eiusve heredum manus possessionem nanciſci mulier aut ipsius heres poterit,[11] quia cum possessio sit facti,[12] fieri nunquam potest, vt habeatur pro restituta ex sola iuris fictione.[13] *Ita Senatus* in causa Illustris D. Christophori Durfé, D. de Bussi, & Dominorum Marchionis, Comitis & Vicecomitis de la Chambre, 6. Non. Mart. 1594.

1 Contra scripti iuris rationem, *l. cum heredes* 23. *C. de acquir. possess.*

2 Hereditas enim non potest transferri in heredem, nisi quod fuit defuncti. Possessio autem dotis non fuit penes mulierem, sed penes maritum *l. quamuis* 75. *de iur dot.*

3 *L. dotis actione* 9. *C. hoc tit.*

4 *Ex vulg. l. quod meo* 18. *D. de acquir. possess.*

5 Facilior enim semper est & fauorabilior retentio, quam acquisitio *l. 1. de pignor.* præsertim possessionis, *l. peregre* 44. *& l. quamuis* 46. *D. de acquir. possess.*

6 Non enim ferendum est vt sibi quisquam ius dicat, præsertim in causa possessionis, ne occasio rixarum & tumultus detur, *l. non est singulis* 176. *de reg. iur.*

7 Propter clausulam constituti, quæ sicut possessionem, ita & victoriæ ius transfert in constitutarium, *l. 1. §. vlt. & l. 2. D. vti possid.*

8 *L. vnic. §. exactio. C. de rei vxor. act.*

9 *Argum. l. dominus* 53 *de condict. indeb. l.* 3. §. *penult. de don inter vir. & vxor.*

10 Est enim longe diuersa ratio bonorum dotalium, & eorum quæ pro dote tantum sunt obligata, *l. in rebus* 30 *Cod. de iur dot.*

11 *d. l. dotis actione* 9, *C. hoc tit.* iunct. *l. 1. D. quod legat.*

12 *L. denique* 19 *D. ex quib. caus. maior. l.* 1 § *si vir vxori D. de acquir. possess.*

13 Quoniam ad ea vsque, quæ sunt facti, fictio iuris non potest pertingere, *dict. l. denique, l. in bello* 12. §. *facti. D. de capt. & postlimin.*

DEFINITIO V.

Bona dotalia mobilia vel se mouentia, etiam si extent, non statim restituenda sunt soluto matrimonio, sed post annum.

DE mobilibus bonis dotalibus aut se mouentibus, quæ extant statimque restitui possunt, dubitatio maior est, quod exẽplo dotalis pecuniæ non nisi post annũ ea restitui Iustinianus voluerit.[1] Non enim desunt, qui putent sic à Iustiniano constitutum ob eam dum taxat causam, ne tã cito vrgeatur maritus ad restitutionem earum rerum, quas in promptu non habeat,[2] cum vix sit vt huiusmodi rebus vtatur maritus constante matrimonio, quin vsu ipso consumantur.[3] Aliud ergo admittendum esse, si in promptu restitui possint,[4] puta si tam breui tempore matrimonium constiterit, vt eadem mobilia bona aut se mouentia extent, quæ in dotem data fuerant, eiusdemque bonitatis & æstimationis:[5] aut si ponas maritum esse ditissimum fœneratorem, cui ad explicandam dotis pecuniariæ quantitatem ne horæ quidem spatio indulgeri sit necesse.[6] Nam & tempus, quod iudicatis ad soluendum datur, non esse dandum ei, qui tam dives sit, vt statim possit soluere, plerisque visum est.[7] Nec male pro hac sententia facere videtur, quod si bona hæc post annum non restituantur, ex eo tempore anni præteriti, etiam vsuras æstimationis omnium rerum, quæ extra immobiles sint, vsque ad tertiam partem centesimæ præstari Iustinianus voluit;[8] ita inuitus, vt videatur anni spatium ad restitutionem eo demum casu dari, quo de æstimatione præstanda tractari oporteat, quod porro non euenit, cum bona ipsa extant & restitui possunt.[9] Aliud tamẽ Senatus nostri iudicium est, nec aliam querẽdam esse rationem, propter quã Iustinianus bonorũ mobilium restitutionem in annũ differri voluerit, quam quia sic voluit.[10] Nec proinde priuandum esse maritum heredemve eius beneficio legis,[11] vt statim restituere compellatur, ob hoc solum, quod restituendi habeat facultatem. Et sane mariti potest interesse, vt non tam cito restituat, & eorum vsum fructumque, qualem ex iis redigere possit, consequatur.[12] Quid enim si pecuniam mutuam cõquirat, nec sine pignore inueniat, post paucos fortasse dies habiturus vnde possit acceptam reddere? Fructus mobilium erit, in

BIU Cujas

terea pignori dare licere,[13] Quid si iis mobilibus redditis tutum sit, vt domũ vacuam, nullaque supellectile instructam habeat,, quam commode ac minore sumptu sit instructurus, si interea & per annum integrum bona vxoris mobilia liceat sibi retinere?[14] Quod vero Iustinianus de mobiliũ æstimatione loquitur, eam rationem habet, quia de vsuris bonorum mobilium post mariti moram præstandis non aliter agi possit, quam si mobilium, quamuis extãtium, æstimatio fiat,[15] non vt soluatur, sed ex eius comparatione sciatur, quanta vsurarum nomine pecunia vel mulieri vel heredibus ipsius debeatur.[16] Ex quo inferri potius potest, Iustiniani mentem illam fuisse, vt nullo casu mobilia intra annum restituantur, ne tum quidem cũ extant.[17] *Ita Senatus* in eadẽ causa, 5. Non. Iul. 1593. Hoc tamen addito tẽperamento, vt, quia superstes maritus nulla bona habebat in prouincia, defunctæ vxoris mobilia in tuto loco & penes virum probum deponerentur ad saluum ius habentis,[18] tanto magis, quod alioqui verendum erat, ne ad rixas & arma litigatores decurrerent,[19] quo casu inter cæteros sequestratio permissa est.[20] Item, quop cũ in dotali instrumento conuenisset, vt bona mobilia, quæ mulier in dotem dabat, æstimarentur ac describerentur,[21] necdum apparet, an id factum fuisset nec ne,[22] in dubio adhuc positum esse videbatur, an essent dotalia, quasi necdum tradita.[23] Huc enim pertinet, quod dici solet, nihil actum videri quãdiu agendum aliquid supereſt,[24] nisi per mulierem stetisset, quo minus æstimatio & descriptio facta esset.[25]

1 *In l. vnic. §. exactio, C de rei vxor. action.*

2 Non enim pecuniæ numeratio semper est in expedito, *l. si dul iter* 10. *C. de fideiuſſ.*

3 *L. 1. & tot. tit. D. de vſufr. ear. rer. quæ vſu conſum.*

4 Cum id sine incommodo heredum mariti futurum sit, *arg. l in creditore* 38. *D. de euict.*

5 Non enim hunt deteriora per se, sed tantum vel per vsum, vel per moram longiorem, facit *l. si inter* 21. *C. de iur. dot.*

6 Non enim indulgendum est malitiæ illius, quem constat posse in promptu soluere si velit. *arg. l. si reus* 73. *D. de procurat.* ibi, *quid si tunc facultatem pecuniæ non habuit.*

7 Quia non nisi humanitatis gratia tempus hoc solutionis indulgetur, *l. cum militis* 16. §. 1. *D. de compenſat.* ne condemnatus statim præcipitetur ad solutionem *l. si debitori* 21. *D. de iudic.* non etiam vt ex ea dilatione lucrum sentiat, *l.* 3. *in princ. D. de vſur.*

8 *In d §. exactio.*

9 Siquidem hoc casu debentur res ipsæ, non earum æstimatio, *d. l. si inter.*

10 Lex enim scripta seruanda est omnimodo, quantumuis dura. *l proſpexit* 12. *D. qui & à quib. manum. l. in fraudem* 15. §. 1. *D de teſtam. milit. l de pretio* 7. *D de publician*

11 Quod enim beneficium à lege quis habet, non facile auferendum ei est. *l* 3 *de interd & releg.*

12 Minus enim soluit, qui tardius, sicut & plus qui ante diem, *l. eum qui* 15. *alias l Iauolenus de ann. legat*, § *plus autem Inſtit. de action.* Dies namque non minus quam summa pars est obligationis *l* 1. §. *editiones, D. de edend.*

13 *L vlt D. de vſur.*

14 *Arg. l in fundo* 38. *D. de rei vindic.*

15 Vsura enim pecuniæ est, non corporum, vt copiose ac subtiliter disputat Aristot *lib.* 1. *Polit.*

16 Debetur siquidem vsura ad ratam æstimationis: cum sit accessio non corporis, sed pecuniæ.

17 Quid enim vetabat Iustinianum hoc exprimere, si sic sentiebat, vt ille ipse argumẽtatur *in l. vnic. §. vbi autem, verſ. ſin autem ad deficientis, C. de caduc. tollend.*

18 Id enim semper agendum est, quantum fieri potest, vt res in tuto collocetur *l. quoties* 12. *D. de reb. dub.* ne post vulneratam causam necesse sit remedium quærere, *l. vlt. C. in quibus cauſ non eſt neceſſ. in integr. reſtit.*

19 Quod etiam cauere bonus magistratus debet quantum facere potest, *l si cuius* 13. §. *ſed ſi alias l. aquiſſimum, D. de vſufruct.*

20 Quod alioqui regulariter prohibetur, *l. vnic vbi not. C. de prohib. ſequeſtr. pecun. l* 5. §. 1. *in fin. D. vt legat. ſeu fideicomm. cauſ. caueat.*

21 *Vt in l. ſi inter*, iunct. *l. æſtimaris* 50 *D. hoc. tit.*

22 Non enim autem, & non apparentium idem iudicium esse solet, § *ſi aduerſus, Inſtit. de nupt. l. duo ſunt Titij* 30. *de teſtam. tutel.*

23 Quia dotem traditio facit, & quidem ea quæ sit pura, *l. 1. C. de dot. caut. non numer.*

24 *L penult C, de his quæ vt indign.* iunct. *l. quod ſæpe* 35. §. *in his, D. de contrah. empt.*

25 *L* 4. *&* 5. *l. neceſſario* 8. *& l. lectos* 12. *& paſſ. D. de peric. & commod rei vindic.*

DEFINITIO VI.

Exactio dotis, etiam quæ marito promiſſa sit, competit ſoli mulieri ſoluto matrimonio, niſi malit illa agere contra maritum aut mariti hæredes.

DOs siue marito soli vxoris nomine, siue, vt plerumque fit, marito & vxori simul promissa, nec constãte matrimonio soluta, post solutum matrimonium exigi potest per mulierem aut eius hæredes ab eo, qui promisit, vel ab ipsius hæredibus ex tacita stipulatione, quam fauore dotium Iustinianus induxit,[1] tametsi nullam maritus maritíve heres cesserit actionem.[2] Nam quod rescriptum est, Si pater stipulanti marito promiserit dotem, non mulieri, sed marito aduersus heredes soceri competere actionem,[3] tum obtinet, cum viuo marito & constante matrimonio dotem petete vult, non item si matrimonio iam soluto.[4] Probabilius quis fortasse moueretur in contrarium ex iuris veteris ratione,[5] si non hac parte immutata esset per fictionem illam à Iustiniano inductam tacitæ stipulationis.[6] Nec distinguimus, an soli marito dos promissa sit, an mariro & vxori simul. Nam vtroque casu soli marito competit exactio constante matrimonio, mulieris aurem persona idcirco adiecta videtur, vt appareat mulieris nomine, & ad eius commodum promissam dotem, vt & constante matrimonio dotem habeat penes maritum,[7] & eo soluto actionem ad eam dotem exigendam sibíque habendam.[8] Idque ex eo apparet euidenter, quod in iis quoque instrumentis, quibus dos vtrique promissa proponitur, maritus semper ad totius dotis restitutionem se suaque bona omnia obligat, quod minime æquum esset, si non ei totius quoq; dotis exactio competeret.[9] Siquidem restitutio præsupponit exactionem præcedentem.[10] Neque rursum interest quicquam vtrum maritus de dote fidem habuerit, nec ne? Cum enim fidem habuit, perinde quidem tenetur ad restitutionem, ac si exegisset, si modo imputari ei possit, cur non exegerit, ab alio puta quam à patre vel donatore, secundum distinctionem ab ipsis quoque prudentibus introductam.[11] Sed non adimit eatenus actionem mulieri, si malit aduersus dotis promissorem recta agere, aut aduersus hæredes promissoris,[12] Habet igitur electionem. *Ita Senatus* in causa Dominæ de Charrin, & Dominæ de la Cuille, Prid. Non. Iul. 1593.

1 *In l. vnic. §. 1. C de rei vxor action.*

2 Cum mulier suo iure habeat hypothecam etiam in bona omnia mariti. *d l vnic* iunct *l ſi res* 59 *in fin. D de euict.*

3 *L. ſi pater* 5. *alias l ſi pro te pater, C de dot. promiſſ.*

4 Ita ex communi nostrorum sententia concludit Guid. Pap. *quæſt.* 375.

5 *In l si ſocer* 44 § *Lucius, D. hoc tit.*

6 *In d l. vnic. §. videamus, & §. accedit.*

7 Mulieris namque interest, vt dotem habeat etiam constante matrimonio. *l ſeruo legato* 69 § *ſi teſtator, de leg.* 1.

8 *L in rebus* 30. *C. de iur dot.*

9 Nam & dotis actio solius mariti est, quamdiu constat matrimonium. *l dote* 9 *C de rei vindic l quamuis* 75. *D. de iur. dot.*

10 *L. cum ei* 42. *de legat.*

11 *In l. ſi*

BIU Cujas

11 *In l. si extraneus* 33 *D de iur. dot.* Guid. Pap. *quæst.* 565.
12 Ne noceat ei, quod ipsius fauore inductum fuit, *vulg. l. nulla* 25. *D. de legib. l. quod fauore* 26. *C eod.*

DEFINITIO VII.

Dos etiam soli filio soluta, dummodo sciente & consentiente patre, ab ipso patre restituenda est, ad quem creditur peruenisse.

Siue dos filio familias dicta patri numerata sit, siue ipsi filio soluta, aut iussu patris, aut præsente eo & consentiente, atque auctoritatem præstante, dotis actio post dissolutum matrimoniū aduersus patrē recta competit, [1] licet filius bona vacantia, aut heredes liberos reliquerit, [2] quia non videtur tanquam fideiussor conueniri is, ad quem dotis pecunia peruenit, aut, quod in dubio idem est, præsumptione iuris peruenisse intelligitur. [3] Adeo, vt nec aduersus maritum ipsum, aut eius heredes, nisi is patri heres extiterit, actio de dote exerceri possit. [4] Proinde ridiculus fuerit socer, si non factæ excussionis bonorū filij exceptionem obiciat. [5] Certe non nisi in quantum facere potest, ob priuilegium condemnandus est. [6] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, pro vidua Joannis Montagny, contra Antonium Montagny, 4. Non. Aug. 1593.

1 *L. si cum dotem* 22. *§. transgrediamur, D. hoc tit.*
2 Postquam placuit Iustiniano *in Nouell.* 118 *de hered ab intest. venient*, vt filius familias non tantum bona aliqua relinquere hodie possit, sed etiam hereditatem & heredem.
3 In dubio enim præsumitur pecunia peruenisse ad potentiorem, ac proinde ad patrem, tum quoque cum dos filio data est non iussu patris. *d. §. transgrediamur.*
4 *d. §. transgrediamur, in fin.*
5 Quę exceptio competit hodie cuilibet fideiussori. *Ex Nouell. 4. de fideiuss.* vnde sumpta est, *Auth. præsente, C eod.*
6 *L sicut autem* 21. *D de re iud*

DEFINITIO VIII.

Non potest mulier ex stipulatione mariti citra cessionem agere, licet stipulatio facta sit ex pecunia dotali, nisi maritus aliam stipulationi legem dixerit. Tenetur ergo maritus, eiusque periculum est.

Obligationis ex pecunia dotali constante matrimonio contractæ exactio, si aliud nihil dictum sit, ad maritum maritive heredes soluto matrimonio pertinet, à quibus nimirum dos restituenda est, [1] ita vt ante eam restitutionem nihil iuris in re dotali mulier, eiusve heres habere videatur. [2] Sed si maritus consenserit, vt debitor se obligaret ac eam pecuniam mulieri ipsiusve heredi soluendam, non alij, quam mulieri heredive eius actio ad exactionem competet, [3] quasi iam, quod ad hanc rem attinet, restituta dote, aut habenda pro restituta. Quod si præterea tota dos reperatur, eæ iudicis partes esse debebunt, vt quod mulier eiusve heres ab hoc debitore consequi poterit, ex iudicio de dote detrahatur. [4] Erit igitur in mulieris electione, vtrum aduersus debitorem agere velit, an contra maritum, aut mariti heredes. At quid, si constante matrimonio debitor factus sit non soluendo? Mariti periculum erit, qui pati non debuit, vt dotalis pecunia male collocaretur. [5] Nam nec in eius potestate fuit dotem constante matrimonio restituere sine causa. [6] Ita ex tempore tractatum est contra Hyppolitum Fillion, 12. Cal. Maij 1595.

1 Nec enim obligatio contracta ex re mea est mea, sed eius qui sibi fuit stipulatus, nisi in casu *l. 2 D. quand. ex fact. tut.* & aliis si qui sunt similes.
2 Quamuis dici soleat res ex dotali pecunia comparatas dotales videri, *l. resque* 54. *D. de iur. dot.*
3 Nam & quod vni debetur, alteri potest restitui ex veri creditoris voluntate, *l. vero* 12. *D. de solut. l. mulier* 41. *& seq. ad SC. Trebell.*
4 Ne alioqui contra bonam fidem bis idem exigatur, *l. si quis dolo* 51 *in fin. D. de re iudic. l. bona fides* 57. *D de reg. iur.*
5 Boer. *quæst.* 22. *num.* 18. ex Bart. & aliis *in l nupta*, §. 1 *& l. si marito*, §. 1. *hoc tit.* vbi tantum, quod magis mirum est, loquitur de dote per patrem promissa, in eoq; casu dissentit à Bart. nec male meo iudicio.
6 *L. quamuis* 20. *D. hoc tit. l. vnic. C. si constant. matr. dos solut fuer.*

DEFINITIO IX.

De dote data prodigo, cui bonis fuerat interdictum & ab eo consumpta, si curatoris auctoritas non interuenerit.

Si is, cui quasi minus sanis moribus præditus esset curator datus fuerat, [1] inscio curatore nuptias cōtraxerit, non eo minus matrimonium valet, quod curatoris auctoritas non interuenerit, [2] & consequenter si dotem acceperit, obligabitur ad eam restituendam. [3] Quod si etiam bona sua expressim obligauerit, valebit obligatio, tanquam facta ex causa & honesta & necessaria, [4] cum etiamsi de pignore nihil conuenisset, sola tamen legis potestate inducta fuisset hypotheca. [5] Sed tamen si mulier marito dederit in dotem nomina, quæ ob non factam exactionem constante matrimonio facta sint minus idonea, imputabitur potius mulieri, cur cum tali viro sine ipsius curatore contraxerit, quam marito, cur non exegerit. [6] Plane nomina ipsa & instrumenta reddere maritus compelletur. [7] Quid si exegerit, sed pecuniam male perdiderit, puta quam acceperit & consumpserit sine curatore? [8] Non erit cogendus, vt restituat quod non habeat. [9] An ergo dotis iacturam mulier patietur? [10] An potius imputabitur debitoribus, cur ei facto in rem suam procuratori sine curatore soluerint? [11] Quid vero si nuptialibus solemnibus curator adfuit, atque ita nuptias & sciuit, & tacito saltem consensu adprobauit? [12] Sed non eo minus imputandum erit debitoribus, cur huic soluerint sine curatoris auctoritate. Nimirum si generali & publico programmate interdictum fuerit, ne quis cum eo contraheret, aut ei solueret. [13] Alioqui non nocebit ignorantibus, aut probabilem ignorantiam prætexentibus, quod hic maritus reuera curatorem habuerit, quodque ei specialiter inhibitum fuerit, ne sine curatore contraheret. [14] Aliter enim posito iure deceptio illa dicenda esset potius, quam cautio aduersus deceptiones futuras. [15] In eoque melior conditio est illorum, qui cum huiusmodi personis curatores habentibus contrahunt, quam eorum, qui cum minoribus, quia interdictionem à iudice factam, quamdiu publicata non est, ignorare probabiliter quiuis potest. [16] Non item eam quæ fit à iure. [17] Quanquam nec omnimodo interdictum est cum minoribus commercium, sed hactenus duntaxat, si vel distrahant res alienari prohibitas, vel lædantur. [18] Porro interdictio illa, quæ fit à iudice, non per testes probanda est, sed omnimodo per scripturam, [19] nisi scriptura deperdita probetur. [20] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 2. sup. De repud. & iudic. de moribus sublat.

1 *Ex tit de curat furios. & aliis extr. minor. hered.*
2 Quamuis dici soleat prodigum nihil posse agere sine curatore, *l 3 C. de in integr. restit. minor. l. 1. de curat furios.*
3 Dotis enim restituendæ obligatio nascitur ex reipsa, adeoque habet priuilegium, tum quoque cum ipso iure matrimonium non valet, *l. quæsitum* 17. *§. vlt. de reb. auctor. iudic. possid. alias l 2. de priuil. credit.*
4 Nam nec alienatio ipsa vnquam prohibita intelligitur, cum habet causam necessariam, *l. alienationes* 13. *D. fam. ercisc. l. 1. D. de fund. dotal.*

BIU Cujas

5 *L. vnic. §. 1. Cod de rei vxor. act.* Cur ergo credatur male contraxisse is, qui iure communi vsus est, *l. vlt. C. de in integr. restit. minor.*

6 Hoc enim ad bonorum administrationem pertinet, non etiam, vt matrimonium contrahatur & dos accipiatur. In ijs autem, quæ ad bonorum administrationem spectant, necessaria est auctoritas curatoris, *dicta l. 3. Cod. de in integrum restit. minor. l. seruus 13. D. de manumiss. iunct. l. vltim. D. de curat. furios.*

7 Nempe si probentur esse adhuc penes maritum prodigum, sine cuius dispendio futurum est, vt id saltem reddat, quod habet, *arg. l. in creditore 38. in fin D. de euict.*

8. Id enim demum est vere prodigum esse, neque modum neque finem expensarum habere, nec minus aliena quam sua dilacerando & dissipando profundere, *dicta l. 1. D. de curat. furios.*

9 Imputari enim magis potest mulieri, cur cum eo sine curatoris auctoritate, quam prodigo, cur cum muliere contraxerit, vt proxime dictum est in Definitione.

10 Hoc vero sane durum est, nec vnquam ferendum, si quo remedio dos salua esse possit, *l. 1. D. hoc tit. l. assiduis 12 C. qui potior. in pign. hab.*

11 Videntur enim isti soluisse perdituro, quod si absque curatore, non tamen absque iudice facere debuerunt, *argum. l. ait prator 7. § 1. vers. quid tamen, l. quod si minor 24. §. restitutio, l. minor 32. D. de minor.*

12 Solet enim ratum quid haberi, non minus factis quam verbis, & tacito consensu non minus, quam expresso, *l. non tantum 5. D. rat. rem hab. l. 2. & 3. D. de pact.* Et solet dici eum, qui vult antecedens, velle etiam consequens, *vulg. iurib.*

13 Nemo enim potest publici programmatis ignorationem iustam obtendere, qui modo præsens fuerit, *l. si eo tempore 6. C. de remiss. pign.*

14 Est enim semper probabilis ignorantia facti alieni, *l. vlt. D. pro suo.* Nec facile imputandum quicquam est ei, qui vero suo creditori soluit, *l. vlt. D. de iur. dot. & l. quod si minor 24. §. restitutio, D. de minor.*

15 Nemini enim beneficium prætoris aut legis debet esse captiosum, *l. Paulus 8. D. de prætor. stipulat.*

16 Hoc enim est quod vulgo dici solet, vocem præconis paucis innotescere.

17 Iuris enim ignorantia neminem excusat, exceptis certis personis *l. regula 9. & pass. D. de iur. & fact ignor.*

18. *dict. l. quod si minor, §. non semper, l. non omnia 44. D. de minor.*

19 Vt & acta omnia iudicialia, de quibus Guid. Pap. *quæst.*

20 *L. testium facilitatem 17. in fin* & ibi Bald. & cæteri, *Cod. de testib.*

DEFINITIO X.

Mulier an & quando possit propria auctoritate ingredi possessionem bonorum & pignorum dotalium, & an sufficiat consensus liberorum, qui se paternis bonis abstineant, siue ante, siue postea?

ILlud quidem constat, mulierem, quæ soluto matrimonio dotem repetit, dotis actione successores mariti conuenire debere, nec ingrediendi possessionem rerum dotalium heredibus mariti non consentientibus sine auctoritate iudicis vllam habere facultatem. [1] Idémque multo magis obseruandum, si de pignorum dotalium possessione quæratur. [2] Nec posse mulierem postulare, vt ex dotali instrumento retineatur in possessione, quam cum vitio acquisiuerit, [3] nisi per clausulam constituti in tabulis dotalibus appositam sibi plenam acquisierit à marito in casum restitutionis possessionem. [4] Cur enim cogatur exquirere voluntatem heredum mariti ad ingrediendum possessionem mulier, quæ ipsius mariti consensum iam habuit, [5] & ex eo consensu possessionem iam acquisiuit? [6] Quid ergo, si neque adsit clausula constituti, nec vlli sint mariti heredes? Vtique liberum erit mulieri possessionem capere propria auctoritate quasi vacantem, cum nemini faciat iniuriam, si nemo possideat. [7] Si quis enim creditoribus aut alius possideret, nihil eo inaudito facere mulier deberet. [8] Nec est quod quis obijciat, iacenti hereditati curatorem ex inueterato pragmaticorum errore dari solere, qui hereditatis & heredis vicem sustineat, [9] & cuius proinde non minus, quam heredum voluntatem exquiri oporteat: nam & admisso eo errore nihilo magis tamen voluntas curatoris exploranda esset in acquirenda possessione, quippe qui non heredis, sed hereditatis vices gerat, [10] quæ ipsa possessionem nec habet vllam, nec habere potest. [11] At quid rursum, si maritus suos heredes reliquerit, qui matri bona siue dotalia, siue pro dote obligata occupanti consenserint, & tamen patris hereditate postea se abstinuerint? Sufficiet liberorum consensus, vt nihil à muliere vitiose factum videatur, [12] cum sint illi ipso iure heredes, [13] & consequenter ex generali huius prouinciæ consuetudine ac locorum fere omnium etiam possessores, quandoquidem ex edicto, quod dicimus *le mort saisit le vif*, possessio rerum hereditariarum cum dominio & proprietate hereditatis hodie cuilibet heredi acquiritur. [14] Nec quod se abstinere possunt quidquam facit: [15] Satis enim est occupatam à muliere sine vitio possessionem. [16] Neque superueniens abstentio vitiosam facere potest adprehensionem possessionis: [17] quam subinde de suo iure, iustoq; titulo tueri mulier potest. [18] Sed & cum non sit sine herede, qui suum heredem habet, quamuis se abstinentem, [19] parum refert, an adprehensionem possessionis abstentio secuta sit, an præcesserit? quando nec beneficium abstentionis alium effectum habet, quam vti ne filius, qui se abstinuit, conueniri à creditoribus possit, aut ne alio vllo incommodo propter hereditatem adficiatur, [20] non etiam, vt in cæteris omnibus, quæ vel ad commodum, vel saltem non incommodum ipsius spectant, pro non hærede etiam quod ad Prætorem habeatur. [21] *Sine die.*

1 *L. dotis actione 9. C. hoc tit.*

2 Minus enim iuris habet mulier in pignorib. dotis, quam in rebus ipsis dotalibus, quarum scilic. proprietas ad eam pertinet, *l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

3 Nunquam enim vitiosa possessio prodesse potest aduersus eum, qui non sit omnino extraneus, id est, qui aliquod ius in re aut ad rem habeat, *l. vl D. de acquir posses. l. filiam fratribus 56.* & ibi Bart. *D. ad SC. Trebell.*

5 *Ex l. quod meo 8. D. de acquir posses.* Nam & sub conditione potest transferri possessio, *l. qui absenti 38 eod tit.*

6 Nec enim possunt heredes venire contra factum defuncti, non magis quam contra proprium *vulg l. cum à matre 14. C. de rei vindic. l. ex qua persona 149. de reg iur.*

7 Quid enim obstat, quo minus possit eam possessionem propria auctoritate capere, si nemo sit qui prohibeat, aut prohibere possit? Nec enim hoc casu verè dum est, ne qua tumultus detur occasio, quæ sola ratio facit, ne cui licere debeat sibi ius dicere, *l. non est singulis 186. de reg. iur. l extat, l. 13. D. quod met caus.*

8 *d l. non est singulis, d. l extat, l 1 D. quod legat.*

9 De quo vide quæ scripsi *in Error 3. Decad 3 de error. pragmat.*

10 Quamuis & heres & hereditas eandem personam, scil. defuncti, representet, *l. heres & hereditas 22 D. de vsucap.*

11 Cum possessio sit facti, hereditas autem sit nomen iuris, *l 1. § Scæuola D si is qui testam lib. ess iuss.*

12 *d l dotis actione 9.* ibi, *heredibus mariti non consentientibus, C. hoc tit.*

13 *L in suis 14 D de suis & legit. l necessarijs 57. D. de acquir. hered. l 1. § qui sunt in potestate. D si quis omiss caus. test l cum quasi 30. § sed etsi suus, D. de fideic libert.*

14 Quod ex iuris ratione secus est, *l cum heredes 23. D. de acquir poss.*

15 *d l 1 § qui sunt in potestate. si quis omiss caus. test.*

16 *d l filiam fratribus 56.* vbi Bart. *ad SC. Trebell. d l. dotis actione.*

17 Vt nec quicquam cæterorum corrumpere, quæ per liberos bona fide gesta sunt ante abstentionem, *l. quoties 44. D. de acquirend. hered.*

18 Facilius enim est, vt detur possidenti retentio, *l 1. D. de pignor. l. vnic. C. etiam ob chirogr. pec. retin poss.*

19 *L cum*

BIU Cujas

19 *L. cum quasi 30. §. sed etsi fuus, D. de fideic. libert. l. necessarijs 57. de acquir. hered. l. ita tamen 27. §. si pater filium, D. ad SC. Trebell.*

20 *d. l. necessarijs*, quia prætor hunc qui abstinuit non habet heredis loco. *l. si filius 12. D. de interrog. in iur. fac.*

21 *d. l. ita tamen 27. §. si pater filium. D. ad SC. Trebell. l. pafamilias 28. D. de reb. auctor. iudic. possi. l. aliàs l. 13 de priuil. credit.* Scripsi in *Error. 1. Decad. 31. de error. pragmat.*

DEFINITIO XI.

Dos quidem restitui mulieri constante matrimonio nisi certis ex causis non potest: Sed si mulier ex ea restitutione locupletior inueniatur soluto matrimonio restitutio conualescit.

NOn potest maritus dotem restituere constante matrimonio, nec si mulier velit & consentiat,[1] ne dos periclitetur, quam verisimile sit recasuram in potestatem mariti,[2] atque ita damno mulieris cessurum, atque ita indotata constituatur, si ex eiusmodi restitutione maritus liberetur.[3] Neque vero maritus in diem tantum debitor est dotis, sed etiam sub conditione, si matrimonium soluatur. Itaque priusquam conditio euenerit,[4] nullo modo debitor esse intelligitur,[5] nec proinde potest ab eo facta solutio pare re liberationem. Prius enim est, vt quis debitor sit, quam vt liberetur,[6] potiusque donationis iure censenda est præmatura illa dotis restitutio,[7] quæ donatio licet ab initio non valeat, inter coniuges potest tamen confirmari morte.[8] Porro donationis iure censeri non posset, si ex ea constitutione marito acquireretur liberatio:[9] Si tamen probetur ex ea restitutione, quæ constante matrimonio facta est, mulierem effectam esse locupletiorem, & quidem ita, vt soluti matrimonij tempore duret locupletior, verius & æquius est liberationem conualescere.[10] Sed probandi onus incumbet marito, eiusve heredibus aut alijs, qui pro marito dotem restituerint,[11] nec sufficiet ab initio meliorem factam fuisse dotis conditionem, aut æque tutam & bonam, nisi talis duret:[12] quia liberatio, quæ in ipso instanti solutionis fieri non potest, pendet necessario ex futuro euentu.[13] Diuersum est, si restitutio dotis fiat cõstante matrimonio, ex causa necessaria,[14] tunc enim liberatur maritus, si casu fortuito dos penes mulierem perierit, quamuis non item si maritus restituerit perdituræ.[15] *Ita tractatum & conclusum est*, licet non pronunciatum in causa Ludouici Geneuois, & Antonij Perret, 12. Cal. April. 1596.

1 Nisi ex certis causis, de quibus *in l. quamuis 20. D. solut. matrim.*

2 Ex præsumptione *l. si cum dotem 22. §. transgrediamur, eod. tit.*

3 *L. vnic. C. hoc tit.*

4 Licet contra crediderit Aret. *ad l quod certa die 70. de solution.*

5. *L. cedere diem 213 de verb. sign.*

6. *L. stipulatio ista 38 § inter. de verb. oblig.*

7 *Ex reg. l. donari 82 de reg iur. l donari 29. de donat.*

8 *L cum hic status 32. in princ. & §. siue autem, & pass. D. de donat. inter vir. & vxor.*

9 Cum donare sit perdere, *l. si filiusfamilias 7. D. de donat.* liberari vero sit acquirere, *l. si pupilli 66 in fin. D de solut l species 21. D. de acceptilat.*

10 Ex traditis per Bart. & alios post *gloss. ad l. 2. D. solut. matrim. l. Titia 48 § de solut.*

11 Cum sit hoc fundamentum exceptionis mariti, aut heredum ipsius, *argum. l. prædiorum 10. cum ibi not. Cod. de prad. minor.*

12 Quia nec videtur factum, quod non durat factum, vulg. *l. si pro patre 10. §. versum D. de in rem vers.*

13 *L qui res 98 §. rem autem, & §. aream D. de solut.*

14 Vt in casibus, de quibus *in d l quamuis.*

15 Ioan. Campeg. *in tract. de dote, quæst. 13. per tot.* post gloss. & Bart. *in d. l. si cum dotem 22. §. 1. solut. matrim.*

DEFINITIO XII.

Dotis solutio facta constante matrimonio mulieri, quæ viduæ vulgo credebatur, liberat soluentem.

QVid tamen, si mulier tanquam vidua dotem repetat à proximis agnatis mariti, quasi heredibus, aut à mariti debitoribus, penes quos dotalis pecunia fuit, & ad quos dotis pro marito restituendæ onus pertinuit? Recte facta solutio, dotisque restitutio videbitur,[1] nec si ex postfacto appareat, eo adhuc tempore maritum in humanis fuisse, restituetur obligatio, quæ semel fuit extincta:[2] sufficit enim nihil posse imputari ei, qui soluit,[3] siue dolo malo, siue per facti errorem probabilem,[4] mulier dotem petens mariti mortem mentita proponatur. Quanquam dolo interueniente apertius est mulieri succurri non oportere.[5] Præsertim cum absente marito, qui mortuus putabatur, exacta dos non possit videri recidisse in potestatem mariti, qua potissimum ratione placuit, non posse dotem constante matrimonio restitui mulieri, quæ ita facile fieret indotata.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt hoc casu tantum prosit bona fides, quantum veritas ipsa, quia lex non est impedimento, *arg. l. bona fides 136. de reg. iur.* iunct. *l 3. §. 1. ad SC. Macedon.*

2 Semel enim extincta in totum obligatio nunquam reuiuiscit.

3 Et quem prætor ipse eodem errore deceptus potuit cogere ad solutionem, *l quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud credit.* iunct. *l. 7 §. 1. D. de minor.*

4 *Vt in l cum mater 28. D. de inoffic. testam. l. vlt. D de hered. instit.*

5 Cum deceptis mulieribus succurri oporteat, non autem decipientibus, *l. 2 § sed ita demum, l si decipiendi 30. D. ad SC. Velleian.*

DEFINITIO XIII.

Dotis debitor, qui mulieri dotem soluit constante matrimonio iubente iudice securus est, licet mulier dotem perdiderit, nec maritus sit soluendo.

IVdex à nupta muliere aditus, vt dos sibi constante matrimonio per debitorem solueretur,[1] pro muliere pronunciauerat, quamuis debitor dotis mariti iam tum suspecti paupertatem allegaret. Mulier acceptam dotem male consumpserat, & ita cœperat esse indotata. Si postea soluto matrimonio velit in integrum restitui ad appellandum, non est audienda, cum de alio, quam de se conqueri non possit,[2] nec causa vlla est, propter quam imputare debeamus ei, qui dotem coactus & bona fide soluit,[3] cur non aduersus imperitiam aut iniuriam iudicis sibi prospexerit per appellationem, cum solus auctore iudice liberationem sibi acquirere potuerit, qui parere habuit necesse.[4] In eoque melior illius conditio est, quam eius, qui constante matrimonio emerit pignus dotale. Ille enim non habuit necesse emere, huic vero necesse fuit soluere iudice sic iubente.[5] Quid tamen si probet mulier adactam se verberibus aut minis mariti, vt dotem peteret constante matrimonio, & maritus non sit soluendo? Adhuc dicendum est, non debere id nocere tertio probabiliter ignoranti ea, quę inter virum & vxorem domi gerebantur.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nullo enim colore peteretur & dotis restitutio contra maritum constante matrimonio, *l. vbi adhuc 29. C de iur. dot.*

2 Non enim per omnia similis est mulier minori, *l. vlt. in princ. D. ad Senatusconsultum Velleianum* Nam minori sufficit, vt læsus sit à se ipso & sua facilitate, *l præfecti 17. & pass D de minor.*

3 *L. quod autem 6. § apud Labeonem, D. quæ in fraud cred.*

BIU Cujas

4 L. *non videntur* 167. §. *qui iussu de regul. iur.* Text. est elegans, *in l. ait prætor* 6. § *permittitur, D. de minor. l. si stipulatus* 81. § 1. *de solut.*

5 *L. quod si minor* 24. §. *restitutio, eod. tit.*

6 *L. quod si ego* 4. *l. bona fide* 27. *D. ad SC. Velleian.*

DEFINITIO XIV.

Si solato matrimonio mulier reliquam dotem petat, videtur adprobare alias solutiones constante matrimonio male factas, nec potest in integrum restitui, multo minus heres eius.

MVlier, cui pars dotis male soluta fuerat constante matrimonio, [1] si reliquam dotem petat matrimonio iam soluto, videtur adprobare præcedentes solutiones, [2] nec amplius petere potest eam dotis partē, quasi malè solutam. [3] Adeo, vt nec audienda sit, si tanquam læsa in integrum restitui velit: [4] liberum enim illi fuit dotis suæ conditionem soluto matrimonio facere deteriorem. [5] Igitur heredi eius multo minus competeret restitutio, quia licet heredis & defuncti eadem ratio constitui soleat, [6] hac tamen parte longe fauorabilior est persona mulieris, propter quam tot priuilegia doti concessa sunt, [7] ne mulier maneat indotata, quæ res publicam offenderet vtilitatem, [7] quàm heredis, in cuius persona nec dos vlla esse intelligitur. [9] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nec enim potest regulariter dos solui & restitui constante matrimonio, *l. vnic. C. hoc tit.*

2 Nam qui petit aut accipit aliquid pro resta, vt loquuntur, intelligitur generaliter debitum remittere integrum, & pacisci de non petendo, Cistrens. *ad l. si ex pluribus.* vbi *gloss. D. de solut.*

3 Quia solutio etiam male facta conualescit per ratihabitionem *l. solutam* 49 *vers. ratam, D. eod.*

4 Vt dixi *Defin. præced. num* 2.

5 Non tamen antea. *l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dot.* iunct. *l. si quando* 25. §. *generaliter, C. de inoff. test.*

6 Maxime vero in iure petendæ restitutionis in integrū, *l. non solum* 6. *D. de in integr. restit. l. Pannonius* 86. *D. de acquir. hereditat.*

7 *Notat in l.* 1. *C. de priuileg. dot. l. assiduis* 12. *C. qui potior. in pignor. hab.*

8. *L.* 1. *vbi not. D. solut. matrim. l. interest* 18. *D. de reb. auctor. iudic. possid. l.* 2. *D. de iur. dot.*

9 Quia non potest dos esse sine matrimonio, *l.* 3. *D. de iur. dot.*

TIT. XIV.

NE FIDEIVSS. DOT. dentur.

DEFINITIO I.

Datio fideiussoris pro dote non valet, neque confirmatur iuramento.

FIDEIVSSOREM pro dote, siue conseruanda, siue restituenda vxori à marito, patreve eius dari optima ratione prohibitum est, ne cui credendam sese mulier existimauit, eius fidem doris nomine suspectam habere videatur, [1] neve facilius perfidiæ occasio inter coniuges generetur, quorum concordia dotis potius vinculo retineri debeat. [2] Ergo si fideiussor ex hac causa datus sit iurisiurandi quidem, quod citra dispendium salutis æternæ seruari potest, impetranda erit venia, [3] sed in integrum restitutio, quasi firmato per iusiurandum contractu, [4] non erit necessaria, cum aduersus iustam legis prohibitionem non nisi perperam contrahi potuerit, [5] ne alioqui eueniat, vt priuatorum pactionibus iuri publico derogetur. [6] Non enim huiusmodi fideiussiones ideo prohibitæ sunt, quod antea præstari eas necesse esset, [7] sed, vt quæ olim à volentibus præstabantur, hodie nec ab eo, qui velit, præstari possint. [8] *Sine die.*

1 *l.* 1. *& 2. C. hoc tit.* [quas tamen nonnulli sic accipiunt, vt non cogatur maritus fideiussorem dotis dare si nolit, sed non vt prohibeatur dare si velit, sed male.]

2 Quæ concordia maxime inter coniuges seruanda est, adeo, vt etiam potior eius ratio haberi debeat, quam patriæ potestatis, *l.* 1. § *vlt. de liber. exhib.* Aliud est in dote soluenda. Guid. Pap. *singul.* 483.

3 Alioqui inuiolabiliter seruari debet, ne periurium incurratur, *c. cum contingat, & cap debitores, Extr. de iureiur. Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vend.*

4 Aliquando enim iusiurandum prodest ad firmandum contractum, qui alioquin non valeret, & eo casu necessaria est restitutio, aliquando autem prodest, duntaxat ad inducendam exceptionem periurij, & tunc sufficit impetrare absolutionem *Not. in cap quamuis pactum, de pact. in 6. & ad dict. Authent. sacramenta,* Bartol. *in l. si quis pro eo de fideiuss.* Guid. Pap. *quæst.* 390.

5 *l. non dubium* 5. *in fin. C. de legib. l. si quis inquilinos* 12. §. *vlt. de legat* 1. *l.* 7. *§. & generaliter, D. de pact.*

6 Quod fieri nunquam potest, *l. ius publicum* 38. *eod. tit. de pact. l. vlt. D. de suis & legit.* Bart. *ad dict. l.* 1. *& 2. C. hoc tit.* quibus contra sentiat Didac. *in d. cap. quamuis pactum, in secund. part. relect.* §. 2. *nu.* 9. vbi dicit communem [Adde Iosephum Ludouicum *Decis. Petrus.* 57. vbi tenet affirmatiuam contra Bart. *ad l. si quis pro eo* 57. *De fideiuss.*

7 Nulla enim iuris parte ita cautum reperitur, vt fideiussores dotium dari olim deberent, quod nec fieri potuisset, quia libertas matrimoniorum valde constringeretur, quia multis facilius esset vxorem nolle ducere, quam aut ducere sine dote, aut dotis fideiussorem inuenire, *l.* 2. § *sed si dubitetur, D. de iudic.* [Solent tamen huius tituli leges limitari si matrimonium contractum sit cum viro ab initio inope, quòd hoc casu non possit peti assecuratio dotis. Andr. Gayll. *lib.* 2. *Obseru. cap.* 84. Item si quis principaliter se obligauerit cum marito tanquam correus debendi. Gayll. *ibid. num.* 23. *Specul. in tit. de donat. int. virum & vxorem.* §. 1. *ver. illud quoque,* scilicet vt omnes communi periculo dotem recipiant, atque ita fient correi debendi, vt ait ibi Specul. Iunge *Petr. de Rauenn. sing.* 606. Bart. *in l.* 3. *C. de dot. caut. non numer. & in §. est quoque Nouell.* 22. *de nupt. & ad l. quamuis* 45. *D. de solut. & ad l.* 24. *D. de re iudic.* Videt *l. vnic. C. Theod. hoc tit.* Sane si ante sponsalia vel in sponsalibus ipsis conuenerit, vt dotis fideiussor detur à futuro marito, cui alioquin nec dos nec mulier traderetur: nihil causæ est cur non debeat valere fideiussio. Ne alioqui decipiatur, qui non aliter fuit contracturus. *arg. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit. l.* 5. § *penult. D. de doli mal. except.* Idque demonstrat ratio ipsa posita *in l.* 2. *C. hoc tit.* Iunge *l.* 7. *in prine. D. de except.* ibi, *Mariti fideiussor post solutum matrimonium datus,* licet postrema hæc verba mihi valde sint suspecta ne sint interpretis.]

8 Et ideo conceptus est titulus negatiue & prohibitiue, vt appareat legis prohibitionem hoc casu resistere cōtractui, quo casu contractus non potest firmari iuramento. [Bart. *ad hunc tit.* communiter adprobatus. Alio tamen iure vtimur, vt dicam *Defin.* 4. *infr. num.* 3.]

DEFINITIO II.

Maritus potest & debet dare fideiussorem pro pecunia non dotali, si eam exigat, etiam mulieris consentiente.

FIliusfamilias consentientis, vxoris nomine eueniebat debitores eius pecuniæ, quæ mulieri constante matrimonio extra dotis causam obuenerat. Cum illi solutionem recusarent, nisi maritus satisdaret rem mulieri saluam fore, Maritus autem diceret nihil eorum interesse, eum soluentes mulieri creditrici, aut cui ipsa vellet liberationem omnimodo essent consecuturi. [1] Senatus æquissime putauit faciendum, vt mulieri cautum esset eius pecuniæ nomine, nec prius ad solutionem vrgeri debitores possent,

BIU Cujas

possent, quam ipsa ostenderet, qua ratione in rem suam vtiliter impendi pecunia posset, vel mariti pater aut alius idoneus fideiussor se in eam rem pro marito obligasset: id si fieri non posset deponendam pecuniam penes sequestrem virum probum, per cuius manus eius pecuniæ vsuras mulier perciperet, sicut & in dote fieri solet, cum priusquam soluatur inopia mariti superuenit. [3] Nec quod fideiussores dotium dari prohibitum est, ad rem pertinet. Est enim hac parte diuersa causa dotis & rerum, quæ dotales non sunt, quippe in quibus nihil omnino iuris maritus habeat, [4] & quas mulieri saluas conseruari potissimum publice interest, adeoque debitorum, qui male perdita pecunia soluto quandocunque matrimonio iterum à muliere conueniri possent, si mulieris consensum occulto mariti dolo, metuve extortum postea appareret, [5] Plus enim iuris habet maritus ad exigendam pecuniam dotalem, etiam inuita muliere, q æ dotem dando semel consensit, [6] quam ad accipiendam solutionem pecuniæ paraphernalis, muliere licet consentiente: quia consensus qui ex parte mulieris interuenit cum dat dotem, non æque suspectus est atque is, qui constante matrimonio præstatur. [7] Mihi tamen videbatur Senatusconsultum hoc magis æquitati, quam iuris rationi conuenire, nisi persona mariti suspecta esse proponatur. [8] *Ita Senatus* in causa Filliard & Franciſci Pellin Procuratoris, contra D. Trolliet, 13. Cal. Jan. 1594.

1 *L. vlt. D. de iur. dot. l. vero procuratori*, 12. *D. de solut.*

2 Nam & ad mariti patrem, qui filium in potestate habeat, præsumitur pecunia peruenisse, *l. si cum dotem*, 22. *§. transgrediamur, D. solut. matrim.* ideoque cogitur pater se suaque obligare pro dote filij Bart. *ad leg. Ius nullum, de iud.* at non æque tamen pro pecunia paraphernali aut aduentitia.

3 *Cap. per vestras, Extr. de donat. int. vir. & vxor.*

4 Nempe suo iure. Nam consentiente muliere habet, *l. hac lege, 9. C. de pact. conuent.*

5 *Ex not. in l. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. act. non det.*

6 *L. doce, 9. C. de rei vindic.*

7 *d. §. quæ onerandæ, l. pen. de furt.*

8 Et hoc iure passim vtuntur in Gallia, vt mulier, quæ constante matrimonio consensit, nunquam restituatur.

DEFINITIO III.

Non tenetur maritus cauere debitori dotis, cui potest imputari cur dotem sine cautione marito suspecto promiserit.

MVlieris debitor, qui eius nubentis nomine dotem promisit viro, iam tum facultatib. suspecto petere non potest, vt dotis gratia melius caueatur siue datis in eam rem fideiussoribus, siue pignoribus melioribus. [1] Nam præter id quod fideiussorem ex hac causa dari nominatim lege prohibitum est, [2] quamuis non etiam pignora: [3] Illud tamen in proposito dandis quoque pignoribus obstat, quod non dotis aut mulieris, sed ipsius debitoris periculo futurum sit, si maritus minus idoneus reperiatur. [4] Imputare namque sibi debet, quod tali viro promiserit, nec sibi melius caueri, si non ipsa mulier sibi virum elegit, [5] quo sane casu securus est debitor, qui non, nisi mandante muliere, & ex necessitate dotem promisit. [6] Solaque illa superesse potest quæstio, an mulier agere possit ad dotem in tuto collocandam, cum ei nupsit, qui iam inde ab ipso contracti matrimonij tempore fuit non soluendo? [7] *Ita Senatus* ex tempore, contra procuratorem Joannem Treyuet, 3. Calend. Maij, 1595.

1 Qui duo sunt modi idoneè cauendi, *l. si mandat. 9. §. vlt. D. mandat. l. 4. §. addici. D. de fidec. libert.*

2 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

3 Minus tamen est dare pignora, quam fideiussorem, ideoque dicitur satisdare, qui dat fideiussorem, non etiam is qui dat pignus, *l. 1.* vbi scripsi in Rationalibus, *D. qui satisdare cogant.*

4 Nisi proponas promissam fuisse marito dotem per delegationem: nam qui delegatur, is omnimodo à priore creditore liberatur, *l. 1. doli & pass. D. de donat. & deleg.*

5 *Arg. l. 1. §. illud sciendum, & seq. D. de separat.*

6 Cum etiam inuitus debitor cedi, & in dotem dari possit, *l. 1. C. de nouat. l. si debitor. 80. & 83. D. de iur. dot.*

7 De qua quæstione vide Bart. *ad l. si constante, 24. D. solut. matrim.* [vbi concludit non esse hoc casu locum assecurationi. Ideoque nimirum placet interpretibus fideiussorem dotis dari posse in hac specie. Sed mulieri non debitori, & tum demum cùm dos periculo mulieris est, non debitoris, vt dixi *Defin. 1. num. 7. supr. ex* Andr. Gayll. *lib. 2. cap. 84.*]

DEFINITIO IV.

Licet dotium fideiussores dari non possint, dos tamen quantum fieri potest in tuto collocanda est.

DOtium fideiussores dari lege prohibitum est, ne perfidiæ suspicionis inter coniuges nascatur occasio, [1] adeo vt nec desint, qui putent, fideiussorem dotis nomine acceptum ne ex iureiurando quidem suo obligari, quasi præstito contra leges: [2] sed tamen receptius, vt iurata fideiussio obliget fideiussorem. [3] Neque tamen ideo consequens est, vt dotis fideiussor à muliere peti possit, si non vltro offeratur, inspecta scilicet iuris ciuilis ratione: [4] sed tamen cum vsu quotidiano compertum sit, dotes pleraſque ex maritorum, siue præsenti siue superueniente inopia periclitari, [5] Senatus noster putauit ad publicam vtilitatem, iudicumque omnium officium maxime pertinere, vt quoties de dote agitur, quantum fieri potest in tuto res collocetur, [6] eoque nomine idonea cautio præstetur, [7] nimirum si cautionem petat is, qui ex necessitate dotem soluere debeat, vt puta pater, patrisve heres, aut debitor, quisquis ille sit: [8] Ipsa enim mulier sane cautionem petere non potest, quæ se ipsam viro credidit, licet [9] quam maximè ipsius interest dotem saluam esse. [10] Itaque plus iuris habet hoc casu alius ex persona mulieris, quam ipsa mulier: [11] An quia futurum sit, vt dotem semel solutam iterum soluere cogatur is, qui semel bene soluit, licet inopi marito? Minime. [12] Nec enim semel quæsita liberatio ex postfacto tolli potest: [13] Neque est, quod quicquam imputetur ei, qui soluit marito ius habenti dotis exigendæ, [14] nisi proponas patrem ad cuius sane officium pertinet, vt sicut dotare filiam cogitur, [15] & ita locupletem, idoneumque maritum ei quærere teneatur. [16] Cæterum patris hæres aut debitor, siue frater mulieris ille sit, siue extraneus tutus est, si marito soluerit, quamuis iam egeno, cum nec administrator sit mulieris, [17] nec eius procurator, [18] vt cogatur petere assecurationem, quam mulier ipsa petere, marito vergente ad inopiam, & potest, & debet, [19] sed quia, vt dixi, publice interest dotes mulieribus saluas esse. [20] Honestius tamen, sicut & tutius videtur pignoribus quam fideiussoribus in eam rem caueri, [21] cum dici soleat plus cautionis esse in rem, quam in personam. [22] Cui consequens est, vt neque fideiussorem dare teneatur maritus, qui eo tempore, quo dotem accipit, idoneas habet facultates, ex quibus mulieri satis cautum esse possit, [23] licet fieri queat, vt fiat pauperior. [24] Non idem est, si maritus contracti matrimonij tempore dies fuisse proponatur, ex postfacto autem lapsus facultatibus ante acceptam dotem. Etsi enim secuta quandocunque dotis numeratione ius pignoris mulieri quæsitum intelligi debeat à die promissionis: [25] tamen vbi euidens, iamque emergens amittendæ dotis periculum est, ex

BIU Cujas

præsenti egestate mariti, æquius est mulieri consuli per dotis retentionem,[26] quam pati, vt dotis retentio cum hypothecaria actione commutetur,[27] maxime cum mariti commodo aliter consuli possit:[28] Sequestrata scilicet dote penes probum mercatorem, qui dotis vsuras marito præstet ad ferenda matrimonij onera.[29] *Ita Senatus* in causa Nicolai Brondel Chirurgi, & Joannis Pauy, 4. Cal. April. 1597.

1 Verba sunt *l. 2. C. hoc tit.*

2 Bart. *ad l. si quis pro eo, 6. D. de fideiussor. ex l. non dubium, 5. C de legib. l. si quis inquilinos, 112. §. vlt. de legat. 1.*

3 Seraphinus de Seraph. ex communi nostrorum sententia, *priuil. 69. de priuil. iuram.* [Ioseph. Ludouic. *Decis. Perus. 57.* Didac. Couarr. *in c. quamuis pactum in 2. part. relect. §. 2. n. 9. vbi dicit communem.*]

4 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

5 Fiunt enim quotidie lites de dote in tuto collocanda, & vt loquuntur assecuranda, *ex l. si constante, 24. D. solut. matrim. l. vbi adhuc, 29. C. de iur. dot.*

6 *Ex not. in l. 1. D. solut. matr. l. interest, 18. de rebus auctor. iud. possid.*

7 Melius enim est intacta dotis iura ab initio seruare, quam post vulneratam dotis causam remedium quærere, *arg. l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*

8 Isti enim ex necessitate dotem soluere debent, *l. si extraneus 33. D. de iur. dot.*

9 *Ratio est d. l. 2. C. hoc tit.*

10 Vt facilius & commodius possit nubere, *Auth. sed quamuis, vbi not. C. de rei vxor. action.*

11 Quod sane mirum est, quamuis non sit nouum, vt ex alterius persona quis consequatur, quod ex sua non posset, *l. 3. in fin. D. quæ res pignor. l. si is qui duos, 29. de libertat. legat. cum hereditate 55. D. de acq. hared.*

12 Liberatur enim quisquis soluit vero creditori, *l. solutam, 49. D. de solut.* Maritus autem est verus creditor dotis, *l. dote, 9. C. de rei vind.*

13 *L. qui res 98. §. aream, de solut.*

14 Habet enim plus quam mandatum ad dotem exigendam, cum sit dominus dotis, *d. l. doce*, eamque habeat in bonis, *l. quamuis, 75. D. de iur. dot.* iunct. *l. rem in bonis, D. de acquirend. rer. domin.*

15 *L. capite 19. de rit. nupt. l. vlt. D. de dot. promiss.*

16 Alioqui tenebitur filiam iterum dotare, vt notatur supradictis locis, *& in Auth. quod locum. C. de collat.*

17 Vt ei prospicere debeat, quomodo deberet si esset mulieris curator, *vt in l. siue generalis, 61. D. de iur. dot. l. cum post mortem, 43. §. 1. D. de admin. tutor.*

18 Similis ratio est *in l. postulante, 44. §. vltim. D. ad SC. Trebell.*

19 *Ex l. vbi adhuc, 29. C. de iur. dot.*

20 *d. l. 1. solut. matrim. dict. l. interest. 18. de rebus auctor. iud. possid.*

21 Vtroque enim modo recte ac vtiliter cauetur, *l. si mandatu, 59 §. vlt. D. mandat. l. 4 §. addici, 8. D. de fideic. libert.*

22 *L. plus cautionis, 25. de reg. iur.* de cuius tamen sententia vide quæ alio loco scripsi.

23 *Arg. l. sciendum, 15. D. qui satisd. cogant.*

24 Esset enim mali ominis expectare casum & aduersam fortunam mariti, *leg. inter stipulantem, 83. §. sacram. D. de verb. oblig. l. cum tale, 72. de condict. & demonstr.*

25 *Ex l. 1. vbi notat. D. qui potior. in pign. hab.*

26 *Arg. l. si post perfectam, 14. C. de euict. l. 1. D. de pign.*

27 Est enim longe melius & commodius retinere, quam petere, *l. is qui destinauit, 24. D. de rei vindic. l. 3. D. de compens. at. l. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

28 Ad quem scilicet fructus dotis pertinere debant pro oneribus matrimonij, *l. pro oneribus, 20. C. de iur. dot. l. si is qui, 56. §. ibi dos, D. eod.*

29 *Iuxta cap. per vestras, de donat. int. vir. & vxor.*

TIT. XV.

DE FVND. DOTAL.

DEFINITIO I.

De alienatione iurata bonorum dotalium facta per mulierem, an & quando rescindi possit per restitutionem constante matrimonio.

BONORVM dotalium alienatio, licet iure ciuili prohibita sit,[1] iuramento tamen confirmatur:[2] sed facilis in integrum restitutio est impetrata absolutione,[3] si cum maritali reuerentia, quæ metus præsumptionem inducit, qualiscumque læsio concurrat, etiam intra dimidiam iusti pretij.[4] Neque enim hoc solo læsa mulier videtur, si minore pretio vendiderit,[5] sed & si in rem eius non sit versum pretium, puta si pro mariti debito venditio facta sit.[6] Nam licet hoc casu non sit locus Velleiano, quia Senatusconsultum succurrit tantum mulieri, quæ pro alio se obligat, non item ei, quæ pro alieno debito res suas distrahit,[7] aperte tamen læditur, quæ pro re ad se nihil pertinente sit pauperior.[8] Nec aliud erit, si venditio permittente iudice facta fuerit,[9] præsertim si marito postulante, aut postulationi vxoris subscribente ea promissio impetrata sit,[10] nisi causæ cognitio saltem summaria interuenerit,[11] in qua hoc potissimum versabitur, an necessariâ aliqua causa sit, quæ fundi dotalis suadeat distractionem. Nam ex necessaria causa talis alienatio & olim valuit, & hodie valet;[12] vt puta si nec maritus nec mulier quicquam aliud habeant, vnde se suosque alant.[13] Cæterum bonis dotalibus male distractis non eo minus poterit mulier ius suum persequi, siue iure communi,[14] siue petita in integrum restitutione, quod matrimonium duret. Ipsius enim interest dotem habere,[15] licet fundi vendicatio non mulieri,[16] sed marito competat.[17] Vtique enim maritus ipse, qui vendidit, adeoque de euictione se obligauit, agere non potest,[18] nec restitutionem ex alia causa implorare, quam si læsio immodica & vltra dimidiam iusti pretij interuenisse probetur.[19] Muliori autem facilius restitutio conceditur, & quia prohibitione legis nititur,[20] & quod maritali reuerentia vendere coacta videatur.[21] Si tamen maritus sit locuples, qui aliunde onera matrimonij ferre commode possit,[22] difficilius est, vt constante matrimonio fundus emptori aufferatur, magisque est, vt tamdiu penes eum remanere debeat, quamdiu penes maritum fuisset, si ipse non vendidisset,[23] quamuis interim causa restitutionis exerceri non male possit.[24] Non idem est si maritus laboret inopia, siue à tempore contracti matrimonij ea inopia superuenerit, siue ab initio iam ille inops fuerit. Datur enim vtroque casu mulieri vindicatio, etiam durante matrimonio, si ipsa non vendiderit.[25] Eadem igitur ratione & restitutio in integrum si male ipsa vendiderit, vt habeat ex quo se & suos alat.[26] Nam & hoc casu restitui posset, si marito res proprias & pro dote obligatas vendenti consensisset.[27] Ideoque & ex hac causa condemnati debet emptor, vt fructus, quos post litem contestam percepit ex re dotali, ipsi etiam mulieri restituat, constante licet matrimonio,[28] *Ita Senatus* pro Joanna Joly vxore Jani Mignon, contra hæredes Petri Gleyron, 12. Calend. Mart. 1593.

1 *L. vnic. §. & cum lex Iulia, C. de rei vxor. act. l. 1. & pass. D. & C. hoc. tit.*

2 *Cap. cum contingat extr. de iureiur.*

3 Quæ sane omnimodo necessaria est, cum possit iusiurandum seruari citra dispendium salutis æternæ. *d. c. cum contingat, & pass. eod. tit. de iureiur.* Datur autem apud nos hæc restitutio, quia mulier eadem facilitate iurare intelligitur, qua & contrahit. Vnde est, quod iure ciuili tale iuramentum nullius esset momenti hoc casu, *l. 5. in fin. C. de legib l. si quis inquilinos 112. §. vlt. de leg. 1.*

4 *Arg. l. 1. § quæ onerandæ, vbi DD. quar. rer. act. non det. l. pen. de furt.*

5 *L. si res 11. §. 1. C. de iur. dot.*

6 *Tot. tit. C. de vxor. pro marit.*

7 *L. nec*

7 *L. nec interest 5. iunct. l. prætor. C. ad SC. Velleian. l. 4. in fin. Cod. eod.*

8 *Arg. l. vir vxori 17. §. vlt. eod. tit.*

9 Nam nec Iudici liberum est permittere distractionem bonorum dotalium sine causa, vt nec bonorum minoris, *l. 5. §. si res alienum, D. de rebus eor. qui sub tutel.*

10 Quasi voluntate mulieris per maritum in fraudem ipsius mulieris conquisita, *vt in leg. 2. Cod. de rebus alien. non alienand.*

11 Ita vt non possit dici obreptum aut subreptum Iudici, alioqui non valet quod actum est, *d. l. 5. §. pen. de reb. eor.*

12 *L. 3. D. hoc tit. l. alienationes 13. D. famil. ercisc.*

13 *L. si cum dotem 22. § si maritus, ad fin. D. solut. matrim. l. quamuis 20. eod. tit.*

14 Si iusiurandum mulieris non interuenerit, quo casu venditio fundi dotalis ipso iure non valet, vt dixi *num. 1.*

15 *L. seruo legato 69. § si testator, de leg. 1. l. pater filiæ 71. D. de cuict.*

16 Nisi soluto demum matrimonio, *l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

17 *L. dote 9. C. de rei vindic.*

18 Quia quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *vulg. l. vindicantem 17. D. de euict. l. venditrix 31. C. de rebus alien. non alienand.*

19 Condictione *ex l. 2. C. de rescind. vendit.*

20 *d. §. & cum lex Iulia, iunct. l. vlt. C. de reb. alien. non alien. l. & tot. hoc tit. D. & C.*

21 *d. l. §. quæ onerandæ. D. quar. rer. act. non det.*

22 Quo casu non est locus remedio, *l. vbi adhuc 20. C. de iur. dot.*

23 *Arg. d. l. in rebus, & l. peto 69. §. prædium, de leg. 2.*

24 Dilata tantum executione iudicati in tempus soluti matrimonij, *arg. l. in lege Aquilia 40. in fin. D. ad leg. Aquil.*

25 *d. l. vbi adhuc 9. C. de iur. dot.*

26 Nec enim nouum est, vt mulieri etiam pro re dotali detur restitutio in integrum, constante quoque matrimonio, dum id sine mariti iniuria fiat, *l. Titia 62. de iur. dot.*

27 Si modo non superesset in bonis mariti, vnde satisfieri pro dote posset, *l. iubemus 21. C. ad SC. Velleian. cap. peruenit Extr. de empt. & vend.*

28 Quia fructus dotis hoc casu non ad maritum pertinent, sed ad mulierem, ad se suamque familiam alendam, *d. l. vbi adhuc.*

DEFINITIO II.

De alienatione bonorum paraphernalium, in quo læsio interuenit.

QVod si bonorum paraphernalium aut aduentitiorum facta venditio sit, est quidem illa validior, quia & citra iusiurandum valet, [1] cum nulla lege prohibita sit, [2] sed tamen si læsio interueniat enormis, vt vocant, & immodica, [3] perinde mulier in integrum restituetur ad venditionem omnimodo rescindendam, ita vt nec supplendi iusti pretij electio emptori detur, [4] propter concurrentem metum reuerentialem, qui hactenus saltem prodesse mulieri debet, [5] quamuis nec mariti minas probet nec verbera. [6] Nam si quid horum præterea interuenerit, locus est restitutioni ex edicto, De eo quod vi metusve causa, [7] licet nec læsio vlla adsit in pretio, nec dolum, qui ex vi facta metúve illato colligitur, emptor vllo modo participaueri. [8] Imo nec emptori proderit, si probet soli citatum se à muliere etiam absente marito, vt ab ea emeret, [9] si modo probet illa se vapulasse, vt emptorem solicitaret: quoniam quicquid per vim aut metum gestum est, totum id irritum haberi debet. [10] Denique sufficit in eo læsam esse mulierem, quod inuita vendidit, [11] licet nec in pretio decepta sit, nec male consumpta, aut in inopis mariti rem versa fuerit pecunia. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Habet enim mulier liberam istiusmodi bonorum administrationem, at non etiam maritus, nisi muliere consentiente, *l. hac lege 8. C. de pact. conuent. tam sup. dot. l. maritus 21. Cod. de procurat.*

2 Lex enim Iulia, itemque Iustiniani *in l. vnic. C. de rei vxor. act.* de solo dotali fundo locuta est.

3 Id est, vltra dimidiam iusti pretij, *vt in l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

4 Quæ alioqui danda esset, *ex d. l. 2. & d. l. si voluntate.*

5 *Arg. l. 1. §. quæ onerandæ*, vbi notat. *D. quar. rer. act. non det. l. pen. D. de furt.* [Imo si præterea illud cõcurrat, vt venditio facta sit contra Velleianum, puta pro marito aut alio quolibet, cuius creditoribus satisfieri ex pretio debeat, non erit necessaria mulieri restitutio, sed poterit rectè rem vendicare, & aduersus exceptionem rei venditæ & traditæ obtiere replicationem Velleiani *l. vlt. §. item si mulier D. ad Velleian.* scilicet quia hoc casu non transit dominium in emptorem. Castr. *ad Auth. si qua mulier. Cod. eod.* Nec interest an agat mulier contra emptorem, an contra alium qui ab ipso emptore postea bona fide emerit, *d. l. vlt. § 1. Ita Senatus* in causa, de qua *Defin. 27. sup. ad SC. Velleian.*

6 Quæ tamen probari oportet, si enormis & immodica læsio non interueniret. Nunquam enim solus reuerentialis metus sufficit, nec si læsio modica concurrat, *l. ad inuidiam 6.* vbi Bart. *C. de his quæ vi metusve caus.*

7 Quia quod vi metusve causa gestum est, numquam ratum habet prætor, *l. si mulier 21. §. 1. & pass. D. ill. tit.*

8 Verba namque edicti concepta sunt in rem, non in personam, *l. metum 9. §. animaduertendum, l. item si cum 14. §. in hac actione, eod. tit.*

9 Quamuis dici soleat, deceptis, non decipientibus mulieribus subueniri oportere, *l. 1. §. sed ita demum, l. bona fide 27. l. si decipiendi 30. D. ad SC. Velleian.*

10 *d. l. si mulier 21. §. 1.*

11 Nemo enim rem suam inuitus vendere cogendus est, *l. fundus 30. D. famil. ercisc. l. non enim 9. D. rer. amot.* vt nec emere alienam, *l. nec emere 16. C. de iur. delib.* Iunge *l. si res 12. §. 1. D. de iur. dot. l. & eleganter 7. in princ. de dolo.*

12 Quibus tamen casibus maior subesset æquitas restitutionis, vt dixi *Defin. præced. num 5. 6. 7. 8.*

DEFINITIO III.

Mulier non potest restitui aduersus venditionem fundi dotalis factam auctoritate Iudicis pro alimentis præstitis, marito in carceres ea postulante detruso.

MVlier, quæ ad improbos supra modum fæmulientis mariti mores coercendos à Judice impetrauit, vt detruderetur ille in carceres, [1] ex eaque causa, cum soluendo ipse non esset, alimentorum sumptus ab eo factos de suo soluere condemnata est, si fundi dotalis venditionem ob id pati coacta sit, frustra postea, siue constante, siue soluto matrimonio, petet in integrum restitutionem: [2] eo solo prætextu, quod ita fiat indotata, [3] nec in eius rem versum videatur quod prauo tixosoque marito exhibendo sit male impensum: [4] sibi enim imputet, suamve aut stultitiam aut infelicitatem accuset, quod ei nupserit, [5] Nam ipsi emptori, qui bona fide accessit ad publicam venditionem auctoritate Judicis permissam, quid obsecro imputari potest, vt ob istorum coniugum rixas moresque pauperior fieri debeat? [6] At cur mulieri permittamus factam venditionem rescindere, quam, ne fieret, non potuit impedire? [7] Idem multo magis admittendum est, si mariti bona, quæ pro mulieris dote obligata erant, distracta proponantur: facilius enim est, vt dotalem hypothecam perdat mulier, quam proprietatem ipsam bonorum dotalium: [8] idque procedit indubitatius, si proponas, mulierem ipsam, cum bona obligata non inuenirent emptorem, ac ne viliore pretio distraherentur, sibi amicoque, vt fit, eligendo comparasse, [9] posteaque extraneum in suum locum eodem pretio substituisse. Nam licet dici soleat, emptoris, & eius, quem emptor intra tempus constitutum in amicum elegerit, personam eandem intelligi, eodemque iure censeri electum, ac si primum & solus emisset: [10] negari tamen non potest, quin, quo instanti mulier emit, sibique dotalium pignorum dominium acquisiit,

BIU Cujas

pignoris ius amiserit, quia rem factam suam retinere sibi obligatam non potuit. [11] Nec quod postea dominium illud à se abdicauit, facere potest, vt semel extincta pignoris obligatio reuiuiscat, cum ea alienatio non anteriorem & necessariam causam habeat, [12] sed plane liberam & voluntariam. [13] Ideo autem agimus de re dotis nomine obligata, quia rem ipsam dotalem, quæ reuera est mulieris, licet in mariti bonis esse dicatur, [14] mulier ipsa emere non potest, [15] nisi vno illo casu, quo suam habere desierit, vt puta si cum res illa viliſſimo prius pretio distracta esset, mulier à Judice impetrauit ex iusta aliqua causa, vt iterum distraheretur. [16] Dominium enim, quod per primam venditionem à muliere abscesserat, nihil prohibet ad eam recurrere ex noua emptione. [17] Quo casu tanto minus actio mulieri superesse debet in eum, quem subinde in locum suum substituerit, [18] cum de se ipsa conqueri potius debeat, nec possit dicere factam à se venditionem bonorum dotalium, quando sublata per priorem venditionem dotis causa desierint esse dotalia, [19] tametsi tum adhuc matrimonium constaret. [20] *Ita Senatus* pro Claudio Goteland, contra Gabrielam Sermier, 7. Id. Decembr. 1593.

1 Non enim ferendum est, vt supra modum maritus in vxorem sæuiat, cui nec in seruos dotales sæuire licet, *l. si constante 24. § si maritus. D. solut. matrim.*

2 Non enim læditur qui iure communi vtitur, *l. vlt. C. de in integr. restit. minor.* nec alienationis prohibitio includit necessariam alienationem, quæ fiat ex iudicati auctoritate, *l. alienationes 13 D. famil. erciſc. leg. 3. §. 1. & seq. D. de rebus eor. qui sub tutel.*

3 Nam nec nouum est dotem minui ipso iure per impensas necessarias, *l. 5 D. de impens. in res dot. fact.*

4 Hæc tamen allegatio falsa est, cum teneatur mulier alere maritum aliunde non habentem, *l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot. iunct. l. 3. § preinde, D. de in rem verſ.*

5 Hoc enim maluisse videtur, & se in hanc necessitatem coniecisse, *argum. l. si à patre 22. de rit. nupt. l. 7. §. 1. qui satisd. cogant.*

6 *L. ait prætor 7. alias l. etsi sine, §. quæsitum, D. de minor.*

7 *d. l. 1. §. 1. de rebus eor. qui sub tutel. & d. §. quæsitum.*

8 *L. iubemus 21. Cod. ad Velleian. iunct. l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

9 Potest enim etiam creditor & debet emere pignora, quæ distrahuntur in executione iudicati, si non inueniant emptorem, *l. 1. & 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

10 De quo vide quæ scripsimus, *ad tit. si quis alter. vel sib. supr.*

11 *L. pen. §. 1. de except. rei iudicat. l. neque pignus 45. de regul. iur.*

12 *Vt in d. §. pen. & l. debitor 59. ad SC. Trebell.*

13 Obligatio enim semel extincta non potest reuiuiscere, *l. qui res 98. §. aream de solut.*

14 *L. quamuis 75. D. de iur. dot. d. l. in rebus 30. C. eod.*

15 *L. suæ rei 16. D. de contr. empt.*

16 Vt in casu *l. si quos per. C. de rescind. vendit.*

17 *L. 2. l. si à te 7. C. de pact. int. empt. & vendit.*

18 Contra quem non magis potest agere, quam contra se ipsum, *l. ne cum filiofamilias 17. D. de furt.*

19 Quod enim desiit esse in bonis mariti & in dominio mulieris, non potest esse dotale, *l. dotale 13. §. dotale, D. hoc tit.*

20 Non enim matrimonium solum potest facere bona dotalia, sicut nec facit dotem, cum possit matrimonium esse sine dote. quamuis non dos sine matrimonio, *l. 3. D. de iur. dot.*

DEFINITIO IV.

Mulier restituta in integrum aduersus venditionem fundi dotalis non togitur reddere, quod non ipsa sed maritus accepit vice fructuum, dummodo nec ipsa fructus petat, at nec maritus tenetur.

QVæ constante matrimonio fundum tibi vendiderat, consentiente aut potius cogente marito, [1] ea lege, vt annuam frumenti & vini quantitatem præstares, quoadusque pretium solutum esset, si postea in integrum restituatur, & fundum sine fructibus recipere parata sit, [2] non est cogenda annuas illas pensationes reddere, præsertim quas non ipsa, sed eius maritus perceperit. [3] Nec mutabit, quod eæ pensitationes longe pluris sint, quam fructus ex fundo percepti, quos tu restituere sis paratus. Nam quemadmodum eo iure vtimur, vt impetrata per venditorem etiam minorem annis restitutio non auferat emptori fructus, quos ex contractu bona fide inito, & ante litem contestatam perceperit: ita nec in potestate emptoris esse debet, vt fructuum oblatione auferat venditori ea, quæ ex eodem contractu in vicem fructuum aut vsurarum pretij præstiterit, [5] quasi vtrisque præstationibus hinc inde legitime debitis, quandiu mutuus contractus subsistit, [6] præsertim cum in proposito videaris tu eam legem tibi dixisse, tanti scilicet æstimans tua interesse, ne ad pretij solutionem statim conuenireris, [7] siue quod ad manum pecuniam non haberes, [8] siue quod suspectas haberes mariti facultates, cui non satis tuto posse te soluere crederes, nec proinde vxori eius constante matrimonio. [9] De illo fortasse probabilius dubitari possit, an eas pensitationes reddere maritus ipse cogi possit, contentusque esse legitimis vsuris pretij, si fundus fuerat dotalis? Sed magis est ne debeat, cum illas iure suo perceperit. [10] Plane quæ post litem de restitutione contestatam solutæ probabuntur, siue viro, siue vxori restituendæ erunt per mulierem, [11] nec cum fructibus à te perceptis compensari poterunt te inuito, tametsi id mulier maxime velit, [12] quia non debet esse in potestate petentis restitutionem, pro qua contractus aut bonorum parte rescindi contractum aut restitui in integrum velit. [13] Et quemadmodum inuitus emptor venditori condemnandus est ad restitutionem fructuum post litem contestatam perceptorum: [14] ita vicissim condemnandus est venditor, vt emptori restituat, quidquid ab eo post litem contestatam perceperit, [15] maxime cum id tale est, quod excedat iustam fructuum æstimationem, [16] nec restitutio claudicet, quæ mutuas & æquales vtrinque habere debet præstationes. [17] *Ita Senatus* extempore in publico auditorio in causa Guillielmæ Dupeliet, 4. Id. Mart. 1594.

1 Compertum enim est huiusmodi consensum à mulieribus præstitum ab inuitis plerumque extorqueri per maritos abutentes facilitate & infirmitate sexus.

2 Alioqui fructus venirent in restitutionem saltem, qui essent percepti à die litis contestatæ tanquam ex eo die constituto possessore in mala fide, *l. sed etsi lege 25. §. si ante, D. de petit. hared. l. vnic. Cod. de reput. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

3 Ad maritum enim pertinent, ad quem fructus pertinerent, quorum loco sunt, *l. pro oneribus 20. C. de iur. dot.*

4 Inuita tamen iuris ratione, ex qua sane fructus omnes etiam ante litem contestatam percepti veniunt in iudicium restitutionis, *d. l. vnic. Cod. de reput. quæ fiunt. l. patri 27. §. si pecuniam, iunct. l. quod si minor 24. § restitutio, D. de minor. Scripsi in error. 6 & 7. decad 7. error. pragmat.*

5 Nihil enim prodest oblatio ad rescindendum contractum, *l. non est probabilis 6. C. de rescind. vendit.* iunct. *l. sicut 5. de oblig. & action.*

6 Tandiu vero subsistit, quandiu non est rescissus per integrum restitutionem, quia non posset rescindi contractus qui non tenet *l. penult. C. si aduers. rem iudic. l. 3. C. si aduers. libert.*

7 Potuisses enim conueniri statim actione ex vendito, *l. ex empto 11. D. de act. empt.*

8 Nec enim debiti solutio semper est in expedito, *l. si dubitet 10 D. fideiuss.*

9 Solet enim postea dubitari, an debitor mulieris, qui soluit inopi marito, sit liberatus.

10 Vice fructuum fundi dotalis, vt dixi *n. 3.* Iunge *l. Pomponius 29. D. quibus mod. vsufr. amitt. l. Titia 62. de iur. dot.*

11 Tanquam

11 Tanquam perceptæ mala fide, quæ inducitur ex contestatione, vt dixi *num.2.*

12 *d.l.quod si minor 24.§.restitutio, l.patri 27.§.si pecuniam, D.de min.* Interdum tamen fit compensatio vsurarum & fructuum, *vt in l.minor 40.in fin.eod.* sicut fructuum & sumptuum in rem factorum, *in l.sumptus 48.D.de rei vindic.*

13 *L.tutor 47.§.1. D. de minor.l.cum quæritur 16. de admin.tutor.l.nam absurdum 7.de bon.libert. l.si ita 39.in fin.de oper.liber.*

14 *d.l.sed si lege 25.§ si ante D.de petit.hared.*

15 Vt eadem sit ratio distrahendi negotij, quæ contrahendi, *l.5.§.is quoque, D.de oblig.& act.l.ab emptione 58.de pact.*

16 Compensatio enim tum quoque, cum fit, non potest fieri nisi ad concurrentem vsque quantitatem, *l.cum aliter 11. & seq.D.de compens* nec rursus potest fieri compensatio quantitatis ad speciem, *l.si constat.4.& l.vbi not.Cod.eod.*

17 *d.l.quod si minor 24.§.restitutio, D.de minor.d.l.vnic. C de reput.quæ fiunt in iudic.in integr.restit.*

DEFINITIO V.

Mulieri petenti restitutionem aduersus venditionem fundi dotalis non nocet, quod pretium exegerit soluto matrimonio.

SI mulier, quæ vrgente metu & reuerentia maritali fundum dotalem vendidit, in integrum postea restitui velit aduersus venditionem, [1] non eo minus audienda est, quod post mariti mortem pretium exegerit aut vsuras pretij, aut quid aliud annuum, quod in vicem vsurarum esset. [2] Id enim in consequentiam male gesti negotij factum videri potest potius, quam vt negotium ratum haberetur, initio scilicet inspecto. [3] Nam & post petitam restitutionem posset adhuc ex contractu pretium aut pretij vsuras petere is, qui restitutionem postulasset, neque idcirco restitutionis auxilium abiecisse videretur; nimirum quia quamdiu contractus rescissus non est, plane tenere eum necesse est, & in eo statu manere omnia, ac si petita restitutio non esset. [4] Nec simile est quod dicimus, eum qui vltro soluit, non esse audiendum, si dicat, coactum se per vim vt promitteret, ni in soluendo quoque sibi vim factam probet. [5] Plus enim sibi præiudicat, qui vltro soluit, quam qui solutionem accipit, [6] licet multo tutius fuerit, vt solutionem accipiens protestetur, nolle se beneficio restitutionis sibi competentis damum adferre. [7] Sed & longe facilius est, vt spontanea solutio tollat allegationem metus præcedentis, quam cæteras restitutionis causas ex immodica læsione, aut minoris ætatis lubrico, aut legis prohibitione descendentes, quia facilime purgatur metus. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ diximus *Definit.1 & 2.& eod.ex l.1.§. quæ onerandæ*, vbi Bart. & alij, *D quæst.rer.act.non det.*

2 Quamuis hoc casu possit videri purgatus metus reuerentialis per ratihabitionem secutam tempore non suspecto, *arg.l.2.C.de eo quod met.caus.*

3 *Vt in l.1.§.scio, D.de minor.*

4 Eo namque iure vtimur, vt pendente iudicio restitutionis contractus teneat propter iusiurandum, nec habeat restitutio vim suspensiuam, quomodo habet sane ex iuris ratione, *tot.tit C.restit.in integr.postul. ne quid noui fiat.l.si causa cognita 32.C.de transact.*

5 *d.l.2.C.de eo quod met.caus.*

6 Quoniam qui solutionem accipit fit locupletior, qui vero soluit alienat, quamuis & hic locupletior fieri dicatur, quatenus se liberat ab obligatione, *l.si pupilli 66. in fin. de solut.l. species 11.D.de acceptil.*

7 Protestatio enim conseruatius protestantis, & prodest ad tollendam omnem dubitationem, *l.pro hærede 20. D. de acquir.hered.l.et si quis 14.§. plerique, D.de relig. & sumpt. funer.*

8 Tanquam qui consistat in animo patientis metum magis quam in re ipsa, licet non sufficiat, quantum ad causam edicti, vt metum quis sibi inferat, *l.si mulier 21.in princ. & pass. D.quod met.caus.*

DEFINITIO VI.

Casus, in quo maritus potest transigere de fundo dotali, non solum retinendo, sed etiam alienando.

MAritus potest transigere de re dotali retinendo, non alienando exemplo tutoris, curatoris, & aliorum huiusmodi administratorum, [1] dummodo nihil per sordes, neque per gratiam factum sit. [2] Quid ergo si pecunia ad retinendum sit promissa, adiecta hac conuentione, vt in casum non solutionis fundus alienetur? Valet conuentio, [3] valebit etiam in suo casu alienatio tanquam facta in necessariam consequentiam. [4] *Ita Senatus* in causa N. Franciſci de Bellegarde, contra D.de Cardé, 12. Decembr. 1596.

1 *L.si pro fundo 33 vbi not.C.de transact.*

2 Neque enim sordes aut gratiam vnius alteri nocere oportet, *l.si per imprudentiam 51.D.de euict.l.2.C.si vend.pignor. agat.*

3 Quia imputare sibi debet, qui solutionem intra certum tempus promisit, cur non satisfecerit.

4 *L.magis puto 5.§.sed si pater, & sequ.D.de rebus eor. qui sub tut.*

TIT. XVI.

DE NATVRAL. LIBER. & Spur.

DEFINITIO I.

Bastardis sine testamento & sine prole decedentibus, etiamsi susceptí sint à patre talliabili, Princeps succedit, nisi priuilegium alicuius obstet aut inueterata consuetudo.

EO iure vtimur ex inueterata longoque vsu recepta consuetudine potius, quam ex scripti iuris ratione, [1] vt spuriis omnibus, quos vulgò Bastardos vocant, si & intestati [2] & sine prole decesserint, [3] Princeps succedat, ex quocunque patre sint illi susceptí, cum antea obtineret, vt non nisi liberis Presbyterorum succedere Princeps posset. [4] Sed hoc ita, si non id ius occupauerit dominus territorij, siue ex priuilegio, [5] siue ex ea consuetudine, cuius initij memoria non extet; [6] qualis consuetudo illa est, quæ apud Sebusianos meos, vt audio, huiusmodi successionis iura Comitibus omnibus tribuit. [7] Cæterum si bastardus, aut prolem naturalem & legitimam reliquerit, aut testamentum fecerit, de Principis iure quærendum nil erit. [8] Quid vero si ex homine talliabili, vt loquuntur & dediticiæ conditionis bastardus susceptus sit, qui & intestatus & sine liberis decesserit? An feudi dominus in ea successione Principi præfertur? Minime, quia bastardorum ea ratio est, vt matris conditionem sequantur, non patris. [9] Vnde fit vt nec bastardi filius succedat intestato auo paterno, tametsi ab eo institui possit. [10] Ita sæpius in Senatu tractatum & relatum est, maxime in causa Guillielmi le Marquis Castellani de Miribel, mens. Decembr. 1593.

1 Nihil enim vspiam tale scriptum reperimus. Vide Chass. *rubr.8.Des successs de bastards.§.1.& 3 num.5.*

2 Nec enim dubitatur, quin hodie testamentum facere possint, quamuis lex duodecim tabularum de iis locuta non sit, cum testamenti factionem & actiuam & passiuam introduxit, quia non sunt isti ciues Romani, sed alienigeni & peregrini, ideoque manserunt incogniti vsque ad tempus Con-

BIU Cujas

stantini, vt refert Iustin. *Nouell. 89. quibus mod. natur. effic. sui, in princip.* Et is locus ille de naturalibus loquitur, nos vero de bastardis ex quocunque patre susceptis.

3 Nam nec olim fiscus succedebat in præiudicium liberorum, *l. vnic. C de cadu. tollend.* Bastardi tamen filius non succedit auo intestato, vt sequitur in Definitione.

4 Horum enim causa semper visa est odiosior, tanquam ex damnatissimo & sacrilego coitu susceptorum, *tot. tit. extr. de filiis presbyter.* Et ideo quamuis & ab extraneo capere possint, & extraneum instituere, secundum nostros, *ad l. vltim. C. hoc tit.* non possunt tamen à patre institui, nec patrem instituere, *Auth. licet in fin. eod. Auth. ex complexu. C. de incest. & inutil. nupt.*

5 Quod scilicet habeat à Principe.

6 Hæc enim habet vim tituli, *l. 1. §. vltim. & l. fin. de aqu. & aqu. pluu. arcend. l. 3. §. ductus aquæ, D. de aqua quotid. & æstiu.*

7 Vt hoc ipso quod quis probauit se Comitem, intelligatur etiam probasse habere se ius succedendi Bastardis.

8 Quia non possunt videri hoc casu bona vacantia, quæ dominum habent & legitimum successorem.

9 Cuius enim alterius quam matris conditionem sequerentur, cum patrem nullum habere intelligantur, vt ratiocinatur Vlp. *in l. 1. §. vltim. D. ad municip. l. lex naturæ 26. de stat. homin.* Nam & ideo *ἀπάτορες* appellantur *in §. si aduersus, Inst. de nupt.*

10 Andr. Gail. *lib. 2. pract. obseru. cap. 115.* Modern. ad Alex. *consil. 74. vol. 2* Boer. *decis. 107. num. 16.* Bald. *ad l. vlt. C. hoc tit.* Iunge *Defin. seq.*

DEFINITIO II.

Fratres naturales non suscepti ex damnato coitu sibi inuicem succedunt etiam ab intestato, sicut & parentibus suis: at non item suscepti ex coitu damnato.

FRatres naturales succedunt sibi inuicem ab intestato, sicut & parentibus suis, [1] nisi ex damnato & per leges ciuiles punibili coitu concepti proponantur. [2] Istæ enim ex contrario sicuti parentibus, ita & inuicem sibi succedere tam ex testamento, quam ab intestato prohibentur, ne præcipuo hoc naturæ & legis beneficio fruantur, [3] quos neque lex agnoscit, nec ipsa quoque natura. [4] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Defin. 4. infr. de legit. hæred.

1 *L. 2. 4. 5.* vbi Bald. *D. vnd. cognat.* Et ipsis vicissim parentes Bart. *in l. fin. num. 4. D. de his quibus vt indign.* [Quod intellige de parentib. materois quorum scilicet eadem ratio est quę matris de qua loquitur Bart. *d. num. 4.* Nisi mater sit illustris, *ibi* Illustris autem & non quælibet nobilis, nec fi sit ab antiqua prosapia, sed quæ illustri aliqua dignitate præfulgeat, puta Marchionatus aut Comitatus, aut saltem Baronatus. *Ita Senatus* pro interpretatione, *l si qua illustru. C. ad Orfic.* in causa liberorum Ioan. Francisci du Vergier, contra Claud. Puenset, 3. Iulij 1612. Cæterum neque patri, neque parentibus paternis possunt illegitimi liberi succedere, nisi in duabus vneiis nulla legitima sobole nec vxore subsistente, neque illis parentes *Authent. licet & l. vlt. C. hoc tit.* Inter se tamen possunt illegitimi succedere etiam ab intestato, non tanquam agnati (sunt enim degeneres non de genere, vt facete Bald. *ad d. l. vlt.*) sed quasi cognati, & iure cognationis, si quis hoc saltem vocabulum ad eos velit extendere, vt loquitur Iustin. *in d. l. vlt.* Nisi quis probabilius putet ex *d. l. vlt.* quæ loquitur de iis tantùm qui à patre & auo paterno coniuncti sunt, vt quod ait hæc Definitio, fratres naturales succedere sibi inuicem ab intestato de vterinis solis debeat intelligi, non de consanguineis tantùm. Nam & de vterinis loquitur, *l. 4. & 5 D. vnd. cognat* non de aliis. Et ita sanè est, vt constat ex Matth. de Afflict. *decis. 96.* vbi addit, quod magis est, hos fratres vterinos naturales sibi inuicem succedere ab intestato, etiam si sint omnes susceptі ex damnato coitu, & ita iudicatum fuisse in Curia Neapolitana, Quasi quod ad transuersales pertinet ius vetus non sit abrogatum, sed dumtaxat quantum ad ascendentes & descendentes, licet ipse contrariam sententiam magis probare videatur, vt supradictæ leges 4. & 5. *D. vnd. cognat.* loquantur tantum de vulgo conceptis, non de natis ex damnato coitu. Sententiam tamen Curiæ Neapolitanæ secutus est Senatus noster in causa sororum Vulliod d'Yenne. *Sine die.* Erant enim sorores etiam vterinæ non consanguineæ tantùm, contra Bart. *in d. l. fin. de his quibus vt indign.* & Alexand. *cons. 74.* incip. *super eo de quo quæritur, volum. 5.*]

2 Gloss *in l. vlt. C. hoc tit. Auth. ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.* [Excipe fratres vterinos etiam ex damnato coitu susceptos, iuxta dictam Afflicti *decis. 95.* quam Senatus noster probat.]

3 Cum ius succedendi siue ex testamento, siue ab intestato sit ex legibus, *l. verbis 120. l. lege obuenire 130 de verb. signif.* Vnde & iuris publici esse dicitur, *in l. 3. D. qui test. facer. poss.*

4 Nisi hactenus vt alimenta iis debeantur ex æquitate canonica, *cap. cum haberet, ext. de eo. qui dux. in matrim. quam poll. per adult.* Nam quod ad causam successionis attinet, nihil hac parte iure pontificio innouatum est.

DEFINITIO III.

Filius naturalis non legitimatus non potest impugnare testamentum patris, ne quidem eo casu, quo posset ipsi ab intestato succedere in aliqua portione.

FIlius naturalis tantum, non etiam legitimus, sicut non habet bonorum possessionem contra tabulas, aut ius dicendi testamentum nullum, cum est præteritus, ita nec querelam inofficiosi testamenti, si sit exheredatus, nec quæ in eius locum substituta est actionem ad supplementum, [1] si quod ei relictum est non æquet portionem aut trientem portionis quam ab intestato esset habiturus: [2] nec si liberi legitimi nulli superfint, nec vxor. [3] Quia cum non sit legitimus, æqui bonique consulere debet, quod non nisi ab intestato nulliſque legitimis superstitibus legi sit cognitus. Itaque paterno iudicio, qualecunque tandem illud sit, omnimodo contentus esse debet. [4] Hoc ita si non sit legitimatus. [5] Hic enim parum abest, quin legitimi iure in omnibus censeatur. [6] *Ita Senatus* noster in causa Franciscæ Fabri, & Claudij de S. Real, 25. Calend. Aug. 1592. & iam antea in causa discussionis bonorum Do. de Chasteaufort, Calend. Decembris 1586.

1 *Ex l. omnimoda 30. C. de inoff. testam.*

2 *Ex Auh. licet. C. hoc tit.*

3 Nam cum liberi legitimi supersunt vel vxor, nihil habere debet filius naturalis ab intestato, nec ex testamento, *dict. Auth. licet, & l. vlt. C eod.*

4 Sic Alex. post glos. & Bart. *ad l 1 D. de bonor. poss. cont. tab.* Idem Alex. *cons 74.* incip. *viso processu in fi. vol. 2.* Simile quiddam est de filio adoptato ab extraneo, *in l. pen. §. sed ne articulum, C. de adopt.*

5 Roman. *cons. 34.*

6 *Nouell. 89. quibus mod natur. effic. sui, & Nouel. quib mod. natur. effic. legit.* [Vnde est quod nec in legitimato locum habet, *l. vlt. C. hoc tit.* Cranet. *cons. 138. num. 4.* Dec. *cons. 462. nu. 11. & 12. Ita Senatus* in causa, de qua *Defin. 13. infr.*]

DEFINITIO IV.

Filius naturalis non magis cogitur satisdare quam legitimus, pro ea quantitate, quæ ipsi prorogetur in causam sumptuum litis vel alimentorum.

IN eo tamen idem fauor est liberorum naturalium, qui legitimorum, quod si quid pendente lite petant in causam sumptuum litis & alimentorum, [1] non magis illi, quam hi satisdare coguntur: [2] quamquam tanto minor quantitas filio naturali adiudicanda est, quanto minor est ea portio, quæ filio naturali ab intestato, quam quæ naturali & legitimo pro legitima debetur. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 7. sup. De satisdand.

1 Quo nomine certum est debere aliquid filio prorogari lite pendente, *l. si instituta 27. §. pen. D. de inoff. test. l. pen. vt in poss. legat. l. vlt. C. de ord. cogn. l. filius 9. de iur. delib.*

2 Dixi *Defin. 3. supr. de satisd.*

3 Legitima enim, quæ filio naturali & legitimo debetur, est trieus vel semis pro numero liberorum, *l. cum quæritur 6. iunct. Auth. nouissima, C. de inoffic test.* legitima vero filij naturalis nulla est, ab intestato autem sextans duntaxat ei deberi potest, *Auht. licet, hoc tit.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Natus ex damnato coitu non potest legitimari nec per subsequens matrimonium, nec per rescriptum Principis, maxime vero in fraudem eorum, quorum interest, si non & ipsi consentiant.

SPurium adulterinum aut ex alio damnato coitu susceptum legitimari ex rescripto Principis mali profecto exempli est, & contra bonos mores, [1] cum neque ex iis sit, qui per subsequens matrimonium, cuius præcipua est ad legitimandum auctoritas, [2] legitimari possint. [3] Itaque si tale rescriptum à Principe patet impetrauerit, non debet Senatus, ad cuius potius quam ad Rationalium cognitionem ea res pertinet, voluntatem sequi Principis, [4] nisi tot iussionibus & comminationibus vrgeatur, vt vel inuitus parere habeat necesse. [5] Sed & si quando huiusmodi legitimationes fiant, & à supremis curiis admittantur, consensus exquirendus est eorum omnium, quorum præcipue ac principaliter interest, puta eius, qui patri alioquin successurus erat, siue ex substitutione, siue alio fortasse directi dominij iure, siue in bonis omnibus, siue in bonorum parte, si is sine liberis naturalibus & legitimis moreretur; [6] alioqui valebit quidem legitimatio auctoritate eius facta, qui legitimandi ius habuit, sed ita tamen, vt saluum sit ius eorum, quorum interesse potest, ni auditis & consentientibus iis facta sit. [7] *Ita tractatum est* in causa Franciſci le Maistre, & Dominorum Comitum de Monmayeur, 5. Id. Aug. 1593.

1 Sic enim fieret, vt multi spe obtinendæ aliquando talis legitimationis inuitarentur interim ad delinquendum, *arg. l. 1. C. hoc tit.* Adeo vt nec Papa possit de hoc dispensare, quantum ad successiones, sed tantum quoad beneficia & ordines. Chassan. *in consuet. Burgund. tit. des successions des bastards, circa princ.*

2 *Cap. tanta extr. qui filij sint legit.*

3 Quia non alij legitimari possunt per subsequens matrimonium, quam qui fingi possunt in matrimonio suscepti, quod de natis ex damnato coitu dici non potest, cum matrimonij coitus è contrario sit licitus, *d. c. tanta.* vbi Canonist.

4 *d. l. 1. C. hoc tit.* Præsumitur enim extortum à Principe per obreptionem aut importunitatem, quidquid est contra ius, *l. vlt. & tot. tit. C. si contr. ius vel vtil. publ.* multo magis quicquid est contra bonos mores.

5 Si enim velit Princeps violare ius & leges potestate, vt vocant, absoluta, potest id facere, cum sit supra leges, *l. Princeps 31. D. de legib.* Vide Arestum Parisiense hac de re à Ioanne Paponio relatum *tit. de bastardis, num. 8, 10. & 11.* Guid. Pap. *quæst. 280. num. 3.* Bart. *in l. fin. de his quæ vt indign.* Alex. *cons. 74. lib. 2.* Dec. *cons. 815.* Ias. *126. vol. 4.* Bald. *cons. 15. vol. 2.*]

6 Ne huiusmodi legitimationis commento fraus aliis fiat, *l. si ita quis 51. §. 1. de legat. 2. l. fideicommissum 76. D. de condit. & demonstr.*

7 *Arg. l. 2. 4. & 5. D. de natal. restit. l. in concedendo 8. D. de aqua & aqu. pluu. arc. l. nam ita 39. D. de adopt.* [Ergo si quis literas legitimationis petierit & impetrauerit à Principe pro filio, vel nepote aut pronepote illegitimo, quem velit habere successorem testamentarium, & eo postea herede scripto decesserit ante verificatam, vt loquuntur, legitimationem, & lite super eo pendente, vtique sufficeret ea impetratio, vt possit illegitimus quasi iam quod ad hunc testatorem legitimatus, perinde succedere, acsi verificatio facta esset, dummodo in eo res sit, vt iustæ sint, & verificari debeant literæ legitimationis. Quomodo possunt etiam post obitum patris, multo magis post mortem testatoris, cuius alioquin voluntas circumueniretur, cùm alioqui non fuerit ita testaturus. Nam & in tempus capiendæ hereditatis instituì hæredem posse placuit, *l. in tempus 72. D. de heredit. instit. Ita Senatus* pro liberis Ioann. Franciſci du Vergier, contra Claudium Puenset, 3. Iulij 1612. Obserua tamen, quod cùm Princeps legitimat incestuosum, aut alium natum ex damnato coitu, non confirmat coitum, neque matrimonium ex quo incestuosi susceperi sunt, sed confirmat filiationem tantùm, Bald. *d. consil. 15. volum. 2. vers. præmittendū. & d. l. qua in prouincia 57. de rit. nupt.* Maxime quod ad ius succedendi, & honores, & cætera temporalia, quæ Princeps conferre potest, adeo vt legitimatus à Principe dicatur legitimus, non natura, sed gratia, non generatione, sed regeneratione, non felicitate nascendi, sed dono Principis. *Auth. item si quis, C. hoc tit. & Auth. quibus mod. nat. effic. legit. §. si vero solummodo.* Bald. *d. cons. 16. vol. 2.* Dec. *cons. 293.* vbi vocat huiusmodi legitimationem dispensationem ad ius successionum & honorum recipiendorum. Et dicitur legitimatio actus voluntariæ iurisdictionis quo filij illegitimi antiquis natalibus restituuntur. Lud. de Surd. *in tract. de natur. lib. & succeſſ. eor. & Auth. quibus mod. nat effic sui, §. 1. & §. si quis.* Ab initio autem nulli erant illegitimi cùm nulli essent legitimi. Itaque abstergit Princeps rescripto suo legitimationis omne vicium & maculam, & efficies eos capaces successionis, acsi ab initio legitimi nati fuissent *consil. 16. Præpos. in cap. per venerabilem, qui filij sint legit* adeo vt quod ad successionem pertinet, nihil à legitimis differant *d. Nouell. quibus modis nat. effic. sui, §. quoniam variè ibi nihil dissimiles à legitimis, & in §. reliqui. ibi, illas successiones, & in §. illud* ibi *nihil à legitimis, & in §. adoptionu ibid.* Alexand. *consil. 2. & 70. n. 4. vol. 6 & consil. 88. num. 4. vol. 7.* Socin. *cons. 65. num. 10. vol. 3.* Inde fit vt legitimatio trahatur ad tempus natiuitatis, & vt Princeps legitimando tollat ius succedendi, quod alij legitimatione non facta sperabant Bart. & alij *ad l. Gallus, §. & quid si tantum, de liber. & posthum.* Ius enim succedendi siue ex testamento, siue ab intestato est iuris positiui cui pro arbitrio derogare Princeps potest. *Tot. dist. 8.* Anchar. *cons. 225. & dict. Nouel. quib. mod. nat. effic. sui* ibi *damus successiones.* Bald. *d. cons. 15. vol. 2.* Iul. Clar. *in §. testamentum, quæst. 31. num. 8.* Et quamuis Dec. *cons. 393. num. 2.* dicat non posse istis legitimatis maiorem relinqui portionem existentibus legitimis quàm vni ex legitimis, cui minus relictum est. Verior tamē & æquior creditur contraria opinio Castrensis *ad d. §. & quid si tantùm. num. 16.* vt legitimatis pater relinquere possit quantum velit, modo legitimam filiorum legitimorum non minuat. Nam & extraneos heredes instituere posset. Bertr. *cons. 112. n. 29. vol. 2. part. 1.* Ias. *in dict. §. & quid si tantùm, num. 96.* vbi etiam Bart. & Castrens. *num. vlt.* dicunt sufficere, vt in rescripto legitimationis fiat mentio legitimorum, nec esse citandos liberos legitimos, neque agnatos, cùm successio ex patris voluntate pendeat. Pap. *Arest 11. des succeſſ. des bastards.* Sane in præiudicium substitutorum *si sine liberis naturalib. & legitim.* non potest hæc legitimatio fieri nisi consentiant: late Paris. *d. cons. 1. vol. 2.* Sed & sequenda est præcisè forma rescripti, & eius fines diligenter seruandi. Bald. *d. consil. 16. vol. 2.* & Dec. *d. cons. 293.* Illud plane omnino necessarium est, vt Princeps in legitimatione illegitimorum maximè verò incestuosorum & natorum ex damnato coitu, vtatur plenitudine suæ potestatis, secundum quam est supra leges. Gloss. *in Auth. ex complexu,* in verb. *indigni, C. de incest nupt.* Guid. Pap. *d. quæst. 280.* Castr. *d. n. vlt.* Adde gloss *in §. fin* in verb. *participium. d. Nouel. 89. quib. mod. nat. effic. sui.* Item requiritur, vt fiat mentio qualitatis coitus prohibiti, & existentiæ legitimorum. Alioqui non valet legitimatio. Ioan. Pap *in syntagm. tit. des successions des bastards, arest. 9.* Et *lib. 3.* Notar. *lib. 6. tit de legitimation de bastards, pag. 426. & seq vbi citat. suprad. cons. Ias. 126. vol. 4.* Adde Card. Paleot. *in tract. de nothis spuriisque filiis, c. 55. num. 6* & Antonin. Tessaur. *decis. Pedem. 126. n. 7.* Et quæ scripsi *ad Defin. 18. num. 20.]. de cond. insert. qua in prouincia 57. §. Diuus, de rit. nupt.* Paris. *cons. 1. vol. 2.*]

DEFINITIO VI.

Nati ex matrimonio contracto cum ea, quæ prius polluta fuerat per adulterium, an & quibus casibus succedere parentibus possint?

NEque nomine, neque iure naturalium liberorum censentur ij, qui susceptì sunt ex matrimonio, quod quis contraxerit cum ea, quam prius polluerat per adulterium, si machinata probetur adultera in necem legitimæ vxoris, aut data ei fides sit de ipsa post mortem prioris ducenda. Est enim id matrimonium non solum iuris pontificij auctoritate prohibitum, sed etiam ratione non minus naturali, quam ciuili, propter præcedens votum alienæ mortis capiandæ omni omnino iure improbatum. [1] Itaque eadem pœnas pati debent, quas incestis & prohibitis nuptiis ciuiles constitutiones inflixerunt; quod ad hoc præsertim, vt si quid sibi inuicem tales coniuges fauore matrimonij donauerint, ratum id haberi non debeat, ne quidem in vtilitatem liberorum ex eo coitu

BIU Cujas

susceptorum, sed omnimodo applicandum sit fisco. [4] Cui consequenter dicendum est, non posse huiusmodi liberos parentibus succedere, siue de testamentaria, sine de intestati successione agatur; secundum receptiorem nostrorum sententiam, quæ habet, susceptos ex damnato coitu ita demum successionis incapaces esse, si coitus ille, vt loquuntur, accusabilis sit & punibilis secundum leges ciuiles & temporales. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 8. 9. 10. & 11. infr. De incest. & inutil. nupt.

1 *Can. illud 31. quæst. 1. cap. 1. & c. super hoc extr. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adulter.*

2 *L. vlt. C. de pact. l. donari 29. alias l. quidam § donationem, D. de donat.* vbi dicitur festinare contra ius gentium, quisquis solicitus est de viuentis hereditate, *l. 4. C. de inutil stipul. l. 2. §. interdum. D de vulg. & pup. subst.*

3 De quibus *in l. 4. l. si quis incest. 6. C. de incest. & inutil. nupt.*

4 Dignum enim crimen est, quod in liberorum quoque persona vindicetur, qui nec liberorum nomen merentur, *§. si aduersus, Inst. de nupt. & d. l. si quis.* Sic & *in l. quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiest.*

5 Ita vulgo nostri post glos. *in Auth. ex complexu, Cod. de incest. & inutil. nupt.* Socin late *cons. 148. lib. 1.* Guid. Pap. *decis. 280.* Affl. *dec. 96.* Chassan. *in consuet. Burg rubr. 8. des succes. des bastards, §. 3. num. 10.* post Guill. Bened. in verb. *& vxorem nomine Adelasiam, à num. 676. vsque ad num. 726.* maxime *num. 691.*

DEFINITIO VII.

Spurio etiam ex damnato & punibili coitu suscepto debentur alimenta ex æquitate canonica, si aliunde non habeat, vnde se honeste alat.

SPurio, siue ex licito, siue ex damnato coitu susceptus sit, alimenta ex æquitate canonica deberi constat: [1] sed hoc tamen ita accipiendum est, si aliunde non habeat ille, vnde se alat. Nam habenti etiam legitimo nihil pater debet. [2] Enimuero si proponas filium naturalem viri nobilis, quem non deceat mechanicas artes exercere, nihil causæ est, cur ei alimenta denegari oporteat. [3] Debentur enim & pro modo patrimonij, & pro qualitate personarum, patrisque dignitate. [4] *Ita tractatum est* ex tempore in secreto auditorio in causa Noë de Mouxi, & filiæ Dn. Comitis de Monreal, 15. Cal. Sept. 1595.

1 *Cap. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matrim. quam poll per adulter.*

2 Bart. *in l. si quis à liberis 5 D. de agnosc. & alend. liber.*

3 Nec enim creditur quisquam posse facere, nisi quod honeste facere potest, *l. filius 15 D. de condit. instit. l. nec non 28. §. 1. D. ex quibus caus. maior.*

4 *dict. l. si quis à liberis,* vbi notat. *de agnosc. & alend. liber.* [Bert. *ad l. fin. num. 7. D. de his quæ vt indign.* Palcot. Cardin. *in tract. de noth. spurii sque filiis c. 50. numer. 1. & 2.* Dec. *consil. 611. num. 7. & 8.* vbi dicunt pensandas esse patris facultates ac numerum liberorum, cùm indecorum esse possit filiæ ex clarissimo & locupletissimo patre genitæ illud dotis nomine dici, quod alioquin si cœlebs mansisset ad quotidianum victum satis esse posset. Ant. Peregr. *in tract. de iur. fisc. tit. 18. de natur. liber. num. 56. & 78.*

DEFINITIO VIII.

Legatum valet factum pro alimentis spurio suscepto etiam ex damnato coitu, dummodo non punibili, secundum leges ciuiles.

LEgatum à patre factum filio, licet Spurio & susceptо ex damnato coitu, dummodo non punibili, secundum leges ciuiles, [1] qualis ille est, qui nascitur ex vxorato & soluta, [2] valet, etiamsi supersint filij legitimi, præsertim cum pro alimentis factum est. [3] Nec ad rem pertinet, quod ab intestato nulla ei portio deberetur. [4] Aliud enim est, de portione bonorum, aliud de alimentis quærere; [5] sicut & aliud de causa testati, aliud de causa intestati. [6] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 13. & seqq. infr. De condit insert.

1 Nam si coitus esset punibilis secundum leges ciuiles & temporales, aliud probari oporteret, secundum ea, quæ diximus *Defin. 2. & 6. suprà.*

2 Namque adulterium quidem hoc quoque casu committitur, sed non accusabile, nec punibile, secundum leges ciuiles & temporales, quia thorus viri est, non vxoris, quamuis iure diuino & canonico non minorem pœnam mereatur. Vnde verbum illud Diui Hieronymi, Aliud Christus, aliud Papinianus.

3 Quæ scilicet omnimodo & omni casu debentur ex æquitate canonica, vt dixi *Defi. prox. supr. ex c. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matr.* non etiam ex iure ciuili, *d. Auth. ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.* Chassan. *in consuet. Burg, rubr. 8. §. 3. num. 11. vers. ampliat. 2.*

4 Dici aurem solet, alimenta succedere loco portionis legitimæ, & vicissim legitimam loco alimentorum. Vnde est quod creditur, legitimam deberi iure naturali. Not *in l. vlt. D. de bon. damnat.*

5 Siquidem facilius est vt alimenta debeantur, quam vt portio legitima; nec valet argumentum ab alimentis ad legitimam affirmatiue, sed tantum negatiue, & è contrario à legitima ad alimenta valet affirmatiue tantum, non etiam negatiue, quia se habeat tanquam excedens & excessum.

6 Est enim semper fauorabilior causa testati, *l. 1. C. de sacrос. Eccles. l. vel negare 6. D. testament. quemadm. aper.* vtroque tamen casu, id est, siue testatus, siue intestatus decesserit is, qui spurium ex damnato, nec tamen punibili coitu susceptum reliquit, distinguendum est, an legitimam aliquam sobolem reliquerit, nec ne? Nam legitima prole subsistente, nihil nisi vnciam etiam testamento spuriis dare potest, *l. 2. C. hoc tit.* si modo sufficiat ea vncia ad alimenta; ab intestato autem nihil penitus hoc casu spuriis debetur, *dict. Auth. licet, vers. ab intestato, eod.*

DEFINITIO IX.

Filiæ spuriæ etiam ex damnato coitu susceptæ debet pater alimenta dare vel dotem, sed præstita cautione iuratoria, De dote postea soluto matrimonio restituenda.

QVemadmodum filiæ spuriæ pater alimenta præstare cogitur ex æquitate canonica, licet ex damnato coitu susceptа sit, [1] ita & nubenti ei dotem dare congruam, quæ loco alimentorum esse possit. [2] Cæterum sicuti non transmittit illa commodum alimentorum in hæredem, ne quidem præteritorum, [3] ita nec in dote, quantumuis exigua ei data, succedent hæredes ipsius, nec si liberos habuerit, quia dos illa eodem alimentorum iure censeri debet. [4] Proinde dotem petens cogenda erit cauere saltem iuratorie, si aliter non possit, [5] de dote soluto matrimonio patri aut patris hæredibus restituenda. [6] Atque ita pridem à Senatu nostro iudicatum esse pro fratre Domini du Coudray aliquando relatum memini. *Sine die.*

1 *Cap. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult.*

2 Est enim dos loco alimentorum, cum filiam congrue dotatam alere pater non teneatur, *l. vltim. C. de dot. promiss.* vbi notat. & *in l. capite 19. D. de rit. nupt.* Vide Bart. *ad Auth. ex complexu, Cod. de incest. & inutil. nupt.* Roman. *consil. 44. dub. 2.* Chassan. *in consuet. Burgund. rubr. 8. De succes. de bastards, §. 3. numer. 11. vers. ampliat secundò, & num. 12. vers. & aduerte.*

3 Quamuis etiam prætenta alimenta possint peti, si modo actionis iure non officio tantum Iudicis debeantur.

4 Vt subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum subrogatur, *vulg. l. si quis 10. §. qui iniuriarum, D. si quis caution.*

5 Est enim difficile, vt fideiussorem inueniat is, qui bona nulla habet, *l. 2. §. pen. D. de iudic.*

6 Vide longam & elegantem addit. ad Matth. Mathesil. *sing. 146.* Chassan. *dict. rubr. 8. §. 3. n. 13. vers. sed iuxta.* post Bart. *cons. 119. & ad l. fin. §. si à socero, D. de his quæ in fraud credit.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO X.

Filius spurius, de cuius patre dubitatur, an & quando interim alimenta habere debeat, aut pecuniam ad sumptus litis?

FIlium se dicens naturalem, licet ex illegitimo adeoque damnato coitu susceptum, necdum tamen probans, si quas pro se habeat præsumptiones, siue ex oris aspectu, [1] siue ex parentis, [2] aut agnatorum confessione, interim & pendente lite alendus est: [3] in eamque rem & ad ferendos litis sumptus certa quantitas pro modo patrimonij defuncti, & quantitate personarum citra onus satisdationis fauorabiliter ei adiudicanda est. [4] Quod si ex euentu litis filius probetur, annuum quid ei præstare oportebit; [5] sed in pecunia, non in corporibus bonorum, [6] nisi ab heredibus patris conditio deferatur. [7] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio pro Nicë de Mouxi, contra filiam D. Comitis de Monreal, Non. Decembr. 1595.

1 Iuxta illud Virgilianum: *Si quis mihi paruulus aula Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.*

2 Grande enim præiudicium adfert pro filio confessio patris, *l. 1. §. Iulianus in fin. de agnosc. & alend. liber.*

3 Tantundem enim iuris habet filius illegitimus, quantum legitimus, quod pertinet ad alimenta; non quidem ex iure ciuili, *Auth. ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.* sed ex æquitate canonica, *c. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult.*

4 *Arg. l. si instituta 27. §. de inofficioso, D. de inoff. testam. l. vlt. C. de ord. cognit.*

5 In causa scilicet alimentorum.

6 Ne quid ex corpore patrimonij propter spurium diminuatur, in eoque minus iuris habet spurius, quam filius legitimus, cui debetur pecunia in corporibus bonorum, *t. scimus 36. §. repletionem, cum ibi not. C. de inoff. testam.*

7 Nam si malint pro alimentis dare fundum hereditarium spurio consentienti, vtique non sunt prohibendi.

DEFINITIO XI.

Nobilium bastardi, an & quando nobilitatem generis retineant?

BAstardi & naturales, non etiam legitimi liberi, dum ne ex adulterio damnatoque coitu suscepti, [1] licet ex iuris ratione nobilitatem generis non retineant, [2] de consuetudine tamen pro nobilibus habentur, dummodo viuant nobiliter, & ab eo agniti sint, qui totius familiæ caput est. [3] Hoc enim statuto nostro requiritur. [4] Et secundum eam consuetudinem pronunciauit *Senatus* pro Claudio Puenset, contra Syndicos de Jilly, 12. Cal. April. 1597.

1 Hoc enim æquum est deterioris esse conditionis in hoc, vt nihil prorsus ex generis nobilitate retineant, *Auth. ex complexu, Cod. de incest. & inutil. nupt.* Neque vero ad hoc quoque potest extendi æquitas illa canonica, quæ spurios istos cæteris illegitimis æquat, quod pertinet ad alimenta, ne scilicet fame pereant, *c. cum haberet, extr. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.*

2 Quia nec patrem, nec proinde paternum genus vllum habere intelliguntur, *§. si aduersus, Inst. de nupt.* [Non enim sunt de genere, sed degeneres, inquit Bald. *ad l. vltim. C. de natur. liber.*]

3 Guid. Pap. *quæst. 580.* Boer. *quæst. 127.* qui de supradicta consuetudine attestantur.

4 *Lib. 3. statut. cap. 3.*

DEFINITIO XII.

Vitricus, si modo non sit pater, potest tanquam extraneus quilibet legare spurio quantum velit vltra modum alimentorum.

SPurio, quem mulier binuba constante priore matrimonio ex illicito damnatoque coitu susceperat, secundus vir, si non & idem pater sit, legare etiam supra modum alimentorum tanquam extraneus quilibet potest: [1] alioqui non potest nisi ad alimenta vsque, & ex æquitate iuris Pontificij, [2] potius quam ciuili vlla ratione. [3] *Ita Senatus* 3. Calend. Matt. 1597.

1 Sic enim vulgo creditur, soli patri prohibitum esse, ne filio spurio quantum velit relinquat; cæteris vero præsertim extraneis prohibitum non esse, *ex l. vlt. C. de natur. liber.* Iacob Cuiac. *ad Nouell. 22. de nupt. & Nouell. 89. quib. mod. natur. effic. sui.* Ego vero longe aliter, vt ex iis apparebit, quæ scripturi sumus *ad l. vltim. C. de natur. liber.* in nostra Iurisprudentiæ scientia, si quando eam in publicum exire patiemur, quod fortasse breui fiet, si Deus volet. * Ideo nec auo nec proauo licet quicquam relinquere illegitimo nepoti, nisi legitima sobole nulla subsistente, *d. l. vlt. C. hoc tit.* Sed aliud est in auia & proauia etiam paterna, secundum Castrensem *ad l. Gallus 29. § quid si is, ad fin. de liber. & posthum.* Ripensis *consil. 119.* vbi dicit communem, licet contra sentiat Aretin. *ad dict. § quid si is,* quem sequitur Ruinus *cons. 39. vol. 3.* & Francisc. Mantica *decis. 312. part. 1.* sed de hoc planè scripsi defin. seq. Iunge *Defi. seq.*

2 *In cap. cum haberet. extr. de eo qui dux. in matr. quam poll. per adult.*

3 Cum iure ciuili nulla hic spuriorum generi alimenta debeantur. *Auth. ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.*

DEFINITIO XIII.

Potest auia & proauia etiam paterna instituere nepotes & pronepotes illegitimos, quamuis legitima sobole subsistente.

QVæsitum est, an lex Justiniani, quæ prohibet non solum patri, sed etiam auo & proauo, ne quid possint per speciem vltimæ voluntatis etiam testamentariæ relinquere nepotibus & pronepotibus illegitimis sobole aliqua legitima interueniente, [1] locum habeat in auia & proauia paterna. Nam in materna res non habet dubitationem, [2] quando nec mater ipsa prohibetur hæredem habere filium suum illegitimum non solùm ex testamento, [3] si velit, sed etiam ab intestato. [4] Nec deerant qui putarent constitutionem generalem, quæ de auo & proauo paterno loquitur, etiam in auia & proauia paterna locum habere intelligendam, [5] Non tantùm ex vulgari illo brocardico, quòd masculinum, vt aiunt, concipiat fœmininum. [6] Sed etiam quòd in omnibus eadem videatur ratio vrgere, idémque fauor legitimæ sobolis præferendæ. [7] Sed magis tamen placuit contraria sententia. [8] Siue quòd noua illa lex odiosa existimetur tanquam iuris veteris correctoria, [9] & quidem odio, vt videtur irrationabili cùm deteriorem faciat conditionem illegitimorum, quam si essent omnino extranei, [10] maximè quod ad auum & proauum, quibus vicium nullum exprobrari potest. [11] Siue quòd absurdum existimari possit, non licere auiæ aut proauiæ paternæ relinquere quicquid velint nepotibus aut pronepotibus illegitimis, etiam legitima sobole subsistente, [12] dum ne aliqua fraus legitimis in portione legitima fiat. [13] Cum sit iis liberum totam suam substantiam salua legitimorum portiuncula propriis quoque suis liberis naturalibus & illegitimis largiri, si non ex damnato coitu suscepti sint. [14] Nam & ab intestato eosdem, vt dixi in solidum hæredes habere possent. [15] *Ita Senatus* pro liberis Joannis Francisci du Vergier, contra N. Claudium Puencet, 4. Jul. 1612.

1 *L. vltim. C. hoc tit.* quam fatentur omnes etiam hodie manere incorrectam, *ad Nouell. 89. §. vltim. quibus mod. natur. effic. legit.*

2 Quin scilicet possit pro arbitrio instituere nepotes, aut pronepotes illegitimos. Idémque est de omnibus linea materna venientibus, Andr. Tiraqu. *ad l. si vnquam* in verb. *susceperit liberos.*

BIU Cujas

3 Adeo vt possint etiam de inofficioso matris testamento dicere. *l. si suspecta 29. §. 1. D. de inoffic. testam.* In quo plus iuris habent, quam filij adoptiui, licèt legitimi, qui hodie non possunt impugnare testamentum, nisi adoptati sint ab auo materno, *l. penult. C. de adopt* Iunge *Defin. 3. 5.*

4 Quæ tamen successionis species difficilior esse solet *d. l. vlt. C. hoc tit. l. 2. l. si spurius 4. D. vnd. cognat.* Nempe quia mater semper certa est, *l. quia semper 5. D. de in ius voc.*

5 Aret. *ad l. Gallus 29. §. quid si is, D. de lib. & posthu.* Ruin. *cons. 39. num. 9. vol. 3.* Francisc. Mart. *quæst. 312. part. 1.*

6 Etiam in odiosis, cùm odium est rationabile, Bart *ad l. si quis in tantam, n. 3. C. vnde vi, & ad l. 1. de verbor. signif. & ad l. 1. D de pecul.*

7 Quæ tota ratio est illius restrictionis rei repetitæ *in d. l. vlt. C. hoc tit. Nulla legitima sobole existente.*

8 Quæ fuit Castrensis *ad d. §. quid si is*, quem locum peropportunè indicauit mihi disertissimus causarum in Senatu nostro patronus, idémque constantis & veteris amicitiæ vinculo mihi coniunctissimus Franciscus de Tardy. Eandémque sententiam postea secutus est Francisc. Rip. qui communem esse attestatur *cons. 191.* vbi citat Odofr. Cyn. Ang. & Alber. *in d. l. fin. hoc tit.* Alex. *cons. 139.* eleganter fuit consultum *lib. 1.*

9 Putant enim vulgo interpretes ante legem illam fuisse permissum auo & proauo instituere nepotem & pronepotem etiam legitima sobole subsistente, & soli patri cuius vicium refrænandum fuit prohibitum fuisse ne quid illegitimis daret, legitima sobole subsistente, *l. 2. l. humanitatis 8. hoc tit.* Sicque ratiocinatur Castr. *suprad. loco* Quod tamen non refutauimus in tractatu illo nostro *de natur. liber. ad Princ. 2. illat. 2. De nuptiis*, in Iurisprudentia nostra Papinianea iam ab aliquot annis in publicum edita, quam superiore Definitione pollicebamur.

10 Idem Carol. Ruin. *consil. 65. num. 5. vol. 3.* vbi ob hanc rationem videtur concludere cum Castrensi.

11 Quomodo exprobrari potest patri, *d. l. vlt. hoc tit.*

12 Ratio est optima Francisc. Rip. *dict. cons. seu resp. 191.* vbi vocat eam, vt est, *inconuincibilem.*

13 Semper enim legitima liberorum legitimorum salua esse debet, *l. si totas 5. l. si liquet 8. C. de inoffic donat. l. parentibus 8. C. de inoffic testam.*

41 Istis enim nihil omnino relinqui potest iure ciuili, iure autem canonico alimenta, *vt dixi Defin præced. num 2. & 3.*

15 *d. l. 2. & 4. D. vnd. cognat. l. 1. §. sed & vulgo. D. ad Senatusc. Tertyll.* Eaque perelegans sanè ac manifesta differentiæ ratio est inter masculos & fœminas circa dispositionem *d. l. vlt. C. hoc tit.* Nam quæ est auia paterna respectu nepotis, tamen mater est respectu filij, & quæ proauia paterna ratione pronepotis ex nepote ex filia ea est auia materna ipsius nepotis, posset que haud dubiè illum heredem instituere etiam legitima prole subsistente.]

TIT. XVII.

DE LEGIT. TVTEL.

DEFINITIO I.

Nepoti ex filio prædefuncto an mater tutrix dari possit superstite auo paterno, ita vt in administratione auo præferatur?

IAMETSI nepos ex filio prædefuncto in aui paterni sit potestate, [1] obtinuit tamen eorum sententia, qui in tutela matrem auo paterno præferendam esse censuerunt, [2] ratione illa, quod & in successione præferretur: [3] eadem vero causa esse soleat in tutelæ, quæ successionis; [4] mihi tamen neque sententia, neque ratio illa probari vnquam potuit. Totiesenim de legitima tutela quærendum est, quoties persona est, quæ tutorem habere possit: [5] at tutorem habere nec potest, nec debet, qui in aliena est potestate, [6] quique auum habet legitimum administratorem. [7] *Ita tractatum est* in Senatu, 12. Cal. Decemb. 1589. Junge tamen Defin. 3. infr. De patr. potest.

1 *L. 1. ve §. nepotibus, D. de vulg. & pupill. substit. l. penult. D. de agnosc. & alend. liber.*

2 Bart. *contra glossam in Auth. matri & auiæ, C. quand. mul. tutel. offic. sung. poss.* Vide Dec. *cons. 245.*

3 Propter gradus prærogatiuam, quia mater est in primo ascendentium gradu, auus vero, siue paternus, siue maternus in secundo, *Nouell 118. de hered. ab intest. veniem. cap. 1.*

4 *Instit. de legit. patron. tutel. & l. quo tutela 73. de reg. iur.*

5 Semper enim supponendi sunt termini habiles, vt loquuntur, *l. adigere 6. §. quamuis, D. de iur. patron. cum similib.*

6 Quia non potest fieri, vt quis sit in duorum simul potestate, patria scilicet ac tutoria, cum potestas tutoria sit imago quædam patriæ potestatis, *l. 1. princ. de tutel. l. vltim. vers. quibus si damnato, Cod. de sentent. pass. & restit.* ne alioquin imagine veritas naturæ adumbretur, vt eleganter Papinianus noster *in l. filio 23. D. de liber. & posthum.* Vide quæ contra supradictam Bartoli opinionem scripsi *in Error. 7. Decad. 6. de error. pragmat.* Poterit sane Bartoli opinio procedere in nepote ex prædefuncto filio emancipato, quia potest ille habere tutorem cum post mortem patris in nullius potestate reperiatur. Cum Bartolo tamen sentit Afflict. *decis. 281. num. 3.* Capyc. *dec. 56. num. 5.*

7 Nam quem quis habet in sua potestate, eius semper legitimus administrator est, *l. cum oportet 6. & l. vlt.* vbi Bartol. Bald. & alij *C. de bon. quæ liber.* [Ita concludit Ferrar. *in form. libell. ad redd. ration. gest. 1. num. 14.* Et ita quoque Senatus noster sæpius tandem pronunciauit.]

TIT. XVIII.

QVI PETANT TVTOR.

DEFINITIO I.

Qui cogitur petere tutorem, non prius officio suo satisfeciss intelligitur quam eum tutorem dari curauerit, qui tutelam agere & velit, & possit.

IS, cuius cura & expensis tutor dari debuit, [1] si curauerit, vt ex consanguineorum & affinium votis absens quispiam tutor eligeretur, [2] nondum satisfeciss videbitur, cum nouus is tutor saluas habeat excusationis causas, [3] quas si tales adferat, vt admittendæ videantur, alius tutor perinde dandus erit, ac si nullus dum datus esset. [4] Non idem erit si præsens & consentiens quis electus sit, quamuis nec dum satisfecerit aut iurauerit, quia cum resilire illi non liceat, [5] cogi potest vt iuret, satisfaciat, ac omnia cætera faciat, quæ tutoris officio incumbunt. [6] Plane si talis sit, qui nec satisdare possit propter egestatem aut suspectas ex alia causa facultates, [7] nec sine satisdatione admitti debeat, [8] fere est vt quasi sub impossibili conditione datus pro non dato habeatur, [9] nec proinde videatur adhuc liberatio contigisse illi, cuius cura & expensis tutor dari debuit. [10] *Ita Senatus* in iis causis, de quibus in Defin. 1. sup. Si minor se maior. dixer.

1 Sunt enim quædam personæ, ad quarum curam hoc pertinet, de quibus *in tit. qui per tutor. vel curat. D. & C.*

2 Potest siquidem etiam absens eligi & inuitus, dummodo fuerit citatus ad excusationis causas, si quas habuit proferendas, *l. illud semper 5. de tutor. & cur. dat.* Aliud est in curatore, de quo *in l. 3. §. si pupillus D. de tutel.*

3 *Tot. tit. de excus. tutor. D. & C.*

4 Itaque hoc casu id obtinet, quod vulgo dici solet, nihil actum videri, quandiu aliquid restat agendum, *l pen. in fin. C. de his quib. vt indign.*

5 Quod enim semel placuit, displicere postea non potest, *cap. quod semel de reg. iur. in 6.*

6 *L. 1. C. de tutor. vel curat. qui satis non ded.* Alioqui remouendus est à tutela, interdum etiam cum infamia, secundum distinctionem, *l. 2. eod.*

7 Non enim semper facile est inuenire fideiussorem, *l. 2. §. penult. D. de iudic.*

8 Soli enim tutores testamentarij aut ex inquisitione dari admittuntur sine satisdatione, *Instit. de satisd. tutor.*

9 Etsi

BIU Cujas

9 Etsi verba ista in dando tutore vsurpata, *si satisfederit*, non tam conditionem in se habere dicuntur, (quam scilicet actus legitimus, qualis est tutoris datio non admitteret, *l. actus legitimus 77. de regul. iur.*) quam admonitionem, per quam tutor intelligat non aliter ei tutelam committi, quam si satisfederit, *l. inuito, 6 §. 1. D. de tutel.*

10 *Arg. d. l. pen. in fin. C. de his quibus vt indign.*

DEFINITIO II.

Mater conuenta vt tutrix, si se negat tutricem, non prius tamen absoluenda est, quam tutorem aliquem dari curauerit intra tempus & à Iudice in hanc rem præstituendum.

MAter filij pupilli nomine conuenta ab hæreditario creditore si neget se tutricem,[1] condemnanda est, vt intra breue tempus arbitrio Judicis statuendum perat ipsa pupillo tutorem.[2] Quoniam & si nulla lis esset, incumberet ea res matris officio & pietati, cum alioqui non petito tutore futurum esset, vt interea pupillus decederet, ipsius hæreditate mater in negligentiæ suæ pœnam priuaretur.[3] *Ita Senatus* contra Illustrem Dominam Ludouicam de la Chambre pro Noë de Mouxi in secreto auditorio, 15. Cal. Septembr.

1 Nec enim mater tutrix est ipso iure, aut legitima administratrix, vt pater, sed ita demum si tutrix facta sit; fieri autem non potest, nisi velit & consentiat, vt nec auia, in quo differunt ab aliis tutoribus, *Auth. matri & auiæ, C. quand. mul. tutel. offic. fungi potest.*

2 Necessitas enim petendi tutores filiis pupillis imposita est matribus, non tamen petendi curatores minoribus propter rationem diuersitatis positam *in l. matris pietas 6. C. hoc tit. l. 2. §. si mater, D. ad SC. Tertyll.*

3 *dict. §. si mater, & sequentib. l. matres 3. l. omnem. 6. C. eod. tit.*

TIT. XIX.

VBI PETANT. TVTOR. vel Curat.

DEFINITIO I.

Tutorem dare potest Iudex domicilij pupillaris, multo magis Iudex originis: potest etiam Iudex loci, in quo posita sunt bona.

TVTOR cum personæ pupilli principaliter, non etiam bonis, nisi per consequentias detur,[1] ab eo Judice dandus est, qui ordinariam exercet iurisdictionem in eo territorio, in quo habet pupillus domicilium habitationis.[2] Nec eo minus tamen ius dandi tutoris habebitis, qui Judex est domicilij originis,[3] ita fiet, vt in vtriusque pari iure potior causa sit eius, qui præuenerit.[4] Nec tamen ea res faciet, quin si pupilli bona vel vniuersa, vel maiore ex parte in alia sint prouincia, possit etiam Judex illius prouinciæ tutorem alium pro suo iure constituere, ad quem eorum saltem bonorum, quæ in illa prouincia sunt, cura & tuitio pertineat,[5] si modo id commodius pupillo fore videatur. Quæcumque enim de pupilli siue persona, siue patrimonio constitui necesse est, ea omnia ex pupilli commodis & vtilitatibus æstimari debent.[6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. infr. tit. prox.

1 *L. quia personæ 14. cum præced. D. de testam. tutel.*

2 Cynus omnino videndus *in l. 1. C. hoc tit.* Bart. *in l. pupillo 17. D. de tutor. & curator. dat. ex l. magis puto 5. §. illud, D. de rebus eor.*

3 *dl. 1. C. hoc. tit.* Et hic in dubio præferendus est *d. l. 1. & arg. l. libertus 17. §. præscriptio, in fin. D. ad municip.*

4 Papiens. *in form. libell. ad redd. ration. tutel. in vers. eidem Iacobo, num. 3. & 4.*

5 *d. l. vnic. C. hoc tit. l. propter litem 21. § licet. de excus. tutor.* Potest etiam vtriusque Iudicis auctoritate idem Iudex in diuersis locis constitui, sic tamen vt non nisi vna sit tutela, *l. Iurisperitos 30. §. 1. eod.*

6 *L. pen. de confirm. tutor.* Requiritur tamen, vt etiam is, qui tutor datur, sit etiam de iurisdictione dantis, vt tractat Papiensis supradicto loco *ex l. 1. in fin. & l. ius dandi 6. D. de tutor. & curat. dat. & per glos. in l. etiam, D. de tutel.*

TIT. XX.

QVI TVTOR. AVT CVRAT. dare dariue poss.

DEFINITIO I.

Minoris debitor testamento tutor dari potest à testatore, qui debitorem esse non ignorauit.

QVOD Justiniani constitutio introduxit,[1] vt minoris debitor neque tutor, neque curator dari possit, ad tutorem aut curatorem testamentarium non pertinet, quem defunctus sciuit debitorem.[2] Sed si ignorauerit, non eo minus erit locus constitutioni, quod personæ fidem testator secutus videatur,[3] quam fortassis suspectam habuisset, si sciuisset debere.[4] *Sine die.*

1 *In Auth. minoris debitor. C. hoc tit.* & in corpore vnde *sumitur.*

2 Guid. Pap. *quæst. 144.* & ibi Apostill.

3 Quæ ratio solet facere, vt multa priuilegia habeant tutores testamentarij, quæ tutores cæteri non habent, quale illud est inter cætera, quod non coguntur satisdare, quippe quorum fides à testatore electa fuerit ei satis explorata, *tot. tit. Inst. de satisdat. tutor. l. testamento 17. D. de test. tutel.*

4 Nimirum ob eas ipsas rationes, quæ Iustiniani nouellæ constitutioni causam dederunt, quod verisimile sit debitorem aut creditorem pupilli vtilitates suas pupillaribus præpositurum. [Et ideo placuit eandem pœnam Iustinianeæ constitutionis locum habere, etiam contra eum qui pro tutore aut pro curatore negotia gesserit. Huic enim multo magis imputari potest, præsertim si nullo facto inuentario ad administrationem bonorum pupilli aut minoris accesserit, vt ipsius instrumenta pro arbitrio tractare & subtrahere potuerit. Idque adeo verum est, vt etiam incerto eo an inuentarium aliquod factum sit ab eo, qui cum esset creditor, negotia pupilli gessit, nulla ei debeat fieri prouincialis adiudicatio. *Ita Senatus* in firmata prioris iudicis sententia. Ex tempore pro sororibus Antermet, multis tamen opinantib. summouendum eum à petitione debiti nulla inuentarij exhibitione expectata, cum quibus & ego sentiebam, 9. Aug. 1612. Iunge *Defin. 1. n. 4. ff. de eo qui pro tut. vel cur. negot. gess.*]

DEFINITIO II.

Minor, qui se iurauit maiorem, non eo magis potest esse tutor, sed eius cura & sumptibus alius dari debet.

MInor qui apud Judicem se maiorem dixit, & iurauit, siue dolo malo, siue per imprudentiam, non eo magis tutor esse potest, probata postmodum minori ætate,[1] quæ ipsa curatoris consilio regi adhuc debeat.[2] Sed etsi à Judice circumuento per obreptionem tutor datus sit, non potest valere datio,[3] aliusque tutor dandus est, sed tamen eius sumptibus & diligentia, vt hactenus saltem dolus culpáve eius coerceatur.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supr. sub tit. Si minor se maiorem dixer. Defin. 1.

BIU Cujas

1 Quamuis dici soleat, in hoc casu minorem habendum esse pro maiore, non solum propter mendacium, sed etiam & maxime propter iusiurandum, *l. 2. in fin. & tot. titul. Cod. si min. se maior. dixer.* Quasi iusiurandum repræsentet eum maiorem, *argum. Auth. sacramenta puberum, vbi not. Cod. si aduers. vendit.*

2 Plus enim hoc casu in rei veritate est, quam in opinione: & semper verum est eius ætatis, quæ reuera minor sit, non satis firmum esse consilium, nec ob id prudentiorem quem esse, quod iurauerit, cum quo quis prudentior est, eo minus facilis sit ad iurandum, *l. illud aut illud 25. §. 1. D. de pecun. constit. l. quæ sub conditione 8. D. de condit. instit.*

3 Fœda enim & nominum & rerum confusio ista est, si tutor vel curator fiat is, qui tutore ipse indiget vel curatore, *l. vlt. C. de legit. tutel.*

4 Vt nec aliud quicquam factum per obreptionem, *l. magis puto 5. § manet actio, D. de rebus eor. qui sub tutel. l. si quis obrepserit 29 D. ad leg. Cornel. de falsi.*

5 Ne alioqui impune prætori obrepsisse ac illusisse videatur. Si enim de solius eius commodo ageretur, posset haberi pro maiore, *d. l. 2. in fin. C si min. se maior dixer.* At hic vertitur incommodum & periculum pupilli, cuius interest, vt minorem & fortassis etiam periurum non habet tutorem, *arg. l. ad Rempublicam 8. in fin. ad municip.*

DEFINITIO III.

Qui tutorem dare debeat, an Iudex loci originis, an domicilij, an prouinciæ, vbi sita sunt bona?

IVdex prouinciæ, in qua sita sunt pupilli bona, tutorem dare non potest pupillo, qui neque ex ea prouincia originem trahat, neque in ea domicilium, habeat: curatorem vero bonis ipsius multo minus, nisi prius constet, Judicem loci originis aut habitationis tutorem dare vel nolle, vel non posse, aut tutorem ab eo datum nolle aut non posse administrare bona, quæ sint extra prouinciam. His enim demum casibus potest Judex loci, in quo bona sunt, tutorem dare vel curatorem. [1] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Beaumont & de Coindié, contra liberos D. de la Croix, de la Rauoire, de Charansoney, 4. Non. Junij. Iunge Definit. 3. infr. De in lit. dand. tutor.

1 Cynus omnino videndus, *in l. 1. Cod. vbi pet. tutor.* cuius sententiam Ferrariensis quoque probat *in libell. ad redd. rat. tutel. versic. eidem Iacobo, num. 3. & 4.* vbi etiam Mansuer. *in addit.*

DEFINITIO IV.

Curator quando & quis possit dari & inuitus & inuito?

CVrator sicut minori petenti dumtaxat & volenti, [1] ita non nisi volens datur, [2] præterquam cum ex agnatis, cognatis & affinibus omnibus aliquis necessario eligendus est, qui eas partes exerceat. [3] Tunc enim, si non is nominatim à minore petatur, qui consentiat, eadem prorsus seruanda sunt in curatore, quæ in tutore eligendo aut excusando. Sane ad litem datur inuito, [5] sed non inuitus, nisi qui publico Procuratoris officio fungatur. [6] Parum enim aut nihil distat inter Procuratorem & curatorem ad lites. [7] Nec alia vlla ratio excusare Procuratorem potest, quo minus curationem suscipere cogatur, quam quæ excusaret, ne Procuratoris officium pro eodem suscipere compelleretur, forte quod iam alterius collitigatoris in eadem causa Procurator esset: si tamen alius ille litigator aduersarius fuit; [8] alioqui nihil prohibet, quin eadem in causa idem sit plurium Procurator, qui communem paremve causam habeant. [9] Plane si absentis bonis curator dandus sit, [10] nulla ratio est, vt id muneris inuito Procuratori mandetur, quod & præstandæ satisdationis & reddendæ rationis necessitatem secum adferat. [11] Itaque solet ea cura illis deferri, qui ad succedendum sunt proximiores, & quibus absentis mortui successio deferretur, vt tanto diligentius bona administrent, tanquam quæ sint & iam sua, & adhuc aliena. [12] *Ita Senatus* in secreto auditorio ex tempore in causa N. Polixenæ Veillet, vxoris Do. de la Vulpilliere, & Procuratoris Grilliet, 6. Non. Mart. 1594.

1 §. *item inuiti, Inst. de curator. l. 3. §. si pupillus, D. de tutel.*

2 Intellige, cum curator datur ad aliquem actum specialiter.

3 Quod euenit, cum generalis datur curator, qui omnium bonorum minoris legitimam administrationem habeat, de quo *in tit. de tutor. & curat. dat. & in tit. de administr. tutor. & curat. & in l. siue generalis 61. D. de iur. dot.*

4 Parum enim distat huiusmodi curator à tutore, cum vterque & generalem, & legitimam habeat administrationem, nisi quod curator bonis tantum, tutor vero etiam personæ datur, *l. quia persona 14. D. de testam. tutel. l. cum in vna 17. §. 1. D. de appellat.*

5 *d. § inuiti, Inst. de curat. l. 1. & vlt. C. de in lit. dand. tutor. vel curat.*

6 Procuratorem enim ad lites tractandas publice constitutorum officium hodie publicum est & necessarium, non voluntarium.

7 Intellige de Procuratore ad lites dato. Nam & huius Procuratoris est litem curare, & curatoris procurare.

8 Quo casu non posset quis esse plurium Aduocatus aut Procurator citra prænaricationem, *l. 3 §. quod si Aduocate, D. de prænaric. l. vlt. vbi not. D. de postul.*

9 Imo coguntur interdum plures vnum eundemque Procuratorem constituere, *l. 5. § pen. D. de iudic. solu.*

10 *Ex tit. de curat. bon. dan. l. 6. in fin. D. de tutel.*

11 Omnes enim, qui bonorum administrationem habent, coguntur rationem reddere, in eamque rem satisdare, nisi cum satisdatio eis remittitur, *l. testamento 17. D. de test. tutel. l. si impuberi 13. in fin. de tutor. & curat. dat.*

12 Quasi hæc curatio nihil aliud sit, quam præoccupatio quædam futuræ successionis. Facit *l. quo tutela 73. vbi not. de regul. iur.* Ideoque etiam infantes & fœminæ, si sunt ad succedendum proximiores, ad hoc curationis genus admittuntur; eoque passim iure vtimur, [quamuis inuita iurisprudentia, quoniam curatoris cuiuslibet officium virile est, Dec. *ad l. fœminæ, de reg. iur.* Itaque melius esset custodiam dumtaxat bonorum ei dare & ad exercendas actiones, quæ tempore perituræ essent, permittere illi nominationem curatoris, qui satisdet de rationibus absenti quandoque reuerso reddendis, nisi malit illa satisdare pro curatore. *Ita Senatus* 5. Maij 1611. me Præside.]

TIT. XXI.

QVAND MVL. TVTEL. offic. fung. pot.

DEFINITIO I.

Mater tutelam liberorum nec suscipere cogitur, nec retinere: vtrumque tamen facere potest, si velit.

MAter, quæ filij impuberis tutelam siue à marito, siue à Judice delatam agnouit, [1] liberam abiiciendæ eius potestatem habet, nec aut causam aliquam probare cogitur, at ne allegare quidem, [2] aut in integrum restitutionis auxilium implorare, si forte susceptæ tutelæ tempore minor fuerit annis viginti quinque. [3] Nam quemadmodum inuita tutrix fieri non potuit, [4] ita nec tutelam retinere cogenda est. [5] Neque hoc casu locum habet, quod dici solet; Ea, quæ ab initio sunt voluntatis, ex postfacto esse necessitatis. [6] Quod enim matri defertur tutela filij, non tam iure fit, quam intuitu pietatis, cum alioqui

alioqui tutela virile sit officium, cuius incapax perinde mater est atque alia mulier quæliber. [7] Idem in auia iuris est. [8] Proinde nec est distinctioni locus, an minor annis mulier esset, cum tutelam susciperet, an maior, cum sola eius voluntas hac parte ius faciat. [9] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, Prid. Calend. Ianuar. 1590.

1 Postquam placuit Iustiniano, vt mater & auia tutrix esse possit, si velit, *Auth. matr. & auiæ, C. hoc tit.* nec egeat in eam rem rescripto Principis, quo antea indigebat, *l. vltim. D. de tutel.*

2 Est enim causæ allegatio necessaria iis demum casibus, qui non pendent à voluntate nuda facientis, & quibus causam aliquam subesse necesse est, denique circa eas res, quæ in causæ cognitione versantur, *vt in l. post litem 17. §. vltim. l. mutuus 43. § vltim. & seqq. D. de procur. l. pater 4. vers. nisi si causa D de testam. tutel.*

3 Frustra enim restitutionem imploratis, qui ipso iure munitus est, *l. in causæ 16. in princ. D. de minor. l. 3. C si aduers. libert. l. 2. C. de præd. minor.*

4 Permisit enim tantum Iustinianus, vt possit mater esse tutrix, si velit, non autem constituit, vt cogatur esse, tametsi nolit, *d. Auth. matri & auiæ*, & in corpore vnde sumitur. [Simile quiddam est in sacerdote, qui tutor esse non cogitur quidem, sed potest, si velit. *Ita Senatus* 5. Cal. Mart. 1611.]

5 Alioqui ex ratione matrimonium matris impediretur, cum non liceat matri, quæ alium virum quæsiit, tutelam liberorum ex priore viro susceptorum retinere, *dict. Auth. matri & auiæ*, iunct. *Auth. sacramentum eod.*

6 *Vt in l. sicut 5. C. de oblig & action. l. in commodato 17. §. sicut D. commod.*

7 Ideoque nimirum egebat olim rescripto Principis, *l. vlt. D. de tutel.*

8 Hoc enim nouum ius induxit Iustin. in matre & auia si mul, vt scilicet post matrem auia tutrix esse possit, *d. Auth. matri & auiæ, & Nouell. 118. de hered. ab intest. venient. cap. 5. §. ex his autem.*

9 Etsi in aliis quibusdam melior est conditio matris, quæ minor annis sit, quam eius, quæ maior, vt in specie *l. 2. C. si aduers. delict.*

DEFINITIO II.

Mater quæ conuolauit ad secunda vota, neque fieri, neque remanere tutrix potest, etiamsi agnati consentiant.

QVæ ad secundas transiit nuptias, non potest tutrix esse liberorum prioris matrimonij, tametsi maxime velit, & agnati cognatique omnes consentiant. [1] Quare nec si iudex eam tutricem dederit ex inquisitione, datio tenebit, quamuis nemo sit, qui ab ea datione prouocauerit, [2] legibus nimirum repugnantibus, quæ non patiuntur, vt mulier maternæ pietatis oblita, & in alienam familiam translata liberos in potestate sua retineat. [3] Quamquam enim nupta mulier non est in manu potestate, si ius Romanorum inspicias, quo nos vtimur: [4] Nemo tamen est qui nesciat, non superesse ei liberum de suis rebus, nedum de alienis, disponendi arbitrium, quæ voluntates suas ad mariti nutum accommodare cogatur. [5] Satisque iam indultum matri viduæ Iustinianus voluit, vt quamuis mulier sit, virili tamen officio fungi possit. [6] Nec causa vlla est, cur matri binubæ idem priuilegium concedatur. Nam & ipsa Iustiniani constitutione cautum erat, vt ad tutelam accedens mater secundis nuptiis adhibitio etiam iureiurando renunciaret. [7] Quod quamuis moribus nostris improbatum sit, [8] quia libera debent esse matrimonia, [9] illud tamen retentum est, vt nec manere, nec fieri tutrix possit mater, quæ ad secunda vota conuolauit. [10] Alium ergo tutorem dari pupillo oportebit, in eamque rem pupilli agnatos & cognatos vocari, & quidem sumptibus & diligentia matris, tum quod tutelam ipsa suscipere perperam & contra leges non debuerit, [11] tum quia ad ipsius officium & pietatem spectet, vt liberis suis impubetibus tutorem petat; [12] quamuis si prior ratio non concurreret, sola posterior non faceret, vt matris sumptibus dari tutor deberet. [13] *Ita Senatus* in causa N. de Sion, vxoris N. Bachellard de S. Germano d'Amberieu, ex tempore, 8. Id. Mart. 1594.

1 *Auth. sacramentum, C. hoc tit.* Non enim potest mater tutrix esse, nisi quo casu permissum ei est à Iustiniano. Atqui hoc casu non modo permissum ei non est, sed etiam nominatim constitutum, vt hoc casu omnimodo expellenda sit mater à tutela *d. Auth. sacramentum.*

2 Esset enim hæc sententia ex numero earum, quæ sine appellatione rescinduntur, de quibus *in tit. D. quæ sent. sin appell. rescind. l. si expressim, 19 D. de appellat.* Denique auctoritas iuris non est in arbitrio iudicantis, *l. 15. ad municip.*

3 Est tamen hæc ratio indignitatis potius, quam incapacitatis, quam attulimus *num. 1.* fortior est, quia semper supponendi sunt termini habiles, *vulg. l. adigere 6. § quamuis, de iur. patron.*

4 *L. 1. §. vlt.* vbi est tex. elegans. *C. de liber. exhib.*

5 Metu scilicet reuerentiali, de quo nostri *ad l. 1. § quæ oneranda D. quar. rer. act. non det l. pen. D. de furt.*

6 *Dict. Auth. matri & auiæ.*

7 *Ibid.* & in corpore vnde sumitur, *l. 2. eod.*

8 Et à Iustiniano ipso *in d. Auth. sacramentum.*

9 *L. si patre cogente 22. D. de rit. nupt.*

10 Quia non fuit hoc casu permissum. * In genere autem permissorum quod non est permissum censetur prohibitum, & contra *l. mutus, 45. §. 1. D. de procurat.*

11 Hoc enim est illudere legibus. * Obserua tamen non deesse qui putent matrem quæ fuerit tutrix, præsertim testamentaria, posse post secundas quoque nuptias reassumere tutelam, saltem in subsidium, si alij nulli sint nec possint esse tutores. Quam distinctionem probat & sequitur Boer. *quæst. 166. num. 4. & ante finem.* Ego tamen omni casu putarem requirendam esse principis auctoritatem & voluntatem, ex *l. vltim. D. de tutel.* Planè si post mortem secundi mariti mater velit tutelam reassumere aliquando, *pronunciauit Senatus* posse illam tutricem esse & tutelam recuperare, si modo nullos ex secundo marito liberos habeat, in causa D. de Cuberto contra Dominos de Menton. *sine die.* Mallem tamen hoc etiam casu interuenire principis authoritatem, ne tanta vis fieret legibus supra quas solus est princeps, *lege digna vox C. de legibus, & l. princeps 30. D. eod.*

12 Dixi *Defin. 1. & 25. qui pet. tutor.*

13 Aliud enim est sumptus debere, aliud diligentiam, *l. 1. §. illud tenendum, de muner. & honor.*

DEFINITIO III.

Mater minor annis 25. non debet admitti ad tutelam liberorum suorum, nisi testamentariam, idque cum satisdatione.

POtest mater etiam minor annis vigintiquinque liberorum suorum tutrix esse, non tamen legitima, sed testamentaria, [1] adeo vt nec vlla satisdatione sit oneranda, quod imputare suæ facilitati, aut potius fatuitati debeat pater, qui eam tutricem dedit. [2] Nec eo minus tamen recte fecerit Iudex, si non aliter eam confirmare velit, quam si satisdet, [3] licet tutoribus testamentariis satisdandi necessitas soleat remitti. [4] Multo magis id admittendum sit, si filiafamilias propouatur. [5] Nisi pater idoneus confirmationi expressim consentiat: [6] qui consensus cum patrem obliget, satisdationis loco est. [7] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua in Defin. 20. & 21. infr. De impub. & aliis substit.

1 *L. 2. vers. his illud, C. hoc tit.*

2 Ita Nicolaus Boer. *quæst. 141.*

3 *Arg. l. Lucius 46. §. pen D. de admin. tutor.*

4 *L. testamento 17. D. de testam. tutel.*

5 Nec enim fieri tam facile potest, vt filiafamilias sit soluendo.

6 *L. si filiusfamilias 7. D. de tutel.*

7 *L. 1. Cod. de filiusfam. & quand. pro iis pat. teneat. libr. 10. tit. 60.*

BIU Cujas

TIT. XXII.

IN QVIBVS CASIB. tutor. habent.

DEFINITIO I.

Curator datus minori quamuis petenti non tamen remouendus est ad nutum & libitum minoris, sed tantum causa cognita.

CVRATOR quidem non datur minori nisi petenti præterquam ad lites: [1] sed si datus sit petenti, non est ad nutum minoris, nec nisi causa cognita remouendus, adeoque nec alius curator, nisi causa similiter cognita, ei adiungendus. [2] Onerat enim ea res existimationem curatoris. Et ideo etiamsi causa aliqua sit, propter quam allus curator dari debeat, quæ non infamet, id ipsum decreto Judicis comprehendi oportet, ne dubitare quis possit, factum id esse salua curatoris fama & existimatione. [3] Id ni factum ita sit, iustam appellandi causam curator habet, [4] cum suspecti causa, quæ publicæ accusationis fauorem meruit, [5] non minus curatores afficiat, quam tutores. [6] *Ita tractatum est* in causa D. Caroli Franciſci Ruffini, Domini de Vens, Aduocati clarissimi, & Referendarij Sereniſſim. Ducissæ, & N. Claudij de Buttet in secreto auditorio, Nonis Maij 1597.

1 §. *inuiti, Instit. de curator.*

2 Ita enim accipi debet, quod scriptum est *in l. ventri* 20. §. *curatorem, D. de tutor. & curat. dat.* vbi Accurs.

3 *L.* 3. §. *vlt. & l.* 4. §. 1. *D. de suspect. tutor.*

4 Tanquam ab iniuria Iudicis, qui existimationem eius læsit saltem apud bonos & graues viros, quod ferre nemo debet, *l.* 4. §. *aduersus, D. de doli mal. except. l. licet famosa, vers. nec exceptione, & seq. D. de obseq. parent. & patron. præst.*

5 *L.* 1. § *suspecti, vbi not. D. ad SC. Turpill. l.* 1. §. *consequens est, D. de suspect. tutor.*

6 *L.* 3. §. *non tantum, & §. vlt. l. impuberibus* 7. *D. eod. tit. de suspect. tutor. & curator. l.* 2. *C. eod.*

TIT. XXIII.

DE ADMIN. TVTOR.

DEFINITIO I.

Condemnatio irrogata pupillo ex dolo tutoris, vel negligentia ipsius tutoris, non pupilli damno cedere debet.

PVPILLO condemnato, si tutor pupilli nomine prouocauerit, nec appellationem intra statuta tempora prosecutus sit, [1] quam idcirco superior Judex desertam pronunciauerit, non tantum in expensas litis, sed in eam quoque mulctam, quæ appellantibus ob desertam appellationem iure nostro infligitur, proprio nomine quasi ex delicto suo [2] condemnandus est, siue iusta, siue iniusta fuit appellatio, ne alienæ negligentiæ pœnas pupillus luat. [3] Idemque est, si per crassam iuris ignorantiam ob non consultos peritiores, [4] aut dolo malo & per calumniam frustrandi iudicati gratia [5] tutor prouocauerit, & quod consequens est, succubuerit. Neque enim est quod quæratur, ita fieri, vt damnosum sibi sit officium suum, [6] cum non tam officij necessitas, quam mala administratio causam det condemnationi: [7] multoque esset iniquius ex dolo culpaue tutoris pupillo damnum inferri, cui nihil imputari potest. [8] *Ita Senatus* ex tempore 9. April. 1588. & rursum in causa R. Patr. Greffij Franciscani, mense August. 88.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *releuer & intimer l'appellation.*

2 Desertio namque appellationis delicti quædam species est, quasi ex desertione appareat, non fuisse interpositam appellationem nisi frustrandi gratia, vt tam superiori quam inferiori Iudici illuderetur, *arg. l. tutor* 41. *in princ. D. de vsur.*

3 *L. non est ignotum* 6. *C. hoc tit.*

4 Stultus enim dicitur, qui errat in iure, cum potuit consulere peritiores, *l. regula* 9. §. *vlt. D. de iur. & fact. ignor.*

5 *Vt in d. l. tutor* 41. *D. de vsur.* quibus opponitur tutor, qui bona fide appellauit, id est, vt ius quod pupillo suo competere putabat, tueretur, de quo *in l. negotiorum* 24. *D. de appellat.*

6 Quod nunquam ferendum est, *l. videlicet* 29. *D. ex quibus caus. maior. l. sed si quis ex signatoribus* 7. *D. de testam. quemadmod. aper.*

7 Nec enim tutori parcendum est, quoties non solum male, sed quod grauius est mala fide administrat, *d. l. non est ignotum, l. qui fundum* 7. §. *si tutor, D. pro emptor.*

8 Ex generali regula, *l. non debet alteri* 74. *de regul. iur. D. quod vi aut clam.* Nec enim administrantur tutelæ ad hoc, vt mergantur pupilli, sed vt iis prospiciatur, *l.* 3. *in princ. de contr. tutel. & vtil. act. ad d. §. si tutor.*

DEFINITIO II.

Potest tutor ex bona fide plus impendere in pupillum, quam sit in eius reditu: vrgere tamen minorem debet curator, vt quæstum aliquem faciat, si possit.

NOn potest tutor in pupillum plus impendere quam sit in facultatibus, nisi forte pupillo expediat. Non enim in hoc administrantur tutelæ, vt pupilli mergantur. [1] Neque tamen prohibebitur tutor in pupilli alimenta plus impendere, quam sit in reditu facultatum, si reditus ille honestis & congruentibus alimentis non sufficiat. [2] Sicut enim cogendus non est tutor, vt de suo pupillum alat, [3] ita nec vt eum in mendicandi necessitatem coniiciat. [4] Idem in minoris curatore tractari potest. [5] Sane à quo tempore quæstum ex industria sua facere minor potuit, imputandum est curatori, quanto pluris ob id expensum est, quod per eius negligentiam minor quæstum nullum fecerit. [6] *Ita Senatus* ex tempore 7. Id. Febr. 1589. & rursus in causa Raymundi Petard, & Claudiæ Petard, 8. Id. Iul. 1591.

1 *L.* 3. *in princ. D. de contrar. tutel. & vtil. action.*

2 Scilicet pro facultate patrimonij, & pro dignitate natalium pupilli, vt loquitur Paulus *in l. cum plures* 22. §. *cum tutor, D. hoc tit.*

3 *L.* 1. §. *vlt. D. de contr. tutel. & vtil. action.* dummodo nihil impenderit tutor nisi ex bona fide, *d. l.* 3 §. *pen. eod.* Textus est elegans *in l.* 2. *C. de alim. pupill præst.*

4 *d. l.* 3. *in princ.* iunct. *l. in fundo* 38 *D. de rei vindic. l. si seruus* 25. *D. de pignor action.*

5 Non enim plus iuris habet curator in bona minoris, quam tutor in bona pupilli: imo tanto minus, quod non personæ quoque datur vt tutor, sed bonis tantum, *l.* 14. *D. de test. tutel.* iunct. *l. cum in vna* 17. *in fin. de appell.*

6 Debuit enim minor à curatore admoneri, vt quæstum faceret, suamque in re aliqua honesta industriam exerceret: hoc vero nec in pupillum, nec in tutorem cadere facile potest.

DEFINITIO III.

Tutor non cogitur pati, vt in pupillari inuentario describantur res, quas intendit suas esse, licet mater aut agnati pupilli contendant esse pupillares.

SI tutor inuentarium bonorum pupillarium conficiens vrgeatur à matre aliisve consanguineis pupilli

pupilli, vt ea bona describi patiatur, quæ proprio sibi nomine quæsiit ex pecunia, quæ inter eum & patrem impuberi communis fuisse dicitur, [1] non est cogendus, [2] nec proinde dolo malo quicquam feciſſe dicendus, si nemine vrgente non curauerit ipse vt describerentur. [3] Quoniam etsi fauor pupilli ius illud elicuit, vt res à tutore empta ex pecunia pupilli sit pupilli, [4] & consequenter vt res empta ex pecunia, quæ tutori cum pupillo communis fuit, sit pupillo communis; [5] prius tamen est vt probetur, pecuniam esse communem, [6] alioqui præsumitur tutoris fuisse, qui comparauit, [7] neque tam supinus debet esse tutor, vt res suas in repertorio bonorum pupiliarium describi patiatur. [8] Nec est, quod quis obiiciat, potuisse tutorem pro iure suo conseruando protestari, & interea pati, vt ea describtio fieret, [9] ne alioqui nulla pupillo supereſſet ratio probandi quandocumque ius, quod in iis bonis aut in ea pecunia habuisset. [10] Neque enim tutor magis quam alius quilibet se ipsum prodere cogitur, vt de eius domo suas probationes pupillus extrahat, [11] cui nimirum satis esse debet, quod quandoque probans, fuisse sibi pecuniam illam cum tutore communem, habebit electionem, an ad pecuniam, an potius vtili vindicatione in rem ipsam agere malit. [12] Interea igitur ne pupilli ius, si quod est, intercidat, ad matrem alioſve pupilli rem agentes pertinebit, vt de pupilli iure protestentur, eaque protestatio inuentario inseratur. *Ita Senatus* in causa Petri Marmier, & N. Porterat, 4. Cal. Jul. 1591. de qua SC. 3. & seqq. sup. pro Socio.

1 Quo casu licet pecunia fuerit communis, bona tamen, quæ ex ea dicuntur acquisita, non sunt communia, sed eius, qui sibi acquisiuit, & cui suo nomine traditio facta est, *l. si patrum 4 C. commun. vtr. iudic. l. 2. Cod. pro socio, l. qui aliena 8. & pass. C. si quis alter. vel sib.*

2 *Arg. l. vlt. C. arbitr. tutel.*

3 Dolo siquidem facere non dicitur, qui iure suo vtitur, *l. nullum videtur, 55. de reg. iur.*

4 Scilicet si pupillus id eligat, *l. 3. C. arbit. tutel. l. 2. D. quan. ex fact. tutor. l. si vt proponis, l. si vt proponis 8. C. de rei vindic.*

5 Eadem enim ratio & potestas esse debet pecuniæ communis ad faciendam rem communem, quæ est pecuniæ propriæ ad faciendam rem propriam. Vide tamen quæ scripsi *lib. 5. Coniect. c. 9.*

6 Quoniam ex facto ius oritur, *vulg. si ex plagis 52. §. in cliue, D. ad leg. Aquil.*

7 Semper enim pecunia præsumitur esse soluentis, *l. si defunctus 10. C arbitr. tutel.* præterquam in filio familias, *l. cum oportet 6. vbi gloſ. C. de bon. quæ liber.* in vxore, *l. Quintius 51. D. de donat. int. vir. & vxor.* & in Prælato, *Auth. licentia, C. de Epiſc. & Cleric.* Vide Bart. *in l. Titium & Mæuium, §. altero, D. de admin. tutor.*

8 *d. l. vlt. C. arbitr. tutel.*

9 Protestatio siquidem solet illæsum conseruare ius protestantis, *l. etsi quis 14. § plerique, de relig. l. pro herede 20. D. de acquir. hered.*

10 Præcipua namque probatio pro pupillo illa est, quæ ex inuentario pupillari sumitur, *d. l. vlt. l. tutor 7. l. chirographis 57. D. hoc tit.*

11 *L. minus graue 7. C. de testib. l. vlt C. de edend.*

12 *dict. l. 3. Cod. arbitr. tutel.* Vide Bart. *ad l. 1. C. quand. ex fact. tut.*

DEFINITIO IV.

Tutor non nisi probato errore potest restitui aduersus factam à se confessionem debiti pupillaris regulariter.

ETsi tutor nec indebitum soluere potest, [1] nec debitum vltro remittere, [2] attamen bonam fidem agnoscere non prohibetur. [3] Itaque si post agnitam bonam fidem in profitenda quantitate, quam sciuit à defuncto debitam Titio fuisse, velit restitui aduersus propriam confessionem, quasi nihil Titio deberetur, non magis audiendus est, quam si solutum vellet condicere, [4] nisi talis persona proponatur, cui liceat à propria confessione, etiam nullo errore probato, resilire. [5] Finge mulierem esse, aut militem, aut agricultorem. Hoc sane casu probationem à Titio exigemus, vt doceat; sibi debitum fuisse, quod solutum est, [6] non solum si pupillus ipse pubes factus agat, sed etiamsi tutor idem ipsius nomine. Nihil enim hac parte refert, an Titio res sit cum persona pupilli, an cum tutore. [7] Proinde quod tutor, vt bonam fidem agnosceret pro pupillo soluit, in reddendis rationibus etiam reputare poterit, licet aliunde non probetur debitum fuisse. [8] Etsi enim periculosum videtur debiti pupillaris probationem solius tutoris arbitrio committere: si tamen tam spectatæ certæque fidei sit, vt suspicari non liceat, quod cum pupillari creditore in pupilli necem voluerit colludere, nulla ratio est, cur proprij patrimonij periculo bonam fidem pupilli nomine agnoscere compellatur. [9] *Ita Senatus* in causa Claudiæ Tauan & Amedei du Sollier, 7. Calend Septembr. 1593.

1 Quia indebitum vltro soluere donare est, *l. cuius per errorem 53. de reg. iur.* donare vero est perdere, *l. filiusfamilias 7. D. de donat.* Atqui tutor non ideo datur, vt perdat vel diminuat res pupillares, sed vt administret, *l. qui fundum 7. §. si tutor. D. pro empt. l. Lucius 46. §. vlt. D. hoc tit.* quomodo diligens paterfamilias solet, *l. à tutoribus 33. eod.* non est autem diligentis patrisfamilias soluere indebitum, *l. cum de indebito 25. D. de prob.* Vide *l. cum indebitum 57. D. de condict. indeb.*

2 *L. pactum curatoris 22. C. de pact. d. l. Lucius 46. §. vltim. D. hoc tit.*

3 *L. quoties 9. § nec vtique eod.*

4 Nisi paratus sit probare errorem, id est, nihil Titio deberi.

5 Nec enim hoc omnibus licet, *l. generaliter 13. C. de non numer. pecun. d. l. cum de indebito.*

6 *d. l. cum de indebito, versic. sin autem ita.*

7 *L. 2. §. sufficit, & seq. hoc tit.*

8 *d. l. quoties 9. §. nec vtique eod. tit.*

9 Ne alioqui suum ei officium sit damnosum, quod esse nunquam debet, *vulg. l. videlicet 29. ex quibus caus. maior l. tutore 22. de his quæ vt indign. l. cum quidam 16. in fin. C. hoc tit.*

DEFINITIO V.

Tutor qui se non nisi tutorio nomine obligauit, non cogitur pati executionem, nec in propria persona, nec in bonis suis.

TItius & Sempronius quasi duo correi debendi, sed hic proprio nomine, ille tanquam tutor Mæuij, centum tibi promiserat, adiecta clausula, *quilibet in solidum*, subiectaque non tantum bonorum, sed etiam personarum obligatione, his verbis: *Obligeant pour ce leurs personnes & biens auec la clause de constitut.* Cum ad diem non solueretur, petieras per Judicem, vt Titius tutorio nomine soluere iuberetur, eo cessante curaueras, vt ex personali obligatione in carceres detruderetur, [1] eiusque propria bona tanquam pignori obligata caperentur. Placuit perperam videri factam executionem, quod cum is non nisi tanquam tutor obligatus esset, in bona pupilli, non in ipsius tutoris personam aut patrimonium fieri executio debuisset, [2] siue iam finita esset tutela, siue non. [3] Neque enim hic Titius pupillari obligationi subscripserat tanquam fideiussor, [4] sed tanquam tutor. Cui consequens videbatur, vt subiecta bonorum & personarum obligatio ad Sempronij personam, & tam ad Sempronij, quam ad pupilli bona referri potius deberet. [5] Nec omnino abhorrenter à proprietate verborum. [6] Nam & bonorum pupillarium quodammodo dominus tutor est, [7] saltem quamdiu bene & ex pupilli vtilitate administrat. [8] Illud sane omnino pro tutore faciebat, quod cum ipsius persona nulla contracta esset obligatio, neque proprio nomine, neque fideiussorio, non potuerat ille bona sua per-

BIU Cujas

sonamve vtiliter obligare, [9] quin saltem illud expressisset, pro alieno & pupillari debito id se proprio nomine facere, quæ res constitueret eum fideiussorem. [10] Atqui de fideiussione nihil expressum fuerat, sed ex contrario bis repetitum cautumque, vt non nisi tutorio nomine obligaretur. [11] Nam sicut nulla præcedente obligatione personali pignus dari non potest, [12] quamuis pro alieno debito pignus dare possit is quoque, qui non est obligatus, [13] ita in dubio subiecta pignoris obligatio interpretationem accipere debet ex principali obligatione; [14] præsertim cum appareret, per imperitiam Notarij male conceptam pignoris conuentionem. [15] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in causa Joannis & Claudij de Plantes, 13. Cal. Junij, 1595.

1 Postquam placuit inuita iuris ratione, vt homo, qui non est dominus membrorum suorum, suum tamen corpus pignori dare possit, *l. liber homo* 13. *D. ad leg. Aquil.* De quo scripsi alibi.

2 Nam nec tutor iudicari executionem pati cogitur proprio nomine, *l.* 4. § 1. *D. de re iudic l.* 2. *D. hoc tit.* nisi cum calumniose litigauit, *l. non est ignotum*, 6. *C. eod.* ne alioqui ex officio suo periclitetur, *l. cum quadam* 26. *C. hoc tit.*

3 Quamuis post finitam tutelam res sit apertior, quia tunc actiones omnes, quæ antea competebant in tutorem, transferuntur in pupillum, *d. l. cum quadam.*

4 Quo casu sine dubio teneretur proprio nomine, *l. si non subscripsisti* 15. *à contr. sensu, C. hoc tit.*

5 Clausulæ siquidem accessoriæ & executiuæ interpretationem recipere debent à principali, nec ampliant dispositionem, *l. vlt.* § *pen. D. de condict. indeb.*

6 Sufficit enim vt non omnino verba repugnent, *arg. l. tamen* 51. *in fin. D. de hered. instit.*

7 *L. interdum* 56. § *qui tutelam, D. de furt. l. tutor qui tutelam* 27. *D. hoc tit. l. is qui in puteum* 11. § *an ignoscitur, D. quod vi aut clam.*

8 *L. qui fundum* 7. § *si tutor, D. pro emptor. dict. l. tutor* 27. *D. hoc tit.*

9 Est enim pignoris obligatio accessoria, quæ proinde sine principali non potest contrahi, quamuis contracta possit durare interdum, *l.* 2. *C de luit pignor. l. cum notissimi, C. de præsc.* 30. *vel.* 40. *annor. l. penult.* § 1. *de except. rei iudic. iunct. vulg. l. cum principalis* 168. *de reg. iur.*

10 Itaque poterat imputari creditori, cur non curasset, contractus legem conscribi apertius, *ex reg. l. veteribus* 39. *D. de pact. l. labeo* 21. *D. de contr. empt.*

11 Ad quid enim ita scriptum bis fuisset, nisi vt appareret, nolle tutorem proprio nomine obligari? quod & in dubio sane præsumendum est, *l. vltim.* vbi Bart. & alij, *D. quand. ex fact. tutor.*

12 Vt neque fideiussor, quoniam vtraque obligatio est accessoria, *l.* 12. *&* 5. *D. de fideiuss. l.* 5. *in princ. &* § *vlt. D. de pign. l. Paulus* 12. § 1. *quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

13 *d. l.* 5. § *vlt. D. de pignor.*

14 Quoniam in accessoriis omnibus hoc generale est, vt sequi debeant naturam sui principalis, *d. l. cum principalis, l. idem* 23. § *item quæcunque, D. de rei vindic. cum similib.*

15 Nec enim Notarij error prævalere debet voluntati contrahentium *l. si in nomine* 4 *& l. errore* 7. *vbi not. C. de testam. l. illicitas* 6 § *veritas. D. de offic. præsid.*

TIT. XXVI.

DE PERIC. TVTOR. & Curat.

DEFINITIO I.

Tutor qui tanquam tutor vendidit, non potest proprio nomine conueniri, nec de euictione nec de pretio, nisi quatenus in rem pupilli pecunia versa non est.

TVTOR, qui pupilli nomine rem vendidit, nec nisi ipsius pupilli bona obligauit, non potest proprio nomine de euictione conueniri; [1] sed neque pro pretio, si probet, pecuniam ad pupillum peruenisse, & in rem eius versam fuisse. [2] In rem versa autem videtur, si pupilli rationibus accepto lata fuit. [3] Nam etsi pupilli rem mala fide contra leges vendidisset tutor, quamuis alienatio non valeret, [4] eatenus tamen pupillus maior factus videretur approbare venditionem, quatenus pretium tutori suo imputaret. [5] Pro residuo sane pretij fieri nequit, vt alius conueniatur, quam tutor ipse, qui accepit. [6] Quod si forte soluendo non sit, bona tamen fide negotium gesserit, siue pupillarem, siue alienam rem vendiderit, vtilis in ipsum pupillum de euictione actio danda est, quia non male contrahitur cum tutoribus. [7] *Ita in Senatu tractatum est* ex tempore in publico auditorio, 10. Cal. Febr. 1593.

1 Notant nostri *ad l.* 1. *C. ne vxor pro marit.* licet aliter videatur sentire glossa, quam vide *in l. mutus* 43. § *si qui, in verb. satisdare.* vbi etiam Bald. *D. de procurat.*

2 *L. tutor vrgentibus*, 47. *in fin. D. de minor. l. illud quæritur*, 4. § *vlt. de euict.*

3 *d.* § *vlt. l.* 4. *de euiction.*

4 *L. cum plures* 12. § 1. *D. hoc tit. de admin. & peric. tutor. l.* 1. *& tot. tit. de rebus eor. qui sub tutel. l. lex qua tutores*, 22. *C. de admin. tutor.*

5 Felin. Sandeus, *cons.* 16. *num.* 3.

6 *L. his solis*, 49. *D. de condict. indeb.*

7 *d. l.* 4. § *vlt. de euict. d. l. cum plures*, 12. § 1. *D. de admin. tutor. l.* 4. § *illa etiam quæstio, D. de dol. except.*

DEFINITIO II.

Ratihabitio litis improbæ, quam tutor exercuit, an & quando liberet tutorem, ne ad expensas litis proprio nomine conueniri possit?

NOn est condemnandus tutor in expensas litis improbæ, quam pupilli nomine, & quasi tutor exercuit, [1] si pupillus pubes factus ab eo gesta rata habuerit, [2] siue cum curatoris auctoritate, [3] siue interposito iureiurando, quod curatoris auctoritatem, vt & cæteras solemnitates supplere solet. [4] Sibi enim imputet, qui ratum habuit, quod male gestum fuerat. [5] Idemque erit, tametsi pubes hic non soluendo esse proponatur. [6] Sufficit namque, per huiusmodi ratihabitionem sublatam esse rationem illam, quæ faciebat, vt tutoris culpa pupillo nocere aut imputari non deberet. [7] Nisi dolo malo tutoris extortam ab inope minore ratihabitionem constet, vt expensarum condemnationem, quam sibi impendere videbat, effugeret, eamque substitui inopis aduersarij egestate eluderet. [8] Plane si postea minor aduersus eam ratihabitionem ætatis fauore restituatur, pristinam victori aduersus eum qui tutor fuit, expensarum ratione actionem quoque restitui oportebit. [10] *Ita Senatus* in causa Marci de la Mousiere, & Petri Gacon, 6. Non. Aug. 1593.

1 Ad quas alioqui condemnandus esset, *l. non est ignotum*, 6. *C. de admin. tutor.* Nempe, quia non censetur habere mandatum, siue à pupillo, siue à magistratu, vt quicquam faciat mala fide, aut vt litem improbam vel instituat vel suscipiat, *leg. quoties*, 9 § *nec vtique, D. de admin. tutor. l. à tutoribus*, 23. *eod.* quia & omne mandatum bonæ fidei clausulam habere intelligitur, *l. creditor* 60 § *vlt. D. mandat.*

2 Ratihabitio enim æquiparatur mandato etiam in delictis, *l.* 1. § *sed etsi quod alius, D. vnde vi, l.* 3. § *cum procurator, eod. l. vlt. C. ad SC Maced.*

3 Scilicet si minor curatorem habet, *l.* 5. *C. de integr. rest. minor.* alioqui recte obligatur minor solus, imo etiam sine curatore suo, vt pluribus locis docui contra interpretes, *ex l. puberes* 101. *de verb. oblig.* vbi Cuiacius.

4 Notant nostri *ad Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

5 Quia non potest reprobare quod semel probauit, *l. Pomponius*, 9. *D. de negot. gest.*

6 Quamuis

6 Quamuis dici soleat inanem esse actionem, quam debitoris inopia excludit, *l. nam is 6. ff. de dolo.*

7 *d. l. non est ignotum, l. 3. & 4. ff. quand. ex fact. tutor.*

8 *Arg. l. 3 §. 1. vers. sed totum hoc structum, ff. de minor. l. quod si cum scires, 8 ff. de dolo.*

9 Tanquam lætus, quod tutoris in lite improba perseverantiam ratam habuerit, quam improbare potius debuerat. *l. desistisse, 10. ff. de iudic.*

10 Quæ per ratihabitionem intercidisse videbatur, *argu. l. si mulier, 14 iunct. l. sed si 29 ff. ad SC. Velleian.*

DEFINITIO III.

Tutor tenetur ad expensas litis mala fide institutæ aut susceptæ, licet aduersarius non vincat, nisi per iusiurandum suppletiuum.

COndemnandus est tutor proprio nomine in expensas litis, quam pro pupillo instituit ad consequendum debitum, quod ipse sciebat esse solutum, licet neque solutionem ipse acceperit, neque debitori apocham vllam exhibeat.[1] Neque enim bonam fidem agnoscere tutor prohiberur.[2] Nec aliud erit, tametsi solutionis probatio semiplena tantum fuerit, & consequenter debitoris iureiurando, vt vocant, suppletorio implenda impletaque.[3] Quandoquidem quod plenior, aut minus plena sit probatio solutionis, non facit, vt solutionem factam esse plus minusve tutor scieverit.[5] Sane non ex eo solo, quod probatur tutor confessus scire se solutionem, præiudicium fieri pupillo debet, cui venus est non nocere tutoris confessionem, præsertim quæ extra iudicium & sine causa facta sit.[6] Quod si non nocet ea confessio pupillo, nec igitur facere poterit, quo minus ille ipse tutor pupilli nomine actionem instituere possit,[7] neque propriæ scientiæ exceptione alienum agens negotium repelli debebit.[8] *Ita Senatus* in causa Gaspardi Bichon, & Joannis Pichod, 4. Id. Nouembr. 1594.

1 Quo casu esset quidem in tutore, vt in cæteris probabilis ignorantia facti alieni, *l. vl. D. pro suo.* Sed nullus est huic præsumptioni aut excusationi locus, cum ponamus tutorem scisse factam solutionem.

2 Apocha enim non est modus tollendæ obligationis, sed probandi sublatam, cum fit solutæ pecuniæ professio, *l. pecuniæ, 14. C. de solut.*

3 *L. quoties, 9. § nec vtique, D. de admin tutor.*

4 Iuxta eam nostrorum sententiam, quæ obtinet, *ex l. ad monendi, 31. D. de iureiur. l. in bonæ fidei, 3. C. de rebus credit. & iureiurand.*

5 Nam & euenit quotidie, vt quis sciat quod alius probare non possit, quia probationis facultas nihil habet commune cum rei veritate, *l. duo sunt Titij, 30. de test. tutel.*

6 *L. certum, 6. § sed an & ipsos, iunct. § præced. de confess.*

7 Quicquid enim pupillus facere posset, id & tutor pupilli nomine potest facere, quatenus ex propria non pollet, *l. tutorem, 11. D. de his quibus vt indign l aduersus, 30 §. 1. D. de inoffic. testament.*

8 Quia non agit tanquam Titius, sed tanquam alius tutor quilibet, *l. si paterfamilias, 15 de adopt. l. item eorum 6. in princip. D. si quod cuiusque vniuers.* Interdum tamen etiam tutoris scientia nocet pupillo, *l. 3. § pen. & vlt. D. de tribut. act.* Sic dicimus, posse quem agere, non modo contra propriam scientiam, sed etiam contra proprium factum, si modo agat ad alterius commodum, Castr. *ad l. si non sortem, 26 § libertus. D. de condict. indeb.* Text. est elegans *in l. vlt. D. de postul.*

DEFINITIO IV.

Tutor condemnatus in principali negotio tanquam tutor, non intelligitur condemnatus ad expensas, nisi tutorio nomine, nec si potuerit & debuerit ex iusta causa proprio nomine condemnari.

TItius cum Sempronij impuberis tutor esset, litique male institutæ non adfuisset,[1] condemnatus fuerat tutorio nomine ad præstandam rem, de qua agebatur, ad expensas vero litis simpliciter, non expresso eo, an proprio nomine, an tutorio? Quærebatur, an quasi tutor videretur condemnatus? Dubitationem faciebat, quod licet dici soleat condemnationis principalis qualitatem in accessoriis repetitam intelligi[2]: in proposito tamen dissimilis in eo erat ratio, quod principaliter condemnari tutor non poterat ad rem præstandam, nisi quatenus tutor, cum nec aliter rem præstare posset,[3] ad expensas vero condemnari debuit proprio nomine propter contumaciam, quæ ipsius propria fuit non pupilli.[4] Contumacia enim quasi delictum est.[5] Ex delicto autem tutoris nemo dixerit condemnari impuberem debere.[6] Sed tamen placuit nunquam videri condemnatum tutorem, aliumve administratorem proprio nomine, nisi cum idipsum disserte expressum est,[7] licet condemnandi ipsius causa iustissima fuerit; nimirum quia post sententiam non tam quærendum est, quid iudicari debuerit, quam quid iudicatum sit.[8] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Defin. 29. 30. 31. infr. De luit. pign.

1 Nimirum per contumaciam, vt sequentia ostendunt. Nam si ideo non adfuisset, quod in lite improba perseverare noluisset, laudari potius eo nomine quam puniri deberet, *l. desistisse, 10. ff. de iudic. l. 4 § 1. de alien. iud. mut. caus. fact.*

2 Quoniam quæ in præfationibus continentur, plerumque in sequentibus repetita intelliguntur, nisi cum ea repetitio actum vitiaret, *l. Titia, 134. § 1. de verb. oblig. l. vltim. ff. de fideic. libert.*

3 Is enim tantum condemnari potest ad rem restituendam, qui eius restituendæ facultatem habet, *l. officium, 9 ff. de rei vind.* nisi dolo desierit habere, *l. qui restituere, 68. eod.*

4 Dixi *Defin. 1. supr. tit. prox. ex l. non est ignotum, 6. C. de admin. tutor.*

5 Siquidem quisquis contumax est, contemnit iurisdictionem eius, cui obtemperare deberet, *l. 5. D. de iud. l. contumacia, 55 de rei iud. vnic. si quis ius dicent. non obtemp.*

6 Quia generalis regula est, dolum tutoris pupillo non magis nocere debere, quam prodesse, *l. 3. & 4. ff. quand. ex fact. tutor l. is qui, 11. § si tutorus, ff. quod vi aut clam.*

7 Nempe si negotium spectet ad solum pupillum. Nam & si commune fuerit tutori & pupillo, non tenetur tutor pro parte pupilli nisi nomine tutorio, *l. vlt. iunct. l. post mortem, 5. in princ. & §. ff. quand. ex fact. tut.*

8 Quia per iudicatum fit nouatio, *l. vltim § si enim, C. de vsur. rei iudic.* & exinde incipit deberi, *l. si fundus, 16. § pluris, ff. de pignor.*

DEFINITIO V.

Curator etiam ad actum datus debet actus sui rationem reddere & probare pecuniam versam esse in rem minoris, si datus fuerit curator ad vendendum.

CVrator ad actum datus, licet bonorum minoris administrationem nullam habeat,[1] eius tamen actus ad quem datus est, rationem reddere cogitur, ne alioqui frustra & sine causa datus videatur.[2] Itaque si quis minori ad vendendum, pretiumque accipiendum auctoritatem præstiterit, curare debet, vt non aliter id faciat, quam si videat minori expedire, vt vendat.[3] Itemque, quod est consequens, vt ea pecunia in rem & vtilitatem minoris impendatur.[4] Alioqui se obligat minori, electionem quandocumque habituro, pecunia deperdita, an contra ipsum agere velit, an contra emptorem?[5] Sed ita tamen, vt melior emptoris, quam curatoris conditio futura sit. Nam aduersus emptorem agens non aliter audiendus est, quam si probet deperditam pecuniam, cum præsumptio sit pro emptore, qui soluit minori auctore curatore.[6] At contra curatorem agens nihil aliud probare cogitur,[7] nisi quod is ad actum illum curator datus fuerit, & auctoritatem præstiterit. Hoc ipso enim transfert in curatorem onus probandi, quam ob

BIU Cujas

causam præstiterit auctoritatem, & quam in causam pretium rei conuersum sit. [8] Illud sane constat nullum minori ex electione præiudicium generari, [9] id est, siue aduersus curatorem primum egerit, siue aduersus emptorem, non prohiberi eum aduersus alium agere, nulla etiam restitutione impetrata. [10] Proinde si emptorem elegerit, & ob id succubuerit, quod probare non potuit deperditam pecuniam, tum aduersus curatorem agens, assecutus sit, vt siue ex curatoris confessione, siue qua alia ratione apparuerit perditam pecuniam, nec versam in vtilitatem minoris, [11] rursus contra emptorem regredi poterit, si rem suam habere malit, quam pretium consequi à curatore. [12] Sed an curator emptori eo nomine obligatus erit, vt saltem pretium restituat? Minime, neque enim vllo id iuris loco proditum est: [13] Debetque sibi emptor imputare, cur non fuerit curiosior & diligentior cum minori solueret, præsente licet, ac auctoritatem præstante curatore, [14] vt sciret, quam in rem pecunia verteretur. [15] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Definit. 15. supr. De integr. restit. minor.

1 Opponitur enim curator ad actum datus ei, qui sit datus in omnem rem, de quo *in l. omnem rem*, 15. *D. de tutor. & curat. dat.*

2 Ideo enim datur curator ad actum, vt rationem reddat eius actus, *arg. l. cum actum*, 17. *D. de negot. gest.*

3 Interdum enim expedit, vt in specie *leg.* 5 §. 1. *& l.* 6. *D. de iur. delib. l. Diuus*, 5 *D. de petit. hered. l. verum*, 11. § *si locupleti*, *D. de minor.*

4 *L.* 5 §. *ne tamen*, *D. de reb. eor.*

5 *L. vlt. C. si tut. vel cur. interuen.*

6 *L. ait prætor*, 7 § 1. *D. de minor* iunct. *l. quod si minor*, 24 § *restitutio*, *l. patri*, 27. §. 1. *vers. prædium eod.* Valde tamen obstat, *l. sine herede*, 22. §. *interposit. D. de admin. tut. & l. prædiorum*, 10. *C. de præd. minor.* Scripsi in Rationalibus *ad d. §. restitutio.*

7 Adde aliam differentiam, quod contra emptorem non potest agere sine restitutione, contra curatorem vero potest agere iure communi, nec vlla opus est restitutione.

8 Hæc enim omnia ad curatoris officium pertinent, cuius debet ille rationem reddere.

9 *d. l. vlt. & l. etiam* 3 *C. si tut. vel curat. interuen.*

10 Intellige, nisi emptor paratus sit probare, pecuniam in rem minoris versam fuisse. Nam se onerans probatione audiendus esset, etiam contra confessionem à curatore factam, aut aduersus probationes se non vocato contra curatorem factas, *tot. tit. C. res int. alios act.*

11 Plerumque enim minoris interest, vt rem suam habeat potius, quam eius æstimationem, *l. in causa*, 13 § *interdum*, *l. si in emptionem*, 35. *D. de minor. l. lex quæ tutores*, 21. *C. de admin. tutor.*

12 Cum non curator, sed minor ipse vendiderit, Curator vero nihil, nisi auctoritatem præstiterit. Hoc enim est, quod dicere nostri solent, qui alium authorisat non se obligat. Aliud est in tutore, qui ipse pupilli nomine non vendidit, *l.* 4. §. *vlt. D. de euict.*

13 Debet enim curiosus esse quisquis contrahit cum persona suspecta, *l. vir vxori*, 7. § *mulier & Titius*, *in fin. D. ad SC. Velleian. l. vlt. D. de exercit. act.* Secus est in aliis, *l. doli*, 19. *in fin. D. de nouat.*

14 Non quasi male soluatur curatori, aut etiam ipsi minori curatore auctore, *dict. l.* 7 §. 1. *D. de minor.* sed quia aliud est quærere an is, qui sic soluit liberatus sit, an vero ius habeat repetendæ contra minorem pecuniæ, cum minor aduersus totum contractum impetrauit restitutionem, vt scripsi in Rationalibus, *ad dict. l. quod si minor*, 24. §. *restitutio*, *eod. tit. de min.* vbi vide.

15 Præuidere enim potuit & debuit periculum & incertum restitutionis, vt loquitur Papinianus, *in l. si Titius*, 49. *D. de fideiuss.*

DEFINITIO VI.

Minor potest tutorem vel curatorem quondam suum liberare sine vllis solemnitatibus dummodo maior factus.

STatutum de liberationibus tutorum vel curatorum, quo tam multæ solemnitates introductæ sunt ad hoc, vt valeat liberatio, quam tutori quondam suo adultus etiam iuratus concesserit, ad eos tantum pertinet, qui liberationis tempore minores reperiuntur, non etiam ad illos qui annum ætatis 25. iam excesserunt, [1] quibus vtique liberum est de re sua pro arbitrio disponere, nullo etiam iudice aut cognato, nulla rationum redditione interueniente. [2] *Sine die.*

1 Anton. Sola in comment. *ad statut.* incipiens *Quittationem.* vbi vide.

2 *Vulg. l. in re mandata*, 21. *C. de mandat. l.* 2. *D. si à parente quis manumiss. sit.*

TIT. XXV.

DE TVTOR. VEL CVRAT. qui sat. non ded.

DEFINITIO I.

Tutor cogitur satisdare, nisi in casibus certis, itemque inuentarium conficere, nec prius quicquam gerere potest regulariter.

CErti iuris est, debere tutorem satisdare, [1] nisi vel testamentarius sit, [2] vel confirmatus, [3] vel ex inquisitione datus, [4] sicut & inuentarium facere cogitur, adeo, vt nec prius, quam fecerit, attingere debeat administrationem. [5] Præterquam in iis, quæ dilationem non recipiunt, [6] aut quæ fieri necesse est, priusquam inuentarium conscribatur, [7] aut propter quæ nullum pupillo damnum immineat. [8] An igitur iudicium consistet, quod tutor ante præstitam satisdationem aut susceperit, aut agendo exercuerit? Sunt qui putent consistere, sed ex eo tutorem tanquam suspectum remoueri posse. [9] Et certe fatendum est, tutorem & esse & manere, priusquam vel satisdet, vel inuentarium confiat, [10] ideoque remouendum esse. [11] Sed tamen magis est, vt nec administrare interim possit, nec pupilli nomine experiri, [12] nisi forte proponas eum litis statum esse, vt nec pupilli nec aduersarij quicquam intersit. Puta si ad hoc tantum tutor agat, vt litis, quæ cum viuo pupilli patre ad coronidem perducta fuerat, instrumenta omnia iudici ad ferendam sententiam exhibeantur. [13] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 14. Cal. Sept. 1588.

1 *Tot. tit. Instit. de satisdat. tutor.*

2 *L. testamento*, 17. *D. de testam. tutel.*

3 Quia non alius confirmari potest, quam qui habet etiam pro se defuncti voluntatem, *l.* 1. *& tot. tit. de confirm. tut. D. & C.* Vide *l. pen. C. hoc tit.*

4 Quia fides inquisitionis pro vinculo cedit cautionis, *l. si impuberi*, 13. *in fin. D. de tutor. & curat. dat.*

5 *L. tutor qui repertorium*, 7. *D. de admin. tutor.* Vbi obserua, non sic loqui Vlpianum, vt dicat, nihil posse interim tutorem gerere ante factum inuentarium, sed nihil eum gerere oportere. Vide tamen *l.* 1. *& vlt. C. hoc tit. & Defi.* 1. *supr. Qui legit person. Afflict. dec.* 285 *n.* 22. Capic. *dec.* 50. vbi tradit nouem requisita, antequam tutor possit attingere tutelam. Sed intellige, antequam tutor possit attingere impune.

6 Quæ enim sunt huiusmodi, fere semper habent priuilegium, vt interea fieri possint, *d. l. tutor, in fin. principij. l. vlt. Cod. hoc tit. l. Aristo*, 5. §. 1 *l. ait prætor*, 7. §. *vlt. D. de iur. deliber. l. Diuus* 5. *D. de hered. petit. l. vlt. D. de appell. recip.*

7 Puta tum deliberat tutor, an pupillo expediat adire delatam sibi hæreditatem, *argument. l. Aristo*, 28. *D. de acquir. hered.*

8 Gloss. *in l. fin. C. hoc tit.* Bart. *in dict. l. tutor*, 7. *D. de admin. tutor.* Cin. *in l. vlt. C. eod.*

9 Bart. *in d. l. tutor, ex l.* 2. *C. hoc tit.*

10 Nec enim alius vel satisdare debet, vel inuentarium facere, quam qui iam sit tutor.

11 *d. l.* 2.

11 *d.l.1.C.hoc tit.* Quomodo autem posset remoueri à tutela is, qui tutor nondum esset, *argu l Titio vsusfructus, 96. D. de cond. & demonst. l. non potest videri, 208. de reg. iur.*

12 *L.3.4. & vlt. C. hoc tit.* iunct. *l.1. eod.*

13 Capel. Tholos. *decis.* 288. & ibi Aufrer.

DEFINITIO II.

Tutor, qui nec satisdedit, nec satisdare iussus est, non eo minus & agere & administrare tanquam tutor potest.

QVi ad tutelam admissus est à iudice nulla præstandæ satisdationis necessitate obstrictus,[1] si tanquam tutor agat, non potest ea exceptione repelli, quod non satisdederit, quasi ob eam causam nec tutor sit. Perinde namque legitimus tutor est, ac si satisdedisset,[2] siue vltro, siue per imperitiam iudex necessitatem satisdandi ei remiserit: præsertim cum iudex ipse eo nomine in subsidium obligetur, & quasi pro fideiussore habendus sit.[3] Habetque ea res minus dubitationis, siue tutorem proponas, cui non fuerit necesse satisdare, cuiusmodi est testamentarius, vel ex inquisitione datus.[4] Cæterum si tutori, cum tutor daretur aut confirmaretur, satisdationis onus, vt sæpe fit, iniunctum fuerit, nec satisdederit, administrationem nullam habebit, at ne tutor quidem esse intelligetur.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Cal. Febr. 1590. Vide titul. De eo qui pro tutor. negot. gess. Defin. 1.

1 Qua tamen obstringi omnimodo debuit extra eos casus, de quibus in *Defin. prox.*

2 Non enim satisdatio facit tutorem, sed ei, qui iam tutor sit satisdandi necessitas iniungitur, vt dixi *Defin. prox. n.* 10.

3 *L.1. & tot. tit. de magist. conuen. D. & C.*

4 *L. pen. C. hoc tit.*

5 Nimirum quantum ad causam administrationis, *l. 1. 2. & 3. & pass. C. eod.* Non quasi tutor hoc casu sub conditione datus intelligatur, quod fieri nullo modo potest, cum tutelæ datio sit actus legitimus, *l. actus legitimi. 77. de reg. iur.* sed tãquam à iudice admonitus, non aliter ei tutelam committi, quam si satisdederit, *l. muto, 6. §. 1. D. de tutel.* [Quid si è contrario iudex, quod plerumque accidere solet, satisdationem iniunxerit tutori testamentario aut dato ex inquisitione, nec is appellauerit, sed quia vel nolit, vel non possit, cesset satisdare. Interim vero vrgeatur à creditore pupillari, vt pupillum defendat in lite, quæ coram Senatu pendeat? Potest Senatus ex officio etiam citra appellationem satisdandi necessitatem tutori remittere, & eum ad pupilli defensionem etiam pœnarum comminationibus vrgere, adeoque si tutor aut curator ex inquisitione datus sit, pronunciare inauditis quòque nominatoribus eos pro fideiussoribus habendos cùm ratio iuris ita ferat, *l. 4. §. vlt. D. de fideiuss. & nomin. tutor.* Sed hoc tamen addito, vt Arrestum iis significari iubeatur, ne possint quandoque ignorantiam obtendere, & vt si tutorem vel curatorem, quem nominauerunt, male versari videant, possint suspectum facere, sibique consulere aduersus periculum malæ nominationis. *Ita Senatus in* persona Francisci Rey pro sororibus Massion, 18 Apr. 1614. Ad de Ferr. *in form. libell. ad redd. ration. gloss. 1. n. 16.* vbi ait si à Iudice satisdare iussus sit tutor, qui alioquin satisdare non tenebatur, standum esse sententiæ. Eamque practicam maxime in tutoribus ex inquisitione datis probari per *gloss. in l. 1. C. hoc tit. ex §. nos autem Inst. de Atil tutor.* quia, inquit, plerumque hæc inquisitio fit negligenter à magistratibus, qui tutorem idcirco facile onerant satisdatione, vt hoc veluti remedio suppleant quod deest eorum diligentiæ.]

TIT. XXVI.

DE SVSPECT. TVTOR. vel curator.

DEFINITIO I.

Pacisentes de hereditate pupilli per occasionem tutelæ, indigni sunt & tutela & hereditate. Quid si de fructibus diuidendis bonorum pupilli?

SI proximiores agnati de tutelæ aut curationis munere assequendo collitigantes pacti sint de pupilli aut minoris hereditate inter se diuidenda, quandocumque mori eum contingeret,[1] hoc ipso suspecti sunt & indigni, qui ad munus hoc publicum admittantur: quod ita paciscendo perfide & pernicioſe agere videantur,[2] adeoque insidiose in re pupilli vel minoris, de cuius morte contra ius gentium festinantes, tam cito cogitent.[3] Non idem est, si proponas ex Augustanæ vallis prouincia plures inuicem transegisse de fructib. bonorum pupillarium diuidendis, postquam placuit iure consuetudinario totius prouinciæ induci, vt non cogantur tutores rationem reddere, nisi administratæ proprietatis, fructus autem suos omnes faciant, quicunque deductis pupillar. ib. impensis supersunt.[4] Quanquam nec eo minus suspecta, malique exempli conuentio illa esse mihi videbatur, cum tutelæ ambitum præ se ferat, qui ad remouendum à tutela, quantumuis proximum agnatum, sufficere deberet.[5] *Ita Senatus* ex tempore, 9. Cal. Mart. 1589.

1 Nimirum eo fortassis prætextu, quod ad quos tutela redit, ad eos peruenire hæreditas debeat. *vulg. l. quo tutela 73 de regul. iur.*

2 Est enim huiusmodi pactio plena tristis & periculosi euentus, *l. vltim. Cod. de pact.* adeoque improbus est, qui sollicitus est de viuentis, præsertim impuberis hæreditate, *l. 2. §. interdum, ff. de vulg. & pupill. substit. l. 2. §. vltim. D. de his quæ vt indign.*

3 *L. donari, 29. alias l. quidam, §. donationem, ff. de donat. l. 1. §. si impubere. D. de collat. bon.* Hoc vero maxime obtinet cum tractatur de pupillo, cuius vita insidijs agnatorum aut substitutorum maxime exposita esse creditur, propter quod fuit necesse induci non tantum substitutionem pupillarem, sed etiam vt pupillares tabulæ, quandiu pupillus viueret, clausulæ remanerent, *§. sin autem quis, Inst. de pupill. substit.* iunct. *l. Iulianus, 42. alias l. si pupillus, ff. de acquir. hered.* vide *l. 3. §. nunc videamus ff. hoc tit.*

4 Ita enim fert consuetudo vallis Augustanæ, mirabilis sane, & à iure nostro pupillorumque vtilitate valde aliena, sed quam tamen abrogari numquam fuit possibile.

5 *L. scire oportet, 21. §. vlt. ff. de tutor. & curat. dat. l. ex sententia, 29. ff. de testam. tutel. l. quæ omnia 25. vers. nec ferendus est. ff. de procurat.*

DEFINITIO II.

Pendente suspecti cognitione, an & quando remouendus sit tutor aut curator ab administratione.

PEndente cognitione suspecti, constat quidem remouendum esse tutorem aut curatorem ab administratione:[1] Sed hoc ita accipiendum est, si contra tutorem suspicionis indicia aliqua proponantur:[2] alioqui sola accusatoris allegatio non sufficit, ne calumniæ occasio detur.[3] Itaque litem super allegatis suspicionis causis contestatam esse necesse est, priusquam remoueatur.[4] Porro quemadmodum suspectus ille est, qui in re pupilli aut minoris male versatur,[5] ita male versari credendus est, quisquis contra Senatusconsultum, quod ad Diui Seueri orationem factum est, rem immobilem sine decreto alienat.[6] Nemo enim dubitat quin male fiat, quicquid fit contra leges.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 11. Calend. Iunij, 1590. Et rursum in relationibus libellorum, pro tutore liberorum N. Neyton, 18. Calend. Decemb. 1590.

1 *L. eum quem, 7. C. hoc tit.*

2 Imo non esse tutorem remouendum propter solam suspicionem ante litem contestatam, tenet Affl. ct. *decis. 157. numer. 5. & 6.* post Angel. *in l. quod si forte, 14. sunt quidam, D. de solut.*

3 Nam vt ille Imperatori obiiciebat, quis innocens erit, si sufficiat accusare? Quanquam nec insulse Imperator, quis vero nocens, si sufficit negare?

BIU Cujas

4 Ex sententia Afflicti & Angeli, quam retulimus *num.2*, quæ magna sane limitatio est, *ad l.eum quem.*

5 *L.3 § nunc videamus, & pass. D.hoc tit.*

6 Idem est, si tutor alienet sine decreto aliquam rem ex iis, quarum alienatio hodie prohibita est, post *l.lex quæ tutores 22. C.de admin.tutor.* quamuis ad diui Seueri orationem ea res antea non pertineret.

7 *L.non dubium 5. C de legib.* Indignus enim est legum auxilio quisquis in eas committit, *l.auxilium 37. in fin. D.de min.* Si tamen nihil aliud contra tutorem hunc allegaretur, putarem æquius vt salua existimatione prohiberetur quicquam amplius gerere, quam vt quasi suspectus remoueretur, *argum. l.3 § vlt. & l.seq. D.hoc tit.* quia solus infamiæ pœnam meretur, *l.vlt.C.eod.*

TIT. XXVII.

DE IN LIT. DAND. tutor.

DEFINITIO I.

Pœna minoris contumacis citati ad petendum curatorem in litem non alia est, quam vt ei, licet absenti, curator detur.

AD Judicem venire iussus minor, vt sibi curatorem in litem peteret, cum quo agere creditor posset, [1] non paruit. Contumaciæ pœnam non illa erit irroganda, vt pro maiore habeatur, quem minorem esse constat, [2] quippe tanquam minor conuenitur. Ne contra quam vulgo iactari solet, plus operetur fictio in casu ficto, quam veritas in casu vero; [3] Sed vt ex Judicis officio absenti curator detur, qui alioquin, etsi inuito, non tamen, nisi præsenti, & qui ab ipso minore nominatus esset, dari debuisset. [4] *Ita Senatus* in causa Dominæ Bonauenturæ Beisse, & N. Antonij Fraret de Combaueiron, 17. Calend. August. 1593.

1 Siquidem ex hac causa etiam inuito curator dari potest & debet, qui alias non datur nisi petenti, § *item inuiti, Inst. de curat.* l 1 *C hoc tit.*

2 Etsi non vno casu placet nostris minorem haberi pro maiore, puta, inquiunt si cum iuramento contraxerit, *Auth. sacramenta C. si aduers. vend.* aut si maiorem se dixerit, *ex tit. C. si min. se maior. dixer.* De quo scripsimus ad eos titulos.

3 Contra *l.adoptio 16.* iunct § *vlt. l. præced. D.de adopt. l filio 23. D. de liber. & posthum.*

4 *L. . § si pupillus, D. de tut.* Contumacia enim fictam præsentiam inducit, cum pro præsentia habeatur, *Auth. quæ in prouincia, vers. sed si nec ipse C. vbi de crim. agi oport.* & in corpore vnde sumitur.

DEFINITIO II.

Curator ad litem aut actum quis inuitus dari possit.

CVrator ad litem aut ad alium actum, in quo curatoris auctoritas necessaria sit, inuito quidem datur, [1] sed non inuitus: [2] Nisi proponas procuratorem publico munere fungentem, qui ex ea causa cogi possit, vt pro alio procurationem suscipiat. [3] Itaque quoties non reperitur ex agnatis, aut cognatis, aut affinibus, qui curator esse velit ad litem, siue minori, siue iacenti hereditati, [4] dandus sit, Senatus iubere solet, vt ex procuratoribus aliquis nominetur, cui ejus muneris executio mandari possit, salario iusto interueniente, & ita, vt nec de suo quicquam præstare compellatur, [5] nec vllis rationibus reddendis aut litis periculo fiat obnoxius, sed tantum instruendæ liti officium boni viri & diligentis procuratoris exhibeat. Vnde illud quoque fit, vt ita datus curator alium procuratorem constituere non debeat, quoniam idem ipse & curator & procurator est. [6] *Ita Senatus* in causa N. Polixenæ Veillet, contra N. Bay, 8. Cal. Septemb. 1593.

1 § *item inuiti, Inst. de curat.*

2 Potest enim recusare, multo magis se excusare, *l.3. § si pupillus eo*, ibi Bald. *D. de tutel. l.2. § quæritur, de curat. bon. dand.*

3 Parum enim distat inter procuratorem & curatorem ad lites. Dixi *Defin. 4. n. 6. & 7. supr. qui tutor. aut curat. dare dari ve poss.*

4 Nam eo iure vtimur, vt etiam iacenti hereditati curator detur, contra quem errorem vide quæ scripsi *Decad. 3. de error. pragmat. Error. 3.*

5 Nemo enim cogendus est, vt pro alio quicquam inuitus soluat, nec debet vlli officium suum esse damnosum, *l. cum quadam 26. C de admin. tutor.* damnum autem aliquod est, si quis de suo pecuniam pro alio explicare & prorogare compellatur, *l.3. § vlt. vbi pup. educ. deb.*

6 Ne frustra fiat per plures, quod æque commode, imo commodius per vnum expediri potest.

DEFINITIO III.

Prius est vt pupillus tutorem habeat, quam vt de curatore ad litem, aliumve actum ei dando tractari possit, & vbi petuntur tutores.

PVpillo nondum habenti tutorem curator ad litem aliumve actum dari non potest, nec si aduersarius petat, qui litem cum defuncto impuberis patre inchoatam aduersus pupillum persequi & exercere velit, [1] sed omnimodo tutor dandus est, qui pupillum defendat, & ad lites procuratorem constituat. [2] Alioqui enim, quid obsecro, præstare, aut quas defensiones adferre curator potest, qui de pupilli rebus & negotiis non sit instructus, quippe instrumentorum pupillarium copiam habere nequeat, nullo dum confecto eorum inuentario? [3] Nam nec prius confici inuentarium potest, quam tutor aliquis datus sit, ad cuius quippe curam ea res pertinet. [4] Nec aliud erit, etiamsi iam in causa conclusum sit, liscque ad coronidem perducta videatur. [5] Pleraque enim possunt interuenire, propter quæ iudicatum, iudiciumve deferri debeat: [6] Imperata fortassis restitutione in integrum, si qua defensio aut allegatio sit omissa, quæ pupilli ius tueri possit. [7] Quorum tamen ratio excogitari non potest, nisi per eos, qui pupillarium negotiorum plenam notitiam habeant, ex pupillaribus instrumentis & facultatibus perspectam. [8] Nec obstitit, quod cum ea facti species proponeretur, vt agnati proximi, ex quibus eligi tutor poterat, Pedemontani essent, & in Pedemontium prouincia degerent, difficile erat Sabaudo homini procuratore, vt ex iis decerneretur. [9] Facilius enim id illi oneris irrogandum esse visum est, quam permittendum, vt indefensi pupilli causa læderetur. [10] Quanquam & illud dici poterat, non esse cogendum illum ire ad Pedemontanos, vt peteret tutorem, cum haud dubie pro bonis & negotiis Sabaudicis tutorem dari Senatus noster iubere poterat. [11] Nimirum ex proximioribus agnatis, cognatisve aut vicinis, quos defunctus in Sabaudia reliquisset, etiam non vocatis iis, qui essent apud Pedemontanos: licet maior pars hereditatis in eadem Pedemontanorum prouincia esse proponeretur, quandoquidem æque suo iure Senatus Pedemontanus pro ea bonorum parte alium tutorem dare poterat, [13] vt expeditior esset, minusque pupillo dispendiosa ratio tutelæ gerendæ, bonorumque in tam diffitis locis administrandorum. [14] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin.3. supr. qui tutor dare dari poss. 7. Id. Decembr. 1593.

1 Nunquam enim curator in litem aut ad actum aliquem specialem dandus est, cum in omnem rem administrator aliquis, siue

BIU Cujas

quis sive tutor, sive curator ille sit, dari potest, *l. in omnem rem, 15. D. de tutor. & cur. dat.* nimirum, vt sive pupillo, sive minori, quam plenissime fieri potest, prouideatur. * Maxime autem hoc locum habet in infante, *l. 3 §. si pupillus, D. de tutel.*

2 Omnia enim facere tutor potest, quippe qui sicut persona, ita & vniuerso patrimonio datus intelligitur, *l. certarum, 12. & seqq. D. de testam. tutel.* * Vide tamen Alexand. *consil. 111. vol.*

3 Parum autem est, quod pupillus habeat curatorem, nisi talem habeat, per quem defendi possit. Ideo namque dantur pupillis & minoribus tutores & curatores, ne sint indefensi.

4 *L. tutor qui repertorium, 7. D. de admin. tutor. l. vlt. C. arbitr. tutel.*

5 Quamuis soleant Pragmatici dicere processum hoc casu haberi pro iam iudicato.

6 Similis ratio est *in §. illud, Inst. de rer. diuis. ex l. 5. §. 1. d. acquir. rer. domin.*

7 Siquidem ex hac causa pupillum & minorem in integrum restitui posse constat *l. minor, 36. D. de admin. tut.*

8 Alioqui vnde possent diuinare, aut probationes sumere? *arg. d. l. tutor. l. chirographi, 57. D. de admin. tut.*

9 Cauere enim bonus iudex debet, quantum potest, ne quis officij sui gratia per longum iter, nec sine magna captione à rebus suis auocetur, & extra prouinciam suam ire cogatur, quia id est minus oneroſum, *l. sed si quis, 7. D. de testam. quemadm. aper. l. 3 §. vlt. D. de testib.*

10 Quia quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis, *l. quoties, 100. de reg. iur.*

11 *L. vnic. C. vbi pet. tutor. vel curat. l. pupillo, 27. D. de tutor. & curat. dat.* vbi Bart. *l. propter litem 21. §. licet, & §. vlt. D. de excus. tutor.*

12 *L. 3. C. de tutor. & curat. dat.*

13 Ex iis ipsis legibus, quas citauimus *num. 11.* Iunge *l. 5 §. illud quæro, 11. de rebus eor. qui sub tutel.*

14 Esset enim ea ratio tutelæ in tam diuersis prouinciis gerendæ per vnum eundemque tutorem vna de dispendiosa pupillo qui viatica & sumptus omnes pro tutela factos tutori suo debet reddere, *l. 2. D. vbi pupill. educ. deb. 1. § præterea, l. 3. § contrarium, D. de contr. tutel. & vtil. action.* Vide omnino Papiensem *in form. libell. ad redd. ration. tutel. in versic. eidem Iacobo n. 3. & 4.* & ibi Matuer. *in addit.* post Crauett. *cons. 9.* Roman. *cons. 150. & cons. 39. col. 2.* Alex. *cons. 4. vol. 4. circ. med. lib. 5.* Ias. *in l. cunctos populos in 2. lectur. in fin. C. de summ. Trinit. & fid. Catholic.* Castrens. *in l. 1. C. de contr. empt.*

TIT. XXVIII.

DE EO QVI PRO TVTOR. negot. gess.

DEFINITIO I.

Procurator potest stipulari pro pupillo, sed non potest exigere solutionem, si tutor negetur. Alia ratio est veri tutoris qui non satisfecit.

QVI stipulanti promisit quasi tutori, cum tamen reuera tutor non esset, si ab eo tanquam tutore conueniatur, vt soluat, obiicere potest tutorem eum non esse. [1] Nec ei nocebit, quod tanquam tutori promiserit. [2] Parum enim ipsius tum interfuit, an tutor esset, qui pupilli nomine stipulabatur pecuniam, quam etiamnum pupillo se debere fateatur. [3] At nunc eiusdem interest, ne alteri soluat, quam qui reuera tutor sit, vt liberationem à pupillo consequi possit, quam vtique non consequeretur, si ei solueret, quem tutorem non esse sciret. [4] Si tamen nihil aliud aliud habeat, quod tutori obiiciat, quam quod pro tutela non satisfecerit, eum à iudice citra onus satisdationis ad tutelam admissus fuisset, audiri non debebit. [5] Neque enim minus legitime tutor est, qui non satisfecit, si ei iudex siue vltro, siue per imperitiam, satisdandi necessitatem remiserit: præsertim cum iudex ipse eo nomine in subsidium obligetur, & fideiussoris fere loco habeatur. [6] Quod multo magis obtinet, si talem tutorem proponas, qui satisdare non debuerit, qualis est testamentarius, vel ex inquisitione datus. [7] Diuersum sane est, si tutori, quod plerumque fit, satisdationis onus iniunctum fuerit, cum tutor daretur aut confirmaretur. Hic enim tutor quidem esse intelligitur, sed administrationem nullam habet, priusquam satisfecerit [8] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Cal. Februar. 1590.

1 Regula enim generalis est: Quisquis tanquam talis, eum debere probare se esse talem, *l. si filius, & l. circa, 14. D. de probat. l. duo sunt Titij, 30. D. de testam. tutel.*

2 Quamuis dici soleat eum, qui cum alio contrahit, non debere ignarum esse conditionis eius, cum quo contrahit, *l. qui cum alio 19 D. de reg. iur.*

3 Nam etsi stipulatio intercessisset, perinde tamen pecunia pupillo deberetur ex ea causa, quæ materiam dedisset stipulationi, cum stipulationes omnes pendeant ex negotio contracto *l. 5 §. conuentionales, D. de verb. oblig. l. si ita, 6. §. vlt. & l. seq. D. de nouat.*

4 Aliud esset si soluisset bona fide, id est, ei, quem tutorem esse putabat. Nam quamuis debitor pupillaris soluendo ei, qui pro tutore negotia gerit, non aliter liberetur, quam si pecunia in rem pupilli peruenerit, *l. debitores 28. D. de solut.* id tamen non habet locum in eo debito, quod in fauorem pupilli contractum sit per illum ipsum, qui quasi tutor negotia gessit, *leg. filia 88* vbi est text. elegans *eod. tit.* [Obserua tamen eum qui pro tutore, cùm tutor non esset pupilli negotia gessit, non debere, quod ad ipsius incommoda pertinet, melioris esse conditionis, quam si vere tutor esset, cum possit ei magis imputari cur ad administrationem tutelæ ad se non pertinentis sine bona sine mala fide accesserit. Vt plus sit hoc casu in opinione quàm in veritate. Qui enim se tutorem esse, licet falsò putat, quidni omnia faciat, quæ verus tutor facere deberet? Itaque etiam inuentarium facere cogitur, aut pati iuramentum in litem eo nomine, vt tutor *l. tutor. 7 D. de admin. tutor.* Item bona eius perinde sunt tacite obligata pupillo pro administratione *gloss. in l. pro officio 10. C. eod. tit. Ita Senatus* ex tempore, 9. Aug. 1612. Adeo vt nec aliud probandum sit in iis qui tutores esse non possunt. Nec enim eo minus protutelæ tenentur, *l. 1.* iunct. *gloss. C. hoc tit.* vt autem quis probetur gessisse pro tutore sufficit, vt in aliquo instrumento aut quolibet alio actu se tutorem nominauerit. Maxime vero si talis sit ad quem aut testamentaria, aut legitima hæreditas pertinere potuerit. Hoc enim sufficeret ex ratione iuris, vt pro vero tutore habendus esset, quamuis nunquam à iudice confirmatus fuisset, nisi moribus nostris obtineret, vt omnimodo tutorem quemlibet a magistratu confirmari oporteat, nec prius pro tutore habeatur, quam & confirmatus sit & iurauerit *Ita Senatus* eodem Arresto, contra Claud. Antermet. Vide quæ contra hunc pragmaticorum errorem scripsi in *Err. vlt. Decad. 1. de error. pragmat.*]

5 Dixi *Definit. 2. supr. de tut. vel cur. qui sat. non ded.*

6 *Tot. tit. de magistr. conuen. D. & C.*

7 *L. testamento, 7 D. de test. tutel. C. pen. C. de tutor. vel curat. qui sat. non ded.*

8 *L. 1. & vlt. eod. l. mutuo, 6 § 1. D. de tutel.*

DEFINITIO II.

Quantum interfit an solutum sit vero tutori an ei qui pro tutore negotia gerebat.

INter verum tutorem & eum qui pro tutore negotia gerit differentia magna est, non solum si de rerum pupillarium alienatione tractetur, quæ non sicut tutori nonnullis casibus, [1] ita ei qui pro tutore gerit, vnquam permissa est, [2] sed etiam cum de solutione per debitorem pupillarem facta quæritur. [3] Qui enim vero tutori soluit omnimodo liberatur, & ipso iure. [4] Qui vero gerenti negotia pro tutore, non aliter quam si pecuniam in rem pupilli versam esse probet. [5] Sane si pupillus hæres sit protutoris, repellendus est exceptione doli si factum eius improbet cui successit. [6] *Ita Senatus* ex tempore pro fratribus Laboret, contra fratres Valentin, 3. Calend. Septembr. 1612.

BIU Cujas

1 *Vt in l.lex quæ tutores 24.C.de admin.tutor.* aut si decretum prætoris interuenerit *tot.tit.C.de prad.min. & D.de rebus eor.qui sub tutel.*

2 *L.2.D.hoc tit.* vbi ratio redditur, quia non eadem est huius quæ tutoris administratio rerum pupillarium.

4 *L.Lucius 46.§.tutela, D.de admin.tutor.§.nunc admonendi, Instit.quib.alien.lic.* vel non: vel quod dicitur necessariam esse iudicis authoritatem ad hoc vt debitor pupillaris liberetur, non ad eum casum pertinet, quo facta sit solutio vero tutori, sed ad eum, quo facta ipsi pupillo nondum habenti tutorem vt constat ex *l.sancimus 25. C.de admin.tutor.* in illis verbis, *Creatione tutorum vel curatorum cum omni procedente cautela*, quorum non alius sensus est, quam hic dum proceditur ad dationem tutoris vel curatoris cum omni diligentia & præcautione, vt scripsi pluribus in *Error. Decad.de error. pragmat.* Et quod additur, *in dict.* §. at ex contrario *debitorem pupillarem soluere*, sic accipiendum est, vt soluere dictum sit pro liberare.

5 *L.debitores 28.D.de solut.* Excipe casum *l.filia 88.eod.tit.* id est, cum ille ipse, qui pro tutore negotia gerebat pro pupillo stipulatus est. Tunc enim solutio ei facta perinde liberat debitorem à pupillo, atque si tutor vere fuisset.

6 Nam ex qua persona quis lucrum sentit eius factum præstare debet *l.ex quæ persona 149.de reg.iur.vulg. l.cùm à matre 14.C.de rei vindic. l.vindicantem 17. l.Seia 73.D.de euict. l.venditrici 3.C.de act.empt.*

TIT. XXIX.

VT CAVS. POST PVBERT. adsit tutor.

DEFINITIO I.

Tutor pupilli succedentis in hereditate prætoris tutoris litem à priore tutore cœptam peragere cogitur, si nondum sit reddita ratio priorus tutelæ.

TVTOR pupilli nomine instituta lite nec dum peracta ea decesserat, filio impubere herede relicto. Datus huic impuberi tutor, licet prioris pupilli tutor non sit,[1] nec tutelæ, quam defunctus gesserat, successor, successorisve tutor,[2] eandem tamen litem, si alius tutor nullus sit, persequi poterit,[3] quippe quod ea res ad onus prioris tutelæ pertineat, vt cœptam litem peragat is, qui defuncti nomine cogitur reddere rationes.[4] *Ita Senatus* in causa Michaelis Brunier, & Enemundi de la Chinal, 3.Non.Mart.1594.

1 Nulla enim tutela hereditario iure transit ad alium, *l.tutela 16.§.1.D de tutel.*

2 Est tamen tutor eius, qui successit in onus rationum reddendarum prioris tutelæ nomine.

3 Quemadmodum tutor ipse posset, si adhuc viueret, tutelaque per pubertatem finita esset, aut alio quouis modo, *l. vnic.C.hoc tit.*

4 Nam etiam post finitam tutelam officium tamen tutelæ durat, quantum ad ea quæ sunt connexa priori tutelæ, *l.5.§. si tutor, D.de admin. & peric.tutor. l.tutor post puberem 11.C.arbitr.tutel. l.si tutor post pubertatem 23.D.de tutel. & ration.distr.*

DEFINITIO II.

Tutela quædam finitur pubertate, sed officium tutelæ non finitur, nisi redditis rationibus vel accepto saltem curatore.

CVm tutor qui nondum administrationem ad curatorem transtulit, defensioni causæ pupillaris adesse debeat,[1] multo minus audiri is debebit, qui nullo adhuc dato curatore ob eam solam causam liti adesse recusat, quod pupillus annos pupillares excesserit, atque ita finita tutela sit. Nam finita tutela, potest tamen fieri, vt administratio duret; nempe quandiu non sunt redditæ rationes.[2] Sane si & curator puberi datus sit, & in eum translata administratio, tutorem pro causa pupillari litis incommoda subire cogi non oportet.[3] *Ita Senatus* in causa Marci de la Moussiere, & D.de Montiernoz, 6.Non.Aug.1595.

1 *L.1.C.hoc tit.*

2 Aut saltem, quamdiu curator nullus datus est, *l.à tutoribus, 33.§.1.D.de admin.tutor.* Iunge *l.5.§. post completum, eod.*

3 Nam omnia negotia, quæ per tutorem inita sunt, ad fidem curatorum exinde pertinent, *dict.§.1.* Nimirum si etiam instrumenta iis reddita sint, sine quibus iis instrui & peragi non potest, *dict. §. post completum.* Vide Andr.Gayl. *lib.2.practic.observat.cap.96.* vbi ait ex generali totius Germaniæ consuetudine receptum esse, vt tutela non finiatur pubertate, quamdiu non sunt redditæ rationes tutelæ. Eademque consuetudo etiam apud Gallos, vt à grauissimis plerisque viris audiui, iam inualuit.

DEFINITIO III.

Valent quæ tutor post finitum officium gerit ex necessitate vel vtilitate officij præcedentis, quamdiu alius tutor nullus est.

QVæ à tutore, vel à Syndico, aliove administratore post finitum officium gesta sunt, non eo minus rata haberi debent, si modo ex necessitate aut vtilitate præcedentis officij ab iis facta sunt, nec dum alius eo tempore tutor, aut Syndicus, aut administrator fuit.[1] Tamdiu enim is manet, qui antea fuit:[2] Ne alioqui summo incommodo afficiatur pupillus aut vniuersitas, nemine administrationem habente.[3] *Ita Senatus* ex tempore pro Syndicis ordinis Nobilium Maurianæ, 4.Id.Febr.1596.

1 *Arg.l.ita autem, §.si tutor. l.à tutoribus, 33.§.officium. D. de admin.tutor.*

2 Saltem ex generali illa consuetudine, de qua diximus *Defin.præced.ex* Andr.Gayl. *lib.2 pract.observat.c.96.* quamuis ratio iuris repugnare videatur, cum tutela finiatur pubertate, *l.1.& 2.C.quand.tutor.& curat.offf.desin.*

3 Melius enim est rem pupilli vel vniuersitatis bene geri per eum, qui tutor vel Syndicus antea fuit, licet esse desierit, quam per neminem. Idque non abhorret à iuris ratione, cum ea quæ post officium gesta sunt, connexa sunt iis, quæ durante officio gesta fuerunt, aut geri debuerunt, *l.1.C.hoc tit.*

TIT. XXX.

VBI PVPILL. EDVCAR. debeat.

DEFINITIO I.

Vitricus potest quidem esse tutor priuigni sui, sed non facile, difficilius vere educator.

ETsi non facile vitricus tutor dandus est, nec apud eum educandus pupillus,[1] facilius tamen est, vt tutor detur, quam vt apud ipsum pupillus educetur,[2] ne salus eius periclitetur, cui mortuo mater successura, tum vitrico, aut liberis ex vitrico susceptis vel suscipiendis commodum successionis paratura:[1] Sed tamen si agnatis, cognatisque ita videatur, nec quicquam causæ sit, cur eorum voluntatem iudex sequi non debeat, poterit iudex & vitricum tutorem dare & decernere,[4] vt apud eum pupillus educetur.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.2.supr.Quand.mul.tutel.offic.fung.potest.

1 Propter periculum quod subest, ne vitricus vitæ pupilli insidietur, adeo, vt nec mariti, quæ vitricum induxit, educatio pupilli permittenda sit, *l.1.hoc tit.*

2 Periculum

2 Periculum enim educationis imminet vitæ pupilli, periculum vero tutelæ non nisi facultatibus. Et quæ ratio vocat ad tutelam, nempe spes futuræ successionis, *l. quo tutela 73. de reg. iur. & tit. de legit. patron. tutel. Instit.* eadem arcet ab eductione, ita vt nec apud substitutum pupillarem ali pupillus facile debeat, *l. 1. D. hoc tit.*

3 Creditur enim mater, quæ transit ad secunda vota, minus diligere liberos prioris matrimonij, *l. fœmina 3. l. generaliter 6. C de secund. nupt. & pass.*

4 *L. vltim. C. de contr. iudic. tutel. l. nonnunquam 32. §. 1. D. de adopt.*

5 Hac enim causa cognita auditisque agnatis aut cognatis decerni potest, *d. l. 1. C. hoc tit. l. 1. D. eod.*

TIT. XXXI.

ARBITR. TVTEL.

DEFINITIO I.

Rationes tutelæ rite pupillo aut alij cui oportuit reddita non possunt retractari postulante tertio nisi eius sumptibus.

RATIONIBVS pupillaribus cum eo ipso qui pupillus fuit aliove [1] solemniter redditis, [2] si tertius forte possessor pignorum pro reliquis obligatorum redditionem improbare velit, nouamque postulare, [3] audiendus quidem est, cum ius interest, [4] sed ita tamen vt ipsius sumptibus iterata illa redditio fiat. [5] Nam quod dici solet arbitrium tutelæ tale esse debere vt rationes expensis pupilli reddantur (quod & in cæterorum omnium personis obseruatur, quibus rationes reddendæ sunt, [6]) ad eum casum pertinet, quo reddantur postulante eo cui reddi debeant, & nunc primum. [7] Nam postulante alio & ad proprium sui ipsius commodum, non est æquum iis sumptibus onerari pupillum, aut eum qui rationes iam semel & bona fide reddiderit. [8] Neque enim illi imputari potest, cur tertium hunc possessorem non interpellauerit, vt si sua interesse putaret adesset tum cum rationes primum redderentur. Cum neque huic obligatus esset neque sciret futurum vt eius quicquam interesset. [9] Præsertim vero quod neque principaliter quicquam eius interest, sed tantum per quasdam consequentias. Cuius interesse, vt ita dicam, consequens ratio vt plurimum haberi nulla solet. [10] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Gaspardo Tauel, contra Mammertum Cusini, 7. Calend. Februar. 1593.

1 Puta curatore aut ipsius pupilli hærede.

2 Id est obseruatis solemnitatibus, quas & iuris ratio & vsus tum Sabaudiæ introduxit, *in cap. quit tationes liber. 2 stat.*

3 Vt probet indebitam esse pecuniam, quæ petitur quasi debita per tutorem.

4 Ne alioqui factum aut dolus aliorum alij noceat contra *l. 1. D. quod vi aut clam l. non debet alteri 74. de regul. iur.*

5 Qui enim allegat male quid & perperam factum esse, idipsum suis sumptibus probare debet, *l. ab ea parte 5. § 1. de probat.* maxime vero si alleget etiam dolum, quippe cuius præsumptio semper odiosa & improbabilis est, *l. quoties 18. §. qui dolo eod. tit. l. dolum. 6. C. de dolo.* [Quod si pupillus petat retractari rationes etiam quas solemniter redditas dixerit, nemo dubitat quin sit audiendus, dummodo eius sumptibus id fiat. *Ita Senatus* in ea causa de qua *num. 9.*]]

6 *L. 1. §. officio, D. hoc tit. de tutel. & ration. distr.*

7 Ne alioqui officium tutoris aut alterius cuiusliber administratoris sit ei damnosum, si suo sumptu rationes reddere aut in eam rem sumptum prorogare compellatur. Interest enim nostra non soluere potius quam solutum repetere, *l. 3. D. de compens. at. l. nemo ideo 171. de regul. iur.*

8 Nam neque lex aut prætor actum agi vnquam patitur, nisi ex magna causa, *l. si quis ex argentariis 6. §. vlt. & l. seq. D. de edend. l. oratione 7. D. de feriis.* [Sane si ratio male ac nulliter reddita sit iterum reddenda est, nec statur confessioni, quod bene sit reddita *Socin. consil. 190. vol. 1.*]

9 Vnde enim potuisset diuinare? *arg. l. si putator. 31. in fin. D. ad leg. Aquil. l. si fideiussor 29. § si cum debitor D. mandat. l. 4. § illa etiam quæstio. de dolo mal except.* [Aliud ergo est in fideiussore tutoris & in heredib. fideiussoris, quos præuidere pupillus potuit obiecturos collusionem si quandoque conuenirentur ad reliquorum solutionem: ideoque imputare sibi debet cur non petierit, vt ad rationum redditionem fideiussor eiusve hæres vocaretur. Cui proinde liberum esse debet, vt rationum quamuis alioqui solemniter redditarum substantiam impugnet nulla petita rationum retractatione nullisque in eam rem refusis sumptibus. *Ita Senatus* pro Dominica Dalfin, contra fratres Ginet, die 29. April. 1614. iunge *Desin. 1. num. 4.*] *de fideiuss. tutor. & Desin. 5*] *hoc tit.*]

DEFINITIO II.

Ob rationes reddendas quando conueniendum sit de arbitris rationalibus, quos auditores appellamus, & quomodo facienda sit editio.

CVm de reddendis rationibus agitur, prius est vt rationes edantur, [1] itemque instrumenta omnia ad rationes pertinentia, [2] quam vt de arbitris &, vt vocant, auditoribus conuenire oporteat, apud quos de rationum fide disceptetur. [3] Fieri siquidem potest vt tam bene ac fideliter rationes reddi appareat, vt controuersia nulla futura sit propter quam ad arbitros recurri sit necesse. Eam vero editionem non apud facta fieri oportet, [4] sed breui manu vt citius & minore sumptu instrui possit is, cui rationes redduntur, quid admittere debeat, aut de qua re contendere. [5] *Ita Senatus* ex tempore pro D. Antonio de Lescheranie Juridico maiore de Gex, contra N. Gaspardam de Liuron, 8. Cal. Febr. 1594.

1 Rationum enim redditio incipit ab earum editione, finitur autem reliquorum solutione, *l. non solum 8. §. is qui D. de liber. legat. l. cum seruus 82. D. de cond. & demonstr.*

2 Quas pragmatici nostri vocant chartas iustificatiuas. Non enim videtur facta editio si non edita sint omnia, quæ sunt necessaria ad instruendum eum, cui fit editio, *l. 1. §. editiones, & seq. D. de edend. l. 3. eod.*

3 Frustra enim ad arbitros aut iudices recurrit quandiu res in eo est, vt sine iis experiri possit.

4 Quomodo fit pendente iam lite, quam pragmatici nostri communicationem iudicialem vocant.

5 Quæ fuit iam olim ratio inducendæ illius editionis quam ante vocationem in ius fieri necesse erat, vt sciret reus an contendere deberet, an cedere, *d. l. 1. in princip. D. de edend.*

DEFINITIO III.

Non sufficit rationes reddidisse ne quidem iudicialiter, si non etiam reddita sint instrumenta omnia ad rationes pertinentia. In dubio tamen reddita præsumuntur.

QVamquam redditis rationibus alioque tutore aut curatore dato non facile permittendum est, vt qui rationes reddidit inquietetur, [1] præsertim si generalis ei liberatio facta sit præsente & auctoritatem præstante iudice: [2] nisi tamen probet rationum instrumenta per se reddita, cogendus est vt petenti quandocunque pupillo exhibeat, cuius scilicet interest ea habere, [3] vel ob hoc ipsum vt sciatur an bona fide rationes redditæ sint necne. [4] Sed ita tamen vt ipsius pupilli sumptibus vocetur prius in ius tutor nouus dicturus apud iudicem, an ea rationum instrumenta à priore tutore acceperit, alioqui pro tutore qui liberatus est præsumendum videtur, vt qui rationes reddidit, omnia quoque ad eam rem pertinentia & exhibuisse & reddidisse existimetur. [5] *Ita Senatus* ex tempore Non. Febr. 1594.

BIU Cujas

1 Secundum ea quæ diximus *Defin.1.supr.*

2 Nulla enim aut tutior aut vtilior liberatio esse potest quam quæ & generalis est, & iudicialis, *l.ait prætor 7.§.1.D.de minor.l.sancimus,25. C.de admin.tutor.* Idque etiam cauetur vetere nostro statuto Sabaudiæ incip. *Quittationes lib. 2.* de quo dixi *Defin.1.n.2.sup.*

3 Ad exhibendum enim agere possunt omnes quorum interest *l.3.§.sciendum* & passim *D.ad exhib.*

4 Nec enim id explorari aliter potest quam ex instrumentorum lectione, *d.l.cum seruus 82.ad fin.D de cond.& demonst.* Iunge *l.instrumenta 24.C.de fideic.*

5 Præsumendum enim est factum esse quod regulariter & communiter fieri solet. Communiter autem obseruatur, vt cui rationes redduntur etiam instrumenta reddantur, quia nec alioquin viderentur redditæ rationes, *l.5.§.post completum.D.de admin.tutor.l.vnic.C.vt cauſ.post pubert.adſtut.* Adde quod in dubio proniores esse debemus ad liberationem quam ad obligationem, *vulg.l.Arrianus 4.D.de oblig.& action.*

DEFINITIO IV.

Potest mater etiam quæ tutrix fuit, nec dum rationes reddidit, agere contra posteriorem tutorem nomine pupilli vt rationes pupillo reddat, sed ipsa quoque tamen simul condemnanda est.

MAter, quæ prior tutrix fuerat, cum pupilli nomine posteriorem tutorem vrgeret, [1] vt rationes redderet, patiebatur exceptionem, quasi non prius in id agere posset, quàm ipsa sequenti tutori administrationis suæ rationes reddidisset. [2] Visum est, cogendam quidem eam rationem reddere: Sed non eo minus aut tardius condemnandum posteriorem, vt ipse redderet, quando ei posset imputari, cur non in exigendis à matre rationibus diligentior fuisset. [3] Neque vero æquum erat nocere pupillo, aut matri impuberis nomine agenti, si quid ipsa sequenti tutori proprio nomine propter administratam tutelam debuisset. Agenti enim alieno nomine, & ad alienum commodum, nihil vnquam obiici potest ex propria persona: [4] Sic tamen temperari rem placuit, vt vterque condemnaretur ad reddendas rationes, sed secundus tutor pupillo, mater vero, quæ & ipsa tutrix fuerat, sequenti tutori. [5] *Ita Senatus* in causa Annæ Ludouicæ de Cruci, contra Joannem Juge, Cal.Dec.1595.

1 Scilicet tanquam mater & coniuncta persona, *l. Sed & ha35 ff de procurat.*

2 Cum is qui prior ex parte sua facere debuit non possit alteri imputare, cur non fecerit, *vulg.l.Iulianus 13.§. offerri ff. de action.empt.*

3 Pertinet enim ad posterioris tutoris curam vt à priore rationes exigat, *l.tutores 39.§.adolescens, l.qui nominibus 44.ff. de admin.& peric.tut.*

4 Cum placeat posse quem etiam contra prorium factum venire, si modo veniat ad alienum commodum, *l.si non sortem 26.§.si filius ff.de condict indeb.* Bald *ad l vlt.§ in computatione, C.de iur.delib.*

5 Vt ita per vtramque condemnationem & litigatoris vtriusque desiderio satisfieret, & vtilitatibus pupilli, cuius potissimum rationem haberi oportebat.

DEFINITIO V.

Casus in quo potest locus esse prouisionali condemnationi contra tutorem, etiamsi nihil dum ab eo deberi constet, nec quicquam possit ei imputari.

NOn solet quidem locus vllus esse prouinciali condemnationi aduersus tutorem patratum rationes reddere, quandiu ignoratur an ex rationum redditione debitor creditorve pupilli futurus sit; [1] Sed tamen si pupilli bona omnia teneat, quæ nec volens ei tam facile restituere possit, [2] vt puta si frater, aut patruus sit, qui bona sua cum pupillo communia habeat, quorum diuisio non tam cito expediri queat, [3] non est æquum interea pupillum laborare inopia. Sed pro modo patrimonij, & qualitate personarum certa summa pupillo adiudicanda est, [4] imputanda postea in eam summam, quam tutor debebit, si reperietur debitor, sin minus in eam bonorum partem, quæ ex diuisione ad pupillum peruentura sit. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum possit fieri vt sit ipse creditor non debitor, *l.1.§.vlt. D.de contrar.tutel.& vtili actione, l.3 C.eod. l.Imperatores 17.D. de tutel.& rat.distr.* [Idemque est in quolibet alio administratore qui rationes reddere debeat. Excipitur interdum fauor paupertatis, vt apud Papon. *Tit.de prouisions Arrest.10.* Multo minus potest prouisionalis vlla fieri adiudicatio contra fideiussorem tutoris etiam post solemniter redditas tutelæ rationes à tutore, si eiusmodi redditioni fideiussor non interfuerit, nec vt interesset euocatus sit. Cum euocari debuerit vel ob hoc ipsum ne postea conqueri quãdoque posset aut collusum fuisse inter pupillum, tutorem, aut non ex bona fide & veritate redditas rationes, *vulg.l nam ita 39.D.de adopt. l.de vnoquoque 47.D.de re iudic. Ita Senatus* pro Dominica Dalfin, contra fratres Ginet, 3.Cal.Maij 1614. Quod autem dicimus de fideiussore tutoris idem obtinet in quolibet administratore aut eius fideiussore. Sed neque tutori aut alij administratori prouisionalis adiudicatio vlla fieri potest ante redditas rationes. Ne quidem salarij, si quod forte promissum sit administratori, vt inter mercatores fieri solet quoties administrator societatis in nullam lucri partem admittitur. Sed hoc ita nisi stet per eum cui reddendæ sunt rationes quominus reddantur. Semper enim contra morosum potest & debet fieri prouisionalis adiudicatio *Ita Senatus* in causa Petri Vulliod, & Ioannæ Romanæ Berguere, Prid.Id.Maij 1614.

2 Multo magis idem dicendum est si restituere nolit cum possit, nec tamen habeat iustam causam denegandæ restitutionis. Nec enim semper tam cito condemnari potest, cum iudicis omnia suas habeat moras, *l.etiam de præsenti 15.in princ. D.vt legat.seu fideic.seruand.cauſ.caueat.*

3 Nec enim bonorum diuisio semper facilis est & in expedito, ideoque interdum etiam ad licitationem veniendum est, *l.3.C.commun.diuid.*

4 Ad causam alimentorum & sumptuum litis, *arg.l.instituta 27.§.de inofficioso, D. de inoff.test.l.vlt. C de ordin. cognit.* Quod tamen regulariter non ita est, *d.l. Imperatores 7. D.hoc tit.de tutel.& ration.distr.*

5 Vt eam pecuniæ quantitatem pupillus quodammodo reddat minus ex communi capiendo, quomodo interdum fit etiam collatio *l.1.§. sed etsi tantum, D.de collat.bonor.*

DEFINITIO VI.

Pro rationibus prioris tutelæ potest pupillus agere & contra priorem tutorem & contra posteriorem.

POtest quidem tutor secundus conueniri pro primi administratione, cuius vtique ex officio suo rationem exigere debuit, quam postea pupilla redderet. [1] Sed tamen non liberat ea res tutorem à pupillo, si malit pupillus contra eum agere quam contra secundum tutorem. [2] *Ita Senatus* pro D. de Chiescherel de Nicole, 11.Cal.Mart.1595.

1 *L.1.C.de admin.tutor.l.tutores 39.§.adolescens, l.qui nominibus 44.D.eod.* Dixi *Defin.4.5.eod.*

2 Textus est perelegans *in d.§. adolescens,* vbi ratio redditur, quia non videtur iudicio tutelæ consumptum, quod alterius quoque officij querelam habuit.

DEFINITIO VII.

An & quomodo possint creditores agere contra tutorem, qui administrauit bona patris, quibus postea pupillus se abstinuit.

FIlius, qui paterna hæreditate se abstinuit, licet paternæ hæreditatis creditor sit tanquam hæres matris, [1] aut quod in aliorum creditorum iura succesſerit, [2] non idcirco tamen agere potest aduersus eum, qui defuncti patris bona quasi tutor administrauit. [3] Actio enim tutelæ non alij competere potest quam ei, cuius bona sunt, quæ fuerunt administrata, aut eius hæredi. [4] Atqui bona paterna numquam fuisse videntur filij,

BIU Cujas

filij, qui abstinuit partis hereditate. [5] Nec quod ipsius interest, quidquam facit: Nam non solum si creditor sit, sed & si pignoratitius,[6] non potest tamen ea res dare illi actionem contra tutorem, tutorisve heredem de reddendis rationibus;[7] sed hactenus tantum ei prodesse, vt possit petere curatorem dari bonis paternis, aduersus quem postmodum de iure suo experiri possit,[8] & eo condemnatio impetrare in executione iudicati,[9] vt cedatur sibi actio, quæ curatori competit aduersus tutorem, eiusve heredem ad reddendas rationes.[10] *Ita Senatus* ex tempore pro Margarita Fratenat, Non. Maij 1597. in publico auditorio.

1 Potest enim filius heres esse matris, & tamen abstinere bonis paternis, *l. eum qui bonis* 87. D. *de acquir. hered.*

2 *Ex iis C. de his qui in prior. credit. loc. succed.*

3 Quamuis debeant haberi rata quæcunque tutor bona fide gessit in bonis patris ante immistionem, *l. quoties* 44 D. *de acquir. hered.*

4 *L. 1 & tot. tit.* D. *de tutel. & ration. distr.*

5 Quia quamuis iure ciuili remaneat heres, *l. cum quasi* 30. *§. sed ejs suus*, D. *de fideic. libert.* non tamen habetur heredis loco a prætore post abstentionem, *l. necessarijs* 57. D. *de acquir. hered. l. si filius* 12. D. *de interrog. in iur. fac.*

6 Quo casu plus vtique iuris habet, quam si esset tantum chirographarius *l. eos qui* 9 *C. qui potior in pign. hab.*

7 Cum enim actio vlla sit personalis non potest transire in creditores hereditarios sine cessione *l. vltim. C. de hered. action.* *l. 1 C. si certum petat.* Quod secus est in actionibus realibus, *l. si tertius* 6. *§ si quis prius.* D. *de aqua & aqu. pluu. arcend.* & ibi Bart. Vide tamen elegantem textum Papinian. *in l. cum tutor* 18. D. *hoc tit. de tutel. & ration. distr.* vbi diuiditur actio inter pupillum & creditores patris sine vlla cessione, aut curatoris datione.

8 Nam curator bonis datus & agere & conueniri potest, *l. 1. §. 1.* D. *de curat. bon. dand.*

9 Nam in iudicati executione etiam iura pignori capi possunt, *l. a Diuo Pio* 15. *§. in venditione, & §. sic quoque iudices*, D. *de re iudic.*

10 Curatori enim haud dubie competit illa actio, quia personam defuncti repræsentare creditur, secundum ea quæ scripsi *in Error 3. Decad 3. de error pragmat.* Opinionem vero nostram confirmat mirifice responsum illud Papiniani *in d. l. cum tutor.* Esset enim hoc casu si quo vllo vnquam alio necessarius interuentus curatoris dandi paternæ hereditatis, quem tamen Papinianus nullo modo requirit.

[DEFINITIO VIII.

An & quando & quatenus pupillo datus tutor, qui solenne inuentarium fecit, teneatur post redditam rationem pupillo iterum reddere creditoribus.

TVtor pupillo datus hereditatem paternam non nisi cum beneficio legis & inuentarij agnouerat, maternam autem purè: Ideoque pro pupillari inuentario quod ex officio tutores omnes conficere debent, inuentarium solemne fecerat vocatis in eam rem, vt fieri oportuerat[2] paternis omnibus creditoribus, & ea bona per multos annos administrauerat, mobilia omnia etiam inconsultis creditoribus hereditarijs vendiderat,[3] & ex immobilibus quoque nonnulla. Deinde pupillo facto puberi rationes tutelæ reddiderat, dato in eam rem minori curatore,[4] qui tamen negligentius in ea re versatus nihil ad impugnandas rationes ex scripto protulerat, sed tantum definitioni rationum præsente iudice subscripserat. Cùm postea conueniretur à creditoribus ad rationes iteratò reddendas quasi malè redditis prioribus,[5] Negabat se teneri propterea quod pupillo suo, qui nec hodie conquerebatur rationes reddidisset, quas nec alij reddere debuisset.[6] Illi contrà dicebant sibi reddendas rationes non bonorum omnium pupillarium, cùm nihil in maternis pupilli bonis prætenderent,[7] sed eorum omnium quę paterna fuerant; & in solenne inuentarium coniecta, præsertim cùm in calce inuentarij tutor subscripsisset ac promisisset se omnium, quæ in eo inuentario descripta fuerant rationes redditurum, quibus oporteret, ac quorum interesset.[8] Accedebat quod paterna bona non omnia pupillo, eiusve curatori fuerant reddita, sed pleraque in eiusdem tutoris potestate manserant, de quibus non alius conueniri poterat, quàm ipse, aut ipsius heres.[9] Visum est ita temperari rem debere, vt noua quidem rationum redditio nulla deberetur, cùm de pupillaribus rationibus tractaretur, quæ non alij quàm ipsi pupillo aut eius heredi vnquam reddendæ sunt,[10] Sed tamen permittendum esse creditoribus, vt quæ vellent rationum redditarum capita impugnarent, & quibus vellent medijs dum ea essent capita, quæ ad bonorum paternorum, non etiam ad cæterorum administrationem pertinerent:[11] Quippe de quibus nihil inauditis ijs tutor decernere, aut puberis curator in eorum præiudicium potuisset.[12] Illud sanè constabat, neque tutorem, neque curatorem puberi datum recusare posse, quominùs bona omnia, siue mobilia, siue immobilia nondum vendita redderent creditoribus, vt per auctionem publicam redacta ex eorum venditione pecunia ipsis satisfieret, iuxta eum ordinem quem iudex in sententia discussionis inter creditores omnes lata præscripserat,[13] Præterquàm si quædam authore Senatu vel alio iudice cui iubendi ius fuisset alienata proponerentur.[14] De mobilibus planè dubitari minùs poterat, quin si à tutore & curatore fuissent vendita inauditis creditoribus, qui probent pluris distrahi potuisse, non debere eam rem fraudi esse creditoribus, quominùs amplius precium aut à tutore ipso ipsiusve herede possint exigere si tutor fuit qui vendidit, aut à pubere, si pubes ipse, aut eius curator.[15] Enimuerò, quin rerum venditarum precia, preciorúmque vsuras creditoribus reddi oporteret, non dubitabatur.[16] Detracto nimirum eo, quod pupillo ipsi tanquam heredi cuiquam creditori ex anteriore causa debebatur.[17] *Ita Senatus* in causa Cęsaris Corsi, & creditorum Christophori Cors, 19. Iunij 1614.

1 *L. tutor qui repertorium 7. in princ.* D *de admin tutor.*

2 *L. vlt C de iur. delib.* semper enim citandi sunt omnes, quorum interest, *l. nam ita* 39. D *de adopt. l. de vnoquoque* 47. D. *de re iudic.* Et quidem nominatim citandi sunt creditores, qui sunt certi, alij verò generali programmate, vt post Bartol. omnes notant *ad l. vlt C. de iur. delib.*

3 Lex enim quæ permittit heredi venditionem rerum hereditariarum, vt satisfaciat creditoribus non exigit, vt ea venditio publicè fiat vocatis omnibus creditoribus, *d. l. vlt. §. & si præfatam.* Sed tamen eo iure vtimur, vt omnes creditores ad huiusmodi venditionem vocari oporteat, ne possint creditores heredi imputare, quod per gratiam aut sordes viliore precio vendiderit, cùm æstimatio quæ in inuentario fieri solet, quamuis non necessariò, non obliget creditores, vt ei stare cogãtur, nisi conditionem deferant, vt in proposita specie cont gerat. Solent enim mobilia, vt plurimum venire pluris, quàm sint æstimata, quia minoris æstimari solent.

4 *L. 5. §. si tutor, l. à tutoribus* 33. § 1 *& pass.* D. *de administr. tutor.*

5 Rationes enim malè redditæ ex integro reddendæ sunt. Socin. *cons.* 190 *vol.* 2. *num* 3. Rol. à Vall. *cons.* 49 *vol* 1.

6 Solet enim pupillo non alij obligatur tutor ad rationes reddendas, *l. 1. & tot. tit de tutel & rat. distr*

7 Beneficium namque inuentarij necessariò inducit separationem bonorum paternorum à cæteris, *d. l. vlt. C. de iur delib.* ne confundantur creditores paterni cum creditoribus pupilli, vt *in l.* 1. §. 1. D. *de separat.*

8 Quo nomine etiam creditores hereditarii continebantur, cùm eorum maximè interesset bona sic administrari, vt essent soluendo iuxta ea quæ scripsi *Defin. praced ex l cùm tutor* 18 D. *de tutel. & rat. distr.*

9 Nam & cùm tutor rationes bene reddidit aut aliter plenissimam ab iis reddendis liberationem consecutus est, ea tamen quæ ex pupilli bonis penes se habet restituere cogendus est, *l. Aurelius* 20 *in fin.* D. *de liber. legat.*

BIU Cujas

10 *Toto hoc tit.* D *&* C.

11 *dict. l. cùm tutor* 18 D *hoc tit.*

12 *Ex reg. d. l. nam ita* 39 *de adopt. d. l. de vnoquoque* 47. *de re iud. l.* 2 D *quod vi aut clam, l. non debet* 75 *de reg iur.*

13 Vendenda enim sunt bona, vt ex eorum venditione satisfieri creditoribus ex ordine possit. *Tot. tit. de reb. auth iudic. possid. seu venund.*

14 Non enim decipi quisquam debet sub fide hastæ publicæ aut qui Prætore authore comparauit, *l. quoties* 44. D *de acquir her. l. si hypothecas* 8 C. *de remiss pign.*

15 Nec enim potest quicquam ijs imputari qui nescierũt, sed tutori potiùs qui certiorare illos debuit, quorum sciebat interesse *l. etiam* 25 *in fin. D. de minor. d. l. cùm tutor.*

16 *Sic in l. item veniunt* 20. § *prater hæc,* D *de her. petit.*

17 Cùm beneficium inuentarij saluas ei actiones suas reliquerit, *d. l. vlt.* § *in computatione,* C *de iur. delib* ideoque possit ille sibi soluere quomodo & alijs posset, *l. quoties* 9 § *sicut autem,* D *de admin tutor d. l. vlt. vers. & si præfatam, l. fistulas* 78 §. 1. D. *de contrah. empt.*]

TIT. XXXII.

DE IN LIT. IVRAND.

DEFINITIO I.

Potest & debet iudex taxare quantitatem ad quam vsque iuretur in litem, secundum id quod ex actis & instrumentis litis verisimilius esse putat.

POSTVLATO in litem iureiurando aduersus eum, qui dolo malo [1] ex hereditate reve ad alium pertinente subtraxisse quid probatur, [2] bonus iudex certam quantitatem taxare debet ad quam vsque iuretur, [3] ne in arbitrio sit eius qui iurare debet, vt affectioni suæ in infinitum indulgeat. [4] Sed in ea quantitate taxanda obseruare iudicem oportet, vt eum seruet modum, qui ex litis instrumentis allatisq; probationibus verisimiliter colligatur. [5] *Ita Senatus* 16. Cal. Decembr. 1588.

1 Non enim defertur hoc iusiurandum, nisi aduersus eum, qui probatur esse in dolo, non etiam si in culpa, *l. in actionibus* §. 5 *sed in his omnibus* D *hoc tit. &* § *vlt. l. præced. eod.*

2 Ex qua causa furti certum est posse iurari in litem, *l. cum furti* 9. *eod.* Introductum enim est hoc iusiurandum, ne quis rẽ suam iusto precio cogatur alioqui vendere iniusto possessori, *l. non enim* 9 *D. rer. amot. nec quasi* 70. *D. de rei vindic.*

3 *L.* 4. § *iurare, D. hoc tit.*

4 Interdum tamen permittitur in litem iurare sine vlla taxatione *l. qui restituere* 68 D. *de rei vindic.* Vide quæ scripsi *in Error.* 9. *Dec. ad.* 8 *de error. pragmat.*

5 Quia postquam iuratum est, non facile de periurio quæri solet, *l. vlt. D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Ratione auri vel argenti, siue facti, siue infecti nunquam iuratur in litem.

CONdemnatus restituere vas argenteum certi ponderis, quod à me pignori habueras, non parueisti; eo prætextu quod sine dolo habere desisses, & mora per me in soluendo facta vendidisses. Cum vrgente me iterum condemnatus esses, vt vel illud ipsum vas argenteum redderes, vel aliud quod esset eiusdem materiæ & formæ, nec tamen arbitrio boni viri æstimari posset, alio non amplius extante, [1] dixisti paratum te soluere quanti reuera illud esset, quod petebatur. [2] Ego vero postulabam, vt liceret mihi iurare in litem, quod aliter non posset vllo modo æstimari res, quæ non extaret, [4] præsertim cum dici soleat iurari in litem aduersus non exhibentem dolo malo, [5] siue exhibendæ rei potestatem habeat, siue dolo fecerit ne habere posset. [6] De dolo autem tuo ex litis instrumentis apertissime constabat. Accedebat, quod vas illud tibi datum pignori habebam quoque pignoris nomine ab alio debitore meo, qui non aliter mihi condemnari poterat, at ne quidem à me conueniri, quam si paratus essem pignus ei reddere, [7] tametsi longe plus esset in debito quam in pignoris æstimatione. [8] Quid enim si debitor meus dicat, vas illud hereditarium sibi fuisse, & insculptis maiorum imaginibus insigne, nec velle se auita supellectile carere, quantumcunque precium offeratur? Iusta vtique affectio est, & cuius rationem aliquam haberi oportet: [9] nemini enim res sua inuito aufferenda est, [10] sicut nec quisquam iusto pretio res suas vendere cogitur: [11] Idque nimirum est, quod iusiurandi in litem præstandi necessitatem inducit. [12] Itaque tanti mea interesse videbatur, quanti eius interesset, quem à me indemnem præstare oporteret. [13] Contra tamen Senatui visum est, neque liberandum te oblata vera æstimatione, cum non ad æstimationem, sed ad rem ipsam, aliamve eiusdem materiæ & formæ restituendam condemnatus fueris; [14] neque permittendum mihi iurare in litem, cum res debita talis sit, quæ recipiat functionem in suo genere, quæque certam & perpetuam habeat æstimationem. [15] Nam & ob eam causam rectissime constitutum est, nunquam ratio de nummorum iurari in litem, nisi adiectio loci aut temporis faciat, vt intersit creditoris. [16] Quid vero refert an agatur de auro vel argento facto, an de infecto? Vtrique siquidem commune illud est, vt in suo genere admittat functionem. [17] Quid ergo? Condemnandus es, vt vas argentum reddas, [18] quod constet ex eodem pondere, & ex materia optima [19] (cum argento bono melius inueniatur, [20]) quodque eam formam habeat, quam ego restituendo vasi inditam fuisse iurauero, [21] vocato etiam in eam rem debitore meo, vt eiusdem formæ præstatione vtrique satisfiat. [22] Ita enim eueniet, vt neque mea neque debitoris mei quicquam interesse possit, nec tamen iurisiurandi periculo res committatur. [23] Quod si pondus quoque incertum sit, de eo æque iurare me oportebit. [24] *Ita Senatus* in causa Iacobi Pic, & Ioannæ Rippet, 5. Calen. Iulij 1592.

1 Nam & comparatione & proportione eius, quod non est, nihil statui potest, cum non entis nullæ sint qualitates, *vulg. in ribus.*

2 Quibus verbis vera æstimatio continetur, non præterea quanti interest actoris, *l. inter hæc verba* 179. *l. hæc verba* 193 *de verb sign.*

3 Quomodo iurari solet in bonæ fidei iudicijs, *l. in actionibus* 5 *D hoc tit.*

4 Propter quam causam necessitas facit, vt etiam in actionibus strictis interdum contra iuris regulas in litem iuretur, *d. l. in actionib.* §. *vlt. & l. seq. eod.*

5 *L. penult. D. eod. tit. l.* 3 §. *præterea. D. ad exhib. & d. l. in actionibus in princ.*

6 Paria enim sunt posse restituere & fecisse dolo malo ne possis restituere, *l. qui restituere* 68 *D. de rei vindic.* quia dolus pro possessione est *l. qui dolo* 131 *de reg. iur.*

7 *L. debitor* 40. § *vlt. D. de pignor. act. l. item liberatur* 6. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

8 Alioqui debitor, qui non nisi pecuniam debet, aliud pro alio soluere compelleretur, si eo inuito pignus cederet creditori in solutum, *l. eum à quo* 16. *& seq. C de solut.*

9 *L. si in emptionem* 34 *D de minor. l. in fundo* 38 *D. de rei vindic. l. si seruos* 25. *D. de pign. act. l. lex quæ tutores* 22. *C. de administ. tutor.*

10 *Vulg. l. id quod nostrum* 11. *de reg. iur.*

11 *L. non enim* 9. *D rer. amot. l. nec quasi* 70. *D. de rei vindic.*

12 Vt apparet ex *d. l. non enim.* iunct. *l. præced.* 1. *l. tutor* 8. *D. hoc tit.*

13 *L. creditoris* 15 *in princ. l. creditori* 85. *D de furt.*

14 Est

14 Est enim satisfaciendum præcisè iudicato, cum exinde incipiat deberi, *l. si fundus* 16 § *si pluris, D. de pignor.* Vnde est quod nostri iactitant, actionem ex iudicato, &, vt loquuntur, sententiam ipsam esse stricti iuris.

15 In quo rerum genere fieri nunquam potest, vt non possit satisfieri actori citra iusiurandum, quia non idem ei præstandum est, sed tantundem, *l. 2. § mutui l. 3. D. de reb. cred.*

16 *L. 3. D. hoc tit.*

17 Siue in numero consistat vt pecunia numerata, siue in pondere, vt argentum infectum, *d. § mutui.*

18 *Arg. l. vlt. C. de fideicomm. libert.* Aliud enim res est, aliud æstimatio *l. si alij* 42 § 1. D *de vsufr.*

19 Id enim addendum necessario est, vt condemnatio sit certa. *l. si quid venditor* 18. § 1 *D de adil edict.*

20 *L. vbi autem* 75 § *vsque adeo, D de verb oblig.*

21 Affirmationi enim meæ iuratæ hoc casu necessario stādum est, si modo talis sim, cuius fidei credi oporteat, *arg l non omne* 5 §. *à barbaris, D. de re milit.* iunct. *d. l. in actionibus* 5 §. *vlt. D. hoc tit.*

22 Cum idem sit vas quod ab vtroque creditore pignori datum fuit.

23 Magnum enim periculum est periurij in iureiurando, tantoque maius, quanto difficilius est, vt posteaquam iuratum fuit de periurio quæratur, *l vlt* D *hoc tit* Iunge *l. quæ sub conditione* 8. *D. de condic inst l. illud aut illud* 25 § 1. *D de pecun. const.*

24 Alioqui certum pondus statui impossibile est, quo posito non statuto, liberaretur dolosus creditor restituendo vas cuiuscunque vel modici ponderis, *d. l. si quid venditor* 18. §. *penult. & vlt. D. de adilit. edict.*

DEFINITIO III.

Quantitatis de qua iuratum est in litem vsuræ nunquam debentur, sed maior quantitas taxanda est intra quam iuretur.

DElato vsque ad certam pecuniæ quantitatem iureiurando in litem ad æstimandum id quod interest actoris,[1] nihil causæ supereſt cur in eius quantitatis vsuras debitor condemnetur, quando nec victoris quicquam eo nomine interſit,[2] nec vsurarum condemnatio vnquam ex mero iudicis officio fieri debeat,[3] nisi cum in vicem eius quod interest succedunt,[4] vt in omnibus bonæ fidei iudicis.[5] Quid ergo? Tanto maior quantitas taxanda est, ad quam vsque iuretur, quod tanto plus interſit creditoris, qui tamdiu caruerit re sua.[6] *Ita Senatus* in causa Iacobi Treynon procuratoris Tononensis, & Petri Mestral, Prid. Id. Febr. 1594.

1 Postquam placuit Triboniano inuita iurisprudentia, vt à iudice taxari oporteat quantitatem ad quam vsque iuretur, *l. 4. § iur. D. hoc tit. l. 7. § prater, D. ad exhib* Dixi *Defin.* 1. supr.

2 Quamuis dici soleat vsuras non propter lucrum petentium infligi, sed propter moram non soluentium, *l. cum quidam* 17. § *si pupillo, D. de vsur.*

3 Aliud enim est in vsuris debitis ex stipulatione, quia tūc nihil aliud quærendum est, nisi quænam lex & conditio fuerit stipulationis. *l. qui Romæ* 122. *in princ.* iunct. *l. si stipulatio ista* 38. § *alteri, D. de verb. oblig.*

4 *Vt inf. curabit* 5. *C de action. empt.*

5 *L. qui per collusionem* 49. § *D. de action empt. l. quæro* 54. *D. locat. l.* 4. *C. depos.*

6 Itaque quicquid potest venire in taxationem & condemnationem eius quod interest, venit etiam in hoc iusiurandū, cuius ea vis præcipua est, vt releuet ab onere probandi, vt & aliud iusiurandum quodlibet, *l. eam qui* 30. *D. de iureiur.*

TIT. XXXIII.

DE FIDEIVSS. TVTOR vel curat.

DEFINITIO I.

Matri aliisve pupilli agnatis aut cognatis dilationem petentibus ad inquirendum de fide & facultatibus fideiussorum tutelæ dilatio danda est.

TVTORVM fideiussore idoneos dari non tantum pupilli,[1] sed etiam publice interest,[2] præcipue vero matris,[3] si tum supersit & eorum omnium qui agnationis aut cognationis ratione in eo sunt, vt pupillo succedere quandoque possint.[4] Itaque si matri petenti dilationem, intra quam de eorum fide & facultatibus inquireret, iudex denegauerit, eo prætextu quod idoneos esse sciret, & tanquam idoneos procurator fisci, ad quem etiam tuitio pupillorum maxime pertinet, approbasset, iustam appellandi causam mater habebit,[5] quasi nimis præcipiti festinatione admissis fideiussoribus.[6] Nec ad rem facit, quod si non essent idonei, iudex qui eos vt idoneos admisisset ad indemnitatem pupillo præstandam eo nomine teneretur.[7] Non enim nisi in subsidium ea actio contra magistratum datur.[8] Pupilli autem interest, vt tutoris sui fideiussorem talem habeat, quem & vtiliter conuenire possit, & facilius quam magistratum.[9] Præsertim cum eueniat plerumque, vt nec magistratus ipse satis idoneus postea reperiatur. *Ita Senatus* ex tempore, 17. Cal. Ianuar. 1589.

1 Cui expedit saltem habere tabulas cautionis Rem saluam fore, *l. suspectus* 5 D. *de suspect. tutor. l. 1. & tot tit. D. rem pupill. salu. for.*

2 Propter iunctum fauorem pupilli cum fauore & vtilitate reipublicæ, *arg. l. dabimus* 16 § 1. iunct *l. præced de reb. auctor iudic possid. alias l.* 4 *de priuil credit.*

3 Tanquam quæ primum gradum teneat in causa succedendi, *Nouell.* 118 *de heredit ab intest. venient. Auth defuncto & pass C ad SC. Tertyll*

4 Etsi parum probabilis imo præmatura videtur hæc spes de futura hereditate hominis viuentis, *l donari* 29 *alias l quidam, 5. donationem, D. de donat. l* 1. § *si impubere, D. de collat. bon or*

5 *L. vnic. vbi no. C. quand. imper. int. pupill. & vid cognosc.*

6 Quodnam enim damnum esse poterat in mora modici temporis? *l. si debitori* 21. *D. de iudic. l et si post tres* 8. *D si quis caution.* E contrario dicimus & verissimum est præcipitationem esse nouercam iustitiæ. Vnde est, quod nec nisi sedens pronunciare iudex debet.

7 *Ex tit. de magistr. conuen.* D. & C. [Nam pro fideiussoribus, aut saltem collaudatoribus habendi sunt; qui aliquem idoneum adfirmarunt etiam tanquam testes. *Ita Senatus* in causa sororum Ponard. Idib. Septemb. 1612.]

8 *L. 1. in princ. & 2. D. eod l. Lucius* 46. § *Sempronij, D. de admin tutor.*

9 Idoneus autem & locuples quis existimatur maxime ex conueniendi facilitate, *l 2. in princ. qui satisd cogant.* Magistratus autem fere omnes difficilis sunt conuentionis, *arg. l. 2. de in ius voc.* præsertim prpetui, quales hodie sunt omnes apud nos. Denique nemo ideo obligatur ad quid faciendum, vel patiendum, quod ab alio postea id repetiturus sit, *l nemo ideo* 71. *de regul. iur.*

DEIINITIO II.

Fideiussor tutelæ non potest conueniri vt rationes reddat, sed tantum vt reliqua soluat post redditas à tutore rationes, etiamsi exceptioni ordinis renunciauerit.

FIdeiussor datus tutelæ aut curationis nomine, licet exceptioni ordinis fideiussorum more expressim renunciauerit,[1] si tamen tutelam curamve gessisse non probetur, ad rationes reddendas conueniri primo loco non potest.[2] Quid ergo est? Tutor aut curator qui gessit eiusque heres primus conueniendus erit,[3] fideiussor vero iubendus, vt si velit suaque interesse existimet, adsit redditioni, ne inter tutorem aut curatorem & pupillum minoremve fortasse in nouum suam collusum postea conqueratur.[4] Prius enim sciendum est quid & quantum ex tutelæ causa debeatur, cum fieri possit, vt tutori vel curatori, quòd plus impenderit pupillus ipse debeat.[5] Et sane iniquissi-

BIU Cujas

mum facit exigi rationum redditionem ab eo, qui neque ipse administrauit, neque administrare debuit, [6] satisque consultum est, siue impuberi, siue minori, quod posteaquam tutorem aut curatorem constituerit debitorem, obligatum habebit fideiussorem indemnitatis nomine, id est, ad hoc, vt præstet reliqua, & quidem primo loco, si renunciauerit ordinis exceptioni. [7] At quid si defuncti tutoris vel curatoris heres nullus sit? Ne tum quidem parata erit aduersus fideiussorem actio, vt rationem reddere cogatur alienæ administrationis, sed iacenti hereditati curator dandus erit, [8] qui defuncti personam repræsentet, eiusque nomine ex hereditarijs instrumentis rationes reddat. Plane rationibus redditis, si de reliquorum duntaxat præstatione agatur, non male fideiussor, vt prior soluat, vrgebitur. [9] *Ita Senatus* contra N. Antonium de Prouence, pro N. Bertrando d'Abondance ex tempore, 9. Cal. April. 1590. Et iterum ex tempore in publico auditorio pro N. Claudio Collat, contra N. Abellum Bessonnet, 7. Cal. Iul. 1594.

1 Vt possit primus conueniri, alioquin haberet exceptionem ordinis, vt & alius fideiussor qui iubet ex *Nouell. 4. de fideiuss. Auth. præsente C. eod.*

2 Quomodo enim posset rationes reddere is, qui nihil administrauit? Nam & inde est, quod ex pluribus tutorib. quamuis in solidum obligatis primus ille conueniendus est, qui gessit, *l. tres tutores 55. D. de admin. tutor l. vlt. D. diuid. tutel. l. vlt. C. si tut. non gesser.*

3 *dict. legib. proxime citatis.*

4 *Arg. l. si suspecta 29. D. de inoff. test. l. perluis. 14. D de appell.* [Ideoque si non sit vocatus fideiussor, potest quandocunque postea conuentus rationes impugnare, nec tantum collusionē obijcere, sed etiam de arbitrorum iniquitate conqueri. Nec in eam rem cogitur petere, vt ex integro rationes tractētur & expungantur, nec si benè, alioquin quantum ad formam extrinsecam, & solemniter redditæ sint. Nec locus est hoc casu ei quod scripsimus *Defin. 1. supr. arb. tut. Ita Senatus* pro Dominica Dalfin, contra fratres Ginet, 29. April. 1614.]

5 *l. 1. §. vlt. D. de contr. tutel & vtil. act.*

6 Non enim fideiussor tutelæ ideo accipitur, vt administret, aut vt rationes reddat, sed vt reliqua soluat.

7 *Nouell 4. de fideiuss.*

8 Ex errore illo pragmaticorum, quem nos refutauimus in *Error. 3. Decad. 3. D. de error. pragmat.*

9 Videtamen in hanc rem textum elegantem *in l. qui Roma 122. §. Agerius, D. de verb. oblig.*

DEFINITIO III.

Fideiussor tutelæ non tenetur ad damna, quæ pupillo ob inimicitias cum tutore gestas contigerunt.

QVi actionis tutelæ fideiussor est, non cogitur præstare damnum, quod pupillo accidit ob inimicitias cum tutore gestas, [1] licet ex ea causa tutor ipse non male & quidem tutelæ iudicio conueniatur. [2] Quoniam de eo debito, quod non tam ex administratione, quam ex persona debitoris proficisceretur, fiddiussor cum se obligauit cogitasse non intelligitur. [3] *Ita tractatum est* in eadem causa N. Claudij Collat, contra D. Abellum Bessonet.

1 Intellige quamuis in omnem tutelæ causam fideiusserit, quomodo solet fideiuberi, vt *in l. quaro 54 D. locat.*

2 Quia is damnum dare videtur, qui damni occasionem præstat. *l. videamus 11. §. vltim. l. si merces 25. §. conductor. D. locat. l. si is cum quo 20. D. comm. diuid. l. vltim. in princip. D. solut. matrim.*

3 Nunquam enim obligatio & promissio quantumliber generalis extenditur ad incogitata, *l. 5. l. qui cum tutoribus 9. §. vltim. D de transact.* Ne alioqui facile fiat vt in immensum & immodice quis obligetur, quod nunquam ferendum est, nec si promissio sit iurata, *l. si libertum ista iuraueris 3. D. de oper. lib.*

DEFINITIO IV.

Tutoris fideiussor tenetur ob ea, quæ tutor gessit post pubertatem, si in connexa tutelæ administratione perseuerauit aut perseuerare debuit, non aliter.

TVtoris fideiussores non tenentur ob administrationem à tutore factam post pubertatem ex voluntate magis, quam ex necessitate, [1] quia neque ex ea causa tutor ipse tenetur actione tutelæ, sed potius negotiorum gestorum. [2] Quæ cum alia planeque diuersa actio sit ab actione tutelæ, [3] pro qua fideiussor interuenit, vtique fieri non potest, vt fideiussor in vnam causam datus in aliam datus videatur. [4] Est enim fideiussio stricti iuris, cum fiat per stipulationem. [5] Si tamen is qui tutor fuit pupillum iam factum puberem non monuerit, vt sibi peteret curatorem (neque enim petere ipse cogitur) tenetur eo nomine iudicio tutelæ, quia id connexum est officio tutelæ, cum sacris constitutionibus iubeatur tutor monere puberem, vt sibi petat curatorem. [6] Ideoque fideiussorem quoque ex ea causa teneri dicendum est, [7] nec solum de administratis, sed etiam de neglectis, [8] quia in id vsque tempus habuit tutor administrandi necessitatem. [9] *Ita Senatus* pro N. Iohanna de la Croix, & Dn. de la Barre, 20. Decembr. 1595.

1 *l. Lucius 46. §. Paulus respondit. D. de admin. & peric. tutor.*

2 *l. si tutor 3 & seq. D. de tutel. & ration distr.*

3 *l. 4 §. vlt eod tit & d. l. si tutor.*

4 *l. quoties 9 §. 1 versic. nec quisquam D. de admin & peric. tutor l. 4 §. sed enim. D rem pupill. salu. for.*

5 *l. blanditus 12 C. de fideiuss.* iunct. *l. quicquid adstringendæ. D. de verb oblig.*

6 *l. ita autem 5. § si tutor D. de admin & peric. tut.*

7 *d. l. quoties. §. 1. vers. nec quisquam.*

8 *l. pro officio 20 C. eod. l. 1 & 2. C si tut. vel curat. non gesser. l. tutores 39. §. qui se negotijs. D. de admin. tutor.*

9 Cum perseuerauerit in connexa administratione tutelæ, *l. tutor post puber. 11. C arbit tutel.* Aliud ergo est si tutor post pubertatem aliquo tempore, licet breuissimo intermiserit administrationem, *l. si post pubertatem 14. D. eod. de tutel & Rat. distr.*

DEFINITIO V.

Fideiussor tutelæ non est cogendus rationes reddere, sed tantum reliqua soluere postquam tutor aut eius heres rationes reddiderit, nisi aliud conuenerit.

QVi pro tutore simpliciter fideiussit, non tam de rationibus reddendis, quam de reliquis præstandis fideiussisse intelligitur, [1] quia durum est & pene absurdum rationes administrationis reddere eum qui non administrauit, sufficitque indemnem pupillum seruari. [2] Quare nec aliud est, tametsi fideiussor exceptioni ordinis renunciauerit. [3] Quin & mortuo ante redditas rationes tutore conueniendus erit tutoris heres primo loco, quia ea obligatio transit in heredem. [4] Sed quid si promiserit fideiussor tutoris se rationes redditurum? Valebit promissio: [5] Sed proderit ei exceptio ordinis, [6] si non ei expressim renuntiauerit. [7] Illud difficilius est, si ante renunciationem obligauerit se ad rationes reddendas, hac tamen subiecta clausula *à faute d'estre le compte rendu par ledit tuteur*; an primo loco conueniri possit. Videtur enim clausula illa pugnare cum renunciatione exceptionis. [8] Sed verius est eam capiendam interpretationem, vt quod ad rationes reddendas attinet non nisi post tutorem conueniatur. Ad reliqua verò præstanda etiam ante tutorem, dummodo post redditas à tutore rationes, vt insu-

BIU Cujas

vt insolita pactio ad solitam reducatur. [10] At finge in ea specie tutorem ante redditas rationes decessisse. An extitisse conditio videbitur, vt recta conueniri possit fideiussor ad reddendas rationes? Ita videtur, quia verum non est fuisse per tutorem redditas rationes, neque reddi amplius posse, [11] præsertim si tutor post pubertatem decesserit, vt proinde imputari quodammodo possit fideiussori cur non curauerit, vt à viuo tutore rationes redderentur. Sunt enim huiusmodi conditiones personales, & implendæ, vt loquuntur, in forma specifica: [12] Potest enim interesse pupilli rationes reddi per tutorem potius quam per eius heredem. [13] Nec quod ab heredibus tutorum solent etiam reposci rationes tutelæ [14] ad rem facit: id enim fit, quia mortuo tutore nihil est, quod melius dici possit. [15] Quod non similiter euenit cum non solum adhibitus est fideiussor, sed etiam promissum est nominatim à fideiussore, vt pro tutore rationes redderet. [16] Sicut nec ad rem faciet, quod in stipulationibus de heredibus quoq; actum intelligatur, licet heredum mentio facta non sit. [17] Nam id obtinet quod ad obligationes, quæ ex stipulationibus nascuntur, quia non tantum nobis, sed etiam heredibus nostris prouidere velle intelligimur. [18] At non item quod ad conditiones stipulationum. [19] Et vero finge tutorem sine herede decessisse, licet non sine hereditate, an adigemus pupillum, vt agat de rationibus reddendis aduersus hereditatem, in eamque rem petat dari curatorem iacenti hereditati? [20] Nemo vtique hoc dixerit, cum hoc saltem casu eius interesit agere potius contra fideiussorem, aduersus quem patiorem habeat actionem. [21] Sed quamquam hæc ita sunt, si tamen tutoris heres, aut hereditati iacenti datus curator [22] offerat in promptu rationes reddere, nihil causæ est, cur non audiri debeat fideiussor per ēs, vt ea redditio admittatur, quia nec pupilli quidquam interest, [23] cum hoc tamen temperamento, vt redditioni adsit fideiussor, qui rationibus pro arbitrio addat, vel detrahat quæ velit, perinde ac si ipse non tutoris heres, aut hereditas rationes redderet, [24] ne post redditas ab herede, aut hereditatis curatore rationes agendum quicquam supersit cum fideiussore; [25] sed parata sit in eum actio, pro reliquorum exactione si quę reliqua fuerint. [26] Igitur & rationum auditores perinde à fideiussore atque à tutoris herede nominandi erunt. ☞ *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam & hic præcipuus est effectus redditionis rationum, vt reliqua soluantur, *L. non solum. 8. §. is qui reddere. D. de liber. legat.* Incipit enim res quidem à facto, sed desinit in pecuniam *l. cum seruus 82. D. de cond. & demonstr.*

2 Quæ sola causa est dandi fideiussoris, l. 1. *D. qui satisd. cogant.*

3 Quomodo passim hodie renunciari solet ne creditori obstet, *Auth. præsente. C. de fideiuss.*

4 *l. 1. §. hanc actionem, l. conuento 23. D. hoc tit. l. 2. 3. & 4. C. de her. tut. vel curat.*

5 Cum sibi debeat imputare qui ad id se obligauerit. Nec enim talis obligatio prohibita est.

6 Vt qui tutor fuit & administrauit, aut administrare debuit prior conueniatur, *Auth. præsente. C. de fideiuss.* Nam & inter plures tutores is qui gessit prior conuenitur, *l. tres tutores 55. D. de admin. tutor. l. fin. C. de diuid. tutel. 1 §. nunc tractemus De tutel. & rat. distr.*

7 Posse enim renunciari non ambigitur, *Nouell. 4. de fideiuss.* Vnde sumpta est *dict. Auth. præsente* vbi DD.

8 *Arg. l. decem stipulatus 116. D. de verb. obl.*

9 Ita enim fit, vt vtraque clausula vim suam habeat, & aliquid operetur, quod vt fiat semper curandum est, quantum fieri potest, *l. si quando 109. de legat. 1. l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus de verb. oblig.*

10 *Arg. l. vlt. C. de fideiuss. & mandator.*

11 *Arg. l. Gallus 29. §. videndum de liber. & posthum.*

12 *Arg. l. qui Romæ 122. §. Agerius. de verb. obl. l. qui heredi 41. l. Mauius 55. D. de cond. & demonstr.*

13 Cum heres tutoris, vt plurimum futurus sit minus instructus, & ita vix possit euenire, vt non maioris quantitatis debitor reperiatur, quam cuius fortasse debitor fuisset tutor, si rationes reddidisset.

14 *d. l. 1. §. hanc actionem, & d. l. conuento 23. D. de tutel. & rat. distr.*

15 Ne alioqui morte tutoris actio tutelæ intercidat, quod esset iniquum, *l. 4. l. sed non dantur 18. D. de tutel & rat. distr.*

16 Nihil enim vetat vnum pro alio exigi, si ad id obligauit, *l. 1. & 2. C. si tut. vel curat. non gesser. l. vlt. C. de diuid. tutel.*

17 *l. si pactum 9. D. de probat.*

17 Ratio est, quam IC. adfert *in d. l. si pactum.* Facit *l. tale pactum 40. §. vlt. D de pact. l. pater 23. D. de pact. dotal.*

19 Quia conditiones omnes cum sint facti, sunt mere personales, nec transeunt ad heredem, *d. l. qui heredi, l. à testatore 109. de cond. & demonstr. dict. l. qui Romæ 122. §. Agerius. de verb. obligat.*

20 Ex eo pragmaticorum errore, qui inualuit, & quem nos refutauimus *in Error. 3. Decad. 3. de error. pragmat.*

21 Cum sit obligatus ex proprio contractu.

22 Qui personam defuncti non minus quam heres ipse repræsentare creditur, eo iure quo vtimur, & de quo scripsi *in error. 3. Desad. 3. De error. pragmat.*

23 Dummodo ei rationes ex fide reddantur. Quis vero æquum non putet hoc saltem fideiussori indulgeri, quod sine pupilli dispendio fit futurum, *l. in creditore 38. in fi. D. de euict.*

24 Cum in effectu videatur ille demum rationes reddere, qui reliqua soluere cogetur, *d. l. non solum 8. §. is qui reddere D. de liberat. legat. l. cum seruus 82. de cond. & demonstr.*

25 Qui alioqui posset dicere colluſum fuisse cum curatore. *Argum. l. si suspecta 29. D. de inoff. testam. l. si per luſ. 14. D. de appell.*

26 Et quidem sine vllo nouo processu, ☞ pragmatici loquuntur.

27 Cum fideiussoris præcipue interſit, *arg. l. de vnoquque 42. D. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt. cum similib.*

TIT. XXXIV.

DE CONTRAR. IVDIC. TVTEL.

DEFINITIO I.

Tutor neque hypothecam habet, neque ius retentionis in bona pupilli pro eo, quod sibi debetur contrario iudicio tutelæ.

NON potest quidem tutor prætextu eius quantitatis, quæ sibi ex causa administratæ tutelæ debetur, pupillares res retinere, [1] quia nec hypothecæ ius vllum habet in bonis pupilli. [2] Cum ex contrario pupillus iure tacitę hypothecæ, quam ei lex in tutoris bonis indulsit, bona tutoris sui tanquam obligata retinere possit, [3] adeoq; dotem matris, quæ tutrix fuit, [4] si aut in rationibus reddendis, aut quod ad rationes reddendas maxime pertinet, [5] in reliquis præstandis moram fecerit. Sed si quid à pupillo legatum sit tutori, nihil vetat tutorem qui non in mora reddendarum rationum sibi consulere per retentionem ad concurrentem vsque legati quantitatem, quoniā eatenus hypothecam habet, tanquam legatarius. [6] Neq; enim ob id minus iuris habere debet pro legato, quod sit etiā tutor. [7] Sed & tutori cuilibet permissum est vt sibi soluat. [8] Nec est contrarium quod non potest sibi soluere de re immobili, imo nec de pecunia depositā aut recondita ad prædiorum comparationem. [9] Nam præter id quod vix est, vt admittendum illud sit, cū agitur de modica quantitate & re immobili, quę sit modici præiudicij, [10] debet hoc ita intelligi, vt rem immobilem sibi dare in solutum tutor non possit ad eam iure dominij perpetuo retinendam. [11] Cæterum, vt eam pignoris nomine retineat,

cum est obligata, non prohibetur, [11] dummodo, vt dictum est, non sit ille in mora, steterque potius per pupillum, quo minus rationes reddãtur.[11] *Ita Senatus* in causa R. Bonauenturæ Martin Franciscani, & Matthæi Martin. 8. Id. Febr. 1593.

Esset enim id alienum à bona fide, quam in omnibus negotijs ad tutelam pertinentibus præstare tutor debet, maxime vero in restituendis pupillo rebus pupillaribus. Nam & qui obrationes rite recteque redditas plenissimam liberationem consecutus est, non eo minus tamen debet reddere res, quas penes se habet ex administratione, *l. Aurelio* 20 *§. vltim. D. de lib. leg.*

2 Non enim contrahitur ius tacitæ hypothecæ, nisi in quibusdam causis, vt constat ex *tit. D. & C. in quibus caus. pign. vel hyp. tacit. contr.* inter quas causas hæc non est. Non tamen videtur bona consecutio, vt qui non habet ius tacitæ hypothecæ nec ius rentionis habere debeat, cum latius pateat ius retentionis, & competat plerisque casibus etiam quibus hypotheca nec expressa nec tacita vlla est, *vt in l. si in area* 33. *l. ex quibus* 51. *D. de condict. indeb. l. heres* 21. *D. ad Senatusconsult. Trebell.*

3 *l. pro officio* 20 *C. de admin. tutor.* nec solum tutoris sed & procuratoris bona pupillo tacite sunt obligata, vt ibid. gloss. notat. Iunge *l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.*

4 Socin late *cons.* 180. *vol.* 1.

5 Rationes enim reddere non hoc tantum est eas edere, sed etiam & maxime reliqua soluere, *l. non solum* 8. *§. is qui. D. de liberat. leg. l. cum seruus* 82. *de cond. & demonst.*

6 *l.* 1. *C. commun. de legat.*

7 *Arg. l.* 1. *§. vlt. D si quis à parent. manum.* Imo tanto fauorabilior tutoris causa videri debet, ne alioqui officium suum sit ei damnosum, contra *l. cum quadam* 26. *C. de admin. tutor.* indeque sint vt à tutelis suscipiendis plerique reuocentur, quos prouocare maluit prætor proposita ista contraria tutelæ actione, *l.* 1. *D. hoc tit.*

8 *l. quoties* 9. *§. sicut autem* D. *de admin. tutor.*

9 *l.* 3. *§. quid ergo. D. hoc tit.* Roman. *singul.* 104. Iunge *l.* 3. *C. arbitr tutel.*

10 Notatur in apostil ad Roman. *dict. sing.* 104. id enim est quod dici solet prætorem de minimis non curare, *l. scio* 4. *D. de in integ restit.*

11 Quia datio in solutum venditionis instar obtinet ad dominium rei in perpetuum transferendum, *l. si non sortem* 26. *§. si centum D. de cond. indeb. l. si quis aliam* 46. *D. de solut.*

12 Nam & retentionis ius habere interdum potest, tum quoque, cum datio in solutum non valuit, vt in specie *d. §. si centum in fin.* quamuis pulla ibi esset hypotheca, neque expressa, neque tacita.

13 *Vt in l.* 1. *§. vlt. D. hoc tit.*

TIT. XXXV.

DE AVCTOR. PRAEST AND.

DEFINITIO I.

Curator minori datus ad diuidendum, potest etiam auctor esse ad vendendum, si aliter expediri commode diuisio non possit.

CVRATOR à iudice minori datus in causam diuidendæ hereditatis, [1] cum bona hereditaria commode diuidi non possent, consenserant venditioni per coheredes factæ, [2] in eámque rem minori & vendenti, & pretij solutionem accipienti auctoritatem præstiterat. [3] Quærebatur an auctoritas valeret? In aliam enim causam datus videbatur, id est, ad diuidendum, non ad vendendum. [4] Sed placuit valere, quoniam datus ad diuidendum, ad ea quoque omnia datus existimandus est, sine quibus commode peragi diuisio non potest. [5] Itaque rebus ipsis commodam diuisionem non admittentibus, necesse est pecuniæ & pretij fieri diuisionem, [6] & consequenter accedi ad venditionem, per quam fiat, vt ex bonis pecunia redigatur. [7] Nisi fortè quis dicat debuisse curatorem hunc curare, vt bona publicè, vel per licitationem potius venderentur. [8] Sed tamen quid si vidit ille minori suo vtiliorem, vt plerumque fit, priuatam venditionem? [9] Præsertim alijs quoque coheredibus in idem conspirantibus. [10] Denique si qua in eo culpa curatoris fuit, non tamen consequens est, vt non potuerit priuatæ venditioni auctoritatem præstare, qui publicæ licitationi potuit consentire. [11] *Ita Senatus* in causa Claudij Willierme, & Dominorum de la Biguerne, Idib. Sept. 1595.

1 Quia cum diuisio sit alienatio quamuis necessaria, non potest fieri sine decreto nec sine curatore, nisi maiore aliquo prouocante, *l.* 1. *vers. si communis, l. si pupillorum* 9. *in princ. D. de reb. eor. qui sub tutel.*

2 Vt solent communi coheredum consensu vendi res communes, quæ non recipiunt commodam diuisionem, nisi alios modos eligant, de quibus *in l.* 3. *C. commun. diuid.*

3 Vt valida esset venditio & solutio pretij, quia minor curatorem habens, & pupillo, & prodigo æquiparatur, *l.* 3. *C. de in integr. restit minor.* & semper periculosa est solutio, quæ fit minori sine curatoris auctoritate, nisi cum iudicis iussus & auctoritas interuenit, *l. ait prætor* 7. *§.* 1. *D. de minor. l. sanximus* 25. *C. de admin. tut.*

4 Siquidem aliud est vendere, aliud diuidere, quia diuisio emptionis potius quam venditionis vicem obtinet, *l.* 1. *C. commun. vtr. iudic.* Et quamuis contineat alienationem, ea tamen alienatio necessaria est, ob idque nec laudimia vlla ex ea debẽtur, vt scripsimus *ad titul. De iur. emphyt.* Porro certum est curatorem in vnam rem datum non posse officium suum egredi, & cum egreditur, ipso iure nullum & irritum esse, quod sit eo auctore, *l. cum post mortem* 43. *§.* 1. *vers. curator. D. de admin. tutor. l. sine generalis* 61. *D. de iur. dot.* Iunge *l.* 2. *D. h. t.*

5 *Arg l.* 2. *de iurisdict. l. ad rem mobilem* 56. *l. ad legatum* 62. *D. de procur.*

6 Nisi cum res expediri potest commodius per mutuas adiudicationes, *d. l.* 3. *C. commun. diuid. l. communi* 7. *in princip. D. eod.*

7 Nam sine venditione non posset ex re pecunia redigi, cum precium non ex re, sed ex negotiatione percipiatur, *l. venditor.* 21. *D. de hered. vel act. vend.*

8 Solent enim vtiliores esse minusque suspectæ publicæ venditiones quam priuatæ, *d l* 3. *C. commun. diuid. l. si eo tempore* 6. *l. si hypothecas* 8. *C. de remiss. pig. d. si quos* 16. *C. de rescind. vendit.*

9 Ea enim ratio semper sequenda est, quæ minori vtiliori futura sit, ne quod in eius fauorem inductum est, in eius odium alioqui retorqueatur, *l. pen. in princ. C. ad Trebell.* Vnde est quod nostri volunt, etiam sine decreto iudicis valere factam diuisionem ex Bart. *in l. iubemus* 14. *Cod. de sacrosanct. eccles.*

10 Nam & aliàs sæpe accidit, vt quod quis ex sua persona non potest propter alium possit, *l.* 3. *in fin. D. qua res pign. l. cum hereditate* 55. *de acquir. her. l. si is qui duos* 29. *D. de lib. leg.* Vide *l. fundus* 30. *famil. ercisc.*

11 Vtraque enim venditio est, parumque refert, an per publicam an per priuatam venditionem ad id, quod minori vtilius est, perueniatur, dum ne quid factum sit dolo malo, *arg. d. l. pen. C. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO II.

Tutor potest emere rem pupilli non ab ipso pupillo, sed à contutore aut à iudice per publicam actionem. Interdum etiam sine contutore & sine iudice.

QVod dicimus, tutorem non posse emere rem pupilli, [1] sic accipiendum est, vt ab ipso pupillo emere non possit, quia nec pupillo in rem suam auctor esse potest. [2] Cæterum si contutorem habeat, qui auctoritatem præstare queat & velit, nec aliud impediat emptionem, poterit emere, [3] sicut & palam publiceque facta rei pupillaris auctione. [4] Etsi enim publica venditio, quæ fit iussu iudicis, pro eo habe-

BIU Cujas

hibetur ac si pupillo ipso facta esset: [1] tamen auctoritas magistratus interueniens facit ne tuto is auctoritas necessaria videri possit. [6] Sed & fieri potest vt pupilli rem bene tutor emat, licet neque contutoris vllius, neque iudicis accedat auctoritas. Finge plures vnius hominis coheredes rem aliquam hereditariam vendidisse cum pacto de retrouendendo & saluo redimendi iure. Tum ex ijs aliquem decessisse impubere filio relicto, cuius tutor sit alius coheres. Poterit tutor suo nomine sibique soli fundum redimere, [7] nec ideo deteriorem pupilli sui conditionem fecisse videbitur, cum si non redemisset, ac redimenti tempora labi passus esset, pupillo aeque ac alijs coheredibus res perijsset. [8] Sane rem ita redemptam cogetur tutor & pupillo & alijs coheredibus, si quos habeat, communicare, non tutelæ, sed familiæ erciscundæ iudicio, dum ei precium, quod soluit, restituatur. [9] *Ita Senatus* pro Dominis de la Tornette, contra Philibertam Gay, 7. Calend. Febr. 1595.

1 *L. si in emptione* 34. §. *vlt. l. non licet* 46. *D. de contr. empt.*
2 *L. 1. l. quod dicitur* 7. *D. hoc tit. de auct. tutor.*
3 *L. si pupillus* 5. *in princ. eod.*
4 *d. l. pupillus*, §. *item tutor ipse.* *Vbi Bart. Adde Bartol. Socin. cons.* 160. *l. cum ipse* 5. *C. de contrah. empt.*
5 Quia factum iudicis censetur factum partis, *l. si ob causam* 13. *C. de cuict. l.* 1. *C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*
6 *Arg. l. sanctimus* 25 *C. de admin. tutor.*
7 Quia ius redimendi indiuiduum est competitque singulis heredibus in solidum, cum non possit cogi emptor partem reuendere, qui non fuerat partem empturus, *l. si quis aliam* 46. *D. de solut. l. tutor.* 47. *D. de minor.* alioqui incideret inuitus in conuentionem, contra *l. si non sortem* 26. §. *si centum, de cond. indeb.*
8 Quia præscriptio conuentionalis cœpta cum maiore currit etiam contra minorem sine spe restitutionis, *l. Æmilius* 48. *D. de minor.* Iniquum enim esset eum qui cum pupillo non contraxerit expectare pupilli pubertatem, *l. apud Iulianum* 3. *vers. fin. Marcellus, D. quibus ex caus. in poss. eat.* aut ignorantiam pupilli, quæ per ætatem contingit captiosam esse emptori, cui nihil imputari potest, *l. quod autem* 6. § *si quid cum pupillo, D. quæ in fraud. credit.*
9 *L. heredes* 45. §. *an astipulatio, & seqq. &* §. *si vnus ex coheredibus, vers. & omnino, D. famil. ercisc.*

TIT. XXXVI.

DE EXCVSAT. TVTOR.

DEFINITIO I.

Tutori, qui alioquin iustam haberet excusationem, potest salarium constitui à iudice, sed non ab agnatis qui tutorem nominauerunt.

TVTOR nominatus, si res pupillares non sine rei suæ familiaris detrimento administrare possit, iustam habet excusationem, [1] nec aliter tutelam suscipere cogendus est, quam si quid eo nomine accipiat, non tam in præmium laboris, qui gratuitus esse debet, [2] quam vt indemnis seruetur. [3] Sed tamen iudicis auctoritatem in eam rem interuenire necesse est, nec sufficeret consensus agnatorum, qui tutorem nominauerunt, ne alioqui facile eueniret, vt exonerandi sui gratia pupillum onerarent, nihil non vltro & liberaliter concedentes tutori, vt ad suscipiendam tutelam se faciliorem præberet. [4] *Ita Senatus* contra Franciscum Grilliet procuratorem, pro D. Comite de la Foreſt, 6. Id. Maij 1596.

1 Pura si habeat domicilium in vna prouincia, & tutor in alia, *l. idem Vlpianus* 12. §. 1. *l. illud* 19. *l. propter litem* 21. §. *licet, D. hoc tit.*
2 Et ideo nihil nisi sumptus litis pupillaris & viatica pupillo reputare tutor potest, *l. 1.* §. *item sumptus litis, D. de tutel. & rat. dist.*
3 Qua ratione potest iudex tutori salarium ex certa causa constituere, *l. à tutoribus* 33. §. *vlt. D. de admin. tutor.* Iunge *l. idemque* 10. §. *idem Labeo ait, D. mandat.*
4 Sunt enim ista omnia æstimanda ex vtilitate pupilli, non ex arbitrio agnatorum.

TIT. XXXVII.

DE PRAED. MINOR. ET alijs reb. sin. decret.

DEFINITIO I.

Tutor potest bona fide transigere de re pupillari, sed ita vt neque dominium eius alienet, neque possessionem.

ETSI de lite pupillari bona fide transigere non est tutori prohibitum, [1] tamen alienare rem pupilli non magis per transactionem quam alio modo potest, [2] at ne quidem possessionem eius rei, quam pupilli nomine tenebat tempore transactionis, [3] licet is, qui cum tutore contraxit paratus sit docere, eius rei dominium ad pupillum non pertinuisse. [4] Semper enim pupillo consulendum est, vt indemnis seruetur aduersus alienationem à tutore factam. [5] Ideoq; restitui ei debet commodum possessionis, vt hoc ipsum, an dominus sit necne, cum eo possessore facto disputetur. [6] *Ita Senatus* in causa N. Claudij Platiere, contra liberos & heredes N. Ioannis de Geneuois, 7. Cal. Iunij 1594.

1 *L. si pignore* 54. §. *vlt. l. interdum* 56. §. *qui tutelam, D. de furt.* & ideo nouare tutor potest, nimirum ad ipsius pupilli vtilitatem, *l. tutor ad vtilitatem* 22. *D. de admin. tut.*
2 Quia transigere diminui causa non potest, *l. Lucius* 46. §. *vlt. D. sod. ill. tit. l. non solum* 4. *C. hoc tit.* Diminuit autem quisquis alienat *l. 1. C. de fund. dot. l. alienationis* 28. *de verb. sign. l. quod autem* 6. *D. quæ in fraud. credit.* Iunge *l. pactum curatoris* 22. *C. de pact.*
3 Quamuis verum sit non alienare illum, qui duntaxat omittit possessionem, *l. 4.* §. *1. de alien. iudic. mut. caus. fact.* Vide *l. si profundo* 33. *in fin. C. de transact.*
4 Quo tamen casu non poterit videri facta alienatio, cum alienatio sit ille demum actus, per quem dominium transfertur, *d. l. 1. C. de fund. dotal.*
5 Non enim tutor domini loco habetur, cum pupillum spoliat, sed tantum cum bene & ex bona fide administrat, *l. qui fundum* 7. §. *si tutor, D. pro emptor. cum plures* 2. §. 1. *D. de adm. tutor. d. l. pactum* 22. *C. de pact.*
6 Est enim magnum commodum possessionis, siue agat quis, siue conueniatur, §. *commodum, Instit. de hered.* Quod etiamsi possessor nihil iuris habeat, vincit tamen hoc ipso quod possessor est, nisi actor suam intentionem plene probet, *l. vlt. D. de acquir. possess. l. vlt. C. de rei vindic. l. 2. D. vti possid.*

DEFINITIO II.

Qui emit rem pupillarem prætextu æris alieni probare debet æs alienum fuisse, quod ex venditionis pretio fuerit solutum.

SI obtentu æris alieni vendita sit res pupilli aut minoris, [1] non sufficit ad securitatem emptoris, aduersus quem imploratur in integrum restitutio, quasi facta venditione sine causa, [2] vt probet solutum fuisse ei qui dicebat se creditorem, quique tanquam creditor venditionem publicam & sub hasta fieri curauerat; sed omnimodo probandum est, debitum

BIU Cujas

fuisse,[3] aut per testes, aut per instrumenta, ne alioqui facile sit colludenti tutori vel curatori iniuriam pupillo facere vel minori.[4] *Ita Senatus* in causa Claudij Willierme,& dominorum de la Biguerne, Idib.Septemb. 1595.

1 Quia nec alio obtentu vendi possunt res pupillorum aut minorum, nec si interueniat iudicis decretum *l.magis puto 5. §.non pass.& §.si as alienum,D.de reb.eor.qui sub tutel.*

2 Eo siquidem iure hodie vtimur, vt minor impetret restitutionem in integrũ aduersus venditionẽ rei suæ quoquomodo factam *ex tit.C si aduers.vendit.* etiam eo casu,quo non erat olim necessaria rettitutio,id est, quamuis contractus talis proponatur,qui nullus sit ipso iure,*vt l.2.C.hoc tit.l.4.C.si aduers.rem iud.l.3.C.si aduers.libert.*

3 Alioqui non potest videri pecunia versa in rem minoris, nisi probetur verus creditor fuisse is, cui soluta fuit tanquam vero creditori,*l.si fundus 13.§.1. D.de reb.eor. qui sub tutel.l.cũ de indebito 25.§.sin autem ũ qui,D.de probat.* Denique quotiescunque solutio fit vel personæ suspectæ,vel pro persona suspecta, curiosus debet esse is, qui soluit,& diligens, in quam rem pecunia impendatur, *l.vir vxori 17.§.vlt.in fin.D.ad SC.Velleian.l.1.C.si aduers.cred.l.3.§.sed si sic accipit.D.de in rem vers. l.vlt.D.de exercit.action.*

4 Si tamen decretum iudicis interuenit, parcendum est emptori qui credidit decreto,*l.minor.32.in fin.D.de min.*& ipsi minori hoc casu incumbet onus probandi, qui dicit obreptum fuisse prætori, *d.l. magis puto 5.§.pen. D.hoc tit.de reb.eor.qui sub tutel.* Hoc vero probato, poterit minor non tantum rem suam vindicare, *dict.§.penult.* sed etiam agere condictione *ex ean.redintegrand.* tanquam spoliatus,siue abemptore,siue à tutore,vel curatore,siue à iudice,vt dixi *Defin.22.& 24.infr.vnde vi.*

TIT. XXXVIII.

SI QVIS IGNOR. REM MINOR. ESSE SIN. DECRET. COMPAR.

DEFINITIO I.

Qui cum prodigo alterius prouinciæ contrahit post interdictionem, quam ignorauit, tuto contrahit, nisi ũ, qui prodigus est idem sit etiam minor.

SI is, qui in alia prouincia habitabat, cum eo contraxerit, cui bonis interdictum erat à iudice, non ideo sola interdictionis potestate contractus nullus videbitur.[1] Est enim verisimilis hæc ignorantia prohibitionis, & interdictionis.[2] Itaque si quid fortè prodigus vendiderit vel emerit quod pro sui commodi ratione vendere vel emere debuerit, non solum contractus ipse iure subsistet,[3] sed etiam restitutionis auxilium ei denegabitur: non secus acsi nulla interdictio præcessisset.[4] Contractum enim cum prodigo bona fide & ex ipsius vtilitate gestum nihil est quod possit rescindere præterquam auctoritas interdictionis,[5] nisi proponas cum prodigalitatis vitio concurrere minorem ætatem. Nam qui tanquam prodigus iuuari non posset, tanquam minor iuuabitur.[6] Etitque tanto fauorabilior non solum ad impetrandam facilius restitutionem,[7] sed etiam, vt si quæratur an ex vtilitate sua negotium gesserit, necne, probandi onus in aduersarium transferatur.[8] Sane læsionem interuenisse oportebit,[9] de qua tamen nihil quærendum esset, si cum eo contractum proponeretur, qui interdictionem sciuisset, aut scire debuisset.[10] Omnia enim nulla & irrita sunt quæcunque sine curatoris auctoritate cum prodigo geruntur post interdictionem.[11] *Ita Senatus* ex tempore, Prid.Non.Febr.1589.

1 Quamuis regulare sit vt ipso iure non valeant quæcunque geruntur cum prodigo,cui bonis interdictum est, si curatoris auctoritas non interuenerit, *l.is cui bonis 6.*vbi Bart.& alij D.*de verb.oblig.*

2 Non solum quod sit ignorantia facti alieni, *l.vlt.D.pro suo,*sed etiam difficile sit cuilibet scire ea quæ extra suam prouinciam geruntur. Præter id quod dici solet ac verum est,vocem præconis paucis innotescere.

3 Ponimus enim maiorem eum esse annis 25. vt nihil sit quod venditionem impedire possit præter interdictionem, vt sequitur in Definitione.

4 Nunquam enim datur restitutio nisi læso, *l.1.D.de in integr.restit.* læsus autem videri non potest qui negotium suum gessit vtiliter, id faciendo quod alius quilibet diligens paterfamilias faciisset, *l.verum 11.§.item non restituetur & seq.l.minor.48.§.1.D.de minor.*

5 Et quidem eius quæ non tam à lege facta sit,de qua *in l. D.de curat furios.& alijs ext. minor. dand.* quam à prætore & magistratu,de qua *in l.Iulianus 10.eod.* Iunge *l.pignus 11.l.vlt. in fi.eod.tit.* vbi nihil inspicitur nisi vtilitas prodigi.

6 Siquidem cum quis & minor & prodigus aut furiosus reperitur, virium ætatis potius quam animi esse intelligitur,*l. 3.in princ.& §.1. D.de tutel.*

7 Quo plures enim concurrunt causæ restitutionis in integrum,eo fauorabilior restitutio est.

8 Non enim paruum commodum est in eo, vt quis nononeretur probatione,nec fungatur partibus, *l.si priusquam in fi. D.de oper.noui nunciat.* Regulariter autem qui dicit,negotium ex vtilitate minoris gestum esse,probare idipsum debet, *l.1.C. si aduers.credit l.prædiorum 10.C.de præd.minor.*

9 Nunquam etiam minor restituitur ob id solum quod minor sit,nisi etiam probet se læsum, *d.l.verum 11.§.sciendum, l.quod si minor. 24.§.non semper.l. non omnia 44.D. de minor.l. nam posteaquam 9.§.si minor.D.de iureiur.*

10 Alioqui si quis nescit interdictionem nihil ei nocet, quod sciat venditorem statim pecuniam consumpturum, *l.si quis cum sciret 8.D.pro emptor.* nisi cum emit à minore,*d.l.quod si minor §.restitutio.D.de minor.*

11 *d.l.is cui bonis 6.D.de verb. oblig.l. Iulianus 10.D.de curat. furios.*

TIT. XXXIX.

SI MAIOR FACT. ALIEN. FACT. SIN. DECR. RAT. HAB.

DEFINITIO I.

Quod fit in maiori ætate in consequentiam negotij perfecti in minore non tollit auxilium restitutionis.

VENDITIONEM rei immobilis à minore sine decreto factam non idcirco per ratihabitionem[1] confirmatam esse dici potest, quod is maior factus precij solutionem petierit.[2] Fit enim id in consequentiam & executionem prioris contractus potius quam ad eius confirmationem.[3] Sed & cum minor,qui competente aduersus eiusmodi venditionem restitutione alteri cesserat,[4] litem pro cessionario contra priorem emptorem victor peregisset,[5] mox aduersus cessionarium quoque in integrum restitui vellet ex causa læsionis,[6] Placuit audiri eum debere, nec illi nocere quod ab eo in executionem prioris contractus factum esset. Quia quod ex præcedentis obligationis necessitate fieri oportuerat, neque nouam obligationem parere, nec proinde restitutionis beneficium excludere potuerat.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 12.Calend. Mart.1589.

1 Quæ quoties interuenit solet impedire in integrum restitutionem,*l.1.& tot.hoc tit.C.l.1.& tot.tit. Cod.si maior.fact. rat.hab.*

2 Quamuis dici soleat eum qui petit precium hoc ipso videri approbare venditionem,*l.quidam 12.D.de euict.*

3 Itaque locus est restitutioni initio inspecto, *l.3.§.scio.D. de minor.*

de minor. Nempe cum negotium ab initio perfectum fuit. Alioqui finis negotii non initium conſpici debet, vt ſcripſi *ad d. §. ſcio in Rationalibus.*

4 Nam & beneficium reſtitutionis cedi poteſt, *l. vnic Cod. etiam per procur. cauſ in integr. reſt. agi poſſ l. illud nullam* 25. §. 1. *& ſeq. D. de minor. l ſi minoris* 25. *D. de admin tutor.*

5 Vt ſcilicet actionum directarum, quæ remanent ſemper penes cedentem. Not. *in l.* 3. *&* 4. *Cod. de nouat. l. ſi res* 70. *ad SC. Trebell.*

6 Poteſt enim minor aduerſus vtrumq; contractum reſtitui, ſi etiam in ſecundo læſio interuenit, *l. doli* 19. §. *diuerſum D. de nouat.*

7 *d. l.* 3. §. *ſcio D. de minor.* Iunge *l. qui agnitis* 11. *D. de except.* Sic dicimus cum ſolutio ſit in conſequentiam præcedentis obligationis incipere hypothecam à die obligationis, non à die ſolutionis, *l.* 1. *D qui potior. in pignor. hab.*

DEFINITIO II.

Alienatio iniuſta bonorum minoris per tutorem aut curatorem facta confirmatur lapſu quinquendij tranſcurſi poſt maiorem ætatem, ex quo tamen minor ſciuit, ſed reſtitui minor poteſt.

QVod conſtitutum eſt, vt alienatio prædiorum minoris ſine decreto contra Senatuſconſultum facta ſolo ſilentio confirmetur, ſi minor maior factus per quinquennium tacuerit, [1] non ad eam duntaxat alienationem pertinet, quæ à minore facta ſit, ſed & ad eam, quæ ab ipſo tutore aut curatore, [2] dummodo eam minor iam tum ſciuerit cum maior factus eſt; alioqui non niſi à die ſcientiæ quinquennium illud computabitur. [3] Neque enim æquum eſt, vt currat ignoranti, licet voluerit Iuſtinianus currere etiam abſenti. [4] Hactenus vero alienationem huiuſmodi ſilentio confirmatam eſſe proderit, vt auctoritas Senatuſconſulti obſtare non poſſit ne valeat alienatio. [5] Sed non excludet ea res beneficium reſtitutionis, ſi minor in alienatione læſus proponatur. Nam & eo caſu, quo iuris auctoritas non reſiſtit alienationi, æque tamen minori, ſi læſus ſit, per in integrum reſtitutionem ſuccurritur. [6] *Ita tractatum eſt* in cauſa Dn. Aduocati Bollieti, 3. Non. Decembr. 1589.

1 *In l. vlt. C hoc tit.*

2 *l.* 2. vbi Dionyſ. Gothofr. in verb. *ſtatuti temporis. eod.* Iacob. Menoch. *in remed.* 15 *recup. poſſ. quæſt.* 15.

3 Quia nec tacitè conſentire videri poteſt qui ignorat, quando neque videtur habere experiendi facultatem, *l. cum ſex* 55. *D. de adil. edict.*

4 Abſens enim non tantum proteſtari poteſt, ſed etiam agere per procuratorem *l. 1. & paſſ. D. de procur.*

5 Propter defectum decreti ex oratione Seueri, de qua *in l.* 1. *D. de reb. eor. qui ſub tutel.* & lege Conſtantini, de qua *in l. lex qua tutores* 22. *C de admin. tutor.*

6 Tametſi & decretum iudicis, & auctoritas curatoris interuenerit, *l ſi quidem* 11. *Cod. de præd min l. vltim. & tot tit. C ſi aut. vel curat. interuen. l. vlt. C ſi aduerſ rem. iudic.* Iunge *l. vlt. C. hoc tit.* & ponderà verba illa: *minime poſſe tractari eam occaſione prætermiſſionis decreti, ſed ſic tenere, &c.*

DEFINITIO III.

Expreſſa adprobatio eſt quoties maior factus aliquid facit vltro, quod priorem contractum valere præſupponat, niſi faciat ex neceſſitate prioris contractus.

ALienatio rei immobilis ad minorem ſpectantis in minori ætate facta ſine decreto, ſi à minore maiore facto expreſſim nec tantum ſilentio [1] confirmata ſit, reſtitutionis beneficio reſcindi poſtea non poteſt. [2] Proinde cum minor quidam vendidiſſet [3] ſub pacto. De retrouendendo intra certum tempus, ea lege addita, vt ſi intra id tempus redimere non poſſet, in triennium vſque redimendi facultas ſibi per emptorem prorogaretur; poſtea vero iam maior factus quamuis nondum effluxo priore tempore ad redimendum dato, eam prorogationem ab emptore petiſſet, interpellatione etiam de ea re teſtato facta, [3] non dubitauit Senatus quin venditionem expreſsim comprobaſſe & ratam habuiſſe videretur. Nouus enim ille contractus erat, [4] quiq; licet ex vi & poteſtate prioris fieri deberet, non tamen in prioris conſequentiam, vel implementum. [5] Prior enim venditio omnimodo impleta fuerat, cum ex vna parte res tradita, ex altera precium ſolutum eſſet. [6] Nec ad rē pertinuit, quod nouus ille prorogationis contractus ſecutus non fuerat. Sola namq; interpellatio ſufficiebat in eam rem, quæ ex ſola interpellantis voluntate pendebat, id eſt, ad confirmandam venditionem. [7] *Ita Senatus* pro Nicolao Deſpatrons, contra Petrum Cochet, 1 dib. April. 1595. Iunge Defin. 4. ſupr. Si aduerſ. vendit.

1 Nam ſi ſolo ſilentio confirmata ſit reſtitutio poteſt locum habere, vt dixi *Defin. præced. num.* 6.

2 *Tot. tit. C. ſi maior fact rat. habuer.*

3 Vt dubitari non poſſet de animo deliberato petendæ ac obtinendæ prorogationis, vt in *l. qui Romæ* 122. *in prine. &* §. *coheredes. D. de verb. oblig.*

4 Quamuis dici ſoleat, prorogationem non facere nouum contractum, ſed eum proferre in tempus longius, *l ſed ſi manente* 5. *D. de precar.*

5 Alioqui non amitteretur ex hac cauſa beneficium reſtitutionis, ſecundum ea, quæ diximus *Defin* 1. ſupr.

6 Quæ duo ſunt, quibus empti & venditi actiones continentur, *l. ex empto* 11. *D. de act. empt.*

6 In iis enim quæ à ſola vtilitate pendent ſufficit nuda teſtatio voluntatis, etiam cum mutatur voluntas, *l. ſi filiusfamilias* 16. *D. de SC. Macedon.* Multo magis ſi in eadem voluntate perſeueretur. Denique etiam ex actu nullo declaratur voluntas. *l. vlt de rebus eor. l. licet transferam* 20 *D. de adim. legat. l. aduia* 77. §. *vlt decond. & demonſt. l. qui ex liberis* 11. §. *vlt. de bonorum poſſeſſ. ſecundum tabulas.*

TIT. XL.

DE CVRAT. FVRIOS. prodig. abſent.

DEFINITIO I.

Curator bonis datur proximior ad ſuccedendum, cuiuſcunque ſit iudicij, ſexus, & ætatis: Datum tamen eſſe neceſſe eſt.

CVM de curatore abſentis bonis dando agitur, [1] parum refert, quod is, qui curator datur, infirmi iudicij eſſe dicatur, dummodo ſit proximior agnatus cognatuſve, & ab inteſtato ſucceſſurus. Ea enim cura nihil niſi cuſtodia eſt, [2] & quaſi ſucceſſionis inteſtati præmatura, [3] quamuis licita, [4] occupatio. Quare ad eam mulieres quoque & infantes admittimus, [5] quandoquidem per eaſdem perſonas regi poſſunt bona, quorum iſti curam ſuſcipiunt, per quas propria ipſorum bona regantur. Nihil enim vetat ei qui bonis curator datus ſit alium curatorem, tutoremve dari. [6] Nec tamen conſequens eſt, vt ſi plures ſint agnati in eodem ſuccedendi gradu poſiti, & ex æquis partibus ab inteſtato ſi caſus contingeret ſucceſſuri, omnes pro curatoribus haberi debeant. [7] Curator enim ſolus ille erit, qui à iudice datus fuerit, quamquam dari omnes debent ſi petant, & aliud nihil impediat. [8] Cæterum ſi ex ijs quidam abſint, abſurdum ſane fuerit aut dari eos curatores, [9] aut idcirco

BIU Cujas

pro datis haberi, quod sint proximiores, quia nec ab intestato heredes videri possent, quandiu voluntatem suam non declarassent. [10] Proinde si curator absentis bonis datus eo nomine agat, vtique competentes absenti actiones in solidum exercere poterit, nec pro partibus ad alios ab intestato successuros deuoluendis exceptione deficientis iuris repelletur. *Ita Senatus* in causa Guidonis Thomasset, & Ioannis Bochut, contra Guidonem de Petit-Pierre Augustanum, prid. Non. Iunij 1593.

1 De quo *in l. idem priuilegium* 22. §. 1. D. *de reb. auct. iud. possid. alias l.* 7. *de priuil. cred. l. si diu* 8 *l. in possessionem* 6. *in fin.* D. *quib. ex caus. in poss. eat l. ab hostib.* 15. D. *ex quibus caus. maior l. mutuo* 6. §. *vlt.* D. *de tutel.*

2 Quamuis enim administrationem bonorum curator hic habeat, & actiones possit exercere, quæ sunt tempore perituræ, *l. creditore* 14. D *de reb. auct. iud. poss.* Facit *l. inter bonorum* 48. D. *de admin. tutor.*

3 Viuentis enim nec hereditas nec successio est, *l.* 1. D. *de hered. vel act. vend. l.* 1 D *pro hered. l.* 1 *si quis impubere* D *de collat. bonor. l donari* 29. *alias l quidam.* §. *donationem.* D. *de don.* [Et ideo si inter absentis agnatos aut cognatos, prætextu curationis bonorum, fiat transactio de ipsius successione, bonaq; omnia inter eos diuidantur: ita tamen, vt vni ex iis cura deferatur aliis consentientibus, datio quidem curatoris valebit, adeò vt nec appellari ab ea possit. Sed tamen transactio ipsa non valebit, ita vt nec vlla opus sit in integrum restitutione ad eam rescindendam, si quando postea mortuo eo, qui absens fuit, de ipsius hereditate tractari oporteat.]

4 Quia auctorem magistratum habet, & coniunctum fauorem absentis, *l. qui auctore* 137. *de reg. iur.* Nam & absentium bona conseruari publicè interest, *l. seruum* 33. *§ publicè* D. *de procur.*

5 Sicut & admittuntur ad successionem. Quasi non sit hæc cura virile officium, vt est tutel. *l vltim.* D *de tutel.* contra tamen scribit Dec. *ad l.* 2. *de reg. iur.* Et melius si inspicias iuris rationem.

6 Quomodo eueniebat olim cum legitima vnius pupilli tutela alteri pupillo tanquam proximo agnato deferebatur, quod ius mansit vsque ad *l vlt. C. de legit. tutel.*

7 Sola enim spes successionis non facit curatorem, vt nec sola coniunctio personarum facit coniunctum procuratorem, *l.* 3. §. *sed est forte.* D. *iudicat. solui*

8 Nam cũ deferatur hæc cura ex sola ratione successionis ad eam admitti debent quotquot speraptur successuri. *arg. l. quo tutela* 37. *de reg iur.* [Si tamen vnum ex iis dari consentiant cæteri & proferri, quamuis remotiorem, valebit datio, nec ab ea poterit appellari, nec aduersus eiusmodi consensum dari restitutio in integrum. Nulla enim læsio est, quin nec talis cõuentio præiudicat futuræ successioni, de qua nec pactum valeret, *l.* 29. §. *vlt. & l seq. de donat. Ita tractatum est* in Senatu Idib. Maij 1614.

9 Curator enim, neque absens, neque inuitus bonis datur, *l.* 1. §. *quæritur.* D. *de cur bon dand. l.* 3 § *si pupillus* D *de tutel.*

10 Nemo enim aut inuitus aut ignorans fit heres extra causam necessariorum heredum, *l. qui in aliena* 6. D *de acq. her. l. nec emere* 16 *C. de iur. delib.*

11 Nam etsi plures constituti essent curatores in solidum, tamen & agere singuli & conueniri possent, nisi per regiones constituti essent. *d. l.* 2. § *si plures de curat bon dand.*

DEFINITIO II.

Absentis talliabilis bonis & quando curator dari possit dominus feudi, quem directum vocant.

SVperioribus consequens est, vt si is qui absens est dedititiæ, &, vt loquuntur, talliabilis conditionis esse, nec liberos vllos habere probetur, possit dominus petere curatorem, sed absentis bonis dari. [1] Non idem erit si talis homo sit, cui dominus non in vniuersum successurus sit, sed tantum in bonis mobilibus, [2] vel in certa bonorum portione. Tunc enim curatio agnato proximo deferenda est. [3] Hoc namque casu non impedit dominus causam successionis intestati, [4] quæ priore causa nulla esse potest. [5] *Ita Senatus* in causa D. de Villette, & Ioannæ Brunier, 15. Calen. Decembr. 1593.

1 Quia defuncti talliabilis bona ad eum pertinerent non tanquam ad heredem, sed ex stipulatione, & tanquam ad anomalum successorem, vt loqui solet Baldus.

2 Quales sunt homines ligij apud Centrones nostros, quos nunc Tarentasienses appellamus.

3 Secundum ea quæ diximus *Defin. prox. sup.*

4 Cum possit hoc casu talliabilis relinquere hereditatem qui relinquit bona.

5 Non quasi duo in solidum heredes esse non possint, (nec enim dominus heres est, vt dixi) sed quia dominus præoccupando bona vniuersa ex stipulatione, cuius conditio existit, eo ipso instanti, quo talliabilis moritur, impedit ne qua possit esse hereditas illius, quia nulla bona reliquit, *l. lex Cornelia* 28. *ad fin. de vulg. & pup substit. l.* 2. D. *de castr pecul.*

DEFINITIO III.

Etiam post tempus, quod lege municipali præfinitum est, vt absens pro mortuo habeatur, possunt cognati petere curam, si malint esse curatores quam heredes.

ETsi scriptis Augustanorum moribus cautum est, vt qui per quindecim annos abfuit, ita vt vbi sit & an viuat ignoretur, pro mortuo haberi debeat, [1] perindeque bona eius inter proximiores agnatos diuidi possint ac si mortuum eum constaret: si tamen agnatus proximus absentis bonis curator datus, siue ante, siue post impletum decimum quintum annum, tanquam curator agat, post annum quintum decimum non poterit repelli exceptione illa, quasi male curator datus sit & bonis mortui, [2] aut ab initio recte datus postea absentis morte curator esse desierit. [3] Quod enim agnatorum fauore constitutum est, vt post id tempus absens pro mortuo habeatur, non potest agnatis nocere si eum pro viuo habere, & curatores malint esse quam heredes. [4] Quid enim si viuum esse sciant, nec tamen vitæ probationes vllas habeant? [5] Denique non coguntur vti eo iure; quod pro ipsis introductum est; [6] nisi fortè proponas alios esse agnatos æque proximos, qui non sint curatores. Neque enim iuri suo renunciare quis potest in alterius fraudem & iniuriam. [7] Sed hoc ita si agnati illi adsint, & prouincialis legis beneficium implorent. Alioqui non debet extraneis possessoribus à curatore conuentis prodesse, quod alij agnati sint, quorum interfit haberi absentem pro mortuo. [8] Nec si proponas possessores ab ijs agnatis emisse, & quos, si tanquam absentis heredes vellent ex nouo iure bona à se vendita vendicare, possent repellere vulgari illa exceptione, *Ni vos ipsi de euictione teneamini.* [9] Est enim exceptio hæc de iure tertij, & exclusiua quidem iuris agentis, sed non aliter ei tertio competens, quam si is velit. [10] In quo exceptionum genere regula est non esse illas admittendas. [11] Fieri namque potest, vt agnatus ille proximus heres esse nolit. Et vt maxime velit, eam voluntatem declarari necesse est priusquam hereditas ipsi quæsita intelligatur. [12] Solis enim suis heredibus concessum est, vt statim heredes sint. [13] Nos vero de agnatis loquimur. [14] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra Defin.

1 Contra præsumptionem *l. si vsusfructus* 8. *de vsufr. leg. l. computationi* 68 *ad leg Falcid.*

2 Nam sicut viuens non potest habere heredem, *l.* 1. D. *pro hered.* ita nec mortuus curatorem.

3 Etsi enim cura hæc bonorum est, finitur tamen morte personæ, & vt omnes cæteræ.

4 Ne alioqui eueniret, vt quod in agnatorum fauorem constitutum est in eorum odium retorqueretur, contra *l nullo* 25. D *de legib. l. quod fauore* 6. *C eod.*

5 Potest enim facile fieri, vt non veritas deficiat, sed prolatio, *l. duo sunt Titij* 30. *de test. tutel.*

6 *l pen. C. de pact. l si iudex circumuento* 41. D. *de minor. l. pactum* 46. *in fin. D. de pact.*

7. Nisi

BIU Cujas

7 Nisi cum aliter ille ius nullum habet, nisi per consequentiam, *vulg. l. id quod nostrum* 11. *l. non debet alteri* 74. *de regulis iuris.*

8 Esset enim exceptio illa de iure tertij, nec exclusiua iuris agentis, nisi sub illa conditione, si tertius veller, quod genus exceptionum admitti non debere certum est, Bart *in l. 2. de excep. rei iudic. l. loci* 4. §. *competit. D. si seruit. vindic.* Idque sequitur in Definitione.

9 *Ex l. vindicantem* 17. *l. Seia* 73. *D. de euict. l. venditrici.* 3. *C. de rei. alien. non alien.*

10 Cum inuitus heres nemo fiat, *l. nec emere* 16. *Cod. de iur. delib.*

11 Dixi *num* 8.

12 Est enim acquisitio hereditatis & facti & animi, *l. pro herede* 20. *l. gerit* 88. *D. de acquir. hered.*

13 *L. in suis* 14 *D. de suis & legit. l. in suis* 11. *de liber. & posth.*

14 Qui nunquam sunt sui heredes, neque necessarii.

DEFINITIO IV.

Cura bonorum absentis non finitur, nisi ex quo absens annum etatis sua centesimum compleuisse creditur.

SVnt qui putent curationem bonis absentis datam finiri anno trigesimo sexto; [1] Alij absentem pro mortuo habendum post annum septuagesimum. [2] Receptior sententia est expectandum centesimum. [3] Cæterum vtcunque sit non à tempore absentiæ, sed tantum à peracto tempore, ex quo mors præsumitur, pro mortuo habendus erit. [4] Neque enim hic locum habet fictio legis Corneliæ, nec si proponas, ideo absentem fuisse quod ab hostibus captus esset, quia non habet locum ea fictio, nisi post mortem naturalem. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Pro qua sententia dicitur Alexander consuluisse.

2 *Arg. l. computationc* 68. *D. ad leg. falcid.* secundum quam tamen debuerat potius constitui annus sexagesimus quintus, vt constat *ex vers. ab annis sexaginta.*

3 Quibus finis esse creditur vitæ longæui hominis, *l. an vsufructus* 56. *D. de vsufr. l. si vsu fructus* 8. *D. de vsufr. legat.* ex quo solent nostri inferre vnumquemq; præsumi viuere centũ annos, quod tamen ridiculum est dicere, & contra *d. l. computationi, alias l. hereditatem, ad leg. falcid.*

4 Quia non fuit sicut is, qui semel fuit viuus potest haberi pro mortuo, ita & is qui semel habitus fuisset pro mortuo posset haberi postea pro viuo.

5 Quia quando captiuus viuit naturaliter apud hostes, potest fictio postliminii locum habere, quæ ideo interim omnia retinet in suspenso. *l. pen. de suis & legit. l. postliminium* 19 *& tit. de cap. & postlim. l. illa institutio* 32. §. 1. *de her. instit.*

DEFINITIO V.

Qua exclusa est à spe successionis intestati, hoc ipso excluditur etiam à cura & custodia bonorum absentis. Nec aliud est etiam si petierit restitutionem, nisi etiam obtinuerit.

EA quæ dote à parte accepta bonis paternis fraterniisque renunciauerat sicut à fratrum successione legitima per renunciationem iureiurando firmatam exclusa est; [1] ita nec ad vnius ex fratribus bonorum custodiam & curationem admitti debet, cum nihil eius interest. [2] Nec mutabit, quod aduersus eam renunciationem implorauerit auxilium restitutionis propter immodicam læsionem. [3] Quandiu enim de restitutionis iure & æquitate pronunciatum non est, perinde stari debet renunciationi, ac si impetratum rescriptum nullum esset. [4] Itaque sicut interea nullus sororì ad fraternam successionem aditus patet, ita neque ad eiusmodi curationem obtinendam. Sequitur enim illa ius legitimæ successionis. [5] Plane si paternis tantum bonis filia renunciauerit, aliud erit. Quia licet non alia bona absens habeat, quam quæ à parte profecta sint, [6] tamen ex quo frater patri hæres extitit cœperunt esse fraterna, quæ ante paterna fuerant, [7] ob idque quasi alia sint, propter mutatam qualitatem & conditionem, [8] renunciatio paternorum, quæ tanquam odiosa stricte interpretanda est, [9] ad ea non extendetur. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 9. supr. de pact.

1 Propter auctoritatem iurisiurandi & Pontificiæ constitutionis, *in cap. quamuis pactum, de pact. in 6.* vbi Canonistæ.

2 Interest enim illorum duntaxat qui possunt succedere ab intestato.

3 Potest enim ex hac causa concedi restitutio, prius tamen impetrata absolutione iuramenti. Not. *in d. c. quamuis.*

4 Quia interim & in dubio præsumendum est pro contractu, *l. 2. C. ad leg. Cornel. de falsi. l. moueor* 4. *C. si seru. export. ven.* & pro patre, quod bonum consilium pro filia acceperit, *l. vlt. C. hoc tit.*

5 Dixi *Defin.* 1. *& seq.* 5.

6 Quæ proinde inspecta origine sunt paterna, *Auth. ex testamento, C. de secund nupt.*

7 Nam mutata cõditione personarum mutatur etiam conditio bonorum. *l. per curatorem* 90 §. 1. *D. de acquir. her. l. vlt. C. de inoffic. test.* Notant nostri late *ad l. 1. §. veteres. D. de acqu. possess.*

8 Alia enim qualitas & conditio aliam rem facit, quamuis eadem substantia maneat, *l. seruus* 27. *in fin. D. de adim. legat. l. qui res* 98. §. *aream, de solut.*

9 Abhorret enim à regulis iuris ciuilis, *l.* 3. *Cod. de collat. l. vlt. D. de suis & legit.*

10 Siquidem odiosa omnia sunt restringenda non amplianda per interpretationem, *vulg. l. cum quidam* 19. *D. de liber. & posth. l. hoc modo* 64. *in fin. de condit. & demonstr.*

DEFINITIO VI.

Inuitus curator nemo datur bonis absentis, ne quidem is qui inuitus posset dari procurator ad litem.

QVi publico in tribunali b. officio procuratoris fungitur, etiam inuitus dari curator minori ad litem potest, [1] bonis absentis non potest, si neque ex agnatis aut cognatis sit, neque ex adfinibus aut vicinis, quia curatio hæc non item illa necessitatem adfert præstandæ satisdationis, [2] rationumque reddendarum. [3] *Ita Setus* in ea causa, de qua in Defin. 4. sup. Qui tutor. aut curat. dare darive poss.

1 Quia publico & necessario munere fungitur, vt scripsi *Defin.* 2. 5. *de in lit. dand. tutor.*

2 Quia tamen onerari quem inuitum pro alio inciuile est, *l. hac stipulatio* 14. *in fin. D. vt legat. nom. caueat.* Nam nec semper facile est inuenire fideiussorem, *l.* 2 §. *penul. D. de iud.*

3 Cum habeat administrationem aliquam adnexam, licet potissimum detur pro custodia, vt dixi *Defin. num* 2 supr. *exl. inter bonorum* 48. *D. de admin. tutor.*

DEFINITIO VII.

Interdictio bonorum facta prodigo sine causæ cognitione non valet, nec nocet, nisi notoria sit prodigalitas.

NOn valet interdictio bonorum facta prodigo sine causæ cognitione. [1] Nec si generali publicoque, vt fit, programmate vt prohibitum sit voce præconis & iubente iudice, ne cum eo contraheretur, nocebit ea res illis, qui bona fide postea cum illo contraxerunt; [2] nisi probetur ille notoriè prodigus, id est, qui neque modum neque finem vllum habeat expensarum. [3] Quo casu etiam nulla præcedente interdictione, nedum causæ cognitione, [4] æquissimum est nocere dolum suum ei, qui contraxit cum perdituro. [5] Sed & cum ei qui reuera prodigus est bonis interdicitur causa cognita, id est, ipso citato, itemque agnatis, cognatis, adfinibus & vicinis, [6] curator ei dandus est, & quidem tanquam prodigo, ne alioqui magno damno afficiatur, si cum eo contrahi non possit. [7] Sed tamen si curator datus non sit, non eo minus irritum erit, quod cum illo contractum fuerit. [8] Neque prætextu ignorantiæ excusabitur qui conditionem

BIU Cujas

illius, cum quo contraxit, non debuit ignorare.[9] *Ita Senatus* in causa Ioannis Guers, & Claudij Voutier, 6. Non. Decembr. 1594.

1 Bart. & alii *ad l. iis cui bonis 6 D. de verb. oblig.* Dec. & Cagnol. *ad l. furiosi, de reg iur.*

2 Id est, ignorantes prodigalitatem & interdictionem. Nihil enim refert an interdictio nulla præcesserit, an perperam & sine causæ cognitione, *arg. l. 2 D. de auctor tutor.* iunct. *l. 1. D. hoc tit* in illis verbis, *si talem hominem inuenerint, l. obseruare 6. eod.*

3 Quæ prodigi definitio est, *d. l. 1. D hoc tit.*

4 Nam quæ notoriè vera sunt, nec causæ cognitione indigent nec probatione, neque rursum vllam ignorantiæ excusationem admittunt *l. cum sex 55. de ædilit edict. l regula 9 §. sed facti, D. de iur & fact. ignor. l. sed si pupillus 11. § proscribere, D. de institor. act.*

5 Quamuis non eo minus sit bonæ fidei emptor, qui scil. emit à vero domino *l si quis cum sciret 8 D. pro emptor*, Aufrer. *ad Capell. Tholos. quæst 362.*

6 In iis enim, quæ causæ cognitionem requirunt, semper sunt citandi omnes quorum interest, *l. de vnoquoque 47. D. de re iudic l etiam 29. § vlt de minor.* Aliud tamen est furioso, nec enim citandus est. Cagnol. *ibid in fin.* post Decium. Viuius *in commun opin* in verb *prodigus.* licet contra sentire videatur Tiraquell. *in tract res int. alios act ad fin.* Obserua tamen sufficere, vt ex relatione agnatorum & vicinorum appareat de furore, vel prodigalitate, etiamsi nullam dicti sui rationem reddant. Quod diuersum est, si testes super eo audiantur. Dec. *ad d. l. furiosi.*

7 *Arg. l. quod si minor 24 § non semper, eod.* Nam cum prodigi curatore contrahi potest, dummodo ad ipsius prodigi vtilitatem, *l pignus 21. & seq l. vlt D hoc tit.*

8 *L Iulianus 10. in princ. eod.*

9 *L qui cum alio 19 de reg. iur.* Bart & alii *ad d l. iis cui 6 de verb oblig.* Excipe tamen casum, de quo[3] *si quis ignor. rem minor ess.*

DEFINITIO VIII.

Minori prodigo curator datur etiam inuito, sed tamen quasi minori, non quasi prodigo. Et quid inter vtriusque curatorem intersit?

MInori, qui idem sit prodigus, curator dandus est, etiam non petenti adeoque inuito,[1] sed tamen vt minori, non vt prodigo, quoniam quousque quintum & vicesimum annum impleuerit, ætatis vitium esse intelligitur non animi, ob idque ætati tantisper consulendum est. [2] Nec aliud erit, tametsi pater mores filij suspectos habuerit, eumque testamento exheredauerit, aut in legitima tantum instituerit, nepotibus ex eo heredibus in reliquum assem scriptis. [3] Proinde finita minori ætate curatio quoque finita videbitur, quamuis prodigus duret. [4] Idemque obseruabitur etiamsi curator constante officio dederit operam, vt huic minori non secus ac prodigo bonis interdiceretur. [5] Non enim mutat ea res curationis causam, cum, vt dixi, nec tanquam prodigo dari debuerit aut potuerit, quamdiu minor fuit. [6] Cui consequens est, vt si agente creditore, qui post interdictionem contraxerat, curator ex officij sui ratione velit intercedere, [7] non sit audiendus, quia minoris curator, nec excipere, nec experiri potest minoris nomine, sed minor ipse auctore curatore. [8] In quo curator minoris differt à curatore prodigi. [9] Huic enim prodigi nomine, non etiam ipsi prodigo, & agendi ius competit & excipiendi, quia non sicut minoris, ita prodigi voluntas vlla esse intelligitur. [10] Vnde illud quoque fit, vt aduersus contractum à prodigo perperam celebratum nulla sit opus restitutione in integrum, [11] adeoque nec iusiurandi absolutione, quia prodigus ex iuramento non obligatur. [12] In minore contra restitutio necessaria est, nisi contraxerit sine auctoritate curatoris, quem iam tum habebat. [13] Quo casu, cum ex nostrorum traditione pro pupillo habeatur, [14] non magis obligari ex iureiurando potuit, quam si pubes fuisset. [15] Sed non faciet ea res, vt eo magis liceat curatori ius creditoris prohibere, vtpote cum nihil ipsius intersit, [16] maxime verò, si minor id, quod gessit, ratum habere malit.[17] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod in aliis minoribus non ita est. Nec enim datur iis curator, nisi petentibus, § *item inuiti, Instit. de curat. l. 3. § si pupillus, D. de tutel.*

2 *d. l. 3. in princ. de tutel.*

3 Vt in specie *l penult § potuit, D. hoc tit.*

4 Itaque ex tempore curator dandus erit, siue idem, siue alius, sed tanquam prodigo, quousque sanos mores receperit, *l. 1. D. hoc tit.*

5 Nam & minor curatorem habens solet æquiparari prodigo, hactenus nimirum, vt nihil per se administrare aut alienare possit, *l 3. C. de in integr restit. minor.*

6 *d. l 3 in princ. D. de tutel.*

7 Tanquam si esset curator datus prodigo, quo casu intercedere ipse & posset & deberet, *arg l. cuius bonis, D hoc tit.*

9 Nam quod minor curatorem habet, non facit, vt iudicio careat aut consilio, ideoque etiam sine curatore suo vtiliter obligari potest, *l plures 301 de verb oblig.*

10 Quomodo de furioso & furiosi curatore scriptum est *in l. in negotijs 5. de reg iur.* Solent enim furiosus & prodigus, ac ipsorum curatores eodem iure censeri, *l. 1. & pass. D. hoc tit.* quia prodigi homines furiosorum exitum faciunt, *l hic qui 12 in fin. D. de tutor & curat dat.*

11 Quoniam contractus ipso iure non tenet, *l Iulianus 10, D. hoc tit dict l. is cui 6. de verb. oblig dict l. 3. C. de in integr restit. minor.*

12 Bart. & alii *ad d. l. is cui, & ad l si quis pro eo 56. D. de fideiuss.* Omne namque iusiurandum tres comites habere debet, iudicium, veritatem, & æquitatem *c quanto. & pass Extr. de iureiur.* Prodigi autem iudicium nullum est. Iunge *cap. non est obligatorium, de reg. iur in 6.*

13 Intellige si contraxerit, non simpliciter se obligando, sed administrando & alienando, ne obstet *d. l. pubes 101.* vbi Cuiac. *de verb. oblig.*

14 In iis scilicet, quæ pertinent ad administrationem, *d l 3. C de in integr. restit minor.*

15 Sacramenta enim puberum duntaxat custodienda sunt, *Auth sacramenta C si aduers vendit.*

16 Quippe, qui nec minoris nec prodigi curator sit.

17 Rati enim habitio facta post maiorem ætatem excludit beneficium restitutionis, *l. 1 & tot. tit C. si maior fact. rat. hab.*

DEFINITIO IX.

Bonis absentis, qui procuratorem in prouincia reliquit, curator dari non potest.

EIus bonis, qui priusquam abesset à prouincia, procuratorem constituerat, qui res suas omnes gereret, curator propter absentiam dandus non est, cum nec abesse videatur, qui procuratorem habet in prouincia, [1] quandiu procurator rem ex bona fide administrat. Curatoris enim dandi necessitas nulla est, alio rem curante, cuius fides ab ipso electa sit, de cuius bonis agitur. [2] Cæterum non faciet ea res, vt per absentiam mandantis licere debeat procuratori in re absentis impune grassari. [3] Sed si male administret, curator bonis dandus erit. [4] Is nimirum, qui proximior sit ad succedendum, [5] & cuius interest rem absentis saluam esse, adeoque male gestæ administrationis rationem statim reddere eum, qui procurator fuit. [6] *Ita tractatum est* ex tempore in secreto auditorio, 13. Calend. Mart. 1595. pro Maximino Dunant Tarentasiensi.

1 *L Papinianus 20. D. de procur.* adeo vt non possit hic restitui tanquam absens, si procuratorem reliquerit, *l. is qui reipublicæ 39. D. ex quib. caus. maior.* imo & si relinquere potuit, *l sed etsi 26. § 1 eod.*

2 Nunquam enim curator bonis datur, nisi ex necessitate, vt constat ex legibus citatis. *Defin 1 num. 1. supr.* quæ porro necessitas nulla subest, cum adest procurator, quippe cuius plenior est potestas. Ille enim actiones omnes exercere potest etiam

BIU Cujas

etiam non tempore perituras, §. 1. §. *pen. & paſſ. de procurat.* curator vero bonis datus non item, *l. creditore 14. de rebus auct. iud. poſſid.* Eadem ratio facit, vt ſi plures ſint fratres, quorum quidam ſint præſentes & minores, qui curatorem habeant, alii verò abſentes, ſiue minores ſint, ſiue maiores, nullus ſit datus curator bonis abſentium ad litem communem tractandam, ſed curatori præſentium iniungendum eſt, vt abſentium quoque cauſam & iura defendat, quam & fratres ipſi maiores poſſent defendere tanquam perſonæ coniunctæ ſaltem præſtita cautione de rato, *l. ſed & ha perſona 22. D. de procur.* quę tamen cautio curatori aliorum non iniungitur pro bonis abſentium defendendis in cauſa communi, quæ pro patre defendi non poterit, *vt in l. ex parte 39. in princ. D. famil. eriſc.* Aliud enim probandum eſſet, ſi communis cauſa fratrum omnium per actionem tractaretur, id eſt, præſentium curator, qui abſentium bona vellet defendere de rato cauere pro præſentibus deberet. *Ita Senatus* in perſona Franciſci Rey, pro ſororibus Maſſon, 18. Apr. 1614.]

3 Quia mandato ſemper ineſt clauſula bonæ fidei, *l. creditor 60. §. vl. D. mandat. l. ſi pater 11. D. quæ in fraudem credit.* Nec quod futurum ſit vt à procuratore poſſit ſeruari indemnitas actione mandati, ad rem facit, *l. quia ſatisdatio 6. D. de ſuſp. tutor.*

4 *Arg. l. ſed ſi vnius 17. §. procuratorem, D. de iniur.*

5 Secundum ea, quæ dixi *Defin. 1. ſupr.*

6 Cum hodie omnes actiones pereant ſpatio ſaltem 30. aut 40. annor. *l. ſicut 3. & l. omnes, C. de præſcr. 30. vel 40. ann.*

DEFINITIO X.

Curator bonis datus ſatisdare debet.

CVratori, qui bonis datur, non facile iniungendam eſſe neceſſitatem plerique putant præſtandæ ſatisdationis,[1] quia non alij ea cura dari ſolet, quam qui in ijs bonis iam quodãmodo aliquod ius habeat, aut aliquando ſit habiturus,[2] id eſt, proximiori ſucceſſuro ab inteſtato. Propter quam cauſam & fœminas & infantes ad huiuſmodi curationem ſuſcipiendam admittimus. Quaſi, quod dici ſolet, curatoris officium eſſe virile, ad hoc curatorum genus nullo modo pertineat.[3] Tutius tamen eſt, vt hic quoque curator ſatisdare debeat.[4] Eoque iure paſſim vtimur. *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Puta ſi ſit euidenter idoneus, nec aut moribus aut facultatibus ſuſpectus.

2 Ac proinde, qui pene ad propria bona veniat, quomodo loquitur Vipian *in l. 1. §. largitus, de ſucceſſ. edict.* licet ibi loquatur de liberis, non de agnatis. Adde meliorem rationem, quia hic curator cuſtodiam tantum habet potius, quam liberam adminiſtrationem, *l. inter bonorum 48. D. de admin. tut.*

3 Dixi *Defin. 1 num. 5. ſup.*

4 Nam & remoueri poteſt tanquam ſuſpectus, *l. 3. §. ſed & ſi quis curam, D. de ſuſpect. tutor. & §. ſi curator. ibid.* Vide Iacob. Menoch. *de arb. iud.*

DEFINITIO XI.

Plus iuris habet curator datus iacenti hereditati, quam datus bonis abſentis, & in quo.

CVrator hereditati iacenti datus in hoc plus iuris habet, quam qui bonis datus eſt, quod actiones omnes hereditarias exercere poteſt,[1] etiam eas, quæ tempore perituræ non ſunt,[2] adeoque reſtitutionem in integrum, quam defunctus, ſi viueret, poſſet exercere:[3] quoniam agit nomine hereditatis, quæ ipſa defuncti perſonam in omnibus repræſentat.[4] Curator autem bonis datus non item,[5] quia non in id datur vt abſentis perſonam repræſentet, eiuſve patrimonium augeat, ſed in id tantum vt caueat cuiquę ne patrimonium diminuatur.[6] Ideoque cum non plus iuris habeat, quam ſi eſſet ab ipſo abſente procurator generalis conſtitutus,[7] (nam & procuratoris conſtitutio, ſi qua eſſet, faceret ceſſare curatoris dationem,[8]) non poteſt petere reſtitutionem in integrum, aut tranſigere, aut quid aliud facere ex ijs, quæ ſpeciale mandatum requirunt.[9] Illud ſane conſtat, ſi actio, quæ per curatorem exercetur, talis ſit, quam defunctus exercere quidem potuerit, ſed noluerit, non eſſe illum audiendum, vt puta ſi ex cauſa immodicæ læſionis potuerit agere ad reſcindendam venditionem, & de eo rogatus ab amicis aut alijs, qui beneficium illud ſibi cedi vellent, maluerit ratam manere venditionem.[10] Nam & ea res noceret heredi, ſi quis eſſet,[11] qui vtique non minus iuris habere poteſt, quam curator hæreditati datus.[12] Diuerſum eſſet, ſi proponeretur ideo noluiſſe defunctum petere reſtitutionem, quod alio iure commodius ſibi conſulere poſſet, vt puta, quod redimendæ rei ex pacto de retrouendendo ius haberet.[13] Non enim ideo prohibebitur hæres aut curator hereditati datus implorare auxilium reſtitutionis, ſiue ante, ſiue poſt elapſa tempora redimendi, quia is, qui cum plures actiones haberet, maluit apud ſe decernere, vt vna vteretur, non idcirco alias abiecſſe videri poteſt.[14] *Ita Senatus* pro Ludouico Velar, contra Bartholomæum Truchet, 3. Calen. Decemb. 1595. Iunge Definit. 16. infr. De repud. vel abſt. hered.

1 Poſtquam ita inualuit, vt hereditati quoque iacenti curator detur, contra quem Pragmaticorum errorem vide quæ ſcripſi *in Error. 3 Decad. 3. de error. Pragmat.*

2 Omnes enim æque ſunt hereditariæ nec minus perpetuę, quam temporales. *tot. tit. C. de hered. action.*

3 Siquidem ius petendæ reſtitutionis tranſit ad heredes, *l. non ſolum 6. D. de in integr. reſtit.* Tantundem vero iuris habet hereditas, quantum heres, quia nihil iuris tranſit à defuncto in heredem, niſi per mediam hereditatem, *l. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui teſt. lib. eſſ. iuſſ.*

4 *L. non minus 31. in fin. de her. inſt. l. hereditas enim 34. D. de acquir. rer. domin. l. heres 22 D. de vſucap.*

5 *L. creditor 14. De rebus auctor. iudic. poſſid.* Hodie igitur etiam curator bonis datus exercere poterit omnes actiones, quia ſunt omnes tempore perituræ, poſt *l. 3. & 4. Cod. de præſcript. 30. vel 40. annor.* vt dixi *Definition. 9. numer. 6. ſupra.*

6 *L. inter bonorum 48. D. de admin. tutor.*

7 Imo minùs, quia non habet abſentis voluntatem expreſſam, quam habet procurator.

8 Vt diximus *Defin. 9. ſupr.*

9 Cuiuſmodi ſunt iſta, reſtitutionem petere & tranſigere, *l. mandato 60 D. de procur. l. illud 25 D. de minor. l. vnic. vbi not. Cod etiam per procur. in integr. reſt. agi poſſ.* Nec obſtat ſi quis obiiciat, curatorem etiam bonis abſentis datum poſſe exercere actiones omnes tempore perituras, *l. creditore 14. D. de rebus auct. iudic. poſſid.* Id enim debet intelligi de actionibus, quæ abſenti competunt ipſo iure. Reſtitutiones autem nunquam competunt ipſo iure, ſed tantum dantur à prætore cauſa cognita, *l. 3. D. de in integr. reſt.* ac proinde ita demum ſi petantur, *l. 4. §. hoc autem iudicium, D. de damn. infect.* Quid enim ſi abſens malit contractum tenere? quod vtique in dubio præſumendum eſt.

10 Nemo enim iure ſibi competente vti cogitur, *l. pactum 46. D. de pact. l. pen. C. ſi eod. l. iudex 41. D. de minor.*

11 *Arg. l. vir vſuras 54. de donat. int. vir. & vxor.*

12 Cum in eum tranſfundatur per additionem quicquid fuit hereditatis, *dict. l. 1. §. Scæuola, D. ſi quis teſtament. lib. eſſ. iuſſ.*

13 Quia fauorabilior eſſe ſolet qui agit ex iure communi & ordinario, quam qui ex ſpeciali & extraordinario, *l. in cauſa 16. D. de minor.*

14 *Argum. l. mater decedens, 19. D. de inoffic. teſtament. l. legitimam 8. D. de hered. petit.* Aliud tamen olim fuit, ſi quis plures habens de eadem re actiones vnam elegiſſet, eaque vſus fuiſſet. Cæteras enim hoc ipſo amittebat, *l. cum filius 76. §. varijs, de leg. 2.* Sed aliud ſemper fuit vti vna actione quam elegeris, aliud vero decernere vti, necdum tamen vti.

BIU Cujas

TIT. XLI.

DE MAGISTR. CONVEN.

DEFINITIO I.

Iudex, qui tutorem dedit sine satisdatione, non potest eam postea ex interuallo iniungere.

IVDEX, qui per iuris aut facti ignorantiam tutorem dedit non iuncta satisdandi necessitate, quam ex officij sui ratione iniungere debuerat, quo magis pupillo consultum esset, [1] non nisi ex noua causa iniungere ex interuallo eam potest. [2] Non enim permittendum illi est, vt tutorem oneret ob id solum, vt seipsum exoneret, [3] posteaquam semel fideiussoris loco esse cœpit. [4] Nam etsi non sit idoneus, ad pupillum ipsum eiusve agnatos pertinet, non ad magistratum, vt alius fideiussor, qui idoneus sit, adijciatur. [5] *Ita tractatum est* ex tempore in publico Auditorio, 6. Cal. Febr. 1590.

1 Scilicet cum tutor neque testamentarius esset, neque confirmatus, neque ex inquisitione datus. Hi enim tres casus sunt, in quibus non tenetur tutor satisdare, *l. penult. C. de tutor. vel curat. qui satisd. non ded.* Iunge *l. 3. §. 1. & sequ. D. de curat. furios.*

2 Quasi qui officio suo semel iam functus sit, siue bene, siue male, posteaquam tutorem dedit sine onere satisdationis, *arg. l. iudex posteaquam 55. D. de rei iudic.*

3 Nisi deferatur ei conditio ab iis, erga quos est ille oneratus, *arg. l. cum hereditate 55. D. de acq. her.* Nec enim potest qui quam mutare consilium in alterius iniuriam, *l. nemo potest 75. de reg. iur.*

4 Qui enim semel fuit obligatus, nunquam potest facto suo tollere obligationem, nisi aliquo ex legitimis modis, *l. seruum 91. §. nunc videamus, D. de verb. oblig.* Iunge *l. quod heredem 6. D. hoc tit.*

5 Quia pupillo expedit habere saltem tabulas cautionis, rem saluam fore, *l. suspectus 5. D. de suspect. tutor.*

CODICIS FABRIANI
DEFINITIONVM FORENSIVM,
ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ
Senatu Tractatarum,
LIBER SEXTVS.
TITVLVS PRIMVS.
DE IVR. PATRON.

DEFINITIO I.

Ecclesia habens dignitatem, aut prælaturam, præsumitur esse de iure patronatus Principis.

PRINCEPS in dubio censetur patronus ecclesiæ habentis dignitatem aut prælaturam, ad eúmque proinde ius præsentandi pertinet. [1] Multo magis fatendum est, assensum ipsius requiri, quotiescumque prælatus aut præfectus monasterio eligendus confirmandusque est; adeo, vt si assensus ille non interuenerit, nulla eiusmodi electionis ratio habenda sit. [2] Nam & generale est, vt quæcunque spreto patrono facta collatio aut electio est, aut nullius omnino sit momenti, ad irritum saltem deduci debeat. [3] *Ita Senatus* in causa Illustrissimi D. Vincentij Laurei Cardinalis Du Montdeuis, & Reuer. Petri Goyet de Prioratu Nantuaci contendentium, 7. Cal. Mart. 1589.

1 *Can. Reatina cum seq. & can. lectis.* vbi Archid. 63. *distinct. can. imperium. dist.* 20.

2 Roch. de Curt. *in tract. de iur. patron.* in verb. *in ecclesia, num.* 2. & 7. Bald. *in cap. quanto, de iudi.* Rubeus *in tract. de iuribus regal. in* 11. *priuileg. num.* 6. *ex cap. sacrosancta. de elect. cap. nobis. Extr. hoc tit.*

3 *Can. decernimus* 16. *q.* 7. & alijs proxime citatis. [Intelli-ge nisi impetrator subrogatus sit in locum alterius cui fuerat prouisum cum derogatione iuris patronatus, quia sufficit patronum etiam laicum semel consensisse. *Rebuff. in praxi benef. in* 3. *part. signat. nu.* 29. vbi addit idem esse in prouisione *sine vtrum. Ita Senatus* in causa Ioannis Carret & Iacobi Arnaud, mense Iunij 1612.]

DEFINITIO II.

Collatio patronati beneficij facta spreto patrono non valet, si sit voluntaria, secus si sit necessaria.

QVOD proximè diximus, collationem patronati, vt vocant, beneficij spreto patrono factam nullius esse momenti, aut saltem ad irritum deduci debere, [1] distinctionem recipit, vt in voluntaria duntaxat collatione id locum habeat, non in necessaria: qualem plerique esse putant eam, quæ fit ex causa permutationis. [2] Quibus ita demum assentiendum est, si necessarium & ecclesiæ vtilem causam habuit permutatio, non si, vt ferè fit, solo personarum fauore & intuitu facta sit: [3] ne alioqui eueniat, vt sit in permutantis potestate patroni ius lædere. [4] *Ita tractatum est* in causa Ioannis de Seruete & N. Ludouici de la Pallud, 17. Cal. Iunij 1591.

1 *Ex d. can. decernimus* 16. *q.* 7.

2 Guid. Pap. *quæst.* 374.

BIU Cujas

3 Hæc enim magis voluntaria quam neceſſaria dici debet, finitio ſcilicet inſpecto.

4 Contra. *l.2.in fin.l.pen.& vlt.D.de natal.reſtit.l.2.D.quod vi aut clam.l.non debet alteri 74.de reg.iur.* [Cæterùm, tanta eſt poteſtas & authoritas patroni in præſentando, vt ex ipſius voluntate poſſit etiam epiſcopus nedum Papa conferre non presbytero beneficium presbyterale. *Rebuff.in praxi benefic.in 3.part.ſignat.num.46.*]

DEFINITIO III.

Negligentia patroni deuoluit ius ipſius ad Prælatum, Prælati verò negligentia deuoluit ius non patroni, ſed Prælati ad ſummum Pontificem. Et quando currat tempus?

PAtronii ius ita demum ſaluum & illeſum eſſe oportet, ſi non fuerit ille negligens in præſentando, vt noſtri loquũtur, hoc eſt, ſi præſentauerit idoneum clericum intra tempus, quod in eam rem iure Pontificio præfinitum eſt, nempe quatuor menſium, ſi patronus fuit laicus, ſex menſium, ſi fuit clericus. [1] Sola namque negligentia locum facit deuolutioni.[2] nimirum vt propter negligentiam priuetur patronus iure præſentandi pro ea vice, liberaque beneficij collatio, perinde ac ſi beneficium liberùm non patronatum eſſet, ſpectet ad collatorem.[3] Quod ſi ipſe quoque collator ordinarius negligens fuerit, nec beneficium intra ſemeſtre contulerit, nulla interueniente iuſta impedimenti cauſa,[4] ex quo nimirum tempore ſciuit aut ſcire debuit beneficium vacare,[5] non nocet ea res patrono, cui nihil imputari poteſt, ſed nocet ordinario, vt ad ſummum Pontificem totum ius prouidendi & conferendi pro ea vice deuoluatur.[6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *Cap vbi not.de iur.patron.in 6.*

2 Rebuff.*in praxi beneficiorum,tit.De deuolut.num.1.& 2. & ſequent.*

3 Panormit.*in cap.cum vos.Extr.de offic.ordin.* Text.*in cap. vnic.§. verum, de iur. patron.in 6.* Canon. *in cap. cum dilectus, Extr.hic tit.*

4 Nam iuſtum fuerit impedimentum, puta propter peſtem, ceſſat ius deuoluti. Rebuff.*in dict. tract.de deuol. num.13.* Alex.*conſ.58.vol.5.* Rip *in tract.de peſte.tit.de priuileg.& iudic. cauſa peſtis.*

5 Non enim potuit prouidere, niſi à die ſcientiæ vacationis, *cap.quia diuerſitatem, in fin.* & ibi Canon. *de conceſſ.præben.* Gloſſ.*in cap.licet, per illum text.* in verb.*à notitia de ſuppl. neglig.prælat.* Gloſſ.*in cap.2.* in verb.*infra ſex menſes de conceſſ. præben.* Federic.de Sen.*conſ.119.* Panormit. *in cap. cum propter. poſt princip.de iur.patron.* Rebuff. *vbi ſupr.num.10.* Roch.de Curt.*in tract.de iur.patron.* in verb.*honorificum,quæſt.27.* Gloſſ. *in cap.ſtatutum 3.de præb.in 6.*

6 *dict.cap.2.de conceſſ.præb.*

DEFINITIO IV.

Beneficia, quæ nec dignitatem nec prælaturam habent, regulariter præſumuntur libera.

BEneficia omnia, quæ nec dignitatem nec prælaturam habent, nec patronata, vt ita dicam, probantur, libera præſumuntur,[1] vt & cæteræ res omnes.[2] Libertatem enim rebus omnibus natura indidit, ſeruitutem cæca hominum auiditas induxit.[3] *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Mandoſ.*in reg.19.quæſt.15.num.13.* poſt Caſſad. *deciſ.1.in fin.ſub tit.de dilat.*

2 *L.altius 8.Cod. de ſeruit. & aqua, l.cum eo 9.* D.*vrban. prædior.*

3 *L.4.D.de iuſtit.& iur.* Vide quæ ſcripſi *in Rationalibus ad eum locum, & ad l.5.eod.tit.*

DEFINITIO V.

Sufficit præſentatum eſſe ab eo, qui ſit in quaſi poſſeſſione præſentandi, aut de cuius iure conſtet per verba enunciatiua Papæ.

VT beneficij collatio valeat, nec ſpreto patrono facta videatur, ſufficit factam ab eo præſentationem, qui in vltimo actu pro patrono ſe geſſerit, ſi modo præſentatio ab ipſo facta effectum habuit, ſecuta collatione.[1] Nec quod allegetur & probetur ius patronatus ad alium pertinere, irritam faciet collationem ſecutam ad præſentationem eius, qui in quaſi poſſeſſione eſt præſentandi.[2] Nam cum in beneficialibus cauſis omnibus, tum maximè, cum de iure patronatus agitur, nouiſſimus ſtatus attenditur, cuius probatio inducitur per nouiſſimos actus,[3] præſertim vero coram iudice laico, apud quem non de proprietate, ſed de ſola poſſeſſione beneficij diſceptari poteſt.[4] Sed & cum quis ſpreto patrono quaſi iure deuoluto beneficium impetraſſet, his verbis impetrationi inſertis, *ob negligentiam Titij, ad quem præſentatio beneficij pro tempore vacantis aſſeritur pertinere*, viſum eſt, ea verba ſufficere ad probandum, quod Titius in præſentandi quaſi poſſeſſione ſit, nec ampliores in poſſeſſorio requiri probationes, ſi alius nullus ſit, qui de iure illo patronatus moueat Titio controuerſiam.[5] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *Cap.querelam, de elect.cap. cum olim. de cauſ.poſſeſſ.& propr.conſultationibus,* vbi gloſſ.*de iur.patron.* Oldr. *conſ.312.* Feder.de Sen.*conſ.234.*

2 Eſt enim probabilis & tolerabilis error illius, qui id facit, quod videt fieri ſolitum eſſe, *l.Imperatores 13. D.de pollicit.* Hoc vero maxime obtinet, cum de beneficio agitur non in petitorio, ſed in poſſeſſorio.

3 Ne alioquin euenire neceſſe ſit, vt dum altercatio fit de iure patronatus, beneficium interim vacare neceſſe ſit. Similis ratio eſt *in §. vlt.Inſt.de except.*

4 Guid.Pap.*quæſt.1.*

5 Sic enim aſſertiones omnes iuris patronatus concipi mortis eſt, niſi adſit dictio aliqua, quæ dubitationem faciat, puta ſi ſcriptum ſit, *fortaſſis pertinere*, etſi verbum illud, *aſſeritur*, non tam impetrantis aſſertionem ſignificare videtur. quam concedentis, licet dubitantis, vt tenet Biſignet. *in deciſ. Rot.6.de præben.in antiq. numer.2. incip. Papa confert. per text. in Auth. ſi quando, C. de conſt. pecun.* Caſſador. *deciſ.4. incip. hactenus obſeruatum fuit, de probat.* Rot. *deciſ.60.de reſcript.in antiq.*

DEFINITIO VI.

Papa in generali reſeruatione beneficiorum non cenſetur ea comprehendere, quæ ſunt de iure patronatus laicorum, cui numquam derogat, niſi cum eſt litigioſum.

ETſi in beneficijs omnibus conferendis pleniſſimam ſummus Pontifex habet poteſtatem,[1] non facile tamen confert beneficia patronata ſpretis patronis, ſiue laici ij ſint, ſiue clerici, ſed ſi laici, multò parcius, ne alioqui eueniat, vt laici à fundendis dotandiſque eccleſijs reuocentur.[2] Inde fit, vt conſtitutio Pontificia de reſeruatione menſium, licet generaliſſimis verbis concepta, non comprehendat beneficia, quæ ſunt de iure patronatus laicorum, ſiue ex fundatione, ſiue ex dotatione.[3] Cui conſequens eſt, vt nec liget manus ordinarij, quo minus poſſit ille de beneficio eiuſmodi ad patroni laici præſentationem quocũque menſe prouidere.[4] Non idem eſt, ſi de iure patronatus clericorum agatur.[5] Facilius enim ſummi Pontificis conſtitutiones clericos afficiunt, quam laicos.[6] Quæ res facit, vt quoniam iuri patronatus clericorum pro arbitrio derogare in totum poteſt, derogaſſe quoque videatur, etiamſi non expreſſerit. Iuri autem patronatus laicorum non item, quia nec expreſſim ſolet vnquam ei derogare in totum, niſi cum litigioſum exiſtit, ne interim beneficium diutius iaceat.[7] Plane ad dimidiam vſque partem derogare & poteſt & ſolet, ſed expreſſis in eam rem verbis opus eſt.[8] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

BIU Cujas

1 Tanquam, qui sit ordinarius ordinariorum, *c. licet eccle-siarum, de prab. in 6.*

2 Gloss. *in dict. cap. licet.* in verb. *collatio.* & ibi Apostil. post Gemin. *ibid.* Felin. *in tractat. quand. liter. apost. præiud. patron. in princ. & colum. 7. limitat. 2.* Lap. *alleg. 99.* Mart. à Paco *in tract. de mand. apost. part. 5.* Ioan. Nicol. *in tract. de iur. patron. libr. 2. in fin. vers. vlt.*

3 Vide Roch. de Curt. *in tract. de iur. patron. in vers. competens, num. 56.*

4 Nam & odiosa esse creditur ista generalis reseruatio beneficiorum, quatenus per eam Papa derogat ordinariæ potestati & iuri dictioni ordinariorum quæ fauorabilis est, ideoq; recipit interpretationem saltem passiuam à iure communi, vt illud quam minimum fieri possit lædat. *vulg. in ib.*

5 Eadem gloss. *in d. c. licet,* in verb. *collatio.* quicquid ibi dicat Apostil. Vide Beninten. *in decis. Rotæ Bononien. 23.*

6 Quia clerici ad Pontificium forum pertinent non laici, *c. si diligenti & pass. de for. compet.*

7 Publice nam interest, non iacere diu beneficia, quomodo & de bonis profanis scriptum est, *in l. 1. D. de succes. edict.*

8 Roch. de Curt. *in d. tract. de iur patron. dict. vers. competens, num. 56.*

DEFINITIO VII.

Cum Papa derogat iuri patronatus laicorum pro medietate, quid faciendum sit?

ID vero cum euenit, vt iuri patronatus laicorum summus Pontifex derogat pro medietate, vt in literis Apostolicis scribi moris est, cogitur impetrans alterius partis patronum adire, ipsiusque consensum & voluntatem exquirere: alioqui perinde nulla aut annullanda erit collatio aut institutio tanquam spreto patrono contra mentem summi Pontificis facta, ac si nulla ex parte summus Pontifex iuri patronatus derogasset.[1] Sane si impetrans patronum adierit, is vero requisitus abnuerit, nihil erit quod impetranti possit obijci, quo minus voluntati summi Pontificis satisfecisse videatur. Itaque non minus beneficium obtinebit, quam si à patrono admissus esset, quia non potest spretum se conqueri patronus, qui & aditus fuit & rogatus:[2] non quod in cæteris rogatum sufficiat patronum, vt eo inuito beneficium obtineatur, si modo alium eúmque idoneum intra statutum tempus præsentauerit,[3] sed quoniam in proposita specie, cum derogatio ex dimidia parte facta per summum Pontificem iuri patronatus laicorum tantumdem iuris impetranti tribuat, quãtum ei denegat pertinacia patroni recusantis, æquissimum & rationi consentaneum est in pari iure præualere iummi Pontificis voluntatem,[4] quando aliud nihil sit, quod melius & æquius constitui possit.[5] Nam & cum vnus tãtum patronus isque laicus est, potest summus Pontifex, si velit, derogare iuri patronatus pro illa vice in totum.[6] Quamquam, vt in superioribus dictum est, numquam credendus est in totum voluisse derogasse, si non disertis verbis idipsum expresserit.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Can. decernimus 16. quæst. 7.* Abb. *in c. illud, circ. princ. & circ. fi. de iur. patron. & in c. ex insinuatione not. ab. 2. eo. tit.* Idem Abb. & Felin. *in c. cum Bertoldus, col. 3. de re iud.* Roch. Curt. *de iur. patron.* in verb. *honorificum, num. 2.*

2 *Arg. l. si quis ex aliena 5. D. de iud.*

3 Quia non tantum rogari, sed etiam consentire patronum oportet, si eius iuri nullo modo fuerit derogatum, *tot. tit. de iur. patron.*

4 Simile quiddam est *in l. 1 §. 1. & 2. Cod. de commun. seru. manum.* Fit de priuilegio fisci vendentis rem communem in solidum socio inuito, *l. 2. C. de commun. rer. alien. l. vnic. C. de vendit. rer. fiscal.*

5 Nam quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum est, id quod minimum habeat iniquitatis, *l. quoties 200. de reg. iur.*

6 Adduntur enim hoc casu ea verba, *pro illa vice,* vt appareat, nolle summum Pontificem quicquam facere, quod trahi possit ad consequentias in futurum tanquam quod faciat ex causa aliqua singulari & contra iuris rationem, *l. quod contra 141. de reg. iur. c. cum dilectus 28.* vbi Abb. *& in c. 3. Extr. de iur. patron.* Ioan. Papon *in 3 Not. lib. 2. tit. de deuolut. pag. 107. in fin. & 108.*

7 Dixi *Defin. prox. præced. num. vlt.*

DEFINITIO VIII.

Vnio beneficij, quod sit de iure patronatus laicorum, nunquam potest fieri per Papam inuito patrono laico.

QVod in superioribus diximus,[1] summum Pontificem posse pro medietate derogare iuri patronatus laicorum, pro ea vice, vt Pragmatici loquuntur, locum non habet, cum agitur de beneficiorum vnione. Sicut enim vnio semel facta semper durat,[2] ita, quæ ex eiusmodi vnione fieret iniuria patrono laico, perpetuo duraret,[3] indeque fieret vt laici à dotandis beneficijs deterrerentur.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Definit. 48. & 49. De sacrosanct. eccles.

1 *Defin. prox. præced. num. 6.*

2 Quia non fit, nisi ex magna aliqua & necessaria causa, & adhibita plenissima causæ cognitione, vocatis in eam rem omnibus quorum interest. De quo vide Guid. Pap. *quæst. 103.*

3 Quia beneficium vnitum nunquam potest vacare, nisi vacante eo, cui vnitum fuit, Rebuff. *de vnion. benef.*

4 Quæ ratio sola fuit constituendi, ne beneficia patronata conferri possent sine consensu patronorum, præsertim laicorum, *can. decernimus 16. q. 7.*

DEFINITIO IX.

Ius patronatus per solam famam probatur, itemque per solam quasi possessionem præsentandi, secuta tamen collatione.

IVs patronatus probari potest per solam famam,[1] eaque probatio sufficit ad obtinendum etiam in petitorio, multo igitur magis in possessorio.[2] Sed & probatur bene ex sola quasi possessione iuris præsentandi, quæ etiam ex vnico actu inducitur.[3] Sed non bene probatur ea quasi possessio iuris præsentandi ex sola præsentatione. At illud potissimum requiritur, vt probetur præsentationem habuisse effectum, id est, vt institutio facta ad præsentationem[4], adeoque institutionis effectus secutus sit.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit. 70. Supra de sacrosanct. eccles.

1 Dummodo fama illa sit bene probata, & ijs modis, quibus placuit famam probari posse & debere, nec vlla ratio in contrarium adferatur. Vide Bart. *ad l. admonendi, D. de iureiur.*

2 In quo scilicet leuiores probationes requiruntur, tanquã quod sit minoris momenti. Nec enim afficit beneficium, nec facit litigiosum, Ioan. Andr. & Abb. *in c. Ecclesia sancta Maria, & in c. fin. Extr. vt lit. pend.*

3 *Text. in c. cum de beneficio, de prab. in 6. l. Mela. §. sed si alimenta, de alim. & cibar. legat.* Dec. *in l. si emancipati, C. de collat. & cons. 117. col. 2.* Alex. *cons. 74. nu. 16. vol. 4.* Rom. *cons. 311.*

4 Dec. *cons. 129. & 149.* Panorm. *in c. 2. de restit. spoliat. in fin.* Adde Corn. *cons. 47. lib. 3.* Roch. de Curt. *in tract. de iur. patron. vers. competens, num. 34.* Oldr. *cons. 213.* Feder. de Sen. *cons. 124.* Bald. *cons. 23. de prab. & cons. vlt. de iur. patron. & cons. 12. & 15. eo. tit.* Abb. *cons. 54. incip. videtur, lib. 1.* Not. *in c. cum ecclesia Sutrina de caus. poss. & propr.*

DEFINITIO X.

Quantum interfit inter ius præsentandi & conferendi?

INter ius præsentandi & conferendi beneficij hoc interest, quod si collator rite & ab eo, cui conferre potuit, requisitus conferre noluerit, hoc ipso facit, vt

cit, vt conferendi pro illa vice ius ad superiorem deuoluatur.[1] Patronus vero si requisitus præsentare noluerit quantumcumque capacem, non ob id amittit ius præsentandi, dummodo intra statuta pro personarum varietate tempora,[2] sed facit tantum, vt si alium legitime non præsentauerit, valeat collatio huic facta, qui patroni beneficium implorauit, quæ alioqui non valeret, certe annullanda esset tanquam spreto patrono facta, si requisitus ille non fuisset.[3] Aliter namque posito iure eueniret, vt vel inuitus patronus obuium quemlibet præsentare,[4] vel à iure suo pro illa vice cadere cogeretur,[5] quod vtrumque absurdum esset. *Ita Senatus* in causa Guillielmi Sondaz, 13. Cal. Maij 1595.

1 Non enim conferendi ius datum est ordinario aut eius vicario, vt liberum habeat arbitrium recusandi collationem, sed vt cogatur conferre primo petenti, dummodo digno & capaci, *c.ad decorem. Extr. de institut.* adeo, vt eum quoque qui prior præsentatus est à patrono dummodo ecclesiastico, cogatur episcopus instituere, *cap. cùm autem. Extr. de iur. patron.* Quod si laicus patronus duos successiue præsentet, valet quidem institutio de secundo, sed episcopus. qui malitiosè aut sine causa primum repulit eidem in competenti beneficio cogitur prouidere, tanquam qui in hoc ipso deliquerit, *c. pastoralis. 29. in fin. eod.*

2 Alia enim sunt tempora, quæ ad præsentandum dantur laicis, alia quæ clericis. Habent siquidem clerici sex menses, laici vero quatuor dumtaxat *c. quoniam & c. cum propter. Extr. de iur. patron.* Not. *in c. eam te, eod.*

3 Non enim potest dici spretus, qui fuit rogatus, vt dixi *Definit 7. num. 2. supra eod.* Iunge *cap. illud 8. in fin. Extr. de iur. patr.*

4 Atqui potest patronus laicus etiam, qui aliquem & quidem idoneum iam præsentauit, alium postea præsentare, dummodo æque idoneum, & eo casu episcopo datur gratificatio, *d. c. cum autem 24. eod. tit. de iur patron.*

5 Nam nec à iure suo cadit patronus, qui ecclesiam ipse contulit: sed si pœnitentia ductus alium præsentare velit, potest id facere, & talis præsentati institutio stare debet, *c. cum laicus 10 Extr. eod. de iur. patron.*

DEFINITIO XI.

De patrono variante.

PAtronus ecclesiasticus variare non potest, laicus potest, sed semel tantum. Neque id derogatiue, vt loquuntur, sed cumulatiue, & ita demum, si prior præsentatio nondum fortita sit effectum per subsecutam institutionem.[1] Prioris ergo præsentationis mentionem in posteriori fieri oportebit, vt Episcopo detur facultas gratificandi, cui velit ex præsentatis.[2] Nec quod prior præsentatio facta sit à pupillo, dummodo non infante, aut à minore, sine tutoris vel curatoris authoritate, ad rem faciet, cum in præsentando patrimonij administratio non versetur.[3] Prior tamen præsentatio illa accipienda est, de qua constet per scripturam, aut publicam, aut aliter, nullius fraudis suspectam, non per priuatam, quæ prælato die fieri potuerit, & per antidatam, vt pragmatici loquuntur.[4] *Sine die.*

1 *Cap. quod autem 5.* vbi Panorm. *cap. cum autem, & cap. pastoralis. extr. de iur. patr. clement. plures eod.* Cravet. *cons. 63. num. 3.* Ioan. Papon. *3. notar. titul. de deuolut. & si le patron peut varier, pag 109.*

2 In pari enim causa & iure potest locus esse gratificationi. *l. si quis in graui 3. §. si cum omnes in fin. ff. de SC. Syllan.* Non potest autem gratificationi locus esse, nisi eo casu, quo plures sint contendentes, & plures esse sciatis, qui vni ex eis gratificari vult, & indulgere.

3 Rot. *decis. 6. de iur patron. in antiq. & decis. 6. de consuet. in antiquior. n. 2.*

4 *L. 1. §. 1. ff. de edend. l. scripturas 14. C. qui potior. in pignor. habeant.*

TIT. II.

DE FVRT.

DEFINITIO I.

Varia indicia, ex quibus furti reus torqueri & potest & debet.

CVM Titio pecunia subtracta esset, & probaretur, Sempronium inopem pecunias quasdam habuisse, quas vnde habuisset, indicare non potuerat,[1] & viso Titio furem conquirente aufugisse,[2] adeoq; illum, qui subreptas pecunias persequenti indicauerat, occidere voluisse.[3] Visum est, cõcurrente præsertim mala fama,[4] posse ea indicia sufficere, vt de Sempronio quæstio haberetur,[5] & consequenter, vt si fateretur crimen, condemnaretur, si modo prius constaret de subtractis nummorum corporibus.[6] Itaque iudicem inferiorem, qui reum hunc carceribus eximendum, nullaque de eo habita quæstione, amplius de crimine inquirendum pronunciauerat, perperam iudicasse placuit.[7] *Ita Senatus* pro Antonio Lespine, 6. Id. Iun. 1590.

1 Ex quo mala criminis præsumptio sumebatur, *l. 2. & l. ciuile 5 C. hoc tit.* Nisi proponas emisse quem bona fide in taberna publica, vel in foro, vbi eiusmodi res vendi solent, quales subtractæ dicuntur. Notat Gothofr. *ad dict. l. 2.* Sed hoc in pecuniam non cadit, quæ nõ venditur, sed ad emendas res omnes subseruit, *l. 1. ff. de contrah. empt. l. 1. de rer. permut. l. si ita 42. ff. de fid. iuss.*

2 Est enim fuga indicium criminis, Not. *in l. de minore §. tormenta. ff. de quæstion.* Bald. *ad l. 1. C. de seru. fugit. l. 2. C. de requirend. reis.*

3 Hinc quoque alia præsumptio. Quid enim interest eius, qui furtum non fecit, quod res subrepta indicetur ab alio? *arg. l. est etiam prohibiti. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. l. 1. §. hoc autem ff. de fugit.*

4 Quæ & ipsa magnum indicium est ad torturam, si aliud vel minimum concurrat. *Not. ad d. §. tormenta.* Dicam *ad tit. de quæst. infr.*

5 Sufficiunt namque indicia ad torturam, quamuis non quælibet, sed grauia tantum, aut leuiora quidem, sed plura simul innota. Not. *in d. §. tormenta.*

6 Semper enim prius est vt constare debeat de corpore, *l. 4 & vlt. ff. de confess.* Alioqui enim confessiones reorum pro exploratis criminibus haberi non oportet, *l. 1. §. Diuus Seuerus ff. de quæstion.*

7 Magnum enim momentum in quæstione positum est ad eruendam veritatem, quam semper inuestigare, & quibus modis facere potest, iudex debet, *dict. l. 1. in princip. & pass. ff. de quæstion.*

DEFINITIO II.

Prius debet constare de corpore subrepto, quam vt quis possit ex confessione sua furti condemnari.

QVi confessus est subreptam à se rem Titij, non potest ex ea sola confessione condemnari,[1] si nõ aliunde constet de corpore subrepto.[2] De quo rursum non ex eo solo constare videbitur, quod ipse Titius, qui crimen detulit, fateatur sibi rem redditam.[3] Prius enim & aliunde probandum est subreptam esse, vt redditam credi possit: alioqui absoluendus est reus, nec audiendus si perire velit.[4] *Ita Senatus* pro Stephano Gay, contra Ioannem de Constance, 9. Cal. Decembr. 1590.

1 Quia confessiones reorum pro exploratis criminibus haberi non oportet, vt dixi *Defin. præced. num. 8. ex l. 1. §. Diuus Seuerus, ff. de quæst.*

2 *L. 4. & vlt. ff. de confess.*

BIU Cujas

3 Iniquum enim esset, probationem criminis sumi ex confessione accusatoris, vt neque sumi debet ex domo rei, *l. de minore* 10. §. *tormenta, ff. de quæst.*

4 Nemo enim auditur perire volens, *l. non tantum 6. in fin. ff. de appellat.*

DEFINITIO III.

Quæ sit pœna latronis famosi, & qua famosi furis?

INter famosum latronem & famosum furem, sicut in criminis qualitate multum interest, ita & in pœna.[1] Latrones grassatoribus proximos, si sint famosi, furca suspendendos esse constat,[2] atque fures quantumuis famosos, furtisque, dummodo citra latrocinium, factis insignes, fustibus cædi, & ad perpetuas triremes damnari placuit,[3] si non aliud ferat loci consuetudo,[4] aut criminis atrocitas ex aliqua facti circumstantia augeatur. Quid enim si ad furtum accedat quod nocturni quoq; fuerint effractores?[5] *Ita Senatus* in causa Alexandri le vieux, 5. Cal. Febr. 1591.

1 Contra quam senserit Accursius, qui famosos latrones pro famosis furibus accepit, *in l. capitalium* 28. §. *famosos. ff. de pœn.*

2 *d.* § *famosos.* Et hi sunt, quos Gallicè dicimus *voleurs.*

3 Iulius Clar. *in* § *furtum n.* 7. *&* 8. Et hi sunt, quos Gallice vocamus *latrones.* Vide Guid. Pap. *quæst.* 589.

4 Hæc enim seruanda est, vt Clarus concludit supradicto loco.

5 Hos enim capite puniendos esse placuit coniunctis coniunctorum criminum pœnis, vt atrocitati delicti etiam atrocitas pœnæ respondeat, *l. vltim. ff. de effractor, l. si adulterium* 38. §. 1. ibi, *quia hic duplex admissum est, D. ad legem Iul. de adult. l. aut facta* 16 *ff. de pœn.*

DEFINITIO IV.

Non probatur quis fur ex eo solo, quod rem furtiuam habeat in domo sua.

NOn probatur quis fur ex eo solo, quod res furtiua in eius domo reperta sit, si neque subripiendi neque celandi animus probetur,[1] qui nec præsumendus est,[2] in eo præsertim, qui rei subtractæ facilem paratamque offerat restitutionem.[3] Quid enim facilius, quam vt per aliquem ex domesticis aut etiam fortasse per calliditatem aduersarij calumniatoris res, quæ furto subtracta dicitur, in ignorantis & innoxij viri domum inferatur? Aliis igitur probationibus opus est.[4] *Ita Senatus* 6. Id. Decembr. 1592.

1 Nec enim furtum fit sine animo furandi, §. *placuit, Inst. de oblig. quæ ex delict. nas.*

2 Vt nec aliud quodlibet delictum, *l. merito* 51. *ff. pro socio.*

3 *Arg. l.* 2. *Cod. hoc tit.*

4 Quia in criminalib. probationes debent esse luce meridiana clariores, nec quisquam ex præsumptione sola condemnatur, neque ex indiciis, nisi & plura sint & indubitata, *l. vlt. C. de probat.* Sed & in ciuilibus non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *l. neque natales* 10 *& pass. eod. tit.*

DEFINITIO V.

Furtum potest probari in genere, quamuis non sit probatum in specie, & quomodo puniri eo casu debeat?

ETsi furtum huic aut illi à Sempronio factum esse probari non potest per testes singulares,[1] si tamen ex plurium testationibus appareat de diuersis furtis ab eo admissis, non eo minus probatum erit furtum in genere, vt concludi possit Sempronium furem esse.[2] Cuius rei effectus ille erit, vt Sempronius tanquam fur condemnari debeat ad pœnam, non tamen, quod mirum est, ad rerum, quæ furto subtractæ dicuntur, restitutionem. *Ita tractatum est*, 6. Non. Aug. 1595.

1 Nec enim testes singulares probant regulariter, nisi in certis casibus, *l. iurisiurandi* 9. *vbi not. C. de testib.*

2 Nihil enim vetat probari furtum in genere, quamuis in specie probari non possit, nimirum cum testes singulares tendunt ad eundem finem, & loquuntur de actu reiterabili, *Notat. ad d. l. iurisiurandi.*

3 Qualiter enim probatum crimen est taliter puniri debet, vt probationibus pœna & condemnatio respondeat. Facilius autem est, vt probetur quid in genere, quam vt probetur in specie. Cæterùm de triplici testium singularitate obiectiua, cumulatiua seu adminiculatiua, & diuersificatiua, & an, & quando tales testes possint coniungi, vt fidem faciant, vide elegantem tractatum Aymon. Crauet. *De antiq. temp. part.* 4. *cap. sed enim, per tot.*

TIT. III.

QVAND. NON PETENT. part. petent. accresc.

DEFINITIO I.

De iure adcrescendi inter heredem vniuersalem, aut particularem & institutum ex re certa.

HAbenti partem hæreditatis non petentium partes etiam inuito accrescunt,[1] quoniam vna tantum hę editas est, quę semel acquisita repudiari postea non potest.[3] Sed ei, qui partem non habet, fieri certè nequit, vt aliorum partes accrescant tametsi maximè velit,[4] quia ius accrescendi simile est alluuioni, hactenus nempe, vt deficiens portio non personæ accrescat, sed portioni.[5] Inde fit, vt inter heredem & legatarium non possit locus esse iuri accrescendi, quoniam diuerso iure succedunt, ille in hæreditate, hic in legato.[6] Nec aliud erit, si cui pars hereditatis legata proponatur.[7] Non tam enim hæreditas, quam hæreditarij iuris ratio inducit ius accrescendi.[8] Proinde si ex contrario vnus ex asse, aut ex assis parte qualibet institutus, alius ex fundo Corneliano hæres scriptus sit, non habebit hic ius accrescendi, vt repudiante hærede possit hæres fieri ex asse, cum legatarij loco habeatur.[9] Quid ergo? Institutio illa ex re certa intercidet, sicut & legata omnia eo testamento relicta, non adita ex testamento hæreditate.[10] Aliud iuris est si nullo alio scripto hærede testator Titium instituerit ex fundo Corneliano, Sempronium ex Liboniano. Nam quemadmodum, qui solus ex fundo scriptus est, in toto asse institutus intelligitur detracta fundi mentione;[11] ita in proposito videntur Titius & Sempronius sine partibus instituti, & consequenter hæredes ex semissibus, acsi nec fundi Corneliani nec Liboniani testator meminisset.[12] Nisi quod ad officium arbitrorum familiæ erciscundæ pertinet, vt in diuidenda hæreditate perinde sequantur voluntatem testatoris, acsi hæreditas in semisses non diuideretur, id est, vt Titio fundum Cornelianum adiudicent, Sempronio Libonianum, licet Corneliani æstimatio dodrantem hæreditatis efficiat, Liboniani vero non nisi quadrantem.[13] Nam &, si proponas institutum Titium ex parte tertia fundi Corneliani, Sempronium ex besse eiusdem fundi, nullo alio hærede aut cohærede addito, qui aut ex parte hæreditatis, aut ex asse, aut sine parte scriptus sit, habebuntur pro hæredibus ex semisse acsi sine partibus scripti essent, nisi contraria probetur voluntas testatoris.[14] Etsi enim ex quibus fun-

bus fundi partibus scripti fuerunt, ex iisdem videri possunt in hereditate instituti,[15] negant tamen prudentes eam in dubio capiendam interpretationem, sed potius credendum testatorem singulos instituisse ex asse,[16] ac proinde ex semisse, reuocato ad assem dupondio.[17] Atque hæc quidem rectissime ex iuris ratione disputantur. At inualuit ex interpretum errore vt institutus ex re certa alio quoque herede ex asse scripto habeat ius accrescendi, possitque repudiante vniuersali herede totam hereditatem sibi acquirere:[18] Sicut & illud magis obtinuit, vt inter coheredes testatoris accrescendi prohibere possit, si velit,[19] quod non refutauimus Defin. 2. infr. de hered. instit.[20] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua ibid.

1 *L. qui ex duabus* 53. §. 1. *ff. de acqu. hered. l vnic. C. hoc tit.*

2 Eaque individua, *l. Pomponius* 8. *in fin. ff. de rei vindic.* Quia personam defuncti quæ individua est repræsentat, *l. hereditas enim* 34. *ff. de acquir. rer. dom.*

3 *L. sicut* 4. *C. de repud. vel abst. in. hered.* Qui enim semel heres fuit, semper heres manet, *l. ait prætor* 7. §. *sed quod Papinianus, de minor. l. ei qui soluendo* 88. *de hered. instit.*

4 *L. si totam* 83. *ff. de acquir. hered.*

5 *L. si Titio fructus* 31. §. 1. *ff. de vsufr.*

6 *L. sed cum patrono* 6. *& ibi not ff. de bonor. possess. l. si sub conditione* 16 *ff quib. mod. vsufr. legat.*

7 Nam & partem hereditatis legari posse constat, *l. si quis seruum* 8. §. *vlt. de leg.* 2. *l. vlt. de vsufr. legat.*

8 Nam legatarius hereditatis non magis est successor iuris quam legatarius rei singularis, vt scripsi *ad d. l.* 8. §. *vlt de legat.* 2. *lib.* 18. *Coniect.*

9 *L. quoties* 13. *C. de hered. inst.* & ibi Bald. *arg.* §. *posteriore, Inst. quib. mod testam. infirm.* Reprehensus tamen ad Castr. qui contra tenet, institutum ex re certa habere ius adcrescendi, fieque heredem ex asse, si vniuersalis aut particularis heres repudiet, quod & Bart. defendit *ad d. l. quoties, & ad l ex facto* 53. *ff. eod.* Idem Bald sibi contrarius *in auth. nouissima. C. de inoffic. testam.* Vide Iulium Clar. *in* §. *testamentum, quæst.* 53. & quæ scripsi *in Err.* 5. *Decad.* 15. *de error. pragmat.* Adde Rom. *cons.* 81.

10 *L. si nemo* 9. *ff. de testam. tutel. l. ea quam* 16. *C. de fideic.*

11 *L.* 1. §. *si ex fundo. ff. de hered. instit.*

12 *L. si alterius* 10. *eod. tit.* de cuius sententia & emendatione scripsi *lib.* 17. *Coniect. cap.* 16.

13 *d. l. ex facto* 35. *eod tit.*

14 *L quoties* 9. § *si duo, eod. tit.*

15 Vt eadem proportio seruetur in distribuenda hereditate quam seruauit testator in distribuendo fundo.

16 *d.* § *si duo, d.* § *si ex fundo, & d. l. si ex alterius.*

17 Quod necessario faciendum est, *l. idem quod Sabinus* 17. §. *sed si ex asse expleto & seqq. l. seq. eod. tit.*

18 Et Bartolo & aliis supra citatis, *n* 9.

19 Ex eodem Bart. *in d.* §. *si duo.*

20 Et iterum *in dict. Err.* 5. *Decad.* 15. *de error. pragmat.*

DEFINITIO II.

Inter fideicommissarios siue vniuersales, siue singulares, an & quando locus sit iuri accrescendi?

FIdeicommissarios vniuersales heredum loco esse nemo ambigit:[1] Sed non ideo tamen in omnibus bene heredibus comparantur, maximè vero quod ad ius accrescendi.[2] Nam cum heredi etiam inuito deficiens coheredis portio accrescat,[3] inter fideicommissarios tamen vniuersales non aliter iuri accrescendi locus est, quam si & re & verbis, aut saltem re coniuncti sint,[4] vt euenit in fideicommissariis singularibus, & legatariis.[5] Eiusque dissimilitudinis ratio aperta illa est, quod deficiens fideicommissi portio numquam vacat, sed aut ad sequentem fideicommissarium, si quis sit, deuoluitur, aut remanet penes heredem:[6] à quo nimirum aditam fuisse hereditatem necessario ponendum est, vt fideicommissum valere possit.[7] Nisi ad nouellam Iustiniani constitutionem respicias, qua inductum fuit, contra iuris veteris rationem, vt, recusante scripto herede adire hereditatem, liceat fideicommissariis vniuersalibus idipsum facere, atque ita sibi hereditatem acquirere:[8] Sed cum id fit, heredes ipsi fiunt, & consequenter fideicommissarij esse desinunt.[9] Vt proinde nec mirum sit inter eos vel inuitos locum eo casu habere ius accrescendi.[10] *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Claudij de la Roche Senatoris, & Franciscæ Lose, 8. id. Mart. 1591.

1 §. *restituta, Instit. de fideicomm. hered. l.* 2. *& pass ff. ad SC. Treb.*

2 Nam cum is qui hereditatem restituit nihilominus heres maneat *d.* § *restituta*, nec possint vni homini duo esse heredes in solidum, *l. quod contra* 141. §. 1. *de regul. iur.* non potest fideicommissarius heres esse, nec proinde absolutè censeri iure heredis in omnibus.

3 *L. qui ex duabus* 35. §. 1. *ff. de acquir. hered l. si ex pluribus* 9. *ff. de suis & legit.*

4 *L. Lucius* 78. § *quæ habebat* vbi Bart. *ff ad SC. Treb.*

5 Quia nisi re & verbis coniuncti sint semper habent partes, id est, etiam ab initio, ideoque non possunt habere ius adcrescendi. *l. planè* 2 § *si coniunctum, de leg.* 1. *l. re coniuncti* 89. *de leg.* 3. Bart. *cons.* 53. *incip. Pisaredus*, Rip. *ad l.* 1. §. *sed & quoties, ff. ad SC. Treb. ex l. vnic.* §. *sin autem sub conditione.* iunct. § *penult. C. de caduc. toll. & l filiusfam.* 114. §. *Diui de leg.* Distinguere tamen oportet inspecto iure vetere, an legatum sit per vindicationem an per damnationem. Videndaque sunt omnino ad totum hunc tractatum intelligendum, quæ scripsi *Decad.* 49. *& 50. de error pragmat.*

6 *L. vnic.* §. *vbi autem legatarij, C. de caduc. tollend. l. Iulianus* 60. *de leg.* 2.

7 *d. l. ea quam* 16. *de fideicommiss. l si nemo* 9. *ff. de testam. tutel.*

8 *Neuell.* 1. *de hered. & falcid.*

9 Nec enim potest idem heres esse & fideicommissarius, *l.* 1. 2 *& pass. ff. ad SC. Treb. d.* §. *restituta, Instit. de fideic. hered.*

10 Quippe quod locum semper habeat inter heredes etiã inuitos, vt dixi *num.* 3. *supr.* Vide in hanc Definitionem, quod tractat Ferrariens. *in form. libell.* quo agis *ex sub.* §. *fin.* vbi defendit inter fideicommissarios non esse locum iuri adcrescendi *ex l. ex asse* 28 §. *penult. l. cogi* 6. § *si quis heres* 4. *&* §. *idem Macianus* 9. iunct. *d.* §. *sed & quoties, l.* 1. *ad Senatusc. Trebell.* Quæ sententia in fideicommissariis disiunctis vera sane est, & indubitata, *dicto* §. *quæ habebat, l. Lucius* 78. *eod.* Sed in coniunctis falsa est.

TIT. IV.

DE COLLATIONIB.

DEFINITIO I.

Collatio quidem non habet locum in successione collateralium, sed officium arbitri familiæ erciscundæ aliquando inducendum est vice collationis.

IN collateralium quidem successione cessat ius collationis,[1] quia quod frater à fratre, aut agnatus ab agnato inter viuos habuit, non potest videri datum animo diminuendæ portionis hereditariæ postmodum obtingentis, quæ tum nec debebatur,[2] nec in eo erat, vt vel ex voto,[3] vel miserationis intuitu[4] deberi vnquam posset: Quod in ascendentium successione secus est.[5] Sed si tamen æquitas rei potestatem collationis inducere debeat,[6] deficiente iuris remedio succedet officium arbitri familiæ erciscundæ, vti ne quisquam ex coheredibus præcipuum id habeat, quod citra cæterorum iniuriam retinere non possit.[7] Exemplum esto in ea specie, quam tractauimus sub tit. De pact. Defin. 2. in qua hoc ipsum à Senatu nostro tractatum & decisum est.

1 Quod à prætoribus primum fuit introductum contra emancipatos, vt sua conferrent qui appeterent aliena, *l.* 1. *& pass. ff. hoc tit.* Emancipatur autem nemo nisi qui sit in potestate, nec in potestate quisquam est nisi ascendentium. Deni-

BIU Cujas

que collatio non fit nisi inter liberos, *l. vt liberis 17. & pass. C. hoc tit.*

2 Quia viuentis neque hereditas neque heres esse potest, *l. 1. de hered. vend. l. 1 ff. pro hered.*

3 Quomodo ascendentium hereditates dicuntur debitæ descendentibus, *l. nam etsi is in princ. ff. de inoffic. testam.* Vnde est quod liberi parentibus succedentes dicuntur venire pene ad propria bona, *l. 1. §. largius, ff. de succes. edict. l. in suis. ff. de liber. & posth.*

4 Quomodo descendentium hereditates ascendentibus deferuntur, *l. scripto 7. §. vltim. ff. vnd. liber. l. iure succursum 6. de iur. dot.*

6 *d. l. nam etsi, & d. l. scripto, §. vlt.*

6 Est enim totum ius De collationibus inductum ex summa æquitate contra rigorem iuris à prætore *d. l. 1. ff. de collat. bonor.* postea vero auctum ab Imperatoribus maxime ad æqualitatem inter liberos seruandam, *d. l. vt liberis, l. illam 19 & l. illud 20. C hoc tit.*

7 Officium enim arbitri adminiculum est, & auxilium subsidiarium, cui plerumque locus est ex æquitate, cum ratio iuris deficit, *vt in l. 2. C. de inoffic. donat. l. filij 16. l. vltim. & pass. C. fam. ercisc.* Iunge *l. quia tantumdem 7. ff. de negot. gest.*

DEFINITIO II.

Datum vltra portionem hereditariam non est conferendum.

DOtem pater filiæ suæ nomine dederat aureorum ducentorum his verbis additis, *Idque vltra eam portionem, quam in bonis paternis defuncto patre habitura est.* Defuncto patre intestato, quærebatur an ea dos conferri deberet sororib. cum filia dotata succedentibus? Placebat, quod ad maritum primum pertineret, licet vxoris nomine ac voluntate tertiam hereditatis partem teneret, inique tamen aduersus eum collationem postulari, qui dotem suo iure haberet.[1] Cum sola igitur muliere de collationis iure quærendum esse, vt si collationi locus esset, tanto minus ferret illa ex reliqua patris hereditate:[2] in proposito autem nec mulier ipsa collationi obstricta videbatur, quia præter & vltra portionem hereditariam ea dos filiæ fuerat constituta. Quibus verbis expressa videbatur voluntas patris collationem prohibentis,[3] cum alioqui non haberet filia dotem præcipuam, si eam conferre cogeretur.[4] Nemo autem dubitat quin cessset collatio ex voluntate parentis, non solum si voluntas illa expressa sit, sed etiam si tacita.[5] *Ita Senatus* in causa vxorum Amedei Pugeat, & Claudij Brunet. 5. Id. Febr. 1593.

1 *L. Titia 62. ff. de iur. dot. l. si donaturus 9. §. 1. ff. de condict. caus. dat.*

2 *L. dotis quidem portio 5. C. hoc tit.* Sic enim plerumq; collatio fit, non vt aliquid detur, sed vt minus accipiatur, *l. 1. §. sed etsi tantum, ff. hoc tit.*

3 Ioann. Papon. *in syntagm. Arestorum tit. De rapports.*

4 Sunt enim ista contraria, venire quid in collationem, & retineri præcipuum ac vltra portionem hereditariam, *l. filia cuius 18. C. famil. ercisc. l. si donatione, 13. C. hoc tit.*

5 Bald. *cons. 210. incip. sciendum est, col. 1. lib. 4.* Socin. *cons. 127. col. 8. lib. 3.* Crauet. *cons. 85. n. 18.*

DEFINITIO III.

Casus in quo maritus teneri potest ad dotis collationem.

QVid autem si collationi locus esset, ac marito dotem pecuniariam petenti obiiceretur, possideri ab eo vxoris nomine tertiam partem hereditatis: an repelli posset exceptione, quasi qui pecuniam dotis ea portione vxoris suæ conficere sibi deberet,[1] aut saltem vxoris nomine collationis onus & iudicium subire?[2] Et siquidem pars quoque hereditaria in dotem data esset, vtique cogendus esset maritus etiam constante matrimonio dotem conferre,[3] aduersus receptas iuris regulas;[4] esset que casus is singularis, rationem illam habens, quod nec aliud videretur sub nomine portionis hereditariæ in dotē datum, quam quod facta collatione in portione hereditaria inueniretur.[5] Prius namque esset ordine intellectus & naturæ, vt vxori competeret portio hereditaria, quam vt in ea quicquam iuris maritus dotis nomine habere posset.[6] Neque vero mariti interesset, an ducenta illa, quæ viuus pater debuisset, conferrentur, an tanto minus vxor ex paterna hereditate perciperet,[7] quando vtroque casu & dotis diminutionem pati propter necessitatem collationis cogeretur, & quod facta collatione supereresset, perinde in dote haberet.[8] Quod non similiter contingit solis ducentis in dotem datis. Illo siquidem casu mariti ius in dote diminui æquum non est, cum salua dote satisfieri possit æquitati collationis;[9] ita nimirum vt ex cæteris bonis non dotalibus tanto minus vxor percipiat.[10] At in proposita specie non poterat dici, portionem hereditariam, quæ ad mulierem defuncto patre ab intestato peruenisset, in dotem datam videri, cum sola ducenta data proponerentur.[11] Proinde si collationi locus fuisset, id est, si non fuissent ducenta illa in dotem data vltra portionem hæreditariam,[12] sed simpliciter, non esset repellendus maritus exceptione doli, tametsi collationem recusaret,[13] nec cogendus suscipere iudicium pro vxore,[14] sed omnimodo aduersus vxorem ipsam agi oporteret, vt sororibus iisdemque cohæredibus iudicio familiæ erciscundæ collationis emolumentum præstaretur.[15] Ideo autem non videbatur in dotem data portio futura hereditaria, non quod bona futura in dotem dari minime possent,[16] (quidni enim possint, sicut & pignori dari?[17]) sed quia post pecuniariam dotem constitutam ita scriptum fuerit in alia & separata clausula: *Et ce outre sa part & portion hereditaire*, vt facile appareret, non addita ea verba augendæ dotis animo,[17] sed potius fauore filiæ, ne quandoque mortuo patre pecuniam illam quæ dotis nomine data fuerat conferre aut imputare cogeretur.[19] Idque apparebat euidentius ex eo, quod cum in ea regione, in qua contractus initus fuerat, vigeret consuetudo, vt ad proportionem dotis augmentum, quod vocant, à marito constitui oporteret dimidia tantum parte minus dote, nihil tamen maritus promiserat supra dimidiam dotis pecuniariæ.[20] *Ita Senatus* in eadem causa. An igitur aliud Senatus existimasset, si in eadem clausula pater filiæ nomine dotem pecuniariam constituisset vltra portionem hereditariam, quæ ab intestato esset obuentura? Dixi Defin. 29. supr. De iur. dot.

1 Pecunia siquidem ex quacumque re confici potest, *l. cum pater 77. in princip. de legat. 2. l. deducta 58 §. accepti, ff. ad SC. Treb.*

2 Nec enim ferendum est, vt prætextu mariti vxor faciat iniuriam coheredibus, sufficitque maritum indemnem seruari, *l. Titia 62 ff. de iur. dot.*

3 Quasi collatio sit onus non tam personæ quam portionis hereditariæ, quæ nisi certa lege obtineri non potest.

4 Non enim alius tenetur conferre, quam qui succedit, *l. 1 & pass hoc tit. D. & C.* Non autem succedit maritus sed vxor, quamuis dos sit in bonis mariti constante matrimonio, *l. Lucius 21 §. idem respondit constante, ff. ad municip.*

5 *Argum. l. mulier bona 72.* vbi tale quid extat, *ff. de iur. dot.* Hereditatis enim partes sunt homogeneæ. At hereditas ipsa consistit in iure, *l. hereditas 50. ff. de petit. hered.* ideoque recipit & incrementum & diminutionem, *l. item veniunt 20. §. item non solum, eod. tit.* Ergo & portio hereditaria. Iunge quæ dicam *num. 11. j.*

6 Prius enim de re aut de persona, quam de iure quærendum est, *l. quidam referunt 14. D. de iur. codic.*

7 Vt nec alterius cuiuslibet interest, an collatio fiat dando, an minus percipiendo, *l. 1. §. sed & si tantum, ff. hoc tit. d. l. dotis quidem portio 5. C. eod.*

8 Quomodo

8 Quomodo dici etiam solet de dotis diminutione, quæ fit per impensas necessarias, de qua *in l.5. D. de impens. in rebus dotal. fact. l. si ut qui 56 §. vltim. D. de iur. dot. l. Manio 41. § 1. de leg. 2.*

9 Quomodo & salua dote satisfit æquitati restitutionis in integrum in specie *d. l. Titia 62. D. de iur. dot.*

10 *d. l. dotis quidem 5. C. hoc tit.*

11 Nec enim hereditas aut portio hereditaria in re aliqua certa vel in quantitate consistere intelligitur, cum è contrario consistat in iure, *l. quamuis 14. D. si quis omiss. caus. testam §. si quis vna. Inst. de fideic. her. l. cogi. 16. § inde quaritur, D. ad SC. Trebell.* iunct. *l. hereditas 50. D. de her. petit.*

12 Venit enim hodie in collationem quicquid non est prohibitum ne veniat. *Auth. ex testamento. l. vt liberis 17. & illud 19. C. hoc tit.* ad seruandam scilicet inter liberos æqualitatem.

13 *Arg. d. l. Titia 62. de iur. dot.*

14 *d. l. dotis quidem 5. C. hoc tit.*

15 *Ead. l. dotis & d. l. 1. §. sed & si tantum, D. eod.*

16 Nulla enim lege prohibitum est bona vniuersa etiam futura in dotem dare, *l. nulla 4.* vbi Bald. *C. de iur. dot.*

17 *L. 1. D. de pignor. l. vlt. C. quæres pignor. ob. ig. poss.*

18 Quamuis dici soleat huiusmodi dictiones *vltra, præter, hoc amplius,* & alias, si quæ sunt similes, habere vim, vt nostri loquuntur, repetitiuam, idque cum suis omnibus qualitatibus, *l. qui ita 13.* vbi Bart. *de dot. rel. g. l. Seio 10. § vxori. de ann. legat. l. si pure 54.* vbi etiam late Bart. *de legat. 3.*

19 Adscriptum esset, *extra partem & portionem hereditariam*, quasi ea verba non tam dispositiue, quam per modum exceptionis addita videantur. Alioqui hæc verba addita fauore filiæ in odium eius retorqueretur, quippe cuius interesset bona aliqua habere extra dotem, nec omnia in dotem dedisse videri, *l. vnic. C. si aduers. dot. l. hac lege 8. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

20 Correlatiuorum enim eadem ratio esse solet & debet, *l. 2. Cod. de cupress. lib. 11. cap. vlt.* ita vt ex vno ipsorum aliud declaretur. Text. elegans *in l. vtrum 7. § vlt.* vbi Cumanus, *D. de reb. dub.* Sunt autem ista correlatiua Dos, & Augmentum dotale, saltem ex parte augmenti dotalis, quod ipsum nomen habet à dote, dicturque additamentum, *in l. inter socerum 26. cum inter D. de pact. dotal. l. etiamsi 8. Cod. de iur. dot.*

DEFINITIO IV.

Donatio simplex inter viuos non imputatur, neque confertur, nisi expressum dictum sit, Extra casum l. illud 20. §. 1. C. hoc tit. Donatio causa mortis multo minus.

QVæri solet vtrum donatio inter viuos conferenda sit,[1] siue ex testamento, siue ab intestato succedatur, & siue de paterna, siue de materna successione tractetur.[2] Nec desunt qui aliter atque aliter sentiant,[3] propter nouas Iustiniani constitutiones,[4] quæ rotum ius antiquum de collationibus perturbarunt. Nam cùm olim collationi locus nullus esset, nisi ab intestato,[5] placuit Iustiniano, vt etiam ex testamento conferri oporteat omni casu quo collationem ab intestato fieri necesse erat, nisi expressim prohibita collatio sit.[6] Rursus cum olim soli emancipati conferrent non quidem emancipatis,[7] sed suis tantùm, & suis tam emancipatis quàm suis.[8] Et consequenter eo tantùm casu, quo de paterna successione tractabatur, (necenim fœminæ habent suos heredes, & proinde emancipatos,[9]) placuit Leoni primùm,[10] vt tam dos, quàm donatio propter nuptias, siue à matre, siue à patre aut alio ex ascendentibus data conferatur, Deinde Iustiniano, vt ad æqualitatem inter liberos inducendam, etiam donatio simplex conferenda sit, si ab altera parte donatio aliqua ob causam cõferatur.[11] Verius itaque est, quod & magis communiter placet interpretibus,[12] donationem simplicem & inter viuos, sicuti nunquam imputatur in quartam, nisi cũ expresse dictum est,[13] ita neq; conferri, nisi aut expresse lex illa donationi dicta sit, aut necessitas æqualitatis inducendæ faciat locum Iustinianeæ constitutioni:[14] extra quam vtimur iure vetere,[15] nec immerito. Quid enim tam alienum ab imputationis & collationis inducendæ voluntate, quam donare simpliciter, ac inter viuos?[16] Sane quin emancipati etiam simplicem donationem conferre fratribus suis debeant dubitari non oportet.[17] Olim quidem ab intestato tantùm, hodie verò etiam ex testamento,[18] & illo quoque casu, quo nihil de inducenda æqualitate tractari oporteat. In eo namque duriorem emancipatorum conditionem esse æquum est, contra quos primum induci necesse fuit æquitatem, collationis,[19] nisi cùm emancipati soli succedunt.[20] Porro quibus casibus donationem etiam simplicem inter fratres conferendam diximus, aliud tamen probandum est si donatio propter benemerita facta sit,[21] etiam de quibus non constet nisi per assertionem donatoris, si modo eius persona non sit suspecta.[22] Qua eo casu videtur donationem meruisse filius non vt filius, sed vt extraneus quilibet:[23] quem nemo dixerit collationis munere fungi oportere.[24] Cæterum cùm dicimus etiam simplicem donationem conferendam esse, vt æqualitas inter liberos inducatur,[25] non sic accipiendum est, quasi vnus ex liberis non plus habere debeat ex bonis patris aut matris, quam alius (alioqui semper & omni casu conferenda esset etiam simplex donatio) sed vt non debeat donationem huiusmodi simplicem habere præcipuam is, cui frater aut soror aliquid confert:[26] Proinde non inquiremus cuius æstimationis sit id quod ex alia parte confertur, sed tantùm an aliquid sit quod conferatur.[27] Quod si ex vna parte & dos sit & simplex donatio, ex altera verò parte simplex donatio tantùm, ex neutra parte conferetur donatio, dos tamen iure communi conferetur,[28] quia donationum licet inæqualium compensatio facienda omnem inæqualitatis rationem excludit. Illud plane in confesso est ea quæ per speciem vltimæ voluntatis relicta sunt, ne quidem hodie collationi subiacere siue ab intestato siue ex testamento succedatur,[29] quoniam extero iure capi omnia intelliguntur.[30] Ergo nec donationes causa mortis, quia speciem vltimæ voluntatis constituunt vnquam, si non expresse dictum sit, conferentur.[31] *Ita tractatum est.*

1 De quo nostri disputant *ad Auth. ex testamento C. hoc tit.*

2 De quo in *l. illud 20. § 1. eod.*

3 Vt constat *ex not. per gloss.* Bart. & alios *ad d. Auth. ex testamento.*

4 *In d. l. illud & Nouell. 18. de trient. & semiss. cap. 6.* vnde sumpta est, *d. Auth. ex testamento.*

5 *L. 1 2. 4 & pass. eod.*

6 *d. Auth. ex testamento* vbi Castr. & alij.

7 *L. si emancipati 9. eod.*

8 Ex ratione posita *in l. 1. D. eod.*

9 *L. 4. § ad testamenta de bonor. poss. contr. tabul.* Dixi *Defin. 1. supr.*

10 *In l. vt liberis 17. C. hoc tit.*

11 *In d. l. illud 20. § 1. C. hoc tit.*

12 *ad d. Auth. ex testamento & ad d. l. illud §. 1.* vbi præsertim Castrens. *& ad l. si emancipati in fin. eod.*

13 *L. si non mortis D. de inoff. test. l. si quando 35. §. & generaliter C. eod.*

14 *d. l. illud in fin.* vbi textus est expressus.

15 Id est quoties nulla subest æquitas inæqualitatis euitandæ, qui casus est *d. l. illud §. 1.*

16 Cessat autem collatio etiam ex tacita voluntate, *l. filij 18. C. famil. ercisc. l. ex parte 39 §. 1. D. eod.*

17 *L. vt liberis 17 in fin. C. hoc tit.*

18 *L. 1. iunct. Auth. ex testamento eod.*

19 Vt dixi *Defin 1. num. 1. sup.*

20 *d. l. si emancipati in princip.*

21 Castr. *ad d. Auth. ex testamento.*

22 Iuxta ea quæ dicemus, *Definit. 3. numer. 6. infr. de reuoc. donat.*

23 Castr. *ad d. Auth. ex testamento*, quæ certè non de donatis intelligenda est, sed de datis in dotem vel quo alio simili modo, vt loquitur textus *d. Nouell. 18. cap. 6.* id est, ob causam

BIU Cujas

aliquam non simpliciter, vt bene ibi *gloss. arg. l. vlt. §. 1. de tricic. vin. & oleo leg.*

24 Castr. vbi supr. *post gloss. ad d. l. si emancipati.*

25 *Ex d. l. illud* §. 1. quæ specialem sane casum continet ac supponit regulam iuris esse in contrarium.

26 Id enim verba textus probant, & ita Castrens. *ibid.* addens eo quoque casu, quo simplex donatio conferenda est ab eo cui frater vicissim aliquid confert, non esse donatarium cogendum conferre si modo nolit sibi conferri ex *l. vlt. D. hoc tit.*

27 Æqualitas, enim æstimanda est non ex valore, sed ex iuribus conferendis, & eorum qualitate.

28 *dict. l. illud* §. 1. ibi, *non etiam simplicem donationem accepit.*

29 *d. l. 1. l. filiam* 16. *C. eod.*

30 *L. à patre* 10. *eod.* id est, extraneorum iure. Iunge *l. vltim. eod.*

31 *L. Marcellus* 15. *l. illud* 37. *D. de donat. caus. mort. l. vltim. Cod. eod.* Ex quo inferri potest, si quis donauerit filio inter viuos, & mortis causa non esse conferendam donationem etiamsi valere possit tanquam inter viuos, quia nec conferretur, si valeret causa mortis. Varietas enim iuris non debet inducere diuisionem voluntatis, *l. eum qui* 18. *in fin. de his quæ vt indign.* Tacita autem voluntas sufficit ad impediendam collationem, *d. l.* 18. *Cod. famil. ercis. d. l.* 39. §. 1. *D. eod.* Et qui variis speciebus iuris vtitur non tam donat sæpius quàm loquitur sæpius *l. Mauius* 66. §. *eum qui, de leg.* 2. Sed & cùm post testamentum donatio facta est conferri numquam debet, si liberi omnes ex æquis partibus fuerant instituti. Alioquin donatio nullum effectum haberet, *argum. d. l.* 39. §. 1. *D. fam. ercis. & d. l.* 18. *C. eod.* Iunct. *l. generali* 31. §. 1. ibi, *eo magis quod æquis partibus heredes scripti erant, D. de vsufr. legat. l. cùm hic status* 32. §. *si maritus & §. qui quasdam, de donat. int. vir. & vxor. l.* 18. *l.* 22. *l.* 24. §. 1. *de adim. legat.*

DEFINITIO V.

Pendente quæstione de iure successionis, nihil certi de collatione inter fratres facienda constitui potest.

CVm pater intestatus decessisset superstitibus pleriſque filijs & filiabus, quarum aliæ paternæ successioni cum iureiurando accepta dote renunciauerant, [1] aliæ non renunciauerant, diuisa fuerant paterna bona inter omnes liberos ex æquis partibus quasi nulla facta renunciatione, [2] quod ijdem filiorum impuberum tutores essent, & filiarum, quæ renunciauerant, coniuges quorum dolo celatæ renunciationes eiusmodi diuisioni causam dederant. [3] In diuisione autem conuenerat, vt ex iuris communis forma dotes acceptæ conferrentur, vtque ob eam causam fratres interim certis prædijs fruerentur. Si filiæ, quæ dotem acceperant, & futuræ patris successioni renunciauerant, conueniantur à fratribus per restitutionem in integrum, aduersus diuisionem post compertas renunciationes, [4] & vicissim sorores contra renunciationes, [5] vtraque causa restitutionis simul tractanda erit, vt ex euentu demum appareat an collationi locus esse debeat necne. [6] Interim igitur & pendente causa restitutionis nihil noui constituendum erit. [7] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, post Idus Aprii. 1614.

1 Vt hodie passim fieri adsolet *ex cap. quamuis pactum de pact. in 6.*

2 Ex regulis successionis intestati *l. 4. C. de legit. her. Nouel.* 11. *de her. ab intest. venient.*

3 Cùm tamen ab intestato succedere non debuissent filiæ quæ renunciauerant *d. cap. quamuis pactum.* Castr. & alij *ad l. qui superstitis* 94. *D. de acquir. her.*

4 Quasi dolo malo factas & ex falsa causa.

5 Quasi factas metu ex reuerentia maritali, & paterna, & immodica læsione interueniente. Ex qua causa placet posse dari restitutionem ex *not. d. cap. quamuis pactum.*

6 Non enim potest locus esse collationi, nisi inter succedentes, siue ex testamento, siue ab intestato *l. 1. & pass. hoc tit. D. & C.*

7 Quia pendente lite standum est vtrique contractui *cap suscitata. Extr. de in integr. restit.*]

TIT. V.

DE TESTAMENT.

DEFINITIO I.

Scriptura, quam notarius imperitus donauit nomine codicillorum, non eo minus valeret iure testamenti, si haberet omnes solemnitates testamentorum. Et de clausula codicillari: Et an ei qui egit quasi ex codicillis liceat variare?

RVSTICVS, cum testamento per nuncupationem condito fratris præmortui filium instituisset, posteriore scriptura, quam passim codicillorum nomine donauerat, prius testamentum reuocauerat, [1] heredi scripto tanquam ingrato hereditatem ademerat, [2] vxorem suam ex asse heredem scripserat, ab eaque legata omnia priore testamento relicta solui præceperat. [3] In ea scriptura septem testes adfuerunt masculi, puberes, cogniti, & rogati: [4] omnia denique testamenti solemnia interuenerant, vt nihil nisi nomen ipsum deesse videretur. [6] Cum de scripturæ viribus dubitaretur, an testamenti codicillorum iure censenda esset, [7] placuit eam accipiendam interpretationem, quæ rectam sani hominis voluntatem tueretur; [8] ideoque cum codicillis hereditas non magis adimi possit quam dari, [9] pro testamento habendam. [10] Non quod hac parte rusticitati quicquam indulgendum esset, [11] sed quia in nomine potius quam in ipsa actus substantia, [12] & quidem per notarij inscitiam, [13] quam & alia multa prodebant, errorem iuris interuenisse appareret. [14] Item quæsitum est, cum posteriore scripturæ parte cautum esset, vt codicillorum iure non valeret, iure donationis causa mortis defenderetur, omnique alio iure quo melius valere posset, an si testamenti iure valere non potuisset, quasi ex fideicommisso hereditas mulieri ab herede instituto deberetur? [15] Placuit fideicommissi petitionem competituram, quod ea clausula omnem voluntatis dum ne solemnioris [16] speciem complecteretur. [17] Rursus dubitatum est, si mulier hereditatem primum ex testamento petijsset, postea testamenti diffidens viribus ex fideicommisso agere instituisset, an ei liceret variare. Visum est permittendũ, [18] propter incerti iuris periculum, [19] cum dubitari probabiliter posset an ea scriptura, quam testator codicillorum nomine passim donauerat, testamenti iure subsisteret. *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio 29. Martij 88.

1 Cum tamen per codicillos neque reuocari, neque confirmari testamentum possit, *l. quod per manus* 10 *D. de iur. cod.*

2 Quod tamen per codicillos fieri non potuerat, *l. pen.* §. 1. *D. de cond. inst.*

3 Cum neque dari per codicillos hereditas possit, *l.* 2 §. *vlt. d. l. quod per manus* 10. *l. Diui* 6. *D. de iur. cod. l.* 2. *C. eod. l. hereditas* 5. *C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

4 Hoc quoque in codicillis fieri non poterat nisi qui ex testamento valere posset, *l. illud* 13. §. *tractari, l. vlt. D. de iur. codicill.*

5 Quæ solemnitas in testamentis quidem necessaria est, *tit. de test. ordin. Inst. sed non in codicillis, l. vlt. in fin. C. de codic.* quamuis nihil vetet in codicillis quoque eam interuenire, quoniam quæ abundant non solent vitiare, *vulg. iurib.*

6 Aliud enim est nomen testamenti, aliud codicillorum, sicut & eorum diuersa sunt iura, *l. si idem* 7. *C. eod. tit. de iur. cod.*

7 *Vt & in d. l. illud* §. *tractari, & d. l. vlt. D. de iur. cod. l. non codicillum* 14. *C. hoc tit.*

8 Maligna enim est interpretatio per quam fit, vt actus pereat

pereat potius, quam vt valeat, *l. si ita stipulatus* 126. §. *Chrysogonus, de verb. obl. l. quoties* 12. *D. de reb. dub.*

9 *d. l. pen.* §. 1. *D. de condic. instit.*

10 *d. l. non codicillum* d. § *tractari, d. l. vltim.* Iaſ. *in d. l. non codicillum* Bald. *in l. fin. col. vlt. verſ. extra quæro, C. de codicil. & in l. quærebatur, D. de teſtam. milit.* Marc. de Mant. *ſing.* 548. vbi citat gloſſ. & Bald. *in l. quoties col.* 2. *C. famil. erisc.* Bart. *in l. inſtitutio in princ. de hered. inſt.* Dyn. *in l. cogi* 16. §. *& generaliter, D. ad SC. Trebell.*

11 Quamuis enim ſoleat indulgeri quantum ad ſolemnitates teſtamentorum, *l. vlt. C. hoc tit.*

12 Qui error in nomine non debet nocere, quoties conſtat de voluntate, niſi cum erratum etiam eſt in corpore, *l. quoties 9. in princ. D. de her. inſt.* iunct. *l. ſi quis in fundi* 4. *de leg.* 1.

13 Quam teſtatori nocere non oportet, *l. errore* 7. *C. hoc. tit. l. ſi librarius* 92. *de reg. iur.* præſertim cum error eſſet tantum in nomine, *l. teſtamentum* 179. *hoc tit.*

14 Qui error voluntatem non habet, *l. ſi per errorem* 15. *D. de iurisd.* voluntas autem ſemper potior eſt voce dicentis nedum ſcriptura ſcribentis *l. Labeo* 7. *ad fin. de ſupell. legat.* Et præterea error iuris excuſabilis eſt in ruſtico *d. l. vlt. C. hoc tit. l. regula* 9. *D. de iur. & fact. ignor.* Valde tamen obſtat, quod dici ſolet, ſi non valet quod ago vt ago, nec valere vt valere poteſt, cum ſit tranſitus à ſpecie in ſpeciem. Bart. *in l. de iur. codicill.* Iaſ. poſt alios *in l.* 1. § *ſi quis ita, de verb. obl.*

15 Vt dici ſolet quoties clauſula codicillaris adhibetur in teſtamento nullo, *l. quærebatur* 19. §. 1. *D. de teſt. milit. l. Lucius* 88. §. *vlt. de leg.* 2. *l. generaliter* 24. §. *ex teſtamento. D. de fideic. libert. l.* 1. *C. eod.*

16 Non enim poſſet ea clauſula comprehendere teſtamentum ipſum tanquam quod ſit perfectius & ſolemnius. Bart. *in d. l.* 1. *num.* 22. *D. de iur. codicil.*

17 *L. cum pater* 77. § *filius matrem, de leg.* 2. & alijs citatis, *num.* 15. *quibus adde l. vltim Cod. de codicil.* 2. *vbi gloſſ.* in verb. *verbis tamen, eod. l. Scaeuola* 76. vbi Bart. & alij ad Trebell. *per l. ex facto* 17. *in princip. eod. l. filius familias* 114. §. *at quis heredem, de leg.* 1

18 Contra quam regulariter obtineat, *dict. l. vltim. Cod. de codicill.*

19 Nam nec locus eſt *d. l. vltim.* cum ſucceſſor eſt incertus Bart. *ad l. controuerſia, num.* 6. *D. de tranſact.*

DEFINITIO II.

Teſtamentum factum adhibito minore quam quinque teſtium numero, etiam ab eo qui vel parochum, vel notarium pluréſve teſtes adhibere voluit nec potuit, nullius eſt momenti.

DEtruſus in carceres iniquiores ob falſam accuſationem, cum grauiſſimo morbo laboraret, & ad confitenda peccata parochum, ad ſuprema verò ordinanda notarium teſtéſque conuocari flagitaret, vtriuſque petitionis repulſam inhumaniter paſſus à Commentarienſi, [1] quod is nonnullorum magiſtratuum imperio prohiberi ſe diceret, ne quemquam omnino niſi impetrata prius venia accedere paterentur, palam heredem nuncupauerat [2] vxorem ſuam chariſſimam, Commentarienſe, ipſo præſente cum vxore fratreque. Scriptura de ea re Commentarienſis mandante teſtatore confecerat, quam ſubinde teſtator propria ſubſcriptione firmauerat. [3] Quærebatur an valeret teſtamentum, cum de teſtatoris voluntate tam per ſcripturam quam per tres illos teſtes conſtaret, nec difficile tantum, ſed etiam prorſus [illegible] fuiſſet, vt aliorum pluriumve teſtium copia haberetur. [4] Cur non enim hoc ſaltem caſu locus ſit conſtitutioni Leonis, [5] quæ iubet, vt ſi in itineribus vel agris alijſque inhabitatis locis teſtamentum fiat, trium teſtium confirmatio ſuſcipiatur? Sic ijs qui in expeditione bellica aut graſſante peſte teſtantur, vulgares teſtamentorum ſolemnitates remittimus, [6] fauore vltimæ voluntatis conſeruandæ. [7] Nec quicquam videtur æquius, quam vt ſi de præciſa, vt ita dicam, impoſſibilitate habendorum teſtium appareat, ſatis ſit eas adhibitas ſolemnitates quas ius gentium requirit. [8] Duos ſcilicet teſtes adfuiſſe, [9] aut quæ in Pontificio ſufficerent, nihil niſi parochi duorumque præterea teſtium præſentiam requirente. [10] Atqui parochum habere hic teſtator voluerat nec potuerat. [11] Sed & cum pro parocho duos teſtes adhiberi poſſe placeat, [12] quidni teſtatoris ſubſcriptio vnius ſaltem teſtis fidem ſuppleret? [13] *Senatus* tamen pronunciauit nullius momenti eſſe teſtamentum, quod minore quam quinque teſtium numero probaretur. [14] Nam nec peſtis quantumcumque ſæuientis tempore, [15] nec ſi in Tyranni caſtello ad quod liber non pateret acceſſus, [15] teſtamentum factum proponeretur, pauciores tamen quam quinque teſtes vnquam ſufficient. [17] Neque vero aut nouum aut iniquum eſt, vt inteſtatus moriatur etiam is, qui teſtari maxime voluit, ſi teſtium copiam habere non potuerit. [18] Ob idque nimirum ſolent prudentes viri, ne in periculum incurrant, eo tempore teſtari, quo nec teſtium numerus nec aliud quicquam deſit ex ſolemnibus. [19] Digna tamen res viſa eſt, cuius aſperitatem Princeps ab herede inſtituta aditus pro ſua æquitate corrigere deberet, [20] non vt legibus vim faceret ablata legitimis ſucceſſoribus hereditate, [21] ſed vt ſaluo eorum iure mulieris indemnitati ex ærario aliquatenus proſpiceret, ne defuncti innocentis voluntas vi maiore quam obtentus maieſtatis licet inſcio pientiſſimo Principe pepererat, prorſus intercidiſſe videretur. [22] *Ita Senatus* 4. Id. Iulij 1588.

1 Sic enim appellamus eum, qui carceris cuſtodiam habet, quod in commentarium cuſtodias referat, *l.* 4. *Cod. de cuſtod. reor.*

2 Quaſi facturus teſtamentum ſaltem nuncupatiuum, quod multo pauciores ac leuiores exigit ſolemnitates, *l. in teſtamentis* 26. *C. hoc tit.*

3 Atque ita adhibuerat teſtator omnes ſolemnitates quas in tanta anguſtia poſſibile fuerat adhiberi, vt nihil prorſus ei poſſet imputari.

4 Nemo enim arctandus eſt ad impoſſibile, *vulg. l. impoſſibilium* 185. vbi not. *de reg. iur. l. filius* 15. *D. de condic. inſt.* multumque refert an difficile quid ſit, an prorſus impoſſibile, quia impoſſibilitas habet impedimentum naturale, *l. continuus* 137. §. *illud de verb. obl.*

5 Nouel. 41. cui titulus eſt, *Vt in ciuitat. quinque*, in itineribus vero & in agris tres teſtes ad teſtamentorum fidem ſufficiant.

6 *L. caſus*, 8. *C. hoc tit. l. ſi & ſi quis* §. *quæſitum, D. ſi quis caution.* Pariſ. *conſ.* 46. *nu.* 24. *vol.* 3. Decius *conſ.* 284. *nu.* 1. *DD. in l. vlt. C. hoc. tit.* Facit *l.* 1. vbi Bart. *de bon. poſſ. & teſt. mil. l. Lucius* 40. *& l. vlt. D. de teſt. milit.*

7 Quam ſcilicet publice expedit extitum habere, *l. vel negare* 6. *D. teſt. quem. aper. l.* 1. *C. de ſacroſ. eccleſ.*

8 Fernand. Vaſq. *de ſucceſſ. creat. progr. & reſolut. part.* 1. *lib.* 2. §. 13. *nu.* 18. *&* §. 11. *nu.* 53.

9 Iuxta illud Euangelij: In ore duorum, vel trium ſter omne verbum. Vide tamen quæ ſcripſi *in Error.* 2. *Decad.* 36. *de error. pragmat.* vbi probaui nullas eſſe teſtamentorum ſolemnitates quæ poſſint dici iuris gentium.

10 *Cap. cum eſſes*, vbi Abb. Sicul. & Barbat *Extr. de teſtam.* Boer. *deciſ.* 228. *num.* 11. *circa fin.* Gail. *pract. obſeruat. lib.* 2. *cap.* 118. *num.* 18. Mius. *cent.* 1. *obſeruat.* 96. Guid. Pap. *quæſt.* 543. *in fin.*

11 Itaque cum per eum non ſtetiſſet videbatur parochus habendus pro adhibito. *argum. leg. in omnibus cauſis* 39. *de reg. iur.*

12 Specul. *in tit. de inſtr. edit.* §. *compendioſe num.* 12.

13 *Arg. Auth. ſi modo C. famil. erisc.*

14 *Per text. in l. vltim. verſ. ſin autem in illo loco, Cod. hoc tit. l. vlt. C. de codic. l. conficiuntur* 8. §. *codicilli, verſ. quid enim, D. de iur. codicil.*

15 Rip. *in tractatu de priuileg. vltimarum volunt. cauſ. peſt. num.* 11.

16 Bald. & Salic. *in d. l. vlt. D. hoc tit.* & alij quos citat Guill. Bened. *in repet. cap. Raynutius in verb. teſtamentum* 1. *num.* 13. Sequitur Rip. *vbi* 5. *num.* 10. & reprehendit eundem Baldum conſentientem *conſ.* 285. incip. *ſi quis iuris ciuilis l.* 3. Vide Socin. *conſ.* 85. *vol.* 4. incip. *circa articulum per tot.*

17 Cum in qualibet vltima voluntate quinque teſte ad minus requirantur, *d. l. vlt.* § *vlt. C. de codic. l. vlt. C. de mort. cauſ. donat.*

BIU Cujas

18 *L.2.D.si quis aliq.testar.prohib.vel coeger.*

19 Itaque in proposita specie hoc ipsum poterat imputari testatori cur in id vsque tempus distulisset testamentum, quod multo ante tempore facere potuerat si voluisset. Sic enim seipsum arctauerat, ideóque indignus auxilio videbatur, *l.2.§.si quis tamen,D.si quis caution.*

20 *Arg.l.1.C.de legibus*, iunct.*l.vlt.§.penult.& vlt.D.quod met.cauſ.*

21 Numquam enim debet princeps lædere ius tertio iam quæsitum,*l.2.§ merito, & § si quis à principe, D.ne quid in loc. public.l.4.Cod.de emancip.liber.* nec beneficia Principis debent cuiquam esse captiosa,*l.Paulus notat.8.D.de præt.stipulat.*

22 Ad inuidiam enim Principis maxime id pertinere videbatur, quod vidua conquereretur inde nasci occasionem iniuriæ, vnde iura nascuntur *l.meminerint 6.C.vnde vi.* Facit *l.Imperatorem* 91.& quod ibi notat Bald. *D.de her.inst. l.ex imperfecto* 23.*D.de legat.*3.

DEFINITIO III.

Clausula codicillaris adhibita in testamento, in quo pauciores quam quinque testes adfuerunt, nihil operatur.

QVoties testamentum idcirco nullius momenti est, quod in eo pauciores quam quinque testes adfuerint, non potest codicillaris clausula adscripta facere, vt codicillorum aut alterius cuiuslibet vltimæ voluntatis iure suprema defuncti iudicia defendantur. [1] Est enim perpetua iuris nostri regula, neq; codicillos, neque aliam vllam voluntatis vltimæ speciem aliter valere posse, quam si quinque testes interuenerint. [2] Cui non eo minus locus est, quod casum talem proponas, in quo ex iusta causa testamento quoque faciendo quinque testes sufficere potuerint. [3] An igitur nihil eo casu intererit vtrum testamentum testator fecerit an codicillos? Imo verò maximè intererit propter alias differentias, quæ inter testamentum & codicillos sunt quamplures.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis alias soleat hæc clausula operari ab intestato quoties testamentum ipso iure nullum est, secundum ea quæ dixi ad *Defin.1.nu* 15.*§ hoc tit.*

2 Dixi proxima *Defin.ex l.vlt. C.hoc tit.l.vlt. C.de codicill. l.vlt.C.de mort.cauſ.donat.*

3 Bart.*in l.2.in fin.de leg.*1. quem refert & sequitur Socin. *conſ.*85.incip.*circa articulum,vol.*4. Didac. Couarr. *in rubr.de teſt.part.*3.*nu.* 21.*in fin.*

4 Testamenta enim quamplurimas alias solemnitates requirunt, codicilli vero nullas prorsus *d.l.vlt.in fin.C.de cod.* Maxime autem in eo differunt, quod testamentarios testes semper rogatos esse oportet, nec ea solemnitas vnquam remittitur, si Ripæ credimus *in tract.D.de priuil.vlt.volunt.cauſ.peſt.nu.*24. In codicillis autem etiam fortuiti testes sufficiunt, *d.§ vlt.& Inſt.eod.in fin.* Denique numquam confundi debent iura testamentorum,& codicillorum,*l.ſi idem 7.C.de codic.l.non codicillum.*14.*C.hoc tit.*

DEFINITIO IV.

Testamentum factum per nuncupationem, herede non nuncupato, non potest valere iure testamenti in scriptis, licet habeat solemnitates requisitas: Nec si adsit clausula, Omni meliori modo.

TEstamento propria manu scripto, subscriptoque, à testibus etiam subsignato testator declarauerat, velle se eam scripturam valere iure testamenti nuncupatiui, quod voluntatem suam non nisi ad futuram hominum reique memoriam scripto mandasset, [1] neque tamen heredem palam nuncupauerat. Placuit neque iure testamenti in scriptis valere posse, cùm id noluisset, [2] neque iure nuncupatiui, quod hæres palam nuncupatus non esset. [3] Nec obstabat, quod eadem scriptura testator præceperat, vt si eo iure testamentum non valeret, omni alio meliori iure, quo valere posset, defenderetur: Quandoquidem ea clausula nec supra quam testator voluerit operari potest, [4] nec eam interpretationem admittere, vt ad solemnem voluntatis speciem referatur.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit.6.infr. De codicill.

1 Nam huius rei gratia solent plerumque confici scripturæ tam de vltimis voluntatibus, quam de contractibus, *l.4.D.de pign.l.4.D.de fid.instrument. l.iubemus* 29. *verſi ſed ne aliqua, C.hoc tit.*

2 Neque enim actus agentium operantur vnquam vltra eorum intentionem,*vulg.l.non omnis* 19.D.*de reb.cred.l.quoties D.de her.inſt. l.multum interest 6.C.ſi quis alter. vel ſib.l.ſine emancipatis* 17.*C.de donat.*

3 *L.heredes palam* 21 *D.qui teſt.fac.poſſ.*

4 Clausula enim codicillaris numquam supplet defectum voluntatis, sed tantum solemnitatis. Dec.*conſ.*205.*in fin.*

5 Ita Bart.*ad l.1. nu.*22. *D.de iur. codicil.* Dixi *ad Defin.1. num.16.ſupr.* Illa fortior obiectio est si quis dicat, neminem videri id testandi genus eligere, per quod sua iudicia impugnetur, *l.3.D.de teſtam.milit.* Sed id in dubio obtinet. In proposito autem aperta erat voluntas testatoris, qui non nisi per nuncupationem testari voluerat, aut ab intestato facere codicillos, numquam vero cogitauerat de faciendo solemni testamento in scriptis.

DEFINITIO V.

Testamentum tempore pestis non pauciores quam quinque testes requirit, nisi factum sit à Syndico aut alio publicum officium gerente, Testes tamen semper rogatos esse oportet.

TEstamentum tempore pestis conditum non eo minus requirit solemnem numerum septem testium, [1] nisi probetur tam grauem sæuamque fuisse pestem, vt copia testium haberi non potuerit, quo casu humanius visum est quinque testes sufficere, certè non pauciores. [2] Præterquam si agatur de testamento Syndici, aut magistratus alterius ve cuiuslibet publicum officium gerentis. Hos enim, si dum pro republica laborant morbo correpti sint, visum est dignos esse, qui militum priuilegio gaudeant, [3] vt quoquomodo testari possint & velint, rata sit eorum voluntas nec iuris communis solemnitates requirat.[4] Neque tamen huic consequens erit, vt valeant eorum testamenta, si testes qui adfuerunt minime rogati proponantur. Nam neque militibus hæc solemnitas vnquam remittitur, [5] quia nec necesse est, cum quisquis loqui potest, æque facile testes etiam rogare possit.[6] *Ita Senatus* in causa Ioannis Perrot, & Dominorum Senatorum Danise, & de Beausuiour, Calen. Iul. 1589. & rursum in causa Petri & Humberti Roux, contra Claudiam Violat, 8. Id. Mart. 1591.

1 *L.caſus* 8.*C.hoc tit.* & ibi DD.

2 Boer. late *qu.*228. Rip.*in tract.de priuileg. vltim. volunt. cauſ.peſt.num.*11. Vide Paris. *conſ.*46.*numer.*24. *volum.*3. Dec. *conſil.*284.*DD.in l.vltim.C.hoc tit.l.*1 vbi Bart.*de honor.poſſ.ex teſt.milit.* [*arg.l.vltim.C.hoc tit.* vbi dicitur in testamento rure facto quinque testes sufficere, etiamsi testamentum solemniter & in scriptis factum proponatur, hoc quoque addito, vt si literatorum testium copia non possit haberi, sufficiat literatos subscribere pro illiteratis. Quod ius licèt rusticorum fauore primùm constitutum sit, bene tamen tractum est ad testamenta etiam ciuium in rure testantium. Gothofr. & alij *ad dict.l.vlt.* Sumpto præsertim argumento ex Leonis *Nouel.*41.quæ solemnitatem numeri testium remittit testamentis omnibus, non modo rusticorum, sed etiam rure à quocunque factis. Sanè testamentum ad pias causas contentum est duobus testibus etiã non rogatis nec masculis *cap.cùm eſſes, & cap.relatum, Extr. de teſtam.* quod ius Pontificium seruandum est etiam in foro Cæsaris. Iul. Clar. *in § teſtamentum, quæſt.*6 Eoque casu valent legata etiam laicis relicta, Clar. *ibid.ex communi opinione, num.*9. Quod intellige si testamentum valeat tanquam testamentum, non item si defendatur sola potestate clausulæ codicillaris in eo subintellectæ, quia clausula codicillaris, quæ subintelle-

sub intelligitur fauore piæ causæ, non potest locum habere in legatis non piis.]

3 Istorum enim periculum non leuius est quam militum, & bellum eo tempore videtur esse inter Deum & homines, inquit Bart. *l naturaliter 5. colum. penult. de vsucap.* Dec. *d. consil 284.* Rip. *vbi supr. ex not.* per Bartol. *in dict. l. 1. de bon. poss. ex test. milit.*

4 *d. l. 1. in princ. l. Lucius 40. l. vlt.* iunct. *l. Diuus 24. & pas. D. de testam. milit.*

4 *d. l. Diuus* ibi *conuocatis ad hoc homini bus.*

6 Rip. *vbi sup. num. 42.*

DEFINITIO VI.

In testamento facto tempore pestis debent testes esse puberes & masculi, non fœminæ si masculi inueniri possint. Et in eo quoque debet relinqui legitima a titulo institutionis.

SEd & puberes esse oportet eos testes, qui testamento pestis tempore condito adhibentur. [1] An & masculos? Vtique, si haberi potuerunt. Nam si probetur masculos eo tempore reperiri non potuisse, fœminæ in subsidium admittentur. [2] Ex cæteris testamentorum solemnitatibus nulla est, quam remitti oporteat. [3] Finge præteritam à testatore matrem, cui legitima relinqui debuerat, aut relictam ei legitimam titulo legati cum iure institutionis relinqui debuisset, [4] Non valebit testamentum, præsertim matre conquerente, [5] nec si hæredes instituti legitimam offerant. In hæredis namque potestate nunquam est facere, vt testamentum quod ab initio non valuit conualescat. [6] *Ita Senatus* in causa supradicta fratrum Roux, & Claudiæ Violat.

1 Pupillus enim ea etiam quæ videt ignorat, *l. C. de falsi. ment.* & absentis loco esse intelligitur, sicut & furiosus, *l. Eulcinius 7. §. plane interdum, D. ex quibus caus. in pos. eat.* iunct. *l. vbi non voce 124. §. 1. de reg. iur.*

2 Ias. *in l. fin. nu. 19. C. de testam.* Alex. *cons. 24. num. 11. vol. 2.* Steph. Bert. *cons. 212. num. 6. lib. 1. in secunda edit.*

3 Nisi quod testes huiusmodi morbo oppressos eo tempore iungi atque sociari remissum est, *l. casus 8. C. hoc tit.* Vide Ias. *in d. l. vltim. num. 7.* Alexand. *in l. scriniarios. C. hoc tit.* Bart. *in d. l. naturaliter 5. de vsucap.* Alex. *cons. 30.* incip. *ponderatis, col. 2. lib. 5.* Panorm. *cons. 3. quæst. 18. lib. 2.* Rip. *in tract. de pest in prælud. num. 9.*

4 Secundum communem nostrorum sententiam *ad Nouel. 115. vt cum de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum,* quicquid dicat Bart. *in Auth. nouissima, Cod. de inof. testa. nu. 4. & in l. siue libertus, §. excluditur, de iur. patronat.* Gloss. *in §. siue igitur omnes,* in verb. *nullum, d. Nouel. 115. vt cum de appel. cognosc.*

5 Si enim approbaret iudicia filij, aliud esset ex æquitate, de qua *in l. filio 17. D. de iniust. rupt.* de cuius tamen sententia vide quæ scripsi *in Coniecturis & in Decadibus. De error. pragmat.*

6 Debet enim testamentum proprijs viribus subsistere, non ab alterius voluntate pendere, *l. illa institutio 32. de hered. instit.* multo minus à voluntate heredis, *l. Senatus 43. §. pen. de leg. 1. l. fideicommissa 11. §. quamquam, de leg. 3.* priusque est, vt testamentum valeat, quam vt hæres quisquam ex eo esse possit, *l. si filius 7. & l. si filius 16. de liber. & posth.*

DEFINITIO VII.

Nec clausula codicillaris, neque illa, Omni meliori modo, *subintelligitur in testamento facto tempore pestis, vt neque in testamento militari, sed tantum in testamento inter liberos, & ad pias causas.*

AT neque verum est quod quibusdam placuit, in eo testamento, quod pestis tempore conditum ut, subintelligi clausulam codicillarem, aut eam quæ paris est potestatis, qua iubetur testamentum valere omni meliori modo, [2] nimirum, vt non valente propter omissas solennitates testamento institutio flectatur in fideicommissum, & quæcunque eo testamento legati vel fideicommissi iure relicta sunt, ab intestato repetita intelligantur. [3] Numquam enim credendus est codicillos fecisse, qui testari voluit, si non diserte id expresserit, [3] præterquam si inter liberos aut ad pias causas testatus quis proponatur. Quo casu singulari quodam iure receptum illud est fauore & priuilegio liberorum, & piæ causæ, ex interpretum traditionibus potius quam ex iuris ratione. [4] Quod vero addunt, *Exemplo testamenti militaris,* prorsus alienum est. Nam præter id, quod minus recta est comparatio militis & hominis peste laborantis, nisi Syndicus sit aut alia persona publica, [5] constat testamentum militis cum iure militari factum est iure directo valere, ac tanquam testamentum, non autem iure codicillorum ab intestato. [6] Illud sane verum est, testamentum à milite iure communi factum non eo minus valere iure militari, si communi defendi non possit, quia non est credendus miles id genus testamenti elegisse, per quod iudicia sua impugnaret. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *De qua l. cum pater 77. §. filius matrem, de leg. 2.*

2 *Arg. l. penult. §. vltim. eod. l. generaliter 24. §. ex testamento, de fid. libert.*

3 *L. 1. D. de iur. codicil. l. vltim. C. eod. d. l. penult. §. vlt. de leg. 2. l. 3. D. de testam. milit. l. coheredi 41. §. cum filiæ, de vulg. & pupil. subst.*

4 Iul. Clar. *in §. testamentum, q. 8. num. 7.* post Iason. *ad d. §. cum filiæ in fin.* vbi dicit communem Boer. *quæst. 40.* vide tamen quæ contra hanc opinionem scripsi *in Error. 1. Dicad. 36. de error pragm.*

5 Vt dixi *Defin. 5. supr.* quia cæteri hoc morbo oppressi non laborant pro republica.

6 Nisi cum miles expressim cauit, vt testamentum suum valeat per fideicommissum, vt *in l. quærebatur 19. D. de testam. milit.*

7 *L. 3.* vbi est textus elegans *eod. tit.*

DEFINITIO VIII.

Qui allegat testamentum nuncupatiuum non scriptum debet exprimere annum, mensem, diem, & locum, sed non testes.

AGnatus proximus ab eo conuentus, qui se testamento nuncupatiuo, nec in scripturam redacto dicit institutum, non prius vrgendus est, vt defensiones vllas proferat, quam actor non annum dumtaxat & mensem, sed etiam diem ediderit, & locum in quo testamentum conditum dicitur. [1] Propterea quod non aliter sciri possit, an testamentum illud valeat, hoc est, an posterior alia vlla voluntas cõtraria sequuta sit, [2] aut an falsi testes sint qui adserant interfuisse testamento, aut an alibi testator fuerit eo ipso die. [3] Denique quoties ad validitatem actus quo de agitur præcisa diei adiectio necessaria est, puta si de iure pignoris disputetur, [4] diei editionem ab actore fieri necesse est, vt sciri reus possit, an contendere debeat, an cedere. [5] An & testium qui nuncupationi interfuisse dicuntur nomina edi oportebit? Minime propter metum corruptionis, &, vt loquuntur, subordinationis. [6] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Damas, & de Lentilly, 16. Cal. Julij 1593.

1 Prius enim est, vt actor fundet suam intentionem, quam vt de iure & exceptionibus rei queri oporteat, cum actore non probante reus absoluendus sit, etiamsi nihil ipse præstiterit, *l. qui accusare 4. C. de edend.*

2 Quia posteriore testamento prius vtique rumperetur, *§. posteriore, Instit. quibus mod. testam infirm.*

3 Nihil enim celandum est ex iis, quæ reo iustam defensionis materiam præbere possunt, *argum. l. 3. D. de accus. l. pen. C. eod.* Iul. Clar. *lib. 5. sentent. §. vlt. quæst. 12.* Ferrar. *in titul. de form. inquis.* in verb. *qui coheret. num. 18. & 19.* & in verb. *anno præsenti, num. 17.*

BIU Cujas

2 Quoniam qui prior est tempore is regulariter potior est iure, *l.2.4.& pass.C.qui potior.in pign.hab.*

5 *L.1.§.editiones*, vbi Castr. *num.4.D.de edend.*

6 Nunquam enim edendum est reo id quod materiam falsa comminiscendi ei præbere possit. *d.§.editiones.*

DEFINITIO IX.

Clausula derogatoria impedit validitatem posterioris testamenti, nisi specialiter eius clausulæ mentio facta sit in posteriore.

COnstat prius testamentum, quod habet clausulam derogatoriam, non aliter reuocari posse per posterius, quam si specialis mentio fiat eius clausulæ,[1] nec generalem sufficere reuocationem, non solum si plura testamenta præcesserint, in quo omnes consentiunt,[2] sed & si vnum dumtaxat.[3] Porro specialis reuocatio prioris testamenti non ex eo solo facta videtur, quod testator in secundo testamento dixerit, *non obstante alio testamento per me condito, in quo institui Sempronium, vel de quo fuit rogatus Mœuius notarius.* Sed requiritur omnino, vt facta sit mentio clausulæ derogatoriæ priori testamento insertæ,[4] secundum receptiorem nostrorum sententiam. Quæ licet dura sit, vixque admittenda si clausula derogatoria primo testamento inserta simpliciter concepta erat, puta, *si fecero aliud testamentum nolo illud valere*:[5] tamen recipienda est, si clausula derogatoria habebat insertam aliquam specialem formam.[6] Sed neque derogatoriæ clausulæ mentionem in genere factam esse sufficit, sed in specie fieri necesse est, quamuis non etiam in individuo.[7] Maxime vero si tam breue temporis interuallum, puta septem aut ad sumnum decem dierum inter vtrumque testamentum intercesserit, vt non sit credibile tam exiguo temporis spatio fuisse testatorem oblitum verborum, quibus clausulam derogatoriam conceperat; præsertim si neque implicita, neque insolita fuerunt, quo solo casu admittenda est præsumptio obliuionis in facto proprio de recenti.[8] *Ita Senatus* in causa quadam graui, 14. Calend. Aug. 1593.

1 Quasi alioquin secundum testamentum non habeat testatoris sui voluntatem *ex l.si quis in princ.22.de leg.3.* vbi DD. Vide tamen quæ contra hanc sententiam scripsi *in Err.7. Decad.37.& seq.de errore pragmat.*

2 Quia minor est hoc casu difficultas, cum posset generalis reuocatio referri ad alia testamenta, quę specialem clausulam derogatoriam non haberent.

3 Iulius Clarus ex communi & post multos, quos refert *in §.testamentum.qu.99.num.3.*

4 Bart. *in d.l.si quis, in princ.num.8* cuius opinionem communem esse scribit Socin. *cons.163.* post *nu.7.vers.secundo præmitto.* & post *num.14.lib.2.* aliique multi, quos refert Clarus *dict.quæst.99.num.5.*

5 Vt per Clarum loco proxime citato. * Aliud est si testator in concipienda clausula causam adiecerit propter quam nolit posterius testamentum valere, tanquam quod factum videri velit, per vim aut per inductionem. Est enim hæc vera causa & ratio adscribendæ clausulæ derogatoriæ. Vide Mantic. *lib.12.de coniect.vlt.volunt.tit.8.per totum.*

6 Quomodo vt plurimum habere solet.

7 Idem Iul.Clar. vbi supra *num.7.* post alios ibi relatos, & dicit communem.

8 Ex not. per Bart. *in l.si res, de legat.1.* quem refert Guid. Pap. *quæst.127.num.4.*

DEFINITIO X.

QVid si testator posteriore testamento adfirmauerit non recordari se verborum clausulę derogatoriæ, in eamque rem iurisiurandi quoque religionem adhibuerit? Placet credendum esse testatori, etiam non iurato,[1] multo igitur magis si iurauerit.[2] Sed id tum obtinet, cum testamentum ab eo factum est, qui tum in extremis erat constitutus:[3] Aut cum clausulæ derogatoriæ verba sunt implicita & intricata:[4] Aut denique cum ex medij temporis interuallo iusta obliuionis præsumptio induci potest, quod euenit non solum si decennium intercesserit,[5] sed & si multo breuius temporis spatium pro personarum, & temporum, & clausularum varietate æstimandum.[6] Sane quoties à notario scriptum est iurasse testatorem omnimodo credendum est scripturæ, nisi paratus sit, qui negat de crimine falsi instituere accusationem.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex doctrina Saliceti *in l.sancimus, C.hoc tit.*

2 *L.cum qui decedens 37.§.codicillis*, ibi, *Scilicet cum iusurandum super hoc dedisse testator adfirmauit. de legat.3. l.non omnes 5.§.à barbaris, C.de re milit.*

3 Et ita videtur sensisse Salic. *in d.l.sancimus*, vbi allegat *text. l.hac consultissima, §. at cum humana fragilitas, C. qui test.fac. poss.* Debet enim Doctor quilibet intelligi secundum leges quas allegat.

4 Nam ex decennio placet induci præsumptionem obliuionis *d.l.sancimus*, vbi not. *C.hoc tit.* Bart. *in l.si id quod, & in l.si de eo, §.si forte, num.4.D.de acq.pos.*

6 Nam ex quanti temporis curtu præsumenda sit obliuio est in arbitrio iudicis. Idem Bartol. *ad l.furtum 37.§.fundi, de vsucap.*

7 Credendum enim omnimodo est notario in iis, quæ attestatur coram se gesta esse, Bart. *ad Auth.si quis, num.8.C.de edend. ex §.nos autem, Neuel.de tabel.*

DEFINITIO XI.

De testamento, vt vocant, iurato: Et quid si etiam posterius sit iuratum.

SEd & si prius testamentum iuratum proponatur, id est, tale quod testator iurauerit velle se supremum esse, receptum est eam esse vim iurisiurandi, vt impediat ne per subsequens testamentum tollatur primum, si non in secundo specialis reuocatio facta sit iuramenti,[1] quippe quod vim habeat clausulæ derogatoriæ.[2] Sicut ex contrario si in primo testamento adiecta esset clausula derogatoria sine iuramento, posterius autem iuratum esset, præualeret posterius, etiam in quo nulla mentio facta esset clausulæ,[3] quia iuramentum habet vim specialis expressionis.[4] Quid ergo si vtrumque fuerit iuratum? Præualebit prius. Iuramentum namque in posteriori appositum prodesse tantum potest ad supplendum defectum non expressæ clausulę derogatoriæ, sed non ad hoc, vt iuramentum illud in priore testamento adhibitum habeatur pro expresso & reuocato in posteriore,[5] alioqui prorsus inanis & nullius momenti aut effectus esset iurisiurandi prioris interpositio.[6] Apparet autem ex superioribus multum interesse, an posteriore testamento in id adhibitum sit iurisiurandum, vt testator affirmet illam esse vltimam suam voluntatem,[7] an vero, vt persuadeat oblitum se clausulæ derogatoriæ, quam priore testamento adscripserat.[8] Non enim consequens est, vt hoc posteriore casu oblitus etiam videri debeat prioris iurisiurandi.[9] Quia sicut aliud est iusiurandum, aliud clausula derogatoria,[10] licet iusiurandum quoque habeat vim clausulæ derogatoriæ, sic aliud est non meminisse iuramenti, aliud non meminisse clausulę,[11] & longe faciliot præsumptio obliuionis huius, quam illius, quoniam formula certis & præscriptis verbis concepta est, quorum memoria facillime excidere potest.[12] Iuramentum vero non item,[13] vt proinde videatur omissio illa prioris iurisiurandi facta defectu non tam memorię, quam voluntatis.[14] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1. Iul.

BIU Cujas

1 Iul Clar. *quæst. 99. num. 7. in fin. & quæst. 94. num. 5.* post Bart. *in l. si quis 27. num. 15. de leg. 3.*

2 Clar. & Bart. *ibid.*

3 Idem Clar. *d. qu. 99. num. 10.* post Bald. *in l. sancimus post num. 7. C. hoc tit.*

4 Gloss. *in l. cum pater 77. § filius matrem per ill. text. de leg.* 2. Bald. *in l. prima col. pen. C. commod.* Boer. *quæst. 3. num. 4. & 6.* vbi notat hoc locum non habere si sit defectus substantiæ & consensus, sed tantum si detectus sit solemnitatis omissæ, ex Bart. *in l. si quis pro eo de fideiuss.*

5 Ne alioqui eueniat, vt plura singularia concurrant circa idem contra vulgare nostrorum brocardicum *ex l. 1. C. de dot. promiss. l. eum qui 30. D. de iureiur.*

6 Quod esset absurdum, cum duo vincula sint fortiora vno, *vulg. l. pen. C. de adopt.*

6 Quomodo sit in omnib. testamentis, quæ adeo pragmatici vulgo iurata appellant.

8 Vt in specie *Defin. præced.*

9 Probatio enim debet esse concludens, nec probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse, *vulg. l. neque natales, C. de probat. l. non hoc, C. vnd legit.*

10 Neque enim conuertuntur, quia iusiurandum quidem habet vim clausulæ derogatoriæ, sed non æque clausula derogatoria vim iurisiurandi.

11 Vulgatum porro est ex diuersis non inferri, *vulg. l. Papinianus 20. D. de minor.*

12 Est namque difficilior memoria verborum, quam rerum, quomodo & rerum mobilium difficilior est, quam immobilium, *l. peregre 44. l. si rem mobilem 47. D. de acq. poss.*

13 Quia cum is qui facit contra proprium iusiurandum sit periurus, tam difficile videtur, vt quis sit immemor proprij iurisiurandi, quam vt sit immemor suæ salutis, quod tamen non facile de quoquam præsumitur, *l. fin. C. ad l. g. Iul. repet.*

14 Nisi testator adfirmauerit non recordari se an iurauerit, quo casu ei credendum esset etiam non iurato, vt dixi *in prim. Defin. præced.* Cæterum de his omnibus vide quæ scripsi *in Err. 23. & 24. Decad. 39. de error. pragmat.*

DEFINITIO XII.

Testator, qui contra quam iurauerat facit aliud testamentum, periurus est, si non impetret absolutionem.

OBseruandum tamen est, quoties prius testamentum iuratum proponitur, testatorem si aliud subinde testamentum faciat, licet iusiurandum à se prius præstitum exprimat, & reuocet, periurum tamen esse, ideoque necessariam esse absolutionem. [1] Ergo vt periurij crimen euitetur, præsertim in testatore moribundo, nec vt credibile est immemore salutis æternæ, [2] quique absolutionem numquam petierit, [3] præsumendum est defectu voluntatis potius, quam per obliuionem omissam esse in posteriore testamento expressionem indiuidaam clausulæ derogatoriæ & iuramenti. Alioqui non ex eo solo euitaretur crimen periurij, quod testator oblitus esset præstiti à se iuramenti, [4] multominus ex eo solo quod oblitum se diceret, [5] præsertim si eo tempore testaretur, quo prorsus improbabilis esset obliuionis præsumptio, vt puta sex aut ad summum decem tantum diebus à præstito iureiurando elapsis. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Vt contra Bartolum magis communiter receptum esse ait Iulius Clarus *in § testamentum, quæst. 94. num. 4.* post Alex. *cons. 18. num. 2. lib. 2.*

2 *L. vlt. C. ad leg. Iul. repet.*

3 Quæ petenda certe est quoties iusiurandum seruari potest citra dispendium salutis æternæ, *cap. debitores, c. cum contingat & pass. Extr. de iureiur.*

4 In re siquidem tanti momenti vix est, vt infirmitas memoriæ possit excusare: & omnino periurium incurritur quoties iusiurandum violatur, siue ante, siue post obliuionem iurisiurandi id contingat.

5 Alioqui erit in potestate iurantis, vt non peieret, tamet si sciens & prudens faciat contra id quod iurauit, quod sane absurdum esset, *arg. l. inter 83. § 1. D. de verb. oblig.*

6 Non enim verisimilis est obliuio facti proprij tam recentis, *l. quamquam 7. D. ad SC. Velleian.*

DEFINITIO XIII.

Testamentum posterius factum in fauorem eius, cuius odio fuerat in priore inserta clausula derogatoria, non potest valere, maxime factum in domo ipsius instituti.

CVm in priore testamento adposita esset clausula derogatoria, non tantum vt prius testamentum omnimodo valeret, sed in eam quoque nominatim causam, vt sibi testator prospiceret aduersus periculum, quod videbat imminens, futuræ abductionis in domum Sempronij, præuidens fore, vt in domum Sempronij translatus aliud testamentum in fauorem Sempronij facere cogeretur, [1] secuta vero post tres aut quatuor dies abductione aliud testamentum condidisset, quo Sempronius ipse institutus erat, [2] Non dubitatur quin testamentum illud posterius non aliter defendi posset, quam si apertissimæ extarent probationes mutatæ tam cito & sine causa prioris in posteriorem institutum voluntatis. [3] Minus enim fauorabilem esse decet causam huius, quem testator heredem habere noluerat, & cuius solius odio clausulam derogatoriam in priore testamento adiecerat, [4] quam alterius cuiuscunque de quo tum non cogitasset. [5] Nam si quoties clausula derogatoria quælibet in priore testamento adiecta est, præsumptio iuris nascitur, quod secundum testamentum, in quo non sit illi clausulæ sufficiēter derogatum, ad suggestionem importunam alterius confectum fuerit potius, quam ex voluntate testatoris. [6] Quanto magis capienda erit illa præsumptio in odium Sempronij, quem testator paulo ante solemniter dixerit, nolle sibi vnquam heredem esse? [7] Præsertim habita etiam, vt plerunque habenda est, [8] ratione loci in quo testamentum conditum proponebatur. Nam quemadmodum, si testator posterius testamentum fecerit apud acta, dicimus potiorem eius causam esse quam primi licet habentis clausulam derogatoriam, idque propter vim & auctoritatem actorum, quod credendum non sit voluisse testatorem coram personis publicis actum, vt aiunt eluforium facere. [9] Ita ex contrario non potest non suspectissimum esse testamentum posterius factum in domo instituti, [10] quum hæredem habere paulo ante testator noluerat, & à quo futuram coactionem verebatur. [11] Finge illud etiam accedere, quod posterius testamentum is præsentibus & adhibitis testibus factum sit, qui abductionem interminati fuerant, & quos idem testator cum prius testamentum conderet, molestos sibi atque importunos iam fuisse dixerat. [12] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Hæc vero prima & vera causa fuit, quæ induxit vsum istius clausulæ derogatoriæ.

2 In cuius nominatim odium clausula derogatoria fuerat adiecta in priore testamento.

3 Probatio enim mutatæ voluntatis semper incumbit ei qui dicit mutatam, *l. eum qui voluntatem 22.* iunct. *l. 3. D. de probat. l. non ad ea 89.* vbi Doctores *D. de cond. & demonst.*

4 Vt & in specie *l. si mihi & tibi 12. § vlt. de leg. 1.*

5 Hoc enim casu potest locum habere iuris regula; Expressa nocent, non expressa non nocent. Si quidem nemo credendus est eos vocare aut excludere voluisse, de quibus non cogitauit, cum generales clausulæ numquam extendantur ad incognita, *vulg. l. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9. § vlt. D. de transact.* Et non potest negari, quin is qui priore testamento derogat posteriori per clausulam derogatoriam hoc ipso cogitet saltem in genere de iis omnibus quos instituturus est in posteriore. Sed tamen illud semper verum est, cogitationem illam generalem minus efficacem esse quam specialem, quia specialia magis afficiunt quam generalia.

6 Vt loquitur Iul. Clar, *quæst. 99. num. 4. in fin.*

7 Nam quo quis suspectior testatori fuit, eo & odiosior iudici esse debet.

BIU Cujas

8 Multum siquidem interest quid, quo tempore, & quo loco fiat, in eoque potissimum æstimando boni iudicis officium & prudentia versatur.

9 Ita Clar. *dict quæst. 99. num. 11.* post Baldum *in l. sancimus num. 6. C. hoc tit.*

10 *Arg.* eorum quæ notantur per Alex. *cons. 156. vol. 2.*

11 Nam & timor ipse coactionis pene coactio est, *l. nouissime 7. §. 1.* vbi Bald. *D. quod falsi tutor. auctor.*

12 Hæc vero facti circumstantia magnam coniecturam præbebat secutæ coactionis & violentiæ. qui enim minatus fuisse probatur, quidni minas quoque excutus esse facile præsumatur?

DEFINITIO XIV.

Clausula derogatoria inutilis est, si probetur secuta mutatio voluntatis.

NVllius momenti est clausula derogatoria, si probetur testator in posteriore testamento mutasse voluntatem, [1] ac multo magis si eius mutandæ causa superuenerit, siue ex verbis in secundo testamento appositis, siue per testes, aut ex qua alia scriptura probetur mutatio voluntatis. [2] Pone testatorem cum posterius testamentum dictaret palam declarasse, quod pœniteret se prioris testamenti, eamque pœnitentiæ suæ rationem expressisse, quod in eo scriptus hæres ab illo tempore minus se obseruantem & officiosum erga testatorem præbuisset. [4] Sine dubio posteriore testamento scriptus præferretur. [5] Sed si quis in vtramque partem probationum conflictus esset, ex quo ambiguitas aliqua emergeret, non tantum iuris, sed etiam voluntatis defuncti, vtriq; præferri deberet, qui priore scriptus esset. [6] Nam quæcumque nostri tractant de posteriore testamento defendendo, quod sit reuocatorium primi habentis clausulam derogatoriam, haud dubie tum obtinent cum nulla suggestionis aut coactionis suspicio probabilis subest, cuius probatio aut coniectura aliunde capi possit, quam ex clausula derogatoria. Suspicionem enim quantulamcunque à posteriore testamento prorius abesse necesse est, [7] ea maximè facti circumstantia concurrente, de qua diximus, vt posterioribus tabulis institutus is reperiatur, cuius odio, ne institui postea vtiliter posset, adiecerat testator clausulam derogatoriam in prioribus. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ita ex communi nostrorum sententia concludit Iulius Clarus *dict. §. testamentum quæst. 99. num. 8.* post multos quos ibi citat.

2 Potest enim quocumque probationis genere probari mutatio voluntatis etiam per coniecturas & indicia. *l. 3. §. vlt. D. de adim. legat. l. qui ex liberis 11. §. testamente, D. de bonor. poss. secund. tabul.*

3 *Arg. l. si quis in princ. 22. D. de legat. 3.*

4 Quidni enim possit reuocari testamentum ex causa ingratitudinis, ex qua etiam donatio inter viuos perfecta reuocari posse, *l. vlt. C. de reuoc. donat.*

5 Vt non tantum posterior scriptura, sed etiam posterior voluntas prævaleat. *d. l. si quis in princ.* Voluntas enim illa est, quæ totum facit, *d. l. si mihi 12. §. vlt. de legat. 1.*

6 Tanquam si supremam haberet pro se voluntatem, *d. §. vlt. & dict. l. si quis.*

7 Ex notat *in d. l. si quis in princip.* & per Clar. *dict. qu. 99. per tot.*

8 Ex iis quæ dixi *Defin. præced. nu. 2. 3. & 4.* Difficile enim est, vt ad hereditatem ex testamento is admitti debeat, de quo nominatim excludendo testator cogitauit, *l. 2. §. si consulto l. si ita 8 §. is autem, l. qui ex liberis 11. §. vltim. D. de bonor. poss. secund. tabul.*

DEFINITIO XV.

Clausula derogatoria, quæ respicit & facultatem testandi & voluntatem, inutilis est quantum ad facultatem, valet tamen quatenus respicit voluntatem.

IN eadem facti specie quærebatur, an valeret clausula derogatoria adiecta in priore testamento, quo testator dixerat, velle se prius testamentum adeo valere, vt quamuis testamentum aliud posteà faceret, in quo expressa essent verba illa: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur* (quibus verbis clausulam derogatoriam eodem testamento conceperat.) Imo etsi voluntatem quoque mutaret, nihilominus prius testamentum ratum esset. [1] Non deerant qui putarent ob eam clausulam, qua testator omnem sibi facultatem mutandi testamenti præripuisset, totam clausulam derogatoriam, [2] & iusiurandum in eandem causam adhibitum [3] reiici debere, nullamque prorsus habendam eius rationem. [4] Ideoque omnimodo succedere iuris regulam, quæ vult prius testamentum rumpi per posterius ipso iure. [5] Iidemque ex clausula illa insolita & reprobata inferebant prius testamentum ex hæredis in eo scripti potius, quam ex testatoris arbitrio conscriptum fuisse, cum testator adolescens penitusque iuris ignarus tot clausulas insolitas verisimiliter de suo ingenio exquisiturus non fuisset. [6] Contra respondebatur, vel ex ea maxime clausula, quæ à iure improbata esset, conici posse non ex consilio iurisperiti alicuius, sed suo marte testatum fuisse testatorem. [7] Nec ex iurisiurandi interpositione contrarium suaderi, quia nemo sit tam rudis & imperitus, qui nesciat magnam vim esse iurisiurandi ad confirmandum testamentum. [8] Quinimo inueteratus vulgi & imperitorum error est, testamentum iuratum nullo modo reuocari posse, quæ etiam multorum interpretum sententia fuit, [9] frequentiore licet aliorum calculo improbata. [10] Sed clausula illa quæ in posteriore testamento adposita fuerat, qua testator declarauerat non recordari se, quibus verbis derogatoriam concepisset, adhibito quoque in eam rem iureiurando, ea vero insolita erat, & quæ à Iureconsulto potius, quam à testatore dictata videbatur. [11] *Placuit* clausulam derogatoriam, quæ duobus modis concipi posset: vno, ita vt respiciat voluntatem, altero, vt respiciat potentiam testandi, si vtroque modo concepta sit, nihil quidem operari & pro non adposita haberi, quod ad testandi potentiam pertiner, [12] sed valere tamen, quatenus respicit tantum voluntatem. [13] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic enim testator in priore testamento scripsisse atque expressim cauisse proponebatur.

2 Certum enim est, neminem posse sibi eam legem dicere, vt non possit recedere à priore voluntate, *l. si quis in princ. 22. de leg. 3.* non magis quam vti ne leges in suo testamento locum habeant, *l. nemo potest 55. de legat. 1.* Nam neque per contractum posset quis præcipere sibi facultatem testandi, *l. pactum quod dotali 15. Cod. de pact. l. ex eo 4. C. de inu. vl stipulat. l. cum duobus 52. alias l. si fratres §. idem respondit so cietatem, D. pro socio.*

3 Non est enim obligatorium contra bonos mores præstitum iusiurandum, *c. non est obligatorium, de reg. iur. in 6.* est autem contra bonos mores huiusmodi iusiurandum, per quod aufertur libera testandi facultas, *d. l. 4. C. de inutil. stipul. l. stipulatio hoc modo concepta 61. de verb. oblig.* In eoque sunt odiosiores pactiones de succedendo, quam de non succedendo, quæ confirmantur iuramento, *cap. 2. de pact. in 6.*

4 *L. non dubium 5. in fin. C. de legib. l. si quis inquilinos 12. §. vlt. de legat. 1.*

5 *§. posteriore, Instit. quib. mod. testam. infirm. l. sancimus 27. C. hoc tit. l. si quis in priore 29. D. ad SC. Trebel.*

6 Qui enim faciunt testamentum sine iurisperito, non solent tam insolitas & exquisitas clausulas congerere, ex quibus etiam dolus & simulatio soler præsumi.

7 Existimant eam fortasse idem quod Lucius ille Titius, de quo *in l. penult. §. 1. l. de leg. 2* pro iure legitimo haberi debere quamlibet sani hominis voluntatem, quod tamen non ita est. Quamquam nec valde sanus videri potest, qui ex legibus contra leges testatur, *argum. l. auxilium 37. D. de minor.* Videtur enim ludibrio habere leges, vt loquitur Iustin. *in l. vlt. §. vlt. C. de ben. qua liber.*

§. Vt &

BIU Cujas

8 Vt & ad confirmanda cætera etiam quæ ipso iure non valent, *Auth sacramenta*, vbi not. *C. si aduers. vendit. c. 1. Extr. de pact. in 6.*

9 Nempe Alberici & Canonistarum, vt refert Iul. Clar. *in d. §. testamentum, quæst. 94. num. 3.*

10 Vt refert & attestatur Clar. *ibid.*

11 Cum sit in illa magna & præcipua cautio ad impediendam clausulæ derogatoriæ vim & potestatem, vt diximus *Defin. 10. & 11.*

12 *d. l. si quis in princ. de leg. 3.* & aliis supra citatis.

13 Vt vtile per inutile non vitietur, quando alterum ab altero separari potest, *vulg. l. placuit 29. D. de vsur.* iunct. *l. vsuras 20. eod. tit.* Adde tradita per Iul. Clarum *d. quæst. 99. num. 2.*

DEFINITIO XVI.

Valet reuocatio prioris testamenti, in quo plures fuerant heredes instituti, etiamsi in posteriore non nisi vnius heredis mentio facta sit.

ALia fuit quæstio cum in priore testamento plures instituti essent, & in clausula, quam testator in posteriore adiecerat prioris reuocrndi causa, vnius dumtaxat ex institutis mentio facta esset, an sufficiens reuocatio videretur?[1] Erant enim qui negarent, propterea quod sicut institutio nominatim facta fuerat, ita reuocationem nominatim quoque fieri oporteret, vt dissolueretur vis testamenti eo prorsus modo, quo fuerat colligata.[2] Item quod vnius tantum institutione reuocata, si valeret reuocatio, consequens esset, testatorem aut cum duobus testamentis decessisse,[3] aut pro parte testatum, pro parte intestatum.[4] Sed tamen verius visum est valere reuocationem, si modo constet, de quo testamento reuocando testator senserit, quod ipsum constat satis, quoties vnum dumtaxat testamentum præcessit,[5] & quæ in eo appositæ fuerat clausa derogatoria, in posteriore expressa est, aut quid aliud quod facere possit, vt habeti debeat pro expressa. Reuocato namque testamento, cuius vis naturaque indiuidua est,[6] fieri sane nequeat, vt illius ex hæredibus in eo scriptis institutio defendatur. Nam & ex contrario valeret reuocatio prioris testamenti, in quo Mæuius solus scriptus esset, quamuis testator in posterioribus tabulis scripsisset reuocare se testamentum, in quo Mæuium & Caium hæredes scripserat, dum ne aliud testamentum extaret in quo ambo scripti essent. Potius enim ex eo testatoris errore præsumenda esset obliuio eorum, quæ in priore testamento continerentur.[7] In proposita autem specie tanto minorem res habebat dubitationem, quod testamento comprehensam reuocauerat.[8] Neque vero exhæredationi, quam nominatim fieri debere constat similis est reuocatio institutionis collatæ in extraneum, quia reuocato testamento tota defuncti voluntas, quæ in eo scripta fuerat, irrita constituitur.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quasi reuocatio quantum ad vnum ex institutis includeret confirmationem quantum ad cæteros. *Arg. l. cum prætor 11. D. de iudic. l. ex eo 18. D. de testib.*

2 *Arg. Auth. è contra, C. de repud. l. nihil tam naturale 34. de reg. iur. l. prout 80. de solut.*

3 Quod solis militibus concessum est ex priuilegio, *l. quærebatur 19. D. de test. milit.*
Quod similiter paganis omnibus interdictum est, *l. in nostrum 7. de reg. iur. & d. l. quærebatur. l. miles 41. eod. tit.*

4 Cum non possit dubitari hoc casu, de quo testamento testator senserit.

5 Nec enim potest pro parte valere, & pro parte non valere testamentum, *l. 2. §. prius autem, D. de vulg. & pupill. substit.* imo neque vnquam induci debet diuisio voluntatis, *l. eum qui 18. in fin. D. de his quæ vt indign.* Aliud iuris est cum testator vnius ex heredib. nomen induxit. Nam si illum tantum fraudare voluit quod in dubio præsumendum est, ea inductio cæteris coheredibus non nocet, neque infirmatur totum testamentum, *l. 2. in fin. D. de his, quæ in testam. delent.*

7 Sic enim disputat Guid. Pap. *d. quæst. 127. in fin.* Facit textus elegans *in l. Seia 20. in princip.* in illis verbis, *quos sane post obliuionem testamentariæ scripturæ fecisset. D. de instruct. & instr. legat.*

8 Ex quo apparebat voluisse illum haud dubie totum testamentum infirmare, *d. l. 1 D. de his quæ in testam. delent.*

9 *L. 1. 2. 3. & pass. D. de liber. & posthum.*

10 *§. posteriore, Inst. quib. mod. testam. infir. l si quis priore 29. D. ad SC. Trebell.* Sic è contrario dicimus, semel adita hereditate omnem defuncti voluntatem ratam constitui, *l. si patronæ 55. § qui fideicommissam D. ad SC. Treb.* Denique quamuis dici soleat etiam ex actu nullo colligi voluntatem, *l. vlt. D. de reb. eor. qui sub tutel.* non tamen perinde possis dicere colligi voluntatem testatoris ex testamento reuocato, vt scripsi in *Decad. ib. de error. pragmat.* [Alia est quæstio de reuocatione testamenti solemnis per aliam voluntatem minùs solemnem. De qua vide Guid. Pap. *decis. 200.* secundum quam Senatus noster, vt audio, alias iudicauit. Vide *Defin. 29. infr.*]

DEFINITIO XVII.

Confessio fideicommissi facta in priore testamento, habente clausulam derogatoriam, sit inutilis per reuocationem prioris testamenti postea rite subsecutam.

TItius, cum priore testamento Mæuium hæredem scriberet, eam se ipsius instituendi causam præter cæteras habere dixerat, quod à matre ita facere rogatus, bonisque in omnibus, quæ sibi mater moriens relinqueret, Mæuium instituere iussus esset. Eo testamento postea reuocato per posterius, in quo Titius erat institutus, quærebatur an peti adhuc possent ex causa fideicommissi, vel donationis bona illa materna, aut potius an fideicommissum ex prioribus tabulis probatum,[1] & pro restituto habendum esset,[2] tametsi per posteriores reuocatæ proponerentur: Præsertim cum medio tempore clauium traditio interuenisset, per quam & dominij & possessionis translatio facta videretur?[3] Quidam putabant posse defendi eam voluntatem iure donationis remuneratoriæ & irreuocabilis, cum pleraque ab hærede in testatorem matremque eius beneficia profecta esse constaret,[4] adeo vt debitum exsoluisse, aut quasi permutasse potius, quam donasse testator credendus esset.[5] Sed quia insinuationis statutariæ solemnitas deficiebat, quam constabat in remuneratoriis quoque perinde ac in cæteris donationibus necessariam esse,[6] magis probabant, vt fideicommissi saltem iure defenderetur,[7] quasi sufficiente in eam rem sola filij confessione de matris voluntate,[8] maxime quod ea confessio suspicione fraudis careret.[9] Quænam enim suspicio fraudis subesse potest, cum is, qui confitetur iniũctum sibi à matre aut ab alio fideicommissi onus, liberum de iis bonis disponendi ius & arbitrium habet?[10] Nam & illud regulare est, vt confessio testatoris in tabulis supremæ voluntatis probet, si nihil probetur in contrarium:[11] Adeo, vt & irreuocabilis censeatur, si sit acceptata,[12] & acceptatio etiam tacita sufficiat, quæ vel ex sola scientia conijci possit,[13] vel ex subsecutis & gestis per eum in cuius fauorem facta fuit confessio.[14] Eaque sententia[15] mihi non improbabilis videbatur. Etsi enim, vt heredem quis sibi hunc vel illum instituat iuberi nemo potest, Senatusconsulto tamen iam olim inductum fuit, vt ea verba pro fideicõmisso accipi debeant, acsi qui ita locutus est de restituenda sua hereditate rogasset heredem.[16] Cumque ius fideicommissi à matre imperati nihil cõmune haberet cum filij testamento, (siquidem à legitimis æque ac à testamentariis filij heredib. præstandum esset[17]) consequens videbatur, vt non eo minus ex eiusmodi confessione

BIU Cujas

actio fideicommissi competeret, quod prius testamentum reuocatum esset. [12] Neque vero nouum videri poterat, vt ex testamento etiam nullo voluntas declararetur. [19] Essi autem longe facilius est, quod paciscuntur, vt ex testamento nullo, quam vt ex reuocato voluntas declaretur, quia quod reuocatur ex ipsa testatoris voluntate fit irritum, non sicut quod nullum est, ex sola iuris potestate: [20] Ea tamen reuocatio non potest afficere, nisi ea, quæ ex reuocantis voluntate pendebant: [21] in quorum numero vtique non est fideicommissum, quod filio eidemque testatori à matre iniunctum sit. Onus enim est ab inuito quoque præstandum, [22] tametsi relicti fideicommissi quod ignorabatur confessionem & probationem ab inuito extorquere fideicommissarius non potuisset. [23] Itaque nihil cauæ erat cur permitteretur ei, qui vltro & fideiac conscientiæ suæ exonerandæ gratia professus esset fideicommissum se debere, vt à tali confessione vltro etiam, & sine causa resiliret. [24] Maxime vero secura ipsa quoque fideicommissi restitutione, [25] vt in proposito per clauium traditionem, [26] cum & solo verbo restitui possit hæreditas. [27] *Senatus* tamen contra putauit, & vniuersam hæreditatem siue vlla fideicommissi detractione ad illum qui posterioribus tabulis scriptus erat pertinere pronunciauit, hac vna ratione motus, quod reuocato per posterius priore testamento testator à tota voluntate recessisset, cuius etiam dixerat se pœnitere. [28] Sine quod pro Mæuio afferebatur, variis hæredibus scriptis in diuersis tabulis potiorem esse debere causam eius, cui testator res suas tradidisset exemplo eius quod de pluribus emptoribus cautum est, [29] omnino absurdum & alienum erat. Nam cum testamentum ideo fiat, vt hæredi scripto hæreditas deferatur, apparet non posse tradi hæreditatem ab ipso testatore, [30] cuius nec vlla esse in elligitur quamdiu ille viuit. [31] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. cum quis decedens 37. §. codicillis, de legat. 3. l. Publia 26. §. vlt. D. de posit.*

2 Saltem ex æquitate illa canonica, de qua Baldus *in c. in præsentia, Extr. de probat.*

3 *Arg. l. claudius 74. D de contr. empt. l. 1. C. de crimin. expil. hered. l. cum pater 77 §. pater pluribus de leg. 2.* Oldrad. *cons. 208.* Innoc. *in cap. 2. de fid instrum.*

4 *Argum. l. Aquilius Regulus 27. D. de donat. l si pater 34 §. 1. eod.*

5 *L. sed etsi lege 25. §. consuluit, D. de petit. hered.* Ita vt neque ex causa ingratitudinis reuocari posset huiusmodi remuneratoria donatio, *si pater 34. §. 1.* vbi not. *D. de donat.* Alex. *cons. 41. lib. 4. & cons. 55. vol. 1.*

6 Quia lex municipalis generaliter loquitur de donationibus omnibus insinuandis, & consequenter etiam de remuneratoriis, ac de iuratis. Quamuis ex iuris ratione aliud sit, *d. Aquilius*, vbi not. Andr. Tiraq. late *ad l. si vnquam, in verb. donationes largitus, C. de reuoc. donat.*

7 *Arg. d. Aurelius 28. §. vlt in fin. D. de liber. legat.*

8 *Arg. d. l cum quis decedens 37 §. codicillis, de legat. 3. & d. l. Publia 28. § vlt. D. de pos.*

7 Aliud enim esset si confessio facta fuisset à persona suspecta & prohibita, vt *in l. qui testamentum 27. D. de probat. Auth sed iam necesse*, vbi not *C. de donat. ant nup.* Facit. *l. 3 §. tacita, & ibi gl. ff.* Bart. & additio ad Bart. *D. de iur fisc.*

10 Notat Bartol. *in l. Lucius 88. §. quisquis de leg. 1.* Alex. *consil. 152. videtur prius, col. fin. lib. 2.* Dec. *cons. 184.* & pro tenui *sub num. 11. in 2. casu. & in l. Senium, num. 41. Cod. qui test fac. poss.*

11 Bald. *in l. 1. col pen. vers. quæro testator dixit, C. de falsa causa adiect. legat.*

12 Anchar. iunior. *qu 58. num. 2. part. 1.*

13 Bart. *in l. quo enim, D. rat. rem haber.* Dec. *cons. 18.* Cravet. *cons. 16. num. 5.*

14 Felin. *in cap. olim, num. 8. Extr. de rescript.* Curt. iun. *cons 10. num. 9.*

15 Vt nimirum ex priore illo testamento, etiam reuocato induceretur probatio fideicommissi vniuersalis per confessionem heredis grauati.

16 *L. filiusfamilias 114 §. vt quis heredem, d. leg. 1. l ex facto 17 in princ. D. ad SC. Treb.*

17 Tanquam quod fuisset quodammodo æs alienum defuncti aut fatem æris alieni loco, *l. irritum 1. C. ad leg. Falcid. l. cum pater 77. antep. de leg. 2.*

18 Non enim pendebat huiusmodi fideicommissum à voluntate testatoris, vt legata & fideicommissa cætera in eo testamento relicta, sed à voluntate matris quæ hunc testatorem eundemque filium grauare voluerit in suis bonis.

19 *L. vlt. D. de rebus eor. qui sub tutel. vel cur. sunt, licet transferam 17. D. de adim. leg.*

20 Dixi *Defin præced. num. vlt.*

21 In iis enim quæ à reuocantis libera voluntate non pendent reuocatio nihil operatur. *l. 3. §. & pass. C. de reuoc. donat.*

22 Postquam placuit vt fideicommissa quoque vinculum iuris haberent, vt scribit Iustin. initio *tit. de codicill. Instit.*

23 Vt nec in specie *d. l. cum quis decedens 37. § codicillis, de leg. 3 d. l. Publia 26. §. vlt. D. de pos. l 3. tacita de iur. fisc.*

24 *L fideicommissum 62 D. de condict. indeb. l. 1 C. de fideic. si sponsus 5. § pen. D. de donat. int. vir. & vxor. l. 1. l. error 19. C. ad leg. Falcid.* Sublata enim causa testamenti, superest causa pietatis & fideicommissi, quæ omnem impedit reuocationem *arg. l. cum is 32. § mulier D de cond. indeb.* Nam etsi indebitum soluens fideicommissum solui sset, nullam tamen repetitionem haberet, *l. cum qui 2. §. 1. D. de inoffic. testam.*

25 *Vt no. fideicommissum, & d. l. eum qui §. 1.*

26 Ex notatis *num. 5.*

27 *L. restituta 3. D. ad SC Trebell.*

28 Vt in *l si quis in princ. 22. de legat. 3.* Quasi confessio illa fideicommissi magis donandi animo, & ad cautelam impediendi posterioris testamenti in fraudem legum, quam gratia explenda fidei facta videretur. Sunt enim semper suspectæ huiusmodi confessiones, quoties fiunt ad cautionem, siue fiant in actu suspecto, siue ad impediendum aliquem actum suspectum. *d. l. qui testamentum 27. D de probat. d. Auth. sed iam necesse, C. ad de don. ant nupt.* Not *in d. § codicillis.*

29 *In l quo iure 15 C. de rei vindicat.*

30 Esse enim heredem tatem aliquam oportet priusquam restitui possit, nisi in casu singulari & eleganti, *l. filiusfamilias 18. D. ad leg Falcid.*

31 *L. 1. D. de hered. vel act. vend. l. 1. D pro herede.*

DEFINITIO XVIII.

Coniugibus simul testantibus, & superstite suum testamentum reuocante, an prædefuncti testamentum reuocetur, & quomodo liberis qui in priore fuerant instituti prouideantur?

PRoponebatur coniuges vnis eisdemque tabulis ita testatos, vt ex liberis communibus quidam in bonis paternis omnibus soli essent instituti, alij non nisi in maternis. Maritus prior decesserat, postmodum vxor ad secunda vota conuolauerat, & priore testamento reuocato aliud fecerat, in quo tamen nepotes ex filio iam tum præmortuo præ ceteris erat, sed codicillarem clausulam adscripserat, vt si is testamenti posterius illud testamentum non valeret, saltem codicillorum iure defenderetur. Quærebatur de vitibus testamentorum, ac quod ad matris testamentum attinebat, quidam putabant, nec insubtiliter, non eo minus valere, quod vxor suum reuocasset, [1] quasi duo essent testamenta, sicque interpretanda, vt illi etiam ex liberis, qui non nisi in bonis materni scripti fuerant, ab ipso quoque patre instituti viderentur, bonaque illa materna ex parte profectitia censerentur, quod à matre data essent contemplatione patris, [3] qui vicissim eo intuitu bona sua omnia iis reliquerat, quibus nihil datum erat à matre, vt quod ex solis paternis facultatibus haberent, à matre quoque habere existimarentur. [4] Proinde reuocato per matrem testamento (nam si reuocatio nulla fuisset, nec dubitationi locus vllus superesset) dicebant, ita succurrendum esse liberis, qui nihil ex paternis bonis accepissent, vt quantum illi ex materno testamento erant accepturi, tantundem à fratribus consequerentur, ad quos bona patris omnia peruenerant, [6] sicque inter eos

omnia

omnia agerentur, acsi essent instituti ex fundo Cornelliano, qui postmodum euictus fuisset.[7] Non ita tamen, vt maternorum bonorum fieret æstimatio. Quid enim si pluris essent bona materna, quam paterna? Quis æquum putaret nihil ex paternis bonis remanere penes alios, quibus paterna omnia fuerant relicta?[8] Sed ita, vt comparatione facta paternorum & maternorum ac si vna esset hereditas similis distributio fieret paterni patrimonij inter communes liberos, quæ & paterni & materni facta fuisset, si nulla reuocatio secuta esset: Vt si paterna bona bessem efficerent, materna trientem, ex paternis bes institutis à patre, triens institutis à matre deberetur.[9] Aliis placebat nihil ex bonis paternis aufferendum iis, quibus pater omnia sua reliquerat, nisi quantum ad aliorum legitimam necesse esset.[10] Quæ sententia aperte iniqua erat, eum fieri posset, vt pater eos magis dilexisset, qui ex maternis tantum bonis scripti essent. Quid enim si nihil iis reliquerat, ob hoc solum, quod sciret materna bona longe pluris esse quam sua? Plus vtique iis relicturus, quam aliis si solus testatus fuisset?[11] Dicebam non vnum quidem testamentum videri debere, sed duplex, cum & duorum hominum testamenta essent, & duarum hereditatum:[12] Sed tamen negari non posse quin alterum alterius contemplatione factum fuisset, &, vt nostri loquuntur, quin essent correspectiua. Siquidem apertum est neutrum ex coniugibus ita testaturum fuisse, si de bonis suis solus testatus fuisset, vt quibusdam ex liberis totum patrimonium, aliis vero quos non exheredabat nihil relinqueret.[13] Cui consequens esse dicebam, vt reuocato per alterutrum ex coniugibus testamento aliud quoque omnimodo reuocatum videri deberet, vt contingit in actibus omnibus correspectiuis, destructo vno alterum quoque destrui.[14] An ergo fatendum erit licere superstiti coniugi voluntatem præmortui coniugis circumuenire reuocato testamento eo tempore, quo suum reuocare nequeat is, qui iam est defunctus? Vtique. Id enim tolerabilius est,[15] quam vt adimatur superstiti libera testandi facultas,[16] quam sibi adimere nemo potest.[17] An potius imputandum est præmortuo, cur id testamenti genus elegerit, quod tam facile & in necessaria alienæ voluntatis consequentiam euerti posset?[18] Quam ob causam si subtilius intueare, vix est vt huiusmodi testamenta valere debeant, quippe quorum validitas non solum ex alieno arbitrio pendeat,[19] sed etiam ex morte alterius quam testantis. Cum enim ceterorum testamentorum commune ius illud sit, vt testatoris morte confirmentur,[20] hæc contra non nisi vtriusque coniugum morte confirmari possunt. Confirmatum enim testamentum dicitur, quod rumpi vel irritum per se fieri amplius non potest.[21] Indeque fit fortasse, vt in libris nostris nullum extet aut exemplum, aut vestigium huiusmodi testamentorum, quæ sane alia etiam ratione videntur nullius esse momenti quod sint captatoria.[22] Solent enim vt plurimum fieri; id agente vno ex coniugibus, vt alterius coniugis captet voluntatem, multorumque error ille est, quod existimant hac ratione fieri posse, vt superstitis coniugis testamentum sit prorsus irreuocabile altero coniuge prædefuncto; cum ex contrario fiat, vt præmortui coniugis testamentum hoc ipso reuocetur, quod superstes coniux suum reuocat. *Ita tractatum est ant. Cal. Febr. 1595.*

1 Quod enim reuocatum non fuit cur stare prohibeatur *arg. l. sancimus 27. C. de testam.*

2 Sicut & duæ sunt hereditates. Necenim duarum personarum aut vna hereditas esse potest, aut vnum testamentum, nisi cum tractatur de substitutione pupillari *l. 2. §. prius autem, D. de vulg. & pupill. substit. l. paterfamilias 28. D. de reb. auctor. iudic. possid.* Etsi nec de hoc videtur satis inter veteres constitisse, vt apparet *ex l. 1. D. si cui plus quam per leg. falcid. & §. igitur, Instit. de pupill. substit.*

3 *Argum. l. sed si plures 10. §. in adrogato.* vbi not. *D. de vulg. & pupill. substit. l. 5. §. quod si quis patri, & §. sed si pater, in fin. D. de iur. dot.* Iunge *l. filiofamil. 42. de condit. & demonstr. l. dotem 6. D. de collat. bonor.*

4 Quasi compensatione inuicem facta, *vt in l. cum pater 77. §. Titio antep. de leg. 3. l. si debitor 12. D. ad leg. falcid.*

5 Quia vtrumque testamentum sine dubio valeret, si aliud nihil obstaret.

6 Ita enim videbantur omnia suæ æquitati restitui seruata inter communes liberos eadem proportione, quam testator seruari præceperat. Cum enim voluntas testatoris præcise seruari non posset, seruanda saltem est per proportionem quantum fieri potest, vt à voluntate quam minimum recedatur, *l. quoties 9. §. si duo, & l. seq. D. de hered. instit.*

7 Quo casu euictionem præstare deberent coheredes saltem per officium arbitri familiæ erciscundæ, *l. cum pater 77. §. euictis.* vbi not. *de legat. 2. l. heres 72. ad SC. Trebell.*

8 *Arg. l. ventre 84.* in illis verbis *nonne iniquum erit de acquirendo.* Facit *l. verbis 7. in fin. de vulgar.*

9 *Arg. d. l. 9. si duo, & l. si alterius 10. D. de hered. instit.* Melior textus est *in l. scriptum 13. D. de liber. & posthum.*

10 Vt dici solet cum agitur de reuocanda inofficiosa donatione collata in aliquem ex liberis secundum interpretum nostrorum distinctionem *ad l. si totas 5. & l. si iniqueat 8. C. de inof. donat. l. Titia Scio 87. §. Imperator, de leg. 2.*

11 An non sit iniquum decipi patrem, qui melius de matre præsumserat, *arg. l. vnum ex familia 67. §. vlt. eod. l. Pamphilo 39. in princ. de leg. 3.*

12 Secundum ea quæ dixi *num. 2.*

13 Cum parentibus ita liberum sit arbitrium diuidendæ inter liberos hæreditatis, vt tamen non minus legitima portione habere debeat quisquis sibi conscius est pietatis, *l. parentibus 8. C. de inofficios. testam.*

14 Text. est elegans *in l. cum te 6. C. de pact. inter empt. & vend.* Sic è contrario correlariuorum posito vno, aliud quoque ponitur, *l. 1. C. de cupress. lib. 11.* & vnum ex alio interpretationem capit. *l. vtrum 7. §. vlt. de reb. dub.*

15 Quamuis negari non possit quin sit durum, *arg. dict. l. vnum ex familia 67. §. vlt. de leg. 2. l. Pamphilio 39. in princ. de leg. 3. l. si cui 92. vers. neque enim de condit. & demonst.*

16 Nimirum *ex reg. l. quoties nihil sine captione 200. de reg. iuris.*

17 *L. si quis in principio 23. de leg. 3. l. pactum quod dotali 15. C. de pact. cum similibus.*

18 Potuit enim & debuit prospicere posse hoc euenire, *vt in l. si quis domum 9. §. 1. D. locat.*

19 Contra *l. illa institutio 32. de hered. instit.*

20 *L. 1. l. lege Cornelia 12. D. qui testam. facer. poss. l. lex Cornelia 28. de vulg. & pupill. substit.*

21 Sed tantum destitui ob non aditam ex eo hereditatem, *l. 1. D. de iniust. rupt.*

22 *dict. l. illa institutio, l. captatorias 70. & seq. D. de heredib. instit.*

23 Cum vnum sine alio subsistere non possit. [Vide tamen Boerium *quæst. 253. num. 5.* vbi plures citat contra hanc definitionem.]

DEFINITIO XIX.

Ex duobus testamentis correspectiuis si non valeat reuocatorium posterius, neutrum ex prioribus reuocatum intelligitur. Et quid si in posteriore sit clausula codicillaris?

QVemadmodum autem dicimus, facto simul coniugum testamento, si nulla reuocatio secuta sit, vtrumque testamentum valere.[1] Ita in proposita specie, si superstes coniunx testamentum suum reuocauerit, consequens est vt non aliter reuocatum intelligi debeat testamentum præmortui, quam si reuocatorium valuerit.[2] Itaque si quis ex liberis in eo præteritus sit, aut quid aliud desit ex solemnibus, fieri non potest, vt prius testamentum solemne per posterius minus solemne reuocatum videatur.[3] Quid ergo, si in testamento posteriore & reuocatorio adiecta sit clausula codicillaris? Faciet clausula, si ius

BIU Cujas

commune inspicias, vt institutio priore testamẽto scripta conuertatur in fideicommissum. [4] Sed in proposito non idem dici posse, quia licet in potestate sit superstitis coniugis, testamentum reuocare, vt proxime diximus, [5] atque ita efficere, vt prædefuncti quoque coniugis testamentum reuocetur: [6] Tamen codicillos facere, per quos priori testamento aliquid addatur vel detrahatur, non potest: quoniam subsistente priore testamento vtriusque coniugis voluntas districte seruanda est, nec ab alterutro sine alterius consensu codicillos fieri posse æquum est. [7] Proinde facilius conceditur superstiti coniugi, vt aliud testamentum, quam vt codicillos faciat, [8] licet ordinarij iuris sit, vt qui testamentum facere potest, multo magis possit & codicillos. [9] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Sic enim diximus *Defin.praced.num.*5. Neque hoc casu alia dubitandi ratio occurrit, nisi quod huiusmodi genus testamentorum videtur captatorium, vt scriptum est ad finem superioris Definitionis. Sed tamen hoc iure vtimur, vt valeant huiusmodi testamenta si non sint reuocata.

2 Cum non reuocetur testamentum præmortui, nisi in consequentiam reuocationis factæ per superstitem testatorem. Denique testamentum quod non valet ad reuocandum prius, multo minus potest effectum habere alieni testamenti reuocandi, *arg.l.si filius 7 D.de lib.& posth.l.1.de iniust.rupt.*

3 *d.l.si filius, l.si quis eum* 16. *in fin. de vulg. & pupill.subst. & tit.de exhered.liber.Inslit.*

4 *L.3.l.quærebatur* 19. *D.de test.milit.D.de iur.codicill.l.vlt. C.eod.l.pen.§.vlt.de leg.2.cum similibus.*

5 Quia mutandæ supremæ voluntatis facultatem sibi præripere nemo potest, *l.si quis in princip.22.de leg.*3.

6 In consequentiam scil. correspectiui actus, vt ita dicam.

7 Ne alioqui voluntas prædefuncti circumueniatur. Potest enim imputari superstiti, cur non faciat aliud testamentum cum possit, curque coniugis prædefuncti testamentum valere patiatur, quam in totum reuocari munus iniuriosum est, quam ei manenti aliqua ex parte derogari.

8 Quamuis, qui potest à priore voluntate in totum recedere, multo magis possit ex parte, *argum.l.*7.§. *adeo.vers. si igitur, de pact.*

9 *L.Diui* 6.§. *pen.de iur.codicill.*

DEFINITIO XX.

Scriptura per testatorem subscripta & iure testamenti valere iussa, non eo magis valet, si neque manu testatoris hæres scriptus sit, neque eius lingua nuncupatus, vt nec iure codicillorum, si clausula codicillaris desit.

SCriptura quæ aliena manu scripta tanquam testamentum, propria etiam testatoris manu subscripta, hoc addito, quod vellet eam vt testamentum valere, non potest defendi vt valeat iure testamenti, siue in scriptis, [1] quia in eo testamenti genere nomen heredis ab ipso testatore, qui literas scit, scribi oportet; [2] siue nuncupatiui, quia heredem hoc casu ab ipso quoque testatore viua voce & palam nuncupari oportet. [3] Itaque consequens est, vt nullius omnino momenti sit testamentum, [4] nec valeat in vim codicillorum, si non adiecta sit clausula codicillaris, quantuscunque testium numerus adfuerit. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin.2.supr.11.Cal.Iul.1593.

1 Diuersum est, si testamentum manu sua scriptum, licet nec à se nec à testibus subscriptum testator tabellioni tradiderit ad publicandum. Ea namque traditio habet vim duorum testium & publicationis, ideoque valebit tale testamentum inter liberos inter quos duo testes sufficiunt. Vt ex Baldo tractat Boer.*quæst.*14. *num.*11.

2 *L.hac consultissima, C hoc tit.*

3 *L.heredes palam* 21. *qui test fac.poss.*

4 Sane si nomen heredis fuisset scriptum manu testatoris, valuisset testamentum, licet non lectum, si modo in præsentia testium declarasset testator suum id esse testamentum. Idque ex generali consuetudine de qua Boer. *dict. quæst.*16. & 20. vbi vide solemnitates hodie necessarias in testamento in scriptis.

5 *L.*1. *D.de iur.codic.cum similib.* Iunge *Defin.*4.5. *eod.*

DEFINITIO XXI.

Testamentum factum à reo læsæ maiestatis, qui neque viuus neque mortuus condemnatus fuit, valet.

IN reatu læsæ maiestatis constitutus ita demum testamentum facere eo tempore prohibitus intelligitur, si postea condemnatio sequatur, siue viuo illo, siue mortuo: iis nimirum casibus, quibus etiam contra mortuum ferri sententia potest, quod tum demum contingit, cum perduellionis reus fuit, id est, hostili animo aduersus Principem aut Rempublicam animatus. [1] Cæterum si aut nulla, aut absolutoria feratur sententia, nihil est quod testamenti factionem impedire debeat, cum de sua conditione dubitare videri non possit, qui nullius sibi criminis conscius innocentiam suam non ignorat. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Textus est *in l.vlt.D.ad leg.Iul maiest.*

2 *L.si quis post accusationem* 9. *l. qui à latronibus* 13. §. *vlt. D.qui testam.facer.poss.* Nec obstat *l.donationes* 31. §. *vlt.D.de donat.* Ibi enim tractat Papinianus casum illum, quo crimen perduellionis reuera contractum est, & consequenter quo secuta tandem fuit de eo sententia, alioqui nec vere sciri aut dici posset contractum fuisse. Nos enim casum tractamus, quo non appareat contractum fuisse, id est, quo nulla vnquam sententia secuta sit.

DEFINITIO XXII.

Princeps potest præscribere minus solemnem formam testandi, sed non facere vt testamentum ab initio nullum conualescat post mortem testatoris in odium agnati, cui iam fuit quæsitum ius successionis ab intestato.

QVi à Principe facultatem impetrauit testandi coram minus solemni numero testium, si postea ad eam formam testatus sit, quæ à Principe præscripta fuit, vtiliter testatus intelligitur. [1] Etiam in præiudicium eius, qui alioquin siue ex anteriore testamento, siue ab intestato erat successurus. [2] Quoniam licet nemo facere possit, quin leges in suo testamento locum habeant, [3] Princeps tamen potest quod ad solemnitates attinet, quippe quæ sint iuris positiui. [4] Sed si testamentum minus solemniter conditum sit, puta deficiente solemni numero testium, non potest Princeps facere, vt post mortem testatoris conualescat, nec si maxima æquitas id suadere videatur, [5] vtputa, si per ipsius Principis aut magistratus prohibitionem factum sit, ne plures testes haberi potuerint. Ius enim agnato proximo semel quæsitum ei inuito aufferri non potest. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Potest enim Princeps quam vult testandi formam & solemnitatem præscribere, *l.omnium* 19. *C.hoc tit.* cum ius testandi sit ex legibus, *l.verbis legis* 120. *l.lege obtinente* 130. *D.de verb. signif.* Princeps vero sit supra leges, *vulg.l.Princeps* 31. *de legib.* quamuis non facile credendus sit Princeps tot legibus derogare voluisse, *l.si quando* 35. *C.de inoff.testam.*

2 Scilicet ante eius quæsitum alteri, cui nec acquiri potest, nisi post mortem testatoris, cum viuentis neque heres vllus sit, neque hereditas, *l.1.D.de hered.vend.l.*1. *D pro herede.*

3 *L.nemo potest* 55. *de leg.*1.

4 Not *in l.vlt. C si contrarius vel vtilit.public.* Nam & illi ipsi, qui vulgo putant testamenta esse iuris gentium quod ad originem, fatentur tamen esse iuris ciuilis quod ad solemnitatem.

5 Quamuis dici soleat, inter ius & æquitatem positam interpre-

BIU Cujas

Interpretationem, ſoli Principi licere inſpicere, *l.1. Cod. d legibus.*

6 *Fulg.l.id quod noſtrum 11. de reg.iur.l.2.§.merito, & §. ſi quis à Principe ne quid in loc.publ.l.4.C.de emancip.liber.*

DEFINITIO XXIII.

Teſtamentum factum apud acta coram duobus teſtibus valet, ſed non quod factum eſt coram Commentarienſi in carcere.

TEſtamentum quidem quod apud acta factum eſt, duobus teſtibus contentum eſſe creditur, [1] Sed non bene ei comparatur teſtamentum factum in carcere coram Commentarienſi aut caſtri, vt vocant, Capitaneo. Ideoque nec valebit, ſi debitis ſolemnitatibus fuerit deſtitutum. [2] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *L. omnium 19.C. hoc tit.*iunct.*l data 27. C.de donat.*

2 Quia nulla lege conſtitutum eſt, vt huiuſmodi teſtamentum valeat.

DEFINITIO XXIV.

De priuilegio teſtamenti paterni inter liberos.

A Patre inter liberos factum teſtamentum valet licet non habeat patris ſubſcriptionem, ſi modo teſtator id à ſe manu ſua ſcriptum dixerit, duoſque teſtes adhibuerit, [1] poſtquam placuit non plures quam duos teſtes in hoc teſtamentorum genere adhiberi oportere. [2] Quid ſi teſtator non dixerit ſua manu ſcriptum eſſe teſtamentum, & de eo dubitetur? Sufficiet id probari per duos teſtes. [3] Quid rurſum, ſi duo teſtes adhibiti non fuerint, ſed tamen pater teſtamentum ſua manu ſcriptum tabellioni tradiderit ad publicandum? Poteſt ea traditio æquipollere ſolemnitati adhibendorum duorum teſtium. [4] Ideoque & valebit inter liberos teſtamentum. [5] *Sine die.*

1 *L.cum antiquitas in fin.*vbi Bald.Salic.& Caſtr.*C.de teſt. & inl fin.cum ſua Auth.*vbi Iaſ.*C.famil.erciſ.*

2 Boër.*qu.14.num.3.*

3 Boer.*ibid.num.14.*poſt gloſ. *in Auth.quod ſine de teſtam.*

4 Bald.Fulgoſ.& alij *in dict. Authent.quod ſine.* Boer.*ibid. num.11.*

5 Bald.*conſ 396.*incip.*quod ſchedula, vol.4.per text.& gloſ. §.fin.Auth.de teſt.imperf.*

6 Boer.*d.q.14.num.11.& 12.*Iunge *Defin.27. infr.* [Intellige tamen de patre teſtante inter liberos legitimos. Secus ſi inter illegitimos. Aliud in matre cuius liberi ſemper ſunt certi. Iul. Clar.*in §.teſtamentum, quæſt.11.*

DEFINITIO XXV.

Inſtitutus in priore teſtamento habente clauſulam derogatoriam, quæ non fuerit reuocata in poſteriore, præferendus eſt ei, qui in poſteriore ſcriptus fuit.

SI duo teſtamenta proferantur, quorum prius ſit derogatorium poſterioris, nec in poſteriore clauſula illa ſit, quæ priori deroget, [1] pro eo dicendę ſunt vindiciæ, qui in priore ſcriptus eſt, licet dici ſoleat, potiorem eſſe cauſam hæredis poſteriore teſtamento inſtituti, [2] quoniam clauſula derogatoria, quæ in priore continetur, efficit vt in poſteriore voluntas teſtatoris deeſſe videatur. [3] *Ita Senatus* contra N. Franciſcum Poyſat Procuratorem fiſcalem Bugienſis prouinciæ, 30.Maij 1597.

1 Secundum quæ tractant noſtri *ad l.ſi quis in princ.22.de leg.3.*

2 *L.poſteriore, Inſtit.quibus mod.teſtam.infirm l.ſi quis prior 29.C.ad SC Trebel.*

3 *d.l.ſi quis in princ. l.ſi mihi 12.§. vlt.de leg.1.* Vide tamen quæ contra hanc communem Doctorum traditionem de clauſula derogatoria ſcripſi in Hemichiliade *de error.pragmat.*

DEFINITIO XXVI.

Teſtamentum valet factum ruri coram quinque teſtibus, nec in vrbe coram ſeptem, qui ſubſcripſerint, etiam quorum vnus ſit notarius, niſi vel notarius ſtipulatius ſit vel auditi fuerint teſtes.

TEſtamentum ruri factum, quinque dumtaxat teſtibus adhibitis, non valere certum eſt, ſi neque à ruſticano, neque peſtis tempore factum proponatur. [1] Nec tamen ruri factum dici poteſt, quod in ſuburbiis conditum fuit, [2] licet in pleriſque ratio eadem conſtitui ſoleat prædiorum ſuburbanorum & ruſticorum. [3] Sed neque valet teſtamentum, quod à ſeptem teſtibus ſubſcriptum reperitur, ſi notarius inter eos aliquis fuerit, niſi vel ſtipulatus ille ſit tanquam notarius, [4] vel per iudicem auditus fuerit tanquam teſtis, ac ſimiliter cum eo teſtes cæteri, qui dicuntur adfuiſſe & ſubſcripſiſſe.. [5] *Sine die.*

1 Bartol. *in l. conficiuntur 8. de iur. codicil.* Ang. & Paul.de Caſtr.*in l fin.C.hoc tit.*licet contra ſentiat Bald.*ibid.* Alex *conſ. 70.colum.6 & conſ.176.vol.2* Vnde eſt quod ait Bart. *in l.1.de bon.poſſeſ. ex teſt.milit.* caſum hunc egere deciſione Cæſarea, Afflict.*deciſ.25.num 2.& 3.*

2 Afflict.*ibid.num.3.*

3 Gloſſ.*in l, prædium.C.de præd.minor & in l.vrbana prædia.de verb.ſignif.* Bart.*in l.conficiuntur.D.de iur.codicil.*

4 Afflict.*d.deciſ 25.nu.4.* Alex *conſ.176.col 3 vol.2.*

5 Afflict. *d.num.4.* poſt Ioan.de Imol. & communiter Doctores *in l.heredes palam,§.1.D.de teſtam.*

DEFINITIO XXVII.

Teſtamentum patris imperfectum ratione voluntatis non ſuſtinetur inter liberos: ſuſtinetur tamen quantum ad legata relicta ad piam cauſam ex voto, vel in exonerationem conſcientiæ.

PAter, qui filium vnicum, filias vero plures habebat, teſtamentum ſuum propria manu ſcripſerat, ſed quaſi adhibito & interueniente notario, quamuis nullo in ea ſcriptura nominato, annus quoque & dies conditi teſtamenti eiuſdem ſcripturæ nullis ſcriptus & expreſſus fuerat. Sed neque vlli teſtes vlla teſtamenti parte nominati proponebantur. In ea ſcriptura filium heredē ex aſſe pater inſtituerat, ſed quaſi proprio ipſius teſtatoris ore nuncupatum, cui etiam curatores in annum vſque viceſimum nonum conſtituerat, ſed innominatos tamen, & quibus nominandis ſcribendiſque ſpatium in charta reliquerat, filiabus vero legata dederat. Nonnulla etiam in piam cauſam legauerat, partim ex voto, quod à ſe in defuncti fratris memoriam factum eſſe farebatur maritandis ſex virginibus pauperculis in vicem ſumptuum funeris, partim vt à ſe datam prædefunctæ vxori fidem impleret, in certis bonis, quæ à paupere vidua vterque coniugum ante multos annos ex donatione acceperat, eidem viduæ reſtituendis. Cum de iure teſtamenti inter liberos magnis contentionibus certaretur, quaſi valere deberet & inter liberos, & ad piam cauſam, cum de patris voluntate dubitari non poſſet, cuius manu totam eam ſcripturam exaratam fuiſſe conſtabat. [1] Poſtquam placuit in huiuſmodi teſtamentis parentum inter liberos nullas requiri ſolemnitates, ſi modo conſtet de voluntate, [2] cui patere pios liberos omnino neceſſe ſit, [3] hactenus ſaltem vt iure fideicommiſſi ea voluntas defendatur propter clauſulam codicillarem, [4] quæ in huiuſmodi parentum inter liberos teſtamentis tacite interueniſſe creditur. [5] *Senatus* tandem pronunciauit, nullo iure teſtamentum valere, neque tanquam in ſcriptis, quod à teſtatore ſcriptum eſſet ea mente, vt fieret nuncupatiuum; [6]

BIU Cujas

neque tanquam nuncupatiuum, quod nuncupationem nullam nullosque testes habere proponebatur.[7] At neque iure intestati voluntatem illam defendi posse,[8] quod non tantum scripturam, sed etiam voluntatem ipsam imperfectam esse constaret, ac voluntatis destinationem quandam potius, quam voluntatem absolutam dici debere scripturam, quæ ad testamentum dictandum potiùs quam scribendum parabatur[9] vt proinde, nec si expressim adiecta fuisset clausula codicillaris, operari tamen quicquam potuisset,[10] cuius scilicet ea vis & potestas est, vt solemnitatem tantum suppleat, non etiam voluntatem,[11] præsertim cum non subito & improuiso aliquo casu, sed longiore morbo ipsaque senectute oppressus pater decessisset, vt perficiendæ complendæque scripturę otium & facultatem fuisse negari non posset, si voluntas non defuisset.[12] Itaque visum est, paternam hereditatem inter liberos omnes ab intestato ex æquis partibus diuidi opportere,[13] nec eo minus tamen salua esse legata, quæ non modo in piam causam, sed etiam ex voto & in exonerationem conscientiæ facta fuissent: quod non esset credendus vir pius ab ea voluntate vnquam recessisse aut recessurus fuisse, à qua sine manifesto animæ periculo recedere non potuisset.[14] *Ita Senatus* mense Decemb. 1585. Extat Senatusconsultum apud nos percelebre, & clarissimorum Aduocatorum, qui litem perorarunt, luculentæ actiones conscriptæ à clarissimo viro & IC. celebertimo, Dn. Guillielmo Onciaco tum Aduocato, nunc Præside meritissimo & integerrimo.

1 *Ex l. vlt.* iunct. *Auth. si modo. C. famil. ercis. l. hac consultissima* §. *ex imperfecto, C. hoc tit.*

2 Ex not. per DD. in locis supradictis.

3 *L. in testamento* 41. *D. de fideic. libert.*

4 *Argum. l. Scaeuola* 36. *ad SC. Trebel. l. quærebatur, D. de testam. milit.*

5 Bart. & alij *ad l.* 1. *D. de iur. codicill.* De quo tamen vide quæ scripsi *in Hemichiliad. de error. pragm.*

6 Sunt enim hæc genera testandi in scriptis & per nuncupationem & per incompatibilia, *l. heredes palam* 21. *cum not. D. hoc tit. l. in testamentis* 20. *& l. iubemus, eod.*

7 *d. l. heredes palam, & d. l. in testamentis.* Bart. & alij *in d.* §. *ex imperfecto.* [Nec desunt qui putent etiam in testamento in scriptis & inter liberos requiri testes, vt Cuiac. *consult.* 1. Sed malè. Non enim requiruntur vlli, nisi quod ad legata data extraneis vel vxori, vt loquitur *Nouel.* 107. Quod nomine vxoris continetur sanè etiam illa quæ mater est, quamuis contra putet Boer. *quæst.* 241. *num.* 3. sine textu tamen & sine authore. Non quasi sit extranea, sed quia vxor est.]

8 Quomodo haud dubiè defenditur in specie *d. l. vlt. Cod. famil. ercisc. & dicta l. hac consultissima, supr. vlt. C. hoc tit.*

9 *L. si is qui* 15. *l. ex ea scriptura* 29. *D. hoc tit. l. fideicommissa* 12. § 1. *de leg.* 3 Iul. Clar. *in* §. *testamentum, q.* 7. 9. *&* 14. Boer. *q.* 240 *num.* 4. *&* 5.

10 Vt probatur ex iisdem ipsis supradictis locis. Nec obstat *l. vlt.* §. 1. *C. de codicil.* Debet enim intelligi de testamento, quod non fuerit adimpletum in solemnitate, non de eo, quod non fuerit adimpletum in voluntate, alioqui locus ille pugnaret cum aliis supradictis.

11 Decius eleganter *cons.* 205. *in fin.*

12 Nec enim velle quisquam creditur id facere, quod potest facere nec facit, *l. tractabatur* 14. *D. de testam. milit.* iunct. *l.* 3. *C. de inof. testam.*

13 *L. maximum vitium* 4. *C. de liber. prater. Nouel.* 118. *de hered. ab intest. venient.*

14 Vnde est, quod irreuocabilia sunt huiusmodi relicta pro restitutione male ablatorum, si modo relicta sint certis & nominatis personis, Guillielm. Bened. *in repetit. c. Raynutius.* Alioqui certum est, non posse fauorabiliorem esse causam piæ causæ quàm liberorum, adeoque nec tam fauorabilem, vt ex iis constat, quæ tractat Iul. Clar. *d. q.* 7. *&* 9. *in* §. *testamentum,* Iunge *Defin.* 24. 5 [Cæterùm obserua dispositionem §. *ex imperfecto & Auth. quod sine,* non habere locum in patre testante inter liberos illegitimos. Sed habere tamen locum in matre, quia quod ad eam perinde sunt certi, atque si essent legitimi. clar. *in d.* §. *testamentum, qu.* 12. Quod tamen vix possum probare cùm sint illegitimi, etiam quod ad matrem, quæ non magis fauore aliquo digna est, quàm pater]

DEFINITIO XXVIII.

De testamento cæci habente clausulam codicillarem.

TEstamentum quod à cæco factum sit, non aliter valere constat, quàm si præcisè & ad vnguem, vt aiunt, tota illa solemnitas seruata sit, quæ à Iustino præscripta fuit ad falsitates omnes euitandas, quæ hoc casu faciliùs, quàm alio ferè vllo admitti possent,[1] adeò vt nec desint qui putent nullum esse testamentum si priùs data sint legata, quàm fuerit heres institutus,[2] quòd contra legem hoc futurum sit, per quam ita constitutum est non tam pro solemnitate, quæ vtique si leuior esset, negligi posset,[3] quam pro forma, ex qua cùm semper indiuidua sit detrahi nihil potest aut immutari, quin tota corrumpatur.[4] Quamuis contraria sententia obtinuerit tanquam humanior.[5] Cæterùm non aliter constitutioni locus est, quàm si præcisa & absoluta cæcitas probetur,[6] & quidem in ipso præcisè quoque tempore testamenti:[7] Alioqui si qua vel minima dubitatio ex probationibus & testium dictis incurrat, vincet in dubio[8] causa testamenti,[9] præsertim quæ adnexum habet fauorem iuris communis.[10] Nam nec cæcus quisquam præsumitur nisi probetur.[11] At probata cæcitate, nihil proderit adiecta in eo testamento clausula codicillaris,[12] aut quæ creditur æquipollere *omni meliori modo*,[13] quia testamento infirmato nihil quod eo constitutum sit valere contra legem potest,[14] neque iure codicillorum,[15] neque per speciem donationis causa mortis.[16] Quamuis si per se ac separatim codicillos facere aut mortis causa donare cæcus velit, dum ne coram paucioribus quàm quinque testibus,[17] licet ei, non seruata tota solemnitate quam Iustini constitutio, testamentis duntaxat non etiam codicillis,[18] multo minùs mortis causa donationibus[19] præscripsit. Nec enim debuit constitutio noua & odiosa hoc ipso quod aliena est à iure communi ad alias protrahi species non vltimæ voluntatis ad maiorem & odiosiorem iuris communis correctionem.[20] *Ita Senatus* in causa liberorum Iohannis Franciſci du Vergier, & Claudium Puencet, 7. Cal. Iulij 1612.

1 *L. hac consultissima* 8. *C. qui test. fac. poss.*

2 Contra quam hodie obtineat & iure communi, de quo *in* §. *ante heredu, Inst. de legat.*

3 Vt de omissione signi sanctissimæ crucis in solemni inuentario tractat Bar. & alij *ad l. vlt. C. de iur. delib.*

4 Ita Bart. quem alij nonnulli sequuntur *in d. l. hac consultissima.* Præsertim Decius *ibid. num.* 8. *& seqq.*

5 Ex Bald. Castr. & aliis *ibid.*

6 Lex enim ait, *carentes oculis.*

7 Vt qualitas iuncta verbo intelligatur secundum tempus verbi ex *l.* 4. § *si extraneus. D. de noxal. act.*

8 Probatio enim dubia nunquam releuat *vulg. l. neque natales & pass. C. de probat. l. vlt. C. vnd. legit.*

9 *Vt in l. si pars* 10. *D. de inoff. test.*

10 Semper enim ius commune est fauorabilius *l. j.* vbi not. *D. de testam. milit.*

11 Cùm sit qualitas accidentalis non naturalis. Quomodo autem probetur cæcitas, tractat. Bart. *ad l.* 2. *de bon. possess. furios. infr.* & Dec. *vbi sup. num. vlt.*

12 Quia lex etiam de codicillis loquitur.

13 Bart. & *DD. ad l.* 1. *D. de iur. codic. l. pen.* §. *vlt. de leg.* 2.

14 *L. si quis inquilinos* 112. §. *pen. de leg.* 1.

15 Nam de codicillis etiam loquitur constitutio Iustini Addit. Ad Iul. clar. *in* §. *testamentum, q.* 17. ex Ias. *cons.*

16 Nam si non valet, quod ago, vt ago, non valet, vt valere potest, quando agitur de totali dispositione. Not. *ad licet* 19. *C. de pact. & ad l.* 1. *D. de iur. codicil.*

17 Hic enim numerus semper requiritur in codicillis, & in qualibet vltima voluntate, *l. vlt. in fin. C. de codic.* Itemque in donatione causa mortis, *l. vlt. C. de donat. caus. mort.*

18 Intellige quod ad numerum testium duntaxat. Nam in cæteris omnibus lex Iustini obtinet etiam in codicillis ex ipsis verbis legis. Ita contra Baldum Dec. & alij communiter *ad d. l. hac*

ad d.l.hæc consultissima. Mihi tamen opinio Baldi probabilior semper visa est.

19 Quæ licet proximè accedat ad vltimas voluntates, sapiunt tamen naturam contractus, & ideo non veniunt simpliciter appellatione vltimarum voluntatum. Bald. *ad dict.l.consultissima, num.7.* Addit. *vlt.* ad Clar. *dict.quæst.*17. Ioann. Richard. *in comm.opin.* in verb. *cæcus.*

20 Sunt enim odiosa, & consequenter restringenda omnia quæ à iure communi exorbitant *cap.odia.* vbi Canonist. *de reg. iur. in 6. l.præcipimus 32. C. de appellat.* Iure autem communi potest etiam cæcus donare causa mortis. Sola enim factio testamenti ei interdicta est *§. cæcus, Inst. quibus non est permiss. fac.test.* Et consequenter tamen factio codicillorum. *Ex regul. l. Diui 6. §. pen. D. de iur. codicil.*

DEFINITIO XXIX.

De reuocatione testamenti, & piorum legatorum.

CErtum est non reuocari solemne testamentum ex eo solo, quod quis dixerit nolle se testamentem suum valere, nisi solemniter id dixerit coram septem testibus ad hoc nominatim conuocatis & rogatis.[1] Quo tamen casu sunt qui putent illud etiam requiri, vt testator facti sui rationē illam attulerit, quòd velit decedere intestatus. Sed alio iure vtimur.[2] Cæterùm valent legata pia etiam in eiusmodi testamento reuocato data,[3] fauore scilicet piæ causæ, pro qua sunt tam multa passim contra ius commune constituta.[4] Adeò vt nec aliud probandum sit, etiamsi magna præsumptio vrgeat, quod reuocatum sit testamētum propter immodicitatem legatorum piorum, vt liberis hæredibus institutis parceretur,[5] Nisi constet euidenter de voluntate adimendi talia legata pia, quorum quippe fauor nullus esse potest contra testatoris apertam voluntatem.[6] Nam nec debentur si à testatore deleta sint, nullumque eorum hac parte priuilegium est, nisi quod cùm delera sunt, præsumuntur inconsultò delera, vt adhuc debeantur. Quod in cæteris non piis diuersum est.[7] Quo exemplo perinde dicendum est non videri in dubio reuocatum testamentum propter legata pia, multoque magis deberi ea si reuocandi testamenti voluntas, quæ in testatore fuit, etiam ad hoc, vt pia quoque legata reuocarentur, inutilis fuerit, & sine effectu, ne testamentum alioqui iustum & validum, non nisi quod ad legata pia reuocatum esse videatur.[8] *Ita Senatus* in causa Franciscanorum de Cluses, & D. de Charbonieres, licet nullum pronunciatum fuerit Arrestum propter transactionem à litigatoribus interpositam, mense Ianuarij 1613.

1 *§. ex eo Instit. quibus mod. test. infirm.*

2 Secundum sententiam Guid. Pap. magis communiter probatam, *quæst.*200.

3 Guid. Pap. *ibid. ex d.l.3. de his quæ in testam delent.*

4 Quæ omnia diligenter collecta vide apud Andr. Tiraq. *in tract. de priuil. piæ caus.*

5 Quamuis dici soleat maiorem esse fauorem liberorum, quam piæ causæ iuxta illud Augustini, Qui exheredat liberos, vt instituat Christum, alium quærat quàm Augustinum.

6 Voluntas enim illa est, quæ totum facit, *l. si mihi 12. in fin. de leg.1.* Imò sufficit tacita voluntas ad legata reuocanda, vt non debeantur saltem ope exceptionis, *l.3. §. vltim. & l.4. D. de adim. leg.*

7 Tiraq. *priuil.16.*

8 Similis sed contraria ratio est in *l. filium 20. de legat. præst. verſne testamentum.*

DEFINITIO XXX.

Testamentum nuncupatum non reuocatur per cancellationem scripturæ, licet testator habuerit animum reuocandi.

CVm multæ sunt differentiæ inter testamentum in scriptis, & nuncupatiuum, Tum illa maxime, quòd testamentum in scriptis si deletum, vel inductum, vel cancellatum sit, hoc ipso reuocatum intelligitur,[2] si non ipso iure saltē hactenus, vt hæredibus, qui voluntatem non retinuerunt, hæreditas tanquam indignis auferatur.[3] Si verò testamentum fuit nuncupatiuum, non eò minùs subsistit quòd scriptura, quæ de eo ad perpetuam rei memoriam facta fuerat, deleta fuerit, & cancellata. Nec enim scriptura ad huiusmodi testamentorum substantiam pertinet, sed tantùm ad rei gestæ probationem.[4] Itaque cùm testatrix quædam euocato notario, qui testamentum nuncupatiuum exceperat, & iusso adferre secum originalem scripturam testamenti & exemplar ipsum, quasi deletura illud & cancellatura, accepto exemplo quod putabat originale, protinus chartam discidisset ea mente, vt fieret intestata, Visum est nihilomagis reuocatum aut infirmatum esse testamentum, cuius plena probatio per originalem scripturam à notario retentam superetat: Quæ etiamsi extincta & cancellata pariter fuisset, sufficere tamen poterat, vt per testamentarios testes probaretur,[4] Tanto magis quod ab eodem testatore admonita testatrix non fuisse scripturam illam originalem, nec legitimum esse illum modum reuocandi testamenti, si non aliud testamentum, & quidem solemne, aut saltem solemnis reuocatio prioris sequeretur, siluerat testatrix, nec ad alium actum vlteriorem aut verbi aut facti processerat.[5] Sanè tum quoque cùm in scriptis testamentum factum est, accidit aliquando, vt quamuis fuerit cancellatum, non ideo tamen hæreditas scriptis hæredibus auferatur, vt indignis, puta si constet factum id esse odio legatarioꝝ potiùs quàm hęredum institutorum. Quod in dubio præsumendum est, si liberi sint qui fuerunt instituti: tum quoque cùm legata sunt pia si nimis grauia liberis, & immodica proponantur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 De quibus vide *l. in testamentis 26.* & ibi DD. *C. hoc tit.*

2 *Tot. tit. D. de his quæ in testam. delent.*

3 *L. vlt. eod. tit. l. cum quidam 12. & pass. D. de his quæ vt indign. 4. vt in l.4 D. de fid. instr l.4 D. de pignor.*

4 *dict. l. in testamentis, l. heredes palam 21. D. qui testam facer. poss.*

5 Sic enim nostri solent distinguere an testator processerit ad actum verbi an ad actum facti, qui potentior esse solet. Ad *dict. tit. de his quæ in test. delent.*

6 Maior enim fauor est liberorum, quàm piæ causæ, vt dixi *Definit. praced.* Vide tamen *l. in testamento 38 D. de fideic. libert.*]

TIT. VI.

DE HERED. INSTIT.

DEFINITIO I.

De iure accrescendi in persona hæredis instituti ex re certa.

QVIDAM cognatis proximis ex certa re institutis, eo adiecto, vt à reliqua hæreditate penitus excluſi remaneant, hæredem ex asse instituerat masculum, qui ex Sempronio primus nasceretur, cum onere deferendi nomen & insignia testatoris, his verbis additis; *faciendo tamen dictum Sempronium vsufructuarium dumtaxat.* Eo tempore Sempronius nullos liberos habebat, sed in illo tantum erat vt habere posset. Postea vero sacris addictus, desierat habere vnquam posse. Cum proximiores cognati hæreditatem ab intestato peterent, quasi nemo ex testa-

BIU Cujas

mento hæres esset, Sempronius vero diceret hæredem se institutum ex vsufructu, ideoque perinde habendum, ac si institutus esset ex re certa absque cohærede, certatum est magnis contentionibus, vtrum testati causæ in Sempronij persona locus esset, an potius ab intestato cognati admitterentur. [1] Nam quin ex testamento admittendi non essent, licet ex re certa nominatim instituti proponerentur, eo minus dubitabatur, quod eos testator à reliqua hereditate expressim dilerteque excluserat. [3] Iampridem enim ex frequentiore interpretum sententia receptum est, vt ius accrescendi etiam in hæreditate prohiberi possit à testatore, [4] ne contra expressam ipsius voluntatem admittatur, [5] quod non nisi ex testantis iudicio per legem inducitur. [6] Dicebam, non magis posse testatorem prohibere ius accrescendi, [7] quam facere, ne leges in suo testamento locum habeant, [8] cum ius eiusmodi non solum ex tacita hominis voluntate pendeat, [9] sed potissimum ex legis potestate, [10] ad quam, quisquis testatur, voluntatem suam accommodare & creditur & cogitur; [11] non ratione illa, quam stulte plerique adferunt, ne alioqui pro parte testatus, pro parte intestatus decedere videatur, [12] (quid enim si testamentum nullum factum sit? [13]) sed quia ius habendi hæredis omnimodo indiuisibile sit, sicut & repræsentatio illa personæ defuncti, [14] quæ fit per hereditatem primum, deinde per heredem. [15] Sed non tamen huic consequens esse, vt qui ex fundo institutus est, aut ex alia re certa qualiber, alio herede ex asse scripto ius accrescendi habere debeat, cum legatarij loco sit: [16] Inter legatarium autem & heredem tanquam ex diuerso iure succedentes, iuri accrescendi locus esse non possit. [17] Nam quod dici solet, heredem ex certa re scriptum heredis vniuersalis iure censeri, eo demum casu verum est, quo cohæres vel nullus datus sit, vel ex fundo duntaxat, non in hereditate aut parte hereditatis. [18] Proinde cum in proposita specie cognati proximi ex certa re [19] instituti fuissent, alio ex asse herede scripto, dubitari meo iudicio non poterat, quin non nato eo, qui heres scriptus erat, institutio pro non scripta haberetur, [20] & consequenter institutio ex re certa tanquam legatum intercederet, [21] atque ita proximiores cognati excluderentur, non tam propter prohibitum à testatore ius accrescendi, quam quod incapaces ipso iure fuerint, quibus hereditas accrescere vnquam posset. [22] Qua ratione defendebam, nec Sempronio, cui vsusfructus hereditatis relictus erat, potuisse hereditatem accrescere, non quod instituendi verbo testator vsus non fuisset, (iam enim sublata est illa scrupulosa verborum solemnitas, magisque obtinuit, vt quibuscunque verbis dari hereditas possit. [23]) sed quia licet in vsufructu institutus esset Sempronius, ea tamen institutio non maioris momenti esse posset, quam si ex certo fundo institutus proponeretur, [24] imo minoris, proterea, quod verba illa, *faciendo tamen Sempronium vsufructuarium*, satis ostendebant, non tam id egisse testatorem, vt Sempronio daret vsumfructum, quem alioqui nõ erat habiturus, quam vt eum, quem patrię potestatis iure habiturus erat, filio quandocunque nato & hærede existente, [25] illi ademisse non videretur, [26] acsi scripsisset, *permittendo tamen vt Sempronius maneat fructuarius bonorum filij*. Nam cum Sempronij mores testatori suspectos fuisse ex eo apparet, quod is futuri posthumi incertam ignotamque personam cognito patri prætulerat, [27] multo probabilius erat relictum patri vsumfructum intuitu proprietatis datæ filio, [28] quam institutum in hæreditate filiũ contemplatione patris. [29] igitur nullo filio nato, qui hæres esse possit, consequens erat, vt vsusfructus patri relictus in consequentiam proprietatis datæ filio perinde intercideret, [30] ac legata cætera eo testamento relicta, [31] præsertim cum testator addita dictione, vt vocant, taxatiua, vsumfructum dumtaxat patri reliquisse proponeretur, nimirum, vt eum ab omni proprietatis spe & lucro summoueret, [32] tametsi non ignorem, ex sola eius dictionis adiectione non censeri prohibitum à testatore ius accrescendi. [33] Nec quod clausula codicillaris subiecta esset, aut quæ codicillari æquipollet vulgaris illa, *vt omni meliori modo testamentum valeret*, [34] aliud tamen probandum videbatur: quia neque per clausulam codicillarem fieri potest, vt valeat legatum patri relictum ex persona filij, qui nullus est: [35] neque huiusmodi legatum ex eorum genere est, quæ ab intestato videri debeant repetita. [36] Non solum enim ea, quæ reliquuntur personis iam mortuis, aut quæ nunquam fuerunt, pro non scriptis habentur; [37] sed illa etiam, quæ ab ipsis relinquuntur. Esse namque debet, cui detur, & à quo detur. [38] Absurdum autem foret dicere, confirmari per clausulam codicillarem ea, quæ pro non scriptis habentur, vt valeant ab intestato. Alioqui non haberentur pro non scriptis, si aliquo modo valerent. [39] *Senatus* noster nihildum decidit.

1 Quasi institutio facta in vsufructu trahi deberet ad institutionem vniuersalem in tota hæreditate, *arg. l. si ex fundo, D. hoc tit.*

2 Deficiente scilicet causa testamenti, quæ dicitur deficere ac testamentum, ipsum destitui, quoties nemo heres ex eo esse amplius potest, *l. si filius 16. de liber. & posthum. l. vltim. D. de condit. instit.*

3 Quibus verbis videbatur testator prohibuisse, ne reliqua hæreditas accresceret.

4 Quæ fuit sententia Bart. *ad l. quoties 9. §. si duo D. hoc tit. & in l. si quis priore 26. ad SC. Trebel. & cons. 156.* incip. *Titius fecit testamentum, & cons. 177.* incip. *Mathiolus Gratioli.* Corn. *in l. quoties 13. col. penul.* vbi dicit communem, *C. hoc tit.* Ias. *cons. 8. col. 9. vers. decimo istud.* vbi refert Baldum, Castr. Angel. & Imolam, reprehenditque Alexandrum.

5 Absurdum enim est, in vltimis voluntatibus interpretandis aliquid fieri contra voluntatem, siue plus siue minus detur quam testator voluerit. *l. verbia ciuilibus 7. in fi. de vulg. & pup. substit. l. facta 63. §. si sub conditione, D. ad SC. Treb.*

6 Tale vero est ius accrescendi inter coheredes, qui hac parte intelliguntur tacite substituti, *l. si Titio 61. §. Iulianus. de leg 2. l. non iustam. 4. C. ad SC. Trebell.*

7 Quæ fuit opinio Dyni *in d. l. 1. § si ex fundo C. hoc tit. & l. si ita quis 74. eod.* Imol. *in d. §. si ex fundo.* Alex. *in d. l. si quis priore 29. post num. 9 vers.* Dynus autem ad Treb. *& in l. quoties 13. C. hoc tit.* post Angel. Feder. de Sen. Salicet. & Rom. Sequitur & magis communem dicit Dec. *in rubr. C. quand. non pet. part. in 1. lectur. num. 3.* Iulius Clarus, qui communem dicit *in § testamentum, qu. 74.* vbi alios multos citat.

8 Quod vtique certum est à testatore fieri non posse, *l. nemo potest 55. de legat. 1. l vlt. de suis & legit.*

9 *d. l si Titio 61. § Iulianus. de leg. 2.*

10 *L. si ex pluribus 9. D. de suis & legit.* Dixi *ad tit. quand. non petent. part. supr.*

11 Nam & inde est, quod testamentum diffinitur iusta cuiusque sententia, *in l. 1. D. qui testam. fac. poss.*

12 *L. ius nostrum 7. vbi not. de reg. iur.*

13 Non enim potest quisquam hoc casu dici decedere testatus pro parte, cum nullo modo testatus fuit. Et tamen ius accrescendi non eo minus locum habet etiam inter inuitos, *d. l. si ex pluribus.*

14 Nam persona ipsa indiuidua est, ideoque nec potest diuerso iure censeri, *l. vlt. C. de sent. pass.*

15 Nam & heres & hereditas eandem personam repræsentant, *l. heres 22. D. de vsucap.*

16 *d. l. quoties 13. C. hoc tit.*

17 Non enim potest ius accrescendi habere locum inter eos, qui ex diuerso iure succedunt, *l. sed cum patrono 6. D. de bonor. poss l. si sub conditione 16. quibus mod. vsufr. amit.*

18 *d. §. si ex fundo, D. hoc tit. l. quoties 13. C. eod.*

19 Non autem ex quota hereditatis. Nam neque hereditas neque quota vlla hereditatis in certa re & singulari potest consistere, *l. quamuis 14. D. si quis omis. caus. testam. § si quis vna re. Insiit. de fideic. hered.*

20 Pro non scripto enim est, quicquid relinquitur personę nunquam

BIU Cujas

nunquam natæ, *l. pen. de his quæ pro non script. l. 2. l. Diui 6. §. vlt. l. quidam 14. D. de iur. codicil. l. si duobus 16. de leg. 1. l. is cui 18. in fi. D. quand. dies leg. ced.*

21 Legata namque intercidunt non adita ex testamento hereditate, *l. si nemo 9. D. de test. tutel. l. ea quam 14. C. de fideic.* Excipe casum *auth. ex causa. C. de lib. prater.*

22 Quia nihil habenti potest accrescere, *l. si totam 83. De acquir. hered.*

23 *L. quoniam indignum 35. C. hoc tit.*

24 Vsusfructus enim licet in iure consistat, non in corpore, *l. Mœuius 66. §. fundo. de leg. 2.* Non magis tamen potest cõstituere partem hereditatis, quam fundus aut aliud corpus quodlibet, quamuis possit dari in vicem portionis hereditariæ, vt in specie, *l. generali 32. §. 1. de vsufr. legat.*

25 *Ex l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

26 Quomodo poterat adimere si voluisset, *Nouell. 117. vt lic. matr. & auiæ cap. 1.* vnde sumpta est *Auth. excipitur. C. de bon. quæ liber.*

27 Prius enim alioqui est, vt quis patrem vocet, quam vt eius liberos nondum natos, *l. Lucius 85. D. hoc tit. l. dotem 6 D. de collat. bonor.* adeo, vt nec posset olim relinqui quicquam incertæ personæ, quasi in quam iudicium certum conferri non posset, § *incerta. Inst. de legat.*

28 Vt id saltem haberet pater iure patriæ potestatis.

29 Qui testatori suspectus erat, *arg. l. penult. §. 1 D. de curat furios. l. quidam cum filiumfamilias 46. D. hoc tit. l. filiofamilias 42. de cond. & demonstr.*

30 Quamuis aliud esset, si morte filij vsusfructus intercidisset, *l. vlt. C. de vsufr.*

31 *d. l. si nemo 9 D. de testam. tutel. cum similib.*

32 Dictio siquidem taxatiua excludit omnes alios casus, præterquam si qui sint persimiles, *l. 1. §. hæc actio. vbi not. D si mens. falsum. mod. dixer.*

33 Alexan. *consil. 162. num. 9. lib. 2.* post Angel. & Ioannem de Imol. quos citat.

34 *L. cum pater 77 § filius matrem.* vbi Bald. & Imol. *de leg. 2.*

35 *L. cum filiofamilias 11. in fin. de leg. 1.*

36 Quia neque ab intestato potest quicquam relinqui ei, qui nullus est, nec eius patri, *dict. leg. quidam referunt 14. de iur. codicillor.*

37 Ex supra citatis *num. 20.*

38 *d. l. quidam referunt.*

39 *L. vnic. §. in primo. C. de caduc. tol. l. 1. & pass. D. de his pro non script.*

DEFINITIO II.

De spurio herede instituto cum legitimabitur.

HEreditas quidem ex die aut conditione à pagano dari non potest. [1] Sed tamen in diem incertum, & quod idem est, [2] sub conditione dari potest, vt puta si spurius heres institutus sit, cum legitimabitur. [3] Quo casu etsi heres esse non potest ante legitimationem, [4] interea tamen valet institutio, [5] bonique dandus curator est, vt legitimationis tempus expectetur. [6] Idem iuris est, si quis vxori vsumfructum legauerit, & post vxoris mortem Titium instituerit. Etsi enim, quandiu vxor viuit, Titius heres esse non potest, [7] non eo minus tamen legatum vsusfructus valebit, dato interea bonis curatore, [8] qui heredis loco sit. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. hereditas 34. D. hoc tit.*

2 Quia dies incertus pro conditione habetur, maxime in testamentis, *l. dies incertus 75. D. de cond. & demonst.*

3 Nam in tempus capiendæ hæreditatis institui quem posse placuit, licet ex beneuolentia potius, quam ex iuris ratione, *l. in tempus 62. D. hoc tit.*

4 Quia conditionem ante omnia impleri necesse est, *l. ei qui 15. & pass. D. de condit. instit. l. facta 63. §. si sub conditione. ff. ad SC. Trebell.*

5 Nam & prius est, vt valeat institutio conditionalis, quam vt ex ea post impletam conditionem heres vllus esse possit, *l. commodissime 10. de lib. & posth.*

6 Alexand. post. Bald. *ad l. Gallus. §. instituens. eod. titul. de liber. & posthum.* Angel. *ad l. libertus testamento. ff. de manum. test.* Idem Bald. & Imol. *in l. si quis instituatur heres in diem. ff. hoc tit.*

7 Nec proinde potest cedere dies vsusfructus legati, qui scilicet non cedit, nisi ab adita hereditate, *l. vnic. §. in nouissimo. C. de caduc tollend. l. 1. § 3. ff. quand. dies vsusfr. leg. ced.* Hic autẽ nec Titius heres esse potest ante mortem vxoris, quia potest interim ipse mori atque ita deficere conditio institutionis, *l. Statius 48. §. Cornelio. ff. de iur. fisc.*

8 *L. 1. ff. de curat. bon. dand.* Notant DD. *ad l. hereditas ex die 34. ff. hoc tit.*

9 Quantum scilicet ad curanda adeoque distrahenda ea, quæ alioqui perirent aut fierent deteriora, *l. inter bonorum 48. ff. de administr. tutor.* Et ad exercendas actiones tempore perituras, *l. si diu 8. ff. quib. ex caus. in possess. eat. l. creditore 14. ff. de rebus auctor. iud. possid.*

DEFINITIO III.

De institutione masculi, qui primus ex Titio nascetur.

HErede instituto masculo, qui primus ex Titio nascetur, quamdiu Titius liberos suscipere potest, non defertur alteri siue ex testamento, [1] siue ab intestato [2] hereditas. Itaque sicut interim in suspenso est causa testati, [3] ita & validitas legatorum ab instituto relictorum, [4] quamdiu heres testamentarius speratur. At ex quo tempore certum esse incipit, Titium nullos posse liberos suscipere (finge presbyterum aut castratum, [5]) fit locus successioni intestati, [6] & consequenter pro non scriptis habentur legata omnia quæcunque eo testamento relicta sunt. Nec est quod curator bonis detur, cum nullus heres expectatur. [8] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quamdiu enim primus gradus admitti potest, sequentes non admittuntur, *l. si posthumus 14 ff. de lib. & posth. l. 3. de acq. hered.*

2 Quamdiu enim succedi ex testamento potest, non defertur ab intestato hereditas, *l. quamdiu potest 29. eod. tit.* Nisi in singulari casu, *l. si quis ita 82. ff. hoc tit.*

3 Propter conditionem adiectam institutioni, cum verba illa, *qui primus ex Titio nascetur*, faciant conditionem, *si nascetur*, ex natura relatiui iuncti verbo futuri temporis, *l. Stichum 6. de leg. 1 l. nuper 85. de leg. 3.*

4 Legata enim pendent ab institutione, §. *ante heredes. Inst. de legat. l. si nemo 9 ff. de testam. tutel.*

5 Frustra enim expectaretur conditio, cuius euentus nihil operaretur, *l. si quis ita 33. ff. hoc tit.*

6 *L. si filius 16 versi. tunc quia eo tempore. ff. de lib. & posth. l. vlt. D. de condit. instit.*

7 Tanquam dependentia ab institutione, quæ & ipsa habetur pro non scripta, *dict. l. si nemo 9. de test. tut. l. quidam referunt 14. ff. de iur. codic. l. ea quam 14. de fideic.*

8 Tunc enim curator dari solet, cum bona iacent propter spem futuri heredis, siue testamentarij, siue legitimi, non cum hereditas iam delata est ei, qui possit & velit sibi eam acquirere. *l. 1. ff. de curat. bon. dand. l. si diu 8. ff. quib. ex caus. in possess. eat. l. creditore 14. l. idem priuilegium 22. de reb. auctor. iud. possid. l. mutuo 6. in fin. ff. de tutel.*

DEFINITIO IV.

Institutus ex re certa an & quando habeatur loco heredis, aut loco legatarij.

INstitutus ex re certa non tam heredis, quam legatarij loco habetur, alio herede ex asse scripto. [1] Ideoque nec accrescendi ius habere debet, si prudentibus nostris & iuris rationi [2] plus quam interpretum auctoritati [3] tribuatur, vt à nobis alibi traditum & probatum est. [4] Nec distinctio illa probabilis est, quæ quibusdam placuit, [5] vt institutio ex re certa, quod ad rem quidem ipsam pertinet, legati naturam sapiat, ratione vero iuris, quod heredi competit, ob institutionem heres ex re certa habeatur pro herede: cum in huiusmodi rebus personæ ius ex qualitate rei æstimetur. Heredem enim hereditas facit, legatum legatarium. [6] Itaque institutus ex re certa transmittit ad heredem commodum institutionis etiam non agniti; sicut & transmitteret legatum non agnitum. [7] Patitur

BIU Cujas

falcidiam, quam & cæteri legatarij patiuntur: [8] non tenetur creditoribus, sicut nec alij legatarij tenentur.[9] Non gaudet beneficio possessionis illius consuetudinariæ, quæ à defuncto in heredem recta continuatur, [10] quia heredum singulare ius & priuilegium illud est. Reputo ex causa præteritionis vel exheredationis, aut irrito facto testamento, institutiones ex re certa non corruunt, quoniam & legata conseruantur.[11] In eo tantum plus iuris habet, qui ex re certa institutus est, quam cæteri legatarij quod rei, ex qua institutus est, possessionem propria auctoritate ingredi & occupare potest, non expectata heredis voluntate, si modo iam adita sit hereditas, adeoque vt nostris magis communiter placet etiam ante aditam hereditatem. [12] Sed non idcirco heres dici potest, quia & is, cui per vindicationem legatum est, aut per sinendi modum, idem ius habet nanciscendæ propria auctoritate possessionis legati. [13] Illud sane vere dicitur, licet plerique dissentiant, [14] institutum ex re certa non posse implorare beneficium legis Iustinianeæ, quæ de edicto Diui Hadriani tollendo facta est, [15] quia non legatariis, sed heredibus tantum fauere Iustinianus & voluit & debuit. [16] *Ita tractatum est*, 12. Calen. Iul. 1591.

1 *L quoties* 13. *C. hoc tit.*

2 Quia inter succedentes ex diuerso iure nunquam locus est iuri adcrescendi, vt dixi *Defin. 1. n. 17. supr.*

3 Habet enim hic legatarius ius adcrescendi, secundum Bart. & alios, solo refragante Baldo *ad d. l. quoties.*

4 Vide *Defin. 1. supr. quand. non pet. part.*

5 Bart. *ad l. ex facto* 35. *n. 3. C. hoc tit.*

6 *L. 1. & 2. ff. de castrens. pecul. l. si quis* 8. *ff. si quis omiss. caus. testam.*

7 Dummodo cesserit dies ante mortem, *l. 4. & 5. ff. quand. dies legat.* Bart. *d. num. 3.*

8 Bart. *ibid.*

9 Quia est singularis successor, qui non tenetur ad æs alienum, *l. vlt. C. d. hered. action.*

10 Ex edicto, quod aiunt, *le mort saisit le vif.* de quo scripsimus suo loco,

11 *Per Auth. ex causa C. de liber. prater.* scilicet, quod ad res ipsas pertinet, non tamē quod ad ius adcrescendi. Iul. Clar. *in §. testamentum, quæst. 57.*

12 Bart. *ad d. l. 35. num. 3. D. hoc tit.*

13 Teste Caio *in Inst. hoc tit.* Vide quæ scripsi *li. 6. Coniect. iur. ciuil. cap. . & seq.*

14 Inter quos Bart. quamuis dubitans *ad d. l ex facto* 35. *D. hoc tit.* contra gloss. quam ibi refert.

15 *Gloss. in d. l. ex facto.* Vide Guid Pap. *q. 362. circ. med.*

16 *In l. vlt. C. de edict. Diui Hadr. tollen.* Est enim fauorabilior causa heredis, qui vniuersalis successor est, quam legatarij, *l. Titia cum testamento* 34. *§. qui inuita, l. Sempronius* 47. *de leg. 2.* quamuis legatarius in re legata sit quodammodo heres, *l. id tempus* 14. *§. 1. ff. de vsucap.* Nempe, quia non sicut bona hereditaria iacent, ita & bona legata possunt iacere, quamuis legatum iaceat, cum interim maneant penes heredem, *l. & post litem* 12. *§. res qua. ff. famil. ercisc. cum similib.*

DEFINITIO V.

De muliere, quæ testando in fauorem mariti exceperat partem bonorum, de qua postmodum testari pro arbitrio posset.

VXor testamento heredem maritum ex asse scripserat, exceptis tamen ab vniuersali institutione sexcentis aureis, [1] de quibus posset illa pro arbitrio disponere siue inter viuos, siue in vltima voluntate, [2] sed hoc addito, vt si de sexcentis illis aureis non aliter disponeret, ad eundem heredem pertinerent.[3] Quæ rebatur an valeret institutio? Et magis placebat, non valere, quasi sibi repugnans esset & implicans contradictionem. [4] Non enim suprema ordinasse videri poterat, quæ aliud testamentum facere iam tum destinauerat, [5] quæque de bonorum suorum parte disponendi facultatem sibi exceperat, quorum neutrum conuenit testamento. Nam quemadmodum ambulatoria est hominis voluntas ad supremum vsque vitæ exitum, [6] ita non potest iure testamenti censeri ea voluntas, quam testatrix supremam esse noluerat: [7] ob idque captatoria potius videbatur, & à marito extorta in fraudem legis, vt qui ab vxore donationem exprimere non potuerat, [8] sub prætextu & nomine testamenti mulierculam deciperet, idemque commodum & emolumentum sibi compararet. [9] Solet enim supradicta exceptio inseri donationibus inter viuos factis, vt valeant, quæ si vniuersorum bonorum omnium essent, præsentium & futurorum, nullo modo valerent. [10] Quæ ratio faciebat, vt quamuis inter alias personas dici posset, inutilem potius esse adiectionem, [11] quandoquidem testatrix nec pro parte testari poterat, [12] nec facere quo minus leges in suo testamento locum haberent, [13] in proposito tamen propter suspicionem fraudis exquisitæ ad donationem inter personas prohibitas concipiendam aliud dicendum videretur. [14] *Ita Senatus* tractabat in ea causa, de qua Defin. 3. supr. de naturalib. liber. Nihildum tamen de eo pronunciatum est.

1 Cuiusmodi exceptio in testamentis nullius est momenti, *l. si ita quis heres* 74. *ff. hoc tit.*

2 Quasi vero testamentum alioquin ablaturum ei fuisset facultatem vel donandi inter viuos, vel aliter testandi.

3 Hæc quoq; additio & cautio erat superuacua. Ad quem enim alium, quàm ad heredem potuisset pertinere id, de quo testatrix non disposuisset? Est enim vniuersum heredis, nisi quod ex hereditate delibatur, *l legatum* 116. *de leg. 1.*

4 *L si Titius* 16. *ff. de cond. instit. l. vbi pugnantia* 188. *de regul. iur.*

5 Suprema enim voluntas illa demum est, quam nulla alia sequitur, *l. ex duobus* 34. *de vulg. substit. l. qui duos* 9. *ff. de reb. dub.* & omne testamentum fieri debet eo animo & voto quasi futurum postremum.

6 *L. 4. ff. de admin. leg. l. cum hic status* 32. *§. pœnitentiam ff. de donat. int. vir & vxor.*

7 *Arg. l. 1. & pass. ff. qui testam. facer. poss.*

8 Quia donationes inter viuos & coniuges factæ non valent, *l. 1. & tot. tit. de donat. int. vir. & vxor. D. & C.*

9 Plus autem valere debet quod agitur, quam quod simulate concipitur, *l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. l. qui testamentum* 27. *de probat.* & simulata pro infectis haberi debent, *l. si ex precio 6. C. si cert. petat.*

10 Tanquam quę aufferrent liberam testandi facultatem. *Ex not. in l. vlt. C. de pact. & in l. stipulatio hoc modo concepta* 61. *de verb. oblig.*

11 Quam vt vtile per inutile vitiaretur, contra *l. placuit* 29. *de vsur.*

12 *d. l si ita quis heres* 74. *ff. hoc tit. l. ius nostrū* 7. *de reg. iur.*

13 *L nemo potest* 55. *de legat. 1.*

14 Facilis enim est suspicio fraudis inter personas prohibitas, *dict. l. qui testamentum* 27. *de probat. Auth. sed iam necesse.* vbi DD. *C. de donat. ant. nupt. l. omnes* 17. *§. Lucius. ff. qua in fraud. credit.*

DEFINITIO VI.

De institutione ex rebus certis reducenda ad portiones & quotas hereditarias, & quantum interfit, an fideicommissum factum sit in hereditate, an in rebus singulis.

NIhil interest an testator instituerit Titium ex fundo Corneliano, Sempronium ex Libonianо simpliciter, & nullo alio adiecto, an vero adiecerit, vt in reliqua hereditate sint heredes ex æquis partibus. Nisi quod priore casu instituti sunt sine partibus: [1] Posteriore vero ex partibus & quidem æqualibus. [2] Cæterum vtroque casu censentur instituti ex semissibus, ac si nulla fundorum mentio facta esset, licet multo pluris sit fundus Cornelianus quam Libonianus, [3] quamuis in diuidenda hereditate tale arbitri familiæ erciscundæ iudicium esse debeat, vt Titio Cornelianum adiudicet, Sempronio Libonianum

BIU Cujas

nianum.[4] Inde fit, vt quamuis eiusmodi prælegatis totam hereditatem testator diuiserit, nihilque reliquum fuerit, in quo videatur posse locum habere institutio, quæ ex æquis partibus in reliquis bonis facta est, non eo minus tamen reuocentur prælegata ad semisses.[5] Quoniam nec alioqui valere posset institutio,[6] cum hereditas in iure, non in corporibus consistat.[7] Et consequenter sicut hereditas est etiam vbi nulla sunt corpora, ita & vbi non alia sunt, quam quæ testator prælegando diuisit.[8] Proinde si Titius & Sempronius rogati sint de restituenda inuicem hereditate, si sine liberis alteruter moreretur, non tam in prælegatis grauati videri debent, quam in sua quisque portione hereditaria,[9] ita tamen, vt in ea portione grauata computentur ea præcipue bona, quæ fuerunt prælegata.[10] Cui consentaneum est, vt si nouæ diuisioni coheredes consenserint, id est, vt fundus Cornelianus, cuius pars ad Sempronium, Libonianus contra ad Titium pertineret,[11] saluo in reliquis testamenti iure,[12] mortuo deinde sine liberis alterutro, æque tota illius portio ad superstites ex fideicommisso peruenire debeat, ac si nullo modo recessum esset à voluntate testatoris.[13] Quoniam in quota hereditatis portione, non in hoc aut illo fundo fideicommissum factum intelligitur, eadem vero quota portio hereditaria etiam post nouam diuisionem manet.[14] Nam & in dubio credendus est heres de portione sua hereditaria restituenda rogatus potius, quam de rebus singulis.[15] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 41. infr. de fideicomm.

1 *L. heredes sine partibus 63. ff. hoc tit.*

2 Quæ tamen possent esse inæquales, si testator voluisset, *l. si quis 14. & l. seq. §. 1. & pass. eod. tit.*

3 *L. ex facto 35. eod. l. quoties 9. §. si duo, l. si alterius 10. eod.*

4 *d. l. ex facto, l. qui non militabat 78. eod. tit.*

5 Vt constat ex his ipsis legibus.

6 *d. l. 1. §. si ex fundo. eod.*

7 *L. hereditas 59. ff. de petit hered.*

8 *d. l. ex facto, & d. l. qui non militabat.*

9 Quia fideicommissum non in prælegatis factum est, sed in hereditate.

10 Quamuis enim prælegata non contineantur appellatione hereditatis. *l. si Titius 96. in fin. de leg. 3.* reperiuntur tamen in portione hereditaria illius, cui data sunt, *l. 3. §. quidam, ff. ad SC. Trebell.*

11 Non enim prohibentur coheredes recedere à iudicio testatoris, dum id faciant mutuo consensu, *l. quædam mulier 41. ff. famil. ercisc.*

12 Ex quibus verbis apparet, nolle coheredes in totum recedere à testamento, sed saluum manere fideicommissum; de quo alioqui posset dubitari, an ei renunciatum fuisset, *Ex not. in l. qui Romæ 122. §. duo fratres ff. de verb. oblig.*

13 *Arg. d. §. duo fratres*, in cuius specie male pronunciatum fuisse vulgo creditur.

14 Quia diuisio nihil noui induxit, quantum ad quotam hereditatis, sed duntaxat quantum ad corpora bonorum.

15 Nempe, quoties futurum ex eo est, ne intercidat fideicommissum, *l. cogi 16. in princ. vers. in ambiguo tamen, ff. ad Senatusc. Trebell.*

DEFINITIO VII.

Diuisio facta inter heredes institutos ex certis rebus & grauatos fideicommisso, non mutat causam fideicommissi in præiudicium substitutorum.

AT pone, rerenta eadem facti specie, si vterque heredum sine liberis moreretur, substitutum Titio nominatim in fundo Corneliano Caium, Sempronio Mæuium in Liboniano, tum facta ea diuisione noua, quam proxime diximus, vtrumque sine liberis decessisse. Quæro, an quemadmodum bona, quæ ex conuentionali illa diuisione ad coheredes peruenerunt, eodem fideicommissi onere inter eos obstricta manere diximus,[1] ita & in substitutorum personis seruetur, vt Mæuius fundum Cornelianum habere debeat, Caius Libonianum? Minime. Non illa solum ratione, quod fideicommissum hoc posterius in rebus singulis, non in portionibus hereditariis factum proponatur,[2] sed etiam, quia noua diuisio inter coheredes facta, per quam sibi nocuit is, qui ex pretiosiore fundo fuerat institutus, non debet nocere substituto,[3] qui ex proprio iure & capite ad fideicommissi petitionem admittitur.[4] Quare, etsi singulis separatim substitutus datus esset, separata etiam in singulorum personis conditione,[5] dubitandum non esset, quin is, qui prior ex substitutis ad fideicommissum inuitaretur, eum fundum ex substitutione petere posset, in quo esset substitutus, licet ad eum ex coheredibus peruenisset, qui adhuc viueret,[6] nisi mallet substitutus eo fundo contentus esse, qui in locum onerati per diuisionem inter coheredes factam subrogatus fuisset.[7] Neque enim inuitus fideicommissarius vnquam cogitur admittere subrogationem vnius rei in locum alterius, quandiu ea ipsa res extat, quæ nominatim per fideicommissum relicta est.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Defin. prox. præced.*

2 Ac proinde cessat hoc casu ratio illa, quam attulimus in specie Definitionis præcedentis.

3 *Ex regula l. id quod nostrum 11. & l. non debet alteri 74. de reg. iur. l. 2. ff. quod vi aut clam.*

4 *Arg. l. Fabius 30. vers. sed in specie, ff. de pact. dotal.*

5 Nam & vni homini in singulas causas alium & alium heredem substituere possumus, etiam directo & pupillariter, *l. cum ex filio 19. §. 1. ff. de vulgar. & pupill. substit.* multo magis pluribus substituere possumus per fideicommissum singulis in causas singulas.

6 Conditio enim ad certam personam à testatore relata nunquam ad aliam personam referenda est, *l. cum pater 77. §. ab instituto de legat. 2.*

7 Quo vtique casu fundus permutatus veniret in restitutionem, *arg. l. sed quod inde 71. de leg. 2.* Hoc enim est quod dici solet, subrogatum sapere & retinere naturam eius, in cuius locum subrogatur, *vulg. l. si quis eum 10. §. qui iniuriam, ff. si quis cautio 6. l. Titia 62. ff. de iur. dot.*

8 Ne alioqui sit in potestate heredis grauati, vt inuertat fideicommissum contra voluntatem testatoris, quod absurdum esset, *l. vxorem 41. §. Seium maritum de lega. 3.* Hoc vero hodie maximè obtinet, postquam Iustiniano placuit, vt pro omnibus fideicommissis etiam hypothecaria competat, *l. 1. C. commun. de legat. l. vlt. §. vlt. eod.*

DEFINITIO VIII.

De patre compensante quod sibi à filio debetur cum legitima filij portione.

PAter cuius contemplatione filius à Sempronio institutus fuerat,[1] cum inter liberos suprema ordinaret, hunc ipsum filium heredem scripserat ex nummo pro iuribus omnibus, quæ in paterna hereditate pro legitima aut legitimæ supplemento, aliáve qualibet causa posset obtendere, suæque voluntatis rationem illam addiderat, quod ad eam Sempronij hereditatem filio conciliandam, acquirendam & conseruandam, plus quam quingentos aureos expendisset. Placebat, filium, si paternam voluntatem repudiaret, non eo minus posse legitimam integram petere,[2] salua imputatione earum duntaxat rerum & pecuniarum, quas aliunde quam ex patris testatione appareret fuisse à patre impensas, vt ea Sempronij hereditas filio obtingeret.[3] Neque enim filio patris testamentum non agnoscenti nocere testatio patris potest.[4] Sed si filius patris iudicio stare velit, nec amplius quicquam in patris hereditate petere, vt compensationem approbet, quam pater induxit,[5] quæri potest, an si quid ex hereditate Sempronij male ac sine causa distractum sit à patre, tanquam

BIU Cujas

legitimo filij administratore, vllam actionem filius eo nomine habeat in heredes patris. Videtur enim id quoque ius compensasse pater cum expensis ad acquirendam hereditatem factis:[6] Sed tamen magis est, vt salua sint filio iura omnia, quæ is in bona paterna habere potuit, tanquam heres Sempronij,[7] nec alia cum expensis à patre factis compensata videri, quam quæ is quasi filius erat habiturus,[8] quantumcunque generalis clausula sit exclusionis.[9] Nam cum ea excludendi filij ratio patri fuerit, quod facto & impensa patris saluam Sempronij hereditatem haberet, ex eo apparet tanto magis,[10] filium integram Sempronij hereditatem habere debere & illibatam, ne duplici iactura afficiatur, si minus ex hereditate Semproniana, & nihil ex paterna consequatur.[11] Itaque quod ex bonis Sempronij pater sine causa, & contra legis prohibitionem distraxerit, cogendus erit sarcire ex propriis.[12] In eamque rem actio competet filio, non quidem in viuum patrem, quippe qui administrationis suæ rationem filio reddere non cogitur,[13] sed patre defuncto in heredem ipsius, at personalis tantum non etiam hypothecaria, cum ius tacitæ hypothecæ ex hac causa in bonis patris nullum sit per Iustiniani constitutionem introductum.[14] Non tantum autem alienationis pretium in eam actionem veniet, sed etiam pretium vsuræ. Quandoquidem ea hereditas loco legitimæ est, quam alioqui filius in bonis patris cum fructibus erat habiturus.[15] Cui consequens fit, vt vsuræ illæ quasi loco fructuum debeantur filio,[16] non à die alienationis, (nam cum pater sit legitimus administrator, nec rationes cogatur reddere, nullas sane vsuras debet, quamdiu viuit,[17]) sed à die mortis patris.[18] Plane nec ab eo die vsuræ deberentur, sed tantum à die litis contestatæ, si aliunde portionem hereditariam, aut saltem legitimam haberet filius in patris hereditate.[19] *Ita Senatus* in causa Ioannis Paquier, & Henrici Capitan, 12. Cal. Sept. 1595.

1 Sic enim plerumque fit, vt *in l. filiofamilias 42. de condict. & demonstr.* vbi dicitur videri hoc casu relictum patri, quod filio relictum est propter patrem. Iunge *l. sed si plures 10. §. in adrogato ff. de vulg. & pup. substit.* Aliquando tamen filius propter seipsum instruitur, idque hodie præsumendum est, cum filius sit capax acquisitionis etiam inuito patre, *l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.* Olim aliud erat, si non esset relictum filio in eum casum quo foret sui iuris, vt *in l. mulier 22. ff. ad Senatusc. Trebell. l. quidam cum filiumfamilias 46. ff. de hered. instit.*

2 Quam scilicet nullo consilio ei aufferre pater potuit, nisi per exheredationem, eamque iusta ex causa factam, *l. parentibus 8. & pass. C. de inoff. testam.*

3 *Arg. l. omnimodo 30. §. imputari. eod. tit. l. 1. §. nec castrense. ff. de collat.*

4 Tanquam suspecta & quæ in fraudem legitimæ facta videatur, *arg. l. qui testamentum 27. D. de prob. l. quidam 29. §. vlt. D. ad SC. Velleian.* Nemini enim creditur aliquid asserenti, vt se exoneret, tanquam testi in re propria, contra *l. omnibus 10. C. de testib.*

5 *Vt in l. cum pater 77. §. Titio fratri, antepen. de legat. 2. l. si compensandi 6. C. de hered. instit.*

6 Quo casu standum esset compensationi factæ per patrem, etiamsi filius ex ea compensatione damnum passurus esset, quia sibi deberet imputare, qui patris iudicium adprobasset, quod potuerat improbare, *d. §. Titio.*

7 *Arg. l. Babius 30. in fin. ff. de pact. dot.*

8 Cum nec sit exclusus, nec fuerit excludendus, nisi tanquam filius, non tanquam extraneus *l. quidam cum filium 132. de verb. oblig.*

9 Non solum quod generalis clausula nunquam referatur ad incogitata, *l. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9. ff. de transact.* sed etiam, quia huiusmodi exclusiones & compensationes sunt odiosæ, ideoque restringendæ, *l. quæ pater 50. famil. erciſc. l. creditorem 85. de legat. 2.* iunct. *l. cum quidam 19. D. de lib. & posth.*

10 Nam ex causa, quam sui iudicij pater reddidit, coniectura voluntatis capienda est, *l. penult. §. vlt. de curat. furios. l. si posthumus 14. §. vlt. de liber. & posthum.*

11 *Arg. l. iure succursum 6. ff. de iur. dot. l. dotem 6. D. de coll. bonor.*

12 Est enim hic pater parum dignus, cui faueatur, *arg. l. Imperator 50. l. penult. ad SC. Trebell.*

13 *d. l. cum oportet 6. §. non autem, C. de bon. quæ liber.*

14 Imo interdictum ne hypothecam vllã sperare audeat in res patris, siue viuentis adhuc, siue iam mortui, *d. §. non autem.* Habet autem filius hoc casu personalem actionem contra heredem patris, non ob malam administrationem, sed tanquam idipsum habens à patre in vicem hereditariæ, & paternæ portionis, aut saltem legitimæ, fructus siquidem augent legitimam sicut & hereditatem, *l. Papinianus 8 §. vnde si quis, D. de inoffic. testam.*

16 Vsuræ enim vicem fructuum obtinent, *l. vsuræ 34. D. vsur.*

17 Quę scilicet non debentur, nisi vel ex mora, vel ex conuentione, *l. cum quidam 17. §. si pupillo, eod. l. qui Romæ 122. in princ. de verb. oblig.*

18 A quo nimirum die legitima debetur, *l. cum quæritur 6. C. de inoff. test.*

19 Quia tunc cessaret ratio supradicta.

DEFINITIO IX.

Quamdiu expectatur persona heredis instituti, potest curator bonis dari, & interim admittitur fructuarius cauendo heredi, siue testamentario, si quis speretur, siue legitimo.

QVidam instituerat filium ex Sempronia nascitu-rum, manente Sempronia ipsa vsufructuaria, & si nullus nasceretur, substituerat Mæuium, & Mæuij liberos, adiectis etiam aliis nondum natis substituit.[1] Nullo nato filio dicebam valere testamentum,[2] sed interea curatorem bonis dandum,[3] & vsumfructum ad Semproniam pertinere, proprietatem vero ad substitutos, qui si tum nulli reperiantur, forte filio defuncto interim sine liberis Mæuio, non valiturum testamentum, ex quo scilicet nullus heres erit, necadita hereditas.[4] Interea igitur & curator bonis dandus erit, qui hereditarias actiones, & exerceat & suscipiat,[5] & cauere vsufructuaria debebit,[6] in vtilitatem futuri heredis, siue testamentarius, siue legitimus heres futurus ille sit. At quo postulante? Substituto,[7] si quis speretur, sin minus, legitimo, vt arbitror, herede.[8] *Ita tractatum est* in causa N. Francisci de Bellegarde, & D. de Carde, 12. Decembr. 1596. Senatus nihil dum pronunciauit.

1 Placet enim posse per fideicommissum substitui personas nondum natas, si modo reperiantur in rerum natura tempore conditionis existentis, *l. si in personam 21. C. de fideic.*

2 Quia poterat incipere à substitutis, cum si plures heredum gradus facti sint deficiente primo gradu, testamentum incipiat à secundo, *l. 1. & tot. tit. de vulg. & pup. subst.*

3 *L. 1. D. de curat. bon. dand. l. si diu 8. D. ex quibus caus. in poss. eat.*

4 *L. si nemo 9. D. de testam. iut.*

5 *L. 2 §. 1. de curat. bon. dand.*

6 *Ex l. 1. C. de vsufruct. & tot. tit. ff. de vsufr. quem caueat.*

7 Prior enim causa est substituti, *l. inter omnes 11. ff. qui satisd. cogant. l. Paulus notat 8. de prator. stipul.*

8 Ad quem scilicet hereditas peruentura speratur.

DEFINITIO XIV.

Fructuarius nunquam est legitimus contradictor, nec potest transigere de re hereditaria, ne quidem iacente hereditate.

NVllo existente proprietario, quia nondum sit natus heres institutus,[1] si interea fructuarius aliquis sit,[2] non idcirco legitimus contradictor est,[3] aut de lite hereditaria transigere potest.[4] In eadem causa.

1 Neque enim alius potest esse dominus & proprietarius hereditatis, quam qui heres est, cum heredis appellatio nihil nisi dominum significet, *§. vlt. Instit. de hered. qualit. & differ. l. hic verbis 48. D. hoc tit.*

2 Secun-

2 Secundum ea quæ diximus *Defin. præced. & Defin.* 1. 5. *eod.* ſi ſi videtur hoc alienum à iuris regula, quæ non patitur, vt legatis vſusfructus dies cedat, niſi ab adita hereditate, *l. vnic. ff. quand. dies vſufr. legat. ced. l.* 2. *& 3 ff quand. dies legat. ced.*

3 Cum nihil iuris in hereditate habeat. Diuerſum eſt in eo cui data eſſet proprietas cum onere fideicommiſſi, etiã additis his verbis, *quarum rerum vſusfructus dum viues tibi ſufficiet, vt in l. ſpecies* 15. *ff. de aur. & arg. legat.*

4 Is enim ſolus tranſigere poteſt, qui vel rei dominus abſolute eſt, vel ſpeciale à domino mandatum in eam rem habet, *l. mandato generali* 60. *ff. de procur. l. Lucius* 46. *§. vlt. ff. de admin. tutor. l non ſolum* 4. *C. de præd. minor.*

DEFINITIO XI.

Captatoriæ voluntates quænam ſint, & quando & qua ratione improbatæ?

DE captatoriis voluntatibus longe aliter ſentiunt interpretes, quam ſenſerint olim prudentes. Captatoriam enim voluntatem eſſe volunt non eam tantum, cuius conditio collata ſit in ſecretum alienæ voluntatis, quomodo captatoriam inſtitutionem Papinianus olim diffiniuit,[1] ſed omnem omnino, quam ex alieno arbitrio pendere teſtator voluerit.[2] Ex quo inferunt, non ſolum in inſtitutionibus & legatis eiuſmodi voluntates improbatas eſſe, de quibus tamen ſolis prudentes veteres locuti ſunt,[3] ſed etiam in fideicommiſſis,[4] quæ certum eſt ex alieno arbitrio non magis pendere poſſe, quam legata, vel inſtitutiones, ſiue in heredis, ſiue in alterius tertij arbitrium diſpoſitio conferatur.[5] At prudentes longe aliter, captatorias voluntates non eas eſſe, quæ alieno arbitrio permiſſæ ſunt, quas ſola iuris ratio pro vitioſis ideo habet, quod teſtamentorum iura ipſa per ſe firma eſſe, non ex alieno arbitrio pendere oporteat,[6] ſed illas demum, quarum non tam diſpoſitio quam conditio conferatur in ſecretum alteni teſtamenti,[7] vt videre eſt in eo exempla, quod adferre prudentes noſtri paſſim ſolent: *Qua ex parte Titius me heredem inſtituet, ex ea parte heres eſto.*[8] In qua ſpecie nemo dixerit, inſtitutionem Titij ex eius arbitrio pendere, cum à teſtatore fuerit inſtitutus. Sed tamen illud quoque verum eſt, neſciri poſſe ex qua parte inſtitutus ſit Titius, antequam ex eius teſtamento appareat, quanta ex parte vicißim voluerit ille teſtatorem à ſe inſtitutum. Nec aliud erit, ſi teſtator ita ſcripſerit: *Quanta ex parte Titius me heredem inſtituet, tanta ex parte Mæuius heres eſto.*[9] Nam & hæc voluntas captatoria eſt ſic dicta, non quaſi ſit deceptoria, vt vulgo creditur,[10] ſed quia per eam captatur perſona, à qua hereditas vel legatum ſperatur. Non tam enim hereditas aut legatum captatur, quam perſona propter hereditatem aut legatum, vt conſtat ex eleganti illo Petronij Arbitri loco,[11] *aut captant, aut captantur.* Ergo quotquot ſunt captatoriæ voluntates, eas conditionales eſſe neceſſe eſt.[12] At non ſtatim conſequens eſt, vt conditionales omnes voluntates etiam collatæ in ſecretum alienæ voluntatis ad captandam perſonam ſint inutiles & improbatæ.[13] Quid enim ſi teſtator iam ſcripſerit? *Titius ſi me heredem inſtituet, heres eſto.* Erit quidem inſtitutio & conditionalis & captatoria: Sed cum habeat conditionem diſtinctam à diſpoſitione, expreſſamque verbis, *ſi me heredem inſtituet*, dubitandum non eſt, quin conditio reiicienda ſit, habendaque pro impoſſibili, tanquam quæ ſit à Senatu improbata.[14] Quis enim neget Senatum, qui captatoriam inſtitutionem non niſi conditionis ſuæ odio improbauerit, multo magis conditionem ipſam improbaſſe?[15] Porro conditiones omnes à Senatu improbatas, impoſſibilium iure cenſendas eſſe, nemo ambigit.[16] Proinde ſublata conditione illa, *ſi me heredem inſtituet*, quod ex ſupradicta formula ſupereſt, *Titius heres eſto*, quidni valida faciet inſtitutionem?[17] Eas igitur ſolas inſtitutiones Senatus improbauit, quæ non modo conditionem habent captatoriam, ſed ita implicitam, vt ab ipſa inſtitutione ſeparari nullo modo poſſit. Qualis illa eſt, cuius exemplum ex prudentibus noſtris iam attulimus: *quanta ex parte Titius me heredem inſtituet, ex tanta heres eſto.* Nam ſublato ex hac inſtitutione eo, quod captatorium eſt, id quod ſupereſt facere nequit, vt appareat in qua hereditatis parte Titius fuerit inſtitutus.[18] Ideoque nec poteſt inſtitutionis fauor efficere, vt non tota ipſa inſtitutio improbetur, non quidem ex mera iuris ratione,[19] ſed ex Senatuſconſulto quod in eam rem nominatim factum eſt, quodque, licet de inſtitutionibus ſolis locutum fuerit,[20] tamen per interpretationem prudentum ad legata quoque protractum eſt,[21] quorum ſcilicet eadem vis & poteſtas eſt, quæ inſtitutionis ex verbis legis duodecim tabularum.[22] An ergo æque ad fideicommiſſa protrahi poterit? Minime vero. Cum fideicommiſſa ex fide heredum pendeant,[23] heredis autem futuri perſona, quæ ſemper incerta eſt,[24] captari non poſſit. Neque ſane quid captare ſit, intelligeret, qui ſic ſcriberet: *Titius heres eſto. Rogo te Titi, vt qua ex parte Mæuius heredem me inſtituet, aut quantam hereditatis ſuæ partem mihi legauerit, tantam hereditatis meæ partem ei reſtituas.* Pleniore ſi quidem & honore & iure relinquuntur hereditates, itemque legata, quam fideicommiſſa.[25] Qui vero captat, id agere debet, vt ſpecie amplioris liberalitatis parem aut minorem, non etiam vt maiorem extorqueat.[26] Quid autem ſi teſtator in alterius & tertij perſonam captationem direxerit? Æque diſtinguendum erit, an captationis vitium tolli poſſit ſalua inſtitutione, nec ne? Vt priore caſu improbata conditione ſuperſit inſtitutio. Poſteriore vero vtraque corruat.[27] Illud ſane conſtat, non eſſe captatoriam inſtitutionem, cuius conditio in præteritum tempus conferatur,[28] quia nec conditio eſt,[29] quamnis non eo minus inanis fiat inſtitutio ex defectu conditionis, ſi nulla inſtitutio in præteritum tempus facta inueniatur.[30] Ita tractabam cum quæſtio aliquando ex facto incidiſſet. *Sine die.*

1 *In l. captatorias* 70 *ff. hoc tit.*

2 Cuiuſmodi illa eſt, de qua *in l. illa eſt inſtitutio* 32. *eod.*

3 *In d. l. captatorias, & l. captatoria* 64. *de leg.* 1.

4 Sic enim omnes adeoque Cuiac. *ad l. captatorias ad Papinianum.*

5 *L. vtrum* 7. *§.* 1. *D. de reb dub.* præterquam fauore libertatis *ex l fideicommiſſa* 46. *D de fideic. libert.*

6 Vt tractat I C. *in d. l. illa inſtitutio.*

7 Hoc enim ſignificant verba illa Papiniani, *in ſecretum alienæ voluntatis d. l. captatorias.*

8 *L.* 1. *in fin. D. de his quæ pro non ſcript. hab. l. illæ autem* 71. *in princ. l. hoc articulo* 29. *l. Clemens Patronus* 83 *§* 1. *ff. hoc tit.*

9 Aut ſi ita: *Quanta ex parte Titius Mæuium heredem inſtituet, tanta ex parte Titius heres eſto*, quo caſu captatio confertur in perſonam tertij, *d. l. ille autem* 71. *§.* 1.

10 Sic enim DD. *ad d. l. captatorias.*

11 Nec enim hereditas eſſe poteſt, quæ captat, ſed perſona. Ergo & perſona eſt quæ captatur, non hereditas aut legatum.

12 *d. l. captatorias*, in illis verbis, *quarum conditio.*

13 Et hoc etiam eſt, in quo noſtri omnes Interpretes falluntur.

14 *L. filius* 15. *ff. de condict. inſtit.*

15 Ex axiomate Philoſophorum, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

16 *d. l. filius.*

17 Impoſſibilis enim conditio non vitiat in vltimis voluntatibus, ſed vitiatur, *l.* 1. *eod. l.* 3. *ff. de cond. & demonſtr.*

18 Quia conditio non abſolute expreſſa eſt, nec per figuram conditionis, ſed per relationem ad alienum teſtamentum.

19 Nam ante Senatuſconſultum permiſſæ erant huiuſmodi inſtitutiones, non etiam illæ, de quibus *in d. l. illa inſtitutio* 32. *ff. hoc tit.*

20 *d. l. captatorias, l. captatorias* 11. *C. de teſt. milit.*

21 *d. l. captatorias* 64. vbi Caſtr. *de leg.* 1.

BIU Cujas

22 *L. Verbis legis* 120. *de verbor. signif.* iunct. *l. legatum* 80. *de legat.* 2.

23 Nec legibus sint cognita, *Instit. de codic. in princ.* iunct. *l.* 3. *ff. si vsusfr. pet.* vt proinde non nisi absurde potuerit Senatus de iis improbandis cogitare.

24 *L. sciendum* 70. *de verb. signif.*

25 *L.* 5. §. *sed etsi portio, de leg. præst. d. l.* 3. *ff. si vsusfr. pet.*

26 Non enim solent homines minoribus beneficijs inuitari ad maiora conferenda.

27 Eadem enim vtriusque casus ratio est, *d. l. illa autem*, §. 1. vbi quod ponitur exemplum in contrarium, non dubito quin sit imperiti interpretis, aut etiam Triboniani, non satis bene hanc materiam intelligentis, nam & exempli illius verba sonant in tempus præteritum, non in futurum, imo totus ille §. mihi suspectus est, vt scribam *in* 3. *part. Chiliad. de error. pragmat.*

28 *d. l. illa autem, in princ. & d. l. hoc articulo.*

29 *L. cum ad præsens* 37. *& duab. seqq. ff. de reb. credit.*

30 *d. l. Clemens* 83. *in fin.* Ex quo loco apparet, quoties quærimus de captatoria voluntate an valeat, ponendum esse, quod heres institutus suum instituerit testatorem, alioqui nulla esset institutio propter conditionis defectum, etiam vitio captationis sublato. [Huic tractatui similis ille est de testamento facto ad interrogationem alterius, quod regulariter non valet si non aliunde constet de eadem voluntate. De quo vide Cravet. *cons.* 117. *& cons.* 10. *n.* 13.]

TIT. VII.

DE INSTITVT.

DEFINITIO I.

Extensio in vltimis voluntatibus fit aliquando à casu ad casum, sed nunquam à persona ad personam, præsertim si in dispositione facta sit expressio nominis proprij.

PATER, cum inter liberos testaretur, filium suum primogenitum ex asse heredem scripserat, Claudiũ secundo genitum sub Vicecomitis appellatione in certis bonis pro legitima portione instituerat, Petrũ tertio genitũ in pensione annua quingentorum florenorum. Si secundus quandocunque sine liberis moreretur primogenitum substituerat. Viuo patre Claudius decesserat, postmodum pater, eodem testamento relicto, Petrus contendebat pertinere ad se bona, in quibus Claudius frater fuerat institutus, eo colore, quod in secundi ante patrem defuncti locum viuo patre subintrasset,[1] adeoque post eius mortem sæpius à patre eodem illo Vicecomitis nomine nuncupatus fuisset.[2] Quasi locus hic esset nostrorum traditioni, quæ habet, extensionem de persona ad personam fieri posse, quoties persona ad quam fit extensio comprehendi aliquomodo potest sub verbis & mente, vt aiunt, disponentis, propter qualitatem aliquam ei inhærentem, licet de persona illa in indiuiduo facta mentio non sit.[3] Placuit, extensionem de casu quidem ad casum aliquando admitti posse,[4] licet non nisi parcissime & vrgente maxima voluntatis coniectura:[5] Sed de persona ad personam nunquam, ne quidem ex rationis, vt nostri loquuntur, identitate, nec rursus etiamsi de verisimili testantis voluntate appareat:[6] multo minus si extensionem quis inducere velit, vt in proposita specie,[7] de persona magis dilecta ad minus dilectam, & in detrimentum alterius magis dilectæ.[8] Accedebat, quod non sub nomine illo appellatiuo duntaxat, *Vicecomitis*, Claudio data fuerant bona, de quibus agebatur, sed adiecto etiam nomine *Claudij*, quæ specialis expressio proprij nominis non magis pati poterat, vt extensio fieret de persona Claudij ad personam Petri, quam, vt qui primum erat Petrus, factus subinde Claudius videretur.[9] Denique quod Claudio relictum fuerat, cum is ante patrem defunctus esset, in causam caduci deuenerat, ob idque penes vniuersalem heredem remanere debuerat,[10] tametsi substitutio nulla facta proponeretur in eius commodum: quæ tamen verborum compendio sic concepta erat, vt vulgarem casum, qui euenerat, proculdubio contineret,[11] atque ita extensionis admittendæ rationem omnem excluderet.[12] Itaque Senatus pro herede vniuersali, contra Petrum pronunciauit, 8. Cal. Sept 1588.

1 *Vt in specie l. Gallus, in princ. & pass. de liber. & posthum.*

2 Ex quo poterat sumi coniectura voluntatis, quod Petrũ vellet substitutum in locum Claudij, vt cui voluit conuenire eandem qualitatem, voluerit etiam conuenire eandem dispositionem.

3 Ex singulari doctrina Aretini, *in d. l. Gallus*, §. *& quid si tantum, col.* 3. *in fin. vers. secundo fallit*, dicens ita loqui textum *in l. tale pactum* 40. §. *vlt. de pact.* Curt. Iun. *cons.* 121. *n.* 14. quod & in fideicommissis locum habere ait Gozadin. *cons.* 39. *nn.* 22. iunct. *num.* 4. Sequitur Socin. iun. *cons.* 129. *num.* 35. *vol.* 3. quem refert Francisc. Mantic. *lib.* 3. *de coniectur. vltim. volunt. tit.* 19. *num.* 8. *ad fin.* Maxime ex identitate rationis, *argum. l. illud* 31. *ad leg. Aquil.*

4 *Ex notat. in d. §. & quid si tantum, l. mulier* 22. *ad Senatus. Trebell.*

5 *L. commodissime* 10. *ff. de liber. & postum. cum similib.*

6 *L. si quis ita* 16. §. *penult. ff. de testamen. tutel.* Idque pluribus probat idem Mantic. *dict. num.* 8 *in princ.* vbi ostendit longe aliam esse speciem, *dict. l. tale pactum*, §. *vltim.* vbi agitur de conuentione facta inter viuos, & ad expressam vtilitatem heredis, cui semper paciscimur præsumimus, *vulg si pactum, ff. de probat.*

7 Qui enim priores geniti sunt prædilecti præsumuntur, tanquam priores & cogniti & dilecti. Sunt & qui priores nominati fuerunt, *l. omnia* 32. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommisso, de legat.* 2. *l. heredes mei* 57. §. *vlt. ff. ad SC. Trebell.*

8 Quod non ita est in specie *d. l. tale pactum*, §. *vlt.* vbi extensio fit à persona fratris ad personam filij, ac proinde ad personam magis dilectam, idque vt noceatur genero, cuius persona longe minus dilecta est.

9 Itaque persona, ad quam fiebat hoc casu extensio, non poterat comprehendi sub verbis & mente disponentis. Atque ita cessabat hic doctrina illa Aret. quam retulimus *n.* 3. Sic & alias multum refert, an testator quid deposuerit expressis nominibus propriis, an appellatiuis, *l. si heredes* 124. *de legat.* 1. *l. nonnunquam* 24. *ad SC. Trebell.*

10 *L. vnic.* §. *pro secundo, C. de caduc. tollend.*

11 Huiusmodi enim substitutio est compendiosa, quæ proinde vulgarem continet, si is cui facta est heres non sit, Guill. Bened. *in repet. cap. Raynutius*, in verb. *si alij liberis* 1. *in tract. de compend. subst. num.* 5. post Bart. *ad l. Centurio, col.* 4. *de vulg. & pupill. subst.*

12 Semper enim potior est causa substituti, tanquam qui veniat ex voluntate expressa testatoris, *dict.* §. *pro secundo, & pass. l. vnic. C. de caduc. tollend.*

DEFINITIO II.

Testes qui deponunt de institutione facta per nuncupationem, debent esse contestes, etiam in figura & cortice verborum.

CVm de nuncupatiua institutione per testes probanda agitur, quod euenit, quoties nuncupatiuum testamentum sine scriptura factum proponitur,[1] ij soli testes fidem faciunt, qui de verbis institutionis sic testantur, vt non tantum in substantia voluntatis, sed etiam in verborum figura & cortice consentiant:[2] Alioqui non possunt videri contestes, & de vna tantum institutione sensisse,[3] quandoquidem si scriptum testamentum fuisset, vna tantum institutionis formula reperiretur.[4] *Ita Senatus* in causa Petri & Humberti Roux, contra Claudiam Violat, 8. Id. Mart.

Id.Mart.1591. Et in alia causa, de qua Defin.15.infra de fideic.

1 Fiunt enim plerunque testamenta etiam nuncupatiua per scripturam, ad futuram rei memoriam, *l.4.ff.de pignor. l.4. ff.de fid.instrum. l.iubemus 29.C.de fid.testam.*

2 Quamuis non figura literarum, sed oratio quam exprimunt literæ illa sit, quæ totum facit, *l.non figura 38.de oblig. & act.* Vide *l.quoniam indignum 15.C.de testam.*

3 *Arg.l Diuus 24.ff.de testam.milit.*

4 Quæ etsi possit hodie concipi quibuscunque verbis, post *l.quoniam indignum 15.C.de testam.* certis tamen & præcisis verbis concipi eam necesse est, vt sciri possit, quid testator dixerit & senserit, siue per scripturam testatus sit, siue per nuncupationem.

DEFINITIO III.

Clausula & conditio apposita in institutione, an & quando censeatur repetita in substitutione?

ET clausula, & conditio, quæ in institutione apposita est, plerunque in substitutione repetita intelligitur.[1] Sed hoc ita si eadem aut par sit vtrobique ratio.[2] Nam quod quidam putant,[3] illud etiam requiri, vt iidem sint instituti & substituti, nimis fortasse durum est.[3] Itaque si ponas institutos fuisse posthumos filios testatoris, inuicemque primo gradu substitutos, in secundo autem gradu substitutum extraneum, aut cognatum, qui hac parte non est fauorabilior extraneo, non semper eadem substituentis, quæ institutionis ratio constituetur.[4] *Ita tractatum est* in causa Remigij & Claudij de Vullien, & Martini Sigrand. Prid.Id.Iunij 1593.

1 *Argum.l.1.C.de impub.& alijs substit. l.qui filiabus 14.de legat.1. cum similib. l.si plures 24.de vulgar.& pupill.substit.* Intellige, nisi conditio talis sit, quæ repetita vitiaret, *vt in l. seruo alieno 133.§ si ab impubere, de legat.1.* * Vide Crauett. *cons.* 113.*n* 16.

2 Paul Castr. *ad l.1.C.de liber.præter.* post Bald. *ad l.licet, l. Imperator 74.de leg.1. ex l.quisquis 95.de leg.3.*

3 Fulgos. *ad d.l.1.C.de liber.præter.*

4 Quia pro personarum diuersitate aliter atque aliter testator sensisse ac disposuisse credendus est, nec valet vnquam argumentum à persona magis dilecta ad minus dilectam, vt videatur testator id voluisse, quod non dixit, *arg.l.vnic.§. vbi autem, vers.sin autem ad deficientis, C.de caduc.tollend.*

TIT. VIII.

DE IMPVB. ET ALIIS substitut.

DEFINITIO I.

Tacita pupillaris regulariter contra matrem non admittitur.

QVANQVAM pupillaris substitutionis fauor ille est, vt pupilli matrem excludat, etiam à petitione legitimæ, nec inofficiosi testamenti querelam pertimescat, quia licet pupilli testamentum sit, à patre tamen factum est, vt eleganter Papinianus dicebat,[1] communi tamen & inueterato nostrorum interpretum errore iam pridem receptum est, vt si ex pupillari, vt vocat, tacita succedatur, id est, ex eaquæ in vulgari expressa per Diui Marci constitutionem intelligitur,[2] mater non solum à legitima non excludatur, sed ne ab ipsa quidem successione:[3] Quasi nec patris voluntas illa fuisse credenda sit, vt vllo modo excluderetur mater ab eo, quem non expressim pupillariter substituerit.[4] Nec iniqua sane est sententia,[5] si hac parte necessariam iuris rationem ab æquitate secernere liceret. Sed cum non eo minus verum sit ex pupillari substitutione succedi, quod vulgari tantum casus expressus fuerit,[6] dici vix potest, quo iure successionem aut legitimam habere mater debeat, quæ nec testamento nominata est, nec ad inofficiosi testamenti querelam admittenda.[7] Placet tamen Senatui nostro, quod interpretibus fere omnibus, vt matri hoc casu salua sit intestati successio, nisi contraria patris voluntas ex coniecturis non obscuris, nec improbabilibus colligatur.[8] Id enim est quod vulgo nostri iactitant, tacitam pupillarem non admitti contra matrem.[9] *Ita Senatus* noster sæpius, & maxime in causa quadam tractata in publico auditorio, 8.Cal.Sept.1588.

1 Quem Vlpianus refert & probat *in l. Papinianus 8.§. sed nec impuberis, ff de inoffic.testam.* Qui enim agit de inofficioso testamento, is duo impugnat, & testamentum & iudicium eius, quem ait insanum fuisse, testatumque contra officium pietatis. [Idque adeo verum est, vt si expressa pupillaris scripta sit in testamento imperfecto, quod tamen inter liberos defendatur, perinde excludatur mater cùm non eo minus valeat pupillaris substitutio. *Iul.Clar.in §.testamentum, quæst.*10. vbi dicit communem scilicet si substituti sint alij liberi. Quamuis non valeat tutoris datio, vt ibid. ille ait, quia licet respiciat fauorem liberorum, alienum tamen onus continet. Nec aliud probandum puto, tametsi in eo testamento relicta sint legata matri. Quamuis enim mater ab eorum petitione excludatur, quia non valent, vt scripsi *Defin.vltim.num.7.§. de testam.* non eo minus tamen valet pupillaris inter liberos, quamuis esset difficilius, vt eo casu tacita vlla contra matrem admitteretur ne quidem ex coniecturis, nec si esset compendiosa ne alioqui tam multa singularia contra matrem admitterentur contra *l. 1.C.de dot.promiss.*]

2 *L.iam hoc iure 4.ff.de vulgar.& pupill.substit. l.quamuis 4.C.hoc tit.*

3 Vt scilicet filio mater succedat ab intestato, *ex SC. Tertyll.* ac si nulla substitutio pupillo facta esset, *vt in l. vlt. C. de instit.& substit.*

4 Poterat enim pater expressim filio impuberi substituere pupillariter, si voluisset, *arg.l.vnic.§. vbi autem, ad fin. C. de caduc.tollend.*

5 Est enim semper fauorabilis causa matris venientis ad luctuosam filij hereditatem, *d.l.vlt.C.de instit.& substit. l.precibus 8.C.hoc tit.l.iure succursum 6 ff.de iur dot.l.scripto 7.§.vlt. vnd.liber.* Vide text.elegantem *in Nouell.162. sacra form.transm.ff* Domin. *cap.vlt.in fin.*

6 Nimirum quoties potest locus esse constitutioni Diui Marci, de qua *num.2.* nec enim semper ei locus est, *d. l. 4.l. Lucius 45.de vulg & pupill.substit.*

7 Non enim potest deferri ab intestato hereditas, quamdiu ex testamento heres aliquis esse potest, *l.quamdiu 39.de acquir. hered.* pupillaris autem substitutio, siue expressa siue tacita testamentum filij est, *l.2.& pass.ff.de vulg.& pupill.substit.* Sed & interest pupilli testamentarium heredem habere potius, quam legitimum, *l.Iulianus 42.alias l.si pupillus, de acquir.hered.* Nec rursus potest fieri saluo testamento, vt legitimam possit petere citra querelam inofficiosi is, cui nihil penitus relictum fuit, *l. omnimodo 30.C.de inoffic.testam.*

8 Sunt enim variæ coniecturæ, quę facere possint pro matre, multæ, quæ contra matrem, de quibus tractant *ad d. l. vlt. C.de instit.& substit.& ad l.precibus 8.in fin.C.hoc tit.* Dicam *Defin.1.j.*

9 Contra quam sententiam vide quæ scripsi *in libris Coniecturarum, & in Hemichiliade, de error.pragmat.*

DEFINITIO II.

Substitutio pupillaris, quæ continetur in compendiosa, excludit matrem ab intestati successione, non à legitima.

SVperiori nostrorum interpretum errori alius quoque consequens est. Nam si pater, cum impuberi filio substitueret, eam formulam vsurpauerit, quæ verborum compendio omnes substitutionum species pro casuum varietate complectitur, (quam nostri,

BIU Cujas

quasi sit ipsa quoque distincta species substitutionis, compendiosam substitutionem appellant,[1] quæ solet, an matre in medio existente pupillaris substitutio credenda sit, an fideicommissaria? Quæstioni causam illud dat, quod pupillaris, quæ in compendiosa continetur, specialiter expressa non sit.[2] Quæstionis autem effectus ille est, quod si pupillaris dici debeat matrem omnino excludet,[3] quia non potest vere tacita dici, quæ sub verborum compendio continetur:[4] Sin vero etiam intra pupillares annos fideicommissaria dicatur, non impediet, quo minus ab intestato succedat mater,[5] cum onere restituendi fideicommissi: salua legitimæ & Trebellianicæ, id est, integri semissis detractione,[6] Non desunt, qui defuncto impubere filio pupillarem censendam putent.[7] Alij malunt esse omni tempore fideicommissariam, vt in dubio ea sumatur interpretatio, quæ faueat matri luctuosam filij hereditatem vindicanti.[8] Senatus noster mediam quandam sententiam probat, vt intra pupillares annos pupillaris quidem substitutio sit, ideoque Trebellianicæ detractionem non admittat,[9] sed tamen non eo magis excludat matrem à legitima,[10] quia non sit expressa, nisi verbis generalibus, quorum plerumque non tanta vis esse solet, quanta si essent specialia.[11] Plane quin post pupillares annos sit fideicommissaria, nemo dubitat.[12] Æquissimum sane temperamentum, sed à vera rectaque iuris ratione alienum. Quoties enim substitutio pupillaris est, testamentum filij est:[13] facto autem, saluoque testamento fieri non potest, vt legitima, quæ relicta non fuit, vlla debeatur.[14] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 8. Calend. Septemb. 1588. postea vero decisum, 17. Calend. Iul. 1599.

1 De qua tractant nostri *ad l. precibus* 8 *C. hoc tit. & ad l. centurio* 15 *ff eod. tit. de vulg. & pupill. substit.*

2 Specialiter enim expressa illa dicitur, quæ facta est his verbis: *si filius meus heres erit, & in pupillari ætate decesserit, Sempronius heres esto, l. 11. ff. eod.* & apud Iustin. *Instit. tit. de pupill. substit.*

3 *L. Papinianus* 8. *§. sed nec impuberis ff. de inoffic. testam.*

4 Imo potius debet dici expressa saltem verbis generalibus, quia semper specialia generalibus insunt, *l. semper* 147. *de reg. iur.*

5 Quia non sicut pupillaris substitutio testamentum est filij, sic & fideicommissaria substitutio potest dici testamentum grauari, vt impediat legitimam eius successionem, *l. Scæuola* 76 *ff. ad SC. Trebell.*

6 Postquam placuit duplicis quartæ detractionem permittendam esse, *ex cap. Raynutius, & cap. Raynaldus, Extr. de testam.* Nam inspecto iure ciuili solius falcidiæ deductio fit per eum, qui restituit fideicommissum ab intestato, *l. 2. §. vlt. ff. de iur. codicill.*

7 Et hæc verior sententia est, quam non pluribus probauimus in libris coniecturarum, *ad l precibus* 8. *C. hoc tit.* vbi vide. Adde Guil. Bened. *in tract. de compend. substit. num.* 45. Crauett. *cons.* 198. *n.* 10.

8 *Arg. l. vltim. C. de instit. l. precibus* 8. vbi Bart. & post eum vulgo cæteri, *C. hoc tit. d. l. Scæuola* 76 *ff. ad SC. Treb.* Adde exceptionem, nisi substitutus sit ex liberis testatoris, Crauett. *cons.* 141 *num.* 6. & 7. post gloss. magnam, Bart. & alios, *ad d. l. precibus*, Afflict. *decis.* 367. vbi dicit communem.

9 Non enim Trebellianica deducitur ex pupillari substitutione, sed ex fideicommisso, quoties quis rogatus est de restituenda hereditate, & quidem tanquam heres, *l. mulier* 22. *§. vlt. ff. ad SC. Treb.*

10 Quæ fuit primum sententia Decij, *ad d. l. precibus, n.* 26. *C. hoc tit.* [Philiberto Fabro patre meo, qui primus, vt ex eo ipso ita adfirmante audire memini. Sic apud nos pronunciauit, postea etiam à nostro Senatu comprobata.]

11 Generalia enim facile possunt recipere interpretationem restrictiuam, quam specialia vix patiuntur, *l. adigere* 6. *§. quamuis, de iur. patron. l. prospexit* 12. *ff. qui & à quib. manum.*

12 Non enim potest esse pupillaris post pubertatem, *l. in pupillari* 14. *ff. de vulg. & pupill. substit.*

13 Siue pupillaris substitutio sit expressa siue tacita, *l.* 4. *C. hoc tit.*

14 Quamuis possit ex testamento agi ad supplementum legitimæ, cum aliquid etiam minus legitima in eo testamento relictum est, *l. omnimodo* 30. *C. de inoffic. test.* Vide Philipp. Corneum *cons.* 28. *lib.* 4.

DEFINITIO III.

In pupillari mere tacita, & in ea quæ continetur in compendiosa, eadem ratio est, auiæ, quæ matris.

QVi matris fauor est ex recepta interpretum nostrorum traditione, vt neque per pupillarem omnino tacitam excludatur à legitima impuberis filij successione,[1] neque per eam quæ in compendiosa verbis generalibus expressa est à legitimæ petitione;[2] idem auiæ, siue paternæ siue maternæ debetur, si mater ante filium impuberem decesserit,[3] quoniam prædefuncta matre, intestati nepotis successio, ex qua legitimæ portionis debitum proficiscitur,[4] ad auiam deuolueretur:[5] cui non minus consuli æquum est, ne præter iacturam amissi nepotis totius quoque patrimonij, quod in luctuosa hereditate est, damnum sentiat.[6] *Ita Senatus* eodem placito. Quid si vtraque auia eo tempore superstes fuit? Inter eas tiens ille legitimarius pro virilibus diuidetur,[7] quia & ad intestati nepotis successionem simul admitterentur.[8]

1 Quia non patiuntur interpretes tacitam pupillarem admitti contra matrem, vt dixi *Defin. 1. n. 9. supr.*

2 Vt dixi *Defin. prox. præced.*

3 Crauett. *cons.* 141. *num.* 6. Bart. *ad l.* 2. *de vulg. & pupill. substit.*

4 Cum legitima nihil aliud sit, quam portio portionis ab intestato contingentis, *l. quæ nuper* 31. *C. de inoffic. test.*

5 *Nou.* 118. *de hered. ab intest. venient.* Vide tamen initium *tit. ad Tertyll. Inst.*

6 *Arg. d. l. vlt. C. de instit. & substit. l. iure succursum* 6. *D. de iur. dot. l. scripto* 7. *§. vlt. vnd. liber.*

7 *L. Papinianus* 8. *§. quoniam autem quarta, D. de inoffic. testam.*

8 Vt dicam *Defin. 2 infr. de legit. hered.*

DEFINITIO IV.

Cum apparet de testatoris voluntate, mater & auia excluditur etiam à legitima per tacitam pupillarem.

QVod diximus in superioribus, neque matrem neque auiam excludi à petitione successionis per substitutionem pupillarem, si tacita illa sit, & à lege subintellecta,[1] neque à petitione legitimæ portionis, si generalibus tantum verbis sit expressa,[2] tunc verum est, cum de contraria patris voluntate, aut ex testamenti verbis, aut ex probabilibus coniecturis non apparet.[3] Nam si quid forte matri legatum à filio sit, eo adiecto, vt legato contenta esse cogeretur, nec quicquam amplius ex bonis testatoris petere posset, non leuis præsumptio est, voluisse testatorem, vt à legitima quoque excluderetur.[4] Alioqui nihil illa enixæ voluntatis verba operarentur,[5] cum neque in mariti successione ius vllum vxor habeat,[6] neque in hereditate filij, cui pupillaris substitutus datus est:[7] idemque multo magis obtinet, si non à filio, sed à pupillari substituto legatum matri fuerit.[8] Sed etsi substitutus sit ex liberis testatoris, siue ex vno tantum latere, siue ex vtroque coniunctus fratri impuberi, nemo crediderit plus fauere testatorem vxori, quam filio voluisse.[9] Itaque his casibus legitimæ petitionem mater non habebit, quam haberet vtique, si testatoris frater substitutus proponeretur.[10] Quid si testator digressus sit ad plures gradus substitutionum? Sunt qui putent, hanc quoque vnam esse ex iis coniecturis, propter quas etiam à legitima excludi mater debeat. Sed non placet Senatui nostro hæc sententia, si alia voluntatis coniectura nulla sit.[11] *Ita Senatus* in eadem

eadem causa, & rursus, 17. Cal. Iul. 1590. & rursum, Idib. Iun. 1591.

1 Quomodo Antonius Goueanus *ad l.2. & alibi pass. de vulg. & pup. subst.* eam vocare solet, quam nostri vulgo male tacitam appellant.

2 Dixi *Defin. 1. & 2. supr.*

3 Semper enim exceptio ista adhibenda est in quæstionibus vltimarum voluntatum, *l. 4. D. de vulg. & pupill. subst. l. non aliter 69. de leg. 3.*

4 *Arg. l. quæsitum 78. §. 1. de legat. 3.*

5 Quod tamen absurdum esset, *l. cum pater 77. §. filius matrem, de legat. 2.*

6 *L. vlt. C. quor. bonor.* Existentibus scilicet agnatis; alioqui secus est, *l. vnic. C. vnde vir & vxor.*

7 *L. Papinianus 8. §. sed nec impuberis, ff. de inoff. testam.*

8 Ita vulgo nostri *ex l. Paula Callinico 27. §. Pompeius, de legat. 3.* Vide Paris. *cons. 73. vol. 2.*

9 Glossa magna & communiter approbata *in l. precibus 8. C. hoc tit.* Cravet. *cons. 141. n. 6 & 7.*

10 Gloss. ibid. Est enim minus fauorabilis causa fratris, quam testatoris.

11 Plures enim substitutiones compendiosæ eandem interpretationem recipere & possunt, & debent, quam vna reciperet, nec multiplicatio substitutionum rationem iuris immutare potest. Vide Corneum *cons. 28. lib. 4.*

DEFINITIO V.

Compendiosa restricta ad bona testatoris semper est fideicommissaria.

COmpendiosa, vt vocant, substitutionis formula, licet pupillarem quoque substitutionem contineat, si impuberem contingat in pupillari ætate decedere,[1] cum tamen ad bona testatoris restricta est, fideicommissariam duntaxat inducit,[2] quia per pupillarem non patri, sed pupillo succeditur.[3] Quanquam si pupillaris casus expressus sit, non eo minus pupillaris erit substitutio, quod pater adierit, *Titius mihi heres esto.*[4] Nam & patri heres est, qui filio patris heredi ex pupillari substitutione fit heres.[5] *Ita Senatus* eodem placito. Postea tamen contra pronunciatum fuit, mense Decembri 1602. in causa procurat. Tardy Necensis, vt audio.

1 *L. precibus 8. C. hoc tit. l. centurio 55.* vbi Bart. & cæteri *D. eod. tit. de vulg. & pupill. subst.*

2 Cravet. *cons. 98. num. 10.* vbi alios multos citat Rip. *ad d. l. centurio, nu. 100.* secus est si sit restricta ad certa bona impuberis, in quibus tamen totum ipsius patrimonium consistat. Hoc enim casu perinde est, ac si substitutio facta esset in tota hereditate, cum pars vna bonorum ad se trahat alterum iure adcrescendi, præsertim nemine in reliquis bonis, si qua sint, instituto, *l. 1. §. si ex fundo D. de hered. instit.* Et in hanc rem textus est expressus *in c. si pater, de testam. 6.* cuius ratio ostendit, nihil referre, an substitutio facta sit per verbum commune, an per directum ciuile, aut non ciuile? Nec rursus an sit substituta pia causa, an alius?

3 *L. sed si plures 10. §. ad substitutos, de vulg. & pup. subst.*

4 *L. si ita scriptum 8. §. 1. D. de bon. poss. secund. tabul.*

5 *L. pater familias 28. de rebus auctor. iud. possid. alias l. 13. de priuil. credit. l. sed si plures 10. §. filio impuberi, de vulg. & pupill. subst.*

DEFINITIO VI.

Substitutio breuiloqua sui natura est vulgaris, sed continet etiam fideicommissariam, si fiat per verba habentia tractum temporis.

TEstator ita scripserat: *Instituo Claudium & Ioannem Patry fratres meos, & eorum descendentes per rectam lineam legitimè, singulos in virilem, eos substituendo de vno ad alium.* Mortuo altero post aditam hereditatem, quærebatur, an superstes per fideicommissum substitutus videretur? Mouebat, quod verbum, *substituo*, si propie & ex iureconsultorum loquendi more accipiatur, ad vulgarem duntaxat & pupillarem substitutionem commune est,[1] non item ad fideicommissariam, quæ nec vnquam substitutio simpliciter appellatur.[2] Sin autem ex communi Interpretum nostrorum adeoque testatorum vsu intelligatur, licet nõ minus ac fideicõmissum, quam ad veras substitutionum species accommodetur,[3] prius tamen directæ quam fideicommissariæ substitutionis interpretationem admittit. Id enim est quod dici solet, In ambigua testatoris voluntate directam potius interpretandam substitutionem, quam fideicommissariam.[4] His vero verbis; *Eos substituendo de vno ad alium*, cum breuiloqua & quæ eadem est reciproca substitutio contineretur, vulgarem substitutionem factam esse constabat.[5] Sed tamen cum præcedentia illa, *& eorum descendentes per rectam lineam legitimè*, tractum temporis haberent, vt nostri loquuntur, placuit fideicommissi casu eueniente censendam substitutionem fideicommissariam. Nam & breuiloqua fideicommissaria est, quoties tractum temporis habet, vt & cum ex præcedentibus vel sequentibus apparet de fideicommisso cogitasse testatorem.[6] Propter quã causam si testator substituerit, *de herede in heredem*, nemo negauerit, fideicommissariã substitutionem esse,[7] quoniam cum viuentis heres nullus sit,[8] dubitari non potest, quin futurum mortis tempus is verbis demonstratum videatur,[9] aliter atque si solo *descendentium* vocabulo testator in substituendo vsus sit. Neq; enim id ad fideicommissum inducendum sufficeret.[10] In proposito autem tractus temporis ex iis potissimum verbis *per rectam lineam* colligebatur, quæ cum essent apposita ad exclusionem descendentium collateralium,[11] vires suas exerere non poterant in fratris liberis primi gradus, sed tantum in nepotibus, vt patruum, qui ex descendentibus quidem esset testatoris, sed non in recta defuncti linea, excluderent.[12] Nec ad rem pertinebat, quod ea verba in institutione apposita essent, non in substitutione. Nam & in substitutione compendio verborum repetita videri poterant, cum generaliter scriptum esset, *eos substituendo de vno ad alium.*[13] Neque nouum erat, vt verba institutionis tractum temporis habentia ad substitutionem etiam fideicommissariam ex voluntatis coniectura traherentur.[14] Sed & Gallica illa locutio in substitutione vsurpata *de l'vn à l'autre*, non tam breuiloquæ substitutioni[15] quam fideicommissariæ conuenire videbatur, ac si Latine diceres, *ab vno ad alium*,[16] quibus apparet, significari tractum & successionem temporis[17] potius quam si simpliciter inuicem,[18] aut quod idem esset, alius alij foret substitutus. Itaque pronunciatum est, conuocatis classibus fideicommissariam esse substitutionem, non directam, tametsi vulgaris substitutionis casu contingente directa quoque esse potuisset.[19] *Ita Senatus*, 15. Cal. Decembr. 1588.

1 Et ita appellatur *in l. iam hoc iure 4. de vulg. & pup. subst.* Est enim verbum mere directum, adeoque magis quam verbum, *instituo*, vt scripsi *in Hemichiliade, de error. pragmat.*

2 Vide textum elegantem *in l. tutores 39. §. heres institutus, de admin. tutor.* vbi dicitur nullum habere substitutum, qui habet fideicommissarium. Facit *l. vxorem 41. §. Seium maritum, de legat. 3.*

3 Placet namque Interpretibus, verba quædam esse communia, id est, quæ & directa sint, & precaria, inter quæ ponunt verbum, *substituo* post Bar. *ad d. l. Centurio.* Contra quem errorem scripsimus & in libris Coniecturarum & *in Hemichiliade, de error. pragmat.*

4 *Cap. si pater. de testam. in 6.*

5 Omnis enim substitutio breuiloqua sui natura est directa & vulgaris, *d. l. iam hoc iure.* Not. *ad l. Lucius eod.*

6 Sic Franciscus Ripa, qui hanc communem dicit, *ad l. Lucius. n. 43. & seqq. eod. tit. de vulg. & pupill. subst.* Bened. Capr. *cons. 7. col. fin.* Ias. *cons. 134. vol. 1.*

7 Paris. *cons. 41. vol. 2.* post Decium *cons. 38.* Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 8. tit. 18. n. 6. & præced. in fin.* Vide Bart. Ias.

BIU Cujas

& alios *ad l. centurio.* Socin. *conſ.* 290 *incip. quoniam præſens. & conſ.* 113. *ſupra ſcripto.* Dec. *conſ.* 205.

8 *L.* 1. *ff. de hered. vel act. vendit. l.* 1 *ff. pro herede.*

9 *L. filius familias* 114. §. *vt quis heredem, de leg.* 1. *l. ex facto* 17. *in princ. ff. ad SC. Trebell.*

10 Cum poſſit ea dictio verificari in deſcendentibus, qui nati fuerint viuo teſtatore, & accipi demonſtratiue potius, quam ad exprimendum futuri temporis tractum. De verbis habentibus tractum temporis & extenſiuis vide *l.* 1. § *ſi quis adita, & l. filij* 6. §. 1 *ff. ad SC. Tertyll.*

11 Incluſio enim vnius eſt excluſio alterius, *vulg. l. cum prætor* 12. *in princ. de iudic. l. ex eo* 18. *de teſtib.*

12 Solent enim deſcendentes, quamuis remotiores prædilecti eſſe in portione patris aut alterius aſcendentis, *l. cum auus* 102. *de condit. & demonſtr.*

13 Ea namque dictio, *eos*, omnes de quibus antea dictum fuerat, complectitur. *l. vlt. D. ad SC Trebell.* Nihil enim refert, an quis ſuo nomine, an certa demonſtratione exprimatur, *l. certum* 6. *D. de reb. credit.*

14 Et notat *in d. l. precibus. & in d. l. centurio.* Voluntas enim illa eſt, quæ in diſpoſitionibus teſtamentariis totum facit. *l. ſi mihi* 12. *in fin. de leg.* 1. maxime in fideicommiſſis, *l. antepenult. eod. cum ſimilib.*

15 Per quam ſcilicet non de vno ad alium, ſed vnus alij ſubſtituitur *d. l. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

16 Caſtr. *ad l. omnia* 31. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommiſſo de legat.* 2 *& conſ.* 271 *part.* 2. *vol.* 2. Gloſſ. *in l. ex teſtamento*, C. *de teſt. milit.* Iaſ. *conſ.* 32. *n.* 2. *lib.* 1. Gloſſ. *in l. ſi is qui* 66. §. *vlt. de furt.*

17 Contra tamen ſentit Steph. Bertr. *conſ.* 122 *vol.* 2. *part.* 1. vbi vult, ſola hæc verba, *de vno ad alium*, non habere tractum temporis, ſi non adſint alia, nec ideo minus ſubſtitutionem breuiloquam cenſeri.

18 Quod ideo commune verbum appellatur *in dict. l.* 4. *de vulg. & pupill. ſubſtit.*

19 Ex natura ſcilicet compendioſæ ſubſtitutionis, quæ ſui natura & vulgarem, & fideicommiſſariam, & cæteras omnes per caſuum, perſonarum & temporum varietate continet. Not. *ad d. l. centurio, & ad d. l. precibus.*

DEFINITIO VII.

Liberi cum parentibus vocati per copulam an & quando ſuccedant ſimul, an ordine ſucceſſiuo?

CVm de collateralium, &, vt vocant, tranſuerſalium ſucceſſione agitur, verius eſt, liberos cum parentibus ſub nomine collectiuo, copulatiue tamen vocatos, non ordine ſucceſſiuo, vt quidam putant,[1] ſed ſimul eodemque tempore propter vim copulæ vocatos intelligi, & quidem ex æquis partibus, tanquam ſimul inſtitutos:[2] nimirum vt vilem vnam pater habeat, liberi vero aliam, cuiuſcumque ſint numeri.[3] Nec diſtinguemus, an teſtator inſtituerit fratrem & eius liberos, an, vt fieri ſolet *fratrem & ſuos.* Nam & *ſuorum* appellatione per prius liberi intelliguntur.[4] Neque rurſus probabilis eſt quorundam illa diſtinctio, an collateralium perſonæ tales ſint, inter quas cadat ordo quidam charitatis & affectionis, nec ne? Quaſi priore caſu, vtputa inſtituto fratre eiuſque liberis, non niſi poſt patrem & ordine ſucceſſiuo liberi vocati videantur.[5] Indiſtincte enim ſimul vocatos videri placet,[6] ſi non voluntas teſtatoris refragetur.[7] Sane inſtitutis aut ſubſtitutis deſcendentibus non immerito aliud probatum eſt,[8] propterea quod ex pietatis potiſſimum ratione voluntates aſcendentium æſtimandæ ſint;[9] pietatis autem ordo poſtulet, vt liberis primum, deinde poſt liberos nepotibus hereditas relinquatur,[10] præſertim cum auo officium erga nepotes & parentis in liberos officio proficiſcatur.[11] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

11 Cravett. *conſ.* 22. poſt Decium *conſ.* 205. *paulo poſt princ. & conſ.* 662. [Cuius tamen opinio indubitate procedit ſi verba illa, & ſuos, poſita ſint in medio clauſulæ inſtitutionis, puta ſi quis poſt tres fratres inſtitutos & ſuos adiecerit ſingulos ex trientibus, quota enim oſtendit euidenter quot fuerint vocati: eſſent namque inſtituti ex minore quota ſi liberi cum patrib. concurrerent.]

2 Quæ fuit ſententia eiuſdem Decij *conſ.* 253. Vide text. *in l. ſi ego* 26 *D. de acquir. hered.* * Iulius Clar. qui dicit eſſe communem, & plurimos citat *in* §. *teſtamentum, quæſt.* 70. *n.* 2.

3 Tanquam qui omnes vocati ſint ſub vno eodemque nomine collectiuo, *vt in l. omnia* 32. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommiſſo, vbi not. de leg.* 2. Aliud eſt *in l. vlt. C. hoc tit.*

4 Idem Dec. *dict. conſ.* 253. quod nec Cravetta negat *d. conſ.* 22.

5 Quæ Bartoli opinio eſt * multorum *ad l. Gallus* 29. §. *quidam recte, de liber. & poſthum.*

6 Decius *dict. conſ.* 253.

7 Vt in caſu, de quo idem Decius reſpondit *conſ.* 291.

8 In eoq; conuenit Decio & cæteris omnibus cum Bart. *ad d.* § *quidam recte.* Iunge quæ dicam *D. fin.* 2. & 11. *infr.*

9 *L. cum auus* 102 *vbi not. D. de condit. & demonſtr. l. cum acutiſſimi* 30. *C. de fid. com.*

10 *Nouell.* 118. *de hered. ab inteſt. veniext.* Qui enim proximior eſt in gradu, dilectior quoque fuiſſe præſumitur, *d.* § *in fideicommiſſo, l. heredes mei* 57. §. *vlt. ad SC. Trebell. l. vltim. vbi not. C. de verb. ſignif.*

11 *L. dilectem* 6. *D. de collat. bonor. l. generaliter* 6. § 1 *C. de inſt. & ſubſtit.* [Vide tamen Franciſc. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 4. *tit.* 9. *num.* 17. *& ſeq.* vbi licet contra Bart. ſentiat, tamen adfert limitationes multas & valde probabiles, quæ videntur cum hac Definitione pugnare. Maxime ſi patri ſint coniuncti filij nondum nati & incogniti teſtatori. Item quando filij non liberi aut ſub alio nomine collectiuo.]

DEFINITIO VIII.

Vocati poſt parentes liberi ordine ſucceſſiuo cenſentur in dubio vocati tantum in caſum vulgarem, non in fideicommiſſarium, niſi ex coniecturis.

AT quibus caſibus liberi poſt patrem ordine ſucceſſiuo vocati intelliguntur, dubitari ſolet, an in vulgarem duntaxat caſum vocentur, ſi pater heres aut legatarius, aut fideicommiſſarius eſſe vel nolet, vel non poterit,[1] an etiam in caſum fideicommiſſi, vt à parente acceptam liberalitatem filius liberis ſuis teſtituere compellatur?[2] Sunt enim qui putent, adiuuandum interpretatione fauorem voluntatis, vt in eum caſum, qui euenit, quiſquis ille ſit, quando verba patiuntur, effectum ſortiri poſſit.[3] Probabilius tamen creditur, in vulgarem duntaxat caſum vocandos liberos:[4] ideoque fortaſſe, quod nimis dura videri poſſit ea interpretatio, per quam vllo erga proprios liberos fideicommiſſo pater obſtringatur.[5] Nam præter id, quod fideicommiſſa fere omnia creduntur odioſa, quia ſunt onerosa,[6] verendum etiam eſt, ne quid de ea decedat obſeruantia, quam filius patri debet, ſi ex fideicommiſſi cauſa relinquendæ ſucceſſionis neceſſitatem patri irrogatam eſſe filius intelligat,[7] cum plerique liberi ſolo exheredationis metu potius, quam debitæ pietatis ratione in officio retineantur.[8] Sed hoc ita eſt accipiendum, ſi nihil ſit, ex quo contraria teſtatoris voluntas elici poſſit. Quid enim ſi ſubſtitutio talis ſit, quæ iure directo valere non poſſit?[9] Quid item ſi iis verbis cõcepta, quæ tractum temporis habeant?[10] Vtique dummodo non ad primi tantum ſubſtituti perſonam, ſed ad ſequentes quoque directa ſint.[11] Quid denique ſi alij remotiores, &, quod eſt conſequens, minus dilecti etiam per fideicommiſſum ſubſtituti ſint? His certe caſibus & aliis, ſi qui ſunt ſimiles, fideicommiſſi quoque caſum ſubſtitutione contineri fatendum eſt.[12] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Sunt enim iſti duo caſus, qui ad vulgarem ſubſtitutionem pertinent, Noluntatis ſcilicet ac impotentiæ, *l. cum ex filio* 39. §. *vltim.* iunct. *l. quidam* 30. *& paſſ. D. de vulgar. & pupill. ſubſtit.*

2 Nec enim fideicommiſſaria expirat per agnitionem vt vulgaris, *l. poſt aditam* 5. *C. hoc tit.* ſed confirmatur, quæ alioqui interciderent, *l. ille à quo* 10. §. 1. *l. ſi patroni* 55. §. *qui fideicommiſſum & paſſ. D. ad SC. Trebell.*

3 Paul. Caſtren. *ad l. Gallus* 29. §. *quidam recte, de liberis & poſthum.*

BIU Cujas

posthum. ex l. si quis operas 5. ff. de oper. libert. quæ plane ad rem non pertinet: loquitur enim in stipulatione, non in institutione aut substitutione.

4 Quod pluribus defendit Decius *consil.* 205. 248. 253. 291.

5 Vt à nobis fusius disputatum est in quæstione illa, De liberis in conditione positis, *Decad. 26. de error pragmat.*

6 *L. si adrogator* 22. §. 1. *vbi notat. D. de adopt.*

7 Textus est elegans *in l. nec ei* 17. § *præterea, eod tit.*

8 *Nouell. 115. vt cum de appellat. cognosc. §. aliud quoque capitulum & l 3. §. si emancipatus. ff. de bonor. possess. contr. tabul.*

9 Nam si iure directo valere numquam potuit omnimodo sic interpretanda est benigna interpretatione, vt iure fideicommissi conseruetur, *arg. l. Scæuola 76. vbi not. ff. ad SC. Treb.* Decius *d. cons 253.*

10 Nam & hoc casu continetur substitutio fideicommissaria, vt ex communi Doctorum sententia refert Crauet. *cons. 22. n. 7. & cons. 37.*

11 Alioqui si ad primum substitutum directa sint, licet habeant tractum temporis, non ideo tamen ad alias personas extenduntur. Idem Crauet. *d. cons. 13. n. 3. & 4.*

12 Ne alioqui melioris conditionis sit persona, quæ minus dilecta fuit, quam quæ magis dilecta, quod in fideicommissis & substitutionibus nunquam ferendum est, *l. Publius 36. §. 1. ff. de condit. & demonstr.* [Vide omnino Francisc. Mantic. *lib. 4. de coniect. vlt. volunt. tit. 9. num. vlt.* post Dadac. Couarr. *ad cap. Raynutius §. 2. num. 7.* vbi aiunt substitutionem hanc, si semel potuit valere tanquam vulgaris, semper talem esse.]

DEFINITIO IX.

Liberi etiam cum parentibus vocati aliquando censentur vocati tantum ordine successiuo, & in casum tantum fideicommissi.

EX contrario, quod supra diximus, collaterales cum liberis suis copulatiuè vocatos propter vim copulæ simul vocatos intelligi, [1] eam necessario admittit interpretationem, si personarum conditio patitur. [2] Nam si ponas, fratrem institutum, aut cui legatum vel fideicommissum relictum sit, nullos dum eo tempore liberos habuisse, necesse est, vt ordine successiuo vocati videri debeant, quod simul vocati non potuerunt. [3] Adeoque, quod magis mirum est, in casum fideicommissi, non in vulgarem, quia casus vulgaris etiam cum expressus est pro non scripto haberi debet, si vulgariter substitutus nondum in rerum natura sit tempore delatæ hæreditatis. [4] Cæterum nec si in id vsque tempus dilata sit agnitio aut repudiatio, quo liberi extare cœperint, perinde tamen erit, ac si iam ipso testamenti tempore in rebus humanis fuissent. [5] Itaque non nisi in fideicommissarium casum vocati videbuntur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Defin. 7. supr.* [Vbi vide quæ addidi ex Francisc. Mantic. *lib. 4. de coniect. vlt. volunt. tit. 9. n. 17. & seqq.*]

2 Est enim semper iusta illa interpretatio, perquam habetur ratio personarum, *l. adigere 6. §. quamuis, de iur. patron.*

3 Vt in eum casum valeat dispositio, quo valere potest, & quo saltem ex verbis concipi possit, *arg. l. Gallus 19. §. quidam recte, de lib. & posthum. l. talem 51. in fin. ff. de hered. instit.*

4 Quia non potest substitutio vulgaris fieri, quin testator sermonem suum conferat ad substitutum: quoties autem is, ad quem testator sermonem suum confert, in rerum natura non est, nullius momenti est dispositio. *l. quidam referunt 14. vers. quia heres. ff. de iur. codic. l. 4. ff. de his quæ pro non script. hab.* Idem est in legitima hereditate, *l. Titius 6. & seq. ff. de suis & legit.* [Vide tamen Francisc. Mantic. *lib. 4. de coniect. vlt. volunt. tit. 9. n. 30.* vbi dicit hanc substitutionem successoriam censeri semper directam & vulgarem, nunquam fideicommissariam: scilicet cùm semel potuit valere iure directo.]

5 Institutio enim, quæ ab initio pro non scripta habetur, tractu temporis conualescere non potest, *l. penultim. de regulis iuris.*

6 Quia fideicommissum potest relinqui personæ etiam quæ nondum sit in rerum natura, si modo extet tempore conditionis existentis, *l. si in personam 21. C. de fideicom.* Vide Dec. *cons. 253. in fin.* Bald. *cons. 305. incip. non est dubium. vol. 3.* Iunge *Defin. 11. in fr.*

DEFINITIO X.

Vulgaris substitutio expressa nunquam trahitur ad fideicommissariam, breuiloqua non nisi interdum, compendiosa fere semper.

VVlgaris substitutio, si suo casu expresso certa sit & expressa, numquam trahi potest ad fideicommissariam, [1] à qua scilicet non specie tantum differat, sed toto etiam fere genere. [2] At si vulgaris casus expressus non sit, vt contingit breuiloqua facta substitutione, [3] minus difficile est, vt ex coniecturis probabilibus trahatur aut potius flectatur directa substitutio ad fideicommissum. [4] Illa vero coniectura sufficere creditur, quæ ex clausulæ codicillaris adiectione colligatur, si modo clausula illa concepta sit per verba futurum tempus demonstrantia, [5] quod eo casu dubitari non possit, quin ipsius quoque substitutionis verba temporis tractum habere videantur: [6] quod cum euenit iam supra diximus, [7] in breuiloqua substitutione fideicommissariam quoque contineri. Quamquam si rationem iuris spectes, prorsus improbabilis est hæc sententia, quando quidem constat, clausulam codicillarem, quibuscumque tandem verbis concepta sit, [8] solemnitatis duntaxat defectum supplere, non etiam voluntatis. [9] Sane in compendiosa substitutione facilius hoc admittere quis possit, quoniam id substitutionis genus sui natura aptum est comprehendere omnes substitutionum species, [10] nisi verba repugnent; [11] tum demum autem repugnare videntur, cum sunt mere directa, [12] non cum, vt nostri vocant, communia. [13] Porro clausula codicillaris facit, vt, quæ in testamento directis verbis relicta sunt, valeant in vim fideicommissi, si valere directo non possint. [14] Atque ita vulgo nostri ratiocinantur. [15] Sed tamen non videtur ea ratio bene accommodari ad eam substitutionem, quæ verbis directis concepta, aut quæ directa sui natura iure vulgaris valere potuit, si casus non aditæ hereditatis, aut non agniti legati vel fideicommissi contigisset. [16] Quid enim necesse est, vt quæ iure directo valere potuit in suo casu, ob id solum flectatur in fideicommissariam ex vi codicillaris clausulæ, quod fideicommissi casus euenerit? [17] Illud certe aliquando æquum est obliquari directam substitutionem in codicillis factam, quia nullo casu fieri queat, vt tanquam directa valeat, quæ in codicillis facta est, quibus non magis hereditas dari potest, quam adimi. [18] Sed id non nisi perraro & summa suadente vtilitate, si iuris auctoribus credimus, admittendum est: vno nimirum illo casu, ac fortassis præterea nullo, quo impuberi filio substitutus pupillaris codicillis datus proponatur. [19] *Senatus* tamen noster iuxta communem Interpretum sententiam pronunciauit in causa suprascripta.

1 Expressio enim specialis omnem impedit extensionem, *l. commodissime 10. ff. de liber. & posthum. l. si cum dotem 22. in princ. ff. solut. matrim. l. 4. de vulg. & pup. subst.*

2 Vulgaris siquidem substitutio vere ac proprie substitutio est, non etiam fideicommissaria, *l. tutores 39. §. heres. ff. de admin. tutor.*

4 Quamuis etiam breuiloqua sui natura sit vulgaris, vt dixi *Defin 6. n. 5. supr.*

4 Vt puta si breuiloqua facta sit per verba importantia tractum temporis. Guil. Bened. in verb. *si absque liberis, in tract. de substit. breuiloq. num. 17. & seqq.* Crauett. *cons. 22. & 210. num. 4. & cons. 305.*

5 Francisc. Rip. *ad l. Lucius 45. n. 44. & seq.* contra Decium *cons. 205. d. fin. & cons 291. & ad precibus, C. hoc tit.* Adde cum Ripa Crauet. locis supradictis, & Francisc. Mantic. *lib. 7. tit. 4. de coniect. vltim. volun.* vbi dicit, communem esse, contra Decium. Iunge Bald. *cons. 92. lib. 2.* Socin. *cons. 6. vol. 2. & 3.* Curt. *cons. 139. n. 27.* Grat. *cons. 8. vol. 2.* Dec. *cons. 431. col. 2.* Zanch. *ad*

BIU Cujas

l. heredes mei 57 § cum ita, ff. ad SC. Trebell. num. 19. vbi contrariam Alciati opinionem refert ac refellit Raph. Fulgos. Paul. Castr. & Corn. *in l. si frater, C. de fideic.* Capr. *cons.* 7. And. Gail. *lib. 2. pract. obser. c.* 114. *nu.* 3.

6 Habent enim tractum temporis ea verba, quæ concipiuntur in futurum, *l.* 1. § *si quis adita, l. filij* 6. § 1. *ff. ad SC. Tertyll.*

7 *Defin. 6. sup. eod.* vbi vide.

8 Distinctionem enim illam, vtrum per verba præsentis temporis concepta sit, an per verba futuri, refutauimus in prima parte Chiliadis nostræ *de error. pragmat.*

9 Quæ vera & elegans ratio est Decij *d. cons.* 205. *ad fin.* & aliis locis supradictis.

10 Not. *ad l. centurio, de vulg. & pup. subst. & ad d. l. precib. C. hoc tit.*

11 Nihil enim statuendum vnquam ex verbis repugnantibus, *l. talem* 51. *in fin. ff. de hered. instit.*

12 *l. verbis ciuilibus 7. vbi not. ff. de vulg. & pupill. subst.*

13 De quibus tractant nostri post Bart. *ad l. centurio.*

14 *l. 1. l. 3. in princ. de iur. codic. l. generaliter* 24. §. *ex testamento. ff. de fideic. libert. l.* 1. *C. eod. l. pen.* §. *vlt. de leg.* 2.

15 *Ad l. Scaeuola* 76. *per ill. text. ff. ad SC. Trebell.*

16 Ita nostri notant *ad d. l. Scaeuola.*

17 Siquidem satis est, vt aliquem casum vtilem habuerit. *arg. l. Stichus* 39. *in fin. ff. de manum. testam. l. heres* 21. §. *pen. ff. de fideiuss.*

18 Qui casus est *d. l. Scaeuola.*

19 Vt scripsi plutibus *ad d. l. Scaeuola, lib.* 15. *Coniect.*

DEFINITIO XI.

Etiam institutio facta per verba importantia tractum temporis trahitur ad fideicommissum.

CVm Titius Sempronium heredem instituisset, eiusque liberos & heredes, his verbis, *& ses hoirs*, dubitabatur, an vulgaris substitutio facta esset, an fideicommissum potius Sempronio iniunctum, vt Titianam hereditatem liberis suis iisdemque heredibus restitueret? Nam si ea in dubio accipienda est interpretatio, quæ directam potius, quam quæ fideicommissariam faciat substitutionem,[1] nihil vetabat sic institutionem intelligi, vt si Sempronius hereditatem Titij adire aut nollet, aut non posset, post eius demum mortem ipsius liberi iidemque heredes per vulgarem admitterentur.[2] Eaque interpretatio verbis quoque conuenientior videbatur, cum *instituendi*, non *substituendi* verbo testator vsus esset.[3] Vulgaris enim, non item fideicommissaria substitutio, institutio est.[4] Et vero quomodo fieri, obsecro, potest, vt quis heredi suo tanquam heredi quid restituere rogetur?[5] Cum non magis heredi suo obstringi quis possit, quam sibi ipsi,[6] quandoquidem eadem defuncti & heredis persona esse intelligitur:[7] pronunciatum tamen est, fideicommissum à Sempronio relictum videri propter verba illa, *& ses hoirs*, quæ tractum temporis habebant, in eum scilicet vsque diem, quo Sempronius decessisset,[8] cuius viuentis sicuti nulla hereditas, ita nec heres quisquam esse poterat.[9] Nec credibile erat, testatorem, qui opulentam hereditatem relinqueret,[10] de Sempronij liberis in eum duntaxat casum cogitasse, quo hereditas à Sempronio repudiata fuisset,[11] tamque longo tempore vacasset:[12] præsertim si testamenti tempore nullos dum liberos Sempronius habuisse proponeretur. Qui enim nondum nati sunt aut concepti, non magis vulgariter substitui quam instituí possunt.[13] Fideicommissi vero vtilitas in eo erit, vt si patris Sempronij hereditatem liberi, iidemque testamentarij aut legitimi heredes agnouerint cum beneficio legis & inuentarij,[14] Titianæ hereditatis fideicommissum tanquam æs alienum possint deducere aduersus quoscunque Sempronianæ hereditatis creditores & legatarios,[15] quamuis aditione hereditatis hactenus confusa sit fideicommissi actio, vti ne fideicommissum peti possit;[16] nimirum quoniam ad huiusmodo fideicommissum non heredes quilibet, sed soli liberi, ita tamen si iidem quoque heredes essent, inuitari viderentur.[17] Nam si dictio illa Gallica, *hoirs*, nihil nisi heredes, ac non etiam per prius, vt aiunt, liberos significaret, vix sane esset, vt fideicommissum etiam, quod disertis verbis expressum fuisset, valere posset, quo quis erga proprium heredem suum oneraretur.[18] *Ita Senatus* in causa Ioannis Berguera. *Sine die.*

1 *Cap. si pater, de testam. in 6.*

2 Atque ita in terminis respondit Crauet. *cons.* 131. *num.* 5. & 6.

3 Institutionis enim verbum speciale est, substitutionis vero generale.

4 Cum nihil aliud sit vulgaris substitutio, quam secunda aut heredis secundi institutio, vt Caius definit in Instit.

5 Quomodo Crauet. disputat, *d. cons.* 131. *n.* 6.

6 *l. heres à debitore* 21. §. *quod si stipulator. ff. de fideiuss. l. debitori* 30. *eod. l. Stichum aut Pamphilum* 95. § *aditio de solu.*

7 *l. heres & hereditas* 22. *ff. de vsuc. d.* §. *quod si stipulator.*

8 Non enim possunt verificari, vt nostri loquuntur, nisi post mortem Sempronij. Bart. *ad l. Gallus*, § *quidam recte, ff. de liber. & posth. n.* 7. Valde tamen obstat *l. vlt. C. de hered. instit.*

9 *l. qui superstitis* 94. *de acq. her. l.* 1. *de hered. vel act. vendit. l.* 1. *ff. pro hered.*

10 Etsi nihil vetat, opulentam quoque hereditatem repudiari, nec heres cogendus est rationem adferre, cur repudiet, *l.* 4. *ad SC. Treb. l. si in testamento* 22. *in fin. ff. si quis omiss. caus. testam.*

11 Est enim casus ille abominabilis, per quem scilicet fit, vt testator eum heredem non habeat, quem destinauit, *l. Lucius* 85. *& l. vlt. ff. de hered. instit.*

12 Interest enim testatoris & Reipub. non tandiu vacare & iacere hereditatem, *l.* 1. *ff. de succes. edict.* Vnde & solebant olim testatores heredem instituere sub ea conditione, si intra centum dies hereditatem adiret cerneretque, vt scribit Vlp. *tit.* 22 *qui hered. inst. poss.* quod & prætor solet seruare in præstituendo tempore ad deliberandum, *l.* 1. *ff. de iur. delib.*

13 Vt scripsi *Defin. 9. sup. eod.*

14 *Ex l. vlt. C. de iur. delib.*

15 *l. in imponenda 6. l. irritum* 8. *C. ad leg. Falcid.*

16 Additio enim confundit obligationem ad impediendam petitionem, non etiam ad impediendam retentionem, *d. l. irritum, l. debitor* 59. *ff. ad SC. Trebell. l. Stichum aut Pamphilum* 95. §. *aditio, de solut.*

17 *Arg. l. ex facto* 17. §. *vlt. ff. ad SC. Trebell.*

18 Ex notat. *num.* 6. *&* 7. *supr.*

DEFINITIO XII.

Substitutio facta in fauorem personarum nondum conceptarum facile creditur fideicommissaria.

NOn est dissimile quod pronunciatum memini: Cum quidam fratrem suum filio substituisset, fratrisque liberos nondum tum conceptos, cum testator decederet,[1] vocatos videri fratris filios post patrem, & ordine, vt aiunt, successiuo,[2] in casum vero non vulgarem, sed fideicommissarium. Casus enim vulgaris non aliter locum habere potest, quam si purificabilis sit, quomodo nostri loquuntur, eo tempore, quo defertur hereditas:[3] Deferri autem hereditas non potest ei, qui moriente testatore nondum conceptus sit.[4] At si fideicommissi longe alia ratio est, quippe quod in tempus multo longius quam vulgaris substitutio extendatur.[5] Possunt enim per conditionale fideicommissum vocari etiam qui post centum annos nascentur, si modo iam sint concepti euenientis conditionis tempore, talisque conditio sit, quæ in id vsque tempus differri queat.[6] *Ita Senatus* Cal. Decemb. 1588. *Iunge Defin. 9. supr.*

1 Nam si iam tum concepti fuissent, censerentur vocati coniunctim cum patre, vt dixi *Defin. 7. supr.* ex Decio *cons.* 205. & 251. Aret. Alex. & cæt. *ad l. Gallus*, §. *quidam recte.* vbi contrariam Bartoli sententiam reprobant *De liber. & posth.* Idq; propter vim & naturam copulæ, *l. vnic. §. his ita, Cod. de cadue. toll.*

BIU Cujas

toll. l. vnic. 11. §. cum tabulis, de duobus reis, l. si duobus 16 de leg. 1. Textus est in l. pen. §. institutio, de leg. 2. l. Titia cum testamento 34. §. vlt. l. vlt. §. Lucius eod. l. Lucius 78. in princ. ad SC. Trebell. cap. Raynutius, & t. Raynaldus, extr. de testam.

2 Decius dict. cons. 253. in fi. Bald. cons. 305. incip. non est dubium, vol. 3.

3 Alioqui habetur substitutio pro non scripta, vt dixi Def. 9. supr.

4 Siue testamentaria hereditas sit, siue legitima, nisi aliquid sit, quod suspendat delationem hereditatis, vt in specie, l. scendum l. 2 §. pen. ff. de suis & legit. l. scripto 7. in princ. vnd. liber. l. si quis filio 6. de iniust. rupt.

5 Vt notabiliter docet Decius loco supra citato.

6 l. si in persona 21. C. de fideic.

DEFINITIO XIII.

Graduum interruptio neque vulgarem, neque fideicommissariam substitutionem perimit.

SOla graduum interruptio sicut vulgarem substitutionem non perimit,[1] ita neque fideicommissariam:[2] siue quia fideicommissum, quod est in causa caduci, remanere debeat penes gtauatum cum suo onere;[3] siue quod ita postulet voluntas testatoris, quæ facile ac fere semper euanesceret, si graduum interruptio substitutionem fideicommissariam vitiaret.[4] Quis enim tam stupidus sit, vt plures fideicommissarios ex ordine in infinitum fortasse, vt plerumque fit, vocatos speret morituros, eo ipso ordine, quem præscribit?[5] *Ita Senatus* in causa D. Iacobide Myolans, D. de Cheurieres, contra D. Henricum à Salluciis, D. de Cardé, 9. Cal. April. 1589.

1 *L. coheredi 41. in princ. ff. de vulg & pupil. substit.* quia vtrique substitutus videtur secundus, qui priori substituto fuit substitutus, *l. si Titius 27. eod.*

2 Guid. Pap. *quæst. 550.* incip. *Testator*, post Bart. *ad l. quandiu 3. ff. de acq. hered.* Facit *l. si eius 34. l. si patrono 55. §. qui fideicommissum. ff. ad SC. Treb.*

3 *L. vnic. §. pro secundo, C. de caduc. toll. l. si ab eo 9. D. de vsufr. legat.* Idem est de his, quæ sunt pro non scriptis, *d. l. vnic. §. in primo, l. vlt. ff. de his quæ pro non script.*

4 *L. heredes mei 57. §. vlt. D. ad SC. Treb.*

5 Cum ipse etiam ordo mortalitatis, quem natura præscripsit, plerumque turbetur, ipsis quoque liberis morientibus ante parentes, *l. nam etsi 15. D. de inoff. testam. l. scripto 7. §. vltim. D. vnd. liber.* Substitutionis pupillaris alia ratio est. Eá namque per graduum interruptionem vitiatur, *l. qui habebat 47. de vulg. & pup. substit.* de cuius sententia & lectione alibi scripsimus.

DEFINITIO XIV.

Varietas, in quibus & vulgaris, & fideicommissaria substitutio ex graduum interruptione vitiatur.

SEd hoc ita accipiendum est, si substitutio aut vulgaris vtraque fuit, aut vtraque fideicommissaria, & quidem concepta sub eadem conditione.[1] Nam si primo hæredi vulgariter substitutus esset Titius, tum Titio per fideicommissum Sempronius, si Titius sine liberis moreretur, mortuo ante hæredem vulgari substituto non fieret locus fideicommissariæ substitutioni, quamuis Titius sine liberis decessisset. Fieret enim contra testantis voluntatem, si fideicommisso granaretur is, cui non nisi vulgaris substitutus datus est,[2] cum vulgaris & fideicommissaria toto genere differant, prorsusque disparatas habeant conditiones:[3] ex quo illud fit, vt vulgaris substitutio expiret per additionem,[4] per quam fideicommissaria confirmatur.[5] Quid vero si plurium substitutionum fideicommissariarum diuersæ sint conditiones? Finge, rogatum Titium, vt, si sine liberis moreretur, hæreditatem restitueret Sempronio, Sempronium quoque, si navis ex Asia veniret, Mæuio. Propriam cuiusq; fideicommissi conditionem in propria cuiusque persona impleri omnimodo necesse est, alioqui, si alterutrius substitutionis conditio defecerit, nihil proderit vltimo fideicommissario alterius conditionem extitisse.[7] Id enim est quod dici solet, deficiente prima substitutione omnes etiam subsequentes deficere, quæ ab ea pendebant.[8] At si vtriusque substitutionis conditio impleta sit, non eo minus admittetur Mæuius, quod Sempronius ante Titium decesserit.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt in specie *d. l. coheredi 41. & d. l. si Titius 27. de vulg. & pupill. substit. d. l. si eius 34. l. si patroni 55 § qui fideicommissam, ad SC. Trebell.*

2 Sicut è contrario qui per fideicommissum substitutus est, numquam potest euadere in vulgarem substitutum, *l. ille à quo 15. §. 1. eod. tit. ad SC. Treb.*

3 Vulgaris enim fit in casum hæreditatis non aditæ, *l. post aditam 5. C. hoc tit. l.* fideicommissaria vero non nisi in casum hereditatis aditæ, *d. l. ille à quo, §. 1. & d. §. qui fideicommissam, & pass. ad SC. Trebell.*

4 *d. l. post aditam.*

5 *d. §. qui fideicommissam.*

6 Conditiones enim adscriptæ personis, cum sint personales, non facile extenduntur ad alias personas, *l. qui heredi 44. l. Mæuius 55. de cond. & demonst. l. Stichum 95. §. vsumfructum, l. seruus decem, 68. de solut.*

7 *Arg. l. cum pater 77. §. ab instituto, de legat. 2. l. qui habebat 47. de vulg. & pup. substit.* [Oldr. *cons. 177.* incip. *testator*, vbi defendit instituto posthumo qui primus nasceretur, eique si decederet in pupillari ætate, vel postea quandocunque sine liberis, substituto secundo posthumo. Et rursum si is secundus in pupillari etate decederet aut postea sine liberis substituto fratre testatoris, nato primo posthumo, & subinde mortuo in pupillari etate. Nullo autem nato secundo, fratrem excludi, quòd secunda substitutio fuerit inutilis, eique adiecta condicio defecerit *ex dict. l. qui habebat.* A qua sententia non valde recedit Alex. *cons. 1. lib. 1.* Sed dissentit Dec. *cons. 227. 238. 318. 427.* Socin. *cons. 52.* Mantic. *de Coniect. vlt. volunt. lib. 11. c. 6.* Peregr. *de fideic. art. 15. num. 22. vsque ad 29.* quia casus non natiuitatis æquipollet casui mortis sine liberis ex verisimili voluntate testantis, Et consequenter debet haberi condicio posterioris substitutionis pro impleta potiùs, quam pro defecta. Et secundùm hanc sententiam in compendiosa substitutione facta verbis communibus tractum temporis habentibus, & ita fideicommissariam quoque comprehendentibus pronunciauit *Senatus* pro Dn. de Rochefort, contra Dn. de Romagnieu de castro de Montagny, 7. Id. Mart. 1612. Me tamen ratio illa magis mouebat, quod substitutio prima facta in fauorem personæ nascituræ, sed numquam natæ habenda erat pro non scripta, sicut ea, quæ facta esset in fauorem personæ iam tum defunctæ, *l. 4. de his quæ pro non script. l. si seruo 101. in fi. de leg. 1.* Et cõsequenter debet manere penes heredem, sed cum suo onere *l. vnic. §. in primo Cod. de caduc. toll.* vt scripsi *Defin præced. numer. 3.* In eoque errant vulgo Interpretes, qui hanc substitutionem factam in fauorem personæ numquam natæ habent pro quasi caduca, citantque in hanc rem §. *pro secunds d. l. vnic.* Decepti ex eo quod §. in primo loquitur de legato relicto personæ iam defunctæ. Nec animaduertentes id fieri, quia olim extra suos posthumos nihil poterat relinqui personę nascituræ tanquam incertæ. Vnde nec alienus posthumus instituí poterat iure ciuili. *Inst. de bon. poss. in princ.* Quod cum hodie immutatum sit, merito & pro non scriptis hodie habenda sunt, quæ huiusmodi personis quasi nascituris nec vnquam natis relinquuntur, vt generalior hodie sit sententia *d. §. in primo, & §. & cum triplici eius d. leg.*]

8 *L. heredibus 77. in princ. ff. ad SC. Trebell. d. l. qui habebat 47. de vulg. & pup. subst.* Oldrad. *cons. 21.* incip. *Thema tale est.*

9 Nam & hoc casu verum est, in singulorum personis singulas conditiones extitisse, quod sufficit. Nec enim refert, vtra extiterit prior, *dict. l. coheredi 41. de vulg. & pup. substit. dict. l. si eius 34. ad SC. Treb.* iunct. *l. heredes mei 57. §. cum ita eod.* *Guid. Pap. *quæst. 150.* Bart. *ad l. quamdiu 39. de acquir. hered.*

DEFINITIO XV.

Etiam tertius possessor potest excipere de iure matris contra substitutum venientem ex compendiosa substitutione.

ADeo verum creditur, quod iam supra diximus,[1] ex Interpretum magis, quam ex prudentum

sententia pupillarem substitutionem, quæ verbis generalibus in compendiosa continetur, non omnino matrem excludere,[2] vt si tertius possessor à substituto pupillari conuentus idipsum obiiciat, etiamsi mater non conqueratur, audiri tamen debeat,[3] hactenus nimirum, vt in ius vocanda sit mater ante omnia, ne quicquam inaudita ea decernatur,[4] néve substitutus, quasi nullum fideicommissum sit, in hæreditatis possessione citra restitutionem esse possit.[5] Nec ad rem pertinere visum est, quod cum hoc casu nihil nisi legitimam Interpretes matri dent, non facit ea res, quo minus substitutio pupillaris directaque existimetur.[6] Nam imo vero fieri potest ex coniecturis voluntatis, vt omni tempore fideicommissaria videri debeat fauore matris,[7] quemadmodum ex contrario interdum euenit, vt in hoc substitutionis genere mater etiam à legitima per coniecturas excludatur.[8] Proinde vt sciri possit & constitui, quid iuris sit, matrem audiri necesse est, & consequenter tertium, qui de matris iure excipit. Est enim exceptio hæc de iure quidem tertij, sed ex earum numero, quæ ius agentis omnimodo excludunt,[9] id est, etiamsi tertius ille suo iure vti nolit,[10] ideoque omnimodo admittenda est. Nam quo casu testator voluit fauore matris substitutionem omni tempore esse fideicommissariam, non potest matris voluntas efficere, vt intra pupillares annos conualescat in pupillarem,[11] cum delata matri successio intestati, si ab ea repudietur, ad agnatum proximum ipso iure deuoluatur.[12] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 11. Cal. Febr. 1591.

1 *Defin. 2. supr. hoc tit.*

2 Quia matri relinquitur legitima ex opinione Decij *ad l. precibus, n. 16. C. hoc tit.*

3 Quia eius interest, cum sit tertius & iustus possessor. Si enim esset nudus detentor, non idem probaretur. Ex not. *ad Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

4 Nam & regulare est, vt audiendi semper sint omnes, quorum interest, *l. de vnoquoque*, 47. *de re iudic. l. nam ita* 39. *de adopt.*

5 Quoties enim substitutio fideicommissaria est, non potest fideicommissarius ingredi possessionem rerum hereditariarum citra restitutionem, *l. facta* 63. *ad Trebell.* nisi in casibus *l. pen. C. eod. & Nouell. 1. de hered. & Falcid.*

6 Alioqui danda esset matri non tantum legitima, sed etiam Trebellianica, *ex c. Raynutius, & c. Raynaldus, extr. de testam. l. 2. §. vlt. ff. de iur. codicill.*

7 Afflict. *decis.* 367. Dixi *Defin. 2. supr.*

8 Puta si substitutus sit aliquis ex liberis testatoris, vt dixi *d. Defin. 2. n. 8.*

9 Cuiusmodi exceptiones admittendas esse certum est, *l. loci* 4. *§. competit.* vbi Bart. *D. si seruit. vend. l. vlt. C. de rei vend. l. vlt. ff. de acquir. poss.*

10 Alioqui non esset admittenda, si non excluderet ius tertij, nisi si tertius ille vellet. Bartol. late *ad l. 2. de except. rei iudic.*

11 Nec enim testamentorum iura pendent ex voluntate viuentium, sed ex voluntate mortuorum, *l. illa institutio* 30. *de hered. instit.*

12 *L. 1. 2. & tot tit. ff. ad SC. Tertyll. §. placebat, Inst. de legit. agnat. succes.*

DEFINITIO XVI.

Coniecturæ, ex quibus potest tacita pupillaris admitti etiam contra matrem.

INter cæteras coniecturas, quæ facere possunt, vt per substitutionem tacitam pupillarem mater ab intestati filij successione omnimodo excludatur, vna illa est, si quid matri relictum sit, quod non à pupillo eiúsve tutore, sed à pupillari substituto præstari pater voluerit.[1] Tum enim apertissimum est, eam fuisse testatoris voluntatem, vt matri substitutus præferretur.[2] Sed non faciet ea res, vt mater à legitima petitione excludatur, quando nihil vetet admitti substitutum ex substitutione, nec tamen eo minus saluam matri legitimam, etiam cum substitutio est compendiosa, quæ pupillarem quoque expressam continet, quamuis non nisi verbis generalibus.[3] *Ita tractatum est* in causa Remigij & Claudij de Wilien, & Martini Sigrand, Prid. Id. Iunij 1593.

1 Paris. *cons. 73. vol. 2. ex l. Paula Callinico* 27. §. *Pompeius, de legat. 3.* Mich. Craff. *in §. testamentum, quæst.* 28.

2 Cum non potuerit grauari substitutus & onerari, nisi primum honoratus, *vulg. l. ab eo* 9. *C. de fideic. l. si de est* 6. *in fin. de leg. 3.*

3 Secundum eam Interpretum sententiam, quam receptiorem esse diximus *Defin.* 2 5. Ergo omni casu legitimam habebit mater, nisi cum pupillaris fuerit expressa. Producit tamen substituto superior coniectura hactenus, ne substitutio possit fauore matris dici fideicommissaria. Iunge *Defin. seq.*

DEFINITIO XVII.

Si primus substitutus sit ex liberis, prodest secundo substituto, quamuis extraneo, ad matrem in totum excludendam.

FOrtior illa coniectura est, de qua in superioribus diximus,[1] Si substitutus sit ex liberis testatoris. Hoc .n. casu siue tacita pupillaris fuit substitutio, siue compendiosa, id est, talis, quæ pupillarem verbis generalibus expressam continet, mater in totum excludetur, id est, etiam à legitima.[2] Proinde si post filium primo gradu substitutum extraneus quispiam secundo gradu sit substitutus, licet non per pupillarem specialiter expressam, sed per compendiosam, vel per tacitam, perinde manebit mater exclusa, quæ semel exclusa fuit.[3] Quam enim testator semel & in primo substitutionis gradu exclusam voluit, credibile non est, vocatam denuo voluisse in præiudicium vltimi substituti, quantumuis extranei.[4] Itaque, quod Interpretibus placet, non excludi matrem à legitima, quando per compendiosam substitutus est extraneus,[5] ita intelligendum est, si non prius substitutus sit vnus ex liberis, tametsi ob eum præmortuum vel non natum hæreditas ad sequentem substitutum extraneum deuoluta proponatur. Media namque filij persona transmittit ad substitutum huiusmodi coniecturam voluntatis.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Defin. 2. n. 8. supr.*

2 Secundum glos. magnam, Bartol. & alios *ad l. precibus 8. C. hoc tit.* & alios citatos *d. n. 8.* Creditur enim testator filium eundemque expresse substitutum magis dilexisse, quam vxorem, præsertim si eam neque instituerit, neque substituerit, *arg. à contrario sensu, l. vlt. C. de inst. & subst.*

3 Id enim est, quod nostri solent dicere, personam semel exclusam manere in perpetuum exclusam. Not. *ad l. vltim. §. quando autem in pendenti. ff. ad SC. Tertyll.*

4 Nec enim quisquam credendus est tam facile se corrigere ac sententiam mutare voluisse, *l. non ad ea* 89. vbi not. *de condit. & demonstr.*

5 Iuxta opinionem Decij *ad l. precibus, n. 26. C. hoc tit.*

6 Nec enim nouum est, vt per alterius personam quis habeat id, quod ex sua persona habere non posset, *l. 3. in fin. quæ res pignor. l. cum hereditate* 55. *de acquir. hered. l. si quis duos* 29. *de liber. legat.*

DEFINITIO XVIII.

Verba illa, vulgariter pupillariter, & per fideicommissum, apposita in institutione an prosint substituto ad excludendam matrem?

QVidam, cum haberet vxorem prægnantem, instituerat ex asse posthumum, si vnus nascerentur, posthumos vero si plures, omnes in viriles, eorumque liberos in recta linea vulgariter, pupillariter, & per

BIU Cujas

& per fideicommissum. Deinde si quis ex posthumis sine liberis decederet, substituerat superstites, sin omnes, substituerat cognatum. Nato posthumo tum in pupillari ætate defuncto, matre superstite, videbatur, verba illa, *vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum*, quæ per imperitiam Notarij fuerant in institutione apposita,[1] ad substitutiones potius, earumque gradus omnes referri debere.[2] Etsi enim iis verbis institutionis, *eorumque liberos in recta linea*, substitutionem quoque contineri constabat, vt post parentes posthumos eorum quoque liberi succederent,[3] quandoquidem habent tractum temporis, ex quibus fideicommissaria substitutio induci solet:[4] fieri tamen non poterat, vt parentibus liberi pupillariter substituti essent, non magis, quam vt ex pupillis liberi nascerentur.[5] Ergo pupillarem illa substitutionem, quam disertis verbis testator expresserat, ad eum substitutionis gradum referri necesse erat, quo valere posset.[6] Gradus autem primus ille erat, quo fratres fratribus erant substituti.[7] Quo admisso, vt ex patris voluntate frater fratri esse debuerit hæres testamentarius, illud etiam consequens erat, vno tantum posthumo nato, eoque in pupillari ætate mortuo, substitutum secundo gradu, quamuis extraneum, perinde ex pupillari expressa successurum, atque si ei soli, qui natus esset, non etiam aliis, qui nati non essent, fuisset substitutus.[8] Quamquam vulgo creditum est, pupillarem substitutionem vitiari ex graduum interruptione,[9] in eoque differre à vulgari & fideicommissaria:[10] id tamen tum obtinet, cum substitutus nominatim huic aut illi impuberi datus est,[11] non cum illi, qui nouissimus morietur.[12] Nam & nouissimus moritur, qui solus natus est, & post quem alius non moritur,[13] quia nec possunt hoc casu videri duo duorum pupillorum testamenta.[14] Est igitur superioribus consequens, vt extraneo quoque succedente ex pupillari substitutione, quam expressam dicimus, perinde mater pupilli excludatur in totum, id est, etiam à legitimæ petitione,[15] ac si substitutus hic esset de liberis testatoris,[16] tametsi nullæ aliæ voluntatis coniecturæ aduersus matrem pro substituto concurrerent.[17] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sunt enim istæ qualitates substitutionis, non institutionis, *tot. tit. de vulg. & pup. subst. & C. hoc tit.*

2 Vt magis valeat quod actum, quam quod scriptum est, ne alioqui noceat error Notarij, quod esse non debet, *l. errore, 7. l. testamentum 17. C. de testam.*

3 Idque in triplicem illum casum, vulgarem, pupillarem, & fideicommissarium.

4 Notant nostri *ad l. centurio 15. D. hoc tit. & ad l. precibus, C. eod.*

5 Nec enim alij potest fieri substitutio pupillaris, quam pupillo, & quidem in potestate constituto, *l. 2. de vulg. & pupill. subst.*

6 Vt in eum casum substitutio valeat, qui ex verbis concipi possit. *arg. l. Gallus, §. 1 de liber. & posth.*

7 Potest enim frater fratri heres fieri per pupillarem substitutionem, & quidem necessarius, *l. sed si plures 10 §. 1. l. si filius 11. de vulg. & pupill. l. Iulianus 42. alias l. si pupillus, de acquir. hered.*

8 Non enim potest quis eo minus videri vni substitutus, quod fuerit substitutus omnibus.

9 Ex *l. qui habebat 47 ff. de vulg. & pup. subst.*

10 Dixi *Defin. 13. & seq. supr.*

11 Vt in specie *d. l. qui habebat.*

12 *Vt in l. ex duobus 34. in princip. eod. tit. l. qui duos 9. ff. de rebus dub.*

13 *d. l. ex duobus, & d. l. qui duos.*

14 Cum vnus tantum fuerit pupillus.

15 Ex *l. Papinianus 8. §. sed nec impuberis, ff. de inoffic. testament.*

16 Quo casu res nullam haberet dubitationem, vt dixi *Defin. prox. praced.*

17 Nam & hæc coniectura omnium fortissima, vt dixi *dict. Defin. praced.*

DEFINITIO XIX.

Legatum, quod datur matri pro omni iure legitimæ, excludit matrem etiam à legitima in fauorem eius, qui compendiose substitutus fuit.

IN eadem facti specie mouit etiam Senatum, vt matri omnimodo præferret substitutum.[1] quod matri testator fundum legauerat pro omni legitimæ iure,[2] facta etiam futuri temporis, quo legitima deberi quandoque posset, demonstratione.[3] Quænam enim matri legitima deberi poterat, nisi eo casu, quo filius decederet?[4] Nam in bonis mariti vtique certum est nullam vxori deberi.[5] Nec ad rem pertinuit, quod testator, cum legitimæ mentionem faceret, non pupilli, sed sua bona designauerat.[6] Licet enim per pupillarem, siue expressam, siue tacitam substitutionem succedatur pupillo, tamen cum pupillus institutus est, fit necessario, vt per mediam pupilli personam patri quoque succedatur:[7] patrisque hæreditas non male dicitur, etiamsi iuncta esse cœperit cum pupilli hæreditate.[8] Quod si obiicias, non fuisse, cur testator de legitima loqueretur, si id agebat, vt filio posthumo pupillarem substitutum daret, cum eo casu certum sit nullam matri in bonis filij legitimam deberi.[9] Respondebitur, fuisse illam adiectionem necessariam, quia non solum pupillariter expresse, & compendiose fuerat substitutum, sed etiam per fideicommissum, cuius conditione eueniente procul dubio de legitima detrahenda tractandum fuisset.[10]

1 Quamuis soleat passim Senatus noster in dubio pro matris legitima iudicare.

2 Quibus verbis videbatur omne ius matris comprehensum, *arg. l. Paula Callimco 27. §. 1. de legat. 3.*

3 Coniectura enim voluntatis magna sumi solet ex eo, quod verba testamenti vel ad præsens, vel ad futurum tempus relata fuerint, *l. si ita 7. l. scribit 34. §. 1. de aur. & argent. leg. cum similibus.*

4 Cum non debeatur legitima nisi ex bonis, quæ quis mortis tempore reliquerit, *l. cum quæritur 6. C. de inoff. testam. l. 1. §. si impubere. de collat. bonor.*

5 *L. Papinianus 8. § sed nec impuberis, D. de inoff. testam. l. vlt. C. quor. bonor.*

6 Quibus verbis videbatur testator omnem interpretationem pupillaris substitutionis excluisse, cum per pupillarem non patri, sed pupillo succedatur, *l. sed si plures 10. §. ad substitutos, de vulg. & pup. subst.*

7 *L. paterfamilias 28. de rebus auctor. iudic. possid.*

8 *d. l. sed si plures, §. filio, l. qui patri 59. de acq. her.*

9 *d. § sed nec impuberis.*

10 *L. 2. §. vlt ff. de iur. codic.* adeoque Trebellianica eo casu detrahi potuisset, *ex cap. Raynutius, & cap. Raynaldus, extr. de testam.*

DEFINITIO XX.

Substitutio compendiosa etiam facta sub conditione illa, si sine liberis, est pupillaris intra pubertatem, si modo mater non sit in medio.

SVbstitutio compendiosa facta impuberi filio verbis communibus sub conditione, *si sine liberis*,[4] pupillo postea intra pupillares annos defuncto, pupillaris censenda est, non fideicommissaria,[2] matre in medio non existente.[3] Nec id solum fauore primi substituti, sed etiam fauore secundi, qui post primum vocatus sit ordine successiuo per verba tractum temporis habentia, & apta comprehendere fideicommissum,[4] vtputa si testator fratrem suum substituerit filio, & post fratris mortem eius liberos. Neque enim eo minus fratris filius directo substitutus dicendus est, quod post patris sui mortem vocatus sit, si modo viuo pupillo primus substitutus decesserit.[5] Illa nãq; verba

BIU Cujas

& post fratris mortem, casum quoque vulgarem continent, cum primus substitutus pendente adhuc substitutionis conditione decessit:[6] quemadmodum casum continerent fideicommissarium, si testatoris frater idemque prior impuberi substitutus superuixisset, eiusque hæreditatem adiisset,[7] vt nimirum qui directo successisset impuberi ex pupillari substitutione, idem post mortem suam filio suo eandem hæreditatem restituere rogatus intelligeretur.[8] Itaque non distinguemus, an substitutio facta sit impuberi per verba directa, an per communia: Semper enim ea in dubio accipienda est interpretatio, quæ directam substitutionem faciat, non obliquam,[9] maxime fauore pupillaris substitutionis, quæ scilicet pupillo, & vtilis, & honorifica esse creditur.[10] Neque hanc interpretationem excludit conditio illa, *si sine liberis*,[11] cum is quoque sine liberis moriatur, quem impossibile est liberos habere, vt verba illa abnegatiue sumantur, non priuatiue, quomodo nostri loquuntur.[12] Quamquam nec per rerum naturam impossibile est, vt quis ante decimum quartum annum liberos generet. Propter quam causam Proculiani ex corporis habitu, non ex certo vllo annorum numero pubertatem æstimabant.[13] *Ita Senatus* in causa Michaelis du Cuin, 6. Id. Jun. 1594.

1 Quæ vulgaris conditio & formula est compendiosæ substitutionis.

2 In dubio enim capienda est interpretatio, vt censeatur substitutio directa potius quam obliqua, *cap. si pater, de testam. in 6.*

3 Fauor enim matris contrariam interpretationem suadet, secundum Interpretes, vt dixi *Desin. 2. 3. & 4. 5.*

4 Qui casus maiorem videtur habere dubitationem.

5 Quo casu secundus substitutus subintrat locum primi, si modo vulgaris substitutio facta sit, *l. cum ex filio 39. §. vltim. de vulg. l. coheredi 41. in princip. eod.*

6 Bartol. & alij *ad l. Gallus 29. §. quidam recte, de lib. & posthum.*

7 Substitutio enim compendiosa apta est sui natura comprehendere omnes species substitutionis. Bart. & alij *ad l. centurio, de vulgar.*

8 Nam & huiusmodi fideicommissum valet, *l. ita tamen 17. §. à patre, ad SC. Treb.*

9 Etiam cum facta est per verba communia, *d. c. si pater, de testam. in 6.*

10 *L. Iulianus 42. alias l. si pupillus, de acquir. hered.*

11 Quæ videtur præsupponere non alij factam substitutionem, quam ei, qui possit habere liberos, cum priuatio præsupponat habitum, *vulg. l. 4. de iustit. & iur.* Pupillus autem liberos suscipere non potest, vt neque nuptias contrahere, *vulg. iuribus.*

12 Sic enim Boerius non insubtiliter *quæst. vlt.* Facit *l. Gallus 29. §. videndum, in fin. de liber. & posth. l. adigere 6. §. quamuis, de iur. patron.*

13 *Tit. quibus mod. tutel finit. Inst.* Non ideo tamen fiet consequens, vt pupillus possit vnquam liberos iustos habere, cum non possit iustas nuptias contrahere, sine quibus iusti liberi non fiunt nisi per adoptionem. *l. 1. de adopt.* Vide in hanc Desin. Ripam *ad l. Centurio, n. 114. 116. & seq.* Caccialup. *ad l. precibus, n. 43.* Bald. *ibid. n. 35.* Cagnol. *n. 211.*

DEFINITIO XXI.

Substitutio compendiosa an contineat pupillarem, cum mixta est reciproca inter liberos disparis ætatis?

PAter instituit ex æquo sex liberis, quorum alij puberes erant, alij impuberes, ei qui ex ipsis quandocumque sine liberis moreretur, substituerat superuiuentes eorumque liberos æquis portionibus, de vno ad alterum, ita vt ad nouissimum, qui superesset, hæreditas peueniret, &, si omnes sine liberis decederent, substituerat præmortui fratris sui liberos vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum. Defuncto paucis post patrem mensibus vno ex impuberibus, matre superstite, fratres totam ipsius portionem petebant tanquam pupillariter substituti, non solum quod in compendiosa substitutione pupillaris contineretur,[1] & quidem expressa saltem verbis generalibus,[2] quæ proinde matrem omnino excludere deberet, substitutis ipsius testatoris liberis,[3] sed etiam quia clausula illa, *vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum*, in posteriore substitutione apposita ad priorem quoque referri deberet, cum vtraque substitutio continuata orationis serie scripta esset.[4] Mater contra dicebat, in proposita specie compendiosam substitutionem non posse continere pupillarem, propter mistam reciprocam inter filios disparis ætatis, adeoque inter liberorum etiam liberos factam:[5] clausulam vero illam, quæ in vltima substitutione fuerat apposita, referri ad priorem non posse, non illa tantum ratione, quod alius casus esset,[6] verum etiam quia casuum diuersorum longe diuersa esset ratio.[7] Nam in posteriore substitutione, quæ simplex erat, non reciproca, nihil impediebat, quo minus vltimo ex liberis testatoris decedenti impuberi patrueles pupillariter substituerentur:[8] at in priore, quæ, vt diximus, erat reciproca disparitas ætatis obstabat, ne eadem interpretatio capi posset.[9] Non quod si ea clausula, *vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum*, in compendiosa substitutione esset addita, prodesse non deberet ad inducendam pupillarem defuncto vno ex impuberibus, (neque enim videtur hoc casu obscura voluntas testatoris, cum verba omnia debeant aliquid operari[10]) sed quia cum non possit videri in compendiosa illa substitutione mentio facta pupillaris ætatis aut substitutionis, nisi per interpretationem & extensionem clausulæ in posteriori substitutione appositæ, succedit ratio illa, quod incongruum sit facere per interpretationem, vt in persona quorundam ex reciproce substitutis substitutio esset pupillaris, at in aliorum persona non esset:[11] quæ ratio faciebat, vt nec inter ipsos impuberes substitutio reciproca subsistere posset, maxime cum singulis omnes superuiuentes substituti proponerentur.[12] Itaque magis placebat, substitutionem illam reciprocam & compendiosam nullo modo censeri posse iure pupillaris substitutionis, siue expressæ, siue tacitæ, sed solam continere fideicommissariam,[13] quæ proinde matrem superstitem à lucruosa filij hæreditate excludere non posset,[14] vt licet fideicommissi onere grauata, legitimam tamen detraheret ac Trebellianicam:[15] eaque res fauorabiliorem faciebat hanc sententiam, quod mater esset in medio,[16] quodque eodem testamento legatum ei maritus reliquisset,[17] non addita clausula illa vulgari, vt nihil præterea ex testatoris bonis consequi posset.[18] Matri tamen obstabat valde illa potissimum voluntatis coniectura, quod si filius hic impubes nouissimus & post fratres omnes decessisset, haud dubie fratris filij vltimo loco substituti totam hereditatem haberent ex pupillari expressa substitutione, mater autem in totum excluderetur.[19] Cur non ergo dicamus, voluisse testatorem excludere prorsus matrem fauore superstitum liberorum, quos vtique magis dilexerat, & tanquam liberos & tanquam institutos,[20] quam fratris filios non nisi substitutos?[21] Sed respondebatur pro matre, non posse ex sola voluntatis coniectura induci pupillarem substitutionem,[22] quomodo non numquam inducitur fideicommissaria:[23] sed expressa dispositione apertisque verbis opus esse, siue per scripturam probentur, siue per testes.[24] Cum tamen dubitationis plena quæstio videretur, & ad arbitros recurrere litigatores, quam Senatus iudicium tentare maluissent, placuit ex æquitate potius, quam ex mera iuris ratione ita rem temperandam, vt mater legitimam

legitimam detraheret, Trebellianicam non item.[25] Quod temperamentum Senatus noſter tum ſequi ſolet, cum filio impuberi facta eſt compendioſa ſubſtitutio matre in medio exiſtente, & ſubſtituto extraneo, id eſt, qui non ſit ex liberis teſtatoris, ſi alia voluntatis coniectura nulla proponatur, quæ matrem in totum excludere debeat.[6] *Ita tractatum eſt* inter liberos Claudij Quimier, 10. Calend. Januar. 1594.

1 Quia compendioſa ſubſtitutio ſui natura apta eſt comprehendere pupillarem ſubſtitutionem, ſicut & cæteras omnes ſubſtitutionis ſpecies, ſi aliud nihil repugnet. Not. *ad l. centurio 15. & ad l. verbis 7. de vulg. & pup. ſubſt.* ſcribentes *ad l. precibus 8. C. hoc tit.*

2 Ita Decius communiter approbatus *ad dict. l. precibus, num. 26.*

3 Vt dixi *Defin 17. 3.* vbi vide.

4 *Ex l. fin.* vbi Bart. *de rebus dub.* Teſſaur. *dec. Pedem. 200.*

5 *Ex l. 4. ff. de vulg. & pupill. ſubſt. l. in teſtamento 6. C. de teſtam. milit.*

6 Vt in ſimili reſpondit Roman. *conſ. 503 n. 2.*

7 Ex qua rationis diuerſitate ſequitur neceſſario etiam diuerſitas iuris, *l. illud 32. ad leg. Aquil. l. 3 §. vnde etiam, de iniuſt. rupt.*

8 *L. vel ſingulis 37. de vulg. l. qui duos 9. de rebus dub.*

9 *d. l. 4. de vulg. & dict. l. in teſtamento.* Sicut & diſparitas conditionis *in l. Lucius 45. eod. tit. de vulg. & pup. ſubſt.*

10 Saltem ſingula ſingulis referendo, vt tractat Guid. Pap. *deciſ. 533.* licet Rip. a diſſentiat *ad d. l. Lucius, num. 18.* nec proinde hoc caſu locus eſt rationi, qua mouetur Modeſtinus *in d. l. 4. de vulg.*

11 Ratio eſt Modeſtini *in d. l. 4. de vulg.*

12 Per dictionem collectiuam, *omnes*, quo caſu neceſſe eſt, vt in omnium perſona locum habere poſſit diſpoſitio, vt fiat omnium determinabilium par & æqualis determinatio, *ex d. l. 4.* vbi not.

13 Ex not. communiter *ad dict. l. centurio, & ad d. l. precibus. arg. l. Scauola 76. ad SC. Treb.*

14 *L. vlt. C. de inſtit. & ſubſt.*

15 *L. 2. §. vltim. ff. de iur. codic.* innct. *c. Raynutius, & c. Raynaldus, extr. de teſtam.*

16 Ex not. *in d. l. precibus, & ad d. l. vlt. & d. l. Scauola.*

17 *Arg. d. l. vlt.* vbi tamen mater erat heres inſtituta ex parte hereditatis non legataria.

18 Quæ clauſula ſolet facere, vt per interpretationem reſtringatur voluntas teſtatoris erga vxorem, *arg. l. Paula Callinico 27. §. Pompeius, de leg. 1.*

19 Id eſt, etiam à legitima, *l. Papinianus 8. §. ſed nec impuberis, D. de inoffic. teſtam.*

20 Præſumitur enim quiſque prolem ſuam magis dilexiſſe, *l. cum acutiſſimi 30. C. de fideic. l. cum auus 102. de cond. & demonſtr. l. heredes mei 57. §. vlt. ad SC. Trebell.*

21 Semper enim præſumitur minus dilectus, qui poſterior vocatus fuit, *l. Publius 36. §. 1. de condit. & demonſtr.* vt è contrario poſterior vocatus is, qui minus dilectus fuit, *l. omnia 32. alias l. cum ita, §. vltim. de leg. 2. l. vlt* vbi not. *Cod. de verb. ſignif.*

22 Vt nec aliam vllam directam, *l. iubemus 29. C. de teſtam.*

23 *L. cum proponebatur 64. de legat. 2. l. antep. de leg. 1.*

24 *d. l. iubemus.*

25 Iuxta opinionem Decij *in d. l. precibus, n 26.*

26 Vt dixi *Defin. 2. 3. & ſequ. ſupr.* vbi vide. Itemque *Defin. 16. & 17.*

bonorum partem habere mater debet, non eorum dumtaxat, quæ ad inteſtati hæredem peruenisſent, ſi filius hic de fideicommiſſo grauatus fuiſſet,[7] ſed omnium, quæ à patre acceperat,[8] ne prodeſſet ſubſtitutis, qui ſummo iure etiam Trebellianicæ detractionem pati debebant, quaſi ex fideicommiſſo tantum vocati,[9] quod ex æquitate & pro bono pacis ſubſtitutio quaſi pupillaris iure conſeretur.[10] Sane ſuperſtiti fratri vtrimque coniuncto fuiſſet vtilius fideicommiſſariam cenſeri ſubſtitutionem, vt, quod pro legitima & Trebellianica deductum eſſet,[11] inter ſe & matrem diuideretur iure ſucceſſionis inteſtati:[12] ſed cæteris fratribus tanto durius id foret.[13] Itaque eorum fauore ſoli matri fauendum eſſe melius viſum eſt,[14] quamuis ita fieret, vt melior eſſet conditio matris, quam ſi ſubſtitutio prorſus fideicommiſſaria fuiſſet.[15] *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Qui proinde ex ratione iuris poterat ſimul cum matre ſuccedere fratri ab inteſtato, *ex Nouell. 118. de hered. ab inteſt. venient. Auth. defuncto, C. ad SC. Tertyll.*

2 Cum hodie aucta ſit legitima etiam parentum, vt ſit triens portionis ab inteſtato contingentis, *Nouell. 38. de trient. & ſemiſſ.* [Caſtr. *ad l. planè 34. §. ſi duobus de leg. 3.* vbi dicit Doctores omnes concordare in hoc contra Bart. qui putauit legitimam matris non eſſe, niſi trientem portionis ab inteſtato contingentis. Cuius ſententiam & nos probauimus, licèt aliis & melioribus, quàm ipſe rationibus *in Err. 4. Decad. 15. de error. pragmat.*]

3 Propter quam cauſam videbatur legitima portio matris minor eſſe debere, quam ſi frater nullus adfuiſſet.

4 Quia non poteſt facere partem, qui nec admittitur, nec admitti ſperatur ad partem. Ex not. per Bart & alios *in l. planè 34 §. ſi coniunctim, & § ſi duobus, per ill. text. de leg. 1.* *Idem Bart. *ad l. pater filium 14 ff. de inoff. teſtam.*

5 *L. nam etſi 15. in princ. de inoff teſtam.* iunct. *l. ſcripto 7. §. vlt. ff. vnd. liber.*

6 *L. fratris 21. l. fratres 27. C. de inoff. teſtam.*

7 Quod tamen regulariter ita ſeruatur, cum legitima nihil aliud ſit, quam portio portionis ab inteſtato contingentis, *l. cum quæritur 6. l. quæ nuper 21. C. eod. tit. de inoff. teſtam.*

8 Id eſt, quæ fideicommiſſo continerentur, ſi fideicommiſſaria ſubſtitutio fuiſſet.

9 *L. 2. §. vlt. infr. de iur. codicill.*

10 *Arg. l. cum qui 30. de iureiur. l. 1. §. merito, ff. quand. act. de pecul. annal. eſt.*

11 Illo enim caſu duplex detractio locum habuiſſet, *cap. Raynutius, & c. Raynaldus. extr. de teſtam.* * Vide omnino de hac quæſtione Anton. Theſſaur. *Deciſ. Pedemont. 172.* vbi *nu. 6.* diſtinguit multos caſus, in quib. tamen omnibus magis probat, vt legitima matris ſit tertia totius contra Bart. *ex §. 1. Nouel. 18. de trient. & ſemiſſ.* Iuncto *verſic. hoc obſeruando*, niſi cùm fratres omnes ſunt inſtituti, vel ſingulis tãtum aut plus legatum, quàm accepturi fuiſſent ab inteſtato, Quo caſu ait legitimam matris eſſe tertiam portionis ab inteſtato contingentis, Nec ſanè hunc caſum tractat. Caſtr. *in d. l. planè 34 §. ſi duobus nu. vlt. de legat. 1.* vbi ait Doctores omnes concordare contra Bartolum, Cuius tamen ſententiam mihi veriorem videri ſcripſi & probaui *in error Decad. de error pragmat.* Abſurdum enim eſt plus conſequi aliquem ex teſtamento contra voluntatem teſtatoris quàm fuiſſet conſequutus præter voluntatem aut ab inteſtato vt argumentatur Hieron. Gabriell. *conſ. 44. n. 6. lib. 1.* poſt Baldum *in Auth. nouiſſima, C. de inoff. teſtam.*

12 *Auth. defuncto, C. ad SC. Tertyll.*

13 Qui ſcilicet nullam ab inteſtato partem fuerant habituri.

14 Nam & plerunque euenit, vt quis per alterius perſonam habeat, quod per ſuam habere non poſſet, *l. 3. in fin. D. quæ res pignor. l. cum hereditate 55. de acq. hered. 5. præferuntur, Inſt. de SC. Tertyll.*

15 Quo caſu non habuiſſet illa trientem hereditatis, ſed tantum quadrantem.

DEFINITIO XXII.

Cum adeſt frater vtrimque coniunctus, quota debeat eſſe legitima matris?

AT cum impubes ille, de cuius hæreditate contendebatur, ſuperſtitem reliquiſſet non tantum matrem, ſed etiam fratrem vtrimque coniunctum,[1] viſum eſt eam legitimam ſoli matri quærendam, tertiamque partem eſſe debere bonorum omnium, quæ filius habuerat.[2] Quia licet frater vtrimq; coniunctus concurrat cum matre in fratris inteſtati ſucceſſione,[3] non tamen concurrit nec facit partem in legitima,[4] qui non ſicut matri in bonis filij,[5] ſic etiam fratri in bonis fratris legitima vlla debetur.[6] Tertiam verò

DEFINITIO XXIII.

Tacita pupillaris admittitur etiam contra matrem, quæ non eſt cohæres filio data, præſertim ſi conuolet ad ſecunda vota, & in eum caſum ſit ademptum legatum, quod fuerat ei datum.

BIU Cujas

PAter posthumum, si masculus nasceretur, hæredem instituerat, si non nasceretur, fratres suos instituerat & substituerat, exclusis ab hæreditate filiabus dato eis legato. Vxori prægnanti certam pecuniæ quantitatem legauerat, hoc adiecto, vti ne ad secunda vota conuolaret; si secus faceret, legatum ei ademerat. Nato posthumo mater secundo nupserat, posthumus deinde impubes decesserat superstite matre cum sororibus & patruis substitutis. Postmodum mater ante factam de filij hereditate controuersiam diem suum obierat, relictis filiabus iisdemque legitimis hæredibus. Quæ cum subinde fratris sui hæreditatem tam ex proprio, quam ex defunctæ matris capite peterent, substituti pupillares, iique iam facti possessores, contradicebant, suamque esse hæreditatem contendebant ex pupillari substitutione. Prior Judex pronunciauerat pro sororibus. Appellatione ad Senatum facta disceptatum est in publico auditorio, an bene iudicatum esset? Quidam ita putabant, propterea quod casus ille, in quem facta erat pupillaris substitutio, si posthumus non nasceretur, nato posthumo defeciſſet.[1] Casum enim omissum pro omisso haberi debere:[2] neque hoc casu locum esse constitutioni Diui Marci, qua inductum est, vt expressus casus vulgaris trahatur ad pupillarem non expressum,[3] & contra.[4] Obstat enim lex Justiniani, quæ non patitur locum esse constitutioni, matre in medio existente.[5] Neque rursum necessariam esse distinctionem illam, Vtrum mater data esset filio cohæres,[6] necne, cum vtroq; casu nimis durum & inhumanum sit auferri matri luctuosam filij hæreditatem.[7] Dicebam, Justiniani lege casum specialem & omnino singularem contineri.[8] Nam repugnabat procul dubio Papiniani sententiæ constitutio Diui Marci, qua sola, vt credibile est, mouebatur Vlpianus,[9] nisi pro Papiniano feciſſet illa voluntatis coniectura, quod non erat verisimile testatorem, qui vxorem ex parte hæredem scripserat, ei luctuosam filij impuberis hæreditatem ademptam voluisse. Cumque constitutio Diui Marci sola voluntatis coniectura niteretur,[10] (alioqui enim obstabat sane iuris ratio, quæ non patitur, vt casus expressus ad omissum trahatur,[11]) non abs re Papinianus existimabat, suadente contraria & fortiore coniectura, posse tuto recedi à iure nouæ constitutionis.[12] Cui consequens erat, vt cum in proposita specie mater pupillo cohæres data non esset, substitutos pupillares excludere nullo modo posset,[13] nil obstante celebri illa Diocletiani & Maximiani lege, ex qua in contrariam sententiam vulgo Interpretes nostri mouentur.[14] In cuius nimirum specie nec poterat locus esse constitutioni Diui Marci, quoniam in ea quærebatur de testamento militis,[15] cuius singulare ius est, vt casus à milite expressus nunquam trahatur ad omissum,[16] propterea quod in militis testamento non iusta, vt in paganorum,[17] sed nuda simplexq; voluntas spectatur. Accedebat, quod in proposito non solum ex nulla parte scripta mater fuerat,[18] sed etiam legatum ei datum maritus ademerat, si ad secundas nuptias transiret, quæ conditio secutis secundis nuptiis extiterat.[19] Itaque è contrario sensu coniecturæ Papinianeæ non erat verisimile, testatorem, qui legatum vxori factum ademisset, saluam ei voluisse in illum ipsum casum successionem filij tanquam intestati, cui pupillarem dederat substitutum.[20] Quandoquidem ex supradicta Marci constitutione vulgariter pupillo substitutus habetur pro pupillari substituto eueniente casu pupillaris substitutionis.[21] Pupillaris autem substitutus, cum sit hæres testamentarius,[22] ex vulgati iuris regula excludit intestati successorem.[23] Sed me illud omnium maxime mouebat, quod tametsi mater in specie coheres filio data fingeretur,[24] nullus tamen hodie Iustinianeæ constitutioni in huiusmodi facti exemplo relictus locus videbatur. Propterea quod nouo iure non sola mater succedit filio intestato, siue puberi, siue impuberi, sed cum fratribus & sororibus ex vtroque parente coniunctis.[25] Nec fieri vllo casu potest, vt superstite aliquo ex fratribus aut sororibus, vtroque ex latere, sola mater succedat, quoniam ab intestato vnus tantum casus est.[26] Atqui in ea specie, quæ proponebatur filiæ testatoris, eædemque sorores defuncti impuberis nominatim fuerant exheredatæ, aut saltem successione exclusæ accepto legato, licet institutionis iure, vt vulgo fit, relicto.[27] Proinde nulla ratio erat, cur credendus esset testator voluisse, vt potior esset filiarum exclusarum, quam substitutorum pupillarium causa.[28] Ergo nec matris, quippe quæ, vt diximus, non aliter ab intestato admitti poterat, quam si sorores quoque admitterentur.[29] Denique illud etiam obseruandum videbatur, quod testator auorum exempla secutus toto testamento masculos prætulerat, & fœminas excluserat, vt bona in familia conseruarentur.[30] Quo casu probabilius est, nec Papiniani, nec Justiniani sententiam locum habere posse, cum tota quæstio illa sit voluntatis, vt & Papinianus & Vlpianus fatebantur.[31] *Ita tractatum est* ex tempore, sed nihil adhuc pronunciatum inter filias & fratres N. de Montagnola, 8. Id. Jun. 1595.

1 *L. vlt. C. de instit. & substit.*

2 *L. commodissime 10. D. de liber. & posthum.*

3 *L. iam hoc iure 4. D. de vulg. & pup. substit. l. 4 C. hoc tit.*

4 Sic enim nostri putant esse etiam aliquam taciram vulgarem, contra quos vide quæ scripsi in Hemichiliade *de error. pragmat.*

5 *d. l. vlt. C. de instit. & substit.*

6 *Vt in d. l. vlt.*

7 *Arg. l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. scripto 7. §. vlt. D. vnd. liber. l. nam etsi 15. D. de inoff. testam.*

8 Quod probant verba illa constitutionis, *in huiusmodi casu.*

9 Quia constitutio Diui Marci indistinctè fuerat locuta, *arg. l. in fraudem 15. §. vlt. D. de testam. milit. l. de pretio 8. D. de publician in rem act.*

10 *d. l. iam hoc iure.*

11 *d. l. commodissime, l. si cum dotem 22. in princ. D. solut. matrim.*

12 Ne fieret contra voluntatem, quod ex voluntate proficiscebatur, *d. l. 4. de vulg. & pup. substit.*

13 In ea enim, quæ mater & hæres est, duplex fauor concurrit: vnus autem tantum in ea, quæ mater dumtaxat est. Iunge *l. Titia 34. qui inuita, illis verbis filium eundemque heredem, de leg. 2.* Dici namque solet, duo vincula esse vno fortiora. *vulg. l. pen. C. de adopt.*

14 In *l. precibus, 8. C. hoc tit.*

15 Vt probant verba illa, *maritus tuus miles defunctus.* Item sequentia, *in patris militis positus potestate.*

16 *L. in testamento 6. C. de testam. milit.*

17 *L. 1. D. qui test. facer. poss.*

18 *L. 1. l. Diuus 24. l. eius militis 34. & seq. D. de test. milit.*

19 Vt proinde non posset causa matris esse fauorabilis hoc casu.

20 Ne videretur dedisse plus matri, cui ademerat, quod erat minus, *arg. l. cui pacto 5. D. de seru. expor.*

21 *d. l. 4. de vulg. d. l. 4. C. hoc tit. d. l. 6. C. de testam. milit.*

22 *L. Iulianus 42. alias l. si pupillus, de acqu. hered. l. paterfamilias 28. de rebus auctor. Iudic. possid.*

23 *L. quamdiu 39. de acq. hered.*

24 Vt iuuari posset beneficio *dict. l. vltim. Cod. de instit. & substit.*

25 *Ex Nouell. 118. de hered. ab intest. venient.* vnde sumpta est *Auth. defuncto, C. ad Tertyll.*

26 *L. ab intestato 16 D. de iur. codicill.*

27 Quæ institutio ex re certa habetur pro legato, non pro institutione, cum adest alius hæres ex asse, *l. quoties 13. Cod. de hered. instit.*

28 Præsumitur enim prædilexisse eos, quos substituit, non filias, quas excludit, *arg. l. omnia 31. alias l. cum ita. §. in fideicommisso, de leg. 2. l. Publius 36. § 1. de condit. demonst.*

29 *d. Auth.*

BIU Cujas

29 *d.Auth.defuncto C.ad SC.Tertyl*

30 In qua non possunt conseruari per fœminas, quia mulier suæ familiæ caput & finis est, *l.pronunciatio* 195.§.*vlt.de verbor.signif.*

31 Sic enim Iustin. refert *in d.l.vlt.C.de instit.& substit.*

DEFINITIO XXIV.

Substitutio facta posthumo in eum casum, si non nascetur, nunquam potest habere vim pupillaris expressæ posthumo nato, nec potest continere compendiosam.

SVbstitutio facta posthumo in eum casum, Si non nascetur, licet ad eum quoque trahatur ex Diui Marci constitutione,[1] Si posthumus natus fuerit, & impubes decesserit,[2] non tamen eodem modo pupillaris dici potest, quo esset, si pupillaris casus expressus fuisset.[3] Illa enim pupillaris expressa esset,[4] hæc vero non nisi tacita est, quoniam expressus ille casus, si posthumus non nascetur, casus est vulgaris substitutionis,[5] non pupillaris.[6] Inde fit, si nostris credimus,[7] vt substitutus pupillaris ad substitutionem admissus, quamuis matre in medio existente, si quid forte sit, quod eam repellat,[8] vtputa si non fuerit cohæres impuberi filio data,[9] aut si eam omnino exclusam maritus voluerit,[10] non tamen eam excludat à petitione legitimæ,[11] quomodo excluderet haud dubie, si pupillariter expressim substitutus esset.[12] Porro non eo minus tacita videri debet pupillaris substitutio, quod testator directo instituendi aut substituendi verbo vsus sit. Pertinet enim ea verborum obseruatio ad hoc, vt substitutio directa censeatur potius, quam obliqua,[13] non vt expressa sit potius, quam tacita.[14] Expressam siquidem pupillarem facit expressio sola casus pupillaris.[15] Nec rursum ea distinctio locum habet, nisi cum tractatur de compendiosa substitutione, vt directam interpretemur, quæ alioqui obliqua potius dicenda esset,[16] Sed in proposita specie tractari de compendiosa substitutione nihil potest, quia nec multa tempora sub verborum compendio potest complecti substitutio, quæ facta est sub conditione illa negatiua, Si posthumus non nascetur.[17] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Dequa *in l.4.D.de vulg.& pup.substit.l.* 4.*C. hoc tit.l. in testamento* 6.*C.de testam.milit.*

2 Extra casum *l.vlt.C. de instit.& substit.*

3 Etsi namque dici solet, parem esse vim taciti & expressi, *l.3 de reb.credit.* plerumque tamen plus potest expressum quam tacitum, siue ad iuuandum, siue ad nocendum, *d.l.4.de vulg.l. expressa, de reg.iur.*

4 *L.cum ex filio* 39.§.1. *de vulg.& pup.subst.*

5 Quæ scilicet duplicem casum continet, voluntatis & impotentiæ, *d.l.cum ex filio* 39.§.*vlt.& pass.eod.tit.de vulg.& pup.subst.*

6 Quia substitutio pupillaris fit in casum acquisitæ hereditatis, nisi cum fit exheredato, *l.1.& 2.& pass.eod.tit.*

7 Præsertim Decio *in l. precibus* 8. *C. hoc tit.* cuius opinionem Senatus noster pass. sequitur, vt dixi *Definit.* 2.*& segq.supr.*

8 Hoc ideo, quoniam alioqui secundum nostros tacita pupillaris non admittitur contra matrem, *ex d.l.precibus, & l. vlt.C.de instit.& substit.l.Scæuola* 76.*ad SC. Treb.*

9 Quomodo data erat in specie *dict.l.vltim.C.de inst.& subst.*

10 Vt in specie, de qua diximus *Defin.præced.*

11 Quia non sit expressa nisi verbis generalibus, tacita vero verbis specialibus, quæ Decij ratio est *ad dict.l.precibus, num.*26.

12 *L.Papinianus* 8.§.*sed nec impuberis, D.de inoff.testam.*

13 *Cap.si pater, de testam.in* 6. Not. *ad l.Centurio,& ad l. verbis ciuilibus de vulg.& pup.subst.*

14 Tam enim expressa quam tacita pupillaris fit & fieri debet per verba directa, aut saltem, vt vocant, communia, non per obliqua, *d.l.4.de vulg.& pup.subst.*

15 *L.1 d.l.4.d.l.cum ex filio* 39.§.1.*de vulg.& pup.subst.*

16 *Vt in d.c.si pater, de testam.in* 6.

17 Est enim hic casus specialis & negatiuus, qui alium nullum affirmatiuum potest comprehendere. Substitutio autem compendiosa ea dicitur, quæ verborum compendio plures continet substitutiones, vt not. Bart.& post eum cæteri *ad d.l.Centurio.*

DEFINITIO XXV.

An fideicommissum conditionale transmittatur ad liberos masculorum, substitutis expresse liberis fœminarum vocatarum post masculos?

PAter testamento hæredes instituerat liberos masculos, Titium, Caium & Sempronium, & si quis eorum sine liberis decederet, substituerat superuiuentes, sin omnes, substituerat filias, adiecta hac clausula, *Et les leurs.* Titius & Caius decesserant superstitibus liberis, superstite item Sempronio, qui postmodum sine liberis decesserat: quærebatur, an ex prædefunctis filiis nepotes ad fideicommissum admitti deberent? Videbantur enim vocati ex generalibus illis verbis; *Et les leurs,* quæ posita in fine clausulæ ad totam clausulam referenda dicebantur,[1] ac proinde ad vtramque substitutionem, tam quæ in fauorem filiorum, quam quæ in fauorem filiarum facta esset, cum vtraque substitutio in eadem clausula, aut saltem in duabus continuato sermone prolatis contineretur.[2] Sed etsi ex propria persona vocati non essent, videbatur tamen posse defendi, ad eos pertinere iure transmissionis fideicommissum, ad quod patentes eorum fuerant inuitati. Constat namque inter iuris Interpretes, fideicommissum conditionale, licet regulariter non transmittatur,[3] transmitti tamen interdum ex præsumpta & coniecturata, vt aiunt, mente testatoris.[4] Inter coniecturas vero ad potissimum afferri solet, si alioqui futurum esset, vt minus dilectus præferretur magis dilecto,[5] quod sane in proposito contingeret, quia nepotes isti magis dilecti fuerunt, quam sorores substitutæ, cum fuerint positi in conditione ad eas excludendas.[6] Item coniectura ex eo sumi potest, quod liberi filiarum sunt expressim substituti, qui tamen fuerunt minus dilecti.[7] Contra respondebatur, ea verba, *Et les leurs,* non nisi ad filiarum liberos pertinere. Nam si Latine conditum esset testamentum, ita proculdubio testator scripsisset, *Et earum liberos,* non *Eorum,* quibus verbis nemo diceret masculorum liberos contineri,[8] transmissionem vero ex eo impediri, quod testator non tantum liberos substituerat, sed etiam cum illa adiectione, *superuiuentes.*[9] *Senatus* nihil dum ex tempore decidit: inclinabat tamen maior pars in eam partem, vt fideicommissum non deberetur.[10] In causa liberorum Laurentij Gay, 11. Mart. 1597.

1 Secundum id, quod Interpretibus nostris placet, clausulam positam in fine dispositionis referendam esse ad totam dispositionem, *l.vlt.* vbi Bart. *C.de reb.dub.*

2 Nam in iis, quæ continuato sermone & coniuncta oratione proferuntur, nihil videtur posse dici prius aut posterius, *l.quidam testamento* 14.*D.de pecul.legat.*

3 Ne quidem ad descendentes, vt nostri tractant *ad l.vnic. C.de his qui ant.aper.tab.* reprobata glos. quæ contrarium sensit *in l.is cui* 42.*D.de oblig.& action.* Vide *l. heredes mei* 57.§. *cum ita, D.ad SC.Treb.*

4 Zanch.& alij communiter post Bart. *ad d.§.cum ita.*

5 Quam nostri dicunt esse omnium fortissimam coniecturam, quia semper absurdum est, & contra testatoris voluntatem, vt melior sit conditio eius personæ, quæ minus dilecta fuit, *l.Publius* 36.§.1.*D.de cond.& demonstr.l.omnia* 32.*alias l. cum ita,* §.*in fideicommisso,* vbi etiam DD. *de leg.*2.*& in l. peto* 69.§.*fraire eod.*

6 Sic enim nostri passim argumentantur, *ex l.Lucius* 85.*vbi glos.in verb.prætulit.D de hared.instit.* Contra quos tamen videnda sunt quæ late disputauimus *Decad.* 26.*&* 27.*de error. pragmat.*

7 Sic argumentatur Cravet. *in consil.suis.*

BIU Cujas

8 Nec enim fœmininum vnquam concipit masculinum, quomodo contra masculinum regulariter concipit fœmininum.

9 Quæ dictio solet excludere ius transmissionis, vt ex Crauet. Ruino & aliis concludit Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 11.

10 Nam & in dubio pronunciandum est contra fideicommissum, tanquam quod sit odiosum, nisi cum proponitur relictum familiæ ad conseruanda bona in agnatione & familia; de quo vide Mantic. *lib.* 8. *de coniect. vlt. vol. tit.* 1.

TIT. IX.

DE LIBER. PRÆTERIT.

DEFINITIO I.

Auth. ex causa, locum habet etiam in præteritione paterna, secundum DD. si modo filius sit præteritus scienter, non si ignoranter, nisi adsit clausula codicillaris per verba futuri temporis.

EX causa exhæredationis vel præteritionis, quæ pro exhæredatione haberi debeat, qualis illa, quæ à matre fit,[1] rupto vel irrito facto testamento, solam institutionem corruere Justinianus voluit,[2] cætera vero omnia firma remanere, ita vt ex ipso etiam testamento, ac si nec ruptum nec irritum factum esset, debeantur.[3] Quid ergo si præterito à patre filio, quam habebat in potestate, testamentum nō ruptum aut irritum fuerit, sed ipso iure nullum & iniustum?[4] Ad hunc casum non pertinent verba constitutionis, sed tantum ad causam rupti vel irriti facti testamenti.[5] Cuius hac parte in eo dissimilis ratio est, quod fauorabilius videri debeat testamentum ex postfacto ruptum vel irritum factum, quoniam aliquando valuit,[6] quam quod ab initio nullum & iniustum fuit.[7] Ergo de paterna præteritione intelligi constitutio non potest, sed de materna tantum, quæ, vt dixi, pro exheredatione est.[8] Quod cum ita sit, illud quoque consequens est, vt non alio iure censeri debeat testamentū, in quo posthumus, quam in quo filius iam natus præteritus est. Etsi enim præteritus posthumus testamentum, cum nascitur, non facit nullum aut iniustum, sed rumpit:[9] tamen rumpit ipso iure solaque legis potestate,[10] & posteaquam natus est, eodem plane loco esse incipit, quo esset, si iam ipso testamenti tempore superstes fuisset.[11] Verum quamquam ex iuris ratione id verissimè dicitur, inualuit tamen inueterato nostrorum Interpretum errore passimque in tribunalibus recepto, vt nō minus de paterna, quam de materna præteritione Justinianus senserit,[12] & consequenter vt posthumo quoque præterito legata & fideicommissa conseruentur:[13] cum hac tamen distinctione, si scienter præteritus sit. Nam si ignoranter, id est, ab eo, qui nec testamenti nec mortis tempore de posthumo cogitarat, rectissime probatum est, constitutioni locum nullum esse,[14] quamuis adiecta codicillaris clausula, præsertim si per expressa verba futuri temporis concepta sit, faciat, vt hoc etiam casu legata & fideicommissa omnia ab intestato conseruentur.[15] *Ita bis Senatus* in ea causa, de qua Defin. 6. infr. de codicill.

1 §. *vlt. Inst. de exhered. liber. l. filiam præteritam* 15. *Cod. de inoff. testam.* [Est tamen ius singulare Augustanorum nostrorum, vt apud eos mater filium impunè præterire possit, nec habeatur ea præteritio pro exhæredatione, adeò vt nec vlla querela inofficiosi testamenti filio contra testamentum patris competat. Ideo quia ex eadem Augustanorum consuetudine mater filio intestato non succedit, sed per eius agnatos excluditur, quamuis non similiter filius ab intestatæ matris successione excludatur. In quo melior adhuc est conditio filij, quam matris in causa intestati, sed in causa intestati par omnium ius est, quia nec matri nec filiis querela competit, quandoquidem, nec vlla apud Augustanos legitima debetur.]

2 *Nouell.* 115. *vt cum de app. cognosc.* §. *aliud quoque capitulum*, vnde sumpta est *Auth. ex causa, C. hoc tit.*

3 Sic enim habent Nouellæ verba, Simile quiddam est *in l. vlt. ff. de hered. instit.*

4 *L.* 1. *de iniust. rupt. l. si filius* 7. *l. inter cætera* 30. *de lib. & posthum.*

5 Vt probant priora ipsa verba *d. Auth. ex causa.*

6 *Arg. l. posthumum* 12. *de iniust. rupt.*

7 *d. l. si filius* 7. *l. seq. eod.*

8 *d.* §. *vlt. Instit. de exher. liber.*

9 *d. l.* 1. *l.* 3. *&* 5. *d. l. posthumus* 12 *de iniust. rupt.*

10 *L. ventre præterito* 84. *ff. de acqu. hered.*

11 *L. si primo* 8. *in fin. ff. hoc tit. de liber. & posth.*

12 Ex not. per Bart. & alios *ad d. Auth. ex causa.*

13 Guil. Bened. *in verb. in eodem testamento* 1. n. 141.

14 Bart. & alij *ad l.* 1. *ff. de iur. codicill. & ad dict. Auth. ex causa.*

15 Osasch Cacher. *cons.* 11. *& cons.* 70. Anton. Tessaur. *dec. Pedem.* 141. vbi alios plerosq; citant, qui sic tenent contra Bar. *ad d. l. de iur. codicill.* & Aret. *cons. vlt.* Dicam *in Dismi.* 4. *& seqq. infr. de codicill.*

DEFINITIO II.

Etiam fideicommissa vniuersalia conseruantur per Auth. ex causa.

CONseruantur vero ea Justiniani constitutione non solum legata, & quæ legatis per omnia sunt exæquata, fideicommissa singularia, sed etiam fideicommissa vniuersalia, si forte hæres eo testamento institutus de restituenda vniuersa hæreditate, siue pure, siue in diem, aut sub conditione rogatus proponatur.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.* 1. *de legat.* 1. *l.* 1. *C. commun. de legat.*

2 Iul Clar. *in* §. *testamentum quæst* 54. Andr. Gail. *præt. observat. lib.* 2. *c.* 113.

DEFINITIO III.

Ius eligendi conseruatur instituto per Auth. ex causa, etiam rupta institutione.

SEd & cum hæres eo testamento institutus iussus esset vnum ex familia eligere, eique hæreditatem post mortem suam restituere,[1] visum est, non eo minus saluam esse debere instituto eligendi facultatem, quam nec deportatione amitteret sublata per deportationem institutione.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. vnum ex familia* 67. *de leg.* 2.

2 *L. cum pater* 77. § *hereditatem filius, de leg.* 2. *l. ex facto* 17. § *si quis rogatus* 2. *ad SC. Treb.*

DEFINITIO IV.

Institutiones ex re certa conseruantur per Auth. ex causa, quatenus censentur iure legatorum, non institutionum.

CONseruantur quoque eadem Justiniani constitutione institutiones ex re certa factæ,[1] propterea quod legatorum loco habeantur, eodemque iure censeantur.[2] Vnde fit, vt qua ex parte à legatis discrepant, vtputa quod ad ius accrescendi pertinet, secundum eorum sententiam, qui putant, institutum ex re certa ius accrescendi habere, si heres ex asse scriptus adire vel nolit, vel non possit,[3] non conseruentur huiusmodi institutiones, sed cum institutione vniuersali corruant, id est, non impediant, quo-

BIU Cujas

minus testamentum, quod ad institutionem spectat, rumpatur, vel irritum fiat.[4] *Ita tractatum est* 12. Calen. Julij 1591.

1 Bart. contra glos. *ad l. ex facto* 35. *D. de hered. instit.* Iul. Clar. *in §. testamentum, quæst.* 53.

2 Scilicet cum alius vniuersalis aut particularis heres adest, *l. quoties* 1. *C. de hered. inst.*

3 Idem Bart. & post eum cæteri, solo refragante Baldo *ad d. l. quoties.*

4 Quia hoc casu & hac parte censentur ius e institutionum, non legatorum.

DEFINITIO V.

Præterito filij nullum tribuit ius tertio ad impugnandum testamentum, nisi sit ille ex liberis.

Filio in potestate præterito absente nec conquerente de patris iudicio, quæri solet, an alius quispiam siue agendo, siue excipiendo, nullitatem testamenti obiicere possit? Nam & hæres ipse eo testamento scriptus, si ab aliquo tanquam heres conueniatur, vtique exceptionem habet, si non in ea causa sint tabulæ testamenti, vt contra eas dari bonorum possessio possit.[1] Verius tamen est, quamdiu filius præteritus non conqueritur, non esse alij permittendum, vt disputet de viribus testamenti, secundum eam nostrorum sententiam, qua vtimur, existimantium filij præteriti silentium facere posse, vt testamentum alioqui nullum & iniustum conualescat hactenus saltem, vt iure prætorio defendatur.[2] Itaque esset ea exceptio de iure tertij, nec exclusiua iuris agentis,[3] cuiusmodi quæ sunt procul dubio admitti non debent.[4] Hoc ita sit is, qui obiicit, nullo iure factum esse testamentum, non sit ex liberis, cuius interfit beneficio fratris præteriti patris iudicium euerti, licet sit ipse institutus aut exheredatus.[5] Hic enim ius, quod ex persona fratris præteriti habere cœpit succedendi ab intestato, non idcirco admittere potest; quod frater, cui facta est iniuria, nolit conqueri.[6] *Ita tractatum in Senatu* in causa liberorum Ludouici Machet Necien sis, 13. Cal. Decemb. 1592.

1 *L. 1. D. de except. rei iudic. l. qui cum herede* 15. *D. de oblig. & action.*

2 *Ex l. filio præterito* 17. *D. de iniust. rupt.* de cuius tamen sententia vide quæ scripsi *lib.* 2. *Coniect. & in Decadibus de error. pragmat.*

3 Nisi sub illa veluti conditione, si tertius, id est, si filius velit.

4 Bart. late *ad d. l.* 2. *D. de except. rei iud c.*

5 *Vt in l. iu qui* 15. *& seq. D. de legat præst.*

6 *d. l. iu qui, l. si post mortem* 10. *§. vltim.* vbi Bart. *de bonor. poss. contr. tabul.*

DEFINITIO VI.

Filium consentientem potest pater & exheredare sine causa, & præterire, si liber consensus fuit. sed ita, vt hoc quoque casu salua sit filio legitima.

Etsi non magis filius quam pater ipse facere potest, ne leges in patris testamento locum habeant,[1] magis tamen obtinuit, vt consentientem filium possit pater non solum exheredare, sed etiam præterire, nulla præteritionis aut exheredationis inserta causa.[2] Quod ego, quantum ad exheredationem attineret, non inuitus probarem.[3] Sed quantum ad paternam præteritionem non item,[4] quia siue causam aliquam insertam habeat, siue nullam, numquam illa pro exheredatione habetur,[5] perpetuaque & inuiolabilis testamentorum solemnitas illa est, vt filiũ in potestate suum hæredem, vel institui, vel exheredari necesse sit,[6] adeo, vt nec si post mortem patris filius præteritus iudicia patris adprobet, facere tamen possit vtile iustumque testamentum, quod ab initio iniustum & nullius momenti fuit.[7] Sicut nec cõualuisse testamentum videri posset, tametsi filius præteritus viuo patre decessisset.[8] Illud saue constat filij consensum non aliter ei nocere debere, siue præteritus, siue nulla causa inserta exheredatus proponatur, quam si libere, nulloque metu præstitus probetur,[9] quod tamen vix est, vt esse possit, si eo testamento pater de bonis quoque filij, aut quæ alioquin omnimodo ad filium peruentura erant, testatus sit.[10] Cæterum si eo quoque casu filius testanti patri vtiliter consenserit, non vsque adeo consensus ille iniqua & odiosa interpretatione adiuuandus est, vt à debito quoque bonorum subsidio filius sine causa excludi voluisse existimetur,[11] quando nec pacto expresso id ipsum facere potuisset.[12] *Sine die.*

1 *L. nemo potest* 55. *de leg.* 1.

2 Bald. *in l. fin. col.* 6. *Cod. vnd. legit.* Salic. *in l. si quando*, *§. & generaliter, C. de inoff. testam.* & alij multi, quos congerit & sequitur Boer. *quæst.* 4. *numer.* 8. 9 *&* 10. contra Bartol. distinguentem, an inserta sit causa præteritionis aut exheredationis, nec ne?

3 *Argum. l. non putauit* 8. *§ si quis manu sua, de bonor. poss. contr. tabul.*

4 *Arg. l. Paulus* 47. *§. patroni filius, de bon libert.*

5 Est enim proprium ius præteritionis maternæ non paternæ, vt pro exheredatione habeatur, *§. vltim. Instit. de exhered liber.*

7 *L. filio præterito* 17. *de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.* De cuius sententia contra omnes omnium Interpretum opiniones scripsimus, *lib.* 9. *Coniect.* Neque vero ad paternam præteritionem pertinet constitutio Iustiniani, de qua *in Auth. ex causa, C. hoc tit.* vt scripsi *supr. Defin.* 1.

8 *L. si filius* 7 *ff. qui testam. facer. poss.*

9 Non enim potest valere consensus metu præstitus, Boer. *d. quæst.* 14. *numer.* 10. post Cyn. & Doctores *in dict. §. & generaliter.*

10 Vt in ea specie, quam tractat Boer. *dict. n.* 10.

11 Bald. *in d. §. & generaliter*, quem sequitur Ias. *in l.* 1. *C. de bon. poss. contr. tab. ex d. l. si quando*, *§. illud.* Boer. *d. qu.* 14. *n.* 8. *& 9. in fin.*

12 *dict. §. illud.* * Non valde dissimile illiud est quod nostris placet, filium primi gradus licet non possit institui nisi sub conditione potestatiua, *l.* 4 *D. de hered instit. l. si pater* 4. *C. de instit. & subst. l. Lucius* 84. *de cond. & demonst.* si tamen institutus sit sub conditione casuali & velit filius expectare conditionis euentum posse id facere, ita vt euenient conditione, testamentum valeat etiam iure ciuili. Ita Castrens. post Baldum *ad d. l. D. de hered. instit. num.* 8. Quod tamen durum mihi videtur cùm non debeat esse in potestate filij vt patrem faciat testatum, aut intestatum. Iura enim testamentorum ipsa per se firma esse oportet, non ex alieno arbitrio pendere, *l. illa institutio*, 32. *D de hered instit.* Præsertim cùm fateantur omnes deficiente conditione hoc testamentum valere, cùm in defectum conditionis filius non est exhæredatus. *Ita tractatum est* in causa D. Maximiliani Fauerij aduocati generalis & fratrum eius 7. Februarij 1620.

TIT. X.

DE POSTHVM. HERED. instituto.

DEFINITIO I.

Institutio facta posthumi & posthumæ, ex vxore nunc prægnante, non porrigitur ad posthumum altero partu editum.

Qvi vxorem prægnantem habebat, cum suprema ordinaret, instituit iam natos liberos masculos, filiæ iam natæ trecẽta institutionis

titulo reliquit. De posthumo autem ita cauit: *Si ex vxore mea, quæ nunc pragnans est, nascetur filia, heredem eam instituo in trecentis, sin filius nascetur, is vna cum fratribus suis ex æqua portione heres esto.* Nata primum fuerat filia, deinde anno sequenti ex eadem vxore filius, postea testatore eodem testamento decesserat. Filia, quæ testamenti tempore, vt diximus, iam nata fuerat, dicebat ruptum fuisse testamentum natiuitate posthumi præteriti,[1] & ideo virilem hereditatis portionem quasi ab intestato vindicabat.[2] Instituti liberi negabant ruptum esse, propterea quod non solum filia posthuma, si qua nasceretur, sed etiam masculus posthumus fuisset institutus.[3] Etsi enim separatim fuerant instituti, & in casus distinctos: receptum tamen est fauore testamentorum, vt prouisio, quemadmodum nostri loquuntur, facta in casibus separatis porrigatur ad casus coniunctos.[4] Deinde, quia institutio posthumi non solum ad posthumum, qui iam tum in vtero sit, aut qui proxime nascetur referri debeat, sed ad omnes quandocunque nascituros, eodem fauore conseruandi testamenti.[5] Postremo, quia institutiones ex re certa sustinentur, etiam rupto per præteritionem posthumi testamento,[6] saltem quatenus huiusmodi institutiones habent naturam legatorum,[7] qualis hæc erat institutio quæ facta fuerat in trecentis,[8] cum ea lex adiecta esset, ne quid amplius ex hereditate filia petere posset.[9] At contra pro filia faciebat, quod agnatione posthumi, siue scienter siue ignoranter præteriti, testamentum proculdubio ruptum esset,[10] cum non simpliciter & generaliter posthumus institutus reperiretur, sed iis verbis, quæ proximum duntaxat partum, iamque conceptum posthumum demonstrarent,[11] necesse in hac specie locus poterat ei, quod diximus de casibus coniungendis. Solet enim hac parte multum interesse, an eodem partu, an diuersis plures posthumi nascantur. Posthumo namque simpliciter instituto omnes quotquot nascentur simul instituti intelliguntur.[12] Sed non omnes qui eidem testatori ex diuersis partubus, si, cum posthumum instituerit, præsentis tantum temporis rationem habuerit.[13] Nec ad rem pertinet, quod institutiones ex re certa per Iustiniani Constitutionem conseruantur.[14] Id enim ita verum est, si defendi eas velint illi, qui ex re certa instituti sunt, non etiam si eorum interfit, vt in proposita specie, ab intestato succedere potius, quam ex testamento.[15] Itaque pro filia contra testamentum pronunciandum videbatur. Quoniam tamen clausula codicillaris testamento inserta proponebatur, & de illo quærendum erat, an operari deberet posthumo ignoranter præterito, (de quo alibi scripsimus)[16] nihil ex tempore pronunciatum est, cum in publico auditorio res tractaretur, 3. Cal. April. 1593.

1 *ex l. 1. C. hoc tit. l. 11. & pass. D. de iniust. rupt.*

2 *l. filio præterito 17. e. d. tit.* [*l. inter cætera 30. D. hoc tit.* Nec tantùm patris præteritio vitiat testamentum, sed etiam matris hodie, nec habetur, vt olim pro exheredata, *Nouell. 115. vt cùm de appell. cognosc. § aliud quoque capitulum.*]

3 Itaque non debebat præteritionis pati pœnam pater qui neque filium, neque filiam præterierat, vt ait Iustin. *in l. vlt. C. hoc tit.*

4 Per textum singularem, *in l. si ita scriptum 13. D. de liber. & posthum.*

5 *l. placet 4.* vbi gloss. Bart. & cæteri, *eod. tit.*

6 Ex doctrina Bart. *ad auth. ex causa, C. de liber. præt.*

7 Dixi *Defin. 4. supr. tit. prox.*

8 Nec enim trecenta faciunt partem hereditatis, sed bonorum, *l. quamuis 14. D. si quis omiss. caus. test.*

9 Quibus verbis exheredatio potius expressa erat, *l. cum quidam 19. D. de liber. & posthum.*

10 *de l. 1. C. hoc tit.* [Et tamen fauorabilius testamentum quod ruptum est agnatione posthumi, quàm quod ab initio nullum fuit præteritione filij iam nati, quia hoc quod numquàm valuit difficilius conualescit, & requirit expressam adprobationem, aut saltem tacitam filij præteriti. *l. filio 17. De iniust. rupt.* Illud verò, quia valuit ab initio, facilius conualescit, si modo posthumus viuo parente à quo præteritus fuit moriatur, *l. posthumus 11. eod.* Conualescit, inquam, non quidem iure ciuili, quod fieri non potest. *l. pen. de reg. iur.* sed iure prætorio hactenus, vt ex eo possit dari bonorum possessio secundum tabulas, & quidem cum re, non quidem ex generali parte illa edicti *De bonor. poss. secund. tab.* (nec enim sola æquitas prætoris sufficere in hanc rem potuisset) sed ex speciali. *Tit. vt ex legib. & SC. bonor. poss. det.* propter Constitutionem Hadriani, quæ fuit hoc casu necessaria. Ideoque petenda est hæc bonorum possessio intra centum dies vtiles, si extraneus fuerit institutus, aut saltem intra annum, si parens vel aliquis ex liberis, *l. 1. § si intra & seq. & § largius. D. de succes. edict.* alioqui neque testamentum valet, neque legata, inquit Bald. *ad d. l. posthumus.* post Bart. *ibid. num. 5.* Est enim hic casus vnus ex istis, in quibus etiam hodie necessaria est bonorum possessio secundum tabulas, Etiam post *l. vltim. C. qui admitt.* quæ satis probat non esse hodie sublatum penitus vsum bonorum possessionis, cùm retinuerit antiquum tempus petendæ bonorum possessionis. Quid verò si plures posthumi diuersis partubus editi præteriti sint, & omnes viuo parente decesserint? Videtur quidem minùs fauorabile testamentum, quod sæpius ruptum fuisset si sæpiùs rumpi potuisset. Sed tamen verius est, etiam huiusmodi testamentum ad Hadriani Constitutionem pertinere, vt Constitutio, quæ fauet vltimæ voluntati benigna interpretatione adiuuetur. Quid rursum, si mater instituto marito filium, quem in vtero gestabat, substituerit post mariti mortem, & maritum quandiu viueret obligauerit ad præstanda posthumo alimenta, vel quid annum vice alimentorum? Vix est, vt hoc casu Hadriani Constitutio locum habere debeat, cùm hoc casu posthumus scienter præteritus sit à matre, quæ contra leges testari vltro voluerit. Est enim fauorabilius testamentum, in quo posthumus ignoranter præteritus est, quàm in quo scienter, licèt clausula codicillaris potentior sit, cùm posthumus scienter præteritus fuit, quàm cùm ignoranter, vt dicemus *ad Defin. 4. infr. De codicill.* Sed & alia ratio facit ne hoc casu possit esse locus Constitutioni Hadriani, quia cùm posthumus sit substitutus, licet non nisi post mortem patris, rupto per eius natiuitatem primo gradu testamentum incepit à secundo, in quo repetitur posthumus ipse institutus, & quidem purè vicio temporis sublato tam ex iuris dispositione iuxta *l. hereditas 34. de hered. instit.* quàm quia mors patris frustra expectaretur, cuius institutio rupta esset. Cùm itaque posthumus cœperit posse succedere, & quidem ex testamento, quod incipit, vt dictum est, à secundo gradu, nulla ratio est, vt conualescat institutio mariti, licèt posthumus viuo adhuc patre decedat postea: Nec sanè ad hunc casum pertinet, *l. posthumus.* sed ad illum quo posthumus omnino præteritus sit. Et ita consultus ego ex facto respondi pro D. de Polliane, contra D. de Borchenu.]

11 Relata enim erant verba illa ad tempus præsens, *qua nunc prægnans est*, quod maximè spectandum est, *l. si ita 8. de aur. & argen. leg. l. Titius 25 § D. 1. hoc tit. l. filius 28. § si quis ex certa eod.*

12 *l. qui filiabus 17. § 1. de leg. 1.*

13 Sic enim aperte sentit gloss. communiter approbata, *in l. ideoque 5. de liber. & posth.* Bart. Castr. & latius Ial. post alios, *in d. l. placet 4. eod. tit.* vbi etiam fusè Apostill. ad Bart.

14 Vt diximus ex Bart. *n. 6.*

15 *l. non putauit 8. § vlt. l. si post mortem 10. § vlt. D. de bonor. poss. contr. tabul.*

16 *Defin. 4. & seqq. infr. de codicill.*

TIT. XI.

DE IVR. DELIBER.

DEFINITIO I.

Pendente quæstione fideicommissi & aris alieni, filius interim legitimam habere debet ex bonis, quæ pater mortis tempore possidebat.

VI patris hereditatem cum beneficio legis & inuentarij agnouerat, cum vniuersitatem bonorum sibi ex anteriore auitoque fideicommisso deberi contenderet, negabat

BIU Cujas

negabat teneri se interea fratribus legitimam portionem præstare, eámve pensionis annuæ quantitatem, quam communis pater singulis pro legitima reliquisset, quoniam neque legitimæ,[1] neque legati[2] ratio vlla, nisi deducto prius ære alieno, haberi posset, æris autem alieni loco fideicommissum quoque deducendum constaret.[3] *Visum est* non prius quidem diffiniendum, quid & quantum esset in legitima, quam de fideicommisso cognitum fuisset, an deberetur, vt hoc ipsum sciretur, quid in bonis defuncti supereset.[4] Sed tamen ob incerti fideicommissi quæstionem, quæ altiorem requireret indaginem,[5] nec legitimæ, nec legato pro legitima relicto, cuius tam certa & indubitata esset obligatio, moram fieri debere,[6] neque satisdatione onerandos liberos,[7] qui ex patris voluntate debitam sibi iure naturæ pecuniam petentes eorum dumtaxat bonorum distractionem persequerentur, quæ communis pater moriens tanquam sua possedisset:[8] ne legis beneficium fauorabili ratione hæredibus concessum iniqua interpretatione ad liberorum iniuriam traheretur,[9] si de inuentarij & hæredis, & cæterorum creditorum iure pendente controuersia, quæ longiores litium anfractus pati solet, haberent illi interea nihil.[10] Pro D. Marchione Aquensi, contra Dn. Marchionem à Camera, 9. April. 1588. Iunge Defin. 6. De inoff. testam.

1 *L. Papinianus* 8. §. *quarta autem, D. de inoff. testam.*
2 *L. cum ab vno* 53. §. *vlt. de legat. 2. l. in legem* 8. *l. in ratione* 11. §. *quod vulgo, & pass. ad leg. Falcid.*
3 *L. cum pater* 77. §. *Titio, antepen. de legat. 2. l. in imponenda* 6. *l. irritum* 8. *C ad leg. Falcid.*
4 *L. cum quæritur* 6. *Cod. de inoffic. testam.* Est enim legitima nihil aliud, quam portio portionis ab intestato contingentis, *l. quæ nuper* 31. *Cod. eod. dict. l. Papinianus.* §. *si quis mortis ff. eod.*
5 *Vt in l. ille à quo* 13. §. *si de testamento, ad SC. Trebell. l.* 3. *vt in poss. legat.*
6 *L. quoniam in prioribus* 32. *l. scimus* 36. §. *cum autem, C. de inoffic. testam.*
7 Ne alioqui difficultas satisdationis actionem remoretur, *l.* 2. §. *sed si dubitetur, de iudic.*
8 Nam ex præsenti possessione præsumitur dominium, *l. cum res* 12. *l. sine possideris* 16. *C. de probat.*
9 Beneficium enim, siue legis, siue Principis, nunquam debet habere iniuriam, *l.* 4. *C. de emancip. liber. l. Paulus notat* 8. *de prætor. stipul. l. ex facto* 43. *de vulg. & pupill. substit.*
10 *L. ventre* 84. *de acqu. hered. l.* 7. §. *vlt. l. filius* 9. *D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Creditor habens clausulam constituti potest retineri in possessione pignoris, etiam non auditis cæteris creditoribus, si discussionis instantia nondum sit inchoata.

HÆres, qui delatam sibi hæreditatem non nisi cum beneficio inuentarij agnouit, etsi pendente lite, quam discussionis instantiam pragmatici vocant, inquietandus non est à creditoribus hæreditariis,[1] recusare tamen non potest, quo minus creditor pignoratitius, qui clausulam constituti habet, in pignoris possessione interim retineatur: auditis tamen in eam rem cæteris creditoribus, ne quid inscijs illis fiat.[2] Quid enim si quis eorum sit anterior, qui simili modo per clausulam constituti iam possessor factus fuerat? Non vtique alium possessorem facere postea potuit, qui posterioris constituti tempore non possidebat,[3] quamuis si nondum sit inchoata instantia non sint expectandi. Nimirum, quoniam ea possessio, creditori iam inde à contractus tempore quæsita, extra causam hæreditatis reperitur eo tempore, quo debitor moritur,[4] nec proinde in hæredem ex edicti, aut consuetudinariæ fictionis potestate transmissa videri potest.[5] Neque vero necesse est, vt hoc casu imploret creditor beneficium Iustinianeæ Constitutionis.[6] Tunc enim necessaria est remedij æquitas, cum debitor ignorantis creditoris possessionem interuenerit, non cum per debitorem creditor possessionem suam retinuit. Quæ sane sola debitoris morte interuersa dici nequit,[7] quādoquidem & hæreditas, & hæres personam debitoris sustinet,[8] qui se constituerat creditoris nomine possidere.[9] Plane de iure crediti, & ordine creditoris, perinde disceptandum erit auditis cæteris creditoribus, ac si possessio quoque non minus, quam proprietas pignoris[10] in hæreditate remansisset.[11] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 15. Calend. Septembr. 1588. Et rursum 3. Non. Decembr. 1589. Et apertius pro Petro Iuge Dn. de Candie, contra Iohannem Iuge in secreto auditorio, 11. Cal. Maij 1595.

1 Intellige per viam præcisæ executionis, licet lex non videatur priuilegium hoc heredi indulgere, nisi quamdiu est intra tempus conficiendi inuentarij, *l. vlt. §. donec, C. hoc tit.* Boer. *qu.* 10. *n.* 2. *in fin. &* 3. Vide *Defin.* 4. *infr.*
2 *Arg. l. nam ita* 39. *de adopt. l. de vnoquoque* 47. *de re iud.*
3 Clausula enim constituti non prodest, nisi is, qui constituit, eo tempore possideat, *l. quod meo* 18. *de acq. poss.*
4 Quam proinde habiturus fuerat, etiam alio hærede existente, *l. sequens quæstio* 68. *de leg.* 2.
5 *L. i. §. Scæuola, D. si is qui test. lib. esse. iuss.*
6 *In l. vlt. C. de acquir. poss.*
7 *L. si de eo* 40. §. 1. *D. eod.*
8 *L. heres & hereditas* 22. *D. de vsur. & vsucap.*
9 Nam nec possessio ipsa, quæ fuit penes defunctum, transit ad hæredem sine apprehensione, *l. cum heredes* 23. *de acquirend. possess.*
10 *L. cum & sortis* 33. §. *vlt. D. de pignor. action.*
11 *L. vlt.* §. *etsi præfatam, & seqq. tit. C hoc tit.*

DEFINITIO III.

Edictum successorium an habeat locum in hæreditatibus.

QVod successorio Prætoris edicto constitutum est, vt filius qui à petenda intestati parentis bonorum possessione ex capite, vnde liberi, tempore exclusus est, sibi ipsi succedat, possitque petere ex capite, vnde agnati, postremo ex capite quoque, vnde cognati,[1] inueterato interpretum errore ad ciuilis quoque successionis iura protractum est: Vt filius, qui intra primos triginta annos hæreditatem parentis agnoscere noluit tanquam filius, possit intra sequentes alios triginta annos adire vt agnatus, tum iis quoque elapsis intra totidem alios tanquam cognatus:[2] Siue de paterna, siue de materna hæreditate agatur,[3] si non in primo gradu, aut qui in primi locum succedit, alia persona sit, quæ impediat, ne semel exclusus ex priore capite admitti possit ex sequenti.[4] Quod si ita est, illud quoque admittendum sit, filium testamento hæredem scriptum, si intra trecennium hæreditati ex testamento non immiscuerit,[5] centum & viginti annos ad acquirendam patris hæreditatem habiturum, quod ex vltimo demum prioris illius tricennij die ius habere incipiat agnoscendi ex capite, vnde liberi ab intestato hæreditatis.[6] Quæ sententia certe à recta veraque iuris ratione prorsus aliena est,[7] non tantum quod abstentionis beneficium liberis in potestate positis per Prætorem concessum tanto tempore saluum esse nequeat,[8] sed etiam quia eo quoque casu, quo filius abstinere potest, adeoque quo iam se abstinuit hæres, nihilominus ipso iure intelligatur,[9] aut ex testamento, si institutus sit,[10] aut ab intestato, si intestatus pater decesserit.[11] Itaque qui iam hæres est vt filius, quomodo iterum hæres fieri poterit tanquam agnatus, aut cognatus?[12] Fateor, non haberi eum post abstentionem heredis loco à

BIU Cujas

Prætore.[13] Sed non aliter id verum est, quam si omnino & simpliciter abstinuerit.[14] Quo tamen casu fatentur nostri eandem vim esse abstentionis, quæ est repudiationis absolutæ,[15] vt ad omnes succedendi gradus excludendos vna sufficiat.[16] Adde quod edicti successorij æquitas ex eo potissimũ proficiscitur, quod admittendæ bonorum possessionis tempora sint breuissima,[17] cum ex contrario acquirendæ hæreditatis sint longissima.[18] Vsque adeo tamen recepta est nostrorum illa traditio, vt supremarum quoq; Curiarum decretis innumeris sit comprobata. Præterquam si vrgentibus creditoribus præstitutum sit hæredi tempus ad deliberandum, an hæreditatem agnoscere velit, an derelinquere? quo vno remedio aduersus commentitij iuris iniquitatem creditoribus & legatariis consuli potest.[19] *Ita Senatus* pro Ioanne Musier, contra Ioannem Monnier, 6. Cal. Augusti. 1588.

1 *L.1.§.sed videndum, & tot.tit.ff.de succes.edict.l.4.§.quis ord.in bon.poss.seruet.§.placebat.Inst.de legit.agnat.succes.*
2 Bald.& cæteri *ad l.licet 8.C.hoc tit.*
3 Late Guil.Bened.*in repet.cap.Raynutius*, in verb. *mortuo itaque testatore 2.n.155.& seqq.extr.de test.*
4 Ita Alex.in addit.ad Bald.*in d.l.licet*, post Bart.*in l.vnic. C.quand.non petent.part.* Vide Iason.*in l.si emancipata, in fin. C.de iur.& fact.ignor.*
5 Nam & hoc ius adeundi ex testamento finitur hodie tricennio sicut cætera, *l sicut 3.C.de præsc.30.annor.* cum olim esset perpetuum, *d.l.licet, & seq.C.hoc tit.*
6 Quamdiu enim ex testamento potest deferri hereditas, non defertur ab intestato, *l.quamdiu 59.de acquir.hered.*
7 Vt probaui pluribus *in 1.part. Chiliadis, de error. pragmat.*
8 Anno enim concluditur, *d.l.1.§.largius, de succes. edict. d.l.4.§ 1.quis ord.in bon.poss.seruet.*
9 *L.cum quæsi 30.§.sed etsi suus.fideic.libert.*
10 *L.1.§.qui sunt in potestate, ff.si quis omiss.caus.test.*
11 *L.2.C.vnd.liber.l.in suis 14.D.de suis & legit.*
12 *d.l 2.C.vnd.liber.l.scripto 7.D.eod.*
13 *L.si filius 12.de interrog.in iur.faciend.*
14 *d.§.qui sunt in potestate, l 1.si quis omiss.caus.test.*
15 *L.pro herede 20.§.Papinianus.D.de acquir.hered.*
16 *d.l.1.§.qui semel noluit.de succes.edict l.1.§.plane si tempora, D.vnd.liber.l.is qui heres 13.D.de acquir.her.*
17 Ideo enim factum est edictum successorium, ne bona diutius iaceant, *l.1.de succes.edict.*
18 *L.hereditatis 7.C.de pet.hered.*
19 *L.1.& pass.D.hoc tit.l.vlt.C.eod.*

DEFINITIO IV.

Pendente discussionis instantia, an & quando ferenda sit interim pro aliquo ex creditoribus prouisionalis sententia?

PEndente instantia, quam discussionis vocant, inter creditores hæreditarios, & hæredem cum beneficio legis & inuentarij, potest interdum vnus ex creditoribus interlocutoriam, & vt loquimur, prouisionalem obtinere adiudicationem,[1] nimirum, si talis sit, cuius causa, cæteris creditoribus fauorabilior videatur:[2] vtputa si dos petatur,[3] aut alimenta,[4] aut quid aliud simile, aut si creditor valde inops proponatur,[5] hæres contra locuples,[6] quæ omnia iudicantis arbitrio & religioni permittuntur.[7] Si tamen appareat per hæredis moram aut cunctationem fieri, ne ad coronidem instantia perducatur,[8] solet Senatus diem illi dicere, intra quam curet ferri diffinitiuam sententiam, quod si non faciat, postmodum, licet adhuc lite pendente, condemnetur.[9] Contra vero si in eo sit instantia, vt cito terminari posse videatur, æquius est & commodius, vt in id vsque tempus diffinitiuæ sententiæ omnis adiudicatio differatur,[10] ne occupantibus nunc his, nunc illis creditoribus, hæreditatem per varias executiones lacerantibus, deterior conditio fiat aliorum creditorum, siue prioresilli futuri sint, siue posteriores.[11] Sane legatariis, quia non nisi de lucro certant, vix est, vt ante diffinitiuam sententiam vllo casu succurratur.[12] *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Chastillion, & Mathei Brunax, 3. Calend. Decembr. 1588. & in causa N. Vibani Dupont, & N. de Micol in secreto auditorio, ante Id. Maij 1594.

1 Imo vero post elapsa conficiendi inuentarij tempora posset summo iure fieri executio præcisa ex instrumento authentico & guarentigiato Boer.*qu.10.n.3.*
2 Sunt enim quidam creditores priuilegiatij, de quibus *in l.cum bona 16.& seqq.de rebus auctor.iudic.poss. alias l.1 & tot. tit.de priuileg.cred.*
3 Dotis enim causa semper & vbique præcipua est, *l.1.§. lut.matr.* quia interest reipublicæ, *l.interest 18.de reb.auct.iud. possid.* [Idem tamen intellige in dotis augmento constituendo, quod hodie apud nos frequentatur. Cuius scilicet non minor solet esse fauor, quàm dotis, vt dixi *Desin.5.1. Commun. de legat.* Adeoque in doario quod apud nos constitui solet viduis nubentibus. De quo *in dict. Desin.5.n.1.*]
4 Quæ non patiuntur dilationem, *l.7.§.vltim.l.9.D.hoc tit.l.vlt.C.de ord.cognit.l.pecuniæ 8.in fin.D.de alim.& cibar. legat.*
5 *Arg.d.l.vlt.C.de ordin.cognit.l.si instituta 27.§.vlt.D.de inoff.testam.*
6 *Arg.l.1.2.& 5.& pass.D.de agnosc.& alend.liber.*
7 Vt cæteris quæ pendent ex circumstantiis facti & personarum.
8 In quo elucet insignis quædam mala fides, & indigna viro bono, *l.vlt.D.de procurat.*
9 Simile quiddam est *in l.si debiteri 21.D.de iudic.*
10 *Arg.l.ille à quo 13.§.1. ad SC.Trebl.l.3.vt in poss.legat.*
11 Cum bona semel alienata non possint reuocari, nec personalis actio competat anterioribus creditoribus contra posteriores, vt reddant pecuniam quam acceperunt, *l.vltim.§. si vero creditores, C.hoc tit.*
12 Prius enim satisfaciendum est creditoribus, qui certant de damno vitando, *d.l.vlt.l.quod autem 7.§.similimodo, D.qua in fraud.credit.*

DEFINITIO V.

Fideicommissi quæstio, quod à defuncto debitum fuisse dicitur, non est differenda prætextu instantiæ discussionis.

FIdeicommissi ab eo debiti, cuius hereditas non nisi cum legis & inuentarij beneficio agnita sit, cognitio & adiudicatio differenda non est in id vsque tempus, quo de creditorum hæreditariorum, itemque legatariorum iure cognoscatur & pronuntietur: sed si in promptu constet, debitum esse vel non esse, de illo statim ius reddi & pronunciari oportet.[1] Nihil enim commune habet ea persecutio cum actionibus hereditariis, cum fideicommissum, quo defunctus obstrictus fuit, extra causam sit non modo bonorum, vt æs alienum,[2] sed, quod plus est, ipsius quoque hæreditatis.[3] Adeo, vt post restitutam nudo verbo hæreditatem fideicommissariam vindicatio singularum rerum eo nomine detur:[4] quæ non perinde daretur creditoribus, multo minus vero legatariis, nisi post dimissos omnes creditores,[5] nimium alienam rem & hæreditariam magis quam suam persequentibus.[6] *Ita Senatus* pro Dn. Iacobo de Myolans, Domino de Cheuriere, contra Dn. Henricum de Salucces, Dominum de Carde, 9. Calend. Mart. 1589. & iam antea pro Dn. Francisco de Seyssel Barone d'Aix, *Sine die.*

1 *Arg.l.ille à quo.13.§.si de testamento, ff.ad SC.Trebell.l.3. vt in poss.legat.*
2 Cum bona non dicantur, nisi deducto ære alieno, *l. mulier bona, 72.de iur.dot.l.non possunt, 11.de iur.fisc.l.sub signatum, 39.§.bonorum, de verbor.signif.*
3 *L.sequens quæstio, 68.l.cum pater, 77.Titio fratri, antep.de leg.2.l.irritum, 8.C.ad leg.falcid.*
4 *L.facta*

BIU Cujas

4 *L. facta, 63. in prine. D. ad SC. Trebel.*
5 *L. vlt. §. etsi præfatam, & seq. C. hoc tit.*
6 *L. creditores, 3. C. de pignor. l. legatum est delibatio, 116. de legat. I.*

DEFINITIO VI.

De fideicommisso, quod à defuncto debitum fuisse dicitur, litigandum est cum herede, qui imploravit beneficium legis & inuentarij, non etiam cum creditoribus & legatariis.

HIs consequens est, vt de fideicommisso per eum debito, qui heredem habet beneficio legis & inuentarij subnixum, non cogatur fideicommissarius disputare cum creditoribus aut legatariis defuncti, qui fuit oneratus, sed cum solo ipsius hærede. [1] Neque enim creditores aut legatarij personam legitimam habent contradicendi, si forte velint contendere fideicommissum non deberi. [2] Ego si nec auditis nec vocatis iis pronunciatum sit inter fideicommissarium & hæredem, fideicommissum deberi non poterunt creditores & legatarij in iudicati executione intercedere, tanquam tertij, quorum res aliter salua esse non possit, [3] cum iis nocere æquum sit sententiam, quæ cum vero, legitimoque contradictore lata est, [4] non vt repellantur exceptione rei inter alios iudicatæ, [5] sed vt rem bene riteque iudicatam impugnare nullo modo possint. [6] Plane si dubitent ne inter hæredem & fideicommissarium colludatur, non sint prohibendi, quo minus adsint liti si velint: [7] Aut si cum insciis illis iam iudicatum esset, collusionem factam obiiciant, hactenus iis succurrimus, vt possint à sententia contra hæredem reddita prouocare. [8] Proinde si à supremo magistratu iudicatum sit à quo appellare non licet, quantumuis collusum probetur, necessaria erit ciuilis ad Principem supplicatio, quæ loco appellationis esse solet, vt de causa ex integro cognoscatur. [9] Hæc omnia ideo, quod solus hæres ille est, qui defuncti personam repræsentat, [10] nec minus qui cum beneficio legis & inuentarij, quam qui pure hæres est. [11] Itaque sententiam contra hæredem latam non minus virium & auctoritatis habere necesse est, vt legatariis & creditoribus noceat, quam si contra defunctum lata esset. [12] *Ita Senatus* in dicta causa D. Baronis d'Aix, contra Dn. Henricum Bay magistrum Computorum.

1 Tanquam solus sit verus & legitimus contradictor, *l. 1. & pass. D. ad SC. Treb.*
2 Quia scilicet non repræsentant personam defuncti, sed solus heres, *l. vltim. C. de hered. action. l. heres & hereditas, 22. de vsucap.*
3 Quamuis dicit soleat sententiam inter alios latam, aliis non auditis nec vocatis non nocere, *l. etiam 29. D. de minor. l. de vnoquoque 47. de re iudic.*
4 Ex quibus scilicet persona ius suum quodammodo metiuntur, cum legatarius in re legata sit quasi heres, *l. id autem 14. D. de vsucap.*
5 *L. 1. D. de except. rei iudic. & dict. l. de vnoquoque.*
6 Quoniam res iudicata contra heredem facit ius quod ad omnes, qui ius aliquod habent in hereditatem aut bona defuncti, si modo heres contradixerit, nec fuerit per contumaciam, aut per collusionem condemnatus, *l. qui repudiantis, 17. §. vlt. D. de inoff. testam.*
7 *L. si suspecta, 29. eod. tit. l. à sententia, 3. § si heres. D. de appellat.*
8 *d. §. si heres, l. si per lusorio, 14. eod tit. d. l. si suspecta.*
9 *Auth. quæ supplicatio. C. de p. ecibus Imper. offer.*
10 *d. l. vlt. C. de hered. action. l. heres, 22. de vsucap.*
11 Beneficium enim inuentarij non impedit, ne heres sit verus heres, sed tantum facit ne teneatur supra vires hereditarias, *l. vlt. C. hoc tit.*
12 *d. l. qui repudiantis, §. vlt. & l. Papinianus, 8. §. pen. eod. tit. de inoff. testam.*

DEFINITIO VII.

Maior non potest restitui aduersus omissum beneficium inuentarij non magis, quam aduersus aditionem hereditatis.

MAior annis vigintiquinque, si hæreditatem sibi delatam pure & simpliciter adierit, petere non potest, vt liceat sibi legis & inuentarij beneficium implorare, [1] non magis, quam vt ad hereditatem repudiandam admittatur, [2] ne quidem per in integrum restitutionem, [3] quantumuis damnosa sit hæreditas, [4] quia soluendo esse intelligitur hoc ipso, quod inuenit hæredem. [5] Et vero vix est, vt citra creditorum & legatariorum iniuriam [6] id fieri posset. Plane quamdiu nihil hæres attigit hæreditarium, non currit ei tempus conficiendi inuentarij, nisi ab adita hæreditate: [7] aditio autem animi magis est quam facti: [8] *Ita Senatus*, contra D. de Rossilion in relationibus libellorum, 6. Non. Decemb. 1589.

1 Scilicet postquam passus est labi tempora, intra quæ potuit & debuit inuentarium & inchoare & perficere, *l. vltim. C. hoc tit. & Nouell. 1. de hered & falcid.*
2 *L. sicut 4. C. de repud. vel abstin. hered.*
3 Nec enim remittentib. actiones suas vllus ad eas regressus dandus est, *l. item quæritur 7. si venditor, D. de ædil. edict. l. is qui hæres 13. in princ. D. de acq. vel omit. hered.*
4 Sibi enim debet imputare, qui damnosam hereditatem adiit, cum non cogeretur, *l. nec emere, 16. C. hoc tit. l. 4. D ad SC. Trebel. l. si hereditatem, 32. D. mandat.*
5 *L. libertus, 36. de bon. libert. l. qua dotis, 33. D. solut. matr.*
6 Semel enim per aditionem obligatus, heres non potest exonerari, nisi conditio ei deferatur, *l. cum hereditate, 55. de acquir. hered.* [Est igitur necessaria protestatio heredis cum adit de implorando postea legis beneficio. Ang. *in l. 1. §. hac stipulatio. D. si cui plusquam per leg. Falcid.* licet eius sententiam magis communiter reprobatam esse testetur Stephan. Bertr. *concil. 95. vol. 2. part. 1.* Iunge *Defin. 20. infr.*]
7 *L. vlt § 1. C. hoc tit.*
8 *L. pro herede, 20. D. de acq. hered. & pass. ill. tit.*

DEFINITIO VIII.

Allegans inuentarium nec exhibens, interim condemnandus est quasi pure & absolute hæres.

COnuentus hæres à creditoribus hereditariis, si dicat se hæredem cum beneficio legis & inuentarij, nec inuentarium exhibeat, potest lite pendente quasi pure & absolute hæres condemnari [1] saluo inuentarij, si quod postea exhiberetur, iure. Quoniam cum tam hæres sit, qui inuentarium fecit, quam qui non fecit, consequens est, vt neglecta qualitate de qua non apparet, [2] ea sola interim remaneat quæ in confesso est. [3] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Non. Decemb. 1589. Iunge Defin. 13.

1 Quoniam is, qui se dicit heredem cum beneficio inuentarij, vtique fatetur se heredem, nec diuiditur hoc casu confessio, quia & qui hæres est cum beneficio, potest tanquam hæres condemnari.
2 Quia non entium & non apparentium idem iudicium est, *§ si aduersus, Inst. de nupt. l. duo sunt Titij, 30. de test. tut.*
3 *Argum. l. vltim. de interrog. in iur. faciend l. 1. & toto tit. si cui plus quam per leg. Falcid.* Iunge *Defin. 13. infr.* [Maximè verò si dicat hæres ideo se nullum exhibere inuentarium, quod defunctus nulla bona reliquerit. Quomodo enim potest confici inuentarium sine bonis, aut esse quis heres cum beneficio inuentarij sine inuentario? Itaque hoc casu hæreditatem aut pure agnosci aut prorsus omitti necesse est. *Ita Senatus*, 21. Iul. 1612.]

DEFINITIO IX.

Tempus inuentarij conficiendi currit ab adita tantum hæreditate, nisi aditio dilata sit dolo malo heredis.

BIU Cujas

TEmpus cõficiendo inuentario præstitutum constat non currere, nisi ab adita hæreditate. [1] Sed si dolo malo hęredis appareat protractam additionem, cum is citius adire potuisset, pro decurso habebitur tempus, etiam quod additionem præcessit. [2] Multo magis vero, si dolo malo hæres additionem protraxerit in id vsque tempus, quo inuentarium amplius confici ex bona fide non possit, [3] vtputa diminutis iam, & ex parte profligatis rebus hæreditariis. [4] Æquum enim est, hæredis dolum puniri, [5] hactenus saltem, vt hæreditatem adiisse videatur, iam inde ab eo tempore, & ex quo adire potuit: [6] hoc est, easdem pœnas patiatur, quas pateretur, si iam tum adiisset, neque inuentarium confecisset. *Ita Senatus* in causa Dominorum Danise, & de Beausuiour Senatorum, & N. Perrot, 15. Cal. Ian. 1595.

1 *L. vlt § sin autem dubius*, vbi gloss. *C. hoc tit.* Guil. Bened. *in repet. cap. Raynutius*, in verb. *mortuo itaque testatore. Ext. de testam.*

2 *Arg. l. scimus*, 36. *§. vlt. C. de inoff. testam. & l. qui potest facere, de reg. iur.*

3 Hic enim dolo malo desiit posse facere inuentarium, & ideo videtur potuisse *arg. vulg. l. qui restituere*, 68. *de rei vind. l. qui dolo, de doli mal. except.*

4 *Arg l. vlt. C. de repud. vel abstin. hered.*

5 Numquam enim dolus impunitus manere debet, * *l. procurator* 11. *§.* 1. *D. de doli mal. except. l.* 3. *§. scio de minor.*

6 *Ex reg. l. qui potest de regul iur.* Vide addit ad Bart. *in d. § sin autem dubius*, vbi gloss. in verb. *delatam.* Facit text. *in l. si in diem*, 46. *de cond. & demon. & in l.* 3. *§ si heredi, de statu lib.* vide Bart. *cons.* 20. & ibi addit Bald. *in d. l. vlt. §. cum igitur, col.* 2 *notab.* 3. & ibi Bart. *num.* 2. *C. hoc tit.*

DEFINITIO X.

Casus, in quo tempus conficiendi inuentarij currit etiam ei, qui neque ex testamento, neque ab intestato, aut adire, bonorum possessionem petere potuit.

CVm non minus bonorum possessori, quam hæredi competat beneficium inuentarij, ne supra facultates hæreditarias teneatur, [1] eo præsertim casu quo hæreditatis adeundæ ius non sit, [2] consequens est, vt tempus, quod à lege conficiendo inuentario præfixum est, ab eo saltem tempore currere incipiat, quo bonorum possessio peti potuit. [3] Nam quemadmodum bonorum possessio hæreditatis instar obtinet, ita & bonorum possessionis agnitio instar additionis, vt eodem fere in omnibus iure censeatur. [4] Finge agnatum proximum, cum hæreditatem iure legitimi hæredis per aliquod tempus tenuisset, postea conuentum à legatariis ex testamento, quod ille valere negabat, vtili tandem pronunciato testamento, legis & inuentarij beneficium imploraſſe, ne vltra vires hæreditatis obstringeretur ad legata, [5] quæ etiam repudiata ex testamento hæreditate ab intestato vtique ex Prætoris edicto debuisset. [6] Non audietur, sed perinde, ac si hæreditatem ab initio adiisset, aut adire potuisset, velut pure & absolute hęres condemnabitur. Quia licet, antequam de iure testamenti cognitum esset, non poterat ille, aut ex testamento hęres esse, aut ab intestato, cum ignoraretur vtro iure delata foret hæreditas: [7] potuit tamen ex decreto bonorum possessionem accipere, & quidem cum re futuram & postmodum euasuram in edictalem, aut secundum tabulas, si tabulæ valerent, aut vnde agnati, si non valerent. Quemadmodum in vtrumq; euentum erat ille omnimodo rem habiturus, id est, siue ex testamento, siue ab intestato. [8] Itaq; cum hæres esse voluerit, & in rerum hæreditariarum possessione manserit, licet nullo iure, ob non petitam ex decreto bonorum possessionẽ, nihil causæ est, cur melio. conditionis esse debeat, quam si petiisset, [9] sibique potius imputare debet cur non petierit. [10] Plane si statim atque exhibitam vidit scripturam testamenti, de cuius iure dubitari cœptum est, iam acquisitam hæreditatis possessionem omiserit, nec ab eo tempore quicquam attigerit hæreditarium, nihil est, quod ei possit imputari, [11] quo minus post sententiam de testamenti iure redditam optionem habere debeat, non quidem agnoscendæ aut repudiandæ hæreditatis, [12] sed vel ex testamento, vel si mallet ab intestato acquirendę, adeoque cum beneficio inuentarij, quantumcumque tandem tempus iam decursum proponeretur, [13] scilicet propter legatarios, qui ex testamento emerserunt, [14] cum verisimile sit, aut nullomodo, aut non nisi cum beneficio legis & inuentarij aditurum fuisse hunc hæredem, si testamentum sciuisset eo tempore, quo hæreditatem cœpit attingere. [15] Dixi propter legatarios. Nam quod ad creditores attinet, etiamsi ex eodem testamento apparuerint, cum antea ignorarentur, aliud iuris est, [16] nec beneficium inuentarij vtiliter implorati potest, quando eorum causa nihil cum testati vel intestati successione prorsus habeat commune. [17] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 6. & 7. De repud. vel abstin. hered.

1 Quia bonorum possessor in omnibus loco heredis est, eodemque iure censetur, *l.* 1. *& 2. D. de bon. poss.*

2 Id enim aliquando contingit, vt non possit adiri hæreditas iure ciuili, & necessaria sit bonorum possessio, *vt in leg. posthumus*, 12. *de iniust. rupt. leg. Paulus notat*, 8. *de prætor. stipul.*

3 Eo nimirum casu, quo curreret heredi ab eo tempore quo adire potuisset, vt in specie *Defin. præced.* Alioqui sicut non curreret heredi, nisi ab adita hereditate, vt ibi diximus, ita neque bonorum possessori, nisi à petita bonorum possessione. Vide Ias. *in d. l. vlt. C. hoc tit.*

4 *d. l.* 1. *& 2. de bonor. poss. l. hereditatis, de verb. sign.*

5 Nam hodie tenetur heres ob non confectum inuentarium ad solida legata, *d. l. vlt. C. hoc tit* cum olim non tenerentur vltra vires patrimonij, *l. in ratione*, 11. *§ quod vulgo.* iunct. *l.* 2. *& pass. D. ad leg. Falcid.*

6 *L.* 1. *& tot. tit. D si quis omiss. caus. testam. D. & C.*

7 Qui enim dubitat de viribus testamenti, is hereditatem nec adire nec repudiare potest, *l. nec is*, 17. *in princ. & l. seq. si is ad quem*, 22. *vers. veluti agnatus proximus*, *l.* 23. *D. de acquir. hered.* Nullitatis tamen quæstio non impedit additionem. Bald. *in l.* 3. *per ill. text. C. eod.* Bart. *in l. gerit*, 88. *num.* 19. 31. *D. eod. & in l. filio præterito, num.* 24. *de iniust. rupt.* vide *l.* 22. *Cod. de iur. & fact. ignor.*

8 Quæ Papiniani ratio est *in l. ventre*, 84. *de acquir. hered.* & Pauli *in l.* 4. *§. vlt. & l.* 15. *D. de bonor. poss. contr. tab.*

9 Ne melioris conditionis sunt stulti quam periti, *D. quod vi aut clam.*

10 Itaque nullum videtur sentire damnum, cum ex culpa sua sentiat, *l. quod quis*, 203 *de reg. iur.*

11 Est enim agnoscendum ei, si non diuinauit testamentum postea repertum, *arg. l. si putator*, 31. *ad leg. Aquil. l.* 4. *§. illa etiam quæstio, de doli except.*

12 Qui enim semel hereditatem adiit, non potest exonerari, nisi deferatur ei conditio, *l. cum hereditate*, 55. *de acquir. hered.*

13 Vt improuisi oneris ratio habeatur, *arg. l. in venditione, D. de action. empt.*

14 Cum ea, quæ de nouo emergunt, nouo indigeant auxilio, *l. de state*, 11. *§. ex causa, de interrog. in iur. faciend.*

15 Nemo enim damnosam hereditatem vltro aditurus fuisse creditur, *l. nec emere*, 16. *C. hoc tit. l. filium*, 20. *de bonor. possess. contr. tab.*

16 Debet enim quisquis hereditatem adit suspectum habere periculum latentis æris alieni, *l.* 4. *C. ad SC. Trebel.* potest si quidem æs alienum latere, sed legata, cum in testamento vel codicillis tantum relinquantur, non possunt latere, nisi quamdiu testamentum & codicilli latent.

17 Quisquis enim heres est, siue ex testamento, siue ab intestato, tenetur perinde creditoribus hereditariis, ideoque prætoris edictum *si quis omis. caus. test.* non prospicit creditoribus, qui nullo indigent auxilio, sed tantum legatariis & fideicommissariis, vt alibi scripsimus.

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XI.

Inuentarij beneficium repudiatum potest repeti ex causa superuenientis testamenti, in quo multa sint legata.

SVperioribus consequens est, vt si heres, qui metu æris alieni consilium ab initio ceperat conficiendi inuentarij, melius postea exploratis creditoribus hereditariis, pure heres esse maluerit, [1] perinde inuentarij beneficium repetere possit ob emergens testamentum, quo institutus legatisque oneratus proponatur, ac si numquam id abiecisset. [2] Quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ad euitandos sumptus, quos plerumque magnos fieri necesse est, in conficiendo inuentario.

2 Etsi solet dici, non esse quem admittendum ad beneficium, quod semel abiecerit, *l.* 1. §. *qui semel noluit de succeſſ. edict. Item quæritur*, 17. §. *si venditor. de ædilit. edict.*

3 *L. de ætate.* 11. §. *ex causa, D. de interrog. in iur. fac.*

DEFINITIO XII.

Vindicia secundum legatarios fun dicendæ sunt, cum onere nudæ reprouisionis, & sine alienandi licentia, si heres dolose versatus dicatur.

PEndente de eo quæstione, an beneficio legis & inuentarij hæres gaudere debeat, si dolose & fraudulenter in hereditate versatus dicatur, [1] vindicias secundum legatarios dici placuit, [2] adeoque nullo satisdandi onere iniuncto, cum legati fundi proponerentur. [3] Sane repromittere iussi sunt, [4] legata se restituturos, & in hæreditatem relaturos, si quando ita fieri debere pronunciaretur. Interea tamen fundorum alienatio directe iis interdicta est. [5] In eadem causa.

1 Dolus enim heredis eum ab hoc beneficio excludit Nouell. 1. *de hered. & Falcid.* Vide tamen quæ scripsi *in* 1. *part. Chiliad. de error. pragmat.*

2 Intellige si aliquid imputari possit heredi, cur non fecerit inuentarium, vt in specie *Defin.* 10. *supr.*

3 Nullum enim hoc casu periculum est, ne damno hæres afficiatur. Sic dicimus possessores immobilium non cogi satisdare, *l. sciendum*, 15. *in princ. D. qui satisd. cogant.*

4 Nullum etiam damnum aut incommodum est in nuda repromissione, *l.* 2. § *si dubitetur, de iud. cum similib.*

5 Tanquam rei litigiosæ, *l. vlt. & tot. tit. C. de litigios.* & ne durior fiat conditio heredis per alienationem. *l. alienationes*, 15. *famil. ercisc.*

DEFINITIO XIII.

Dicens se heredem cum beneficio legis remanet heres pure, si non exhibeat inuentarium, & quid si negaueris se heredem esse, nisi cum beneficio inuentarij?

QVi fatetur se hæredem quidem esse, sed cum beneficio legis & inuentarij, si de inuentario, legitime confecto non doceat, remanet hæres pure. [1] Nec hoc casu locum habet, quod dici solet, in ciuilibus causis non scindi confessionem. [2] Qui enim cum beneficio legis & inuentarij hereditatem agnouit, non minus hæres est, quam qui pure & simpliciter. [3] At quid si dixerit, non esse se hæredem, nisi cum beneficio legis & inuentarij? Quidam putabant non esse hunc hæredem, quoniam sublata illa adiectione, De beneficio inuentarij, nihil superest præter negatiuam illam propositionem, *non esse se heredem.* [4] Mihi contra videbatur, quia qui negat se hæredem esse, nisi cum beneficio legis & inuentarij, hoc ipso affirmat euidentissime, heredem se esse cum beneficio legis, [5] neque inter hæc nisi verborum sonus quicquam differt. [6] *Ita tractatum est* in causa Donatæ & Bertrandæ Morens, 6. Id. Jun. 1590. Iunge Definit. 8. supr.

1 Dixi *Defin.* 8. *supr.*

2 Debet enim tota confessio vel agnosci vel repudiari, *arg. l. cum quæritur* 16. *D. de admin. tutor. l. nam absurdum*, 7. *de bon. libert. l. eum qui.* 18. §. *vlt. de his quæ vt indign.* Secus est in criminalibus, vt alibi dicam.

3 *L. vlt. C. hoc tit.*

4 Itaque hoc casu non habet locum ratio, qua vsi sumus, *Defin.* 8. *supr.*

5 Negatiua enim facta in vnum casum includit affirmatiuam in casum contradictorium.

6 *Vt in l.* 5. *de pignor.*

DEFINITIO XIV.

De iure prælationis inter creditores chirographarios & pignoratitios.

SI duo sint creditores, quorum debitorem quis se adscripserit propria adnotatione, & in suarum codice rationum, tum adita debitoris hereditate cum beneficio legis & inuentarij concurrentibus hereditariis creditoribus de iure prælationis inter eos contendatur, non præferetur, qui neque hypothecam neque priuilegium aliud, quam temporis, habet. Nam inter creditores chirographarios priuilegia non ex tempore æstimantur, sed ex causa, [1] vt is demum præferri debeat, qui & potiore & fauorabiliore causa nitatur, [2] sin omnes eiusdem tituli fuerunt, concurrunt, licet temporis diuersitas interuenerit. [3] Quod enim vulgo iactatur, potiorem esse iure qui potior est tempore, [4] ad pignoratitios tantum creditores, [5] non etiam ad chirographarios pertinet, cum propria debitoris adnotatio nullum creditoribus ius tribuat, nisi in personam debitoris. [6] Nec distinguunt Pragmatici nostri, an chirographo bona obligata sint nec ne, sed tantum vtrius chirographi scriptura prius recognita sit, quandoquidem in eo errore versantur, vt existiment, conuentionem de pignore chirographo insertam nullius esse momenti, nisi à quo die recognita est scriptura: ab eo vero die nasci & hypothecam & hypothecariam, licet in chirographo nihil de pignore conuenerit. Quod vtrumque tamen à nobis satis superque alibi refutatum est. [7] Illud sane constat, inter creditores chirographarios non esse quem ob id solum præferendum, quod maioris quantitatis creditor reperiatur. [8] Tum enim priuilegium habet is, qui maioris quantitatis creditor est, cum nullum ex ea re cæteris damnum infertur, vt euenit, cum bona debitoris distrahuntur, & par à plurib us creditoribus conditio offertur. [9] Nam in comparatione extranei, & eius, qui creditor cognatusve est, præfertur creditor cognatusve, magis tamen creditor quam cognatus, & inter creditores prior habetur is, cui maior pecunia debetur. [10] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Bartholomæi Fosse, 6. Calend. Iulij 1591.

1 *L. priuilegia* 42. *de rebus auctor. iudic. possid. aliàs l.* 27. *de priuil. credit.* & ibi late Ripa.

2 Sunt enim causæ quædam fauorabiliores, vt puta dotis, alimentorum, depositi, & aliæ si quæ sunt similes. Dixi *Defi* 4. *supr.*

3 Vt scriptum est *in d. l. priuilegia.*

4 *L.* 2. *&* 5. *C qui potior in pignor. habean. cum similib.*

5 Inter quos etiam tamen fallit interdum ea regula *l. interdum* 5. *D. eod. tit & seqq.*

6 Non enim creditoribus omnib. datum est ius tacitæ hypothecæ, sed in quibusdam tantum causis. de quibus *in tit. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.* Scripsi *in Err.* 1. *Decad.* 1. *de error. Pragmat.*

BIU Cujas

7 *In dicto Error.*1.*&* 3.*Decad.*1. *de error. Pragmat.& interpret.iur.*

8 Quid enim commune habet quantitas debiti cum causa.

9 Aut cum creditores in aliquam rem consentire necesse est, nec tamen consentire volunt, *vt in l.maiorem*, 7. *D.de pact.*

10 *L.cum bona* 16.*D. de rebus auctor.iud.possid.aliàs l.*1.*de priuil.credit.*

DEFINITIO XV.

Inter legatarios non est locus prælationi, præterquam si vnius legati fauorabilior causa sit, quam cæterorum.

SImile est, quod sæpius constitutum & pronunciatum fuit, Inter legatarios eodem testamento honoratos nullum prælationis ordinem esse, sed omnes concurrere, [1] idemque esse, si vni testamento legatum sit, alij codicillis siue anterioribus, siue posterioribus, [2] nisi legati causa dispar, & vnius fauorabilior, quam alterius proponatur. [3] Neque enim casus hic ex iis est, in quibus ordo scripturæ attenditur. [4] Voluntatis enim non scripturæ ratio legatum facit. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vide Paulum Castrens. *in l. contractus* 17.*num.*7.*Cod.de fid.instrument.*

2 Nam cum factum est testamentum, codicilli siue ante, siue postea facti, quæcumque scripta sunt in codicillis sic habentur, ac si in testamento scripta essent, *l.*2.§.*codicillorum*, *D. de iur.codicill.*

3 Finge enim legatum fuisse in causam piam alimentorum. Et si hæc quoque pia est, *l.*2 *&* 5 *de agnosc.& alend.liber.*

4 *Vt in l.si Titio fructus* 33. *in princip. D.de vsufruct.* & aliis ibi allegatis.

5 *L.si mihi* 12.*in fin.de legat.primo leg.cum pater* 77.§.*fidei tuæ* 12.*de legat.secundo.* [Illud sane conitat impensam funeris & infirmitatis habere priuilegium ante omnes alios creditores etiam expressam hypothecam habentes tanquam fauorabiliorem cæteris omnibus ob memoriam humanæ conditionis. Roll.à Valle *consil.*14.*sub*[a]*num.*10 *volum.*1.*Aut. Negus.in part.* 5.*de pignor.membr.*2. Caualcanus de vtrumque refert & sequitur, *in tract.de vsufr.mulier.relict.nu.*218.*in fin.*]

DEFINITIO XVI.

Potest mandari executioni sententia contra defunctum lata, etiam pendente instantia discussionis, si doli suspicio aliqua sit contra hæredem.

QVoties suspicio probabilis est, in creditorum fraudem captatum esse ab herede beneficium legis & inuentarij, [1] forte quod hereditatem locupletissimam [2] & soluendo esse constet, aut quod post elapsa conficiendi inuentarij tempora nulla confecti aut incepti inuentarij probatio afferatur, [3] aut denique, quod in peragenda hereditatis discussione negligentissime versatum heredem appareat. [4] Æquissimum est creditori cuilibet, sed ei præsertim, qui contra defunctum, dum viueret, sententiam obtinuerat, actionem exequendi; potestatem dari in res ipsas hereditarias, [5] nec tantum pro debito, sed etiam pro expensis litis, [6] ne alioqui beneficium iuris optima ratione introductum, calumniosa, vt passim hodie fit, subtilitate ad iniuriæ occasionem protrahatur, [7] cum eo tamen, vt creditor caueat nuda repromissione, se facturum, vt, si quando hereditatis excussio distractioque fiet, eæ ipsæ res, in quas executio facta erit, in hereditate reponantur, aut earum saltem precia cum omni eo, quod præterea intererit hereditatis. [8] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Vulliod, contra D. de Lucey heredem N. Bonifacij de Richard D. de Bange, 4. Id. Aug. 1592.

1 Quod passim hodie fieri quotidiana experientia compertum est.

2 Etsi non est nouum, vt hereditatem locupletissimam sine dolo quis habere pure nolit, si forte alia causa sit, propter quam noluerit negotiis hereditariis implicari, *l.quia autem* 6.§.*si patronus, in fin.l.si testamento* 22. *in fi.D si quis omis.caus.testam. l.*4.*D.ad SC.Trebel.*

3 Intellige, si nullam suæ cessationis probabilem causam heres adferat. Si enim nihil possit ei imputari aliud est, vt in specie *Defin.*10.*supr.*

4 Facit enim heres in hoc casu moram solutioni, cum facit moram liti, *arg.l.si cui legatum* 92.*in fin. de cond. & demonstr. l.si seruo* 84.*de leg.*2.

5 Ne fatum & mors debitoris noceat creditori, qui diligens fuerat in agendo, *arg. l.*3. *D.de separat.l.pupillus* 24.*in fin.D. quæ in fraud.credit.*

6 Harum enim eadem ratio esse solet, quæ debiti principalis, & idem fauor, *l.Lucius* 19.*D.de vsur.l.peritor* 30.*D.de liber.legat.*

7 Contra *l.Paulus notat* 8.*de pact.stipul.l.*4.*C.de emancip. liber.l.ex facto* 43.*de vulg.& pupil.substit.*

8 Vt hoc remedio & victori & hereditati, omnibusque, quorum ratione hereditatis interest, consulatur, nec quisquam fraudetur, *l.iis qui* 8.*D quæ in fraud.credit.*

DEFINITIO XVII.

Inuentarium factum, non vocatis quibusdam creditoribus, valet quantum ad vocatos, & leuiorum solemnitatum omissione non vitiatur.

INuentarium quod solemne vocant, si ab hærede beneficium legis implorante factum sit vocatis quibusdam creditoribus, aliis vero non vocatis, valere non potest, quod ad eos, qui vocati non sunt, [1] sed quod ad vocatos attinet, nihilominus valet. [2] Quid si sacrosanctæ crucis signum omissum sit, aut bonorum æstimatores nulli interuenerint? Æque valebit. Sunt enim hæ solemnitates ex leuioribus, quarum omissionem iniquum esset ei nocere, cuius dolus nullus argueretur. [3] Quinimo defendi potest æstimationem illam singularum rerum hereditariarum, quæ per viros probos fieri solet, quoties inuentarium conficitur, non esse ex iis solemnitatibus, quas Iustiniani lex requirit. [4] Quamuis enim eius vsus sit perutilis, ob hoc ipsum, vt si res hereditariæ culpa hæredis perhibunt aut deteriores fient, sciatur facilius, quid ille ob eam causam præstare debeat. [5] Tamen etiam cum æstimatio rite facta est, non idcirco prohibentur creditores maiorem probare æstimationem, vt ex contrario hæres minorem. [6] Itaque eo tandem recidere rem oportet, vt bona omnia sub hasta vendantur, tantique esse videantur quanti publice vendi possunt. [7] Neque enim prior illa æstimatio fit, vt aliis plerisque casibus venditionis causa, [8] sed tantum vt creditoribus, legatariis, & hæredi interea æque consulatur. *Ita Senatus* in causa Philibertæ Martiani & hæredum Andreæ Galley, 4. Non. Decembr. 1592. & iam antea pro N. Francisco Crasso, contra D. Aduocatum Gabrielem Damodry, 8. Cajend. Septembr. 1591.

3 Ne iis noceat res inter alios acta contra *l.etiam* 29.§.*vlt. de minor.l.de vnoquoque* 47.*de re iud.l.nam ita* 39.*D.de adopt.*

2 Ne vtile per inutile vitietur, *l.placuit* 29.*D.de vsur.*

3 Bart.& cæteri *ad l.vltim.C.hoc tit.& ad Nouel.*1.*de hared.& Falcid.*

4 Nihil enim tale scriptum est *in d.l.vlt.& d.Nouell.*1.

5 *Vt & in l.si inter* 21.*Cod.de iur.dot.l.æstimatis* 50.*De solut.matrim.*

6 Quia æstimatio illa non probat verum valorem, nec præiudicat veritati.

7 Quia tanti vnaquæque res est quanti vendi potest ex communi æstimatione, *l.pretia rerum* 63.*ad leg.Falc.l.si seruus* 33.*ad leg.Aquil.*

8 *Vt in l quoties* 16.*D.de iur.dot.*

9 *Vt in d.l.si inter,& d.l.æstimatis.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XVIII.

Non datur restitutio maiori ad implorandum beneficium inuentarij post tractatas res hæreditarias, sed minori datur non doloso.

EI, qui res hæreditarias prius attigit, quam inuentarium conficeret, si post lapsa tempora imploret beneficium inuentarij, deneganda omnimodo est in integrum restitutio.[1] Nam & denegaretur, etiamsi tempora largiretur post tractatas pro arbitrio & dilapidatas res hæreditarias.[2] Solus minor excipitur, si per inconsultam facilitatem ætatisve lubricum damnosam hæreditatem adierit,[3] non etiam si dolo, & vt ætatis prætextu in hæreditate siue opulenta, siue damnosa impune grassaretur.[4] *Ita Senatus* pro N. Antonio de Brueil D. de la Bastie, Prid.Id. Nouembr. 1592.

1 Nunquam enim æquum est dari restitutionem ei, cui potest imputari, cur non fecerit, quod facere debuit, *l.1. & tot. tit. de in integr. restit. l. Papinianus* 20. *& pass. D. de minor.* [Et ob eam causam obserua etiam quod pauci obseruãt, non posse implorari beneficium inuentarij, ne quidem per restitutionem in integrum à maiore qui petiit tempus ad deliberandum *l. vltim. §. sin autem hoc aliquis pen. C. hoc tit.* adeoque licet non petierit si modo dixerit se deliberare, *Gloss. ibid. in verb.* obseruauerint, quia nec necesse est petere tempus ad deliberandum cum is qui nec adit nec repudiat sed tacet sciens delatam sibi hæreditatem hoc ipso deliberare videatur, *l. cùm antiquioribus* 19. vbi Bald. *& alij C. eod.* licet hoc plerique intelligant ad effectum transmissionis tantum. Et hoc in pœnam spreti beneficij nouæ legis, vt constitutio, licet is qui deliberare maluit nihil attigerit hereditarium. Idque siue inuentarium solemne aliquod confecerit, siue nullum, Multo magis si non fecerit solemniter, Debet enim facere cum omni subtilitate, tum quoque cùm deliberat vt lex habet. Itaque nihil ei prodest deliberare nisi vt possit intra tempus præstitutum repudiare si nihil fecerit propter quod videri possit adisse pure sed repudiatione expressa opus est. Alioqui tacitè intelligitur adisse purè *d. §. sin autem* vbi gloss. & omnes præsertim Bart. & Castrens. Quid verò si quis petierit tempus ad deliberandum, An poterit saltem intra illud tempus adhuc implorare beneficium legis & inuentarij? Sic plerique putant propter illa verba *d. § sin autem post tempus præstitutum*, quæ sic accipiunt acsi scriptum esset *post elapsum tempus præstitutum*. Ex Guil. Boned. in verb. *mortuo itaque testatore.* Sed male: sensus enim horum verborum ille est, ac si scriptum esset *postquam præstitutum est tempus*: aut quod effectu idem est *post præstitutionem temporis*. sola namque electio iuris deliberandi tollit beneficium legis & inuentarij, vt verba Iustiniani demonstrant. Nec aliud sentit Guil. Boned. supradicto loco si benè inspiciatur. Fortius dicendum est si in solemnitatibus inuentarij tale quid omissum vel admissum sit quod probationem doli possit inducere ne quidem minori succurrendum esse per in integrum restitutionem, puta si instrumenta quæ in hæreditate reperta sunt in folle tantùm referri in repertorium curauerit, nulla eorum facta designatione, ne per numerum quidem *Auth. si omnes §. si min. se abhered. abstin.* Maximè si apochæ aliquæ fuerint, & is postea velit se dicere creditorem. Finge dicere illum se creditorem eius quantitatis quam ex aliis indiciis verisimile sit solutam fuisse. Quidni præsumptio doli capiatur contra eum, qui tam malè se gesserit in conficiendo inuentario? Quid si præterea illud concurrat vt creditores certos, quos ex decreto iudicis & ex ratione iuris vocare debuerat ad confectionem inuentarij non vocauerit? Vide Francisc. Marc. *quæst. 28. part. Lalius quæst. 488. part. 2.* Ita tractatum in Senatu 16. Iunij 1612. Adde Oſasch. *Decis. 87. num. 6. & 7.* vbi ait neque mulieri neque rustico succurrendum per restitutionem in integrum si quid peccauerint circa formam conficiendi inuentarij, quia nulla lege id cautum est. Vide tamen Mich. Graff. *lib. 2. sent. in antic.* Ius deliberandi *quæst. 3. numer. 4.* vbi videtur defendere peti debere. Alioqui nullum tempus currere sed ius hoc durare vsque ad 30. annos. Adde eundem *quæst. 4.* Sanè quisquis conficit inuentarium necesse est eum facere vel tanquam deliberantem, vel tanquam adeuntem, quod in dubio potiùs præsumendum est, siue inuentarium solemne faciat siue non solemne, licet contra sentiat post Salic. Mantic. *lib. 12. de coniect. vlt. vol. tit. 9 num 15.* Idem Graff. contra Salic. in art. Acquisitio hæreditatis *quæst. 10. num. 3.* Et qui contra putant in non solemni inuentario debent intelligi de scriptura quæ contineat descriptionem omnium bonorum ita vt careat fraudis suspicione.]

2 *Arg. l. vlt. C. de repud. vel abstin. hared.*

3 *L. 1. & tot. tit. C. si vt ab hæred. se abstin.*

4 Nec enim vnquam restituitur minor, vt nec maior aduersus proprium dolum, quia dolus semper restitutionem excludit, *vulg. iurib. Not. ad l. vlt. Cod. hoc tit. & ad Nouell. 1. §. fiat igitur. de hered. fals.*

DEFINITIO XIX.

Priuandus est beneficio inuentarij hæres, qui illud non confecit intra tempus constitutum, quod plerumque trimestre est.

QVoties apparet eum, qui hæreditatem sibi delatam adiit cum beneficio legis & inuentarij, consilium inire fraudandorum creditorum,[1] vt & longior iis mora fiat discussionis instantiam in longiora tempora protrahere, solet Senatus noster præfigere illi tempus, intra quod curret terminari instantiam,[2] quo non facto si nullam excusationis causam probabilem adferat,[3] legis beneficio priuetur, quod in alterius iniuriam captauerat.[4] Tempus autem illud plerumque trimestre est. Interdum tamen longius,[5] vix vnquam breuius, propterea quod eiusmodi litium explicatio ob numerum collitigatorum, & rerum de quibus agitur multiplicem varietatem, difficilior esse soleat.[6] *Ita Senatus* pro hæredibus Petri Gleyron, 6. Non. Decemb. 1592.

1 Nam fraus fit creditoribus etiam in tempore, cum tempus non minus quam summa sit pars obligationis, *l. 1. §. editiones, D. de edend. §. plus autem, Inst. de action.*

2 *Arg. l. scimus* 36. *§ C. de inoff. testam.*

3 Non enim omnis cessatio moræ & culpæ annumeratur, sed ea tantum, quæ excusationem nullam habet, *l. sciendum* 21. *& seqq. D. de vsur.*

4 Abuti enim hoc esset non vti legis beneficio, quod neminem captiosum & iniuriosum esse vnquam debet, *l. 4. C. de emancip. liber. l. Paulus notat. 8. de prat. stipul.*

5 Scilicet pro arbitrio iudicis: nulla enim certa lege hoc definitum est.

6 Est enim vnico iudicio terminanda, cum sit vna lis tantum *l. singulis. 6. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO XX.

Beneficium inuentarij implorandum est antequam quid attingatur hæreditarium, quamuis tempus non currat nisi ab adita hæreditate.

IS, cui ex testamento aut ab intestato delata est hæreditas, si rem hæreditariam vendiderit, nec in ipso negotio aut ante protestatus sit,[1] nolle se hæreditatem agnoscere, nisi cum beneficio legis & inuentarij, pure adisse intelligitur,[2] nec beneficium hoc, quod semel abiecisse videatur, implorare postmodum potest.[3] Neque est contrarium, quod tempus conficiendi inuentarij non incipit currere, nisi à die aditæ hæreditatis:[4] id enim ita intelligi debet, si eodem instanti, quo hæreditas adita est, legis quoque beneficium agnitum sit,[5] alioqui aperta esset fraudibus via, si post agnitam pure hæreditatem celatasque fortasse aut dilapidatas res hæreditarias hæres ad conficiendum inuentarium admitteretur.[6] Ac quamquam Iustiniani constitutio,[7] quæ prior beneficium hoc induxit, non priuat beneficio inuentarij hæredem, qui ex hæreditate aliquid celauerit aut subripuerit, sed tantum cõdemnat in duplum, alio tamen iure vtimur ex Nouella eiusdem Iustiniani constitutione,[8] quæ optima profecto ratione indignum legis beneficio facit heredem, qui in eo implorando male dolosèque versatur.[9] Itaq; hoc vno casu, non etiam si quid in solemnitatib. cæteris per incuriam fortasse aut imperitiã tabularij, quem Commissarium vocant, peccatum si

BIU Cujas

citra hæredis dolum, solet Senatus hæredi adimere beneficium legis.[10] Cui consequens est, vt si hæres, qui rem hæreditariam vendidit, ante imploratum id beneficium, iustam habuerit causam existimandi rem illam ad se pertinere ex alio iure quam hæreditario, mereatur excusationem,[11] licet non in facto tantum, sed etiam in iure errauerit. Juris enim ignorantia stultitiæ potius quam dolo comparatur.[12] *Ita Senatus* in causa Philibertæ Martiani & hæredum Andreæ Galley, 4. Non. Decemb. 1592.

1 Protestatio enim faceret, vt rem hanc alienando, non tamen videretur hereditatem pure agnoscere, *l. pro herede 20. D. de acq. hered. l. 14. §. plerique de religios. & sumpt. funer.* Vide tamen *Defin. 7. nu. 6. supr.*

2 Nemo enim hæres est cum beneficio legis & inuentarij, nisi qui beneficium illud diserte ac expresse implorauit, *l. vlt. C. hoc tit.* [quæ sic intelligi debet. Et hoc diserte constitutum est edicto Serenissimi Ducis nostri, quod factum est de heredibus cum beneficio legis & inuentarij. Quo additum etiam est ad ius commune, vt nec si imploret heres beneficium legis & inuentarij, possit tamen quicquam attingere ex hereditate ante confectum perfectumque inuentarium. Sed interim debeat dari curator bonis qui ea regat & conseruet. Multo magis si quid subripiat aut aliter faciat dolo malo, cùm antea non teneretur eo nomine, nisi in duplum, ex Iustiniani constitutione, *in dict. l. vlt. §. scientia* Scrop. 8. in Decad. 11. *de error. pragmat. Err. 5. & 6.*]

3 Ne videantur ei esse ludibrio leges, *l. vlt. §. vltim. C. de bon. quæ liber. l. 17. §. si venditor, de adil. edict.*

4 Vt dixi *Defin. 9. supr.*

5 Est enim quid vnicum & indiuiduum nec duas habens partes, heredem esse cum beneficio legis & inuentarij. Itaque talem ad initio fieri necesse est vel nunquam.

6 *Arg. l. vlt. C. de repud. vel abstin. hered.*

7 *In d. l. vlt. C. hoc tit.*

8 *Nouel. 1. de hered. & falcid.*

9 Committit enim contra legem, cuius auxilium inuocat, *l. auxilium 77. in fin. D. de minor.*

10 Ne factum altius noceat heredi, contra *l. factum cuique suum & l. non debet alteri 74. de regul. iur.* præsertim, cum non possit imputari heredi, qui Commissarium non elegit. Solet enim ille dari à iudice, licet vt plurimum is detur quem heres nominat.

11 *L. cum in bonis 86. de acq hered.*

12 *L. sed et si 25. § scire, de petit. hered. l. regula 9 §. vltim. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XXI.

Subrogari potest notarius in locum defuncti commissarij ad redigendum inuentarium in formam publicam.

TAbulario &, vt vocant, commissario, qui ad solemne inuentarium conficiendum datus fuerat, prius defuncto, quam impleti numeris scripturam in mundum redegisset nihil prohibet, quin imo prorsus necesse est,[1] ne rei gestæ veritas aut veritatis probatio intercidat,[2] alium nominari, qui defuncti notas in congruam & ampliorem formam extendat,[3] ita tamen, vt nihil ex iis, quæ ad actus substantiam pertinent immutetur,[4] & à stylo prioris notarij quam minimum fieri poterit recedatur. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, cum de inuentario bonorum D. Marchionis d'Aix tractaretur, defuncto Nicolao Vicaire, 17. Cal. Iul. 1593.

1 Hic enim casus ex iis est, in quibus necessaria est scriptura, cum non sufficiat factum esse inuentarium, nisi etiam constet rite factum esse. De quo tamen constare non potest, quin forma inuentarij exhibeatur ex scripto, *dict. l. vltim. Cod. hoc tit.*

2 Fiunt enim & sunt necessaria ob hanc potissimum causam scripturæ, *l. 4. de fid. instrum. l. 4. D. de pignor.*

3 Vt sit etiam de cæteris omnibus, quæ per notarij manum & stipulationem expediuntur.

4 Idem enim tenor actorum perseuerare debet, *l. Paulus respondit. 42. D. de re iudic.*

DEFINITIO XXII.

Spoliatus restituendus est antequam conficiendi inuentarij tempus ei currat.

TEmpus conficiendi inuentarij non currit hæredi spoliato, nisi à quo die in rerum omnium hæreditariarum possessionem restitutus sit,[1] præsertim si cum eo res sit, qui dicitur spoliasse,[2] nisi ponas iam lapsa fuisse conficiendi inuentarij tempora ante spoliationem.[3] *Ita tractatum est* in publico Auditorio in causa N. Marij de Turretin, & N. Iacobinæ de Ionty Dominæ de Saincte Croix, 12. Cal. Mart. 1595.

1 Quomodo enim posset hæres curare vt conscriberetur inuentarium earum rerum, quas non possideret?

2 *Arg. l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

3 Superueniens enim spoliatio non potest restituere beneficium inuentarij quod iam lapsu temporis amissum fuerat. Nihil siquidem potest aut debet spoliator reddere, nisi quod spoliatio abstulit.

DEFINITIO XXIII.

Filius, qui inuentarium non confecit, neque legitimam amittit, neque Trebellianicam, nec eo minus tamen tenetur satisfacere creditoribus ex legitima & Trebellianica.

FIlius, qui paternæ aut maternæ hæreditatis inuentarium non confecit, neque legitimam amittit, neque Trebellianicam ex receptiore nostrorum sententia,[1] quam Senatus noster vt veriorem & humaniorem plerisque placitis comprobauit.[2] Ergo neque legatariis, neque fideicommissario vniuersali quicquam de suo præstare filius cogetur.[3] Id enim omnino consequens est, cum ex legatis ipsis & ex fideicommisso vniuersali quartam ipse sit detracturus.[4] Sed tamen non faciet ea res, quo minus cæteris creditoribus, qui non de lucro captando, sed de damno vitando certant, teneri debeat, vt iis etiam ex Trebellianica satisfaciat: sunt enim illi fauorabiliores,[5] quib. nimirum etiam de legitima satisfaciendum est, cum non nisi deducto ære alieno debeatur.[6] *Ita Senatus* in causa N. coniugum de Bienuenu, & fratrum de Bellegarde, 15. Cal. April. 1595.

1 Ex notat *in l. vlt. C. hoc tit. & Nouel. 1. de hered. & Falc.*

2 Scilicet in liberis primi gradus, quorum & aliud priuilegium est *in l. iubemus 6. C. ad SC. Trebel.*

3 Quod ius olim omnium heredum commune fuit. Nemo enim ex testamento supra vires patrimonij quicquam præstare cogebatur. *l. in ratione 11. §. quod vulgo, D. ad legem Falc.*

4 Quam placet etiam non posse prohiberi liberis primi gradus, *not. ad d. l. iubemus 6. C. ad SC. Treb.*

5 *L. quod autem 6. § simili modo, D. quæ in fraud. credit. l. 1. § si cum legitima, & seq. D. de doli mal. except.*

6 *L. Papinianus 8. §. quarta autem, D. de inoff. testam.*

DEFINITIO XXIV.

Fideicommissarius siue vniuersalis siue particularis, debet conficere inuentarium, ne teneatur supra vires fideicommissi. Nec ei prodest inuentarium factum ab herede.

FIdeicommissarius vniuersalis aut particularis, id est, cui pars hæreditatis restituenda est,[1] cum hæredis loco sit,[2] perinde ac heres ipse inuentarium conficere & potest & debet, alioqui tam legatariis & fideicommissariis singularibus, quam creditoribus satisfacere in solidum compellitur. Sed an inuentarium iam ab hærede fortassis confectum prodesse fideicommissario poterit, vt supra vires hæreditatis non teneatur?[3] Et verius est non prodesse,[4] si non hoc quoque

quoque ius & beneficium inuentarij nominatim cessum in eumque translatum sit, [5] quod vtique per heredem fieri, si velit, potest. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam is cui certa res præstatur, non particularis, sed singularis fideicommissarius dici debet, vt docuimus *in Chiliad. de error. pragmat.*

2 *L.2. & pass. D. ad Senatusconsult. Trebel. §. restituta, Instit. de fideic. hered.*

3 Ita nostri communiter *ad. l. vlt. C. hoc tit. & ad Nouel. 1. de hered. & falcid.*

4 Cum possit fieri, vt nolit fideicommissarius vti beneficio legis, quo scilicet vti nemo cogitur.

5 Non enim hoc ius fuit in hereditate, ideoque speciali cessione indiget, *l. si heres D. ad Trebel.*

6 Non est enim beneficium hoc personale, cum transmittatur ad heredem heredis sicut cætera iura hereditatia. Quod autem transmissibile est, regulariter etiam est cessibile, *l. ex pluribus 42. D. de admin. tutor.*

DEFINITIO XXV.

Inuentarium debet continere descriptionem specificam rerum omnium, aut genericam, quæ pondere, numero, & mensura sit distincta.

INuentarium, præsertim solemne, cuius beneficio velit heres priuilegium habere, ne teneatur vltra vires hereditatis, [1] non aliter valere potest, quam si bonorum omnium mobilium & immobilium, quæ in hereditate sunt, descriptionem contineat, [2] eamque clare & distincte definitam per pondus, numerum, & mensuram, qualitatem & quantitatem rerum hereditariarum, [3] ne fraus vllafieri possit. *Ita Senatus* eadem causa.

1 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

2 Nam & inter cæteras solemnitates hæc vna est, quod heres res cogitur iurare nihil à se dolo malo subtractum cessumve fuisse.

3 Non enim aliter possunt bene describi ea, quæ consistunt in pondere, numero, & mensura, *l. quod sæpe 35. §. in his. de contrab empt.*

DEFINITIO XXVI.

Quando valeat inuentarium etiam in præiudicium eorum, qui non sunt nominatim vocati?

QVod vulgo iactatur, ad inuentarij solemnis confectionem vocari debere omnes quorumcunque interest, [1] non ita accipi debet, vt singulos nominatim vocari necesse sit: sufficit enim vocatos esse generaliter omnes voce præconis, certamque iis in hanc rem diem & horam dici, [2] idque indubitate verum est, quod ad eos creditores attinet, qui non sunt certi. [3] Sed etsi proponantur plures, inter quos idem crediti ius sit commune, sufficiet vocari quosdam ex ipsis. Ratio enim connexitatis facit interdum, vt res etiam inter alios acta aliis prosit & noceat. [4] Illud quoque obseruandum est, non esse citandum eum, qui, si adesset, contradicere non posset, [5] & hoc casu non procedere, quod dici solet, ad vnumquemque actum citari debere omnem, quisquis ex eo actu lædi potest. [6] Nunquam enim audiendus est, qui nihil aliud allegat, nisi quod non fuerit citatus, si nihil aliud adferat ad rem pertinens, quod dixisset, si fuisset citatus. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex reg. l. nam ita 39. de adopt. l. etiam 29. §. vlt. de minor. l. vnoquoque 47. D. de re iudic.*

2 Ne alioqui ea solemnitas inducatur, cui satisfieri sit impossibile. *l. si programmate 7. C. de remiss. pignor.*

3 Qui enim certi sunt, ij nominatim vocari debent, ex legibus citatis *num. 1.* Ita nostri vulgo *ad l. vlt. C. hoc tit.* Iunge *Defin. 37. infr.*

4 *L. vnic. C. de consort. lit. l. 2. & 3. D. de duob. reis.*

5 *Ex reg. l. qui potest 116. de reg. iur.*

6 *d. l. nam ita 39. de adopt. & aliis supra citatis.*

7 Tanquam cuius nihil interfit. Nemo enim, siue agendo, siue excipiendo, audiendus est sine interesse, *l. ille à quo 13. § si de testamento.* & ibi Alex. *D. ad SC. Trebel.*

DEFINITIO XXVII.

Casus, in quo potest quis in integrum restitui ad implorandum beneficium inuentarij etiam post puram additionem hereditatis.

QVemadmodum ex causa fieri potest, vt qui hereditatem iam agnouit admitti debeat ad eam repudiandam, etiam citra beneficium restitutionis, vtputa si coheredem habuit, qui aut suo iure, aut ex rescripto Principis ab hereditate postmodum abstinuetit: [1] ita interdum euenit, vt aduersus puram hereditatis additionem restitui quis possit ex iusta causa ad beneficium legis & inuentarij implorandum. [2] Minus enim est beneficium legis implorare, quam hereditatem omnino repudiare, cum is, qui ex legis & inuentarij beneficio heres est, perinde! teuera heres sit & maneat, ac si pure heres esset. [3] Justa vero causa illa esse creditur, si forte filius, qui se putabat patris heredem ab intestato pro quarta duntaxat parte, quod tres haberet fratres, postea reperto testamento se solum institutum repererit. [4] Facilius enim quis moueatur ad agnoscendam periculo suo portionem minimam hereditatis, quam vt ex solo asse heres fieri & oneribus hereditariis implicari velit. [5] Aliud est, si is, qui se putabat heredem ex asse ab intestato, quasi nullo facto testamento, postea institutus reperiatur siue ex asse siue ex parte. Hic enim non in animo acquirendæ hereditatis, sed tantum in iure delationis errauit, nec causam vllam iustam habet petendæ restitutionis tanquam læsus, [6] cum, quod pertinet ad onera hereditaria, nihil interfit, an quis heres sit ex testamento, an ab intestato, [7] nisi ponas legatis oneratam hereditatem, quæ, si testamentum factum non esset, nulla deberentur. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. cum hereditate 55. l. si minor. 61. D. de acquir. hered.*

2 Cui enim licet quod plus est, non debet vtique quod minus est non licere. *l. non debet cui 21. de reg. iur.*

3 Qui vero se abstinet post additionem, siue per restitutionem in integrum, siue alio iure, (qui enim semel hæres fuit nunquam repudiare dicitur, sed se abstinere, *l. 1. § si quis adita, D. ad SC. Tertull.*) is heres quidem summo iure manet, sed heredis loco à prætore non habetur, *d. l. si minor, d. §. si quis adita, l. filius 6. §. 1. de bon. libert.*

4 Non enim potest videri adiisse ex testamento, quod Ignorauit, *l. mater decedens 19. D. de inof. testam.*

5 Quia magis damnosa est tota hereditas, quam possit esse pars hereditatis.

6 Omnimodo enim voluit heres esse in solidum.

7 Onera namque hereditaria sequuntur hereditatem siue testamentariam, siue legitimam, non quatenus testamentaria aut legitima, sed quatenus hereditas est.

8 Dixi *Defin. 10. in fin. & 11. sup. eod.*

DEFINITIO XXVIII.

Sola inuentarij apertio non priuat heredem beneficio inuentarij, si nihil fecit dolo malo.

OB id solum, quod inuentarium solemne ab herede inspectum lectumque sit prius quam iussu iudicis apertum esset, non est heres priuandus beneficio legis & inuentarij, [1] præterquam si dolo malo id factum probetur. [2] Quid enim creditorum interesse potest aut legatariorum, explotatas esse heredi vires hereditarias, posteaquam inuentarium iam conscriptum est? [3] Si modo inuentarium non corrumpat: [4] tunc enim dolo, & quidem apertissimo facere videretur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 Nam in pœnalibus non debet fieri extensio, vt nec in cæteris odiosis, *vulg. l. cum quidam 59. de liber. & posth.* Nulla autem talis pœna in heredem hoc casu constituta est.

2 Dolo enim heredis interueniente aliud est, *Nouell. 1.* & ibi not. *de hered. & Falcid.*

3 Atqui nemo auditur siue agendo, siue excipiendo, sine interesse, *l. ille à quo 13. §. 1. ad SC. Treb. l. 3. §. 1. de verb. oblig.*

4 Scilicet dolo malo.

5 *L. si quis id quod 9. D. de iurisd.* Imo etiam de falso teneretur heres hoc casu. Falsum enim est quælibet veritatis immutatio facta dolo malo in alterius iniuriam, vt dicemus *ad tit. de falsi.*

DEFINITIO XXIX.

De curatore dando hæreditati, quæ habet hæredem cum beneficio legis & inuentarij.

NOn est dandus curator hæreditari, quæ habet hæredem, licet non nisi cum beneficio legis & inuentarij,[1] præterquam si hæres ipse aliquas in hæreditatem ipsam habeat actiones, quas vtique cum aduersus creditores non magis quam contra seipsum[2] exercere possit, quia defuncti personam non repræsentant,[3] consequens est, vt in hanc causam curator hæreditati dari debeat, qui hæreditatem defendat.[4] Cæterum ad creditorum actiones excipiendas hæres qui beneficium legis implorauit idoneus contradictor est, cum perinde verus hæres sit, atque is, qui pure agnouit hæreditatem.[5] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, Prid. Id. Mart. 1595. & iterum in causa N. Petri Iuge, contra Claudium Iuge, & in alia contra N. Chapelle, 11. Calend. Maij 1595. in secreto Auditorio.

1 Cum non possit dici iacens huiusmodi hæreditas, quæ habet heredem cum beneficio legis & inuentarij, *l. vltim. Cod. hoc tit.*

2 *L. ne cum filiofamilias 16. D. de furt.*

3 *L. vlt. C. de hered. action.*

4 Ne alioqui videatur hoc casu iudicium sine reo consistere, *c. forus, de verb. sign.* Vide tamen quæ contra hanc sententiam scripsi *in 1. part. Chiliad. de errorib. Pragmat.*

5 Dixi *Defin. 13. nu. 3 & Defin. 27. num. 3. supr. eod.*

DEFINITIO XXX.

Hærede cum beneficio legis male versante in hereditate, curator bonis dandus est, nisi heres offerat satisdationem.

SI tamen appareat, hæredem hunc, qui legis & inuentarij beneficium implorauit, male versari in possessione aut administratione rerum hæreditariarum, æquum erit dari curatorem non hæreditati, quę, vt proxime diximus, non iacet,[1] aut hæredi,[2] licet minori, qui scilicet inuitus curatorem habere non cogitur,[3] sed bonis hęreditariis, & quidem aut substitutum,[4] aut vnum ex creditoribus, in quem nimirum maior pars creditorum & legatariorum consentiat,[5] quasi creditoribus & legatariis omnibus hoc casu in rerum hęreditariarum possessionem missis custodiæ causa,[6] nisi malit hæres cauere satisdato legatorum fideicommissorum, totiusque æris alieni nomine, hoc enim remedio satis superque indemnitati omnium consulitur,[7] præterquam, quod non eo minus permittendum est creditoribus & legatariis singulis, vt adsint distractioni bonorum hæreditariorum,[8] non solum vt videant, ne quid per fraudem fiat aut per sordes, aut per gratiam, sed etiam vt sciant, quid & quantum ex venditione redigatur, ne alioqui parum eis prosit, quod cautum habeant, si ignorent quantitatem, cuius nomine cautum videri debeat.[10] *Ita Senatus* in alia causa N. Petri Iuge, & Farncisci Iuge procuratoris, Idib. April. 1595.

1 Etsi curatorem hæreditati etiam non iacenti dandum esse scripsit Iustin. valde improprie *in l. vlt § 2. C. de bon. quæ liber.* hereditatem sumens pro bonis & substantia.

2 *§. item inuiti. Instit. de curat.*

3 *Ex tit. de curat. bon. dand.*

4 Cuius maxime interest, *l. Paulus notat. 8. de præt. stipul. l. inter omnes 12. D. qui satisd. cogant.*

5 *L. 2. de curat. bon. dand. l. vnius ex creditoribus, D. de rebus auct. iud. possid.*

6 *Vt in l. cum legatorum 12. quibus ex caus. in posses. eat. l. sicut in poss. legat.*

7 *L. 1 D. qui satisd. cog. l. in omnibus 41. D. de iudic.*

8 Cur non enim hoc quoque iis concedatur, quod sine incommodo & dispendio hæredis futurum sit, *l. in creditoribus 38. D. de euict.*

9 *Arg. l. si suspecta 29. D. de inoffic. testam. l. Paulus respondit. 69. D. de procurat.*

10 Deficeret enim illo casu non ius sed probatio, *vt in l. duo sunt Titij 30. de testam. tutel.*

DEFINITIO XXXI.

Sumptus facti à talliabilis herede, cum beneficio legis & inuentarij, an & quando sarciendi sint à domino postea successionem obtinente.

HEres institutus ab eo, qui post mortem suam dedititiæ, & vt loquuntur, talliabilis conditionis fuisse dicitur, si pendente status quæstione hæreditatem non nisi cum legis & inuentarij beneficio velit agnoscere, potest quidem etiam inuito eo, qui se directum dominum dicit, inuentarij confectionem postulare,[1] sed ea tamen conditione, vt domino, qui inuentarium confici noluit, eos sumptus imputare nequeat, si postea quandocunque dominum vincere contingat,[2] nempe si dominus directus ipso contradictionis tempore instrumenta ediderit, per quæ intentionem suam abunde probauerit. Nam ex eo tempore vix est, vt in bona fide heres esse videatur, quo exinde scire potuit aliena esse bona, quæ putabat hæreditaria,[3] alioqui sola status controuersia ab eo facta, qui nullas in promptu probationes habeat, sicuti non constituit heredem in mala fide,[4] ita nec impedire debet, quo minus impensas, quas ille bona fide conscribendo inuentario fecerit, vt non tantum sibi, sed etiam creditoribus & legatariis omnibus consuleret, etiam victus repetere possit.[5] Atqui dicat aliquis, si quis ex creditoribus confectionem inuentarij prohibere vellet, eo prætextu, quod hæreditas, vel tam locuples esset, vt absolutæ additionis periculum timeri non oporteret, aut tam onerata, vt nouis sumptibus grauari eam non expediret, non esset audiendus.[6] Fateor nimirum, quia siue soluendo esset hereditas, nihil interesset volentis prohibere[7] siue soluendo non esset, hoc ipso necessitas induceret, vt inuentarium confici oporteret, ne heres aut vltra vires hæreditarias teneretur,[8] aut quod à defuncti existimatione esset alienius, ab adeunda hereditate deterreretur.[9] Sed domini directi alia meliorque quam cuiuslibet creditoris conditio est, quippe qui sit plus quam creditor.[10] Efficit enim, vt defunctus neque heredem neque hereditatem relinquere potuerit,[11] cum bona omnia tanquam peculij iure occupet, aut saltem ex contractu inter viuos.[12] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 15. Cal. Maij 1595. pro D. Duce Namurci, contra viduam Ioannis de la Pallu.

1 Quia in dubio præsumitur pro libertate & ingenuitate ac pro iure communi, *l. 4. de iustit & iur.*

2 Fecit enim domino inuito: Ergo suo periculo, non domini cuius interest non diminui bona ex sumptuum deductione.

3 Scientia enim rei alienæ malam fidem inducit, *l. sed & si l. 25. §. scire, D. de petit. hered.*

4 Quia non entium & non apparentium idem iudicium est, *§. si aduersus, Instit. de nupt. l. duo sunt Titij 30. de testam. tutel.*

5 Sola

6 Sola enim denunciatio & contestatio domini nolentis inuentarium fieri non debet ei nocere, *C. de transact. l. tutor. 47. §. 1. D. de minor.*

6 Nemo enim potest heredi aufferre beneficium, quod non ab homine habet, sed à lege, *l. 3. de interd. & releg. l. si adrogator 22. D. de adopt.*

7 Nemo autem auditur sine interesse, *l. 3. §. 1. de verb. obli. l. ille à quo 13. §. 1. ad SC. Trebel.*

8 *L. vlt. C. hoc tit. l. quæ dotis 33. D. solut. matrim.*

9 Quo casu necesse esset vendi bona sub nomine solo defuncti, *l. paterfamilias 29. de rebus auctor. iudic. possid. & Instit. quibus manumit. non licet, in princip.*

10 Quia non potest hæreditatem aut hæredem habere is, qui nulla bona post mortem suam potest relinquere, *l. lex Cornelia 28. vers. quia non efficitur, D. de vulg. & pupil. substit.*

11 *Vt in l. 1. & 2. D. de castr. pecul.*

12 Scilicet ex stipulatione siue tacita siue expressa, quæ hac de re interponi solet.

DEFINITIO XXXII.

Agens tanquam heres cum beneficio legis & inuentarij, non est audiendus, nisi exhibito prius inuentario.

ALiquando quæritur, an, qui agit tanquam heres cum beneficio legis & inuentarij, repellendus sit, si inuentarium non exhibeat? Dubitationem facit, quod dici solet, eum, qui agit tanquam talis, ante omnia debere talem se probare, [1] adeo vt nec aliter admittendus sit, etiamsi aduersarius non obiiciat. [2] Sed dici potest tum demum locum habere, cum ea qualitas est, qua cessante nihil prorsus iuris ad agendum sit actori habiturus, vt puta si quis agat tanquam tutor aut curator, aut procurator, aut tanquam hæres. [3] At qui hæredem se dicit cum beneficio legis & inuentarij, licet talis non sit, aut se talem esse non doceat, inuentario non exhibito, aut nec fortassis confecto, remanet tamen hæres pure & absolute, [4] & consequenter tanto magis habet ius agendi, cum quæ actiones hæredi beneficium legis imploranti competunt, eædem simplici & absoluto hæredi multo magis competant. [5] Verum in prompu contradictio est, posse rei interesse, vt qui agit quasi hæres cum beneficio inuentarij repellatur omnimodo, nisi se talem probet. Quid enim si inuentarium nullum confectum sit, & metu onerum hæreditariorum malit hæres institutam actionem omittere, quam hæredem se purum & simplicem profiteri? [6] Nec ad rem pertinet, quod necesse est, vt vel inuitus hæres purè maneat, qui se hæredem semel dicit cum beneficio legis & inuentarij, si inuentarium nullum aut minus ritè confectum sit. [7] Nam fieri potest vt rei interfit, ne actor hæredem se audeat dicere, quamuis reuera hæres sit, [8] nec tamen eius interfit, vt pure & absolute heres pronuncietur, vt puta si nullam ille actionem habeat ex causa hereditaria, [9] velit autem tanquam reus absolui ab actione contra se instituta. [10] *Sic tractatum est* in causa fratrum Pic, & N. Iacobi Teste, 6. Id. Maij 1595.

1 *L. 1. l. licet 23. C. de procur. cum similibus.*

2 Quia hoc pertinet ab fundandam intentionem actoris, quæ ante omnia semper fundanda est, *l. 4. l. vlt. C. de edend.*

3 Nemo enim potest agere sine actione, *l. si pupilli 6. §. vltim. de negot. gest. l. quoties 9. §. & generaliter D. de administr. tutor.*

4 Qualitas enim illa & adiecto, *cum beneficio legis & inuentarij*, non tollit ius & substantiam hæredis veri, quomodo is, qui diceret hominem pictum aut mortuum, tolleret huiusmodi adiectione substantiam hominis, quia verum est, hæredem cum beneficio inuentarij vere hæredem esse, *l. vlt. C. hoc tit.* & hoc casu bona est consecutio ab hærede secundum quid ad heredem simpliciter hoc modo. Hæres est cum beneficio legis & inuentarij: Ergo est hæres.

5 *L. 2. & tot tit. D. de hered. action.*

6 Hoc enim potest contingere ex variis causis, tum quoque cum opulenta est hereditas, *l. 4. D. ad SC. Trebel. l. si testamento 22. in fin. D. si quis omiss. caus. testam.*

7 *L. vlt. per tot. C. hoc tit.*

8 Quia vt possit quis agere tanquam heres, non sufficit vt vere sit heres, nisi etiam illud concurrat, vt se dicat heredem, sicut non sufficeret, vt se talem diceret, si non etiam probaret, vt dixi, *num. 2. & 3. supr.*

9 Illorum enim duntaxat interest, vt heres pure & absolutè heres sit, qui actionem aliquam hereditariam possunt exercere, vt nimirum heres in solidum teneatur, *d. l. vlt.*

10 Sufficit enim reo vt absoluatur, nisi propter condemnationem sumptuum, ad quos tamen æque tenetur, qui heres est cum beneficio legis & inuentarij, atque is, qui purè, quia propter temerariam litem irrogantur, *l. eum quem 79. de iudic.*

DEFINITIO XXXIII.

Heres cum beneficio inuentarij non liberatur soluendo creditoribus anterioribus, si prius conuentus fuerit à posterioribus.

ET si is, qui cum beneficio legis & inuentarij hæres est, creditoribus hæreditariis etiam posterioribus, dummodo diligentioribus, bona fide soluere potest, salua anterioribus condictione aduersus posteriores, qui solutionem acceperunt: [1] si tamen quidam occupauerint, non proderit heredi, quod aliis licet anterioribus soluerit, quoniam huic potius, à quo prius fuerat conuentus, soluere debuerat. [2] Sibi enim imputet cur illi soluere maluerit. [3] Multo minus liberatus videri debet, si bona quædam mobilia hereditaria exhibere iussus postulante vno ex posterioribus creditoribus, id agente, vt sibi exp tetio satisfieret, eadem aliis forte anterioribus dederit in solutum. [4] Nam & huic multo magis imputari potest, cur non paruerit iudicato: [5] cum ea ratione liberationem ab anterioribus quoque consequi potuisset. [6] Itaque si bona hereditaria non sufficiant de suo præstare tamen cogetur, [7] licet non eo minus maneat heres cum beneficio legis & inuentarij. [8] Cuius effectus is esset, ne supra vires hereditatis quicquam præstare teneatur. [9] *Ita Senatus* in causa Dn. Ducis de Nemours, contra Dn. de Carde heredem Dominæ de Miolans, 4. Calend. Maij 1595. de qua Defin. 36. infr. de execut.

1 *L. vlt. vers. & si præfatam, & seq. C. hoc tit.*

2 Diligentioribus enim semper magis fauere legislator solet, *l. non enim 16. D. ex quibus caus. maior. l. pupillus 24. in fin. D. quæ in fraud. credit.*

3 Cum nihil eius interesset, quando æque liberatus in perpetuum fuisset soluendo posteriori, *d. § & si præfatam.*

4 A quibus proinde non potest postea creditor posterior rem auocare. Potior enim causa est anterioris sicut in agendo, ita & multo magis in retinendo, *l. 1. D. de pignor. l. 1. 2. & pass. Cod. qui potior. in pign. hab. l. 2. C. si antiq. credit. pign. vend.*

5 E contrario nihil potest imputari ei, qui paruit iudici, *l. non videntur. 167. de reg. iur.*

6 Non tantum ex Iustiniani constitutione *in d. §. etsi præfatam*, sed etiam ob rei iudicatæ auctoritatem, *l. ait prætor. 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor. l. sancimus 25. C. de administr. tutor.*

7 Quia non videtur damnum sentire quod ex culpa sua sentit, *l. quod quis 203. de reg. iur.*

8 Quia nemo priuatur hoc beneficio ob id solum, quod alij soluerit, quam cui soluere debuit.

9 *d. l. vlt. C. hoc tit. & Nouel. 1. de hered. & Falcid.*

DEFINITIO XXXIV.

Debita hereditaria soluenda sunt heredi cum beneficio legis & inuentarij, etiamsi datus sit curator hereditati.

HEres cum beneficio legis & inuentarij non eo minus debitum hereditarium exigere potest, quòd perè heres non sit, [1] aut quòd ad excipiendas actiones, quæ heredi ipsi aduersus hereditatem competunt curator hereditati datus sit. [2] Non enim hoc casu curator datur hereditati tanquam iacenti, vt sæ-

BIU Cujas

pius monuimus, cum iacens dici non possit, quæ heredem habet, licet non pure, sed cum beneficio inuentarij.[3] Igitur heredi ipsi, non etiam curatori debitores hereditarios soluere oportebit,[4] nec iustam habebunt moræ excusationem, si prætendant nescire se, an heredi, an curatori, aut cuinam alij pendente discussionis instantia soluere debuerint.[5] *Ita Senatus* in causa Michaelis Sachet, Idib. Jul. 1595.

1 Quia non eo minus vere heres est, sed priuilegiatus, *l. vlt. C. hoc tit.*

2 Secundum ea, quæ diximus *Defin. 29. sup.*

3 Sicut nec iacent bona, quæ habent possessorem, *l. 1. D. de succes. edict.*

4 Ei namque soluendum est, qui defuncti personam repræsentat. Is autem heres est, *l. heres 22. de vsucap.* Curator enim non repræsentat, nisi contra heredem ipsum.

5 Certum enim ius est solui heredi posse & debere quod defuncto fuit debitum, *vulg. iurib.*

DEFINITIO XXXV.

Intra tempora conficiendi inuentarij potest pignus lui ab hereditario debitore.

QVod Justiniani lege cautum est, vt quandiu curit adhuc tempus conficiendi inuentarij nulla creditoribus & legatariis actio aduersus heredem detur, ad pignora titios debitores non pertinet pignus luere volentes.[2] Neque enim id isti agunt, vt hereditas imminuatur, sed potius vt pecuniæ debitæ solutione augeatur,[3] nisi proponas de ipsius quoque pignoris iure disputari, id est, reuocari in dubium, an res, quæ obligata dicitur, sit hereditaria, an propria debitoris.[4] Ea namque quæstio in tempus confecti inuentarij necessario differenda est, cum nec certo scire heres ante possit, quid sit hereditarium, vel non.[5] *Ita tractatum est* in publico Auditorio, in causa Antonij Iuy, & Francisci Truffon, Id. Iul. 1595.

1 Ita enim constitutum est *in l. vlt. C. hoc tit.*

2 Cum debitori libera sit & esse debeat pignoris luitio quandocunque. *l. si rem 9. §. omnis, D de pignor. act. l. 1. & tot. tit. C. de luit. pign. l. Paulus 12. §. 1. & pas. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

3 Melius enim est solutionem habere quam obligationem, *l. 6. § 1. eod. d. l. si rem, §. vlt. & l. seq. de pign. act. l. minor 41. D. de min. v.*

4 Nec enim potuisset dari pignori à debitore si fuisset defuncti, *l. neque pignus 45. de reg. iur. l. 1. & tot. tit. C. si alien. res pignor. dat. sit.*

5 Id enim ex inuentario rerum hereditariarum explorandum est.

DEFINITIO XXXVI.

Potior est causa creditoris constitutarij, quam heredis cum beneficio legis & inuentarij obtendentis auitum fideicommissum, de quo in promptu non appareat.

OBrentu fideicommissi ex auitis testamentis debiti non potest filius idemque heres patris, licet cum beneficio legis & inuentarij impedire, ne pignoris possessione retineatur creditor, cuius nomine pater debitor constituerat se possidere.[1] Nec alios creditores expectari, aut in ius vocari necesse est, vt iis auditis momentaneum iudicium possessionis expediatur, si nulla dum pendeat de discussione bonorum instantia.[2] *Ita Senatus* in causa fratrum Arbareste, contra D. de la Serra, 7. Cal. Aug. 1595. in secreto Auditorio.

1 Hoc enim reperitur possessio defuncti extra causam hereditatis, ideoque non potest transmitti ad heredem, ne quidem beneficio edicti, quo mortuus, vt loquuntur, saisit viuum, *l. 1. §. Scaeuola, D l. 1. si is qui testam. lib. esse. iuss.*

2 Cum non sit illis obstatuta res inter alios acta, si quod ius habeant ad euocandam à constitutario possessionem, *l. 1, de except. rei iudic. & tot. tit. C. int. alios act. vel iudic aliis non nocer.* Aliud est si iam inchoata sit discussionis instantia, vt alibi scripsimus.

DEFINITIO XXXVII.

Non sufficit vocatos esse creditores omnes generali programmate, si creditor fuit certus; etiam tutori pupilli salua tamen pupillo restitutione in subsidium, si damnum alioqui passurus sit ex scientia tutoris.

CReditori, qui cum certus esset non est vocatus ad confectionem solemnis inuentarij, non potest nocere beneficium legis ab herede imploratum, quia nominatim vocati hic debuit,[1] nec satis est, quod creditores omnes vocari sunt generali programmate.[2] At quid si pupillus heres proponatur, & tutori certus fuerit creditor? Nocebit tutoris scientia pupillo,[3] si non aduersus eam tutoris negligentiam & culpam restituatur. Nec tamen aliter restitui poterit, quam si se læsum probet,[4] id est, damnum se passurum si non aduersus hunc quoque creditorem legis & inuentarij beneficium saluum habeat, puta quod ære alieno exhausta sit hereditas,[5] nec tutor sit soluendo.[6] Quid enim si ex contrario constet locupletissimam esse hereditatem, nec nisi malo more captatum beneficium inuentarij?[7] Cæterum non proderit ea res aliis creditoribus, qui eo, quo oportuit, modo ad inuentarij confectionem euocati sunt.[8] *Ita Senatus* in causa illustris Dn. Marchionis d'Aix, 9. Cal. Decemb. 1595.

1 Vt dixi *Defin. 26. sup.* vbi vide.

2 Quia remedium publici programmatis subsidiarium est & inductum contra creditores, qui non sunt certi, *l. si programmate 7 C. de distract. pign.* Vox enim præconis paucis innotescit.

3 Quia quod tutor sit pupillus quoque scire præsumitur, cum tutor pro domino habeatur.

4 *Lege verum* 11. §. *sciendum, l. quod si minor 24. §. non semper, & pas. D. de minor. l. non posse aquam § si minor, D. de iurein.*

5 Nam aduersus damnosam additionem restitui minor potest, *l. 1. & tot. tit. C. si vs min. ab hered. se abstin.*

6 Si enim tutor sit soluendo, potest consuli indemnitati minoris, licet non eo minus soleat minor restitui quod tutor vel curator interuenerit, *l. vltim. & tot. tit. C. si tut. vel curat. interuen.*

7 Vt solet hodie passim hoc beneficium implorari in fraudem creditorum, vt dixi *Defin. 19. sup.*

8 Non enim nouum est, vt quod factum fuit inter alios iis noceat inter quos factum fuit, non etiam aliis, *l. de vnoquoque 47. de re iudic.* Nec enim vtile per inutile vitiari debet, *l. placuit 29. D. de vsur.*

DEFINITIO XXXVIII.

Beneficium inuentarij non impedit, quo minus heres inchoatas contra defunctum lites interim excipere cogatur.

HEres cum beneficio inuentarij non eo minus prosequi tenetur litem cœptam cum defuncto,[1] etiamsi nondum præterierit tempus, quod datur ad conficiendum inuentarium,[2] quia beneficium quod habet à lege, ne interea inquietari possit,[3] ad nouas lites pertinet non ad inchoatas.[4] *Ita Senatus* in causa Dn. du Freney, contra filiam Georgij Exerchei, 20 Decembr. 1593.

1 Cum habeat legitimam personam, & sit legitimus contradictor non minus quam si beneficium legis non imploraisset. Verus enim heres est, *l. vlt.* vbi not. *C. hoc tit.*

2 *De quo in d. l. vlt. §. sin autem dubius.*

3 *d. l, vlt. §. donec tamen.*

4 Nullum enim priuilegium potest habere heres in lite contra defunctum inchoata, *l. si is qui Roma 34. D. de iudic.* * Boer. *quæst. 53. num. 7.* vbi ait ita limitandum esse §. donec. Quod & sentit Papon. *in tit. de benef. inuent. art. 7.*

Sicuti

ſicut neque locum habet diſpoſitio *dict. §. donec contra eum qui agit vendicatione.* Bald. *ibid.* Multò minus contra ſpoliatum agentem interdicto, aut ex Can. *Reintegranda* aduerſus ſpoliatoris heredem, quia & hæc actio in rem eſt, & fauorabilior quàm vindicatio, ob odium ſpoliationis, ſed omnibus his caſibus, æquum eſt, dari longiorem dilationem heredi, vt inſtrumenta hereditaria conquirat quibus cauſam ſuam tueri poſſit. *Ita Senatus* in cauſa D. Marchionis à Camera, & ſpectab. Gabrielis Damodry Aduocati 8. Martij 1618. Sanè etiam in cauſa executionis iudicati locus eſt diſpoſitioni dicti §. *donec.* Caſtrenſ. *ibid.*

DEFINITIO XXXIX.

An curator bonis abſentis datus poſsit abſentem immiſcere bonis paternis conueniendo eius nomine paternos debitores?

DVbitatum aliquando vidi, an curator datus bonis abſentis, qui patri ſuo ſuus heres extiterit, & ante declaratam ſiue immiſcendi ſe, ſiue abſtinendi voluntatem abeſſe cœperat, poſſit abſentis nomine conuenire debitores hereditarios,[1] quos vtique abſens ipſe, ſi adeſſet, conuenire iure poſſet?[2] Quidam putabant non eſſe hoc curatori denegandum, ne alioqui magno incommodo abſens afficiatur, ſi bonæ iuſtæque actionis iacturam poſt annos forte triginta reuerſus incurriſſe ſe reperiat,[3] cum vel ad hoc maximè curatores abſentium bonis dari ſoleant, vt eas ſaltem exerceant actiones, quæ ſunt tempore peritutæ.[4] Nec ad rem pertinere quod dici ſolet, non poſſe per curatorem acquiri hereditatem,[5] at neque per tutorem, ſi non ipſius quoque pupilli voluntas propria factumque interueniat.[6] Id enim ad hereditates ſpectat, quæ ſiue minori, ſiue impuberi, ſiue abſenti delatæ tantum ſint, non etiam acquiſitæ.[7] Paterna autem hereditas ſuo hæredi non tantum delata, ſed etiam ab ipſo delationis tempore acquiſita intelligitur[8] citra additionem, ſolaque iuris poteſtate.[9] Nec quod ſe poſſit abſtinere quicquam facit.[10] Adeo, vt creditores fundatam habeant intentionem aduerſus filium tanquam heredem patris,[11] ſiue contra ipſum præſentem agere velint, ſiue contra curatorem ipſius abſentis bonis datum, ſi abſtētio non probetur.[12] Quidni ergo liceat curatori abſentis nomine agere, cuius etiam nomine poteſt conueniri?[13] At alij contra dicebant non eſſe permittendum curatori non niſi bonis abſentis dato, vt abſentem immiſceat conueniendo paternos debitores,[14] ne per eiuſmodi immixtionem auferat ei beneficium abſtentionis, quod certum eſt filio, qui ſemel ſe immiſcuerit, nullum ſupereſſe ſi non fauor ætatis patrocinetur.[15] Non enim minus iniquum eſſet ignorantem filium immiſceri bonis paternis per curatorem, quam alienæ hereditati obſtringi per additionem, ſi aditio per curatorem fieri poſſet, cum vtroque caſu idem accidat, vt ignorans per alium ære alieno cum effectu obſtringatur.[16] Quid enim refert ſi effectum rei inſpicias, an filius citra immixtionem nullo modo ſit obligatus paternis creditoribus, an verò iis obligatus quidem ſit ipſo iure, ſed ita tamen, vt per abſtinendi beneficium quamdiu ſaluum ei eſt tantumdem conſequatur, quantum ſi nullo modo eſſet obligatus?[17] Ex quo apparet quantum hac parte intereſit vtrum abſentis nomine curator agat contra debitores hereditarios, an verò à creditoribus hereditatis conueniatur. Neque enim creditorum actiones auferunt abſenti beneficium abſtinendi,[18] quod ei curator, eius nomine agendo, adimeret: Quãdo non poteſt imputari curatori, cur ſe abſentis nomine conueniri patiatur,[19] quem nec ſi maximè vellet abſtinere tamen poſſet,[20] cum in eo minus iuris habeat quam tutor qui pupillum ſuum vltro ſoluſque abſtinere poteſt etiam poſt mixtionem, ſiue pupillus ipſe tutore auctore ſe immiſcuerit, ſiue tutor pupillum,[21] nempe quia æque poteſt tutor pupillum ſuum quem prius abſtinuit, aut cui, vt ſe abſtineret, autor fuit, iterum immiſcere, nullo etiam reſtitutionis auxilio in eam rem implorato.[22] Mihi temperamentum placebat, vt ſi paterna hereditas opulenta, nulloque modo ſuſpecta proponereretur, licere deberet curatori competentes abſenti actiones hæreditarias exercere,[23] quod ſicuti nulla immixione ſuus hæres indiget non magis quam additione, vt aduerſus debitores hæreditarios agendi facultatem ſibi acquirat,[24] ita verendum non ſit ne abſtentionis beneficium ei eripiatur, cui abſtinendi conſilium, neque neceſſarium, neque vtile videri poſſit.[25] Si vero ære alieno ſi non exhauſta ſaltem grauata, aut quouis alio modo ſuſpecta patris hæreditas probaretur[26] (nec enim facile in dubio talis præſumptio in damnum abſentis filij capi debet[27]) tum demum curator abſentis bonis datus prohiberetur vllas mouere actiones, per quas immixtio filij induci, atque ita abſtinendi beneficium ei auferri poſſet,[28] niſi mallet legis atque inuentarij beneficium implorare:[29] quo remedio aduerſus æris alieni latentis periculum ſatis ſuperque abſenti poſſe conſuli videbatur:[30] Saluo tamen abſenti quandocumque poſtea reuerſo iure immiſcendi ſe pure paternis bonis, legiſque beneficium ſe inſcio poſtulatum abiiciendi, ſi opulentam hæreditatem puraret, quam curator, aut damnoſam, aut ſaltem ſuſpectam credidiſſet.[31] Quo vtique caſu non poſſet curator ſumptus à ſe in inuentarium factos abſenti imputare, ſed ſuæ potius, vel facilitati, vel timiditati,[32] ſi non probaret iuſtiſſimis de cauſis ſe ad legis beneficium pro abſente implorandum confugiſſe, idemque ab alio quolibet diligente patrefamilias fieri debuiſſe.[33] *Senatus* noſter nihil dum, quod viderim, decidit. *Sine die.*

1 Poteſt enim talis curator, & agere & conueniri, *l. 2. §. 1. de curat. bon. dand.*

2 *L. neceſſarius 57. de acq. hered.*

3 Cum hodie actiones omnes 30. annis præſcribantur *ex l. 23. C. de præſcr. 30. annor.* & quidem ſine ſpe reſtitutionis ex edicto Sereniſ. Ducis noſtri, quod factum eſt anno 1598.

4 *L. creditore 14. D. de rebus auctor. iudic. poſſid.*

5 *L. per curatorem 50. D. de acq. hered. l. cum in vna 17. §. tutor. D. de appellat.*

6 *L. potuit 5. Cod. hoc tit.*

7 Quoniam adirio cum ſit actus legitimus non poteſt fieri per aliũ *l. actus legitimi 77.* iunct. *l. nemo alieno 123. de reg. iur.*

8 *L. in ſuis 12. D. de lib. de poſth.*

9 *L. in ſuis 14. D. de ſuis & legit.*

10 *L. 1. §. qui ſunt in poteſtate. D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

11 Vt à nobis probatum eſt plurimus in *Decadibus de erro. pragm.* contra Bart. *ad l. 1. C ſi vt min. ſe ab hered. abſtin.*

12 Secuta enim abſtentione non habet prætor filium pro herede, *d. l. neceſſariis, l. ſi filius 12. de interreg. in iur. faciend.*

13 Non enim alterius eſt agere aut conueniri, quam eius qui ſit heres aut heredis loco, *l. vlt. C. de hered. action. l. 1. D. ad SC. Trebel.*

14 Cum non poſſit id fieri citra ius & nomen veri heredis, *l. ſi quid poſſeſſor 31. §. pen. D. de per. hered. l. pro herede 20. §. Papinianus, D. de acq. hered.* iunct. *l. eum bonis 87. eod.*

15 *d. l. neceſſariis, & l. ei qui 12. eod. d. l. 1. C ſi vt min. ſe ab hered. abſtin.*

16 Quod iniquum eſt, *l. qui in aliena 6. in princ. l. ſi quis mihi 25 § miſſum, D. de acq. hered.*

17 *d. l. neceſſariis, l. ſi filius 12. de vulg. & pupil. ſubſt. l. pater. familias 28. de rebus auctor. iudic. poſſid.*

18 Quod ſcilicet filius habet à prætore non à creditoribus, niſi in caſu, *l. cum hereditate 5. de acq. hered.*

91 Cum creditores habeant fundatam intentionem, vt dixi *num. 10.*

20 *Ex l. is poteſt 18. de acquir. hered.* iunct. *dict. l. per curatorem, eod.*

21 *L. penult. D. de auctor. tutor. l. ex contractu, 44. D. de iudic.*

BIU Cujas

21 *d.l. necessariis*, in quo alia ratio est puberum alia impuberum, *d.l. necessariis*, & *l. impuberibus* 11. *eod. tit.*

23 Nec enim potest negari quin actiones illæ competant absenti filio, & sint in eius bonis, cum sit vere hæres ipso iure etiam post abstentionem, *l. cum quasi* 30. § *sed etsi suus, de fideic. libert. l. cogi* 16. §. *si pater*, *D. ad SC. Trebel.*

24 *d. §. si pater*, vbi est textus elegans.

25 *d.l. si filius* 12. *D. de vulg. & pupil. substit.*

26 Potest enim variis ex causis contingere, vt sit suspecta, *l. 4. D. ad SC. Treb. l. si in testamento* 22. §. *vltim. D. si quis omis. caus. testam.*

27 Ne quod fauore sui heredis constitutum est conuertatur in eius odium, *d.l. si filius*, *l. pen. C. ad Treb.*

28 Vt melior conditio absentis fieri per curatorem possit, deterior non possit, *l. melior* 133. *de reg. iur. l. soluendo* 39 *de nego. gest. l. tutor.* 8. *D. de bonor. pos.*

29 *Ex l. vlt. Cod. hoc tit.*

30 Cum non possit hoc casu teneri hæres vltra vires hereditarias, *d.l. vlt. & Nouel.* 1. *de hered. & Falcid.*

31 Nec enim vlli facit iniuriam qui abiicit beneficium inuentarij, vt sit hæres pure. Imo prodest id creditoribus, *d. l. vlt. & Nouel.* 1.

32 Cum non debuerit hæreditatem opulentam minuere per sumptus inuentarij.

33 Inculpatus enim est quisquis id fecit, quod diligens paterfamilias facere debuit, *l. à tutoribus* 33. *de admin. tut.*

DEFINITIO XL.

Pendente discussionis instantia non est audiendus creditor agens conditione ex l. vlt. C. de acquir. poss. nisi auditis cæteris creditoribus.

ACriter disceptatum est, an pendente discussionis instantia prouisionalis sententia fieri possit pro creditore, clausulam præsertim constituti habente? Constabat enim à Senatu nostro aliter atque aliter iudicatum fuisse. Pro creditore facit, quod cum certet de damno vitando æquius sit ei consuli, quam hæredi non solum certanti de lucro captando, [1] sed etiam plerumque abutenti beneficio legis & inuentarij, & id agenti, vt creditores fraudentur, vel saltem, vt iis mora fiat. [2] Sed & constat ex huiusmodi adiudicatione nullum fieri præiudicium cæteris creditoribus, licet inauditis, qui si sunt posteriores non debent ægre ferre, quod anterioribus solutum sit, sin anteriores, satis iis cautum est, hoc ipso quod aduersus posteriores quibus solutum est habent conditionem. [4] Et vero si liberum est hæredi soluere creditoribus etiam posterioribus, dummodo diligentioribus, [5] quidni liceat iudici condemnare heredem, vt faciat quod hæres ipse si vellet sine iudice facere posset? [6] Aut cur necesse sit vocari alios creditores, qui nihil adhuc petant, & quorum nihil interest? [7] Quod si creditor hypothecarius habet pro se clausulam constituti, & neque personali agat, neque hypothecaria aduersus hæredem, sed conditione possessionis, [8] quænam obsecro dubitandi ratio esse potest, cum possessio viuo debitore translata in creditorem iam inde ab eo tempore censeatur esse extra causam hæreditatis, [9] inhibita tamen interea venditione? [10] Sed tamen in contrarium vtroque casu, id est, siue conditione possessionis, siue personali aut hypothecaria agatur, facit pro hærede, quod si permittatur creditoribus singulis in hæredem aut res hæreditarias agere, antequam de omnium creditorum iure & ordine cognosci poscit, facile eueniet vt lacereturhæreditas, crescatque materia litium [11] creditoribus non tantum aduersus hæredem, sed etiam inuicem agentibus, eo qui primum obtinuerat mox condemnando, si alius emergat creditor anterior. [12] Quid enim si ille anterior habeat pro se clausulam constituti, ex qua posterior obstinueri? An non apparebit ex post facto transferri non potuisse possessionem in posteriorem ab eo, qui constituti tempore non amplius possideat? [13] Quomodo igitur sciri potest, an eius clausulæ effectus aliquis esse debeat, nisi auditis prius & vocatis creditoribus omnibus? [14] Nec vero quod creditor offerat satisdationem sufficere videtur, vt actionem facilius habere debeat. [15] Nam non faciet satisdatio, quin quo plures agitabantur lites inter creditores, eo pluribus expensis oneretur hereditas, quippe singulis creditoribus, etiam qui per eam litigauerint, idem temporis & hypothecæ priuilegium pro sumptibus seruandi pignoris causa factis in hæreditatem postea sibi vindicaturis. [16] Itaque probabilius videbatur, vt differri prouisionalem adiudicationem oporteret in id vsque tempus, quo creditores omnes vocati essent, aut in vocandis iis mora per hærem facta fuisset. [17] *Ita tractatum est* prid. Calend. August. 1595.

1 *L. vlt.* §. *sin vero creditores*, *C. hoc tit. l. quod autem* 6 §. *simili modo dicimus*, *D. quæ in fraud. credit.*

2 Quotidianis enim rerum experimentis compertum est implorari vt plurimũ hodie beneficium inuentarij, vt vel fraus vel mora fiat creditoribus, tum quoque cum opulentissima est hereditas. Quæ res dedit causam nouo edicto, quo constitutum est, vt non possit is qui hoc beneficium implorat quicquã attingere hereditarium aut confectum inuentarium, sed œconomus & sequester constituatur. Inuentario autem confecto & adprehensa per hæredem possessione rerum hereditariarum cogatur intra annum, aut ad summum ex magna causa intra biennium curare, vt discussionis instantia terminetur, alioqui heres pro puro & simplici herede habeatur.

3 Qui enim posteriores sunt tempore eos quoque postponi in pignore æquum est, *l. 2. & 4. Cod. qui potior. in pignor. hab.*

4 *d. l. vlt.* §. *sin vero creditores*, *C. hoc tit.*

5 Hoc enim expresse Iustinianus constituit *in d. l. vlt.* § *& si præfatam.*

6 Quod enim potest quis per se facere propria auctoritate, multo magis potest facere auctore iudice, *l. aut prætor* 7. §. 1. *vers. permittitur*, *D. de minor. l. sancimus* 25. *Cod. de admin. tutor.*

7 *Arg. l. paterfamilias* 28. *de rebus auctor. iudic. possid. alias l.* 13 *de priuileg. cred.*

8 Ex Iustiniani *l. vlt. C. de acquir. poss.*

9 Nec enim potest hereditas transferre in heredem nisi quod fuit hereditatis, cuiusmodi non est possessio, *l.* 11. §. *Scæuola*, *D. si is qui testam. lib. esse iuss.*

10 Cum alienatio dicatur actus per quem dominium transfertur, *l.* 1. *Cod. de fund. dotal.* Non enim alienat qui omittit aut transfert dumtaxat possessionem, *vulg. l. non alienat. de reg. iur.*

11 Quod ne eueniat cauendum est, quantum fieri potest, *l. singulis* 6. *D. de except. rei iudic.*

12 Cum tandem necesse sit cum vincere, qui anterior reperitur in tempore, si pignoratitius fuit creditor, *dict. l. vlt.* § *sin vero creditores*, *C. hoc tit.* aut in causa si fuit chirographarius, *ex l. priuilegia* 42. *de rebus auctor. iud. poss.*

13 Nec enim is qui non possidet transferre potest possessionem, siue per clausulam constituti, siue quo alio modo, *l. quod meo* 18. vbi not. *D. de acquir. poss.*

14 *Ex reg. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic. l. etiam* 25. §. *vlt. D. de minor.*

15 *Arg. l. testamento* 17. §. *non omnimodo*, *D. de testam. tutel. quia satisdatio* 6. *D. de suspect. tutor.*

16 *Ex l. Lucius* 18. vbi DD. *qui potior in pignor. hab.*

17 Quo casu in pœnam moroſi heredis audiendus esset creditor & retinendus in sua possessione, cum illa tamen clausula, ne quod præiudicium ex eo fieret cæteris creditoribus nõ auditis. [Si tamen agatur de restitutione dotis vel de doario, quod nobili fœminæ debeatur, quæ nihil aliud habeat vnde ali possit, & quam tamen fame periclitari inhumanũ sit, æquissimum est ei subueniri per adiudicationem prouisionalem pendente discussionis instantia etiam non auditis cæteris creditoribus. Et quamuis parem fauorem pro dote materna obtẽdant heredes cum beneficio legis & inuentarij. Maximè verò si sint illi in possessione bonorum omnium paternorum, sed cum hoc tamen temperamento, vt non quantitatis totius prodote vel doario debitæ prouisionalis fiat adiudicatio, sed dimidiatæ duntaxat, & ad eam vsque quantitatem, quæ interim alendæ mulieri sufficere posse videatur. *Ita Senatus* contra D. fratres de Clermont, ante Id. Sept. 1613. Iunge Defin. 4. *sup.* & Defin. 18 & 20. *infr. de reb. author. iudic. possid.*]

DEFINI-

DEFINITIO XLI.

Non amittit rei legatæ dominium legatarius, qui patitur rem legatam describi in solemni inuentario bonorum hæreditariorum.

LEgatarius, qui agnito legato passus est rem legatam describi in solemni inuentario & æstimari, non adeo sibi præiudicat, vt legati quod iam acquisiuit iacturam faciat,[1] nec si nullam adhibeat protestationem,[2] multo magis si de iure suo sit protestatus.[3] *Ita Senatus* in causa N. Juliani de Pradel & N. Anthenotis de Veygie 24. julij 1595.

1 Id enim special ter, constitutum est in tutore, qui patitur rem suam describi in inuentario pupilli *l. vltim. C. arbitr. tutel.* Non enim hic est vnus ex modis acquirendi aut amittendi dominij. Præsumptio sane est contra ipsum: Et ideo tenetur ille probare suum dominium.

2 Protestatio enim tum maxime necessaria est, cùm agitur de ea re quæ nuda voluntate amitti posset, quale est ius pignoris, *l. item liberatur 6. l. sicut* 8. §. *non videtur, l. voluntate* 10. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* Alia dominij ratio est, *l. differentia* 17 §. 1. *D. de acquir. poss.*

3 Protestatio enim conseruat ius protestantis, *l.* 4. §. 1. *D. quibus mod. pign vel hypoth soluit. l. item si* 14. § *plerique de relig. & sumpt. funer, l. pro herede* 20. *de aequ. rer. domin.*

DEFINITIO XLII.

Mulier substituta posthumo instituto non potest hæreditatem acquirere, neque suo, neque posthumi sui nomine, quousque sciatur, an sit prægnans, nec proinde beneficium inuentarij implorare.

CVm quis posthumum hæredem scripsisset, si vxorem grauidam esse contingeret, sin prægnans non esset vxorem ipsam instituisset, petebat mulier, vt sibi liceret solemne inuentarium conficere tanquam hæredi, aut ex propria persona si prægnans non esset, aut nomine posthumi si prægnans reperiretur, placuit non posse eam sub huiusmodi alternatione adire hæreditatem,[1] nec proinde inuentarij beneficium, quod non nisi hæredibus competit,[2] implorare; sed ante omnia declarare eam debere vtrum prægnans sit, nec ne.[3] Nam si nec is, qui hæres scriptus & proximus agnatus est non prius adire potest hæreditatem, siue ex testamento, siue ab intestato, quam de iure suo certus sit,[4] quanto minus poterit quis aut suo, aut pupilli nomine hæreditatem prius acquirere, quam sciierit an sibi, an pupillo delata sit hæreditas?[5] Nam etsi reuera mulier prægnans sit, dandus est curator ventri,[6] præsertim petente eo, qui se dicit fideicommissarium, ne subiiciatur partus.[7] Itaque, vt hoc ipsum sciatur an prægnans sit necne, si dicat se dubitare, inspiciendus venter est, eaque res obstetricibus committenda,[8] nimirum si triginta dies præterierint, qui edicto prætoris in eam rem præstituti sunt.[9] Quid igitur si nondum illi triginta dies præterierint, an cogenda erit vidua dicere an prægnans sit necne, an dubitet? Minime.[10] An interim igitur poterit vrgere confectionem inuentarij? Multo minus.[11] Sed expectandum omnimodo erit, vt sciatur an prægnans sit necne.[12] In eo namque differt inuentarium solemne ab eo, quod plerumque fieri solet ad saluum ius habentis. Solemne enim non fit ad saluum ius habentis, sed hæredis quo postulante fit,[13] aditamque hæreditatem esse necesse est, priusquam confici possit. Itaque hoc ipso, quo quis admittitur ad confectionem eiusmodi solemnis inuentarij habetur pro hærede.[14] *Ita Senatus* 24. Febr. 1596.

1 Nam cum hereditatis aditio sit actus legitimus non recipit conditionem, *l. actus legitimi* 77. *de reg. iur.*

2 *E. vlt. C. hoc tit.*

3 *L. 1. cum ibi not. D. de ventr. in possess. mittend.*

4 *L. nec is* 13. §. 1. *l. si is ad quem* 22. *l. hæres institutus, l. illud* 77. *D. de acq. hered.*

5 Debet enim quisquis adit certus esse de iure suo, *l. in qui putat* 15. *cum duabus seqq. l. cum falsum* 46. *& pass. D. eod. tit.*

6 *L. 1. §. quoties autem venter. D. de ventr. in poss. mitt.*

7 *L. vlt. D. de ventr. inspic.*

8 *L. 1. & tot. ill. cod. tit.*

9 *d. l. 1. §. meminisse.*

10 Nec enim aufferendum ei est priuilegium temporis quod habet ex edicto prætoris.

11 Cum non possit fieri inuentarium ex beneficio, *l. vltim. C. hoc tit.* nisi post acquisitam demum hereditatem, cum nec tempus conficiendi inuentarij currere incipiat nisi ab adita demum hæreditate, Gloss. Bartol. & alij *ad dict. l. vltim. per ill. text.*

12 Quasi sit hoc necessarium antecedens.

13 Licet fiat etiam in vtilitatem omnium creditorum & legatariorum, & cæterorum, si qui sint qui prætendant ius & interesse in hereditate.

14 Cum id beneficium non competat nisi hæredi, vt diximus.

DEFINITIO XLIII.

Confectionem inuentarij prohibere quis potest tutori, sed non heredi, nisi instituendo eum, sub illa conditione, si inuentarium non confecerit, aut substituendo ei per fideicommissum sub illa conditione, si inuentarium confecerit.

TEstator etsi potest prohibere confectionem inuentarij pupillaris,[1] beneficium tamen, quod Justinianus dedit hæredibus, vt ex inuentario hæreditatem adire possint, non magis prohibere potest,[2] quam facere ne leges locum habeant in suo testamento.[3] Hæredi tamen substitutum dare non vulgarem,[4] sed fideicommissarium potest sub ea conditione, si inuentarium conficere volet, perinde ac sub illa, si nauis ex Asia veniet: An & hæredi & suo eam conditionem adscribere, si inuentarium non fecerit? Quidni vero? perinde ac illam, si in capitolium non ascenderit.[5] Igitur Muciana cautio vtilis erit,[6] stipulatione ab eo interponenda, cui in defectum conditionis acquiri hæreditas possit, siue ex eodem testamento, siue ab intestato.[7] *Ita tractatum est* in secreto auditorio in causa Spect. Dominorum D. de Coudray & D. de Bauo tunc aduocati generalis, nunc in senatu nostro Præsidis clarissimi, 21. Februar. 1596. * Cùm tamen ex postfacto quæstio postea incidisset hærede instituto sub hac conditione non faciendi inuentarij & pluribus substitutis etiam eadem conditione præscripta vt *in l. seius* 27 *ad leg. Falcid.* Senatus conuocatis classibus, pronunciauit valere prohibitionem, non tam quasi verior ex iuris ratione esset hæc sententia, quàm quia temporibus nostris conuenientior, in quibus passim videmus captari hoc beneficium inuentarij in fraudem legis & creditorum, nec cum minore ferè ignominia defuncti, quàm si nullo hærede existente bona ipsius sub hasta venderentur. *Ita Senatus* pro D. Jaquelina de Salins vidua D. Antonij Gaspardi de Riddes, D. de Bleys contra N. Gaspardum de Vergy. Cal. Febr. 1621.

1 *L. vltim. C. arbitr. tutel.* Bart. *in l. nemo potest, num.* 12. *de leg.* 1. Iul. Clar. *in* § *testamentum, quæst.* 66. *numer.* 4. vbi rationem adfert, quod præsumendum sit patrem ita fecisse in fauorem pupilli, cuius potest interesse non pandi secreta patrimonij, addens *num.* 5. *&* 6. idem esse etiamsi testator simpliciter remiserit tutori confectionem inuentarij, sed tamen posse nihilominus iudicem cogere tutorem inuentarium conficere, nempe si iudex videat id expedire pupillo. Ex Bart. *in d. l. nemo potest, num.* 12.

2 Intellige quo minus possit heres etiam inuito testatore beneficium legis & inuentarij implorare. Nam beneficiū legis nemini est aufferendum, *l. 3. de interd. & releg.* Alia quæstio est,

BIU Cujas

an inuentarij confectio possit remitti heredi? Quam tractat Clar. *dict. quæst. 66.* vbi concludit posse remitti in præiudicium legatariorum, & fideicommissariorum, sed non creditorum. Sane vsufructuario remitti necessitas conficiendi inuentarij non potest, non magis quam cautio de bene vtendo fruendo, Iul. Clar. *ibid. num. 3.* post Soc. iun. *cons. 159. numer. 38. lib. 1.* * Vide Ferrer. ad Guid. Pap. *dec. 312.* vbi refert duo arresta curiæ Tholosanæ contra Crauet. *cons. 174.* adde Guid. Pap. *cons. 63.* *Addit Clar. interpretes habere hæc pro synonymis remitti confectionem inuentarij & prohiberi, sed male, nam remittere alicui confectionem inuentarij nihil aliud est quam facere illi potestatem non describendi inuentarij si nolit, Prohibere autem est impedire ne possit ille facere etiamsi maxime velit. Itaque prohibere heredi confectionem inuentarij nihil aliud est quàm eum onerare vt inuitus cogatur satisfacere insolidũ creditoribus omnibus & legatariis. Quod à testatore iuberi posse plerique putant, & consequenter inuentarium prohiberi eodem prorsus iure quo potest testator legare etiam heredis. Sic enim illi argumentantur, vt videre est apud Mich. Grass. *in art. inuentarium quæst. 2. in fin.* Franc. Marc. *quæst. 845. numer. 8.* Et fusius Crauet. *cons. 147. à numer. 3. vsque ad fin.* vbi multis rationibus nullum tamen allegans authorem, nititur hoc probare contra Guid. Pap. *cons. 63.* qui tamen & ipse nullum citat sententiæ suæ authorem, nisi Angel. pro Bald. *in l. vltim. C. arbitr. tutel.* vbi sic Baldus sentit sibi tamen idem ille contrarius *in l. cum tale 72 §. 1. de cond. & demonst.* Audio tamẽ Guidonis Papij sententiam vt veriorem plerisque Gratianopolitanæ Curiæ decretis sæpius ac sæpius comprobatam, Improbatis etiam omnibus illis dispositionibus, quibus adimitur hereditas in pœnam confecti inuentarij, siue imponatur simpliciter pœna priuationis, siue fiat per modum conditionis aut vulgaris substitutionis. Cui sententiæ facilè ego quoque subscriberem. Conuenit enim magis cum iuris ratione, quia nec valent quæ pœnæ nomine contra leges constituuntur, *l. vnic. C. de his quæ pœn. nomin. l. Seius 27. vbi DD ad leg. Falcid.*

3 *L. nemo potest 55. de leg. 1.*

4 Quia vulgaris substitutio expirat adita hæreditate, *l. post aditam 5. C. de impub & aliis subst.* non potest autem inuentarium confici nisi ab eo, qui iam agnouerit hæreditatem, vt dixi *Definit. præced.* qui autem semel heres fuit non potest postea desinere, *l. ei qui soluendo 88. de hered. instit. Clar. dict. quæst. 66.*

5 Potest enim testator quam velit conditionem institutionis adscribere dum ne sit cõditio illa legibus aut bonis moribus improbata, *l. filius 15. & pass. D. de condic. instit. & tit. C. de condic. insert.*

6 Cuius solet vsus esse necessarius in omnibus conditionibus non faciendi *l. Muciana 7 vbi not. D. de cond. & demonst.* Solet quidem addi, *& quæ alterius morte impleri non possunt, l. cum tale 72. in princ. & §. 1. eod.* Hæc autem potest impleri viuo herede, scilicet si intra tempus præstitutum non fecerit inuentarium. Sed tamen quia non potest impleri ante aditam hereditatem, nec hereditas adiri ante impleram conditionem, necesse omnino est alterutrum dicere, vel cautioni Mucianæ locum esse, vel sub impossibili conditione institutum heredem videri, vt *in l. 4. §. vltim. D. condic. instit.* ac proinde institutionem pro pura habendam, *ex l. 1. eod. tit. l. 3. de cond. & demon.* Idque ego sane magis probabam per *text. in d. l. 4. § vlt.* Eo nimirum casu quo quis sub ea cõditione institutus esset ex asse, non etiam si haberet coheredem. Adde *d. l. Muciana 7. §. 1. de cond & demonstr.*

7 *Ex reg. l. is cui sub conditione 18. eod. tit. de condit. & demonstr.* * Vide Phanucium de Phanuciis *in tractat. de inuentario heredis. parte 2. n. 69.* vbi multos citat pro sententia Guidonis & Ferrerij *loco supradicto.*

DEFINITIO XLIV.

Hæres pure non eo minus potest deducere res sibi donatas, siue inter viuos, siue mortis causa.

DOnatarius, idemque à donatore hæres institutus, & de restituenda hereditate rogatus, licet hæreditatem pure agnouerit non implorato beneficio legis, & inuentarij, non ideo tamen cadit à iure sibi per donationem quæsito,[1] quia confusio, quæ fit per aditionem, non impedit quo minus hæres sibi consulere possit per deductionem, & retentionem,[2] nisi proponas ipsas quoque res donatas nominatim per fideicommissum relictas fuisse.[3] Postquam placuit res quoque heredis legari posse & fideicommitti.[4] Nec distinguendum est an donatio inter viuos facta fuerit, an mortis causa,[5] nec proinde an inter viuos pure facta sit, an sub conditione.[6] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Lorme & Syndicorum de Montmilian, 6. April. 1596.

1 Per quod beneficium si id imploraſſet poterat impedire ne actiones confunderentur. *l. vlt. §. in computatione, C. hoc tit.* Quod olim diuersum erat, licèt non confunderentur etiam ad agendum actiones, ad finem retinendi, quoties per aditionem hereditas re quidem acquirebatur, sed non permanenter, vt *§. num. prox.* nam cum permanenter acquirebatur, permanenter quoque & in perpetuum actiones, & personales, & hypothecarias confundi necesse erat, &c.

2 *L. in imponenda 6. l. irritum 8 C. ad leg. Falcid. l. Stichum 95. §. additio, de solut.* Afflict. *dec. 237.*

3 *L. sequens quæst. 63. in fin. de legat. 2.* Alioqui non videtur testator heredem grauasse, vt res sibi donatas restitueret, cum sint extra causam bonorum defuncti, *d. l sequens quæstio, & l. coheredi 4 §. cum filio, de vulg. & pup. subst.*

4 *§. non solum, Inst. de legat. l. vnum ex familia 67. §. si rem, de leg. 2.*

5 Quia nec donatio mortis causa venit in fideicommissum, præsertim si facta sit extra testamentum, quia licet in plerisq; habeat naturam vltimæ voluntatis, tamen in quibusdam accedit ad contractus, *§. 1. vbi not. Inst. de donat. l. vltim. C. de mort. caus. donat.*

6 Nam inter viuos potest fieri donatio etiam sub conditione, *l. 1. C. de donat. quæ sub. mod. vel condit.* adeoq; ita vt non incipiat obligatio nisi post mortem donatoris. Not. *in l. vnic. C. vt act. ab hered. & contr. hered. incip.*

DEFINITIO XLV.

Hæres, qui pure adiit damnosam hereditatem, nec falcidiam deducere potest, nec recusare quo minus res suas alij legatas præstet. In eoque deterioris conditionis est, quam extraneus, qui rem suam legari passus est.

QVi ex hæreditate restituenda fideicommissum antiquius æris alieni loco deducere potuit, si eam hæreditatem pure adierit, non implorato beneficio legis & inuentarij, perinde quidem habet ius deductionis,[1] sed tamen si ab eo legata relicta sint, neque falcidiam deducere potest,[2] neque recusare quo minus de suo præstare debeat integra legata, etiamsi hæreditas non sit soluendo, idque noua Iustiniani constitutione factum est,[3] abrogato hic parte iure vetere.[4] Quid vero si testator hæredis proprias res nominatim legauerit? (Dico nominatim, quia in dubio credendus non est hæredem suum in rebus propriis oneraſſe[5]) hæres adeundo hæreditatem pure videtur vtique consentire legato, & obligatur omnimodo, vt legatum præster.[6] Non idem est si alius quam hæres consenserit, vt res sua ab altero alteri legaretur. Is enim consensus nocet tantum consentienti, vt possessionem, quam legatarius iam nactus sit, ab eo auocare non possit:[7] Sed non dabit ea res actionem legatario aduersus dominum, qui legato consensit,[8] quoniam qui consentit leganti non contrahit,[9] sed tantum patitur.[10] Quid ergo si proponas legatam rem eius, qui heres quidem institutus sit, sed ex certa re?[11] Idem iuris constituendum videtur, quod constitueretur, si non hæres sed legatarius proponeretur: Hæres enim ex certa re scriptus alio herede instituto non nisi legatarij loco habetur.[12] *Ita tractatum est* Pridie Calend. Aug. 1596.

1 Secundum ea quæ diximus *Defin. prox. præced. ex l. in imponenda 6. & l. irritum 8. C. ad leg. Falcid.*

2 Cuius scilicet deducendæ ius hodie soli ei competit, qui beneficium legis & inuentarij imploravit, *l. vlt. §. pen. C. hoc tit. & Nouell. 1. de hered Falcid.*

3 *d. l. vltim. ante fin. C. hoc tit. & dict. Nouell. 1. de hered & Falcid.*

4 Nec enim poterat quis grauari legatis & fideicommissis supra eam

supra eam quantitatem, quæ esset in patrimonio, *l. in ratione 11. §. quod vulgo. D ad leg. Falcid.*

5 *L. sequens quæst. 68. de legat. 2.* licet cum quis legauit rem alij heredis non sit distinguendum, quomodo alias distingui solet, an sciuerit heredis sui esse an ignorauerit, *l. vnum ex familia 67. §. si rem, eod. tit.*

6 Intellige si adeat ex testamento Secus enim est si adeat ab intestato quoties id facere potest impune ad excludendam fraudem, quam alicui pateretur, *l. cum pater 77. §. Titio fratri ante pen. eod tit. de legat. 2.*

7 Quoniam qui consensit si agat & rem suam vindicet potest repelli per doli mali exceptionem, *l. apud Celsum 4 §. quæsitum est si cum, D. de doli mal. excep.*

8 Neque enim sola voluntate quisquam amittit dominiũ rei suæ, *l. differentia 17 § 1. D. de acquir. poss l. traditionibus 20. C. de pact.*

9 Vnde etiam est quod dicimus, aliud esse vendere, aliud vendenti consentire, *l. aliud est vendere 160. de reg. iur.* Est que longe difficilius, vt non possidenti detur actio, quam vt possidenti detur retentio, *l. 1. D. de pignor.*

10 Patientia verò sola numquam contractus est, nisi in iis contractibus, qui sola voluntate perficiuntur, vt *in l. qui patitur 18. D. mandat.*

11 Quem constat haberi loco legatarij quoties aliquis alius aut ex asse institutus est, aut ex parte aliqua hereditatis, *l. quoties 13. C. de hæred. instit.* vt sequitur *in D. finit.*

12 *d. l. quoties*, quamuis etiam heredis loco in plerisque habendum eum esse tradat Bart. *ad d. l. quoties, & ad l. ex facto 35 D. de hered. instit.*

[DEFINITIO XLVI.

TEmpus quod datur heredibus ad deliberandum non currit quidem nisi ex quo petitum & concessum fuit, licet multo ante tempore sciuerit hæres sibi delatã hæreditatem.[1] Tamdiu enim tacere illi permittitur quandiu liberum ei est adire hæreditatem, id est, vsque ad 30. annos.[2] Si non interim vrgeatur à creditoribus aut legatariis, vt cogatur ipse tempus certum petere,[3] aut arctetur postulantibus illis, vt intra certum tempus deliberare iubeatur.[4] Sed tamen si constet aliquot menses iam præterisse,[5] vt toto illo medio tempore potuerit deliberare, boni iudicis est petenti postea tempus ad deliberandum tanto brevius concedere,[6] habita scilicet ratione eius quod fluxit à die non delatæ hæreditatis sed scientiæ.[7] *Ita Senatus* ex tempore pro illustri D. Ludouico de Seillel, Barone d'Aix & Desaires, 16. Jun. 1612.

1 Mich. Graff *lib. 1. Sent. artic. ius deliberandi quæst. 3. n. 4.* Bart Bald. Alex. Ias. & alij ad *l. si seruus, D. de iur. delib.*

2 *L. si curatorem 9. l. licet 8. C. hoc tit.*

3 *Vt in l. & quia de inter. in iur. fac.*

4 *L. 1. & pass. D. hoc tit.*

5 A die scilicet scientiæ. Non enim potest ignorans deliberare, non magis quam aut adire aut repudiare, *l. quoniam 7. C. eod. l. qui hereditatem 19. D. de acq. vel omitt. hered.*

6 Est enim hoc in potestate & arbitrio ius dicentis *l. 1. in fin. & seq. D. eod. l. vltim. §. & hæc quidem C. eod.* Et pro arbitrio iudicis potest vel prolongari vel breuiari. Graff. *dict. quæst. 3 num. 6. & 7.*

7 Quia toto illo tempore potuit deliberare, ita vt si eo tempore decessisset, vtique transmisisset tanquam deliberans ius deliberandi etiam non petitum ad suum heredem, *l. cum antiquioribus 19. C. hoc tit.* Glos. *in d. l. vlt. § sin autem ad fin. in verb. obseruauerint C. eod.*]

TIT. XII.

DE REPVD. VEL abstin. hæred.

DEFINITIO I.

Qui bona hæreditaria possidet, si sit habilis ad succedendum præsumitur in dubio ea iure hæreditario possidere.

BOnorvm possessor hæreditariorum, si alium possessionis suæ titulum non proferat,[1] iure hæreditario possidere credendus est,[2] si aut institutus hæres sit, aut legitimus. Præsumitur enim quilibet eo titulo possidere quo potest, & de quo constat.[3] Itaque aditæ hæreditatis probatio non male ex eo inducetur.[4] *Ita Senatus* in causa Roletæ de Goueuodo contra Vicecomitissam de Salins, 12. Calend. August.[5] 1592.

1 Nam si constet de vero titulo, nullus præsumptioni locus relinquitur, & ex illo titulo, qui probatur, possessio æstimanda est. Vide *l. 1. C. hoc tit.*

2 Ponimus enim talem esse possessorem cui delata sit hæreditas, & qui nulla re prohibeatur quo minus heres esse possit, *l. delata 151. de verb signif. d. l. 1. C. hoc tit.* Glos. *in l. pro herede 20. §. 1. D. eod.*

3 *L. quadam mulier 77. D. de rei vendic. l. merito 51. D. pro socio.*

4 *L. gerit 88.* iunct. *l. præced. & l. pro herede 20. D. de acquir. hered.* Iunge *l. si quis extraneus eod. l. 1 & 2.* vbi Castr. & Corn. *C. eod. tit. de repud. vel abst. hered. l. 3. vers. & quod de subeunda. C. de nat. lib. §. fin. Instit. de hered qual. & differ.* Bald. *cons. 52. vol. 1.* Socin. *cons. 8. n. 1.* [Nec aliud est etiam si habuerit ius possidendi & retinendi bona paterna pro dote matris. Præsumitur enim potius ea possedisse iure hereditario, & tanquam sua, quàm iure creditoris & quasi sibi obligata, Nisi expressim fuerit protestatus ea se retinere velle iure pignoris: Adeò vt nec sufficiat quod inter amicos sæpius in familiari colloquio dixerit nolle se paternam hereditatem agnoscere. Testatio enim illa & protestatio solemniter fieri debet, & in iure apud Prætorem, vt olim *repudiatio l. 4. Cod. hoc tit* & abstentio *l. pen. de auth. iuror.* Aut saltem post sublatas omnes istas verborum solemnitates conuocatis in eam rem testibus, & vt fieri frequentius solet coram notario, vt de eo constare possit ex scripto, & per probationem cuius fides suspecta esse non possit ne quid prælato die factum dici queat, *arg. d. l. pro hærede l. & si quis 4. §. plerique D. de relig. & sumpt. fun. l. §. editiones, D. de edend.* Alioqui facile erit etiam post longam immixtionem reperire duos aut tres qui dicant se audisse filium dicentem nolle se paternam hereditatem agnoscere *arg. l. Diuus 24. D. de testam. milit.* Sunt autem ista certiora, si ponas filium ex bonis paternis quæ paterna esse sciuerit aliquid vendidisse priuata venditione. Credendus enim est vendidisse tanquam rem suam potiùs, quàm quasi alienam, Scilicet si vendiderit simpliciter, & vt vulgo notarij scribunt, omni meliori modo quo fieri venditio potest. Nec enim potest creditor pignus vendere ius creditoris, nisi publico programmate proposito & admonito debitore, & sub hasta *l. 1. 3. & pass. C. si vend. pign. agat. l. si eo. 6. l. 8. C. de remiss. pign. l. & qui 10. C. de distr. pign.* Præsertim verò si de euictione se obligauerit, ad quam scilicet creditor non tenetur, *C. hoc tit. credit. euict. pignor. non deber.* Illud planè requiritur vt filius sciuerit esse paterna bona quæ vendidit Aliud enim est si putauerit esse materna, *l. eum bonis 87. C. hoc tit.* iunct. *l. si is qui bonis 91. eod. Ita Senatus* pro Gonina Pellarin, contra Glaudium Gay, Idib. Maij 1614.

DEFINITIO II.

Possunt liberi quos nondum constet abstinuisse, conueniri tanquam heredes, nec si dicant se abstinere prius sunt absoluendi quam curator datus sit hereditati, secus in extraneis.

ITem aduersus eum institutam qui decessit superstitibus liberis prosequi actor potest contra liberos tanquam heredes,[1] in eamque rem petere, vt ad iudicem euocentur: nec periculum expensarum veteri debet,[2] si forte abstinuisse paterna hereditate postea probentur. Iusta enim præsumptio est, Patris heredem esse eum qui sit filius, licet possit abstinere,[3] nisi à quo tempore certum esse incipit abstinuisse.[4] Quid igitur si pendente lite dicat filius se abstinere, nec probari possit immixtio?[5] Nullam eo nomine expensarum condemnationem pati actor debet.[6] At neque absoluendus est filius ab obseruatione iudicij, priusquam hereditati iacenti curator datus sit.[7] Quid enim si curator datus docere velit præcessisse

BIU Cujas

immixtionem,[8] aut, quod in filio idem est, amotas ab eo ante abstentionem res hereditarias?[9] Condemnandus adhuc erit filius tanquam hæres.[10] Nam & ad eius, qui heredis curator datur, officium pertinet, vt si fieri possit, agnitam probet hæreditatem, cum ea ratione futurum sit, vt idonea & soluendo fiat hæreditas, quæ alioqui soluendo non esset:[11] Siquidem verum est, quod vulgo dici solet soluendo esse hæreditatem, quæ habet heredem nullo legis & inuentarij aut in integrum restitutionis beneficio adiuuandum.[12] In extraneo hærede secus est. Neque enim tanquam heres conueniri potest, quin heres probetur,[13] & deficientibus actori probationibus adiræ hæreditatis, expensarum condemnatio actori qui male egit remitti non potest,[14] si non probabilis fuerit causa litigandi.[15] *Ita Senatus* ex tempore 5. Cal. Febr. 1589.

1 Quisquis enim filius est hoc ipso probatur suus hæres, *l. in suis* 11. *D. de liber. & posth. l. in suis* 14. *D. de suis & legit.*

2 Quod vtique incurreret si in ius vocaret aliquem tanquam hæredem, qui tamen hæres non inueniretur.

3 *L.* 1. *§ qui sunt in potestate, D. si quis omiss. caus. testam.* Imo & filius postquam se abstinuit adhuc heres est, *l. cum quasi* 30 *§. sed etsi suus, D. de fideic. libert.*

4 Non quasi per abstentionem desinat heres esse, *dict. §. sed etsi suus*, sed quia post abstentionem non habetur heredis loco: *si filius* 12. *de interrog. in iur. faciend. l. necessariis* 57. *D. de acquir. her.*

5 Quæ tamen cum sit facti probari debet, *l.* 1. *C. si min. ab hered. se abstin.*

8 Quia non requiritur immixtio, vt filius sit heres, sed vt non possit se abstinere, *d. l. necessariis.*

7 Eo siquidem iure vtimur, vt hereditati etiam quæ habet suum heredem tanquam iacenti curator detur, vt scripsi *in* 1. *part. Chiliad de error pragmat.*

8 Interest namque hereditatis, vt habeat suum heredem non tantum nomine sed etiam effectu, vt videatur soluendo, *l.* 2. *§. adoptiui ad SC. Tertyll. l libertus* 36. *de bon. libert.*

9 Si enim post abstentionem amouerit eas res, non inducit immixtionem *l. si quis seruum, §. vlt. D. de acq. hered.*

10 Non tantum ciuili iure, quod non sufficeret, sed etiam prætorio, quia actiones à prætore dantur, *d. l. necessariis.*

11 *L. quæ dotis* 33. *D. solut. matrim.*

12 *d. l. libertus* 36. *de bon. libert. l.* 1. *D. ad leg. Falcid.*

13 Quia in extraneis nemo heres esse præsumitur, *l. quia difficiles, D. de interrog. in iur. fac. l.* 2. *C. de iur. delib. l. pro herede* 20. *de acq. hered.*

14 *Ex reg. l. eum quem temere* 79. *de iudic.*

15 *L. qui solidum* 78. *§. etiam, de legat.* 2.

DEFINITIO III.

Sui hæredes præsumuntur se immiscuisse, nisi cum hæreditas damnosa est aut onerosa.

LIberi, qui in potestate defuncti sunt mortis tempore, statim & ipso iure hæredes sunt, siue ex testamento si instituti proponantur, siue ab intestato si intestatus pater decesserit.[1] Nec quod se possunt abstinere quicquam facit.[2] Si tamen dubiteretur an se immiscuerint, an abstinuerint, ea præsumptio capienda est, quæ fauorabilior videatur, vt se immiscuisse credantur, si lucrosa & compendiosa sit hæreditas, abstinuisse vero si aut damnosa sit aut onerosa.[3] *Ita Senatus* in causa Goninæ Iartin & Claudij Petit feu. Idib. Julij 1592.

1 *L. in suis* 14. *D. de lib. & posthum. l. necessariis*, 57. *D. hoc tit.*

2 *L.* 1 *§. qui sunt in potestate D. si quis omiss. caus. testam.*

3 *L.* 1. vbi Bart. & cæteri, *C. si vt min. se ab hered abstin.* [Intellige tamen, nisi liberi attigerint bona paterna sine protestatione. Tunc enim credendi sunt, se immiscuisse, nec postea causari possunt, quod ea bona possederint tanquam obligata pro dote matris, aut quo alio iure, vt scripsi *Defin.* 1. præsertim *num. vlt. supr. & Defin.* 8. *f.* *Ita Senatus* ex tempore 17. Iul. 1614. Iunge *Defin.* 9. *infr.*]

DEFINITIO IV.

Aduersus omissum inuentarij beneficium restitui maior non potest.

MAior annis viginti quinque si delatam sibi hæreditatem pure & simpliciter adierit petere postea non potest, vt liceat sibi legis & inuentarij beneficium implorare non magis, quam vt ad hæreditatem repudiandam admittatur.[1]

1 Dixi *Defin.* 7. *§. de iur. deliber.* vbi vide.

DEFINITIO V.

Casus quo is, qui hæreditatem possedit tanquam ab intestato potest admitti ad successionem testati, adeoque cum beneficio inuentarij etiam citra restitutionem.

QVi tanquam agnatus proximus hæreditatem ab intestato possidebat ignorans testamentum, quod vtiliter factum postea apparuit, si eo testamento idem ipse scriptus reperiatur, hæres quidem manet,[1] cum superueniens testamenti causa faciat quo magis non quo minus hæres esse debeat, qui semel esse voluit,[2] sed tamen optio ei relinquitur, an ex testamento, an ab intestato hæres esse malit,[3] quamuis vtroque casu perinde creditoribus ex ratione iuris & legatariis ex edicto teneatur.[4] Quæres facit, vt legis & inuentarij beneficium quod ab initio non imploravit saluum quidem ei esse debeat,[5] sed tamen propter legatarios tantum, de quibus ante exhibitum testamentum nihil suspicari poterat,[6] non etiam propter hæreditarios creditores, quippe quorum ius ex testamento non pendeat,[7] tametsi proponas testamento declaratos creditores plerosque, qui antea ignorabantur. Cum in eam nimirum rem comparatum sit beneficium inuentarij, vt aduersus latens incertumque alieni æris periculum sibi prospicere hæres possit.[8] Itaque, quod nouum magis quam mirum est, alio iure hic hæres quod ad legatarios, alio quod ad creditores censebitur.[9] Nam & si beneficium inuentarij non induxisset, deferti ei conditionem oporteret num hæreditatem mallet omittere, ne alioqui testamentariis oneribus inuitus obligaretur, qui se ab intestato hæredem putabat.[10] Neque stricta iuris ratio refragari videretur, quæ hæreditatem semel quæsitam repudiari posse non patitur.[11] Nec enim quæri potuit hæreditas ab intestato priusquam ex testamento repudiata esset,[12] Neque rursus ex testamento repudiari ab illo qui sibi eo iure delatam ignoraret.[13] *Ita Senatus* pro Perroto, contra Dominos Senatores Dauise & de Beausiour, 15. Calend. Junij 1590.

1 Nam ex communi ratione iuris qui semel heres fuit, siue ex testamento, siue ab intestato, semper heres perseuerat, *l. ait prætor* 7. *alias l. etsi sine, §. sed quod Papinianus, de minor. l. ei qui soluendo* 88. *de hered. instit.*

2 Tanquam cui delata fuerit hæreditas duplici iure, ex testamento scilicet & ab intestato, *l.* 1. *D. de hered. petit. l.* 2. *fam. ercisc.*

3 Quia neque potuit adire ab intestato nisi repudiata prius successione testamentaria, nec rursus repudiare testamentariam priusquam sciret sibi delatam, vt scriptum est in fine huius Definitionis.

4 *L.* 1. *& tot. tit. si quis omiss caus testam. D. & C.*

5 Tamdiu enim competit quamdiu ab eo excluius non est hæres aut repudiatione, aut tempore, quorum neutrum hic dici potest, *l. vlt. C. de iur. delib.*

6 Vt scilicet improuisi oneris ratio habeatur. Nam quæ de nouo emergunt nouo indigent auxilio, *l. de ætate* 11. *§. ex causa, D. de interrog. in iur. faciend.*

7 Eorum enim nihil interest, an adeatur necne hereditas, eum æque

BIU Cujas

cum eque possint suum consequi ex distractione bonorum hereditariorum, *l. paterfamilias 28. de rebus auctor. iud. possid. alius l. 13. de priuileg. credit.*

8 *L. vlt. C. de iur. delib. l. 4 D. ad SC. Treb.*

9 Nam & olim creditoribus tenebatur hæres in solidum, etiamsi soluendo non esset hereditas, *l. quæ dotis 33. solut. matrim.* legatarius vero non item, *l. in ratione 11. §. quod vulgo. ad leg. Falcid.*

10 Nec enim ab intestato legata vlla deberi possunt adeoque nec relinqui, si inspicias iuris veteris rationem, *l. illud 13. §. 1. l. vlt. ff. de iur. codicill.*

11 *L. sicut 4. C. hoc tit. cum similib.*

12 *L. illud 77. D. hoc tit.*

13 Ignorantia enim & acquisitionem impedit & repudiationem, *l. nec is 17. §. 1. & seqq. ff. hoc tit.* Vide tamen Cravet. *cons. 324. n. 1.* Vbi defendit heredem statim atque adit hereditatem siue ex testamento, siue ab intestato debere inuentariũ conficere, cum certum sit, eum omnimodo futurum hæredem, maxime si nemo inuentarij confectionem impediat.

DEFINITIO VI.

Qui disputat de viribus testamenti, hoc ipso fit hæres ab intestato, si hæres esse velit, & testamentum tandem probetur non valere.

ALia causa est eius, qui testamentum, in quo alios hæres scriptus erat, impugnauit, vt se ab intestato hæredem faceret, siue nullum, siue falsum testamentum dixerit. Hic enim etsi ob litem in dubio constitutus videtur, vt hæreditatem adire nequeat, vtpote de testamenti viribus dubitans,[1] hoc ipso tamen, quod impugnat testamentum, cum sit capax hæreditatis ab intestato acquirendæ, fit heres ab intestato si testamentum non valeat. Quæstio enim de iure testamenti facit dumtaxat ne ex testamento quisquam interea hæres esse possit, licet testamentum valeat, non autem ne ab intestato hæres sit, qui proximior est, si testamentum non subsistat.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. nec is 17 in princ. iunct. l. seq. l. si is ad quem 22. vers. veluti agnatus proximus l. 23. l. cum falsum 46. l. eum qui 51. l. in plurium 70. l. pater 93. l. Clodius 97. vers. dicebam, ff. hoc tit.* Guill. Bened. in verb. *mortuo itaque testatore 1. num 356.* Iunge textum elegantem *in l. scriptus 12. de Carbon. edict.*

2 Vt enim quis heres sit ab intestato sufficit, vt nihil sit quod impediat delationem successionis ab intestato, quam vtique nihil impedit, cum certum est testamentum non valere, itaque facilius est, vt impediatur acquisitio hereditatis testamentariæ. Nullitatis tamen quæstionem non impedire additionem ex testamento ait Bald. *in l. 3. per ill. text. C. hoc tit. in 3. notab.* vide Bart. *in l. gerit. num. 19. & 31. ff. eod. & in l. filio præterito numer. 24. de iniust. rupt.* Vide *l. 2. C. de iur. & fact. ignor.* Certe ignorantiam hæredis non impedire successionem intestati apparet ex *l. si filius 16. de liber. posthum. l. vltim. C. de condit. instit.*

DEFINITIO VII.

Ex sola aduersarij confessione hæres nemo fit, & probatur erronea confessio hoc ipso, quod qui se talem dicit non probat.

NEmo ex sola aduersarij confessione fit hæres, tametsi ex testamento, aut ab intestato delata ei sit hereditas. Heredem enim non delatio facit, sed acquisitio hereditatis,[1] quæ non nisi per additionem fit in extraneis hæredibus.[2] Ergo multo minus proderit aduersario confessio ei, qui probare non possit delatam sibi hæreditatem, siue ex testamento, siue ab intestato.[3] Hoc ipso enim probatur confessio erronea, quod qui hæredem se dicit, se talem non probat.[4] Itaque si conuentus ego à te tanquam hærede Titij procuratorem in iure constitutum, & in ipso actu constitutionis Titij hæredem te nominauerim, nocere mihi nominatio non debebit, quæ minus vtique quam confessio est.[5] Nam etsi partem debiti tibi vt hæredi soluissem, non idcirco reliquam partem soluere cogendus essem. Quinimo solutam indebitam repetere possem te nihil probante.[6] Denique quamdiu non apparet, an heres sit necne, nulla ratio est, vt condemnari debeam, siue per diffinitiuam, siue per interlocutoriam iudicis sententiam, quia de personis ante omnia quærendum & cognoscendum est,[7] nec si satisdationem offeras, vt interlocutoriam feras condemnationem, prodesse tibi ea res debebit,[8] vt legitimam ad agendum personam habere videaris, quam reuera non habes.[9] *Ita Senatus* ex tempore Non. Iuniis 1590.

1 *L. delata 151. de verb. signif. l. nec emere 16. Cod. de iur. delib.*

2 Aut gerendo pro herede, *l. pro herede 20. l. gerit. 88. & pass. D. hoc tit. l. in suis 14 de suis & legit.*

3 Prius enim est, vt delata sit hereditas, quam vt heres quis esse possit *l. nec is 17. §. 1. l. si is ad quem 22. l. illud 77. ff. hoc tit. l. 1. 2. & 3. ff. de petit. hered.*

4 Quamuis difficilis sit probatio aditæ hæreditatis, *l. 3. de interrog. in iur. fac.*

5 Verba enim enunciatiua non probant adeo plene, quin admittatur probatio in contrarium. *Not. in l. optimam, Cod. de contr. stipul.*

6 *Tot tit. de condict. indeb.*

7 Vt non prius iuris ratio quam persona quæratur, *l. quidam referunt 14 ff. de iur. codicill.*

8 *Arg. l. 2. ff. vt legat. seu fideic. seruand. cauſ. caueat. & arg. l. testamento 17. 8. non omnimodo, ff. de test. tutel.*

9 Satisdatio enim non prodest ad agendum, nisi vt caueatur de rato, si dubitetur de mandato, *l. 1. C. de procurat.*

DEFINITIO VIII.

Filio qui paterna bona malo more attigit non supereſt beneficium abſtentionis.

SVum hæredem, qui per suppositam matris personam prætextu dotis paternas res diu possederat, omniaque gesserat, quæ post immixtionem gerere potuisset, abstinendi beneficium amisisse constabat,[1] quamuis in extraneo hærede non idem fortasse responderetur. Etsi enim verissimum est quod prudentibus placuit, Bonis se patris miscere videri eum, qui remoto familiæ vinculo pro hærede gerere videretur,[2] facilius tamen filius quam extraneus hæreditati obligatur,[3] quippe qui iam ipso iure sit obligatus,[4] adeo vt dici possit non esse sine hærede eum qui suum hæredem habet, quamuis se abstinentem,[5] licet non habeatur à Prætore hæredis loco.[6] Indeque nimirum euenit, vt suus hæres, qui celandi & subripiendi animo paternas res amouit, prætoris beneficium frustra postmodum imploret,[7] neque tamen similiter extraneus pro hærede gessisse dicatur, ob id solum quod rem hæreditariam subripuerit aut celauerit. Nam imo vero admissum hoc contrariam prorsus voluntatem declarat. Cur enim expilaret aut celaret si hæres esset vellet?[8] Nec filio prodesse potuit, quod cum patri iusta faceret, protestatus fuerat non immiscendi se animo id facere, sed solo intuitu pietatis.[9] Ea siquidem protestatio hactenus ei prodesse debuit ne ex eo actu obligaretur,[10] at non, vt hac indemnitatis fiducia grassandi liberius in paterna hæreditate facultatem nanciscereturr.[11] Alioqui facile esset eo remedio fraudem comminisci, prætorisque beneficium ad iniuriam passim traheretur, quod vtique non est permittendum.[12] Vnde illud etiam est, quod si quis suus dicat hæreditatem se retinere nolle, aliquid autem ex hæreditate amouerit, abstinendi beneficium non habet.[13] Sane si ante immixtionem abstinere se dixisset, facilius admitteretur, vt ob res post abstentionem amotas furti actione creditoribus teneretur, quam vt qui semel abstinuisset ex post delicto

BIU Cujas

obligaretur.[14] *Ita Senatus* pro Barandier, contra viduam Joannis Perier, mense Jul. 1592. Junge Defin. 1. & 3. supr.

1 *L. si is qui bonis 91. D. hoc tit.*
2 *L. eum bonis 84. eod.*
3 *Arg. l. 2. C. de iur. delib.*
4 *L. in suis 14. de suis & legit. l. necessarius 57. ff. hoc tit. l. 1. §. qui sunt in potestate ff. si quis omiss. caus. testam.*
5 *L. cum quasi 10. §. sed etsi sum, de fideic. libert.*
6 *L. si filius 12. de interrog. in iur. faciend. d. l. necessariis.*
7 *L. si seruum 71. §. prator ait, ff. hoc tit.*
8 *L. si quis extraneus 21. eod.*
9 Ex consilio Vlpian. *in l. pro herede 20. §. 1. eod. tit. & in l. etsi quis 14. §. plerique, de religios. & su mpt. funer.*
10 *d. §. plerique.*
11 *Arg. l. quia satisdatio 6. de suspect. tutor. l. duo fratres 78. ff. hoc tit.*
12 *L. Paulus notat 8. de prat. stipulat l. si emancipatio 17. ff. de legat. præst.*
13 *d. l. si seruum 71. §. si quis suus, ff hoc tit.*
14 *Ead. l. si seruum, §. vlt.*

DEFINITIO IX.

Filius, qui possedit bona paterna pro dote matris iam viuo adhuc patre, non videtur se immiscuisse,

NOn idem erit si filius post mortem patris retinuerit sine protestatione possessionem bonorum paternorum, quam viuo adhuc patre occupauerat,[1] pro dote matris ante patrem defunctæ.[2] Id enim vtique suo iure facere potuit, & citra ius ac nomen hæredis,[3] cum idem ius retentionis habeat pro dote materna in bonis paternis, quod haberet mater ipsa si viueret.[5] *Ita Senatus* ex tempore 13. Calend. August. 1593.

1 Scilicet tanquam heres matris *ex l. 1. C. de bon. matern.*
2 Pro qua dote certum est habuisse filium obligata omnia bona patris, ex *l. unic. C. de rei vxor. action.*
3 *L. pro herede 10. §. Papinianus, ff hoc tit.*
4 *L. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.* Nam cui damus actionem de pignore, multo facilius damus retentionem pignoris, *l. 1. ff. de pignor.*

DEFINITIO X.

Filius qui semel se immiscuit non potest exonerare, neque negando se heredem, neque abstinendo.

FIlio, qui paternis bonis se abstinere vult, prodesse non potest, quod post immixtionem ab vno ex creditoribus hæreditariis in iure interrogatus an hæres esset palam negauerat.[1] Etenim præter id quod eo iure vtimur, vt huiusmodi responsiones ad interrogationem vnius ex creditoribus factæ aliis, qui non interrogauerunt, nec prosint, nec noceant,[2] illud etiam constat eum qui semel se immiscuerit abstinere postea non posse, nisi minor ætas inducat beneficium & auxilium restitutionis.[3] Adde quod nemo conditionem suam meliorem facere respondendo potest, deteriorem potest.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra SC. 9.

1 Alioqui expediet ei negare etiam per mendacium, *l. illud 7. § pen. de tribut. act.*
2 *Ex l. vlt. de interrog. in iur. fac.*
3 *L. necessariis 57. ff hoc tit.* vbi tamen excipitur pupillus.
4 *L. & quia 6. §. de interrog. in iur. faciend.*

DEFINITIO XI.

Neque tutor, neque curator aut adire, aut repudiare hæreditatem potest, adeoque nec pater adire cum filio, nec repudiare sine filio.

CVrator hereditatem minori delatam repudiare minoris nomine non potest, quia nec adire posset,[1] adeoque nec auctoritatem minori ad adeundum præstare.[2] Tutor autem etsi hoc plus iuris habet quam curator, quod ad adeundam vel repudiandam hæreditatem accommodare pupillo auctoritatem potest,[3] quia personæ magis quam rebus datur,[4] ideoque supplet facilius ex suo, quod iudicio pupilli deest,[5] ipse tamen nec adire potest, nec repudiare,[6] Quin etsi bonorum possessionem petere potest pupilli nomine,[7] quoniam in petenda possessione minus iuris animique versatur, quam in adeunda hæreditate,[8] repudiare tamen eam nequit, quia repudiatio illa esset alienatio, quæ tutori interdicta est.[9] At nec pater sine filio repudiare potest delatam filio hæreditatem.[10] Quia licet per filium adeuntem possit acquiri hæreditas patri volenti & adire iubenti,[11] per eum tamen repudiatio facienda est, qui ipse adire potest,[12] nec tam cui acquiri possit commodum hæreditatis, quam quis hæres institutus sit, inspiciendum est.[13] Præsertim cum nolente patre hæreditatem sibi per filium acquiri, futurum sit vt filius sibi acquirere si velit possit:[14] quippe qui eo casu capax sit acquisitionis.[15] *Ita in Senatu tractatum est* in ea causa, de qua Defin. 22. infr. de except.

1 *L. per curatorem 90. D. hoc. tit.* etsi vulgo ibi legitur, *per procuratorem*, & male, vt alibi scripsi.
2 *L. cum in vna 17. §. tutor. D. de appell.*
3 *L. More 8. & seq. D. hoc tit.*
4 *L. Quia persona 14. D. de testam. tutel.*
5 *L. in negotiis 5. de reg. iur.*
6 Quia eius est adire vel repudiare, cui lex detulit hereditatem, *l. nec is 17. § 1. & l. seq. D. hoc tit.* lex autem defert hereditatem pupillo, non tutori, *d. l. pupillus 9. ff. hoc tit. l. 5. C. de iur. delib.*
7 *L. tutor. 8. ff. de bonor. poss. l. 1. §. 1 & §. tutor impuberis, de succes. edict.*
8 Vnde est quod etiam seruus potest bonorum possessionem pro alio admittere, *l. seruus 7. in princ. de bonor. poss.*
9 *d. l. tutor, 8. eod. & d. l. 1. §. tutor impuberis, de succes. edict.*
11 *L. qui in aliena 6. l. si quis mihi 25. § iussum, eod. in h. vbi not. C. qui admitt. ad bonor. possess.*
12 *L. is potest 18 D. hoc tit.*
13 Institutum enim esse facti est non iuris. Quæ autem facti sunt non transeunt ad patrem, vt nec ad dominum, *l. qui heredi 44. de condit. & demonst.*
14 Quæ ratio & sententia est, *d. l. is qui heres 13. §. vltim. ff. hoc tit.*
15 *L. cogi 16. § si pater l. Imperator 50 ff. ad SC. Treb. d. l. qui admitt. l. 4. § sed & filius familias ff de edend.*

DEFINITIO XII.

Is, cui delata est hæreditas, si interrogante vno ex creditoribus respondeat se hæredem, conueniri potest tanquam hæres à cæteris omnibus creditoribus.

QVi apud iudicem interrogatus, an filij hæres esset in bonis aduentitiis, responderat se hæredem esse,[1] cum in ea lite tanquam hæres egisset, aut excepisset, ac succubuisset, implorabat auxilium restitutionis in integrum, vt filij hæreditatem repudiare posset,[2] in præiudicium aliorum creditorum, à quibus tanquam hæres vrgebatur. Quidam putabant audiendum esse, si aliud nihil feciſet, per quod pro hærede gessisse diceretur,[3] moti ex eo, quod à prudentibus responsum est, confessionem & responsionem eius, qui alio interrogante dixerit se hæredem, non nisi ei qui interrogauit prodesse debere.[4] Dicebam eum, cui delata est, siue ex testamento, siue ab intestato hereditas, si dicat se hæredem esse velle, siue in iudicio, siue extra iudicium id profiteatur, hoc ipso gerere pro hærede.[5] Quis enim obsecro, apertior aut certior animus ampiectendæ hæreditatis? Adeo, vt etiam filius, qui patris hæreditate se abstinuit, si post abstin-

abstentionem respondérit se heredem, perinde obligetur hereditati acsi non abstinuisset.[6] Nimirum quoniam, qui se abstinuit, quamuis à Prætore heredis loco non habeatur,[7] re vera tamen suus heres manet,[8] ideoque nil obstante abstentione pro herede gerere quandocunque potest.[9] Atqui constat eum qui semel heres factus sit semper heredem manere:[10] neque fieri posse, vt pro parte quis heres sit reuera, quin sit in solidum, quia non potest hereditas pro parte deferri vel acquiri,[11] Longeque aliam sententiam habet responsum illud, quo nostri in contrarium abuntur.[12] Est enim non de illo, qui cum heres esse posset dixerat, se heredem esse, sed de filio, qui neque heres erat, neque bonorum possessionem acceperat, id est, qui heres esse tametsi maxime vellet non poterat.[13] Nam quisquis filius est, is, si neque exheredatus sit, neque emancipatus, haud dubie heres patri est, & quidem necessarius,[14] siue ex testamento, siue ab intestato,[15] nec quod potest se abstinere quicquam facit.[16] Exheredatus autem nec si velit heres tamen esse potest iure ciuili,[17] aut bonorum possessor iure prætorio, nisi prius rescisso per inofficiosi querelam testamento.[18] Emancipatus quoque, cum sit iuri ciuili incognitus, ac pro extraneo habendus,[19] non potest heres esse, nisi cum est institutus, sicut nec extraneus quilibet,[20] sed tantum fieri bonorum possessor iure prætorio ex capite, Vnd liberi.[21] Porro nemo dixerit sic agnosci posse bonorum possessionem, vt quis in iure respondeat se heredem esse:[22] cum neque agnita bonorum possessione heres fiat is, qui agnouit, sed bonorum possessor.[23] Itaque mirum non est filium, qui neque patris heres sit, neque esse possit, ex eo solo, quod se heredem esse falso responderit, non obligari hereditati.[24] Nempe quia prius est, vt heres aliquis esse possit, quam vt ei ex confessione sua acquiratur hereditas.[25] Et tamen non eo minus æquum est, perinde conueniri eum posse ex confessione & responsione sua, acsi reuera heres esset.[26] Non quod eum confessio sola heredem facere potuerit, sed vt ipsi contra se credatur, & propter mendacium.[27] At quoniam id ius non nisi ex interrogatione oritur,[28] illud etiam æquum est ei soli prodesse responsionem qui interrogauit, non item cæteris creditoribus,[29] ne alioqui ex alterius facto alteri quæratur actio, contra iuris regulam.[30] *Ita tractatum est* in causa Ludouici Costerg in relationibus libellorum, 5. Cal. Febr. 1594.

1 Habet enim filius familias hodie in aduentitiis heredem. *Neuell. 118. de hered. ab intest. venient.*

2 Tanquam nondum à se aditam & acquisitam, *ex l. nec emere 16. C. de iur. delib.*

3 Gerit io enim pro herede & facti est, & animi, *l. pro herede 26. in princ. & §. Papinianus, l gerit 88. ff. hoc tit.*

4 *L. vlt. ff. de interrog. in iur. fac.*

5 *§. vlt. Inst. de hered qualit. & differ.*

6 *L. si filius 11. de interrog. in iur. faciend..*

7 Quod ad hoc scilicet, vt paternis creditoribus teneatur, *l. necessariis 57 ff hoc tit.*

8 *C. cum quasi 30. § sed etsi suus, de fideic. libert.*

9 Quamuis non similiter possit è cõtrario se abstinere, vbi semel se immiscuit, nisi pupillus sit aut minor, *d l. necessariis.*

10 *L. aut prætor 7. alias l. et si sine, § sed quod Papinianus, ff. de minor. l. et qui soluendo 88. de hered. inst.*

11 *L. 1. & 2. ff. hoc tit. l. si ex pluribus 9. ff. de suis & legit.*

12 *In dict l. vlt. ff. de interrog. in iur. faciend.*

13 Non enim potest nuda voluntas heredem facere, nisi lex prius detulerit hereditatem, *l. nec is 17. §. 1. l. si is ad quem 22. l. illud 77 & pass ff. hoc tit.*

14 *d. l. necessariis, l. in suis 11. de liber. & posthum. l. in suis 14. de suis & legit.*

15 *L. apud hostes 9. C. eod. tit. de suis & legit.*

16 *L. 1. §. qui sunt in potestate, ff. si quis omiss. caus. testam.*

17 *d. l. in suis 11. in fin. & 101. tit. de liber. & posth.*

18 *L. non putauit 8. de bonor. poss. contr. tabul.*

19 *L. quinetiam 55. in fin. de rit. nupt.*

20 *L. hereditas 5. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

21 Nullo scilicet facto testamento. Alioqui debet venire per contra tabulas, *l. 2. ff. si tab. testam. null. extab.*

22 Quamuis qui petit bonorum possessionem, cum ei delata esset iure ciuili hereditas, hoc ipso fiat heres quasi per gestionem pro herede, *l. puberem 12. C. de iur. delib.*

23 Nec enim potuit prætor facere heredem, *§. quos autem, Inst de bonor. poss. ff.*

24 Semper enim supponendi sunt termini habiles, *vulg. l. adigere 6. §. quamuis, de iur. patron.*

25 Confessiones enim falsæ ita ratæ sunt, si id, quod in confessionem venit, & ius & naturam recipere possit, *l. confessionibus 13. in princ. & l. seq. §. vlt. de interrog. in iur. faciend.*

26 Non tanquam heres, sed actione interrogatoria ex edicto prætoris, *d l. vlt. eod. tit.*

27 *L. & quia 6. §. 1. d. de etate 11. §. 1. & §. qui interrogatus, & pass. eod. tit.*

28 Vnde & interrogatoriæ cautiones dicuntur, de quibus *in eod. illo tit.*

29 Quæ sententia & ratio est, *d l. vlt.*

30 *L. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. oblig. l. 1. C. per quas person. nob. acquir. l. cum vnus 12. de rebus auctor. iudic. possid.*

DEFINITIO XIII.

Aduersus aditam ab herede hereditatem restitui heres heredis non potest.

HEres Titij non est audiendus si in integrum restitui velit, aduersus aditionem à Titio factam hereditatis Sempronianæ,[1] si quid à Titio factum sit, quod nesciatur an adeundi animo fecerit necne[2]. Defuncti namque animus per heredem explicari nequit.[3] Et in dubio credendus est defunctus fecisse animo adeundæ hereditatis, quod alio iure facere non potuit.[4] *Ita Senatus* prid. Id. Mart. 1595. in relationibus libellorum, contra D. de Marcosey.

1 Quisquis enim voluntarius heres est heredis, necessarius est illius heres, cui heres ipse successerat, *l. si quis filiumfamilias 7. §. 1. hoc tit. l. vlt. C. de hered. instit.*

2 Aditio siquidem non tantum facti est, sed etiam animi, *l. pro herede 20. l. gerit 88. & pass ff. hoc tit.*

3 *L. si ita legatum 65 § 1. de legat 1.*

4 *d. l. pro herede 20. §. Papinianus, ff. hoc tit.*

DEFINITIO XIV.

Querela de expilatione hereditatis in testamento facta non probat aditam fuisse à defuncto hereditatem.

QVi testamento conquestus est expilatam à fratre aut alio hereditatem, quæ sibi fuerat delata, non satis voluntatem suam declarasse videtur an heres esse vellet.[1] Fieri namque potest, vt adeo expilatam sciuerit hereditatem, vti ne vnquam fuerit illam aditurus, vtpote factam ex ea expilatione minus idoneam.[2] Ideoque nec hereditatem quasi aditam ad heredem suum transmittet.[3] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 3. Id. Maij, 1595.

1 Aliud esset si de illa hereditate tanquam sua in testamento suo disposuisset, *l si auia 6 C. de iur. delib.*

2 Nec enim facile quisquam credendus est aditurus fuisse damnosam aut suspectam hereditatem, *l. 4. ff. ad SC. Treb. l. filium 20. de bon. poss. contr. tab. l. nec emere 6. C. de iur. delib.*

3 *L. vnic. §. in nouissimo, C. de caduc. tollend.*

DEFINITIO XV.

Extantibus suis heredibus, quamuis se abstinentibus hereditas neque iacet, neque vacat & ideo non hereditati dandus est curator, sed bonis, nisi agnatus vel cognatus aliquis velit succedere.

SI patri defuncto supersitites sint liberi, qui in morientis fuerint potestate, quantumuis à paterna

BIU Cujas

hæreditate abstinuerint, non potest curator hæreditati tanquam iacenti dari.[1] Neque enim vlla vnquam est in suis hæredibus iacens hæreditas,[2] imo ne vlla hereditas quidem, cum ipso iure sint heredes,[3] eaque continuatio quędam dominij potius, quam hereditas censeatur.[4] Ideoque dicimus non esse sine hęrede eum, qui suum hęredem habet, quamuis se abstinentem.[5] Quid ergo? Curator dandus est bonis tanquam vacantibus, si id creditores petant,[6] vt habeant cum quo de suis iuribus experiri possint,[7] nimirum si nec agnati aut cognati proximiores velint succedere.[8] Nam cum filius qui se abstinuit non habeatur à Prętore hęredis loco,[9] apparet non posse personam eius impedire, quo minus admittatur agnatus proximus non ad adeundam iure ciuili hæreditatem,[10] (cum iuris ciuilis ratio nō patiatur plures eodem tempore pręsertim suis hęredibus existentibus in solidum hęredes esse,[11]) sed ad petendam bonorum possessionem,[12] quę sane hoc casu si quo alio, etiam hodie necessaria est post abrogata tot Justiniani constitutionibus vetera fere omnia De bonorum possessionibus iura.[13] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. Sup. De curat. furios. & aliis extra minor. dand.

1 Tunc enim curator dandus est cum bona iacent, & quidem per longum tempus, puta si heres sub conditione scriptus sit, aut si deliberet de adeunda hereditate, *l. 1. de cur. bon. dand. l. si diu 8. D. quibus ex cauſ. in poſſ. eat.*

2 Iacens enim dicitur hereditas quæ nondum habet, sed habere sperat, vacans vero quæ nec habet, nec habere sperat, *l. 1. de ſucceſſ. edict. l. nec vllam 13. §. item ſi quis, de petit. hered.*

3 Id est, citra vllam aditionem, *l. in ſuis 14. de ſuis & legit.*

4 *L. in ſuis 11. de liber. & poſth.*

5 *L. cum quaſi 30. §. ſed etſi ſuus, de fideic. libert.*

6 *d. l. 1. & tot. tit. de curat. bon. dand.*

7 Cum filius qui se abstinuit, non cogatur excipere actiones, *l. neceſſariis 57. ff. hoc tit.* non possit autem iudicium esse sine reo, non magis quam sine actore, *cap. forus, de verbor. ſignific.*

8 *d. l. 1. & tot. tit. de ſucceſſ. edict.*

9 *L. ſi filius 12. de interrog. in iur. faciend.*

10 *L. 2. C. vnd. liber. l. 2. C. pro hered.*

11 *L. quod contra 141. §. vni duo, de reg. iur.*

12 *L. defunctus 6. C. de legit. hered. §. placebat, Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.*

13 Præsertim post *Nouell. Inſtit. 118. de hæred. ab inteſt. vend.* quæ sustulit veteres illas differentias suitatis, & emancipationis, itemque agnationis & cognationis quantum ad ius succedendi. Iunge *l. vltim. Cod. qui admitt. ad bonor. poſſeſſ.* Sunt tamen etiam hodie plerisque casibus necessariæ bonorum possessiones, de quibus vide gloss. Bartol. Baldum, Castrens. & alios *ad l. certum, C. vnde legit. ad l. vltim. C. qui admit. ad l. poſthumus, 12. de iniuſt. rupt.* Adde eundem Bald. *ad rub. C. qui admitti.*

DEFINITIO XVI.

Aliud est negare se hæredem, aliud repudiare.

QVi in iure interrogatus, an hęres esset illius, à quo fuerat institutus, aut cuius erat agnatus cognatúsve proximus, negauit se hęredem, non idcirco repudiasse intelligitur,[1] quia quamdiu non adiit hęreditatem verum est, hęredem eum non esse, licet nec repudiauerit.[2] Itaque saluum illi erit ius adeundi quandocumque,[3] dummodo intra annum trigesimum. Et ob id nimirum arctandus est, vt disertis verbis declaret, an repudiet, necne, vt si repudiare se dicat num quam possit admitti ad eam adeundam.[4] Interim igitur dari non poterit curator hęreditati tanquam iacenti,[5] multo minus bonis tanquam vacantibus,[6] nisi sit hęres institutus, aut cui ab intestato delata est hęreditas, petierit tempus ad deliberandum, atque interea curatorem bonis dari creditores velint.[7] Quid tamen si per imperitiam iudicis curator hęreditati iacenti datus sit ante repudiationem, tum vero secuta sit repudiatio?[8] Non conualescet curatoris datio, quę ab initio inutilis fuit,[9] ac multo minus si ex iis, quibus coniunctim erat delata hęreditas, quidam dumtaxat repudiauerint. Aliis enim qui nec decessisse, nec repudiasse probabuntur, accrescent repudiantium portiones,[10] nec proinde vlla pars hęreditatis aut iacere, aut vacare videbitur. Sed obtinent quidem hęc quę diximus in extraneis hęredibus, at non in suis. Nam si suus hęres interrogatus in iure negauerit se hęredem, hoc ipso abstinuisse credendus est,[11] cum alioqui, si responsionem referas ad iuris ciuilis rationem, fieri nequeat, vt hęres non sit, qui suus & necessarius est.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Erat enim repudiatio actus solemnis & legitimus, sicut aditio, fiebatque in iure, *l. 4. C. de repud. vel abſtin. hered. iunct. l. actus legitimi 77. de reg. iur.*

2 Est enim hoc medium inter hæredem esse, & hæreditatem repudiasse, heredem scil. non esse, *l. ſi curatoris 9. C. de iur. deliber.*

3 Ius enim adeundi præscribitur hodie spatio triginta annorum, vt & cætera iura perpetua, *l. 3. C. de præſcr. 30. vel 40. annorum l. hereditatis 7. C. de hered. petit.*

4 *L. ſicut 4. C. hoc tit.*

5 Vt dixi *D. finit. præced. num. 1.*

6 Non enim vacant bona quamdiu hæres speratur, aut bonorum possessor, *l. vlt. de ſucceſſ. edict.*

7 *L. 1. de cur. bon. dand. l. ſi diu 8. quibus ex cauſ. in poſſ. eat.*

8 Ratio dubitandi est, quia res hac in specie peruenit ad eum casum à quo incipere potuit.

9 *Ex reg. l. quod ab initio 29. de reg. iur.*

10 *L. vnic. Cod. quand. non petent. l. qui ex duabus, 53. §. 1. ff. hoc tit.*

11 Quia is cui adcrescit portio coheredis iam ab initio eam adiisse intelligitur, *l. ſi quis heres 35. l. ſi duo 38. & poſſ. eod. tit.*

12 Quoniam is qui abstinet, quamuis reuera sit heres non tamen habetur pro herede, *l. ſi filius 12. de interreg. in iur. fac. l. neceſſariis 57. hoc tit.*

13 *dict. l. neceſſariis, l. cum quaſi 30. §. ſed etſi ſuus, de fideicomm. libert.*

DEFINITIO XVII.

Curator hæreditati iacenti dandus non est, nisi audito prius iis omnibus, qui quoquo iure possunt succedere.

ETiamsi per contractum aut extra iudicium hęredes instituti, aut legitimi repudiauerint hęreditatem sibi delatam,[1] non ideo tamen statim hęreditati, tanquam iacenti curator dandus est, iis inauditis, licet hereditarij creditores id postulent.[2] Quid enim si in ea forte sint ętate, vt per restitutionem in integrum iis succurri oporteat, vt adire possint?[3] Quid si mutua voluntate dicant nunc velle hęredes esse, nec creditores causam habeant propter quam impedire debeant?[4] Quid si eam repudiationem, qua creditores nituntur, per vim aut dolum, aut metum extortam esse dicant?[5] Igitur vocari eos oportebit, nec prius dari à iudice curatorem hęreditati quasi iacenti, quam in iudicio dixerint omnes, qui hęredes esse possunt, nolle se hęredes esse, aut tempus petierint ad liberandum.[6] Intellige si alij sint agnati, cognative, qui primis hęredibus exclusis possint adire.[7] Nam si nulli supersint præter fiscum, desinit esse hæreditas, incipitque nomen habere bonorum vacantium;[8] quorum alia ratio est quam hęreditatis, vel in eo maxime quod non inducunt successionem in vniuersum ius.[9] Indeoque nec tenetur vltra vires bonorum vacantium, qui succedit in bonis vacantibus,[10] quomodo tenetur vltra vires hæreditatis, qui succedit in hæreditate.[11] *Ita Senatus* in causa Ludouici Velat, & Bartholomæi Truchet, 3. Calend. Decembr. 1595.

1 Nec

1 Nec enim repudiatio hereditatis est hodie actus solemnis, vt olim, sed potest fieri quocumque loco & quacumq; testatione voluntatis, §. *vlt. Inst. de hered. qualit. & differ.* iunct. *l. 4. C. hoc tit.*

2 Quamuis ad eorum postulationem soleat curator dari bonis, *l. 1. D. de curat. bon. dand. l. Aristo. 5 D. de iur. delib.*

3 *Ex l. 1. & tot. tit. C. si vt omiss. hered.*

4 Interest enim creditorum, vt sit aliquis heres potius quam vt nullus, & vt bona dominum habeant potius, quam vt iaceant, *l. 1. D. de success. edict.*

5 Nec enim quod factum est per vim vel dolum, ratum à prætore haberi debet, *l. si mulier 21. §. 1. D quod met. caus.*

6 Quo etiam casu curator bonis dandus est, *l. idem priuilegium 22. §. 1. de rebus auctor. iud. poss.* non autem hereditati, vt pragmatici loquuntur, iacenti.

7 Placuit enim Iustiniano, vt hodie in agnatis quoque sit successio, §. *placebat. Inst. de legit. agnat. success.*

8 Fiunt enim vacantia hoc ipso quod nullus amplius successor speratur, *l. vltim. ff. de success. edict. l. habere licere 57. de euict.*

9 Alia enim ratio est bonorum, alia hereditatis, cum bona non dicantur nisi deducto ære alieno, quod in hæreditate diuersum est, *l. subsignatum, 39. §. bona, l. hereditatis 119. de verb. signif.*

10 Id est fiscus, *l. 1. an bona, ff. de iur. fisc. d. l. habere licere.*

11 *L. quæ dotis 33. ff. solut. matrim.* quia soluendo est hereditas quæ inuenit hæredem, *l. libertus 36. ff. de bon. libert.* Nisi adita sit hereditas cum beneficio legis & inuentarij, *l. vlt. C. de iur. delib. & Nouell. 1. de hered. Falcid.*

DEFINITIO XVIII.

Abstentio non fit nec inducitur nisi ex verbis disertis & expressis.

FIlius à paterno creditore conuentus, vt hæres patris dixerat paratum se pati, vt executio fieret in bonis paternis, saluis tamen iuribus maternis,[1] non ideo satis declarasse videtur, an paterna hereditate abstinuerit.[2] Itaque non eo minus condemnandus est tanquam hæres patris, nisi expressim abstineat,[3] quia ipso iure hæres est,[4] nec prius habetur non hæredis loco, quam disertis verbis abstinere se dixerit.[5] *Ita Senatus* contra Vicentium Petel Maurianensem, 10. Maij 1596. in secreto auditorio.

1 Quomodo solent plerique & possunt salua pignoris sui causa etiam alienationi consentire, *l. 4. §. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

2 Aliud enim est se abstinere, aliud vero neque immiscere se, neque abstinere, *l. 1. vbi not. Cod. si min. ab hered. se abstin.*

3 Eum siquidem solum qui se abstinuit prætor non habet heredis loco *l. si filius 12 ff. de interrog. in iur. fac.*

4 Nec quod se potest abstinere quicquam facit, *l. 1. §. qui sunt in potestate, ff. si quis omiss. caus. testa.* Adeo, vt non sit sine herede qui suum heredem habet, quamuis se abstinentem, *leg. cum quasi 10. §. sed et si suus, ff. de fideic. libert.*

5 Abstentio enim facti est, fuitque olim actus solemnis, quem necesse erat fieri in iure exemplo repudiationis, *l. pen. ff. de auctor. tutor. l. sicut 4 C hoc tit.*

DEFINITIO XIX.

Heres institutus in priore testamento habente clausulam derogatoriam non eo minus prohibetur succedere ab intestato, quod hæreditatem ex priore testamento repudiauerit, quamuis alius sit institutus in posteriore.

QVod dici solet, agnatum proximum, si idem testamento hæres scriptus sit, & legitimam hæreditatem petierit, hoc ipso testamentariam repudiasse videri,[1] semper obtinet.[2] At finge duobus conditis testamentis posteriori derogatum esse per clausulam appositam in priore,[3] agnatum vero, qui in priore fuerat institutus, scientem & vltro petiisse legitimam hæreditatem, an ideo excludetur ab intestati successione, quia destituto priore testamento superfit posterius, quod impediat ne ab intestato succedi possit? Videtur id consequens iuris regulæ, quæ legitimæ successioni locum nullum dat, quamdiu ex testamento succedi potest.[4] Sed non ita est, quia licet destituatur prius testamentum, ex quo repudiatur hæreditas,[5] non ideo nomen conualescit posterius, quod nunquam voluntatem testatoris habuisse intelligitur.[6] *Ita Senatus* in causa N. Francisci Poysat procuratoris fiscalis Bugiensis prouinciæ 30. Maij 97.

1 Scilicet in necessarium antecedens, quia nec prius competit legitima hereditas quam testamentaria sit repudiata, *l. illud dubitari 77. D. hoc tit.*

2 Nimirum ex regula quæ habet, cum, qui vult consequens, etiam velle hoc ipso necessario antecedens, *l. 2. ff. de iurisd. om. l. ad rem mobilem 56. l. ad legatum 62 ff. de procurat.*

3 Quam vocant clausulam derogatoriam, de qua tã multa scripsimus, *Defin 9. & seqq. 3. de testam.* & in posteriore parte *Hemicheliad. de error. pragmat.*

4 *L. quandiu 39 D. hoc tit. l. quandiu 89. de reg. iur.* nisi in causa valde singulari, *l. si quis ita 2. ff. de hered. instit.*

5 *L. si nemo 9. ff. de testam. tutel. l. 1 ff. de iniust. rupt.*

6 Testamentum enim sine testatoris voluntate nullum esse potest, *l. 1. ff. qui testam. facer. poss. l. si mihi 12 §. 1. de leg. 1. l. si quis in princ. 22. de legat. 3.* * Quid ergo si cùm duo facta essent testamenta fauore vnius eiusdemque heredis quorum prius quidem valebat, posterius verò non valebat, hæres adierit ex posteriore testamento quod inutile postea repertum est, an ex priore adire poterit? non poterit, quia repudiasse videtur ex priore adeundo ex posteriore, cum non potuerit eligere posterius nisi repudiando prius. Ex posteriore autem quod inutile est adiri hæreditas non potest, & ita secundum Papiniani sententiam licet à Paulo improbatam pronunciauit Senatus iuxta Imperatoris decretum quod Paulus refert *in l. Clodius Clodianus 97. de acquir. hered. Ita Senatus* in causa D. Maximiliani Fauerij aduocati generalis & fratrum eius, 7. Februar. 1620.

DEFINITIO XX.

Qui hæreditatem aut portionem hæreditariam alteri cessit certo pretio, vel certo pacto, quod sit loco pretij, potest à creditoribus hereditariis tanquam heres conueniat.

LOnge alia ratio est prætermittentis hæreditatem etiam accepto pretio, vt substituto vel sequentis gradus agnato locum faciat,[1] alia vero eius, qui portionem hæreditariam sibi competentem cohæredibus cessam voluit ea lege, vt ab ea quoque æris alieni portione, quæ ipsum contingebat, immunis esset.[2] Quod enim dici solet nolle hæredem esse illum, qui ad alium transferre voluit hæreditatem,[3] ad hunc nõ pertinet, qui hoc ipso quod cessit ius omne quod in illa hæreditate habuit hæredem se præstare cogitur, si modo aliqua hæreditas sit, quæ ad eum pertinere potuerit.[4] Idque multo magis dicendum est, si hæreditariam portionem ad se tanquam ad vnum ex proximis agnatis pertinentem in alium transtulerit: Pertinere namque ad nos dicitur ea hæreditas, quæ non solum nobis delata est, sed etiam acquisita, nec id iuris tantum potestate, sed etiam effectu per subsecutam voluntariam immixtionem.[5] *Sint die.*

1 De quo *in l. 1. §. vltim. l. 2. 3. 4. & passim, ff. si quis omiss. caus. testam.* [Alia quæstio est de eo qui delatam sibi hereditatem repudiat retenta legitima: In qua quæstione placuit non valere eiusmodi repudiationem, sed manere nihilominus filium heredem. Ex Bart. Alex. & aliis *in leg. quia poterat 4 ff. ad SC. Treb. & in l. 1. de acquir. hered. & l. 1. de vulg. & pup. subst.* Nisi filius habeat substitutum aut cohæredem, & grauatus sit legatis, vel fideicommissis. Hoc enim casu & vtroque concurrente valet repudiatio hæreditatis, & retinetur legitima. Boer. *decis. 204. numer. 43 & 44.* post multos ibi citatos. *Ex l. si libertus patrono 41. ff. de bon. libert. l. si solus 80. de acquirend. hered.*]

BIU Cujas

2 Ex hac enim conuentione apparet animus adeundæ hæreditatis, cum non alius quam qui hæres est teneatur ad æs alienum, *l. vltim. Col. de hered. act.* nec proinde indigeat, vt exoneretur. Exoneratio siquidem præsupponit onus, sicut priuatio quælibet habitum, *l. 4. de iust. & iur. l. decem* 110. *de verb. oblig.*

3 *L. non vult. 6. de reg. iur.*

4 Adeo vt teneatur de dolo, si sic contraxerit sciens nullam ad se hæreditatem pertinere, *l. quod si sit* 13. iunct. *l. præced. D. de hered. vel act. vend.*

5 Textus est elegans *in l. 2. §. sed si sine sui*, iunct. *l. 1. §. si quis adita, D. ad SC. Tertyll.* [Cravet. *cons.* 200. *nu.* 1. Verius tamen est hunc de quo tractat hæc Defin. qui accepto precio prætermisit hereditatem, non videri quidem pro herede gerere, cùm ideo accipiat ne hæres sit, sed tamen in edictum incidere, vt perinde ac si heres esset legatariis teneatur, vt concludit Vlp. *in l. fuit quæstionis 14. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXI.

Curator absentis bonis datus an possit absentem immiscere bonis patris, aut extranei, agendo ipsius nomine contra tertios bonorum possessores.

CVm pater liberis quatuor hæredibus institutis, & superstitibus relictis decessisset, moxque vnus ex iis non declarata voluntate, an se immiscere vellet, an abstinere, in longinquam prouinciam abiisset, ac post aliquot annos defunctis cæteris, quorum vnus relicto filio, alij sine liberis decesserant, curator bonis eius datus fuisset filius fratris tanquam proximior in gradu succedendi, petebat ille absentis nomine redintegrari se in possessionem quartæ partis bonorum, quæ à patre relicta ab vno ex fratribus alienata reperiebatur. Possessor contradicebat, suæque possessionis titulum proferebat, vt non spoliatorem, sed bonæ fidei iustumque possessorem se probaret. Ac præterea negabat posse absentis nomine possessoriam vllam actionem exerceri, quod nihil vnquam ex bonis paternis absentem possediisse, numquam cum paternis bonis se immiscuisse appareret. Respondebat curator paternam hæreditatem acquiri suo hæredi iure ipso,[1] & consequenter etiam possessionem ex beneficio edicti quo, vt barbare nostri loquuntur, *Mortuus saisit viuum.*[2] Neque in eam rem vlla esse opus aut additione, aut immixtione, vt filius hæres inueniatur,[3] non tantum nudo nomine, sed etiam in effectu, præsertim quantum ad ea, quæ ad ipsius vtilitatem pertinerent.[4] In quo numero etiam illud est, vt eius nomine possit condictio ex Canone Pontificio[5] instituti ad auocandam possessionem, cuius quam multa sint commoda nemo nescit.[6] Neque minus in ea re iuris habere videbatur curator absentis bonis datus, quam habiturus esset, absens ipse si adesset, cum actio ista esset tempore peritura,[7] quippe quam trigesimo anno concludi certum est,[8] & cæteras fere omnes personales actiones.[9] Placuit male agere curatorem, non quia bonæ fidei possessor esset is, qui conueniebatur, posteaquam placuit etiam bonæ fidei possessorem huiusmodi condictione teneri:[10] sed quoniam non sicut suus hæres ipso iure adeoque inuitus & necessarius hæres est, ita etiam possessor necessarius dici potest,[11] cum non magis in suos, quam in extraneos hæredes aliter possessio transferatur, quam declarauerint velle se hæredes esse,[12] ne alioquin eueniat, vt non tantum possessio, quæ nunquam sine animo acquiritur,[13] sed etiam hæreditas & ignoranti & inuito acquiratur, eumque obliget æri alieno,[14] atque ita & suo hæredi beneficium abstinendi aufferat, & extraneo facultatem repudiandi.[15] Nec enim is, qui aliquid ex hæreditate possidere cœpit, abstinere amplius potest, aut repudiare, tanquam qui non tantum iuris potestate, sed sua etiam voluntate voluerit hæreditatem sibi acquisitam.[16] Proinde non poterat curator dicere spoliatum absentem, qui numquam possedisse probabatur,[17] nec rursus eum ignorantem immiscere, vt faceret possessorem non magis, quam eius nomine hæreditatem adire,[18] cum ea ratione fieret, vt reuersus quandoque filius abstinere se non posset à bonis patris, quibus se sui curatoris facto immixtum reperiret.[19] Soli enim pupillo concessum illud est, vt etiam post immixtionem abstinere se possit.[20] Idque adeo verum est, vt nec curatori furiosi, qui multo plus iuris habet, quia personæ datur,[21] permissum voluerit Iustinianus, vt delatâ furioso hæreditate adire possit, sed tantum, vt eius nomine decretalem bonorum possessionem agnoscere.[22] Ne forte resipiscenti quandoque furioso repudiandæ hæreditatis aufferret potestatem.[23] Plane si defuncti patris hæreditas furioso delata sit, & ipso iure acquisita, non est dubitandum, quin curatori liceat actiones omnes hæreditarias furiosi nomine exercere, atq; ita furiosum immiscere, nempe quia sic à Iustiniano diserte cautum est, vt resipiscente furioso perinde habeatur, ac si nec delata vnquam hæreditas fuisset. At in curatore dato bonis absentis nihil tale cautum est.[24] Nec datur ille bonis, vt absentem faciat locupletiorem, sed tantum, vt eius bona tueatur.[25] Si tamen proponeres euidenter opulentam esse patris hæreditatem, facile recederem ab hoc tractatu;[26] ne nimis magno damno afficeretur absens, si pro absente vel deliberante haberetur potius, quam pro immixto in ea hæreditate, à qua etiam si præsens esset, non nisi malo consilio abstinere deberet.[27] Sed tamen in dubio probationem opulentæ hæreditatis exigerem à curatore,[28] tanto magis quod ipso rerum vsu compertum est curationes istas bonorum absentis affectari passim, non vt absentibus consulatur, sed vt eo colore noua litium materia quæratur contra tertios bonæ fidei vt plurimum possessores.[29] Plane si de extranei hæreditate absenti delata necdum ab eo agnita tractaretur, nunquam probarem, vt absentis nomine vllam de hæreditate, aut de singulis rebus hereditariis controuersiam mouere liceret curatori, cui nec vllo casu licere debeat hæreditatem absenti delatam adire.[30] *Ita tractatum est*, necdum tamen, quod sciam, definitam 4. Calend. Aug. 1596.

1 *L. in suis* 11. *de lib. & posth. l.* 2. *qui sunt in potestate, si quis omiss. caus. test.*

2 In quo derogatum est, *l. cum heredes* 23. *de acq. possess.*

3 *L. in suis* 14. *de suis & legit.*

4 Ita Bart. *ad l. 1. C. si min. se ab hered. abst.*

5 *In Can. redintegranda, quæst. 1.*

6 *§. Commodum, Inst. de interd.*

7 *L. creditore* 14. *de bon. auct. iudic. possid.*

8 *Not in dict. Can. redintegranda 3. quæst. 1.*

9 *L. 3. & 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

10 *Not. ad dict. Can. redintegranda.* De quo tamen vide Menoch. *in remed. 15. recup. possess. quæst. 13.*

11 *L. ait prætor 7. §. sed quod Papinianus, ff. de minor.*

12 Tiraquell. *in tract. le mort saisit le vif, part. 7. decl. 1. numer. 2.*

13 *L. quemadmodum 8 D. de acq. poss.*

14 Quod esset absurdum *l. Sisius 12. de vulg. & pup. substit. l. qui in aliena 6. de acq. hered.*

15 *Contra l. potuit 5. C. de iur. deliber.*

16 *L. necessariis 57. eod. l. 4 C. eod. l. paterfamilias 18. vers. at cum substitutus, D. de rebus auctor. iudic. possid. alius l. 13. de præutileg. credit.*

17 Spoliatio namque in necessarium antecedens præsupponit possessionem, *Not. ad d. can. redintegranda 3. qu. 1.*

18 Quod nec curatori, nec procuratori liceret, *l. per curatorem* 90. *D. eod. l. cum in vna* 17. *§. tutor. de appell.*

19 Acquiri enim possessio rei hereditariæ numquam potest citra immixtionem.

20 *d. l. necessariis l. ex contractu 44. de re iudic. l. penult. de auctor. tut. l. impuberibus, D. hoc tit.*

21 *L. quia personæ 14. D. de testam. tutel.*

22 *In l. vlt. C. de curat. furios.*

23 Eadem

23 Eadem ratio facit, vt nec filius furiosi possit delatam sibi hereditatem sic adire vt eam patri acquirat, sed tantum, vt sibi, *l. cum heres* 51. iunct. *l. qui in aliena* 6. *D. hoc tit.*

24 Bald. *ad d. l. fin. §. sin autem ex alia, C. de cur. furios.*

25 *L. creditore* 14 *l. idem priuilegium* 22. *§. 1. de rebus auctor. iudic. possid. l. 1. & 2. de curat. bon. dand.* Nam cum persona curatoris sit libera non potest per eam acquiri quicquam absenti, *§. si quis alij. Inst. de inutil. stipul.* Nec obstat quod excipi solet causa possessionis, *l. 1. C per quas pers. nob. acquir.* quam placet acquiri posse per procuratorem, tutorem & curatorem, *d. l. 1. & l. solutum* 11. *§. per liberam de pign. act. l. 1. §. per procuratorem, D. de acqu. poss.* Id enim ad eos curatores pertinet, in quorum cura sunt personæ, puta furiosi, prodigi adeoque minores. Nam & furioso & prodigo, & minori dantur curatores, qui plus iuris habent quam procuratores. At absenti non datur curator, sed bonis tantum, ideoque minus iuris habet quam procurator, vt ex eo constat, quod non datur curator bonis absentis, qui procuratorem in prouincia reliquit, *l. Papinianus* 20. *D. de minor.*

26 Ne nimia subtilitate in perniciem absentis abuteremur, *vt in l. pen. C. ad SC. Treb.* Cravet. *cons.* 33. *n.* 1.

27 Nemo enim facile credendus est velle opulentam hæreditatem derelinquere, etsi aliæ plerçque causæ iustæ possunt esse, propter quas hereditas etiã opulenta debeat recusari, *l.* 4. *D. ad SC. Treb. l. si in testamento* 22. *in fin. D. si quis omiss. caus. testam.*

28 Hæreditas enim suspecta est in dubio, cum habeat commoda & incommoda, *l.* 3. *de bon. poss. l. hereditatis* 119. *de verb. signif.*

29 Sunt enim illi vt plurimum honesti lirium sine pretio redemptores.

30 *L. per curatorem* 90. *de acquir. heredit.* Nam nec tutor potest adire nomine pupilli, *l. potuit.* 5. *C. de iur. de lib.*

TIT. XIII.

QVEMADM. TESTAMENT. APER.

DEFINITIO I.

CVM testamentum solemne & in scriptis conditum non nisi authoritate iudicis competentis aperiri debeat,[1] nec nisi signis & subscriptionibus testium recognitis apertura illa fieri possit,[2] obseruare iudex debet vt neq; aperiat nisi post absolutam omnem recognitionis solemnitatem.[3] Si non magna aliqua causa vrgeat testibus, aut omnibus, aut ex maiori etiam parte absentibus.[4] Neque tamen cogat testes, si longius absint venire, quod sine suo incommodo facere non possint.[5] Itaque iudicem in cuius prouincia testes sunt, requirere debebit, vt recognitionem illam faciat, sed ita vt post eam factam remittat rem ad cognitionem iudicis requirentis, qui solus in eam rem competens est.[6] Idemq; est, si testes aliqui sint in prouincia iudicis requirentis, quorum etiam signa & subscriptiones recognosci oporteat. Nam & ob eam recognitionem debet remissio fieri ad iudicem requirentem.[7] Nec ad hunc casum pertinet, quod dici solet, posse quorumdam testium signa & subscriptiones etiam per alios recognosci.[8] Id enim tunc obtinet, cùm ea signa & subscriptiones non aliter recognosci per suos authores possunt, vt puta si defuncti sint, vel ita absentes, vt neque ad eos mitti, neque eorum reditus expectari possit.[9] *Ita Senatus* pro D. du Cheney, contra D. de Rossillion, 6. Non. Maij 1612.

1 *L. 1. C. hoc tit.*

2 *L. cum ab initio* 4. *& seqq. D. eod.*

3 *L. 2. D. hoc tit.*

4 *L. sed si quis* 7. *D. eod.*

5 Iniquum enim est damnosum cuiquam esse officium suum *d. l. sed si quis l.* 3 *§ vlt. D. de testib.*

6 Bart. *ad d. l. cum ab initio num.* 1.

7 *d. l. sed si quis in fin.*

8 Viglius ad *§. Inst. de testam.*

9 Vt ex supradictis legib colligi potest. Adeo vt non desint qui putent intercidere testamentum, si vel vnus ex testibus decesserit ante factam recognitionem sigilli sui, vt Viglius supradicto loco refert, quod tamen sanè nimis durum est. Alioqui pleraque solemnia testamenta & solemniter facta subuerterentur. Iunge *Desin. 1. in alleg. num. vltim. infr. de execut. rei iudic.*]

TIT. XIV.

DE EDICT. DIVI Hadr. tollend.

DEFINITIO I.

Cum ius pupillari substituti subobscurum est interim mitti debet in possessionem hæres legitimus, etiam non obstante appellatione, & salua quæstione de proprietate.

MOTA de pupilli hæreditate controuersia inter auiam & eum, qui se pupillariter substitutum contendebat,[1] cum implicita esset facti quæstio, propterea, quod reciproca substitutio proponebatur inter eos facta, quorum alius pubes, alius impubes dicebatur.[2] Judex pro auia vindicias dixerat, eamque interea tantùm per, dum facti veritas in obscuro esset, in momentaneam hæreditatis possessionem mitti præceperat. Substitutus appellauerat, quasi auiæ ab intestato venienti locus nullus esse deberet, quamdiu in eo res esset, vt ex testamento pupillarique substitutione adiri posset hæreditas.[3] *Senatui* non male interlocutum videbatur, quia pendente lite de hæreditate, certus possessor constitui debuisset,[4] qui porro alius esse non potuit, quam cuius ab intestato certum ius erat & exploratum, quoadusq; de iuribus substitutionis cognitum fuisset,[5] salua scilicet proprietatis quæstione.[6] Quis enim magis legitimus contradictor videri debeat ad impediendum, ne actor in possessionem ex testamento mittatur, quam qui cessante causa testati rem ab intestato sit habiturus?[7] At, quia nil obstante appellatione auia, iubente vt æquum fuit iudice, possessionẽ hæreditatis iam acceperat;[8] visum est differendam de appellationis iure pronunciationem in id vsque tempus, quo constitisset, an filij inuicem à parte substituti ambo impuberes fuissent,[9] vt postea eodem iudicio tota de possessione & proprietate quæstio cum appellationis causa finiretur.[10] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio, 3. Calen. Aug. 1588.

1 Auia scilicet contendente, se legitimam hæredem, substituto autem pupillari dicente se hæredem pupilli ex testamento.

2 Quo casu substitutio non censetur facta, nisi in eum, qui conueniat personis omnibus, inter quos facta est substitutio. *l. 4. l. Lucius* 45. *de vulg. & pupill. subst. l. in testamento* 6. *C. de testam. milit.*

3 *L. quamdiu* 19. *de acquir. heredit.* Substitutio enim pupillaris testamentum pupilli est, *l. 2. ex pupillari* 44. *de vulg. & pupill. subst.*

4 Vt euenit in qualibet actione in rem, quæ scilicet non potest exerceri, nisi contra possessorẽ, *l. ú qui desti nauit* 24. *l. is qui petitorio* 36. *l. vlt. & pass. de rei vindicat.*

5 Est enim ius legitimi heredis apertius quàm testamentarij, quia in dubio creditur quilibet intestatus potius quàm testatus decessisse, cum aliquo facto sit opus, vt moriatur quis testatus, nullo autem vt moriatur intestatus.

BIU Cujas

6 Ita enim faciendum est, quoties alia quæstio supereſt, de qua iudicandum ſit. & de qua nondum liquet, *l. ille à quo*, 13. § 1. *ad SC. Treb. l. Babius*, 30. *in fin. D. de pact. dotal.*

7 *L. vlt.* vbi omnes notant *C. hoc tit.*

8 Siquidem ſententia lata ſuper poſſeſſorio in huiuſmodi caſu non poteſt ſuſpendi per appellationem, *l. 1. C. ſi de moment. poſſeſſ. fuer. appell. l. vlt. D. de appell. recip. vel non.*

9 Quo caſu certum eſſet, ſubſtitutionem fore pupillarem in perſona vtriuſque ex legibus ſupra citatis, *n. 1.*

10 *Arg. l. nulli*, 10. *C. de iudic.*

DEFINITIO II.

Fideicommiſſarius non eſt legitimus contradictor in caſu l. vlt. C. hoc titul. ſi non reperiatur in poſſeſſione ſine vitio.

IS, cui ex cauſa fideicommiſſi reſtituenda eſt hæreditas, licet rerum hæreditariarum poſſeſſionem auctoritate propria & ante reſtitutionem ab hærede factam nanciſci non poſſit,[1] ſi tamen in poſſeſſione ſine vitio reperiatur, ac de iure ſuo in promptu docere paratus ſit,[2] non eſt poſſeſſione ſua priuandus, vt eam poſtmodum per manus hæredis recipiat.[3] Quinimo pro legitimo contradictore hoc caſu haberi debet, ſi contra eum hæres in poſſeſſionem rerum fideicommiſſarum mitti velit, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato.[4] Non idem eſt, ſi fideicommiſſi quæſtio obſcurior ſit: & altiorem requirat indaginem.[5] Potior enim hæredis quàm fideicommiſſarij cauſa eſſe debet.[6] Nec iuris canonici æquitate illa vtimur, ex qua nonnullis placet, fideicommiſſum reſtituendum haberi pro reſtituto,[7] ſi non ſaltem verbo facta ſit reſtitutio,[8] aut niſi hæres vel expreſſe vel tacite conſentiat, vt pro reſtituto habeatur.[9] *Ita Senatus* prid. Id. Nouemb. 1588. & iterum in ea cauſa, de qua infra prox. Defin.

1 *L. facta* 63. *D. ad SC. Treb.*

2 Bart. *in l. filiam fratribus* 56. *eod.* iunct. *l. 3. vt in poſſeſſ. legat.*

3 Dolo enim facit qui petit, quod ſtatim eſt reſtituturus, *l. dolo facit* 8 *D. de doli mal. except.*

4 Bart. *in d. l. filiam*, Not. *in l. vlt. C. hoc tit.*

5 *Vt in l. ille à quo* 13. § *ſi de teſtamento*, *D. ad SC. Treb.*

6 *d. l. vlt. C. hoc tit. l. vlt. D. de appell. recip.*

7 Bald. *in c. in præſentia, per ill. text. Extr. de probat.*

4 Nam & verbo reſtitui poteſt hereditas, *l. reſtituta* 37. *D. ad SC. Treb.*

9 Intereſt enim hæredis ſaltem ob detractiones, quas ex fideicommiſſo facere poteſt, *leg. 1.* §. *res quæ*, *l. vbi purè* 19 § *vltim. eod.* Excipe caſus, in quibus fideicommiſſum habetur ipſo iure pro reſtituto, *in l. penult. C. eod. eod.* [Cæterum nullo caſu poteſt hæres impediri ne mittatur in poſſeſſionem tum quoque cum fideicommiſſarius reperitur in poſſeſſione ſine vitio, cùm agitur de detractionibus faciendis Boer. poſt alios *Deciſ. 156.* Sed aliud eſt ſi agatur contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem. Hic enim ſemper legitimus contradictor eſt. *Ita Senatus* in cauſa D. de Rochete & Caroli Vulliet, 23. Iunij 1612.]

DEFINITIO III.

Fiduciaria hæreditatis poſſeſſio danda eſt hæredi ſcripto potius quam legitimo, ſi modo ſcriptus tabulas proferat nec raſas nec cancellatas.

CVm cauſa teſtati excludat cauſam inteſtati,[1] non abs re pronunciatum eſt male & perperam iudicatum ab eo, qui ſorori tanquam hæredi legitimæ fiduciariam bonorum fratris ab inteſtato poſſeſſionem conceſſerat, vxoremque defuncti, quæ teſtamentum exhibebat, ab eo beneficio repulerat.[2] Nec ad rem pertinebat, quod ſoror negaret vxorem fratris fuiſſe eam, quæ teſtamenti tabulis nitebatur. Neque enim perſonarum diuerſitas aut pluralitas facile præſumenda eſt,[3] ad onerandam probationem eam, quæ tabulas exhibet, ac penes quam iudicij accepti tempore tabulæ reperiuntur.[4] Quas proinde ſatis erat exhiberi nec raſas nec cancellatas, vt in bonorum & totius hæreditatis poſſeſſionem hæres inſtituta mitteretur.[5] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Id. Dec. 1588.

1 *L. quamdiu* 39. *de acqu. hered. l. quamdiu* 89. *de regul. iur.* Excipe caſum *l. ſi quis ita* 82. *de hered. inſtit.*

2 Debet enim ſcriptus heres in dubio mitti in poſſeſſionem, *ex l. vlt. C. hoc tit. l. vlt. D. de appell. recip.*

3 Cravet. *conſ.* 269. *num.* 3. poſt Bart. *in l. ſi quis ſeruum*, §. *ſi inter duos*, *de leg.* 2. Ial. *conſ.* 114. *col.* 5. *cir. med. vel* 1. *ex l. ita fideiſ* 40. *D. de iur. fiſc.*

4 Semper enim magna præſumptio eſt pro eo, qui habet penes ſe inſtrumentum, *l. 1. C. de donat. l. cum pater* 77 §. *donationis*, *de leg.* 2.

5 *L. 2. l. vlt. & paſſ. C. hoc tit.*

DEFINITIO IV.

Si teſtamentum nuncupatiuum probandum ſit per teſtes, nondum aperta ſint teſtationes, mittendi ſunt interim legitimi hæredes in poſſeſſionem.

DEfuncto eo, qui teſtamentum nuncupatiuum ſine ſcriptura feciſſe dicitur, ſi de hereditate controuerſia ſit inter agnatum proximum eundemque poſſeſſorem, & eum, qui ſe inſtitutum contendit; certum eſt, nullam hæredis teſtamentarij rationem habendam eſſe, priuſquam teſtium, qui teſtamento interfuerint, teſtationes proferantur,[1] quæ porro fieri non poſſunt, niſi legitimo hærede vocato.[2] Sed ſi teſtationes prolatæ ſint, de quarum tamen fide nondum cognitum ſit, & quarum impugnandarum ius agnato proximo ſuperſit, tam quod ad intrinſecam formam; vt noſtri loquuntur, quam quod ad extrinſecam,[3] dubitatio eſt non inelegans, vtrius cauſa interim potior eſſe debeat in poſſeſſione hæreditatis.[4] Finge agnatum illum proximum nulla bona habere in ea prouincia, in qua ſitæ ſint res omnes hæreditariæ, an non ſit æquiſſimum, cogi eum cauere, ad eoque ſatisdare fructuum nomine, aut ſi ſatisdare nequeat, hæreditatis poſſeſſionem ſequeſtrari, vt ſi poſtea quandoque pro teſtamento pronuncietur, ſalua ſit victori fructuum reſtitutio?[5] Minime. Nam iniquum eſt, onerari quem ſatisdatione ob hoc ſolum, quod ex aliena ſit prouincia, tametſi agendo velit ius ſuum perſequi.[6] Multo igitur magis, ſi ſuam poſſeſſionem dumtaxat tueatur.[7] Sed me in propoſita ſpecie illud magis mouebat, quod inteſtati ſucceſſor nihil prorſus iuris in hereditate habeat, quamdiu dubitatur an teſtamentariæ ſucceſſioni locus eſſe poſſit.[8] Etſi enim de teſtamenti viribus nondum cognitum erat, ſufficiebat tamen, quod certum non eſſet, teſtamentum nullum eſſe aut non valere ad hoc, vt interim aditi hereditas ab inteſtato non poſſet.[9] Proinde nec iuuari poterat agnatus proximo beneficio edicti,[10] *le mort ſaiſit le vif*, quia non poteſt ex illo edicto transferri poſſeſſio in eum, qui nec dum hæres ſit,[11] nec ſi velit, hæres eſſe poſſit.[12] An igitur teſtamentarius hæres in poſſeſſionem hæreditatis interea mittendus erit?[13] Conſtat enim beneficium legis Juſtinianeæ prodeſſe etiam hæredi, qui in teſtamento nuncupatiuo ſine ſcriptura condito inſtitutus ſit, dummodo de voluntate defuncti per teſtationes poſtea ſcriptas & publicatas appareat;[14] in eoq; meliorem eſſe conditionem hæredis cuiuſcumque teſtamentarij, quam legitimi, cui nullo caſu beneficium illius legis competere placuit.[15] Atqui nec publicatæ fuerant teſtationes, nec publicari poterant, priuſquam ſuas in contrarium probationes agnatus proximus protuliſſet, ne alioqui poſt didiſcita teſtificata omnis ei probationum

tionum via præcluſa reperiretur.[16] Nulla igitur teſtationum ratio haberi poterat, niſi hactenus vt propter litem incertumque iudicij euentum hæres legitimus in dubio conſtitueretur, atque adire ipſe impediretur.[17] Putabam poſſe Senatum ex officio ſecreta teſtationum inſpicere, nulla, quod ad collitigantes attineret, earum publicatione facta; & ſi probatam videret defuncti voluntatem, vindicias dicere pro hærede teſtamentario, ſi eas ipſe peteret, ſaluis hæredi legitimo in proprietatis cauſa defenſionibus.[18] Nam ad impetrandum beneficium miſſionis ſufficit compertam eſſe iudici voluntatem defuncti, nec in promptu eſſe contradictoris probationes.[19] Nec rurſum deerant, qui exiſtimarent pendente lite adeoque etiam ante publicatas teſtationes ſequeſtrandam eſſe hæreditatis poſſeſſionem,[20] quaſi nec fundatam intentionem habere poſſet agnatus proximus, nec vllam iuris præſumptionem pro ſe, quamdiu de teſtamento dubitaretur.[21] Sed tamen placuit potiorem agnati proximi cauſam in poſſeſſionis controuerſia eſſe debere, propterea quod hæreditatem adiiſſet, priuſquam de teſtamento quicquam proponeretur.[22] Quod enim poſt additionem dubius hæres eſſe incipit, an aut quo iure ſibi delata ſit hæreditas, non facit irritam additionem, licet faciendam impediret.[23] Ne alioqui eueniat facile, vt ex ſola teſtamenti allegatione ſequeſtranda ſit hæreditas, priuandusque hæres legitimus ſua poſſeſſione: quod ſane abſurdum eſſet,[24] præſertim cum eam poſſeſſionē ſine vitio nactus eſt.[25] Nec putauit Senatus aperiendas teſtationes, quod nulla iis apertis fides adhiberi iuſte poſſet,[26] antequam ad impugnandas eas legitimi hæredes admiſſi eſſent,[27] maxime cum & is, qui teſtes audierat, ſuſpectus, & teſtes ipſi pretio redempti dicerentur.[28] Tum demum igitur ſequeſtrationi locus eſſe potuit, ſi ante aditam ab agnato proximo hæreditatem is, qui ſe dicebat inſtitutum, teſtamenti ſcrupulum iniecisſet.[29] Quid ergo ſi poſtea rite factum teſtamentum appareat? Euincetur hæreditas petitione hæreditatis,[30] in quam & fructus omnes venient,[31] atque ita poteſtas euictionis tollet intellectum additionis.[32] *Ita Senatus* in cauſa Dominorum de Lentigny & de la Roche, & Dominorum de Damas, Prid. Cal. April. 1595.

1 Teſtamentum enim, cum ſit facti, ſemper probandum eſt, numquam vero præſumendum etiam in milite, *l. Diuus Traianus 24. ff. de teſtam.*

2 Vt poſt gloſſ. tractat Bart. *in d. l. vlt. C. hoc tit. num. 17.* vbi etiam Bald. & Caſtrenſ.

3 Duplex enim forma eſt cuiuſque rei, vna intrinſeca, altera extrinſeca, Not. *in l. ſciendum, de verb. oblig. & in l. 1. de bon. poſſ. ſecund. tab.*

4 An teſtamentarij, ex iis quæ diximus *Defin. prox. ſupr.* an legitimi, ſecundum id, quod diximus *Defin. 1.*

5 *Argum. l. poſtquam 5. §. 1. in fin. D. vt legat. ſeu fideic. nom. caueat.*

6 Ne alioqui facile accidat, vt à rei ſuæ perſecutione prohibeatur, cum ſit plerumque difficile fideiuſſorem inuenire, *l. 2. §. pen. D. de iudic.*

7 Inhumanum enim eſt, admitti quem non poſſe ad poſſeſſionis ſuæ defenſionem ſine ſatisdatione. Atque ita innumeris Senatus noſtri decretis conſtitutum eſt.

8 *L. quamdiu 39. de acq. her. l. quamdiu 89. de acq. hered.*

9 *L. ſi filius 16. de liber. & poſth. l. fin ff. de condit. inſt. l. is poteſt 18.* vbi Bart. & Caſtrenſ. *l. ſi is ad quem 22. de acq. hered. leg. ſcriptus 11. de Carbon. edict. l. 3. vnd. liber.*

10 Aut potius conſuetudinis. Eſt enim hoc receptum ex conſuetudine fere generali gentium omnium, quæ à Mediolanenſibus originem traxit. De qua vide Andr. Tiraquelli tractatum copioſiſſimum.

11 Conſuetudo enim iſta non facit hæredem, ſed eum, qui hæres eſſe vult & poteſt, facit poſſeſſorem, etiam ſine vlla poſſeſſionis apprehenſione, contra *l. cum hæredes 23. de acq. poſ.*

12 Prius enim eſt, vt quis hæres ſit, quam vt ſit poſſeſſor quaſi hæres.

13 Ex beneficio conſtitutionis Iuſtinianeæ *in l. vltim. C. hoc tit.*

14 Bart. Bald. Caſtr. & alij poſt gloſ. *ibid.*

15 Sic enim vulgo noſtri poſt Cyn. *ad d. l. vlt.*

16 Quia ſcilicet poſt didicita teſtificata non ſolent admitti noui teſtes propter merum ſubornationis, *c. fraternitatis, & c. ſeries, vbi not. Extr. de teſtib.*

17 Nam qui dubitat de iure ſuo, interim adire non poteſt, *l. qui hæreditatem 19. l. ſi is ad quem 25. l. ſed ſi de ſua 34. ff. de acq. hered. l. ſcriptus 12. de Carb. edict.*

18 Et hæc videtur fuiſſe Caſtrenſis ſententia. *ad l. vltim. C. hoc tit.*

19 Per text. *in dict. l. vltim.* iunct. *l. ille à quo 13. §. 1. ad SC. Treb.*

20 *Arg. d. l. poſtquam §. 1. vt legat. ſeu fideic. nom. caueat.*

21 *Arg. l. iure noſtro 26. §. vlt. & l. ſeq. de teſta. tutel.* Atque ita ſæpius à Senatu Pariſienſi iudicatum teſtatur Andr. Tiraq. *in tract. le mort ſaiſit le vif part. 6. declar. 9.*

22 Ita vt additionis tempore nihil impediret, quo minus hereditas ab inteſtato acquireretur.

23 Bart. *in d. l. is poteſt 18. n. 20.* vbi Apoſtil. *& in l. cum falſum 46. ff. de acqu. hæred.* Huc pertinet quod vulgo iactari ſolet: Multa facta tenere, quæ fieri prohibentur, *vulg. l. patre furioſo 8. de his qui ſui vel alien. iur. ſunt.*

24 Alioqui expediret allegare teſtamentum etiam falſo & per mendacium, *l. illud 7 §. pen. de tribut. action.*

25 Nam in qua poſſeſſione ſine vitio quis reperitur, in ea facile tuendus eſt, *l. filiam fratribus 56.* vbi Bart. ad SC. Trebell. *l. 1. §. vlt. & l. 2. ff. vti poſſid.*

26 Nunquam enim faciendum eſt id, quod factum non releuaret, vt loquuntur Pragmatici.

27 Prius enim eſt vt impugnentur, quam vt ſciri poſſit, vtrum fidem facere debeant necne. Ita demum enim fidem faciunt, ſi nulla obiectione debilitentur.

28 *Arg. l. Æmilius 38. verſ. mouit etiam ff. de minor.*

29 Quia eo caſu non potuiſſet adiri hæreditas ex teſtamento, *d. l. cum falſum 46. de acquir. heredit.* & aliis ſupra citatis, *num. 17.*

30 *L. regulariter 9. & paſſ. ff. de hæred. petit.*

31 *L. item veniunt 20. §. item non ſolum, verſ. fructus eod.*

32 *Arg. l. ſi patroni 55. §. vlt. ad SC. Treb.*

DEFINITIO V.

Cum adeſt clauſula derogatoria in priore teſtamento, vtrius heredis cauſa potior eſſe debeat in miſſione in poſſeſſionem, an eius, qui in priore, an eius, qui in poſteriore teſtamento ſcriptus eſt?

SI duo teſtamenta diuerſis temporibus condita proferantur, quorum prius habeat clauſulam derogatoriam,[1] iuriſiurandi quoque vinculo corroboratam,[2] poſterius autem expreſſam eius clauſulæ reuocationem, non quidem in indiuiduo (qui caſus nullam haberet dubitationem,[3]) ſed in ſpecie, quæ tamen per vim & ſuggeſtionem extorta dicatur, nec dum probetur, quæri eleganter poteſt, vtrius hæredis potior cauſa eſſe debeat, vt mittatur in poſſeſſionem bonorum defuncti?[4] Dubitationem facit, quod quamuis ex iuris regula poſterius teſtamentum præualeat, & pro eo præſumendum in dubio ac iudicandum ſit,[5] cum tamen in priore adiecta eſt clauſula derogatoria, & proteſtatio teſtatoris præmonentis fore, vt ſi aliter teſtetur, inuitus & per impreſſionem id faciat, præſumptio eſt, confectum fuiſſe poſterius ad importunam ſuggeſtionem alterius potius, quam ex voluntate teſtatoris.[6] Maxime ſi in poſteriore teſtamento non inſtituti ſint proximiores ab inteſtato ſucceſſuri, quorum fauor hac parte maior eſſe ſolet.[7] Nam, vt vulgare fert noſtrorum brocardicum, proteſtatio ante actum in ea re, quæ pendeat ex mera voluntate proteſtantis, demonſtrat abeſſe voluntatem ab eo actu quandocumque ſecuto,[8] Quod tum maxime obtinet cum fuit iuſta cauſa proteſtandi,[9] puta metus ex minis præcedentibus de abducendo teſtatore vel inuito, ſecuta poſtmodum abductione.[10] Itaque ad eam ſuggeſtionis aut coactionis ſuſpi-

BIU Cujas

cionem purgandam apertissimas & nullatenus suspectas mutatæ voluntatis probationes afferre debet is, qui posteriore testamento scriptus est.[11] Interea igitur, & quamdiu id factum non est, pro priore testamento habente clausulam derogatoriam, etiamsi iuratum non sit, ac multo magis si iuratum sit, præsumi & pronunciari debet,[12] nimirum si prius omni careat suspicione.[13] Finge illud etiam accedere vt posterius paucissimis post primum diebus factum sit. Cur credamus prudentem testatorem tam cito & sine causa voluntatem mutasse,[14] aut tam facile oblitum clausulæ derogatoriæ apertis verbis nec implicitis conceptæ?[15] Finge factum posterius testamentum in ædibus & inter domesticos heredis in eo scripti, licet tum absentis.[16] Itemque clausulas habere insolitas, & quarum conceptio difficilior sit, quam vt à testatore literarum rudi & imperito excogitata videri possit.[17] His sanè omnibus in proposita facti specie concurrentibus, vindicias pro eo, qui in prioribus tabulis scriptus fuerat, dicendas esse videbatur, nil obstante eo, quod in posterioribus scriptum erat reuocatas priores ex mera & spontanea testatoris voluntate. Nam quæ coniecturæ faciebant, vt suspectum videri deberet posterius testamentum, faciebant etiam vt perinde suspectæ essent clausulæ omnes in eodem adscriptæ testamento.[18] Denique ad prioris testamenti validitatem saltem præsumendam ac lite pendente defendendam sufficere videbatur, vt posterius aliqua ratione suspectum esset.[19] Plane si contra secundum testamentum nulla alia præsumptio vrgeret, nisi quæ ex clausula derogatoria in priore testamento conuenta colligeretur, eaque clausula derogatoria per contrariam derogatoriam in secundo testamento adiectam sufficienter reuocata esset, non dubitaremus, quin pro posterioribus tabulis præsumi & pronunciari oporteret. Cæteris enim paribus eas præualere rationis est.[20] In proposita tamen specie, quoniam nec suspicione priores carebant, necdum quicquam ab eo, qui in posterioribus scriptis fuerat, per vim dolúmve factum probabatur, *Senatus* noster secundum eum vindicias dixit, 3. Calend. Febr. 1588. in ea causa, de qua Defin. 9. supr. De testament.

1 De qua *in l. si quis in principio* 21. *de leg.* 1.

2 Nec enim parua vis est iurisiurandi etiam in vltimis voluntatibus, *l. cum pater* 77. § *filius matrem, de leg.* 2.

3 Secundum ea, quæ tradunt nostri post Bart. *ad d. l. si quis in principio.*

4 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

5 §. *posteriore. Inst. quib. mod. testa. infirm. l.* 1. & 2. *de iniust. rupt. l. si quis priore* 29. *ff. ad SC. Treb.*

6 Ita Iulius Clar. ex communi opinione *in* §. *testamentū, quæst.* 99. *num.* 3. *in fin.* post Socin. *ad l. si mihi* 12 *in legatis, num.* 6. *de leg.* 1.

7 *d. l.* 12. *de iniust. rupt. l. hac consultissima* 21. §. *vlt.* vbi DD. *C. de testam.*

8 *L. qui in aliena* 6. §. *Celsus.* vbi Bart. & alij post gloss. in verb. *fallens, de acqu. hered.* & *in l. Neseunius. de negot. gest.* Bald. *in l. vt debitum, opp.* 1. *C. de hered. act.* & *in l. dari, C. de fideicom.* Adde text. *in l.* 1. §. *fin. vbi gloss. de auctor. tutor.*

9 *Cap. Cumana,* & ibi Innoc. & Panorm. *de elect.* & *in c. cum M. de constit.* & *cap perlatum, quod met. caus.* Corn. *cons.* 161. *incip. subtilis, in lit. P. vol.* 4.

10 Bald. *in tit. de pac. iuram. firmand.* §. *item sacramenta.*

11 *L. eum qui mutuatam* 22. *ff. de probat.*

12 Voluntas enim illa est in testamentis, quæ totum facit, *d. l. si mihi* 12. *in fin. de leg.* 1.

13 Nam ex actu suspecto non potest sumi probatio concludens, *l. qui testamentum* 27. *ff. de probat.*

14 *Arg. l. non ad ea* 89. *de condit.* & *demonstr.*

15 Nam cum verba sunt implicita & intricata aliud est, vt apud Guid. Pap. *quæst.* 127. *num. vlt.*

16 Quo casu præsumptio maior est violentiæ aut metus illati testatori, ex not. per Alex. *cons.* 156. *part.* 2.

17 Nam ex clausulis insolitis arguitur potius dolus, Gloss. Bald. Arg. & alij *in l. si quis sub conditione, de condit. instit.* Cepoll. *de simul contr. num.* 48.

18 *Arg. notatorum* per Bart. *in l. fin.* §. *idem quæsit, de condict. indeb. l. doli* 19. §. *diuersum, de nouat. l. fin. C. ad Velleian.*

19 *Arg. l. qui testamentum* 17. *de probat.*

20 Iul. Clar. *ex communi, in* §. *testamentum, qu.* 99. *n.* 8.

DEFINITIO VI.

Substitutus pupillaris fit ex consuetudine possessor ipso iure bonorum pupillarium, ac multo magis eorum possessionem occupare propria auctoritate potest.

PVpillaris substitutus non secus atque alius heres quilibet primo loco institutus, habet beneficium possessionis illius consuetudinariæ,[1] quæ à defuncto in heredem continuatur ipso iure, aut potius ipso facto.[2] Neque enim secundus heres est, sed primus & proximus, quod pertinet ad hereditatem pupilli,[3] cum pupillaris substitutio non patris, sed ipsius filij impuberis testamentum sit.[4] Nec distinguemus, an substitutus pupillaris facto ipso possideat, necne.[5] Etsi enim difficilius est, vt substituto pupillari aufferatur pupillaris hereditatis possessio, quam sine vitio natus sit:[6] Idem tamen ius habet nanciscendæ eius propria auctoritate,[7] vt in hoc saltem melioris conditionis sit, quam fideicommissarius, quem supra diximus,[8] licet per manus heredis possessionem nanciscì debeat, non esse tamen priuandum sua possessione, quam citra voluntatem heredis sine vitio acquisiuerit.[9] *Ita Senatus* in causa Michaelis du Cuin, 6. Id. Iun. 1564.

1 De qua diximus *Defin.* 4. §. *eod.*

2 Iuris enim communis ratio repugnat, vt apparet *ex l. cum heredes* 23. *de acquir. poss.* Nam hereditas non potest transferre in heredem possessionem, quam ipsa non habet. *l.* 1. §. *Scæuola. si is qui test. lib. esse. iuss.*

3 Et quidem tanquam à pupillo pure institutus, si alia conditio nulla sit adscripta, *l. qui liberis,* §. *de vulg.* & *pupill. substit.*

4 *L.* 2. *l. sed si plures* 10. §. *filio,* & 6. *ad substitutes, eod. tit.*

5 Tantum enim potest hoc casu ficta possessio, quantum vera, etiam quod ad interdicta: quia per huiusmodi consuetudinem realis quoque & actualis possessio translata intelligitur, etiam in ignorantem.

6 Facile enim retinetur quis in possessione, quam sine vitio nactus est, *l.* 1. §. *vlt l.* 2. *vti possid. l.* 1. *quod legat.* Bart. *in l. filiam fratribus* 56. *ad SC. Treb.*

7 Tanquam succedens directo, non per obliquum, *l. verbis* 7. *de vulg.* & *pup. subst.*

8 *Defin.* 1. §. *eod.*

9 Ex Bart. *in l. filiam fratribus* 56. *ad Senatusconsult. Trebellian.* Vide Andr. Tiraquell, qui in huius Definitionis quæstione deceptus videtur, in tract. *Le mort saisit le vif, part.* 1. *declar.* 9. vbi multis in vtramque partem fusissime disputatis, in eam tandem magis inclinare videtur sententiam, vt non eadem sit conditio substituti pupillaris, quæ primi heredis, quasi non sit ille primus heres. Supradicta vero distinctio, quam refutamus, an substitutus pupillaris facto ipso possideat, necne, fuit Chassanei, quem supradicto loco Tiraq. refert.

DEFINITIO VII.

Filius tutoris, si pupillariter substitutus sit, potest remanere in possessione bonorum pupillarium.

TVtoris filius, idemque impuberi pupillariter substitutus, possessionem, quam pater viuus tutelæ iure tenuit, si tanquam pupillaris substitutus retinere velit, neciniuste facere videtur, nec mutare sibi causam possessionis.[1] Quia licet tutela non transmittatur in heredem tutoris, siue filius ille sit, siue extraneus:[2] quandiu tamen non est reddita ratio, nihil imputari tutoris filio potest, cur possessionem non restituerit,[3] præsertim cum nemo fuerit, qui eam sibi restitui petierit, aut iure petere potuerit post impuberis mortem, cuius non alius heres sit, quam ipse substitu-

substitutus,[4] nec videri potest mutasse sibi causam possessionis, qui à iure ipso non tantum dominij, sed etiam possessionis nouam causam vel ignorans habuit.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. l. non solum, 31. §. quod vulgo, ff. de vsucap.*
2 Nulla enim tutela hæreditario iure ad alium transit, *l. tutela, 16. §. 1. ff. de tutel.*
3 Tunc enim restituere possessionem bonorum pupillarium tutor aut eius hæres debet, cum rationes tutelæ reddit, *l. 1. & tot tit. ff. D de tutel. & ration distr.*
4 Nam cum substitutus pupillaris sit heres pupilli testamentarius, nemo alius succedere interim pupillo potest, *l. quamdiu, 19. de acq. hered. l. quamdiu, 89. de reg. iur.*
5 *dict. §. quod vulgo, l. non solum. 31. de vsuc. l. 2. in fin. pro emptor.*

DEFINITIO VIII.

Agenti ex beneficio l. vlt. Cod. hoc tit. non restituuntur fructus, nisi à die litis contestatæ, secus in petitione hæreditatis.

Missio in possessionem, quæ fit ex beneficio constitutionis Iustinianeæ,[1] de edicto Diui Hadriani tollendo, in hoc distat à petitione hæreditatis, quod si de testamenti iure quærendum sit, interea non impeditur missio,[2] cum tamen petenti hæreditatem ex testamento incumbat onus probandi testamentum valere,[3] quia hæreditatis petitio dominium vindicat, non possessionem.[4] Item in eo, quod in petitione hæreditatis veniunt fructus, quoniam augent hæreditatem, & quidem omnes quotquot percepti sunt.[5] Nulla hic parte adhibenda distinctione inter bonæ fidei possessorem & prædonem, nisi quod ad eos fructus attinet, qui percipi potuerunt, aut qui sic consumpti sunt, vt possessor non sit factus locupletior.[6] At perita missione in possessionem, si possessor contradixerit, non aliorum fructuum condemnatio fieri debet, quàm qui percepti sint, percipique potuerint à tempore litis contestatæ.[7] *Ita Senatus* in causa Dominæ d'Ambliſe & D. Comitis de S. Amour. Cal. Febr. 1595.

1 *L. vlt. C. hoc tit.*
2 *dict. l. vlt. D. de appell. recip.* Interest enim publice, ab aliquo possideri hæreditatem, qui & res hæreditarias curet & negotia hæreditaria gerat, ne diutius iaceat hæreditas, *l. 1 ff. de succes. edict.*
3 Nec enim testamento inualido potest hæreditas ad quemquam pertinere, *l. 1. 2. & 3. D. de petit. hered. l. 1. & tot. tit. de iniust. rupt.*
4 Id est, qui agit de petitione hæreditatis, dicit se dominum, non possessorem. Est enim actio in rem, *l. sed etsi, 25. § pen. de hered. petit. l. hæreditatis, 7. C. eod.*
5 *L. item veniunt, 20. §. item non solum, vers. fructus, & pass. ff. eod. tit. l. 1 & 2. C. eod.*
6 *d. l. 1. & d. l. sed etsi, 25. §. consuluit, & pass. D. eod.*
7 Vt in speciali actione in rem quamlibet, *l. certum, 22. C. de rei vindic.*

TIT. XIV.

SI QVIS ALIQ. TESTAR. prohib. vel coëger.

DEFINITIO I.

Clausula derogatoria apposita in priore testamento facit, vt potior debeat esse causa hæredis in eo scripti, quàm fisci, cum posterius testamentum per vim factum est.

SI duobus factis testamentis, quorum prius clausulam habuit derogatoriam,[1] probetur extortum posterius per vim aut metum, hæreditas non fisco applicanda, sed ei, qui in priore institutus reperitur, adiuuanda est. Quamquam enim quoties alium quis testari prohibuit vel coëgit, atque ita eius hæreditatem malis artibus sibi quæsiit, hæreditas tanquam ab indigno auferri & fisco applicari debet,[2] fieri tamen nequit, vt ex posteriore testamento, quod nullum est, prius rumpatur,[3] proinde nec vllus sit locus fisco, quamdiu alius ex priore & iusto testamento hæres esse potest.[4] Quid vero, si posterius testamentum valeret quidem, sed irritandum tamen esset ex iusta aliqua causa?[5] Adhuc possit quis dicere, nō idcirco admittendum fiscum, quia irrito facto testamento posteriore supersit prius, exemplo eius, quod dici solet, excluso instituto non ob id fiscum admitti, si alius adsit proximior agnatus aut in eodem gradu, qui ab intestato succedere possit.[6] Sed non ita est: nam si ponas posterius testamentum valere, fateri necesse est, prius ruptum esse ipso iure.[7] Quo admisso, sanè non potest conualescere ex eo solo, quod posterius quoque irritum postea factum sit.[8] Ea igitur sola ratione fisci exclusio inducenda est, quod posterius testamentum per vim, aut metum, aut suggestionem extortum nullius sit momenti, quando in præcedente adest clausula derogatoria, quæ faciat, vt in secundo deesse voluntas testatoris videatur.[9] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua supra SC. 9. supr. de testam.

1 De qua scripsimus *Defin. 5 supr. tit. prox.*
2 *L. 1. l. 2. § vlt. l. 3. D. hoc tit.*
3 *L. 2. de iniust. rupt. l. si filius 7. ff. de liber. & posth.*
4 Nullum enim ius est fisci, nisi bona sint vel vacantia, cuiusmodi non sunt illa, quæ habent hæredem, *l. nec vllam 13. §. item si quis, de hered. pet.* vel irreuocabiliter acquisita ei, qui postmodum indignus reperiatur, *tot. tit. de his quæ vt indign. ff. & C. l. ex facto 43. §. vlt. de vulg. & pup. substit.*
5 Puta de inofficioso, *vt in authent. ex causa; Cod. de liber. prater.*
6 Vt ex communi Doctorum opinione tradit Iulius Clarus *lib. 5. sent. §. fin. q. 79. n. 9.* Ias. *ad hunc tit. num. 3.*
7 *L. 1. & 2. de iniust. rupt. §. posteriore Inst. quibus mod. test. infirm. l. si quis priore 29. ff. ad SC. Treb.*
8 Vt Caius scribit *lib. 2. Inst. tit. 3. §. posteriore, l. militis 36. §. vl. de milit. testam.*
9 *L. si quis in principio 12. de legat. 3. l. si mihi 12. §. in legatis, de legat. 1.*

DEFINITIO II.

Metus illatus à domesticis nocet domino, qui quod in domo sua factum est verisimiliter non ignorauit.

CVm à Sempronij præpotentis viri famulis Titio vis facta diceretur, vt in Sempronij domum translatus hæredem eum scriberet, quærebatur an nocere id Sempronio deberet, vt ab eo tanquam indigno hereditas auferretur? Iniquum enim videbatur ex familiæ facto duriorem fieri conditionem domini fortasse ignorantis.[1] Sed tamen contra visum est, præsumi factum sciente & consentiente domino, quod in ipsius domo præsertim à domesticis factum esset,[2] adeo vt nec si iureiurando probare ignorantiam suam vellet, audiri tamen deberet, quia non esset verisimilis.[3] Finge pestis tempore factum esse testamentum. Sicuti diligentior tum requiritur inquisitio eorum, quæ domi geruntur, ita minus credibile est ignorasse Sempronium, quæ ibi tum gerebantur.[4] Sed & traditum est, præsumi factum sciente domino, quod à familiaribus & domesticis factum est, quando ex eorum facto res ad dominum immediate peruenit.[5] Et vero quidni noceat illi factum familiarium, quando & metus per alium quemcunque illatus ei noceret?[6] Quid si literæ domini extent, quæ testatorem compellarent, vt se ad ipsius ædes traduci pa-

teretur? Etsi enim vltimam alterius erga se voluntatem blanda sermone prouocare non est prohibitum,[7] parum tamen interest inter blanditias præpotentis viri & minas.[8] Minis autem probatis eius, qui nocere posset,[9] nemo negaret probatum causatumque videri metum, nam & iustus metus dicitur, vbi adest iusta suspicio.[10] Nec quod absente eo, cui reuerentia debebatur, testamentum factum sit, statim consequens est, metu extortum non fuisse.[11] *Ita Senatus* 14. Cal. Aug. 1593.

1 *Ex l. regula, l. non debet alteri* 74. *l. melior* 133. *de reg. iur. l. soluendo* 39. *de negot. gest.*

2 Bald. *in l. quicunque col.* 1. *C. de seru. fugit.* Gloss. *in l. si tutor. de peric. tutor. & curat. & in c.* 4. *de præsumpt.* Socin. *reg.* 176. *& seq.* saltem ad transferendum in eum onus probandi, Cardin. *clem.* 1. *q.* 4. *de for. compet.*

3 *Cap. vt circa & ibi not. & in c. nulli, de elect. in* 6. Gloss. & Bart. *in l. atqui, §. cum absente, de negot. gest.*

4 Bald. *in l.* 1. *C. ad Maced* Gloss. *in c. imotuit. de elect. in* 6.

5 Anchar. *in c. cum ad sedem, col. vlt. vers. quinto oppono, de restit. spoliat.*

6 Ias. *ad hunc tit. num* 3.

7 *L. vlt. ff. hoc tit.*

8 Glos. *in l. vnic. in verb. pignora, Cod. si Rect. prouinc. & in can. si sincere* 45. *distinct. DD. in l.* 1. *C. hoc tit. vbi addit. ad Castrens.* * *l.* 1 §. *quod autem. D. de seru. corrup.*

9 Bart. *in l. famosi* §. 1. *ff. ad leg. Iul. maiest.* Gloss. *in l. interpositas. C. de transact.* * Obserua autem hoc casu plus credi vni testi deponenti affirmatiuè de illatis minis, & verberibus, quàm mille negantibus. Boer. post Bald. & Angel. *decis.* 100. *num.* 3. & 4. aut quàm testibus deponentibus de spontanea voluntate, Boer. *ibid.* post Iason. *per l. interpositas, C. de transact.*

10 Bald. *in l. vlt. C. de iur. deliber. per l. nouissime* 7. §. 1. *quod fals. tutor. auct.* Bart. *in l. de pupillo.* §. *si quis ipsi, de oper. noui nunciat. & in l.* 1. §. *quæ onerandæ, D. quar. rer. act. nō det.* Idem Bald. *in* §. *sacramenta de pac. iuram. firmand.* Corn. *cons.* 41. *part.* 2. Innocent. *in c. prolatum, quod met. caus.* Alex. *cons.* 44. & 45. *vol.* 4. Simon de Prætis *de interp. vlt. volunt. lib.* 4. *duob.* 2. *per totum, maxime num.* 49. & *seqq.*

11 Alex. *in l. si cum dotem* 22. §. *in eo autem tempore, ff. sol. matrim.*

TIT. XVI.

DE IIS QVIB. VT INDIGN. auf. hær. & ad SC. Sillan.

DEFINITIO I.

Iniuriam & mulctam pupillo debitam gratis remittere tutor nod potest, pater potest.

INDICTAM necis defuncti remittere quidem tutor pupilli nomine potest,[1] eo casu quo pupillus ipse posset, sed gratis & nullo accepto non potest, ne præter iacturam amissi patris mulctæ quoque pecuniariæ, quam iudex adiudicaturus erat, damnum filius sentiat.[2] Nam & iniuriam & mulctam remittere donationis instar obtinet,[3] quæ tutori nullo casu permissa est.[4] Plus iuris habet pater in personam filij. Nam filio factam iniuriam, & mulctam, quam ex futura condemnatione sperare filius potuit, pater vltro & gratis etiam inuito filio remittere potest,[5] nisi proponas patris personam adeo vilem & abiectam, vt ei de honore filij nullo modo conficiendum esse videatur.[6] *Ita Senatus* in causa Claudij de Crues, 4. Nor. Mart. 1594.

1 Ita ex communi opinione tractat Franciscus Viuius *lib.* 2. *commun. opin.* 203. post nostros *ad l. pactum curatoris, Cod. de transact.*

2 *Arg.* eius quod scriptum est *in l. iure suo ursum* 6. *ff. de iur. dot. l. vlt. C. de inst. & subst.*

3 *L. donari videtur* 29. *de donat. l. donari* 8. *de reg. iur.*

4 *d. l. pactum curatoris, l. Lucius* 46. §. *vlt. D. de admin. tut.* iunct. *l. cùm plures* 12. §. *penult. eod. l.* 3. *C. de in lit. tur.*

5 Gloss. *in l. in persona* 31. *in princ. D. de pact.*

6 *Not. ibid. per text. in l. sed si vnus* 17. §. *interdum tamen ff. de iniur.*

DEFINITIO II.

Legatum à milite relictum adulteræ valet, sed auffertur ei à fisco tanquam indignæ, nisi donatum sit in piam causam & in remunerationem.

QVOD adulter legauit adulteræ, debetur, præterquam si testator miles proponatur siue cœlestis siue terrestris, vt loquuntur, militiæ.[1] Nam si fuerit miles aut clericus, aut aduocatus, quod adulteræ relictum est, auffertur tanquam indignæ & fisco applicatur.[2] An igitur mulieri tale legatum petenti militis hæres obiicere poterit de iure fisci? Minime, quia exceptio illa est de iure tertij, nec exclusiua iuris agentis,[3] quia, quod ab indigno auffert fiscus, id hæredem prius ipsi indigno præstare necesse est, alioquin ab eo aufferri non posset, quod is nunquam habuisset.[4] Adde, quod nec hæredi licere debet allegare defuncti turpitudinem, cuius ipse personam repræsentat, & à quo lucratiuam causam habet.[5] Neque vero satis iustam causam habere hæres vllam potest, quo minus præstet omnia, quæcunque testamento relicta sunt.[6] Quid enim, si ius suum fiscus persequi nolit? Cur dicamus penes hæredem remanere, quod à legatario tanquam ab indigno aufferre fiscus potuisset?[7] Denique vno tantum casu penes hæredem remanere potest, quod illicite relictum est, nempe cum id ipsum ex causa aliqua vindicare fiscus non potest.[8] Ergo quoties fisco locus esse potest, non debet quod illicite relictum est, penes hæredem remanere. Nec nisi inter eam personam, cui illicite relictum fuit, & fiscum superesse quæstio potest, an quasi ab indigno aufferendum sit. Plane quod adulteræ donatum est etiam à milite in piam causam aut in remunerationem meritorum, de quibus aliter quam ex sola militis confessione appareat, haud dubie debebitur, nec tanquam ab indigna aufferetur.[9] Finge nobilem virginem à milite malis, vt fit, artibus corruptam neque dotatam esse, ac per multos annos domesticis obsequiis præstandis cōtinuam ei operam dedisse, pro quibus etiam salarium meruisset. Cur non permittatur militi vel conscientiæ saltem exonerandæ gratia legatum ei relinquere, ex quo sibi aut alimenta aut maritum parare possit?[10] Id ergo arbitrio iudicis relinquendum erit, & ex personarum rerumque qualitate ac legati modo æstimandum. *Ita in Senatu* pro Romana Pequellier tractatum est. 17. Cal. April. 1594.

1 Capel. Tholos. *qu.* 141. & ibi Aufrer. post Bart. *ad l. miles* 41. §. *mulier. ff. de testam. milit. per ill. text.* iunct. *l.* 2. *C. de donat. inter vir. & vxor. l. mulierem* 14. vbi idem Bart. *De his quæ vt indign. l. adfectionis* 5. *ff. de donat.*

2 *d. l. mulierem, in fin.*

3 Et consequenter non admittenda, *l. loci* 4. §. *competit.* vbi Bartol. *D. si seruit. vindic.* Idem Bart. *ad l.* 2. *de except. rei iudic.*

4 *L.* 1. *& tot. hoc tit. D. & C. l. aufertur* 48. *& pass. de iur. fisc. l. ex facto* 43. §. *vlt. ff. de vuig. & pup. subst. l. non videtur remittere* 83. *l. non potest videri* 208. *de reg. iur.*

5 Censetur enim hæres eadem persona cum defuncto, *Nouell. de iureiur. à morient. præst.* §. 1. nemo autem propriam turpitudinem allegare potest, *l. mercalem* 5. *C. de condict. ob turp. caus.* Bart. *ad l. iusiurandum quod ex conuentione* 17. §. *procurator.* per text illum, iunct. *l. seq. ff. de iureiur.*

6 *Auth. hoc amplius, C. de fideic.*

7 Nemo enim agere aut iure suo vti cogitur, *l. vnic. C. vt*

Cod. vt nem. inuit. ager. cogat. l. pactum 46. *ff. de pact l. penult. Cod. eod.*

8 *L. in fraudem* 10. §. 1. *l. fin. ff. hoc tit.*

9 Guil. Benedict. in verb. *& uxorem, decis.* 5. *num.* 161. *in nouis*, post Anchar. *in consiliis.*

10 *Argum. l. Aquilius* 27. *ff. de don. l. sed et si* 25. §. *consuluit, de pet. hered.*

DEFINITIO III.

De milite, qui adulteræ aut focariæ suæ legauit, defuncto post annum militiæ.

ILlud etiam quæri potest, si is, qui testamenti tempore miles erat, decesserit solutus sacramento, an legatum, quod ab initio valuit, conualescat? Et si quidem intra missionis annum decesserit, Papinianus scripsit[1], perinde indignam esse mulierem, ac si testator in militia decessisset. Ergo si post annum, secura erit mulier,[2] ideo fortasse, quod post annum missionis non possit iure militari valere testamentum, licet à milite in militia factum.[3] Quod si ita est, non male quis ex eo inferat, quod aliis locis proditum est,[4] nihil ex testamento militis capere posse mulierem, in quam cadere turpis suspicio potest, ita accipiendum esse, si militiæ iure miles testatus sit, non item si iure communi.[5] Et ratio diuersitatis esse potest, quod neque priuilegium vllum mereatur mulier, in quam turpis suspicio cadit, vt quicquam consequatur ex testamento, quod iure communi non valet,[6] neque è contrario deterioris conditionis esse debeat miles, qui iure communi testatur, quam paganus quilibet, quominus etiam meretrici & adulteræ legare possit, cui paganus legare non prohiberetur.[7] Nec obstat, quod neque donare focariæ suæ miles potest.[8] Id enim idcirco constitutum videtur, ne eiusmodi donationibus ficti que adulationibus, vt lex ait, milites spolientur,[9] indeque fiat, ne tam strenuam posthea operam reipublicæ nauare possint:[10] Quod in causa testamenti secus est, cum per liberalitatem testamento factam non fiat testator pauperior, collato scilicet effectu liberalitatis in id tempus quo testator erit mortuus.[11] Itaque alia testamenti, alia donationis hac parte ratio constituenda est, quod tamen nescio an ab vllo exinterpretibus sit animaduersum. Proinde si iure communi factum sit testamentum, nihil causæ est cur separemus mulierem à pagano, etiamsi in militia decesserit.[12] Multo minus, si militiæ sacramento sit solutus.[13] Neque rursum refert, an intra an post annum missionis diem suum testator obierit, quia distinctioni huic locus non est, cum testamentum iure communi factum fuit.[14] Quid si miles iure militari testatus focariæ suæ & concubinæ aliquid reliquerit? Puto valiturum legatum, quia non cuilibet mulieri legare miles prohibetur, sed ei dumtaxat, in quam turpis suspicio cadere possit,[15] quod non euenit in concubina. Honesta enim adfectio est erga concubinam,[16] si ex ciuilibus legibus potius[17] quam ex Christianis moribus æstimes[18] adfectionem. Atqui, inquies, donatio focariæ facta non valeret.[19] Ergo, inquam, vel ex eo magis intelligimus differre hac in re donationem à testamento.[20] Quid rursus, si miles iure militiæ testatus aliquid reliquerit ei mulieri, quæ testamenti quidem tempore adultera fuit, at mortis tempore non fuit, soluto quippe iam matrimonio, tum miles hic aut in militia, aut intra missionis annum decesserit? Et magis est, vt legatum, quod ab initio fuit illicitum, ex postfacto non confirmetur.[21] *Ita tractabam* in eadem causa, *Senatus* nihildum decidit.

1 *In l. mulierem. ff. hoc tit.* [*& ibi* Bart. Adde Ant. de Gama *Decis. Iust* 226. *n.* 5.]

2 Per argumentum à contrario sensu, quo tanquam fortissimo vti Papinianus solet, *l.* 1. §. *huius rei, ff. de offic. eius cui mandat. est iurisd.*

3 *L. quod constitutum* 21. *& pass. ff. de testament. milit.* Nec etiam Papin. *in d. l. mulierem, l. quod dicitur* 38. de alio testamento loquitur, quam quod iure militiæ factum sit, vt constat ex illis verbis, *non admitti ad testamentum iure militiæ factum.*

4 *In l. miles* 41. §. *mulier. ff. de testam. milit.*

5 Nam & totus ille titulus est de testamento militari, nisi cum exprimitur factum esse testamentum iure communi.

6 *L. cum tabulis* 16. §. 1. *D. hoc tit.* Iunct. *l.* 4. §. *sed quod meretrici, D. de cond. ob turp. vel iniust. caus.*

7 Non enim auffertur ius commune ei, cui etiam priuilegium datur, *l.* 3. *D. de testam. milit.*

8 *L.* 1. *C. de donat. int. vir. & uxor.*

9 *Arg. l.* 1. *D. eod.*

10 Magnum enim est impedimentum paupertas ei, qui ad magna velit contendere.

11 *L.* 1. *D. qui test. facer. poss. l.* 4. *D. de admin legat.*

12 Cum nihil prohibeat etiam militem iure paganorum testari, *d. l.* 3 *& pass. D. de testam. milit.*

13 Quo tempore non nisi iure communi testari amplius potest.

14 *dict. l. quod constitutum*, 21. *l. quod dicitur*, 38. *& pass. eod. tit.*

15 *d. l. miles*, 41 §. *mulier, eod.*

16 *L. adfectionis*, 5. *D. de donat. l. qui concubinam*, 29. *de leg.* 3.

17 Concubinatus enim cum per leges nomen assumpserit, extra legis pœnam est, *l.* 3. §. *vlt. & tot. tit. D. de concub.*

18 Secundum quos omnis concubitus & coitus extra matrimonium illicitus est.

19 *d. l.* 2. *de donat. int. vir. & uxor.*

20 Neque ex diuersis bene inferri quicquam potest, *vulg. l. Papinianus exuli*, 20. *D. de minor.*

21 *Arg. d. l. in fraudem*, 10. §. 1. *& l. vlt. D. hoc tit.*

DEFINITIO IV.

Titulus, de his quæ vt indignis, non est apud nos abrogatus.

APud nos in vsu sunt leges omnes, quæ quod indigno auffertur applicant fisco,[1] licet apud Gallos sint abrogatæ, vt ij testantur qui de legibus & moribus Gallicis scripserunt.[2] *Ita tractatum est* in relationibus libellorum. 6. Id. Jun. 1591.

1 *Et tit. de his quæ vt indign. D. & C.*

2 Bugnonius *in tract. de legib. abrog.*

DEFINITIO V.

Non auffertur hereditas tanquam indigno, qui testamentum defuncti impugnauit quasi nullum, quod factum esset à reo læsæ maiestatis.

LEgitimus intestati hæres cum hæreditatis controuersiam ab eo pateretur, quem reus læsæ maiestatis hæredem scripserat, pendente accusatione obiecerat inter cætera fieri non posse, vt valeret testamentum, quod factum esset à reo maiestatis.[1] Placuit si qua alia ratione testamentum nullius esset momenti, forte quod necessariis solemnitatibus destitutum proponeretur,[2] non eo minus legitimum hæredem suo iure ab intestato successurum, nec auferendam ei tanquam indigno hæreditatem, quasi defuncti famam improbe onerasset.[3] Credendus enim est per iuris imperitiam id fecisse, hoc est, quod existimaret factionem testamenti non habere illum, qui rem maiestatis, licet falso & per calumniam factus esset potius,[4] quam vt agnati cognatiue amicissimi pudorem læderet,[5] Nec ei bene comparabatur, qui defuncti memoriam detulisset,[6] vt ex eo apparet, quod hæreditatem quasi ab intestato sibi delatam hic vindicat, quam fisco applicandam esse fateretur, si à defuncto crimen læsæ maiestatis admissum esse contenderet.[7] Idque in proposita specie tanto magis obtinebat, quod legitimus hic hæres eodem tempore eiusdem criminis reus fue-

BIU Cujas

rat, cuius & defunctus agnatus, tandemque innocentes ambos fuisse ex iudicij euentu apparuerat.[8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 21. sup. De testam.

1 Et in hoc nimirum errauerat in iure, quia reus maiestatis non prohibetur facere testamentum, si memoria eius tandem innocens pronuncietur, *l. si quis post accusationem*, 9. vbi Bart. contra Gloss. *l. qui à latronibus*, 13. §. *vltim. D. qui testam. facer. poss.*

2 *L. 1. de iniust. rupt. & irrit. fact. testam.*

3 De iure enim non de iudicio defuncti disputauit, *l. post legatum*, 5. §. 1. *l. si testamentum*, 24. *hoc tit.*

4 Quod tamen non nisi perinique posset ita constitui. Quis enim esset innocens, si sufficeret accusare?

5 Nemo enim credendus est cognati sui pudorem & existimationem vltro lædere voluisse.

6 Huic enim tanquam indigno hæreditatem aufferendam esse certum est, *l. si inimicitiæ*, 9. §. *penultim. & vltim. D. hoc tit.* iunct. *l. 1. in fin. de bon. libert.* §. *item is qui status, Instit. de excus. tutor.*

7 *L. quisquis*, 5. *C. ad leg. Iul. Maiest.*

8 Accusatio enim huius criminis non finitur morte, & post mortem quoque peragi potest, *l. ex iudiciorum*, 20. *D. de accusat.*

[DEFINITIO VI.

EVm qui vindictam necis defuncti prudens & sciés insuper habuit,[1] licèt interim hæreditatem adire non prohibeatur, hoc ipso tamen indignum esse constat, ideoque ei quasi indigno aditam hæreditatem aufferendam & fisco applicandam.[2] Quid ergo si fiscus bona occupare nolit, quasi suspecta, vel etiam indignus ipse sit ob id quod neque procurator fisci vel Cæsaris vindictam illam sit prosecutus?[3] Visum est piis locis adiudicanda & addicenda esse bona, potiùs quàm permittendum, vt ab hærede indigno retineantur. Idemq; re multo magis admittendum est, si testatorem hæres ipse occiderit.[4] Sed quid de legatis fiet? Solent enim bona ad fiscum deuolui cum onere legatorum,[5] Aut si fiscus bona nolit agnoscere, redundare ad hæredem.[6] Placuit tamen hoc posteriore casu, quo testator ab hærede occisus sit sola ea legata deberi, quæ in vsus pios relicta essent. Ideo fortasse, quòd legatariis quoque imputari posse videretur, quòd contra hæredem non fuissent prosecuti vindictam necis defuncti. Quo facto potuissent etiam ipsi adire hæreditatem excluso quoque fisco post Nouellam Iustiniani legem, quæ hoc induxit.[7] *Ita Senatus*, contra Noë Cochet, 14. Calend. Mart. 1602.

1 Vt in *l. hæredem* 17. *D. hoc tit. l.* 5. §. *non alias D. de SC. Silan. & pass. ill. tit.*

2 *d.* §. *non alias l. cùm fisco*, 9. *eod. d. l. hæredem & seq.* §. *bonis l. ei qui* 20. *& seq. D. hoc tit.*

3 Scilicet intra quinquennium *l. in cognitione* 13. *D. de SC. Silan.*

4 Quo casu maior sanè hæredis indignitas est & ingratitudo.

5 *d. l. cum fisco.*

6 *l. si seruus* 50. §. *si quis ante, de leg.* 1.

7 *Nouell. 1. de hered. & falcid.* Postquam Nouella videtur abrogata, *l. si sequens* 15 *in princ. D. de SC. Silan.* cùm hodie & adire legatarius possit, cùm adire hæres non potest, & fisco præferatur, Scilicet cùm hæreditas à primi gradus hærede adita non fuit. Cogita tamen, quia Senatusconsulto non adfui, licèt viderim ita pronunciatum. Et mihi probabilior illa Arresti ratio fuisse videtur, quòd maritus ab vxore institutus hæres ipsam occidendo indignum se fecerat non tantùm, qui hæreditatem retineret, sed etiam, qui adiret, ac cui lex hereditatem deferret. Et tamẽ, quia testamento ritè facto fuerat institutus, nullum legitimi hæredis ius esse videbatur. Nec rursum fisci, cùm nemo esset, cui tanquam indigno posset aufferri hæreditas, quę nulli adhuc vnquam fuisset acquisita. Itaque supererat vt pijs locis potiùs adiudicaretur.]

TIT. XVII.

DE CODICILL.

DEFINITIO I.

Clausula codicillaris apposita in testamento inutili tantum prodest ad conseruanda legata & fideicommissa ab intestato, atque codicilli ab intestato facti.

NIHIL interest, quod ad legata & fideicommissa pertinet, an quis codicillos ab intestato fecerit,[1] an inutili testamento vulgarem clausulam codicillarem adscripserit.[2] Vtroque enim casu, sicuti ab intestato succeditur, ita eadem codicillorum vis & potestas est, vt quemlibet intestati successorem obligent,[3] & consequenter posthumum quoque,[4] licet ignoranter præteritum, siue simpliciter aut per verba præsentis tantum temporis clausula illa concepta sit, siue per ea, quæ futurum quoque tempus demonstrent.[5] Nam ab intestato factis codicillis, vnus tantum casus est,[6] nec proinde distinctioni locus relinquitur, à quo, aut qualia, quantaque legata vel fideicommissa defunctus dederit, præterquam si ad certam personam codicilli scripti proponantur, quam defunctus eo tempore sibi solam successuram sperabat.[7] Tum enim dici non potest, eam fuisse scribentis voluntatem, vt posthumum filium, de quo præsertim nó cogitabat, quemque nullo modo sperabat, eisdem legatis & fideicommissis oneraret.[8]

1 Nam & ab intestato codicilli fieri possunt, *l. ab intestato*, 16. *ff. hoc tit.*

2 *Vt in l. 1. eod. l. 1. ff. de fideic. libert. l. generaliter*, 24 §. *ex testamento. ff. eod. l. penult.* §. *vlt. de legat. 2. l. si iure*, 11. *C. de testam. manum.*

3 *d. l. ab intestato l. si cum*, 3. *l. conficiuntur*, 8. §. *si post factum, l. qui graui*, 12. *l. pen. ff. de iur. codicill.*

4 *d. l. generaliter*, 24 §. *ex testamento. ff. de fideic. libert. l. ex testamento*, 29. *C. de fideic. l. posthumus*, 12 §. 1. *de iniust. rupt.* Iunge *l. quærebatur*, 19. *ff. de testam. milit.* * Vide Ofasch. Cacheran. laté hæc tractantem *cons.* 11. *& 70 per tot.* Anton. Thesaur. *decis.* 171. *num.* 15. vbi tractat de conseruatione legatorum, maximè cùm aliqua parte testamenti facta est mentio filiorum, ex Baldo *ad l. filio præterito* 17. *ff. de iniust. rupt.* Maximè verò hoc obtinet, non solùm si legata relicta sunt ad vsus pios aut necessarios, puta pro restitutione male ablatorum, aut pro anima, sed etiam si relicta sint personis tam coniunctis vt verisimile sit testatorem æque fuisse relicturum etiam si de posthumo cogitasset, puta vxori, ex *l. cum alienam*, 20. *C. de legat.* nisi eiusmodi legata exhaurirent hæreditatem. Ita enim apostillator ad Bart. *in Authent. ex causa in verbo posthumo*, 2. *in litera b.* ex Ioan. de Anan. *cons.* 75. & Bald. *cons.* 440. *incip. in Christi nomine* 31.

5 Quæ tamen distinctio adhiberi à nostris solet, *ad l. 1. D. hoc tit. & ad auth. ex causa, C. de liber. præter.*

6 *d. l. ab intestato, in fin.*

7 Vt in specie, *l. cum pater*, 77. § *cum existimaret, de leg.* 2. *l. pen. ff. hoc tit.*

8 *L. sicut certi*, 9. *l. seq. Cod. de testament. milit. l. militis*, 36. §. *miles, ff. eod. l. si quis ita*, 14. §. *si quis cum ignoraret, ff. de testament. tutel.*

DEFINITIO II.

Clausula codicillaris non conseruat dationem hæreditatis in præiudicium posthumi ignoranter præteriti.

SEd quod ad ipsam hæreditatis dationem attinet, non similiter dici potest, nihil referre, an quis intestatus decedere volens codicillos fecerit, an inutili fa-

BIU Cujas

tilli facto, aut quandocunque rupto testamento clausulam codicillarem insecuerit. Nam qui intestato moriturus codicillos fecit, non ad hunc, aut illum scriptos (hic enim casus semper excipiendus est)[1] sed quibus generaliter & indistincte rogauerit successuros ab intestato, vt hereditatem Sempronio restituerent,[2] vtique posthumum quoque, siue viuo se, siue mortuo nasciturum rogasse, eodemque fideicommisso obstrinxisse intelligitur, tametsi eo tempore, quo dictabat codicillos, nihil minus quam de posthumo cogitaret.[3] At condito testamento, quod vel ab initio inutile, vel quandocunque posthumi agnatione ruptum fuerit, dici non potest eam subiectæ clausulæ codicillaris vim esse debere, vt posthumus ignoranter præteritus æque rogatus videatur de hereditate scriptis heredibus, siue suis siue extraneis restituenda, de qua scilicet nullo modo, ac ne per suspicionem quidem fuerit cogitatum.[4] Quare nec distinguemus, quibus verbis clausula illa codicillaris concepta sit, id est, an iis quæ ad præsens tantum, an quæ ad futurum quoque tempus referantur?[5] Nam siue præsens tempus expressim demonstratum sit, siue simpliciter & indefinite testator dixerit: *Velle se testamentum valere saltem iure codicillorum*,[6] futurum quoque tempus demonstratum intelligitur, hoc ipso quod de testamenti validitate actum est, cum non minus mortis & delatæ successionis tempus inspiciendum sit, quam conditi testamenti, quoties quæritur, an valeat testamentum,[7] quia nec antea effectum habere potest.[8] Adde, quod vt possis euincere, testatorem, qui clausulam codicillarem adscripsit, de omni casu cogitasse, quo testamentum ruptum aut irritum fieri posset, & consequenter de illo etiam quo posthumus nasceretur, nascendoque rumperet, prius necessario est, vt probes testatorem eo tempore de posthumis cogtasse.[9] Atqui nos eam speciem tractamus, in qua posthumus ignoranter præteritus sit, id est, ab eo, à quo fuisse de posthumo cogitatum dici non possit.[10] Inde namque illud etiam est quod si testator filiis suis tutores dederit, licet tutoris datio fauorabilissima sit, posthumis tamen dedisse non videtur,[11] quia nimirum prius est, vt de posthumis cogitauerit, quam vt iis tutorem dedisse videatur, tametsi filiorum appellatione contineantur.[12] Inde illud denique, quod nec militis testamentum valet, in quo ignoranter præteritus est filius, siue iam natus, siue posthumus.[13] An propter omissam iuris solemnitatem? Minime. Nam in militari testamento nudam militis non iustam voluntatem intuemur:[14] Sed propter defectum voluntatis, quia quod alias euenit, vt filius in potestate à patre milite præteritus pro exheredato habeatur,[15] ad hunc non pertinet, de quo pater non cogitauit.[16] Atqui tritum est codicillarem clausulam, licet ab intestato suppleat defectum solemnitatum testamenti,[17] nunquam tamen supplere defectum voluntatis,[18] cum è contrario potius ex voluntate ipsa recipere debeat interpretationem:[19] Prorsusque absurdum fuerit dicere clausulam codicillarem facere debere, vt voluntas testatoris ab intestato locum habeat, illo etiam casu quo ex testamento non seruaretur, quamuis alioquin testamentum valeret.[20] Hæc autem idcirco tam varie, quia factis ab intestato codicillis, aperta est voluntas patrisfamilias ad successionem suam inuitantis, & quasi tacita institutione vocantis eos, qui deferendæ per legem hereditatis tempore proximiores reperientur.[21] In quorum numero negari non potest, quin posthumi quoque contineantur, etiam de quibus codicillorum tempore non cogitarat, cum dubitandum non sit, quin si de iis pater cogitasset, multo magis legitimam iis hereditatem relicturus fuisset.[22] Consequens igitur est, vt restituendæ hereditatis fideicommissum iis codicillis relictum perinde posthumum hunc, quandocunque natum & ab intestato succedentem, obliget, ac cæteros quoslibet intestati successores.[23] Palam enim est eos ipsos fideicommisso vniuersali grauatos, qui fuerunt ad legitimam hereditatem inuitati.[24] Ergo & filium hunc posthumum, præterquam si, vt initio diximus, ad certam personam codicillos pater scripserit. Tunc enim voluntatis ratio non patitur, vt æque posthumum, de quo nihil sperabat, oneratum credendus sit, licet persona onerata, non minus dilecta fuerit.[25] At cum testamentum factum est in fauorem extranei, in eoque adiecta clausula codicillaris, manifestum est, id vnum testatorem agere, vt quantum in se est excludat eos, qui ab intestato essent successuri.[26] In qua exclusione inhumanum sit, & improbabile suspicari, eum fuisse comprehensurum personam posthumi, si de posthumo quoque cogitasset.[27] Semper enim de patentum voluntate erga liberos, præsertim posthumos nullius culpæ capaces, pie & humaniter, quoad eius fieri potest, suspicandum est.[28] Hinc euenit, vt quemadmodum posthumus hic ignoranter præteritus non ideo exclusus videri potest, nec si tale testamentum sit, in quo habeatur præteritio pro exheredatione, quale militis testamentum est,[29] ita neque per clausulam codicillarem rogatus credi debeat, vt ab intestato succedendo restituat scriptis heredibus hereditatem.[30] Eos namque solos fideicommisso restituendæ hereditatis obstringere clausula potest, quos institutio à testati successione excluserit.[31] Denique vt dicam breuius, nullo facto testamento, sed codicillis tantum ab intestato scriptis, non potest tractari de posthumo ignoranter præterito, qui potius pro tacite instituto habendus est, licet de illo non fuerit cogitatum,[32] si verum est, vt est, patremfamilias, qui testamentum facere cum posset, noluit, hoc ipso tacite suam legitimis futuris heredibus successionem relinquere voluisse, & consequenter eos instituisse videri.[33] Facto autem testamento, atque ita scriptis aliis heredibus, apparet, posthumum hunc, qui neque institutus sit, neque vllo casu pro exheredato habendus,[34] omnino præteritum esse, & quidem ab eo qui verisimiliter non erat præteriturus, si de eo cogitasset. Igitur neque per clausulam codicillarem rogatus videri debet de restituenda scriptis heredibus hereditate, quam non solum à lege & suo iure,[35] sed etiam ex probabili patris voluntate sibi habere debeat, vtpote à qua nunquam eum pater fauore institutorum excluserit.[36]

1 *Vt in l. pen & l. graui* 11. *D. hoc tit.*

2 *Vt in l. ab intestato* 16. *eod. l. ex testamento* 29. *C. de fideic. l. generaliter* 24 *§. ex testamento, ff. de fideic. libert. l.* 1. *C. eod. l. ex ea scriptura* 29. *§.* 1. *qui testam facer. poss.*

3 *L. si quis cum* 3. *vers. sed et si post codicillos, l. conficiuntur* 8. *§. si post factum, in fin.*

4 *d. l. qui graui, & d. l. penult. hoc tit. l. cum pater* 77. *§. cum existimaret, de leg.* 2.

5 Quomodo tamen Bart. & post eum cæteri distinguere solent, *ad l.* 1. *ff. hoc tit.*

6 Quo tamen casu verbum infinitiuum trahitur etiam ad futurum tempus, vt tractat Bartol. *ad dict. l. post gloss. in l. stipulationum, § stipulatio*, in verb. *daturum*, *de verb. obligat.* quam ad hoc laudat Alex. *cons.* 31. *col.* 3. *vers. nec ad hoc, volum.* 2. Salycet. *in l. si vt proponis, C. de cond. ob caus.* Afflict. *decis.* 61. *num.* 1.

7 Quia eo demum tempore quo testator moritur testamentum confirmatur, *l. si alienum* 49. *§.* 1. *ff. de hered. instit.*

8 *L.* 1. *ff. qui testam. facer poss.*

9 Quia de quo nascituro testator nullo modo cogitauit impossibile est, vt cogitauerit de eo rupturo, cum non entis nullæ prorsus sint, nec possint esse qualitates.

BIU Cujas

10 Alioqui non esset ignoranter præteritus, si de eo vel tantillum, ac per solam suspicionem cogitatum fuisset.

11 *L. si quis ita 14. §. si quis cum ignoraret, D. de testament. tutel.*

12 Etiam in legato filiis aut filiabus relicto, si modo testator de posthumo cogitauerit, *l. qui filiabus 17. in princ. de leg. 1. l. nomen filiarum 164. de verb. signif.*

13 *L. sicut certi 9. cum l. seq. C. de test. milit.*

14 *L. 1. l. Diuus 24. l. eius militis 34. §. vl. & l. seq. D. eo. l. in testamento 6. C. eod. precib. 8. C. de impub. & aliis substit.* In eoq; maxime differt testamentum militis à testamento pagani, quod diffinitur *in l. 1. D. qui test. facer. poss.*

15 Nam & solo silentio milites exhæredant filios, *l. si patronus 12. in princip. l. Paulus respondit 47. §. vltim. D. de bonor. liber.*

16 *d. l. sicut certi 9. & l. seq. C. de test. milit.*

17 *L. pen §. vlt. de legat. 2. l. generaliter 24. §. ex testamento, D. de fideic. libert.*

18 Eleganter Decius *cons. 205. in fin.*

19 Nam in quæstionibus vltimarum voluntatum voluntas illa est, quæ totum facit, *l. si mihi 12. in fin. de leg. 1. l. in conditionibus 19. de cond. & demonstr.*

20 Alioqui plus posset codicillaris clausula, quam totum ipsum testamentum, quamuis validum, quod esset absurdum, *arg. l. quod per manus 10. D. hoc tit.*

21 *L. 3. in princ. d. l. conficiuntur 8. vers. sed ideo, D. hoc tit. l. ab exheredati 126. de leg. 1.*

22 *Arg. l. cum auus 102. de cond. & dem. l. cum acutissimi 30. C. de fideic.*

23 Ex legib. supra citatis *num. 3.*

24 Quia nec alij onerari possunt, quam qui sunt honorati, *vulg. l. ab eo 9. C. de fideic.* & ex onere plerumque etiam honor declaratur, & contra, *l. alumnæ 30. §. ab heredibus de adim. leg. l. vtrum 7. §. vlt. de reb. dub.*

25 *Vt in d. l. qui graui 11. l. pen. D. hoc tit. l. cum pater 72. §. eum existimaret, de leg. 2.*

26 Semper enim prior & potior est causa testati, quam intestati, *l. quamdiu 39. de acquir. her. l. quamdiu 89. de reg. iur. exceptocasu, l. si quis ita 82. de hered. instit.*

27 Quomodo enim posset ingratus existimari posthumus nondum natus? *l. si quis suo 33. in fin. C. de inoff. test.*

28 *L. vltim. Cod. de curat. furios.* Nemo enim creditur alienam sobolem velle suæ anteponere, *d. l. cum acutissimi 30. C. de fideicomm.*

29 *d. l. sicut certi 9. & l. seq. C. de test. milit.*

30 Parum enim refert in effectu, an hereditas alicui auferatur per exheredationem, an bona per iniunctum onus fideicommissi, sicuti è contrario parum refert in effectu, an per institutionem vocetur quis ad bona patris, an per fideicommissum, tametsi fuerit exheredatus, quia huiusmodi exhæredatio non nisi bona mente facta videri potest, *l. multi 19 de liber. & posth. l. 3 §. cum Pollidius, de vsur.*

31 Vtrumque enim, id est, & testamentum & clausula codicillaris in eorum odium fit, qui ab intestato essent successuri.

32 Quia credendus est pater illum fuisse instituturus, si de ipso cogitasset, quod de nullo agnato proxime æque dici potest.

33 *d. l. 3. ad l. conficiuntur 8. D. hoc tit. d. l. ab exheredati 126. de leg. 1.*

34 *d. l. sicut 9. & seq. C. de testam. milit.*

35 Tanquam suus hæres, *d. l. 3 §. 1. D. hoc tit. l. in suis 11. de liber. & posth.* licet non proprie posthumus dici possi suus heres, quia non fuit in patris morientis potestate, *l. vltim. D. de collat. bonor.*

36 Quia neque excludendi eius vllam habuit voluntatem, *argum. l. vltim. D. de hared. instit. l. cum mater 28. D. de inoffic. test.*

DEFINITIO III.

Codicillaris clausula inducit tacitam repetitionem legatorum & fideicommissorum ab intestato, etiam in præiudicium posthumi ignoranter præteriti.

EX quo apparet, quam rationem habeat, quod in superioribus contra scripsimus de vi & potestate clausulæ codicillaris, cum de legatorum dumtaxat, vel fideicommissorum conseruatione agitur. Diximus enim,[1] quod ad legata & fideicommissa spectat, nihil interesse, an quis codicillos ab intestato fecerit, an testamento, quod postea per agnationem posthumi ruptum sit, clausulam illam adiecerit. Vtroque videlicet casu legata conseruari, debetique à posthumo, quamuis ignoranter præterito,[2] nimirum quia hac parte dici non potest adiectam eam clausulam ad exclusionem legitimorum hæredum. Quinimo ad conseruationem dumtaxat legatorum & fideicommissorum,[3] vt non eo minus debeantur à legitimis hæredibus, cum ab institutis relicta sint, quos à testatore magis dilectos fuisse certum est.[4] Quidni ergo debebuntur à posthumo, licet ignoranter præterito? Nam si testator de eo cogitasset quid aliud fecisset; nisi quod eum hæredem instituisset? Atqui etiam ab institutis legata & fideicommissa reliquit. Ergo & à posthumo præstanda sunt.[5] Dices non esse rectam consecutionem, quia fieri potest, vt non fuerit æque pater posthumum oneraturus, si de eo cogitasset. Finge institutam personam minus dilectam, puta extraneam.[6] Respondeo, eam quidem solam rationem, quod hæres institutus legata & fideicommissa testamento relicta debuisset, non sufficere, vt eorum præstationi posthumus quoque obstringatur, de quo pater non cogitauit,[7] quique suo iure succedit ab intestato;[8] sed ad eam rationem illam quoque accedere, quod subiecta codicillaris clausula tacitam inducat repetitionem legatorum & fideicommissorum ab intestato, faciatque, vt perinde debeantur à quocunque intestati successore, ac si nullo condito testamento codicilli ab intestato facti essent.[9] Quo casu, si modo ad certæ personæ onus directi non sint, nemo dubitat, quin ex iis posthumus etiam, de quo non fuit cogitatum æque, ac alius quilibet obligetur.[10]

1 *Defin. 1. supr. eod.*

2 *Ex l. 3 § 1. l. conficiuntur 8. §. si post factum, in fin. D. hoc tit. l. ex testamento, 29. C. de fideic. l. generaliter 24. §. testamento, D. de fideic. libert. l. 1. C. eod.*

3 Quæ scilicet non poterant iure vetere aliter conseruari, quam si à legitimis hæredibus essent repetita, *l. 1. D. hoc tit. l. vlt. C. eod. l. Titia 13. D. de inoff. testam.* & aliis supra proxime citatis.

4 Magis enim dilecti intelliguntur, qui priores sunt vocati, *l. Publius 36. §. 1. de cond. & demonstr. l. omnia 31. alias l. cum ita, §. in fideicommisso, de legat. 2 l. cum pater 77. § pen. eod. l. heredes mei 57. § vlt. D. ad SC. Treb.*

5 *Arg. l. vlt. D. de hered. instit. l. cum mater 28. D. de inoffic. testam.*

6 Faciliores enim sunt testatorum voluntates, ad onerandos extraneos, quam ad onerandos liberos, quia & extranei minus sunt dilecti, *d. l. cum acutissimi 30. & ibi not. C. de fidei. l. Titia 34 § qui inuito, vers. non est enim, de leg 2.*

7 *d. l. penult. & l. qui graui, 11. D. hoc tit. d. l. cum pater 77. §. cum existimaret, de leg. 2.*

8 *L. is qui in potestate 15. vers. & absurdum est, de præs. leg.*

9 *d. l. pen. § vlt. de leg. 2. d. l. Titia 13. D. de ineff. testam. l. ni fideicommissa 36. de leg.*

10 *Legib.* supra citatis, *n. 2. & 7.*

DEFINITIO IV.

De Interpretum distinctione circa clausulam codicillarem, cum posthumus ignoranter fuit præteritus.

SEd quamquam supradicta omnia ex certissima iuris ratione verissime disputantur,[1] inualuit tamen crebriore interpretum calculo illa distinctio,[2] quam & Senatus noster probare solet, an clausula codicillaris concepta sit per verba tantum præsentis temporis,[3] an per ea, quæ futurum quoque designent expressim?[4] Vt priore casu nihil operetur rupto subinde testamento per agnationem posthumi, siue scienter, siue ignoranter præteriti, quia verum est testamentum eo tempore valuisse quo factum fuit:[5] Posteriore vero operetur ad inducendam ab intestato restitutionem hæreditatis ex fideicommisso, itemque legatorum

legatorum & fideicommissorum tacitam repetitionem, si scienter posthumus præteritus sit, qui postea natus est,[6] secus si ignoranter, instituto nimirum extraneo,[7] qualis esse creditur quisquis non est ex liberis. [8]Nisi ponas, aut posthumum viuo patre decessisse, (quo casu ex æquitate, quam Hadriani constitutio[9] admisit, pro eo habetur, ac si natus numquam fuisset) aut testatorem post ruptum agnatione posthumi testamentum superstitem per aliquod tempus fuisse, & cum testamentum mutare posset, non mutasse, vel quod in dubio idem est, mutare noluisse.[10] Cuius sententiæ ratio illa afferri solet, quod non sit verisimile patrem fuisse instituturum personam extraneam, si de filio cogitasset.[11] Quam rationem apertum est cessare in filio, siue iam nato, siue posthumo scienter præterito, siue iam tum institui potuerit, siue ex quo natus fuit.[12] Senatus noster suprascriptam distinctionem, quæ Bartoli primum fuit, secutus est in causa Franciscæ de Prouane, & D. Alberti, 10. Calend. Mart. 1591. & iterum in eadem causa SC. 15. Calend. Aug. 1592.

1 Et à nobis disputata sunt pluribus in *Chiliade de error. pragmat. & interpr. iur.* * *Decad.* 20. *error.* 7. & 8.

2 De qua vide totam rem fusissime ex Doctorum opinione tractatam, apud Olacr. Cacher. *cons.* 11. & 70. & Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* 141 vbi alios innumeros citant.

3 Id est, per hæc verba, *si hoc meum testamentum nō valet.*

4 Quod est cum superioribus verbis, adduntur illa *nec valebit.*

5 Atque ita conditionem clausulæ codicillaris defecisse. Tritum enim est deficiente conditione deficere dispositionem conditionalem, *tot. tit. de condit. instit. & tit. de cond. & demonstrat.* Item posthumi præteritionem ab initio non facere, quin valeat testamentum, sed tantum vt sui heredis agnatione rumpatur, *l. 1. l. posthumus* 12. *& pass. de iniust. rupt. l.* 1. *C. de posth. hered. instit.* [Itaque quoties potest succedi ex testamento, siue iure ciuili, siue prætorio, inutilis est clausula codicillaris defectu conditionis *l. in condicionib.* 19. § *si patronus, D. de cond. & demonst.*]

6 Et hic casus nullam penitus, neque apud interpretes, neque apud nos recipit dubitationē: cum etiam à fratris posthumo fideicommissum dari possit, *l. pen. de leg.* 1 *d. l. generaliter* 24. § *ex testamento ff de fideic. libert.* [Quid si mater vacuo ventre fecerit testamentum, & instituerit hæredem marium, nullos tunc habentem liberos, & addiderit verba illa vulgaria, quæ notarij nostri vix vnquam prætermittunt *& suos:* postea verò filium peperit ex eosdem marito: An videbitur hic filius posthumus institutus? An verò potiùs præteritus, & quidem ignoranter? An denique vis vlla erit hoc casu clausulæ codicillaris? Sed magis est, vt non possit dici institutus, quia supradictis verbis mater non de suis, sed de mariti liberis cogitauit, & quidem quibuscumque, id est etiam qui ex alia vxore post testatricis mortem suscepti essent, *l. si vir* 61. *& seq. de condic. & demonstr.* Sed etsi de communibus liberis sensisset, suos tamen debuit instituere non mariti, id est, tanquam suos ipsius liberos, & ex ea nascituros, non tāquam liberos mariti. Adeò vt quamuis concepta esset clausula cedicillaris per verba futuri temporis, non tamen deberet ex verisimili voluntate testatricis operari fideicommissum purum in præiudicium posthumi, nec scienter quidem præteriti. Quis enim credat voluisse matrem grauare filium de restituenda patri materna hæreditate? Esset id sanè contra votum, non modò matris, sed etiam patris, *l. Iulianus* 26 § 1. *D. si quis omiss. caus. l. nam etsi* 15. *de inoffic. testam.* Patres enim etiam sua propria liberis omnia parant, *l. nihil. interest.* 50. § *sed nunquid. de bon. libert.* Quare nec si posthumus hic maternus viuo patre moreretur, dicendum tamen esset hæredes eius cogendos hæreditatem hanc maternam patri restituere, quandoquidem id multo magis à communi parentum voto alienum esset. Sunt enim hæc omnia ex verisimili mente testantis secundum interpretes diiudicanda. *Ita tractatum est* in causa quadam Cl. Bouier, & Humberti Perrier. *Sine die*]

7 Nam cum institutus est filius testatoris communem opinionem esse contra Bart. & contra posthumum scribit Tessaur. *dict. decis.* 141. lunge *Defin.* 1. * & quæ ibi scripsi *numer.* 4.

8 *Vt in l. quin etiam* 55. *in fin. ff. de rit. nupt.* Alias extraneus dicitur extra parentes & liberos, *vt in l.* 1. 1. 5 § *vlt. & tot. tit. de legat. præst.* Aliquando omnes citra patrem, vt *in l. vnic.* §. *accedit, vers. extraneum, C. de rei vxor. action.*

9 De qua *in d. l. posthumus* 12. *ff de iniust. rupt.* Tessau. *dict. quæst.* 141. *n.* 16. [Intellige autem ita vt hoc casu extraneus possit succedere ex hac Constitutione Hadriani per bonorum poss. secund. tab. Vt ex legib. & SC. bonor. poss. det. vt dixi ad *Defin.* 1. *num.* 10 5. *de hered. instit.* Non autem vt succedat per fideicommissum ex clausula codicillari, cuius scilicet condicio defecit, *vt supr. n.* 5. cùm hoc testamentum teneat iure prætorio si modò extraneus petat bonor. possess. intra centum dies. Alioqui neque succedet *ex l. posthumus*, neque ex clausula codicillari. Et ita respondi in ea causa, de qua *ad dict. Defin.* 1. *n.* 10 *in fin.* quod notatu dignum est]

10 Tessaur. *dict. quæst.* 41.

11 *L. cùm acutissimi* 30. *C de fideic.*

12 *L. sicut certi* 9. *& l. seq. de test. mil.* * Iunge *decis. vlt.* Guid. Pap. *cum addition.* Ferret.

DEFINITIO V.

Clausula codicillaris nocet posthumo ignoranter præterito, etiam quod ad dationem hæreditatis in tribus casibus.

SVpradictæ distinctioni consequens est, vt clausula codicillaris noceat posthumo, licet ignoranter præterito, si non extraneus, sed filius testatoris institutus sit,[1] aut si qua alia sit coniectura voluntatis ad exclusionem posthumi, vt non prorsus ignoranter præteritus dici possit, qualis illa est, quam proxime diximus, si testator superuixerit, & testamentum mutare cum posset, noluerit.[2] Idem est, si posthumus præteritus viuo adhuc patre decesserit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Anton. Tessaur. *dec.* 141. Cessante enim ratione legis ipsa quoque lex cessat, *l. adigere* 6. §. *quamus, de iur. patron.*

2 Idem Tessaur. ex communi aliorum opinione, *d. dec.* 141. *num.* 16.

3 *Vt in l. posthumus* 12. *de iniust. rupt.* Dixi *in Definit. præcedent.*

DEFINITIO VI.

Clausula codicillaris, quæ non potuit nocere posthumo ignoranter præterito, nec ipsius heredi nocet, quamuis extraneo.

CLausula codicillaris. quæ posthumo ignoranter præterito nocere quamdiu vixit non potuit,[1] eo quandocumque defuncto non oberit hæredibus institutis, vt posthumi successores, siue testamentarij, siue legitimi, de restituenda iis hereditate rogati videantur, quam à posthumo sine fideicommissi onere acceperunt. Etsi enim fauore potissimum posthumi inductum est, vt, si ignoranter præteritus fuit, de eo grauando pater sensisse non videatur,[2] sin eoque dispar sit ratio posthumi, & hæredum præsertim extraneorum, quos is moriens reliquerit:[3] ius tamen semel ei quæsitæ hæreditatis non magis hæredibus eius adimi potest, quam illi ipsi.[4] Neque distinguendum est, an liberos, an extraneos hæredes reliquerit, postquam semel habuit actionem.[5] In eoque idem etiam fauor posthumi manet, cuius proculdubio interest locupletiorem habere hæreditatem, vt facilius habere possit hæredem.[6] Nec simile est quod prudentibus placuit, delatam liberis bonorum possessionem contra tabulas non facere, quin, si tempus finitum fuerit vel ante decesserint, vel repudiauerint, vel ius petendæ bonorum possessionis amiserint, reuertatur tandem bonorum possessio ad scriptos hæredes.[7] Longe namque diuersa ratio est bonorum possessionis delatæ, alia acquisitæ.[8] Delatio enim in suspenso est,[9] & recurrere aut reuerti ad eos, à quibus numquam plene abscesserit, nihil prohibet.[10] Acquisitam vero pure & citra onus fideicommissi postmodum ex fideicommisso euinci, nullo iuris loco

BIU Cujas

proditum est,[11] obstatque omnino iuris ratio, quæ facit, vt quo casu clausula codicillaris vires habet flectendæ vniuersalis institutionis in fideicommissariam substitutionem, fideicommissum ex ea purum, non in diem, aut sub conditione inducatur.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ scripsimus *Defin.* 4.

2 Propterea quod non sit credendus pater alienam sobolem propriæ anteponere voluisse, *l. cum acutissimi* 30. *C. de fideic.* vbi not. *& in l. cum auus* 102. *de cond. & demonst. l.* 6. *§. cum autem, C. de instit. & substit.*

3 Quia facilius præsumitur quisque velle onerare extraneum hæredem, quam filium, vt diximus in præcedentibus, ex *l. Titia cum testamento* 34. *§. qui inuita, vers. non est enim verisimile, de leg.* 2.

4 Iuncta enim hæreditas cœpit esse, vt in simili argumentatur Iureconsult. *in l. sed si plures* 10. *§ filio impuberi, de vulg & pup. subst. l. pater familias* 28. *de reb. auct. iud. possid. alias l.* 13. *de priuil. cred. l. si quis filium familias* 7. *§.* 1. *de acq. hered.*

5 *L. qui solidum* 78. *§. prædium, de legat.* 2. *l.* 2. *C. quand. dies legat. ced. l. apud* 8. *C. de suis & legit.*

6 *Argum. l. Iulianus* 42. *alias l. si pupillus. ff. de acq. her. l.* 4. *ff. ad SC. Treb.*

7 *Ex l. equissimum* 2. *in princ. D. de bonor. poss. secund. tab.* quo loco abutitur Thessaur. *decis.* 141. vt contra nos sentiat.

8 *Vt in l.* 1. *§. decretalis, ff. de succes. edict.*

9 *Vt in l. qui in vtero* 27 *D. de stat. hom. l si quis filio* 6. *de iust. rupt. l. Scripto* 7. *ff. vnd. liber. l.* 1. *§ sciendum ff. de suis & legitim.*

10 Etiam iure ciuili & in hæreditate, *vt in l. si quis ita* 82. *ff. de hered. instit.*

11 Onus enim fideicommissi non potest sequi acquisitionem, nisi cum bona fuerunt ante affecta, quia acquiruntur fideicommissario, vel cum suo onere, vel sine onere, *l.* 1. *§. vlt. de suis & legit. l.* 1. *§ pen. de leg.* 3.

12 *L.* 2. *§. vltim. D. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst.* 53. Iunge *Defin. seq.*

DEFINITIO VII.

Cum clausula codicillaris inflectit institutionem hæredis in purum fideicommissum, vna tantum quarta detrahitur, id est, legitima, quæ tamen hodie non quarta est, sed triens.

QVod autem proxime diximus purum esse fideicommissum, quoties per clausulam codicillarem vis testamenti in causam fideicommissi & codicillorum conuertitur,[1] effici it, vt eo casu non duplex, sed vna tantum detractio fiat.[2] Nam quod contra iuris ciuilis rationem,[3] ex interpretum errore Pontificio iure constitutum est, vt filius de restituenda hæreditate grauatus & legitimam detrahere possit, & Trebellianicam,[4] ad fideicommissa in diem vel sub conditione relicta coarctatum est ab iisdem interpretibus, vt ad ea non pertineat, quæ neque diem, neque conditionem habuerunt.[5] Nec, quod difficilior quæstio videtur, inducere debet duplicis detractionis iniquitatem,[6] quam nec vllo casu vera iuris ratio admittit.[7] Inducet tamen, vt contra solitam iuris obseruationem nulla fructuum condemnatio fiat, ne quidem à die litis contestatæ,[8] qui alioquin, cum legitimam augeant, à die mortis præstandi essent.[9] *Ita Senatus* in ea causa, & iam pridem in alia Joannis de Cuyne Domini de Rubaud, 4. Id. Nouembr. 1581.

1 *Ex l.* 2. *§. vltim. ff. hoc tit. l. quærebatur* 19. *ff. de testam. milit.*

2 Guid. Pap. *quæstion.* 53. *in fin.* Crauett. *cons.* 295. *num.* 2. *in* 3. *dub.* Aufrer. *ad Capell. Tholos. decis.* 455. Decius *cons.* 320. *num.* 4. *&* 5.

3 Vt probaui pluribus in priore parte Hemichiliadis, *de error. pragmat.*

4 *Cap. Raynutius, & ci. Raynaldus, Extr. de test.*

5 Ratione illa, quod cum fideicommissum purum est, vna deductio impediat aliam, nec dici possit, vtra quarta debeat prior deduci.

6 Contra quam senserit Tessaur. *decis.* 141. post Ang. Dec. & alios, Castr. *in Auth. ex causa, n.* 15. *C. de liber. præter.*

7 Cum Falcidia seu Trebellianica in legitimam imputetur, *l. Papinianus* 8. *§. quarta autem, D. de inoffic. testam.*

8 A quo saltem tempore fructus restitui solent & debent, *l. sed etsi* 25. *§. si ante, de petit. hered. l. videamus* 38. *§ si actionem, de vsur.*

9 *L. item veniunt* 20. *§ item non solum. ff. de petit. hered.*

DEFINITIO VIII.

Casus, in quo clausula codicillaris, quæ non nocuit posthumo ignoranter præterito, nocet extraneo eius hæredi.

INterdum tamen euenit, vt ea clausula codicillaris, quæ viuo posthumo ignoranter præterito nullas vires habere potuit,[1] incipiat habere, cum posthumus sine liberis moritur sola matre superstite, aut alia persona, quæ non sit ex familia testatoris.[2] Finge testatorem conseruandæ agnationis, & familiæ fortasse nobilissimæ & antiquissimæ rationem ante oculos habuisse, ob eamque causam prohibuisse alienationem, causa addita, quod vellet bona sua omnia in familia remanere;[3] nemo dubitat, quin honestum sit tale testantis desiderium,[4] nec eo minus ei satisfaciendum, quod præter spem successerit posthumus, de quo pater non cogitarat.[5] Nam & si de eo cogitasset, causæ nihil erat, cur non eodem quoque fideicommisso filium obstricturus fuerit, cuius etiam interesset bona omnia in familia quam diutissime conseruari.[6] Igitur quamuis posthumus, quamdiu viuit cogendus non sit, hæreditatem scriptis hæredibus restituere, quia cum sit ex familia, nihil in eo fit contra voluntatem testatoris, eo tamen sine liberis defuncto, matre, siue ex testamento, siue ab intestato hærede relicta, aut alia qualibet extranea persona, fieret contra voluntatem si posthumi hæreditas ad matrem aut extraneum sine fideicommissi onere perueniret, *alis* agnatis ex testatoris familia superstitibus.[7] Hoc enim casu fideicommissum reale, vt vocant, constitutum intelligitur, cum testator ad defectum masculorum & familiæ respexerit:[8] quæ res purum & absolutum magis quam conditionale fideicommissum solet inducere, cum faciat, ne quærendum sit, à quo, aut cui relictum sit, sed de eo tantum, an de familia sit is, qui fideicommissum petit, licet non nisi post mortem eius, qui prior ex familia vocatus fuit, fideicommissum debeatur.[9] Neque tamen hoc casu institutio flectitur in fideicommissum, sed fideicommissum vniuersale familiæ relictum conseruatur, tanquam ab intestato per clausulam codicillarem repetitum.[10] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 Secundum distinctionem à nobis propositam, *Definit.* 4. *supr.*

2 Id est, ex nomine & agnatione. Legislator enim ciuilis æstimat familias ex agnatione potius, quam ex sanguine, *leg. pronunciatio* 196. *familiæ, de verb. signif.*

3 *Vt in l. filius familias* 114. *§. Diui & ibi not. de leg.* 1. *l. peto* 69 *§. fratre*, iunct. *l. omnia* 32. *alias l. cum ita, §. in fideicommisso de leg* 2. *l. pater* 38 *§ duobus, & seqq. de legat.* 3.

4 Est enim commune hominum omnium votum, vt nominis sui memoriam quisque in perpetuum conseruare ac extendere velit, *l. liberorum* 220. *§ vlt. de verb. sign.*

5 Improuisis enim & inopinatus casus nouo indiget auxilio, *l.* 3. *C. de inoff. testam. l. de etate* 11 *§. ex causa, de interrog. in iur. faciend.*

6 Ideoque nimirum censentur hęc fideicommissa fauorabilia, tanquam quæ iis quoque, quibus iuncta sunt, honori sint potius quam oneri. Simile quiddam est *in l. Diuus* 24. *D. de test. milit. l. ratas* 7. *C. de rescind. vend.*

7 Obstare tamen huic sententiæ valde videtur, quod Papin. respondit, *in l. eum pater* 77. *§. cum inter* 28. *de legat.* 2. vbi fideicommissum relictum familiæ, & acquisitum filiæ, quæ fuit de

fuit de nomine & familia, non auffertur eius filio, licèt sit ex aliena familia.

8 Cravet. *cons. vlt. 2. part. numer. 16.* post Alex. *cons. 43. col. 3. vers. præterea posito, lib. 3. & cons. 101. dub. 3. lib. 7.* Socin. *in leg. solemnes in fin. de cond. & demonst.* Dec. *cons. 480. col. 3. cons. 185. & 294. col. 3. & 4. & cons. 236. col. 2.*.

9 Ac si fideicommissum familiæ esset relictum, *l. omnia 32. alias l. cum ita, §. in fideicommisso, l. peto 69. §. fratre, de legat. 2. l. vlt. C. de verb. signif.*

10 *Vt in l. penult. §. filiam, & §. vlt. de leg. 2. l. generaliter 24. § ex testamento, de fideic. liber. l. 1. C. eod. l. ex testamento, 29. ff. de fideicomm.*

DEFINITIO IX.

Fideicommissa etiam vniuersalia conseruantur, tam per clausulam codicillarem, quam per auth. ex causa. C. de liber. præter.

CLausula enim codicillaris sicut legata & fideicommissa singularia conseruat iure successionis intestati, tanquam à legitimo quolibet successore repetita,[1] ita & fideicommissum vniuersale, si quod est relictum testamento.[2] Quidni vero, cum & ex testamento conseruetur, quamuis inutili aut rupto?[3] Nimirum propter Nouellam Iustiniani legem, quæ induxit, vt ex causa præteritionis vel exhæredationis rupto, vel irrito facto testamento sola institutio corruat, cætera vero firma maneant vniuersa.[4] Sane quo casu conseruantur ex testamento legata & fideicommissa, tam singularia, quam vniuersalia per Iustiniani constitutionem, euenit proculdubio, vt prorsus inutilis sit clausula codicillaris, ad inducendam ab intestato tacitam repetitionem legatorum, quoniam cessat causa intestati, quandiu causæ testati locus est.[5] An autem ea constitutio conseruet legata & fideicommissa, rupto testamento per posthumum ignoranter præteritum, alia quæstio est.[6] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 *L. 1. ff. hoc tit. l. vltim. C. eod. l. si iure 11. Cod. de testament. manumiss.*

2 Cum vniuersalia quoque fideicommissa ab intestato & relinqui & repeti possint, *l. 2. §. vlt ff. hoc tit. l. filiusfamilias 18. ff. ad l. falcid.*

3 *Per Auth. ex causa. C. de lib. præter.* quæ conseruat fideicommissa etiam vniuersalia, secundum magis communem opinionem, de qua Iul. Clar. *in §. testamentum, q. 54.* Andr. Gayl. *lib. 2. pract. obseru. cap. 13.*

4 *Nouell. 115. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum*, vnde sumpta est *d. Auth. ex causa.*

5 *L. quamdiu 39. de acquir. hered. l. quamdiu 89. de reg. iur.* Atqui per Iustiniani Constitutionem conseruantur legata & fideicommissa, non tanquam ab intestato, sed tanquam ex testamento.

6 De qua scripsimus *sub tit. de liber. prater.*

DEFINITIO X.

Qui petijt hereditatem ex testamento, non potest eam postea petere ex fideicommisso, tanquam conseruato per clausulam codicillarem. Secus si conseruetur per auth. ex causa.

QVantum vero intersit, an ex testamento per Iustiniani Constitutionem,[1] an ab intestato duntaxat legata & fideicommissa, per clausulam codicillarem conseruentur,[2] ex eo apparet, quod qui prius ex testamento egit, postea variare & ex codicillis quasi ab intestato fideicommissum petere non potest, nisi sit ex liberis. Id enim alia Iustiniani lege diserte cautum est.[3] At si is, qui heres institutus fuit eo testamento, quod ex causa præteritionis vel exhæredationis ruptum est, cum hæreditatem ex fideicommisso petere posset, conuersa per clausulam codicillarem institutione in causam fideicommissi,[4] aduersus legitimum hæredem tanquam hæredem egerit, non eo minus fideicommissum petere poterit. Quia sicuti clausula codicillaris, siue flectat institutionem in fideicommissum, siue inducat tacitam repetitionem legatorum & fideicommissorum ab intestato, non facit, ne legitimus hæres maneat is, cui, deficiente causa testati, lex ab intestato detulit hereditatem:[5] Ita nihil prohibet, quin & hæres ipse testamento institutus, & alius fideicommissarius quilibet, fideicommissum quãdocumque, dummodo intra trigesimum annum,[6] petat ab eo, quem prius legitimum hæredem agnouerit.[7] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 *In d. Nouell. 115 vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum.* Vnde sumpta est *Auth. ex causa. C. de liber. præt.*

2 *L. 3. in princ. C. hoc tit. l. pen. §. vlt. de leg. 2. l. generaliter 24. §. ex testamento, de fideic. libert. l. 1. C. eod.*

3 *In l. vlt. C. hoc tit.*

4 *Vt in l. quærebatur 19. ff. de testament, milit. l. Scæuola 67. ff. ad SC. Treb.*

5 Imo supponit clausula codicillaris testamentum non valere, & hæreditatem ab intestato ad legitimos successores peruenturam. Licet enim ponatur in testamento, fit tamen in casum intestati.

6 Nam trigesimo anno ius petendi fideicommissi excluditur, vt & cætera omnia iura, *l. sicut 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

7 Nulla enim hoc casu variatio est quæ tamen esset, si ei qui ex testamento prius egit, postmodum ab intestato agere permitteretur, *d. l. vlt. C. hoc tit.* iunge *l. cum filius 76. §. variis de leg. 2. l. quod in hærede 9. §. eligere ff. de tribut. action.*

DEFINITIO XI.

Qui potuit fideicommissum petere ab hærede, si interim contra eum egerit, tanquam creditor hæreditarius, non ideo fideicommissum repudiasse intelligitur.

NEc deterior erit conditio vniuersalis fideicommissarij, ob id solum, quod pecuniam sibi à defuncto debitam à legitimo hærede totam exegerit, quam à seipso pro restituræ hæreditatis portione exigere debuisset, si fideicommissum agnouisset.[1] Nihil enim commune habet solutio æris alieni cum iure fideicommissi, quamdiu restituta non est hæreditas,[2] sufficitque habeti eius rationem eo demum tempore, quo testitutio fit, vt indemnis seruetur hæres, qui soluit,[3] quoniam & hæredi ipsi non fideicommissario incumbit ante restitutionem necessitas æris alieni exsoluendi.[4] Itaque quemadmodum si fideicommissum à legitimo hærede in diem, aut sub conditione tibi relictum esset, non prohiberetis interea exigere, quod tibi defunctus debuisset,[5] salua hæredi imputatione eo tempore facienda, quo hæreditas restitueretur,[6] ita & cum fideicommissum purum fuit, si, vt hæredi parceres, id tam cito petere nolueris, debitumque exige malueris, non est, quod ex eo solo ius fideicommissi remisisse videaris.[7] Nam sicut is, qui post mortem suam hæreditatem restituere rogatus est, repræsentare fideicommissum, si velit, potest,[8] dum ne alius quisquam ex eo lædatur, cuius interfit mortis tempus expectari:[9] ita ex contrario ei, qui fideicommissum purum statim petere potuit, fideicommissi exactionem in aliud tempus pro arbitrio differre permittitur.[10] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 Quasi hoc ipso fideicommissum repudiasse videretur.

2 Quia interim quamdiu hæreditas restituta non est, hæres rogatus & nomine & effectu hæres est, *leg. 1. 2. & pass ff. ad SC. Treb.*

3 *L. 2 C. eod. l. in imponenda 6. l. irritum 8 C. ad leg. Falcid.*

4 Adeo vt post fideicommissi quoque restitutio nem necessaria sit hæredi exceptio restitutæ hæreditatis, *l. ita tamen, 27. §. qui ex Trebelliano, ff. ad SC. Treb.* cui tamen exceptioni locus esse non potest ante restitutam hæreditatem.

5 Quia fideicommissi restitutio peti non potest ante diei

BIU Cujas

vel conditionis euentum, *l. sed et si alio 9. §. vlt. & l. sequ. ff. eod. tit. ad SC. Treb.*

6 *d. l. 2. C. eod.*

7 Quid enim si deliberabas, an fideicommissariam hæreditatem agnoscere expediret? quæ vtique habet commoda & incommoda, *l. non enim 38. l. 1. & pass. ff. eod.*

6 *L. post mortem 12. C. de fideic. quia & qui soluit ante diem, plus præstat quam debeat, l. Iauolenus, alias locum qui 15. de ann. legat.* Quamquam hæc ratio videtur falsa in fideicommisso vniuersali, *dict. l. 9. §. vlt. & l. 10. ad SC. Treb.* quippe quod non potest restitui, nisi secundum voluntatem testatoris, *l. si mulier 59. §. ex asse, de iur. dot.* Scripsi *in Error. 1. Decad. 31. de error. pragmat.*

9 *Vt in l. filius familias 114. §. Diui 1. & seq. de leg. 1. l. cum pater 77. §. hereditatem filius. de leg. 2. l. vxorem 41. §. Seium maritum, de leg. 3.*

10 Non enim repudiat, qui non statim agit.

DEFINITIO XII.

Nihil interest, quantum ad detractiones ex fideicommisso faciendas, an hæreditas ex testamento, an ab intestato restituatur?

ETiam cum ab intestato filius hæreditatem sibi quæsitam restituere rogatus intelligitur, non quidem conuersa in fideicommissum institutione vniuersali per clausulam codicillarem,[1] sed expressim, aut tacite repetitis ab intestato legatis & fideicommissis testamento relictis,[2] duplicis detractionis commodum habet, eius nimirum portionis,[3] quam pro legitima portione consequi debet, & eius, quam ex fidei commisso pro Trebellianica,[3] perinde ac si fideicommissariam hæreditatem ex testamento restitueret,[4] dummodo in diem aut sub conditione fideicommissum debitum fuerit, non pure.[5]

1 Nempe quia fideicommissum hoc casu censetur purum, & ideo vna tantum quarta detrahitur, vt dixi *Defin. 7. §. ex l. 2. §. vlt. ff. hoc tit.*

2 *L. pen. §. vlt. de leg 2. l. generaliter 24 §. ex testamento, ff. de fideic. libert. l. 1. C. eod.*

3 *Ex c. Raymutius, & c. Raynaldus, extr. de testam.*

4 Cum etiam ab intestato fideicommissum hæreditatis relinqui possit, *d. l. 2. §. vlt. D. hoc tit. l. filius familias 18. ad leg. Falcid.*

5 Secundum ea, quæ scripsi *d. Defin. 7.*

DEFINITIO XIII.

Extra testamenta, quæ fiunt inter liberos aut ad pias causas, numquam in testamento subintelligitur clausula codicillaris.

PLacet nostris, in testamento inter liberos aut ad pias causas condito clausulam codicillarem subintelligi, cum expressa non est, vt & institutio directa flectatur in fideicommissum, & legata, quæ eo testamento liberis aut piæ causæ relicta sunt, ab intestato repetita videantur, fauore nimirum ac singulari priuilegio liberorum, & piæ causæ.[1] Sed extra hos casus vix est, vt codicillos fecisse videri debeat, qui testari voluit,[2] nec si pestis tempore, aut in castris testatus quis proponatur.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra Defin. 7. De testam.

1 Iul. Clar. ex communi Doctorum sententia *in 5. testamentum quæst. 8. n. 7.* post Iaf. qui dicit communem, *ad l. coheredi, 5. cum filia, in fin. de vulg. & pup. substit.* Boer. *decis. 40.*

2 Nisi dixerit, velle se testamentum valere iure codicillorum, *vt in d. 5. cum filia, l. 1 ff. hoc tit. l. vltim. Cod. eod. cum similibus.*

3 Quia nec in testamento militari subintelligitur clausula codicillaris, quamuis putent quidam, subintelligi clausulam, Omni meliori modo, *arg. l. 3. ff. de testam. milit.* cuius tamen longe alia sententia & ratio est, vt alibi scripsimus. Vide *Decadem 36. de error. pragm. & interpr. iur.*

TIT. XVIII.

DE LEGAT.

DEFINITIO I.

Vestimenta à patre legata filiæ, quorum partem iam pater soluerat, omnium æstimatio filiæ debetur.

PAter filiæ secundo nuptę legauerat vestimenta, quæ prioribus tabulis dotalibus eidem promiserat, cum iam partem eorum priori marito exsoluisset. Placebat quibusdam, ea tantum videri legata, quæ nondum fuerant soluta,[1] quod ad legatum vtile faciendum sufficeret, pleniorem esse legati, quam de dote actionem,[2] quodque in dubio parcendum esset hæredi, vt quam minimum fieri posset oneraretur.[3] *Senatus* tamen pronunciauit, omnium vestimentorum æstimationem deberi, siue quod fieri poterat, vt per prioris viri incuriam aut egestatem vestimenta, quæ iam pater soluerat, consumpta essent,[4] in quorum locum alia substitui pater vellet,[5] siue quod in tam aperta testatoris voluntate nullus coniecturis locus in fauorem hæredis relinqueretur.[6] *Ita Senatus* contra Dominam Daussans, vxorem Dn. de Cornillion, 8. Cal. Febr. 1589.

1 Nec enim bona fides pati videbatur, vt bis idem solueretur, *vulg. l. bona fides non patitur 57. de reg. iur.*

2 *L. 1. de dot. releg. l. si creditori 28. & seq. de leg. 1. l. Aurelius 28 §. vlt. ff. de liber. legat. cum similib.*

3 *L. Titia cum testamento 34. § qui inuita, l. Sempronius 47. de legat. 2.*

4 Sunt enim vestimenta ex earum rerum genere, quæ & vtendo consumuntur, & seruando seruari non possunt, *l. lex quæ tutores 22. in fin. C. de admin. tutor. l. vltim. C. quand. decret. opus non est.*

5 Ne alioqui filiæ periissent, cum is nullam videatur habere actionem, qui habet egenum debitorem, *l. nam is 6. ff. de dolo, l. si extraneus 33. de iur. dot.*

6 *L. ille aut ille 25 §. 1. de legat. 3. l. continuus 137. §. cum ita, de verb. oblig.*

DEFINITIO II.

Enumeratio specierum, siue per imperitiam, siue interpretandi potius quam restringendi animo facta non restringit legatum generale factum vxori.

TEstator hærede instituto filio legauerat vxori vsumfructum domus Titianæ, & mobilium omnium, quæ ibi essent, & quibus ad vsus suos indigeret; item bonorum quorumdam immobilium, postea subiecerat in hæc verba: *Et des fruicts & vsufruicts de la moitié de tous mes autres biens en quel lieu qu'ils soyent, soit prés, terres, maisons, vignes, pressoir, ou de quelque espece quelle qu'elle soit.* Quæsitum est, an nummi, quos testator in arca repositos habebat, itemque nomina debitorum, quod ad causam vsusfructus, legato continerentur? Quidam putabant non contineri, non solum quod regulariter generali legato rerum omnium, quæ alicubi sunt, non comprehendantur,[1] sed etiam quod priora illa legati verba generalia per subsequentem specierum enumerationem restricta viderentur.[2] Id enim est quod dici solet in toto iure generi per speciem derogari.[3] Illa etiam ratio afferebatur, quod postrema legati verba, quæ generalia quoque videbantur, non nisi de similibus speciebus accipi deberent,[4] præsertim vt ea sumeretur interpretatio, quæ filio eidemque hæredi fauorabilior esset.[5] Contra tamen

BIU Cujas

tamen visum est, bonorum vsumfructum charissimæ vxori, quam tot legatis maritus honorasset, legatum videri, [6] quasi species aut per imperitiam, [7] an interpretandi potius quam restringendi animo enumeraræ viderentur: [8] quod in dubio præsumendum fuit. [9] *Ita Senatus* pro vidua N. Puthodi, contra Ioannem Puthod Aduocatum filium, 14. Cal. Mart. 1590.

1 Ex *l. quæsitum* 78. §. 1. *& l. seq.* §. 1. *de legat.* 3. *l. Caius Seius* 86. *de legat* 2. Iunge *l. si ita legatum* 86. *de legat.* 3.
2 *L. legata* 9. *in princ. de supell. legat. in secundo responso.*
3 *L. in toto iure* 50. *de reg. iur. c. generi, de reg. iur. in* 6.
4 *Arg. l. vlt.* §. *vlt. de vin. tritic & oleo legat.*
5 *L. Sempronius* 47. iunct. *l. Titia cum testamento* 34. §. *qui innuit, vers. non est enim verisimile, de legat.* 2.
6 *L. vxori mea* 37. *de vsufr. leg.*
7 *Vt in l. legata* 9. *in princ. de supell. legat.*
8 *Vt in l quæsitum* 12. §. *penultim. D. de instruct. & instrum. legat.*
9 Bart. *in d. §. penult.* post Dynum *in d. cap. generi.* Dec. *in cap. sedes, ad fin. de rescript.* Afflict. *decis.* 106. Steph. Bertr. *consil.* 90. *vol.* 2.

DEFINITIO III.

Communicantur fructus inter legatarium vsusfructus & legatarium proprietatis.

QVi vxori bonorum suorum omnium vsumfructum legauerat, exceptis rebus quibusdam Titio legatis, eodem testamento legauerat Sempronio fundum, non adiecta clausula, *detracto vsufructu.* [1] Erant qui putarent, vsufructuarium bonorum omnium fundi Sempronio legati vsumfructum integrum habere debere. [2] Alij contrà plenam proprietatem nulloque vsufructu imminutam ad Sempronium spectare, [3] quasi hoc casu, vt & aliis plerisque generi per speciem derogetur. [4] Media sententia placuit Senatui, vt vxor fructuaria cum proprietatis legatario in fundi vsusfructu concurrat. [5] Vsusfructus namque etsi in iure, non in portione consistit, tamen rei emolumentum habet, & portionis locum obtinet. [6] Non idem Senatus censuit, cum testator vxori suæ non simpliciter bonorum suorum omnium fructus, sed omnes & integros fructus etiam legatarum rerum legasset. Aperta enim hoc casu est voluntas testatoris nolentis, legatarium cum vxore fructuaria in vsufructu concurrere. [7] Quanquam in proposita specie illa etiam ratio legatarij concursum impediebat, quod mulieri dos debebatur, cuius restituendæ nomine dotalibus tabulis maritus bona sua omnia expressim obligauerat in antichresim, [8] id est, adiecta fructuum omnium donatione, [9] vt proinde donec soluta dote integra nihil iuris Sempronius in vsufructu ex causa legati habere posset. [10] *Ita Senatus* pro vidua Procuratoris Alberti, contra Dominos Senatores Dauise & de Beausuiour, 15. Calend. Iunij 1590.

1 Quæ clausula solet & debet adiici, cum id agit testator, vt proprietarius non concurrat in vsufructu, *l. si alij* 19. *D. de vsufr. legat.*
2 Ex sententia Bartholom. Socin. *consil.* 1. *col. pen. lib.* 4.
3 Bald. *in l. quoties. ad fin. C famil. ercisc.* Ias. *in l. cui quæstio. col.* 2. *C. de legat.* Aret *consil.* 74. *in fin.* Salicet. *in d. l. quoties.* Ang. Aret. *in* §. 1. *Instit. de vsufr.* Paulus a Monte Pico *in l. Titia cum testamento* 14. §. *Titia cum nuberet, de leg.* 2. *col.* 19 Facit pro hac opinione text. *in l. vxorem* 41. §. *felicissimo, de legat.* 3. *l. alimenta* 16. §. *Basilicæ, de alim & cibar legat.*
4 *L. in toto iure* 80. *de reg. iur. c. generi, eod. tit. in* 6.
5 Ita Didad. Couarr. *lib.* 2. *variar. resolut cap.* 2. *num.* 7 Stephan. Bertr. *consil.* 152. *incip. viso processu, num.* 1. *&* 3. *part.* 2. Guil. Bened. *in verb. catera bona, num.* 24. Marc. de Mant. *sing.* 398. *ex l. si alij fundum* 19 *l. Sempronius Attalus* 26. *l. Sempronio* 33. *in princ. de vsufr. legat.* & ibi Bart. *& in l. si quis seruum* 8. §. *ultim. num.* 6. *de legat.* 2. Roman. *sing* 580. Ias. *in l. re coniuncti, num.* 70. *de legat.* 2. & ibi Ioann. Crott. *quæst.* 4. *fol.* 2. *ad fin.* Bart. *in l quæsitum* 12. § *penult. de instruct. & instru. leg.* Alexan. *consil.* 56. *lib.* 1. Paul. Castrens. *consil.* 223. *lib.* 2. *col.* 2. Iunge *l. si proprietas* 9. *de vsufr. adcresc.*
6 *L. Mauius* 66. §. *fundo. de legat.* 2. iunct. *l. cum filius* 76 §. *dominus, eod.*
7 Nam cum in verbis ambiguitas nulla est, non debet admitti quæstio voluntatis, *l. ille aut ille* 25. §. 1. *de legat.* 3.
8 De qua *in l. si is qui* 11. §. 1. *D. de pignor. l. si pecuniam* 33. *D de pignor. action.*
9 In vicem scilicet vsurarum, quæ mulieri ob tardius solutam dotem deberentur, *cap salubriter.* vbi not. *extr. de vsur.* licet aliter sentiat Affl. post Alex. *decis. Neap.* 285.
10 Non enim verisimile erat legasse testatorem plus iuris, quam quod in ea re haberet, *vulg. l. vxor patrui* 20. *cum ibi not. C. hoc tit. l. si domus* 71. §. *vlt. de leg.* 1. *qui tabernas* 31. *de contrah. empt.*

DEFINITIO IV.

Alimenta legata non minuuntur ex imminutione fructuum fundi proiù obligati, nisi relicta sint ex fructibus eius fundi.

TIbi alimenta testator legauerat, in eamque rem certi fundi reditus fructusque specialiter obligauerat. Si ex iis reditibus fructibusque tantum hodie redigi non possit, quantum necesse est ad alimenta, licet testamenti mortisve tempore redigi potuerit, integra nihilominus alimenta tibi debebuntur. [1] Quodenim testator, vt tibi magis consuleret, certi fundi reditus in eam rem obligauit, nocere tibi non debet, vt legatum alimentorum restrinxisse, [2] aut ius hypothecæ generalis, quæ pro legatis ex Iustiniani lege [3] competit, diminuisse, aut actionem in personam sustulisse [4] videri possit. Nam nec tuo, sed heredis lucro cederet, si pluris essent ij reditus, quam ad alimentorum erogationem necesse esset, [5] cum non fundus aut fundi reditus tibi legatus sit, sed alimenta. [6] Diuersum esset, si legatum ita relictum proponeretur, vt ex fundi reditibus alimenta tibi præstarentur: imminutis enim fructibus, alimenta quoque minui eo casu necesse est. [7] Eadem adhibetur distinctio, si non ex causa legati, sed ex alia qualibet alimenta debeantur. [8] *Ita Senatus* sæpius.

1 *L. Lucius Titius* 12. *de alim & cibar. legat.* Cyn. *in l si quis argentum, C. de donat.* Guid Pap. *quæst.*
2 *d. l. Lucius, in fin.* ne adiecta in augmentum operentur diminutionem, *contra l. quod fauore* 6. *C. de legib. l. legata inutiliter* 19. *de leg.* 1. *l. legata* 14. *de adim. legat.*
3 *In l.* 1. *C commun de legat.*
4 Potest enim legatarius ex pluribus actionibus eligere, quam velit, *d. l.* 1. *cum filius* 76 §. *varius, de leg.* 2.
5 Nemo autem debet id petere, cuius contrarium non fuerat in contrarium euentum postulaturus, *l. penult. C. de solut. l. si pater puellæ* 12. *C. de inoffic. testam.*
6 Inspiciendum enim semper est, quid sit in legato, cum quæritur, & quid & quantum debeatur, *l.* 1 *de pen. leg. l.* 1. §. *item si ita, ad legem falcid. cum similib.*
7 *L. cum certus* 5. *de tritic. vin & oleo leg. l. legatum* 17. §. 1. *de ann. legat l si debitor* 39. §. 1. *de contrah. empt.*
8 Eadem enim omnium ratio est, & consequenter idem ius statui debet, *l. illud* 32. *ad leg. Aquil.*

DEFINITIO V.

Heres non cogitur soluere legatam pecuniam, quam testator voluit capi ab hereditario debitore.

TRecenta tibi à Titio legata sunt his verbis adiectis, *à prendre & leuer sur le debte de mille escus à moy par R. & hypothequez sur sa maison de Chambery.* Nulla tibi in heredem personalis actio cõpetet ad hoc præcise, vt pecuniam soluat, nec si domus obligatæ possessionem teneat, sed cogendus es legatum exigere eo ipso modo, quo relictũ est. [1] Cui consequens fit, vt liberandus sit heres, si paratus sit hypothecæ iure & possessione ad concurrentem vsque quãtitatem tibi cedere. [2]

BIU Cujas

Formam enim legato soluendo præscriptam à testatore non magis legatarius inuito herede, quam heres inuito legatario immutare potest. [3] Quod autem adiicimus *ad concurrentem vsque quantitatem*, sic accipiendum est, vt si tibi trecenta soluta sint, siue ab herede, siue à Titij testatoris debitore, sublatū intelligi debeat, quod ad te, [4] vinculum pignoris. [5] Cæterum ad eam vsque quantitatem indiuiduo tibi cum herede pignoris iure domum habebis obligatam, [6] vt, tametsi debitor tibi trecenta, aut heredi tantum septingenta soluerit, in solidum tamen obligata maneat ei, cui non erit satisfactum. [7] Nam quod à Iustiniano constitutum est, [8] vt hypotheca, quam pro legatis induxit, in eo differat à cæteris, quod diuidua, non indiuidua est, ad eam hypothecam pertinet, quæ pro legato, non ad eam, quæ ex legato competit. [9] *Ita Senatus* ex tempore Prid. Id. Febr. 1591.

1 Videtur enim legatum hoc casu relictum per sinendi modum potius, quam vt ab herede præstaretur. Sufficit ergo, vt præstet patientiam & actionem.

2 *Arg. l. si quis seruum 8. in princ. de legat. 2.* iunct. *l. si seruus 108. in princ. de legat. 1.* * Aliud est in specie *l. quidam 96. de legat. 1.*

3 *L. cum res 47. per tot. eod. tit. de leg. 1. si fideicommissum 50. D. de iudic.* Aliud est in specie *l. quidam 96. de leg. 1.*

4 Et consequenter quod ad tibi debitam quantitatem, cum solutio tibi facta liberet debitorem ab herede saltem ope exceptionis, post rescriptum Diui Pij, *l. si pecunia 77. de legat. 2. l. cum quis 37. §. pater, in fin. de leg. 3.*

5 Tollitur enim soluto debito quandocunque & à quocunque, *l. Paulus 12. §. 1 & tot. tit. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

6 Ius enim pignoris indiuiduum est, *l. rem hereditariam 68. D. de euict. l. quandiu 6. C. de distract. pignor.*

7 Quia nisi vniuersum, quod debetur, oblatum & solutum sit, potest creditor pignus vendere iure creditoris, *l. heredes 25. §. idem obseruatur*, iunct. *§ præced. D. famil. ercisc.*

8 *In l. 1. C. commun. de legat.*

9 In proposito autem competit ex legato, quoniam qui legat, quod sibi debetur, etiam hypothecam eo nomine competentem legare intelligitur, *l. ex legato 18. cum ibi not. C. hoc tit. l. 4. C. quæ res pign.* iunct. *l. 2. C. per quas person. bkg. acquir.*

DEFINITIO VI.

Heres per delegationem liberatus non potest conueniri, nec si delegatio rescindatur per in integrum restitutionem, nisi heres consenserit restitutioni.

AT cum in suprascripta specie heres de legato cū legatario transegisset, seque delegari passus fuisset, vt Sempronio tanquam creditori legatarij trecenta solueret, non dubitatur, quin heredi liberatio contigisset, cum legatario satisfactum esset, [1] Nec si legatarius contra Sempronium in inregrum restitueretur, quasi sine causa & pro indebito facta delegatione nocere ea res heredi deberet, qui semel fuisset liberatus. [2] Quis enim legatarium patiatur nouam petere solutionem legati, quod iam pro soluto habeatur? [3] Itaque post solutionem Sempronio ab herede factā nihil est, quod ab herede amplius petere possit: [4] sin ante solutionem impetrata erit restitutio, ea ipsa in personam heredis actio competet legatario, quæ Sempronio cōpeteret, si delegatio reuocata non fuisset. [5] Rescissa enim per restitutionem delegatione supereſt, vt obligatio, quæ delegata fuerat, indebiti iure condicatur. [6] Plane si restitutioni in integrum à legatario aduersus Sempronium postulatæ heres consenserit, idem omnino seruandum erit, quod seruaretur, si nulla vnquam delegatio facta fuisset, rebus nimirum omnibus ex voluntate omnium, quorum interfuit, in pristinum statum restituti. [7] *Ita Senatus* eadem causa.

1 Satisfactio enim pro solutione est, *l. satisfactio 52. D. de solut. l. si rem 9. §. omnis pecunia, D. de pignor. l. item liberatur 6. §. 1 D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

2 In perpetuum enim sublata obligatio nunquam reuiuiscit, *l. qui res 98. §. aream. D. de solut.*

3 Siquidem soluit is, qui delegat debitorem, & delegatio pro solutione est, *l. quamuis 8. §. interdum. D. ad SC. Velleian. l. inter causas 26. §. a esse, & seq. D. mandat.*

4 Nulla enim supereſt actio, nemo autem potest agere sine actione, *l. si pupilli 6 §. vltim. de negot. gest. l. quoties 9. §. & generaliter, D. de administ. tutor.*

5 Nihil enim heredis interest, an soluat legatario, an Sempronio nomine legatarij.

6 *Arg. l. si quis 4. D. de condict. caus. dat.*

7 *Arg. l. voluntate 10. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l. ab emptione 58. D. de pact.*

DEFINITIO VII.

Mulier, cui vsusfructus tantum legatus est, alio post eius mortem herede instituto, interim vsumfructum habet iure testamenti, sed curator bonis dandus est.

SI vsusfructus vxori, vt plerumque fit, legatus sit aut simpliciter relictus, nullo relicti titulo expresso, & post vxoris mortem institutus Titius, placet nostris valere relictum, etiamsi institutionis mentio facta nulla sit, [1] non ita, vt vniuersam hereditatem mulier habeat, cum alius ex asse scriptus proponatur, [2] sed vt vsumfructum habeat, quandiu viuit, & quidem vsusfructus iure. Etsi enim dies legati vsusfructus nunquam cedit ante aditam hereditatem, [3] propterea quod personam proprietarij sciri oportet, priusquam de vsufructuarij iure quæri possit; [4] adire autem in proposita specie scriptus heres non potest, quandiu vxor viuit, [5] vt tamen valeat legatum, non modo si suus heres institutus sit, (quo casu sui heredis existentia tantum operatur, quātum aditio, [6]) sed & si extraneus, [7] ratio illa facit, quod interea bonis curator dari potest, [8] præsertim cum nihil prohibeat, quo minus legatum consequatur legatarius ante aditam hereditatem, dummodo postea quandocunque adeatur. [9] Cui nec dissimile illud est, quod nostris etiam placet, spurio herede instituto, cū legitimabitur, posse institutionem valere, prius etiam quam legitimetur, nimirum dato bonis interea curatore, vt legitimationis tempus expectari possit. [10] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua Defin. 1. sup. De hered. Instit.

1 Verbum enim, *relinquo*, trahi ad institutionem etiam in filiis, quos necesse est instituī, voluerunt post Hostiens. Card. & Panorm. *ad cap. Raynutius per ill. text. extr. de testam.* Bald. post Aret. *in l. quoties, C. de hered. instit.* Socin. iun. *cons. 33. vol. 1.*

2 Aliud enim esset, si nemo esset ex asse institutus, DD. communiter *in l. extraneum, C. de hered. instit.* vbi Salic. *in fin.* Iaſ. *col. penult. vers. tertio principaliter.* post Bald. Ang. & Alex. in locis ab eo relatis.

3 *L. vnic. D. quand. dies vsufr. leg. ced. l. vnic. §. libertatibus, C. de caduc. toll end.*

4 Cum vsusfructus sit seruitus personalis, *d. l. vnic. quand. dies.*

5 Cum possit ipse ante mori, *l. Statius 48. §. 1. de iur. fisc.*

6 Alex. post alios *ad d. l. extraneum.*

7 Iaſ. post Bald. & Salic. ibid. Castr. *ad l. hereditas, de hered. instit.* Socin. iun. *cons. 85. nu. 13. & 14. vol. 1.*

8 *L. 1. D. de curat. bon. dand. l. si diu 8. quib. ex caus. in poss. eat.* DD. *ad l. hereditas ex die, D. de hered instit.*

9 Late Alex. *in addit ad Bart. ad d. l. hereditas.* vbi loquitur in specie, quando heres institutus nondum natus est.

10 Idem Alexand. post Bald. *ad l. Gallus 29. §. instituens, de liber & posthum.* Ang. *ad l. libertas testamento, D. de manumiss. testament.* Bald. & Imol. *in l. si quis instituatur 23. D. de hered. instit.*

DEFINITIO VIII.

Legatum non præsumitur in dubio relictum animo compensandi.

Si extra-

SI extraneus, qui mihi vxoris meæ nomine dotem pecuniariam promiserat, eidem testamento certam pecuniæ quantitatem legauerit, non expresso eo, an in causam dotis, necne, vtrumque peti poterit, neque compensandi animus in dubio præsumetur. [4] *Ita Senatus* pro N. Iarsu, contra heredes D. de Seteney Prid. Id. Maij. 1591.

1 *Ex l. creditorem 85. de leg. 2.* iunct. *l. cum ab vno 53. eod. l. si compensando 6. C. de hered. instit.*

DEFINITIO IX.

Legata liberatione dolus præteritus aliquando remissus intelligitur, futurus nunquam, nec rursus dominium quod potuit testator vindicare.

LIberatione legata ei, qui tutor vel curator fuit, non videtur remissa petitio eorum, quæ penes legatarium ex administratione reliqua sunt, aut quorum ille sit debitor ex causa doli. [1] Diuersum est, si minor legauerit tutori vel curatori quicquid iuris in eum habuit ob tutelam vel curam male administratam. Hoc enim legatum plenius est, eaque omnia complectitur, quorum nomine actio aliqua minori competit: in quibus etiam reliqua continentur, & quicquid à tutore vel curatore ex qualibet administrationis causa debetur, licet dolus interuenerit. [2] Nam & dolum præteritum remitti posse certum est. [3] Sane remissum esse vix vnquam credibile est, nisi cum verba sunt aut omnino expressa, aut adeo generalia, vt nullum dubitationi locum relinquant. [4] Cæterum expressam omnimodo fieri mentionem doli non est necesse. [5] Plane si qua res minoris & ad eum iure dominij pertinens remanserit penes tutorem vel curatorem, cuius vindicandæ ius minor habuerit, dicendum erit, legato eam non contineri. [6] Eius namque rei nomine, quæ nota est, licet eam possideas, nulla mihi actio, nullum ius in personam tuam, sed tantum in rem ipsam competit. [7] *Ita Senatus* ex tempore pro Ioanne Francisco Claudio Masson, 5. Cal. Junij, 1591.

1 *L. Aurelio 20. §. Caius.* vbi latè Bart. & cæteri, *de liber. leg.*

2 *L. si quis rationes 9* ibi, *vel actionem ei remittere, eod. tit. l. ita tamen 5. §. Iulianus, alias l. quidam decedens,* in illis verbis, *damnum vero, quod ex tutela quis senserit, & legari, & per fidei commissum ei relinqui potest, D. de admin. tutor.*

3 Quamuis futurus remitti non possit, quia ea res inuitaret ad delinquendū, *l. iuris gentium 7. §. illud nulla, D. de pact.*

4 Ita Bart. & alij ad supradictos locos.

5 Vt apparet *ex l. si quis rationes.*

6 *L. Aurelius 28. §. Mœuia 1. deliber. legat.* Francisc. de Crema *inter consil.* Alex. *consil. 26. vol. 4.*

7 Cum actiones in rem dentur contra eum, qui nullo modo est obligatus, §. 1. *Instit. de action.* Vnde est quod dicimus, neminem cogi inuitum suscipere actionem in rem, *l. vlt. D. de rei vindic.*

DEFINITIO X.

Tutor qui liberationem ab vno ex impuberibus meruit, non cogitur communes rationes reddere, nisi sint omnino connexæ.

SI duorum pupillorum vnus tutor fuerit, & alter pubes factus legauerit tutori quicquid iuris in eum habuit, non est cogendus tutor communes vtriusque pupilli rationes reddere. [1] Nisi tale quid administratum fuerit, cuius ratio adeo sit indiuidua, vt nō aliter reddi possit, quam si communiter reddatur. [2] Quo tamen casu legati vtilitas in eo erit, vt communibus rationibus redditis, quod defuncto puberi debitum fuisse apparebit, remissum intelligatur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum in rationibus reddendis totius administrationis maior sumptus nexetur, grauiorque nexatio.

2 Connexitas enim causę & negotij hoc operatur, vt & alia pleraque, *l. si tutor 13. D. de admin. tutor. l. tutor post puberem 11. C. arbitr. tutel.*

DEFINITIO XI.

Onus soluendi legata & partem æris alieni legatario iniunctum non dat in eum actionem creditoribus & legatariis, sed heredi.

EX eo, quod alicui legatum aut quid aliud relictum sit ea lege, vt legatorum & æris alieni partem exsolueret, nulla creditoribus aut legatariis in eum actio competit, cum nihil ipsorum interfit, sed heredi tantum, ad cuius onus ea res pertinet, ac cuius solius ob eam causam interest, vt exoneretur. [1] Quare nec legatario grauato proderit, vt onus ei ademptum videatur, quod testator alia parte testamenti legata, vt fieri assolet, ab herede solui præceperit. Vna enim pars testamenti per aliam interpretanda est, cum vtraque recipit commodam interpretationem, [2] maxime quia non tam facile credendus quisquam est à priore voluntate tam cito & sine causa recedere voluisse. [3] Illa igitur interpretatio capienda est, vt voluerit testator legata ab herede solui: heredem vero à legatario indemnem præstari. *Ita tractatum est 12. Cal. Jul. 1591.*

1 *L. vlt. C. de hered. action.*

2 *L. seruo legato 69. §. si testator, de leg. 1.*

3 *L. Titia cum testamento 34. §. Lucius Titius.* vbi Bald. *de leg. 1.* [Quid si in codicillis quædam legata relicta sunt soluenda ab herede. Tum alia inditinctè, quorum onus, neque heredi iniunctum sit, neque legatario? Non videbitur testator à voluntate testamentaria recessisse, nisi in rebus, quas reformauit, *l. alumna 30. § qui filias, D. de admin. legat.* Itaque ab herede solo præstabuntur ea quæ soli heredi iniunxit. Cætera vero tam ab herede, quàm à legatario. Vide Boer. *qu. 146.* Vbi tractat de clausula posita in principio, vel in medio, vel in fine, an & quando ad omnia referri debeat.]

4 *L. non ad ea 89. de cond. & demonstr.*

DEFINITIO XII.

Ei, cui legatum est ius redimendi, cedenda est actio ab herede, & præstanda pecunia necessaria ad redemptionem.

FVndum Cornelianum Titius sub pacto de retrouendendo vendiderat Mœuio, & cum suprema ordinaret, eum mihi legauerat; quærebatur, quid in legatum veniret, an ius ipsum duntaxat redimendi, sed meis tamen pecuniis, an ipsa quoque pecunia, quam pro fundi redemptione emptori restitui necesse erat? Et plerisque placebat, solum ius redimendi legatum videri, non etiam pretium, quod in causam redemptionis Mœuio præstari oporteret. Multum enim refert, an testator leget rem suam alteri obligatam, an rem alienam, in qua nihil prorsus iuris habeat, an denique rem alienam quidem, sed in qua tamen ius aliquod adferere sibi possit? Prioribus casibus distinguimus, an obligatam aut alienam sciuerit, necne; vt si obligatam vel alienam sciuerit, heres luere aut emere debeat; sin ignorauerit, de suo legatarius vel luat, vel emat. [1] Posteriore vero siue alienam defunctus, sciuit, siue ignorauit, nostrorum traditio est, nihil aliud in legatum venire, quam ius ipsum, quod in alia re defunctus habuit, tametsi morte ipsa testatoris fuerit perituram. [2] Ego vero

BIU Cujas

etiam salua nostrorum distinctione contrà putabam. Nam in re vendita sub pacto de retrouendendo nihil prorsus iuris habet, qui vendidit,[2] sed tantum ad rem ipsam consequendam, si intra tempus præstitutum pecuniam offerat, quandoquidem pactum de retrouendendo, si aliud nihil concurrat, quod inducat simulationem, non impedit dominij translationem, solaque venditi actio supereſt venditori.[4] Porro hæc ipsa ad rem consequendam actio, quæ testatori competebat, non potest eo defuncto alij competere, quam heredi, nec si alteri desertis verbis legata proponeretur.[5] Cum enim sit personalis, non minus ex parte venditoris, quam emptoris, eam necesse est à testatore vel inuito transire in heredem, in quem cætera quoque iura omnia transeunt:[6] sed tenetur heres legatario cedere, vt testatoris voluntati pareatur.[7] Atqui cessio illa futura est inutilis legatario, si non pecunia quoque ipsi præstetur, quæ ad redemptionem necessaria est, quia neque prius actio vlla cõpetit ad redimendum, quam pecunia soluta; aut saltem oblata & recusante emptore obsignata sit.[8] Fatendum igitur est in necessarium antecedens heredem ad hoc obligatum intelligi, vt eam quoque pecuniam præstet: vtique enim ea testatoris voluntas fuit, vt eiusmodi actionem cum effectu heres præstet.[9] Licet non ignorem fuisse qui putarent, hactenus parcendum heredi, vt nulla actionis cessione liberetur,[10] quorum sententia sane probabilis videri nullo modo potest.[11] *Ita tractatum est* ex tempore, licet nihildum decisum, 8. Id. Febr. 1593.

1 *Ex l. si res obligata 57. de legat. 1. l. cum alienam 10. Cod. hoc tit.*

2 Sic enim nostri vulgo sentiunt *ad l. vxor patrui 20. Cod. hoc tit. per ill. text. & ex l. quod in rerum 14. §. 1. de legat 1 l. Sticho 36. in fin. de vsufr legat.*

3 Cum per venditionem secuta traditione dominium in emptorem transferatur, *l. ex empto 11. §. 1. & pass. de act. empti. ab emptione 58. D. de pact. l. traditionibus 20. C. eod.*

4 *L. 2 l. commissaria 4. l. si à te 7. C. de pact. inter empt. & vendit. l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de action. empt.*

5 *L. ex legato 18. cum ibi not C. hoc tit.*

6 Potestate scilicet legis duodecim tabularum, *l. 1 C. si cert. petat. l. 1. & 2. C. si ex plurib. hered. debit. vel credit. l. vlt. D. de hered. it. action.*

7 Not. *ad d. l. ex legato, & ad l. nomen 4. Cod. quæ res pignor. oblig. poss.*

8 *d. l. 2. d. l. si à te 7. C. de pact. inter empt. & vendit.*

9 Ita rectè ac subtiliter Bald. & Salicet. disputant *ad l. cum alienam 10. C. hoc tit.*

10 Castrens. *ibid. & ad l. id quod apud hostes 9. de legat. 1.*

11 Verba enim cum effectu sunt accipienda in omnibus dispositionibus, *l. 1 §. vlt. quod quisque iur. l. pen. §. docere, ne quis eum, qui in ius vocat. vi exim.* & in testamentis plenior interpretatio fieri debet, *l. in testamentis 12. de reg. iur.*

DEFINITIO XIII.

Testator, qui legauit rem, in qua solum habet vsumfructum, non tamen ius, quod habet in re, sed rem ipsam legare intelligitur.

AT neque probare vnquam potuit vulgarem illam nostrorum traditionem, quæ induxit, vt legata re aliena, in qua testator aliquod tantum ius habuit, nihil nisi ius illud legatum videatur, eo etiam casu, quo ipsius testatoris morte fuerit periturum; vt puta si fundum legauerit, cuius habebat vsumfructum.[1] Nam rescriptum Imperatorum, quo in hanc rem nostri vulgo abutuntur,[2] longe aliam habet sententiam, illam nimirum, vt legatum rei alienæ, in qua solum vsumfructum vxor patrui eademque testatrix habuerat, non valeat in præiudicium proprietatij, hoc est, facere non possit, vt ipsi proprietario res adimatur.[3] At non inde sequitur, quod illi inferunt, Nihil igitur legatario deberi. Nam imo vero perinde illi deberur æstimatio, ac si nihil iuris in ea re viuus testator habuisset;[4] quando nihil interest, quod ad legatum pertinet, an nullum ius in illa re viuus testator habuerit, an tale, quod cum ipsa persona fuerit extinctum,[5] cum eo demum tempore legatum deberi incipiat, quo testator mortuus sit?[6] Sane si non fundus alienus, in quo testator vsumfructum habuit, sed vsusfructus ipse legatus fuerit, aliud dicendum est.[7] Nam cum morte legatus finiatur,[8] absurdum sit, quinimo ἀδύνατον, post ipsius mortem æstimari rem, quæ amplius non sit in rerum natura.[9] Esi namque, quod in rerum natura adhuc non sit, legatari potest, si modo fore speretur,[10] id tamen, quod in rerum natura amplius non sit, licet fuerit, legari non potest.[11] Certe si is, qui solum vsumfructum habebat, cum proprietatem plenam habere se existimaret, fundum legauerit, fauor heredis facit, vt id potius, quod habere se crederet, quam quod onerare heredem vellet, legasse videatur, vt proprietatis æstimatio legatario non debeatur.[12] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ita namque communiter nostri putant *ad l. vxor patrui 20. per ill. text. C. hoc tit & ex l. quod in rerum 24 §. 1. de leg. 1. l. Sticho 36. in fin. de vsufr. legat.*

2 *In d. l vxor patrui.*

3 Ex vulgari regula *l. id quod nostrum 11 l. non debet alteri 74. de reg. iur.*

4 Quia non potest fructuarius ignorare, rem, cuius habet vsumfructum, ad alium pertinere, *l. 1 D. de vsufr.*

5 Quomodo vsusfructus finitur & extinguitur morte fructuarij, *l 3 §. vlt. & pass. quib. mod. vsufr. amit.*

6 *L. 1. D. qui testam. facer poss. l. legatum 116. de leg. 1. Inst. de legat.*

7 *d. l. quod in rerum 14. §. 1. de leg. 1.*

8 *L. 4. D quand. dies legat. cod.*

9 *L. in actionibus 5. §. vlt. D de in lit. iur.*

10 *d. l. quod in rerum, in princ.*

11 Et ita coniungendus est *d §. cum initio legis.*

12 Vt in illa eleganti specie, de qua *d. l. Sticho 36. de vsufr. legat.* iunct. *l. Sempronius 47. de leg 2 & l. vnum ex familia 67. §. si rem eod.*

DEFINITIO XIV.

De legato matri vsufructu restringendo ad alimenta fauore liberorum.

MAter, quæ filio à patre herede instituto facta est domina & vsufructuaria bonorũ omnium, nihil nisi alimenta petere potest, ex consuetudine quadam olim primum Bononiæ inducta in Curia Bulgari, postea sicut ab Interpretibus omnibus ita à Senatu nostro plerisque Senatusconsuitis approbata,[1] fauore nimirum liberorum, quibus ea ratione potius consulere voluisse pater credendus est, dando matri administrationem, vt vnà cum liberis moraretur.[2] Inde quæritur, Si mater ad secunda vota conuolauerit, vt iam cum liberis morari non possit, vtpote in nouam mariti familiam translata, an cum vsumfructum retinere debeat? Et placet non debere, quasi deficiente tacita conditione, quæ huic legato inest.[3] Si tamen filio iam defuncto, cum quo morari debuerat, ad secundas venerit nuptias, aliud est, quia post mortem filij deficere amplius conditio non potest, cum pertrum naturam non per matrem factum sit, ne morari cum liberis possit.[4] *Ita tractatum est* in causa Francisci Perrin, 15. Cal. Aug. 1595.

1 Ex æquitate contra meram iuris rationem, vt constat ex *l. vxori meæ 37. de vsufr legat.* [Aliud ergo est, si institutus sit extraneus. Anton. Gabriel. *lib. 5. commun. opin. concl. 3. de vsufr.* Item si onera hereditaria sint iniuncta matri, puta vt soluat onera hereditaria, aut filios educare, ac bene instituere teneatur. Idem

BIU Cujas

tur. Idem Gabriel, *concluſ. 2. de vſuſr. limit. 6. nu. 45.* poſt Steph. Bertr. *conſ. 36. & 57. nor. 1.* Alias pleraſque limitationes, vt & ampliationes fere omnes, quæ adduci poſſunt, Vide apud eundem Gabr. *dict. concl. 2. & 3.* Sanè tum quoque, cùm matri aut alij relictus eſt vſusfructus totus, nec ad alimenta reſtringendus, legitimam tamen ſaluam & legitimæ fructus habere liberi debent, vt habeāt vnde ſe alant. Nouell 18. *de trient. & ſemiſſ. cap. 3. § prohibemus.* iunct. *l. Papinianus* 8. §. *vnde ſi quis, in fin. D. de inoff. teſtam. Ita Senatus* in cauſa N. Georgiæ Brunet, & N. Petri Berta, die 26. April. 1614.

2 Itaque aliud eſſe volunt in nouerca. Cremenſ. *ſing. 8.* poſt Bald. *ad l. vlt. C. de indict. viduit. tollend.*

3 Et quidem facto vxoris, per quam ſtetit *l. 3. C. de condit. inſert.* Aliud eſt in ſpecie, *l. 1. C. hoc tit.*

4 *d. l. 1. C. hoc tit.* vide tamen *l. 4. C. de condit. inſert.* Quod ſi matri datus ſit vſusfructus cum tutela, magis eſt vt cum tutela alimenta quoque finiri debeant, vt fiat æqualis determinatio, *arg. l. 4. de vulg. & pupill ſubſtit.* Quid ſi pater habēs filios impuberes ex duobus matrimoniis tutelam omnium det vxori cum vſufructu? Inutilis quidem erit datio tutelæ, quod ad liberos prioris matrimonij, ſed non ideo melior erit conditio nouercæ, quod ad vſumfructum, cum eam teſtator non pro nouerca, ſed tanquam pro communi matre habuerit.

DEFINITIO XV.

Legatum vſusfructus reſtrictum ad alimenta fauore pupilli an ſimiliter reſtringatur fauore ſubſtituti vulgaris aut pupillaris?

AT finge in eadem ſpecie, datum fuiſſe pupillo ſubſtitutum, ſiue vulgarem, ſiue pupillarem, an fauore ſubſtituti eadem fiet contra matrem interpretatio, quæ fauore pupilli, vt legatum generalis vſusfructus matri relictum reſtringatur ad alimenta? Minime, quia nemo non videt longe diuerſam eſſe filij & ſubſtituti rationem,[1] ſi ſubſtitutus non ex liberis, ſed extraneus fuit.[2] Idque in ſubſtituto vulgari omnes admittunt, quia cum vulgaris ſubſtitutionis caſus euenit, nulla perſonæ inſtituti ratio habetur; quandoquidem teſtamentum tunc incipit à ſubſtituto euadente in inſtitutum,[3] & legata, quæ ab inſtituto relicta fuerant, cenſeantur à ſubſtituto repetita, & quaſi ab eo primum relicta.[4] Sed in ſubſtituto pupillari diſtinctio adhibenda eſt, an legatum vſusfructus ita matri relictum ſit, vt vnum ſit legatum, an ita potius, vt plura legata eſſe videantur, quod euenit, ſi ponas, vxori legatum vſumfructum, his verbis adiectis, *donec caſte vixerit*, aut etiam, *quandiu viuet*. His enim verbis conſtat, plura eſſe legata, tot nimirum, quot ſunt anni, & primi quidem anni putum, ſequentium vero conditionalia.[5] Primo caſu legatum, quod ſemel & ab initio certam formam accepit ex interpretatione fauore pupilli contra matrem facta, eandem formam perpetuo retinet. Neque enim ex perſona ſubſtituti pupillaris poteſt legati conditio immutari,[6] cum pupillaris ſubſtitutus legata ab impubere relicta ſemper debeat non tanquam à ſe repetita, ſed ex perſona pupilli & tanquàm ipſius heres,[7] nimirum ſi non ſolum ex pupillari ſubſtitutione ſuccedat, ſed etiam in pupillarem caſum, non in vulgarem, id eſt, agnita per filium impuberem patris hereditate:[8] poſteriore vero caſu, quo tot legata ſunt quot anni, conſequens eſt, vt eo primum anno, quo filius iam defunctus eſt, plenum vſumfructum habere mater debeat, ac ſi eo primum die legatum illi eſſet, cum ſit nouum legatum.[9] *Ita tractatum eſt* in eadem cauſa.

1 Nec enim nouum eſt, vt in quibuſdam melior ſit conditio pupilli, quam pupillaris ſubſtituti, in iis ſcilicet, quæ pupillus habet tanquam filius, *vt in l. paterfamilias filius 28. de reb. auctor. iudic. poſſid. alias l. 13. de priuileg. credit.*

2 Nam cum ſubſtitutus eſt ex liberis, eadem ratio eſt ſubſtituti, quæ inſtituti. Ergo idem ius in vtroque eſſe debet, *arg. l. illud 32. ad leg. Aquil.* [Extranei alia ratio eſt. Anton. Gabriel. *concluſ. 3. de vſuſr. lib. 5.* Dixi *Definit. prox. num. 1.*]

3 *L. 1. l. cum ex filio 39. §. vlt. l. coheredi 41. in princ. D. de vulg. & pupill. ſubſtit.*

4 *L. licet Imperator 74. de legat. 1.*

5 *L. ſi in ſingulos 4. D. de ann. lega.* iunct. *l. cū in annos 11. eod.*

6 *Arg. l. 2. §. ex his de verb. oblig.*

7 *L. in ratione 11. §. quod vulgo D. ad leg. falcid.*

8 *Vt in d. § quod vulgo*, iunct. *l. qui fundum 87. § qui filium. eod. tit.*

9 *Arg. d. l. cum in annos 11. de ann. legat.* Alia ratio annuæ ſtipulationis eſt, quæ pro annis omnibus vna eſt & pura, *l. ſi Stichum 16. §. 1. de verb. oblig.*

DEFINITIO XVI.

Is, qui vt miniſter pecuniam accepit credendam ſub fœnore in diem vſq; nuptiarum puellæ, ſi crediderit, & ſubinde ante diem nuptiarum pecuniam illam à patre puellæ exigi permiſerit, non liberatur: debitor tamen, qui vero ſuo creditori ſoluit, liberatur.

FRater ſororis vterinæ in poteſtate patris conſtitutæ centum legauerat, eaque Titio ſtatim ſolui iuſſerat, ea lege, vt crederentur ſub fœnore ad eam vſq; ætatem & diem, in qua ſoror nuberet, vt medij tēporis interuſurio ſororis dos augeretur. Titius legato ab heredibus accepto pecuniam Sempronio crediderat ſub vſuris, cumque poſt aliquod tempus filia quaſi mox nuptura præſente & auctoritatem præſtante patre inſtrumentum nominis ab eo petiiſſet, illic tradiderat, ſibique tam à filia, quàm à patre indemnitatem fuerat ſtipulatus. Nouatione deinde ſecuta idem debitor aucta iam ſorte per vſuras præteriti temporis ad certam diem ſoluturum promiſerat, tum ſoluerat, & filiæ ſimul & patri. Nuptiis tandem contractis, doteque multo ampliore per patrem promiſſa, ita tamen vt in dotem ea quantitas imputaretur, quàm ex filiæ legato acceperat, filia cum ſibi dos non ſolueretur à patre iam tum in ſummam delapſo egeſtatem, petebat, vt Titius ad ea centum, quæ legata fuerant, condemnaretur, quaſi per nominis ceſſionem ante diem nuptiarum factam liberatus non fuiſſet. Prior Iudex pro ea pronunciauerat, & reſtitutionem in integrum ab illa ex Principis diplomate impetratam admiſerat. Appellatione per Titium interpoſita quærebatur, quid iuris eſſet? Placuit bene iudicatum, propterea quod teſtator prudens Titij fidem ſecutus videretur, ne lubrico paternæ adminiſtrationis, quam propter patris mores ſuſpectam habebat,[1] ſororis pecuniam committeret.[2] Et vero cum ob eam cauſam longiorem ſolutioni diem dixiſſet, non vt Titio conſuleret, qui nullum ex legato commodum ſperare poterat,[3] ſed fauore ſororis, vt dotem ampliorem quandoque haberet,[4] imputari poterat Titio, cur nullo Iudicis cogente imperio ſolutionem repræſentaſſet,[5] aut, quod idem erat, exigendæ pecuniæ facultatem & patris & filiæ arbitrio permiſiſſet, tradito in eam rem nominis inſtrumento.[6] Quid enim debitor ipſe faceret ex propria obligatione conuētus à filia, cui pater auctoritatem accommodaret?[7] An ei imputabimus, cur creditrici ſuæ ſoluerit ante diem nuptiarum, quod ad aliam certamq; diem, nulla nuptiarum mentione facta, dare debuit?[8] Aut cur teſtatoris voluntatem ſecutus non ſit, qui ad ſoluendum ex proprio contractu, non ex teſtamento fuerat obligatus?[9] Quid vero conditiones teſtamento adſcriptæ ad eum pertinent? Quod autem filia ſolutionis tempore & minor annis, & in patris poteſtate conſtituta proponebatur, vtique facere non poterat, quo minus ei rectè ſolutum eſſet, ſiue quis fateatur, patrem

BIU Cujas

in ea pecunia fuisse legi imum filiæ administratorem, [10] (ponimus enim, filiæ solutionem accipienti patrem consensisse,[11]) siue dicas, quod probabilius est, ideo non fuisse legitimum administratorem, quod ipsi pater prohibuerat vsumfructum. [12] Itaque vix dubitationi locus relictus videbatur, quin Sempronius debitor soluendo creditrici, patre præsertim sciente & consentiente, plenissimam liberationem esset consecutus. [13] Soli Titio imputari poterat, cur non saltem curasset cauerisibi à patre de pecunia filiæ, cum nuberet, restituenda. [14] Nec ad rem faciebat, quod nudum ille in ea re officium & ministerium testatoris voluntati præstitisset, ex quo periclitari eum, damnumque sentire inciuile videbatur. [15] Nam cum testatoris voluntatem in eo semel agnouisset, quod pecuniam legatam acceperat, consequens fuerat, vt susceptum officium non desereret, [16] nec ad se exonerandum solueret ante diem, qui solutioni à testatore fuisset præstitutus: [17] minus vero mouebat, quod pater nuptui collocans filiam abunde ipsius indemnitati consuluerat, ampliore dote ob eam causam constituta; [18] inanis enim erat actio ex illa dotis promissione, quam patris inopia excludebat. [19] Illud sane probabilius videri poterat, imputandum heredibus, non quod cautionem à Titio non exegissent, quam testator non iniunxerat, [20] sed quod in legati solutione stipulationem non interposuissent, D pecunia mulieri quandocunque nuberet restituenda. [21] *Ita Senatus* in causa Stephani Escottier & Noellæ de Motz, 4. Cal. Iunij, 1591. & iam antea prouisionali arresto inter easdem partes pronunciato, 4. Non. Iun. 1590.

1 *Vt in l. pen. §. potuit tamen pater, D. de curat. furios.*

2 *Arg. l. 3. §. cum Pollidius, de vsur. l. Firmio 26. §. quand. dies leg. ced.*

3 Cum voluisset testator totius interusurij commodum ad sororem pertinere, & esse in legato, *vt in l. debitor 82. de leg. 2.*

4 Interdum enim tempus solutioni adiicitur fauore creditoris, non debitoris, *l. si ita relictum 43. §. Pegasus, de leg. 2. l. Iauolenus 15 alias l. eum qui, de ann. legat.*

5 Nec enim poterat cogi, vt repræsentaret solutionem, quia solutioni dictus erat à testatore dies nuptiarum, nec proinde poterat peti legatum ante festiuitatem ipsam nuptiarum *l. sancimus 24. C. de nupt. l. Stichum 39. §. 1. de statulib.* De quo vide Cranet. *cons. 101. nu. 1.*

6 Siquidem, qui tradit instrumentum, mandare videtur, quia dat alij agendi facultatem, *l. 1. C. de donat. l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

7 Non enim potest debitor recusare, quo minus cogatur soluere quod debet, si à vero creditore conueniatur, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem quæ in fraud. credit.*

8 Dies enim regulariter in stipulationibus adiicitur pro debitore, vt, quamuis interim non possit conueniri, possit tamen interim soluere, *l. quod certa 70. de solut.* Quanquam in specie proposita hoc amplius erat, quod dies obligationis venerat, licet nuptiarum dies non venisset.

9 Inspicienda enim est forma contractæ obligationis, quæ mutari non potest, *l. vero 12. §. pen. de procurat.*

10 *Ex l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

11 *l. 2. §. vlt. l. post dotem 40.* & vtrobique Bart. *D. solut. matrim.*

12 Nam quarum rerum filij pater vsumfructum non habet, earum nec legitimam administrationem habet. *Nouell. 117. vt lic. matr. & aui. c. 1.*

13 Quamuis ea pecunia ad patrem peruenisse præsumeretur ex not. *in l. si cum dotem 22. §. transgrediamur, D. solut. matr.* Vide tamen Cranet. *cons. 91.*

14 *L. Titio centum 71. §. Titio genero, vers. Sabinus, de condit. & idem.* Bald. *in l. generaliter, vers. modo circa prædicta, C. de Epist. & Cleric.*

15 *L. si quis Titio 17. de leg. 2. l. Lucius 78. §. 1. ad SC. Trebell.* Iun. *l. sed si quis 7. testam. quem. aper.* cum ex eo legato nullum commodum percipere Titius potuisset, quod secus est in specie, *l. à filio 15. de alim. leg.* Adde *l. alimenta 16. § Basilicæ. eod.*

16 *Arg. l. in commodato 17. §. sicut, vers. susceperisset enim, D. commod. l. si mandauero 22. §. vlt. D. mandat.*

17 Bonam enim fidem præstare debet quisquis mandatum suscipit, maxime à testatore, *arg. l. si à pluribus 107. de leg. 1.*

18 *Arg. l. pater 4. l. dotem 38. D. solut matrim.*

19. *Vul. l. nam si 6. D. de dolo.*

20 *d. l. Firmio 26. §. 1. quand dies legat. ced. l. liberto 21. §. Largius 4. de ann. legat. l. Diuus Pius 6. D. si cui plus quam per leg. Falcid.*

21. *d. l. Firmio, § 1. ibi. fideicommissum ab heredibus petendum, qui dari pecunia stipulari debuerunt.* Vide Bened. Capr. *in tract. de exec. vlt. vol. membr. 6. nu. 81.*

DEFINITIO XVII.

Iussus chirographum ducentorum reddere, vel ducenta dare, si chirographum nullum reperiatur, ducenta dare tenetur.

QVidam testamento cauerat habere se patris chirographum, ex quo obstrictus ille erat vt Titio ducenta daret, heredique præceperat, vt chirographum Titio statim redderet, vel ei ducenta solueret. Cum inter cæteras chartas hereditarias chirographum illud repertum non esset, nec eo minus tamen ad eius restitutionem aut quantitatis solutionem condemnatus fuisset heres, prouocauerat ad Senatum, quasi id legatum videretur, quod in rerum natura nō esset, [1] frustraque condemnatio fieret exhibendæ eius rei, quæ nec antea vllibi visa, nec vspiam hodie reperiretur. [2] Pronunciatum est, rectam iustamque fuisse condemnationem, propterea quod certa quantitas expressa testamento fuerat, quæ si peti non poterat ex chirographo, de quo minime constabat, tanto magis legatiiure debebatur. [3] Neque enim falsa demonstratio nocere legato solet, sicut nec falsa causa. [4] Neque simile videri potest, quod si quis ita legauerit, *decem, quæ mihi Titius debet, lego*, cum nihil Titius testatori deberet, inutile legatum est. [5] Multum namque refert, an legem, quod mihi Titius debet, an quod ego Titio debeo. Hoc enim legatum valet, etiamsi nihil Titio debeam: quod quam rationem habeat, alibi explicauimus. [6] *Ita Senatus* ex tempore, contra Ant. Lambertum Necien sem, 12. Cal. Aug. 1592.

1 *Vt in l. quidam 7. §. 1. D. de tritic. vin. & oleo legat.* iunct. *l. quod in rerum 24. in princ. cum ibi not. de leg 1.*

2 *L. officium 9. de rei vindic. l. in actionibus 5. § vlt. de in lit. iur.*

3 *C. legaui 25. § vlt. l. Aurelius 28. § vlt. de liber. legat.*

4 *L. demonstratio 17. l. falsa 33. de condit & demonstr. l. 11. 3 C. de falsa caus. adiect. legat. l. Lucius 88. § quisquis, de leg 2.*

5 *l. si sic legatum 75. § 1. de leg. 1.*

6 *lib. 6. Coniect. c. 2.* vbi vide.

DEFINITIO XVIII.

Legatum liberationis rationum reddendarum remittit duntaxat scrupulosam redditionem, nisi in casibus, nunquam dolum.

LIberatio, quæ testamento plerumque legari solet ab omni rationum redditione & à confectione inuentarij, hactenus valet, vt scrupulosa tantum redditio & confectio remissa videatur. [1] Sed hoc ita, si non aut legatum sit, quicquid ob eam causam debebitur, [2] aut pœna aliqua sit adiecta, si aut rationum redditio petatur, aut inuentarium fiat. His enim casibus omnimodo & præcise voluntas testatoris seruanda erit: [4] dum tamen meminerimus, dolum semper & vbique exceptum intelligi oportere. [3] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise, viduæ illustris D. Ioannis Comitis de la Chambre, 4. Id. April. 1593.

1 *L. si seruus vetitus 119. de leg. 1. l. si quis rationes 9. de liber legat.*

BIU Cujas

2 *At in l. ita autem 5. §. Iulianus, alias l. quidam decedens, D. de admin. tutor.*

3 Enixa enim testatoris voluntas probatur ex eiusmodi pœnæ adiectione.

4 Cum in vltimis voluntatibus voluntas testatoris illa sit, quæ totum facit, *l. si mihi 12. in fin. de leg. 1. verbis legis 120. de verb. signific.*

5 *d. l. si quis rationes 9. l. Aurelio 20. in fin. de liber. leg. d. l. si seruum vetitus.*

DEFINITIO XIX.

In necessario debitore præsumitur animus compensandi, at non in voluntario, nisi ex coniecturis.

QVamuis dici soleat, non censeri debitorem creditori suo legare animo compensandi, nisi animus ille probetur, ' non tamen in quolibet creditore id verum est, sed in voluntario duntaxat. Necessarius enim præsumitur compensandi causa legasse, vt nostris placet: ' sed & in voluntario idem esse potest, si adsint coniecturæ aliquæ voluntatis, ' vtputa si prohibitus sit legatarius, idemque creditor, ne quid amplius peteret. *Ita Senatus* in causa D. de la Perriere & D. de la Batte, Prid. Cal. Jul. 1594.

1 *L. creditorem 85 de legat. 2. l. si compensandi 6. C. de hered. instit.*

2 Ita nostri notant *an Auth. præterea per ill. text. C. vnde vir & vxor.* Vide Bart. *ad l. Titia cum testamento 34. §. qui inuita, de leg. 2.* * Menoch. *lib. 4. de præsumpt. præsumpt. 110. nu. 36. & 37.* Afflict. *decis. 44.* Cravet. *consil. 149.*

3 Nam & manifeste probari dicitur in vltimis voluntatibus, quod probatur ex coniecturis, *l. cum proponebatur 64. de legat. 1.*

4 *Arg. l. quæsitum 78. §. 1. de legat. 3.* iunct. *l. Paula 27. §. Pomponius eod.* Nam & ipsa prohibitio petendi sufficit ad inducendum liberationis legatum, *l. si quis rationes 9. l. Aurelio 20. §. 1. de liber legat.* Iunge *Defin. 22. inf.* * Et Mantic. *lib. 20. de coniect. vltim. volunt. lib 5. num. 20. 21. 22. & 25.*

DEFINITIO XX.

Legato nomine habet legatarius vtilem actionem etiam hypothecariam sine cessione, sed non possessionem, neque remedia possessoria.

EX legato nominis transferuntur in legatarium ipso iure vtiles actiones, quæ defuncto aduersus debitorē competebant, nec vlla in eam rem ab heredibus facienda cessione opus est, ' cui consequens fit, vt iura quoque hypothecarum transferantur. ' An & earum possessio? Minime, quia possessio facti est, ' nec nisi in heredem vniuersalem continuari potest, & quidem recepto moribus nostris, ' potius quàm communi Romanorum iure. Nec aliud erit, quamuis testator, qui pignus possidebat, legatarium in ius & locum suum substituerit. Non enim in testatoris arbitrio positum est, vt ius possessionis in legatarium transferatur, ' sed tantum vt propria, si volet, auctoritate nanciscì eam legatarius possit. ' Proinde si ante quam iure suo vsus sit alius quispiam possessionem illam inuaserit, non competent legatario interdicta cæteraque remedia possessoria ad recuperandam possessionem comparata: ' sed tantum ei permittendum erit, vt agat aduersus heredem ad hoc, vt quas habet aduersus nouum possessorem actiones cedat & præstet. ' Plane si pignorum possessionem legatarius per heredis manus acceperit, nec dubitandum est, quin remediis omnibus possessoriis vti legatarius possit. ' *Ita Senatus* in causa illustris D. Ioannis Ludouici, Marchionis de la Chambre, & Sp. Caroli Francisci Ruffin, Aduocati clarissimi, 12. Cal. Ianuar. 1594.

1 *L. ex legato 18. C. hoc tit.* Idemque est in omnibus aliis, in quos nomen ex aliqua iusta causa translatum est, idque ex rescripto Diui Pij, *l. si cum emptore 16. D. de pact. l. vlt. C. quando fisc. vel priuat. debit. sui debitor. conuen. nposs. l. 2. Cod. de obligat. & act.*

2 *L. nomen 4. C. quæ res pignor.* iunct. *l 1. C. commun. de legat.*

3 *L. denique 10. D. ex quib. caus. maior l. 1. §. si vir vxori, D. de acquir poss. l. 1. §. Scæuola, si vt qui testam lib. ess. iuss. fuit.*

4 De quibus vide quæ scripsi *Defin. 4. supr. de edict. Diui Hadr. toll.*

5 Vt constat *ex l. cum heredes 23. de acquir poss.* iunct. *d. §. Scæuola.*

6 Quia possessio nuda voluntate non transfertur, sed opus est animo & corpore, *l. 3. §. in amittenda, l. quemadmodum 8. D. eod. tit. de acquir. poss.*

7 *L. 1. D. quod legat.*

8 Nemo enim potest videri amisisse possessionem, quam nunquam habuit, *l. nō videtur rem amittere 83. l. nemo potest videri 208. de reg. iur.*

9 Cur non enim teneatur heres saltem ad hoc præstandum, quod sine ipsius dispendio futurum est, *l. in creditore 38. in fin. D. de euict.*

10 Vt & alius quilibet, tanquam qui in re legata sit loco heredis. *l. id tempus 14. §. 1. de vsucap. l. Pomponius 13. §. sed & legata, de acquir. poss.*

DEFINITIO XXI.

Variæ casus, in quibus non valet legatum rei alienæ, etiam in coniunctam personam collatum.

LEgatum rei alienæ, quam testator suam esse putauit, non valet, nisi verisimiliter fuisset legaturus, etiamsi sciuisset. ' Quod præsumendum est, non solum si legauit coniunctæ personæ, ' sed & si alicui extraneo propter benemerita. ' Sed id non habet locum, si hereditas sit exhausta vel grauata ære alieno. ' Item si fuit quidem legaturus, sed non tantam quantitatem, ' vt puta si legauit bona, quæ putabat sibi obuenisse ex hereditate Titij, quę tamen nulla obuenerat. Solent enim testatores liberaliores esse in legandis iis rebus, quas ex causa lucratiua fuerunt consecuti. ' Idem est si testator errauerit in causa finali legandi. ' *Ita Senatus* in causa fratrum Sitey & liberorum D. Senatoris de Coysias, 20. Decemb. 96.

1 *L. cum alienam 10. C. hoc tit.*

2 *Vt in d. l. cum alienam.*

3 Intellige benemerita insignia. Illud enim legatis omnibus commune est, vt ob aliquod præcedens benemeritum relinquantur, *l. nec adierit 9. D. pro socio.*

4 Nemo enim præsumitur futurus liberalis in necessitatibus, *l. rem legatam 18. D. de admin. legat.*

5 Nam & ex quantitate potest coniici, an fuerit quis tam facile legaturus necne?

6 Dum putant futurum, vt non ex eo heres oneretur, *l. vnum ex familia 67. §. si rem, de legat. 2.*

7 Cessante enim causa finali dispositionis semper cessat dispositio, *vulg. l. fin. D. de hered instit. l. 2. §. vlt. D. de donat. l. si donaturus 9. §. 1.* vbi Iaſ. & alij notant, *D. de condict. caus. dat.*

DEFINITIO XXII.

TItia heres à fratre instituta, & eo testamento centum aureos filiæ sororis soluere damnata, cum ex testamento ad legati solutionem mota in eam rem lite conueniretur, postea decedens eidem sororis filiæ, ob ipsius benemerita, quingentos aureos suprema sollennique voluntate legauerat, nulla quidem aut prioris legati, aut litis facta mentione, sed adiecta tamen clausula, vt eo legato contenta legataria à testatricis bonis omnibus quæcunque tandem illa essent excluderetur. Sororis filia legatum quingentorum consecuta ab herede materteræ, litem nihilominus pro legato priore institutam repetierat, & herede in ius non veniente apud Senatum obtinuerat. Postea ciuili supplicatione porrecta, Visum est repellendam esse legatariam exceptione doli, tanquam quæ bis idem consequi vellet, cùm ex verisimili te-

BIU Cujas

stantis voluntate, de qua & notarius, qui testamentum exceperat testificabatur, prius legatum in posteriore contineretur. Quasi facto legato posteriore, compensandi animo cum debito necessario. Ne alioqui nullus superesset effectus tam enixæ exclusionis, quandoquidem nihil aliud erat, quod legataria in bonis materteræ petere posset. Itaque maiore dato legato videbatur testatrix de minore transegisse, id est, de lite pro eo legato instituta. Quis enim credat voluisse testatricem superesse litem inter heredem & legatariam, cui tam amplum legatum dedisset? Deniq; cùm pro legato quod auunculus reliquerat, competeret hypothecaria in bona ipsius quæ per additionem facta erant materteræ, parum intererat, an ab eius legati petitione exclusa esset legataria, an à bonis materteræ. *Ita Senatus* pro N. Petroquino d'Vrtieres, Febr. 1612.

DEFINITIO XXIII.

Hæres de pensione annua imposita super fundo alij legata disponere non potest, quamuis eam redemerit, sed tantum de precio quod dedit.

QVidam vxori suæ certa prædia legauerat, quoad viueret, ita, vt ex eorum reditu pensio annua præstaretur [1] Franciscanis nostris de Mians, in speciem cuiusdam vsus eo modo constituti. Et post mortem vxoris suæ, eadem prædia sub eiusdem pensionis onere ad pauperes Hospitalis Chamberiensis peruenire voluerat. Vidua cum Franciscanis de pensione illa transegerat, [2] certoque pretio iis dato redemptam tursum testamento suo quasi suam factam [3] aliis legauerat. Cùm post eius mortem ad pauperes ea bona peruenissent, [4] conueniebantur à posterioribus legatariis, vt eam pensionem præstarent. [5] Placuit nullam eo nomine actionem competere posse, propterea quod per transactionem cum Franciscanis factã ea pensio non tam empta, quàm penitus extincta fuisse videretur, [6] Quam nec vendi potuisse constabat, cùm per modum vsus & habitationis legata primùm fuisset, Vsus autem vni constitutus alteri vendi non possit, [7] vt neque habitatio, [8] quia seruitutes sunt personales, [9] quæ personam egredi nunquam possunt. [10] Planè nec de illo dubitabatur, quin eam ipsam pecuniæ quantitatem quæ pro extinguenda pensione numerata fuisset, posterioribus legatariis reddere pauperes deberent, quibus ea extinctio profuisset, Vt hoc saltem commodum ex mulieris testamento legatarij haberent, [11] Quasi legato iis omni iure, quod propter pensionem illam testatrix habuerat. [12] *Ita Senatus* in causa Dominicanorum & Pauperum Hospitalis de Maschy, Chamberiensis, Febr. & 1612. rursum 3. August. eod. anno.

1 *Vt in l. liberto 21. in princ. de ann. legat.*

2 Quæ tamen transactio non videbatur valere, cùm sine prætoris authoritate facta esset contra *l. cùm hi 8. §. 1. D. de transact.*

3 In eoque nimirum errabat. Non enim poterat ius vllum superesse huius debiti in persona ipsius debitoris propter confusionem, cùm sibi nemo debere quicquam possit *l. 5. C. de pact. l. 5. D. si vsufr. pet. l. pen. §. 1. de except. rei iudic.*

4 Quasi ex fideicommisso, vt in *l. species 15. de aur. & arg. leg. l. vlt. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.*

5 Eo colore quod pauperibus legata fuisset proprietas eorundem bonorum cum onere eiusdem pensionis. Nec enim mutatio dominij mutat causam legati *l. nihil proponi 120. de leg. 1 l. fundi 38. de vsufr. legat.*

6 Confusio enim modus est amittendi non acquirendi, semel autem extincta actio nunquam reuiuiscit *l. qui res 98. §. aream, D. de solut.*

7 *L. inque eo fundo 11. D de vsu & habit.*

8 *L. si habitatio 10. eod.* licet habitatio hodie propius accedat ad vsumfructum, quam ad vsum post *l. cùm antiquitas 13. C. de vsufr.*

9 Non tamen esset bona hæc ratio in vsufructu *l. arboribus 12. §. vsusfructuarius, l non vtitur 38. & seq D. de vsufr.*

10 Et ideo morte finiuntur, nec transeunt ad heredem *l. 1. §. vlt. quib. mod. vsusfr. amitt. l. vsus 21. de vsu & habit. l. pen. D. de seruit. leg.* vbi ratio etiam redditur, *ne quod effectu filiæ datũ est hoc & ad exteros eius heredes transire videatur.* Nam & tum quoque cum vsusfructus venditur ex persona tamen vendentis æstimatur *l. necessariò 8. §. fin. de peric. & commod. rei vend.* Iunge *l. si vsusfructus 68. D. de iur. dot.*

10 Ex regula *l. secundum naturam 10. de reg. iur.* Nam nec pauperes æquum est locupletari ex aliorum etiam diuitum iactura, cùm sit illud contra æquitatem naturalem *l. nam hoc natura 14. D. de cond. indeb. l. iure naturæ 206. de reg. iur.*

11 Quamuis aliud sit legatum pensionis, Aliud legatum pecuniæ pro pensione extinguenda solutæ *arg. d. l. liberto 21. de ann. leg.*

12 *L. si domus 71. §. penult. & vlt. de leg. 1.* Not. *in l. vxor Petris 20. C. hoc tit.*]

TIT. XIX.

DE VERBOR. SIGNIFIC.

DEFINITIO I.

Nepos ex filia continetur appellatione masculorum, si testator habuit rationem sanguinis, non etiam si familiæ & agnationis.

MAGNA contentione certatum est inter nostros, an appellatione masculorum in substitutionibus comprehendantur masculi ex fœminis descendentes? [1] Illa distinctio Senatui nostro semper probabilior visa est, an testator in excludendis fœminis rationem habuerit conseruandæ familiæ, an non? Vt posteriore casu comprehendantur, priore non item, [2] quod eadem exclusionis ratio noceat liberis, quæ matri. [3] Neque enim per masculos ex fœminis descendentes magis conseruari familia potest, quam per ipsas fœminas, quandoquidem patris sui, non matris familiam sequuntur: [4] idque est, quod dici solet, fœminam familiæ suæ caput & finem esse. [5] *Ita Senatus* sæpius, vt Carolus Vellietus, tum Præses noster primarius, referebat, Prid. Calend. Sept. 1588.

1 De qua quæstione vide Bart. *in l. liberorum* & ibi addit. *de verb. signific.* Bald. & Castr. *in l. sed si hanc, §. liberos, de in ius voc.* Bald. *in l maximum vitium col 2. vers. & idem dico, si ex tali filia, C. de liber. præter.* Socin. *cons. 5. vers. secundo probatur, & cons. 31. col. 2. vers. tertio probatur, vol 1.* Alex. *53. col. 2. vol 4.* Bart. *in l. 2. §. videndum, ad Tertyll.* Angel *in §. neque, Nouell. de trient. & semiss.* Qui omnes tenent contra nepotem, quia procedit à radice infecta, inquit Marant. *disp. 10. num. 18* Adde Franc. Mantic. late *de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit 18. per tot.* Cranet. *cons. 157. num. 4. & cons. 184. num 2. & cons. 22. num. 10.* Dec. *cons. 85. & 311.* Paris. *cons. 41. vol. 3.* Chass. *cons. 53.* Steph. Bertr. *cons. 1 num. 17. vol. 2. part. 1.*

2 Quæ distinctio est Guid. Pap. *quæst. 611. & quæst. 113.* quamuis improbata à Matth. Matthesilano *sing. 119.* vbi dicit, communem esse contra Guid. Pap. Vide Bald. *in auth. si quas ruinas in fin. C. de sacros. Eccles.* Mar. Socin. *cons 2. vol. 3.*

3 *Vt in l. si viua matre 3. C. de bon. matern.*

4 *L. pen. D. de liber agnosc.*

5 *L. pronunciatio 195. §. vlt. de verb. signific.* * Vide *l. vlt. de pollicitat. & l. 1. C. de condit. insert.*

DEFINITIO II.

Non decedit cum masculis ille, quo viuo nepos ex filia nondum conceptus fuit.

QVod proxime diximus, masculorum appellatione in substitutionibus venire masculos ex fœminis, si

minis, si non de bonis in familia conseruandis testator cogitauerit, [1] ita verum est, si natus iam sit vel conceptus nepos, viuo eo, qui gratuatus fuerat sub ea conditione, Si sine liberis masculis moreresur, [2] alioqui constat, pro non scripto haberi debere, quod ei relinquitur, qui delationis tempore necdum natus sit, nec pro nato habeatur. [3] *Ita tractatum est* in Senatu Calen. Decembr. 1588.

1 Quia non potest negari, quin masculus ex filia sit ex descendentibus, adeo, vt non aliud dicendum sit, etiam si testator substituerit masculos ex proprio corpore natos, si Baldo credimus, quem refert & tamen improbat Guid. Pap. *quæst.* 133. & 153.

2 Vide *l.1. C. de condit. insert. l. iubemus 6. C. ad SC. Trebel. l. non est sine liberis, de verb signific.*

3 Quia hic nullo sanguinis iure contingit defunctum, *l.1. §. si quis proximior, vnd. cognat. l. Titius 6. D de suis & legit.*

DEFINITIO III.

Suorum appellatione soli descendentes veniunt in vltimis voluntatibus, in contractibus vero etiam extranei heredes.

SVorum appellatione, si de fideicommisso aliave vltima voluntate tractetur, soli descendentes veniunt, non etiam extranei heredes, licet agnati sint aut cognati: [1] heredum appellatione contra omnes veniunt, præterquam si de eo agatur, quod ad quoscunque heredes non sit transmissibile: [2] nisi *heredum quorumcunque* expositio facta sit, [3] vt ea verborum interpretatio sumatur, quæ subiectæ materiæ magis conueniat. [4] In contractibus aliud est, in quibus non heredum solum, sed etiam suorum appellatio heredes quoscunque comprehendit: [5] ideo fortasse, quod contrahentium omnium mens illa sit, vt perpetuo heredibus suis quibuscunque perinde ac sibi consulant, [6] si nihil in contrarium specialiter dictum actumve proponatur. [7] *Ita Senatus* sæpius.

1 Alex. & cæteri *in l. Gallus, §. etiam, de liber & posth.* Castr. *cons. 374. incip. visis, vers. item dicet aliquis, & cons. 404. vol. 1.* Dec. *cons. 217. 228. & 254.* maxime in materia fideicommissi. Bart. *cons. 52.* Guid. Pap. *quæst. 306. & 457.* Bald. *cons. 80. incip. descendentibus, vol. 4.* Alex. *cons. 32. in fin. vol. 6. * & consil. 36. lib. 3.*

2 Bart. *in d. l. Gallus, §. etiam si de liber. & posthum.* & ibid. Bald. Alex. Socin. Iaf. idem Bald. *in l. etiam in fin. solut. matrim.* Alex. *cons. 13. vol. 1.* Gabr. *commun. opin. lib. 6. tit. de verb. signif. concl. 2. limit. 2. nu. 7.* Patif. *cons. 71. num. 40. vol. 3.* * Grauet. *consil. 131.* Alex. *cons. 36. lib. 3.*

3 Idem Gabriel *vbi sup. num. 8 & concl. 4.* vide Angel. *cons. 305. in fin.* Alex. *cons. 37. vol. 6.* Socin. *cons. 240. vol. 2.* Alciat. *in l. heredis appellatione, de verb. signif.* * Vide Mantic. *lib. 8. de coniect. vltim. volunt. tit. 14. per totum.*

4 Verba enim semper sunt intelligenda secundum subiectam materiam, adeoque interdum improprianda, *l. ex conducto 15. §. Papinianus, alias l. si vno anno, l. in lege 29. D. locat.*

5 Vt constat ex supra citatis, *num. 1. & 2.*

6 *L. si pactum 9. D. de probat. l. herede 21. D. de pact. l. pater 23. D. de pact. dotal.*

7 Semper enim in stipulationibus cæterisque contractibus sequimur id, quod actum est, *l. semper in stipulationibus 34. de reg. iur.*

DEFINITIO IV.

Filiorum appellatione continetur liberi cuiuscunque gradus in materia fauorabili, non etiam in odiosa.

LIberorum appellatio etiam in testamentis, in quibus plenissima fieri solet interpretatio, [1] latius patet, quam filiorum. [2] Nam & nepotes & vltetiorum graduum descendentes omnes in infinitum complectitur propria significationis suæ potestate, [3] filiorum vero appellatio non item, sed eos solos, qui primo gradu sunt, [4] si non de fauore & commodo eorum agatur, vtputa si fideicommissum pluribus sub hoc *filiorum* nomine relictum sit. [5] Quo casu parum refert, an filiorum, an liberorum nomine vsurpatum proponatur, [6] siue de ascendentis, siue de agnati aut omnino extranei [7] testamento tractetur. [8] Ergo fideicommissum filiis iniunctum non perinde nepotibus licet minus dilectis iniunctum intelligetur, quia fideicommissum onus est, [9] & consequenter odiosum. [10] *Ita Senatus* in causa N. Joannis du Bois, & Francisci & Antonij du Bois de S. Trivier, 16. Cal. Iul. 1584.

1 *L. in testamentis 11. de reg. iur. c. inter dilectos, extr. de don.*

2 *L. quid si nepotes 6. de testam. tutel. l. sed & milites 8. §. hac autem de filiis, D. de excus. tutor.*

3 *L. liberorum 220. in princ. de verb. signif.*

4 *dict. l. 6. de test. tutel. d. l. 8. §. hac autem de filiis, de excus. tut.* * Aut ad summum nepotes Grauet. *cons. 155. num. 1.* ex notat. *in l. Gallus 29. §. institutus, de liber. & posthum.* [Maximè si quis non de suis sed de alienis descendentibus loquatur. Nam in eo qui de suis descendentibus loquitur aliud est *d. l. 220. §. vlt. de verb. signif.*]

5 Fit autem hoc non ex proprietate dictionis, sed iusta interpretatione, *l. iusta 201. de verb. signif.* ob rationem positam *in d. l. liberorum, in fin.* Et ita est accipienda *l. filij 84. eod. tit.* [Cum tamen inter Capitulum S. Iacobi de Salauches, cui adnexus erat Prioratus de Chamonix & Syndicos dicti loci de Chamonix transactio quædam facta proponeretur, per quam conuenerat, vt si quis ex hominibus ligius & censitis dicti Prioratus moreretur sine liberis, aut absq; patre vel matre, patruo vel auunculo, amita vel matertera, fratre vel sorore aut filio vel filia fratris, aut sororis, bona defuncti peruenirent in solidum ad D. Priorem, Visum est superstites liberos filiorum fratris non esse admittendos ad domini exclusionem, sed præferendum illis dominum, quasi non positis illis in conditione ad exclusionem domini: quamuis successio domini in bonis defuncti hominis taliabilis & ligij credatur odiosa tanquam quæ contraria sit iuri communi. *Ita Senatus* pro dicto Capitulo de Salanches, contra dictos Syndicos de Chamonix 10. Iunij 1613. In qua tamen facti specie illud etiam concurrebat, quod per aliam eiusdem transactionis clausula conuenerat, vt superstitibus germanis ex fratribus aut sororibus vel ex fratre aut sorore natis, vno vel pluribus, non existentibus aliis proximioris gradus personis, dominus in solidũ admitteretur, Vt appareret non alios posse dominum excludere, quàm qui tertio saltem essent gradu, iure ciuili, ex quo cõsobrini & patrueles sunt in quarto. Accedebat quod ex veteribus libris rationũ constabat tale ius fuisse Priorum, vt non alij transuersales possent dominum excludere post fratres & sorores, quam filij fratrum aut sororum ex propriis eorum corporibus procreati. In quo numero sanè non erãt nepotes fratrum aut sororum, quoniam articulus ex denotat proximam causam & immediatam, Sed & placabat supra dictæ trãsactioni & conuentioni locum esse debere, non tantum si intestatus homo ligius & censitus, sed etsi testatus decessisset. Ne alioqui esset in potestate hominis ligij decedentis sine liberis aut aliis personis excludentibus dominum excludere illum faciendo testamentum, quod non aliter admittendum est, quàm si conditio illa quoque adiecta sit *si intestatus decesserit*, vt *in l. generaliter 6. C. de instit. & substit.* Atque ita obseruatum alias fuisse ex iisdem rationum libris apparebat. [Ideoque sic etiam eodem SC. pronunciatum est.]

6 Imola & cæteri *in l. Gallus, § instituens. de liber. & posth.* Alex. in addit. ad Bart. *in l. Lucius 85. de hered. inst. & cons. 9. vol. 1. cons. 5. & 26. vol. 3. cons. 37. vol. 6.* Rom. *cons. 129.* Dec. *cons. 391.* Socin. iun. *cons. 114. num. 3. vol. 1.* Iaf. *cons. 52. vol. 3.* Cephal. *cons. 207. & 194.* & fusè post omnes Hieronym. Zanch. *in repet. l. heredes mei, §. cum ita, in 14. part. num. 197. ad Senatusc. Trebell.*

7 Idem Zanch. *vbi sup. num. 203.* post Alex. *cons. 5. vol. 3.* Aret. Socin. Dec. & alios ibi per eum relatos.

8 Adeoque tamesi supersit & concurrat patruus. Idem Zanch. vbi *sup. num. 164.* Id vero apud nos maximè obtinet, si testator vsus sit dictione illa, *enfans*, quæ collectiua est primi & vlteriorum graduum ex natura Gallici idiomatis.

9 *L. coheredi 4. §. cum filia vbi notat. D. de vulg. & pup. substit. l. si adrogator 22. C. de adopt. l. vnum ex familia 67. §. si rem, de legat. 2.*

10 Quicquid enim onerat odiosum est, sicut è contrario quod liberat est fauorabile, *l. Arrianus 41. de oblig. & act. l. Titia 34. §. qui inuita, vers. non est enim, de leg. 2.*

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Quem sensum habeant hæc verba, si sine legitimo herede decesserit, tam in testamentis, quam in feudis.

VErba illa *si sine legitimo herede decesserit*, in testamẽto apposita non de legitimis quibuscunque heredibus intelligi debent, ac nec de ascendentibus quidem, sed tantum de descendentibus ex verisimili voluntate testantis, communique vsu loquendi,[1] qui multo apertius in hanc sonat interpretationem, si Gallica lingua in scriptum proponas, *s'il vient à deceder sans hoirs legitimes.*[2] At quod magis est, cum de feudo agitur quod alicui & legitimis eius heredibus concessum sit, legitimos heredes nec descendentes ipsos omnes intelligimus, sed tantum masculos, qui ex linea quoque masculina suscepti fuerint,[3] quoniam recti feudi propria natura & conditio illa est, vt neque ad fœminas, neque ad masculos ex iis descendentes peruenire vnquam possit.[4] *Ita Senatus* 17. Cal. Iulij, 1590. Et rursum in causa D. Alfonsi d'Elbene Episcopi Albiensis & Abbatis Altacombani, contra Ioannem Dardier, 4. Cal. Aug. 1591.

1 Guid. Pap. 175. & 458.

2 Eo namque verbo *heirs* liberos solos intelligimus, & quidem ita, si sint etiam heredes. Guid. Pap. *ibid.* [Bartol. *ad l. ex facto* 17 §. *vlt. ad Senatusconsl. Trebel.* vbi etiam alij plerique. Multi tamen contrà sentiunt, & alij aliter distinguunt, vt videre est apud Cravet. *cons.* 131. *num.* 7. & *seqq.* Senatus noster magis probat, vt substituto aliquo & eius heredibus, Aut grauato aliquo, si sine heredibus decesserit, de sola qualitate liberorum sensisse videatur *dict. l. ex facto*, §. *vltim.* Secus si dixerit testator *liberis heredibus.* Tunc enim liberos etiam heredes esse oportet. *Ita Senatus* pro N. Ioanne Gaspardo de la Creste, 3. Non Septemb. 1610. Quanquam vix est vt ea distinctio cadat in liberos qui sint sui heredes, licet se abstinuerint, cùm non sit sine herede qui suum heredem habet, quamuis se abstinentem, *l. cum quasi* 30. §. *sed et si suus, de fideicomm l. bert.* Plane fatendum est totum hoc æstimari debere ex coniectura voluntatis & ex facti circumstantiis pendere quid testator senserit. Cuius rei quædam exempla vide apud Cravet. *d. cons.* 131.]

3 Idem Guid. Pap. *quæst.* 53. *num.* 3. post Bald. *in c. si clientulus, de alien. feud.* Idem Guid. Pap *quæst.* 133.

4 *Cap. 1. qui feud. dar. poss.* §. *hoc autem notandum, lib 1. & c. 11. vers. ad filium, de succes. fratr. vel. grad succed. in feud. lib. 2. in vsib. feud.*

DEFINITIO VI.

Cum maiores vocati sunt, quinam intelligantur, an qui testatori proximiores sunt, an qui heredi?

QVi heredi instituto proximiores agnatos substituit, siue vulgariter, siue per fideicommissum, de iis sensisse credendus est, qui sibi sint proximiores,[1] non qui heredi; aliud est, si pupillariter substituerit, nimirum quia per pupillarem succeditur pupillo:[2] per vulgarem vero aut fideicommissariam non nisi testatori.[3] *Ita tractatum est* in eadem causa, 17. Calend. Iulij 1590.

1 *l. omnia* 21. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommissio.* & ibi DD. *de leg. 2. l. vlt. C hoc tit.* & ibi Castr. & cæteri.

2 *L. 2. l. sed si plures* 10. §. *ad substitutos. de vulg. & pupil. substit.* etiam si testator substituendo pupillariter dixerit, *heres mihi esto, l. si ita scriptum* 8. §. *qui filio, de bonorum posses. secund. tabul.*

3 *L. 1. & l. coheredi* 41. *in princ. &* §. *cum filia, & pass. de vulg. & pupil. substit. l. sequens* 67. *de leg. 2 l. 1. & tot. tit. ad SC. Trebel.* [Vide Anton. Tessaur. *decis. Pedem* 34. *per tot. maximè num.* 4.]

DEFINITIO VII.

Iussus soluere legata, eas quoque pecunias soluere debet, ex quibus liberi etiam pro legitima sunt instituti.

PAter vni ex liberis suis ampliora legata dederat, ea lege, vt cæterorum legatorum, quæ eodem testamento reliquisset, itemque æris alieni & sumptuum funeris partem tertiam exsolueret. Cum singulis filiabus suis certam pecuniæ quantitatem iure institutionis & legati, vt Notariorum mos est scribere,[1] reliquisset pro legitima, visum est eius quoque pecuniæ partem tertiam in heredis exonerationem à legatario præstari debere, nam illa ratione, quam quidam probabant, quod liberi in legitima parentum quodammodo creditores existimentur,[2] (neque enim legitima siue viuo, siue mortuo patre in ære alieno esse potest,[3] cum non nisi deducto ære alieno computetur[4]) sed quia institutio ex re certa pro legato habetur,[5] & ex testamenti verbis vtramque dictionem eodem sensu à testatore vsurpatam constabat.[6] Nec admissa est sententia existimantium diuersam hac parte rationem constituendam esse filij & extranei, quasi filius ex certa re pro legitima institutus non legatarij loco, vt extraneus, sed heredis iure censeri debeat, vtpote qui in legitima necessario fuerit instituendus.[7] Nam quod dicimus, filius in legitima, aut in ea re, quæ pro legitima relinquitur, institui oportere, non facit filium vlla ex parte heredem,[9] sed tantum vt pleniore honore legatum consequatur, Est enim longe honorabilior titulus institutionis.[10] Cæterum vel in vno nummo legis satisfactum esse sufficit, filiumque institutum, vt reliqua legitima tota legati iure illi relinqui possit.[11] Proinde non potest institutio facere, quo minus pro legatario habeatur,[12] alioqui dicendum esset, cogi eum respondere creditoribus,[13] quo admisso in eius odium retorqueretur, quod fauore ipsius esset constitutum.[14] *Ita tractatum est* 12. Cal. Iulij, 1591. lunge SC. 5. sup. de hered. instit.

1 Qui mos fluxit ex imperitia Notariorum nescientium quid scribant, vt loquitur Bald. *in d. l. quoties* 13 *C. de hered. instit.* cum diuersi sint tituli & diuersa iura institutionis & legatorum.

2 Est enim speciale in legitima, quæ debetur adrogato in bonis adrogatoris, vt dicatur, æs alienum patris, *l. Papinianus* 8. *si quis impuber. de inoff. testam., l. si adrogator* 22 *D. de adopt.*

3 *L. 1.* § *si impubere, D. de collat. bonor. l. cum quartus* 61. *C. de inoff. testam.*

4 *d. l. Papinianus.* §. *quarta autem, D. de inoff. testam.*

5 *d. l. quoties* 13. *C. de hered. instit.*

6 Vna enim pars testamenti per aliam declaratur, *vulg. l. qui filiabus, de leg.* 1. quamuis in dubio facienda sit restrictio, vt censeatur quis quam minimum fieri potest grauatus, dummodo talis possit fieri interpretatio salua ratione recti sermonis. Paul. Castr. *in l. Titia cum testamento*, 34. §. *Lucius Titius, num.* 2. *per ill. text. &* §. *quis inuita, de leg.* 2.

7 Roma. *cons.* 179. *post glos. in c. si pater testam. in* 6.

8 *Nouell.* 115. *vt cum de appell. cognosc.* §. *aliud quoque capitulum.*

9 Vnde est quod scripsi in priore parte *Hemithil. de error. pragma.* cuiusmodi testamenta non valere, quæ hodie sic fiunt, tanquam in quibus præteritus sit filius, tum quoque cum in legitima fuit instituendus.

10 *L. filium* 5. §. *sed etsi portio de legat. præst.*

11 Bald. *ad Auth. nouissima, in princ. C. de inoffic. testam.* & post eum cæteri *ibid.*

12 Hoc enim est quod ait Bart. *ad d. l. ex facto* 31. *num.* 3. *D. de hered. instit.* quod ad rem ipsam pertinet, institutionem ex re certa semper sapere naturam legati, at non semper quod ad ius & personam filij ex re certa instituti.

13 Tanquam heredem, *l. 1. C. si cert. pet. l. vlt. C. de hered act. l. 1. & 2. C. si ex plurib. hered. debit.*

14 *Contra l. quod fauore* 6. *Cod. de legib. & l. nulla* 25. *D. eod. l. penult. C. ad SC. Trebel.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO VIII.

Qui tenetur soluere legitimam in pecunia relictam, debet eandem soluere in corporibus bonorum.

QVid ergo si filiæ ex re certa institutæ patris voluntate neglecta mallent legitimam petere i corporibus bonorum? Jd enim eis vtique licet. [1] An legatarius, qui legatorum partem tertiam soluere iussus est, legati sui, quod in fundis accepit, diminutionē pati cogendus erit? Dubitationem facit, quod ita ius comparatum est, vt, siue quantitas, siue corpora petantur pro legitima, prius conueniendus sit heres quam legatarij, [2] tametsi legitima per legata non minuatur. [3] Sed tamen verius est, & voluntati testantis conuenientius, vt, qui tertiam partem pecuniæ pro legitima relictæ præstare debuit, tertiam quoque partem de suo legato præstet corporum, quæ pro legitima relictæ præstare debuit, tertiam quoq; partem de suo legato præstet corporum, quæ pro legitima debentur, * vt subrogatum induat naturam eius, in cuius locum subrogatum est. [5] Nec sane potest negari, quin is, qui & legatorum, & æris alieni, & sumptuum funeris partem tertiā inferre iussus est, omnium onerum hereditariorum partem tertiam præstare iussus videatur, [6] nimirum ad concurrentem vsque legati quantitatem, [7] in quorum numero legitimam liberorum portionem contineri certum est, siue in pecunia soluatur, siue in corporibus. [8] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quia debetur legitima in corporibus bonorum, non in pecunia, *l. scimus* 30. *vers. repletionem.* vbi DD *Cod. de inoffic. testam.*

2 Boer. *quæst.* 145. *num* 12. & 3. Guid. Pap. *quæst.* 82. *in fin.*

3 *L. Papinianus* 8. § *quarta autem, D. de inoffic. testam.*

4 *Arg. l. cum ab vno* 53. vbi est text. elegans *de legat.* 2.

5 *Vulg. l. si eum* 10. §. *qui iniuriarum, D. si quis caution. cum similib.*

6 Quoniam his tribus vniuersa onera hereditaria concludantur, *dict.* § *quarta autem, l. hereditariorum* 40. *de oblig. & action.*

7 *d. l. cum ab vno.*

8 Cum sit portio debita ex bonis defuncti, quamuis eius præstandæ obligatio incipiat ab herede, sicut & legatorum, *d. l. hereditariarum*, iunct. *l. hereditariarum* 7. *D. de reb. auctor. iud. possid.*

DEFINITIO IX.

Suorum appellatione in testamentis an transuersales quoque contineantur, & ad quem vsque gradum?

PAter institutis communibus liberis, si ij postea sine liberis morerentur, substituerat vxorem & *suos* pro parte hereditatis, & ex agnatis quosdam pro alia parte, his similiter verbis additis, *& les leurs.* Mater prædecesserat superstite fratre, itemque fratrum prænomtuorum liberis: quærebatur, an ex iis verbis, *& suos*, fratres fratrumque liberi aut simul, aut ex ordine ad fideicommissum vocati viderentur? Placebat quibusdam videri, propterea quod etiam in testamentis appellatione *suorum* transuersales quoque contineantur, [1] idem adquartum vsque gradum, si descendentes nulli sint, inspecta scilicet loquendi consuetudine potius, quam verborum proprietate. [2] Quæ interpretatio eo probabilior in proposito videbatur, quod testator communibus liberis instituris, qui soli erant ex matris substitutæ descendentibus, non poterat videri de iisdē sensisse substituendo matri, quam ipsis ex contrario substituerat, si illi ante matrem morerentur. [3] Contra dicebatur, *suorum* appellatione non alios propriè significari, quam qui sint in potestate, [4] nec nisi in matre & auia benigne receptum esse, vt quia liberos in potestate non habent, [5] liberi & nepotes, cæteriq; earū descendentes demonstrati videantur, [6] præterquam si dictio illa, *suos*, posit sit adiectiue, vt puta si quem testator instituerit aut substituerit, *& suos heredes* Quo casu licet nō desint, qui putēt adhuc, de solis descendentibus ea verba intelligi debere, adeoque idem dicendū esse, si heredum dum taxat mentio facta sit: [7] verius tamen est, quoscunque heredes etiam extraneos intelligi vocatos, [8] non item descendentes, nisi sint præterea heredes, [9] nihilque hac parte differre testamentum à contractu, quamuis differat, si *suorum* nomen simpliciter scriptum fuerit, vt in superioribus diximus. [10] Accedebat in proposita facti specie coniectura voluntatis, vt *suorum* appellatione de solis descendentibus sensisse testator videretur, quod in alia testamenti parte substitutis pro bonorum parte agnatis & *suis* id ipsum testator subinde sic declarauerat, vt, quasi essent illa Synonyma, pro *suis* reponeret *eorum liberis*. [11] Nec mouebat, quod suis ipsis descendentibus substituta mater videbatur. Eius si quidem ętatis proponebatur, quod obseruatione dignum erat, vt ex alio marito liberos habere posset; [12] alioqui sane difficile esset dicere, quis eorum verborum, *& suos*, vsus esse deberet, si ad mulieris tā ætatem non accommodaretur. [13] Nemo autem negauerit, eam accipiendam interpretationem, quæ faciat, vt verba aliquid operentur, siue de contractu agatur, siue de vltima voluntate. [14] Neque obiicere matris fratrumve filij poterant, non esse ver simile, testatorem de iis liberis sensisse, quos vxor se mortuo ex alio marito suscepisset, [15] cum non minus essent illi ipsi extranei testatori, quam liberi, quos viuo eo ex alio viro quæsisset; si que ea interpretatio fauorabilior liberis testatoris, vt tanto minus grauati videantur, [16] siquidem facilius euenire poterat, quod & euenerat, vt mater sine liberis ex alio matrimonio susceptis, quā vt sine agnatis cognatisve moreretur. [17] Vnde fiebat, vt fideicommissario nullo superstite fideicommissi onus intercideret, quod liberis communibus fuerat iniunctum. [18] *Ita ex tempore tractatum*, nihildum tamen decisum est in causa N. Milex & N. Morard. Jdib. Mart. 1594.

1 Ita enim plerisque locis respondit Iaſ. maxime *consil.* 197.

2 Nam secunda substitutio præsupponit primam. Non potuerunt ergo in secunda substitui illi, quibus ipsis in casum mortis per primam substitutum fuit.

3 *L. in suis* 11. *de liber. & posthum. l. scripto* 7. *ff. vnd. liber.* Bart *cons.* 52 Dec. *cons.* 217. 248. & 253.

4 *L. illud* 4. §. *ad testamenta, de bonor. possess. contr. tabul. l. mulierem* 3. *C de adopt.*

5 Vt pluribus tractat Guid. Pap. *quæst.* 306. & 457.

6 *Arg. l. ex facto* 17. § *vlt. ad SC. Treb.* si eo loco pro *alieno* legas *absque* quomodo legendum esse docuimus *lib.* 7. *Coniect. cap.* 5.

7 Ac si scriptum esset, quomodo ex Grammaticæ regulis scribi oporteret, *& ipsius heredes.*

8 Quia licet de descendentibus testator senserit, non tamen sensit de iis tanquam descendentibus, sed tanquam de heredibus, *arg. l. tale pactum* 40. §. *vlt. D. de pact.*

9 *Defin.* 3. *supr.* vbi vide.

10 Vna enim testamenti pars per aliam declaratur, *vulg. l. qui filiabus* 17. *de leg.* 1. *l. quæsitum* 12 § *Papinianus autem antepenult. de instruct. & instrum. legat. l. virum* 23. *de petit. hered.*

11 Post mortem scilicet prioris mariti. De quibus liberis nihil erat maritum cogitasse, *arg. à contrario sensu, l. cum vir vxori de cond. & demonstr.*

12 Vt diximus *num.* 2. 5.

13 *Vulg. l. si quando* 109 *de legat.* 1. Et hæc est iuris illa dispositio, quam solet Craucta nobilissimam dicere.

14 Ex not. *in d. l. cum vir.*

15 Quæ præsumptio facile capienda est in fauorem filiorum eorundemque heredum, *l. Titia cum testamento* 34. §. *qui inuita, & §. Lucius, de leg.* 2.

16 Quæ ratio est *d. l. ex facto* 17. §. *vlt. ad SC. Treb.* iuxta nostram emendationem supra relatam *n.* 6.

17 *L. Statius Florus* 48. §. *Cornelio Felici. ff. de iur. fisc.*

BIU Cujas

DEFINITIO X.

Vocati sub nomine collectiuo an habeant ius repræsentationis?

ALia fuit quæstio, an si ex iuris ratione, aliquave voluntatis coniectura *suorum* appellatio ad trãsuersales extendi posset, fratres superstites, fratrumque præmortuorum liberi simul vocati intelligerentur, an verò nullus fratrum filiis locus esset superstite fratre tanquam proximiore? [1] Judex enim, à quo fuerat prouocatum, omnes simul ad fideicommissi petitionem admiserat, neque tamen superstes frater de iudicati iniquitate conquerebatur. Putabam, cum fideicommissum conditionale fuisset, neque transmissioni locum esse potuisse,[2] neque repræsentationi,[3] ex vulgaribus iuris regulis. Proinde solum fratrem, qui superfuisset, admitti debuisse exclusis fratrum filiis. Etsi enim sunt, qui putent, repræsentationi locum esse etiam in fideicommissis, si sub nomine collectiuo relicta sint; frequentior tamen Interprerum schola contrariam magis probat opinionem. [4] Sed tamen in proposito deduxit me in diuersam sententiam, quod ius fideicõmissi vnitum erat cum iure legitimæ successionis, deque fideicommisso inter eos contendebatur, qui ex nouella Iustiniani constitutione [5] simul erant ab intestato mulieri grauatæ successuri. Quo casu magis probatum est, nec sine ratione, vt in fideicommisso, quo sub nomine collectiuo relictum est, ius repræsentationis locum habere possit.[6] Accedebat, quod frater ipse superstes iudicato consenserat. Qua ratione tametsi alioquin solus admitti debuisset, ius tamen neporum ex fratribus confirmasse videbatur, [7] cum verbis collectiui, quo testator vsus fuerat, ratio pateretur, vt fratrum quoque filij viderentur inuitati,[8] Neque vero heredum quicquam interesse videbatur; [9] cum si fratrum filij excludendi essent, non eo minus totam hereditatem ex fideicommisso petere frater posset, quod ab initio non nisi partem petiisset & obtinuisset. [10] *Ita tractatum*, sed nihildum decisum est in eadem causa.

1 Quæstio in eo erat, an in hac specie locus esset repræsentationi.

2 Quia fideicommissum conditionale nunquam transmittitur, siue sit vniuersale, siue singulare, nisi dies eius cesserit vno fideicommissario, *l. si in personam* 21. *C. de fideicomm. l. vlt. C. quand. dies legat. ced.*

3 Nemo enim ad fideicommissum admittitur, nisi qui ipse fuerit vocatus, *l. 1. l. Lucius* 78 §. *tres heredes*, iunct. *l. heredes mei* 57 §. *cum ita & ibi not. ad SC. Trebell.*

4 *Ex l. omnia* 32. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommisso de leg. 2*

5 *Nouell.* 118. *de hered. ab intest. venient.* vnde sumpta est *Auth. cessante, C. de legit. hered.*

6 Sic enim Castrens. & post eum vulgo cæteri *ad l. vlt. C. hoc tit.*

7 *Arg. l. filio præterito* 17. *de iniust. rupt. l. penult. C. de pact.*

8 Tanquam sub nomine illo collectiuo comprehenderentur, *d. §. in fideicommisso, & d. l. vlt.*

9 Nemo autem auditur siue agendo, siue excipiendo, sine interesse, *l. 3. §. 1. de verb. oblig. l. ille à quo* 1. §. *si de testamento.* & ibi Alex. *ad SC. Trebell.*

10 Non enim condemnatur, qui partem tantum obtinet, quam solam petiit. Nec rursus sententia, quæ fratrum filios repellit, consequenter adiudicat reo portiones, quas illi petebant *l. si inter me* 15. *in fin. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO XI.

Reditus fundiarij bonorum immobilium appellatione continentur, non etiam cæteri non fundiarij.

REditus fundiarij & census annui, licet per actionem petantur, bonorum tamen immobilium potius quam iurium & actionum appellatione continentur, quoniam debentur iure dominij directi, [1] adeo vt ob moram in iis soluendis contractam liceat directo domino fundos ipsos vindicare, & dominij vtilis cum directo, vt loquuntur, petere consolidationem. [2] Itaque quamuis in obligatione aut venditione, aut donatione bonorum omnium mobilium & immobilium iura & actiones non comprehendantur, etiamsi adiectum sit *quorumcunque*, [3] reditus tamen isti fundiarij, quos Galli vocant *rentes foncieres*, continebũtur. [4] Aliud ergo erit in reditibus non fundiariis, vulgo appellant *rentes volantes*. Iura enim sunt & actiones, [5] licet fundi quoque ipsi eo nomine sint obligati. Nam & hypothecæ persecutio tota in iure & actione consistit, [6] tametsi obligata sint corpora, nec cum dominij causa quicquam commune habet.[7] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio in causa fratrum Michal, 7. Cal. Iul. 1594.

1 *L. 1. & vlt cum ibi not. C. de iur. emphyt.*

2 *d. l. vlt.*

3 Quia scilicet iura & actiones constituunt tertiam speciem bonorum à bonis mobilibus & immobilibus differentem, *l. quam Tuberonis* 7. § *in peculio & ibi not. de pecul. l. à Diuo Pio* 15. §. *in venditione. D. de re iudic.*

4 Nam & interdum iura & actiones censentur appellatione bonorum immobilium hoc ipso, quod dantur ad rem immobilem. Bart *ad l. si sic legatum* 75. §. *vlt de leg. 1.*

5 *L. vlt. §. 1. de contrah. empt.*

6 *L pignoris* 18 *C. de pignor. l. pignoris* 17. *D. eod.*

7 *L. 1. §. cum prædium, D. eod tit. de pignor.* [Sed hanc postremam Definitionis partem intellige de reditibus illis non fundiariis ad certum duntaxat tempus constitutis, quia ex causa temporali nunquam transfertur dominium *l. 1. D. de iur. dot.* Cæterùm si de reditibus illis tractemus, qui certo pretio emuntur & constituuntur & redimibiles quidem perpetuò sunt, sed tamen in perpetuum empti, ne alioqui fiat vsuraria pactio, Galli vocant *rentes constituees à prix d'argent*, magis est vt bonorum immobilium appellatione contineantur. Quamuis enim consistant in pecunia, tamen emuntur non tam vt pecunia, quæ quatenus talis videtur esse quodammodo incorporalis, *l. 6 de condict. indeb.* quàm quasi solidum quoddam corpus & permanens certoque precio æstimatum. Clement. *Exiui de paradiso § cumque annui reditus.* vbi omnes notant *de verbor. signific.* Et ita Senatus noster in causa Nicolai Toynet & Ioan. Franciſci Antoinet, 22. Maij 1603. Sanè si qua huiusmodi reditnum reliqua pro tempore præterito debeantur ea constat neque mobilium neque immobilium bonorum, sed iurium duntaxat appellatione contineri. Pragmatici nostri vocant *arrerages*. ipsam vero pensionem annuam in futurum perpetuò soluendam *le fonds*, quasi fundum. *Ita enim Senatus* in eadem causa. Vide Anton. Gabriel. *lib. 6. commun opin. concl. 8. de verb. signif.* Fix *l. iubemus* vbi Bald. *in princ. C. de sacro sanct. eccles.* & in Auth. *de non alien. reb. eccles. §. 1.* Tiraq. *de retract. gentil. § 1. glos. 6. num. 3 & seq. l. vlt. §. præterea. C. de iur. dot.* Cyn. *ad. l. ad edictale § hus illud, C. de secund. nupt.* Chassan. *in consuet. Burgund.* Guid. Pap. *sing. 296.* Auth. *vt hi qui oblig. se habet. permit. §. si verò habeant reditus.* vbi gloss. in verb. *reditus.*]

DEFINITIO XII.

Legatis simpliciter nummis aureis, quales & cuius æstimationis aurei debeantur?

NVmmis quidem simpliciter legatis exiguiores legati videntur, [1] vt ea sumatur interpretatio, quæ fauorabilior est heredi, [2] licet dici soleat, accipienda plerunque verba in potentiore & digniore significatione. [3] Sed tamen si ex aliis testamenti clausulis appareat, de maioribus sensisse testatorem, ea potius accipienda erit interpretatio, quæ voluntati conuenientior videatur. [4] Finge testatorem, qui legauit tibi centum aureos, eodem testamento alteri legasse quingentos florenos. Aurei quidem æstimatio exiguior illa est quinque florenorum. Et apud nos vulgari sermone [5] aureum nummum qui dicit, quinque florenos monetæ nostræ intelligit, licet aureus nummus reuera nullus sit huius æstimationis.

Sed tamen

BIU Cujas

Sed tamen in proposito aliam interpretationem capiendam esse ex eo apparet, quod idem testator, cum subinde quingentos florenos legare voluit, non aureos centum legauit, sed florenos quingentos. Non ergo aurei appellatione de quinque florenis sensisse videri potest.[6] Idem multo magis dicendum placuit, cum legatum in hæc verba scriptum esset: *Lego Titio centum aureos pro conficiendo vase aureo.* Etsi enim æstimatis quoque in quinos florenos singulis aureis facile fieri potest, vt ex ea quantitate quingentorum florenorum redigantur aurei, ex quibus postmodum corpus aureum confletur;[7] credibilius tamen est, testatorem de iis aureis sensisse, ex quibus tale quid aureum conficeretur, quod ipsum esset centum aureorum.[8] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Domina D'hostel, contra N. de Marcosey, 15. Cal. April. 1595.

1 *L. si ita 14. in fin l. cum seruus 39. §. scio, de lega. 1. l. nummos 75. de leg. 3. semper in obscuris 9. de reg. iur.*
2 *L. Sempronius 47. de leg. 2.*
3 *c. si pater, de testam. in 6. cum vulgar.*
4 Cum vna pars testamenti recipiat ex alia interpretationem, *l. qui filiabus 17. in princ. de leg. 1. l. quæsitum 12. §. Papinianus autem, de instruct. & instr. legat.*
5 Secus enim est, si in sententia fiat mentio scutorum, vt loquimur, multo magis si adiectum sit aureorum, quia nec aurei quinque florenorum appellantur simpliciter aurei, sed cum hac adiectione, *aurei camerales.*
6 Nec enim testator diuersis nominibus eandem rem expressisset, *l. si idem 7. C. de codicill.*
7 Nam æstimatio rerum omnium, quæ mercis numero habentur, in pecunia numerata fieri potest, *l. si ita fideiussorem 42. ff. de fideiuss.*
8 Alioqui vas illud aureum non tam ex centum aureis legatis, quam ex negotiatione conficeretur, *argum. l. venditor 21. de hæred. vel action. vendit. l. quæsitum 78. §. illud fortasse, de leg. 3.*

DEFINITIO XIII.

Quantum intersit inter electionem & votum?

LOnge alia electionis, alia voti significatio est.[1] Electionem nostri dicunt certæ personæ ad prælationem vel fraternam societatem legitime factam vocationem:[2] votum vero animi deliberationem cum beneplacito determinantem se ad aliquid, vt loquuntur.[3] Interdum tamen his verbis promiscue vtimur, siue de ecclesiasticis, siue de profanis rebus agatur, etsi prudentibus nostris familiarius est, vt votum pro desiderio dicant.[4] *Sine die.*

1 Boer. *quæst. 1. num. 1. & 2.*
2 Glos. *in c. vnic. in verb. vera de postul. prælat. in 6.*
3 Bald. *in c. quia propter, col. 5. in princ. de elect.*
4 *L. nam etsi 15. ff. de inoff. test. l. mulier 22. §. cum proponeretur ad SC. Treb.*

DEFINITIO XIV.

Non facit, qui vult facere.

NOn eligit, qui dicit, se velle eligere,[1] quia infinitus modus nullam habet determinationem:[2] idemque in cæteris causis iuris est, vt qui dicit, se velle vendere, vel donare, vel testari, aut quid aliud simile facere, non ob id vendidisse aut donasse, aut testatus fuisse videatur.[3] *Sine die.*

1 Boer. *d. quæst. 1. n. 2.*
2 *L. serui electione 6. de leg. 1.*
3 Bart. *in l. vltim. d. cond. caus. dat. l. ex scriptura 29. qui test. facer. poss.*

DEFINITIO XV.

Voluntas concepta nihil potest, sed prolata potest interdum plus quam scripta.

CVm voluntatis triplex differentia sit:[1] quædam enim concepta dumtaxat, alia prolata, quam & enixam possis dicere,[2] tertia scripta; primæ quidem ratio haberi nulla potest,[3] ne in iis quidem causis, quæ nuda voluntate nudoque consensu perficiuntur;[4] sed tamen secundæ causa potior esse solet, quoties nihil impedit, quo minus plus dictum minus scriptum esse videatur.[5] Quamquam non facile credendus quisquam est dixisse, quod non scripserit, sicut nec voluisse, quod non dixerit.[6] *Sine die.*

1 Boer. *d. qu. 1. n. 8.* post Bald. *in tract. De schismate, ad tit. si quis aliq. test. prohib.*
2 *L. cum pater, 77. § filius matrem, de leg. 2.*
3 *L. Labeo, 7. de supell. legat.*
4 Boer. *ibid. num 10. ex l. 2. §. conuentiones de pact. l. fideicommissa, 11. §. 1. de leg 3. l. si quis cum testamentum, 25. qui test. fac. poss.* Not. *in l. 1. C. fam. ercisc.*
5 *Vt in d. § filius matrem, & l. vnum ex familia, 67. §. si omissa, eod. l. cum auus, 102. de cond. & demonstr.*
6 *L. liberis, §. pen de ann. leg. l. 1. §. loquitur, de magistr. conuen.* Bald. *in l. voluntas, C. de fideic.* Boer. *qu. 1. n. 34.*

DEFINITIO XVI.

A propria verborum significatione interdum receditur, vt actus sustineatur.

NOn est nouum, vt à propria verborum significatione recedatur ad tuendum actum, qui alioquin non valeret.[1] Nam & quod magis mirum est ob eam ipsam causam fit aliquando, vt verba quoque solemnia dicta fingantur, quæ reuera numquam dicta fuerunt.[2]

1 *Lege pater Seuerinum, 101. § conditionem, de condict. & demonstr.*
2 *L. manumisso, 13. de manum. vind.*

DEFINITIO XVII.

Ciuis quis dicatur?

CVm de statuti vel consuetudinis interpretatione agitur, quæ stricta semper fieri debet,[1] non alius appellatione ciuis comprehenditur, quam qui originarius est, id est, in eo ipso loco natus.[2] In ciuitate tamen natus intelligi debet is quoque, qui in vico aut suburbio ciuitatis natus est.[3] *Sine die.*

1 Defin. 1. *sup. de legib.*
2 Glos. *vlt. in l. 1. in fin. de tutor. & curat. dat. ab his,* quam sing. dicit Bald. *in auth. sed omnino, C. ne vxor. pro marit.* Boer. *qu. 13. n. 24.*
3 Boer. *ibid. num. 6.*

DEFINITIO XVIII.

De alienigenis & albinis.

ALienigenarum, quos & Albinos, quasi alibi natos, Galli vocant,[1] ea incapacitas est, vt nec ab intestato succedere possint, nec hæredem habere in ea prouincia, quæ huiusmodi iure vtitur,[2] nisi cum priuilegio ciuitatis à iure communi totius prouinciæ recessum est.[3] Sufficiet tamen paternæ originis ratio, ne quis albinus censeri possit, licet alibi natus ipse proponatur.[4] Nec huic necessaria erit impetratio literarum, quas naturalitatis aut ciuilitatis vocant,[5] vt eodem in omnibus iure censeatur, quo si in prouincia natus esset.[6] *Sine die.*

1 Boer. *qu. 13. n. 17.*
2 Idem Boer. *vbi 3. num. 18.*
3 Vt in iis locis Galliæ, de quibus apud eundem Boer. *vbi supr. n. 19.*
4 *Vide Defin. 4. infr. de numer. patr.*
5 Idem Boer. *vbi supr. n. 20.*
6 Hoc enim ius est eorum omnium, quæ ex priuilegio ci-

BIU Cujas

ues effecti sunt, & literas naturalitatis impetrarunt, Bartol. *l. si is qui pro emptore, quæst. 3. in princ. de vsucap. & in l. si maritus §. Iulia, de adult.* Vide *l. sed si accepto, de iur. fisc.* Boer. *vbi supr. n. 21.*

DEFINITIO XIX.

Antecessores maiores & inferiores qui dicantur?

MAiores aut antecessores cum dicimus eos intelligimus, qui sunt supra tritauum, parentes vero inferiores omnes à tritauo & tritauum ipsum.[1] *Sine die.*

1 *L. Iurisconsultus §. parentes, de gradibus consang. & affin. l. quicumque, § parentes, de in ius voc.* Boer. *qu. 13. n. 28. 29.*

DEFINITIO XX.

Natus in peregrinatione, itemque expositus ad publicum hospitale, cuius originis & loci ciuis sit.

NOn bene à nonnullis peregrinatio captiuitati cõparatur, necis, qui in peregrinatione conceptus & natus fuit, ei, qui in captiuitate, cum is qui peregrinatur habet animum reuertendi, ideoque nec ciuitatem amittat, libertatem vero multo minus, nec proinde indiget postliminio,[2] quæ omnia in eo, qui ab hostibus captus est, diuersa sunt.[3] Cui consequens est, vt paternæ originis domicilium & ius sequatur is, quem in peregrinatione nasci contigit.[4] Longeque alia ratio est infantis ad publicum hospitale expositi, cuius parentes ignorantur. Is enim ciuis eius loci est, in quo expositus reperitur,[5] quia nihil aliud est, quod melius & commodius dici possit. *Sine die.*

1 Contrà Bald. *in cap. 2. de conuers. infid.* quem refert & probat Boer. *qu. 13. n. 40.*
2 *L. postliminij 5. in fin. ff. de capt. & postlim.*
3 *d. l. 3. l. in bello 12. & pass. eod tit.*
4 Boer. *vbi supra num. 42.*
5 Bart. *in l. 1. in fin ff. ad municip.* Boer. *vbi § n 41.*

DEFINITIO XXI.

De differentia oblatorum monasterio, & conuersorum.

QVi monasterio oblati dicuntur in eo differunt ab aliis, quos conuersos appellant, quod oblati illi sunt, qui non mutata veste se & sua dicant monasterio,[1] conuersi vero qui mutata veste religionem professi sunt, nec in alio distant à monachis, nisi quod clerici non sunt.[2] *Sine die.*

1 De quibus text. & DD. *in capit. consulti sumus, de reg. & can. qui bona, 17. qu. 1.*
2 Boer. *quæst. 20. num. 5. & 6.* vbi addit aliquando fieri, vt quis offerat bona sua sine se, aliquando se sine suis, aliquando se & sua.

DEFINITIO XXII.

Debitorum omnium, quæ maritus mortis tempore reliquerit, appellatione an dos, quæ mulieri, aut eius hæredibus restituenda est, contineatur?

QVidam hæredibus scripta fratre, & ex sorore præmortua nepote, huic bona quædam prælegauerat, sed ea lege subiectoque onere, vt legata omnia solueret, itemque quicquid à testatore mortis suæ tempore deberetur. Quærebatur an dos, quæ soluto matrimonio mulieri restituenda erat, in eo debitorum numero contineretur, vt ad solius nepotis onus ex lege prælegato dicta pertineret? Primus iudex pronunciauerat pertinere, qui ex appellatione cognouerat, contra. Cum ex secunda appellatione in auditorio Senatus res tractaretur, quidam putabant siue iuris rationem inspicerentur siue vulgarem loquendi rationem, pro nepote pronunciandum esse. Nam cum testator ea debita expressim demonstrasset, quæ mortis suæ tempore forent, id sane tempus designauerat, quo viueret, & matrimonium adhuc constaret. Instans enim illud mortis, vitæ non morti computandum esse certum est,[1] quia nec mortuus quisquam moritur, sed viuus. Nemo autem dixerit, maritum quamdiu viuit, & constat matrimonium, debitorem dotis esse, siquidem eo animo dos mariro datur, & eo voto, vt perpetuo sit penes eum,[2] alioqui nec dominium dotis in maritum transferri posset, si transferenda causa temporalis tantum esset, non perpetua.[3] Quam ob causam ita ius olim comparatum erat, vt si mulier prior decederet etiam superstitibus liberis, dos tamen penes virum remaneret,[4] nisi in dote danda aliud conuenisset,[5] vnde illud induci etiam necesse fuit Iustiniani constitutione,[6] vt tacita stipulatio de dote restituenda semper interessisse fingeretur.[7] Post quam constitutionem, etsi verum est, etiam constante matrimonio aliquando,[8] & eo soluto omnimodo futurum, vt dos restituenda sit,[9] non ideo tamen maritus, quamdiu constat matrimonium, absolute dotis debitor dici potest, qui ex contrario interea pure & absolute dominus est.[10] Quid enim, si mulier præmoriatur, herede, vt plerumque fit, relicto viro? Nullum sane instans vnquam fuerit, quo dici possit maritum dotis debitorem fuisse.[11] Idemque fere tractari potest, si mulier superstitibus liberis ante virum decesserit. Etsi enim liberi hæredes sunt mattis,[12] non tamen iis dotem restituere pater cogitur, quippe cuius vsumfructum habeat, vi & bonorum omnium maternorum, quamdiu viuit.[13] Sed & tritum est eum, qui non, nisi sub conditione, & in diem incertum debitor est minus proprie debitorem dici, quandoquidem obligationis substantia ex dandi potissimum necessitate æstimatur, debitorque is proprie dicitur, à quo inuito exigi potest.[14] Nec quod plerisque iuris locis debitor impropriè appellatur,[15] aliam causam habet, quam quod facere non possit ne debeat existente quandoque conditione.[16] Cæterum nihil vere deberi creditori conditionali ex eo apparet, quod mitti potest in possessionem bonorum debitoris ex edicto Prætoris, qui succursum est creditoribus, quamuis legatarius conditionalis mittatur, quia huic etiam pendente conditione aliquid debetur:[17] Creditori vero ne cautio quidem debetur.[18] Sed neque inspecta vulgari ratione loquendi debitorem dicere solemus maritum, qui ab vxore dotem acceperit, nec dotem in ære alieno computamus.[19] Proinde ex testamenti verbis potiore iure niti nepos videbatur. Quæ verborum proprietas vsque adeo spectanda est, vt aliquando etiam voluntati præferatur.[20] Eoque magis in proposito id admittendum videbatur, quod nepotem ex sorore prædilexisse testator videbatur, qui ei prælegauerat, tametsi eum oneraſſet. Cur enim prælegasset, si onerare tantum, non etiam ipsi fauere voluisset.[21] Denique sæpius responsum est ab interpretibus sub appellatione creditorum etiam in legato non contineri[22] quod non nisi in diem debetur, aut sub conditione.[23] Senatus tamen noster frequentioribus votis in eam partem inclinabat, vt in proposita specie ex voluntate testatoris dos quoque contineretur.[24] Putauit tandem dignam esse rem, de qua amplius deliberaretur in causa Jacobi Excoffier & Henrici Villar, 6. Februar. 1596.

1 *L. qui duos, 12. §. 1. ff. de testam. manumiss. l. vltim. ff. de condict. insiti.*

2 *L. 1. D. de*

BIU Cujas

2 *L.1.ff.de iur.dot.*

3 Nec enim dominium transfertur ex causa temporali, vt ad eum locum Cuiacius notat. Doris porro dominium in maritum transferri certum est, *l.quamuis,75.ff.eod.tit. de iur. dot. l.doce,9.C.de rei vindic.*

4 Scilicet si dos esset aduentitia. Nam profectitia ad patrem reuertebatur, quanquam hoc ipsum non tam iuris, quam miserationis ratione, *l.iure succursum,6.D.de iur.dot.* De quo scripsi variis in locis Coniecturarum.

5 Scilicet de recipienda dote, quæ dos ideo receptitia dicebatur, vt refert Vlp. *in fragmentis, Tit. De dotib.*

6 *In l.vnic.C.de rei vxor. act.*

7 Nisi extraneus stipuletur sibi vel suis dotem reddi. Hoc enim Iustinianus excepit *in l.dict.l.vnic.* §. *accedit.* Ne scilicet extranei à constituendis dotibus reuocarentur, *l. vlt. Cod. de iur.dot.*

8 Iis scilicet casibus, de quibus nostri tractant, *ad l. vnic. Cod.si dos const.matrim.solut. sit, & ad l. quamuis,20.ff. solut. matrim.*

9 *Tot.tit.solut.matr.C.& D.*

10 *d.l.doce 9.C.de rei vindic.d.l.quamuis,75.D.de iur.dot. l.1.ff.de fund.dot.l.quadam,62.de acquir.rer.dom.*§ 1. *Inst.quib. alien.licet vel non,l.si constante,24 si maritus.D.sol.matr.* Quãquam non sunt ista pugnantia, vt quis eiusdem rei & dominus & debitor sit. Nam debitores semper domini sunt eorum quę debent. *l.1.in princ.ff.de liberat.legat.*

11 Nec enim potuit mortua vxore fieri debitor sui ipsius, *l.debitori,7.C.de pact.l.debitori,50 ff.de fideiuss.l.Stichum,95.*§. *adtio ff.de solut.*

12 Quamuis sint illi in patris potestate, *l. sacratissimi, 9. D.ad SC.Tertyll. & Nouell.118. De de hæred.ab intest.venient. cap.1.*

13 *L.sub conditione,16.ff.de condict.indeb.l.quod in diem,7. ff.de compensat.l.stipulatio ista,38.*§. *inter.de verb. obligat.l.qui promisit,48.de condict.indeb.*

14 *Vt in l.is cui,42.ff.de oblig.& action.l.creditores,* 10. *& seq.l.conditionales,54. & seqq.ff.de verb.sign.*

15 *L.qui balneum, 9.ff.qui potior.in pign.hab.*

16 *L.pen.in fin.ff. quibus ex caus.in poss.eat.* Etsi pugnare videtur quod scriptum est *in l.in possessionem,6.eod.* De quorum locorum conciliatione videnda sunt quæ scripsimus in libris Coniecturarum.

17 Nimirum cautio ex alia parte edicti, *vt legat.seu fideicom.nom.caueat.d.l.pen.*§.1. *quibus ex caus.in poss.eat.*

18 Quia imputari potest creditori qui contraxit, cur non sibi melius & diligentius prospexerit contrahendo, *l.3.D.de separat.*

19 Nisi cum maritus dotem alicui stipulanti promisit, *vt in l.qua dotis,33.D.solut matr.l.vlt.*§. *filia,de legat.2.*

20 *L.ille aut ille,25* §.1. *l.non aliter,69.de leg.3.l.si alij,19.ff. de vsuf.legat.*

21 Sic dicimus hæredem etiam à quo legatum est fauorabiliorem esse legatario, quamuis sit oneratus, *l.Sempronius,47. de leg.2.l.Titia testamento,34.*§ *qui inuita,de leg.2.*

22 Quod tamen largiorem solet recipere interpretationem, *l.in testamentis,12.de reg.iur.*

23 *L.Paul.Callinico,27.*§. *Pompeius.* & ibi Bart.& post eum exteri, *de leg.3.*

24 Nam nec nouum est, vt hæreditarium æs alienum existiment, etiam de quo agi non potuit cum defuncto, *l.hæreditarium,7.D.de rebus auctor.iud.possid.l. hæreditariarum,40.D. de oblig.& action.*

DEFINITIO XXIII.

In iudiciis fit interpretatio pro eo, qui ambigua intentione vsus est. In contractibus vero contra eum qui potuit apertius loqui.

CVm quis ambigua intentione vsus est, separanda sunt iudicia à contractibus. In iudiciis sequimur mentem eius qui ambiguam orationem protulit.[1] In contractibus contra fit interpretatio in odium illius, qui potuit legem apertius dicere.[2] *Ita Senatus* in causa Antonij Chardon & fratrum, contra Petrum Ludouicum de Lallee, 19. Matt. 1596.

1 *L.si quis intentione, 66.* vbi scripsi in Rationalibus, *D.de iudic.iunct.l.solemus,61.eod.tit.l.inter stipulantem,83.* §.1. *D.de verb.oblig.*

2 *Iuxta l.veteribus,39. D.de pact.l.Labeo scripsit,21. D. de contr.empt.*

[DEFINITIO XXIIII.

VIr quidam nobilis vxori suæ hæredi institutæ substituerat si ea sine liberis naturalibus & legitimis moreretur, ad finis sui filium masculum secundogenitum & secundogeniti liberos masculos secundum ordinem genituræ, ita vt qui primogenitus esset præferretur. Quòd si secundogenitum decedere contingeret sine masculis, ipsorum etiam masculos sine masculis substituerat nominatim cognatum suum Titium eiusque masculos naturales & legitimos: susceperat ad finis ex concubina filium naturalem & illegitimum, nec vnquam postea legitimatum. Deinde ex iustis nuptiis alium filium, qui iam ipso testamenti tempore natus erat. Alium præterea nullum. Cùm vxor posteà sine liberis decessisset, petebat pater bona omnia ex fideicommisso tanquam legitimus administrator filij sui naturalis, & legitimi. Et quidem eo colore quasi lius ille primogenitus etiam secundogenitus dici posset, cum alius secundogenitus nullus esset. Petitionem quidem illam fideicommissi præmaturam esse constabat, cùm eo tempore in eo statu esset pater, vt alium filium & legitimum & secundogenitum sperare posset.[1] Verùm eodem nullis aliis susceptis liberis postea defuncto, filium qui eandem litem suo nomine persequebatur visum est nihilo magis audiendum esse, quòd fieri nullo modo poterat, vt qui erat primogenitus, ob id solùm quod erat vnicus, etiam secundogenitus diceretur. Non enim ficut idem potest & primus esse & vltimus,[2] ita fieri queat & primus sit & secundus. Secundi enim appellatio dicit ordinem ad primum, non etiam Primi ad Secundum; aut vltimi ad Primum.[3] Neque voluntas testatoris refragari videbatur quasi affinis sui familiam, Titij vltimo loco substituti familiæ prætulisset.[4] Nam ex verbis ipsis testamenti apparebat non vniuersam affinis familiam cognato prælatam, sed eum solum qui in ea secundus nasceretur,[5] Quo deficiente non ad primogenitum redierat, sed Titium cognatum cæteris omnibus prætulerat.[6] Quare ad rem non pertinebat quod obiiciebatur in fideicommissis, vtcumque precaria voluntas quæreretur, coniecturam admitti posse,[7] cùm in tam aperta testatoris voluntate verbis clarissimis expressa nullus coniecturis locus relinqueretur.[8] *Ita Senatus* 7. Id. Matt. 1612. pro D. de Rochefort, contra D. de Romagnieu.

1 *Vt in l.Statius Florus 4.*[a] §. *Cornelio Felici, D. de iur fisc.*

2 *L.qui duos 9.de reb.dub.l.2.*§. *legitima D.de suis & legit.*

3 Quia vltimus est non quem alius præcedit, sed quem nemo sequitur *dict.legibus.*

4 *Arg.l.Publius 36.*§.1. *de condit.& demonstr.*

5 Habita scilicet affectione non tam ad personam quæ tũ erat incerta & incognita, quam ad gradum, vt secundi familiam augeret facultatibus, cùm sciret bona patris omnia ex antiquis familiæ testamentis & substitutionibus ad eum solum qui maior natu esset, peruentura. Is enim plerumque nobilium sic testantium animus est.

6 Vt primus qui per vocationem secundogeniti exclusus fuerat semper maneret exclusus.

7 *L.cùm proponebatur 64.de leg.2.*

8 *L.ille 23* §. 1. *de leg 3.*

DEFINITIO XIV.

ILla hæsitatio supererat, An actor qui tanquam Primus admitti non poterat admittendus esset ex ipsis etiam verbis tanquam secundus, cùm ab alio fratre, quamuis naturali tantùm & illegitimo anteueretur. Etsi enim probabile non erat de illegitimis quoque sensisse nobilem testatorem,[1] qui in cæteris omnibus testamenti partibus solos legitimos in con-

BIU Cujas

ditione & dispositione posuerat,[2] vt is solus per fideicommissum vocatus videretur, qui & secundus & legitimè natus esset. Nihil tamen vetabat ideo testatorem secundum vocasse non primum, quòd sciret illegitimum eum esse qui primus erat filius, legitimum verò illum qui secundus. Nec enim secundum ex legitimis substituerat, sed secundogenitum simpliciter,[3] quem etiam si legitimum dixisset, eadem nihilominus interpretatio retineri posset.[4] Verùm in contrarium mouebat ratio illa, quod secundum hanc sententiam dicendum esset, si duo filij legitimi ex eo patre suscepti fuissent fore vt qui ex iis secundogenitus esset, admitti tamen numquam posset, quasi tertio non secundo loco genitus, si naturalis & illegitimus pro primo computandus esset: quod tamen neque testamenti verbis neque testatoris voluntati conueniebat,[5] qui procul dubio ficuti de solo legitimo senserat, ita & de solo illo qui ex legitimis secundogenitus esset:[6] Accedebat, quod cùm testamenti tempore iam natus esset primus masculus legitimus, ob idque cognitus testatori, nullam tamen eius mentionem testator nominatim fecerat, facturus verisimiliter si de illo ipso vocando cogitasset.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cùm ex qualitate & dignitate patrisfamilias æstimandum sit de qualibus liberis senserit, & an etiam de naturalibus *l. ex facto* 17. § *si quis rogatus vbi* Gloss. Bartol. & alij *ff. ad SC. Treb.*

2 Nam ex aliis partibus testamenti aliæ declarantur, *vulg. l. qui filiab.* 14. *de leg.* 1. *l. quæsitum* 12. §. *antepen. de instruct. & instrum. legat.*

3 Sub nomine tamen filij quod est nomen non tantùm naturale, sed etiam ciuile, *l. filium* 6. *de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

4 Aliud enim est, secundum filium esse legitimum. Aliud verò filium legitimum esse secundum legitimorum.

5 Ergo admitti nullo modo poterat, *l. si ancillas* 63. *de leg.* 1.

6 Vt coniuncta coniunctim intelligatur non diuisim, nec fiat diuisio iuris & voluntatis, vt in *l. eum qui* 18. *in fin. ff. de his quæ vt indign.*

7 Qui enim cogniti sunt & prædilecti solent nominatim vocari *l. omnia* 32. *alias l. cum ita* §. *in fideicommisso de leg.* 2.]

TIT. XX.

SI OMISS. SIT CAVS. testament.

DEFINITIO I.

Qui possedit hereditatem pure ab intestato ignorans testamentum, potest adire postea ex testamento, adeoque cum beneficio inuentarij.

QVI hæredem se institutum ignorat, si tanquam ab intestato possideat hæreditatem, non prohibetur hæres esse ex testamento, siue pure, (neque enim successionem testamentariam repudiasse videri potest, quam ignorauit sibi competere[1]) siue cum beneficio legis & inuentarij, si id malit.[2] Nam quid si testamento legata multa relicta sint, quæ ab intestato nulla debuisset?[3] Non potest videri in fraudem edicti prætoris quicquam fecisse, ideoque nec legis beneficio indignus est;[4] sed ita tamen si intra legitima tempora à die quo testamenti notitiam habuit compuranda inuentarium facere cœperit & perfecerit.[5] At si sciens testamentum, hæredem se dicat ab intestato, nec statim imploret beneficium legis, vix est, vt id quandocumque postea imploranti illi debeat indulgeri, quasi fraudandi animum habuisse videatur, qui hæreditarias res per tam longum tempus retinuerit, ac pro arbitrio tractauerit.[6] Cauere namque debet, qui beneficium legis sibi saluum esse vult, vti ne quid attingat hæreditarium, priusquam inuentarium confectum sit.[7] Itaque si contra fecerit, statim conueniri ex edicto potest à creditoribus & legatariis,[8] licet in eo, qui nihil hæreditarium possidet, sola testamenti scientia, adeoque subsecuta ex testamento aditio beneficium inuentarij non excludat, quamdiu describendi eius facultatem tempora largiuntur. *Ita in Senatu* ex tempore tractatum pro vxore procuratoris Puppinel, contra N. Joannem de Fardel, 11. Calend. Septemb. 1593.

1 *L. mater decedens* 19 *D. de inoffic. testam. l. nec is* 17. § 1. *l. illud* 77. *ff. de acquir. hæred.*

2 Nemo enim beneficio legis priuandus est sine causa, *l. vlt. C. de iur. delib.*

3 Probabilis est hæc ignorantia & ideo digna, cui succurratur: nam quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio. *l. de ætate* 11. §. *ex causa, de interrog. in iur. faciend. l. si quis mihi* 25. §. *quid si mandauit ff. de acquir. hæred.*

4 Quo alioqui indignus esset is, qui contra legem ipsam committeret, *l. auxilium* 57. *in fin. ff. de minor.* Ne leges ludibrio esse videantur, *l. vlt. ante fin. C. de bon. quæ liber.*

5 Nam ex eo tempore incipit, posse ei imputari, si beneficium legis non imploraverit, cum tempus conficiendi inuentarij incipiat currere ab adita hæreditate.

6 Inducit enim ea res puram aditionem, quæ postea non potest admittere beneficium legis & inuentarij, nisi creditores & legatarij, quibus cœpit esse in solidum obligatus, deferant conditionem *l. cum hæreditate* 55. *de acquir. hæred.*

7 *L. duo fratres* 78. *in fin. eod. tit.* Nam & hæres pure fit, etiam qui nihil attingit hæreditarium, si modo quid attingat quasi hæreditarium, *lege si quis extraneus* 21. § 1. iunct. *l. cum bonis* 8 *eod. tit.*

8 *L. 1. & tot. tit. si quis omiss. caus. test. D. & C.*

[TIT. XXI.

DE HIS QVÆ POEN. nomin.

DEFINITIO I.

CONTINGIT aliquando vt hæreditatem vni datam testator pœnæ nomine adimat,[1] sed aliter atque aliter. Nam si sic adimat vt eam in alium non transferat, nullius momenti ademptio est propter iuris regulam quæ hæreditatem adimi posse negat.[2] Nisi præterea illud concurrat vt hæredem indignum testator dixerit, quo casu vadit hæreditas ad fiscum tanquam ablata indigno,[3] si non appareat in fauorem succedentium ab intestato ita dixisse testatorem;[4] quod in dubio non præsumetur,[5] si autem sic adimatur hæreditas, vt in alium transferatur, valet ademptio, ita demum si valeat etiam translatio.[6] Et quidem iure directo si collata sit ademptio in id tempus quo nondum acquisita sit hæreditas.[7] Alioqui necesse est vt flectatur ad fideicommissum, tum quoque cum facta est verbis directis,[8] quoniam fieri nequit vt desinat hæres esse qui semel fuit,[9] an autem collata sit ademptio in tempus iam acquisitæ vel nondum acquisitæ hæreditatis, ex modi & conditionis differentia dignoscendum est. Conditio enim semper præcedit acquisitionem quam & suspendit. Modus autem quia non suspendit sequi solet,[10] nisi appareat de contraria testatoris voluntate, quo casu conditio erit non modus.[11] Ideoque impleri debebit ante omnia,[12] nec sufficiet hoc casu satisdatio de modo

modo implendo, quæ aliàs vt necessaria ita sufficiens est.[11] Sed vel implenda erit præcisè conditio, si in faciendo consistat. Si vero in non faciendo implorandum erit auxilium cautionis Mucianæ,[12] dum talis conditio sit quæ non alterius quàm cui iniuncta est morte sine malo omine impleri possit.[13] Cautio enim de implendo modo, licèt proxime accedat ad Mucianam; dissimilis tamen est,[14] in eo maxime quod de modo implendo cauendum est hæredi, non ei cuius gratia modus adiectus est,[15] cui tamen etiam actionem Iustinianus tandem dedit.[16] Muciana autem cautio ei præstanda est ad quem iure ciuili deficiente conditione legatum aut hæreditas peruenire ex testamento deberet,[17] adeoque, si nostris ciedimus, legitimis hęredibus ab intestato quoque successuris.[18] *Ita in Senatu tractatum fuit*, mense Julij, 1612.

1 *L. vnic C. hoc tit.* quæ non solum de legatis loquitur, vt *tit. ff. de admin. legat.* sed etiam de hereditatibus.

2 *L. si ita scriptum* 14 §. *regula. De liber. & post.* Sane interdum hæreditas non tam adempta, quàm nec data intelligitur, *lege* 1. §. *penultim. De his quæ in testam. delent. l. si ita* 14. *de leg.* 1. Et hæres institutus non tam pro exhæredato, quàm pro non instituto. Castr. *in l. Seius* 27. *D. ad leg. falcid.*

3 *Tot. tit de his quæ vt indign. D & C.*

4 Bart. Bald. Castr. & alij ad *l. hæreditas* 4 *C. de his quibus vt indign.*

5 *Argument. l. vltim. vbi not. D. de his quæ in testament. delent.*

6 Alioqui videretur hæreditas adempta hæredi à seipso, quod fieri non potest. Bart. *in l. pater fam. lius* 40 *D. de hered. instit. & in l. vxorem* 41. §. *hæres de leg.* 3. Et in eo alia est ratio hæreditatis, alia legatorum, quorum scilicet ademptio valet, quamuis translatio non valeat, *l. licet transferam* 10. *de adim. leg.*

7 Puta si quis institutus sit hæres sub modo implendo post additionem. Nam si sit institutus sub conditione & in defectum conditionis verius est priori instituto, non tam aliis ademptam hæreditatem quàm nec datam, vt iam dixi.

8 Ex Bart. Bald. Castr. & aliis, vbi suprà, maximè ad *dict. l. hereditas.* Cravet. *cons.* 1. *n.* 6.

9 *Lex qui soluendo* 82. *D. de her. inst. l. ait prætor* §. *sed quod Papinianus ff. de minor.* Extra casum *l. ex facto* 43. §. *vltim. de vulg. subst.*

10 Bartol. & alij in *l. quibus diebus* 40. §. *vlt. de condit. & demonstr.*

11 Francis. Mantic. *lib.* 10. *de coniect. vlt. vol. tit.* 5. *num.* 15. vbi alios citat.

12 Ex natura conditionis *l. Thais* 41. §. *Stichus ff. de fid. lib. l. facta* 63. §. *si sub conditione ff. ad SC. Treb.*

13 *d. l. quibus diebus* §. *vlt. l. si tibi* 19. *de leg.* 3. *l. cum in testamento* 18. *de fideic. libert.*

14 *L. Muciana* 7. *ff. de condit. & demonstr.*

15 *L. cum tale* 72. *in princ. & §. & leg. seq. l. pater* 101. §. *sorori l. si ita* 103 *l. hoc genus* 106. *eod. tit.*

16 Bald. *in d. l. hæreditas.*

17 *d. l. si tibi & d. l. cum in testamento.*

18 *In l.* 2. *C. de his quæ sub mod.*

19 *L. is cui* 18. *D. de cond. & demonstr. quam sic intelligo ex l.* 4. §. *vltim. D. de cond. instit.* iunct. *l. mulier*, 20. *in princ.* §. 1. *eod.* Iunge *l. hæres meus* 79. §. *qui post Mucianam de condit. & demonstr.*

20 Ita Bart. *ad d. l. is cui, Ex Nouell.* 22. *cap.* 44. *in fin.* qui tamen locus continet ius nouum & habet specialem rationem. Iunge *Defin.* 2. *infr. De his quæ sub modo.* Iul. Clar. *in* §. *testamentum. quæst.* 69. vbi ait priuationem hæreditatis acquisitæ non posse valere iure directo, sed tantum iure fideicommissi, post Cravet. *cons.* 1. *post num.* 3. Francisc. Marc. *quæst.* 845. & 845. *part.* Adde Bald. & alios *ad l. vnic. C. hoc tit.* Bart. *ad l. liberto* §. *sequitur de ann. legat.* Rund. Bald. *ad l. ab eo* 9. *in fin. C. de fideic.* vbi aiunt leges quæ dicerent ademptam videri hæreditatem per fideicommissum debere intelligi de eo casu, quo testator non expresse prouidisset, quid aliud fieri vellet. Nam & legatum relictum sub conditione si mulier non nupserit valet dummodo relictum sit alteri, quàm mulieri, & conditio deficit mulier nubente, *l.* 1. *C. de ind. ci. vid. toll.* De quo tamen plura vide apud Mantic. *lib.* 11. *de coniect. vltim. vol. tit.* 19 *num.* 5.]

TIT. XXII.

DE FIDEICOMMISSIS.

DEFINITIO I.

Liberi in conditione positi non censentur vocati, nisi concurrant plures coniecturæ.

LIBEROS in conditione tantum positos, hoc ipso neque institutos,[1] neque directo substitutos[2] videri constat, quoniam vt dici solet, conditio nihil disponit.[3] An neque per fideicommissum inuitatos? Mouet quod Præceptoribus nostris placet, nudam voluntatis coniecturam, quæ, si iuris rationem inspicias, ad obscuram dumtaxat aperti fideicommissi interpretationem prodesse deberet,[4] ad inducendum quoque fideicommissum[5] proficere.[6] Crebrior tamen, vt & verior nostrorum sententia est, ne per fideicommissum quidem vocatos intelligi, tametsi sint ex descendentibus, adeoque licet testator, aut ad plures substitutionum gradus digressus sit, aut masculos solos in conditione posuerit, aut bonorum suorum alienationem expressim prohibuerit. Sed si omnes eæ circumstantiæ, aut ex omnibus plures in eadem facti specie concurrant, magis communiter probatum est,[7] inuita iurisprudentia,[8] vt fideicommissum liberis descendentium in conditione positis ex tacite testatoris voluntate relictum videatur: In parentum scilicet portionibus, non in patruorum?[9] Quorum ratione sicut nec liberi sunt, ita nec in conditione positi intelliguntur,[10] Nisi cum reale & perpetuum, nec graduale tantum, sed etiam reciprocum fideicommissum factum est, vtputa si testator bona sua perpetuo in familia conseruari iusserit,[11] aut vltimo decedenti in tota hæreditate substituerit.[12] Sed & fortissima voluntatis coniectura pro liberis in conditione positis illa esse creditur, si eius, qui in defectum liberorum per fideicommissum vocatus est, liberi ad idem fideicommissum post patrem, siue in vulgarem, siue in fideicommissi casum inuitati proponantur: ne alioqui eueniat, vt deterioris conditionis sint liberi eius, qui prædilectus fuit, & per quos ipsos fideicommissarium quoque excludi testator voluerit.[13] Quæ tamen ratio mihi suspecta est. Nam quo dilectior fuit testatori, qui priore loco, vel institutus vel substitutus exstiterit, eo difficilius admittendum est, vt duplici fideicommisso,[14] vno præsertim erga proprios liberos, quod multo durius est, obstrictum eum interpretemur. Sane conseruandæ voluntatis fauor facere interdum potest, vt verbis licet deficientibus fideicommissum pro liberis in conditione positis inducamus,[15] vno nimirum illo casu quo defuncti voluntas exitum sortiri aliter non possit:[16] quod euenit, quoties qui in conditione positi sunt substituros tales excludunt, quibus ab intestato tamen præferri nequeant.[17] Cùm enim testatoris voluntas haud dubie illa sit, vt liberi in conditione positi substituto præferantur,[18] prorsus consequens videtur, vt si ab intestato præferri non possint, ex fideicommisso præferendi sint:[19] *Ita Senatus* in causa D. de Chastillion, & Dominarum de Bouuant, & d'Aiguebelette, Prid. Non. Jun. 1588.

1 *L. Gallus*, 29. §. *in omnibus. D de liber. & posth. l. si quis eum*, 6. *vlt. ff. de vulg. & pup. subst.*

BIU Cujas

2 Quia directa substitutio, sicut institutio, requirit verba directa & expressa, *l. iubemus, 29. C. de testam. l. verbu ciuilibus, 7. cum ibi not. de vulg. & pup.*

3 *L. si quis sub conditione, 8. D si quis omiss. caus. testa. l. 1. ff. de pen. legat. l. 1. § item si ita, D. ad leg. falcid. l. cum sine, 19. l. si penum. 24. ff. quand. dies legat. ced.*

4 *L. pen. de leg. 1 l. fideicommissa, 1. § item si quis, de leg. 3. l. heredes mei, 57. § cum ita, ad SC. Treb.*

5 Quod tamen nunquam potest induci sine verbis idoneis, aut sine Imperatorum rescripto, *l. vnum ex familia, 67. § si omissa, & § vlt. de leg. 2. l. ex facto, 17. in princ. l. qui filium, 74. ad SC. Treb.*

4 *Ex l cum proponebatur, 64. de leg 2.* de cuius tamen sententia vide quæ scripsi *in Error. 3. Decad. 26. de error. pragmat.* Adde *l. quidam, 46. ff. de hared. instit.*

7 Rip. *ad l. Centurio, num. 162. & seq. de vulg.* Iul. Clar. *in § testamentum, quæst. 78. & seqq.* Crauet. *cons. 62. n. 8. & 9.* Hieronym. Zanchus, *in repetit. d. § cum ita, part. 7. num. 44. & seqq.* vsque ad 74. Boer. *decis. 155.*

8 Nam certe ratio iuris repugnat, vt probaui pluribus *Decad. 26. fere per tot ex l. heredes mei, § cum ita, ad SC. Treb.* vbi erant positi in conditione liberi, & testator digressus erat ad plures gradus substitutionum. Nec ideo tamen censentur vocati. Adde *l. 1. C. de pact. l. ex facto. 17. § si quis rogatus, ad SC. Treb. l. 6. § cum autem. C. de instit. & substit. l. filiusfamilias, 114. § cum quis erit. de leg. 1.* Guid. Pap. *qu. 29. cum annot.* * Vide Alexand. *cons. 185. lib. 2. & cons. 130. num. 3. lib. 6.* Ruin. *cons. 155. lib 2.* Decius *cons. 63. col. 2. & cons. 21. n. 21. lib. 2.*

9 Paul. Castr. *in d. § cum quis,* Socin *in d. § cum ita,* Curt Iun. *cons. 96. col. pen. & cons. 135.* [Francisc. Mantic. *ib. 11. de coniect. vlt. vol. tit. 3. num. vlt.* vbi multos citat.]

10 Non enim sunt positi in conditione, nisi sub nomine liberorum. Ergo non nisi tanquam liberi. Ergo ratione parentum dumtaxat non patruorum, quomodo Ruin. & Crauett. argumentantur citati à supradictis. Iunge *Defin. 23. num. 7. infr.*

11 Gloss. *in l. pen. § instituto,* in verb. *filiis fratris, de leg. 2.* Late Socin. *cons. 249. lib. 2.* Ias. *cons. 108. lib 4.* Intellige tamen, vt hoc casu inducatur fideicommissum reciprocum in casum contrauentionis tantum, nisi verba aliud suadeant. Idem Socin. *cons. 217. lib. 2.* Dec. *cons. 377.* Rursum sic intellige vt hoc casu liberi positi in conditione etiam cum qualitate masculinitatis non ideo sint vocati, si in casum contrauentionis alius substitutus datus sit. Maximè verò si in illa clausula fideicommissi conditionalis in casum contrauentionis liberi masculi non sint positi in conditione. Nam etsi postea, & in alia clausula præsertim quæ sit posterior iidem liberi positi sint in conditione, debent intelligi positi in casum contrarium non contrauentionis, id est, non liberi contrauenientium, sed liberi non contrauenientium, vt vna clausula recipiat interpretationem ex alia, ne secum pugnent. Expressa enim prouisio facit cessare tacitam *l 4. § 1. l. cum ex filio 39. § 1. de vulg. & pupill. substit. cum l. seq § qui patrem, eod.* Et sane non est verisimile testatorem in casum contrauentionis & alienationis factę ab herede substituturum ei fuisse fratres aut alios quoslibet exclusis filiis alienantis, si in eo fideicommisso filios patri alienanti substitutos voluisset. Quid enim peccarunt liberi eius qui alienauit? præsertim qui nec patri contradicere potuerunt, *arg. l. 1. § quæ onerandæ D. quar. rer. act. non dit. l. pen. de furt.* Qui ergo emerit consentientibus iis omnibus qui in casum alienationis fuerunt substituti tutus erit nec controuersiam pati poterit à liberis alienantis, si patri sint superstites, quamuis in conditione positi sint in aliis partibus testamenti, adeoque si voles in appositione, quia non in hunc casum, aut positi in conditione aut vocati dici possunt, *l. nihil 120. § 1. de leg. 1 l quoties 11. C. de fideic.* Ita tractatum sæpius. Idem est si testator prohibuerit inter hæredes diuisionem bonorum & adieserit, vt si quis ex hæredibus contra faceret, eius portio ad cohæredes in communione manentes peruenirent. Nam neque liberi diuidentis hoc casu succedent ex fideicommisso non solùm viuo patre, sed nec eo mortuo cùm pater in hunc casum alios habeat substitutos, scilicet cohæredes suos. Idque multo certius obtinet, si ponas eosdem cohæredes mutuo fideicommisso inuicem post mortem substitutos, nec in eo fideicommisso positos fuisse præmorientis liberos in conditione. Nec enim conditio illa tacita, *si sine liberis*, in fideicommisso quod à transuersali relictum sit subintelligitur. Bart. Socin. & alij ad *l. cum auus 101. de cond. & demonstr.*]

12 Quo etiam casu inducitur fideicommissum reciprocum, *leg. Titia Seio 87. § Seia libertis, de leg. 2.* Not. *ad dict. § cum ita.*

13 Causa enim proxima magis influit quam remota, & proximior censetur dilectior. Not. *in l. Publius, 36. § 1. de condict. & demonstr.* Crauet. *cons. 30.*

14 *Arg. leg. Titia cum testamento 34. § qui inuita, de legat. secund.*

15 Quia minuit obseruantiam parentibus per liberos debitam, *l. nec ei, 17. § pen. de adopt. l. cum oportet, vers. etenim, ibi, vel ad fratres suos, C. de bon. quæ liber.*

16 Voluntas enim testatoris semper adiuuanda est, vt extum sortiatur *l si quand, 109. de leg. 1.*

17 Puta si testator alicui substituerit filias proprias, si decedat sine masculis. Nam ab intestato masculi filiabus præferri non possent, *l 4. C. de liber. præt.*

18 *L. cum pater, 27. § volo, de leg. 2 l. ex facto, 17. § si quis rogatus, 1. ad SC. Treb.*

19 Aliequi conditio nihil operaretur. * Planè si ponas liberos grauati expressim vocatos substitutos fuisse vulgaribus illis verbis, *& les siens.* Deinde eosdem liberos in conditione fideicommissi positos fuisse; dicendum est, verba illa. *Et les siens,* quę regulariter non continent nisi vulgarem substitutionem, trahi debere ad fideicommissariam, dummodo non de aliis liberis possit accipi conditio, quàm qui post aditam hæreditatem suscepti sunt, vt cùm testator sensit de solis nascituris, quod necessario euenit, cũ institutus hæres aut grauatus nullos habet liberos tempore testamenti, nec tempore mortis testatoris. Ita singulariter Mantica qui à Rota Romana sic decisum refert *in addit. lib. 11. de coniect. vltim voluntat. tit. 3. num. 17.* Et ratio est, quia hoc casu, non de vocatione inducenda quæritur, sed de vocationis interpretatione. facilius autem est vt per interpretationem sumptam ex eo quod liberi in fideicommissi conditione positi censeatur fideicommissaria, quàm vt ex conditione vocatio ipsa inducatur. Iunge Anton. Gabriell. *communn. opinion. lib. 4. conclus. 4. de fideicomm. num. 33.* post Grat. & Bertrand. ibi citatos pro confirmando vltimo isto numero huius definitionis.

DEFINITIO II.

Liberi etiam in duplici conditione positi & grauati non censentur vocati, nisi aliæ adsint coniecturæ, quamuis sint ex descendentibus.

SI testator ita scripserit: *Filius meus hæres esto, si sine liberis decesserit, aut eius liberi sine liberis, omnem hæreditatem meam ad Sempronium perueuire volo:* difficilior quæstio est, an liberis & ex ordine nepotibus in conditione positis in fideicommissum debeatur? Fere enim est, vt rogati & consequenter in necessarium antecedens vocati videantur.[1] Sed & verius & receptius est, sub duplici conditione fideicommissum Sempronio datum potius, quam filij instituti liberos, nepotésve rogatos vocatosque intelligi, siue à filio discrete & nominatim, siue simpliciter fideicommissum relictum sit.[2] Quin nec aliud erit, tametsi nepotes ipsi nominatim grauati proponantur,[3] licet sint etiam ex descendentibus: quandoquidem & ab intestati quoque successoribus fideicommissum relinqui potest:[4] sicut & ab instituti extranei hæredibus quibuscumque.[5] Si tamen aliquot adsint voluntatis coniecturæ ex iis, quas proximo Senatusconsulto retulimus, nostrorum errori consentaneum est, vt multo facilius nepotes, saltem qui expressim rogati sunt, tacite vocati intelligantur.[6] *Ita Senatus* in causa suprascripta.

1 Et ita Bart. sentit, *ad l. centurio, vers. quæro vlterius, quid si testator, de vulg. & pup. substit. ex l. Titia Seio, 87. § Seia libertis, de leg. 2. l. denique, § interdum, de pecul. leg.* Imol. *in l. filiusfamilias, § cum quis, de leg 1.* vbi etiam Cuman. Perr. Anch. *in c. si pater, de test. in 6.* Corn. *in l. ab eo, 9. C. de fideicom.* Bertr. *cons. 23. col. 2. lib 2.* Lancell. *ad d. l. centurio, n. 458.* Rip. *ibid. n. 166.* Socin. qui communem dicit, *cons. 249. col. 5. lib 2.* Crauet. *cons. 130. n. 3. & 4.* & latius *in l. cum filiofamilias, nu. 67. de leg. 1.* Guid. Pap. *quæst. 9* Boer. *qu. 155. part. 1.*

2 Ita Ias. *in d. l. centurio, nu. 59. & seq.* vbi respondet ad duo fundamenta Bartoli, Rip. ibid. *nu. 66. & seqq.* Maxime, inquit, si dictio masculinitatis non sit repetita in conditione liberorum. Et ita septies consuluisse Alex. & contrariam Bartoli opinionem damnatam esse in scholis, & reiectam à palatiis. Dec. *cons. 287. & cons. 422. n. 422. n.* Paris. *cons. 86. n. 15.* Bald & cæteri *ad d. l. ab eo,* Iul. Clar. post Didac. Couar. *in § testamentum, qu. 78. ibi, Sed quicquid dicant.*

3 Ex Ias. & aliis supra citatis.

4 *L. conficiuntur 8. vers. sed ideo*, iunct. *l. 3. D. de iur. codic.* [Si ergo talis sit is qui in conditione positus & grauatus est, vt non potuerit grauari ab intestato, aliud dicendum erit, quia hic cessat ratio Iasonis & aliorum]

5 *L. si fuerit 5. §. 1. & l. seq. de leg. 3. l. si quis in testamento 15. in fin. D. de liber. legat.*

6 Et hoc demum casu procedere potest opinio Iul. Clari, *in d. vers. sed quicquid dicant.* Vbi distinguit an, cum liberi positi sunt in duplici conditione, fideicommissum relictum sit à primo instituto, an à nepotibus, an simpliciter, vt primo casu i temque tertio positi in conditione nullo modo sint in dispositione. Secundo vero secus si positi in conditione sint ex descendentibus, maxime vero, inquit, si vltra grauamen concurrat alia quoque quantumlibet leuis coniectura.

DEFINITIO III.

Superexistentia liberorum non extinguit fideicommissum reale, cum testator habuit respectum ad defectum masculorum, & voluit bona sua conseruari in familia.

FIdeicommissi sub ea conditione relicti, *si heres institutus sine liberis decesserit*, deficit quidem conditio, si heredi rogato | superfuerint cuiuscunque gradus & sexus liberi,[1] etiam ex filia prædefuncta,[2] licet parenti heredes non extiterint,[3] adeoque postmodum sine liberis decesserint, vino adhuc eo, qui fuerat substitutus.[4] Sed id non est perpetuum. Quid enim si ex aliis testamenti partibus appareat, eam fuisse testatoris voluntatem, vti ne bona sua ad extraneos heredes vnquam peruenirent?[5] Quidni post mortem liberorum omnium admittamus substitutum, qui sit ex familia & agnatione?[6] Quid item si testator liberos in conditione posuerit, non tam vt iis existentibus substitutum excluderet, quod in dubio voluisse credendus est,[7] quam vt iis deficientibus substitutum inuitaret? Placet videri extitisse conditionem fideicommissi morientibus quandocunque sine prole liberis, quos in prima aut secunda conditione testator posuerat, quoties habuit ille respectum, quomodo nostri loquuntur, ad defectum liberorum,[8] quasi reali perpetuoque facto fideicommisso in id vsque tempus extendendo, quo liberi amplius nulli supersint.[9] Quod tum maxime obtinet, cum testator bona sua in familia conseruari iussit, ob eamque rem digressus est ad plures gradus substitutionum,[10] & quod est consequens, masculos semper quantumuis remotos fœminis etiam proximioribus prætulit.[11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. cum pater 77. §. volo, de leg. 2. l. ex facto 17. §. si quis rogatus 1. ad SC. Treb. l. non est sine liberis, 148. de verb. sign.*

2 *L. 1. de cond. insert.*

3 *L. filius familias 114. §. cum quis erit, de leg. 1.*

4 Quia vbi semel conditio defecit, nō est curandum, quid de liberis contingat. Oldrad. *cons. 21. incip. Thema tale est.*

5 Paul. Castr. *cons. 341. incip. quia ex allegationibus. col. 2. circa med. lib. 1.* Curt. sen. *cons. 12. col. 7.* Cravet. *cons. 326. n. 6.*

6 Quasi videatur hoc casu fideicommissum familiæ relictum, *arg. l. pen. §. matre, de leg. 2. l. pater 38 §. quindecim, de leg. 2.* vide tamen *l. cum pater 77. §. cum inter, de leg. 2.*

7 *d. §. volo, d. §. cum quis erit, & similib.*

8 Alex. *cons. 43. col. 3. vers. præterea posito, lib. 3. & cons. 101. 1. dub. lib. 7.* Socin *in l. solemus, in fin. de condit. & demonstr.* Dec. *cons. 480. col. 3. cons. 185. & 294. col 3. & 4. cons. 236. col. 2.* Cravet. *cons. 326. n. 16.*

9 Possunt enim fideicommissa extendi ex ratione iuris in infinitum, nisi quæ ex alienationis prohibitione inducuntur, de quibus in *Nouell. 159. de restit. fideicom. vsque ad quart. grad. consist.*

10 Quo casu videntur omnes grauati successiue, Socin. *cons. 12. col. penul. cons. 43. & 57. vol. 3.* Dec. *cons. 38.* Paris. *cons. 1. n. 25. 18. & seq. & n. 43. & seq lib. 3.*

11 Adeo vt hoc casu qualitas masculinitatis apposita in vna parte testamenti in aliis repetita censeatur. Bart. *in l. Titia 34. §. vit. de leg. 2.* Bald. *in l. quemadmodum. § hac verba ff. ad legem Aquil.* Idem Bald. *in l. ciuile, de legib.* quia familia non potest conseruari per fœminas, *l. pronunciatio 195 §. fin. de verb. signif.* Guid. Pap. *quæst. 428. & cons. 87. vers. & hoc demonstrant.* Alex. *col. 2. lib. 2. & cons. 162. col. 1. & 275. col. 2. & fin. lib. 4.* Dec. *cons. 15. & cons. 270. col. 2. vers. quinto ad idem, & cons. 370. vers. similiter, & cons. 480. & cons. 495. & 574.*

DEFINITIO IV.

Ex alienationis prohibitione inducitur fideicommissum fauore illorum, qui sunt de familia, sed aliquando purum, aliquando conditionale.

PRohibitio alienationis extra familiam, vt bona perpetuo in familia conseruentur, fideicommissum inducere quidem solet, sed non nisi conditionale, si alienatio extra familiam facta erit, & vt aiunt, in casum contrauentionis.[1] Extitisse autem conditio videbitur, si extraneus heres institutus sit,[2] non item si ex causa successionis intestati bona testatoris ad cognatum, qui de familia non sit, peruenerint,[3] propterea quod in institutionibus factum testantis, in intestati successione sola legis potestas versatur.[4] Cæterum si ad certas personas certosve casus ea prohibitio restricta sit, cauendum erit, ne per largiorem, quam par sit, interpretationem conditiones suas egrediatur prohibitio,[5] non quod odiosa videri debeat, quæ familiæ conseruandæ fauorem præ se fert,[6] maxime si nobilem proponas familiam, aut etiam illustrem, cuius facultates integras conseruari publice quoque interest,[7] sed quia defunctorum voluntates quantumcunque fauorabiles ita adiuuandæ sunt per interpretationem, vt tamen nunquam suppleantur,[8] ne testatoris rem tractantes ipso liberaliores videamur,[9] At si quis bona sua perpetuo in familia conseruari disertis verbis iusserit, aut quod idem est extra familiam alienari prohibuerit,[10] addita prohibitionis ratione, conceptaque in hæc verba, *quia volo bona mea perpetuo in familia remanere*, magis est, vt inter eos omnes, qui sunt ex familia, seruato proximitatis ordine, graduque prærogatiua, fideicommissum reale,[11] & perpetuum nec tantum graduale, sed etiam reciprocum relictum videatur:[12] cui locus fieri debeat, quoties alioqui euenturum sit, vt ad extraneum, licet non nisi per viam successionis legitimæ[13] bona deuoluantur.[14] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Socin. *cons. 127. lib. 2.* Dec. *cons. 377.*

2 *L. pater 38. §. Iulius Agrippa, & §. quindecim, de leg. 3.*

3 *L. cum pater 77. § cum inter, de leg. 2.* Dec. *cons. 218. nu. 14. & seq. & cons. 377. n. 4.* Alex. *in l. qui Roma. § coheredes. de verb. oblig.* Bart. *in dict. l. pater, § filiam, DD. in l. filius familias, §. Diui, de leg. 1.*

4 *L. verbis legis 120. l. lege obuenire 130. de verb. signif.*

5 Decius eleganter *cons. 287.* Nunquam enim debet fieri extensio à persona ad personam, à casu vero ad casum non nisi perraro. Not. *in l. Gallus, §. & quid si tantum, de lib. & posth. l. si ita stipulatus 116 §. Chrysogenus, in fin. de verb. oblig.*

6 Existimantur enim fauorabilia huiusmodi fideicommissa, licet alia sint odiosa. Francisc. Mant. *de coniectur. vltimæ volunt.*

7 *L. 1. § et si seruus. de inspic. ventr. custod. part.*

8 Iurisconsultorum enim est interpretari, non supplere, *l. commodissime 10, de liber. & posth.* Et quoties suppletione aliqua opus est, necessarium est reseriptum Imperatoris, vt *in l. 4 ff. de vulg. & pup. subst. l. vlt. C. de posth. hered. instit. l. vnum ex familia 67. §. vlt. de leg. 2.*

9 *L. debitor 59. in fine principij. l. facta 63. § si sub conditione, ad SC. Treb.*

10 Dec. *cons. 287. nu 6.* post Bart. *in d. l. pater filium, §. fundum, de legat. 3.* Ludou. Roman. *cons. 457.*

11 *L. omnia, alias l. cum ita, §. in fideicommisso, de leg. 2. l. vlt.* Abi Castrens. & cæteri, *C. de verb signif.*

12 Gloss. *in l. penult. §. instituto, de leg. 2.* Socin. *cons. 249. lib 2.* Ias. *cons. 105. lib. 4.* Dec. *cons. 377.*

13 *d. l. penult. § matre, de leg. 2.*

14 *d. l. pater. §. Iulius Agrippa, & §. quindecim, de leg. 3.*

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Vxor instituta ex vsufructu, cum proprietas ex die mortis eius alis legata sit, intelligitur scripta ex asse, & rogata de hæreditate post mortem suam restituenda.

MAritus vxorem in vsufructu solo hæredem instituerat, nullo ei coherede dato: Proprietatem vero bonorum omnium ex eo tempore, quo vxor defuncta esset, agnatis proximis legauerat. Visum est vxorem ex toto asse institutam intelligi, non secus, ac si ex fundo tantum fuisset hæres scripta sine cohærede.[1] Posteriorem vero scripturæ partem, etsi nulla fideicommissi verba præ se ferret, sed legati potius, pro fideicommisso tamen accipiendam,[2] quasi rogata muliere, vt hæreditatem ipsis cum moreretur restitueret, cum alia ratio nulla sit conseruandæ voluntatis.[3] Quo enim iure fieri queat, vt à fructuario, qui nihil prorsus iuris in proprietate habeat, legetur proprietas?[4] Ex eo præsertim tempore quo vsusfructus fructuarij morte iam sit finitus?[5] Aut, vt iacente proprietate, nulloque hærede; id est, domino existente vsusfructus nudus ad mulierem pertineat?[6] Aut denique, vt illa vsumfructum habens iure hæreditario, nihil præterea ex hæreditate obtineat?[7] Inde vero fieri necesse est, vt in proposito mulier non cogatur cauere, de bene vtendo fruendo: quoniam ea cautio non ab hærede grauato præstari solet, sed tantum à fructuario.[8] Plane cogetur cauere de soluendo fideicommisso, cum dies & conditio venerit,[9] nisi eam cautionem peti testator prohibuerit. Remitti enim non solum expressa voluntate, sed etiam quocumque voluntatis indicio potest.[10] *Ita Senatus* 7. Calend. Jul. 1588.

4 *Arg. l. 1. §. si ex fundo, l. quoties* 9 *§. si duo, l. si alterius* 10. *D. de hered. instit.*

2 *Arg. l. species* 15 *D. de aur. & arg. legat.*

3 Sunt enim potius improprianda verba, quam admittendum, vt nihil operentur, aut vt voluntas destruatur. *l. si quando* 109. *de leg. 1. l. quoties* 12. *de rebus dub. l. ex facto* 17. *in princ. ad SC. Treb. l. filiusfamilias*, 114. *§. vt quis heredem, de leg. 1.*

4 *L. vxor patrui* 20. *C. de legat.* Nemo enim dat, quod non habet, *l. si vniuersa* 15. vbi Bart. *eod. tit.*

5 *Arg. l. Titio cum morietur* 51. *D. de vsufr. l. vsumfructum 5. de vsufr. legat.*

6 Nam si institutio facta in vsufructu haberetur, hoc casu pro legato, sicut haberi solet institutio ex re certa, non posset eius dies cedere, nisi ab adita hæreditate, *l. vnic. D. quand. dies vsufr. leg. ced. l. 2. & 3 quand. dies vsufr. leg. ced.* quæ porro aditi nunquam posset, nullo herede instituto. Solus enim heres hereditatem adire potest.

7 Ita namque fieret, vt testator decederet pro parte testatus, & pro parte intestatus, itemque vt scinderetur hereditas, quorum neutrum ex iuris ratione fieri potest, *l. ius nostrum 7. de reg. iur. l. 1. ff. de acquir. hæred.*

8 *L. scire debetis 7. C. vt in possess. legat.*

9 *L. cum Artemidorum, eod. tit. l. 1. & tot. tit. D. vt legat. seu fideic. nom. caueat.*

10 *L. licet* 12. *eod. tit. l. aliud* 77. *§. vltim. de cond. & demonstrat.*

DEFINITIO VI.

Fideicommissum est ante pœnam læsæ maiestatis, sed non ideo restituitur ante mortem naturalem condemnati.

SI hæres de restituenda post mortem suam hæreditate rogatus ob crimen læsæ maiestatis condemnatus sit, irrogata præter pœnam capitis bonorum quoque omnium publicatione;[1] nullum ex ea condemnatione fit præiudicium fideicommissario, cuius vtique potior, quam fisci causa esse debet,[2] vt & anteriorum omnium creditorum.[3] Si tamen per contumaciam absit is, qui condemnatus est, non prius fideicommissi petitio competet, quam naturaliter mortuus probetur, non solum propter spem restitutionis, quæ ante mortem non extinguitur,[4] sed etiam quod fieri possit, vt ante diem fideicommissi cedentem moriatur fideicommissarius, atque ita fideicommissum intercidat.[5] *Ita Senatus* in causa Claudij Pacty, 15. Calend. Decemb. 1588.

1 *Ex l. quisquis 5. & pass. C. ad leg. Iul. maiest.*

2 Quia fideicommissarius ante pœnam est & ante fiscum, *l. Statius Florus* 48. *§. Cornelio Felici, D. de iur. fisc. l. ex facto* 17. *§. si quis rogatus 2. ad SC. Treb.*

3 *L. vnic. C. pœn. fiscal. credit. præf.*

4 *L. intercidit* 59 *de cond. & demonstr.*

5 *dict. §. Cornelio Felici, l. vxorem* 41. *§ Seium maritum, de leg. 3.*

DEFINITIO VII.

Substitutio per fideicommissum superuiuentibus & eorum liberis, etiam præmortuorum liberi ex coniectura voluntatis admittuntur.

QVidam fratres tres instituerat ex æquis portionibus, & si quis eorum sine liberis decederet, substituerat per fideicommissum *superuiuentes & eorum liberos.* Vnus ex fratribus sine liberis decesserat post agnitam hæreditatem, alio fratre superstite, itemque filio vno alterius fratris præmortui, & nepote ex alio filio præmortuo eiusdem fratris prædefuncti. Contendentibus illis de fideicommisso, pronunciauit Senatus fratris prædefuncti filium, non eo minus ad fideicommissi partem admittendum, quod non nisi superuiuentes eorum quoque liberi substituti proponerentur.[1] Ex testantis nimirum voluntate, cuius in fideicommissis interpretandis præcipua semper ratio haberi debet,[2] vt liberi substituti videantur, non tam superuiuentium, quam fratrum,[3] sub ea prius conditione substitutorum, si superuiuerent,[4] ac si ita testator scripsisset, *substituo fratres meos si tum erunt superstites, sin minus, aut fideicommissum petere nolent, eorum liberos qui tum supererunt.*[5] Liberos enim per supradicta verba parentibus in vulgarem casum substitutos constabat,[6] quo ille vnus vel maxime continetur, si ante diem fideicommissi cedentem parentes decesserint.[7] *Ita Senatus* pro Antonio Chardon, contra Humbertum Chardon, 10. Calendar. Februar. 1585. Junge Defin. 14. infr.

1 Illa enim dubitandi ratio erat, quod in proposita specie qui fideicommissum petebant, erant liberi prædefunctorum, cum tamen non nisi superstitum liberi ex testamenti verbis vocati viderentur. Nec enim dictio, *eorum*, ad alios referri poterat, quam de quibus dictum fuerat in præcedentibus, *l. vlt. D. ad SC. Treb.* Dictum autem fuerat de superstitibus non prædefunctis.

2 *Arg. l. heredes mei* 57. *§. cum ita. ff. ad SC. Treb.* iunct. *l. pen. de leg. 1. l. fideicommissa* 11. *§. item si quis, de leg. 3. l. cum præponebatur* 64 *de leg. 2.*

3 Sumpto scilicet *superuiuentium* nomine in concreto potius, quam in abstracto, aut quod idem est, materialiter, vt loquuntur, non formaliter.

4 Quæ tamen conditio cum tacite insit, non facit fideicommissum conditionale, quantum ad fratres primo loco substitutos, cum non possit post alterius mortem substitui, nisi qui eo tempore superstites reperiatur, *l. aliquando*, 107. *de condit. & demonstr.* nec proinde est quod censeatur repetita in personis liberorum post parentes vocatorum.

5 Ita Philipp. Corneus, *cons.* 37. *vol.* 1.

6 Not. *in l. Gallus* 29 *§. quidam recte. ff. de liber. & posth. l. vt heredibus* 50. *de leg. 2.*

7 *L. Titia Seio* 87. *§. Seia libertis, de leg. 2. l. vxorem* 41. *§. Seium maritum, de leg. 3. l. Scæuola* 76. *ad SC. Treb.*

DEFI-

DEFINITIO VIII.

Ius repræsentationis non habet locum post fratrum liberos in fideicommissis relictis sub nomine collectiuo, sicut nec ab intestato.

AT quod ad nepotem ex filio præmortuo eiusdem fratris prædefuncti pertinet, placuit nullum ei ius fideicommissi competere, non quod ex substitutis non esset, (liberorum enim nomen non ad nepotes solum, sed etiam ad pronepotes & vlteriorum graduum descendentes omnes extenditur,[1]) sed quia in partui magni successione, de qua contendebatur, nec ab intestato partem vllam haberet. Neque enim ius illud repræsentationis, quod fratrum filiis inuita vetere iurisprudentia[2] Iustinianus concessit,[3] ad vlteriorís gradus personas porrigitur.[4] Celebris autem nec improbabilis nostrorum traditio est, quoties sub nomine collectiuo, quale est *liberorum*, complures ad fideicommissum vocantur, videri eos non simul vocatos, sed eo ipso ordine, qui in successione intestati seruaretur:[5] quod ea semper quantum fieri potest, accipienda sit interpretatio, quæ faciat, vt à iuris communis forma testantis voluntas minime abhorreat.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. liberorum 220. in princ. D. de verb. signif.* Dixi *Defin. 4. 8. de verb signif.*

2 Nam olim aliud erat, cum esset incognitum ius repræsentationis, *l. 2. §. hac hæreditas, D. de suis & legit. l. 3. C. de legit. hared. l. 9. auunculo 6. C. commun. de succes.*

3 *Nouell 118. de hered. ab intestat. venient.* vnde sumpta est *Auth. cessante C. de legit. hared.*

4 *Auth. post fratres fratrumque filios, eod. tit. & dict. Nou. 118. de hered. ab intest. venient.*

5 *L. vlt.* vbi Castr. & cæteri, *C. de verb. signif. l. omnia 32. alias l. cùm ita, §. in fideicommisso, de leg. 2.*

6 Hoc enim est, quod nostri solent dicere testatorem intelligi se conformare cum iure communi. Not. *in d. l. vltim. C. de verb. signif. l. cum pater 77. §. pen. de leg. 2. l. heredes mei, 57. §. vltim. ad SC. Treb. l. peto 69. §. fratre, de leg. 2.* Iunge *Defin. infr.*

DEFINITIO IX.

Si substituti sint superuiuentes, & eorum liberi, non vocantur liberi etiam transuersalium, nisi ordine successiuo post parentes, & in casum vulgarem.

QVamuis placeat, si fratrem eiúsve filium quis instituerit aut substituerit, siue vulgariter, siue per fideicommissum, vna cum patre filium admitti debere,[1] aliud tamen visum est in suprascripta specie, cum frater substituisset per fideicommissum *fratres superuiuentes & eorum liberos.* Nimirum vt liberi non coniunctim cum parentibus, sed post eos ordine, vt aiunt, successiuo, & quidem in vulgarem dumtaxat casum substituti viderentur:[2] Ideo quod adiecta dictio illa *superuiuentes*, faciat, vt mentionem liberorum fieri necesse fuerit potius ad inuitandos liberos, si parens præmoreretur, aut alia ratione à fideicommisso excluderetur, quam vt superstitis parentis ius concursu liberorum diminueretur,[3] aut vt pater nouo erga proprios liberos fideicommisso obstringeretur.[4] Atqui, inquies, etiamsi fratres simpliciter substituti fuissent, non subiecta illa superuiuentium qualitate, non alij tamen substituti viderentur, quam qui die legati cedente superessent.[5] Ita est: Sed euenit hoc casu, quod & aliis pleriſque, vt expressa noceant, quæ non expressa non nocerent.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia hoc casu nullus est ordo necessitatis, qui faciat, vt debuerit frater instituí ante filium, vt euenit institutio filio & eius liberis, secundum ea, quæ nostri tractant *ad l. Gallus, §. quidam recte. de liber. & posth.* Scripſi *in error 8. Decad. 33. de error. Pragmat.*

2 Non etiam in casum fideicommissi. *Ex not. in dict. §. quidam recte.* In dubio censenda est substitutio directa, *c. si pater, de testament. in 6.*

3 Ne fiat contra voluntatem, si frater interim non habeat totum, cui pater totum dedit, *l. verbus 7. de vulg subst.*

4 Sunt enim fideicommissa ista odiosa, quibus parentes erga proprios liberos obstringuntur, vt dixi *Defin. 1. num. 15. supr. hoc tit.*

5 *L. cum pater 77. §. hæreditatem filius,* iunct. *l. cum quidam 24. de leg. 2.*

6 *L. nonnunquam 51. de cond. & demonstr. l. expressa de reg. iur.* Vide Dec. *conſ 205.*

DEFINITIO X.

Ad fideicommissum relictum sub nomine collectiuo non admittuntur per ius repræsentationis illi, qui ab intestato non possent admitti.

IN fideicommisso, quod pluribus sub nomine collectiuo relictum est, puta familiæ aut liberorum, non aliter locus est iuri repræsentationis, per quod filius subintret locum patris, quam si is fideicommissum petat, qui eodem repræsentationis iure ab intestato succedere posset.[1] Itaque cum de partui magni successione fideicommissaria tractaretur inter fratris filium & alterius fratris nepotem, solus fratris filius ad fideicommissi petitionem admissus est, excluso fratris nepote tanquam remotiore, cum ad remotiores simul vocandos testator voluntatem suam aperte non extendisset,[2] quia nec ab intestato repræsentationis ius vltra fratrum filios porrigitur.[3] *Ita Senatus* pro N. Joanne du Bois de S. Trinier. 16. Cal. Jul. 1584.

1 Ex iis, quæ notat Paul. Castrens. & post eum cæteri *ad leg. vlt. C. de verb. signif.* Alioqui vt proximior quisque est testatori, ita videtur priore loco inuitatus, *l. omnia 32. alias l. cum ita, §. in fideicommisso, l. peto 66. § fratre, de leg. 2.*

2 *Vt in d. §. in fideicommisso, in fin.*

3 *Authent. post fratres fratrumque filios, C. de legit. hared.* & in corpore vnde sumitur, *Nou. 118. de hared. ab intest. venien.* Iunge *Defin. 8. supr.* Vide Dec. *conſ. 1.* & Didac. Couarr. *cap. 38. practic. quæstion.*

DEFINITIO XI.

Non succeditur ex fideicommisso in stirpes, sed in capita, nisi cum succeditur iure repræsentationis.

CVm nepotes ad fideicommissum inuitantur ex propria persona, non iure repræsentationis, placet in capita eos admitti debere, non in stirpes:[1] qui si ex contrario non nisi repræsentionis iure admitterentur, non in capita vocandi essent, sed in stirpes.[2] Ius enim repræsentationis illud est, quod primum successionis in stirpes diuidendæ æquitatem induxit, ne plus habeant qui ex alterius capite succedunt, quam habiturus esset is ipse, cuius personam repræsentant.[3] *Ita tractatum est* in eadem causa. Et rursum in alia inter eosdem collitigatores, Idib. Decemb. 1589.

1 Sicut euenit, cum succeditur ab intestato, *l. 2. §. hac hæreditas, ff. de suis & legit.*

2 *§. cum filius, Inst. de hared. qui ab intest. defer.*

3 *d. §. cum filius, Nouell. 118. de hared. ab int. venient, l. si duobus 12. de bonor. poss. ff. contr. tab. l. Papinianus 8. §. quoniam autem quarta ff. de inoffic. testam.*

DEFINITIO XII.

In fideicommisso, per quod substituti sunt, qui ex Titio & Sempronia nascentur liberi, nepotes non continentur.

BIU Cujas

INuitaris ad fideicommissum liberis, qui ex Titio & Sempronia nascerentur, soli primi gradus liberi, non etiam nepotes inuitati videntur. Quia licet liberorum appellatione contineantur,[1] adeoque filiorum,[2] cum de fauore & commodo ipsorum agitur,[3] illud tamen non minus verum quam tritum est, articulo *ex*, non nisi proximam & immediatam causam significari,[4] vt perinde sit, ac si fideicommissum iis duntaxat relictum esset, qui ex Titij & Semproniæ corporibus nascerentur: quo casu apertius est vocatos eos videri non posse, qui non ex Titio & Sempronia, sed ex eorum liberis suscepti essent.[5] *Ita Senatus* in eadem causa, 16. Cal. Jul. 1584.

1 *L. liberorum* 220. & ibi Bart. *de verb. signif.*

2 *L. liberorum in fin. l. filij* 84. *& l. iusta* 201. *eod. tit* DD. post Imol. *in l. Gallus, § instituens, de liber. & posthum.* & alij quos citauimus *Defin.* 4. *n.* 6. *& de verb signif.*

3 Vt cum agitur de iis vocandis, secus enim si de grauandis, cum grauamen omne sit odiosum, vt dixi *d. Defin.* 4.

4 *L. eo tempore* 50. § *vlt. D. de pœnul.*

5 Alia enim sunt corpora Titij & Semproniæ, alia vero liberorum ex iis susceptorum. Nec enim naturæ veritas potest istas fictiones admittere, & conditionum verba naturaliter & vere, non ficte ac ciuiliter sunt intelligenda, *l. fideicommissum* 76 *l. qui heredi* 44. *l. Mauius* 55. *& pass. de cond. & demonst.* Scripsi *in error.* 9. *Decad.* 28. *de error. pragmat.*

DEFINITIO XIII.

Fideicommissum, quod quis post mortem suam pluribus præstare iussus est, repræsentare potest in sui præiudicium non in aliorum.

FIdeicommissum à se pluribus sub nomine collectiuo post mortem suam relictum, non aliis restituere heres potest ex testatoris voluntate, quam quibus euenientis demum conditionis tempore debeatur, id est, qui moriente herede superstites reperiantur.[1] Itaque si partem quibusdam repræsentauerit, qui postmodum ante ipsum decesserint, non erit ea res fraudi cæteris,[2] quibus totum fideicommissum restituendum est non tam iure accrescendi, cui regulariter inter fideicommissarios locus non est,[3] quam quod soli illi sint, qui ad fideicommissum admitti possint præmortuis iis, qui si essent superstites, simul admitterentur.[4] An ergo fideicommissum, quod ante diem solutum fuerit tãquam indebitum condicetur? Minime. Sibi enim imputare debet, qui vltro restituit plenius quam debuisset obsequium exhibens voluntati testatoris:[6] sed de suo indemnes fideicommissarios præstare cogendus erit;[7] ex ea nimirum portione, quam de iisdem bonis siue falcidiæ, siue proprij fideicommissi iure, siue qua alia ratione deducere potuisset.[8] Quod si facere non possit, fideicommissi persecutio aduersus præmortui heredes, si bona fideicommissa possideant, concedenda erit.[9] Salua iis actione propter euictionem cõtra heredes illius, qui fideicommissum repræsentauerat, si non liberaliter & donandi animo,[10] sed ex causa onerosa, puta per transactionem, quæ alioqui secuta non fuisset, fideicommissi repræsentatio facta proponatur.[11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige, licet testamenti adeoque mortis tempore non fuerint concepti, Boer *quæst.* 12. *num.* 4. post Fulgos. & Corn. *ad l. quoties, C. hoc tit. ex l. si in persona, eod.* aliisque ibi citatis, quos vide *Defin.* 15. *de pact. inter empt. & vendit.* Dubitandi tamen causa erat, quia rogatus post mortem suam restituere, potest adhuc viuus repræsentare restitutionem, *l. post mortem* 1. *C. hoc tit.* Sed id debet intelligi, vt ea restitutio fiat in præiudicium grauati, non aliorum.

2 Tex. est *in l. vxorem* 41. *§. Seium maritũ, de leg.* 3. *l. si iusfamiliæ* 11 *§ Diui* 1 *de leg.* 1. cum ibi not. Bart. *in d. l. post mortẽ.*

3 *L. Lucius* 78. *§. qui habebat, cum ibi not. D. ad SC. Treb.* Scripsi *in error.* 1. *& 2. Decad.* 50. *de error. pragmat.*

4 *L. cum pater* 77. *§. hereditatem filius, de leg.* 2. iunct. *l. cum quidam* 24. *vers. plane si cæteri, eod.*

5 Quomodo solent condici ea, quæ sub conditione debita ante conditionis euentum soluta fuerunt, *l. sub conditione* 16. *ff. de condict. indeb.* Dies namque incertus pro conditione est. *l. dies incertus* 75. *de cond. & demonstr. l. talis scriptura* 30. *§. sed et si l. si cui* 49 *§ hoc autem legatum, de leg.* 1.

6 Ex qua causa non solet conditio competere, *l. fideicommissum* 62. *de condic. indeb. l. eum qui* 21. *§ . ff. de inoffic. testam. l. patrem* 19. *& seq. D. quæ in fraud. cred. l.* 5 *§. penult. ff. de don. inter vir. & vxor.*

7 Quia nimirum testator fideicommissum reliquerat de suo, vt argumentatur Papin. *in l. ratione* 11 *§. quod vulgo, D. ad legem falcid.*

8 *d §. quod vulgo*, ibi, *de suo nimirum quadrante.*

9 Postquam placuit Iustiniano, vt etiam fideicommissorum nomine competat vindicatio aduersus quemlibet possessorem *l. 1. l. vlt. §. pen. C. commun. de legat.* iunct. *Auth. res quæ, eod. tit.* Facit *l. peto* 69 *§ fratre, vers. quod si cautio, de leg.* 1.

10 Nec enim donator tenetur de euictione, nisi sit in dolo, *l. 1. C. de iur. dot.* vt plurimum autem donatio facta non videri debet, si fideicommissum sit representatum, *arg. l. cum per errorem* 53. iunct. *l. donari* 82. *de reg. iur.*

11 Non enim sine causa datur, sed ob rem, quod per transactionem datur, nisi per calumniam transactio facta sit, *l. in summa* 65 *§. 1.* iunct. *l. eleganter* 23. *in princ. & §. 1. D. de condition. indeb.*

DEFINITIO XIV.

Fideicommissum conditionale non transmittitur, nisi ex coniecturis, puta si minus dilectorum liberi aliqua testamenti parte sint vocati.

ETsi fideicommissum conditionale ante conditionis euentum transmitti non potest, ne ad descendentes quidem,[1] adeoque si iuris rationi plus quam magistris nostris tribuas, nec ex voluntate testatoris, quia quod conditionale est, priusquam conditio euenerit nihil est,[2] voluntas autem testatoris facere non potest, vt non entis vllæ sint qualitates:[3] Plerunque tamen euenit, vt ex tacita mente testantis, quæ ex coniecturis colligitur, plus dictum, minus scriptum inueniatur,[4] quia omissa per errorem substitutione quam credibile non sit consulto fuisse prætermissam.[5] Quid enim, si quis Titio & Sempronio filiis suis heredibus scriptis eos inuicem substituerit, non adiecta clausula *& les leurs*; ei autem, qui ex ipsis vltimus sine liberis masculis moreretur, substituerit filias earumque liberos, quis neget eam fuisse testatoris voluntatem, vt suscepti ex prædefuncto Titio liberi masculi Sempronio postea sine liberis morienti substituti intelligerentur?[6] Cum ipsos quoque filiarum liberos multo minus dilectos in ambabus liberorum portionibus expressim substitutos voluerit, si ambo sine masculis morerentur? Vtique enim magis dilectos heredum liberos, quod & ex dilectionibus personis suscepti, & in conditione positi; & masculi fuerint, nemo dixerit deteriotis conditionis esse debere, quam qui minus dilecti fuerunt,[7] licet dici soleat, verumque sit, fideicommissum tanquam odiosum de persona ad personam extendi nunquam debere.[8] Ergo hoc casu perinde erit, ac si pater non tantum filios suos inuicem, sed & eorum liberos superstites vltimo decedenti substituisset.[9] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Not. *in l. vnic. C. de his qui ant. apert. tabul. hered. transmi.* reprobata glossi quæ aliter sensit *in l. ii cui* 42. *ff. de oblig. & act.*

2 Cum omnis conditio suspendat actum, *l. cedere diem* 213. *de verb. sign. & tot. tit. de condit. & demonstr.*

3 Quia implicat contradictionem, *l. eius qui in prouincia penult. de reb. credit.* Non potest autem testato quicquam imperare, quod sit impossibile aut per naturam, aut per leges, *l. l. filius* 15. *de condit. instit. l. nemo potest* 55. *de leg.* 1.

4 *Vt in l. vnum ex familia* 67. *§. si omissa, de leg.* 2. *l. cum ita nus* 102. *de condis. & demonstr.*

5 Vtin

5 *Vt in l. cum proponebatur 64 de leg. 2.*

6 Clausula enim illa, *& les leurs*, posita in fine secundæ substitutionis videtur referenda esse ad omnia præcedentia continuato sermone prolata, *l. fin.* vbi Bart. *ff. de reb. dub.*

7 *Arg. l. Publius 36. §. 1. D. de cond. & demonstrat.* Cravet. late *cons. 130.* * Rustic. *in tract. an liberi in conditione positi, lib. 5. c. 2. n. 2.* Menoch. *præsumpt. 76. n. 86. lib. 4.*

8 Nam nec in cæteris vltimis voluntatibus etiam fauorabilibus extensio fit à persona in personam, ne quidem ex identitate rationis, quamuis fiat interdum de casu ad casum, *not. ad l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de liber. & posth.*

9 In fideicommissis enim generalis ac fere perpetua regula est, numquam debere meliorem esse conditionem eius personæ, quæ minus dilecta fuit, *d. l. Publius 36. §. 1. de cond. & demonst.* Quænam autem coniecturæ sint, ex quibus fideicõmissum conditionale transmitti posse creditur, dixi *in error. 4 Decad. 33. de error. Pragm.* * Vide tamen Zanchum, qui contra hanc definitionem sentire videtur, *ad §. ciõm ita, part. 7. nu. 72.* post Alexand. Socin. senior. & Ruin, ibi relatos.

DEFINITIO XV.

CVm ad probandum fideicommissum, quod relictum negabatur, quinque testium testationes proferrentur,[1] quorum vnus referebat patremfamilias in longinquam regionem profectutum, in hæc verba cum auunculo locutum, *si quid mihi humanum contigerit, hæredem te facio.* Alius hoc modo, *si quid mihi contigerit, tua sunt omnia.* Reliqui tres aliis vsum verbis, *dono tibi mea omnia.* Visum est, non satis idoneas & sufficientes esse fideicommissi probationes, propterea, quod licet fideicommissum etiam sine scriptura & solo nutu relinqui potuisset,[2] probari tamen defuncti voluntatem oporteret per quinque non modo testes, sed etiam contestes:[3] quales esse non poterant, nisi qui fideicommissum iisdem ipsissimis verbis relictum testarentur.[4] Minus vero admitti illud poterat vt verba directa, quibus vsum patremfamilias fuisse primus testis asserebat, ad fideicommissum traherentur.[5] Nec facilius ex iisdem testationibus donatio causa mortis, quam fideicommissum induci posse videbatur, cum æque illa per quinque contestes probanda sit,[6] nec contestes videri queant, vbi nulla scriptura est, nisi qui verba ipsa, quibus donatio facta est, exactissima consensione referant.[7] Accedebat, quod morientem hunc interrogatum, an condere testamentum vellet, constabat respondisse, malle se intestatum decedere, ne aut auunculum hunc, qui fideicommissum petebat, offenderet, si alios scriberet hæredes, aut patruis pauperioribus iniuriam faceret, si auunculum iis præferret,[8] quos successores solos habere mallet si testaretur.[9] Quibus verbis fideicommissum quoque, si quod antea relictum fuisset, ademptum videbatur,[10] cum quo facilius relinqui potest, eo etiam facilius possit adimi.[11] *Ita Senatus* pro N. Rolet, contra Guill. Dalfin, mense Mart. 1590.

1 Non enim minore quam quinque testium numero vltima voluntas probari potest, *l. vlt. in fin. C. de codic. l. vltim. C. de donat. caus. mort.*

2 *L. & in epistola 22. C. hoc tit. l. nutu 21. de leg 3.*

3 *L. hæredes palam 21. in princ. D. qui test. fac. poss. l. Diuus 24. de testam. milit.*

4 Etsi enim potest quis loqui sæpius, etiam cum semel tantum legat vel fideicommissum relinquit, *l. Mœuius 66. §. eum qui, de leg. 2. l. si tibi homo 86. §. 1. de leg. 1.* eadem tamẽ verba per eosdem testes probanda sunt, alioquin singularitas inducitur, quæ habet admixtam repugnantiam, quia fieri nequit, vt qui præcise aliquibus verbis vsus est, aliis vsus fuerit eodem instanti.

5 Nunquam enim hoc fit, nisi testator nominatim idipsum præceperit, *l. 1. ff. de tut. codicill. l. non codicillum 14. C. de testam.* aut nisi ex benigna interpretatione, quam ratio aliqua euincat, *vt in l. Scæuola 76. ff. ad SC. Treb.* Obstare tamen videtur, quod omnes verborum differentiæ hodie sublatæ sunt, *l. 2. C. commun. de leg. l. quoniam indignum 15. C. de test.* Sed non ideo fit, vt non oporteat probari per contestes, quibus præcise verbis testator vsus sit.

6 *L. vlt. C. de mort. caus. donat.*

7 Cum hoc casu non tam de voluntatis, quam de ipsorum verborum probatione agatur.

8 Ab intestato enim patrui & auunculi hodie simul succedunt, si in eodem sunt gradu, *Nouell. 118. de hæred. ab intest. ven.*

9 Non ergo senserat testator de iis onerandis, quos testando præferre potius voluisset.

10 Quamuis etiam ab intestato fideicommissa dari possint, *l. 3. in princ. l. conficiuntur 8. ff. de iur. codicill.*

11 *L. 3. §. vlt. & l. 4. ff. de adimen. legat.*

[DEFINITIO XVI.

Rupto testamento agnatione posthumi, saluum est ius eligendi, & fideicommissum debet restitui electo.

TEstator, qui liberos non habebat ita scripserat, *I'institue mes heritiers vniuersels N. Iean Albert mõ beau frere, & George de Prouane ma sœur sa femme, lesquels ie prie de choisir & eslire tel de leurs enfans masles que bon leur semblera pour prendre & apprehender mon heritage, porter mon nom & mes armes, lequel à ces fins ie substitue & les siens masles, suppliant tres humblement mesdits heritiers de se contenter des fruicts pour toute legitime Trebellianique, & autre detraction, laquelle ie leur prohibe entant que de droit, Mesmes qu'ils s'en peuuent passer, & que le tout redonde à l'vtilité es leurs. Et ce afin que la proprieté demeure touſiours entiere. Et au deffaut dudit substitué & des siens masles, si par inaduertance aussi ils oublioyent de le nommer ie substitue l'aisné apres celuy qui tiendra le tronc des Alberts, & les siens masles degré par degré, Et en apres d'eux les autres freres degré par degré, &c.* Constabat Joannem & Georgium priore loco vocatos non in vsufructu dumtaxat, sed in proprietate & hæreditate ipsa institutos videri, addito oneri fideicommissi,[1] nec fructuum mentionem alia de causa factam, nisi vt prohibendis ex fideicommisso detractionibus color iustus quæreretur.[2] Sed cum testamentum agnatione præteriti posthumi ruptum esset,[3] fideicommissa vero aut omnia tam vniuersalia, quam singularia firma remanerent, siue ex Nouella Justiniani lege[4] posthumo scienter præterito, siue ex clausulæ codicillaris potestate præterito eo,[5] ignoranter quidem, sed ita tamen, vt appareret, non eo minus voluisse testatorem, vt hæreditas ex fideicommisso substitutis restitueretur.[6] Dubitabatur non ineleganter, cui hæreditatem restituere posthumus e viue legitimus hæres deberet, an institutis mox electuis vnum ex liberis, an potius substituto, id est, ei, qui ab institutis electus fuisset, aut, qui cessante electione secundum in Albertorum familia & ordine locum obtineret. Dubitationem faciebat, quod non aliter videatur ex voluntate testantis fideicommissum posse restitui,[7] quam si ad eos hæreditas perueniat, qui substitutum eligere debuerunt,[8] præsertim, cum non nisi post mortem ipsorum hæreditas restituenda esset.[9] Nam quo iure substitutum eligerent ij, qui nihil iuris in bonis haberent?[10] Aut cur eorum mors expectaretur, qui etiam viuentes ab iis bonis excluſi essent?[11] Rursum quis admittat fideicõmissum purè à posthumo eiusve hærede restitui, id est, ante mortem institutorum, quod nec testamento subsistente instituti ipsi nisi post mortem suam debuissent?[12] Aut cum dies ille mortis incertus conditionem faciat,[13] aliusque sit dies mortis posthumi, alius mortis institutorum, & consequenter alia conditio, an non absurdum fuerit & contra testatoris voluntatem fideicommissum sub vna conditione datum, quasi sub alia relictum præstari?[14] *Placuit* nihil commune habere ius eligendi cum iure fideicommissi.[15] Ideoque rupto

BIU Cujas

etiam testamento saluam institutis eligendi facultatem esse debere, quam nec deportatione amitterent,[16] sed tamen non alij hæreditatem ex fideicommisso restitui oportere, quam ei, qui ab ipsis electus esset, aut qui cessante electione ab ipso testatore substitutus proponeretur.[17] Expectandum tamen tempus mortis hæredum institutorum, vt sub ea ipsa conditione fideicommissum redderetur sub qua datum fuisset.[18] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra Defin. 6. de codic.

1 *L. species 15. ff de aur. & argent. legat.*

2 Nam & fructus solent imputari in Trebellianicam, *l. Papinianus 8. §. quarta autem, ff. de inoff. testam. l. in fideicommissaria 18. ff. ad SC. Treb.* præterquam si percepti sint negligentia fideicommissarij non petentis fideicommissum, *l. mulier, 22. §. si heres, eod.* aut in liberis primi gradus, *l. iubemus 6. C. eod.*

3 *L. 1. Cod. de posthum. hæred. instit. l. 1. & pass. D. de iniust. rupt.*

4 *Nouell. 125. vt cum de appell. cognosc. §. aliud quoque capitulum.* Vnde sumpta est *Auth. ex causa, C. de liber. prat.* Scilicet secundum communem sententiam Doctorum, qui volunt eam constitutionem procedere etiam in præteritione paterna, vt dixi *Defin. 1 supr. de liber præter.*

5 Nam illi ipsi, qui volunt *Auth. ex causa* locum habere etiam in præteritione paterna, fatentur tamen non habere locum posthumo ignoranter præterito, Bart. Castr. & alij *in d. l. 1. C. de posth. hæred. instit.*

6 Secundum eas distinctiones, quas in hac quæstione attulimus *Defin. 1. 2. & seqq.* vsque ad 12. *S. de codicill.*

7 Atqui fideicommissum hæreditatis necesse est restitui eo modo, quo testator voluit, alioqui actiones non transferuntur, *l. 1. l sed etsi 9. §. vltim. & l. seq. l facta 63. § si sub conditione, ff. ad SC. Treb. l. si mulier 59. §. ex asse ff de iur. dot.*

8 *Vt in l. vnum ex familia 69 in princ. de leg. 2.*

9 *Vt in l. cum pater 77. § hæreditatem filius, eodem, & l. post mortem, 2. C. hoc tit.*

10 Nemo siquidem potest onerari per fideicommissum, nisi de eo, quod prius ad ipsum peruenerit, *l. ab eo 9. C. hoc tit. l. sed etsi 6. in fin. de leg. 3.*

11 Sic enim dicimus non expectari conditionem, cuius euentus nihil operaretur, *l. si quis ita scripserit 33. de hæred. instit.*

12 Ita namque fieret, vt magis essent onerati hæredes legitimi quam testamentarij, quod absurdum esset: nō enim alia fideicommissa videri possunt à legitimis successoribus repetita, quam quæ ab institutis fuerant præstanda, si testamentum valuisset, & ad eum ipsum modum, *l. ex ea scriptura 29. §. 1. qui testam. fac. poss l. pen. §. vlt. de leg. 2.*

13 *L talis scriptura 30. §. sed etsi, de leg. 1. l. dies incertus 75. de cond. & demonstr.*

14 Debent enim conditiones impleri in forma specifica, *l. qui hæredi 44. l. Mauius 55. eod. tit.*

15 *d. §. hæreditatem filius, l. cum pater 77. de leg. 2. l. ex facto 17. §. si quis rogatus 2. ad SC. Treb.*

16 Vt apparet ex iis ipsis locis proxime citatis.

17 *L. cum quidam 24. de leg. 1. & d. l. vnum ex familia, §. rogo, eod.*

18 *d. §. rogo, in fin. & 4. § hæreditatem, l. Statius Florus 48. §. Cornelio Felici.*

DEFINITIO XVII.

Posthumus, qui rumpendo successit, non est cogendus præstare fideicommissum relictum post mortem institutorum, etiamsi omnes instituti decesserunt, nec eius liberi masculi, si quos reliquerit.

QVid ergo, si posthumo adhuc viuo instituti morerentur? An diceremus obligatum posthumum, vt ante mortem suam ex fideicommisso hæreditatem electo restitueret?[1] Loquitur enim de posthumo ignoranter præterito, cum si scienter esset præteritus, dubitari non oporteret, quin pure obligatus esset ad hæreditatem scriptis hæredibus restituendam.[2] At quoniam eo ignoranter præterito ac rumpente testamentum, institutio tota sic corruit, vt neque in fideicommissi vim valere possit, nec si subiecta sit clausula codicillaris,[3] solaque fideicommissa, aliaque huiusmodi legata firma remanent,[4] vix est vt defendi possit, posthumum filium, qui viuis institutis hæreditatem suo iure obtinuerit, eā cogendum post eorum mortem restituere ex causa fideicommissi, quod non alia ratione aut contemplatione factum sit, quam vt bona in testatoris familia diutissime conseruarentur,[5] exclusis in eam rem perpetuo fœminis. An non enim multo melius magisque ex voto patris seruantur bona in familia, quamdiu posthumus viuit, de quo pater testamenti tempore, cum fideicommitteret, ne per somnium quidem cogitarat?[6] Quo argumento putabam nec fideicommisso huiusmodi locum esse posse, si posthumus hic quandocumque superstitibus liberis masculis decessisset.[7] Plane mortuo posthumo sine masculis, per quos satisfieri possit voluntati testatoris[8] conseruatione bonorum in familia, fideicommissum vtique electo præstandum erit, sed post obitum institutorum:[9] quibus nimirum viuis nihil fit contra voluntatem, si posthumi hæres quantumlibet extraneus tamdiu hereditatem retineat, quamdiu instituti erant habituri, si institutio valuisset,[10] aut per clausulam codicillarem in fideicommissi vim conuerti potuisset,[11] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Dubitationem faciebat, quod mortuis institutis fideicommissi dies & conditio extitisse videbatur, & consequenter factus esse locus petitioni fideicommissi.

2 *L. 2 §. vlt. ff. de iur. codicill.*

3 Secundum ea quæ scripsimus, *Defin. 3. 4. 5. & 6. supr. de codicill.*

4 *Ex Auth. ex causa, C. de liber. præter.*

5 Ita enim fieret, vt comparata ad vnum effectum contrarium operarentur, contra *l. legata inutiliter 14. de adim. legat. l. 3. § si emancipatus. ff. de bonor. poss. contr. tab.*

6 *Argum. l tale pactum 40. §. vlt. ff de pact. l. cum auus 101. de condit. & demonstr. l. cum acutissimi 30. C. de fideic. l. si vnquam 8. C. de reuoc. donat.*

7 Scilicet ex præsumpta & verisimilimente testantis, *d. l. cum auus, l. cum mater 28. ff. de inoffic. testam. l. sicut certi 8. & l. sequent. C. de testam. milit. l. 3. C. de inoff. testam. l. vltim. de hered. inst.*

8 Quia neque per fœminas neque per extraneos possunt bona in familia conseruari, *l. pronunciatio 195. §. vlt. de verb. signif.* Guid. Pap. *quæst. 488.* Castrens. *cons. 58. & 123. lib. 1.* Ias. *ad l. qui filiabus, nu. 3. de leg. 1. & cons. 140. col. 7. vers. ottauo facit. lib. 2.*

9 *Arg. l. cum pater 77. § ab institutis, de leg. 2.*

10 *Argum. l. peto 69. § prædium, eod. tit. & d. l. vnum ex familia, § sed etsi fundum, eod.*

11 *Vt in l quærebatur 19 ff. de testam. milit.*

DEFINITIO XVIII.

Qui electus est, non ideo fideicommissum petere potest, quamdiu eligens mutandæ voluntatis arbitrium habet.

NAm & cum vni ex familia eligendo fideicommissum relinquitur, potestas eligenti data esse intelligitur, vt quamdiu viuit liberum habeat mutandæ voluntatis arbitrium:[1] ideoque nec prius fideicommissum propter electionem petere potest is, qui electus fuit, quam decesserit is, qui elegit, vt voluntatem amplius mutare non possit.[2] Absurdum autem fuerit ob hoc solum plus iuris habere eum, qui ab hærede instituto electus est, quod rupto per posthumi præteritionem testamento ipsa institutio corruerit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *d. l. vnum ex familia, vers. an quamdiu potest mutari voluntas, de legat. 2.*

2 Cum possit mutare quamdiu viuit etiam post deportationem, *d. l. cum pater 77. §. hæreditatem filius, eod. tit. l. ex facto 17. §. si quis rogatus 2 ad SC. Treb.*

3 Quod enim ruptum testamentum est, facit, vt eo minus admitti debeat fideicommissarius, *arg. l. 3. §. si emancipatus, de bonor. poss. contr. tab. l 3. in princ. ff. de vsur.*

DEFI-

DEFINITIO XIX.

Mortuo vno ex iis, qui coniunctim eligere debuerunt, superstes neque eligere neque electionem reuocare potest. Fideicommissum tamen non ideo debetur, nisi mortuo vtroque.

AN autem vtrique ex coniugibus data eligendi facultas intercidere debeat, alterutro duntaxat defuncto, siue iam electio facta sit, siue non, dubitari probabiliter potest.[1] Sed verius est, adeo intercidere, vt si qua electio præcesserit, ea irreuocabiliter cõfirmetur,[2] quippe quæ non alterutri, sed vtrique commissa fuerit,[3] propter quam causam, nec si electio semel facta esset, noceret electo, quod alteruter mutaret volũtatem, ni alter quoque mutationi consentiret.[4] Neque tamen huic rei consequens erit, vt alterutro defuncto statim fideicommissum restitui debeat, siue in solidum, siue pro parte,[5] cum post vtriusque mortem relictum sit.[6] Igitur vtriusque mortem expectari oportebit.[7] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quæstio in eo est, an pluralitas resoluatur in suas singularitates, *vt in l. falsa 33 §. vlt. de condit. & demonst. l. Lucius 78. §. Caio Seio, D. ad SC. Treb.* an vero vtriusque voluntas in eligendo sit necessaria.

2 Tanquam quæ reuocari amplius non possit, *l. vnum ex familia 67. in princ. de legat. 2.*

3 Per dictionem collectiuam, quæ plus in hoc potest quam pluralis, *l. heredes mei 57. §. cum ita, ad SC. Trebell.*

4 Vt vnum quodque dissoluatur eo modo, quo colligatum est, *l. prout 89. D. de solutionibus l. nihil tam naturale 23. de regulis iur.*

5 Quia licet non posset mutari electio, potest tamen electus moriante grauatum, *l. Statius 48. §. Cornelio Felici, de iur. fisc. l. cum pater 77. §. hæreditatem filius, de legat. 2.*

6 Ac proinde in diem incertum & sub conditione, quæ non potest dici venisse ante mortem, licet possit restitui ante mortem, *l. post mortem 12. C. hoc tit.*

7 Non vt confirmetur electio, sed vt fideicommissum peti possit.

DEFINITIO XX.

DE vsufructu, quem parentibus, quamdiu viuerẽt, saluum esse testator voluerat, quidam etiam dubitabant, aliis à posthumo, posthumive legitimo hærede deberetur, cum hac parte meliorem ipsorum prioremque quam electi causam esse testator voluisset.[1] Verum quod à nobis in superioribus dictum est, non ideo factam à testatore in proposita specie fructuum mentionem, vt vsumfructum parentib. daret,[2] sed vt iis hæredibus institutis detractionem ex fideicommisso quamlibet prohiberet,[3] ostendit satis nihil causæ esse, cur rupta vel irrita facta institutione fructuum emolumentum habere parentes debeant, quod non nisi ob institutionem personamque filij acquirere potuerũt.[4] Neque vero nouum est, vt hac parte melior sit conditio fideicommissarij vniuersalis, quam hæredis instituti.[5] Nam & fieri potest, vt quo casu per codicillarem clausulam institutio ipsa in fideicommissum flecteretur, tamen successor legitimus hereditatem iis restituere recta debeat, quibus hæres institutus valido manente testamento restituere debuisset, nimirum si fideicommissum purum fuit non in diem sub conditione ab instituto relictum.[6] *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 Nam si electo fideicommissum conseruatur, qui minus dilectus fuit, quidni eligentibus conseruabitur vsusfructus, qui magis dilecti fuerunt?

2 Quo casu perinde conseruaretur huiusmodi relictum vsusfructus, atque conseruantur cætera legata & fideicommissa, siue per clausulam codicillarem, siue per Auth. *ex causa, C. de liber. prater.*

3 Dixi *Defin. 16. num. 2. supr.*

4 Non enim potuit sentire testator de dando iis vsufructu, quos hæredes instituerat in proprietate, cum nemo possit re sua vti frui, *l. 5. D. si vsusfruct. pet.* neque hæredi à semetipso legati, *l. & quidem totum 18. l. legatum 116. §. 1. de leg. 1.*

5 Scilicet, quia potest fieri, vt fideicommissum vniuersale conseruetur per clausulam codicillarem, vel per Auth. *ex causa*, non etiam institutio vniuersalis, secundum ea, quæ scripsimus *Defin. 3. 4. & seqq. 5. de codicill.*

6 *L. 2. §. vltim. D. de iur. codicill.* Dixi *Definit. 6. in fin. & supr. de codicill.*

DEFINITIO XXI.

Qui repudiat fideicommissum ex vno capite, & ita sequentibus locum facit, potest iterum admitti ex alio capite, sed post alios omnes.

AD fideicommissum vocatus ex duplici capite, vt puta tanquam Titius, & tanquam vnus de familia, cum forte testator fundum in familia remanere iussisset, ac extra familiam alienari prohibuisset,[1] si fideicommisso quasi Titius renunciauerit in gratiam posterioris agnati,[2] qui postmodum contra testatoris voluntatem eum fundum extra familiam alienauerit,[3] admittendus est ad persecutionem fideicommissi, cuius cõditio post renunciationem extiterit,[4] & ex nouo iure, tanquam vnus de familia, sed tamen post omnes, id est, omnibus aliis ex familia deficientibus.[5] Cui consequens est, vt multo minus sequentibus personis ex graduali substitutione vocatis præiudicet quisquis fideicommisso sibi primum delato, siue per expressam conuentionem, siue tacite per contrauentionem renunciat,[6] licet eos ipsos relinquat hæredes, quos testator ad fideicommissum inuitauerat,[7] dummodo non quasi hæredes petant, sed ex propria persona.[8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Senatusconsulto 6. & 7. infr. de condit. insert.

1 Nam & cum fideicommissum familiæ relinquitur, priores tamen admittuntur ij, qui nominati sunt tanquam magis dilecti, *l. omnia 32. alias l. cum ita, §. in fideicommisso de leg. 2.*

2 Vocantur enim gradatim omnes, qui ad huiusmodi fideicommissum admittuntur, *l. vltim. C. de verb. signif.* Quamuis enim non esset olim successio in agnatis quantum ad hæreditates, erat tamen fuitque semper in fideicommissis familiæ relictis, *d. §. in fideicommisso l. peto 69. §. fratre, eod. tit.* iunct. *§. placebat, Inst. de legit. agnat. success.*

3 Atque ita noui fideicommissi conditionem impleuerit in fauorem sequentium, *dict. §. fratre. l. cum pater 77. §. libertis, eod. tit.*

4 Sunt enim omnia huiusmodi fideicommissa conditionalia in casum contrauentionis, *l. filius familias 114. §. Diui & ibi not. de leg. 1.*

5 Alex. *in l. stipulatio hoc modo concepta 61. num. 11. de verbor. obligat. & cons. 151. volum. 7.* Socin. *cons. 73. volum. 3.* Dec. *in l. pactum dotali 3. limit. 6. C. de collat.* Aliud fortassis esset, si Titius ipse contra testatoris voluntatem alienasset, *d. l. cum pater, §. libertis, de leg. 2.*

6 Ne alioqui maior sit vis taciti quam expressi, vide Paris. *cons. 69. num. 12. vol. 3.*

7 *L. non vult hæres esse 6. de regul. iur. l. 2. §. 3. si quis omiss. caus. test.*

8 Nemo enim ob id minus iuris habet, quod duplex ius habeat, *l. si pater familias 15. §. 1. de adopt. l. 1. §. vltim. D. si à parent. quis manum. sit, l. Cledius 97. de acquir hered. l. Seia 73. in fin. de euict.* qui tamen locus ostendit, in hac specie posse illos, qui fideicommissum petunt ex propria persona, per doli exceptionem repelli aut reconueniri de euictione, si sint hæredes alienatoris.

DEFINITIO XXII.

Verba illa, vsque ad infinitum, posita in substitutione inducunt fideicommissum, sed graduale tantum inter descendentes, non reciprocum.

BIU Cujas

SVbstitutis Titio per fideicommissum liberis eius vsque ad infinitum, dubitandum est, an fideicommissum graduale dumtaxat sit inter descendentes, [1] an etiam reciprocum quasi inuicem substituti videantur? [2] Sed verius est, nullam ex iis verbis inter vocatos induci reciprocam substitutionem, [3] quæ nec vnquam tacite inducetur, nisi cum vltimo decedenti substitutus datus est in tota hæreditate: [4] adeo, vt nec sufficiat post mortem omnium factam esse substitutionem, licet in tota re, nisi variæ & probabiles adsint coniecturæ voluntatis: [5] in fideicommissis enim vtcumque precaria voluntas quæratur, coniectura potest admitti. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam de graduali non potest dubitari, cum adsunt verba illa, *vsque ad infinitum, l. 4. § parentem D. de in ius vocand. l. liberorum 220. de verb. signific.*

2 Vt euenit, cum fideicommissum reale est & habuit testator respectum ad defectum masculorum. De quo scripsi *Defi. 8. supr. eod.*

3 Celsus Hugo *cons. 120. nu 56.* Vide Bald. *in c. 1. de nat. suc. eff. fund.* & Corn. *cons. 190. incip. pluries colum. 3. vers hoc præsupposito, lib. 3. & cons. incip. in hac consultatione, col. 5. versic. portio enim matris, lib. 4.* Quamquam *in d. cons. 190.* tractat eā speciem, cum testator iussit bona sua ire de liberis ad liberos, atque ita liberos inuicem substituit. Quo casu videtur quidem prætulisse descendentes in parentum portionibus, sed iis deficientibus transuersales substituisse.

4 *L. Titia Seio 87. § Seia libertis, de leg. 2. cum ibi not. & in § cum ita l. heredes mei 57 ad SC. Trebell.* [Adde tamen alium casum *in l. cum proponebatur 64 de leg. 2.*]

5 Cravet *cons. 30.* Osasch. Cacher. *decis. Pedem. 110. num. 5.* post alios *in d. § heredes mei.*

6 *d. l. cum proponebatur 64. de leg. 2.*

DEFINITIO XXIII.

Liberi liberorum positi in conditione, vsque in infinitum inducitur quidem fideicommissum graduale, etiamsi vulgaris præcesserit, sed non reciprocum, nisi testator habuerit respectum ad defectum liberorum.

SImile est, quod magistris nostris placet, liberis liberorum vsque ad infinitum in conditione positis, nullam inter eos induci ex eo solo reciprocam substitutionem, quamuis relictum esset fideicommissum ab vltimo decedente & in tota hæreditate, [1] nisi proponas factam substitutionem de liberis in liberos: quo casu magis est, vt liberis liberi substituti videantur, non tantum de gradu in gradum, sed etiam de linea in lineam, vt deficientibus iis, qui ex recta linea descendunt, admittantur transuersales, quasi inter se inuicem substituti. [2] Sed & fuerunt, qui dicerent, substitutionem ita, vt diximus, factam vsque ad infinitum posse vulgarem censeri potius, quam fideicommissariam, eo nimirum casu, quo vulgaris alia præcesserit. [3] Verum magis est, vt contraria sententia obtineat, [4] & ex supradictis verbis, *vsque ad infinitum*, quæ procul dubio tractum temporis continent, [5] inducatur fideicommissaria substitutio extensiua, vt nostri loquuntur, de descendente in descendentem in infinitum ordine successiuo, [6] in portionibus parentum dumtaxat, non etiam patruorum [7] aut patruelium, nisi ex aliis testamenti verbis appareat, habuisse testatorem respectum ad defectum liberorum, vt fideicommissum, quod reale vocant, constitueret. [8] Fideicommissum enim reale dubitari non oportet, quandiu aliquis est ex iis, qui inuitati sunt, ex quocumque tandem gradu & latere veniant. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Carol. Ruin. *cons. 96. incip. quia de substitutionibus, vol. 2.* Vide Curt. iun. *cons. 196. colum. 2.* Bertr. *cons. 105. vol. 3.* Rip. *in l. centurio, num. 166.* Ruin. *cons. 141. volum. 3.* Paris. *cons. 18. numer. 61. vol. 2.* Alex. *cons. 167. col. pen. volum. 5.* Zanch. *in d. § cum ita, part. 7. num. 85. & 86.*

2 Vt consuluit Corn. *dict. consil. 190. lib. 3.* post Bald. quæ ibi citat.

3 Carol. Ruin. *cons. 102. nu. 11. & 12. vol. 2.*

4 Ex iis, quæ idem Ruin. tradit *cons. 100. & cons. 117. num. 19. eod. vol. 2.* Vide Paris. *cons. 41. numer. 37. volum. 2. & cons. 63. num. 13. 18. 28 & 39. & cons. 1. nu. 29. & seq. lib. 3.* Eundem Ruin. *cons. 158. col. pen. nu. 15. lib. 2 & cons 92. num. 7. lib 3.* Crot. *in l. si ius familiæ § Diui, num. 164. de leg. 1.*

5 Cum ea sit vis dictionis, *vsque*, vt statim atque finita est dispositio in vnius persona, videatur repetita & reuocata in persona alterius, Bart. *in l. si mihi & Titio, nu. 6. de verb. oblig. ex l. sicut & l. repeti 5. quibus mod. vsusfr. amitt.*

6 *Ex citatis num. 1. supr.*

7 Nam cum sint vocati sub nomine liberorum, non possunt videri vocati, nisi quatenus liberi: ergo respectu parentum dūtaxat, Ruin. *cons. 141. & 142. nu 50. & 143. vol. 3.* Alex *cons. 167. col pen. vol. 5.* Zanch. *vbi s.* [Francisc. Mantic. post multos quos citat *lib. 11. de Coniect. vlt. volunt. tit. 3. num. vlt.* Vide *Defin. num. 9 supr.*]

8 Vt diximus *Defin. 3. supr. eod.*

9 *L. omnia 32 alias l. cum ita. § in fideicommisso, l. peto 69. § fratre, & ibi not. de legat. 2. l. vltim.* vbi Caltrem. & alij. *Cod. de verbor. significat.*

DEFINITIO XXIV.

Qui succederent ab intestato iure repræsentationis, non ideo possunt succedere iure fideicommissi, nisi sint vocati.

QVi plures liberos habebat, eos omnes exæquis partibus instituerat, & inuicem substituerat, *si sine liberis morerentur.* Præmortuis quibusdam relicta prole, postea defuncto vno sine liberis, placuit ad fideicommissum admitti solum fratrem, qui eo tempore superesset, præmortuorum vero liberos penitus excludi. [1] Qui tamen haud dubie admittendi essent, si testator non tantum superstites, sed etiam superstitum quoque liberos substituisset. Tum enim præmortuorum quoque liberi ex fideicommisso in vulgarem casum admitterentur. [2] Et hoc est, quod dici solet, ius repræsentationis, quod locum habet, si de patrui intestati hæreditate inter fratres fratrumque filios contendatur, [3] in causa fideicommissi locum non habere. [4] *Ita Senatus* 17. Cal. Iulij 1591.

1 Per text. *in l. heredes mei 57. § cum ita, D. ad Senatusconsult. Trebellian.*

2 Quamuis non supersticum liberi essent, sed præmortuorum, vt scripsi *Defin. 7.* s. ex Philipp. Corn. *cons. 37. vol. 1.*

3 *Ex Neuell. 118. de haredit. ab intest. venient.* vnde sumpta est *Auth post fratres. C de legit. hared.*

4 Intellige, nisi illi, qui ad intestati successionem admitti possent iure repræsentationis, vocati etiam sint ad fideicommissum sub nomine collectiuo, vt dixi *Defin. 8. & 10. supr.*

DEFINITIO XXV.

Fideicommissum relictum vt bona in familia conseruentur, non admittit monachum neque monasterium.

FIdeicommisso familiæ aut vni ex agnatis cognatisve masculis nominatim relicto, ea voluntatis ratione adiecta, & eo animo, vt bona in familia conseruarentur, iniuncto in eam rem onere deferendi nomen & insignia testatoris, [1] nullus cognato locus est, qui euenientis conditionis tempore monachus reperitur, [2] siue monasterium successionis capax siue incapax proponatur. [3] Nec enim voluntatem testantis habere videri potest is, per cuius personam fieri nequit, vt bona in familia conseruentur. [4] Quare nec illud admittemus, vt rerum fideicommissarum vsumfructum quamdiu viuet habeat, eadem res post mortem suam ei, qui ex familia proximus tum erit, restituturus. Fieret enim contra voluntatem, §

rem, si non haberet interea plenam proprietatem is, qui ex testamento ad fideicommissum admittendus est. [5] Neque ad rem pertinet, quod edicto Diui Emanuelis Philiberti Principis nostri, quo ademptum est monachis ius omne legitimæ successionis, testamentariæ hereditates excipiuntur. Id enim supremarum voluntatum conseruandarum non euertendarum gratia constitutum est. [6] Proinde non excludit iustam interpretationem, quæ ex voluntate testatoris facienda est, ne ab eius iudicio recedatur. [7] Minus vero mouet, si quis obiiciat, interpretationem illam esse contra bonos mores, vtpote, per quam facile futurum sit, vt ab electione vitæ contemplatiuæ reuocetur, qui videat ea ratione præclusum iri sibi viam petendi quandocumque fideicommissi. [8] Id enim non principaliter & directo fit, sed tantum per consequentias. [9] Honestissima namque voluntas est testatoris, id vnum animo agitãris, & quantum facere potest curantis, vt bona sua in familia quam diutissime conseruentur: [10] nec quicquam causæ est, cur fauore monasterij ab ea voluntate recedi oporteat. [11] Nam quod vulgo iactatur, monasterium esse loco filij, præterquam quod ridiculum est, [12] ad propositam speciem accommodari non potest, in qua non de implenda conditione liberorum agimus, [13] sed de conseruandis bonis in familia testatoris, eiusque nomine perpetuando: quorum neutrum palam est per monasterium impleri posse, sicut neque per monachũ qui neque velle, neque nolle, neque nomen quidem vllum habere creditur. [14] *Ita Senatus* ex tempore, contra Andræam Arpeau monachum Cistercienſem, 7. Calend. Iulij 1591.

1 In memoriam scilicet, honorem & conseruationem nominis testatoris. *l. sed sciendum 7. in fin. D. ad SC. Trebell. l. cum filius 76. §. pater cum filia de legat. 2.* iunct. *l. 1. §. penult. de ventr. inspic.*

2 Cum ex eo tempore, ex quo monasterium ingressus est neque velle habeat, neque nolle. *c. non dicatis, 12. q. 1.*

3 Sunt enim monasteria quædam capacia acquisitionis, de quibus *in Auth. ingressi. C. de sacrosanct. eccles.* alia vero prorsus incapacia, vt Franciscanorum, de quibus *in Clem. exiuit, de verbor. signific.*

4 Alex. *cons. 18 vol. 1.* Cravet. *cons. 152.*

5 Quomodo in specie, quamuis dissimili, argumentatur Papin. *in l. verbu 7. de vulg. & pupill. substit.* Vsusfructus enim etsi in iure consistit non in corpore, tamen emolumentum rei continet ac portionis instar obtinet, *l. Mœuius 66. §. fundo l. cum filius 76. §. dominus, de leg. 2.*

6 Vt apparet ex contextu edicti.

7 Ne quod vitiarum voluntatum fauore constitutum est in earum odium retorqueatur, contra *l. quod fauere 6. C. de legibus, l. nulla 25. D. eod.*

8 Bart. *in l. si ita quis §. ita cui de legat. 2. & cons. 1. nu. 2.* Alex. *cons. 121. vol. 2.* Dec. *cons. 259. incip. visis hic & cons. 42. & 674. num. 3.* Rip. *in l. si vnquam, num 34. C. de reuoc. donat.* Alex. *cons. 18. vol. 1.* Didac. Couar. *lib. 1. variar. resol. c. 19. nu. 8.* Cravet. *cons. 151.* Boer. *quæst. 354.*

9 Ita respondet eleganter Decius omnino videndus *dict. consil. 259.*

10 Ex voto à natura ipsa omnibus hominibus insito, *l. liberorum 220. in fin. de verb. signific.* iunct. *d. l. 1. §. penult. de inspic. ventr.*

11 Ne fiat contra voluntatem, quod ex voluntate proficisci tur, *l. facta 63. §. si sub conditione, D. ad SC. Trebell. l. 1. C. de sacrosanct. eccles. l. vel. negare 6. D. test. quem. aper.*

12 Vt scripsi *Defin 42. supr. de sacrosanct. eccles.*

13 Quo casu pronũciandum esset pro monasterio ex *l. sanimus 53. §. item illud statuimus 2. C. de episc. & cleric.* Nouel. *113. de sanctiss. episc. cap. 37. incip. si quis sub conditione alias § sed & hoc præsenti.* Vnde sumpta est *Auth. nisi rogati.* vbi DD. præsertim Paul. Castr. *ad SC. Trebell. cap. in præsentia,* vbi glos. & Dec. *de probat.* Alex. *cons. 121. vol. 2.* quasi sit verisimile si de hoc casu testator cogitasset fuisse illum ita dispositurum, vt non ideo duriorem faceret conditionem onerati, vel honorati, quod is monasterium ingrederetur, vt Castr. ratiocinatur *ad d. Auth. nisi rogari.* Vide Osasch. *decis. 126.*

14 *dict. can. non dicatis 12. quæst. 1.*

DEFINITIO XXVI.

Fideicommissum relictum nouitio non acquiritur monasterio, sed si relictum sit professo, acquiritur vsusfructus iure ad vitam professi.

NEc aliud constituendum esse placuit, tametsi tamenti tempore monachus ille iam in monasterio & inter nouitios degeret, cum religionis voto nondum se obstrinxisset. [1] Potuit enim testator sperare, vt si ante votum emissum fideicommissi dies cederet, monasterium ille cum fideicommissi commodo permutaret. [2] Plane si proponeres eum nominatim vocatum ad fideicommissum, qui iam ipso testamenti tempore cœlibem vitam professus esset, dubitari non posset, quin ex eius persona monasterio acquisitionis capaci petitio fideicommissi competere deberet, [3] non ad retinenda in perpetuum bona, quæ testator in familia sua conseruari voluit, [4] sed quasi vsusfructus iure tandiu duraturi, quamdiu is viueret, ex cuius capite fideicommissum peteretur. [5] Nam in centesimum vsque annum extendi vsumfructum, quomodo si ipsi monasterio relictus esset, [6] dici procul dubio non potest, ne illis iniuria fiat, qui post huius mortem ex eodem testamento ad fideicommissum inuitati sunt, ad conseruationem nominis & bonorum in familia. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis interdum etiam qui nondum professus est, habendus sit pro professo. Cravet. *cons. 152. num. 4.* Sed respondeti potest, id procedere in iis, quæ gesta sunt per ipsum monachũ, & quæ fauorem ipsius respiciunt, secundum distinctionem Feder. de Senis *cons. 32. in fin.* ibidem citat.

2 Nihil enim actum videtur quamdiu mutari voluntas potest *l. vnum ex familia 67. in princ. de leg. 2. l. pen. in fin. C. de his quibus vt indign.*

3 Tanquam domino cui acquiritur per monachum tanquam per seruum, *Auth. ingressi. C. de sacrosanct. eccl.*

4 Cum monasterium non sit de familia testatoris, nec tamen possit vnquam mori.

5 *Arg. l. pen. 69. §. prædium, & d. l. vnum ex familia 67. §. rogo. in fin. de legat. 2.*

7 Vt dixi *Defin præced. nu. 5.* vbi vide. Adde rationem ne plus iuris habeat monasterium ex persona monachi, quam habiturus esset ipse monachus si per se posset admitti *dict. §. prædium.* Vide Osasch. *decis. Pedem. 126.*

DEFINITIO XXVII.

Casus in quo proximiores hæredi præferuntur proximioribus testatoribus.

FRanciscus de Costerg hæredem testamento instituerat Peronetam sororem suam vxorem Claudij de Prouens, & post eius mortem substituerat per fideicommissum Petrum de Prouens eius filium & suos. Et si contingeret Petrum decedere sine liberis, substituerat proximiores his verbis, *ses plus proches parents, Asçauoir des Costergs.* Contendentibus de fideicommisso Petri sororibus & Michaële de Costerg quærebatur, quis ad fideicommissum inuitatus videretur? Placebat quibusdam eos soles videri inuitatos qui essent ex genere Costergiorum, [1] in quorum numero sorores Petri non erant, cum paternam Prouenorum non maternam Costergiorum familiam sequerentur. [2] Alij contra putabant proximiores Petri prioris fideicommissarij non testatoris cognatos vocatos esse, vt dictio illa reciproca *ses parents* ad Petrum, de quo proxime testator locutus fuerat, non ad ipsum testatorem referretur: [3] Vocatos tamen non Petri cognatos quoslibet, sed eos dumtaxat qui essent ex linea materna, ob idque addita verba illa *Asçauoir des Costergs,* [4] excludendorum scilicet agnatorum

BIU Cujas

gratia, qui aliam & familiam & originem habebant. [5] Poteratque non improbabilis coniectura voluntatis capi, ex eo, quod testator non sic scripserat, *Asçauoir les Costergs*, sed ita, *Asçauoir des Costergs*, hoc est, vt illi interpretabantur, ex latere Costergiorum, [6] item ex eo quod non genus ipsum Costergiorum testator substituerat, vt bona sua conseruaret in familia, quo casu excluſi procul dubio fuissent descendentes ex fœminis [7] sed sororem sororisque filium ex alia susceptum familia, nec masculos tantum, sed etiam fœminas. [8] *Senatus* pro sororibus Petri pronunciauit. Relatum est visumque Senatusconsultum prid. Calend. Septemb. 1592.

1 Propter illa verba *Assauoir des Costergs*, quæ sunt restrictiua, & restricta ad proximiores qui essent de familia & genere Costergiorum, de qua familia erat ipse testator, qui & in dubio de iis sensisse videri poterat, non de proximioribus hæredis, cum ageretur de fideicommisso, secundum ea quæ diximus *Defin. 6. §. de verb. signif.*

2 *L. pen. D. de agnosc. liber.* fœmina enim familiæ suæ caput & finis est, *l. pronunciatio* 195. §. *vlt. de verb. signif.* * Sed intellige nisi cùm fœmina nupta est in familia, quo casu & ipsa admittitur tanquam agnata, & ipsi quoque liberi tanquam agnati, licèt sint remotiores in gradu personæ patris inspecta, dummodo sint proximiores inspecta matre. Cravet. *cons.* 656. & 831. & 877. vbi citat Angelum. Socin. Alban, & alios. Vide textum perelegantem & in fortioribus terminis *in l. cùm pater* 77. §. *inter de leg.* 2. & ita pro *D.* Senatore Galeano Necienſi consului, mense sextili 1611.

3 Relatio enim fieri solet & debet ad proximius, & ad id quod immediate præcedit.

4 Vt nimirum ea adiectio & restrictio aliquid operetur, *l. si quando* 109. *de leg.* 1.

5 Agnati enim sunt qui sunt ex nomine ac familia testatoris, *l.* 2. *de suis & legit. d. Iurisconsultus* 10. §. *cognati, D. de gradib. & adfin.*

6 Illi porro erant cognati per fœminam non per masculos, id est, per matrem non per patrem.

7 Tanquam per quos non magis possunt conseruari bona in familia, quam per ipsas fœminas, *l.* 1. *in fin. D. de iur. immun.* * Eimita tamen vt in num. 2.

8 Ex quo apparebat nihil minus eum cogitasse, quam de bonis suis in Costergiorum familia conseruandis.

DEFINITIO XXVIII.

Qui dotem constituit, non ideo censetur renunciare fideicommisso conditionali in ea dote constituto, si conditio fideicommissi nondum extiterat tempore dotis constitutæ.

LEgauerat Titia Mæuiæ, sorori mariti sui, centum soluenda quo die illa nuberet: eo tamen adiecto, vt si sine liberis moreretur ea summa ad maritum eundemque hæredem institutum reuerterentur. Adita hereditate nubenti Mæuiæ frater trecenta in dotem dederat, & merito soluere promiserat, his verbis additis, *comprins en ladite somme les cent florins legués à ſadite sœur eſpouſe, par feu Iane de Crans ſa femme, Ainſi qu'il appert par le teſtament d'icelle de tel an & iour.* Iisdem tabulis dotalibus spoponderat maritus restituturum se dotem soluto matrimonio, non expressa persona cui restituere deberet, nisi quod subinde cum conueniret de pignore nisi quod subinde cum conueniret de pignore constituerat se bona sua omnia in casum restitutionis possidere vxoris nomine & suorum, sed & dotis augmentum consuetudinarium ad dimidiam vsque trecentorum constituerat. Defuncta post. modum sine liberis Mæuia superstite fratre, maritoque hærede relicto, petebat maritus centum quasi ex dotis illa constitutione sibi debita, necdum soluta. Frater dicebat se liberatum propterea quod per sororis obitum sine liberis casus euenisset, in quem sibi ea centum à marito nunc restituenda essent, si trecenta integra soluta fuissent, iure nimirum fideicommissi, quod Titia testatrix reliquerat. [1] Quærebatur ex supraſcripta dotis constitutione, an ius fideicommissi remissum videretur? Nam cum ex causa dotis transferatur dominium, [2] absurdum videtur dicere, ei ipsi qui rem suam vltro alienauit ius aliquod superesse ad rem illam vllo casu reuocandam. [3] Nam & si quis alienationi per alium factæ consentiat, ius suum quod cumque in re habet, adeoque fideicommissum si quod competit, aut competiturum est remittere intelligitur. [4] Accedebat quod passus erat frater sororem sibi suisque stipulari dotem in omnem casum restitutionis. Ex quo videbatur omnem prorsus fideicommissi spem abiecisse. [5] Præsertim cum *suorum* appellatione in contractibus non tantum descendentes, sed & hæredes quilibet extranei comprehendantur. [6] Mouebat etiam quod ad ratam totius dotis maritus augmentum vxori dederat, quasi tota dos ex vxoris bonis constituta fuisset, [7] vt proinde videretur deceptus esse, si quid iuris in ea dote fratri excepti intelligatur. [8] Sed & cum tota trecenta simul & eadem clausula in dotem data essent, consequens erat, vt eadem & vniformi conditione data viderentur, & consequenter sine onere fideicommissi, [9] neque obstabat, quod in dotis constitutione verba illa adiecta essent, *ainſi qu'il eſt porté par le teſtament, &c.* Nam licet dici soleat relatum esse in referente cum suis omnibus qualitatibus, [10] videbantur tamen ea verba adiecta demonstratione potius, vt nostri loquuntur, quam limitatiue & relatiue, idque in dubio erat præsumendum. [11] Sed contraria sententia Senatui verior visa est, non tamilla ratione quod supradictis verbis videretur exceptum fideicommissum, quod testamento continebatur, [12] quam quia fideicommissi conditio nondum eo tempore extitisset, [13] neque vero sine malo omine sperari poterat futurum, vt vnquam existeret, cum non nisi spe prolis suscipiendæ matrimonia contrahantur, [14] & eo voto dos detur, vt sit perpetuo penes maritum. [15] Quod si ratio nulla erat, propter quam dici posset cogitatum eo tempore fuisse de fideicommisso, [16] multo minus admitti illud poterat, vt ei renunciatum intelligeretur. Prius enim est, vt de aliquo iure cogitetur, quã vt illi renuncietur. [17] Sed & constat generalem renunciationem numquam extendi ad fideicommissum, cuius dies nondum cesserit, & speciali opus esse renunciatione, [18] nisi cum fideicommissum sub conditione alienationis relictum est, quo casu sufficit eos qui ad fideicommissum inuitati sunt alienationi consentire, quasi eo casu non tam ius quam conditionem fideicommissi remisisse existimentur. [19] Alioqui non extingueretur fideicommissi petitio nisi hactenus, vt si fundus erat in fideicommisso pretium peti deberet, non fundus ipse, qui consentiente fideicommissario venditus fuisset. [20] Sane si iam tum dies fideicommissi cessisset, aliud procul dubio Senatus censuisset. [21] Ita *Senatus* pro Ioanna d'Aranton vidua procuratoris Muſlat, contra Petrum Volat, 16. Calend. Ianuar. 1592.

1 Hoc enim est quod dici solet, dolo eum facere qui petit, quod statim eidem redditurus est, *l. dolo facit* 8. *D. de doli except. l. in condemnatione* 173. *de regul. iur. l. si socer.* 44. §. *Lucius de ſolut. matrim.*

2 Et quidem eo animo & voto, vt dos perpetuo remaneat penes maritum, *l.* 1. *D. de iur. dot. l. doce* 9. *C. de rei vendic.*

3 *L. ei ſi us, D. de diſtr. pignor. l. vindicantem* 17. *D. de euict.* Nemo enim contra factum suum venire potest, ne quidem ex alterius persona, si veniat ad proprium commodum, *l. ſi non ſortem* 26 §. *ſi centum,* & ibi Bartolus, Castr. & cæteri, *D. de condict. indeb.*

4 *L. ſeruus communis* 38. §. 1. *de donat. inter vir. & vxor. l. apud Celſum* 4. §. *quæſitũ, D. de dol. exc. l.* 4. §. 1. *l. ſicut* 8. §. *non videtur, D. quibus mod. pign. vel hypoth. ſoluit. l. quoties ab omnibus ff. & hoc tit. l. cum pater* 77. §. *libertus, de leg.* 2. §. *nihil proponit* 120. 1. *de leg.* 1.

5 Arg.

5 *Arg.l.cum quis* 37.§.*nuptura. de legat.* 3. *l.cum pater* 77. §.*Mœuio,l.vlt.s.filiæ,de leg.*2.

6 Vt Dixi *Defin.*3.5.*de verb.signifi.*exGuid.Pap.*quæst.*306. & 457. & aliis ibi citatis.

7 Constituitur enim & debetur augmentum ex comparatione dotis,quæ ita sit mulieris,vt præter coniuges alius nemo in ea iuris habeat.

8 Atqui decipi maritus non debet *l.pure* 5 §.*penult. D. de dolimal.except.l.si donaturus* 9 §.1.*de condict.causa dat. l. Titia* 61.*D.de iur.dot.*

9 Vt fiat vniformis & par determinatio, *l.*4.*de vul.& pup. substi.l.*4.*C.de impub. & aliis substit.* ne vna & eadem res diuerso iure censeatur,*vulg. l.eum qui ædes* 23.*D.de vsucap. l.vlt. Cod. de sent.pass.& restit.*

10 *Vulg.l.asse toto* 77. *D.de hæred instit.*

11 *L.legani* 25. *D.de liberat.legat.*

12 Constabat enim non fuisse exceptum.

13 Vt proinde fideicommissum eo tempore nec repudiari posset,nec solui *l.si ita sit scriptum* 45.§.*si sub conditione,de leg.*2.iunct. *l.stipulatio ista* 38.§.*inter. D.de verb.oblig.*

14 *L.*1.*D.solut. matrim.*

15 *d.l.* 1. *D.de iur.dot.*

16 *Arg.l.cum tale* 72.*in princ. de cond. & demonstr.*

17 Cum renunciatio & conuentio quantum liber generalis non referatur ad incogitata,*l.* 4. *&* 5.*l.qui cum tutoribus* 9. *de transact.l.emptor.*47 §. 1. *D.de pact.*

18 Bart.& post eum cæteri *ad l.qui Romæ* 122.5.*duo fratres, de verb oblig.*Fideicommissum tamen etiam conditionale ante conditionis euentum remitti potest, *l.* 1. *C. de pact. l. de fideicommisso* 11.*C.de transact.*

19 *L.quoties ab omnibus* 11.*C,hoc tit d. l. nihil proponi* 20. *omnibus,de leg.*1.*cum pater.*77. §.*libertis,de leg.*2.

20 *L.si fundum per fideicommissum* 91. vbi late Ias.& cæteri,*de leg.*1.§.*vlt.de leg.*2.*l.vlt.D.de pact dotal.*

21 Ex rationibus hac ipsa Definitione in contrarium allegatis.

DEFINITIO XXIX.

Ex eo actu qui fit ex necessitate non potest sumi coniectura voluntatis. Et donatio non extenditur vltra id quod donatum est.

SEd & in proposita specie illud pro fratre vrgebat, quod is iussus erat vxoris suæ testamento centum illa sorori in dotem dare. Non enim sumi poterat coniectura voluntatis ex eo actu, qui necessario fieri debuerat. [1] Potiusque credendus erat frater centum illa promisisse, vt obligationi satisfaceret, quam vt fideicommissarius, si quod vnquam sibi competiturum esset,remitteret. Est enim generale & perpetuum, vt cesset præsumptio donationis quoties alia minus odiosa capi potest. [2] Nec erat contrarium quod de suo frater ducenta pro dote dederat, cum tamen dotare sororem non teneretur. [3] Quasi ex ea liberalitate præsumendum esset, multo magis voluisse eum remittere ius futuri incertique fideicommissi, [4] ex vulgari illo nostrorum brocardico, vnam donationem facere, vt facile alia præsumatur, [5] Iniqua enim & captiosa videtur ea interpretatio, vt qui ducenta donauit trecenta quoque ideo donasse credendus sit. [6] Nam etsi donatio quatenus donatum est largissimum recipit interpretationem contra donatorem, [7] in cuius potestate fuit legem apertius dicere, [8] in eo tamen stricti iuris est, vt non plus donatum intelligatur quam verbis expressum sit. [9] Non obstabat, quod passus esset frater sororem sibi suisque dotem stipulari. [10] Id enim ratione illa factum videri poterat, quod ex eo matrimonio liberi superarentur, [11] item quod etiamsi fideicommissum nominatim exceptum fuisset, per manus tamen hæredum mulieris accipi deberet. [12] Itaque duplici opus erat restitutione, vna dotis, altera fideicommissi, quod non est nouum. [13] Denique ad rem non pertinebat, quod ad ratam totius dotis augmentum à marito constitutum fuerat. Nihil enim commune habere poterat augmentum dotis cum fideicommissi iure, [14] nec eo minus debebatur, quod soluto matrimonio dos restituenda esset, siue ex stipulatione siue ex fideicommisso ea restitutio fieri deberet. [15] Quid enim si alium quam maritum hæredem reliquisset? An non ducenta quoque restitui oporteret? [16] Et tamen perinde augmentum deberetur, etiam citra conuentionem sola consuetudinis potestate. [17] Nihil ergo vetabat deberi,subsistente licet fideicommisso. *In eadem causa.*

1 In consequentiam scilicet alterius actus præcedentis, *l.* 3.§.*scio, D.de minor.* Semper enim attenditur actus præcedens *l.*1.*D.qui potior.in pign.hab.* * Sic neque ex eo quod fit voluntarie inducitur necessitas,*l.*12.*C.de excusat.tutor.*

2 *Vulg.l.cùm de indebito* 25.*l.Procula* 29. *D.de probat.* quia scilicet donare est perdere,*l.filiusfamilias* 7.*D.de donat.*

3 Nisi cum soror consanguinea est,& honeste nubere aliter non potest,*l.cum plures* 12.§.*cum tutor, D.de admin.tut.*

4 Facilius enim est,vt quis rem incertam remittat & donet quam vt rem certam & indubitatam.*l C.de pact.l si pater puellæ* 12.*C.de inoff. test l.per diuersas* 34. *C.de mandat.*

5 *Ex l.si vero non remunerandi* 12.*inde Papinianus, D. eod. tit.mandat.*

6 Cum neque maior summa sit in minore,*l.*1.§ *si stipulanti, de verbor. obligat.* neque à minore ad maiorem bene inferatur.

7 *Cap.inter dilectos,Extr.de donat.*

8 *Ex regul.l.veteribus* 39. *D.de pact. l. Labeo scripsit* 21.*D. de contr. empt.*

9 Cum donatio fiat per stipulationem si iuris veteris rationem inspicias, stipulatione autem non contineatur, nisi quod verbis expressum est,*l.quicquid* 99.*de verbor.oblig.* Fiebat quidem olim etiam per traditionem donatio, *l. Papinianus* 20.*de donat.int.vir. & vxor.* sed eo casu tanto apertius est non posse dici donatum,nisi quod vere traditum fuit. Hodie vero fit etiam pacto nudo, *l.si quis argentum* 35. §. *pen. C. de donat.* Sed verbis semper opus est.

10 Quo casu dos censetur fieri propria filiæ, etiam si sit in potestate patris,*l.post dotem* 40.vbi Bart.*quæst* 4 *sol.matr.*

11 Quibus nullis superuenientibus non ideo fideicommisso renunciatum videbatur,*arg. l. Paula Callinico* 27. §. *Pompeius de legat.*3.Iunge *l.tale* 40. §.*vlt.de pact.*

12 Fideicommissi enim restitutio semper necessaria est,*l.* 1.*l.restituta* 17.*l facta* 63.*& pass.D. ad SC. Treb.* nisi in casibus de quibus *in l. pen. C.eod.*

13 *Vt in l.Babius* 30. *D. de pact. dotal.* iunct. *l.cum maritus* 29.§ *fin.eod.tit.l.pen.de dot.releg.*

14 Cum sint ista diuersa, ex diuersis autem non inferatur *vulg.l.Papinianus* 20.*D.de minor.*

15 Quia fideicommissum non faciebat quin dos & fuisse & præcessisse videretur,*l.vlt.*§ *filiæ.de leg.*2.

16 Vtique ex stipulatione nimirum expressa, pro qua tamen poterat etiam tacita sufficere, *ex l. vnic. Cod. de rei vxor. action.*

17 Vt dixi *ad tit.de donat.ant.nupt.supr.* vbi vide.

DEFINITIO XXX.

De reciproca substitutione fideicommissaria etiam ex coniecturis inducenda.

CVm reciproca substitutio fideicommissaria nulla est expressa, non facile eo decurrendum est, vt tacite inducatur ex coniecturis, [1] maxime inter liberos, inter quos verisimile est patrem ius legitimarum hæreditatum conseruare potius voluisse, [2] quam mutuo fideicommisso eos obstringere. [3] Itaque quamuis ad inducendum fideicommissum sola sufficiat coniectura voluntatis, [4] vix tamen vnquam reciprocum inducimus, nisi cum substitutio facta est vltimo decedenti, [5] licet in tota hæreditate adeoque post omnes facta sit. [6] Quid tamen si liberis aut cognatis proximis pluribus institutis, & extraneis substitutis testator iusserit, vt bona sua, *de vno institutorum & substitutorum in alium perueniant?* Aperta sunt verba mutuæ factæ substitutionis etiam inter fratres. Nam cum inter substitutos, qui extranei proponuntur, non possit videri testator conseruasse ius legitimatum successionum, [7] nec proinde vlla esset vis eorum verborum, nisi admittas ex iis induci reciprocam in-

BIU Cujas

tet eos substitutionem,[8] quidni eadem inter institutos quoque, tametsi verba deficerent, fiat interpretatio fauore liberorum superstitum, vtpote magis dilectorum tanquam descendentium & institutorum?[9] Cum vero testator de institutis & substitutis simul locutus esset, vtique non poterat videri fideicommissum induxisse reciprocum inter substitutos, inter institutos vero legitimarum successionum ius conseruare voluisse. Cur enim tam varie?[10] Sed neque ex solo legitimarum successionum ordine videbatur satisfieri posse voluntati testatoris, qui iusserat, vt non solum ab vno ex institutis ad cæteros, sed etiam ab institutis ad substitutos hæreditas sua deueniret? Quid enim si, vt euenerat, præmoriens quidem ex fratribus testatus esset, ac alios hæredes scripsisset, quam qui ab intestato erant successuri? An non sublato per testamentum ordine legitimarum successionum ipsa quoque testatoris voluntas erit sublata, nisi inter fratres quoque admittamus reciprocam substitutionem?[11] Nec simile est, cum agitur de substitutione pluribus impuberibus, aut nouissimo eorum facto, inter quos nimirum tantum potest ordo solus legitimæ successionis, quantum pupillaris reciproca,[12] nisi ad hoc, vt singuli testamentarium hæredem habeant, cum testamentum facere ipsi non possint, quomodo possunt qui pupillares annos excesserunt. Quamquam illud etiam accedit, quod multo facilius inducitur reciproca substitutio fideicommissaria quam pupillaris, quæ quoniam directa est coniecturis contenta esse non potest.[13] *Ita Senatus* in causa N. Nicolai Dauise Senatoris & liberorum Claudij Dauise & de Curtilles, Non. Jul. 1593.

1 Quamuis placeat posse illam quoque ex coniecturis induci, *l. cum proponebatur* 64. *de leg.* 2.

2 *L. vel singulis* 17. *de vulg. & pupill. substit.*

3 Propter votum captandæ mortis quod mutua huiusmodi fideicommissa inducunt, ex quo etiam fit, vt fraternam concordiam minuant, *l. de fideicommisso* 11. *C. de transact.* iunct. *l. vltim. C. de pact.*

4 Si nostris credimus *ex l. penult. de leg.* 1. *l. fideicommissa*, 11. *§. item si quis, de leg.* 3. *l. hæredes mei* 57. *§. cum ita*, D. *ad SC. Trebell.*

5 Notant DD. *ad d. §. cum ita, & ad l. pen. C. de impub. & aliis substit. ex l. Titia Seio* 87. *§. Seia libertus, de leg.* 2.

6 Socin. late *cons.* 113. *vol.* 1. Ias. post alios *in d. l. pen. C. de impub. & aliis substit.*

7 Nec enim extranei ius habent succedendi ab intestato, si neque agnati sint, neque cognati, *l. vlt. C. quor bonor.*

8 Verba enim omnia testamenti sic semper accipi debent, vt aliquid operentur *l. si quando* 109. *de leg.* 1.

9 *d. l. cum proponebatur* 64. vbi est text. elegans nec ab hac specie alienus, *de leg.* 3.

10 Non enim facile induci debet diuisio voluntatis, *l. eum qui* 18. *in fin. D. de his quæ vt indign.* sed potius debet fieri par & vniformis determinatio, *d. l. de vulg.*

11 *Arg. d. §. Seia libertus, & d. §. cum ita.*

12 *d. l. vel singulis.*

13 *L. iubemus* 29. & ibi DD. *C. de test.* Vide Castr. *ad l. omnia* 32. *alias l. cum ita. §. in fideicommisso, de legat* 2.

DEFINITIO XXXI.

Facile inducitur reciproca in fauorem personæ magis dilectæ, qua verisimiliter debeat excludere substitutum.

SEd & receptissima nostrorum sententia est substitutionem factam post omnes in tota hæreditate, licet non vltimo decedenti facta sit, censeri reciprocam fideicommissariam ex coniectura voluntatis,[1] quoties supersit persona magis dilecta, quæ ex eadem voluntate debeat excludere substitutum.[2] In proposita vero specie id euenerat, vt supersset persona magis dilecta cum supersessent fratres defuncti, iidemque liberi testatoris, & instituti.[3] Nec obstitit quod ageretur de excludendis non substitutis ipsis, sed hæredibus testamentariis.[4] Nam si ipsi quoque substituti excludantur per magis dilectos vi substitutionis reciprocæ, quidni multo magis excluduntur ij, de quibus testator non cogitauit?[5] Aut quî fieri possit, vt reciproca substitutio subesse intelligatur ad excludendos substitutos, quin subsit etiam ad excludendos alios quoscunque?[6] Alioqui eueniret absurdissime, vt eadem voluntas diuerso iure censeretur.[7] Et sane non id actum fuisse à testatore, vt ius legitimarum hereditatum inter liberos conseruaret, ex illo apparebat, quod masculos solos hæredes scripserat, filias vero non tantum ab institutione excluserat, sed etiam à substitutione, iisque agnatos prætulerat, quod tamen fieri non poterat saluo iure legitimæ successionis.[8] Mouit etiam Senatum, quod post omnes gradus testator ita scripserat, *quibus liberis, vt supra institutis, & successiue substitutis relinquo omnia bona mea.* Etsi enim poterant cõmode verba illa sic intelligi, vt institutis primum, deinde substitutis bona omnia relicta essent,[9] poterant tamen sic etiam accipi, vt iidem liberi, qui erant instituti, substituti intelligerentur.[10] Et hæc interpretatio conuenientior videbatur ad conseruandam defuncti voluntatem, ipsiusque in familia successionem.[11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum etiam reciproca substitutio dummodo sit fideicommissaria possit probari ex coniecturis, *d. l. cum proponebatur* 64. *de leg.* 2.

2 Ita ex communi Doctorum nostrorum sententia disputat & concludit Paulus Paris. *cons.* 44 incip. *D. Ambrosius, vol.* 1. Zanchus late *in repet. §. cum ita l. hæredes mei* 57. *ad SC. Trebell.* Ias. & alij *in l. pen. C. de impub. & aliis substit.*

3 Gloss. magna *in l. precibus, in princip. Cod. de impub. & aliis substit.*

4 Institutis scilicet à filio præmortuo.

5 Vtique enim minus dilecti fuerunt ij, de quibus non fuit cogitatum, & hæres hæredis instituti non venit ex iudicio defuncti, *l. qui liberis* 8. *in fin. D. de vulg. & pupill. substit. l. sciendum* 70. *de verb. signif.*

6 Nam & alij quicumque per substitutos excluderentur, si autem vinco vincentem te, multo magis vinco te, *l. de accessionibus* 14. *de diuers. temp. præscript.*

7 Quod esset absurdum, *l. eum qui* 28. *§. vltim. de his quæ vt indign.*

8 Cum ab intestato succedant omnes liberi sine vlla sexus distinctione, *l.* 4. *C. de liber. præt. Nouell.* 118. *de hared. ab intest. venient.*

9 Relatione facta ad diuersas personas institutorum & substitutorum.

10 Facile enim est, vt qui simul instituti sunt, iidem sint inuicem substituti, *l.* 4. *de vulg. & pupill. substit.*

11 Cum ea fuisset testatoris voluntas, vt bona in familia conseruarentur, exclusis ob eam nimirum causam filiabus, per quas id fieri non poterat, *l.* 1. *in fin. D. de iur. immunit.*

DEFINITIO XXXII.

Fideicommissum potest excedere quartum gradum, si modo non inducatur ex alienationis prohibitione.

COnstitutio Iustiniani, quæ fideicommissa vltra quartum familiæ gradum extendi prohibet,[1] ad ea fideicommissa non pertinet, quæ iis, qui sunt de familia in infinitum, aut vltra eum quartum gradum, diserte verbis relinquuntur, id est, quæ & realia sunt, & perpetua.[2] Sicut nec ad illa quæ à liberis aut agnatis quarti gradus, in quorum persona finiri debuerunt, renouata sunt, & repetita,[3] sed ad illa dumtaxat, quæ ex sola alienationis extra familiam prohibitione inducuntur.[4] *Ita Senatus* in causa Dominorum fratrum de Chiuron & curatoris hæreditatis iacentis Michaëlis de Villette, 10. Calend. Sept. 1593.

1 *Nouell.* 159. *vt restit. fideic. vsque ad quart. grad. consist.*

2 *L. omnia* 32. *alias l. cum ita*, 5. *in fideicommisso, de leg.* 2. *l. vltim. C. de*

tim. C. de verborum significat. Michael Grassus in §. testamentum, vtait huiusmodi fideicommissa porrigi ad decimum vsque gradum.

3 Repetitio enim facit rem nouam & nouum fideicommissum, l. repeti 5. D. quibus mod. vsusfr. amitt. l. licet Imperator 74. de legat. 1.

4 Paul. París. post alios cons. 72. num. 82. & seq. vol. 4.

DEFINITIO XXXIII.

Equites Hierosolymitani & Maltenses non admittuntur ad fideicommissum familiæ relictum, ne quidem quantum ad vsumfructum.

FIdeicommisso perpetuo familiæ relicto si excepti sint exclusique ecclesiastici, quod nobilium testamentis fieri plerumque solet,[1] placet Equites Hierosolymitanos, quos nunc Maltenses vocant, exclusos intelligi propter votum quod emittunt paupertatis, vt & obedientiæ & castitatis,[2] ita, vt nec quandiu viuunt, ad fideicommissum admitti debeant,[3] nec ad vsumfructū bonorum fideicommissorum. [4] *Sic Senatus* contra D. Abbatem de Vendosme, vt relatum est in ea causa, de qua Defin.[6] infr. Commun. de legat. & fideic. *Sine die*

1 Quia scilicet per ecclesiasticos & religiosos, qui vxorem ducere ac legitimos liberos suscipere non possunt familia nonnunquam testatoris conseruari non potest, *l. liberorum* 220. *in fin. D. de verb. signific.*

2 Ex quibus votis apparet equites istos non tantum ecclesiasticos esse, sed etiam religiosos, quamuis non ideo sint monachi.

3 Tanquam qui non sint vocati, sed exclusi.

4 Nam qui non potest admitti ad proprietatem, quæ per fideicommissum relicta fuit, multo minus potest admitti ad vsumfructum qui non est in fideicommisso.

DEFINITIO XXXIV.

Potest quis legare rem fideicommissarij, si modo aliquid dederit fideicommissario compensandi animo, quod fideicommissarius agnouerit.

CVm filio, cui Titianam hereditatem restituere rogatus erat pater, tum in tabulis dotalibus, quam in testamento bona alia pleraque pretiosiora compensandi animo donasset, eamque patris & viui & defuncti voluntatem filius agnouisset,[1] placebat valere legatum Titiani fundi, quod in alium siue filium, sine extraneum pater contulisset,[2] quia de re filij, non secus de sua testari ei licuisset.[3] Certum enim est posse testatorem legare rem heredis vt suam, & valere legatum etiam cum testator heredis rem fuisse ignorauit.[4] Multo igitur magis legando rem in qua heres ius aliquod habuit, censendus est legare voluisse etiam ius heredis.[5] Sed & constat animum compensandi ex eo probari, quod testator aliquid pro omnibus iuribus reliquerit;[6] adeo, vt hoc casu sibi etiam præiudicet legatarius, si pro ampliore iure exiguum legatum agnouerit compensandi animo relictum,[7] licet alioquin dici soleat non in plus posse quem onerari quā fuerit honoratus.[8] Neq; enim qui prohibitus est quicquam amplius petere, scindere potest voluntatem testatoris, sed legatum cum suo onere agnoscere cogitur. *Ita Senatus* in causa Dominæ d'Ambliſe, & Comitis de S. Amour. Cal. Febr. 1595.

1 *Vt in l. cum pater* 77. *§. Titio antepen. de legat.* 2.

2 *L. vnum ex familia* 67. *§. sed si vno, eod. tit.*

3 Cum etiam res aliena legari & per fideicommissum relinqui possit, *l. cum alienam* 10. *C. de legat.*

4 *d. l. vnum ex familia* 67 *§ si rem tuam, de leg.* 2.

5 Quia minus est habere ius in re quam habere rem ipsam, *l. si domus* 71. *§. vlt. de leg.* 1.

6 *L. Paula Callinico* 27. *§. Pompeius Hermippus, de leg.* 3.

7 *L. cum ab vno* 53. *& d. l.* 77. *§. Titio, de leg.* 2 *l. quæ dotis* 33. *solut. matrim.*

8 *L.* 1. *§. si is qui quadraginta, ad SC. Trebell. §.* 3. *vers. hoc solum, Inst. de singul. reb. per fideic. relict.*

9 *L.* 4. *&* 5. *de legat.* Tanti enim legatum æstimasse videtur, *l. Imperator* 70. *§. si centum, eod. tit.*

DEFINITIO XXXV.

In dubio non præsumitur testator grauasse descendentes in infinitum, & finitur substitutio statim atque in primo gradu locum habuit.

NOn est in dubio credendus testator voluisse fideicommisso perpetuo, & in infinitum grauare descendentes ab herede,[1] & substitutio facta in fauorem familiæ agnationis, aut plurium personarum, sub nomine collectiuo quale est liberorum, sibi locum vindicat in priore gradu, qui eo tempore supersit, quo cōditio existit, nec ad vlteriores gradus porrigitur, nisi expressim id testator voluerit. Itaque substitutis liberis, aut propinquioribus expirat substitutio simulatque in personis priore gradu positis locum habuit.[2] Hoc enim est quod dici solet substitutionem nō egredi personam substituti,[3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quia cum fideicommissum sit onus, non potest esse odiosa præsumptio perpetui fideicommissi. *Nouell. 159 vt restit. fideicom. vsque ad quart. grad. consist.* Vide *l. fideicommissa* 11. *§. si quis* 18. *de leg.* 3.

2 Et hic videtur esse sensus *l. omnia* 32. *alias l. cum ita, §. in fideicommisso, de legat.* 2. ponderando verba illa, *aut post omnes eos extinctos*, quibus verbis significatur casus vulgaris nō fideicommissi, & ita quoque videtur accipienda, *l. vlt. C. de verbor. signific.* vt omnes qui sunt de familia gradatim admittantur, & alij post alio, sed in casum vulgarem, vt constat ex versic. *ita videlicet.* Aliud est si testator fundum in familia relinqui voluerit, aut de familia alienari prohibuerit, *vt in l. peto* 69. *§. fratre, de leg.* 2.

3 *Argum. l. boues* 89. *§. hoc sermone,* & ibi Tiraquell. *de verb. significat.*

4 *d. §. in fideicommisso, in fin.*

DEFINITIO XXXVI.

Inducitur fideicommissum reale & consequenter purum, nec tantum graduale, sed etiam reciprocum quoties testator habuit respectum ad defectum liberorum.

INstitutis liberis masculis inuicemque per fideicommissum substitutis, itemque liberis eorum & liberorum liberis, postea filiabus & earum masculis cum onere ferendi nomen & arma testatoris, vt bona conseruentur in familia & agnatione, voluntatis coniectura capi potest factum à testatore fideicommissum reale, & consequenter quod non tantum reciprocum sit inter collaterales, sed etiam graduale inter ascendentes & descendentes, vt quandiu superest vnus ex familia, duret fideicommissum & omnes omnium portiones tandem ad vltimum morientem deuoluantur.[1] Itaque non habet hic locum quod dici solet, grauatis liberis sub duplici conditione, non ideo vocatos intelligi nepotes.[2] Nam imo vero vocati intelliguntur non ob duplicem illam conditionem adscriptam, sed ob factum reale fideicommissum, cuius probatio euidens est, cum appareat testatorem habuisse respectum, vt loquuntur, ad defectum masculorum, vt bona omnia in familia conseruarer.[3] *Ita Senatus* in causa D. de Bordeaux & D. Bonæ de Coste vxoris D. Baronis de la Serrà, 15. Calend. Mart. 1595.

1 Dixi *Defin.* 3. *&* 23 *in fin.*

2 Vt scripsi *Defin.* 2. *num.* 2 8.

3 Ex Crauett. *cons.* 326. *num.* 16. & aliis supra citatis *Defin.* 5. *num.* 8.

BIU Cujas

DEFINITIO XXVII.

Substituto per reciprocam superuiuente, & eius liberis, etiam superstites liberi ex præmortuo censentur vocati.

PAter institutis duobus liberis ita scripserat: *Et si contingat alterum ex ipsis ante alterum decedere vel suos sine liberis, substituo superuiuentem, & eius liberos & liberorum liberos.* Præmortuo fratre vno superstitibus liberis, tum alio sine liberis defuncto, quærebatur an fideicommissi conditio extitisset? Defecisse namque videbatur quod ad vtramque substitutionis partem, cum præmortuus liberos reliquisset, qui autem liberos nullos reliquerat fratri superstes fuisset. Non enim alius erat substitutus, quam qui supereſſet,[1] ac consequenter non alij liberorum liberi, quam qui ex superstite forent, no qui ex præmortuo. [2] Placuit tamen in fideicommissi interpretatione voluntatem testantis potius, quam testamenti verba inspici debere: [3] In proposito autem manifestam videri mentem testatoris; vt non tantum fratrem fratri fratrisque liberis substitueret, sed etiam fratris liberos: [4] Fratrem quidem primo loco, & sub illa conditione expressa, quæ tacite inerat, [5] si supereſſet. Neque enim fideicommissum vtiliter post grauati mortem ei relinqui potest, qui ante hæredem moritur; [6] sed si frater substitutus per fideicommissum ante grauatum decederet, quod facile cõtingere posse prudens testator præuidere & potuerat & debuerat, idem fideicommissum in casum vulgarem, [7] ad præmortui liberos voluerat peruenire, [8] si quandocumque alius frater sine liberis moreretur eiusve liberi sine liberis. Nam etsi frater qui liberos haberet, superstes fuisset, atque ita fideicommissum percepisset, suis tamen liberis ex nouo perpetuoque fideicommisso ad id fideicommissum reddendum obligatus esset. Substitutis nimirum liberis & liberorum liberis per verba tractum temporis habentia, ac proinde in casum non tantum vulgarem, sed etiam fideicommissi. [9] Et vero quis credat testatorem, qui tot substitutionum gradus fecisset, cogitasse de ea conditione adscribenda quæ faceret, vt omnes illi gradus interciderent, si contingeret præmori fratrem qui liberos suscepisset? [10] Imo nec fieri poterat, vt liberi liberorum, quos substitutos constabat, succederent primo grauato, si non aliter grauatus is erat, quam si fratrem superstitem relinqueret. Potiorem enim fratris causam esse oporteret tum liberorum, priusquam ad liberorum liberos peruenireturr; [11] nisi forte quis diceret vocatos liberorum liberos ad portiones ascendentium per fideicommissum gradualem, non item ad portiones collateralium per fideicommissum reciprocum. [12] Sed non ita erat. Quamquam enim fuerant illi etiam ascendentibus substituti per fideicommissum graduale, fuerant tamen & prius & apertius inuitati ad fideicommissum reciprocum & in casum vulgarem. [13] Cui porro vix locus esse poterat, si in necessarium antecedẽs fratrem, ex quo suscepti essent, fratri superstitem fuisse necesse esset. [14] Denique tametsi non tot substitutionum gradus facti essent, sed tantum substituisset pater filio sine liberis morienti fratrem superstitem eiusque liberos, adhuc tamen dicendum esset substitutum fratrem superstitem in concreto, vt philosophi loquuntur, potius quam in abstracto, id est, non quatenus superstitem, sed quatenus Antonium aut Joannem, [15] quamuis sub ea conditione siue tacita, siue expressa, si fratri supereſſet, post eum vero substitutos liberos similiter non quatenus liberos superstitis, sed quatenus liberos Claudij vel Joannis in eum potius casum, si Claudius ille vel Ioannes præmoreretur. [16] Is enim vnus est ex casibus illis vulgaribus, in quibus fideicommissum fauore liberorum habere locum potest. [17] Etsi nec negandum est substitutos liberos in eum quoque casum, quo pater supereſſet. [18] Imo vero hoc casu ex verbis, & voluntate, priore vero ex sola voluntate, verbis licet quodammodo repugnantibus. [19] Atque *Ita Senatus* in supradicta causa pronunciauit, vel ob id magis, quod ex alijs testamenti partibus apparebat cogitasse testatorem de inducendo reali fideicommisso, vt bona perpetuo in familia conseruarentur, [20] substituisse in eam rem post masculorum liberos masculos masculis quoque filiarum ea lege, vt nomen & arma gestarent familiæ testatoris, [21] quemadmodum scripsimus Senatusconsulto superiore.

1 Textus est in hanc rem apertissimus *in l. hæredes mei* 57. §. *cum ita D. ad SC Treb.*

2 Ex natura pronominis demonstratiui *eius*, quod non ad alium referri potest, quam de quo actum est in præcedentibus *l. vlt. D. ad SC. Trebell.*

3. *d. §. cum ita l. cum proponebatur* 64. *de leg.* 2. *l. fideicommissa* 1. *§ item si quis de leg.* 3.

4 *Vt & in l. Lucius* 85. *D. de hæred. instit.*

5 Non enim potest alius admitti ex fideicommisso quam qui supersit tempore existentis conditionis, *l. cum quidam* 24. *l. cum pater* 77 *§ hæreditatem si ius, de leg.* 2.

6 *L. Statius Florus* 28. *§. Cornelio Felici, D. de iur. fisc. l. vnic. §. pro secundo. C. de caduc. tollend.*

7 Quia casus vulgaris subdistinguitur in duplicem casum si nolet, aut non poterit fideicommissarius admitti, *l.* 3, *C. de hæred. instit.*

8 Philipp. Corn. *cons.* 37. *volum* 1. Scripsi *Defin.* 7. *supr. cod. & Defin.* 14.

9 Scripsi *Defin.* 6. *& 8. num.* 10. *& Defin.* 11. *supr. de impub. & alii substit.*

10 Ea nempe in dubio capienda est interpretatio, quæ testatoris voluntatem diutissime conseruet, cum appareat testatoris eam fuisse voluntatem, vt suam dispositionem ad plures & vlteriores gradus extenderet, *l. omnia* 31. *alias l. cum ita, §. in fideicommissum, in fin. de leg.* 2. Obserua tamen, quoties fideicommissi, vt & institutionis plures gradus sunt, rupto primo gradu rumpi etiam sequentes omnes, qui ab eo dependentiam habebant, vt tradit Castr. *ad Auth. ex causa, num.* 7. *ex l.* 5. *§. vltim. de inoff. rupt.* Videntur enim omnes gradus fideicommissi habere eam conditionem, si primus gradus valebit. Alexand. *cons.* 1. *vol.* 1. Aliud ergo est si sequens gradus non habeat dependentiam à primo, *vt in dict. §. cum ita l.* 57. *ad SC. Trebell.*

11 Vt inter vocatos ordo scripturæ seruaretur, *l. cum pater* 77. *§. penultim. de legat.* 2. *dicit. l. hæredes mei, §. vltim. ad SC. Trebell.*

12 Vt in iis speciebus, de quibus *Defin.* 1. *num.* 10. *& Defin.* 13. *num.* 7. *supr.*

13 Per illa verba, *substituo superuiuentem, & eius liberos.*

14 Quia eo casu verisimiliter superstes pater ex fideicommisso succeſſisset, quandoquidem succedere potuisset. Non enim facile repudiatur fideicommissum siue singulare sit, quia vix potest esse damnosum, vt nec legatum, *l. si hæreditatem* 32. *D. mandat* siue vniuersale, Quia licet obliget æri alieno fideicommissarium, *l. non enim* 38. *D. ad SC. Trebell.* potest tamen agnosci cum beneficio inuentarij *Not. in l. vltim. Cod. de iur. delib.*

15 Vt scripsi *Defin.* 7. *& 23. sup.* ex Philip. Corneo *cons.* 37. *volum* 1.

16 Ita vt in effectu substitutis liberis superstitis, etiam liberi eius, qui præmortuus est, ad fideicommissum vocentur. Quod ego non grauate admitto, si reciprocum fideicommissum factum sit inter nominatos. Sed si simpliciter præmorienti substituatur superstes & eius liberi, nulla ratio pati videtur, vt superstiti etiam sine liberis morienti substitutum videatur, quia euidenter verba repugnant, nec voluntas fauet, *arg. l. si ancillas* 63. *de leg.* 1.

17 Quoniam qui præmortuus est, succedere ex fideicommisso non potest *d. l. Statius* 28. *§. Cornelio, D. de iur. fisc.*

18 Scilicet si is ex fideicommisso succedere vel nollet, vel non posset.

19 Sufficit enim, vt non omnino repugnent, *l. talem* 51. *in fin. D. de hæred. inst.* Potiorque causa est voluntatis, *dict. §. cum ita.*

20 Vi

20 Vt dixi *Defin. præced. nu.* 3. Cravet. *conſ.* 326. *nu.* 16.

21 Cum aliter non poſſint bona conſeruari in familia per maſculos ex fœminis deſcendentes, *lege* 1. *in fin. D. de iur. immunit.*

DEFINITIO XXXVIII.

Fideicommiſſum conditionale non tranſmittitur ne quidem ad liberos, niſi ex coniecturis, quibus tamen locus nullus eſt ſi ſuperſtes ſubſtitutus ſit, nulla liberorum facta mentione.

IVris regula eſt, fideicommiſſum conditionale non eſſe tranſmiſſibile, ſi ante conditionis euentum fideicommiſſarius deceſſerit, [1] ne ad liberos quidem, [2] ſed receptiſſima eſt noſtrorum ſententiat fieri poſſe tranſmiſſibile ex voluntate teſtatoris, etiam de qua non niſi per coniecturas appareat. [3] Illa verò fortiſſima coniectura eſſe creditur, ſi teſtator vni ex hæredibus ſubſtituerit ſuperuiuentem, & eius liberos. Etſi enim iis verbis ad fideicommiſſum inuitati videntur liberi ſuperſtitis, ſi nudam verbum figuram & corticem inſpicias, voluntas tamen teſtatoris ſuadet potius, vt eam interpretationem accipiamus, per quam in eum potius caſum vocati liberi videantur, quo pater præmoreretur. [4] Sane ſi ſuperſtes tantum ſubſtitutus eſſet, id eſt, nulla liberorum adiecta mentione, faceret, ea dictio, vt omnimodo tranſmiſſio impediretur. [5] Illo enim caſu locum haberet quod dici ſolet, expreſſa nocere, quæ non expreſſa non nocerent, [6] nimirum propter concurrentem iuris rationem, quæ impedit tranſmiſſionem. [7] Illa etiam tranſmittendi fideicommiſſi probabilis coniectura eſſe creditur, ſi ad fideicommiſſum expreſſe inuitati ſint alij minus à teſtatore dilecti, quam ij fuerint, qui fideicommiſſum in ſe tranſmiſſum volunt. [8] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *L.* 4. *D. quand. dies leg. ced. l. ſi cui legetur*, 49. §. *hoc autem legatum. de legat.* 1. *l. vnic.* §. *ſin autem aliquid ſub conditione, C. de cadut. tollend.*

2 *L. hæredes mei* 57. §. *cum ita, ad SC. Trebell. Not. in l. vn. Cod. de his qui ant. apert. tab. contra gloſ. in l. is cui*, 42. *de obligat. & action.*

3 Sic enim Zanch. & alij *in d.* §. *cum ita.*

4 Vt dixi *Defin. præced.* vbi vide præſertim *num.* 16.

5 Per text. expreſſum *in d.* §. *cum ita.*

6 *Vulg. l. expreſſa* 195. *de regul. iur. l. nonnumquam* 5. *de condic. & demonſt.*

7 Fideicommiſſum enim conditionale ante conditionis euentum nihil eſt, *d. l. is cui*, quod autem nihil eſt, non poteſt eſſe tranſmiſſibile, cum non entis nullæ ſint qualitates, *vulg. iurib.* Scripſi *in Error.* 3. *Dec.* 31. *de error. pragmat.*

8 Zanch. & alij *in d.* §. *cum ita.* Semper enim abſurdum eſt meliorem eſſe conditionem eius, qui minus dilectus fuit, *l. Publius* 36. *l.* 1. *D. de cond. & demonſt.*

DEFINITIO XXXIX.

Fideicommiſſum ſuo hæredi iniunctum confirmatur per ſolam exiſtentiam ſui hæredis, nec requirit probationem agnitæ hæreditatis.

SI fideicommiſſum pater à filio reliquerit, deinde fideicommiſſi condicio extiterit, non eſt arctandus fideicommiſſarius, vt probet agnitam à filio paternam hæreditatem. [1] Etſi enim nec fideicommiſſum nec quicquam aliud teſtamento relictum aliter valere poteſt, quam ſi agnitam conſtet hæreditatem ex eo teſtamento, niſi fideicommiſſa, cæteraque relicta etiam à venientibus ab inteſtato ſint repetita, [2] in iis tamen qui & ſui hæredes ſunt, & neceſſarij non eſt neceſſaria immiſtio ad hoc, vt reſtituatur hæreditas & transferantur actiones ex Trebelliano. [3] Qui enim ſunt in poteſtate ſtatim ſunt hæredes ex teſtamento, nec quod ſe poſſunt abſtinere quicquam facit. [4] In eoque diſpar conditio eſt liberorum, qui ſui ſunt hæredes; & ſeruorum, qui non ſunt niſi neceſſarij. Hi enim coguntur ſe immiſcere, [5] non vt eo magis transferant actiones, (ſufficit enim quod hæredes ſint ipſo iure, [6]) ſed ob hoc ipſum, ne vllo caſu data iis videatur facultas abſtinendi. [7] Etſi autem ius hoc erat olim ſingulare filiorumfamilias, quod eſſent ſui hæredes, [8] idem tamen nunc obtinet in quibuſcumque liberis, poſtquam placuit, vt in deſcentes quoſcumque hereditas aſcendentium quaſi ipſo iure quæſita tranſmittatur. *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *L. ea quam* 14 *C. hoc tit. l. ſi nemo* 9. *D. de teſtam. tutel.*

2 *L. generaliter* 24. §. *ex teſtamento, D. de fideicomm. libert. l.* 1. *C. eod.*

3 Quoniam exiſtentia ſui hæredis confirmat fideicommiſſum, *l. ita tamen* 27. § *ſi pater ad SC. Trebell.* cum etiam tabulas pupillares confirmet quod multo plus eſt, *l. ſi filius* 12. *de vulg. & pupill. ſubſt. l. Iulianus* 42. *alias l. ſi pupillus, D. de acquir. hæred.*

4 *L.* 1. §. *qui ſunt in poteſtate, D. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

5 *L. recuſare* 6. §. *hoc Senatuſconſultum D. ad SC. Treb.*

6 *L. neceſſariis* 57. *in fin. de acq. hæred.*

7 Habent enim dumtaxat beneficium ſeparationis, ſi non attigerint bona defuncti. *l.* 1 §. *vlt. D. de ſeparat.*

8 *L. in ſuis* 11. *de liber. & poſt. l. in ſuis* 14. *D. de ſuis & legit.*

9 *L. vnic. C. de his qui ant. apert. tabul.*

DEFINITIO XL.

Pactio cohæredum reciprocam inter ſe ſubſtitutionem remittentium non nocet fideicommiſſariis ex graduali reciproco fideicommiſſo vocatis.

CVm eſſet fideicommiſſum perpetuum in familia relictum, nec tantum reciprocum inter cohæredes & cohæredum deſcendentes, ſed etiam graduale, vt parentes liberis ſuis reſtituere cogerentur, [1] mutua vero cohæredum voluntate cum hæreditatem diuiderent remiſſum fuiſſent; [2] Placuit nullum ex ea re præiudicium fieri deſcendentibus, quo minus ius ſuum exequantur, cum ex propria perſona ſint vocati. [3] Quare nec intererit, an bonorum diuiſioni, quam teſtator inter cohæredes inuicem ſubſtitutos fecerat, cohæredes ipſi conſenſerint, an aliter bona inter ſe diuiſerint. [4] Nam cum duplex fideicommiſſum ſit, graduale & reciprocum, quod ex graduali debitum fuiſſet ab aſcendentibus ſi iudicio teſtatoris cohæredes ſteriſſent, petetur ex reciproco à collateralibus, mutata dumtaxat rerum & perſonarum potius, quam fideicommiſſi cauſa. [5] *Ita Senatus* in eadem cauſa [13]. Calend. Aug. 1595.

1 Quod euenit cum teſtator iuſſit bona perpetuo in familia remanere, *vt in l. peto* 69. §. *fratre, de legat.* 2. & habuit reſpectum ad defectum liberorum. Dixi *Defin.* 3. 23. *& 36. ſupr.*

2 Remitti enim poteſt conuentione expreſſa. *l.* 1. *C. de pact. l. de fideicommiſſo* 11. *Cod. de tranſact. Not. in l. qui Romæ* 122. §. *duo fratres, de verbor. obligat.* [Sed conſenſum expreſſum eſſe oportet, nec tacitus ſufficeret. Gloſ. *in d. l. nihil.* 120. §. *de leg.* 1. Sed neque expreſſus ſi à pupillo vel minore præſtitus eſſet. Caſtr. ad *l. quoties* 15. *C. hoc tit.* Duobus tamen portiones ſuas ſimul vendentibus, quas inuicem reſtituere rogati erant, cùm fideicommiſſum non ignorarent, placet non videri eos fideicommiſſi petitionem inuicem remiſiſſe, ſed ad precium agere debere quod ex venditione perceptum eſſet, non tamen inquietare emptorem poſſe qui bona fide & fideicommiſſario ſciente comparauit, *argum. l. vltim.* §. *de leg.* 2. *l. quidam* 25. §. *ſi quis filium ad SC. Trebell.* Nec enim Iuſtiniani conſtitutionem in *l. vltim. Cod. commun. de leg.* ad hunc caſum pertinere credendum eſt, cùm venditio rei fideicommiſſariæ facta fuit ſciente fideicommiſſario. Sanè qui conſentit venditioni faciendæ in futurum, nec rem nec precium petere poteſt, quia fideicommiſſum prorſus remiſiſſe intelligitur, ſicut & qui conſentit vēditioni rei fideicommiſſariæ purè relictæ. Sed aliud eſt in venditione rei debitæ per fideicommiſſum con-

BIU Cujas

ditionale duntaxat, cuius conditio nondum extiterit, quia futurum ius per præsentem renunciationem remitti non potest. Socin. *cons.* 43. *ante fin. vol* 4. *Ita Senatus* pro Andræa Grauual, contra N. Ioannem Paquelet 3. Calend. Maij 1611.]

3 Nec consenserint remissioni fideicommissi, *l. nihil proponis* 120. §. *omnibus, de leg.* 1. *l. quoties ab omnibus* 11. *C. hoc tit. l. cum pater* 77. §. *libertis, de leg.* 2.

4 Possunt enim coheredes communi consensu recedere ab ea diuisione, quam testator præscripserat, sed non in præiudicium tertij.

5 *Argum l. Imperator* 70. §. *vltim. & l. seq. de legat.* 2. Iunge *Defin. seq.*

[DEFINITIO XLI.

Bona coheredi à coherede per transactionem data in supplementum portionis hereditariæ veniunt in fideicommissum eiusdem portionis, etiamsi nunquam fuerint testatoris.

FRatres de restituenda inuicem hereditate rogati si quis eorum sine liberis moreretur, cum diuisioni bonorum, quam pater testamento fecerat, stare nollet, conquerente vno ex ipsis, quod cum ex semisse institutus esset, tamen longe minorem portionem ex prælegato accepisset,[1] transactione conuenerant, vt noua bonorum diuisio fieret, per quam ad æqualitatem reducerentur. In eamque rem qui plus ex paterna substantia consecutus dicebatur consenserat, vt de bonis propriis, & à se post patris mortem quæsitis fratri sarciretur. Defuncto postea sine liberis fratre, qui ea bona in portionem suam acceperat, quærebatur an superstes frater eiusve liberi iidemque substituti ea ipsa bona consequi ex substitutione deberent?[2] Et quidem quod ad eas res pertinebat, quas ipse ex testamento & iudicio patris habuerat, minus poterat dubitari, tametsi à testamẽto fratres per nouã diuisionẽ recessisse viderẽtur.[3] Sed pro ea bonorum parte, quæ ex diuisione amplior obtigerat, quam testamento data fuisset, maioris res erat dubitationis, in eo saltem quod excedebat.[4] Nam quod dici solet in vniuersalibus,[5] præsertim in fideicommissis, facile induci subrogationem vnius rei in locum alterius,[6] non potest ad rem facere, nisi quatenus subrogatio facta est,[7] & consequenter quanti res fuit, in cuius locum alia subrogata est. Cæterum in eo quod excedit nõ potest videri res peruenisse ad grauatum ex testamento.[8] At neque ex iudicio testatoris, quin potius ex mera voluntate & liberalitate fratris, qui cum nullo iure cogeretur plus fratri dare quã pater testamento dedisset, maluit tamen erga fratrem agere liberaliter.[9] Itaque pro eo excessu fideicommissum inducere absurdum videtur, & contra voluntatem testatoris nunquam fideicommissario plus tribuendum est, quam ei tribui testator voluerit.[10] In proposita tamen specie contraria sententia placuit Senatui, Ea potissimum ratione quod cum fideicommissaria substitutio non in re certa, sed in quota hereditatis facta esset,[11] id est, in amborum semissibus, neque ea quota per diuisionem inter fratres factam imminuta esset,[12] sed tantum aucta ex vna parte æstimatio, vt portiones reducerentur ad æqualitatem,[13] consequens erat, vt in bonis omnibus, quæ quisque pro sua portione hereditaria, vel consecutus fuisset, vel retinuisset, idem ius fideicommissi substiteret,[14] ne alioqui redactis per nouam diuisionem fratribus ad æqualitatem in honore & cõmodo portionum hereditariarum, hoc ipso impares fierent, & inæquales in onere fideicommissi,[15] manente onerata integra portione eius ex fratribus, qui vltro & liberaliter fratris sui portionem auxisset; atque ita ex eo quod factũ esset ad inducendã æqualitatem induceretur inæqualitas.[16] Ex qua ratione apparebat, nihil interesse an de paternis bonis, an de propriis frater fratris portionem auxisset, cum si de propriis non dedisset, de hereditariis daturus fuerat, vt fratris portio supleretur.[17] Eo magis quod eiusmodi diuisione conuenerat, vt in cæteris omnibus saluum esset inter fratres ius testamenti. Quæ clausula sicut non ad aliud ius referri poterat, quam ad ius fideicommissi inter fratres mutuo relicti,[18] ita nec ad alia bona, quam quæ vtrique fratri ex diuisione, licet longe aliter quam ex testamento obuenissent.[19] Igitur ea quoque bona, quæ ex iudicio testatoris ad fratrem superstitem peruenerant, aut quæ is aliunde sibi quęsierat, non eo minus ad ipsum ex fideicommisso reuerti debere visum est, quod in fratrem sine liberis præmortuum ex diuisione translata essent,[20] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 1. supr. famil. ercisc. & Defin. 7. & 8. supr. De hered. instit.

1 Quanquam hæc ratio querelæ non erat insita, cum posset pater etiam æqualibus factis partibus in hereditate, inæqualem tamen facere bonorum diuisionem, *l. ex facto* 35. *D. de hered. instit.*

2 Cum scilicet substitutionis conditio euenisset præmortuo fratre sine liberis.

3 Secundum ea quæ scripsimus *Defin.* 11. *supr. famil. ercisc. und.* vbi vide.

4 Quasi id, quod excedebat, fideicommisso non contineretur.

5 *L. si & rem & pretium* 21. vbi Bart. & alij, *D. de hered. petit.*

6 *L. Imperator* 70. §. *vlt. & l. seq. de legat.* 2.

7 Vt limitata causa limitatum pariat effectum, *l. in agris* 16 *D. de acquir. rer. domin.*

8 Sed ex pacto, *vt in l. debitor* 59. §. *vltim. D. ad Senatusc. Trebell.*

9 *Arg. l.* 3. *D. ad leg. falcid.*

10 *d. l. debitor in fine principij* in illis verbis, *& cum testator ei alterutrum dederit. & l. facta* 63. § *si sub conditione, D. ad SC. Trebell.*

11 Nec enim pars hereditatis in vna re certa consistere intelligitur, *l. quamuis* 14. *D si quis omiss. caus. testam.*

12 Conuenerat enim, vt singuli heredes essent & manerent ex suo quisque semisse, ex quo singuli fuerant instituti.

13 Nam cum hereditatis partes sint homogeneæ, & in iure consistant non in corpore *l. hereditas* 50. *D. de hered. petit.* facile recipiunt & augmentum & diminutionem, *l. item veniunt* 20. §. *item non solum, eod. tit.*

14 Quod enim non fuit mutatum curstare prohibeatur? *l. sancimus* 27. *C. de testam.*

15 Cum tamen ex qualitate & quantitate oneris regulanda etiam sit qualitas & quantitas honoris, & contra *l. alumnæ* 30. §. *ab heredibus, de adim. legat. l. vtrum* 7. *vlt. de reb. dub.*

16 Quod esset absurdum, *l. legata inutiliter* 14. *de adim. legat. l. legata* 19 *de leg.* 3.

17 Eiusdem enim naturę & conditionis est supplementum ac incrementum, cuius & ipsum principale cui accedit, *l. inter socerum* 26. §. *cum inter, de pact. dot. al. l. etiamsi* 8. *C. de iur. dot. l. scimus* 36 §. *repletionem, C. de inoffic. testam.*

18 Ac si conuenisset, vt derogatio nulla fieret iuri fideicommissi, *vt in l. Babius* 30 *in fin. de pact. dotal.*

19 Obuenerant enim omnia iure hereditario, cum ea frater habuisset non alio iure, quam quia fuerat heres ex semisse institutus.

20 Ne vna eademque portio hereditaria diuerso iure conseretur, contra *l. cum qui* 24. *de vsucap.* aut diuisio voluntatis induceretur, contra *l. eum qui* 18. *in fin. D. de his quæ vt indign.*

DEFINITIO XLII.

Fideicommissum reale omnimodo locum habet quandiu superest aliqua persona ex vocatis, non inspecto eo, an priorum fideicommissorum conditio extiterit an defecerit.

FIdeicommissum reale inducitur non solum si prohibita sit alienatio adiecta illa ratione prohibitionis, quod testator velit bona conseruari in familia,[1] sed etiam si constet habitum ab eo respectum ad defe-

ad defectum liberorum,[2] multo magis si ad defectum masculorum.[3] Hoc enim casu quamdiu supereſt vnus ex liberis, aut ex masculis poteſt ille admitti ad fideicommiſſum. Nec inſpicimus an conditiones extiterint necne, ſub quibus priores fuerant ſubſtituti;[4] ſed illud tantum, an aliquis ſuperſit ex iis, quibus extantibus fideicommiſſum quoque durare teſtator voluerit. Et conſequenter an priores vocari deceſſerint, quocunque tandem modo & tempore deceſſiſſe proponantur: Reale ſiquidem fideicommiſſum illud intelligimus, quod abſolutum, continuum, purum & ſimplex eſt ad differentiam conditionalis, quod ſuas habet easque præciſas & ſpecifice implendas conditiones.[5] Itaque hoc caſu is, qui ſolus ſupereſt ex liberis, aut ſi ad maſculorum defectum teſtator reſpexerit, ex maſculis, non huius aut illius cohæredis aut ſubſtituti portionē petit, ſed omnia omnino bona, quæ teſtatoris fuerunt, & ab eo primum oneri fideicommiſſi ſuppoſita, non inſpecto eo, an ex huius vel ex illius perſona fideicommiſſi conditio euenerit. Sufficit enim quod hodie alius nullus ſuperſit ex iis, qui ante actorem ad fideicommiſſi petitionem admitti potuerunt.[6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Eſt enim hoc fideicommiſſum efficacius & enixius, quam ſi teſtator ſimpliciter bona ſua extra familiam alienari prohibuiſſet, quo caſu fideicommiſſum non purum induceretur, ſed conditionale in caſum contrauentionis. Notat. *in l. filius familias* 14. §. *Diui* 2. *de legat* 1. Dixi *Defin.* 4. *ſupr.*

2 Crauet. *conſ.* 316. *num.* 16. poſt alios ſupra citatos, *Defin.* 3. *num.* 8.

3 Qualitas enim maſculinitatis, multum facere ſolet ad inducendum fideicommiſſum, vt ex iis conſtat quę tractat Iul. Clar. *in §. teſtamentum, qu.* 78.

4 Quod tamen inſpiciendum eſſet, ſi ad certas perſonas certoſve caſus alienationis prohibitio reſtricta eſſet, vt dixi *dict. Defin.* 4.

5 Notat. *in d. l. filius familias* 114. §. *Diui* 2. *de legat.* 1.

6 *L. peto* 69. §. *fratre, de legat.* 2. Notat. *in l. omnia* 32. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommiſſo. eod. & in l. vlt. C. de verb. ſignific.*

DEFINITIO XLIII.

Ex quibus coniecturis liberi poſiti in conditione cenſeantur vocati?

Liberi quidem poſiti in conditione etiam duplici, ideoque adiecta nota, vt aiunt, maſculinitatis non cenſentur ad fideicommiſſum inuitati.[1] Sed tamen fallit ea traditio pleriſque caſibus ex tacita & coniecturata mente teſtatoris.[2] Inter cæteros autem caſus ille vnus eſt, ſi teſtator habuerit reſpectum ad defectum liberorum, præſertim maſculorum.[3] Item ille, ſi liberi iſti in conditione poſiti expreſſim patruo ſubſtituti proponantur. Multo enim magis credendi ſunt ſubſtituti in portione parentum, cuius ratione poſiti etiam ſint in conditione.[4] Item ſi vltimo decedenti alius ſit ſubſtitutus in tota hæreditate.[5] Neque enim fieri poteſt, vt vltimus ille decedens totam hæreditatem reſtituat, quam non prius totam perceperit.[6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Vt ſcripſi *Defin.* 1. *&* 2. *ſupr.*

2 Poſtquam placuit ex coniecturis fideicommiſſum induci poſſe, *l. pen. de legat.* 1. *l. cum proponebatur* 64. *de legat* 2. *l. fideicommiſſa* 11. § *item ſi quis. de legat.* 3. *l. hæredes mei* 57. §. *cum ita. D. ad SC. Treb.*

3 Vt dixi *Defin. præced.* ex Crauet. *conſ.* 316 *nu.* 16.

4 Quia maior ratio eſt, vt patris portio perueniat ad liberos, quam vt portio patrui ad filium fratris, *l. cum auus* 102. *de de cond. & demonſt. l. cum acutiſſimi* 30. *C. hoc tit.*

5 Zanch. & alij *ad d.* §. *cum ita, not. ad l. penult. C. de impub. & aliis ſubſtit.*

6 Quæ ratio perpetua eſt Interpretib. noſtris ad inducendam reciprocam, quoties facta eſt ſubſtitutio vltimo decedēti in tota hæreditate, *l. Titia Seio* 87. §. *Seia libertis, de legat.* 2.

DEFINITIO XLIV.

Caſus in quo legatarius tenetur alteri propter onus inſertum legato, quod tamen ipſe nunquam habuerit.

CVm Sempronius Titij creditor fundum Cornelianum pignoris iure in antichreſim poſſideret, is fundus à teſtatore tibi legatus eſt, ea lege, vt Sempronio debitum ſolueres,[2] eoque fundo Mæuium quamdiu viueret frui paterere. Si legatum petieris per iudicem & obtinueris, nec tamen Sempronio debitum ſolueris, teneris in id omne quod intereſt Mæuij, quia fruitus non ſit.[3] Non tamen à die agniti & petiti legati, cuius controuerſiam ab hærede patiebaris,[4] ſed ab eo tempore quo pro te iudicatum eſt, cum per te factum ſit quo minus ex eo die frui Mæuius potuerit.[5] Ita fiet, vt debitum ſoluas, nec tamen legati emolumentum vllum, viuo Mæuio, percipias. Nempe quoniam ea legati, quod tibi relictum eſt, conditio fuit,[6] nec ad rem pertinet, quod ſi legatum repudiaſſes, non aliter vſumfructum in eo fundo Mæuius habere potuiſſet, quam ſi debitum de ſuo ſoluiſſet.[7] Quo caſu ad concurrentem vſque debiti quantitatem legatum vſusfructus vtique imminutum fuiſſet.[8] Neque enim fieri poteſt, vt non plus commodi percipiat Mæuius ex legato ſibi vſufructu ob id, quod debitum ſoluere debueris ad legati tui proprietatem conſequendam, quam ſi oneri tuo ea res non eſſet,[9] Nam etſi tibi fundus legatus non fuiſſet, at in hæreditate manſiſſet, haud dubie ſoluendi debiti onus non ad Mæuium fructuarium ſed ad hæredem pertinuiſſet.[10] *Ita Senatus* in cauſa Iacobinæ Aprin viduę Procuratoris Alberti, contra filiam hæredemque D. Senatoris de Beauſuiour, 5. Cal. Sept. 1595.

1 Hoc eſt ea lege, vt creditor ſuos fructus faceret in vicem vſurarum *l. ſi is qui* 11. § *ſi antichreſis, D. de pign. l. ſi pecuniam* 33. *D. de pign. act.*

2 Ne illa ſupereſſet quæſtio, ad quem luendi neceſſitas pertineret, *l. ſi res obligata* 57. *de leg.* 1.

3 Non enim potuiſti legatum tuum agnoſcere ſine onere, quod fuit admixtum legato, *l.* 4 *&* 5. *de legat.* 2.

4 Si tamen hæres tibi condemnatus ſit ad aliquid hoc nomine id quoque te Mæuio præſtare æquum erit, aut ſaltem actione iudicati cedere, cum id ſine diſpendio tuo futurum ſit, *arg. l. in creditore* 38. *in fin. de euict.* Nec enim lucrum vllum ex eiuſmodi legato penes te manere debet viuo Mæuio.

5 Quia ex eo die potuiſti pecuniam offerre Sempronio eique pignoris poſſeſſionem aufferre.

6 *d. l.* 5. *de legat.* 2.

7 Nec enim hæres grauatus erat, vt lueret pignus in Mæuij commodum & fauorem.

8 Argument. eorum quę notantur *in l. vltim. D. de vſufruct. legat.*

9 Nec habes quod conqueraris cum legatum agnoueris, quod potueras repudiare. Itaque non poteſt hoc caſu obiici, quod ſcriptum eſt *in l. paterfamilias* 28. *verſ. eorumque nihil interfuerit, D. de reb. auctor iudic. poſſid. alias l.* 13. *de pruuil. credit.*

10 *d. l. ſi res obligata* 57. *de legat.* 1.

DEFINITIO XLV.

Iuſſus luere pignus vſque ad certam ſummam, quod pro maiore fuerat obligatum, non cogitur maiorem præſtare, ſed incumbit ea res illi, cuius lucro ceſſura ſit luitio, ſalua contra hæredem repetitione.

QVid ergo ſi teſtator certam ſummam præſcripſerat, quæ à te ſolui deberet, amplior autem Sempronio debeatur, ſiue ſortis nomine ſiue vſurarum, aliarumve acceſſionum?[1] Quid ſi præterea eidem creditori chirographaria pecunia debeatur, pro qua etiam pignus retineri poſſit?[2] An cogendus eris totum ſoluere, cum nec aliter fieri poſſit, vt vſumfructum in

BIU Cujas

eo fundo Mœuius habeat?[3] Minime vero, sufficit enim, vt eam quantitatem præstes, quam à te præstari testator voluit.[4] Reliquum igitur ab ipso Mœuio præstandum erit, salua ei aduersus heredes repetitione.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam & vsurarum & aliarum accessionum ratione habet creditor idem ius pignoris, & ab eodem tempore, *l. Lucius* 18. *D. qui potior. in pign. hab.*

2 *L. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

3 Nec enim quicquam prodest partem debiti soluere ad pignus liberandum, *l. in executione* 85. *§. pen. de verbor. oblig.*

4 Onus enim ad certam summam restrictum ampliari non debet.

5 Quoniam ea solutione liberatur hæres, ad quem pertinet onus æris alieni, *l. vlt. C. de hæred. act.*

DEFINITIO XLVI.

Vulgaris substitutio interdum flectitur in fideicommissariam si adsit prohibitio alienationis, dummodo ad omnes substitutorum gradus pertineat.

QVamquam substitutio, quæ *Titium & suos* ad hæreditatem vocat, vulgaris esse creditur non fideicommissaria,[1] nisi additum sit verbum aliquod habens tractum temporis,[2] si tamen eadem scriptura testator bonorum suorum alienationem prohibuerit, magis placet, vt Titio liberos per fideicommissum substituisse existimetur,[3] ne alioqui frustra prohibitio facta reperiretur, si ad eum dumtaxat casum pertineret, quo vulgaris substitutio locum sibi vindicaret.[4] Cum neque alienare quicquam possit Titius, nisi prius hæres factus,[5] neque posteaquam hæres ex institutione factus est, possit vnquam vulgaris substitutionis conditio euenire, quæ per aditionem hæreditatis expirauit.[6] Enimuero si pluribus Titio gradatim substitutis soli Titio interdicta sit alienatio, coniectura voluntatis ex ea prohibitione capi nulla poterit, vt per fideicommissum posteriores gradus vocare voluerit, ad quos prohibitionem ipsam non extendit.[7] Quæ res facit, vt nec illi, quos primo gradu Titio substitutos voluit, possint dici per fideicommissum vocati ne vna eademque substitutio iisdem plane verbis concepta, pro graduum & personarum diuersitate, diuerso iure censeatur.[8] Ita fiet, vt inutilis futura sit prohibitio, quæ non aliam quam ipsius prohibiti vtilitatem habeat pro causa.[9] Sed hæc quidem obtinent ex traditionibus interpretum, qui substitutiones omnes sic accipiendas esse volunt, vt pro directis potius, quam pro fideicommissariis habeantur.[10] Nam si testantium præsertim rusticorum voluntates, adeoque Notariorum sensum inuestigemus, vix credibile est de dictanda vel conscribenda vulgari substitutione illos cogitasse, qui nec an vulgaris substitutio aliqua esset, aut quid illa esset, sciuerint.[11] Longeque probabilius est de fideicommisso inducendo sensisse quotquot substitutionis verbo vsi reperiuntur, cum nemo sit tam imperitus hodie, qui fideicommissorum vsum, & potestatem non intelligat.[12] Maxime vero postquam ex vulgari eorundem Interpretum nostrorum errore inductum est inuita iurisprudentia, vt verbum *substituo*, quod sui natura mere directum est,[13] commune sit ad fideicommissi quoque causam exprimendam.[14] *Sine die.*

1 Ex traditis per DD. *in l. Gallus, 5. quidam rectè, de liber & posthum.*

2 Vt in specie, de qua scripsimus *Defin. 11. supr. De impub. & aliis subst.*

3 Andr. Tiraq. *lib. 1. de retract. num. 112.*

4 Frustra enim sit quod nullum habet casum vtilem, *l. Stichus* 39 *D. de manum. test. l. hæres* 21. *§. pen. D. de fideiuss.*

5 Nec enim alienare potest, qui non est dominus, nisi in actu, de quo in *Instit. tit. quibus alien. licet vel non.*

6 *L. post aditam 5. C. de impub. & aliis subst.*

7 Ne scilicet aliequi latius pateat effectus, quam causa, *cum pater 77. § dulcissimis de leg. 2.*

8 Debet enim fieri par & æqualis determinatio, *l. iam hoc iure 4. de vulg. & pupill. subst. l. 4. C. de impub. & aliis subst.*

9 *L. filiusfamilias 114. §. Diui 2. de leg. 1. l. pater 38. §. iulius Agrippa, de leg. 3.*

10 *Ex cap. si pater, de testam. in 6.*

11 Nemo enim id loqui credendus est, quod non senserit, *l. Labeo 7. §. vlt. de suppell. legat.* nec sensisse quod nescierit, *§. Lucius, l. Titius 25. de liber. & posth. l. tractabatur 14. D. de milit. testa. l. sicut 9. & seq. C. eod. l. pen. D. de iur. codicill.*

12 Nulla enim hodie vulgatior substitutio est, quam fideicommissaria.

13 Vt probaui pluribus in libris Coniecturarum & in posteriore parte Hemichiliadis *de error. pragm.*

14 Ita enim nostri ad *l. Centurio* 15. *D. de vulg. & pupill. substit. ex l. iam hoc iure 4. eod.* vbi verbum *substituo* dicitur commune, sed longe alio sensu, vt scripsi locis supradictis.

DEFINITIO XLVII.

Qui per fideicommissum vocat Titium & liberorum eius liberos, multo magis eiusdem liberos vocasse intelligitur.

CVm quidam testamento suo Titium & liberorum eius liberos per fideicommissum inuitasset, Titio autem defuncto, multis relictis creditoribus, liberi eius, de quibus nihil depositum fuerat,[1] ex fideicommisso se quoque vocatos dicerent, visum est pro iis pronunciandum ex apertissima coniectura voluntatis,[2] quæ non patiebatur, vt qui Titio, Titique nepotibus fideicommissum tam expressis & enixis verbis reliquerat medium gradum liberorum Titij consulto prætermisisse crederetur.[3] Itaque si quo vnquam alio casu, in hoc sane plus dictum à testatore, minus vero à notario per incuriam aut imperitiam scriptum videbatur.[4] *Sine die.*

1 Nam in hac specie non erant positi in dispositione, at neque in conditione expressa. Et hæc nimirum erat ratio dubitandi, quia fideicommissum sine verbis inducitur, *l. quidam 46 D. de hæred. inst. l. pater 38 §. mater, de leg. 3. Lucius 78. 5. tres heredes, ad SC. Trebell.*

2 Quæ in fideicommissis pro lege est, *l. antep. de leg. 1. fideicommissa 11. §. item si rem, de leg. 3.* iunct. *l. cum proponebatur 64. de leg. 2. l. hæredes mei 57. §. cum ita D. ad SC. Trebell. l. cum anus 102. de cond. & demonstr.*

3 Qui enim minus dilectos vocauit multo magis dilectiores vocasse credendus est, *l. Publius 36. §. 1. eod.* Dilectiores autem esse creduntur qui sunt proximiores, *l. peto 69. § fratres legat 2.* iunct. *l. omnia 32. alias l. cum ita, §. in fideicommisso, ead. l. hæredes mei §. vlt.*

4 *Vt in d. l. cum anus, & l. vnum ex familia 67. §. si omissa de leg. 2.*

[DEFINITIO XLVIII.

TItio instituto & in eius defectum substituto Sempronio, substitutionem non nisi vulgarem factam videri placuit.[1] Deficere namque is demum videtur qui hæres non est, aut is demum gradus qui vacat.[2] Sed hoc ita, nisi facta sit substitutio per verba tractum temporis habentia, Vt puta si testator in defectum Titij substituerit Sempronium & eius hæredes, Quo casu magis est vt non tantùm hæredes Sempronij, sed ipse quoque Sempronius in vtrumque casum & vulgatem & fideicommissi Titio substitutus esse videatur.[3] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Gaspardi de la Crelle, 5. Septembr. 1610.

1 Vide Dec. *cons.* 248.

2 *L. hæredes mei 57. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

3 Iuxta ea quæ scripsimus, *Defin. 11. supr. de impub. & aliis subst.*]

BIU Cujas

TIT. XXIII.

COMMVN. DE LEGAT. & fideicomm.

DEFINITIO I.

Hypotheca tacita pro legatis diuidua est, sed expressa indiuidua, vt nec locum habeat exceptio non discussi coheredis.

QVOD in hypotheca tacita quæ pro legatis aut fideicommissis competit singulari quodam iure constitutum est, vt sit diuidua, adeoque inter plures testatoris heredes ipso iure diuisa,[1] non similiter obtinet in hypotheca expressa, quam testator legati aut fideicommissi nomine constituerit. Hæc enim communi cæterarum omnium iure prorsus indiuidua est,[2] ita vt vnus ex testatoris heredibus si rem obligatam in solidum possideat, conueniri etiam hypothecaria in solidum possit;[3] adeo, vt neque hoc casu locum habeat exceptio non excussi coheredis, sicut nec quoties vnus ex pluribus debitoris heredibus in solidum conuenitur.[4] Quamuis videatur dici posse aliam hac parte constituendam rationem heredum debitoris, aliam heredum testatoris. Nam hypotheca quæ viuo debitore fuit indiuidua non debet ex persona heredum immutari.[5] At quæ incipit à personis heredum testatoris licet à testatore constituta sit, iam inde tamen ab initio plures personas respicit, ob idque facilius diuidi posse videtur.[6] Sed respondendum est, ad constituendum ius hypothecæ indiuiduæ nihil referre, an ab initio vnus tantum fuerit debitor an plures, cum rem ipsam obligatam afficiat non personas debitorum.[7] *Ita Senatus* pro Roleta de Gorreuod, contra Dominam de Malin viduam Illustriss. Ludouici de Gorreuod Vicecomitis de Salins, 12. Calend. Augusti. 1592.

1 *Ex l. 1. C hoc tit.* vbi speciale hoc ius inducitur contra naturam actionis hypothecariæ, quæ alias semper indiuidua est, *l. cum hereditariam 68. ff. de euict. l. in executione 85. §. penult. de verbor. obligat.* Vide Negus. *in 4. membro, 2. part. num. 160. de pignor.*

2 Quia credendus est in dubio testator se voluisse conformare cum iure communi, vt nostri loquuntur, *ad l. vlt. C. de verb. signif. l. 3 D. de testam. milit.*

3 *L. 1. & 2. C. si vnus ex plurib. hered. debit. vel credit.*

4 Iuxta gloss. *in l mulier 19. ff. qui potior. in pign. hab.*

5 *Arg. l. 2 §. ex his, D de verb. oblig.*

6 Cum incipiat ab heredibus vt & principalis ipsa obligatio legati, *l. hereditariarum 40. ff. de oblig. & act.*

7 *L. pignoris 17. ff. de pignor. l. pignoris 18. C. eod.*

DEFINITIO II.

Expressa antichresis constituta pro legato non tollit legalem hypothecam generalem si specialis non sufficiat: Non tamen imputantur in sortem fructus quanticunque sint.

SI testator legati nomine certam rem ex bonis suis pignori obligauerit, vt eius rei fructibus in vicem vsurarum quasi in antichresim legatarius gauderet,[1] non eo minus generalis tacitæque hypothecæ beneficium legatarius habebit, velut in subsidium[2] si qua ratione fiat ne specialis sufficere possit.[3] Non enim hoc casu locum habet, quod dici solet, prouisionem hominis facere, vt cesset prouisio legis,[4] quandoquidem id vnum vtraque prouisione agitur, vt voluntas testatoris effectum sortiatur,[5] quem credibile non est cum expresso pignore constituto voluit legatario consulere, id egisse, vt generalis tacitæque hypothecæ commodum, si quod esset, ipsi eriperet.[6] In eo sane vtilitas est pignoris specialiter à testatore constituti, quod fructus ex eo perceptos legatarius non imputat in sortem, cum id testator vetuit,[7] quos alioqui imputaret, si tacitæ duntaxat hypothecæ priuilegio niteretur. Eo nimirum iure, quod in pignoribus communiter obseruatur,[8] ni antichresis contracta fuerit.[9] Sed & antichresis à testatore constituta priuilegium illud habet, vt quærendum non sit an fructus excedant legitimum modum vsuratum, necne.[10] Quanticunque enim sint cedunt lucro legatarij ex iudicio testatoris, qui eos voluit esse in legato.[11] Quod non similiter euenit facta antichresi per contractum, propter suspicionem simulationis excogitatæ in fraudem vsurarum.[12] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 4. & 5. infr. De vsur. & fructib. legat.

1 Nam testamento quoque pignus constitui potest, *l. non est mirum 26. ff. de pignor. action. l. Lucius 12. de alim. vel cibar. legat.*

2 Specialis enim hypothecæ discussio facienda est, *l. 2. C. de pignor.*

3 Forte quod sine controuersia possideri non possit. Hoc enim sufficit, *l. quamuis 13. ff. de reb. auctor. iudic. possid.*

4 *L. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot. l. maritus 21. C. de procur. l. cum ex filio 39. § 1. de vulg. & pup. substit.*

5 In id enim præstantur pignora specialia, vt magis sit cautum, non vt minus *l. si mandatu 59 §. vlt. D. mandat. l. 4. §. addici. D de fideic. libert.*

6 Ne inducta ad vnum effectum contrarium operentur, *vulg. l. legata 14. de adim. legat. l. legata 19. de leg. 1. l. 3. § si emancipatus, de bon. poss. contr. tab.*

7 Voluntas enim testatoris omnino seruanda est, qui antichresim constituere potest, *d. l. Lucius 12. de alim. legat.*

8 Vt fructus imputari debeant in sortem, *l. 1. & pass. C. de pignor. act.*

9 *L. si is qui 11. §. 1. ff. de pignor. l. cum debitor 8. D. in quibus caus. pign. vel hyp. tacit. contr.*

10 De quo tamen quæri solet cum tacita antichresis contracta est *d. l. cum debitor*, itemque interdum cum expressa, *l. si ea pactione 14. C. de vsur.*

11 Aliud enim est de fructibus legatorum quærere, aliud vero de fructibus legatis *l. cum vnus 10. §. 1. D. de alim. legat.*

12 Quicquid enim potest videri excogitatum in fraudem legitimarum vsurarum pro nullo & irrito habendum est, *l. pecunia 9. l. placuit 29 D. de vsur. d. l. si ea pactione 14. C. eod.*

DEFINITIO III.

Qui egit in specialem hypothecam pro legato vel fideicommisso potest persequi generalem, nec ob id tenetur ad vllam sumptuum refusionem, quasi mutato libello.

NOn eo minus permittenda est generalis tacitæq; hypothecæ persecutio, quod ab initio litis specialem tantum hypothecam à testatore constitutam persecutus sit legatarius pro totius legati vsurarumque eius solutione, si specialis illa hypotheca non sufficiat.[1] Neque ex ea causa impensarum condemnatio vlla fit, quasi mutato libello.[2] Est enim additio illa potius quam mutatio libelli.[3] Et nemo dixerit ex hypothecæ persecutione fieri nouationem debiti,[4] vt quod plus est in debito, quam in æstimatione pignoris remissum censeatur.[5] Pignoris siquidem datio aut persecutio non nisi quatenus valet pignus pro solutione esse potest.[6] Nam & ex contrario si pluris condemnatus sit debitor, quam faciat computatio sortis & vsurarum, non impediet condemnatio, quo minus soluto eo quod re vera debetur hypotheca liberetur.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 Discutienda enim fuit specialis hypotheca priusquam ad generalem peruenitetur, vt diximus *Defin. praced. num. 2. ex l. 2. C. de pignor.*

2 *Ex notat. in l. edita 3. C. de edend.*

3 Aliud vero longe est mutare libellum, aliud vero addere libello, vt notatur *ad d. l. edita.*

4 Nemo enim pignus persequendo facit conditionem suam deteriorem sicut è contrario agendo personali non amittit pignus, *l. quamuis personali 8. C. de pignor.* iunct. *Laliam 19. D. de nonat. l. vlt. C. eod.*

5 *L. 3. l. si residui 5. l. quæ specialiter 9. C. de distract. pignor.*

6 *L. quæsitum 9. §. Pomponius, D. eod. l. creditor 18. D. de rebus credit. l. si pro mutuæ 2. C. si cert. petat.*

7 *L. si fundus 16. §. si pluris. ff. de pignor.*

DEFINITIO IV.

Bona fideicommisso subiecta possunt hodie obligari & alienari pro dote, & donatione ante nuptias, tam constituenda, quam restituenda.

IVstiniani Nouella constitutio, quæ dotis aut donationis propter nuptias potiorem quam fideicommissi causam esse voluit,[1] sic ab interpretibus fere omnibus accepta est, vt bona fideicommisso subiecta possint ex ea causa non solum obligari, sed etiam quod est consequens alienari,[2] adeoque totum fideicommissum in dotem dari si aliter fieri non possit, vt persona grauata matrimonium æqualibus conditionibus ineat.[3] Itaque non distinguunt nostri, an de dote vel donatione propter nuptias constituenda agatur, an de restituenda. Nec rursum an ea persona, cui fideicommissum iniunctum est, idipsum pro se velit diminuere, an pro aliquo ex suis liberis, dummodo sint illi ex descendentibus testatoris qui fideicommissum iniunxit,[4] id est, ex iis personis quibus testator ipse, si viueret, dotem vel donationem propter nuptias ex officio constituere teneretur.[5] Quæ sententia, licet æquitatis & humanitatis colorem habere videatur, euidenter tamen iniqua est. Quid enim absurdius quam in fraudem fideicommissi, ex alienis bonis sibi quem aut alteri dotem constituere vel donationem propter nuptias siue ab ascendente, siue ab extraneo, aut quod hac parte idem est à collaterali inductum proponatur?[6] Præsertim cum alio interpretum nostrorum errore illud quoque iam obtinuerit, vt fideicommissum liberis iniunctum per duplicis quartæ & integrorum vtriusque fructuum detractionem minuatur,[7] scilicet in liberis primi gradus.[8] Sed & cum sequentium graduum liberi sunt, constat legitimam non solum iis deberi,[9] sed ita deberi, vt in ea grauari nullo modo possint,[10] quod vtique iure vetere diuersum erat.[11] Proinde quod olim prudentes responderant in filia, quæ totam hereditatem restituere rogata dotem ex fideicommisso dederat, non videri in euersionem fideicommissi factum, quod & mulieris pudicitiæ & patris voto congruebat,[12] hodie locum habere non potest, cum legitima filiæ debeatur, & quidem immunis ab onere fideicommissi;[13] ex qua vtique dotem habere potest.[14] Nec quod ea legitima parui pretij sit, si forte tenuium facultatum pater fuit,[15] fideicommissario nocere debet, sed filiæ potius, quæ habuit vel inopem, vel minus benevolum patrem.[16] Neque vero aliam Iustiniani mentem fuisse credendum est,[17] cuius verba apertissima id tantum constitui præ se ferunt, vt si is, qui coniungi donauit propter nuptias, post factam à se donationem grauatus sit fideicommisso à patre, non noceat ea res mulieri, quo minus etiam de bonis fideicommisso subiectis solui donatio debeat, itemque dos restitui, quam aut maritus ille aut pater eius acceperat. Et viciſſim, vt si mulier ipsa, quæ dotem viro dedit, rogata sit à patre hereditatem restituere, non solum non censeatur rogata reddere dotem, quæ proprium ipsius patrimonium est, sed etiã si expressim rogata sit, fideicommissum quod ad hoc attinet non valeat, sed perinde ac si rogata non esset possit maritus eam dotis partem lucrari, quam in pactum deduxerat, dummodo in pactis nuptialibus honestus modus seruatus sit pro personarum qualitate & facultatibus.[18] Itaque non de dote post iniunctam fideicommissum constituenda,[19] Iustinianus tractat, sed de ea quæ ante fideicommissum inductum constituta sit, quam nec aliter de fideicommisso detrahi posse vult, quam si honesta sint pacta & congrua.[20] Ex quo apparet non tam ad id respexisse Iustinianum quo nostri potissimum mouentur, ne propter fideicommissum filia maneat indotata, (non enim indotata esse potest, quæ vel inuito patre legitimam habere debet,[21] ex paternis facultatibus æstimandam,[22] siue pauperiorem, siue ditiorem auum habuerit[23]) quam ad id potius, ne ex tali fideicommisso decipiatur maritus,[24] qui vel ante fideicommissum cõtraxerat,[25] vel post iniunctum quidem fideicommissum, sed eo tempore, quo fideicommissum probabiliter ignorabat.[26] Sicut & quod in præiudicium fideicommissi marito iniuncti Iustinianus cõstituit, non ad mariti fauorem respicit, sed ad commodum mulieris, ne aut propria dote, aut sibi facta per maritum donatione propter nuptias priuetur.[27] Dicat aliquis inutilẽ fore Iustiniani constitutionem, si sic intelligatur, vt potior sit causa dotis aut donationis propter nuptias ante fideicommissum constitutæ, quam sit ipsius fideicommissi. Quis enim dubitet, iura anteriora per subsequẽs fideicommissum extingui non posse?[28] Sed respondendum est, iam olim ita ius fuisse & hodie esse, vt dos vel donatio propter nuptias à patre profecta defunctis filio aut filia sine liberis ad patrem reuerteretur[29] (licet quadam miserationis potius quam iuris ratione[30]) siue in potestate retenti filius aut filia fuissent, siue emancipati.[31] Ideoque in patris potestate fuisse filiam in dote grauare,[32] itemque filium in donatione propter nuptias, non quidem constante matrimonio,[33] sed in eum casum, quo matrimonium grauati morte solueretur.[34] Quod cum eueniebat si qua forte pacta nuptialia inscio parente siue constante iam matrimonio, siue sponsaliorum tempore filius aut filia præsertim emancipati contraxissent, ea fieri irrita necesse erat[35] ante Iustiniani constitutionem, atque ita decipi eum ex coniugibus, non qui grauatus esset, sed quiex bonis grauati tantam portionem sperabat, quantam ipse de bonis propriis in contrarium euentum præstare grauato debuisset.[36] Id vero Iustinianus æquissime correxit, constituens, vt pater sicut grauare liberos in legitima non potest,[37] ita non possit in ea portione, quæ præter legitimam necessaria est ad quantitatem dotis aut donationis propter nuptias, vt ea quantitas iuris interpretatione subducatur è fideicommisso, si contraria non appareat voluntas patris,[38] aut si aperte parens contra disposuerit, nulla eius voluntatis ratio habeatur, sed perinde ac si nullum fideicommissum esset, seruentur pacta nuptialia[39] si modo æqua sint & conuenientia honestati & dignitati personarum.[40] Et vero non cogitasse Iustinianum de subducendis ex fideicommisso dotibus post iniunctum fideicommissum constitutis, vel ex eo maxime apparet, quod suam legem habere locum prohibet iis casibus, quibus dotes iliæ aut nuptiales donationes augerentur, quæ iam antea factæ essent, quasi augmentum illud in fraudem & euersionem fideicommissi prætextu nouæ constitutionis captatum videretur.[41] Quod autem ad dotes restituendas pertinet de iis agit in prima constitutionis parte, sed ita vt alteram

quandam

quandam constitutionem de ea re factam referat, quæ in libris nostris non extat. Cuius tamen illam innuit fuisse sententiam, vt mulieri, quæ ignorans fideicommissum marito iniunctum dotem illi dedit, non noceat, quod fideicommissi onere sit posterior, sed perinde dotem illa suam recuperet, nec aliter fideicommissarius ei præferatur, quam si probet scientem eam grauato viro dotem dedisse.[42] Quod si ita est, nec pro dote repetenda præferetur mulier in præiudicium fideicommissi, quod ipsa sciuerit.[43] Tantum abest, vt quæ scit fideicommissum à se relictum, possit ex eo quicquam detrahere supra legitimam & Trebellianicam ad dotem sibi ipsi constituendam.[44] At si dotem sibi ipsi ex fideicommisso constituere non potest, multo minus alij quis constituere poterit, etiamsi persona talis sit, quam ex officio dotare teneatur. Est enim longe fauorabilior dotis restitutio quam constitutio,[45] & inter dotes constituendas ea, quam quis sibi constituat,[46] quam quæ alij datur.[47] *Sed quanquam* hæc ita sunt, *Senatus* tamen noster sequitur communem Interpretum sententiam, in omnibus iampridem tribunalibus receptissimam. Cui causam proculdubio dedit error Irnerij,[48] cui plus auctoritatis tribuendum putarunt Interpretes, quam Iustinianeæ constitutioni,[49] cuius ille mentem non bene perceperat: Quamquam nec Irnerij verba prorsus repugnant quo minus eandem admittant interpretationem, quam nos ad Iustinianum adhibuimus.[50] *Ita Senatus* pro illustri Domina Beatrice de la Chambre Domina de la Gratuse, contra D. Marchionem de la Chambre, Prid. Calend. Septemb. 1592. Hoc tamen addito temperamento, vt nullum ex dotis adiudicatione præiudicium fieret instantiæ discussionis, ad quam remissa est cognitio de fideicommissis, quæ sibi ab auis relicta & à patre debita fuisse Marchio contendebat.

1 *Nouell. 39. de restit. & quæ parit. vndec. mens. cap.* 1. vnde sumpta est *Auth. res quæ, C. hoc tit.* Aliud tamen est, si eum prohibitione legis concurrat prohibitio testatoris. Tunc enim nō posse res fideicommisso subiectas alienari, ne quidem ex causa dotis, consuluit Guid. Pap. *cons.* 130. *n* 7. post Bald. & alios ibi citatos. Si tamen alia bona nulla sint ex quibus dos salua esse possit, vix est, vt hæc sententia obtinere possit. Iunge *Defin.* 2. *supr. de in integr. restit. minor.*

2 Inutilis enim est obligatio per quam non possit ad alienationem perueniri, *l.* 4 *&* 5. *D. de pignor. act. l. mulier* 11. *C. de distract. pign. l. vlt. C. de reb. alien. non alien.*

3 Bald. & cæteri *ad d. Auth. res quæ, per ill. text.* & ex *l mulier* 21. *§. cum proponeretur, D. ad SC. Treb.* [Nec tantum pro primo matrimonio hoc obtinet, sed etiam pro secundo. *Ita Senatus* 22. Mart. 1614.

4 Vt constat ex notat. per DD. *ad d. Auth. res quæ.*

5 Quomodo tenetur pater, *l. vlt. C. de dot. prom. l. capite* 19. *D. de rit. nupt.* non etiam mater, nisi ex causa, *l. neque mater* 14. *C de iur. dot.*

6 *L. ait prætor* 10. *§. si cum mulier, D quæ in fraud credit.* Idque Iustin. ipse fatetur *dict. Nouell.* 39. *§. hac igitur omnia, vers. non enim.* Iunge *l. id quod nostrum* 11. *l. non debet alteri* 74. *de reg. iur.*

7 *Ex cap. Raynutius, & cap. Raynaldus. Extr. de testam.*

8 Quibus scilicet non potest prohiberi Trebellianica, nec præcipi, vt imputent fructus in quartam, *l. iubemus* 6. *C. ad SC. Treb.*

9 Si modo alius eos non præcedat in causa succedendi *l. scripto* 7 *D. vnd. liber. l. si quis filio* 6. *de iniust. rupt. l. si quis filium* 34 *C. de inoff. testam.*

10 *L. quoniam in prioribus* 32. *eod tit.*

11 Poterant enim grauari, sed habebant eo nomine querelam inofficiosi *l. Papinian.* 8. *§ si conditioni, & seq. D. eod. tit.*

12 Vt scriptum est *in d. §. cum proponeretur, l. mulier* 22. *D. ad SC. Treb.*

13 *d. l. quoniam in prioribus.*

12 Nam & dos congrua illa dici solet, quæ respondet legitimæ, *l. quoniam nouella* 29. *vbi not. C. eod. tit. de inoff. testam.*

15 Æstimatur enim legitima ex comparatione patrimonij, quod moriens paterfamilias reliquit, *dict. l. Papinianus, §. quarta autem, D. eod. l. cum quæritur* 6. *C. eod.*

16 Non enim in eo debet dos constitui in fraudem & euersionem fideicommissi *d. l. ait prætor* 10. *§ si cum mulier, D. quæ in fraud. credit.*

17 *In d. Nouell.* 39. *de restit. & ea quæ parit. vndec. mens.*

18 Idque ita esse apparet ex verbis ipsis & contextu totius Nouellæ.

19 Vel constituta, nec proinde generaliter de dote restituta, nisi quæ constituenda fuerit ante iniunctum onus fideicommissi, vt sequitur in Definitione.

20 Non alia vtique ratione, quam ne ex dotis constitutione & restitutione nimium damnum fideicommissarius patiatur.

21 Et consequenter dotis iam constitutæ retentionem vsque ad concurrentem quantitatem legitimæ, cuius loco dos succedit, si nostris credimus, *ex d. l. quoniam nouella C. de inoff. testam.*

22 *L. parentibus* 8. *& pass. eod. tit.*

23 Non enim deberur nepti ex filio aut ex filia in bonis aui vlla legitima, nisi cum pater vel mater prædecessit, sicut nec ab intestato neptis succederet auo, sed filius ipse vel filia, *l. si quis filio* 6. *de iniust. rupt. l. scripto* 7 *vnd. liber.*

24 Vt constat ex vers. *rursus autem alter supplex apparuit.*

25 Et cui proinde dos auferenda non est. *l. Titia* 62. *in fin. de iur. dot. l. si donaturus* 9. *l.* 1. *de cond. caus. dat. l.* 5. *§. penult. de dol. except.*

26 *Arg. l. vlt §. vlt. de leg.* 1. *& l. quidam ita* 25. *§. si quis filium, D. ad SC. Treb.* etsi potest dici, nulla esse in tota constitutione verba, quæ hunc casum comprehendant.

27 Vt constat vers. *moriente namque viro.*

28 Potior siquidem est causa anteriorū creditorum, quam fideicommissarij, qui & ipse ad æris alieni solutionem tenetur, *l.* 1. *l. non enim* 38. *D. ad SC. Treb. l.* 2. *C. eod.*

29 *L. dos à patre* 4. *C. solut. matr.*

30 *L. iure succursum* 6. *D. de iur. dot.*

31 *L.* 5. *§ si pater pro filia, eod. . . si filia* 5. *D. de diuort. l. si ab hostibus* 10. *l. filia mea* 59. *D. solut. matr. l.* 2 *C. de bon. quæ liber.*

32 Textus est *in l. vlt. § filiæ, de leg.* 2. etsi fideicommisso generaliter à filia relicto dos non continebatur, *l. à filia* 62. *ad SC. Treb.* non quasi non posset filia in dote grauari, sed quia non videbatur ea fuisse patris voluntas, cum dos sit veluti proprium filiæ patrimonium, *l.* 3. *§. scio, D. de minor. l. pater filiam* 14. *D. ad leg. falcid.*

33 Quo tempore dos est tota viri, non mulieris, *l. doce* 8. *C. de iur. dot.*

34 Quia eo casu dotis actio consolidabatur in persona filiæ, *l.* 2. *& ibi not. D. solut. matrim.*

35 Et ideo optimum erat generum pacta conuenta cum vtroque facere, *l. cum dos* 7. *de pact. dotal.*

36 Quod euidenter iniquum erat, cum actuum correspectiuorum eadem ratio esse debeat, *l. cum te* 6. *C. de pact. inter empt. & vendit.*

37 *L. quoniam in prioribus* 32. *C. de inoffi. testam.*

38 Quasi ex tacita voluntate patris, quod iam olim obtinebat, *d. l. à filia* 62. *ad SC. Treb.*

39 Et hoc nimirum est, in quo vno Iustinianus fecit ius nouum.

40 Ergo si pacta excedant honestatem & dignitatem personarum, manebit incorrectum ius vetus, & potior erit causa fideicommissi quam dotis aut ante nuptias donationis.

41 Quæ suspicio & præsumptio non cadit in dotem vel donationem propter nuptias, quæ fuerit constituta ante iniunctum onus fideicommissi.

42 Refert enim Iustinianus duas à se factas cōstitutiones, quarum prior est illa, quæ extat *in l. vlt. C. hoc tit.* altera præsupponitur iis verbis, *sed huic quidem data est negotio forma, quam bene se habere putauimus.*

43 Vt hoc sit priuilegium non modo dotis, sed etiam iustæ ignorantiæ, *vt in d. l. vlt. §. vlt. de leg.* 2.

44 Sibi enim debet imputare, quæ sciens bona mariti subiecta fideicommisso, dotem ei dedit, quod non similiter imputari potest ignoranti. Vide Thesaur. *decis. Pedem.* 151.

45 Siquidem longe fauorabilior est causa dotis bona fide constitutæ & restituendæ, quam dotis nunc primum in fraudem commissi constituendæ, vt sequitur in *Defin.*

46 Ne mulier & mariti & dotis simul iacturam sentiat, *argum. d. l. iure succursum.*

47 De qua *in d. l. mulier §. cum proponeretur, ad SC. Treb.*

48 Minor enim necessitas est vt quis alij prosit & subueniat, quam vt sibi ipsi. [Si tamen cùm minùs congrua dos constituta esset filiæ à patre, tutor eam auxerit ad concurrentem vsque quantitatem legitimæ, Placet eam quoque dotem à tutore constitutam eodem gaudere priuilegio, vt pro ea possint obligari bona subiecta fideicommisso. *Lud. Perus. quæst.*]

BIU Cujas

49 In concipiendis verbis *d. Auth. res quæ.*

50 Quod & Castr. *ad d. Auth. res quæ.* profiteri aperte ausus est. [Obserua autem apud Augustanos nostros obtinere ex recepta consuetudine, vt heres grauatus si testamentum ab ignobili & plebeio homine conditum sit, perinde possit de bonis fideicommisso subiectis disponere iam inter viuos quàm in vltima voluntate acsi fideicommissum nullum esset. Sed ita tamen vt in fideicommisso remaneant bona omnia de quibus heres grauatus non disposuit. At hoc ipsum ita, si grauatus heres non solum sine testamento, sed etiam sine liberis decedat. Itaque in effectu perinde est, acsi fideicommissum factum esset de eo tantùm quod in bonis supererit, & quidem sub conditione, si sine liberis. Sed consuetudo illa scripta excipit fideicommissa ante consuetudinem facta. De quibus nihil disponit, nisi vt secundum probationes antiquioris, & incertæ consuetudinis à litigatoribus faciendas decidantur. *Senatus* tamen cùm quæstio ex facto incidisset, & in conflictu probationum bis ex officio inquiri de consuetudine iussisset, tandem pronunciauit pro fideicommissario; Nihil in eius præiudicium alienari ab herede potuisse, tametsi testator qui ante scriptam consuetudinem testamentum fecerat, non nisi post eam scriptam decessisse proponeretur. Verba enim consuetudinis quę anteriora fideicommissa excipiebant, tempus notabant facti testamenti, non mortis. Sanè de nobilium fideicommissis nunquam dubitatum est, quin valerent omnimodo, ita vt nec legitima vel Trebellianica vlla ex iis deduci, nec quicquam ex bonis alienari possit. *Ita Senatus* pro Bartholomæo Poncet, contra Mariam Poncet, 6. Id. Febr. 1613.

DEFINITIO V.

Fideicommisso subiecta bona possunt obligari & alienari, etiamsi pro augmento dotis, dummodo sit congruum, quale est consuetudinarium.

POstquam placuit, pro dote aut donatione propter nuptias vni ex liberis & descendentibus constituenda obligari posse bona, etiam quæ fideicommisso subiecta sint,[1] illud quoque in consequentiam inductum est, vt pro dotis augmento idem sit iuris.[2] Nam & in cæteris omnibus eadem passim ratio est augmenti dotalis, quæ dotis ipsius, cuius & ipsum pars ac portio quædam est.[3] Sed dubitari eleganter potest, an in quolibet augmento id locum habeat, id est, an in omni eo, quod ex conuentione dictum fuit, quantumcunque illud sit, an in eo tantum, quod sit consuetudinarium aut consuetudinario simile, hoc est, quod ad dimidiam vsque dotis partem ascendat? Tale enim est, quod moribus nostris in Sabaudia frequentatur.[4] Facit dubitationem, quod admissa indistincte sententia illa, vt quantumcunque augmentum ex bonis fideicommissariis detrahatur, facile fraus fiat fideicommisso, quod tamen nec æquum fuerit,[5] nec ex mente Iustiniani, cuius nouella constitutio[6] male ab Interpretibus omnibus, vt proxime ostendimus, accepta, huic nouo & erroneo iuri causam sola dedit. Non enim cuilibet doti fauere Iustinianus voluit, sed ei duntaxat, quę sit congrua.[7] Quo exemplo congruum quoque esse augmentum oportet, vt idem priuilegium mereatur.[8] Quodnam vero magis congruum videri potest, quam quod generali consuetudine pro tali habeatur?[9] Nisi forte proponas, ignobili viro nuptam fœminam nobilem, aut seni teneram. Ex his enim causis constat, non aliter videri pacta congrua, quam si luat maritus in ære, quod non habet in corpore.[10] At ex alia parte mouet, quod augmento dotis in quantacunque pecunia constituto credendum sit non aliter nupturam fuisse mulierem, quam si tale tantumque dictum fuisset, vt proinde te amplius non integra decipi eam iniquum videatur.[11] Aut matrimonium etiam contrahendum eo prætextu damni pecuniarij impediri,[12] cuius potissimum fauore tanquam publico mouentur nostri vt fideicommissarij causam vtpote priuatam faciant duriorem,[13] nisi quis dicat, hoc ipsum imputari posse mulieri, cur eum virum expetat, cuius bona fideicommisso sint obnoxia.[14] Neque ad publicam vtilitatem pertinere, vt heres fiduciarius hanc vel illam vxorem ducat, si commode & æquis pactis ducere nequeat,[15] sed sufficere, vt ad habendam vxorem paris conditionis, liceat augmentum dare ex bonis fideicommisso subiectis quod sit congruum, cuiusmodi est consuetudinarium. Idque mihi probabilius videbatur, *Ita tractatum est*, sed nihil tamen decisum in causa viduæ N. de Miege & N. Thorombert, 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 Secundum ea, quæ ex Interpretum opinione scripsimus *in Defin. praced.*

2 *Not. ad Auth. res quæ, C. hoc tit.* [Nec tantùm pro dotis augmento id obtinet, sed etiam pro ea liberalitate quæ conferri solet in viduam nubentem, præsertim nobilem, vulgò *doarium* vocant, quoniam vice augmenti est, quod viduæ nullum debetur. Estque tanto fauorabilius, quod non nisi nobili fœminæ constituitur, nec nisi ad vitam mulieris si eam iterum viduam fieri contingat. *Ita Senatus* pro D. Bachod vidua D. de S Pierre, contra D. de Mont sainct Iean, ante Id. Sept. 1613. Nam & Nouella Iustin. vnde sumpta est *dict. Auth. res quæ*, non de dotis augmento nostro loquitur, quod iis temporibus erat incognitum, sed de donatione propter nuptias, quæ olim frequentabatur, & quæ licet nihil haberet simile cum doario, potest tamen facilè ad doarium in exemplum trahi, cùm sit hæc quoque species donationis & liberalitatis quidem propter nuptias; quæ alioquin plerumque non fierent. In eo tamen minùs fauorabile est doarium quam dotis augmentum, quod non debetur citra specialem conuentionem, nec nisi quatenus promissum est. Ibidem pronunciatum est etiam pro secundi matrimonij dote *dict. Auth. habere locum.* Iunge *Defin. praced. num. 3. supr.*]

3 *L. inter socerum 26. § cum inter, C. de pact. dotal. l. etsi amisi 8. C. de iur. dotal.*

4 Vt scripsimus *in tit. de donat. ante nupt.*

5 Ne fraus & factum vnius alteri damnum adferat, *l. quidam ita 25. § si quis filium, D. ad SC. Treb. l. ait prætor 10. § si cum mulier, ff. quæ in fraud. credit.*

6 *Nouell 39. de restit. & ea quæ par. vndecimus.* vnde sumpta est *Auth. res quæ.*

7 Vt apparet *ex § quamobrem*, in illis verbis *honeste & secundum personarum qualitatem & meritæ excipere etiam ho.* [Adeo autem dotem congruam esse oportet, vt si pater eam minus congruam filiæ suæ testamento dederit, liceat tutori augere illam & congruam facere, illúdque augmentum idem habeat priuilegium in bonis patris, etiam fideicommisso obstrictis, quod haberet si à patre ipso constitutum fuisset. Ex Iosepho Ludouico Decis. Peruf. *Ita Senatus* pro D. d'Aiuffan, contra D. de Clermont de Mont sainct Iean, mense Iulij, 1613.]

8 Est enim minus fauorabile dotis augmentum, quam dos ipsa, cum magis ex liberalitate proficiscatur in eo saltem quod excedit eius ex consuetudine præstandi necessitatem.

9 Nam & cuiusque loci consuetudo in his maxime rebus seruanda est. Sunt enim tolerabilia, quæ vetus consuetudo comprobauit, *l. Imperatores 13. in fin. D. de pollicit.*

10 Vt damnum, quod ex vna parte sentit mulier cum lucro, ex alia parte compensetur. Tiraquell. late *in tract. de legib. connub.* Not. *in auth. aqualitas, C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

11 *Arg. l. si donaturus 9. § 1. D. de condict. caus. dat. l. Titia 61. in fin. de iur. dot. l. pure 5. § penult. ff. de dolo mali except.*

12 *Arg. l. cum pater 77. § cum existimaret, de leg. 2.*

13 *dict. Nouell. 39. § quamobrem, versic. ea enim quæ communiter.*

14 Sibi enim imputet, quæ videtur hoc maluisse & tanti habuisse huic potius quam alij viro nubere, *arg. l. si patre cogente 22. in fin. ff. de rit. nupt. l. Imperator 70. § centum, de leg. 2. l. 4. § 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

15 *Arg. l. non dubium 14. § vlt. de legat. 3.*

DEFINITIO VI.

Res vni legata, non est pro alterius legato obligata.

HYpotheca illa legalis & tacita, quæ à Iustiniano introducta est pro legatis & fideicommissis, cõstitutaque in rebus omnibus, quæ fuerunt testatoris morientis,[1] non habet locum in iis rebus, quæ alij sint le-

BIU Cujas

sint legatæ. Vnumquemque enim in ea re, quæ sibi specialiter legata aut per fideicommissum relicta sit, potiorem esse oportet.[2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 9. supr. De reb. alien. non alien.

1 *In l. 1. C. hoc tit.*
2 *L. si fideicommissorum 11. D. vt in possess. legat.*

DEFINITIO VII.

Hypotheca tacita legatorum semper diuidua est, etiamsi facta sit diuisio inter creditores per mutuas adiudicationes.

DIffert vero hypotheca illa tacita, quam Justinianus legatorum nomine induxit,[1] à cæteris hypothecis omnibus, quæ aut ex lege[2] aut ex conuentione constituę sunt, quod diuidua est, vt non magis hypothecaria quam personali actione vnus ex coheredibus conueniri possit supra portionem hereditariam.[3] Non si nondum diuisa sit hereditas inter coheredes (quo casu nec fieri potest vt hypotheca diuidatur[4]) sed si iam facta sit diuisio, vt aliquis possit esse effectus constitutionis, qui alioquin nullus esset. At cum duobus modis fieri diuisio possit, vno ita, vt singulæ res hereditariæ ex æquo diuidantur, quomodo solet obseruari inter rusticos: altero ita, vt quædam res vni ex heredibus in solidum, aliæ alteri adiudicentur,[5] quæri potest, an vtroque casu locus sit constitutioni? Sunt enim, qui posteriore casu negent, quasi ius, quod semel quæsitum fuit legatario, vt in totam rem vnam hereditariam posset agere, quamdiu indiuisa esset, non potuerit ei adimi per factam inter coheredes diuisionē.[6] Sed contraria sententia magis placuit, non ea solum ratione, quod secundum hanc distinctionem constitutio Justiniani, quæ generaliter & indistincte loquitur, nimis restringeretur,[7] præsertim, cum vix sit, vt inter coheredes sic fiat diuisio, vt in singulis corporibus hereditariis suam singuli portionem habeant,[8] sed etiam, quia quomodocunque diuisio fiat nihil interest legatarij, cum pro ea coheredis parte quam habebat obligatam in re, quæ ad alium coheredem tota peruenit, aliam rem integram habiturus sit, quæ ex diuisione ad hunc peruenerit, & quam pro reliqua parte legati persequi in solidum possit, si velit. Id nimirum ferente natura generalis hypothecæ legalis, quæ cum ab initio eam conditionem à lege acceperit,[9] eandem perpetuo retinere debet. In eoque aliud ius est hypothecæ, non quæ specialiter, sed quæ expressim fuerit constituta. Ius enim quod ex conuentione quæsitum est, per subsecutam diuisionem tolli non potest, siue specialis hypotheca fuerit, siue generalis.[10] At, quod sola legis potestate in hoc fundo quæsitum fuerat, facile eiusdem legis potestate sic transferri potest, vt in alio fundo, qui in eius locum & vicem sit, constitutum & quæsitum videatur.[11] Cum id tantum lex agat vt legatario cautum sit, quod æque vno modo fiat atque altero.[12] Igitur omni casu hypothecam hanc diuidendam esse placuit. *Ita Senatus* pro Claudio Brunier, contra Joannem Tardy, 13. Cal. Aug. 1595.

1 *In d. l. 1. C. hoc. tit.*
2 Cuiusmodi illa est, quæ pro tutela rationibus reddendis competit vel pro dote, *l. vnic. C. de rei vxor. action.* Item cæteræ, de quibus *in tit. in quibus caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah. D. & C.*
3 Id enim diserte scriptum & constitutum est *in d. l. 1.*
4 Quia quandiu hereditas indiuisa est, nullius ex coheredibus interest, quid ex hereditate in solidum iure hypothecæ capiatur.
5 Quod potissimum euenit, cum aliquæ res hæreditariæ vel nullo modo, vel non satis commode recipiunt diuisionem, *l. 3. C. commun. diuid.*
6 *Arg. l. vlt. D. de pact. l. Granius 71. §. penult. D. de fideiuss. l. 1. §. vltim. de rebus eor. qui sub tutel. l. si consensit 7. in fin. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*
7 Dispositio autem quæ generalis est, generaliter debet intelligi quantum fieri potest, *l. in fraudem 15. in fin. D. de test. milit. l. de pretio 8. D. de public. in rem act. l. 1. §. generaliter. de legat. præst.*
8 Maxime vero ratione bonorum mobilium, quæ scilicet numero magis quam corporum diuisione possunt diuidi inter coheredes.
9 Vt scilicet in vnamquamque partem hereditatis pro diuiso competat.
10 *d. l. si consensit 7. §. vlt. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. si quis putans 6. §. si fundus communis, D. commun. diuid.*
11 Potest enim lex tam facile hanc quam illam rem & hāc quam illam eiusdem rei partem obligare, cum sit domina & regina rerum omnium, quod in homine secus est, *l. 5. §. post diuisionem, in fin. ff. qui potior. in pign. hab.*
12 Parum siquidem refert quomodo cautum sit, dummodo sit cautum, *l. si mandato 59 §. vlt. D. mandat. l. 4. §. additi. D. de fideic. libert.*

DEFINITIO VIII.

Hypotheca expressa specialis per testatorem pro legatis constituta est indiuidua, itemque generalis. Tacite vero semper diuidua est, etiamsi coheres sit non soluendo.

SI tamen testator non generaliter bona sua obligasset pro legato, sed fundum quendam specialiter,[1] & is fundus ex diuisione ad vnum ex coheredibus integer peruenisset, hypothecam eo casu diuidi non debere visum est, ne offenderetur voluntas testatoris.[2] Quid ergo, si generaliter testator pro legato bona sua obligasset?[3] Sunt qui putent, idem iuris hoc casu esse debere, atque si sola subesset legalis hypotheca, quia perinde verum sit hypothecam non incipere nisi ab herede.[4] Quæres faciet, vt diuidua censeri deberet.[5] Sed tamen contraria sententia plerisque probabilior visa est, quoniam res expressim obligata, si ex diuisione ad vnum ex coheredibus tota perueniat, non potest non in solidum manere obligata,[6] ne alioqui ex diuisione inter alios facta damnum legatario inferatur,[7] tamesi ex aliis rebus, quæ ad heredem peruenerunt, satis ei cautum sit.[8] An vero, si coheres fiat non soluendo, eo magis hypothecaria in solidum competet aduersus alterum?[9] Minime, quia cum ab initio non nisi pro parte nata sit, ex postfacto aut ex euentu postea augeri non potest.[10] Itaque stulte & ridicule facit reus, si in solidum conuentus per hypothecariam obiiciat exceptionem non factæ excussionis, cum neque exceptioni locus vllus esse possit, vbi non competit hypothecaria,[11] neque hypothecariæ, vbi nulla est hypotheca. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Hoc enim aliquando fit, *vt in l. Lucius 12. D. de alim. vel cibar. legat.*
2 Cuius conseruandæ gratia Iustinianus hanc tacitam hypothecam induxit *in l. 1. C. hoc tit.*
3 Tam enim facile est testatori bona sua omnia generaliter obligare, quam aliqua specialiter, *l. non est mirum 26. D. de pignor. act.*
4 A quo etia legata incipiunt, *l. hereditariarum 40. D. de oblig. & act.*
5 Quemadmodum si legalis & tacita tantum esset, sum ad tacitam nihil adiecerit expressa.
6 *L. si quis putans 6. §. si fundus communis, D. comm. diuid. l. si consensit 7. in fin. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*
7 *Arg. l. 1. in princ. de alienat. iudic. mut. caus. fact. l. quidam ita 25. §. si quis filium, D. ad SC. Treb.*
8 Quia eius interest, vt quibus velit pignoribus distractis possit ad commodum suum peruenire, *l. creditoris 8. D. de distract. pignor.*
9 Quomodo solet competere contra quemlibet tertium possessorem rei obligatæ, *Auth. si hoc debitor, C. de pignor.*
10 Habet enim hypothecaria iam inde ab initio certa?

BIU Cujas

suas leges, quæ postea immutari non possunt, *l. grege* 13. §. *etiam. D. de pignor.* iunct. *l. vero* 11 §. *penult. D. de solut.*

11 Exceptio enim discussionis præsupponit hypothecariam, & hypothecaria hypothecam, *dict. Auth. hoc si debitor* 1. *Moschis* 4. *D. de iur. fisc.*

DEFINITIO IX.

Res fideicommisso subiecta si alienata sit, potest vindicari per fideicommissarium, nisi duobus casibus, in quibus cogitur ille contentus esse æstimatione.

REi, quæ legata aut per fideicommissum relicta est, constat prohibitam esse alienationem,[1] adeo, vt legatarius vel fideicommissarius quandocunque rem vindicans, dummodo intra triginta annos,[2] ex eo die numerandos, quo agere potuit,[3] nulla exceptione repellatur.[4] Interdum tamen euenit, vt non res ipsa in legatum aut fideicommissum veniat, sed sola rei æstimatio, nimirum propter iustam & probabilem emptoris ignorantiam.[5] Sed non aliter id locum habet, quam si iusta quoque sit ignorantia & bona fides venditoris, adeoque cui testatoris ipsius factum causam dederit, vt puta si legatum aut fideicommissum quis reliquerit in codicillis, quos viuo herede aperiri vetuerit,[6] alioqui non magis venditoris quam emptoris ignorantiam quantumuis probabilem legatario aut fideicommissario nocere æquum erit,[7] nisi proponas manumissum seruum, qui legatus fuerat aut per fideicommissum relictus.[8] Fauor enim libertatis elicit, vt retractari eam non oporteat, nec nisi serui pretium legatario aut fideicommissario debeatur.[9] *Ita Senatus* in causa N. Petri Ludouici de Lallee, contra Anth. Chardon. *Sine die.*

1 *L. vlt.* § *vlt.* iunct. *Auth. res quæ. C. hoc tit. l. vlt. de leg.* 2.

2 Alioqui hæc actio sicut & cæteræ omnes perpetuæ triginta annis perimitur, *l. sicut* 3. *C. de præscript.* 30 *vel* 40. *annor.* [Obserua autem hanc præscriptionem 30. annorum currere illo etiam casu quo venditio rei fideicommissariæ sit nulla & facta contra prohibitionem legis, id est, à persona prohibita, puta ab herede grauato, aut ab herede grauati, quia præscriptio illa nullum titulum requirit, vt ratiocinatur Castr. *ad d. l. vlt. §. vlt. C. hoc tit.* Sed si venditio facta sit à persona non prohibita, id est à tertio, qui rem fideicommissariam etiam mala fide vendiderit vt suam, placet currere præscriptionem, Non quidem ante euentum conditionis, sed post purificatum fideicommissum. Præscriptionem inquam, longi temporis, quod adsit hoc casu titulus cum bona fide, vt post Castrensem, & ex cõmuni sententia concludit Balb. *in 5. parte 5. partu princip. q.* 5. Ant. Gabr *lib. 5. commun. opin. conclus.* 13. *de præscript.* Quid ergo si venditio facta sit à persona prohibita, sed tamen per multorum bonæ fidei possessorum personas ambulauerit? Non curret præscriptio. Hier. Grat. *cons.* 21. *num* 37. *lib.* 2. Nisi tricenaria ex die purificati fideicommissi, vt supra dictum est. Quid rursum si venditio facta sit à persona, non prohibita, & post purificatum quidem primum fideicommissum, sed nondum impleta conditione secundi fideicommissi. An currit præscriptio longi temporis, contra secundum fideicommissarium etiam ante euentum conditionis, quia ad hunc casum lex Iustiniani non pertinet.]

3 Quia non valenti agere non currit præscriptio, *l.* 1 §. *vlt. C. de annal. except. Auth. nisi tricennale, C. de bon. matern. l. in rebus* 30 *C. de iur. dot.* [Gabriel. *dict. concl.* 13. *de præscr. lib.* 5. *per tot.* Nota autem competere vindicationem non tantum primo legatario, sed etiam secundo. Mich. Graff. qui dicit communem *in §. legatum, qu.* 65. *n.* 18.]

4 *d. l. vlt. §. vlt. C. hoc tit.*

5 *Vt in d. l. vlt. §. vlt. de leg.* 2. vbi est in hanc rem text. elegans.

6 Quemadmodum in specie *d. §. vlt.* Bald. & post eum cæteri *ad Auth. res quæ.*

7 *L. iniquissimum* 5. *D. iur. & fact. ignor. l. quod autem* 6. §. *si quid cum pupillo, D. quæ in fraud. credit.*

8 *L. quidam ita* 25 § *si quis filium, D. ad SC. Treb.* [Adde alium casum, quo venditio rei fideicommissariæ valet, ita vt neque ex postfacto irritetur etiamsi facta sit à persona prohibita, Nempe si vendita sit pro debito defuncti. Castr. *ad d. l. vlt. §. pen. C. hoc tit. per illum text.* iunct. *l. filiusfamilias* 114. §. *Diui* 2. *in fin. de leg.* 1.]

DEFINITIO X.

Ex fideicommisso transuersali non potest dos deduci, quomodo deduceretur ex fideicommisso relicto à descendente.

SÆpius iudicatum est, non posse dotem deduci ex bonis fideicommissi transuersalis, licet relicti sub ea conditione, si grauatus heres sine liberis decesserit. Præsertim contra viduam illustris D. Caroli de Seyssello Baronis d'Aix. Quod tamen mihi semper valde durum visum est. Nam qui heredem grauat, si sine liberis decesserit,[1] illud vtique velle intelligitur, vt possit ille sibi vxorem quærere,[2] ac proinde, vt pro dote possit bona sua obligare,[3] cum alioqui neq; vxorem neque dotem facile inuenturus sit.[4] Idemq; plerisque ex Dominis videbatur. *Relatum est* in causa N. Francisci de Bellegarde, & D. de Carde, 12. Dec. 1596.

1 Sic enim vulgo nostri *ad Auth. res quæ, C. hoc tit.* quia scilicet transuersalibus nulla debetur legitima, cuius loco dos esse creditur, *ex l. quoniam nouella* 29 *C. de inoffic. testam.* [Cæterùm quo casu possunt fideicommissi bona alienari pro dote siue constituenda, siue restituenda, possunt etiam obligari pro eorum quæ in dotem data sunt tuitione, & vt vocant, manutentione, si forte illa quæ in dotem data sunt euincantur, quia nec datum videtur in dotem quod non durat datum quodque euictum est *l. qui res* 98 *in princ. D. de solut.* Aliud probari oporteret, si culpa mulieris quæ dotem accepisset, dos periisset. Nec enim ea culpa nocere deberet fideicommissario. Ex *l. exceptione* 67. *D. fideiuss. l. quod quis* 203. *de reg. iur. Ita Senatus* in causa Franciscæ Claye & fratrum ipsius, 12. April. 1614]

2 In necessarium antecedens, cum nuptiæ illæ sint, per quas iusti liberi quæruntur, *l.* 1. *D. sol. matr. l. hoc modo* 64. *in fin. de condit. & demonstr.* Siquidem non alij possunt dici liberi, quam qui patrem habent, nec rursum alius pater, quàm quem nuptiæ demonstrant, *l. quia semper* 5. *D. de in ius vocand.* § *si aduersus, Instit. de nupt.* Vnde est quod Iustin. *Nouell.* 39. *de restit.* ita scribit, *solis nuptiis homines facere valentibus.*

3 Est enim tacita hypotheca necessarium consequens dotis, post *l. vnic. C. de rei vxor. action.*

4 Qui autem vult necessarium antecedens, vult etiam necessarium consequens. Et contra *vulg. l.* 2. *D. de iurisdict. l. ad rem mobilem* 56. *l. ad legatum* 61. *ff. de procur.* Facit textus *in l. mulier* 23. *§. cum proponeretur, ad SC. Treb.* ponderando verba illa, *& patris voto congruebat.* Quorum vtique non sensus ille est, quem putat Accursius, quod pateraum officium sit dotare filiam, sed ille potius, vt quemadmodum patris votum fuit filiæ nasci liberos, nec eam sine liberis decedere, quod apparebat ex conditione illa, sub qua fideicommissum fuerat relictum, *si ea sine liberis decederet.* Ita dubitari non potest, quin ex voluntate testatoris potuerit filia dotem dare, sine qua nec honeste nubere, nec rursum extra nuptias liberos honeste quærere potuisset. Id enim est quod significant iuncta præcedentia, *& mulieris pudicitia*, cum in masculo aliud esset, in quo scilicet non est nouum, vt fideicommissum ab eo relictum, *si sine liberis*, defeciat propter solos naturales, quos non ex iustis nuptiis procreauerit, *l. ex facto* 17. § *si quis rogatus, D. eod. tit.* Porro hæc ratio, quæ sumitur ex voto & voluntate testatoris, perinde locum habet, si à transuersali relictum sit fideicommissum sub illa conditione, *si sine liberis*, atq; si ab ascendente.

[DEFINITIO XI.

Sumptus ad petendum legatum facti nullam habent hypothecam tacitam.

HYpotheca tacita quam lex Iustiniani pro legatis & fideicommissis induxit,[1] non vsque adeò generaliter accipienda est, vt etiam ad legatorum & fideicommissorum fructus atque vsuras extendatur.[2] Multo minùs verò ad sumptus à legatario vel fideicommissario factos pro legati aut fideicommissi persecutione. Nam cùm sumptuum litis condemnatio sit personalis, quippe quæ in pœnam temerè litigantium in-

tum infligitur,[3] quis æquum putet vt propter moram & culpam heredis qui pro soluendo legato litem secum cõtestari passus sit, hereditas testatoris oneretur?[4] Ea ratio facit, vt inquiri non oporteat an heres qui ad legati solutionem cum expensis cõdemnatus est aliunde habeat ex quo possit soluere. Nam in damno morarilegatarium propter sumptus litis æquius est[5] quàm ex ea causa deteriorem fieri conditionem creditorum defuncti anteriorum.[6] *Ita Senatus* in causa Jacobi Leblanc, & Antonij Vimercat 27 Junij 1614.

1 *In l.1.C hoc tit.*

2 Multum enim refert an de legato ipso vel fideicommisso tractetur, an verò de vsuris legati vel fideicommissi *l. cùm nouus* 10 §.1. *D. de alim. & cibar. legat.*

3 *L. qui solidum* 78 § *etiam, de leg.2. l. eum quem temere* 77. *de iudic. & tot. tit. de pœn. tem litig.*

4 Sua enim cuique mora nocere debet aut alteri *l. factum* 155. *de reg. iur. l.* 2. *D quod vi aut clam cum simil. b.*

5 Cùm suæ si non culpæ, saltem infelicitati imputare is debeat qui cum egeno & pertinaci debitore litigare coactus fuit *l. nam is nullam* 6. *D. de dolo.*

6 Quibus scilicet nihil potest imputari *l.*1. §.1. *D. de separat. l.* 3. *eod.*

TIT. XXIV.

DE HIS QVÆ SVB MODO legat. vel fideic. relinq.

DEFINITIO I.

Qui agnouit legatum cum onere restituendus est aduersus agnitionem & legati & oneris, si legatum ei euincatur.

QVi testamento heredem instituerat ecclesiam, tibi legauerat fundum, ea lege adiecta, vt fundi vsumfructum Sempronius haberet quandiu viueret, tuque ipsi eo nomine caueres. Adita per ecclesiæ rectorem hereditate, tu legatum agnoueras, & Sempronio non solum caueras de præstando vsufructu, sed etiam euictionis nomine ex ea causa te obligaueras. Postea cum hereditatem soluendo non esse constitisset, & consequenter ecclesia exemplo minoris aduersus additionem restituta,[1] distrahi bona hereditaria necesse fuisset, vt creditoribus satisfieret,[2] euicto tibi ex causa fundo, perebas, vt aduersus agnitionem legati contractamque præstandi vsusfructus obligationem tibi succurreretur. Placuit iustam esse petitionem tuam.[3] Euicto enim à te fundo sine culpa tua, æquissimum est liberari te ab eo onere, quod fundi legato adscriptum fuerat.[4] Est enim generale, vt onus, quod alicuius emolumenti prætextu iniunctum est, non debeatur, quoties emolumentum illud non datur.[5] Eademque ratio facit, vt si quando debitum fuit, deberi tamen desinat, ex quo emolumentum illud aditur.[6] Nam & cum ex aliqua causa legatum remanet penes heredem, dicimus fideicommissum, quod à legatario relictum fuerat, non ab ipso deberi, sed ab herede.[7] Nec quod legatum agnoueris damnum te sentire æquum est, cum non tam ex agnitione legati damnum illud sensurus sis, quam ex facto ecclesiæ agnitam à se hereditatem omittentis, quod tibi nocere non debet.[8] Neque rursus augeri obligationem tuam oportet ob id solum, quod stipulanti Sempronio caueris vsusfructus nomine. Recipit enim ea stipulatio easdem conditiones, easdemque patitur exceptiones quæ actioni ex testamento inessent,[9] licet actionem ex testamento nouet ac perimat.[10] Sed & condici ea promissio potest tanquam indebita posteaquam legatum amissum est, cuius contemplatione cautum fuerat Sempronio.[11] Id enim est quod dici solet, causam causæ esse causam causati, & sublata causa, effectum quoque tolli.[12] *Ita tractatum est* licet nondum pronunciatum, 13. Cal. Julij 1591.

1 Potest enim ecclesia exemplo minoris restitui in integrum aduersus agnitionem hereditatis, adeoque hospitale tanquam quod sit pars quædam & membrum ecclesiæ, Ludouic. Roman. *cons.* 470. *n.* 2. post Ioan. Andr. *in c.2. de restit. in integr. in* 6. Alex. *cons.* 9 *in princ. lib.* 2.

2 *Vt in l. patersamilias* 28. *& tot. tit. de rebus auctor. iudic. possid.*

3 Cum ea quę de nouo emergunt, nouo indigeant auxilio *l de ætate* 11. §. *ex causa, D. de interrog. in iur. faciend.*

4 *L. fideicommissum* 78. *de leg.*1. *l. Imperator* 80. *in princ. de leg.*2. *l si legatarius* 8. *in princ. de leg.*3.

5 *L. Titia cum testamento in princ.* vbi Bart. *de leg.*2. *l. pater* 29 §.1 *eod.*

6 *L. Modestinus, alias l. si adimendo* 19. *D. de adim. legat.*

7 *L. si ab eo* 9. *de vsufr. legat. l. Titia* 19. *in princ. de ann. legat. l. Stichus* 20. §. *Titia, de alim. legat.*

8 *Arg. l. cum hereditate* 55 *l. si minor.* 61. *D. de acquir hared.* Excipe casum *l. si mulier* 31. *D. de minor.*

9 *L si serui* 56. *de leg.*1. *l.*1. § *si quis sub conditione, D. vt legat. nomin. caueat.* Vide Guidon. Pap. *quæst.* 96. *num.*3. *vers. & confirmatio.*

10 *L. cum filius* 76. §. *heres meus, de leg.*2. *l.*1. *de præt. stipul.* Scripsi *lib.*3. *Coniect. c.*1.

11 *L.*1. *de condict. sin caus. l.*2. 3. 4. *&* 5. *D. de condict. indeb.*

12 Andr. Tiraq. omnium fusissime *in tract. cessante causa.*

DEFINITIO II.

In contractibus multum differt modus à conditione, sed non in vltimis voluntatibus, cum modus est causa finalis dispositionis.

INter modum & conditionem ea præcipue differentia est, quod conditio actum suspendit, modus non suspendit.[1] Sed in contractibus potissimum ea differentia locum habet,[2] nam in vltimis voluntatibus parum differt modus à conditione, cum modus causa finalis est dispositionis:[3] quod toties euenire intelligitur, quoties modus fauorem respicit testatoris aut alterius, quam eius, cui onus iniunctum fuit.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Defin. 25. & 26. De fideic. supr.

1 *Not. in rubr. C. de donat. quæ sub mod. vel condit. fiunt. & in l. cum ab eo* 41. *D. de contrah. empt.* [Iunge *Defin.*1. *supr. de his quæ pœn. nomin.* vbi multa de modo & conditione. Quibus adde contra quam interpretes sentiant, Non posse dari hereditatem sub modo qui sit verus modus, id est, implendus post additionem, sed tantùm sub conditione, quia hereditatis acquisitio resolui non posset non secuto implemento, cum is qui semel heres fuit nunquam desinat *l. ei qui* 88. *de hered. instit.* Nulla certè talis institutionis sub modo sit mentio in libris nostris, nisi *in l. vlt. eod. illo tit.* sed longè alio sensu. Et titulus hic *in C.* non loquitur nisi de legatis & fideicommissis, vt nec tit. *de cond. inst.* nisi de conditionibus. Ergo si quis heres instituatur, ita vt aliquid faciat, vel non faciat, pro conditione non pro modo id habendum est, vt ante additionem impleri debeat saltem per cautionem Mucianam, si consistat in non faciendo, *l. mulier.* 20. *in princ. &* §.1. *D. de cond. inst.* Sane quamuis modus pro conditione obseruetur, in vltimis voluntatibus, secundum quid, cùm tamen est causa finalis dispositionis nihil distat à conditione in resolutione, vt nostri tractant *ad l.*1. *C. hoc tit.* Iunge *Defin.*1. *n.*3. *ante fin. inf. de don. quæ sub mod.*]

2 An scilicet onus iniunctum sit per formam modi, an per formam conditionis. Bart. *in l. quibus diebus* 40 §. *vlt. de condit. & demonstr. arg. d. l. cum ab eo.*

3 Cravet. *cons.* 59. *incip. Petrus Pollardi numer.*4. Vide Bald. *in l. generaliter col.*5. *vers. modo circa prædicta C. de episc. & cler.*

4 Idem Cravet. vbi supra post alios multos quos citat.

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Ex sola oneris iniuncti ratione non præsumitur quis vocatus, nisi antecedentis necessitas ita suadeat. Et quando ex coniecturis masculi onerati vocati quoque censeantur?

SI instituta vel substituta sit filia ea lege, vt qui primus ex ea nascetur masculus cogatur ferre nomen & arma testatoris,[2] non idcirco primus masculus post matrem substitutus videtur, sed matri potius, quæ instituta vel substituta fuit, iniunctum grauamen, vt non aliter ipsa eiúsve heres, quisquis ille sit, hereditatem testatoris retinere possit, quam si primus masculus nomen & arma induat testatoris.[3] Non enim ex eo solo, quod onus alicui iniunctum est, honoratus credi debet,[5] præsertim cum onus tale est, quod à bonorum causa & acquisitione sit separatum, nec in necessarium antecedens requirat, vt bonorum acquisitio præcesserit,[4] quale illud certe est, de quo tractamus. Quid enim commune habet nomen familiæ cum bonis testatoris? An non vtrumque subsistere potest, vt & mater hereditatem ex testamento sine onere fideicommissi possideat, & eius filius nomen ferat testatoris?[5] Nec aliud erit, tametsi testator iusserit, vt defuncto priore masculo subsequens masculus eodem ferendi nominis onere adstringatur. Ea namque substitutio in onere potius quam in bonis facta videbitur,[6] si aliud nihil sit, ex quo possit colligi, voluntatem testatoris illam fuisse, vt masculi ad fideicommissum vocarentur.[7] Potest autem non improbabilis videri coniectura illa voluntatis, vt masculi, quibus iniunctum est onus ferendi nomen & arma testatoris, pro vocatis habeantur, si in eodem testamento positi sint in conditione, maxime vero si sub nomine masculorum.[8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 10. De condit. insert.

1 Alioqui ferret nomen & arma patris sui, non aui materni, *l. penult. D. de agnosc. liber. l. 1. in fin. de iur. immunit.*

2 Nihil enim vetat institui quem vel substitui sub ea conditione, quæ non sit in ipsius potestate, & quæ ex alterius voluntate, vel ex casu pendeat *l 4. & 5 ff. de hered. instit. l. vlt. ff. de condit. instit. & pass. ill. tit. de condit. & demonstr.*

3 Alioqui nunquam locum haberet, quod dici solet, ei, qui non fuit honoratus nullum onus iniungi posse, *l. ab eo 9. C. de fideicomm. l. si fuerit 6. §. 2. de leg. 3.* si quisquis oneratus esset, hoc ipso vocatus & honoratus censeretur.

4 Aliud enim esset, si onus in necessarium antecedens presupponeret honorem, *vt in l. denique 8. §. interdum, D. de pecul. legat. l. Titia Seio 87. §. Seia libertis, de leg. 2.*

5 Potest siquidem talis esse testator, cuius nomen ferre honor sit potius quã onus, *l. sed sciendum 7.* vbi glos. & alij, *D. ad SC. Treb.* Denique ex diuersis nihil inferri potest, *vulg. l. Papinianus 10. ff. de minor.*

6 In fauorem scilicet matris, quæ fuit instituta vel substituta sub hac conditione, vt ea per aliquem ex masculis impleta possit mater admitti ad institutionem vel substitutionem, alioqui cum conditiones implendæ sint in forma specifica nihil prodesset agnosci onus à secundo masculo, quod esset iniunctum primo, *arg. l. qui heredi 44. l. Mauius 55. & pass. de cond. & demonstr.*

7 Cum placeat etiam ex nudis coniecturis fideicommissum induci posse, *l. penul. de leg. 1. l. cum proponebatur 64. de leg. 2. l. fideicommissa 11. §. item si quis, de leg. 3. l. heredes mei 57. §. eum ita, ff. ad SC. Treb.*

8 Secundum ea, quę ex communi Interpretum nostrorum opinione disputauimus *Defin. 1 & 3. supr. de fideicomm.*

TIT. XXV.

DE CONDIC. INSERT.

DEFINITIO I.

Substitutis per fideicommissum masculis ex familia non presbyteris, non auffertur fideicommissum ei, qui conditionis euenientis tempore non fuit presbyter, licet postea factus sit.

FRATER herede instituta sorore, substituerat per fideicommissum post sororis mortem liberos masculos, qui ex ea nascerentur, hac tamen adscripta conditione, vt si presbyteri essent, succedere ex fideicommisso non possent. Quærebatur, an, si quis ex iis liberis ad fideicommissum admissus postea presbyter factus esset, fideicommissi commodo priuari deberet? Placuit non debere, propterea, quod testamenti verba ad id tempus relata viderentur, quo fideicommissi casus & conditio euenisset.[1] Itaque causam illam finalem semel extitisse sufficiebat, vt in perpetuum actus subsisteret.[2] Quo pertinet, quod vulgo nostri ex Grammaticorum præceptis iactitant, qualitatem verbi regulari secundum tempus verbi aut participij, cui iungitur,[3] alioqui dicendum esset eum, qui aguiti fideicommissi tempore presbyter non esset, non aliter admittendum fore, quam si caueret, quod nunquam presbyter fieret, inducta in eam rem Mutiana cautione, quæ in conditionibus negatiuis locum habere solet:[4] quod tamen possimi sane esset exempli & contra bonos mores.[5] Accedebat, quod fideicommissum non sub ea conditione negatiua relictum proponebatur, *si non erunt presbyteri*, sed facta demonstratione præsentis temporis euenientis fideicommissi hoc modo, *omnibus qui non sint presbyteri*, vt proinde nihil obstaret quo minus deberetur fideicommissum ei, qui tunc presbyter non reperiretur.[6] Postmodum vero adimi propter adeptam sacerdotij dignitatem, non solum iniuriosum esset,[7] verum etiam præter mentem testatoris. Qui sicut sacerdotes ad fideicommissum vocatos esse noluerat, ita eis acquisitum fideicommissum non ademerat.[8] Aliud enim est non dare, aliud adimere.[9] Quare ad rem non pertinebat, quod contra obiiciebatur, conditionis negatiuæ vim illam esse, vt immutabiliter impleri debeat.[10] Id enim ad eas conditiones pertinet, quæ futurum tempus respiciunt, nõ ad demonstrationes in præsens aliquod tempus relatas.[11] Quod autẽ habet antiqua iuris regula, non valere actũ, qui ad eum casum peruenit, à quo incipere non potuit,[12] toties verum non est, quoties actus ille iam perfectus semel & absolutus fuit.[13] Denique conditionem alioquin odiosam, & quæ non solum libertatis ius quodammodo infringeret,[14] sed etiam religionis fauorem labefactaret,[15] interpretatione temperandam potius quam adiuuandam esse visum est.[16] *Ita Senatus* Cal. Decemb. 1588.

1 Est enim generale, vt in dispositionibus conditionalibus tempus euenientis conditionis spectari oporteat, *l. intercidit 59. l. eum qui post apertum 104. de condit. & demonstr.*

2 Bald. *in l. si quis heredem 7. D. instit. & substit.*

3 Bart. & Castr. *in l. substitutione 33. & l. ex facto 43. de vulg. & pupill. subst.* Vide text. elegantem *in l. cum pater 77. §. cum inter. de leg.*

4 *L. Mutiana 7. vbi not. D. de condit. & demonstr.*

5 Quia retraheret ab electione vitæ contemplatiuæ, Bart. *in l. si ita quis, §. is cui, de leg. 2. & cons. 1. incip. Parmensis quidam, num. 2.* Dec. *cons. 259. incip. visis his.* post Alexand. *cons. 18. vol. 1.* Cruet. *cons. 152.* Boer. *quæst. 354.* Didac. Couar. *lib. 1 var. resol. cap. 19 num. 8.* Itaque videtur hic casus esse ex eorum numero, in quibus cautio Mutiana hodie sublata est, *l. 2.* vbi DD. *C. de indict. viduit. toll.*

6 Sufficit enim qualitatem adfuisse eo tempore, quo adesse debuit, nec semper adesse illam necesse est. De quo vide Bald. *cons. 57. vol. 2.*

7 Tanquam

7 Tanquam quod esset in pœnam eius, quod piè & honestè factum esset. An enim pœna, an conditio, an translatio sit, ex defuncti voluntate apparet, *l.2. ff de his quæ pœn. caus relinq.*

8 *Arg. d.l. cum pater 77. §. cum inter de leg. 2.*

9 *L.1. §. pen. ff. de his quæ in testam. delent.* Adde, quod multa facta teneant, quæ fieri prohibentur, *l. patre furioso 8. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

10 *L. quicquid 99 §. 1. de verb. oblig.*

11 Vide addit. ad Bart. *in d.l. 2. C. de indict. viduit. tollend.*

12 *L. quia in eum casum 16. D. ad legem Aquil. l. pro parte 11. D de seruit.*

13 *L. pennlt. §. vltim.* vbi late Bart. & post eum cæteri, *D. de verb. oblig. l. in ambiguis 85 §. 1. de reg. iur.*

14 Quod sane odiosum est, *l. Titio centum. de cond. & dem.*

15 Summa enim est ratio, quæ pro religione facit, *l. sunt personæ 43. de relig. & sumpt. funer.*

16 *L cum quidam 19. de liber. & posth. l. hoc modo 64. in fin. D. de cond. & demonstr.*

DEFINITIO II.

FIdeicommissum alicui iniunctum sub ea conditione, *si sine liberis decesserit*, per liberos naturales excluditur,[1] nisi legitimorum mentio adiecta sit,[2] si non ex testantis dignitate aliisve coniecturis probabilibus appareat de contraria eius voluntate.[3] Non idem est, si legitimos tantum liberos grauatus heres reliquerit,[4] quia de iis sensisse testator non intelligitur[5] de spuriis multo minus, ne alioqui heredem ad delinquendum inuitasse videatur.[6] Quod si liberi sub legitimorum demonstratione in conditione positi sint, nihil causæ est, cur non pro legitimis haberi debeant, qui rite sunt legitimati.[7] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. ex facto 17. §. si quis rogatus 1 ff. ad SC. Treb. l. cum pater 77. §. volo, l. Lucius 88. §. Dama, de leg. 2. l. generaliter 6. §. cum autem*, vbi Bart. *C. de instit. & substit.*

2 Quæ ideo nimirum solet adiici, vt qui naturales tantum erunt, non etiam legitimi excludantur, quia pluribus conditionibus coniunctim adscriptis omnium concursus copulatiue requiritur, *l. si heredi plures 5 ff. hoc tit. de condit. l. cum pupillus 78. de condit. & demonstr.*

3 *d § si quis rogatus 1. & not. in d §. cum autem.* Præsertim vero per Bart. *in d § si quis rogatus.*

4 *L. si ita quis 51. §. is cui in tempus, de leg. 2. l. fideicommissum 76. de condict. & demonstr.*

5 Quia conditionum verba naturaliter & vere, non ciuiliter & fictè sunt intelligēda, *l. qui heredi 44. l. Maeuius 55. eod. tit.* In conditionibus autem voluntas testatoris maxime dominatur, *l. conditionibus 19. l. pater Seuerianum in princ. & §. 1. eod.*

6 Siquidem spurios eos appellare solemus, qui nati sunt non ex concubina, sed ex damnato coitu. Dixi *in tit. de nat. liber. supr.*

7 Omnes enim legitimati sunt legitimi, licet non omnes legitimi sint legitimati. Apostill. ad Bartol. *in d. §. cum autem* Guid. Pap. *decis. 482.* Adde *l. vlt ff. de iur. delib.*

DEFINITIO III.

Liberi eius, qui propter sacerdotium excluſus est à fideicommisso, non eo minus admittuntur. si ante suscepti sint. Multo magis faciunt deficere conditionem fideicommissi.

EXclusis à fideicommissi iure per conditionis verba presbyteris, non ideo tamen excludi videbuntur liberi ex eo suscepti, qui postea presbyter factus sit.[1] Nam si presbyteratus dignitas superueniens quæsitum fideicommissi ius non adimit,[2] multo minus nocere debet liberis iam ante susceptis.[3] Neque enim nouum est, vt plus iuris habeat filius quam parens,[4] nimirum, si non eadem in vtroque ratio sit exclusionis.[5] Illud sane facilius quis admittat, per liberos presbyteri ante sacerdotium susceptos excludi fideicommissarium, qui à patre presbytero facto non excluderetur.[6] Solam fideicommissi conditionem deficere satis est ad excludendum fideicommissarium, tametsi aliquid sit, quod prohibeat, ne is ipse per quem conditio deficit, admitti possit.[7] Plane nulla conditione adscripta constat non tantum per sacerdotium non extingui ius substitutionis, at neque per ingressum religionis, nisi vno illo casu, quo appareat testatorem de bonis in agnatione & familia conseruandis cogitasse.[8] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Nec enim medium est inhabile, cum ponamus susceptos istos ex eo, qui nondum eo tempore erat presbyter.

2 Vt diximus *Defin. 1. supr. argum. l. cum pater 77. §. cum inter, de leg. 2.*

3 *Arg. l. familiam 9 ff. de Senator l. 2. C. de libert. & eor. lib.*

4 Quamuis regulariter aliud sit, *l. si vina matre 3. & ibi not. C. de bon. matern.*

5 Marian. Socin. eleganter *cons. 2. vol. 3.*

6 Scilicet cum presbyteri à fideicommisso excluſi sunt, vt in proposita specie. Admittuntur enim hoc casu liberi non ex persona patris, sed ex propria, & ab auo non à patre, *l. 3. ff. de interd. & releg.*

7 *d.l. filius familias 114. §. cum quis erit, de leg. 1.*

8 Francisc. Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib. 8. tit. 12. num. 5.* post Cruet. *cons. 151. n. 2.*

DEFINITIO IV.

Qualitas masculinitatis posita in priore substitutione non censetur repetita in posteriore. si sit diuersa qualitas substitutorum magis & minus distinctorum.

QVod priore substitutionis parte masculi soli in conditione positi sint, facere non debet, vt in sequenti ea masculinitatis, vt aiunt, qualitas repetita semper intelligatur, si non vrgeat probabilis & euidens coniectura voluntatis ad exclusionem fœminarum. Itaque si cum primo loco substituti essent quidam de familia, ob eamque causam de liberis masculis concepta conditio, ne per fœminas deficeret,[1] posteriore loco substituti proponantur extranei sub ea conditione, Si persona grauata sine liberis moreretur, apparet ex diuersa substitutorum qualitate non posse videri masculos in conditione positos, quod sit verisimile, voluisse testatorem prohibere, ne filiæ ab intestato saltem præferrentur substituto extraneo,[2] tametsi fœminas prioribus ex familia substitutis præferri noluisset.[3] Eadem fere ratio facit, vt si masculi soli sint substituti, non idcirco tamen conditio adscripta, *si sine liberis*, de solis masculis intelligi debeat,[4] quia fieri potest, vt fœminas ad fideicommissum inuitare testator noluerit, at saltem voluerit iis esse in legitimę successionis ab intestato ad exclusionem fideicommissarij.[5] *Ita Senatus* ibidem.

1 Maxime si excluſæ sint fœminæ non tantum per adiectam mentionem masculorum, sed etiam per dictionem taxatiuam *duntaxat* positam in præcedenti substitutione, Bart. *in l. Lucius. col penult. vers. sed quæro circa hoc de pulchra quæstione.* vbi late Alex. & DD. *de vulg. & pup. substit.* Alex. *in l. coheredi 41. §. qui discretas. eod. & cons. 66. lib 2.* Cruet. *cons. vltim. num. 5. arg. l. qui filiabus 17. de leg. 1.* Idem Bart. *in l. cum ita, de cond. & demonstr.*

2 Hoc enim casu fœminæ non excludunt fideicommissum. Socin. & alij *ad l. cum auus 20 1. de cond. & demonstr.*

3 *Arg. l. cum acutissimi 30 C. de fideicomm. l. vel singulis 37. de vulg. & pup. substit. l. Lucius 85.* vbi gloss. communiter approbata in verb. *prætulit, D. de hered. instit.*

4 Studio scilicet conseruandorum in familia bonorum quantum fieri posset, quia non possunt conseruari per fœminas aut per descendentes ex fœminis, *l. 1. in fin. de iur. immunit. l. pronunciatio 195. §. vlt de verb signif.*

5 Nisi posterior clausula iuncta sit præcedenti, in qua mētio facta fuerat masculinitatis per copulam *Et*, quæ dicatur repetitiua præcedentium omnium qualitatum, Bart. *in l. Seia. §. Caio, de instruct. & instrum. legat. l. in repetendis, de leg. 3.* Aut nisi ex coniecturis appareat, testatorem in ipsis substituisse, quos vocauerat, vt relatio facta sit cum omnibus suis qualitatibus, *vulg. l. asse toto 77. D. de hered. instit.* Alex. *consil. 9. nu. 10.*

BIU Cujas

vol. 1. Dec. *conſ.* 291. *incip. viſis & diligenter, n.* 6. *verſ. his præmiſſis.* [Simile eſt quod dici ſolet Clauſulam poſitam in vno capite inſtrumenti, ſiue teſtamentum ſit, ſiue contractus influere in ſequentia, Imò & trahi ad præcedentia, ſi ſit poſita in medio. Ex *l.* 3 *§. filius, D. de liber & poſthum.* Alioqui cùm vnaquæque clauſula ex ſe perfecta eſt, & ſuum ſenſum habet, difficilius eſt vt conditio aut reſtrictio poſita in vna clauſula ad aliam, ſiue precedentem, ſiue ſubſequentem extendi debeat, niſi cum eadem, aut maior ratio eſt. Crauet. *conſ.* 135. Præſertim *n.* 16. Socin. *conſ.* 10.]

6 *Arg. d. l. vel ſingulis* 37. *de vulg. & pup. ſubſtit. Gloſſ. in d. l. Lucius* 85. *in verb. pratulit, de hered. inſtit.*

DEFINITIO V.

Conditionis nomen quando ſumatur pro modo, & quando modus pro conditione.

SI quid tibi teſtamento datum aut contractu promiſſum ſit ſub ea conditione, quomodo notarij plerumq; loqui ſolent, vt hoc vel illud facias, non tam conditio inſerta quam onus iniunctum moduſque adiectus videbitur.[1] Non enim ex figura verborum æſtimanda & diſcernenda conditio eſt, ſed ex eorum vi & poteſtate,[2] quam ſola teſtatoris aut contrahentium voluntas inducit:[3] quanquam, ſi quis ad figuram verborum reſpicere volet, ea placet obſeruatio, quam noſtri tradunt, vt conditio per particulam, *ſi*, modus per *vt*, concipiatur.[4] In teſtamentis tamen & vltimis voluntatibus minus intereſt quam in contractibus, an conditio ſit, an modus.[5] *Ita Senatus* ſæpius.

1 Bart. *in l. quibus diebus* 40. *§. vlt. num.* 5. *de condit. & demonſtr. ex l.* 2. *§. vlt. de donat. l. Mauia* 44. *de manum. teſt.* Conditionem enim notarij in hac formula ſumunt pro lege & pacto, *vt in l. ea conditione* 14. *C. de reſcind. vend. & alibi paſſ.*

2 Multum tamen interdum refert, an figura conditionis expreſſa ſit an non, *vt in l. in ratione* 30. *§. tametſi, D. ad legem falcidiam.*

3 *L. in conditionibus* 19. *in princ. & §.* 1 *& 2. l. pater Seuerianam* 101. *in princ. & §.* 1. *de cond. & demonſtr.*

4 Ita enim vulgo noſtri *ad l. cum ab eo* 41. *per ill. text. de contrah. empt.*

5 Crauet. *conſ.* 59. *incip. Petrus Pollardi, num.* 4. Dixi *Defin.* 2. 5. *de his quæ ſub mod. leg. vel fideic. relinq.*

DEFINITIO VI.

Qui controuerſiam alicui mouere prohibitus eſt, nihil ab eo per tranſactionem accipere poteſt eo nomine, in dubio tamen credendus eſt accepiſſe pro aliis iuribus, ſi quæ ſint.

CVi legatum, aut quid aliud teſtamento relictum eſt ſub ea conditione, ſi heredi controuerſiam non fecerit,[1] contra voluntatem feciſſe videtur, ſi agnitum quoque legatum ratúmque habitum iudicium defuncti pecuniam ab herede, litem metuente, per ſpeciem tranſactionis acceperit.[2] Quid enim refert, an legatarius pro omni iure, quod aduerſus heredem habere poterat, aliquid conſecutus ſit, an vero iura ſua, quæ habere poterat, exegerit?[3] Niſi, quod priore caſu minus accipit, tanti nimirum æſtimans iura ſua, quæ pluris vtique eſſe potuerunt.[4] Aut quid intereſt, an ius habuerit, nécne, mouendæ aduerſus heredem controuerſiæ?[5] Siquidem tritum illud eſt, cõditionis verba naturaliter intelligenda eſſe, nec tam ad ius quam ad factum referenda.[6] Neque dubitandum eſt, quin ea teſtatoris in propoſita ſpecie voluntas fuerit, vt heredem ſuum ab omni litis metu & incommodo liberaret.[7] Plane, ſi quid aliud fuit, quod legatarius pro ſuo iure, aut ex eo ipſo teſtamento, aut qua alia ratione, ſaluo teſtatoris iudicio petere potuerit, idipſum tranſactione remiſſum, aut potius accepta quantitate æſtimatum perceptumque intelligetur, vt in dubio ea capiatur interpretatio, quæ fauorabilior eſt.[8] Non enim facile quiſquam credendus eſt, impugnare velle defuncti iudicium, quod ſemel agnouerit,[9] præſertim ſi ex eo maius damnum paſſurus ſit.[10] Cæterum ſi legatario, per quem aliud contra teſtatoris voluntatem factum eſt, heres vltro perceperit, pœnāq; remiſerit, impunitum erit factum legatarij,[11] ſi non interſit alterius, cui nocere facto ſuo heres non potuerit.[12] *Ita Senatus* in cauſa Dn. Joannis Claudij de la Roche Senatoris; contra Franciſcam Loſam, 8 Id. Mart. 1591.

1 Quemadmodum etiam interdum heres damnatur, ne controuerſiam alij faciat, *vt in l. penult. D. de liber. legat.*

2 Tranſactio enim præſupponit controuerſiam, vel motam, vel ſaltem mouendam, *l.* 2. *C. de tranſact. l. in ſumma* 65. *§.* 1. *D. de condict. indeb.*

3 Priore ſiquidem caſu fit quædam veluti compenſatio, quæ pro ſolutione & petitione eſt, *l. ſi debitor* 4. *ff. qui potior. in pign. hab. l. amplius non peti* 15. *ff. rat. rem haber.*

4 *Arg. l* 4. *§.* 1. *de alien. iudic. mut. cauſ. fact. l. Imperator* 70. *§. ſi centum de leg.* 2.

5 *L. nuda* 5. *C. de contr. & commit ſtipul. l. pacto conuento* 15. *ff. de tranſact.* Guid. Pap. *quæſt.* 377. *num.* 2.

6 *L. qui heredi* 44. *l. Mauius* 55. *de condit. & demonſtr.*

7 Nam & metus litis hoc caſu tantum poteſt, quantum lis ipſa, *d. l.* 2. *C. de tranſact.*

8 Ne ſcilicet pœna priuationis incurratur, quæ ſemper odioſa eſt.

9 Quia nec poteſt id iure facere, etiam maxime velit, nec inducere diuiſionem voluntatis, *l.* 4. 5. *& 6. de leg.* 2.

10 Nemo enim creditur velle damnum pati, & iurium ſuorum iacturam incurrere, *vulg. l. cum de indebito* 25. *D. de probation.*

11 Pœnam ſiquidem remittere poteſt is, cuius ſolius intereſt, *l. vltim. de eo quod cert. loc. l. de lege* 6. *§. vltim. & l. ſeq. D. de leg. commiſſ.*

12 *L.* 1. *de alien. iud. mut.*

DEFINITIO VII.

Factum deceſſoris nocet ſucceſſoribus etiam ex propria perſona venientibus, ſi ex eo facto defecit conditio, ſub qua ſucceſſores fuerant vocati.

QVi centum tibi legauerat pro iuribus omnibus, quæ aduerſus heredem habere potuiſſes, idem te tuoſque liberos ſcripto heredi ſubſtituerat, ſi is ſine liberis moreretur; ſed ea lege adiecta & conditione, vt ſi qua per te controuerſia heredi fieret, irrita eſſent & pro non ſcriptis ſubſtitutiones, quam in tuam tuorumque vtilitatem feciſſet. Placuit, ſi quid contra voluntatem feceris, nocere id debere non ſolum tibi, ſed etiam tuis ſucceſſoribus,[1] licet ex propria perſona fideicommiſſum perſequentibus.[2] Nec magis abſurdũ hoc caſu videri poteſt, vt factum tuum liberis tuis noceat, quam ſi fideicommiſſum iis datum aut adempũ eſſet ſub ea conditione, ſi tu heredi aliquid dediſſes aut non dediſſes.[3] Conditionem enim nihil prohibet in vnius perſona concipi, vt in alterius commodum, aut incommodum, vel impleatur, vel deficiat, ſicut euenire tibi centum, ſi Titius Capitolium aſcenderet.[4] Diuerſum eſſet ita concepta conditione, ſi neque per te, neque per tuos liberos heredi controuerſia moueretur. Etſi enim vna conditio eſt pluribus perſonis impoſita, prodeſſe tamen eam implenti placuit, nocere non implenti.[5] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Ita nimirum faciente voluntate teſtatoris, qui ſubſtitutiones in tuorum fauorem factas voluit eſſe irritas, ſi quid tu faceres contra voluntatem, quia nec eos ſubſtituerat, niſi tui contemplatione, *vt in l. filiofamilias* 42. *de condit. & demonſtr.*

2 Quamuis dici ſoleat ſucceſſoribus ex propria perſona fideicommiſſum petentibus non nocere factum deceſſoris, etiã cui extiterint, heredes neque hoc caſu locum eſſe legi *cum à matre, C. de rei vindic.* Oſaſch. Cacher. *deciſ. Pedem.*

3 Quo

BIU Cujas

4 Quo casu esset in tua potestate facere, vt conditio deficeret, *l. nonnunquam 52. de condit. & demonstr.*

4 *L. si quis Sempronium 68.* vbi est textus elegans, *D. de hered. instit.*

5 *L. si plures 6. C. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Stipulatio legatorum & fideicommissorum nomine interposita easdem recipit conditiones, quas actio ex ex testamento.

CVm ius legati aut fideicommissi ex testamento competens in stipulationem transfusum est, si dies aut conditionem testator adscripserat, quæ in stipulatione omissa sit, easdem tamen conditiones stipulationi inesse credendum est, quæ testamento ineant.[1] Est enim hæc stipulatio ex earum numero, quas cautionales vocant, quarum proprium & singulare ius illud est, vt actionum, quas nouant & perimunt, naturam induant, vicemque repræsentent,[2] propter quam causam instar actionum habere dicuntur.[3] Proinde si qua exceptio agenti ex testamento obiici potuisset, eadem agenti ex stipulatu recte obiicietur.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. § si quis sub conditione 14. D. vt legat. nom. caueat.*

2 *L. 1. §. cautionales, D. de prætor. stipulat.*

3 *L. actionis verbo 37. ff. de oblig. & act. l. sed & hæ 35. §. non solum, ff. de procur.* Scripsi *lib. 3. Coniect. cap. 1.*

4 *d. § si quis sub conditione.* Ergo & obiici poterit de non implemento modi, quia in vltimis voluntatibus modus pro conditione habetur, *l. 1. vbi glossa penult. C. de his quæ sub mod.* Dixi *Defin. 5. in fin. supr.*

DEFINITIO IX.

Legatum pro dote tacitam conditionem nuptiarum habet, si factum sit ab extraneo, secus si ab ascendente, & ideo posteriore casu transmittitur, priore non item.

LEgatum dotis causa ab extraneo relictum, tacitam conditionem[1] habere intelligitur, si nuptiæ sequentur,[2] cum nec dos esse possit ante matrimonium,[3] nisi dies nuptiarum non tam legato, quam legati solutioni dictus sit.[3] Nihil enim commune habet tempus solutionis cum iure obligationis.[5] Quod si non ab extraneo, sed à patre legatum tale relictum proponatur, diuerso vtique iure censebitur, vt tacitam conditionē habere nullam videatur, quia nec expressam admitteret,[6] cum legitimæ loco sit.[7] Proinde filias ante nuptias defuncta transmitteret legatum ad quoscunque filiæheredes, quod alioqui nō transmitteretur: quia legitimæ petendæ ius in heredem transmittatur,[8] at legatum conditionale non item.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 12. supr. de legat.

1 *L. Titio 71. §. Titio genero, de cond. & demonstr.*

2 Itaque non sufficiet puellam ad nubilem ætatem peruenisse, *l. sancimus 24. C. de nupt.* sicut nec sufficeret esse illam traductam ad domum sponsi, ibique defunctam, si ad nubiles annos nondum peruenisset, *l. penult. §. fin.* vbi Bald. *D. quod falsi. tut. auct.* Boer *qu. 12. n. 37.*

3 *L. 3. D. de iur. dot.* Cravet. *cons. 101. n. 1.*

4 *L. ex his verbis 5. C. quand. dies legat. ced.*

5 *Arg. l. 1. D. qui potior. in pign. hab.*

6 Quod enim expresse fieri non posset, cur tacite factum credatur?

7 Imputatur enim dos in legitimam, & succedit loco legitimæ secundum nostros qui ista confundunt, *ad l. quoniam nouella 29. C. de inoffic. testam.* certum autem est, legitimam neq; diem recipere, neque conditionem, *l. quoniam in prioribus 32. eod. tit.*

8 Dummodo non sit petenda per querelam inofficiosi non præparatam, *l. si quis filium 34. eod.*

9 *L. 4. §. & pass. D. quand. dies leg. ced. l. si cui legetur 49. §. hoc autem legatum, de leg. 1.*

DEFINITIO X.

Si substitutionis verba sint apta comprehendere filias, non facile capienda est interpretatio, quæ illas excludat, licet in aliis partibus testamenti facta sit mentio masculorum.

COnditio illa, si sine liberis, quæ in fideicommissis plerunque adiicitur, deficit proculdubio, si is qui rogatus est superstite filia decesserit.[1] Nam & sufficeret supereſſe liberos ex filia etiam prædefuncta.[2] Sed tamen aliquando accidit, vt dubitationi locus esse possit, an qui liberos simpliciter in conditione posuit, de masculis tantum sensisse videatur, nimirum si ex aliis testamenti verbis ea capi possit coniectura voluntatis.[3] Quid enim si testator in institutione proprias filias excluserit, soloſque masculos heredes instituerit? Cur non filiorum quoque filias, quas haud dubie tanquam remotiores minus dilexit,[4] excludere voluisse credatur, in fauorem præsertim filij primi gradus, & masculi & superstitis?[5] Siquidem dici solet sumendam ex institutione interpretationem substitutionis, viderique testatorem eos in substitutione prætulisse, quos prætulit in institutione, ac eundem inter substitutos, quem inter institutos ordinem seruasse.[6] Sicut & illud verum est, nunquam meliorem esse debere conditionem personæ, quæ fuerit minus dilecta.[7] Quid item si appareat, testatorem habuisse rationem conseruandi in familia patrimonij?[8] Finge in eum casum, quo scripti masculi sine liberis morerentur, substitutas quidem filias, sed ea lege, vt qui primus ex ipsis masculus nasceretur, deinde secundus, & sic deinceps alius atque alius, nomen & arma familiæ deferret?[9] Quid rursum si substitutus non sit extraneus, sed ex liberis & descendentibus?[10] Nam extraneo substituto vtique difficilius est credere, vt heredum præsertim filiorum filiabus præferre illum testator voluerit.[11] Quod in substituto vno ex liberis aut nepotibus maxime quem constet magis dilectum fuisse, quam liberos in conditione positos, minus mirandum esset.[12] Nec sane desunt qui hanc distinctionem probent.[13] Quid denique si ex contractibus ab eodem testatore inter vinos initis appareat, sic eum existimasse, vt ex maiorum suorum testamentis soli masculi ad ea bona vocari deberent, quæ ipse à maioribus accepisset?[14] Cur non ei interpretationi, quam testator ipse fecerit, stare heredes coganter? Aut saltem pati, vt ex enunciatione illa voluntatis coniectura capiatur?[15] *Senatus* tamen etiam omnibus suprascriptis circumstantiis concurrentibus pronunciauit, defuncto filia superstite altero ex masculis heredibus, nullum fideicommisso locum esse. Nam cum liberorum appellatio filias æque ac masculos comprehendat, verba sane repugnabant, à quorum propria significatione non aliter recedi oportuit, quam si contraria euidenter esset voluntas testatoris.[16] Etsi autem constat in fideicommissis interpretandis habendam præcipue rationem voluntatis,[17] eam tamen voluntatem ex testamenti verbis colligi necesse est, & quidem ex iis quæ disponant.[18] Nec facile quisquam credendus est voluisse quod non dixerit,[19] ne aliter posito iure vagentur omnia in incerto, ac cuique liberum sit pro arbitrio suo defuncti hominis voluntatem eiusmodi commentis in vtram velit partem detorquere.[20] Neque rursum prpbabile erat, voluisse auum neptem ex filio postponi patruo in patris portione, ne ipsi filio in ea portione instituto feciſſe videatur iniuriam, si ita heredem eum scripserit, vt non possit filius in iis ipsis bonis, quæ à patre habuit, filiam

heredem relinquere. Hæc enim illa est pietatis coniectura, quæ Papinianum mouebat, vt conditionem hanc, *si sine liberis*, etiam tacitam, & ab auo prætermissam, supplendam putaret.[21] Denique verba illa enunciatiua, quibus testator extra testamentum & disponendi voluntatem vsus proponebatur ad alium finem, & vt sibi suisque heredibus prodesset potius, quam vt seipsum fideicommisso obstringeret, aut sibi suisve bonis vel heredibus legem diceret, non poterant obligare heredes, quo minus nullum in iis bonis fideicommissum relictum esse possent dicere.[22] Præsertim, cum idem ille, qui eiusmodi verba enunciatiua protulerat, postea testatus inter liberos ita substitutionem concepisset, vt non minus de filiabus, quam de masculis sensisse videri deberet.[23] *Ita Senatus* in causa Dn. Guillielmi Onciaci, Dn. de Cognac, tunc Senatoris integerrimi & eruditissimi, nunc Præsidis meritissimi, & Dn. de Maillac consentientibus omnium votis, 4. Calend. Febr. 1594.

1 *L. non est sine liberis* 148. *de verb signif.*

2 *L.* 1. *C. hoc tit.*

3 Cum vna pars testamenti per aliam possit & debeat declarari, *l. qui filiabus* 17. *l. si seruus plurium* 50. §. *vlt. de leg.* 1. *l. quæsitum* 12. §. *Papinianus antepen. D. de instruct. vel instrum. legat. l. vtrum* 23. *D. de hered. petit.*

4 Nam quo quis remotior est à testatore, eo minus dilectus fuisse præsumitur, *l. omnia* 32. *alias l. cum ita*, §. *in fideicommisso, de leg.* 2. *l. vltim. & ibi not. Cod. de verborum significationib.*

5 Eiusdemque heredis instituti, cuius causa omnium fauorabilissima esse solet, *l. Titia cum testamento* 34. §. *qui inuita, de leg.* 2. iunct. *l. Sempronius* 47. *eod.*

6 *L. fin.* vbi Bart. *D. ad Senatusc. Treb. l.* 1. *C. de impub. & aliis substit.* Not. Socin. *in l. si is qui ducenta, num.* 4. *de reb. dub.* Alex. *in l. coheredi* 41. §. *qui discretas, de vulg. & pup. substit. & cons.* 63. *lib.* 2. Paul. Castr. *in l.* 1. *C. hoc. tit. & cons.* 409. *lib.* 2. Barbat. *inter cons. Alexand cons.* 52. *lib.* 4. Corn. *cons.* 265. *lib.* 4. Dec. *cons.* 270.

7 Idem Bar. *in d. l. vlt. ad SC. Treb.* Curt. sen. *cons.* 151. *col.* 4. *vers. probantur prædicta.* Corn. *cons.* 146 *col.* 2. *lib.* 4. Curt. iun. *cons.* 48 *c. l.* 8. *vers. accedit, n.* 6. text. *in l. Publius* 36. §. 1. *de cond. & demonstr.*

8 Hoc enim casu qualitatem masculinitatis in vna parte testamenti appositam in aliis repetitam videri placet, Bartol. *in l. Titia*, §. *vltim. de leg* 2. Bald. *in l. quemadmodum*, §. *hæc verba, ad legem Aquil. & in l. inciuile, D. de legib. Ex l. qui non militabat*, §. *de hæred. instit. l.* 3. §. *filius inter medias, de liber. & posthum. l. legatorum* 33. §. *qui plures, de leg.* 2. *l. quæsitum* 78. §. 1. *de leg.* 3.

9 Alioqui non posset nomen & familia conseruari per descendentes ex fœminis, *l.* 1. *in fin. D. iur. immun. l. pronunciatio*, 195 §. *vlt. de verb signif.*

10 Nam liberorum causa fauorabilior esse solet, *l. cum a uus* 101. *vbi not. de cond. & demonstr.*

11 *L. cum acutissimi* 30. *C. de fideic.*

12 Qui enim ponitur in dispositione, magis diligitur, quam qui tantum in conditione, *l. heredes mei* 57. §. *cum ita, C. ad SC Treb.*

13 Carol. Ruin. *cons.* 140. *vol.* 2.

14 Desideria namque morientium ex arbitrio viuentium colligenda sunt, *l. quoniam* 4. *C. de natur. liber.*

15 *Arg. l. vlt. ff. de hered. instit.*

16 *L. non aliter* 63. *de legat.* 3.

17 *L. penult de leg.* 1. *cum similib.*

18 *L. Gallus* §. 1. *de liber. & posth. l. quidam* 46. *de hered. instit. l. Lucius* 78. §. *tres heredes, in fin. ad SC. Treb. l. pater* 38. *pen. de leg.* 3.

19 *L. Labeo* 7. *de supell. leg.*

20 *L. ille aut ille* 25. §. *cum in verbis de leg.* 3.

21 *L. cum annus* 102. *de condit. & demonstr.*

22 Verba enim enunciatiua incidenter & ad aliud prolata, & extra testamentum non possunt probare, *l. ex hac scriptura* 16. vbi Bart. *D. de donat. l. Diuus* 24. *de test. milit.*

23 Nam etiam si verba enunciatiua inducerent fideicommissum, posterior tamen voluntas præualere deberet, *l.* 3 §. *vlt. l.* 4. *de alim. legat.* Vide Francisc. Mantic. *lib.* 6. *de coniect. vltim. volunt. tit* 15. *num.* 10. *& tit.* 13. *num.* 9. Dec. *cons.* 480. *n.* 4. *vers. & conclusioni.*

DEFINITIO XI.

Conditio concepta per dictionem collectiuam omnes, *debet in omnium personis purificari.*

SVbstitutio facta pluribus in tota hereditate, sub ea conditione, *si omnes sine liberis decedant*, non vindicat sibi locum in portione eius, qui solus sine liberis defunctus sit. Sed in omnium personis euenire conditionem necesse est, quæ omnium personas complexa est.[1] *Ita Senatus* in causa sororum Genier, 5. Cal. Maij 1594.

1 Dictio enim *omnes* est collectiua, & omnium personas complectitur, & ideo verificari debet in omnium personis, præterquam in casu *l. heredes mei* 57. §. *cum ita*, vbi omnes notant *D. ad SC. Treb. & in l. penult.* vbi est text. *C. de impub. & aliis substit.*

DEFINITIO XII.

Fideicommissum relictum sub simplici conditione, si sine liberis, *deficit superstitibus liberis, nec sub duplici conditione datum vnquam præsumitur.*

FIdeicommisso sub ea conditione relicto, si quis sine liberis decederet, sufficit ad excludendum fideicommissarium, quod relictis liberis decesserit is cui adscripta fuerat conditio,[1] quicquid postea de liberis contingat,[2] id est, siue liberi illi viuo fideicommissario sine liberis decesserint siue non, & siue parentis hereditatem agnouerint, siue repudiauerint.[3] Semel enim defecta fideicommissi conditio iterum restitui, vt quandocunque existat & impleatur, non potest.[4] Aclane si conditio ita concepta, *Si Titius sine liberis decesserit*, eam interpretationem admitteret, vt illa quoque adiectio subintelligeretur, *aut liberi eius sine liberis*, non tam interpreratio illa dicenda esset, quam mera extensio, nec solum de casu ad casum, quod in vltimis voluntatibus perraro quidem, sed tamen aliquando admittitur ex identitate, vt loquuntur, aut maioritate rationis,[5] sed etiam de persona ad personam, quæ extensio multo difficilius inducitur.[6] Maxime in fideicommissis, quę tam odiosa sunt, vt ad inducenda illa non sufficiat testatorem voluisse, nisi etiam dixerit & disposuerit.[7] Nec est contrarium quod dici solet, in fideicommissis præcipue spectandam esse testantis voluntem.[8] Id enim tunc locum habet, cũ de interpretando fideicõmisso agitur,[9] non etiam cum de inducendo.[10] Nam & illud quoque verum est, coniecturas voluntatis, quę ad fideicommissi interpretationem afferuntur, tales esse debere, quæ ex ipsis testamenti verbis colligi possint:[11] Ne aliter posito iure fiat, vt de hominis defuncti voluntate pro arbitrio quisque statuat, quicquid velit.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. filiusfamilias* 114 §. *cum quis erit regatus, de leg.* 1.

2 Oldrad. *cons.* 21. incip. *Thema tale est.*

3 *d.* §. *cum quis erit.*

4 *L. heredibus* 77. *in princ. D. ad SC. Treb.* Sicut è contrario semel impleta conditio nunquam potest deficere, *l. si quis heredem* 7. *C. de instit. & substit.* Iunge *l. hac conditio* 9. *in fine principij*, si cum Cuiacio legas, quomodo legendum est *non defectam, D. de cond. & demonstr.*

5 Norant nostri *ad l. Gallus*, § *& quid si tantum, de liber. & posthum.*

6 DD. ibid. Nam nec vnquam persona extrinsecus subintelligitur, *l. si ita stipulatus* 126. §. *Chrysogonus.* vbi etiam not. *D. de verb. oblig.*

7 Vt omnium apertissime probatur, ex *l quidam cum filiumfamilias* 40. vbi Bald. notat. *D. de hered. inst.* Facit. *l. omnes*, §. *vbi autem, vers. sin autem ad deficientis, in fin. Cod. de caduc. tollend.*

8 *L. penultim. de legat.* 1. *l. fideicommissa* 11. §. *item si quis, de legat.* 3.

9 *Vt in l. haredes mei, 57. §. cum ita, ad SC. Trebell.*
10 *d. l. quidam, l. pater, 38. § pen. de leg. 3. l. Lucius, 78. §. tres heredes, ad SC. Trebell.*
11 *L. cum proponebatur, 64, de leg. 2. l. Gallus, 29. §. 1. de liber. & posthum.*
12 Diuinando potius quam interpretando, vt loquitur Iustin. *in Nouell. 107. de testam. imperf.*

[DEFINITIO XIII.

Legatum pro alimentis datum filio naturali cum onere fideicommissi, si is sine liberis moreretur, debetur filio viuenti, quamuis monacho effecto.

NAturalis pater, qui legitimos quam plures habebat filios, ei qui naturalis tantum erat alimenta & vestiaria legauerat in diem vsq; completi anni quinti & vicesimi,[1] & ab eo tempore centum. Et adiecerat velle se, vt si in pupillari ætate, vel alia quandocumque filius ille decederet sine liberis naturalibus, ex vero & legitimo matrimonio procreatis,[2] ea centum apud hæredes manerent. Legatarius vix completo anno decimo tertio in sacrosanctam Diui Dominici familiã adscriptus in eaque per multos annos educatus fuerat. Cuantibus id hæredibus, & eos sumptus, quos in religionis ingressu fieri necesse fuerat, præstantibus. Cum vicesimum quintum annum excessisset, petebat cẽtum.[3] Hæredes negabant se debere, quasi relicta essent sub conditione quæ defecerat, quod is ante vicesimum quintum annum factus monachus, ex eo tempore liberos legitimos habere posse desiisset,[4] adeoque mundo mortuus videretur: [5] Placuit, non eo minus legatũ deberi, quia nõ tam datum quam ademptum esset sub conditione, quæ haud dubie defecerat, cum filius ante vicesimum quintum annum non decessisset, qui etiam tum viueret. [6] Nam quod dici solet, monachos mundo mortuos esse, sicut ad causam alimentorum non pertinet, quia & edunt & bibunt: ita nec ad huiusmodi legatum, quod velut in locum alimentorum substitutum esset, quæ in annum vsque vicesimum quintum præstari testator iusserat. [8] Atqui, inquies, non debentur alimenta filio ne quidem naturali & legitimo, cum habeat aliunde, ex quo se alat. Fateor, [9] sed id locum habet in alimentis ex legis dispositione debitis, [10] non item in his, quæ ex legato: [11] Multo minus in ea pecunia quæ pro alimentis quasi in perpetuum taxandis legata sit.[12] Accedebat quod monasterium minus sufficientes habebat facultates, ad alimenta monachis suppeditanda. Quo vtique casu non repellitur monachus ab alimentorum petitione, à qua alioquin repelleretur.[13] *Ita Senatus* in causa R. fratris Henrici Perrod Dominicani, contra liberos procuratoris patrimonialis Perrod. prid. Non. Septembr. 1595.

1 Cum filiis naturalibus etiam superstite legitima prole alimenta debeantur, adeoque spuriis natis ex damnato coitu, idque ex æquitate canonica, de qua *in cap. cum haberet. Extr. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adulter.*
2 Quibus verbis videtur excludi matrimonium, vt non possit esse loco filij, quia matrimonium, quod monachus contrahere intelligitur cum religione, fictum est non verum.
3 Quasi legati dies eo demum tempore & cessisset & veniret, *l. si cui legetur, 49. de legat. 1.*
4 Non enim sunt legitimi liberi, nisi qui ex iustis nuptiis sunt susceptí, quas porro contrahere non potest religiosus professus votum castitatis.
5 *Can. non dicatis, 12. qu. 1.*
6 *Arg. l. ex facto, 17. §. si quis rogatus, 2. D. ad SC. Treb.* iunct. *l. Statius Florus 48 §. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.*
7 In iis enim, quæ sunt meri facti, nullus fictioni iuris locus relinquitur, *l. denique 19. D. ex quibus caus. maior. l. in bello 21. § facti. D. de captiu. & postlim.*
8 Retinet enim naturam alimentorum, *l. cum hi, 8. §. si integra quantitas & seq. D. de transact.* iunct. *l. si quis eum, 10. §. qui iniuriarum, si quis caution.*
9 *L. si quis à liberis, 5. §. idem iudex, & §. alimenta, D. de agnosc. & alend. liber.*
10 *Per cap. cum haberet, Extr. de eo qui dux in matrim. quam poll. per adulter.*
11 Cum nihil vetet legari alimenta etiam ei, qui aliunde habeat vnde se alat, *d. l. cum hi, 8. § nihil autem interest.*
12 *Vt in d. l. cum hi, § si integra quantitas.*
13 Alioquin necari videretur ob religionis ingressum is, cui hoc casu alimenta denegarentur, *l. necare, 4. D. de agnosc. & alend. liber.*

DEFINITIO XIV.

Cautio præstanda est à filio petente legatum, in quo grauatus est sub conditione omnimodo extitura, & quid si cauere ac satisdare non possit?

AN igitur mortuo quandocumque monacho legatario, centum illa quasi monacho pure quæsita ad monasterium pertinebunt? [1] At non videtur hoc dici posse salua testatoris voluntate, qui vtique eam pecuniam penes hæredes manere voluit, si testatoris filius ante quintum & vicesimum annum sine liberis naturalibus ex legitimo matrimonio procreatis moreretur? Hic autem etsi mortuus, reuera non erat, tamen pro exinde mortuo habebatur, ex quo monachus effectus desierat liberos habere posse,[2] quod ante vicesimum quintum annum euenerat. Itaque visum est, quasi partim defecta, partim impleta conditione, quæ scilicet omnimodo extitura esset,[3] medium sequi temperamentum,[4] vt ad legati quidem petitionem filius admitteretur, sed ita tamen si cauere paratus esset de pecunia post mortem suam hæredibus restituenda, dato in eam rem fideiussore. [5] Quod si facere commode non posset, pecunia illa mercatori traderetur, per cuius manus perciperet ille vsuras legitimas, quamdiu viueret; [6] perinde ac si legatario iniunctum esset onus pecuniæ post mortem suam hæredibus restituendæ. Quo casu solus monasterij ingressus non excluderet fideicommissi petitionem, quia fieri posset, vt ante diem fideicommissi cedentem hæredes morerentur, nec superesset persona, cui fideicommissum sua die restitui posset. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex Auth. ingressi, C. de sacrosanct. eccles.*
2 Cum exinde nulla sit spes in posterum mutandi status, *arg. l. intercidit, 59. in fin. de cond. & demonstr.*
3 Nam conditio, quæ omnimodo extitura est, habetur exinde pro impleta, *l. quod si ea conditione, 18. D. de condit. indeb. l. si pupillus, 9. §. qui sub conditione D. de nouat.*
4 Vt solent mediæ sententiæ esse æquiores, *l. vltim. D. de iur. fisc. l. adeo, 7. §. cum quis ex aliena, D. de acquirend. rer. domin.*
5 Esset enim alioqui obligatio monachi inutilis, cum sit certum morituros eum sine hærede, *l. Stichum aut Pamphilum, 91. in fin princip. D. de solut. l. habere licere, 57. D. de cuict. l. 1. C. de obtig. action.*
6 *Arg. cap per vestras, Ext. de donat. int. vir. & vxor. l. postquam, 5. §. in fin. D. vt legat. seu fideic. ser.*
7 Boer. *decis. 354. num 13.* [Vbi tamen refert pronunciatum fuisse transmitti spem fideicommissi. De quo vide *Defin. 42. num. 3.* 5. *de sacrosanct. eccles.*]

DEFINITIO XV.

Defecta conditione fideicommissi à legatario relicti non tenetur legatarius cauere pro legato consequendo, qui alioquin teneretur.

ERgo si in proposita specie filius non nisi post vicesimum quintum annum monachus effectus fuisset, aliud proculdubio Senatus noster constituisset, id est, nulla illum præstandæ satisdationis necessitate oneràsset, quia eo casu conditio, sub qua legatum

BIU Cujas

ademptum fuerat, *si legatarius ante vicesimum quintum annum sine liberis moreretur*, prorsus defeciſſet, [1] ac pecunia monaſterio quæſita eſſet. [2] *ibidem.*

1 Quoties enim certum eſt legatum aut fideicommiſſum neque deberi, neque vnquam debitum iri, ſatisdatio locum non habet, *l.1.§.vlt.& l.2.D.vt in poſſeſſ. legat.* conditio autem, quæ ſemel defecit, poſtea numquam poteſt exiſtere, *l.filius familias*, 114.§.*cum quis erit*, *delegat.1.haredibus*, 77. *in princ. ad SC.Trebell.*

2 *Auth.ingreſſi, C.de ſacroſ.eccleſ.*

DEFINITIO XVI.

Monaſterium in ſucceſſionibus & conditionibus loco filij eſt ſi teſtamenti verba non repugnent.

MOnaſterium loco filij eſſe ſolet, non ſolum ad ſuccedendum, [1] ſed etiam ad excludendum fideicommiſſarium, quaſi defecta fideicommiſſi conditione, cum is, qui monaſterium ingreſſus eſt, rogatus fuit de reſtituenda hæreditate, ſi ſine liberis moreretur. [2] Sed id locum non habet, quando fideicommiſſum per verba tam enixa, & naturalitatem, vt ita dicam, demonſtrantia conceptum eſt, vt fictioni locus nullus relinquatur. [3] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Quia monaſterium ſuccedit monacho regulariter, ſi aliud nihil impediat, *dict. Auth ingreſſi, C.de ſacroſ. eccl. cum ibi not.* Vide tamen quæ ſcripſi *Defin.42.5. de ſacroſ.eccleſ. & Defin. 25.num.12.5.de fideic.*

2 *Nouell.123.de ſanctiſſ.epiſc.capit.37.§.ſi quis ſub conditione*, vnde ſumpta eſt, *Auth.niſi rogati, C.ad SC.Trebell.*

3 Vt plurib.tractat Alex.*conſ. 21.vbi Ap.ſtill.vol.1.* [Boer. *quæſt.*354. Iunge *Defin.* 14.5. *in fin.*]

DEFINITIO XVII.

Conditio, ſi ſine liberis, in fideicommiſſo appoſita an & quando præſumenda vel probanda ſit extitiſſe?

VVlgaris fideicommiſſorum conditio, ſi grauatus hæres ſine liberis morietur, non aliter quidem exiſtit, quam ſi grauato hæredi ſuperſtites liberi nulli fuiſſe probentur; [1] eaque probatio incumbit fideicõmiſſario ſi agat, quoniam actori ſemper incumbit onus probandi, tum quoque cum ſuam in mera negatione fundat intentionem. [2] Sed hoc ita, ſi is, qui de fideicommiſſo conuenitur, obiiciat, probetque grauatum hæredem aliquo tempore liberos habuiſſe, quos & patri ſuperſtites fuiſſe contendat. [3] Nam ſi neque fideicommiſſarius neque grauati hæres de liberis quicquam fateatur, habet fideicommiſſarius intentionem fundatam in naturali cuiuſque hominis ſtatu. Nemo enim cum liberis naſcitur. [4] Quod ſi in confeſſo ſit, habuiſſe quidem grauatum liberos, ſed ij ſimul cum patre periiſſe dicantur, ita vt certo ſciri non poſſit, quis prior deceſſerit, dicendum erit in dubio extitiſſe conditionem fideicommiſſi, [5] nec tantum ſi impuberes liberi fuerint, [6] ſed etiamſi puberes, [7] non quaſi in dubio fauendum ſit fideicommiſſis, quæ haud dubie ſint odioſa, niſi cum ideo relinquuntur, vt bona in familia conſeruentur, [8] ſed ex tacita teſtatoris voluntate, qui ponendo grauati liberos in conditione, de iis certe cogitauit, non quos haberet pater in ipſo inſtanti mortis, ſed qui patri mortuo ſupereſſent, [9] vt ad eos hæreditas patris, ſi pater ita vellet, aut ex teſtamento, aut ab inteſtato peruenire poſſet, [10] non etiam vt liberorum hæredes, fortaſſis extraneos & teſtatori ignotos, [11] fideicommiſſario præferret. *Sine die.*

1 Quia ſi vel vno inſtanti ſuperuixerint, liberi faciunt deficere fideicommiſſum, *l.filius familias*, 114.5. *cum quis erit rogatus, de leg.1.l.ex facto*, 17.§.*pen.ad SC.Trebell.*

2 *L.hoc iure, l.ita ſtipulatus*, 115. *verſ. quod ſi ab initio de verbor.oblig.* Bart *in l.in illa, eod. & in l.pen.§.docere, ne quis eum qui in ius vocat.eſt.*

3 Franciſc.Mantic.*lib.11.de coniect. vltim.volun.tit.4.nu.7. verſ. tertius caſus.*

4 Idem Mantic.*ibid.num.2.* ex traditis per Bart.*in l ſi prius, num.17.de oper nou. nunciat. & nu.6.in fin.*

5 *L.ex facto*, 17.§.*pen.* vbi Rip. & cæteri, *ad SC.Trebell.*

6 Quo caſu facilius præſumuntur ante patrem defuncti, *l. qui duos*, 9.§.*cum in bello*, & § *vlt.D.de reb.dub.*

7 Nec enim diſtinguitur *in d.* §.*pen.l.17.ad Treb.*

8 De quo vide eundem Mantic.*lib.7. de coniect. vltim.vol. tit.1.*

9 Ad quid enim bonum eſſet iis fauere, qui cum patre morientes numquam poſſent ſuccedere in iis bonis teſtatoris? arg. *l.ſi poſt mortem*, 10.§.*vlt. D.de bonor poſſ. contr tab.*

10 Nec enim admitto vllo caſu, liberos poſitos in conditione cenſeri poſitos in diſpoſitione, de quo vide quæ ſcripſi, *Decad.16.de error. pragmat.*

11 Semper enim teſtatori incerta & ignota eſt perſona hæredis alieni, *l.ſtendum*, 70.*de verb.ſignific.l.qui liberis*.8 §.1.*de vulg. & pupill.ſubſt.* Vide totam hanc quæſtionem elegantet tractatam apud Mantic.*dict.tit.4.*

DEFINITIO XXIII.

Si filiæ pater amplius reliquerit ſub ea conditione, ſi nupſerit ex patrui voluntate, non eo minus conſequitur legatum, quod nupſerit citra patrui voluntatem, præſertim ſi eius conſenſum requiſuerit.

PAter filiabus ſingulis reliquerat inſtitutionis titulo ſummam mille florenorum, ſi ex voluntate & conſenſu patrui hæredis inſtituti nuberent, ſi ſecus faceret, non niſi ſummam quingentorum. Cum ex iis quædam nupſiſſet, requiſito quidem, ſed nonexpectato conſenſu patrui, & quidem nobilis plebeio, ac cuius nuptiis non ſatis honeſte patruus, idemque vir nobilis contentire potuiſſe videbatur, petebat tamen ſummam integram mille florenorum; quaſi conditio illa, *ſi ex voluntate & conſenſu patrui nuberet*, bonis moribus aduerſaretur, liberamque matrimonij libertatem impediret. [1] Pleriſque contra videbatur, licitam eſſe conditionem, quæ non tam impediendi matrimonij cauſa adiecta eſſet, [2] cum in arbitrio filiæ pater reliquiſſet, an ſine cõſenſu patrui nubere vellet, ſi minore legato contenta eſſe mallet, [3] quam vt eam propoſito amplioris legati præmio ad matrimonium honeſtius inuitaret. [4] Adſcripto ſcilicet duplici legato in duplicem euentum, vt eligendi facultatem haberet filia, non vt amplius legatum peteret contra voluntatem teſtatoris, cui ſatisfacere noluiſſet, [5] malique exempli fore dicebant, ſi patri ea teſtandi ratio prohiberetur, quæ ad filiam in officio continendam, ne tam facile imperem matrimonium eligeret, prodeſſe poſſet. [6] Præſertim vero cum ex euentu conſtaret filiam ob feſtinatas contra patris, patruique voluntatem nuptias minus digno marito ſe coniunxiſſe, nec denegaret patruus, idemque hæres, ſi minus in legato, quam in legitima eſſe probaretur, quin id quod legitimæ portioni deerat ex bonis hæreditariis ſuppleretur. [7] Vicit tamen voto vno, cum nouem eſſemus, contraria ſententia, ſiue quod odioſa videretur voluntas patris, qui propriis filiabus fratrem prætuliſſet, [8] quem conſtabat poſt teſtatoris mortem contraxiſſe matrimonium cum concubina, vt liberos naturales, quos ex ea ſuſceperat, faceret legitimos [9] ad excludendum fideicommiſſum, [10] quo erga fratris filias grauatus erat, ſi ſine naturalibus & legitimis liberis morieum contingeret, ſiue quod legatum illud mille florenorum pro legitima relictum eſſet, in qua grauati per conditionem filia non poterat, [11] ſiue quod omnino patris iudicium ne-

BIU Cujas

tium neglexisse videretur illa, quæ patrui consensum requisiuisset, tametsi non expectasset. [15] Sine denique quod alteri filiæ, quæ ex patrui voluntate & consensu nupserat, alius atque indignus maritus datus esset, vt proinde mala & auara potius, quam bona mente consensum suum expectari debuisse patruus causari crederetur. [16] *Ita Senatus* in causa Nicolai Brondel Chirurgi, & N. Ioannis Pauy, 29. Mart. 1597.

1 Debent enim matrimonia esse libera, *l. cum tale* 72. §. *si arbitratu*, iunct. *l. filiæ* 28. *de condict. & demonstrat. l. turpis* 54. §. 1. *de legat.* 1. Iunge *l. Titiæ* 100. *de condict. & demonstrat.*

2 Talis enim conditio ipso iure remitteretur, & pro non adiecta haberetur, *l. cum ita* 63. *& seq. de cond. & demonst.*

3 Nam & poterat pater ab initio minorem summam ei pure relinquere, quo casu non habuisset quod quereretur.

4 Aliud enim est ab honestis nuptiis prohiberi filiam. Aliud vero ad honestiores nuptias certa lege inuitari, *d. l. cum ita & seq.* Vide *l. Titium* 47. *in pr. de admin tut.*

5 Nec enim facile ferendum est, vt testatoris voluntas circumueniatur, *l. si ita legatum* 91. *vers. neque enim delet, eod. tit. de cond. & demonstr.*

6. Semper enim credendus est pater prudens consilium capere pro liberis, *l. vlt. C. de curat furios. l. vlt. Cod. qui & aduers. quos in integr. restit. non poss.*

7 *Ex l. scimus* 36. §. 1. *vers. repletionem*, iunct. *l. omnimodo* 30. *C. de inoff. testam.* Certum enim erat, non potuisse legato, quod pro legitima dabatur, vllam iniici conditionem vsque ad concurrentem legitimæ quantitatem, *l. quoniam in prioribus*, 32. *C. eod. tit.*

8 Contra illam pietatis coniecturam, de qua *in l. cum auus* 102. *de condict. & demonst. & in l. cum acutissimi*, 30. *Cod. de fideicomm.*

9 *Ex cap. tanta, Extr. qui filij sint legit.*

10 Quod non excluderetur per solos naturales, at ne quidem per adoptiuos, nec per legitimatos ex rescripto Principis, *Ex l. fideicommissum* 76. *de condict. & demonst. l. si ita quis* 51. § 1. *de leg.* 2. Plus enim potest legitimatio, quæ fit per subsequens matrimonium, quia non potest videri facta in fraudem, vt cæteræ, non solum propter adiunctam sacramenti religionem & sanctitatem, sed etiam quia fit quodammodo ex necessitate ad eonerandam conscientiam. Iunge tamen *Defin. seq.* [& obserua distinguendos esse adoptiuos, de quibus in supradictis legibus, & legitimatos ex rescripto Principis. Isti enim secundum magis communem opinionem excludunt fideicommissum relictum sub illa conditione, si decesserit sine filiis naturalibus & legitimis, non item si sub illa, si sine filiis naturalibus & legitimè natis, aut ex legitimo matrimonio procreatis, Vt multis tractat Mantica adiectis etiam ampliationibus & limitationibus plerisque *lib. 11. de Coniect. vltim. volunt. tit* 10 *per tot.* Non enim tam facile possunt legitimationes fieri in fraudem, cùm habeant fundamentum in natura & veritate, Nec tam noua forma introducatur per legitimationem, quàm vetus reddatur ablata macula illegitimitatis, quæ non inducta fuit, nisi ex legibus, sine quibus omnes liberi essent pares, id est, naturales & veri. Et certè legitimati siue ex rescripto siue per subsequens matrimonium. de quibus in *Defin. seq.* sunt verè in omnibus, & per omnia legitimi, quamuis non nisi per fictionem ex legitimonio matrimonio procreati, vt supradicto loco Mantica disputat. Iunge quæ scripsi de illegitimis etiam incestuosis legitimatis per rescriptum Principis ad *Defin. 5. num. vlt. & ad Defin. 7. 3. de natur. liber.*]

11 Quamuis liberi ex concubina & ante matrimonium suscepti, non tam legitimi, quam per subsequens matrimonium legitimati viderentur. Sed tanta est vis matrimonij, vt etiam qui ante matrimonium nati sunt, non tantum pro legitimatis, sed etiam pro legitimis, ac si ex legitimo matrimonio nati essent, & quidem quod ad omnia habeantur, *dict. c. tanta, cum sua gloss.*

12 *d. l. quoniam in prioribus* 32. *C. de inoff. testam.* Vide tamen *l. scimus* 36 §. *cum autem eod.*

13 Exemplo eius quod dici solet de patrono, cuius consensum sufficit esse requisitum, ne spretus videatur, cum Papa derogauit iuri patronatus laicorum pro medietate, quod facere potest, secundum ea, quæ scripsimus *in tit. de iur patron.* Facit tex cum ibi notat. per DD. *in l. qui Romæ* 122. § *coheredes, de verb oblig.*

14 Et in fraudem filiæ, cuius pater melius de fratre præsumpserat, *arg. l. vnum ex familia* 67 §. *vlt. de leg.* 2.

DEFINITIO XIX.

Legitimati per subsequens matrimonium non extinguunt conditionem fideicommissi relicti, si sine liberis in iusto matrimonio procreatis.

FIdeicommissum relictum à Titio sub ea conditione, si sine liberis in iusto & legitimo matrimonio procreatis decesserit, non excluditur per liberos in concubinatu natos, licet per subsequens matrimonium legitimatos. [1] Id enim faciunt conditionis verba ad natiuitatis liberorum tempus relata. [2] Non idem esset fideicommissi conditione sic concepta, si sine liberis naturales & legitimi liberi sunt matrimonio quandocunque subsecuto, atq; si post contractum matrimonium nati essent. [3] *Ita tractum est*, in eadem causa.

1 Francisc. Mantic Iureconsultorum, quos ætate nostra habuit Italia clarissimus & celeberrimus, nunc vero Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis illustrissimus, qui hanc communem dicit *lib. 11. de Coniect. vltim. volunt. tit.* 12. vbi totam hanc quæstionem & copiosè & pererudite suo more tractat, *à num.* 14. *vsque ad* 25. vbi docet istos, qui per subsequens matrimonium legitimati sunt, haberi quidem pro legitimis simpliciter & absolute, quantum ad ea omnia quæ ab ipsa lege deferuntur, aut cum agitur de successione patris, & de bonis ipsius patris, de quibus potuit ille pro arbitrio disponere, sed non etiam cum agitur de bonis alterius testatoris. Nec enim alij liberi debent excludere substitutum, quam ij, de quibus testator ille sensérit, qui fideicommissum reliquit, *l. ex facto* 17 § *si quis rogatus, D. ad SC. Trebell. l. cum pater* 77. §. *volo. de legat.* 2. Voluntas enim testatoris non melius colligi potest, quam ex verbis, quibus vsus est, *l. non aliter* 69. *l. ille aut ille* 25. §. 1. *de leg.* 3. Atqui is qui natus est in concubinatu non potest dici natus in iusto & legitimo matrimonio, si verborum proprietatem inspicias & rei veritatem, quamuis matrimonium retrotrahatur ad initium natalium. Id enim fit per fictionem ex natura cuiuslibet legitimationis, *l. vlt. D. de natal. rest.* Verba autem testatoris debent intelligi secundum naturam & veritatem, non secundum fictionem, *l. vltim. De his qui ven. ætat. impetr.* Maxime cum qualitas iuncta verbo intelligenda sit secundū tempus verbi, *vulg. l.* 4. §. *si extraneus, de noxal. action. dict l. ex facto* 17. §. *pen. ad SC. Trebell.* Et generaliter quamuis legitimatio per sequens matrimonium trahatur retro, tamen ad ea quæ determinato modo habent voluntatem non fingit retro, vt ea possit extendere, inquit Bald. *in l. in testamento, num.* 14. *in fin. C. de testam. milit.* Nec fit vnquam extensio ad casum fictum, quando testator cōsiderauit modum, Bart. *ad l. Gallus*, §. *& quid si tantum, de liber. & posthum. num.* 3. Nec rursus quod ad interpretationem voluntatis testatoris, Alexander. *in l. Lucius, num.* 17. *de vulg. & pupill. subst.* Neque refert an testator dixerit *in iusto*, an vero *de iusto*, aut *ex iusto matrimonio procreatis*, quia dictio illa vtraque, *de* & *ex*, significat causam proximam & immediatam, *l.* 1. §. *emancipatus, de coniung. cum emanc. liber. eius, l. eo tempore* 50. *in fin. D. de pecul. l.* 1. §. *ex incendio*, vbi Bart. *de incend. ruin. & naufrag.*

2 Quæ debent accipi naturaliter & proprie, non autem impropriè nec fictitiè, vt proximè diximus, *l. qui heredi* 44. *leg. Manius* 55. *de condict. & demonstr. l. heredibus* 77. §. 1. *D. ad SC. Trebell.*

3 Vt dixi *Defin. præced. num.* 10. & 11.

4 *Cap. tanta*, iunct. *gloss. Extr. qui filij sint legit. capit. cum in cunctis, & cap. innotuit, Extr. de elect.*

TIT. XXVI.

DE VSVR. ET FRV-ctibus legat.

DEFINITIO I.

Vsuræ & fructus legatorum debentur à die moræ tantum, nisi cum sunt in legato, aut nisi legatum sit pro legitima.

BIU Cujas

VSVRAS aut fructus legatorum à die moræ deberi verius est, [1] moram vero non prius contractam videri posse quam legatum agnouerit legatarius & petierit. [2] Itaque fructus interim percepti ad heredem pertinebunt, tanquam bona fide percepti, [3] licet non ignorauerit legatum, quod vtique legatario nihil petenti offerre non debuit. [4] Proinde agnito postea quandocumque legato non restituentur. [5] Sed hoc ita est accipiendum, si non ipsi quoque fructus in legato sint, [6] quod plerumque euenit. Sed & si pro legitima legatum proponatur, fructus quoque à die mortis debebuntur, quoniam legatario si legitimam peteret deberentur. [7] *Ita Senatus* contra D. Dauſſans vxorem Dn. de Cornillion, 8. Cal. Febr. 1589. & rursus in ea causa, de qua SC. 3. 9. 10. 11. infrà.

1 Non à die tantum litis contestatæ, vt quidam putant *ex tit. C. de vsur. & fructibus legat.* qui debet intelligi, si mora non præcesserit contestationem: neque rursus à die mortis, vt male vulgo creditum est, quamuis dominium legati recta via transeat a testatore in legatarium. Scripsi latius in libris Coniecturarum. Textus est *in l. si quis seruo* 84. *l. Titia Seio* 87. §. *vsuras, de legat. 2. l. si quis bonorum* 23. *l. cum res* 47. *de legat. 1.* [Senatus tamen noster interdum eam opinionem secutus est, vt fructus legatorum non debeantur, nisi ex die litis contestatæ, nempe cùm contestatio facta est ante prolatas tabulas testamenti à legatario qui per earum exhibitionem probare intentionem suam debebat, *l. 5. §. si dies, D. vt in poss. legat.* Accedebat quod ab iis in prima instantia exhibendis legatarius excluſus fuerat. *Ita Senatus* pro Claud. Lambert, 12. Cal. Sept. 1611.]

2 Nam sicut petenti legatario non debet hæres moram facere, *d. l. cum res*, ita neque legatum non petenti vltro offerre. Mora enim est, cum quis congruo loco & tempore interpellatus non soluit, *l. mora* 32. *D. de vsur.* nec proinde intelligitur mora vlla fieri, vbi nulla petitio est, *l. nulla* 88. *de reg. iur. l. si pupillus* 127. *de verb. obligat.* nisi cum mora contrahitur reipsa fanore minoris ætatis, vt *in d. l. Titia, §. vsuras, de leg. 2. l. cũ quidam* 17 *§. si pupillo D. de vsur. l. 3. C. in quibus caus. in integr. restit. necess. non est.*

3 *L. bona fides* 48. *D. de acquir. har.* non autem tãquam percepti à domino, cum rei legatæ dominium transeat recta via à testatore in legatarium, *l. legatum* 80 *de leg. 2. l. à Titio* 64. *in fin. de furt.*

4 Pugnare tamen valde videtur quod scriptum est *in leg. quæsitum* 40. *de acquir. rer. domin.* nisi intelligatur eo modo, quo in Coniecturis interpretati sumus, *lib. 7. c. 3.* Vide *l. ei qui*, 13. *D. de condict. instit.*

5 Quia eos percepit hæres suo iure, *arg. l. in fide icommissaria*, 18. *vers. quoties D. ad SC. Trebell.*

6 Aliud enim est quærere de fructibus, vel vsuris legatis, aliud vero de fructibus vel vsuris legatorum, *l. cum vnus* 10. §. *verbis fideicommissi, de alim. vel cibar. legat.*

7 Cum legitima sicut hæreditas augeatur fructibus, *l. Papinianus* 8. §. *si conditionis*, D. *de inoff. test.* Boer. *decis. 3.*

DEFINITIO II.

Legatis fructib. fundi quousque solutum sit aliquid, quod antea sit æstimandum, facienda est ante omnia æstimatio sumptibus & diligentia legatarij.

AT quid si pater vestimenta filiæ legauerit pro mariti dignitate, & quousque soluta sint iusserit sibi habere filiam fructus fundi Titiani? [1] Putabant quidã hæredi incumbere, vt vestimenta æstimari curet, tum soluat æstimationem. Interea vero fundi Titiani fructus ad filiam pertinere debere, [2] atque ita superioribus annis à Senatu iudicatum [3] referebant. Sed contraria sententia obtinuit, Filiam ipsam curare debere, vt vestimenta æstimẽtur, [4] nec prius Titiani fundi fructus suos facere posse, quam per hæredem steterit, quo minus ea æstimatio fiat, aut facta præstetur, [5] vt scire is possit, quonam pretio fundi Titiani luendi ius sit habiturus. [6] Nam cum fundus ipse Titianus non sit legatus, non prius sciri potest, quid sit in legato, quam ea æstimatio facta fuerit. Cui vero iustius incumbere potest, vt doceat, quid sit in legato, quam illi ipsi cui legatum est? *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. Lucius* 12. *de alim. vel cibar. legat.*

2 Quia videtur testator legasse fructus fundi Titiani, vt eos filia perciperet, quousq; vestimenta soluerentur. Quæ verum erat non esse soluta, quamdiu non fuerunt æstimata.

3 Pro Melchiona Dufour vxore Dn. Claudij Baland, Aduocati.

4 Quomodo dicimus eum, qui condemnatus est ad refundendas expensas contumaciales, non quidem posse in lite vlterius progredi, quousque eas refuderit, sed hoc tamẽ ita, si prius taxatæ fuerint aduersario ita vrgente. Condemnati enim est soluere, non curare, vt contra se taxentur.

5 Pro facto enim habetur, quod per alium fiat ne fiat, *l. in omnibus causis* 39. *l. in iure ciuili* 161. *de reg. iur.*

6 Nam quemadmodum inutile pignus est, quod non potest distrahi, ita & quod non potest lui, *tot. tit. C. de distr. pign. & de luit. pignor.*

7 Quia nec aliter bene agere potest, quã si petat id ipsum, quod est in legato, *l. 1. de pen. leg. 1. §. item si ita. D. ad leg. Falc. l. si penum* 24. iunct. *l. cum sine* 19. *D. quand. dies legat. ced.*

DEFINITIO III.

Legatorum ad pias causas, puta pro dote relictorum fructus & vsuræ debentur à die mortis.

LEgatorum, quæ ad pias causas relicta sunt, singulare ius est, vt fructuum vel vsurarum incrementum admittant à die mortis testatoris, perinde ac si fructus ipsi aut vsuræ essent in legato: [1] cum tamen regulare sit, vt non nisi à die moræ deberi incipiant. [2] Proinde si quid mulieri pauperi pro dote legatum sit, siue à viro, siue ab extraneo, vsuræ à die mortis debebuntur, quoniam in piam causam legatum illud factum creditur. [3] *Ita Senatus* in causa Domini de Sarmoyé, contra Dn. de Messimieu, 7. Cal. Sept. 1592. Iunge SC. 7. supt. de sacros. Eccles.

1 Andr. Tiraq. *in tract. de priuileg. pia caus.*

2 Vt diximus *Defin. 1. num. 1. supr.*

3 *Arg. l. cum is qui* 32. §. *mulier. D. de condict. indeb.*

DEFINITIO IV.

De legato pro legitima dato sub pignore per antichresim constituto.

TEstator iusserat, vt pro legato pecuniario in legitimæ locum relicto, quod statim à die mortis soluí præceperat, [1] liceret filio eidemque legatario propria auctoritate possessionem ingredi rerum specialiter in eam causam obligatorum, [2] fructusque omnes, quos ex iis perciperet, velut in antichresim sibi habere citra sortis diminutionem. [3] Cum neque post multos annos solutum legatum, neque pignorum possessionem nactus legatarius fuisset, siue potentioris aduersarij metu impeditus, siue quod per lubricum minoris ætatis sibi prospicere nesciuisset, visum est, posse eum iure petere, vt in testamentarij pignoris possessionem sibi esse licerer, non tantum pro summa, quæ legato continebatur, [4] sed etiam pro vsuris totius præteritis temporis: [5] quæ si specialis hypothecæ valorem excederent, [6] non esse illum prohibendum, quo minus pro eo, quod deesset, cætera bona persequeretur, [7] tanquam ex legis potestate pro legato generaliter obligata. [8] Non enim si speciale pignus in rebus certis constituere testator voluit, continuo dici potest, cessare legis dispositionem, quæ pro legato generalem hypothecam dat in bonis omnibus testatoris, [9] licet aliis pleriisque casibus dici soleat, prouisionem hominis facere, vt cesset prouisio legis. [10] Cæterum hoc ita erit accipiendum, vt non nisi ad concurrentem vsque integri legati æstimationem generalis hypotheca

BIU Cujas

hypotheca capi possit, [11] quod in speciali secus est. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quomodo ipsa etiam legitima debetur ex die mortis, nec moram vllam recipere potest, *l. quoniam in prioribus* 32. *C. de inoff. testam.*

2 Quod alioqui facere non posset, quin incideret in interdictum, Quod legatorum, *l. 1. D. ill. tit. quod legat.*

3 Illa enim antichresis est, cum creditor percipit fructus pignoris in vicem vsurarum pecuniæ, *l. si is qui* 11. § *si autem. D. de pign. l. si pecuniam* 33. *D. de pign. act.*

4 De quo dubitari nullo modo poterat, cum aperta in eam rem esset voluntas testatoris, *l. illæ aut ille* 25. § 1. *l. non aliter* 63. *de legat. 3.*

5 Quamuis testator nihil de vsuris dixisset, quia sunt hoc casu debitæ, non tanquam accessiones, sed vice fructuum, quos constat fuisse in legato, *vt in l. cum vnus* 10. § *verbis, & l. Lucius* 12. *de alim. vel cibar. legat.* Vide *l.* 26. § 1. *de fid. lib.*

6 Id est, fundorum specialiter obligatorum. Nam & testamento pignus constitui potest, *d. l. Lucius, l. non est mirum* 26. *D. de pignor. act.*

7 *L. quamdiu* 6. *C. de distr. pignor.* Regulariter enim prius discutienda est specialis hypotheca, *l.* 2. *C de pignor. l.* 2. *D. qui potior. in pign. hab.*

8 Ex Iustiniani constitutione *in l.* 1. *C. commun. de legat.*

9 Ne, quod fauore legatarij à testatore factum est, retorqueatur in eius odium, *contra l. nulla* 25. *D. de legib. l. in ratione* 30. § *tametsi, D. ad leg. Falcid.*

10 *Vt in l. maritus* 21. *C. de procur. l. vlt. Cod. de pact. conuent. tam supr. do.*

11 Quia hypotheca legalis, quæ pro legato competit, non latius patet, quam actio personalis, adeo vt sit diuidua contra naturam actionis hypothecariæ, *d. l.* 1. *C. commun. de leg.* iunct. *l. rem hereditariam* 68. *D. de ev. act.*

12 Quoniam expressa antichresis, siue per testamentum constituta sit, siue per contractum, non seruat legitimum modum vsurarum, *l. si ea pactione* 14. *C. de vsur. dict. l. Lucius, de alim. vel cibar. legat.*

DEFINITIO V.

Casus in quo fructus pignoris non imputantur, ne quidem in vsuras vice fructuum debitas.

DE illo dubitari elegãter potuit, an fructus percepti à legatario ex hypotheca generali quatenus specialis sufficere nequeat, [1] diminuere debeant vsuras præteriti temporis, earumque solutioni cedere, vt quãto plures & maiores legatarius percepterit, tanto minus ab hærede hypothecam luente sit percepturus. [2] Ideo autem loquimur de fructibus ex generali hypotheca percipiendis, quoniã eos, qui ex speciali perciperentur, constabat, in proposito non debere in sortem computari propter contrariam patris voluntatem: [3] quamuis si pluris esset specialis hypotheca, quam quod legatum fuisset, fructuum hypothecę compensatio facienda esset cum vsuris legati ad concurrentem vsque quantitatem. [4] Nam quamdiu hypotheca specialis sufficit, non est cur generalis in subsidium aduocetur, [5] licet ea pignoris exacta æstimatio tum maxime fieri debeat, cum agitur de iure dominij impetrando, [6] at non etiam cum de pignore ipso aut constituendo, aut retinendo. [7] Quadam vero in proposita specie magis probabant, vt qui fructus ex generali hypotheca percepti essent cederent in diminutionem vsurarum, quas totius præteriti temporis mora peperisset. [8] Etsi enim si suo tempore solutæ fuissent, poterant alias vsuras parere, quãdiu tamen deberentur, permittendum non erat, vt aliarum accessionem accessione augeri possent. [9] Nec enim quod legato priuilegium testator indulserat, vt ex perceptis fructibus pignoris expressi non diminueretur, idem in legati vsuris, siue ex testatoris iudicio, [10] siue ex legis auctoritate obtinebat. Itaque supererat sola iuris communis ratio, quæ facit, vt quoties antichresis contracta non est, fructus pignoris in debiti solutionem computandi sint. [11] Neque dici poterat, ita futurum, vt iniuria legatario, si cogeretur per partes & in annos singulos solutionem accipere [12] vsurarum, quæ pro toto tempore præterito simul & semel debebantur, [13] siquidem in eius erat potestate, si mallet, pignus distrahere, atque ita sibi vnica solutione satisfacere: [14] aliter tamen Senatui visum est, vt neque sortis, neque vsurarum quantitas ex pignoris siue expressi, siue taciti fructibus diminueretur, ratione illa, quod ex verisimili voluntate testatoris iuncto fauore filij de legitima contendentis, [15] eadem vsuratũ quæ sortis principalis causa constituenda esse videretur: [16] quæ tamen ratio, ne omnibus omnino probari posset, illud faciebat, quod si recta esset, sequens fieret, vt nulla vsurarum pars contenta esset speciali & expresso pignore, quantumuis esset illud pretiosius legato, cum specialis pignoris fructus quantoscumque in vicem futurarum vsurarum lucro legatarij cedere oporteat, ex voluntate testatoris. Itaque pro toto vsurarum cumulo quærenda esset legalis & generalis hypotheca, quod tamen nemo æquum putabat. Quis enim admitteret, vt filio & fructus pignorum & legati vsuræ deberentur? [17] Sane nec dubitabant illi, quin soluto quoque legato retineri posset hypotheca specialis pro vsuris præteriti temporis, si legatarius specialis hypothecæ fructus non percepisset. [18] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea, quæ diximus *Defin. præc.*

2 Quasi testator voluerit, non alios fructus immunes esse ab imputationis necessitate, quam quos ex speciali hypotheca & antichresi percepisset.

3 Quæ in testamentis semper inuestiganda & sequenda est, *l. si mihi* 12. *in fin. de leg.* 1. *& vulgarib.*

4 Vt scripsimus *in Defin. præced.*

5 *L.* 2. *C. de pignor.*

6 *L.* 1 *& vlt. C. de itr. domin. impetr.*

7 *L. quamdiu* 6. *l. quæ specialiter* 9. *C. de distract. pignor. l. vlt. C. si vendit. pign. agat.*

8 Ne contra testatoris voluntatem fieret, si alios fructus præcipuos haberet legatarius, quam qui ex speciali hypotheca percepti essent, cum inclusio vnius sit exclusio alterius, *vulg. l. cum prætor* 12. *D. de iudic.*

9 *L. vlt. C. de vsur.*

10 Alia enim ratio est legati, alia vsurarum legati, *l. cum vnus* 12. § *verbis, de alim. vel cibar. leg.*

11 Nam ex ratione iuris fructus omnes pignoris imputantur in sortem, si non aliud expresse conuenerit, *l.* 1. *& pass. C. de pignor. act.*

12 Dici enim solet, & verum est, solutionem, quæ fit per partes, magna habere incommoda, *l.* 3. *D. famil. ercisc.*

13 Quicquid enim ex causa iam præteriti temporis debetur, statim peti potest, *l. cedere diem* 213. *de verbor. signific. cum similibus.*

14 Quia quamdiu vel modicum siue de sorte, siue de vsuris in debito perseuerat, distractio rei obligatæ non potest impediri, *l.* 2. *C. debit. vendit. pign. imp. non poss. l creditoris* 8. *D. de distr. pignor.*

15 Quid enim fauorabilius quam legitima filij, quæ debitum naturæ appellatur? *l. scimus* 36. § *vlt. C. de inoff. testament.* iunct. *l. vlt. D. de bon damnat.*

16 Nam & plerumque eadem causa esse solet principalis debiti & accessorij, *l. cum principalis* 178. vbi not. *de regul. iur.*

17 Ita namque fieret, vt legatarius & re simul & pretio frueretur, quod numquam est, *l. ex empto* 11. §. *qui autem, l. Iulianus* 13 § *veniunt autem, l. bona fides* 50 *D. de act. empt. l. curabit.* 5. *C. eod. tit.*

18 Quasi speciali hypotheca constituta non tantum pro sorte, sed etiam pro vsuris, in quarum vicem fructus perciperet legatarius, si fors non solueretur. Videtur namque in dubio pignus constitutum in omnem causam, *l. Lucius* 18. *D. qui potior. in pignor. hab.*

DEFINITIO VI.

Casus, in quo debentur vsuræ legati, à quo die solui legatum debuit etiam citra interpellationem.

BIU Cujas

ALiquando euenit, vt legatæ pecuniæ vsuras hæres debeat ab eo die, qua die soluere legatum debuit, licet nulla interpellatio præcesserit, quam tamen præcedere regulariter necesse est, [1] vt vsuræ debeantur, [2] etiam cum dies soluendo legato à testatore dicta est. [3] Finge legata tibi centum, soluenda post annum à die mortis testatoris computandū, & ni ad eam diem soluerentur, datum tibi fundum Cornelianum, qui longe pluris esset, cū fructibus ex eo die percipiendis: certum est, sola quidem centum ab initio esse in legato, non etiam fundum; sed si in soluenda pecunia hæres moram fecerit, transfusum intelligi legatum pecuniæ in legatum fundi, si fundum habere malis, [4] eoque casu fructus fundi ex legati causa tibi debitum iri ex eo die, quo solui pecunia debuit, non tanquam accessiones legati, sed tanquam & ipsos legatos. [5] Quidni ergo si pecuniam petere malis, vsuræ tibi ex eodem tempore debebuntur ex voluntate testatoris, vt cedant in vicem fructuum, qui ex legato vberiores deberi potuerunt? [6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 13. supr. De vsur. & mora.

1 Ad constituendum debitorem in mora, *l. mora* 32. *D. de vsur. l. nulla* 88. *de reg. iur. l. si pupillus* 127. *de verb. oblig.*

2 Quando scilicet vsuræ debentur ex mora, *l. cum quidam* 17. §. *si pupillo, D. de vsur.*

3 Quamdiu enim legatarius voluntatem suam non declarauit ignorari probabiliter potest, an legatum debeatur, *l. ei qui* 13. *D. de condict. instit.*

4 *Arg. l.* 1. *D. de pen. legat. l.* 1. §. *item si ita, D. ad leg. Falcid. cum sine præfinitione* 19. *l. si penum* 24. *D. quand. dies leg. ced.*

5 *Vt in l. cum vnus* 10 §. *verbus, de alim. vel cibar. legat.*

6 Nam cum hoc casu subrogentur vsuræ in locum fructuum, potest huc pertinere, quod dici solet, subrogatum sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur, *l. si quis eum* 10. §. *qui iniuriarum, D. si quis caution. cum similib.*

DEFINITIO VII.

Casus, in quo ex contrario non debentur vsuræ legati, ne quidem ex die moræ, tam per interpellationem, quam per diei lapsum contractæ.

EX contrario interdum accidit, vt neque ex die interpellationis extraiudicialis, concurrente etiam lapsu temporis soluendo legato præstituti, vsuræ legati debeantur, sed tantum à die petitionis iudicialis; [1] nimirum si legatum petatur in discussionis instantia, id est, non tantum contra hæredem, qui beneficium legis & inuentarij implorauit, [2] sed etiam contra creditores hæreditarios aliosque legatarios æquo aut potiore iure de defuncti bonis auctoritate Judicis possidendis vel venundandis contendentes; [3] siue quod vix fit, vt per eiusmodi interpellationem constituatur in mora hæres, qui nec pendente lite cogitur soluere, [4] siue quod interpellationem hæredi factam æquum non sit nocere creditoribus & legatariis, qui interpellati non fuerunt, [5] & quorum tamen æque ac ipsius hæredis interest, vt legatum non tam facile vsurarum accessione augeatur, si forte, quod in eiusmodi casibus plerumq; euenit, hæreditas non sit soluendo. [6] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Dn. Baronis de Chasteaufort, Calend. Decembr. 1586.

1 Non tamen à die tantum litis contestatæ, si petitio iudicialis, vt fieri solet, præcesserit contestationem, *l.* 1. iunct *glos. C. hoc tit.*

2 *Ex l. vlt. C. de iur. delib.*

3 Nam in ea instantia, quam nos vulgo discussionis appellamus, agitur de iure omnium creditorum, & ius aliquod in hereditate prætendentium, *d. l. vlt. s. & si præfatam, & sequ. C. de iur delib.*

4 Nam qui non potest cogi ad solutionem, siue defectu actionis, siue ob aliquam exceptionem, neque in mora constitui potest, *l. lecta* 40. *D. de rebus cred. l. si pupillus*, 127. *de verbor. oblig.*

5 Sua enim cuique mora nocere debet non alteri, *l. in condemnatione* 173. § *vnicuique, de reg. iur.* iunct. *l. non debet alteri* 74. *eod.* Excipe casum *l. mora* 88.

6 Ita enim fieret hoc casu, vt ex facto & mora hæredis adimeretur creditoribus actio, *contra l. Granius* 71. §. *peto, de fideiuss.* iunct. *l. nam is* 6. *D. de dolo.*

DEFINITIO VIII.

Legati pro dote relicti vsuræ debentur omnimodo ex die nuptiarum, si nuptias hæres sciuit, nisi alia solutioni dies dicta sit.

CVm pecunia pro dote legata est, quod factum intelligitur, siue id ipsum à testatore expressum sit, [1] siue testator iusserit legatum solui, quo die mulier nuberet, [2] vsuræ legati ex eo tempore debentur etiam citra interpellationem, si modo nuptiarum diem hæres sciuerit: [3] multo magis vero, si nuptiis ipse adfuerit, & summam legatam in dotem dederit, nisi ei soluendæ alius dies mulieris matitique, cuius potissimum interest, [4] voluntate dictus sit. Tunc enim non nisi ab eo die vsuræ debebuntur, [5] *Ita Senatus* in causa Ioannæ d'Aranton, viduæ Procuratoris Muffat, & Petri Volat, 16. Calend. Januar. 1592.

1 *Vt in l. Titio centum* 71. §. *Titio genero, de condit. & demonstrat.*

2 Quia non potest dos esse sine matrimonio, quamuis matrimonium possit esse sine dote. *l.* 3. *D. de iur. dot.*

3 Cum ex eo die maritus ferat onerat matrimonij, *l. proneribus* 20. *C. eod tit de iur. dot.* Quæ ratio tanta est, vt etiam iure Canonico vsuræ hoc casu debeantur, *cap. salubriter, extr. de vsur.*

4 *dict. l. Titio centum* 71. § *Titio genero, de condit. & demonstrat.*

5 Cum potuerint contrahentes, quibus prospicere voluerat testator, recedere ab ipsius voluntate, *l. pactum* 46. *D. de pact. l. si Iudex circumuento* 28. *D. de minor.*

DEFINITIO IX.

Interdum mora purgatio facit, vt desinant deberi vsuræ, etiam quæ antea debitæ fuerunt.

ETsi verum est, quod sæpius diximus, legatorum fructus & vsuras deberi à die moræ per interpellationem, siue iudicialem, siue extraiudicialem contractæ, [1] eámque moram sufficere semel interuenisse, vt perpetuo debeantur: [2] potest tamen interdum contingere, vt non solum cursus accessionum huiusmodi inhibeatur, scilicet purgata ex post facto mora, [3] sed etiam vt deberi desinant eæ ipsæ, quæ prius debitæ fuerant. [4] Finge legatarium post factam à se interpellationem vixisse familiariter in domo hæredis, agnati fortasse sui aut cognati, & ab eo alimenta annua percepisse, cum exiguum illi legatum deberetur, cuius fructus alimentis sufficere non potuissent. An non credibile sit tacite remissas præteriti temporis vsuras, vt legatarius hæredi gratior esset, accedente præsertim longi temporis taciturnitate? [5] Nec ad rem pertinebit, quod dicat legatarius, se toto tempore obsequia domestica hæredi præstitisse, quorum remuneratione alimenta meruerit. [6] Non enim illa ratione legati vsuras ei denegamus, quasi in alimentorum causam imputandæ sint, sed quasi tacitè ab eo remissas, vt hæredi præstaret se gratiorem, tantoque ampliora ab eo beneficia consequeretur. [7] Noua igitur mora opus erit, & consequenter noua interpellatione, vt ad præstationem vsurarum hæres iterum obligetur. [8] *Ita Senatus* in causa Dn. de Breissieu, & N. de la Balme, D. de la Molliere, 5. Id. Febr. 1593.

1 Dixi

BIU Cujas

1 Dixi *Defin.15.ex l.si quis bonorum* 23. *l.cum res* 47. *de leg.1.l.si quis seruo* 84. *de leg.2.*

2 Quomodo Paulus loquitur *in l. Titio Seio* 87. §. *vsuras, eod tit. de legat.2.*

3 Quoties enim purgari mora potest, impedit purgatio ne qua præcedentis moræ ratio haberi possit, *l.et si post tres* 8. *D.si quis caution. l.si ita quis* 135. §. *Seio in fin. de verb. oblig. l. qui decem* 72. *in princ. & §.3. D. de solut.*

4 Quod certe magis mirum est, quia non nisi certis & legitimis modis desinit deberi, quod fuit aliquando debitum, *l. obligationum ferè* 44. §. *de oblig. & action.*

5 *L.cum quidam* 17 §. *Diuus Pius, D. de vsur.* Nam & sortis remissio interdum præsumitur, quamuis difficilius, *l. Procula* 27. vbi not. *D. de probat.*

6 *Arg. l. sed et si lege* 25. §. *consuluit, D. de petit. hered.* Not. *in l. Aquilius* 27. *D. de donat.*

7 *Arg. d.* §. *Diuus Pius, & l. vir in vsuras* 54. *de donat. int. vir. & vxor.*

8 *Arg. d.* §. *vsuras, l.* 87. *de legat.2.*

DEFINITIO X.

Legati in diem relicti vsura non debentur ex lapsu diei, sed tantum ex die agniti & petiti legati.

CVm in certam diem quid legatum est, solus diei induentus non facit, vt ab eo tempore legati fructus aut vsuras heres debeat quasi in mora constitutus. Nam quod legati dies venerit, facit duntaxat, vt exinde legatum pro puro habeatur, [1] non etiam vt mora contrahatur, [2] quandoquidem & legato pure relicto non potest videri heres in mora prius esse, quam fuerit interpellatus. [3] Nec potest in legatis dies interpellare pro homine, [4] sicut nec facere, vt legatum citra agnitionem legatario irreuocabiliter acquisitum videatur. [5] Prius enim est, vt legatarius velit legatum agnoscere, [6] quam vt heres sit in mora soluendi. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sicut dicimus de legato aut alio actu conditionali, cuius conditio extitit, *l. potior* 11. *in fine principij, D. qui potior. in pignor. hab.*

2 Non enim potest fieri, vt eodem instanti & nascatur petitio, & mora contrahatur *l. premissor* 21. §. 1. *D. de pec. constit.*

3 Cum necessaria sit interpellatio ad constituendum debitorum in mora regulari, vt nostri loquuntur, *ex l mora* 32. *D. de vsur. l. si pupillus* 127 *de verb. oblig. l. nulla* 88. *de reg iur.*

4 Id enim tantummodo constitutum est in causis fiscalibus & pœnalibus, *l. magnam* 12. *C. de contr & committ stipul.*

5 Alioqui non posset à legatario repudiari, quod falsum est, *l. legatarius* 38. § 1 *de leg.1.*

6 *L. ei qui* 13. *de condit. instit.*

7 Quamuis potestate iuris legatum etiam ignoranti acquiratur, *l. cum pater* 77. §. *surdo, de leg.2. legatum* 80. *eod.*

DEFINITIO XI.

Quid si testator iusserit solui legata sine figura iudicij, & bona sua vendi, ne qua legatariis mora fiat?

NOn aliud erit, etsi testator iusserit legata solui sine figura iudicij, [1] adeoque bona sua vendi per executores, ne legatarii is mora fieret. Id enim sic accipi debet, vt legatario petenti moram fieri testator noluerit, non etiam vt vltro legatum offerri, & legatarium de eo accipiendo ab herede interpellari voluerit. [2] Nam cum quis in diem legat, id potius cogitat, vt heredi cõsulat, ne interea vrgeatur, & vt medij temporis commodum ei acquirat, [3] quam vt grauius illum obliget, eiusq; conditionem faciat deteriorem, quam si pure legasset: [4] nec rursus nocebit heredi, quod post longum tempus interpellatus moram fecerit in soluendo legato. Nam quod dici solet, posteriorem moram nocere, [5] pertinet ad periculum rei debitæ, [6] aut ad id, vt perinde possit legem contractus exercere, qui moram priorem contraxisset, ac si nullam contraxisset: [7] non etiam vt prioris temporis accessiones vllæ propter moram posteriorem deberi incipiant, quæ ante moram non debebantur. [8] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 14. supr. De vsur. & mor.

1 Quibus verbis certe non tam petendi, quàm litigandi necessitas remissa videri debet, cum nihil vetet etiam extra iudicium peti, quod debetur, adeoque quod nec in iudicio peti posset, *l. nulla* 5. *C. de cont & committ. stipulat.*

2 Aliud enim est posse quid statim peti, aliud vero statim solui debere, tametsi non petatur.

3 *L. Iauolenus* 15. *alias l. eum qui, D. de ann. legat.* iunct. *l. quod certa* 70. *D. de solut.*

4 Ex puro enim legato magis tenetur heres, quam ex eo, quod sit in diem vel sub conditione, *l. cedere diem* 213. *de verb. signific.* iunct. *l. is cui* 42. *de oblig. & action.*

5 *L. si ita quis* 135. §. *Seia, de verbor. obligat. l. qui decem* 72. *in princ. &* §. 1. *de solut.*

6 *Vt in dict. l. qui decem,* §. 1. *l. illud sciendum* 17. *D. de peric. & commod. rei vendit.*

7 *L. si & per emptorem* 51. *vers. quod si fundum,* D. *de action. empt.*

8 Effectus enim moræ nullus esse potest, nisi pro eo tempore, quod subsecutum est moram, quia nunquam mora retrotrahitur ad inducendam obligationem fructuum vel vsurarum in præteritum tempus, *l Titia Seio* 87. §. *vsuras, de legat. 2. l. 3. in princ. D. de vsur.*

DEFINITIO XII.

Varij casus, in quibus legatorum fructus & vsura debentur ex die mortis.

EXcipiendi tamen sunt casus illi, de quibus iam dictum est in superioribus, [1] id est, si fructus ipsi aut vsuræ legati in legato sint, [2] aut si vni ex ascendentibus vel descendentibus pro legitima, [3] aut etiam piæ causæ legatum proponatur. [4] Quibus & ille addendus est, si minori annis vigintiquinque legatum aut fideicommissum debeatur. Fauore namque ætatis, quæ non satis consilij aut diligentiæ habet ad heredem interpellandum, receptum est, vt hac ex causa re ipsa mora contrahatur, ac si interpellatio præcessisset: [5] ita tamen vt ea mora, quæ singulari priuilegio ob personam minoris re ipsa contrahitur, vltimo vicesimi quinti anni die ipso iure finiatur, nouaq; interpellatione opus esse incipiat ad perpetuandum cursum fructuum aut vsurarum, [6] quia ex eo tempore incipit vti iure communi, qui ætatis priuilegium habere desinit. [7] *Ita Senatus* in eadem causa. Et iam antea in causa discussionis bonorum D. Raoul. *Sine die.*

1 Dixi *Defin.1 num.6. & Defin.9 & eod.*

2 *Vt in l. cum vnus* 10. §. *verbis, de alim. vel cibar. legat.*

3 Dixi *d. Defin.1. nu.7.3.*

4 Vt dixi *Defin.3.3.* ex Tirac. *in tract. de priuil. pia caus.*

5 *L. in minorum* 3. *C. in quibus caus non est necess. in integr. restit l. cum quidam* 17. §. *si pupillo, de vsur.*

6 Textus est elegans *in l. Titia* 87. §. *vsuras, de legat.2.*

7 Ne scilicet priuilegium certo tempore determinatum, contra legis voluntatem, vlterius porrigatur, *arg. l. Imperator* 8. *in fin. D. de postul.*

DEFINITIO XIII.

Mora heredis in soluendo legato nocet fideicommissario, sed is postea regressum habet aduersus heredem.

SI heres grauatus in mora fuerit soluendi legati, tum hereditatem restituerit, competit legatario in fideicommissarium actio non minus pro fructibus & vsuris legati, quam pro legato ipso: [1] sed indemnem ex ea causa fideicommissarium, ab herede, qui moram fecit, seruari æquum est. *Ita Senatus* in ea facti specie, de qua SC. 10. ad SC. Trebell.

1 Quia fideicommissarius succedit in locum hæredis, *l. 12. & pass. D. ad SC. Trebell.* nec ius semel quæsitũ legatario propter moram heredis auferri ei potest per hereditatis restitu-

BIU Cujas

tionem, quasi hoc casu minor hæreditas restituatur, cum testator voluit legata, & ad hæredis, & ad fideicommissarij onus pertinere, *l.3.D.eod.ad Senatusconsult. Trebell.l.2.*vbi not. *Cod. eod.*

DEFINITIO XIV.

Vsuræ legatorum debentur minori citra moram.

QVod diximus, vsuras fructusque legatorum nec à die mortis deberi, nec à die, in quem legatum sit, nec rursus à tempore litis contestatæ, sed à die moræ per interpellationem siue iudicialem, siue extraiudicialem contractæ,[1] non habet locum. si proponas, minori legatum fuisse.[2] Fauor namque ætatis facit, vt ipso iure mora contracta intelligatur, adeoque durer, quamdiu minor ætas durat.[3] Nam post ætatem completam perinde necessaria est interpellatio ad inducendam moram, vt ex eo tempore fructus & vsuræ debeantur, atque si mora nulla legis beneficio præcessisse intelligeretur.[4] *Ita Senatus* in causa N. Gaspardæ d'Hostel, & N. Stephani de Marcossey, 12. Calend. Iul. 1595.

1 Dixi *Defin.1.num.1.supr.eod.tit.*
2 Dixi *Defin.12.supr.eod.*
3 *Ex l.cum quidam 17.§.si pupillo, D.de vsur.l.3. C.in quibus caus.non est necess.in integr.restit.*
4 *L.Titia Seio 87. §.vsuras, de leg.2.*

DEFINITIO XV.

Casus, in quo mora sit minori etiam post annum vicesimum quintum, citra interpellationem.

CVi legata fuerant alimenta in annum vsque vicesimum quintum, & ab eo tempore, si legatum alimentorum præstitum sit in minori ætate, nec trecenta soluantur, post impletos perfectæ ætatis annos, moram in eo legato passus intelligitur:[1] ideoque & ab vltimo vicesimiquinti anni die vsuræ ei debebuntur, etiamsi nulla interpellatio præcesserit, quoniam vnicum legatum esse intelligitur,[2] quasi substituta pecunia in locum alimentorum.[3] Itaque quemadmodum si pro alimentis interpellatus hæres fuisset, in minori ætate profuisset ea interpellatio ad constituendum illum in mora, quod ad omnem legati causam:[4] ita & solutio partis legati facere debet, vt pro alia quoque parte, quę nondum præstari tum debuit, nec alia agnitione, nec petitione vlla aut interpellatione opus sit,[5] solusque diei lapsus sufficiat ad inducendam moram.[6] Quare non est contrarium, quod nos pluribus locis supra tradidimus, vsuras legatorum post maiorem ætatem non à die soluendi legati deberi, sed tantum à die moræ, quæ ex interpellatione contracta sit.[7] Id enim tum obtinet, cum interpellatio ad inducendam moram necessaria est.[8] *Ita Senatus* in causa R. Fratris Henrici Perrod Dominicani, contra liberos Procuratoris patrimonialis Perrod. Prid. Non. Septembr. 1595.

1 Quia non potuit hæres ignorare, legatum trecentorum ex eo tempore præstandum, quo alimenta præstari desinerent.
2 Quod ab initio petitum & præstitum fuisse sufficit, vt nunquam postea debeat iterum peti.
3 Nullo tempore interiecto, quo voluerit testator legatarium carere commodo legati. Simile quiddam est in specie, de qua scripsimus *Defin.* 13 *huius tit. prox.*
4 Etiam post maiorem ætatem, quia hæc mora fuisset regularis, non irregularis, vt not. *in l. Titia Seio* 87. §. *vsuras, per ibi.text. de leg.2.*
5 Plus enim facit ad suam voluntatem testandam, qui accipit legati solutionem pro patre, quam qui legatum petit.
6 Ratione posterioris partis legati, in quam prior alia eiusdem legati pars transfunditur, *arg. l.1. de pen. leg. l.1.§ item si ita, D.ad leg. Falcid. l.cum sine 19. l.si penum 24. D. quand. dies leg. ced.*
7 *Ex d l. Titia Seio* 84. §. *vsuras, de leg.2.*
8 Quomodo regulariter necessaria est ad contrahendam moram regularem, *l.mora 32. D. de vsur.* sed non in hac specie ob rationem positam in Definitione.

DEFINITIO XVI.

Casus, in quo vsuræ legati pro legitima relicti non debentur à die mortis, sed tantum à die moræ, etiam ad concurrentem vsque legitimæ quantitatem.

CVm quæreretur, à quo tempore legati pro legitima quantitatis sub ea conditione, Si filia nuberet arbitrio patrui, vsuras hæres deberet, visum est, non nisi à die moræ litisque contestatæ cæterorum legatorum exemplo præstari debere.[1] Quam in sententiam videtur iuisse Senatus æquitatis potius, quam iuris motus ratione.[2] Nam siue tota pecunia in locum legitimæ relicta diceretur, constabat, fructus legitimæ à die mortis deberi,[3] siue supra legitimam legatum esset, saltem ad eam vsque quantitatem, quæ portioni legitimę respondebat, fructus aut vsuras, quæ fructuum vice essent, à die mortis restitui oportebat.[4] Sed mouit Senatum, quod ea disquisitio, an legatum legitimam excederet, nec ne, plus dispendij & sumptuum, quam commodi filiæ allatura videbatur, cum non de quantitate ipsa, sed tantum de vsuris quæstio superesset,[5] præsertim cum oblatam ab hærede cum fructibus legitimam filia respuisset.[6] Non idem Senatus pronunciasset, si qua alia quam nuptiarum conditio iniecta legato fuisset.[7] Tunc enim aut totius quantitatis, aut eius saltem, quæ legitimæ respondere ex postfacto constitisset, fructus à die mortis adiudicati filiæ oportuisset:[8] voluntatem vero testatoris in ea dumtaxat quantitate, quæ legitimam excederet, obseruari, hoc est, in euentum vsque conditionis solutionem dilatam expectari.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua scripsimus Defin. 18. supr. De condit. inser.

1 Secundum ea, quæ diximus *Defin. 1. & pass. supr. hoc tit.*
2 Vt potest Senatus, & debet soletque ex æquitate magis, quam ex rigore iuris pronunciare, tanquam qui supremus sit magistratus, & vicem Principis gerat, *l. 1. C. de legibus l.placuit 8. C. de iudic.*
3 Cum fructus augeant legitimam, sicut & hæreditatem, *l. Papinianus 8. §. vnde si quis, D. de inoffic. testam.* Boer. *decis.3. in fin.*
4 Cum legitima neque diem recipiat, neque conditionem, *l. queniam in prioribus 32. C. de inoff. testam.*
5 Quarum petitio longe facilius quam sortis potest negligi, *argum. l. cum quidam 17. §. Diuus Pius, D. de vsur. iunct. l. Procula 26. D. de probat. l. vir vsuras 54. de donat. inter virum & vxor.*
6 Vt proinde sibi deberet imputare, cur legatum petiisset, quia sic maluisse videbatur, *arg. l si cogente 22. D. de rit. nupt. l. Imperator 70. §. si centum, de legat. 2.*
7 Cum non parua esset dubitatio, an eiusmodi nuptiarum conditio reiici deberet, an impleri, vt ex iis constat, quę nos disputauimus *Defin. 18. de condit. insert.* Sic & totam legitimam ipsam interdū sine vlla fructuum restitutione adiudicari vidimus, cum magna iuris dubitatio interueniret, an legitima vlla deberetur, in specie, de qua scripsim⁹ *Defin. 7 in fin. de codicill.*
8 Cum legitima debeatur inspecto tempore mortis, quāuis non sit quota hereditatis, sed bonorum, *l. cum quæritur 6.* vbi notat. *& in Auth. nouissima, & in l. parentibus 8. C. de inoff. testament.*
9 *L. scimus 36. §. cum autem, eod. tit.*

BIU Cujas

TIT. XXVII.

AD SC. TREBELL.

DEFINITIO I.

Ex fideicommisso etiam perpetuo & graduali vna tantum quarta detrahitur, eaque per hæredem aut habentem ius ab hærede.

FIDEICOMMISSVM perpetuum graduale, &, vt nostri vocant, reale, licet sæpius ex eodem testamento pro graduum aut personarum varietate debeatur: [1] attamen non nisi vnius quartæ detractionem patitur, [2] eius commodo cessuram, qui prior rogatus fuerit, si iure suo vti voluerit, [3] aut cui ex fideicommissarijs donatum ille maluerit, [4] ne alioqui, multiplicatis pro fideicommissorum numero detractionibus, tãdem eueniat, vt totum ipsum fideicommissi ius contra testatoris & Senatusconsulti mentem ad nihilum redigatur. [5] *Ita Senatus* sæpius.

1 Adeo vt tot sint fideicommissa, quot sunt personæ gradatim ad fideicommissum vocatæ, *l. peto 69. §. fratre, l. cum pater 77. §. libertis, de legat. 2.*

2 Semel enim quartam ex vnius hæreditatis fideicommisso detrahi Senatus voluit, *l. 4. D. hoc tit.* Vna enim tantum hæreditas est, licet plura sint fideicommissa, *l. 1. § inde Neratius, eod tit.*

3 Necesse siquidem est, vt hæres sit is, qui quartam detrahit *l. mulier 22. § vltim. eod.* aut saltem vt ex hæredis persona quarta detrahatur, quia solis hæredibus vtrumq; Senatusconsultum, & Trebellianum, & Pegasianum, prouidit, *d. l. 1. in prin. & d. §. inde Neratius, & l. quamuis 40. §. 1. eod. tit.*

4 *d. §. inde Neratius, versic. nisi liberalitatem.*

5 Nam & vnius quartæ detractio contra testatoris mentem permissa est, *l. Titia 86. in fin. D. ad leg. Falcid.* Guid. Pap. *quæst. 53. num. 2.*

DEFINITIO II.

Bona prius alienata imputantur in detractione quæ ante omnia fuit facienda, nisi hæres sit in mora.

QVæ ex bonis fideicommisso subiectis per hæredem grauatum primo loco alienata sunt, ea imputanda sunt in portionem, quam ex fideicommisso detrahere hæres potuit. [1] Sed si de illo dubitetur, an primo, an sequenti loco alienata sint, quæ ex fideicommisso petuntur, vindiciis secundum fideicommissarium dicendis locus non erit, quousque intentionem suam impleuerit. [2] Prius enim est, vt ex fideicommisso detrahatur id, quod restituendum non est, quam vt ad fideicommissi restitutionem veniatur, [3] siquidem in fideicommissi restitutione nihil aliud esse potest, nisi quod supersit detractis detrahendis, [4] longeque plenior est actio fideicommissi, quam restitutio. [5] Hoc ita, si non hæres grauatus aut eius successor siue vniuersalis, siue singularis moram faciat liquidandis detractionibus. Tum enim odium moræ facit, vt aduersus morosum interea consuli fideicommissario æquum sit, [6] præstita per eum satisdatione. [7] *Ita Senatus* in causa inter Margaretham Cordier & Amedeam Louys, 4. Id. Maij, 1590.

1 *L. 3 §. res quæ. D. hoc tit.*

2 Ex iuris regula, quæ vult, actorem ante omnia debere suam probare intentionem, *l. 4. Cod. de edend. l. vltim. C. de rei vindicat.*

3 Quia nostra interest, non soluere potius, quam solutum repetere, *l. 3. D. de compensat. l. si stipulatus 15. in princip. D. de fiduciff.*

4. *L. in imponenda 6. l. irritum 8. Cod. ad leg. Falcid. l. cum pater 77 §. Titio fratri antep. de legat. 2.*

5 Quia in actionem fideicommissi venit id omne, quod fuit hæreditatis, *l. in fideicommissaria 18. D. hoc tit.* In restitutionem vero non venit, nisi quod supersit factis detractionibus. Et ideo non solent Iudices loqui detractionibus nisi per ablatiuos absolutos, aut per gerundiuum, quę omnia important conditionem ante omnia purificandam, *l. à testatore 109. de cond. & demonstr. cum ibi not. & in l. in ratione 30. §. tametsi, ad leg. Falcid.*

6 Ne morosо prosit sua mora, quę hoc casu vix potest esse sine dolo. *l. in omnibus 19. l. in condemnatione 173. §. vnicuique, de reg. iur. l. hominem 37. D. mandat. l. tutor 4. D. de vsur.*

7 Cum detractiones non sunt liquidæ, *l. statuliber rationem 5. D. de statulib.*

DEFINITIO III.

Restitutam aut saltem adiudicatam fideicommissario esse hæreditatem necesse est, priusquam contra tertios agere possit.

FIdeicommissarius vniuersalis, id est, cui hæreditas tota, vel particularis, cui pro parte restituenda est, [1] non prius de fideicommisso agere potest aduersus tertios possessores, quam ei facta sit restitutio aut re, aut verbo per eum, qui fideicommisso grauatus est, eiusve hæredem. [2] Nec sequimur eorum sententiam, qui ex nescio qua æquitate canonica fideicommissum pro restituto aut purificatum habent pro restituto. [3] Sane interueniente sententia, per quã pronunciatum sit fideicommissum deberi, vix est vt alia restitutio necessaria videri possit. [4] Hic enim euenit, quod aliis plerisque casibus, vt in locum eius facti, quod ab vno ex collitigatoribus alteri præstari oportuit, succedat auctoritas iubentis. [5] *Ita Senatus* ex tempore, Nonis Junij, 1590.

1 Hic enim vere particularis fideicommissarius est, cui pars hæreditatis restitui debet, quamuis nostri vulgo particularem dicunt eum, quem potius singularem dicere deberent, cui res aliqua singularis per fideicommissum relicta est, vt dixi initio *Decad. 50 de error. pragmat.*

2 *L. 1. §. quamquam, l. restituta, 37. l. facta 63. in princip. D. hoc tit.*

3 Bald. *in cap. in præsentia, ex. tr. de testam.* Excipe tamen varios casus, in quibus fideicommissum etiam non restitutum habetur ex æquitate pro restituto, de quibus *in l. pen. C. hoc tit. & Nouell 1. de hered. & Falcid.* Item si omnia bona sint alienata, Guid. Pap. *dec. 601.* Cravet. *cons. 12. nu. 5.* Bart. Salic. Castr. *in l. pen. §. pen. C. commun. de legat.*

4 Quasi hæc sententia suam secum trahat executionem, hoc ipso, quod hæres patitur fideicommissarium agere, quem, ne agat, prohibere post sententiam non potest.

5 Hoc enim est, quod dici solet, factum Iudicis esse factum partis, *l. 1. C. si in caus. iudic. l. si ob causam 13. C. de euict.*

DEFINITIO IV.

Liberi primi gradus non tantum legitimam & Trebellianicam ex fideicommisso detrahunt, vt cæteri, sed etiam præcipuos fructus retinent, qui à cæteris in Trebellianicam imputantur.

LIberos primi gradus hæredes institutos, & de restituenda hæreditate in diem vel sub conditione grauatos, duplicis detractionis ius habere, nimirum portionis legitimæ & Trebellianicæ, vsque adeo receptum est ex inueterato nostrorum errore [1], qui iuri Pontificio iam pridem causam dedit, [2] vt de eo iam dubitare ridiculum existimetur. [3] Quæ detractio, si quatuor tantum pauciores liberi fuerunt, semissem efficit portionis oneratæ, [4] sin plures, cum semisse sescunciam. [5] Nec tantum liberis primi gradus, sed & sequentium graduum personis idem beneficium duplicis detractionis concessum est, quoties institutæ sunt, & tales, quibus legitima quoq; portio in defuncti bonis

BIU Cujas

debeatur. [6] Sed liberorum primi gradus priuilegium in eo est, quod non solum iis prohiberi detractio Trebellianicæ à testatore non potest, quomodo aliis potest,[7] sed & saluos ac præcipuos habeant fructus, quotquot ante cedentem fideicommissi diem perceperint, vt nec in Trebellianicam iis imputentur,[8] qui aliis omnibus, licet nepotibus, etiam tacente testatore, haud dubie imputantur,[9] licet verisimile sit, Zenonem, qui primus hoc eis priuilegium in fructibus concessit,[10] vt in aliquo melioris essent conditionis, quam cæteri; non fuisse concessurum, si duplicis detractionis commodum iisdem inuita iuris ratione ab Interpretib. datum iri præuidere potuisset.[11] *Ita Senatus* sæpius.

1 Aliud enim esse volunt, si pure datum sit fideicommissum, quasi hoc casu non possit dici, vtra quarta prius detrahi debeat, quod tamen ridiculum est, vt contra Interpretes nostros disputaui in priore parte *Hemichil. de error. pragmat. & interp. iur.*

2 *In c. Raynutius, & c. Raynaldus, extr. de testam.*

3 Ius enim pontificium sequitur, quod in hanc rem apertissimum est.

4 Computato scilicet prius triente legitimario, mox residui quadrante.

5 Sola enim legitima hoc casu facit semissem, *Nouell. 18. de trient & semiss.* Trebellianica verò quadrantem reliqui semissis, qui quadrans facit sescunciam totius hæreditatis. Et in hoc errant vulgo plerique existimantes, vtriusque quotæ detractionem semper ascendere vsque ad dimidiam partem hæreditatis.

6 Puta si hæres grauatus ex ascendentibus sit. Nam & ascendentibus legitima perinde ac liberis debetur, *l. nam etsi* 15. *D. de inoff. test.* nisi quod ea semper est triens, numquam semis.

7 Auth. *sed cum testator. vbi not. C. ad leg. Falcid.* Andr. Fachin. *l.* 5. *c.* 4. & 5.

8 *Ex l. iubemus* 6. *C. hoc tit.* vbi omnes notant.

9 *L. in fideicommissaria* 18. *vers. plane, l. mulier* 22. *§. si hæres, D. hoc tit. l. Papinianus* 8. *§. vnde si quis, D. de inoff. testam.*

10 *In d. l. iubemus.*

11 Nec enim tam facile multiplicanda sunt priuilegia, *vulg. l.* 1. *C. de dot. promiss.* & à communi iure, quam minimum fieri potest, recedendum est, *l. ius singulare* 16. iunct. *l. quod vero* 14 *D. de legibus l. quod contra* 141. *vbi not. de regul. iur.*

DEFINITIO V.

Liberi primi gradus non amittunt Trebellianicam ob non confectum inuentarium.

SEd & aliud liberorum primi gradus priuilegium in eo est, quod etiamsi inuentarium non fecerint, deducendę tamen ex fideicommisso Trebellianicæ ius retinent, quod alij amittunt.[1] Sic enim ex frequentiore Interpretum sententia sæpius quoque *Senatus* noster censuit.[2]

1 *L. vlt. vbi not. C. de iur. delib.* [Auth. *hoc amplius C. de fideic. cum ibi not.* Ergo in hærede extraneo aliud obtinuit Senatus noster contra Dec. *cons.* 36 *nu.* 5. & *cons.* 430. & 455. vbi defendi in quolibet hærede etiam filio amitti Trebellianicam ob non confectionem inuentarij. Quemadmodum è contrario multi post Bart. tenuerunt ne quidem extraneum amittere ex hac causa Trebellianicam vt refert Rabot. ad Guid. Pap. *dict. quæst.* 51. De legitima sanè nemo dubitat quin non amittatur per omissionem inuentarij. Calcan. *cons.* 17. Ioan Durand. *de art. test. tit.* 5. *cautel.* 27. Eman. Soarez *in commun. opin.* in verb. *filius pag. mihi* 486. *col.* 1. Vide Auth. Gabr. *lib.* 4 *commun. opin. concl.* 10. *ad SC. Trebell. num* 4. vbi tamen videtur concludere communem opinionem esse pro Decio.]

2 Guid. Pap. *quæst.* 53. vbi vide.

DEFINITIO VI.

Fructus ab hærede percepti nō per negligentiam fideicommissarij, puta ex die porrecti libelli, imputantur in quartam, sed non restituuntur nisi à die litis contestatæ.

CVm fideicommissaria hæreditas ex Trebelliano restituitur, constat, fructus ab hærede grauato perceptos in restitutionem non venire, quia non tam hæreditati, quam rebus hæreditariis accepto feruntur.[1] Sed nec imputantur in quartam, si negligentia fideicommissarij non percentis potius, quam iudicio testatoris percepti sint.[2] Ergo à quo tempore fideicommissum per libelli oblationem petitum est, cum nulla fideicommissarij negligentia sit, fructus omnimodo imputabuntur:[3] sed tamen non idcirco restituentur, nisi qui à die litis contestatæ percepti fuerunt.[4] Quia non licet hæreditatem fructus augent,[5] ita & augent fideicommissum,[6] nec malæ fidei possessor ante litem contestatam videri potest is, qui citra litem iustum possidendi titulum haberet,[7] cum neque lis vlla sit ante contestationem;[8] eoque passim iure Senatus noster vtitur. *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Claudij de la Roche, tunc Senatoris, nunc Rationalium supremi Præsidis meritissimi, & Francisce Lose, 8. Id. Mart. 1591.

1 *L. in fideicommissaria* 18. *vers. quoties, D. hoc tit.*

2 *L. mulier* 22. *§. si hæres, eod. tit.*

3 Quandoquidem etiam extraiudicialis interpellatio sufficeret, ne quid fideicommissario imputari posset, *l. mora, D. de vsur.*

4 Tametsi Bartolus *cons.* 51. *incip. Picaredus, in fin.* dicat, restituendos esse fructus fideicommissario ex die oblationis libelli. Facit *tot. tit. C. de vsur. & fructib. legat.*

5 *L. item veniunt* 20. *§. item non solum, D. de hered. petit.*

6 *d. l. in fideicommissaria, vers. quoties.*

7 Iustus enim est titulus hæreditarius, & bonæ fidei possessor hæres, quamdiu fideicommissum nō petitur, licet relictum esse sciat. [Sed neque semper condemnandus est hæres ad restitutionem fructuum ex die litis contestatæ. Quid enim, nisi quis præmaturè fideicommissum petierit cuius dies vel conditio nondum venerat, quæ tamen venerit ante rem iudicatam? Eo casu restituendi erunt fructus ex die duotaxat impletæ conditionis. *Ita Senatus* pro D. de Rochefort contra D. de Romagnieu 7. Id Mart. 1612.]

8 *L. sed etsi lege* 25. *§. si ante, D. de petit. hared. l. amplius* 15. *D. rat. rem haber.*

DEFINITIO VII.

Fideicommissum vniuersale an sicut est transmissibile, ita sit cessibile, & quando?

FIdeicommissum vniuersale tametsi in hæredem transmittatur etiam non agnitum, dummodo dies eius cesserit viuo fideicommissario,[1] cedi tamen non potest, (nec si agnitum sit & purificatum) priusquam fuerit restitutum:[2] fallitque hoc casu regula, quæ habet: Quicquid est transmissibile, esse etiam cessibile.[3] Obstat enim iuris ratio, quę non patitur, vt actiones ab hærede transeant in fideicommissarium, si non restituatur hæreditas ex testamento, vt habent verba Senatusconsulti Trebelliani,[4] id est, eo modo, quo testator voluit:[5] quod ipsum non aliter fieri potest, quam si hæreditas restituatur ei ipsi, quem testator ad fideicommissum inuitauit.[6] Sed hoc ita intelligendum est, si cessionarius agat quasi in rem suam, siue ex propria, siue ex cedentis persona.[7] Nam si tanquam simplex Procurator agere velit, hoc est, & ex persona, & in vtilitatem cedentis, procul dubio audiendus est.[8] Sed & valebit cessio, vt cessionarius etiam in rem suam agere possit, si non de primo fideicommisso agatur, sed de secundo, id est, quod à primo fideicommissario relictū sit. Quia cum prior fideicommissarius non quasi hæres restituat, sed quasi fideicommissarius, cessat hic subtilitas illa iuris, quæ impedit cessionem.[9] Idem est, si post declaratum per Iudicis sententiam fideicommissum cessionarius agat contra tertios possessores, in quos hæres ipse res fideicommisso obnoxias alienauerit. Hoc enim casu cum fideicommissum habeatur pro restituto non solum ex æquitate canonica,[10] sed etiam ex iuris ciuilis constitutione,[11] nihil est quod impediat,

impediat, ne fideicommissi ius cedi possit. [12] Solus enim heres ille est, cuius interest non valere cessionem fideicommissi, ne alioqui impedita translatione actionum ob non restitutam ex voluntate testatoris hereditatem maneat ille implicitus oneribus hereditariis, perinde ac si restituta hereditas non esset. [13] Si tamen proponas, factam fideicommissi cessionem præsente & sciente herede, placet nostris, eam indistincte valituram. [14] Quod ego vix probare possum, quando non ex heredis voluntate, sed ex ratione iuris proficiscitur, ne fideicommissum vniuersale cedi possit. [15] Et vero quid obsecro interest, an heres cessioni consentiat eo tempore, quo cessio fit, an tum demum, cum fideicommissum restituit? Nisi quis dicat, vtroque casu imputare eum sibi debere, cur cessionem, quam impedire poterat, admiserit, [16] nec fieri volenti iniuriam. [17] *Ita Senatus* in causa Michaelis Vuillermet de Costerg, & Hugonis Mottet, Prid. Calend. Septemb. 1592.

1 Sic enim vulgo nostri post Bartolum *ad l cum filiofamilias* 11. *de leg. 1. ex l. vlt C. quand. dies legat. ced. l. si in personam* 21. *& l. 3. Cod de fideicom. l. Seius Saturninus* 46. *l. quidam ita* 25. *in princ. ad SC. Trebell. l. à testatore* 109 *D. de condit. & demonstr.* Contra quam tamen sententiam vide quæ scripsi *Decad.* 31. *in error. 1. de error. pragmat.*

2 *L. si mulier* 59. §. *ex asse, D. de iur. dot.* vbi Bart. quem vide.

3 *Ex l. ex pluribus* 42 *D. de adminis. & peric. tutor.* * Non enim procedit hæc regula nisi negatiuè & non affirmatiuè, *l. si stipulatus* 76. *in princ. de verb. oblig.* vbi Alex. notat. Refert & sequitur Carol. Ruin. *cons.* 72. *num.* 4. *vol.* 1.

4 *L.* 1. *D. hoc tit.*

5 *L. sed etsi* 9 §. *vlt. cum l. seq. eod. tit.*

6 Testator autem non potest videri inuitasse heredis heredem, qui semper incertus est, nec venit ex iudicio defuncti, *l. qui liberis* 8. §. *vltim de vulg. & pupill. substit. l. sciendum* 70. *de verb signif.* Vide Andr. Tiraq. qui omnium fusissime hoc tractat post cæteros *de retract municip* §. 26. *gloss.* 3. *num.* 49.

7 Bart. *in d.* §. *ex asse.*

8 Bald. *in l. eum secundum* 3. vbi etiam Castr. & Ias. *C. de fideicom.* Et ita accipiendum est, quod scribitur *in l. restituta* 37. *l. qui ita* 76. § 1. *iunct.* §. *vlt. leg praced. D. hoc tit.*

9 Et quam nos explicauimus fusius *lib.* 5. *Coniect. iur. ciuil. cap.* 7.

10 De qua *in cap. in præsentia, extr. de testã.* vbi Bald. & post eum Guil. Bened. *in repet cap. Raynutius, in verb. mortuo itaque testatore, num* 74. quam tamen sententiam nos improbauimus *Defin.* 3. *num.* 35.

11 *L. vlt.* §. *sin autem sub conditione, C. commũ. de lega.* Ruin. *cons.* 116. *num* 13. *& 15. lib.* 3. Cagnol. *ad l.* 2. *num.* 42. *& seqq. C. de pact. inter empt. & vendit.*

12 Cessante scilicet ratione, qua mouetur SC. *in d.* § *ex asse.*

13 Et ita sentiat incommodum, qui non sentit commodum, *contra l.* 1. *l.* 4. *D. hoc tit. l. secundum naturam* 10. *de regul. iur.* Castr. *ad d. l.* 3. *C. de fideic.*

14 Purpur. *ad l. fin. C. de pact.*

15 Tametsi maxime heres velit, *vt in d. l. si mulier* 59. §. *ex asse, D. de iur. dot.*

16 *Arg. l.* 1. §. *item quæritur, D de separ.*

17 *L.* 1. §. *prodest autem, D. quod legat. l. in diem* 9. § *de aqua & aqu pluu. arcend.*

DEFINITIO VIII.

Sumptus facti ab herede ad conseruandas aut meliorandas res fideicommisso subiectas, sunt ei à fideicommissario restituendi.

QVas impensas facit heres rogatus de restituenda hereditate pro renouandis, vt fieri necesse est, censualibus instrumentis, eas potest ille, eiusve heres à fideicommissario post restitutam hereditatem repetere. [1] Quia tametsi commodum ex eiusmodi renouatione heres ipse senserit, qui tanto facilius & commodius annuos census exegit: [2] fuit tamen commodum illud temporarium, quod fideicommissario futurum est perpetuum. Itaque quasi in conseruandam rem facti sumptus imputari heredi debent, [3] id est, ei restitui. [4] Non idem fortassis in Ecclesiæ Prælato obseruandum est, cum successoris æque ac eius, qui sumptus fecit, non nisi temporalia ex iis sumptibus vtilitas futura sit, [5] & iureiurando obstrictus sit, quisquis Ecclesiæ præest, vt eos omnes sumptus faciat, qui ad res Ecclesiæ conseruandas necessarij videantur, [6] *Ita Senatus* in causa Joannis Dardier contra Illustrem D. Franciscum de Seissel, Marchionem d'Aix, 5. Non. Decembr. 1592.

1 *L. vbi pure* 19. §. *vltim. l. mulier* 12. §. *sed enim, D. hoc tit. l. quantitas* 72. *D. ad leg. falcid. l. domus* 58. *de leg.* 1. *l. Titius* 50. *D. de vsufr. l. generali* 32. §. *Lucius, de vsufr. legat.*

2 Qui scilicet sine censualibus instrumentis exigi non potuissent.

3 Quomodo loquitur IC. *in d. l. vbi pure,* §. *vlt.*

4 Alioqui fideicommissarius ex iactura heredis locupletaretur, *contra l. iure naturæ* 206. *de reg. iur. l. nam hoc naturæ* 14. *D. de condict. indeb.*

5 Nec enim beneficia sicut successiones iure hereditario deferuntur.

6 Vt proinde cum eos sumptus facit non tam videri possit facere, vt alium sibi obliget, quam vt fidem suam liberet. Ex qua causa non facile est, vt in alium actio detur, *l. in hoc iudicium* 14 § 1. *vers diuersum. l. si quis cum* 29 *D. comm. diuid. l. Papinianus* 28. *in fin. D. mandat.* Sunt enim Prælati quodammodo Procuratores Ecclesiarum, non domini, *can si priuatum, vbi gl.* 12 *q.* 1. adeo vt Prælatus etiam acquirere Ecclesiæ suæ teneatur, nec acquirendi occasionem possit impune prætermittere, *can. quicunque, vbi gloss. in verb. aut negligentia* 12. *quæst.* 4.

DEFINITIO IX.

Instituto per heredem grauatum fideicommissario fideicommissum habetur pro restituto.

SI quis eum, cui rogatus erat hereditatem restituere, heredem instituerit, isque hereditatem agnouerit, cum beneficio legis & inuentarij, [1] non est commodo possessionis suæ priuandus, si forte aliis creditoribus aliquid ex ea hereditate fideicommissaria obligatum dicatur à defuncto cum clausula cõstituti, quamuis de fideicommisso nondum cognitum sit, si modo constare de eo facile possit. [2] Est enim fideicommissarius tuendus in sua possessione, quam sine vitio nactus fuit, tametsi nulla dum fideicommissi restitutio facta sit: [3] multo igitur magis in proposita specie, in qua fideicommissum haud dubie pro restituto habendum est, [4] instituto per grauatum eo, cui restitui debuit, vt institutio illa vim & potestatem obtineat restitutionis. [5] Sane si de fideicommisso in promptu & facile constare non possit, iniquum est, eo solo prætextu creditoribus & legatariis moram fieri, [6] maxime si cauere sint parati. [7] *Ita Senatus* in causa Philibertæ Martiani, & heredum Andreæ Galley, 4. Non. Decemb. 1592.

1 Ne alioqui actio fideicommissi cum hereditate confundatur, *l. cum pater* 77 §. *Titio, de leg.* 2. Inuentarij namque beneficium impedit confusionem, *l. vnic.* §. *in computatione, Cod. de iur. delib.*

2 Quod Pragmatici dicunt, *Per modo constat, modo agatur, ex l.* 3. *in princ. vt in poss. legat. l. ille à quo* 13. §. 1. *D. hoc tit.*

3 *L. filiam fratribus* 56. vbi Bart. *D. eod.*

4 Quod ex aliis plerisque casibus contingit, de quibus *in l. pen. C. eod.*

5 *L. Lucius* 122. *in princ.* vbi est textus perelegans, *de leg.* 1.

6 *Arg. d. l. ille à quo* 13. §. 1. *vers quid ergo, D. hoc tit.*

7 Cum remedio cautionis possit securus esse heres, qui se etiam fideicommissarium dicit, *l.* 1. *in princ. qui satisd. cog. l.* 1. *& tot. tit. si cui plus quam per leg. falcid. l.* 1. *vt legat seu fideicomm. seruand. caus. cau.*

BIU Cujas

DEFINITIO X.

Mora hæredis nocet fideicommissario, quantum ad vsuras & fructus legatorum pertinentium ad onus fideicommissarij.

LEgata, quæ solui debuerunt ab hærede rogato post mortem suam alteri hæreditatem restituere, si soluta non sint, debentur à fideicommissario, cui restituta hæreditas fuit. Transit enim onus legatorum in fideicommissarium, nec vllam pro legato actionem habet legatarius aduersus hæredem rogati hæredis, [1] nẽpe si hæres totam hæreditatem, non tantum eius partem restituerit. [2] Quid verò si hæres ipse ante restitutionem interpellatus fuerit, & moram fecerit? Idem admittendum est, quia fideicommissarij nõ interest, cum, si hæres soluisset, tanto minus fideicommissario restituisset. [3] Sed de vsuris à die moræ debitis maior dubitatio est, an eas possit legatarius à fideicommissario petere, siue in rem, siue in personam agat, an potius cogatur pro iis agere aduersus hæredem grauatum eiusve successores? Facit dubitationem, quod sua cuique mora non alteri nocere debet: [4] item quod quæ ex mora infligitur condemnatio sit personalis, nec alterius obligationem augere possit, ne quidem fideiussoris, [5] quãuis dici soleat, moram rei nocere fideiussori. [6] Multo minus igitur mora hæredis nocere debet fideicommissario. [7] Atqui in contrarium mouet, quod fideicommissarius post restitutam hæreditatem constitutus videatur loco hæredis in omnibus, [8] nec ratio iuris patiatur, vt de legato agat legatarius contra fideicommissarium, de vsuris vero vel fructibus cogatur agere contra hæredem. [9] Debent enim accessoria sequi naturam principalis ex vulgata iuris regula. Neque nouum est, vt hæredis negligentia noceat fideicommissario, nimirum in ea re, quæ solius hæredis diligentia explicari debuit. [10] Nec sane fieri potest, vt causa fructuum legati vel vsurarum separetur à legato, cum non minus pro accessionibus, quam pro legato competat hypothecaria & in rem actio contra quemlibet possessorem. [11] Nec obstat, quod actio illa hypothecaria, quæ pro legato datur, naturam personalis actionis imitatur, ideoque nec aduersus vnum ex cohæredibus competit nisi pro portione hæreditaria. [12] Id enim eo pertinet, vt actio ipsa principalis, quę pro legato competit, diuidatur, nec aduersus singulos hęredes in solidum proponi possit, siue in personam, [13] siue in rem [14] agatur, sed non vt fructuũ vel vsurarum causa à principali debito seiungatur, [15] hoc est, vt non eatenus saltem vsurarum vel fructuum nomine conueniri possit, quisquis legatum soluere debet, quatenus pro legato tenetur. Plane fideicommissario, si vsuras soluat, quas hæredis mora peperit, aduersus eum eiusve hæredem pro consequenda indemnitate regressum dari debere constabat. [16] *Ita tractatum est* in causa D. de Breissieu & N. de la Balme de Molliers, 5. Id. Febr. 1593.

1 *L. 2. C. hoc tit.* Intellige, nisi hæres rogatus sit hæreditatem restituere deductis legatis, *l. 2. l. 3. §. item Pomponius, D. eod.* iunctis iis, quæ scripsi *lib 4. Coniect. c. 14.*

2 Id enim est, quod significant verba illa *d. l. 2. C. hoc tit. pro competenti portione.*

3 Quia præsumptum est, voluisse testatorem cum onere legatorum fideicommissum restitui, vt ait *d. l. 2. D. hoc tit.*

4 *L. in condemnatione 173. §. vnicuique, de reg. iur.*

5 *L. centum Capuæ 8. de eo quod cert. loc.*

6 *L. mora 88. de verb. oblig.*

7 Sicut nec fructuario nocet, *l. si vsufructus 35. D. de vsufr.* nec libertati fideicommissariæ, *l. cum vero 28. per tot. de fideic. libert.*

8 *d. l. 2. D. hoc tit. §. restituta, Inst. de fideic. hæred.*

9 Ne in eodem legato inducatur diuisio iuris & voluntatis, *contra l. eum qui 18. §. vlt. D. de his quæ vt indign. &* ne in plures aduersarios distringatur, qui cum vno quasi contraxerit *arg. l. & ancillarum 27. § vlt. de pecul.*

10 *In l. hæres 70. §. vlt ad SC. Trebell.*

11 *Ex l. 1. C. commun. si de legat.* iunct. *l. Lucius 18 qui potior in pign. hab.*

12 *d. l. 1. C. commun. de legat.*

13 Ex natura omnium personalium actionum hæreditarium, *l. 1. & tot. tit. C. de hæred. action. l. 1. C. si tert. petat.*

14 Quod valde speciale est & contra naturam actionis hypothecariæ, quæ sui natura est individua, *l. rem hæreditariam 8. D. de euict. l. 1. & 2. C. si vnus ex plurib. hered. debit.*

15 *d. l. Lucius 18. D. qui potior in pign. hab. l. inter socerum 26. §. cum inter, vers. nec separabitur, D. de pact. dotal.*

16 Vt dixi *Defin. 13. 5. tit. prox.*

DEFINITIO XI.

De subrogatione mobilium, quæ reperta sunt in hæredis grauati hæreditate.

QVoties in fideicommissaria hæreditate mobilia aliqua fuisse constat, quæ postea & pendente fideicommissi conditione vel die alienata sint aut deperdita, summæ æquitatis est, vt quæ in grauati hæredis hæreditate reperiuntur, mortis tempore perinde veniant in restitutionem, quasi in locum alienatorum aut deperditorum subrogata, nisi ex parte alterutrius, id est, vel hæredis grauati vel fideicommissarij probetur, pluris minorisve fuisse ea, quæ moriens testator reliquerat. [1] Immobilium alia ratio est, nisi vno illo casu, quo hæres rogatus sit restituere, quicquid superfuerit ex hæreditate: [2] quod cum factum est, libera & impunita est hæredi bonorum alienatio, dum ne quid mala fide & in fraudem fideicommissi faciat, [3] & consequẽter alia ratio non superest, per quam fideicommissatio consulatur, nisi vt quod ex alienatorum pretio comparatum est, quasi nec alienatum nec diminutum vice permutati patrimonij restituatur. [3] Sed extra illum casum, id est, rogato simpliciter hęrede, vt hęreditatem aut bona omnia restituat, sicuti nihil ille alienare potest nisi ad quantitatem vsque Trebellianicæ: [4] ita si qua immobilia alienauerit, vindicari ea vtique quandocumque possunt; [5] mobilia non item, quod eorum exhibitio certaque demonstratio difficilior sit, ac magnam ad multiplicandas pro re minima lites materiam præbeat. [6] Vnde & illud est, quod Galli dicere solent, *Les meubles n'auoir point de suyte.* Il est: Extra manus eius, qui dominus fuit, licet plenum alienandi ius non habuerit, neque fideicommissi, neque pignoris, aut alio vllo iure, mobilia vindicari posse. [7] Cæterum si rem meam mobilem quis subripuerit, deinde alteri vendiderit, nemo dubitat, quin & ad exhibendum & in rem actio mihi competat contra quemlibet possessorem, tametsi per plurium personas emptio ambulauerit, [8] quia rei meæ dominium à me inuito aut ignorante abscedere non potuit. [9] Apud nos ius commune obtinet, vt bonorum mobilium æque ac immobilium persecutio salua sit aduersus quemlibet possessorem, siue dominij, siue pignoris iure à vero domino aut à pignoratio creditore vindicentur. [10] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Montou & N. Ioannis Blanchard, 6. Id. Aprilis. 1593.

1 *Arg. l. Imperator 70. §. vltim. cum 2. ll. seqq. de leg. 2. l. mulier 22. § sed enim D. hoc tit.*

2 Semper enim veritati locus superesse debet, & præsumptio cedere veritati, *l. si chirographum 24. & seq. l. Imperatores, 29. §. vlt. D. de probat.* Nec alia bona in fideicommissum venire possunt, quam quæ fuerunt defuncti, *l. coheredi 41 § cum filia, de vulg. & pupill. substit. l. sequens quæstio 68. de leg. 2.* [licet iuste] quod prociat ad fundandam intentionem fideicommissarij quod probet ea bona fuisse possessa à testatore mortis tempore, scilicet ad trans-

[1] transferendum onus probandi in aduersarium, quo pro bante cessat præsumptio. *Ita Senatus* in ea causa de qua *in Defin.29.infr. hoc tit.* Vide tamen *Defin.3.num.12. supr. de probat.* sed & obseruandum est bona filij in dubio præsumi paternapotiùs & hæreditaria quam acquisita. Marzan. *De fideicommiss.*]

2 *Vt in l.deducta 58.§ pen.& vlt.D.hoc tit.*

4 *d.§.vlt.*iunct.*l.Titius 54.eod tit.*

5 *Vt in l.sed quod inde 71.de leg.2.*

6 *L.3.§.res quæ,D.hoc tit.l.vlt.§.vlt.*iunct *Auth.res quæ,C. commun.de legat.1.*

7 *d.l.vlt.§ vlt.* nisi in casu *l.vlt.§.vlt.de leg.2.*

8 Quod ne eueniat, semper cauere bonus Iudex debet quantum potest, *l. quidam 21.D.de rebus cred. l.singularis 6. D.de except.rei iudic.*

9 Quanquam hoc apud nos non obtinet,quia etiam mobilium vindicatio apud nos supereſt creditori aut domino etiam contra tertium possessorem, vt sequitur in Definitione.

10 *L.officium 9.D.de rei vindic.l.1.l.3.& pass.D.ad exhib.*

11 *L.si ego,9.§.1. D.de iur. dot. l. id quod nostrum 11.de regul.iur.*

12 Neque enim aut edicto vllo,aut statuto, aut consuetudine aliquâ iuri communi apud nos hac parte derogatum est Quod vero immutatum non fuit, cur stare prohibeamus? Inquit *l.fancimus 27.C.de testam.*

DEFINITIO XII.

Non est adeundus qui aliquid petit tanquam fideicommissarius,nisi prius doceat de fideicommisso.

QVi se fideicommissarium dicit, quandiu de fideicommisso non docuit,audiendus non est, si petat confici inuentarium rerum mobilium, quæ in hæredis grauati domo reperiũtur,quasi fideicommisso cõtineantur.[1] Prius enim est,vt de illo constet,an fideicommissum vllum sit? [2] Ne alioqui eo prætextu aperta sit via cuilibet calumniatori alienas familias perturbandi,[3] ac cuiusque patrimonij secreta explorandi.[4] Nec est cõtrarium,quod etiam viuo eo, qui rogatus fuit post mortem suam restituere, inuentarij confectio iure peti potuit,[5] tametsi non ante mortem dies fideicommissi cedat.[6] Id enim ita accipi etiam debet, si de fideicommissi iure appareat.[7] Tantoque minus audiendus est, qui post hæredis fiduciarij obitum petit inuentarium confici,quod cum viuo hęrede id ipsum petere potuerit,tamen non fecerit.[8] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro vidua & hærede D. de Tiret contra liberos D.de Verfey, 5.Calen.Iun.1593.

1 Aut quasi subrogatæ sint in locum earum,quæ fideicommisso continebantur,secundum ea,quæ diximus *Defin.praced.*

2 *L.ille quo 13 § si de testamento,D.hoc tit. l.postquam 5.§. si dies,D.vt legat.seu fideic.seruand caus.cau.*

3 *Vt in l.1.D de vacat.& excusat.muner.*

4 *Contra l.vlt.C.de alimenti pupil.præst.*

5 Capell.Tholos.*decis.*214.

6 *L.Statius Florus 48.§.Cornelio Felici,D.de iur.fisc.*

7 *d.§ si de testamento & d.§ si dies.*

8 *Arg.l.qui Romæ 122 §. Agerius,D.de verb.oblig*

DEFINITIO XIII.

De confusione fideicommissi & iure euictionis ob prælegata hæredibus relicta.

GRauatus hæres de hæreditate superstiti fratri restituenda eundem fratrem cum alterius fratris præmortui liberis coniunctim ex semisse hæredem scripserat, alterius fratris etiam præmortui liberos ex alio semisse, istis res Italicas, illis Gallicas prælegauerat. Superstes frater cui fideicommissum debebatur, fraterna successione repudiata, fideicommissi persecutionem apud Iudicem instituerat, tum moriens fratris dræmortui liberos, non quibuscum ad eundem semissem vocatus erat, sed ex alio semisse scriptos,sibi hæredes elegerat: quærebatur, an ex eius persona fideicommissi petitio his competeret, qui patrui hæreditatem agnouerant, mutuaque prælegata sibi inuicem præsti erant? Placebat, repudiantis fratris portionem non cohæredibus omnibus, sed iis solis, quos in eodem semisse coniunctos habuerat, accreuisse:[1] sed fideicommissi petitionem rum habuisse aduersus omnes cohęredes,nec pro semissibus dumtaxat exemplo ærtis alieni,[2] sed pro iis prælegatorum portionibus,quæ de bonis fideicommisso subiectis ad singulos peruenissent. Rationem enim possessionis non iuris modum facere diuisioni fideicommissi,[3] quod à possessoribus,tametsi hæredes non fuissent, præstandum esset,[4] saltem post aquam verbo restituta esset hæreditas hæredibus:[5] iisdem vero hæredibus à fideicommissario institutis,quos prius defuncti omisso pro parte cõuenerat, confusam fideicommissi actionem pro parte hæreditaria constabat;[6] propterea quod ad causam cõfusionis,non quantum isti possiderent, inspiciendum esset, sed pro qua parte grauati hæredis personam repræsentarent.[7] Pro alia igitur parte actio aduersus cohæredes supererat:[8] sed ita tamen, vt si minoris essent prælegata, quæ ex hæredis grauati hæreditate acceperant,non plus,quam quantum in legatis esset, præstare ij cogerentur,quibus legatum minus fuisset.[9] Nec mouebat,quod prælegata ab eo relicta,cuius hęreditatem adierant,rata per eos habeti debere videbantur,tametsi res eorum proprias,[10] aut, quod hac parte idem est, iis debitas [11] testator ignorans prælegasset.[12] Idem in eo demum casu dici posset, quo hæredibus istis fideicommissum debitum fuisset à testatore, nec in bonis omnibus, sed in Gallicis dumtaxat aut Italicis constitutum. At repudiante illo, cui fideicommissum debebatur,perinde erat ac si alienæ res cæteris, qui adierant, prælegatæ fuissent,[13] quo casu euictis post modum ex causa fideicommissi Gallicis,nullam ij, quibus prælegatæ fuerant, aduersus cohæredes actionem eo nomine habuissent.[14] At ne quidem exceptionem illam, quæ inter cohæredes ex hac causa competere solet,[15] quippe cuius æquitas tum deficiat, cum idem fideicommissum ab Italicarum quoque rerum hæredibus præstandum est: eadem enim subsistente ex vtraque parte causa euictionis, ex neutra euictio præstatur, iure quodam tacitæ compensationis, cum quantum alij ab aliis petere velint, tantum ipsis vicissim præstare debeant.[16] Neque quod ex Gallicis rebus scriptis fideicommissatio successerant, faciebat vt eorum conditio durior effecta videretur. Cur enim adimatur iis ius fideicommissi, quod ex fideicommissatij persona nacti sint?[17] Aut cur ea exceptione repellãtur, qua repelli nõ potuit is,à quo ius habent?[18] Plane si fideicommissum non nisi ab Italicarum rerum hæredibus præstari debuisset,siue hæredibus ipsis, siue extraneo fuisset debitum, magis esset vt in hæreditate diuidenda officio arbitri hæredibus ex Italico patrimonio scriptis succurri oporteret, vt non aliter prælegatas res Gallicas cohæredibus præstare cogerentur, quam sibi cautum esset de indemnitate:[19] ne alioqui ex hæreditatis semisse instituti ex nulla parte scripti viderentur.[20] Quod si exceptionis auxilium per errorem omiserint,vulgo creditum est,nullam eos habere actionem,in eoque interesse,an testator,an Iudex vel arbiter, aut cohæredum pactio bona hæreditaria diuiserit:[21] sed humanius est,vt si per facti errorem iustamque ignorantiam cautiones omissæ sint, eis subueniatur, quibus caueri debuit,siue per repetitionem,[22] siue officio ipsius Judicis imploratio.[23] *Ita partim* decisum, partim tractatum est in causa

BIU Cujas

Dominorum Senatoris & fratrum Dauiſe contra liberos N. Claudij Dauiſe & Dominos de Curtilles. Non. Iul. 1593.

1 *Ex l. coheredi* 41. *§. qui diſcretas, D. de vulg. & pup. ſubſt.*
2 *L.* 1. *C. ſi cert. pet. at. l. ex facto* 35. *D. de hæred. inſtit.*
3 Quia non in plus grauari quis per fideicommiſſum poteſt, quam ad eum peruenerit, *§.* 1. *inſtit. de ſingul. rebus per fideic. relict. l.* 1 *§. ſi is qui quadringenta, D. hoc tit.* quod in ære alieno ſecus eſt, *l. quæ dotis* 33. *D ſolut. matrim.*
4 *L. vlt § vlt. C. commun. de legat.*
5 Hanc enim reſtitutionem præcedere neceſſe eſt, vt diximus *Diſſert. 3. ſupr.*
6 *L. vt legatum* 5. *& l. ſeq. C. de hæred. actien.*
7 Cum ius concluſionis ex eo naſcatur, quod non poſſit idem eſſe debitor & creditor, *l. hæres à debitore* 21. *§. ſeruo tuo, & ſeq. & l. debitori* 50. *D. de fideiuſſ.*
8 *dict. l. debitori, & l. vt debitum, & l. ſi adulta 6. Cod. de hæred. action.*
9 Ratione illa, quam attulimus, *num.* 3.
10 *L. vnum ex familia* 67 *§ ſi rem, de legat.* 2.
11 Conſtat enim, poſſe teſtatorem ſicut rem hæredis ſui, ita & quod hæredi debetur legare, *d. l. vnum ex familia, §. ſed ſi vno,* & ibi Bart.
12 Diſtinctio enim, quæ alias adhiberi ſolet, an teſtator ſciuerit an ignorauerit alienam, locum hoc caſu non habet, *d. §. ſi rem,* vbi ponitur ratio perelegans.
13 Hæredem enim non inſtitutio facit, ſed acquiſitio hæreditatis, *l.* 4 *D hoc tit.*
14 *L. cùm pater* 77 *§ euictis de legat.* 2.
15 De qua Papinianus *in d. §. euictus.*
16 *dict. l. vnum ex familia* 67. *§. ſed ſi vno, & §. ſi duos, in fin. eod. titul.*
17 *Contra l. id quod noſtrum* 11. *de reg. iur. l. vlt. D. de paſt. l. Gromus* 71. *§ pen. D. de fideiuſſ.*
18 Plerumque enim eadem cauſa eſt ſucceſſoris, quæ fuit auctoris, *l. inuitus* 156. *§. plerumque, de reg. iur.* & quod autoribus non obſtabat, non ſucceſſoribus eorum obſtabit, *l. quod ipſis* 143 *à contr. ſenſ. de reg iur.*
19 Secundum elegantem illam Papiniani ſententiam quam noſtri ſingularem dicunt, *in d. §. euictus.* * Iunge *l. debitor* 58. *in fine princip. D. hoc tit.*
20 Quod eſſet aperte contra voluntatem teſtatoris, *vt in l. verbis ciuilibus* 7. *D. de vul. & pupil. ſubſt.*
21 *Ex l. ſi fratres* 7. *C. commun. vtriuſque iudic.* iunct. *d. §. euictis* & vtrobique Doctores.
22 *Vt in ſi hæres* 23. *& l. pen. D. hoc tit.*
23 *Vt in l. ſi res obligata* 57. *in fin. de legat.* 1. iunct. *l. regula* 9. *de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XIV.

Primum fideicommiſſum confluit in ſecundum.

EA bonorum portio, quæ ex fideicommiſſo reciproco aut graduali ad aliquem peruenit, ſi idem ille alteri reſtituere rogatus ſit, in poſterius quoque fideicommiſſum venit. *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Ex Baldo *conſ.* 94. *lib.* 2. & Crauet. *conſ.* 295. Bartol. & alij communiter *in l.* 3 *§. quidam liberis, D. hoc tit.* Angel. Imol. Caſtrenſ. & Alex. *in l. Scæuola* 76. *eod.* quos refert & ſequitur Boer. *deciſ.* 280. *num* 3. * Sed an cum detractione quartæ ex primo fideicommiſſo, quod confluit in ſecundum: Bald. *conſ.* 103. *lib.* 4. defendit poſſe detrahi etiam cum pupillaris ſubſtitutio confluit in fideicommiſſariam: vide tamen Decium *conſ.* 80. vbi ait, quod acquiſitum eſt ex ſubſtitutione compendioſa venire in fideicommiſſum relictum verbis generalibus. * Vide tamen ne obſtet *l. Titius* 94. *de legat.* 3. niſi hanc definitionem intelligas cum vtrumque fideicommiſſum eſt vniuerſale & diuerſorum graduum, eiuſdem tamen & totius hæreditatis. Ergo ſi quis rogatus hereditatẽ alteri reſtituere, rogato & ipſo vt alteri reſtituat, fideicommiſſarium hæredem inſtituerit, aut expreſſe, aut tacite, relicto eo hærede ab inteſtato, dicendum eſt, totam hæreditatem ſecundum fideicõmiſſum venire, ſine vlla detractione legitimæ, aut Trebellianicæ, quamuis primus rogatus potuerit vtramque detrahere: quia hoc caſu hæreditas venit in prius fideicommiſſum, cum ſit manifeſtum, noluiſſe quicquam detrahere illum, qui fideicõmiſſarium ipſum hæredem reliquit. Siquidem illa reſtitutio, ſiue expreſſa, ſiue tacita, pro reſtitutione eſt, *l. Lucius* 124. iuncta *l.* 126. *de leg.* 1. Videturq; hoc caſu prior grauatus pleniſſimum obſequium voluntati defuncti præſtare voluiſſe, *l.* 5. *§. pen. de don. int. vir & vxor. l. patre* 19. *& ſeq. D. qua in fraud. cred.* Itaque nec prior fideicommiſſarius quicquam ex ſecundo fideicommiſſo detrahet ex perſona prioris grauati, niſi probetur prior voluiſſe ſuam liberalitatem ad ſolum priorem fideicommiſſarium pertinere, *l.* 1 *§. inde Neratius, D. hoc tit.* Mihi ne vero, ſi ponas primo grauato æqui proximum, & hæredem fuiſſe ſecundum commiſſarium, atque primum. Finge tres fratres à patre inſtitutos, rogatoſque inuicem de hæreditate poſt mortem ſuam reſtituenda ſi ſine liberis morientur. Priorem autem ſine liberis defunctum, inſtitutis, aut legitimis hæredibus relicta duobus fratribus, quibus hæreditatem reſtituere debuit, ſubindeque alterum etiam ſine liberis deceſſiſſe, ſuperſtite tertio fratre, eodemque ſecundo fideicommiſſario: Cur ex ſecundo fideicommiſſario detrahi quicquam patiantur, pro ea bonorum parte, quæ ex primo peruenit, cum ex primo nihil detractum ſit? Sane pro ea parte, in qua prior fideicommiſſarius fuit inſtitutus, aliud erit, ſi non fratrem ſuum eundemque fideicommiſſarium, reliquerit hæredem, ſed alium, puta fratris ipſius liberos. Sic tractatum Cal. Septembr. 1609.

DEFINITIO XV.

Fideicommiſſarius, qui pendente conditione res fideicommiſſas emit, an & quando earum pretia petere poſſit?

FRater fratri, ſi ſine liberis decederet, per fideicommiſſum reciprocum ſubſtituros fundos pleroſque fideicommiſſo conditionali obnoxios à fratre emerat, eidemque pretium ſoluerat. Cum poſtea fideicommiſſi conditio euenifſet, perebat reſtitui ſibi ex fideicommiſſo quicquid à ſe pretij nomine ſolutum fuerat, cum vſuris quincuncibus. Dicebam, inſpecto iuris rigore, male eum agere, quoniam in fideicommiſſo eſſe non poſſent pretia, quæ fideicommiſſarius ipſe poſt mortem teſtatoris de ſuo præſtitiſſet.[1] Fideicommiſſo enim non aliæ, quam defuncti, qui fideicommiſerat, facultates contineri poterant.[2] Sed poſteaquam fideicommiſſi conditio exiit, videri nunc actorem iure fideicommiſſi habere prædia, quæ non niſi empti titulo antea tenuerat:[3] nempe quia legatario aut fideicommiſſario legatum aut fideicommiſſum agnoſcente neceſſario ſit, adeoque vel inuito eo, vt relicti conditio retrotrahatur, cum nec alioqui relictum vllo iure ſit valiturum.[4] Alia igitur actio emptori ſupereſſe non videbatur, niſi ex empto, ad pretium venditori auferendum, quaſi penes quem inciperet eſſe ſine cauſa.[5] Quomodo enim fieri poſſit, vt quis ex teſtamento petat rem per fideicommiſſum relictam, quam iam habeat,[6] aut rei pretium, quod non ſit in fideicommiſſo?[7] Atqui nec illud dici poterat, dandam ex empto actionem ei, qui prudens & ſciens emiſſet rem, quam aut iam ſuam eſſe ſciebat, aut ſuam aliquando futuram præuidere poterat, exiſtente nimirum fideicommiſſi conditione.[8] An igitur ſoluti pretij iacturam fideicommiſſarium ſentire equum erit? Hoc ſane ipſa iuris ratio euincere videtur,[9] ſed tamen in propoſito pro emptore faciebat, vt quamuis fideicommiſſum conditionale ſibi relictum ſciuiſſet emptionis tempore, ſaluam tamen habere actionem ex empto ad pretij reſtitutionem, quod fideicommiſſi conditio talis erat, quam non ſine malo omine ſperare poterat aut expectare; in eum ſcilicet caſum concepta, quo frater ſine liberis præmoreretur, cui & vitam & liberos optare potius debuiſſet.[10] Itaque cautæ nihil eſt, cur non hoc ſaltem caſu admitti debeat, quod interpretes vulgo ad alios quoque caſus male extrahunt, nihil intereſſe, an ſciens conditionale fideicommiſſum, an ignorans frater à fratre compararit, quod attinet ad pretij repetionem.[11] *Atque ita Senatui* viſum eſt in cauſa Dominorum de Montalieur contra hæredes D. de Beaufort, 7. Calend. Aug. 1592.

[1] Quoties

1 Quoties enim quis rogatur hæreditatem restituere, id tantum videtur rogatus reddere, quod fuit hæreditatis, *l. in fideicommissaria 18. ad SC. Trebell.*

2 *L. coheredi 41. §. cum filia, de vulg. & pupill. subst. l. sequens quæstio 68. de legat. 2.*

3 *Argum. l. fundo 4. D. ad leg. Falcid. l. cui res 29. D. de action. empt.*

4 Secundum ea, quæ scripsi *lib. 7. Coniect. iur. ciuil. c. 3.*

5 *L. huiusmodi 84. § qui seruum, de legat. 1.*

6 Siquidem quod iam meum est, magis meum fieri non potest. *§ sic itaque, Inst. de action.*

7 Non enim potest ex fideicommisso petiid, quod relictum non est, *l. 1. de penu. legat. l. 1. §. item si ita, D. ad leg. Falcid.*

8 *Argum. l. suæ rei 16. de contr. empt. & d. l. cui res 29. de act. empt.* de cuius sententia & emendatione scripsimus, *lib. 5. Coniect. cap. 14.*

9 Quasi nullum damnum sensurus videatur emptor, qui ex culpa sua sentiet, *l. quod quis 203. de reg. iur.*

10 *Arg. l. cum tale 72. D. de condit. & demonstr.* Nemo enim debet liberi hominis casum & aduersam fortunam expectare, *inter stipulantem 83. § sacram de verb. oblig.*

11 Sic enim illi *ad l. cui res*, & male, vt scripsi *dict. cap. 14. lib. 5. Coniect.*

DEFINITIO XVI.

Casus, in quo vsuræ pretij debentur actione ex empto, ex die litis de fideicommisso contestatæ.

DE vsuris pretij, quod fideicommissario actione ex empto restituendam esse proxime diximus, dubitatio maior erat, an deberentur, ex quo lis de fideicommisso contestata fuisset, exemplo fructuum ex fideicommisso siue vniuersali, siue singulari perceptorum.[1] Nam cum actione dumtaxat ex empto, non etiã ex fideicommisso & testamento pretium peti possit,[2] consequens erat, non videri moram in soluendo pretio factam ab eo, qui non nisi fideicommissi nomine ex testamento conuentus fuisset.[3] Pretij verò vsuras si vẽditor ipse consequi nequit actione ex vendito, nisi mora interueniente,[4] quanto minus consequetur eas emptor pretium repetens à venditore, nisi ab eo saltem die, quo venditor in restituendo pretio moram fecerit? Est enim restitutio ista pretij legitime soluti, quasi, vt ita dicam, irregularis, sicut & actio ex empto, quę in eam rem accommodatur,[6] cum natura actionis ex empto sit, vt detur ad rem ipsam habendam soluto pretio: actio autem ex vendito venditori contra emptorem ad pretiũ consequendum.[7] *Senatus* tamen pronunciauit, vsuras istas esse loco fructuum fideicommissi.[8] Et quemadmodum fructus bonorum venditorum, si vendita non fuissent, deberentur fideicommissario à die litis contestatæ, ita & vsuras ab eo tempore deberi, quasi nec rem, nec tei fructus habere ex testamento videatur fideicõmissarius, idemque emptor, quamdiu & pretio & pretij vsuris caret.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nemo enim dubitat, quin saltem ex die litis contestatæ fructus debeantur, tanquam à malæ fidei possessore, *l. sed etsi lege 25. §. si ante, D. de petit. hered. l. videamus, 38. §. si actionem, D. de vsur.* Vide tamen *Definition. 6. num. 7. supr.*

2 Vt diximus *Defin. præced.*

3 Mora enim fieri non potest, nisi in eo, de quo quis conueniatur.

4 *L. ex empto 11. in princ. l. qui per collusionem 49. §. 1. D. de action. empt.* iunct. *l. curat. 5. C. de action. empt.*

5 Nam nec venditor tenetur ex die moræ, sicut neque emptor.

6 *d. l. ex empto, §. is qui vina, D. de action. empt.*

7 *d. l. ex empto, in princip.*

8 *L. vsura 34. de vsur.*

9 *d. l. ex empto, §. qui autem, l. Iulianus 13. §. veniunt autem, bona fides 50. eod. tit.*

DEFINITIO XVII.

Pretia rerum subiectarum fideicommisso retrouenditarum ex pacto veniunt in fideicommissum.

HÆres rogatus de restituenda, si sine liberis moreretur, hæreditate illius, qui prædia multa emerat sub pacto de retrouendendo, si retrouendiderit, & pretia acceperit, ea restituere cogitur ex causa fideicommissi,[1] perinde ac res ipsas restitueret, si vel nondum redemptæ essent, vel redimendi tempus effluxisset.[2] Cum enim vniuersale fideicommissum est, facile admittit hanc interpretationem, vt pretium succedat loco rei, sicut & vicissim res loco pretij, vt & interdum res loco rei.[3] In fideicommisso singulari non ita facile idem admittendum est.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. quidam ita 25. §. si quis filium, D. hoc tit.* vbi ratio redditur, ne factum cuiusquam alteri damnum adferat. Iunge *l. vlt. §. vlt. de leg. 2.*

2 Cogeretur enim res ipsas, quæ in fideicommisso essent, restituere, & quidem cum sua causa, *l. de euictione 69. D. hoc titul.*

3 *L. si & rem & pretium 22. D. de hæred petit. l. Imperator 70. §. vlt. cum legib. seqq. de legat. 2.*

4 Nisi cum res ipsa peti ex aliqua causa non potest, *vt in d. §. si quis filium, & d. §. vlt. de leg. 2.*

DEFINITIO XVIII.

Quinque annorum fructus absumunt Trebellianicam eo casu, quo in quartam imputantur.

FRuctus ex fideicommisso conditionali perceptos,[1] licet in restitutionem hæreditatis non veniant,[1] in eam tamen quartam, quæ ex fideicommisso deducitur, quam Trebellianicam vocant, imputati debere constat.[2] Sed quot annorum fructus in eam rem sufficere possint, vt fructibus absumpta absorptaque Trebellianica videatur, dubitatum fuit. Placet quinque annorum sufficere, quoniam ea fructuum computatio fieri solet, vt ad modum vsuratum quincuncium æstimati anno demum vicesimo æquent iustam bonorum æstimationem,[3] cuius temporis diuisi quarta pars, quæ quartæ bonorum parti respondeat, quinquennio concluditur.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. in fideicommissaria 18. D. hoc tit.* vbi ratio ponitur, quam nos expressimus *Defin. 6. 3. eod.*

2 *dict. l. in fideicommissaria, vers. plane. l. mulier 22. §. si hæres eod. titul.*

3 *Nouell. 7. de non alien. aut permut. rebus eccles.* Afflict. *decis. 285. in fin.*

4 *Glos. fin. in Auth. perpetua.* vbi DD. *Cod. de sacrosanct. eccles.*

* Obserua tamen non tantum quartam deberi hæredi, sed etiam quartæ fructus, *l. mulier 22. §. si hæres D. hoc tit.* Et ideo quinquennij fructus non posse quartam absumere & quartæ fructus. Esseq; vnum hunc ex erroribus pragmaticorum à nobis obseruatum in Chiliade.

DEFINITIO XIX.

Substitutus per fideicommissum post mortem hæredis rogati nihil penitus iuris habet viuo hærede, cui liberum est de iis bonis fauore alterius fideicommissarij disponere, dum ne in præiudicium huius.

IS, cui pars bonorum defuncti restituenda est ex fideicommisso post mortem hæredis instituti relicto, sicut nihil prorsus iuris habet in iis bonis viuo hærede scripto, quoniam præmori potest, atque ita fideicommissum intercidere, cuius dies numquam cesserit:[1] ita nec prohibere potest, quo minus cæteri,

BIU Cujas

quibus reliquæ portiones ex eodem fideicommisso relictæ fuerant, vniuersa diuidant inter se bona, si hæres institutus consentiat, iisque siue liberaliter, siue aliquo accepto, quasi repræsentato fideicommisso, vniuersam hæreditatem, quod facere potest, viuus restituat: [2] sed cum eo tamen temperamento, vt si quando fideicommissi dies vtiliter cedet, nullum tertio fideicommissario in portione sua præiudicium fiat. [3] *Ita ex tempore tractatum est* pro Francisco Pellin Procuratore, & N. Filliard contra N. Vicaire, Prid. Id. Decembr. 1595.

1 Textus est elegans *in l. Statius Florus* 48. §. *Cornelio Felici D. de inr. fisc.*

2 *L. post mortem* 12. *C. de fideic.* de cuius sententia & ratione vide quæ scripsi *lib.* 17. *Coniect. iur. ciuil.* Adde *l. patrem* 19. *D. quæ in fraud. credit.*

3 *L. filiusfamilias* 114. §. *Diui* 1. *de leg.* 1. *l. vxorem* 41. §. *Seium maritum* 12. *de leg.* 3.

DEFINITIO XX.

Incerto quantum ex fideicommisso detrahi debeat, non est interim sua possessione priuandus is, cui bona sunt vendita per hæredem.

ADiudicato fideicommisso, si, vt plerumque euenit, detractionibus legitimis locus sit in fauorem hæredis grauati, [1] non debet is, qui ex bonis fideicommisso subiectis ab hærede comparauit, dum adhuc fideicommissi conditio penderet, priuari possessione rei emptæ aliove modo acquisitæ, [2] ne iniuria ei facta videatur, si post liquidatas, vt aiunt, detractiones iustâ retinendæ possessionis causam habuisse illum appareat, [3] siquidem, quæ ab hærede alienata sunt, imputari illi solent in eam partem, quam ex fideicommisso pro iure suo deducere potest. [4] Sed si nihil sit, quod deduci debeat, [5] aut si defuncto hærede non soluendo disputandum sit inter creditores de ordine ac priuilegio temporis, [6] vt dubitari non possit, quin emptor hic sit ex posterioribus, non inique decernetur auferendam rē emptori, [7] solique hæreditatis curatori, præsentibus tamen creditoribus, [8] permittendum, vt de iure detractionum cum fideicommissario disputet, mox creditoribus ex ordine satisfacturus, quantum detractionū & totius patrimonij à defuncto relicti modus patietur. [9] *Ita Senatus* in causa Ioannis Baptistæ Bouand & Ioannis Baptistæ Oliuier, 17. Calend. Jul. 1594.

1 Nec enim fideicommissi restitutio vnquam debetur, nisi detractis detrahendis, *ca Raynutius, vbi not. extr. de testam l. in imponenda* 6. *l. irritum* 8. *C. ad leg. Falcid.*

2 Quamuis videatur ei posse imputari, cur emerit, aliterve acquisierit rem subiectam fideicommisso & alienari prohibitam, maxime si eam emerit sciens, *l. vlt.* §. *vlt* iunct. *Auth. res quæ, C. commun de legat.*

3 Interest enim illius vt & alterius, cuiuslibet possessionem suam non amittere potius, quam amissam recuperare, *l. 3. de compensat. l. si stipulatus* 15. *in princ. de fideiuss. l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*

4 *L. 3.* §. *res quæ, D. hoc tit.*

5 Finge enim fideicommissum esse collaterale, absumptamque fructibus quinquennij Trebellianicam, nec vllum æs alienum esse, de cuius deductione tractari oporteat.

6 Inter chirographarios quidem *ex titul. De rebus auctor. iud. possid.* inter hypothecarios vero *in l. vltim. Cod. de iur. delib.*

7 Nulla enim fit ei iniuria, cum eius damno tandem cedere rem totam sit necesse, *arg. l. si quis habens* 24. *D. qui & à quibus manum. liber non fiant.*

8 Ne forte in eorum necem colludatur, *l. si suspecta* 29. *D. de inoff. testam. l. si perlusorio* 14. *De appellat.*

9 Iuxta formam *d. l. vltim. C. de iur. delib & d. tit. de rebus auctor. Iudic. possid.*

DEFINITIO XXI.

Restitui hæreditas fideicommissaria potest & fructuario, & per fructuarium.

EI, cui hæreditatis fideicommissariæ vsumfructum testator reliquit, hæreditatem restitui posse placuit, tametsi restitutionis commodum & incommodum, actionumque translatio ad eum pertineat, ad quem proprietas ipsa fideicommissi pertinet. [1] Nec quicquam in eo fit contra testatoris mētem, qui fideicommissario hæreditatem restitui voluit, [2] cum vsufructuarius in ea re, in qua vsumfructum habet, cēseatur Procurator proprietarij, [3] adeoque quod præcipuum est ex voluntate testatoris, qui vsumfructum constituit. Id enim est quod efficit, vt plus iuris habere debeat ad accipiendam restitutionem fideicommissi, [4] quam si ab ipso fideicommissario solaque eius voluntate factus esset Procurator in rem suam. [5] An ergo similiter dicemus, hæreditatis restitutionem ab eo fieri posse, cui hæres grauatus hæreditatis suæ vsumfructum reliquerit? Mouet, quod non aliter potest valere restitutio hæreditatis, quam si transferantur actiones omnes in fideicommissarium, [6] nec rursus actionum translatio fieri per eum, qui actiones non habeat, [7] quas vtique constat non residere penes vsufructuarium, cum ius proprietatis sequantur, ex eaque pendeant. [8] Sed tamen cum restitutio fieri possit ab hærede grauati per Procuratorem, qui non suo, sed ipsius hæredis nomine restituat; [9] hic autem vsufructuarius perinde fit Procurator hæredis, qui restituere debet, atque is, de quo proxime diximus, Procurator est fideicommissarij; [10] Consequens videtur, vt ab eo fideicommissum & peri possit & restitui, præsertim cum hæreditatem possideat ex eius, qui fideicommissum restituere debuit, voluntate. [11] A quo enim melius restitui possit hæreditas, quam ab eo, qui suo iure illam possidet? [12] Aut si de fideicommisso quærendum est, an debeatur, quidni sit ille legitimus contradictor, hærede scilicet litem sciente, & ad eam vocato, nec contradicente, quo minus litem & iudicium de fideicommisso vsufructuarius accipiat? Vulgatum enim est, nocere rem etiam inter alios iudicatam, quoties quis passus est de iure eius agi, qui ab eo ius habeat. [13] *Ita tractatum est* in causa D. de Bordeaux contra N. Bonam de Coste, vxorem D. de la Serra, 13. Calend. August. 1595.

1 Restitutio enim est ei facienda, qui est in loco hæredis, *l. 2. D. hos tit.* hæres autem significat dominum, §. *vlt. Inst. de hæred. qualit. & differ. l. de hæreditate* 19. §. *pater, D. de castr. pecul.* nihil autem commune habet causa vsufructus cum iure proprietatis, *l. pen. D. de acquir. possess. l.* 1. *D. de vsuf.*

2 *L.* 1. *& pass. D. hoc tit.*

3 Quomodo dicimus de creditore, qui tamen minus iuris habet in re debitoris, quam vsufructuarius in re proprietarij, *l. si pignori* 29. *in fin. D. famil. ercisc.* iunct. *l. naturaliter* 12. *D. de acquir. poss. & l. pignori* 13. *de vsucap.*

4 Siquidem fideicommissum restituendum est eo modo, quo testator voluit, *l. sed si alio* 9. §. *vlt. & l. seq. D. hoc tit.*

5 Quo casu non posset restitui fideicommissum Procuratori in rem suam facto, *l. si mulier* 59. §. *ex asse, D. de iur. dot.* quamuis possit restitui simplici Procuratori, *l. apud Iulianum* 11. §. *vtrum autem, & lege quamuis* 40. §. *vltim. cum l. seq. D. hoc tit.*

6 *dict. § ex asse, & l.* 1. *l. ita tamen* 27. §. *qui ex Trebelliano. D. hoc tit.*

7 Cum nemo plus iuris in alium transferri possit, quam ipse habeat, *vulgat. l. nemo pluris* 54. *de reg. iur.*

8 Sunt enim in hæreditate, non in vsufructu hæreditatis.

9 Quia qui per Procuratorem facit, per se ipsum facere videtur, *l.* 5. §. 1 *D. de admin tutor. cum similib.*

10 Quia vsufructuarius semper censetur Procurator esse proprietarij, *d. l. si pignori* 29. *in fin. D. famil. ercisc.*

11 Ponimus

11 Ponimus enim vsumfructum traditum ab hærede eo scilicet modo, quo tradi potest, *l.3.§.1.de vsufr.*

12 Vsufructuarius autem possidet suo iure, & fructus suos facit, ideoque dicitur possidere naturaliter, *d. l. naturaliter* 12. *D. de acquir. poss.*

13 *L. sæpe 63. vbi not. D de re iudic.* Alioqui sane absurdum esset dicere restitutionem hæreditatis siue fructuario, siue à fructuario, si id hæres ipse ignoraret, cuius nomine ac periculo ea fieret restitutio.

DEFINITIO XXII.

In fideicommissum veniunt etiam ea, quæ hæres habuit non quasi hæres, si modo habuerit occasione hæreditatis.

ETsi rogatum hæredem esse oportet tanquam hæredem, vt actiones ex Trebelliano transire possint, [1] nihil tamen prohibet, ea quoque in vniuersalis fideicommissi restitutionem venire, quæ hæres, nec tanquam hæres, nec ex iudicio testatoris perceperit, dummodo habuerit occasione hæreditatis. [2] *Ita Senatus* in ea specie, de qua SC. 11. supr. famil. ercisc.

1 *L. mulier 22. §. vlt. D. hoc tit.*

2 *L. debitor 59. § vlt. eod. à cont. sens.* Caue tamen ne hanc Definitionem generaliter intelligas: pugnaret enim cum ratione iuris, vt ex iis constat quæ tradit illustriss. Francisc. Mantic. *lib 7. de Coniect. vltim. vol. cap. 8* sed coarctanda est ad suam speciem, quæ habet rationem specialem.

DEFINITIO XXIII.

Fideicommissarius non potest agere contra tertios possessores ante hæreditatem restitutam, nisi certis in casibus.

NOn potest fideicommissarius agere contra singulos, & tertios rerum fideicommisso subiectarum possessores, nisi facta prius vniuersalis fideicommissi restitutione, re aut verbo, [1] scilicet per heredem, qui solus ad eam restitutionem tenetur, [2] si hæres nullus sit, curator hæreditati dari solet. [3] Fallit vtrumque, si bona sint omnia omnino alienata, quia tunc cum hæres abdicauerit, à se restituendi facultatem habetur fidei commissum pro restituto. [4] *Ita Senatus* in causa Dn. Joannis Claudij de la Roche, & Reuerendi fratris Stephani Blanchet Dominicani, 22. April. 1597.

1 *L. facta, 63. l. restituta, 37. D. hoc tit.* Boer. *dec. 56. per tot.*

2 Vt scilicet transferat in fideicommissarium actiones omnes, & quas habet, & quibus obstrictus est, *l. 1. & pass. D. eod.*

3 Ex eo pragmaticorum errore, quem nos refutauimus *in priorib. Decad. De error pragmat.*

4 Non quidem ex æquitate illa canonica, quam commiscitur Guill. Bened. *in repet. cap. Raynutius*, in verb. *si absque liberis*, 2. in quo ille sane deceptus fuit, & merito reprehensus à Boer. *d. quæst. 56. num. 7 & 8* sed quoniam & alij plerique casus sunt, in quibus fideicommissum habetur pro restituto, *l. 1. § sed & quoties*, vbi DD. *D. ad SC. Trebell. & in l. pen. C. eod.* Vide *l. vlt. §. sin autem sub conditione, Cod. commun. de legat.* Et ibi Bart. & Castr. Guid. Pap. *quæst. 601.*

DEFINITIO XXI.

Fructus percepti iuri hæreditario, siue ab hærede siue ab hæredis patre, imputantur in Trebellianicam.

FRuctus ex hæreditate restituenda percepti iure patriæ potestatis, à patre hæredis rogati imputantur in Trebellianicam filij, perinde ac si à filio ipso percepti essent, sed non ij similiter, quos idem pater eodem iure potestatis perceperit, ex persona alterius filij per fideicommissum priori defuncto substituti. [2] *Sine die.*

1 Nihil enim refert, an filius ipse eos perceperit, an pater nomine filij, ne fiat deterior conditio fideicommissarij ob personam patris, quod esset absurdum. Fructus namque imputandos esse in Trebellianicam, certum est, si modo sint percepti ex iudicio testatoris, *l. in fideicommissaria, 18. l. mulier 22. §. si hæres, D. hoc tit.* Nisi in casu *l. iubemus, 6. C. eod.* Vide *l. cum filiofamilias, 11. de legat. 1.*

2 Quia scilicet non possunt videri percepti ab hærede, qui nec ab ipso, nec ab alio ipsius nomine percepti sunt.

DEFINITIO XXV.

Cogitur hæres facere inuentarium postulante fideicommissario, sed sumptibus fideicommissarij.

HÆres rogatus de hæreditate alteri restituenda, licet pure & simpliciter hæreditatem agnoscere velit, [1] cogi tamen potest postulante fideicommissario, vt inuentarium conficiat, non quidem solemne, vt vocant, [2] sed tamen tale, ex quo constare aliquando possit de qualitate & quantitate rerum hæreditariarum. [3] Idque sumptibus fideicommissarij non suis. [4] Eoque iure vti nos ex pract. Ferrar. quoidam ex Senatoribus nostris referre memini. *Sine die.*

1 Quod cum euenit non est necesse vt faciat inuentarium, *l. vlt. C. de iur. delib.* Nec enim beneficium inuentarij implorare quisquam cogitur, vt nec vti eo iure, quod pro ipso sit introductum, *l. inuitus, 156. §. vlt. de reg. iur.*

2 De quo *in d. l. vlt. C. de iur. delib.*

3 Nec scilicet postea probandum habeat fideicommissarius post diem fideicommissi cedentem quid & quantum fuerit in fideicommissum, vel in totum, vel pro parte, *arg. l. vlt. de prator. stipul.* Non enim potest videri hæres rogatus aliud reddere, quam quod fuit hæreditatis, *l. in fideicommissaria, 18. hoc tit.* Ita sane curare semper debet magistratus, quantum fieri potest, vt rerum probatio salua sit, *l. curent magistratus, 22. D. de testibus*, ne deficiat probatio iure non deficiente, *vt in vulg. l. duo sunt Titij, D. de testam. tutel.*

4 Quicquid enim fit per iudicem, aut ex iudicis auctoritate ad petitionem alterutrius litigantium fit sumptibus petentis ac proinde interdum sumptibus vtriusque, si vterque petat, ne sit in potestate vnius aduersarium suum superuacuo sumptu onerare. Vide Ferrar. *in form. lib.* quo agitur *ex subst. it. in vers. ac fideicommissum, nu. 8.*

DEFINITIO XXVI.

Hæres grauatus, cui fideicommissum à suo testatore restitui debuit, non prohibetur agere contra cohæredes pro eorum portionibus, nec rursus deducere fideicommissum, aduersus fideicommissarium.

PAter rogatus hæreditatem restituere liberis suis masculis ex testamentis auorum, qui bona sua omnia in familia, quamdiu vel vnus masculus superesset, conseruari iusserant, ea bona omnia inter liberos suos longe aliter diuiserat, quasi de suo tantum patrimonio testatus, nulla antiquiorum fideicommissorum habita ratione: sed hoc tamen adiecto fideicommisso, vt ad vltimum superstitem bona omnia peruenirent. Cum defuncti omnes essent vno excepto, qui & ipse rogatus de restituenda post mortem suam hæreditate proponebatur, nouissimi huius postea mortui hæredes petebant, vt prius subductis antiquioribus fideicommissis, posterioris ratio poneretur. Contra vero fideicommissarius vltimus contendebat, nihil de antiquioribus fideicommissis amplius quæri posse, sed perinde omnia constituenda, ac si solius vltimi testatoris voluntas extaret, propterea quod tatam eam habuerant liberi qui ex auorum testamentis fideicommissum petere potuissent. [2] Placebat, tametsi à prioribus testamentis recessum videretur, quod ad priores substitutiones fideicommissarias attineret, [3] in eo tamen quod ad vltimum superstitem bona omnia peruenire debuerunt, non posse

BIU Cujas

videri abrogata priora testamenta, quibus postremum conueniret. Nec ad rem pertinere, si quis obiiceret vnam eandemque rem nō debere diuerso iure censeri.[4] Tot enim hic res sunt, quot substitutiones, id est, quot gradus substitutionum.[5] Neque nouum est, vt dispositio posterior, quæ priorem confirmat, ex priore accipiat interpretationem.[6] *Ita tractabatur* in causa hæredum N. Vrbani du Pont. D. de Myans. *Sine die.*

1 Et recte, quia fideicommissa antiqua semper deducenda sunt, velut æris alieni loco. *l. cum pater*, 77. §. *Titio fratri antep. de legat. 2. leg. in imponenda*, 6. *l. irritum*, 8. *C. ad leg. falcid.* Nec sane fideicommisso hæreditatis, quantumlibet vniuersali, aliud contineri potest, quam quod fuit hæreditatis, *l. in fideicommissariam*, 8. *D. hoc tit.* non etiam quod hæres grauatus aliunde habuit, *l. coheredi*, 41. §. *cum filia, de vulg. & pupill. subst.* De quo vide quæ pluribus tractat Illustriss. D. Mantica, *lib. 7. de coniect. vltim. volunt. cap.* 8. per totum, maxime vero & in specie, *numero* 16.

2 *Argum.* eorum quæ tradit Cephal. *cons.* 272. *num.* 143. post Lauren. Calcan. *cons.* 56. *nu.* 18. quo filius grauatus de restituenda hæreditate intelligitur grauatus de restituenda quoque legitima si patris hæreditatem pure adierit, nec de onere vnquam conquestus sit. Sed sententia illa falsa est & bene confutata ab Illustriss. D. Mantic. vbi supra, nisi eo casu, quo prælegata aliqua filio relicta sint ea lege, ne legitimam detraheret, isque prælegata agnouerit, *ibid. num.* 11.

3 Quatenus testator de bonis fideicommisso subiectis pro arbitrio disposuerat in fauorem aliorum, quam ad quos debuerant ea bona peruenire. Quanquam non erat recta hæc ratio, quia fideicommissarius institutus ab hærede grauato, si non institutus sit animo compensandi, non prohibetur fideicommissum petere à cohæredibus pro eorum portionibus, *l. Lucius Titius* 124. *in princip. de leg.* 1. Illustriss. Mantic. *libr. 9. de Coniect. vltim. vol. tit 6. num.* 10. Numquam enim institutio intelligitur facta animo compensandi. Idem Mantic. *lib. 4. tit. 3. nu. 33.*

4 *Vulg. l. eum qui ades*, 23. *D. de vsucap.*

5 Ita vt sublato vno gradu cæteri non minus salui remaneant, *l. cum in testamento*, 17. *D. de hæred instit. l. si posthumus*, 14. *in princ. & §. quod vulgo, de liber. & posth.*

6 *Arg. l. non est nouum*, 26. *cum duab. seqq. D. de legib.*

DEFINITIO XXVII.

Fideicommissarius, qui in possessione est, sine vitio legitimus contradictor est, non contra hæredem ad impediendam detractionem, sed contra hæredis creditores.

IN possessione repertus fideicommissarius etiam sine vitio non est legitimus contradictor, aduersus eum, qui detractiones ex fideicommisso facere potest,[1] sed non idem est si is agat, qui obligatum habet hæredem, cuius esset facere detractiones, siue personam tantum hæredis obligatam habeat,[2] siue omnia etiam ipsius bona,[3] sed cessione opus est.[4] Ita *tractabam* in causa N. Francisci de Bellegarde, & D. de Carde. *Sine die.*

1 Boer. late *decis.* 156. vbi vide. Esset tamen fideicommissarius legitimus contradictor, si esset in possessione sine vitio, nec detractio vlla ex fideicommisso facienda esset, *l. filiam fratribus* 56. vbi Bart. *D. hoc tit.* [Not. Dec. & alij *ad l. vltim. C. de edict. D. Hadr. toll.* Hoc autem intellige non tantùm de fideicommissario qui rerum hæreditariarum possessionem sine vllo hæredis facto acceperit, sed etiam de eo cui hæres ipse qui quartam retinere poterat, totam hæreditatem sine vlla retentione per facti errorem restituerit. Nam & hoc casu comperit hæredi condictio incerti, *l. quod si nulla* 60. *de leg.* 1. *l. hæres* 21. *D. ad SC. Trebell.* vbi proculdubio legendum est addita negatione *similem non esse Aristo ait*, vt scripsi in Chiliade *De error. pragmat.* Nam qui retentiones quas solas habent omittunt nullo alio modo sibi consulere possunt, *l.* 14. §. 1. *commun. diu. l. si in area* 33. *de cond. indeb.* Sed & in secundo hærede hæc sententia locum habet, cùm tantumdem iuris habeat hæres secundus, quantùm primus in deducenda quarta: Sed hoc ita, si primo hæredi competierit ius deducendæ quartæ. Quid enim si bona ipsius omnia fuerint confiscata, ita vt ius illud quartæ deducendæ translatum fuerit in fiscum, vt in *l. Seatius* 48. §. 1. *& l. seq.* iunct. *l. quod placuit* 37. *D. de iur. fisc.* Non habebit secundus hæres ius deducendæ quartæ quod primus hæres ante diem fideicommissi cedentem amiserit, proinde retentionem aut actionem vllam eo nomine, nec etiam à fisco ius habeat. *Ita Senatus* in causa de qua in *Desis.* 29. *inf.*]

2 Qui casus minorem habet dubitationem.

3 Quamuis eo nomine iura quoque contineantur, *l. nomen* 4. *C. quæ res pign. oblig. poss.*

4 Quia personalia iura non transeunt sine cessione, *l. possessio*, 49. §. *vlt. D. de acquir. poss.*

DEFINITIO XXVIII.

Prælegata an & quando veniant in restitutionem fideicommissi vniuersalis?

PEr sæpe quæritur, an prælegata vni ex cohæredibus relicta veniant in fideicommissum? Et magis cōmuniter probatum est non venire, siue hæreditatem, siue partem hæreditatis, siue portionem suam hæreditariam restituere rogatus quis proponatur: quoniam hæreditatis, aut hæreditariæ portionis appellatione certum est, neque legata neque fideicommissa contineri,[1] sed hoc ita, si nulla voluntatis coniectura contrariam interpretationem suadeat,[2] cum in fideicommissis potiorem voluntatis, quam verborum rationem habendam esse placeat.[3] Coniecturæ autem potissimum hæ adferuntur, si prælegata ex ordine scripturæ prius relicta sint, quam iniunctum fuerit onus fideicommissi,[4] item si data sint prælegata extraneo, qui partem suam hæreditariam filio testatoris, eidemque cohæredi suo restituere iussus sit,[5] aut si prælegata, quod plerumque fit, maiorem hæreditatis partem absorbeant.[6] Aut denique si non vniuersaliter substitutio facta sit, sed in aliis omnibus bonis, de quibus nondum quicquam est dispositum à testatore.[7] Sed si pro vulgari notariorum more verba illa proponantur institutioni, quam substitutio sequatur, non idem probandum est, cum substitutio censeatur quid diuersum & separatum ab institutione,[8] tametsi ab ea soleat recipere interpretationem.[8] De illo plane dubitat nemo, quin prælegata in restitutionem venire debeant, si testator iusserit suam substantiam, vel suum patrimonium restitui ab hærede. Si quidem horum verborum longe latior appellatio est, vt quicquid quocumque titulo relictum sit, comprehendat.[10] Sicut è contrario certissimi iuris est, non debere restitui prælegata, siue is, qui restituere rogatus est, fuerit prohibitus alienare fauore cohæredum,[11] siue prælegatum ita fuerit relictum quasi tale quid, quod debeatur.[12] Nimirum si aliunde appareat, reuera debitum fuisse, alioqui cæterorum prælegatorum causam & exemplum sequetur.[13] Quid verò si pater, qui plures habebat liberos post legata cæteris omnibus data etiam nouissimo aliquid prælegauerit, quem postea hæredem ex asse instituat, rogetque de restituenda extraneo hæreditate, si absque liberis moriatur? An cum hæreditate prælegatum petet fideicommissarius, existente quandoque conditione fideicommissi? Minime vero. Necenim dubitari potest, quin hoc casu prælegatum sit filio ea mente, vt haberet id præcipuum non in diuisione hæreditatis, quæ tota & ex asse ei relinquebatur, sed in restitutione.[14] Cum alioqui frustra ei iure prælegati datum esset, quod æquè habiturus fuerat, tanquam hæres,[15] quodque sufficiebat aliis fratribus datum non fuisse, vt in hæreditate inueniretur.[16] Putarat enim prudens pater ita prospiciendum esse huic filio, quem præcipuo amore prosequebatur,[17] vt si quando fideicommissi conditionem existere contingeret, atque ita totius hæreditatis restitutionem fieri oporteret, tamen

haberet hic filius id saltem suo hæredi saluum,[18] quod non tam hæreditatis quam prælegati titulo accepisset,[19] ne aliter eueniret, vt, quantum ad legata pertineret, minus iuris haberet ille ex filiis, quem pater magis dilexisset.[20] Ita sæpius in Senatu partim pronunciatum partim tractatum est.

1 *L. 3 §. quidam liberis, l. in fideicommissaria,* 18. §. *vlt. D. hoc tit. l. si Titius ex parte,* 96. *de leg.* 3.

2 Ruin. *cons.* 120. *nu.* 15. *vol.* 3. quem refert & sequitur Illust. Mantic. *lib.* 7. *de Coniect. vlt. vol. tit.* 7. *nu.* 3. *in fin.*

3 *L. hæredes mei,* 57. §. *cum ita, D. hoc tit. l. cum virum,* 16. *C. de fideic.*

4 Bart. *in d.* §. *quidam liberis,* cuius opinionem magis communem esse creditur, licet Socin. iun., & alij plerique dissentiant, quos refert Mantic. *vbi supr. numer.* 1. *versic. ego autem reperio.*

5 Bart. *ad l. liberto.* §. *filium, per ill. text. de ann. legat.* Rip. *in dict.* §. *cum ita, num.* 44. vbi dicit communem Mantic. *vbi supr. num.* 4.

6 Bart. *in d.* § *quidam,* & alij quos refert & sequitur Mantic. *ibid. num.* 9.

7 Idem Bart. *in dict.* §. *quidam, numer.* 11. Fulgos. *consil.* 99. *num.* 2.

8 *L.* 3. §. *filius,* & ibi Bart *De liber. & posth.* Alex. *cons.* 25. *nu.* 12. *vol.* 1. Mantic. *vbi* 5. *num.* 8. * Vide Ferrer. *in nouis addit.* ad Guid. Pap. *quæst.* 303.

9 *L.* 1. *C. de impub. & aliis substit.*

10 Ruin. *d. cons.* 20. *num.* 8. 9. & 10. quem contra Decium defendit Mantic *ibid. nu* 3. *ante fin.*

11 *L. Lucius* 78. § *pluribus,* & ibi Bart *D. hoc tit.*

12 *d. l. Lucius,* § *maritus, & in l. cum hæres deductis legatis, eod.* Mantic. *vbi supr. nu* 12 & 13.

13 *L. qui vxori* 18. *in princ. &* §. 1. *de aur. & arg. leg.* Bart. *in d.* §. *maritus l. Aurelius,* 28. § *vlt. de liber. legat.*

14 Cui nihil tam contrarium est, quam retentio & prælegatum, vt tractat Gouean. *ad l. Titia,* 86. *D. ad leg. Falcid.*

15 Et ideo dicimus neque legari neque prælegari quicquam posse ei, qui solus hæres est, quia & à semetipso inutiliter legaretur, *d. & quidem totum,* 18. *cum l. præcedent. l. legatum,* 116 §. 1. *de leg.* 1.

16 *d. l legatum, in princip.*

17 Præsumitur enim magis dilectus is, qui ex toto asse fuit institutus. *l. Sepronius,* 47. *l. Titia* 34. §. *qui inuita de legat.* 2.

18 Scilicet ex voluntate testatoris. Nam deductio Trebellianicæ fit contra voluntatem, *d. l Titia in fin.*

19 Ad quid enim delibandum erat hoc prælegatum ex hæreditate, & relinquendum hæredi vniuersali, nisi vt delibaretur ex fideicommisso?

20 Hoc vero sane absurdum esset, vt magis grauatus esset ille, qui magis dilectus fuisset, *dict. l. Sempronius, &* §. *qui inuita.* Estque hæc præcipua & fere perpetua coniectura in vltimarum voluntatum interpretatione, *l. Publius,* 76. §. 1. *vbi not. de cond. & demonstr.* Et quamuis hoc casu prælegatum sit nullum, quod hæredi ex asse a semetipso relictum est, *d. l. & quidem totum, & d. l. legatum,* 116. §. 1. *de legat.* 1. nihil tamen vetat, etiam ex actu nullo colligi voluntatem, *l. vlt. D. de rebus eor. qui sub tutel. l. licet transferam* 20. *D. de adim. legat.*

DEFINITIO XXIX.

De fideicommissaria hæreditate, quam fiscus quasi sibi acquisitam restituit, & quartam detraxit, cùm ad alium & hæreditas & quarta pertineret.

SI hæredis de restituenda, post mortem suam hæreditate rogati bona, siue ex delicti alicuius grauioris,[1] siue ex contumaciæ tantum causa[2] ad fiscum peruenerint, nulla quidem interim quamdiu hæres viuit, persecutio fideicommissi competit, cùm possit fideicommissarius ante diem cedentem mori,[3] nec proinde nisi præmaturè ac nimia festinatione contra ius gētium[4] de vlla quartæ retentione inter fiscum & fideicommissarium tractari potest.[5] Sed si postea viuo fideicommissario dies fideicommissi cesserit, non eo quidem magis erit fiscus hæres condemnati.[6] Præsertim si bona tantum ei adempta fuerint, non etiam deportationis[7] quæ ciuitatem adimat,[8] pœna irrogata (sola namque deportatio illa est, quæ ius omne habendi hæredis adimit.[9]) Sed tamen quod ad bona publicata pertinet, erit loco heredis, idemque ius habebit, siue vnius siue duplicis quartæ deducendæ, quod haberet grauatus heres si confiscatio non interueniisset.[10] Ergo si post factam bona fide transactionē inter fiscum & fideicommissum alius superuenerit, qui & confiscationem reuocatam[11] & se heredem esse probet, nocebit ei transactio, cùm nihil imputari fideicōmissario possit, cur cum fisco contraxerit, qui eo tempore veri heredis loco esse credebatur.[12] Maxime autem si is qui se nunc heredem dicit iam tùm cùm trāsigebatur, id ipsum ius habuisse proponatur, & siue per incuriam, siue fraudulenta, & dolosa dissimulatione tacuisse.[13] Cæterū nocebit ei hactenus, vt quod fisco pro quarta datum fuerat heredi in eandem quartam imputetur.[14] At non etiam, vt quicquam amplius petere heres prohibeatur, si minùs ad fiscum pro quartæ peruenerit, quàm ex iuris ratione deberetur. Satis enim est indemnem seruari fideicommissarium, ne obsit ei quod cum falso herede transegerit,[15] non etiam lucrum sentire, vt quod fisco non præstitit, hoc saltem heredi vero præstare teneatur.[16] Idem est si is qui postea apparet non sit heres rogati, sed à fisco ipso ex propria transactione ius quartæ deducendæ habere comperiatur.[17] Tanto magis enim nocere illi debet, quod à fisco gestum est, à quo ipse ius habeat posterius.[18] Aut si anterius, eo saltem casu quo posterior transactio inter fiscum & fideicommissarium facta cum priore consentiat, nec onerosior sit ei qui prior in ius fisci quod ad quartam deducendam successerat.[19] *Ita Senatus* in causa perillustris D. Baronis de Cardé & de Caramagne, & Dominorum de Monmayeur 13. Calend. Octobr. 1612. Senatusconsulto non obstantibus feriis pronunciato ex specialibus in eam rem literis & mandato Principis.

1 Sunt enim grauiora delicta quæ deportationis pœnam irrogant *tot tit. de interd. & releg. l.* 2. *l. capitalium* 28. *D. de pœn.*

2 Putat si reus iussus sit venire sub comminatione pœnæ confiscationis, & ea comminatio postea commutata sit in rem iudicatam, alioqui non haberet vim rei iudicatæ, *tit. Cod. comm in epist. progr. vim rei iud. non haber.*

3 *L. Statius Florus* 48. §. 1. *D. de iur. fisc.*

4 Vt loquitur *l. donari* 29. §. *donationem, D. de donat. l.* 2. *in fin. D. de his quæ vt ind. gn. l.* 1. § *si impubere. D. de coll. bonor.*

5 *L. vlt. C. de pact.*

6 Non enim fiscus est heres cùm succedit ex delicto, sed potius cùm succedit in bonis vacantibus *l. recusare* 6. § *si fisco D. hoc tit.* Tiraq. *in tract. le mort saisit le vif.*

7 Possunt enim bona adimi etiam citra deportationem *l. vlt. ad leg. Iul. de vi priuat.*

8 Hic enim effectus est deportationis *d. l.* 2. *sunt quidam* 17. *D. de pœn.*

9 Quia inter iura ciuitatis, est quæ adimit ius habendi heredis *d. l. sunt quidā, l. relegatus* 14. *& seq. de interd. releg.* iunct. *l.* 3. *D. qui testam. fac. poss. l.* 1. §. *hi quibus, de legat.* 3.

10 *L. cùm tacitum* 49 *D. de iur. fisc.*

11 Potest enim hoc fieri *tot. tit. de sent. pass. & restit. D. & C.*

12 Est enim hoc fere perpetuum & generale, vt quæ bona fide gesta sunt etiam ab eo qui nullum ius habuit rata manere debeant *l quoties* 44. *D. de acquir. hered. l. si non expedierit* 6. §. 1. *de reb. author. iud. poss. fidia* 88. *de solut. l. si fideiussor* 29. *in prin. &* §. 1. *&* 2. *D. mandat.*

13 Imputandum enim est ei, qui negligentior fuit in iure suo persequendo & sua dissimulatione alium decepit *dict. l. si fideiussor.* § *si cùm debitor, l.* 4. §. *quæsitum est* 12. *D. de doli except.*

14 Ne alioqui cogatur fideicommissarius eandem quartam duobus in solidum soluere quod esset absurdum, cùm non magis duobus deberi in solidum possit quàm illud fieri vt duo sint heredes in solidum, *l. quod contra* 141. §. 1. *de regul. iur.*

15 Quia scilicet transegit bona fide, *l. vltim. D. de transactionib.*

16 Nec enim liberari potuit ab eo qui nullum ius habuit

BIU Cujas

supra id quod ei bona fide soluit. Et facilius est vt quis solutionem accipiendo haberet alienum debitorem quàm paciscendo *l. pactum 22. vbi not. C. de pact.*

16 Nam & fiscus vt alius priuatus quilibet ius suum transferre in alium potest, *l. res quæ 22. in pr. & §. 1. D. de iur. fisc.*

18 Nemo enim plus iuris habere potest, quàm is à quo causam habet *vulg. l. nemo plus iuris 54. l. nemo plus commodi 120 l. aliud est 160. §. vlt. l. in his 175. §. 1. de reg. iur.*

19 *Arg. l. 3. §. 1. & 2 l. controuersia 14. D. de transact.*]

TIT. XXVIII.

AD LEG. FALCID.

DEFINITIO I.

De differentia donationum causa mortis, & donationum inter coniuges, cum de Falcidia disputatur.

ET si donationibus siue mortis causa, siue inter virum & vxorem factis commune illud est, quod donatoris morte confirmantur,[1] separandæ tamen sunt, cum de Falcidia ex iis deducenda disputatur. Nam ex donationibus causa mortis omnimodo & indistincte deducitur,[2] non solum si in testamento aut in codicillis factæ sint,[3] sed etiamsi extra speciem vltimæ voluntatis.[4] At donationum inter coniuges alia ratio est, qui non mortis causa fiunt, sed inter viuos,[5] nec adeo inutiliter, quin ad id tempus retrotrahantur, quo factæ sunt, siue silentio, siue speciali voluntate confirmentur, dummodo sint insinuatæ.[6] Nec obstat, quod similiter donationes causa mortis, vt Papinianus dicebat, ad id etiam tempus reducuntur, quo sunt interpositæ.[7] Retrotrahantur enim, sed ita vt valeant iure donationum causa mortis.[8] Eæ vero, quæ inter coniuges factæ sunt, ita retrotrahuntur vt valeant iure donationum inter viuos,[9] nisi cum in vltima voluntate factæ sunt. Itaque quod ante Iustiniani constitutionem erat generale, vt ex donationibus inter virum & vxorē falcidia deduceretur,[10] cœpit ad eas donationes pertinere, & coarctari debere, quæ in vltima voluntate factæ essent.[11] Nemo enim dixerit ex donationibus inter viuos falcidiam deduci posse,[12] non magis quam ex iis, quas parentes in liberos contulerint, quarum Iustinianus eandem rationem esse voluit, quæ est donationum inter virum & vxorem.[13] Quod autem Papinianus de iis mortis causa donationibus loquebatur,[14] quæ inter coniuges factæ essent, non eo pertinebat, vt in mortis causa donationibus inter alios factis aliud sensisse videretur,[15] sed quia in iis maior dubitandi ratio subesset, quando si simpliciter factæ fuissent Papiniani temporibus non retrotrahebantur.[16] In eoque nimirum fecit Iustinianus ius nouum,[17] vt proinde nihil hodie interfit hac parte, an donatio inter virū & vxorem mortis causa facta sit, dummodo extra testamentum vel codicillos,[18] an simpliciter.[19] Vtroque enim casu retrotrahitur.[20] Sed quod ad falcidiam pertinet, multum interest, quoniam perpetuo & indistincte verum est, falcidiam deduci ex donationibus causa mortis, siue inter coniuges; siue inter alios factæ sint, & siue in vltima voluntate, siue extra vltimam voluntatem.[21] Numquā autem ex donationibus inter viuos.[22] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise, viduæ Illustris Dn. Joannis, Comitis de la Chambre, 4. Id. April. 1593.

1 *L. non videtur 32. & pass. D. de mort. caus. donat. l. cum hic status 32. & pass. D. de donat. int. vir. & vxor.* quamuis nostri soleant distinguere inter donationes rerum & verborum, *ex leg. Papinianus 23. eod. tit.* de cuius sententia & emendatione vide quæ contra scripsi *lib. 2. Coniect. cap. 7.*

2 *L. si mortis causa 5. l. pen. C. hoc tit. l. 2. in fi. C. de mort. caus. donat. l. cum pater, 77. §. mater, & §. Mœuio, de legat. 2.*

3 Postquam nostris placuit, etiam in testamento fieri posse donationem causa mortis, quod nos improbauimus in Hemichiliade, *De err. pragmat.*

4 Leges enim supra citatæ loquuntur generaliter, ac proinde sunt generaliter intelligendæ, *l. de pretio 8. de publician. in rem action. l. in fraudem, 15. in fin. D. de test. milit. l. 1. §. generaliter, D. de legat. præst.*

5 *L. si eum 9. §. vlt. & l. seq. D. de donat. int. vir. & vx.*

6 Texus est *in l. donationes quas parentes, 24. Cod. de donat. int. vir. & vxor.*

7 *In l. si mortis causa, 40. D. de mort. caus. donat.*

8 Nec enim retroactio illa immutat naturam & substantiam donationis.

9 Et ob id nimirum exigunt insinuationem, *d. l. donationes*, quæ in vltimis voluntatibus non exigitur, *l. vltim. C. de mort. caus. donat.*

10 Tanquam quæ fideicommissi partibus fungerentur, vt scriptum est *in l. donationibus 12. C. hoc tit.* scilicet post orationem Seueri, de qua *in dict. l. cum hic status, 32. in princip. & §. 1. D. de donat. int. vir. & vxor. l. quod bonis, 15. §. ex donationibus, D. eod.*

11 Quæ solæ instar legatorum & fideicommissorum hodie obtinent Iustiniani constitutionem, *in l. donationes, 24. C. de donat. int. vir. & vxor.*

12 *Lege vbi ita donatur, 27. l. pen §. vltim. D. de mort. caus. donat.*

13 *In d. l. donationes.*

14 *In d. l. si mortis, 40. D. de mort. caus. donat.*

15 Quamuis dici soleat inclusionem vnius esse exclusionem alterius, *l. cum prætor, 12. D. de iudic.*

16 Sed valebant ex die tantum mortis, *d. l. cum hic status, & pass. ill. tit.*

17 *In d. l. donationes 24. C. de donat. int. vir. & vxor.*

18 Quia quæ fit testamento vel in codicillis nunquam retrotrahitur, cum vltimæ voluntates non confirmentur per legem nisi ex die mortis, *l. 4. de adim. legat. d. l. cum hic status §. pœnitentiam.*

19 Id est, non mortis causa.

20 *Post d. l. donationes.*

21 Nempe quia donationes causa mortis omni casu censentur iure vltimarum voluntatum, & ad exemplum legatorum capiuntur, *dict. l. vltim. Cod de mort. caus. donat. l. Marcellus. 15. l. eis. debitor, 17. l. illud, 37. D. eod. l. 2. D. de public. in rem act.*

22 *dict. l. vbi ita donatur, & dict. l. pen. §. vltim. D. de mort. caus. donat.* Nam nec aliam ob causam inducta est lex falcidia, quam ne vltimæ voluntates destituerentur, *Instit. de leg. Falcid.*

[DEFINITIO II.

QVod à Iustiniano constitutum est, vt esset falcidia in legatis quæ ad pias causa relicta sunt, tum quoque locum habet cùm liberi testatoris sunt instituti. Est enim generalis constitutio quæ sicut distinctionem nullam adhibet, ita indistincte est intelligenda.[1] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 29. sup. de testam.

1 *Auth similiter, C. hoc tit.* & in corpore vnde sumitur.

2 *L. 3. §. & generaliter de legat. præst. l. de pretio 8. D. de publician in rem act.*]

TIT. XXIX.

DE HIS QVI ANT. apert. tabul.

DEFINITIO I.

Descendentium hæreditates non agnitæ non transmittuntur ad ascendentes, sed contra ascendentium ad descendentes.

Nos

BIU Cujas

NOn quemadmodum in descẽdentibus receptum est & constitutum, vt ascendentiũ hæreditates transmittant ad descendẽtes, adeoq; interdum quoscumq; hæredes, quamuis extraneos.[1] Ita ex cõtrario in ascendentibus admitti potest, vt iis ignorantibus descendentium hæreditates acquirantur.[2] An quod transmissio non agnitæ hæreditatis fiat sola potestate suitatis, quæ in ascendentibus nulla est? Ita plerique existimant,[3] sed male, quoniam & emancipati, qui non sunt in potestate, idem priuilegium habent,[4] & ad maternas non minus, quam ad paternas hereditates id ius pertinet,[5] cum tamen certum sit fœminas suos hæredes non habere.[6] Illa igitur diuersitatis ratio probabilior afferri potest, quod descendentibus hæreditates ascendentium debeantur iure naturæ, descendentium vero ascendentibus, non tam iure naturæ, quã intuitu pietatis & miserationis.[7] Ergo nec sufficiet, quod præmortui filij siue testati siue intestati hæreditatem sibi delatam adire mater voluerit, nisi etiam adierit.[8] Maxime vero si quid fuerit propter quod nec volens potuerit adire, puta si de iure testamenti dubitabat, & an sibi delata esset ex testamento, aut ab intestato hæreditas, ignorabat.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 16. sup. De impub. & aliis substit.

1 *L. vnic. C. hoc tit. l. apud hostes, 8. C. de suis & legit.* nimirum cùm agitur de paterna hereditate, quam suus hæres transmittit ad quoscumque *d. l. apud hostes.*

2 Quamuis dici soleat, non minus deberi parentibus hæreditates liberorum turbato ordine mortalitatis, quam parentum liberis, *l. nam etsi, 15. D. de inoff. testam.*

3 Alex. *cons. 20. lib. 1.*

4 Vt constat ex verbis, *d. l. vnic. C. hoc tit.*

5 Quia constitutio Theodosij, *in d. l. vnic.* loquitur de omnium ascendentium hæreditatibus. Vt scilicet transmittuntur ad descendentes, non ad quoscumque.

6 *L. mulierem 5. C. de adopt. §. fœmina, Instit. eod. l. illud 4. §. ad testamenta, D. de bonor. poss. contr. tab.*

7 *L. scripto 7. §. vltim. D. si tabul. test. null. extab. vnd. liber.* iunct. *d. l. nam etsi, in princip. l. iure succursum 6. D. de iur. dot.*

8 Nemo enim ex sola adeundi voluntate fit hæres, nisi adierit, quamuis nuda etiam voluntate adire quis possit, *§. vlt. Inst. de hæred qualit. & differ. l. si auia 6. C. de iur. delib.* Aliud enim est dicere, *volo adire*, quod qui dicit nondum adiit, aliud vero dicere, *volo hæres esse*, quod qui vult, hoc ipso fit hæres, etiam si nihil attingat hæreditarium.

9 Qui enim dubitat de iure testamenti, aut aliter incertus est de iure suo, non potest adire, tametsi maxime velit, *l. is qui putat 15. cum seqq. l. in repudianda 23. l. hæres institutus 32. & seqq. l. cum falsum 46. D. de acquir. hæred.*

DEFINITIO II.

Fideicommissum conditionale non transmittitur ante euentum conditionis, ne quidem ad descendentes.

FIdeicommissum conditionale licet à fratre fratri relictum sit,[1] non transmittitur ad hæredes, ne liberos quidem, si fideicommissarius ante conditionis euentum decesserit.[2] Quia nec vllum esse intelligitur ante euentum conditionis.[3] *Ita Senatus* in publico auditorio, Cal. Jul. 1595.

1 Inter quos non habet locum Theodosij constitutio, quę de solis ascendentibus loquitur, vt diximus Defin. præced. Sed nec si ab ascendente relictum sit fideicommissum, conditionale transmittetur tamen ad descendentes, quia eius dies nõ cessit, & in eo locum perinde habet ratio, quę sequitur in Definit. quod fideicommissum conditionale ante conditionis euentum sit nullum, *l. 4. & 5. & pass. D. quand dies leg. ced.* Quod autem nullum est, non fit transmissibile, quia non entis nullæ sunt qualitates, *vulg. l. eius qui in prouincia 41. D. de rebus credit.* Qua ratione soleo impugnare, quod vulgo nostri iactant, fideicommissum conditionale interdum, & ex quibusdam coniecturis voluntatis posse fieri transmissibile. De quo scripsi fusissime in *Error. 3. Decad. 31. de error. pragmat.*

2 Gloss. communiter adprobata *in d. l. vnic. C. hoc tit.* licet aliter sentiat alia gloss. communiter reprobata, *in l. is cui 42. D. de oblig. & action.*

3 Cum fideicommissarius aut legatarius conditionalis, nullo modo sit creditor, ne quidem conditionalis pendente conditione, in quo differt à promissore conditionali, *d. l. is cui.* Scripsi *lib. 15. Coniect. cap. 6. & 7.*

TIT. XXX.

QVAND. DIES LEGAT. vel fideic. ced.

DEFINITIO I.

Fideicommissum relictum sub conditione mortis, si sine liberis, non debetur ante mortem licet neque liberi vlli sint, neque spes vlla liberorum.

MVlier hereditatem restituere rogata si sine liberis moreretur, non potest ante mortem conueniri, vt fideicommissum restituat,[1] nec si in ea ætate iam sit, vt liberos concipere amplius nõ possit:[2] quoniam non sub ea tantum conditione, si liberos non haberet, sed in tempus quoque mortis, atque ita in diem incertum, qui pro alia conditione est,[3] rogata proponitur.[4] Fieri vero potest, vt fideicommissario ante cedentem fideicommissi diem, id est, ante ipsam morientem fideicommissum intercidat.[5] *Ita Senatus* in causa D. Prioris de Lemens, & Ioannis Charriere, 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Quamuis possit, si velit fideicommissum restituere ante mortem, *l. post mortem 12. C. de fideicomm. l. patrem 19. D. quæ in fraud. credit.*

2 Quo casu videtur conditio exitura omnimodo, ideoque exinde habenda pro pura, *l. quod si ea conditione 18. D. de condict. indeb. l. si pupillus 9. § qui sub conditione, D. de neuat.*

3 Cum dies incertus pro conditione habeatur, maxime in testamentis, *l. dies incertus 75. de condit & demonstr.* iunct. *l. 1. §. dies autem, eod. tit. l. talis scriptura 30. § sed etsi sub conditione, l. si cui legetur 49. de leg. 1.*

4 Itaque duplex hoc casu conditio est coniunctim adscripta, aut saltem vnica quidem conditio, sed duas habens partes coniunctim adscriptas, *vt in l. hæc scriptura 26. de condit. & demonstr.* quo casu vtramque conditionem, siue vtramque conditionis partem impleri oportet, *l. si heredi plures 5. D. de cond. instit.* iunct. *l. cum pupillus 78. §. 1. de condit & demonstr.*

5 *L. Statius Florus 48 §. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.*

TIT. XXXI.

VT IN POSS. LEGAT. VEL fideic. seru. caus.

DEFINITIO I.

Cautio legatorum vel fideicommissorum nomine præstanda remitti potest à testatore, quocunque indicio voluntatis, & quando remissa intelligatur.

QVanquam ea cautio, quæ legatorum vel fideicommissorum in diem, aut sub conditione relictorum nomine ab hærede præstanda est, quocunque voluntatis indicio per testatorem remitti potest,[1] ac multo magis per eum, cuius commodo præstanda fuit,[2] non tamen ex eo solo remissa intelligi debet,

quod testator ab hærede rationem exigi prohibuerit. Aliud enim est, non interponendæ cautionis legem adscribere, aliud vero rationi non exigendæ modum adhibere,[3] cum hoc casu culpa dumtaxat, non etiam dolus remissus videatur.[4] Plus igitur est cautionem remittere, quam reddendæ rationis necessitatem.[5] Nam semel remissa hæc cautio, siue ex testatoris, siue ex eius caueri debuit expressa tacitave voluntate, amplius peti nunquam potest, nec si hæres rē hæreditariam, suámq; male dilapidet.[6] Neque proinde locus est Imperatoris rescripto, quo constitutum fuit, vt quo casu interponi cautio nequeat, damnum cōditionis propter fraudem infligitur,[7] Cautio enim, quæ à testatore vel legatario, aut fideicōmissario remissa est, pro interposita potius, quam pro interponenda haberi debet.[8] Et consequēter ratio nulla est, vt legatū vel fideicommissum, quod non nisi in diem, aut sub conditione relictum fuit, ab hærede repræsentetur.[9] *Ita Senatus* 7. Cal. Iul. 1588.

1 *L. auia 77. §. vlt. D. de cond. & demonstr. l. 2. & penul. C. hoc tit. l. licet* 12. D. *vt leg. nom. cau.*

2 Quia licet vnicuique iuri suo renunciare, *l. pen. C. de pact.* & iuris sui persecutionem deteriorem facere, *l. pactum* 46. D. *eod. l. si iudex circumuento* 28. *D. de minor.*

3 Itaque locum hoc casu habet, quod dici solet, ex diuersis nihil inferri, *vulg. l. Papinianus* 20. *eod. tit. de minor.*

4 Ita eleganter Papinianus *in l. cum tale* 72. §. *quid ergo, D. de condict. & demonstr.*

5 In eo autem quod minus est, non potest id quod plus est contineri, Not. *in l. non debet cui* 21. *D. de reg. iur. l.* 1. §. *si stipulanti D. de verbor. oblig.*

6 *L. vlt.* vbi est text. elegans, D *vt legat. nom. caueat.*

7 *L. Imperator* 50. D *ad SC. Trebell.*

8 Vt dici solet de conditionibus, quæ per prætorem remittuntur, de quibus *in l. qua sub conditione* 8. *D. de cond. instit. l. facta* 63. § *si sub conditione, D. ad SC. Trebell.*

9 Cum ea repræsentatio non fit per prætorem introducta remedio missionis in possessionem, nisi in pœnam & odium nolentis cauere, *l. is cui* 5. *in princ. D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Potest cogi hæres, postulante fideicommissario, ad faciendum inuentarium rerum hæreditariarum, quamuis non ad rationes reddendas.

HÆres rogatus de hæreditate post mortem suam restituenda, etsi rationes reddere fideicommissario non cogitur,[1] compelli tamen potest fideicommissario postulante, vt rerum hæreditariarum inuentarium & descriptionem faciat,[2] ne in potestate hæredis sit pro arbitrio dilapidare res hæreditarias,[3] atq; fideicommissi restitutionem eludere. Præsertim cum hæredi nocere id non possit.[5] Qui si putat sua interesse, ne patrimonij secreta pandantur, petere potest, vt inuentarium illud secretum maneat, quomodo nostri loquūtur, id est, obsignatum sigillo iudicis, nec prius aperiatur, quam fideicommissi dies aut conditio venerit.[6] Nam & illud constat, huiusmodi inuentarium non, nisi quod ad hæredem & fideicommissarium pertinet, fidem facere, non etiam quod ad creditores & legatarios.[7] Sic dicimus patrem legitimum administratorem bonorum aduentitiorum filij, licet non cogatur administrationis suæ rationes reddere,[8] cogi tamen posse, vt inuentarium conficiat.[9] *Ita Senatus* in causa N. Petri Juge, & Francisci Juge procuratoris, Jdib. April. 1595.

1 Quia sibi non fideicommissario hæreditatem habet, nec fideicommissarij procurator est, *l. postulante* 44. §. *vltim. D. ad SC. Trebell.*

2 Vt sciri quandoque possit, quid venire debeat in restitutionem.

3 Quod esse non debet, *l. Imperator* 50. *eod. tit. ad SC. Treb.* ne tum quidem cum testator voluit, id tantum in restitutionem venire, quod ex hereditate supererit, vt in *l. Titius* 54. *eod. tit.*

4 Deficiente scilicet non tam iure quam probatione, quæ alioqui ex inuentario sumi posset, *l. chirographis* 57. *D. de admin tutor.*

5 Sine cuius dispendio id futurum est, *l. in creditore* 38. *in fin. D. de euict.*

6 Guid. Pap. *quæst.* 35. vbi vide.

7 Quos alioqui in eam rem vocari oporteret, vt fit in inuentario heredis ex beneficio, *l. vlt. C. de iur. deliber.*

8 *L. cum oportet* 6. §. *non autem hypothecam, Cod. de bon. quæ liber.*

9 Vt rerum probatio salua sit, not. *ad dict. §. non autem, ex l. vlt. C. arbitr. tutel. l. curent* 22. D. *de testib. l.* 1. §. *recte autem*, vbi Bald. & alij *D. de vsufr. quem. caueat.*

DEFINITIO III.

Cautio legatorum vel fideicommissorum nomine ita demum præstanda est, si petatur & pro bonis mobilibus aut iuribus legatis, non pro immobilibus.

FIdeicommissi quidem sub conditione vel in diem relicti nomine hæres cauere cogitur, si non ab ipso testatore satisdatio remissa sit.[1] Sed eam cautionem peti necesse est. Alioqui solo iudicis officio præstari non debet,[2] quia non aliter debita esse intelligitur, quam si petatur.[3] Nec ad rem pertinebit, quod fideicommissarius iuris ignorantia lapsus petierit, vt dato hereditati curatore, aliaue qua inepta ratione sibi consuleretur, cum heredis probitati aut industriæ diffideret. Sibi enim imputet, cur non petierit eam cautionem præstari, quam iure petere potuit.[4] Illud tamen obseruandum est, vix esse, vt heres onerari debeat satisdatione pro hereditariis bonis immobilibus, quippe quorum dilapidatio minus suspecta sit,[5] cum si male alienentur facilis & expedita futura sit eorum persecutio, aduersus quemcunque possessorem.[6] Sed pro bonis mobilibus itemque iis, quæ in iuribus & actionibus consistunt,[7] omnimodo caueri æquum est,[8] nec fideicommissario tantum vniuersali etiam singulatibus, sicut & legatariis omnibus.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. cum Artemidoram* 4. *& pass. C. hoc tit.*

2 *Argum l.* 4. §. *hoc autem iudicium, & ibi not. D. de damn. infect.*

3 *L.* 1. §. *non exigit prætor, vers. non tamen, D. hoc tit.*

4 Imputatur enim iis qui in iure errant quasi stultis, cum potuerint consulere peritiores, *l. regula* 9. §. 1. *D. de iur. & fact. ignor.*

5 Quomodo dicimus nec bonorum immobilium possessorem satisdare compellendum esse, *l. sciendum* 15. D. *qui satisd. cogunt.* [Repromissio tamen necessaria est tum quoque cum satisdandi necessitas remittitur, *l. si quando* 6. §. 1. *D. vt legat. nom. cau.*]

6 *Ex l. vlt. §. vlt. C. com. delegat.*

7 Quorum scilicet facilior vel occultatio, vel dilapidatio est.

8 Ex edicto prætoris, de quo *in tit. vt legat seu fideic. nomin. caueat.*

9 Ad conseruandam scilicet defuncti voluntatem, quæ in omni legatorum & fideicommissorum genere æque locum habet, *l.* 1. D. *eod. tit. vt legat seu fideicomm. seruand. causs. caueat.* Adeo vt etiam pro præsenti legato locum habeat hæc satisdatio, *l. etiam* 15. *in princ. eod.*

TIT. XXXII.

AD SC. TERTYLL.

DEFINITIO I.

Mater, quæ ob non petitum filio tutorem amittit omnem ipsius successionem, non tamen amittit legitimam.

LONGE

LONGE alia dissimilisque ratio est legitimæ successionis intestati, & eius portionis, quam vulgo legitimam, recentiores nō nulli distinctius legitimariā vocant,[1] quæ in bonis ascendentium debetur descendentibus, & contra.[2] Nam si pater impuberis ad secunda vota connolauerit, non petito impuberi tutore redditisque rationibus filij postmodum in pupillari ætate defuncti successionem ei auferendam esse constat, & quidem omnem, hoc est, siue ab intestato, siue ex substitutione deferatur.[3] Legitimariam nihilominus portionem consequi eam debere Senatus censuit,[4] quippe quæ non tam successionis, quam æris alieni loco sit,[5] cum si minus ordine, saltem iure naturæ,[6] & pietatis ac miserationis intuitu etiam ascendentibus debeatur:[7] satisque matris culpa in eo coërcetur, quod luctuosam filij impuberis amittit hæreditatem, quam alioqui ratio miserationis illi detulisset.[8] Ex quo apparet, non semper verum esse, quod nostri vulgo iactitant, à legitimariæ portionis petitione excludi, quisquis à legitima intestati successione excluditur,[9] licet verum sit, portionem hanc nihil aliud esse, quam trientem, vel pro numero liberorum semissem[10] amplioris portionis, quæ ab intestato contingeret, si ad intestati successionem vocaretur is, qui hac portiuncula contentus esse cogitur.[11] *Ita Senatus* contra N. de S. Real, 1588. Vide tit. De inof. test. Defin. 1.

1 Non confundamus portiunculam istam quæ nihil aliud est, quam portio portionis ab intestato contingentis cum portione ipsa per legem ab intestato contingente, quæ tamen non tam portio legitima dici solet, quam portio legitimæ successionis & hæreditatis, *l. lege obuenire* 130. *de verbor. signif.*

2 *L. pater filium* 14 *& l. seq. in princ. D. de inof. test.*

3 *L. omnem* 6. *C. hoc tit.*

4 Fauore scilicet legitimæ portionis, quæ dicitur debitum bonorum subsidium, & parentibus debetur in solatium amissi filij, *l. iure succursum* 6. *D. de iur. dot. l. vltim. C. de instit. & substit.*

5 Sic enim vulgo nostri ratiocinantur, quamquam iuris auctores ita loquuntur de ea tantum quarta, quæ adrogato debetur in bonis adrogatoris *l. Papinianus* 8 *§. si quis impubes, D. de inof. testam.* iunct. *l. si adrogatur* 22. *D. de adopt.*

6 *L. nam etsi* 15. *D. de inoff. testam.*

6 *L. scripto* 7. *§. vlt. D. vnd. liber. dict. l. iure succursum* 6. *de iur. dot.*

8 *d. l. vlt. C. de instit. & substit.*

9 Et tamen ex ratione iuris non potest negari, quin verissima sit ea propositio, cum legitima nihil aliud sit, quam portio portionis ab intestato contingentis *l. cum quæritur* 6. *l. quæ nuper.* 31. *Cod. de inof. testament. l. Papinianus*, 8. *§. si quis mortis, D. eod.*

10 Post Iustiniani *Nouell.* 18. *de trient. & semiss.*

11 *d. §. si quis mortis, & d. l. quæ nuper.* Contra hanc tamen Definitionem tenet Bald. *cons.* 140. *vol.* 1. Barbat. *cons.* 67. *vol.* 3. Gabriel. *in commun. opin. lib.* 6. *tit. de tutel.* Guil. Bened. licet in aliis terminis, in verb. *& uxorem nomine Adelasiam, à num.* 145. *vsque ad* 165.

DEFINITIO II.

Mater non succedit in bonis filiæ talliabilis, sed tamen debet saluam habere legitimam.

NOn dissimile est quod Senatus noster non semel pronunciauit, si homo dediticiæ conditionis, quem talliabilem appellant, sine liberis decesserit, superstite sola matre, ob idque vniuersa eius bona cuiusdam veluti peculij iure ad patronum feudique dominum ex consuetudinaria feudi conditione deuoluantur,[1] saluam tamen esse matri debere legitimam portionem,[2] licet à successionis vniuersitate in totum excindatur.[3] Quanquam si verum amamus nullam successionem reliquisse defunctus creditur, qui non magis ab intestato, quam ex testamento hæredem habere potuit.[4] Id enim est, quod dicere solemus huius conditionis homines ita viuere liberos, vt tamen serui mori videantur.[5] Neque verò distinguimus, an quæ bona defunctus reliquit, ideo ad dominum peruenerint, quod ab initio ea lege & conditione data essent, an quia, quantumuis per se libera, personæ tamen ius & conditionem sequantur.[6] Nam licet bona siue effecta, quæ talliabilia appellamus, feudalium naturam retinuisse, aut potius induisse videri possint,[7] in feudalibus vero nunquam succedant ascendentes:[8] pietatis tamen matri ius legitimariæ portionis conseruabimus, vt hoc saltem habeat in solatium amissi filij.[9] Æquitate nimirum id suadente, vel inuita iuris ratione, quæ sane potius facere deberet, vt quamuis ea portio æris alieni iure censeretur,[10] præferendus tamen esset dominus, qui & rei suæ quam initio voluisset legem dixisse,[11] & ex stipulatione siue expressa, siue consuetudinis potestate subintellecta, ius antiquius haberet.[12] Cum in contractibus generale sit, vt conditiones non potestatiuæ, sed casuales, vt appellant, vel mixtæ quandocunque existentes ad tempus contractus retrotrahantur, etiam in præiudicium iuris quod alteri medio tempore ex quacunque causa quæsitum proponatur.[13] *Ita Senatus* contra Dominam de Varax, Dominam sancti Petri de Socy, Dominum de Treisterue, & alias sæpius. *Sine die.*

1 Sic enim fert generalis totius Sabaudiæ consuetudo, vt si quis huius conditionis homo decesserit sine liberis & conditionibus, bona ipsis omnia ad feudi dominum deferantur.

2 Ratione illa, quam attulimus Defin. præced. quod non tam successionis, quam debiti naturalis iure legitima debeantur, *l. scimus*, 6. *§. vltim. C. de inoffic. testam. l. vltim. D. de bonis damnat.*

3 Cum mater neque sit ex liberis, neque ex conditionibus Et præterea certum est in feudalibus, nunquam succedere ascendentes, quia feuda non ascendunt, *cap.* 1. *de natur. & success. feud. lib.* 1. *in vsib. feudor.* Bona vero, quę nos talliabilia appellamus, videntur habere propriam & veram naturam feudalium, vt sequitur in Defin.

4 Non enim potest fieri, vt hæredem habeat is, qui nec habet vlla bona, nec habere potest, *l. lex Cornelia* 28. *vers. quiæ per eam non efficitur, D. de vulg. & pupil. substit.*

5 Vt de liberis Iunianis scriptum est, *in l. vnic. vers. quis enim patiatur, C. de Latin. libert. tollend. §. sed hæc de iis, Inst. de success. libert.*

6 Id est, non distinguimus, an ea talliabilitatis conditio, vt aiunt, fuerit conditio personæ, an bonorum.

7 Nam & feudalium ea natura est, vt moriente vasallo sine liberis debeant redire ad dominum, nisi feudo alia lex ab initio dicta sit, *Tit. de success. fratr. vel gradibus succed. in feud. tit.* 11. *lib.* 2. *& pass. in vsib. feudor.*

8 *Tit.* 8. *de success. feud. lib.* 1.

9 *Arg. l. iure succursum* 6. *de iur. dot.*

10 Quod tamen ita est, nisi cum loquimur de legitima debita adrogato in bonis adrogatoris, vt dixi *Defin. præced. nu.* 5. *in l. Papinianus* 8. *§. si impubes D. de inoff. testam.*

11 *L. in traditionibus* 48 *D. de pact. l. venditor* 13. *D. commun. præd. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vend.*

12 Qui autem antiquius ius habet is præferri solet *l.* 1. 2. *& pass. C. qui potior. in pign. hab. l. si quis mihi* 28. *D. de iur. fisc.*

13 *L. qui balneum* 9. *l. potior* 11. iunct. *l.* 1. *D. qui potior. in pign. habeant.*

TIT. XXXIII.

DE LEGIT. HERED.

DEFINITIO I.

Fratrum filij si soli & nullo concurrente patruo succedant, in capita succedunt, non in stirpes.

BIU Cujas

QVOD in fratrum filiis, de patrui hæreditate cum patruo superstite certantibus, nouo iure constitutum est, vt succedant illi ex parentum iure & gradu in stirpes, non in capita, adeoque licet aliquis superstit ascendentium, non similiter in iis obtinet, quod ad patrui successionem lex duodecim tabularũ solos vocat.[2] Ius enim repræsentationis, quod Iustinianea constitutione præter iuris regulas[3] singulari eorum priuilegio induci necesse fuit, vt licet vno atque altero etiam gradu remotiores cum proximioribus tamen concurrerent,[4] sicut ex proprio capite succedentibus necessarium non est:[5] ita certam successionis rationem, quam legitimis hereditatibus sola legis præscribit auctoritas,[6] cessantibus[7] præsertim verbis nouę constitutionis, frustra immutare non debuit.[8] *Ita Senatus* pro liberis Fráciſci de Prato, contra Vincentiam Louis viduam Antonij Falquet refer. D. Imperatore, 16. Februar. 1588.

1 Sic enim Iustinianus constituit *Nouell. 118. de hæred. ab intestat. venient. c. 3. si igitur defunctus.* Vnde sumpta est *Auth. cessante, C. hoc tit.* Intellige tamen de fratrum filiis qui sint ex fratre vtrimque coniuncto, alioqui neque cum patruo, neque cum ascendente concurrunt, vt ibidem scriptum est.

2 Id est, succedentes patruo sine alterius patrui concursu.

3 Nã ex iuris veteris ratione ius repræsentationis locũ non habebat nisi in descendentibus, inter quos habebat locum, & habet etiam hodie in infinitum, *§. cum filius, Instit. de hæred. quæ ab intest. defer.*

4 Non enim potuit Iustinianus facere, vt qui in tertio tantum gradu est sit æquæ proximus atque is, qui est in secundo, nec proinde vt posset simul succedere ab intestato, cum hæreditas ex lege 12. tab. proximo agnato deferatur, *l. 3. in princip. D. hoc tit.* Nisi inducto in eam rem iure repræsentationis, per quod fit vt qui reuera remotior est, succedat tamen ex iure & loco alterius proximioris, *l. 3. C. hoc tit.*

5 Est enim ius repræsentationis fictio iuris, quæ nunquam inducitur nisi ex necessitate.

6 Quæ fratrum filios solos succedentes vocat in capita non in stirpes, *d. l. 3. § hac hæreditas, D. de suis & legit.*

7 Non enim dat Iustinianus ius repræsentationis fratrum filiis nisi eo casu, quo concurrant cum patruo, *d. § si igitur de functo.* Et cum lex sit noua & correctoria iuris communis non est extendenda vltra suos limites, *l. sancimus 27. C. de test.*

8 Et hæc est communis nostrorum præsertim recentiorum opinio, contra quam amen vide quæ scripsi in Disputatione illa forensi, quam in publicum edidimus post tractatum nostrum *De variis nummar. debit. solut.*

DEFINITIO II.

In quo succedunt nepoti auia paterna & auia materna in bonis omnibus tam paternis quam maternis.

INter auias paternam maternamque de nepotis successione contendentes hæreditas ex æquo diuidi debet,[1] aut si alteram nepos ex asse instituerit, alteram ex nummo, debebitur huic legitimaria portio[2] in bonis omnibus nepotis, siue paterna illa sint siue materna, aut quæ aliunde obuenerint.[3] Nam vulgaris illa distinctio, *Paterna paternis, materna maternis*, hodie nouissima Iustiniani constitutione[5] abrogata est. Qui enim æquo gradu sunt æqualiter in omni eo quod est hæreditatis succedunt.[6] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Lancelor, & D. de la Bochardiere, 15. Calend. Decembr. 1581.

1 Quia sunt in eodem gradu succedendi *Nou 118. de hæred. ab intest. venient c. 2 § si igitur defunctus descendentes.*

2 Per conditionem *ex l. omnimodo 30. C. de inoff. testam. ad legitimæ supplementum.*

3 Cum legitima nihil aliud sit quam portio portionis ab intestato contingentis, *l. cum quæritur 6. l. quæ nuper 31. C. eod. tit. de inoff. testam.*

4 De qua *in Auth. itaque C. commun. de succeſſ.*

5 *In dict. Nouell. 118. de hæred ab intest venient.*

6 *dict. § si igitur defunctus descendentes, verſ. si autem eundem gradum.*

DEFINITIO III.

Naturales fratres sibi inuicem succedunt ab intestato, nisi nati sint ex damnato coitu & punibili secundum legis ciuiles.

FRatres naturales sibi inuicẽ ab intestato succedũt, exclusis agnatis & cognatis cæteris omnibus remotioris gradus,[1] si non damnatus & punibilis coitus fuit. Nam qui ex damnato & per leges ciuiles punibili coitu susceptí sunt sicut parentibus, ita & inuicem succedere nullomodo possunt.[2] *Ita Senatus* pro Turpina Vulliod, contra N. Joannem de Berod, 13. Cal. Decembr. 1586.

1 *L. 2. l. si spurius 4. D. vnde cognat.*

2 Gloss. communiter adprobata, *in l. vlt. C. de natur. liber.*

DEFINITIO IV.

Qui ex donatione inter viuos facta aliquid accepit pro omni iure non ideo prohibetur succedere ab intestato, nisi donationem agnouerit post mortem donatoris.

QVi ex prædefuncto filio nepotem habebat, bona sua omnia præsentia & futura extraneo donauerat, exceptis centum aureis, de quibus testari posset. Nepoti vero certam pecuniæ quantitatem institutionis quoque titulo dederat eodem donationis instrumento, eamque à reliquis bonis suis excluserat, deinde intestatus decesserat. Non eo minus nepos legitimus auo hæres extitisse videbitur.[1] Neque enim exheredari vtiliter potuit, aut ab intestati successione repelli, nisi alio herede instituto,[2] & adita ex testamento hereditate.[3] Donator autem neque donando testatus fuit,[4] neque testandi facultatem sibi eripuit.[5] Quinimo centum aureos è generali donatione eripuit, de quibus testari posset.[6] Nec simile est, quod filia, quæ accepta dote renunciauit paternæ successioni cum iureiurando, hereditatem intestati parentis vindicare postea non potest, facitque locum agnatis remotioribus, si non legalem, vt loquuntur, escheutam sibi reseruauerit.[7] Id enim fit propterea, quod ipsius filiæ factum intercedat in renunciatione, & propter auctoritatem iurisiurandi,[8] quorum omnium interuenit, cum sola donatoris voluntate liberi excluduntur.[9] Succedendi namque ab intestato ius, quod lex ipsa dat, non potest pater liberis aliisve cognatis adimere,[10] nisi facto testaméto, ex quo postea hereditas adeatur.[11] Idemque erit licet donatoris viuentis voluntatem simpliciter nepos agnouerit, & datam pecuniæ quantitatem acceperit. Nam sicut donatio non derogat factioni testamenti, ita, nec excludit causam intestati, si donator testamentum facere postea noluerit aut non potuerit.[12] Plane si post delatam hereditatem, hoc est, mortuo iam donatore nepos donationi consentiat, & quod sibi datum est ea lege, ne quid amplius ex hereditate speraret, agnoscat, non improbabiliter dici potest, videri eũ intestati successionem repudiare.[13] Cum exclusio, quæ donatione continetur, licet præcedat delationem hereditatis, in id tamen tempus differatur, vireſque suas exiẽdat, in quo de hereditate siue ex testaméto siue ab intestato acquirenda disputari oportebit.[14] Neque eo tempore aliud quicquam interuenire necesse est ad excludendum nepotem, nisi vt defuncti aui voluntatem agnoscat,[15] cũ bona nulla sunt ex quibus repleri possit, quod legitimę portioni deest,[16] vt contingit cum vniuersorum bonorum donatio facta est, perexigua tamen quantitate excepta.[17] Frustra enim hoc casu requiras, vt legitimæ supplementũ

supplemento nominatim renunciatum sit,[18] quæ supplere non potest. Proinde quemadmodum inofficiosæ donationes ob eam causam adinuentæ sunt, vt fraus fieret legitimæ, nec eius per querelam inofficiosi aut actionem de supplemento petendæ ratio vlla superesset, nullis scilicet in defuncti hereditate bonis relictis,[19] & inspecto mortis tempore,[20] ita ad fraudem hanc excludendam aliud remedium liberis non supereſt, quam vt repudiato donationis commodo agant querela inofficiosæ donationis, si spectes ius vetus,[21] aut condictione ex Nouella Iustiniani lege ad supplementum,[22] posteaquam Iustiniano placuit, vt statuti de inofficioso testamento,[23] ita etiam de inofficiosa donatione quæri non possit is, cui aliquid quantulumcunque relictum est.[24] Quamuis verius sit meo iudicio, ea constitutione sublatam inofficiosæ donationis querelam aduersus fratres duntaxat, eorumque fauore, non item aduersus extraneos, de quibus nullum verbum Iustinianus.[25] Vt proinde longe generalior sit, ni fallor, ea lex, qua ille sustulit querelam inofficiosi testamenti, quoties aliquid liberis relictum sit, licet minus legitima portione;[26] perinde enim fauet extraneis heredibus institutis, atque ipsis liberis. Nempe, quia fauorabiliores sunt vltimæ voluntates, quarum conseruandarum gratia lex illa lata est,[27] quam donationes & aliæ inter viuos dispositiones,[28] *Ita tractatum est* in causa N. Paquier, & N. Blanchard. 7. Cal. Mart. 1593.

1 Quinimo suus heres, cum pater eum nunquam præuenerit in causa succedendi, *l. scripto 7. ff. vnd. liber. l. si quis filio 6. de iniust. rupt.*

2 *L. 3. & pass. de liber. & posthum.*

3 *L. filium 20. vers. sed cum exheredatio, D. de bonor. possess. contr. tabul. l. si patronus 12. §. ex testamento, D. de bon. libert.*

4 Aliud enim est donare, aliud vero testari, licet vltimarum voluntatum liberalitates sint etiam donationes, *l. legatum est 36. de leg. 2. l. cum hic status 32. §. 1. in fin. D. de don. inter vir. & vxor.*

3 Non enim valeret donatio, per quam libera testandi facultas eriperetur, *l. pactum quod dotali 15. C. de pact.* vbi etiam not. *& in l. vlt. eod. l. stipulatio hoc modo concepta 61. de verb. obl. l. 4. C. de inutil. stipulat. l. cum duobus 52. alias l. si fratres, §. idem respondit societatem, D. pro socio.*

6 Quantulumcunque enim illud sit, quod quis in bonis habeat, de eo testari potest, cum hereditas in iure consistat non in corpore, *l. hereditas 50. de petit. hered.* Hereditas porro non nisi testamento datur, *l. hereditas 5. C. de pact. conuent. tam supr. dot.*

7 *Cap. quamuis pactum.* vbi Canon. *de pact in 6.* Guid. Pap. *quæst. 192.*

8 Quod semper seruandum est, quoties seruari potest citra dispendium salutis æternæ *cap. cum contingat, & pass. Extr. iureiur.*

9 Nemo autem potest sua voluntate iuri publico derogare, *l. iuspublicum 38. D. de pact. l. nemo potest 55.* vbi not. *de leg. 1.*

10 *L. 3. ff. de interd. & releg.*

11 Alioqui non adita hereditate testamentum corruit, *l. si nemo 9. D. de testam. tutel.*

12 Quisquis enim moritur siue facta siue non facta donatione, cum necesse est aut testatum decedere, aut intestatum, *l. 1. D. de suis & legit.*

13 *L. si quando 35. §. illud etiam, vers. sed hoc ita, C. de inoffic. testam. l. Paula Callinico 27. vers. mihi ab omni voluntate, de leg. 3.*

14 Neque enim de bonis viuentis disputari potest, cum nihil ex iis debeatur, *l. 1. D. de hered. vel act. vendit. l. donari 29. alia l. quidam, §. donationem, D. de donat.*

15 *d. §. illud etiam, vers. sed hoc ita.*

16 Repletionem enim illi fieri necesse est ex substantia & bonis defuncti, *l. scimus 36. §. repletionem, eod. tit.*

17 Not. *in d. l. vlt. C. de pact. & in d. l. stipulatio hoc modo concepta 61. de verb. obligat.*

18 Quod tamen Iustinianus nominatim requirit, *in l. si quando 35. §. & generaliter 6. de inoffic. testam.*

19 *L. 1. l. si totas 5. & tot. tit. C. de inoffic. donat.*

20 Quod scilicet inspiciendum est quoties agitur de legitima, *l. cum quæritur 6. C. de inoffic. testam.*

21 Ex quo competebat querela inofficiosæ donationis, si non supererat in bonis donatoris quantum ad legitimam satis esset. Per quam querelam donatio tota rescindebatur, *l. Titia Seio 87. §. Imperator, de leg. 2.*

22 *Ex Nouell. 92. de offic. donat.*

23 *L. omnimodo 30. C. de inoffic. testam.*

24 Sic enim Iustinianus *dict. Nouell 92. in fin.*

25 Vt scilicet iure veteri correctio non ita facile inducatur, *l. sancimus 27. C. de testament. l. præcipimus 23. in fin. C. de appellat.*

26 *In d. l. omnimodo 30. C. de inoffic testam.*

27 *L. 1. C. de sacrosanct. eccles. vel negare 6 D. testam. quemadm. aper.*

28 Quod non satis rectè à nobis obseruatum videtur, *lib. 3. de Coniect. cap. 17. in fin.*

DEFINITIO V.

Filiusfamilias hodie habet heredem non tantum in aduentitiis, sed etiam in profectitiis et pleno iure acquisitis.

FIlius familias etsi iure vetere heredem habere non potuit,[1] aut ex testamento, cum nec testari posset,[2] aut ab intestato, ne quidem in bonis castrensibus,[3] tametsi de iis testari posset ex constitutionibus:[4] hodie tamen habet ex lege Iustiniani.[5] Nec in aduentitiis duntaxat, de quibus minor dubitatio est,[6] sed & in profectitiis, quoties talia sunt vt filiofamilias pleno iure quærantur.[7] Cuiusmodi sunt quæ illi pater donauerit in contractu matrimonij & fauore nuptiarũ, accedente præsertim iureiurando. Has enim donationes ab initio valere obtinuit, adeo vt nec si præcedat filius donatarius, irritæ tamen fiant.[8] In iis igitur habere poterit heredem,[9] Nec solum descendentes si quos habeat, sed etiam patrem.[10] Nec patrem duntaxat, sed etiam fratres, qui cum patre in cæteris bonis concurrerent,[11] solis exclusis parentibus & agnatis ex linea materna, in quibus speciale ius est ex Iustiniani constitutione.[12] *Ita Senatus* in causa Stephani Bally, Georgij Girard, & Dionysij Raimod, 8. Id. Iul. 1593.

1 *L. lex Cornelia 28. vers. quia per eam non efficitur, ff. de vulg. & pup. substit.*

2 *L. qui in potestate 6. ff. qui test. fac. poss.*

3 *L. 1. & 2. de castrens. pecul.*

4 *L. vlt. C. de inoffic. test.* nam in peculio castrensi filiusfamilias habetur pro patrefamilias *l. 2. C. de SC. Macedon.*

5 *Nouell. 118. de hared. ab intest. venient. cap 2. §. si igitur defunctus descendentes.*

6 Postquam eorum capaces facti sunt filijfamilias, *ex l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

7 Id est, ita vt ne quidem vsumfructum in iis habeat pater. Nam & hoc fieri hodie potest. *Nouell. 117. vt lic. matr. & auia, c. 1.* vnde sumpta est *Auth. excipitur, C. eod. tit. de bon. quæ liber.*

8 Vt pluribus disputat Crauet. *cons. 102. per tot.* quem refert & sequitur Anton. Gabriel, *lib. 3. commun. opin. tit. de donat. conclus. 3.* contra Decium *cons. 240. 536. & 659.*

9 Ex Bartoli sententia communiter adprobata, *in l. post dotem, n. 27. in fin. ff. solut. matrim.*

10 Nam prima causa est descendentium, deinde parentũ, *d. Nouell. 118. de hered. ab intest. venient. §. 1. & l. pater filium 14. ff. de inoff testam.*

11 Intellige de fratribus vtrimque coniunctis. Alij enim neque cum patre concurrunt, neque cum matre, *d. §. 1. Auth. defuncto, C. ad Tertyll.*

12 *In l. quod scitis, §. 1. C. de bon. quæ liber.* vt contra Bart. & alios disputat idem Crauet. *cons. 176.*

DEFINITIO VI.

Pater qui occupauit peculium castrense filij potest & debitores filij conuenire, & à creditoribus eius conueniri.

FIlijfamilias qui castrense peculium habuit pater quidem ab intestato heres non est, sed peculij tantum iure bona occupat,[1] quamuis ex testamento

BIU Cujas

filiusfamilias in eo peculio heredem habere possit,[2] verum non eo minus permittendum erit patri vt aduersus intestati filij debitores præcisa executione agere possit vigore literarum, quas *De debitis* vulgo appellamus, quæ non nisi creditoribus eorúmve heredibus concedi solent. Quia licet ille heres non sit, heredis tamen locum obtinet,[3] adeoque perinde acsi heres esset conueniri ex contrario potest à filij creditoribus, saltem ad peculij finem.[4] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Bonuillaret, & la Griue, 3. Non. Mart. 1594.

1 *L.1.& 2.D.de castrens.pecul.*
2 Vt scripsi *Defin.prox.præced.*
3 Parum autem refert ab hac parte, an quis heres sit an loco heredis, *l.2.D.ad SC.Treb.*
4 *L.pater qui castrense 17.D.de castrens.pecul.*

DEFINITIO VII.

Spurij & parentibus & inuicem succedunt, si modo non sint nati ex damnato coitu & punibili secundum leges ciuiles.

SPurios vulgo quæsitos constat posse & matri & cognatis ab intestato succedere,[1] sed eos, qui ex damnato coitu suscepti sunt, ne ex testamento quidem maternæ successionis capaces esse, ab intestato autem multo minus. Nimirum si coitus ille damnatus & illicitus accusabilis sit, vt nostri loquuntur, & punibilis secundum leges ciuiles & temporales.[2] Proinde si coniugatus aut solutus ex coniugata liberos susceperit, non succedent illi matri, quia nec natura eos agnoscit nec liberorum nomen merentur.[3] Atque ita iam olim Senatus pronunciauit in causa sororum Barfel & D. de Tardy, mense Maio 1585.

1 *L.2.§.sed & vulgo quæsiti, D.ad SC.Tertyll.l.2.vers.itaque, l.si spurius 4.D.vnd.cognat.*
2 Sic enim vulgo nostri definiunt, post *gloss.in Authen.ex complexu, C.de inteſt.& inutil.nupt.* Socin. late *cons.* 148. *lib.*1. Guid.Pap. *quæst.*180. Afflict. *decis.*98.
3 *d.Auth.ex complexu.* quamuis ex æquitate canonica debeantur iis alimenta ne fame pereant, *cap.cum haberet, extr.de eo qui dux.in matrim.quam poll.per adulter.* Extra eam causam sunt prorsus incogniti.

DEFINITIO VIII.

Nati ex patre adultero possunt & ipsi patri & inter se succedere.

QVid ergo si coniugatus ex soluta liberos habuerit? Adulterium quidem est, sed non accusabile nec punibile secundum leges temporales,[1] licet iure & pontificio & diuino non minorem pœnam mereatur.[2] Aliud enim hic Christus, aliud Papinianus, vt ex patribus quidam dicebat.[3] Ergo non faciet ea res liberos maternæ successionis incapaces, siue ex testamento siue ab intestato.[4] An autem qui ex damnato & punibili coitu suscepti sunt possint inuicem succedere, aut iis quæ ex latere matris cognati sunt, alia quæstio est. De qua alij aliter sentiunt,[5] Magis tamen communiter probatum est, vt non possint.[6] *Ita Senatus* in causa fratrum Brunet, 9. Cal. Aug. 1595.

1 Non enim tenetur maritus lege Iulia de adulteriis, quia thorus viri est non mulieris.
2 Tam enim violatur sacramentum matrimonij à marito quam ab vxore.
3 Dictum est ni fallor Diui Hieronymi, vel Augustini.
4 Nempe quia ius succedendi siue ex testamento siue ab intestato est ex legibus ciuilibus, non ex pontificiis, *l. verbis legis* 120. *l.lege obuenire* 130. *D.de verb.signif.*
5 Didac.Couarr *in 2.part.relect.ad* 4. Dec. *cap.* 8. *num.*19. *concluſ.*4. vbi vide. Dixi *Defin.prox.& 3.supr. & Defin.2.supr. de natur.lib.*

DEFINITIO IX.

De liberis natis ex matrimonio cum ea contracto, quæ prius polluta fuerat per adulterium.

QVid rursum si quis vxorem duxerit eam, quam prius polluerat per adulterium? An suscepti ex eo matrimonio liberi saltem matri succedere poterunt? Et quidem constat, ius illud, quod antiquis canonibus constitutum est, vt nō liceat vxorem ducere eam, quæ prius polluta sit per adulterium, sic accipi debere, nisi peracta prius pœnitentia. Post pœnitentiam autem posse matrimonium tale vtiliter contrahi, præterquam in duobus casibus. Quorum vnus ille est, si quid adultera machinata sit in necem legitimæ vxoris, alter si data fides sit viua prima vxore de adultera post mortem prioris vxoris ducenda; idque est quod ait pontificia constitutio,[2] huiusmodi prohibitionem his duobus casibus semper seruandam esse, id est, non subiecta illa exceptione, *si non prius acta sit pœnitentia*, quæ subiici solet ad eam regulam, quæ habet: Nemini licere vxorem ducere eam quam polluerit per adulterium.[3] Ergo si extra hos duos casus[4] matrimonium cum adultera simpliciter contractum sit, nulla prius acta pœnitentia, succedent matri liberi ex huiusmodi matrimonio suscepti tam ab intestato, quam ex testamento. Quia licet coitus ille sit illicitus iure pontificio, nullam tamen ex ciuilibus legibus pœnam meretur.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt aperte scriptum est *in can.illud* 31. *quæst.*1.
2 *In cap.super hoc.* Extr. *de eo qui dux.in matrim.quam poll. per adulter.*
3 Qui etiam sensus est *cap.*1. *vers.licet, eod.tit.* vbi scriptum est prohibitum esse eiusmodi matrimonium, maxime si aut machinata sit adultera in necem prioris vxoris, aut data ei fides sit à viro de illa post prioris mortem ducenda.
4 Hoc ideo, quia in his duobus casibus magis est, vt coitus non tantum illicitus sit, sed etiam punibilis secundum leges ciuiles & iis pœnis, de quibus *in l* 4. *C.de incest.nupt.*
5 Iuxta ea quæ diximus *Defin.prox.præced.*

DEFINITIO X.

Nati ex matrimonio cum adultera contracto an succedant parentibus saltem in lucris nuptialibus, an vero ea lucra fisco applicentur?

QVod tamen coniuges, qui tale matrimonium contra iuris pontificij prohibitionem contraxerunt, sibi inuicem fauore matrimonij donauerint, dubitari potest, an ratum esse debeat in vtilitatem & commodum saltem liberorum ex matrimonio susceptorum, an potius applicandum sit fisco?[1] Facit dubitationem, quod ea constitutio quæ fisco applicari vult iuris ciuilis est, prohibitio autem, quæ matrimonium impedit, iuris Pontificij.[2] Sed tamen cum ea prohibitio rationem habeat non solum ciuilem, sed etiam naturalem,[3] magis est vt hoc quoque casu locus esse debeat ciuili constitutioni,[4] nimirum iis casibus quibus aut machinata sit adultera in necem legitimæ vxoris, aut data ei fides sit de ducenda illa post mortem vxoris,[5] Est enim votum illud alienæ mortis vtroque casu captatorium, prorsus improbum & iure quoque ciuili improbatum.[6] Sed extra hos casus, id est, si nihil aliud matrimonium impediat, nisi quod quæ vxor ducta est, prius cognita fuerat per adulterium, licet nulla secuta sit pœnitentia,[7] non habebit locum constitutio, quoniam ratione canonica magis quam ciuili ea prohibitio nititur.[8] Denique matrimonij improbissimi & more improbissimo contracti fauor nullus esse potest, ne quidem

propter

propter liberos ex eo susceptos,[2] siue de lucris nuptialibus agatur, siue de legitimis successionibus, quasi nec vxorem nec liberos habuerit, qui nefarias & tam bona ratione prohibitas nuptias contraxit.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l.4.l.si quis incesti 6.C.de incest.& inutil.nupt.*
2 Vt diximus *Defin prox.praced.*
3 Et bonis moribus non modo ciuilibus, sed etiam naturalibus consentaneam.
4 Non enim odiosa lex est quamuis sit pœnalis, cum lata sit ad vindictam & coercitionem tanti delicti etiam iure gentium prohibiti, *arg.l.vlt D.de ritu nupt.*
5 *Vt in can.illud 31.quæst.1.*
6 *L.vlt.C.de pact.l.2 § interdum.de vulg.& pup.substit.l.2.§.vlt.D.de his quæ vt indign.l.1.§ si impubere,D.de collat.bonor.l.donari 29 alias l.quidam,§.donationem,D.de donat.*
7 Quo casu prohibetur matrimonium iure pontificio, *d. can.illud 31.quæst.1.cap.1.vers.licet,& cap.super hoc.*Extr.*de eo qui dux.in matrim.quam pol.per adulter.*
8 In pœnam nimirum neglectæ pœnitentiæ, cuius nullam rationem habet ciuilis legislator, apud quem nemo ex pœnitentia nocens esse desinit, *l.quia ea mente 65.D.de furt.* iunct.*l. si pignore 54.§ cum furti,eod.l. penult.D.vi bonor.rapt.*
9 Quia nec liberorum nomen merentur, *Auth. ex complexu C de incest & inutil.nupt.*
10 Vt scriptum est *in d l.si quis.*

DEFINITIO XI.

Auus maternus præfertur patruo in legitima successione nepotis.

IN nepotis successione auum maternum præferri patruo in iis etiam bonis, quæ à patre nepos habuerit, certissimi iuris est,[1] cum sit ille vno gradu proximior,[2] & in tutelæ onere suscipiendo ante patruum cogendus.[3] Nec dubitandi causam ex eo sumere quidem debuerunt, quod in ipsius patrui hereditate nepos auo præferretur.[4] Nam & patri succedit filius excluso auo,[5] nec eo minus tamen auo succedit pater:[6] Vtrumque id nimirum exigente iure sanguinis & proximitatis, cuius in acquirendis intestatorum hereditatibus potior semper causa est quam reciprocæ successionis.[7] *Sine die.*

1 Quia sicut in successione intestati potior est descendentium causa, quam ascendentium, ita & ascendentium quam transuersalium solis exceptis fratribus vtrimque coniunctis, qui cum parentibus concurrunt. *Nouell.118.de hered. ab intest. venient.cap.1.§.si igitur defunctus.* Post quam Nouellam non habet amplius locum vetus illa distinctio: *Paterna paternis; Materna maternis,* vt Dixi *Defin.2.5.* [Obserua autem cum fratribus vtrimque coniunctis succedere, non modò patrem, sed etiam auum: sed ita si auus sit in primo gradu ascendentium, nec anteuertatur à patre. Nam si pater viuat, qui possit & velit succedere, excludit omnino auum ab ea successione. Nec si postea pater amittat successionem, puta per transitum ad secundas nuptias, superstitibus aliis fratribus vtrimque coniunctis, poterit eo magis auus succedere, non solùm quia semel fuit exclusus. Persona autem semel excluſa absolute remanet perpetuo excluſa, vt notat Bart. & post eum cæteri ad *l.vlt.§.1.D.ad SC.Tertyll.* Sed etiam quia lex quæ patri conuolanti ad secundas nuptias auffert proprietatem, addicit eam liberis primi matrimonij *l.fœmina,& l.generaliter 5.C. de secund. nupt. Ita Senatus* pro Ioanne & Michaele l'Heritier, contra Claudium Besson, 17. Iunij 1614.]
2 Est enim auus maternus in secundo gradu, patruus vero in tertio, quia non coniungitur quis patruo suo nisi per mediam aui paterni personam, vt nec frater fratri nisi per mediam personam patris, *l.Iurisconsultus 10.D.de gradib.& adfin.*
3 Ex iuris regula, de qua in *l.quo tutela 73.de reg.iur.l.3.ff. de legit.tutor.*§ 1.*Inst de legit.patron.tutel.*
4 Iure scilicet agnationis, cum auus maternus huic patruo nec agnatus sit nec cognatus.
5 Quia scilicet potior est causa descendentium quam ascendentium, vt dixi *n.1.*
6 Tanquam qui sit filius, & consequenter vno gradu proximior quam nepos.
7 *dict.Nouell.118.de hered.ab intest.venient.* Anton. Thesaur.*dec.ss.Pedem.5.* vbi vide.

TIT. XXXIV.

DE BONIS MATERN.

DEFINITIO I.

Renunciatio hereditatis materna quamuis iurata non nocet filio, si mater obierit viuo patre.

FILIVSFAMILIAS accepta, vt plerumq; fit, certa pecuniæ quantitate, hereditati maternæ cum iureiurando in matris commodũ renunciauerat.[1] Defuncta postmodũ matre viuo adhuc patre, nullam renunciationis vim esse constabat, quod neque ante mortem matris effectum sortiri potuisset,[2] neque matre moriente, quando eo tempore superesset pater, idemq; bonorum maternorum fructuarius,[3] cui filius nocere potuerat ignoranti.[4] Nec verum est, quod nonnulli contra obiiciunt, filio, qui renunciauit successioni, postea non deferri successionem.[5] Habet enim quælibet hereditatis renuntiatio tacitam conditionem, si hereditas deferatur:[6] alioqui nec necessaria nec vtilis esse potest.[7] Proinde non impedit renunciatio delationem, sed tantum acquisitionem, exerente vires suas renunciatione tum cum defertur hereditas.[8] Etsi autem patri vsusfructus duntaxat bonorum maternorum non etiam proprietas quæritur:[9] facit tamen ius patris vt filij quoque vel inuiti ius conseruetur.[10] Neque enim fieri posset vt saluus esset patri vsusfructus solo iure potestatis, si ad filium proprietas non non pertineret.[11] *Ita in Senatu tractatum est* 11. Cal. Decemb. 1588. Vide tit. De bon. quæ liber. SC. 4.

1 Iuxta formam *cap.quamuis pactum,de pact.in 6.*
2 Quia omnes huiusmodi renunciationes habent tacitam conditionem, Si hereditas defertur, vt sequitur in Definit. ex Castr. & aliis in *l.qui superstitis 94.D.de acquir.hered.*
3 *Ex l.cum oportet 6.& l.vlt.C.hoc tit.*
4 Potest enim melior quidem conditio nostra fieri per eos quos in potestate habemus, sed deterior non potest, *l. melior 133.de reg.iur.l.soluendo 39.de negot.gest l.Granius 71.§ penult. de fideiuss.l.2.C.quod vi aut clam.* Castr. in terminis *ad l. fin. in princ.C.hoc tit.*
5 Didac.Couarr. *ad c.quamuis pactum,in tertia part.relect. §.2.n.3.vers.secunda probatio.de pact.in 6.*
6 Castr. *ad d.l.qui superstitis.*
7 Neque enim potest renunciationis effectus præcedere delationem, *d.l.qui superstitis,l.1.§.decretalis,D.de succes.edict. l.si ita sit scriptum 45.§ si sub conditione,de leg.2.* Viuentis autem nulla est hereditas, *l.1.D.de hered.vel act.vendit.l.1.C.pro hered.*
8 *Vt in l.si Stichum 8.§ si quis ita stipulatus,l.quoties 14.D. de nouat.*
9 *d.l.cum oportet 6.& l.vlt.C.hoc tit.*
10 Sicut è contrario interdum ius patris odiosi & indigni nocet filio, nisi pater iuri vsusfructus sui renunciet, vt in eo casu quem tractat Boer. *quæst.7.num.17.* post Cæpoll. *cautel.84.* de patre qui vnum ex liberis sui materna bona habentem occiderat.
11 Atq; ita fit vt propter alium quis habeat quod propter suam personam habere non posset, *vt in l.3.in fin.D. quæres pignor.l.cum hereditate 55.D.de acquir.hered.l.si is qui duos 29. ff.de liber.legat.*

DEFINITIO II.

Alienatio bonorum maternorum per patrem facta etiam filiofamilias consentiente vsque adeo nulla est, vt nec si patri heres sit filius ratam habere cogatur.

SI materna siue bona siue pignora pater distraxerit, filiofamilias consentiente, vsque adeo nulla

BIU Cujas

& contra legis prohibitionem facta venditio intelligitur,[1] vt nec si filius heres patris sit, ratam tamen eam habere cogatur.[2] Quod enim contra leges factum est approbari nec potest nec debet.[3] Neque tamen eo minus de euictione tenebitur ex causa hereditaria,[4] nisi iusta aliqua causa sit propter quam ex persona quoque patris in integrum restitui aduersus contractum possit, vt puta si immodica læsio & vltra dimidiam interuenit.[5] *Ita Senatus* in causa quadam Augustanorum 16. Cal. Junij 1591.

1 *L.1.C.hoc tit.*
2 Osasch Cacher. *decis. penult.* vbi notat hoc casu vt & in aliis quibusdam non esse locum, *l. cum à matre. C. de rei vind.*
3 *L. non dubium 5 C. de legibus, l. si quis inquilinos 112. §. vlt. de leg. 1.*
4 *L. Seia 73. D. de euict.* in illis verbis: *iure quidem proprio non hereditario Sempronium, &c.*
5 *Ex l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

DEFINITIO III.

Si mortua muliere creditores paterni agant in bona pro dote obligata, quomodo liberis succurrendum sit?

Liberi iidemque heredes matris non habent iustam intercedendi causam pro materna dote pecuniaria, si paterni creditores viuo patre iudicatum exequantur in eas res, quas pro dote obligatas constet, etiamsi adsit clausula constituti.[1] Cum bonorum maternorum defuncta vxore, non secus ac dotis ipsius quandiu dos fuit vsusfructus ad patrem pertineat,[2] sed hoc ita est accipiendum, vt tamen non simpliciter & absolute liberis præcludatur via intercessionis, sed addita clausula, *quant à present*, vt mortuo quandocunque patre saluum iis sit ius pignoris & hypothecæ in res pro dote obligatas, nec iis obsit res iudicata.[3] Sed & illud addendum est, ita repellendos liberos, si alia patri bona supersint, ex quibus doti possit satisfieri finito vsufructu.[4] Quid enim si vniuersa illa consumpserit ac dilapidauerit? Cur non liceat liberis viuo etiam patre incumbere pignori, ac sibi per retentionem consulere,[5] quemadmodum ipsi mulieri liceret si viueret,[6] vt haberet vnde se suosque liberos exhiberet. Nam & cum pater hereditatem post mortem suam restituere liberis rogatus fideicommissi bona dilapidat, repræsentare fideicommissum cogitur, vt filio cui cauerinon potest prohibente potestatis iure hoc veluti remedio consulatur.[7] Ergo audiendi hoc casu erunt liberi si tanquam heredes matris intercedant, adeoque pro ipsis etiam fructibus, vtpote ex quibus ali debeant à patre.[8] *Ita Senatus* pro R.D. Priore & religiosis monachis Sancti Petri de Lemens contra fratres Chartriere 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Quia res obligata pignori potest distrahi saluo iure pignoris, *l. vnic. C. rem alien. gerent. non interd. rer suar. alien. l. si debitor. 4. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*
2 *L. 1. C. hoc tit.*
3 *Vt in l. Babius 30. in fin. D. de pact. dotal.*
4 *Arg. l. iubemus 29 C ad SC. Velleian.*
5 *Arg. l. Imperator 50. D. ad SC. Treb.*
6 *L. vbi adhuc 29. C. de iur. l. si constante 24. D. soluit. matrim.*
7 *d. l. Imperator.* vbi est text. elegans *ad SC. Treb. l. Titius 54. eod.*
8 Cum ex iis fructibus etiam sumi debeant sumptus necessarij ad materna bona tuenda, *d. l. 1. C. hoc tit.*

DEFINITIO IV.

Casus in quo auus maternus repetit dotem etiam viuo patre, qui eius vsumfructum habeat.

POtest auus maternus defuncta in matrimonio filia superstitibus liberis dotem quam dederat reposcere liberorum quodammodo nomine, etiamsi viuat pater,[1] si male ille bona sua dissipet,[2] nec liberos alat. Quo sane casu æquum est priuari eum vsufructu, quem alioqui in bonis maternis haberet.[3] Cum non alia lege det ei lex vsumfructum quam vt matrimonij onera, quæ post filiæ mortem supersunt, perinde ac constante matrimonio perferat,[4] inter quæ præcipuum est vt liberos exhibeat.[5] *Ita tractatum est* in publico Senatus auditorio Calen. Decembr. 1592. pro N. Andræa de Bienuenu contra N. Galatin.

1 Licet verum sit hodie mulierem habere liberos suos heredes etiam in dote profectitia, quamuis sit illa in patris sui potestate, si credimus Bart. & aliis *ad l. post dotem 40. D. solut. matrim.* Ac proinde vsumfructum illius dotis maternæ ad patrem liberorum pertinere *ex l. 1. C. hoc tit.*
2 *Arg. l. Imperator 50. D. ad SC. Treb.*
3 *d. l. 1.*
4 *d. l. 1.* iunct. *l. pro oneribus 20. C. de iur. dot. l. si ita qui 50. §. ibi dos, D. eod.*
5 *L. vbi adhuc 29. C. eod. tit. de iur. dot.*

DEFINITIO V.

Alia causa est vxoris, alia liberorum, post mortem matris vergente marito ad inopiam.

QVod ius mulieri competit, cui dotis nomine cautum est traditione bonorum mariti ad inopiam vergentis constante matrimonio, vt nulla mariti creditoribus in eas res, earumve fructus actio competat, propterea quod ferendis matrimonij oneribus alendisque parentibus & liberis eos fructus impendi oporteat,[1] non idem liberis mortua matre datum est, licet matris heredes proponantur.[2] Mutatur enim causa possessionis defuncta in matrimonio muliere, nec fieri potest vt ex causa dotis bona possideantur eo tempore, quo sicut matrimonium nullum ita dos amplius nulla sit.[3] Etsi autem dos matris defunctæ cum cæteris bonis maternis ad liberos superstites hereditario iure deuoluitur,[4] ex quo tamen locus factus est restitutioni, pecunia iam deberi incipit,[5] cuius petitio aduersus patrem siue diuitem siue inopem competere proculdubio nulla potest: Non solum quod inter patrem & filiumfamilias iudicium nullum exerceri possit,[6] sed etiam quia bonorum maternorum omnium vsusfructus ad patrem pertineat.[7] Bona vero, quæ mulieri constante matrimonio tradita fuerant, vt ei pro dote cautum esset, ad maritum pleno iure redeũt, & consequenter in ea eorumq; fructus persecutio mariti creditoribus non denegatur.[8] *Ita Senatus* pro N. Broche anno 1594. post causam in publico auditorio peroratam 6. Cal. Jul. 1593.

1 *L. vbi adhuc 29 C. de iur. dot.*
2 Quamuis dici soleat eodem iure censeri heredem, quo persona defuncta censebatur, quasi sit eadem persona, *Nouell. 48. de iureiur. à morient. præst. in princ.*
3 Dos enim non potest esse sine matrimonio, quamuis possit matrimonium esse sine dote, *l. 3 D. de iur. dot.*
4 Est enim dos proprium filij patrimonium, *l. 3. §. sed vtrum. C. de minor. l. pater filium 14. D. ad leg. falcid. l. vlt. D. de collat. dot.*
5 *L. vnic. C. de rei vxor. act.*
6 *L. lis nulla 4. ff. de iudic. l. Imperator 50. D. ad SC. Treb.*
7 *L. 1. C. hoc tit.*
8 *L. creditoris 8. D. de distract. pignor.*

DEFINITIO VI.

Liberis succurrendum est etiam aduersus creditores patris vt ex pignoribus dotalium fructibus alantur, si aliunde non possint.

AT quid

AT quid si tam inops sit pater vt non habeat de suo vnde se suosque possit alere? An non sit inhumanum fame perire liberos,[1] nec bonorum paternorum distractionem prohibere posse? Et quidem si materna hereditas ex bonis immobilibus constaret, dici commode posset, eorum vsumfructum ad patrem quidem spectare debere, sed ea lege vt se suosque aleret ex fructibus, nec liberorum personas minus quam bona ipsa tueretur.[2] Sed cum pecuniaria dos matris fuit, difficilius est vt liberis, qui non nisi hypothecam habent in bonis patris, æque facile succurrantur atque cum de rei suæ proprietate tuenda fructibúsve retinendis contenditur.[3] Præsertim cum mortuo quandocunque patre salua iis futura sit actio ad pignora sua persequenda, nullius quantumcunque longissimi temporis obstatura præscriptione.[4] Tum vero, quid si liberi sint industrij, vt omnia ad vitam necessaria sibi quærere facile possint?[5] Sed tamen & verius & humanius est, vt etiam viuo patre iustam habeant intercedendi causam, hactenus saltem vt ex pignorum perinde ac bonorum maternorum fructibus exhibeantur.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Necare enim videtur qui denegat alimenta, *l. necare 4. D. de agnosc. & alend. lib.*

2 Secundum ea quæ diximus *Defin. 43. ex l. 1. C. hoc tit.*

3 Plus enim iuris habet proprietarius in re sua quam creditor in re sibi obligata.

4 *Auth. nisi tricennale, C. hoc tit.* quia filiofamilias non valenti agere non currit præscriptio, *l. 1. § vltim. C. de annal. except.*

5 Non enim aliter filium alere pater cogitur, quam si filius aliunde non habeat ex quo se alat, *l. 5. § sed si filius, & § alimenta autem, D. de agnosc. & alend. liber.*

6 Quomodo exhiberentur si eorum mater adhuc viueret. Dixi *Defin. 33. ex l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.*

TIT. XXXV.

DE BONIS QVÆ LIBER.

DEFINITIO I.

Contra bonorum filij aduentitiorum alienationem à patre factam, non solum filius potest venire, quamuis heres patris, sed etiam pater nomine filij.

PATER, qui bona filij aduentitia contra legis prohibitionem alienauit,[1] non eo minus reuocandæ alienationis quam ipse fecerit, ius habet, non proprio quidem nomine, sed officij sui ratione,[2] & quod idem est, ex persona filij,[3] qui vtique mortuo patre, tametsi eius heres esset, si aliud nihil obstaret, bona sua vindicare posset.[4] Nam quod dici solet nemini permittendum esse vt contra factum suum veniat, ne ex alterius quidem persona,[5] ita verum est, si sui non item si alieni commodi gratia id faciat,[6] Neque patri necessarium erit auxilium restitutionis in integrum,[7] filio vero cum patris auctoritate agenti[8] multo minus.[9] Etsi enim regulare est, vt quandiu viuit is, qui prohibitam à lege alienationem fecit, si eandem administrationem retineat, necessaria sit in integrum restitutio,[10] id tamen in proposito non obtinet propter distinctam à persona patris administratoris personam filij proprietarij, qui non contraxit,[11] eique regulæ tum demum locus esse potest cum administrator solus ille est, qui proprietarij personam & vices gerat, vt contingit in prælato rem ecclesiæ alienante.[12] Neque rursus simile est, quod patris factum etiam in re filiæ, puta in dote profectitia, quam pater aut acceperit aut alteri solui iusserit insciа filia, nocet filiæ quandiu pater viuit, retinerque administrationem, id est quousque filia sui iuris effecta sit.[13] Nam dos profectitia ita est filiæ vt tamen sit etiam patris, vtrique scilicet communis.[14] At bona filij aduentitia solius sunt filij.[15] *Ita Senatus* in causa Joannis Musier, contra Joannem Monnier, 6. Cal. Aug. 1588.

1 Interdicta enim est patri bonorum filij aduentitiorum alienatio, *l. cum oportet 6. § non autem, C. hoc tit.*

2 Bald. & Castr. *ad l. cum à matre, num 5. & 6. de rei vindic.* vbi etiam gloss. per textum *in l. quemadmodum 7. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47. l. iubemus 14 § sane si hæc, C. de sacros. eccles.* & ibi Bart. *n. 10.* Idem Bart. *in Consiurandum quod ex conuentione 17. § procurator, num. 6. D. de iureiur.* Adde text. *in l. 1. C. de liber. caus.*

3 Multa enim potest facere pater ex filij persona, quæ ex sua non posset, *l. 3. § Pomponius, ff. de minor. l. patre 27. eod.*

4 *L. 1 C. de bon. matern. d. l. cum oportet 6. § non autem, C. hoc tit.* quia quod contra legem factum est pro infecto habendum est, vt ait *dict. l. iubemus 14. § sane si hæc, in fin. C. de sacros. eccles.* Addidi *si aliud nihil obstaret*, quia si filius factum patris adprobauerit, aliud est, maxime si adprobauerit post ipsius patris mortem, *argum. l. si quando 35. § 1. vers. sed hoc ita, C. de inoffic. testam.*

5 *Ex l. si non sortem 26. § filiusfamilias, D. de condict. indeb.*

6 Vt bene Castrensis & alii ad eum locum interpretantur.

7 Quia tunc necessaria est restitutio cum rescindendum est factum, quod ipso iure tenet, non autem cum non tenet, *l. 3. C. si aduers. libert. l. 2. C. de præd. minor.*

8 Ne scilicet videatur iudicium sine patris auctoritate consistere, *l. vlt. § necessitate, C. hoc tit.*

9 Cum filius ipse non contraxerit.

10 Gloss. *in cap. veniens, ad fin.* Extr. *de transact per cap. 1.* Extr. *de in integr. restit.*

11 *Tot. tit. Ne filius pro patre &c.*

12 Nam prælatus ecclesiæ quæ proprietaria est vicem gerit.

13 *L. 2. § quod si in patris potestate, vers. cæterum*, vbi Bart. & Ias. notant. *ff. solut. matrim.*

14 *d. § quod si in patris.* saltem eo respectu, quod ad patrem ea dos redire aliquo casu potest, *l. pater filiæ 7. ff. de euict.*

15 Excepto vsufructu qui ad patrem pertinet, *d. l. cum oportet.* sed qui non potest facere quo minus bona sint solius filij, *l. recte dicimus 25 ff. de verb. signif.*

DEFINITIO II.

SI tamen pater, vt fieri adsolet, cum bona filij alienaret, iurauerit se nullomodo nullaque ex causa contra vnquam venturum, omnis sane agendi via ei præclusa esse intelligetur propter iurisiurandi auctoritatem,[1] adeo vt neque filio agere volenti consensum & auctoritatem accommodare possit.[2] Quam ob causam non insubtiliter quidam remedij loco inducendum putauerunt, vt postulante filio cogatur per iudicem pater agenti filio consentire, propterea quod iusiurandum quodlibet eam semper interpretationem admittere debeat, vt salua exceptaque intelligatur auctoritas superioris,[3] cui parere sit necesse.[4] Quid vero si eadem bona quasi perperam & contra legem alienata filius viuo adhuc patre qui vendidit alteri velit vendere?[5] An permittendum erit patri vt filio vendenti consentiat,[6] aut filio vt vendat, etiam inuito vel non consentiente patre in cuius sit potestate?[7] Neutiquam. Obstat enim patri proprium iusiurandum,[8] filio vero auctoritas patris & ius potestatis.[9] At neque cogendus erit hoc casu pater à iudice vt agenti filio vendentive consentiat. Tum enim remedio locum fieri æquum est, cum id agatur vt male facta alienatio reuocetur, non vt res alienari prohibita rursum distrahatur.[10] Nisi eo demum casu, quo ex causa necessaria iudex videat permittendam decernendamq; distractionem:[11] Extra hunc casum qui à solo patre prior emit, securus est hactenus vt ei præferatur, cui postea filius

BIU Cujas

cum patris auctoritate vendiderit.[11] Prius itaque est, vt prior alienatio reuocetur, quam vt ad secundam veniri possit.[12] *Ita Senatus* in eadem causa. Vide tit. De rei vindic. Defin. I.

1 Est enim omnino seruandum iuramentum, quod seruari potest citra dispendium salutis æternæ, licet præstitum sit contra leges ciuiles, *cap. cum contingat, & pass.* Extr. *de iureiur. cap. quamuis pactum, de pact. in* 6. licet aliud sit de iure ciuili, *l. nou dubium* 5. *in fin. C. de legib. l. iuris gentium* 7. *§. generaliter, D. de pact. l. si quis inquilinos* 112. *§. vlt. de legat.*

2 Quin hoc ipso periurium incurrat, cum hac parte pariâ sint agere & agenti consentire.

3 Ita singulariter Bald. *in l. vlt. §. in computatione, col.* 2. *in fin. vers. nunc venio ad quasdam quæstiones, C. de iur. delib.*

4 *L. non videntur* 167. *§. qui iussu, de reg. iur. l. vlt. D. ad municip.*

5 Scilicet quasi nunquam alienata.

6 Quemadmodum consentire posset & deberet filio agenti, *d. l. vlt. §. necessitate, C. hoc tit.*

7 Nam si esset emancipatus, nullus esset locus quæstioni, cum pater non sit legitimus administrator filij emancipati, qui ipse paterfamilias est, & quodammodo extraneus patri, *l. quin etiam* 55. *in fin. D. de rit. nupt.*

8 Quod omnino seruari debet & inuiolabiliter, vt dixi *num.* 1. *Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

9 Non enim filio magis quam patri permissa est huiusmodi bonorum alienatio, *l. vlt. §. ipsum autem filium, vers. non autem, C. hoc tit.*

10 Ne ludibrio sint leges & magistratus, si contra leges magistratus auxilium imploretur, *arg. d. l. vlt. §. vlt. vers. non autem filio.* iunct. *l. auxilium* 37. *D. de minor.*

11 Hoc est ad alendos liberos, vel etiam patrem ipsum inopia laborantem, *dict. §. ipsum autem filium, vers. sed pater quidem.*

12 Quia cæteris paribus præferri debet is, qui prior contraxit, nactusque est possessionem, *l. quoties* 15. *C. de rei vindic.* cum aduersus extraneos etiam vitiosa possessio prosit, *l. vlt. D. de acquir. possess.*

13 Non enim ferendum est vt eadem res duobus in solidum vendatur, *l. qui duobus* 11. *ff. ad leg. Cornel. de fals.*

DEFINITIO III.

Pater potest ex causa æris alieni vendere bona filij sine decreto, sed æris alieni causam probari oportet aliter quam ex patris assertione.

NOn bene tutori comparatur pater in administratione bonorum filij, quamuis vterque sit legitimus administrator. Tutor enim licet æs alienum vrgeat; tamen pupilli rem sine decreto distrahere non potest.[1] Pater potest,[2] siue quod plus iuris habeat, qui solum administrator est, sed etiam fructuarius,[3] siue quod multo minus suspecta patris quam tutoris fides esse debeat:[4] cum & si quando causa cognita iudicem quid statuere oportet, soleat ille, & plurimum teneatur patris subsequi voluntatem.[5] Plane patri æris alieni necessitatem obtendenti, & ex ea causa filij bona distrahenti non facile credetur, vt neque tutori si alia probatio nulla sit.[6] In ipsa enim re non in parentis arbitrio esse debet iusta distrahendi causa,[7] quæ tamen si subsit ratio nulla est, cur ad alienationis vires minorem patris, quam iudicis auctoritatem existimare debeamus.[8] Vnde illud etiam manat quod dici solet, in dubio non præsumi filium læsum ex contractu, quem pater filij nomine inierit,[9] neque omnem alienationem bonorum filij interdictam patri, sed eam tantum quæ iustam causam nullam habeat.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. magis puto* 5. *§. non passim & sequentibus, D. de reb. eor. qui sub tutel.*

2 *L. vlt. § sin autem æs alienum.* vbi Bald. *C. hoc tit.*

3 *d. l. vlt. & l. cum oportet* 6. *eod. tit.*

4 Nullum enim melius consilium est pro filio quam paternum, *l. vlt. C. de curat. furios. l. vlt. C. qui & aduers. quos.*

5 *d. l. magis puto, § sed si pater, & l. vlt. eod. tit. l.* 1. *§. & si quidem, l. filio* 6. *l. in confirmando* 8. *& l. pen D. de confirm. tut.*

6 Alioqui facile inuenta erit ratio legis eludendæ, contra *d. l. magis puto, § si pupillus, & d. § non passim, & § si æs alienum, l. scire oportet* 21. *§. 1. de legit. tutor.*

7 Cum illius arbitrio hac parte noluerit lex confidere, *d. § sin autem æs alienum, l. vlt. C. hoc tit.*

8 Nam nec iudex adhibetur in contractibus pupillorum & minorum, nisi vt patris præsentiam suppleat.

9 *d. l. vlt. C. qui & aduers. quos in integr. rest.*

10 *d. § si autem æs alienum.* [Inde est quod si filius familias heres scriptus & hereditatem ex fideicommisso restituere iussus sit, potest pater filij nomine restitutionem facere etiam sine iudice, & actiones transferre, *l. quamuis* 40. *§.* 1. *D. ad SC. Treb.* In quo plus iuris habet pater quam tutor, *l. restituta* 37. *§.* 1. *eod.* Quin & post factam restitutionem, siue re, siue verbo, si velit pater sibi emere à fideicommissario potest, nec quicquam ideo in fraudem filij fecisse intelligitur. Sed & si fideicommissarius nunquam possessor factus sit, dum tamen factus sit dominus bonitarius per restitutionem ex *l. facta* 65. *eod.* potest pater ipse sibi tradere *l. fistulas* 78. *§.* 1. *de contr. empt.* adeoque mutare sibi causam possessionis ex noua causa superueniente, id est possidere suo nomine quod antea possidebat nomine filij, *l. non solum* 33. *§ quod vulgo, ff. de vsucap.* iunct. *l. quod meo* 18. *à contr. sens ff. de acquir. possess. § interdum, Instit. de rer. diuis. l. interdum* 21. *de acquir. possess.* Nec verendum est vt hoc casu præstet filio authoritatem in rem suam: cùm nullo sit opus facto filij post restitutionem ab ipso patre, tanquam à patre factam. *Ita Senatus* in causa Nicolai Toynet, & Francisci Burut, Calend. April. 1612.] *Quid ergo si nulla vrgente causa pater vendiderit bona filij, nec ea tamen filius vindicare possit aut velit sed malit à patre, aut à patris herede petere æstimationem, an spectanda erit præsens æstimatio, aut quæ fuit tempore venditionis? Et placet præsentem deberi, quia si bona vindicaret haberet in bonis ipsis præsentem, ac verum valorem aut si ab emptoribus bona euinceret, cogeretur pater aut eius heres euictionis nomine præstare quanti emptorum interesset, quo contineretur verum & præsens rei precium, & quanti pluris nunc res esset, quàm vendita fuisset, Id enim est quod dici solet, *Id quod interest egredi plerunque rei pretium*, scilicet conuentum. Cum & iustum aliquãdo egrediatur *l.* 1 *ff. de act. empt. l. si in conditione* 60. *ff. de euict.* Sed tamen bonitas æstimabitur quæ fuit tempore venditoris non quæ nunc est *l. bonitatis* 11. *eod. tit.* Quid enim si meliorationes aut deteriorationes superuenerint? Non debet ea res meliorem facere, nec deteriorem filij conditionem. Planè si alienatio à patre facta valuisset, nec de alio filius conqueratur, quàm quod leuiore ac minus iusto precio facta fuisset, inspici deberet æstimatio quæ tum fuisset, non quę postea aucta esset. Denique hoc casu vtro tempore res minoris fuisset, superiore autem vtro tempore pluris, vt in *l. si sterilis* 11. *§. cùm per venditionem, de act. empt. Ita Senatus* in causa D. de Siccard, contra Anton. Pellissari, 27. April. 1617.

DEFINITIO IV.

Alienatio bonorum filij facta per filium ne ipsi quidem nocet, nec possunt in eius præiudicium publicari bona in quibus pater vsumfructum habeat.

BOna, in quibus pater habet vsumfructum, vsque adeo prohibetur filius alienare,[1] vt nec si iurauerit, cogi tamen possit ad obseruationem iurisiurandi etiam mortuo patre,[2] non magis quam si à prodigo cui bonis interdictum esset iuratum proponeretur.[3] Itaque nulla prorsus est alienatio non solum respectu patris, cui constat nullum in vsufructu præiudicium fieri per filium potuisse,[4] sed etiam quod ad filium attinet, quippe qui ne sibi quidem nocere potuerit propter distinctam legis prohibitionem:[5] itemque propter connexum ius patris, qui vtique paterno iure & tanquam legitimus filij administrator non aliorum bonorum vsumfructum habere potest, quam quæ ad filium ipsum pertineant.[6] Eadem ratio facit, quod magis mirum videri debeat vt etiam delinquente filio eo delicti genere, ex quo bonorum omnium publicatio irroganda sit, publicari tamen nequeat proprietas bonorum aduentitiorum, in quibus pater habet vsumfructum.[8] *Ita Senatus* 11. Calend. Decemb. 1588. Junge Defin. I. De bon. matern.

1 *L. vltim. § filius autem familias, Cod. hoc tit.* [Similiter & alienatio

alienatio huiusmodi bonorum aduentitiorum per patrem facta, vsque adeo nulla est, vt mortuo patre possit per filium reuocari proposita nimirum rei vindicatione, quoniam ex alienatione facta contra legis prohibitionem transferri dominium non potest, *d.l.vlt.& l.fin.C.de reb.alien.non alien.* Sed an per interdictum aut retinendæ aut recuperandæ possessionis? Finge filiofamilias obuenisse bona materna iure hereditario. Certum est filio non tantùm acquiri proprietatem, sed etiam possessionem, non quidem ex iure communi *l. cùm heredes 23. D. de acquir.poss* sed ex statuto & edicto quo mortuus saisit viuũ, vt loquuntur pragmatici. Nec ob id minùs eam possessionem ad filium pertinere, quod pater habeat vsumfructum. Cùm fructuarius non suo nomine possideat, sed proprietarij, cuius possessionem proinde interuertere non potest, licet naturaliter possidere videatur, *l. naturaliter 12. eod.tit.* Potest igitur filius mortuo patre petere aduersus eum qui à patre emit, vt sibi sua possessio restituatur: quemadmodum si alienatio nulla facta esset, posset petere vt in sua possessione retineretur. Postquam placuit iure nostro prouinciali, vt ea possessio statutaria, quanuis ciuilissima eosdem effectus habeat ad proponenda interdicta omnia quæ haberet vera possessio corporalis & actualis, de qua in *l. officium 9 ff. de rei vindic.* Planè aliquo casu fieri potest, vt post mortem patris vindicatio bonorum per patrem alienatorum competat, non etiam interdictum. Puta si vnus ex pluribus liberis, iisdemque heredibus matris decesserit viuo patre, & ita heredem pro parte reliquerit patrem, & ex reliquis partibus fratres vtrinque coniunctos, & pater antequàm consolaretur ad secunda vota fundum maternum alicui vendiderit, & tradiderit, deinde consolauerit & decesserit. Eo namque mortuo possunt quidem alij liberi alienationem reuocare in totum, id est, etiam pro parte quæ fuerat patri quæsita, quippe quam amiserit per transitum ad secundas nuptias. Et ideò haud dubiè competit iis vindicatio, sed non æquè tamen interdicta, quia non sicuti dominium quod fuit patris, recurrit ipso iure ad liberos per secundas nuptias, non obstante alienatione contra legis prohibitionem facta, ita potest ad eos redire possessio partis paternæ, quam nunquam habuerunt, & quæ per venditionem translata fuit in emptorem. Cùm etiam ex contractu nullo transferatur possessio, *l.1.§.si vir vxori, D.de acquirend. possess.* Vnde fit vt pro aliis partibus quæ ex fratris prædefuncti hereditate ad alios liberos peruenerunt, possint quidem illi agere interdicto recuperandæ possessionis tanquam spoliati, quandoquidem illegitimum factum patris pro facto filij censeri non potest sed non interdicto retinendæ, cùm possessionem illam statutariam amiserint per alienationem quantumuis nullam & nulliter à patre factam, *d.§.si vir vxori. Ita Senatus* contra Claudium Besson, pro Ioanne & Michaele l'Heritier 17. Iunij 1614.]

2 *Cap.non est obligatorium, de reg.iur.in 6.*

3 Imb.de Bouenc. *ad Auth.sacramenta, n.39.*

4 Boer. *qua.7.num.18* post Bald. *in l.1.hoc tit.* & Corneum *cons.108.in fin. vol.3.*

5 *L.cum non solum, §.filiis, C.hoc tit.* Salic. *in l.3 C.de bon. damnat.ex l.cum ancillis, C.de incest.nupt.à contr.sens.*

6 *L.cum oportet, & dict.l.vlt. C.hoc tit.* Et ex hac ratione responderi potest ad id, quod quidam obiiciunt, quos refert Boer. *d.quæst.7.n.14.* alienationem quæ ex causa delicti proficiscitur esse necessariam. Ex gloss. *in l. etsi condemnatus, ff.de noxal.act.* Itaq; etiam si pater deliquerit, tamen placet saluum ei esse vsumfructum. Boer. ex Bart. *d.quæst.7.n.10.* licet contra sentiat idem Bart. *in l.si postulauerit, §. iubet, ad leg.Iul.de adult.* & alij quos refert idem Boer. *ibid.n.2.*

7 Bart. *in l.si finita §.si de vectigalibus, qu. 6. de damn.infect.* Boer. *qu.7.n.10.& seqq.* vbi tractat quid in peculio profectitio & Castrens. Guid. Pap. *qu.516.*

8 Limita nisi pater consentiat, vtputa si filio ille administrationem concesserit. Sic enim Boer & Bart. & aliis quos refert *d.quæst.7.n.15.* licet contra sentiat Abb. *cons.66.lib.2.*

DEFINITIO V.

Pater non est legitimus administrator beneficiorum ecclesiasticorum filij familias.

BEneficij ecclesiastici, quod à summo Pontifice aut ab ordinario collatum in filiumfamilias fuit, pater neque legitimam administrationem habet, neque vsumfructum.[1] Ea ratione, quod nec ad ipsum filiumfamilias, sed ad ecclesiam proprietas beneficij spectet,[2] nec in huiusmodi causis filiusfamilias sequatur ius potestatis, sicut nec in cæteris, quæ ad ius publicum pertinent.[3] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 32. sup. de probat.

1 *Cap.fin.* vbi Canonist. *de iudic.in 6.*

2 *Cap.cum olim.* vbi Panorm. post Innoc. *Extr. de test.* Iacob. Put. *decis.441. lib.2.*

3 *L.nam quod 14. D.ad SC.Treb. l. quippe 78.* iunct. *l. præced. D.de iudic.*

DEFINITIO VI.

Bonorum, quorum non habet vsumfructum pater, nec legitimus administrator est: perdit vero etiam cæterorum administrationem, si in iis male versetur dolo malo.

PAter legitimus filij administrator non est in iis bonis, quorum non habet vsumfructum.[1] Sed & si in iis bonis, quorum fructuarius est dolo malo versatus probetur, æquissimum est permitti filio vt etiam sine patris auctoritate iure suum in iudicio persequatur, vt eam saltem fraudis suæ pœnam pater sentiat,[2] præsertim vero si iudicium non nisi patris periculo & incommodo exerceri possit, isque adeo lapsus sit facultatibus, vt eo postea defuncto nunquam filius sit ex ipsius bonis indemnitatem consecuturus.[3] *Ita Senatus* in ea causa de qua sup. SC. 12. de legat.

1 Et ideo placuit Iustiniano, vt de iis bonis, in quibus pater non habet vsumfructum, possit filius pro arbitrio disponere *Nouell.117. vt liceat matr.& auiæ, cap.1.* non tamen testari *l. penult.C.qui testam.facer.poss. vel non.*

2 *Arg l.Imperator 50. D. ad SC.Treb. l. sed si vnius 21. §. interdum tamen, D de iniur.*

3 Inanis enim est actio quam debitoris inopia eludit, *l. nam ii 6.D.de dolo.*

DEFINITIO VII.

Cessio bonorum non auffert patri legitimam administrationem bonorum filij nec vsumfructum: Prodigalitas vero auffert administrationem, sed non vsumfructum.

PAtrem, qui æris alieni magnitudine oppressus bonis cesserit, non eo minus legitimum filij administratorem censendum esse constitit.[1] Ideoque & iudicium corruere quod sine ipsius auctoritate filius exercuerit.[2] Multo minus permittendum est vt filio impuberi tutor detur, aut curator minori, qui in patris est potestate.[3] Certe si paupertas patris à malis moribus causam habuerit, quod is prodigus sit & talis, qui ipse indigeat curatore, aufferenda ab eo est administratio, curatorque & patri & filio dandus vt vtriusque indemnitati consulatur.[4] Sed ita tamen vt patri saluus sit vsusfructus, cuius alioquin causa non solet ab administrationis iure separari.[5] *Ita Senatus* ex tempore 9. Cal. Jul. 1592.

1 Nam cessio bonorum est beneficium iuris & legis Iuliæ, quo proinde iuuari patrem non decipi nec damnum sentire oportet, *l.4.C.qui bon.ceder.poss.* iunct. *l.in commodato 17. §. sicut, vers.adiuuari, D.commodat.*

2 *L.vlt.in fin.princ.vers.necessitate, C.hoc tit.* [vbi Bald & post eum alij notant, Ne quidem in possessorio posse filium de his bonis agere sine consensu patris, nisi pater sit absens Quam sententiam licet plerisque reluctantibus communiorem & veriorem esse defendit Iacob. Men. *in tract.de recup. poss.remed.*]

3 Nec enim paupertas legitimus modus est tollendæ patriæ potestatis, *tot.tit.Inst. quib.mod.ius patr.po. est tollit.*

4 *Arg.l.vlt.C.de legit.tutel.* iunct. *§. item maior. Inst. de excus.tutor.*

5 *d.l.vlt.& l.cum oportet 6.C hoc tit.& ibi notat.* [Si tamen pater sit prodigus, qui dissipet non tantùm fructus & reditus, sed ipsam quoq; rerum substantiam, tenetur satisdare de bene vtendo fruendo. Ad quod alioqui non tenetur. Boer. *decis 61. nu.10.* Nec si omnes fructus dissipet, quia fructuum rationem reddere non cogitur, *d.l.vlt.*]

BIU Cujas

DEFINITIO VIII.

Quod filiusfamilias acquirit ex pecunia dotali nec mulieri acquiritur nec patri, sed ipsi filio.

QVod filiusfamilias sibi emit ex pecunia dotali nec mulieri acquiritur,[1] nisi in subsidium, id est, marito non existente soluendo,[2] nec patrifamilias, quia non ex re ipsius acquisiit,[3] postquam ex Iustiniani constitutione[4] inductum est vt filiusfamilias sibi acquirere possit ex causa qualibet, dummodo non ex re patris.[5] Itaque si in eam rem agant paterni creditores iustam intercedendi causam habet filius, quod attinet ad proprietatem.[6] An & quod ad fructus? Vtique, nisi ponas filium habitare cum patre & vniuersa matrimonij onera per patrem sustineri,[7] quo casu dotis fructus ad patrem pertinere æquum est,[8] & consequenter ex eius persona ad patris creditores,[9] si modo aliunde habeat pater ex quo possit matrimonij oneribus sufficere.[10] Sane quod filiusfamilias acquirit ex pecunia dotali non suo, sed vxoris suæ nomine, non solum mulieri quæritur, sed ita etiam vt sit dotale tanquam in dotalis pecuniæ locum subrogatum. Quo pertinet quod à Iureconsultis proditum est, res quæ ex pecunia dotali comparatæ sunt dotales videri.[11] *Ita tractatum est* in causa Bouier in secreto auditorio, Non. Iulij 1593.

1 *L. ex pecunia* 12. *C. de iur. dot.*

2 *Arg. l. si vxor marito* 55. *D. de donat. inter vir. & vxor.*

3 Quia dos in bonis mariti est, *l. quamuis* 75. *D. de iur. dot.* non in bonis soceri *l. si filia* 20. *§. hoc amplius, ff. famil. ercisc. l. actione* 61. *§. vlt. ff. pro socio.*

4 *In l. cum oportet* 6. *C. hoc tit.*

5 Nam in peculio profectitio nihil est innouatum à Iustiniano, *d. l. cum oportet, vers. si quis itaque.*

6 *L. 1. & tot. tit. C. ne filius pro patre.*

7 Quia etiam filij onera agnoscere pater debet, *d. §. hoc amplius, l. penult. D. de agnosc. & alend. liber.*

8 Ibi enim dos esse debet vbi sunt onera matrimonij, *l. si is qui* 56. *§. ibi dos, D. de iur. dot.* iunct. *l. pro oneribus* 20. *C. eod.*

9 Quia paratam actionem habent creditores præsertim hypothecarij in bona sui creditoris, *l. creditoris* 8. *D. de distract. pign.*

10 Alioqui conseruanda dos est mulieri & marito & liberis vt ex ea alantur, *l. vbi adhuc* 29. *C. de iur. dot.*

11 *L. res quæ* 54. *ff. eod. tit.* Scripsi *lib.* 5. *Coniectur.*

DEFINITIO IX.

Quod acquiritur per filiumfamilias non ex re nec industria ipsius, acquiritur patri; nec eo minus tamen obligatur filio vt cætera bona paterna, puta pro dote matris.

FIliafamilias cum neque peculium vllum aduentitium haberet, neque eius esset ætatis vt sibi ex propria industria posset aliquid acquirere,[1] fundum absente patre sibi emerat à paternis creditoribus, quibus postulantibus fundus ille publice venditus fuerat, nulloque existente extraneo emptore iisdem pro ea summa, quæ debebatur, addictus.[2] Placuit patri per filiam fuisse quæsitam fundi proprietatem,[3] adeoque possessionem,[4] quod ex peculio profectitio quæsitus videretur. In quo bonorum genere nihil à Iustiniano immutatum est de antiquo iure,[5] quo obtinebat vt per filiosfamilias parentibus omnia quærerentur.[6] Itaque siue viuo patre siue post eius mortem alij patris creditores, etiam qui post emptionem facti sint, petant mitti se in eius fundi possessionem iure pignoris siue conuentionalis, siue prætorij aut iudicialis, nullum filiæ prohibendi ius est, tametsi non sit illa heres patris, quod eo casu tanto minus iuris, imo nihil prorsus in eius bonis habeat.[7] Plane si pro dote materna aliáve causa anteriori filia patris bona omnia obligata habere probetur,[8] iniquum sit hoc solo duriorem eis in fundo isto conditionem fieri, quod ipsa patri, non pater sibi ipsi eum comparauerit. Ideoque posterioribus cæteris præferetur.[9] Extra hanc causam si cæteri creditores propria etiam si voles auctoritate fundi huius possessionem occupauerint, frustra se filia dicet spoliatam; cum spoliari non potuerit, quæ nunquam possedit,[10] nec vnquam possedisse quæ patriam inde ab initio & primo ipso acquisitionis momento cum proprietate possessionem quoque quæsierit.[11] Si tamen patri heres extiterit, eo certe casu poterit se dicere spoliatam, quo alius quilibet patri heres idipsum dicere posset,[12] ne sit deterioris conditionis quam extraneus.[13] *Ita Senatus* in causa Sebast. Bernard. & N. de la Chinal, prid. Id. Nouembr. 1593.

1 Acquirere enim de bonis suis censetur aut ex sua industria, qui habet vnde sibi possit acquirere, *cap. relatum* 2. *cap. quia nos, de testam.* Boer. *quæst.* 20 *n.* 5.

2 Sic enim fieri solet & debet, *l. cum bona* 16. *de reb. auctor. iudic. possid. alias l.* 1. *de priuileg. credit. l.* 1. *& 2. C. si in caus. iudic. pign. cap. sit.*

3 *Ex l. placet* 79. *D. de acquir. hered. l.* 1. *D. si à parent. quis manum sit.*

4 Quæ scilicet facilius per alium acquiritur quam proprietas, *l.* 1. *C. per quas person. nob. acquir.*

5 *L. cum oportet* 6. *vers. si quis itaque.* in illis verbis, *non ex eius substantia cuius in potestate sit, C. hoc tit.*

6 Exceptis scilicet iis, quæ nollet pater sibi per filium acquiri, *l.* 4. *§. sed & filiusfamilias. ff. de edend. l. is qui heres* 13. *§. vlt. de acquir. hered. l. cogi* 16. *§. si pater filio, ff. ad SC. Treb. l.* 1. *C. qui admitt.*

7 *L. in suis* 11. *ff. de liber. & posthum.*

8 *d. l. cum oportet. §. vltim.* iunct. *l. vnic. C. de rei vxor. act.* [Nam in aliis bonis aduentitiis filius non habet ius vllum hypothecæ in bona patris, *d. l. cùm oportet* 6. *§. non autem hypothecam.* Imò nec inuentarium facere pater tenetur de bonis aduentitiis filij, quamuis alius quilibet vsufructuarius extraneus teneatur, *l. vlt. §. hoc proculdubio, eod tit.* in illis verbis, *& ab aliis omnibus.* Bald. *ad Auth. causa quæ, C. de episc. & cleric.* Vide tamen Specul. *in tit. de instrum. edict. §. vlt. vers. quid de patre.* Et sanè cum inuentarium maximè sit necessarium pro rebus mobilibus, quas tamen potest pater impunè ac pro arbitrio vendere, ac de earũ precio, prout vult cum paterna pietate disponere, vt subijcitur in eadem lege, consequens est, vt nullius vtilitatis possit esse tale inuentarium, Nisi ponas patrem esse nudum administratorem legitimum sine vsufructu. Tunc enim indubitatè tenetur facere inuentarium, vt supradicto loco concludit Specul. In cæteris administratoribus aliud est, *l. vlt. & bon. auth. iud. poss. l.* 1. *§. vlt. de vent. in poss. mitt. l. orphanotrophos, C. de episc. & cleri.* Vide *apostill. ad Specul.* Vbi dicit consuetudinem ita obseruare, vt nõ teneatur pater facere inuentarium. De hypotheca obscurior quæstio est, An possit eã habere filius in bonis aduentitiis aliis quàm maternis. Nam in maternis certum ius est quòd pro iis, & eorum administratione bona patris sunt obligata ex Iustiniani constitutione quæ hoc primum induxit in *l. si quis prioris* 8. *§. vltim. C. de secund. nupt.* & quam refert in *d. l. cùm oportet, §. vlt.* Sed in aduentitiis quoq; nostri intelligunt dispositionem *d. §. vlt.* ob id quod etiam de administratione loquatur. Sic enim ad eum locum ratiocinatur Castrens. nec videt idem administrationis verbum vsurpatum in *d. l.* 8. *§. vlt.* Idem putat Bald. ad eum locum. Notans filiumfamilias non habere quidem bona patris obligata pro administratione in permissis, sed habere tamen in prohibitis. Adde Boer. *decis.* 331. *n.* 1. Sed malè meo iudicio. Repugnat enim euidenter text. *in dict. §. non autem quem probabile non est correctum esse per §. vlt. eius d. leg.* qui certè non de aduentitiis quibuslibet loquitur, sed tantùm de maternis rebus & de lucris nuptialibus, de quibus *in d. l. si quis prioris* 8. *§. penult. & vlt. C. de secund. nupt.*]

9 Quemadmodum præferetur si pater sibi comparasset. Vox filiæ hoc casu vox est patris, & contra, *§. si quis alij. Inst. de inutil stipulat.*

10 *L. non videtur rem amittere* 83. *l. non potest videri* 208. *de regul. iur.*

11 Ita vt ne momento quidem temporis acquisitio constiterit in filiæ persona, *d. l. placet.*

12 Propter edictum, quo mortuus, vt loquuntur, saisit viuum.

13 *Arg. d. l.* 1. *§. vlt. si à parent. quis manum sit.*

DEFI-

DEFINITIO X.

Filio sibi fundum emente, & tamen patiente eum à patre possideri, an contractus sit simulatus.

QVid ergo si de suo habebat filiafamilias vnde fundum emeret, passa tamē sit patrem quandiu vixit in eius fundi possessione remanere;[1] an simulationem præsumemus subiectumq; nomē filiæ in fraudem creditorum patris, etiam posteriorum, propter coniunctionem personarum, & continuatam à patre possessionem?[2] An potius familiaritatis tantum iure patrem in possessione fuisse dicemus?[3] Præsertim si inops fuit, qui nec alibi æque commode habitare potuerit. Mihi facti quæstio esse videbatur ex personarū & rerum qualitate, pretij etiam modicitate aliisque negotij circumstantiis æstimanda. Sed si apertum sit filiam de suo soluisse, non facile admittendum est vt patri potius quam sibi quærere voluisse videatur,[4] aut vt pretij restitutione contenta esse cogatur.[5] Eadem & in filiofamilias tractari possunt. *Ita tractatum est* in eodem Senatu.

1 *Arg.l.data 27.C.de donat.*
2 *Arg.l.sicut 8.§.superuacuum.D.quib.mod.soluit.*
3 *L.qui iure 41.D.de acquir poss.*
4 *Arg.l. cum de indebito 25.D.de probat.*
5 *Arg.l.non enim 9.D. rer.amot.*

DEFINITIO IX.

Patre nolente aut non valente bona filij administrare, non ideo dandus est filio tutor. Curator tamen interdum dari potest & quando.

QVæsitum est, an si pater bona filijfamilias administrare nollet, dandus esset filio impuberi tutor, qui administraret?[1] Placuit non magis recusare patrem posse vt sit legitimus administrator bonorum filij, quam vt sit pater.[2] Sed tamen si aut ætate, aut valetudine, aut minus sanis moribus impediatur, ne commode administrare possit aut velit,[3] dandum esse filio non tutorem, cum in patris vel inuiti & inuitus maneat potestate,[4] sed curatorem, qui & habenti tutorem dari plerumque posset.[5] Idemque obseruandum esse si quas pater aduersus filium actiones exercere velit, vt puta si filius paterno debitori heres extiterit.[6] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC.3.infr.De patr.potest.

1 Tutor enim vicarius quodammodo est patris, & tutoria potestas in vicem & locum patriæ potestatis cedit, §.1.*Instit. de tut.*

2 Cum nec alia ratione sit legitimus administrator bonorum filij, quam quia & pater est & habet filium in potestate. Porro non potest facere pater vt non sit pater, nec rursum vt non habeat filium in potestate nisi eum emancipando, *l. ius agnatu* 34 *D.de pact.* iunct.*l.eas* 8.*D.de capit.minut.*

3 Secundum ea quæ diximus *De fin.* 7. *supr.*

4 Nam patria potestas non nisi certis modis tollitur, inter quos non est paupertas nec dolus patris, *tot.tit.Instit.quib.mod. ius patr.potest.tollit.* iunct. *l. Imperator* 50.*D.ad SC.Treb.*

5 *L.1.& tot.tit.C.in quib.caus.tutor.habent tut. vel curat. dari potest.*

6 Cum non possit pater auctor esse filio in rem suam, vt neque tutor, *l.1 l.quod dicitur 7.D.de auctor.tutor.* * In eóque errat Bartol. qui ad *l fin.§ pupillus, de verb. obligat.* putat in iis quæ ad patrem nihil pertinent dandum esse filiofamilias impuberi curatorem, etiamsi pater auctoritatem ei præstet. Quod sanè falsum est, nec longè melior distinctio quam tradit Ioan. Papon. *in syntagm.lib.7 tit 1. des droits & estats des personnes, arrest.1.* vbi vide quid hodie dicat seruari in Gallia.

DEFINITIO XII.

Potest pater data dote profectitia, quas tamen vult leges & conditiones apponere, dum ne in præiudicium mariti. Idem in donatione propter nuptias.

DOs profectitia licet filiæ acquiratur constante matrimonio,[1] ita vt per patrem auocari non possit aut diminui in præiudicium mariti, cui tradita est,[2] retinet tamen naturam peculij profectitij. Ob eamque causam ad patrem reuertitur mortua in matrimonio sine liberis filia,[3] & quidem sine onere.[4] Ex contrario autem potest pater quatenus dos excedit legitimam quas vult conditiones doti dicere posteriore qualibet nedum suprema voluntate,[5] dummodo nullum marito præiudicium fiat.[6] Nec ad rem pertinet quod ea ratione fiat vt lædantur communes liberi ex eo matrimonio suscepti. Neque enim plus iuris habere possunt liberi ex persona matris, quam mater habuerit,[7] nisi proponas venire illos ex propria persona, vt puta si liberis quoque ex eo matrimonio nascituris pater donauerit, doti sque commodum post matrem ad eos peruenire voluerit.[8] Donationis propter nuptias, quæ à parente in filumfamilias conferri solet, eadem quæ doris ratio est. Etenim donatio propter nuptias dos est filij, sicut & dos donatio propter nuptias filiæ.[9] Igitur quod in tabulis dotalibus scriptum sit donasse patrem filio inter viuos fauore nuptiarum, & irreuocabiliter, non facit quo minus postea pater testamento possit in iisdem bonis donantis adiicere onus fideicommissi aliudve quodlibet, non quidem constante matrimonio in præiudicium mulieris, sed in præiudicium liberorum, si non ipsis quoque liberis donatum sit.[10] Etsi enim valet donatio ex hac causa inter patrem & filium, si nostris credimus, accedente præsertim iureiurando,[11] res tamen à patre donata non eo minus est profectitia, retinetque naturam peculij profectitij.[11] *Ita tractatum est* in causa Dominæ Philibertæ de la Baume Dominæ d'Ambliz, & domini Comitis de S. Amour, Cal. Febr. 1595. relatumque sic alias à Senatu nostro pronunciatum in causa quadam D. de Cornaton. *Sine die.*

1 Est enim filia quoque familias dotis capax constante matrimonio. *l. Pomponius* 35. *ff. famil. erciss.*

2 *Authent. sed quamuis, C. de rei vxor. action. l. Titia* 62. *D. de iur. dot.*

3 *L. iure succurrsum* 6. *eod. l. dos à patre* 4. *C. solut. matrim. l. pater filia* 71. *ff. de euict.*

4 Nec enim pater in dote filiæ videri potest ipsius heres, vt onera agnoscere teneatur.

5 *L. vltim. §. filia de leg.2.* * Vide tamen *l.2.& 3. C. hoc tit.* vbi dicitur meliorem esse debere conditionem liberorum donatarij quàm patris donatoris.

6 *d.l. Titia* 62. *in fin. de iur. dot.*

7 *L. si viua matre* 3. *C. de bon. matern.*

8 Quo casu non debet iis nocere, quod noceret matri, ex cuius quippe persona non veniunt, *l. quod ipsis* 143. *de regulis iur. & ibi not. l. Seia* 72. *de euict. l. Papinianus* 8. §. 1. *de inoffic. testam.*

9 Vt eleganter Cuiac. ad Afric.

10 *Arg. d.l. vlt. § filia. de leg.2.*

11 Guid. Pap. *quæst.* 146. *& seq.*

DEFINITIO XIII.

Pater ita demum habere debet vsumfructum bonorum filij, si paratus sit ex eo filium alere.

ET si pater vsufructuarius est bonorum filij, siue materna illa sint[1] siue aliunde aduentitia,[2] ita tamen vti suo iure potest si ex iis fructibus exhibere liberos velit.[3] Alioqui æquum non est saluum illi esse vsumfructum in bonis liberorum, ipsos vero liberos fame perire.[4] Inde fit vt si pater sit decoctor & dilapidator adeoque egenus, vt non habeat vnde se suosque alat, ius intercedendi habeant liberi, si à paternis creditoribus in eorum fructuum perceptione

BIU Cujas

aut possessione inquietentur.[5] *Ita Senatus* pro Nicolao & Claudio Broche, contra Antonium Baudard, 7. Id. April. 1595.

1 *L.1.& tot.tit.C.de bon.matern.*
2 *L.cum oportet, & l.vlt.C.hoc tit.*
3 Nam & de sue liberos alere pater cogeretur, *l.si quis à liberis,de liber.agnosc.*
4 Boer. *quæst.7.num.5.in fin.* iunct. *n.7.* vbi addit,ob hanc causam iis etiam casibus quibus possit vsusfructus paternus transire in fiscum aut in creditorem,cogendum fiscum aut creditorem,vt liberos alat,ne interim proprietas dissipetur *ex l.2. in fin.de alim.& cibar.legat.* Licet aliud sit si pater & vitam & patriam potestatem amiserit, puta ob crimen læsæ maiestatis, *l.quisquis,*§. *filij vero,C.ad legem Iul.maiest* Boer. *ibid.n.6.*
5 Nam & ex huiusmodi vsufructu bonorum aduentitiorum placet cogi posse patrem vt filiam doret,licet habeat ille solum vsumfructum,dummodo supersit ei vnde se alat. Boer. *vbi supr.n.9.*

DEFINITIO XIV.

Mater,quæ præfertur, auo paterno in filij sui successione,non tamen auffert auo vsumfructum, quem habuit ille in bonis viui nepotis iure potestatis.

DEfuncto talliabili nepote ex filio prædefuncto, in cuius bonis omnibus vsumfructum habebat auus paternus iure potestatis,[1] superstite tamen matre, in causa quidem petitionis legitimæ potiorem matris causam esse visum est, sicut & in successione intestati auo præferri eam oporteret,[2] tanquam in gradu proximiorem, vt non alia portionis, quam successionis legitimæ ratio constituatur: est enim legitima portio portionis ab intestato contingentis.[3] Postquam eo iure vtimur, vt contra iuris, & communis, & feudalis regulas legitima debeatur ascendentibus in bonis defuncti talliabilis, (sic enim sæpius à Senatu nostro iudicatum est[4]) tametsi succedere ab intestato non possint. Nec enim feuda(vt dici solet) ascendunt,sed tamen vsumfructum aui saluum esse: vsusfructus enim patri per filium quæsitus etiamsi ipsi filio fuisset relictus, morte tamen filij non extingueretur,[5] multo magis si patri primum & immediate fuit acquisitus, nunquam enim morte proprietarij vsusfructus extinguitur.[6] Nam quod Iustiniano placuit,plenam semper legitimam & sine vllo onere esse debere,[7] ad hunc casum non pertinet,in quo plus iuris haberet mater defuncto filio,quam filius ipse viuus habuisset,[8] si legitimam portionem petere posset in plena proprietate ex iis bonis,quorum omnium vsusfructus viuo nepote ipso ad auum pertinuisset. Est enim fauorabilior causa aui post mortem nepotis, ne afflicto detur afflictio.[9] *Sine die.*

1 *Iuxta l.cum oportet 6.& l.vlt.C.de bon.quæ liber.*
2 *Nouell.118.de hered.ab intest.venient.*
3 *L.cum quæritur 6.C.de inoffic testam.*
4 Vt dixi *Defin.1.& 2.supr.ad SC.Tertyll.*
5 *L.vlt.C.de vsufr.*
6 *L.3.eod.tit.*
7 *L.quoniam in prioribus 7.2.C.de inoffic.testam.*
8 Quod esset absurdum contra reg. *l. nemo plus commodi 120.de reg.iur.*
9 *L.iure 6. D.de iur dot.*

[DEFINITIO XV.

Quod debetur filio an & quando solui possit patri. Et quid si non tanquam patri & legitimo administratori solutum sit, sed tanquam heredi putatiuo vel habenti ius à fisco.

AN quod debetur filiofamilias, solui possit patri, apud interpretes dubitatur. Et constat quidem non posse solui patri tanquam coniunctæ personæ,ne quidem iis casibus quibus alioqui pater agere pro filio tanquam coniuncta persona etiam sine mandato posset.[1] Sed tamen si patri solutum sit, qui eo tempore legitimus filij administrator fuerit, verius est liberationem ipso iure contingere.[2] Nam & idem contingeret, in cuiuslibet alterius personæ habentis ius administrationis.[3] Parumque refert an vsumfructum quoque in filij bonis pater habeat, cum administratione coniunctum,[4] an verò nudam administrationem sine vsufructu.[5] Sufficit enim ius administrationis, vt solutio rite recteque facta videri possit, & cui ex ratione iuris fieri debuit,[6] Quamuis solum ius vsusfructus sine administratione non sufficeret,[7] Cùm vsufructuarius alienare nihil possit, nec proinde solutionem à debitore accipere.[8] Quandoquidem is qui solutionem accipit, alienat debitorem, quem liberat & amittit.[9] Quid ergo si debitor filij soluerit, patri quidem eidemque legitimo administratori, At non tanquam administratori, sed tanquam si heres esset creditoris. Finge fratrem fuisse,qui tanquam proximior ab intestato fratri successisse, vulgo credebatur nullodum producto testamento. Ex quo tamen postea apparuerit institutos heredes fratris filios solo vsufructu patri relicto cum alienationis cuiuslibet prohibitione, quod fratris mores suspectos fratet habuisset. Non eo minùs continget liberatio, si non ipso iure[10] saltem ope exceptionis.[11] Non ob id solum, quod si quo alio casu locum habere potest, quod vulgo iactari solet, si non valet, quod ago, vt ago, valere tamen debere, vt valere potest,[12] tum maximè locum habere debere, cùm agitur de liberatione[13] quæ omnium fauorabilissima est.[14] Sed etiam, quod possessori hereditatis bona fide solutum fuisse sufficiat, vt debitor cui nihil imputari potest liberetur.[15] Tantundem enim præstare solet bona fides quantum veritas, quoties lex impedimento non est.[16] Maximè verò cum de liberando tractatur.[17] Quid præterea si cum hereditatis controuersiam fiscus faceret transactum sit de negotio inter Principem & fratrem defuncti, & conuenerit vt hereditas quæ ad fratris filios ex testamento pertinebat fratri relinqueretur data Principi certa pecuniæ quantitate, cuius explicandæ gratia iusserit Princeps debitoribus hereditariis, vt patri soluerent, iussumque illud Senatus adprobauerit. Deinde debitor nulla alia coactione expectata patri soluisse proponatur? Quidni liberabitur, qui & Principis imperium & Senatus fidem secutus fuit?[18] His sane tot tantisque bonæ fidei argumentis concurrentibus, placebat ipso iure liberatum debitorem[19] tametsi solutionis tempore instrumentum debitæ pecuniæ, quod tum pater in manibus non habebat, ab eo non recepisset.[20] Nec ob id magis in obligationem semel extinctam recidere debuisse,[21] quod idem pater post malè administratas res filij tandem pauper ac non soluendo decessisset.[22] Ita tractabatur in causa quadam ardua nondum decisa 6. Jul. 1614.

1 Bart. *in l.qui hominem 34.per ill.text.D.solut.*Castr. *in l.liberto 31. aliàs l. qui aliena.*§. *quanquam,D.de negot.gest.*Guid. Pap. *quæst.526.*
2 *d.*§ *quanquam.*
3 *L.Lucius 46* § *tutela,D.de admin.tut.l.filia 88.D.de sol.*
4 *Ex l. cum oportet 6. & l.vlt C.hoc tit.*
5 Vt in casu *Auth.excipitur eod.*
6 *d.*§.*quanquam,d.*§.*tutela,d.*§ *filia.*
7 *dictis legibus.*
8 & 9 *L.interest 6.C.de vsufr.*§ *nunc admonendi,vers. illeque Inst.quib.alien.lic.vel non.*
10 Si quod putatiuo heredi solutum est ad verum heredem peruenerit,*l. sed eis 25.*§.*item si,l.si quid 31.*§.*vlt.* vbi Bart.*D.de hered.petit.*
11 Vt

BIU Cujas

11 Vt & aliis pleriſque caſibus de quibus *in* §. 1. *&* §. *qui hominem, l. cum quis* 38. *de ſolut. & in gloſſ. magna in d. l. ſi quid,* §. *penult.*

12 Bart & alij ad *l.* 3. *D. de iur. codic.*

13 *L. cùm is* 32 §. *mulier. D. de cond. indeb.*

14 *L. Arianus* 41. *D. de oblig. & act.*

15 *d. l. ſi quid,* §. *vlt. de her. pet.*

16 *L. bona fides* 136. *de reg. iur.*

17 Pro qua inducenda ſufficit bona fides ſoluentis, licet is qui ſolutionem accepit nullum eius accipiendæ ius habuerit *d. l. qui hominem*, §. *ſi Titium. d. l. cùm quis* 38. §. 1. *& qui hominem. ff. de ſolut. d. l. filia* 88. *d. l. filius* 90. *de ſolut.*

18 Vt in *l. Paula Callinico* 27. §. *vlt.* vbi eſt textus elegans accommodatus *De leg.* 3. Dolo ſiquidem caret qui ſoluit iuſſu iudicis *l. non videntur* 167. §. 1. *de reg. iur.* multo magis qui iuſſu Principis Senatu præſertim adprobante. Iuſta enim eſſe creditur voluntas quælibet Principis, ſed præſertim quæ à Senatu adprobata fuit.

19 Aut ſaltem ope exceptionis quod in effectu idem eſt *l. nihil intereſt.* 112. *de reg. iur. cum ſimilib.*

20 Nam pecuniæ ſoluræ profeſſio maiorem vim habet ad probationem ſolutionis & liberationis quàm redditio inſtrumenti *l. pecuniæ* 4. *C. de ſolut.*

21 Semel enim extincta obligatio nunquam potest reuiuiſcere *l. qui res* 89. §. *& aream, D. de ſolut. l. ob eam cauſam* 9. *ff. de præſcr. verb.*

22 Ea nempe diſtinctio tunc locum habet cùm ſolutio facta eſt ei qui tum non habebat ius adminiſtrationis *d. l. ſi ita* 84. *in fin. de ſolut. l.* 4. §. *vlt. ff. de euict.* Adde pro confirmatione eius quod diximus *num.* 18. *actum textum in l. liberto* 21. §. *Lucius, D. de ann. legat.* Bart. *in terminis ad l. creditor* 102. *ff. de ſolut. & ad l. ſi te bonis* 10. *C. de iur. delib. & ibid.* Bald. *& conſ.* 299. *vol.* 1. Adde Boer. *quæſt.* 61. *num.* 10. *& nu.* 21. vbi ait patrem cogi interdum ſatiſdare de bene vtendo fruendo ſi diſſipet ipſam rerum ſubſtantiam & diſtinguit an pater habeat vſumfructum à lege an ab homine.]

CODICIS FABRIANI DEFINITIONVM FORENSIVM, ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ Senatu Tractatarum,

LIBER SEPTIMVS,

TITVLVS PRIMVS.

DE DEDIT. LIBERT. TOLLEND. ET TALLIABILIBVS.

DEFINITIO I.

Communio in quibuſdam bonis talliabilibus non impedit ſucceſſionem & ius domini in bonis ſeparatim acquiſitis.

SI DVO pluresve fratres dediticiæ, vt loquimur talliabilis conditionis indiuiſam parentum hereditatem retinuerint, ſibi tamen quiſque ſeparatim ex propria induſtria quæſierit,[1] altero tandem ſine liberis decedente, ſuccedet dominus in bonis ſeparatim acquiſitis,[2] in communibus non item, vt bonorum communio, quæ ius domini excludere ſolet,[3] non pro aliis bonis profit, quam quæ ſint communia.[4] *Ita Senatus* 4. Calend. Decembr. 1588.

1 Nec enim communio hereditatis inducit ſocietatem bonorum omnium per coheredes acquiſitorum, maxime ſi aliunde acquiſita ſint, quam ex hereditate, *l. cum duobus* 52 §. *Papinianus*, alias *l. ſi fratres D. pro ſocio, l. ſi patruus* 4. *C. commun. vtriuſque iudic. l.* 2. *C. pro ſocio.*

2 Nempe quia quod ad bona illa attinet neque liberi vlli ſunt, neque condiuiſores, & ita exiſtit & committitur ſtipulatio, cuius poteſtate dominus feudi ius habet vindicandæ ſibi ſucceſſionis. Habet enim ſtipulatio vnicam illam conditionem, in duas tamen negatiuas partes diuiſam, ſi neque liberos neque condiuiſores vllos relinquet is, de cuius ſucceſſione agitur, *cap. pluribus fratribus.* quo in hac materia vtimur.

3 *d. cap. pluribus fratribus.*

4 Vt ſcilicet limitata cauſa limitatum pariat effectum, *vulg. l. in agris* 16 *ff. de acquir. rer. domin.* Corn. *conſ.* 299. incip. *remittendum eſt, col.* 1. *lib.* 4.

DEFINITIO II.

Redempto fundo talliabili ex pacto de retrouendendo pretium debetur domino, cui fundus auffertur.

FVndum talliabilem quis emerat cum pacto De retrouendendo, tum priuſquam fundus redimeretur, ſine liberis deceſſerat. Redempto poſtea quandocunque fundo pretium non ad defuncti heredes[1] pertinebit, ſed ad directum fundi dominum, ad quem fundus ipſe pertineret vtique,[2] ſi non redimeretur. Nec quod pretij pecunia non ſit talliabilis, mouere debet.[3] Sufficit enim, quod in fundi ius & locum ſuccedat eo tempore, quo fundus iam fuerat domino quæſitus.[4] *Ita tractatum eſt* in Senatu 4. Calend. Decemb. 1588.

1 Quamuis heredes ſuccedant in vniuerſum ius, quod defunctus habuit, *vulg. l. cum heres* 11. *de diuerſ. temp. præſ. cum ſimilib.*

2 Iure ſcilicet feudi & ſtipulationis, ex qua petitur poſſeſſio bonorum ſub talliabili conditione alienatorum.

3 Sicut neq; pecunia redacta ex re communi eſt communis, *l. ſi vnus ex ſocijs* 67. §. *ſi vnus, D. pro ſocio*, nec furtiua pecunia, quæ redacta eſt ex venditione rei furtiuæ, *l. qui vas* 48. §. *vlt. D. de furt.* nec mea pecunia quæ ex venditione rei meæ, vt neque è contrario res erit mea quæ fuit comparata ex mea pecunia, *l. ſi ex ea* 6. *C. de rei vindic.* neque dotalis quæ ex pecunia dotali, *l. ex pecunia* 12. *C. de iur. dot.*

4 Vt qui non poteſt rem habere ſaltem habeat pretium, *arg. l. vlt.* §. *vlt. de leg* 2. *l. quidam ita* 25. *ſi quis filium, D. ad SC. Treb.* Ex regula ſubrogationis *l. ſi quis* 10. § *qui iniuriarum. ſi quis caution.*

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Recognitio vnius ex condiuiſoribus nocet cæteris, ſi alia recognitio præcedat.

PLuribus fratribus, aut patruelibus, aut alterius gradus agnatis in bonorum communione manentibus, poteſt vnus ex iis non ſuo tantum, ſed etiam aliorum nomine dedititiæ libertatis conditionem profiteri, &, vt loquimur, recognoſcere talliabilitatem, ita vt ex eiuſmodi profeſſione inducatur probatio aduerſus cæteros quoque qui profeſſi non fuerint.[1] Nec ſolum ſi profeſſus ille ſit, qui aut natu grandior fuit aut communionis adminiſtrationem habuit,[2] ſed & ſi alius quilibet ex condiuiſoribus, ſi modo alia recognitio præceſſerit, cuius vi & poteſtate poſterior vel ab inuito extorqueri potuerit.[3] Alioqui æquum non eſſet in re tanti momenti, quanti eſt cauſa ſtatus,[4] alteri per alterum iniquam conditionem inferri.[5] Videtur autem ius hoc ex inueterata conſuetudine potius, quam ex iure profectum,[6] ob eam fortaſſe cauſam, quod huius conditionis homines vt plurimum ſui furtum facere ſoleant, & originis ſuæ locum deſerere.[7] Quod cum euenit, iniquum eſt meliore iure cenſeri eum, qui dolo fortaſſe abſit, quam qui præſens eſt, iuſtaque ſtatus ſui profeſſione fidem domino exhibere non recuſat.[8] *Ita Senatus* in cauſa D. de Riddes contra Aynardam Bargin 3. Cal. Decemb. 1590. & alias ſæpiſſime.

1 Quod totum eſt ex conſuetudine apud nos recepta in hoc hominum genere. Nam ex ratione iuris profeſſio vnius nihil probat aduerſus alios, *l. tranſact. matris, 26. C. de tranſact. l. neque natales 10. l. matrem 17. C. de prob.*

2 Hoc tamen fit magis communiter, & hic caſus habet maiorem rationem, quia condiuiſor qui rem communem adminiſtrat videri poteſt habere à cæteris mandatum ſaltem tacitum, cum hęc res maxime pertineat ad cauſam adminiſtrationis bonorum, quæ ſcilicet conditionem & qualitatem ſuam accipiunt ex conditione & qualitate perſonæ, *l. per curatorem 90. §. 1. D. de acquir. hered. l. vlt. C. de inoff. teſtam.*

3 Nam quod te inuito poteſt fieri, etiam te ignorante fieri poteſt, *l. qui poteſt inuitis 26. de reg. iur.*

4 Quæ ideo non niſi maiores iudices habere poterat, *l. non diſtinguemus 32. §. de liberali, D. de recept. qui arb. recept. l. 1. C. de pedan. iudic.*

5 *L. non debet alteri 74. de reg. iur. l. 2. D quod vi aut clam.*

6 Vt conſtat ex legibus citatis *num. 1.* Vide tamen *l. cum ſcimus 22. § illud, C. de agric. & cenſit. lib. 17.*

7 *L. 1. vbi not. C. de ſeru. fugit.*

8 *Arg. d. l. cum ſcimus 22. §. illud, C. de agric. & cenſit. lib. 11. tit. 47.*

DEFINITIO IV.

Communio bonorum inter talliabiles ſublata per diuiſionem non poteſt inſcio domino redintegrari.

QVemadmodum manente communione bonorum talliabilium, ſi alter ex condiuiſoribus ſine liberis deceſſerit, nullus domino locus eſt:[1] ita ſemel diſſoluta communione atque ita quæſito iam iure domino, fieri numquam poteſt, vt ea vel inuito vel inſcio domino redintegretur.[2] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Quia condiuiſores non minus quam liberi defuncti impediunt ius domini, in bonis ſcilicet communibus nec ſeparatim acquiſitis, vt dixi *Defin. 1. 3. ex cap. pluribus fratribus ibi cit.* [Excipe tamen loca quædam in quibus viget cõtraria conſuetudo, vt non obſtante communione dominus ſuccedat talliabili defuncto ſine liberis, vt apud Montemontanos Maurianenſes. Sed id fit, quia dominus apud eos non ſuccedit, niſi in mobilibus. Cæterùm quemadmodum communio ſemel diſſoluta non poteſt redintegrari inſcio domino, Ita neque poteſt domino nocere communio contracta, ſiue inter fratres, ſiue inter alios eo ignorante, puta ſi plures huius conditionis homines emerint aliquid in commune. Nec ſi addas contractam inter eos vniuerſalem ſocietatem, ſiue tacitam, ſiue expreſſam; communionem enim oportet eſſe hereditariam, & habere cauſam vniuerſalem, nec voluntariam, ſed naturalem, id eſt ſucceſſionis hereditariæ quod contingit, ſi quis rem aliquam ſibi acquirat, ſiue talliabilis, ſiue talliabilem, deinde deceſſat pluribus relictis liberis, iiſdemque heredibus in ea communione manentibus. Alioqui quod à pluribus communi nomine emptum eſt, ſemper redit ad dominum pro parte illius qui ſine liberis deceſſit, licet ſuperſtitem relinquat condiuiſorem. *Ita Senatus* in cauſa R. Patris Chartuſianorum contra fratres Flotin Non. Maij 1612.

2 *Arg. l. vlt. D. de pact. d. l. 2. D. quod vi aut clam.*

DEFINITIO V.

Fœminis, quæ parentibus ſuccedunt, etiam dominus ſuccedit, non item fœminis quæ non ſuccedunt. niſi in legitima, quæ tamen iis ſolui poteſt in pecunia, ſicut & legitima, quæ debetur matri.

APud Sebuſianos meos, Gebennenſes & Focignienſes ea conſuetudo iampridem inualuit, vt vtriuſque ſexus liberi parenti ſuperſtites dominum excludant.[1] Cui conſequens eſt vt illis in locis non minus fœminis quam maſculis ſine prole decedentibus domini ſuccedant in iis etiam bonis, quæ aliunde quam à parente habuerunt,[2] ſi talliabilitas non certarum duntaxat rerum, ſed ipſius etiam capitis interuenit.[3] In cæteris prouinciis neque fœminæ ſuccedunt, neque fœminis ſucceditur, ſaluum tamen iis ius eſt petendæ legitimæ.[4] Nec filiæ tantum in bonis patris, ſed & quod magis mirum eſt, patri matrique in bonis filij, licet dici ſoleat, in feudis, quorum conditionem & imaginem quandam bona talliabilia retinent, nullum aſcendentibus vnquam locum eſſe.[5] Nimirum, fauorabilius eſt ius petendæ legitimæ, quam vindicandæ ſucceſſionis.[6] Hactenus tamen domino indulgetur, quod legitimam in pecunia numerata ſoluere poteſt, quam alioqui ſi filia ſucceſſionis capax eſſet in corporibus bonorum ſolui oporteret.[7] Vnde eſt, quod cum de legitima quæ filiæ in bonis patris hoc caſu debetur tractant pragmatici noſtri, dotem vocant, quod dotis exemplo in pecunia detur ad eam licet vſque ſummam, quæ legitimæ portioni reſpondeat.[8] Legitimam vero, quæ parenti in bonis filij debeatur, meliore eſſe conditione vt in corporibus bonorum præſtari debeat, nemo vtique dixerit.[9] Sane in quibus etiam prouinciis filia habilis ad ſuccedendum legitimam habere debet in corporibus bonorum, mater tamen non niſi in pecunia petere illam poteſt. Quia non ſicut filiæ defuncti talliabilis, quæ & ipſa talliabilis eſt, ita & matri eius quandoque dominus ſuccedere poteſt,[10] atque ita fieret domini conditio deterior, ſi feudi diminutionem pati cogeretur.[11] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Quæ conſuetudo ſane iuſtior & fauorabilior eſt, quam quæ filias excludit, *l. maximum vitium 4. C. de liber. præter.*

2 Vt ſit par & æqualis ratio in cauſa ſucceſſionis, quamuis non ſit ea regula perpetua, vt dixi *ſub tit. ad Senatuſconſultum Tertyll.*

3 Alioqui non poteſt dominus directus certorum corporum in aliis bonis, quam in dictis corporibus ſuccedere, vt limitata cauſa limitatum producat effectum.

4 Quæ ſcilicet nulla lege vel conſuetudine tolli in totum poteſt, vt dicam *Defin. 8. infr.*

5 Dixi *in tit. ad SC. Tertyll.*

6 Quamuis legitima nihil aliud ſit quam portio portionis ab inteſtato contingentis *l. quæ nuper 31. C. de inoff. teſtam.*

7 *L. ſcimus 36. §. repletionem, eod.*

8 Nam & congrua dos regulariter illa eſt, quæ legitimæ portioni reſpondet. Not. *in l. quoniam, Nouell. 29. eod.*

9 Maiore enim ratione debetur liberis legitima in bonis parentum, quam parentibus in bonis liberorum, *l. ſcripto 7. §. 1. D. vtrub.*

BIU Cujas

1.D.vnd.liber.l.vlt.D.de bon.damnat.l.1.§.largius,D.de succeſſ. edict. l.in ſuis 11.de liber.& poſthum.

10 Quia mater liberorum talliabilium non ideo eſt talliabilis.

11 Quia ſuccedendi ſpem amittetet in omni eo quod ex feudo deduceretur.

DEFINITIO VI.

Soror dicitur eſſe in communione cum fratre propter legitimam, at non etiam liberi cum parentibus,

QVamdiu filia non accepit in pecunia legitimam, quam potuit petere in corporibus bonorum,[1] cenſetur communionem habere bonorum omnium cum fratre,[2] licet ille hæres ex aſſe à patre inſtitutus, ipſa legato pecuniario pro legitimæ iure contenta eſſe iuſſa ſit,[3] ſi modo patris voluntatem non agnouerit.[4] Inde fiet vt ſi frater interea ſine prole deceſſerit, ſola ſorore ſuperſtite, potior in ſuccedendo ſit cauſa ſororis, quam domini,[5] in iis nimirum prouinciis in quibus ex conſuetudine receptum eſſe diximus,[6] vt proinde fœminæ ac maſculi poſſint ſuccedere, dominique ius excludere. At non eodem modo poſſit quis bonorum communionem inducere inter patrem & filium aut filiam ad domini excluſionem (ſi ſorte filius aut filia relictis bonis maternis aut aliunde aduentitiis ſolo patre ſuperſtite deceſſerit,[7]) hoc vno prætextu, quaſi propter legitimam, quæ filio in bonis parentis debetur, cõmunio aliqua ſit inter patrem, & liberos. Neque enim fieri poteſt vt communio vlla ſit inter parentem & filium, cum viuo parente de legitima quærendum nihil ſit,[8] eo vero mortuo non poſſit communio incipere inter defunctum & eum, qui totum iam habeat.[9] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 *L.ſcimus 36.§.repletionem, C. de inoff.teſtam.*

2 Quia legitima licet non ſit pars hæreditatis, eſt tamen pars bonorum, *l.cum quæritur, 6.vbi not.& in Auth. nouiſſima eod.tit.*

3 Quia non cogitur filia in eo parere patris voluntati, vt nec ſi quid aliud à patre cautum ſit in fraudem legitimæ, *lege quoniam in prioribus 31.lege ſi quando 35.& generaliter eod.*

4 Poſt mortem ſcilicet patris, *d. l. ſi quando, §. illud, verſ. ſed hoc ita.*

5 Quia non minus condiuiſores quam liberi excludunt ius domini, vt dixi *Defin.* 1.& 4 5.

6 *Defin. prox. præced.*

7 Cum in iis bonis nihil iuris habeat pater niſi vſumfructum, *l.1.C.de bon.mat.l.cum oportet 6.C.de bon quæ lib.* quæ res non inducit communionem, *l.recte 25.de verbor ſignific.* quia vſusfructus in iure non in parte conſiſtit, *l. Meuius 66.§.fundo, de legat.2.*

8 *dict.l.cum quæritur.* iunct. *l.1.§. ſi impubere, D.de collat. bonor.*

9 Quoniam qui defunctus eſt nullus eſt. Vnde dicimus liberum defuncti libertum eſſe nullius, & res hæreditarias nullius eſſe, *l.1.de rer. diuiſ.l.3.in princ.D.de pecul.*

DEFINITIO VII.

Filia non poteſt per diuiſionem factam in teſtamento patris excludi à ſucceſſione fratris talliabilis, niſi agnouerit voluntatem.

AT quid ſi filia in certa, vt fit, quantitate hæres inſtituta, & eo modico contenta eſſe iuſſa nupſerit, & maritus dotem ab abſente accipiendo voluntatem defuncti agnouerit? Non debebit ea res nocere mulieri ignoranti,[1] præſertim ſi proponas minorem illam viginti quinque annis,[2] cui, ſi inconſulta facilitate legatum agnouiſſet, ex ea cauſa fauore ætatis per in integrũ reſtitutionem ſuccurri oporteret,[3] non quod expreſsã filiæ renunciationem interuenire neceſſe ſit,[4] ſed quia ſolius patris factum inter liberos inuitos diuiſionem bonorum inducere non poſſit,[5] mariti multo minus.[6] Plane, cum filia iudicium patris agnouit, ſiue in dotem dando eam ipſam quantitatem, quam pater præſtari iuſſit,[7] ſiue qua alia ratione, licet bonis paternis expreſſim non renunciauerit, nemo dubitat, quin hoc ipſo à fratre herede in ſolidum inſtituto ſeparata videri debeat,[8] vt proinde nec ab eo tempore fratri ſuccedere poſſit, aut impedire, ne morienti illi quandocumque ſine liberis dominus ſuccedat.[9] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Ne alioqui ſit in poteſtate mariti vxorem ignorantem lædere, eamque à paternorum bonorũ ſucceſſione remouere, *arg.l.ſi filius 12.D.de vulgar.& pupill.ſubſtit.* iunct. *l.2.quod vi aut clam.*

2 Duplex enim ratio eſt fauendi mulieri minori, & propter ſexum & propter ætatem, *l.vlt.in princ.ad Velleian.*

3 *L.3.§.ſi quid minori & ſeq. l.ait prætor 7.5.ſed etſi hæreditatem, & §.Pomponius, alias l.etſi ſine dolo, D.de minor.* iunct. *tit. C.ſi vt omiſſ.hæred.*

4 Par enim eſt vis taciti & expreſſi, *vulg.l.cum quid 3.D.ſi cert.petat.*

5 Si nolint liberi ſtare diuiſioni per patrem factæ, malintque ſuccedere ab inteſtato. Nec enim tenebũtur edicto, *ſi quis omiſſ.cauſ.teſtamen.* quaſi dolo malo id fecerint, cum id fecerint potius, ne fraudem & damnum ſentirent, *arg.l. cum pater 77.§ Titio fratri antepen de leg.2.*

6 *Ex reg.l non debet alteri 74.de reg.iur.*

7 Qui enim de iure ſibi delato diſponit, hoc ipſo ius illud agnoſcere videtur, *l.ſi auia 6. C. de iur.delib.*

8 Quia nihil vetat diuiſionem bonorum fieri in teſtamento patris, cum pater officio arbitri fungi voluit, *vt in l.ſi filius 20.§ ſi pater, D.famil.erciſc.*

9 Quia ſemel ſublata communio redintegrari poſtea inuito domino numquam poteſt, vt dixi *Defin.* 4. 5. alioqui facilè hoc colore domini fraudarentur.

DEFINITIO VIII.

Filia, quæ patri talliabili non ſucceſſit, ſed dotem pro legitimâ à domino habuit, non habet inuita dominum in ea dote ſucceſſorem, licet maneat talliabilis.

SI talliabili defuncto, qui relicta filia deceſſerat, dominus ſucceſſerit,[1] & filiam ad concurrentem vſq; legitimæ quantitatem ſiue ex corporibus bonorum, ſiue ex pecunia pro arbitrio odtauerit,[2] non poteſt ille poſtea eidem filię quandocumque ſine liberis decedẽdenti ſuccedere: ſufficit enim ſemel commiſſam eſſe ſtipulationem ratione vniuerſitatis bonorum, vt rurſum committi non poſſit.[3] Etſi enim, quod filiæ in dotem datum fuit, factum eſt proprium ipſius patrimoniũ, nec eo minus manet illa deditiæ conditionis, quod dotem habuerit:[4] Dici tamen poteſt hanc illi conceſsã portionem in ſolatium amiſſæ paternæ hæreditatis,[5] & à quo tempore commiſſa eſt ſtipulatio in vniuerſa hæreditate, cœpiſſe filiam habere legitimam in patrimonio, non ex voluntate domini, ſed eo inuito, ſolius beneficio legis,[6] quę patitur, vt per conſuetudinem aut ſtatutum legitima in totum tollatur,[7] licet placeat legitimæ quotam minui poſſe.[8] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Scilicet in iis prouinciis, in quibus filiæ ius domini non excludunt. De quo ſcripſi *Defin.* 5.5.

2 Hoc enim facere cogitur, vt dixi eadem *Defin* 4.

3 Ex vna enim ſtipulatione, quæ ſemel commiſſa fuerit, ſæpius agi non poteſt, *l.quod dicitur 31.in fin.D.de euiction.* Sicuti enim ſemel commiſſa numquam reſoluitur, *l.euicta 16.§ ſi ſeruus l.habere licere 57.in fin.eod. tit.* ita ſemel commiſſa iterum non committitur.

4 Qualitas enim ſiue naturalis ſiue accidentalis, quæ ſemel inhæſit, tolli poſtea niſi certis & legitimis modis non poteſt.

5 *Argum.liure ſuccurſum 6.D.de iur.dot.l.vlt.C.de inſt.& ſubſtit.*

6 Ex eo namque fit, vt hæc portio dicatur legitima, quia debetur ex legibus.

BIU Cujas

7 Tamquam quæ sit debita iure naturali, *l. vltim. D. de bon. damnat. l. scripto 7. in fin. D. vnd. liber.* ideoq; dicitur etiam debitum naturale *in l. scimus 36. §. vlt. C. de inoff. test.* Iura enim naturalia non possunt corrumpi per ciuilia, *l. eas 8. D. de capit. minut. §. vlt. Inst. de legit. agnat. tutel.*

8 Quia quota legitimæ est iuris ciuilis, & ideo pro legislatoris arbitrio immutari non potest, *Nouell. 18. de trien. & semiss.*

DEFINITIO IX.

Si mater sit talliabilis, pater vero liberæ conditionis aut alterius domini, quis succedat in bona materna?

IN causa dedititiæ libertatis & talliabilitatis constat liberos patris conditionem sequi, non matris. Quid ergo si mulier eius conditionis homini libero nupserit, tum relictis liberis decesserit, an dicemus ademptam domino spem omnem futuræ successionis? [1] Finge solum mulieris caput fuisse talliabile, non etiam bona, quæ possidebat, [2] nisi accessorie & eo iure, quo bona conditionem personæ sequuntur. [3] Nam illud vtique dici non potest, prohibendam fœminam talliabilem homini libero nubere citra domini voluntatem, cum libera oporteat esse matrimonia. [4] Erant qui putarent, optionem liberis dari debere, vtrum matris hæredes esse vellent ea lege, vt eiusdem se conditionis esse profiterentur, cuius illa fuisset, an vero hæreditatem repudiare dominoque occupandam derelinquere vt liberi manerent? [5] Alij contra putabant, imo vero non esse prohibēdos liberos matri succedere, salua etiam libertate, sed sufficere vt bona materna omnia profiteantur se tenere tanquam talliabilia, quamuis antea nō essent. Quæ sententia & mihi probabilior semper visa est, & Senatui tandem placuit. [7] Quid enim si fœmina illa talliabilis nupsisset viro talliabili quidem, sed alterius domini? Certe nati ex eo matrimonio liberi talliabiles essent, & quidem eius domini, cuius erat & pater: sequuntur enim hac parte, vt iam diximus, non matris conditionem, sed patris, in eoque à seruis illis antiquis differunt. [8] Atqui vt duorum dominorum in solidum talliabiles sint, nō magis fieri potest, quam vt sint duorum serui. [9] Nam quod à nonnullis traditum est, posse quem plurium hominem esse in solidum diuersis respectibus, [10] ad bona referendum est, non ad personam, quæ sicut vna, ita indiuidua est. [11] Rursum finge hos liberos ex vtroque parente talliabili diuersorum dominorum multis acquisitis bonis liberis, &, vt loquuntur, allodialibus, decedere sine iusta prole, nemo dubitat quin deferantur ad dominum, quem vocant manus mortuę. [12] Sed quæro, an ad patris, an ad matris dominum? Diuidi enim inter vtrumque debere nusquam traditum est. [13] Illud igitur temperamentum necessario sequendum est, vt quæ à matre prouenerunt ad eum, qui matris dominus fuit, omnimodo deueniant, cætera omnia ad dominū patris. [14] Pari ergo ratione admittendum est, si fœmina talliabilis homini libero nupserit, nullam domino iniuriam fieri, si quod à matre filius habuit, filio quandocumque sine liberis defuncto ad matris dominum ipsum deuoluatur, [15] cætera autem bona omnia liberi hominis hæredibus relinquantur. [16] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Pater enim ille est, à quo & nomen & familia sumitur, cum mulier fit familiæ suæ & caput & finis, *l pronunciatio 195. §. vltim. de verb. signific.* Nec sunt talliabiles, nisi qui sunt ex iustis nuptiis. * Nec tamen ea res liberos eximit quominus homagium talliabile etiam cum patre recognoscere teneantur, imò eos tanto magis obligat vel ob hoc ipsum ne possint illi quandoq; dicere rem esse inter alios actam aut probādum habeat dominus cuius isti sunt filij. * [Et ideo possunt etiā liberi cū patre conuenire vt simul homagium talliabile recognoscere teneantur, vel ob hoc ipsum ne possint quandoque dicere rem esse inter alios actam. Aut ne probandum aliquando habeat dominus cuius ipsi sint liberi. *Ita Senatus* in causa Magoinorum de la Mure 18. Cal. Iul. 1611.] * Quo Senatusconsulto illud etiam decisum est recognitionem patris, quæ non sit adminiculis suis destituta sufficere ad obligandos liberos post recognitionem natos, etiamsi non probentur, cum hoc iure naturæ esse videatur, vt qui est talliabilis non possit gignere filium non talliabilem, aut contra.

2 Nec enim liberis postea sine prole morientibus succedere dominus poterit, cum non sint ipsi talliabiles.

3 Si enim bona ipsa per se talliabilia essent, succederet in iis dominus moriente quandocumque sine liberis possessore, quantumuis libero.

4 Adeo vt mutata conditione personæ, mutetur conditio bonorum, *l. per curatorem 90. §. 1. de acquiren. hared. l. vlt. C. de inoff. testam.*

5 *L. si patre cogente 22. D. de rit. nupt.*

6 Quasi non posset fieri vt talliabili matri succederent, quin hoc ipso pati deberent sibi succedi in iis bonis, quæ à matre habuissent, quæ tamen ratio non erat bona, cum hoc casu talliabilitas non esset realis, sed personalis.

7 Bonum enim est temperamentum, per quod fit, vt neutra pars lædatur, *l. ex his 8. in fin. D quæ in fraud. cred. non credit. re 38. D. de euict.* [Videtur tamen valde probabiliter defendi posse ius quod habuit dominus in caput matris totum fuisse extinctum per mortem ipsius matris quæ non sine liberis decesserit, sed cum liberis liberæ condicionis, licet ij postea decedant sine liberis, cùm sint ingenui. Neque mirum hoc videri debet, cum fiat ex ordine iuris & naturæ *argum l. cùm vnus 12. D. de reb. author. iudic. possid. l si mulier 59. §. ex asse*, ibi *propter iuris subtilitatem & cujus necessitatem D. de iur. dot. l. si tus 28. in fin. D. de liber. & posthum.*]

8 Cuius enim alterius conditionem sequerentur quam matris, cum non haberent patrem *l. ii. in fin. D. ad municip.* Pater enim ille est, quem nuptiæ demonstrant, *l quia semper 5. D. de in ius voc. §. si aduersus, Instit. de nupt.* Guid. Pap. *quæst. 32. num. 3.*

9 Non enim possunt eiusdem rei duo esse domini in solidum, *l. si vt certo 5. §. si duobus vehiculum, D. commod. l. de hæreditate 19. §. pater, D. de Castrens. pecul.*

10 Guid. Pap. *qu. 310. & seqq.*

11 Nec enim potest vna eademque persona diuerso iure censeri, *l. vlt. C. de sent. pass. & restit. l si pater 9. in fin. D. de liber. caus. l. iudicata 29. D. de except. rei iudic.*

12 Ex lege & conditione talliabilitatis & manusmortuæ.

13 Nec enim semper in dubio ea capi debet interpretatio, per quam id, de quo quæritur, diuidatur, *vt in l. Neseminus D. de negot. gest.*

14 Inspecta scilicet origine bonorum, *vt in Auth. ex testamento, C. de secund. nupt. Auth. itaque*, vbi Bart. *Cod. commun. de succes.* iunct. *l. de emancipatis 15. C. de legit. hared.*

15 Et ideo debent liberi profiteri, ea se bona tenere tanquam talliabilia, vt succedendi ius domino quandocumque suo tempore aperiatur.

16 Ne alioqui non sit melior conditio eorum, qui patrem liberum habuerunt, quam si talliabilem habuissent.

DEFINITIO X.

Nullum ius est domini in bonis, quæ manserunt communia, licet alia separatim fuerunt acquisita.

NOn ex eo solo inducitur separatio bonorum & diuisio inter talliabiles, vt dominus ad succedēdum inuitetur, quod ex iis quidam paternis latib. derelictis in aliam prouinciam profecti, lucra sibi separatim quæsiuerint. [1] Non enim eo minus communia manent bona quę ante fuerant. [2] Ideoque nec ea res nocet non solum cæteris sociis, qui lucra omnia inter se communicauerunt, [3] sed neque iis, qui propriam rem egerunt, nimirum quod ad bona attinet, quæ manserunt communia. Nam in separatim quæsitis potiorem domini causam esse debere non ambigitur, [4] vt bonorum communio eatenus prosit sociis noceatque domino, quatenus communio est. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis quod separatim quęsitum est in commune non redigatur, *l. cum duobus 52. §. Papinianus, aliàs l. si fratres 5. D. pro socio.*

2 Nec enim

2 Nec enim potest semel contracta communio dissolui, nisi per subsecutam diuisionem, aut expressam, aut tacitam *l. pen. C. commun. diuid. l. diuisionis 45. D. de pact.*

3 De quibus dubitari minus potest, quin voluerint manere in communione, cum hoc modo etiam tacita societas contrahatur, *lege Titium, 47. §. altero*, vbi Baltol. *D. de administr. tutor.*

4 Cum sola bonorum communio vel superexistentia liberorum possit dominum excludere, vt dixi *Defin. 1. & 4. 5.*

5 Limitata enim causa non nisi limitatum producere potest effectum, *l. in agris 16. de acquir. rerum domin. l. Imperator 8. in fin. D. de postul.*

DEFINITIO XI.

Mulier secuta domicilium viri non ideo censetur à fratre diuisa, si nulla bonorum diuisio intercesserit.

FOEmina talliabilis, quę à domicilio paterno in mariti domum deducta suas ei operas per quantumcumque tempus exhibuit, [1] non idcorco separata, &, vt loquuntur, diuisa esse intelligitur, si modo eam portionem, quam habet in patris hæreditate vt cohæres, vel bonis, pro legitima portione indiuisam retinuerit, [2] alioqui facile eueniret, vt metu periculi damnique, quod ex separatione allatum iri constaret, minus libera essent matrimonia, quod nequaquam admittendum est. [3] Itaque si fratri paternos lares fouenti hæreditas aut quid aliud simile obuenerit, tum is sine liberis superstite sorore decesserit, in ea quoque re soror domino præferetur, [4] non aliter, quam si cum fratre perpetuo habitasset, si non certis finibus distincta sint bona sublataque communio. [5] Planequin ratione bonorum communium idipsum certius locum habeat, dubitare nemo potest. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Debet enim mulier esse in officio mariti, *l. sicut patronus 48. D. de rit. nupt. l. qui ex liberta 11. C. eod. l. 2. C. de obseq. patron. præstand.*

2 *Vt in l. cum duobus, 52. §. Papinianus. alias l. si fratres, D. pro socio.*

3 *L. cum ita legatum 63. & seq. D. de cond. & demonst.*

4 Quamuis ea hæreditas non sit communis, *l. si fratres.*

5 Quamuis statutum, de quo scripsimus *Defin. 1. 5.* videatur coniunctim requirere communionem bonorum & foci, hoc est habitationis.

6 Ex iis quæ scripsimus superiore *Defin.*

DEFINITIO XII.

Inspicienda est consuetudo loci, in quo facta est professio talliabilitatis, non vbi talliabilis mortuus est, nec vbi sunt bona.

IN definiendis controuersiis, quæ de talliabilitatibus quotidie occurrunt, sicut non alio quam consuetudinario iure vti possumus, ita consuetudinem illius loci spectare solemus, in quo facta huiusmodi conditionis professio est, non in quo mortuus est is, de cuius hæreditate agitur, aut vbi sita sunt bona, de quibus contenditur. Est enim fere perpetuum, vt in obligationibus ex contractu descendentibus quemadmodum tempus, sic & locus initi contractus inspiciatur. [1] *Ita Senatus* in ea causa.

1 *L. si filiusfamilias 78. de verbor. oblig.*

2 *L. 2. §. omnes, l. si longius 18. §. 1. D. de iudi. l. 6. D. de euict.* Vide Guid. Pap. *quæst. 312. & 314.*

DEFINITIO XIII.

Inter talliabiles sufficit durasse communionem inter aliquos vt possint succedere etiam illi, qui diuiserunt. Non tamen videtur diuisisse, quæ partem suam dotis dedit.

QVod à nobis supra dictum est, [1] inter homines dediticiæ conditionis nō aliter ius successionis saluum esse, quam si maneant in communione bonorū, eo pertinet, vt si partem suam ex diuisione singuli habuerunt, inuicem succedere non possint, [2] si quando cumq; sine liberis moriantur. [3] Cæterum si ex pluribus condiuisoribus quidam in commune manserint, perinde vni ex iis cæteri succedere omnes poterunt, ac si nulla diuisio facta fuisset. [4] Diuisisse autem videtur etiam, qui partem suam indiuisam alienauit, [5] ideoq; similiter successionis per se incapax erit. [6] Neq; tamen consequens est, mulierem, quæ partem suam hæreditariam in dotē dederit, idcirco succedere cohęredibus nō posse. Quāquam enim ex dotis datione dominium transfertur in maritum, [7] reuera tamen dos est mulieris, [8] nec dici potest sine bonis esse mulierem, quæ in bonis dotem habet. [9] *Ita Senatus* in causa Dominę de Corsans & Claudij Boisson, 8. Cal. Mart. 1593.

1 *Defin. 1. & 4. & pass. supr.* [Probanda igitur est diuisio, alioqui præsumitur communio, adeóque probatur siue recognoscentes bona sua feudalia & emphyteuticaria simul & in communi recognouerint, siue vnus pro omnibus. *Ita Senatus* in causa Guichardi Magnin de la Mure 18. Cal. Iul. 1611.]

2 Intellige nec si postea voluerint redire in communionem inscio domino, vt dixi *Defin. 4.*

3 Verum enim est, eo casu decessisse talliabilem sine liberis & condiuisoribus.

4 Quia sufficit per communionem, quæ inter aliquos remansit, impediri ius domini, vt inter omnes seruetur ius commune legitimæ successionis. Atque ita incapax fit capax hoc casu per capacem, *vt in l. 3. in fin. D. quæ res pignor. obligar. poss. l. cum hereditate 55 D. de acquir. hered. l. si is qui duos 18. D. de liber. legat.* Vide *Defin. 16. in fin.*

5 Quamuis intellectu magis quā corporum diuisione partem suam habeat hoc casu quisque ex condiuisoribus, *l. Mauius 66. §. duorum de leg. 2.*

6 Quia per alienationem æque amisit suam partem, *l. cum pater 77. §. libertis, eod. tit.*

7 *L. 1. D. de iur. dot. l. doce 6. Cod. de rei vindic. §. 1. Instit. quibus alien. licet vel non. l. quadam 62. D. de acquir. rer. dom. l. 1. D. de fund. dotal. l. si constante 24. § si maritus. D. de solut. matrim.*

8 *L. quamuis 75. D. de iur. dot. l. in rebus 30. C. eod.*

9 *L. pater filiæ 71. D. de euict. l. pater filiam, 14. ad leg. Falc.*

DEFINITIO XIV.

Ex decennali separata perceptione fructuum præsumitur diuisio non tamen in præiudicium mulieris, si maritus dotis fructus perceperit.

SEd & quamuis diuisio fructuum si probetur decennalis inducat præsumptionem diuisæ proprietatis, [1] in muliere tamen, quæ bona sua in dotem dedit, non idem admittemus, si supra decennium vel vicennium portionis dotalis fructus separatim maritus perceperit, quia percipiendi separatam causam habet propter onera matrimonij, [2] quę non habet ille cum cæteris consortibus communibus vxoris communia, [3] eo magis, quod nec inter alios diuisa fructuum perceptio sufficit ad mutuæ inter eos successionis iura excludenda, nisi sit decennalis. [4] Ideo autem decennalis excipitur, quoniam, vt dictum est, inducit coniecturā diuisionis præcedentis, [5] hactenus saltem vt in aduersariū onus probandi transferatur, [6] quod non similiter in dote dici potest, quando eadem subsit fructuum separatim percipiendorum ratio eam post decennium, si post decennium quoque matrimonium duret. [7] Plane si pensitationes annuæ pro bonis emphyteuticariis debitæ separatim solutæ sint, facilius diuisio præsumetur, vixque est vt hac parte separanda sit causa dotis à cæteris, cum eos etiam, qui fructus diuidere coguntur, simul tamen & communiter proprietatis indiuisæ onera soluere nihil prohibeat. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 *L.penult.vbi notat.C. commun.diuid.*
2 *L pro oneribus.20.Cod.de iur.dot.l.si is qui §6.§.ibi dos,D. eod.*
3 *L si filia 20.§ hoc amplius, D.famil.er eisc.*
4 Vt notant omnes *ad l.pen.C.commun.diuid.*
5 Cum non nimis tacito quam expresso actu voluntas declaretur,*l.non tantum 5.D.rat.rem haber.*
6 Semper enim præsumptio cedit veritati & probationi,*l. si chirographum 24 & sequent.l.Imperatores 29.in fin.D.de probationibus.*
7 *Arg.l.Pomponius 35.D.famil.ercisc.*
8 *L.cum possessor 5.D.de censib.*

DEFINITIO XV.

Nec communio nec separatio foci prodest quisquam ad excludendum vel admittendum dominum, sed tantum communio vel separatio bonorum.

QVid si plures cohæredes bona quidem communia retinuerint, sed focum & larem separatim habuerint? Sunt qui putent perinde mutua successionis iura inter eos sublata videri debere, ac si nec vlla inter eos bonorum communio esset, propter verba statuti in eam rem conditi, [1] quæ ad conseruandum inter talliabiles ius legitimarum hæreditatum ambo hæc coniunctim requirere videntur, vt & bonorum & foci communio duret. [2] Sed humanius est, ita potius interpretandum esse statutum, vt non aliter vocetur dominus ad successionem talliabilis sine liberis defuncti, quam si is & bona & focum sibi separatim habuerit. [3] Alterutram igitur conditionis partem deficere sufficiet, [4] ad hoc vti ne bona deuoluantur, nimirum ea, quæ communia manserunt. Nam in iis, quæ fuerunt diuisa, cuidens vtique ius est domini, licet focorum separatio nulla intercesserit. [5] In eoque maior potestas est diuisionis bonorum, quam foci, quia nec id agitur vt in foco, sed vt in bonis dominus succedat. [6] Neque est, quod quis causetur ita futurum, vt facile sit huius conditionis hominibus dominum eludere, retenta quorundam bonorum communione, licet separatis latibus. Nam aduersus hanc fraudem satis domino consultum est in eo, quod perinde succedit in omnibus bonis non communibus, ac si nulla prorsus communio superesset: quandoquidem quæ supersunt nullum effectum habet, nisi in bonis communibus. [7] An ergo foci & domicilij separatio hactenus domino proderit, vt quamuis omnia fortasse veteris patrimonij bona communia manserint, vindicare tamen possit ille quicquid defunctus suo nomine quæsierat? Minime. Nam idem contingeret, si separatio foci nulla interuenisset. [8] Haberet enim talliabilis eosdem hæredes in bonis propriis à se quæsitis, quos in diuisis. [9] Cum vero quæstio hæc ex facto incidisset, ac vtraque pars generalem Sebusianæ pecuniæ consuetudinem pro se obtenderet, contrariis probationibus certatum erat, ob idque contrariæ fuerant priorum iudicum sententiæ. [10] Primus iudex pro domino pronunciarat. Secundus pro defunctæ mulieris fratre, qui separatam habuerat habitationem, sorore scilicet extra paternam domum & in mariti domicilio defuncta. Appellatione autem ad Senatum facta, quamuis qui vltimus vicerat, siue negligentior factus, siue qua alia de causa, nec testationes pro se habitas, nec alia vlla litis instrumenta exhibuisset, dubitauimus tamen, quid pronunciare deberemus non solum quod in ambiguo fauorabilior videretur fratris quam domini causa, [11] præsertim cum ex ipsius quoque appellantis confessione appareret, non defuisse victori contrariæ consuetudinis probationes: [12] sed etiam, quia in proposita specie foci separatio, qua potissimum dominus nitebatur, facta fuerat ex causa necessaria & perhonesta, cum nupta mulier domiciliũ mariti vel inuita sequi coacta fuisset cogique potuisset. [13] Alioqui dicendum erit, hoc ipso, quod huiusmodi conditionis mulier nubat, & in mariti domicilium transeat, futurum, vt legitimarum omnium successionum incapax fiat. Quod sane & absurdum & inhumanum fuerit, adeoque Reipublicæ pernicioſum. [14] Quippe cũ ex eo euenire possit, vt tali incommodi metu ab ineundis nuptiis reuocetur mulier, quæ alioqui aut citius aut commodius nupturia esset. [15] Nec sane permittendum est patrono, vt eam liberto conditionem possit constituere, per quam vitæ institutum aut propositum minuatur. [16] Itaque tametsi ea consuetudo admittenda esset, vt sola foci separatio locum faceret domino, etiam in bonis communibus; nihilominus videbatur ea excipienda separatio, quæ ex tam honesta causa fieret, [17] id est, propter matrimonium, [18] quasi quæ magis necessaria dici deberet quam voluntaria. [19] Quia tamen nihil ex victoris parte productum erat, non potuit Senatus pro appellante non pronunciare in quæstione, quæ tota facti erat, non iuris: [20] Hoc tamen inter nos acto ne Senatusconsultum illud trahi posset ad consequentias. [21] Probationes enim, si quæ vnquam in simili facti specie contra dominum afferrentur, licet alioquin leuiores, visum est potiores tamen haberi debere. [22] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Statutũ est, quod incipit, *Pluribus fratribus*, de quo scripsi *Defin.1.sup.* quod tamen non reperitur impressum inter statuta Sabandiæ, subiiciemus in fin.huius tit.

2 Sic enim & apud Burgundos obtinet, vt testatur Chassan.*in consuet.Burgund.tit.De mainmortes* §.13.*in princip & in verb.si nõ eux demeurans ensemble, & in verb & efians en commun de biens, arg.l.si hæredi plures 5.D.de condit.instit.*

3 Nam & verba statuti hoc suadere videntur, quæ coniunctim requirunt vtrumque vt dominus admittatur.

4 *dict.l si hæredi, l.generaliter 6. in princ. Cod.de instit.& substit.* sicuti è contrario sufficit in disiunctiua conditione alterutram partem extitisse, *l.cum pupillus* 78.§ 1. *de condit.& demonstr.*

5 Semper enim dominus succedit in bonis non communibus.

6 Vix enim est, vt communio foci inter eos sit, quibus habent diuisa & separata. At è cõtrario possunt bona esse communia, & sunt plerumque etiam inter eos, qui habent focum separatum.

7 Nam limitata societas limitatum parit effectum, Com. *cons.299.incip.præmittendum est quod fratres col.1.lib.4.*

8 Quia communio sola foci non conseruat ius talliabilium, nec in bonis diuisis, nec in propriis, quæ nec communia nec diuisa vnquam fuerunt.

9 Nam siue intestatus decederet, siue inter suos condiuisores testaretur, haberet dominum hæredem in bonis separatim quæsitis.

10 Nam in consuetudinibus, quæ sunt facti, probatio totum facit, *l.de quibus 32.l.sed & ea 35.& seq.de legib.*

11 Quia in dubio contra dominum successorem anormalium, vt loquuntur, pronunciandum est pro fratre, qui succedit ex iure communi.

12 Probationes enim factæ vocata parte & productæ in actis sunt communes.

13 *L.cum quadam puella 19. de iurisd.* Debet enim mulier esse in officio mariti, *l.sicut patronus 48.D.de oper.libert.*

14 Cuius scilicet interest mulierem nubere, vt iustis liberis ciuitas repleatur, *l.1 D.sol.matr.l.interest enim 18.D.de rebus auct.iudic possid.alias l.3.de priuil.credit.*

15 *L.cum ita legatum 63.& l. seq. de condit.& demonstr.l. cum tale 71.§.si arbitratu eod.*

16 *L.nec audiendus est* 17.D.*de oper. libert.*

17 Quod enim fit honestate ac secundum leges, poenam non meretur, *l.Gracchus 4. C. ad leg.Iul.de adult.*

18 Ita vt non possit dici factum in fraudem alterius, quod fit in fauorem matrimonij contrahendi, & quod alioqui non contraheretur. Textus est elegans *in l.mulier* 22. § *cum propone retur D.ad SC.Trebell.* Adde text. elegantem *in l.4.§.1.D.de vsu & habit.*

19 Alienationes autem non voluntariæ semper excipiuntur, *l.alienationes 13.D.famil.ercisc.l.3.§.1.& seq. D.de reb. eor. qui sub*

BIU Cujas

qui sub tut. alioqui viderentur huiusmodi conditionis fœminis veluti perpetua quædam viduitas iniuncta, quod esse non debet, *d.l.cum ita legatum & tot. tit. C. de indict. vidui. tollend.* Inde est quod etiam inter talliabiles permissa est donatio fauore matrimonij etiam in casum prædecessus, dummodò sint mutuæ & æquiualentes, vt tractat Ant. Colombet. *in tractatu, De main-mortes.* Nempe quia propter parem incertitudinem dubij euentus nihil hoc casu videri potest factum in fraudem domini, *l.si pater* 12. *Cod. de inoff. testam.* §. 11. *C. de transact.*]

10 Nec enim potest iudex ea supplere, quæ sunt facti, *l.1. cum ibi notat. C. vt quæ def. aduoc. part. iudic.* Itaque deficiebat hoc casu non ius, sed probatio, *vt in l. duo sunt Titij* 30. *D. de testam. tutel.*

21 Vt solet dici de iis, quæ sunt recepta vel constituta contra iuris rationem *l. quod vero* 14. *l. quod ratione* 39. *D. de legibus l. quod contra* 141. *de reg. iur.*

22 Quomodo regulariter leuiores probationes sufficiunt pro eo, qui nititur iure communi, adeoque sola iuris præsumptione, *l. si chirographum* 24. *& seq. D. de probat.*

DEFINITIO XVI.

In successione talliabilium incapax fit capax per capacem.

NOn est nouum, vt ex persona tua cõsequar, quod ex mea consequi non possem. [1] Sed vt priuilegio, quod ex persona tua habeo, vtar contra te inuitum, id vero magis nouum & mirum est. Repugnant enim cõmunes iuris regulæ. [2] Finge hominem dedititiæ conditionis, cum plures agnatos eiusdem conditionis sed diuersi gradus haberet, cum proximioribus diuisisse, cum remotioribus vero in communione mansisse. Facient remotiores, qui in communione manserunt, non solum vt excludatur dominus, quasi defectus cõditione, cum nihil iuris habere possit nisi in bonis eius, qui sine liberis & sine condiuisoribus decessit: [3] sed etiam vt exclusо domino proximiores succedant, & quidem soli, hoc est, exclusis ipsis quoque remotioribus, quorum beneficio admittuntur, qui alioquin essent incapaces: nempe quia domini iure summoto, superest ius commune, ex quo proximiores admittuntur. [4] Ideoq; nulla fit iniuria remotioribus, quippe qui nullum proximioribus priuilegium tribuant, sed tantum domini priuilegium, quod in defuncti bonis alioquin habuisset, excludant. [5] Quare, etsi aduersus proximiores agnatos eosdemque hæreditatis possessores dominus egisset, repelli potuisset exceptione illa: *Si remotiores, qui in communione mansissent, ius domini non prohiberent.* Quæ exceptio licet esset de iure tertij, attamen inuito quoque tertio admittenda esset, propterea quod ius agentis omnimodo excluderet. [6] Proinde vix est, vt remotiores imputare possint proximioribus loco beneficij, quod illi vel inuitis remotioribus, licet non sine ipsis, erant habituri. [7] *Ita Senatus* in eadem causa. Mihi tamen semper visa est hæc sententia minus conuenire verbis statuti nostri, cuius verba in fine huius tituli transcribemus. Ex quibus non solum excluditur dominus per condiuisores, sed etiam ipsis condiuisoribus successio adiudicatur.

1 *L. cum hæreditas* 55. *D. de acquirend. hæred. l. si us qui duos,* 29. *de liber. legat. l. & per iusiurandum* 13. §. *si fideiussori, de acceptilat. l. decurio* 4. *D. de decur. l. Aristo* 3. *in fin. D. quæ res pignor. oblig. poss.*

2 *L. si iudex circumuento* 28. vbi Bart. *D. de minor.* Idem Bart. *in l. quis Romæ* 122. §. *Flauius, de verb. oblig.*

3 Ex statuto, quod incip. *Pluribus fratribus.* De quo scripsi *Defin. 1. & prox præced. supr.* Iunge *Defin. 3.*

4 *L. 2. in princ. & §. proximum, & pass. D. de suis & legit.* & ita in Burgundia seruari testatur Chassan.

5 Itaque prosunt quidem remotiores proximioribus, sed per consequentiam non principaliter, & occasione magis quam iure, *vt in l. 2. D. de riuis, l. ex facto* 17. §. *si quis rogatus* 2. *ad SC. Trebell.* nec tam videtur hoc casu acquiri proximioribus per remotiores, quam aliquid ex iuris ordine fieri, *vt in l. cum vnus* 12. *D. de rebus auct. iudic. possid.* Vide tamen *Defin.* 31. *in fin.*

6 *L. loci corpus* 4. §. *competit.* vbi Bart. *D. si seruit. vindic. l. vlt. C. de rei vindic. l.* 2. vbi idem Bart. *D. de except rei iudic.*

7 *Arg. l. si seruo* 84. *D. de hæred. instit. l. vnum ex familia* 67. §. 1. *vers. non enim, de leg.* 2.

DEFINITIO XVII.

Talliabiles non habent testamenti factionem actiuam, nisi inter se.

NEc tamen his consequens est, vt si prætextu agnatorum, qui in communione manserunt, velit quis hæredem instituere alium ex iis, qui diuiserunt, id illi permittendum sit. Non enim huius conditionis homines actiuam, vt vocant, testamenti factionem vllam habent nisi inter se, quamdiu manent in communione. [1] Itaque hac parte latius patet causa intestati quam testati, quod tamen valde nouum durumque mihi videtur. [2] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ne alioqui esset in eorum potestate testando excludere ius domini, quod esse non debet, *arg. l. nec ei* 17. §. 1. *D. de adopt. l. fideicommissum* 76. *D. de cond. & demonstr. l. Granius* 71. §. *penult. D. de fideiuss.*

2 Contra iuris nostri communes regulas, *l. verbis legis* 120. *D. de verbor. signific.* Nam in his, quæ contra rationem iuris recepta sunt aut constituta, non possumus sequi regulam iuris, *l. in his* 15. *D. de legibus.* Posito enim vno inconuenienti, multa sequi necesse est. Sic & interdum euenit, vt intestati causa præcedat causam testati, *vt in l. si quis ita* 81. *D. de hæred. instit.*

DEFINITIO XVIII.

Agnati eiusdem gradus, etiamsi non sint in communione cum cæteris, tamen qui in communione sunt pariter succedunt.

MVlto magis quis admittat, si defunctus plures eiusdem gradus agnatos reliquerit, sed quosdã diuisis bonis, quosdam indiuisis, debere omnes in successione intestati concurrere, nec eos, qui communionem retinuerunt, cæteris præferendos esse, quando ex iure communi qui pari gradu sunt pariter vocentur. [1] Nec in successionibus perpetua sit illa regula, quæ habet; Si vinco vincentem te, multo magis vinco te: [2] quæ & in aliis plerisque suas patitur exceptiones. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 2. § hæc hæreditas, & §. legitima. D. de suis & legit.*

2 De qua *in l. de accessionibus* 14. *D. de diuers. temp. præscr.*

3 Vt constat ex §. *præferuntur. Instit. ad SC. Tertullian.* iunctis iis, quæ ibidem notat Accurs. *& ad d. l. de accessionibus.* Iunge Chassan. *in consuet. Burgund. tit. de mainmortes.* Sed tamen videtur mihi hoc pugnare cum statuto *pluribus fratribus*, vt dixi *Defin. 16. in fin.* Et ita tandem in Senatu nostro obtinuit, sæpiúsque contra has tres definitiones pronunciatum est. Ex statuto *Pluribus fratribus.* Vide *Defin.* 31.

DEFINITIO XIX.

An & quando vnica recognitio sufficiat ad homagij talliabilis probationem?

AD homagij talliabilis probationem duæ recognitiones, id est, publicæ professiones requiruntur, & quidem conformes, hoc est, quarum posterior ad priorem referatur, vt posteriorem certo iudicio nec sine causa factam esse appareat, [1] nisi proponas vnicam recognitionem quæ proferatur adnexum habere priuilegium antiqui temporis, & mentionem facere prioris, alterius, & antiquioris, designato die & Consule. Ideo quod verba enunciatiua probent inter easdem partes [2] earumque successores, non solum

BIU Cujas

vniuersiles, sed etiam singulares, [4] concurrente temporis antiquitate. [5] Idem erit, si vnica quidem sit recognitio, sed quæ causam aliquam habeat & legitimam, & de qua legitime constet. [6] Quamquam enim dici solet ex sola homagij recognitione præsumi causam illam, vt à domino protegatur & defendatur is, qui recognouit: [7] Tamen ad simplex homagium id pertinet, non etiam ad id, quod sit talliabile. Illud enim sicut odiosius est, ita & difficilius inducitur. [8] Quod si duplex recognitio facta proponatur, nihil intererit, an prior causam aliquam habeat, nec ne, cum sufficere debeat, quod effectum habuerit. Nam & vnica recognitio sufficeret, quæ modo effectum habuisset, [9] si non facti error interuenisse probaretur.[10] *Ita Senatus* in causa liberorum D. de Nouuelles Necien sis & procuratoris fiscalis Gebennensis, 4. Id. April. 1593. Iunge Defin. 10. supr. De probat.

1 Intellige de homagio personali: nam si de rei conditione ageretur, vnica recognatio sufficeret, Matth. de Affl. & t. *in consti. Reg. Sicil quæ incipit, Probationum defectus, lib. 2. notab. 1.* Guill. Bened. *in verb. & uxorem nomine Adelasiam à nu. 987 vsque ad nu. 1022.* Ias. *in l. creditori tuo C. de pact.*

2 *Ex l. cum scimus, C. de agric. & censit. lib. 11 tit. 47.* Vide Guid. Pap. *quæst. 172.* vbi ait, aliud esse in talliabilitate fundi.

3 *L optimam 14 & ibi notat. Cod. de contrahend & committen. stipulat.* [Quid ergo si vnica recognitio talliabilis homagij proferatur relata quidem ad aliam antiquiorem, sed non designato die neque Consule? Poterit sufficere si modo suis adminiculis destituta non sit siue adminicula illa probentur per testes siue per instrumenta. Nusquam enim scriptum est duas recognitiones præcisè requiri ad probandum homagium personale *d. l. cùm scimus. Ita Senatus* in causa Guichardi de la Mure 18. Cal. Iul. 1611. Et iterum pro D. de la Valdisere Vicecomite Tarentasiæ contra sorores Adornet Cal. Febr. 1613.]

4 Bart. *in l. fucta 63 § si hæres, D. ad SC. Trebell.* Crauet. *consil. 29. num. 1.*

5 Nam & contra tertium probarent in antiquis si ageretur de re difficilis probationis, vt puta de filiatione, ex Alex. *cons. 90. tolum. 3. vol. 6.* Rebuff. *in tract. nominat. pag. 1. vers. primo fallit.* Crauet. *de antiq. tempor. part. 1 sect. Amplatur nunc. num 12. &* 13. alioqui non probant, Crauet. *ibid. in cap. propositum, num. 15. & sequentibus.*

6 *Ex d. l. cum scimus, vbi notat. C. de agric. & censit.*

7 Vt tractat Iacob. de S. Georg *in tit. de homag.*

8 Quia quæ sunt odiosiora, difficilius & præsumuntur & probantur, *l. merito 51. D. pro socio l. vlt. D. quod met. caus.*

9 *d. l. cum scimus*, Guid. Pap. *vbi supr.*

10 Erranti enim nulla voluntas est, *l. si per errorem 15. D. de iurisdiction.*

DEFINITIO XX.

Recognitio filij an & quando noceat patri? Item fratris an & quando fratri?

QVid si posterior recognitio facta sit à filiofamilias absente patre? Non obligabit patrem si pater fuit in prouincia, [1] sed obligabit ipsum filium quãdocumque sui iuris factum, & multo magis filij posteros, secuto maxime longi temporis interuallo, [2] quia verisimile non sit, factum quid à filiofamilias inconsulto aut per dolum in ea re, quæ ad proprij capitis causam pertineret.[3] Sed si pater abfuit à prouincia, moribus nostris receptum est, vt possit ea recognitio fieri per filium familias. Quemadmodum & si pater sit quidem in prouincia, sed ita imbecillis animo vel corpore, vt per eum recognitio expediri non possit. [5] Extra has causas ita demum recognitio filiifamilias nocebit patri, si ratam eam habuerit. [6] Diuersum erit si frater pro fratre, cum quo bona communia habebat, recognouerit: tunc enim non est necessaria ratihabitio, nec si promissa sit,[7] si modo is, qui recognouit aut solus in domo fuerit eo tempore, aut bonorum communium habuerit administrationem.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. transactione matru 26.* vbi Bald. & Salic. in terminis. *C. de transact.* iunct. *l. 3. in fin. D. de iureiur.* idem Bald. *in l. 1. C. de patrib. qui filios distrax.* Iacob. de S. Georg. *in tract. de feudis, in verb. dictique vasalli promiserunt.*

2 *Arg. l. si cum fidecommissa 16. §. Aristo, D. qui & à quibus manum.*

3 *Arg. l. 1. C. ad leg. Cornel. de falsi.*

4 Nam & ex ea causa filiofamilias agere permitteremus, *l. si longius 18. § si filius familias, D. de iudic. l. si libertus 12. D. de in ius vocand.*

5 *L. sed si vnius, 17. § filiusfamilias, D. de iniur. & famos. libell.*

6 Quia ratihabitio æquiparatur mandato, *vulg. l. vlt. C. de SC Macedon.*

7 Non enim promittitur ratihabitio vt minus sed vt magis actus valeat, & quæ abundant non vitiant, *l. non solent 94. de regul. iuris.*

8 Quamquam nec hoc necesse est. Sufficit enim, vt recognitio facta sit ab aliquo ex fratribus & condiuisoribus, vt dixi *Defin. 3. supr.*

DEFINITIO XXI.

Talliabilis potest cogi vt patiatur se manumitti, non etiam cogere dominum vt manumittat.

NOn, sicut edicto Sereniss imi Emanuelis Philiberti Ducis nostri ius est domino cogendi homines suos, quos habet deditiæ, & vt vocant, talliabilis conditionis, vt vel manumitti patiantur, [1] vel probrosa quędam proprię conditionis insignia prę se ferant: ita ex contrario permissum est talliabili, vt ab inuito domino beneficium manumissionis extorquere possit. Hoc enim fieri non posset extra iniuriam domini, qui sane inuitus patrimonium suum diminuere cogendus non est. [3] Nemo autem dixerit iniuria afficieum, qui vel inuitus manumittitur, [4] licet dici soleat inuito beneficium non dari. [5] Aliud quippe est iniuriam facere, aliud beneficium non conferre. [6] Nec tamen inuitus manumittitur, in cuius arbitrio est pristinam conditionem retinere, si malit, qualis esse & manere vult, talem se publice profiteri, salua namque ipsi electio relinquitur.[7] Quid ergo si velit dominus ius suum exequi? An statim & sine figura iudicij, vt aiunt, id facere poterit, quasi aduersus cõdemnatum? Minime, [8] Sed in ius vocari hominem ob eam causam oportebit, vt hoc ipsum sciatur, an recusandæ manumissionis rationem illam habeat, quod vel numquam talliabilis fuerit, vel hodie non sit.[9] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de la Foreſt D. de la Barre, in relationibus libellorum, 7. Calend. Februat. 1593.

1 Exemplo eius quod iure nostro cautum est, vt seruus etiam inuitus libertate donari possit, *l. vltim. § sin vero quidam, vers. sic. licet enim, D. de testam. manum.* sicut & liberatio inuito quoque contingit, *l solutione 23. l. si debitor 91. D. de solut. l. soluendo 39. de neg. gest.*

2 Vt nimirum eo infamiæ metu deterriti facilius se manumitti patiantur: alioqui enim difficile est, huius conditionis homines ab ingenuis dignoscere, vt & liberos à seruis, *l. quia difficile 5 D. de contrah. empt.*

3 Est enim quis tanto locupletior, quanto plures seruos habet aut homines talliabiles, propter spem successionis, quæ ad dominum aliquo casu pertinere potest, *tit. Inst. quibus ex caus. manum. non licet.* iunct. *l. pater filia 71. vers. cum vno casu. D. de euict. l. 2. in fin. l. 4. & vlt. D. de natal. restit.*

4 *d. l. vlt. C. de testam. manumiss.* cum libertatem consequatur, quæ inæstimabilis res est. *l. libertas 106. de reg. iur.*

5 *L. inuito 69. eod. tit l. hoc iure 19. § non potest, D. de donat.*

6 Cum inter hæc duo medium illud sit nec beneficium dare, nec iniuriam facere.

7 Ne alioqui fiat ipsi iniuria, si inuitus manumittatur, cum non gratis fiat ea manumissio, sed accepta in præmium emancipationis à domino parte bonorum.

8 Numquam enim debet incipi ab executione, *l. 1. C. de executor. vet iudic.*

9 Cum nec quisquam præsumatur talliabilis, quoniam ex prima

BIU Cujas

prima naturæ institutione omnes & liberi & ingenui nascuntur, *l.4.de iustit.& iur.* [Debet autem hæc cognitio esse non Iudicis ordinarij iurisdictionis, ne forte colludatur inter Iudicem & Dominum in præiudicium subditorum, sed pertinere debet ad Iudicem Ducalem. Præsertim cùm interst quoque Principis propter illam præstationem quam nos Totquot appellamus, licèt non possit de ea tractari, nisi post probatam extinctamque manumissione conditionem. Maximè verò id obtinet si iudex ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam certis finibus territorij, sed tantum, vt plerisque super hominibus & feudis, & homines in diuersis habitent iurisdictionibus, adeoque prouincijs quæ diuersos habeant iudices etiam Ducales. Proinde omni casu melius est, vt eam cognitionem sibi retineat Senatus sine præiudicio iurisdictionis Domino competentis. *Ita Senatus* in causa perillustris viri N. Amedei de Chiuron Baronis de Villette & de Giez in relationibus libellorũ, 12. Maij 1614.]

DEFINITIO XXII.

De ligiorum hominum conditione apud Centrones.

EST apud Centrones nostros [1] quoddam hominum genus, Ligios vocant, [2] qui eius conditionis sunt, vt, si & intestati & sine liberis moriantur, directus dominus ijs succedat in vniuersis bonis mobilibus & se mouentibus, non etiam in immobilibus, aut quæ destinata sint ad immobilium ambitionem, sin testamentum fecerint, nihil domino debeatur præter tertiam bonorum mobilium portionem, sed hoc ita, si eo testamento aliquid domino legauerint, alioquin testamentum non valeret. Sane ad validitatem testamenti non illud requiritur, vt domino relictum sit in titulo institutionis, [3] sicut nec vt quod legatum est æquet tertiam partem mobilium, quia nec legatum agnoscere dominus cogitur, ni velit. [4] Cæterum consuetudo prouincialis facit, vt in bonis defuncti mobilibus nomina quoque debitorum numerentur, nisi quæ contracta sint ex bonorum immobilium venditione, aut destinata ad bonorum immobilium comparationem; quasi subrogatum, vt vulgo aiunt, induere & sapere debeat naturam eius, in cuius locum subrogatum est. [5] Quamuis inspecta iuris ratione, iura & actiones, quia tertiam bonorum speciem constituunt, [6] mobilium appellatione non contineantur. [7] In pecunia numerata facilius admitti potest vt contineatur, quamquam ne hoc quidem semper. [8] *Ita Senatus tractatum est* in causa Francisci le Maistre & illustrium Dominorum Comitum de Mommayeur, 5. Id. Aug. 1593.

1 Nunc Tarentasienses vocantur. [Magis tamen proprie illi sunt qui supra oppidum habitant quod Saxum vocant.]

2 Alio tamen sensu quam vulgo ligij dicantur. De quibus tractat. Guid. Pap.

3 Quomodo requiritur in legitima danda liberis, si nostris credimus, *ad authent. nouissima, Cod. de inoff. testam.* De quo tamen vide quæ contra scripsi in Chiliad. *De error. pragmat.*

4 Quia potest omisso legato petere tertiam bonorum mobilium partem quomodo posset filius, cui legatum pecuniarũ à patre relictum esset, repudiato legato petere legitimam in corporibus bonorum, vt scripsi *sub tit. de inoff. test.*

5 *Vulg. l. si eum* 10. *qui iniuriarum, D. si quis caution. l. sed quod inde* 71. *de legat.* 2. [Obserua autem hoc fieri ex consuetudine, sunt enim alij loci apud nos in quibus talliabiles decedentes sine liberis faciunt escheutam, vt loquuntur, in bonis omnibus etiam immobilibus si pro homagio ligio aliquid vel minimum præstetur, vt apud Bugienses. Alij sunt apud quos non faciunt escheutam, nisi bonorum quidem mobilium, sed inter quæ non computantur instrumenta & nomina debitorum, vt apud Montemontanos Maurianenses. *Ita Senatus* 6. Calend. Decembr. 1609. Et illa consuetudo conuenit iuris rationi.]

6 *L. quam Tuberonis* 7. §. *in peculio.* D. *de pecul. l. à Diuo Pio* 15. §. *in venditione, D. de re iudic.*

7 Fallit interdum si actio detur ad rem mobilem, ex Bart. *in l. si sic legatum* 75. §. *vlt. de legat.* 1.

8 Sed tunc tantum, cum præiudicij causa nummi repositi sũt, *vt in l. si chorus* 79. §. 1. *de legat.* 3. Iunge *l. mouentiũ* 93. *de verb. signif.* [Cæterùm si pecunia destinata sit ad emptionem bonorum immobilium connumerabitur in bonis immobilibus vi destinationis.]

DEFINITIO XXIII.

An & quando, & quomodo dominus succedens ligio vel talliabili teneatur ad æris alieni exsolutionem?

ETsi autem bona dicuntur deducto ære alieno, [1] eum tamen, cui ex conuentione aut consuetudine pars aliqua bonorum mobilium vel immobiliũ defuncti debetur, [2] nullam æris alieni partem suscipere cogendum esse verius est, cum in alijs bonis defunctus heredem habere possit, qui non eo minus ex asse heres erit, [3] quod pars aliqua bonorum ex hereditate detrahatur. [4] Neque simile est, quod defuncto homine dediti ię conditionis dominum ad totius æris alieni exsolutionem teneri constat. [5] Hic enim, cum in vniuersa defuncti iura succedat, licet non tam iure hereditario, quam iure domini velut peculium occupantis: [6] impedit tamen, ne alius quisquam aut testamentarius, aut legitimus heres esse possit, [7] ideoque quod ad hereditaria onera pertinet, heredis iure censeri eum necesse est. [8] Plane si defuncti hominis ligij heres nullus sit, & bona, quę in hereditate manserunt, exsoluendo æri alieno non sufficiant, dubitari non oportet, quin potior creditorum quam domini causa esse debeat. [9] Nam & idem obtinet, si liber homo, qui bona quædam talliabilis conditionis onere affecta sine herede, nec soluendo decesserit. [10] Quo tamen casu nemo negauerit longe fauorabiliorẽ esse dominum, [11] quippe qui non tam alienas res inuadat, quam suas proprias, [12] id est, à se suisve maioribus certa lege & conditione profectas existente tandem conditione vindicet. [13] Nisi creditorum causam illud potiorem faceret, quod cum tali homine contrahentes, non tantum eius fidem, sed & vniuersum ipsius patrimonium secuti sunt, [14] & eo tempore, quo liberam bonorum suorum omnium administrationem is habebat, nec solum obligandorum, sed distrahendorum. [15] Quanquam hactenus domino subueniri solet, vt quandiu alia bona sunt, ex quib. satisfieri creditoribus potest, non ex talliabilibus diminuatur. [16] *Ita Senatus* in eadem causa, [Alia ratio est eius tributi quod apud Mauriananenses nostros frequens est, & Placitum vocatur, cuius præstatio ad mutationem cuiuscunq; vel domini vel possessoris vel vtriusq; incumbit. Semper enim potior est dominus nec vllum æs alienum detrahitur, quia rei singularis non successionis onus est. *Ita Senatus* Februar. 1613. pro venerabili Capitulo Ecclesię Mauriananensis contra fratres Verney.]

1 *L. mulier* 72. *D. de iur. dot. l. non possunt* 11. *D. de iur. fisc. l. subsignatum* 39. § *bona, de verb. sign.*

2 Qualis est dominus directus, qui habet hominem ligiũ apud Centrones, de quo diximus *Defin. præced.*

3 Quia singularis successor est in quem non transit onus æris alieni, *l. æris alieni* 15. *C. de donat. l. vlt. C. de hared. act.*

4 Quia pars ista quæ domino defertur non est pars hereditatis, sed bonorum, vt dicitur de legitima filij. *Not. ad Auth. nouissima, C. de inoffic. test.* Quamuis legitima dicatur deducto ære alieno, *l. Papinianus* 8. § *quarta autem, D. eod.*

5 Ita vulgo pragmatici nostri loquuntur, sed male. Nam dominus directus non potest conueniri actione personali, vt soluat æs alienum, sed tantum cogitur pati deductionem æris alieni ex bonis, in quibus succedit, nempe quia non possunt vlla bona ad dominum pertinere, nisi quæ superfutura sunt creditoribus, *d. l. non possunt* 11. *D. de iur. fisc.*

6 Exemplo eius quod scriptum est *in l. 1. & 1. D. de castr. pecul.*

7 Quia non potest fieri, vt heredem habeat is, qui nulla bona heredi posset relinquere, *l. lex Cornelia* 28. *vers. quia per eam non efficitur, D. de vulg. & pupill. substit.*

BIU Cujas

8 Quomodo nostri solent dicere de donatario vniuersorū bonorum. *Adde d. l. æris alieni 15. C. de donat.*

9 Fauorabiliores enim sunt qui certant de damno vitando, quam qui de lucro captando, *l. non debet 41. de reg. iur. l. quod autem 6 §. Simili modo dicimus D. quæ in fraud. cred.*

10 Nam & hoc casu creditores domino præferuntur, etiā si à domino bona prouenerint, quia bona talliabilia, vt cætera omnia emphyteuticaria, possunt à domino vtili vtiliter obligari eo iure quo vtimur. * Vide tamen *Definit. 61. §. de iur. Emphyit.* vbi contraria sententia magis probatur.

11 Fauorabilior enim est, qui repetit rem, quæ aliquando fuit sua *l. videamus 38. § 1. & §. si actionem, D. de vsur.* quia fauorabilis est cuiusque rei reditus ad suam naturam, *l. si vnus 27. §. pactus ne peteret in fin. D. de pact.*

12 Iure scilicet directi dominij, cum quo vtile consolidatur.

13 *L. 1. & vlt. C. de iur. emphyt. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit. l. in traditionibus 48 D. de pact.*

14 Hoc enim maxime inspici solet, *l. hinc quæritur 19. §. 1. D. de pecul.*

15 Postquam eo iure vtimur, vt bona feudalia & emphyteticaria redacta sint ad instar allodialium & patrimoniorum, vt notat. *ad d. l. vlt. C. de iur. emphyt. & ad §. adeo. Instit. de locat.* [Vide tamen *Defin. 61. supr. de iur. emphyt.* vbi scripsi cō trariam sententiam magis obtinere ex ratione iuris. Et sanè non potest hæc sententia defendi, nisi vi consuetudinis, si qua talis sit.]

16 Vt quantum fieri potest ius vtriusque partis conseruetur, *argum. l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. credit.* [Intellige tamen nisi creditor possideat bona talliabilia. Nunquam enim possidenti incumbit excussio. *Ita Senatus* mens. Ian. 1611]

DEFINITIO XXIV.

Ius domini in succedendo talliabilibus conseruatur, si aliquando vsus eo sit dominus, quamuis non semper.

SI probetur feudi dominus in talliabilium sine liberis, & extra communionem defunctorum successionibus occupandis aliquando vsus iure suo, aliquando non vsus, magis ei prodesse debet, quod vsus sit, quam nocere, quod non sit vsus. [1] Non solum, quod in huiusmodi iuribus receptum sit, vt vel actus vnus sufficiat ad inducendam quasi possessionem, [2] nedum ad iuris iam quæsiti tuitionem, [3] sed etiam quia facillime & sæpissime euenit, vt ignorent domini delatas sibi talliabilium successiones, propter fraudes, quas huius conditionis homines passim comminiscuntur, [4] mutato in eam rem nunc nomine, [5] nunc domicilio, [6] nunc etiam vtroque. [7] *Ita Senatus* pro D. de Buffieres, contra N. Chou de Serrieres, 16. Calend. Mart. 1594.

1 Nemo enim cogitur semper vti iure suo, *l. penult. C. de pact.* dummodo non omnino non vtatur. Iunge tamen *Defin. 3. §. de acquir. poss.*

2 *Not. ad l. Imperium 3. D. de iurisdict.* Ludouic. Roman. *cons. 311 in fin.*

3 Est enim facilior iuris iam acquisiti conseruatio, quam noui acquisitio, *l. 1. in princip. D. de pignor. l. vltim. D. de acquir. possess.*

4 Sæpe enim furtum sui faciunt quantum possunt, *l. 1.* vbi Bald. & alij, *C. de seru. fugit.*

5 Vt ex diuersitate nominis præsumatur diuersitas personę, quomodo è contrario ex identitate nominis identitas quoque rei præsumitur, *l. si idem 7. C. de codicill.*

6 *Vt in l. cum scimus 21. ad fin. C. de agric. & cens. lib. 11.*

7 Et quidem dolo malo contra *l. 1. C. de mutat. nomin.*

DEFINITIO XXV.

Communio in bonis pro legitima legatū excludit dominum à successione.

TEstamento pater filium ex asse hæredem scripserat, filiæ vero pro omni legitimæ iure legauerat centum aureos, iemque iugera decem ex fundis hæreditarijs nec melioribus, nec deterioribus. Tum si filius sine liberis moreretur, eandem filiam substituerat. Defuncto patre filia legatum agnouerat, pecuniamque acceperat, & nupta in mariti domum traducta fuerat, nec tamen iugera illa decem, quæ præterea sibi legata fuerant, cum fratre diuiserat, subinde mortuo fratre si sine liberis relicto in hæreditate fundo talliabili cum directus dominus fundum condiceret iure feudi, negabat filia conditionem extitisse, propterea quod in communione fundorum omnium hæreditariorum cum fratre perpetuo manisset. [1] Etsi enim non nisi decem iugera ei legata fuissent, quamdiu tamen diuisa non essent, dici non poterat, an hæc an illa habere deberet, adeo, vt vel in minima parte glebæ partem suam indiuisam habere illam constaret. [2] Porro huiusmodi feudorum ius tale est, licet foci & habitationis separatio facta sit, in ijs tamen bonis, quę communia manserunt, nullum domino ius competat, sed tantum in cæteris, quæ aut diuisa fuerunt, aut separatim acquisita. [3] Contra dicebat dominus communionem nullam intelligi posse inter hæredem vniuersalem & legatarium, aut legitimarium, [4] ideoque nec inter eos locum esse iuri accrescendi, [5] quia ex diuerso separatoque iure succederent. [6] Repugnare quoque voluntatem patris, qui filiam ab vniuersa hæreditate per legatum excluisset. [7] Nec quod decem fundi iugera ei legasset indiuisa, ex eo voluntatis coniecturam capi posse, vt eam in bonorum communione voluerit remanere: Quandoquidem fundos diuidi, & ex ijs, qui nec meliores, nec deteriores essent, decem duntaxat filiæ dari præceperat. [8] Rursus ad rem non facere, quod fratri sine liberis decedenti sororem substituisset. Constat enim, huiusmodi substitutiones, siue à personis deditijs, & talliabilibus fiant, siue à liberis hominibus bona quædam talliabilia possidentibus, nullius esse roboris & momenti, quod ad bona talliabilia pertinet, postquam semel diuisio facta est, [9] quamuis dici soleat, etiam talliabiles posse de bonis suis pro arbitrio inter suos disponere. [10] Id enim ita accipi debet, vt tamdiu valeant & subsistant dispositiones illæ testamentariæ, quamdiu durat communio, "ne aliqui talliabili cuique facile sit huiusmodi substitutionum commento fraudem domino facere." Addebat dominus non fuisse permittendum filiæ, vt decem illa iugera, quæ sibi pro legitima relicta essent, ex ijs bonis acciperet, quæ ad dominum feudi iure reuerti deberent, cum in hæreditate alia pleraque essent omnino libera, ex quibus æque consuli filiæ posset citra domini iniuriam, [11] sicuti solet dici, cum testator de restituenda bonorum suorum parte rogatus filio relinquit legitimam, aut in corporibus bonorum simpliciter aut in ijs fundis nominatim, qui fideicommisso teneantur. Nemo enim dixerit dandam filiæ legitimam in bonis fideicommissarijs quamdiu ex alijs dari integra, vel suppleri potest. [12] Denique illi etiam concesso, vt in proposita specie potuerit frater sorori legata soluere in ijs etiam fundis qui talliabiles fuissent: absurdum tamen fuisse, vt cum id vinus frater non fecerit post eius mortem sibi ipsi velit soror fundos illos eo iure, & quasi in eam causam sibi quæsitos retinere: Quippe quæ fratri homini libero in solidum hæres extiterat, atque ita creditrix & legataria esse desierat, sublata nimirum per additionem & confusionem obligatione. [13] Ad ea fororis patroni respondebant, nullam quidem intelligi communionem inter hæredem vniuersalem & legatarium, aut legitimarium, quod attinet ad hæreditatem, quia neque legatum, neque legitima hæreditatis pars est, [14] sed tamen negari non posse quin communio sit in ipsis bonorum corporibus, quoties in legato, aut legitima aliquid est

quod

quod sit indiuisum, quoniam legitima est quota bonorum, [7] & legatum fundi indiuisi, quamdiu diuisio non intercessit, licet sit agnitum, non solum indiuisum dici potest, sed etiam in dominio & bonis manere hæredis, propter incertitudinem partis. [18] Inde vero fit, vt si pater filio legitimam reliquerit in corporibus bonorum, nec corpora viuo hærede instituto diuisa sint, succedere possit fratri hæredi frater legitimarius nil obstante talliabilitate. [19] Idque sæpius iudicatum dicebatur. Quod tamen nullam prorsus rationem haberet, si inter vniuersalem hæredem & legitimarium nulla omnino esse communio intelligeretur. Cæterùm quemadmodum dominus, qui iure feudi bona defuncti talliabilis occupat, non in hæreditate ipsius, sed in bonis succedit, [20] ita ad eum excludendum sufficit bonorum communionem esse aliquam, licet hæreditatis nulla sit. [21] Nec repugnabat in proposito facti specie patris voluntas, quæ non illa fuerat, vt omnimodo & simpliciter filia ab hæreditate excluderetur, sed accepto demum legato, ac proinde non nisi post tradita decem illa iugera pro legitimæ iure legata. [22] Quamdiu igitur filiæ omnino satisfactum non erat, tametsi legatum agnouisset, partisque solutionem accepisset, non poterat videri per patrem exclusa, & extra communionem constituta, [23] nisi forte proponeretur certa diuisaque corpora legata pro legitima, quod hic non contigerat. Indiuisa enim iugera decem filiæ relicta fuerant, & quidem ex iis, quæ nec meliora essent, nec deteriora, [24] vt proinde nec in fratris, nec in sororis arbitrio esset electio, an hæc an illa iugera deberentur, sed ad boni viri arbitrium recurrendum erat, si non mutuo vtriusque consensu res expediri potuisset. [25] Atqui arbitrium boni viri tale esse proculdubio poterat, vt fundi isti talliabiles, de quibus controuertebatur; filiæ præstarentur. Nam & pater poterat, si voluisset, eos fundos nominatim filiæ in legitimam assignare. [25] Et mortuo patre perinde potuisset frater sorori in iis fundis soluere, si aliam contradicendi iustam causam soror non habuisset. [27] Apparebat igitur, non diuisis nec traditis viuo fratre decem illis iugeribus indiuisis, quæ sorori legata fuerant, communionem bonorum inter ipsos durasse. [28] Nec simile videbatur, quod obiiciebatur de legitima ex bonis fideicommissariis quamdiu alia extarent non soluenda, [29] Id enim tum procedit cum fideicommissum deberi cœptum est. At in proposito numquam ius fuerat domino quæsitum, neque viuo aut morente patre, qui scilicet liberos relinquebat superstites, [30] neque post patris mortem viuo filio eodemque hærede instituto. Nec denique post obitum filij, à quo soror domicilio dumtaxat propter matrimonium [31] non etiam bonis fuerat separata. In eoque potentius est ius fideicommissarij quam domini directi. Nam fideicommissarius etiam prius quam extiterit conditio fideicommissi spem habet eius aliquando consequendi: Ex existente quandoque conditione retrotrahitur ius illud ad tempus testamenti, hactenus, vt quę medio tempore in fraudem fideicommissi quouis titulo etiam inter viuos per grauatum alienata sunt reuocentur. [32] At dominus directus nullum omnino ius habet in bonis talliabilibus emphyreutæ liberi, at ne quidem in bonis hominis talliabilis quamdiu ille viuit, [33] sed tum demum ius habere incipit cum talliabilis defunctus est sine liberis & extra communionem. [34] Ideoque permittitur talliabili homini de bonis suis pro arbitrio inter viuos disponere, ita vt irreuocabiles sint ab eo factæ alienationes, [35] adeoque in testamento, dummodo inter suos, & ita si postea diuisio non sequatur. [36] Hoc enim est quod dici solet huiusmodi homines viuere liberos & mori seruos. [37] Neque dubitandum est, quin potuerit pater in proposita specie in ipso quoque actu diuisionis, hoc est, in eo testamento quo bona sua inter filium & filiam pro regionibus diuisisset, [38] transferre in filiam fundos istos talliabiles, saluo domini iure, si postea filiam sine liberis decedere contingeret. [39] Non enim per diuisionem statim acquiritur domino ius occupandi feudi, sed tum demum cum decedit possessor sine liberis. [40] nec aliam in rem domino prodest diuisio, tum cum fit, quam vti ne inscio aut inuito eo in communionem possint emphyteutæ qui diuiserunt recidere. [41] Itaque tametsi frater extraneum hæredem instituisset, perinde tamen feudi reuertendi conditio defecisset ad exclusionem domini, propterea quod quæ communio inter fratrem & sororem fuerat viuo fratre, eadem fratre mortuo inter hæredem eius & sororem superstitem durasset. [42] Cur ergo deterioris conditionis soror esse debeat ob id solum, quod fratri suo siue ex testamento, siue ab intestato hæres extiterit? [43] An quia, vt dominus dicebat, confusione extincta sit legitimæ petitio vel legati? Atqui non ideo minus verum est corpora bonorum hereditariorum nunquam fuisse diuisa, quod sufficit ad domini exclusionem. Non enim de filiæ iure quærendum est, an aliquid ei debeatur, sed de iure domini, quod nullum omnino est, cum diuisio nulla intercesserit. [44] Alioqui dicendum esset æque omni alio casu, quo socius socio ex asse succederet, domino locum fore, quia cõmunio nisi inter plures nulla esse possit. [45] Quod tamen absurdum fuerit, quoniam ad exclusionem domini sufficit, vt diximus, nullam interuenisse diuisionem. Fratreque mortuo nullus illi quæstioni locus superest, an soror possit sibi ipsi legatum soluere ex fundis talliabilibus, cum ad eã tota hereditas pertineat, [46] sed de illo solum quærendum est, an quæ legata iugera cum hereditariis indiuisa à fratre viuo non accepit, bonis separata fuisse dici possit, quod sani iudicij nemo sane adseuerauerit. Nulla enim facta diuisione quantulumcunque illud sit quod filię relictum est, perpetuo verum est habere eam, vel in minima gleba partem, [47] multo magis cum, vt in proposito, non certa pars corporum legata est, sed certus modus iugerum incertorum. [48] Tunc enim nulla gleba est in corporibus omnibus hereditariis, quæ non possit tota spectare ad filios, si in diuisione faciendа sic arbitris commodius & æquius videatur. *Senatus* pro sorore, contra Dominum pronunciauit in causa Philibertæ Bordon & Domini de Felliens, 17. Cal. Iul. 1595.

1 Conditio enim duas partes habere videtur, si & foci, & bonorum communium diuisio facta sit, vt dixi *Defin.* 15. 3.

2 Plures siquidem condiuisores in fundo communi partes suas dominij intellectu iuris, non diuisione corporis obtinent; *l. Mauius 66. §. duorum, de leg. 2.*

3 Secundum ea quæ disputauimus *dict. Defin.* 15. Quod tamen nondum ex consuetudine bene videtur exploratum. Plerique enim magis probant, vt siue foci duntaxat, siue bonorum separatio locum aperiat domino, nec is aliter excludatur, quã & foci, & bonorum communio concurrat. Sed alio iure vtimur.

4 Quia legatum & legitima consistit in parte bonorum nõ in parte hereditatis, è contrario autem hereditas neque in totum, neque in parte, in rebus singulis esse intelligitur, *l. quamuis 14. D. si quis omiss. caus. testam.*

5 *L. quoties* 13. vbi Bart. & cæteri, *C. de hered. instit.*

6 *L. si sub conditione* 16. D. *quib. mod. vsufr. amitt. l. sed cum patrono* 6. D. *de bonor. possess.*

7 *Vt in l. Paula Callinico* 27. *§. Pompeius, de legat. 3.*

8 Ne scilicet filia quicquam cum fratre haberet commune.

9 Adeo, vt nec possit redintegrari communio nisi ex domini voluntate, vt dixi *Defin. 4. vt 5.*

10 Quamdiu enim non aperitur locus domino, quid eius interest, an talliabilis decesserit testatus an intestatus?

BIU Cujas

11 Vt nimirum cessante causa cesset effectus, *cap. cum cessante de appellat.* [Iunge *Defin 17. supr.* Ant Colomb. *tom. 3. §. 7. & 12.*]

12 Quod tamen permitti non debet, *l. fideicommissum 76. D. de condit & demonstr. l. si ita quis 51. §. is cui in tempus, de legat. 2.* [Ideoq; nec valet donatio inter viuos si fit suspecta fraudis, pura facta ab ægroto, aut omnium bonorum. Alterutrum enim requiritur apud Sebusianos meos, *argum. l. omnes 17. §. Lucius quæ in fraud. credit. l. viuus 9. D. si quid in fraud. patr.* In Sabaudia nullo casu valent extra contractum matrimonij, vt nec in Burgundia. Chassan. *in consuet. Burgund.* De *mainmortes §. 10. num. 45.*]

13 Vtrique enim parti consulendum est quantum fieri potest, vt neuter lædatur, sicuti scripsimus *Defin. 22. nu. vlt. 3. ex l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. credit.*

14 *L. mulier 22. §. cum proponeretur, D. ad SC. Trebell. & ibi not. & ad Auth. res quæ C. commun. de legat.*

15 *L. debitori 7. C. de pact. l. debitori 50. D. de fideius. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. additio. D. de solut.*

16 *d. l. quamuis 14. D. si quis omiss. causs. testam.*

17 *L. cum quæritur 8. vbi not. & ad Auth. nouissima, C. de inoffic. testam.*

18 Hoc enim casu non habet locum quod dici solet, dominium rei legatæ transire recta via à testatore in legatarium, *l. à Titio, 64. in fin. D. de furt. l. legatum 80. de leg. 2.* vt tractat Bar. *l. si quis seruum 8. §. vlt. & l. seq. eod. tit.*

19 Scilicet propter bonorum communionem.

20 Vt dixi *Defin. 23. 3. arg. l. 1. & 2. D. de castrens. pecul.*

21 Cur enim requiramus communionem hæreditatis, cum in hæreditate non succedatur?

22 *Vt in l. penultim. D. de dot. collat. l. cum ab vno 53. de legat. 2.*

23 Diuisio enim est facti, & ideo numquam fit ipso iure, sed actu & facto aliquo est opus, siue expresso, siue tacito, *l. pen. C. commun diuid.*

24 Quomodo etiam obseruari solet, quoties de legitima filio assignanda quæritur. Nec enim aut ex melioribus assignãda est, aut ex deterioribus, sed ex mediocribus, vt notat *ad l. scimus 36. §. repletionem, C. de inoffi. testam. l. legato 37. l. si hæres 110. de legat. 1.*

25 *Arg. l. 1. de legat. 2.*

26 Nulla enim lege prohibetur pater quam velit rem pro legitima filio relinquere, dummodo sit illa ex hæreditatis corporibus bonorum, *d. l. cum scimus, §. repletionem, & l. omnimodo 30. C. eod.*

27 *d. §. repletionem.*

28 Cum nihil interuenit, quod discernat communionem, vt loquitur Papin. *in l. cum pater 77. §. hæreditatem post mortem, de legat. 2.*

29 *Ex d. §. cum proponeretur, l. mulier 22. D ad SC. Trebell.*

30 Quorum superexistentia sufficit ad excludendum dominum, vt in *l. filius familias 114. §. cum quis erit. de leg. 1.*

31 Quæ honestissima causa est adeoque necessaria, vt dixi *Defin. 15. nu. 17. 18. & 19.*

32 *L. vlt. § sin autem sub conditione,* iunct. *Auth. res quæ, C. commun de legat.*

33 Adeoque nec spem vllam satis probabilem habet succedendi, cum durum sit expectari aduersam fortunam, qualis est casus mortis sine liberis, *l. inter 83 §. sacrum de verb. oblig.* iunct. *l. cum tale 72. in princ. de cond. & demonstr.* [Ideoque nec prohibetur talliabilis etiam ægrotus, donare inter viuos, dummodo superuiuat per tres menses, vt à nostro Senatu aliàs iudicatum fuisse mihi relatum est. Iunge *nu. 35. infra.* Intellige tamen, Nisi donauerit vniuersitatem bonorum, non ignorans conditionem suam. Talis enim donatio semper præsumitur facta in fraudem, *l. omnes 17. §. Lucius D. quæ in fraud. credit.* Nec tãtùm si persona ipsa sit talliabilis, sed etsi fundus tantùm, vt à Senatu nostro iudicatum est pro Reuerend. Petro de Saconey, contra fratres Vincent, 18. Calend. Maij 1612. In qua tamen specie illud propterea cõcurrebat, quod donator iam senex nullos tum liberos habebat, Nam si habuisset, aliud dicendum fuisset. Adde, nec talem donationem à talliabili factam, ob id magis valere posse, quòd facta sit in contractu matrimonij. Non enim tã fauorabiles sunt eiusmodi donationes, vt permitti debeant etiam in fraudem domini, qui plusquàm creditor est, *l. ait prætor 10. §. si cùm mulier, l. vltim. quæ in fraud. cred.* Nec hoc casu locum habet *l. viuus 9. D. si quid in fraud patr.* Maximè si ponas factam donationem in contractu quidem matrimonij sed post nuptias iam contractas, quæ solo consensu contrahuntur. Non enim potest hoc casu dicere mulier se aliter non fuisse contracturam. Quamquam nec rationis huius prætextu fraudem domino fieri oportet. Eadem ratio facit, vt nec permittendum sit homini talliabili dotale augmentum constituere supra eam quantitatem, quæ per consuetudinem regionis præscripta est, quia quicquid excedit, præsumitur factum in fraudem tanquã insolitum, & à suspecta persona, licet inter cæteros non prohibeatur augmentum dotale maius esse consuetudinario. Plaquæ scilicet iure communi valet. Et bonorum adiudicatio faciendæ est prouisionaliter, sed præstita satisdatione, nisi paupertas mulieris sit impedimento. Quo casu sufficiet decerni, vt bona quæ mariti dominus sibi obuenisse contendit, maneãt inalienabilia, vt vtrique litigatorum sit cautum & consultum, vt in *l. ex his 8. D. quæ in fraud. credit. Ita Senatus* pro Ludouica Mugnier, contra Nobiliss. virum D de Montrotier, Cantorem Ecclesiæ Cathedralis Sancti Petri Gebennensis, 5. Id. August. 1612. Ex tempore.]

34 Quia tum demum existit conditio stipulationis, *l. cedere diem 213. de verbor. signific.*

35 Quod etiam liberto conceditur, *l. viuus libertus 9. D. si quid in fraud. patron.*

36 In quo plus iuris habet hodie talliabilis, quam haberet olim libertus, *d. l. viuus.*

37 Quæ olim erat conditio eorum, qui Latinè Iustiniani dicebantur, *l. vnic. vers. quis enim, C. de latin. libert. tollend. §. 1. Instit. de succes. libertor.*

38 Quod cum fecit videtur functus officio arbitri, *l. quæ pater 32. & seq. D. famil. ercisc.*

39 Semper enim alienatio fit cum sua causa, *l. alienatio 67. de contrah. empt. l. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interd. ser. suar. alien.*

40 Quia liberorum potior causa est quam domini, nisi cum à bonorum communione sunt excluſi.

41 Vt dixi *Defin. 3. eod.*

42 Non enim sicuti societas morte finitur, ita & communio bonorum, cui scilicet diuisio sola finem facit, quoniam potest communio esse sine societate, non societas sine communione, *l. 2. & pass. D. commun. diuid. l. vt sit 31. cum seqq. D. pro socio.*

43 Eadem quippe solet esse ratio heredis quæ defuncti, §. 1. *Nouell. de iureiur. à mor. præst.*

44 *Arg. l. Paulus 12 §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l. vlt. D de acquir. possess.*

45 *Mauius 66. §. duorum, vers. nam plures, de leg. 2.*

46 Ac proinde res peruenerit ad eum casum, à quo incipere non potuit, cum heredi à semetipso legari non possit, *l. & quidem totum 18. l. legatum 116. §. 1. de legat. 1.*

47 Vnde est quod potest quisque rem suam dicere, quam habeat cum alio communem, *l. illud 46. de rit. nupt. not. adl. Serui electione §. 1. & 2. de legat. 1.*

48 *L. locus certus 16. & ibi not. D. de acquir. possess.*

DEFINITIO XXVI.

Casus duo, in quibus filia, quæ remansit in communione pro legitima non ideo tamen excludit dominum.

SAne duobus casibus pro feudi domino pronũciari potuit. Vno si fundi hi talliabiles, de quibus agebatur, fuissent ex pretiosioribus, aut vilioribus, quia tũc non fuissent in legato. [1] Quandoquidem legatus erat certus modus & numerus iugerum ex iis, quæ nec meliora essent, nec deteriora: Et consequenter non induxisset legatum illud diuisionem vllam ratione bonorũ, quæ in legati speciem cadere non potuissent. [2] Altero si filia idcapax fuisset retinendi feudi talliabilis, vt euenit in iis prouinciis, in quibus nec defertur filiabus successio, quod ad bona talliabilia pertinet, nec ipsis succeditur. [3] Nam nec hoc casu videri possunt in legato filiæ relicto ea bona contineri, quorum habendorum filia incapax est. [4] At in specie controuersa neuter casus euenerat. Nam fundi illi de quibus tractabatur inspecto reditu erant ex melioribus, [5] inspecta autem conditione illa talliabili erant ex deterioribus. [6] Itaque vtroque inspecto, & quasi compensatione facta erant ex mediocribus. [6] Rursus apud Sebusianos meos facti species emerserat, apud quos filiæ perinde ac masculi succedunt in feudis talliabilibus, iisque vicissim si sine liberis & extra communionem decedant æque ac masculis succeditur. *Ita Senatus* eodem SC.

1 Nec proinde in communione, quæ hoc casu non inducitur nisi ob legatum.

2 Nam

BIU Cujas

2 Nam quod legatum non fuit ex legato, nec deberi nec proinde peti potest, *l.1. §. item, §. ita, D. ad leg. Falcid. l. cum sine præfinitione 19. l. si penum, 24. D. quand dies legat. ced.*

3 De quibus scripsimus *Defin. 5. §. eod.*

4 Cum id quod incapaci relinquitur, pro non scripto habeatur, *l. licet transferam 20. D. de adim. legat. l. pen. §. 1. D. de his quæ pro non script. habent.*

5 Vt solet valor fundorum ex reditu potissimum æstimari, *l. si fundum per fideicommissum 92. de leg. 1. l. si fundus 13. in princip. D. de rebus eor. qui sub tutel.*

6 Cum nihil sit quod fundorum æstimationem tam imminuat, quam si talliabiles esse proponantur.

7 Vt scripsi *dict. Defin. 5. §. eod.*

DEFINITIO XXVII.

Communio nulla est inter parentes & liberos prætextu legitimæ.

NVlla intelligitur esse communio inter parentes, & liberos solius prætextu legitimæ: [1] quia neque legitima debetur viuo eo, post cuius mortem petitur, [2] neque eo tempore quo legitima deberi incipit communio aliqua videri potest esse inter legitimatium, & eum qui iam sit mortuus. [3] Ideoque plerisque Senatusconsultis pronunciatum est, defuncto talliabili filio matre superstite saluum matri ius esse persequendæ legitimæ, [4] nec eo minus tamen reliquam successionem ad dominum deferri, Sed si in bonis defuncti parentis communis aut socij legitima vni debita ab altero fuit, necdum tradita, debita inquam, in corporibus hæreditariis indiuisis, [5] communio bonorum pro ea quota inter hæredem & legitimarium fuisse intelligetur, ac proinde vni defuncto alter succedet excluso domino. [6] Dixi *in corporibus hæreditarijs indiuisis*, quoniam si legitima relicta sit in certis corporibus per regiones aut fines diuisis, tollit ea res omnem communionis rationem. [7] Non item si pecuniarium fuerit relictum, [8] nempe quia pecuniarium legatum repudiare potest is, cui legitima debetur, vt in ipsis corporibus bonorum legitimam consequatur, quantumcunque amplissimum sit legatum. [9] At quod in corporibus relictum est repudiari nequit, sed sola ad supplementum actio competere potest, si minus legitima relictum proponatur. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Non magis quam ratione cæterorum bonorum, licet viuo etiam patre filius eorum dominus quodammodo esse intelligatur, *l. in suis 11. D. de liber & post. l. vlt. D. de bon. damn.*

2 *L. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor. l. 2. §. vlt. de his quæ vt indign. l. cum quæritur, 6. C. de inoff. testam.*

3 Cum is qui mortuus est sit nullus, *l. 1. D. de rer. diuis. l. 3. in princ. D. de pecul.*

4 Quamuis verum sit legitimam esse portionem portionis ab intestato contingentis, *d. l. cum quæritur 6. Cod. de inoffic. testam.*

5 Quomodo debetur regulariter, *l. scimus 36. §. repletionem, vbi notat. eod.*

6 Secundum ea quæ scripsimus *Defin. 25. §.*

7 *L. recte dicimus 25. §. 1. D. de verb. signif.*

8 Intellige quamdiu non fuit agnatum, secundum ea quæ scripsi *Defin. 7 §.*

9 Aliud enim pro alio solui non potest, *l. 2. §. mutui, D. de rebus cred.* iunct. *l. scimus 36. §. repletionem, C. de inoff. test.*

10 *L. omnimodo 30. eod. tit.*

DEFINITIO XXVIII.

Non est in communione filia, quæ legatum sibi pro legitima relictum agnouit, licet habitet cum fratre, nec ei nocet quod alibi nupta sit.

FIlia, cui pater testamento reliquit certa bona pro legitima certamve pecuniæ quantitatem, quam ipsa agnouerit, [1] non eo magis censetur esse in communione cum fratre eodemque hærede vniuersali, quod in eadem domo cum eo habitet. Bonorum enim præcipue non foci communio spectanda est, cum agitur de feudi domino excludendo. [2] Quam ob causam tametsi foci separatio interuenerit, puta si filia nupserit, & in mariti domum traducta sit, [3] non faciet ea res, vt defuncto sine liberis alterutro possit dominus ei succedere, si bona manserunt indiuisa. [4] Igitur diuisis per patris testamentum bonis, foci communio ad excludendum dominum non sufficiet. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Hoc ideo, quia posset filia si vellet repudiare legatum & legitimam petere in corporibus bonorum, vt dixi *Defin. prox. num. 9.*

2 Vt dixi late *Defin. 15. §. eod.*

3 Cogitur enim sequi domicilium mariti, in cuius scilicet officio esse debet, *l. cum quædam puella 19. D. de iurisdict.* iunct. *l. sicut patronus 48. D. de oper. libert.*

4 Nihil enim commune habet foci & habitationis communio cum bonorum communione.

5 Sicut nec foci separatio vocat dominum, si bonorum communio duraverit.

DEFINITIO XXIX.

Qui partem suam licet indiuisam vendidit, fratribus tamen succedere non potest: qui non vendiderunt, possunt.

EX pluribus fratribus, qui patris hæreditatem indiuisam per aliquot annos retinuerant, vnus cæteris integram portionem suam vendiderat. Nemo dubitat, quin ea ratione perinde ac per diuisionem sublata sit communio, quo ad hunc qui vendidit pertinet, cum nihil iuris habeat in bonis communibus. [1] Ideoque si proponas fuisse fratres istos dediticiæ & talliabilis conditionis, omnesque defunctos sine liberis, solo superstite venditore, succedet dominus iure suo. Sed si ex aliis fratribus quidam supersint, qui partes suas indiuisas retinuerint, ius inter eos mutuę successionis saluum erit, [2] præterquam si bona quædam sibi separatim acquisierint. [3] Tum enim quod ad bona illa attinet dominus succedet, nihilque proderit quod cætera omnia manserint communia. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Petrin contra fratres Richaume 13. Cal. Iunij. 1595.

1 *L. cum pater 77. § liberis, de legat. 2.*

2 *d. §. liberis, vers. qui vero non vendidit.*

3 Quia quod separatim quæsitum est in commune non redigitur, *l. cum duobus 52. §. Papinianus, alias l. si fratres, D. pro socio.* Nec si sit quæsitum ex pecunia communi, quo casu sola in personam actio competit ad pecuniæ repetitionem, *l. 2. C. pro socio, l. si patruus 4. C. commun. vtriusque iudic.*

4 Quia scilicet communio nullum effectum habere potest, nisi in bonis communibus. Philip. Corn. *cons. 299.* incip. *prætermittendum est, col. 1. lib. 4.*

DEFINITIO XXX.

Defuncta filia talliabili sine liberis potior est causa domini quam patris, etiam in dote profectitia, si pater neq; expresse, neq; tacite fuerit sibi stipulatus. Salua patri legitima.

MOrtua in matrimonio sine liberis filia, dos quidem à patre profecta hodie perinde ac olim ad patrem reuertitur, [1] non miserationis tantum ratione, vt antea, [2] sed ex vi tacitæ stipulationis, quæ post Iustiniani constitutionem à patre interposita intelligitur: [3] ob idque nec dubitandum est, quin, si mulier deditiæ & talliabilis conditionis fuisse proponatur, melior patris quam domini conditio esse debeat in repetitione dotis, [4] quomodo potior creditoris quam successoris cuiuslibet causa esse solet. [5] Sed si mulier

BIU Cujas

sibi suisque dotem reddi stipulata sit patre ipso præsente, ac, quod consequens omnino est, consentiente, [6] magis est, vt excluso per eam stipulationem iure patris, [7] admittendus sit ad dotis petitionem dominus, nō minus quam ad bona cætera, quæ pleno iure in dominio filiæ fuerunt; [8] non tanquam hæres defunctæ, sed tanquam is, qui hæredis loco esse existimetur, [9] quique sicut alium quemlibet hæredem excludit, ita & multo magis patrem, qui ab hærede ipso si quis esset, excluderetur. [10] Nec aliud erit etiamsi non sibi tantum suisque stipulata sit filia, sed generaliter iis omnibus, ad quos futurum esset vt ea res quandoque pertineret. Non enim ea stipulatio ad patrem potius, quam ad dominum referri potest, cum certi iuris sit, quoties filia dotem stipulata est, nullum esse locum patri in dotis repetitione, sed eo tantum casu quo vel expresse, vel saltem tacite pater fuerit stipulatus. [11] Nisi ponas filiam adeo liberæ fuisse conditionis, vt post eius obitum liceat patri, siue peculij, [12] siue quod nostri malunt hæreditario iure dotem ipsius profectitiam occupare, [13] quod euenire nequit in persona filiæ talliabilis, quæ scilicet non magis patrem, quam alium vllum hæredem habere potest, [14] vt proinde necesse sit, vel ex proprio iure patrem succedere, [15] vel vinci à domino in omni casu, quo ab alio quolibet hærede filiæ vinceretur. Plane non vsque adeo inhumaniter cum patre agendum est, vt non saltem legitimam portionem in dote à se profecta debeat habere, quam haberet etiam in bonis cæteris, quæ alio iure, ac vndecunque ad filiam peruenissent, [16] in solatium videlicet amissæ non modo filiæ, sed etiam dotis profectitiæ, cuius iactura parcēb [9] grauior esse solet. [17] At quid si malit pater totius dotis vsumfructum habere, in eamque causam portionem legitimam repudiare? Nec enim fieri potest, vt vtrumque, id est, & proprietatis partem & reliquæ partis vsumfructum consequatur. [18] Non erit audiendus, quoniam non sicut vsusfructus viuis liberis constitutus & patri acquisitus, per eorum mortem patri non perit, [19] ita possit quisquam dicere per obitum filiæ acquiri debere patri vsumfructum, qui viua filia numquam fuerit constitutus. [20] Nec enim potest vsusfructus dotis constante matrimonio ad quemquam pertinere, ne causa fructuum, qui ad maritum & dominij iure, [21] & pro matrimonij oneribus [22] pertinent, ab iis oneribus separetur. [23] *Sine die.*

1 *Ex l. dos à patre profecta 4. C. solut. matrim.*

2 *L. iure succursum 6. D. de iur. dot.*

3 *L. vnic §. accedit, vers. parenti. C. de rei vxor. act.*

4 Etiam nulla probata speciali consuetudine, dummodo in contrarium nulla probetur. Est enim ius hoc totum consuetudinarium.

5 *L. vltim. vers. & si præfatam, C. de iur. delib. l. vltim. C. de hared act.*

6 *Vt in l. post dotem 40. cum ibi notat.* præsertim per Barr. *quæst. 4. D. solut. matrim.*

7 Quia expressum, vt aiunt, facit cessare tacitum, & plenior est prouisio hominis quam legis, *vulg. l. maritus 21. C. de procur. l. vlt. C. de pact. conueni. tam sup. dot.*

8 Intellige ex generali consuetudine, quæ obtinet in Sabaudia, & nisi probaretur specialis consuetudo in contrarium, eius enim esset probare qui eam allegaret, cum generalis consuetudo sit pro domino.

9 Est enim dominus anomalus successor, vt vocant, & hæredis loco potius, quam hæres.

10 *Ex reg. Si vinco vincentem te, l. de accessionibus 14. D. de diuers. temp. præscr.*

11 *d. l. post dotem 40. vbi not. D. solut. matrim.*

12 *Vt in l. 3 & 2. D. de castrens. pecul.*

13 Placet enim nostris filiamfamilias hodie in profectitia dote posse hæredem habere, vel patrem vel liberos, si quos habeat, Bart. & alij *in d. l. post dotem*, de quo tamen vide quæ contra scripsi *lib. 13. Coniectur.*

14 Id scilicet impediente iure domini, qui solus in bonis defuncti talliabilis succedit, & tanquam antiquior omnibus præfertur.

15 Id est, ex propria stipulatione, siue expressa, siue tacita, vt supra diximus.

16 Hoc enim iure vtimur, vt etiam in bonis defunctorum talliabilium legitima tamen parentibus salua sit, vt dixi *Defun. 5. supr.*

17 *Vulg. d. l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. vlt. C. de inst. & substit. l. scripto 7. §. vlt. D. vnd. liber.*

18 *Nouell. 118. de hered. ab intest. venient. cap. 2. vnde sumpta est Auth. item hereditas, C. de bon. quæ liber.*

19 *L. vlt. D. de vsur.*

20 Neque enim mors est modus acquirendi vsusfructus, sed potius amittendi, *vulg. iurib.*

21 *L. doce 9. C. de rei vindic. l. quamuis 79. D. de iur. dot. l. 1. D. de fund. dotal.*

22 *L. pro oneribus 20. C. de iur. dot.*

23 Quod esse non debet, *l. si is qui 56. §. ibi dos, D. eod. l. cum pater 11. D. de pact. dotal.*

DEFINITIO XXXI.

In defunctæ talliabilis filiæ successione quis debeat præferri excluso feudi domino, an pater, an agnati, iidemque condiuisores?

INgenui hominis filia, quæ ex materna hereditate fundos pleroſque talliabiles acceperat, eorumque possessionem cum materteris suis toto viuæ suæ tempore communem retinuerat, tandem nullis relictis liberis, sed patre superstite defuncta, pater vniuersam filiæ hereditatem sibi vindicabat, non quidem iure aliquo cōmunionis, quam constat inter patrem & liberos nullam esse, [1] sed ea tantum ratione, quod cum per cæteros condiuisores impediretur dominus feudi ne posset succedere, [2] sola relinquebatur succedendi ratio ex iure communi, quod vtique agnatis cognatisque omnibus patrem præferebat. [3] Illi vero contradicebant, tanquam quos æquum esset succedere hoc ipso, quod dominum feudi alioquin successurum iniis bonis talliabilibus arcerent à successione, cuius controuersiam ei facere nullo modo pater potuisset. [4] Addebant ex veteri statuto Sabaudiæ, [5] ita comparatum ius esse, vt pluribus fratribus vel patruis, vel aliis cuiuscumq; gradue agnatis in communione bonorum manentibus, [6] si quem ex iis sine liberis decedere contingat, non tantum excludatur dominus per condiuisores superstites, sed etiam ad ipsos condiuisores tota bonorum talliabilium successio deuoluatur. Quasi succedere illi debeant, non tam legis iurisque communis potestate, quam consuetudinis & indiuisionis, ac proinde exclusō patre, cui neque consuetudo, neque indiuisio fauet. [7] Atque ita plerisque Senatusconsultis antea iudicatum dicebatur. Pater contra, nihil ad hanc facti speciem pertinere Statutum, [8] siue quod eum nominatim casum tractet, quo condiuisorum personæ sint talliabiles, albergumque talliabile in communi, vt loquuntur, tenentes, [9] siue quod nullum in toto statuto verbum sit de patre excludendo, nec quod aptari possit ad eam speciem, qua pater filio superstes esse proponatur. [10] Dicebam, si quis admittat sic intelligi statutum debere, vt mortuo vno ex condiuisoribus cæteri omnes condiuisores cuiuscunque gradus sint simulei succedere debeant, ita vt proximiores remotioribus non præferantur, [11] vix posse defendi, quin eodem iure patrem excludi necesse sit à condiuisoribus licet remotioribus, qui bonorum communionem retinuerunt, cum nihil iuris habeat pater, nisi quod proximior est, quo tamen iure non posset vincere, tametsi in ea bonorum communione cum filia fuisset. Quanto minus, cum nullam possit communionem obtendere? [12] Sed tamen vix mihi persuadere poteram, statuti mentem eam fuisse, sed illam potius, vt cuiuscunque gradus condiuisores dominum excludant, non

dant, non etiam remotiores cum proximioribus æquo iure succedant,[13] quo certe non nisi perinique constitui potuisset.[14] Alioqui paulatim eo quoque nos decursuros, vt si quis huius conditionis homo superstitibus filio, fratre & consobrino decederet, dicendum esset non meliorem filij, quam cæterorum conditionem fore, imo fortassis deteriorem, ob id quod nullam pater cum filio,[15] sed tantummodo cum fratre & consobrino communionem habuisset.[16] Nam cum etiam huic hominum generi non sit interdicta testandi facultas, dum ne inter alios, quam inter suos condiuisores aut liberos testentur,[17] quid absurdi, alios aliis ab intestato præferri à lege, qui etiam ex testamento præferri potuissent?[18] Quod si quis obiiciat, ita futurum, vt eadem successio, quam communio conseruat, extraneum socium inducat, facilis responsio est, parum interesse quis & qualis socius sit, dummodo corporum communio retineatur,[19] nec ad excludendum dominum æqualitatem portionum requiri, sed sufficere indiuisionem, in quam nihil vetat eum quoque incidere, qui antea extra communionem fuit, cum nullo etiam tractatu habito sola successionis causa possit sufficere ad communionem inducendam,[20] præsertim ex qua nec domini feudalis, nec condiuisorum ius vllo modo lædatur,[21] quorum scilicet portiones non augentur quidem, sed tamen nec minuuntur. Illa ratio fortior contra patrem vigere videbatur, quod ferendum non esset, vt in communionem incideret extranea persona, cui neque agnationis, neque cognationis iure succedere cæteri condiuisores possent.[22] Nec enim sola indiuisio sufficere potest ad inducendum ius successionis hæreditariæ, si non etiam consanguinitas interueniat, aut ius aliquod proximitatis.[23] In proposita vero specie nulla inter defunctæ patrem & condiuisores superstites successionis spes[24] supererat, maxime cum non de personarum, sed de rerum dumtaxat conditione, ac, vt ita loquar, talliabilitate quæreretur.[25] Nam si persona ipsa defunctæ filiæ huiusmodi conditionis fuisset, patrem quoque ipsius eadem macula notatum esse necesse esset, cum hac parte sicut in cæteris omnibus patris conditionem liberi sequantur.[26] Quamquam non eo magis inter defunctæ patrem & materteras ordo succedendi aliquis esse posset, cum neque agnationis, neque cognationis vinculo per filiam,[27] sed tantum adfinitatis iure per defunctæ matrem coniungantur.[28] quæ res ius successionis inducere non potest, ne quidem inter liberas personas,[29] quanto minus inter talliabiles & dedititios, siue omnes, siue ex omnibus aliqui tantum eius conditionis esse proponantur?[30] Nam etsi omnes essent & talliabiles, & condiuisores, nihil tamen ea res faceret ad causam successionis, quando non per cognationem, sed per quam aliam causam ius communionis inter eos tanquam inter extraneos quoslibet contractum fuisse opotteret. Ita fit, vt si in proposita specie pater ad filiæ prædefunctæ hæreditatem tanquam proximior admittatur, nihil reliquis condiuisoribus profuturum sit, quod & in perpetua communione manserint cum filia quamdiu vixit, & in ea cum patre etiamnum perseuerent: qui scilicet non eo magis patri huic, qui alterius familiæ caput est, vnquam sint successuri.[31] At rursus si admittamus inutilem futuram condiuisoribus eam quæ cum patre superierit communionem, dici non facile poterit, cur debeat excludi dominus per condiuisores, qui nec ideo admittantur, nec admitti ad successionem vnquam possint.[32] Nec enim odio domini sic comparatum est, vt eum condiuisores excludant, sed fauore condiuisorum, ne per dominum excludantur & succedere prohibeantur.[33] Cui consequens videtur, vt quo casu impediuntur alia ratione succedere, potior domini causa esse debeat quam patris, aut alterius cuiuslibet extranei, qui non magis prætextu communionis succedere possit condiuisoribus filiæ, quam successores eos habere.[34] Enimuero illud quoque in proposito absurdum, & à statuti non minus verbis quam mente alienum videbatur, excludi per dominum à successione defunctæ materteras, quas illa & in communione constantes, & ad succedendum semota persona patris habiles reliquisset.[35] Placebat itaque pro materteris potius, quam pro patre pronunciandum esse, quantum ad ea bona pertineret, quæ talliabilia probabantur,[36] in reliquis vero bonis ius antiquum patri seruandum esse.[37] In eoque durius agi cum patre, quam cum aliquo filiæ agnato proximiore, qui non esset in condiuisoribus.[38] Is enim nihilominus in successione filiæ præferretur remotioribus, qui in communione perseuerassent, si modo talis esset, qui & illis succedere, & illos vicissim successores habere posset, ob concurrentem causam proximitatis cum iure communionis. Vereque hoc casu locum haberet, quod pragmatici solent iactitare, incapacem ex persona alterius capacis fieri capacem.[39] Hactenus nimirum, vt qui desiit esse ex condiuisoribus, atque ita non potuit dominum excludere, excludat tamen defunctæ condiuisores, qui ipsi dominum excludunt.[40] Sed tamen cum ex vtraque parte allegaretur aliter atque aliter de quæstione ista, Senatum alias pronunciasse pro diuersitate probationum, quas de iure consuetudinis in huiusmodi causis adferre necesse est,[41] neque ex actis litis constaret, quid ferret consuetudo in ea nominatim specie, in qua pater superstes proponeretur,[42] visum est de eo diligentius & ex nobili Senatus officio inquiri ante omnia oportere, adeoque consuli Principem de iure & interpretatione veteris statuti,[43] ne dubitari in posterum posset, quid in tam dubia controuersia iuris constitui oporteret.[44] *Ita tractatum est* in causa quadam Ternensi postea lite per transactionem, vt audio finita, neque de consuetudine inquisitum, neque de iure litis pronunciatum fuit. Prid. Cal. Aug. 1595.

1 Ne quidem ratione legitimæ, quæ scilicet nec debetur, nec acquiritur filio nisi mortuo demum patre, *l. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor. l. cum quæritur 6. C de inoffic. testam.*

2 Non enim aliter vocatur dominus ad successionem, quã si contingat talliabilem decedere, & sine liberis, & sine condiuisoribus, vt dixi *Defin. 1. num 2 supr.*

3 *Nouell 118. de hered. ab intest. venient. vnde sumpta est Auth. defuncto, C. ad SC. Tertyll.*

4 Ex regula nimirum illa, si vinco vincentem te, multo magis vinco te; *d. l. de acceptionibus 14. ff. de diuers. temp. præscr.*

5 Quod incipit, *Pluribus fratribus*, de quo scripsimus *Defin. 1. supr.* & cuius verba extant *in fin. huius tit.*

6 Quia scilicet potestas consuetudinis facit hoc casu, vt nulla iuris communis ratio haberi possit.

7 Nam pater neque ex liberis est, neq; ex condiuisoribus. Et præterea id suader natura feudi recti. Feuda enim recta, quorum retinent naturam hæc talliabilia, de quibus agimus, numquam ascendunt, *cap. 1. de natur. & de success. feud. lib. 1. in vsib. feudor.*

8 Quod cum sit odiosum & exorbitans à iure communi non facile vltra fines & limites suos extendi debet, *cap. odium, cum ibi not. de reg. iur. in 6.*

9 Nos autem tractamus eum casum, quo bona tantum sint talliabilia non personæ.

10 Ac proinde dura videtur ea interpretatio, quæ patri aufferat luctuosam filij hæreditatem, ad quam potius admitti debeat saltem ratione miserationis, *l. scripto 7. §. vlt. D. vnd. liber. l. nam etsi 15. de inoff. testam.*

11 Quod vtique dicendum esset si statutum condiuisoribus vniuersum albergum talliabile adiudicaret indistincte. Vide tamen *num. 38. infr.*

12 Plus enim iuris habet, qui & condiuisor & proximior

BIU Cujas

est, quam qui proximior tantum, cum duo vincula sint fortiora vno, *l. 1. §. vltim. D. si à parent. quis manum. sit, l. penult. Cod. de adopt.*

13 Factum enim est statutum, vt legitima successio inter condiuisores conseruetur, non vt corrumpatur, *d. n. 39. infr.*

14 Et contra leges, ex quibus omne ius succedendi proficiscitur, *l. lege obuenire 130. de verb. signif.* & quæ vocant proximiores, *l. 2. §. hæc hæreditas, & § proximum, & pass. D. de suis & legit.*

15 Vt dixi *num. 1. supr.* Nil obstante eo quod scriptum est *in l. in suis 11. D. de liber. & posthum.* Id enim ad iuris ciuilis fictionem pertinet, non ad rei veritatem, *l. 1. § largius, D. de successor. edict.*

16 Ob numquam diuisas inter eos parentum hæreditates, *vt in l. cum duobus 52. § Papinianus, alias l. si fratres, D pro socio.*

17 Vt dixi *Defin. 17. supr.*

18 Nam & tacite instituti censentur proximiores, cum quis decessit intestatus, *l. 3. l. conficiuntur 8. ff. de iur. codicill. l. ab exhæredati 126. de leg. 1.*

19 Nec enim mutatio personæ socij tollit aut destruit causam communionis.

20 *L. vt sit 31. cum duabus sequent ff. pro socio.*

21 *L. falso 3. & tot. tit. C. de commun rer. alien.*

22 Præcipuus enim finis & effectus communionis inter talliabiles ille est, vt cõseruet inter eos ius mutuę successionis.

23 *L. 1. l. ad intestati 5. & pass. C. de legit. hæred.*

24 Erant enim ex diuersis familiis.

25 Est enim hæc differentia, quod cum de talliabilitate personali tractatur, non alij sunt condiuisores, quam qui sunt ex eodem nomine, eademque familia.

26 Vt dixi *Defin. 9. supr.*

27 Nulla enim cognatio contrahitur per descendentes, sed tantum per ascendentes, *l. Iurisconsultus 10 & pass. D. de gradi. & adfi.*

28 *L. 4 §. sed quoniam, eod. tit.*

29 *L. adfinitatis 7. C. commun de success.*

30 Inter quos scilicet iura successionis siue testati, siue intestati sunt multo strictiora, vt dixi *Defin. 17. & 18. supr.*

31 Cum neque sint agnati, neque cognati, *d. l. adfinitatis, l. scripto 7. D. vnd. liber.*

32 Quid enim prodest iis fauere qui nihil vnquam sint habituri? quomodo argumentatur *Vlp. in l. si post mortem 10. §. liberi, de bonor. poss. contr. tab.*

33 Solet autem illud maxime inspici, quid cuius fauore, vel odio constitutum sit, vt videre est in Senatusconsultis Macedoniano & Velleiano, inter quæ quot sunt differentię omnes fere ex eo pendent, quod Macedonianum factum est odio creditoris, Velleianum vero fauore mulieris, vt diximus.

34 Soli enim liberi & condiuisores qui possunt succedere dominum excludunt, vt dicemus. *Defin. seq.*

35 Cum ex statuto applicetur hæreditas condiuisoribus, quatenus habiles sunt ad succedendum.

36 Intellige, salua tamen patri legitima, si ea ex aliis bonis non talliabilibus seruari non possit. Ponimus enim fuisse in hac specie bona diuersi generis.

37 Id est, ius ciuile, cui non est derogatum per consuetudinem, & ex quo patet tanquam proximior succedit, ad differentiam scilicet iuris consuetudinarij, quod est nouum, quomodo ius antiquum ad differentiam consuetudinarij, dixit Vlp. *in l. 1 § vltim. ff si à parent. quis manum. sit, l quoties duplici 91. de reg. iur.*

38 Nam si esset ex condiuisoribus, res non habet dubitationem, quin proxior præferri deberet, ex dispositione iuris communis, nil obstante statuto nostro. Quod licet successionem adiudicet condiuisoribus indistinctè, tamen recipit interpretationem passiuam à iure communi, vt scilicet proximioribus præferantur, quia nec beneficio remotiorum succedunt proximiores, sed iure proprio, cum omnes sunt in communione.

39 Vt à nobis disputatum est *Defin. 16. supr. hoc titul.* vbi tamen monui hanc sententiam pugnare cum statuto, *Pluribus fratribus.*

40 Nil obstante illo nostrorum brocardico, si vinco vincentem te, multo magis vinco te. *Ex l. de accessionibus 14. de diuers. temp. præscr.* Dixi *Defin. 18. supr.* Et hoc dubio procul in Burgundia obtinet, sed apud nos obstat ni fallor statutum.

41 Cum etiam consuetudo quælibet sit facti, probanda necessario est, nisi pro notoria habeatur, quales sunt duæ illæ, de quibus dicemus *Defin. 33. infr.*

42 Non enim sufficit probari consuetudinem in genere, si non probetur etiam in specie, quoties sumus in materia exorbitanti & odiosa, qualis ista est.

43 Tanquam per quod satis esset probata consuetudo sine alio testium adminiculo, si modo de statuti sententia liquido constaret. Nec enim posset valere consuetudo contra legem scriptam, *l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

44 Est enim Principis interpretari, cuius fuit & condere, *l. 1. & vlt. C. de legib.*

DEFINITIO XXXII.

Liberi talliabilis defuncti non excludunt dominum si abstineant se bonis patris.

QVi dedititiam & talliabilem conditionem professus fuerat, superstitibus liberis decesserat. Liberi, quibus suspecta erat patris hæreditas, bonis paternis abstinuerant,[1] atque ita sequentis gradus agnatum ad successionem inuitauerant,[2] qui tum subinde bona defuncti vindicaret, controuersiam patiebatur à feudi domino, allegante sibi obuenisse successionem ex lege stipulationis, & iure consuetudinis, non minus quam si defunctus homo talliabilis nullos superstites liberos reliquisset.[3] Quid enim referebat an nulli supererent liberi, an supererent ij, qui succedere vel nollent, vel non possent:[4] Respondebatur, in hac specie anormalæ, vt vocant, & consequenter odiosæ[5] successionis, quæ non tam ex legibus, quam ex contractus lege descenderet,[6] nihil aliud inspiciendum esse, nisi extitisset conditio, sub qua dominus ab initio ad successionem vocatus esset.[7] Eam vero conditionem, quæ illa perpetua & generalis est, si quandoque deditititium hominem sine liberis, ac sine condiuisoribus mori contingeret, euidenter defecisse, cum liberos superfuisse constaret,[8] nec obstare quod ij paternam hæreditatem omisissent, quando non eo minus verum esset patrem sine liberis non decessisse, præsertim cum liberi, qui in morientis potestate fuerunt, perinde sint & maneant hæredes etiam post abstentionem, atque si non abstinuissent,[9] quamuis apud prætorem hæredum loco non habeantur.[10] Huic enim simile est, quod à prudentibus nostris responsum est, cum quis rogatus est sub ea conditione, *si sine liberis decesserit*, hæreditatem alteri restituere, omnimodo excludi fideicommissarium, si vel vnus liberorum superuixit, etiamsi sit exhæredatus, aut qua alia de causa à successione exclusus.[11] Sed hoc mihi longè dissimile videbatur. Qui enim sub deficientium liberorum conditione hæredem institutum grauat, non fauore liberorum conditionem adiicit, sed in odium potius fideicommissarij, & vt ipsi hæredi grauato consulat, ne obstringatur fideicommisso, si liberos superstites relinquat.[12] Proinde vel vno superstite fideicommissarius per defunctum conditionis omnino excluditur,[13] quem porro semel exclusum perpetuo exclusum manere necesse est, quicquid postea de liberis contingat.[14] In ea vero specie, quam tractamus, credendum est adhibitam stipulationi conditionem illam; *Si deditititius homo sine liberis, & sine condiuisoribus decederet*, non odio domini, quem ponimus ipsum sibi stipulatum esse,[15] sed fauore potius liberorum promissoris, quos sibi ipsi prælatos stipulator voluit, non tam vt sibi noceret, quam vt iis prodesset, ne paternam hæreditatem iis inuidisse videretur, si quandoque defuncto patri succedere non recusarent.[16] Proinde si abstinere malint, nihil causæ est, cur eorum rationem habeamus, quibus fauere non possumus,[17] aut cur agnato proximo faueamus, quem conditionis verba nullo modo complectuntur, cum neque ex liberis sit, neque ex condiuisoribus.[18] Itaque visum est in ea successione dominum esse præferendum, ex mente contrahentium, iustaque conditionis interpretatione, tametsi verba repugnare viderentur.[19] Neque adhibendam esse distinctionem, an de personali, an vero de reali talliabili-

BIU Cujas

talliabilitate tractemus. Omni enim casu sicut eadem successionis domino deferendæ conditio est, ita eandem prorsus ex eadem iuris & æquitatis ratione recipere debet interpretationem.[20] Ita tractatum aliquando fuisse scio, sed quid definitum postea fuerit, compertum non habeo, [Audio tamen postea pronunciatum fuisse, contra dominum, idque solo, vt arbitror odio talliabilitatis.] *Sine die.*

1 Ex beneficio edicti perpetui, *l. ei qui* 12. *& l. necessarius* 57. *de acquir. hered.*

2 Postquam placuit etiam in agnatis successionem esse, §. *placebat. Instit. de legit. agnat. success.*

3 Quo casu de iure domini dubitari non posset, si modo nec vlli condiuisores essent, vt dixi *Defin.* 1. *& pass. supr. eod.*

4 *Arg. l. si post mortem* 10 §. *liberi*, iunct. *l.* 1. §. *pen. D. de bon. poss. contr. tab. l.* 4 § *si deportatus, de bon. libert.* * *l. sed & si* §. *si filius l. quæritur*, 38 § 1. *eod. tit.*

5 Quicquid enim à iure communi exorbitat odiosum est, & ideo nunquam trahitur ad consequentias. *l. quod contra* 141. *de reg. iur. l. quod vero* 14. *ff. de legib.*

6 Id est, ex instrumento recognitionis iuncta potestate consuetudinis.

7 Existente enim conditione pura fit dispositio, sicut & deficit ea deficiente, *l. potior*, 11. *vers. videamus in fin. D. qui potior. in pign. hab. l. qui Romæ* 122. §. *Agerius, de verb. obligat.*

8 *L. filiusfamilias* 114. §. *cum erit rogatus, de leg.* 1. *l. ex facto* 17. § *penult. D. ad SC. Treb.* [Obserua tamen conditionem hanc *si sine liberis decesserit*, positam in recognitione talliabilitatis esse realem, & transire in successorem singularem, vsque adeò vt quamuis recognoscens, nullos liberos reliquerit, neque condiuisores vllos, non ideo tamen possit succedere dominus quamdiu tertius possessor viuit: Vt è contrario nihil prodesset possessori decedenti sine liberis, quod recognoscens adhuc viueret, aut superstites liberos reliquisset. Sic enim Senatus noster sæpius, & nouissimè pro N. Ludouico de Reydet, D. de Maningod anno 1608. Sed ex consuetudine sic probata potius quàm ex vera iuris ratione. Conditiones enim omnes sui natura sunt personales, *l. à testatore* 109 *de condit. & demonstr. l. qui Romæ* 122. §. Agerius *de verb. oblig. l. cùm pater* 77. §. *ab instituto* 15. vbi est text. elegans, *de leg.* 2. Iunge *Defin. seq. n.* 6. *Ita Senatus* pro R. D. Petro de Saconey, contra fratres Vincent, circa Cal. April. 1612.]

9 *L. cum quasi* 30. §. *sed et si suus, D. de fideic. libert. l.* 1. §. *qui sunt in potestate, D. si quis omiss. caus. testam.*

10 *L. si filius* 12. *ff. de interrog. in iur. fac.*

11 *d. l. filiusfamilias* 114 § *cum erit rogatus, de leg.* 1.

12 *L. cum pater* 77. §. *volo, de leg.* 2. *l. ex facto* 17. §. *si quis rogatus* 1. *& 2. l. hæredibus* 77. *in princ. D. ad SC. Treb.*

13 *L. non est sine liberis* 148. *& seq. de verb. signif. l.* 1. *Cod. de condic. insert.*

14 *d. l. hæredibus*, Oldrad. *cons.* 21. incip. *Thema tale est.*

15 Ac proinde qui potuit rei suæ, quam voluit legem, ab initio dicere, *vulg. l. in traditionibus* 44. *ff. de pact. l. venditor* 13. *D. commun. præd.*

16 *Arg. l. generaliter* 6. *C. de instit. & substit.* in illis verbis, *liberos eius omni pene fructu paterno defraudari.*

17 Textus est elegans *in d. l. si post mortem* 10. § *liberi, D. de bonor. poss. contr. tabul.* * Vide Bartol. *in l.* 2. §. *sed si fuit numer.* 1. *D. ad SC. Tertyll. & in l.* 1. §. *si pater, de coniung. cum emancip. liber.*

18 Conditiones enim omnes sunt strictè accipiendæ, saltem hactenus, vt persona numquam extrinsecus suppleatur, *l. si ita stipulatus* 126. §. *Chrysogonus, in fin. de verb. oblig.*

19 Siquidem in conditionib. interpretandis voluntas proferentium spectanda potissimum est, *l. in conditionibus* 10. §. *pater Seuerianam* 101. *de condit. & demonstr.*

20 Vt vbi eadem iuris vel æquitatis ratio est, idem quoq; ius constituatur *l. illud* 32. *D. ad legem Aquil. l.* 3 §. *vnde etiam, D. de iniust. rupt.*

DEFINITIO XXXIII.

Consuetudines, quæ de talliabilium iure & successione allegantur, probandæ sunt præterquam in duobus casibus positis in Definitione.

EA quidem, quæ moris sunt & consuetudinis, cum facti sint, probari omnimodo per testes debent,[1] nisi quod vulgo placet, etiam Doctoribus de cõsuetudine attestanti credendum esse.[2] Sed si tam notoria sit consuetudo, vt nisi per euidentem calumniam negari non possit, sufficiet allegari eam, nec probari necesse erit,[3] eo nimirũ iure, quo cætera omnia quæ notoria sunt, allegatione tantum indigent non etiam probatione.[4] Ergo si quid allegetur, quod ad talliabilium successionum iura pertineat, cum sit iuris non scripti & consuetudinarij, probandum erit.[5] Excipienda sunt duo tantum. Vnum est, si ea consuetudo allegetur, vt defuncta sine liberis & sine cõdiuisoribus persona talliabili dominus feudi succedat.[6] Alterum est, si dicatur, Recognitionem ab vno ex condiuisoribus etiam sine mandato factam in consequentiam præcedentis alterius recognitionis, cæteris omnibus cõdiuisoribus nocere.[7] Sunt enim ista consuetudinis tam certæ & exploratæ, vt de iis testes adiri (quod nihil nisi maiorum sumptuum materiam adferre posset,) Senatus non patiatur.[8] In cæteris omnibus necessariæ sunt probationes, quoadusque ex Principis vel Senatus auctoritate consuetudines istæ omnes scribantur, quod ad publicam vtilitatem fieri debere sæpius deliberatum vidi, numquam tamen decretum. *Sine die.*

1 Quia scilicet pendent & æstimantur ex facto, quamuis consuetudo ius fit, non factum, vt subtiliter tractat Bart. *ad l. de quibus, n.* 7. *&* 17. *D. de legib. & in repet. eiusd. leg. n.* 21. *& seqq.* Alex. *cons.* 196. *vol.* 2.

2 Idem Bart. *in repetit. d. l. de quibus, num.* 20. vbi vide.

3 Alioqui calumniis & malitiis indulgeretur, quod numquam faciendum est, *l. in fundo* 38. *D. de rei vindic. l.* 1. §. 1 *si mulier. ventr. nomin. per calumn. in poss. esse dicet. l. in summa* 65. §. 1. *de condict. indeb.*

4 Gloss. not. *in clem. appellanti, de appellat.* Guid. Pap. *quæst.* 221 *num.* 4.

5 Quæ enim sunt facti numquam præsumuntur nisi probentur *l.* 2. *l. ab ea parte* 5. *& pass. D. de probat.* Not. *in l.* 2. *C. quæ sit long. consuet.*

6 De qua consuetudine scripsimus *Defin.* 1. *supr.* [Hanc verò consuetudinem intellige habere locum non solùm si persona, quæ conditionem talliabilem, siue solius rei, siue etiã suæ personæ professus est decesserit sine liberis, sed etsi possessor qui rem illam à recognoscente acquisiuit. Transit enim res cum sua causa, *l. alienatio* 67. *de contr. empt. l. vnic. C. rem alien. gerent.* Nec obest domino quod recognoscẽs ipse adhuc viuat, aut quod superstites liberos reliquerit, si modò constet possessorem sine liberis decessisse. *Ita Senatus* iampridem pro D. de Maningo. Et rursus pro D. de Montmayeur, mens. Ianuar. 1611. Dixi *Defin. prox. n.* 8 *supr.*]

7 De quo vide quæ diximus *Defin.* 3. *supr.*

8 Cauet enim Senatus quantum potest, quomodo & alius iudex quilibet cauere debet, ne superuacuis sumptibus quisquam ex litigatoribus oneretur, *l. minoribus* 6. *D. de minor. l.* 1. *D. de inoffic. testam. l. hac stipulatio* 14. *in fin. D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*

STATVTA DVO VETERA Sabaudica.

De talliabilibus.

I.

PLVRIBVS fratribus, vel filiis seu liberis fratrum, aut patruo & filiis fratrum in quibuscumq; gradibus consanguinitatis attingentibus, tenentibus, habentibus, seu possidentibus vnum abergium à nobis, vel ab aliquo ex vasallis nostris, vel aliis in feudum talliabile, vel censitum, aut aliud ad echeutam, seu manum mortuam obligatum, si & quamdiu ipsum abergium tenebunt sine diuisione, sed in communi, & sub vno foco, seu domicilio contingat alterum vel alteros eorum decedere sine liberis

BIU Cujas

naturalibus, & legitimis, alio, vel aliis in communione ipsius abergij indiuisi consortibus superstitibus seu superstite, non esse locum echeutæ, seu manui mortuæ portionis, seu portionum dictorum sic decedentium seu decedentis, hoc edicto decernimus, sed potius huiusmodi portionem, seu portiones alij vel aliis superstitibus indiuisis pertinere, & ipsos superstites eo casu sic decedenti, seu decedentibus, succedere debere, qui ad totum onus & tributum ipsius abergij remanebunt obligati. Si vero dictos indiuisos homines talliabiles vel censitos, aut alias ad echeutam seu manum mortuam nobis, vel alteri adstricto, abergium vel res communes & indiuisas eorum diuidere contingat, vel se ab inuicem cum portionibus suis separare, & alterum vel alteros decedere sine liberis naturalibus, & legitimis aliis consanguineis etiam fratribus superstitibus, in ipso casu locum echeutæ, seu manus mortuæ bonorum sic decedentis, seu decedentium hoc eodem edicto censemus adesse, nullumque ius successionis in bonis diuisorum sic decedentium aliis, cum quibus prius consortium seu communionem habuerunt, pertinere, sed ipsa bona ad nos, seu dominos eorundem debere deuenire, & in solidum spectare ex echeuta seu manu mortua tunc locum sibi vendicante.

II.

SI qua mulier fuerit per dominum, cuius pater ipsius mulieris, dum viueret, erat homo talliabilis, censitus, vel alius ad escheutam, seu manum mortuam adstrictus, vigore consuetudinis ipsius echeutæ, vel manus mortuæ exclusa seu repulsa à successione bonorum paternorum, hoc edicto decernimus ipsam mulierem sic exclusam eo ipso fore liberam, & exemptám cum tota prole sua ab omni homagio, echeuta, & manu mortua, ad quos, & quas pater suus defunctus tenebatur, sic quod in ipso casu in vita, vel post mortem ipsius talis mulieris dominus patris eiusdem mulieris, vel ipsius domini hæredes nullum ius in persona, vel in bonis ipsius mulieris, prætextu homagij paterni, seu echeutæ vel manus mortuæ petere valeat, vel habere, cæteras autem mulieres, quæ ab hæreditatibus paternis non excluduntur, ad homagia, tributa, & onera hæreditaria adstrictas esse censemus.

TIT. II.

DE COMMVN. SERVO manumiss.

DEFINITIO I.

Talliabilis plurium dominorum potest ab vno ex dominis etiam inuito altero manumitti.

SI duorum pluriumve dominorum homo dedititius, quem vulgo talliabilem vocant, ab vno ex iis manumissus sit, plenaque libertate donatus, liber fit, & consequenter in solidum,[1] cum pro parte liber esse nemo possit.[2] Coguntur enim socij fauore libertatis ratam habere manumissionem, licet ab eo factam, qui minorem dominij portionem in homine illo habuerat.[3] Plane manumissi hominis pretium, &, si quid amplius probabiliter interfit, à socio petere non prohibentur.[4] Sic sæpius à Senatu iudicatum fuisse relatum est, 3. Non. Dec. 1588.

1 *L. 1. & 2. D. hoc tit.* * Sed intellige si modo sint obseruatæ solemnitates omnes à Iustiniano præscriptæ *in d. l. 1.* Gloriatur enim Iustinianus *in §. vltim. Instit. de donat.* se inuenisse viam per quam possit & libertas competere & socio indemnitas conseruari. Ergo via ad illa sequenda est, vt scilicet seruus communis manumittatur, nō tanquam proprius, sed tanquam communis: & ille ex dominis qui vult manumittere interpellet socium, vt partem quam habet in seruo vendat socio, certo pretio inter ipsos conuento, aut si socius nolit vendere statuendo per prætorem, & soluendo ei qui partem habebat si solutionem accipere velit, & si recuset obsignando. Quibus demum factis omnibus libertas dari poterit & data competet, non ergo erit liber is qui ab vno tantum ex dominis manum illius est quousque precium sit solutum socio, aut saltem oblatum vtin terminis tenet glos. *ad d. l. 1.* quam sequitur Bald. *ibidem* & Ioann. Faber ad hunc titulum nemine penitus contradicente. Proinde ante solutionem vel obsignationem precij, quamuis post manumissionem talliabilis decesserit, dominus commissum petet, perinde ac si manumissio nulla vnquam facta fuisset, Cùm tamen si adhuc viueret, posset oblato quandocumque & soluto vel obsignato precio condominum remittentem adigere aut manumissionem à domino factam ratam habere cogeretur, quomodo in hac definitione scriptum est: quæ ita omninò accipi debet, non vt quoquomodo facta manumissio ab vno ex dominis etiam ignorante socio profit ad dandam libertatem seruo communi, præsertim si proprium eum putabat non communem, & quasi proprium manumisit non quasi communem. Proinde si aliter factum sit, remanet incorrectum ius vetus, vt pars quàm habuit manumissor in seruo debeat alteri socio accrescere, *dict. §. vltim. Instit. de donat. & dict. l. 1. hoc tit.*

2 *L. si pariter 9. in fin. D. de liber. caus. l. iudicata 29. ff. de except. rei iudic.*

3 Quamuis quod ad alias causas pertinet potior sit in re communi causa prohibentis, *l. Sabinus 28. in princ. D. communi diuid.*

4 *dict. l. 1. & 2. C. hoc tit. l. quidam ita 25. § si quis seruum ff. ad SC. Treb.*

TIT. III.

DE LIBER. CAVS.

DEFINITIO I.

Manumisso ab hærede in præiudicium fideicommissi conseruatur ingenuitas, sed pretium fideicommissario præstari debet, A quo, & Quantum.

CVM hæres fiduciarius[1] hereditatem post mortem suam restituere rogatus hæreditarium seruilis conditionis hominem, quem nos talliabilem appellamus, accepto vili pretio, manumisisset, ac postea fideicommisso restituto hunc ipsum fideicommissarius in libertinitatem vindicaret, quasi in fraudem fideicommissi perperam data libertate,[2] quæ non magis dari potuerat, quam aliud quicquam ex hæreditate distrahi,[3] *Senatus* ingenuitatis fauore motus, cuius causa semper præcipua esse debet,[4] pro ea pronunciauit,[5] hoc tamen addito temperamento, vt rogatus heres acceptum pretium ex causa fideicommissi reddere cogeretur,[6] Itemque vt quanto minori pretio facta manumissio probaretur, ex bonis manumittentis hæredisve eius, aut si non sufficerent ex ipsius manumissi facultatibus ad eam vsque quantitatem, quæ Edicto De manumissionibus præscripta est, fideicommissario sarciretur,[7] inspecto scilicet quantum manumissus in bonis haberet iudicati tempore, non quantum habuisset tum, cum manumittebatur,[8] propterea quod minus iusto pretio ab initio facta manumissio fuisset.[9] Alioqui non ex solo, quod manumissi facultates post acceptam libertatem excreuissent, augendi quoque pretij necessitatem

Senatus

Senatus iniunxisset.[10] Sed & quicquid manumissus fideicommissario ex ea causa præstare damnatus esset, manumissoris hæredem ex stipulatione in contractu apposita, adeoque ex natura contractus quasi euictionis nomine ipsi restituere debere placuit.[11] *Ita Senatus* pro Ioanne Derderio, contra D. Marchionem Aquensem anno 1579.

1 Sic enim nostri vulgo appellant eum, qui de restituenda hereditate rogatus fuit, quamuis non satis recte, vt scripsi alio loco. Fiduciarius enim hæres proprie ille est, qui nudo tantum nomine hæres est, nec nisi tanquam nudus minister electus ad restituendam alteri hæreditatem, *vt in l. Seius Saturninus, 46. D. ad SC. Treb.* quomodo & fiduciarium legatarium possemus dicere in specie *l. si quis Titio 17. de leg. 2.*

2 Vt in specie *l. quidam ita 25. §. si quis seruum, D. ad SC. Treb.*

5 *L. vlt. § sin autem sub conditione*, iunct. *Auth. res quæ, C. commun. de legat. l. vlt. §. vlt. de leg. 2.* Nisi cum iubetur quis restituere quod supererit ex hæreditate, *vt in l. deducta 58 §. pen. & vltim D. ad Treb.* quibus tamen verbis bonam fidem inesse constat, *l. Titius 54. eod.* Iunge *l. Imperator 50. eod. tit.*

4 Cum nihil aliud sit ingenuitas quam plena libertas, qua-lem omnibus hominibus natura dedit, *l. 1. & tot. tit. ff. de natal. restit. l. 3. in princ. l. vlt. in fin. ff. si ingen. esse dicet.*

5 Solent enim & debent iudices fauere libertatibus, *l. 3. in princip. D. de alien. iudic. mut. caus. fact. l. inter pares 38. D. de re iudic.*

6 Vt in specie *d. §. si quis seruum l. 25 ff. ad SC. Treb.*

7 Ex generali ratione posita *in d. §. si quis filium*, ne scilicet factum hæredis damnum adferat fideicommissario. Cui nec hæredis ignorantia nocere deberet, nec eius qui manumissus fuit, quo minus saltem fideicommissario pretium præstaretur, *d. l. vlt. §. vlt. de leg. 2.*

8 *Arg. l. quæsitum 30. D. de pecul.*

9 Vt quod ab initio perperam factum est ad æquitatem suam & æqualitatem redigatur, *arg. l. maioribus 3. C. commun. vtriusque iudic.*

10 Poterat enim æque accidere, vt facultates decresceret, nec est audiendus qui petit id, cuius contrarium non fuerat postulaturus. *l. pen. C. de solut. l. si pater puellæ 12. C. de inoffic. testam. l. de fideicommisso 11. C. de transact.*

11 *Arg. l. si venditione 60. l. Seia 73. & pass. D. de euict.*

DEFINITIO II.

Infeudatio facta per Principem quamdiu adprobata non est non impedit ne interim possit Princeps manumittere talliabiles eius feudi.

PRinceps castrum quoddam cum iurisdictione cæteris-que iuribus omnibus vasallo in feudum concesserat, literisque in eam rem iam conscriptis subscriptisque, sed nondum à rationalium ordine adprobatis, &, vt loquuntur, homologatis,[1] hominem deditiæ & talliabilis conditionis in plenam libertatem restituerat. Defuncti post manumissionem hæreditas non ad vasallum ex infeudatione, tame si iam tum approbata viresque suas sortita, sed ad testamentarios aut legitimos hæredes pertinebit.[2] Libertatem, quæ medio tempore vtiliter data est, & bona fide, reuocari ex postfacto non posse constitit.[3] Nec solum si infeudationis literas ea lege Rationales adprobauerint, ne quid præiudicij fieret præcedentibus manumissionibus,[4] sed etiam si simpliciter literarum formam sint secuti.[5] Nam cum ante approbationem à Rationalibus factam non valeant eo iure, quo ex Principum nostrorum edictis vtimur,[6] consequens est, vt medio tempore habuerit Princeps manumittendi facultatem,[7] & secuta rationalium adprobatio in præiudicium iuris interea tertio quæsiti ad diem concessionis non retrotrahatur,[8] tametsi hoc ipsum literis expressum sit, vt à die concessiones vires accipiant. Illa namque clausula ad ea dumtaxat referri debebit, quæ in eodem statu manserit.[9] *Ita Senatus* pro hæredibus Ioannis Parisot, contra D. de Dortans 1592. Tractatumque rursum & relatum est in relationibus libellorum, 14. Cal. Iul. 1593.

1 Quam tamen adprobationem & homologationem sequi necesse est, vt sequitur in Definitione.

2 Iure scilicet communi, quo is, qui plenæ libertati & ingenuitati restitutus est, habet hæredes eos quos habere vult, siue testamentarios siue legitimos, *l. verbis legis 120. l. lege obuenire 130. de verb. signif.*

3 Cum libertas quæ semel competiit numquam reuocetur, *§. si is cui. Instit. de eo cui libert. caus. bon. addic. l. quidam ita 25. §. si quis seruum, D. ad SC. Treb.*

4 Nec enim beneficia Principis vnquam debent trahi ad alienam iniuriam, *l. 4. C. de emancip. liber. l. 2. §. merito, & §. si quis à Principe, ff. ne quid in loc. public.*

5 Nam & in dubio ea est facienda interpretatio, quæ tertij ius non lædat *d. § si quis à Principe, l. Paulus notat 8. D. de prætor. stipulat.*

6 Quibus expressim cautum est, vt non prius valeant huiusmodi concessiones & infeudationes, quam fuerint homologatæ.

7 Tanquam qui toto eo medio tempore fuerit interim dominus.

8 Non enim fit retroactio cum medium est habile, *l. pen. D. rat. rem haber. l. potior 11. D. qui potior. in pign. hab.*

DEFINITIO III.

De talliabilibus ad misericordiam, & de adscriptitiis, qui bona aliqua acceperunt, vt se tales profiterentur, & an relictis bonis possint libertatem recuperare?

LIber homo libertatem suam certo precio vendere non potest, neque donare aliove vllo contractus genere amittere,[1] quia membrorum suorum nemo dominus est,[2] adeoque nec si se tanquam seruum ab extraneo vendi passus sit. Id enim Leonis nouella constitutio induxit.[3] Idem est quod ad eam hominum conditionem attinet, quos vulgo talliabiles, latine deditios non male dicere possumus. Etsi enim hi minus proprie serui dici debeant, quippe qui inter viuos liberum de rebus suis disponendi arbitrium habeant,[4] negari tamen non potest, quin seruis proxime accedant,[5] illamque naturalem libertatem, quæ hominibus omnibus communis est,[6] valde imminutam habeant, vt quibus interdicta sit libera testamenti factio, ex qua ius potissimum libertatis & ciuitatis æstimatur.[7] Inde est quod ex iis plerique dicuntur talliabiles ad domini misericordiam & voluntatem, quo quid seruilius potest esse, & abiectius?[8] Quare quod olim in veris seruis constitutum legimus, non abs re ad hoc hominum genus accommodatur,[9] præsertim inter Christianos, apud quos iniquiores sane videri debent huiusmodi pactiones, per quas libertatis iura aut amittantur prorsus aut infringantur.[10] Alia eius conditio est, qui bonis immobilibus ab alio acceptis adscriptitium se professus est, quæ talliabilium nostri temporis origo fuisse videtur. Liberum enim fuit domino, quam voluit legem ab initio rei suæ dicere,[11] sibique debet imputare, qui res alienas ea lege nancisci maluit,[12] vt se ab inopiæ metu liberaret, quam perpetua mendicitate laborare.[13] Nec iniqua conuentio est, vt si quid ex iis bonis eorú nve fructibus, aut ex industria circa ea bona is acquirat, qui nihil antea habebat, totum id ad eum perueniat, ex cuius liberalitate profecta est acquirendi occasio, si nulli liberi superexunt.[14] Quanquam & hoc quoque casu humanius est, vt si adscriptitij hominis liberi parati sint non tantum ea bona, quæ à domino parens habuit, sed etiam quod ex iis aut eorum occasione quæsitum est derelinquere, plenissimam libertatem recuperare debeant, quam haberent si pater numquam adscriptitius fuisset,[15] Quod & plerisque locis obtinet, maxime apud Burgundos

BIU Cujas

apud quos extat consuetudo scripta, vt ipse etiam talliabilis, derelinquendo mansum, vt vocant, recipiat libertatem.[16] Non tamen apud nos idem obtinet, quia conditio hæc, vt ita dicam, talliabilitatis magis personæ inhærere intelligitur, quam rei personamque ipsam & afficit & inficit.[17] Ergo, vt ad propositum redeamus, si quis accepto pretio talliabilem se fecerit, non magis valet pactio, quam si libertatem suam omnino vendidisset.[18] Et quamuis sequatur recognitio, & homagij præstatio, si tamen constet de initio & titulo illo vitioso, ex quo actus illi secuti sint, non debent nocere quæ malum initium habuerunt.[19] Non idem esset si adscriptitius factus proponeretur. Illo enim casu etsi sola confessio aut scriptura non sufficeret, nisi aliis suffulta adminiculis,[20] tamen interuenisse stipulationem satis esset, nec aliud adminiculum requireretur.[21] *Ita Senatus* in causa D. de Loysin, & fratrum Perrucaz, 6. Cal. Febr. 1595.

1 *L nec si volens 6. l. liberos 39. C. hoc tit.*

2 *L. liber homo 13. in princ. D. ad leg. Aquil.*

3 *Nouell. 59.* cui titulus est, *Abrogat. leg. quæ homin. liber. se vender. permitt.* Olim namque aliud iuris fuit, *l. 5. §. 1. D. de stat. homin.*

4 Ideoque cogniti sunt iure ciuili, & prætorio, quod de veris seruis similiter dici non potest, *l. nullo modo 7. D. ad leg. Corn. de falsi. l. qui testamento 21. §. seruus, D. qui test. facer. poss. l. quod attinet 32. de reg iur.*

5 Sic enim viuunt liberi, vt pene serui mori videantur, vt scripsimus *in tit. de dedit libert. tollend.*

6 *L. 4. D. de iustit. & iur.*

7 Quia testamenti factio est ius succedendi, siue ex testamento, siue ab intestato est ex legibus, *l. 3. qui testam. facer. poss. l. verbis legis 120. l. lege obuenire 130. de verb. signif.*

8 *L. si libertus ita iurauerit 30. D. de oper. libert. l. ob æs alienum 12. C. de oblig. & action.*

9 Argumento ducto tanquam à simili, quod in iure valet, *l. ideo quia 27. D. de legib.*

10 *Arg. l. Titio centum 71. § Titio centum, de condit. & demonstr.* iunct. *l. seruus 7. in fin. D. de seru. export.*

11 *L. in traditionibus, 48. D. de pact. l. venditor 13. D. commun. præd.*

12 *L. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

13 Hoc enim maluisse videtur, inquit, *l. si cogente 22. D. de rit. nupt.*

14 Nam & alij quam domino acquiri potest, dummodo ex re eius acquiratur, *l. qui bona fide 23.* iunct. *l. liber homo 19. D. de acquir. rer. domin.*

15 *Arg. l. euenit 6. & l. seq. §. vltim. ff. de damn. infect. l. in cum quo 7.* vbi Bart. *de aqua & aqu. pluu. arc.*

16 Vt videre est apud Chassan. *tit. de mainmorte.*

17 Itaque hoc casu locum habet quod dici solet, eum qui ex facto suo conuenitur non liberari rei cessione, *d. l. in cum quo 7.* vbi not. *D. de aqua, & aqu. pluu. arcend.*

18 Quod supra diximus esse prohibitum Nouella Leonis 59. *de qua num. 3.*

19 Cuiusque enim contractus initium spectari debet, *l. 1. §. si seruus. de poss. l. si procuratorem 8. D. mandat. l. 3. §. scio, in fin. ff. de minor.*

20 *L. cum scimus 22. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47.*

21 Dummodo non esset facta stipulatio sine causa. Alioquin doli mali exceptio obstaret. *l. 2. §. circa, D. de doli mal. except. l. si quis cum aliter 36. ff. de verb. oblig.*

DEFINITIO IV.

Geminata professio talliabilitatis, si modo facta sit ex interuallo, inducit probatque talliabilitatem.

EX eo quod quis se adscriptitium, aut, quod hac parte idem est, talliabilem professus fuit, si causa professionis nulla sit, nō probatur talis, nisi secutus sit aliquis effectus eiusmodi professionis, aut alia adminicula concurrant.[1] Inter cętera vero adminicula illud vnum non minimum est, si geminata sit confessio & recognitio,[2] sed geminata tum demum intelligenda est, cum inter vtramque interuallum aliquod intercedit.[3] Nam si posterior in continenti facta sit, vna eademque cum priore esse videbitur. Dici enim solet ea quæ incontinenti fiunt inesse videri,[4] Sed etsi eodem aut sequenti die secundus cōtractus celebratus sit, magis est, vt fraudis vel metus præsumptio, quæ impedit ne sola professio prima sufficiat, durare videatur,[5] nec satis per posteriorem purgata esse, præbetque potius ea geminatio tam paruo distincta interuallo maiorem doli suspicionem.[6] Itaque decendium saltem intercedere oportebit.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Textus est *in d. l. cum scimus 22. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47.* * Vnica tamen recognitio talliabilitatis sufficit cum secuta est præstatio homagij aut quid aliud simile & æquipolleas per quod appareat recognitionem effectum habuisse.

2 Solet enim geminatio multum prodesse, vt appareat serio quid factum esse, non inconsulto & per errorem, *l. si mulier 22. D. ad SC. Velleian.*

3 Quomodo necesse est biennium intercedere in specie, *d. l. si mulier.*

4 *L. iuris gentium 7 § quinimo, D. de pact. l. lecta 40. vers. dicebam, D. de rebus credit.*

5 Magna enim præsumptio est, extortum esse per vim aut metum id, quod antea non debebatur, cum nemo suum iactare præsumatur, *vulg. l. cum de indebito 25. ff. de probat.*

6 Cum dolus probetur etiam ex coniecturis, *l. dolum 6. C. de dolo.*

7 Quod tamen modicum tempus dicitur *in l. promissor 11. D. de const. pecun.*

DEFINITIO V.

Neque iurisdictionabilis neque talliabilis quisquam fit ex sola recognitione, nisi vel præcedente iusta causa, vel secuta homagij præstatione.

QVemadmodum in rerum incorporalium alienatione sola transferendi dominij causa & voluntas non sufficit ad dominium transferendum, sed traditionem sequi omnimodo necesse est,[1] ita cum de iuribus & rebus incorporalibus agitur,[2] puta si quis iurisdictionem in alium velit acquirere, non sufficit de eo iure acquirendo tractatum & contractum esse, id est, quod alius nouæ istius iurisdictioni se subdiderit subditumque esse velle professus sit, sed præterea eius patientiam interuenisse oportet, hoc est, vt actum aliquem iurisdictionalem à domino illiúsve officialibus in se exerceri passus sit.[3] Alioqui non prius iurisdictionabilis, vt vocant, dici debebit.[4] Sic nec talliabilis ob id solum, quod talem se recognouerit, etiam præcedente causa,[5] nisi secuta sit homagij præstatio, aut quid aliud simile in consequentiam contractus præcedentis.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. traditionibus 20 C. de pact. l. nunquam nuda 31.* iunct. *l. traditio 20. ff. de acquir. rer. domin.*

2 Iura enim sunt res incorporales, *l. 1. §. vltim. D. de rer. diuis.*

3 Quoniam in corporalibus patientia pro traditione est, *l. 3. in princip. D. de vsufruct. l. si quis diuturno, 10. ff. de seruit. vindic.*

4 Nemo enim sola voluntate statum suum mutare potest.

5 Quam semper præcedere necesse est, ne obstet exceptio doli, *l. 2. §. circa, D. de doli mal. except.*

6 *L. cum scimus 22. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47.* * Vide Guid. Pap. *quæst. 315. & 316.* Pone exemplum, si quis immunitatem habuerit per longum tempus ab onere sustentæ, quæ omnibus liberis hominibus bona talliabilis possidentibus indici solet & debet.

DEFINITIO VI.

Non potest quis duorum in solidum esse homo ligius aut talliabilis, potest tamen esse talliabilis homo vnius, & iurisdictionabilis alterius.

QVi se vnius domini hominem ligium & liberum professus est, alterius domini seruum adscriptitium se

BIU Cujas

tium se profiteri non potest aut talliabilem, quoniam id sine prioris domini detrimento fieri non posset, cuius conditionem alterius facto deteriorem fieri non oportet.[1] Duorum autem homo in solidum esse nemo potest.[2] Aliud erit si non domino, sed tantum iurisdictioni alterius subiectus erat. Distincta namque sunt iura iurisdictionis & homagij, siue ligij, siue talliabilis.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.2 l.pen.& vlt.D.de natal.restit.l.2 ff.quod vi aut clam, l.1.ff.de alien.iudic.mut.caus.fact.l.Granius 71. §. penult. ff. de fideiuss.*

2 Guid.Pap. *quæst.* 311. *& seq.* sicut nec alterius vllius rei duo in solidum domini esse possunt, *l.5.§.si duobus vehiculum, ff.commod.l.de hæreditate 19.§.pater.ff.de castrens.pecul.*

3 Cum nihil vetet esse quem iurisdictionabilem, vt aiunt, vnius & talliabilem alterius, quod quotidie accidere videmus.

DEFINITIO VII.

Professio talliabilitatis per patrem facta nocet liberis postea quæsitis, sed non iam natis nisi sint patris hæredes, & de iis specialiter pactus sit pater.

QVo casu patri permissum est, vt libertatis suæ causam deteriorem faciat, vt puta adscriptitiæ seu talliabilis conditionis assumptione, iis nimirum interuenientibus, quæ proximis Senatusconsultis necessaria esse diximus,[1] sibi quidem nocet liberisque ex se postea susceptis,[2] sed iis, qui ante nati fuisse proponuntur, nullo modo nocere potest,[3] nisi patris hæredes proponantur. Id enim est quod facit, vt eadem cum patre persona esse existimentur,[4] ideoque non quidem patris conditionem sequi, sed factum ipsius ratum habere debeant.[5] Nec tam patris factum hoc casu nocet liberis quam proprium, quod paternam hæreditatem agnoscendo se vltro obligauerint.[6] Quod ipsum tamen ita intelligendum est, si de iam natorum quoque conditione pater pactus fuerat.[7] Alioqui si de se tantum suisque liberis egerat, credibile est de iis liberis cogitatum, quos naturæ iurisque ratio patris cogeret sequi statum, id est, qui postea nascerentur.[8] Itaque ante nati sicut antiquam patris conditionem retinent, quæ fuit cum nascerentur, non nouam sequuntur, quæ ex patris voluntate superuenit: Ita neque ex paternæ hæreditatis aditione obligari possunt, vt quicquam de se præstent, cum nihil pro ipsis à patre promissum sit.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l. cum scimus 22. Cod. de agricol. & censit.libr. 11. tit.47.*

2 Cum hac in re, vt in aliis fere omnibus, filius patris conditionem sequatur, vt dixi *Definit. 9. supr. de dedit.libert. tollend.*

3 Cum ius iam quæsitum liberis auferri iis non possit per factum & voluntatem patris, *l.emancipatum 7.§.1.l.filiam 9.ff. de Senator.l.2.C.de libert.& eor.liber.*

4 *Nouell.48.de iureiur.à morient.præst.in princ.*

5 *L.cum à matre 14.C.de rei vindic.l.vindicantem 17 ff de euict.l.venditrici 3.C.de rebus alien.non alien. l. ex qua persona 149.de reg.iur.*

6 *L.necessariis 57.de acqu.hæred. l.paterfamilias 28. de reb. auctor.iudic.possid. alias l.13.de priuileg.credit.l.quæ dotis 33. ff. solut.matrim.*

7 Necessario scilicet & postquam de se pactus fuit, alioqui non posset pater ingenuus manens filios suos etiam hæredes facere talliabiles, *argum.l.transactione matris 38. Cod. de transact.*

8 Verba enim generalia sunt ciuiliter & fauorabiliter quantum fieri potest intelligenda, *l.si cui simplicius 9 ff.de seruit.iunct.d.l.2.C.de libert.& eor.liber.*

9 Prius enim est, vt aliquid pro iis pater promiserit, quam vt possit quæri, an factum patris præstare teneantur, aut an ex patris promissione conueniri possint?

TIT. IV.

DE PRÆSCRIPT. QVÆ, pro libert. compet.

DEFINITIO I.

Quanam temporis præscriptio possit sufficere pro ingenuitate aduersus talliabilitatem.

QVi dedititiam, &, vt loquuntur, talliabilem conditionem professus est, nullius temporis quantumcunq; longissimi spacio præscribere potest,[1] nec si centũ annorum curricula effluxerint.[2] Imo nec heres eius, siue proximus, siue remotior,[3] nisi præscriptionis initium dari possit ex interueniente bona fide, vtputa si vidente domino & non obstante eius contradictione gesserit se pro libero,[4] aut si iustam causam habuit gerendi se pro tali, etiam inscio domino.[5] Finge larem eum collocasse in ciuitate libera, in eaque moratum esse per tantum tempus, quantum ex priuilegio ciuitatis necesse sit ad plenam libertatem consequendam.[6] Neque enim sui furtum fecisse aut in dolo malo esse dicendus est, qui iure publico & omnibus exposito vtitur.[7] Idem erit si probetur, ob acquisitionem fundi talliabilis, cuius incapaces sint homines liberi, exactam ab eo præstationem, quam *suffertam* vocant, quæ nunquam à talliabilibus exigitur,[8] præsertim si huiusmodi præstationem is exegerit, aut officiales eius, qui libertatem etiamsi non competiisset dare potuit,[9] aut si cum hic dominus talliabiles suos vndique perquireret ad profitendam conditionem, hunc qui præsens erat, & in eadem prouincia sciens præterierit.[10] His casibus & aliis, si qui sunt similes, triginta aut ad summum quadraginta annorum præscriptio sufficiet,[11] ab eo die computando tempore præscriptionis, quo malæ fidei suspicio purgata sit.[12] Nam quandiu mala fides subest, quæ etiam in heredes & vniuersales successores transit,[13] præscriptioni locus esse non potest, ex vulgata pontificij iuris regula.[14] *Ita Senatus* in causa N. Franciscæ Crassus viduæ N. Dn. de Nouelle, contra procuratorem fiscalem Gebennensem, 4 Id. April. 1595.

1 Propter malam fidem, cum suam conditionem ignorare non possit, nec proprij facti ignorationem obtendere, *l. quamquam 7.ad SC.Velleian. l.cum scimus 22. C. de agric. & censit. lib.11.tit.47. nec rursus præscribere cum mala fide, cap. possessor, cum ibi not.de reg.iur.in 6.* Iunge *l.cum notissimi 17. § vlt.* ibi, *vel quoscunque alios annos, C.de præsc.30. vel 40.annor.l.1.& 2. C.hoc tit.* * Non enim præsumitur titulus ex solo lapsu temporis Balbus *in 3.part.4.part.princip.quæst.10.in suo tractat. de præscript.*

2 Quia nullo tempore præscribit malæ fidei possessor, *d. cap.possessor, de reg.iur.in 6.* * Ideo non potest inchoare præscriptionem à seipso quia est in mala fide, Guid.Pap. *quæst. 315.& 316. ex dict.l.1.& 2.* vbi ob hanc causam concipit quæstionem de filio tantum recognoscentis non de ipso recognoscente.

3 Quia cum heres in vniuersum ius succedat, ignoratione sua defuncti vitia non excludit, *l.cum heres 11.ff.de diuers.tempor.præscr.l.vicia 11.C.de acquir.possess.*

4 Nat.*in l.1.C.de seru.fugit.* * *ad l.1.C.de seruit.& acq.* vbi Bart.*num.1.& 2.*& Bald.*in 2. part. 4.part. princip. quæst.5. num.12.*Fab.*ad §.æque de action.*

5 Alioqui non potest compleri præscriptio, quæ nec initium vnquam habuit, *argum.l.Titio vsusfructus 96.de cond.& demonstr.* *Quotiescunque autem obiicitur præscriptio semper incumbit ei qui obiicit vt det initium aliquod præscriptionis, quia non potest compleri præscriptio quæ nunquam

BIU Cujas

fuit inchoata, *l. si in diem 46. dict. l. Titio vsusfructus de condit. & demonstr. l. 1. in fin.* iunct. *Auth. nisi triennale, C. de bon. matern. l. in rebus 30. § 1. de iur. dot.*

6 Sunt enim huiusmodi pleræque apud nos ciuitates, quæ tale priuilegium habent restituendæ suis ciuibus ingenuitatis.

7 *L. si duorum 52. D. de act. empt. l. nullus videtur 55. de reg. iur. l. quid sit 17. § apud Labeonem, de edilit. edict.*

8 Sed ab iis tantum, qui sint eius conditionis, vt rem talem & sic affectam in bonis suis habere non possint.

9 Est enim hæc tacita quædam ratihabitio, cum non minus facto, quam verbo possit quis voluntatem suam declarare, *l. non tantum 5. D. rat. rem haber.*

10 Nec enim quisquam diligens patersamilias suum iactare præsumitur, *l. cum de indebito 25. ff. de probat.*

11 *Arg. l. sicut 3. & seq C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

12 Vt iustum sit initium præscriptionis, *d. l. 2. C. hoc tit.*

13 Ex ratione scilicet iuris etiam ciuilis, *d. l. cum hæres 11. de diuers. temp. præscr.* * quamuis velit heres præscriptionem à sua persona inchoare, Balb. *in 2 parte 3. princip. quæst. 12. num. 13. vsque ad fin.* vbi concludit ex communi opinione quod hæres neque ciuili iure, neque canonico potest præscribere eo casu quo defunctus non poterat.

14 *d. c. possessor.* Tenetur enim hæres conscientiam defuncti exonerare. Not. *in c. vigilanti, & vlt. Extr. de præscript.*

DEFINITIO II.

Solutio eius præstationis quam suffertam vocant, prodest ad inchoandam ingenuitatis præscriptionem, non autem ad dandam ingenuitatem & plenam libertatem.

AD rem vero non pertinebit, si is, qui soluit suffertam, non dixerit se talliabilem: non enim idcirco dolo malo fecisse videtur.[1] Nam quod dici solet dolum argui, non solum ex falsa expressione, sed etiam ex taciturnitate, cum quis tacet ea, quæ si expressa essent, alius verisimiliter non ita fuisset contracturus,[2] non habet locum, quando tacitum, id est, quod alius contrahens scire debuit.[3] Qui enim certus est aut esse debet, amplius certiorandus non est,[4] & qui cum alio contrahit ignorare non debet conditionem eius cum quo contrahit.[5] Multo minus autem dominus contrahens cum homine suo talliabili.[6] Cæterum solutio sufferræ non prodest ad dandam libertatem,[7] sed tantum ad inchoandam præscriptionem.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Non enim seipsum vltro prodere cogitur, *vulg. l. minus graue 7. C. de testib. l. vlt. C. de edend.*

2 *L. quæro 39. D. de action. empt. c. super literis, de rescript.* Iunge *l. Iulianus 13. § idem Iulianus 6. l. si sterilis 21. § 1. eod. tit. de action. empt.*

3 *L. quæritur 14 § vltim. ff. de edilit. edict.* iunct. *l. 1 § si intelligatur, eod.*

4 *Cap. eum qui certus est, de reg. iur. in 6.*

5 *L. qui cum alio 19. de reg. iur.*

6 Cum habeat penes se instrumenta professionis, ex quibus possit esse instructus, *arg. l. 2. ff. de edend.*

7 Nec enim libertas datur nec fit manumissio, nisi certis & legitimis modis, inter quos hic non est, vt constat *ex tit. D. qui sine manumiss. ad libert. peruen.*

8 Nimirum, quia inducit bonam fidem.

DEFINITIO III.

AN autem, quibus casibus præscriptio locum habere potest, scientia domini requiretur?[1] Minime, si modo decennium effluxerit, quo durante ciuilis hominis sui possessionem dominus retinere potuit.[2] Subducendum enim est decennium illud, quia nec ante decennium ciuilis possessio amissa intelligitur,[3] nec interim nocere domino debet possessio, quæ clandestina & vitiosa est.[4] Sed & quibus casibus Principis scientia necessaria est, vt contra eum currant tempora præscriptionis, officialium scientiam sufficit interuenisse.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic enim obseruatur, cum agitur de seruitute, *l. 2. C. de seruit. & aqua. l. si quis diuturno 10. ff. si seruit. vindic.*

2 Craueт. *de antiq. temp. part. 4. c. ab soluitis, nu. 28. 29 & 31.* post Bald. *ad l. 1. C. de seru. fugit.*

3 Bart. & alij *ad l. si id quod 25. l. si de eo 41. & l. sundus 33. ff. de acquir. poss.*

4 Quia possessio vitiosa prodest aduersus extraneos quidem, *l. vlt. ff. de acquir. poss.* sed non aduersus dominum, *l. 6. vlt. l. 2 ff. vti possid.*

5 Boer. *decis. 264. n. 19.* post Bart. *in l. licitatio § fin. de public. & vectigal.*

DEFINITIO IV.

De priuilegio, quod habent pleræque ciuitates, vt super annum & diem incolas natalibus & ingenuitati restituant.

SI tale priuilegium habeat ciuitas, quale apud nos habet Necien sis,[1] vt quisquis in ea per annum & diem steterit, plene liber fiat & remaneat, quamdiu in eadem ciuitate domicilium retinuerit, non aliter transmitti libertatem ad liberos,[2] quem si ipse in ciuitate moriatur, tametsi proponantur liberi eo tempore concepti & nati, quo pater eorum in ciuitate morabatur,[3] quia quoties successiui temporis tractum habet conditio, ita demum impleta videtur, si duret nec vnquam deficiat.[4] Quid igitur, si postquam per annum & diem in ciuitate pater steterit, & in ea etiamnum manens vrgeatur à domino, vt pristinam conditionem profitea ur? An recusare poterit eo colore, quod iam ex priuilegio plenam libertatem sit consecutus? Minime,[5] quia temporalis & reuocabilis libertas est,[6] cum mutata quandocumque ciuitate recasurus sit in seruitutem.[7] Ideoque verum est interea, & quamdiu hoc ipsum incertum est, an in eadem ciuitate perpetuo mansurus sit hic, qui nunc se dicit liberum, interesse domini, professionem illam fieri pristinæ conditionis, vel ob id maxime, vt euenientе successionis casu,[8] saluas habeat iuris sui probationes,[9] quæ sola vetustate plerumque intercidunt,[10] cum ignoratur, an qui vltimi defuncti sunt, & de quorum bonis agitur, originem suam traxerint ab iis, qui se talliabiles professi fuerunt.[11] Plane libertatis ex priuilegio iam competentis iura non ob id sublata videbuntur, quod eadem quæ antea fuit conditio, iterum recognitio facta & domino profutura sit eo casu, quo talliabilem hunc extra liberam ciuitatem mori contingat.[12] *Ita tractatum* est in eadem causa. Junge SC. 8. sup. de diuers. rescript. & iampridem pro Dom. de Flassieu, contra fratres Mugnier Burgenses. *Sine die.*

1 Et aliæ pleræque liberæ ciuitates, quæ ideo liberæ, & vulgo francæ appellantur. Dantur enim hæc priuilegia, vt non solum ciuibus, sed etiam liberis hominibus repleantur ciuitates, *arg. l. 1. D. solut. matrim.*

2 Quamuis ea necessitas in certo loco commorandi videatur ius libertatis quodammodo infringere, *l. Titio centum 71. § Titio genero, de condit. & demonstr.*

3 Quo casu videtur ius semel quæsitum liberis non posse iis aufferri ex facto patris, *l. vltim. D. de pact. l. filiam, 9. D. de Senat.*

4 *L. 1. C. de leg. 3. l. 3. C. de insert.* Et hoc demum casu locum habet, quod dici solet non videri conditionem impletam, quæ non durat impleta, *l. si quis ita legauerit 8. & ibi notat. D. de condit. & demonstr. l. Seio 10. l. Mauia 13. § 1. de ann. legat.*

5 Non enim potest videri omnino impleta conditio, quamdiu potest deficere, & ideo tamdiu expectanda est, *l. hac conditio 10 ff. de cond. & demonstr. l. si ita fuerit 13. D. de manumiss. testam.*

6 Propter verba priuilegij quæ sunt extensiua, *l. 1. § si nemo, & § si quis adita, l. filij 6 § 1. D. ad SC. Treb.*

7 Aut potius priuilegij beneficium amissurus, ita vt eo libertas nunquam competisse videatur. Est enim difficilius, vt libertas impediatur ne possit competere, quam vt quæ competit reuocetur, *§ is qui, Inst. de eo cui libert. caus. bon. addic.*

BIU Cujas

8 *Vt in specie l. in lege* 40. *D. ad leg. Aquil.*

9 Debet enim curare magistratus, vt rerum probatio salua sit, *l. curent* 21. *D. de testib.*

10 *L. si arbiter* 28. *ff. de probat. & d. l. in lege* 40. *ad leg. Aqu.*

11 Proinde non deficit ius, sed plerumque probatio, *vt in l. duo sunt Titij* 30. *ff. de testam. tut.* cum non entium & non apparentium idem sit iudicium. § *si aduersus, Inst. de nupt.*

12 Semper enim inspiciendum est qua mente quid fiat, cum actus non operentur vltra intentionem agentium, *l. non omnis* 19. *ff. de rebus credit.*

DEFINITIO V.

Conditio perpetui domicilij iniuncta patri & ab eo impleta non est à liberis iterum implenda.

AT quid si is, qui in liberam ciuitatem domicilium transtulerat, vt liber fieret, in eo moratus sit quamdiu vixit. atque ita libertatem in suos transmiserit, an temporalis quoque & reuocabilis erit libertas, vt non aliter duret perpetuo, quam si & ipsi & eorum posteri perpetuo maneant in eadem ciuitate? Ita fortasse videri possit, ne melioris conditionis sint liberi quam pater.[1] Sed aliud est. Quis enim ferat libertatem acquiri ea lege, quæ ipsa perpetuam irroget seruitutem? Siquidem seruitutis species est, si cogatur quis in eodem loco sic manere, vt ab eo nunquam discedat.[2] Deinde verba priuilegij, quæ retulimus non alterius, quam eius, qui domicilium in liberam ciuitatem transtulit, personam demonstrant.[3] Non igitur in eius posteros transferri necessitas implendæ conditionis debet, quæ in persona patris iam impleta est.[4] Sufficit enim ad implendam prorsus conditionem, vt verum esse incipiat, incolam liberæ ciuitatis domicilium mutare amplius non posse, quod eo demum moriente contingit.[5] Denique bonorum dominia in incerto semper manere non oportet,[6] multo magis fatendum est publicè expedire, ne diutius hominum status in incerto relinquatur,[7] quæ res induxit præscriptionem longi temporis pro libertate.[8] Atqui, dicat aliquis, remanet in suspenso libertas noui huius incolæ quamdiu viuit,[9] nimirum, ne aliter posito iure facile esset improbo cuique abuti priuilegio, & prætextu translati per annum & diem domicilij eximere se nexu dominicæ potestatis, quod ne accideret æquissimum fuit,[10] ita concipi priuilegium, vt non prius impleta conditio dici posset, quam fraus fieri posse desineret, hoc est, quam mutari amplius domicilium non posset.[11] Cum enim domicilium mutant liberi, non possunt videri in fraudem facere,[12] quia fraudis consilium, licet ex domicilij commutatione præsumatur, ad priorem tamen translationem referri debet, quæ in ciuitatem liberam facta est:[13] eam porro non per liberos sed per patrem factam ponimus. Et sane cum huiusmodi priuilegia eam plerumque causam habeant, vt ciuitas liberis hominibus repleatur,[14] sicut absurdum esset, libertate donatos intelligi eos, qui post annum & diem incolatum deseruissent:[15] ita iniquum ex liberis iterum seruos fieri eos, quorum pater iniunctam libertatis perpetuæ conditionem perpetuo & constanti officio impleuisset.[16] Priuilegij autem causa semper inspicienda est, quoties agitur de priuilegio per interpretationem siue extendendo, siue restringendo.[17] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. l. si viua matre* 3. *C. de bon. matern.*

2 *L. Titio centum* 71 § *Titio centum ff. de cond. & demonstr.*

3 Quod vnum præcipue inspiciendum est, *l. pater* 10. *D. de capt. & postlim.*

4 Semel enim impleta conditio non potest amplius aut deficere aut impleri, *l. hac conditio* 10. *in fin. princ. ff. de condit. & demonstr. l. si ita fuerit* 13 *ff. de manum. testam.*

5 *L. Gallus* 29 § *videndum, D. de liber. & posthum. l. Mucianæ* 7. *l. cum tale* 72. *de condict. & demonstr.*

6 *L.* 1. *ff. de vsucap. l. vlt. ff. pro suo.*

7 *L. diffamari* 5. *C. de ingen. manum.*

8 *L.* 1. *& tot. hoc tit. C. l. si cum fideicommissa* 16. *Aristo. D. qui & à quib. manum.*

9 Est enim hæc res ex earum numero, in quibus ex postfacto apparet, quid antea fuerit, vt in *l. vnum ex familia* 67 § 1. *de leg.* 2. *l. qui res* 98. § *rem autem ff. de solut.*

10 Est enim obueniendum fraudibus & malitiis hominum, *l. vnic.* § *ille autem nouissimus, vers. sed ne fraud. C. de Latin. libert. tollend. l. in fundo* 38. *ff. de rei vindic.*

11 Quod porro mutari quandocumque potest durante vita. Id enim est quod dicimus in cuiusque persona domicilij rationem esse temporariam, *l. libertus* 17. § *patris domicilium, D. ad municip.*

12 Non enim dolo facit, qui iure communi & publico vtitur, *l. nullus videtur* 55. *de reg. iur.* nec hoc casu potest obiici, quod dici solet, neminem posse mutare consilium in alterius iniuriam, vt est regula iuris tam ciuilis quam Pontificij.

13 *Arg. l. quis sit fugitiuus* 17. § *apud Labeonem, & seq. D. de adilit. edict.* Notat. *ad l.* 1. *C de seru. fugit.*

14 *Arg. l.* 1. *D. solut. matrim.*

15 Esset enim hoc contra mentem eius, qui priuilegium concessisset, & consequenter in fraudem priuilegij, *l. contra legem* 29. *& seq. D. de legib.*

16 Semel enim quæsita libertas non facile reuocari potest, § *si is qui, Instit. de eo cui libert. caus. bon. addic.*

17 *Arg. l. cum pater* 77. § *dulcissimus, de leg.* 2. *l. vlt. ff. de hered. instit.* Intellectus enim dictorum semper sumitur ex causis dicendorum, vt est in regula iuris Pontificij.

DEFINITIO VI.

Separata recognitio bonorum emphyteuticariorum nec probationem inducit, nec præsumptionem remissæ talliabilitatis.

EX eo, quod homo dediticiæ conditionis admissus est ad census annui recognitionem ex causa emphyteuseos, ac si simplex esset emphyteuta,[1] non intelligitur remissa personæ conditio.[2] Quoniam tametsi soleant huius status homines & suam & reaum suarum conditionem eodem instrumento profiteri,[3] nihil tamen prohibet fieri hæc separatim, neque certa forma hac parte vlla præscripta est, quæ liberos homines & ingenuos à dediticiis secernat.[4] Proinde non potest ea res sufficere ad inducendam probationem aut præsumptionem, quod, qui sic recognouit, fuerit in quasi possessione libertatis, vt iusta præscriptione se tueri quandoque possit.[5] *Ita Senatus* in causa D. de Loysin & fratrum Perrucaz, 6. Cal. Febr. 1595.

1 Qui non tenetur nisi ad canonis annui præstationem in recognitionem directi dominij, *l.* 1. *& vlt. C. de iur emphyt.*

2 Esset enim ista remissio species quædam donationis, quæ non facile præsumitur, cum nemo suum iactare præsumatur, *l. cum de indebito* 25. *ff. de probat.*

3 Nempe scilicet fiat per plura, quod potest fieri per pauciora, *vulg. l. dominus* 55 *ff. de condict. indeb. l. singularia* 15. *ff. de rebus credit. l.* 3. § *penult. de donat. inter vir. & vxor.*

4 Scilicet in recognitione directi dominij & canonis annui, qui ex causa debetur.

5 Quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *l. neque natales* 10. *C. de probat. l. non hoc* 4. *C. vnde legit.* * Nec admittendum est ad probandum quod probatum non releuaret: acceptatio enim recognitionis bonorum simpliciter facta sine mentione vlla tallabilitatis non potest dici actus contradictorius à quo possit præscriptio initium sumere, adeóque nec inducit prætextum bonæ fidei.

TIT. V.

DE HIS QVI MANVMITT. non poss.

DEFINITIO I.

Manumisso facta per fructuarium nullius est momenti, nisi tacitè per longum proprietarij silentium confirmata sit, interueniente bona fide. Aliud est in fideicommissario.

BIU Cujas

MANVMISSIONES ab eo factas, qui non nisi vsumfructum feudi habuit, cōstat non valere tanquam à non domino factas:[1] nec fauorem libertatis facere posse vt valeant,[2] nisi forte sciente & patiente proprietario ij, qui inutiliter manumissi sunt, steterint per longum tempus in possessione libertatis,[3] & quidem bona fide, hoc est, cum existimare probabiliter possent, se à domino manumissos.[4] Fauor enim libertatis in eo elucet, quod quæ semel competiit, non facile ex postfacto fit irrita,[5] non in eo, vt competere possit ex manumissione ab illo facta, qui manumittendi ius non habuit.[6] Nec simile videri potest, quod sæpius à Senatu pronunciatum fuit, libertates ab eo datas, qui hæreditatem ex fideicommisso restituere debuit, tenere in præiudicium quoque fideicommissarij.[7] Hæres siquidem fiduciarius pendente fideicommissi conditione dominus est,[8] potuitque facile contingere, vt ante conditionalis fideicommissi diem cedentem fideicommissarius ipse moreretur:[9] ideoque suum hic fauorem libertas habere potest.[10] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum illustris Dominæ Barbaræ d'Amboise viduæ illustris Joannis Comitis de la Chambre, 4. Id. April. 1593.

1 Cum vsusfructus sit ius vtendi fruendi alienis rebus, salua earum substantia, *l. 1. D. de vsufr.* Non enim consistit in parte, sed in iure, quamuis emolumentum rei contineat, *l. Mauius 66. § fundo, l. cum filius 76. § dominas, de leg. 2.* ideoque non potest hoc casu obiici, quod de tallibili ab vno ex dominis manumisso supra scripsimus *in tit. de commun. seru. manumiss.* Iunge *l. 6 C. de vsufr.*

2 *L. 1. & tot. tit. C de his qui à non domin. manumiss. sunt* Aliud esset, si manumissio facta esset ab hærede grauato, *vt in l. quidam ita 25. § si quis filium, D. ad SC. Treb.* quia hæres interim dominus est, *l. & post litem 12 § res qua, ff. fam. ercisc.*

3 *Vt in l. si fideicommissa 16. § Aristo. ff. qui & à quibus manumiss.*

4 Alioqui nullus est libertatis fauor si desit bona fides, *l. 1. & 2. C. de long. temp. præscr. quæ pro libert. comp.*

5 Quia libertas quæ semel competiit nunquam reuocatur, *§ si is qui Inst. de eo cui libert. causs. bon. addic. l. 1. 2. & 3. C. si aduers. libert.* Excipe casum *l. Papinianus 8 § vlt. cum l seq. D. de inoffic. test.*

6 *d. l. 1. & tot. tit. C. de his qui non à domin. manum. sunt. l. seruo tuo 9. C. de testam. manumiss.*

7 *Ex d. l. quidam ita 25 § si quis filium, D. ad SC. Treb.* Scripsi *Defin. 1. supr. de liber. caus.*

8 *L. & post litem 12. § res qua, ff. famil. ercisc. l. generaliter 29 § 1. D qui & à quibus manum.* Imo & post restitutionem cum hæres maneat, *§ restituta, Instit. de fideic. hæred.* hæres autem nihil nisi dominum significet, *§ vlt. Instit. de hæred. qual. & differ.*

9 *L. Statius Florus 48. § Cornelio Felici, ff. de iur fisc.*

10 Multa enim sunt fauore libertatis contra rigorem iuris constituta, *l. generaliter 24 § si quis seruo. ff. de fideic. liber. l. pen. in fin ff. de his quæ in testam. delent.*

DEFINITIO II.

Ob manumissionem à fructuario factam tenetur eius hæres ad id, quod interest, in quo etiam continetur æstimatio hæreditatis, quæ amittitur ex inualiditate manumissionis.

QVid ergo, si finito vsufructu proprietarius agat contra fructuarij hæredes ad id, quod sua interest ob malefactas manumissiones? An repelli poterit ea exceptione, quasi nihil eius intersit,[1] cum æque saluum ius suum habeat aduersus manumissos, ac si manumissi non essent?[2] Atqui hoc saltem nomine eius interest, quod in eam rem necessarium illi sit actionem instituere, in qua dubior eius causa futura est propter obiectum fauorem libertatis.[3] Verecunda autem cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda.[4] Igitur competet actio domino aduersus fructuarij heredes, qui sane recusare non possunt, quo minus conueniantur ex facto defuncti, ad quem pertinebat alienis rebus sic vti frui, vt salua maneret earum substantia.[5] Actio autem competet in id, quod interest,[6] in quo venient non pretia manumissorum (neque enim vsque adeo seruis similes sunt ij, quos talliabiles appellamus, vt seruorum exemplo recipiant æstimationem[7]) sed cæteræ vtilitates omnes, quæ absint, si modo circa rem ipsam sint, & ex re ipsa non extrinsecus emergant.[8] Finge eum, qui manumissus est, decessisse sine liberis, ita vt eius bona, si manumissus non esset, ad dominum peruentura fuerint.[9] Debebitur hereditatis æstimatio. Defecit enim conditio propter manumissionem.[10] Neque enim iniquo animo ferre debet fructuarius eiúsve heres, quod proprietarius velit eius periculo & damno ratam habere manumissionem, quam fructuarius ipse fecerit:[11] cum irritam eam facere vellet, ac hereditatem ipsam à manumissi heredibus vindicare, eandem hereditatis æstimationem iis præstare fructuarius eiusve heres teneretur.[12] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 2. de liberal. caus.

1 Nemo enim vnquam auditur siue agendo, siue excipiendo, si non eius interfit, *l. 3. § 1. de verb. oblig. l. ille à quo 13. § si de testamento.* vbi Alex. & alij *D. ad SC. Treb.*

2 Quod enim contra ius factum est, pro non facto haberi oportet, vt est in regula iuris Pontificij, *l. non duplum 3. Cod. de legibus.*

3 *L. 3. in princ. ff. de alien. iudic. mut. caus.*

4 *L. 4 § 1. eod tit.*

5 *L. arboribus 12. alias l. aquissimum § fructuarius, & seqq. ff. de vsufruct.*

6 *L. 1. & tot. tit. D vsufr. quemadm. caueat.*

7 Sunt enim reuera liberi. Nulla autem liberi hominis æstimatio est, *l. 1. § si id quod. ff. de oblig. & act. l. liber homo 103. de verb. oblig.*

8 *L. si sterilis 21. § cum per venditorem, de action. empt.*

9 Ex consuetudine, quæ obtinet in hoc genere hominum talliabilium, vt diximus *in tit de deditit. liberi. tollend.*

10 *L. inde Neratius 13. in princ. ff. ad legem Aquil. l. sed est 11. in princ. ff. ad exhib. l. si quis vxori 52. § si seruus subrepta ff. de furt.*

11 Suum enim cuique factum non alteri nocere oportet, *l. factum 155. de reg. iur l. quidam ita 25 § si quis filium, in fin. ff. ad SC. Treb. l. 1. in princ. ff. de alien. mut. caus fact.*

12 Quia scilicet tanti eorum interesset cum appellatione eius quod interest veniat id, quod abest, *d. § cum per venditorem, & l. si fideicommissa 13. ff. rat. rem haber.*

DEFINITIO III.

De manumissione talliabilium ecclesiasticorum facta per prælatum, & de solennitatibus hoc casu requisitis. Item de præscriptione, quæ pro libertate.

HAbuit etiam Ecclesia suos iam olim seruos,[1] habet etiamnum plerisque in locis, præsertim vero in Sabaudia suos talliabiles,[2] qui, ne manumitti à prælato pro arbitrio, & sine iusta causa possint, ea ipsa ratio prohibet, quæ cæterarum quoque rerum omnium ad Ecclesiam pertinentium alienationem, valere non patitur, nisi certis interuenientibus solennitatibus,[3] maxime vero iis, quas sacrosancti, summique Pontificis Pauli Secundi constitutio celeberrima iampridem præscripsit.[4] Nam quemadmodum vix pretiosiora vlla Ecclesiæ bona esse possunt, quam quæ nobilis feudi iure ac nomine censentur;[5] ita nec vlla feudi ecclesiastici pars dignior esse potest, quam quæ in huiusmodi hominibus ecclesiæ, siue seruis, siue talliabilibus consistit,[6] per quos scilicet facile fieri queat, vt etiam ignorans Ecclesia locupletetur,[7] si quando contingat mori eos sine liberis, & sine condiuisoribus. Quæ res successioni obuentioni-que locum aperit, & vt vulgo loquuntur, escheatæ.[8]

Quid

Quid ergo, si huius conditionis hominem prælatus Ecclesiæ manumiserit? Multum intererit, an sine causa, nullisque solemnibus adhibitis, ea manumissio facta sit, an vero iusta causa, & solemnitate aliqua interueniente: Priore casu certum est omnino, nullius momenti esse manumissionem,[9] adeoque nec prodesse debere, ad inchoanda tempora præscriptionis, pro libertate competentis,[10] potissimum autem viuo prælato, qui in fraudem ac dispendium Ecclesiæ manumisit:[11] nisi ponas, pietatis animo,[12] & huius conditionis odio, quam potissimum exosam habere debet Ecclasia Dei,[13] factam esse manumissionem. Nec enim sine causa posset dici facta, quæ pro causa pietatem habuisset,[14] fauoremque naturalis libertatis, cui omnes restitui, si ab hominum auaritia impetrari, aut extorqueri posset, æquissimum sane esset,[15] ac Christianæ religionis sanctitati & dignitati conuenientissimum; neque dubitari oporteret, quin tuenda esset libertas, eo saltem casu, quo subsecutæ longæ possessionis, decem, vel viginti annorum fauor, cum bona fide coniunctus, manumisso patrocinaretur,[16] hactenus nimirum, vt læsa per manumissionem Ecclesia non ad reuocandam libertatem, quæ semel competiisset,[17] in integrum restitui deberet;[18] sed tantum ad iustum manumissionis pretium exigendum,[19] vt eo veluti remedio indemnitati Ecclesiæ, aduersus nimiam prælati liberalitatem, nullo libertatis damno, prospiceretur,[20] idemque multo magis obtinere debet, si non tantum ex causa pietatis facta manumissio proponatur, sed etiam dicto pretio, vt plerumque fit, viliore tamen, quam vt iustum videri possit.[21] Tanto enim fauorabilior videri debet is, qui manumissus est, cum neque prædo sit, neque fugitiuus, qui libertatis & ingenuitatis suæ pretium numerauit,[22] satisque consultum Ecclesiæ videtur, si pretium ei iustum præstetur,[23] inspecto eo nimirum tempore, non quo perperam facta manumissio fuit, sed quo per iudicem manumissio confirmatur, si forte manumissi facultas à die manumissionis in id vsque tempus excreuerit.[24] At si iusta manumittendi causa fuerit, siue ob officia & obsequia Ecclesiæ præstita,[25] siue quod euidens Ecclesiæ, aut necessitas, aut vtilitas eam conquirendæ pecuniæ rationem suasisse probetur,[26] minorem dubitationem res habet, quin pro huiusmodi libertate pronunciandum sit,[27] præsertim, quam longi etiam temporis præscriptio tueatur.[28] Nec si solemnitates nullæ interuenerint, ad rem faciet. Sicut enim adhibitis solemnitatibus, nullus præscriptioni locus relinquitur, cum propriis suis viribus alienatio consistat:[29] Ita solemnitatum omissio nullum aliud damnum adferre potest, quam vt incipiat necessarium esse auxilium præscriptionis, quod alioqui necessarium non esset.[30] An vero inter cæteras solemnitates[31] illa etiam computabitur, vt summi Pontificis consensum, & adprobationem interuenire necesse sit? Minime vero, si ius commune Pontificium inspicias, quod extat in libris Decretalium, & Decretorum;[32] sed si Paulinam constitutionem; aliud est.[33] Quæ tamen, cum non tam vsu & publicatione aliqua solemni, quam voce & fama ad nos peruenerit, vt & aliæ pleræque Bullæ, quas vulgo aiunt non transisse montes,[34] tanto magis fatendum est, præscriptione tutum esse debere illum, qui non tantum à prælato, sed etiam à Capitulo Ecclesiæ, cuius homo fuit, libertatem & ingenuitatem acceperit, & in eius libertatis possessione bona fide moratus sit per longum tempus,[35] præcipue vero, si superioris authoritas & adprobatio accesserit, siue Episcopus ille fuerit, siue totius Ordinis alicuius monastici Præpositus generalis.[36] Quid item, si manumissio facta sit per transactionem, cum is, qui manumissus est, controuersiam status sui faceret,[37] nec eo minus tamen, redimendæ vexationis gratia, certam pecuniæ quantitatem offerret?[38] Quidni etiam de libertate, sicut & de cæteris rebus dubiis omnibus transigere licebit,[39] vt rei quoque iudicatæ vim habeat ea transactio,[40] nimirum si vel iam lis mota erat, vel metus futuræ litis iustus suberat, non dicis causa, & per calumniam captatus, vt illicito contractui color quæreretur?[41] Quid rursum, si post eam manumissionem admissus sit is, qui manumissus fuit, ad ingenuitatis & libertatis professionem?[42] Quid si fundos quosdam talliabiles emerit, pro quibus possidendis eam pendere pœnam coactus sit, quam suffertam appellant,[43] cuius præstandæ onus non aliis irrogari solet[44] quam qui vel, cum sint talliabiles, rem liberam, & non quidem allodialem, sed, vt aiunt, francham emunt, vel rem talliabilem, cum sint ipsi liberti?[45] Proderunt valde hæc omnia ad initium dandum præscriptioni libertatis, etiamsi cætera deesient.[46] Maxime si non ab eo solo Prælato, qui perperam manumisisse dicitur, sed ab eius quoque successore, aut successoris officialibus[47] facta ista proponantur, nec vt alias fieri solet, subducendum erit præscriptioni totum illud tempus, quo vixit Prælatus, qui male alienauit.[48] Nam ad prohibitas fundorum ecclesiasticorum alienationes ea traditio pertinet, non ad præscriptionem longi temporis, quæ competat pro libertate.[49] Multo minus autem ad eam, quæ sit longissimi, nec tantum triginta annorum, sed etiam quadraginta, quod vt longissimum, ita sufficiens tempus esse creditur, ad præscribendum aduersus ecclesiam quamlibet,[50] Romana excepta, quæ centum annos requirit.[51] Erit autem hoc certius, si ponas, non solius Prælati, sed totius Capituli, cuius voluntas & consensus in manumissione interuenerit,[52] hominem fuisse hunc, de cuius manumissione tractatur. Tanto minus enim permittendum est Prælato, vt inuito Capitulo libertatem datam reuocet, quam ipso etiam inuito, Capitulum ab initio conferre, si non consensisset, potuisset.[53] Nec rursus quicquam est hoc casu, quod de subducenda Prælati male alienantis vita tractetur, cum mori Capitulum numquam possit.[54] Ita partim decisum, partim tractatum est in Senatu pro Johanne Duc, contra Illustrissimum D. Vincentium Laureum, Cardinalem Montis regalis, Abbatem Nantuacensem. *Sine die.*

1 *Can. si quos, & can. cum redemptor, 12 qu. 2.*

2 Qui licet non sint serui, quoniam viuunt liberi, proxime tamen ad seruos accedunt, cum seruorum exitum faciant, si moriantur sine liberis & condiuisoribus, dixi *Defin. 1. & passim. supr. de dedit. libert. tollend.*

3 *Tot. tit. extr. de rebus eccles. non alien.*

4 Cui passim derogari solet, & derogatur, quoties per bullam aliquam summi Pontificis permittitur etiam ex causa alienatio bonorum Ecclesiæ.

5 Adeo vt non desint, qui putent, etiam à feudo nobili possessorem ignobilem nobilitari posse, de quo Tiraqu. *c. 7. de nobilit.*

6 Longe enim maius quiddam est, homines ipsos, quam fundos in dominio habere, cum res omnes cæteræ hominum gratia comparatæ sint, *l. vetus quæstio. 68. D. de vsufr. l. in pecudum 28. D. de vsur.*

7 *L. de hæreditate 19. § filius familiæ, D. de castr. pecul.*

8 Vt dixi *num. 2. supr.*

9 Quod enim fit contra legis prohibitionem, nullius momenti esse potest, *l. non dubium. 5. C. de legib. l. vlt. C. de rebus alien. non alienand. Addit. ad* Guid. Pap. *qu. 159.*

10 Quasi ex contractu contra leges inito, inducatur mala fides, cum tamen nulla possit esse præscriptio sine bona fide, ne quidem pro libertate, *l. 1. & 2. Cod. de long. temp. præsc. quæ pro libert.*

11 *Can. si sacerdos, 16. quæst. 3.* Guid. Pap. *quæst. 150.* Bald. *in l. 1. C. de bon. matern.*

BIU Cujas

12 Causa enim libertatis pia esse creditur, *ex l. in testamento, 38. D. de fideicomm. libert.*

13 Est enim lex Euangelica lex gratiæ & libertatis.

14 *l. cum a, 26. §. mulier, ff. de condict. indeb.*

15 Cum vnaquæque res naturaliter appetat reditum ad suam naturam, *l. si vnus, 27. §. pactus ne peteret. in fin. de pact. l. 4. D. de iust. & iur.*

16 *L. si cum fideicommissa. 16. §. Aristo. D. qui & à quib. manum. can. sine exceptione*, iunct. *gloss. 12. qu. 2.*

17 Cum libertas, quæ semel competit, numquam reuocetur, ne quidem beneficio minoris ætatis, §. *antepen. in fin. Inst. de eo, cui libert. caus. bon. addic. tot. tit. C. si aduers. libert.*

18 Restituitur enim Ecclesia, quoties læsa est, exemplo minoris cuiuslibet, *cap. 1. extr. de in integr. rest. cap. ad nostram*, iunct. *gloss. extr. de rebus eccles. non alien.*

19 Vt *in l. quidam ita, 25. §. si quis filium, D. ad SC. Treb.*

20 Libertatem enim intercidere damni pecuniarij causa nimis durum est, *l. cum pater. 77. §. cum existimaret, de leg. 2. l. qui grauis, 11. & seq. de iure codicill.*

21 Et si iustum hoc casu interpretandum est, non quod sit adæquatum, cum libertas sit res omnino inæstimabilis, sed quod arbitrio boni viri sit constituendum.

22 Ex iuris regula, de qua *in l. nemo præd. est, 126. de reg. iur.*

23 *d. §. si quis filium, in fin. l. 26. ad SC. Treb.*

24 *Vt in Defin. 1. supr. de liber. caus.* Iunge tamen Guid. Pap. *quæst. 157.*

25 Est enim iustissima & amplissima obsequiorum merces libertas.

26 Quatuor enim potissimum causæ sunt permittendæ alienationis rerum ecclesiasticarum, Necessitatis, Pietatis, Vtilitatis, & incommoditatis, siue minoris vtilitatis. *Addit. ad* Guid. Pap. *qu. 149.*

27 Nam & alienatio alia quælibet rei ecclesiasticæ valet, si sit vtilis Ecclesiæ, quamuis facta sit sine solennitate, Guid. Pap. *qu. 156. & ibi addit.*

29 *Auth. hoc ius porrectum, vbi omnes notant, C. de sacrosanct. eccles.*

30 Tunc enim de præscriptione tractandum est, cum ipso iure non tenet alienatio, & alienatio etiam nulliter facta: potest tamen dare causam & initium præscribendi, Guid. Pap. *qu. 159. n. 2. ex cap. cur autem, extr. de iur. patron.*

31 De quibus *in d. can. sine exceptione, 12 quæst. 2. & in cap. dudum, de reb. eccles. non alien.* Nam illæ, de quibus *in Auth. hoc ius porrectum, C. de sacros. eccles.* non sunt hodie in vsu, inquit Guid. Pap. *quæst. 149 in princ.*

32 Requiritur enim tantum, vt alienatio fiat præcedente tractatu, & de consensu Capituli, ex authoritate Episcopi, nec requiritur consensus Archiepiscopi, aut Papæ, inquit Guid. Pap. *ibid.* post alios ibi citatos.

33 Quia exigit omnino consensum & approbationem summi Pontificis.

34 Et quę non sunt clausæ in communi corpore iuris, quas ideo permittitur ignorare.

35 Maxime si ex instrumento appareat, tractatum præcessisse, & causæ cognitionem aliquam, de eo quod Ecclesiæ vtilius futurum esset. Vide Guid. Pap. *quæst. 157. cum addit. ibid.*

36 Quem constat exemptum esse à iurisdictione & potestate Episcopi, nisi in casum negligentiæ. Decretum autem superioris præsumitur factum in vtilitatem Ecclesiæ. Bald. *in l. 1. qui feud. dar. poss.*

37 Vt in *l. circa 14. ff. de probat.*

38 Laudandus enim est, qui lites execratur, *l. 14. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.* & qui dubium litis euentum pertimescit, *l. quod debetur, 51. ff. de pecul.*

39 *L. 1. D. de transact. l. 2. C. eod.*

40 *Vulg. l. non minorem, 20. eod tit.* Nam si pro libertate iudicatum esset, standum esset sententiæ, *l. si is, 4. C. de liber. caus.*

41 *L. in summa, 65. §. 1. D. de condict. indeb.*

42 Est enim illa obseruatio & executio transactionis, ideoque nouam vim tribuit manumissioni, etiam alioqui inualidæ, *l. 2. C. commun. vtriusque iudic.*

43 Sic dictam, quod dominus ferat & patiatur rem suam, & cuius ille sit directus dominus, possideri ab incapace, qui sit alterius conditionis.

44 Potest tamen etiam ex alia causa irrogari sufferta, etiamsi homo meus rem suæ conditionis possideat, sed quæ tamen mihi homagium debeat, ratione alterius castri, quam propter quod ille hominem se meum esse recognouerit: quasi duplex homagium non possit præstare, ne quidem vni domino, in diuersis territoriis.

45 Homo enim liber non est capax homagij talliabilis præstandi, nec homo talliabilis capax est homagij liberi.

46 Id est, quamuis nulla manumissio præcessisset. Plerumque enim difficile est in his causis, dare initium præscriptionis, vt dicam *Defin. 1. in fin. tit. prox.*

47 Cum factum & scientia officialium noceat etiam domino, Bart. & alij *in l. licitatio. §. fin. D. de public. & vectig.*

48 Ex Guid. Pap. *d. quæst. 150. & can. si sacerdos 16. quæst. 3.*

49 Hæc enim longe est fauorabilior, & de hac non loquitur text. *in d. can. si sacerdos.*

50 *Cap illud, & passim. de præscript.* etiam sine titulo, cum præscriptio longissimi temporis non requirat titulum, sed tantum bonam fidem, *l. 1. 3. & 4. C. de præscript. triginta anner.*

51 *Nouell. 19. vt Eccles. Roman. cent. annorum gaudeat præscript.*

52 Est enim illa præcipua fere solennitas. *d. can. sine exceptione 12. qu. 2. & d. cap. dudum, de rebus eccles. non alien.*

53 Ob priuilegium libertatis, *l. 1. C. de comm. serv. manum.*

54 *L. preponebatur 76. D. de iudic.* quia Capitulum personam habet fictam non veram.

TIT. VI.

NE DE STAT. DEFVNCT. post quinq. quær.

DEFINITIO I.

De præscriptione quinquennali, quæ competit pro defuncti hominis libertate.

PRÆSCRIPTIO illa quinquennalis, quæ competit pro defuncti hominis libertate,[2] iis etiam prodest, qui talliabiles & deditiij appellantur, nimirum, vt de illorum statu post quinquennium quæri non possit.[3] Nempe si de successione quoque quæratur, vtputa si sine liberis & extra communionem decesserint.[4] Alioqui nihil prohibet etiam post viginti, adeoque centum annos status controuersiam fieri liberis aut agnatis & condiuisoribus eius, qui multo ante tempore decesserit,[5] licet ea ratione fiat necessatio, vt defuncti quoque status in controuersiam deducatur.[5] Hoc enim casu non tam de mortui, quam de viuentis statu quæri videtur.[6] Sed tamen, quod dicimus post quinquennium de statu defuncti quæri non oportere, de illo accipiendum est, qui viuus fuit in quasi possessione libertatis,[7] gessitque se pro libero, qualis ille non est, qui vt sui ipsius furtum faceret, mutauit domicilium,[8] si nihil fecerit sciente domino, per quod se constituerit in quasi possessione libertatis, vtputa denegando ea munera domino præstare, quæ non nisi ab eius conditionis hominibus præstari solent.[9] Proinde eo demum casu proderit quinquennalis illa præscriptio post mortem, quo prodesset quadragenaria ei, qui talliabilis dicitur eiúsve liberis, id est, cum aliquid interuenit, quod initium possit dare præscriptioni.[10] Differentia tantum illa est, quod hoc posteriore casu initium præscriptionis cum bona fide saltem præsumpta coniunctum esse necesse est, vt sequi possit præscriptio.[11] Priore vero non item, quia ex quo quis pro libero se gessit, siue bona siue mala fide in eum statum rem deduxit, vt de ipsius conditione omnimodo quæri oporteat,[12] quod ipsum post quinquennium fieri prohibitum est.[13] Extincta enim per mortem mala fide, illud tamen verum superest, defunctum, dum viueret, se pro libero gessisse. *Ita tractatum est* in causa D. de la Foreſt, & Claudij Viffrey, 7. Id. Jun. 1595.

1 De qua *in l. 1. & tot tit. ns de stat. defunct. post quinquenn. quær. D. & C.*

2 Quamo-

1 Quomodo alia pleraque de seruis constituta passim ad talliabiles protrahuntur.

2 Duo enim concurrere oportet, vt in bonis defuncti talliabilis succedere dominus possit.

4 Secundum ea quæ diximus *Defin.* 1. §. *de præscript. long. temp. quæ pro libert.*

5 Siquidem qualis defunctus fuit mortis suæ tempore, tales quoque liberos eius superstites esse necesse est, nisi ante talliabilitatem concepti proponantur, *l.* 2. *C. de libert. & eorum liber.*

6 Scilicet principaliter. De statu autem defuncti non nisi per consequentiam.

7 *Arg. l. cui ea eum* 14 *D. de probat.* iunct. *l. quotiès* 18. *eod.*

8 De quo *in l.* 1. *Cod. de seru. fugit.* Hic enim fugitiuus est, *l. qui sit fugitiuus* 17. *D. de ædilit. edict.* fugitiuus autem sicuti aliarum rerum possessionem interuertere non potest, ita nec sui ipsius, *l. rem quæ nobis* 15. *in fin. D. de acquir.*

9 Exinde namque initium sumitur præscriptionis, quoniã ea contradictio interuerit domini possessionem, *l. si id quod* 25. *§. quod autem, D. de acquir poss.*

10 Semper enim dandum est initium aliquod præscriptionis, & quidem iustum, *l.* 2 *C. de long temp. præscr. quæ pro libert.*

11 Quia ei, qui mala fide in possessione libertatis moratus est, nihil prodest præscriptio, *l.* 1. *eod. tit.* * Præscriptio enim pro libertate quantumuis fauorabilis sit non potest currere cum mala fide licet non requirat titulum, *l.* 1. *& 2. & vlt. Cod. eod tit.*

12 Sola enim negatio rem dubiam facit, *l. vlt. C. quibus ad libert. proclam. non licet.*

13 *L.* 1. *& toto hoc tit. D. & C.*

TIT. VII.

DE ACQVIR. VEL OMITT. possess.

DEFINITIO I.

Constituti clausula non impedit exceptionem discussionis, nisi imploretur beneficium l. vlt. Cod. hoc tit. per creditorem petentem se retineri in sua possessione.

CONSTITVTI clausula in omnibus fere pignorum conuentionibus hodie apponi solita, [1] licet fictitius modus sit trãsferendæ possessionis, [2] veram tamen & realem transfert, nec ciuilem tantum, sed etiam naturalem. [3] At non ideo prodeit creditori hypothecariam exercenti contra tertium possessorem, [4] quo minus exceptione non factæ excussionis repelli possit, [5] non quia possessionem, quam ex solo constituentis animo nulla intercedente traditione quæsierat, facilius eiusdem facto amittere debuerit, [6] sed quoniam generale est, vt per quos possidemus, per eos quoque possessionem veram & naturalem etiam ignorantes amittamus. [7] Nec enim solo animo retineri potest possessio, ne ciuilis quidem, nisi quamdiu libera est corporalis etiam possessionis apprehensio, nemine scilicet alio possidente. [8] Quod si ad excludendam possessoris exceptionem creditor agens hypothecaria [9] pristinam quoque possessionem condicat ex beneficio Iustinianeæ constitutionis, [10] non erit audiendus, [11] quia nec potest beneficium illud cum quasi Seruiana concurrere. [12] Illa siquidem auocat possessionem debitoris condictio ex Iustiniani lege, eam ipsam, quæ fuit aliquando creditoris, [13] ac si amissa vnquam fuisset. [14] Ergo consultius faciet creditor, qui exceptionem ordinis pertimescat, si omissa hypothecaria Iustiniani beneficio vtatur, [15] rem ipsam, cuius possessionẽ ita nactus fuerit, subinde pignoris iure retenturus, aut si malet, publicam eius sub hasta distractionem ad suum consequendum postulaturus. [16] Nam aduersus possessionis cõdictionem nulla exceptio competit, multo minus ea, quæ non nisi possessori danda sit, [17] præterquã si facto aut voluntate condicentis amissa possessio probetur. [18] *Ita Senatus* in causa Catharinæ Tondu & Claudij Rochet, 2. Aug. 1586. & alias sæpius.

1 Cum scilicet debitor constituit se bona sua obligata possidere nomine creditoris in eum casum, quo pecunia debita ad diem non soluatur.

2 Quia verus modus transferendæ possessionis est, cum animo & corpore simul acquiritur possessio ex vna parte, & ex alia admittitur, *l. quemadmodum* 8. *D. hoc tit.*

3 *L. quod meo* 18. *eod. tit.* Guid. Pap. *quæst.* 22. 46. 81. 101. 112. & 268. Bart. *in l. si is qui pro emptore, de vsucap.*

4 Nam cum actio hypothecaria sit in rem, *l. pignoris* 17. *D. de pignor. l. pignoris, C. eod.* potest exerceri contra quemcunque possessorem. Auocat quippe nudam possessionem, *l. si cum venditor* 66 *D. de euict.*

5 *Ex auth. hoc si debitor, C. de pignor. & in corpore, Nouell.* 112. *de litigios. c.* 1. vnde sumitur.

6 Iisdem enim modis possessio quæsita per constitutum & amittitur, & retinetur, quibus si per traditionẽ quæsita fuisset, nec vnius factum alteri nocere debet, *l. vlt. C. hoc tit. l.* 1. *de alien iudic. mut. caus. fact. l. quidam ita* 25. *§. si quis filium, D. ad SC. Trebell.*

7 Si modo alius eam possessionem occupauerit, *l. si de eo fundo* 40. *§.* 1. *l. peregre* 44. *§. vlt. D. hoc tit.*

8 Puta si mortui sint coloni nostri aut furere cœperint, *d. l. si de eo §.* 1 iunct. *l. sed si id quod* 15. *§* 1. *eod. tit.* Imo desinimus possidere statim atque suspicamur posse nos repelli ab eo, qui ingressus sit possessionem, *d. l. si id quod in fin.*

9 Intelligitur autem agere hypothecaria, quotiescunque petit mitti se in possessionem rei obligatæ, quia proprium est hypothecariæ vt auocet alienam possessionem, *d. l. si cum venditor.*

10 Quæ extat *in l. vlt. C hoc tit.*

11 Tanquam duabus contrarijs vtens actionibus, *l.* 1. *C. de furt.*

12 Adeo vt sint etiam ex Pragmaticis quidam, qui putent non esse audiendum illum, qui ex beneficio constitutionis Iustiniani *in d. l. vlt. C. hoc tit.* petat se retineri in possessione rei obligatæ, si addat in libello, *Ad tenendam eam iure pignoris & hypothecæ*, quia ea adiectio sapiat hypothecariam, sed male. Nihil enim vetat creditorem & possessorem esse pignoris & eam possessionem velle retinere quousque sibi satisfiat, & quidem iure pignoris & hypothecæ, *l. cum & sortis* 15. §. 1. *D. de pignor. action.* Potest tamen remedium illius legis multo magis competere ad recuperandam possessionem, Thessaur. *decis.* 38. *num.* 5. *& 215. num.* 3. *&* 4.

13 Ita Ferrariens. *in form. resp. libell. in act. hypoth. in verb. exceptionem discussionis, num.* 8. *in fin.* vbi expedire esse ait, quod Senatus noster putat necessarium. Thes. *d. decis.* 115. *num.* 2. *in fin.* Adde tamen *num.* 6. *ibid.*

14 Sic enim nostri vulgo eam Iustiniani legem intelligunt, quasi potuerit ille facere & fecerit, vt qui antea possidebat retineat suam possessionem, quæ tamen reuera fuerit in alium translata: cum tamen verba legis eum duntaxat casum tractent, quo is, qui pro alio possidebat, eam possessionem dereliquerit & prodiderit, vt ab alio occuparetur: non etiam illum, quo possessionem re ipsa alij tradiderit, non magis quam illum, quo is ab alio vi deiectus sit. His enim duobus casibus nulla iuris arte fieri potest, vt non intelligatur is possidere, qui rem sibi habet, fructusque ex ea percipit, cum possessio magis facti sit quã iuris. *l.* 1. §. *si vir. ff. hoc tit. l.* 1. §. *Scæuola. si is qui testam. lib. esse iuss.* Nec rursus vt duo simul eãdem rem in solidum possidere possint, *l.* 3. §. *ex contrario. D. hoc tit.* Vide quæ in hanc rem scripsi pluribus in priore part. Hemichiliadis. *Deerror. Pragmat.* Menoch. tamen *remed.* 14. *recup. poss. num.* 3. defendit, hoc esse remedium recuperandę possessionis.

15 Petendo scilicet vt mittatur non in possessionem, sed vt retineatur in sua quasi nunquã omissa, quomodo si proponeret interdictum retinendæ possessionis, hac sola differentia, quod interdictum esset annuum hæc autem actio est perpetua, vt cęteræ omnes condictiones ex lege.

16 *Ex tit. de distr. pign.*

17 Bart. *in l. creditores* 2. *quæst. princ. de pignor.* Bald. *in l.* 1. *& l. si heres. C. de reuoc. his quæ in fraud. cred.*

18 Nunquam enim succurritur ei, qui facto suo cecidit à possessione, *can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Post propositam hypothecariam potest agi condictione ex l. vlt. C. hoc tit. ad retinendam possessionem, & quidem impune ante litem contestatam, postea vero refusis sumptibus.

LIberum est creditori, qui hypothecariam ab initio contra tertium possessorem elegerat, pristinam possessionem ex Iustiniani lege [1] condicere, vt effugiat incommodum exceptionis, quæ tertijs possessoribus hypothecaria conuentis nouo iure competit ob non excessum debitorem, [2] adeoque post eam exceptionem oppositam, [3] dummodo ante litem contestatam, aut in ipsa contestatione, quando in id vsque tempus mutatio actionis libera est & impunita. [4] Post litem contestatam sera est pœnitentia, [5] nisi erroris sui pœnas illas actor luere paratus sit, vt litis sumptus omnes in eum vsque diem factos possessori resarciat. [6] Quo remedio æquum sane est vtriusque indemnitati consuli, aut libelli mutatio possessorē damno afficiat, [7] aut aduocati vel procuratoris inscitia creditori noceat, [8] qui vtique rem ipsam persequendo non potest videri id egisse, vt ius condicendæ possessionis, quam solius debitoris facto amiserat, à se abdicaret. [9] *Ita Senatus* in causa fratrum Rey Necienſium & Franciſci Camberienſis, 7. Calen. Matt. 1593.

1 *In l. vlt. C. hoc tit.* de cuius sententia & interpretatione scripsimus *Defin. præced.* Vide Thesaur. *decis.* 215. *numer.* 1. & 2.

2 *Ex Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

3 Quamuis possit dici ius quæsitum esse patri, quæ opposuit exceptionem, ex quo die opposuit.

4 *Not. in l. edita 3. C. de edend.*

5 Quia per litis contestationem quasi contrahitur, *l. 3. §. idem scribit, D. de pecul.*

6 Sic enim cætera, quæ in litigando peccantur, refusione sumptum emendari solent, vt notant nostri *ad d. l. edita, ex l. 1. C. de plur. petit. § si quis agens 19. Instit. de action.*

7 Qui non probetur per auaritiam & dolum deliquisse, *d. l. 1. vers. tunc vero.*

8 Quod æquum non esset, quamuis possit imputari ei, qui talem aduocatum vel procuratorem elegit. Sed in mandato generali non continetur, vt quicquam fiat per imperitiam non magis, quam vt ex mala fide, *l. creditor 69. §. vltim. D. mandat.*

9 Qui enim petit quod plus est, vtique multo magis intendit petere quod est minus, nec facile quisquam præsumendus est eam agendi viam repudiasse, per quam facilius & tutius consequi suum possit. *arg. l. 3 D. de testam. milit. l. mater 19. de inoffi. testam.* Sunt enim ista ex apicibus iuris, quorum ignoratio non adeo puniri debet, vt litis iacturam adferat, *arg. l. si fideiussor 25. § quædam tamen, D. mandat.*

DEFINITIO III.

De quasi possessione iurium incorporalium.

IVrium incorporalium quasi possessio in actibus discontinuis, & inducitur & probatur per duos actus vniformes, hactenus saltem, vt in iudicio De possessione obtinere actor debeat, [1] salua proprietatis quæstione, quæ vtique sicuti maioris momenti est, ita & maiores & certiores exigit probationes. [2] Quin & vnus actus potest in possessorio sufficere, si toto tempore, quod hominum memoria complectitur, non nisi semel casus euenerit, in quo vti iure suo actor potuerit, siue à quibus causam habet. [3] Nam si aliquando iure suo vsus probetur, aliquando non vsus, nihil ei proderit, ne quidem ad causam possessorij, quod multoties vsus sit, magisque ei oberit, quod semel aut iterum vsus non sit, [4] ni alias habeat iuris sui probationes. [5] Id verò distinctè obseruandum erit, vt si sola quasi possessione nitatur ad diuersorum iurium acquisitionem inducendam probandamve, nunquam plus præscriptum videatur, quam fuerit possessum, [6] nisi appareat quasi possidendi eius iuris, quo actor vsus probatur, causam fuisse generalem, quæ alia quoque iura, de quibus nunc quæritur, complecti potuerit. [7] Finge conueniri à domino subditos ad præstationem subuentionis illius extraordinariæ, quæ à subditis plerunque debetur, si dominus aut equestrem dignitatem nactus sit, aut iusto bello captus magna pecunia redimendus proponatur. [8] Non alias autem eius iuris probationes à domino afferri, quam quod ante multos annos, cum auus filiam suam nuptam collocaret, subsidium in eam rem solitum subditos præstitisse constaret, expressa his verbis causa, *insequendo generalem consuetudinem obseruatam in quatuor casibus, ad quod illi tenentur.* [9] Non in eum duntaxat casum, quo nuptui tradetur filia, sed in alijs quoque, tribus casibus, inter quos numerantur ij, quos recensuimus, conseruata & continuata quasi possessio videbitur, si non probet aduersarius alios quoque casus euenisse, [10] nec eodem iure vsum dominum fuisse. Verum generalis illa causa præstandæ vno casu subuentionis, [11] omnimodo ab actore probanda erit aut per testes, [12] aut quod melius fuerit per scripturam. [13] *Ita Senatus* pro D. de Creissiaz, contra subditos de Cormoran, 5. Cal. Iul. 1588.

1 Bart. *in l. 1. §. hoc interdicto, de itin. act. priuat. consil. 151. lib. 5.* Rom. *cons. 311. Not. in c. cum ecclesia Sutrina, de caus. poss. & propr. & in c. cum bona, de postul. prælat.*

2 *L. moueor 4. C. de seru. export. l. circa eum 14. D. de probat.*

3 Panormit. & alij *in dict. cap. cum ecclesia.* Bald. *d. cons. 151. insip. sententia, lib. 5.* Rom. *d. cons. 311.* Rip. *resp. 1. de vi & restit. spoliat num. 4.*

4 Intellige si sciuit natam sibi occasionem vtendi iure suo, secus enim est si ignorauit, & ita accipe quod scripsimus *Defin. 25 §. de dedit. libert. toll.*

5 Semper enim veritati & probationibus superesse locus debet, *l. Imperatores 29. in fin. D. de probat. l. curent 22. D. de testibus.*

6 *L. 3. § Iulianus, & ibi not. de itin. act. priuat.* Vnde nostri colligunt, quod vulgo iactare solent, præscriptiones esse stricti iuris.

7 Hoc enim casu pro parte vsus, videtur vsus in totum.

8 Afflict. *decis. 65. num. 54.* Boer. *decis. 126. num. 1. & seq. 10. & 14.* Guid. Pap. *quæst. 57.*

9 Supradicta enim verba causaliter potius quam conditionaliter apposita intelliguntur, ideoque nec cogitur dominus docere de antiqua illa consuetudine, Boer. *quæst. 16. per totum.*

10 Nam si casus nunquam euenisset, non ideo ius domini imminutum fuisse dici posset. Bart. *ad l. cum scimus 21. Cod. de agric. & censit. lib. 11.* Ial. *in l. de quibus col. 8. D. de legib.* Iacob. de S. Georg *in tract. de homag.* Alexand. *consil. 136. vol. 2.* Abb. *in cap. fin. de restitut. spoliat.* Chassan. *in consuet. Burgund. tit. de iustices & droits d'icelles, §. 4.* in verb. *nouuelle Chenallerie, nu. 15. & 16.*

11 Hoc est quod generalis illa consuetudo fuerit.

12 Regulariter enim tantum valet probatio per testes, quantum per instrumenta, *l. in exercendis 25. C. de fid. instr.*

13 Quæ minus suspecta probatio est, *l. testium 18. Cod. de testibus.*

DEFINITIO IV.

Ciuilis possessio retenta prodest ad retinendam adeoque ad recuperandam naturalem.

QVoties is, cuius corpore possidebamus, possessione deijcitur, vel eam alteri tradit, (aliud est si fictitio modo alium possessorem fecerit) confestim possessionem amittimus, [1] nec naturalem tantum, sed etiam ciuilem. [2] Idcóque necessarium fuit auxilium constitutionis Iustinianeæ [3] ad auocandam, quinimo retinendam possessionem, quæ facto eius, per quem possidebamus, interuersa sit. [4] Et quamuis aliquando accidat, vt naturalis possessio perdatur, ciuilis vero

BIU Cujas

vero retineatur, [5] forte si naturalem quis occupauerit inscio possessore. [6] Tamen statim atque occupatam scisit is, qui antea possidebat, nec intra triduum naturalem repetijt, ciuilem quoque amisisse intelligitur: [7] quam nec nouum est amitti ab ignorante, si per longum tempus, id est, vt nostri interpretantur, per decennium integrum naturalem neglexerit. [8] Cæterum, qui ciuilem quoque possessionem amisit, naturalem repetere propria auctoritate non potest, sed interdicto [9] aut actione illa extraordinaria, quæ hodie interdicti vice competit, [10] expediri debet. Quandiu vero ciuilem retinet, non potest videri vim facere, si naturalem proprio iure ingrediatur, si non ab occupatore prohibeatur: [11] quo casu est illi etiam necessarium interdictum. Sed an quod ad recuperandam, an potius quod ad retinendam possessionem pertinet? [12] Vtrumque competet, Vti possidetis, ad retinendam ciuilem, Quod vi aut clam, ad repetendam naturalem. Neque enim sunt interdicta ista repugnantia, nisi cum ad eandem possessionis speciem referuntur. [13] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Musier contra Ioannem Monnier, 6. Cal. Aug. 1588.

1 Qui enim alieno nomine possidet, cum non ipse possideat, sed alius, non potest constituere se alieno nomine possidere, *l. quod meo* 18. *D. hoc tit.* Bart. *in l. si culpa, D. de rei vindic.* Tiraq. late ac sæpius *in tract. de constituto.*

2 *L. peregre* 44. § *quibus explicitis.* vbi Bart. D. *hoc tit. l. vlt.* vbi idem Bart. *C. eod.*

3 *In d. l. vlt. C. eod.*

4 Secundum eam sententiam, quam nos retulimus & refutauimus *Defin. 1. num.* 143. Adde Menoch. *remed.* 14. *recuper. poss. num.* 3. *& seqq.*

5 Quia naturalis ex facto ipso æstimatur, ciuilis vero solo animo retinetur, vt tractant nostri *ad l. nemo ambigit* 10. *Cod. hoc tit.*

6 In quo tamen adhibenda est distinctio, quæ ponitur in *dict.* § *quibus explicitis.* an per nosmetipsos, an per alios possideamus.

7 *L. si nolit* 7. *d. l. quod meo,* § *si dum in alia, l. quamuis saltus* 16. *D. hoc tit.*

8 Bart. *in l. si de eo* 41. § *si so te, D. hoc tit.* Anchar. *cons. vlt.* Cravet. post alios *cons.* 235. *in prine.*

9 Bart. *in l. si clam possidere,* § *qui ad nundinas, D. hoc tit.* Cravet. *cons.* 5. *n.* 9 *&* 11. *l. si quis vi* 17. *D. hoc tit.*

10 Sunt enim hodie sublata interdicta, & in eorum locum substitutus vsus actionum extraordinariarum, vt constat *ex tit. de interd. siue extraord. act. qua pro his compet.*

11 Nam si prohibitus ingrediatur, vim facit; clam vero, si non denunciauit ei, à quo controuersiam vel timuit, vel timere debuit, *l.* 1. §, *quid sit vi factum, l.* 3. § *clam facere, D. quod vi aut clam.*

12 Alia enim sunt interdicta retinendæ possessionis gratia, alia recuperandæ, alia adipiscendæ, *l.* 1. *&* 2. *D. de interdict.*

13 Bart. late *ad l.* 1. *D. vti possid.*

DEFINITIO V.

Heres hodie est possessor ipso iure, sed ita demum, si agnouerit hereditatem, non etiam ignorans aut inuitus.

QVod moribus primum & generali locorum fere omnium consuetudine receptum, apud nos vero expressa etiam lege confirmatum est, vt ipso iure transeat in heredem possessio rerum hereditariarum, [1] quæ ex iuris ratione, cum sit facti, [2] ne in suos quidem heredes transferretur, [3] non ita accipiendum est, vt is, cui lex hereditatem siue ex testamento, siue ab intestato detulit, *hoc ipso* fiat possessor hereditatis. [4] Quid enim si heres esse nolit? [5] Vtique nemo dixerit factos hodie necessarios heredes eos, qui antea erant voluntarij; [6] Sed is sensus est, vt quandocunque secuta adi io sicut ad diem mortis retrotrahitur, [7] vt nullo temporis momento hereditas iacuisse existimetur, [8] ita faciat, vt cum hereditatis dominio possessio quoque rerum hereditariarum in heredem translata intelligatur, & sine vlla interruptione continuata. [9] Cui consequens est, vt interdicta omnia, tam quæ ad retinendam, quam quæ ad recuperandam possessionem pertinent, heredi competant post additionem, acsi nec hereditas, nec possessio vnquam iacuisset. [10] *Ita Senatus* sæpius. Et nouissime in causa D. de Garde & de Montmayeur 13. Cal. Octobr. 1512.

1 Ex edicto nimirum quod dicimus, *le mort saisit le vif.* An autem edictum hoc habeat locum in quolibet herede etiam in testamentario, & an in alio quam in primo, vide *Definitionem sequentem, numer.* 2. *&* 3. *in alleg.*

2 *L.* 1. § *si vir vxori D. hoc tit. l.* 1. § *Scaeuola, D. si is qui test. lib. esse iuss. l. denique* 19. *D. ex quib. caus. maior.*

3 *L. cum heredes* 23. *in princ. D. hoc tit.*

4 Prius enim est vt sit heres, quam vt possessor esse intelligatur. Prius, inquam, ordine non temporis, sed naturæ & intellectus. [Itaque non habet locum hæc consuetudo, nisi in vero herede existente, vt loquitur Tiraq. *in 2. declar. 2. part.* Iunge *declar. 1. & 3. & declar. 2. part. 7.*]

5 Nemo enim hereditatem agnoscere cogitur extra causam necessariorum heredum, *l. nec emere* 16. *C. de iur. delib. l.* 4. *D. ad SC. Trebell.* [Iunge *Defin.* 5 *de crim. expil. hered.*]

6 Cum è contrario sui & necessarij potius facti sint voluntarij per beneficium abstinendi, *l. si filius* 12. *de vulg. & pupill. subst. l. necessarijs* 57. *D. de acquir. here.*

7 *L. heres quandocunque* 54. *eod. l. omnia fere* 193. *de regulis iuris.*

8 *L. omnis hereditas* 138. *eod. tit.* Ne alioqui contingeret, vt bona hereditaria possent fieri primi occupantis, tanquam quæ interim essent nullius, *l.* 1. *D. de rerum diuis. l.* 3. *in princ. D. de pecul.*

9 Quod olim nullo casu obtinebat, quamuis putent nonnulli fuisse in hoc differentiam inter suos & extraneos, *ex l. cum milex* 30. *D. ex quibus caus. maior.* cuius tamen quam longe alia sententia sit, docui in Rationalibus ad illum locum.

19 Tiraquel. late *in tract. le mort saisit le vif.* Vnde est, quod nostri possessionem hanc non tantum ciuilem, sed etiam ciuilissimam vocant, quod acquiratur etiam ignoranti & citra animum possidenti, cum alioqui necessarius sit animus ad acquirendam possessionem, *l.* 3. § *in amittenda, l. quemadmodum* 8. *D. hoc tit.* [Sed & acquiritur etiam ignoranti delata hereditas scilicet, si tamen eam postea quandocunque adierit. Sic enim accipi debet quod scribit Tiraq. de infante furioso, & ignorante in *declar.* 17. *&* 18. 2 *part.* vt idem tradit *decl.* 2. *part.* 7 *vbi omnino vide.*]

DEFINITIO VI.

Etiam substitutus pupillaris iuuatur edicto, le mort saisit le vif.

FIctio ila, de qua proxime diximus, [1] cuius potestate fit, vt ea ipsa possessio, quæ penes defunctum fuit, in heredem ipso iure translata & continuata esse intelligatur, [2] cum non ad legitimos tantum, sed etiam ad testamentarios heredes [3] pertineat, consequens est, vt pupillaribus quoque substitutis prodesse debeat, [4] qui & vere sunt heredes, & directo succedunt. [5] Nam etiam fideicommissarijs, quos constat non tam heredes esse quam heredum loco habendos, [6] facta demum restitutione, nec nisi per manus eius, qui rogatus est possessionem hereditatis nanciscì posse. [7] Neque quod substitutum pupillatem aliquando secundum heredem dicimus, [8] facere debet vt fideicommissario comparetur. Secundus namque heres ideo dicitur, quod pupillares tabulæ non aliter valere possint, quam si primum sibi heredem pater fecerit. [9] Cæterum, quod ad pupilli hereditatem pertinet, primus ille heres est, [10] adeoque quod ad ea etiam bona pertinet, quæ patris fuerunt, quippe quæ ad eum deuoluantur non tanquam paterna, sed tanquam pupilli facta, [11] si instituto non si exheredato impuberi substitutus fuit. [12] Quod autem exheredato quoque substitui potest, tanto magis

BIU Cujas

facit, vt appareat primum heredem eum dici debere potius quam secundum. [13] At fideicommissarius nec secundus quidem heres est, sed tantum secundi heredis loco. [14] Quoniam etsi potuit Senatus heredem facere, [15] non tamen illud etiam constituere, vt post restitutã hereditatem desineret heres esse, qui antea fuisset, [16] sicuti nec vt duo eiusdem hereditatis heredes, id est, domini in solidum esse possent.[17] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 3. Calen. Aug. 595.

1 Quæ inducitur ex edicto, *Le mort saisit le vif*, aut ex cõsuetudine à Mediolanensibus deriuata.

2 De quibus tamen solis loquitur. Sunt enim hæc verba edicti, *le mort saisit le vif plus proche & plus habile à succeder.* Ex quibus etiam verbis defendit Tiraquel. *in 5. declarat. 2. part.* hoc edictum habere duntaxat locum in primo herede, non autem herede heredis, etiam directo, ne plura singularia & plures fictiones circa idem concurrant. Quod certe valde notandum est, si verum est. De quo tamen dubitarem, nisi hæc definitio innueret Senatui nostro ita visum esse; Sicque iudicatum tandem est pro D. Claudio de Quo collaterali dilectissimo Cõsilij Gebennensis, contra procuratorem du Creſt. *Sine die.*

3 Ne alioqui deterioris conditionis sint heredes testamentarij, qui sunt fauorabiliores, *l. lege obuenire 130. de verbor. significat.* Licet contra putet Tiraquell. *7. declarat. 2. part. num. 17.*

4 De quo tamen vide latam Tiraquelli disputationem in supradicto tractatu. *In 7. declarat. 3. part. num. 1.* vbi defendit contra definitionem nostram, edictum hoc non habere locum in substituto pupillari. Et apertius *declarat. 9. 2. part. in princip.*

5 *L. 1. & 2. l. sed si plures 10. §. ad substitutos, D. de vulg. & pupill. substit. verbis ciuilibus 7. l. centurio 15. eod.*

6 *L. si filius familias 5. §. 1. D. quod cum eo qui alien. potest. §. restituta, Inst. de fideic. hered. l. 2. D. ad SC. Trebell.*

7 *L. facta 83. eod. 8 1.* iunct. *l. penult. C. eod.*

8 *L. precibus 8. C. de impub. & alijs substit.*

9 *L. 2. §. 1. & §. prius autem, de vulg. & pupill. substit.*

10 Adeoq; pure non sub conditione, si alia conditio nulla sit adscripta, *l. qui liberis 8 in princ. eod.*

11 *d. l. sed si plures, § ad substitutos, l. paterfamilias 28. de rebus auctor. iud. possid.*

12 Siquidem etiam exheredato substitui pupillariter potest, *d. l. 2. & pass. ill. tit de vulg. & pupill. substit. l. ita tamen 27 à patre, C. ad SC. Trebell.*

13 Cum non possit dici heres filius, qui est exheredatus, *l in suis 11. D. de liber. & posthum.*

14 *d. § restituta, & d. l. 2. ad SC. Trebell.*

15 *§. quos autem, Inst. de bonor. poss.* vt constat ex Senatusconsultis Tertyllia no & Orfficiano.

19 Siquidem is, qui semel heres fuit, nunquam desinit heres esse, *d. §. restituta, l. ait prator 7. § sed quod Papinianus, D. de minor. l. ei qui soluendo 88. de hered. instit.* Nisi in casibus, de quibus *in l. in substitutione 31. ex facto 43. §. vlt. de vulg. & pupill. substit.*

17 *L. quod contra 141. §. vni duo, de reg. iur.*

DEFINITIO VII.

Traditio calami non prodest ad transferendam possessionem, & quo iure dominium bonorum sub hasta venditorum transferatur in emptorem.

PEr traditionem calami nulla prorsus transfertur possessio, [1] quoniam ad eam acquirendam animo & corpore opus est. [2] Nec est contrarium, quod si bona debitoris sub hasta vendita sint, siue extraneo siue creditori vice extranei ementi, traditio calami loco traditionis bonorum esse solet, ad transferendam possessionem, & per possessionem dominium: adeo, vt ab eo tempore fructus omnes emptori acquirantur. [3] Id enim fit sola statuti nostri potestate, quandoquidem per legem & Principis constitutionem, quæ haud dubiæ legis vim obtinet, non secus ac per traditionem dominium iure ciuili transmi traditio sic accipienda est, vt signum translati dominij potius, quam modus transferendi. Idque ex eo apparet euidentius, quod emptor iam factus dominus mittitur subinde in possessionem, [5] nec prius quam missus sit petere potest, vt retineatur. Quod vtique petere posset & deberet, si cum dominio quæsijsse possessionem videretur. Hic igitur casus vnus est ex ijs, in quibus ipso iure, & citra tradi ionem dominium sine possessione acquiritur, vt & contingit in agnitione hereditatis & legati. [6] Aut si qua traditio hoc casu necessaria est, pro traditione haberi debet auctoritas iudicis rem distrahi iubentis. [7] Nam neque fieri potest, vt veram possessionem tradat apparitor, qui reuera nullam habet. *Ita tractatum* in causa viduæ Dn. de Genuil'e, contra Ioannem Baptistam Varronem, 13. Calend. Septembr. 88.

1 Hostiens. in summa *de caus possess. & propriet. versic. sed quid ergo.* Dyn. *in reg. beneficium, versic. tertio posset quari, de reg. iur. in 6.*

2 *L. licet, C hoc tit. l. quemadmodum. 8. D. eod.*

3 Guid. Pap. *quæst. 22. & quæst. 81.* incip. *si debitor.*

4 Cum lex sit vnus ex legitimis modis transferendi dominij iure Quiritum, vt scribit Vlp. *in fragm. tit. 19. de acquir. rer.* Nam & per statutum, & per consuetudinem fieri potest, vt possessio realis transferatur absque reali traditione, Guid. Pap. *d. quæst. 22.* vbi addit, transferri tamen possessionem per traditionem annuli, aut modicæ tertiæ, *ex not per gloss. in cap. 2. extr. de consuet. l. claubus, de contrah. empt.*

5 Quia non sufficit signum, nisi etiam adsit res signata, vt not. gloss. *in cap. per tuas, Extr. de dolo & contum. & in cap. ex literis.* in verb. *signum, de consuet. & in cap. ex ore, de ijs quæ fiunt à maior. part. cap.*

6 *L cum heredes 23. D. hoc tit.*

7 *Arg. l. 1. & 2. C. si in caus iud. pign. capt. sit.*

DEFINITIO VIII.

Dominus hominis talliabilis non habet beneficium dicti, Le mort saisit le vif.

QVi se dominum dicit hominis dedititij, & vt vocant talliabilis, sine liberis ac extra communionem defuncti, [1] non potest tanquam ipso iure possessor factus, exemplo heredis [2] corporalem rerum hereditariarum possessionem propria auctoritate apprehẽdere, [3] quia nec heres est, [4] nec heredis loco, [5] sed anormalus successor. [6]

1 Quo casu ex generali consuetudine apud nos obseruata ius habet dominus, non tam succedendi, quam occupandi, velut peculij iure omnia bona, quæ talliabilis morieus reliquerit, vt diximus *ad tit. de dedit. libert. tollend.*

2 De quo vide quæ dixi *Defin. 5. & 6. 3 hoc tit.*

3 Ne alioqui videatur sibi ius dicere, *contra l. 1. D. quod legat. l. non est singulis. 186. de reg. iur.* Si tamen id fecerit non à iure suo cadit, quomodo cadere deberet ex rigore, *l. extat 13. D. quod met. caus.* sed tantum expensarum, fructuum, damnorumque omnium restituendorum condemnatione mulctatur. Vide *Defin. 2. 3. Vnde vi.*

4 Cum ei neque ex testamento neque ab intestato hereditas deferatur. Lex enim facit hereditatem, hereditas vero heredem, *l filiusfamilias 18. D. ad legem falcid.* hic autem non ex lege succedit, sed ex stipulatione, *l. hereditas 5. Cod. de pact. conuent. tam sup. dot.*

5 In quo plerique falluntur contra existimantes, ob id, quod hic dominus omnia defuncti bona teneat, & ideo effectu quodammodo heres esse videatur, vt de fideicommissario scriptum est *in. 5. §. 1. D. quod cum eo*, & de vniuersorum bonorum donatario à nostris traditur *in l. aru alieni, Cod. de donationib.*

6 Qualis est pater, qui filij militis intestati bona castrensia iure peculij occupat, *dict. l. filiusfamilias, l. 1. & 2. D. de castr. pecul.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Traditio annuli, vel calami, vel pilei, non transfert possessionem, sed tantum possessionis propria auctoritate apprehendendæ potestatem.

PEr annuli traditionem corporalis beneficij possessio non transfertur, nisi traditio fiat per eum, qui possessionem aut custodiam beneficij habeat, puta per collatorem ordinarium aut vicarium ipsius. Sed illud præterea requiritur, vt traditio fiat in conspectu beneficij, pareatque liber ad beneficium accessus. [1] Idem de pilei vel calami traditione iuris est. [2] Sed tamen ei, cui calamus, ac pileus, aut annulus traditus fuerit, hactenus proderit traditio, vt corporalem possessionem auctoritate propria apprehendere possit, nec id circo vim fecisse videatur. *Ita Senatus* pro Ioanne Philippo de Chauelard, contra Claudium Poysat, 13. Cal. Ian. 1589.

1 Dyn. *in cap 1. de reg. iur. in 6.* Abb. *in cap. 2 num. 6. & 10. de consuet.* Didac. Couarr. *lib. 3. variar. resolut. cap. 16. num. 10. & seqq.* Facit *l. claubus 74. D. de contrah. empt.*

2 Ex ijs quæ dixi *Defin. 7. § eod.*

3 *Cap. 1. quid sit inuest. cap. 2. Extr. de consuet* Rom. *sing. 1. 6.* Rebuff. *in tract. de miss. in poss. num. 6. & seqq.* Item *in const.* Gall. *de mater. possess. in præfat. num. 8. & 117.* Cassad. *decis. 2. de vnion. num. 15.* Idem Rom. *cons. 337.* Adde Guid. Pap. *quæst. 22. num. 2. in fin.* vbi ait, per traditionem annuli transferri possessionem & dominium.

DEFINITIO X.

Clausula constituti nihil operatur post decennium, ab eo tempore computandum, quo constitutarius potuit apprehendere possessionem, & neglexit.

COnstituti clausula licet statim tra ferat possessionem, cum in puro contractu adposita est, [1] suum tamen effectum habere definit, si cõstitutarius corporalem possessionem intra proximum decennium apprehendere neglexerit. [2] Sed si conditionem aliquam, siue expressam siue tacitam, contractus habuit, non nisi à die translatæ possessionis, id est, existentis conditionis decennium illud computabitur. [3] *Ita tractatum est* 11. Cal. Decembr. 1588.

1 *L. quod meo 18. D. hoc tit.*

2 Quia per tanti temporis decursum præsumitur obliuio, ex obliuione autem amittitur possessio, quæ nõ nisi animo retinetur. Bart. *in l. si adeo 41. § si forte, D. hoc tit.* Anchar. *cons. vlt.* Cravet. *cons. 235. in princ.* Quamuis alias verum sit, infinita memoria non adferre damnum possessionis, quam alius non inuasit, *l. peregre 44. in princ. D. hoc tit.*

3 Nam & sub conditione transferri potest possessio, *l. qui absenti 38. § 1. D. eod.*

DEFINITIO XI.

Condictio ex l. vlt. C. hoc tit. patitur exceptiones, quæ concernunt petitorium: in hypothecaria secus est.

COndictio illa possessionis à Iustiniano introducta in eorum fauorem, quorum iusta possessio per alium interuersa sit, [1] cum in multis differt ab hypothecaria, per quam res ipsa pignoris iure vindicatur, [2] tum in eo maxime, quod nullas patitur exceptiones, quæ petitorij causam respiciant, sed eas tantum, quæ ad possessionis quæstionem pertineant. [3] Hypothecaria vero contra, quia nec ab alio vtiliter constitui pignus aut hypotheca potest, quam qui sit dominus: [4] tametsi semel bene constituto pignore, verum sit, pignoris causam nihil cũ quæstione dominij commune habere. [5] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 3. Non. Decem. 1589.

1 *In l. vlt. C. hoc tit.*

2 Siquidem hypothecaria vindicatio est, *l. si fundus 16. §. in vindicatione*, D. *de pignor.*

3 Frustra enim exciperet de proprietate is, qui non nisi de possessione conuenitur, cum nihil commune habeat proprietas cum possessione, *l. naturaliter 12. § nihil commune, D. hoc titul.*

4 *L. & quæ nondum 15. §. quod dicitur, D. de pignor. l. 1. & tot. tit. C. si res alien. pign. dat. sit.*

5 *L. 1. §. cum prædium, D. de pignor.* Quæ ratio est *l. vsucapio 7. C. eod.*

DEFINITIO XII.

Non sufficit implorari beneficium clausulæ constituti, si non imploretur beneficium l. vlt. C. hoc tit. quoties agitur condictione ex illa lege.

AD auocandam propriam possessionem, quæ ex clausula constituti fuerat quæsita creditori, [1] si per debitorem interuersa fuerit, [2] sufficere plerique putant, beneficium implorari clausulæ constituti, [3] neque esse necesse, vt Iustinianeæ constitutionis, quæ beneficium illud induxit, mentio vlla fiat. [4] Sed melior & tutior est contraria sententia, vt expressam legis mentionem facere debeat, eiusque beneficium implorare is, qui proponit condictionem ex lege. [5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit. 13. infr. de exception. [Et iterum ex tempore Prid. Non. Febr. 1612.]

1 *Ex l. quod meo 18. D. hoc tit.*

2 Qui forte rem illam alienauerit & alij tradiderit. Nam & hoc casu volunt pragmatici locum esse constitutioni Iustiniani, *in l. vlt. C. eod.*

3 Propterea quod ex imploratione illius clausulæ satis appareat, actorem velle suam tueri possessionem.

4 Si modo in hoc agat actor, vt in sua possessione retineatur, ac manuteneatur.

5 Lex enim Iustiniani illa est, quæ prodigium hoc operatur, non clausula constituti. Essetque longe tolerabilius implorare beneficium legis, nulla mentione facta clausulæ, quam implorare clausulam omissa lege. Contra tamen videtur sentire Thessaur. *decis. 215. num. 6. in fin.*

DEFINITIO XIII.

Facilius amittitur possessio, quam ius ipsum pignoris, & quantum interest, an per constitutum quæsita sit possessio an per traditionem?

POssessio, quæ siue per clausulam constituti, siue aliter ex causa pignoris quæsita vel quærenda fuit, [1] licet soluto pignoris vinculo retineri nequeat, [2] potest tamen amitti facto aut voluntate creditoris, etiam prius, quam pignoris vinculum dissoluatur, [3] vt puta, si mulier constante matrimonio pignorum dotalium alienationi consenserit, cum alia marito bona non superessent, ex quibus indemnitati dotis consuli posset. [4] Eo namque casu pignoris remissio nulla est propter legis prohibitionem, [5] nec eo minus tamen possessio, aut potius quærendæ soluto matrimonio possessionis ius amittitur, quia possessionis amissio, sicut & acquisitio, facti est magis quam iuris. [6] Interest tamen, an solo animo quæsita fuerit, quod fit per clausulam constituti, [7] an etiam corpore per veram traditionem? [8] Priore siquidem casu solo animo perditur, [9] nec factum vllum pristini possessoris requiritur, vt is possidere incipiat, qui antea non nisi corporaliter rem detinebat. [10] Posteriore vero contra. Amisso etiam per remissionem pignoris iure possidendi, asinina tamen illa detentatio remanet, quæ per traditionem translata fuerat, cum sit meri facti, [11] nec quicquam cum iure possidendi commune habeat. [12] Ideoque retrotraditione

BIU Cujas

necessario opus est, vt rursus possidere incipiat is, qui & corpore & animo suam transtulerat possessionem. [13] *Ita Senatus* in eo casu de quo Defin. 3. infr. de remiss. pignor.

1 Nihil enim vetat creditorem esse in possessione pignoris, *l. cum & sortis* 35. §. 1. *D. de pignorat. action. l. pignori* 13. *D. de vsucap.*

2 Quia nihil prorsus iuris potest creditor habere in pignore quod fuit solutum.

3 Separata enim est causa pignoris & possessionis, sicut & dominij, *l.* 1. § *cum prædium, D. de pignor. l. penult. D. de acquir. possess.*

4 Nam si alia bona supereſſent aliud probandum esset, *l. iubemus* 21. *C. ad SC. Velleian.* Pignoris enim remissio, donatio nō est, *l.* 2. *l. etsi pignus* 18. *D. quæ in fraud. cred. l.* 1 §. 1. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

5 Legis scilicet Iuliæ *de fund. dot. al. d. l. iubemus, l. vnic. §. & cum lex Iulia, C. de rei vxor. action.*

6 *L. denique* 19. *ex quib. caus. maior. l.* 1. § *Scæuola. D. si is qui testam. lib. esse iuss.* & ideo etiam ex contractu nullo amittitur possessio, sicut & acquiritur, *l.* 1. §. *si vir vxori, D. hoc tit.*

7 Est enim plane fictitius & ciuilis ille modus acquirendæ possessionis, *l. quod meo* 18. *eod.*

8 Qui naturalis modus est transferendæ possessionis, *l. traditionibus* 20. *C. de pact. l.* 3. *D. action. empt.*

9 Quæ scilicet solo animo retinebatur. Nam & animo solo potest amitti etiam illa, quæ corpore quoque retinetur, *l.* 3 §. *in amittenda, l. peregre* 44 §. *vlt. D. hoc tit.*

10 Corporalis enim illa detentio in veram euadit possessionem, cū is, qui antea vere possidebat, desijt possidere, *l. id quod* 25 § *vlt. l. si de eo* 40. § 1 *l. penul.* §. 1. *D. eod.* Simile quiddam est *in l. gerit* 88. *de acquir. hered.*

11 *d. l.* §. *si vir vxori, D. hoc tit. l.* 1. §. *Scæuola, D. si is qui testam. lib. esse iuss.* [Obserua tamen possessionem quæ transfertur per clausulam constituti cum habeat fictionem iuris, plus iuris habere quàm ficti, & ideo non posse transferri ex contractu qui sit ipso iure nullus, ex quo tamen si secuta esset traditio, vera possessio transferretur *d.* § *si vir vxori.* Tiraq. *de tut. const. poss.*]

12 Vnde est, quod plerique etiamsi non possideant, nec possidendi ius habeant, tamen rem tenent, *l. si quis ante* 10 §. *D. hoc tit. l. si stipulatio ita* 38 §. *hoc quoque, & seq. D. de verborum obligat.*

13 *Arg. l. ab emptione* 58. *D. de pact. l. prout* 80. *D. de solut. l. nihil tam naturale* 36. *de reg. iur.*

DEFINITIO XIV.

Possessio superueniens constituēti non facit constitutarium possessorem, nisi constitutum collatum sit in futurum. Alia dominij ratio est.

SI debitor, qui se creditoris nomine constituit pignus possidere, nanciscatur ex postfacto possessionem, quam constituti tempore non habuit, non potest ea res prodesse creditori, vt possessor factus videatur. [1] Possessio enim cum sit facti magis quam iuris, [2] nullam fictionem recipere potest, [3] nec in alium transferri prius quam sit quæsita. [4] Nisi in id nominatim tempus clausulæ effectus conferatur, quo possessio quæsita fuerit, [5] vt euenit, cum quis etiam futura bona sua cum hac clausula obligauit. [6] Neque simile est, quod alienam rem vendidero aut obligauero, quæ postea fiat mea, ius emptoris mei conualescit. [7] Nam dominium iuris est, ideoque facile hanc fictionē admittit, vt si ex postfacto quæratur venditori perinde sit, ac si iam contractus tempore quæsitum fuisset. [8] Possessio autem, vt dixi, facti est, & nisi verum sit, possidere quem eo tempore, quo constituit se alieno nomine possidere, quantumuis postea possidere incipiat, fieri nequit, vt iam exinde possedisse videatur. [9] *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Salleneufue, & Dn. de Sauigny, 12. Calend. Iul. 1594.

1 Possessorem enim iam tum esse oportet eum, qui se constituit alieno nomine possidere, *l. quod meo* 18. *D. hoc tit.*

2 *L.* 1. §. *vir vxori, eod. l.* 1. §. *Scæuola, D. si is qui testamen. lib. esse iuss.*

3 *L. denique* 19. *D. ex quib. caus. maior. l. in bello* 11. §. *facti. D. de captiu. & postlim.*

4 *Ex reg. l. nemo plus iuris* 54. *de reg. iur.*

5 Potest enim possessio transferri, etiam in casum & sub conditione, *l. qui absenti* 38. §. 1. *D. hoc tit.* Si tamen quis constituerit, se possidere nomine Titij donatarij, & post Titij mortem nomine Sempronij, secundi donatarij, non prodest clausula constituti Sempronio, quia non potuit donator possessorem facere Sempronium, facto iam possessore Titio, quod post Titij mortem non sit futurus possessor, qui donauit. Tiraquell. vbi multos citat, *in tract. le mort saisit le vif, 5. declarat. 2. part. num.* 19.

6 *Arg. l. & quæ nondum* 15. § *quod dicitur, D. de pignor.*

7 *L. si quis alienam* 46. *D. de act. empt. l. rem alienam* 41. *D. de pignor. act.*

8 *L. si tibi homo* 86. §. *cum seruus, de legat.* 1. *l. heres quandocunque* 54. *de acquir. hered.*

9 *L. cum heredes* 23. *D. hoc tit.* Contra tamen tenet Tessaur. *decis.* 215. *num.* 7. constitutum trahi ad bona etiam futura, præsertim cum de futuris quoque bonis actum est. Ex Tiraq. qui dicit communem *part. 1. de constit. ampl.* 32. *num.* 11. & 12.

DEFINITIO XV.

Precarium transfert possessionem ciuilem tantum, constitutum vero etiam naturalem. Vtrumque tamen prodest ad implorandum beneficium, l. vlt. C. hoc tit.

QVid si debitor constituerit, non quidem se creditoris nomine possidere, sed precariam se à creditore habere possessionem? [1] An idem erit effectus huius clausulæ, qui & clausulæ constituti ad auocandam possessionem ex lege Iustiniani, [2] si forte facto debitoris interea sint interuersa? Et quidem faciet ea res creditorem possessorem, [3] sed ciuiliter tantum, non etiam naturaliter. Qui enim precario rogauit, vtique naturaliter & ipso corpore possidet. [4] In eoque nimirum minor est potestas precarij, quam constituti, ex quo naturalem quoque & realem & veram possessionem transferri nemo ambigit. [5] Proinde non videtur hoc casu locus esse beneficio Iustinianeo, [6] quod ex verbis legis non nisi ad naturalem & corporalem possessionem auocandam comparatum videtur. [7] Et consequenter non impediet ea clausula, quo minus agenti quoquomodo creditori possit obijci exceptio non factæ excussionis. [8] Sed tamen contra Senatus noster pronunciauit, eandem vtroque casu hac parte rationem esse creditoris, vt æque prosit ei constitutio Iustiniani ad propriam possessionem auocandam. [9] Etsi enim qui precario concessit, non nisi ciuiliter possidet, [10] quidni tamen tantundem iuris habeat ad repetendam possessionem ciuilem quantum haberet ad auocandam naturalem, si naturalem antea possedisset? [11] Porro auocando possessionem illam ciuilem acquirit sibi per consequens naturalem. Quisquis enim ciuilem habet, naturalem quoque propria auctoritate occupare potest. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Alia enim est clausula constituti, alia precarij, *vt sequitur* in Definitione, licet notarij nostri temporis per imperitiam eas plerunque confundant, vt dicemus *Defin. seq.*

2 *In l. vlt. C. hoc tit.*

3 *L. si quis ante conduxit* 10. *in princ. &* §. 1. *D. eod.*

4 *L. certe* 6. §. *is qui rogauit, & l. habet* 15. §. *cum qui precario, D. de precar.*

5 Vt dixi *Defin.* 1. §. *hoc tit. ex l. quod meo* 18. *cum ibi not. D. hoc tit.*

6 *In l. d. vlt. C. hoc tit.*

7 Vt probant verba illa legis: *corporaliter nactam possessionem, cuiuscunque rei deliquerit.*

8 *Ex Auth. hoc si debitor, Cod. de pignor. & in corpore Nouell.* 112. *de litigios.* § 1. *vnde sumitur.*

9 Idque ex receptissima nostrorum sententia, quem refert Anton Gabriel. *lib. 3. commun. opin. 3. de fide iussor. num.* 49.

10 Quia non decessit animo possessione, vt loquitur Pomponius, *d. l. & habet*, §. *eum qui.*

11 Si qui-

BIU Cujas

11 Si quidem in vtraque possessione eadem ratio locum habuit, quæ mouit Iustinianum, *in d.l. vlt.* quod vnius desidia, vel dolus non debeat alteri nocere.

12 *L. si id quod* 25. §. *vlt. l. peregre* 44. §. *vlt. D. hoc tit.* Si quis tamen debuit se obligare cum clausula constituti, non videbitur satisfeciſſe, si constituat tantum se precario possidere. Et ita sæpius pronunciauit Senatus.

DEFINITIO XVI.

Constitutum licet sit incompatibile cum precario, tamen præualet, si vtraque clausula posita sit in instrumento.

AT quid si vtraque clausula & constituti, & precarij eodem instrumento contineatur? Id enim plerunque fit, & quidem imperitia notariorum,[1] non animaduertentium, adposita clausula constituti, non solũ superuacuam esse rogationem precarij, sed etiam creditori damnosam, vtpote quæ, vt diximus, constituat debitorem naturaliter possessorem,[2] qui per clausulam constituti id egerat, vt in creditorem suum non minus naturalem possessionem transferret quam ciuilem.[3] An igitur dicendum erit vtramque clausulam inutilem fore? [4] An potius clausulæ constituti per subsequentem precarij rogationem hactenus derogari, vt sola ciuilis possessio creditori acquiratur? [5] Atqui iniquum hoc fuerit, & contra paciscentium voluntatem. Adiectio enim clausulæ precarij fit, vt tanto magis, non vt minus transferatur possessio in creditorem. [6] Humanius igitur est, vt notarij error ex iuris ignorantia profectus non noceat contrahentibus,[7] maxime cum dici soleat, nec ea quæ abundant vitiare,[8] nec vtile ex inutili corrumpi:[9] Sane si, vt interdum quoque euenit, debitor constituat se precario nomine à creditore possidere, magis est, vt licet constituti nomen interuenerit, sola tamen precarij rogatio facta videatur. Aliud enim est, si quis constituat se alieno nomine possidere.[10] Itaque diligenter obseruandum erit, quibus verbis constituti clausula concepta sit, vt sciatur quos effectus parere debeat.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ex qua hodie proficiscuntur magna ex parte lites, quæ de instrumentis fiunt.

2 *L. certe* 6. §. *in qui rogauit, l. & habet* 15. §. *eum qui*, D. *de precar.*

3 *L. quod meo* 18. D. *hoc tit. cum ibi not.*

4 Vt solet dici, cum pugnantes clausulæ in eodem instrumento appositæ sunt, *ex l. vbi pugnantia* 188. *vbi not. de regulis iuris.*

5 Solent enim posteriora derogare prioribus, *vulg. l. pacta nouissima, C. de pact. cum similib.*

6 Adposita vero vnum finem non debent contrarium effectum operari, *l. legata inutiliter, D. de leg.* 1. *l. legata* 14. *de adim. legat. l.* 3. §. *si emancipatus, de bonor. possess. contr. tabul. l. in ratione* 30. §. *tametsi, D. ad leg. falcid.*

7 *L. errores* 7. *vbi not. Cod. de testament. l. si librarius* 92. *de reg. iur.*

8 *L. non solent* 94. *eod.*

9 *Ex regula iuris pontificij* iunct. *l. placuit* 29. *de vsur.*

10 Quomodo concipi solet & debet ea clausula, quam nos constituti appellamus, *d. l. quod meo.*

11 Quibus verbis sola precarij rogatio significatur.

12 Nam vt in testamentis fit in contractibus non aliter à propria verborum significatione recedi oportet, quam si euidens in contrarium sit voluntas, *l. non aliter* 69. *de legat.* 3. Nec enim admittenda est voluntatis quæstio, cum nulla est ambiguitas in verbis, *l. ille aut ille* 25. § 1. *eod.*

DEFINITIO XVII.

Per tutorem aut curatorem non potest transferri possessio beneficio clausulæ constituti, nisi cum id pupillo vel minori vtile est.

NOn potest tutor vel curator pupilli aut adulti nomine transferre in alium possessionem per clausulam constituti, licet per traditionem facere id possit, quoniam clausula constituti, vt sæpius diximus, fictus modus est transferendæ possessionis,[1] an ideo fortasse, ne, vt est in nostrorum brocardico, singularia duo cõcurrant circa idem? [2] Iam enim singulari iure & vtilitatis causa receptum est, vt pupillus tutore auctore & acquirere possit & amittere possessionem, cum tamen non intelligatur habere animum, sine quo nec acquiritur possessio, nec amittitur? [3] An potius, quod eum ipsum, qui alieno nomine possidere constituit, necesse sit suo prius nomine possedisse, vt constituti clausula aliquid operetur? [4] Tutor autem non suo, sed pupilli nomine possidet, aut potius ipse pupillus per tutorem.[5] Curator autem nullo modo præterquam furiosi. Placet tamen quod ex æquitate contra subtilitatem iuris receptum esse quidam prodiderunt, [7] vt si in consequentiam licitæ alienationis possessionem rei pupillaris transferri necesse sit, sufficiat in eam rem clausula constituti, cum pupilli quoque interest, vt intelligatur translata possessio, ne ex empto forte teneatur. [8] Idem in prælato iuris est, quod in tutore diximus, vt per clausulam constituti transferre possessionem nequeat, nisi capituli quoque consensus accedat, quia non ipse, sed ecclesia possidet, [9] *Ita Senatus* in causa N. Baulx, contra N. Paquier, in publico auditorio, 13. & 11. Calend. April. 1593.

1 Sic Bart. communiter ab omnibus adprobatus, *in l.* 1. *in prine. col. penult. D. de acquir. possess.*

2 Negant enim nostri duo singularia posse concurrere circa eandem rem & eandem personam *l. C. de dot. promiss.* quod tamen falsum esse alibi ostendimus.

3 *L.* 1 §. *furiosus, l* 3. §. *in amittenda, l. quemadmodum* 8. *l. quamus* 32. §. *infans*, vbi tamen infans separatur à pupillo, *D. hoc tit.*

4 *L. quod meo* 18. *eod. tit.*

5 *d.* §. *furiosus, & d.* §. *infans.*

6 *d.* §. *furiosus, & l. in negotiis* 5. *de reg. iur.*

7 Andr. Tiraquell. *in tract. de iur. constit. possess. part.* 3. *limit.* 15.

8 *L.* 1. *l.* 3. *l. ex empto* 11. *in princ. D. de act. empt.* iunct. *l. si seruos* 14. §. . D. *hoc tit.* Ne alioqui quod pupillorum fauore constitutum est in eorum odium retorqueatur, *l. penult. C. ad SC. Trebell.*

9 Idem Andr. Tiraq. *vbi* 5 *limit.* 16.

DEFINITIO XVIII.

Constitutarius non potest propria auctoritate expellere constituentem, qui sit in corporali possessione, si contradicat, multo minus tertium detentorem.

QVi non, nisi per clausulam constituti possessor factus est, licet naturalem non minus quam ciuilem possessionem nactus intelligatur, [1] ideoque fundum ingredi propria auctoritate possit: [2] Si tamen ab alio corporaliter fundus ille teneatur, non poterit sine iudice detentorem expellere, [3] imo nec eum ipsum, qui constituit se eius nomine possidere, si possessionis controuersiam facere velit. Alioquin vim feciſſe dicetur, [4] si iustam contradicendi causam debitor habuit, forte quod debitum offerret. [5] Nam si nullam contradicendi causam probabilem comminisci debitor potest, vim ipse potius facere videtur, ac verum possessorem expellere, adeoque licet precarij tantum clausula interuenerit, quæ ciuilem tantum possessionem transfert, non etiam naturalem. [6] In quo obseruandum est, maiorem esse vim clausulæ constituti vel precarij, quam sit illius, qua debitor permittit creditori, vt propria auctoritate possessionem pignoris ingrediatur. Hæc enim non prodest creditori ad occupandam propria auctoritate possessionem, si debi-

BIU Cujas

tor non quidem verbo, sed facto resistat ingredi volenti.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.quod meo* 18. *cum ibi not. D.hoc tit.*

2 Quod facere potest etiam ille, qui ciuilem tantum possessionem habet, vt dixi *Defin.* 15. *num.* 12. 5.

3 Expellitur enim ipse & spoliatur ab eo, qui reuertentem non vult admittere in possessionem, *l. si id quod* 25 *§. vlt. D.hoc tit.* Et ideo non sibi debet ius dicere, quoniam alioqui etiam prædo & spoliator ab eo antè omnia esset restituendus, *cap. in literis, extr. de restit spoliat.*

4 *L.extat* 13. *D.quod met. caus. l.non est singulis* 186. *de regul. iur. l.si exstipulatione* 5. *D.hoc tit.*

5 Cum non sit quærendum de iure possessoris soluto pignore, *l.* 12 *§* 1. *D.quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

66 Secundum Bartoli distinctionem, *in l. creditores* 3. *num.* 19. *C. de pignor.*

7 Vt supradicto loco Bartolus tractat.

DEFINITIO XIX.

Consula constituti nihil operatur quantum ad iura.

IN bonorum omnium obligatione aut alienatione interueniens clausula constituti nil prodest ad transferēdam possessionem, quod pertinet ad iura & actiones, quia non possidentur. [1] Itaque non eo minus posterior creditor agere poterit in nomen sui debitoris, quod antea creditori alij fuerat obligatum,[2] si modo alia bona sint, ex quibus anteriori creditori satisfieri possit.[3] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, in causa N. Moret. prid. Non. Jul. 1593.

1 Cum sint incorporalia, quæ neque tangi neque teneri possunt, *l.* 1. *§ vlt D. de rer. diuis.* & apud Iustin. *tit. de rer. corpor. & incorpor.* Atqui per clausulam constituti non aliter possessio transferri potest, quam si ea sit penes constituentem ipso tempore constituti, *l. quod meo* 18. *vbi not. D.hoc tit.*

2 Posteaquam placuit, & nomen & pignus pignori dari posse, *l. nomen* 4. *C. quæ res pignor. l.* 1. *C. si pignus pignor. dat. sit.*

3 Nam si alia nulla sint, non est dubitandum, quin is, qui prior est tempore, potior sit iure, *l.* 2. *&* 4. *C. qui potior. in pign. hab.* Multo magis autem, si is qui prior est tempore, prior egerit in nomen obligatum. Nam agendo fit quasi possessor, quæ retribueret ei exceptionem non factæ excussionis, etiamsi esset posterior tempore, *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

DEFINITIO XX.

Clausula constituti operatur etiam quod ad bona futura. si de iis specialiter actum sit.

COnstituti clausula adposita in obligatione bonorum omnium, præsentium & futurorum, nō minus vtilis est pro bonis futuris, id est, post obligationē acquisitis, quam pro præsentibus, [1] quod ad ipsius debitoris præiudicium attinet, illiusve qui posteriorem habeat causam ab eodem debitore. [2] Nam quod dici solet, nihil prodesse clausulam constituti, nisi probetur debitor eo ipso tempore possedisse, quo constituit, [3] propterea quod alioqui non potuerit in creditorē suū transferre possessionem, quam non habuit, [4] tunc vere dicitur, cum de possessione contendit alius, quam ipse debitor, [5] quive debitoris iure vtatur. Nam in præiudicium tertij, qui medio tempore ius acquisierit ab alio quam à debitore, non potest extendi potestas clausulæ constituti, [6] sicut nec in præiudicium eius, qui ab eodē quidem debitore causam habeat, sed anteriorem. [7] *Ita Senatus* pro Dn. de Lyuron, Domino de Sauigny, contra Dn. Comitem de Saleneuue, 12. Cal. Iul.

1 *Arg. l. & quæ nondum* 15. *§. quod dicitur, D. de pignor.* Tessaur. *decis.* 215. *num.* 7.

2 Plerunque enim eadem causa est successoris, quæ auctoris, *l. inuitus* 156. *§. plerunque, de reg. iur.* iunct. *l. nemo plus iuris* 54. *& Lex qua persona* 149. *eod.*

3 *L. quod meo* 18. *vbi not. D. hoc tit.*

4 *Vulg. l. nemo plus iuris* 54. *de reg. iur.*

5 Semper enim cogitur debitor contractum suum adimplere, *l. si quis alienam* 46. *D. de act. empt. l. rem alienam* 41. *D. de pignor. act. l. etsi is qui* 10. *de distr. pignor.*

6 *Arg. l. potior* 11. *D. qui potior. in pign. hab.*

7 Non enim debet esse in debitoris potestate, vt creditoris sui conditionem faciat deteriorem, si creditor fuit hypothecarius. Hoc enim addendum est, quia in chirographario creditore aliud est, *l.* 1. *§.* 1. *& l.* 3. *D. de separat.*

DEFINITIO XXI.

Nemo potest improbare possessionem illius, à quo ipse possidet. Nec ratio iuris potest impedire causam possessionis.

EMisti feudum nobile à debitore meo ignobili, qui e bona sua omnia meo nomine constituerat possidere. Si condicam à re possessionem ex lege Iustiniani, [1] non es audiendus, obiiciens feudum id nobile à debitore meo possideri non potuisse, [2] vt per consequentiā inferas, multo minus potuisse illius possessionem per constituti clausulam in me transferri: [3] cum tu ipse ab eo causam habeas tuæ possessionis. [4] Et vero cum possessio magis facti, quam iuris, & conditio illa possessionis ex Iustiniani lege, non tam de iusta, quam de corporali & pristina possessione, qualiscunque illa fuerit, auocanda intelligi debeat, [6] absurdum est quærere; an auctor tuus possederit iuste? [7] Sufficit enim qualitercunque possedisse, dummodo reuera siue corporaliter & naturaliter, siue ciuiliter possederit. [8] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio in causa fratrum Michal, 7. Cal. Iul. 1594.

1 Scilicet condictione, *ex l. vlt. C. hoc tit.*

2 Nec enim homo ignobilis capax est feudi nobilis, nisi suæ incapacitatis pœnam luat, quam vulgo suffertam vocant.

3 *Ex l. quod meo* 18. *cum ibi not. D. hoc tit.* iunct. *l. nemo plus iuris* 54. *de reg. iur.* Dixi *Defin. præced. num* 3 *&* 4.

4 Ideoque factum ipsius præstare debeas, *l. ex qua persona* 149. *l. inuitus* 156. *§. plerunque, de reg. iur.*

5 *L.* 3. *§. si vir vxori, D. hoc tit. l.* 1. *§ Scaeuola, D. si quis in stam. lib. esse iuss.*

6 Est enim illius legis sententia & ratio generalis, ne scilicet desidia aut perfidia eius, per quem possidebamus, nobis noceat.

7 Cum tam vere possideat, qui iniuste possidet, quam qui iuste, *l.* 3 *§. ex contrario, D. hoc tit.*

8 Secundum ea quæ diximus *Defin.* 5. *num.* 95.

DEFINITIO XXII.

Qui per decennium neglexit possessionem naturalem, etiam quam ab alio ignorat occupatam, amittit ciuilem.

ETiamsi absque possessoris voluntate amissa sit possessio naturalis: [1] ciuilis tamen perditur statim, atque is, qui naturalem perdidit, sciens perditam neglexit iis vti remediis, quibus recuperare naturalem potuisset. [2] Maxime vero si decennium elapsum sit. [3] Nam & qui ignorat naturalem possessionem occupatam, si per decem annos negligens fuerit in ea recuperanda, ciuilem quoque amittit. [4] *Ita tractatum est* in causa D. de la Velliere, & D. de Rogemont, 10. Cal. Febr. 1595.

1 Puta si is, qui naturaliter & ciuiliter possidebat, deiectus sit de possessione naturali, siue suo iure, siue alieno corpore possidere: secus est si is cuius corpore possidebamus discessit de possessione eamque alij prodidit, *l. si de eo* 40. *§.* 1. *D. hoc tit.* Hoc enim casu locus est vsque ad triginta annos conditioni, *ex l. vlt. C. eod.* Facit *l.* 1. *§ siue autem corpore, D. vnde vi.*

2 *L. si id quod* 25. *§.* 1. vbi Bart. *& d. l. si de eo, §.* 1. & ibid. Bart. *D. hoc tit.* Tiraquell. *de cōstit. limit.* 21. *n.* 9. Tessaur. *decis.* 215. *n.* 6.

3 Quoniam ex decursu eius temporis præsumitur obliuio, & per obliuionem amittitur possessio, quæ solo animo retinebatur,

batur, vt dixi *Defin.10.num.1.5.* Intellige nisi intra decennium constituens interuerterit possessionem. Tunc enim agi potest condictione *ex l vlt.C.hoc tit.* vsq; ad 30.annos, Tessaur. *decis.* 105.*num.*8. vbi alios citat, iunge *Defin* 39.j.

4 Anchar.*cons.vltim.*Crauet.*cons.*135. *in princ.* Est autem quod mutuo magis imputetur ei, qui sciuit naturalem possessionem ab alio occupatam, quam ei qui ignorauit, cum nemo quamdiu ignorat possit agere, *l.cum lex* 55. D. *de ædilit.edict.* Sed hoc semper intellige, nisi possessio sit interuersa, vt dixi *nu.* 1.& 3.

DEFINITIO XXIII.

Ex possessione præterita non probatur dominium, sed potius probatur amissa possessio per actum contrarium subsecutum.

POsessio præterita quæ hodie non sit, sufficere non potest ad probationem proprietatis vel alterius iuris in re ipsa,[1] Quinimo prima seu præterita possessio, si qua fuisset, diceretur, & esset perdita per actum contrarium ei, per quem fuisset acquisita. [2] Non tamen si quæsita fuerat per continuatas multorum annorum præstationes amissa videri debet per solam cessationem (cessatio enim sola inducit turbationem non spoliationem,[3]) sed ita demum si petenti denegata solutio sit. Is demum enim solutioni antea factæ contrarius actus est.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.cum res* 12.*l siue possidetis* 16. *& vtrobique notat. C. de probat.* Nam ex possessione quidem præterita & præsenti præsumitur media, sed ex præterita non præsumitur nec probatur præsens aut contra.

2 *L.quemadmodum* 8.D *hoc tit.l.quamuis* 46.*eod l.prout* 80. *de solut.l.nihil tam naturale* 35. *de reg.iur.*

3 Quanquam, vt vulgo iactari solet, etiam qui turbat spoliat *l.penult.*§ 1.*D hoc tit.l.*3 §. *hoc interdictum sufficit*, D. *vti possid.l vim facit* 11.D.*vnde vi.*

4 Scilicet alia iusta causa nulla sit denegandæ solutionis, nisi ad interuertendam possessionem, *l.si quis rem* 20. *D.hoc tit. l.colonus* 12.*vnde vi.*

DEFINITIO XXIV.

Interdicta possessoria non transeunt in singularem successorem, sine speciali cessione.

QVi erat in quasi possessione percipiendi reditus annui certo fundo debiti, [1] eum fundum post cessatam per aliquot annos solutionem Titio vendiderat, nec quicquam de iure quod habere poterat ad retinendam possessionem contra turbantem,[2] aut recuperandam aduersus spoliatorem,[3] nominatim conuenerat. Placet non posse Titium remedio vllo possessorio experiri, quoniam iura ista non transeunt in singularem successorem, nisi nominatim cessa sint,[4] Et vero post amissam ab actore naturalem possessionem ciuilis illa, quam solo animo retinebat, & quæ sufficere ipsi poterat ad auocandam naturalem,[5] non potest non amissa quoque videri per venditionem. Qui enim vendit, haud dubie desinit velle possidere. [6] Et quamuis inter venditorem & emptorem id agatur, vt possessio, quæ penes venditorem fuit transeat in emptorem,[7] id tamen in proposito ex sola contrahentium voluntate sine speciali cessione fieri non potest, quia nec potest emptor possessionem suam incipere à ciuili, si cum magistris nostris ciuilem eam intelligas, quæ solius est animi.[8] Neque enim solo animo acquiri vlla possessio potest, [9] quamuis animo & corpore quæsita solo animo facile retineatur.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l.vlt.*§ 1.D.*de contrah.empt.*

2 Per interdictum vti possidetis, *l.* 1. *& toto illo titul. vti possid.*

3 Ex interdicto, *Vnde vi, aut quod vi aut clam, l. si quis vi* 17.*in princ.D.hoc tit.* [Non in condictione ex Can.redintegranda: aliud est, cùm remedium illud sit in rem scriptum. Menoch. *remed.de recup. poss. quæst.*]

4 Et enim soli competere potest interdictum, qui tum possidebat cum deiiceretur, *l.* 1 §.*interdictum autem hoc* 2.*D. de vi & vi armat.* Sicuti non potest interdictum contra alium competere, quam eum, qui vi deiecit, licet alius hodie possideat, *l.cum à te* 7.*eod.tit.*

5 *dict.l.si quis vi, & dict.l.*1.§ *siue autem corpore, de vi & vi armat.*

6 Quanquam non esset hæc ratio bona, si venditor tempore venditionis naturalem possessionem habuisset. Nemo enim eo animo est, vt propter emptorem amittat possessionem, quã emptor nunquam adipiscatur, vt eleganter ait Papin. *in l.cum fundum* 18.*eod.tit. de vi & vi armat.*

7 *L.ex empto* 11.*D.de action empt.l.traditio* 20.*D.de acquir. rer. domin.*

8 Sic enim nostri ciuilem definiunt, *ad l.licet* 4. *& l.nemo ambigit* 10.*C.hoc tit.*

9 *L.*3.§ *in amittenda, l.quemadmodum* 8.*D.hoc t.t.*

10 *L.quamuis* 46.iunctis duab.præced.

DEFINITIO XXV.

Etiam possessio per clausulam constituti quæsita cedi potest à constitutario, dummodo fiat cessio, statim, aut in continenti.

PRocurator in rem suam constitutus, ab eo, qui debitum siue alienum, siue commune soluerit creditori, omnia debitoris bona pignori obligata habenti cum clausula constituti, non tantum personalem aut hypothecariam exercere potest, quæ pristino creditori competebat,[1] sed etiam aduersus quemcũque possessorem vti beneficio Iustinianeæ constitutionis,[2] ad auocandam nulla facta excussione possessionem,[3] Dummodo ea cessio facta sit in continenti post solutionem, aut in ipso actu solutionis, non item ex intervallo.[4] Nec ad rem pertinet, quod possessio per clausulam constituti quæsita solo constituentis animo videatur & acquiri, & retineri,[5] proinde facto illius opus esse ad eam in alium transferendam, cum sui duntaxat creditoris nomine possidere se constituerat, non etiam nomine eius, in quem velit creditor transferre possessionem.[6] Nam imo vero semel hoc modo quæsita possessio perinde alienari potest per similem clausulã constituti, atque si corporaliter quæsita fuisset.[7] *Ita Senatus* ex tempore in causa Claudij Moion, & Moneti Laurent, 5. Calen. Febr. 1595.

1 Tanquam qui in ius & locum ipsius successerit, *l.* 1. *& 2. & tot tit.C.de his quæ in prior. credit.loc.succed.*

2 Quæ extat *in l. vlt. C.hoc tit.*

3 Siquidem beneficium illius legis, si modo imploratum fit, impedit exceptionem non factæ excussionis, vt dixi *Defin.* 11 *&* 2.3.*eod.*

4 *L.Modestinus* 76.*cum ibi not.*D.*de solut.l.vt fideiussor* 79. *D.de fideiuss.*

5 *L.quod meo* 18. *D.hoc tit.*

6 Ne alioqui actus videatur operari vltra intentionem agentis, contra *l non omnu* 19 *D.de reb.cred.*

7 Cum clausula constituti transferat omnem possessionem etiam naturalem & realem in constitutarium, vt dixi *Defin.*1.15 *&* 16.3.*eod.* Sed cessione opus est, vt ea clausula possit alii prodesse, quam constitutario, iunge *Defin.*32.j.Tessaur.*decis* 215. *num.*8.

DEFINITIO XXVI.

Qui agit condictione ex l. vlt. Cod. hoc tit, non potest reconueniri.

AGens creditor condictione ex lege Iustiniani,[1] ad auocandam possessionem, siue à debitore ipso ad[2] siue à tertio possessore,[3] non potest reconue-

BIU Cujas

niti actione personali, ob id, quod ipse vicissim aduersario debeat. [4] Realis enim & possessoria est illa actio ideoque momentanea, [5] quæ reconuentionis moras non admittit. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *In l. vlt. C. hoc tit.*
2 Qui vtique non potuit sibi ipsi mutare causam possessionis, *l. qui bona* 19. § 1 *D. eod. l. non solum* 32. *D. de vsucap.*
3 Per quem non potuerit interuerti possessio creditoris. Sic enim nostri constitutionem Iustiniani accipiunt, vt dixi *Defin. 1. num.* 14. § vbi vide.
4 Licet reconuentio in omni actionum genere permissa videatur ante litem contestatam, vt nostri tractant *ad Auth. & consequenter, C. de sentent. & interlo. omn. iudic. l. qui non cogitur* 22 *D. de iudic.*
5 *L. vnic. & ibi not. C. si de moment. poss. fuer. appell.*
6 Est enim hæc res ex earum genere, quæ non recipiunt moram & dilationem, de quibus *in l. vltim. D. de appell. recip. vel non.*

DEFINITIO XXVII.

Constituti clausula, quæ habet conditionem vel expressam vel tacitam, non operatur nisi ex die conditionis existentis.

IN dotali instrumento appositæ fauore mulieris clausula constituti, non prius vires habere incipit, quam casus euenerit, quo agi possit ad dotem restituendam, vel in tuto collocandam. [1] Quare nec mulieri obeerit quod dici solet eam clausulâ nullius esse effectus post decennium, quasi tanto tempore per obliuionem aut contemptum amissa possessione. [2] Id enim sic accipiendum est, vt decennium illud ab eo tantum die numerandum sit, quo cœperit agi posse. [3] Vt euenit in omnibus contractibus in diem aut sub conditione conceptis. [4] Itaque si forte per quinquaginta annos steterit matrimonium, effectus clausulæ in subsequens vsq; decennium extendetur. Neque enim clausula constituti per mortem constituentis extinguitur, sed trãit in heredes. [5] Sed & cum eo iure vtamur ex Iustiniani lege, vt dos in pecunia numerata consistens non nisi post annum peti possit, [6] consequens est, vt is quoque annus perinde ex decennio illi subducendus sit, ac cæteri omnes, qui constante matrimonio præterierunt. [7] *Ita Senatus* in secreto auditorio, 3. Non. Iul. 1595. pro N. de Mouxi, vidua N. Masson Aquensis.

1 Est enim clausula illa accessoria, cum ponatur in pignore, quod accedit ad principalem obligationem. Nec proinde prius quærendum est de pignoribus dotis, quam de ipsa dote, *l. vbi adhuc* 29. *Cod. de iur. dot. l. inbemus* 21. *C. ad Senatusc. Vellei. in.*
2 Secundum ea quæ dixi *D. fin. 1. § eod.*
3 Nihil enim potest imputari mulieri, quæ constante matrimonio agere non potuit, *d. l. vbi adhuc, l. 1. § vlt. C. de annal. except.*
4 Cum non prius agi possit ex contractu in diem vel sub conditione concepto, quam dies aut conditio venerit, *l. cedere diem* 213. *de verb. signific.*
5 Cum nemo amittat possessionem suam ex sola morte illius, per quem possidebat. Id enim vtilitatis causa receptum est, *l. si de eo* 20. § 1. *D. hoc t.* Tessaur. *dec.* 105.
6 *L. vnic. § exactio autem, C. de rei vxor. action.*
7 Cum per totum illum annũ exactio impediatur, quamuis aliquando multum interfit, an dies actionis nondum venerit, an exactio tantum impediatur, *l. cum milite* 16. § 1. *D. de compensat.*

DEFINITIO XXVIII.

Sola missio in possessionem facit possessorem, non decretum de mittendo in possessionem.

DEcretum de mittendo in possessionem actore nõ facit eum possessorem, si non missio ipsa secuta sit. [1] Itaque non sufficiet ea res ad hoc, vt possit dicere se spoliatum, & agere interdictis recuperandæ possessionis, aut actionibus in eam rem comparatis. [2] Sed missionem verbo factam esse satis non erit, sine vera effectum non habuit, [3] cum possessio non solius animi sit, sed etiam & præcipue facti. [4] *Ita Senatus* in causa N. D. de Gerbaix, vxoris Spect. Dn. Antonij Charpenei Senatoris meritissimi, Compatris mei 5. Cal. Sept. 1595.

1 *L. non est mirum* 26. § 1. *D. de ignor. actio.*
2 Prius enim est, vt quis probet, se fuisse antea possessorem, quam vt possit dicere se spoliatum.
3 Alioqui secus est, *l. penult. § vlt. D. hoc t.*
4 *L. 1. § si vir vxo. 1. cod. l. 1. § Seuero. 2. D. si in quo res iudic. lib. esse. iuss.*

DEFINITIO XXIX.

Possessio quæsita per clausulam constituti amittitur solo animo, puta ex eo, quod constituturius petat se mitti in possessionem; secus est in possessione quæsita per traditionem.

CLausula constituti licet habilis sit ad transferendam possessionem, non solum ciuilem, sed etiam realem & naturalem, [1] minus tamen iuris tribuit ad retinendam possessionem, quam traditio. [2] Quia possessio per traditionẽ quæsita sicut & animo & corpore quæsita est, ita non nisi animo & corpore amittitur: [3] at illa, quæ per constitutum acquiritur, solo animo amittitur, quia & solo animo comparatur. [4] Inde fit, vt ea clausula effectum suum perdat, quoties is, qui per illam possessor factus est, petit mitti se in possessionem, [5] cum ex contrario petere possit & debeat se in possessione retineri. [6] Nam interdicta adipiscendæ & retinendæ possessionis se inuicem nunquam compatiuntur, [7] quandoquidem fieri non potest, vt eam possessionem adipiscaris, quæ iam penes te sit, [8] aut eam retineas, quam nondum sis adeptus. [9] At quid sit constituturius petiturus se manuteneri, iudex vero per impetitionem iusserit eum in possessionem mitti? Sententia nulla est, quia vt Pragmatici loquuntur, non est conformis libello. [10] Sitamẽ transierit in rem iudicatam ob non interpositam appellationem, quæ moribus nostris omnino necessaria est, dicendum erit, eque amissam possessionem, [11] adeoque licet iudicati executio nulla secuta sit, [12] cum res iudicata pro veritate habeatur. [13] Verum autem esse non possit, mittendũ quem in possessionem, quin prius verum sit, nondum esse illum possessorem. [14] *Ita Senatus* in eadem causa Stephani de la Chenal, & Ioannis Falquet, 5. Non. Sept. 1595.

1 Vt sæpius diximus *ex l. quod meo* 18. *D. hoc tit.* & Guid. Pap. *quæst.* 22. 46 & aliis citatis *D. defin. 1. num.* 3. § *cod.*
2 Quoniam clausula constituti fictitius modus est transferendæ possessionis, traditio autem naturalis, vt notat. *ad d. l. quod meo.*
3 *L. quemadmodum* 8. *l. quamuis* 46. *D. hoc tit.*
4 *Arg. d. l. quamuis, & l. peregre* 44. § *vlt. eod. tit. l. nihil tam naturale* 35 *de reg. iur.*
5 Qui enim petit mitti se in possessionem, auocat eam possessionem, quam fatetur esse alienam, quod fit maxime per hypothecariam, *l. si cum venditor* 66. *D. de euict.*
6 Etiam si venditor voluerit interuertere possessionem creditoris, cui tamẽ eo casu necesse est implorare beneficium, *l. vlt. C. hoc tit.* At si debitor ipse possideat corporaliter, sufficit implorare clausulam constituti, & petere, vt in sua possessione creditor retineatur.
7 Vt tractant nostri *ad l. naturaliter* 12. § *nihil commune, D. hoc tit. & ad l.* 1. *D. vi possid.*
8 Quia licet possideri quid possit ex variis causis, tamen possessio iam mea non magis mea fieri potest, *l. non vt ex pluribus* 159. *de reg. iur.* § *sic itaque, Inst. de act.* Est enim etiam possessionis dominium quoddam, vt notat Cuiac. *ad l. 1. de bon. possess.*

9 *dict. l.*

BIU Cujas

9 *dict. l. cum heredes 23. in princ. & §. 1. D. hoc tit.* iunct. *l. praced.*

10 *L. vltim. C. de fideicomm. libert. l. vt fundus 18. D. commun. diuid.*

11 Etiam cum sententia ipso iure nulla est, quod tamen ex iuris ratione secus est, *l. si expressim 19. D. de appellat. l. 1. & tot. tit. C. quand prouoc non est necess.*

12 Non enim pendet sententia ab executione, sed executio à sententia, *l. 1. C. de execut. rei iudic.*

13 *L. res iudicata 207. de regulis iuris, l. ingenuum 25. de stat. hom.*

14 Cum non possit mitti in possessionem ille, qui iam possessor est, vt dixi *num. 8.*

DEFINITIO XXX.

Mater, qua hypothecas suas dotales cum cæteris pupilli bonis sub hasta locauit tanquam tutrix, censetur renunciasse possessioni, quæ fuerat ei quæsita per clausulam constituti.

MVlier, quæ bonorum mariti pro dote sibi obligatorum possessionem per clausulam constituti quæsierat, si tutelam filij administrauerat, hypothecas quoque dotales, si quas speciales acceperat, [1] cum cæteris pupilli bonis solemniter & sub hasta locauerit, nec de iure suo protestata sit, [2] licet non idcirco dotem suam amittat, [3] suæ tamen possessioni renunciasse intelligitur, quia possessio illa, quæ per clausulã constituti solo animo acquiritur, solo etiam animo amittitur. [4] Apparet autem ex administratione animum matris illum fuisse, vt defuncto marito pupilli nomine possideret, [5] tanto magis, quod nec vnquam antea sibi possederat, quando quidem viuo marito nõ nisi familiaritatis iure possedisse videri potest. [6] Clausula enim constituti apposita in pignore, de quo in casum duntaxat soluti matrimonij dotis que restituendæ conuenerit, nullas vires habere potest, quamdiu maritus viuit, sicut nec ante annum luctus præteritum, quia nec ante id tempus cedit dies dotis restituendæ. [7] Ponimus autem intra id tempus matri onus tutelæ iniunctum, quia & intra annum tutorem filio petere debet. [8] Sed & si possessionem bonorum mariti, quam eo viuo iure tantum familiaritatis habuit, post mariti mortem continuauerit, retenta possessione circa vllam nouæ voluntatis declarationem, credenda est eo ipso animo remansisse in possessione, quo prius fuerat, id est, iure familiaritatis. Et si enim nihil prohibet mutare eam sibi causam possessionis ex nouo iure, quod superuenit dotis restituendæ: [9] ea tamen animi mutatio non præsumitur, nisi probetur. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Sic enim fieri solet, vt præter generalem & legalem tacitam hypothecam specialiter obligentur pro dote in antichresim, vt mulier eorum fructus percipiat soluto matrimonio, nec imputet in sortem.

2 Nam protestatio solet ius protestantis conseruare, *l. si debitor 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. pro herede 20. D. de acquir. hered. l. etsi quis 14. §. plerique, D. de relig. & sumpt. funer.*

3 Ne officium suum sit ei damnosum, *l. cum quidam 26. C. de admin. tut.*

4 Dixi *Defin. praced. num. 4.*

5 *L. qui bona fide 19. l. si aliquam 28. D. hoc tit.* Potius enim est inspiciendum, quod nouissime factum est, *l. si quis ante 10. eodem.*

6 Ac proinde nullo modo possedisse, *l. qui iure familiaritatis 41. eod. tit.*

7 Dixi *Defin. 27 §.*

8 *L. matre 3. C. ad SC. Tertyll.*

9 *L. qui bona fide 19. §. 1. D. hoc tit. l. non solum 33. §. 1. D. de vsucap.*

10 *L. eum qui 20 untatem 22. D. de probat. l. si filius familias 16. D. ad SC. Maced.*

DEFINITIO XXXI.

Possessionem suam amittit mulier, quæ patitur, pignora dotalia locari à tutore nomine pupilli, nisi ex ea causa aliquid acceperit pro fructibus pignoris.

NOn aliud est, si mulier, quæ defuncto marito possessionem pignorum dotalium sibi ex clausula constituti quæsitam vindicare potuit, [1] passa sit tutorem filio datum bona pupilli omnia, & consequenter ipsa quoque pignora pupilli nomine locare. [2] Hoc enim consequens est ei, quod in superioribus diximus, huius generis possessionem solo animo amitti: [3] sed hoc ita, nisi proponas, annuũ aliquid mulieri à tutore datum vel promissum, quod pro commodo possessionis & in vicem fructuum pignoris datum promissúmve videri possit. [4] Possessio enim, quæ solo animo amittitur, multo magis solo animo retinetur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Alioqui non posset mulier soluto matrimonio ingredi propria auctoritate possessionem pignorum dotalium, *l. dotis actione 9. C. solut matrim.*

2 Nam etsi ipsa conduceret pignora dotalia, desineret possidere, *l. qui bona fide 19 l. si aliquam rem 28. D. hoc tit.* Multo igitur magis, si alteri conducenti consenserit.

3 Dixi *Defin. 29. & Defin. prox praced. num. 4.*

4 Possessionem enim habere videtur mulier, cum aliquid habet in vicem possessionis & fructuum, *arg. l. non vtitur 38. & seq.* iunct. *l. si vsusfructus 35. §. 1. D. de vsuf. l. sed si quis 33. & seq. D. de pecul.*

5 *L. peregre 44. §. vlt. cum duab. legib. seqq. D hoc tit.*

DEFINITIO XXXII.

Quæsita per constitutum possessio non potest cedi nisi per aliud constitutum, nec proinde per tutorem aut curatorem, aut per Procuratorem.

POssessio quæsita per clausulam constituti, cedi quidem, & transferri in alium potest: [1] sed non nisi per aliam constituti clausulam, [2] nec per simplicem iuris cessionem. [3] Sed & eum, qui transferre hoc modo possessionem velit, talem esse necesse est, qui transferre possessionem possit. [4] Quid enim si tutor sit, vel curator, vel Procurator? Hos namq; constat possessionem transferre non posse, cum ipsi non possideant, [5] & iis casibus, quibus transferre possunt, naturalem transferendi modum requiri, nec sufficere fictitium, qualis ille est, per clausulam constituti. [6] Proinde si tutor pupilli nomine tradiderit instrumentum, ex quo acquisita sit possessio, non idcirco eam transferet, licet inter alias personas hic vnus sit modus transferendæ possessionis. [7] *Ita tractatum est* in causa N. Claræ de Villette, viduæ Laurentij Scarron, contra heredem D. Senatoris de Candie, 20. Decembr. 1595.

1 Ex eo nostrorum brocardico, quod habet, Quicquid est transmissibile, est etiam cedibile, aut, vt alij loquuntur, cessibile. *l. ex pluribus 42. D. de administr. tutor.* Tessaur. *decis. 215. in fin.*

2 Id est, si constitutarius constituat, se eandem rem alterius nomine possidere. Hoc enim facere potest, cum penes se habeat vtramque possessionem, & naturalem, & ciuilem *l. quod meo 18. D. hoc tit.* Dec. *in l. contractus, nu. 12. de reg. iur.* Tessaur. *decis. 105.* [Cæterùm si cessionarius in quem non est translata clausula constituti per aliam similem clausulam experiatur directis actionibus ex persona cedentis, & ipsius nomine poterit agere omnibus remediis & retinendæ & recuperandæ possessionis, quibus & cedens ipse posset. *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Antonij Bay procuratoris generalis, & N. Scipionis de Seyssel D. de Choysel, 3. Id. Iul. 1612. Vide aliud quid speciale in clausula constituti apud Castr. *in l. 1. num. 5. C. quand. ex ab empt. disc.* vbi ait clausulam constituti appositam in contractu resoluto non resolui, nisi fuerit expressim actum vt resoluatur, aut quod effectu idem est, vt res vendita deberat

BIU Cujas

remanere penes venditorem eodem iure & modo quo erat antea.

3 Possessio enim non transfertur ex sola voluntate, aut per contractum vel instrumentum, sed traditione opus est, vel aliqua re, quæ sit vice traditionis, *l. prædia* 48. *& ibi not. D. hoc tit. vul.*

4. Parum enim est, si quis id velit facere, quod non possit, *l. multum interest* 6. *C si quis alter. vel sibi, l. siue emancipatus* 17. *C. de donat.*

5 *d. l. quod meo, vers. Procurator, l. quamuis* 32. §. *infans, D. hoc tit.*

6 Quia per clausulam constituti eam demum possessionem transferre in alium potest constituens, quam suo nomine habet, *d. l. quod meo.*

7 Quia scilicet traditio instrumenti est pro traditione rei, quæ instrumento continetur, *arg. l. vlt. Cod. de pact. conuent. tam sup. dot.* Dixi *Defin.* 9. §. *mandat.*

DEFINITIO XXXXIII.

Clausula constituti apposita in fauorem negotiorum gestoris transfert possessionem in eum, cuius negotia gerun-tur, non in eum qui gessit.

QVi se constituit possidere nomine illius, qui alterius negotia gerit, non tam in negotiorum gestorem, quam in eum, cuius negotium geritur, transfert possessionem: [1] non tamen erit consequens, vt, si maritus ex vxoris pecunia sibi stipulatus sit, vxoris negotiũ gessisse videatur, si non id dixerit, & instrumentum ei tradiderit. [2] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Postquam placuit, vt etiam per liberam personam possessio nobis acquiratur, *l. traditio* 20. §. *vlt. D. de acquir. rer. dom. l.* 1. *C. hoc tit. l.* 1. *C. per quas person. nob. acquir.*

2 Sibi enim acquirit, non vxori, qui sibi stipulatur, quamuis ex pecunia vxoris, *l. ex pecunia* 12. *C. de iur. dot.* iunct. *l. si patruus* 4. *C. commun. vtr. iudic. l.* 2. *C. pro socio, l. qui alienã* 8. *C. si quis alter. vel sibi.*

3 *L.* 4. 5. *& 6. C. eod. tit. si quis alter. vel sibi.*

DEFINITIO XXXIV.

An manumittendus sit creditor in possessione sibi quæsita per clausulam constituti ante cœptam vel finitam discussionis instantiam?

IN quæstione illa, Vtrum ante finitam instantiam discussionis manutenendus sit creditor condicens possessionem ex clausula constituti, inauditis cæteris creditoribus, post multas altercationes eo tandem Senatum frequentioribus votis decurrere animaduerti, vt non sit audiendus, si iam cœpta sit discussionis instãtia. [1] Sit vero audiendus præstita latisdatione de fundo illo in hereditate, vbi opus erit, reponendo, si nondum vllum confectum sit inuentarium, multo magis si lapsa sint eius conficiendi tempora; aut, si quid sit, quod impediat inuentarij confectionem. [2] Cur enim mora interim fiat ei, qui propriam auocat possessionem, quæ sit extra causam hereditatis? [3] Placebat tamen aliquando temperamentum, vt ad discussionis instantiam creditor remitteretur. Interea vero per fiduciæ speciem in possessione sua retineretur præstita satisdatione. [4] Sed non potest hodie locus esse huic temperamento, postquam ex edicto, quod factum est anno 1598. aufertur heredi beneficium inuentarij, si vel in conficiendo inuentario fuerit negligens, vel intra annum, aut ad summum ex magna causa intra biennium discussionis instantiam ad finem non perduxerit. *Ita Senatus* pro Claudio du Chesne Procuratore, contra viduam & heredem Guilielmi Iaquemod dicti de la Palud, circa Non. Maij 1596.

1 Quoniam in discussionis instantia quærendum est de iure omnium creditorum, vt dixi *sub tit. de bon. auctor. iudic. possid. seu venund.*

2 Quia nimirum his casibus non tam videtur interesse creditorum quam heredis, contra quem non minus operatur clausula constituti, quam contra defunctum ipsum. Not. *in l. quod meo* 18. *D. hoc tit.* Quod intellige, cum constitutum habuit effectum ante mortem constituentis, alioqui morte constituentis finitur constitutum, vt tractat Anton. Tessaur. *decis.* 38. *num.* 1. *in fin. & decis.* 105. *in fin.*

3 Nec enim possessio translata per defunctum potest transire in hereditatem, aut esse hereditaria, *l. nemo plus commodi, de reg. iur.*

4 *Arg. l.* 1. *D si cui plus quam per leg. falcid. l.* 5. *&* 6. *D. de petit. hered.*

DEFINITIO XXXV.

Clausula, Ex nunc prout ex tunc reducit constitutum ad tempus contractus.

CLausula constituti apposita, *Ex nunc prout ex tunc*, impleta quandocunque conditione, iam inde ab initio contractus effectum habuisse intelligitur: [1] sed tamen si corporalis possessio intra decennium apprehensa non sit, non eo magis operabitur clausula, quia post decennium nihil operatur, quasi neglecta possessione, [2] numerando scilicet decennio ab eo demum tempore, quo extitit conditio sub qua fuit possessio translata per constitutum. [3] An igitur emptori, aut ei, cui ex nunc prout ex tunc res data fuit in solutum, agendum erit rei vindicatione, quasi nulla dum facta traditione, an vero ad rem tradendam, quasi nulla dũ facta traditione? Ego prius magis probabam, quia multum interest, an possessio nunquam quæsita sit, an amissa, [4] Nec amissio possessionis inducit amissionem dominij. [5] Proinde fructus debebuntur à die litis contestatæ, [6] *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Bellegarde, & D. de Cardé, 12. Decemb. 1596.

1 Guid. Pap. *quæst.* 268. Neguſ. *in tract. de pign. part.* 2. *memb.* 2. *num.* 4. *&* 5. & alij multi, quos cumulat Tessaur. *decis.* 38. *nu.* 2 licet videatur ille contra sentire & concludere, *nu.* 4.

2 Cum possessio amittatur per oblivionem, quæ ex lapsu decennij præsumitur, nisi ipsemet constituens interuertisset possessionem, quo casu daretur constituto remedium, *l. fin. C. hoc tit.* vsque ad 30. annos. Idem Tessaur. *decis.* 105. *num.* 8. *& decis.* 215. *num.* 6.

3 Dixi *Defin* 10 §. *hoc tit.*

4 Quia sine possessione non potest regulariter acquiri dominium, *l* 1. *&* 2. vbi not. D. *de publician. in rem act.* potest tamen retineri.

5 Cum facilius amittatur possessio quam dominium, *l. si quis vi* 17. § *differentia, D hoc tit.*

6 *L. certum* 22. *C. de rei vindic.*

DEFINITIO XXXVI.

Etiam in præiudicium tertij retrotrahitur conditio & potestas constituti, si conditio fuit casualis, vel mixta, non potestatiua.

CLausula constituti conditionalis operatur, existente quandocunque conditione etiam in præiudicium tertij, qui medio tempore corporalem eiusdem fundi possessionem nactus fuit, [1] si modo casualis aut mixta fuit conditio, non potestatiua. [2] Nec ad rem pertinet, quod non videantur extrema habilia constituto te tempore conditionis euenientis non amplius possidente. [3] Nihil enim vetat, possessionem quoque sicut & proprietatem transferri sub conditione, [4] qua eueniente quandocunque iam inde ab initio translata intelligitur. [5] *Ita Senatus* in causa Mauriciæ Richard, & Michaelis de la Siaz, 15. Mart 1597.

1 Postquam placuit nostris beneficium *legis fin. C. hoc tit.* etiam illi competere, qui nactus est possessionem per clausulam constituti. Tessaur. *decis.* 215. *num.* 4.

2 Causalis

BIU Cujas

2 Casualis enim conditio vel mixta retrotrahitur, non potestatiua, *l.1.l.qui balneum*, 9. *l.potior* 11. *D qui potior. in pignor. hab.*

3 Cum non possit transferri possessio per clausulam constituti, nisi constituens possideat eo tempore, quo constituit, *l. quod meo* 18. vbi omnes notant. *ff. hoc tit.*

5 Ita vt per clausulam constituti possit fieri retroactio etiã à tempore inhabili ad tempus habile. Alex. *cons.*83. *vol.*2. quem cum aliis multis refert Tessaur. *decis.*38. *n.*2. *&* 3.

DEFINITIO XXXVII.

Qui excepit hypothecam & possessionem rei à se venditæ, addita clausula constituti, potest suam possessionem auocare, nulla facta excussione, quamuis non impleret beneficium l. vlt. C. hoc tit.

EQui venditor cauerat, vt pro pretio equus maneret obligatus,[1] addita etiam clausula constituti.[2] Pretio non soluto potest venditor equum auocare à quocumque possessore,[3] etiamsi per plurium personas empt. o ambulauerit.[4] Nec repelletur exceptione non factæ excussionis,[5] si imploret beneficium clausulæ constituti,[6] licet non implorauerit beneficium legis Justinianeæ.[7] Nec ad hunc casum pertinet, sicut nec ad mores nostros,[8] quod ex Gallorum praxi vulgo iactari solet, *les meubles n'auoir point de suyte.*[9] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quæ conuentio vtilis est, non solum vt venditor habeat equum obligatum, quem alioqui non haberet, *l.*5 §. *pen. D. de tribut. act.* sed etiam vt in eo equo cæteris omnibus creditoribus præferatur, *l. licet* 7. *C. qui potior. in pign. hab.* iunct. *l. quamuis* 17. *C. de pignor.*

2 Per quam fieret, vt equi à se venditi possessionem in casum non soluti pretij retineret.

3 Per remedium retinendæ possessionis implorato beneficio clausulæ constituti, vt sequitur in Definitione.

4 Quia non magis debitor quam colonus potest creditoris sui possessionem interuertere. Iacob. Menoch. *remed.*14. *n.* 25. quem refert & sequitur Tessaur. *decis.*105 *in fin.*

5 Quæ solet competere tertiis possessoribus conuentis hypothecaria. *Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

6 Quasi non translata hoc casu per venditorem, sed retenta potius equi possessione, velut pignoris iure, *vt in l. Iulianus* 13. §. *offerri. ff. de act. empt.*

7 *In l. vltim C. hoc tit.* quam implorari necesse est, quoties merus creditor agit hypothecaria contra tertium possessorem. Hic enim plus quam creditor est, quia paulo ante dominus fuit, nec nisi hac lege dominium à se abdicare voluit, *arg. l.*1. §. *vlt. & l.*2. *D. de rebus eor. qui sub tutel.*

8 Nec enim Gallorum moribus hac parte vtimur, vt alibi scripsi.

9 Hic enim venditor non tam rem alienam persequitur, quam eam, quæ adhuc sua quodammodo esse videatur.

DEFINITIO XXXVIII.

Constitutarius vincit hæredem constituentis, multo magis eum, qui ius habeat cessum ab hærede constituentis, quod pertinet ad causam possessionis.

CVm tibi donasset Titius fundum Cornelianum, translata possessione per clausulam constituti,[1] postea vero aduersus donationem quasi per vim extortam in integrum restitui vellet,[2] decesserat instituta lite, & Sempronio hærede scripto, Sempronius iuribus suis omnibus cesserat Mæuio, qui & ipse in locum Seij antiquioris creditoris hypothecarij non tamen constitutarij[3] erat substitutus. Si Mæuius tanquam possessor factus ex generali consuetudine, quæ hæredibus fauet,[4] possessionis controuersiam tibi facere velit imploranti clausulam constituti,[5] non est audiendus, quia non potuit defunctus transferre in hæredem possessionem, quam mortis tempore non habuit,[6] iam scilicet in te translatam per clausulam constituti.[7] Nec proinde illi proderit, quod ius habeat ab anteriore creditore. Prius enim est, vt de possessione quæratur, certusque possessor constituatur,[8] quam vt hypothecaria, siue per actionis, siue per exceptionis viam exerceatur.[9] *Ita Senatus* in causa Nicolai Guisani & Petri de Pogge, 26. Mart. 1597.

1 Quomodo solet transferri possessio rerum donatarum, vt & cæterarum rerum, *l. quod meo* 18. *ff. hoc tit.* itemque per retentionem vsusfructus, *l. quisquis* 28. *C. de donat.*

2 Est enim iusta causa restitutionis ad rescindendam donationem vis vel metus, *tot. tit. Quod met. caus. D. & C.*

3 Quamuis possit etiam constituturius transferre suam possessionem in alium. Tiraq. *in tract. de iur. constit. part.*1. *ampliat.*22. quem refert & sequitur Tessaur. *decis.*215. *n.*8.

4 Per quam, vt Pragmatici nostri loquuntur, *Mortuus saisit viuum.*

5 Cum beneficio *l. vlt. C. hoc tit.*

6 *L. nemo plus commodi* 120. *de regul. iur. l.*1. §. *Scæuola, ff. si is qui testam. lib. esse iuss. est.*

7 Cum non possint duo esse in solidum possessores, *l.*3. §. *ex contrario, D. de acquir. poss. l. duo in solidum* 9 *ff. de precar.*

8 *L. is qui destinauit* 24. *l. qui petitoris* 38. *ff. de rei vindicat. l. si de vi* 37. *D. de iudic. l.*2. *C. de interd. l. ordinarij* 13. *C. de rei vindic.* Tessaur. *decis.*15. *n.*1.

9 Cum hypothecaria non nisi contra possessorem exerceatur, *l. si fundus* 16. § *in vindicatione. ff. de pignor.*

Possessio per constitutum quæsita aut per precarium an & quatenus morte constituentis vel constitutarij, aut precario rogantis vel concedentis amittatur?

MAgna inter nostros fuit quæstio, an potestas clausulæ constituti per mortem siue constituentis, siue constitutarij finiatur? Sunt enim, qui indistincte putent finiri, & quidem morte constituentis.[1] Quia cum possessio per clausulam constituti quæsita in solo constituentis animo residere videatur,[2] fieri certe nequeat, vt ea possessio in longius tempus extendatur, quam constituentis animus, qui vtique cum vita finem accipit.[3] Morte vero constitutarij, quia is, qui se alterius certæ personæ nomine constituit possidere, de ipsius hærede non cogitat,[4] nisi in ipsa constituti clausula hæredis quoque mentio facta proponatur.[5] Alij vero sunt, qui morte quidem constituentis finiri constitutum arbitrentur,[6] at non etiam morte constitutarij, quo minus in hæredem illius transeat, tam actiue, vt loquuntur, quam passiue.[7] Senatus noster magis probat, vt neque constituentis, neque constitutarij morte finiatur possessio, quæ per constitutum quæsita fuerat, non magis quam si per realem & actualem traditionem acquisita fuisset,[8] adeo vt placeat, non minus hæredi constitutarij, quam ipsi constitutario competere interdictum retinendæ possessionis, nec minus aduersus hæredem constituentis, quam aduersus ipsum constituentem, ita vt non sit ei necessarium recurrere ad remedia vel adipiscendæ vel recuperandæ possessionis, siue constitutarij hæres iuuari velit beneficio clausulę contra constituentem, siue constitutarius contra hæredem constituentis, siue hæres contra hæredem.[9] Nam & idem seruaretur, si pro clausula constituti traditio interuenisset ad transferendam possessionem,[10] cum placeat per clausulam istam transferri non modo ciuilem & fictam, sed etiam naturalem, realem, veram & actualem possessionem, perinde atque per traditionem:[11] præsertim vero postquam moribus nostris receptum est, vt defuncti possessio non secus ac dominium rerum hæreditariarum continuetur & transferatur ipso iure in hæredem, etiam quod ad effectum interdicti proponendi, De

BIU Cujas

retinenda possessione.[11] Illud sane districtè Senatus noster obseruat, vt si post mortem siue constituentis, siue constitutarij negligens fuerit is, qui potuit implorare beneficium clausulæ, idque per decennium integrum, non sit postmodum audiendus, siue de retinenda, siue de recuperanda possessione contendere post decennium velit,[13] quasi amissa possessione non tam per mortem constituentis aut constitutarij, quam per obliuionem,[14] nisi ante mortem vel constituentis, vel constitutarij possessio interuersa proponatur, quo casu non ambigitur, quin condictio ex Justiniani lege competat etiam hæredi in annum vsque trigesimum.[15] Nec aliud in possessione per precarium quæsita obseruatur, cum placuerit, ad eam quoque possessionis speciem Justiniani legem pertinere:[16] qua cessante, id est, si possessio interuersa non fuerit, constat, longe minorem esse precarij quam constituti potestatem, quia per precarium ciuilis tantum possessio acquiritur, non etiam naturalis.[17] Vnde fit, vt eius morte, qui precario rogauit, precarium haud dubie finiatur, quod non transit in eius hæredem.[18] Item vt quæsita per precarium ciuilis possessio per decennij lapsum amittatur, etiam viuo eo, qui precarium rogauit, si is, qui dedit, eiúsve hæres negligens per tantum tempus fuerit in apprehendenda naturali, quæ penes rogantem manserit,[19] aut quæ ipso etiam ignorante fuerat ab alio occupata.[20] Nam si sciuit, sufficiet ad amittendam possessionem ciuilem, quod neglexerit recuperare naturalem, nec longi temporis lapsus requiretur.[21] Quæ distinctio non ita facile cadit in constitutarium, qui licet per longius tempus quam decennij cessauerit in corporali possessione apprehendenda, non ideo tamen videtur negligere naturalem, quam habet & retinet per constitutionem.[22] Certe mortuo constitutore decennium exinde computabitur,[23] si non prius fuerat possessio per eum, vt diximus, interuersa.[24] Neque tamen erit necessarius lapsus decennij, si constitutarius sciens occupatam ab alio citra interuersionem, aut etiam vacantem possessionem, quæ constitutoris corpore & animo retinebatur, eam adipisci & recuperare neglexerit. Idem enim esset, etiamsi per veram & actualem, vt aiunt, traditionem sibi possessionem quæsiuisset, quam deinde per alium retinere cœpisset.[25] *Ita sæpius* in Senatu nostro tractatum & definitum est.

1 Ant. Tessaur. qui multos citat *decis.* 38. præsertim Andr. Tiraq. *part.* 1. *de constit. ampliat.* 13. *n.* 1. & 2. & *part.* 1. *nu.* 65. & *part.* 3. *limit.* 21. *n.* 10. & 11.

2 *L. quod meo* 18. vbi omnes notant, *ff. hoc tit. l.* 3 §. *saltus hybernos, vers. cæterum, eod. tit.*

3 Ita ratiocinatur post alios Iacob. Menoch. *remed.* 14. *recup. poss. n.* 65. & *seqq.*

4 *L. cum precario* 12. *in fin. D. de precar.*

5 Nam cum facta est mentio hæredis, non dubitatur, quin precarium & constitutum transeat etiam in hæredem. Tessaur. *decis.* 105. *n.* 4. Obserua tamen, si quis sibi suisque precario rogauerit, non ideo videri actum de heredibus, sed tantum de domesticis. Textus est elegans *in l. cum precario* 21. *ff. de precar.* licet propter vsum Notariorum, qui eo nomine vtuntur, vt heredes significent, alio iure vtamur, ita vt error ius faciat, quomodo Paulus loquitur *in l.* 3. §. *vlt. de supell. legat.*

6 Tessaur. *d. decis.* 38.

7 Idem Tessaur. *decis.* 105. vbi late.

8 Cum per constitutum non minus, quam per traditionem etiam vera & realis possessio transferatur, *d. l. quod meo.* Constat autem, possessionem, quæ translata sit per veram traditionem, nõ amitti morte illius, cuius corpore possidebamus. Id enim vtilitatis causa receptum est, *l. si de eo* 40. §. 1. vbi Bart. & alij, *eod. tit.*

9 Contra id, quod sentit Tessaur. *d. decis.* 105. *n.* 3. 4 & post à Menoch. *d. remed.* 14. *recup. poss. n.* 67.

10 Vt dixi *n.* 8. *ex l. si de eo* 40. §. 1. *D. hoc tit.*

11 Afflict. *decis.* 139. *num.* 9. post Alex. *in d. l. quod meo, & in l. interdum, D. hoc tit.* Bald. *cons.* 494. *vol.* 4. Ias. *in l. quoties, C. de rei vindic.*

12 Omnia enim interdicta & remedia possessoria, quæ competebant defuncto, competunt hodie etiam hæredi ex consuetudine & potestate edicti, Quo mortuus saisit viuum.

13 *Ex d. l. si de eo,* §. 1. vbi Bart. & alij, *ff. hoc tit.* Iunge omnino *Definit.* 5. *infr. si aduers. cred. præscr. oppon.*

14 Cum obliuio præsumatur ex lapsu decennij. Bartol. & alij *ibid.* Intellige autem, si constitutarius ignorauit, aut vacantem, aut ab alio fuisse occupatam possessionem. Tunc enim sufficit, neglectam esse possessionem, vt amittatur, secundum distinctionem Bart. communiter approbatam *in dict. l. si de eo,* §. 1.

15 Vt concludit Tessaur. *dict. decis.* 105. post Menoch. *de remed.* 14. *num. vlt.* Afflict. *dict. decis.* 139. vbi tamen fatetur, tolli hoc casu hypothecam per præscriptionem longi temporis, quod nota, vt intelligas, hac quoque admissa sententia, quæ sane dura est, male concludere illum, qui auocat possessionem condictione *ex l. vlt. C. hoc tit.* vt rem teneat iure pignoris & hypothecæ. Nihil enim de hypotheca tractandum est, si modo possessor bonæ fidei fuit.

16 Afflict. *d. decis.* 139.

17 Capyc. *decis.* 4. *n.* 7.

18 *dict. l. cum precario* 12. §. 1 *ff. de precar.* vbi dicitur, aliud esse in herede concedentis precarium, quia in eum transit ius precarij.

19 Etsi enim precarium potest quamdocumque reuocari, & per reuocationem redit possessio ad concedentem, id tamen eo pertinet, vt possit vti interdicto De precario ad repetendam possessionem, non autem vt possit agere interdicto Vti possidetis, vt explicat Menoch. *d. remed.* 14 *n.* 10.

20 Intellige de possessionis occupatione, quæ facta fuerit citra interuersionem, alioqui locus est condictioni, *ex l. vlt. C. hoc tit.* vt dixi *n.* 15. & 16.

21 Vt dixi *n.* 13. & 14. *supr.* nisi interuersa fuerit possessio, vt dixi proxime, quia tunc nec longi temporis lapsus noceret, sed requireretur tempus longissimum, id est, 30. annorum cum condictio ex lege sit perpetua, & consequenter duret vsque ad 30. annos.

22 Tunc enim amittitur ciuilis, cum est sola, nec habet adnexam naturalem Bar. *in d. l. si de eo* 49. §. 1 *ff. hoc tit.*

23 Tessaur. *d. decis.* 105. *n. vlt.* vbi alios citat.

24 Tessaur. *ibid.* post Menoch. vbi supra.

25 *dict. l. si de eo,* §. 1. vbi tractatur de possessione, quam quis habuerat, & naturalem, & ciuilem, & quam retinuerat per colonum postea defunctum. Iunge *Defin.* 22. & illam intellige secundum hanc. Adde *Definit.* 1. *infr. si aduers. credit. præscr. oppon.*

DEFINITIO XL.

An ei, cuius possessio interuersa fuit, detur condictio ex l. vltim. C. hoc tit. contra tertium possessorem, post sublatam longi temporis præscriptionem hypothecariam?

INteruersa possessione per eum, cuius animo & corpore possidebatur, si tertius possessor per decennium rem alij obligatam tenuerit, ita vt præscriptione tanti temporis hypothecariam summouere possit,[1] elegans quæstio est, an conueniri adhuc nihilominus possit condictione ex lege noua Justiniani,[2] quæ quasi in hanc rem lata est contra iuris veteris rationem.[3] Nam ex interpretibus nostris alij aliter sentiunt,[4] nec dum quid Senatus noster in hac quæstione pro certo habeat, mihi compertum est. Videtur tamen distinctionibus rem hanc expediri debere, de quibus dicemus Defin. 5. infr. Si aduers. credit. præscript. oppon.

1 *Ex l. 1. & 2. C. si aduers. credit. præscr. oppon.*

2 *L. vlt C. hoc tit.*

3 Est enim lex illa iuris veteris correctoria, vt constat *ex l. si de eo* 40 §. *si forte, D. eod.* licet contra sentiat Iacob. Menoch. *remed.* 14. *recup. possess. qu.* 2. *n.* 11.

4 Vt constat ex iis, quæ tractat Afflict. *decis.* 139. & Menoch. *vbi supr. n.* 68. & *seqq.* Iunge *Defin. prox. praced.*

[DEFINITIO XLI.

Sola subhastatio non facit debitorem possessorem si non sit.

Subhastatio

Subhastatio certarum rerum contra debitorem quasi possessorem, cum non possideret facta per errorem, non facit eum possessorem,[1] cùm possessio sit facti,[2] nec rerum veritas erroribus gestorum vitietur.[3] Et consequenter si eas ipsas res creditor qui subhastationem vrgebat à possessore vero comparauerit, non videbitur debitorem spoliasse, nec quasi spoliator poterit conueniri, vt possessionem restituat,[4] Nec si prohibetur in possessionem ex subhastationibus fuisse missus,[5] aut solutionem debiti pro quo subhastationes factæ fuerant, consecutus.[6] Possessionem enim veram, & realem præcessisse oportet, vt possit quis dicere se spoliatum.[7] Multum autem refert an verè quis possideat, an possidere existimetur, siue in eo ipso qui possidere creditur falsa illa opinio sit,[8] siue in alio.[9] *Ita Senatus* pro Francisco Burut, contra Nicolaum Toynet, 5. Cal. April. 1612.

1 Possessio enim non nisi certis modis & acquiritur & amittitur, *l.1.§. si iusserim, & pass. ff. hoc tit.* inter quos non est error qui semper habet comitem ignorantiam, *l. si quis per errorem 15. ff. de iurisd.*

2 *L.1.§. si vir vxori, ff. hoc tit. l. denique 19. ex quibus caus. maior.*

3 *L. illicitus 6.§ veritas, de offic. præsid. l. cuius 53. de reg. iur.*

4 Intellige siue is qui se dicit possedisse conueniatur interdicto. *Vnde vi*, siue *ex cap. sæpe. Extr. de restit spoliat.* siue *ex Can. redintegranda 3. qu. 1.*

5 Quo casu missio in possessionem transfert in emptorem eam ipsam possessionem, quam debitor habuit, & eam ipsam reddit creditori quandocumque pignus intra tempora redimenti. Sed si debitor non possederit, non nisi inutilis potest esse missio in possessionem, & consequenter nullus ex ea effectus sequi potest, *vulgat. iurib.*

6 Quamuis hoc casu plenissimum effectum videantur habuisse subhastationes quæ non aliam ob causam fiebant, quàm vt suum creditor consequeretur, *l. creditoris 8. ff. de distr. pignor.*

7 *Defin. 5. mem. vlt. inf. vnd. vi.*

8 *Vt in l. Celsus 27 ff. de vsucap. l. si existimans 48. eod. alias l. 3. pro solut.*

9 *L. is qui se obtulit 25 & seqq. D. de rei vindic.* His enim omnibus casibus in quibus de possessone quæritur, plus semper est in veritate, quàm in opinione, licèt sit aliud in vsucapione, *l. iusto errore 44. de vsucap. l. si quis 8. l. quod vulgo 11. D pro empt.* Nempe quia possessio facti est, vsucapio iuris, & longè aliud est errare in ipsa possessione, aliud in titulo possessionis, vt in legibus supradictis. Denique pro huius Definitionis confirmatione facit, quod subhastatio modus est possessionis aufferendæ à debitore, non in ipsum transferendæ. Inducta verò ad vnum effectum non debent contrarium operari, *l. legata 14. de adim. legat.*]

TIT. VIII.

DE LONG. TEMPOR. præscript.

DEFINITIO I.

Longi temporis possessio locum habet etiam contra eum, cui merces conductionis interim soluta est, si modo sciuit alienationem à conductore factam, non si ignorauit.

QVi bona fide fundum emit ab eo, cui ego locaueram, si per decennium inter præsentes, aut vicennium inter absentes possederit, non eo minus tanto tempore dominium sibi quæsiisse videbitur,[1] quod interea promissam pensionem conductor mihi soluerit per singulos annos.[2] Et si enim neque dominij quæstionem referre ipse conductor posset,[3] neque vllus temporis præscriptionem obiicere propter malam fidem,[4] qui tamen ab eo comparauit tanquam à domino, perinde bonam fidem habet, atque si ab alio quolibet non domino comparasset.[5] Nec quod mihi negligentia imputari non potest, qui iure meo aduersus conductorem vsus sum,[6] facere debet, vt minus iuris emptor habeat, qui suo nomine possedit, non meo.[7] Quare nec causa vlla est, cur mihi restitutio in integrum concedi debeat aduersus emptorem, cum quo nullum à me negotium gestum est.[8] Sed hæc ita accipienda sunt, si ius meum sciui, & alienationem à conductore meo factam;[9] alioqui mala fides auctoris nocet bonæ fidei possessori,[10] hactenus ne minore quam 30. annorum spatio possit præscribere,[11] nempe cum de dominio agunt. Nam si de præscribendo hypothecæ aut quo alio iure tractaretur, non esset ea distinctio necessaria.[12] *Ita tractatum est* in causa D. du Four, & Jacobinæ Barru, 3. Id. Maij 1595.

1 Per longi temporis possessionem, in quam hodie transformata est vsucapio, *l. vnic. C. de vsucap. transform.* iunct. *l. 2. pen. & vlt. & pass C hoc tit.*

2 Quamuis, si conductor rem vendiderit, & eam ab emptore conduxerit, postea vtrique mercedes præstiterit, prior locator possessionem suam retineat per conductorem, *l. quamvis pupillus 32.§ . ff. de acquir. poss.*

3 *L. si quis locationis 25. C. de locat.*

4 *L. male agitur 2. C. de præscr. 30. vel 40 annor.*

5 *L. 1. C. hoc tit.* Nam & bona fides ex iusto titulo præsumitur, nisi mala fides probetur; sicut è contrario ex iniusto titulo mala fides & præsumitur & probatur, *l. quemadmodum 7. in fi. C. de agric. & cens. l. 1. ti 47. cap. qui contra de reg iur. in 6.*

6 *L. cum scimus 22.§ illud quoque, vers. cum non possit, C. eod. tit. de agricol. & censit.*

7 Ratio est, quam adfert Vlpian. ex Pomponio in eleganti illa specie, quam tractat *in l. Pomponius 29. D. quibus mod. vsusfruct. amitt.*

8 Negotium enim aliquod gestum esse oportet, aut quasi gestum vt restitutio locum habere possit, *l. 1. & tot. tit. D. quod met. causa gest. erit, l. ait prætor 7. in princ. D. de minor.*

9 Quo casu potest sane mihi imputari, cur emptoris possessionem non interpellauerim.

10 *Auth. malæ fidei, §. si vero is qui putabat, C. hoc tit.*

11 *d. Auth. malæ fidei*, quæ hac parte correxit ius vetus, vt constat *ex l. 1. eod. tit.* Vide *Nouell. 119. vt sponsalitij. largit. cap. 7. §. rursus sancimus.*

12 Remanet namque incorrectus *tit. C. si aduers. credit. præscr. oppon.* vt respondit Oldrad. *cons. 19.*

DEFINITIO II.

Iurium præscriptio nulla est, nisi interueniente scientia & patientia eius, qui tale ius potuisset constituere.

IN iis iuribus, quæ ex sola quasi possessione acquiruntur, necesse est interuenire patientiam,[1] & consequenter scientiam[2] illius, qui tale ius constituere potuisset:[3] sed & necesse est continuatum eius iuris vsum longo tempore.[4] Nam si ante completa præscriptionis tempora fuisset contradictum, vel præstitum impedimentum, vel non præstita patientia, præscriptio interrupta esse intelligeretur.[5] *Ita Senatus* in causa D. de la Velliere & D. de Rogemont, 10. Calend. Febr. 1195.

1 Cum scientia illa & patientia sit pro titulo, *l. si quis diuturno 20. ff. si seruit. vindic. l. 3. in princ. D. de vsufruct. l. vlt. D. de seruit.*

2 Qui enim ignorat, non potest videri pati, *l. 2. vbi not. C. de seruit. & aqua.*

3 Nam qui non posset expresso consensu ius alij concedere, multo minus tacito consensu posset id facere, ne maior sit vis taciti quam expressi, contra not. *in l. 3. D. de reb. credit.*

4 *d. l. si quis diuturno, l. 1.§. vlt. l. vlt. D. de aqua & aquæ pluu. arcend.*

5 Quia oportet continuam esse possessionem aut quasi possessionem, vt possit vsucapio procedere, aut longi temporis possessio, *l. sine possessione 25. ff. de vsucap. d. l. 2. l. nec petentem §. l. nec bona fide 10. C. hoc tit.*

BIU Cujas

TIT. IX.

QVIB. NON OBIICIT. LONG. temp. præscript.

DEFINITIO I.

Non valenti agere an & quando currat præscriptio?

VLGARIS est interpretum nostrorum traditio: Non valenti agere non currere præscriptionem. [1] Quod si ita est, vix sane dici potest, cur ignoti ã i currat tempus ad præscriptionem inducendam. [2] Neque enim fieri potest, vt quis de eo iure, quod sibi ignorat com petere, experiatur. [3] Idem est, si quis Reipublicæ aut alia de iusta causa tanto tempore abfuerit, vt interea dies actionis præterierit. [4] Idcirco enim necessarium est auxilium restitutionis, vt amissa tempore actio restituatur, quod toto eo tempore agendi potestatem non habuerit is, qui non agendo actionis sibi competentis iacturam passus est. [5] Sed & aliquando enenit, vt ne quidem ignorantiæ tempus subducatur ex eo annorum numero, qui sufficere queat implendæ præscriptioni, quæ pleniſſimam tribuat securitatem, qualis illa est, quæ quadragesimo anno perficitur. Receptius enim & verius est, aduersus tam longi temporis præscriptionem restitutioni locum esse non posse, nec magis ex capite iustæ ignorantiæ, quam ex alia qualibet causa. [6] Solis filiisfamilias singulari quodam iure & priuilegio indultum est ab Imperatoribus, primum pro bonis maternis, [7] deinde pro aduentitiis quibuslibet, [8] vt quamdiu pater viuit, qui & fructuarius, & legitimus bonorum filij administrator est, [9] tempus nullum iis currat, quod proculdubio curreret, si nihil de eo constitutiones cauerent. [10] Moti vero sunt Imperatores ratione æquitatis apertissima, quod per legem ipsam fiat, ne viuo patre, & inuito eo, possint illi mouere actionem. [11] Quis enim non æquum putet eiusdem legis potestate fieri, vt iis aduersus lapsum temporis subueniatur, non data restitutione, sed quod est commodius, prohibito sublatoque præscriptionis iure? [12] Quo exemplo idem postea constitutum est à Iustiniano fauore mulierum in repetitione dotis. [13] Sed alia sane causa eorum est, qui non tam iure, quam facto aliquo impediuntur, ne possint experiri. His enim haud dubie currit tempus; [14] estque omnino necessaria restitutio, dummodo ipsius indulgendæ iusta aliqua causa subsit. [15] *Senatus* tamen receptissimam Interpretum traditionem plerisque, vt audio, placitis comprobauit; & in eo præsertim casu, de quo Defin. 1. infr. Ne rei domin. vel templor. in quo cum de præscriptione centenaria tractaretur, placuit subducendum totum tempus, quo Sabaudia fuerat à Gallis occupata, quod toto eo temporis spatio Dux Sabaudiæ iura sua persequi non potuisset, tametsi post eam feliciter Dei Opt. Max. nutu à Diuo Emanuele Philiberto recuperatam triginta annorum silentium continuum efflu xisset.

1 *Ex l.1 §. vlt. C. de annal. except. l.1. §. vlt.* iunct. *Auth. nisi tricennale, C. de bon. matern. l. in rebus 30. vers. omnis autem, C. de iur. dot.*

2 Et tamen etiam ignoranti currere præscriptionem contrat & ignorantiam iustam esse vnam ex iis causis, ex quibus creditur dandam esse restitutionem in integrum contra præscriptionem, *l. sicut 3. vbi not. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Not. *in l. 1. ff. ex quibus caus. maior. in integr. restit. poss.* Balb. *in 4. part. 4. part. in principio, quæst. 28.*

3 *L. cum sex 55. D. de edilit. edict. l. mater 19 D. de inoffic. testam.*

4 *L. Senatus consulto 16. ff. de inoffic. præsid.*

5 *L. 1. & tot. tit. Ex quibus caus. maior. D. & C.*

6 Puta minoris ætatis, aut absentiæ Reipublicæ causa, vt scriptum est, *in l. sicut 7. Cod. de præscript. 30. vel 40. annor.* Esset enim lex imposita verbis, non rebus, *contra l. 2. C. commun. de legat.* si sic intelligeretur, vt etiam contra minorem, vel militem, vel aliter absentem Reipub. causa curreret præscriptio, sed contra eam præscriptionem restitutio daretur. Vide tamen Affict. *decis. 37.*

7 A Constantino *in l. 1. C. de bon. matern.* iunct. *Auth. nisi tricennale, eod. tit.*

8 A Iustiniano *in d. l. 1. § vlt. C. de annal. except.*

9 *L. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

10 Alioqui nil fuisset necesse ab Imperatoribus constitui id quod iure communi cautum fuisset, *l. Imperatores 30. de reb. auctor. Iudic. possid. alias l. 15. de priuil. credit.*

11 Cum non possit filiusfamilias stare in iudicio sine auctoritate patris, *d. l. vlt. vers. necessitate, C. de bon. quæ liber.*

12 Siquidem melius est intacta cuiusq; iura seruare, quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*

13 *d. l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

14 Quia quod facti est, effectum iure impedire non potest, aut tollere, *l. si vnus 27 § pactus ne peteret, D. de pact.*

15 *d. tit. Ex quibus caus. maior. D. & C.* * Vide Balb. hoc latè tractantem *in 6. parte princip. de præscript. quæst 1. num. 17. & seqq.* vbi ponit multas distinctiones circa impedimentum iuris vel facti.

TIT. X.

SI ADVERS. CREDIT. præscript. oppon.

DEFINITIO I.

Longi temporis præsumptio contra creditorem neque à nudo detentore potest obici, neque ab hærede debitoris.

PRÆSVMPTIO illa decennij inter præsentes, & vicennij inter absentes, quæ creditoribus quasi Seruianam exercentibus obstare solet, [1] non alij prodesse potest, quam tertio possessori, [2] qui titulum possessionis suæ habeat cum bona fide. [3] Igitur non proderit hæredi debitoris, quippe qui tertius non sit, quandoquidem eadem cum defuncto persona esse existimatur. [4] Vnde illud etiam fit, vt in omnia defuncti vitia succedat, [5] adeo vt non magis quam ipse debitor vllius temporis quantumcumque longissimi præscriptione tueri se iure pontificio possit, [6] non solum si reali, [7] sed etiam, quod magis mirum est, si personali actione conueniatur. [8] *Ita Senatus* in causa Roletæ de Gorreuod, contra Dominam de Malin, viduam Illustriss. D. Ludouici de Gorreuod, Vicecomitis de Salins, 12. Cal. Aug. 1592.

1 *Ex l. 1. & 2. C. hoc tit.*

2 Possessionis enim fauor ille est, qui exceptionem non factæ excussionis induxit, *Auth. hoc si debitor, C. de pignor. & in corpore, Nouell. 112. de litigios. c. 1. vnde sumitur.*

3 Nullo enim fauore dignus est tertius possessor, qui neq; titulum habet, neque bonam fidem, *l. diutina 4. l. nec bona fide 10. C. de long. temp. præscr.* Non enim verendum est, ne fiant de lite lites, cum possessor, qui nullum titulum habet, nullum quoque regressum habere possit. Intelligo tamen de possessore, qui habeat alium titulum, quam creditoris. Nam creditor posterior non iuuatur hac præscriptione contra anteriorem, sed eget præscriptione 30. annorum, *l. cum notissimi §. sed cum illud. de præscript. 30. annor.*

4 *Nouell. 48. de iureiur. à mor. præst. in princ.*

5 *L. enim hæres 11. D. de diuers. tempor. præscript.*

6 Quia

BIU Cujas

6 Quia nimirum tenetur exonerare conscientiam defuncti, *l. vigilanti, extr. de præscript.*

7 In quo actionis genere minor est dubitatio, quoniam vitia possessionis sunt realia ideoque transeunt non solum in heredem, *d. l. cum hæres*, sed etiam in successorem singularem, *l. vitia* 11. *C. de acquir. poss. iunct. c. possessor, de reg. iur. in* 6.

8 Secus tamen est iure ciuili, quod pertinet ad actiones personales, quia hæres iustam habet causam ignorantiæ, an id, quod petitur, debeatur, *l. qui in alterius* 19 *de reg. iur.* Hodie autem vtimur hac in re iure ciuili ex edicto, quod in eam rem factum est à Sereniss. Duce nostro anno 1598. vt litium ingens materia tolleretur.

DEFINITIO II.

Tertius possessor bonæ fidei, etiamsi habeat causam à debitore vel à malæ fidei possessore, nihilominus præscribit contra creditorem.

SIngularis successoris, qui ab ipso debitore aliove malæ fidei possessore bona fide acquisiuit rem obligatam, alia ratio est. Huic enim mala fides auctoris nocere non potest, quo minus longi temporis præscriptione adiuuetur.[1] Nam Iustiniani constitutio quæ in odium eorum, qui causam habent à malæ fidei possessore sustulit longi temporis præscriptionem,[2] non creditoribus fauet pignora sua persequentibus, sed dominis dumtaxat res suas directa aut vtili in rem actione vindicantibus.[3] Difficilius siquidem est, vt rei suæ dominium domino, quam vt creditori ius pignoris eripiatur.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. C. de præscript. long. tempor.*

2 *Nouell* 119. *Vt sponsalit. largit. c.* 7. *§. rursus sancimus.* vnde sumpta est *Auth. malæ fidei, C. ill. tit. de præscr. long. temp.*

3 Vt apparet ex verbis constitutionis. Et ita Oldrad. respondit *cons.* 19.

4 Pignus enim nuda voluntate tollitur, *l. soluitur* 5. *& pass. D quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* dominium vero non item, *l. si quis vi* 17. *§. differentia. ff. de acquir. poss.*

DEFINITIO III.

Hæres pro parte, qui post diuisionem hæreditatis possidet totam rem obligatam, non censetur iure tertij possessoris, ne quidem pro parte coheredis.

QVid vero si rem obligatam longo tempore possederit in solidum is, qui non nisi ex parte debitoris aut malæ fidei possessoris fuit? An pro ea saltem parte, quam habet à cohærede, tertij possessoris potius quam heredis iure censebitur, vt eiusmodi præscriptione contra creditorem adiuuetur?[1] Minime, quia non haberet eam partem à cohærede, si hæres ipse non esset, censeturq; totam rem habere iure hæreditario,[2] cum in vicem eius portionis, quæ ad cohæredem pertinere potuit, tantumdem ille de sua portione cohæredi præstiterit, vt hæreditas inter cohæredes ex portionibus hereditariis diuideretur.[3] Neque vero hæreditatis, quæ vna est, diuisio etiam malæ fidei diuisionem inducere potest. Quæ sicut vnius personæ fuit,[4] sic vna eademque manet & indiuidua in singulis personis heredum.[5] Qua ratione illud etiam comparatum est, vt excussionis non factæ exceptionem, quę similiter tertiis possessoribus prodesse solet,[6] cohæres debitoris totam rem possidens non magis pro coheredis portione quam pro sua obiicere possit.[7]

1 Nam pro ea parte, quam vnus ex hæredibus capit à cohærede, extraneus videtur, cum pro ea parte non possit dici hæres, *l. in quartum* 91. *ff. ad leg. Falcid. l. miles ad sororem* 9. *§.* 2. *de leg.* 2.

2 Non enim ponimus, eam rem obligatam vni ex hæredibus legatam fuisse, sed inter cohæredes diuisam quasi hæreditariam.

3 *L. 1. & tot. tit. ff. famil. erciscu.*

4 Scilicet defuncti, cuius persona per hæredes repræsentatur, *Nouell.* 48. *de iureiur. à mor. præst. in princ.*

5 *Arg. l.* 2. *§. ex hu. ff. de verb. oblig.*

6 *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

7 Manet enim hodie incorrectus titulus ille, *si vnus ex plurib. hæred. debit.* vt dicemus ad eum tit. Defin. 1. Ex glos. *in l. mulier* 19 *ff. qui potior. in pign. hab.*

DEFINITIO IV.

Creditor, qui consensit venditioni rei obligatæ, salua pignoris sui causa, nullius temporis præscriptione summoueri potest.

ALieni quidem pignoris possessor si in bona fide sit, non eo minus excludere potest hypothecariam præscriptione longi temporis, quod à malę fidei possessore causam habeat, aut, quod hac parte tere idem est, ab eo, qui sciuit rem obligatam.[1] Sed si quis consenserit, vt tu pignori obligatam rem emeres, aut tanquam creditor in eius possessionem mitteretis, etiam iubente Judice, salua tamen pignoris sui causa,[2] nullius quantumcumque longissimi temporis præscriptione summoueri potest.[3] *Ita Senatus* in causa fratrum Pic, contra N. Jacobum Teste Lugdunensem, 6. Id. Maij. 1595.

1 Vt diximus *Definit.* 2. *supr.*

2 Sic enim consentire plerique solent, vt conseruent ius suum, *l. si debitor* 4. *§* 1. *ff quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* Nec enim potest creditor impedire venditionem rei obligatæ, salua tamen pignoris sui causa, *l. vnic. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alienat.*

3 Quoniam ea protestatio constituit possessorem in mala fide, quæ impedit præscriptionem, pro qua scilicet non sufficit titulus, si deficiat bona fides, *l. 2. l. si fraude* 6. *C. de præscr. long. tempor.*

DEFINITIO V.

Tertius bonæ fidei possessor, qui per decennium præscripsit aduersus hypothecariam, vtrum possit adhuc conueniri conditione ex l. fin. C. de acquir. poss.

QVod vulgo traditum est, creditorem hypothecarium, cuius nomine debitor in contrahendo pignore constituerat se possidere, aut à quo debitor precario rogauerat, si interuersa sit possessio per debitorem, qui rem obligatam alij vendiderit, aut ex alia causa tradiderit, saluam habere condictionem ex beneficio nouę legis Justinianę[1] contra tertium possessorem vsque ad annum trigesimum,[2] quo demum tempore solent concludi omnes condictiones ex lege, vt & aliq quęlibet actiones personales;[3] eo quidem casu haud dubie procedit, quo tertius possessor aut titulum nullum habeat, aut saltem non bonam fidem.[4] Sed si bonę fidei possessor proponatur, qui & titulum, & bonam fidem probet, durum sane est, vt post decennium inter pręsentes, aut vicennium inter absentes, aliqua in eum detur actio creditori,[5] cui nec vlla hypothecaria superesse potest, quę diuturni temporis silentio hoc casu penitus summouetur:[6] cum aliis plerisque casibus difficilius sit, vt hypothecaria, quam vt personalis actio perimatur.[7] Et vero absurdum est, clausulam siue constituti, siue precarij non nisi accessorie positam ad obligationem pignoris in longius tempus extendi, quam obligatio ipsa pignoris extendatur, vt etiam sublato pignore duret:[8] siquidem verisimile est, id actum esse, vt siue constitutum, siue precarium in pignore appositum eo vsque duraret, quousque vinculum pignoris subsisteret;[9] alioqui necesse erit euenire, vt non solum consistat accessorium sine suo principali contra vulgares iuris

BIU Cujas

regulas,[10] sed etiam deterior futura sit conditio tertij bona fide possessoris post sublatam hypothecariam, quam si nec hypotheca, nec quæ ex hypotheca nascitur, hypothecaria sublata esset.[11] Qui enim pro creditore contra tertium bonæ fidei possessorem in hac specie respondent, non patiuntur, vt agenti creditori possessor offerre debitum possit ad remorandam actionem possessoriam:[12] quod tamen ad inhibendam hypothecariam ne quidem malæ fidei possessori conuento denegaretur,[13] nisi quod vnum illum casum excipiunt, quo nullus possessori regressus contra suum auctorem competere potest. In qua specie ne omnimodo bonæ fidei possessor damno afficiatur, abunde consultum ei putans, si ad ius offerendi admittatur.[14] Illud plane in confesso est, post sublatam longi temporis præscriptionem hypothecariam, &, vt nostri fatentur, hypothecam ipsam,[15] non esse audiendum creditorem, si ex Justiniani lege possessionem ideo auocet, & condicat, vt rem teneat iure pignoris & hypothecæ:[16] quomodo tamen imperitiores Pragmatici solent concludere, sed ita demum, si mere possessoriam exerceat actionem, proposita scilicet conditione ex noua lege. Quæ licet personalis actio sit,[17] quia condictio est, in rem tamen scripta dicitur,[18] quia non ad condemnationem vllam aduersus tertium possessorem extorquendam datur, sed ad solam possessionem auocandam,[19] siue quasi iure retentionis, ac si nec amissa vnquam esset, quo iure passim & indistincte Senatus noster vtitur,[20] siue ad eam recuperandam, iis nimirum casibus, quibus negari certe vix possit, quin sit amissa, vtputa si is, cuius corpore possidebatur, vel transtulerit ipse possessionem in alium, vel de possessione vi deiectus sit, quod & iam olim veteres Glossatores senserunt.[21] Quanquam mihi semper probabilior visa est noua illa sententia,[22] vt ad hos duos casus constitutio Justiniani nullo modo pertineat,[23] nec tam ad dandam possessionis amissæ repetitionem, quam ad impediendum, ne ex tali possessionis amissione, quæ ex doloso & malitioso detentoris facto contigerit, vllum domino præiudicium generetur,[24] siue rem suam à nouo possessore vindicare velit is, qui iam est dominus,[25] siue cœptam rei alienæ vsucapionem complere is, qui erat in cursu vsucapiendi,[26] quamuis regulare sit, vt interrupta quantulumcumque possessione vsucapionem quoque interrumpi sit necesse.[27] Ego neque ad creditorem ea constitutio pertinere potest, in cuius scilicet persona, quamdiu creditor manet, nihil est, quod de dominio tractari queat.[28] Sed neque illud ferre possum, quod Interpretibus placet, etiam illum, qui possessionem suam sciuerit interuersam ab eo, cuius corpore & animo possidebat, saluum ius habere in annum vsque 30. auocandæ possessionis,[29] quam vtique ex ratione iuris intelligendus sit amisisse, ex quo die vel vacantem sciuit vel ab alio occupatam, & eam apprehendere ac recuperare neglexit.[30] Nam & sufficeret lapsum esse ignoranti decennium, vt tam longo tempore per oblitionem amissa possessio intelligeretur.[31] Estque per absurdum sane, vt eius, cuius possessio interuersa fuit, melior cõditio sit ob id, quod interuersa fuerit, quam si interuersa non esset,[32] cum nec id egerit Justinianus, vt ei faueret, sed tantum vti ne ex aliena malitia damno eum affici pateretur.[33] Nõ est autem quod de aliena malitia conqueratur is, qui ex sua potissimum negligentia damnum sensit,[34] tametsi alterius malitia eam negligentiã præcesserit.[35] Atq; ita tractabam in causa quadam ardua, ad 6. Cal. Jun. 1597. Alioramen iure vtimur ex Interpretum nostrorum receptis traditionibus ad eam Justiniani constitutionem, quantum ad hoc, vt & creditori beneficium nouæ legis accommodetur,[36] & ei quantumuis interuersam scienti possessionem, adeoque ipsius hæredi ad annos vsque 30. non denegetur.[37] Odio scilicet interuersionis.[38]

1 *In l. vlt. C. de acquir. possess.*

2 Afflict. late post alios multos, quos refert & sequitur *decis.* 139 Dixi *Definit.* 39. *supr. de acquir. poss.* Osasch. *decis.* 35.

3 §. *vlt. Inst. de perpet. & tempor. act.* Bald. *in tract. de præscr.* 4. *parte* 4. *partis principalis, quæst.* 1. iunct. *l.* 3. *C. de præscript.* 30. *vel* 40 *annor.*

4 Quo scilicet casu non procedit hic titulus, *C. si aduers. credit.* Balb. *vbi supr. quæst.* 3.

5 Hæc sententia fuit & distinctio Curtij iunioris, *in rubr. D. si cert. petat. num.* 17. quem refert Iacob. Menoch. videturque tandem probare *remed.* 14. *recup. possess. n.* 69. *& n. vlt.*

6 *L.* 1. *& 2. C. hoc tit.* Oldrad. *cons.* 19 *in princ.*

7 *L. cum notissimi* 7. *C. de præscript.* 30. *&* 40. *annor. l.* 2. *C. de luit. pignor.*

8 *L. cum principalis, cum ibi not. de reg. iur.*

9 *L. si debitor* 11. *iuncta l. certe* 6. §. *quæsitum, D. de pretar.*

10 *d. l. cum principalis, cap. accessorium,* vbi Dyn. & alij, *de reg. iur. in* 6.

11 Quod absurdum est, cum debeat ei præscriptio prodesse, non nocere, *l. in libello* 12. §. *si quis seruum. D. de captiu. & postlimin.*

12 Ita Menoch. *d. remed.* 14. *n.* . . . *quæst.* 17 *n.* 60. post Ruin. *cons.* 77. *n.* 7. *in fin. lib.* 5.

13 *L. Paulus* 12 §. 1. *ff. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

14 Menoch. *ibid. n.* 64.

15 Hypothecam enim hoc casu sublatam esse fatetur ingenue Afflict. *d. decis.* 139. *in fin.* [Sed male ni fallor, quia pignus habet suas illas perpetuas conditiones, si debitum nõ soluatur, nec aliter eo nomine satisfiat *l. grege* 17. §. *etiam ff. de pignor. l. si rem* 9. § *omnis de pign. act. l. debitor* 59. *ad SC. Treb. l. pen.* §. 1. *de except. rei iudic.* Nemo autem dixerit solutum esse ob id solùm quod tertius rem obligatam possederit per longum tempus bona fide. Quare nec hypothecaria ipso iure tollitur, sed tantum inefficax constituitur, vt ait *l.* 1. *C. hoc tit.* id est per exceptionem eliditur. Cæterum, & pignus durare & pignoris persecutionem ipso iure constat, ex *d. l.* 1. in illis verbis *Creditoribus pignus persequentibus*, & rursum in illis *ineffectum actionem constituit.* Vt proinde creditor agens hypothecaria post longũ tempus non possit dici agere nullo iure, & sine actione, sed tantùm summouendus per præscriptionem quæ ipsa nihil nisi exceptio est. Nec tamen ideo erit inutilis hypotheca, cùm possit parere retentionem, siue agat creditor condictione ex *l. vlt. C. de acquir. poss.* & beneficio clausulæ constituti, siue quo alio modo nactus sit possessionem dum sine vitio, vt in *l. hæres* 21. *ad SC. Treb.* Semper enim hypotheca parit retentionem, tum quoque cùm actionem nullam producere prodest, vt in *l. 1. in princip. D. de pignor.* Multò magis cùm parere potest actionem quamuis inefficacem, propter exceptionem. Non enim sicut actio, ita & retentio per exceptionem aliquam elidi potest, cùm actio sit nomen iuris, retentio potiùs facti. Sic dicendum est, si hypothecaria contra debitorem ipsum præscripta sit spatio 40 annorum iuxt. *l. cùm notissimi* 7. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* hypothecam tamen durare, & consequenter habiturum creditorem ius retentionis, si quo modo rei obligatæ possessionem rectè nactus sit. *Ita in Senatu* ex tempore tractatum est, 6. Cal. Aprii. 1612.]

16 Neque enim potest fieri, vt res teneatur iure pignoris & hypothecæ post sublatum vinculum pignoris, *l. si debitor* 40. *ff. de pignorat. act.*

17 *Ex l. vlt. C. de acquir. p. ff.*

18 Tessaur. *decis.* 215 *n.* 5. *in fin.*

19 Licet remedium hoc sit proditum contra tertium possessorem directè & principaliter, qui proinde quantum ad hoc debitor quodammodo reputatur, si credimus Menochio, qui post alios ita scribit *d. remed.* 14 *n.* 71.

20 Habet enim Senatus noster condictionem illam *ex dict. l. vltim.* pro remedio retinendæ dumtaxat possessionis, quod Pragmatici nostri dicunt, *de maintenue & retenue*, vt dixi *Definit.* 1. *&* 4. *supr. de acquir. poss.* contra Menoch. *num.* 9. *& seqq.*

21 Accurs. ex sententia Ioannis antiqui Glossatoris *ad d. l. vlt.* vbi distinguit quatuor casus, Si is, cuius corpore possidebamus, possessionem dereliquerit, Si eam alij prodiderit, Si in alium transtulerit, Si denique vi deiectus sit: nec dubitat, quin his duobus posterioribus casibus amittatur possessio, subiiciens tamen posse illa recuperari conditione *ex d. l. vlt.* nempe quoniam putat, omnes istos quatuor casus illa lege comprehendi.

22 Quam pluribus comprobauimus in prioribus Decadibus Chiliadis nostræ *De error. pragmat.*

23 Quia

BIU Cujas

23 Quia his duobus casibus non tam amittitur possessio per dolum & malitiam eius, cuius corpore possidebatur, quam per factum illius, qui incipit possidere. Nec potuit Iustinianus facere, vt duo essent eiusdem rei in solidum eodem tempore possessores, *l.3.§.ex contrario.ff.de acquir.poss.l. duo in solidum 19.ff.de precar.*

24 Sic enim diserte habent verba ipsa constitutionis.

25 Nec enim amissa possessione amittitur statim dominium, *l.naturaliter 12.§.nihil commune.ff.de acquir.poss.*

26 De quo potissimum intelligenda haud dubie est lex Iustiniani.

27 *L.sine possessione 25.ff.de vsucap.*

28 Cùm nõ possit piguus perseuerare post dominium creditori acquisitum, *l.pen.§.1.ante fin.de except.rei iudic.*

29 Sic enim Tessaur. *d.decis.215.n.6.vers. contrarium*, & *decis.105.n.8.* post Menoch. & alios ibi citat.

30 *L.si de eo 40.§.si forte.* vbi Baltol. & post eum alij, *ff.de acquir.poss.* Menoch. *remed.4.de recup.poss.quæst.14.n.50.* Dixi *Defin.22.supr.*

31 Tiraq. *de iur.constit.limit.21.n.9.* quem refert Tessaur. *d.decis.215.n.6.*

32 Exemplo eius, quod de condemnato scriptum est *in l. in princ.de vsur.*

33 Vt constat ex verbis & rationibus à Iustiniano positis in vtraque parte legis.

34 Cum debeat suæ negligentiæ expensum id ferre, *vt in l. pupillus 24.ff.quæ in fraud.credit.* nec vi leatur quis damnum sentire, quod ex culpa & negligentia sua sentiat, *l. quod quis 203 de regulis iuris.*

35 Debet enim sibi imputare, qui parato iuris auxilio vti noluit, *l.vlt.ff.quod met.caus.*

36 Menoch. *d.remed.14.recup.poss.n.42 & 60.*

37 Tessaur. *d.decis.105.n.8.* post Menoch. *vbi supr. nu. 68. & seqq.*

38 Ne sit in potestate dolosi & malitiosi hominis alterius conditionem facere deteriorem, *l.2.ff.quod vi aut clam.* Quanquam hæc ratio ad rem nostram non pertinet. Quod enim tertius possessor præscribit aduersus hypothecariam, habet à lege non à debitore. Proinde non potest ei adimi per vllam conuentionem debitoris, *arg.l.3.ff.de interd.& releg.*

DEFINITIO VI.

An condictio ex l.vlt. C. de acquir. poss. danda sit constitutario creditori post decennium contra eum, qui sub hasta & auctore Iudice comparauit?

HIs omnino consequens est, vt aliud dici debeat, si possessio, quam quis alieno corpore & animo retinebat, non per dolum & malitiam eius interuersa sit, sed amissa licite,[1] & ex Iudicis auctoritate,[2] puta si contra debitorem, qui constituerat se creditoris, sui nomine possidere, capta sint in iudicati executione pignora, quæ postmodum sub hasta & publice fuerint distracta.[3] Nam præter id, quod ad publicas istas venditiones Iustiniani constitutio non pertinet, quæ & mandante iudice, & in inuitum ex iuris necessitate fiunt,[4] ne alioqui, dum vni creditori fauere volumus, alij noceamus, ne consequi suum possit,[5] Illud etiam constat, posse imputari ei, qui vel publico programmate, vel præconis voce admonitus rem sibi obligatam vendi passus, nec de iure suo protestatus est. Hactenus saltem vt si non omnino ius sui pignoris remisisse videatur,[6] quod præconis vox paucis innotescat,[7] ius tamen commune creditorum omnium sequi cogatur,[8] nec post lapsum inter præsentes decennium, aut inter absentes vicennium contra bonæ fidei possessorem, qui auctore Judice comparauit, agere volens audiatur.[9] Nec aliud erit probandum, etiamsi subhastatio facta sit non contra eum, qui creditoris sui nomine possidere se constituerat, sed aduersus alium, qui emerit, præsertim bona fide, ab ipso debitore possessionem creditoris sui interuertente, cum in cæteris omnibus, maxime vero quoties de temporis præscriptione agitur, soleat melior, non deterior eius conditio esse, qui non à debitore malæque fidei possessore causam [illegible] ab alio mediato, vt vocant, auctore.[10] Quanquam non possum videre, quonam odio dignus sit is, qui rem ab alio possessam beneficio clausulæ constituti, etiam ignorante constitutario, vel vendit, vel comparat, cum neque constituti vel precarij clausula, neque ius ipsum pignoris, quod multo potentius est, impedire possit, ne liceat debitori rem obligatam vendere, aut ne alij comparare, saluo creditori pignoris sui iure:[11] ne, si aliter obseruemus, magno incommodo afficiantur debitores, nemine cum iis contrahere volente,[12] eo metu, ne qui habent ius transferendæ proprietatis, non habeant transferendæ possessionis[13] propter adhibitam in quo alio præcedente contractu clausulam constituti,[14] quæ in omnibus pene contractibus ex vulgari Notariorum stylo adhiberi solet, tametsi neque contrahentes, neque Notarij ipsi protestatem eius clausulæ intelligant. Id vero, quod nos dicimus, tum maximè obtinere debet, cum bona debitoris vniuersa generaliter obligata sunt, quod passim fit, cum clausula constituti alioquin fieret, vt exinde nihil posset debitor ex bonis suis alienare, quantumuis locuples esset ac soluendo, quin creditoris sui possessionem interuenisse, in eoque mala fide versatus fuisse diceretur, tametsi ex iusta sibique vtili, adeoque prorsus necessaria causa vendidisset. Quo admisso prohibendum sane esset, ne quis per istas constituti & precarij clausulas possessionem vniuersorum debitoris bonorum sibi posset acquirere; sicut & iam illud ob eandem causam iure indictum est, ne cui vnquam liceat pro certo debito vniuersa debitoris sui bona iure dominij possidere,[15] præsertim cum clausula constituti adimat possessori ius offerendi, quod conuentio anterioris hypothecæ non adimeret.[16] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ratio enim, qua mouetur Iustinian. *in d. l. vltim.* ostendit, nihil minus eum cogitasse, quam vt licitas & iure communi permissas rerum alienationes prohiberet, cum tamen alienatio fieri regulariter non possit sine translatione possessionis.

2 Nihil enim potest imputari ei, qui adhibet Iudicis auctoritatem, *l non videntur 167.§.qui iussu, vbi not. ff.de reg iur. l.ait prætor 7.§ permittitur, de minor l.sancimus 25.C.de administr.tut.*

3 *L.ex l.à Diuo Pio 15.ff.de re iudic. & tot.tit.C.si in caus. iudic.pign.capt.sit.*

4 Cum eo quoque casu, quo alienationes generaliter prohibitæ sunt, eæ tamen exceptæ intelligantur, quæ sunt necessariæ, *l.alienationes 13.D.famil.erciscund. filiusfamilias 114.§. Diui 2.de leg.1. l.3.§.1.de reb.eor.qui sub tutel.*

5 *Contra l.1.& 2.C.debit.vendit.pignor.imped. non poss. l. creditorum 8.ff.de distr.pignor.*

6 Quod tamen summo iure dicendum videretur, *l.si eo tempore 6.l.si hypothecas 8.Cod. de remiss. pignorib.* si nulla interuenerit protestatio, *l.4.§.1. D. quib.mod.pignor.vel hypoth.soluit.*

7 *Auth.qui semel, C.quom.& quand Iudex.*

8 Non enim lædi videtur, qui iure communi vtitur, *l. vltim.Cod. de in integr.restit.minor. l. inter 26.§.penult. D.de fideiuss.*

9 *Ex l.1.& 2. Cod.hoc tit. Auth.malæ fidei, Cod.de præscr. long. tempor.* Menoch. *remed. 15. recup. poss. num. 73. & seqq. & 89.*

11 *L. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alienat. l.2.D. si quis à parent. manum. sit l. debitorem 15.C.de pignor.*

12 Similis ratio est *in l.quod si minor.24.§. non semper, ff.de minor.*

13 Cum tamen alienatio possessionis sit multo facilior, quia nec alienare intelligitur, qui omittit duntaxat possessionem, *l.4.§ [illegible].de alien iudic.mut.caus.fact.l.non alienat 119.de reg.iur.*

14 Quis enim vellet cum tali debitore, quamuis locupletissimo, contrahere, cum non esset habiturus exceptionem non factæ excussionis, vt dixi *Defin.1.& 2 sup.de acqu.poss.* Menoch. *remed.14.recup.poss.quæst.7.n.28.*

15 *L.2.C.de iur. domin.impetr.*

16 Dixi *Defin.praced.num.12.*

BIU Cujas

TIT. XI.

DE QVADRIENNALI præscript.

DEFINITIO I.

Serenissimi Sabaudiæ Duces habent iura Imperij, & gaudent priuilegiis omnibus Imperatoriis.

SÆPIVS à Senatu nostro pronunciatum est Serenissimos Duces nostros habere iura omnia Imperij & suprem ę potestatis, iisdemque priuilegiis omnibus gaudere, quæ Romanis legibus Imperatoriæ Maiestati tribuuntur, siue quod Imperij sint Vicarij perpetui, siue quod annis iam ab hinc plusquam sexcentis Sabaudiam vi & armis subactam, non nisi Deo Opt. Max. virtutique propriæ acceptam ferre debeant. Itaque cum quæ eretur, an Zenonis & Justinianiconstitutiones, quę de quadriennij præscriptione factæ sunt in eorum fauorem, qui ab Imperatore ius haberent,[1] prodesse possent ei, qui à Principe nostro cõparasset; placuit, nec dubitari posse, quin prodesse deberent. Ita iã pridem Senatus pro D. Comite de Tournon, contra D. Baronem de Chiurnon, mense August. 1571. Sed & quibus casibus Imperator gaudet præscriptione centenaria,[2] iisdem prorsus placuit idem priuilegium Principibus nostris suo iure competere. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. infr. tit. prox.

1 Quæ extant *in l. 2. & l. bene à Zenone, C. hoc tit.*

2 De quibus *in tit. seq. Ne rei domin. vel templor.* [Aliter tamen visus est sentire Guid. Pap. *quæst.* 33. Quamuis idem fateatur, *quæst.* 43. Principem qui recognoscit superiorem non posse habere parlamentum, vt ipse loquitur: quomodo tamen dux Sabaudiæ habet duo, Vnum in Sabaudia, & in vrbe Camberij (olim dicebatur Forum Vocontiorum:) Alterum Taurini apud Subalpinos.] * Vide Octau. Cacheran. *decis.* 155. vbi ex eo infert posse duces Sabaudiæ, in dominiis & territoriis suis ea omnia facere quæ po est Imperator in suis, ac proinde imponere angarias, & alia quæcumque vectigalia non minus in mari adiacenti quàm in terra saltem ad centum vsque miliaria, vide Socin. *cons.* 4 *n.* 23. *vol.* 3. Paris. *num.* 39 *volum.* 1. *cons.* 1. Iason. *cons.* 127. *col.* 8. *lib.* 2. Iacob. à Sancto Georg. *in sua inuestitura in verbo Carolus Dux.*

TIT. XII.

NE REI DOMINIC. VEL templor. vind. temp. præscr. sum.

DEFINITIO I.

De præscriptione aduersus eum competente, qui emit à Principe.

TEMPORIS præscriptionem constat obiici posse non solum ei, qui Principe ius habeat, de quo ambigi minus potest,[1] sed etiam ipsi Principi,[2] Nec tantum si agatur de re, quæ spectet ad principem tanquam priuatum,[3] sed & si de ea, quæ fuerit Principis, vt Principis aut coronæ.[4] Nec est qui de hoc dubitet. De illo tantum dubitari soiet, an centenaria præscriptio requiratur, an quadragenaria sufficiat? In qua quæstione licet alij aliter sentiant, verior tamen eorum sententia est, qui casus illos quatuor, quos expressit lex Justinianea,[5] De sacrosanctis Ecclesiis, separant à cæteris. In quatuor illis casibus placet, Principem, qui iura Imperij habet,[6] gaudere priuilegio centenariæ præscriptionis, quia cum ciuitatum suarum Princeps sit, non minus iuris habere debet in actionibus suis exercendis, quam ciuitates, quæ fiscalia iura obtinent. In quibus procul dubio manet Justiniani lex incorrecta.[7] Nam nouella constitutio, quæ centenariam præscriptionem redigit ad quadragenariam,[8] non nisi de Ecclesiis loquitur Romana inferioribus: de ciuitatibus autem nullo modo,[9] At extra quatuor illos casus placet quadragenariam præscriptionem nocere Principi,[10] præterquam si de censibus aut tributis agatur, quæ quia debentur in signum subiectionis,[11] nullius temporis præscriptione amittuntur.[12] Sed quamquam ex iuris ratione hæc omnia verissime disputantur, eo tamen iure vtimur, vt, quod ad eas res attinet, quæ sunt de domanio Principis, nec quadragenaria, nec alia vlla præscriptio Principi obiici possit; exemplo nimirum iuris Gallici, quo prohibita est non tantum alienano, sed etiam præscriptio quælibet domanij coronarij, edictis in eam rem conscriptis.[13] Etsi enim Gallorum legibus non viuimus, edicto tamen Ducis nostri Ludouici, quod ad 9. Calen. Maias 1445. factum est, constitutum fuit, vt idem sit hac parte ducalis domanij fauor, qui regij apud Gallos. Accedit, quod aliis quamplurimis aliorum Ducum edictis alienatio domanij coronarij districtè prohibita est: alienationis autem verbum sicut vsucapionem[14] comprehendit, ita & temporis præscriptionem.[15] Et vero non tantum Principis interest, sed etiam Reipublicæ, vt huiusmodi temporum præscriptiones explodantur. Nam alienatis, vt vbique fit, bonis fere omnibus, quæ domanij erant coronarij, pessime ageretur cum Principe, si redimendi iura quanticumque temporis præscriptione tolli possent: nec tantum cum Principe, sed etiam cum subditis, quorum incommodo cessura essent vniuersa Principis & Reipublicæ onera, si nihil ille de suo haberet, vnde sibi ipsi suisque subuenire posset. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. sup. De obligat. & action.

1 Non enim Princeps sit, qui à Principe ius habet, nec iisdem potest gaudere priuilegiis, siquidem personæ vel dignitati data priuilegia non solent in alium transire. *l. quia tale* 14. *ff. solut. matrim. l. priuilegia* 196. *cum ibi not. de reg iur.*

2 Quia Principe digna vox est, quamuis sit ille solutus legibus, se tamen legibus alligatum profiteri, *l. digna vox* 4. *C. de legib. l. ex imperfecto* 23. *de leg.* 3.

3 In quo rerum genere certum est Principem vti iure priuati, nisi cum aliter constitutum est, *vt in l. vlt. vers. sed scimus, C. de quadr. præscrip. l. fiscus cum in priuati* 6. *D. de iur. fisc. l. cum quidam* 17 § *fiscus de vsur.* Specul. *in tit. de feud.* §. *quoniam, quæst.* 24.

4 Duplex enim est patrimonium Principis. Vnum, quod spectat ad Principem, quatenus Princeps est, quod vocatur domanium coronæ, cuius proprietas spectat ad maiestatem & coronam, non autem ad personam organicam Principis. Aliud est, quod spectat ad Principem aliunde quàm ratione coronæ, quod vocatur priuatum patrimonium Principis, *dict. l. bene à Zenone, vers. sed scimus.*

5 *L. fin. C. de sacros. Eccles.*

6 Quomodo habet Sereniss. Dux Sabaudię, cum sit Imperij vicarius perpetuus, vt dixi *tit. super.*

7 Quod enim correctum & immutatum non est, cur stare prohibeatur? *l. sanctimus* 27. *C. de testam. l. præcipimus* 32. *in fin. C. de appell.*

8 *Nouell.* 131. *de eccles. tit. c.* 6 § *pro temporalibus*, vnde sumpta est. *Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccles.*

9 Et in hoc recentiores obseruant lapsum Boer. qui contra scripsit *decis.* 164. *n.* 25. Vide Didac. Couarr. qui alios refert, *ad reg. possessor*, §. 2. *n.* 8. *in fin. in* 2. *prælect.*

10 *L. omnes* 4. *& l. comperit* 6. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *annor.*

11 Et vniuersalis dominij, vt loquitur Bart. *ad d. l. competit.* vbi notat, eam legem non esse porrigendam ad canonem si-

rem emphyteuticarium, qui debetur in recognitionem directi dominij.

12 *d.l.competit.* & ibi not. idem Didac. vbi supra *n.vlt.* post Alex. *cons.*16.*n.*24.*lib.*5. Guid. Pap. *quæst.*416.*in princ.* Crauet. *de antiq.temp.part.*4.*c.absolutis,n.*40. *& seqq.*

13 Quæ refert & copiosè doctèque more suo enarrat Renatus Choppinus *de doman. reg.lib.*3.*tit.*9.*n.*7.

14 *L.alienationis* 28. *de verb. signif.*

15 Per quam scilicet etiam vtile dominium acquiritur, *l.si duo* 13.§.*Iulianus.D.de iureiur.l.si quis emptionis* 8.*C.de præscr.* 30.*vel* 40.*annor.* iunct. *l.vlt.C.de rebus alien.non alienand. & l.* 2.*C.de fund.dotal.* Afflict. *decis.*254.*n.*3.

DEFINITIO II.

Præscriptio, quæ potuit obiici Principi potest obijci etiam possessori.

PRæscriptio temporis, quæ obiici potuit Principi vindicanti rem, ad domanium & patrimonium siue priuatum Principis, siue coronæ pertinentem, perinde obiici potest cuilibet Principis successori, non solum si hæreditariam causam habeat, sed & si succedat iure feudi[2] aut armorum,[3] quia non tam aduersus hunc vel illum Principem, quam contra fiscum Principis aut coronæ ius præscriptionis quæsitum intelligitur;[4] alioqui non fuisset edictum in Gallia necessarium ad summouendam centenariam præscriptionem,[5] cum Galliæ regnum sic comparatum sit, vt Reges Regibus consanguineis succedant, non tam hæreditatis, quem feudalis, aut potius simplicis successionis iure.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Ex l.omnes* 4.*C.de præscr.*30.*vel* 40.*annor.*

2 Feuda enim iure successionis & sanguinis, non hæreditatis deferuntur, *tit.*8 *de succes.feud.in vsib feudor.lib.*5.

3 Occupata scilicet prouincia eius Principis, cui poterat obiici præscriptio.

4 Nemo enim plus iuris habere potest ex alterius persona, quam alter ille habuerit, *vulg.iurib.*

5 Apud Gallos enim obtinet ex edicto, vt patrimonij Principalis æterna sit auctoritas, summota etiam centum annorum præscriptione, vt refert Choppin. *lib.*3. *de doman. reg.tit.* 9 *de diuers.rer.fiscal.præscr.n.*7. Alius sensus est *tit.* C. *ne rei domin. vel templor.*

6 Quomodo succeditur in cæteris feudis. *tit. de succes. feud. & de natur.feud.in vsib feudor.lib.*1. *& ibi not.*

DEFINITIO III.

Qui emit à Principe rem iam alij venditam non potest vincere, nisi pro eo interueniat Procurator Principis.

QVius aliquod à Principe nactus est, quod longissimi temporis præscriptione, si inter priuatos ageretur, excludi posset,[1] audiendus non est, si oppositam præscriptionem solo prætextu non alienandi patrimonij Principis remouere velit.[2] Qua enim fronte id faciat, quando is ipse ex alienatione in se collata experiatur?[3] Maximè vero cum nullum aduersus Principem regressum habiturus sit, qui non agendo & ex propria negligentia perdidit actionem.[4] Quid ergo? curare debet, vt liti interueniat Principis Procurator, ex eius persona actionis suæ vires aduersus præscriptionis vim muniat, & tueatur.[5] Principis namque interest saluam manere actionem, cuius redimendæ ius perpetuum aduersus actorem ipsum, cum vicerit, habiturus est.[6] Nec ei nocere debet, quod actionis amissæ per actoris negligentiam indemnitatem consequi Princeps possit ab eo, qui agere & potuit & debuit. Nam præter id, quod non fuit cogendus is, qui cum Principe contraxit, vt inuitus ageret, iusque Principis exerceret,[7] si non ad hoc ipsum se obligauerat,[8] illud etiam constat non esse cogendum Principem carere re sua, si eam habere malit, quam vel aliam rem, vel pro re pecuniam;[9] exemplo eius, quod in persona minoris obseruatur, vt non eo minus illi indulgendum sit beneficium restitutionis ad rem suam recuperandam, quod curatorem suum de mala administratione habeat obligatum.[10] Quamquam non ignoro, minorem in multis fauorabiliorem esse Principe etiam minore, in eo præsertim, quod ad in integrum restitutionem pertinet, quia Principi numquam aut sane difficilius subuenitur ex causa siue minoris ætatis, siue iustæ ignorantiæ, cum res suas gerere soleat per curatores & magistratus, quorum scientiam, aut supinam dolosamve ignorantiam, dum ne collusio interuenerit,[11] ipsi nocere æquum est.[12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quomodo possunt omnia fere iura post Imperatorum constitutiones, quæ extant *in l.*3. *& 4.C.hoc tit.*

2 Non enim est exceptio illa exclusiua iuris agentis, nisi sub ea conditione, si tertius velit, ideoque non est admittenda, cum sit de iure tertij. Bart. *in l.*2 *D.de except.rei iudic.*

3 Nemo siquidem potest alij obiicere culpam, cuius ipse quoque sit conscius, *l.viro* 39 *ff.solut.matrim. l.*3. *D. de fid. instrument.*

4 *Arg.l.si ideo* 55.*D.de euict.l.si fideiussor* 29.*D mandat.*

5 Sic enim sæpe accidit, vt per alium quis possit consequi, quod per se non posset, *l.*3.*in fin.ff.qua res pignor.l.si is qui duos* 29.*de liber.legat.*

6 Interest enim illius, ad quem aliquo casu res reditura est, *l.pater filiæ* 71.*D.de euict.*

7 *L.vnic.& tot tit.C.vt nem.inuit.ager.vel accus.cogat.*

8 Conuentio enim, si qua interuenisset, seruanda esset, cum omnes contractus legem ex conuentione accipiant, *l. contractus* 23. *de reg.iur.*

9 *L* 1.2. *&* 3 *C.hoc tit.* iunct. *l qua omnia* 25.*ad fin.ff. de procurat.l.in causæ* 13 §.*interdum,D.de minor.*

10 *L.vlt.& tot.tit.C.si tut.vel curat.interuen.* Quod speciale est in minore, quia inter ceteras causas ex quibus restitutio petenti denegari solet, vna illa est, Si possit iure communi consequi indemnitatem, *l.cum mandatu* 23. vbi Bald. *D.de minor.* Pet. de Rauen *sing.*179.

11 Semper enim hic casus excipiendus est, cum id, quod per collusionem factum fuit, ratum haberi numquam debeat, *l.si suspecta* 29 *D.de inoff.test.l.si perlusorio* 14.*D.de appellat. & tot.tit.ff.de collus.deteg.*

12 Balb. *in* 2.*part.*5.*partis princip.quæst.*3.*n.*8. *vers. sed dubitatur.* post Bart. *in l.si publicanus,*§. *vlt.de pub. & vectig* cum aliis ibidem citatis. Sic & municipibus singulis nocet scientia eorum, quibus summa Reipublicæ comm ssa est, *l. municipes* 14 *D.ad municip.* Tiraq. *de nobilit.c.*14 *n* 2 *&* 3.

TIT. XIII.

DE PRÆSCRIPT. XXX. vel 40. annor. & centenaria.

DEFINITIO I.

De potestate præscriptionis 40. *annorum.*

TAntæ potestatis est quadraginta annorum præscriptio, vt neque ex capite iustæ ignorantiæ, neque ex qualibet alia causa in integrum restitutionem admittat, vbi semel completa est.[1] Plenissimam enim tribuit securitatem.[2] Sed & sola Romana Ecclesia excepta, quæ centum annorum gaudeat præscriptione,[3] aduersus cæteras omnes Ecclesias, etiam quæ à Romana immediate dependeant, sufficit quadragenaria: certe nec minor;[4] præterquam si ponas sententiam pro possessore latam, licet iniuste.[5] Sufficiat enim per triginta annos continuos à die sententiæ continuatam possessionem, vt possessor etiam aduersus Ecclesiam tutus sit.[6] *Ita tractatum est* in causa N. Ioannis Martini Procuratoris & Zachariæ Lanfrey, 10. Cal. Decembr. 1592. Junge Defin. 1. Si aduers. vsucap. vel præscript. restit. pet.

BIU Cujas

1 Hæc enim verior sententia est à plerisque probata, quos refert Afflict. *decis.* 17. & 329. quamuis ibidem referat, & testetur, communem esse in contrarium, itemque Balb. *in tract. de præscript. in 4. part. 4. part. princip. quæst. 29. n. 1. 5. & 7.*

2 Vt scriptum est *in l. omnes 4. hoc tit.*

3 *Nouell. 40 Vt eccles. Roman. cent. anner. gaud. præscript.*

4 Guid. Pap. *quæst.* 61. post DD. *in Auth. quas actiones, C. de sacros. Eccl.* Canonist. *in cap. de quarta, cap. ad aures, & cap. illud. de præscr.*

5 Cum res iudicata pro veritate habeatur, *lege res iudicatas* 207. *de reg. iur.* dummodo rite iudicatum sit, *l. 4. §. condemnatum, D. de re iudic.*

6 *Can. inter cætera 16. quæst. 3. §. item si de rebus,* & ibi Archid. *in glossimo præscriptio.* * tempus enim antiquum dicitur 30. vel 40. annor. vbi lex non requirit specialiter tempus centum annorum aut immemoriale, Ferret. *ad Guid. Papæ, quæst. 2.*

DEFINITIO II.

De præscriptione centenaria, & de immemoriali.

ETsi præscriptio centum annorum in plerisque differt ab ea, quæ est tanti temporis, cuius initij non extet memoria:[1] in hoc tamen conuenit, quod neque tituli, neque bonæ fidei probationem vllam requirit.[2] Nam præter id, quod ex solo lapsu tam longi temporis & titulus & bona fides facile præsumitur;[3] ipsa etiam temporis antiquitas vtroque casu iusti tituli vim obtinet.[4] Cui consequens est, vt si tam diutinæ possessionis titulus aliquis vitiosus proferatur, aut qua alia ratione malam fidem ab initio interuenisse appareat, centenaria præscriptio nulla sit;[5] postquam iure Pontificio placuit, vt nec malæ fidei possessor,[6] nec debitor,[7] nec ipsius hæres vlla temporis præscriptione defendi possit.[8] Quæ tamen exceptio non cadit in præscriptionem immemorialis temporis, cum immemoriale tempus futurum non sit, si ponas, malæ fidei, quæ ab initio interuenerit, memoriam aliquam constare.[9] *Ita Senatus* ex tempore pro D. Marchione d'Aix, contra D. Baronem de Peyrieu, 16. Cal. April. 1590.

1 Vt videre est ex iis, quæ pluribus in hanc rem tractat Cravet. *de antiq. tempor. part.*

2 Balb *in 2. part. 2. part. princip. quæst. 6. n. 18.*

3 Imo vero interdum etiam ex lapsu decennij, vt notat. *ad l. cum de in rem verso 6. ff. de vsur. l. si quis diuturno 10. ff si seruit. vindic.* Saltem ex lapsu triginta annorum, ex quo tempore præsumitur etiam titulus, si modo sit allegatus, licet agatur de magno præiudicio. Bald. qui dicit communem, *in 1. part. 3. par. princip. quæst. 10. n. 27.*

4 *L. vlt. ff. de aqua & aqu. pluu. arcend.* iunct. *l. 1. §. vlt. eod. l. 3. §. ductus aquæ ff. de aqua quotid. & æst.* * Vnde est quod in instrumentis excedentibus metam centum annorum non probatur antiquus rei status, quia medio tempore per centum annos mutari potuit. Molin. *in consuetud. Parisien. §. 5. nu. 14.*

5 Semper enim dandum est initium præscriptionis, & quidem iustum, quale esse non potest ex titulo, qui ab initio fuerit vitiosus, *l. 1. & 2. C. de long. tempor. præscr. quæ pro libert. compet.*

6 *Cap possessor. de reg. iur. in 6.*

7 *Cap. vigilantis & c. vlt. extr. de præscript.*

8 Quia hæres tenetur exonerare conscientiam defuncti, vt tractant Canonistæ *ad d. cap. vigilanti & d. cap. vlt. de præscript.* Aliud est, inspecto iure ciuili, ex quo etiam debitor præscribit non solum sine titulo, sed etiam cum mala fide ob solam negligentiam actoris, *l. sicut 3. vbi not. C. hoc tit.* multo magis hæres eius præscribit, qui potest ignorare, an defunctus debuerit, *l. qui in alterius 19 de reg. iur.* Hodie ex Principis edicto, quod factum est anno 1598. vtimur iure ciuili, quantum ad hæredem, vt possit præscribere, nisi sit & ipse in mala fide: non autem quantum ad ipsum debitorem, qui vtique bonam fidem habere non potest. Vide tamen Guid. Pap. *qu.* 199.

9 *L. si arbiter 29. ff. de probat.*

DEFINITIO III.

Pacto de retrouendendo toties quoties præscribitur triginta annis.

QVi obligatus est ad retrouendendum fundum, quem ea lege emerat, vt pretium offerenti quandocunque venditori restituere cogeretur, triginta annorum præscriptione se tueri potest, licet conuentionis verba sic concepta sint, vt toties, quoties venditor volet, retrouenditionem fieri oporteat.[1] Quid enim aliud ea conuentione actum videri potest, quam vt perpetuum esset ius redimendi, perpetuaque actio?[2] Atqui etiam perpetua iura perpetuæque actiones longissimi temporis præscriptione excluduntur,[3] Nec videtur in mala fide esse emptor, qui iure communi vtitur,[4] nisi expressim conuenerit, vt ius illud vltra trigesimum, adeoque quadragesimum & aliud quantumcunque tempus extendatur. Nam quin id conuentione fieri possit nemo dubitat,[5] multoque facilius, quam quod remedij loco quidam inducendũ putauerunt,[6] vt ex conuentione redintegretur & resuscitetur ius redimendi, quandocunque & quotiescunque præscriptioni locum factum esse contigerit.[7] Multum tamen refert, an conuentionalis præscriptionis annorum potestate finitum sit ius redimendi? Priore namque casu, non etiam posteriore, quamuis medio tempore pupillaris aut minoris hæredum venditoris ætas inciderit, nihilominus proderit emptori præscriptio, si modo tempus cœperat currere cum maiore, & quidem cum effectu ac sine metu restitutionis.[8] Iniquissimum enim fuerit, eum, qui cum pupillo non contraxerit, expectare ipsius pubertatem.[9] At ex legali præscriptione 30. annorum tempus pupillaris ætatis ipso iure subducitur, minoris vero ætatis, si nostris credimus, per restitutionem.[10] *Ita Senatus* 15. Cal. Iunij 1590.

1 Boer. *quæst. 351. num. 6.* post Ioann. Fabr. *ad l. cum notissimi, C. hoc tit.* Ial *in l. petens. C. de pact.*

2 Non enim potest diuturnior fieri per pactum actio, quam vt fiat perpetua. *tot. tit. Inst. de perpet. & tempor. action.*

3 *L. sicut 3. & l. omnes 4. C. hoc tit.*

4 *L. nullus videtur 55. de reg. iur. l. si duorum 52. D. de action. empt.*

5 Cum iustæ ac legitimæ conuentiones dent legem contractibus, *l. iuris gentium 7. §. ait prætor ff. de pact. l. 1. §. si conuenerit ff. depos. l. contractus 23. de reg. iur.*

6 Bald. *ad cap. si quis per 30. annos, si de feud. contr. fuer. in vsib feudor.*

7 Quasi repetito iure, quomodo solemus dicere de vsufructu repetito, *in l. repeti 5. D. quib. mod. vsusfr. amitt.*

8 *L. Æmilius 38. D. de minor.* Non idem est, si interrupta fuerit præscriptio per obsignationem licet factam ad domicilium originis eius, qui alibi quoque domicilium habuit. Boer. *quæst. 11. n. 3.* vbi ait, valere huiusmodi obsignationem factam coram Iudice loci, licet non valeret ibi citatio absentis scilicet ad ius perpernandum in simile vsque tempus.

9 *L. 3. D. ex quibus caus. in poss. eat.* Neque rursum ignorantia pupilli, quæ per ætatem contingit, debet cuiquam esse captiosa, *l. quod autem 6 §. si quid pupillo, ff. quæ in fraud. credit.*

10 *dict. l. sicut 3. vbi not. C. hoc tit.* Balb. *in 1. part. 6 par. principip. n. 33. & seqq.* * Idem Balb. *in 5. part. 4 part. princip. quæst. 3.* vbi addit. *num. vlt.* exceptionem, nisi cum pacto de retrouendendo coniuncta est læsio enormis, quo casu negat præscribi, post Barbat. & Chassan. quasi talis contractus sit fœneratitius, & simulatus ex quo constat nunquam præscribi. Idem sentit Tiraquell. *de retract.*

DEFINITIO IV.

Ius retrahendi præscribitur 30. annis, etiam adhibito iureiurando.

NOn aliud est, si agatur de iure redhibendæ rei non venditæ, sed permutatæ. Ius enim omne redhibendi, seu vt loquuntur, retrahendi sua natura patitur longissimi temporis, id est triginta annorum præscriptionem, si nihil aliud sit quod impediat,[1] quia cum ex contractu descendat, actionis nomen meretur potius quam facultatis.[2] Nec distinguimus, an in

an in contractu adhibitum sit iurisiurandum, nec ne.[1] Sicuti nec quicquam hac parte interest, an permutata res, an vendita proponatur.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.3.de oblig.& action.& Defin.1. Ne rei dominic.vel templor.

1 Eo scilicet iure, quo similiter cætera iura omnia longissimi temporis præscriptione tolluntur, *l.3. & 4.C.hoc tit.*

2 Et ideo præscribi potest, vt & cætera omnia quæ sunt facultatis, si cum iis coniuncta sit actio, Cravet. *de antiq. tempor. cap.circa præmissa, num.35.36.37.& 38.* post Alex. *cons.30.colum. penult.dub.5.lib* 5.Ias. *cons.210.in fin.lib.2.& cons.25 in fin. lib.3. & cons.101.col.fin.lib.4.* Sane quæ sunt meræ facultatis, nullo tempore præscribuntur, *l. viam publicam 2. D. de via public.* Bart. *ad l.cum notissimi in fine princ.C.hoc tit.*

3 Iusiurandum enim non immutat naturam contractus, in quo adhibetur, *l.vlt.C. de non numer.pecun.* Vide Guid. Pap. *quæst.*199.

4 Præsertim cum permutatio similis sit emptioni, *l.2.C.de rer.permut.*

DEFINITIO V.

Præscriptio centum annorum numquam censetur excluſa, niſi in caſibus.

EXclusa per statutum aut edictum Principis qualibet temporis præscriptione, numquam tamen centenaria exclusa intelligitur.[1] si non expressim de ea quoque actum sit,[2] aut nisi eadem sit ratio exclusionis, vt contingit, cum agitur de re ad domanium coronæ Regiæ aut principalis pertinente.[3] Edictum tamen in eam rem fieri multo melius esset ac vtilius.[4] *Ita Senatus* ibidem.

1 Balb. *in part.5.de præscript.qu.9. num.2. per text. not. cum gloss. in Auth. vt de cæter. commun. non fiant*, in verb *præscriptione*, Bald. *ad l.1.C.de annal.except.* * nisi agatur de re quæ sit per se impræscriptibilis, & quæ per mille etiam annos præscribi non potest.

2 Potest enim statuto tolli quælibet præscriptio, etiam centenaria, Balb. vbi supr. *n.3. vers.& quod possit, & seq.* * *l.vlt. C.de sacros.eccles.*

3 Quia res ipsa est affecta tanquam omnino impræscriptibilis, vt ibidem ait Balb. *numer.4. vers.& dicit* Bald. vbi adfert exemplum de re sacra, de homine libero, & de aliis, quæ non sunt in nostro commercio, aut quæ sunt in casu publico.

4 Vt dixi *ad tit.præced.Defin.1.& 2.*

DEFINITIO VI.

Exceptiones sunt perpetuæ, & durant post triginta annos etiam de iis rebus, de quibus actiones essent temporales.

VEndente marito mulier correa venditionis facta se cum marito, & pro eo obligauerat de euictione. Cum post annos triginta emptor controuersiam pateretur, mulierem ex ea causa conueniebat, vt rem defenderet, litemque assumeret.[1] Illa vero restitutionis auxilium implorabat, quasi perperam, & sine causa se pro marito reluctantibus legibus obligasset.[2] Placuit, non posse ei obiici præscriptionem longissimi temporis, quandoquidem in eius potestate non fuit, quando conueniretur.[3] Et consequenter locum hic habet, quod dici solet, ea quæ ad agendum sunt temporalia, perpetua esse ad excipiendum.[4] Nec enim dubitandum est, quin ius restitutionis in integrum, quod pragmatici rescindens vocant, proponi possit per viam exceptionis, adeoque replicationis & contradictionis.[5] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro Domina de la Cuille, 14. Calend. Decembr.1592.

1 *Ex l.si plus, 74 §.mota, ff.de euict.*

2 Hoc est contra Velleianum, *& Auth. si qua mulier, C.ill. titul.*

3 *L.petenda.6.C.de temp.in integr.restit.*

4 *L.pure, 5.§ vlt.D.de doli mal.except.*

5 Nam cui damus actionem, multo magis damus exceptionem & replicationem, *l.inuitus, 156. §.cui damus, de reg. iur.* Sic de querela inofficiosi scriptum est *in l.Papinianus.8. §. si filius, ff.de inoff.testam.*

DEFINITIO VII.

Ius offerendi, quod competit ad inducendam pignoratitiam, nullo tempore præscribitur. Secus in iure offerendi, quod competit posteriori creditori contra priorem.

IVs luendi pignoris, quod debitori competit aduersus pignoratitium creditorem,[1] nullius quantumcumque longissimi temporis præscriptione excluditur,[2] quia creditor non sibi possidet, sed debitori,[3] & quod debitor creditori suo offerre potest ad luendum pignus in mera facultate magis, quam in iure versatur.[4] Non idem est, si tractetur de iure offerendi, quod secundo creditori pignoratitio competit aduersus priorem ad proprium pignus confirmandum.[5] Hoc enim sicuti iuris est non facultatis,[6] sic eandem quam cætera iura patitur triginta annorum præscriptionem.[7] *Ita Senatus* in ea causa, de qua pluribus in hanc rem scribemus SC.21.22.23.infr. De luit.pignor.

1 Scilicet post solutum omne id quod debebatur. *leg.si rem alienam.9.§.omnis, D.de pign.act.*

2 Bart.& alij, *ad l.cum notissimi, §.sed cum illud, C.hoc tit.* Quamuis contra concludat Balb. *in 4. parte, 5. partis princip. quæst 2.*

3 *L.pignor.13 ff.de vsucap.*

4 Ratio est Bartoli *ad dict.l.cum notissimi, ex l. 2. D. de via public.*

5 *L.2.& 3 l.cum secundus, D.de distract pignor.l.1.l.prior, 5. & pass C.qui potio.in pign.hab.*

6 Quia competit ex contractu, vt apparet ex supradictis.

7 *Ex l.sunt, 3.& l.omnes, 4.C.hoc tit.* Vide Osasch. Cacher. *decis.115.*

DEFINITIO VIII.

Nuptiales vestes, de quarum solutione non apparet, an & quando possint peti per mulieris haredes?

NVptiales vestes nuptuæ puellæ promissas, & quæ ipso nuptiarum die solui ex conuentione debuerant, improbe post longissimum tempus hæres mulieris sibi solui postulat, non quod debitorem, quem propria promissio in mala fide constituit, longissimi temporis præscriptio tueri possit,[1] sed quia credibile sit conuentioni satisfactum esse, solutasque vestes puellæ, quæ quamdiu vixit, nec eas exegerit, nec de mora promissoris conquesta fuerit.[2] Aliud igitur erit, si eas vestes quasi non solutas petat illa ipsa, cui solui debuerunt, purgetque se de dolo malo, adhibita in eam rem, vt moris est, iurisiurandi religione,[3] licet quadraginta annorum, adeoque longioris temporis spatium intercesserit,[4] nisi aliæ solutionis factæ aut remissi debiti probationes vel præsumptiones adsint, & coniecturæ.[5] *Ita Senatus* in eadem causa, 5. Calend. April.1593.

1 Sequimur enim hac in re opinionem Canonistarum, non autem interpretum iuris ciuilis, quos refert & sequitur Guid.Pap. *quæst.*119. vt dixi *Defin.1.n.vlt.supr.eod.* Adde Balb. *in 2.part.princ.qu.13.* [Superuenit tamen post hæc scripta edictum Principis nostri, quo iubemur sequi hac in re opinionem Legistarum ad lites minuendas. Nec tantum in personis heredum debitoris, sed etiam in ipso debitore, nil obstante eius mala fide, sic enim tandem edictum acceptum est propter verba ipsius generalia, licet multis reclamantibus cum quibus & ego sensi aliquando & quoadusque vicit in Senatu contraria sententia.]

2 Nemo enim suum iactare præsumitur, *vulg. l.cum de*

BIU Cujas

indebito,25.ff.de probat. Vide tamen *l.vir vsuras,54.ff.de donat. int.vir.& vxor.* quæ in simili specie præsumit donationem.

3 Quod vulgo iuramentum purgationis appellant, cuius speciale ius est, vt admittat probationem in contrarium, *cap. vlt.Extr.de iureiur.* Et de hoc intelligi meo iudicio debet quod scriptum est *in l.admonendi,31.ff.eod.*

4 Nullo enim tempore potest debitor præscribere, cum sit in mala fide, *cap.vigilanti,& cap.vlt.Extr.præscript.*

5 Quales illæ sunt, de quibus *in l.Procula,29.ff.de probat.* Vsurarum & cæterarum accessionum alia ratio est. Facilius enim remittuntur, *l.cum quidam,17.§.Diuus Pius,ff.de vsur.*

DEFINITIO IX.

Non potest debitor vllo tempore præscribere, quantum ad sortem, sed potest quantum ad vsuras, nisi si quæ in vicem fructuum debeantur.

CReditori aut eius hæredi post annum quadragesimum, aut etiam si voles quinquagesimum, ex obligatione præsertim iurata,[1] agenti nullam temporis præscriptionem obiici posse constat, siue debitor ipse, siue primus, aut secundus, aut alius remotior ipsius hæres conueniatur, propter malam fidem, quæ in successorem vniuersalem licet ignorantem transmissa, impedit iure pontificio[2] præscriptionem.[3] Sed si proponas instrumento debiti dictam diem solutioni, & nominatim promissas vsuras, si ad diem pecunia nō solueretur, longe difficilius est, vt admittamus quinquaginta annorum vsuras peti posse,[4] cum in cæteris omnibus annuis præstationibus præscriptio triginta annorum hactenus recepta sit, vt non nisi ab anno nono post vigesimum peti possint:[5] Eo magis quod vsurarum præstatio longe est odiosior,[6] quam canonis annui, qui pro re emphyteuticaria penditur,[7] aut alterius annuę cuiuslibet præstationis, aut etiam annui legati, ideoque & facilius earum remissio præsumitur, vel hac sola coniectura, quod credibile sit, ideo non petitas, vt creditor præstaret se gratiorem debitori,[8] nisi proponas fuisse debitas ex causa venditionis, & in vicem fructuum, quos emptor ex re vendita toto illo quinquaginta annorum spatio perceperit,[9] ne absurdum illud sequatur, vt emptor contra bonam fidem & re & pretio fruitus videatur,[10] quod tanto iniquius fuerit, quanto plures anni interc ssisse probabuntur.[11] *Ita tractatum est* extempore in secreto auditorio, in causa D. Benedicti Cauet Senatoris, & Dominæ de Quiege, 16. Cal. April. 1593.

1 Solet enim potentior esse obligatio, quæ est iurata, ne scilicet periurium incurratur, *cap.debitores, & capit.cum contingat.Extr.de iureiur.*

2 Nam iure ciuili aliud est, *l.sicut 3.& seq. C. hoc tit.*

3 Sequebamur enim hac parte ius pontificium, vt dixi *Defin.*prox.*nu.*1. *supr.* quousque factum est de hac re edictum, de quo *Defin.*1.*num.*8. *supr.* Itaque hæc Definitio in hærede debitoris hodie correcta est. [Imo & in debitore ipso, vt sæpius à Senatu nostro pronunciatum est, me tamen non semel reluctante.]

7 Facilius si quidem perimitur petitio vsurarum, quam sortis, vt dixi *Defin.præced.num.*5.

5 *Ex l.cum notissimi,* 7.§.*vltim.C.hoc tit.* & ibi nostri tractant.

6 Quia pecunia res sterilis est, nec pecuniam parit, *l.si nauis,62.ff.de rei vindic.l.*3. *C.de vsur.*

7 In recognitionem scilicet dominij directi, *l.vltim. C. de iur.emphyt.*

8 *L.cum quidam,*17.§.*Diuus Pius,ff.de vsur.*

9 *Vt in l.curabit.*5.*C.de act.empt.*

10 *L.Iulianus,*13.§.*veniunt autem,ff.eod.*

11 *L.ex empto,*11.§.*vlt.l.bona fides,*50. *eod. tit.*

DEFINITIO X.

Etiam fauorabilia priuilegia per non vsum longissimi temporis amittuntur.

PRiuilegia omnia etiam fauorabilia & libertati aut ingenuitati fauentia per non vsum amittuntur, si saltem triginta annorum curricula effluxerint, ab eo tempore computanda, quo priuilegij vsus aliquis esse potuerit, nec tamen vllus subsecutus sit.[1] Quemadmodum autem qui se fundat in vsu, debet illum probare, ita & non vsum qui se fundat in non vsu.[2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.1.& seqq.D.de præscr.quę pro libert.

1 *L.1.de nundin.* Alex. *cons.*33. *vol.*5. *& cons.*132. *vol.*1.*col.*1. Balb.*in tract.de præscript,*4.*part.*5.*partis principalis,quæst.*4.*n.*7. Felin.*in cap.cum accessissent,col.*9.*&* 10.*de constit.* Gloss. in verb. *frangere, in fin.cap.*1.*de treug.& pace,* quam ad hoc allegat Bald.*in l.fin.*§.*sed cum antiquitas,C.de cur furios.* Ias.*in l.rē non nouam,n.*4 *&* 5. *C.de iudic.* Dec.*cons.*649.*n.*8. * Adeoque & ipsa erroris etiam calculi allegatio quæ omnium est fauorabilissima præscribitur spatio triginta annorum. Gloss.& alij *in l.calculi,ff.de administr.rer.ad ciuit.pertin.*

2 Iuxta not per Castrens.*in l.si inter* 25 *de reb.dub.*

3 Est enim negatiua quoque probanda, quoties est fundamentum intentionis, *l.penult.*§ *docere.*vbi Bart.*D. ne quis eum* &c. *qui in ius vocat.vi exim.& vulgar.*

DEFINITIO XI.

Ius impugnandi contractum ex causa enormissimæ lasionis triginta annis præscribitur.

QVoties in venditionis aliove simili contractu, non tantum enormis læsio, hoc est, vltra dimidiam iusti pretij,[1] sed etiam enormissima, id est, supra bessem interuenerit,[2] eo iure vtimur, vt licet temporaria redimendi facultas concessa sit, perpetuo tamen redimere licet, id est, in annum vsque tricesimum.[3] Nec de eo quisquam apud nos dubitat. Sed quæstionis est, an à die contractus tricennium illud computandum sit, an vero à die quo facultas illa redimendi temporalis peremp ta sit? Quid enim si iam ipso contractu perpetua redimendi potestas data sit,[4] nec eo minus tamen verum sit enormissimam læsionem interuenisse?[5] An in annum vsque sexagesimum redimendi ius extenderetur? Ita nonnulli putabant, quod hoc casu quo concurreret enormissima læsio contractus dolo malo initus videretur:[6] dolo inquam, si non ex proposito saltem in re ipsa, qui dolo ex proposito hac parte æquiparatur.[7] Cuius effectus ille est, vt neque retrouenditio sit necessaria, ad reddendum venditori dominium,[8] nec fructus illos lucrari emptor possit, sed omnes restituere teneatur, illos etiam quos ante imploratum restitutionis auxilium percepe rit, & à die contractus, perinde ac si contractus nullus præcessisset.[9] Habetur enim pro malæ fidei possessore.[10] Sed tamen si id omnimodo & absolute verum esset, consequens fieret, vt nullius quantumcunque longissimi temporis præscriptione iuuare se posset ex regula iuris pontificij,[11] quod tamen euidenter falsum est. Neque enim prædo dici potest, qui pretium numerauit,[12] saltem quamdiu venditor non conquerit ur.[13] Itaque merito placuit siue temporalis siue perpetua redimendi facultas concessa sit, & enormissima læsio interuenerit, omnium tamen iurium præscriptionem vnico tricennio impleri, quandoquidem, etsi dolus malus ex proposito interc ssisset, non quidem qui causam dedisset contractui (nulla enim illo casu opus esset restitutione,)[14] sed qui in contractum incidisset,[15] non in longius tempus restitutionis impetrandæ ius extenderetur.[16] Hoc ita, si nihil sit quod alioqui præscriptionem impediat, hoc est, si neque pupillaris,[17] aut minor ætas, neque alia vlla restitutionis causa aduersus tricennalem hanc præscriptionem interueniat.[18] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, contra Claudium Dupra, 4. Cal. Iun. 1593.

BIU Cujas

1 *Vt in l.2.& l.si voluntate 8.C.de rescind.vend.*

2 Ex qua læsione enormissima solent nostri inducere præsumptionem & probationem doli in re ipsa, quem subinde æquiparant dolo ex proposito, *ad leg.si quis cum aliter, 36.de verb.oblig.*

3 Pacto scilicet conuerso in perpetuum ex temporali. Vide Ias.& alios *ad d.l.si quis cum aliter.*

4 Quæ tamen concluditur anno trigesimo, haberque tacitam conditionem, si intra id tempus pretium reddetur, vt tractat Balb. *in tertia parte 5.part.princ.qu.3.*

5 Id est etiam computata æstimatione huius pacti, quod vt plurimum æstimatur vsque ad tertiam, vel saltem ad quartam partem pretij, vt alio loco scripsi.

6 Dolus autem malus omnem sine dubio excludit præscriptionem, etiam pro libertate, *l.1. & tot.tit. C.de præscript.long. temp.quæ pro libert.*

7 Notant DD. *ad d.l.si quis cum aliter, de verb. oblig.*

8 Cum ex contractu nullo non transferatur dominium, *l. nullo, 14.C.de rei vindic. l.quod vxor 16.D.de acquir.poss. l.1.§.1. D.pro donat.*

9 *L.certum, 22.C.de rei vindic. l. bonæ fidei, 48. de acquirend rer.domin.*

10 Exemplo eius qui contra leges mercatus est, *l.quemadmodum, 7.in fin.C.de agric.& censit. lib.11.tit.47.cap. qui contra iura, de reg.iur.in 6.*

11 *Cap.possessor eod.tit.de reg.iur in 6.*

12 *L.neme prædo est 116.D.de l.leg. sed etsi, 25.§.scire, D.de petit.hared.*

13 Non enim fit iniuria volenti, *l.in diem, 9.§.1. de aqua & aquæ.pluu.arc.*

13 Cum nulla possit actio vltra triginta annos viuere, *l.3 C.hoc tit.*

14 Siquidem contractus bonæ fidei, cui dolus ex proposito causam dedit, ipso iure nullus est, *leg.& eleganter, 7.D.de dolo.*

15 Quo casu necessaria est restitutio ex capite de dolo, *l.si dolo, 5.C.de rescind.vend.*

16 *d.l.3 & 4 C.hoc tit.*

17 Nam pupillaris ætas subducitur ipso iure ex præscriptione 30.annorum, quamuis non similiter ex cæteris, Balb. *de præscript.in 1.parte 6.part.principalis, nu.33.*

18 Volunt enim nostri dari restitutionem in integrum aduersus præscriptionem tricennalem, Balb. ex communi sententia, ibid.

DEFINITIO XII.

Etiam condemnatus potest longissimo tempore præscribere executionem rei iudicatæ.

NOn impedit sententia, quo minus is, qui condemnatus est, possit præscribere aduersus executionem, si victor per annos triginta, pluresve negligens fuerit in sententiæ executione postulanda, [1] tametsi transierit sententia in rem iudicatam, [2] aut quod hac parte idem est, ab eo iudice lata sit, à quo non liceat appellare. [3] Neque præscriptionem ea sola ratio impedire potest quasi in mala fide fuerit qui condemnatus est, [4] cum nihil prohibeat nouum illi ius acquiri ex patientia victoris, qui iure suo vti nolit. [5] Idemque multo magis obtinebit, si quid victor fecerit, ex quo appareat voluisse illum recedere à iure sibi quæsito. [6] *Ita Senatus* in causa Canonicorum Sanctæ Capellæ Camberiensis & Syndicorum de Meiry, 3. Non. Decembr. 1594.

1 Quia ius petendæ executionis sententiæ non potest vltra triginta annos durare, vt nec iura cætera, *l.sicut, 3.C.hoc tit. Natt.cons.222.*

2 Præcipua enim vis iudicati consistit in executione sententiæ, *l. à Diuo Pio, 15. D.de re iud. l.penultim. Cod.de execut. rei iudic.*

3 Puta à Senatu, aliove quolibet supremo magistratu, qui ius dicat vice Principis, *l.1.& tot.tit. Cod. de sentent. præf prætor.*

4 Siquidem mala fides impedit præscriptionem actionis, etiam personalis iure Canonico. *Ex not.in cap.vigilanti, & cap. vlt.Extr.de præscript.*

5 Nec enim quisquam cogitur exequi sententiam pro se latam, *l.si iudex circumuento, 41 D.de minor.* Neque rursum ius vllum potest dici quæsitum ex sententiæ executione, antequam facta sit executio, cum per sententiam non acquiratur victori ius pignoris, sed tantum per executionem, *d.l.à Diuo Pio, 15.de re iudic. l.non est mirum, 26.§.1 D.de pignor.act.* Et ideo potest quis eam sciens tale ius præscribere citra malam fidem, vt eleganter tractat Balb. post Petr. de Anchar. *in 3.part.5. partis princ.qu.3 nu.2 ; & 4.*

6 Potest enim quilibet iure sibi quæsito renunciare, *l.pen. C.de pact.* & iuris sui conditionem deteriorem constituere, *l.pactum, 46.D.eod.*

DEFINITIO XIII.

Neque transactio cum quibusdam ex vniuersitate facta, neque possessio secuta in executione transactionis, nocet cæteris ex vniuersitate, ne quidem in possessorio.

SI quis per transactionem cum pluribus ex vniuersitate factâ ius aliquod sibi quæsierit, quo postea per longum tempus probetur vsus, etiam contra alios, quâ qui suo nomine transegissent, non ideo ius aliquod sibi quæsisse videbitur aduersus eos, qui neque transegerunt, neque transactionem aut verbo aut facto ratam habuerunt, tametsi sint ex vniuersitate, nec nisi possessorio iudicio contendatur. Quia sicuti transactio non vniuersitatis nomine à maiori parte, [3] sed à pluribus, proprio nomine, & tanquam singulis inita cæteros afficere non potest, [4] ita nec possessio, quæ non nisi in transactionis executionem secuta intelligi debet, [5] vereque hoc casu locus est ei, quod dici solet, tantum videri præscriptum quantum possessum. [6] Idemque est, si non longo solum, sed etiam longissimo tempore continuata possessio probetur. Nisi tantum tempus præterierit, quod excedat hominum memoriam, vt tituli vice possessio esse queat, [7] si modo non appareat, quo iure is, qui cum quibusdam transegit, vti solitus esset aduersus omnes ante transactionem. [8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC.11. supr. De seruit.& aqua.

1 Quia non cum vniuersitate transactum proponitur, sed cum pluribus ex vniuersitate, tanquam cum singulis, qui proinde non repræsentant vniuersitatem, quippe quæ non nisi per Syndicos repræsentari potest, aut per maiorem partem, cum omnes legitime sunt conuocati, *l.23 & seqq. D.quod cuiusque vniuers.nomin.* Aliud enim est, si quid fiat ab vniuersitate, aliud si à singuli-, *l.sicut, 7.§.1.eod.*

2 Quod quia minoris præiudicij esse solet, multa admittit, quæ petitorium non admitteret, vt not. *ad l.naturaliter, 12.§. nihil commune D.de acquir.poss & ad l.vnic. C.si de momen.poss. fuer.appell.*

3 Quod necesse esset, *l.nulli, 3. D.quod cuiusque vniuers.nomen, l.quod maior, 19.D.ad municip.*

4 Ex ea iuris regula, quę vult, rem inter alios actam alijs nõ nocere, *tot.tit.C.res int.alios act.*

5 Præsumitur enim quisque possedisse ex titulo precedente, *vulg.l.quædam mulier, 77. D.de rei vindic.*

6 *L.quod meo, 18.§.fin D.de acq poss.l.1.§ si quis hoc interdicto, vers.Iulianus,* vbi Bart.& Ang. *de itin.act.priuat.* Bart. *in l.si publicanus, §.fin.de public.& vectig.& in l.tum de in rem verso, col.fin de vsur.* Vide Balb. de extensione præscriptionis, *in tract. De præscript. in 1.parte, 2.part. princ.quæst.2. nu.11.& seqq. per totum.*

7 *Ex l.1.§.vlt. D.de aqua & aqu.pluu.arc.l.3.§. ductus aquæ, de aqua quotid.& æstiu.*

8 Possessio enim antiquior facit præsumi iuniorem vitiosam, *cap.licet causam cum ibi not.de probat.* Bartol. *in l.si duo in princ.col.vlt.vti possid.*

DEFINITIO XIV.

Quota decimæ potest præscribi, tam ratione petitorij quam possessorij.

QVotam illam portionem, quæ pro decima in signum recognitionis, vt nostri loquuntur, vniuersalis dominij Deo Opt. Max. debetur per temporis præscriptionem minui posse, nemo ambigit, [1] sed

BIU Cujas

quanti temporis præscriptio necessaria sit, plerumque dubitatur, maxime si coram laico iudice agatur possessorio non petitorio. Nam si petitorio, vix sane est, qui dubitet, quin necessaria sit præscriptio immemorialis temporis, propterea quod iuris communis ratio inducit hac parte præsumptionem, quæ resistit præscribenti,[1] nec proinde potest elidi, nisi per titulum, aut per eam præscriptionem, quæ sit loco tituli, qualis illa est, quæ tempus præ se fert immemoriale.[2] Sed cum possessorio agitur, quod sicut minoris est præiudicij, ita leuioribus probationibus contentum est,[3] plerique putant solam facti quęstionem in eo versari, cum possessio sit facti,[4] nec aliud quærendum, quam quæ quota solui sit solita. Quidam dicebant, possessionem hanc soluendæ minoris quotæ vitiosam esse, ac proinde talem, cuius ratio haberi nulla possit, ne in possessorio quidem, propter resistentem iuris præsumptionē.[4] Ideoque tametsi per annos quadraginta vniformiter, vt aiunt, continuata probaretur, non posse tamen sufficere ad obtinendum.[7] Parum igitur referre hac parte, an petitorio an possessorio ageretur. Et hanc sententiā à Senatu nostro non ita dudum probatam fuisse referebant. Senatus tamen, cum eadem quæstio rursum ex facto incidisset, contrariam opinionem secutus est,[8] pro vniuersitate Sancti Ioannis des Aduentures, contra Capitulum ecclesiæ Sancti Vincentij Matisconensis. Quāuis nec vniformis possessio per omnes testes probata esset, sed tantum per plures.[9] Nec deessent ex ipsa vniuersitate, qui maiorem quotam à se debitam esse fatererentur.[10] Pronunciatum est Senatusconsultum 6. Id. Maij, 1595. Iunge D. fin. 3. infr. quæ sit long. consuetud.

1 Quamuis non possit decima in totum tolli, vide Bald. *in 1. part. 5. part. princ. quæst. 7. & in 2 parte eiusd part. 5 quæst. particulari.*

2 *Ex not. in cap. 1. de verb sign.*

3 *L. vlt. D. de aqua & aqu. pluu. arc. l. 3. §. ductus aquæ. D. de aqua quotid & æst.*

4 *Not in l. vnic. C. si de moment. poss. fuer. appell.*

5 *L. 1. §. furiosus, de acq. poss.*

6 Ita Felin. *in cap. causam quæ, circa princ. Extr. de præscript.* post Auchar. *cons. 192. magnifice & illustris Princeps, col. 1.* Hostiens. *in summa. De decimis, §. & vtrum præscribi possit, vers. 7 quæro cum multis seq.*

7 Nisi probetur talis consuetudo per Papam adprobatam, *c. in aliquibus*, iunct. *glos. Extr. de decim.*

8 Scilicet, vt valeat consuetudo præscribendæ decimæ super quota, non super tota. Quæ fuit opinio D. Thomæ & multorum aliorum, quos refert ac sequitur Balbus, *in d. 1. part. 5. partis princ. quæst. 7. nu. 5. & 6.*

9 Inspiciendum enim est, quod probatur per maiorem numerum testium, *l. 3 D de test.*

10 Nā ratione possessorij potuerunt leuiores probationes admitti. Aliud fortasse pronunciandum fuisset in petitorio.

DEFINITIO XV.

Præscriptio quinquennalis fit perpetua per sententiam, adeoque per litis contestationem.

EDictum Serenissimi Ducis Emanuelis Philiberti, De reliquis annuarum pensionum aut canonum emphyteuticorum, non nisi pro quinquennio præstandis,[1] dixi non habere locum in debitis, iam per sententiam declaratis, propterea quod singulis momentis à die condemnationis moram facere intelligatur is, qui condemnatus fuit,[2] quem ad impediendam edicti potestatem semel extra iudicium, dum tamen testato, & in scriptis interpellatum esse sufficeret.[3] Sed tamen non faciet ea res, vt longioris temporis, quam nouem & viginti annorum reliqua petantur. Singulis enim annis noua præscriptio incipit, quæ trigesimo demum anno completur.[4] In causa Francisci Gerlier, & Francisci Gatini, *Sine die.*

1 Quod factum est me referente ante Cal. Iul. 1587.

2 Nam si litis contestatio perpetrat actionem etiam annualem, vsque ad quadraginta annos, secundum communem opinionem, de qua attestatur Balb. *in vlt. parte 6. part. princ. p. numer. 8. Post gloss. ante in l. fin. C. de temp. pet. in integr. rest. & gloss. in l. fin. C. de dolo.* Nemo dixerit debere meliorem esse conditionem debitoris, ob id solum quod fuerit condemnatus, *l. 3. D. de vsur.*

3 Sic enim habent verba edicti.

4 *L. cum notissimi. 7. §. vlt.* & ibi gloss. & DD. *hoc tit.* Guid. Pap. *qu. 406. incip. pone quod debes* [Obserua tamen non esse locum huic edicto in reditibus annuis venditis certo precio Vulgò vocant *Ventes constituées. Ita Senatus* pro fratribus Ratton, contra D. Hieron. de Veygie Præpositum Ecclesiæ Ayguebellensis, 15. Cal. Aprił. 1614.]

DEFINITIO XVI.

Præscriptio triginta annorum, quæ non posset incipere ab ipso debitore propter malam fidem, incipit tamen ab ipsius hærede, qui sit in bona fide, excipienda tamen sunt debita iam iuuacata.

CVm inter iuris nostri Interpretes magna contentione disceptetur an vniuersalis hæres debitoris possit se tueri præscriptione longissimi temporis, qua debitor ipse propter malam fidem iuuari non potuisset,[1] si modo ignorasse debitum proponatur,[2] (ne alioqui perinde ratio malæ fidei locum habeat in successore, atque habuit in decessore[3]) placuit Serenissimo Principi nostro sententia Legistarum existimantium heredis bonam fidem dignam esse, cui faueatur, vt melior eius causa sit, quam defuncti. Non quod hæres conscientiam defuncti exonerare non teneatur, (quæ potissima Canonistarum ratio est,[4]) sed quod contraria sententia magnam litium multiplicandarum materiam præbeat, quam diminui potius & restringi, quoad fieri potest, oporteat, vt publicæ vtilitati consulatur. Iaque edictum in eam rem factum, & constitutum, vt nec tracto eo toto tempore, quo debitor vixit, præscriptio triginta annorum possit incipere non tantùm ab herede, à quo inceperit etiam bona fides.[6] Nec alia debita edicti verbis excepta sunt, quam quæ intra duos menses, à quo die publicatum esset edictum, exigi cœpissent, ex ea scilicet Canonistarum opinione, quæ in id vsque tempus apud nos inualuerat.[7] Sed tamen visum est, ea quoque debita excipienda esse, quæ sic iudicata essent, vt ex debitoris confessione sententia lata proponeretur.[8] Nempe propter rerum iudicatarum auctoritatem, quam effectu non carere interest, non tantum conscientiæ debitoris, quam exonerare hæres debet,[9] sed etiam reipublicæ: cuius solo fauore potuit contraria sententia, vt diximus, adiuuari, præsertim cū nullus litis merus subesset in eo debito, quod peteretur ex re iudicata, quæ liti finem attulisset.[10] Sed etiam à debitore ipso,

1 Scilicet iure Pontificio *ex not. in cap. vigilanti, & cap. vlt. Extr. de præscript.* Nam iure ciuili aliud est, cum præscriptio lōgissimi temporis, de qua *in l. 3 & 4. C. hoc tit.* non requirat bonā fidem, Guid. Pap *quæst. 199.*

2 Quod præsumitur *l. qui in alterius, 42. de reg. iur.*

3 * Quia mala fides defuncti tranfiret in successorem vniuersalem, ita vt neque iure ciuili, neque iure canonico posset hæres præscribere quod defunctus non potuit, nec si vellet præscriptionem à se inchoare, Balb. latè *in tractatu de præscrip.* maximè verò si ageretur de re ardua: quia in arduis facilius est vt mala defuncti fides transeat in heredem. Idque indubitate procedit si hæres probetur sciuisse factum defuncti ex quo cauebatur mala fides eiusdem defuncti. Sola enim ignorantia facti defuncti posset constituere hæredem in bona fide. Guid. Pap. quæst. 316. * Nam quod dicitur hæredem etiam ignorantem succedere in vitia defuncti, *l. cum hæres, 13. de diuers. temp. præscr.* intelligendum est de vitijs possessionis, quæ sequuntur

quuntur necessario possessionem, *l. vitia, 11. C. de acquir. poss.* non autem de mala fide, quæ nunquam potest cadere in ignorantem.

4 Vt tractant Canonist. *ad dict. cap. vigilanti, & cap. vlt. de præscript.*

5 *L. quidam, 21. D. de reb. cred. leg. 4. § 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

6 Quæ veluti media sententia esset inter ius pontificium & ciuile. Nam ius ciuile vult præscriptionem posse incipere etiam ab ipso debitore, ius vero Canonicum ne quidem ab hærede, vt ex ijs constat, quæ tractat Guid. Pap. *dict. quæst. 199.* [Edictum probat sententiam legistarum, etiam in debitore.]

7 Vt negligentibus locus relinqueretur purgandæ negligentiæ, cum hoc edictum etiam ad præterita traheretur, *l iubemus, 29. vers. quid enim antiquitas peccauit. C. de rest.*

8 Cum confessus sua quodammodo sententia damnetur, *l. 1. D. de confess.* nec vllæ sint partes iudicis in confessum aut consentientem, nisi in condemnando, *l. si conuenerit, 26. D. de re iud.*

9 Vt diximus ex opinione Canonistarum, *in d. cap. vigilanti, & cap vlt. de præscr.*

10 *L. 1. D. de re iudic. l seruo, 63. cum prætor. D. ad SC. Trebillian.*

DEFINITIO XVII.

Qui bona fide emit à spoliatore præscribit longo tempore, nec tenetur ad fructus, nisi ex die litis contestatæ, sed habens malam fidem præsumptam præscribit longissimo.

SPoliator nullo tempore præscribit aduersus remedium pontificijs canonibus introductum, [1] propter euidentem malam fidem. [2] Sed si mala fides fuit tantum præsumpta, [3] placet purgari eam præsumptionem tricennali præscriptione, ideoque agenti nocere tanti temporis præscriptionem. [4] Quod si etiam titulum & bonam fidem possessor habuit, æquum est hactenus meliorem esse illius conditionem, vt decennio inter præsentes, aut vicennio inter absentes possessionem cum proprietate sibi firmiter acquirat, [5] præterquam si emerit à malæ fidei possessore, cum verus dominus ius suum ignoraret. [6] Eadem distinctio in fructibus adhibenda est. Etsi enim remedium iuris Pontificij competens spoliatis [7] adeo plenum est, vt detur etiam contra titulo & bona fide possidentem, [8] non potest tamen hoc casu fructuum condemnationem inducere, quos bonæ fidei possessor sola perceptione propter bonam fidem suos fecerit, [9] nimirum ante litem contestatam. Nam ex eo tempore cum malæ fidei possessor fiat, [10] omnes vtique fructus restituere debet. [11] *Ita tractatum est* in causa Dominæ de Tollens, & hæredum Antonij Chappuis, 13. Febr. 1596.

1 *In C. in. redintegranda, 3. quæst. 1.*

2 Quæ iure canonico impedit omnem omnino præscriptionem, etiam quæ sit longissimi temporis, vt dixi ex opinione Canonistarum, *Defin. præced. nu. 4. & 9.*

3 Quæ solet minus nocere, quam mala fides vera & formalis.

4 Ex generalibus verbis, *l. 3. & 4. C. hoc tit.*

5 Est enim fauorabilior illa præscriptio, quæ & titulum habet & bonam fidem. *Not. in dict. l. 3. hoc titul.* Guid. Pap. *quæst. 416.*

6 *Ex Auth. mala fidei, Cod. de præscr. 30. vel 40. annor.* Menoch. *in remed. poss. 15. num. 415. vsque ad nu. 426.*

7 *Ex dict. can. redintegranda.*

8 Intellige de bonæ fidei possessore, qui causam habuerit à violento detentore, alioqui non est dandum hoc remedium contra bonæ fidei possessorem qui titulum habeat, Menoch. *in dict. remed. 15. recup. poss. num. 89. & seq.* post Bart. *in leg. rem quæ nobis, 15. nu 2.* vbi etiam Aug. *de acquir. poss.* Bald. *in l. 2. Cod. de fur.* Alex. late *cons. 117. & 118 lib. 2.*

9 *L. bonæ fidei, 48. D. de acquir. rer. domin. l. qui scit, 25. § 1. de vsur.*

10 Quia post litem contestatam omnes bonæ fidei possessores sunt pares, id est, prædones, *l. sed etsi lege 25. § si ante, D. de petit. hared. l. certum, 22. C. de rei vindic.*

11 *d. l. certum. & d. § si ante, cum similib.*

DEFINITIO XVIII.

Redimendi ius præscribitur 30. annis, si emptor velit vti iure suo, nam si nolit vti, & malit retrouendere, nullam eo nomine habet actionem, aliud est in tutore.

IVs redimendi toties, quoties venditori placuerit, triginta annis præscribitur, eoque iure vtimur, [1] quia iura omnia, quantumcumque perpetua, tanti temporis spatio amittuntur. [2] Sed tamen si post trigesimum annum emptor retro vendiderit, aut retrouendere obtulerit, non idcirco conditionem habebit, aut restitutionem, quasi quid indebite fecerit. [3] Licet condictio ijs dari soleat, qui exceptionem perpetuam, qua tuti erant, omiserunt. [4] Nihil enim vetat conuentionis potestatem vltra trigesimum annum porrigi consentiente illo, qui præscriptionis auxilium prætermisit. [5] Non tamen huic consequens erit, vt tutor possit vltro pupilli rem retrouendere, cuius redimendæ ius nullum amplius venditori superarat. [6] Ex quo enim cœpit pupillus tutus esse longissimi temporis præscriptione, cœpit etiam res facta esse inalienabilis æque, ac cætera pupilli bona, [7] quæ sine decreto [8] alienari non possunt. Nec quod tutor bonam fidem agnoscere non prohibetur, [9] ad rem pertiner. Neque enim mala fides est, si quis exceptione iusta vtatur, & iure communi, [10] licet dici soleat præscriptionem iniquissimum esse præsidium. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt scripsi *D. fin. 1. 3. eod.* [*Ita Senatus* noster pronunciauit ex tempore 9 August. 1612. contra Naudin Augustanum secutus Boer. *de iis.* Nec aliud contra huiusmodi præscriptionem remedium est, nisi quod Bald. introduxit vt adhibeatur pactum. Quod quoties redimendi ius erit præscriptum redintegretur quasi ex noua concessione & quasi repetitum *arg. l. repeti 5. D. quibus mod. vsusfr. amitt.*] [*] Quid tamen si quis sibi exceperit ius redimendi quoties voluerit, & potuerit? videtur quidem hæc adiectio nihil operari cum tacite insit, *l. aliquando 107. de cond. & demonstr.* nec enim quisquam redimit, nisi qui velit & possit, id est voles & valens redimere: sed tamen magis est vt hæc adiectio aliquid operari debeat, & vt hic casus sit ex numero eorum in quibus expressa nocent, non expressa non nocent, *l nonnumquam 52 eod. l. 195. de reg. iur.* Accipienda ergo sunt pro conditione, *si potuero & voluero*, vt *in l. si ita legatum 65. § 1. de legat. 1.* Ergo probandum erit ab eo qui præscriptione nititur me aliquando voluisse & potuisse, vt detur initium præscriptionis, *l. nepos Proculo 121. de verb. signific.* nam in actibus condicionalibus non potest incipere præscriptio ante natam actionem, *l. si partem, 19. quemad seruit. amitt.* nec proinde ante impletam conditionem, *l. cedere diem 213. de verbor. signific.* Cæterum vbi probatum erit me aliquando voluisse & potuisse, aut saltem potuisse, proculdubio perinde curret præscriptio, sed initium aliquod præscriptioni semper dandum est. Quid rursum si contractus sit pignoratitius, puta si cum pacto de retrouendendo sit coniuncta læsio immodica; non præscribetur; quia contractus hic creditur fœneratitius & simulatus, vt dixi *Defin. 1. num vlt. 3.* ex Balbo *in tractat. de præscript. in 5. parte 4. part. princip. quæst 3. in fin.* scilicet secundum eorum sententiam qui putant duo illa sufficere: aliud enim est secundum aliorum opinionem qui requirunt præterea consuetudinem fœnerandi, aut quam aliam facti circumstantiam, iuxta id quod dixi *Defin. 7. 3.* plus valere quod agitur. Inter alias autem facti circumstantias, hæc potest esse, si is qui emit sub pacto de retrouendo conuenerit, vt rem emptam liceat meliorare, nec enim hoc pacto indiget emptor, qui factus est dominus, sed tantum creditor fœneratitius, *l. si seruos 25. D. de pignor. act. Ita Senatus* pro sororibus Petel. contra fratres Barri Geneuenses 1. Septembr. 1617.

2 *L. sicut, 3. C. hoc tit.* Nisi si qua sint quæ ad quadragesimum vsque annum extendantur, *l. omnes, 4. eod.*

3 Credendus enim potius est iure suo vti noluisse: dicitur enim præscriptio iniquissimum præsidium, cum non habet adiunctum titulum cum bona fide, *Nouell. 9. vt eccles. Rom. cent. annor. gaud. præscript.*

4 *L. qui exceptionem, 40. D. de cond. indeb.*

5 Præscriptio enim requirit factum præscribentis, & ideo

BIU Cujas

si non opponatur, non potest suppleri per iudicem, Guid.Pap. *quæst.*221.

6 Quamuis dici soleat, quod & verum est, non prohiberi tutorem agnoscere bonam fidem, *l.quoties*, 9.§ *sicut*, *D.de admin.tut.* vt loquitur in *Defin.*

7 Cum nullam videatur actionem habere is, qui eam habet, quam exceptio aliqua possit elidere, *l.nihil interest*, 112. *de reg. iur.l.magis puto*, 5.§ *si pupillus alienum, & seq.de reb.eor.qui sub tutel.vel cur.sunt fin.decret.non alien.*

8 Aliud est si pupillus ex contractu paterno fuit ad reuendendum obligatus, necdum præterierint tempora petendæ retrouenditionis, *d.l.magis puto*, 5.§.*sed si pater*, & *l.1.C.quand. decret.opus non est.*

9 *L.quoties*, 9. §.*sicut de admin.tut.*

10 Iuris enim communis executio non habet iniuriam, *l. iniuriarum*, 31 § 1.*D.de iniur.l si duorum*, 51.*de act. empt.l.nullus videtur* 55.*de reg.iur.*

11 *Nouell.9.vt eccles. Rom.cent.annor.*

DEFINITIO XIX.

Annua pensio præscribitur spatio centum annorum, annuus vero canon emphyteuticarius quadraginta annis per tertium bonæ fidei possessorem.

PEtitionem annuæ pensionis, quam multo ante centum annos constitutam & venditam, nec vnquam tamen solutam fuisse constabat, visum est tanti temporis præscriptione summoueri debere. [1] Nec solum si aduersus tertios pignorum bona fide possessores actio hypothecaria, [2] sed etiam si personalis contra ipsius venditoris eiusdemque debitoris hæredes exerceretur, non ob id tantum, quod eo iure, quo nunc vtimur, & Sereniſſimi Ducis nostri edicto, [3] mala fides defuncti non transeat in successores, quantumlibet vniuersales, [4] qui probabiliter ignorare potuerunt, an quod non petebatur deberetur, [5] quamuis ex pontificij iuris ratione, quæ ingentem litium materiam hucusque præbuit, defuncti conscientiam exonerare teneatur, [6] verum etiam quod credendum sit tam longi temporis decursu intercidisse multas probationes earum rerum, quæ medio tempore obligationem adeo vetustam, vel solutione vel pacto contrario, vel quo alio legitimo modo dissoluere potuerunt. [7] Quis enim litium erit finis, si post tot annos turbare omnia liceat, veteresque actiones siue remissas siue omissas repetere aduersus eum, [8] qui longe iustius possit alieni facti probabilem ignorantiam obtendere? [9] Nec est contrarium, quod annui canonis emphyteuticarij præstandi obligatio, quamdiu fundus emphyteuticus, vel ab ipso emphyteuta, vel ab hæredibus eius possidetur, nullius omnino temporis, ne quidem centum annorum curriculo extinguitur. [10] Id enim facit causa possessionis, quæ non tam penes emphyteutam, ipsiusque successores, quam penes dominum, quem vulgo directum vocant, perpetuo manere intelligitur, quousque interuertatur. [11] Nec proinde initium præscriptionis hoc casu dari vllum potest, nisi ex die interuersionis & contradictionis, [12] à quo demum tempore triginta annos sufficere posse placuit, quomodo sufficerent vtique tertio possessori, qui nulla indiget possessionis interuersione, vt incipiat præscribere, si modo directus dominus possessionem suam ciuilem amiserit, quæ per decennium haud dubie amittitur, quasi per obliuionem, tum quoque cum alienationem se inconsulto ab emphyteuta factam ignorauit. [13] At personalium actionum alia ratio est. Quæ sicut neque possidenti, neque contra possidentem dantur, sed creditori contra debitorem, ita nullo possessionis vel fauore adiuuantur, vel vitio læduntur, [14] vt post longissimum, nedum immemoriale tempus possint viuere, [15] nisi cum ex debitoris mala fide potestas & æquitas præscriptionis impeditur. [16] Tributorum fiscalium alia ratio est, quæ placuit nullo temporis spatio præscribi. [17] Siue fauore Principis & fisci, siue quod non quemadmodum vnaquæque res libera, & vt loquuntur, allodialis præsumitur: [18] ita & à publicis functionibus quę semel impositę fuerunt immunis credi possit, [19] quamquam nec desunt, qui eam Iustiniani constitutionem, quæ hoc ius nominatim induxit, non putent ad possessores pertinere, qui publicarum functionum onus ignoranter, fundum tributarium sine onere per quadraginta annos possederunt. [20] *Sine die.*

1 Guid.Pap. *quæst.*406. incip. *pone quod debes.* Vide Bald. *in l.1.Cod.de annal.except.* Alexand. *consil.*60.*volum.*1. Iunge Defin.sequ. [Balb.*in* 5.*parte* 5.*partu princip.quæst.*9. vbi ait ex Baldo *in dict.l.*1. omne quod sub mundi machina gubernatur renouari in centum annis, quod est tempus longissimum vitæ hominum, ideóque præscriptionem centenariam numquam censeri exclusam. Saluo, inquit, vbi lex vel statutum afficiens rem de cuius præscriptione tractatur prohibet eam præscribi tanquam nullomodo præscriptibilem neque aptam possideri. Sanè ius ipsum feudi ab vno dicente se dominum directum contra alium per 30.annes si bona fides adsit, multo magis si etiam titulus accedat præscribi posse certum est. *Ita tractatum* in causa D de la Barre & D.Comitis de Fauerges, Idib. Septembr.1613.]

2 Quę hypothecaria contra tertios possessores præscribitur decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes, *l.1.&* 2.*C.si aduers.cred.præscr.oppon.*

3 Quod factum est anno 1598 & de quo *Defin.*16.5.

4 Quamuis dici soleat hęredem etiam ignorantem succedere in vitia defuncti, *l.cum hæres*, 11.*D.de diuers.tempor.præscript.*

5 Cum habeant iustam ignorantiæ causam etiam cum petitur id, quod debetur, *l.qui in alterius*, 42.*de reg.iur.*

6 Vt notant Canon.*in cap.possessor.de reg.iur.in* 6. & *in cap. vigilanti*, *Extr.de præscr.* [quos sequitur Balb.*in* 4.*part.*4.*partu princ.quæst* 6.*nu.*2. vbi ob hanc causam cõstituit eandem rationem emphyteutę & heredum ipsius vt non magis hi quàm ille possint præscribere vllo tempore.]

7 Vnde est quod in antiquis tola vetustas habet vim, non solùm probationis, sed etiam tituli, *l.1.*§.*vlt. D.de aqua & aqu. pluu.arc.l.*3.§.*ductus aquæ D.de aqua quotid. & æstiu.*

8 Cum iura vigilantibus subuenire debeant non negligentibus, *l.non enim*, 16.*D.ex quib.caus.maior. l.pupillus*, 24.*in fin.D. quæ in fraud.cred.*

9 *L.vlt.D.pro suo*, iunct. *l.quamquam.*8. *D.ad SC.Velleian.*

10 *L.cum notissimi.*8.§.*vlt. Cod hoc tit.* ibi, *per quoscunque annos.*

11 *L.male agitur eod.tit.l.si quis conductionis, C.de locat.not. in l.1.C.de iur. emphyt.& l.*1.*C.de seru fugit.*

12 Crauet *De antiqu.tempor.part.*4.*capit.circa promissa, num.*8.

13 Idem Crauett.*d.part.*4.*cap. absolutis*, *quæst.*8.*numer.*29. post Balb. *de præscr.*4.*part.*4.*partis princ.quæst.*8.*num.*2. [Vbi concludit non requiri triginta annos, sed sufficere decem inter præsentes & viginti inter absentes ad præscribendum dominium directum saltem in effectu & respectu priuati si res emphyteutica ad extraneum peruenerit & ab eo tanquam allodialis possessa sit. Sicut præscriberetur plenum dominium cum titulo & bona fide & habita distinctione an possessor causam habeat ab authore bonę vel malę fidei, Sed sine titulo requiri triginta annos ad præscribendum cum bona fide, *Ex l.si quis emptionis* 5.*1.C. hoc tit.* Itaque nullam possessionis non modo interuersionem sed nec amissionem per obliuionem aut alio modo requirit Balbus ad præscriptionem à tertio bona fide inchoandum siue cum titulo siue absque titulo. Plus dico. Idem iuris fore tametsi pensio annua interim ab emphyteuta quoannis soluta probaretur dummodo ignorante tertio bonę fidei possessore. Per textum elegantem *in l.Pomponius* 29. *D.quibus mod.vsufr amitt.*]

14 Vitia enim possessionis transeunt in successorem, scil. vniuersalem, *d.l.cum hæres*, 11*de diuers.temp.præscr.l.vnica*, 11.*C. de acquir.poss.*

15 *L.sicut.*3.*& l.omnes*, 4. *C.hoc tit.*

16 Vtimur enim hoc casu iure non ciuili, sed canonico propter conscientiam.

17. *L.competit*, 6.*C.hoc tit.* vbi Bart.

18 Propter naturalem rerum omnium libertatem, *l.*4.*D.de instit.& iur.l.altius*, 8.*C.de seruit.& aquæ.*

19 Quia tributum hoc penditur in recognitionem vniuersalis dominij, vt tractat Bart.*ad d.l.competit.*

BIU Cujas

20 Cuiac. *in tract. de præscript. cap.* 31. post Accurs. *ex l. vlt. C. de fund. rei priuat.* Gothofr. *ad d. l. competit.*

DEFINITIO XX.

Legatum pensionis annuæ, etiam pio loco relictum, finitur spatio centum annorum, nisi onus sit perpetuum, etiam vltra centum annos.

QVod dici solet legatum pensionis annuæ, etiam pio loco relictum, finiri spatio centum annorum, [1] ad ea legata non pertinet, quæ habent causam perpetuam, & quæ etiam post centum annos durant, [2] vt puta si tale quid legatum sit Franciscanis, aut alteri Ecclesiæ ea lege, vt pro legantis anima quotidie sacrosancto tremendumque missæ sacrificium offeratur. Quamdiu enim satisfit voluntati & conditioni legatum debetur. [3] Idemque multo magis obtinet, si debitum contractum sit ex contractu vltro, citroque obligatorio, cui ex parte vna iam satisfactum sit: Nam fieri nō potest, vt contractui, qui iam ex vna parte impletus est, ex altera præscribatur. [4] *Ita Senatus* in causa Franciscanorum Camber. & Dominæ Ducis du Mayne, & hæredum Dn. Ioannis Perraton aduocati generalis, 27. Nouembr. 1597.

1 Alexand. *consil.* 60. *Omisso multiloquio, volum.* 1. Dec. *consil.* 378. *viso motiuo, ante fin.* Tiraquell. *priuil.* 90. *De priuileg pia causa.*

2 Nam ex proportione oneris sumenda est qualitas & quātitas dispositionis, *l. vtrum ita*, 7. §. *vlt. de reb. dub. l. alumna*, 30. §. *ab hæredibus, de adim. legat.*

3 *L.* 1. *C. de legat. l.* 3. *C. de cond. insert.* Aliud ergo erit, si quod aliquando ex facto accidisse vidi, legauerit quis ecclesiæ annuam pensionem in perpetuum sub onere offerendi pro eius anima sacrificij in annum vsque ad centesimum.

4 Ne quis ex alterius iactura locupleretur contra *l. nam hoc natura*, 14. *D. de cond. indeb. l. iure naturæ*, 206. *de reg. iur. l. liberalitatis*, 16. §. 1. *de vsur. l. ex empto*, 11. §. *vlt. & l. bona fides*, 50. *D. de act. empt. l. cum te*, 6. *C. de pact. int. empt. & vend.*

DEFINITIO XXI.

Nec tertius possessor, nec hæres vniuersalis, potest præscribere post qualemqualem debiti agnitionem.

SVfficit agnitam semel fuisse obligationem etiam à tertio possessore, licèt numquam secuta solutio sit, ad hoc vt præscriptio impediatur. Quoniam agnitio illa obligationis non solum inducit maiam fidem ex scientia debiti, [1] sed etiam facit, vt appareat noluisse præscribere illum, qui obligationē agnouit. [2] Itaq; nocet agnitio illa, non tantum ei ipsi, qui solui debitum voluit, sed etiam ipsius successori vniuersali, [3] licet alio etiam iure rem obligatam tenenti. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Non enim habet locum præscriptio decennij contra creditorem, nisi in fauorem tertij possessoris, qui titulum habeat & bonam fidem. Bald. *in tract. de præscript. 4. part. 4. partis principalis quæ* 3. quem refert & sequitur Menoch. *remed. 14. de recup. possess. num. vlt. in fin.*

Numquam enim actus operantur vltra intentionem agentium *vulg. l. non omnis*, 19. *D. de reb. cred.*

3 In quem scilicet etiam ignorantem transit mala fides defuncti, *l. cum hæres*, 11. *D. de diuers. tempor. præscr.*

4 Nec enim potest quis venire contra factum suum aut cōtra factum defuncti, ne quidem ex alio & nouo iure. *l. etsi* 10. *D. de distract. pignor. l. cum à matre* 4. *vbi not. C. de rei vindicat.* Iunge *Defin.* 24. *infr.*

DEFINITIO XXII.

Tempus redimendi ex contractu non currit, quamdiu probabiliter dubitari potest de viribus & validitate contractus.

COnuenerat vt ad certam diem pecunia solueretur, & ni soluta esset, *vt ex nunc prout ex tunc*, [1] fundus Cornelianus in solutum datus haberetur adiecta etiam clausula constituti, sub hoc tamen pacto, vt debitori intra triginta annos redimēdi ius saluum superesset. Possessio per constitutum translata quidem fuerat, [2] sed corporalis possessio non fuerat petita ante vicesimum annum. [3] Ab eo tempore lis cœpta, & in quadragesimum vsque annum protracta fuerat reluctante debitore & eius hærede. Quo tamen condemnato, quærebatur an saluum haberet ius redimendi? Plerique putabant habere, propterea quod quamdiu dubitare probabiliter potuisset an contractus valeret, non debuerat cogi redimere, [4] nisi per euidentem calumniam & contumaciam litis occasio captata esset. [5] *Ita tractatum est* in causa N. Franciſci de Bellegarde & D. de Carde, 12. Decemb. 1596. Senatus tamen nihildum pronunciauit.

1 De cuius clausulæ vi & potestate vide *Defin.* 33. *supr. de acquir. possess.*

2 Et quidem non tantum naturalis, sed etiam ciuilis, *l. quod meo* 18. vbi Alex. & alij, *D. de acquir. poss.*

3 Nec enim corporalis possessionis apprehensione indiget is, qui per constitutum habet iam & ciuilem possessionem & naturalem, vt dixi *Defin.* 39. *nu.* 22. 3. *de acquir. possess.*

4 Prius enim debet constare de viribus contractus, quam tractari de illius executione & implemento.

5 Numquam enim debet prodesse lis per calumniam & tergiuersationem instituta, *l. in summa* 63. §. 1. *D. de cond. indeb. l. tutor* 41. *de vsur. l. vlt. de re iud.* Contra vero nihil potest imputari ei, qui probabilem habuit litigandi causam, tametsi tandem succubuerit, *l. qui solidum* 78. §. 1. *de leg.* 2.

DEFINITIO XXIII.

Tempora pacti de retrouendendo currunt viuo hærede etiam in præiudicium fideicommissarij.

NEgligentia hæredis, qui rem à defuncto venditam sub pacto de retrouendendo redimere potuit, nec redemit, nocet fideicommissario etiam ignoranti, [1] & currunt aduersus vtrumque tempora præscriptionis cœptæ contra defunctum. [2] *Ita Senatus* in causa N. Chabert, contra hæredes Franciſci Grilliet procuratoris.

1 *L. si hæres* 70. §. *si temporalis, D. ad SC. Treb.*

2 Iniquum enim esset eum, qui cum fideicommissario non contraxerit, expectare fideicommissi restitutionem, *argumen. l.* 3. *D. quibus ex caus. in possess. eat.* & ignotantiam fideicommissarij captiosam esse ei, qui diligenter sibi prospexerat, *argum. l. quod autem* 6. §. *si quid cum pupillo, D. qua in fraud. cred. l.* 7. *D. de separat.*

DEFINITIO XXIV.

Solutio quamuis probata per solam creditoris priuatam scripturam interrumpit præscriptionem.

NOn potest quis opponere præscriptionem longissimi temporis aduersus creditorem agentem ex chirographo, si medio tempore interrupta probetur præscriptio [1] per solutiones à debitore factas siue sortis siue vsurarum, [2] licèt non probentur solutiones, nisi per scripturam creditoris, [3] si modò non proponantur falsæ aut per fraudem creditoris scriptæ ad summouendam præscriptionem. [4] Quod ipsum ex qualitate & antiquitate scripturæ per oculatem inspectionem, aut si quid dubij est per proborum relationem diiudicandum est. [5] *Ita Senatus* pro Claudio Rybet procuratore. Ex tempore 3. Iulij 1612.

1 Qualiscumque enim sufficit interruptio tanquam fauorabilis, quoniam præscriptio hæc odiosa est, quod, nec titulum requirat, nec bonam fidem, *l.* 3. *Cod. hoc titul.* Guid. Pap. *quæst.*

BIU Cujas

2 Per has enim solutiones agnoscitur debitum quod sufficit ad interrumpendam præscriptionem *Def. 21. §. hoc tit.*

3 Quamuis regulare sit vt priuata cuiusque scriptura pro eo fidem facere non debeat, *l. 5. l. exemplo 7. C. de probat.* Hæc enim scriptura de qua agimus primò & per se ac directo fidem facit contra scribentem ad probandam solutionem. Pro scribente autem non nisi per consequentias ad probandam interruptionem præscriptionis, quæ iuris magis quam facti est. Multa autem per consequentias permittuntur quæ directo & per se non permitterentur, *l. 1. D. de author. tutor.*

4 Nemini enim dolus suus prodesse vnquam debet, at neque alteri *l. ne ex dolo 12. & pass. D. de dolo, l. procurator 11. §. 1. D. de doli mal. except.*

5 An scilicet recens scriptura proponatur, quam credibile sit, non ita dudum effictam, an verò careat omni fraudis suspicione: quæ minor certe erit si creditor, qui scripsisse dicitur, iam defunctus proponatur. Maxime verò si debitum ex chirographo tantum petatur, non ex publico instrumento. Quo casu imputari magis posset debitori, cur soluendo non etiam publicam finem notarij imploraſſet, vt dissoluatur obligatio eo modo, quo est colligata. *arg. l. testium 17. C. de testibus.* Quamuis nec hoc casu id necesse sit. Plane si ex eòdem chirographo vel alio instrumento, cui præscriptio obiicitur aliquid exigendũ supersit quod nondum præscriptum fuisse constet, vix audiendus est debitor qui pro cæteris obiiciat præscriptionem. Sufficit enim subesse vel in minima re actionem vt ius ex eo cõtractu aliquando natum conseruetur. Potuit enim posterioris debiti causa creditorẽ remorari ne tam cito pro priore ius suum exequi voluerit sciens vtique ius suum durare *arg. l. sicut 8. §. non videtur, D quibus mod. pignor. vel hyp. soluit. l. Stichum 95. §. quod vulgo D. de solut.* Et ita in proposita facti huius specie decisum fuit à Senatu. Vide Bart. *ad l. Celsus D. de vsucap.* Excipe annua debita in quibus vnoquoque anno incipit noua præscriptio in annum vsque trigesimum *l. cùm notissimi 8. §. vlt. C. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst. 406.* pone quod debes.

DEFINITIO XXV.

Interrumpitur præscriptio contra fideicommissarium siue actum, siue transactum sit cum hæredes, aut si quis agere prohibitus sit.

TRansactionem factam cum hærede, qui rogatus erat de restituenda post mortem suam hæreditate, placuit sufficere ad interrumpendam præscriptionem etiã aduersus fideicommissarium quamuis in auditum nec vocatum, [1] cùm nihil possit imputari creditori hæreditario, qui cum eo transegit vel egit quem solum tũc habuit legitimum contradictorem. [2] Item multo magis probandum est si ea persona cui siue dotis, siue alterius debiti actio competebat prohibita fuit petere vsque ad certum tempus. [3] Nec enim dubitandum est quin solum illud tempus præscriptioni subtrahendum sit quo agi non potuit. [4] *Ita Senatus* in causa D. d'Aruffan contra D. de Monsaint Iean mense Iul. 1513.

1 Nam & sola heredis negligentia in agendo noceret fideicommissario *l. si hæres 70. §. vlt. D. ad SC Treb.*

2 *L. vltim. in fin.* vbi est text. in fortioribus terminis *D. de transact.*

3 Additur enim plerumq; tempus fauore heredis eiusdémque debitoris vt tardius conueniatur, quamuis etiam interdum fauore creditoris, vt *in l. eum qui 16. de ann. legat. l. 3. §. cum Pollidius. De vsur. l. si ita relictum 45. §. Pegasus de leg. 2.*

4 Maximè secundum vulgare nostrorum brocardicum ex quo non valenti agere non currit præscriptio *l. 1. §. vlt. Cod. de annal. except. l. in rebus 30. §. 1. C. de iur. dot. l. cùm sex 56. D. de adilit. edict.*]

TIT. XIV.

DE SENTENT. PRÆFECT. prætor.

DEFINITIO I.

Ciuilis supplicatio necessaria est ad impugnandum arrestum etiam nullum, nisi facti error allegetur.

ADversus auctoritatem Senatusconsulti non potest condemnatus obijcere errorem iuris, nisi error quoque facti interuenerit. [1] Neque enim credendus est supremus ordo, qui iura omnia habet in scrinio pectoris, [2] errasse in iure. [3] Itaque solum illud remedium condemnato supereſt, vt vel ciuilem, quam vocant, supplicationem porrigat, [4] vel in facto erratum dicat probetque. [5] Quod si minus rite peracta sint prioris iudicij solemnia, vt nullitatis vitio iudicatum laborare videatur, [6] non tamen ea res sufficiet rescindendo iudicato, quia liberum est Senatui, qui ipse ius facere potest, [7] à solito iudiciorum ritu, quoties causam aliquam subesse videt, recedere: neque à litigatoribus cur ita faciat, interrogari potest, quippe cum nec aliter Princeps ipse iudicaturus fuisse existimetur. [8] At neque si alia ratione iudicatum nullitatis arguatur, audiendus erit condemnatus, ni probet bonam se in principali negotio fouere causam. [9] Nam & hoc pertinet ad rerum iudicatarum auctoritatem, vt non magis sine effectu quam sine causa rescindantur. [10] *Ita Senatus* pro D. de Breissieu contra D. de Chastillion, 14. Cal. Mart. 1594.

1 Interueniente namque errore facti aliud est, cum facti interpretatio etiam prudentissimos possit fallere, *l. 2. D. de iur. & fact. ignor.*

2 Exemplo eius, quod de Principe scriptum est *in l. omnium 19. C. de testam.* Sunt enim Senatores pars corporis Principis, *l. quisquis 5. C. ad l. Iul. maiest.*

3 *L. præfect. 17. D. de minor.*

4 *L. vnic. C. hoc tit.*

5 Quam Pragmatici nostri erroris propositionem appellant.

6 Quod potest fieri ex varijs causis, ex quibus sententiæ possunt dici nullæ De quibus vide Ferrar. *in form. execut. sent. diffin. in verb. sapiens & egregius num. 8.*

7 *L. non ambigitur 9. D. de legib.*

8 Cognoscit enim Senatus vice Principis, vt olim præfecti prætorio, *l. 1. §. hic cunabulis D. de offic. præf. prat.*

9 Cui enim bono esset reuocari sententiam prætextu nullitatis, si idem ipsum postea pronunciari oporteret? Vide Ferrar. *in form. appellat. à sentent. diffin. in verb. fuisse & esse nullam, num. 8.*

10 *L. seruo 65 §. cum prator. D. ad SC. Trebellian. & tot. tit. C. sent. rescind. non poss.* Vide Rebuff. *in tract. de ciuil. supplic. per tot.*

DEFINITIO II.

Etiamsi redditum sit arrestum cum falso procuratore, necessaria tamen est ciuilis supplicatio.

ETiamsi Senatusconsultum latum sit aduersus indefensum, id est, qui verum procuratorem non habuit, [1] semper tamen necessarium est ad eius vim labefactandam remedium ciuilis supplicationis. [2] Ideoque interea mandandum erit executioni, non secus ac si contra verum procuratorem redditum, sed ex alia causa rescindendum esset. Id enim postulat auctoritas rerum iudicatarum, [3] absurdumque videretur de Senatusconsulti vitijs citra supplicationem disputari, cum de nullitate sententiæ à qua possit appellari, [4] non nisi per appellationem interpositam hodie tractari oporteat. [5] *Ita Senatus* in causa N. Laboret contra Bartholomeum Magnecium, 10. Calend. Maij 1594.

1 Nec enim falsus procurator verus defensor dici potest; *l. si et, vbi not. Cod. de procurat.* Et indefensus est, qui neque per se, neque per alium legitime defenditur, *l. contra 54. D. de re iudic.*

2 Rebuff. *in d. tract de ciuil supplicat.*

3 *L. seruo 65. §. cum prator. D. ad SC. Trebell. cum similib.*

4 Quod enim præstat appellatio cum agitur de sententijs, à quibus potest appellari, id præstat supplicatio, cum de alijs tractatur, à quibus non potest appellari, *l. vnic. D. hoc tit. l. pra-*

BIU Cujas

l. præfecti 17. D. de minor. [Obserua tamen non semper faciendam Senatusconsulti executionem pendente supplicatione ciuili. Quid enim si executio futura sit irreparabilis, puta si agatur de pœna corporali aut existimationis, vt apud Paponium *in syntagm lib. 19. tit. 8. De la force des iugemens num. 8.* Aut de pecunia quidem sed soluenda egeno, qui si tandem in causa ciuilis supplicationis succumberet, non posset reddere quod accepisset? Interim igitur inhibenda erit executio, Nisi paratus sit victor in hoc posteriore casu satisdare de pecunia restituendæ, cùm hoc remedio vtrique consultum esse facilè possit. *Ita Senatus* in causa procuratoris fiscalis Episcopi Maurian. & Olier. 3. Id Sept. 1612]

5 Sublata enim hodie est via proponendæ nullitatis, nisi per viam appellationis.

DEFINITIO III.

Multum interest, an arrestum latum sit contra eum, qui nullum habuit procuratorem quasi habuerit, an simpliciter aliqua ipsius mentione facta?

NOn idem est, si is, qui procuratorem nullum habuit, Senatusconsulti tamen verbis nominatus sit inter cæteros, dum ne aduersus eum nominatum Senatusconsultum redditum sit, quasi aduersus eum qui procuratorem habuerit in eam ipsam litem constitutum. [1] Neque enim, quod solum nominatus sit, facere debet, quo minus videri debeat res inter alios acta & iudicata, [2] cum ipse neque per se, neque per procuratorem iudicio adfuerit. [3] *Ita Senatus* in causa R. D. Episcopi & Capituli Bellicensis, 9. Calend. Decembr. 1594.

1 Quo casu videtur pronunciatum saltem tacite, in ea causa fuisse constitutum procuratorem eum, qui comparuit tanquam procurator, & ideo necessaria est ciuilis supplicatio, vt diximus *Defin. præced.*

2 Quæ proinde aliis nec vocatis, nec auditis obesse non debet, *tot. tit. Cod. res inter alios act. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

3 *L. penult. C. si aduers. rem iudic.*

DEFINITIO IV.

CVm Senatusconsultum, aduersus quod ex diplomate porrigitur ciuilis supplicario, prius mandari debeat executioni, quam admittatur ciuilis supplicatio propter auctoritatem rerum iudicatarum, [1] nec minus pro expensis litis, si victori adiudicatæ sint, quam pro debito principali, [2] quæsitum est, si à taxatione expensarum appellatum sit per condemnatum, qui tamen fiduciariam, &, vt loquuntur, prouisionalem solutionem offerat sub onere satisdationis pendēte appellatione, [3] an satis facta iudicati executio videatur, vt supplicationi via patere possit? Dubitationem facit, quod alioqui futurum sit, vt condemnato præcludatur via appellandi à taxatione expensarum, quod nequaquam admittendum est. [4] Quod si dicas, condemnato eidemque supplicanti permissum esse, vt saluo iure appellationis & repetitionis, si male taxatum pronunciabitur, soluat statim quicquid taxatum est, remisso victori onere satisdationis, [5] in promptu contradictio est. Quid enim si victor sit non soluendo, & impar restituendis sumptibus, quos male & ex immodica taxatione percepit? [6] Placuit tamen non prius videri mandatum executioni Senatusconsultum, quam de expensarum taxatione & appellatione de ea re interposita cognitū & pronūciatum, quia nihil actum videtur, quamdiu aliquid restat agendum. [7] Proinde nec interea audiendum eum, qui per ciuilem supplicationem impugnet iudicatum. Nec si paratus sit satisdationis onus victori remittere, nisi ab appellatione quoque discedat, [8] non quod appellationis viam ei præcludi æquum sit, si appellationem prosequi malit, [9] sed vt intelligat, non esse interea sibi apertum aditum ad supplicationem ciuilem proponendam, cum ea appellatio plenam iudicati executionem remoretur. [10] *Ita Senatus* in causa Laurentij Bruni fiscalis apud Augustanos procuratoris, contra Andræam Tillier Præpositum de Monioux, 14. Cal. Aug. 1595.

1 Quæ auctoritas rerum iudicatarum in earum executione non in pronunciatione consistit, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

2 Ira, vt quamdiu vel obolus vnus deest, non possint aperiri tabulæ ciuilis supplicationis.

3 Exemplo eius, quod scriptum est *in l. 1. & tot. tit. D. si cui plus quam per leg. falcid.*

4 Cum per appellationem iniquitas iudicati plerunque corrigatur, l. 1. D. *de appellat. præt. l. præfecti* 17. D. *de minor.* Nec enim publice prodest legum adminicula singulis denegari, *l. vnic. C. hoc tit.* Ponimus autem factam taxationem expensarum non à Senatu, à quo non posset appellari, sed à Recuperatore, &, vt vocant, Commissario in eam rem dato, à quo appellatur ad Senatum.

5 Quasi debeat ei sufficere quod habiturus sit repetitionem.

6 Nulla siquidem videtur esse actio quam debitoris excluditinopia. [*L. 6 D. de dolo.* Sic *in l. supra* 14. *§. apud Ferocem, de aqua & aquæ pluu. arc.*]

7 *Vulg l pen. in fin. C. de his quæ vt indign.*

8 Cum appellatio executionem impediat, adeoque extinguat iudicatum, *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill. l. furti 6. §. 1. D. de his qui not. infam.*

9 *d. l. 1. D. de appell.*

10 Itaque non de alio conqueri debet, quam de seipso, qui hoc maluisse videtur.

DEFINITIO V.

Casus in quo potest reuocari arrestum citra viam ciuilis supplicationis.

ADuersus Senatusconsultum inter procuratorem Principis & Imperatorem dignitatis aut officij cuiuspiam redditum, non est necessaria ciuilis supplicatio, sed sufficit iuberi Senatum à Principe, vt nil obstante eo Senatusconsulto contra statuat. [2] Maxime vero si procurator generalis consentiat. [3] Nam ciuilis supplicationis vsus eo duntaxat casu necessarius est, quo inter priuatos collitigatores fuerit pronūciatum. [4] *Ita Senatus* pro illustri D. Hieronymo de Lambert Equite Senatorio, 16. Cal. Decemb. 1595.

1 Etiamsi id agatur maxime, vt Senatusconsulti auctoritas infringatur, quod certe valde singulare est.

2 Quod hoc casu ad solum Principem res pertineat, qui vtique liberum de suis rebus disponēdi arbitrium habet, quod etiam priuatus quilibet haberet, *l. in re mandata 21. Cod. mandat.*

3 Nec enim consentienti vlla fit iniuria, *l. in diem 9. §. 1. D. de aqua & aquæ pluu. arcend.*

4 De re scilicet ad priuatorum negotium & vtilitatem pertinente, quo demum casu locum habent edicta, quæ apud nos facta sunt de arrestis post porrectam ciuilem supplicationem interim exequendis.

DEFINITIO VI.

Solutio non potest allegari post arrestum, quo fuit pronunciatum de non solutione, siue expressim de eo pronunciatum sit, siue per relationem ad sententiam.

APud Senatum conuentus quis vt solueret, allegauerat solutionem, nec probare potuerat, [1] ob deperdita fortassis eo tempore instrumenta, & ideo fuerat condemnatus: [2] si postea nanciscatur probationes, eget remedio supplicationis ciuilis, cuius tum maxime vtilis vsus est, cum ex nouis instrumentis iudicatum rescindi debet. [3] Nec ad rem pertinet, quod dici solet exceptionem solutionis, quia non

BIU Cujas

impugnat iudicatum, opponi quandocumque posse in executione iudicati. [4] Id enim tum verum est, cum ante sententiam non fuit allegata, nec super ea pronunciatum. [5] Quid ergo, si Senatus nihil de eo nominatim pronunciauerit, sed tantum sententiam prioris iudicis, quia id ipsum continebatur, confirmauerit, ex causa fortassis desertæ appellationis, [6] an sufficiet refundi expensas desertæ litis appellatoriæ, vt integrum sit probari solutionem? Minime, quia tantæ auctoritatis, eiusdémq; potestatis est eiusmodi Senatusconsultum, quantæ esset, si ea ipsa omnia expressim contineret, quæ inferioris iudicis sententia expresserat. [7] Id enim est, quod nostri iactitant, relatum inesse in referente cum omnibus suis qualitatibus. [8] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 17. Cal. Decemb. 1596.

1 Cum tamen probanda sit solutio ab eo, qui allegat, quoniam est facti, *l. 1. C. de probat.*

2 Reus enim suam exceptionem probare debet, cum in ea sit actor, *l. in exceptionibus 19. D. eod.*

3 Alioqui proponendum est remedium, quod vocant reuisionis, aut proponendus error facti. Cæterum citra viam ciuilis supplicationis non magis potest rescindi iudicatum prætextu instrumentorum postea repertorum, quam transactio, *l. sub prætextu 17. & ibi not. C. de transact.*

4 Sicut & cæteras, quæ iudicatum non impugnant, *l. sumi qui 16. & sequentib. D. de re iud. l. cum militi 16. § 1. & seq. D. de compensat.*

5 *L. quod in diem 7. § 1. eod. tit. § 2. de neg. gest.*

6 Appellatio siquidem deserta pro non interposita habetur, & ideo postquam pronunciatum est desertam fuisse appellationem, nihil aliud faciendum superest, nisi vt confirmetur iudicatum, quasi quod transierit in rem iudicatam.

7 Nihil enim refert, an quid certis verbis exprimatur, an per demonstrationem & relationem ad aliam rem certam, *vulg. l. certum 6. D. de rebus cred.*

8 *Vulg. l. asse toto 77. D. de her. instit.*

DEFINITIO VII.

Potest Senatus iudicare secundum conscientiam, & non semper secundum allegata & probata.

SEnatus, quia supremus magistratus est, [1] tenetur iudicare secundum conscientiam potius, quam ex mera nimiaque iuris subtilitate. [2] Itaque cum mulier, quæ contra Senatusconsultum intercessisse dicebatur, conueniretur ex intercessione, & aduocati obijcerent exceptionem Senatusconsulti Velleiani, illa vero Senatores priuatim adeundo fateretur se debere paratamque soluere, si competens dilatio daretur ad pecuniam explicandam, visum est, si aliud nihil obstaret, posse illam & debere condemnari. [3] An & idem erit, si talis mulier proponatur, quam notorium sit solitam mariti res & bona omnia pro arbitrio gerere? Vtique si hoc allegatum fuerit, licet non probatum. [4] Sed hoc parcius, & ita demum, si id omnes Senatores sciant. [5] Alioqui non facile à iuris præsumptione recedendum est. [6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 20. supr. ad Velleian.

1 Quippe qui ius reddat vice Principis quomodo olim præfecti prætorio, *l. 1. § his cunabulis, D. de off. præfect. prat. l. aduers. 3 C. si aduers. rem iudic.*

2 Anton. Tessaur *in præf. decis. Pedem. nu. 31.* post Osasc. Cacher. *decis. 1.* Guid. Pap. *quæst. 29.*

3 Quamuis ex actis litis nihil tale probaretur.

4 Notorietas enim releuat quidem ab onere probandi, sed non allegandi, *Gloss. notab. in cap. appellanti de appellat.* Guido Papæ *quæst. 121. numer. 4.* * de hac materia notorietatis est glossa celebris, *in cap. vestra duxit 7. extra de cohabit. cleric. & mul.* vbi ait triplex esse notorium facti, iuris, & præsumptionis.

5 Qui enim ignorant, non coguntur nec debent pro vero habere, quod alij dicunt se scire.

6 Quæ illa est, vt pecunia numerata mulieri credatur peruenisse ad maritum tanquam ad potentiorem, si maritus præsens fuit, *Ex not. ad l. si cum dotem 22. § transgrediamur, D. solut. matrim.*

DEFINITIO VIII.

Interdum necessaria est contra arrestum ciuilis supplicatio etiam ei, qui nec auditus fuit nec vocatus.

SI Senatus audito procuratore generali, permisit publicationem literarum, quas monitorias appellant, [1] non est audiendus aduersarius, contra quem impetratæ sunt, si ab ea publicatione tanquam ab abusu pronocare postea velit, licet abusus reuera interuenerit, nec in ea publicatione permittenda vel deneganda auditus ille sit. [2] Obstat enim auctoritas Senatusconsulti, [3] & consequenter necessaria illi est ad appellandum ciuilis aduersus arrestum supplicatio. [4] *Ita Senatus* in causa Michaëlis Frete, contra fratres Dinat, 5. Cal. Decemb. 1595.

1 Quarum vsus maxime solet esse necessarius ad habendas facti probationes.

2 Quamuis soleat dici, res iudicatas non alijs nocere, quam qui fuerint auditi vel saltem euocati, *l. de vnoquoque 47. D. de re iud. l. 1. & tot. tit. Cod. int. alios act. & iudic. alijs non nocet.*

3 Quæ non patitur vt per abusum possit dici factũ id, quod factum est Senatu expressim permittente, *l. Gracchus 4. Cod. ad leg. Iul. de adult. l. qui auctore 137. de reg. iur.*

4 Propter auctoritatem arrestorum & rerum à supremo magistratu iudicatarum, vt dixi *Defin. 4. 5.*

DEFINITIO IX.

De ciuilibus literis impetratis aduersus Senatusconsultum, quo quis condemnatus fuerat tanquam spoliator ad restitutionem possessionis & fructuum.

LIteras supplicationis, &, vt vocant, reuisionis, quibus Senatusconsulti auctoritas impugnatur per allegationem erroris, [1] qui non in iure, sed in facto interuenerit, [2] certum est eo casu locum non habere, quo non nisi de possessorij iure pronunciatum fuisse proponatur. [3] Id enim Principum nostrorum edictis diserte cautum est, vt & apud Gallos constitutionibus Regijs, [4] non obscura nec mala ratione. Nam cum sit plane odiosum remedium, quod erroris exprobationem continet, [5] sufficere debet condemnato, quod habeat salua petitorij iura, quorum potestate consequi possit, vt quod Senatus in possessorio pronunciauerit per contrariam pronunciationem in causa petitorij secutam reuocetur, addita etiam fructuum omnium restitutione ex die litis in possessorio contestatæ. [6] Sed an idem dicendum sit, si contra Senatusconsultum ciuilis supplicatio porrecta fuerit, dubitari non ineleganter potest, cum sit remedium hoc minus odiosum, tanquam quod non erroris, sed nouorum instrumentorum allegatione nitatur, [7] quæ si priore iudicio visa fuissent, credibile sit, eosdem ipsos iudices aliter fuisse iudicaturos. Vnde & ciuilis supplicatio vocatur, ne quis inciuilem forte ac odiosam esse putet. [8] Ex eoque nimirum differentiæ variæ proficiscuntur inter ciuilem supplicationem & erroris propositionem. [9] Quarum vna illa est, quod per ciuilem supplicationem nulla lis pendere intelligitur, quæ per propositionem erroris haud dubie induceretur. [10] Item quod aduersus Senatusconsultum interlocutorium ciuilis supplicatio porrigi potest, [11] at erroris propositio non potest. [12] Verum nec illud negari potest, ciuilis quoque supplicationis auxilium extraordinarium esse, [13] cui proinde locus nullus relinquitur, cum ordinarium competit. [14]

Ordinarium

Ordinarium porro illud est, quod post rem de possessione iudicatam proprietatis quæstio per nouam litem sic exercetur, vt possessorium per petitorium absorbeatur. [15] Magis tamen est, vt ciuilis supplicatio in hoc quoque casu admittenda sit, [16] propterea quod nouorum instrumentorum allegatio faciat, vt non noualis, sed ea ipsa, quæ ante fuerat, durare adhuc existimetur. [17] Id vero tum maxime obtinet, cum vel dolus malus victoris in priore iudicio interuenisse probatur, [18] vel ea prioris iudicati ratio fuit, vt nec si victus in possessorio tandem obtineat, in petitorio pleniſſimam indemnitatem sit consecuturus. [9] Finge actum esse contra te condictione ex Canone Pontificio, quo spoliatis succurritur aduersus spoliatorem, teque condemnatũ fuisse ad fructuum omnium restitutionem, quotquot à die obiectæ spoliationis percepisses: [20] nemo dixerit, vincentem postea te in petitorio posse ideo consequi, vt fructus omnes, quos ex prioris iudicati auctoritate persolueris, tibi restituantur. [21] Nisi forte quis putet eo prætextu restituendos quasi ab aduersario tuo post litem in possessorio contestatam perceptos, [22] sed cum non tam iure possessionis, quam odio spoliationis, & ex iudicato percepti sint, fieri certe nequit, vt salua iudicati auctoritate restituantur. [23] Infringendum igitur est Senatusconsultum, idque vel remedio supplicationis ciuilis, si qua instrumenta noua proferantur, vel propositione erroris, si quis error interuenisse probari possit. Quo casu nec literis ciuilibus posse locum esse placet. [24] Cæterum si fructus victori adiudicati restitutique sint tanquam spoliato, quem tamen numquam spoliatum fuisse postmodum apparent, an non plane iniquum sit nullam eorum repetitionem esse? [25] Erit vero id multo certius & indubitatius, si ponas etiã dolo victoris extortam fuisse condemnationem, qui dolus arguatur ex nouis instrumentis, quæ prius fuerint siue à Senatu, siue ab ipso quoque victore ignorata. Numquam enim dolus impunitus esse debet, [26] tãtum abest, vt ex eo lucrum sentire dolosus debeat. [27] An ergo ita pronunciandum erit hoc casu, vt victor condemnetur ad fructus omnes, quos ex iudicato perceperat, victo restituendos? [28] aut vt res ipsa, de cuius possessione ac proprietate controuersum est, ei, qui spoliator dicebatur, adiudicetur cum fructuum omnium restitutione? [29] Minime vero, sed ita erunt concipienda Senatusconsulti verba, vt prius iudicatum nõ minus quod ad ipsam spoliationis causam, quam quod ad fructus, quorum adiudicationi spoliatio colorem dederat, subuertatur. [30] Id autem vt fiat, pronunciandum est eo prorsus modo, quo si nullum Senatusconsultum præcessisset, ita nimirum, vt nulla prioris iudicati habita ratione, quod Pragmatici nostri dicunt, *sans s'arrester à l'arrest*, [31] is, quem spoliatum fuisse pronunciatum erat, à proposita ex canone Pontificio ad recuperandam possessionem actione summoueatur, [32] & in consequentiam necessariam, ad fructuum omnium, quos quasi spoliatus perceperat, restitutionem condemnetur. [33] Incipiunt enim penes illum esse sine causa, & ideo restitui debere, quod ille non tam hodie victus, quam victor numquam fuisse videatur. [34] Neque tamen superioribus consequẽs erit, vt eos quoque fructus, quos ex die prioris iudicati perceperit, restituere debeat, nisi qui etiam post litem contestatam percepti probabuntur. Nec enim posterioris Senatusconsulti potestas tanta esse potest ad prioris memoriam delendam, vt possit negari bona fide iustoque titulo perceptos esse fructus, qui Senatu auctore percepti fuerunt, [35] quamuis iudicati prioris titulus post rem ex ciuili supplicatione in contrarium iudicatam ad non titulum reductus videri possit. [36] Nam & sublato titulo sufficit bonam fidem superesse, vt suum ius sit fructuum retinendorum. [37] Itaque, quod mirum sane est, plus iuris habet, qui posteriore loco succubuit, quantum ad eos fructus attinet, qui nunquam adiudicati fuerunt, quã quod ad eos ipsos, quos ex adiudicatione percepit, retinendos. [38] Adeo fortior est & in hanc rem potentior auctoritas iudicati quam adiudicationis, nempe quoniam adiudicatorum retentionem solæ rei iudicatæ auctoritas tuetur, [39] quæ per maiorem posterioris Senatusconsulti auctoritatem labefactatur & corruit, [40] eorum vero, qui ex iudicati die percepti sunt, etiam bona fides possidentis, [41] quæ tantum prodesse solet, quantum ipsa rei veritas ad fructuum acquisitionem. [42] Planè qui post litem ex ciuilibus literis contestatam fructus percepti sunt, dubitari non oportet, quin veniant in restitutionem, tanquam mala fide percepti, [43] quia quod dici solet, nullam ex proposita ciuili supplicatione induci litispendentiã, [44] ad fructuum causam non pertinet, quorum acquisitio per solam controuersiam, si qua mora sit, impeditur, tanquam exinde facto malæ fidei possessore. [45] Per ciuiles porro literas si non litem, certe controuersiam saltem induci certum est. [46] *Ita Senatus* in causa viri clarissimi & in Senatu nostro Aduocati generalis meritissimi, contra D. Pignerium Aduocatum, Prid. Cal. Iul. 1605.

1 De quibus vide tractatum elegantem Petri Rebuff. *de supplicat. seu error. propos. tom. 1.*

2 Quia ad errorem iuris proponendum nemo admittitur contra Senatusconsultum, Rebuff. *in præfat. d. tract. quæst. 9. nu. 70. ex l. præfecti 27. D. de minor.* At facti interpretatio etiam prudentissimos fallit, *l. 2. D. de iur. & fact. ignor.*

3 Rebuff. *ibid. art. 3. gloss. vnic. & in tract. de supplic. quæst. 9. in præfat. num. 65.*

4 Constitutionis verba vide apud Rebuff. *de art. 3.* Obserua tamen sententiam latam, super possessorio, definitiuam esse, non interlocutoriam, Guid. Pap. *quæst. 37.* ex Bart. *in l. post sententiam, C. hoc tit.*

5 Rebuff. *in tract. de liter. ciuil. art. vnic. gloss. 2. num. 46. & 47.*

6 Idem Rebuff *in tract de supplic. art. 3. gloss. vnic. in fin.*

7 Rebuff. *in tract de ciuil. liter art. vnic. gloss. 2. quæst. 7. nu. 43.*

8 Sic enim Rebuff. *vbi s.* post Curt. *in l. admonendi, nu. 8. D. de iureiur.*

9 Quas vide apud Rebuff *dict. quæst 7.* & apud Ioann. Papon. *in syntagm. Arrestor. lib. 19. tit. 8. De la force des iugements, § 4.*

10 Rebuff. *dict. art. vnic. gloss. 2. num 53.* post Bald. *in Auth. quæ supplicatio, l. 1. & in fin. C. vt lit. pend.*

11 Rebuff. *de liter ciuil. art. vnic gloss. 2. num. 22.*

12 Idem Rebuff, *in tract. de supplic. quæst. 9. in præfat. num. 66.*

13 Rebuff. *de liter ciuil. art. vnic gloss. 2. num. 31.*

14 *L. in causa 16 D. de minor.*

15 *L. naturaliter 12. §. nihil commune.* vbi Bart. & alij *D. de acquir. possess.*

16 Quamuis non soleat admitti contra arresta prouisionalia, Rebuff. *in d. art. vnic. de liter. ciuil. lib. gloss. 16. nu vlt.* Ioann. Papon. *d. lib 19. syntagm. tit. 8. §. 7.* [Vt neque pro solis expensis litis. *Ita Senatus* Prid. Non. Iunij 1612.]

17 Vt dixi *num. 10. s.*

18 Nam & Aduocati dolum interuenisse sufficeret, Rebuff. *de liter. ciuil. lib. art. vnic. gloss. 2. nu. 40. ex l. 1. C. de aduoc. diuers. iudic.*

19 Semper enim succurrendum est & quidem pleniſſime ei, qui male fuit condemnatus, Rebuff. *in tract. de supplic. quæst. 3. num. 14.*

20 *Ex can. redintegranda 3. quæst. 1.*

21 Acquiruntur enim stioulatori sine spe restitutionis, etiamsi spoliator postea in petitorio obtineat, vt dixi *Defin. 8. de ordin. iudic. num. 4.*

22 Secundum ea quæ dixi *num. 6 s.*

23 *L. seruo 65. § cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

24 Rebuff. *de liter. ciuil. art. vnic. gloss. 2. quæst. 7. nu. 43. vers. nec admittitur.*

25 Esset enim acquisitio iniusta, vt tractat Rebuff. *de supplic. quæst. 3. num. 14.*

26 *L. procurator 11. §. in perpetuum, D. de doli mali exceptione. l. Diui 33. D. de re iudic.*

BIU Cujas

27 *L. nec ex dolo 11. & pass. D. de dolo.*

28 Quæ pronunciandi formula esset contra ius, quia fructus omnes sunt spoliato restituendi, *dict. can. redintegranda 3. quæst. 1.* & ideo ante omnia pronunciatum est, actorem spoliatum non esse.

29 Quæ formula pronunciandi conuenit petitorio, *l. ex diuersa 35. § 1. D. de rei vindic.* Nos autem hic ponimus in tantiam quoque ciuilis supplicationis esse de possessorio.

30 Sapit enim hoc remedium naturam in integrum restitutionis in effectu, etsi in quibusdam differunt, vt tractat Rebuff. *de it. in il. art. vnic. gl. 3. num. 4 & seqq.*

31 *Arg. l. Diuus 31. D. de re iudic.*

32 Quod Pragmatici nostri dicunt *le debouter de la reintegrande.*

33 Causa enim fructuum necessaria habet consequentiam ad causam principalem *d. l. ex diuersa 15. § 1. D. de rei vind.*

34 Quia potestas posterioris condemnationis tollit intellectum prioris adiudicationis, *argum. l. si patroni 55 § vltim. D. ad SC. Treb.*

35 *L. iuste possidet 11. D. de acquir. possess. l. qui auctore 166. de regul. iur.*

36 Cum vnum quodque dissoluatur eodem modo quo colligatum est, *vulg. l. nihil tam naturale 35. de regul. iur. l. prout &c. D. de solut.* [*Ita Senatus* pro Peroneta Mojon, 8. Id. Februar. 1612.]

37 *L. bonæ fidei 48. D. de acquir. rer. domin. l. qui scit 25. § 1. D. de reg. iur. l. fructus 45. eod.*

38 Nec enim hæc species similis est illi, quam in contrarium, vt videtur, tractat Papin. *in l. eod. tit. de vsur.*

39 Quia postquam iudicatum est, de alio non quæritur, quam quid iudicatum sit. *d. § cum prætor, l. 65. ad Trebell.*

40 *d. l. Diuus 33. de re iudic.*

41 Quæ nulla esse potuit ante arrestum, quo primum fuit restituta possessio.

42 *dict. l. bonæ fidei 48. de acquir. rer. domin. l. bona fides 136. de regul. iur.*

43 *L. 12 C. de fructib. & lit. expens.*

44 *Vt dixi num. 20. s.*

45 *L. si de ea lege 25. § si ante, D. de petit. haered.*

46 Facilius enim est vt controuersia quam vt lis inducatur.

DEFINITIO X.

Acta & iudicata in petitorio ad fines possessorij tantum non nocent agenti postea in petitorio.

QVid rursum, si prius iudicium super possessorio, quantumuis summario, institutum mixtam habuerit causam petitorij?[1] Finge, curatorem absentis bonis datum, qui absentem à possessore spoliatum contendebat, cum ex aduerso contractus obiceretur venditionis per absentem factæ, replicasse de contractus nullitate,[2] ex eaque causa, vt fieri moris est, restitutionem in integrum impetrasse,[3] quod absenti tanquam prodigo & mente capto bonis interdictum per iudicē, eaque interdictio publico programmate aliquot ante venditionem annis facta probaretur:[4] deque eo Senatum simul pronunciasse, rescisso etiam quatenus opus esset contractu, vicissimque condemnato curatore, vt redderet, quicquid ex pretio in absentis vtilitatem versum esse appareret,[5] Hoc sane casu facilius admittendum quis putet, vt victus audiri debeat, si contra huiusmodi Senatusconsultum porrigat ciuilem supplicationem, etiam quæ alioqui contra rem in mero possessorio iudicatā non esset admittenda,[6] ne alioqui nulla supersit ratio impugnandi Senatusconsulti, ne quidem ex nouis instrumentis probatove errore aut etiam victoris dolo,[7] cum fieri non posse videatur, vt salua iudicati auctoritate noua in petitorio lis instituatur, postea quam de petitorio iam cognitum & pronunciatū fuit.[8] Sed non ita est, nec enim quod incidenter tantum, & non nisi ad fines possessorij de petitorio tractatum & cognitum fuit, parere potest exceptionem rei iudicatæ, si postmodum lis petitoria inchoetur, vt de proprietariis tantum iure plenius ac principaliter cognoscatur,[9] Itaque non esset iusta hæc causa, siue ciuilis supplicationis, siue reuisionis per prouisionem erroris admittendæ contra Senatusconsultum in possessorio redditum, si alia melior nulla proferretur.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec enim nouum est, vt in causa possessorij tractetur etiam de petitorio ad confortandum possessorium, vt dixi *Defin. 9. s. de ordin. iudic.*

2 Potest enim nullitatis causa cumulari cum remedio *can. redintegranda 3. quæst. 1.*

3 Vt quod de facto processit, de facto rescindatur, quomodo loquuntur Pragmatici.

4 Nullus enim est contractus quisquis factus est per prodigum post interdictionem, *l. is cui bonis 6.* vbi Bart. & alij *de verb. oblig.*

5 Quæ res proculdubio sapit petitorium, quoties iudicatur de iure & validitate aut nullitate contractus, vt notant Bart. & alij ad *l. naturaliter 12. § nihil commune, D. de acquir. possess.*

6 De quo, an scilicet sit admittenda nec ne, scripsi *Defin. praced.*

7 Quod tamen esset iniquum, *l. vnic. C. hoc tit.* Rebuff. *in l. tract. de liter. ciuil. & in tract. de supplicat. per totum.*

8 Obstat enim exceptio rei iudicatæ, quoties eadem res in iudicium deducitur, de qua iam fuit cognitum & iudicatum, *l. cum quæritur 11. & seqq. & pass. D. de except. rei iudic.*

9 Bart. *in repet. l. 1. D. si quis in ius vocat non ier. num. 21 & 22.* Felin. & alij Canonist. *c. 2. de caus. possess. & proprie.*

1 Sunt autem meliores illæ, de quibus diximus *Defin. praced.*

DEFINITIO XI.

Emptorem qui ex pacto retrouendere debuit, eoque nomine conuentus, etiam à Senatu condemnatus fuit, saluo iure agendi contra quem & quomodo agendum videretur.

PLacuit saluam habere hypothecatiā in eam ipsam rem, quam in executione iudicati retrouendidisset, si modo eam sibi à Domino iure obligatam probare posset. Neque ob id egere ciuili vlla supplicatione: etsi in priori iudicio de iure quoque pignoris ad impediendam retrouenditionem, emptor excepisset, quasi ex ea causa retentionis ius ei conseruādum esset. Non enim exceptio rei iudicatæ obstare poterat agenti hypothecaria, cum is ipse quidem condemnatus antea fuisset: at in alio iudicio in quo de actione personali principaliter actum fuerat, deque iure redimendi potius quàm de pignoris causa. Et quanquam facilius esse solet, vt possidenti detur retentio, quàm non possidenti persecutio pignoris, Nihil tamen verat ei quoque cui retentio ex aliqua causa adempta sit saluam superesse persecutionem, cùm hypothecaria perpetuas illas suas habeat conditiones, si debitum solutum non sit, aut aliter eo nomine satisfactum. Ideóque nec confusione tollatur, nec præscriptione debiti principalis, nec quo alio modo nisi solutione aut satisfactione. In proposito autem illud accedebat, quod eo ipso Senatusconsulto, quo emptor nitebatur, ius ipsum pignoris exceptum videbatur iis verbis. *sauf son recours contre qui & cõme il verra à faire.* Qui generali formula non minùs victor ipse quàm alius quilibet continebatur. Alioqui debuisset adici, *autre toutesfois que ledit demandeur*, quib. non additis generalē exceptionē esse cōstabat. Tantóque iustior erat hæc interpretatio, quod alioquin dicēdum esset, eo Senatusconsulto ablatam iusto creditori sine causa pignoris persecutionem, quod ab æquitate Senatus alienū prorsus foret, maximè cùm ex emptoris contumacia Senatusconsultum reddi. ū proponeretur. Nec enim si contumaciā ea pœna coerceri visum erat, vt emptori eidemq; pignoratitio creditori retentio adimeretur, consequens statim erat vt persecutionē quoq; ipsi adimi oporteret, cùm satis puniatur qui pro retentione actionem exercere cogitur, nec sit comparandus hic credi-

BIU Cujas

hic creditor ijs qui retentiones quas solas habent omittunt, quandoquidem eodem pignoris iure ab initio nō minus actionem habuit quàm retentionem. *Ita Senatus* pro Ioanne Antonio Rosaire Augustano, 3. Calen. Febr. 1612. Vide l. pen. §. 1. de except. rei iudic. l. debitor 19. ad Trebell. l. hæres 21. C. l. si in area 36. De cond. indeb.

DEFINITIO XII.

Ita pronunciare Senatus solet, vt non auferat condemnato facultatem appellandi ab iniusta sententia per quam idem fuerit condemnatus.

CVm Senatus contra aliquem pronunciat motus authoritate alicuius sententiæ inter eosdem litigatores latæ, à qua potuerit quidem iustè appellari, sed tamen appellatum non sit, ita vt in rem transierit iudicatam, [1] obseruare solet vt pronunciet addita vulgari clausula illa, *alio non facto nec apparente*, [2] vt condemnato saluam relinquat appellandi potestatem, nec ei necessitatem irroget impetrandæ supplicationis ciuilis, [3] quæ alioqui perinde necessaria esset acsi Senatus ex appellatione sententiam inferioris iudicis confirmasset. [4] Nihil enim hac parte interest, an sententiam illam Senatus habuerit pro iusta & ritè reddita, an verò pro re iudicata, [5] quod ad hoc, vt ab ea appellari amplius non possit. [6] *Ita Senatus* extempore in causa de qua in Defin. 15. infr. quor. appel. non recipi.

1 Non enim minus standum est rebus malè iudicatis per errorem & imperitiam iudicis, quàm si bene iudicatæ essent propter rerum iudicatarū authoritatem, *l. seruo 65. §. cùm prætor D. ad SC. Trebell. & ex diuerso 35 § 1. D. de rei vind.*

2 De qua in Def. *fin.* 1. *j. de rer. iud.*

3 Cuius scilicet magna pro impetrante sunt incommoda, in eo præsertim quod condemnatus executionem iudicati interimpati cogitur, vt dixi Def. *fin.* 4. 5.

4 Quo casu constat esse necessariam ciuilem supplicationem aduersus arestum etiam nullum, aut cum falso procuratore redditum, *dict. Def. fin.* 1 *& 2. supr.*

5 Quia res iudicata quælibet pro veritate habetur, *l. res iudicata 207. de reg. iur. l. ingenuum 25. D. de stat. hom.*

6 Accipit enim à senatusconsulto vires ea sententia, quæ per senatusconsultum quoquomodo etiam tacitè confirmata est, & hoc casu locus est vulgari brocardico, Parem esse virtutē taciti & expressi *vulg. l.* 3. *D. de reb. cred.* Ergo non magis appellari ab ea potest, quàm a senatusconsulto.]

TIT. XV.

DE SENTENT. ET INTERloc. omn. iud.

DEFINITIO I.

De potestate literarum, quas vocant, de main-garnie, & earum, quas de debitis & de instrumentis guarentigiatis.

IVDICVM omnium, tam qui Principis, quam qui inferiorum vasallorum iurisdictionem, [1] exercent, commune ius illud est, vt creditoribus solutionem persequentibus ex instrumento authentico, &, vt loquuntur, guarentigiato, præcisas literas, quas *manus munitæ* [2] vocant, concedere possint, quarum potestate cogatur debitor creditori satisdāti statim soluere, nulla siue intercessione siue appellatione obstante. Non quod intercedendi aut appellandi ius debitori auferendum sit, [3] sed quia nec æquum videatur eiusmodi commento moram fieri vllam solutioni. [4] Cuius iuris ratio illa redditur, quod licet ab actione non ab executione inci i oporteat, [5] tamen Statuti nostri auctoritate factum est, [6] vt instrumento publico authentico & guarentigiato testata debitoris confessio vim habeat sententiæ & condemnationis. [7] Siquidem guarentigiatum illud appellamus, quod nullas admittit exceptiones, præterquam falsitatis, simulationis & solutionis. [8] Authenticum vero, quod ex Notarij Ducalis subscriptione publicam fidem habeat, vt nec in dubium reuocari possit. [9] Vnde illud quoque receptum est, vt etiam inconsulto iudice ex diplomate Principis aduersus debitores suos præcisè exequendi ius habeat quisquis eiusmodi instrumento nititur guarentigiato. [10] Literas de debitis Pragmatici vocant, quæ non in eo solum maioris sunt potestatis, quam quæ à iudicibus conceduntur, quod pro debitis omnibus eiusdem generis & priuilegij contra quoscunque vnæ sufficiunt, [11] cum iudices non nisi in singulos casus singulasque personas concedere suas possint, [12] sed in hoc etiam creditori fauorabiliores, quod præstandæ satisdationis necessitatem nullam habent: [13] quæ tamen iudicis decreto remitti numquam potest. [14] *Senatus* tamen, si quando rogetur per supplicem libellum, vt præcisas istas executiones ex instrumento, quantumuis guarentigiato, fieri iubeat, iubet potius, vt ex diplomate creditor, si volet, exequatur, [15] aut vt debitor vocetur in ius, quasi non sit ex Senatus dignitate, in debitorem inauditum quicquam statuere. [16] Adeo, vt numquam ab executione incipi patiatur, ne eo quidem casu, quo saluum sit debitori ius intercedendi, atque ita faciendi, vt executio non nisi simplicis citationis iure censeatur. [17] Propter quam causam plerumque commodius est creditori inferiorem iudicem adire, quam Senatum. [18] Sane si eiusmodi præcisas literas inferioti iudex concesserit, rogatus Senatus exequendi facultatem permittit inaudito etiam debitore. [19] *Ita Senatus* sæpius.

1 Habent enim apud nos vasalli fere omnes iurisdictionem propriam à iurisdictione Principis ex infeudationibus aut antiquis aut nouis penitus distinctam, licet à Principe, tanquam à fonte suo profectam.

2 Gallice dicimus *lettres de maingarnie.* Quas obtinere apud nos solent non tantum creditores, sed etiam hæredes creditoris, non tamen contra hæredem debitoris: Nec necessarius est libellus, quamuis mutatę sint personæ, contra quam sentiat Guid Pap. *quæst.* 1.

3 Publice namque interest singulis non denegari legum adminicula, vt scriptum est *in l. vnic. C. de sent. præfect prætor.* Qualia sunt ista duo intercessionis & appellationis, *l. 3. §. falsus D. rat. rem hab. l. 1 D. de appell.*

4 Plerumque enim appellationes interponuntur frustrandi tantum gratia & animo protrahendæ litis ac differendæ solutionis, *l. tutor 41. D. de vsur. l. vlt. D. de re iud. l. negotiorum 24. D. de appell.*

5 *L. 1. C. de execut. rei iud.* Not. *in l. de pupillo 5. §. meminisse, D. de oper. noui nunciat.*

6 Quod & in tota fere Italia passim ex statutis obtinet. Vide Guid. Pap. *quæst. 66. & 117.*

7 Nam ex iuris ratione aliud esset, cum is demum habeatur pro condemnato ex propria sua sententia, qui confessus est in iure, id est, apud prætorem, *l. 1. 3. & pass. D. de confess.* non qui coram notario & testibus extra iudicium.

8 Quæ exceptiones cum sint fundatæ in mera æquitate naturali, numquam sunt excluse & possunt quandocunque opponi etiam contra instrumentum, quod sit in forma Cameræ, vt loquuntur, quod omnium potentissimum est, vt Itali passim referunt & testantur. Ideo autem instrumentum guarentigiatum dicitur probatio probata, quia nullas alias admittit exceptiones, & habet paratissimam executionem. Vide omnino Anton. Tessaur. *decis. 26. per tot.*

9 Pract. Papiens *in form. product. instrum.* in verb. *exhibens & producens, nu. 4 & 12. c. 1. extr. de fid. instrum.*

10 Intellige tamen si instrumentum illud authenticum & guarentigiatum etiam liquidum sit, alioqui non potest man-

BIU Cujas

dari executioni, nisi facta liquidatione, aut saltem nisi in continenti possit fieri liquidatio. Tessaur. vbi supr. nu. 5. & Olasc. de cis 129.

11 Principis enim est & eius, qui legem condere possit, iura generaliter constituere, arg. l. iura 8. D. de legib.

12 Quia nihil faciunt nisi ex officio, quod porro non solet nec debent impertiri, nisi petenti, l. 4. §. hoc autem iudicium, cui ibi not. D. de dam. infect.

13 Ideo fortassis, quia per executionem, quæ fit vigore dictarum literarum, munitur manus non creditoris, sed iustitiæ, vt loquuntur.

14 Sed pro hoc incommodo habet creditor id commodū, quod post oblatam satisdationem consequitur exactionem debiti & ipsius creditoris non iustitiæ manus munitur. Sic edim habent literæ *ladite maingarnie deliurable au requerant à caution.*

15 Ne alioqui superuacuus aut potius inutilis reddatur vsus literarum huiusmodi generalium, quæ res nec publice vtilis esset, nec ærario Principis.

16 *L. de vnoquoque, 47. D. de re iudic. c. 1. de caus. poss. & proprie.*

17 *Ex l. 1. C. de exec. rei iudic.*

18 Secundum ea quæ notat Bart. *ad l. de pupillo 5. §. meminisse, D. de oper. noui nunciat.*

19 Sic enim fit, vt nullam litem habiturus sit creditor, si volet debitor intercedere, quod diuersum est, quoties incipitur à citatione.

20 Ex notat. *in d. §. meminisse.*

DEFINITIO II.

Prouisionalis sententia, itemque diffinitiua, an & quando possit mandari executioni, non obstante & salua nihilominus appellatione?

INterlocutoria condemnatio, quam Pragmatici prouisionalem vocant, quantamcumque summam contineat, executioni mandari potest, præstita per victorem satisdatione, & saluo appellationis iure, si is Iudex fuerit, qui Principis iurisdictionem exercet, siue ordinariam, siue delegatam. [1] Sin iudex inferior fuit, [2] executionem impedict appellatio, [3] alioqui attentasse iudex dicetur, [4] nisi debitum, de quo agitur, tale sit, cuius fauor suadeat, vt etiamsi diffinitiua esset sententia, potior executionis quam appellationis causa esse deberet, vt puta, si de alimentis & salarijs, quadraginta florenorum quantitatem non excedentibus, item si de dote, confectione inuentarij & pontium, itemque itinerum refectione controuertatur. [1] Est enim congruum, Iuridicos maiores pro Principis dignitate hac in re, & in alijs plerisque dignioris esse conditionis. [6] Si tamen condemnationi illi interlocutoriæ causam dederit confessio ipsa debitoris, de qua ex instrumento publico & guarentigiato appareat, [7] aut quæ in iudicio facta sit, [8] non est æquum minus iuris habere actorem ob hoc solum, quod apud inferiorem iudicem litigare cogatur, quam si apud maiorem de iure suo experiretur; [9] præsertim, cum prius etiam quam debitor in ius vocaretur, iudex inferior æque ac superior potuerit iubere fieri ex eiusmodi instrumento præcisam executionem. [10] Quis enim ferat melioris conditionis esse debitorem post interlocutoriam condemnationem, quam si necdum in ius vocatus esset? [11] Id siquidem est quod dici solet, neque litem contestando facere quemquam suam conditionem deteriorem, [12] neque actoris victoriam condemnato prodesse debere. [13] *Ita Senatus* 14. Cal. Iulij 88. & 8. Id. Maij 90. & rursum pro hæredib. Petri Gleyron, contra Archiep. Tarentas. 17. Cal. Febr, 1593.

1 Sic enim stylo Senatus nostri expressim cautum est.

2 Excipe tamen consilium Gebennense, quod gaudet omnibus priuilegijs, quibus gaudent Iuridici Ducales, & hoc amplius habet alia pleraque, quæ cæteri Iuridici Ducales non habent.

3 Idque iure ordinario, quoniam appellatio habet vim non tantum deuolutiuam, sed etiam suspensiuam, *l. si causa cognita 32. C. de transact.*

4 *Tot. tit. D. nihil innou. appell. penden.*

5 Nam & ita cautum est stylo Senatus nostri, *tit. de sentent. execut.*

6 Ideo namque dicuntur Iuridici maiores, quod vice Principis funguntur, & maiorem in ea prouincia potestatem & iurisdictionem habeant post Principem, exemplo eius, quod de Præsidibus prouinciarum scriptum legimus, & Proconsulib. *in l. & ideo 8. D. de offic. proconsul.* Sane extra casus in hac Defin. enumeratas non possunt Iuridici maiores iubere mandari executioni sententiam diffinitiuam, non obstante appellatione, nec si satisdatio offeratur & consentiat actor, vt nullum ex eo præiudicium appellationi fiat. Solum consilium Gebennense priuilegium habet, quoties condemnatio non excedit summam centum librarum Gebennensium.

7 Quod scilicet habet vim rei iudicatæ, vt dixi *Defin. praced.* ex Guid. Pap. *q. 66. & 117.*

8 Iudicialis enim confessio multum potest, cum habeatur pro condemnatione, *l. 1. & 3 D. de confess.* & in iudicijs quasi cōtrahatur, *l. 3. §. idem scribit, D. de specul.*

9 Hoc enim casu ius litigatoris non ex ius dicentis iurisdictione proficiscitur, sed ex contractu & vigore instrumenti, qui in quocumque tribunali eiusdem est potestatis.

10 Quoniam apud quemcunque iudicem instrumentum guarentigiatum habet vim sententiæ & rei iudicatæ, vt dixi *num. 7.*

11 *Arg. l. 3.* vbi est text. elegans *D. de vsur.*

12 *L. aliam 19 D. de nouat. l. non solet 86. cum seq. de reg. iur.*

13 *d. l. de vsur. l. euidenter 16. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO III.

Ex instrumento recepto per notarium Regium, etiam adhibito sigillo, præcisa executio fieri non potest.

AVthenticum apud nos instrumentum esse creditur, non solum quod notario Ducali stipulante confectum est, [1] sed etiam quod notarij Regij subscriptionem habet, quam sigilli quoque Regij firmet auctoritas. [2] Sed non ideo tamen permittere iudex debebit, vt ex eiusmodi instrumento præcisa fiat executio aduersus inauditum debitorem. [3] Multoque minus ex diplomate principali, quod de debitis vocant, eo nomine exequi licebit, quia non nisi ad ea instrumenta, quæ per nostros notarios confecta sunt diplomatis priuilegium pertinet, [4] quasi quorum fides nobis certior sit magisque explorata. [5] Si secus factum sit iusta est appellatio, licet debitor non neget se debere, quoniam in ea re non tantum debitoris vtilitas, sed etiam iuris publici forma versatur. [6] Sed si appellatum non sit, & apud iudicem qui de causa cognoscet liquido constet de debito, non quidem confirmabitur executio, quæ rite facta non fuerit, [7] verum tamen perinde debitor ad solutionem litisque expensas cōdemnabitur, acsi executio non minus rite quam recte facta fuisset. [8] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio Idib. Iulijs 1591.

1 De quo sane dubitari non potest, quin sit authenticum, ex ijs quæ tradit Papiens. *in form. product. instrum. in verb. exhibens & producens, nu. 4 & 12.*

2 Pragmatici nostri vulgo legalitatem & legalisationem appellant, attestationem scilicet à iudice loci factam de legali qualitate & conditione illius, qui tanquam notarius confecit instrumentum, & in publicam formam redegit. Papon. *libr. 9. tit. 8. § 1.*

3 Repugnante scil. ratione iuris communis, quæ non patitur incipi ab executione, nisi vbi adest priuilegium in contrarium, *l. 1. C. de execut. rei iudic.*

4 Idq; literis ipsis quas De debitis vocant, diserte cauetur.

5 Nam nec sigillo creditur nisi sit recognitum, aut tam notorie verum & cognitum, vt pro recognito habeatur à iudice.

6 Quam condemnari aut peruerti non oportet, Tessaur. *decis. 26. num. 6.*

7 Quod enim contra leges factum est, & contra solitum ordinem iudiciorum, nunquam à iudice ratum haberi debet, *d. l. 1. C. de execut. rei iudic. cap. quod ab initio, cum ibi not. Extr. de reg. iur.*

8 Semper enim facti veritas attendi debet potius quam forma

BIU Cujas

forma procedendi, nec potuit vnquam is, qui scit se debere, iustam habere causam litigandi, nec proinde effugere sumptuum condemnationem, *ex reg. l. eum quem temere 79. D. de iudic. l. qui solidum 78. §. 1.* vbi Bart. *de leg. 2.* Si enim debitor soluisset vtiq; creditor in exequendo non peccasset, quia nec exequēdi necessitatem vllam habuisset. Ideoq; solemus dicere subhastationem & executionem quamlibet etiam nulliter factam tenere, dum modo facta sit pro debito, nisi debitum offeratur, & recusante creditore obsignetur, vt stylo Senatus nostri cautum est.

DEFINITIO IV.

Pendente quæstione, De rationibus reddendis non est locus prouisionali condemnationi inter socios, nisi contra morosos, idque condemnatione in rem ipsam magis, quàm in personam concepta.

CVm de rationibus reddendis agitur, non solet pendente lite locus esse prouisionali, vt vocant, adiudicationi, [1] quia priusquā redditæ sint constare nequeat vter debitor sit aut creditor, [2] multoq; minus quantum debeatur. [3] Si tamen ex pluribus sociis ad rationes reddendas inuicem obligatis quidam parati sint reddere, & librum offerant ex quo appareat rite confectas & compositas rationes, [4] alij vero moram contrahant, nec iudici reddendarum rationum formam præscribe ti obtemperent, æquum est propter moram interim eos condemnari. [5] Quo tamen casu condemnationem sic concipi oportebit, vt non tam socij debitoris personam demonstret, quam res ipsas, quæ lucri & quæstus iure ex societate prouenerunt. [6] Itaque si forte nomina quædam contracta sint minus idonea, solui ex ijs poterit, [7] si non ipsius socij culpa contracta proponantur. Tum enim imputari socio posset cur mala nomina fecisset. [8] *Ita Senatus* in causa heredum Henrici Bay, contra heredes Nicolai Grand, 8. Cal. Septemb. 1586.

1 Ne quidem ad sumptum litis. *l. Imperatores 17. D. de tutel. & rat. distr.*

2 Cum fieri possit & fiat plerumque, vt qui rationes reddere debeat sit creditor, adeo, vt ob eam causam exactio rationum plerumque differatur *l. 1. §. vlt. D. de contr. tutel. & vtil. act. l. 3. in fin. C. eod.*

3 Semper autem debet esse liquidum id quod deducitur in condemnationem prouisionalem aut saltem liquidabile in promptu & incontinenti. Alioqui non posset deduci in condemnationem, vt neque in compensationem. *l. vlt. C. de compensat.*

4 Ad eum scilicet modum quem præscribit Iureconsultus *in l. cum seruus 82. D. de cond. & demonstr.*

5 *Arg. cap. Suscitata. Extr. de in integr. restit.* Suam enim cuique moram non solum non prodesse, *l. hominem 37. D. mand.* sed etiam nocere oportet. *l. in condemnatione 175. §. vnicuique. de reg. iur. l. socium 60. D. pro socio.*

6 Satis enim faciendum est socio ex rebus & lucris societatis ante omnia quantum fieri potest. *l. si vnus ex sociis 67. in prin. & §. 1. l. cum duobus 52. §. cum duo. & §. sequ. alias l. si fratres & pass. D. pro socio.*

7 Nam ad sociorum omnium onus pertinet quod ab aliquibus seruari non potest, cum per societatem non minus damni, quàm lucri communio ineatur *d. l. si vnus in fine principij.*

8 Tenetur enim socius ex culpa adeoque ex sola negligentia, adeo, vt nec si in alijs plerisque societatem auxerit compendium tamen cum negligentia compensetur. *l. non ob eam 25. & seq. D. pro socio. d. l. cum duobus 52. §. vtrum ergo. l. socius 72. eod. tit.*

DEFINITIO V.

Potest locus esse prouisionali condemnationi pendente lite appellationis interpositæ à facta & finita computatione.

SEd & rationibus redditis, si à computatione facta, finitaque prouocatum sit, potest appellatione pendente locus esse prouisionali adiudicationi aduersus condemnatum, [1] si modo ab ijs computatio facta sit, quibus rationes succedendi computandiq; potestas data erat, [2] interueniente, vt fieri solet, pacto De ratum habendo quicquid ab ijs gestum esset & constitutum. [3] *Ita Senatus* pro Domina De Chartin, contra procuratorem Turrellum, *Sine die.*

1 Quinimo interdum etiam ante condemnationem si appareat rationum redditionem differri dolo malo & tergiuersatione illius, qui rationes debet reddere, Ioannes Papon. *libr. 18. syntagm. tit. 1. §. 4.*

2 Qui arbitri rationum dicuntur & instar iudicum obtinēt, à quibus ideo appellari potest & debet, vt & ab illis de quibus *in l. arbitrio 9. & seq. D. qui satisd. cogant.*

3 Habet enim hæc clausula illam vim, vt impediat ne possit contrauenire, neque de iure, neque de facto, vt tractat Guid. Pap. *quæst. 367. nu. 2 post gloss. sing. ad l. id quod pauperibus. C. de episc. & cleric.* Bart. *in l. metum 9. §. volenti. col. 2. vers. item verbum ratum refertur, D. quod met. caus.*

DEFINITIO VI.

Valet interlocutio & iusta est de conficiendo inuentario non obstante, vt aiunt, oppositione & appellatione, vt res collocetur in tuto.

PLacuit recte interlocutum iudicem, qui actori dicenti se dominum petentique iure commissi bona defuncti hominis tanquam dedititij permiserat inuentarium conficere, non obstante intercessione aut appellatione, [1] licet tum de iure actoris nullo modo constaret, [2] adeoque iam ab eodem iudice condemnatus is esset in eiusdem iuris (pro alijs tamen bonis) persecutione. Nimirum quoniam alioqui facile futurum sit, vt suorum iurium de quibus constare postea poterit fructu & emolumento dominus priuetur, nisi iam inde ab initio describatur quid quantumque in hereditate sit. [4] Maxime quod ab ea sententia dominus procurauerat, qua fuerat condemnatus. [5] Hoc tamen adiecto temperamento, vt bonorum mobilium descriptio fieret, non etiam immobilium [6] aut instrumentorum. [7] Nam ex instrumentis panderentur secreta patrimonij, [8] quod facto bonorum mobilium inuentario non contingit. [9] Plane æquum visum est instrumenta in certo loco sic deponi, vt in tuto collocentur, [10] & signetur arca, in qua recordantur, ne fraus vlla fieri possit, maxime si possessoris persona sit suspecta. [11] Sed & quod diximus bonorum mobilium faciendam esse descriptionem, sic accipiendum est, vti ne tamen possessio ei qui possidet aufferatur: [12] quod pragmatici nostri dicunt *Sans desplacer. Ita Senatus 6.* Id. Decemb. 1588.

1 Intellige hoc tamen addito, vt neque intercessioni, neque appellationi prejudicium vllum fieret, si quam interponi contingeret. Nunquam enim aut intercessionis, aut appellationis auxilium denegandum est. *l. 1. D. de appell.* iunct. *l. vnic. C de sent. præf. prætor.*

2 Nam quod dici solet actoris esse, vt primum & ante omnia suam intentionem probet *l. 4. C. de eo dend. l. actor. 13. C. de probat.* pertinet ad obtinendam sententiam definitiuam, non autem ad rem in tuto collocandam.

3 Vt proinde videretur eadem causa vincendi in vtraque lite, & eadem quæstio in vtramque litem deduci, quæ res solet parere exceptionem rei iudicatæ. *l. si quis cum totum 7. §. & generaliter. D. de except. rei iudic.*

4 *L. 1. §. recte autem. D. vsufruct. quem caueat.* iunct. *l. cum ibi not. C. de vsufruct. l. cum plures 15. D. de reb. auct. iudic. possid.*

5 Atque ita vim condemnationis non tantum suspenderat, sed etiam extinxerat. *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill. l. furti 6. §. 1. D. de his qui not. infam. l. si causa cognita 32. C. de transact.*

6 Immobilium enim describendorum non tanta est necessitas, cum non tam facile aut perire possint, celari autem nullo modo.

7 *Arg. d. l. cum plures,* ibi, *non vt describant corpora ipsa instrumentorum, D. de reb. auctor. iudic. possid.*

BIU Cujas

8 Quod ne fiat cauendum est, quia valde interest cuiusque, *l.vlt.C.de alien. pupill. præst.l.2. vers. quid enim tam durum.C. quand. & quib.quart.pars.lib.10.tit.34.*

9 Secreta enim non in mobilibus sunt, sed in instrumentis.

10 Semper enim curandum est quantum fieri potest, vt res sit in tuto *l.quoties 80.de verb.oblig l.posiquam 5 § 1.D.vt legat. seu fideic.seruand.caus.caueat.l.Imperatores 21 §.vlt. D de appellat.l.ille à quo 13 § 1.vers. quid ergo in fin. D.ad SC.Trebell.l. in lege 40.D.ad leg.Aquil.l.curent.22.D.de testib.*

11 Quomodo plerumque suspecta est vel fide, vel facultatibus, vel qua alia de causa. Omnes enim sibi malunt bene esse quam alteri.

12 Est enim magnum commodum possessionis. §. *commodum. Inst. de interd.* ideoque nemo facile priuandus commodo suæ possessionis & sine causa. *d.l.5 §.1. vt leg.seu fideic.seruand. caus.caueat.d.l.21.§. vlt.de appellat.*

DEFINITIO VII.

Petenti diffinitiuam adiudicationem potest fieri prouisionalis.

ACtori diffinitiuam sententiam vrgenti interlocutoria, & vt loquuntur prouisionalis seu fiduciaria adiudicatio fieri potest,[1] nec videbitur iudex vltra petita iudicasse,[2] cum qui plus petit, vtique petat & quod est minus.[3] Neque ad rem pertinet, quod is cui fiduciaria adiudicatio fit satisdare cogitur de re restituenda,[4] quod plerumque difficile est, cùm non tam facile fideiussor inueniatur.[5] Nam neque sententia pro se reddita vti cogitur si nolit.[6] Atqui, inquies, onerabitur ea ratione actor emolumento iudicati. Fateor, sed sibi imputet, qui non est protestatus nolle se interlocutoriam vllam consequi adiudicationem, remque petijt absolutè.[7] *Ita Senatus* pro D.de Iacot, contra Ioannem Rauassor Prid.Calen.Ianuar.1590.

1 Scilicet cum iudici nondum bene liquet, vt possit ferre diffinitiuam sententiam. Alioqui nunquam locus est prouisionali de cõmunatoni, si possit ad definitiuam peruenitri. *l 3.in prin. D.vt in poss.legat.*

2 Quod facere nunquam debet. *l.vlt. C.de fideic.libert.l.vt fundus 19.D.commun.diuid.*

3 *Arg.l.1. §.si stipulanti. de verb.oblig. l.non debet cui 21.de reg.iur.*

4 Papon *lib.18.tit.1 De prouisione.§ 36.*

5 *l.2.§. ten.D.de iudic.cum similib.* [Et ob hanc causam solet aliquando Senatus prouisionalem adiudicationem facere nullo iniuncto onere cautionis, Puta propter inopiam agentis forte viduæ pauperis dotem repetentis. Maxime si habet bona immobilia, quib. cautum satis esse possit. *l.5 §.1.in princ.l filio 7. D.vt leg.fer.caus.l sciendum 15 D.qui satisd.cog. Ita Senatus* pro Antonia Bertrand.12.Cal Iunij 1612.]

6 *l.si iudex circumuentus 4. D de minor.*

7 Ac proinde omni meliori modo, nec minus prouisionaliter quam diffinitiue.

DEFINITIO VIII.

Non audiendus est appellans, qui ab eodem iudice qui pronunciauit correctionem iudicati impetrare potuit.

CVm tu à me fundum emisses, & ego dolo malo tuo facto emptionem dicerem, ob idque peterem à iudice prohiberi te ne in fundi possessione me turbares, quousque tu iudici venditionis instrumentum exhibuisses, ex cuius inspectione de dolo tuo constitutum esset, iudex petitionem meam admiserat, neque inaudito ita fieri iussisset. Si ab eo iussu appellaueris priusquam instrumentum iudici exhibueris, non es audiendus. Et si enim parum iuste fecisse videtur iudex, qui te absente iuri tuo quodammodo derogauerit,[1] illa tamen ratio iustam facit interlocutionem, quod & exhibendi instrumenti potestas tibi relicta est,[2] & iudici saluum mansit ius tollendæ ac reuocandæ interlocutionis, si exhibito quandocunque instrumento ita fieri debere cognosceret.[3] Denique ita se res habet, vt quotiescumque ille ipse iudex quid aliquid iussit vetuitve contrario imperio tollere idipsum potest non sit admittenda appellatio.[4] Sunt enim huiusmodi interlocutiones (vulgo *decreta* male vocant, cum fiant sine causæ cognitione[5]) omnino momentaneæ. Propter quam causam nec ab ijs vllo casu permissa est iure ciuili appellatio.[6] Atqui, inquies, nemo cogitur possessionis sui titulum exhibere.[7] Ita est. Sed hoc ipsum apud iudicem dicere debuisti, qui si te nihilominus ad exhibendum cogere voluisset, tum vero iustam appellandi causam habuisses.[8] *Ita Senatus* ex tempore 13.Cal.Iul.1590.

1 Quia nullum iudicium est tam summarium, in quo non sit pars citanda *l.de vnoquoque 47. D.de re iudic. l.nam ita 35.D. de adopt.*

2 Cogitur autem semper actor exhibere titulum ex quo agit, non item possessor titulum ex quo possidet. *l.nullo 2. C.de rei vindic.l.cogi 11.C.de hered.petit.*

3 Quoniam quod per interlocutionem iussit vetuitve iudex contrario imperio tollere potest, *l.quod iussit 14 de reiud.*

4 Sunt enim appellationes aliquo modo odiosæ, quia continent expostulationem de iniquitate iudicis, qui sententiam tulit. *l.præfectis 17.de minor. l.appellat.*

5 Decretum siquidem est quod constituitur causa cognita. *l.nec quicquam 9 §.vbi decretum. D de offic.proconf.*

6 *Not.ad d.l.quod iussit*, scilicet cum interlocutio potest reparari per diffinitiuam, *l.ante sententiam 7.cum ibi not.C quor. appell.non recip.* Excipe varios casus, quos refert Guid.Pap. *quæst. 75. & quæst.12.*

7 *l.cogi 11.C.de petit hared.*

8 Itaque videris hoc casu appellasse à futuro grauamine, quod iure canonico non licet, quamuis iure ciuili aliud esse scribat Guid.Pap. *quæst 436. num.33.*

DEFINITIO IX.

Deferendum est appellationi ab interlocutoria quæ habet vim diffinitiuæ.

SIue iudex se competentem iudicem,[1] siue desertam appellationem esse pronunciet, interlocutoria tantum sententia est,[2] sed tamen vtraque talis quæ habeat vim diffinitiuæ.[3] Ideó que si appellatum sit appellationi deferre quilibet iudex debet, ne in appellationis præiudicium contra superioris magistratus auctoritatem attentasse videri possit.[4] Eóque iure *Senatus* noster passim vtitur.

1 *Gloss. in Auth. habita in gloss fin.in fin. C.ne filius pro.* Guid.Pap. *quæst.10.* vbi ait, interlocutoriam esse sententiam, siue pronunciatum sit de competentia iudicis, siue super aliqua exceptione vel dilatoria, vel peremptoria, siue super interpositione secundi decreti, & ideo ab his interlocutionibus appellãdum esse in scriptis, & causa appellationis inserta. *ex cap.coactis. de appellat.in 6.* Idem est in pronunciationibus, quæ fiunt in executione sententiæ diffinitiuæ. Idem Guid. Pap. *quæst.11.* Sententia autem interlocutoria, quæ vim habet diffinitiuæ, illa est, quæ parit præiudicium in causa principali. Guid Pap. *quæst.12.* vbi addit, tria esse genera sententiarum; Alias esse interlocutorias, alias diffinitiuas, alias mixtas.

2 Intelliges si appellatum fuerat ab interlocutoria duntaxat, non item si à diffinitiua secundum distinctionem Guid. Pap. *quæst.220. & quæst 11.*

3 Idem Guid.Pap *quæst.12.nu 4.* post Bart. *ad l.2.C.de episc. audient. quæst.14. & in l.cum Titia. D.de accusat.*

4 *L.vnic. D.nihil innou.appellat.pendent.*

DEFINITIO X.

Qui paratus est probare solutionem reddendo rationes, quæ non intricatæ sint, sed expeditæ: non est interim prouisionaliter condemnandus, maxime si habeat præsumptionem.

Iudicem,

BIU Cujas

IVdicem, qui inaudita parte inhibuerat executionem instrumenti authentici, &, vt pragmatici vocant, guarentigiati, perperam interlocutum fuisse constabat, aut locutum potius quam interlocutum, qui non inter collitigatores, sed vni tantum ius dixisset. [1] Sed cum in appellationis causa appareret debitorem non dolo aut frustrationis gratia solutionem denegare, aut quia paratum se diceret in promptu docere solutum à se quicquid vnquam debuisset, [2] nec nisi per creditorem stare quo minus rationes confestim ponerentur, [3] æquum Senatui visum est differri condemnationem in id vsque tempus, quo rationes vtrimque redditæ subductæque essent, [4] nec interea interlocutoriæ adiudicationi locum esse debere, [5] cum & de egregia quantitate ageretur, [6] & inter mercatores, quorum famam & apud cæteros mercatores existimationem lubrico iniuriosæ executionis committi periculosum videretur. [7] Mouit Senatum quod neque suspecta erat persona debitoris, [8] & præsumptio aliqua erat contra debitorem. Nam cum instrumento maior quantitas contineretur, petebat ille minorem, & fatebatur solutam sibi partem debiti, nec tamen curauerat, vt solutionis professio aliqua instrumento insereretur. [9] Sed illud præcipue, quod nec implicitæ, nec multiplices erant rationes, quas inuicem poni debitor postulabat, vt facile statimque sciri posset, quid & quantum deberetur. Nam si altiorem ea res indaginem requireret, [10] haud dubie interea pro creditore pronunciandum esset, oblata præstitaque per eum, vt fit, satisdatione, de restituenda omni pecunia, quam indebitam fuisse ex litis euentu tandem constitutum esset. [11] *Ita Senatus* ex tempore pro Iacobo Pic, contra N. Castagner, Prid. Id. Maij 1591.

1 Cum bonus iudex nihil vnquam decernere debeat, nisi audita vtraque parte *cap. 1. de cauſ. poſſ. & propr. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

2 Quod pragmatici dicunt per modo constat, modo agatur, *l. 3. D. vt in poſſ legat.*

3 Vt proinde æquum esset creditori moram suam nocere, *ex reg. l. in condemnatione 173. §. vnicuique, & in l. in omnib. cauſis 39. de reg. iur.*

4 Ne alioqui sua creditori frustratio prodesset, *l. hominē 37. D. mandat.* Item quia pro facto habetur, quod incontinenti fieri potest, *d. l. 3 vt in poſſ legat. l. ille à quo 13. §. 1. D. ad Senatuſc. Treb.*

5 Interest enim soluere cuiusque non potius, quam solutum repetere *l. 3. D. de compenſat. l ſi ſtipulatus 15. D. de fideiuſſ.*

6 Cuius numeratio non ita facile poterat esse in expedito, *l. ſi dubitet 10. D. de fideiuſſ.*

7 Minuit enim ea res æstimationem apud bonos & graues viros, quod sufficit, *l. 5. §. aduerſus*, D. *de doli except.* Non potest autem fieri talis executio, quin debitoris suspecta fiat fides, aut suspectæ facultates, *argum. l ſi vero 5 §. 1. D. qui ſatisd. cogant.*

8 Quo casu minor ratio est, vt creditori consulatur, *l ſi fideiuſſor 2. § vlt. eod.*

9 Quasi ex instrumento, per quod non potest probari totum debitum in ipso contentum, nec pars debiti probari possit. Et quasi ex probata solutione partis præsumenda sit solutio totius debiti, cum creditor partem accipere non cogeretur ex ratione iuris, de qua *in l. quidam 21. D. de reb. cred.*

10 *Vt in l. ille à quo 13. §. 1. D. ad SC. Trebell.*

11 *Arg. l. 1. & tot. tit. D. ſi cui pluſquam per leg. falcid.*

DEFINITIO XI.

Etiam poſt recognitionem chirographi, & latam interlocutoriam ſuper iure taciti pignoris ob contumaciam debitoris, admittuntur exceptiones peremptoriæ.

CVm ob contumaciam debitoris non parentis pronunciatum est pro chirographo, ex quo agitur, vt & pro agnito habeatur & instrumenti authentici iure censeatur, adeoque ex eo tempore secundum ius, quo vtimur, pignoratitium faciat creditorem, qui fuerat tantum chirographarius, [1] non idcirco statim condemnandus est debitor, sed iterum citandus, vt causam dicat propter quam non debeat sequi condemnatio. [2] Itaque si tum ad iudicem veniat, & obijciat exceptionem non numeratæ pecuniæ intra legitima tempora aut Senatusconsulti Macedoniani, aut Velleiani, aut simulationis vel falsitatis, aliamve similem, quæ ad rem faciat, [3] perinde audiendus erit, acsi ab initio contumacia nulla interuenisset. [4] Nec quod hypothecæ ius creditori acquisitum est, faciet vt de crediti quoque iure quasi in necessarium antecedens pronunciatum videatur, eo prætextu quod pignoris obligatio accessoria sit ad principalem, nec sine principali possit subsistere. [5] Sic enim intelligenda est iudicialis illa pignoris constitutio, si iustum debitum esse appareat secuta quandocumque condemnatione. [6] Proinde cum tacitam illam conditionem habeat, [7] quæ deficit opposita iusta exceptione, [8] non erit necessarium debitori aduersus eam interlocutionem rescriptum Principis, siue ad appellandum, si is iudex sit à quo appellari possit, [9] siue ad Senatusconsultum per viam supplicationis impugnandum, si Senatus ipse pronunciauerit. [10] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de la Balme, & Dominæ d'Antremons Calend. Febr. 1593.

1 Hoc enim iure vtimur ex eo pragmaticorum errore quem nos reculimus & refutauimus in *Error. 1. Decad 1. de error. pragm.*

2 Quod pragmatici nostri dicunt *pour deffendre à la condemnation.* [Et quamuis hoc ius maximè locum habeat in actionibus personalibus, in quibus tantum de condemnatione tractari proprie potest: obseruatur tamen perinde in realibus, quia parum distat à condemnato possessore cuius intercessio summouetur. *Ita in Senatu tractatum est* ex tempore 5. Id. Decemb. 1612.]

3 Intellige, de exceptione quæ sit peremptoria quales sunt omnes hic enumeratæ. Nam dilatoriæ non possunt opponi post litem contestatam, *l. exceptionem 19. C. de probat. l penult. C. de exception.* nec proinde post contumaciam, quæ pro contestatione est.

4 Non est enim absoluta ista contumacia, propter quam reus coercendus sit damno litis, vt *in l contumacia 53. D. de re iudic.*

5 *Ex reg. l. cum principalis 178. de reg. iur.* iunct. *l. debitor 59. ad SC. Trebell.*

6 Supponendo scilicet terminos habiles, qui semper sunt supponendi, *vulg. iurib.*

7 Expressam enim conditionem habere sententia non potest, *l. in ſententijs 59. §. qui ſortis, de re iudic.*

8 *L. lecta 40. D. de reb. cred. l. nihil interest 112. de reg iur.*

9 Quomodo solet maioribus dari restitutio, vt scilicet possint appellare, *l. vlt. D. de in integr. reſtit.*

10 Secundum ea quę diximus *in tit. de ſent. præſ. prat. 5.*

DEFINITIO XII.

Reſtitutio fructuum non venit in prouiſionalem condemnationem.

CVm pendente lite prouisionalis & fiduciaria fit adiudicatio, cauere iudex debet ne quid in præteritum tempus statuat, sed tantum in futurum. [1] Pertinet enim ad sententiam diffinitiuam, vt de fructuum perceptorum restitutione pronuncietur, eo demum tempore, quo negotium principale terminatur. [2] Itaque improbauit Senatus noster factum inferioris iudicis, qui iusserat exactas per Syndicos pecunias lite pendente restitui ei, cui non nisi momentaneam immunitatem concedebat. [3] *In causa* Isabellæ Scarron viduæ Andreæ Pignier medici, & Syndicorum sancti Petri d'Arbigny, Non. Febr. 1592.

1 Nam & ideo prouisiones à pragmaticis appellantur, quod huiusmodi adiudicationes fiant, vt prouideatur actori in tem-

BIU Cujas

pus futurum. Nam pro tempore iam præterito remedijs non prouisione opus est.

2 Quia nec alij sunt restituendi fructus quam ei, qui ostenderit se in principali negotio iustam habere causam, *l.2.& 3.C. de fructib & lit.expens.*

3 Quæ proinde poterat per definitiuam reuocari, *l.moueor 4.C.de seru.export.*

DEFINITIO XIII.

Nec vsura veniunt in prouisionalem condemnationem, nec id quod interest, secus in augmento monetæ.

IDem iuris est de vsuris, & eo quod interest, vt condemnatio, si qua eo nomine facienda sit, in finem vsque litis & iudicij differatur. [1] Secus quod ad augmentum monetæ pertinet, quia cum sit pars debiti venit etiam in prouisionalem summæ debitæ adiudicationem.[2] *Ita Senatus* pro illustri D. Ioanna de la Chambre Domina de Charrin, contra Dom. de la Cuille, Prid. Non. Iulij 1593. Et rursum pro Pomard. contra Caprori, 18. Iunij 1614.

1 Intellige si id quod interest & vsuræ debeãtur propter moram duntaxat, & officio iudicis, vt *in l.qui per collusionem* 40.§.1. *de act.empt l.quæro* 54. *D.locas.* Aliud enim est si in obligatione sint, & petantur iure actionis, *l.vsuræ* 121. *de verb sign.*

2 Nihil enim aliud est augmentum monetæ, quam debitum ipsum pecuniarium non imminutum per deteriorationem monetarum, vt not. *ad l.cum quid* 3. *D.de reb.cred. l.Paulus* 99. *alias l.creditorem, D.de solut.*

DEFINITIO XIV.

Prouisionalis sententia tollitur per diffinitiuam. Sed reuiuiscit si à diffinitiua sit appellatum.

CVm post interlocutoriam & prouisionalem sentẽtiam, quę non obstante appellatione mandari executioni potuit, [1] secuta est definitiua condemnatio, constat absorberi prouisionalem tanquam minorem per definitiuam pleniorem, [2] exemplo eius quod dici solet, pluribus obligationibus diuersæ potestatis in eadem persona concurrentibus minorem perimi per maiorem. [3] Itaque non erit in arbitrio victoris, vt ex prouisionali agere possit si id malit, [4] sed vt ex sola definitiua agat necesse est.[5] Quid ergo si à definitiua prouocatum sit? Resuscitabitur actio, quæ primum ex prouisionali competierat,[6] quoniam cũ appellatio extinguat iudicatum, [7] res ad eum statum reducitur in quo erat prius quam iudicatum esset. [8] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro R. D. Claudio de la Couz Abbate d'Ambournay Senatore clariss. contra Canonicos de Meximieu, 3. Id. August. 1593.

1 Secundum ea quæ scripsimus *Defin.1.§.*

2 Quia nec prouisionalis condemnatio fit nisi ad tempus & quousque feratur definitiua sententia, *l.moueor 4.C.de seru.export.*

3 *L.si reus* 13 *D.de duobus reis, l.debitori* 50. *D.de fideiuss. l si duo* 93. *D.de solut.*

4 Nemo enim agere potest ex sententia, quæ per aliam extincta sit & sublata, neque ex litigatorum arbitrio possunt pendere ista quę sunt iuris publici, Tessaur. *decis.26. num.6.* post Ias. *ad l.quæ de legato, num.7.& 8. de legat 1.* Sunt tamen qui putent posse simul & semel ferri interlocutoriam sententiam & definitiuam. De quo vide Guid. Pap. *quæst.436. num.75.*

5 Quæ scilicet liti finem imposuit, *l.1. D.de re iudic. l.minor. 40. D.de minor.*

6 Quasi interim non tam fuerit extincta quam cessauerit, quandiu non fuit appellatum, *argum. l.qui res* 98.§. *aream, D.de solut.*

7 *L.1.§.vlt. D.ad SC. Turpill. l furti* 6.§.1. *D.de his qui not. infam.*

8 Quo tempore certum est prouisionalem sententiam potuisse mandari executioni non obstante appellatione & absque eius præiudicio, vt diximus *Defin.2.§.*

DEFINITIO XV.

Priuilegium datum pro certa quamitate non porrigitur ad rem quæ sit parui aut minoris æstimationis, quousque æstimatio secuta sit.

QVod priuilegium iuridicis maioribus datum est, vt sententias etiam diffinitiuas à se redditas, quę summam quinque & viginti florenorum non excedunt, iubere possint mandari executioni non obstante appellatione, sub onere tamen præstandæ satisdationis, [1] ad eas causas non pertinet, in quibus agitur de re mobili quantumuis vili & modicæ æstimationis quoadusque facta sit æstimatio,[2] vt hoc ipsum sciatur an excedat cõstitutam quantitatem quinque & viginti florenorum.[3] *Ita Senatus* in causa N. Amedei de Villette, & Ioannæ Brunier, 14. Cal. Decemb. 1593.

1 Sic enim stylo Senatus nostri cautum est.

2 Tanti quippe vnaquæque res esse creditur quanti æstimatur ex communi hominum opinione, quod ipsum ante factam æstimationem semper incertum est, *l.pretia rerum* 63. *D.ad leg. falcid. l.si seruus* 33. *D.ad leg. Aquil.*

3 Quid enim si quis vellet pluris emere rem, quæ tamen minoris esset? vt *in l.libertus* 36. *D.de bon.libert. l.1.§.& alias vidimus, D.si quis in fraud. patron.*

DEFINITIO XVI.

Sumptus litis tametsi excedant quantitatem priuilegio definitam, gaudent tamen priuilegio debiti principalis.

EX contrario si agatur de sumptibus litis, quæ pro tam modica summa quinque & viginti florenorum instituta sit, mandatur executioni sententia etiam pro impensis, ad quantamcunque ascendant vsque quantitatem, propter vulgarem iuris regulam, quæ facit, vt accessorium omne tequi debeat naturam sui principalis.[1] *Ita Senatus* sæpius.

1 *Ex reg. accessorium, de reg.iur. in 6. cum concord.*

DEFINITIO XVII.

Regulariter non cogitur iudex sibi sumere adsessorem, etiamsi alteruter litigatorum petat id fieri suis sumtibus.

IVdex ab vno ex collitigatoribus requisitus, vt ad ferendam sententiam eligat sibi adsessorem, petentis desiderio satisfacere non cogitur.[1] Nec si quanto maiores ob eam causam sumptus futuri sint, litigator offerat.[2] Est enim id positum in iudicis arbitrio & potestate, [3] quemadmodum & illud, an litis quæ agitatur decisionem dubiam, maiorisque consultationis esse putet necne? [4] Quod si proponas suspectum, fugere eum & reijcere solito iudiciorum more litigator debet.[5] *Ita Senatus* in eadem causa, de qua SC.7. supr. Ne quis in sua caus. iudic. vel ius dicat.

1 Excipe tamen quosdam casus, in quibus necesse est adhiberi non vnum, sed suos adsessores, vt puta si pronunciandum sit super possessorio in materia beneficiali: sic enim stylo Senatus nostri cautum est.

2 Fit enim sumptus maior accepto adsessore, cui sc. honorarium ex ea causa debetur non de publico, vt olim ijs adsessoribus, de quibus *in l.diem functo 4.& tot. tit. D.de offic. adsess.* sed ex ære litigatorum.

3 Sicut nec adsessor esse quisquam cogitur, cum præmiorum rum spe ad consilium vocandus sit, non metu cogendus, vt scriptum est *in l 1.C.de adsess.*

4 Tum enim maxime sumi solent adsessores, cum quæstio siue facti, siue iuris valde dubia esse creditur.

5 Neque enim cogitur quisquam coram suspecto iudice litigare, *l.apertissimi* 16. *C.de iudic.*

DEFI-

DEFINITIO XVIII.

Contumacia omnimodo purganda est refusione sumptuum, licet contumax condemnatus sit alio non apparente.

PRæcedente contumacia condemnatus his verbis additis, *alio non apparente*, non prius audiendus est, quam purgauerit contumaciam refusis in eã rem sumptibus. [1] Nec enim plus hac parte iuris habere potest propter verba illa addita, quam si addita non fuissent. [2] *Ita Senatus* in causa Claudij Brunet, & Nicolaæ Blanc, 5. Cal. Sept. 1595.

1 Nec enim contumax potest audiri quandiu contumax est, *l. 1. quor. appell. non recip.* Contumacia autem non purgatur nisi sumptuum refusione, *l. properandum 13. l. sancimus. 15. C. de iud.*

2 Cum his verbis contumacia notetur potius quam purgetur.

DEFINITIO XIX.

Litem ab inferiore iudice euocare non potest quisquis maior est, sed is tantum qui superior.

EVocatio litis ab inferiore iudice fieri non potest, nisi per superiorem magistratũ, qui appellari possit. [1] Itaque si lis coram Sabaudiæ iuridico maiore pendeat, non poterit Curia Rationalium eam euocare. [2] Nec si de ea re agatur, quæ ad eius Curiæ cognitionem pertineat, quia nunquam Rationales à iuridico maiore Sabaudiæ, aut alio inferiore iudice appellantur. [3] In conseruatore tributi commutatorij aliud est, in ijs nimirum causis, in quibus ab eo ad Rationales appellatur. [4] Neque enim appellatur in omnibus, sed in ijs tantum in quibus non inter priuatos agitur, [5] sed de solius Principis iure. [6] *Ita Senatus* in causa D. Sappin magistri Computorum & Emanuelis Dian Thesaurarij generalis, 8. Maij 1596.

1 Not. *in l. vbi acceptum 30. D. de iudic.* Dixi *Defin. 1. §. ill. eod. tit.*

2 Quamuis ea curia supremam hodie habeat potestatem, in ijs nimirum quæ ad ipsius iurisdictionem pertinent.

3 Sed Senatus noster ille est, qui ab omnibus magistratibus inferioribus appellatur, tanquam superior & solus habens iurisdictionem superioritatis contentiosam. Itaque supremæ Curiæ Rationalium iurisdictio maior est, quum sit illa iuridici maioris Sabaudiæ, sed non superior.

4 Nam quod ad causas illas pertinet non potest dubitari, quin conseruator tributi commutatorij non tantum minor sit suprema Rationalium Curia, sed etiam inferior.

5 Quia inter priuatos nulla est cognitio Rationalium, vt nec olim fuit procuratoris Cæsaris, *l. 1. C. de pedan. iudicib. l. 1. C. de iurisd. omn. iudic. l. 2. C. si aduers. fisc.*

6 *d. l. 2 C si aduers. fisc. l si vt proponis 5. C. de bon. proscript. l frustra 8. C. de sentent. & pass. rescis.*

DEFINITIO XX.

Interlocutiones reparabiles possunt mandari executioni, non obstante appellatione.

INterlocutiones, quæ pertinent ad ordinationem litis & iudicij, si per diffinitiuam sententiam sint reparabiles, [1] mandari possunt executioni non obstante appellatione, [2] etiamsi inferior nec ducalis iudex proponatur is, qui talem edidit interlocutionem. [3] *Ita Senatus* in causa Antonij Chardon, & fratum, contra Petrum Ludouicum de Lallee, 19. Mart. 1596.

1 Nec enim omnes interlocutoriæ sunt reparabiles. Quænam autem illæ sint, vide apud Petr. Rebuff. *in tract. de sentent. execut.*

2 Ne scilicet alioqui mora fiat iudicio & iudicato. Quam ob causam nec permissa est iure ciuili appellatio ab interlocutoria, *l. ante sententia tempus 7.* vbi omnes notant *C. quor. appel. non recip.*

3 Nam in Ducalibus iudicibus qui sunt maiores minus mirum hoc esset, ex ijs quæ dixi *Defin. 2. nu. 6 §. eod.*

DEFINITIO XXI.

Prætextu rationum reddendarum nulla potest fieri prouisionalis adiudicatio quousque redditæ sint & finitæ.

INter eos, qui de rationibus reddendis contendunt, nullus adiudicationi prouisionali pẽdente lite locus est, nisi redditis prius positisque & finitis rationibus. [1] Neque enim prius liquet iudici, cui omnimodo liquere debet priusquam ad vllam etiam fiduciariam perueniat condemnationem. [2] Si tamen inter fratres alioſve coheredes iudicium familiæ erciscundæ acceptum proponatur, non eo magis mora diuisioni fieri debebit, quod alter alteri ex mutuæ administrationis causa de reddendis rationibus sit obligatus. [3] *Ita tractatum est* in publico auditorio inter fratres de Curtille, 4. Mart. 1597.

1 Ioan. Papon. *lib. 15 syntagm. tit. 8. §. 1.* Addens §. 12. etiam post finitas subscriptasq; rationes non posse tamen procedi via executiua, sed incipiendum esse ab actione, quod eiusmodi scriptura sit priuata non publica. Nec tamen dubitat, quin eo casu possit & debeat locus prouisionali adiudicationi.

2 *Argum. l. hæc autem 5 §. 1. D. quibus ex caus. in poss. eat. l. non ignorat 9. C. qui accus. non poss.*

3 Est tamen hic casus vnus ex illis, in quibus ad eundem iudicem eundem est, *l. 1. & 2. D. de quib. reb. ad eund. iudic. eat.* Facit *l. quidam existimauerunt 21. D. de reb. cred.* Vide tamen *l. 1 §. vlt. D. quæ sent. sine appell. rescind.*

TIT. XVI.

DE SENTENT. QVÆ PRO eo quod inter.

DEFINITIO I.

Possessor pignorum condemnatus ad id, quod interest creditoris, non tenetur ad restitutionem fructuum supra vsurarum modum.

FEGERAT creditor hypothecaria aduerus tertium possessorem & obtinuerat, ō lemnato possessore in id omne quod creditoris interesset. [1] Cum creditor anti sua interesse diceret, quanti essent fructus quos lite pendente possessor perceperat. [2] Senatus audiendum putauit possessorem, qui creditori offerret quantum in singulos annos vsurarum nomine pendere debitor ex conuentione debuisset, nempe quod licet plutis essent fructus, [3] non tamen plutis interesse videretur creditoris, [4] qui fructum superfluum in sororem computare, si haberet, cogeretur. [5] *Ita Senatus* 21. Martij 88.

1 Nam in actione hypothecaria fit condemnatio quanti interest creditoris, si res obligata non restituatur, *l. si fundum 16 §. in vindicatione, l. si inter 21. §. vlt. D. de pignor.*

2 Nimirum quia eos fructus percepisset ipse si moram passus non fuisset, *l. Iulian. 17 §. 1. D. de rei vindic.* iunct. *l. præterea 20. eod. l. illud quoque 40. de petit. hered.* quia quale quid est cum petitur tale dari debet, *l. 2. D. de vsur.*

3 Quam scilicet faceret computatio legitimarum vsurarum exconuentione debitarum.

4 *Arg. d. l. si inter 21. §. vlt. D. de pignor.*

BIU Cujas

5 Certum enim est fructus pignoris in sortem imputari, præterquam si sit contracta antichresis, *l.1.2.3. & pass. C de pignor.act.* Videtur tamen hæc ratio tum bona esse cum agitur contra debitorem ipsum, non etiam si agatur contra possessorem, vt constat ex *d.l.si inter, §. vlt. D.de pignor.*

DEFINITIO II.

Condemnatio ad id quod interest ob litis vexationem solet taxari moderata quantitate. Aliud est in eo quod interest actoris rem petitam suo tempore habuisse.

ETsi nemo ignorat quanti cuiusque interfit, vt nec sumptibus nec incommodis litis male vexetur, siue actor ille sit siue reus,[1] eo tamen iure vtimur, vt ex hac causa vix vlla vnquam fiat condemnatio,[2] præterquam si euidens calumnia doluspque condemnati detegatur.[3] Quo etiam casu, ne nouę litis ex re iudicata nascatur occasio,[4] solet Senatus eodem iudicio, ac veluti breui manu pro arbitrio taxare quantitatem eo nomine debitam, eamq; moderatissimam,[5] quia quatenus cuiusque interfit in facto non in iure consistit,[6] indeque sępius euenit, vt probationum inopia id quod interest ad exiguam summam deducatur.[7] Aliud est cum de eo quæritur, quod actoris interest petitam rem suo tępore habuisse.[8] Nam si iure obligationis, siue ex natura iudicij bonę fidei, quod accessionū pręstationes admittit,[9] debeatur id quod interest, omnimodo deducendum est in condemnationem, & ex probationum fide æstimandum.[10] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Cal. Decem. 1590.

1 *L.minoribus 6.D.de minor.l.penult.D de liber.legat.l.2.C. de admin.tutor.*

2 Id est, in id quod interest victoris.

3 Nec enim debet vnquam impunita manere calumnia si quando detegatur, vt neque dolus, *l.procurator 11 in fin.D. de doli mali exception.l.1.§.1. D si mulier ventr.nom. calumn.cauſ. in poſſ.eſſ.dicet.*

4 Id enim semper agit Senatus quantum potest ne fiant de lite lites. Sicut ob hanc causam noluit prætor obligationes ex obligationibus fieri, *l.4.§.ait prætor, D.de re iud.l.minor 40. in princ.D de minor.*

5 Quomodo in obscuris semper sequimur quod minimum est, vt habet iuris regula *l.semper in obſcuris 9.de reg.iur.*

6 *L.quatenus 24.eod.tit.*

7 *L.vlt.D.de prætor.ſtipulat.*

8 Quo casu id quod interest præstatur tanquam causa, *l illud quoque 40 C.de petit.hered.l.prætera 20.D.de re iud.*

9 *L.vſura 34. l.videamus 38.§ penult. D.de vſur. l.ſocium 60.D.pro ſocio.*

10 Dummodo sit interesse intrinsecum, vt loquuntur, *l ſi ſterilis 21.§.cum per venditorem, D.de act.empt.* nec excedat duplum in casibus certis, *l.vnic.C.hoc tit.*

DEFINITIO III.

In eo quod interest non continetur æstimatio actionis adhuc competentis.

OB non tradita per te instrumenta censualia & emphyteuticaria, ex quibus potuissem laudimia & annuas pensitationes exigere, condemnatus es quanti mea interfuit.[1] Non quanti laudimia sunt veniet in condemnationem, tametsi paratus sim actionibus meis aduersus emphyteutas & possessores tibi cedere, sed quanti duntaxat mea interest, quod citius laudimia exigere non potuerim, si modo adhuc salua sit necdum per longissimi temporis prę scriptionem exclusa eorum iurium persecutio.[2] Fere siquidem est, vt laudimia ipsa habere videar, qui actionem habeo ad ea persequenda.[3] Cui simile illud etiam est quod dici solet, nunquam permittendum mihi, vt contra te agere possim de pretio eius rei quam ipsam ab alio habere possim.[4] Sed neque in taxationem eius quod interest veniet, si quid extra rem impenderim, aut si quid damni passus sim extra rem, licet neq; passurus fuerim, neque impensurus si confestim instrumenta tradidisses. Ea namque duntaxat vtilitas æstimanda est, quę circa rem ipsam consistit.[5] *Ita Senatus* pro Ioanne Depra, contra R. D. Ioannem Baptistam Cauet, 3. Cal. April. 1593.

1 Quomodo condēnari solet ac debet quisquis non exhibet instrumenta, *l.3.§.prætera, l.pen. D.ad exhib. l.pen.D.de iniur.*

2 Sic dicimus ob amissa litis acta non statim condemnandum eum, qui amisit id quod actoris interest, si alia acta noua fieri possint Boer. *quæſt.15.num.* Facit textus elegans *in l.quis tabulas 27.§.inde poteſt quæri, D.de fur.*

3 *Vulg.l.is qui actionem 15.de reg.iur. l.rem in bonis 52, D.de acquir.rer.domin.*

4 Bart. *in l.ſi eum ſeruum, nu.3. D.de reb.cred.*

5 *L.ſi ſterilis 21.§.cum per venditorem, D.de act.empt.l.inter cauſas 26.§.non omnia, D mandat.*

DEFINITIO IV.

Id quod interest potest nonnumquam excedere legitimum modum vsurarum.

EMens rem, cuius fruitionem difficilem & litiū plenam fore prospiciat, si conuenerit vt in eum casum, quo habere sibi non liceat, prestentur sibi *in singulos* centenos aureos quatuordecim aurei, non tam in fraudem vsurarum legitimarum & centesimę quam ad taxationem eius quod interesse poterat, eam quantitatē stipulatus videtur, ideoque pœnę conuentę petitionē habet,[2] si modo res empta talis sit, cuius reditus in alea & incerto positus tantam vtilitatem afferre possit:[3] non item si rei venditę redditus certam sibique perpetuo constantem habeat æstimationem.[4] Finge enim domū esse venditam, cuius fructus non possit vsurarum quincuncium modum excedere.[5] Aliud sane dicendum erit, quantumuis eius quod interesse posset color quæsitus sit.[6] *Ita Senatus* in causa N. Gilet, contra Thomam Palluat D. de Jallamonde, Non. Junij 1593.

1 Scilicet ex consilio Iureconsulti *in l.vlt. D.de prætor.ſtipulat.*

2 Quia non tam pro pœna hoc habendum est, quam pro taxatione iusti & legitimi interesse, vt loquuntur, *arg.l.vlt.l.obligationum fere 44.§.vlt.de obl.& act.* iunct. *l.pecunia 9.§.D. de vſur.*

3 Incertitudo enim & quātitatis & æstimationis fructuum hanc interpretationem & conuentionem facile admittit, *arg.l. oleo 23 C.de vſur.l.ſi ea pactione 14.eod.*

4 Qualem semper habet pecunia in republica bene constituta, *l.3.de in lit.iur.*

5 Sic enim solent æstimari fructus bonorum immobilium ad ratam vsurę quincuncis, ita vt vicesimo demum anno æquent sortem.

6 *Arg.d.l.ſi ea pactione 14.C.de vſur.*

DEFINITIO V.

Quid veniat in condemnationem & taxationem eius, quod interest emptoris conuenti per hypothecariam.

VEnditor eius rei, quę creditoribus obligata fuerat, si ab emptore conueniatur ex stipulatione ad id quod interest,[1] condemnandus est in omne id, quod emptor ad inhibendam hypothecariam creditori soluere tam sortis, quam vsurarum cęterarūque accessionum nomine coactus fuit, quantacumque summa illa sit, cum tanti re vera interfit emptoris tantumque ei absit.[2] Neque audiendus erit venditor si obijciat ex Justiniani constitutione id quod interest excedere duplum non posse.[3] Duplum enim intelligendum est, quod ad sortem attinet, ac pecuniam quam

quam emptor numerauit. [4] Præsertim cum in venditoris potestate sit facere ne stipulatio committatur, neve teneatur in id quod interest ex ea causa, nimirum si quicquid debetur creditori hypothecariam exercenti præstare paratus sit. [5] Semper enim emptori habere licet rem obligatam, quæ non nisi pignoris iure vindicatur, cum accessionibus. [6] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Paquier, contra N. Miege, 9. Cal. Iunij 1594.

1 Siquidem ex natura actionis ex empto tenetur venditor ad id omne, quod interest emptoris, cui rem habere non licet, *l. ex empto* 11. D. *de act. empt. l. si ita vendicatione* 60. D. *de euict. l. si mancipium* 34. §. *vlt. eod.*

2 Nec enim potest inhiberi hypothecaria nisi offeratur & soluatur creditori totum quod ei debetur, & principalis debiti nomine & accessionum, ita vt nec soluendo partem debiti possit pignus pro parte liberari, *l. in executione* 85. §. *pen.* D. *de verb. obl. l. quandiu* 6. C. *de distr. pign.*

3 *Ex l. vnic. C. hoc tit.*

4 Non autem de duplo pretij venditionis.

5 *L. euictus* 35. D. *de euict.*

6 Quia non est quærendum de iure possessoris soluto pignore, *l. Paulus* 12 §. 1. D. *quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l.* 1. C. *si antiq. cred. pign. vendit.*

DEFINITIO VI.

Qui condemnatus fuit ad id quod interest aduersarij potest in executione iudicati probare nihil interesse.

SEnatusconsulto condemnatus in id omne, quod aduersarij interesset, non prohibetur in executione iudicati probare nihil interfuisse aduersarij. [1] Nec quicquam ideo aduersus Senatusconsulti auctoritatem moliri videbitur, [2] quia condemnatio illa tacitam vtique conditionem semper habere intelligitur, Si modo interfit, quæ conditio facti est non iuris, [3] cum quatenus cuiusque interfit in facto consistat non in iure. [4] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Empio, contra Ioannem Brunier, 15. Cal. Iul. 1595.

1 Quia scilicet non fuit pronunciatum quicquam interesse, cum de eo probando nondum quæreretur, & ideo exceptio ista non pugnet iudicatum, vt sequitur in Defin.

2 Quod vtique non esset permittendum propter auctoritatem rerum iudicatarum, *l. seruo inuito* 65. §. *cum prætor*, D. *ad SC. Trebell.*

3 Et ideo probari debet, vnde fit vt probationum inopia sicut ad exiguam plerumque summam, ita & ad nullam quandoque res deducatur, *l. vlt.* D. *de prætor. stipulat.*

4 *L. quatenus* 24 *de reg. iur.*

DEFINITIO VII.

Iudex appellationis potest pronunciare de eo, quod cœpit interesse pendente appellatione, nisi appellatio fuerit deserta.

ETiam in causa appellationis potest peti quod actoris interest, si pendente appellatione emersit, licet in prima instantia non fuerit petitum, [1] quia nec peti potuit. [2] Sed hoc ita si appellatio subsistat quæ causæ cognitionem ad iudicem appellationum deuoluerit. [3] Nam si appellatio deserta dicatur, cogitur iudex superior totam rem ad inferiorem remittere. [4] Inferior autem de hoc ipso cognoscet in executione iudicati, an damnorum quæ de nouo emersetunt rationem haberi oporteat. [5] *Ita Senatus* in causa procuratoris Sappin ex tempore in publico auditorio, 5. Id. Jul. 1595.

1 *L. vlt.* D. *de re iud. l. negotiorum* 24. D. *de appell. l. tutor* 41. D. *de vsur.*

2 Prius enim est, vt quid debeatur, quam vt fieri possit, *l. cedere diem* 213. *de verb. sign. l. si pupillus* 117. *de verb. oblig.*

3 Appellatio enim aliqua esse debet, vt habeat vim suspensiuam & deuolutiuam, cum non entis nullæ sint qualitates, *vulg. iurib.*

4 Cum appellatio deserta habeatur pro numquam interposita, & per desertionem desinat iudex appellationis vllam habere iurisdictionem. Guid. Pap. *quæst.* 436. *num.* 17. post Baldum ibi citatum.

5 Nam licet de eo nihil pronunciatum sit, tamen quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *vulg. l. de ætate* 11. §. *ex causa*, D. *de interrog. in iur. fac.* Regulariter tamen aliud est Pap. *in form. sent. diff. gl. ff.* 1. *num.* 19.

DEFINITIO VIII.

Etiam verus creditor si iniuriosam executionem fecerit potest condemnari ad id, quod interest veri debitoris. Sed eo casu moderatior taxatio facienda est.

VEtus creditor, cum sententiam à Lugdunensi magistratu aduersus debitorem suum obtinuisset, quam non nisi consulto & permittente Senatu executioni mandari oportuerat, [1] præcipiti festinatione curauerat, vt executio fieret consulto quidem Senatu, sed tamen nondum ab eo data exequendi facultate. [2] Eamque ob causam pronunciauerat Senatus nullam & irritam executionem, condemnato præterea creditore in id omne quod interesset debitoris. [3] Placuit in taxando eo quod interesset magnam adhibendam cautionem & moderationem, quia vix esset, vt quicquam interesse videretur eius, qui reuera debitor fuisset. [4] Longeque aliud fore, si executionem illud nullam fecisset, quod pro indebito facta proponeretur. [5] Tum enim ei, qui iniuriosam executionem passus esset, omnimodo succurri oporteret, eiusque indemnitati consuli aduersus falsum creditorem. [6] At dum spreta est Senatus auctoritas, solius fere Principis interest & Reipublicæ, [7] non aduersarij. Itaque hoc casu deducenda est in condemnationem quantitas non solum certa, sed etiam moderata. [8] *Ita Senatus* in causa R. D. Claudij de la Couz Abbatis Ambroniacensis, & N. Ioannis Dionisi Cauet, Jd. Septem. 1595.

1 Eo namque iure vtimur, vt extraneorum magistratuum sententiæ non possint apud nos mandari executioni, nisi ex permissione Senatus, quem & super hoc specialiter requisitum esse oportet. Iuxta not. *in l. à Diuo Pio* 15. §. 1. D. *de re iud. & in l. si prætor* 75. D. *de iud.*

2 In quo magis videbatur spreta auctoritas Senatus. Quid enim fuerat adisse Senatum, & tamen eius placitum non expectasse? *arg. l. si quis filio* 6. §. *eius cui deportatur*, & §. *quid tamen*, D. *de inoff. rupt.*

3 Quoties enim nulla & inualida est executio, condemnandus est actor in omne id, quod interest eius, contra quem fit executio, quia executio quæ non iure fit habet iniuriam, *l. iniuriarum* 13. § 1. *à contr. sens.* D. *de iniur. l.* 1 *si vt proponis* 6. & *l. pen.* C. *de elect. rei iud.*

4 Cum mora debitoris non soluentis dederit causam executioni, quam fieri necesse non fuisset si debitor soluisset, vt dixi ad *Defin.* 3. *nu.* 8. 5. *de sentent. & interloc. omn. iudic.*

5 Nulla enim maior est nullitas executionis, quam si reperiatur executio facta pro indebito.

6 Cum etiam soluisset indebitum, tamen repetere hodie posset per condictionem, *l.* 1. *l. vlt. & tot. tit.* D. *de condict. indeb.*

7 *L. non est singulis* 186 *cum not. de reg. iur. not. in l. vnic. Cod. quand. lic. vnicuique sine iudic. se vindic.*

8 Quia & id, quod interest, vt plurimum per inopiam probationum ad exiguam summa deducitur, *l. vlt. D. de prætor. stipulat.*

BIU Cujas

TIT. XVII.

SI A NON COMPET. IVDIC.

DEFINITIO I.

Quantum interſit, an iudex incompetens dicatur, an vt ſuſpectus recuſetur.

INCOMPETENTIA iudicis oppoſita maiores vires habet ad impediendam cognitionem,[1] quam ſi iudex tantum ſuſpectus dicatur.[2] Ideoq; & in cauſa appellationis poteſt obijci,[3] cum tamē eo tempore iudex recuſari non poſſit, ac ne in prima quidem inſtantia poſt litem conteſtatam,[4] niſi exinde ſuſpicionis cauſa noua emerſerit.[5] Et ratio diſſimilitudinis eſt, quia ipſum iuriſdictionis fundamentum obiectio incompetentiæ ſubuertit,[6] diciturque non immerito nullitas illa nullitatum, ſi à non competente iudice iuriſdictio exerceatur.[7] Recuſatio vero iuriſdictionis vinculum præſupponit,[8] cum is qui nullam in alium iuriſdictionem habet recuſari nec poſſit, nec debeat, ſed exercendæ dūtaxat iuriſdictionis facultatem impedit.[9] Vnde illud etiam eſt, quod ſi plures rei eodem libello eademque actione conuenti ſint, licet tanquam vniuerſi non tanquam ſinguli, poſſit vel vnus ex ijs incompetentem dicere iudicem etiam in quem cæteri omnes conſentiant,[10] quod in recuſando iudice non ſimiliter obſeruaretur.[11] *Ita Senatus* in ea cauſa, de qua SC. 5. ſup. Ne quis in ſua cauſa iu. lic. vel ius dic.

1 *L 1. & vlt. & tot. tit. C ſi à non compet. iud iudicat. eſſe dicat.*

2 Quamuis non magis cogendus quis ſit coram ſuſpecto iudice litigare, quam coram incompetente, *l. apertiſſimi 16. C. de iudic.*

3 Felin. & alij *in cap. inter monaſterium, num. 7. & 10. Extr. de re iudic.* Intelige tamen niſi ſcienter omiſſa ſit exceptio incompetentiæ, quo caſu videtur iuriſdictio adprobata & prorogata, ſecundum diſtinctionem Papienſ. *in form declin. iuriſd. in verb. nec fuiſſe iudicem competentem, nu 4.* Nimirum ſi ea iuriſdictio ſit prorogabilis, vt diſtinguit Apoſtill. *ad Papienſ. vbi* § ad verb. *poſt ſententiam.*

4 Cum exceptiones omnes dilatoriæ, quales ſunt declinatoriæ, debeant opponi ante litem conteſtatam, *l. exceptionem 19. C. de probat. l. fin. C. de except.* Imo declinatoria debet opponi ante alias omnes dilatorias, ne alioqui videatur reus conſenſiſſe in iudicem. Maſuer. ad Pap. *in form. declin. iuriſd. in verſ. coram vobis* ad verb. *Exceptiones declinatoria.* Idem Pap. *ibid. in verſ. iudicem ſuſpectum, num. 7. ex d. l. apertiſſimi, & cap. ſuſpicionis. Extr. de offic. deleg. cap. cum ſpeciali, &c. ſecundo requirit,* §. *fin. Extr. de appell.*

5 Quæ enim de nouo emergunt nouo indigent auxilio, *vulg. l. de ætate 11.* §. *ex cauſa, de interrog. in iur fac.*

6 Et ideo reddit iudicium retro nullum & funditus eradicat iuriſdictionem ipſius iudicis, vt loquitur Maſuer. *ad dict. verb. exceptiones declinatoriæ.*

7 *d. l. 1. & tot. tit. C. ſi à non compet. iudic.*

8 Not *in d. l. apertiſſimi & d. cap. ſuſpicionis.*

9 Siquidem recuſatio non minus ſuſpendit iuriſdictionem iudicis quam appellatio, vt notat Maſuer. *ad d. verſ. coram vobis.* in verb. *exceptionem ſuſpicionis*, poſt Burſat. *conſil. 11. poſt n. 11. lib. 2.* Sed illa ſemper manet differentia, quod incompetentia naſcitur ex defectu iuriſdictionis, ſuſpicio autem ex defectu amoris, vt ait Papienſ. *in d. verſ. coram vobis.* Incompetentia impugnat iuriſdictionem, Recuſatio autem ſolam perſonam iudicis.

10 Quia iuriſdictio ante omnia eſt fundanda, *l. 3. C. de iuriſd. l. ſi idem 11. l. penult. & vlt. D. eod.*

11 Ne ſcilicet continentia cauſę diuideretur, *arg l nulli 10. C. de iud.* Aliud eſſet ſi plures conuenti eſſent non tanquam vniuerſi, ſed tanquam ſinguli. Tunc enim obtineret quod dici ſolet, id quod omnes tangit ab omnibus adprobari debere, *l per fundum 11. D. ruſtic. prad. cum ſimilib. l. vlt. C. de diuid. tuitel.*

TIT. XVIII.

DE FRVCTIB. ET LIT. expenſ.

DEFINITIO I.

Condemnatio expenſarum etiam in correis eiuſdem criminis eſt perſonalis.

ETIAM cum ex delicto proficiſcitur condemnatio,[1] licet eadem plurium condemnādorum cauſa ſit, quod contingit quoties vnius delicti plures correi proponuntur,[2] ſic tamen fieri condemnationem oportet, quod ad litis ſumptus pertinet, vt pro ſua quiſque parte ſinguli mulctentur nec vnus pro alio condemnetur.[3]

1 Quo caſu ſit odioſior cauſa reorum propter odium criminis, *l. Papinian. 20. D. de minor. l. 1. C. vbi Senat. vel clariſſ.*

2 Vt in ſpecie *l. ita vulneratus 51.* §. *vlt. D. ad leg. Aquil.*

3 Quia expenſarum condemnatio fit, non ob crimen ſed ob litem, quæ ſine ſumptibus exerceri non poteſt, *l. eum quem 11. mere 79. D. de iud. l. qui ſolidum 78.* §. *1. de leg. 2.* Ideoque dicimus expenſarum condemnationem ſemper eſſe perſonalem, id eſt, nunquam egredi debere perſonam condemnati. Not. *in l. 1. C ſi plur. vna ſent. fuer. condemn. l. Paulus reſpondit eos 43. D. de re iud.* Vide *Defin. 1. ill. tit. ſi plur. vna ſent. condemn. fuer.*

DEFINITIO II.

Quonam caſu oblatio facta in iudicio poſſit purgare moram extraiudicialem, ad impediendam condemnationem expenſarum, ſiue in obligationem deductæ ſint, ſiue non.

SI is à quo extra iudicium, & ante motam litem petitum eſt, quod ex contractu aliove obligationis iure dare debuerat, ſolutionem ſine cauſa diſtulerit,[1] tum ad iudicem vocatus ſtatim obtulerit, nullam expenſarum condemnationem pati debet,[2] quoniam iudicialis oblatio congruo tempore facta purgat ſatis moram extraiudicialem,[3] quod ad litis expenſas pertinet, licet non quod ad vſuras cæteraſque acceſſiones, ſi quæ fortaſſis ex mora debeantur,[4] aut ſi qua alia ratione iam cœperat creditoris intereſſe.[5] Perpetuo namque verum eſt indemnem præſtari debere quiſquis moram paſſus fuit.[6] At ſi non niſi poſt litem conteſtatam,[7] vel oppoſitas exceptiones declinatorias aut dilatorias,[8] debitor obtulerit, condemnandus erit in expenſas ante factas, illo etiam caſu, quo fructus aliæve acceſſiones à tempore duntaxat litis cōteſtatæ debeantur.[9] Litis enim expenſæ non propter actionem, ſed propter temerariam litem infliguntur.[10] Niſi forte proponas iure actionis deberi quod in obligationem, vt plerumque fit, ſint deductæ.[11] Tunc enim omnimodo veniunt in condemnationem, tametſi mora nulla aut in iudicio, aut extra iudicium facta ſit, ſibique imputare debitor debet, cur non vltro ſoluerit priuſquā à creditore conueniretur.[12] Cum vero ſolo iudicis officio expenſæ petuntur, ſolam eam moram inſpicimus, quæ in iudicio facta eſt. Quoniam ſicut futuri temporis tractatus ad iudicis officium nil pertinet,[13] ita nec eius, quod litem præceſſit.[14] *Ita Senatus* 3. Non. Nouemb. 1588.

1 Quo caſu proculdubio mora per eum contracta intelligitur, *l. mora 32. D. de vſur.* iunct. *l. ſciendum 21. & ſeqq. eod.*

2 Quaſi præcedentem moram extraiudicialem iudiciali oblatione purgauerit, & purgando conſtituerit creditorem ipſum

BIU Cujas

pſum in mora. Poſterior enim mora ſemper nocet, *l.qui decem* 72 *in princ. & §.1. D. de ſolut.*

3 *Arg. l. ſi rem alienam* 9 *§. vlt. D. de pignor. act.*

4 *L ſi per te* 9 *& l. acceptam* 19. *C. de vſur.*

5 Nec enim purgatio morę admittitur poſtquam cœpit intereſſe, *l. et ſi poſt tres* 8. *D. ſi quis caution. l. ſi ita quis* 135. *§. Seia, D. de verb. oblig.*

6 Quoniam ſua cuique mora nocere debet non alteri, *l. in condemnatione* 173. *§. vnicuique, de reg. iur.* niſi quod mora debitoris nocet etiam fideiuſſori, *l. mora* 88. *de verb. obl.*

7 Quæ per malam fidem inducit, *l. ſed etſi lege* 25. *§ ſi ante, D. de petit her.*

8 Paria enim ſunt conteſtari & fugere conteſtationem.

9 Quod plerumque euenit, maxime in iudicijs ſtrictis, *l.2. l. videamus* 38. *§. ſi actionem, D. de vſur.*

10 *L. eum quem temere* 79. *D. de iudic. l. qui ſolidum* 78. *§.1. de legat. 2.*

11 Exemplo eius quod de vſuris ſcriptum eſt *in l. vſura* 121. *de verbor. ſignific. & in l. qui per colluſionem* 49. *§.1. D. de action. empt.*

12 Not, *ad l. terminato* 3. *C. hoc tit.*

13 *L.1. §. verſ. Paulus notat. D. de vſur. l. non poteſt* 23. *D. de iudic.*

14 Intellige cum de expenſis litis agitur. Nam quod ad vſuras & alias acceſſiones pertinet etiam præteriti temporis rationem habere iudex & poteſt & debet, *d. l. qui per colluſionem, §.1. l. quæro* 54. *D. loc. at.* Iunge *Defin.* 21. *& 67. j.*

DEFINITIO III.

Finita lite ſiue per ſententiam, ſiue per tranſactionem poſſunt adhuc peti expenſæ litis ſi ſint in obligatione, ſecus ſi tantum officio iudicis debebantur.

LItis expenſę per ſententiam adiudicatę creditori ſi ex conuentione debebantur, & ius & ordinem pignoris occipiunt ab eo die quo principalis debiti obligatio contracta eſt. [1] Sin vero cum in obligatione non eſſent officio tantum iudicis præſtandæ ſunt, licet acceſſorij iure cenſeantur, non tamen principalis debiti ius ſequuntur in cauſa pignoris, ſed ab eo duntaxat tempore, quo iudicati executio fit, [2] per capionem ſecutam pignus pro ijs conſtitutum intelligitur. [3] Proinde ſi alius creditor medio tempore & ante iudicati executionem interuenerit, qui de pignore ſibi cauerit, fruſtra verebitur ne pignoris controuerſiam ab anteriore creditore impenſarum nomine patiatur. [4] Eadem diſtinctio neceſſaria eſt, cum quęritur, an poſt tranſactionem de principali negotio interpoſitam aut ſolutam ſortem quę petebatur ſuperſit petitio impenſarum. Nam ſi in obligatione fuerunt earum petitio ſupereſt, non item ſi officio tantum iudicis præſtari debuerunt. [5] Sed & illud obſeruandum eſt iuſtam litigandi cauſam, quę ab expenſarum condemnatione ſoler excuſare, [6] non tamen efficere poſſe quo minus ad omnes litis expenſas condemnandus ſit debitor, cum in ſtipulationem deductæ fuerunt, [7] non magis quam vt ex principali ſumma, quę in obligatione eſt quicquam minuatur. [8] Porro in ſtipulationem deductę tum demum videntur, cum de ijs expreſſim actum eſt. [9] Nam ſi damnorum duntaxat mentio facta ſit, & eius quod creditoris intereſſet, nulla pro expenſis litis obligatio pignoris inducetur. [10] *Ita Senatus* 7. Jd. Nouembr. 1588. & in cauſa Joannis Guibourg, & Claudij Caſtellani, 4. Cal. Jul. 1591.

1 *L. Lucius* 18. *D qui potior. in pign. hab.* Acceſſorium enim ſequitur ſuum principale, vt eſt in regula iuris pontificij, *cap. acceſſorium, de reg. iur. in 6.*

2 Nempe quia non ex contractu debentur, ſed ex iudicato, quod nullam habet hypothecam ex ſe, ſed tantum actionem perſonalem, *l. actori* 8. *C. de reb. cred.*

3 *L. à Diuo Pio* 15. *§. in venditione, § ſi pignora, & paſſ. D. de re iudic.* Pignus enim iudiciale per capionem conſtituitur, *l.1. Cod. tit. C. ſi in cauſ. iudic. pign. capt. ſit.* Prętorium vero ex quo ventum eſt in poſſeſſionem, *l. non eſt mirum* 26. *§.1. D. de pignor. act.*

4 Vide Bald. & DD. *ad l. terminato* 3. *C. hoc titul.* Franciſc. Marc. *deciſ.* 391.

5 Papienſ. *in form. libell. act. real. in verſ. & expenſis præſentis cauſæ, num.* 6. Neguſ. *in tract. de pignor.* Apoſtill. ad Guid. Pap. *quæſt.* 55. vbi dicitur aliquando expenſas non eſſe in obligatione neque officio iudicis deberi, ſed tamen iure actionis peti poſſe, quales ex ſunt quæ debentur ex contumacia, quas placet peti poſſe actione in factum *ex. l.1. D. ſi quis ius dicent. non obtemp.* Quo exemplo ſunt qui idem putent de expenſis, quibus punitur temeritas & negligentia appellantis, quaſi poſſint peti condictione *ex cap. reprehenſibilis, de appell.* & ſic iure actionis, vt notat Maſuer. ad Papienſ. *vbi ſ. ad dict. num.* 9. in verb. *poſſunt peti.* Illud ſane conſtat, expenſas quæ iure actionis debentur poſſe peti etiam poſt ſententiam, vt ſentit dict. Apoſtill. *ex l.3. §. ſi rem, de leg.* 3. & Maſuer. vbi ſupr. ex Roll. à Vall. *conſ.* 62. *num.* 16. *vol.* 4.

6 *L. qui ſolidum* 78. *§.1.* vbi Bart. & alij, *de legat. 2.*

7 Iaſ. *ad l. properandum, § fin. C. de iud.* Idem *ad l.1. col.* 5. *D. de edend.* Dec. *ad l. edita, in fin. nu.* 97. *C. eod.* Rom. *ſing.* 342. Abb. *in cap. in noſtra, de iniur.*

8 Nemo enim ob id minus debet quod ſoluere ſit paratus, *l. ſi debitori* 21. *D. de iud.*

9 Ea enim eſt natura ſtipulationum omnium, quia ſunt ſtricti iuris, *l. quicquid adſtringenda* 99. *de verb. obl.*

10 Aliud enim eſt de damnis loqui, aliud vero de expenſis, vt tractant Iaſ. Dec. Rom. & Abbas in locis ſupra citatis. Vide tamen *l. ſancimus* 15. *C. de iudic.*

DEFINITIO IV.

Victus non debet ad expenſas condemnari victori, cui aliquid imputari poteſt.

IMputandum eſt ei, qui tanquam debitoris debitor conuentus à creditore creditoris ſui [1] diu ſecũ litigari paſſus eſt priuſquã proferret inſtrumẽtum ſolutionis. [2] Itaq; ſi ſtatim poſt factam inſtrumenti editionem creditor à lite diſcedat, æquum eſt ita ferri pro reo ſententiam, vt tamen litis expenſas non conſequatur. [3] Jmo vero ſi manifeſtior debitoris dolus appareat, in expẽſas omnes condemnandus eſt. [4] Neq; hoc caſu obijci poteſt creditori, cur nõ diligentior fuerit in inquirendo an debitor adhuc ille eſſet quem conueniebat. Sufficit enim vt debitorẽ aliquando fuiſſe conſtet. [5] Solutionem namq; poſtea ſubſecutam diuinare nec potuit nec debuit. [6] *Ita Senatus* ex tempore 16. Cal. Jan. 1589.

1 *Ex tit. C quand. cred. debitorem ſui debitoris conuen. poſſ. l. nomen* 4. *C. qua res pign.*

2 Cum ei incumbat onus probandi qui allegat ſolutionem, *l.1. C de probat.* Eſt enim facti, *l. conſilio* 9. *§. vlt. de curat. furioſ.* alieni autem facti ignorantia ſemper probabilis eſt, *l. vlt. D. pro ſuo.*

3 Non enim ratione victoriæ debentur expenſæ litis victori, ſed ob temeritatem victi ex regula iuris pontificij, de qua *in c. victus victori, cum ibi not. de reg. iur. in 6.* Hic autem nulla eſt temeritas aut culpa actoris, qui ſtatim deſtitit, nec voluit in lite improba perſeuerare, *l. deſtitiſſe* 10. & ibi Bart. *D. de iud.*

4 Puta ſi dolo malo diſtulit editionem inſtrumenti, quod citius edere potuiſſet, *cap. exceptionem,* vbi Dec. *D. de excep.* Imbert. *in Inſtit. forenſ.*

5 Siquidem qui ſemel fuit debitor, ſemper præſumitur debitor, niſi probetur liberatus, cum obligatio legitime contracta non niſi certis & legitimis modis diſſoluatur, *l. obligationum fere* 44. *§. placet. de oblig. & act.*

6 Quæ, vt diximus, facti eſt, *d. l. conſilio* 9. *§. vlt. D. de curat. furioſ. d. l.1. C. de prob.* iunct. *l.4. §. illa etiam quæſtio, D. de dolo mali except. l. ſi putatur* 31. *in fin. ad leg. Aquil. l ſi fideiuſſor* 29. *§. ſi cum debitor, D. mandat.*

DEFINITIO V.

Pro expenſis conſentiente procuratore taxatis permittenda eſt executio pendente appellatione, idque per modum prouiſionis, oblata ſatiſdatione.

SI litis expenſę præſentibus & conſentientibus procuratoribus taxatę ſint, & à taxatione poſtea

appelletur, [1] placet non posse appellationem facere, quo minus pro articulis, quorum ratione appellatum non est, præcisa fiat executio, ac si appellatum non esset.[2] pro aliis vero, prouisionalis: [3] præstita tamen per victorem satisdatione. [4] *Ita Senatus* generali Senatusconsulto, & alio extemporaneo, quod pronunciatum est 16. Cal. Ian. 1588.

1 Appellari enim posse constat. *l. ab executore.* vbi Bart. *D. de appellat. c. super eo.* vbi Innocēt. *Extr. quod met. cauſ.* Papiens. *in form. libell. act. real. in verſ. & expenſis præſentis cauſa, num.* 8.

2 Tot enim videntur esse sententiæ, quot sunt capita, cum aliud ab alio non pendeat, nec vna species cæteris cohæreat, vt loquitur Modestinus *in l. etiamſi* 29. §. 1. *D. de minor. l. ſcire debemus* 29 *de verb. oblig. l. quod dicitur* 32. D. *de euict.*

3 Propter consensum præstitum à procuratore, cuius factum interim præstari æquum est, etiamsi impetratum sit rescriptum ad irritandum consensum procuratoris, quas nos literas *de deſaueu* appellamus. In Gallia, vt audio, huiusmodi appellationes non admittuntur.

4 Secundum ea, quæ dixi *Defin. 2. ſupr. de ſent. & interloc. omn. iud.*

DEFINITIO VI.

Contumaciam aduersarij non potest accusare is, qui ad diem non venit, nec ratum habere factum falsi procuratoris.

SI falsus procurator pro te contra me iudicio adfuerit, ego verò abfuerim, non potest ferri pro te sententia,[1] nec si tu procuratoria factam postea ratum habueris, siue ante siue post sententiam. [2] Si non à tempore secutæ tam habitionis fiam ex integro contumax, quia non possum videri contumax fuisse, cum tu rite à debito tempore ad iudicium ipse non veneris. [3] Proinde nec expensas vllas tibi refundere cogendus ero. [4] At potius cum ambo contumaces fuerimus, mutua compensatione vtramque contumaciam tolli æquum est.[5] *Ita Senatus* ex tempore Prid. Id. Ian. 1589. Iunge Defin. 8. de iudic.

1 Quia nec tu potes videri præsens, qui iudicio non ades, neque per teipsum, neque per procuratorem. Quod enim dicitur posse etiam absentem vincere, si bonam causam habeat, tūc verum est, cum altera pars adest, non cum vterque absens est, *l. 1. C. quomodo & quand. iud. l. properandum* 13. §. *cum autem eremodicium, C. de iudic. & poſt.* 73. *D. eod.*

2 Ne sit in potestate tua facere, vt pro te valeat sententia, quæ non posset te inuito valere contra te, Not. *ad l. licet* 24. *C. de procur.* Nim vtique si velles ratum habere factum falsi procuratoris, in tui præiudicium posses, *l.* 3. §. *falſus procurator*, D *rat. rem hab.*

3 Nemo enim potest alteri obiicere crimen, quod illi ipsi possit obiici, nec culpam, in cuius ipse incurrerit reprehensionem *d. l. & poſt* 75. § *quod ſi qui, D. de iud. l. ſi plures* 38. §. *vlt. D. de admin. tut.*

4 Quarum scilicet refusio non nisi propter contumaciam deberi potest, *d. l. properandum*, §. *huiuſmodi autem, & ſeq. C. de iudic.* iunct. *l. ſancimus* 15. *eod.*

5 Quomodo & alias plerumque accidit, vt paria delicta mutua compensatione tollantur *l. viro* 39. §. *cum mulier* 47. D. *ſolut. matr. l. vlt.* §. *pen. D. de eo, per quem fact. erit.*

DEFINITIO VII.

Heres cum beneficio legis condemnandus est proprio nomine ad expensas litis, quam temere vel instituit vel suscepit.

HEres, qui legis & inuentarij beneficium implorauit, si litem aliquam temere vel instituerit, vel susceperit, vel malè prouocauerit, condemnandus est in expensas proprio nomine,[1] nec audiri debet, si petat, aut consentiat, vt victori ex rebus hereditariis satisfiat,[2] ne ex heredis facto & culpa deterior fiat conditio creditorum & legatariorum, [3] quorum interest hereditatem, quæ heredi ipsi iam suspecta est, nullo modo imminui. [4] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Id. Ian. 1589.

1 Sic enim debet imputare, qui male ac temere litigauerit *vulg. l. enim quem temere* 79. *D. de iud.* cum bonam fidem agnoscere non prohiberetur, *l. quoties* 9. § *ſicut, D. de adminiſtr. tutor.* iunct. *l. vlt. §. etſi præfatam, C. de iur. delib.*

2 Eo scilicet prætextu, quod non suo nomine, sed quasi heres cum beneficio legis & inuentarij litigauerit, & ita pro ipsa quodammodo hereditate.

3 Omnibus enim modis agere debemus, quantumuis possumus, ne vnius conditio per alium deterior fiat, *l. 1. D. de alien. iudic. mut. cauſ. fact. l. non debet alteri* 74. *de regul. iur.*

4 Non enim soluendo est hereditas, quæ inuenit quidem heredem, sed cum beneficio inuentarij, cum is non teneatur supra vires hereditarias, *d. l. vlt. C. de iur. delib.* iunct. *l. quæ dotis* 33. *D. ſolut. matrim. l. libertas* 30. *D. de bon. liberi.*

DEFINITIO VIII.

Condemnatus etiam ex causa criminis an & quando possit pro expensis litis in carcere retineri?

OB crimen condemnatus ad pœnam pecuniariā, & quod est consequens ad expensas litis,[1] si pœnam soluerit, eximi carceribus debet, nec pro solis expensis retineri potest, siue inferior iudex fuerit, qui sententiam tulerit, à qua proinde liceat appellare: [2] siue Senatusconsulto lis decisa sit, factaque à relatore expensarum taxatio. An quod minus fauorabilis sit impensarum litis, quam ipsius pœnæ persecutio? [3] Minime. Sed quia sumptum condemnatio etiam cum de crimine actum est, non tam propter crimen, quàm propter litem infligitur. [4] Vnde illud quoque receptum est, vt bonis cedere condemnatus possit ad eludendam sumptuum condemnationem, [5] qui pro indicta pœna pecuniaria ad id beneficium admitti non posset. [6] Denique quod ad litis sumptus attinet, nihil interest, an ciuiliter actū sit an criminaliter. [7] Atqui, inquies, etiam cum ciuiliter actum est, nemo dubitat, quin ex iudicato pro expensis quoque litis nascatur ciuilis actio, cuius potestate fit, vt, qui succubuit, si expensas nō soluat, detrudi possit in carceres. Cur non ergo multo magis in carceribus retineri? [8] Verum non tam facile pro litis sumptibus carceres pati quis cogitur, sed ita demum, si sine causa in soluendis iis moram faciat, ob idque iudex idipsum permittat, vt iudicato pareatur. [9] Nam si speciale iudicis iussum non interueniat, non sufficit ex sese iudicati actio ad hoc, vt condemnatus in carceres detrudatur.[10] Iusta vero causa esse potest non soluendarum expensarum, si à taxatione appellatum sit. [11] Igitur condemnato, qui iudicati tempore in carceribus ob crimen repetitur, prodesse ea ratio debebit, etiamsi non appellauerit, quia sufficiet quod appellare possit, [12] ne alioqui metu longioris carceris appellare prohibeatur, & à cōmunis remedij auxilio summoueatur.[13] Proinde si proponas nondum factam expensarum taxationem, multo magis admittendum erit condemnatum eximi carceribus debere.[14] Sed ea tamen lege, vt ante omnia satisdet se quicquid eo nomine taxatum & debitū fuerit soluturum post mensem aliudve tempus iudicis arbitrio statuendū & à die factæ taxationis numerandū. [15] Quæ res beneficium appellationis non excludet. Habet enim ea satisdatio taciā conditionē, si à taxatione nō erit appellatū,[16] quandoquidem nec taxatum videri potest, quod adhuc propter appellationē incertū est, an debeatur.[17] Ita fit, vt condemnatus deterioris sit cōditionis ante factā taxationē, quam si iā facta esset, cum si facta esset, nulla satisdatione oneraretur. Nimirum, quia post factam taxationem nihil agendum superest,

BIU Cujas

pereſt, niſi vt vel ſoluatur, vel appelletur, [18] cum iam inde ab eo tempore nata ſit appellandi cauſa, ſi appellare quis velit. Itaque qui tum ſatiſdaret ſe ſoluturum, taxationi proculdubio acquieſceret, ſicque ſibi ipſi acciperet beneficium appellationis, [19] quod non ſimiliter euenit, cum ante taxationem factam ſatiſdatio præſtatur, [20] & cuius præſtandæ ratio illa ſubeſt, ne qui carceris tædio diligentior futurus eſſet ad ſoluendum, [21] eo tantum conſilio videatur liberari velle, vt poſtmodum per contumaciam iudicatum eludat.. [2] *Ita Senatus* in relationibus libellorum. Prid. Cal. Febr. 1589.

1 Nunquam enim condemnationem expenſarum poteſt effugere is, qui etiam pecuniariam pœnam meretur, ne minore pœna careat, qui maiore dignus eſt, *arg. l. cui pacto 5. D. de ſeru. expor.* Iunge *Deſin. 48. & 16 j.*

2 Nam ab inferiore iudice ad ſuperiorem appellatur, *l. 1. & tot. tit. D. quib. & à quo appell.*

3 Actio enim quæ ad ſumptus repetendos competit rei perſecutoria eſt, pœna vero nihil niſi vindicta eſt *l. ſeruus 7, iunct. §. vlt. l. præced. D. de ſeru. expor.*

4 Adeo, vt plerumque ad expenſas condemnetur etiam is, cui nulla pœna infligatur. Nempe ſi iuſta fuerit cauſa inquirendi de crimine.

5 Ioan. Papon. *lib. 10. ſyntagm. tit. 10. De ceſſion de biens, §* 6. quamuis videatur pugnare quod idem ſcribit *in §. 11. eod. tit.*

6 Cum is qui non habet in ære debeat luere in corpore *l vlt. D. de in ius voc. l. 1. § generaliter*, D. *de pœn.* ſcilicet niſi pœna fuerit modica. Papon. *in ſyntagm. lib. 24. tit. 10 §. 10. & ſeq. & d. lib. 10. tit 10 §. 4.*

7 Bart. *in l ſolent, de alim. leg.* quem refert & ſequitur Papon. *lib. 8. ſyntagm. tit. 8.*

8 *Arg. l ſi neceſſarias 8. in princ. D. de pignor. act.* Guid. Pap. qui ita de conſuetudine ſeruari teſtatur *quæſt. 448.*

9 Inanis enim eſſet condemnatio, quæ non mandaretur executioni. *l. pen. C. de exec. rei iudic.*

10 Parit enim res iudicata perſonalem tantum actionem. *l. actori 8. C. de reb. cred.*

11 Quia appellatio extinguit iudicatum. *l 1. §. vltim. ad SC. Turpill.*

12 *Sic in l. & poſt rem 7. D. de tranſact.*

13 *Arg. l. 2. §. penult. D. de iudic. l. 1. §. quæ onerandæ. D. quar. rer. act. non det. l. pen. D. de furt.* iunct. *l. 3. §. falſus procurator. D. rat. rem haber.*

14 Si quidem quandiu taxatio facta non eſt, neſciri poteſt quid & quantum debeatur. Iniquum autem ſit permitti incarcerationem pro debito non liquido, ne non ſit in poteſtate incarcerati, vt ſe ſoluendo liberet.

15 Sic enim præſtari ſolet ſatiſdatio pro non liquidis. *l. ſtatuliber rationem 5. D. de ſtatulib. l. 1. & tot. tit. D. ſi cui plus quam per leg. Falcid.*

16 Quaſi promiſſa ſolutione eius, quod debitum eſſe conſtiterit, *vt in l qui Romæ 122. §. Agerius. de verb. oblig.*

17 *Arg. l. Mauio 41 § 1. de legat. 2.* vbi taxata quantitas opponitur incertæ quantitati.

18 Adde, vel petatur ad ſoluendum tempus quod iudicatis dare ſolet. *l. vlt. C. de vſur rei iudic. l. ſi debitori 21. D. de iud. l. cum multi 16. § 1. D. de compenſ.*

19 Sicut & qui petit dilationem ad ſoluendum. *l. ad ſolutionem 4 C. de re iudic.* Niſi ſatiſdatio referretur ad taxationem ab appellationis iudice faciendam. *Deſin. 52 j.*

20 Quo ſcilicet tempore nulladum poteſt nata eſſe cauſa appellandi.

21 *Arg. l. ù cui 5. in princ. D. vt in poſſeſſ. legat.*

22 Fiducia ſuæ inopiæ, vt *in l. ſi quis iniuriam 35. D. de iniur. l. 2. § generaliter. D. de pœn. l. nam is nullam 6. D. de dolo.* Iunge *Deſin. 48. & 52 j.*

DEFINITIO IX.

Emolumentum pro iudicato quantum debeatur ſi actor pro parte obtinuerit, & pro parte ſuccubuerit.

CVm mille tanquam tibi debita peteres, pronunciauit iudex quadraginta duntaxat deberi, & à reſidui petitione te ſummouit. Placet, non totius ſummę, quæ petita fuerat, emolumentum, vt vocant, te debere, ſed vel eius tantum quantitatis, quę tibi adiudicata eſt, vel eius à cuius petitione cecidiſti, [2] prout is elegerit, cui tributum illud, quod pro iudicato penditur, ſoluendum eſt. *Ita Senatus* pro D. Margareta de la Chambre, 6. Id. Febr. 1589.

1 Tributum illud eſt quod pro iudicato penditur vel Principi, vel ei qui hac parte ius habet à Principe, vt ſequitur in Definitione. Doctores noſtri vocant aliquando gabellam iudicati.

2 Non enim poteſt vno eodemque iure cenſeri quantitas, quæ per ſententiam diuiſa fuit.

3 Etſi enim ſolet in alternatiuis electio eſſe debitoris, vt eſt in regula iuris pontificij *& in l. plerumque 10. §. vlt. D. de iur. dot.* hoc tamen caſu aliud eſt quia tributum iſtud debetur pro iudicato, quod pronunciatur in inuitum, ſiue actor ille ſit, ſiue reus. [Eligere ergo debet an adiudicationis emolumentum velit petere an repulſionis. Vtrumque enim non poteſt. Idemque eſt ſi condemnatus ſit quis tertius, qui maiorem quantitatem ſibi debitam contendebat contra creditorem minoris quantitatis, qui in alia inſtantia iam vicerat. Debetur enim emolumentum alterutrius quantitatis, aut eius quę ab actore aut eę à condemnato petita fuerat. *Ita Senatus* in ea cauſa de qua in *Deſin. 24. num. 2 j.*]

DEFINITIO X.

Nullum debetur emolumentum pro pecunia, quam reſtituere iuſſus eſt is, qui egit pignoratitia.

PEcuniæ quam debitor agens pignoratitia creditori reſtituere iuſſus eſt emolumentū tributūmve pro iudicato nullum debetur, [1] quia non poteſt videri iudex eam adiudicare quantitatem, quam debitor offert offerreque cogitur ex natura inſtitutæ actionis. [2] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Nec enim debetur niſi propter adiudicationem, aut petitionis repulſionem, vt conſtat ex vetere ſtatuto Sabaudiæ.

2 Nec enim pignoratitia competit, niſi ſoluto prius per debitorem omni eo, quod debebatur. *l. ſi rem 9. §. omnia pecunia, & paſſ. D. de pignor. act.*

DEFINITIO XI.

Non poteſt conuerti appellatio in interceſſionem etiam ex reſcripto Principis citra refuſionem expenſarum.

SÆpius dubitatum eſt, an, ſi ex reſcripto Principis appellatio perperam interiecta cõuertatur in interceſſionem, condemnandus ſit impetrans, vt & aduerſario expenſas litis ſarciat, & temerariæ appellationis pœnam fiſco pendat? [1] Nimirum ſi eo tempore reſcriptum impetretur, quo non liceat impune ab appellatione diſcedere, id eſt, poſt decem dies ex quo fuit interpoſita. [2] Nec defuerunt qui dicerent beneficium Principis neque ipſi Principi, neque collitigatori fraudi eſſe debere. [3] Aliis contra placebat non magis condẽnari debere ad pœnam aut impenſas litis impetrantem hunc, quam qui reſcriptum impetraret ad appellationem proſequendam, quæ non ſuo tempore introducta eſſet. [3] Placet media ſententia, vt pœna quæ temere appellantibus infligitur beneficio Principis remiſſa intelligatur; expenſarum autem condemnatio ita demum facienda ſit, ſi quid impenſum ſit propter appellationem, quod ad nouam interceſſionis agitandæ cauſam nihil faciat.

1 Nam & mulcta irroganda eſt & condemnatio expenſarum in pœnam temerariæ litis *cap. reprehenſibilis. Extr. de appellat.*

2 Nam intra decendium licet reſilire ab appellatione, poſtea non licet, niſi literis à Principe impetratis, quas vocant *d'aneantiſſement.*

3 *Arg. l. Paulus notat 8. de præt. ſtipul. l. 4. C. de emãcip. liber.*

4 Quo caſu certũ eſt, nullã mulctã nec expenſarũ condemnationẽ irrogari ei, qui impetrauit literas, quas vocant *de illico.*

BIU Cujas

DEFINITIO XII.

An & quando distinguendæ sint expensæ litis motæ super desertione appellationis ab expensis litis appellatoriæ?

SI super desertione nihil pronunciatum sit, sed, vt plerumque fit, [1] ad pœnam desertionis remittendã de causa appellationis cognitum hac præfatione *sans s'arrester à la desertion*, condemnato appellatore in expẽsas litis appellatoriæ;[2] Placet omnes omnino litis expẽsas in condemnationem deductas videri, etiam eas quę propter causam desertionis factæ fuerunt. Nam & hæ ad causam appellationis pertinent, cum nec sine appellatione de desertione vnquam quæsitum fuisset. [3] Aliud erit si proponas super ipsa desertione pronunciatum, nimirum desertam appellationem non fuisse. [4] Distinguendæ siquidem erunt hoc casu expensæ desertionis ab expensis litis appellatoriæ, vt qui in has tantum condemnatus est, illas non debeat. [5] *Ita Senatus* 5. Cal. Decembr. 1589.

1 Scilicet à Senatu. Vix enim est, vt iudex inferior ita pronunciare possit. Sed quemadmodum cogitur pronunciare an primus iudex bene vel male pronunciauerit, ita & an appellatio deserta sit, necne.

2 Ad quas vtique debet condemnari si nullam habuit iustam grauaminis causam, *cap. reprehensibilis. Extr. de appellat.* Vnica enim causa grauaminis sufficeret. *l. appellanti* 13. §. 1. *D. eod.*

3 Prius enim est, vt sit aliqua appellatio, quam vt possit disputari, an sit deserta. Nec potest negari quin appellatio interposita causam dederit sumptibus ob quæstionem de desertione factis.

4 Repellendo scilicet à sua petitione actorem, qui impetrauit literas, quas desertionis vocant, ad hoc vt appellatio deserta pronunciaretur.

5 Ob hoc enim dicimus sententiam quamlibet esse stricti iuris, maxime vero eam quæ sit condemnatoria, quia postquam iudicatum est nihil aliud inquiritur nisi quid & quantum deductum sit in condemnationem. *l. si fundus* 16. §. *si pluris. D. de pignor.*

DEFINITIO XIII.

Impetratio rescripti aduersus peremptionem instantiæ nulla sumptuum refusione onerat impetrantem.

QVi rescriptum Principis impetrauit aduersus peremptionem instantiæ, [1] litis expensas refundere non cogitur, quas vtique sarcire cogeretur, si ad nouam instantiam veniendum esset vetere perempta. [2] Facit enim rescripti auctoritas, vt peremptionis, quæ ex solo temporis lapsu inducebatur, nulla sit habenda ratio, vtque acta totius instantiæ prosint, & consequenter, vt ratione expensarum nihil prorsus interfit litigatorum. [3] *Ita Senatus* ex tempore 3. Non. Decembr. 1589.

1 Ad hoc scilicet, vt instantia quæ reuera fuit perempta perinde habeatur acsi perempta non esset.

2 Quia eo casu prioris instantiæ acta nihil prodessent, & actum agere oporteret. Et ita essent inanes sumptus ante facti.

3 Quibus necesse omnino fuit, vt eas impensas facerent, si ne quibus litigari non potest. *l. minoribus* 6. *D. de minor. l.* 3 § *si rem de leg.* 3. *l. pen. D. de liberat. legat.*

DEFINITIO XIV.

Qui condemnatur ob probationes ex officio iudicis factas, ad eos solos sumptus condemnari debet, qui facti sunt post nouas testationes publicatas.

CVm, vt plerumque fit, æquis in contrarium probationibus certatum est, [1] si iudex quod facere cogitur, ex officio veritatis habendæ gratia de facto inquirat, [2] tum ex nouis probationibus sententiam ferat, non ad alios sumptus condemnari debet is, qui vincitur, quam qui facti sunt post nouas testationes publicatas. [3] Etsi enim dici solet, posteriorem moram dolumque nocere, [4] nihil tamen imputari potest ei, qui suis confidens probationibus expectauit sententiam iudicis, in cuius solius arbitrio fuit videre, quanta nouis testibus ex officio auditis fides adhiberi deberet. Quandoquidem, vt vulgo iactari solet, non testimoniis credendum est, sed testibus. [5] *Ita Senatus* pro Benedicto Bosson, contra Claudium Morel, 12. Cal. Iunij, 1590.

1 Quo casu dicitur lis dubia *in l. admonendi* 31. *D. de iureiur. l. in bonæ fidei* 3. *C. eod. cap. vlt. Extr. eod. tit.*

2 Audiendo ex officio nouos testes, quod quando fieri possit, vide apud Papiens. *in form. libell. act. real. in vers. quatenus ex officio vestro nu.* 8. *vers. sed quia dixi.*

3 Quia non tam communi, quam speciali iure vincitur, & ideo dignior est cui succurratur, vt dici solet de eo, qui vincitur ex aduersarij iureiurando, de quo scripsi *in tit. De reb. cred. & iureiur.*

4 *L. qui decem* 72. *in princ. &* §. 1. *D. de solut. l. desii esse.* & ibi Bart. *D. de iudic.*

5 *L.* 3 §. *ideoque &* §. *idem Diuus Hadrianus. D. de testib.*

DEFINITIO XV.

Quomodo accipiendum sit priuilegium, quod habent Senatores, de tributo iudicati non pendendo.

SEnatores itemque Rationales, & alij si qui sunt, qui ex priuilegio ius habent, [1] ne quicquam ex iudicati nomine pendere cogantur, si expensarum in litem factarum adiudicationem obtinuerint, non possunt eo prætextu ab aduersario tributũ iudicati repetere, quod ipsi non soluerint. Ob eam namq; causam habent priuilegium, ne damnum sentiant, [2] non vt obtentu priuilegij ex aliena iactura lucrum consequantur. [3] *Ita Senatus* contra Claudium de la Couz Senatorem Abbatem d'Ambournay, 10. Cal. Iunij 1590. & iamantea contra D. de la Fontaine magistrum computorum.

1 Aut potius ex conuentione cum huiusmodi tributorum conductoribus inita. Nam citra conuentionem neque Senatores neque Rationales tale vllum priuilegium habent, at neque Marchiones, neque ipsi etiam Torquati Equites. Potest tamen hoc priuilegium dici, cum per huiusmodi conuentionem fit, vt tanto minor conductionis merces ærario inferatur. Quæ res cum sit Principi damnosa, non esset ferenda, nisi fieret Principe consentiente & Senatoribus suis ac Rationalibus plus quam cæteris fauente, vt hoc illi habeant in partem honoris & honorarij.

2 Id est, vt tanto minus grauentur, siue vincant, siue vincantur. Nam neque expensarum adiudicatio fit victori, nisi ne alioquin eueniat, vt moretur in damno, *l. properandum* 13. § *sive autem alterutra, C. de iudic.*

3 Quod esset contra *l. nam hoc natura* 14. *D. de condict. indeb. l. iure naturæ* 106. *D. de reg. iur.* Est enim longe aliud certare de damno vitando, aliud vero, sollicitum esse de præda, vt loquitur Vlp *in l. si minoris* 25. *D. de admin. tut.*

DEFINITIO XVI.

Pro sumptibus litis, etiam criminalis, non potest condemnatus retineri in carceribus, sed in carceres detrudi potest, si iussus soluere non pareat.

EX delicti causa condemnatus, si soluendo non sit, non potest ob solas litis expensas in carceribus retineri, sed omnimodo eximendus est, præsertim si nondum expensæ taxatæ sint, salua Commentariensi [1] in accusatorem pro iis expensis actione. [2] Si tamen post taxatas impensas solutionem recuset aut differat, potest rursus ex ea causa detrudi in carceres, iudice pro-

BIU Cujas

dice propter contumaciam id expressim permittente.[4] Sed bonorum cessionis beneficium ei saluum esse debebit, si bonis cedere malet, quam soluere.[5] *Ita Senatus* in causa quadam Antonij Lespine, contra procuratorem iurisdictionis Comitatus de Chastillion, 5. Id. Jun. 1590.

1 Dixi *Defin. 8. supr.*
2 Id est, ei, qui carceri Præpositus est: is enim Commentariensis appellatur, quod in commentarium custodias referat, *l. ad commentariensem 4* vbi Gothofr. *C. de custod. reor.*
3 Habet enim illum obligatum ex contractu, quod Pragmatici nostri dicunt, *en vertu de la charge de l'ecroy.*
4 Guid. Pap. *quæst. 448.*
5 Nihil enim est quod hoc casu debeat impedire, ne possit admitti ad beneficium cessionis, vt dixi *Definit 8. n. 5. 5. eod.*

DEFINITIO XVII.

Vtriusque litigatoris dolo interueniente compensandæ sunt expensæ, si vero alteruter tantum in dolo sit, omnium impensarum condemnatione mulctari debet.

SI dolo culpave vtriusque ex colligatoribus religio Senatus circumuenta sit,[1] deinde ad euortendam iudicati auctoritatem condemnatus supplicationem, quam ciuilem vocant, Principi porrexerit,[2] tum obtinuerit, eæ Senatus partes æquissimę sunt, vt mutuam impensarum compensationem inducat, per quam impensis communibus dolus culpave communis purgetur.[3] Quod si solus victoris primi dolus interuenerat, condemnandus ille erit, vt eos quoque sumptus restituat, quos iam ex iudicato exegerit,[4] vt ita vindicato dolo, qui auctori suo prodesse numquam debet,[5] omnia ad suam æquitatem reuocentur.[6] *Ita Senatus* in causa Joannis de la Chinal, 5. Id. Jun. 1590.

1 *Vt inl. Diuus Hadrianus 37. ff. de re iudic.*
2 Quæ scilicet hoc etiam casu necessaria est propter auctoritatem rerum iudicatarum, vt diximus *in tit. de sentent. præfect. prat. supr. ex l. seruo 65. § cum prater. D. ad SC. Treb.*
3 Paria enim delicta mutua compensatione tolluntur, *vulg. l. viro 39. l. cum mulier 47. ff. solut. matrim.*
4 Ne alioqui honesta interpretatio non honesti quæstus lucrum adferat, *vt in l. possessor 52. D. de petit. hared.*
5 *L. ne ex dolo 12. D. de dolo l. procurator, 11. §. 1. D. de doli except.*
6 *Vt in l. maioribus 3. C. commun. vtriusque iudic.*

Pro expensis litis an & quando rationem augmenti vel deteriorationis monetarum habere oporteat?

TAxatis sumptibus litis, nec dum tamen solutis, si monetæ deterioratio superueniat, eius rationem haberi, cum solutio fiet, æquum erit,[1] licet si nunc primum taxandæ impensæ essent, nulla prorsus haberetur, nimirum, quia multiplicarentur difficultates litisq; protrahendæ occasiones si in singulas erogatorũ sumptuum causas tam accuratam deteriorationis aut meliorationis monetarum æstimationem fieri oporteret:[2] quod non similiter verendum est, cum facta iam taxatione ex multis minutiis vna quantitas conflata est, quæ ab eo tempore certi & explorati debiti formam acceperit. Minus enim tum solui videretur, si deteriorationis ratio nulla haberetur, cum ea deteriorationis æstimatio debiti principalis iure censeatur.[3] *Ita Senatus* 7. Id. Nou. 1590. Et rursus 16. Cal. Jul. 1595. in causa D. de Cornillion & Claudij de S. Real.

1 *Ex not. in l. cum quid 3. ff. de reb. cred. & in l. Paulus, alias hereditorem 99. de solut.*
3 Debet autem bonus iudex litium materiam minuere potius quam augere, *l. quidam 21. D. de reb. cred.*
3 Not. *in d. l. 3. de reb. cred. in d. l. 99 de solut.*

DEFINITIO XIX.

Fructus omnes post litem contestatam percepti debentur etiam ab eo, qui sua diligentia & industria meliorem fundum fecit.

QVi fundum emerat inculcum quidem, sed tam paruo pretio, vt vltra dimidiam iusti pretij venditor læsus esset,[1] si per aliquot annos possessum sic excoluerit, vt meliorem fecerit & reditus vberioris,[2] postea condictione ex noua Diocletiani & Maximiani lege conuentus, fundum cum fructibus post litem contestatam perceptis restituere condemnatus sit,[3] quæsitum est, an eos quoque fructus reddere deberet, quos propter culturam maiores & vberiores percepisset? Quibusdã placebat debere, propterea, quod ab eo saltem tempore litis contestatæ malæ fidei possessor effectus est.[4] Aliis contra, quasi ex industria & re sua potius, quam ex re ipsa, eos percepisse videretur,[5] & quod iniquum foret, redire eum petitori fructus, quos petitor non haberet, si talis ei fundus redderetur, qualis venditus fuisset.[6] Dicebam talem debere fundum restitui, qualis fuerat non contractæ venditionis tempore, sed litis contestatæ,[7] emptoremque non eo minus factum ab eo die malæ fidei possessorem, quod fundus ille emptionis tempore minus excultus extitisset.[8] At quoniam, si in ipsa litis contestatione fundum emptor reddidisset, condemnandus fuisset venditor ad refundendas expensas in meliorationem factas,[9] nunc quoque perinde habendam earum expensarum rationem, vt ex vtraque parte idem obseruetur, ac si ipso contestationis die fundus esset restitutus.[10] Quod si non plus in fundi meliorationem impensum esset, quam quanti essent fructus mala fide, id est, post litem contestatam percepti, inducendam ex æquitate compensationem.[11] Atque *ita Senatus* noster pronunciauit, 17. Cal. Dec. 1590.

1 Ex qua causa competit restitutio in integrum eo iure, quo vtimur, aut saltem condictio *ex l. 2. C. de rescind. vend. l. si voluntate 8. eod. tit.*
2 Crescit siquidem æstimatio & valor rei pro modo fructuum, *l. si fundus 13. in princ. D. de reb. eor. qui sub tutel. l. si fundum per fideicommissum 9. de leg. 1.*
3 Habet enim condictio illa fructuum restitutionem, vt & aliæ condictiones, *l. videamus 38 §. si actionem, de vsur. l. 2. eod. tit.* sed à die tantum litis contestatæ, quia vsque ad contestationem bonę fidei possessor est, qui ad titulum habet, & pretium numerauit, *l. sed et si 25. §. si ante, ff. de petit. hared.*
4 Cum post litem contestatam omnes possessores sint pares, *d. § si ante.*
5 Quomodo solemus dicere, rei venditæ pretium magis ex negotiatione percipi, quam ex re ipsa, *l. venditor 21. D. de hared. vel act. vendit.*
6 *Arg. l. si iudex 41. in fin. D. de minor.*
7 Quia quale quid est cum petitur, tale dari debet, *l. 2. D. de vsur.*
8 Quid enim commune habet qualitas fundi cum bona vel mala fide possessoris? vt in dissimili specie argumentatur Vlp. *in l. Papinianus 20. D. de minor.*
9 Tanquam factas à bonæ fidei possessore, scilicet, si fructuum ante litem contestatam perceptorum summam excedant. Nam vsque ad concurrentem quantitatem fit compensatio, *l. sumptus 48. l. emptor 65. ff. de rei vindicat.* Ne alioqui petitor ex aliena iactura locupletaretur, *l. plane 38. D. de pet. hared.*
10 *d. l. 2. d. l. videamus 38 § si actionem, D. de vsur.*
11 Cum etiam fructus ante litem contestatam percepti sint compensandi *d. l. sumptus 48. & dict. l. emptor 65. D. de rei vind.* quamuis non desint, qui putent *in d. l. sumptus*, legendum esse *à lite contestata*, pro eo, quod vulgo legitur *ante litem contestatam*. De quo scribemus in Rationalibus.

BIU Cujas

DEFINITIO XX.

Fructuum æstimatio summaria interdum fieri potest ex proportione vsurarum quincuncium.

SI fructuum ex iudicato restituendorum quantitas minus sufficienter probata sit per testes in eam rem hinc inde productos, certa tamen sit bonorum, de quibus controuersum fuit, æstimatio,[1] æquissimum est tale arbitrium esse Senatus & alterius cuiuscumque iudicis, vt æstimentur fructus ex proportione vsurarum quincuncium totius pretij,[2] præsertim vero si à condemnato tantidem locata bona fuisse appareat.[3] Est enim id multo conuenientius ad litem terminandam,[4] quam si proborum virorum iudicio negotium committatur, quæ res vt plurimum dare solet materiam litis in longius tempus protrahendæ. Nec habent litigatores, quod de huiusmodi arbitrio conquerantur, cum imputare potius sibi debeant, cur probationes non attulerint pleniores.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quæ sicut solet vtplurimum colligi ex fructibus, *l. si fundum per fideicommissum 92. de leg. 2. l. si fundus 13. de rebus eor. qui sub tutel.* ita ex æstimatione potest & debet colligi quantitas fructuum.

2 Vt quemadmodum vsuræ quincunces ita & fructus vicesimo anno æquent sortem, *ex Nouell. 7. de non alien. §. emphyteusin. vers. si vero alicuius.*

3 Quænam enim fit iniuria ei, qui tantumdem reddere cogitur quantum accepit?

4 Quæ boni cuiusque iudicis præcipua cura esse debet, *l. quidam 21. ff. de rebus credit. l. 1. C. de admin. tutor.*

5 Nec enim nouum est, vt probationum inopia quantitas alioqui magna ad exiguam summam deducatur, *l. vltim. D. de prætor. stipul.*

DEFINITIO XXI.

Casus, in quo hæres, etiam qui moram non contraxit, tenetur ad expensas litis, nempe cum debentur illa ex conuentione.

AD certam diem soluere obligatus sub pœna expensarum ni solueret, moram fecerat, & ante solutionem factam decesserat. Hæres eius non solum ad debiti solutionem tenebitur, sed etiam ad impensas omnes in litis causam prorogatas,[1] licet statim post exhibitum chirographum pecuniam obtulerit, vt proinde nulla ei culpa aut mora imputari possit.[2] Neque enim huiusmodi impensæ ex mora & officio iudicis debentur, sed ex conuentione & iure actionis.[3] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Cal. Decemb. 1590.

1 Cum eodem iure censeri debeat, quo defunctus ipse si viueret censeretur, tanquam qui sit eadem veluti persona, *Nouell. 48 de iureiur. à morient. præst. in princ.*

2 Scilicet propria, Nam vtiq; mora defuncti imputari potest hæredi, cui imputatur etiam mora per hæreditatem ipsam facta, *l. vlt. D. de nautic. fœn. l. ad diem 77. de verb. oblig.*

3 Secundum distinctionem à nobis positam, *Definit. 2. & 3. supr.*

DEFINITIO XXII.

Petitio sortis & vsurarum eodem libello concludi potest, eodemque iudicio terminari debet.

ET sortem & vsuras eodem libello peti posse, & cum ita factum est, vtramque petitionem eadem sententia terminandam esse constitit,[1] idemque de fundo & fundi petiti fructibus iuris esse.[2] *Ita Senatus* in causa N. Guillelmi de Riddes, 5. Non. Decembr. 1590.

1 Quia cum vsuræ sint accessio sortis & debiti principalis, eodem iure censeri debent, *ex reg. accessorium, de reg. iur. in 6.*

2 Ne alioqui terminata lite de fundo, nulla superfit ratio litis persequendæ de fructibus, si non & ipsi sint in obligatione, *l. terminato 3. cum ibi not. Cod. hoc tit.* Dixi *Definit. 2. & 3. supr. eod.*

DEFINITIO XXIII.

Casus, in quo fructuum restituendorum condemnatio fit, etiam pendente lite.

LIcet fructuum condemnatio in tempus diffinitiuæ sententiæ differri soleat,[1] non tamen perpetuo id fit. Nam si pendente lite pronuntietur pro subhastationibus postulante creditore factis, eadem interlocutione pronunciandum erit de fructibus à debitore mala fide perceptis, vt omnes à die expeditionis restituat.[2] Præstita tamen per creditorem satisdatione de iis fructibus bonisque sub hasta venditis restituendis, si iustum id iudici æquumque videbitur.[3] Idem est, si pendente lite adiudicatio hæreditatis fiduciaria facta sit: neque enim hæreditas ipsa adiudicata videretur, ni fructus quoque, qui hæreditatem augent,[4] restituerentur.[5] Idem denique, si pendente iudicio in integrum restitutionis aduersus contractum actor quasi iure suo vtens occupauerit possessionem litigiosi fundi, fructusque ex eo perceperit. Nam sicut pendente restitutione contractui standum est, ita & fructus ei restitui oportet, ad quem ex contractu pertinere debuerunt.[6] *Ita Senatus* in causa D. Henrici Bay & Dominæ March. de la Chambre, Prid. Id. Decemb. 1590. Et rursum pro D. Amedeo Michal magistro Computorum, contra viduam N. Chabot 7. Id. Jul. 1591.

1 Vt dixi *Defin. 2. supr. de sentent. & interloc. omn. iudic.*

2 Quia ex subhastationibus ipsis fructus omnes acquisiti intelliguntur à die expeditionis vigore statuti Sabaudiæ, quod in eam rem factum est.

3 Quicquid enim pendente lite per interlocutionem pronunciatur, potest reuocari per definitiuam sententiam, *l. quod iussit 14. D. de re iudic.* & ideo necessaria satisdatio est, vt dixi *Defin. 2 supr. de sent. & interloc. omn. iudic.*

4 *L. item veniunt 20. §. item non solum, ff. de petit. hared.*

5 Quamuis fructus non soleant venire in restitutionem hæreditatis fideicommissariæ, quia non tam hæreditati, quam rebus ipsis accepto feruntur, *l. in fideicommissaria, 18. D. ad SC. Treb.*

6 *Not. ad l. vnic. C, in integr. restit. postul. ne quid noui fiat.* Fructus enim sequuntur causam dominij, cum acquirantur iure soli, *l. qui scit, 25 §. 1. ff. de vsur.*

DEFINITIO XXIV.

Tributum iudicati debetur ad ratam petitæ quantitatis, quoties implicita est quæstio dominij vel pignoris.

QVoties possessionis quæstio implicitam habet dominij aut pignoris controuersiam, quod vtplurimum euenit, cum interdicto retinendæ possessionis aut condictione ex lege Justiniani,[1] ad possessionem agitur, perinde tributum illud, &, vt vocant, emolumentum, quod pro iudicato penditur, debetur ac si de dominij aut pignoris iure petitorio iudicio mota lis fuisset, cum de contractus viribus pronunciari necesse sit, priusquam sciri possit ad quem possessio pertineat.[2] Aliud est si de recuperanda possessione actum sit, siue interdicto, siue remedio illo pleniore, quod ius Pontificium introduxit. *Ita Senatus* Calen. Mart. 1591.

1 *In l. vlt. C. de acquir. poss.* De qua scripsimus *in Defin. 1. ill. tit. de acquir. possess. supr.*

2 Vix enim est, vt quis possessionem ad se pertinere dicat, nisi ex contractu aliquo præcedente, tametsi de contractu disputare nolit, *arg. l. quædam 73. D. de rei vindic.* Exemplum esto, si inter duos contendatur de hæreditate, & vterque petat se manu teneri in possessione ex edicto, *Le mort saisit le vif.* Nec enim

BIU Cujas

Nec enim alius potest in huiusmodi possessorio vincere, quam cui in necessarium antecedens facta sit adiudicatio hæreditatis, siue diffinitiua, siue prouisionalis. Ita pronunciauit Senatus pro Graphariis Nicole & Demoth, contra N. Thouer. Prid. Non. April. 1606. [Inde est quod si creditore exequente pro summa debita pro qua debitor condemnatus emolumentum iam soluerit, tertius aliquis intercedat, quasi creditor anterior & maioris quantitatis & succumbat, debetur nouum emolumentum ad ratam quantitatis non quæ petita primùm fuit, sed quam tertius ille debitam sibi contendebat, aut saltem ad ratam bonorum, quorum possessionem sibi retinere voluerat, si minoris sint bona, quàm quod tertio debetur. Quoniam reus excipiendo etiam petit. *Ita Senatus* in causa Samuelis Perrin, Id. Sept. 1612. Iunge *Definit 9. nu. vlt. supr.* Fuit pronunciatum Arestum 17. Nouemb. 1612.]

3 *Ex can. redintegranda 3. qu. 1.*

DEFINITIO XXV.

Fructus etiam nullo iure percepti ante litem contestatam non sunt restituendi, si percepti sint bona fide.

CVm cuidam legatus esset vsusfructus, ita tamen, vt dubitari probabiliter posset, an proprietas legata videretur,[1] & mortuo fructuario, hæredes eius proprietatem, quam putabant suam, vendidissent Titio bona fide ementi, ignorante proprietario in minori ætate tum constituto, placuit vindicante fundum proprietario, non idcirco condemnati debere Titium ad fructuum restitutionem, quod vsufructu finito eos perceperit.[2] Non enim videri potest eos percepisse absque titulo & mala fide, cum bonæ fidei emptor fuerit:[3] accedente præsertim venditoris quoque bona fide, qui probabili errore ductus non modo vsumfructum, sed ipsam etiam proprietatem sibi legatam existimabat.[4] Itaque non alios fructus restituere Titius condemnatus est, quam quos à die litis contestatæ percepisset.[5] Non idem Senatus pronunciasset, si fructus illi non à bonæ fidei emptore, sed ab hæredibus fructuarij percepti fuissent, cum apertissimo iure vsusfructus morte fructuarij extinguitur,[6] nisi iuris quæstio & difficultas contrariam, vt aliquando fit, æquitatis rationem induxisset. Neque enim prædo est, qui in iure errat, si neque dolus, neque crassa iuris ignorantia interueniat.[7] *Ita Senatus* in causa N. Juliani de Pra-Aduocati, & liberorum Petri Bonaud Procuratoris, 9. Calend. August. 1591.

1 Vt in eleganti illo casu, de quo *in l. species 15. ff. de aur. & argen. legat.* [*l. vltim. ff. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum. l. Proculus 9. de vsufr.*]

2 Quasi fructus percepti ex re fructuaria post finitum vsumfructum non nisi mala fide percepti esse possint.

3 *Arg. l. bona fidei 48. de acquir. rer. dom. l. emptor 65. ff. de rei vindicat.*

4 Nec enim iuris error prædonem facit, *l. sed etsi 25 §. scire, de pet. hared.*

5 *Ex d. l. sed etsi, §. si ante, l. certum 22. C. de rei vindic.*

6 *L. 3 §. vlt. & pass. ff. quibus mod. vsusfr. amit.*

7 *L. sed etsi 25 §. scire, ff. de petit. hared.*

DEFINITIO XXVI.

Nullum iudicati tributum debetur pro sumptibus funerum & inuentarij, adiudicatis in instantia discussionis.

ETsi hæreditate defuncti agnita cum beneficio legis & inuentarij, lataque inter hæredem, creditores & legatarios sententia, tributum iudicati, quod emolumentum vocant, pro mutuis eorum adiudicationibus deberi constat,[1] tamen nec pro sumptibus funerum, nec pro inuentarij expensis vllum debetur, ideo nimirum, quod de iis iudex non tanquam de re dubia pronunciat, sed potius quasi de re certa,[2] cum neque ex creditoribus, neque ex legatariis quisquam esse possit, qui controuersiam faciat, quin hæredi, adeoq; primo loco expensæ illæ debeantur.[3] *Ita Senatus* 3. Cal. Maij 1591.

1 Quia quod ad mutuas omnium creditorum actiones pertinet, omnes sunt inuicem & actores & rei, ideoque est res hæc ex genere, in quibus ad eundem iudicem iri oportet, *l. 1. & tot tit. ff. de quib. reb. ad eund. iudic. eat.* ne continchtia causæ diuidatur, *arg. l. nulli 10. de iudic.*

2 Lis enim esse non potest, nisi de re dubia, *l. 1. ff. de transact. l. 2. C. eod. l. in summa 65. § 1. de condict. indeb.*

3 Expensæ quidem inuentarij, quia ad omnium creditorum promiscuam vtilitatem pertinet; ideoque censetur esse instrumentum commune omnium creditorum; *Nos. ad dict. l. vlt. Cod. de iur. delib.* Sumptus funerum, quia ad humanæ conditionis memoriam maxime spectat, vt quis etiam de alieno sepeliatur, si non possit sepeliri de suo, *l. quidam 27. in princip. D. de condit. instit. l. in eum 16. cum seqq. de relig. & sumpt. funer.*

DEFINITIO XXVII.

Cum lis vna habet plura capita, possunt expensæ compensari pro vno capite pro alio autem adiudicari.

SI duplex compensatio obiiciatur, vna debiti iam contracti sed nondum liquidi,[1] altera debiti equidem liquidi, sed quod tamen nondum possit exigi,[2] forte propter non præstitam satisdationem,[3] & neutrius compensationis ratio habeatur, non facile condemnandus est reus in omnes expensas litis,[4] sed si aliud nihil vrgeat, in eas tantum, quæ propter priorem compensationis speciem nullo colore oppositam factæ sunt,[5] non etiam quæ propter posteriorem, cuius opponendæ probabilior quædam ratio subesse videbatur.[6] *Ita Senatus* in causa D. Joannis Claudij de la Roche Senatoris, & N. Joannis Bay, 6. Id. Maij 1591.

1 Cuiusmodi debitum, id est, non liquidum, constat non venire in compensationem, *l. vltim. cum ibi not. Cod. de compensat.*

2 Quæ res etiam impedit compensationem, adeoque, licet certum sit aliquando debitum iri, *l. quod in diem 7. ff. eod.*

3 Quia quod sub onere satisdationis debetur ante præstitam satisdationem nullo modo debetur, *l. 2. §. sed si dubitetur, ff. de iudic. l. 1. & tot. tit. ff. si cui plus quam per leg. Falcid. l. stipuliber rationem 5. ff. de stipuliber.*

4 Quamuis dici soleat, victum victori in expensas condemnandum esse ex regula iuris Pontificij.

5 Tunc demum enim debentur expensæ litis, cum nulla fuit iusta causa litigandi *l. eum quem temere 79. ff. de iudic.*

6 Quia è contrario probabilis causa litigandi excusat ab expensis *l. qui solidum 28. §. 1. vbi Bart. de leg. 2.*

DEFINITIO XXVIII.

Casus, in quo non tenetur victus ad alias expensas, quàm quæ factæ sint post publicatas testationes.

QVod dicitur, in iudiciis sicut & in contractuum executionibus posteriorem moram nocere,[1] non est perpetuum. Sæpenumero siquidem euenit, vt in alias litis expensas condemnandus non sit qui succumbit, quàm quæ factæ sint post apertas testationes; nimirum si in id vsque tempus iustam facti ignorandi causam habuit,[2] nec ab eo tempore dolo malo, & per calumniam litigauit.[3] Finge aliquomodo suspectas aut mancas fuisse testationes, vt iusiurandum suppletiuum, quod vocant, deferri ad supplendam probationem[4] necesse fuerit. Quidni eius saltem temporis, quod testationum aperturam præcessit, mora erit impunita? Planè si post plenissime probatam actoris intentionem reus nullo iuris aut æquitatis colore litem mordicus defenderit, nullam meretur excusationem, cum facile ex eo appareat non minus temere fuisse illum litigaturum, tametsi de iure aduersarii ab initio certus fuisset.[5] *Ita Senatus* in causa N. Cheurier, con-

BIU Cujas

tra D.fratres de Beaumont ante Id. Maij 1591. & rursus pro Joanne Dardier, contra D.Marchionem d'Aix, 6.Non.Dec.1592.

1 *L.qui decem 72.in princ. & §.1. ff. de solut. l. destitisse* 10. vbi Bart. *D.de iudic.*

2 Puta si fuit factum alienum, cuius regulariter probabilis & tolerabilis ignorantia est, *l.vlt.ff.pro suo.*

3 Alioqui secus est, Bart. *in d.l.destitisse.*

4 Ex eo Interpretum nostrorum errore, qui inualuit post Bart. & alios *ad l.admonendi* 31. *ff.de iureiur. l.3. C.eod.* De quo scripsimus in propria parte Hemichil. *de error Pragmat.*

5 Bart. & post eum cæteri *ad d.l.destitisse.* Plane non est nouum, vt etiam qui ex iureiurando suppletiuo vincitur, in expensas condemnetur, nempe si de proprio ipsius facto agebatur, vt scripsimus *ad tit. de reb. & cred. iureiur.*

DEFINITIO XXIX.

Sumptus contumaciales, qui ante omnia refundendi sunt, sufficit refundi per compensationem.

EXpensas litis ob contumaciam debitas ante omnia, &, vt Pragmatici nostri loquuntur, *par vn preallable* sarciendas esse non dubitatur,[1] sed non faciet ea res, quo minus cum eo, quod victor vicissim victo debeat, compensari possint, si modo liquidum id sit & statim soluendum. Compensatio enim vicem solutionis obtinet,[2] ideoque si nihil sit quod in principali negotio condemnationem remorari possit, non male decernet iudex, si quantum ob expensas contumaciæ actor reo debuit, tantum de rei condemnatione detrahat.[3] Ita enim fit, vt non eo minus videatur actor ante omnia soluisse, quod sibi imputat in solutum, quodq; si reus iam accepisset, nunc actori restituere deberet.[4] *Ita Senatus* ex tempore, 8.Cal.Junij 1591.

1 Quia nec ante audiri potest appellans, quam purgauerit contumaciam refusis sumptibus, *l. sancimus* 15. *C. de iudic.* Et hoc est quod Pragmatici nostri iactitant, hos sumptus esse præiudiciales.

2 *L.si constat* 4. *& tot.tit.C.de compensat.*

3 Cum possit compensatio opponi etiam in executione iudicati, *l.cum militi* 16. §.4 *ff.eod.tit.de compensat.*

4 Vnde potest videri dolo facere, qui petit, quod eidem restituturus est, *l.dolo facit* 8 *ff.de dol.mal.except. l.si socer* 44. §. *Lucius solut. matrim.*

DEFINITIO XXX.

Quantum interfit, quod ad causam expensarum pertinet, an actio male instituta sit, an male facta executio?

PEriculosior & ob id durior causa est creditoris exequentis, quam actionem instituentis. Nam si, cum quinquaginta dumtaxat deberes, centum à te petiero, tuque nihil obtuleris, non eo minus condemnandus es in quinquaginta,[1] adeoque in expensas litis propter moram.[2] Est enim quod tibi imputes, cur non obtuleris quinquaginta.[3] Sed si cum in quinquaginta tantum condemnatus esses, iudicati executio pro centum facta sit, quamuis nihil obtuleris, non videris moram contraxisse, vt ex ea causa in expensas litis executoriæ condemnari debeas, at expensarum compensationi locus est quasi propter mutuam victoriam,[4] cum non solum tibi imputandum sit cur nihil obtuleris, sed etiam mihi, cur pro maiori quantitate quam quæ debebatur, iudicatum sim executus. Verum cur non æque in superiori specie, quod egerim pro maiori quantitate? Nimirum, quoniam actionis ius commode recipit diuisionem ex natura & qualitate rei in iudicium deductæ.[5] At executionis actus vnicus tantum est, isque indiuiduus,[6] ac proinde omnino necesse est, vt iudex pronunciet, vel bene vel malè factam executionem,[7] quam porro bene factam esse pronunciare non potest, cum pro maiori quam debita fuerit quantitate facta est.[8] Nec rursus vlla iuris aut æquitatis ratio patitur, vt perperam factæ executionis sumptus debeat is, cui in exequendo facta iniuria est, licet aliquid debeat.[9] Quod si quis huius quoque dissimilitudinis rationem quærat, illa afferri potest, quod in actione ius,[10] in executione factum versatur, & quidem tale, quod omnimodo indiuiduum est,[11] siue ponas capta pignora,[12] siue detrusum in carceres debitorem.[13] Vnde illud etiam fit, quod ad sumptuum rationem aliter atque aliter distinguendam maxime pertinet, vt cum super actione iudex pronunciat, in personam rei concipiat condemnationem. Pronunciat enim non actionem rite institutam esse, sed reum debere. Cum autem super executione, in personam actoris non rei scilicet bene vel malè factam executionem, quod non nisi ad actorem, qui ipse exequitur, referri potest, itaque in omnes executionis litisque ex ea causa secutæ impensas actor condemnandus esset,[14] si non ea potissimum ratio compensationem induceret, quod nihilominus in dolo sit condemnatus, qui ne id quidem offert, quod debet.[15] *Ita Senatus* in causa D.de Quiege & N.de Mouxi, 8.Id.Jun.1591.

1 Cum verum sit quinquaginta deberi, & minorem summam inesse in maiori, *l.1 §. si stipulanti ff.de verb.oblig.* vt proinde non posset dici hoc casu iudicari vltra petita, contra *l.vlt. C.de fideic libert.*

2 Est enim hæc pœna temere litigantium, *l eum quem temere* 79 *D.de iudic. l.4.C.hoc tit.* §.1. *in fin. Inst. de pœn. temer. litig.*

3 Vt tradit Rebuff. *in procem. consl. Regiar n.51.*

4 Nam quæ ratio facit, vt victus victori condemnandus sit ad litis expensas ex regula iuris Pontificij: eadem ratio facit, vt cum mutua victoria est, expensarum compensationē fieri oporteat, ad compensandam parem vtriusque litigatoris temeritatem, *arg. l.viro* 19. *l.cum mulier* 47. *ff.solut.matrim.*

5 Actio enim diuidua censetur, cum res, quæ in actionem & iudicium deducitur, diuidua est, *l. stipulationes non diuiduntur* 72. *cum ibi not. ff.de verb.oblig.* iunct. *l.in executione* 85. *eod.*

6 In quo genere indiuiduorum vtile per inutile vitiatur. Not. *ad l.placuit* 29. *ff de vsur.*

7 Quoniam indiuidua non possunt diuerso iure censeri, *d.l. stipulatione, & d.l.in executione, l.in hoc iudicio* 27. *ff. famil. erciscund.*

8 *L.1.C.de plur.petit.* §. *si quis agens, Inst.de action.*

9 Pœnam enim non lucrum aut præmium iniuria meretur: & omnis executio, quæ non iure fit, habet iniuriam, *l.13.§. 1.ff.de iniur.*

10 Vt constat ex actionis definitione posita *in l.nihil aliud* 51. *de obligat. & action.* iunct. *l.si vnus* 27. §. *pactus ne peteres, ff.de pact.*

11 *d.l. stipulationes non diuiduntur* 72. *de verb.oblig.*

12 Quia ius pignoris indiuiduum est, *dict.l.in executione, §. pen. l.rem hæreditariam* 65. *ff.de euict.*

13 Nec enim potest quis pro parte in carcerem detrudi.

14 Scilicet ob male factam totam executionem.

15 Quodque etiam non interpellatus deberet vltro offerre si bonam fidem agnoscere vellet, *l.quoties* 9. §. *sicut, D.de admin.tutor. l.cum amplius* 84. §. *is natura debet, de reg.iur.* Non enim comparatæ sunt actiones iure ciuili, nisi in perfidos homines, vt Theophil. scribit initio *titul. de action.* Vide Guid.Pap. *quæst.27.*

DEFINITIO XXXI.

Si ab eodem capite sententia vtrinque male appellatum sit, compensandæ sunt expensæ litis appellatoriæ.

CVm vterque collitigantium à compensatione expensarum litis appellauit, si neuter iustam appellandi causam habuit, litis quoque appellatoriæ sumptus compensandi sunt, quasi ex mutua victoria.[1] *Ita Senatus* ex tempore, Prid.Non.Jul.1591.

1 Cum enim vterque appellauit, vterque & vincit & vincitur, si tota sententia confirmetur. Iunge quæ scripsi *Definit. præced.n.4.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXXII.

Refusio expensarum, quæ factæ sunt in prioribus duabus instantiis, quando fieri debeat in tertia instantia, si noua instrumenta producantur?

IVre illo vtimur, vt posteaquam lis ad Senatum per secundam appellationem deuoluta est, non liceat noua instrumenta, aut nouos testes, nouásve allegationes proferre, nisi ea lege, vt priorum instantiarum expensæ ante omnia refundantur, adeoque præstito prius iuramento, quod nunc primum ea instrumenta, aut testes, aut allegationes innotuerint proferenti,[1] nimirum, vt huius veluti pœnæ metu diligentiores fiant collitigantes ad instruendas lites,[2] citiusque solemnis iudiciorum cursus expediatur.[3] At finge, in tertia instantia productum à te nouum instrumentum, me vero cum possem prohibere, ne ad productionem admittereris, non prohibuisse, sed vt elidere probationem, quam tu ex eo depromebas, alia quoque instrumenta in contrarium exhibuisse, an prohibere poteris ne admittat ad productionem, hoc solo prætextu, quod in tertia instantia produci nisi refusis expensis non possint? Minime. Est enim, quod tibi potius imputes, qui facto tuo & negligentia huic nouæ productioni causam dederis:[4] nihilque est æquius, quam vt quod quisque iuris sibi constituit eodem erga alium vtatur,[5] sicut & id vnum maxime præ oculis habere iudex debet, vt in iudiciis seruetur æqualitas, nec vni liceat quod alteri denegatur, aut contra vni denegetur quod alteri licuit.[6] *Ita Senatus* 4. Id. Jul. 1591.

1 Sic enim stylo Senatus nostri diserte cautum est *sub tit. de appellat.*

2 Arg. eius quod scribit Iustin. initio *tit. Instit. de pœn. temer. litigan.*

3 Quod fieri interest publice, adeoque vtriusque litigatoris, *l. 1. C. de admin. tutor.*

4 Qui enim faciendi causam dat, facere videtur, nec æquũ, cuiusquam factum & negligentiam alij nocere, *l. in condemnatione 73. §. vnicuique*, iunct. *l. factum 155. de reg. iur.*

5 *L. 1. & tot. tit. D. quod quisque iur. in alium statuer.*

6 *L. non debet actori 41. cum ibi not. de reg. iur.*

DEFINITIO XXXIII.

Procurator officij & iurisdictionis non condemnatur ad expensas litis, si nihil fecerit per calumniam.

EX causa criminis condemnatus in mulctam pecuniariam, paratus erat soluere & satisfacere iudicato, sed victor ab ea sententia prouocauerat tanquam à minima & leuiore, quam par fuisset, condemnatione,[1] itemque procurator iurisdictionis, quem vulgo officij vocant, cum bene iudicatum & sine causa prouocatum constaret, visum est actorem in omnes expensas litis appellatoriæ condemnandum, nec in vllam condemnationis partem vocandum eum, qui accusatoris publici officium exequebatur.[2] Cuius Senatusconsulti primum caput rationem illam habet, quod non quemadmodum crimen causam dedit primæ liti, sic & appellatoriæ dedisse videatur, sed potius temeritas appellantis, quando primus iudex bene pronunciauerat.[3] Posterius vero ea nititur ratione, quod quoties priuatæ iniuriæ vindex adest, nulla pœna affici debeat, qui vindictam publicam coniunctim prosequitur,[4] nisi forte euidens esset ipsius calumnia,[5] & priuatus accusator, refundendis sumptibus litis non sufficeret.[6] Sane si procurator iurisdictionalis solus litiget, ac euidenter malam causam foueat, licet dolo & calumnia careat, in expensas quoque condemnabitur.[7] Procuratorum enim solius Principis singulare ius & priuilegium illud est, vt ni quid per calumniam & male vexandi animo fecerint,[8] numquam in expensas condemnentur. *Ita Senatus* in causa N. de Molens & Chapelan d'Aspremont, 15. Cal. August. 1592. & rursum pro Joanne Geffoz Aduocato Maurianensi, contra procuratorem fiscalem Episcopatus Maurianensis, Idib. Jul. 1592.

1 Pragmatici nostri vulgo sic efferunt absolute, vt dicant; *appellationem à minima.*

2 Qualis ille est, quem nos procuratorem officij seu iurisdictionis appellamus.

3 Quæ temeritas appellantis semper coërcenda est & mulcta pecuniaria & condemnatione sumptuum, *c. reprehensibilis Extr. de appellat.*

4 *L. post legatum, 5. §. aduocatum fisci, ff. de his quæ vt indign.*

5 Numquam enim debet bonus iudex impunitam calumniam relinquere, *l. 1. §. 1. ff. si mulier ventr. nomin. in possess. calumn. caus. esse. dicet.*

6 Semper enim excutiendus esset tanquam fauorabilis ille, qui priuato nomine egit antequam ad eum peruenire possit, qui egit iure publico.

7 Vt & alius quilibet temerarius litigator, § 1. *in fin. Inst. de pœn. temer. litig. l. eum quem temere 79. ff. de iudic.*

8 Quo casu pertinet ad maiestatem Principis, vt ne quis sub ipsius nomine possit iure conqueri, sed ab aliquo iniuriam & vexationem passum fuisse. Nec calumniæ facultatẽ ex principali maiestate capi oportet, *l. penult. de hæred. instit. l. ex imperfecto 23. de leg. 3.*

DEFINITIO XXXIV.

Tardius probata qualitas actorũ non præbet iustam litigandi causam vero debitori nihil offerenti.

SI quis alieno nomine agat tanquam tutor vel procurator, vel conductor, vel cessionarius,[1] nec reus iustam aliam vllam exceptionem aut litigandi rationem habeat, nisi quod talem esse actorem ignoret, qualem se ipse diceret,[2] non eo minus in omnes expensas litis condemnandus est, quamuis probabilem ignorantiæ causam habuerit, si modo postea talem se actor probet.[3] Illa enim ignorantia, licet sit probabilis, vtpote facti alieni,[4] non tamen talis est, quæ cogat debitorem aut possessorem iudicium suscipere, cum ab initio potuerit cedere[5] & offerre, ea lege, vt tamen ante omnia de actoris persona & iure constaret.[6] *Ita Senatus* ex tempore, 12. Cal. Aug. 1591.

1 Quo casu is, qui agit tanquam talis, debet ante omnia se talem probare, *l. postquam 5. §. si dies, D. vt legat. seu fideic. seruan. caus. caueat. cum similib.*

2 In quo probabilem habet ignorandi causam, nisi cum eo tanquam tali contraxerit, quoniam alieni facti ignorantia tolerabilis est, *l. vlt. ff. pro suo.* Et semper præsumitur, nisi scientia probetur, vt est in regula iuris Pontificij.

3 Illa enim probatio quandocumque facta retrotrahitur, & reddit iudicium retroualidum, *l. licet 24. cum ibi not. C. de procuratorib.*

4 *d. l. vl. ff. pro suo, l. quamquam 7 ff. ad SC. Velleian.*

5 Si bonam fidem agnoscere voluisset, vt velle debuit, *l. quoties 9 §. sicut autem, ff. de admin. tutor.*

6 Aliud enim est litigare, aliud vero soluere aut accipere solutionem, *l hoc iure 86. ff. de solut.*

DEFINITIO XXXV.

Onus expensarum iudicialium litis appellatoriæ interdum pertinet ad accusatorem etiam non condemnatum.

ABsoluto reo criminis, aut, quod non omnino idem est, ab obseruatione iudicij liberato, his verbis, *mis hors de Cour & de procés sans amande & sans despens*, non tantum ab iis expensis, quæ ad accusatorem spectant, liberatio ei data intelligitur, sed ab iis etiam, quas scripturarum & actorum causa fieri, iudicique & actuario in laboris præmium persolui necesse est.[1]

BIU Cujas

Has igitur, quoniam nec à reo exigi, nec iudici vel actuario facile subripi possunt, superest vt accusator ipse persoluere debeat, quamuis nulla ei per sententiam condemnatio expensarum irrogata sit.[3] Hoc ita si non sit concepta sententia per hæc verba, *sans despens entre les parties*. Tunc enim, quæ non parti, sed iudici vel actuario pecuniæ debentur, nihilominus ad absoluti onus pertinent.[4] *Ita Senatus* Prid. Cal. Aug. 1592.

1 Nam prior formula afficit ius ipsum actionis & accusationis, posterior vero solam instantiam.

2 Quas magis speciali nomine Pragmatici nostri dicunt *frais de iustice*.

3 Cum scilicet accusator ille sit, qui omnibus istis sumptibus faciendis causam dedit.

4 Quasi excluſi vnius sit inclusio alterius, vt contra plerumque inclusio vnius est exclusio alterius, *vulg. l. cum prætor 12. ff. de iudic. l. ex eo 18. ff. de testib.*

DEFINITIO XXXVI.

Expensarum iudicialium in litem criminalem factarum petitio aliquando nulla est.

QVod si priuatus accusator nullus fuit, nec de rei innocentia iudex dubitandum habeat,[1] nihil aliud dici potest, nisi quod nulla omnino expensarum litis condemnatio irroganda est, si nihil sit, quod accusatori publico possit imputari.[2] Æquius enim est iudici & actuario lucrum, quod ex operis suis sperarant, subtrahi,[3] quam vel eum, qui ex officio suo accusationem instituere debuit,[4] vel innocentem reum in minimum quadrantem condemnari.[5] *Ita Senatus* sæpius.

1 Alioqui si quantulacumq; suspicione reus vrgeatur non aliter absoluendus est quam vt expensam soluat concepta sententia liberationis in hūc modum, *en payant les despens & frais de iustice*, quam in rem sufficit iustam fuisse causam inquirendi de crimine contra reum. Dicam *Defin. 10. infr.*

2 Nam si quid aut per calumniam, aut nullo probabili colore fecerit, condemnari ipse in expensas debet, vt diximus, *Defin. 31. supr.*

3 Aliud enim est lucrum eripi, aliud vero damnum infligi, *l. quod autem 6. § simili modo dicturus ff. quæ in fraud. cred.*

4 Cui vel ob hoc ipsum parcendum est, *l. 3. §. aduocatum fisci, ff. de his quæ vt indign.*

5 Cum melius sit vel nocentem absolui, quam innocentem damnari, *l. absentem 5. ff. de pœn.*

DEFINITIO XXXVII.

Rescriptum Principis ad sanandum vitium appellationis non illico interpositæ obnoxium est refusioni expensarum, si impetretur in alia instantia.

CVm ob non interpositam appellationem confirmata esset per priorem appellationis iudicem sententia,[1] appellatione autem rursus interiecta ad Senatum impetratum esset rescriptum Principis ad validandam priorem appellationem, ac si illico interiecta fuisset,[2] ne prioris vitium posteriorem afficeret, non aliter audiri impetrantem debere visum est, quam si totius primæ litis appellatoriæ, itemque secundæ ad diem vsque impetrati & insinuati rescripti expensas sarcire paratus esset.[3] Serum enim est beneficium Principis post redditam sententiam,[4] cum tamen, si ante sententiam impetratum esset, nulla impensarum refusio incumberet, quinimo expensas totius litis impetrans obtineret, si iniustam litem persequi non desisteret is, contra quem appellatum fuisset. Imputari siquidem ei posset, cur non saltem post impetratum ab appellante rescriptum destitisset.[5] An non similiter imputari ei potest, contra quem non nisi post sententiam rescriptum impetratum est, cur sententiam expectauerit, quam pro se retulit.[6] *Ita Senatus* pro N. Botier du Pontdeuaux, 12. Cal. Sept. 1592. Et iterum pro D. de Ruant. Idib. Mart. 1612.

1 Quia illico appellandū est aut saltem intra decendium, vt illico appellatum videatur, *c. 1. Nouell. 23. de appell.*

2 Quod Pragmatici nostri dicunt *relief d'illico.*

3 Ne alioqui beneficium Principis esset alteri captiosum, contra *l. 4. C. de emancip. liber. l. Paulus 8. de prætor. stipul.*

4 Quam scilicet necesse fuit reddi secundum allegata & probata. [Idem est si quis tale rescriptum impetrauerit ad appellandum post sententiam ab alia sententia etiam contra alium lata, qua tanquam titulo aduersarius nitebatur. *Ita Senatus*, contra Iacob Bigot, pro Peroneta Carrier, 5. Calend. Sextil. 1612.]

5 *L. destitisse 10.* vbi Bart. *D. de iudic.*

6 Absurdum enim est, ei nocere sententiam, pro quo iudicatum fuit, & contra prodesse illam condemnato, *l. euidenter 16. de except. rei iudic. l. 3. ff. de vsur.*

DEFINITIO XXXIX.

Quantum interſit, an post productas testationes noui articuli dentur in eadem instantia, an in tertia, & an ante, an post conclusionem in causa?

QVi post testationes à parte productas, necdum tamen apertas, nouis allegationibus vti vult, siue iis, de quarum veritate iam actum est, contrariæ sint, siue non, eas quidem expensas refundere cogitur, quæ post præclusam quicquam aliud allegandi facultatem factæ sunt,[1] in pœnam nimirum negligentiæ,[2] sed non vsque adeo plectendus est, vt si inde nouarum quoque allegationum occasionem sumat aduersarius, huius sumptibus id fieri debeat. Tum enim hoc obtinet, cum aut tertia agitur instantia, aut posteaquam in causa conclusum est, noua litis & probationum materia quæritur,[3] quamuis id semper districte obseruandum sit, ne post didicita testificata contrariæ probationes admittantur propter metum corruptionis.[4] Nec ad rem facit, quod in proposita specie maioribus expensis oneratur is, qui præter iam relatas testationes, nunc alias rursum perquirere cogitur, cum si minus negligentem aduersarium habuisset, iisdem fortasse testibus erat vsurus ad totam facti quæstionem explicandam probandamque.[5] Est enim id in incerto positum, eosdemne an alios testes fuerit adhibiturus. Aliis autem quæsitis, vix est vt impendiorum nomine quicquā interſit, vtrum eodem an diuerso tempore testationes omnes conscribantur.[6] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Calend. Sept. 1592.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt *apres la forclusion.*

2 Quæ etiam contumacia est, cum alter ex litigatoribus allegare iussus, si quid præterea allegandum haberet, nihil deinde allegauit.

3 Ita enim Senatus stylo cautum est *sub titul. Des adiournemens, & sub tit. des appellations.*

4 *Cap fraternitatis, & c. series, & pass. Extr. de testib. clem. fin. eod.* Excipe tamen quosdam casus, de quibus dixi *sub titul. de testib. supr.*

5 Propter quam causam videbantur hi sumptus quanto maiores ad eum spectare debere, qui causam iis dedisset.

6 Neque ex iure hoc pendet, sed ex euentu.

DEFINITIO XXXIX.

Si is, qui egerat ex can. redintegranda, postea impetret restitutionem aduersus contractum ab alio factum, nullam eo nomine sumptuum condemnationem pati debet.

MInor annis viginti quinque egerat interdicto recuperandæ possessionis,[1] aut ex canone Pontificio,[2] quasi spoliatus fuisset, ad eam rem, quam à parenti-

BIU Cujas

parentibus, quorum hæreditatem agnouerat, alienatam fuisse, postea ex venditionis instrumento apparuit,[3] cum subinde restitutionem in integrum hæreditario iure ex causa enormis læsionis imploraſſet,[4] ideoque tanquam ob mutatam actionem præteritæ litis expensas reus peteret,[5] visum est ab ea petitione absolui actorem debere, nec aliud pronunciandum, tametsi ætatis auxilium non suffragaretur,[6] propterea quod probabilis ignorantia est eius, qui in alterius locum & iura successit.[7] Maxime vero si non enormis tantum,[8] sed etiam, vt nostri loquuntur, enormissima læsio[9] interuenisse proponatur, quæ quoniam reducit titulum ad non titulum,[10] potest haud dubie cumulari cum remedio, quod ex Canone pontificio datur.[11] Sed etsi dolo malo possessoris dilata instrumenti exhibitio fuisset, condemnandus is esset in expensas omnes, quas culpa sua & frustratione inutiliter factas constaret.[12] *Ita Senatus* ex tempore pro vxore procuratoris De Lale, 5. Cal. Septembr. 1592.

1 Hoc est, Vnde vi, aut Quod vi aut clam. Vtrumque enim interdictum iure prætorio comparatum est ad recuperandam possessionem.

2 *Ex can. reintegranda, 3 qu. 1.*

3 Cui alienationi stare ideo tanquam hæres tenebatur, *l. venditrici, 3. C. de reb. non alienand. l. cum à matre, 14. C. de rei vindic. l. vindicantem, 17 ff. de euict.*

4 Siquidem ius petendæ restitutionis transit etiam ad hæredes, *l. non solum, 6 ff. de integr. restit.*

5 *Ex not. in l. edita, 3. C. de edend.*

6 Quamuis in plerisq; minores fiat fauorabiliores, quam maiores *l. 1. & tot. tit. ff. de minor.*

7 *L. qui in alterius, 42. de reg. iur.*

8 Id est, vltra dimidiam iusti pretij, de qua *in l. 2. & l. si voluntate, C. de rescind. vend.*

9 Id est, vltra bessem, de qua nostri tractant *ad d. l. 2. & ad l. si quis cum aliter, 36. ff. de verb. oblig.*

10 Vt vulgo nostri sentiunt, post Ias. & alios, *ad dict. l. si quis cum aliter.*

11 Cum remedium illud detur, etiam contra titulo possidentem, vt ſe pius scripsimus.

12 Imbert. in Instit. forens. post Felin. *ad c. exceptionem, extr. de except.* Non enim malitiis indulgendum est, *l. in fundo, 38 ff. de rei vindic.*

DEFINITIO XL.

In causis criminalibus, an & quando ad expensas litis condemnari possit reus non condemnatus de crimine.

QVoties iusta de crimine inquirendi causa est, nec tamen ad condemnationem probationes sufficiunt, pronunciari oportet per hæc verba: *Sera plus amplement informé*: tempérque hoc casu in expensas litis condemnandus est reus, qui nec à iudicij omnino obseruatione absoluitur.[1] Aliter obseruatur, si per euidentissimas innocentiæ probationes adeo elisa sint criminis indicia & argumenta omnia, vt plenissima absolutione dignus reus videatur, aut saltem à iudicij obseruatione omnino absoluendus his verbis, *l'accusé est mis hors de Cour & de procés.* Tunc enim vix, nisi iniuste fieri potest, vt ei sumptuum litis condemnatio vlla irrogetur, qui sumptuum victoriam potius referre deberet,[2] si alium quam procuratorem Principis haberet aduersarium.[3] *Ita Senatus* in causa N. Cotutier aurificis Seyssellensis, Prid. Non. Nouembr. 1590.

1 Dixi *Definit. 36. n. 1. supr. & 25.*

2 *Ex reg. victus victori, de reg. iur. in 6.*

3 Qui scilicet numquam ad expensas condemnatur, Dixi *Defin. 35. in fin. supr.*

DEFINITIO XLI.

Duplex victoria excusat ab expensis secundæ appellationis, sed non ab expensis priorum instantiarum.

IN ſecunda appellatione succumbens, si duas pro se tulerat sententias,[1] ab expensis vltimæ appellationis vt plurimum excusari solet,[2] si iuris aut facti error, non etiam dolus eius,[3] præbuerit aduersario causam victoriæ. Sumptus tamen priorum instantiarum non eo minus victori adiudicandos esse placuit.[4] *Ita Senatus* pro fratribus Chardon, contra fratres Ribitel, Id. Decembr. 1592.

1 Pro quibus sane præsumendum fuisse, nemo negauerit. Nam & dici solet in dubio præsumendum esse pro sententia, etiam à qua fuit appellatum.

2 Cum probabilis causa litigandi semper excuſet ab expensis, *l. qui solidum 78. §. 1. de leg. 2.* [Non tamen est hoc perpetuum. Quid enim si prima sententia per secundam cõfirmata, expressum errorem contineat? Quid si lis agitata sit inter Pragmaticum locupletiorem & rusticum inopem, qui plus in litem impenderit, quàm quanti sit æstimatio litis? His casibus & aliis, si qui sunt similes, non patitur æquitas, vt ab expensarum condemnatione liberetur is, qui in lite improba tamdiu perseuerauit. *Ita Senatus* pro Iacobo Verchey, contra Ant. Baud 9. April. 1614.]

3 Dolus enim nunquam impunitus relinquendus est, *l. procurator 11. §. 1. ff. de doli mali except.*

4 Ex regula vtriusque iuris, Victus victor, *de reg. iur. in 6. l. & properandum 13. §. siue autem a. teruira, C. de iud.*

DEFINITIO XLII.

Non semper contumacia litis damno coercetur, sed pro modo contumaciæ damnum contumaci infligitur.

QVi ad diem iudicio sistere iussus non paruit, etsi contumax est,[1] non ideo tamen condemnari statim debet,[2] sed si veritas facti, ex quo ius actoris oritur,[3] per instrumenta non probetur,[4] pro veris haberi debebunt omnia, quæ actoris libello continentur, in odium contumaciæ, & quasi ex tacita confessione.[5] Quo pronunciato iterum citatur reus, vt si quas remorandæ condemnationis causas habeat, eas proferat:[6] si nullas habere possit, nisi prius impetrata aduersus fictam illam confessionem restitutione, non aliter audiri debet, quam si præiudiciales, vt vocant, & contumaciales expensas refarciat.[7] Si vero ea, quæ in pœnam contumaciæ pro veris habenda esse pronunciatum est, tam parum ad rem faciant, vt ex iis sequi condemnatio non possit,[8] quæsitum est, an contumaciæ expensas omnimodo refundere reus debeat? Quibusdam id æquum existimantibus, vt hanc saltem contumaciæ suæ pœnam luat, qui quantumlibet iustis defensionibus faltus iudici parere debuit.[9] Sed displicuit sententia, propterea quod non debeat actor ex rei contumacia duplex lucrum sentire, satisque plectatur reus in eo, quod in odium contumaciæ pro veris habentur ea, quæ fortasse falsa sint,[10] licet expensarum condemnatio non accedat. Nam & purgata per expensarum solutionem contumacia, nihil præterea consequi actor posset.[11] Purgari porro contumaciam per eum, qui culpæ suæ pœnam legitimam subire paratus sit, nil necesse est.[12] *Ita Senatus* ex tempore, contra N. Tissot, 14. Cal. Mart. 1593.

1 Contumax enim est, quisquis ius dicenti aliquid iubenti non obtemperat, *l. 1. cum ibi not. ff. si quis ius dicent. non obtemp. l. & post edictum 75. §. vlt. ff. de iudic. l. contumacia 53. ff. de re iudic.*

2 Quamuis dici soleat, contumaciam eorum, qui ius dicenti non obtemperant, litis damno coerceri, *d. l. contumacia.* Id enim de perfecta & absoluta contumacia intelligi debet, quæ aliam pœnam habere nullam potest, vt aliquis sit litium finis.

3 Prius enim de facto cognoscendum est cum ex facto ius oriatur, *l. si ex plagis 52. § in cliuo ff. ad leg. Aquil.*

4 Nec enim omnia possunt probari per instrumenta, puta possessio, *l. prædia 48. cum ibi not ff. de acquir poss.*

5 *L. de ætate 11. §. qui tacuit, ff. de interrog. in iur. faciend.*

BIU Cujas

6 Quod Pragmatici noſtri dicunt *pour venir deffendre à la condemnation.*

7 Contumax enim non auditur niſi purgata contumacia, quæ porro non purgatur, niſi per refuſionem expenſarum, *lege ſancimus*, 15. *C. de iudic.*

8 Finge eſſe media impertinentia, &, vt Pragmatici loquuntur, irreleuatoria.

9 Non eius auctoritatem contemnere, *l. ſi quis ex aliena*, 5. *ff. de iudic.*

10 Tantum enim prodeſt & operatur fictio in caſu ficto, quantum veritas in caſu vero, *l. ſi is qui pro emptore*, 15. *vbi not. ff. de vſucap. l. confeſſionibus*, 13. *ff. de interrog. in iur. faciend.*

11 Cum purgata contumacia, pro non contumacia habeatur, *d. l. ſancimus.*

12 Sua enim huic contumaciæ pœna conſtituta eſt, quæ molliri potius, quam exaſperari debet, *l. pen. ff. de pœn.*

DEFINITIO XLIII.

Sumptus facti à creditorib. in diſcuſſionis inſtantia imputantur aliquando iis, qui bonam cauſam non habuerunt, aliquando hæreditati.

SVmptus à vero creditore aduerſus alios creditores iacente hæreditate, vt ſuum conſequeretur, factos, placuit non hæreditati, ſed iis qui iuſtam contradicendi cauſam non habuerunt expenſos ferri debere,[1] ſi nihil ſit quod curatori hæreditatis imputetur.[2] Quod ſi iuſta fuit creditorum omnium cauſa, nec eos inuicem condemnari æquum eſt, nec litis ſumptibus ipſam debiti quantitatem imminui.[3] Conſequens igitur eſt, vt hæreditatem eo nomine condemnari oporteat, quamuis nec curator hæreditatis fuerit in mora ſoluendi.[4] Non tam quod æquum videatur, ſumptus infligi ei, cui nihil imputari poſſit,[5] quam quia nihil ſit, quod æquius aut melius queas conſtituere. Longe ſiquidem eſſet iniquius hos ſumptus cedere damno creditorum, qui iuſtam agendi cauſam habuiſſent.[6] *Ita Senatus* in cauſa viduæ Joannis Thomæ Foſſe, & Gallier & Carrier, mercatorum Lugdunenſium, 9. Cal. April. 1593.

1 Vt temeratij litigatoris culpa non alij noceat, quam ipſi: ſemper enim expenſarum condemnatio eſt perſonalis, vt dixi *Definit. 1. ſupr.*

2 Quo caſu curator ipſe proprio ſuo nomine condemnandus eſſet, *l. non eſt ignotum*, 6. *C. de admin. tutor.*

3 *L. properandum*, 13 § *ſiue autem alterutra*, *C. de iudic. l. pen. ff. de iiber. leg.*

4 Quamuis regulariter expenſarum condemnatio non niſi propter moram non ſoluentium infligatur, exemplo eius, quod de vſuris ſcriptum eſt, *in l. cum quidam*, 17. § *ſi pupillo*, *D. de vſur.*

5 Cum ſit illa pœna temere litigantis, §. 1. *in fin. Inſtit. de pœn. tem. litig.*

6 Itaque hoc caſu locum habet quod ſcriptum eſt *in lege quoties*, 200. *de reg. iur.*

DEFINITIO XLIV.

Si appellatum ſit à diuerſis articulis taxatarum expenſarum & diuerſo iure, quid de ſumptibus appellationis conſtitui debeat.

INterpoſita appellatione à diuerſis capitibus taxatarum expenſarum, tot appellationes cenſendæ ſunt, quot ſunt capita.[1] Ideoque Senatus noſtri ſtylo cautum eſt, vt ſi perperam appellatum ſit ab omnibus aut pluribus capitibus, in ſingula capita pendi debeat pœna temeratiæ appellationis.[2] Inde fit, vt nihil prohibeat condemnari alterutrum ex collitigatoribus in expenſas litis appellatoriæ ratione quorundam capitum, ratione vero aliorum fieri compenſationem,[3] quod non ſimiliter poſſet contingere in vna eademque appellatione. Etſi enim plures appellationis cauſæ allegarentur, quarum aliæ iuſtæ eſſent, aliæ iniuſtæ, vnica tamen cauſa grauaminis ſufficeret ad obtinendam victoriam omnium expenſarum.[4] Compenſatio autem expenſarum, quoties à taxatione appellatum fuit, induci poteſt, cum alter litigantium maiorem alter minorem taxationem fieri vult, quam ex ratione fieri debeat.[5] Plane ſi pro diuerſis capitibus vterque vicerit, non ſunt expenſæ compenſandæ, vt alias fieri ſolet ratione mutuæ victoriæ, quoties ab vna ſententia, quæ multa capita continet appellatur,[6] ſed pro quo capite quiſque vicit, expenſas quoque debet conſequi,[7] tum expenſarum hinc inde adiudicatarum compenſatio fieri, ſi quantitates concurrant,[8] aut ad æqualitatem proxime accedant.[9] *Ita Senatus* in cauſa Michaelis du Mont, contra Dn. de Chuyt, Prid. Id. Maij, 1593.

1 Quoniam caput vnum expenſarum, quantum ad taxatam quantitatem pertinet, aliis non cohæret, *leg. etiam* 29. §. 1. *ff. de minor. l. ſcire debemus*, 29. *de verb. oblig.*

2 Eſt enim conſtituta mulcta pecuniaria in temerarios appellantes, præter condemnationem expenſarum, *ex cap. reprehenſibilu*, *Extr. de appellat.*

3 Puta ſi pro vno capite alteruter litigatorum ſuccubuerit, pro alio autem vterque, cum fortaſſis ab eodem capite, vt plerumque fit, vterque appellaſſet, *l. per hanc*, 5. *C. de temp. & repar. appellat.*

4 Non enim ſolet improbari appellatio eorum, qui vel vnam appellandi cauſam probabilem habbuerunt, *l. appellanti*, 13. §. 1. *ff. de appellat.*

5 Quoniam eo caſu vtrumque & vinci & vincere neceſſe eſt, vt dixi *n.* 3. Quæ res ſicut mutuam victoriam inducit, ita & compenſationem expenſarum ratione mutuæ victoriæ, dixi *Defin. 39. n. 4. & Defin. 3. ſupr.*

6 Vt dixi ſupradictis locis.

7 Quia tot ſunt ſententiæ quot ſunt capita.

8 Non enim ſolet compenſatio fieri, niſi ad concurrentem vſque quantitatem, *l. cum alter*, 11. *ff. de compenſat.*

9 Quo caſu arbitrio iudicis præſertim ſupremi poteſt fieri taxatio expenſarum omnium, id eſt, etiam ſupra concurrentem reuera quantitatem, quaſi breui manu facta taxatione ad parem vtrimque quantitatem, plerumque enim celeritate cõiungendarum actionum vna occultatur, *l. 3.* § *pen. ff. de donat. int. vir. & vxor.* Eſt autem hoc tolerabile, quamuis poſſit interdum habere aliquid iniquitatis, vt citius lis expediatur, nec longioris litis materia detur, *l. quidam*, 21. *ff. de reb. cred. l. 1. C. de admin. tutor.*

DEFINITIO XLV.

De modo taxandarum expenſarum litis pro varia victoris conditione.

IN taxandis ſumptibus litis non ſolum perſonæ conditio inſpici debet, ſed etiam modus facultarum, ſi forte homo ruſticus, & vilis alioqui conditionis, ſed diues equitaſſe probetur, vt ad eum locum accederet, in quo lis inſtruebatur.[1] Idemque eſt ſi ſalutis ſuæ tuendæ gratia famulum aut alium viæ comitem ſibi adiunxerit in ſumma itinerum difficultate.[2] Quid ergo ſi vir nobiliſſimus, ſed exigui patrimonij fuerit? Non minus in hoc nobilitatis & generis, quam in ſuperiore facultatum ratio habebitur.[3] Denique alterutrum adeſſe ſufficit, aut conditionem perſonæ, aut facultates, vt maior expenſarum taxatio fiat. Quid ſi vtrumque concurrat? Sola perſonæ conditio inſpicienda erit, vt ampliores aut exiguiores taxentur.[4] Nobilibus qui alia dignitate non fulgeant, licet habeãt iuriſdictionem duorum equitum cum vno pedite, aut ſummum trium equitum, impenſa computatur. Baronibus trium equitum, & vnius, ſi velint, peditis, itemque Senatoribus, Præſidibus vero quatuor. Marchionibus & Equitibus, ſiue Sabaudici ſiue Gallici ordinis, non niſi quinque. *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Nec enim dolo malo quicquam feciſſe videri poteſt, qui iure ſuo vtitur: *l. nullus videtur*, 55. *de reg. iur.*

2 Nec enim pro lite mortem aut mortis periculum obire cogitur,

BIU Cujas

cogitur, *l.2.§. si quis iudicio, D. si quis caution. l. si pater*, 34. §.1. *ff. de donat.*

3 Nec enim de nobilitate generis quicquam detrahit imminutio facultatum, quæ modo non ex mala & improbata causa proficiscatur, *arg. l. suspectum*, 8 *ff. de suspect. tutor.*

4 Cum persona semper sit dignior, ideoque conditio personæ trahat ad se conditionem bonorum, *lege per curatorem*, 90. §.1. *ff. de acquir. hared. l. vlt. C. de inoff. testam.* [Sane Episcopo propter dignitatis excellentiam sex famulorum & totidem equorum impensa adiudicatur pro iis diebus, quibus fuerit in itinere. In vrbe autem quamdiu commoratur sex famulorum & duorum dumtaxat equorum. *Ita Senatus* iampridem pro Reuerendiss. D. Philiberto Millieto Episcopo Maurianensi dignissimo. *Sine die.* Sed relatum est & repetitum in relationibus libellorum 8. Aug. 1612.]

DEFINITIO XLVI.

Expensæ factæ ad transferendum reum à carceribus inferioris iudicis ad carceres superioris, cui debeant imputari?

QVi sumptus fiunt, vt reus criminis ab inferiore iudice condemnatus & appellans transferatur in superioris iurisdictionis carceres, non appellatoriæ litis,[1] sed expensis iudiciariis (vulgo *frais de iustice* vocant) imputari debent.[2] Ideoque ad huiusmodi expensas iudiciarias condemnatus, tametsi à sumptibus litis absolutus,[3] has quoque præstare compelletur. Nec quod ab aduersario fuerunt prorogatæ, faciet, vt eo minus restituere illas debeat, quas scilicet aduersarius non tam suo, quam ipsius rei nomine, an in eius commodum prorogauerit.[4] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, pro Joanne Baptista Regnaud Castellano de Gordans, contra Bartholomeum du Port, 16. Cal. Aug. 1593.

1 Quamuis verum sit, quod non fierent, si appellatio interposita non esset. Simile quiddam est *in l. inter causas*, 26. §. *non omnia. D. mandat.*

2 Fiunt enim ex necessitate iudicij criminalis, quod nisi præsente, & ex ore respondente reo exerceri non potest.

3 Id enim plerumque fit, vt quis à litis sumptibus immunis abeat, & tamen ad expensas iudiciarias condemnetur. Prior species impensarum accusatorem respicit. Posterior vero iudicem grapharium, & alias huiusmodi personas, quarum operam in criminali iudicio interuenire necesse est, vt dixi *Defin.* 35. *supr.*

DEFINITIO XLVII.

Expensarum condemnatio per Senatusconsultum ex tempore pronunciatum irrogata emendari postea non potest.

PRonunciato ex tempore Senatusconsulto, quod expensarum condemnationem alterutri litigantium inflixerat, nullus amplius earum compensationi locus superesse potest,[1] quamuis nondum correctum, vt aiunt, & in mundum transcriptum sit Senatusconsultum.[2] Pertinet enim ad Senatus auctoritatem, vt de eo, quod à Senatu semel definitum, publiceque pronunciatum est, nihil prorsus immutetur.[3] Nec vero alia emendandorum Senatusconsultorum causa est, nisi vt ne quid ab amanuensi Senatus plus minusve scriptum sit, quàm à Præside pronunciatum, aut à Præside pronunciatum quàm à Senatu definitum.[4] Igitur quantumcumque iusta ratio allegetur, quæ adiudicatarum expensarum compensationem suadeat, supplicationis auxilium necessarium est.[5] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Romans, & Dominæ de Bellouse de Grand Champ, 3. Cal. Septembr. 1593. & pro Peroneta Quintal, Non. & 7. Id. Dec. 1593.

1 Senatus enim exemplo alterius iudicis cuiuslibet posteaquam semel pronunciauit, officio suo functus est, *l. iudex posteaquam*, 55. *ff. de re iudic.*

2 Quod fieri solet sequenti post pronunciationem die.

3 Ne quid leuiter aut minus iuste à tanto magistratu factum videri possit, cum iustitia sit constans, & perpetua voluntas. Quæ vulgaris nostrorum in hanc rem ratio est, non tamen iudicio meo satis bona, quia potest esse constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, in illo etiam, qui tamen mutare sententiam velit in melius. Sic Papinianum quoque variasse legimus *in l. si venditor* 6. §. 1. *& l. seq. ff. de seruit. export.* & alios quoque Iureconsultos, vt Cuiac. tractat. *lib. 2. Obseruat. cap.* 37.

4 Itaque acta emendantur, aut vitium pronunciationis non substantia Senatusconsulti, *l. acta* 45. *& l. seq. ff. de re iudic.*

5 *d. l. acta, l. Paulus respondit* 42. *eod. tit.*

DEFINITIO XLVIII.

Qui expensas litis, pro quibus in carcere retinebatur, soluere non potest, quo remedio ei succurrendum sit.

REo criminis sola expensarum condemnatione mulctato, quodque eas non solueret per multos menses carceris molestiam perpessо,[1] cum neque fideiussorem, neque bonorum suorum, quæ idonea habebat, emptorem inueniret,[2] quamdiu carceribus detineretur, iisque eximi se peteret, facilius explicandæ pecuniæ gratia, Senatus summa æquitate & miserationis potius, quam iuris ratione motus,[3] ne is alioqui perpetuos carceres pateretur,[4] aut ad cessionis auxilium miserabile implorandum adigeretur, quem insontem fuisse pene constiterat,[5] hactenus indulgendum putauit, vt carceribus eximeretur, si ipse vxorque[6] ipsius tanquam duo correi debendi se obligarent solenniter & in forma, vt aiunt, instrumenti guarentigiati de taxata quantitate intra trimestre soluenda, aut si non soluerent, carceribus iterum se reus manciparet, nunquam inde eximendus, nisi solutione prius facta, aut bonorũ cessione, quę loco solutionis futura esset.[7] Sed & quo magis victori cautum esset, néve durior ipsius conditio fieret, eodem Senatusconsulto prehendendi rei potestas facta est, si is intra constitutum tempus non satisfeciſſet. *Ita Senatus* pro Barthol. du Port, contra Baptistam Regnaud, ex tempore, Prid. Calen. Sept. 1593.

1 Potest enim condemnatus retineri in carcere ob huiusmodi expensas, scilicet si dictum sit, vt 3. *Defin.* 8. & 52. J.

2 Non enim semper facile est, aut fideiussorem aut emptorem inuenire, *l. 2. §. penult. ff. de iudic. Auth. hoc nisi debitor, cum ibi not. C. de solut.*

3 Iuris enim ratio repugnabat, vt dixi *d. Defin* 8. *eod.*

4 Cum carcer non in pœnam detur, sed in custodiam, ideoque pœna perpetui carceris nulla sit, *l. aut damnum* 8. §. *solent, ff. de pœn.*

5 Nam si omnino innocens repertus fuisset, vtiq; ad sumptus litis condemnari non debuisset, vt dixi *Definit.* 40. *supr.*

6 Est enim hic vnus ex casibus, in quibus potest mulier obligari vtiliter pro marito citra metum Velleiani, præsertim si magistratus auctoritas interueniat, & quidem supremi, à qua appellari non possit, *arg. l. quamuis* 20. *ff. solut. matrim.*

7 Quantum ad hoc, vt carceribus eximeretur. Alioquin certum est cessione bonorum non contingere liberationem. *l. 1. C. qui bon ceder. poss.*

DEFINITIO XLIX.

Cessionarius litis tenetur ad refusionem sumptuum, quos cedens debebat ob suam contumaciam.

QVi restitutionem in integrum ex rescripto Principis pendente lite aduersus propriam contumaciam impetrauerat, vt male affectam litem sanaret, ex ea causa fuerat condemnatus ad expensas contumaciæ ante omnia, vt fieri solet, sarciendas,[1] tum prius quam satisfaceret, actione sua iuribusque omnibus ad eam pertinentibus fratri cesserat.[2] Postmodum alio herede relicto decesserat. Non recte cessionarius, aut etiam si voles donatarius (nihil enim hac

BIU Cujas

parte refert) huiusmodi impensas soluere recusabit illo prætextu, quod earum nomine personalis tantum actio competat, quæ in hæredem vniuersalem dari debeat,[3] non in singularem successorem.[4] Cum is, cui pendente lite cessio aut donatio facta est, non possit in ipsius litis vitia non succedere,[5] proinde obstrictus esse ad eos sumptus refundendos, quibus non solutis futurum erat, vt cedens à causa caderet.[6] Sic enim pronunciatum erat, si expensas illas non solueret intra diem certum præstitutum, fore vt excluderetur à restitutionis beneficio, quod tamen illi prorsus necessarium erat ad litem prosequendam. Tentari quidem poterat, nec debere meliorem esse conditionem cessionarij, quam cedentis, præsertim qui & lite pendente, & ex causa lucrativa successisset.[7] Sed id eo pertinet, vt quæ exceptiones obstitissent cedenti eædem obstent cessionario,[8] non etiam, vt si qua personalis actio contra cedentem competebat, eadem dari debeat contra cessionarium, qui haud dubie, cum non nisi singularis successor sit, defuncti personam non repræsentat,[9] alio præsertim hærede relicto.[10] Itaque si ponas ex causa aliqua incidenti condemnatum cedentem ad expensas, quarum prorogatio nihil commune habeat cum persequendæ litis facultate, magis est, vt ad earum solutionem non cessionarius, sed cedens, qui condemnatus est, eiúsve hæres teneatur.[11] *Ita tractatum est* in secreto auditorio, in causa N. de Cheurier, & Dominorum de Beaumont, 13. Cal. Decembr. 1593. & 4. Non. Apr. 1594.

1 Iuxta *l. sancimus* 15 *C. de iudic.*

2 Nec enim cessio actionis personalis, etiam in iudicium deductæ, prohibita est, quasi rem afficiat vitio litigiosi, si aliud nihil impediat cessionem, puta si facta sit ex causis exceptis, *in l. si per diuersas*, 21. *C. mandat.* nec in potentiorem, neque iudicij mutandi causa, Guid. Pap. *quæst.* 479. vbi tamen ait actionem ipsam fieri litigiosam per contestationem, & ideo cedi non posse, vt dicam *Def. in.* 3. *& 4 infr. de litigios.*

3 *L. vlt. C. de hæred. acti n. l.* 1. *C. si cert. pet.*

4 *L. vltim.* § 1. *D. de contr. empt. l.* 1. § *si hæres, D. ad SC. Trebell.*

5 *Arg. l. vitia*, 11. *C. de acqu. poss.* adeoque in vitium litigiosi, quantum ad actionem ipsam, quæ cessa est, vt dixi *num.* 2. ex Guid. Pap. *quæst.* 479.

6 Alioqui videretur facta cessio iudicij mutandi causa, contra edictum prætoris, de quo *in l. 1. & tot. tit. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

7 *Ex not.* per Dyn. *in cap. is qui in ius alterius, de reg. iur. in 6.* & per Bartol. & alios, *l. apud Celsum*, 4. § *de auctoris, &* § *si cum legitima D. de dol. mal. except.*

8 *Ex regula, l. quod ipsis*, 143. *de reg. iur.* Scripsi late *libr.* 11. *Coniect. iur. ciuil.*

9 *d. l.* 1. § *si hæres, D. ad SC. Treb. d. l. vlt.* § 1. *D. de contrah. empt. l. æris alieni*, 15. *C. de donat.*

10 Nam si nullus donatoris hæres inueniretur, aut donator ipse viueret, nec soluendo esset, vtique teneretur donatarius personali actione, si credimus Guid. Pap. *quæst.* 105.

11 Nec enim iudicati actio transit in singularem condemnati successorem, cum sit personalis, *l. actori* 8 *Cod. de reb. cred.* iunct. *d. l.* 1. § *si hæres, ad SC. Treb.* cum aliis sup. a citatis.

DEFINITIO L.

In expensas litis criminalis appellatoriæ numquam debet condemnari is, qui obtinuit in prima instantia, nisi probetur calumniator.

COndemnatio expensarum litis appellatoriæ criminaliter agitatæ nunquam irroganda est ei, qui in priore vicit instantia, nisi appareat fuisse illum calumniatorem.[1] Quia cum nitatur iudicati auctoritate, eaque præsumptione, quæ ex iudicato nascitur,[2] nihil ei imputandum est, quod iniquam sententiam pertinaciter defenderit. cum nec potuerit ex ipsis instrumentis litis discere, an iusta, nec ne esset sententia, à qua fuerat appellatum, vt sciret, vtrum contendere deberet, an cedere: quoniam huiusmodi litium criminalium acta litigatoribus non eduntur,[3] quod in causis ciuilibus diuersum est.[4] *Ita Senatus* in causa Jacobi Treynon, procuratoris Tononensis, & Petri Mestral, Prid. Id. Febr. 1594.

1 Quo casu curare debet iudex appellationis, ne calumnia maneat impunita, *l.* 1. § 1. *ff si mulier ventr. nom. in poss. calumn. caus. esse dicet. l.* 1. *& tot. tit. de calumniat.*

2 Cum in dubio præsumendum sit pro iudicato.

3 Ideo enim dicuntur secreta, nec proinde imputari quicquam potest litigatori, qui non potuit diuinare, *l. si putator* 31. *ff. ad leg. Aquil. l. si fideiussor* 29. § *si cum debitor, ff. mandat.*

4 In quibus omnium actorum facienda vtrimque editio est, vt vterque litigatorum scire possit, an contendere debeat, an cedere? *l.* 1. *D. de edend.*

DEFINITIO LI.

Casus, in quo is, qui non est condemnatus ad fructuum restitutionem, tenetur tamen omnes reddere, quos percepit ex die iudicati.

CVm de legitima præcipuo iure habenda filius primi matrimonij aduersus vitricum, cui plus quam per legem liceret à coniuge datum fuerat, contendisset ac obtinuisset,[1] nulla tamen facta fructuum condemnatione,[2] propter quæstionis controuersiæ maximam inter iuris magistros difficultatem,[3] vitricus condemnatus impetrauerat rescriptum à Principe, quo iubebatur Senatus de causa ex integro cognoscere,[4] diuque tamen secundam illam cognitionem frustratus, litem per multos annos traxerat, & ita iudicati executionem impedierat.[5] Cum postea nullam satis iustam aut probabilem rescindendi iudicati causam ab eo propositam esse constitisset, placuit condemnandum eum in fructus omnes, quos à die prioris Senatusconsulti percepisset, aut percipere potuisset,[6] in diem vsque peractæ executionis, non subducto quadrimestri illo, quod iudicatis ad satisfaciendum indulgetur.[7] Erat enim facti species talis erat, in qua constabat peruentum fuisse ad sententiam sine mora, propterea quod probabilem, licet non iustam litigandi causam habuisse vitricus videbatur,[8] non tamen poterat hic casus pertinere ad Antonini constitutionem, qua cautum est, vt totum illud tempus, quod iudicatis datur, immune sit à fructibus dependendis:[9] Nimirum quia non petita dilatio erat ad satisfaciendum iudicato, sed potius quæsitus improbe color ad remorandam frustrandamque iudicati executionem.[10] Proinde quasi mala fide, tum primum contracta saltem ab eo tempore fructuum omnium perceptorum, percipiendorumque condemnationem fieri æquissimum fuit.[11] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Breissieu & de Chastillion, 14. Cal. Mart. 1594.

1 *Ex l. hac edictali 6. C. de secund. nupt.*

2 Contra communem iuris regulam, quæ vult, possessorem quemlibet, etiam qui bonæ fidei possessor ab initio fuerit, condemnari ad restitutionem fructuum, post litem contestatam perceptorum, quod exinde factus sit malæ fidei possessor, *l. sed et si* 25 § *si ante, D. de petit. hæred. l.* 2. *C. hoc tit.*

3 De qua vide quæ scripsi sub *tit. De secund. nupt. & in libris Coniecturarum.*

4 Per viam scilicet ciuilis supplicationis, secundum ea quæ scripsimus *in tit. De sent. præfect. prator.*

5 Vt passim fit à condemnatis, *l. tutor* 41 *ff. de vsur. l. vlt. ff. de re iudic. l. negotiorum* 24 *ff. de appellat.*

6 Tanquam qui ex eo saltem die factus esset malæ fidei possessor. Plus enim potest condemnatio, quam contestatio, quæ tamen effectum hunc haberet, *l. sed et si* 25. § *si ante, ff. de petit. hæred.*

7 *Ex l. vlt. C. de vsur. rei iudic. l. cum milite* 16. § 1. *D. de compens. l. si debitor* 21. *ff. de iudic.*

8 *Vt in l.* 3. *in princ. D. de vsur.* vbi tamen dicitur vix esse, vt ad iudicem vnquam perueniatur citra moram.

9 Quam

9 Quam constitutionem Papinianus noster refert & interpretatur, *in d.l.3. de vsur.* de cuius sententia & interpretatione scripsimus in libris Coniecturarum.

10 *Vt in d.l.tutor* 41. *eod.tit.* & aliis supra citatis, *n.5.*

11 Propter malam fidem, non propter moram. Nec enim semper debentur fructus à die moræ, sed tantum in bonæ fidei iudiciis *l.videamus* 38 §. *si actionem, & §. pen. D. de vsur.* Iunge *l.certum* 22. *D. de rei vindicat.*

DEFINITIO LII.

Non potest reus in carceribus retineri pro expensis litis criminalis, etiamsi ita dictum sit, si à taxatione appellauerit, & satisdare sit paratus.

QVi cum esset in carceres ob crimen detrusus, impetrata à Principe criminis venia liberationem à carceribus meruerat, ea tamen lege adiecta, vt expensas litis ante omnia solueret,[1] non prius liberandus est, quam expensarum taxatio solutioque facta sit, si taxationi stetur.[2] Sed si à taxatione fuerit prouocatum, iniquum sane sit ob solas expensas in carceribus eum retineri, ne ita eueniat, vt metu longiorum carcerum ab appellationis beneficio excludatur.[3] An igitur licebit ei frustrationis forte gratia prouocare,[4] atque interim carceribus eximetur? Tempus illi præstituendum est, intra quod curet appellatoriam litem terminari: Interim liberandus erit, præstita tamen prius satisdatione de soluendis expensis, quas litis appellatorię decisio debitas esse monstrabit.[5] *Ita Senatus* in causa Martini Nicol. Prid. Cal. Mart. 1594.

1 Quæ adiectio, si non prorsus necessaria saltem vtilis est ad tollendam dubitationem illam, quæ fieri solet. Vtrum pro expensis litis possit reus in carceribus retineri. De qua scripsi *Desin.8. & 48. supr.*

2 Cum eo casu constet liquido quid & quantum debeatur. Taxatum enim dicitur, quod deductis deducendis reliquum est, *l.Mœuio* 41. §.1. *de leg.2. l.si traditio* 4. *C. de action.empt.*

3 Cum beneficij commodum nemini debet denegari, cum sit auxilium iuris communis, *l.3. §. falsus procurator, ff. rat.rem haber.*

4 Plerique enim appellant frustrandi tantum gratia, vt dixi *Desin.præced.n.5. & 10.*

5 Nam in debitis non liquidis satisdatio pro solutione esse solet, *l.statuliberrationem 5 ff. de statulib. l.1. & tot.tit. ff. si cui plus quam per leg. Falcid.*

DEFINITIO LIII.

Etiam qui auctore Senatu nactus est possessionem beneficij potest condemnari ad restitutionem fructuum omnium exinde perceptorum.

QVi auctoritate Senatusconsulti retinendæ beneficij possessionis ius nactus est, solo Principis procuratore audito, quo postulante, vt minoris est, beneficium antea fuerat sequestratum,[1] si de eadem possessione ab alio controuersiam patiatur, & succumbat, non eo minus ad omnium fructuum restitutionem tenetur, quod eos bona fide & Senatu ipso auctore perceperit.[2] Semper enim exceptum intelligitur ius tertij inauditi, cui non magis in fructibus beneficij, quam in beneficio ipso iniuria fieri debeat,[3] imo cum in profanis rebus non nisi à die litis contestatæ, vt plurimum, soleat iniustus possessor condemnari ad fructuum restitutionem,[4] in beneficialibus contra seruatur, vt omnes omnino fructus (deductis nimirum sumptibus altari deseruiendo colligendisque fructibus necessariis[5]) restituantur.[6] Ideo fortasse, quod non tam beneficiarius, quam ecclesia ipsa in sui rectoris veri vtilitatem possidere intelligatur.[7] Plane interdum tam iusta litigandi hinc inde causa esse potest, vt perceptos fructus eius qui percepit lucro manere æquum sit, eo nimirum casu quo nullo præcedente arresto idipsum constituendum esset.[8] *Ita Senatus* in causa R. Dn. Ludouici Marin, & Caroli Emanuelis Pomei, 11. Calen. April. 1596.

1 Sequestratio enim fit requirente procuratore generali antequam constet, cui prouisum sit de beneficio, vt interim œconomus constituatur, qui ecclesiam curet ac faciat, vt diuinus cultus non negligatur.

2 Quamuis non possit negari, quin bonæ fidei & iustus possessor sit is, qui auctore prætore possidet, *l.qui auctore* 137. *de reg.iur. l. iuste possidet* 11. *ff. de acquir.poss.*

3 *L. de vnoquoque* 47. *ff. de re iudic. l.1. & tit. Cod. res inter alios act. l. Paulus notat* 8. *ff. de præscr. stipulat. l* 4. *C. de emancip. liber.*

4 Scilicet in iudiciis strictis & arbitrariis, *leg.2. l.3. §. in his, quoque, l. videamus* 38. § *si actionem. ff. de vsur.* Nam in iudiciis bonæ fidei secus est, *d.l. videamus, § vlt.*

5 Quia nec in fructu quicquam esse intelligitur, nisi quod istis deductis supereſt, *l.1. C. hoc. tit.*

6 Ne alioqui videatur datus vitiosus ingressus, contra *cap.1. de reg. iur.6.*

7 *L. iubemus, in fin. C. de sacros. eccles. l. raptores, vers fin autem diaconissa, C. de episc. & cleric.* Nec enim ecclesia vnquam moritur, 12. *qu 2. can. liberti.* Guid. Pap. *qu.* 355.

8 Id est eo demum casu quo possit citra moram & malam fidem peruenire ad iudicem, vt *in l.3. in princ. ff. de vsur.* & quoties res valde dubia est, vti in specie, de qua scripsi *Desin.* 51. §.

DEFINITIO LIV.

Qui dedit causam liti condemnandus est breui manu ad omnes expensas, etiam ab eo factas, cui non fuit ille obligatus.

COnuentus male Titius à Sempronio te auctorem laudauerat, quasi de euictione ipsi teneretis in omne id, quod eius interesset, cum tamen ei tu aut nullo modo, aut ad pretij dumtaxat restitutionem obligatus esses.[1] Titium quidem tibi in expensas litis condemnandum esse constat, ob male institutam actionem.[2] Sed tamen cum Sempronij culpa malæ liti de euictione causam dederit, æquum est Sempronium non solum Titio, sed etiam tibi recta via, & sine circuitu in omnes expensas condemnari:[3] cum si quas tibi expensas Titius præstaret, eas Titio Sempronius refundere cogeretur. Semper enim sumptuum damno coercendus est, qui liti in quam sumptus facti sunt, male causam dedit.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 15. supr. De hæred. vel act. vend.

1 Valet enim pactio, vt venditor non teneatur emptori de euictione ad id quod interest, sed tantum ad pretij restitutionem, *l. ex empto* 11 § *qui autem, ff. de action. empt.*

2 *L. eum quem temere* 79 *ff. de iudic. l. properandum, §. siue autem alterutra, C. eod.* § 1. *in fin. Inst. de pœn. temer. litig.*

3 Scilicet breui manu & ad euitandum circuitum, *argum. l. dominus* 53. *ff. de condict. indeb. l.3. § penultim. de donat. int. vir. & vxor.*

4 Quoniam, qui dat causam liti, dat causam sumptibus in litem faciendis, Bart. *in l. desiisse* 10 *ff. de iudic.* cum aliis supra citatis, *n.2.*

DEFINITIO LV.

Sumptus frustra facti per errorem & culpam procuratoris ab eo præstandi sunt, qui constituit procuratorem.

ACtoris procurator aduersus reum tanquam contumacem, cum tamen ad diem paruisset, edictum impetrauerat,[1] atque ita, vt iterum ad iudicem veniret, inanésque in eam rem sumptus faceret, coëgerat. Placuit, licet imputari vix quicquam possit ei, qui procuratoris sui errorem bona fide secutus est,[2] eas tamen impensas ab illo sarciri debere, quod hoc ipsum saltem illi imputandum sit, cur diligentiorem procuratorem non elegerit.[3] Quæratio facit, vt idem

BIU Cujas

quoque dici debeat, si non procurator ipse, aut procuratoris substitutus,[4] sed alius quid peccauerit sub procuratoris nomine, si modo is fuit, cuius opera in eam rem vti procurator soleret, quoniam & procuratoris in eo quoque culpa aliqua est, quod minus diligentem hominem commendata sibi negotia tractare passus sit:[5] ideoque per consequentias imputari etiam litigatori potest, cur talem elegerit procuratorem,[6] neque tamen faciet ea res, quo minus saluam habeat mandati actionem contra procuratorem,[7] aut aliam[8] aduersus eum, qui sub procuratoris nomine sine mandato perperam rem gessit. *Ita Senatus* in causa N. Francisci Denarie, & N. Ratelier, prid. Id. Maij 1594.

1 Scilicet per obreptionem aut subreptionem, cum non possit tale edictum impetrari, nisi contra absentem & contumacem, *l. & post edictum 75 cum præced. ff. de iudic.*

2 Ita vt neque improbus, neque temerarius litigator dici possit, ex qua tamen duntaxat causa solet irrogari condemnatio expensarum, §. 1. *Instit. de pœn. temer. litig.*

3 *Arg.* § *præterea, Instit. quib. mod. re contr. oblig. l.* 1. § *item quæritur, D. de separat.*

4 De cuius facto vtique procurator tenetur, *l. ex facto* 30. *ff. de negot. gest.*

5 Est enim hæc species negligentiæ, cum quis rem sibi specialiter mandatam alij dat exequendam, *l. cum hi,* §. *si prætor aditus, D. de transact.*

6 Ex legibus citatis, *num* 3. & aliis similibus.

7 In quo alia ratio est procuratoris, alia depositarij, quia depositarius nihil nisi dolum præstare debet, procurator vero etiam culpam, *d.* §. *præterea, l. contractus* 23. *de reg. iur.*

8 Quia mandati actio esse non potest contra eum, cui nihil fuit mandatum, præsertim directa, *l. quidam cum filiumfamilias* 46. *ff. de hered. instit. l. ex mandato* 20. § 1. *ff. mandat.*

DEFINITIO LVI.

Semper condemnandus est, & ad expensas, & ad iacturam litis appellans, qui appellationem deseruit, siue ab initio siue ex postfacto.

QVi appellationem à se interiectam non prosequitur, siue ab initio eam deserat, quod fit cum iudicis superioris auxilium prorsus negligit,[1] siue ex post facto, quod euenit cum acceptis ab eo literis citatoriis & inhibitoriis, dictaque aduersario die iudicium frustratur, nec in ius venit,[2] semper condemnandus est,[3] nec tantum ad expensas[4] contumaciæ,[5] sed etiam vt litis iacturam sentiat, quoniam appellatione deserta necessario relinquitur, vt sententia à qua fuerat appellatum transeat in rem iudicatam, perinde, ac si nulla appellatio interposita fuisset.[6] Et consequenter rei iudicatæ auctoritas facit, vt condemnari hic debeat, tanquam nullo iure fultus contra rem iudicatam.[7] Adde, quod & qui appellat actor est.[8] Fieri autem nequit, vt actor qui ad iudicem non venit, obtineat, quantumuis bonam causam habeat, quia prius est, vt actoris personam præsentem iudex habeat, quã vt de rei iure quærat.[9] In eoque diuersa & melior conditio est eius, qui ad iudicem quidem venit, sed iudicium tergiuersando detrectat. Hic enim si bonam causam foueat, vincere debet,[10] quamuis contumax & in solas contumaciæ expensas condemnandus est,[11] quia nihil prohibet, quo minus hæc partis absentia per Dei præsentiam suppleatur.[12] Sed actore in ius non veniente, fieri non potest, vt eius præsentia vnquam suppleatur, deficiente nimirum persona, ex qua ius ipsum actionis æstimandum est.[13] Non enim quemadmodum exceptio reo competens, plerumque ex persona & non iure actoris æstimatur,[14] ita ex contrario actoris intentio & petitio ex rei persona æstimari vnquam potest.[15] Siquidem per non ius actoris vincere reus debet,[16] per non ius rei numquam actor vincit.[17] *Ita Senatus* in causa N. du Freney, & Humbert Fay, 13. Calend. Jun. 1594.

1 Quo casu dicitur appellatio deserta, nisi paupertas, aut quæ alia iusta causa excuset appellantem, Guid. Pap. *quæst.* 135. & *quæst.* 436. *n.* 22. post Innocent. *in cap. ex ratione, Extr. de appellat.*

2 Quod pragmatici nostri dicunt, *faire defaut.*

3 Tanquam quem appareat, non nisi frustrandi & tergiuersandi animo appellasse, & vt communi iuris auxilio in aduersarij sui necem abuteretur, vt *in l. tutor* 41. *D. de vsur. l. vlt. ff. de re iudic. l. negotiorum* 24 *ff. de appellat.*

4 *Ex cap. reprehensibilis, Extr. eod. tit. de appellat.*

5 Quæ semper expensarum saltem damno coercenda est, *l. sancimus* 15. *C. de iudic.*

6 Appellatio enim deserta habetur pro non interposita, nisi quod hoc amplius desertio appellationis species quædam delicti est, & ideo grauiore mulcta punitur, quam ea quæ temere litigantibus infligi solet.

7 Siquidem sublata appellatione, iterumque appellandi potestate sententia, à quo fuerat appellatum, transit necessario in rem iudicatam, *l. & post rem* 7. *l. post rem* 11 *ff. de transact.*

8 *L. qui appellat* 29. *ff. de iudic.*

9 Cum prius quærendum sit de iure actoris, quam de iure rei, *l.* 4. *C. de edend. l. Paulus* 12. § 1 *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

10 *L.* 1. *C. quomodo & quand. iudex, l. & post edictum* 75 *in princ. ff. de iudic.*

11 Neque enim condemnationem hanc effugere contumax vnquam potest *d. l. sancimus* 15. *C. eod.*

12 *d. l. properandum,* §. *cum autem eremodicium, eod. tit.*

13 Cum non possit iudex supplere intentionem actoris quæ est facti, *tot. tit. C. vt qua des. aduoc. part. iud. suppl. cum ibi not.*

14 *Vt in l. militis* 36. §. *veteranus, ff. de test. milit.*

15 *d. l. Paulus* 12. § 1 *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

16 *d. l.* 4. *C. de edend. l. vlt. C. de rei vindic. l. vlt. ff. de acquir. possess.*

17 Vt ex iisdem supradictis legibus probatur. iunct. *l.* 2. *D. vti possid. l. fauorabiliores* 125. *de reg. iur.* §. *commodum, Instit. de interdict.*

DEFINITIO LVII.

Qui facit moram cognitioni condemnandus est in omnes sumptus ab aduersario factos, quos ea mora reddit frustratorios.

SI in ipso ferendæ sententiæ calculo, cum Senatus in eo esset, vt litis acta extra ordinem[1] inspecturus esset, vnus ex colligatoribus diploma principale impetrauerit, ex quo mora cognitioni facta sit,[2] æquissimum est, si rescripti ratio aliqua ex æquitate necessario habenda sit, hactenus tamen coerceri frustrationem & negligentiam impetrantis,[3] vt eos quoque sumptus quos pro Senatu extra ordinem habendo prorogari necesse fuit, sarcire condemnetur, ne ex aduersarij negligentia damnum sentiat is, qui fuit diligentior. & cui nihil imputari potest.[4] *Ita Senatus* pro Sp. Carolo Francisco Ruffino, Augustæ nostræ Referendario, contra Illustrem Dn. Joannem Ludouicum Marchionem de la Chambre, 12. Cal. Jan. 1594.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *par entree extraordinaire & par consignation.*

2 Quoniam vt plurimum talia diplomata nouæ litis & contentionis materiam præbent.

3 Qui debuit esse diligentior in rescripto impetrando, non autem vltimam iudicij horam expectare, *l. ab hostibus* 15 §. *vlt. & l. seq. ff. ex quib. caus. maior.*

4 Sua enim cuique negligentia, non alij damnosa esse debet, *lege factum* 155. *leg. in condemnatione* 173. §. *vnicuique, de reg. iur.*

DEFINITIO LVIII.

Cum ante sententiam diffinitiuam reus eximitur carceribus ex iusta causa, non ideo sumptuum condemnationem vllam pati debet.

SI reo in carceres detruso aliquid sit quod impediat, ne tam cito lis terminari possit, vtputa quod

alium

alium prehendi,& ante omnia audiri oporteat: æquum tamen sit è carceribus hunc interea eximi, sumptuum condemnationem nullam fieri oportet, quantumuis iusta fuerit causa inquirendi, sed in finem litis differri sumptuum adiudicationem necesse est.[1] *Ita Senatus* in causa Ludouici Bochet, 16. Calend. Januar. 1594.

1 Pendet enim ex euentu litis condemnatio expensarum, *l. victus victori, de reg. iur. in 6.*

DEFINITIO LIX.

Potest fieri taxatio sumptuum & liquidatio fructuum, non citato eo, qui propter suam contumaciam fuit condemnatus.

PEr contumaciam condemnatus in id omne, quod actoris interesset, aut ad fructus itetum citandus non est, vt adsit taxationi, &, vt loquimur, liquidationi eius, quod interest aut fructuum,[1] non magis quam si de litis sumptibus ageretur. Est enim illa accessio præcedentis condemnationis,[2] ideoque hac etiam parte suam æquum est condemnato nocere contumaciam,[3] tametsi noua quædam petitio esse videatur, cum noua certaque quantitas pro eo, quod interest, deducitur in petitionem.[4] *Ita Senatus* in causa D. de la Tornelle & de la Rochette, 13. Calend. Januar. 1594.

1 Quamuis dici soleat, citari ad omnem actum debere illum, qui ex eo actu lædi potest, *l. de vnoquoque 47. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt.*

2 *L. 2 & 3. & pass. C. hoc tit.* [Et ideo taxatio sumptuum litis pertinet ad eum ipsum iudicem qui condemnauit, adeò vt nec Locumtenens localis eam sibi potestatem adrogare possit. *Ita Senatus* contra Ioannem Cugnat, 9. Febr. 1613. ex tempore.

3 Debuit enim prospicere, hoc euenturum esse, si esset contumax, *arg. l. si quis domum 9. §. 1. D. locat.*

4 *Arg. l. vlt. de prætor. stipulat. l. obligationem 44. §. vlt. de oblig. & act.*

DEFINITIO LX.

Iusiurandum, quod plenam litis victoriam iuranti non acquirit, nec liberat aduersarium à condemnatione expensarum.

QVamquam is, cui proprium iusiurandum totam litis victoriam peperit, expensas obtinere non debet:[1] si tamen, cum pluribus exceptionibus reus niteretur,[2] super vna iuratum sit,[3] nec eo minus super aliis postea iudicandum fuerit, propter eius, contra quem iuratum est, pertinaciam,[4] æque locus erit condemnationi expensarum, ac si iuratum nihil fuisset.[5] Quia verum est, eum, qui iurauit, non ob id solum vicisse, quod iurauerit, sed ob id potius, quod bonam causam habuerit.[6] Toties igitur expensarum condemnatio remittitur, quoties post iusiurandum præstitum nihil superest, de quo cognosci oporteat, nec de alio quæritur, quam vtrum & quomodo iuratum sit.[7] *Ita Senatus* pro N. Andrea de Bienuenu, contra N. Gothofredum de Dompierre, Idib. April. 1595.

1 Scripsi *ad tit. de reb. credit. & iureiur. Defin.* 1. contra glos. *in l. pen. vers. ab altera parte. C. eod. tit.*

2 Nemo enim pluribus exceptionibus etiam contrariis vti prohibetur.

3 Etiam aduersario deferente. Nam de hoc iureiurando hic loquimur, quod à parte parti defertur, quod litis decisiuum appellamus, & per quod in sua causa Iudex constituitur is, qui iurat. *l. 1. D. quar. rer. act. non det.*

4 Potest enim fieri, vt iusiurandum, quod esset litis decisorium ex parte rei, si actor iurare noller, malletque iusiurandum referre: non sit tamen decisorium actore pro se iurante, quia possunt esse multæ exceptiones peremptoriæ, quarum vna per actoris iusiurandum remota supersunt aliæ.

5 *Ex reg. victus victori, de reg. iur. in 6.*

6 Quæ res victoriam expensarum parere debet, *l. properandum 13. § siue autem alterutra, C. de iudic. § 1. in fin. Inst. de pœn. temer. litig.*

7 Quod vtique euenit regulariter, cum præstitum est iusiurandum decisorium, *l. nam postea quam 9. in prin. D. de iureiur.* iunct. *l. non erit 5. §. dato iureiurando, eod. tit.*

DEFINITIO LXI.

Obtulisse ab initio nihil prodest ei, qui ab oblatione postea resiliat sine causa.

QVI obtulit in iudicio, quicquid ex ratione offerre debuit, ne in mora constitueretur,[1] & impensarum litis condemnationem incurreret, quæ temere litigantibus infligitur,[2] si postea ab ea oblatione resiliat, aut, quod effectu idem est, eam sic interpretetur, vt iniquam faciat, quæ antea æqua videbatur,[3] perinde haberi debet, ac si nihil vnquam obtulisset,[4] adeo vt quamuis non nisi in causa appellationis recesserit ab oblatione, non possit tamen impugnare iudicatum eo solo prætextu, quod Iudex nullam rationem habuerit oblationis, in qua nunc appellans ipse non perseueret.[5] Itaque in omnes vtriusque instantiæ expensas condemnandus est ex iuris regula, quæ moram vltimam semper vult nocere.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Oblatio enim iudicialis magnam vim habet non solum ad impediendam moram, sed etiam ad eam purgandam, quæ iam contracta sit, *l. si rem 9. §. vlt.* vbi not. *D. de pign. act.*

2 *§. 1. in fin. Inst. de pœn. temer litig. l. eum quem temere 79. D. de iudic. l. qui solidum 78. §. 1. de legat. 2. l. properandum 13. § siue autem alterutra C. de iudic.*

3 Qui enim ambigua intentione vel oratione vsus est, potest eam ad suam vtilitatem interpretari, *l. si quis intentione 66.* vbi not. *D. de iudic.*

4 Non enim videtur oblatum, nisi quod durat oblatum, sicuti nec consignatum, quod non durat consignatum, nec versum in rem, nisi quod durat versum, *l. si pro patre 10. §. versum, D. de in rem vers. l. item eorum 6. §. pen. D. quod cuiusque vniuers. l. nam etsi 15. §. 1. D. de inoff. testam.*

5 Perseuerantia enim illa est, quæ bonam vel malam fidem inducit, *l. desistisse 10.* vbi Bart. *D. de iudic.*

6 *L. qui decem 72. in princ. & §. 1. D. de solut.*

DEFINITIO LXII.

Quas expensas refundere debeat is, qui iam bis condemnatus in tertia demum instantia petit restitutionem in integrum.

DVabus sententiis victus ad Senatum prouocauerat, & consultus quod male antea egisset, mutata actione[1] in integrum restitutionis auxilium implorabat, Non idcirco condemnandus erit in eos sumptus, quod aduersarius ad excludendam restitutionem iuamque intentionem probandam facturus sit. Id enim tum obtinet, cum tertia tractatur instantia.[2] Hæc autem nō tertia est, sed prima, quandoquidem nunc primum restitutionis beneficium implorabatur, de quo prioribus instantiis nihil dictum fuerat.[3] Sed & cum priores instantiæ per contumaciam magis quam per accuratam disceptationem expeditæ sunt, si in tertia impetretur restitutio ad hoc, vt nouæ vel allegationes, vel probationes admittantur, nil obstante contumacia magis esse videbatur, vt ad sumptus aduersario prorogandos condemnari impetrans non deberet, quasi nulla iam ratione habenda contumaciæ, quæ per sumptuum refusionem purgata esset.[4] *Ita Senatus* in publico auditorio, pro Franc. Jambaz, 10. Calend. Jun. 1595. Iunge Def. fin. 35. sup. De reb. credit. & iureiur.

1 Quæ non potuerat impune mulctari nisi ante contestationem, *l. adita 3. cum ibi not. C. de edend.*

BIU Cujas

2 Vt constat ex stylo Senatus. [Obserua tamen id quod constitutum est, vt neque post conclusionem in causa in prima instantia, neque in secundæ appellationis lite concedatur quicquam noui deducere citra omnium expensarum refusionem, nec nisi ea lege vt possit aduersarius idem facere expensis deducendis, non habere locum quoties per contumaciam prior instantia peracta est. Petita enim aduersus contumaciam in integrum restitutione & refusis contumaciæ expensis nihil tale obseruandum est, suntque omnia integra condemnato. *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Fauerges, & D. de Chalant & de Chastillion, 2. Sept. 1613.]

3 Nihil enim vetat etiam in causa appellationis implorari restitutionem in integrum, si appellatum sit à sententia diffinitiua, cum huiusmodi appellatio non omnino sit iudicanda ex iisdem actis, possintque non deducta deduci in causa appellationis, & non probata probari, *vulg. l. per hanc, C. de tempor. & repar. appellat.*

4 *Arg. l. sancimus* 15. *C. de iud. c.*

DEFINITIO LXIII.

Veneratione consanguinitatis & affinitatis impensarum condemnatio plerumque victo remittitur.

QVoties inter fratres aut alios consanguineos proximos lis tractatur, non est regulariter locus ei iuris regulæ, quæ habet, Victum victori in expensas litis condemnari debere.[1] Vt plurimum enim veneratione consanguinitatis, adeoque interdum affinitatis,[2] impẽsarum pœna, quæ temere litigatoribus infligi solet,[3] remittitur, nisi manifesta calumnia doluve malus eius, qui succumbit, arguatur.[4] *Ita Senatus* in causa Claudij Miege, & Thomæ Bertrand, 16. Calend. Jul. 1595.

1 *Cap. victus victori, de reg. iur. in 6 l properandum* 13. §. *siue autem alterutra, C. de iudic.*

2 *Vt in l. pen. D. de iur. dot l. sed hoc ita* 22. *D. de re iudic.* Plerumque enim odia exacerbantur ex huiusmodi expensarum condemnatione.

3 Et in pœnam temerariæ litis, §. 1. *in fin. Inst. de pœn. temer. litig.*

4 Numquam enim aut dolus, aut calumnia debet manere impunita. *l. 1 §. 1. si mulier, ventr. nom. in poss. calum. caus. eſſ. diser, l. Procurator* 11. §. 1. *D. de dol. mal. except.*

DEFINITIO LXIV.

De differentia bonæ fidei possessoris & prædonis, quantum ad restitutionem fructuum in petitione hereditatis. Item quantum interfit, an hereditas petatur, an fideicommissum hereditatis?

CVm petitio hæreditatis non tantum detur contra eum, qui pro possessore possidet, id est, qui interrogatus, cur possideat, nihil aliud respondere potest, quam quia possidet,[1] sed etiam contra eum, qui possidet pro hærede,[2] puta ex testamento, quod valere putet, cum reuera non valeat, aut tanquam agnatus proximus, quem alius præcedebat,[3] apparet, non esse distinctioni locum, an possessor bonam fidem habuerit necne, quandoquidem etiam bonæ fidei possessores hoc iudicio teneri certum est.[4] Sed tamen differentia in illo est, quod prædo totam hæreditatem in solidum restituere tenetur, tametsi non sit factus locupletior: possessor vero bonæ fidei non nisi quatenus locupletior factus est.[6] Inde fit, vt tam hic, quam ille ad fructuum omnium restitutionem teneatur,[7] adeoque ad vsuras fructuum ante litem contestatam perceptorũ,[8] quia fructus augent hæreditatem,[9] ac proinde nõ tam accessio, quam pars quædã hæreditatis dicendi sunt.[10] Sed illud tamen obseruabimus, vt bonæ fidei possessor non aliter fructus fructuumq; vsuras reddere debeat, quam si factus sit locupletior: prædo autẽ omnes omnimodo.[11] Idq; est, quod dicitur, in iudicio vniuersali venire fructus,[12] qui non veniunt in singulari,[13] nimirum quia in iudicio singulari fundus tantum petitur:[14] fieri autem non potest, vt fructus à fundo iam separati perceptique pars fundi esse videantur.[15] At in iudicio petitionis hæreditatis, hæreditas quidem petitur, sed fructus, licet à solo separati non eo magis ab hæreditate separati videri possunt. Remanent enim in hæreditate, ipsamque augent, vt diximus,[16] quamuis non tam hæreditati, quam rebus hæreditariis singulis acceptoferantur.[17] Huiusque dissimilitudinis illa rursus ratio est, quod hæreditas in iure consistit, non in corpore,[18] & est quid vniuersale,[19] ob idque & incrementum recipit & diminutionem, eadem manente hæreditate,[20] non etiam res singulares. Nec simile est, quod in fideicommissaria hæreditatis petitione, quæ & ipsa vniuersale iudicium est,[21] contra obseruamus, vt non alij fructus restitui fideicommissario debeant, quam qui post litem contestatã percepti sunt.[22] Id enim fit, quia quoties quis rogatus est hæreditatem restituere, id tantum reddere videtur rogatus, quod fuit hæreditatis,[23] eo tempore, quo cœpit esse hæreditas, id est, quo defunctus testator fuit, non quod sit hæreditatis, eo tempore, quo fit restitutio.[24] Fructus autem, licet hæreditatem augeant, non tamen hæreditati, sed rebus singulis, quæ per additionem esse hæreditatis desierunt, accepto feruntur.[25] Neque enim fideicommissi petitio datur nisi contra verum hæredem,[26] qui proinde hæreditatem defuncti in proprium patrimonium transfuderit,[27] & consequenter fructus suo iure & ex dominij causa perceperit, suosque fecerit.[28] At hæreditatis petitio absoluta datur contra eum, qui nullo iure possidet,[29] tametsi fieri queat, vt sit in bona fide.[30] Itaque, quod ad fructuum restitutionem attinet, nihil prodesse debet possessori, quod iustam habuerit causam litigandi, puta quod non improbabili ratione testamentum valere videretur, quia bona fides & iusta litigandi causa excusare potest à sumptibus litis,[31] & à præstatione accessionum, quæ non nisi propter moram debeantur,[32] sed non à præstanda hæreditate, quæ ipsa petitur per huiusmodi actionem.[33] *Ita Senatus* in causa, de qua Defin. 20. sup. De testam. & iam antea inter fratres Armengiat, 14. Cal. Febr. 1591. Fructibus etiam, cum vindicię duntaxat dicerentur, petitori adiudicatis. Iunge Defin. 9. sup. De petit. hæred.

1 *L. qui interrogatus* 12. *D. de petit. hared.*

2 *L. regulariter 9. cum seq. eod.*

3 *Vt in l. sed etsi lege* 25. §. *sc. re, eod. tit.*

4 *L. item veniunt* 20. §. *præter hæc, &* §. *ait Senatus, d. l. sed etsi,* §. *consuluit, & pass. eod. tit. de petit. hered.*

5 *d. l. item veniunt,* §. *vltim. & legibus seqq. d. l. sed etsi,* §. *quod ait Senatus & seqq.*

6 *d.* §. *consuluit, & l. vtrum* 23. *& pass. eod. tit.*

7 Sed prædo ad restitutionem fructuum etiam quos non percepit, si modo percipere potuit aut debuit, *d. l. sed etsi,* §. *fin. & fructus*, quod in bonæ fidei possessore secus est, nisi ex die litis contestatæ. *l. 1. C. eod.*

8 Quomodo & fructus fructuum in ista actione præstantur, *l. illud quoque* 40. §. *prædo*, iunct. *l. quod si ouis* 26. *& seq. D. eodem.*

9 *d. l. item veniunt* 20. §. *item non solum, vers. fructus, d. l. sed etsi* 25. §. *vlt. eod.*

10 Alioqui accessio accessionis non permittitur, *l. vltim. Cod. de vsur. l. neque eorum* 15. *D. eod. l. hæres furiosi*, 51. §. *fructuum, D. de petit. hared.* vbi est textus elegantiæ quo apparet, duriorem esse hac parte conditionem petitoris pro fructibus perceptis post litem contestatam, quam pro iis, qui inter perceptis post litem contestatam, quam pro iis, qui ante percepti sunt, nempe quia ij, qui post litem contestatam percepti sunt, veniunt tanquam accessiones, non etiam cæteri.

11 *d.* §. *prædo, l. 25. eod. tit. d. l. 1 C. eod.* Nam post Senatusconsultum omne lucrum auferendum est tam bonæ fidei possessori, quam prædoni, *l. post Senatusconsultum* 28. *D. eod.*

12 *d. l. item veniunt,* § *item non solum.*

13 *L. certum est* 22. *C. de rei vindic.* iunct. *l. bonæ fidei* 48. *D. acquir. rer. domin.*

14 Ideo

14 Ideo enim dicitur singulare iudicium, quia singularis res petitur, *l. 2 in fin. C. de petit. hared.*

15 Sit enim id proprium fructuum pendentium, *l. fructus pendentes 44. D. de rei vindic. l. vlt. §. non solum, & §. fructus, D. quæ in fraud. credi.*

16 *Ex dict. §. item non solum, vers. fructus, l. 20. D. de petit. hared.*

17 *L. in fideicommissaria 18. vers. quoties, C. ad SC. Trebell.*

18 *L. hæreditas 50. D. de hared. petit.*

19 *L. nihil est aliud 24. de verb. signific.*

20 *d. §. item non solum.*

21 *L. 1. & tot. tit. D. de fideic. hered. petit.*

22 Sic enim Senatus noster passim pronunciat, reiecta opinione Bartoli, qui voluit fructus deberi ex die oblati per fideicommissarium l. belli, *cons. 53. incip. Picaredus, in fin.*

23 *d. l. in fideicommissaria, vers. quoties.*

24 Nec enim eo tempore vlla est hæreditas, cum sit iam conuersa in patrimonium hæredis, *l. 1. D. de separat.*

25 *d. §. quoties, l. in fideicommissaria 18. ad SC. Treb.*

26 *L. 1. & tot. eod. tit.*

27 Siquidem per additionem iunguntur patrimonia *d. sed si plures 10. §. fitio l. filius 12. D. de vulg. & pup. subst.*

28 Fructus enim iure soli percipiuntur, *l. qui scit 25. §. 1. de vsur.*

29 *L. regulariter 9. de petit. hared.*

30 *Vt in d. l. sed etsi lege 25. §. scire, eod. tit. de petit. hared.*

31 *L. qui solidum 78. §. 1. de legat. 2.*

32 *L. Titia Seio 87. §. vsuras de leg. 2. l. in minorum 3. Cod. in quibus caus. in integr. resti. necess. non est.*

33 Multum enim refert an hæreditas ipsa petatur, an hæreditatis accessiones *d. l. hæres furiosi 51. §. fructuum. D. de petit. hared. iunct. l. cum vnus 10. §. verbis, de alim. & cibar. legat.*

DEFINITIO LXV.

Appellatione interposita à pluribus articulis taxationis expensarum, & pro parte tantum adiudicatis expensis litis appellatoriæ, quomodo earum taxatio facienda sit?

SIà taxatione expensarum, quæ multa capita continebat, appellatum sit [1] & pronunciatum, ex parte iustam, & ex parte iniustam fuisse appellationem, [2] notus quoque expensis litis appellatoriæ pro parte compensatis, pro parte victori adiudicatis, [3] facienda erit adiudicatorum taxatio pro numero articulorum, à quibus appellatum fuerat, [4] non autem habita ratione quantitatis in singulos articulos deductæ. [5] Ita ex tempore tractatum est in causa Dominæ de Romans, & Ant. Lespine, 4. Cal. Aug. 1595.

1 Quo casu tot videntur esse sententiæ & appellationes, quot sunt capita & articuli, à quibus fuit appellatum, vt dixi *Defin. 44. supr.*

2 Nihil enim vetat ita fieri, cum vna species aliis non cohæret, *l. etiam 29. §. 1. D. de minor.*

3 Nam & hoc fieri posse diximus *in d. Defin. 44. supr.*

4 Quia singuli articuli singulas lites constituere videntur.

5 Non enim pro modo quantitatis in iudicium deductæ, sed pro numero articulorum, à quibus appellatum fuit, maiores minoresve in litem expensæ fiunt: interdum tamen è contrario ex quantitate debiti causa truninatur, *vt in l. vltim. C. qui bonis cedur. poss. l. maiorem 8. D. de pact.*

DEFINITIO LXVI.

In nullas expensas condemnandus est reus, contra quem nulla fuit satis iusta causa inquirendi.

NOn solum si reus absoluatur à crimine, sed & si à sola obseruatione iudicij, quod fit per hæc verba, *mis hors de cour & de procés*, [1] cum satis iusta causa nō fuit de crimine inquirendi, nulla prorsus ratio est, cur in expensas condemnari reus debeat, non solum quod ad accusatorem attinet, sed nec quod ad scripturas & acta litis, [2] etiamsi priuatus accusator nullus sit: [3] æquius enim est, in eo damno versari iudicem aut litis actuarii, id est, vt labori is præmium nullum habeant, quam vt sine causa condemnetur is, qui ex carcere aliisq; litis incommodis iam satis superq; damnum passus est. [4] Non idem est, si amplius inquiri iudex iusserit. Tunc enim expensarum condemnatio remitti non potest. [5] *Ita Senatus* in causa Joannis & Claudij Costergiant. Non. Septemb. 1595.

1 Quæ formula minus plenam absolutionem continet, quam si reus ab accusatione absolutus esset.

2 Sunt enim ista diuersa, & aliter atque aliter exprimenda, *despens & frais de iustice.*

3 Nam cum adest priuatus accusator, ad ipsius onus hi sumptus pertinent, vt dixi *Defin. 35. num. 3. 5.*

4 Dixi *Defin. 4. supr.*

5 Vt dixi in eadem *Defin. 40. & aliis ibid. citat. num. 1.*

DEFINITIO LXVII.

Quando possint adiudicari fructus etiam non petiti, & quando peti possint post sententiam, qui non sunt adiudicati?

FRuctus etiam iuste petitos, si iudex per sententiam nihil de iis pronunciauerit, [1] postea peti ex eadem causa non posse [2] placuit, extincto scilicet finitoq; officio Judicis, quo debebantur. [3] Nam si proponas in obligatione fuisse, [4] & principaliter non accessorie debitos, peti vtique possunt, quamdiu nihil de iis pronunciatum est, vt euenit in actione Fauiana, [5] & interdicto, Vti possidetis. [6] Sed etsi non sint petiti, tamen debentur, in eoque multum refert, an officio dumtaxat Judicis adiudicandi sint, an ex natura actionis. Nam officium Iudicis ad eos fructus porrigi non potest, qui non sunt petiti, [7] sicut nec ad illos, qui ante litem contestatam percepti sunt, [8] non magis quam ad eos, qui post rem iudicatam. [9] Cum autem veniunt, iure actionis deduci possunt in condemnationem, etiam non petiti, [10] vt in actione, Quod metus causa, [11] in interdicto Vnde vi, [12] in petitione hæreditatis, [13] & aliis huiusmodi. *Sine die.*

1 *L. Paulus 42. de re iudic. l. terminato*, & vtrobique DD. *Cod. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst. 405. & 574. ex l. quod in diem, §. 1. de petit. hered.*

2 Boer. *quæst 18. nu 1.* post glos. & alios ibi citatos.

3 *L. 4. C. depos. l. fin. §. Lucius Titius, de condict. indeb. l. qui prō collusionem 49. §. 1. de act. empt.*

4 Boer. *vbi s. num. 2.*

5 *L. videamus 38. §. in Fauiana, de vsur.*

6 *L. 1. §. ex die quo D. de vi & vi armat.*

7 Boer. *ibid. num. 3. & 5.* Capell. Tholos. *quæst. 194.*

8 *L. sciendum, §. ædiles, de ædilit. edict. cap. significante, de appellat.*

9 Nam ad Iudicis officium nil pertinet futuri post condemnationem temporis tractus, *l. 1. §. 1. de vsur.*

10 *dict. § in Fauiana, l. in condemnatione, §. cum verbum, de verbor. signific.*

11 *d. § in Fauiana.*

12 *L. si quis in tantam, C. vnde vi.* [Guid. Pap. *d. quæst. 405.* vbi addit *in fine*, Etiam sumptuum litis condemnationem irrogari posse & solere, quoties æquum id videtur, siue petiti sint siue non. Et eo iure vtimur. *Ita Senatus* in causa Franciscæ Neyton, & Chautan, Iulij 1614.]

13 *L. item veniunt 20. §. fructus, de petit. hared.*

DEFINITIO LXVIII.

In possessorio iudicio retinendæ vel recuperandæ possessionis veniunt fructus etiam non petiti.

IN iudicio possessorio siue retinendæ, siue recuperandæ possessionis veniunt fructus [1] etiam non petiti, [2] præsertim qui post litem contestatam percepti sunt. [3] Nam & expensæ ab eo tempore factæ venirent. [4] Si tamen iudex de iis nihil pronunciauerit, neq; ex hoc capite appellatio vlla interposita sit, non potest, qui de appellatione cognoscit, de iis fructibus & expensis quicquam pronunciare. Sed an confirmata priore sententia & in executione iudicati

BIU Cujas

poterunt peti? [5] Difficilius sane illud est, cum Judex, qui semel pronunciauit, toto officio suo functus videatur.[6] Quamquam non deerant, qui putarent, posse eos fructus in iudicati executione adiudicari, quasi de quibus numquam Judex cognouerit, cum numquam antea fuerint petiti: [7] sed quod ad hoc postremum caput attinet, non fuit res decisa. In causa Boni Chex, & Henrici Kolaz Augustanorum, 9. Februar. 1596.

1 *L.1.§.ex die quo quis, D.de vi & vi armat. l.videamus* 38. *§.in interdictis, D de vsur.*

2 Quia veniunt ex natura propositæ actionis, vt dixi *Defi. prox. præced.*

3 Nam & officio Iudicis hi fructus venirent, etiamsi ex natura actionis venire non possent, *l.2.d.l.videamus* 38 *§.si actionem, de vsur.*

4 Bart. & Salicet. & alij *ad l. properandum* 13. *§.siue autem alterutra, C.de iu. ic.* vbi etiam Ias. *num* 31. Felin. *in c. significauerunt de except.*

5 Quia Iudex appellationis neque potestatem, neque iurisdictionem vllam habet, nisi super deductis in principali causa, & quatenuus appellatum est. Papiens. *in form. sent. diffin. in vers. nos Bernardinus num* 19. *ex Nouell* 115. *vt cum de appell. cognosc. post princip.*

6 *L. Iudex postequam* 55. *D.de re iudic.* iunct. *l. terminato* 3. *cum ibi not. C. hoc tit.*

7 Et hæc sententia indubitate procedit, si fructus proprix obligationis & actionis iure debeantur, non etiam si officio Iudicis, secundum ea, quæ scripsimus *Defin. 2. & 3.*

DEFINITIO LXIX.

Curator datus siue iacenti hæreditati, siue bonis, condemnandus est proprio nomine in expensas litis temere ab eo susceptæ vel institutæ.

QVi tanquam curator siue hæreditati iacenti,[1] siue bonis[2] datus actionem aliquam instituit, quam instituere non potuit, aut non debuit,[3] condemnandus est in expensas litis proprio nomine, ne alioquin ipsius temeritas aut imperitia damnum afferat hæreditati vel creditoribus, quibus nihil imputari potest,[4] nisi ex eo tumdem creditorum aut aliorum, quibus postulantibus datus est, consensu & voluntate actionem illam instituerit: [5] quo remedio ac veluti præcautione sibi prospicere prudens curator debet, ne sumptuum condemnationem proprio nomine incurrat. *Ita Senatus* in causa Ludouici Velat & Bartholomæi Truchet.

1 Postquam Pragmaticis nostris placuit, etiam hæreditati curatorem dari posse.

2 *Ex tit. D.de curat. bon. dar d.*

3 Non etiam alias actiones potest instituere quam tempore perituras, *l.creditore* 14 *D.de rebus auctor. Iudic. possid.*

4 *Arg. l.non est ignotum 6. C.de admin. tutor.*

5 Quod enim semel iis placuit, postea displicere non potest, vt in regula iuris pontificij.

DEFINITIO LXX.

Fructus, quos possessor absolute ac incommutabiliter suos fecit, non possunt cum sumptibus in rem meliorandam factis compensari.

DIci quidem solet, fructus à possessore perceptos compensandos cum expensis in rem meliorandam factis; [1] sed id ad eos fructus non pertinet, qui sic acquisiti sunt possessori, vt non sint restituendi.[2] Placet enim, fructus, qui restituendi non sunt, necesse compensandos, quandoquidem effectu ipso parum interest, an compensentur, an restituantur, cum compensatio solutionis vim locumque obtineat. [3] Multo magis dicendum est, non esse compensandos fructus, quos possessor iure dominij suos absolute fecerit, licet fundi dominium fuerit commutabile. [4] Igitur expensæ omnimodo sunt restituendæ, cum factæ sunt bona fide, & ab eo, qui rem suam esse putabat. [5] *Ita Senatus* in causa N. Juliani du Pradel Autherin, contra Procuratorem Bonaud, 24. Febr. 1596.

1 *L. sumptus* 48. *l.emptor* 65 *D.de rei vindicat.*

2 Puta, si quo tempore factæ sunt expensæ, iam consumpti erant aut vsucapti, quo casu nullo modo erant restituendi. *l.4. §. lana, D.de vsucap.* alioqui essent restituendi, si extarent, *l.certum* 22. *C.de rei vindic.* ac proinde sunt compensandi. Et ita intelligenda est *d. l. sumptus.*

3 *L. si constat* 4. *& tot. tit. C.de compensat.*

4 Puta ob pactum de retrouendendo: aliud est, si contractus fuerit ipso iure resolubilis, *vt in l item quod* 6. *& l. Imperator* 16 *D.de in diem addict. l.4. in princ. & §.1. de leg. commiss.*

5 Intellige tamen iuxta distinctionem *l. in fundo* 38. *D.de rei vindicat.*

DEFINITIO LXXI.

Sublata obligatione & actione principali sumptus, qui non præstantur nisi officio Iudicis, peti non possunt.

SVmptus facti in executione iudicati ab eo, qui postea sine protestatione solutionem accepit eorum omnium, quæ ex iudicato debebantur, nulla penitus actione peti possunt, cum non obligationis & actionis iure, sed tantum officio Iudicis in pœnam temeritatis litis præstentur. [1] Plane si à sententia vel executione appellatum proponatur, ad officium pertinebit Judicis, qui de appellatione cognoscet, vt de his quoque sumptibus pronunciet,[2] si nullo iuris colore vel appellationem interpositam, vel iudicati executionem impediam fuisse animaduertat. [3] *Sine die.*

1 *Argum. l. qui per collusionem* 49 *§.1. D.de action. empt l. C depos.*

2 Cum hoc casu supersit actio, cui officium Iudicis inserire possit, quoniam appellatio extinguit iudicatum, *l.1.§. vlt. D.ad SC. Turpill.*

3 Alioqui iusta causa litigandi excusaret ab expensis, *l. qui solidum* 78. *§ 1 de leg. 2. l. eum quem temere* 79. *D.de iudic.*

DEFINITIO LXXII.

Impensarum æstimatio facienda est ex tempore præsenti.

CVm agitur de expensis factis in rem meliorandam æstimamus earum quantitatem & modum non ex o tempore, quo factæ sunt, sed ex præsenti, id est, quo fit restitutio, ne oneretur is, qui rem accipit, si plus impensa um nomine præstet, quam ex impensis commodi & vtilitatis percepturus sit.[2] *Ita Senatus* in causa N. Juliani du Pradel Autherin, & Procuratoris Bonaud, 24. Febr. 1596.

1 Boer. *quæst.* 44. *nu.* 12. vbi plura alia vide De fructibus & impensis.

2 Quod absurdum esset, *l. in fundo* 38. *de rei vindic. l. si quis seruos* 25. *D.de pignorat. act.*

DEFINITIO LXXIII.

Etiam qui nullo iure fundum alienum retinuit, ad fructuum tamen restitutionem condemnandus est, nisi quos à lite contestata perceperit, si modo probabilem causam habuit nesciendi alienum, puta tanquam hæres.

TItio fundus legatus fuerat, ita vt post Titij mortem ad testatoris hæredem reuerteretur. Defuncti Titij hæredes per multos annos in eius fundi possessione manserant, [1] fructusque perceperant. [2] Cum hæres de suis iuribus factus instructior eum fundum quasi suum vindicaret, fructusque omnes tanquam à malæ fidei possessoribus reposceret; Placuit, non alios ab iis restitui debere, quam quos ex tempore litis contesta-

BIU Cujas

contestatæ percepissent,[4] quod iustam haberent causam ignorantiæ,[5] & consequenter non improbabilem bonam fidem, qui possessionem in defuncti hereditate repertam continuassent,[6] ignorantes fortasse testamentum,[7] quod defunctus ipse ignorare non poterat,[8] accedente præsertim tam longi temporis silentio & taciturnitate hæredis.[9] *Ita Senatus* in causa N. Juliani de Pradel & N. Athenoris de Veygié, 24. Julij, 1590.

1 Intellige, Bona fide, cum onus fideicommissi Titio iniuncti ignorarent, *l. species 15. de aur. & arg. legat.*

2 Proinde etiam bona fide, quæ, quod ad fructus pertinet, tantum potest, quantum veritas, quia lex impedimento non est, *l. bonæ fidei 48. de acquir. rer. domin.* iunct. *l. bona fides 136. de regul. iur.*

3 Certum enim est, malæ fidei possessorem debere vniuersos fructus restituere, etiam quos non percepit, si modo percipere potuerit, *l. certum 22. C. de rei vindicat l. sed etsi 25 § sed et fructus, D. de petit hared. l. 1. D. eod.*

4 A quo demum tempore etiam bonæ fidei possessor tenetur fructus omnes restituere, tanquam exinde malæ fidei possessor factus, *d. l. certum, d. l. sed etsi, § si ante, D. de petit. hared.*

5 *L. qui in alterius 42. de reg. iur.* iunct. *l. vlt. D. pro suo.*

6 *Ex l. cum hæredes 23 D. de acquir. poss. l. cum miles 30. D. ex quib. caus. maior.*

7 Ignorantia enim præsumitur, nisi scientia probetur, vt in regula iuris pontificij.

8 Quæ tamen scientia non inducebat malam fidem in persona defuncti.

9 *Arg. l. cum quidam 17. §. Diuus Pius, D. de vsur.*

DEFINITIO LXXIV.

Fructus petiti & non adiudicati à Senatu pro compensatis haberi debent, cum non possunt haberi pro denegatis.

CVm tamen eodem arresto nihil Senatus pronunciasset de impensis, quas in rem meliorandam toto illo intermedio tempore hæredes legatarij fecerant, tametsi in instantia fuissent petitæ, visum est, nullam earum rationem in iudicati executione habendam esse.[1] Non quod peti nequeant, etiam cum nõ sunt adiudicatæ, (Peti namque possunt, adeoque earum nomine fundus retineri opposita dolli exceptione, si necessitatem aut vtilem dummodo permanentem causam habeant, & cuius commodum aliquod sensurus sit proprietarius, nimirum pro rata temporis[2]) sed quia compensari deberent cum fructibus in re aliena, sine vllo titulo perceptis, nempe ad concurrentem vsque quantitatem fructuum,[3] qui in proposita specie longe pluris erant, quam in rem meliorandam, aut conseruandam impensum fuisset.[4] Nam si minoris fuissent fructus percepti, vtique quod plus fuisset in impensa, & peti potuisset, & solui debuisset, dum ne iam tum absorpta impensarum vtilitas fuisset.[5] Nec est superioribus contrarium, quod alio loco scripsimus,[6] fructus, qui non sunt restituendi, non esse compensandos: in proposito autem non alios fructus ex verbis arresti restituendos esse, quam qui percepti essent à die litis contestatæ. Id enim tum obtineret, si meliorationum impensas possessoribus petentibus restitui Senatus præcepisset.[7] Sed cum nihil de iis pronunciatum esset, videbatur Senatus taciturn compensationem induxisse.[8] Sunt enim arresta stricti iuris,[9] & omissum pro omisso habendũ est.[10] Nec sine causa. Sicà Senatu constitutum videbatur,[11] cum fructus illos non solum in re aliena, sed etiam sine titulo perceptos constaret, sola facti ignorantia & proprietarij taciturnitate præsumptionem bonæ fidei præbente.[12] *Ita Senatus* in eadem causa. 24. Februar. 1596.

1 Est enim regulare, vt iudicati executio non debeat patere latius, quam iudicatum ipsum, *l. pen. & pass. C. de exec. rei iudicat.*

2 Boer. *quæst. 44. num. 12. & pass.* vbi vide Adde Roland. Valle *cons. 18. vol. 1.*

3 *L. sumptus 48 l. emptor 65. D. de rei vindicat.*

4 Id enim ex facto constabat.

5 Secundum id quod diximus *Defin. 72. supr.*

6 *Defin. 70. § hoc tit.*

7 Quia eo casu etiam quod ad impensas arresto satisfaciendum fuisset.

8 Minus scilicet et adiudicando, quia Iudex, qui rem petitam non adiudicat, videtur eam denegare, vt nostri notant *ad l. non ignorat 3. C. hoc ti.* Sic dicimus collationem fieri aliquando minus percipiendo, *l. 1. § sed etsi tantum, D. de collat.*

9 *L. 1. vbi not. C. si plur. vna sent. condemn. fuer.*

10 Notat. *in l. quicquid adstringendæ 98. de verb. oblig. l. commodissime, D. de liber. & posthum. l. si cum dotem 22. in princip. D. solut. matrim.*

11 Sic enim semper de Senatu præsumendum est, *arg. l. vnic. § his cunabulis, D. de offic. præf. prætor.*

12 Quæ facit, vt potuerit hæres fructus istos percipere tanquam suos, & vsucapere illos titulo Pro suo, *l. 1. & tot. tit. D. pro suo.*

DEFINITIO LXXV.

Vsuræ expensarum taxatarum debentur à die interpellationis, si appellatum non sit, sin appellatum sit ex die confirmationis.

EXpensarum à Judice taxatarum vsuræ debentur, à quo die is, qui condemnatus fuit, iussus est soluere.[1] Sed quid si à taxatione appellatum sit, ex postfacto autem appareat, iniustam fuisse appellationem? Vix sane est, vt appellanti prodesse vlla in re debeat temeraria appellatio,[2] quæ & mulcta extraordinaria coërceri solet.[3] Sed tamen, cum appellatio extinguat iudicatum,[4] magis est, vt non nisi à die decisæ appellationis & confirmatæ taxationis vsuræ deberi incipiant.[5] Atque ita Senatus noster prenunciauit in causa D. Senatoris Causet & Petri Pelliet, 10. Maij, 1596.

1 Cum ab eo demum tempore incipiat condemnatus scire quid & quantum debeat, ac proinde esse in mora, *vulg. l. mora 32. D. de vsur.*

2 *L. tutor 41. eod. tit. l. vlt. D. de re iudic. l. negotiorum, 24. D. appellat. l. si longu 7. C. de exec. rei iudic.*

3 Ad reprimendam appellantium temeritatem.

4 *L furti 7. § 1. D. de his, qui not. infam. l. 1. § vlt. D. ad SC. Turpill.*

5 intellige, Nisi calumniosa fuerit appellatio, ex iis, quæ dixi *Defin. 23. nu. 5. 3. de præscr. 30. vel 40. annor.*

DEFINITIO LXXVI.

Qui vincitur ex iureiurando aduersarij non eo minus condemnandus est in expensas, si actor non de sua intentione iurauerit, sed de exceptione rei.

QVod dici solet, lite decisa ex iureiurando, quod decisorium vulgo appellant, non esse locum condemnationi expensarum,[1] tunc obtinet, cum non alia victoriæ causa est, quam quia iuratum sit, vt euenit, quoties iuratur super intentione actoris,[2] non super exceptione rei. Nam si qua alia causa sit, propter quam condemnari debeat is, qui iusiurandum detulit, vtputa quod aduersarij intentio aliunde fundata abundeq; probata esset,[3] absurdum sit & iniquum, litigatorem temerarium ob hoc solum euadere condemnationem expensarum, quod iusiurandum detulerit.[4] *Ita Senatus* in causa D. Andreæ Magnier, Magistri computorum, & Sappin, 18. Decembr. 1596.

1 Dixi *Defin. 1. supr. de rebus cred. & iureiur.* Iunge *Defin. 78. infr.*

2 Quia eo casu omnimodo actor obtinere debet, si iura-

BIU Cujas

uerit, nec aliud quæritur, nisi an iuratum sit, *l.* 5. § 1. *D. de iureiur.*

3 Hoc enim ante omnia requiritur, vt actor possit vincere: alioqui succumbere debet, etiamsi nihil reus præstiterit, *l.* 4. *C. de edend.*

4 Cum temeritas litigantium hac pœna puniri debeat, *l. eum quem temere* 79. *D. de iudic. & tot. tit. Instit. de pœn. temer litig.*

DEFINITIO LXXVII.

Litis contestatio possessorem obligat ad fructuum exinde perceptorum restitutionem, etiamsi postea diu intermissa sit litis persecutio.

NOn excusatur à fructuum restitutione is, qui litem contestatus est iniuste,[1] ob id solum, quod actoris negligentiam diu intermissa sit litis persecutio, quia possessori, qui semel ex contestatione indebita malam fidem contraxit,[2] imputari exinde potest, cur nō eam moram & malam fidem vltro purgauerit.[3] *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Bellegarde & D. de Cardé, 12. Decemb. 1596.

1 A quo die solet irrogari condemnatio fructuum propter malam fidem, quam contestatio inducit, *l.* 1. *&* 2. *C. hoc tit. l. certum* 22. *Cod. de rei vindic. l. sed et si lege* 25. *§. si ante*, D. *de petit. hared.*

2 In quo differt mora, quæ contrahitur per contestationem ab ea, quæ contrahitur per extraiudicialem interpellationem, quam constat nihil operari, si omissa sit debiti repetendi instantia, *l. moræ*, 32 *D. de vsur.*

3 Contestationis enim effectus est perpetuus etiam ad perpetuandam actionem, *l. vnic. C. ex delict. defunct. l. omnes pœnales* 26. *l. constitutionibus* 33. *D. de oblig. & action.*

DEFINITIO LXXVIII.

Actor, qui iurauit super exceptione solutionis à reo oppositæ, non eo minus debet obtinere expensas, si aliunde suam intentionem probauerit.

QVod dicitur, lite per iusiurandum iudiciale decisa, nullam expensarum condemnationem fieri debere, tunc obtinet, cum is, qui vincit, nulla alia de causa vincit, quam quia iurauit.[1] Nam si fundatam aliunde habuerit suam intentionem, siue agendo, siue excipiendo, non ob id minus expensas obtinere debet, quod aduersario iusiurandum deferente super aliqua exceptione aut replicatione iurauerit.[2] Finge, agente me ex chirographo aut ex instrumento authentico obiici solutionem, eiusque probandæ gratia deferri mihi iusiurandum à reo,[3] perinde expensas obtinere debeo, ac si nulla iurisiurandi delatione facta vicissem.[4] *Ita Senatus sine die.*

1 Vt solet, postquam iuratum est, non de alio quæri, quam vtrum iuratum sit, *l.* 5. *§.* 1. *D. de iureiur.*

2 Dixi *Defin.* 76. *supr.*

3 Eius enim est solutionem probare, qui eam allegat, *l.* 1. *C. de probat.* cum solutio sit facti, *l. consil.* 7. *§. vltim. de curat. furios.*

4 Quia vinco meo iure, non propter iusiurandum meum, ac si reus nullam exceptionem opposuisset.

DEFINITIO LXXIX.

Etiam cum bonam causam habet is, qui appellationem deseruit, expensas tamen litis appellatoriæ obtinere nunquam debet.

CVm restitutionis aduersus desertam appellationē indulgendæ causa alia nulla est, quam quod in principali negotio bonam foueat causam is, qui appellauit; audiendus quidem est in Senatu, & in integrum restituendus, ne bonæ litis iacturam ex modici temporis negligentia sentiat:[1] sed tamen eo nomine condemnandus est, vt litis ad desertionem pertinentis expensas refundat.[2] Sed etsi in appellationis causa obtineat, æquum tamen est, litis appellatoriæ expensas ob hoc ipsum compensari, vt hanc quoq; suæ negligentiæ pœnam luat.[3] *Ita Senatus* in causa Peronetæ Poterlat & D. de Seteney, 6. Mart. 1597.

1 *Arg. l. si debitori* 21. *D. de iudic. l. et si post tres, D. si quis cau. tion.* Senatus enim, cum sit supra leges vice Principis, non tenetur sequi rigorem iuris siue communis, siue prouincialis, sed potest exemplo Principis & solet iudicare ex æquitate.

2 Vt, in quo deliquit per negligentiam, in eo puniatur, *arg. l. rescriptum* 6. *D. de his quæ vt indign. cum similib.*

3 Præsertim cum desertio appellationis habeat delictum admixtum propter sprerum vtriusque Iudicis, & à quo & ad quem, vt alibi scripsimus.

DEFINITIO LXXX.

Tutor, qui appellationem pro pupillo à se interpositam deseruit semper quidem condemnandus est ad pœnam desertionis, sed non semper ad expensas litis.

SI contra pupillum vel minorē ex appellatione desertā pronunciatum sit, solet quidem semperque debet tutor in desertionis pœnam proprio nomine condemnari.[1] Sed an semper in expensas litis? Mihi quidem sic videbatur, quia multo facilius est, vt expēsarum litis, quam vt mulctæ condemnatio alicui irrogetur.[2] Sed tamen contra pronunciatum est, cum appellationis, licet post tempora tractatæ causas quales quales curator reddidisset,[3] nec ob id tantum minor victus fuisset, quod appellationem prosecutus non esset, sed ob id etiam, quod satis iustam appellandi causam nullam habuisset.[4] Igitur tum demum tutor aut curator ad desertæ appellationis sumptus condemnandus erit, cum de appellationis duntaxat desertione, non etiam iure aut iniuria pronunciabitur.[5] *Latum est arrestum* Cal. Matt. 1597.

1 *Ex l. non est ignotum* 6. *C. de admin. tutor.*

2 Cum irrogetur pœna expensarum ob solam temeritatem litigantis, mulcta vero non nisi vbi aliquod delictum est.

3 Vt ex eo appareret, nullam tutoris calumniā intercessisse.

4 Non enim solet improbari appellatio eorum, qui vel vnam probabilem appellandi causam habuerunt, *l. appellanti* 13. *§.* 1. *D. de appellat.*

5 Poterit tamen tutor etiam ad litis appellatoriæ expensas condemnari, si vel calumniosa, vel nullo colore interposita sit per eum appellatio, *d. l. non est ignotum*, 6. *C. de admin. tutor.*

DEFINITIO LXXXI.

Condemnandus est appellans in expensas desertionis, si quid impediat, ne eodem tempore possit lis appellatoria terminari.

QVi aduersus desertam appellationem restitutus est in integrum, siue ex rescripto Principis, siue, quod plerumque fit, ex suprema Senatus auctoritate,[1] si eo tempore, quo de restitutionis æquitate cognoscitur, appellatio decidi non possit, condemnandus est in expensas litis, quæ ob desertionē facta est,[2] & quidem statim, non expectato litis appellatoriæ euentu, cū non prius audiri possit tanquam appellans, quem aduersus desertionem sit restitutus,[3] nec rursus restitui nisi refusis expensis,[4] quod secus esset, si eadē sententia de desertione & appellationis causa pronūciaretur.[5] Iraq; hoc casu pronunciandū est, vt appellans admittatur ad prosequendā appellationē, non obstante desertione: in causa vero appellationis hoc vel illud facere iubeatur.

Cum, si

Cum, si appellatio deserta non esset, aut si eodem iudicio vtraque quæstio terminaretur, sic ferri sententia deberet, *sans s'arrester à la desertion*. Ideoque nullus expensarum condemnationi locus relinqueretur. *Ita Senatus* Cal. Mart. 1597.

1 Quod Senatus noster solet exprimere his verbis, *par main souueraine*.

2 Alia enim lis est, quæ de desertione mouetur, alia quæ de appellatione.

3 Quamuis non soleat Senatus huiusmodi restitutionem concedere nisi auditis partibus in causa appellationis: sic enim ad supplices libellos hac de re solet rescribere, *En plaidant la cause sera pourueu*.

4 Cum desertio sit contumacia & delictum: generale autem est, vt contumax numquam sit audiendus, nisi refusis expensis, *l. sancimus* 15. *C. de iudic.*

5 Posset enim eo casu fieri compensatio expensarum, siis, qui appellationem deseruisset, bonam tamen causam in appellatoria lite habuisset, vt dixi *Defin. supr.* Item posset & deberet iudicari de appellatione, & non de desertione, vt sequitur in Definitione.

DEFINITIO LXXXII.

Post transactionem de principali negotio non possunt peti expensæ, quæ non nisi officio Iudicis debitæ fuerunt.

VIctor post impensas multas in iudicati executione per condemnati tergiuersationem factas, cum eo transegerat, pecuniamque sibi adiudicatam nullam sumptuum mentione facta acceperat. Placuit, expensas illas peti non posse, non quasi amissas, sed quasi nec amplius debitas, quippe quæ non nisi officio Judicis debebantur, cui porro locus nullus supereſt, sublato iudicio principali.[2] Ex tempore in publico auditorio pro hæredibus Clar, de S. Real, contra Aduocatum de Pradel, 15. Mart. 1592.

1 *Vt in l. si longis* 7. *C. de execut. rei iudic.*

2 *L. terminato* 3. *vbi not. C. hoc tit. Ex l. qui per collusionem* 49. §. 1. *D. de actio. n. empt.*

DEFINITIO LXXXIII.

Qui in negotio principali fouet euidenter malam & iniquam causam, non eo minus condemnandus est in expensas litis appellatoriæ, quod in quibusdam capitibus obtinuerit.

ALiquando euenit, vt qui à sententia, quæ multa capita habet, appellauit, [1] licet iustam appellandi causam pro quibusdam capitibus habuerit, atq; ita in causa appellationis, quantum ad ea capita, obtinuerit, nihilominus in omnes litis appellatoriæ expensas condemnandus sit, ac si in toto lite succubuisset, nimirum si in principali negotio tam euidenter malam iniquamque foueat causam, vt indignus sit cui faueatur.[2] *Ita Senatus* me vno contradicente in causa D. du Jour & Jacobinæ Berru, 29. Matt. 97. Ego vero dicebam, sufficere appellanti ad inducendam saltem compensationem expensarum, vt iustam aliquam vel minimam appellãdi causã habuisset: mutuã enim hoc casu esse victoriã.[3]

1 Quo casu tot videntur sententiæ, quot sunt capita, si non sint connexa, *l. etiam* 29. §. *vlt. vbi not. D. de minor.*

2 Simili pene ratione vtebatur Papinianus, quam tamen improbat Vlp. *in l. Papinianus* 20 *D. eod. tit. de minor.*

3 *L. appellanti* 13 §. 1. *D. de appellat.*

4 Solet enim fieri compensatio expensarum ob mutuam victoriam, *l. si ambo* 10. *D. de compens. l. viro* 39 §. *cum mulier* 47. *D. solut. matrim.*

DEFINITIO LXXXIV.

Casus, in quo beneficij possessor victus non condemnatur ad restitutionem fructuum, nisi à die litis contestatæ.

INterdum euenit, vt in quæstione, De possessione beneficij, [1] qui succumbit, condemnetur ad restitutionem fructuum à die tantum litis contestatæ. vt puta si iustam litigandi causam possessor habuit, [2] vel ob id saltem, quod nullo iure niti actor videbatur. [3] *Ita Senatus* in causa N. Galley, contra N. Guillot, 23. Mart. 1596.

1 De qua Iudex laicus cognoscit, vt scripsimus *in tit. D. de iudic. & de iurisd. omn. iudic.* ex Guid. Pap. *quæst.* 1.

2 *Arg. l. qui solidum* 78. §. 1. *D. de iudic.*

3 Nam & in beneficialibus potest & debet reus vincere per non ius actoris, vt diximus *in tit. de sacros. eccles.*

DEFINITIO LXXXV.

Non repetuntur expensæ solutæ ex auctoritate arresti postea reuocati per supplicationem ciuilem.

EXpensæ adiudicatæ per arrestum & solutæ non repetuntur, [1] licet iudicatum postea rescindatur per viam supplicationis, vt vocant, ciuilis, nisi supplicationis æquitatem inducat dolus eius, pro quo fuit prius iudicatum.[2] Quo etiam casu referebat vnus ex Dominis, aliquando iudicatum fuisse referente se, posse iudicari auctoritatem rescindi etiã citra supplicationem:[3] quod tamen vereor ne paulo alienius sit à rerum iudicatarũ auctoritate.[4] Itaque non nisi parcissime & euidentissime probato dolo id faciendum est; nũ quam certe præsente me factum memini.[5] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Durand & Ioannis Berguera, 22. April. 97.

1 Quia infliguntur in pœnam temere litigantis, *tit. Inst. de pœn. temer. litig. l. eum quem temere* 79. *D. de iud.* Pœnæ autem depensæ repeti non solent, *l. pœna* 42. *D. de condict. indebit. l. id quod pœna* 74. *D. de solut. l. quod à quoquo* 46. *de reg. iur.*

2 *Vt in l. Diuus* 33. *D. de re iudic.*

3 Ne scilicet cuiquam dolus suus patrocinetur, *l. ne ex dolo* 12. *& pass. D. de dolo, d. l. Diuus.* Porius enim puniendus dolus est qui nunquam debet remanere impunitus, *l. Procurator* 11. §. *in perpetuum, D. de doli mali except.*

4 Præsertim iudicatarum à supremo Senatu, *arg. l. seruo* §. *cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

5 Sed semper obseruatum vt necessaria sit ciuilis supplicatio: de quo scripsimus *in tit. de sentent. præf. prat.*

DEFINITIO LXXXVI.

De taxatione expensarum adiudicatarum ei, qui non habuit domicilium alibi quàm vbi litigauit.

NObilis quædam vidua per plures menses Cambesij commorata, ad litigandum aduersus mariti sui heredes pro dote & donatione propter nuptias, ac protestata [1] non priùs se inde discessuram quàm iudicatũ esset, tandem obtinuerat cum victoria, vt par erat,[2] expensarum litis omnium. Sed cùm de taxandis expensis tractaretur, obiiciebatur mulieri nullas deberi, propterea quod non appareret quo alio in loco domicilium habuisset.[3] Visum est non eo minus taxandas impensas, quia non esset arctanda mulier, vt in quo loco necesse habuit litigare, in eodem domicilium quoque eligere cogeretur,[4] aut alibi priùs domicilium eligere, quàm Camberij litigare.[5] Sed tamen adhibendam moderationem, vt mitius cum victis agatur, quàm si domicilium eo tempore alibi constitutum habuisse mulier proponeretur.[6] *Ita Senatus* in causa N. Bachod viduæ D. S. Petri de Soucy, Idib. Sept. 1612.

1 Quæ protestatio plerumq; vtilis & necessaria est, vt tanto durior fiat conditio aduersarij, qui spreta eiusmodi protestatione maluit litigare quam cedere. Fuit enim tanto magis temerarius litigator, *vulg. l. eum quem temere* 79. *D. de iudic. & tit. de pœn temer. litig. Inst.*

2 Non enim debuit minui dos per impensas factas culpa aduersarij & improbi litigatoris, cùm interfit rei publicæ dotes integras & illibatas conseruari, *l.* 1. *D. solut. matrim. l. interest* 18. *de reb. author. iudic. possid.*

BIU Cujas

3 Qui enim litigat in loco domicilij sui nullas pro viaticis impensas obtinere potest, quia nec viatica propter litem facere vlla cogitur.

4 Electio namque domicilij pendet ex voluntate eligentis, non item electio loci in quo litigandum est.

5 Præsertim cùm de alimentis quoque litigandum haberet, quæ moram non patiuntur.

6 Iustis enim decretis semper temperanda res est, ne quid iniqui emergat, *l. in ambiguis* 85. §. *vltim. & l. quoties* 200. *de reg. iur.*

DEFINITIO LXXXVII.

De fructibus pro parte adiudicandis ei, qui totius debiti soluendi moram contraxit.

QVi in moram fuit soluendę partis pecunię, quam restituere totam debuit, vt fundum aliquem reciperet, non ideo fructuum iacturam omnium quos lucrari alioquin potuisset, facere debet, sed pro portione tantùm quæ soluta non est, debet fundi possessor fructus omnes retinere, cæteros actori restituere, [1] Ne alioqui & fundum & pecuniam eodem tępore habuisse videatur. [2] Aliud est in eo qui partem debitæ quantitatis solùm obtulit, adeoque recusante creditore obsignauit. Solutio enim etiam partis liberat debitorem pro ea parte propter interuenientem consensum & voluntatem creditoris. [3] At oblatio vel obsignatio facta partis debiti, ne pro ea quidem parte solutionis loco esse potest. [4] *Ita Senatus* in causa Ioannis & Petri Williod, & Violon, 11. Calend. Junij 1613.

1 Textus est in *l. vlt.* §. 1. *D. de fund. dot.*

2 Quod absurdum sanè & iniquum esset, *l.* 11. §. *qui autem l. bona fides* 50. *de act. empt. l. curabit* 5. *C. eod.*

3 *L. stipulatus sum* 9. §. 1. *D. de solut. l. quidam* 21. *D. de rebus cred.*

4 Totum enim id quod debetur offerri & obsignari debet *l.* 9. §. *omnis pecunia D. de pign. act. l.* 9. *C. de solut. l.* 1. *C. debit. vend. pign. imped. non posse, l. quamdiu C. de distr. pignor.*

DEFINITIO LXXXVIII.

De fructibus post sententiam perceptis ab eo qui non fuit ad restitutionem vllam fructuum condemnatus.

CVm Iudex qui ex causa siue læsionis, siue alia qualibet contractum per in integrum restitutionem rescindi iussit, de fructibus tamen post litem contestatam perceptis nihil pronunciauit, siue iure siue iniuria, & per errorem id fecerit. [1] Non ideo debet possessor lucrati fructus quos à tempore iudicati perceperit. Quando neque dominij iure, [3] neque bonæ fidei ratione [4] ab eo tempore illos percepisse videri potest. Qui duo ferè modi sunt fructuum acquirendorum. [5] Nec detrahetur tempus quod iudicatis ad satisfaciendum datur, vt exinde tãtùm restituendi obligatio inchoetur. [6] Quod si possessori data sit electio supplẽdi iusti precij ex forma nouæ constitutionis, [7] & is neglecta supplendi facultate fundum restituere maluerit perinde integros fructus, quos interim perceperit, reddere debebit, ne sit in ipsius potestate repudiando electionem tardiùs fructuum mala fide perceptorum sibi lucrum comparare. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Debet enim possessor quilibet etiam bonæ fidei fructus omnes, quos post litem contestatam percepit restituere, tanquam exinde malæ fidei possessor factus *l.* 20. *& pass. D. de rei vindic. l.* 23. *C. eod. l. sed etsi lege* 25. § *si ante D. de petit. hared. l.* 1. *Cod. eod.*

3 Fit enim titulus irritus per *in integr. rest. l.* 11. *Cod. de prad. minor. Et pass. in Tit. de rest. in integr.*

4 Quia non potest bona fides durare post sententiam, licet interdum duret etiam post litem contestatam *l.* 3. *in pr. D. de usur.* vbi est textus in hanc rem expressus.

5 *L. qui scit* 25. §. 1. *eod. l. bonæ fidei* 48. *de acq. rer. dom.*

6 *d. l.* 3. *de usur.*

7 Vt fit quoties rescinditur venditio ex remedio *l.* 2. *Cod. de resc. vend.*

8 Nemini enim mora sua prodesse debet, nec nocere alteri *l.* 155. *de reg. iur.* & de futuris fructibus, & post sententiam percipiendis, nihil pronunciare iudex possit *d. l.* 3 §. 1.

DEFINITIO LXXXIX.

Cuius temporis & loci expensa veniant in taxationem, & de domicilij mutatione.

EXpensæ totius temporis, quo quis assidue ac sine interruptione stetit in ciuitate, ad litigandum non veniunt in taxationem, sed pro rata tantum temporis vtilis, id est quo appareat aliquid ad eam litem pertinens agere illum potuisse, [1] nisi probetur in ea ciuitate domicilium habitationis contraxisse, quod non fit nisi per voluntatis declarationem specialem, aut per habitationem decennij. [2] Hoc enim casu certum est nullas pro toto eo tempore expensas præstandas esse. Non tamen videbitur bene probatum domicilium, nec si per decennium integrum manserit in ciuitate, si per totum id tempus lites varias nunc hanc nunc illam in eo loco tractandas habuit. [3] *Ita Senatus* pro N. de Monfalcon Domina de Vars, contra Jacobum Leblanc, 19. Nouemb. 1613.

1 Debet enim sibi imputare qui tempus inutiliter consumpsit non aduersario, nec nisi vtiles dies spectandi sunt, *l.* 3. *de diuers. temp. præscript.*

2 *L.* 2. *l.* 4. *l. ciues* 7. *C. de incol. lib.* 10. *tit.* 39.

3 Quia constat hoc casu habitasse illum in ciuitate alio animo quàm contrahendi domicilij, vt in *d. l.* 2. *C. de incol.*]

TIT. XIX.

DE RE IVDICAT.

DEFINITIO I.

Clausula, alio non apparente, facit arrestum interlocutorium, sed non impedit, quo minus ante omnia mandari debeat executioni.

SENATVSCONSVLTVM, quod vulgarem habet illam clausulam, *alio non apparente*, interlocutorium potius esse creditur, quam diffinitiuum. [1] Nam qui condemnatus est, potest ex noua causa nouisque instrumentis, aliisque probationibus, adeoque in eadem instantia de iure suo experiri, & obtinere. [3] Sed an interim executioni mandandum erit? Vtique. Id enim postulat rei iudicatæ auctoritas, [4] sibique imputare condemnatus debet; cur in probationibus iuribusque suis conquirendis aut edendis non fuerit diligentior, [5] ob eamque causam, si ad litis expensas condemnatus sit, nemo dubitat, quin eas soluere omnimodo debeat. [6] Neque audiendus erit, si petat dilationem, intra quam paratum se dicat de iure suo docere, vt interea rei iudicatæ executio inhibeatur. Prius enim est, vt iudicati executio fiat, quam vt quicquam permittatur, quod iudicati vim & auctoritatem possit infringere. [7] Hactenusque prodest condemnato ea clausula, [8] quod neque nouam inchoare cogitur instantiam, neque supplicationem Principi aduersus Senatusconsultum porrigere. [9] Proinde si ex abundanti ea supplicatio porrecta sit ex diplomate, nihil prohibet aperiri literas, nulla dum etiam facta Senatusconsulti

sulti executione: [10] quod non contingeret, si supplicationis, vt vocant, ciuilis vsus hac in re necessarius esset.. *Ita Senatus* in causa D. de Poypon & D. du Rosey, 16 Cal. Ianuar. 1588. & iursum pro D. de Codree, contra D. de Seruette, 4. Calend. Iul. 1592. & nouissime pro D. d'Ambliſe, contra D. Comitem de S. Amour, 10. Cal. Mart. 159

1 Cuius clausulæ vsus præcipuus est, quoties Iudex videt litem minus plene instructam, siue ex parte actoris, siue ex parte rei, ob alterutrius siue negligentiam, siue contumaciam

2 Sententia enim diffinitiua illa est, quæ finem liti imponit, *l. 1. D hoc tit. l singulis 6. D. de except. rei iudic.* Interlocutoria vero dicitur omnis actus, qui fit pendēte lite, vt tractat Papiens. *in form. sent. interloc. sup. incompet. Iudic. in vers. nos Bernardinus Vicarius, nu. 12. ex l. qui dubitasset 14. D. hoc tit. l. fin. Cod. de requir. reis l. siue pars. C. de dilat.*

3 Nam verba Senatusconsulti hoc faciunt, cum is, qui alio non apparente fuit condemnatus possit ergo alio apparente vincere. Sunt enim sententiæ omnes stricti iuris, nec ab earum verbis recedi potest, *l. Imperator, 8. D. de postul. cum similibus.*

4 Interlocutoria enim sententia etiam ab inferiore Iudice inique lata ius tamen facit. Papiens. *in form. respons. rei, in glos. Simoninus, num. 4. ex l. vltim. D. de iustit. & iur.* Glos. *in l. 1. in princip. ad SC. Turpil. & in l. 1. §. in hoc interdicto, D. de liber. exhib.*

5 Nec enim negligentibus iura subueniunt aut dormientibus, sed vigilantibus, *l. non enim 16. D. ex quibus caus. maior. l. pupillus 24. D. quæ in fraud. credit.*

6 Cum expensarum condemnatio faciat partem iudicati, & quidem pene necessariam, *l. properandum 13. § siue autem alterutra, C. de iudic. l pen. D. de liber. legat.*

7 Ne alioquin rei iudicatæ auctoritas labefactetur, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.* [Iunge casum elegantem *Desin 21. J. hoc tit.*]

8 Quomodo, si absolutus esset reus ab obseruatione iudicij, *vt in l. & post edictum 75. § circumducio, D. de iudic.*

9 Quę tamen esset necessaria, si arrestum esset definitiuum, vt dixi *Desin. 1. & pass. 3. de sentent. præs. prator.*

10 Non enim solent nocere, aut ius commune lædere illa, quæ fluunt ex abundanti & dubitationis tollendæ causa, *l. quæ dubitationis 81. de reg. iur.*

DEFINITIO II.

Qui condemnatus est cum clausula, alio non apparente, non tantum nouis allegationibus vti potest, sed etiam nouas afferre iam contestatorum articulorum probationes.

EXnouis probationibus euerti potest Senatusconsultum, quod illam habet clausulam, de qua proxime diximus, *alio non apparente*, licet eæ probationes ad illa ipsa litis capita pertineant, quæ priore iudicio iam fuerunt contestata. [1] Non enim allegationum dumtaxat, sed etiam probationum omnium causa suprascriptis verbis salua relinquitur, si quando nouæ proferri possint. [2] *Ita Senatus* inter N Thibaudum de Liurnon & Claudium Baux, Calend. Februar. 1589.

1 Intellige tamen, si tales sint probationes, quæ in eadem instantia admitti possint. Quid enim si quis vellet post didicita testificata nouos testes producere? *contra c. fraternitatis, extr. de testib.*

2 Verba enim cum sint generalia sunt generaliter intelligenda, nec ad nouas allegationes coarctanda in exclusionem nouarum probationum, *arg. l. 1. §. generaliter, de leg. præst.* præsertim cum probationes omnes sint fauorabiles, & ideo curare omnes magistratus debeant præsertim supremi, vt iterum probatio salua sit, *l. curent 22. D. de testib.*

DEFINITIO III.

Sententia prouisionalis non nisi per diffinitiuam reuocari potest, reuocata autem nullius effectus est, quamuis à diffinitiua fuerit prouocatum.

QVi lite pendente fiduciariam, &, vt loquuntur, prouisionalē tulit adiudicationem, nonnihil per diffinitiuam sententiam cō demnari potest, vt id, quod accepit, restituat. [1] Plane si à diffinitiua condemnatione appellauerit, non eo minus interim iudicato satisfacere salua appellatione cogendus erit. [2] Incipit enim nullo iure & sine causa rem habere, quam habebat ex interlocutione iudicis, quæ per eundem iudicem postmodum reuocata est. [3] Eoque nimirum pertinet, quod dici solet, contrario iudicis imperio tolli posse, quod antea idem iudex vel iusserit vel vetuerit. [4] Cæterum nihil prohibet, eum ipsum, pro quo prouisionalis primum lata fuerat sententia, itidem aduersario prouisionaliter, vt loquuntur, condemnari, priusquam definiatur negotium, sed ita demum, si noua quantitas in iudicium deducatur, nouaq; debendi causa, de qua nihildum fuerit pronunciatum. Nam & fieri ab initio potuerat, vt eadem sententia alter alteri pendente lite in diuersam quanti ratem per mutuam victoriam condemnaretur. [6] *Ita Senatus* pro Ioanne Turrello procuratore, contra Dominam de Chartin, 3. Idus Februar. 1589.

1 *L. quod iussit 14. vbi not. D hoc tit.* Et hoc est, quod Pragmatici dicunt, *Cas sur cas n'ha point de lieu.*

2 Hoc est restituere, quod ex prouisionali adiudicatione acceperat.

3 Actus enim reuocatus reducitur ad non actum, & perinde habetur, ac si nunquam præcessisset. *l. licet transferam, 20. l. legatum 24 § 1 & pass. D. de adim. legat.*

4 *d. l. quod iussit 14. D hoc tit.* Iunge *l. cum ex causa 11. D. de appellat.*

5 Nimirum quoniam hoc casu alia lis, & alia res est. *l. singulis. 6. l. cum quæritur 12. & seqq. D. de except. rei iudic.*

6 Puta si mutuis petitionibus actum fuisset. *vt in l. 1. §. vlt. D. quæ senten. sine appellat. rescind. c. 1. & tot. tit. extr. de mut. petit. si inter, 15. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO IV.

Sententia etiam inter alios lata parit exceptionem rei iudicatæ, quoties eadem est causa vincendi, & idem status causæ apud eundem iudicem si qui nunc agit priori liti adfuit, secus si non adfuit.

CVm inter Sempronium Caij heredem & Titium contenderetur de fideicommisso, quod Lucius instituto Caio proximioribus [1] reliquerat, liti interuenerat Mæuius, qui se proximiorem dicebat, solumque inuitatum ad fideicommissum, Senatus pro Titio pronunciauerat; iniuncto tamen ei onere præstandæ satisdationis de Sempronio aduersus Mæuium defendendo. [2] Cum post multos annos idem Mæuius eiusve heres idem fideicommissum ex iisdem testamenti verbis peteret, quæsitum est, an excipere de re iudicata Titius posset? [3] Et videbatur non posse, quia licet eo ipso, quo pronunciatum erat, fideicommissum ad Titiū pertinere, pronunciatum quoq; intelligeretur ad alios nullos pertinere, [4] inter alios tamen ea sententia reddita fuerat, [5] id est, cō ra Sempronium potius, quā contra Mæuium. [6] Nec tam de non iure Mæuij Senatum pronunciasse credibile erat, quàm de iure Sempronij, [7] dilata in aliud tempus nouæ actionis cognitione, ne parata rei iudicandæ materia noui aduersarij interuentu retardaretur. [8] Ob idque nimirum iniunctum videri onus præstandæ satisdationis, quod proculdubio non erat iniungendum si de Mæuio prorsus excludendo Senatus sensisset. [9] Placuit tamen exceptioni locum esse. Et quia præsente litemque agente Mæuio Senatus pronunciauerat, vt proinde dici non posset, omnino inter alios iudicatum fuisse: [10] Et quia fieri nullo modo queat, vt vnum idemque fideicommissum ex iisdem verbis debitum per Titium & Mæuium debeatur

BIU Cujas

Titio, quin continuo sit consequens; Non ergo deberi Mæuio: [11] quando fideicommissum tale erat, ad quo Titius & Mæuius simul & semel inuitari esse nō poterant, cum relictum esset proximioribus; illi autem neque in eodem gradu essent, neque ex eadem familia, Titio quippe ex familia testatoris, Mæuio ex familia hæredis existente. [12] Nam si possent plures concurrere, nihil sane impediret, quo minus idem fideicommissum quibusdam adiudicatum aliis quoque postea in viriles partes adiudicaretur. [13] At ex iis, qui concurrere non possunt, planeque diuerso iure nituntur, ex iisdem tamen testamenti verbis, alterum alteri impedimento esse necesse est, eumque necessario & perpetuo vincere, qui prior obtinuit, [14] Quamquam enim nouum non est, vt quod meum esse pronunciatum fuit te inaudito, postea tum pronuncietur ex noua causa nouisque instrumentis: [15] tamen vt ex eadem causa iisdemque testamenti verbis id fiat, salua prioris iudicati auctoritate, euenire numquam potest. [16] In proposito igitur si Titius tanquam vocatus & proximior ad fideicommissum admitti debuit, non potest nunc vinci à Mæuio, qui & dispari gradu est, & ex alia familia. [17] Sin Mæuij præcipua ratio nunc habenda sit, quod de eius tantum familia inuitanda testator senserit. Non debuerat igitur pronunciari pro Titio, qui non erat vocatus, præsertim interueniente lite ante sententiam Mæuio. [18] Nam etsi non interuenisset, ea tamen non satis sufficiens causa erat, propter quam Titius nullo iure vincere deberet, quod alius nemo fideicommissum peteret: vincere enim potius debuisset Sempronius, aduersus quem agebatur. [19] Atqui pronunciatum erat pro Titio, nec poterat res præsertim à Senatu iudicata pro veritate non haberi, [20] solumque supererat remedium ciuilis, vt vocant, supplicationis. [21] Ergo nocere exceptionem rei iudicatæ prorsus consequens erat. Neque ad rem pertinebat, quod iudicati tempore nōdum constituerat, Mæuium ex ea esse familia, ex qua se esse diceret. Nam tametsi non fuisset ex ea familia, non erat tamen ratio illa sufficiens ad fideicommissum Titio adiudicandum, si nec erat ille vocatus. [22] Proinde nihil iuris adferre Mæuio potuit secuta probatio familiæ. [23] Minus mouebat, quod eo Senatusconsulto iniunctum Titio fuerat onus præstandę satisdationis. Nō enim caueri Mæuio Senatus iusserat, quod non nisi inepte fieri potuisset, sed victo possessori, si forte is nouam à Mæuio molestiam pateretur. [24] Quod constitui sane æquissimum fuerat, tametsi de non iure Mæuij iam tum Senatui constitisset, [25] alioqui Mæuio ipsi caueri iussisset: aut si possessori consultum voluisset, eo solo prætextu, quod de Mæuij iure, & ex qua esset familia nondum satis liqueret, vix interea pro Titio pronunciasset, certe diffinitiua adiudicatione nullo modo, sed fiduciaria tantum & prouisionali. [26] Quod si priori lite Mæuius non interuenisset, difficilius sane erat, vt noceret ei exceptio rei inter alios iudicatę. [27] Sed tamen non eo minus Titio nunc prodesse Senatusconsultum deberet, ad probandum, eam fuisse testatoris voluntatē vt qui ex eo genere essent, ex quo Titius erat, non qui ex eo, ex quo Mæuius, ad fideicommissi petitionem admitterentur. Quę enim certior voluntatis probatio verborumque interpretatio esse poterat, quam quę Senatui placuisset? [28] Itaque vi ipsa & effectu eodem res recidebat, vt condemnari Mæuium oporteret, ne in eadem prorsus facti specie adeoque in eodem individuo verborum contraria sensisse Senatus videretur. [29] *Ita Senatus* pro Hugone Motret, contra Michaëlem Vuillermet de Costerg, Prid. Cal. Sept. 1592.

1 Non expresso eo, an de proximioribus suis sentiret, an de iis, qui heredi suo essent proximiores. Quæ res dubitationi & liti causam dabat, ex iis, quæ nostri disputant *ad l. omnia* 32. *liasl. cum ita* §. *in fideicommisso, de legat.* 2.

2 *Vt in l. pen. D. de hæred. petit.*

3 Quem ponimus priore iudicio contra Sempronium obtinuisse.

4 *Vt in l. si inter me & te* 25. *D. de except. rei indic.*

5 Et ideo non videbatur posse nocere, *ex l. 1. & tot. tit C. res int. alios act. aliis non nocer.*

6 Inspicitur enim maxime, cum quæritur de exceptione rei iudicatæ non tantum, an sint eędem personæ, sed etiam vtrum eadem sit conditio personarum, cum eædem sunt personæ, *l. & an eadem* 14. *de except. rei iud. d. l. cum de hoc* 27 *eod.*

7 Quæ duo sunt longe diuersa, vt constat *ex d. l. si inter.*

8 Interuentio enim semper fit in statu, vt Pragmatici loquuntur, id est, ita ne status litis immutetur. Not. *in l. si suspecta* 29. *D. de inoff. testam.*

9 Nam post rem à Senatu iudicatam non de alio fuisset inquirendum, quam quid iudicatum esset, cum à Senatu non possit appellari.

10 Qui enim adfuit liti etiam inter alios motæ, non potest dici abfuisse, *l. Paulus respondit* 69. *D. de procurat. d. l. suspecta, l. si per lusorio* 14. *D de appell.*

11 Vt & in specie *d. l. si inter me & te* 25. *D. de except. rei iudicat.*

12 *d. l. omnia* 32. *alias l. cum ita,* §. *in fideicommisso, de leg. l. cum in testamento* 37. *D. de hered. inst.*

13 *L. cum pater* 77. §. *hereditatem filius, l. unum ex familia* 67. § *si duos, de leg.* 2.

14 *d. l. si inter me, & d. l. cum in testamento, cum similib.*

15 *L. 1. & tot. tit. de except. rei iudic. l. 1. & 2. C. quib. res iudic. non nocet.*

16 Quia implicat contradictionem, vt eadem verba in eodem testamento ab eodem testatore prolata ex eiusdem voluntate diuersam habeant interpretationem.

17 *d.* §. *in fideicommisso.* Iunge *l. vlt. C. de verb. signif.*

18. Eo sciret tempore, quo adhuc liberum erat pronunciare pro Mæuio, perinde ac pro Titio.

19 Quippe possessor reperiebatur. Nam aduersus extraneos, id est, actores nihil iuris habentes etiam vitiosa possessio prodest *l. vlt. D. de acquir. poss. l. vltim. D. de rei vindic. l. 2. D. vti possid.*

20 *L. res iudicata* 206. *de reg. iur. l. ingenuum* 25. *D. de stat. homin. l. seruo* 63 *cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

21 Vt scripsimus *D. fin. 1. & pass.* 5. *de sent. præfect. prætor.*

22 Cum posset fieri, vt neutri fideicommissum deberetur.

23 Quia, vt est in nostrorum brocardico, non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *vulgd. non hoc, C. vnde legit. l. neq natales* 10. *C de probat.*

24 *Vt in d. l. penult. D. de petit. hered. l. is à quo* 57. *in fin. D. de rei vindica*

25 Vt Titius etiam aduersus facti molestiam esset securus, *l. ne libertatem* 12. *vbi not. C. de emict.*

26 Vt superesset potestas reuocandæ sententiæ interlocutoriæ per diffinitiuam, *ex l. quod iussit* 14. *D hoc tit.*

27 *d. l. 1. & 2. C. quib. res iudic. non nocet. & tot. tit. res int. alios act. aliis non nocer.*

28 Senatus enim eam ipsam interpretationem fecisse creditur, quam facturus fuisset Princeps, si eadem testamenti verba interpretanda habuisset, *l. vnic.* §. *his cunabulis, D. de offic. præfect. prætor.* Porro interpretationi Principis stare oportet, *l. 1. C. de legat. l. vnum ex familia* 67. §. *vlt. de leg.* 2. *l. filiusfamilias* 114. §. *vt quis heredem, de leg.* 1. *l. ex facto* 17. *l. qui filium* 74. *ad SC. Trebell.*

29 Quod sane à dignitate Senatus alienum esset. Quanquam & variant interdum ipsi etiam Imperatores, *l. diui* 17. *D. de iur. patron.* quamus dici soleat, non iudicari exemplis, *l. vlt. C. quib. res iudic. non nocet.*

DEFINITIO V.

Sententia lata de fructibus iure dominij petitis nocet quandocunque condemnato fundum ipsum vindicanti.

TItius, cum patri tuo fundum Cornelianum inter viuos donasset, postea herede te instituto decesserat. Tu quasi fundus ille hereditarius fuisset, nec donatio valuisset, fructus petieras viuo patre, in eamque rem aduersus patris colonum actionem instituerat. Pater pro colono assumpta lite donationem valere, ex eaque causa fundi fructus ad se pertinere contendebat. Iudex contra te pronunciauerat his verbis, attenta

attenta dicta donatione filium eundemque actorem condemnamus ratione fructuum, eaque sententia per appellationis Judicem confirmata tandem transierat in rem iudicatam. Defuncto patre tuo, cum ab eius hæredibus eundem fundum peteres tanquam hæreditarium, [1] & eas ipsas rationes afferres, quæ in priore iudicio agitatæ fuerant, vt donatio vel non valuisse, vel reuocata fuisse videretur, quærebatur, an obstare tibi deberet exceptio rei iudicatæ? Videbatur enim non obstare, quod & alia esse conditio personarum, & de alia re nunc agi videretur. [2] Nam qui contra patrem egeras, cuius causa contra te non nisi fauorabilis esse poterat, [3] nunc agebas aduersus fratres consanguineos ex nouerca susceptos, [4] & qui priore lite non nisi fructus fundi Corneliani petieras, nunc fundum ipsum petebas: [5] iudex autem nominatim de fructibus pronunciauerat. [6] Dicebam, supra dictis sententiæ verbis aperte pro donatione iudicatum, [7] nec salua rei iudicatæ auctoritate posse nunc pronunciari, non valere donationem, quã Judex tum pro valida habuisset, [8] præsertim cum de iisdem rationibus, quæ nunc in vtramque partem afferebantur, iam tum accuratissime disputatum proponeretur. [9] Accedebat, quod tu ab ea sententia prouocans dixeras, in eo tibi factam iniuriam, quod nec fundus ipse tibi adiudicatus fuisset, in quo fructus erant percepti. [10] Judex autem ex appellatione cognoscens sententiam confirmauerat. [11] Denique non poterat alia causa esse proprietatis, alia fructuum iure proprietatis & dominij perceptorum. [12] Et quemadmodum si fundum tanquam meum petiero, deinde vsumfructum eius petã, qui ex illa causa meus sit, ex qua fundus meus erat, nocet mihi exceptio rei iudicatæ, [13] ita ex contrario prorsus consequens est, vt si vsumfructum, ac multo magis si fructus petiero, [14] ex eadem causa, ex qua fundus meus sit, quod in proposito euenerat, postea eundem fundum petam, eadem mihi exceptio nocere debeat. Id enim generale est, quoties proprietatis iudicium exercetur, vt omnes causæ vna petitione comprehendantur, [15] maxime vero si eadem dominij causa, puta ex donatione, proponatur. Sicut & illud perpetuum est, vt, qui partem petiit, & submotus est, si totũ postea petat, vel contra, repellatur exceptione rei iudicatæ. [16] Quod autem alia personarum ratio esse videbatur, dicebam ad rem non pertinere, cum aperte Iudex declarasset, non ea se motum ratione, quod contra patrem tuum ageres, sed quod valeret donatio. Qua in re, id est, quod ad donationis validitatem pertinebat, quis diceret, aliam patris tui, aliam fratrum consanguineorum rationem esse debere? [17] Igitur placebat obstare tibi executionem rei iudicatæ. *Ita tractatum est* in causa liberorum Ludouici Machet Necensis, 13. Cal. Decembr. 1592.

1 Hoc est, tanquam ad te pertinentem ex hæreditate Titij, qui heredem te instituerat.

2 Certum enim est, cum quæritur, an obstet exceptio rei iudicatæ, illud præcipue esse inspiciendum, an eadem res sit, idem ius, eadem causa petendi, eædem personæ, & eadem conditio personarum, *l. cum quæritur* 12. *& sequentibus l. cum de hoc* 27. *& pass. C. de exception rei iudicat.*

3 Non enim facile credendus est pater velle iniuriam facere filio, *l. vlt. C. qui & aduers. quos in integr. restit. non poss. l. vlt. C. de impub. & aliis subst.* Neque vero potest lis esse inter patrem & filium, si iuris ratio magis, quam Doctorum opinio inspiciatur, *l. 4. D. de iudic.*

4 Quos pater tuus hæredes reliquerat.

5 Longe enim alia res est fundus ipse, alia vero fructus fundi, *lege si quis cum totum* 7. *§. de fructibus, Digest. de except. rei iudic.*

6 Vt apparet ex verbis illis supra relatis, *condemnamus ratione fructuum.*

7 Quod probabant verba illa sententiæ, *attenta dicta donatione.*

8 Cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. res iudicata* 206. *de reg. iur.*

9 Vt proinde eadem quæstio reuocaretur, quæ antea fuerat, licet alio genere iudicij, quod sufficit ad inducendam exceptionem rei iudicatæ, *d. l. si quis, § generaliter*, nisi aliæ sint personæ, *vt in l. si cum vno* 22. *eod. tit.* Non est autem alia persona hæredis, alia defuncti, qui fuit condemnatus, *Nouell.* 48. *de iureiur. à mor. præst.*

10 Atque ita ipsum quoque fundum petieras saltem in causa appellationis.

11 Et ita te non minus à fundi, quam à fructuum petitione summouerat.

12 Quia fructus non iure seminis, sed iure soli percipiuntur, *l. qui scit* 25 *§.* 1. *Herennius* 42. *D. de vsur.*

13 *L. si cum argentum* 21. *§ si fundum, D. de except. rei iudic.*

14 Aliud enim est loqui de vsufructu, aliud vero de fructibus, *l. si vsusfructus* 66. *D. de iur. dot.*

15 *L. & ideo eadem* 14 *§ penul. D. de except. rei iudic.* quia non potest quid meum esse ex variis causis, *l. non vt ex pluribus* 159. *de reg. iur. §. sic itaque, Inst. de action.*

16 *d. l. si quis cum totum* 7. *de except. rei iudic.*

17 Non enim ex personis hæredum mutatur qualitas & conditio contractus, *l.* 2. *§. ex his, de verb. oblig.*

DEFINITIO VI.

Conuentio Procuratorum à Senatu homologata vim arresti obtinet, nisi quod non trahitur ad similes casus.

NIhil sane interest, quod pertinet ad inducendam exceptionem rei iudicatæ, vtrum quid Senatus visis discussisque actis & rationibus litis pronunciauerat, [1] an vero quod iudicari Aduocatis & Procuratoribus collitigatorum placuit sua auctoritate comprobauerit, &, vt Pragmatici ex Græco loquuntur, homologauerit. Vtroque enim casu res iudicata pro veritate habetur, etsi aduersus eam homologationem supplicatio Principi porrigatur, perinde mandatum est executioni Senatusconsultum, atque si ex Senatorum votis & suffragiis pronunciatum fuisset. [2] Hactenus tamẽ interest, quod inter easdem tantum partes ius faciat res, quæ sic iudicata est, neque trahi poterit ad consequentias, vt in similibus causis in posterum similiter pronunciare, idemque ius constituere Senatus teneatur, ne alioqui eueniat, vt iudicandi legem ab Aduocatis & Procuratoribus videatur accipere. [3] Quod vtiq; secus est, cum Senatorum vota & suffragia interuenerunt. Quid enim absurdius & ab amplissimi ordinis dignitate alienius, quam vt in similibus causis ex eadem iuris ratione definiendis diuersa pleneque repugnantia iura constituisse existimetur? [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. ingenuum* 25. *D. de stat. hom. l. res iudicata* 206. *de reg. iur.* Nam cum inter litigantes conuenit, quid agendum & iudicandum sit, Iudex id ipsum sequi & iudicare cogitur, *l. si conuenerit* 26. *D. hoc tit.* Nec sententia vim accipit à visione & discussione actorum, sed à pronunciatione, siue bene pronunciatum sit, siue male, *l. Iudex postea quam* 55. *D. hoc tit.*

2 Secundum ea, quæ scripsimus *Defin.* 1. *& aliis supr. de sent. præfect. prætor.*

3 Quod esset alienum à dignitate Senatus, *l. qualem* 19 *§. dicere. D. de recept. qui arbitr. recep.*

4 Nam ea demum non sunt ad consequentias producenda, nec in similibus obtinent, quæ contra iuris rationem recepta sunt, & non ratione, sed errore, *l. quod vero* 14. *l. quod non ratione*, 39. *D. de legib.*

DEFINITIO VII.

Sententia de nobilitate lata ab vno magistratu an pariat exceptionem rei iudicata coram alio magistratu, & contra tertium?

CVm de iure immunitatis ex nobilitate competentis quæreretur apud Senatum, & qui nobilem se dicebat, vt se à plebeiis oneribus liberaret, [1] proferret arrestum à Rationalibus redditum, quo nobilis &

BIU Cujas

è nobili stirpe genitus dicebatur, inauditis tamen Syndicis Vniuersitatis, qui eorum plebeiorum onerum contributionem vocabant, obiiciebant illi, ius tertij semper exceptum intelligi, quod res inter alios iudicata aliis nocere non deberet.[2] Ex diuerso autem replicabatur, sententiam, quæ in causa status lata esset, ius facere quod ad omnes;[3] placuit ita rem temperandam, vt si quas aduersus nobilitatem illam probationes Vniuersitas haberet, eæ saluæ essent.[4] Interea tamen pro eo vindiciæ dicerentur, qui iam nobilis esset pronunciatus, & quidem nullo ei iniuncto satisdationis onere,[5] quia non Conseruatoris aut alterius inferioris Judicis, sed supremæ Curiæ iudicato niteretur,[6] præsertim cũ priore instantia sic Vniuersitas egisset, quasi cum nobili,[7] nec pro paternis bonis, sed pro acquisitis dumtaxat, quorum tamen eandem quam paternorum rationem esse constabat, quod personæ ius & conditionem sequerentur.[8] Ex quo apparet, sententiam latam in causa status ius quidem facere, quod ad omnes, sed non in omnibus tribunalibus, hoc est, si in alio nec inferiore tribunali eadem status quæstio tractetur, nõ aliter posse rem iudicatam nocere, quam si inter easdem partes agatur:[9] sin apud eundem Judicem, rei iudicatæ locum fore, etiam quod ad eos, qui priori iudicio non interfuerunt.[10] *Ita Senatus* in causa Syndicorum d'Ingé & D. Deleaual, 4. Idus Maij, 1593.

1 A quibus scilicet immunes sunt omnes nobiles, præsertim ex nobili & antiqua prosapia nati, tam ex ratione iuris, quã ex edictis Sereniſſimorum Ducum Sabaudiæ, quibus semper curæ potissimum fuit nobilium familiarum priuilegia conseruare & augere, tanquam à quibus magna ex parte pendeat dignitas Reipublicæ, *l.1.§. sed etsi seruus, D. de insp. vent.*

2 *L.1. & tot. tit. C. res int alios act. vel indic. aliis non nocer, l.1. & 2. C. quibus res indic. non noc. l.1. D. de except. rei iudic.*

3 *Ex ea causa*, vbi Bart. *D. de postul. l. de aetate 43. D. de min.*

4 Nam & publice interest sciri quis nobilis sit, quis ignobilis. Itemque vt veritatis probatio semper salua sit, *l. curent 22. D. de testibus d. l.1.§ sed etsi seruus, D. de inspic. ventr.*

5 Quod alias iniungi solet ei, pro quo pendente lite vindiciæ dicuntur. Quamquam non est id perpetuum, *l. moueor 4. C. de seruis export.*

6 Cum semper præsumendum sit pro eo, quod fuit iudicatum, præsertim à supremo magistratu, *l. vnic. §. D. de offic. praf. prætor.*

7 Quamuis non possit sola confessio partis dare nobilitatem, quod solius est Principis, vt late Tiraque *in tract. de nobilit.*

8 Persona enim cum sit dignior, trahit ad se & mutat conditionem bonorum, *l. per curatorem 90.§.1. D. de acquir. haered. l. vlt. C. de inoff. testam.*

9 *L. cum quaritur, 12. & seqq. l. cum de hoc 27. D. de except. rei iud.*

10 Quia non potest eadem persona apud eundem magistratum pro parte nobilis censeri, & pro parte ignobilis, cum sit illa qualitas personæ, & consequenter indiuidua, *l. si pariter 9. de sent. pass. & restit.*

DEFINITIO VIII.

Sequestratio à Senatu fieri iussa non potest impediri oblata satisdatione vel satisdandi facultate.

COntendentibus defunctæ mulieris hæredibus cũ marito de bonorum dotalium mobilium possessione, Senatus veritus ne collitigatores ad arma decurrerent, cum de iure tam cito constare non posset, præceperat, vt ea bona penes sequestrem & probum virum deponerentur. Post paucos dies maritus dicebat, paratum se satisdare, si bonorum possessio sibi daretur; aut si satisdare hæredes vellent, non recusare se, quo minus ipsis eadem possessio traderetur.[2] Heredibus satisdare, nec aduersarij satisdationem admittere volentibus, placuit non posse eos cogi, vt delatam conditionem acciperent, propter auctoritatem rei iudicatæ, ad quam sane spectabat maxime, vt ab ea cautionis forma, quam Senatus præscripserat, non recederetur,[3] præsertim cum heredum interesset, ne aut satisdationis onere premerentur,[4] aut ob eã non præstitam paterentur, vt maritus, qui satisdedisset, possessor efficeretur, bonorum mobilium sororis fortasse vel matris, in quibus nullum ei ius competere scirent.[5] *Ita Senatus* in causa Illustrium Dominorum fratrum de la Chambre & D. de Bussy, 16. Cal. Sept. 1593.

1 Nam ex hac maxime causa solet permitti sequestratio, quæ alias est prohibita, *l. vnic. & ibi not. C. de prohib. sequ. fit pecun.* per text. *in l. arboribus 11.§. sed si duos alios, l. aquissimum, D. de vsufr. l. postquam 5.§.1. in fi. D. vt legat. seu fideic. seruand. caueat.*

2 Solet enim satisdatio impedire sequestrationem, *d. l. 5.§. 1. vt legat.* cum reddat securum eum, cui satisdatur, *l.1. D. qui satisd. cog.*

3 Iudicato enim semper satisfaciendum est in forma specifica, cum fieri potest, *l. qui restituere 68. D. de rei vindic.*

4 Non enim semper facile est inuenire fideiussorem, *l.2.§. pen. D. de iudic.*

5 Non enim semper obligatio satisdationis pro iure est, *l. testamento 17 §. non omnimodo, D. de testam. tutel. l. quia satisdatio 6. D. de suspect. tutor.*

DEFINITIO IX.

Emendatio arrestorum ex tempore pronunciatorum quomodo facienda sit?

SEnatusconsulta ex pronũciatione vires accipiunt,[1] nec quod eorum, quæ à Præside in auditorio pronunciantur, emendatio sequenti die fieri solet, pœnitentia locum admittit,[2] sed eo tantum pertinet, vt si quid ab amanuensi plus minusve scriptum sit, quam à Præside pronunciatum, aut à Senatu definitum, id demum corrigatur.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 47. De fructib. & lit. expens.

1 *l.1. & tot. tit. C. de sentent. ex breuis. recit.* Adeo vt rum est, vt post mortem iudicis sententia ab eo lata & subscripta pronunciari amplius non possit, quia quamdiu pronunciata non fuit sententia, dici non potest, nec mortuus sententiam ferre. Idem est si iudex viuat quidem adhuc, sed iudex tamen esse desierit, aut propter superuenientem aliam maiorem dignitatem, aut quo alio modo *l. iudicium 58. D. de iudic. Ita Senatus 3. Aug. 1612.*]

2 Quamuis ex ratione iuris non prius videatur adempta mutandæ & corrigendæ sententiæ facultas, quam ea in libello collata sit, & ex libello partibus lecta, vt scriptum est *ind. l.2. eod. ill. tit.* Sententiam enim, quę scripta non sit, ne quidem sententiæ nomen habere volunt Imperatores *in l.3. eod. tit.* Sed id à Iustiniano correctum est, quantum ad breues lites, de quibus solis hodie ex tempore pronunciatur, quas vulgo dicunt, *vuidables sur le champ. Authent. nisi breues, eod. tit.*

3 Scripsi *Defin. 47. supr. de fructib. & lit. expens. ex l. alterum verba 46. D. hoc tit.*

DEFINITIO X.

Post condemnationem in beneficij possessorio factam non potest condemnatus petere literas subrogationis coram iudice laico.

SVbrogationis literæ, quas in parua Cancellaria impetrare solet collitigator, vt in prædefuncti locum quod ad possessionem substituatur,[1] non possunt ei prodesse, qui in possessorio condemnatus fuit.[2] Quia licet supersit lis ratione petitorij,[3] tamen sicut Judex laicus non potest super petitorio cognoscere,[4] ita neque ex eo prætextu subrogationis literas admittere; verumque est, quod ad eum attinet, litem nullam superesse,[5] siue executioni mãdata sit res iudicata, siue

siue non.[6] Nec si per obreptionem eiusmodi literas impetrauerit, quasi nondum esset condemnatus, qui iam erat, & rursus beneficij quasi vacantis possessionem nactus sit, iustus possessor videbitur,[7] quo minus ei obijcere possit exceptionem rei iudicatę is, cui per obitum victoris aut cessante commenda de beneficio sit prouisum. Prodest enim res iudicata successori in beneficio ad exclusionem eius, qui iam condemnatus nihil noui proferat, propter quod aliter debeat iudicari.[8] *Ita Senatus* pro Tiberio de Mutz, contra R.D. Abbatem de Filly, 12. Cal. Januar. 1594.

1 Quomodo enim ratione petitorij subrogatio fit ex regula Cancellariæ Romanæ, *De subrog. collitigant.*

2 Nec enim collitigator quisquam est in possessorio post sententiam super possessorio latam, cum sententia finiat litem, *l. D. hoc tit.*

3 Quia nihil commune habet proprietas cum possessione, *l. naturaliter* 12. *§. nihil commune. D. de acquir. poss.*

4 Quia petitorium beneficij est mere spirituale, nec Iudex laicus habet vllam potestatem in rebus spiritualibus, si excipias tres casus positos *in glos. ca. tua* 1. *extr. de decim.* Guid. Pap. *qu.* 1. *nu.* 2. 3. & 4.

5 Quoniam sententia lata super possessorio retinendę dicitur diffinitiua, *elem.* 1. *de seq. poss. & fruct. c. fin. extr. de iud. c.* 2. *extr. vt lit. non contest.* Gloss. & DD. *in d. clem.* 1. *& in l.* 1. *C. si de moment. poss fuer. appell.* Papiens. *in form. lib. in caus. spoliat. poss. in vers. per vestram diffinitiuam sententiam, nu.* 2.

6 Nec enim executio sententiæ, sed ipsa sententia finem litis imponit, *l.* 1. *D. hoc tit.*

7 Imo iniustus & dolosus impetrator est, qui obrepit vel subrepit, vt aliquid impetret, *l.* 5. *§. pen. D. de reb. eor. qui sub tut. l. si quis obrepserit* 19. *D. de falsi.*

8 *Arg. l. si à te* 9. *§. vlt. D. de except. rei iud.* Nam quamuis successor in beneficio non à suo decessore, qui vicit, ius habeat, sed ab eo, qui beneficium contulit, & conferre potuit: verum tamen est, cum succedere in ius & locum victoris, quod sufficit, vt habeat exceptionem rei iudicatę, *arg. l. iudicata* 29. *§. vlt. D. de except. rei iud.*

DEFINITIO XI.

Assecuratio dotis contra quosdam creditores impetrata omnes afficit, sed non æstimatio bonorum, nisi facta sit omnibus vocatis.

SEntentia super dotis, vt loquimur, assecuratione reddita (Galli *bonorum separationem* vocant) in ea prouincia, in qua coniuges domicilium habeant, ius facit etiam quod ad creditores nō auditos, & in alia prouincia, degentes, ne in dubium reuocare possint, quin locus sit doti separandę & in tuto collocandæ.[1] Hactenus igitur sibi consulere alterius territorij creditores poterunt, vt se vocatis & auditis fiat æstimatio bonorū mariti vbicunque existentium, ne plus auferat mulier prętextu dotis, quam sit necesse ad concurrentem vsq; dotis quantitatem,[3] dum ne exacta strictaq; sit ea bonorum æstimatio, quam ex contrario fauore mulieris largam esse oporteat.[4] *Ita Senatus* in causa R.N. Morel presbyteri, & Leonardę Simon, 13. Cal. Mart. 1594.

1 Quia per eam separantur bona mariti à bonis mulieris.

2 Pendet enim id ex statu personæ, quæ individua est & eiusdem vbique conditionis, *l. vlt. C. de sent. pass. l. ex ea causa* 9. vbi Bart. *D. de postul.* Dixi *Defin.* 7. *nu.* 3 5.

3 Iuxta *l. vbi adhuc* 29. *C. de iur. dot.*

4 Ex vetere statuto Sabaudię, vt facilius habeat mulier, vnde se suosque alat, ex fructibus bonorum mariti.

DEFINITIO XII.

De sententia contra curatorem hereditatis data.

QVod inter creditorem & curatorem hereditati iacenti datum iudicatum est, nocet creditoribus alijsve omnibus ex hereditatis iure suum metientibus, non secus ac si cum defuncto iudicatum esset, quia sicut hereditas,[1] ita hereditatis curator defuncti personam sustinet ac representat.[2] Ideoque legitimus est cōtradictor, nisi probetur cum creditore, qui obtinuit, collusisse.[3] Id vnum igitur alijs creditoribus remedium superest, vt vel à curatore collusum probent,[4] vel si defensiones aliquas habeant, quas curator fortasse per iuris aut facti ignorantiam omiserit, eas allegent per ciuilem aduersus arrestum supplicationem, aut propositi facti errore. Nam & illi ipsi, qui condemnatus est, remedia huiusmodi non denegarentur.[5] Sane solutionis exceptionem aliasque similes, quę in executione iudicati etiam ab ipso condemnato possunt obiici, nemo dubitat,[6] quin cęteri creditores, qui non sunt condēnati, multo magis possint obijcere.[7] Ergo si ab inferiore aliquo Judice pronunciatum sit, appellare creditores poterunt,[8] quia & curator posset.[9] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Mareſt & N. Annę de Menthon, 15. Cal. Mart. 1594.

1 *L. hereditas* 34. *D. de acquir. rer. domin. l. non minus* 31. *§* 1. *D. de her. inst.*

2 Postquam nostris placuit hereditati iacenti curatorem dari posse, *ex l. vlt. §. sin autem in secunda, C. de bon. qua liber.* quod tamen nos refutauimus in priore parte Hemichiliadis nostræ, *de error. pragm.*

3 Quia quod per collusionem factum est pro non facto haberi debet, sicut & quod factum est cum non iusto contradictore, *l.* 3. *& tot. tit. de collus. deteg.*

4 Nec enim collusio præsumitur, nisi probetur, cum sit delictum, *l.* 1. *eod. tit. de collus. deteg.*

5 Vt scripsimus *ad tit. de sentent præfect. prator.* 5. Non autem potest ex sententia contra alium lata deterior facta esse conditio eius, qui non fuit condemnatus, quam si ipse condemnatus esset.

6 Quales sunt omnes, quæ non impugnant iudicatum, vt solutionis, compensationis, & aliæ similes, *l. cum mil. ti* 16. *§.* 1. *D. de compens. l. sunt qui* 16. *& seqq. D. hoc tit.*

7 Cum ipsorum quoque interest. Nemo enim alteri competentem siue actionem, siue exceptionem potest adimere, *l. Granius* 71. *§. pen. D. de fideiuss. l. vlt. D. de pact.*

8 *Vt in l. si suspecta* 29. *D. de inoffic. test. l. à sententia* 5. *§. si heres, l. si per lusorio* 14. *D. de appellat.*

9 Quem tamen ponimus fuisse condemnatum.

DEFINITIO XIII.

Sententia contra Syndicos etiam non nominatos lata ipso iure tenet & afficit vniuersitatem.

VAlet sententia contra Syndicos lata, vt afficiat vniuersitatem,[1] licet Syndicorum nomina expressa non sint, nec appareat, vllos ab iis ad litem ordinandam constitutos Procuratores. Semper enim ac multo magis, si medium tempus longum interceſſerit, pro iudicato præsumendum est,[2] maximè si à supremo Senatu iudicatum proponatur.[3] Hactenus saltem vt ei, qui iudicatum impugnat, probandi onus irrogetur.[4] Sed etsi probetur, indefensam vniuersitatem condemnatam fuisse, quod Procurator nullus à Syndicis ad defendendum constitutus, aut quod eo tempore Syndicus nullus fuisset:[5] facit tamen Senatusconsulti auctoritas, vt supplicatio, quam ciuilem vocant, necessaria sit, atque interea mandetur arrestum executioni.[6] *Ita Senatus* pro R.D. Canonicis sanctæ Capellæ Camber. contra Syndicos de Meity, 3. Non. Decembr. 1594.

1 Quia Syndici repræsentant vniuersitatem, alioqui nec conuenirí nec conuenire vniuersitas posset, *l.* 1. *§.* 1. 2. 3. *& pass. D. quod cuiusque vniuers. nomin.*

2 Vt scilicet omnia præsumantur solemniter acta, ex notat. *in l. sciendum, D. de verb. obl.*

3 Cum à tanto ordine nihil per errorem aut per imperitiam factum dici possit, *argum. l.* 1. *§. hos cunabula, de offic. præf. prator.*

4 Quomodo irrogari solet omnibus, qui habent præsum-

BIU Cujas

ptionem contra se, *l. si chirographum 24. & seq. D. de probat.*

5 Quo casu non valeret sententia, quæ ab inferiore iudice sic lata esset, *l. contra pupillum 54. D. hoc tit.* iunct. *l. respublica 4. C. ex quib. caus. maior. in integr. restit. pss.*

6 *Arg. l. seruo 65. §. cum prætor*, D. *ad SC. Trebell.* & eorum quæ scripsimus *Defin. 1. & pass. 5. de offic. præfect. prætor.*

DEFINITIO XIV.

Standum est sententiæ etiam iniquæ, à qua non fuit appellatum, sed ita vt postea appellandi facultas non præripiatur.

ANnuæ quidem pensionis nomine nullum monetę augmentum debetur,[1] sed tamen cum per cõdemnati contumaciam Senator ad taxandam condemnationis quantitatem recuperator datus[2] huius quoque augmenti rationem habuisset, deque eo pars condemnata quereretur citra appellationem, placuit audiri non debere, non quod contumacia facere debuisset, vt condemnationis quantitas augeretur,[3] (Semper enim partis absentia per Dei præsentiã suppleri debet,[4]) sed propter rei iudicatę auctoritatem, quam saluam semper & præcipuam esse conuenit: [5] attamen nec appellandi facultas sublata videretur. Placuit his verbis concipi Senatusconsultum *autre non fait ni apparant.* [6] *Ita Senatus* in causa D. de la Tornelle, & de la Rochette, 13. Cal. Januar. 1594.

1 Vt scripsi *in tract. de variis numar. debitor. solut.*

2 Vulgo Commissarium vocant.

3 Potest enim tantum facere contumacia, vt contumax cõdẽnetur, at non vt in plus condemnetur, *l. contum. 53. D. hoc tit.*

4 *L. properandum 13. §. cum autem eremoditum, C. de iud.*

5 *L. seruo 65. §. cum prætor*, D. *ad SC. Trebell.*

6 Publice namque interest non adimi appellationis auxilium ei, qui se læsum putet, *l. 1. C. de sentent. præf. prato.*

DEFINITIO XV.

Qui pronunciatus est heres cum beneficio legis & inuentarij talis habendus est, quod ad omnes creditores, etiam non vocatos.

SEntentia, per quam pronunciatum est, heredem quẽ esse cum beneficio legis & inuentarij, nocet creditoribus omnibus, etiam non vocatis, quasi statum afficiat, & conditionem personæ.[1] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 1. res int. alios act.

1 Quæ scilicet individua est, *l. vlt. C. de sentent. pass. restit.* Vnde fit generaliter, vt sententia lata inter alios super statu personæ faciat ius quod ad omnes, vt dixi *Defin. 7. nu. 3. 5.* Nec sane fieri potest, vt quis simul sit, vt habeatur heres pure, & vt cum beneficio legis & inuentarij, quia vtriusque iura sunt plane diuersa, quamuis vterque sit vere heres, vt scripsi in priore parte Hemischil. *de error. pragmat.* Intellige tamen in eius territorio, qui ius dixit. Nam quod ad alios creditores, qui alterius sunt territorij, aliud est, *l. vlt. D. de iurisdict.*

DEFINITIO XVI.

Non intelligitur condemnatus proprio nomine, qui conuentus fuerat tanquam tutor, ideo nec potest appellare.

COnuentus tanquam tutor, si simpliciter & absolute condemnetur, licet eo tempore, quo tutela pubertate finita sit, tutorio nomine condemnatus videri debet.[1] Ideoque nec iustam ab ea sententia prouocandi causam habet.[2] Neque ad rem faciet, quod cum plures tutores essent, quorum vnusquisque in solidum condemnari potuerit, tanquam tutor,[3] quippe nulla tutelæ aut administrationis diuisione facta,[4] iudex tamen alterum duntaxat pro sua virili condemnauerit. Non enim prohibetur creditor actionem suam inter contutores, tanquam inter plures debitores diuidere si velit,[5] licet nec cogatur si nolit.[6] *Ita in Senatu tractatum est* ex tempore, pro Dn. de Choisy, contra fratres du Nieure, 11. Cal. Maij, 1595.

1 Vt scilicet sententia sit conformis libello, *l. vt fundus 18. D. commun. diuid. l. vlt. C. de fideicom. lib.* Nam & si quid faciat tutor in negotio, quod pro parte spectet ad pupillum, pro alia ad tutorem, credendus est non nisi pro vna parte facere nomine proprio, pro alia vero nomine tutorio, *l. vltim. D. quand. ex fact. tutor.*

2 Non enim alius iustam causam appellandi habet, quam cuius interest, *l. 1 D. de appell. recip.* nihil autem interest tutoris condemnati, quippe in quem iudicati actio dari non potest, *l. 4 §. tutor. D. hoc tit. l. 2. D. de admin. tutor. l. penult. D. quand. ex fact. tutor.* [Inde est quod qui conuentus fuit inter cæteros tanquam possessor, licèt negauerit se possidere, nullam tamen appellandi causam habet possessoribus omnibus generaliter & indefinitè condemnatis, quia non alius quàm qui possessor est condemnatus intelligitur. *Ita Senatus* ex tempore, pro D. de Nus Augustano, Id. Mart. 1611. Itaque in executione iudicati quæstio illa discutienda superest, An sit ille ex possessoribus.]

3 *L. 4. D. de auct. tut. l. vlt. C. de auct. præs.*

4 Diuisione enim facta aliud esset, *dict. l. vlt.* Quamquam enim diuisio tutelæ non tam iuris, quam iurisdictionis est, *l. inter tutores 36. D. de admin. tutor.* qui tamen prior gessit, prior conueniri debet, *l. vlt. C. de diuid. tutel. cum simil.* Iunge *l. 2. eod. tit.*

5 *L. si creditores 18. C. de pact.*

L. vlt. D. rem pupill. salu. for. l. & ancillarum 27 §. vlt. D. de pecul.

DEFINITIO XVII.

Qui passus est dari curatorem hereditati tanquam iacenti, non potest subinde allegare additionem hereditatis.

CVm ageres contra me tanquam heredem Titij, quod diceres pleraque à me in eius hereditate facta esse, quæ citra ius & nomen fieri non potuerant,[1] ego autem negarem, Senatus decreuerat, vt hereditati iacenti curator daretur, qui actionem tuam exciperet.[2] Ita tamen, vt ego quoque tanquam possessor earum rerum, quarum nomine restitutionem in integrum imploraueras, iudicio adessem.[3] Si postea eandem quæstionem retractare velis, & probare me heredem Titij, non es audiendus: obstat enim tibi res iudicata, cum pronunciatum sit hereditatem iacentem esse, cui nec aliter curator dari potuisset.[4] Atqui iacens non potest videri hereditas, quæ ab herede adita est,[5] siue pure & simpliciter, siue cum beneficio legis & inuentarij.[6] Nec ad rem facit, quod nouum non est, vt hereditati quæ fuit adita cum beneficio inuentarij curator detur.[7] Id enim fit propter personam heredis duntaxat, vt legitimum contradictorem habeat, si quas forte actiones intendat ex proprio capite. Quandoquidem beneficium inuentarij facit, vti ne confundantur,[8] cum tamen fieri nequit, vt idem sit actor & reus,[9] aut vt cæteri creditores hereditarij pro legitimis contradictoribus habeantur, quippe qui defuncti personam non repræsentent, cum non sint vniuersales successores.[10] Itaque curatorem dari omnimodo necesse est, & quidem hereditati, sed non vt iacenti, at tantum vt aliquis sit quo cum experiri heres possit.[11] Ergo eadem, aut potius contraria ratione, si passus sim dari curatorem hereditati quasi vacanti, postea velim heredem me dicere cum beneficio legis & inuentarij, non sum audiendus, quia semel repudiata hereditas adiri postmodum non potest,[12] nõ magis cum beneficio inuentarij quam pure, nisi conditio à creditoribus deferatur.[13] *Ita Senatus* pro sororibus Morand, contra Joannam Joly, 11. Cal. Jul. 1595.

1 Ex qui-

BIU Cujas

1 Ex quibus demum indici solet agnitio hereditatis, *l. pro herede 20 §. Papinian. D. de acquir. her.*

2 Nec enim agi vtiliter potest, nisi cum iusto ac legitimo contradictore, *l. 3 ff. de collus. detreg.*

3 Mea namque interest, siue propter rescindentis & rescissorij cumulationem, siue quia saltem post rescissam alienationem datur in rem iudicium contra possessorem, *l. in causa 13. §. interdum, ff. de minor.*

4 Nec est quod excipias casum, de quo Iustin. *in l. vlt. §. sin autem in secunda, C. de bon. quæ liber.* Ibi enim dixit ille hereditatem pro bonis hereditariis, cum loquatur de hereditate iam addita, vt alibi scripsimus.

5 *L. libertus 36. ff. de bon. qua libert.*

6 *Ex l. vlt. C. de iur. delib.* Nam & heres cum beneficio inuentarij, vere est heres.

7 Hoc enim iure vtimur ex receptissimo illo Pragmaticorum errore, quem nos refutauimus in priore parte Hemichiliadis, *de error. pragm.*

8 *d. l. vlt. §. in computatione, C. de iur. delib.*

9 *L. Ne cum filiefamilias 16. ff. de furt.*

10 *L. vlt. C. de her. action.*

11 Quia iudicium nullum esse potest sine reo, non magis, quam sine actore, *cap. forus, de verb. signif.*

12 *L. sicut 4 C. de repud. her.*

13 *L. cum hereditate 55. ff. eod.*

DEFINITIO XVIII.

Non sufficit reum non negare, vt fateri videatur, nec ad sententiam procedi potest, nisi facta prius contestatione.

NOn potest procedi ad sententiam aduersus reum, ob id solum quod non negauerit intentionem actoris, quasi hoc ipso confessus videatur. Non enim vtique fatetur, qui non negat.[1] Quid ergo? Vrgendus est postulante actore, vt vel fateatur, vel neget, id est, vt litem contestetur.[2] Alioqui nulla erit sententiæ, ad quam ferendam iudex tam propere prosilierit nulla præcedente contestatione. Quanquam eo iure vtimur, vt ad eam infirmandam necessaria sit appellatio. *Ita Senatus* extempore, 4. Non. Iul. 1595.

1 Est enim medium aliquod inter hæc duo, fateri & non negare, scilicet nec fateri nec negare.

2 Hæc enim est contestationis definitio, *l. vnic. C. de lit. contest. l. 2. C. de iureiur. propt. calumn. dand. l. rem nouam 14. §. patroni, C. de iudic.*

3 *L. prolatam 4. C. de sent. & inter. omn. iudic.* Est enim contestatio de substantialibus iudicij Papiens. *in form. sent. diffin. vers. visaque litis contestatione, num. 1.*

DEFINITIO XIX.

Qui condemnatus est tanquam heres non audiatur si postea contrarium probare velit.

SI per errorem passus quis sit condemnari se tanquã heredem testamentarium eius, cuius bona ex vniuersali donatione, non ex testamento possidebat,[1] rei iudicatæ auctoritas facit, vt non sit audiendus, si postea velit probare se heredem non esse.[2] Qua ratione nec aduersario permittitur, vt petat exhibitionem testamẽti, quam petere antea debuit.[3] Igitur supplicationis ciuilis auxilium aduersus Senatusconsultum hoc casu necessarium erit, perinde ac si pronunciatum esset heredem eum esse.[4] Qualitas enim in præfatione sententiæ cuiuslibet adposita sententiæ pars est.[5] *Ita Senatus* in causa Dn. de Bordeaux, & Dominę de la Serra, 15. Cal. Aug. 1595.

1 Cum tamen omnino sint distincta iura testamenti & donationis. Hereditas enim testamento tantum datur non etiam donatione, aut alio quolibet contractu, *l. hereditas 5. de pact. conuent. tam sup. dot. l. aria alieni 15. C. de donat.*

2 Non nisi quasi consenserit, cum nullus sit errantis consensus, *l. si per errorem 16. ff. de iurisdict. omn. iudic.* sed quia iudicatum est. Iudicium enim redditur etiam in mutum, *l. inter stipulantem 83. §. 1. ff. de verb. oblig.*

3 Cum si quisquis se dicit heredem testamentarium cogatur edere testamentum, *l. 1. de bonor. possess. secund. tabul.* Solent enim heredes habere penes se tabulas, *l. 2. ff. de edend.*

4 Licet de eo nihil actum sit in verbis dispositiuis arresti.

5 Et quidem prima ac proinde maxima, *arg. l. Titia 134. §. idem respondit plerumque ff. de verb. obl.* iunct. *l. qui res 98. §. ream, vers. non est, ff. de solut.*

DEFINITIO XX.

Postquam iudicatum est, siue bene, siue male, siue ab ordinario iudice, siue à delegato, necessaria est appellatio quantumuis nulla esse sententia proponatur.

POst rem iudicatam, siue ab ordinario iudice, siue à delegato, licet perperam & contra solitum iudiciorum ordinem iudicatum sit, iterum iudicandi ius nullum supereſt.[1] Posteaquam moribus nostris obtinuit, non magis de nullitate, quam de iniquitate sententiæ, nisi per appellationis auxilium quęri posse;[2] contra quam iure nostro receptum & constitutum sit.[3] Nec distinguemus, an a Principe, an ab alio delegatus quis sit, aut an ad vnam duntaxat causam, an ad causatum vniuersitatem, vt loquuntur.[4] Idem namque iuris omni casu apud nos obtinet. *Sine die.*

1 *L. iudex postea quam 2. ff. de re iud.* Eaque fuit iam olim sententia Bald. *in l. si vt proponis, C. quomod. & quand. iud.* Non quidem in iudice ordinario, sed in delegato quolibet. Quam refert licet improbet Boer *quæst. 6. num. 5. & 6.*

2 Styl. Senat. nostri.

3 Nam à sententia ipso iure nulla appellari, nec necesse est nec potest, *l. 1. & pass. quæ sent. sin. app. resc.*

4 Quæ tamen distinctio ab interpretibus adhibetur, inspecta iuris communis ratione, Boer. *d. quæst. 6.*

DEFINITIO XXI.

De eo qui summotus alio non apparente eandem rem petit per nouam instantiam.

CVm quidam res & summas plures petijsset ab eo cui erat ipse vicissim obligatus, obtinuerat apud Senatum pro quibusdam, Sed ita vt certam pecuniæ quantitatem quam eum aduersario debere constabat in suas adiudicationes imputare cogeretur, aliarum petitionum repulsam passus cum clausula, Alio non apparente, conquisitis postea & repertis probationibus eundem aduersarium in ius vocauerat nouo libello, nouaque instantia. Reus iterum conuentus cùm nullas haberet exceptiones postulabat, vt reuocarentur litigatores ad priorem instantiam quasi nondum fini am senatusconsulto, quod hac parte interlocutorium fuerat verius quàm diffinitiuum: Simulq; petebat, vt in eam quantitatem quam debere se fatebatur imputarentur ea ipsa quæ in priores adiudicationes imputari Senatus iusserat. In quo numero hæc quoque quantitas haud dubiè fuisset, si eam debitam probare iam tum actor potuisset. Quid enim absurdius, quàm existimare meliorem debere actoris conditionem esse ob id, quod antea fuerit condemnatus[1] licet cum ea clausula, Alio non apparente? Aut quis credat non eandem imputandi necessitatem iniuncturum fuisse Senatum, si prioris iudicati tempore huius quoque quantitatis adiudicandę causam habuisset?[2] Contra tamen visum est de omnibus quidem petitionibus in executione iudicati simul & semel cognoscendum esse, ne continentia causę diuidatur,[3] quę ante prius Senatusconsultum non fuerat diuisa.[4] Sed non ideo permittendum reo, vt in hanc quantitatem quam debitam esse, nunc primùm pronunciaretur imputaret ea quæ priore Senatusconsulto in alias causas licet non mi-

BIU Cujas

nùs fauorabiles imputare iussus erat. [6] Id enim fieri nõ poterat salua Senatusconsulti authoritate, [7] quam præcipuam semper esse oportet. [8] Nec quod eadem imputationis vtrobiq; imperandæ ratio esset ad rem facere visum est, cùm fieri non posset, vt in causas diuersas eadem imputatio cederet. [9] Præsertim cùm etiam in summas nondum liquidas imputationem fieri Senatus præcepisset. [10] Plane quia poterat accidere, vt post liquidationes & imputationes omnes factas reum appareret esse creditorem, Placuit non nisi prouisionalem adiudicationem fieri debere illius quantitatis, quæ imputationem non admittebat, [11] & quæ tamen huiusmodi imputationem pati deberet, si rei iudicatæ authoritas non obstaret. [12] Ita vt melior hoc casu conditio sit actoris in ea summa, de qua repulsam ab initio passus est, quàm futura erat si obtinuisset. [13] *Ita Senatus* in ea causa de qua in Def. 18. supr. de compensat.

1 Vt dixi *Defin. 1. 3. hoc tit.*

2 *L. 3. in princ.* D *de vsur. l. euidenter* 16. *de except. rei iud.*

3 Vbi enim ratio diuersitatis nulla reddi potest ius idem constitui debet *l. 3. §. vnde etiam, de iniust. rupt. l. illud* 32. D. *ad leg. Aquil.*

4 *L. nulli* 10. *C. de iud.*

5 Cùm dici soleat vnamquamq; rem facile redire ad suam naturam *vulg. l. si vnus* 27. *§. pactus in fin.* D. *de pact.*

6 Imputatio enim vni summæ vel causæ destinata non potest alij summæ vel causæ obiici, vt neque compensatio *l. quod Labeo* 13 D. *de compens.*

7 Cùm senatusconsulta omnia sint stricti iuris *l. Imperator* 8. *D. de postul.*

8 Propter rerum iudicatarum authoritatem *l. seruo* 65. *§. cùm prætor, ad SC. Trebell.*

9 *d. l. quod Labeo.*

10 In eo namque differt imputatio à compensatione quæ fieri nequit nisi de liquido ad liquidum *l. vlt. C. de compens.*

11 *L.* 1. D. *si cui plusquam per leg. falcid.*

12 Vt ita neutra pars lædatur *l. ex his* 8. D. *quæ in fraud. cred.*

13 Quia si obtinuisset, imputationem quoque in ea summa perinde ac in cæteris passus fuisset ex identitate rationis, *d. l.* 3. *§. vnde etiam, de iniust. rupt.*]

TIT. XX.

DE EXECVT. REI IVD.

DEFINITIO I.

Iudex requisitus an possit cognoscere de æquitate, aut nullitate sententiæ?

SEntentiam ab alio dictam exequi si rogetur, [1] potest quisquis ei præest territorio, vbi sita sunt bona, in quorum possessionem ex iudicato mitti victor postulat. [2] Nec magis de sententiæ iure quæri licebit apud nouum iudicem, quam si ille ipse, qui sententiam dixit; executoris partibus fungeretur: [3] ne alioqui rerum iudicatarum auctoritas, quę apud iudices omnes præcipua semper esse debet, captata discordiæ materia, mutuaque contentione labefactetur. Sed si perperam, & à non competenti iudice, aut contra absentem non peracto edictorum ordine pronunciatum appareat, [5] vel in promptu sit solutum fortasse aut remissum debitum, quod perebatur, [6] non patietur qui rogatus est iniuria adfici eum, cui propriæ iurisdictionis tuendæ gratia succurrere potius ex officio debeat. [7] Sin altiorem causæ cognitionem defensionis æquitas desiderare videbitur, ad eum sane qui sententiam tulerit, referri res debebit, vt de litigatorum iure, de quo nondum cognouerat, ex ratione pronunciet. Interea tamen exequendæ sententiæ facultas victori, si vrgeat, omnino denegabitur. [8] *Ita Senatus* in causa N. Guillielmi de Gadaigne Senescalli Lugdunensis, & Dominæ de la Cuille refer. D. Imperatore, 31. Cal. Febr. 1588.

1 Est enim hoc casu necessarius vsus literarum vt vocant, rogatoriarum & requisitoriarum, de quibus *in l. à Diuo Pio* 15. *§. sententiam, D. de re iud.* quia extra territorium ius dicenti impune non paretur, *l. vlt. ff. de iurisd. cum ibi not.*

2 *L. cum vnus* 12. *§. penult. ff. de reb. auct. iud. possid.*

3 Guid. Pap. *quæst.* 23. 419. & 574 *l. si prætor* 75. vbi Bart. & alij *ff. de iudic.* Obserua tamen, fieri executionem debere iuxta stylum curiæ iudicis requisiti, non requirentis. Idem Guid. Pap. *quæst.* 13. licet ipse hoc referat ad stylum Curiæ Parlamenti Delphinalis potius, quam ad iuris rationem Ex not. *in l.* 2. *C. de emancip. liber.*

4 *L. seruo* 65. *cum prætor, D. ad Senatusconsul. Trebell. d. §. sententiam.*

5 Quibus casibus certum est, sententiam ipso iure nullam esse, *l.* 1. & *tot. tit. C. si à non compet. iudic. l. de quæ re* 74. *§. vlt. ff. de iudic.* Sunt tamen qui putent, nec de nullitate sententiæ posse cognoscere iudicem requisitum. Ferra. *in form. execut. sentin.* nu. 14 vbi citat *cap. pastoralis, § quia vero, de offic. deleg.* & *l. 1. Cod. de indict. viduit. tollend.* DD. *in l. si non cognitio, C. si contr. ius vel vtil. public.*

6 Quo casu in dolo est & improbus, qui bis idem consequi velit, *l. si quis dolo* 51. *in fin.* D. *de re iud. l. bona fides* 57. *de reg. iur.*

7 Nunquam enim malitiis indulgendum est, *l. in fundo* 38. D. *de rei vindic. l. nec dolosè, l. procurator* 11. *in fin.* D. *de dolo mali except. l.* Diuus *Hadrianus* 33. *D. de re iud.* qui tamen locus probat, etiam hoc casu necessariam esse restitutionem. Sed id intelligendum est, si apud eundem iudicem executio sententiæ petatur.

8 *Ex not. in d. l. si prætor.* [Simile est, quod nostris placet post Bart. *ad l. cùm ab initio, in fin.* D. *testam. quem. aper.* Si iudex aliquis requisitus sit ad recognoscenda signa & subscriptiones testium adhibitorum in sollenni testamento, puta quod ex testibus quidam habitent in alia prouincia (nec enim cogendi sunt in aliam prouinciam venire cum suo incommodo *d. l. cùm ab initio & seqq.*) non posse illum aperire testamentum, sed debere eam rem remittere ad requirentem iudicem causæ principalis qui aperiat, & cognoscat de viribus testamenti. Maximè si supersit, vel vnum signaculum recognoscendum in territorio iudicis requirentis. Quo etiam nomine ad eum remissio facienda est. Nam quod dicitur posse testamentum resignari & recitari, vbi maior pars signatorum fuerit inuenta *l. sed si maior. 6. eod.* tunc verum est cùm reperitur ea maior pars in prouincia iudicis habentis iurisdictionem ad aperiendum testamentum. *Ita Senatus in relat. l. bell.* pro D. du Cheney, contra D. de Rossillion 6. Non. Maij 1612. Iunge *Defin. 13. quomod. test. aper.*]

DEFINITIO II.

De permittenda sententiæ extra territorium redditæ executione, & quid ante hac in Gaiorum & Sebusianorum prouincijs obseruari soleret.

EXtra Senatus nostri territorium redditæ sententiæ executionem maiores quoque prouinciarum iudices concedere, quamuis rogati, [1] prohibentur. Dignam enim rem Senatus putauit, quam cognitioni suæ reseruare, [2] ne magistratus inferioris facilius circumuenta religio iniuriæ ac querelæ materiam daret, si aut iniqua concessione priuati nostratis vtilitas adeoque Principis nostri dignitas læderetur, [3] aut extranei magistratus auctoritas cum supplicatione coniuncta temere neglecta videretur, [4] soli Gaiorum iuridico ex priuilegio concessum erat, vt de huiusmodi supplicationis æquitate possit ipse cognoscere, nec cogatur ad Senatum referre. [5] Quod ad Sebusianorum quoque iudicem, quo tempore Serenissimi Ducis & Senatus nostri ditioni & iurisdictioni subiecti erant, manifesta æquitatis ratione porrigendum videbatur, ne si Lugdunenses, Matisconenses, cæterique viciniores Galliarum magistratus, qui Parisiensem Curiam pro suprema venerantur,

BIU Cujas

rantur, par pari referre vellent, [6] nostros in eam necessitatem conijcerent, vt Lutetiam vsq; proficiscendum haberent ad exequendi licentiam, ab ampliſſimo ordine impetrandam. Illis tamen hactenus duntaxat Senatus noſter indulgebat, vt ſi literas, quas vocant rogatorias à Pariſienſi Curia proferrent, quibus generaliter, vt fieri ſolet, magiſtratus omnes ad quos pertinebit rogati proponerentur, [7] nec aliud quicquam obſtaret, non denegaret audito eo, cuius intereſſet, [8] petitam exequendi facultatem, quam alioqui non, niſi nominatim vt par eſt rogatus permittere ſolet: [9] ſed ita vt executio per apparitores noſtros omnino fieret, [10] nec vllo caſu eum, qui ex noſtris ſit, aut qui pro bonis in prouincia noſtra ſitis conuenitur, ad litem extra prouinciæ fines ſuſcipiendam compelli pateretur. '' *Sine die.*

1 Neceſſariam enim eſſe hoc caſu rogationem iam diximus *Deſin. præced.*

2 Tanquam qui ſit ſupremus in tota prouincia magiſtratus, *arg. l. à Diuo Pio 15. §. ſententiam, D. de re iud.*

3 Lædi enim videretur, ſi non eſſet ſpecialiter rogatus Senatus, qui Principis vice fungitur. Itemque ſi de executione tractaretur eius ſententiæ, quæ fortaſſis læderet Principis dignitatem vel vtilitatem.

4 Quod ne fiat intereſt reipublicæ, vt dixi *Deſin. præced. nu. 4.*

5 Idque ex compacto inito cum Geneuatibus & Bernenſibus, quibus finitima hæc Gallorum prouincia eſt.

6 Quod vtique pro ſuo iure facere poſſent, nec iniuſte, *l. 1. & tot. tit. D. quod quiſque iur.*

7 Nec enim Curia Pariſienſis ſolet magiſtratum quemquã rogare ſpecialiter.

8 Nec enim quicquam inaudito eo conſtituendum eſt, *l. nam ita 39 D. de adopt. l. de vnoquoque 47. D. de re iud.*

9 Quaſi qui negligi videatur, ſi non ſpecialiter rogetur, *argum. l. item apud Labeonem 15. §. hoc edictum, de iniur.* [Excipe tamen caſum in quo ſufficit rogatum eſſe Senatum verbis generalibus, nempe ſi ab extraneo magiſtratu conceſſæ ſint literæ, deprehendendo contumace, qui vbi ſit & in quam prouinciam fugerit, neſciatur. Nihil enim hoc caſu imputari poteſt magiſtratui qui ſpecialiter non rogauit. *Ita Senatus* noſter ſæpius.]

10 Vt ſcilicet appareat ex auctoritate ac imperio Senatus rem agi.

11 Quod Pragmatici noſtri dicunt *ſans diſtraction.* Nec enim niſi cum hac adiectione procurator generalis conſentire ſolet executioni literarum ab extraneo magiſtratu, quiſquis ille ſit, conceſſarum.

DEFINITIO III.

Error expreſſus in die ſententiæ executioni mandatæ non vitiat executionem, ſi modo conſtet, de qua ſententia actum ſit.

NOn eo minus valet iudicati executio, quod per errorem alius ſententiæ dies expreſſus eſt, quam qui exprimi debuit, ſi modo ex litigatorum perſonis & petitę rei demonſtratione conſtet, de qua ſententia victor ſenſerit. [1] Veritas enim rerum erroribus geſtorum non vitiatur. [2] *Ita Senatus* Prid. Id. Nouemb. 1588. in publico auditorio.

1 Sufficit enim vt conſtet de corpore, *l. quoties 9. D. de heredit. inſtit. l. ſi librarius 92. cum ibi not. de regul. iur. l. errore 7. C. de teſtam.*

2 *L. illicitas 6. §. veritas, D. de offic. præſid.*

DEFINITIO IV.

Vna executio non impedit aliam, quamdiu non eſt ſatisfactum creditori, annotationis tamen poteſtas extinguitur, ſi rei perſona capta ſit.

VNa executio non impedit aliam, ſi ex priore non ſit ſatisfactum creditori, [1] cui nimirum permittendum eſt, vt quibus poteſt modis, dummodo licitis & honeſtis ad ſuum commodum perueniat. [2] Itaque cum debitor quidam, cuius bona ex iudicato pignori capta fuerant, iuſſu iudicis [3] prehẽſus eſſet, detruſuſque in carceres, & à poſteriori executione tanquam iniuriosa prouocaſſet, placuit non ſatis iuſtam eum appellandi cauſam habere, ac ni ſolueret, vtriuſque executionis damnum pati debere. [4] Plane ſi bonorum annotatio aduerſus reum criminis contumacem ſolito iudiciorum ordine facta ſit, [5] iiſque poſtea ſui copiam faciat, paratuſque ſit ſe defendere, placet annotationis poteſtatem extingui, omniaque bona ei reſtitui, cuius perſona capta ſit, [6] cum ſola ipſius contumacia & abſentia cauſam dediſſet annotationi. *Ita Senatus* in cauſa N. Depinard, contra Claudium Theuenin, 14. Calen. Decemb. 1588.

1 Ita tamen, vt creditor proteſtetur nolle ſe ex omnibus executionibus niſi ſemel ſuum conſequi, *l. 1. § quia autem, D. quod legat.* Iaſ. *in l. nulli, num. 8. C. de iud.*

2 *L. creditoris 8. D. de diſtract. pignor. l. eſt in arbitrio 14. C. de oblig. & act.*

3 Alioqui non poſſet executio fieri in perſonam debitoris, vt dicemus, *ſeq. Deſin.*

4 Sic enim debet imputare cur non ſoluat quod debet, cum vnica ſolutione poſſit ſe ab vtriuſque executionis incommodo liberare, *l. in numerationibus 44. D. de ſolut. & liber.*

5 *Ex tit. de requir. vel abſent. damnand.*

6 *L. vlt. D. ill. tit.*

7 *L. 1. eod.* Vt ſcilicet ceſſante cauſa ceſſet effectus, *cap. cum ceſſante Extr. de appellat.*

DEFINITIO V.

Bona condemnati non ſunt ex iudicato nec pro iudicato obligata quouſque in iudicati executione capiantur, iudice ita mandante generalibus verbis. Vt vero etiam perſona capi poſſit, ſpeciali iuſſu opus eſt.

QVæ ex iudicato naſcitur actio in perſonam eſt, [1] nec taciti pignoris habet priuilegium. [2] Itaque non aliter condemnati bona pignori capi poterunt, quam ſi condemnato intra ſtatutum tempus non ſatisfaciente hoc ipſum iudex ſtatuat. [3] Statuiſſe tamen intelligitur non ſi ſolum pronunciauerit deberi, quod eſt conſequens debitorem condemnauerit ad ſolutionem, [4] ſed & ſi iuſſerit vt quibuſcunque licitis modis & rationibus debitor ad ſolutionem vrgeretur. Licita enim ſolitaque illa exequendi ratio eſt, vt condemnati bona etiam quæ ante obligata non fuerint pignori capiantur, [5] adeoque non ſeruato illo iuris ordine vt à mobilibus incipi oporteat. [6] Eſt namque in victoris arbitrio, qua in re pignus ſibi velit acquirere, [7] quamuis propria auctoritate nihil ille ſibi vindicare debeat, ſed per apparitorem omnia facere iudicis mandata exequentem. [8] An ergo illud etiam petere ab apparitore poterit, vt condemnati perſona in carceres detrudatur? Minime vero, niſi ex eo contractu ſecuta ſit condemnatio, quo non tantum bona ſua ſed ſeipſum quoque debitor pignori obligauerat, [9] aut niſi iudex iuſta aliqua de cauſa idipſum permiſerit. [10] Alioqui iniuriosa eſt executio, & à qua iuſte prouocari poteſt. '' *Ita Senatus* pro Iacobo Butauand contra D. de la Serrà, 5. Non. Aug. 1591. Iunge SC. 15. inf. & SC. 9. inf. de pignor.

1 *L. actori 8. C. de reb. cred. & iureiur.*

2 Quod non niſi quibuſdam cauſis conceditur, *l. 1. & tot. tit. In quib. cauſ. pign. vel hypoth. tacit. contr. D. & C.*

3 Aut à iure quod eſt quadrimeſtre, *l. 2. & vlt. C. de vſur. rei iudic.* aut à iudice, quod eſt arbitrarium hodie.

4 Quoniam qui vult antecedens vult etiam neceſſarium conſequens, *vulg. iurib. l. à Diuo Pio 15. D. de re iudic.* [Obſerua autem cùm tempus condemnato datur ad ſoluendum vſuras non eo minùs currere quæ ante ſententiam currebant *l. 1. in princip. D. de vſur.* ſed tamen non debere victorem etiã qui ex

BIU Cujas

alia sit prouincia, sumptibus victi exhiberi, ne iuris beneficium ei cedat in dispendium. Planè potest comminatio fieri condemnato, vt ni intra præstitutum tempus soluat, liceat victori ex aliena venire prouincia tamdiu sumptibus victi in vrbe permansurus, quandiu non satisfecerit iudicato. *Ita Senatus* in causa Dominæ de Trauail, 23. Maij 1614.]

5 Cum pignus ipsum iudiciale per capionem constituatur, *d.l.à Diuo Pio, l.1. & tot.tit.C.si in caus.iudicat.pign.capt.sit.*

6 Qui iuris ordo præscriptus est, *in d.l.à Diuo Pio §. in venditione.*

7 *L.creditoris 8.de distr.pignor.*

8 Ne alioqui sibi ipsi ius dicere videatur, *l.miles, 6. §. qui iudicati, D.de re iud.l.1* D. *quod legat.d.l.à Diuo Pio, l.non est singulis, 186.de reg.iur.*

9 Etsi enim nouatio fit ex iudicato, *l vlt.C.de vsur.rei iud.* nunquam tamen ea nouatio facit deteriorem victoris conditionem. *l.aliam, 29.D.de nouat.l.euidenter.16.* D. *de except.rei iud.l.non solet, 86.de reg.iur.*

10 Iussus enim iudicis pro iure est, *l.non videntur, 76. § 1. eod.tit.* Non deberet autem iudex hoc permittere, nisi in subsidium, si aliunde & ex bonis satisfieri victori non posset, vt tractant nostri *ad l nemo potest, 55.de legat.1.* Alio tamen iure vtimur propter calumnias & tergiuersationes, quibus passim vtuntur debitores ad impediendas executiones, quæ fiunt super bonis. Vide Papiens. *in form.execut. sentent. diffin.num. 21. & seqq.*

11 Cum neque possit fieri ex iuris ratione, vt quis expressa conuentione corpus suum pignori obliget, cum nemo sit dominus membrorum suorum, *l.liber homo, 13.D.ad leg.Aquil.* nemo autem possit pignus constituere, nisi qui dominus sit rei, quam vult obligare, *l. & qua nondum. 15. §. quod dicitur,* D. *de pignor.l.1. & tot.tit.C.si alien.res pign.dat.sit.* Vide DD. *ad l.ob as. C.de oblig. & action.*

DEFINITIO VI.

Quod in executione iudicati per condemnatum ante omnia fieri debuit, si per eius tergiuersationem factum non sit, an & quatenus pro facto haberi debeat?

QVi iudicati executionem prius petere non potest, quam aliquid factum sit quod aduersarij sumptibus & diligentia expediri oporteat, post moram in eo faciendo contractam ab aduersario paratam habet actionem, ac si iam factum esset, quod per condemnatum stat ne factum sit. [1] Hac enim ratione frustrantium tergiuersationem coerceri merito placuit. [2] Nec quicquam in eo fit contra rei iudicatæ auctoritatem: cum euidenter iniquissimum sit prodesse rem iudicatam ei, qui ex parte sua nolit satisfacere iudicato, [3] æquumque sit ex contrario conditionem pro impleta haberi, quę per frustratorem impleri debuit. [4] Sane si quod aduersarius facere debuit versetur circa rem, cuius debitor sit is, qui iudicati executionem postulat, vtputa si liquidandum fuit, quid & quantum esset in augmento monetę per victorem restituendę, aut in detractionibus faciendis ex fideicommisso, quod victori adiudicatum sit, non vsque adeo proderit victori mora condemnati, vt pro debitore non habeatur qui vere debitor manet. [5] Quid ergo? Liberabitur victor satisfando eius rei nomine, quam, si mora nulla per aduersarium facta esset, soluere ante omnia debuisset. [6] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis de la Chambre & Dn. Marguaretę de la Chambre eius amitæ, 9. Calend. Decembr. 1588. Junge Defin. 12. infr.

1 *Ex reg.l.in omnibus causis, 39.l.in iure ciuili, 161.de reg. iur.l.iure ciuili, 24 de condit. & demonstr.*

2 Ne alioqui sit in potestate condemnari facere vt numquam conueniri possit, *l.2. Scæuola.de eo, quod cert.loc. l solemus. 61.* D. *de re iud.l inter stipulantem, 83 §.1. de verb.obl.*

3 *L.si iudex circumuento, 43.* D. *de minor.* iunct. *l.Iulianus, 13. §. offerri.* D. *de action.empt.*

4 *d.l.iure ciuili, 24. de condict. & demonst. l.in iure ciuili, 161. de reg.iur. l.in executione 85 § vlt. de verb obl.*

5 Nemo enim ob solam aduersarij moram desinit esse debitor, quamdiu non intercidit quod debetur, *l.si ex legati, 23.* D. *de verb.obl.* pecunia autem in genere debita non potest perire, *l.incendium, 11.C.si cert.pet.*

6 Vt ita satisdatio sit quodammodo vice solutionis & satisfactionis, quod vtique regulariter non ita est, *l.quod si non soluere, 10.D.de pignor.act l.item liberatur, 6 §.1.* D. *quib.mod.pign. vel hypoth.soluit.* Iunge *l.statuliber rationem, 5.§.1. D.de statulib.*

DEFINITIO VII.

Iudicati executio potest fieri etiam contra singularem successorem, qui successerit in ius condemnati, adeoque in eum qui emit lite pendente.

ALienata re, cuius nomine ad certam præstationem annuam venditor fuerat condemnatus, iudicati executio fieri potest etiam contra emptorem aliumve singularem quemlibet possessorem. [1] Quidni vero? Cum & si ante rem iudicatam liteque adhuc pendente facta esset alienatio, [2] non ideo minus iudicati executionem pati cogeretur is, quilite pendente emisset. [3] Quare non est quod quis hic obijciat personalem obligationem, qualis illa est, quę ex iudicato nascitur, [4] in singularem successorem transire non solere. [5] Id enim tum obtinet cum in personam pure actum est, non item cum eius rei nomine quæ iudicati exequendi tempore alienata reperitur: [6] ne alioqui eueniat vt victoris durior conditio fiat per factam se inscio alienationem. [7] *Ita Senatus* pro D. Episcopo Matisconensi, contra Dn. d'Vrfe, Marchionem de Pauge, in secreto auditorio, 9. Calend. Decembr. 1588.

1 Boer. *quæst.182.nu.48. & seqq.* Ias. *in l.quadam, 9 §. nihil interest, vers. quarto pondera* D. *de edend.* Text. est *in l.si à te, 9. §. vlt. l.exceptio, 28. cum l.seq §. vlt.* D. *de except.rei iud.*

2 Siue per litem facta esset res litigiosa, siue non; vt not. in *Auth.litigiosa, C.de litigios.*

3 *L.1. & 2.C.eod.tit. De litigios.*

4 Vt dixi *Defin. 5. supr. ex l.actori, 8 C.de reb.cred.*

5 *L.vlt. §.1. D.de contr.empt. l.1. §. si heres* D. *ad SC. Trebell.*

6 Cum non possit alienatio fieri, nisi cum sua causa, *l.alienatio, 67.de contr empt.*

7 Quod permitti nunquam debet, *l.1* D. *de alien.iudic.mut. caus fact.l.non debet alteri, 74.de reg.iur.*

DEFINITIO VIII.

Pro iniuriosa executione non tantum is, qui eam fieri curauit, condemnatus est, sed etiam ipse executor, si sit in dolo.

nota

SI apparitor ad exequendum datus perperam exequatur, eoque nomine is, qui iudicatum fieri postulat, condemnandus sit in id omne, quod interest debitoris, [1] non ideo liberatur apparitor, quin mulctam pendere debeat, non tantum fisco, [2] sed etiam ei, qui iniuriosam executionem passus est, si modo quod in officio deliquit tale sit, vt non culpam duntaxat, sed etiam dolum præ se ferat. [3] Neque enim delicti pœna commune quicquam habet cum rei persecutione. [4] *Ita Senatus* contra Clementem Augustard, 6. Jd. Decembr. 1588. Junge Definit. 4. infr. De iniur.

1 Quia scilicet factum executoris est factum partis, *l.si ob causam, 13.C.de exact.l.1 & 2 C.si in caus.iud.pign.capt.sit.*

2 Interest enim publici vindicari crimina omnia. Sed ea præsertim, quæ sub prætextu officij publici fiunt, *l.prohibitum, vbi not.C.de iur.fisc.l.Diuus, 6.§. vltim.de custod. & exhib. eor.*

3 Nam nec magistratibus ipsis licet aliquid iniuriose facere, *l.nec magistratibus. 32. D.de iniur.*

4 *L.Papinianus, 20.* D. *de minor. l.si pro fure, 7 §.1.* D. *de condict.furt.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Executor merus nullam habet causæ agnitionem, in Senatore secus est, & quid si is, qui ex instrumento authentico & guarentigiato conuenitur, proferat apocham fide publica subnixam, ad probandam solutionem?

MErus executor nullas omnino admittere potest exceptiones: [1] nec si iam factæ solutionis instrumentum publicum & authenticum proferat is, qui fuit condemnatus: [2] tametsi verum sit, etiam in executione iudicati solutionem obijci posse, vt & cæteras exceptiones quæ non impugnant iudicatum. [3] Nam apud iudicem opponi eiusmodi exceptiones debent, non apud executorem, qui causę cognitionem nullam habet. [4] Ergo si iudex ipse sententiam suam exequatur, aut alius à iudice datus executor, quem mixtum vocant, quales sunt Senatores, quibus Senatusconsultorum executio à Senatu mandatur, aliud erit, [5] hactenusque admittendæ erunt exceptiones istæ, de quibus in promptu appareat, non vt super ijs ex tempore pronuncietur, sed vt tantisper iudicati executio differatur.[7] At si præcisa executio facienda sit ex eo diplomate, quod de debitis appellamus, neque executor, neque iudex quisquam remorari eam potest prætextu instrumenti cuiuslibet, quantumuis publici & authentici, [8] siue ex eo instrumento solutum debitum, siue in longiorem diem prorogatam solutionem fuisse probetur. [9] Nihil enim inaudita parte constituendum est, [10] satisque debitori in eo cautum est, quod si indebite quid exactum erit, condemnabitur postmodum creditor in id omne, quod interierit debitoris. [11] Atqui inquies, diploma illud inaudita parte conceditur. Fateor, quoniam instrumentum publicum, & vt vocant, guarentigiatum, habet ex se vim sententiæ & condemnationis. [12] Sed & Principis potestas & auctoritas in eo versatur, sibique imputare debitor debet, cur non ipsi instrumento debiti inseri curauerit scripturam solutionis aut datæ prorogationis. [13] Sane si præscripta illa executio fiat mandante iudice, potest enim iudex, cui apocha solemni instrumento conscripta exhibetur, iubere vocari ad se creditorem, atque interim inhibere executionem, licet creditori satisdationis onus, vt fieri solet, iniunctum proponatur, ne debitori fiat iniuria, si ab eo interim bis idem exigatur. Plane satisdare ipse debet de soluendo, si forte adhuc debere eum tandem apparebit, 17. Cal. Januar. 1589.

1 Quia nullam habet causæ cognitionem, vt sequitur in *De fin.* Guid. Pap. *q.* 70. *l. si vt proponit, 6. C. hoc tit.*

2 Per quod instrumentum probatur solutio, *l. pecuniæ soluta, 14. C. de solut.*

3 *L. cum militi, 16. § 1. D. de compens. l. sunt qui, 16. & seqq. D. de re iud.*

4 Omnes enim exceptiones, cum dentur ex æquitate, sunt examinandæ causa cognita, *l. militi, 36. § veteranus, D. de testam. milit. l. qui liberis, 11 § vlt. de bonor. poss. secund. tab.*

5 Guid. Pap. *d. q.* 70.

6 Nam si altiorem requirant indaginem, aliud est, *l. ille à quo, 13 § 1. ad SC. Trebell. l. 3 in princ. vt in poss. leg.*

7 Melius enim est intacta cuiusque iura seruari, quam post vulneratam causam remedium quæri, *l. vlt. C. in quib. caus. non est necess. in integr. restit.*

8 Nec enim beneficij principalis auctoritas hoc patitur.

9 Quo posteriore casu perinde inhibenda est executio, ac si solutio facta esset, *l. 4 § vltim. l. qui in futurum, 57. D. de pact.*

10 *L. de vnoquoque, 47. de re iudic.*

11 Hæc tamen ratio sola non sufficeret, *l. 3. D. de compens. l. nemo ideo, 17. de reg. iur.*

12 Eo scilicet iure, quo vtimur, non ex ratione iuris communis, *l. 1. vbi not. C. hoc tit.*

13 Quo casu eadem charta probaret & contractum debitum & solutum.

DEFINITIO X.

Non potest fieri executio sententiæ, quamdiu non constat, quid veniat in condemnationem.

SEntentiæ, quę transit in rem iudicatam, nulla fieri potest executio, quousque pronunciatum sit, quid & quantum veniat in cõdemnationem, si forte per sententiam priorem id perfici nondum potuit, aut cum posset, expressum tamen non fuit. Fieri enim potest, vt hereditatẽ Titij tuam esse appareat, nec dum tamen cõstet quidnam sit in hereditate: Quo casu nemo dixerit ob id solum, quod pronũciatum sit, hereditatem tuam esse permitti debere tibi, vt ex causa iudicati, vel hanc rem vel illam vindices, priusquam compertum sit esse hereditariam. [3] Idem est, si quid aliud sit quod impediat, ne certa vlla executio fieri adhuc possit. [3] Itaque si eiusmodi sententiæ exequendæ facultatem præmature petitam iudex victori denegauerit, placet nullam ab ea denegatione appellandi causam habere eum, qui repulsam passus est: [4] multo minus vero audiendum, si tanquam à denegata iustitia velit appellare. [5] Aliud erit si in pignoris possessionem mitti quis iussus sit pro debito, de cuius tota quantitate non appareat. Sufficiet enim constare aliquid, vel minimum deberi, cum pignoris ius indiuiduum esse non ambigatur. [6] *Ita Senatus* ex tempore, 5. Cal. Febr. 1589.

1 Potest enim sententia quidem ipsa esse incerta, sed non executio sententiæ, *l. 1. 2. & 3. cum ibi not. C. de sent. quæ sine cert. quant. proferi.*

2 Nihil siquidem vetat vtrumque verum esse, scilicet hereditatem ad te pertinere & tamen rem illam, de qua quæritur, non esse hereditariam. Nec probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *vulg. l. neque naturales, C. de probat. l. non noc 4. C. vnde legit. l. inquisitio 18. C. de solut.*

3 Executionis enim actus semper vnicus & indiuiduus est, ideoque nec posset pro parte valere executio, & pro parte non valere, quod in sententia non semper idem est, *l. etiam 29. § 1. D. de minor.* licet videatur obstare *l. in hoc iudicio 27. D famil. ercisc.* Vide quæ scripsi in Rationalibus, *ad d. l. etiam.*

4 Esset enim hoc incipere ab executione, quod ferendum non est, *l. 1. C. hoc tit.*

5 Non enim iustitiam denegare videri potest, qui petitam rem iniustam iuste denegat.

6 *L. rem hereditariam 65. D. de euict. l. in executione 85 § pen. D. de verb. obl. l. quamdiu 6. C. de distr. pignor. l. 2. C. debit. vendit pignor. imped. non poss.*

DEFINITIO XI.

Non facile danda est actio victori contra executorem iudicati, quamuis emptores, qui præsenti pecunia emere debuerant, facti sint non soluendo.

SI in executione iudicati iudex bona hereditaria distrahi iusserit, vt ex pretio satisfieret ex ordine creditoribus, in eamque rem pretia, quæ ex venditionibus redigerentur, deponi præceperit, vt moris est, penes magistratum municipalem, [1] per quem postmodum distributio, solutioque fieret, iuxta eam formam, quæ per sententiam præscripta esset, Magistratus vero postulante herede, qui beneficium legis & inuentarij imploraverat, eodemque creditore, curauerit, vt bona sub hasta venderentur, nec tamen, vt fieri oportuit præsenti pecunia: [2] Placuit nullam aduersus ipsum actionem eo nomine competere, [3] licet emptores facti sint, aut iam tum fuerint non soluẽdo, propterea quod multo æquius sit imputari heredi, cur venditionibus non interfuerit, impediturus ne quisquam ad emptionem admitteretur, nisi qui vel

BIU Cujas

soluendo esset, vel præsentem pecuniam numeraret, quam executori damnosum esse officium suum, [4] præsertim cum neque actionem vllam de pretio contra emptores habere potuerit, quam heres ipse paratam semper habuit. [5] Neque enim qui solutionem accipere iussus est, exigere quoque iussus videtur. [6] Plane si ex posterioribus creditoribus quidam emerint, & pretium, quod ex præcepto iudicis executori soluendum erat, vt postea creditoribus ex ordine distribueretur, soluerint alijs creditoribus, licet herede ipso anterioribus, verius est, non esse illos liberatos, quo minus postulante herede, aliove quolibet creditore, cuius interfit, cogantur iterum executori soluere, [7] quoniam sententia, vt dici solet, stricti iuris est, cui proinde omnimodo & in forma, quod aiunt, specifica satisfieri oportet: [8] Maxime cum & heredis & alterius cuiuslibet creditoris permultum interfit, ne pro consequendo debito in varias litigatorum personas distringatur. [9] *Ita Senatus* ex tempore pro Annemondo de Costa, contra Ioannam Gentil, Mense Januar. 1589. & pro dicta Joanna, contra Baltazardum Gentil, 8. Jd. Mart. 1589.

1 Castellanum & Curialem hodie vulgo vocant.

2 Debet enim pignorum venditio, quæ fit in executionem iudicati, fieri præsenti pecunia, *l. à Diuo Pio* 15. §. *sed si emptor, D. de re iud.*

3 *d. §. si emptor, vers. maxime cum nec habeat*, licet eum locum aliter intelligat Bartolus, & male, vt scripsi in libris Coniecturarum.

4 *L. videlicet* 29. *D. ex quib. caus. maior. l. sed si quis ex signatoribus* 7. D. *de testam. quem. aper.*

5 Non enim potest imputari ei, qui agere non potuit, cur non egerit, quamuis debitor interim factus sit non soluendo, *l. si quid possessor* 31. §. *pen. D. de petit. her.*

6 Cum multo sit facilius habere ius accipiendę solutionis, quam exigendæ, *l. cui recte* 10. *l. si debitorem* 21. *l. non ideo* 25. *D. de nouat. l. quod stipulatus* 10. *D. de solut.*

7 Sibi enim debet imputare, qui male soluit, & contra formam à iudice præscriptam.

8 *L.* 1 *C. si plur. vna sentent. condemn. sint.*

9 *L. & ancillarum* 25. §. *vlt.* D. *de pecul.*

DEFINITIO XII.

Impensarum nomine in alienam rem bona fide factarum competit retentio in executione iudicati, quamuis nihil de eo in sententia dictum sit.

BOnæ fidei possessore, qui multas in fundum alienum impensas vtiles fecerat, ad fundi restitutionem condemnato, si de impensarum iure nihil pronũciatum fuit, [1] habenda erit earum ratio in executione iudicati, vt eo nomine possessor habeat retentionem; [2] si non stet per eum, quo minus statim æstimentur & soluantur. Nam si quid ab eo fiat frustrandæ executionis gratia, victorem interea in fundi possessionem mitti oportebat; [3] prius tamen præstita satisdatione de soluendo, quanti eas impensas esse ex postfacto apparebit. [4] *Ita Senatus* in causa N. Juliani de Pradel Aduocati, & heredum Petri Bonaud procuratoris, 9. Calen. Aug. 1591. Junge D. fin. 6. supr.

1 Aliud enim erit, si de ijs, siue iuste siue iniuste pronunciatum sit, quia tunc omnimodo standum est rei iudicatæ, *l. si autem* 8. §. *si quocunque modo, D. de neg. gest. l. quod in diem* 7. §. 1. *D. de commod.*

2 *L. Sumptus* 48. *l. emptor* 65. D. *de rei vindic.* Ne scilicet petitor ex aliena iactura locupleretur, *l. plane* 38. *D. de petit. her. l. heres* 21. D. *ad SC. Trebell.*

3 Ne alioqui sit in potestate condemnati, vt impediat executionem rei iudicatæ per suam frustrationem, *arg. l. solemnis* 61. *D. de iud.* Nemini enim debet frustratio sua prodesse, *l. hominem* 37. *D. mandat.*

4 Remedium enim satisdationis præsentissimum & optimum est pro debitis non liquidis, *l. statuliber rationem* 5. *D. de statulib.*

DEFINITIO XIII.

Executio, à qua prouocatum est, non priuat possessorem sua possessione.

IS, aduersus quem in executione iudicati capta sunt pignora, [1] si ab executore appellauerat, potest pendente causa appellationis pignorum possessionem retinere, eaque sibi habere, nec idcirco quicquam facere videbitur in præiudicium executionis. [2] Appellatio enim sicut extinguit iudicatum, ita executionis vim & potestatem: [3] Satisque victori esse debet, quod appellatione iniusta quandocunque pronunciata, cogetur appellans in eum ipsum statum rem restituere, in quo erat tempore interpositę appellationis, vt executio peragi possit. [4] *Ita Senatus* in causa Dn. Senatoris de la Roche, nunc in suprema Rationalium Curia Primarij Præsidis meritissimi, & N. Joannis Bay, 6. Id. Maij, 1591.

1 Qui solemnis mos est exequendi iudicati, *l. 2. l. vltim. & pass. C. hoc tit.*

2 Quamuis enim ab executore non possit appellari, nisi cum excessit fines mandari, *l. 5. C. quor appell. non recip. l. 4 D. de appellat.* non tamen executoris ea cognitio est, sed superioris, ex cuius auctoritate fit executio, *l. 1. D. quis & à quo appell.*

3 *L. furti* 6. §. 1. D. *de his qui not. infam. l.* 1. §. *vltim.* D. *ad SC. Turpill.*

4 Nec enim appellatio iniusta damnum vllum aduersario afferre debet, *l. tutor* 41. *D. de vsur. l. negotiorum* 14. D. *de appellat. l. vlt. D. de re iudic. l. si longus* 7. *C. hoc tit.* [Diuersum est, si condemnatus interceserit ad executionem impediendam. Nec enim eius interceſſio admittenda est. Ideoque si non obstante executione manserit in possessione, videbitur attentasse, & redintegranda erit victori sua possessio cum fructuum omnium restitutione. *Ita Senatus* ex tempore pro D. Comite Pontisuallium, contra N. Claudium Riuoire, anno 1604 *Iunge Def.* 35. *infr.*]

DEFINITIO XIV.

Excommunicationis sententia secum trahit executionem, siue iusta sit, siue iniusta.

SEntentia excommunicationis trahit secum suam executionem, etiamsi ab ea prouocatum sit, [1] a eo vt nec alia opus sit executione. [2] Indeque est, quod dici solet, excommunicationis sententiam cauendam esse & formidandam, siue iusta sit siue iniusta. *Ita tractatum est* 4. Cal. Junij 1591.

1 *Cap. pastoralis* §. *vlt. Extr. de appellat.*

2 Cum executio semel facta magis fieri non possit. Et sicut factum pro infecto haberi non potest, ita nec actum agere vnquam oportet.

DEFINITIO XV.

Violenta & iniurioſa executio quænam sit, & an executori iniurioso possit de facto resisti?

VIolenta & iniurioſa executio est, si non parente eo, aduersus quem exequendum fuit, executor fores effregerit, aut muros conscenderit, vt in aream descenderet, fores postmodum aperturus. [1] Expectandum enim est vt propter contumaciam parere nolentis iudex, cuius auctoritas læsa est, præcipiat, ijs quoque insolitis modis fieri executionem. [2] Iniurioſa quoque executio est, quæ fit aduersus non debentem, [3] licet pro pecunia quam alius debeat; vt puta pro debito vniuersitatis aduersus vnum ex vniuersitate, qui nec Syndicus sit, nec vllam habeat administrationem, siue virilem is portionem suam iam soluerit, siue non. [4] Prius enim agendum est contra Syndicum, [5] ad cuius officium pertinet curare vt

pro ex-

BIU Cujas

pro exoluendo debito contributio inter omnes fiat.[6] Porro quoties eiusmodi violenta & iniuriosa executio facta est, non solum id omne debet restitui, quod male captum & ablatum fuit,[7] sed etiam habenda ratio est eius quod interest,[8] ita tamen vt pro eo taxando ne noua inde lis oriatur certæ summæ fiat condemnatio.[9] Sed & illud constat, executori de facto, vt aiunt, id est citra mandatum iudicis, aut quod pene idem est, contra mandatum exequenti, de facto quoque impune resisti posse:[10] quanquam & ciuilius & tutius fuerit de executoris iniuria conqueri apud iudicem, ne qua tumultus detur occasio,[11] indeque fiat vt defensio, quę primum honesta & licita fuit, facile declinet in iniuriam.[12] *Ita Senatus* in ea causa de qua Defin. 4. De iniur.

1 Cum domus sit & esse debeat tutissimum cuiusque refugium, *l. plerique* 19 *D. de in ius vocand.*

2 Permittere enim iudex debet etiam insolitos exequendi modos, si per condemnati dolum & contumaciam soliti non sufficiũt, *l. ordo* 3. *C. hoc tit.* Ergo iudicis partes sibi vindicat executor, qui sine iudicis mandato facit propria auctoritate, quod iudex præcipere deberet, *l. si vt proponis* 6. *eod. l. si iniuria* 20. D. *de iniur.*

3 *L. iniuriarum* 13. § *si quis per iniuriam*, *D. de iniur.* Idem est si debitor quidem verus sit, sed tamen paratus soluere; *l. si traditor* 19. *eod. l. si vero* 5. § 1. *D. qui satisd. cog.*

4 Nec enim singuli de vniuersitate intelliguntur debere quod ipsa vniuersitas debet, *l. sicut* 7. § 1. *D. quod cuiusque vniuers. nom. l. vnic. C. vt nul. ex vican. lib.* 11. *tit.* 56.

5 *L.* 2. *& seq. eod. tit.*

6 Guid. Pap. *quæst.* 87. *num.* 4.

7 Nec enim quod per vim & iniuriam factum est ratum haberi vnquam debet, *l. si mulier* 21. § 1. *D. quod met. caus.* ne iniuriarum occasio inde nascatur vnde iura proficiscũtur, *l. meminerint*, *C. vnde vi.*

8 Condemnatione scilicet facienda arbitrio & æstimatione iudicis, *l. constitutionibus* 37. § 1. *D. de iniur.*

9 Ex consilio Iureconsulti, *in l. vlt. D. de prætor. stipul.* quia quatenus cuiusque interfit in facto non in iure consistit, *l. quatenus* 14. *de reg. iur.*

10 *L. contra nostra* 5. *C. de execut. & exact. lib.* 11. *tit.* 61. iunct. *l. prohibitum* 5 *C. de iur. fisc. lib.* 10.

11 *L. non est singulis* 186. *de reg. iur. l.* 3. *C. de pignor.*

12 Quia omnis licita defensio requirit moderationem in culpatæ tutelæ, *l.* 1. *C. vnde vi.*

DEFINITIO XVI.

Syndicus pro debito vniuersitatis potest ex iudicato detrudi in carceres post neglectum præceptum iudicis.

SYndicus ad certam pecuniæ quantitatem vniuersitatis nomine condemnatus, si intra dilationes, quas ei duas aut ad summum tres arbitrio iudicis in eam rem ante omnia dari oportet,[1] non satisfecerit, perinde extrudi potest in carceres, ita iubente iudice, de cuius iudicato exequendo agitur,[2] atque si proprio nomine condemnatus fuisset.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt scilicet interim curet fieri distributionem & contributionem debiti inter municipes secundum id, quod diximus *Defin. præced. num* 6. ex Guid. Pap. *quæst.* 87. *num.* 4.

2 Nec enim sine iussu iudicis potest in iudicati executione detrudi quisquam in carceres, vt dixi *Defin.* 5.

3 Quia licet pro alieno debito id fiat, propria tamen Syndici culpa & negligentia punitur, qui totam diligentiam in ea re præstare debet. Itamen tamen vt aduersus vniuersitatem habiturus sit regressum, quia vniuersitatis non Syndici proprium debitum est. Iunge *Defin.* 1. *§ quib. res iudic. non nocet.*

DEFINITIO XVII.

Pignora capta in executione iudicati prouisionalis reuocantur post reuocatam prouisionalem sententiam, si possideantur ab aduersario, non etiam si empta sint ab extraneo.

VEtum est quod dici solet, prouisionalem sententiam nunquam transire in rem iudicatam,[1] cum ab eodem iudice quandocunque per diffinitiuam reuocari possit,[2] ob idque vix est vt sententiæ nomen mereatur,[3] licet quandiu reuocata non est teneat,[4] nec nisi per diffinitiuam sententiam reuocari queat.[5] Inde fit, vt si qua pignora in eiusdem sententiæ executione capta sint, quę cum sub hasta venderentur, nec alium emptorem inuenirent, victori ipsi addicta fuerint,[6] frustra subhastationibus quasi rite & solemniter factis decretum iudicis adhibeatur, cuius alioqui interpositio, si diffinitiua sententia fuisset, maximę foret vtilitatis.[7] Reuocata enim prouisionali sententia, pignora quoque, licet distracta perinde à victore victo reddi necesse est, acsi nulla sententia præcessisset.[8] Non idem erit si extraneus pignora emisse proponatur. Valet enim venditio irreuocabiliter, licet ex postfacto contingat fiduciariam illam adiudicationem reuocari,[9] salua supremo victori actione in id omne, quod sua interierit aduersus condemnatum. Meliorem enim hac parte conditionem extranei esse ęquum est, quam aduersarij: cum extraneus non accessurus fuerit ad emptionem, si iudicati auctoritatem minus ratam fore credidisset.[10] Quid enim eius interest an prouisionalis, an diffinitiua sententia præcesserit, dummodo iubente iudice publica pignoris distractio fiat?[11] At vero cum idem ille, qui tenetur in id, quod victoris interest, pignora possidet, cur non ea saltem restituat, quę restituere potest? Vtique enim vel tanti saltem interest victoris.[12] Neque ob id solum extranei iure censendus est, quod in vicem & locum extranei emptoris ad emptionem accesserit.[13] Nocere namque ei debet, quod tanquam creditor eam distractionem iniuste fieri curauerit.[14] Nam & cum secundus creditor vel fideiussor soluta priori creditori pecunia pignora susceperunt, dicimus saluum esse debitori aduersus eos ius offerendi, quod aduersus extraneum emptorem saluum non esset, tametsi emptionis titulo ea tenuerint.[15] Nimirum deterior secundi creditoris & fideiussoris, quam extranei emptoris conditio est hoc ipso, quo vel creditor aliquando vel fideiussor fuit.[16] *Ita Senatus* ex tempore 15. Cal. Sept. 1592.

1 Quia si transiret in rem iudicatam reuocari nunquam posset, cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. ingenuum* 25. *D. de stat. hom. l. res iudicata* 207. *de reg. iur.*

2 *L. quod iussit* 14. *D. de re iud.*

3 Sed potius interlocutionis, *d. l. quod iussit, & tot. tit. C. de sentent. & interloc. omn. iud.*

4 Quod enim reuocatum non est cur stare prohibeatur? *l. sancimus* 27. *C. de testam.*

5 Hoc enim est quod Pragmatici dicunt, *cas sur cas n'a point de lieu.*

6 *Ex l.* 1 *& 2. C. si in caus. iud. pign. cap. sit. l. cum bona* 16. *D. de reb. auct. iudic. possid. alias l.* 1. *de priuil. credit.*

7 Impedit enim ne possit exinde dubitari de iuribus subhastationum, ac proinde ne illo prætextu dominium emptori possit auferri per ius offerendi.

8 *Vt in l. si cum nulla* 58. *D. de re iud.*

9 Alioqui nemo volet accedere ad emptionem rerum, quę distrahuntur in executione iudicari, nec si bona fide distrahantur, *l. ait prætor* 7. *alias l. si sine*, § *quæsitum D. de minor.*

10 Nec debet decipi qui secutus est fidem hastæ publicæ, *l. si hypothecas* 8. *Cod. de remis. pignor. l. quacunque* 5. *C. de fid. & iur. hast. fis. lib.* 10. [Quid ergo si creditor qui vice extranei emit, postea eandem rem alij vendiderit, deinde inaudito & non admonito emptore victus sit? Non ideo tamen poterit res aufferri emptori, sed actio personalis danda erit victori aduersus condemnatum, aut iudicati executio facienda in bona condemnati *l. 3. in princip. ff. de pignor. l. iudicata* 29. § . *ff. de except. rei iudic.* Hoc verò tum maximè obtinere debet, cùm emptoris ius confirmatum est per aliquam sententiam, quæ transierit in rem iudicatam. Aut si victus sit creditor apud eum iudicem qui de re pignori capta & vendita cognoscere non potuerit, fortassis sita extra territorium *l. vlt. in fin. ff. de*

BIU Cujas

turisd. Hoc enim casu quemadmodum interuenire oportuit authoritatem iudicis in cuius territorio res sita est *l.cùm vnu 12.§.1.de reb.author. iudic.possid.* Ita nec aliter potest reuocari venditio, quam si reuocetur permissio quæ data fuit exequendæ rei ab alio & extraneo magistratu iudicatæ, vt vnumquodque eo modo dissoluatur quo colligatum est *vulg. l.nihil 35.de reg.iur l.à Diuo Pio 15.§.1. D.de re iud.*

11 Nec enim venditio pignorum fit ad tempus, sed in perpetuum. Alioqui dominium non transferretur ex contractu temporali, *l.1.* vbi Cuiac. *D.de iur.dot.*

12 *L.1 D.de act.empt.l.interdicto 6.D.vnde vi.*

13 *L.2.C si in caus.iudic.*

14 Acsi pro debito missus duntaxat esset in possessionem, vt *in l.3.C.hoc tit.*

15 *L.2.l.cum secundus 5.§.1.D.de distract.pign.*

16 *L.mandatu 59.§.1. D mandat.* Nam sicut venditio illa quæ fit fideiussori vel secundo creditori necessitate iuris fieri solet, vt scriptum est *in d.l.2.* ita & hæc, quæ fit ipsi creditori nullo alio emptore existente, fit ex necessitate, *d.l.2.C.si in caus.iudic.pign.capt.sit d.l.3.C.hoc tit.*

DEFINITIO XVIII.

Allegatio subreptionis & obreptionis non potest remorari executionem rerum à Senatu iudicatarum, sed post factam iudicati executionem reuocandum est arrestum per viam supplicationis, & mulctandus ille qui obrepsit Senatui.

SEnatusconsulta non eo minus mandari debent executioni, quod Senatui obreptum fuisse ex postfacto appareat.[1] Jdnamque rerum iudicatarum auctoritas postulat,[2] quam inconcussam firmamque seruari ad publicam quoque vtilitatem pertinet.[3] Sed hoc ita tamen, vt in solius condemnati perniciem & incommodum id fiat. Jntercedere siquidem executioni potest quisquis non est condemnatus, siue procurator Principis ille sit, siue priuatus quilibet.[4] Sane si circumuenta Senatus religio probetur, curandum erit vt post factam executionem iudicati ad suam æquitatem res reuocetur,[5] proposita in eam rem ciuili supplicatione,[6] adeoque mulctato eo, qui obreptitij aut subreptitij Senatusconsulti auctoritate in alterius dispendium abusus est.[7] *Ita Senatus* pro D.de Bienuenu, contra D.du Chastelard, 12.Cal.Sept.1592.

1 Quamuis dici soleat, id, quod per obreptionem factum est, pro infecto haberi debere, *l.magis puto 5.§.pen. D.de rebus eor.qui sub tutel.l.si quis obrepserit 29. D.de leg.Cornel.de falsis.*

2 *Arg.l.Diuus 33.D.de re iud.*

3 *L seruo 65.§.cum prætor, D.ad Senatusc.Treb.cum similib.*

4 *Ex tit.C.res int.alios act. vel iudic.alijs non nocer. l.de vnoquoque 47 D.de re iud.*

5 *Arguim.l.maioribus 3.Cod.commun.vtriusque iudic.dict.l. Diuus.*

6 Cuius auxilium moribus nostris necessarium est aduersus Senatusconsultum, vt dixi *Defin.1.& pass.5.de sentent. præf. prætor.*

7 Id enim est quod sibi vult Callistratus, *in d.l.Diuus*, in ijs verbis *& rem seuere vindica.*

DEFINITIO XIX.

Pro expensis taxatis non potest quis detrudi in carceres, nisi specialiter idipsum à iudice mandatum sit.

JNferiorum iudicum mos est, vt taxatione facta expensarum litis, in quas alteruter collitigantium condemnatus est, literas, quas iniunctionales vocant, prius emittant, quibus iubeatur tantum condemnatus non etiam vrgeatur, vt intra breue tempus triduum forte[1] aut decendium expensas soluat. Quibus si non pareat aliæ literæ dentur, præcisas appellant, quarum potestate & pignora capi possint, & condemnatus detrudi in carceres.[2] Quid ergo si priorum auctoritate cum primo iussui iudicis condemnatus non paruisset in carceres detrusus sit? Vtilum est habere illum iustam appellandi causam, quasi fines mandati executor excesserit.[3] Etsi enim iubentis iudicis ea est auctoritas, vt parere illi sit necesse,[4] speciali tamen mandato aut saltem generali opus est ad capienda pignora,[5] imo prorsus speciali, vt persona ipsa pignori capi possit.[6] Nec si iudex hoc tantum præcepit, impensas solui, debet executor continuo ad præcisam executionem decurrere.[7] Neque ad rem facit, quod qui condemnatus est tanto plus impensarum nomine debiturus sit, si alias literas victor impetrare cogatur. Nam tanto æquius ferre victor debet, qui superuacuâ impensam à condemnato sit reperiturus.[8] Quod si forte inutilis ei futurus sit regressus præ inopia debitoris,[9] humanius tamen & iustius est tam leuis impensæ iacturam eum pati, quam eo prætextu induci vt à solito iudiciorum ritu vel tantillum discedatur.[10] Neque rursus mouere potest, quod cum de SC. in executione agitur, eo iure vtimur, vt bonis executorialibus, quas dicunt, opus non sit. Jdenim ad Senatus auctoritatem pertinet, vt ei citius, quam inferioribus iudicibus pareatur.[11] Quam ob causam illud etiam obseruatur vt mandatum Senatus insertam habeat eam clausulam, *Mesmes par emprisonnement de la personne du condamné si mestier est*, ita vt non possit dici executorem fines mandati excedere, qui ex eiusmodi mandato detrudit condemnatum in carceres. *Atque ita Senatus* pro iudiciarij moris obseruatione pronunciauit in publico auditorio, 8.Cal.Decemb.1592.

1 Nec enim breuius tempus triduo præstitui potest. Alioqui iusta causa est appellandi tanquam a facta per præcipitationem executione. Iunge *Defin.27.j.*

2 Ita scilicet mandante expressim iudice, alioqui non posset condemnatus conici in carceres, vt dixi *Defin 5.5.*

3 Appellari enim potest etiam ab executore mandati fines excedente, *l.ab executione 5.Cod quor.appell.non recip.l.4. D.de appellat.*

4 *L.non videntur 167.§.1.de reg.iur.*

5 *L.12 & vlt C hoc tit.*

6 Quia iuris ratio repugnat, vt dixi *Defin.5.num.11.5.*

7 Non enim æquis iniuria est si in ius ducatur is, qui velit soluere, *l si creditor meus 29.D.de iniur.l.3.§.1. D.qui iussu.agant.*

8 Vt proinde nihil ei hoc nomine obesse videatur, *l.is qui actionem 15 de reg.iur.*

9 *L nam is 6 D de dolo.*

10 *L.1.& vlt.C.hoc tit.* Nihil enim facile mutandum est, ex solemnibus, *l.et si nihil 18.de reg.iur.*

11 Tanto maior enim parendi necessitas subest, quanto maior est magistratus, qui imperat, præsertim cum ab eo appellari non potest.

DEFINITIO XX.

Executor admittens exceptionem, quam admittere non debuit, & ita delinquens in officio, condemnari eo nomine debet.

IS, qui mandatum iudicis non sicuti iussus est præcise exequitur, sed rei exceptionem admittit, quæ citra causæ cognitionem admitti non potuit, peccat in officio,[1] cum nullam causæ cognitionem ne minimam quidem adrogare sibi possit, qui merus executor est.[2] Jdeoque & condemnari potest in id omne, quod interest actoris,[3] maxime vero si per dolum, id est per sordes aut gratiam quid fecisse probetur. *Ita Senatus* ex tempore pro N. Grobon, 14.Cal. Mart.1593. comprobata Augustanorum lege, quæ apparitori si post triduum executionem accepti mandati rite factam & scripto testatam non referat, mulctam eo nomine infligit.

1 Facit enim rem ad se non pertinentem, cum iudicis partes sibi adrogat, *l.si vt proponis 6.C.hoc tit.*

2 Vt dixi *Defin.9.5.* ex Guid.Pap. *quæst.70.*

3 Abo-

BIU Cujas

3 Ab eo scilicet iudice, cuius notio est, iuxta distinctionem Boer. *quæst. 9. num. 15.* In eamque rem vnica citatio sufficit *l. si appellatione, C. de cohort. lib. 12.* Nam & sunt qui putent posse apparitorem ex hac causa etiam non vocatum condemnari, ex *l. ne diu. C. de pæn.* quo tamen iure non vtimur, teste Boer. *ibid. n.* 10. Iunge *Defin. 9. I.*

2 *L. Diuus 33 D. de re iudic.*

DEFINITIO XXI.

Qui tantum creditor est condemnati, non potest remorari executionem iudicati. Secus si sit dominus, nisi contra illum habuerit possessor ius retentionis, aut nisi sit heres illius, à quo ius habeat condemnatus.

POssessore condemnato, si rei iudicatę intercedente quis velit eo prætextu, quod eundem possessorem, eiusque bona obligata habeat, licet ex causa anteriore, audiendus non est, cum non ipse, sed condemnatus possideat. Satisque illi esse debet, quod quam aduersus condemnatum siue in rem, siue in personam actionem habiturus erat, eadem ipsi contra victorem et am post executionem salua futura sit. [2] Itaque mandanda erit executioni sententia, nil obstante eiusmodi intercessione, saluis tamen iuribus intercessoris. [3] Et, si prouisionalis sententia fuit, prouisionalis quoque executio permittenda erit sub ijsdem fideiussoribus, qui litis periculum erga condemnatum susceperunt, si sint idonei. [4] Quid si is, qui intercedit rem, in quam executio facta est, suam esse adserat? Vtique audiendus erit, [5] nisi ponas retinendæ rei ius habuisse illum, qui condemnatus est quoadusque pecunia sibi solueretur. [6] Puta si intercedentis quidem nomine, sed de pecunia condemnati empta res fuisset. [7] Hoc enim casu quemadmodum non posset dominus aufferre rem cõdemnato, nisi soluto prius pretio, [8] ita nec prohibere quo minus in eam rem executio fiat, vt eodem iure vtatur victor, quo condemnatus vteretur. [9] Sed & alio casu non audietur dominus intercedens, nempe si heres sit in solidum aut pro parte illius, qui eam rem condemnato legauerit, aut institutionis titulo cõcesserit. Certum enim est posse testatorem heredis res legare perinde ac suas, tametsi per errorem suas esse putauerit. [10] Nec quod pro parte tantum heres sit testatoris, faciet vt eo minus solidæ rei legatum ratum habere compellatur. Tunc enim quotam hereditatis partem quis habeat, inspicimus, cum de ijs actionibus disputamus, quibus vel agere potuit defunctus vel conueniri. [11] Hic vero de illo duntaxat agimus, vt quam heres particularis rei suæ iacturam facit, eam quantacumque sit cum portionis suę emolumento cõpensare videatur, [12] quippe qui hereditatiam portionem agnoscens sciuerit aut scire debuerit non alia lege posse heredem fieri se, quam vt rem suam à testatore legatam aut coheredi pręlegatam legatarij vel coheredis fieri pateretur, [13] Vt proinde imputare sibi debeat, cur portionem sibi delatam tanti æstimauerit. [14] *Ita Senatus* extempore, pro D. de S. Mauris, contra D. de la Croix, Prid. Id. Junij 1593.

1 Aliud ergo erit si is, qui intercedit ipse possideat, puta ex clausula constituti.

2 Quisquis enim succedit in ius condemnati, eodem iure vtitur, *l. iudicata 29. §. vlt. D. de except. rei iudic* fit enim alienatio cum sua causa, *l. alienatio 67. D. de contrah. empt. l. vltim. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alienat.* Nemo enim facto suo actionem alienam potest adimere, *l. Gramus 71. §. penult. D. de fideiuss.*

3 Quæ clausula conseruat ius si quod competit intercessori, *l. 4. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l. Babius 30. in fin. D. de pact. dotal.*

4 Nec enim noui fideiussores siue causa quærendi sunt, *l. 3. §. vlt. & seq. D. vt in poss. legat.*

5 Ne alioqui noceat domino res inter alios iudicata, contra *l. 1. Cod. inter alios act. vel iudicat. alijs non nocer. l. in quod nostrum 11. de reg. iur.*

6 *Vt in l. si area 33. de condict. indeb. l. heres 21. D. ad Senatusc. Trebell.*

7 Quo casu res non est illius, cuius fuit pecunia, sed illius cuius nomine empta & tradita, *l. qui alienam 8 & pass. Cod. si quis alter. vel sibi.*

8 *L. si patruus 4. C. commun. vtr. ind. l. 2. C. pro socio.*

9 *d. l. iudicata 29. §. vlt.* iunct. *l. si à te 9 §. D. de except. rei iudic.*

10 *L. vnum ex familia 69. § si rem. de legat. 2. vbi elegans ratio redditur.*

11 *L. 2. l. penult. & vlt. C. de hered. action.*

12 *Arg. l. quæ dotis 33. solut. matr. l. cum pater 77. §. Titio fratri antepen. de legat. 2.*

13 *d. l. vnum ex familia 67. §. si rem, de legat. 2.*

14 *d. l. quæ dotis, & d. §. Titio fratri.* iunct. *l. Imperator 70. §. si centum, de legat. 2.*

DEFINITIO XXII.

Executio facta die dominico etiamsi facta sit pro debito reuocanda omnino est, sed postulante procuratore fiscali potius quam ipso debitore.

SOlent qui debitores suos latitantes facile comprehendere non possunt, die aliquo dominico aliove festo repertos iubere prehendi, detrudique in carceres. [1] Quod quia contra leges à se factum sciunt, [2] postmodum profitentur se ab ea executione discedere, paratosque esse debitori præstare quanti ob eam causam ipsius interest [3] nec eo minus tamen in carceribus debitorem retinent, hoc prætextu quod quauis nulla perperamque facta sit executio, sufficiat tamen pro vero debito factam esse ad hoc vt teneat, nec obtentu nullitatis reuocari possit nisi debitor in promptu offerat quod debet. [4] Placuit non esse id permittẽdum, & ad publicum exemplum pertinere, vt qui ex eiusmodi causa contra leges in carcerem detrusus est, inde eximatur, & in plenam libertatem vindicetur; [5] id omne pręterea cõequatur, quod sua interest, saluo creditori iure nouę executionis instituendæ. [6] Neq; enim quęrendum est, an debeatur cum agitur de læsa pietate, quam exemplo & extemplo vindicari publice interest. [7] Neque id à iuris etiam communis ratione alienum est, vt qui male fuit in carceratus ante omnia liberetur, ne ex improbo creditoris facto fiat deterior incarcerati conditio, si non statim omnia in pristinum statum restituantur. [8] Sed procuratoris fiscalis aut qui in eius locum substitutus sit auxilium implorandum est, vt ex eius persona consequatur debitor quod ex propria obtinere non posset. [9] *Ita Senatus* in relationibus libellorum 14. Cal. Decemb. 1593.

1 Exemplo fortassis eius quod solemus dicere fugientem debitorem posse capi à creditore propria auctoritate creditoris, adeoque aufferri ei pecuniam si quam secum ferebat, *l. ait prætor 10. § si debitorem meum 16. D. quæ in fraud. cred.*

2 Interdicta enim est die dominico & alijs huiusmodi diebus omnis figura, omnisque strepitus iudiciorum, & omnis executio, *l. 2. l. vlt §. . C. de feriis.*

3 Omnis siquidem executio iniuriosa condemnationem habet eius, quod interest, vt dixi *Defin. 15. num. 85.*

4 Ita enim ex ratione iuris etiam stylo nostro cautum est, *in tit. De criees & subhastations.* Intellige siue agatur de missione in possessionem siue de decreto.

5 Quicquid enim contra leges factum est pro infecto haberi oportet. *l. non dubium 5 C. de legib.*

6 Nemo enim iuris sui iacturam hodie patitur ob id solum quod male executus sit, aut non satis rite egerit. *l. 1. vbi not. C. de plur. petit. l. 1 & 2 C. de formul. & impetr. act. sublat.*

7 Summa enim semper ratio est quæ pro religione facit, *l. sunt personæ 43. de relig. & sumpt. funer.*

8 Non enim leuis iniuria est si quis detrudatur in carceres eo tempore, quo nec in ius vocari posset, *l. si creditor 29. D. de iniur. l. 5. §. 1. D. qui satisd. cogant.*

BIU Cujas

9 Id enim non est nouum, vt quis ex alterius persona id consequatur quod ex sua non posset, *l.3.D.quæ res pignor. l.cum hereditate 55.de acquir.hered. l.si is qui duos 29. D.de lib.legat.*

DEFINITIO XXIII.

Non potest creditor debitorem suum etiam fugientem detrudere in carceres, nec si statim probet debitum & offerat satisdationem, adeoque paratus sit eosdem ipse pati carceres.

DEbitorem quidem fugientem creditor propria auctoritate prehendere potest hactenus, vt ei pecuniam, si quam habet, auferat, ex qua sibi soluat,[1] maxime si debitor sit iam condemnatus aut pro condemnato habendus, qualis ille est, qui se instrumento publico & guarentigiato obstrictum voluit. [2] Sed in carceres detrudere non potest, ne quidem per apparitorē si iudicis auctoritas nulla interueniat.[3] Neq; ad rem pertinebit, quod in promptu constet de debito,[4] paratusq; sit creditor eosdē pati carceres, quousq; apud iudicem satisdederi. de indemnitate debitori præstanda in eum casum, quo executionem pro indebito factam esse postea appareat. Est enim mali exempli vt cuiquam permittatur sibi ipsi ius dicere,[5] nec quod seipsum creditor in carceres coniicit aut satisdationem offert, delere potest iniuriam quæ fit debitori, cum is inuitus & inauditus in carceres coniicitur.[6] Quanquam inter mercatores Lugdunenses ita receptum audio iure quodam speciali & mercatorum proprio, inter quos scrupulosum iudiciorum ritum & ordinem obseruari minus necesse est. [7] Igitur qui perperam sic incarceratus fuit, relaxari debebit, secundum ea quæ superiore SC. scripsimus. Hæc tamen differentia, quod hoc casu si debitor de facta sibi iniuria conquerens apud iudicem non neget se debere, & euidenter non soluendo sit, non aliter liberandus est, quam si satisdet de iudicato soluendo.[8] Semper enim creditori iusto consulendum est vt quantum fieri potest debiti causa in tuto sit,[9] cum iniuria quæ debitori facta est priuata magis videri debet, quam publica. [10] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 15. Cal. April. 1594.

1 *L.ait prætor 10.§ si debitorem meum, D.quæ in fraud.cred.*

2 Quoniam huiusmodi instrumenta guarentigiata habent vim sententiæ & condemnationis.

3 Vt dixi *Defin 5.nu.10. & 11.5.hoc tit.*

4 *Arg.l.3.in princ.vt in poss.legat.*

5 *L.1.D.quod legat. l.extat. 13 D.quod met.caus. l.non est singulis 186.de reg.iur. l.1.C.de pign.*

6 *L.iniuriarum 13.§ si quis per iniuriam, l.si creditor 19.D. de iniur.*

7 Sed præcipue bonam fidem, quæ apices istos iuris non curat, *l.si fideiussor 29.§.quadam, D.mandat.* Nempe propter vtilitatem promiscui vsus, vt *in l.si quis mancipijs 17.§.si impubes, D.de inst.act.*

8 *Arg.in l.omnibus 41.D.de iudic.*

9 *L.pro socio, 38. D.pro socio, l 5.§.1. D.vt legat. seu fideicom. seruand. caus. caueat.*

10 Si enim publica sit iniuria præferenda est vtilitas publica priuatæ, *l.ita vulneratus 51.§.vlt.D.ad leg. Aquil. Auth.res quæ, C.commun.de legat.*

DEFINITIO XXIV.

Ex instrumento quamuis authentico si extra prouinciam factum sit, non potest vllo casu fieri præcisa executio sine satisdatione, nec si creditor sit mercator.

PRæcisa executio ex instrumento authentico quidem, sed extra prouinciam confecto fieri non potest,[1] nec si creditorem proponas mercatorem,[2] nisi præstita satisdatione, quia neque ex instrumento per notarium nostratem conscripto talis executio fieri posset;[3] siquidem præstandæ satisdationis necessitas, quoties incipitur à reali executione, non aliter redimēda est, quam si agatur ex diplomate illo, quod Debitis vocant.[4] Id enim propter nomen & auctoritatem Principis hoc priuilegio dignum visum est.[5] Porro cōstat huius diplomatis vsum nullum esse ad ea instrumenta pertinere, quę extra prouinciam conscripta sunt,[6] licet alioqui publicam fidem habeant, omnesq; solemnitates, ex quibus instrumentum authenticum & guarentigiatum æstimari solet. [7] *Ita Senatus* in causa Andrææ Callier, & Joannis Verdon, 6. Cal. Jun. 1594.

1 Regulariter namque incipiendum est ab actione non ab executione, nisi cum iure municipali aut prouinciali aliter cautum est. *l.1.C.hoc tit.*

2 Nullum enim tale priuilegium apud nos habent mercatores.

3 Id est sine satisdatione, quam semper præcedere necesse est.

4 Quo casu sicuti satisdationis necessitas creditori remittitur, ita hoc minus creditor consequitur, quod pecuniæ debitę & obsignatæ traditionem, vt sibi fiat, vrgere non potest.

5 Facit *l.à iudice 5.C.de iud.*

6 Sic enim ferunt expressim verba huiusmodi rescriptorum, & restricta sunt ad instrumenta recepta per notarios Ducales.

7 Adhibito nimirum sigillo magistratus extranei, & solemni testatione de qualitate, fide & probitate notarij, quam vulgo legislationem vocant.

DEFINITIO XXV.

Non debet iudex requisitus permittere executionem sententiæ, quæ contra ipsius requisiti auctoritatem sit reddita.

IAm diximus, requisitum iudicem non posse cognoscere de viribus & iniquitate sententiæ iudicis requirentis, sed tantum de nullitate, hactenus vt si euidenter nullam & contra iudiciorum ordinem latam esse videat, non patiatur mandari eam executioni. [1] Etsi enim eo iure vtimur, vt à sententia quantumuis nulla perinde appellandum sit, acsi teneret, eamque per appellationem rescindi necesse sit:[2] Id tamen ad eas sententias pertinet, quæ ab inferioribus nostris iudicibus, non ad eas quæ ab extraneis proferuntur. [3] At finge requisitam executionem sententiæ, quam iudex requirens tulerit contra auctoritatem iudicis requisiti, puta de re quæ ad solius iudicis requisiti cognitionem spectabat, non quidem cognitione ordinaria, (alioqui non male nullam dicetres sententiam, quæ ab incompetenti iudice lata esset,[4]) sed quia eam cognitionem iudex requisitus sibi iam ante per sententiam vindicauerat, aut retinuerat. Finge Senatum nostrum, cum inter debitorem & creditorem cognosceret, condemnasse debitorem vt solueret non tantum sortem, sed etiam vsuras sumptusque litis,[5] retenta sibi, vt fit, & sumptuum & vsurarum taxatione. [6] Postea vero necdum facta eiusmodi taxatione creditorem hunc reperto Lugduni debitore impetrasse à magistratu Lugdunensi, vt is debitor in ius vocaretur. Deinde causa ex integro cognita, nouam priorique similem secutam condemnationem, & in eius executionem taxatas vsuras litisque expensas. Non debebit Senatus noster pati executionem sententiæ Lugdunensis, tametsi maxime requiratur [7] quod ad eam nimirum taxationem attinet, quæ non nisi Senatus nostri auctoritate fieri debuit. [8] Nec distinguemus an consentiente debitore, an per contumaciam absente ea taxatio facta sit,[9] quia perinde vtroque casu læsa Senatus auctoritas vindicanda est, siue eam magistratus Lugdunensis,

Lugdunensis,siue litigatores ipsi spreuerint.[10] Quare nec ad rem pertinebit, si creditor obiiciat, facto & culpa debitoris coactum se ex integro Lugduni causam agere,de qua iam Senatus noster pronunciauerat. Id enim facere non potest quo minus iudicati nostri auctoritas salua esse debeat.[11] Sane sumptuum nomine, quos Lugduni ad litem retractandam debitoris culpa fieri oportuit, si secuta sit condemnatio,iudicati Lugdunensis executio permittetur.[12] *Ita Senatus* in causa N. Joannis Dionysij Cauet, & R.D. Abbatis Ambroniacensis,3.Non.Jun.1594.

1 *Defin. 1.supr.hoc tit.*vbi vide.

2 Abrogato in hanc rem *tit. quand. prouoc. non est necess. & titul. Quæ sent. sin.appell. rescind. l. si expressim*, 19. *D. de appellat.*

3 Cum nemo possit obligari ex sententia à non suo iudice lata,*l.1.C si à non compet.iud.*

4 *d.l.1.& tot.tit.C.si à compet.iudic.*

5 De quibus scilicet eodem iudicio eademque sententia pronunciare bonus iudex debet, *l.3.& 4. Cod. de fructibus & lit.expens.*

6 Quamuis videatur hæc forma sententiæ, *Cum vsuris competentibus*, improbata esse propter incertitudinem, *l. 3.C. de sent.quæ sine cert.quant.profer. l.in sententiis* 59.§. *qui sortu, de re iudic.*

7 Ne dum alienam iurisdictionem curaret Senatus noster propriam negligere videretur, *l.vltim.vbi not. D. de iurisdict.*

8 In consequentiam scilicet rei per Senatum iudicatæ. Eius enim est taxare impensas litis, qui de principali negotio pronunciauit,Pap.*in form.libell.act.real.in vers.& expensis præsentis causæ.*

9 Quamuis soleat contumacis causa esse durior,quia contra contumaces omnia iura clamant.

10 Frustra enim Senatus nostri auxilium inuocat, qui contra eius auctoritatem commisit,*l.auxilium* 37.*in fin.D.de minor.*

11 Res enim iudicata etiam in alia prouincia facit ius vbique inter easdem partes,si aliud nihil obstet.

12 Quia quod ad illos sumptus attinet non potest dici læsa auctoritas Senatus nostri.

DEFINITIO XXVI.

Non omnis executio facta pro debito tenet, si facta sit nulliter, sed ea demum quæ ideo nulla est, quod sit facta contra formam statuti.

QVod vulgo iactatur, exceptionem quæ nulla sit nihilominus tenere, si sit facta pro debito,[1] ad eas proprie executiones pertinet, quæ ideo nullæ sunt, quod in iis peccatum sit contra formam statuti.[2] Cæterum si ideo nullæ sunt, quod aut die festo,[3] aut per vim & iniuriam factæ fuerint,[4] aut spreta iudicis auctoritate, quæ interuenire debuit,[5] aut denique pro debito quidem, sed nondum liquido,[6] reuocandæ sunt, & condemnandus creditor in omne id, quod reuera interest debitoris, adeoque licet facta sit executio pro debito, quod ex parte liquidum sit, ex parte non liquidum; tametsi nihil debitor offerat,[7] quoniam in actibus indiuiduis, cuiusmodi est executio quælibet facta pro vna eademque summa, præsertim si ponas in carceres coniectum debitorem,[8] generale est vt vtile per inutile vitietur.[9] *Ita Senatus* in eadem causa. [Cùm tamen executio quædam per hypothecariam facta esset in totum fundum, qui non nisi pro parte obligatus erat,[10] & creditor ab ea executione in ipso litis primordio pro parte recessisset,[11] nec eo minùs tamen tertius possessor totius fundi in sua intercessione perstitisset, nulla penitus oblatione facta debiti, Visum est non eo minùs condemnati eum debere ad omnes sumptus litis,[12] confirmata executione pro parte dimidia, maximè cùm identitatem fundi per calumniam debitor negasset, qui tamen eum fundum sub iisdem confinibus emisse proponebatur.[13] Amplius placuit, cùm per imperitiam iudicis ita pronunciatum fuisset, vt inchoatam executionem actori peragere liceret, quæ pro toto fundo fuerat inchoata,[14] perinde tamen victum possessorem qui ab ea sententia prouocauerat in omnes litis appellatoriæ expensas condemnari debere, Tum quia sententiam benignius interpretari sic oporteret, vt non plus quàm petebatur in eam deduxisse iudex videretur.[15] Tum etiam quod in priore calumnia possessor identitatem negando per totam appellationis instantiam perstitisset:[16] *Ita Senatus* ex tempore pro D.de la Croix, contra Martin,7.Id.Febr.1612.]

1 Dixi *Defin.*22.*n.*4.*supr.*

2 Quæ scilicet ad vnguem seruanda est, alioqui minimæ solemnitatis & formæ statutariæ omissio totum actum vitiat, *l. 4.in princ.& § fin.D.de censib.* Ergo non potest debitor impedire missionem in possessionem ex subhastationibus factis contra formam statuti, sicut nec decreti interpositionem,quæ multo maioris momenti est.

3 Vt in specie de qua scripsi *Definit.*22.*supr.*

4 Dixi *Definit.*15.*n.*7.*supr.*

5 *L.non est singulis* 186.*de reg.iur.*

6 Non enim potest imputari debitori,qui non obtulit solutionem quantitatis debitæ quidem,sed nondum liquidæ.

7 Quamuis possit dici hoc casu imputandum esse debitori,cur non obtulerit debitum liquidum,& pro non liquido satisdationem, *l.statuliber rationem* 5.*D de statulib.* Sed id obtinet cum debitor aliquid petere vult,non cum conuenitur.

8 Nec enim potest quis pro parte tantum detrudi in carceres aut in vincula conici,non magis quam seruus fieri, *l. si pariter* 9.§.*vlt.D.de liber.caus.*

9 *L.placuit,*29.*cum ibi not ff.de vsur.*

10 [Et ita malè ex *l.*3.§ *post diuisionem ff.qui potior. in pignor.hab.*

11 Alioqui omnium expensarum litis in id vsque tempus factarum, aut condemnationem aut compensationem pati debuisset ob nullitatem executionis,vt habet prior pars Definitionis.

12 Correcto enim per creditorem vicio executionis debuit intercessor quoque à sua intercessione, quæ iniusta esse cœpit,discedere.

13 Quo casu probantur confines ex sola lectura & collatione instrumentorum. Iunge *Defin.*44.*infr.& Defin.*69.*n.*2.*supr.de probat.*

14 Debuerat enim iudex addere *iuxta declarationem & restrictionem à creditore factam*,non autem referre se ad initium executionis,quod fuerat vitiosum.

15 Est enim fatuus iudex qui iudicat vltra petita *l. vlt.C. de fideic.libert.*Itaque non tam emendatione,quàm iusta interpretatione hæc sententia egere videbatur.

16 Semper autem calumnia damno litis & expensarum omnium coercenda est,quia grauior est quàm sola temeritas litigatoris,quæ tamen condemnationi expensarum omnium facere locum solet,*tot.tit. de pœna temer.litig.l.properandum* 14. *C.de iudic.l.qui solidum* 78.§.1.*de leg.*2.]

DEFINITIO XXVII.

Præceps executio facta in personam ipsam debitoris iniuriosa est, & ab ea potest appellari, secus est si capta sint bona.

EXecutio nulla est & iniurioſa, per quam debitor etiam condemnatus iubetur statim soluere,[1] ac ni in promptu soluat in carceres detruditur,[2] ideoque reuocanda est, tametsi facta sit pro debito, creditorque condemnandus in omne id, quod reuera interest debitoris.[3] Itaque iussum de soluendo præcedere oportet, in eamque rem dari comperentem dilationem pro causarum ac personarum qualitate, & pecuniæ debitæ quantitate.[4] Secus tamen erit si executio facta sit in bona,non in personam debitoris.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.si debitori,* 21.*ff. de iudic.l. quod dicimus* 105.*ff. de solut.* Præceptum autem hoc de soluendo, si factum esset à iudice, esset sententia interlocutoria,Guid.Pap. *qu.*12. vbi addit,

BIU Cujas

habere tamen vim definitiuæ, *ex l. creditor, § si iustus, ff. de appel.* nec valere huiusmodi præceptum, si fiat contra nõ confessum, vel non conuictum. Ex Spec. *in tit. de sent. § iuxta, vers. in summa nota.*

2 *Arg. l. si creditor meus 19. de iniur.*

3 Sicut enim delicatus debitor audiendus non est, ita neque onerosus creditor, *l. si seruo, 25. in fin. ff. de pignorib. action.*

4 *d. l. si debitori* iunct. *l. debitoribus, 31. ff. de re iudic.*

5 Quia ius luendorum pignorum saluum est debitori, non solum quamdiu distracta pignora non sunt, sed etiam post distractionem, scilicet intra tempus statuto præstitutum. [Hoc tamen intellige de executione quæ fiat per missionem in possessionem bonorum, secus si bona capiantur, vt distrahantur. Tunc enim præcedere oportet iussum de soluendo. Alioqui nulla est capio, & nulla subhastatio. Si tamen iussum soluendi præcesserit, deinde subhastatio interrupta sit ex aliqua causa. Postea verò iubente iudice sit continuanda & peragenda, non erit iussum repetendum, sed id dumtaxat quod subhastationibus deest peragendum. *Ita Senatus* mense Iunio 1611.]

DEFINITIO XXVIII.

Solum decretum iudicis, adeoque Senatus non habet vim mandati & literarum, nisi idipsum decreto expressum sit.

NOn valet executio facta vigore decreti solius, quod à iudice, adeoque à Senatu dictatum proponatur, sed literas super decreto, vt fieri adsolet, impetrari necesse est, quibus mandetur apparitori vt idipsum quod decretum est exequatur. Alioqui dici potest factam executionem propria auctoritate apparitoris, qui nullum à iudice mandatum habuit.[1] Certissimum autem est, apparitorem & executorem quemlibet ex mandato agere omnia debere, adeoque cauere summopere ne mandati fines vlla in re excedat.[2] Adde quod aliter posito iure, Senatus religionem circumuenire facile esset per imperitiam aut improbitatem scribæ, decreti verba excipientis & pro arbitrio componentis. Cuius periculi metu & ne sub Senatus nomine & auctoritate peccetur, sanctissime constitutum est, vt legi & sigillari oporteat literas omnes, quæ decretorum exequendorum gratia conscribuntur.[3] Legi inquam & approbari à Senatus nostri Præside, quippe qui hac parte Cancellarij vices gerit,[4] cuiusque potissimum officium in eo versatur vt videat ne qua in re Senatus religio circumueniatur. Addenda exceptio est, nisi Senatus ipse aliúsve iudex inferior executionem ex solo decreto fieri permiserit, aut potius ex sola decreti significatione sine literis.[5] Id enim euenit interdum, scilicet cum tantam celeritatem res desiderat vt spatium non detur literas conscribendi & sigillandi,[6] aut cum executio cautè, & quasi ex insidiis facienda est, vereturque Senatus ne literarum exscriptor aut alius quilibet rem patefaciat, indeque fiat vt Senatui illudatur.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et ideo posset ei hoc casu et am de facto, vt aiunt, impune resilti, vt dixi *Definit. 15. n. 10 supr.*

2 Cum appellari ab eo possit, si mandati fines excesserit, *l. ab executione 5. C. quor. appellat. non recip.*

3 Hæc enim actorum emendatio est, de qua *in l. actorum 46. & l. præced. ff. de re iudic.*

4 Est enim hoc singulare ius Præsidis Senatus nostri, nec tantum eius qui sit Præses primarius, sed etiam Senatoris cuiuslibet, qui absentibus Præsidibus Senatui præest, quod ius non habet Senatus Pedemontani præses, ne quidem primarius.

5 Quo casu non facit iniuriam qui formam decreti sequitur.

6 *Arg. l. 1. ff. de damn. infect l. si quis filio 6. § quid tamen in fin. ff. de iniust. rupt.*

7 *d. § quid tamen, in fin.*

DEFINITIO XXIX.

Non potest iudex requisitus cognoscere de nullitate sententiæ, si nullitas non à iure communi pendeat, sed ab alia causa, de qua iudex requisitus cognoscere non possit.

DElphinas quidam cum apud Senatum nostrum certa bona ex fideicommisso peteret ab eo, qui cum eius patre de fideicommisso transegerat, ne transactionis potestate & exceptione repelleretur,[1] dicebat se patris hæreditatem non nisi cum legis & inuentarij beneficio agnoscere.[2] In eamque rem, quoniam de inuentarij iure litem aduersus creditores hæreditarios iam instituerat coram domicilij sui iudice, intermissa fideicommissi persecutione, curauerat, vt hic quoque reus ad Delphinalem iudicem euocaretur, causam dicturus cur non inuentarij beneficio locus esse deberet.[3] Reus paruerat, & post allegatas defensiones tam apud primum iudicem, quam ex appellatione apud Curiam Gratianopolitanam succubuerat. Tum supplicatione Gallorum Regi porrecta obtinuerat vt de arresti viribus & iniquitate, adeoque circuitus vitandi gratia de toto negotio deque ipsa fideicommissi persecutione Senatus Parisiensis cognosceret. Senatus ille post varios litium anfractus, quod in eo inuentario conscribendo multa male facta fictaque probarentur, tandem pronunciauerat actorem hæredem purum, indignumque beneficio legis & inuentarij;[4] hoc etiam addito, vt ab institutæ fideicommissi persecutione cessare, patrisque, cuius hæres esset, transactionem ratam habere cogeretur,[5] sumptuum quoque litis subiecta condemnatione.[6] Cum subinde reus qui vicerat ad Senatum nostrum rediisset, postulans vt liceret sibi sumptuum adiudicatorum taxatorumque nomine aduersus condemnatum experiri, illi autem ex iudiciorum more vocatus[7] contenderet, non esse permittendam executionem Senatusconsulti Parisiensis, quasi perperam & ab incompetente Senatu redditi,[8] primum quod iam tum Henricus tertius Gallorum Rex iudicandi potestate & auctoritate ipsi interdixisset, deinde quod de causa fideicommissi, quæ in Senatu nostro inchoata & agitata fuerat ob bona in territorio nostro sita cognoscere nullo modo potuisset;[9] *Senatus* noster pronunciauit permittendam executionem. Quia licet de nullitate possit iudex requisitus cognoscere,[10] de illius tamen interdictionis vi & potestate, id est de totius belli Gallici iure vel iniuria, cognoscere Senatus noster non poterat, multo minus vero pronunciare. Quod vero ipsius auctoritas à Parisiensi Senatu violata dicebatur, quasi de fideicommisso nihil pronunciare debuisset, cuius cognitio ad nos pertinebat, contra visum est prudentissimè factum ab amplissimo illo ordine, qui nec quicquam de fideicommisso pronunciasset, sed tantum in personam Galli hominis, Senatusconsulti verba non in rem ipsam concepisset, prohibito scilicet actore ne fideicommissum persequeretur aduersus transactionem factam à patre, cuius ipse hæres esset. Cæterum non aliud eo Senatusconsulto præiudicium factum persecutioni fideicommissi, quam quod ipsa iuris ratio sola induceret, ob id tantum quod actor patris sui, qui pro se suisque hæredibus de fideicommisso transegerat, pure hæres probaretur,[11] id enim perinde erat acsi nihil Senatus Parisiensis nisi de inuentarij iure pronunciasset.[12] *Ita Senatus* pro illustri Domina Claudia de Semur auia Comitis Pontisuallium, contra D. Claud. de Riuoria, 11. Calend. Dec. 1594.

1 Quia

BIU Cujas

1 Quia ex cuius persona quis lucrum sentit, eius factum præstare debet, *l. ex qua persona 149. de reg. iur.* & quem de euictione tenet actio eundem agentem repellit exceptio, *vulg. l. vindicantem 17. ff. de euict. l. 3. C. de rebus alien. non alienand. l. cum à matre 14. C. de rei vindic.*

2 Vt eo beneficio inuentarij confusionem actionum impediret, *l. vlt. §. in computatione, C. de iur. delib.*

3 Erat enim illa cognitio præiudicialis, & ideo prius examinanda, *l. fundum 16. l. fundi 18. ff. de except. rei iudic.*

4 Quomodo pronunciandum necessario erat, cùm inuentarij solemnis forma non esset obseruata, *dict. l. vltim. C. de iur. delib.*

5 *d. l. cum à matre, d. l. vindicantem 17. & l. Seia 73. ff. de euict. cum similib.*

6 *Ex reg. Victus victori de reg. iur. in 6. eum quem temere 79. ff. de iudic. l. properandum 13. §. sin autem alterutra, C. eod.*

7 Quia non permittitur executio in alia prouincia iudicari, nisi audito prius eo qui fuit condemnatus, vt dixi *Defin. 1. supr.*

8 Ex qua incompetentia inducebatur nullitas iudicati, quę nullitas solet impedire permissionem petitam executionis, vt dixi *dict. Defin. 1.*

9 Quoniam vbi cœptum iudicium est ibi finem accipere debet, *l. vbi acceptum 30. ff. de iudic.*

10 Secundum ea quæ scripsimus, *dict. Defin. 1. supr.*

11 Quomodo è contrario debuissent verba concipi in rem non in personam, si bona fuissent sita in territorio Senatus Parisiensis, personæ vero ex nostra iurisdict. fuissent. *l. vltim. D. de iurisd.* Bart. & alij *in l. cunct. popul. C. de summ. Trinit. & fid. Cathol.*

12 *d. l. cum à matre d. l. 3. C. de rebus alien. non alienand. l. ex qua persona 149. de reg. iur.*

DEFINITIO XXX.

Sententia contra patrem lata potest mandari executioni contra filium tanquam hæredem. Sed in bonis patris, non in bonis filij.

COndemnato debitore, ac subinde ante solutionem defuncto, nihil prohibet fieri executionem iudicati contra filium quasi contra hæredem,[1] sed hactenus tamen vt soluere tantum iubeatur, ac ni soluat, perficiatur executio in bonis defuncti dumtaxat, non etiam vt in bonis hæredis.[2] Nec ab eiusmodi executione appellatio iusta est, sed tantum intercessioni locus relinquitur, si quam filius habeat impediendæ executionis rationem.[3] Ideoque si ex Principis rescripto, vt fieri solet, commutatio facta sit appellationis in intercessionem, expensas propter appellationem factas non secus ac iniusta appellatione pronunciata sarciri oportet.[4] *Ita Senatus* in publico auditorio pro Joachimo de la Cuaz, contra Antonium de la Cuaz, 10. Cal. Dec. 1594.

1 Cum quisquis filius est idem necessario sit hæres ab ipso iure, *l. 1. § qui sunt in potestate. ff. si quis omis. caus. testam. l. cum quasi 30. §. sed et si suus. ff. de fideic. libert.*

2 Quid enim si postea constaret filium se abstinuisse, non vtique teneretur ille hoc casu ad solutionem æris alieni paterni, *l. necessarius 57. iunct. l. ei qui 12. ff. de acqui. hered. l. si filius 11. ff. de vulg. & pup. subst. l. paterfamilias, 28. ff. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 13. de priuileg. credit.*

3 Puta si se abstinuerit & probet factam executionem in bonis suis non in bonis defuncti.

4 Scilicet à filio quem ponimus appellasse ab executione iudic.

DEFINITIO XXXI.

An, quando & quomodo succurrendum sit ei, qui obligatus est ex instrumento authentico & guarentigiato, si probet in promptu solutionem?

DEbitor si ex instrumento guarentigiato ad solutionem vrgeatur, & quasi iam soluerit, petat à iudice ne soluere compellatur, in eamque rem proferat apochas, per quas solutionem probare velit, ita demum audiendus est,[1] si ex eiusmodi apochis liquido probetur solutio,[2] & tam aperte vt suspicari iudex non possit, quid contra eas obiici queat. Finge à notario conscriptas aut à quinque testibus fide dignis subscriptas.[3] Alioqui si priuata scriptura sit, quæ exhibetur aut quæ computationis necessitatem implicitam habeat, nihil inaudita parte statuendum est,[4] nisi hactenus forte, vt si magna suspicio sit factam esse solutionem, quæ alleg. tur, non aliter patiatur iudex mandari executioni instrumentum guarentigiatum, quam si creditor caueat, te si quid plus debito exegerit restituturum, ac præterea quicquid interierit debitoris.[5] Si secus faxit iuste ab eo appellari potest,[6] itemque si creditori onus iniget præstandæ cautionis, nisi magna ex causa.[7] Nec aliud erit, si ad consignandum admiserit debitorem qui non obsignare obligatus est, sed soluere.[8] Neque enim consignatio vim solutionis habet, nisi cum aut nemo est, cui solui possit,[9] aut creditor in mora est accipiendæ solutionis.[10] Apparitoris, qui instrumenti guarentigiati potestate præcise exequi iussus fuit, alia ratio est. Quantumuis enim aliud instrumentum guarentigiatum proferatur, & vt aiunt, sine plica, quod probet solutionem, tamen non eo minus exequi & potest & debet, quia nec vllam habet causæ cognitionem, vt alio loco scripsimus,[11] *Ita tractatum est* in causa Joannæ Martinet & Blasij Pontarly in publico auditorio 3. Cal. Decembr. 1594.

1 Nec enim bona fides patitur vt bis idem exigatur, *vulg. l. bona fides 54. de reg. iur. l. si quis dolo, 51 in fin. ff. de re iudic.*

2 *L. pecuniæ 14. C. de solut.*

3 *Vt in l. testium facultatem 17. C. de testib. l. scripturas 11. C. qui potior. in pignor. hab.*

4 Ne absenti & inaudito damnum aliquod infligatur, *l. nam ita 39. D. de adopt. l. de vnoquoque 47. ff. de re iudic.*

5 Cuius scilicet valde interest non soluere potius quam solutum repetere, *l. 3. ff. de compensat. l. si stipul. 15. ff. de fideiuss.*

6 Quia debet bonus iudex ab initio prouidere vt intacta litigatorum iura seruentur, potius quam post vulneratam causam remedium quærere, *l. vltim. Cod. in quib. ex caus. non est necess. in integr. rest.* [Cæterùm cùm quidam debitor conuentus ex diplomate de debitis petiisset à iudice vt intercessio sua admitteretur, & interim creditori inhiberetur, ne exequi pergeret, iudex autem intercessionem dumtaxat admisisset, nullis inhibitionibus concessis, nec eo minus tamè literæ iudicis cum inhibitionibus à Graphario concessæ fuissent, quarum vigore debitor intercessionem solam citra vllas inhibitiones creditori intimauerat, Placuit iustam appellandi causam habere creditorem, non tam quòd intercessionem iudex admisisset, quæ admitti semper potest, & debet, quàm quod saluam exequendi licentiam creditori non reliquisset, cui mora fieri per intercessionem citra obsignationem nulla debuerat. Præsertim cùm creditor non solùm à decreto, sed etiam à cæteris omnibus quæ subsecuta essent appellasset, & consequenter à concessione literarum, quæ inhibendæ executionis mandatum continebant, & quibus vti non debuerat debitor, sed alias impetrare etiam ad intimandam intercessionem, si id agebat vt executio interim non impediretur. *Ita Senatus* in publico auditorio pro Amedeo Chastel, contra Brinod. 9. Calend. Februar. 1613.]

7 Nemo enim debet superuacua cautione onerari, *l. hæc stipulatio 14. §. 1. ff. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*

8 *L. si rem 9. § omnis pecunia & l. seq. ff. de pignor. act. l. item liberatur, 6. § 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

9 *Vt in l. vlt. ff. de leg. commiss.*

10 *Vt in l. si per te non stat. 9. l. acceptam 19. C. de vsur. & ita accipiendum est, quid scribitur in l. obligationes 9. C. de solut.*

11 *Defin. 9. supr.* vbi vide.

DEFINITIO XXXII.

Non est audiendus qui per tergiuersationem impedit executionem iudicati.

VIndiciis pro actore dictis,[1] si reus subiiciat intercessores frustrandi iudicati gratia,[2] non prius audiendus est principalem litem prosequens, quam

BIU Cujas

executio iudicati facta perfecta que sit. Non enim dignus est quem propitiis auribus iudex audire debeat is, qui id agit quantum potest vt inanis & illusoria sit iudicis auctoritas.[3] Quod si de hoc ipso dubitetur, an dolo malo condemnati vt illusoria sit iudicis auctoritas subiectus sit ementitius intercessor necne, actore id affirmante, reo vero negante, non male interloquetur iudex, si de facti huius veritate ante omnia inquiri præcipiat, negotiique principalis cognitionem interea differat. Vt si ita esse comperterit, iubeat mandari iudicatum executioni, non solum ante omnia, sed etiam sumptibus tergiuersatoris.[4] *Ita Senatus* ex tempore pro D. de S. Mauris, contra N. Benedict. de la Croix, 9. Cal. Febr. 1595.

1 Hoc est condemnato reo, eodemque possessore per modum prouisionis, vt loquuntur.

2 Quod plerumque fit, *l. si longis 7. C. hoc tit.*

3 *Arg. Nauxilium 37. in fin. D. de minor. l. sanctimus 15. C. de iudic.*

4 Cui scilicet non debeat sua frustratio & tergiuersatio prodesse, *d. l. si long. 7. C. hoc tit. l. 2. C. de fruct. & lit. expens. l. hominem 37. D. mand. l. tutor. 41. ff. de vsur. l. vlt. D. de re iud. l. neg. 24. D. appell.*

DEFINITIO XXXIII.

Contra pupillum vel minorem potest fieri executio sententiæ latæ contra tutorem vel curatorem, sed in bona non in personam, idque ita si collusio non interuenit.

SEntentia contra tutorem & curatorem, aliúmve legitimum administratorem reddita mandari potest & debet executioni contra pupillum aut minorem,[1] si collusio nulla intercessit, aliúdve quid tale, quod remorari debeat executionem,[2] sed non ita tamen vt pupilli aut minoris persona capi pignori, & in carceres detrudi possit: neque enim pupillus magis quam mulier pro ciuili debito incarcerari potest:[3] minor vero potest quidē, si corpus suum vel curatore, auctore vel si curatorem non habebat cum iureiurando obligauerit,[4] sed non ex facto curatoris.[5] Quid ergo? Fiat executio in bona quæ possidet,[6] nec tantum pro debito principali, sed etiam pro expensis, si nihil imputati possit tutori aut curatori.[7] *Ita Senatus* in secreto auditorio pro N. Petel Maurianensi, 16. Cal. April. 1595.

1 *L. 2. D. de admin. tutor. l. tutori, 7. D. quand. ex fact. tutor. l. 4. § tutor quoque. D. de reg. iudic.*

2 Non enim facile permittenda est executio rei per collusionem iudicatæ, *l. à sententia, 5. §. si hæres l. si per lusorio 14. D. de appellat. l. 1. & tot. tit. de collus. deteg.*

3 *L. 1. C. de falsi mon. cap. mulieres, de iudic. in 6.* Guid. Pap. *qu. 256.* Iul. Clar. *in pract. crimin. qu. 28. n. 3.*

4 *Auth. sacramenta puberum, C. si aduers. vendit.*

5 Quia neque curator corpus minoris sui obligare potest, neque quisquam corpus alterius, cum nec iuris ratio patiatur vt quis corpus propriū obliget, quia nemo est dominus membrorum suorum, *l. liber homo 13. D. ad leg. Aquil.* Dixi *Defin. 5. n. 10. & 11 supr.*

6 Ac si minor ipse esset condemnatus, *d. §. tutor quoque.*

7 Quia si quid possit imputari tutori aut curatori condemnandus ille est in eas expensas suo nomine, *l. non est ignotum, 6. C. de admin. tutor.*

DEFINITIO XXXIV.

Diffinitiua sententia pro eo lata, qui iam obtinuit prouisionalem, non potest mandari executioni, si ab ea sit appellatum, ne quidem prouisionaliter. Ipsa tamen prouisionalis sententia mandari potest executioni.

CVm diffinitiua lata est sententia pro eo, qui iam obtinuerat prouisionalem, si à diffinitiua sit appellatum, non prohibetur prouisionalem exequi, non obstante appellatione, si talis fuit, aut ab eo iudice lata, quæ ante diffinitiuam executioni mandari non obstante quacumque appellatione potuisset.[1] Non enim minus iuris habere credendus est post diffinitiuam sententiam is qui vicit, quam antea habuisset.[2] Quod autem dicitur extingui prouisionalem sententiam per diffinitiuam,[3] tum demum verum est, cum à diffinitiua non fuit appellatum. Alioqui constat per appellationem extingui potestatem iudicati.[4] Quid ergo si victor petat executionem sententiæ non prouisionalis, sed diffinitiuæ post interpositam quidem appellationem, sed tamen per modum, vt loquuntur, prouisionis dumtaxat? Fere est, vt verbis magis quàm re ipsa differre hæc videantur.[5] Sed tamen verius est nullo modo permitti posse executionem sententiæ diffinitiuæ, quæ per appellationem prorsus extincta sit.[6] Nec si post appellationem à diffinitiua interpositam aliud nihil petatur, quam quod prouisionali cōdemnatione continebatur;[7] multo minus si ponas per diffinitiuam sententiam condemnatum reum in expensas litis aut ad fructuum restitutionem. Fieri enim non potest eiusmodi sententiæ executio, quia in præiudicium spretumque appellationis attentari videatur.[8] Nisi forte de ea re actum proponatur, cuius fauore permittatur executio sententiæ etiam diffinitiuæ, non obstante appellatione; vrputa de alimentis, aut de summa non excedente florenos nostræ monetæ vigintiquinque.[9] Quo casu nec quærimus ad quam vique quantitatem ascendat taxatio expensarum.[10] Neque enim eo minus permittitur exequendi ius tam pro impensis quam pro debito principali, nil obstante appellatione. Aliud sane est, si is qui pendente lite prouisionalem sententiam tulerat diffinitiue condemnatus sit. Hic enim tametsi à diffinitiua sententia prouocauerit, prouisionalis tamen sententia, quæ per diffinitiuam reuocata est, executionem petere non potest,[11] quia quod per interlocutionem iussit iudex vetuitve quin contrario imperio prorsus tollere possit non ambigitur.[12] *Ita Senatus* in causa Antonij Baudard, & Nicolai Broche, 7. Id. April. 1595.

1 Non enim omnib. iudicibus hoc priuilegium datum est, sed tantum maioribus & Ducalibus, vt iubere possint mandari executioni sententiam prouisionalem, non obstante appellatione, vt dixi *Defin. 2. supr. de sent. & interloc. omn. iudic.*

2 Alioqui plus iuris è contrario haberet condemnatus ob id solum, quod victus fuisset, quod absurdum esset, *l. 3. D. de vsur. l. euidenter 16. de except. rei iudic.*

3 *L. quod iussit 14. D. de re iudic.*

4 *L. furti 6. §. 1. de his qui not. infam. l. 1. §. vltim. D. ad SC. Turpill.*

5 Leges autem non verbis sed rebus imponuntur, *l. 2. Cod. com. de legat. l. vlt. C. de vsur.*

6 *L. 1. & tot. tit. D. nihil innou. appellat. pendent.*

7 Non enim facit ea res quo minus verum sit extinctum esse iudicatum per appellationem.

8 *dict. tit. D. Nihil innou. pendent. appell.*

9 Dixi *Defin. 15. supr. de sent. & interloc. omn. iudic.*

10 Quia impensarum condemnatio est accessoria, quæ sequitur naturam sui principalis, *vulg. cap. accessorium, de regul. iur. in 6.*

11 Dixi *Defin. 3. supr. de re iudic.*

12 *L. quod iussit 14. D. de re iudic.*

DEFINITIO XXXV.

Etiam condemnatus potest impedire executionem ex causa, qua de nouo superuenerit.

POssessor condemnatus si ante iudicati executionem nouum ius retinendæ rei nanciscatur, intercedere potest ex ea causa tanquam alius, nec illi obstat exceptio iudicati;[1] non adhibenda illa distinctione, an ius superuenerit ex causa de præterito, vt loquuntur,

loquuntur, an ex causa de futuro.[2] Solet enim huiusmodi distinctioni tum locus esse, cum quæritur, an post institutam actionem superueniente nouo iure possit ferri pro actore sententia. Placet namque ita demum sequi posse condemnationem, si actori ius superuenerit ex causa de præterito,[3] quia nimirum vincendi causam aliquam subesse necesse est iam eo tempore, quo fit litis contestatio, vt iure facta videri possit.[4] Cæterum in excipiendo tanto plus iuris habet condemnatus ad eludendam vim rei iudicatæ, quando recentior causa est ex qua nouum sibi ius quæsiit.[5] Neque enim in iudicium deductum videri potest ius, quod neque litis contestatæ neque iudicati tempore fuerat quæsitum.[6] *Ita tractatum est* in publico auditorio in causa Ludouici Duret, & N. du Chesne, 10. Cal. Maij 1595.

1 *L. si mater* 11. §. *eandem causam, ff. de except. rei iudic.*

2 Quomodo distingui solet in quæstione, quam tractant nostri de renunciatione fideicommissi, *ad l. qui Romæ* 122. §. *duo fratres.* vbi præsertim Bart. *de verb. oblig.*

3 *L.* 4. *l. item videndum* 18. §. *penult. l. si quæ tempore* 41. *ff. de petit. hæred.*

4 *Arg. l. non potest videri* 23. *D. de iudic. l.* 2. *D. de vsur. l. licet contestata* 37. *D. de neg. gest.*

5 *l. si mater*, 11. §. *eandem, vers. at si alia, D. de except. rei iud.*

6 *d. l. non potest videri* 23. *D. de iudic.* [Iunge *l. filius* 41. *in princ. vers. Paulus notat. D. de bon. libert. & Defin.* 13. *num. vlt. supr.* Ergo si quis condemnatus sit ad restitutionem fundorum quos non alia quàm mariti iure possidebat, non erit audiendus si velit remorari & impedire executionem iudicati prætextu iurium vxoris suæ, quæ ipsa nondum audita sit nec condemnata. Sed si tale quid fecerit condemnandus est ad mulctam indictam quasi contumax qui non paruerit iudicato: & præterea ad restitutionem fructuum, si quos ille ex iis bonis percepit, saluo scilicet iure vxoris, vt & alterius cuiuslibet tertij. Maximè verò hoc obtinet si maritus non simpliciter & suo nomine sed quasi maritus conuentus & condemnatus fuerit. *Ita Senatus* pro Claudio Dijod, & Bartholomæa Nouel, 18. April. 1614. De qua vide *Defin.* 14. *supr. de in ius voc.*]

DEFINITIO XXXVI.

Casus, in quo sententia lata contra tutorem, qui non satisfecit, potest mandari executioni contra pupillum, adeoque in propria ipsius bona, etiam pro debito illius, cui pupillus hæres sit cum beneficio legis & inuentarij,

TVtor qui pupilli nomine hæreditatem ei delatam non nisi cum beneficio legis & inuentarij agnouerat,[1] cum à creditore hæreditario conuentus esset, condemnatus fuerat vt intra mensem proximum bona quædam hæreditaria exhiberet, ex quorum pretiis satisfieri posset creditori.[2] Id ni faceret, iussus erat eam æstimationem soluere, quæ per arbitros, cum inuentarium conscriberetur, facta esset.[3] Si tutor iudicato non satisfeciisset, placebat pupillum ipsum vrgeri, vt petitam pecuniam exsoluëret, in eamque rem non tantum hæreditaria, sed & ipsius pupilli bona pignori capi posse.[4] Etsi enim fieri poterat, vt tutoris culpa in eo interueniisset, quod bona mobilia non exhibuerat, si potuerat exhibere, tutoris tamen factum perinde habendum erat ac si pupilli fuisset.[5] Vt & alias euenit semper quod ad eum pertinet, qui cum pupillo litigat, quandoquidem non pupilli sed tutoris ipsius personam sequi vel inuitus cogitur,[6] salua contra tutorem indemnitatis actione, si quid ab eo per dolum culpámve factum aut neglectum appareat.[7] Neque dici potuit ideo ereptum pupillo beneficium legis & inuentarij; non enim ad aliud ei prodesse beneficium legis debebat, quam vti ne teneretur vltra vires hæreditarias,[8] sed vt bona hæreditaria exhibere, aut si non exhiberet, de suo tantumdem præstare non cogeretur, facere non poterat.[9] *Ita Senatus* pro illustrissimo Dom. Duce de Nemours, contra Dn. de Carde heredem Dominæ de Miollans, 4. Calen. Maij 1595.

1 Hoc enim iure vtimur vt hæreditatem pupillo delatam possit tutor agnoscere, cum tamen ex ratione iuris possit tantum præstare auctoritatem pupillo adeunti, *l. pupillus* 9. iunct. *l. seq. ff. de acq. hered. l. cum in vna* 17. §. *tutor ff. de appell.*

2 Perinde namq; satisfacere creditoribus debetis, qui non nisi cum beneficio legis & inuentarij hæres est, atque si pure hæres esset, scilicet ad concurrentes vsque hæreditatis facultates, *l. vlt.* §. *& si præfatam, C. de iur. delib.*

3 Quæ tamen æstimatio vt plurimum minor est.

4 Secundùm ea quæ diximus *Defin.* 33. *supr.*

5 Quia tutor loco domini est, *l. interdum* 56. §. *qui tutelam ff. de furt.*

6 *L. properandum* 13. §. *vlt. C. de iudic.* iunct. *l. vlt. ff. rem pupilli salu. for.*

7 *d. l. properandum*, §. *vlt.*

8 *d. l. vlt. C. de iur. delib.*

9 Nec enim beneficium legis & inuentarij ideo comparatum est vt sit captiosum creditoribus, quamuis hæredes passim eo abutantur, *arg. l. Paulus notat.* 8 *ff. de prætor. stipul.*

DEFINITIO XXXVII.

Qui executori mandauit, ipsius factum præstare tenetur, si quid ei possit imputari, adeo vt etiam primo loco sit conueniendus, nisi executor ipse paratus sit de suo satisfacere.

SI quid per executoris siue dolum siue imperitiam male admissum sit, æquum est teneri eo nomine illum ipsum, qui executorem elegit,[1] tametsi dolo culpave carere videatur. Fieri enim non potest, vt non in culpa sit vel hoc solo, quod talem elegerit, cum peritiorem eligere debuisset aut meliorem.[2] Idq; est quod dici solet factum executoris esse factum partis.[3] Sed si executor facti sui pœnas luere, & de suo satisfacere paratus sit,[4] nulla in eum qui executionem fieri mandauit superesse actio potest, quippe qui ex alieno potius quam ex suo facto teneatur;[5] quamuis recta via conueniri possit, nec sit necesse prius agi aduersus executorem.[6] Si tamen cum executori dedissem exequendum iudicis mandatum aduersus Titium executus ille sit aduersus Sempronium, non tenebor, siue per dolum siue per imperitiam id fecerit, quia nihil ea culpa cum mandato commune habet, extra cuius causam omnino est.[7] Adeo vt nec distingui oporteat, an executor soluendo sit necne. Nullo enim casu tenebor.[8] *Ita Senatus* pro Petro Milliex, contra Syndicos vniuersitatis de S. Jean d'Arue Maurian. 3. Cal. Maij 1595.

1 *L. si vt proponis* 6. *& l. penult.* vbi not. *C. hoc tit.*

2 *L. lex facto* 30 *ff. de negot. gest. l.* 1. §. *illud sciendum, ff. de separat.* §. *præterea, Instit. quibus mod. re contr. oblig. l. int. r artifices, ff. de solut.*

3 Sicut & factum iudicis, *l. si ob causam* 13. *de cuict. l.* 1. *C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

4 Quoniam pœna debet sequi suos auctores, *l. sanctimus* 22. *C. de pœn.*

5 Nec enim videtur quisquam alteri mandasse, vt delinqueret. *l. si creditor* 60. §. *vlt. ff. mandat.*

6 Nullo siquidem iuris loco hic ordo excussionis in huiusmodi specie præscriptus est.

7 Quia cum mandatum certam formam habuit, eamque iustam, nihil prorsus est, quod imputari possit mandanti, eaque forma omnino seruanda fuit, *l. maritus* 21. *C. de procurat. l. diligenter* 5. *ff. mandat.* Iunge *l. inter causas* 26. §. *non omnia sed. l. Papinianus* 20. *ff. de minor.*

8 Nemo enim ob id solum obligatur, quod alius soluendo non sit.

DEFINITIO XXXVIII.

Superior magistratus numquam rogare debet eum, quem habet pro inferiore.

BIU Cujas

SI quando Senatus noſter aliquid decernit, quod apud Geneuates executioni demandari oporteat, non ſolet rogare nominatim magiſtratus & iudices ciuitatis, quomodo rogat Senatum Gratianopolitanũ aut Pariſienſem alioſve ſimiles, ne forte videatur Geneuates quaſi pares agnoſcere, quos pro inferioribus habet. Sed tamen rogat verbis generalibus omnes magiſtratus ad quos res pertinebit,[1] ne ſi preces nullę adderentur denegaret magiſtratus ille petitam exequendi licentiam. *Ita Senatus* 4. Cal. Jun. 1593.

1 Guid. Pap. *queſt.* 346. Boer. *queſt.* 8. *n.* 6. *ex Auth. vt nul. iudic.* §. *ſi vero quis*, in verb. *iubemus*, *& in Auth. ſi vero communus*, vbi Salicet. *ff. de adult.*

DEFINITIO XXXIX.

Interceſſio tertij qui non reperitur in poſſeſſione, non poteſt impedire executionem ſententiæ contra poſſeſſorem reddita, interceſſio tamen eius recipienda eſt.

IS, ſecundum quem de poſſeſſione beneficij vindiciæ dictæ ſunt,[1] ſi in iudicati executione habeat contradictorem qui intercedat, non eo minus petere poteſt vt fiat executio.[2] Si non in promptu appareat eum qui intercedit iam miſſum eſſe in poſſeſſionem;[3] tametſi doceat de titulo & iure iam competente ad beneficij poſſeſſionem.[4] Neque enim alius quam qui iam in poſſeſſionem miſſus eſt prohibere poteſt quo minus victor in ſua poſſeſſione retineatur.[5] Sicut nec fieri queat, vt qui non poſſidebat hoc ſolo fiat poſſeſſor quod intercedit.[6] Multo minus ergo victori nocebit in obtinenda iudicati executione interceſſio eius, qui nec de titulo doceat in promptu nec de poſſeſſione.[7] Plane interceſſionis ius ſaluum ſemper eſſe neceſſe eſt, quoties qui intercedit tertius eſt, necdum condemnatus,[8] ſed ita tamen vt adiudicato exequendo mora ex eo nulla fiat.[9] *Ita Senatus* pro N. Cartier parocho eccleſiæ de Greiſy, 11. Cal. Jul. 1595.

1 Hoc eſt qui obtinuit beneficij recredentiam, vt vulgo loquuntur.

2 Publice namque intereſt confeſtim mandari ſententiam executioni propter rerum iudicatarum auctoritatem, *l. ſeruo* 65. §. *cum prætor*, *ff. ad SC. Treb.* præſertim vero in beneficialibus, ne diutius beneficium iaceat ſine rectore & poſſeſſore.

3 Quo caſu nemo dixerit inauditũ illum priuandum eſſe ſua poſſeſſione, *l.* 2. *ff. vti poſſid.* §. *commodum*, *Inſt. de interd.*

4 Aliud enim eſt habere ius ad rem, aliud vero habere ius in re, *cap ſi tibi abſenti, de præb. in* 6.

5 Cum ſemper conſtituendus ſit certus poſſeſſor, vel ob hoc ipſum vt ſciatur quis partibus petitoris fungi debeat, *l. is qui deſtinauit* 24 *ff. de rei vindic. l. ſi priuſquam* 15 *ff. de oper. noui nunciat.*

6 Interceſſio enim conſeruat tantum ius præcedentis, ſi quod ei competit, non nouum tribuit, præſertim poſſeſſionis, cum non poſſint duo ſimul & in ſolidum poſſidere, *lege* 3. §. *x contrario ff. de acquir. poſſ.*

7 Præſumendus enim hic potius eſt ſubiectus fuiſſe à condemnato ad impediendam iudicati executionem, *l. à Diuo Pio* 15. §. *ſi rerum. cum ibi not. ff. de re iudic.* [Maximè verò ſi conduxerit rem à condemnato. Quod ſi dicat ſe tanquam conductorem intercedere aut tanquam aliter cauſam habentem à condemnato non eſt audiendus, non magis quàm ipſe condemnatus. *l. iudicata* 29. §. 1. *de except. rei iudic. Ita Senatus* contra D. de la Croix, 16 Nouemb. 1612.]

8 Ne alioqui ſententia inter alios lata aliis noceat contra *tit. C. int. alios act. vel iudic. aliis non nocet.*

9 *Arg. d.* §. *cum prætor.* iunct. *l. ille à quo* 13. § *ad SC. Treb.* 3. *in princ. ff. vt in poſſ. leg.* [Idque tandem edicto Sereniſſimi Ducis noſtri, quod publicatum fuit anno 1615. expreſſim cautum eſt, hoc etiam addito, vt nec admittenda ſit appellatio à iudicati executore ad ſuſpendendam executionem, quamuis audiendus ſit appellans ob hoc ipſum, vt ſciatur an executor fines mandati & rei iudicatę exceſſerit, vt ſcripſi *Deſin. 1. n.* 4. *ſupr. Quando lic. vnic. ſin. iud. ſe vindic.*]

DEFINITIO XL.

Multum intereſt an executio fiat ex literis De debitis, an ex aliis, & an pro ſorte, an pro expenſis?

OBligatus ex inſtrumento quantumuis authentico & guarentigiato ſi iubeatur in promptu ſoluere aut in carceres ire, iuſtam habet appellandi cauſam,[1] neque enim pecuniam quolibet loco & tempore in manu habere cogitur.[2] Itaque tempus illi dandum eſt in eam rem, & quidem tale, quod pro perſonæ qualitate debitiq; quantitate congruum videri poſſit.[3] Hoc ita, niſi fiat executio auctoritate diplomatis principalis, quod De debitis vocant. Tunc enim non alia dilatio debitori danda eſt, quam vt domum ire cum executore poſſit, aut ad alium locum in quo ſit pecunia, quæ in promptu numerari poſſit.[4] Obſeruandum tamen eſt differre hac parte debitum principale à debito expenſarum. Nullo enim caſu cogi poteſt condemnatus vt ſoluat impenſas ſtatim, ſed ad minus trium dierum inducias habere debet,[5] octo autem vt plurimum. Quia neque fieri poteſt vt impenſæ petantur ex literis De debitis, ſi nulla iudicati facta nouatio ſit, ſed tantum per actionem illam, quæ ex iudicato naſcitur,[6] quam humaniorem eſſe æquum eſt.[7] *Ita Senatus* 4. Cal. Julij 1595.

1 Dixi *Deſin.* 27. *ſupr.*

2 *L. quod dicimus* 105. *ff. de ſolut.*

3 *Arg. l. ſi debitori* 21. *ff. de iudic.* Nec enim pecuniæ numeratio ſemper eſt in expedito, *l. ſi dubitet* 10 *ff. de ſi eius.*

4 Eſt enim hoc priuilegium executionis quæ fit ex diplomate illo principali.

5 Non enim magnum damnum, eſſe poteſt in mora tam modici temporis, *d. l. ſi debitori*, *l. & ſi poſt tres*, *ff. ſi quis caution.*

6 De qua *in l. actori* 8. *C. de rebus credit.*

7 Quia omnibus condemnatis indulgetur tempus ad ſoluendum humanitatis gratia, *l. cum militi*, 16. §. 1. *ff. de compenſat.*

DEFINITIO XLI.

Non poſſunt pro clerici condemnati debito capi fructus beneficij, niſi deducto ne egeat. Nec poteſt clericus exceptioni huic renunciare, nec bonis cedere.

PRo debito clerici condemnati, aut quod hac parte idem eſt per inſtrumentum guarentigiatum, quod condemnationis inſtar obtinet, obligati, pignori capi poſſunt fructus beneficij,[1] licet non deſint alia bona, quæ capi etiam poſſint. Sed ſi non ſuperſit clerico vnde ſe alat, deduci ante omnia oportet quantum neceſſe eſt vt non egeat, ne deterior ſit conditio clerici Deo militantis, quam militis Principi ſeruientis, quem conſtat ex iis perſonis eſſe, quæ priuilegium habent, vt non niſi in quantum facere poſſunt conueniantur.[2] Idque adeo verum eſt vt nec eiuſmodi exceptioni renunciare clericus poſſit.[3] Eſt enim in totius cleri opprobrium vt cogatur clericus mendicare. Quam ob cauſam licet detrudi poſſit in carceres, adeoque ei interdici ſacrorum adminiſtratione ſi habeat vnde ſoluat, nec velit ſoluere,[4] bonis tamen omnibus cedere etiam ſi maxime velit non poteſt.[5] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Bronſin, contra N. Gauend. Cal. Jul. 1595.

1 Fructus enim beneficij ad beneficiarium pertinent, ſiue fructuario ſiue vſuario velis eum comparare. De quo tractant Canoniſtæ *ad cap fin. de offic. ordin. in* 6.

2 *L. miles* 6. *l item miles* 18. *ff. de re iudic.*

3 Vt nec cæteris, quæ ad totius cleri dignitatem pertinent, *cap ſi diligenti Extr. de for. compet.*

4 Quod paſſim fieri videmus etiam in curia Romana.

5 *Cap. Odoardus cum ibi not. Extr. de ſolut.*

DEFI-

DEFINITIO XLII.

Exceptio Deducto ne egeat potest opponi etiam in executione iudicati. Et si admissa non sit, iuste ab executore pronocari potest.

EXceptio illa, Deducto ne egeat, quoniam non magis impugnat iudicatum quam solutionis exceptio aut compensationis, potest obiici etiam in executione iudicati.[1] Et ideo si non sit admissa per iudicem, appellari ex eo potest.[2] Sed & ab executione prouocatio admitteretur, si victor in solidum exequi iusserit iudicatum: tametsi executor qui causæ cognitionem nullam habuit, mandati fines non excesserit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. sunt qui 16. cum seqq. ff. de re iudic. l. cum militi 16. §. 1. ff. de compensat. l. si minorus 25. ff. de admin. tutor.*

2 Iniuriam nim facit iudex & grauamen infert si non admittit iustam exceptionem.

3 Sufficit enim, vt executio sit facta contra formam iuris, vt videatur iniuriosa, *l. iniuriarum 13. §. 1. ff. de iniur.* quamuis regulariter non possit appellari ab executore, qui mandati fines non excessit, *l. ab executione 5. C. quor. appellat. non recip.*

DEFINITIO XLIII.

Duo casus, in quibus vna executio impedit aliam: Nempe si prior sit perfecta, aut si super priore lis pendeat.

QVod vulgo iactatur, per vnam executionem non impediri aliam,[1] ita verum est si prior executio non fuerit perfecta. Nam si perfecta fuit, non habet quod conqueratur creditor, cui ea ratione satisfactum est, aut satisfieri potest si velit.[2] Rursum id ita procedit, si non ab ipso debitore prior executio impediatur,[3] Alioqui siue interceserit, siue appellauerit, sententiam super iure intercessionis, aut appellationis anteomnia ferri necesse est, ne multiplicatio executionum litium quoque multiplicitatem pariat,[4] nisi ponas debitorem iam condemnatum à supremo iudice, vt proinde nec intercedendi nec appellandi ius vllum amplius supersit.[5] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de Boney, & Andrææ Beuf, ant. Cal. Sept. 1595.

1 *Est in arbitrio 14. C. de oblig. & action. l. creditoris 8. ff. de distract. pign. l. à Diuo Pio 15. §. si rerum, & § sed si emptor ff. de re iudic.* Dixi *Defin 4. supr.*

2 *d. l. à Diuo Pio, §. si post addictum, de re iudic. vers. & cum semel.* iunct. *l. si rem, 9 § omnis, de pignor. ad l. item liberatur 6. §. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.* Satisfactio enim pro solutione est, *l. satisfactio 52. ff. de solut.*

3 Si enim ab alio quam ab ipso debitore impediatur executio, tanto maior ratio est, vt creditori permittatur aliam facere executionem, *d. l. à Diuo Pio, § si rerum & §. sed vtrum. ff. de re iudic.*

4 Quod distincte quantum fieri potest cauendum est, *l. 4. §. ait prætor, eod tit. l. singulis 6. ff. de except. rei iudic.*

5 Nullus enim litium erit finis si condemnato liceat iudicati executionem suis frustrationibus & tergiuersationib. impedire, *l. 2. C. de re iudic. l. si longis 7. C. hoc tit.*

DEFINITIO XLIV.

Qui tanquam possessor intercedit executioni non potest rei identitatem negare. Secus in eo qui tanquam possessor conuenitur.

QVi victore iudicatum exequente intercedit executioni tanquam possessor, identitatem, vt vocant, fundi negare non potest, nec petere vt in rem præsentem eatur ad fines demonstrandos.[1] Quo enim iure videri potest intercessisse, si nescit se possidere? Imo si neget se possidere, omnimodo condemnandus est, quoniam si vera sit negatio, nihil eius interest,[2] Sin falsa, puniri mendacium oportet, hactenus saltem vt possessio ei auferatur,[3] nec habeatur pro possessore qui falso negauit se possidere.[4] Non idem est cum quis directa actione conuenitur quasi possessor, & ob id solum quia possidet, vt contingit cum ager vectigalis vel emphyteuticarius esse dicitur. Tunc enim iuste petere reus potest vt rei præsentis demonstratio fiat, priusquam cogatur respondere an possideat,[5] cum ea sit agentis intentio, quam fundari ante omnia oportet,[6] tum quæri de iure rei,[7] Si non is reus proponatur qui iam professus sit se possidere,[8] Aut heres sit eius qui professionem emisit.[9] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 7. Cal. Septembr. 1595.

1 *Vt in l. si irruptione 8. § 1. ff. fin. regund.*

2 Nemo autem audiendus siue agendo siue excipiendo, si non eius interfit, *l. 3. §. 1. de verb. oblig. l. ille à quo 13 §. si de testamento.* vbi Alex. & alij *ad SC. Treb.*

3 *L. vlt. ff. de rei vindic. l. qui seruum 20 §. in iure, de interrog. in iur. faciend.*

4 In pœnam scilicet mendacij, & vt ipsi contra ipsum credatur, *vt in loci prox. citat.* iunct. *Auth. idem possessor. C. qui potior. in pign. hab.*

5 Scilicet si prius affirmet se nescire, an res, quæ petitur, illa ipsa sit, cuius nomine conuenitur, quia plerunque fines sunt incerti & obscuri, cum pro hominum arbitrio plerumque mutentur, *d. l. si irruptione 8. §. 1. & l. pen. ff fin. regund.*

6 *L. vlt. C. de edend. l. vlt. C. de rei vind. l. vlt. ff. de acq. poss.*

7 *L. in exceptionibus 19 ff. de probat.*

8 Nec enim proprij facti ignorationem iuste potest obtendere, *l. quanquam 7. D. ad Velleian. l. generaliter 19 C. de non numer. pecun.*

9 Heres enim vtitur in omnibus iure defuncti, cum censeatur eadem persona *Nouell. 48. de iur. à mor. præst.*

DEFINITIO XLV.

Qui obtinuit in interdicto retinendæ nulla iudicati executione indiget, quemodo indiget is, qui obtinuit in interdicto adipiscendæ.

SEntentia, quæ de adipiscenda possessione reddita est, in hoc differt ab ea, quæ de retinenda, quod qui in possessionem mitti iussus est, si propria auctoritate possessionem occupet, vim & iniuriam facere videtur,[1] quod nostri dicunt attentare. At is qui obtinuit, vt in possessione sua retineatur, nullo iudicis aut executoris facto indiget, cum sit ipse iam in possessione.[2] Idque est quod dici solet, sententiam super interdicto retinendæ possessionis redditam suam secum trahere executionem.[3] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal, & Joannis Falquet, Non. Sept. 1595.

1 *Arg. l. miles 6 § pen. D. de re iudic. l. 1. D. quod legat.*

2 Cuilibet enim suam possessionem tueri permittitur etiam per vim. *l. 3 §. cum igitur. D. de vi & vi armat.*

3 Quoniam qui iam est in possessione non potest magis possidere.

DEFINITIO XLVI.

Datus à Senatu executor non potest recognoscere de tertij intercessione, sed ad Senatum remittere rem debet.

EXecutor datus à Senatu ad exequendum Senatusconsultum, licet propriam & ordinariam alioqui iurisdictionem habeat, puta si sit iudex prouinciæ, in qua fieri debet executio,[1] non tamen potest de intercessione tertij cognoscere, si non causæ quoque cognitio ei demandata sit,[2] sed ad Senatum remittere debet, atque ita executione supersedere, quod ad tertium intercessorem attinet,[3] non quod ad condemnatum. Sane si tertius, qui intercedere & potuit, & debuit, maluit appellare, audiendus non est.[4] *Ita Senatus* in causa Petri Soteley, & Claudij Pognen, & Mariæ Guichard Augustanorum, Id. Sept. 1595.

BIU Cujas

1 Hic enim habet iurisdictionem in territorio totius prouinciæ, *l. vlt. vbi not. ff. de iurisdict. l. cum vnus* 12 § *pen. ff. de reb. auctor. iudic. possid.*

2 Quia is, qui executoris tantum partibus fungitur, non habet regulariter causæ cognitionē ne partes iudicis sibi vindicare videatur, *l. si vt proponis* 6. *C. hoc tit. l. à Diuo Pio* 15 § *rerum, &* § *sed vtrum ff. de re iudic.*

3 Quoniam non fuit ad hoc datus, vt de tertij iure & intercessione cognoscat.

4 Appellationis enim auxilium licet sit ex iure communi tamen minus ordinarium est & aliquatenus odiosum, quia iniquitatis querelam continet, *l. præfecti. ff. de minor.*

DEFINITIO XLVII.

Nec debitor nec debitoris filius potest constitui depositarius eius rei, quæ offertur ad remorandam executionem.

MAle ac perperam facit apparitor ad exequendum datus, si patiatur pecuniam aut quam aliam rem, quæ pecuniæ loco sit, deponi penes filium familias debitoris: Quia cum eadem esse persona filij & patris existimetur,[1] perinde est ac si pater ipse idemque debitor in depositarium eligeretur, quod vtique nemo probauerit,[2] si non creditor ipse consentiat. Neque enim volenti fit iniuria.[3] Quanquam non eo minus tenebitur filius familias si ex deposito conueniatur.[4] Nec quod etiam minor fuisse proponatur, faciet locum restitutioni.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 3. sup. De filiofam. minor.

1 *L. vlt. C. de impub. & aliis substit. l. ne cum filiofamilias* 16. *ff. de furt.*

2 Nemo enim videtur à se abdicasse dominium eius rei, cuius retinuerit possessionem, *l. sicut* 8 § *superuacuum, ff. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

3 *L. in diem* 9 § *ff. de aqua & aqu. pluu. arc. l. nemo videtur fraudare* 145. *de reg. iur.*

4 Quia ex omnibus causis recte obligatur præterquam ex mutuo & voto, *l. filiusfamilias* 39. *ff. de oblig. act. l. tam ex contractibus* 75. *de iudic.*

5 Nemo enim læditur accipiendo depositum, cum possit restituere si saluum sit, si vero perierit non teneatur nisi de dolo, *l. contractus* 23. *de reg. iur.*

DEFINITIO XLVIII.

De forma exequendi iudicati ex moribus Augustanorum.

CVm creditor quidam Augustanus obtinuisset, ac in prouincia rei iudicatæ executionem in bona immobilia peregisset, quæ subhasta distrahi curauerat; placuit nullius momenti esse executionem, propterea quod Augustanorum moribus expressim prohibitum esset, ne qua fieri vnquam possit bonorum immobilium subhastatio, sed in solutum bona capi debeant, facta pro arbitrio boni viri æstimatione.[1] Sed neque ad immobilia prius venire permittitur, quam mobilium diligens perquisitio facta sit,[2] adeo vt nec sufficiat negari per creditorem vlla esse bona mobilia. Sed omnimodo necessaria est inquisitio.[3] Nec ad rem pertinebat, quod executio facta esset auctoritate Senatusconsulti. Non enim idcirco alia mens Senatus fuisse videri poterat, quam vt executio, quæ in Augustana prouincia esset facienda, fieret moribus Augustanorum.[4] *Ita Senatus* in publico auditorio, 11. Calend. Decembr. 1595.

1 *Arg. Auth hoc nisi debitor, C. de solut.*

2 Quod consentit cum iuris ratione, *l. à Diuo Pio* 15. §. *in venditione ff. de re iudic.* Papiens. *in form. exec. sent. diffin. num.* 21. *& seq.*

3 Vt cum facienda est excussio bonorum debitoris in casu *Auth. hoc si debitor C. de pignor.*

4 Quibus scilicet derogare Senatus noster nec voluerat, nec debuerat cum ex Principis edicto habeant vim legis.

DEFINITIO XLIX.

Apparitor regius aut principalis delinquens in territorio inferioris iudicis an ab eo puniri possit?

APparitorum regiorum aut principalium singulare ius est, vt si in officio delinquant, licet inferioris iudicis mandata exequentes, ad suum tamen iudicem remitti debeant vt puniantur.[1] In aliis eius iudicis cognitio est, in cuius territorio peccatum proponitur.[2] Quod si apparitor regius aut principalis extra officij cautam deliquerit, nihil obstabit quominus etiam ab inferioris iurisdictionis iudice, in cuius territorio deliquerit, coerceatur.[3] Nam & minorem iudicem placuit punire posse officialem iudicis maioris in territorio suo delinquentem,[4] cum hoc saltem temperamento vt maiori iudici notum id facere teneatur;[5] sed & quod magis est iudicem à Principe delegatum, cuius maior vtique quam ordinarij dignitas est.[6] Si in ordinarij territorio deliquerit, potest ordinarius iure suo coercere.[7] Sane apparitores suos quilibet iudex punire potest,[8] adeoque illos etiam, qui apparitori suo in alieno territorio exequenti iniuriam fecisse probabuntur.[9] *Sine die.*

1 *L. de militibus, ff. de custod. reor.* Boer. *qua.* 9 *num* 9 post Ioan. Fabr. *in l. quod promulgatis, C. de offic. præf. vrb.* vide *l.* 2. *C. de sportul.*

2 Guid. Pap. *quæst.* 326. Post Cyn. *in Auth qua in prouincia, C. vbi de crimin. agi oport.*

3 Boer. *d. qu.* 9 *n.* 16.

4 Cyn. vbi supr. Aufrer. *quæst.* 432. *ex l.* 2. vbi Luc. de Penna, *Cod. de lucr. aduoc. libr.* 12. *&* §. *quod si delinquentes. Nouell. de mand. Princip.*

5 Bart. *in l. officiales, per ill. text. C. de offic. rect. prouinc.*

6 *Cap. sane, de offic. deleg.*

7 Boer. *d. quæst.* 9. *num.* 5. post Cynum & Aufrer. *vbi supr.*

8 *L. omne* vbi Alber. de Ros. *C. de offic. rect. prou.* Boer. *ibid. num.* 13.

9 Idem Alber. *in l. si quis forte,* § *si quos comitum, de pœn.* Boer. *ibid. num.* 14.

DEFINITIO L.

Reuocanda est executio facta die dominico aut alio feriato in honorem Dei, & quidem cum effectu.

EXecutio facta die dominico aliove in honorem Dei feriato vsque adeo nulla est,[1] vt quamuis sequenti die debitor carceribus exemptus sit, mox tamē & priusquam domum rediret rursus in carceres detrusus, posteriorque quoque executio nulla sit, quasi facta in fraudem legis, quæ priorem irritam faciebat.[2] Effectum enim habere debet executionis reuocatio, vt vitium purgetur.[3] *Ita Senatus* contra N. Bernardum Dacquin, 24. Maij 97. licet constaret sæpius antea obseruatum aliter, & factitatum fuisse.[4]

1 *L. vlt. C. de feriis.*

2 Non enim videtur quis exemptus à carceribus, si statim rursus in carceres detrudatur, *arg. l. qui sic soluit* 55. *ff. de solut.* Quomodo solemus dicere non videri versum quod non durat versum, *l. si pro patre* 10 §. *versum, ff. de in rem vers.*

3 Quod contractum fuerat per executionem prohibito die factam.

4 Non tam enim quid factum sit inspici debet, quam quid fieri debuerit, *l. sed licet* 12 *ff. de offic. præsid.*

DEFINITIO LI.

Missio in possessionem fieri potest pro debito non liquido, si modo constet deberi.

EXecutio Aresti, quo creditor hypothecarius in possessionem bonorum debitoris pro sua indemnitate mitti iussus est,[1] non potest impediri eo prætextu, quod nondum liquidatio facta sit quantitatis, quæ debetur.

BIU Cujas

debetur. Sufficit enim quod constet aliquid deberi,[2] licet quale, quantumque illud sit adhuc ignoretur. Multo magis vero hoc obtinet si vel nummus vnus sit, quem liquido deberi constet,[3] Est enim hypothecæ ius indiuiduum,[4] nec quicquam vetat hypothecam contrahi, & possideri rem obligatam etiam pro non liquida quantitate.[5] Diuersum esset si de pignore distrahendo aut in solutum possidendo tractaretur.[6] Sed an eo casu faciet creditor omnes fructus suos? Minime. Imo vero imputabit in sortem quatenus excedent modum legitimum vsurarum,[7] licet auctore Prætore sint percepti,[8] quia auctoritas iudicis non mutat conditionem & causam, ex qua missio in possessionem facta est.[9] Semperque verum est pignus possideri iure pignoris, & consequenter ea lege vt fructus in sortem imputentur.[10] Nam & si actum esset hypothecaria contra debitorem eundemque possessorem, fructus quidem consequeretur creditor à die litis contestatæ;[11] sed tamen non eo minus illos imputaret sibi in sortem, saltem quatenus excederent modum vsurarum.[12] *Ita Senatus* pro D. de Sauigny, contra D. Comitem de Saleneufue, 4. Mart. 1597.

1 *Extit. de rebus auctor. iudic possid. & tit. Quibus ex caus. in poss eat.*

2 Vt appareat executionem nõ fuisse factam pro indebito.

3 *L. quandiu 6. C. de distr. pignor. l. 2. C. debitor. vendit. pign. imped. non. poss.*

4 *L. rem hereditariam 65. ff. de euict. l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus hered. debit.*

5 Dummodo id, quod possidetur non sit incertum. Nec enim pars incerta possideri potest, *l. 3. § incertam, l. locus 26. ff. de acquir. poss. l. si fur. 23. in fin. ff. de vsucap.*

6 Quia non potest fieri venditio pretio incerto, nec datio in solutum pro incerta quantitate, *l. si non sortem 26. §. si centum. ff. de condict. in deb. l. vlt. vbi not. C. de contr. empt.*

7 Vt solet euenire in tacita antichresi, *l. cum debitor 8. ff. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr. l. vlt. cum ibi not. C. de pign. act. l. minor. 40 in fin. ff. de minor.*

8 Quamuis dici soleat, iuste possidere illum, qui prætore auctore possidet, *l. iuste 11. de acquir. poss. l. qui auctore, de reg. iur.*

9 *L. 5 ff vt in poss. legat. leg. inter bonorum 48. ff. de admin. tutor.*

10 *L. 1. 2. & vlt. C. de pign. act.*

11 Hoc enim iure vtimur, quamuis contra iuris, vt puto, rationem, quia nihil interest creditoris, vt cõsequatur fructus, quos imputare postea cogatur in sortem, nisi si ponas, rem obligatam non aliter posse sufficere vniuerso debito exsoluendo, *l. si fundus 16 §. in vindicatione, vers. interdum, ff. de pign.* iunct. *l. si inter 21. §. vlt. eod tit.*

12 *d. l. cum debitor.* Quasi sit hæc tacita antichresis prætoria, quam dubitandum non est posse constitui à prætore non minus quàm à priuato, *arg. l. non est mirum 26. §. 1. de pignor. act. & tot. tit. C. de prætor. pign.*

DEFINITIO LII.

Condemnatus tanquam tutor non potest cogi, vt iudicati executionem in suis bonis patiatur, etiamsi proprio nomine fuerit obligatus.

TVtor, non solum tutorio, sed etiam proprio nomine obligatus,[1] si tanquam tutor conuentus & condemnatus sit, tum in iudicati executione bona ipsius propria capta sint, iustam habet appellandi causam, quia iudicati executio, contra quam iudicatum sit fieri nunquam potest,[2] debetque potius creditor sibi imputare, cur ex iudicato agere maluerit, quam ex contractu.[3] Quid si tutor ab ea condemnatione prouocauerat, & in appellationis causa succubuerat, nulla tutorij nominis facta mentione?[4] Idem erit, quia confirmato simpliciter iudicato eædem qualitates & conditiones, quæ in iudicatum deductæ fuerant, durare intelliguntur.[5] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Blanc, contra N. Martin, 2. Mart. 1596.

1 Hoc enim euenit aliquando, *l. si non subscripsisti 15. C. de admin. tut.*

2 Cum non alia sit potestas executionis iudicati, nisi vt rei iudicatæ vigorem ad effectum deducat, *l. penult. C. de execut. rei iudic.*

3 Cum posset agere etiam ex contractu. Pateat igitur ei via quam elegit. *l. si mulier 21. §. vlt. ff. quod met. caus. l. 3. §. eligere. ff. de trib. act.* Iunge *l. si fundus 16. §. ff. si plures, ff. de pign.*

4 Vide *l. vlt. cum ibi not. ff. quand. ex fact. tutor.*

5 Quia appellatio transfert litem ad iudicem appellationis cum suis omnibus qualitatibus, siquidem reducit & reuocat litem ad terminos contestationis. [Itaque cùm maritus tanquam maritus litem subiisset apud inferiorem iudicem, & ab eo victus prouocasset ad Senatum, ibique rursum superatus fuisset, placuit non posse in propriis eius bonis fieri executionem, quamdiu mulier factum mariti non improbasset. Quo tamen secuto posse victorem redire aduersus maritum, eiusq; bona pro expensis temerariæ litis in quas erat condemnatus. *Ita Senatus* pro N. Claudio Pauy, contra N. Batardin, 6. Id. Mart. 1612.]

DEFINITIO LIII.

Debitor non potest impedire missionem in possessionem ex subhastationibus etiam nullis, vt neque decreti interpositionem, nisi debitum offerat, si modo subhastatio facta sit pro debito.

SOlet Senatus noster, si quando subhastationes proferantur, in quarum forma peccatum sit,[1] non prius decernere, vt emptor mittatur in possessionem bonorum, quam vocatus sit debitor & auditus, licet pro debito factas fuisse subhastationes appareat.[2] Quæ tamen res non facit, vt liberum sit debitori postea in ius venienti eas subhastationes obiecto nullitatis vitio impugnare, si non prius offerat, quicquid debet, cum certissimi iuris sit, executionem quantumuis nulliter factam, si tamen pro debito facta fuerit tenere:[3] nec magis posse debitorem impedire missionem in possessionem, quam decreti interpositionem, quæ longe maioris momenti est.[4] Sed prodest ea forma debitori, vt tanto largius habeat tempus ad redimendum, quandoquidem semestre, quod in eam rem præstitum est, non incipit currere nisi à die missionis in possessionem. Quid ergo si tam peruicax sit debitor, vt in ius vocatus nec debitum offerre velit, nec missioni in possessionem consentire? Senatus id sequitur temperamentum, vt breue aliquod tempus, puta vnius aut alterius mensis, præstituat debitori ad soluendum. Quo elapso si solutum non probetur, missio in possessionem emptori, quisquis ille sit, id est, siue creditor ipse, siue extraneus, saluo luendi pignoris iure, concedatur. *Ita Senatus* contra Dn. Claudium de Riuoire, Prid. Cal. Sept. 1605.

1 Forma siquidem statuti ad vnguem obseruanda est.

2 Alioqui si subhastationes nullo visibili vitio laborent, solet Senatus literas missionis in possessionem etiam inaudito debitore concedere.

3 Dixi *D. fin. 26. supr.*

4 Ne qui non potest impedire quod facilius impediri solet, admittatur ad impediendum id, quod facilius debeat impediri. *Ex not. in l. non debet cui 21. de reg. iur. l. cui pacto 5. ff. de seru. export.* Et ob hanc nimirum causam putabant plerique, posse Senatum & debere huiusmodi literas inaudito quoque debitore concedere, cum possit fieri ignorante te, quicquid fieri potest te inuito, *l. qui potest 26. de reg. iur.*

[DEFINITIO LIV.

Nemo cogitur exequi sententiam pro se latam, nec cõueniri primus ex iudicato etiamsi incidenter & in consequentiam propositam actionis aliquid inuicem aduersario præstare condemnatus sit.

SEntentiam pro se latam exequi nemo cogitur,[1] Itaque cùm quidam creditor egisset hypothecaria

in eum fundum qui viduæ debitoris ex anteriore causa dotis erat obligatus, & ad ius sui pignoris confirmandum obtulisset in iudicio quicquid mulieri & sortis & accessionum nomine debitum esse constaret,[2] eamque oblationem scutus iudex iussisset mitti actorem in possessionem fundi, Restituto priùs mulieri omni eo quod ei debebatur,[3] Adiecta etiam condemnatione impensarum litis, sed super eodem fundo capiendarum.[4] Creditor verò in executione iudicati comperto, quòd longè pluris dos esset, quàm fundus obligatus, abstinere mallet ab vrgenda executione iudicati, quàm summas dotales reddere. Mulier autem contra dotis pecuniam & accessiones habere mallet, quàm pignus retinere. Ideoque vltrò aduersus victorem egisset ad solutionem, adeoque præcisa executione iusso eo quasi debitor mulieris & condemnatus fuisset ire in carceres. Placuit appellantem illum ab eiusmodi executione tanquam iniuriosa esse audiendum,[5] nec mulieri permittendum vt executionem iudicati vrgeret contra inuitum creditorem si mallet ipse partam ex causa iudicati pignoris persecutionem omittere.[6] Tantum aberat, vt potuisset ille aut pro dote, aut (quod erat absurdius & contra formam sententiæ) pro expensis litis detrudi in carceres.[7] Planè cum primus ille nec satis consultò litem instituisset aduersus mulierem, cuius dotem per eas impensas minui æquum non erat,[8] Visum est, tametsi sententia in rem iudicatam transisset,[9] condemnari tamen debere creditorem in omnes primæ litis expensas, quibus solum ipsius factum causam dedisset. *Ita Senatus* ex tempore pro Joanna Bertrand, contra Bellemin, 5. Calen. Sextil. 1612.

1 *L. si iudex 48. ff. de minor. l. pen. C. de pact.*

2 Vt facere solēt & debēt posteriores creditores ad pignus suum confirmandū *l. 1. l. prior 5. & tot. tit. C. qui pot. in pign. hab.*

3 Nihil enim aliud potest iudex pronunciare, quàm id de quo inter litigatores conuenit, *l. si conuenerit 26 ff. de re iud.*

4 Sic enim pronunciari solet vt neuter lædatur cùm vterque iustam litigandi causam habuit, *l. ex his 8. ff. quæ in fraud. credit.*

5 Nec enim debitor erat sed creditor, nec condemnatus, sed victor, licet cum onere restituendæ dotis scilicet si fundum habere mallet.

6 Vt loquitur *l. minor. 40 ff. de minor.*

7 Quæ forma semper seruanda est. Alioqui non potest nō esse nulla iudicati executio, quæ sit contra formam iudicati *l. ab executore. ff. de appell. l. ab executione 5. C. quor. app. non recip.*

8 Cùm interest etiam Reipubl. dotes mulieribus saluas & integras conseruari, *l. 1. ff. solut. matrim. l. interest 18. de rebus auth. iud. poss.*

9 Quo tamen casu non de alio quæri solet, quàm quid iudicatum sit cùm rebus iudicatis standum sit, *l. 1. C. de re iudic. l. & post 7. ff. de transact.*

10 Semper enim condemnandus est in litis impensas ille qui dat causam impensis per litem temerariam, *l. eum quem 79. de iudic. l. qui solidum 78. § 1. de leg. 2. & Inst. de pœn. tem. litig.* In hac autem specie actor, quamuis verus creditor, temerarius tamen litigator fuerat, cùm ante motam litē debuisset diligentius inquirere de iuribus mulieris, quæ fundum possidebat, & de pignoris æstimatione. Aliud iuris est si quis conuentus actorem reconueniat, & vterque eadem sententia condemnetur, vt in *l. 1. § vltim. quæ sent. sin. app. resc. l. cùm Papinianus 14. & Auth. & consequenter, C. de sent. & interl. omn. iudic.* Hoc enim duplex & mutua petitio est, & vtraque æquè principalis: & ideò potest vterque iudicati executionem vrgere, qua parte actor & victor est, etiamsi aduersarius nolit.

DEFINITIO LV.

Sententia confirmans executionem retrotrahitur ad tempus executionis.

CVm quis intercessit ad impediendam executionem aliquam, puta missionis in possessionem, si postea per sententiam confirmata sit executio, etiam post annos triginta, retrotrahi debebit sententia ad tempus factæ executionis, vt qui vicit perinde pro possessore habendus sit ex die missionis ac si missio iam inde ab eo tempore effectum habuisset:[1] Nec ei nocere debet quod medio tempore is, qui intercesserat, aut alienauerit fundum,[2] aut alio creditore vigente condemnari se passus sit, si totum id pendente lite ac ignorante eo qui prior fuerat in exequendo, factum proponatur.[3] Multo magis admittendum est, vt ipse qui missus fuerat in possessionem & prohibitus, si postquam vicit nanciscatur possessionem à nouo aliquo possessore, qui vt eam alteri restitueret iam fuerat condemnatus, non ideo possessionem cum vicio nactus videri possit,[4] cùm per subsecutam sententiam fiat iusta possessio, quæ alioqui foret iniusta.[5] *Ita Senatus* in causa Nicolai Toynet & Joannis Francisci Antoinet, 22. Maij 1613.

1 *L. tutor 41. de vsur. l. vlt. de re iud. l. 24. de appell.* Nam ex sententia refereus se ad executionem factam non potest intelligi nisi secundum tempus executionis *l. 4. § si extraneus ff. de noxal. act.*

2 *L. 4. § 1. ff. de aqua & aquæ plu. arc.*

3 *Arg. l. iudicata 29. § 1. de except. rei iudic.*

4 Non enim potest videri quicquam fecisse in fraudem is qui vigilauit vt ius suum tueretur, neque id facto tertij deterius fieri pateretur *l. pupillus 24. quæ in fraud. credit.*

5 Nihil enim vetat validari, & vt loquuntur, iustificari possessionem ex titulo superueniente.

DEFINITIO LVI.

Non potest hæres impedire executionem factam in bona defuncti prætextu vllius iuris, quod in ius proprium habeat.

LIcet Senatusconsulti verba sic concepta sint vt in bona defuncti executionem fieri oporteat pro ea quantitate in quam hæredes condemnati sint, si tamen in iis bonis quæ in executione iudicati capta sunt aliqua iura hæredes habeant, non possunt vtique illo prætextu impedire[1] executionem nec petere vt ex eiusmodi executione iura illa detrahantur, cùm sint ipsi hæredes,[2] atque ita obligati soluere etiam de suo quod defunctus debuit.[3] Adeo vt eo quoque nomine ne possint coniici in carceres[4] nisi vel qualitas sexus, vel qua alia iusta causa[5] impediat. Scilicet si non ex beneficio legis & inuentarij, sed purè ac simpliciter hereditatem debitoris agnouisse proponantur.[6] Quòd si etiam executioni consenserint, multo magis erit probandum vt ex ea causa restitutionem in integrum postulare possint. Nec si mulierem etiam minorem proponas quæ inscio marito tali executioni consenserit: cum neque mulieribus neque minoribus succurri vnquam oporteat aduersus factum id quod ex iuris ratione ac necessitate facere alius quilibet debuisset.[7] *Ita Senatus* pro D. Senatore Salteur, contra Peronetam Mojon. Idib. Septemb. 1613.

1 Ratio dubitandi erat, quia forma exequendi Senatusconsulto præscripta erat, quæ videbatur ad vnguem obseruanda *l. cùm hi 8. § si Prætor ff. de transact.*

2 Hæres enim repræsentat personam defuncti & cogitur etiam de suo satisfacere creditoribus defuncti si non imploraverit beneficium inuentarij, *l. vltim. §. in computatione C. de int. delib.*

3 *L. vlt. & pass. C. de hered. act.* Scilicet capto pignore iudiciali. Nam ex conditionali certum est bona hæredis capi non posse. *l. Paulus 27. in princ. ff. de pignor.*

4 Not. *in l. ob æs alienum 12. C. de oblig. & act.*

5 Nec enim mulieres pro debito ciuili apud nos detrudūtur in carceres nec pupilli.

6 *d. § in computatione.*

7 Non enim læditur qui iure communi vtitur, *l. vlt. C. de in integr. rest. minor. 48 § 1 ff. de minor.*

BIU Cujas

TIT. XXI.

SI PLVR. VNA SENTENT. condemnat. fuer.

DEFINITIO I.

Etiam correi criminis non debent fieri correi debendi per sententiam, quod ad litis sumptus attinet. Si tamen facti sint, tenet sententia si non appelletur.

ETIAM cum ex delicto proficiscitur condemnatio, licet eadem plurium condemnandorum causa sit, quod contingit, quoties vnius delicti plures correi proponuntur,[1] sic tamen fieri condemnationem oportet, quantum ad litis sumptus attinet, vt pro sua quisque parte singuli mulctentur:[2] quia non tam ob delictum condemnatio sumptuum irrogatur, quam ob litem,[3] quæ à singulis non nisi pro virili suscipitur.[4] Si tamen ex pluribus iudicatis vnus ad totius litis expensas in solidum per iudicis imperitiam condemnatus, cum prouocare posset, iudicato acquieuerit, sententia nihilominus valebit,[5] mandarique vtiliter executioni poterit.[6] Proinde nec quod ex ea causa solutum fuerit, tanquam indebitum condicetur,[7] nisi forte aut dilata probetur appellatio, aut facta solutio ab eo, qui longiores carceres verebatur, quemque metus iudicis potius, quam odium litis appellare prohibuerit.[8] *Ita Senatus* 11. Calend. Septembr. 1588.

1 Vtputa in specie *l ita vulneratus* 51. §. *vltim. ff. ad legem Aquil.* quo casu, quantum ad mulctam pecuniariam pertinet, solent & debent fieri correi debendi per sententiam, vt inuicem alios pro alio & condemnari possit, & exigi, quod Pragmatici nostri dicunt *l'vn pour l'autre & chacun d'eux seul & pour le tout*, vt quemadmodum fuerunt correi criminis, sint etiam condemnationis, *argum. l. sancimus* 22 *C. de pœn.* Nam & per sententiam posse plures debendi correos fieri constat, *l.* 1. *C. hoc tit.* vbi tamen dicitur videri in dubio plures condemnatos in viriles. [quod & probatur *ex l. si in mandatis* 59. §. *Paulus* 3 *ff. mandat.*]

2 Alioqui iusta appellandi causa est, si pro sumptibus litis correi criminis fiant per sententiam correi debendi. * Intelige nisi criminalis actio inciderit in ciuilem, & ob eam causam in iudicium euocatus sit quis tertius qui delictum puta falsum commisisse dicitur, ex quo aliquis ex litigatoribus lucrum captare velit, tunc enim probato falso condemnari debet etiam in expensas litis criminalis litigator ciuilis qui falso instrumento vti voluit; non tantum quatenus conlors & socius litis, sed etiam pro parte delinquentis, sed non nisi in subsidium, si delinquens non sit soluendo. *Ita Senatus* pro Georgio Brunone contra Gilbertum Michaëlis & alios 20. Aprilis 1617. Magis tamen probarem vt in criminalibus causis qui sunt socij criminis tenerentur in solidum etiam pro sumptibus litis non minus quàm pro mulcta, sed cum hac tamen differentia, vt pro multa sit electio actoris agendi contra quem velit, Pro sumptibus verò litis non nisi in subsidium alius pro alio teneatur. Nec deerant ex senatoribus qui id æquum putarent, sed alio tamen iure vtimur.

3 Quia quisquis facto suo dat causam liti, condemnandus est in sumptus litis, *l. eum quem temere* 79. *ff. de iudic. l. non ignorent.* 4 *C. de fructibus & lit. expens.*

4 Pro se enim quisque litigat, non pro correo.

5 Nec enim contra iuris rigorem expressim lata est talis sententia, cum nulla lege aut constitutione prohibitum sit, ne ita pronuncietur, *l. cum prolatis* 32. *ff. de re iudic.* iunct. *l. si expressim*, 19 *ff. de appellat. l.* 1. §. *item cum contra. ff. quæ sentent sin. appellat. rescind.*

6 Præsertim hodie, postquam placuit etiam cum sententia nulla est, non posse tractari de nullitate, nisi per appellationem. Ita enim stylo Senatus nostri diserte cautum est.

7 Neque enim potest dici indebitum id, quod debetur ex iudicato, *l. si fundus* 16. §. *si pluris, ff. de pignor. l. vlt. C. de vsur. rei iudic.* nisi iudicatum sit ex falsis instrumentis, *l. vltim. C. si ex fals. instrum.*

8 Etsi videtur hoc casu necessaria protestatio, quæ fit appellationis, *l.* 2. *C. de his qui per met. iudic. non appell.*

DEFINITIO II.

Casus, in quo fructus restituere tenetur condemnatus in iudicio vindicationis, etiamsi nullos perceperit. Et contra, in quo nec is, qui condemnatus est tenetur restituere.

PLuribus eiusdem fundi possessoribus per vindicationem conuentis, eademque sententia condemnatis,[1] si vnus eorum in executione iudicati velit negare vllos à se perceptos fructus, sed omnes à cohæredibus aut condiuisoribus, non est audiendus, quia obstat res iudicata.[2] Item, quia non tam inspiciendum est quis fructus perceperit, quam quis percipiendi ius habuerit, cum imputare sibi debeat, qui non percepit, si percipere potuit.[3] Et sane vix fieri potest, vt non sit condemnandus ad fructuum restitutionem is ipse, qui in iudicio vindicationis condemnatur, vt causa fructuum sequatur rem, cuius sunt fructus.[4] Neque vlla in eo fit iniuria illi, qui cũ fructus nullos perceperit, ad eorum tamen restitutionem condemnatur, cum eo nomine habiturus sit actionem aduersus eum ex condiuisoribus, qui fructus percepit, vt indemnis præstetur,[5] nimirum, quatenus ille perceperit. Nam si minus percepit, quam percipere potuerit, non illi imputabimus eam fructuum quantitatem, quam non percepit,[6] quæ huic condemnato imputatur, nisi inuito socio eos fructus perceperit.[7] Si tamen proponas cum vno ex sociis, qui ad fructuum restitutionem condemnati fuerunt, victorem transegisse, nec pro virili tantum portione, sed generaliter de tota causa fructuum, non erit illi permittendum aduersus alios condiuisores ex iudicato agenti, vt bis idem consequatur: obstare namque illi debet exceptio doli mali.[8] *Ita Senatus* in causa N. Bedesquin, 14. Calen. Decemb. 1594. & 15. Cal. Decemb. 1595.

1 Intellige cum condemnatione ad restitutionem fructuũ, alioqui finita lite per sententiam, non esset quærendum de fructibus, *l.* 2. *& ibi* 3. *C. de fructibus & lit. expens.*

2 Quæ omnino mandanda est executioni, cũ pro veritate habeatur: Nec enim videtur satisfactum victori in iudicio vindicationis si non etiam fructus omnes restituantur, *l. qui restituere* 68 *D. de rei vindic. l. certum* 22 *C. eod.*

3 *L. sed etsi* 25. §. *sed & fructus. ff. de petit. hered. l.* 1. *C. eod. d. l. certum.*

4 Intellige tamen, si fructus ipse perceperit, alioqui non esset re integra condemnandus ad restitutionem fructuum in vindicationis iudicio is, qui nullos fructus percepisset, *l. si eius fundi* 78 *D. de rei vindicat.* Rursus hoc ita intellige, vt tamen is quoque qui fructus percepit, possit eorum nomine conueniri, *arg. l. cum multi* 9. *ff. si pars hered. pet.* Nec enim nouũ est, vt eorundem fructuum nomine plures teneantur, *d. l. sed etsi* 25. § *sed vtrum. ff. de petit. hered.* [Cæterùm adeò verum est condemnari debere ad fructus eũ, qui in rei vindicatione succubuit, vt si iudex per errorem alienam rem adiudicauerit petitori, eodem errore debeat possessorem de fructibus quoque condemnare *l. & ex diuerso* 15. §. 1. *ff. de rei vindic.*]

5 Qui enim actionem habet, rem ipsam habere videtur, *l. is qui actionem* 15 *de reg. iur.* Et si non esset bona hæc ratio, si nõ magis res iudicata obstaret huic condemnato, *l. nemo ideo* 71. *de reg. iur.* cum interesset ipsius non soluere potius quam solutũ repetere, *l.* 3 *ff. de compens. l. si stipulatus* 15. *de fideiuss.* Optima igitur ratio est, quia tibi debet imputare, qui iudicato acquieuit, à quo potuit appellare, *l. ad solutionem* 5. *C. de re iudic.*

6 Quia nec maiorem quantitatem percipere debuit.

7 Quo casu malæ fidei possessor est etiam quod ad sociũ, *l. duo fratres* 78. *ff. de acquir. her. l. Sabinus* 18. *ff. commun. diuid.*

8 Quia bona fides non patitur vt bis idem exigatur, *l. bona fides* 57. *de reg. iur.* & improbus est, qui bis idem consequi velit, *l. si dolo* 51. *in fin. ff. de re iudic.*

BIU Cujas

[DEFINITIO III.

Ex iudicato non potest fieri executio contra plures simul, nec in solidum condemnatos, nisi in partes viriles, si non fiat per viam hypothecariæ.

CVm plures eadem sententia condemnati sunt ad eam quantitatem, quam singuli debebant in solidum, non possunt ex iudicato, nisi in viriles conueniri, si non per sententiam solidi obligatio retenta fuerit,[1] quasi nouatione per iudicatum facta.[2] Nec enim nouatio similis est illi quæ fit per litis contestationem quæ deteriorem actoris conditionem facere nunquam solet.[3] Si tamen vnius ex correis bona alteri correo sint obligata, quod euenit plerumque, cum quis ex causa fideiussionis se correum debendi constituit;[4] Et vterque, vt fieri adsolet, bona sua omnia creditori obligauerit;[5] Vtique poterit creditor idemque victor hypothecariam consequi, quod ex iudicato non consequeretur, vt pro ea parte quæ ad onus alterius correi pertinet, in ea quoque bona possit agere, quæ fideiussor pro sua indemnitate, siue per priuatam, siue per publicam emptionem à debitore eodemque correo acceperit,[6] perinde ac si quilibet alius ea pignora possideret.[7] Nisi quod hactenus deterioris conditionis est, vt non factæ excussionis non possit exceptionem obiicere, quam alius possessor tertius posset,[8] quasi nocere adhuc ei debeat, quod aliquando eius pecuniæ debitor in solidum fuit.[9] Nec alia ratio erit sumptuum litis, si fuerint condemnati in viriles, cùm ex contractu ad eos sumptus in solidum singuli essent obligati, si modo pro sumptibus quoque, vt aliquando, seu rarius fit, bona correorumiin solidum pignori obligata proponantur. *Ita Senatus* pro D. Franciſca Bonnet, contra Carrel, 24. April. 1614.

1 *L. 1. & 2. C. hoc. tit. l. Paulus 43. vbi glos. ff. de re iudic.*

2 Fit enim nouatio per iudicatum, *l. vltim. C. de vsur. rei iudicat.*

3 *L. delegare* 11. §. 1. *l. aliam* 29 *ff. de nouat. l. non solet* 86. *& seq. de reg. iur.*

4 Hoc enim casu solet debitor sub obligatione bonorum suorum omnium indemnitatem fideiussori suo promittere. Ne alioqui fideiussor nihil nisi personalem mandati actionem esset habiturus.

5 *L. & quæ nondum* 15. §. *quod dicitur ff. de pignor. l. vlt. C. quæ res pignor.*

6 Nec enim per iudicatum nouatur, aut diuiditur hypothecaria, quæ sui natura indiuidua est, *l. pen.* §. 1. *de except. rei iudic.* iunct. *l. rem hæreditariam* 66. *ff. de euict.*

7 Datur enim hypothecaria contra quemlibet possessorem *l. si fundus* 16. § *in vindicatione & l. seq ff. de pignor.*

8 *Auth: hoc si debitor C. eod.*

9 Exemplo eius quod dici solet vnum ex heredibus debitoris conuentum hypothecaria in solidum non posse hanc exceptionem obiicere pro parte cohæredis, vt dicam *infr. Tit. si vnus ex pluribus hered. deb.*]

TIT. XXII.

QVIB. RES IVDICAT. non nocet.

DEFINITIO I.

An & quando Syndicus pro debito vniuersitatis possit proprio nomine ex iudicato conueniri.

SYndicvs nomine vniuersitatis condemnatus non prius nomine proprio conueniri ex iudicato potest, quam ita iudex decreuerit.[1] Decernere vero ita demum potest & debet iudex, si appareat negligenter aut dolo malo Syndicum egisse, ne intra tempora faciendæ solutioni præstituta vniuersitatis nomine victori satisfieret,[2] quam in rem triplex iussum procedere solet, quorum vltimum comminationem illam habeat, vt ni ad diem satisfiat de suo soluere Syndicus teneatur.[3] At quid si syndicus tam pauper sit, vt de suo non habeat vnde soluat?[4] Siquidem is, qui condemnatus est, cum esset locuples, dolo malo aut per suam negligentiam fecit vt ante iudicati executionem inops aliis in locum suum substitueretur, poterit contra ipsum executioni mandari sententia, licet officio functus sit, adeoque administrationis suæ rationes reddiderit:[5] quoniam imputari ei potest, cur durante officio diligentior non fuerit, vt satisfaceret iudicato:[6] nec culpa vacat, quamuis ponas vacare dolo.[7] Sed si nihil ei possit imputari, cogenda est vniuersitas mulctarum comminatione, vt alium syndicum idoneum constituat, aduersus quem agi possit.[8] Nam vt aduersus vnum ex vniuersitate agatur pro totius vniuersitatis debito, permittendum nunquam est, nec si fiscale debitum proponatur.[9] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 9. Calend. Dec. 1588. & iterum pro D. Barone de Creissiaz, contra Syndicos de Cormoranche, 7. Cal. Aug. 1591.

1 Ne scilicet officium ei suum sit damnosum, quod nunquam esse debet, nec si priuatum officium sit, multo magis si publicum, *l. videlicet* 29. *ff. ex quib. caus. maior. l. sed si quis ex signatoribus* 7. *ff. testam. quem. aper.* Guid. Pap. qu. 87.

2 Ea siquidem res & exactio ad Syndici curam & diligentiam pertinet, *l. item eorum* 6. §. *si decuriones, in fin. & pass. ff. quod cuiusque vniuers. nom.*

3 Ita vt Syndici contumacia & negligentia non possit excusari, nec proinde dubitari, quin propria ipsius culpa puniatur, cum noluit parere ius dicenti, *l. non potest dolo carere* 199. *de reg. iur.*

4 Inanis siquidem actio est quam eludit inopia debitoris, *l. nam is* 6. *ff. de dolo.*

5 *Arg. l.* 3. §. *si quis cum minore, vers. si probaretur, ff. de minor.*

6 *Arg. l. si non longiu* 7. *C. de execut. rei iud.*

7 Ideoque nec videtur damnum vllum sentire, quod sentit ex culpa sua, *l. quod quis* 203 *de reg. iur.*

8 Quia Syndicus & actor vniuersitatis ille est, qui vniuersitatem repræsentat, *l. 2. & 3. d. l. 6.* §. 1. *in fin. & pass. ff. quod cuiusque vniuers nomin.*

9 *L. 3. & 4. C. de annon. & tribut. lib. 10 tit. 16. & l. 1. C. de exact. tribut. tit. 19. eod. lib.* Iunge *Defin. 16. 3. de execut. rei iud.*

DEFINITIO II.

Condemnatus ob non exhibitum inuentarium potest adhuc intercedere tanquam heres pure, aut tanquam possessor.

QVi executioni ab alio factæ interfuerat tanquam heres cum beneficio legis & inuentarij, si ob non exhibitum inuentarium condemnatus fuerit,[1] non eo minus saluum habet ius iterum intercedendi, aut tanquam pure heres, aut, si possideat, iure nudi possessoris. Nec ei nocebit res iudicata, quoniam alia causa esse videtur, quæ nunc in iudicium deducitur.[2] *Ita Senatus* ex tempore, 12. Calen. Decemb. 1589. Iunge Defin. 9. de except.

1 Nec enim quisquam audiri potest tanquam talis, siue agendo, siue excipiendo, qui non prius se probet talem, *l. licet* 24. *C. de procur. l. postquam* 5. §. *si dies, ff. vt legat. seu fideicomm. ff. seruand. caus. caueat.*

2 *L. & an eadem* 14. *l. si cum vno* 22. *& pass. ff. de except. rei iudic.* Alia enim conditio eius, qui pure heres est, alia eius, qui cum beneficio legis & inuentarij: sicut & alia heredis, alia nudi possessoris. Qui enim non posset vincere tanquam heres, quia heres non est, vincere tamen posset tanquam nudus possessor si actor nullo iure ageret, *l. vlt. ff. de acquir. poss. l. 2. ff. vti possid. l. Paulus* 12. §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solui.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Contra tutorem lata sententia non aliter pupillum afficit, quam si victor probet fuisse verum tutorem.

SEntentia contra falsum pupilli tutorem reddita pupillo quandoq; nocere non potest, adeo vt nec ab ea prouocare cogendus sit, [1] non tam ob eam causam, quod ipso iure nulla sit (nam si aliud nihil esset, morib. nostris ab ea appellari oporteret, [2]) quā quia inter alios lata videatur, [3] cum falsus tutor nulla ex parte pupilli personam repræsentet. Sed quid si de hoc ipso dubitetur, an falsus tutor fuerit necne? Victori, qui sententia nititur, incumbet onus probandi verū tutorem fuisse, [4] cum nec talis quisquam præsumatur, [5] necaliter fieri possit, vt sententia cum eo reddita vim habeat & auctoritatem rei iudicatæ. [6] *Ita tractatum est* 17. Cal. Iul. 1590.

1 Non enim potest rei iudicatæ vim habere sententia lata contra pupillum vel minorem indefensum, *l. 4. C. si aduers. rem iudic. l. contra* 54. *D. de re iud.* Indefensus autem est pupillus, qui non habuit verum tutorem, *l. 1. §. sed Pompon. & §. idem Pomponius, & pass. D. quod falsi tutor. auctor.*

2 Vt dixi *Defin. 1. num. 6. §. tit. prox.*

3 *Tot. tit. C. in. alios act. vel iud. alijs non nocer.*

4 *d. l. 1. & tot. tit. quod falsi tutor. auct.*

5 Adeo vt neque tutoris confessio sola in eam rem sufficiat, *l. vlt. eod. tit. quod falsi tutor auct.*

6 Tutorem enim esse qualitas est non naturalis, sed accidentalis, cuiusmodi qualitates nunquam præsumuntur. Not. *ad l. 1 C. de dignit. lib. 12.*

7 *d. l. 4 C. si aduers. rem iud.*

DEFINITIO IV.

Mulieri dotem repetenti non nocet exceptio rei iudicatæ, etiam si per errorem consenserit executioni soluto matrimonio.

LAta pro mariti creditore contra vxorem sententia constante matrimonio, [1] non parit exceptionem rei iudicatę, si mulier post mortem viri aduersus eundem credit rem & possessorem de pignorum dotalū iure experiatur: nec appellandi necessitate mulier obstringitur, [2] quoniam noua petendi causa est nouumque ius, [3] de quo in priore iudicio neque fuerat quæsitum, neque potuerat quæri. [4] At quid si mortuo iam viro ea ipsa sententia executioni mandata sit aduersus mulierem, quę non contradixerit? Et potest videri à iure pignoris recessisse, quę siue expressim siue tacite consensit executioni, cum intercedere & posset & deberet. [5] Sed humanior & æquior est contraria sententia, ne iuris error & ignorantia damno dotis afficiat mulierem, quę iam condemnata putant fortasse nullam sibi superesse intercedendi potestatem. [6] Maxime vero, cū executionis iudicati maior vis, quam iudicati ipsius esse non deberet. [7] *Ita Senatus* pro Hugonina Jurrin, contra Claudium Perisseu, 1d. Iul. 1592. Et rursum pro Dominica Dalsin, contra Christophorum Poche, 14. Cal. Sept. 1592.

1 Quo tempore nullum ius habet in bona mariti, neque agendo, neque excipiendo, nisi in casum assecurationis, *l. si constante 24 D. solut. matr. l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.*

2 Appellatio enim neque necessaria neque vtilis est, nisi ei, cui alioquin sententia noceret, *l. 1. l. 4. & pass. quand. prouoc. non est necess.*

3 Exceptio autem rei iudicatæ non habet locum, nisi vbi eadem est causa petendi, *l. si mater 11. §. eam diem, l. cum quæritur 12. & seqq. l. si cum vno 22. & pass. de except. rei iud.* Vide *l. si quis 8. cum præced. eod. tit.*

4 Vt dixi *num. 1 supr.* Not. *in l. vnic. Cod. si dos const. matr. secut. fuer.*

5 *Arg. l. si vt 8. § non videtur, iunct. l. 4 §. 1 & pass. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

6 *L. error facti 9. & seqq. D. de iur. & fact. ignor.*

7 Ne latius pateat effectus quam causa, *l. pen. Cod. de execut. rei iud.*

DEFINITIO V.

Si appellatio à defuncto interposita ab herede deserta sit, non nocet ea res fructuario, qui non fuit vocatus.

SEntentiam de fundo Corneliano latam contra Titium possessorem, qui subinde moriens eius fundi vsumfructum tibi legauerit, si ab ea prouocauerat, placet nocere tibi non debere, [1] quamuis defuncti hęres postea deseruerit appellationem, aut passus sit te condemnari, siue per collusionem ita fecerit, siue per negligentiam. [2] Nos enim eum casum tractamus, quo iusta fuerit prouocatio, ne alioquin otiosa quæstio sit, cum parum tua interfit, an ideo succumbere debeas, quod obstet tibi res iudicata, an quia nihil iuris habeas. [3] Atqui dici solet posse rem quoque inter alios iudicatam alijs obesse, nimirum, quoties quis de ea re, cuius act. o vel defensio sibi competit, sequentem agere patiatur; veluti si creditor passus sit debitorem agere de proprietate pignoris, aut mantus socerum vel vxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aut possessor venditorem de proprietate rei emptæ. [4] Quidni ergo idem dicemus cum fructuarius sciuit & passus est de ea re, in qua vsumfructum habebat, hęredem agere? Sed hæc non sunt similia. Neque enim fructuario ius est prohibendi, ne de proprietate agat proprietarius, de qua nec ipse agere posset. Adeo sunt proprietatis & vsusfructus iura separata, [5] nec quicquam vetat proprietarium & fructuarium simul & pro se ipso quemque ac de suo iure agere: [6] nec rursum tibi obstare poterat, quod Titius, à quo ius habebas, fuisset condemnatus. [7] Appellatio namque ab eo interposita extinxerat iudicatum, [8] & ob eam causam debuisti tu quoq; ad appellationem prosequendam & defendendam accuri, vt contra te & hæredem simul de appellationis, quæ vna fuit, iure cognosceretur. [9] *Ita Senatus* pro Ioanna Daranton vidua procuratoris Muffat, contra Petrum Volat, 16. Calen. Januar. 1592.

1 Cum appellatio illa extinxerit iudicatum, *l. furti 6. § 1. D. de his qui not. infam. l. §. vlt. D. ad SC Turpill.*

2 Neque enim aut collusio, aut negligentia hæredis nocere debet legatario, *l. si suspecta 29 D. de inoff. testam. l. à sententia 5. § si hæres l. si per lusurio 14 D. de appell.* Maxime vero hoc obtinet, si ob desertam ab hærede appellationem contra eum pronunciatum sit, *d. l. si per lusurio, § 1.*

3 Non enim potest videri quicquam interesse illius, qui bonam causam non habuit, *l. si ideo 55. D. de euict.*

4 *L. sæpe 63. D. de re iud.*

5 *L. pœn. D. de acquir. poss. l. naturaliter 12. § nihil commune, eod. tit.* iunct. *d. l. sæpe in fin.*

6 *Arg. l. si cum argentū 21. § si fundum. D. de except. rei iud.*

7 Quamuis dici soleat, exceptionem rei iudicatæ illi nocere, qui successit in ius condemnati, *l. si à te 9 § vltim. d. iudicata 29 § vlt. D. eod. tit. de except. rei iud.*

8 *dict. l. 1. § vlt. D. ad SC. Turpill. d. l. furti 6 § 1. D. de his qui not. infam.*

9 *L. de vnoquoque 47. D. de re iud.*

DEFINITIO VI.

Condemnatus per contumaciam neque actionem, neque exceptionem habet ex ea causa contra alium inauditum.

PEr contumaciam condemnatus, per collusionem potius aut negligentiam, quam defectu iuris condemnatus intelligitur, [1] ideoque nec potest ea res præbere illi actionem nec exceptionem aduersus alium, qui liti non interfuit, siue vocari debuerit,

BIU Cujas

siue non.[1] *Ita Senatus* in causa R. D. N. Rubei Franciscani & Syndicorum du Pontdeuaux, 8. Non. August. 1593.

1 *L. si duo* 55. D. *de euict.*
2 Nemo enim ex sua vel improbitate vel culpa potest sibi actionem acquirere, *d. l. si ideo, l. itaque* 12. §. 1. D. *de furt.*

DEFINITIO VII.

Non nocet fratri sententia lata contra fratrem, qui tam suo quam fratris nomine condemnatus est, si neque mandatum, neque ratihabitio interceßit.

FRater executioni & missioni, quæ postulante paterno creditore fiebat in bona patris sibi cum alijs fratribus communia, interceßerat tam suo quam fratrum nomine, & Senatusconsulto fuerat condemnatus. Non eo minus saluum erit iis nouæ interceßionis fratribus, si fratris interceßionem factam ipsorum nomine ratam non habuerunt,[1] quamuis in Senatusconsulti præfatione[2] nominati proponantur. Nequ ijs necessarium erit remedium supplicationis, quomodo esset, si fuissent ipsi condemnati.[3] Verum enim est, rem inter alios actam esse, quamdiu fratris factum ratum non habuerunt, ideoque nec posse contra eos habere iudicati auctoritatem.[7] *Ita Senatus* ex tempore in causa D. de Lodes & Cornelij Arbareste, 10. Cal. Decembr. 1593.

1 *L.* 1. *C. hoc tit.*
2 Quod Pragmatici dicunt *aux qualitez de l'arrest.*
3 Dixi *Defin.* 2. *&* 3. §. *de sentenpræf prator.*
4 *d. l.* 1. vbi est text. expreß. *C. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Sententia lata in causa appellationis contra eum, qui cum procuratore iurisdictionali in prima instantia obtinuerat, an noceat procuratori iurisdictionali?

SEntentia per inferiorem iudicem lata pro priuato, qui in causa coniunctus erat procurator iurisdictionis,[1] interposita per condemnatum appellatione rescissa fuerat, cum appellatoriæ liti priuatus ille, qui obtinuerat, solus adfuisset, absente procuratore iurisdictionis. Quærebatur, an si procurator iurisdictionis exequi iudicatum vellet, aut appellationis desertionem obiicere, audiendus esset? Mouet ex vna parte, quod cum liti appellatoriæ non interfuerit culpa appellantis, qui litem ei non denunciauit, cum tamen ipsius maxime referret,[2] iniquum videatur nocere illi arrestum quod inter alios redditum fuit.[3] At ex alia parte verendum est, ne si audiatur, det ea res materiam arresto contrario in eadem causa pronunciando, quod sane alienum fuerit à Senatus maiestate.[4] Præsertim cum in prima instantia procurator iurisdictionis non separatim de iure suo disputasset, sed causam suam cum priuati, qui postea condemnatus fuerat, causa coniunxisset.[5] Dubitationem tamen augebat, quod in ea lite de iurisdictione potissimum agebatur, cuius esset, an Ducis Gebennensis, an inferioris vasalli. *Senatus* perorata lite in publico Auditorio, perplexam esse rem putauit, & quę maioris esset deliberationis, 6. Calend. Maij 1594.

1 Vulgo vocant procuratorem officij.
2 Debuerat enim condemnatus litem denunciare procuratori iurisdictionali, tanquam cuius maxime interesset, *arg. l. emptor* 8. *& seq C. de euict.*
3 *L.* 1. *& pass. C. hoc tit. l.* 1 *& tot. tit. Cod. int. alios act. vel iudic. alijs non nocer. l. de vnoquoque*, 47. D. *de re iud.*
4 *L. singulis* 6. D. *de except. rei iud.*
5 Quasi eadem pro vtroque esset causa vincendi.

DEFINITIO IX.

Tertio, qui impedit executionem sententia contra alium latæ, facienda est exhibitio non tantum sententiæ, sed etiam omnium instrumentorum litis.

SI executioni sententiæ inter alios reddiţ tertius quispiam intercedat,[1] ius habet postulandi, vt non tantum sententia sibi exhibeatur,[2] sed etiam acta omnia, super quibus lata sententia est. Etsi enim sententia eum non afficit, quominus perinde saluas habeat suas exceptiones ac si iudicatum non esset, ideoq; nec appellare cogatur; interest tamen ipsius, vt videat an per collusionem, aut sordes, aut gratiam, iurisve imperitiam male iudicatum sit.[4] Hoc enim edocto facile illudetur auctoritas iudicati, quę alioqui hactenus saltem nocet, vt cogatur reus tueri se exceptionibus & eas probare.[5] Quod vtique facere non cogeretur, si nullam actor pro se sententiam haberet. Prius enim est, vt de actoris quam de rei iure quęratur & cognoscatur.[6] *Ita Senatus* ex tempore pro Francisco Peslin procuratore, contra fratres Perret, 4. Cal. Maij 1595.

1 Quod vtique facere pro suo iure potest, cum non sit ipse condemnatus, *l.* 1. *& pass. C. hoc tit.* De hoc ipse tamen quærit, Guid. Pap. quasi re dubia, *quæst.* 26. *in fin.* Vide ibidem Ranchinum, vbi distinguit inter actionem personalem, & hypothecariam, vt priore casu non possit fieri executio contra tertium, nec si is pendente lite emerit. Gloss. *in l. si pro te C. de condict. ob caus.* Iaf. *in l. si vnus, §. ante omnia,* D. *de pact.* Posteriore secus, quia realis actio, non personalis, sequitur singulatim successorem Iaf. *ibid.* Addit Ranchinus, sententiam latam contra emphyteutam, posse mandari executioni contra singularem successorem, etiam qui longissimo tempore possederit. Ex Boer. *decis.* 182. *n.* 48 Item sententiam latam contra colonum non nocere domino. Bart. *in l.* 2. *nu* 7. *Cod. vbi in rem act.* Item sententiam latam contra ciuiliter possidentem, non posse mandari executioni contra possidentem naturaliter. *Ex gloss.* 10. *l. Pomponius*, § *si is qui. D. de acquir. poss.* Iaf. *in* §. *omnium, nu.* 10. *de act.* Iunge *Defin.* 6. *infr. int. alios act. vel iud.*
2 Super qua scilicet fundatur intentio actoris exequentis iudicatum.
3 Secundum ea quæ dixi D. *fin* 3. §. *hoc tit.*
4 Quo casu fraus & iniuria facta condemnato non posset alium contingere. *d.* 5. *l. si per imprudentiam* 51. *D. de euict. l. exceptione* 67. *D. de fideiuss.*
5 Fundata siquidem intentione actoris, nihil aliud superest, nisi vt de rei exceptionibus quæratur.
6 *L. vlt. C. de rei vindic. l.* 4 *C. de edend. l. vlt. D. de acq. poss. l. Paulus* 12. §. 1. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

DEFINITIO X.

Sententia lata pro legitima contra hæredem, non potest mandari executioni contra tertios possessores, nisi facta prius liquidatione & excußione bonorum contra hæredem condemnatum.

QVi de legitima portione controuersiam mouerat contra hęredem & obtinuerat, si postea contra tertios possessores agere velit[1] in executione iudicati, qui ante litem cœptam emerint, non est cogendus de legitimæ suæ iure iterum disputare: sufficit enim, vt eum habuerit contradictorem, quem habere debuerit & vicerit,[2] si non per collusionem vicisse probetur.[3] Sed tamen, cum legitima non nisi deducto prius ære alieno constituatur,[4] nec ęquum sit inquietari tertios bonæ fidei possessores, quamdiu ex bonis hæreditarijs non alienatis commode satisfieri potest petitori, si victus bona fide vendidit,[5] audiendi sunt tertij possessores, si non prius ex iudicato conueniri se patiantur, quam cum eo, qui victus est, aut eius hęredibus discepratum sit & iudicatum, quid veniat in detractionem, & eo facto, quid & quantum sit quod

sit quod ex bonis soluitur victori pro legitima. In qua lite si velint ipsi quoque sistere, non sunt prohibendi; [6] si nolint non sunt cogendi. Neque enim eo minus ipsis nocebit quod inter alios factum erit, quam si cum ipsis factum esset: quippe qui adesse liti potuerint si voluissent. [8] *Ita Senatus* pro illustriss. D. Ludouico Millieto Sabaudiæ magno Cancellario & Ioanne Laurentio le Noir, contra D. de Breissieu, 5. Id. Iunij 1595.

1 Potest enim pro legitima agi etiam contra tertios possessores non minus quam pro legato per actionem hypothecariam, Not. *in l. cum quæritur 6. & in Auth. nouissima, Cod. de inoff. testam.*

2 *L. cum iusto 3. à contr. sent. D. de collus. deteg.*

3 *Arg. l. si suspecta 29. D. de inoff. testam. l. à sententia 5. §. si heres, l. si per lusorio 14. D. de appel.*

4 *L. Papinianus 8. §. quarta autem, D. de inoff. test.*

5 *Arg. l. Moschis 47. D. de iur. fisc. Auth. hoc si debitor, Cod. de pign.*

6 Cum ipsorum interest, si forte suspectam habeant fidem aut diligentiam eius, qui iam fuit condemnatus, *d. l. si suspecta & d. l. si per lusorio.*

7 Sufficit enim vt sciuerint litem, *d. l. si suspecta.*

DEFINITIO XI.

Contra prælatum lata sententia nocet successori in beneficio nisi lata sit per collusionem aut contumaciam decessoris.

SEntentia contra prælatum ecclesiæ lata nocet successori, vt aduersus eum parem vim habeat rei iudicatæ siue adagendum, siue ad excipiendum, [1] iisdemque remediis opus est ad rescindendam iudicati auctoritatem, quibus opus esset, si is ipse prælatus viueret, qui condemnatus est. [2] Sed hoc ita, si non per prælati contumaciam aut collusionem iudicatum sit. His enim casibus saluam successori defensionem esse conuenit, adeo vt etiam si Senatusconsulto decisa res fuerit, non indigeat successor ciuili supplicatione, [3] nimirum fauore ecclesiæ, [4] cui nocere improbi prælati contumaciam aut collusionem non oportet, quo minus ex integro de partium iure cognoscatur. [5] *Ita tractatum est* in publico Auditorio in causa Capituli Ecclesiæ Cathedralis S. Petri Gebennensium & Curati de Sollongex, 7. Cal. Sept. 1595.

1 Licet enim posterior prælatus non succedat in ius sui prædecessoris, eandem tamen ecclesiam repræsentat.

2 Auctoritas enim rerum iudicatarum perpetua esse debet, nec magis potest extingui per mortem condemnati, quam per mortem ipsius iudicis, qui de causa cognouit, *l. vlt. Cod. de re iud.*

3 Quæ tamen necessaria esset hæredi alijve cuilibet successori eius, qui fuisset condemnatus, secundum ea quæ scripsimus *in tit. de sent. præfect. prat.*

4 Vt & alia pleraque, de quibus *in tit. C. de sacros. eccl.*

5 Non enim potest deterior fieri conditio ecclesiæ per prælatum, non magis quam domini per seruum. *l. melior 133. de regul. iur.* Adeo vt neque tempus illud, quo vixit prælatus, qui male alienauit, imputetur præscriptioni cõtra ecclesiam. Gurd. Pap. *quæst....*

DEFINITIO XII.

Casus, in quo remedium can. redintegranda, datur etiam contra eum, qui possessor factus fuerat ex causa iudicati.

SEntentia pro te lata contra pupillum per collusionem tutoris, facere non potest, quin si ex ea & in executionem iudicati possessor factus sis, redintegranda sit pupillo sua possessio, [1] dummodo rescissa sit sententia per contrariam sententiam ex appellatione dictam. [2] Idemque est, si nulla tutoris collusione intercedente tutor, cum appellare deberet, non appellauerit per iuris aut facti ignorantiam. [3] Nam nec nouum est, vt per iudicem, quis spolietur, [4] cum factum iudicis sit factum partis, [5] nec rursus vt auxilium canonis Pontificij, [6] quo succurritur spoliatis, detur contra bonæ fidei possessorem. [7] Non tamen videbitur sententia ob id solum per tutoris collusionem reddita, quod tutor exceptionem omiserit, quæ fuit de apicibus iuris dubijs, [8] vtputa si passus sit condemnari pupillum ad restitutionem dotis maternæ, quam potuerat ob nõ redditas tutelæ rationes retinere, [9] nisi proponas tutoris personam aliunde suspectam. [10] Finge remoto fine causa tutore testamentario datum [11] pupillo tutorem vitricii sui patrem, [12] qui proprio filio ex vxoris persona dotem repetenti exceptionem illam non redditarum rationum minime obiecerit. Vtique credendus erit per dolum & malitiam potius, quam iuris imperitiam ab objicienda exceptione abstinuisse. [13] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Defin. 41. infr. de appell. & Defin. 14. supr. de ordin. cognit.

1 Acsi contra pupillum indefensum lata esset, quo casu ipso iure esset nulla, *l. 4. C. si aduers. rem iud. l. contra 54. D de re iud.* Tutor enim habetur quidem loco domini, cum pupillum defendit, *l. interdum 56. §. qui tutelam D. de furt. l. si ideo 55. §. 1 D. de euict.* sed non cum pupillum spoliat, *l. qui fundum 7. §. si tutor. D. pro emptor.*

2 Collusio enim non tam facit nullam sententiam quam rescindendam beneficio appellationis, *l. 5. §. si hæres, l. si per lusorio 14. D de appellat l si suspecta 29. D. de inoff. test.* nimirum id exigente auctoritate rerum iudicatarum, *l. seruus 65. §. tum prætor, D. ad S. C. Trebell.* Excepto casu, de quo *in Defin. præcedent.* Aliud est, si sententia lata sit contra falsum tutorem, *vt in Defin. 3 supr. eod.*

3 Cum eo casu non careat culpa tutor, qui & ob eam causam haud dubie tenetur actione tutelæ.

4 *Not. in l. interesse 39. D. de acquir poss.*

5 *L. si ob causam 13 Cod. de euict. l. 1. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

6 *In can redintegranda 3. q. 1.*

7 Notant Canon. *ad d. l. redintegranda.* vide Menoch. *in remed. 15. recup. poss. num. 89. & seq.* post Bart. *in l. rem quæ nobis, n. 2. D. de acquir. poss.* vbi etiam Angel. Bal. *in l. 2. C. de furt.* Alexand. *cons. 17. & seq. lib. 2.*

8 Non enim prohibetur tutor bonam fidem agnoscere, *l. quoties 9 §. sicut autem, vers. nec vtique, D. de administ. tutor.* cui porro non conuenit de apicibus iuris disputare, *l. si fideiuss. 29 §. quadam tamen, D. mandat.*

9 Tanquam pro rationibus tutelæ tacite obligatam, vt dixi *in tit. de iur. dot. supr.*

10 Sunt enim suspecta & minus firma omnia, quæ à suspecto tutore fiunt, *l. Æ milius 38. vers. monit. D. de minor.*

11 Cuius fidem testator habuerat perspectam.

12 Qui non poterat esse non suspectus, *l. 1. Cod. vbi pupill. educ. deb.*

13 Tanquam qui suo filio eiusque vxori magis quam pupillo consultum voluerit. [Semper enim Cassianum illud obtinet, cui bono?]

DEFINITIO XIII.

Contra tertium inauditum de nouo tractanda sunt omnia in executione iudicati. Potest tamen sententia inter alios lata prodesse ad expensarum compensationem.

HAbetur quidem res iudicata pro veritate & titulo loco, [1] sed non quod ad eum, qui neque iudicio adfuit, neque à condemnato ius posterius habet. [2] Itaque si quis obtinuerit aduersus debitoris debitorem tanquam creditor creditoris, [3] & alius in iudicati executione intercedat, non tantum de ordine, sed etiam de iure crediti perinde disceptandum erit, ac si numquam is obtinuisset. [4] Potest tamen res iudicata prodesse victori, etiam quod ad tertios hactenus, vti ne per calumniam aut temere litem agitasse videatur. [5] Quę res expensarum compensationi locum facere interdum potest. [6] *Ita Senatus*

BIU Cujas

in causa Petri Soteley, & Mariæ Guichard Augustanorum, Jdib. Septembr. 1595.

1 *L. ingenuum 25. D. de stat. hom. l. res iudicata 207. de reg. iur.*

2 *L. de vnoquoque 47. D. de re iud. l. 1. & tot. hoc tit. C. l. 1. & tot. tit. C. inter alios act. vel iudic. alijs non noc.* [Cæterum qui habet ius à condemnato, non potest iudicati executionem impedire, *l. antep. §. vlt. D. de except. rei iudic. l. 3. D. de pignor.* Paul. Castr. *cons. 76. num. 3. part. 2.* Imo nec is qui emit pendente lite, *l. 4. §. 1. de aqua & aquæ pluu. arc.* Nec distinguemus an habeat ius à condemnato ex causa onerosa, an ex lucrativa *dict. §. vlt. Ita Senatus* pro Reuerendiss. Dn. Philiberto Milliet Episcopo Maurianensi & Principe, contra Nicolaum Maret, 18. Cal. Iul. 1612.]

3 *Ex tit. Cod. quand fisc. vel priuat. debit. sui debitor. conuen. poss. l. à Diuo Pio 5. §. sis quoque iudices, D. de re iud.* Ex quibus locis apparet, sententiam illam contra debitorem posse mandari executioni in bonis debitoris sui. Guid. Pap. *quæst. 29. nu. 2.* vide distinctiones Ranchini ibidem positas.

4 *d. l. à Diuo Pio §. si rerum.*

5 Cum in dubio præsumendum sit pro sententia, præsertim à qua non sit appellatum, vt alibi scripsimus.

6 Sola enim temeritas aut improbitas litigatoris dat causam condemnationi expensarum, *l. eum quem temere 59.* iunct. *l. de stitisse 10. D. de iud. l. properandum 13. §. siue autem alterutra C. eod. l. qui solidum 78. §. 1. de legat.*

TIT. XXIII.

COMMINAT. EPIST. PROgramm. auctor. rei iudic.

DEFINITIO I.

Quod Senatus fieri iußit sub certa pœna comminatione, præcise faciendum est, sed non facile mulcta irroganda, nec nisi ex magna causa.

QVAMVIS iubeat Senatus quid fieri sub certæ pœnę aut mulctæ comminatione, vix tamen est, vt aduersus contumacem, qui parere noluit, ius eo nomine vnquam reddatur mulctæ irrogandæ gratia, [1] sed præcise iubendum est, mandari executioni quod à Senatu decretum est, non solum ob auctoritatem Senatus, ad quam sane pertinet, vt quod fieri iussum est fiat potius quam vt ob non factum id, quod fieri debuit, mulcta infligatur, [2] sed etiam bono publico ne lites multiplicentur. [3] Plane si insignis & repetita contumacia proponatur, non est incongruum, vt rato manente decreto & iuncta iterum parendi necessitate, citetur contumax causam dicturus, cur indictas contumaciæ pœnas pendere non debeat, [4] ne aqui frustra mulctæ irrogandæ comminatio facta videatur. [5] At hoc non nisi perraro & ex magna causa admittendum est. [6] *Ita Senatus* in relationibus libellorum in causa Dn. de Combefort & Petri Coyrin, 8. Jd. Maij 1593.

1 Nec enim comminatio habet vim legis aut Senatusconsulti, *l. 1. & pass. C. hoc tit.*

2 Numquam enim debet esse in potestate condemnati an pareat iudicato, nec si paratus sit præstare quidquid interest victoris, *l. qui restituere 66. D. de rei vind. l. nec quasi 70. eod.*

3 *L. singulis 6. D. de except. rei iudic. l. quidam 21. D. de reb. cred.*

4 Cuilibet enim magistratui, sed præsertim supremo, qualis est Senatus, licet iurisdictionem suam pœnali iudicio defendere, *l. 1. D. si quis ius dicent. non obtemp.*

5 Non enim debent elusoria esse decreta Senatus, *l. si prætor 75. D. de iud. l. vlt. D. ne quid in loc. public.*

6 Cum huiusmodi mulctæ irrogatio solam vindictam & duritiam victoris contineat, *arg. l. si venditor 6. §. vlt. D. de seru. export.*

DEFINITIO II.

Pœna conuentionalis numquam potest peti, quin præcesserit declaratoria, quod pœna sit commissa.

ILlud multo facilius admittendum est, pœnæ, quę in obligationem & conuentionem deducta est exactionem fieri non posse, ne quidem in fisci commodũ, priusquam cognitum & pronunciatum sit, commissam eam esse, [1] cum possint multa interuenire, quæ faciant, vt vel nunquam commissa, vel vt, etiamsi maxime cõmissa sit, remittenda tamen esse videatur. [2] *Ita Senatus noster sæpius. Sine die.*

1 Afflict. *decis. 3.* Vide *l. nuda 5. C. de contrah. & committ. stipul. l. si pacto quo pœnam 14. cum ibi not. C. de pact.*

2 Scilicet ex æquitate, vt puta, si nihil reuera interfit stipulatoris, *arg. l. si ita quis 135. §. Seia, in fin. D. de verb. obl.* Omnes enim actiones ad id comparatæ sunt vt actor consequatur, id quod sua interest, licet cum adiecta est pœna, non soleat quæri, an aut quatenus interfit, *l. stipulatio ista 38. §. alteri, eod. tit.*

TIT. XXIV.

DE CONFESS.

DEFINITIO I.

Potest scindi confessio in criminalibus, sed non in ciuilibus. Et cur ita?

NEQVE oblationem, neq; confessionem ab aduersario in iure factam scindere collitigator potest, id est, pro parte improbare, sed de ciuili actione lis instituta proponitur. [1] Nam in criminali iudicio aliud est, scinditurque confessio. [2] An, quia difficilior esse soleat probatio criminis, [3] quod tamen sciri & vindicari non tantum accusatoris, sed etiam publice interest? [4] An potius, quod in causis criminalibus de crimine tantum quæratur, an factum sit, in ciuilibus vero de iure litigatoris, cui non sit permittendum, vt de domo inuiti aduersarij probationes extrahat? [5] Plane in hoc fauorabilior est confessio, quæ in ciuili iudicio facta est, quam quæ in criminali, quod ex illa sequi possit condemnatio in confessum [6] probationibus debiti alijs deficientibus omnibus, [7] adeo vt etiam minus legitime instituto iudicio valeat sententia in confessum lata. [8] Ex hac vero non item, si non prius constet admissum esse crimen. [9] Tum igitur nocet reo crimen fatenti confessio, cum de eo solo dubitatur quis crimen fecerit, id est, cum non tam delictum ipsum, quam persona, quæ delictum admiserit, ignoratur. [10] *Ita Senatus* 11. Cal. Mart. 1590.

1 *L. cùm quæritur 16. D. de admin. tutor. l. si ita stipulatio 39. §. 1. de opert. libert. l. nam absurdum 7. D. de bon. libert. l. eum qui 18. in fin. D. de his quibus vt indign.* Vide gloſſam magistralem, & communiter approbatam *in l. si quidem 9. C. de except.* Adde tamen Boertium, præsertim *nu. 4. decis. 339. repetit. 243.* & stylũ nostrum *tit. 1. art. 32.* qui sic conceptus est, vt videatur velle addere iuri communi.

2 Bart. *in l. Aurelius 28. §. idem quæsit. D. de liber. legat.* Iul. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. in pract. crim. q. 55. nu. 14.*

3 Cuius scilicet probationes debent esse luce meridiana clariores, *l. sciant cuncti 25. C. de probat.*

4 *L. ita vulneratus 51. §. vlt. D. ad l. Aquil. l. si à reo 71. §. vlt. D. de fideiuss. l. Stichum 95. §. 1. de solut.*

5 *L. vlt. C. de edend. l. mixtus graue 7. C. de testib.*

6 Quia confessos in iure pro iudicatis haberi placet, *l. vni. C. hoc tit. l. 1. D. eod.*

7 Nulla enim melior probatio est, quam quæ elicitur ex ipsius

ipsius partis confessione, *l. generaliter* 13. *vbi not. C. de non num. pecun. l. cum de indebito* 25. *D. de probat.*

8 Tanquam quod sumat vim ex ipsa confessione, non ex figura iudicij, *d. l. 1. hoc tit. l. si conuenire* 26. *D. de iudic.*

9 Quia non auditur perire volens, *l. non tantum* 6. *D. de appell.*

10 *Vt in l. si is cum quo* 4. *D. hoc tit.* Vide *l.* 1. §. *item illud.* vbi Bartol. & Rom. *ad Syllan. l. inde Neratius* §. *fin. D. ad leg. Aquil.* Iul. Clar. *in* §. *fin. quæst.* 55. *num.* 11. [Et hoc est, quod dicimus debere constare de corpore mortuo. Fallit in crimine assassinatus, quia semper committitur per insidias & in occulto. Itaque sufficit vt constet de corpore mortuo ex confessione accusati, maxime si sint plures accusati, qui omnes confiteantur, siue in tormentis, siue extra tormenta: *ita Senatus* contra Emery & Lacusta 1609.]

DEFINITIO II.

Creditur occisori iuranti se adgressum ab occiso, si nullis indiciis vrgeatur, alioqui torquendus.

QVid ergo si quis fateatur à se occisum hominem, sed dicat fecisse se ad sui defensionem & cũ moderamine inculpatæ tutelæ, [1] nec appareat occisorem fuisse aggressorem? Stabimus assertioni & confessioni iuratæ ipsius rei, non vt perinde absoluatur ac si legitimis probationibus constaret, occisum inuasorem fuisse, sed vt mitius puniatur. [2] Nam & in dubio contra mortuum præsumptio capi solet. [3] Cæterum si contrariis indiciis reus vrgeatur, torquendus erit, & si in tormentis fateatur se aggressorem, condemnandus, si neget absoluendus. [4] *Ita Senatus* pro Ludouico Hoste Tarentasiensi, Prid. Cal. Iunij 1591.

1 Quo casu non videtur deliquisse qui occidit, *l. 1. Cod. vnde vi.*

2 Boer. late *qu.* 237. *præsertim in fin.* Vide Matth. Gribald. *in regul. crimin.* Corn. *cons.* 107. *vol.* 1.

3 Alciat. *in tract. de præsumpt.* Boer. *vbi supr.*

4 Boer. *vbi* 3. *& quæst* 164. *num* 15.

DEFINITIO III.

Facta confessio defuncti nocet hæredi conuento actione depositi.

CVm quidam tribus edictis vocatus in ius, vt depositum restitueret, non paruisset, ac in pœnam contumaciæ per iudicis interlocutionem pro confesso habitus fuisset, tum eo mortuo, hæredes quasi ad nouã instantiam reuocati essent, factumque depositũ negarent, placuit non eo minus debere illos condemnari, quod non satis plene probatum depositum fuisset. [1] Sufficere enim, quod defunctus, cuius fides electa fuerat, & cui veritas perspecta erat, se pro confesso haberi passus esset, [2] quippe quem erat verisimile, si depositum non accepisset, venturum fuisse in ius, & depositi dationem denegaturum. [3] Nec ad rem pertinuit, quod nõ tanquam confessi debitoris hæredes interpellati fuerant, sed quasi ad nouam, vt diximus, instantiam inuitati: facta etiam iis potestate negandi quod petebatur, adeoque sumpta vltro per actorem probandæ intentionis suæ necessitate. [4] Id enim faciebat quidem, vt ab interlocutionis commodo, quæ contra defunctũ reddita fuerat, actor per imperitiam recessisse videretur, qui non actionem nouam proponere debuerat, sed condemnationem potius vrgere. [5] At nõ etiam, vt probationem, quæ ex tacita illa contumacis mortui fictaq; confessione emergebat, adeo peremptam esse dici posset, vti ne aliis saltem probationum adminiculis ipsa vicissim adminiculo esse deberet. [6] *Ita Senatus*, contra N. le Maistre, 7. Cal. Jul. 1592.

1 Quamuis soleat dici non aliter debere reum condemnari, quam si actor plene probet suam intentionem, *lege qui accusare* 4. *C. de edend. l. vltim. C. de rei vindic. l. actor*, 23 *C. de probat.*

2 Per suam contumaciam, quæ inducit tacitam, quamuis fictam confessionem, cum pro præsentia habeatur, *Auth. qua in prouincia, vers. sed si nec ipse, C. vbi de crimin agi oport.* Vnde est quod contumax non magis auditur appellans, quam qui confessus est, *l. 1. C. quor. appell. non recip.*

3 Nemo enim suum iactare præsumitur, *vulg. l. cum de indebito* 25. *D. de probat.*

4 Quamuis qui petunt admitti se ad probandum, soleant adiicere clausulam & protestationem, quod nolint se adstringere ad superfluas probationes.

5 Sibi namque facit iniuriam, qui rei iudicatę executionem ad nouæ petitionis initium redigit, *l. minor annis* 40. *D. de minor l.* 4. §. *ait prætor, D. de re iudic.*

6 Potest enim depositi probatio impleri per confessionem, licet depositum non nisi re contrahatur, *l. Publia* 26. §. *vltim. D. depos.* Papiens. *in form. capitul. de æterna rei memor. in verb. habuisse confessus, num.* 2.

DEFINITIO IV.

Confessio Syndici in ea re, de qua non habet speciale mandatum non nocet vniuersitati.

EX confessione, quam vniuersitatis nomine Syndicus fecerit citra speciale mandatum, nullum vniuersitati potest inferri detrimentum, [1] præsertim, si de re agatur, quæ sit magni præiudicij, vt puta de antiqua consuetudine retinenda vel violanda. [2] Itaque sufficiet vniuersitati, quod factum Syndici ratum habere nolit, vt etiam pendente lite in pristina sua possessione vel quasi possessione retineatur. [3] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Valoire & de Valmenier, 13. Cal. Ianuarij 1593.

1 Quod de procuratore quolibet etiam generali & cum libera tradit Papiens. *in form. possit actor. in vers. Simoninus Spelta nu.* 1. *in fin. arg. l. filiusfamilias* 7. *D. de donat.*

2 Quia quanto magis quis læditur, tanto minus credendus est consentire, *l. si libertus ita iurauerit*, 30. *D. de oper. libert.*

3 Non enim paruum incommodum est, si quis possessione sua priuetur, §. *commodum, Instit. de interd.* Non debet autem alteri per alterum iniqua conditio inferri, *vulg. l. non debet* 74. *de reg. iur.*

DEFINITIO V.

Maior annis 25. non potest sine causa iusta restitui aduersus suam confessionem factam in iudicio, sed potest aduersus confessionem procuratoris refusis sumptibus.

ADuersus confessionem aut oblationem, quam in iudicio maior annis viginti quinque fecerit, (nam in minore aliud esset) non datur in integrum restitutio, [2] nisi per aduersarij dolũ, quave alia mala arte probetur extorta, aut nisi erronea dicatur probabili errore facti, isque error ab eo probetur, per quem allegatur. [3] Sane si à procuratore facta sit speciale in eam rem mãdatum non habente, licet habuerit generale, iustum est auxilium restitutionis, [4] ne domino noceat factum procuratoris. [5] Dum ne quid ex ea re præiudicij fiat aduersario, id est, dummodo indemnis seruetur eorum sumptuum nomine, quibus confessio & oblatio huiusmodi causam dederit. [6] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, contra N. Mattel. 11. Calen. Maij, 1594.

1 Cum restituatur minor quoties læsus est in eo ipso, quod gessit, *l. 1. l. ait prætor* 7. *& pass. D. de minor, l. nam posteaquam* 9. § *si minor. D. de iureiur.*

2 Regulariter enim confessio facta in iudicio, præiudicat confitenti, *l. 1. Cod. hoc tit.* adeoque si sit facta extra iudicium, dummodo parte præsente, *l. certum* 6. §. *si quis absentes, cum ibi not. D. eod.* Papiens. *in form. libell. act. real. vers. compellatis respondere, numer.* 4. *&* 5. & confessio regulariter facit plenam probationem in præiudicium confitentis, nisi fingatur simulata, *l. generaliter*, 13. *Cod. de non numer. pecun.* Papiens.

BIU Cujas

in form. libell. in cauſ. vendit. in verb. ceſſit & mandauit, num. 3.

3 Quia neque dolus neque error præſumitur, niſi probetur, *l. dolum 6. C. de dolo d. l. quoties 18. §. qui dolo, D. de probat.* Papienſ. *in form. libell. act. real. verſ. compellatis, nu. 11. & 12.*

4 Imo nec videtur neceſſaria eſſe reſtitutio, cum in generali mandato non contineatur facultas perdendi, vt dixi *Defin. præced. ex l. filiumfamilias 7. in princ. D. de donat.*

5 *Argum. l. 1. de alien. iudic. mut. cauſ. fact. l. non debet 74. de regul. iur.*

6 Alioqui beneficium Principis aut prætoris eſſet alij captioſum quod eſſe non debet, *l. Paulus 8. de prætor. ſtipul. l. 1. C. de mancip. liber. l. de ætate 11. §. vlt. D. de interrog. in iur. fac.*

DEFINITIO VI.

Caſus, in quo pendente lite aliud petitur, aliud præſtatur.

CVm dicerem tibi à me commodatum equum, tu venditum certo pretio, deque rei veritate nondũ conſtaret, petebam vt interea & pendente lite condemnareris ad equi reſtitutionem, aut iuſti valoris ſolutionem, quandoquidem non negabas tibi traditum, neq; æquum erat vtrumque te, rem ſcilicet & pretium, retinere.[1] Tu contra dicebas, non poſſe me confeſſionem tuam ſcindere, neque tibi nocere debere, quòd à te acceptum equum confeſſus eſſes, niſi admitterem, quod addebas traditum tibi ex cauſa emptionis.[3] Placuit iniquam eſſe petitionem meam;[4] ſed ſi tamen contentus eſſe velim eo pretio, quod tu inter nos conuentum affirmares, non poſſe te recuſare quo minus lite pendente id ſaltem præſtes quod à te deberi agnoſcas, ſaluo iure meo, ſi quid amplius ex euentu litis mihi debitum fuiſſe appareat. *Ita Senatus* in cauſa N. Claudij Rey Capitanei iuſtitiæ & Franciſci Tocquet, ex tempore, 9. Calend. Junij 1594.

1 *L. ex empto 11. §. qui autem l. Iulianus 13. §. veniunt, lege bona fides 50. D. de action empt.*

2 Bart. *in l. Aurelius 28. §. idem quæſitit, num. 2. de liber. legat.*

3 Cum ſint longe ſeparata iura emptionis & commodati. Siquidem ex emptione transfertur dominium, quod fuit venditoris non per commodatum, *lege rei commodatæ 8. & ſeq. D. commod.*

4 Quia confeſſio in ciuilibus ſcindi non poteſt, vt dixi *numer. 2.*

5 Simile quiddam eſt *in l. ſi ſterilis 21. §. cum per venditorem, D. de action. empt.*

DEFINITIO VII.

Ex ſola contumacia numquam reus criminis habetur pro confeſſo, niſi aliæ ſint probationes.

COntra contumacem omnia, vt dici ſolet, iura clamant, nimirum vt aduerſus eum præſumatur,[1] nõ autem vt ſtatim quaſi confeſſus debeat condemnari:[2] ſuppleda enim eſt partis abſentia per præſentiam Dei,[3] maxime vero cum de crimine agitur.[4] Neque enim ſi iuris rationem inſpicias cõtumacia ſola ſufficit, vt reus pro confeſſo habeatur. Ideoque in eam rem neceſſaria eſt auctoritas ſtatuti, cuiuſmodi ſtatuta pleraque ſunt tota fere Italia, & aliis in quamplurimis locis. Quorum licet ea ſit poteſtas vt contumacem pro confeſſo habeant, non tamen adhuc ea res facit vt reus omnimodo condemnandus ſit, tanquam conuictus, ſed præcedere oportet vt de crimine conſtet ſaltem aliqualiter, & ſemiplene.[5] *Ita Senatus* in cauſa N. Franciſci Boyuin & N. Benedicti Bertier Baronis du Villars, 7. Id. April. 1595.

1 Quoniam contumacia eſt delictum, ſiquidem habet adnexum ſpretum & contemptum ius dicentis. *l. ſi quis ex aliena 5. D. de iudic.*

2 Niſi fuerit contumax in reſpondendo poſitionibus, poſt. quam fuit perſonaliter teſtius & monitus per iudicem. Hanc patitur iſte pœnam ſuæ contumaciæ. Papienſ. *in form. ſit. actor. in verſ. reſponderi ex cap. 2. de confeſſ. in 6.*

3 *L. properandum 13. §. cum autem ex modicis. C. de iudi.*

4 Quia criminis probationes debent eſſe luce meridianis clariores, *l. vlt. C. de probat.*

5 Hypol. de Marſil. *in pract. in §. poſtquam, num. 18.* per leges & auctoritates ibi citatas. Quibus adde Iul. Clar. *in pract. crim. quæſt. 55. numer. 10.* vbi tamen loquitur de expreſſa confeſſione non de contumacia, in qua contra ſentit. *quæſt. 44. num. 1.*

DEFINITIO VIII.

Iudex an & quando poſſit condemnare reum ex confeſſione, quam extorſerit promiſſa impunitate?

CVm bonus iudex modis omnibus curare debeat, vt facti veritas habeatur,[1] interdum ei permittendum eſt, vt reo ſub ea conditione, ſi ingenue fatebitur, promittat impunitatem.[2] Quo facto atque ita extorta rei confeſſione, non eo minus, ſed mitius tamen ad cõdemnationem veniendum erit,[4] ſed ita ſi in ea confeſſione reus ex interuallo perſtiterit. Alioqui certum eſt, poſſe illum reſilire & quidem impunè, id eſt ita, vt nec propter eiuſmodi variationem, ſi alia indicia nulla ſint, quæſtioni ſubiiciendus ſit, non magis quam ſi numquam confeſſus fuiſſet.[5] Quæ quamquam ita ſunt, cauere tamen iudex debet quantum facere poteſt, vt ab hoc conſilio abſtineat, ne per dolum & cuniculos boni viri officium implere videatur.[5] *Ita Senatus* in cauſa Michaëlis Gros Chandonier, 5. Calend. Maij. 1595.

1 *L. curent magiſtratus 22. D. de teſtib.*

2 Iul. Clar. ex communi opinione, *quæſt. 55. num. 3. in pract. crimin.*

3 Idem Clar. *dict. quæſt. 55. nu. 9.* poſt Cagnol. *ad l. ea eſt natura, num. 18. de verbor. ſignific.*

4 Decius late cum *apoſt. ad d. l. ea eſt natura.*

5 Conſilium eſt Iulij Clari *dict. num. 8. in fin.*

DEFINITIO IX.

Non poteſt quis probari fur, quin conſtet prius de re furtiua, nec res furtiua eſſe, quæ non fuerit ab alio prius amiſſa.

IS, penes quem multæ res reperiuntur, quas fatetur ille furto à ſe hinc inde ſubtractas, non poteſt ex ea ſola confeſſione tanquam fur condemnari, tametſi ex rerum qualitate credibile ſit ex furto profectas potius, quam alia vlla ratione acquiſitas.[1] Prius enim eſt in neceſſarium antecedens vt probentur ab aliquo amiſſæ, quam vt ſubtractæ videri poſſint.[2] Nec aliter conſtare poteſt de corpore ſubrepto, quam ſi conſtet de amiſſo. Quod non ſimiliter contingit cum agitur de corpore mortuo. Illic enim duplex quæſtio eſſe poteſt, an corpus mortuum ſit, & quis occiderit?[3] Hic vero de illo tantum quæritur, an furtum factum ſit, quoniam rei alienæ poſſeſſio ſola non probat rem eſſe furtiuam,[4] quamuis aliunde probata res furtiua probet furem. Itaque quæſtio illa, an furtum factum ſit, duas omnimodo partes habet: Quis rem amiſerit, quæ furto dicitur ſubtracta, & quis ſubripuerit? Atqui certiſſimum eſt, non audiri eum qui vltro perire velit.[5] Igitur eiuſmodi confeſſio ſola non ſufficiet ad condemnationem.[6] *Ita Senatus*, 3. Non. Iun. 1595.

1 Etſi in dubio non eſt capienda præſumptio furti, vt nec alterius delicti, *l. merito 51. D. pro ſocio.*

2 Cum furtum ſit contrectatio rei alienæ inuito domino *l. 1. & paſſ. D. de furt.*

3 *Vt in l. is cum quo 4. D. de confeſſ.*

4 Nec ſi concurrat ſcientia rei alienæ, quia furtum fit animo,

BIU Cujas

animo furandi non sit, *l. inter omnes 46. §. recte dictum est, & §. in furti 50. §. recte, & pass. D. de furt.* nec res sit furtiua sine furto.

5 *L. non tantum, 6 D. de appellat.*

6 Ex iis quæ dixi *Defin. 7. num. 5. supr. eod.* Vide tamen Mascard. *de probat. conclus. 829. num. 8.* Iul. Clar. *in §. fin. quæst. 4. nu. 4. versic. quinimo.* Bald. *in l. 1. de testibus in addit. colum. 3. versic item nota.* Ruin. *cons. 80. colum. 4. versi nec obstat. vol. 4.* Hippolyt. *in pract crimin. col. 2. vers sed circa.* Grammat. *cons. 60.* Ant. Gabriel. *tit. de malefic. conclus. 17. nu. 13 & 14.* vbi ait, in omnib. iis, quæ sunt difficilis probationis, satis esse, vt præsumptiue constet de corpore delicti. Adde Clar. *quæst. 55 num. 11.* vbi tract. de assassinio.

TIT. XXV.

INT. ALIOS ACT. VEL iudic. non nocer.

DEFINITIO I.

Nocet creditoribus etiam non vocatis sententia inter alios lata pro hærede cum beneficio legis,

SENTENTIA, per quam pronunciatum est hæredem quem esse cum beneficio legis & inuentarij, cum afficiat statum & conditionem personæ (facit enim, vt persona denominetur talis [1]) nocet creditoribus etiam non auditis nec vocatis [2] nisi probetur lata per collusionem, aut per sordes vel gratiam.[3] Neq; enim fieri potest, vt pro parte quis hæres sit pure, pro parte autem cum beneficio legis, non magis quam vt sit hæres pro parte, & pro parte non sit.[4] *Ita Senatus* pro D. de Bellegarde, contra Annam de Bellegarde vxorem D. de Brenuenu, 15. Cal. Mart. 1595.

1 Hoc est, vt dicatur quis hæres cum beneficio legis & inuentarij.

2 Quia sententia, quæ afficit statum personæ, facit ius quod ad omnes, *l. ex causa 8.* vbi Bart. *D. de postul. l. de ætate 43. D. de minor.*

3 Quo casu non est ferendum, vt ex vnius facto alius lædatur, *l. 1. D. de alienat. iud. mut. caus. fact.*

4 *L. 1. & 2. D. de acquir. hæred. l. Pomponius 18. in fin. D. de rei vindicat.* Si tamen à iudice vnius territorij quis pronunciatus sit heres cum beneficio legis & inuentarij, vix est, vt ea sententia possit afficere alterius territorij creditores, vt dixi *ad Defin. 15. supr. de re iudic.* Vide Andr. Tiraq. *in tract. de nobilit. cap. vlt. num. 1. & seqq.*

DEFINITIO II.

Casu, in quo potest quis appellare ab ea sententia, per quam alius etiam personaliter fuit condemnatus.

CVm aduersus debitorem meum agerem & personali & hypothecaria, [1] non ipse tantum, sed & vxor & liberi interceserant. Iudex pendente lite, solum debitorem, quod debere eum constaret, mihi prouisionaliter, vt aiunt, condemnauerat. [2] Non eo minus iustam appellandi causam vxor & liberi habebunt, quamuis non fuerint ipsi condemnati, si modo iustam ab initio intercedi causam habuerunt. [3] Quoniam alioqui noceret iis sententia, posset que in eorum præiudicium habere executionem, licet contra alios lata. Quandoquidem non potest videri inter alios reddita, quæ vocatis iis auditisque reddita est, [4] nisi ius eorum nominatim exceptum sit per sententiam. Finge maritum pendente lite appellatoria decessisse, & quidem adeo inopem, vt soluendis dotibus, quas à pluribus vxoribus acceperat, impar esset. An non interest liberorum ex priore coniugio susceptorum, itemque posteriotis coniugis, qui anteriores sunt tempore, ne per eam prouisionalem adiudicationam quicquam ex bonis diminuatur? Vtiq; sane, tametsi ego nō in rem, sed in solam debitoris personam egissem. [5] Quo tamen casu si maritus viueret nullam aut intercedendi, aut appellandi causam mater liberique haberent, quousque in condemnati bona vellem exequi iudicatum.[6] Quod omnino fieri necesse est mortuo debitore condemnato, quando in mortui personam agi amplius nō potest. [7] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Mestral, & N. Ranier, contra D. Abbatem Altacombanum, 16. Cal. Jul. 1595.

1 Possunt enim duæ istæ actiones in eodem iudicio cumulari. Guid. Pap. *quæst. 108.* scilicet cum ex contractu actio venit. Mynsing. *observ. 1. centur. 58.*

2 Nec enim tertius vnquam potest condemnari pendente lite ac per modum prouisionis, cum non sit obligatus.

3 Quia eo casu ipsorum interest. Audiendi vero sunt appellantes omnes quorum interest. *l. 1. D. de appell. recip. l. à sententia 5. §. si heres, l. si perlusorio 14. D. de appellat.*

4 *L. etiam 29. §. vltim. D. de minor. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

5 Nempe quia in executione iudicati possunt & debent capi pignora *l. à Diuo Pio 15. D. de re iudic. l. 1. & tot. tit. Cod. si in caus. iudic pign. capt. sit.*

6 Hoc ideo, quoniam eo iure quo vtimur potest etiam corpus ipsum debitoris hodie capi pignori, adeo vt plerumque ab ea capione incipiatur, vt dixi sæpius *in tit. de execut. rei iudic. 5.*

7 Cum enim non possit fieri executio iudicati, nisi vel in corpus, vel in bona debitoris, consequens est, vt mortuo debitore sola supersit ratio faciendæ executionis in bona, *arg. l. Stichum aut Pamphilum 95. in princ. D. de solut.*

DEFINITIO III.

Potest venditor intercedere executioni sententiæ contra emptorem reddita, si non fuerit emptor ipse vocatus.

COndemnato emptore, qui in instantia venditorē suum auctorem non laudauerat, si victore iudicati executionem persequente litem auctori suo emptor denunciet, non est prohibendus venditor quo minus intercedat executioni tanquam tertius, si nec condemnatus, nec vocatus, [1] si putet sua interesse.[2] *Ita tractatum est* in causa D. de Montou, & N. Nicolin. 4. Id. Aug. 1595.

1 Non enim nocet venditori res contra emptorem iudicata si nesciuit litem, nec ad eam fuit euocatus, *l. sæpe 63. D. de re iudic.*

2 Interest autem plerumque venditoris, ad quem scilicet periculum euictionis solet debetque pertinere, vt dixi in Rationalibus, *ad l. venditor 49. D. de iudic. ex l. 1. C. vbi rem act.*

DEFINITIO IIII.

QVod dicimus sententiam latam contra Prælatum, si neque contumacia, neque collusio interuenerit, mandari posse executioni aduersus eum, qui in beneficio successor est, [1] ita accipi debet, vt locum habeat, quod ad rem in iudicium deductam attinet, non etiam quod ad litis expensas in quas decessor condemnatus fuit. [2] Quid ergo si condemnato decessore quasi possessore fundi emphyteuticarij successor ex iudicato conueniatur, & petat ille demonstrari sibi rem præsentem, vt sciat an contendere debeat an cedere? [3] An erit audiendus? Dubitationem facit quod neque condemnatus, neque is, cui res iudicata nocet, petere potest post sententiam, vt oculatis illa rei demonstratio fiat. [4] Sed tamen verius est non esse id successori denegandū, [5] vel ob hoc ipsum, vt sciatur certius an decessor cū victore collusserit, necne? Quid enim aptius ad collusionem denegandam, quam si appareat decessorem passum se condemnari tanquam

BIU Cujás

possessorem, cum possessor non esset? [6] Cæterum non idcirco permittendum erit successori, vt exceptiones vllas obiiciat, quæ impugnent iudicatum, nisi appellationis auxilio aliisve remediis, quæ ipsi condemnato, si hodie viueret, competitura essent,[7] cum collusio, vt diximus, nulla interuenit. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 37. sup. De episc. & cleric.

1 Cravet. *cons.* 10. *num.* 8. post Abbat. *cons.* 62. *col.* 2. *vers. & hæc maxime procedunt, volum* 1. *ex not. in cap. edoceri. Extr. de rescript.* Oldrad. *cons.* 94.

2 Expensæ enim sunt personales, cum infligantur in pœnam temere litigantis, vt dixi *Defin.* 1. §. *si plur. vna sentent. fuer. condemn.*

3 Ne alioqui cogendus quis sit etiam inuitus litigare, *arg. l.* 1. *D. de edend. l. si reus* 73. *D. de procurat.*

4 Nec enim finis vnius litis debet esse initium alterius, *l. terminato* 3. *vbi not. C. de fructibus & lit. expens.*

5 *Arg. l. si irruptione* 8. §. *vlt. D. fin. regund.*

6 Vix enim est, vt possit hoc fieri sine dolo, *l. is qui se obtulit* 25. *D. de rei vindic. l. si se non obtulit* 4. *D. de re iudic.*

7 Hactenus enim succurrendum ei est, vt possit appellare. *arg. l. vlt. D. de in integr. rest. l. si suspecta* 29. *D. de inoffi. test. l.* 5 §. *si heres, l. si per lusorio* 14. *D. de appellat.*

DEFINITIO V.

Casus, in quo sententia contra alios lata aliis nocet, etiam minoribus aut absentibus, & indefensis.

ALiquando euenit, vt contra iuris regulas etiam inter alios acta res & iudicata aliis noceat. Finge disputari de cõditione dedititia, &, vt loquimur, talliabili plurium, quorum alij sint maiores & præsentes, alij minores aut absentes, omnes tamen eiusdem nominis & familiæ. Non eo minus sententia contra minores aut absentes reddita valebit, quod indefensi fuerint,[1] si modo qui præsentes, & condemnati fuerunt nihil dolo malo, & per collusionem fecisse probentur.[2] Nimirum si domicilij & bonorum, aut saltem bonorũ communio interueniat.[3] Nam cum ex inueterata totius prouinciæ nostræ consuetudine, quod ad hoc hominum genus attinet, iampridem receptum sit, vt vnius ex sociis facto statusque professione cæteri quoque obligentur; multo magis illud admittendum est, vt sententia contra præsentes lata etiam absentes afficiat, cuius scilicet propria vis ea est, vt vel in inuitum reddatur.[4] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 10. Calend. Mart. 1590.

1 Siquidem iuris regula in contrarium est, *l.* 1. *& pass. Cod. hoc tit.*

2 Quomodo tamen regulariter obtinet, *l. contra pupillum* 54. *D. de re iudic.*

3 Nec enim quorumdam dolum & collusionem aliis nocere æquum esset, *vulgat. iurib.*

4 Hæc enim communio illa est, quæ hoc ius ex consuetudine induxit, vt dixi *Defin.* 3. *de dedit. libert. tollend.*

5 *L. inter stipulantem* 83. §. 1. *D. de verb. oblig.*

DEFINITIO VI.

Sententia lata contra priorem emphyteutam potest mandari executioni etiam contra nouum possessorem, sed eo ante omnia citato.

SEd & sententia aduersus emphyteutam lata, qui postmodum rem emphyteuticam alienauerit,[1] potest mandari executioni contra nouum possessorem, non quidem inauditum,[2] sed prius citãdum, vt si quas executionis impediendæ rationes habet, eas proferat. Eadem namque in vtriusque emphytentæ persona cõdemnationis ratio est, quæ scilicet ex sola rei emphyteuticariæ possessione proficiscitur.[3] *Ita Senatus* in causa, de qua SC. 43. supr. De iur. emphyt.

1 Postquam placuit posse hodie non tantum emphyteuses, sed etiam feuda irrequisito domino alienari, tanquam quæ redacta sint ex generali consuetudine ad instar patrimoniorum allodialium, vt scripsi plerisque locis sub *tit. de tur. emphyt. sup.* Vide Boer *decis.* 182. *num.* 48. Ranchin. ad Guid. Pap. *quæst.* 26. vbi addit, non similiter sententiam latam contra colonum, posse mandari executioni contra dominum. Bartol. *in l.* 2. *num.* 9. *C. vbi in rem act.*

2 Nemo enim inauditus condemnandus est, vel pro condemnato habendus, nisi saltem fuerit euocatus, *l.* 1. *D. de requir. reis, l. etiam* 29. §. *vlt. D. de minor. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iudic.* [Excipitur fideiussor datus de iudicato soluendo, qui potest conueniri absque nouo processu. Guid. Pap. *quæst.* Sed hoc ita, nisi in fideiussione apposita sit aliqua condicio. Hanc enim prius impleri oportet, puta si quis fideiusserit se soluturũ quod alium debere constabit redditis demum rationibus, vt in *l. qui Romæ* 122. §. *Agerius, de verbor. obligat. Ita Senatus* in causa Petri Vulliod & Ioannæ Romanæ Berguere, 14. Maij 1614.]

3 Intellige, iuncta auctoritate nostri statuti ex quo competit hodie actio personalis etiam aduersus tertium possessorem rei emphyteuticæ, tametsi numquam ille contraxerit, vt dixi sæpius *ad tit. de iur. emphyt. supr.*

TIT. XXVI.

DE APPELLAT. ET RELAT.

DEFINITIO I.

Appellationem ab interlocutoria interpositam potest procurator & prosequi & deserere, siue procurator ipse appellauerit, siue dominus.

POSTQVAM iuris Pontificij quo vtimur auctoritate eo ventum est, vt ab interlocutione iudicis appellare liceat,[1] illud quoq; constitui rationis fuit, vt eam appellationẽ interponere ac prosequi procurator ad litem datus possit.[2] Nam cum sit dominus litis,[3] consequens est, vt quamdiu lis manet, id est, ad diffinitiuam vsque sententiam, quæ litem finiat,[4] prouocandi ius habeat, eaque omnia faciendi, quæ facere dominus ipse, si adesset, posset.[5] Qua ratione illud etiã constitutũ est, vt appellationem, quam vnus ex litigatoribꝰ ab interlocutione interiecerit, aduersarij procuratori insinuatã esse sufficiat, ne deserta videri queat.[6] Secundum quæ cum ex contrario procurator quidam ab interlocutoria pronunciatione appellasset, nec appellationem intra tempora prosecutus esset, ob idque aduersarius collitigatorem in ius vocasset, vt appellatio deserta pronunciaretur,[7] placuit, licet minus solemniter facta esset vocatio,[8] idcirco tamen confirmandam esse, & appellationem desertam pronunciãdam, quod ea vocatio procuratori, qui prouocauerat, fuerat insinuata. Quid enim interesset, an ita factum esset, an procurator solus in ius vocatus fuisset?[9] Nam & inscio collitigatore, cuius procurator appellauerat, appellatio introduci peragique potuerat. Ergo & deserta pronunciari.[10] Nec aliud *Senatus* visum esset, tametsi non procurator, sed dominus prouocasset.[11] *Ita Senatui* contra D. de Barbarel[12]. Cal. Aug. 1588.

1 *Cap. cordi. & cap. vt debitus. Extr. de appellat. cum similibus.* Iure autem ciuili aliud est, *l.* 2. *D. de appellat. recip. l. ante sententiæ tempus, Cod. quor. appell. non recip. l. apertissimi, C. de iudic.* Papiens. *in form. appellat. ab interloc. versic. in his scriptis, num.* 2.

2 Aufrer. *in stil. Cur. parlam. Paris. in tit. De adiornam. Par. Franc fol.* 7. §. *item in causa* post Bart. & Ioann. Fab. *ad l. inuitus, C. de proc.* & Specul. *in tit. de procur.* §. *qualiter, versic. quia procurator.* Idem Bart. & Alex. *in l. cum procurator. D. de oper. noui nunciat. per l. ad rem mobilem* 58. *& l. ad legatum* 62. *D. de proc.* Castr. *cons.* 26. incip. *super primo dubio.*

3 L. pre-

3 *L. procuratoribus 22. & seqq. C. de procurat.*

4 Sola enim sententia diffinitiua finem liti imponit, *l. 1. D. de re iud. l. singulis 6. de except. rei iud.*

5 *L. 1. §. vltim. l. 2. in princip. D. quand. appell. sit & intr. quæ tempor.*

6 Quidni enim valeat significatio appellationis ei facta, qui sit ipse dominus litis?

7 Quod fit impetrato principali diplomate, quod *desertionis* vocatur.

8 Forte ob non obseruata solemnia, quæ stylus noster seruari præcipit.

9 Nullam enim solemnitatem requirit denunciatio, quę nō fit nisi ad certiorandum.

10 Vt scilicet eadem sit ratio contrariorum, *arg. l. 1. C. de express. lib. 11. tit. vlt.*

11 Non enim eo minus verum est manere procuratorem dominum litis, vt dixi *num. 3.*

DEFINITIO II.

Appellatio procuratoris generalis principis pro capite pœnæ non prodest reo condemnato, quamuis male, tanquam ex contumacia fuerit condemnatus.

HOmicidij reus ex minus plenis probationibus tribus edictis in ius vocatus, non tamen satis rite peracto edictorum ordine, sui copiam non fecerat, ob idque quasi vere contumax fuisset, ab inferiore iudice ad capitis pœnam damnatus, [1] bonorumque omnium publicationem passus fuerat. Ab illa sententia procurator Principis prouocauerat, pro ea dumtaxat parte, quæ bonorum publicationem irrogabat, quod diceret publicationis pœnam ab inferiore iudice irrogari non potuisse, [2] præsertim in alterius quam supremi Principis vtilitatem. [3] Senatus noster, cum de appellationis iure cognoscere videretque, nec publicationis irrogandę, nec condemnandi rei satis iustam causam fuisse, propterea quod minus solemniter edictorum ritus impletus esset, [4] alię vero delicti probationes non sufficerent, [5] dubitabat an quod ad capitis quoque pœnam pertinebat sententiam improbare deberet? Mouebat quod licet procurator Principis ab vno dumtaxat sententiæ capite appellasset, videbatur tamen ea appellatio facere debere, vt de delicto primum & ex integro quæreretur. Id enim est quod nostris placet, appellationem ab vno capite sententię, quamquam determinate, vt loquuntur, & limitate interpositam, ad alia quoque porrigendam esse quæ sint connexa. [6] Quid vero magis connexum quam pœna cum delicto? [7] Accedebat quod pendente appellatione reus decesserat, propter quod tota quoque criminis quæstio extincta videbatur. [8] Sed tamen placuit, de sententiæ viribus, pro qua parte transisset in rem iudicatam, quęri non oportere, [9] neque procuratoris generalis appellationem reo prodesse debuisse, quādonec is ipse ad appellandum admitti posset, quam diu abesset. [10] Itaque Senatus de eo dumtaxat super quo aditus fuerat, pronunciauit, [11] sententiamque hactenus infirmauit, vt bonorum publicatio ab inferiore iudice perpetam inflicta in pœnam pecuniariam commutaretur. [12] *Ita Senatus* in ea causa Claudij Patry 15. Calen. Decemb. 1558.

1 Nam cum verus contumax pro præsente habeatur, potest vtique condemnari acsi vere præsens esset, *l. 1. D. de requir. reis*, quia aduersus contumaces omnia iura clamant, si modo sint vere contumaces, *l. 1. Cod. quor. appell. non recip. cum ibi not.* Vide Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 44. per tot.*

2 Sicut enim non pro omni crimine pœna confiscationis irrogari potest. *Auth. bona damnatorum, C. de bon. proscript.* ita nec ab omnibus, *l. vnic. C. ne fin. iuss. Princip. liceat. cert. iudicib.* Iul. Clar. *in § fin. quæst. 78. nu. 5.*

3 Nempe quia solus Princeps in Ecclesiam excipias habet fiscum, *l. 2. & 3. C. de quadr. præscript.* Iul. Clar. *d. § fin. quæst. 80. num. 5. & dict. quæst. 78. nu. 6.*

4 Propter quod non poterat dici vere contumax, qui non fuerat rite vocatus.

5 Quæ etiam aduersus contumacem si non plenæ saltem semiplenæ requiruntur, vt dixi *Defin. 7. nu. 5. de confess.* Contrarium tamen de facto obseruari testatur Iul. Clar. *d. quæst. 44. num 10.*

6 Ibi Bart. post Dyn. *in l. appellanti, D. de appell. ex l. etiam 29. § 1. D. de minor.* Nam in connexis non potest sententia pro parte valere, & pro parte non valere, *l. in hoc iudicio 27. D. famil. erciscund.*

7 Nec enim pœna nisi propter delictum immediate infligitur, *l. si pœna 20. D. de pœn. l. sancimus 22. C. eod.* Contrarium pœnæ est venia, eoque alludens Vlp. contra Papinianum *in l. Papinianus 20. D. de min.* ait nihil commune habere veniam ætatis cum delicto.

8 *L. 3. l. defuncto 6. D. de public. iudic. l. ex iudiciorum 10. D. de accusat.* Vide tamen Iul. Clar. distinguentem *in pract. crimin. q. 94. nu. 7.*

9 Cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. ingenuum 25. D. de stat. homin. l. res iudicata 207. de reg. iur.*

10 Quia contumax nunquam auditur appellans nisi purgata prius per suam præsentiam contumacia, *C. quor. appellat. non recip.* Nisi cum excusatio absentiæ per alium pro absente iustis rationibus admittitur, *vt in l. inter accusatorem 10. & l. penult. §. 1. D. de public. iudic.* Vide Clar. *d. quæst. 44. nu. 11.*

11 Nam neque iudex appellationis de alio cognoscere potest, quam de quo fuit aditus quoniam appellatio non deuoluit cognitionem ad iudicem appellationis, nisi quatenus appellatum est.

12 Potuit enim illa pœnæ commutatio fieri & pecuniariter agi de crimine etiam defuncto reo, *d. l. defuncto 6. D. de publ. iudic.* Maxime vero cum defunctus esset post litem de crimine contestatam, *d. l. ex iudiciorum, in fin.*

DEFINITIO III.

Ab omni interlocutoria, quæ præiudicium faceret in diffinitiua, potest statim appellari.

TAmetsi dici soleat non facere iniuriam iudicem qui iubet exhiberi sibi litis instrumenta, ex quibus constituat quid inter litigatores pronunciandum sit, [1] adeo, vt nec audiri debeat, qui ab eiusmodi interlocutione prouocat, tanquam appellans à futuro grauamine: [2] Si tamen eadem interlocutione prohibiti sint litigatores, vt plerunque fit, aliud quippiam proponere, edere, respondere, placet iustam appellandi causam habere eum, qui non fuerat contumax in iis exhibendis aut allegandis, quæ ad iuris sui tuitionem litisque victoriam facere viderentur. [3] Nempe quod si ea interlocutio transiret in rem iudicatam, liberum non esset iudici aliam dilationem concedere, cuius indulgendæ facultatem sibi ille præcipuisset. [4] Eo namque iure vtimur, vt non magis interlocutoriam, quæ diffinitiuę vim habeat, [5] quam diffinitiuam sententiam reuocare iudex possit, nisi noua causa superueniat, & interlocutionis verba patiantur. [6] Vtputa si adiecta sit clausula, *donec constitutum sit*, quam Pragmatici iustificatiuam vocant. *Ita Senatus* in publico auditorio, 10. Cal. Decemb. 1588.

1 Pragmatici dicunt *appointer le procez en droict.*

2 Quia si ius ciuile inspicias non potest appellari ab interlocutoria, si vero ius canonicum, quo vtimur in hac parte, appellari quidem potest, vt dixi *Defin. 1. supr.* sed non à futuro grauamine, quia grauamen cum sit causa appellationis *l. 1. D. eod. tit.* debet præcedere appellationem, sicut causa quælibet suum effectum, *l. præfecti 17. D. de minor.* Nihil enim potest interesse appellantis quandiu nondum est grauatus, appellans autem nemo auditur nisi cuius iam interest, *l. 1. D. de appell. recip.*

3 Cum exhibitio instrumentorum sit necessaria ad victoriam litis consequendam, *l. postquam 5. §. si dies, D. vt legat. seu fideicomm. nom. caueat. l. 1. §. edenda, D. de edend. l. procurator 7. C. eod.*

2 Alioqui esset inane & illusorium decretum iudicis quod esse non debet, *l. si prætor 75. D. de iud. l. vlt. D. de itin. public.*

5 Sunt enim pleræque interlocutoriæ quæ habent vim sententiæ diffinitiuæ. Papiens. *in form. interloc. supr. incomp. numer. 2.* & ibi Masuer. in verb. *diffinitiua.* Adde idem esse in

BIU Cujas

sententiis interlocutoriis executioni iam mandatis Papiens. *ibi num.9.*

6 *Ex l.quod iussit 14.de re iud.*

DEFINITIO IV.

Casus in quo appellatur à denegata iustitia etiamsi trina monitio non præcesserit.

QVod placet appellari non posse, tanquam à denegata iustitia, si non interpellatio trina præcesserit, [1] ita intelligendum est, si appellandi alia causa non sit, quam quod iudex requisitus nihil decernere voluerit.[2] Cæterum putauit Senatus iustam recipiendamque appellationem eius, qui cùm à iudice petiisset inhiberi aduersario, ne quid noui lite pendente faceret, [3] nihil aliud obtinere potuerat, quam vt alia ratione sibi ad eas inhibitiones obtinendas consuleret, aperte enim per inscitiam iudicis hoc modo denegata iustitia videbatur, cum inhibitionum eiusmodi interpretandarum alia expeditior commodiorque ratio nulla superesset.[4] *Ita Senatus* in causa D. d'Introx Augustani, 3. Non. Decembr. 1588.

1 De quo vide Mynsing. *centur.2. obser.24. & centur.3.obser.57.* Roman. *sing.424.& cons.427.*

2 Cum non debeat officium suum denegare petenti, *l.4.§. hoc autem iudicium, D.de damn infect.*

3 *Ex vulg.tit.C.vt lit.pendent. vel post prouoc.*

4 Cum magistratus & iudex quilibet sit minister legis, & viua vox iuris ciuilis, *l.nam & ipsum 8.D.de iustit.& iur.*

DEFINITIO V.

Appellatio ab vno capite sententiæ interlocutoriæ non deuoluit negotium principale ad iudicem appellationis, si non interueniat auctoritas, vel Principis, vel Senatus.

APpellationem interposita ab vno capite sententiæ interlocutoriæ, potest ex Principis rescripto fieri, vt totius causæ cognitio ad appellationis iudicem deuoluatur, [1] si qua iusta causa sit, quæ ita fieri suadeat. [2] Sed est in eam rem necessaria rescripti principalis auctoritas, [3] nisi apud Senatum appellatio tractetur, qui suprema, vt aiunt, manu, rescripti vim suppleat.[4] Nam appellationis potestate fieri non potest, vt à iudicis, à quo appellatum est, iurisdictione discedatur, nisi quatenus appellatum est.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige quamuis nondum cognitum nec pronunciatum sit super appellatione. Alioqui si pronuncietur bene appellatum ab interlocutoria, tota causa principalis deuoluitur ad superiorem, ad quem fuit appellatum, *cap.vt debitus honos, in fin. Extr.hoc tit.& cap.cordi, eod.in 6.* Papiens. *in form. appell.ab interloc.in vers.causis & rationibus infrascriptis, num.5.*

2 Non enim temere ac sine causa priuandus quis est sua iurisdictione, *d.cap.vt debitus honos.*

3 A qua tanquam à capite pendent omnes iurisdictiones, sicut & dignitates, *l.1.& 2.C.vt dignit.ord seruet.*

4 Quia & vicem Principis gerit Senatus, *arg.l.vnic.§.his cunabulis D.de offic.præf prætor.*

5 Ne latius alioqui pateat effectus, quam sua causa, quod ratio non admittit.

DEFINITIO VI.

Ab interlocutione, qua iussi sunt litigatores venire in rem præsentem, non potest appellari.

NOn est iusta appellatio ab interlocutione iudicis, qui pendente apud se lite, siue de proprietate, siue de possessione fundi iusserat venire litigatores in rem præsentem fundique fines demonstrare, vt sciri posset, quid & quantum possideretur. [1] Nullum enim ex ea re præiudicium aut huic, aut illi ex litigatoribus factum videri potest. [2] Ac plerumque periculum est ne pendente lite fraus fiat, exaratis forsitan effossisve finibus, propter quod æquum est etiam post interpositam appellationem iudicem ad locum de quo litigatur accedere, finesque inuestigare, [3] non tam præcipiti festinatione ferendæ sententiæ, quam præuenienti periculi causa. [4] *Ita Senatus* ex tempore 6. Id. Dec. 1588.

1 Est enim hæc probationis species plerumque necessaria ad veritatem facti rutius inuestigandam, *l si irruptione 6.in fin. D.fin.regund.*

2 Nemo autem potest audiri appellans, qui non fuerit grauatus, cum alioqui nihil eius interfit, *l.1.D.de appell.recip.*

3 Semper enim & omnibus modis curare magistratus debet, vt veritatis probatio salua sit, *l.curet 22.D.de testib.l.in lege 41.D.ad leg.Aquil.*

4 Vt scriptum est quamuis in alia specie *in l.si quis filio 6. §.quid tamen, D.de inoff.test.rupt.& irrit.fact.testam.*

DEFINITIO VII.

Quantum interfit an appellans sit contumax in causa appellationis, an appellatus.

SI is, pro quo iudicatum est, ad litem appellatoriam defendendam vocatus non venerit, nihilominus pro eo ferri sententia potest, & iudicatum confirmari, [1] ita tamen, vt is in contumaciæ expensas pœnæ nomine condemnetur. [2] Diuersum est in appellante contumace. Hic enim cum appellationem, quam prosequi debebat deseruerit, [3] facit omnino, vt iudicis, qui de appellatione cognoscit, aliæ partes esse non possint, quam vt confirmet iudicatum. Qui enim fieri potest, vt in rem iudicatam non transeat sententia, à qua fuit appellatum, si appellatio aut ab initio, quandocunque postea deseratur? [4] Atqui publice interest res iudicatas effectum habere. [5] Igitur publica vtilitate certante cum appellantis iure, licet ex actis litis appareat iustam fuisse appellandi causam, potior tamen publicæ vtilitatis ratio esse debebit, [6] neque hic locus erit ei, quod dici solet, iudicem, qui absente alterutra parte pronunciat, obseruare debere, vt partis absentia per Dei præsentiam repleatur.[7] Idnamque tum obtinet, cum iudicis officio & cognitioni absentia partis locum reliquit, quod non euenit condemnato iam eo, qui in prosequenda appellatione contumax est. [8] *Ita Senatus* in causa Dn. Michal magistri computorum, & Joannis Guillielmini, mens. Decembr. 1588.

1 Nempe si ex actis litis appareat fuisse bene iudicatum. Nam & in dubio præsumendum est pro sententia. Boer. *quæst. 15.in fin.*

2 Semper enim hæc pœna contumaciæ debetur, vt nunquam audiatur contumax, nisi refusis expensis, *l.sancimus 16. C.de iud.*

3 Deserere siquidem appellationem dicitur appellans qui eam non prosequitur, & quidem intra tempora in eam rem præstituta, *l.fin.§.illud, C.de temper.appell.clem.sicut de appellat.* Vide Ofasch. *decis.Pedem 28.* & Papiens. *in form.resp.iudic.à quo appell.in vers.statuit & assignauit, nu.2. & seqq.l.2.§. vlt.D.de appell.recip.*

4 Siquidem appellatio deserta sic habetur acsi nunquam interposita fuisset.

5 *L.seruo 65 §. cum prætor, D.ad SC.Trebell.* scilicet, vt sit aliquis litium finis, *l.1.D.de re iudic.l.singulis 6.D.de except.rei iudic.*

6 Vt solet semper debetque publica vtilitas præferri priuatæ, *l.ita vulneratus 51.ad fin.D.ad leg.Aquil. Auth.res quæ, C.commun.de legat.*

7 *L.properandum 13 §.cum autem ex eremoditio, Cod.de iudic.*

8 Quia cogitur iudex appellationis hoc casu rem iudicatam habere pro veritate, *l.ingenium 25.D.de stat.homin.l.res iudicata 207.de reg.iur.*

DEFI-

DEFINITIO VIII.

Tutor datus non debet appellare, sed se primum excusare, postea si excusatio non admittatur, tum demum appellare.

AB interlocutoria tutoris datione appellare non potest qui tutor datus est, [1] licet manifestum sit nullo iure datum esse, quia non facile admittit hæc res dilationem, ne interea pupillus indefensus relinquatur.[2] Quid ergo? excusationis suæ causas proponere tutor debebit, vt à tutela examinatur, [3] si eas iudex non admiserit, eundemq; tutorem manere debere pronunciauerit, tum vero appellare licebit, si alius sit qui tutor dari commodius & iustius debuerit. [4] *Ita Senatus* ex tempore, 5. Cal. Febr. 1589.

1 Hoc est, cum datus fuit tutor per modum, vt aiunt, prouisionis, & pendente lite, ne interim pupilli vtilitates deserantur.

2 *Arg. l. vlt. D. de appellat. recip.*

3 *Ex tit. de excusat. tutor vel curat.* D. & C.

4 *L. 1. & 2. D si tut. vel curat. vel magistr. creat. appell. l. Imperatores* 31. §. *si magistratus, D. hoc tit.* iunct. *l. cum in vna* 17. §. 1. *eod.* Adde *Desin.* 1. & 2. *Quor appell. non recip.*

DEFINITIO IX.

Contra creditorem quo postulante tutor datus est, appellari non potest, sed contra eos qui tutores creari debuerunt, aut qui tutorem nominauerunt.

POstulante creditore tutor pupillo datus est Titius,[1] qui ab ea donatione prouocauit. Non aduersus creditorem prosequi appellationem poterit, [2] sed contra eos, qui tutelæ onus recusauerunt, quiq; tutores fieri potuerunt, aut tutorem nominare debuerunt, agnatos nimirum & adfines.[3] Nihil enim creditoris interest quis tutor sit, [4] nec rursum ei quicquam imputari potest, si modo tutorem dari simpliciter petierit, non etiam id egerit nominatim, vt daretur ille qui datus fuit. [5] *Ita Senatus* eodem Senatusconsulto.

1 Potest enim creditor quoque petere, vt filijs pupillis sui debitoris dentur tutores si non sint necessarij qui petant, *l. si filijs* 4. *C. qui pet. tutor. vel curat. l.* 2. *alias l. Diuus*, §. *si quidem, D. eod. l. vlt* §. *personis, C. de admin. tutor.*

2 Neque enim creditor in huiusmodi specie est legitimus contradictor, sed ille in quem onus tutelæ vult detorquere tutor datus, qui appellauit.

3 Nam ex agnatis & adfinibus sumi tutores debent non ex creditoribus. *Auth. minoris debitor, Cod. qui dar. tutor. vel curat. poss.*

4 Neque enim cogitur creditor edere nomina, ex quibus tutores constituantur, quomodo coguntur cæteri qui obsequij deserti periculum timent, de quibus *in l.* 2 *Cod. qui per tutor. vel curat.*

5 Neque enim casu aliud esset, quia videretur creditor periculo suo tutorem nominasse, *vt in d. l. vlt.* §. *personis, in princ. & in vers. cognatis, C. de adm. tutor.*

DEFINITIO X.

A sententia contra alium lata sufficit, vt intra decendium ex die notitiæ appellet is, cuius interest.

SI à sententia contra te lata prouocauero suscipiendæ pro te litis gratia, non obstabit mihi quod intra decem dies non prouocaueris, [1] si modo mea interfuit,[2] & ego intra decem dies à quo tempore sciui te condemnatum, appellauerim. [3] Suam cuique enim non alterius negligentiam nocere oportet. [4] *Ita Senatus* ex tempore, 14. & 9. Cal. Aug. 1591.

1 Andr. Gayl. *lib. 2. pract. obseruat. l. 4.* §. *alio condemnato, D. hoc tit.*

2 Audiuntur enim appellantes omnes quorum interest *l. 5.* §. *si heres, l. si per lusum* 10. *D. hoc tit. l. 1. D. de appell. recip. l. 2.* §. 1. *quod appell. sit.*

3 Appellandi enim tempora non currunt ei qui sententiæ probabiliter ignorauit, nisi à die scientiæ, *l. 1.* §. *vlt. D. quand. appell. sit, & intr. quæ tempor.*

4 *L. factum* 155. *l. in condemnatione* 173. §. *vnicuique, de reg. iur. l. pupillus* 24. *D. quæ in fraud. cred.*

DEFINITIO XI.

Casus, in quo habetur pro puro appellante is, qui non appellauerat nisi in casum.

QVi appellauit sub conditione, quæ non extitit, aut, vt melius loquar, [1] in casum qui non euenit, quod plerumque fit, si postea gerat se pro appellante, quamuis reuera talis tum non fuerit, nunc tamen pro tali & habendus, & condemnandus est. Cùm in ipsius fuerit arbitrio appellationem puram reddere, quæ ab initio conditione, aut alio quolibet incerto euentu suspendebatur.[2] Ex tempore, 13. Cal. Mart. 1589.

1 Nec enim potest appellari sub conditione, cum appellatio sit actus legitimus, qui non recipit conditionem, *l. actus legitimi* 77. *de reg. iur.*

2 Itaque locum habet hoc casu regula, quæ vult, eum qui potest facere vt possit parendo conditioni iam videri posse, *l. qui potest* 174. *eod. tit. de reg. iur.*

DEFINITIO XII.

Sufficit verbum, appello, vt appellatio recte interposita videatur, ad impediendum ne quid innouetur.

SOlum verbum, *appello*, sufficit, vt ad iudicem appellationis cognitio causæ deuoluatur, [1] & consequenter ne quicquam in appellationis præiudicium attentari debeat.[2] Sed non sufficiet, vt satis introducta appellatio censeatur ne deserta videri possit, ni appellans aduersario diem dixerit intra constituta tempora ad appellatoriam litem constituendam.[3] *Ita Senatus* sæpius.

1 Siquidem verbum hoc habet vim deuolutiuam & suspensiuam *l. 2. D hoc tit.* Guid. Pap. *q.* 30.

2 *L. 1. & tot. tit. D. nihil innouar. appell. interp.*

3 *L. 1. & tot. tit. D. quand. appell. sit & intr. quæ tempor. l. vnic. D. de libell. dimiss.* Papiens. *in form. resp. iud. à quo appell. vers. statuit & assignauit. num.* 2. *& seqq.*

DEFINITIO XIII.

A sententia, quæ vnum dumtaxat caput continet habens duas partes, potest indistincte appellari.

QVod constitutum est, vt à sententia quæ plura capita continet non aliter licet appellare, quam si condemnatus exprimat à quo capite appelleret, vt in cæteris iudicati executio fieri possit, [1] si non à tota sententia appellatum sit, [2] ad eam sententiam non pertinet, quæ vnum tantum caput habet duas partes continens, vtputa si quis hoc aut illud facere, vel præstare sub alternatione iussus sit. Nihil enim hoc casu interest, an simpliciter, an à tota sententia appelletur. [3] Sane quod prouinciali nostra lege cauetur, vt ne beneficio quidē Principis in integrum restitui possit ad appellandum is, qui intra decennium non expressit, à quo capite sententiæ prouocauerit, moribus nostris antiquatum est, passimq; rescripta Principis in eam rem & petuntur, & impetrantur. [4] Optima profectò ratione, ne aut procuratoris, aut ipsius etiam litigatoris imperitia liti damnum adferat, & ita summum ius summa fiat iniuria. *Ita in Senatu* tractatum inter fratres Pelard, 7. Cal. Junij 1590.

BIU Cujas

1 Ita enim stylo Senatus nostri cautum est, *art.* 91. Et ratio est, quia cum capita sententiæ non sunt connexa tot videntur sententiæ, quot sunt capita, *l. etiam* 29. § . D. *de minor.* sicut dici solet de stipulatione, *l. scire debemus* 19. D. *de verb. oblig.*

2 Cum enim à tota sententia appellatur frustra est, si quis dicat etiam exprimenda esse capita, à quibus appellatur, *d. l. etiam*, § 1. iunct. *l. tutor* 47. § *curator*, D. *eod. tit.* Vide *l. appellanti* 13. D. *hoc tit.*

3 *Arg. l. hac scriptura* 26. D. *de cond. & demonstr.* secundum eam legis illius emendationem, quam nos attulimus, *lib.* 17. *Coniectur. iur. ciuil.*

4 Inspiciendum autem nō est tam quid constitutum, quam quid obseruari solitum sit, & quo iure vtamur.

5 Quod ne eueniat introductum est à prætore beneficium & auxilium in integrum restitutionis, *l.* 3. *& pass.* D. *de in integr. restit. l. si seruum* 91. § *sequitur*, D. *de verb. obl.*

DEFINITIO XIV.

Sera est appellatio post secutam executionem, licet protestatio de appellando præcesserit.

COndemnatus debitor, vt actori fundum vel decem præstaret, vtrum actor eligeret, perierat in executione iudicati, vt victori tempus certum constitueretur ad eligendum, protestatus tamen se à sententia appellaturum si victor fundum eligeret. Placuit secuta electione seram esse appellationem, posteaquam consentiente eo, qui condemnatus fuerat, mandata esset executioni sententia,[1] nec prodesse debere protestationem appellandi in id tempus collatam quo appellari amplius non posset.[2] Itaque hoc casu, si quo vnquam alio, locum habere, quod vulgo iactatur, protestationem quæ sit actui contraria nullius omnino esse momenti.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Vt in l. ad solutionem* 5. C. *de re iud. l.* 1. D. *quand. appellan. sit.*

2 Id est, post mandatam executioni sententiam, *arg. l. quod sponsæ* 41. C. *de donat. ant. nupt. l. Stichus* 39. D. *de manum. testam.* Nam etsi sub conditione dicta esset sententia, statim tamen appellari deberet, *l.* 1. § *biduum, vers. sane quidem*, D. *quand. app. sit, & intr. quæ tempor.*

3 *Cap. cum M. Ferrar. cum ibi not. Extr. de constit. cap. solliciti tudinem, in fin. Extr. hoc tit. c. gratum, Extr. de offic. deleg.* & aliis citatis per Papiens. *in form. declin. iuris d. vers. protestans*, post Bart. *ad l. de pupillo* 5. § *morte*, D. *de oper. noui nunciat.*

DEFINITIO XV.

Sufficit ad obtinendum in causa appellationis, vt qui appellauit dixerit velle se iuuari actis primæ instantiæ, si modo ex ijs appareat male iudicatum fuisse.

APpellans non ex eo solo succumbere debet, quod appellationis suæ causas reddere iussus nullas reddiderit,[1] si modo ex prioris litis instrumentis de appellationis iure cognosci potuerit.[2] Neque enim eo minus ex ijs, quæ acta sunt in prima instantia, pronunciandum est, an bene vel male iudicatum sit.[3] Et ob eam nimirum causam solemus dicere, eas scripturas, per quas de appellationis iure vel iniuria inter collitigatores disceptatur, extra litis acta esse,[4] vtpote quæ ad ius magis, quam ad factum referantur.[5] Juris enim, non facti quæstio est, an bene iudicatum sit, necne.[6] Sed hæc ita si de appellatione ex scripto cognoscatur. Nam si viua voce res tractetur, & in publico auditorio, non aliæ Senatus partes esse possunt, quam vt appellantem condemnet, si appellationis suę causas reddere nullas possit.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 13. Cal. Julij 1590.

1 Pragmatici nostri dicunt, *s'il n'y fourny aucuns griefs.*

2 Appellanti enim permittendum est, vt quibuscumque modis potuerit, appellationem suam persequatur, *l.* 3. § *vltim. D. hoc tit.* nec maior vlla iniquitas esse potest, quam quæ ex sola actorum prioris instantiæ inspectione probatur. Cæterum eo iure vtimur, vt quia approbat, omnino probare debeat, iniustam esse sententiam, siue actor ille fuerit in prima instantia, siue reus, & siue sententia sit diffinitiua, siue interlocutoria, contra quam distinguit Guid. Pap. *quæst.* 20. Intellige tamen, dummodo is, qui obtinuit, producat acta. Nam appellans non cogitur edere, nisi sententiam, à qua appellauit.

3 Dummodo conclusum sit in causa appellationis quod primo die, quo lis appellatoria tractatur, fieri apud nos solet.

4 Pragmatici nostri vocant, *les griefs, & responses à griefs.*

5 Quod iidem dicunt, *hors le procez.*

6 Ideoque potest iudex appellationis ex officio suo videre, an iusta fuerit causa sic iudicandi, an secus.

7 Cum non possit Senatus diuinare, quid in actis primæ instantiæ contineatur, quæ nec videt, nec vnquam vidit, *arg. l. si putator* 31. *ad legem Aquil. l. si sideiussor* 29. § *si cum debitor*, D. *mandat. l.* 4. § *illa etiam quæstio*, D. *de doli mali except.* Iunge *l.* 3. § *vlt. l. appellanti* 13. § 1. D. *hoc tit.*

DEFINITIO XVI.

In causis criminalibus quocunque tempore introduci potest appellatio. Sed appellationi renunciari non potest, si pœna fuit corporalis.

IN causis criminalibus etiam post elapsum decendium admittitur appellatio, quoniam iniuria, seu, vt Pragmatici loquuntur grauamen semper durat.[1] Qua ex causa illud quoque in huiusmodi causis singulari iure receptum est, vt nec liceat ei qui semel appellauit, renunciare appellationi, quinimo de appellatione necessario cognoscendum sit.[2] E contrario, si quæ per inferiorem iudicem illata est iniuria talis sit, quæ reparari amplius nequeat, non est appellatio admittenda, vt puta si quis iam tormenta passus appellare velit ab ea sententia, per quam pronunciatum fuerat, vt quæstioni dederetur.[3] Si quas tamen innocentiæ suæ rationes, aut probationes nouas proferat, non eo minus erunt recipiendæ, quod alioqui admittendis iis locus esse soleat ante habitam de reo quæstionem.[4] *Ita Senatus* mense Julij 1592.

1 Nec auditur perire volens, *l. non tantum* 6. D. *hoc tit.* Multo magis ergo audiendus est is, qui appellationem suam vult prosequi.

2 Quia vbi semel per appellationem deuolutum est negotium ad iudicem appellationis, necessario videndum est, an bene sit iudicatum an male, cum non minus interesit reipublicæ absolui innocentem quam nocentem damnari. *l. absentem* 5. D. *de pœn.* Sed hoc intellige cum pœna criminis per priorem sententiam irrogata corporalis fuit. Nam si pecuniaria tantum sit, potest renunciari appellationi.

3 Nam nec ab interlocutoria potest appellari, quæ ius sit mandata executioni. Papiens. *in form. interloc. sup. comp. num.* 9.

4 *Arg. l. ante sententiam* 2 D. *de appell. recip.* Possunt enim hæ probationes nouæ prodesse ad absolutionem definitiuam.

DEFINITIO XVII.

Casus, in quo condemnatus ab inferiore iudice non magis appellare potest, quam si à Senatu ipso esset condemnatus.

AT quid si quis ab inferiore iudice condemnatus ad triremes, necdum appellans, interrogatus à Recuperatore, &, vt loquuntur, Commissario, an stare velit sententiæ, an appellare, responderit nolle se appellare; postea velit admitti ad appellationem, an erit audiendus? Minime, quoniam ab eo tempore viderur sententia transisse in rem iudicatam, ac propemodum in vim & auctoritatem Senatusconsulti.[1] Sed hoc ita, si delictum non negetur, quod vel ex ipsius rei confessione, vel ex probationibus admissum fuisse appareat,[2] nec nisi de pœnę modo reus conquaratur. Nam si delicti probatio nulla sit, nec nisi confessionem fortasse, quam tormentorum metus, aut inconsulti rei facilitas expresserit, vtique æquum est ei succurri, qui id agit ne pereat,[3] cum nec is, qui sine causa

BIU Cujas

causa perire vult, sit audiendus.[4] *Ita Senatus* in causa Joannis Rosset pro procuratore iurisdictionali Comitis de Monreal Baronis de Monfort, die Julij 1591.

1 *L. ad solutionem 5. C. de re iud.* Sicut enim appellationis auxilium nemini denegandum est, *l. 1 § rursus quand. appell. sit & intr. quæ temp. l. 3. § falsus. D. rat. rem haber.* ita nec appellare quisquam cogi debet.

2 Quo casu plerisque placet nec esse admittendam appellationem eius, qui propria confessione sit conuictus & præterea testibus *l. 2. C. quor. appell. non recip.* Iul. Clar. *in § fin. qu. 94.* sicut neque cum crimen est notorium Clar. *ibid. n. 2.*

3 Iul. Clar. *quæst. 95. n. 1. & 2.*

4 *L. non tantum 6. D. hoc tit.*

DEFINITIO XVIII.

Executio iudicati sicut & iudicatum ipsum, extinguitur per appellationem.

APpellatio sicut extinguit iudicatum;[1] ita & vim & potestatem executionis, cum ab executore appellatum est.[2] Ideoque pignorum quæ executor receperat possessionem retinere, eaque sibi interim habere, nulla etiam præstita satisdatione, appellans potest.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 13. supr. de execut. rei iudicat.

1 *L. 1. § vlt. D. ad SC. Turpill.* Non tamen facit, quo minus pro sententia in dubio præsumi oporteat, præsertim in antiquis. Boer. post Baldum & alios quos citat *qu. 15. in fin.*

2 Quamuis non possit iure appellari ab executore si non excesserit fines mandati. *l. 4. D. hoc tit. l. 5. C. quor. appell. non recip.* Sed sufficit posse deliberari, vtrum recipienda sit appellatio necne, ad hoc, vt interim nihil debeat innouari, *l. 1. D. nihil inn. appell. interpos.*

3 Quia & haberet ea si executio nulla facta esset.

DEFINITIO XIX.

Frustra appellatur postquam res integra esse desiit.

CVm aduersus te agerem tanquam debitoris mei debitorem,[1] interuenit liti Sempronius, contendens in ea se pecunia priorem & potiorem esse, & obtinuit. Si propter nullam à me interpositam appellationem tu ex iudicato ei solueris, post elapsa appellandi tempora,[2] tum appellare velim restitutione in integrum aduersus lapsum temporis in eam rem impetrata, & petere vt tu mihi ad eam quantitatem condemneris, non solum audiendus, quoniam sera & inutilis appellatio est, postquam per negligentiam meam res integra esse desiit,[3] quantumuis male & perperam pro Sempronio iudicatum sit, quia mihi imputandum est, cur non appellauerim, non tibi, cuius nihil interfuit vtri solueres:[4] Præsertim cum nec à Sempronio condicere nunc possis. Repetitio enim nulla est ab eo qui suum recepit, licet alius soluerit, quam qui soluere debuit.[5] Te vero duobus soluere quod vni & semel tantum debueris, nemo æquum esse dixerit.[6] Sicuti nec dubitandum est, quin is qui iubente iudice soluit plenissime liberetur.[7] *Ita tractatum est* in publico auditorio pro Claudio Chappelle, & N. Jaccot, contra Joannam Rippet, 5. Id. Maij 1591.

1 *Ex tit. C. quand. fisc. vel priuat. debit. sui debit. conuen. poss.*

2 Nam si soluisses ante appellandi tempora elapsa, posset tibi imputari cur tam cito soluisses.

3 *Arg. l. quod si minor 24. § Scæuola ff. de minor.*

4 *L. ait prætor 7 § 1. eod.* Necesse enim habuisti parere iudici solutionem imperanti, *l. non videntur 167. § qui iussu, de reg. iur.*

5 *L. repetitio 44. D. de condict. indeb. l. 5. § si eum, de doli except. l. si quis delegauerit 12. D. de nouat.*

6 *L. 2. l. 3. § 1. D. de duob. reis, l. 3. & 4. C. de nouat.*

7 *d. l. ait prætor 7. § 1. D. de minor. l. sancimus 25. C. de admin. tutor.*

DEFINITIO XX.

Appellatio vnius interposita ab vno capite sententiæ non prodest aduersario nolenti appellare à cæteris.

SI quis ab ea sententia, quæ plura capita continet, generaliter & indistincte appellauerit, permittitur aduersario, vt eiusdem appellationis auxilium imploret, si forte aliquo sententiæ capite iniuriam sibi putet illatam,[1] nec appellationem suam separatim introducere & prosequi cogitur.[2] Sed si appellans in ipso appellationis actu declarauerit à quo sententiæ capite appellet, non potest aduersarius pro aliis eiusdem sententiæ capitibus eadem niti appellatione, sed appellare expressim debet.[3] Vtrique tamen casui commune illud est, quod etiamsi iniusta fuerit prior condemnati pronocatio, compensandæ sunt expensæ litis appellatoriæ propter mutuam victoriam, si nullam reclamandi causam iustam aduersarius habuit.[4] *Ita Senatus* 9. Cal. Jun. 1591.

1 Potest enim sententia quæ plura capita continet pro parte valere, & pro parte non valere, si modo non sint connexa, *l. etiamsi 29. § 1. D. de minor.* sicut & transactio, *l. penultim. C. de transact.*

2 *L. per hanc 4. C. de tempor & repar. appellat.*

3 Gloss. *in d. l. per hanc*, quoniam aduersarij mei appellatio non potest mihi prodesse nisi quatenus appellatum est, cum nec aduersario ipsi qui appellauit aliter prodesse possit.

4 Quia vterque fuit temerarius litigator nulloque iure appellauit. Et mutua victoria semper debet inducere mutuam condemnationem & consequenter compensationem expensarum, *ex not. ad reg. Victus victori, de reg. iur. in 6. l. si ambo 10. D. de compens. l. viro 39. D. solut. matrim.*

DEFINITIO XXI.

In causis criminalibus illico appellandum est, nec decendium expectatur.

CVm de crimine actum & pronunciatum est, non vt in causis ciuilibus expectatur lapsus decendij ad faciendam iudicati executionem, sed si non statim appelletur, statim fit executio.[1] Eoque passim iure vtimur.

1 Guid. Pap. *qu. 47. n. 2.*

DEFINITIO XXII.

Non attentat iudex, qui iubet mandari executioni vnam interlocutionem, cum ab alia tantum fuit appellatum.

DVabus ab eodem iudice de eadem re interlocutionibus diuerso tempore redditis, si à posteriore tantum appellatum sit, non etiam à priore potest iudex nil obstante appellatione iubere, vt mandetur executioni prior interlocutio quæ transiit in rem iudicatam.[1] Nec ideo videbitur attentasse in spretum appellationis, quoniam perpetuum illud est, vt siue interlocutoria, siue diffinitiua sit sententia, quæ abiit in rem iudicatam, exequenda sit propter auctoritatem rei iudicatæ.[2] Idque adeo verum est, vt posterior sententia, si priori in omnibus & per omnia conueniat nullius momenti esse videatur, nec proinde appellatio, quæ ab ea interponitur.[3] Nam super iudicato, sicuti non potest transigi,[4] ita neque rursum iudicari.[5] Cæterum si prior sententia conditionem aliquam habuit necdum impletam, posterior vero nullam, sufficiet appellari à posteriore,[6] & eo facto si iudex pergat exequi, videbitur attentasse.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 7. Cal. Iulij 1591.

1 Idem enim facit auctoritas rerum iudicatarum, quas effectum habere expedit, *l. seruo 65. § cum prætor, D. ad SC. Treb.* vt sequitur in Definitione.

BIU Cujas

2 Alioqui illusoria esset interlocutio, quod esse non debet, *l. si prætor 75. ff. de iudic. l. vlt. ff. de itin. public.*

3 Semper enim appellatio præsupponit sententiam talem esse, quæ valitura esset si ab ea non appellaretur, *l. 1. 2. & 3. ff. quæ sent. sin. appell. rescind.*

4 *L. & post rem 7. ff. de transact. l. eleganter 23. §. si post rem, ff. de condict. indeb.*

5 Nam post rem iudicatam nulla lis superest, de qua possit iudicari, *l. 1. ff. de re iudic. l. singulis 6. ff. de except. rei iudic.*

6 Quia prior nulla adhuc esse intelligitur quandiu condicio pendet, cum per suam conditionem suspendatur. Alioquin duplex prouocatio necessaria est, *l. cum in vna 17. ff. hoc tit.*

7 *Contra tit. ff. nihil innouar. appell. interp.*

DEFINITIO XXIII.

Appellatio à taxatione expensarum per diffinitiuam sententiam adiudicatarum intimanda est parti, non procuratori, sicut & à qualibet alia diffinitiua.

TAxatio expensarum per diffinitiuam sententiam adiudicatarum diffinitiuæ quoque sententiæ iure censetur,[1] hactenus, vt si ab ea prouocatum sit, non sufficiat insinuatam procuratori appellationem, ni domino quoque denunciata sit solemniter, & intra tempus constitutum.[2] Etsi enim quæcunque fiunt, ante vel post diffinitiuam sententiam censentur interlocutoria;[3] tamen cum expensarum condemnatio posita in diffinitiua sententia æque sit diffinitiua,[4] consequens est, vt taxatio ipsa perinde diffinitiua existimetur, quæ non tam noua condemnatio sit, quam veluti quædam præcedentis declaratio.[5] Itaque cum ab eiusmodi expensarum taxatione appellatum, appellatio autem non nisi procuratori ad litem dato insinuata fuisset, placuit desertam videri appellationem.[6] *Ita Senatus* ex tempore pro Domina Antonia de la Chambre, contra N. Claret, 6. Cal. Augusti. 1591.

1 Quamuis placeat interlocutorias esse omnes sententias, quæ redduntur in executione iudicati. Guid. Pap. *quæst. 11 nu. 3.* post Batt. *in l. 1. ff. de appell. recip.*

2 In solis enim interlocutoriis ita constitutum est, vt sufficiat appellationem ab iis interpositam intimari procuratori, vt dixi *Defin. 1. supr. eod.*

3 Guid. Pap. *quæst. 11.*

4 Quia cum sit accessoria sequitur naturam sui principalis, *vulg. cap. accessorium, de reg. iur. in 6.*

5 Ita eleganter Bald. *ad l. terminato, vers. modo ego quæro, C. de fructib. & lit. expens.* post Gloss. & Angel. *in l. quod iussit, ff. de re iudic.* Vide Guid. Pap. *cons. 69.*

6 Nimirum supra ea quæ scripsimus *Defin. 1. supr.*

DEFINITIO XXIV.

Iudex appellationis potest pronunciare de accessionibus, de quibus nihil dictum fuerat in priore sententia.

IN sententia iudicis, à qua condemnatus debitor prouocauerat, nihil dictum fuerat de accessionibus, vtputa de vsuris, aut eo quod creditoris interesset. Nihil prohibet quo minus iudex, qui de appellatione cognoscit, de iis pronunciet, si ex natura propositæ actionis venire debeant in condemnationem.[1] Quid enim si tempore latæ prioris sententiæ non nisi paucorum dierum mora interceserat, vt nihil dum actoris interesse videretur;[2] postea vero ob tractam frustrationis causa & appellantis culpa executionem sententiæ cœperit interesse?[3] Cur non siue actionis iure, siue officio iudicis debitor condemnabitur ad vsuras, aut in id omne, quod intererit creditoris?[4] Nam & huc pertinet, quod dici solet, Iudici cuilibet statim atque iudex factus est officium incumbere rerum omnium, quæcunque in iudicio versantur.[5] *Ita Senatus* in causa Joannis Guibourg, & Claudij Chastelain, 3. Non. Jul. 1591.

1 *L. tutor 41. ff. de vsur. l. vlt. ff. de re iudic. l. negotiorum 24. ff. hoc tit.*

2 Neque enim magnum damnum esse potest in mora modici temporis, *l. si debitori 21. ff. de iudic. l. etsi post tres 8. ff. si quis caution.*

3 *Vt in l. si longis 7. C. de execut. rei iudic. l. intra vtile 39. ff. de minor.*

4 Nec enim potest purgari mora postea quam cœpit actoris interesse, *d. l. etsi post tres, l. vtique 22. ff. de except, qui arbitr. recept. l. si ita quis 135. §. Seia de verb. oblig.*

5 *L. ædiles 25. §. item sciendum, ff. de ædil, edict.* Vide Guid. Pap. *quæst. 405. incip. Sempronius.*

DEFINITIO XXV.

Qui defendit rem male quidem iudicatam, sed in consequentiam præcedentis interlocutionis, à qua non nisi sero fuerit prouocatum, nullas eo nomine expensas debet.

SI iudex nimis propere ac contra solitum iudiciorum ordinem sententiam dixerit,[1] coactus tamen auctoritate præcedentis cuiusdam interlocutionis, quæ licet perperam reddita nihilominus in rem transierat iudicatam,[2] appellatione vero interposita appellans ne succumberet ab interlocutione quoque prouocauerit, impetrata in eam rem ex rescripto Principis restitutione,[3] ad eius qui de appellatione cognoscit officium pertinet, vt vtrumque iudicatum reformet in melius,[4] sed ita tamen, vt victori nullas appellatoriæ litis expensas adiudicet. Est enim quod sibi ille imputet cur à priore interlocutione tardius prouocauerit, atque ita iudicem, à quo postmodum appellauit, male iterum iudicandi quadam veluti necessitate obstrinxerit.[5] Neque enim iudici licuerat ex postfacto ea emendare interlocutionem,[6] præsertim quæ diffinitiuæ sententiæ vim habebat,[7] & à qua non fuerat prouocatum. *Ita Senatus* ex tempore, 7. Id. Julij 1591.

1 *Vt in l. 1. C. de execut. rei iudic.*

2 Quo casu quamuis sit interlocutoria, non tamen potest postea reuocari, si modo semel habuerit suam executionem. Papiens. *in form. sentent. interloc. sup. incompet. vers. nos Bernardinus, n. 9.*

3 Semper enim, & in quacunque parte litis permissa est impetratio literarum, quas Pragmatici nostri De illicito vocant, per quas fiat vt qui tardius appellauit perinde audiatur acsi illico appellasset.

4 Ad hoc enim appellationum vsus introductus est, *l. 1. ff. hoc tit.* Papiens. *vbi supr. n. 11.*

5 Sic enim aliquando euenit, vt iudex cogatur male ac per errorem iudicare in consequentiam eorum, quæ prius male ac per errorem pronunciauit, *vt in l. & ex diuerso 35. §. 1. ff. de rei vindic.*

6 Intellige postquam transiit in rem iudicatam lapso decendio, intra quod debuit & potuit iure canonico, qua vtimur, appellari. Alioqui iure ciuili aliud decendium esset, *l. quod iussit, 14. ff. de re iudic.* Papiens. *in d. vers. nos Bernardinus, num. 6. & 14.*

7 Eadem enim ratio est sententiæ diffinitiuæ & interlocutoriæ, quæ habet vim diffinitiuæ. Papiens. *vbi supr. n. 2.* & ibid. Masuer. in verb. *diffinitiua.*

DEFINITIO XXVI.

Casus in quo appellans non potest consentire, vt causa principalis tractetur apud iudicem appellationis, quem elegit.

NOn semper audiendus est is, contra quem appellatum fuit, si petat causæ cognitionem apud eum iudicem tractari, qui de appellatione cognoscit. Etsi enim in superiorem iudicem vtique consentit is, qui appellat, adeoque ipsum eligere videtur,[1] fieri

BIU Cujas

tur,[1] fieri tamen potest, vt iudicis à quo appellatum est iurisdictio, præsertim si bene iudicauerit,[2] necessario conseruanda sit, vtputa si agatur de restitutione in integrum ex Principis rescripto; quod ad inferiorem iudicem directum fuerit. In qua specie tametsi contumax esset is, qui appellauerat, causam tamen ad inferiorem iudicem remitti debere visum est.[3] Aliquando vero appellantis quoque interest, vt ita fiat. Quid enim si agatur de iudicati executione, quæ fieri debeat salua, nec tamen obstante appellatione,[4] & quidem, vt aliquando fit, expensis appellantis, quæ longe maiores futuræ essent si apud iudicem appellationis res tractaretur?[5] *Ita Senatus* inter fratres Colomb, 4. Calen. Decemb. 1592. & antea pro Donato Cochet, contra Sp. Claudium Franciscum Poncerium aduocatum, 6. Cal. Decemb. eod. anno.

1 *Cap. vt debitus, Extr. de appellat.* quisquis enim appellat conqueritur de iniquitate prioris iudicis, & alium iudicem habere mauult, *l. præfecti 17. ff. de minor. l. 1. ff. de appellat.*

2 *d. cap. vt debitus.*

3 Nec enim alius ex rescripto Principis cognoscere potest, quam cui Princeps rescripsit & mandauit.

4 In iis scilicet casibus, in quibus eo iure vtimur, vt non obstante appellatione ac citra eius præiudicium sententia mandetur executioni. De quibus est titulus in stylo Senatus nostri.

5 Parcendum enim semper est sumptibus quantum fieri potest, *l. 1. ff. de inoffi. test. l. minoribus 6. ff. de minor.*

DEFINITIO XXVII.

Appellare potest etiam non condemnatus, si modo eius interfit.

A Sententia aduersus eum lata, qui pro me litigauit meoque periculo possum ego appellare intra decendium non nisi à die notitiæ numerandum,[1] deque causa appellationis cognoscere potest etiam is, qui condemnati adfinis aut consanguineus est, dummodo meus non sit.[2] Neque enim à quo, sed cui negotium geratur gestumque sit, inspici debet.[3] *Ita Senatus* in causa Sp. Gabrielis Damody, contra N. Buisson, ex tempore, 4. Cal. Decemb. 1592.

1 *L. 1. §. vlt. l. 2. § 1 ff quand. appell. sit & intra quæ temp.*

2 Quasi nihil aut parum interfit condemnati, qui regressum habiturus est aduersus suum auctorem, *l. 1. C. vbi in rem act.*

3 *Vt in l. seruo 69. §. si testator, de leg. 1. l. fideicommissa 11. §. vlt. de leg. 3.*

DEFINITIO XXVIII.

Appellari potest ab executione si non sit admissa compensatio, quæ admitti debuit.

A Bapparitore qui non admisit compensationem, quam ex euentu litis admitti debuisse constitit, iuste appellari potest. Et si enim vtrum admittenda sit compensatio necne versatur in causæ cognitione,[1] quam sibi adrogare merus executor non potest,[2] iniuriosa tamen executio est tanquam pro indebito facta,[3] cum compensatio vim habeat solutionis.[4] Sed sciendum est ita demum admittendam huiusmodi appellationem, si remedio intercessionis via præclusa sit,[5] quod contingit si is, qui nunc compensare vult iam fuerit ad solutionem condemnatus. Neque enim aliud ei remedium supereſt, nisi vt appellet, si opposita compensatio aliaue iusta exceptio non admittatur.[6] *Ita tractatum est* in publico auditorio inter Joachimum de la Cuaz, & heredes Benedicti Vernat, 4. Id. Decem. 1592.

1 Non enim semper & passim admittitur compensatio, cum multi sint casus, in quibus admitti non potest. DD. *ad l. vlt. C. de compens.*

2 *L. si vt proponis 6. C. de execut. rei iudic.*

3 Cum iniuria fit, cum in ius vocatur is, qui paratus est soluere. *l. si creditor 19. D. de iniur.* iunct. *l. iniuriarum 13 §. si quis per iniuriam, eod. tit. l. si vero 5. §. 1. qui satisd. cogant.*

4 *L. si ambo 10 l. postea quam 21. D. de compens. & pass. C. eod.*

5 Appellationis enim remedium est magis extraordinarium, & odiosius quam intercessionis, quia iniquitatis iudicis queremiam coiunct, *l. præfecti 19. D. de minor.*

6 Cum non possit condemnatus impedire iudicati executionem citra appellationem, *l. 2. 3. & 5. C. de re iudic.*

DEFINITIO XXIX.

De desertione appellationis ab executore cognoscit iudex, qui dedit executorem, nisi cum ab eo ipso iudice appellatum est ad superiorem.

A Ppellans ab executore si appellationem non prosequatur intra statuta tempora, potest & debet apud iudicem, qui executorem dederat, de appellatione deserta conueniri.[1] Sed si postea ab ipso quoque iudice appelletur, quod fieri fere semper necesse est, cum executor fines mandati non excessit,[2] facit ea res, vt de desertione cognoscere debeat iudex superior, qui cognoscit de viribus ipsius sententiæ, de cuius etiam executione tractatur.[3] *Ita Senatus* ex tempore pro Ludouico Fabri, 17. Calend. Febr. 1593.

1 Ad eum enim pertinet, vt de appellatione deserta cognoscat, qui de appellationis iure si deserta non esset pronunciare posset.

2 Quoniam ab executore, qui non excessit fines mandati, appellari regulariter non potest, *l. 4. D. hoc tit. l. 5. C. quor. appell. non recip.*

3 Vt accessorium sequatur suum principale ex regula iuris pontificij.

DEFINITIO XXX.

Casus in quo appellatur à delegato ad alium quam ad delegantem.

A Delegato quidem ad delegantem regulariter appellandum est.[1] Sed si ex mandato non solum inferioris alicuius iudicis, verum & Cameræ quoque Rationalium, quæ apud nos supremam habet iurisdictionem, executio facta sit in præiudicium litis in Senatu pendentis, potest ab ea executione tanquam attentatoria prouocari ad Senatum.[2] Eius siquidem est de iis omnibus, quæ in præiudicium litis fiunt, & de nouo emergunt, cognoscere, qui de principali negotio cognoscit.[3] Non idem est, si lite apud inferiorem iudicem pendente attentatum sit per executionem aliquam auctoritate circumuenti Senatus factam.[4] De eo namque, quod supremi tribunalis cogente imperio factum est, nunquam inferior iudex pronunciare debet.[5] Sed ab ea iniuria, hoc est, vel ab executione, si executor mandati fines excesserit,[6] vel à decreti Senatus non quidem concessione quod nefas esset,[7] sed impetratione[8] appellandum est ad Senatum ipsum, vt quod aduersarij dolo extortum verius, quam impetratum est, eiusdem Senatus æquitate corrigatur.[9] *Ita Senatus* pro N. Antonio le Beuf, contra Syndicos d'Argentine, 12. Cal. Aug. 1593.

1 *L. 1 2. & 3. D. quis à quo appell.*

2 Vt non alius læsam Senatus auctoritatem vindicet, quã Senatus ipse. *Arg. l. vnic. D. si quis ius dicent. non obtemp. l. vlt. D. de offic. eius cui mand. & iurisd.*

3 *L. 1. C. de ordin. iudic. l. Ædiles 25. §. item sciendum, D. de ædilit. edict.*

4 Et si enim non ita facile fieri tamen interdum potest, vt religio Senatus circumueniatur, sicut & cuiuslibet magistratur, *l. Diuus D. de re iudic.*

5 Cum imperium nullum sit inferioris magistratus in superiorem, *l. 4. D. de recept. qui arbitr. recept. l. minor autem ma-*

BIU Cujas

gistratu 12. *ff. de minor. l. iudicium soluitur* 58 *ff. de iudic.*

6 Alioqui ab executore appellari non potest, *l. 4. D. hoc tit. l. 5. C. quor. appell. non recip.* Quid si appellatū sit ab executione literarum, De debitis, & aliarum huiusmodi, quæ à Senatu solo conceduntur? non ad Senatum appellandum est, sed ad iudicem ordinarium, ac si literas ipse concessisset. Nunquam enim literæ Principis, vel Senatus sic accipiendæ sunt in dubio, vt derogent ordinariæ cognitioni, vt dixi *Defin. 5. & 11. supr. de iurisd. omn. iudic.* Nam & in casum intercessionis iubetur executor partes remittere ad iudicem ordinarium, licet nihil de eo exprimi soleat in casum appellationis: cuius tamen eadem sane hac parte ratio est, ne sit in potestate improbi litigatoris, appellando potius, quam intercedendo inferiorem iurisdictionem conuellere, *Defin. 5 supr. de diuers. rescript.*

7 Quod Pragmatici nostri dicunt, *appeller de l'octroy des lettres.* Id enim esset ab ipso Senatu appellare.

8 Quo nomine factum impetrantis notatur, non autem factum concedentis.

9 *Arg. l. in causa* 16. *§. vlt. D. de minor.*

DEFINITIO XXXI.

Qui intercessit, & si non deferretur intercessioni appellauit, habendus est pro appellante si executor dixerit se deferre appellationi.

EXecutioni, quæ contra te fiebat, intercessisti, & si intercessioni tuæ non deferretur, appellasti,[1] executor destitit ab executione his verbis ex scripto compositis, *attendu lequel appel i a y superſedé*; cum tamen de admittenda vel reiicienda intercessione nihil ante dixisset. Placuit pro appellante habeti te debere, non pro intercedente. Quia licet appellatio non nisi sub conditione interposita videatur,[2] in potestate autem executoris non appellationem conditionalem in puram conuertere, aut eum, qui nondum appellauerit, appellantem facere,[3] nihil tamen vetat appellationis conditionem, quæ in ipsius arbitrium collata sit,[4] ex eius facto & voluntate committi, vt pura fiat appellatio, quæ ante fuerat conditionalis.[5] Quod in proposito euenit, cum executor hoc ipso quo propter appellationem subsistere se dixerit, non obscure significauerit appellationi tantum se deferre, non etiam intercessioni. *Ita Senatus* in causa Petri Berthod, & Ioannis Ra, 18. Cal. Sept. 1593.

1 Antequam scilicet executor declarasset, an intercessioni deferre vellet necne.

2 Vt proinde non possit dici appellatum quandiu pendet conditio.

3 Quia ex cuiusq; arbitrio & voluntate pendet, an appellare velit, necne.

4 Nam & in arbitrium alienum conferri quælibet conditio potest. *l. 1. de legat. 2.*

5 Nec enim volenti fit iniuria, *l. in diem 9. § 1. ff. de aquæ & aqu. pluu. arcend.*

DEFINITIO XXXII.

Non potest appellari ab eo, quod iudex præcepit fieri ad animi sui instructionem.

AB interlocutione iudicis, qui aliquid fieri iussit ad animi sui instructionem, appellari non potest, quia neque scire litigatores possunt, neque iudicem interrogare cur ita faciat.[1] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, prid. Cal. Febr. 1594.

1 Proinde qui appellat hoc casu videtur appellare à futuro grauamine, quod nunquam licet, *vulg. iurib.*

DEFINITIO XXXIII.

Si appelletur ab aresti executore, quem constet non excessisse fines mandati, admittenda quidem est appellatio, sed interim iubenda per Senatum executio.

APpellari quidem ab executione etiam aresti potest, cum executor excessit fines mandati.[1] Sed si in promptu appareat factam executionem iuxta formam Senatusconsulto præscriptam, non est audiendus appellans ab executione, quoniam alioqui eueniret, vt ab ipso quoque aresto appellatio per indirectum recepta videretur, quod neque iudicati, neque Senatusconsulti potissimum auctoritas patitur.[2] An igitur licebit executori, à quo appellatum erit, causæ cognitionem sibi adrogare, & quasi non excesserit ipse fines mandati appellationem negligere? Minime.[3] Est enim appellatio omnimodo recipienda, vt hoc ipsum sciatur an executor fines mandati excesserit.[4] Sed tamen quemadmodum non audiretur condemnatus, si executioni iudicati vellet intercedere,[5] ne alioqui illusorium sit iudicatum,[6] ita æquum est non obstante appellatione mandari iudicatum executioni,[7] hac vna differentia inter appellationem & intercessionem obseruanda, quod intercessio nullo modo admittatur, Appellatio vero ita admittitur, vt nulla tamen executioni mora fiat.[8] Et sane absurdum fuerit, literas illas, quas De debitis appellamus, habere præcisam executionem, propterea quod instrumenrum guarentigiatum, vt vocant, sit ad instar sententiæ & condemnationis;[9] Literas autem super aresto redditas appellatione suspendi, ne effectum habere possint.[10] Adde quod illusoria erunt Senatusconsulta omnia, si ob huiusmodi appellationes executio differatur,[11] nam & iniusta pronunciata appellatione, cum rursus mandabitur aresto executioni, iterum appellabit condemnatus à noua executione, & sic deinceps, atque ita nullus erit litium finis.[12] Nec aliud erit si agatur de exequenda sententia inferioris iudicis, quæ transierit in rem iudicatam. Etsi enim ab ea non etiam à Senatusconsulto prouocari potest, tamen quandiu appellatum non est nihil hac parte distat sententia ab aresto.[13] Multo magis dicendum est, si iudicati executor detulerit appellationi, ac de eo conquerens victor ad iudicem aut Senatum redierit, posse iudicem aut Senatum inaudita etiam parte iubere, vt executioni mandetur iudicatum non obstante appellatione,[14] dummodo ex actis executionis appareat nihil ab executore factum esse vltra fines mandati.[15] Sed hoc tamen addito, vt nullum appellationi præiudicium fiat, ne si forte aliqua exceptio supersit, cui etiam in iudicati executione locus esse debeat,[16] eius commodum indicta causa eripiatur condemnato.[17] *Ita Senatus* re ex proposito & accuratissime discussa in relationibus libellorum pro R. Joanne Portier, contra Franciscum Blanc & N. Breyle, 7. Calend. April. 1594. In qua tamen facti specie eneuerat, quod cum principalis debitor eiusque fideiussor singuli in solidum essent condemnati, & executio contra fideiussorem facta fuisset, principalis debitor tacente fideiussore appellauerat. Sed visum est, non aliud dicendum fore, tametsi ipse quoque fideiussor appellasset, quia cum principalis debitoris appellatio prosit fideiussori,[18] nihil plane refert vtrum fideiussor aduersus quem executio fit appellauerit, an principalis debitor, cuius periculo & incommodo cessurus sit effectus executionis.[19]

1 *L. ab executione 5. C quor. appell. non recip.*

2 Nec enim quod vna via fieri prohibitum est, permitti oportet, vt alia via fiat, *l. scire oportet 21. §. 1. D. de tutor. & curat. dat. ab suc.*

3 Ne alioqui iudicis partes sibi adrogare videatur, quod facere nunquam potest, *l. si vt proponis 6. C. de execut. rei iudic.*

4 Cum sufficiat quod possit deliberari an appellatio recipienda sit, *l. 1. D. nihil innou. app. interpos.*

5 Nullus enim esset litium finis, si iam condemnatus iterum esset audiendus, *l. 1. C. de re iudic.*

6 Quod esse non debet, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell. l. si prætor 75 D. de indic. l. vlt. C. de itin. public.*

7 Saluo

BIU Cujas

7 Saluo tamen iure appellationis ac citra eius præiudicium, vt sequitur ad finem Definitionis.

8 Quod æquissimum temperamentum est, quoties & appellationis, & executionis causa salua esse debet.

9 Ex auctoritate scilicet statutorum, quia sunt pleraque in Italia, vt scripsimus variis locis.

10 Siquidem lis incipit à literis De debitis, finem vero accipit ab arresto à quo ne quidem appellari potest.

11 Quid enim aliud agunt condemnati, nisi vt longis ac plerumque apertis frustrationibus executionem iudicati remorentur? *l. si longis 7. C. de execut. rei iudic.*

12 Si detur multiplicatio & progressus in infinitum, *l. 2. C. de re iudic. l. 4. §. ait prætor. D eod. l singulis 6. D. de except. rei iud. l 3 C. de fructib. & lit expens.*

13 Quia vtroque casu sententia transit in rem iudicatam, & habet vim rei iudicatæ, *l. & post rem 11. D. de transact. l. eleganter 23. §. 1. D. de condict. indeb.*

14 Quia non potest inauditus dici, qui iam & auditus fuit, & condemnatus, licet regulariter verum sit etiam in iudicati executione nihil fieri debere inaudita parte, *ex reg. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt.*

15 Alioqui iusta esset appellatio, vt dixi *num. 1. & 3. 5.*

16 Sunt enim exceptiones quædam, quibus potest locus esse etiam in executione iudicati, quæ scilicet non impugnant iudicatum, cuiusmodi sunt solutionis, compensationis de eo, quod facere potest, & similes. Boer. *decis. 19. num. 9.*

17 Dixi *Defi. 28 5.*

1 *L. à sententia 5. D hoc tit.*

19 Quia per fideiussorem ad eum peruenitur, *l. 5. D. de lib. legat. l. cum lex 46. D. de fideiuss.*

DEFINITIO XXXIV.

Appellari potest ad Senatum à Gubernatore Sabaudiæ, sed non à consilio Status, multo minus à Principis vicario, &, vt aiunt, Locumtenente generali.

A Gubernatore Sabaudiæ, & consequenter alterius cuiuscumque prouinciæ, ad Senatum recte appellatur, si quid gubernator constituerit, quod pertineat ad causam contentiosæ iurisdictionis. [1] Sed à consilio, quod status vocant, quia Principis vices gerit, non magis quam à Senatu ipso appellare licet. [2] Nec ad rem pertinebit, quod gubernator Sabaudiæ, qui Consilio vtplurimum præesse solet, solus subscripserit, si modo totius Consilij nomine, & tanquam Consilij caput. Ergo nec à generali vicario & locum tenente Principis ad Senatum potuit appellari. [3] *Ita Senatus* in causa Syndicorum S. Ioannis Maur. & Syndicorum de Modenne & de Lanebourg, in publico Auditorio, 3. Id April. 1595.

1 Senatus enim Principis vices gerit in iis omnibus, [7] quæ pertinent ad causam contentiosæ iurisdictionis, qualem nullam habet gubernator Sabaudiæ, vt nec alij gubernatores & rectores prouinciarum, qui in hoc longe differunt à Præsidibus & Proconsulibus, de quibus in libris nostris.

2 Nunquam enim nisi ab inferiore ad superiorem appellatur, *l. 1. D. à quib. appell. non licet, l. 1. & pass. D. quis à quo appell.*

3 Hic enim omnium maxime & in tota prouincia Principis vices gerit.

DEFINITIO XXXV.

Renunciari potest appellationi intra decendium à die sententiæ impune, tametsi victor iam aliquos sumptus fecerit pro executione iudicati.

POst appellationem rite insteque interpositam libertum est ei, pro quo male iudicatum est, vt à sententiæ commodo discedat, [1] & quidem impune, dummodo intra decendiũ id faciat, intra quod appellari à sententia oportuit, ac proinde ab ipso sententiæ die numerandum. [2] Sed hoc die tamen ita accipiendum est, si appellationem interiectam esse intra id tempus rescierit, alioqui sufficiet, vt iuri per sententiam sibi quæsito intra decendium renunciet à die notitiæ, id est, denunciatæ appellationis. [3] Non valde dissimile est, quod sæpius tractatum scio, si condemnatus quis prouocauerit & intra decem dies ab eo, quo lata sententia est, numerandos, ab appellatione resilierit, nulla eum refusione sumptuum onerari debere, tametsi ob eam causam aliquos sumptus victor iam fecerit. Quoniam imputare sibi debet victor, [4] cur in iis sumptibus faciendis tam diligẽs fuerit, cum sciret aut scire deberet, totum illud decendium condemnato liberum esse, [5] non solum ad appellandum, sed etiam, vbi appellatum est, ad appellationem ex pœnitentia deserendam. [6] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi Cantamot & Bartholomæi duBois 3. Cal. Iunij 1595. Extempore.

1 Licet enim cuilibet iuri suo renunciare, *vulg. l. penult. C. de pact. l. si iudex circumuento 41. D. de minor.*

2 Hoc enim tempus hodie substitutum est in locum biduj aut triduj, quod olim datum erat ad appellandum. *Nouell. 23. de appell. cap. 1. iunct. l. 1. §. biduum, D. quand appell. sit & intra quæ tempor.*

3 Neque enim potest ignoranti imputari cur non appellauerit, *l. 1 § 2.*

4 Et ideo nullum damnum sentire videtur, cum ex culpa sua sentiat. *vulg. l. quod quis 203. de reg. iur.*

5 Potest enim fieri quandocunque, quod fiat intra tempus, liberum ad faciendum, *l. quod certa die 70. D. de solut.*

6 Nam & interest reipublicæ, vt audiatur quisquis vult appellationi renunciare, dummodo id faciat suo tempore, vt tanto citius sententia mandetur executioni.

DEFINITIO XXXVI.

Difficilius est vt appellans quam vt appellatus vincat ex vnica aduersarij contumacia.

SI appellans, anticipata citatione conuentus ab aduersario, ad fuerit ad dictam diem, aduersarius non item, non idcirco statim pro appellante ferenda est sententia, quæ iudicatum infirmet, [1] sed citandus est contumax, postea si rursus sit contumax, ex duplici illa contumacia condemnandus. [2] Idque duplici ratione constitutum videtur. Priore illa, quod præsumendum sit pro sententia etiam à qua est prouocatum potius, quam pro appellatione. [3] Altera, quod in causa appellationis, qui appellat, tametsi antea reus fuerit, actoris iure censeatur. [4] Cuius causa in eo est odiosior, quam rei, quod ex vnica contumacia vincere non debet, [5] cum tamen reus vincat hactenus, nimirum, vt soluatur ab obseruatione iudicij, [6] non etiam vt actor causa cadat. [7] Nec ad rem pertinuit, quod in proposita specie appellans per anticipationem citatus esset, vt proinde rei potius quam actoris vices gerere videretur. Citatio enim illa, cum non alio fini facta sit, quam ad appellationem prosequendam, non extinguit causam appellationis, nec iudicij qualitatem immutat. [8] *Ita Senatus* 11. Cal. Iul. 1595.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt *estre anticipé & adiourné en vertu de lettres d'anticipation.*

2 Cum vix fieri possit vt excusationem illam mereatur is, qui bis fuit contumax.

3 Boer. post Bald. & alios quos citat *quæst. 15. in fin.* Not. *in c. in præsentia, de renunciat.*

4 *L. qui appellat 29. D. de iudic.*

5 Quia plene probare debet suam intentionem, *l. 4. Cod. de edend. l. actor quod asseuerat 23. C. de probat.*

6 Quæ sententia tantum interlocutoria est, licet habeat vim diffinitiuæ, vt tractat Ægid. Magist. *decis. vlt.*

7 Aliud enim est litem, aliud vero instantiam amittere. Hoc longe minus, illud plus est.

8 Qui enim anticipatur ad prosequendam appellationem, non eo minus est & remanet appellans.

DEFINITIO XXXVII.

Anticipari potest dies prosequendæ appellationis criminalis solo instante procuratore Principis, etiam tacente accusatore.

BIU Cujas

COndemnato reo criminis & appellante, si accusatori siue publico, siue priuato, longiorē is diem dixerit ad prosequendam appellationem, nec accusator anticipationis remedio, quod in eam rem comparatum est, vti velit, potest generalis procurator Principis, & debet modis omnibus curare, vt de appellatione quam cito fieri poterit cognoscatur, [1] ne vindicando crimini longior mora fiat. Publice namq; interest vindicari statim crimina. [2] Quid enim alioqui erit dicendū, si accusator, siue priuatus siue publicus, id est, procurator inferioris iurisdictionis velit colludere ? [3] *Ita Senatus* in causa procuratoris iurisdictionalis de Monmayeur, & N. Solier, Notarij 4. Cal. Iul. 1595.

1 Nec enim diem prosequendæ appellationi à condemnato dictum expectare cogitur.

2 *L. si pœna 30. D. de pœn.*

3 Non debet procurator generalis id pati, neque collusionem, si quam deprehendat, impunitam relinquere, quæ nihil aliud quam præuaricatio est, *l. 1. §. 1. D. ad SC. Turpill. l. prauaricatores 212. de verb. sign.*

DEFINITIO XXXVIII.

Non est audiendus, qui appellat à citatione personali, priusquam de crimine responderit.

A Citatione personali appellans an audiri debeat priusquam de crimine interrogatus fuerit, si in causa appellationis appareat, iustam citandi causam nō fuisse, [1] aliquando dubitatum vidi, quibusdam existimantibus, non esse illi denegandum commune illud omnibusque parēs appellationis auxilium. [2] Nec aliud iure nostro prouinciali constitutum fuisse, nisi vt non obstante appellatione adigi cogique possit ad respondendum, quę res non admittei beneficium appellationis. Aliud enim est appellare non posse, aliud vero non posse appellando suspendere vim decreti aut interlocutionis, vt contingit in omnibus iis sententiis, quæ non obstante quidem appellatione, sed tamen saluo appellationis iure mandari possunt executioni. [3] Sed placuit contraria sententia, propterea, quod eiusmodi appellatio non possit videri certo iudicio interposita, cum nescire probabiliter reus possit priusquam responderit, ea qua causa citatus, & responsurus sit. [4] *Ita Senatus* in secreto auditorio, 4. Cal. Iul 1595.

1 Nam si non fuit iusta causa citandi, non videtur posse fieri, vt non fuerit iusta causa à citatione appellandi, *argum. l. 1. § vlt. D ne quis eum qui in ius voc. vi exim.*

2 Sic enim appellatur *in l. 3. § falsus procurator, D. rat. rem haber.* Facit *l. vnic. C. de sentent. præf. prætor. l. 1. § rursus, D. quand. appell. sit & intr. quæ tempor.*

3 Vt diximus *Defin. 335. eod.*

4 Quomodo enim potest citatus conqueri de iudicis iniquitate, priusquam sciat, cur citatus fuerit? Non autem permittendum est, vt temere nulloque certo iudicio quis appellationem interponat.

DEFINITIO XXXIX.

Reus de crimine ex ore respondere sine causa iussus habet iustam causam appellandi, sed interim tamen respondere cogitur.

CVi consequens est, vt iussus ad iudicem venire, responsurus de crimine, si paruerit & respondere cœperit, mox ex interrogationibus per iudicem factis comperiat, nihil causæ fuisse cur citari deberet ad respondendum, possit, si velit, recusare, ne vltra respondeat. [1] Ergo si vrgeatur iussu & comminatione iudicis, iustam appellandi causam habebit, [2] nec ei oberit in prosequenda appellatione, quod priori decreto paruit, cui, vt proxime diximus, parere habuit necesse. [3] Nam vbi scire reus cœpit, quam ob causam in ius vocatus sit, cessat ratio illa, quæ faciebat, ne appellare ipsi liceret. [4] Saluo tamen appellationis iure cogendus erit, vt interea respondeat, ne ius dicentis auctoritatem contemnere videatur. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Iam enim cessat ratio, quæ antea faciebat, ne posset aut appellare, aut non venire.

2 Nec enim potest fieri, vt iusta causa sit, propter quam debeat respondere, si nulla fuit propter quam citari deberet.

3 *L. non videntur 167. §. 1. l. non potest dolo carere 199. de regul. iuris.*

4 Ideoque cessante ratione cessat quoque dispositio, *vulg. l. adigere 6. §. quamuis, D. de iur. patron.*

5 Quam semper potiorem esse conuenit, *l. si quis ex aliena, D. de iudic.*

DEFINITIO XL.

Appellari potest ab eo, qui iussit incipi ab executione, si non adiecerit clausulam iustificatiuam, quæ faciat intercedendi potestatem.

A Decreto & interlocutione iudicis qui passus est incipi ab executione, appellari potest, si non expressim adiecerit, vt salua esset causa intercessionis, quæ vulgo iustificatiua clausula dicitur. Iuris enim ratio vult, vt ab actione incipiendum sit, non ab executione. Nec, quod reus intercedere non prohibetur si velit, ad rem quicquam facit quo minus appellare possit, si malit. [1] Clausulæ iustificatiuæ adiectio facit, ne ab iusmodi decreto appellatio iusta sit, quia per eam fit, vt executio in citationem conuersa intelligatur. [2] *Ita Senatus* ex tempore, pro N. Regis, contra D. de Cly, 4. d. Augusti, 1595.

1 *L. 1. C. de execut. rei iud.* Nemo enim inauditus pro condemnato habendus est, *l. à Diuo Pio 25. §. sed si emptor, D. de re iudic. l. 1. D. de requir. vel absent. dam.*

2 Prius enim est inspiciendum, quid iudex decreuerit, quam quid aduersus decreti executionem fieri potuerit.

3 Bart. *in l. de pupillo 5. §. meminisse, D. de oper. nou. nunciat.*

DEFINITIO XLI.

Appellatio post iudicati executionem interposita per pupillum beneficio restitutionis non potest facere, vt interim reuocanda sit executio, cui tutor sine causa consenserat.

PEr sententiam contra tutorem redditam possessor factus, cum iudicato tutor acquieuisset, pupillo ab ea sententia quandoq; postea pronuntiante, non idcirco statim priuandus est sua possessione, [1] sed ante omnia de appellationis iure cognoscendum & pronunciandum est. [2] Quoniam appellatio, licet extinguat iudicatum, [3] iudicati tamen executionem, quæ facti est, non magis extinguere potest, quam efficere, vt quod factū est pro infecto habeatur. [4] Nec ad rem pertinet, quod si tutor appellasset, pupillus hodie non aduersarius possideret. Multa enim facta durant, quæ fieri prohibeantur. [5] Plane dubitandum non est, quin actione tutelæ pupillo tutor teneatur, vt damnū ei omne sarciat quod acciderit ob non interpositam appellationem, quam suo tempore interponere tutor debuit, [6] nisi probet ille consultum se à peritioribus ab interponenda appellatione reuocatum fuisse. [7] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal, & Ioannis Falquet, Non. Sept. 1595.

1 Siquidem iuste possidet, qui ex iudicato, &, vt aiunt, prætore auctore possidet, *vulg. l. iuste possidet 11. D de acquir. possess. l. qui auctore 137. de reg. iur.* magnum enim est commodū possessionis, §. *commodum, Inst. de interd.* quo proinde nemo tam facile

BIU Cujas

facile ac indicta causa priuari debet, præsertim cum in proposita specie præsumendum sit in dubio pro iudice & pro tutore.

2 Nam & frequentius euenit, vt frustrandi & tergiuersandi gratia, quam vt ex iusta causa interponatur appellatio, *l. tutor 41. D. de vsur. l. negotiorum 24. D. hoc tit.*

3 *L. furti 6 § 1. D. de his qui not. infam. l. 1. § vltim. D. ad SC. Turpill.*

4 *L. in bello 12. § factæ autem res, D. de captiu. & postlim. l. denique 19. D. ex quib. caus. maior.* Vnde fit vt nec ab interlocutoria, quæ iam mandata est executioni, possit appellari. Papiens. *in form sent. interloc. sup. incompet. iudic nu. 9.*

5 *Vulg. l. patre furioso 8. D. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

6 *L. 1 in princ. D. de tutel & ration distr.*

7 Nihil enim potest tutori imputari, qui consuluit peritiores, *l. regula 9. § penult. D. de iur. & fact. ignor. Not. ad l. non est ignotum 6. C. de admin. tut.*

DEFINITIO XLII.

De priuilegio quod habent Augustani, vtrum Senatum, velint appellare, nostrumne, an Pedemontanum.

A Iudice in Augustanorum prouincia delegato per Senatum Pedemontanum ad faciendam attesti executionem appellari potest ad Senatum Sabaudiæ, si is appellans elegerit. Priuilegium enim prouinciæ illud est.[1] Ergo & appellatio illa, si perperam interposita sit, puta per eum, qui interedere non appellare debuit, potuit vtique ex rescripto Principis conuerti in intercessionem, eaque intercessio, si appellans volet, tractãda erit coram Senatu Sabaudiæ.[2] Nec ad rem pertinet, quod intercessionis, quæ in iudicati executione fit, cognitio ad eum ipsum iudicem spectat, qui iudicauit, aut ad executorem, si habeat causæ cognitionem,[3] nam & à delegato appellandum est ad delegantem.[4] Et tamen iam diximus à delegato per Senatum Pedemontanum posse ad Senatum nostrum appellari. Vtrumq; igitur fit eadem priuilegij ratione contra regulas communes iuris. *Ita Senatus* in causa Petri Soreley, & Claudij Pognen, & Mariæ Guichard Augustanorum. Id. Sept. 1595.

1 Quæ & alia multa habet priuilegia à iuris communis ratione aliena.

2 Succedit enim hoc casu instantia hæc intercessionis in locum instantiæ appellationis, & tanquam subrogata eodem iure censeri debet, *vulg. l. si eum 10. § qui iniuriarum, D. si quis caution.*

3 *L. à Diuo Pio 15. § sed si emptor 10. D. de re iudic.*

4 *L. 1. 2. & 3. D. quis à quo appellet.*

5 Nam in iis, quæ iure singulari & contra iuris rationem recepta sunt, non possumus sequi regulam iuris, *l. in his 15. D. de legib.*

DEFINITIO XLIII.

Appellatio quæ semel prodesse cœpit aduersario, non potest conuerti postea in intercessionem, ne quidem ex rescripto Principis.

APpellatio perperam interposita non potest ex rescripto Principis conuerti in intercessionem, postquam aduersarius ea vti cœpit ad impugnandum ex parte sua iudicatum.[1] Neque enim beneficium Principis, cuiquam debet esse damnosum.[2] *Ita tractatum est* Prid. Id. Septemb. 1595.

1 Eo scilicet casu, quo appellatio per vnum ex litigatoribus interposita etiam aduersario prodesse potest, *l. per hanc 4. iunct. gloss. C. de tempor & repar. appell.*

4 *L. 4. C. de emancip. liber. l. ex facto 43. D. de vulgar. & pupill. substit. l. Paulus notat 8. de prætor. stipul.*

DEFINITIO XLIV.

Ei, qui appellauit à pœna corporali, remittitur multa, quæ temere appellantibus infligi solet.

APpellans à sententia infligente pœnam corporalem, aut quæ oneret existimationem,[1] quantumuis iniusta nulloque iure subnixa sit appellatio, nunquã condemnatur in eam mulctam, quæ temere appellantibus irrogari solet.[2] Honesta enim iustaque esse intelligitur ratio quælibet redimendi sanguinis & honoris,[3] & præsertim cum iuris communis auxilium & beneficium imploratur.[4] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi Baudin & N. de la Val, 2. Decemb. 1595.

1 Cuius amittendæ metus maior est honestis viris, quam metus mortis, *l. isti quidem 8. § penult. D. quod met. caus.*

2 Quam Pragmatici nostri dicunt *l'amende du fol appel.*

3 *L. 5. D. de his qui mort. sibi consciuer.*

4 Quale est auxilium appellationis, *l. 3. § falsus procurator, D. rat rem haber.*

DEFINITIO XLV.

Appellatio pro expensis tantum interposita non deuoluit negotium principale ad iudicem appellationis.

IVdex, ad quem appellatum est ratione expensarum duntaxat, nihil potest constituere in negotio principali, quoniam appellatio non deuoluit cognitionem causæ ad iudicem appellationis,[1] nisi quatenus appellatum est.[2] Non totum autem per modum, vt aiunt, cognitionis, nihil constituere iudex appellationis potest,[3] sed nec per modum executionis,[4] si non vtraq; pars consentiat.[5] *Ita tractatum est* ex tempore in causa Claudij du Chesne procuratoris, & Bernardæ Fauier, 4. Id. Decemb. 1595.

1 Cum prius sit vt quis habeat iurisdictionem, quam vt possit quicquam constituere, *l. 2. l. 4. § vlt. D. de off. procons. l. 1. & tot. tit. C. si à non compet. iudic.*

2 Ne scilicet alioqui latius pateat effectus quam sua causa, quod non esse debet.

3 Quamuis cognitionis nomen latius pateat quam iurisdictionis, *l. ait prætor 5. D. de re iudic.*

4 Cum tamen facilius sit, vt quis executoris, quam vt iudicis partibus fungatur, *l. si vt proponis 6. C. de execut. rei iudic.*

5 Quia si conuenerit inter litigatores quid pronunciandum sit, idipsum iudex sequi cogitur, *l. si conuenerit 26. D. de re iudic.*

DEFINITIO XLVI.

Qui appellauit ob commutatam causam criminalem in ciuilem, quid obtinere debeat si victor fuerit contumax in causa appellationis?

APpellans ab interlocutione, quæ causæ criminalis commutationem fecit in ciuilem,[1] si per victoris contumaciam obtineat in causa appellationis, non totius litis plenam victoriam consequi debet, sed hoc tantum vt causa criminaliter tractetur.[2] *Ita Senatus* in causa Ioannis Mathiaz, & Præceptoris S. Ioannis du Temple Camber. 23. Nouembr. 1596.

1 Quod euenire solet, cum iudex videt non esse materiam litis dignam, quæ criminaliter tractetur.

2 Quia nec de alio quæri potest in causa appellationis huiusmodi, quam vtrum lis ciuiliter tractanda sit, an criminaliter. Et cum contumacia nihil nisi taciturn & fictam confessionem inducat, succedit iuris regula, quæ vult, non plus operari fictionem in casu ficto, quam veritatem in casu vero, *l. confessionibus 13. & l. seq. § vlt. D. de interrog. in iur. fac.*

DEFINITIO XLVII.

Aduersus lapsum tempus ad appellandum potest quis restitui in integrum, & interim impedire executionem iudicati.

QVod aiunt, appellationem extinguere iudicatum,[1] ad eas demũ appellationes pertinet, quæ

BIU Cujas

rite suoque tempore interpositæ impedire possunt, ne sententia, à qua appellatur, transeat in iudicatum.[2] Cæterum post elapsa appellandi tempora, si à sententia, quæ semel transiit in rem iudicatam, appellatur, sicuti appellatio non nisi ex rescripto Principis admitti potest,[3] ita nec iudicati vires prius infringere, quã de appellationis iure & æquitate cognitum sit & pronunciatum.[4] Quod quanquam ita est, alio tamẽ iure vtimur.[5] *Ita Senatus* in causa Jacobi Puper, & Syndicorum de S. Ioire, 24. Mart. 1597.

1 L. 1. §. *vltim. D. ad Senatusc. Turpill. l. furti* 6. §. *D. de his qui not. infam.*

2 Habet enim quælibet appellatio vim non modo deuolutiuam, sed etiam suspensiuam, *l. si causa cognita* 32. *C. de transactionib.*

3 Ex literis, quas Pragmatici nostri vulgo vocant *lettres & relief d'illico.*

4 Cum non debeat quis restitui ad appellandum, ne quidem minor, nisi causa cognita, & ita demum, si probet se iustam appellandi causam habuisse. Guid. Pap. *quæst.* 31. & 141. Castr. *in l. fin. C. in quib. caus. restit. in integr. non est necess.* Bart. *in l. nam posteaquam*, §. *si minor*, *D. de iureiur.*

5 Quia huiusmodi restitutiones conceduntur de plano & causa non cognita etiam maioribus, & illis, qui postea succumbunt in causa appellationis, & quidem sine vlla refusione expensarum. [Est autem consuetudo optima interpres vt legum ita & statutorum, inquit Guid. Pap. *de stylo Curiæ, quæst.* 30.]

DEFINITIO XLVIII.

A sententia, cuius executionem Senatus inaudita parte permisit, potest nihilominus appellari etiam tanquam ab abusu.

AB ea sententia, cuius executio à Senatu permissa est parte non vocata, appellare is potest, qui vocatus fuit,[1] etiam tanquam ab abusu.[2] Proinde facere debebit ea appellatio, vt iudicati executio suspendatur:[3] nec ideo videbuntur pugnantia Senatus decreta, cum noua causa emergentis appellationis nouo decreto causam præbeat.[4] *Ita Senatus* pro D. Tiberio Mutio Priore Nantuaci, contra R. D. de Chanantes Sacristam, 15. April. 1597.

1 Cum enim permittit Senatus executionem sententiæ per inferiorem iudicem redditæ, semper additur vel subinde intelligitur clausula, nisi ab ea sententia sit appellatum, quia & ad publicam vtilitatem, & ad ipsius quoque Senatus auctoritatem pertinet, vt nemo ab appellationis beneficio excludatur, *l. vnic. C. de sentent. præfect. prator. l.* 1. §. 1. *D. quand appell. sit. & int. quæ tempor.*

2 Nec enim abusus, si quis sit purgatus, videtur per Senatus permissionem redditam de plano sine causæ cognitione & partibus non auditis, *vulg. l. de vnoquoque* 47 *l.* 1. *D. de re iud.*

3 Cum ea sit natura cuiuslibet appellationis, præsertim eius, quæ interponitur tanquam ab abusu, vt suspendat iudicatum, *l. si causa cognita* 32. *C. de transact.*

4 Siquidem quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio, *l. de ætate* 51. §. *ex causa*, *D. de interrog. in iur. faciend.*

DEFINITIO XLIX.

Non est audiendus apud eũdem iudicem contumax, cui pronunciata est sententia diffinitiua, maximè si appellauerit, quamuis ab appellatione postea velit discedere.

COntumax ad mortem condemnatus, postea coniectus in carceres & sententiæ diffinitiuę pronunciationem passus, dixerat primùm & petierat vt apud eundem iudicem audiretur, ad purgandam contumaciam, probandamque innocentiam.[1] Mox consilio mutato appellauerat, rursúmque incontinenti ad prius consilium redierat, seque ad defensiones suas coram eodẽ iudice proponendas admitti postulauerat. Quærebatur in Senatu an de appellatione cognoscere Senatus deberet, an ad priorem iudicem reũ remitteret. Placuit interposita semel appellatione non licuisse appellanti à pœna mortis mutare consilium, & appellationis pœnitere. Non magis vt innocentiam suam tueretur, quàm vt sententiæ acquiesceret, si perire mallet.[2] Semel enim ad Senatum deuoluta ex appellatione cognitio, in condemnatione capitali, aufferri ei nũquam potest.[3] Sed etsi appellatio interposita nulla fuisset, secuta tamen pronunciatione sententiæ, nihil aliud fieri posset, nisi vt vel sententiæ executionem pati, vel ab ea nunc appellare cogeretur. Iudex enim qui diffinitiuam tulit sententiam, iterum iudicare ac pronunciare non potest, cùm officio suo sue bene, siue malè functus sit.[4] Planè si ante pronunciationem diffinitiuæ sententiæ contumax se vltro carceribus dedat, purgaturus contumaciam, suæque innocentiæ causas allegaturus apud eundem iudicem, dubitari non oportet quin sit audiẽdus, & suspendẽda sententiæ pronunciatio. Quam tamen si iudex per imperitiam fieri permiserit, idem seruandum erit quod iam diximus vt cogendus sit, vel appellare reus vel sententiæ executionem pati.[6] Ob idq; nimirum si quis ex Senatusconsulto per contumaciam ad eiusmodi pœnam capitalem condemnatus sit, non solet Senatus iubere pronunciationem Senatusconsulti. Sed ante omnia reum audiri.[7] Quanquam sit per imperitiam & festinationem grapharij pronunciatio secuta esset, non aliud tamen obseruari oporteret, cùm aliud auxilium nullum superesset condemnato qui à Senatusconsulto appellare non potest.[8] *Ita Senatus* in secreto auditorio, 20 Nouemb. 1613. pro Cl. l'Heritier.

1 Semper enim audiendus est qui suam innocentiam paratus est defendere. Adeo vt nec vlla expensarum refusione ad purgandam contumaciam opus sit in criminalibus, quæ necessaria est in ciuilibus *l. properandum* 13. *C. de iudic.*

2 Nemo enim auditur perire volens *l. non tantùm* 6. *D. hos titul.*

3 Id enim debetur reuerentiæ non modò Senatus, sed etiam cuiuslibet alterius iudicis superioris, ad quem appellatum est, *l.* 2. *eod. l.* 1. *D. nihil innou. appell. interp.*

4 *L. iudex posteaquam* 55. *D. de re iudic.*

5 Vt sit integrum condemnato innocentiam suam apud eundem iudicem defendere, quod plerumque fit commodius & minore dispendio apud iudicem inferiorem, quàm apud Senatum. Nam & id iudex habere ante oculos debet *l.* 1. *C. de admin. tutor.*

6 Eadem enim ratio hic locum habet, quam proxime attulimus ex *d. l. iudex* 55. *D. de re iudic.*

7 Siue vltro se carceribus obtulerit, siue inuitus comprehensus, & coniectus in carceres.

8 Nunquam enim probandæ innocentiæ via præclusa est, cùm satius sit nocentem absolui, quàm innocentem damnari *l. si quis absentem* 5 *D. de pœn.* Adeò vt statim atque præsens est is, cuius bona omnia per contumaciam, vt fieri solet, annotata fuerant, restituenda sit ei bonorum omnium suorum possessio, nullis quoque, vt diximus, refusis sumptibus ad purgandam contumaciam, ne iis quidem qui in annotationem facti sunt. Habere enim reus interim debet liberam bonorum suorum administrationem *l. reo* 41. *D. de solut.* nisi id casibus exceptis de quibus in *l. pen. D. de accusat.*]

TIT. XXVII.

DE TEMPOR. ET REPARAT. appell.

DEFINITIO I.

Cum prima executio confluit in secundam, sufficit ei, qui ab vtraque appellauit, vt posteriorem persequatur.

DEBITOR

DEBITOR, qui aduersus contractum postulauerat in integrum restitutionem, cum ex diplomate principali, quod De debitis vocant, interea soluere iussus esset,[1] ab ea executione tanquam attentatoria, vt loquuntur, & in præiudicium litis facta prouocauerat,[2] nec appellationem fuerat prosecutus: sed intra tempora prosequendis appellationibus data iterum iussus soluere, impetratis à iudice in eam rem literis, ab ea quoque executione literarumque impetratione appellauerat, non potest videri priorem appellationem deseruisse, si posteriorem rite introduxerit & prosecutus sit.[3] Quemadmodum enim primæ executionis vis & potestas in secundam executionem fluxisse, ita prior appellatio in posteriorem deuoluta esse intelligitur.[4] *Ita Senatus* pro D. de Vosery, contra D. de Mandolle, 17. Cal. Aug. 1588.

1 Ea namque vis & potestas est eius diplomatis, vt nec oppositione, nec appellatione obstante possit instrumentum mandari executioni, vt scripsimus variis locis.

2 Nihil enim debet innouari lite pendente, *tot. tit. C. vt lit. pend.* Lis porro dicitur pendere quinque modis. Per libelli oblationem *l. 1. & 2* iunct. *gloss. all. tit.* per litis contestationem, *l. vnic. C. de lit. contest. l. amplius 15. D. rat. rem haber. l. sed etsi lege 25. § si ante, D. de petit. hered.* Per consultationem aut relationem ad Principem, aut per Principis rescriptum, *l. ex illo tempore, C. de appellat. l. vnic. C. quand libell. oblat. Princ fac. lit. contest.* Per iudicis recusationem, *l. apertissimi 1. C. de iudic.* Et per in integrum restitutionem, *l. vnic. C. in integr. restit. postul. ne quid nouæ fiat.*

3 Nam & in dubio ea capienda interpretatio, per quam nō præsumatur appellatio deserta, siquidem desertio est delictum, cum annexam habeat iudicis contemptum: ideoque solet grauior mulcta irrogari ei, qui appellationem deseruit, quam ei, qui male ac temere appellauit.

4 Vnde fit, vt posteriore introducta, prior quoq; introducta videatur, ne alioqui desertionis pœnam patiatur is, qui appellationem non deseruit, exemplo eius, quod scriptum est *in l. vlt. C. de posth. hered. instit.*

DEFINITIO II.

Allegatio compromissi non impedit desertionem appellationis, nisi de compromisso constet per scripturam vel per aduersarij confessionem.

APpellans, si intra statutum tempus appellationem prosecutus non sit, quam idcirco desertam aduersarius obiiciat, non potest negligentiæ suæ excusationem illam prætexere, quod pendente tempore prosequendæ appellationis compromissum de lite per arbitros finienda factum asseueret, nisi probet idipsum aut per contractum in scriptis habitum,[1] aut per aduersarij confessionem.[2] Igitur compromissum, de quo constat ex scripto, impedit lapsum temporis dati ad prosequendam appellationem, non tamen lapsum temporis dati ad appellandum.[3] *Ita Senatus* publico Senatusconsulto & generali.

1 Ne in longiorē diem lis protraheretur, si per testes probari non posset, quorum etiam habendorum facilitas, vt maior est, ita periculosior *l. testium facilitatem 17. C. de testib.*

2 Nulla enim vel certior vel promptior probatio est, quam quæ fit per partis confessionem, *l. generaliter 13. C. de non num. pecun.*

3 Guid. Pap. *quæst. 115.*

DEFINITIO III.

Pestis iusta causa est petendæ restitutionis aduersus obiectam desertionem appellationis.

PEstis tempore non eo minus currit tempus prosequendæ appellationis, sed tamen succurrendum est appellanti per in integrum restitutionem, si ob eam causam intra tempora non sit prosecutus appellationem.[1] *Ita Senatus sæpius.*

1 Paul. Castrens. *cons. 11. incip. in causa desertionis.* Idem dic de bello & de paupertate appellantis.

DEFINITIO IV.

Renunciatio appellationis facta extra tempora & extra acta non impedit desertionem.

SI appellationi renunciatum sit extra tempora[1] aut etiam intra tempora, sed extra acta, non eo minus deserta pronunciari appellatio, & appellanti pœna desertionis infligi debet. Renunciandum enim est & intra ea ipsa tempora, intra quæ appellari potest,[2] & apud acta, si à iudice appellatum sit,[3] aut coram executore, si ab executore, alioqui desertionis pœna committitur.[4] *Ita Senatus* ex tempore contra Claud. Brunetum, 17. Cal. Aug. 1591.

1 Hoc est post decendium. Nam intra decendium renunciari appellationi impune potest: post decendium non potest: nisi impetrato in eam rem diplomate Principali per quod appellatio annulletur. Pragmatici vocant *lettres d'anéantissement.*

2 Id est, intra decem dies, & quidem à die sententiæ, non à die appellationis interpositæ numerandos.

3 *L. 2. D. de appellat.*

4 Quia interest etiam illius, à quo appellatum est, vt sciat, an appellatio duret, an vero ei fuerit renunciatum.

DEFINITIO V.

Facilius parcitur ei, qui appellationem intra tempus constitutum non intimauit, quam ei, qui non introduxit ad iudicem.

ETsi appellationem intra legitima tempora prosecutus non videtur, qui iudicem appellationis tantum adiit,[1] si non & aduersario ipsi diem dixerit:[2] facilius tamen ei parcitur, vt desertæ appellationis pœnam effugiat, quoniam adire iudicem per scriptum solet, qui appellauit,[3] diem vero dicere non nisi per apparitorem, cuius culpam licet non omnino ei, qui elegit impunitam,[4] aliqua tamen excusatione digniorem videri æquum est:[5] & eo magis, quod, cum appellationis auxilium sit fauorabile,[6] desertionis obiectio non odiosa esse non potest.[7] *Ita Senatus* in causa viri clarissimi Claudium de la Conz Abbatis Ambroniacensis & Syndicorum vniuersitatis de Semiaz, Prid. Cal. Febr. 1590.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt *releuer son appel.*

2 Quod nihil aliud est, quam ei appellationem intimare.

3 Nec proinde potest scriptum fallere, aut sibi ipsi deesse.

4 Quia sibi debet imputare qui talem elegit, *arg. § præterea, Instit. quib. mod. re contr. oblig.*

5 Ne scilicet vnius negligentia tam facile alteri noceat, *l. pupillus 24. D. quæ in fraud. credit.*

6 Quia est auxilium commune, *l. 3. § falsus procurator, D. ratam rem haber.*

7 Cum desertio appellationis sit quædam species criminis, vt dixi *Defin. 1. num. 3. supr.*

DEFINITIO VI.

A sententia, quæ vni ex litigatoribus dat electionem, appellandum est ex die sententiæ, non ex die secutæ electionis.

CVm, debitore rem vnam offerente, creditori data esset per iudicem electio alterius rei, si mallet, exigendæ, postea vero creditor eam rem elegisset, quam debitor præstare nolebat; visum est sero interpositam appellationem, si à tempore latæ sententiæ decem dies effluxissent, tametsi intra decendium à die factæ electionis appellatum proponeretur.[1] Etsi enim fieri poterat, vt debitor eam rem eligeret, quam præstare debitor maxime vellet, vt proinde nullam

BIU Cujas

appellandi causam esset habiturus: verum tamen est iam inde à quo tempore creditori data fuit per sententiam electio, quæ dari non debuerat,[3] appellari à sententia potuisse & debuisse, cum electio non nisi ex concessa eligendi facultate pendeat, nec possit videri iniuriam facere creditor, qui iure suo vsus est, cum eligendi haberet potestatem.[4] Denique non quælibet iniuria materiam appellationis præbet, sed ea demum, quam iudex, non quam aduersarius intulerit.[5] Negari autem non potest, quin eo tempore iudex iniuriam fecerit, quo sententiam tulit, & eligendi ius creditori dedit, quamuis incertum adhuc fuerit, quid creditor esset electurus. *Ita in Senatu tractatum est* inter nobiles Jacobum Franciscum & Berardum Pelard fratres, 7. Cal. Junij 1590.

1 Decendium namque datum ad appellandum incipit currere & computatur ex die pronunciatæ sententiæ, *Nouell. 23 de appell. cap.* 1.

2 Consentiente scilicet vtroq; litigatore in eandem rem.

3 Magnus enim fauor est, si quis electionem habeat alterutrius rei præstandæ, *l. plerumque* 10. §. *vlt. D. de iur. dot. cap. in alternatiuis.* vbi Dyn. & alij *de reg. iur. in* 6. Excipe casum *l. Grace* 8. § *si quis Stichum. D de fideiuss.*

4 Nemo enim videtur iniurioſe aut dolo facere, qui iure suo vtitur, *l. nullus videtur* 55. *de reg. iur.*

5 Qui enim appellat, de iniquitate iudicis conqueritur, non de dolo & circumuentione aduersarij, *l præfecti* 16. *D. de minor.*

6 *L.* 1. §. *biduum, vers. quid ergo. D. quand. appell. sit, & intr. quæ tempor* Iunge *l. vbi autem* 75. §. *qui illud, D. de verb. oblig.*

DEFINITIO VII.

Non deseruit appellationem, qui eam prosequitur, licet non vltro id faciat, sed aduersario instante.

TRibus inter se contendentibus, & vno condemnato, si is appellauerit, & cum appellationem vltro prosequi deberet passus sit, vt eius prosequendæ gratia ab vno ex aduersariis suis ad appellationis iudicem intra constituta tempora euocaretur,[1] non idcirco potest videri appellationem deseruisse, licet nullum superiori iudici libellum porrexerit. Quis enim desertam dicat appellationem, de qua apud appellationis iudicem disceptetur?[2] De illo potius dubitari potest, an quod ab vno ex victoribus factum est, alteri, qui nihil fecit, nocere debeat, ne desertam appellationem possit dicere? Et magis est, vt nocere debeat, si ea sit causæ connexitas, vt inter alios duos de appellationis iure cognosci nequeat, quin hic quoque tertius liti intersit.[3] Alioqui obstat iuris regula, quæ vnius factum alteri nec prodesse patitur nec nocere.[4] Plane si post iam elapsa prosequendæ appellationis tempora vnus ex victoribus condemnatum ad iudicem appellationis vocauerit, indistincte dicendum est, non posse id cæteris ignorantibus nocere, quia non potest ea res præbere appellanti excusationem, cur non intra tempora prosecutus sit appellationem.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Siue per literas quas vulgo *anticipationis* vocant, siue per supplicem libellum, quem Pragmatici nostri Gebennenses dicunt *requeste en poursuite d'appel.*

2 Parum enim refert, ab vtro ex litigatoribus introducta sit appellatio, dummodo introducta sit.

3 Hoc enim facit connexitas causæ, vt è contrario sufficit aliquando vnum ex pluribus appellare, *l. 1. & tot. tit. C. si vnus ex plurib. appell.*

4 *L. factum* 155. *de reg. iur. l. non debet* 74. *eod. tit.*

5 Itaque pœnam suæ negligentiæ hoc casu luere appellãs debet, nec ius aliis quæsitum auferri ipsis per alium potuit, *l. vlt D. de pact. l. Granius* 71. §. *pen D. de fideiuss.* [Quid si emptore condemnato, itemque venditore, qui pro emptore litem susceperat solus venditor appellauerit, & tamen appellationem deseruerit? An emptor quoque, qui non prouocauit in ius vocari poterit saltem simul cum venditore, vt pronuncietur deserta appellatio? Minime, cum non alius videri possit appellationem deseruisse, quàm qui ipse appellauit. Sed in hanc rem vocandus erit venditor vt desertionis suæ pœnas luat. Emptor autem vtut sententiæ executionem pati cogatur, quasi appellatione nulla interposita, quamuis verum sit appellationem à venditore interpositam emptori quoque prodesse, *l.* 4. § *item si emptor, de appel.* Debet enim emptor sibi imputare quod appellationem à venditore interpositam non sit ipse prosecutus, quod pro suo iure facere poterat etiam inuito venditore, *d.* §. *item si aut non curauerit per venditorem ipsum agitari. Ita Senatus* ex tempore in causa Melchioris Barallin, 6. Sept. 1612]

DEFINITIO VIII.

Potest impune renunciari appellationi intra decendium à die sententiæ, sed non à die appellationis.

APpellationi renuncians etiam intra decendium, quod à die appellationis interpositæ numeretur, non eo minus condemnandus est in expensas omnes, quibus frustratoria prouocatio causam dederit, ideoque nec aliter admittendus est ad renunciandum, quam si eos sumptus offerat.[1] Sane intra decendium à die sententiæ impunita appellatio est, & consequenter licita appellationis renunciatio, cum id tempus datum sit condemnato, vt sciat an appellare vel appellationem prosequi, an acquiescere iudicato debeat.[2] Ergo nullos eo nomine sumptus pati appellans debet,[3] sicuti post decendium illud sera appellationis renunciatio est, licet eo ipso die fiat, quo appellatum fuit.[4] *Ita Senatus* in causa N. Velliet in secreto auditorio, 6. Cal. Sept. 1593.

1 Intellige si appellatio fit interposita non die ipso sententiæ, sed postea.

2 Dixi *Desin.* 35 *supr. tit. prox.* vbi vide.

3 Non enim solet sumptuum condemnatio irrogari, nisi in pœnam temere litigantis aut aliud quid facientis, *l. cum quem temere* 79. *ff. de iudic. l. qui solidum* 78 §. 1. *de leg.* 2. *Instit. de pœn. temer. litigan.*

4 Itaque cauere debet, tam qui appellationi renunciat, quam qui appellat, ne nimis sero aut appellet, aut renunciet, *l.* 1. *vers. cæterum. ff quand. appell sit, & intr. qua temp.*

DEFINITIO IX.

Potest impetrari rescriptum Principis ad hoc, vt appellatio pronuntietur deserta, etiam antequam elapsa sint tempora, sed non intimari.

REscriptum Principis ad hoc impetratum, vt pronuncietur deserta appellatio, non eo minus effectum sortitur, quod impetratum fuerit ante elapsum tempus introducendæ appellationi præstitutum,[1] dummodo non nisi post id tempus elapsum, id est, suo tempore significatum, &, vt nostri loquuntur, intimatum sit. Accipit enim, vt & cætera omnia, vires suas in executione & intimatione.[2] *Ita Senatus* in publico auditorio, Prid. Id. Febr. 1594.

1 Hoc est ante mensem, si iudex appellationis fuit ex inferioribus, aut ante duos menses, si appellatus fuit Senatus. Sic enim stylo nostro cautum est.

2 Siquidem executio illa est, quæ dat effectum rei, *l. penult. C. de execut. rei iudic.*

DEFINITIO X.

Apparitoris relationi creditur ad excusandum appellantem, qui appellationem deseruisse dicitur.

RElatio apparitoris nulla testium fide subnixa, licet nihil probet,[1] quod ad hoc attinet, vt aduersario damnum inferatur, probat tamen quantum satis est ad excusandum eum, qui appellatoris opera vsus est, ne in pœnam vllam incurrat propter negligentiam, forte si appellationem deseruisse dicatur is, qui ex eiusmodi relatione probet fecisse se, quod potuit ad

fuit ad eam prosequendam. Etsi enim dici potest, ei esse imputandum, quod talem elegerit,[2] iniquum tamen sit, desertionis pœnam pati eum, qui non fuerit negligens in prosequenda appellatione;[3] vel ob id maxime, quod appellationis remedium tanquam ordinarium fauorabile est, & consequenter desertæ appellationis obiectio odiosa.[4] Propter quam causam sufficere etiam interdum solet, vt probet appellans impetratas à se literas, vt vocant, appellatorias, & apparitori vt intra præstitutum tempus exequeretur traditas,[5] ne deserta dici possit appellatio, quamuis apparitor debitã in exequendo diligentiam non præstiterit, alioqui facile accideret, vt ex apparitoris dolo & collusione damnum sentiret is, qui non tam electæ personæ, quã officij publici fidem secutus esset.[6] Quamquam tutius est, ex his quoque causis impetrari aduersus lapsum temporis in integrum restitutionem.[7] *Ita Senatus* ex tempore in causa D. de Sallagine, 8. Id. Mart. 1594.

1 Ne quidem in iis, quæ ad officium apparitoris pertinent, quia vox vnius, vox est nullius, *vulg. l. iurisiurandi. C. de testib. l. vbi numerus ff eod.*

2 Vt dixi *Defin. 5. supr. ex* § *præterea, Inst. quib. mod. re cont. oblig.* iunct. *l. inter artifices 31. ff. de solut.*

3 *Arg. l. vlt. C. de posthum. hered. inst.*

4 Dixi iam *d. Defin. 5. num. 6. & 7. supr.*

5 Cum sit verum, hoc casu non stetisse per actorem, quo minus appellatio introduceretur, *l. in omnibus 39. de reg iur.*

6 Hoc enim tale est, quod non nisi per apparitorem expediri potest, maiorque ratio est, ne cuiquam alterius factum vel negligentia noceat in iis, quæ non nisi per alium expedire potuerit.

7 Quæ haud dubie concedenda est saltem ex illa generali clausula, si qua mihi iusta causa esse videbitur, de qua *in l. 1. & l. sed etsi 26.* § *vlt. ff. ex quib. caus. maior.*

DEFINITIO XI.

Multum interest an appellatio prorsus deserta sit, an male introducta & extra tempora?

NOn ideo deserta appellatio dici potest, quod male introducta sit & extra statuta tempora,[1] sed per viam non recipiendæ appellationis decidenda est, quod Practici dicunt *par fin de non receuoir.*[2] Etsi autem vtroque casu idem fere effectus est, vt nimirum appellans non audiatur, perindeque sit, ac si nulla interiecta esset appellatio,[3] refert tamen propter mulctã, quæ longe grauior irrogatur aduersus appellationis desertores, quam contra eos, qui non desertam extra tempora prosecuti sunt.[4] Item propter sumptus litis super appellationis desertione factos, quos sane victori desertionem obiicienti adiudicari æquum non est, cum nulla desertio fuit.[5] Quanquam nec eo nomine condemnari illum oportet appellanti, qui ipse in appellatione introducenda peccauit,[6] nisi aduersus eam negligentiam postulata sit in integrum restitutio, bonamque litem appellans foueat.[7] Quid ergo? Compensandæ erunt expensæ ad causam desertionis pertinentes,[8] appellatore ad eas solas condemnando, quæ appellatoriam litem respiciunt.[9] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio, Non. Jun. 1594.

1 Quamuis dici soleat nihil interesse, an quid nullo modo, an vitiose & minus rite factum sit, *l. quoties 6 ff. qui satisd. cog. l. 2. ff. de auctor. tutor.*

2 Sunt enim ista omnino contraria, deserere & prosequi appellationem, quamuis extra tempora quis eam prosequatur.

3 Quantum ad hoc, vt appellanti nihil prosit appellasse.

4 Quia in deferenda appellatione delictum aliquod versatur, quod in ea minus legitime prosequenda nullum prorsus est. Dixi *Defin. 5. n. 7. supr.*

5 Nam in hoc ipso male ac temere victor litigat, quod cõtendit desertam esse appellationem, quæ non fuit deserta, ideoque potius condemnari deberet ad sumptus eius litis, quam eos obtinere. *Ex reg. l. eum quem temere 79. ff. de iudic.*

6 Vt scilicet fiat mutuæ culpæ compensatio, *l. si ambo 10. ff. de compensat. l. viro 39. ff. solut. matr.*

7 Quo casu nullas expensas appellans debet, eum culpa illa non introductæ suo tempore appellationis sine vlla sumptuum refusione ex rescripto Principis emendetur.

8 In consequentiam mutuæ negligentiæ, quam compensandam esse diximus *num. 6.*

9 Nihil siquidem commune habet causa appellationis, quæ est secunda instantia cum causa desertionis, quæ est prima. Nec bona est consecutio, vt qui appellationem non deseruit, eo magis videri debeat iuste appellasse, quamuis è contrario, qui appellationem deseruit, credendus sit veluti propria confessione appellasse perperam ac iniuste.

DEFINITIO XII.

Si iusta causa sit dandæ restitutionis aduersus desertionem appellationis, quid fieri debeat?

SIpetatur in integrum restitutio aduersus appellationis desertionem,[1] de qua lis pendeat, tametsi iusta sit causa restitutionis indulgendæ,[2] si tamen apud inferiorem iudicem res agatur, non solet Senatus ad iudicis cognitionem remittere, vt pro sua prudentia æstimet, an concedi restitutio debeat, nec ne, quoniam alienum esset à dignitate Cancellarij, aut eius qui Cancellarij vice fungitur, vt ab alio, quàm à Senatu legem acciperet. Nam si coram Senatu lis penderet, media via sequenda esset, vt neque iuberetur Vicecancellarius diploma approbare, neque à principali beneficio impetrans summoueretur, sed his verbis rem temperari oporteret, *En plaidant la cause sera pourueu.*[3] Quid ergo si ad inferiorem iudicem rescribi oporteat? Melius est, vt verbo facto in Senatu iubeatur Vicecancellarius rescriptum admittere, si iusta causa sit, quæ allegatur petendæ restitutionis, ne auctore Senatu legibus aut æquitati vis fieri videatur.[4] *Ita Senatus* in causa fratrum Bonamour du Pontdeaux in relationibus libellorum, 8. Id. Jun. 1594.

1 Quæ restitutio ipsis styli nostri verbis districte prohibita est, si eo tempore petatur, quo iam sit citatus appellans ad causam desertionis defendendam.

2 Puta si propter pestem fuit impeditus appellans, ne suam appellationem prosequeretur, vt dixi *Defin. 3. supr.* Idem est si bellum vel paupertas impedimentum attulerit.

3 Vt si perorata lite appareret Senatui iustam esse causam restitutionis admitteret, concederetque restitutionem suprema, quod aiunt, manu, non aliter.

4 Quod vtrumque absurdum est, cum Senatus ipse præcipuus custos sit, & legum & æquitatis, *l. 1. C. de legib.*

DEFINITIO XIII.

Etiam nulla sententia transit hodie in rem iudicatam, si ab ea non appelletur.

LIcet sententia, quæ ipso iure nulla est, nunquam transire possit in rem iudicatam, nec si appellatio deferatur, si iuris communis rationem inspicias, quia nec ab eiusmodi sententia, quæ non tenet, prouocari iure potest,[1] alio tamen iure vtimur, quia lege nostra municipali expressim cautum est, vt quantumuis nulla sit sententia, ab ea tamen necessario sit prouocandum.[2] Est enim consequens, vt, si vel non prouocatum sit, vel appellatio interiecta deserta fuerit, valeat sententia, reique iudicatæ obtineat auctoritatem.[3] *Ita Senatus* in causa Joannis Jaques procuratoris, & N. Calet, 10. Cal. Jun. 1595.

1 *L. si expressim. 19 ff. de appellat. l. 1. 2. & 3. ff. qua sent. sin. appell. rescin.* Vnde est, quod remota appellatione, siue ex statuto, siue ex pacto, non tamen censetur remota via nullitatis Guid. Pap. *quæst. 38.* post Salycet. *in l. fin. ff. de appellat.* & Angel. *in l. 1. §. 1 ff. à quibus appell. non licet.*

2 Ne alioqui de hoc ipso item nouam instituat sit necesse an sententia nulla sit, nec ne.

3 Alioqui frustra esset constituisse, vt à sententia quantumuis nulla appellari oporteret.

BIU Cujas

DEFINITIO XIV.

Appellationis desertio facit, vt sententia transeat in rem iudicatam, ac si ab ea non esset appellatum.

SEntentia, à qua fuit appellatum, non eo minus censetur transisse in rem iudicatam, si introducendæ aut introductæ prosequendæ appellationis tempora elapsa sint, nec introductam, aut prosecutam appareat.[1] Etsi enim imputari quodammodo potest ei, qui obtinuit, cur non curauerit pronunciari desertam appellationem, aut quod effectu idem est executoriam pronunciari sententiam,[2] tamen multo magis imputandum est illi ipsi, qui appellauit, cur non sit appellationem prosecutus.[3] Nam & ipso iure soloque lapsu temporis deserta intelligitur appellatio, talemque pronunciare posset iudex, à quo appellatum est,[4] ni iudiciorum ritus apud nos induxisset, vt solius appellationum iudicis ea iurisdictio esset.[5] Sane appellatio semel interposita, licet non probetur introducta, facit, ne possit executioni mandari sententia, nec eius peti executio, quin prius executoria pronuncietur, aut appellatio deserta.[6] Id vero victoris arbitrio & electione peti intra triginta annos[7] quandocunque potest, dummodo post elapsa tempora, intra quæ appellatio introduci debuit.[8] *Ita Senatus* in causa Collegij Iesuitarum, & Dn. Claudij Neyron, 5. Id. Sept. 1595.

1 Cum paria sint, aut ab initio non appellasse, aut appellationem interpositam non introduxisse, aut introductam, prosecutum non fuisse, cum his duobus casibus posterioribus obstet appellanti præscriptio, *l. si expressim, 19. de appell.* Adeo vt non valeat sententia, sed sit nulla, quæ lata sit in causa appellationis post desertam appellationem, Guid. Pap. *quæst. 11. num. 2.* ex Bald. *in vsib. feud. in tit. quo temper. miles inuestit. per. deb. §. fin. in fin.*

2 Nam neque inter hæc quicquam interest, nisi quod appellatio deserta pronunciatur à iudice, ad quem appellatum est, pronunciatur vero executoria, non obstante appellatione, per eum ipsum iudicem, à quo fuit appellatum.

3 Debuerat enim, aut non appellare, aut prosequi appellationem.

4 Non enim cogeretur iudex à quo appellatum esset dare literas dimissorias, qui Apostoli dicuntur, si non petitæ essent eæ literæ intra tempus constitutum, *leg. 1. §. sensus autem, D. de libell. dimiss.*

5 Postquam Apostoli moribus nostris peti, darique desierunt.

6 Quia quandiu id factum non est, verum est appellatum fuisse, ac per appellationem extinctum iudicatum, *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill.* Nec dubitatur, quin appellatio habeat vim suspensiuam, *l. 1. D. nihil innou. appell. interpos. l. si causa cognita, 31. C. de transact.*

7 Nam spatio triginta annorum præscribitur ius petendæ executionis sententiæ, vt & alia iura omnia, quæ minori tempore non præscribuntur, *l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Exceptis iis, in quibus necessaria est præscriptio 40. annorum, de quibus *in l. 4. eod. tit.*

8 Cum enim totum illud medium tempus liberum sit condemnato ad prosequendam appellationem, non potest interim peti executio sententiæ, *arg. l. quod certa die, 70. D. de solut.*

DEFINITIO XV.

De temporibus interponendæ & introducendæ appellationis, & an aduersus desertionem possit dari restitutio, ex quibus causis.

TEmpus apud nos hodie nullum est, intra quod litem appellatoriam terminari & expediri necesse sit,[1] sed tantum intra quod appellationem & interponi & introduci oporteat. Illud decendij,[2] hoc mensis vnius apud inferiores appellationum iudices, duorum vero mensium cum Senatus appellatur.[3] De illo sane constat, fatalia, vt vocant, nullo casu locum habere in iis litibus, quæ apud Senatum agitantur.[4] Nec si constet per appellantem stare, quo minus lite iam ad coronidem perducta, Senatusconsultum reddatur.[5] At neque iusta fere vlla causa esse creditur, propter quam excusari appellans debeat, qui appellationem intra constituta tempora prosecutus nō est, nec si alleget paupertatem, aut pestem, aut itinerum difficultatem.[6] Sed tamen iustæ hæ causæ sunt, aliæque huiusmodi complures, ex quibus appellans dignus videatur, qui beneficio in integrum restitutionis iuuetur ad prosequendam appellationem, etiam post tempora constituta, nulliisque refusis expensis,[7] si modo iusta appellatio probetur.[8] Vnus tantum casus est, qui appellantem excusat, si medio tempore compromissum factum sit; sed ita tamen, si de compromisso illo ex scripto appareat. Id enim diserte cautum est,[9] ne alioqui huiusmodi prætextu commentum, colorque fraudibus passim quæreretur, & appellationum cauillationibus.[10] Alius casus esse potest, si appellatum sit ad superiorem omisso medio. Non enim appellationem deseruisse videri potest, qui eam introduxit & prosecutus est, licet apud alienum iudicem.[11] *Sine die.*

1 Quomodo fuit olim ex legibus Codicis, *l. 2. C. hoc tit.* & iure nouo ex Iustiniani *Nouell. 49. De his qui ingred. ad appell. in princ.* vnde sumpta est *Authent. ei qui appellat, cum sequ. C. hoc tit.*

2 *Ex Nouell. 23. De appellat. in princ.* vnde sumpta est *Authent. hodie. C. de appell.*

3 *Arg. l. 1. C. hoc tit.*

4 Sic enim stylo Senatus nostri cautum est.

5 Quod enim stylo generaliter & indistincte cautum est, generaliter quoque & indistincte intelligi debet, *vulg. l. de pretio, 8. ff. de publician. in rem act. l. in fraudem. 15. §. vlt. ff. de rest. milit.*

6 Intellige quo minus tempora ipso iure currant. Quod tamen ex ratione iuris aliud est, nam & inopia & pestis, & alia huiusmodi impedimenta, iustam præstant excusationem aduersus desertionem, Guid. Pap. *qu. 436. num. 12.* post Innoc. *in cap. ex ratione, Extr. de appell. l. si procuratorem, 2. §. si ignorantes. ff. mandat. l. Titius, vbi not. ff. de procurat.*

7 Scilicet ex æquitate Senatus. Nam alius iudex inferior non posset has causas pro iustis habere, nisi Principe ita expressim mandante. [Sed nec Senatus restitutionem indulgere solet contra desertionem, sed tantum petentibus restitutionem concedere, vt ad tractandam litem appellatoriam admittantur, & in ea possint vincere, si bonam causam habeant. Peti tamen restitutionis literas necesse est, nisi si quando suprema, quod aiunt, manu, Senatus magna æquitate motus desertionem velit negligere, quod vix quidem & perraro, sed tamen aliquando facit. Cæterùm nunquam Senatus petitas restitutionis contra desertionem literas solet verificare, nec his verbis pronunciare, *en interinant*, sed ita simpliciter *ayant esgard aux lettres.* Quod si desertam esse appellationem Senatus pronunciauerit, & supplicatio ciuilis contra Senatusconsultum petatur, non debet Vicecancellarius inconsulto Senatu literas concedere. Senatus autem potest, sed ita vt contra desertionem non concedat, nisi eo modo quo ante arrestum admisisset, id est, hactenus vt audiatur is qui appellationem deseruit ad eam ex integro tractandam. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 7. Aprilis 1614.]

8 Frustra enim vis fieret legibus nostris in danda contra desertionem restitutione illi, qui postmodum in appellationis causa succumbere deberet, *arg. l. si post mortem 10. §. pen. ff. de bon. poss. contr. tabul.*

9 Senatusconsulto publico & generali, quod in eam rem factum est.

10 Cum vt plurimum appellationes interponi soleant frustrandi & cauillandi causa, *vt in l. tutor 41. ff. de vsur. l. vlt. ff. de re iudic.*

11 Desertio enim pœna negligentiæ non imperitiæ est. Vtroque tamen casu appellans condemnatur, sed altera atque aliter conceptis sententiæ verbis.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XVI.

Appellari non potest, ne quidem beneficio Principis, post annum trigesimum, sicut nec de nullitate sententiæ opponi, non magis quàm si condemnatus expresse acquieuerit.

A Sententia, quæ nondum executioni demandata sit, aut cui aliter nondum acquieuerit is, qui cõdemnatus est,[1] appellari potest ad annum vsque tricesimum,[2] si aliud nihil sit quod appellandi adimat potestatem. Sane post tanti temporis decursum, quo iura omnia quantumcumque perpetua finiuntur,[3] appellandi quoque ius perimi explorati iuris est. Nam & obiiciendæ aduersus sententiam nullitatis ius tanto tempore perimeretur.[4] *Ita Senatus* in causa Ludouici Geneuois, & Antonij Perret, 21. Mart. 1596.

1 Nam qui semel acquieuit sententiæ vel sola petitione dilationis ad soluendum, non potest deinde appellare, *vulg. l. ad solutionem, 5. C. de re iudic.*

2 Impetrato scilicet rescripto Principis & restitutionis in integrum ad appellandum post decendium, quod in eam rem præfinitum est, vt dixi *Defin. prox. præced.*

3 *L. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

4 Quia tanto tempore iura omnia præscribuntur & extinguuntur, *d. l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

TIT. XXVIII.

DE APPELLAT. TANQVAM ab abusu.

DEFINITIO I.

Appellari potest tanquam ab abusu, si laici quid restituere iubeantur, nempe si lite pendente impetrata sit monitio, nemine dempto.

TANQVAM ab abusu recte pronocatur, si executio facta sit literarum, vt vocãt, monitoriarum, quibus iubebantur laici, vt furta impetranti facta non solum indicarent, sed etiam restituerent. Iussus enim ille restituendi ad laicum iudicem pertinet, non ad ecclesiasticum.[1] Si tamen pendente lite id factum sit, nullũ aduersario ius erit appellandi, propterea quod non aliter post moram litem eiusmodi literarum impetratio permitti soleat, quam si pars cum consilio excipiatur, proindeque nihil eius intersit.[2] Alioqui si nulla exceptio facta sit, adeoque si inconsulto iudice laico, apud quem lis pendebat, literæ illæ impetratæ probentur, iusta est hoc ipso tanquam ab abusu appellatio.[3] Quid ergo si aduersarius ideo, quod exceptus fuerit, appellare non possit? Ad Principis procuratorem generalem ea res pertinebit, cuius præcipuum officium est, vt prouideat, ne quod præiudicium iurisdictioni laici per ecclesiasticam aut contra genere tur. Estque hic casus vnus ex iis, in quibus optimum est habere procuratorem Principis fauorabilem, vt per eius personam consequatur litigator, quod ex sua consequi non posset.[4] *Ita Senatus* 5. Non. August. 1588. & Idib. Decemb. eodem anno.

1 Eius siquidem est iubere restituere, cuius est de negotio & de ipso rei dominio pronũciare, *lege qui restituere, 68. iunct. l. ex diuerso, 55. §. 1. ff. de rei vindic.*

2 Nec enim iudex ecclesiasticus vllam habet iurisdictionem in laicos, nisi cum agitur de sacramentis aut huiusmodi alia re, quæ sit spiritualis, Ægid. Magist. *in decis. Senat. Paris. de appellat. tanq. ab abus. decis. 4. in fin.*

3 Nemo autem potest audiri appellans, cuius non interest, *l. 1. ff. de appellat. recip.*

4 Quia scilicet neque se, neque suum clientem prodere quisquam cogitur, *l. nimis 6. C. de testibus.* Dequo tamen vide eundem Ægid. Magistr. *decis. 10.*

5 Quia valde interest reipublicæ, vt iurisdictiones non turbentur neque confundantur, *l. vlt. cum ib. not. ff. de iurisd. l. cùm vnus, 12. §. pen. ff. de reb. auctor. iudic. possid.*

6 Vt & aliis plerisque casibus euenit, ex alterius persona me consequi, quod ex mea non possem, *l. 3 in fin. ff. quæ res pign. oblig. poss. l. cum hæreditate, 55. ff. de acquir. hared. l. si is qui duos, 29. de liber. legat.*

DEFINITIO II.

Decretum Senatus licet causam habuerit à consensu falsi procuratoris impedit appellationem, tanquam ab abusu, si nullus impetrantis dolus interuenit.

PHilibertus de Varax Dominus de Romans impetrauerat à summo Pontifice mandatum ad Episcopum Gebennensem, qui inter se & Dominam de Varax de causa quadam matrimoniali cognosceret.[1] Cumque ad Senatum bullæ Apostolicæ, vt moris & ordinarij iuris est, allatæ essent, iusserat Senatus, vt tam procuratori generali, quam aduersario exhiberentur.[2] Falso procuratori primum, mox procuratori Principis editæ fuerant, cuius religio per falsi procuratoris consensum circumuenta fecerat, vt citationi, quæ ad bullarum executionem, &, vt loquuntur, fulminationem necessaria erat, consentiret. Senatus vtriusque voluntatem consensumque secutus, bullarum publicationem & citatoriarum literarum ab Episcopo concessarum executionem permiserat.[3] Postea cum ex parte Dominæ de Varax Senatui obreptum fuisse allegaretur, & falsi procuratoris factum improbaretur,[4] Episcopus tamen delegatus cognitionem acceperat, appellatione tanquam ab abusu ob eam causam interposita, Senatus pronunciauit nihil per abusum factum videri, propterea, quod licet falsus procurator fuisset, qui pro Domina de Varax consensum accommodauerat: nulla tamen fraus facta erat auctoritati maiestatique Principis, quando nihil nisi consulto, & permitente Senatu factum esset.[5] Sola namque Principis auctoritas si hac in re neglecta sit abusum inducit, non etiam priuata collitigatoris vtilitas.[6] *Ita Senatus* prid. Cal. Septemb. 1588.

1 Causa enim matrimonialis, cum sit mere spiritualis, ad solum iudicem ecclesiasticum pertinet, *ca. lator, Extr. de iudic. cap. lator. Extr. qui filij sint legit.* Rom. *cons. 229.*

2 Nihil enim hac in re solet facere Senatus, nisi audita parte, vel eius procuratore, itemque procuratore generali.

3 Quid enim aliud poterat facere Senatus inter consentientes, nisi vt eorum voluntatem sequeretur, *l. si conuenerit, 26. ff. de re iudic. l. 1. § inde quæritur, ff. de oper. noui nunciat.*

4 Vt proinde nec mandatum vllum interueniisset, nec ratihabitio, quæ mandato æquiparari posset. Et consequenter nullius momenti erant omnia facta cum falso procuratore, *l. licet, 24. cum ibi not. ff. de procurat.*

5 Quod enim fit permittente ac auctoritatem præstante magistratu, pœnam mereri non potest, non magis quam quod fit lege permittente, *l. Gracchus, 4. C. ad l. Iul. de adult.*

6 Non potest autem dici spretus Senatus qui fuit requisitus, & qui permisit, licet circumuenta fuerit eius religio per falsum procuratorem, dum ne quid factum sit dolo malo eius, qui adiit & adire debuit Senatum, *argum. l. Diuus, 31. ff. de re iudic.*

DEFINITIO III.

Sola rescripti pontificij iniquitas non potest facere, vt ab eius, siue impetratione, siue confessione possit appellari tanquam ab abusu.

AB impetratione rescripti Pontificij, quod euidentem iniquitatem continere dicatur, fatte si iudex in partibus, vt aiunt, delegatus, qui iustis de

BIU Cujas

cauſis ſuſpectus dictus fuerat, cognoſcere ac ſententiam ferre iubebatur, remota appellatione tanquam friuola, tametſi friuolam eam eſſe, nec ſummus Pontifex, nec alius delegatus audita parte pronunciaſſet,[1] non poteſt appellari tanquam ab abuſu. Aliud enim eſt abuſus, aliud iniquitas,[2] nec in impetratione iuris iniqui[3] verſari poteſt abuſus, ſed tantum in conceſſione. Porrò à ſummi Pontificis conceſſione, id eſt, à ſummo Pontifice ad Senatum prouocare nefas eſſet.[4] Sane ab executione breuis Apoſtolici, quantumuis æquiſſimi, ſi inconſulto Senatu facta ſit, appellari tanquam ab abuſu poteſt, ne Principis iuriſdictio impune contempta videatur.[5] Poteſt enim appellari ab impetratione, ſi quod à ſummo Pontifice conceſſum, & ab Oratore impetratum eſt, tale ſit, vt non tantum ab æquitate abhorreat, ſed etiam ſupremi Principis, vel magiſtratus laici, præſertim vero Senatus iuriſdictionem & auctoritatem quoquo modo lædat.[6] *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Quo caſu euidens iniquitas ſane eſt, cum nec ſummus ipſe Pontifex poſſit inaudita parte quicquam conſtituere, *cap.* 1. *Extr. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

2 Alioqui cum quiſquis appellat de iudicis iniquitate cõqueratur, *l. præfecti*, 17. *ff de minor.* dicendum eſſet omnes quotquot appellare poſſunt, poſſe etiam prouocare tãquam ab abuſu, quod eſſet ridiculum. Eſt enim hæc appellationis ſpecies omnium odioſiſſima, tanquam quæ exprobret ei, à quo appellatur, quod abuſus ſit ſua iuriſdictione, ideoque nunquam niſi ex neceſſitate eſt permittenda.

3 De quo *in l.* 1. *& tot. tit. ff. quod quiſque iur.*

4 Numquam enim appellatur niſi ad ſuperiorem, *l.* 1 *ff à quibus appellat. non licet, l.* 1. *& tot. tit. quu à quo appellet.* Et cum appellatur tanquam ab abuſu in rebus ad reſcripta Pontificia pertinentibus, non tam à ſummo Pontifice, aut aduerſus eum appellatur, quam aduerſus impetrantis calliditatem, exemplo eius, quod in ſpecie licet diſſimili ſcriptum eſt, *in l.* 1. *verſ. quid ergo eſt, ff. quand. appell. ſit, & intr. quæ tempor.* Papa enim cum omnes iudicet, à nemine iudicatur, vt ſacris Canonibus cautum eſt.

5 Pertinet enim ad Senatus auctoritatem, vt prouideat, ne quid ab extraneo vllo Principe fiat, quod vel Principis dignitatem, vel publicam vtilitatem poſſit lædere. Vide Papon. *lib* 11. *ſyntagm. tit.* 2 § 1. 2. 4. *& paſſ.*

6 Imbert. *in Enchirid.* in verb. *Abuſus*, vbi vide quatuor caſus, in quib. licita & neceſſaria eſt appellatio tanquam ab abuſu. Addunt Galli alium caſum, ſi quid decretum ſit cõtra pragmaticam ſanctionem, de qua vide Guid. Pap. *quæſt.* 17. *& ſeq.* ſed apud nos nulla eſt.

DEFINITIO IV.

Recte appellatur tanquam ab abuſu, ſi reſcriptum ſummi Pontificis mandetur executioni præſertim aduerſus laicos inconſulto Senatu, aut ſi ſit de rebus non occultis.

CVm is, qui Titij hæreditatem ex fideicommiſſo ſibi debitam putabat, quam à Sempronio tanquam hærede poſſideri ſciebat, literas Apoſtolicas impetraſſet, in forma, vt loquuntur, malefactorum, quibus monebantur omnes, qui ſcirent vbinam gentium eſſent, & à quibus poſſiderentur res hæreditariæ, id vt palam facerent, ne hærede quidem excepto, viſum eſt Senatui iuſtam hæredem habuiſſe cauſam appellandi ab eiuſmodi impetratione, & executione tanquam ab abuſu, non illa ſolum ratione, quod inconſulto Senatu reſcriptum ſummi Pontificis aduerſus laicos executioni mandatum eſſet,[1] ſed etiã quod non debuerat ea via hæres inquietari, priuſquam de fideicommiſſo cognitum, & fideicommiſſum ſaltem verbo reſtitutum eſſet.[2] Non enim competit fideicõmiſſario vniuerſali aut hypothecaria aut directa rei vindicatio, ſiue aduerſus heredem, ſiue contra alium poſſeſſorem, priuſquam perſonali egerit ad fideicommiſſi reſtitutionem.[3] Accedebat, quod cum impetrãs ſciret, & Sempronium heredem eſſe, & ab eo poſſideri res hæreditarias, nihil cauſæ erat, cur eiuſmodi literas monitoriales impetraret, quibus conſtat non niſi procelatis & occultatis rebus, aliiſque ordinariis remediis deficientibus locum eſſe debere.[4] *Ita Senatus* ex tempore, 11. Cal. Decemb. 1589.

1 Quo facto auctoritas Senatus neglecta videbatur, vt dixi *Defin.* 2 *ſupr.*

2 *L. ille à quo*, 13. § 1. *ff. ad SC. Trebell.* iunct. *l. reſtituta*, 37. *l facta*, 63. *eod.*

3 Intellige regulariter. Excipiuntur enim quidam caſus, in quibus nulla opus eſt fideicommiſſi reſtitutione, *l. pen. cum ibi not. C. ad SC. Trebell. l. vlt. § ſin autem ſub conditione, C. comm. de legat.* dixi *in tit. ad SC. Trebell.*

4 Eſt enim remedium valde extraordinarium & periculoſum, ideoque non niſi ſubſidiarie concedendum. [Obſerua autem tum permitti appellare ab impetratione literarum, cùm alio modo corrigi iniquitas non poteſt, id eſt, cùm à conceſſione appellari nequit: Alioqui ad ſuperioris authoritatem pertinet, vt à conceſſione potius quàm ab impetratione appelletur, ſiquidem impetratio nulla fieret, ſi nulla eſſet conceſſio. *Ita Senatus* 6. Cal. Iun. 1611. in relat. libell.]

DEFINITIO V.

Iudex laicus non poteſt cognoſcere de correctione morum inter eccleſiaſticos.

SI pro corrigendis laſciuientium monachorum moribus Abbas aut alius prælatus monachos præbendarum interdictione mulctauerit, deque ea re ad iudicem laicum querela per monachos deferatur, non magis iudicis laici ea cognitio eſſe poteſt, quam de ipſa morum correctione: ad quam ſane vel illud maxime pertinet, vt Monachorum luxus & contumacia eo veluti remedio coëcentur.[1] Nec ad rem pertiner, quod ſuper poſſeſſorio percipiendæ, aut non percipiendæ præbendæ ſolus iudex laicus apud nos cognoſcit.[2] Nihil enim commune habet poſſeſſorij quæſtio cum interdictione,[3] quandoquidem non aliis interdici ſolet præbendæ perceptione, quam qui alioquin eius percipiendæ ius haberent.[4] Neque vero fieri poteſt, vt de ipſa interdictione alius cognoſcat, quam qui de interdictionis cauſa poteſt cognoſcere.[5] Quid ergo ſi auarus fortaſſis Abbas obtentu correctionis præbendas monachis ſubtrahat, vt ſibi habeat:[6] idque animaduertens aut ſuſpicans iudex laicus contra eum quidpiam decernat? Appellare Abbas poteſt tanquam ab abuſu,[7] & conſequenter pendente ac indeciſa appellatione obtinere, vt interim iudici laico inhibeatur cognitio.[8] Sed cum hoc tamen temperamento, *Quod ad morum correctionem pertinet.* Neque idcirco videbitur liti appellatoriæ factum præiudiciũ, de qua certum eſt, nihil inaudita parte conſtitui debere.[9] Illa enim facti quæſtio in aperto iure diſcutienda ſupereſt,[10] an pro correctione morum facta ſit præbendæ interdictio, an hic tantum auaritiæ fuerit quæſitus color. Itaque expreſſim decernendum eſt, nullum ex ea inhibitione fieri præiudicium appellationi.[11] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 4. Non. Jul. 1591.

1 Is demum enim de altari viuere debet qui altari ſeruit, non qui mundo & diabolo: ne alioqui Virgilianum illud merito quis obiiciat, *non hos quæſitum munus in vſus.*

2 Ex not. Guid. Pap. *quæſt.* 1.

3 Ex ſeparatis autem nihil poteſt inferri, *l. Papinianus* 20. *D. de minor. l. naturaliter*, 12. *§. nihil commune, & l. pen. ff. de acquir. poſſ.*

4 Id enim eſt quod dici ſolet, Priuatio præſupponit habitum, *vulg. l.* 4. *D. de iuſtit. & iur.*

5 Quid enim aliud eſt cognoſcere de interdictione, quam hoc ipſũ inſpicere: an iuſta fuerit cauſa interdictionis, necne.

6 Non enim peior aut damnabilior vlla cupiditas & auaritia eſt, quam quæ ſub charitatis & boni zeli ſpecie delitеſcit.

7 Non minus enim iudex laicus abuti dicitur ſua iuriſdictione

dictione in præiudicium ecclesiasticorum, quam iudex ecclesiasticus in præiudicium laicorum.

8 Is enim perpetuus effectus est appellationis, quæ tanquam ab abusu interponitur, vt interim omnimodo impediat cognitionem.

9 *L. de vnoquoque, 47. ff. de re iudic.*

10 *Vt in l. à testatore, 109. de cond. & demonstr.*

11 Nam & aliis quoque omnibus appellationibus commune illud est, vt nihil vnquam in earum præiudicium fieri oporteat, *l. 1. D. nihil innou. appell interp.*

DEFINITIO VI.

De procuratione ab abusu in iis, quæ ad correctionem morum pertinent, & quid si dubitetur, cuius iurisdictio sit.

EO iure vtimur, vt si clericus à superioris sui sententia, vel de prouocatione, quæ non nisi ad correctionem morum pertineat, prouocauerit ad Senatum tanquam ab abusu, non idcirco suspendatur eius, à quo appellatum est, cognitio, aut sententiæ iam per eum redditæ executio.[1] Ita enim postulat fauor correctionis, quam prætextu interpositæ appellationis differri non solum iniquum esset, sed etiam exemplo periculosum.[2] Si tamen dubitetur, an correctio morum ad eum spectet à quo appellatum est, alio fortassis contendente de iurisdictione, omnino deferendum est appellationi, non modo si quasi ab abusu prouocatum sit (quæ prouocationis species præcipuo quodam fauore & priuilegio digna semper habita est, tuendarum iurisdictionum gratia[3]) sed & si simpliciter fuerit prouocatum. Nempe, quod hoc casu non tam de correctione, quam de iurisdictione ipsa, ad vtrum ex collitigantibus pertineat, certari videatur, quod cum accidit, semper & ante omnia de illo inquirendum est, cuius sit iurisdictio:[4] ne inanibus litis sumptibus litigatores vexentur,[5] & labefacteturrerum iudicatarum auctoritas, si post varios iudicij anfractus, latamque fortassis sententiam appareat, de causa perperam cognitum fuisse ab eo, cuius notio & iurisdictio non fuit.[6] Hoc ita, si non euidens si calumnia eius, qui de iudicis incompetentia queritur,[7] neque enim facile permittendum est, vt ad calumniæ occasionem iuris beneficium trahatur.[8] *Ita Senatus* in causa Decani Aquensis in relationibus libellorum, 8. Id. Iulij, 1591. Junge Definit. 34. supr. de Episcop. & cleric.

1 Quod sane valde notandum & singulare est. Regulariter enim contra seruatur, vt dixi *Defin. præced. n. 8.*

2 Quare nec admittenda esset hoc casu appellatio, vt neq; in cæteris casibus qui moram & dilationem non patiuntur, *l. vlt. D. de appell. recip.* Nisi fauor appellationis tanquam ab abusu contrarium suaderet.

3 Vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, quomodo ratiocinatur Ægid. Magist. *dec. 5. 4. de appellat. tanq. ab abus.*

4 Est enim iurisdictio primum ac præcipuum fundamentum iudicij cuiuslibet, *l. 1. 2. l. si quis ex aliena, 5. ff. de iudic. l. 3. C. de iurisd.*

5 *L. minoribus, 6. D. de minor. l. 1. ff. de inoff. testam.*

6 Nec enim potest valere sententia à non suo & incompetenti iudice lata, *cap. caterum, Extr. de iudic. l. 1. & tot. tit. C. si à non compet. iudic.*

7 *Arg. l. in summa, 63. §. 1. D. de cond. indeb.*

8 *L. 1. §. 1. D. si mul. ventr. nom. per calum. l. penult. D. de hered. instit.*

DEFINITIO VII.

Appellari potest tanquam ab abusu, cum ante latam aut executioni mandatam possessorij sententiam citatur pars ad iudicem ecclesiasticum.

IVsta est appellatio tanquam ab abusu, si is, qui de beneficij possessione apud iudicem laicum contendebat, reuocetur ad ecclesiasticum, priusquam possessionis causa pleniſſimè expedita sit per sententiam diffinitiuam,[1] cuius tantum pronunciatio, sed absoluta quoque executio secuta sit.[2] Prius enim tota possessorij quæstio absolui & terminari debet, quam ad petitorij controuersiam deueniatur.[3] *Ita Senatus* sæpissime, ex tempore autem pro D. N. Bouier Curione de Macot, contra N. Dunant vicarium, Prid. Id. Iul. 1595.

1 Nam & sententia, quæ terminat iudicium possessorij, dicitur diffinitiua, licet non terminet totum negotium, quia superest quæstio petitorij, *Clem. 1. de sequestr. poss. & fruct. capit. fin. Extr. de iudic. cap. 2. Extr. vt lit. non contest.* Gloss. & DD. *in l. 1. C. si de moment. poss. fuer. appellat.* Papiens. *in form. libell. in caus. spol. poss. in vers. per vestram diffinitiuam sententiam, nu. 2.* Guid. Pap. *quæst. 37. n. 1.*

2 Executio enim illa est, quæ sententiæ vigorem ad effectum perducit, *l. pen. C. de exec. rei iud.*

3 Scilicet cum non idem potest iudex esse in possessorio & in petitorio, ne obstet *l. nulli, 10. C. de iud.*

DEFINITIO VIII.

Procurator Principis appellare quandocumque potest ab vnione beneficiorum perperam facta, tanquam ab abusu.

AB vnione beneficiorum, quæ non rite facta sit, nec vocatis iis quorum interfuit, & qui vocari debuerunt,[1] appellare procurator Principis, & potest & debet tanquam ab abusu,[2] nec sera appellatio videri potest, quandocumq; interponatur etiam post centum annos. Quia sicut vnionis effectus perpetuus est, sic iniuria per eam illata semper durat.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 48. & 49. supr. De sacros. eccles.

1 Quinam vero illi sint, qui ad vnionem beneficiorum vocari debent, diximus *Defin. 48. & 49 supr. de sacros. eccl.*

2 Ne ex eiusmodi vnione lædantur ij, qui lædi nec possunt nec debent, *l. nam ita, 39. D. de adopt. l. de vnoquoque, 47. D. de re iudic.*

3 Rebuff. *in tract. de vnion.* post Bald. *in l. 2. col. 2. C. de episc. audient.* facit *l. 1. §. fin. D. de vsufr. adcresc.*

DEFINITIO IX.

Cum reconuentio ab eodem contractu causam trahit, non potest appellari tanquam ab abusu, si laicus à iudice ecclesiastico personali actione condemnetur.

EX reconuentione, quæ ab eodem negotio & contractu causam trahat, potest laicus à iudice ecclesiastico personali quoque actione condemnari.[1] Nec si ex ea tanquam ab abusu appelletur, admittenda appellatio est.[2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 13. sup. De iurisd. omn. iud. & for. comp.

1 Contra regulas iuris communis: Reconuentio enim tollit iudicis competentiam, quoties de eodem negotio tractatur, *vulg. l. cum Papinianus, 14. & ibi not. C. de sent. & interloc. omn. iudic.*

2 Cum ex contractu vltro citroque obligatorio non possit sequi condemnatio, quin ex altera sequatur, *l. Iulianus, 13. §. offerri, D. de action. empt.*

DEFINITIO X.

Quam aliter pronunciet Senatus super appellatione, tanquam ab abusu, aliter vero in aliis appellationibus.

EA vis est appellationis, quæ tanquam ab abusu interponitur, vt nec si iniquissima sit sententia, à qua prouocatum est, prius tamen de iniquitate cognosci patiatur, quam de abusu cognitum fuerit & pronunciatum.[1] Itaque si abusus nullus sit, nihil aliud Senatus pronunciat, quam aut abusum nullum esse, aut prouocationem recipi non debere. Vt vero id, à quo

BIU Cujas

appellatum est, mandetur executioni, nunquam.[1] Vnde fit, vt qui in huiusmodi appellatione succubuit, si de iudicati iniquitate conqueri velit, & iterum prouocare ad Senatum, (cum id de quo agitur tale est, quod ad Senatus cognitionem pertineat,) perinde audiendus sit, ac si nunquam prouocasset. Nam Senatusconsultum, super appellatione tanquam ab abusu factum, nunquam parit exceptionē rei iudicatæ in principali negotio.[2] Quod si reiecta appellatione, quæ tanquam ab abusu interiecta fuerat, nihil aliud agendum supersit, nisi vt executioni mandetur sententia, semper ad inferiorem iudicem recurrendum est, nec apud Senatum quasi in arresti executionem lis vlla institui potest.[4] *Ita Senatus* in eadem causa, & rursum in relationibus libellorum, 8. Cal Jan. 1593.

1 Prius enim est, vt abusus, si quis sit, purgetur, quam vt de negotio ipso cognoscatur, quia illud ad priuatam vtilitatem pertinet, hoc vero ad publicam, quæ semper præferenda est, *Auth. res quæ, commun. de legat.*

2 Nam de qua re iudex cognouit, de ea tantum pronunciare debet, *l. de qua re. 74. D. de re iud.*

3 Quoniam alia res est, *l. quæritur, 12. cum seqq. D. de excep. rei iudic.*

4 Quia verum est, nihil à Senatu de principali negotio iudicatum fuisse, quod in cæteris appellationibus diuersum est.

DEFINITIO XI.

Potest appellari tanquam ab abusu, si impetratum sit breue apostolicum ad aufferendam possessionem ei, quem Senatum iam fecerit possessorem.

QVærebatur, an permittere Senatus deberet executionem breuis apostolici, quo iubebatur delegatus in manum & potestatem summi Pontificis redigere fructus beneficij quasi vacantis, tum eos tradere Titio quasi mox instituendo, nec dum tamen instituto: cum Sempronius iam in ea possessione esset, auctore Senatu. Præsertim si breue illud apostolicum ita ferret, vt quicumque intercedere vellet, ad iudicem ecclesiasticum remitteretur.[2] Neque enim videbatur locum hic habere, quod dici solet, prius terminandam possessorij quæstionem omnem, quam de petitorio cognoscendum.[3] Siquidem nulla dum lis pendebat super possessorio, neque de iure petitorij quærebatur, sed tantum de permittenda breuis apostolici executione. Placebat tamen pertinere ad Senatus auctoritatem, ne ea executio permitteretur, adeoque ab eiusmodi breuis impetratione tanquam ab abusu prouocari potuisse, quod illius effectus non alio tenderet, quam vt possessionis commodum illi eriperetur, quem Senatus possessorem constituisset.[4] *Ita tractatum est* in causa Tyberij Mutij, & Abbatis de Filly, 6. Cal. Jun. 1593.

1 Ac proinde iuste possideret, *l. iuste possidet, 11. ff. de acquir. possess.*

2 Sunt enim hæ clausulæ generales valde odiosæ, Ægid. Magist. *decis. 4. de appell. tanquam ab abus.*

3 Dixi *Defin. 7. supr. eod.*

[4 Postquam enim cœpit de possessorio cognoscere quoquomodo iudex laicus ratione beneficij, aut alterius rei spiritualis, non potest iudex ecclesiasticus de eo cognoscere citra abusum, quia nec desunt qui putent solum iudicem laicum ab initio posse cognoscere de possessorio beneficij, tanquam, quod sit mere temporale. Ex Guid. Pap. *quæst. 1.* quasi ea cognitio ad iudicem laicum pertineat priuatiuè non cumulatiuè. Quod sane mihi semper nimis durum visum est. Nam cum ea cognitio laicis ab initio concessa sit per summos Pontifices, vt fatetur Guid Pap. *ibid.* vbi hoc ius refert ad quandam constitutionem Martini quinti; nemo dixerit tantam potestatem à Pontificibus concessam laicis Principibus fuisse, vt non maiorem sibi reseruauerint. Itaque videntur hoc ius habere magistratus laici cumulatiuè non priuatiuè. Et ita Dydac. Senatus tamen noster, cum ex facto quæstio incidisset, dubiam rem esse putauit, & de qua deliberari amplius oporteret. In causa quadam Reuerendissimi D. Anastasij Germonij Archiepiscopi Tarentasiensis, contra Syndicos Mosterij, 18. Calend. Maij 1612.]

DEFINITIO XII.

Non potest appellari tanquam ab abusu, si ecclesiasticus iudex aliquid decreuerit contra clericum condemnatum, secus si contra laicum.

CLericus in possessionis causa, de qua iudex laicus cognoscere potuit,[1] prouisionaliter condemnatus, si nec iudicato parere velit, nec secularis iudicis comminationibus terreatur,[2] potest censuris ecclesiasticis vrgeri, vt satisfaciat.[3] Nec quod remedio illo victor vsus sit inscio iudice seculari, coram quo adhuc lis pendeat, puta si voles, Senatu ipso, iustam appellandi, tanquam ab abusu materiam præbebit, siue à summo Pontifice, siue ab inferiore prælato, dummodo potestatem habente, puta ab Archiepiscopo Lugdunensi, aut eius vicario censura manauerit. Non enim videri potest in euersionem iurisdictionis secularis factum, quod non ob aliam causam factum est, quam vt iudicis secularis præcepto pareatur.[4] Plane si laicus condemnatus sit, non idem seruabitur, quia sicut nullam iudex ecclesiasticus in laicum iurisdictionem habet,[5] ita nec ei permittendum est, vt inscio iudice seculari quicquam aduersus laicum constituat.[6] *Ita Senatus* ex tempore pro R. Dn. Claudio de la Couz, Abbate d'Ambournay, contra Canonicos de Meximieu, 3. Id. August. 1593.

1 Secundum ea quæ tractat Guid Pap. *quæst. 1.*

2 Ad quem scilicet pertinet, vt sententiam suam omnibus quibus fieri potest modis exequatur, adhibita etiam manu militari, *l. qui restituere, 86. D. de rei vindic.*

3 Debent enim iurisdictiones, ecclesiastica & seculatis, sibi inuicem auxilio & subsidio esse, & mutuis auxiliis se iuuare, *Not. in leg Diuo Pio, 15. §. sententiam Romæ dictam, D. de re iudic.*

4 *Arg. l. mulier, 22. §. cum proponeretur, D. ad SC. Trebell. l. 3. § si emancipatus, de bonor. poss. contr. tab.*

5 Non magis quam iudex laicus in ecclesiasticum extra certos casus, *cap. cæterum, cap. at si clerici, Extr. de iudic. cap. nouit. eod.*

6 Alioqui potest appellari tanquam ab abusu Ægid. Magist *in tit. de appellat. tanq. ab abus. decis. 4.* * vbi tamen refert Canonistas contra putare ex cap. venit. Sed Senatus noster Ægidij magistri sententiam sequitur, vt oppositio facta per laicum publicationi monitorij remitti debeat ad iudicem laicum siue coram eo pendeat lis aliqua, siue nulla: & ideo iudex Ecclesiasticus semper in literis monitorialibus debet addere verba illa, *nostri fori*, non generaliter decernere, si quis. Alioqui potest appellari tanquam ab abusu. Ita sæpius, & nouissimè in causa D. Gothofredi de Bauo in Senatu nostro præsidis meritissimi contra D. Comitissam de la Foreſt, Dominam Margaritam de la Chambre, Cal. Sept. 1614.

DEFINITIO XIII.

A venationis prohibitione generali, quam alius quilibet à Principe fecerit, appellari tanquam ab abusu potest.

SI nemorum aut venationis magister à Principe constitutus venandi facultatem generaliter prohibuerit, appellari ab ea prohibitione tanquam ab abusu potest,[1] quod proculdubio potestate sua abutatur, qui neque eas personas excipiat, quibus ex dignitatis, aut alio priuilegio venandi ius est,[2] neque eas venationum species, quæ vel infimo cuique permissæ sunt.[3] In quarum numero poni debent, quotquot specialiter aut edictis Principis, aut qua ratione non sunt prohibitæ.[4] *Ita tractatum est* requirente procuratore generali, contra Dn. du Crest de Mommayeur, Prid. Non. Nouemb. 1594.

1 Odio scilicet huius, vt ita dicam, generalitatis, *l. vltim. C. de*

BIU Cujas

C.de iur. domin. impetr. Ægid. Magist. *in tit. de appellat. tanquam ab abus. decis.* 4.

2 Alio enim iure hac parte censentur nobiles, & qui in dignitate constituti sunt, alio autem plebeij.

3 Quales multæ sunt, puta in lupos, vrsos, & alias huiusmodi bestias feroces & damnosas.

4 Cum de iure naturali & gentium omnes omnibus sint permissæ *l.1.2 3 & pass. D.de acquir.rer.domin.* Andr.Pachin. *lib.1.cap.1.*

DEFINITIO XIV.

Appellari potest tanquam ab abusu, si iudex ecclesiasticus citationem generalem fieri iusserit, qua laicos quoque comprehendere possit.

SI in literis monitoriis, quas extorquendæ probationis causa impetrari moris est, [1] scriptum fuerit & imperatum, vt qui intercedere volent, ad ecclesiasticum iudicem remittantur, appellari potest tanquam ab abusu, nisi addatur conditio, aut potius qualitas illa, *si sint nostri fori.* [2] Nam de intercessione laici non alius iudex cognoscere potest, quam qui laicus sit & secularis, nisi agatur de re spirituali, quæ alium quam ecclesiasticum iudicem habere non possit. [3] Eoque iure vtimur. *Ita Senatus* in relationibus libellorum in causa Claudiæ Chandan, contra D. de Quiege, 15. Calend. Aprii. 1594. de qua SC. supr. de probat.

1 Scilicet in criminibus occultis, nam pro aliis huiusmodi probandi via non conceditur.

2 Ægid. Magist. *in tit. de app. tanq. ab abus. decis.* 4.

3 Puta de sacramentis, vt loquitur Ægid. Magist. *supra dict. loco.*

DEFINITIO XV.

Si iudex ecclesiasticus retractet rem à laico iam tractatam, recte appellatur tanquam ab abusu.

PEcuniam repertam penes furem à iudice laico ex ea causa condemnatum, iudex ecclesiasticus inter laicos cognoscens sequestrari iusserat, [1] ignorans eam pecuniam per iudicem laicum accusatori laico adiudicatam. Iustam appellandi tanquam ab abusu causam actor habere visus est, non solum quod in præiudicium rei à laico iudicatæ ea sequestratio ab ecclesiastico iudice decreta esset, [2] sed etiam quia non constaret, quo iure ecclesiasticus iudex pecuniam, quæ penes laicum reperta fuisset, sequestrari iussisset. [3] *Ita Senatus* in causa Antonij Sorelley, contra Capitulum Sanctæ Mariæ Augustanorum, 7. Calend. Septembr. 1595.

1 Quasi nondum constaret, cuius esset ea pecunia.

2 Est enim hæc iustissima causa appellandi; tanquam ab abusu. Ægid. Magist. *de appellat. tanq. ab abus.*

3 Cum neque in personam, neque in bona hominis laici quicquam iuris habeat iudex ecclesiasticus, nisi cum agitur de re spirituali, vt diximus *Defin. prox. præced. cap. si clericus laicum Extr. de for. compet.*

DEFINITIO XVI.

Abusus non animus abutendi facit locum appellationi tanquam ab abusu.

CVm quæritur de iure appellationis tanquam ab abusu interpositæ, non est inuestigandum, an abutendi animum habuerit is, qui abusus est. Sufficit enim facto ipso abusum interuenisse, [1] qui non, nisi per hoc appellationis remedium corrigi possit. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quo nomine factum non animus & voluntas facientis significatur.

2 Est enim hanc in rem comparatus specialiter vsus istiusmodi appellationis, quæ ob id esset tanto magis odiosa, si non necessaria esse crederetur.

DEFINITIO XVII.

Qui appellat simpliciter, numquam censetur tanquam ab abusu appellare.

APpellatio simpliciter interposita nunquam sic interposita est, vt tanquam ab abusu interposita videatur, licet nullo alio iure admissibilis sit. [1] Ideoque si pendente lite super simplici appellatione, quæ recipienda non erat, puta à iudice ecclesiastico ad laicum, [2] impetrauerit appellans ex diplomate principali, vt appellare sibi liceat tanquam ab abusu, [3] tum in ea appellatione obtinuerit, expensæ litis appellatoriæ non nisi ab eo die quo secunda appellatio interiecta est & significata debebuntur. Cæteræ prius factæ compensabuntur. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Digna enim est hæc species appellationis, quæ specialiter & suo nomine notetur, cum habeat naturam ab omnibus aliis appellationum speciebus differentem.

2 Neque enim talis appellatio admitti iure communi potest, cum non possit appellari, nisi ab inferiore ad superiorem, *l.1. & tot. tit. D. à quibus appellat. non lic. l.1. & tot. tit. D. quis à quo appell.*

3 Vt ita corrigatur error prioris appellationis.

4 Quasi ob mutuam victoriam, secundum ea quæ scripsi Defin. 30. *num.* 4 & Defin. 31. 3. *de fructib. & lit. expens.*

DEFINITI OXVIII.

Appellans ab abusu, si succumbat, condemnandus est semper ad mulctam & ad sumptus, non item is qui appellatur.

QVi tanquam ab abusu sine causa prouocauit, effugere non potest, quin ideo in mulctam ea de causa constitutam, [1] litisque appellatoriæ expensas omnimodo sit condemnandus. [2] Est enim prorsus odiosa & extraordinaria species appellationis, per quam iurisdictionum auctoritas in dubium mutuamque contentionem reuocatur. [3] Sed si ex contrario pronunciatum sit abusum interuenisse (omnino enim de abusu pronunciandum est, an interuenerit necne) [4] non semper is qui appellauit expensas litis obtinet, sed ex causa fieri potest, vt debeant compensari. [5] Est enim fauorabilior hac parte, vt & alias plerumque is, contra quem appellatum est, quam qui appellauit. [6] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Definit. 20. infr.

1 Ea vero longe grauior est, quam quæ aliis temere appellantibus infligi solet.

2 Cum tamen in aliis appellationibus nonnumquam parcatur appellanti, scilicet si habuit probabilem appellandi causam. *arg. l. qui solidum, 78. § etiam, de legat. 2.* iunct. *l. appellanti, 13. §. 1. cum ibi not. D. de appellat.*

3 Quæ res plerumque magnas inter vtriusque iurisdictionis magistratus rixas, interdum etiam tragœdias excitat, non sine magno totius reipublicæ Christianæ & scandalo & detrimento. Quam ob causam fuit hæc appellandi species antiquis omnibus Iureconsultis incognita, sicut etiamnum Italis, at non æque Gallis & Hispanis.

4 Nec potest Senatus ipse dissimulare, etiamsi maxime vellet.

5 Namque si is contra quem appellatum est, habuerit aliquam non prorsus incoloratam litigandi causam, vt *in d.l. qui solidum, 78. §. 1. de legat. 2.*

6 Quoniam qui appellat actor esse creditur, *l. qui appellat. 29. D. de iudic.* & consequenter reus is qui appellatur. Fauorabiliores autem sunt rei, quam actores, *l. fauorabiliores, 125 de appellat.* itemque fauorabilior causa iudicati, quam appellationis. [Item quia appellatio ipsa tanquam ab abusu, si abusus nullus sit proxime ad delictum accedit ob rationem positam *num. 3. supr.* ideoque Camera Criminalis quæ durante iustitio non nisi de criminalibus causis cognoscit, hanc tamen appellationem admittit non etiam cæteras. Ita Camera Crimin. 6. Id. Octobr. 1612.]

BIU Cujas

DEFINITIO XIX.

De scandalo, quod laicus fecerit in ecclesia, non in spretum religionis sed possessionis suæ tuendæ gratia iudex laicus cognoscere debet.

CVm permittente Episcopo, itemque Syndicis municipij extruxisses in templo scamnum, in quo commodius orare posses, Titius, qui eum locum suum sibique à maioribus relictum contendebat, templum ingressus die Dominico, vix dum Sacerdote ab altari, & sacrosanctæ missæ celebratione digresso, totoque adhuc adstante populo, scamnum illud effregerat, & extra templum proiecerat. Ex ea causa Procurator fisci ecclesiastici libellum Judici ecclesiastico porrexerat, & obtinuerat, vt de crimine inquireretur. Factaque inquisitione, cum rem sic admissam fuisse constaret, Iudex ecclesiasticus præceperat citari eum personaliter, vt ex ore & vinculis de crimine responderet. Titius paruerat, nec negauerat rem à se gestam, sed eam facti excusationem afferebat, quod quasi possessionis suæ tuendæ gratia id fecisset, cum tu spoliare illum voluisses. [1] Tu liti interueneras, & petieras, vt ad scamni restitutionem condamnaretur. Ille contra, vt in ciuilem disceptationem criminale iudicium commutaretur. [2] Iudex ecclesiasticus interlocutus fuerat, vt collitigatores hinc inde ad proponendum, deducendum, &, vt nostri loquuntur, articulandum admitterentur. Ab ea interlocutione tanquam ab abusu Titius prouocauerat, eamque appellationem Procurator generalis iustam & legitimam esse defendebat. [3] Disputatum est maxima contentione, an iure interposita videretur? Quidam dicebant, duplicem hic versari cognitionem. Vnam de possessione, de qua dubitari non poterat, quin ad Iudicem laicum pertineret; [4] Alteram de crimine propter scandalum. Neque enim videbatur negari posse, quin ex facti circunstantiis scandalum à Titio factum fuisset, eamque nimirum cognitionem de scandalo facto in Ecclesia dicebã esse mixti fori, & consequenter ad Iudicem quoque ecclesiasticum pertinere, si is occupasset, [5] neque ab eo quicquam videri factum per abusum. [6] Etsi enim delicto, quod à laicis in Ecclesia aliove loco sacro factum sit Iudicis laici, non ecclesiastici cognitio est, quia, quod locus sacer est, non facit, quo minus sit in Principis territorio: [7] Si tamen delictum in spretum religionis & diuinorum officiorum probetur admissum, ecclesiastici cognitio esse debet, etiamsi extra Ecclesiæ septa fuisset admissum, puta in publicis supplicationibus, [8] saltem per præuentionem, [9] idque non pauci ex Senatoribus nostris sentiebant. Sed vicit numero contraria sententia, hac vna potissimum ratione, quod appareret, non tam in spretum religionis, quam propriæ possessionis tuendæ gratia scamnum à Titio effractum esse, neque aliter de crimine cognosci posset, quam de possessionis iure cognosceretur: [10] quodque interlocutionis verba nimis generalia possessorij quoque causam comprehendere viderentur. [11] Nec obstitit, quod accusatio non à te, sed à Procuratore fisci ecclesiastici propter scandalum fuerat instituta, qui ipse nullam mouebat de possessione controuersiam. Non enim de actoris solum iure quærendum erat, sed præcipue de viribus exceptionis, [12] quam Titius ex propriæ possessionis fauore mutuabatur. [13] Neque rursus Titio nocuit, quod in Judicem consensisset, [14] quia, quoties de abusu quæritur, non est in priuatorum potestate facere, vt iuri publico deroget: [15] pertinetque eiusmodi appellationis persecutio ad Procuratorem generalem, [16] ex cuius persona plerumque fit, vt ad prosequendam appellationem admittatur etiam is, qui alioquin non admitteretur, [17] adeo vt quamuis pronuncietur abusus interuenisse, appellans tamen condemnandus sit in expensas litis, quam coram Iudice ecclesiastico tractari frustra consenserit. [18] *Ita Senatus* 8. Id. Septemb. 1595.

1 Nec enim facit vim aut iniuriam, qui iure suo vtitur, *l. nullus videtur*, 55. *de reg. iur.* Imo desipit, qui possessione sua sine causa se priuari patitur.

2 Quod Pragmatici nostri dicunt *ciuiliser le procés*, aut aliter, *appointer les parties en procés ciuil & ordinaire.*

3 Cuius potissimum est inspicere, an abusus interuenerit, nec ne, vt dicam *D. fin. prox. seq.*

4 Cum possit ille cognoscere ac pronunciare de qualibet causa possessoria etiam beneficiali. Guid. Pap. *quæst.* 1.

5 Nam in criminibus mixti fori locus est præuentioni, aut saltem potest etiam ecclesiasticus Iudex contra laicos cognoscere. Iul. Clar. *in § fin. quæst.* 36. *num.* 47. *& quæst.* 34. *& quæst.* 37. *num* 11.

6 Non enim potest videri abusus, qui iurisdictione sua vsus est.

7 Idem Clar. *d. § fin. quæst.* 38. *nu.* 18. Boer. *quæst.* 8. *nu.* 3 *&* 4. Vide *l. deprecatio D. ad leg. Rhod. de iact.*

8 Qua de re extat celebre arrestum apud Paponium *lib.* 1. *tit.* 4. *Syntagm. Arrest.*

9 Vide Guid. Pap. *quæst.* 562. Adde *cap. mandata, extr. de præsumpt. &* 7 *quæst.* 4. & Not. *ad l. si quis in hoc genus* 10. *C. de Episcop. & Cleric.*

10 Cum vim non facit, qui ius suum & possessionem suam tuetur, vt supra diximus *num* 1.

11 Semper enim cauere bonus Iudex debet, quantum potest, siue ecclesiasticus sit, siue secularis, ne tam generalibus verbis decretum suum concipiat, vt etiam personas vel res, quæ fori sui non sunt, comprehendat. Ægid. Magistr. *in tit. de appell. tanq ab abus. decis.* 4. Dixi *Defin.* 43.

12 *Vt in l militis* 36. *§. veteranus D. de testam. milit. l. qui ex iberis* 11. *§ testamento, D. de bon. poss. sec. tab.*

13 Est enim facilius vt detur possidenti exceptio, *l.* 1. *in princ. D. de pign. l.* 1. *§. autem. D. de superfic.*

14 *Arg. l.* 1 *&* 2 *D. de iudic. l. cum Papinianus* 14. *C. de sent. & interloc. omn. iud. c.* [Consentit autem etiam is, qui petitditionem ad satisfaciendum iudicato, etiam in quo abusus interuenerit, *l. ad solutionem* 4. *C. de re iudic. Ita Senatus* in causa D. Archiepisc. Tarentas. contra Syndicos Mosterij 18. Can. Maij 1611.]

15 *Lex publicum* 38. *D. de pact.*

16 Vt dicam *D. fin. seq.*

17 *Vt & in l. s. in fin. D. quæ res pign. oblig. poss. l. cum hereditate* 55. *D. de acquir. hered. l. si is qui duos* 29 *D. de liber. legat.*

18 Nam de abusu pronunciatur ob vtilitatem publicam: de sumptibus vero litis ob vtilitatem litigatoris.

DEFINITIO XX.

Appellationem tanquam ab abusu etiam desertam prosequi potest & debet Procurator Principis.

SI appellatum sit tanquam ab abusu, & is, qui appellauit, non sit prosecutus appellationem intra tempus constitutum, eamque ob causam is, qui obtinuit, desertam dicat & probet appellationem, [1] non eo minus edenda sunt Procuratori generali acta litis omnia, vt sciat, an abusus interuenerit, nec ne. [2] Nam si constet interuenisse, perinde vindicandus erit, atque si appellatio deserta non fuisset. [3] Nec tantum petente Procuratore generali, sed & eo, qui appellauit. Hic enim vnus casus est ex iis, in quibus bonum est parti habere Procuratorem generalem fauorabilem, vt ex eius persona consequatur, quod ex sua consequi non posset. [4] Pertinet enim ad ius publicum, non ad priuatum, vt à sententia per abusum reddita nunquam possit transire in rem iudicatam. [5] Restitutio tamen aduersus lapsa prosequendæ appellationis tempora ex rescripto Principis impetranda est, [6] tum pronunciandum non super desertione, an deserta sit appellatio nec ne, sed simpliciter, ita vt desertionis ratio nulla habeatur, his verbis, *sans s'arrester à la desertion.* [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Deserta

1 Deserta enim dicitur omnis appellatio, quam appellans non fuit prosecutus intra tempora præstituta, *l.1.§.biduum, D. quand. appell. sit, & intr. quæ tempor.* [Si quis tamen appellauerit, tanquam ab abusu necdum literas appellatorias à Senatu impetrauerit, quas nec concedere Senatus solet, nisi audito procuratore generali, potest Senatus eam appellationem spernere, si per eam longior mora fieret, negotio principali decidendo, maximè si appareat abusum nullum intercessisse. Itaque sic pronunciare Senatus debebit, *sans s'arrester à l'appellation comme d'abus, &c.* Diuersum esset si appellatio illa tanquam ab abusu fuisset iam introducta. Tunc enim super ea omnimodo pronunciandum esset. *Ita Senatus* in causa N. Amedei Michal D. de la Chabaudiere, & N. Claudij de Mondragon, 11. Calend. April. 1614.]

2 Interest enim maxime Reipublicæ, ne quis sua iurisdictione abutatur, ideoque ad Procuratoris generalis curam potissimum hæc res pertinet, §.1. *Instit. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

3 Nec appellantis negligentia damnum afferat Reipublicæ.

4 Vt dixi *Defin. præced. nu. 16. ex l. 3. in fin.* D. *quæres pignor. oblig. poss. l. cum hæreditate 55. D. de acqui. hered. l. si is qui duos 29. D. de liber. leg.* [Idem est si qua alia ratio possit iubmouere appellantem, puta quod iudicato acquieuerit, siue expressè siue tacitè. Nam & hoc casu auxilium & consortium procuratoris generalis necessariũ est, quo adiuncto potest abusus vindicari. *Ita Senatus* pro Syndicis Mosterij, 18. Cal. Maij 1612.]

5 Ne inde nascatur iniuriæ occasio, vnde iura proficisci debent, *l. meminerint 6. C. vnde vi.*

6 Ne alioqui nimis aperta vis fiat legibus, si appellationis euidenter desertæ ratio aliqua habeatur citra Principis rescriptum.

7 Quæ pronunciandi ratio multum distat ab illa, per quam appellatio deserta pronunciaretur, *arg. l. si autem 8. §. si quocunque, D. de negot. gest. l. quod in diem 7. §. 1. D. de compensat.*

DEFINITIO XXI.

Varij casus, in quibus is, contra quem appellatum est tanquam ab abusu, etiamsi succumbat, non ideo tamen in sumptus condemnatur.

NOn semper is, contra quem appellatum est tanquam ab abusu, condemnandus est ad expensas litis, tametsi abusus interuenerit, [1] licet abusus ipse omnimodo vindicandus sit, & rescindendum quicquid factum est per abusum. Quid enim si iusta dubitandi ac proinde litigandi causa fuerit, an abusus interuenerit nec ne? [2] Quid si appellans non sit prosecutus appellationem, & de ea deserta conuentus apud Iudicem appellationum, ad illam rursus prosequendam non nisi ex Procuratoris generalis persona admitti debeat? [3] aut quia fortasse in Iudicem incompetentem consenserat? [4] Sed his casibus magis est, vt propter mutuam victoriam compensatæ videantur expensæ, quam neutri adiudicatæ. [5] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 18. supr.

1 Dixi *Defin. 18. supr.*

2 Iusta hæc ratio est, ob quam non debeat victus victori in expensas condemnari, *l. qui solidum 78. §. 1. de legat. 2.*

3 Vt in specie *Defin. prox præced.*

4 Vt in specie *Defin. 19. in fin. §. eod.*

5 Vt dixi *d. Defin. 17. num. 5 supr.*

DEFINITIO XXII.

In literis monitorijs in forma malefactorum nemo nominandus est, qui ex eo infametur, alioqui poterit ille appellare tanquam ab abusu.

QVoties monitoriæ literæ impetrantur in forma, vt vocant, malefactorum, iusta tanquam ab abusu appellandi causa est, si is nominatus sit, qui testes corrupisse dicitur, aut aliter deliquisse. Neque enim ea nominatio fieri potest citra nominati infamiam. [1] Infamari autem prætextu iuris publici oportet neminem. [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua S C. 8. supr. de sentent. præfect. prætor.

1 Cum saltem apud bonos & graues viros oneretur existimatio illius, qui nominatur.

2 *L. vnic. in fin. C. de famos. libell.*

DEFINITIO XXIII.

Etiam ab eo, quod factum sit contra sacros canones, & in scandalum laicorum, appellari tanquam ab abusu potest.

CVm parochus quidam rogatus à patre defuncti impuberis, vt veniret ad sepulturam filij, quam in Franciscanorum Ecclesia pater elegerat, [1] venire recusasset, contendens ac protestatus non potuisse inscio se à patre pro filio eligi sepulturam, deque ea re tres pro se contra Franciscanos latas conformes sententias, postremam Romæ in Rota, cuius tamen neque vlla facta executio, neque exequendæ licentia ex more à Senatu petita probabatur, atque ita impuberem sine parochiali cruce ac sine parochi præsentia sepeliri necesse fuisset; plerisque videbatur iustam appellandi tanquam ab abusu causam habuisse patrem, non à protestatione illa, quæ nullum grauamen inferre potuerat, [2] sed à denegatione per parochum facta veniendi ad sepulturam, cum ex eo facto, vel potius non facto scandalum non leue laicis omnibus illatum esset, [3] adeoque prætextu sententiæ ab extraneo magistratu redditæ, quæ nec allegari potuerat, nisi consulto prius & permittente Senatu. [4] *Ita tractatum est* ex tempore, sed nondum definitum, 28. Iunij 1605.

1 Iuxta *cap. licet, extr. de sepult. in 6. cum ibi not.* Itemque ex moribus patriæ: erant enim Augustani.

2 Nec enim protestatio habet vim sententiæ, vt ab ea appellari possit, cum nullum inferat grauamen.

3 Et quidem contra sacros canones, *d. c. licet.* Qui vnus est ex casibus, in quibus licet tanquam ab abusu appellare, Imbert. *in Enchir. verb. Abusus.* Vide quid simile apud Rebuff. *tract. de literis. art. vnic. gloss. 2. num. 36.*

4 Vt dixi *Defin. 3. num. 5. 3. hoc tit.*

[DEFINITIO XXIV.

AB iis quæ Episcopus in ipsa Ecclesiarum visitatione pro reparandis ecclesiis decreuit etiam contra laicos appellari tanquam ab abusu non potest: Maximè vero si quid decretum sit quod ad templa ipsa vel altaria reparanda pertineat. Licèt dici soleat reparationum ecclesiasticarum causam esse merè temporalem, ideoque cognitionem eius ad iudicem laicum non ad ecclesiasticum pertinere. Ne alioqui vana & illusoria fiat visitatio si per eam imminentibus collabentium templorum periculis non statim prospiciatur. Qua de causa sanctissimè prouisum est Concilio Tridentino ne ab istis ordinationibus, vt vocant, quæ in visitatione fiunt appellari possit. Sed tamen si propter huiusmodi reparationes lis aliqua siue inter laicos tantum, siue inter laicos & ecclesiasticos super possessorio moueatur, quam laici ad iudicem laicum remitti desiderent, potest quidem Episcopus interim quid fieri velit decernere ne quod damnum contingat, sed tamen cognitionem illam ad iudicem laicum remittere debet. Alioquin appellari tanquam ab abusu potest. Itemque si pœnas laicis indictas & declaratas ob non restaurata templa velit Episcopus mensæ suæ applicare, quas ex sacrosancti concilij præscripto in pias causas & ad ipsorum maximè templorum refectionem erogare iubetur, *Ita Senatus* 18. Cal. Maij 1612.

DEFINITIO XXV.

Non facile nec passim appellandum tanquam ab abusu.

BIU Cujas

NOn est iusta appellatio tanquam ab abusu si iudex ecclesiasticus delegatus à summo Pontifice causas recusationis contra se propositas friuolas & illegitimas esse pronunciauerit: licèt nulla ratione id feciſſe probetur,[1] quia esset ea iniquitas dicenda non, abusus.[2] Sed etsi de earũ fide & veritate cùm essent legitimæ cognouisset ipse ac pronunciasset, quod iure Canonico facere prohibetur, [3] non ideo tamen tanquam ab abusu appellari rectè posset. Non enim alij ab eo arbitri eligi debuissent, quàm qui essent ecclesiastici, [4] ac proinde pertineret ea appellatio ad vindicandam iurisdictionem ecclesiasticam aduersus ecclesiasticam: quod ab huiusmodi appellationibus tanquam ab abusu alienum est. [5] Illa iustior appellandi causa esse videtur, si iudex delegatus à summo Pontifice, post impetratam à Senatu exequendi licentiam, adiecta vulgari clausula *vocatis vocandis* ad executionem processerit non vocato eo quem sciebat certum & præcipuum fore contradictorem, & qui nominatim citari debuerat, [6] non etiam generali tantùm programmate ad valuas ecclesiæ, vt fieri solet, cùm aut incerti & ignoti sunt citandi, aut si certi sunt, vbi tamen sint, incertum est, aut tutus ad eos non patet accessus. [7] Vix enim est vt hoc casu non videatur spretus quodammodo Senatus, non seruata ea forma, quæ mandata fuit. [8] Alioqui nulla supererit ratio corrigendi erroris aduersus mandata commissi, nisi tanquam ab abusu appelletur, cùm à iudice ecclesiastico ad Senatum qui superior non est appellare non permittatur. [9] Sed tamen placuit ne hic quidem abusum interuenisse vllum videri. Nec enim si quid malè ac perperam fiat, non seruato iuris ordine, statim abusum interuenisse credendum est, [10] ne alioqui passim appellatio ista inducatur, quam tamen odiosam esse constat, nec vnquam nisi ex necessitate permittendam, & cùm alio remedio consuli appellanti non potest, [11] *Ita Senatus* in causa D. Prioris de Talloire & Patrum de Fellians, contra Religiosos dicti Prioratus de Talloire, Idib. Septemb. 1613.

1 Puta quoniam erant causæ iustæ ac legitimæ.

2 Et ideo corrigenda esset hæc iniquitas per appellationem à delegato ad delegantem Ex *l.1. quis à quo appellet.*

3 *Cap. suspitionis extr. de offic. deleg. cap. cùm speciali Extrade appellat.*

4 Vt in eos posset iudex delegatus habere iurisdictionem.

5 Rebuff. *in tract. de appell. tanquam ab abus. art. 2. 3. 4. gloss vnic.*

6 Bart. & alij *ad l. vlt. C. de iur. delib. & ad l. de vnoquoque de re iudic l nam ita 39. de adopt.*

7 Rebuff. *in tract. de citat.*

8 *L. cùm hi 8. §. si Prætor & ibi not. D. de transact.*

9 *L. 2. & tot. tit. quis à quo appel.* iunct. *cap. nouit & cap. cæterum de iudic. & tot. tit. de for. compet.*

10 Iudicatum enim esse oportet contra sacros Canones aut contra leges non de iure litigatorum sed de iure ipso Canonum & constitutionum, vt *in l. 1. quæ sent. sine appel. rescind.* aut læsam iurisdictionem laicam ab ecclesiastica vel contra. Imbert. *in Enchirid in verb. Abusus.*

11 *Defin. 35.* vbi vide.]

TIT. XXIX.

QVOR. APPELL. NON RECIP.

DEFINITIO I.

Qui se vult excusare, non prius potest appellare à tutelæ datione, quam eius excusatio sit reiecta.

A TVTELÆ quidem datione appellatio regulariter non admittitur, nisi proposita prius apud Iudicem excusatione, eaque per Iudicem reiecta. [1] Neque enim appellationis auxilium necessarium est, nec consequenter permittendum, quamdiu is ipse Judex, à quo appellatur, prouidere potest, ne qua volenti appellare iniuria fiat. [2] Sed tamen aliud iuris est, si minor annis viginti quinque tutor datus proponatur: appellatio enim hoc casu necessaria est iure nostro, quo constitui placuit, vt sententia quantumuis nulla non nisi appellationis remedio corrigatur. [3] Quia nec excusationem à tutela proponere potest is, qui etiamsi maxime velit, tutor tamen propter ætatem fieri non possit. [4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 2. supr. qui tutor. dar. poss. & rursus in alia, 17. Cal. Julij, 1590.

1 *L. 1. §. si quis tutor, D. quand. app. sit, §. quis autem, Inst. de excus. tut.* quomodo accipi debet, quod scriptum est *in l. 1. & tot. tit. D. si tut. vel curat. vel magistr. creat. appell. l. cum in vna 17. §. tutor, D. de appellat.*

2 *Arg. l. quod iussit 14. cum ibi not. D. de re iudic.* iunct. *l. præfecti 17. D. de minor, l. 1. D. de appellat.*

3 Dixi *Defin. 13. 5. de tempor. & repar. appellat.*

4 Fœda enim nominum & rerum confusio est, si tutor vel curator alterius fiatis, qui ipse indigeas tutore vel curatore, *l. vltim. C. de legit. tutel.* cæterum excusatio supponit capacitatem tutelæ.

DEFINITIO II.

Qui ad munera & honores vocantur statim debent appellare, & quid interim faciendum sit, si appellauerint?

ALia causa est Syndici & eorum, qui ad aliquod munus vel honorem vocantur, cum dicant, habere se excusationem. Nam nec aliter allegare possunt causam immunitatis suæ, quam si prouocauerint. [1] Quid ergo si quis Syndicus à municipio creatus appellauerit? Non est interea cogendus, vt iniuncto munere fungatur, quousque appellationis suæ causas reddiderit, easque inanes esse Iudex, qui de appellatione cognoscit, comperierit. [2] Sane si ex postfacto appareat, frustratoriam fuisse prouocationem, medij quoque temporis periculum ad appellantem pertinebit. [3] At quid si interea quædam occurrant, quæ statim per Syndicum vniuersitatis expediri oporteat, nec moram patiantur? [4] Æquius erit eam muneris exequendi necessitatem iniungi illi, qui proxime Syndicus fuit, [5] quam vt inauditus vllo modo condemnetur is, qui iustam fortassis habeat excusationem, [6] præsertim his nostris miserrimis temporibus, quibus vix est vt alij Syndici creentur, quam quos labi facultatibus & in egestatem deduci nominatores velint; nisi & vniuersitatis & appellantis indemnitati consultum esse possit, duobus, quod vt plurimum fit, Syndicis creatis, quorum altero detrectante alter onus subire debeat. [7] In tutore aliter obseruamus. Nam cum plerumque solus detur, & quidem à Iudice, [8] ac proinde vel præsens & auditus, vel, si per contumaciam absit, pro præsente habitus, [9] minus mirum est imponi ei necessitatem suscipiendi muneris, tametsi à datione appellauerit, ne alioqui pupillus interea defensore destituatur. [10] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro N. Perrad de Perrad de Regnieu le Franc, contra Syndicos de Loyes, 16. Cal. April. 1593.

1 Tantum abest, vt eorum appellatio recipienda non sit, quomodo diximus de Tutore, *in Defin. 15. præced.* Tertius est *in l. 1. in princ. & §. 1. D. de vacat. & excus. muner.* iunct. *l. 1. §. si quis tutor, D. quand. app. sit, & intr. quæ tempor.*

2 *L. Imperatores 21. §. si magistratus, D. de appell.*

3 *L. 1. & 2. D. si tut. vel curat. vel magistr. creat. appell.*

4 Cuiusmodi pleraque possunt facile occurrere, *l. vlt. D. de appell. recip.*

5 Quasi officium eius adhuc duret, donec alio Syndico, constituto, *arg. l. à tutoribus 33. § officium, de admin tutor.*

6 Nemo enim inauditus condemnandus vnquam est, *l. 1. D. de requir. vel absent. damn.*

7 Creantur hodie vt plurimum per inimicitias, & vt vexentur, *vt in d. l. 1. §. 1. de vacat. & excus. muner.*

8 Cogitu

8 Cogitur enim, etiamsi maximè nolit; nisi & ipse appellet: quo casu interim alius in eorum locum creandus est, *d. l. 21. §. si magistratus, de appellat.* Ergo, etiamsi vnus tantum creatus fuerit, isque appellet, melius erit, alium interim creari in eius locum, quam ei, qui antea Syndicus fuerit, continuandi muneris necessitatem iniungi.

9 Præsertim hodie, cum soleant Pragmatici nostri dicere, tutelas omnes hodie datiuas esse, quia scilicet omnes à magistratu confirmantur.

10 Contumacia enim pro præsentia est, *Auth. quæ in prouincia, verſ. sed si nec ipse, C. vbi de crim. agi oport.*

11 Melius tamen est, vt in locum tutoris interim curator ei detur, nisi aliquid occurrat, in quo necessaria sit auctoritas tutoris, *l. cum in vna 17. §. 1. D. de appellat.*

DEFINITIO III.

Interdum is, qui Syndicus creatus, prouocauit, interim administrare cogendus est per modum, vt aiunt, prouisionis.

SEd & cum Sndicus quis creatus appellauit, si Judex audito eo videat, non ita cito appellationem decidi posse, propterea quod res ampliorem cognitionem desideret,[1] decernere debet, vt interea cogatur appellans subire munus per modum, vt aiunt, prouisionis,[2] nulla satisdationis præstandæ iniuncta aduersario necessitate;[3] maxime vero si vel minima suspicio sit, in fraudem esse captatam excusationem.[4] *Ita Senatus* ex tempore, 15. Cal. Junij, 1595. Et iterum in alia causa pro Vrbano Laurent, contra Franciscum Chardonel, 18. Cal. Jul. 1594.

1 Puta si incidat facti quæstio, quæ non tam cito possit examinari, sic *in l. ille à quo 13. §. si de testamento, D. ad SC Treb.*

2 Id est, lite quidem pendente, sed ita tamen, vt neque litis, neque immunitati, si quam habeat, vllum ex eo præiudicium fiat.

3 Quæ tamen iniungi solet, quoties fit aliqua prouisionalis adiudicatio ad priuatam aduersarij vtilitatem. Hæc enim spectat ad publicam.

4 *Vt in l. 1. § qui in fraudem, ff. de vacat. & excuſ. muner.*

DEFINITIO IV.

Si Princeps post euocationem litis apud Senatum pendentis aliquos Iudices delegauerit, ab iis ad Senatum appellari non poterit.

CVm lis penderet in Senatu aut apud Judices delegatos, qui suspecti dicebantur, Princeps supremi Imperij iure cognitionem totam ad se euocauerat subinde alios delegauerat, qui ius dicerent, nulla intercedendi aut appellandi relicta potestate. Dubitatum est, an appellandi ad Senatum ius saluum esse deberet, quod prius fuerat? Putabant enim plerique saluum esse debere saltem ius supremæ appellationis, propterea quod pessimi exempli videretur, supremam cognitionem delegari,[1] nec vllum condemnato remedium ordinarium aduersus iudicantium iniquitatem superesse,[2] præsertim cum à prioribus delegatis appellandi ius fuisset, in quorum locum posteriores substituti videbantur.[3] Præualuit tamen contraria sententia, quia per euocationem à Principe factam omnis Senatui erepta esset iurisdictio,[4] nouique delegati nõ tam in locum iurisdictionis ordinariæ, quam in ipsius Principis vicem substituti dicendi erant,[5] vt proinde non alius quam Princeps appellandus esset, si quid illi iniquè decernerent,[6] ex vulgari illo Pragmaticorum verbo, *à delegato ad delegantem.*[7] Quid si Princeps appellationis cognitionem Senatui exceptam voluerit ratione pœnæ capitalis, si qua forte irrogetur? Tanto minus admittendum erit, vt à pecuniaria condemnatione, quanta cumque illa sit, Senatus appelletur.[8] *Ita Senatus* in causa Claudij Maillet, Prid. Cal. Mart. 1594.

1 Cum non magis possit Princeps eam supremam cognitionem à se abdicare, & in alios transferre, quam supremam ipsam potestatem.

2 *L. vnic. C. de sent. præf. prator. l. 1. verſ cæterum. D. quand. appell. sit. & intr. quæ tempor.*

3 Vt scilicet subrogatum sapiat naturam eius, in cuius locum fuit subrogatum, *l. si quis eum 10. § qui iniuriarum, D. si quis caution. l. Imperator, 70. §. vlt. & l. seq. de leg. 2.*

4 Nec enim dubitari poterat, citra sacrilegium, quin fuisset in arbitrio & potestate Principis, de iurisdictione ipsius quoque Senatus pro arbitrio disponere, cum iurisdictiones omnes à voluntate & auctoritate Principis dependeant, tanquam à capite & à fonte, *l. sacrilegij 5. C. de diuerſ. reſcript.* quia cuius est territorium, eius quoque est iurisdictio, *l. penult. D. ad leg. Rhod. de iact.*

5 Quos scilicet Princeps credidit non aliter iudicaturos esse, quam ipse esset iudicaturus, *l. vnic. §. his cunabulis, de offic. prator.* Nam in delegatis maxime industria personæ eligitur, *tot. tit. extr. de offic. deleg.*

6 *L. 1. D. à quib. appell. non licet.*

7 *L. 1. & tot. tit. D. quis à quo appellat.*

8 Inclusio enim vnius, vt dici solet, exclusio est alterius, *l. cum prator 11. D. de iudic. l. ex eo 18. de testib.*

DEFINITIO V.

Casus, in quo condemnatus non potest appellare, quia nihil eius interest.

QVemadmodum aliquando accidit, vt etiam qui condemnatus non est appellare possit & debeat, imò rursum si eius interfit, ne ex sententia quamuis inter alios lata damnum sentiat,[1] ita ex contrario euenit nonnunquam, licet ratius, vt, qui condemnatus est, appellare non possit, tametsi velit,[2] nempe si talis sit condemnatio, cuius executionem Iudex aduersus eum fieri prohibuerit, contra alium vero æque condemnatum fieri præceperit.[3] Finge, debitoris mei debitorem ab alio creditore conuentum coactum soluere fiduciaria solutione, &, vt loquuntur, per modum prouisionis, dato per creditorem fideiussore.[4] Constat, non esse eum omnino liberatum, quippe qui non sic soluit, ne posset vnquam repetere.[5] Igitur potero ego quoque hunc ipsum conuenire tanquam debitoris mei debitorem.[6] Consequenter si vocato debitore constet mihi debitum esse, quod persequor nihil vetat condemnari mihi eius debitorem:[7] iuberi autem me iudicatum exequi non aduersus illum, qui scilicet iam semel soluerit,[8] sed aduersus alium creditorem, qui prior egit, illiúsve fideiussorem, si modo sim ego tempore anterior & iure potior;[9] nec aliud quicquam sit in debitoris bonis, ex quo mihi satisfieri possit.[10] Alio vllo casu vix est, vt appellare non possit, qui fuit condemnatus.[11] Nam si emptori, qui auctorem suum laudauit, res per sententiam euicta sit, quamuis habeat ille paratam de euictione actionem contra venditorem,[12] appellare tamen potest, quia eius interest rem retinere potius, quam pretium reposcere, etiam cum eo, quod interest sua.[13] Similiter fideiussor condemnatus licet aduersus debitorem regressum habiturus sit,[14] appellare tamen potest, si malit,[15] quoniam ipsius quoque interest non soluere potius, quam solutum repetere.[16] *Ita Senatus* in causa Procuratoris Doche, contra Franciscum de la Botiere, 9. Cal. Maij 1594.

1 *L. 4 §. alio condemnato, & ſeq. D. de appellat.* iunct. *l. 5. in princ. & §. ſi heres, l. ſi per luſorio 14. eod tit. l. 2. §. 1. D. quand. app. ſit, & intr. quæ tempor. l. ſæpe 63 D. de re iudic.*

2 Puta si nihil eius interfit. Non enim alij appellantes audiuntur, quam quorum interest, *l. 1. D. de appell. recip.*

3 Totius siquidem vigor & effectus sententiæ in executione consistit, *l. penult. C. de execut. rei iudic. l. à Diuo Pio 15. cum ibi not. D. de re iudic.*

4 Vix enim sine satisdatione fit vlla prouisionalis adiudicatio lite pendente, *arg. l. 1. & tot. tit. D. ſi cui plus quam per leg. Falcid.*

BIU Cujas

5 Nam quo casu potest condictio locum habere, non potest contingere liberatio, & contra, quo casu liberatio ex solutione competit, impeditur condictio, *l. cum quis* 38. §. *de peculio & seq. ff. de solut.*

6 *Ex l. 1. & tot. tit. C quand fisc. vel priu. debitorem suidebi. conuen. poss. d. l. à Diuo Pio*, §. *sic quoque, & seq. ff. de re iudic.*

7 Quia verum est, adhuc nomen extare, quamdiu debitor non est omnino liberatus.

8 Nec enim quisquam vnum & idem debitum bis soluere cogendus est.

9 *Vt in l. vlt. §. sin vero creditores, & §. sin vero heredes, C. de iur. delib.*

10 Nam nec solent capi nomina pignori in executione iudicati, nisi in subsidium, si alia bona nulla sint, *l. 2. & pen. Cod. quand fisc. vel priuat. d. l. à Diuo Pio*, §. *in vendicatione, in fin.*

11 Quia & vix est, vt non semper interesit condemnari: Cæterum si talis casus aliquis reperiatur, idem dicendum erit.

12 Cuius proinde periculo tota res cedit, *l. 1. Cod. vbi in rem act.*

13 *Vt in l. si ex causa 9. l. in causa* 13. §. *interdum ff. de minor.*

14 Aut actione mandati, aut negotiorum gestorum, *l. ex mandato* 20. §. 1. *ff. mandat l. 5. de liber. legat. l. cum lex. 46. ff. de fideiuss.*

15 Adeoque pro reo condemnato, quamuis ipse condemnatus non sit, *l. à sententia 5. ff. de appell.*

26 *L. 3. ff. de compensat. l. si stipulatus* 15. *in pr. ff. de fideiuss.*

DEFINITIO VI.

Non auditur appellatio, quæ in productionis tantum inuentario fuit interposita, nec aduersario significata.

GEnerali Senatusconsulto Procuratoribus inhibitum est, ne in conscribendis inuentariis, quæ productionis vocant, vllam interponant appellationem, quæ non prius in ipsis actis interposita sit, & aduersario significata,[1] ne alioqui det ea res materiam calumnioso Procuratori litis protelandæ & fugandi è numero Judicum Senatoris, à quo appellauerit.[2] Quod si qua eiusmodi appellatio interiecta sit, placuit non magis habendam eius rationem, quam si nulla interposita fuisset.[3] *Ita tractatum est* in causa Procuratoris Pensabin, & D. de Cormillion, 5. Calend. Maij, 1594.

1 Appellandum enim est in actis, & aduersario si non præsente, saltem sciente ac certiorato, *l. 2. vbi not ff. de appell.*

2 Nec enim potest quis iudicare in causa appellationis ab eo ipso interpositæ, cum de ipsius iniquitate tractandum sit, *l. præfecti* 17 *ff. de minor. l. illud sciendum* 8 *ff. de appell. l. Iudici* 42. *ff. de iniur. l. vnic. ff. apud eum à quo appell.*

3 Nihil enim refert, nulla appellatio interposita sit, an non eo modo, quo interponi debuit, *arg. l. 2 ff. de auctor. tutor. & quoties 6 ff. qui satisd. cog.*

DEFINITIO VII.

Non auditur appellans, qui consensit executioni sententiæ, cum per secutam executionem res integra esse desiit.

POstquam res integra esse desiit, nulla causa est propter quam audiri debeat appellans ab ea sententia, cuius executioni consensit,[1] tametsi certet de damno vitando, ne iniuria afficiatur is, qui rei iudicatæ auctoritatem secutus est.[2] *Ita Senatus* in causa R. D. Bernardi Combet, Archidiaconi Tarentas. & N. Antonij le Beuf. prid. Cal. Sept. 1594.

1 *L. ad solutionem 5. C. de re iudic. l. 1 ff. quand. appell. sit, & int. quæ tempor.*

2 *Arg. l. ait prætor 7. §. 1. ff. de minor. l. si ex causa 9. l. quod si minor* 24 §. *Scæuola, eod. l. sancimus* 25. *C. de admin. tut.* Papiens. *in form. sent. interloc. sup. incomp. Iudic. n. 9.*

DEFINITIO VIII.

Appellante sententiam non exhibente quomodo contra eum pronunciandum sit, & quid si postea exhibeatur sententia?

APpellans edere debet sententiam, à qua se dicit appellantem. Id si non faciat, appellatio eius admittenda non est:[1] neque tamen appellationis Iudex ideo pronunciare debet, quod bene à primo iudice fuerit iudicatum, sed tantum appellationem reiicere,[2] & appellantem in sumptus litis condemnare;[3] ne, si iudicatum confirmet, pugnantia constituere videatur, cum hoc ipso reiiciat appellationem, quod de iudicato nullo constet.[4] Inde fit, vt tametsi à Senatu reiecta sit appellatio, possit tamen, qui condemnatus est, iterum prosequi appellationem, exhibita quandocumque sententia;[5] nec ciuilis supplicatio necessaria sit,[6] dummodo sumptus prioris litis perperam institutæ refundere sit paratus.[7] *Ita Senatus* 7. Id. Nouemb. 1594.

1 Papiens. *in form. appellat. à sent. diffinit. vers. & in quantum sit aliqua, n. 6. vers. si vero ambo.*

2 Quod Pragmatici nostri dicunt, *declairer l'appellant non receuable appellant.*

3 Non potest videri non temere appellasse, qui sententiam, à qua se appellasse dicit, proferre nō potest, cum non entis nullæ sint qualitates, *vulg. l. eius qui in prouincia* 41. *ff. de reb. cred.* Intellige tamen, nisi appellans velit probare sententiam per positiones & aduersarij confessionem. Quę enim sunt probabilia, sunt ponibilia inquit Papiens. *vbi sup. n. 7.*

4 Nam neque confirmari potest, quod nullum est, *l. Diui 6. §. vlt & l. quædam 7 ff. de iur. eod.*

5 Quoniam nunc alia res esse videtur, quam de qua prius fuerat pronunciatum, nec eadem causa est vincendi aut succumbendi, *l. si quis* 18 *& seq. & pass. ff. de except. rei iud.*

6 Quomodo esset, si pronunciatum fuisset, bene iudicatum. Nouorum enim instrumentorum exhibitio non impedit exceptionem rei iudicatæ, *l. cum de hoc* 27. *in fin. eod. tit. l. 4. C. de re iud.*

7 Vt hoc modo siue culpa, siue negligentia ipsius puniatur, *l. sancimus* 16. *C. de iudic. l. eum quem temere* 79. *ff. eod. & instit. de pœn. temer. litig.*

DEFINITIO IX.

Qui patitur aduersarium iurare in supplementum probationu ex sententia Iudicu, non ideo videtur acquiescere sententiæ.

NOn videtur iudicato acquieuisse condemnatus qui aduersarium à Iudice admissum, vt in probationis supplementum juraret, passus est iurare, quia nec appellatione interposita, nec qua alia vlla ratione impedire potuit, quo minus juraretur.[1] Itaque etiam post iusiurandum præstitutum appellare non minus potest, quam si iuratum non esset.[2] Neque enim meuendum est, ne periurij reus fiat, qui iurauit, si quandoque postea pro appellatione pronuncietur.[3] Nam qui ab eiusmodi sententia prouocat, non dicit, periurum fuisse aduersarium, sed illud tantum contendit, deferri ei iusiurandum non debuisse. Nec proinde quærendum esse, an periurus sit nec ne, qui neque iurare debuit.[4] *Ita Senatus* in causa Gaspardi Bichon & Ioannis Pichod, 4. Id. Nouemb. 1594.

1 Cum non obstante appellatione à sententia, quæ admisit iusiurandum, iurari tamen possit, *l. generaliter* 12. *C. de reb. cred.*

2 Quasi rebus omnibus adhuc integris. Ideo enim iuratur, ne desinat res esse integra, si forte is, qui iurare debet, moreretur pendente appellatione, *d. l. generaliter.* Fauore scilicet probationum, ne intercidant, *l. in lege* 41. *ff. ad leg. Aquil. l. curent* 22. *ff. de testib.*

3 Cum non facile ferendum sit, vt de periurio eius, qui iurauit, quæratur, *l. vlt. ff. de in lit. iur. l. 1. & 2. C. de reb. credit. & iureiur.*

4 Itaque per hanc appellationem non tam iurantis quam Iudicis factum impugnatur.

DEFINITIO X.

Quibus remediis succurratur victori contra appellationem, quam appellans non fuit intra tempora prosecutus.

Si ab eo

Si ab inferioris Judicis sententia appellatum sit, appellatio autem intra legitimum tempus introducta non fuerit, in electione eius est, qui obtinuit, vt vel desertam appellationem pronunciari petat ex rescripto Principis,[1] vel executoriam dici sententiam, non obstante appellatione.[2] Sed inter hæc interest, quoniam aduersus desertionem difficilius datur restitutio,[3] quam aduersus interlocutionem, per quam pronunciatum sit mandandam executioni sententiam. Cæterum hoc etiam casu si appellatum sit, nihilominus fiet executio sententiæ, ac si nõ esset appellatum,[4] saluo tamen appellationis iure.[5] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de Bloney, & Andreæ Beuf, ante Calend. Septemb. 1595.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *en vertu de lettres de desertion.*

2 Ita enim stylo Senatus nostri diserte cautum est.

3 Prohibente eodem ipso Senatus stylo, ne qua possit dari restitutio vlla ex causa aduersus appellationis desertionẽ iam intimatam. Senatus tamen, si iustam restitutionis causam subesse videat, restituit, sed nunquã nisi suprema, quod aiũt, manu.

4 Ne alioqui liberum sit temere ac sæpius appellanti executionem sententiæ diutius remorari, *l. si longis 7. & seq. C. de execut. rei iudic.*

5 In cuius scilicet præiudicium nihil fieri vnquam debet, *l. 1. ff. nihil innou. app. interp.*

DEFINITIO XI.

Electio, quam appellans habet apud Augustanos, vtrum velit Senatum adeundi, transfertur in aduersarium, si appellans aut non elegerit, aut appellationem intra tempora prosecutus non sit.

Avgustanorum nostrorum priuilegium inter cætera vnum illud est, vt electionem habeant, vtrum ad Senatum nostrum, an ad Pedemontanum malint appellare. Quid ergo si appellans non declarauerit, ad quem Senatum appellaret? Transferetur electio in aduersarium, vt ad quem volet Senatum euocet appellationem per literas, quas vocant, anticipatorias.[1] Eadem ergo ratione fiet, si præterierit bimestre, intra quod debuit introduci appellatio, nec ea introducta sit, vt electio sit eius, qui obtinuit, ad quem Senatum euocet causam desertæ appellationis.[2] *Ita Senatus* ex tempore in causa perorata, postmodum ex intimo consilio decisa, 5. Calend. Septemb. 1591.

1 Debet enim appellans sibi imputare, cur iure suo non sit vsus. Simile quiddam est *in l. 1. ff. de solut. l. 1. ff. eod. l. si vsuras 21. C. de vsur.*

2 Cur enim daremus electionem appellanti, qui nec pro appellante habetur, postquam deseruit appellationem?

DEFINITIO XII.

Non potest quis appellare, postquam acquieuit iudicato. Excipiuntur tamen quædam persona & quidam casus.

Qvi semel acquieuit iudicato petita dilatione, intra quam satisfaceret, non est audiendus appellans, siue ante, siue post appellauerit,[1] nisi causa aliqua subsit, propter quam ei subueniri oporteat per in integrum restitutionem,[2] vtputa si minor fuit,[3] aut si vis vel dolus aduersarij interuenit.[4] Quid si mulier fuit, aut rusticus? Non ei proderit,[5] si non euidentissima iniquitas emergat.[6] Sane si solus Procurator id fecerit, non nocebit domino:[7] sed tamen necessaria erit restitutio ex rescripto & diplomate, quod *de desadueu* appellant.[8] *Ita Senatus* in causa Claudij Lucian & Cornelij Pernet, 9. Cal. Decembr. 1595.

2 *L. ad solutionem 5. Cod. de re iudic.* quia si ante appellauit, videtur appellationi renunciare, quod potest facere in causis ciuilibus, non tantum expresso consensu, sed etiam tacito, *l. 1. §. vltim. D. de libell. dimiss.* si vero postea appellauerit, videtur eam sibi viam appellandi præclusisse petita dilatione, *dict. l. ad solutionem.*

2 Omnes enim restitutiones in integrum hoc habent cõmune, quod ex æquitate contra nimium iuris rigorem conceduntur, *l. 3 D. de in integr. restit.*

3 Minori enim quandocumque aut quomodocumque læso subuenitur, etiam in lucro, *l. aut prætor 7. in princ. & §. hodie, & § item si non prouocauit. D. de minor.*

4 Ne alioquin aduersario dolus prosit, qui è contrario nũquam impunitus esse debet, *l. procurator 11. in fin. D. de doli mali except. l. ne ex dolo 12. D. de dolo.*

5 Quamuis enim & sexui & rusticitati interdum parci oporteat, *l. si quis id quod 7. §. de doli mali. D. de iurisdict. l. regulã 9. D. de iur. & fact. ignor.* non tamen bene in omnibus rustici & mulieres minoribus comparantur, *l. vlt. in princ. D. ad SC. Velleian* Sunt enim minores regulariter fauorabiliores.

6 Puta si ex eo futurum sit, vt mulier fiat indotata. Quod ne accidat, non tantum ipsius mulieris interest, sed etiam Reipublicæ, *l. 1. D. solut. matrim. l. interest 18. D. de rebus auctor. Iudic. possid.*

7 Quoniam appellationis auxilium, quod iure communi habet dominus, non potest Procurator ei adimere, præsertim cum finita per sententiam suam lite officio suo functus sit, *l. 1. D. de re iudic.* Nam sicuti per sententiam lis esse desinit, ita & Procurator desinit esse dominus litis, quamuis in executione iudicati cogatur in officio suo perseuerare; scilicet si dominus non appeller. Quin & absente domino potest Procurator ipse appellare debetque, ne ad interesse teneatur, vt aiunt Pragmatici, *l. 1. in princ. D. quand. appell. sit & intr. quæ tempor. l. liberto 31. §. litem,* vbi scripsi *in Rational. D. de negot. gest. l. si Procuratorem 8 §. si ignoranter, & §. seq. vers. igitur, D. mandat. l. inuitus 17 C. de procurat.*

8 Quod scilicet moribus nostris necessarium est, quoties improbatur factum Procuratoris, qui nõ habuit speciale mandatum. Nam si speciale interuenisset, nullus huic beneficio locus superesset.

DEFINITIO XIII.

Qui neglexit adesse liti inter alios mota non potest à sententia postea lata appellare, nec vllam collusionem obijcere.

Avdiuntur quidem appellantes omnes, quorum ex iusta aliqua causa interest,[1] tametsi inter alios sententia lata sit, nec nisi per quasdam consequentias appellantis interfit.[2] Si tamen cùm esset quis vocatus vt liti inter alios motæ sisteret, si quid sua iam tùm interesse aut quandocumque interfore putaret, responderit nihil ad se litem illam pertinere, non erit audiendus, si postmodum ab ea sententia prouocare velit. Sibi enim debet imputare quòd nihil sua interesse dixerit.[3] Nec aliud erit etiamsi inter litigatores collusum fuisse dicat. Debuerat enim ipse interuenire, ne colluderetur.[4] *Ita Senatus* pro Petro Patac, contra Petrum Rigot, secund. August. 1612.

1 *L. 1. D. de appell. recip.*

2 *L. 4. §. alio condemnato & seq. D. de appellat. l. sæpe 63. de re iudic.*

3 Cùm non alij audiantur appellantes, quàm quorum interest *d. l. 1. de appell. recip.*

4 *L. si perluforio 14. in princip. & §. 1. in illi verbis, Nisi aduersus eum solum qui adesse neglexerit, D. de appellat. l. si suspecta 29. D. de inoffic. testam.*

DEFINITIO XIV.

De appellatione recipienda per supremam manum & authoritatem Senatus.

Etsi Senatusconsulto generali cautum est, vt qui intra constituta tempora non appellauit, non aliter admittendus sit ad prosequendam in Senatu appellationem, quàm si rescriptum à Principe impetrauerit ad vitium negligentiæ purgandum, nec audiri debeat, si quod antea passim fiebat supremam Senatus

BIU Cujas

manum & authoritatem in publico auditorio imploret.[1] Quotidie tamen accidit vt ab eo iure recedi oporteat, & supplicantibus beneficium illud indulgeri. Nempe cum videt Senatus iniustam esse appellationem, nec nisi cum summa iniquitate posse appellantem cõdemnari.[2] Sed cùm id accidit solet Senatus iubere vt sigilli principalis sumptum eum præstet appellans, quem pro diplomate impetrando præstari oportebat.[3] Excipiuntur pauperes, si tam inopes sint, vt eo sumptu onerari eos inhumanum videatur.[4] Sanè sumptuum litis refusio ex ea causa irrogari numquam solet, nisi aut factum procuratoris improbandum sit,[5] aut aliud vicium sanandum, quo causa laborare proponatur.[6] *Ita Senatus* ex tempore pro Claud. Lambert Maurianensi, 12. Calend. Sept. 1612.

1 Idque optima ratione, quia diligentibus & vigilantibus non dormientibus & negligentibus subueniendum est, *l. non enim 16. ff. ex quibus caus. maior. l. pupillus 24. quæ in fraud. cred.* Debet enim sibi imputari, qui non citiùs diploma Principis impetrauit.

2 Solet enim Senatus & debet semper iudicare ex bono & æquo, *iuxt. l. placuit 8. C. de iudic. l. 1. C. de legibus. l. vnic. ff. de offic. præf. prat.*

3 Ne alioqui iurib. Cancellariæ fraus fiat, & melioris conditionis sint stulti, quàm prudentes contra *l. Seruus 4. ff. quod vi aut clam.*

4 Ne per inopiam cogantur iuris sui iacturam facere, *arg. l. in fundo 38. versic. finge pauperem ff. de rei vindic.*

5 Per literas quas vulgo vocant *de defaduen.*

6 Vt in casu *Defin. 37. supr. de fructib. & lit. expens.*

DEFINITIO XV.

Is, cuius nil interest, appellare non potest à sententia, quamuis malè ac præcipitanter lata.

CVm Judex quidam præcipitanter, ac contra solitum morem iudiciorum ad sententiam diffinitiuam prosiliisset, nec tamen aliud quicquam constituisset, nisi vt quod iam antea contra eundem reum ab alio Judice pronunciatum fuerat, & in rem transierat iudicatam, effectum suum sortiretur, Non credidit Senatus audiendum appellantem, quod nihil eius interesse videretur,[1] cùm à priore sententia, per quam fuerat condemnatus, non prouocasset.[2] Sumptibus tamen litis quasi propter mutuam victoriam, ob præcipitationem,[3] quæ nouerca iustitiæ dicitur, compensatis. *Ita Senatus* ex tempore, pro Joanne Baptista Audé Modanensi, Cal. Septembr. 1612.

1 Nec enim alij audiuntur appellantes, quàm quorum interest *l. 1. ff. de appell. recip. Defin. 5 supr.*

2 Standum enim necessario est rebus iudicatis, quamuis malè iudicatis, *l. Seruo inuito 65. §. cùm prætor ff. ad SC. Trebell.*

3 Nunquam enim fauendum est præcipitationi ob rationem quæ sequitur in Definit. Nec aliud quicquam magis cauendum est in iudiciis, quàm ne quid nimis propere fiat *l. 1. C. de exec. rei iudic.*

DEFINITIO XVI.

Non sufficit impedire quoquo modo executionem ad appellandum, cùm formalis intercessio necessaria est.

CVm posses intercedere apud eum, qui iussus erat, aut rescripto Principis, aut imperio Magistratus intercessionem cuiuslibet admittere, & cognitionem de iure vel iniuria intercessionis ad iudicem ordinarium remittere, non dixisti te intercedere, sed petiisti tamen summa contentione, vt ad iudicem ordinarium remittereris. Et cùm non obtinuisses, ab ea executione prouocasti, non es audiendus,[1] quia licet hocipso satis executionem impedire, atque ita si non disertis verbis saltem facto intercedere voluisse videaris;[2] Debuisti tamen formiter, vt loquuntur, intercedere,[3] vt iuxta mandati formam ad iudicem ordinarium te remittere nudus executor & posset & deberet.[4] *Ita Senatus* ex tempore in causa quadam Barcellonensi, 12. Cal. Iun. 1613.

1 Nec enim licet appellare ab executore, qui non excedit fines mandati *l. 5. C. hoc tit. l. 4. ff. de appell.*

2 Dici autem solet nihil interesse an verbis an factis voluntatem suam quis demonstret *l. non tantum 5. ff. rat. rem haber.*

3 In iis enim quæ data sunt pro forma, ad vnguem forma seruanda est, alioqui nihil agitur *l. cùm hi 8. §. si prætor aditus, ff. de transact.*

4 Alioqui si te ad iudicem ordinarium remisisset nulla præcedente intercessione, potuisset aduersarius ab executore iustè prouocare ob mandati formam non præcisè ab eo seruatam *d. l. 5. C. hoc tit.* Licèt in mandatis conuentionalibus, quæ nihil nisi consensum exigunt, sufficiat interdum impleri per æquipollens *l. vlt. §. 1. ff. mand.* Sic *in l. in conuentionalibus 52. de verb. oblig.*

DEFINITIO XVII.

De admittenda interdum appellatione omisso medio.

NOn auditur quidem appellans omisso medio,[1] quòd eiusmodi appellatio non tantùm aduersarij, sed etiam primi Iudicis appellationum dominique iurisdictionis ius lædat.[2] Ideo quę nec facilè solet Senatus noster ficut restitutionem in integrum aduersus hanc appellantis, siue culpam siue inscitiam indulgere.[3] Si tamen iusta aliqua causa sit, & summa æquitas quæ hoc fieri postulet, ad religionem Senatus pertinet, ne bonam causam hoc vitio laboranti periclitari & perire patiatur.[4] Inter cæteras autem causas præcipua illa est, si appellans non modò rusticus sit,[5] sed adeo etiam egenus, vt iniquum sit, eum non modo pluribus instant is vexari, sed etiam & mulctæ, & sumptuũ in is condemnationem pati, quæ semper irrogãda est iis, quorum appellationes non recipiuntur. *Ita Senatus* ex tempore pro contra Perret 26 Nouembr. 1613.

1 *l. 1. & tot. tit. quis à quo app. l. Æmilius 41 ff minor.*

2 Nemini autem permittendum est, vt alterius ignorantis conditionem deteriorem faciat. *l. 2. ff. quod vi aut clam l. nam ita 39 ff. de adopt.*

3 Nec enim debet beneficium Senatus, vt nec Principis aut Prætoris cuiquam esse captiosum *l. Paulus 8. de præt. stipul. ex facto 43. de vulg. & pup. substit.*

4 Semper enim apud Senatum potior habenda est ratio æquitatis quàm stricti iuris *l. placuit 8. C. de iudic. cùm Principis vices gerat. leg. vnic. De offic. præfect. præt. iunct. l. 1. C. de leg.*

5 Nam & rusticitati plerumque parcendum est *l. si quis 7. §. doli mali De iurisd. l. vlt. C de testam.*

6 Quid enim prodesset victoria ei, quem prior condemnatio eximaniuisset?]

TIT. XXX.

SI VNVS EX PLVRIB. appell.

DEFINITIO I.

Appellatio vnius ex litis consortibus prodest etiam cæteris, qui non appellarunt, si eadem omnium ratio sit, non si diuersa.

QVod constitutum est, vt vno ex pluribus eiusdem litis consortibus appellante debeat appellatio prodesse iis quoque, qui non appellarunt, ad impediendam interea iudicati executionem,[1] tum obtinet, cum absoluta & diffinitiua fuit condemnatio in vna eademque causa,

causa, quæ factorum separationem nullam accipere possit.[2] Nam si, cum plures eiusdem criminis rei essent, Judex interlocutus sit omnes torquendos esse, & ab ea interlocutione quidam ex ipsis appellauerint; placet, non eo minus torqueri alios debere, qui non appellarunt, quandoquidem de sua suisque, non de socij scientia interrogatur,[3] proindeque personarum diuersitas hac parte factorum separationem inducit, licet de vno eodemque crimine agatur.[4] *Ita Senatus* in causa Joannis Fenet, Claudij Mignot & Humberti Menissier, 9. Cal. Junij 1591.

1 *L.1 & 2 C. hoc tit. l.1. C. de diuers. rescript.*

2 Sunt enim hęc verba Imperatoris Alexandri in *d. l.1. C. hoc tit.*

3 Cum esset iniquissimum de alieno facto cogiquem respondere, *l. videamus 4 D de in lit. iurand l Marcellus 11. §. iurare D. rer. amot. l. iusiurandum & ad pecunias 34. § procurator, D. de iureiur.*

4 Et ita cessat ratio posita *in d. l. 1. C hoc tit.* Quamquam in aliis quoque causis titulus hic in vsu esse desiit apud Gallos, si credimus Rebuffo attestanti in proœmio *constit. glo. 5. num 98.* non alios audiri appellantes in Gallia, quam qui ipsi appellarunt, nec sufficere, vt quis habeat litis consortem, qui appellauerit: apud nos tamen, qui iure scripto vtimur nihil hac parte immutatum est. Plane si plures separatim fuerint condemnati, quamuis ex eadem causa, pluribus eis appellationibus opus est, quoniam & iuris communis ratio ita fert, *l si qui separatim 10. D de appell.* Iunge § *sed cum aduersus, eadem leg.*

TIT. XXXI.

QVI BON. CEDER POSS.

DEFINITIO I.

Casus singularis, in quo permittitur cessio bonorum aduersus mulctam ex delicto irrogatam.

CONDEMNATVS ad pœnam pecuniariam, quod alteri furtum facienti opem dediſſe diceretur, cum appellandi causam iustam haberet, propterea quod ex actis litis constabat, opem ab eo datam non esse, iudicato tamen acquieuerat: accusator vero quasi à minima condemnatione appellauerat. Cum Senatus ex appellatione cognosceret, bene iudicatum dixerat,[1] qui vtique sententiam fuerat emendaturus, si ab ea reus quoque prouocasset.[2] Postmodum accusatore solutionem vrgente, reus cum non haberet vnde solueret, beneficium legis Juliæ implorabat, vt ad bonorum cessionem admitteretur.[3] Obstare edictum Diui Emanuelis Philiberti videbatur, quo cautum est, vt aduersus condemnationem ex delicto factam bonis cedere non liceat,[4] ne ex impunitate detur delinquendi occasio.[5] Senatus tamen manifesta æquitate motus pronunciauit, iuris beneficio tam fauorabili locum esse debere, propterea quod, quamuis sententia in rem iudicatam transiisset, pœna tamen illa pecuniaria non tam ex delicto, quod re vera nullum admissum erat, quam ex iudicato deberetur.[6] Neque id impugnare videbatur rei iudicatæ auctoritatem, cum non tam de illo quæri oporteret, an pœna deberetur,[7] quam vtrum hoc vel illo modo, id est, numeratione an bonorum cessione solueretur?[8] *Ita Senatus* pro Petro Darderio 10. Cal. Sept. 1588.

1 Non enim potest Iudex superior sententiam emendare, nisi à qua & quatenus appellatum est, etiamsi male iudicatum sit non solum defectu iurisdictionis, quia appellatio illa est, quæ deuoluit cognitionem ad Iudicem superiorem, *l. 2. D. de appell.* tum etiam propter rerum iudicatarum auctoritatem, *l. l. seruo inuito 65. §. cum prator, ad SC. Trebell. l. si fundus 16. §. si pluris, D. de pignor.*

2 Appellatio enim vnius aduersarij prodesse non potest, quæ nec litis consorti prodest, nisi cum vna eademque condemnationis & appellationis causa est, *l.1 & 2. C. si vnus ex pluribus appel.* Rebuff. *in proœmio constit. glo. 5. num. 98* Facit *l. si quis 10. § sed cum aduersus, & § vlt D. de appell.*

3 *§. fin Inst. de action. l ii qui bonu 4 l. vlt & pass D de cess. bonor. l 4. l in omni 6. l. vlt C eod.*

4 Quod & iure communi constitutum esse creditur, *ex l. vlt D. de in ius vocand l 1. § vlt. D. de pœn l si quis iniuriam 35. D de pœn* Clarus, qui dicit communem *lib. 5 sent. §. vlt. quæst. 95 nu. 2 3. & 5.* post Bald. & Salic. *in l. vlt C de sepulc. violat.* Edictum autem, quod factum est mense Febr. 1577. non idcirco inutile est, sed ita interpretandum, vt non liceat Iudici mulctam pecuniariam diminuere aut remittere, quod alioqui liceret teste Claro *ibid num 8.*

5 *L si longius 18 § 1. D de iudic. l. ita vulneratus 51. § vlt. D. ad leg. Aquil l. si à reo 70 § vlt. D. de fideius l. Stichum 95. §. 1. D. de solut. l locatio 9. §. quod illicite D de public. vectig. l si pœna, D. de pœn. l. per omnes 6. C. de defens. ciuit.*

6 Initio scilicet inspecto, quod regulariter inspiciendum est, *l 3 § scio, de minor* Textus est non inelegans *in d. l si fundus 16. §. si pluru, D. de pignor* etsi locus ille haud dubie à Triboniano corruptus est, vt docui *lib. 16 Coniect.*

7 De illo enim quærendum non est, quod iam fuit iudicatum. *l & post rem 7. l post rem iudicatam 15 D. de transact l elegant er 23 §. 1. D. de condict. indeb.* Facit *l. in duobus 28. §. igitur, & § vlt de iureiur.*

8 Nam & bonorum cessio species quædam est solutionis non ad inducendam liberationem, nisi quatenus ex bonis cessis ad debitorem peruenire potest, sed ad acquirendam cedenti exceptionem, *d § vlt Inst de act l 3 C. de bon auct. Iud. possid.*

DEFINITIO II.

Allegatio solutionis non impedit beneficium cessionis.

QVi bonis cedere vult, non aliter quidem audiendus est, quam si bonam fidem agnoscat, & debitum fateatur: Sed si solutionem alleget siue totius, siue partis debiti, non ideo arcendus est à beneficio cessionis, quoniam, etsi esset condemnatus, non prohiberetur allegare solutionem.[2] Planeq; iniquum sit arctari eum, vt vel longiores pati cogatur carceres, vel fateri, adhuc se debere, quod iam soluerit.[3] Cum debiti quantitas, siue maior, siue minor sit facere nequeat, vt cessionis beneficio magis minusve debeat locus esse.[4] Nam & facta cessione liberum est creditori cum suo debitore agere hactenus, vt liquido constare possit, quid sit in debito, quo paratam habeat in bona debitoris actionem,[5] siquidem cessio non liberat debitorem ab obligatione, sed facit tantum, ne in carceres detrudi, aut in carceribus retineri possit.[6] Hoc vero multomagis locum habere debet, si allegatæ solutionis probationem debitor paratus sit committere sacramento & religioni creditoris.[7] Nam & alioqui pro liquido habendum est, quod statim per iusiurandum alterius ex collitigatoribus liquidari potest,[8] nec frustrationis causa & per calumniam allegasse solutionem videri debet, qui aduersarium ipsum Judicem constituit.[9] *Ita Senatus* in secreto auditorrio, contra Spect. Joannem Gay, Aduocatum, 17. Cal. April. 1594. & iam antea pro Claudio Genenois, contra D. Senatorem Crassum.

1 *L. qui cedit. pen. D. de cess. bonor.*

2 Solutio enim non impugnat iudicatum, imo potius confirmat, nisi proponas solutionem factam non esse deficiente fortassis in probationibus eo qui allegauit solutionem, *arg l. si duo 13. § si quis iurauerit D de iureiur.*

3 *Arg l. qui in carcerem 22. D. quod met. caus l si quis dolo 15. §. 1. de re iudic.*

4 Nisi cum creditores inter se dissentiunt, quibusdam volentibus admittere cessionem, aliis nolentibus, *l. vlt. C hoc tit. l. maiorem 8. C. de pact.*

5 Atque ita accipiendum est, quod ait *l 4. §. 1. D. hoc tit.* non posse eum, qui cessit, inquietari ab aliis quibus debet.

6 Opposita nimirum exceptione, *d. § vlt. Inst. de actien.*

7 Placet etiam, iusiurandum non tam probationem esse, quam releuationem ab onere probandi, vt loquitur Bald.

BIU Cujas

in Auth sed nouo iure, Cod. si cert pet. Facit *l eum qui* 303. *D. de iureiur.*

8 Proxime siquidem faciendum habetur pro facto, *l. pen.* vbi Bald. *D. de testam. milit.* Hinc est, quod tanquam liquidum compensari potest debitum, quod per iusiurandum statim liquidari possit.

9 *L.* 1. *&* 2. *D. de iureiur. l.* 2. *C eod.* [*l.* 1. *in princ. D. quæst. rer. act. non det*].

DEFINITIO III.

Cessio non potest impediri per solam oblationem liberandi debitoris à carceribus, nisi quinquennales indiciæ vltro indulgeantur, & quidem sine onere.

AT quid si paratum dicat se creditor pati, vt carceribus debitor eximatur? Non impediret ea res cessionem, nisi quinquennales quoque inducias creditor indulgere velit,[1] ne alioqui in creditoris maneat potestate, secundo aut tertio postea die hunc ipsum debitorem in carceres coniicere.[2] Quid vero si quinquennales quoque inducias creditor indulgeat, sed ea lege, vt qui in carcere sumptus facti sunt, ab ipso debitore soluã ur? Non poterit ex eo impediri beneficium cessionis,[3] quoniam qui paratus est bonis cedere, non est condemnandus, vt quicquam soluat, quantulumcumque illud sit,[4] solaque superesse creditori debet actio in bona debitoris, inque ipsum debitorem, si quandoque ad pinguiorem perueniat fortunam, non prius.[5] *Ita Senatus* in iisdem causis.

1 *L.* 1. *C. hoc tit.*

2 *Arg. l. fideicommissa* 11 § *si quis decem* 18 *de leg.* 3. *l* 1 § *si cui ita. D. vt legat. nom cau.* & elegantius in *l.* 3. *in fin. D vt in poss legat. l. qui bona fide* 13 § *huic stipulationi, de dam. infect.*

3 Est enim beneficium hoc cessionis fauorabile, ideoque plenissime impetrandum, *l pen D. de constit Princip.*

4 Ne aliis quidem, quibus debet, ac quibus specialiter nihil ipse cessit, *l.* 4. § 1. *D. de cess bon.* Facit *l. si reus* 70. *D. de procur.*

5 § *vlt. Instit. de action. & l. vlt. C. hoc tit l.* 3. *C. de bon. auct Iudic. possid.*

DEFINITIO IV.

Condemnatus ex delicto non potest cedere bonis, nec in præiudicium fisci, nec in præiudicium partis, cui adiudicatum aliquid est pro pœna, non pro interesse.

AD mulctam pecuniariam condemnatus ex causa criminis, si velit bonis cedere, non auditur, non solum in præiudicium fisci,[1] sed nec in præiudiciũ aduersarij,[2] quamuis in litis sumptibus quibuscunque ex ea causa irrogatis aliter receptum sit.[3] Si tamẽ pluribus eiusdem delicti socijs eadem sententia sic condemnatis, vtà quolibet in solidum pœna exigi posset,[4] locupletior cõsentiat, vt pauperior ad cessionis beneficium admittatur, nulla aut fisco, aut accusatori fiet iniuria, si cessio recipiatur,[6] quandoquidem ab eo, qui locuples est, exigi solidum poterit:[7] ei vero, qui solidum soluit, partis repetitionem mox à correo habiturus,[8] multo minus fit iniuria, cum cessioni consentiat,[9] cuius beneficium sibi maxime fraudi fore intelligat, quamquam solus ipse prohibere posset, si vellet.[10] Verum quia fisci quoque & aduersarij interest, quandiu mulcta soluta non est, vt plures habeant obligatos, à quibus singulis exigere solidum possint,[11] vel ob id maximè, quod qui hodie locuples est, postmodum fieri pauper possit;[12] Placuit, non prius indulgendum condemnato inopi beneficium cessionis, quam locuples, qui consentit, mulctam, integram soluerit, vt in eum statum res reducatur, quo solius eius interfit, qui consentit.[13] *Ita Senatus* in causa D. de la Composte, & Iacobi Fabri, 13. Calend. Januar. 1594.

1 Tam ex edicto Emanuelis Philip. de mense Febr. 1577. quam ex iuris communis ratione, vt diximus *Defin* 1. *num* 4. *sup r.*

2 Boet. *decis* 341. & alij, quos citat Anton. Tessaur. *decis Pedem.* 182. *num.* 3. & 4. *ex c finem litibus de dolo* [Idque adeo verum est, vt nec audiatur condemnatus si velit bonis cedere Graphario Senatus pro emolumento mulctæ contra eum iudicatæ non quidem fisco (nullum enim pro hac mulcta emolumentum debetur), sed aduersario: quia hoc debitum fiscale esse intelligitur & fisci priuilegio gaudet etiam in persona conductoris emolumentorum, cùm in locationis lege ita nominatim comprehensum est ad maiorem mercedem captandam. Alioqui secus esset. *Ita Senatus* Idib. Sept. 1613. pro Graphario Augusto Paris, contra Velat. Mihi tamen durum id videbatur, cùm etiam debitor Principis possit bonis cedere, *l.* 2. *& 3 C. hoc tit.* dum ne propter honorem municipalem, vel munus, *l. propter* 5. *eod.* Vide Guid. Pap. *quæst.*]

3 Intellige de pœna, quę parti adiudicata est tanquam pœna, non de ea, quæ tanquam interesse, vt concludit Tess. *sup. d. loco, num* 5 *&* 7.

4 Quia condemnatio sumptuum litis tum etiam, cum delictum huic causam dedit, non ob delictum, sed ob litem infligitur, *l eum quem temere* 79 *D. de re iudic.*

5 Hoc enim necesse est exprimi in sententia alioqui non tenentur singuli nisi in viriles, *l.* 1. *&* 2. *C. si plur. vna sent. condemn sunt.*

6 Quod enim vni prodest, & nemini nocet, facile admitti debet, *l in creditore* 38. vbi Bart. *D. de cuict. l pen. C. de precibus Imp offer.*

7 *d. l.* 1. *&* 2. *C. si plur. vna sent. l inter fideiussores* 26. *D. de fid. iuss l. bona* 39 § 1 *de iur fisc* Paulus 43 *C de re iudic.*

8 *l.* 2. *alias l.* 1. *C de duob. reis.* vbi Gl. 1. & DD. de qua tamen vide quæ scripsi *lib.* 11 *Conject.*

9 *L. nemo videtur* 145. *de reg iur l quæritur* 24. § *si venditor. D. de ædil it edict l.* § *vlt. D. quod falsi tutor auct.*

10 Notant nostri *ad l Cuius* 39. *D de pignor. act.* sibi enim imputet, qui admisit rem quam prohibere potuit, *l. qui bona* 15. § *si iuxta D de dam infect.*

11 Nostra enim interest plures habere debitores, *l.* 2 § 1. *l.* 6. § *duobus, & pass de duob reis. l. vlt C de fideiuss.* sicut & plures actiones, *l. qui plures* 3. *l. quoties* 91 *l numquam* 60 *de oblig & action.* Facit *l heres* 2 § *pen. de fideiuss.*

12 *L cura* 4 § *deficientium, D de muner & honor. l ab his* 10. § *auctus de vacat & excus muner, l. litis* 37. § 1 *de neg gest l. chirographus* 57. *de admin tutor. l periculum* 35. *si cert. pet.*

13 Interest enim victoris quandiu sibi solutum non fuit aut plenissime satisfactum, *d. l. vlt. C de fideiuss. l. lice.* 42. § *vlt. de procur.*

DEFINITIO V.

Iussus satisdare ob delictum non est audiendus si bonis velit cedere.

QVid vero si reus non ad mulctam pecuniariam condemnatus sit, sed tantum ad præstandam satisdationem ex ea causa, quæ non possit admittere iuratoriam cautionem?[1] Non recipietur bonorum cessio, quoniam eiusmodi satisdationis præstandæ iniuncta necessitas pœnæ loco est.[2] *Ita Senatus* paulo ante in causa N. Romani Dogier.

1 Puta satisdationem de non offendendo, de qua *in illicitas* 6. § *ne potentiores, D. de offic. præsid.* pro qua non solet admitti regulariter iuratoria cautio, nisi cum paupertate concurrat bona vox & fama eius, contra quem postulatur. Iulius Clar. *l.b.* 5 § *fin quæst.* 46 *num.* 14. *& quæst.* 47 *nu* 5.

2 Vt ex eo apparet, quod in defectum idoneæ cautionis exulare cogendus est is, qui satisdare non potest, nisi sit bonæ vocis & famæ. Clarus *d. num* 5. Condemnationis enim species est, vt quis cauere iubeatur, *l. in omnibus* 41. *D. de iudic.*

DEFINITIO IV.

Aduersus appellantem à minima non admittitur cessio bonorum ante decisam appellationem.

MVlto magis dicendum est, si à condemnatione, quæ mulctam pecuniariam irrogauit, tanquam à minima priuatus accusator, licet solus appellauerit, non esse locum beneficio cessionis pendente appellatione.[1] Quid enim si superior Iudex aut

aut maiorem mulctam infliget, aut ex pecuniaria faciet corporalem? [2] Prius siquidem est, vt sciatur, quid & quantum sit in debito, quam vt cessio fieri possit. [3] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Bartholomæo Baudin, contra N. Delaual, Prid. Id. Septemb. 1595.

1 Quia appellatio extinguit iudicatum, *l.1.§.vlt.D.ad SC. Turpill.*

2 Vtrumque enim pro suo iure facere potest, si delicti atrocitas id exigere videbitur. Finge pœnam arbitrio iudicis relictam esse. Iulius Clar. *li.5 sent.§.fin.quæst.83.nu.11 & seqq.*

3 *L.pen.D.hoc tit. de cess. bonor.*

DEFINITIO VII.

Contra fiscale debitum non admittitur Syndicus ad cessionem bonorum, licet sit debitum vniuersitatis.

SYndicus, qui ab vniuersitate fiscale debitum exigere debuerat, nec exegerat, cum ab exactoribus publicis conuentus & in carceres coniectus esset, neque haberet, vnde solueret, petebat à Senatu, vt ad cessionis beneficium admitteretur. Nam quod dici solet, fiscalis debiti priuilegium illud esse, vt impediat cessionem, [1] non videbatur huic nocere debere, quippe qui non tam suo, quam alieno nomine, id est, pro vniuersitatis debito conueniretur. [2] Sed tamen vilum est periculose id fore exempli, & à Principis rationibus & commodis prorsus alienum, [3] facilius haud dubie in tanta populi egestate electuris Syndicis beneficium cessionis, si ad id admittertenur, quam periculum & incommodum exactionis. [4] Itaque secutus est *Senatus* nostri temperamentum, vt Syndicus ille carceribus eximeretur, & intra certum tempus exigere iuberetur, aut saltem in exigendo quantam posset diligentiam præstare: id ni faceret, rursus in carceres detruderetur. [5] *Ita Senatus* ex tempore pro Syndicis de Meiry, Idib. Septemb. 1595.

1 Socin. *reg 65. in verb. cedens bonis.* Guid. Pap. *quæst 211. nu.* 3. Boer. *decis.* 341. & alij, quos refert & sequitur Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* 182. *nu.*1. * Sunt tamen qui distinguant, an debitum fiscale sit ex contractu, an ex delicto; vt priore casu possit admitti cessio, nõ etiam posteriore. Kanchin *ad quæst. Guid Pap.* 211. Et hanc distinctionem sequutus est Senatus nostri contra D. Ducem Gebennensem 6. Maij 1610. Vide tamen Bart. non distinguentem ad *l.1.C.hoc tit.* Eodem Arresto pronunciatum est, eum cui datum est priuilegium vt nummi ei debiti habeantur pro nummis fiscalibus, non similiter habere priuilegium ne contra eum possit fieri cessio bonorum; est enim priuilegium supremi principis solius: & priuilegium illud debet intelligi quantum ad faciendam exactionem, non quantum ad impediendam cessionem.

2 Neque enim quod vniuersitas debet, Syndicus ipse debere intelligitur, vt nec alij singuli, *l.1.§.1. & 2.l.2.l sicut 6. in prin. & §. si quid eum. l seq. D. quod cuiusque vniuers. nom.* Et hæc ipsa ratio ostendit, non esse admittendum Syndicum ad cessionem bonorum pro debito vniuersitatis. Esse enim debitor debet, qui vult bonis cedere, *l.pen.D.hoc ti §.vlt.Inst.de act.*

3 Non facile autem inducendum ius illud est, quod sit damnosum fisco, ne quidem Principis rescripto, *l nec damnosa 3.C.de precib.Imp.offer.*

4 Cum tamen nullo nisi exactionis incommodo onerari debeat Syndicus. Vnde illud est, quod etiam filiusfamilias, qui bona nulla habet, nec habere potest, Syndicus tamen & vniuersalis actor esse potest, *l item eorũ 6 §.vlt. D quod cuiusq; vniu.*

5 Vt tædio cæteris extorqueatur solutio, sicut interdum tædio missionis in possessionem extorqueatur cautio damni infecti, *l.4 § si fortè, l prætor ait 7 & pass. D de damn.infect.* licet carcer inuentus sit ad custodiam, non ad pœnam, *l. aut damnum 8.§.solent.D.de pœn l si quis filio 6.§ eius qui de iniust.rupt. l.3.D.de custod. & exhib.reor.*

[DEFINITIO VIII.

Non potest renunciari beneficio cessionis bonorum, neque per iusiurandum, nec in iudicio.

ADeò fauorabile est beneficium cessionis bonorum, vt ei renunciari nullomodo possit, [1] non solùm priuata & iurata [2] quoque conuentione, [3] sed nec in iudicio. [4] Neque aliud erit, tametsi ea renunciatio bis ac sæpius in iudicio facta proponatur. [5] Ita vt nec vlla restitutio in integrum eo nomine necessaria sit, [6] quę tamen si ex abundanti petatur, tanto facilius concedenda est. [7] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro Joanne Antonio Verney, 8. Cal. Septemb. 1612.

1 Quia non auditur perire volens *vulg. l non tantum 6. D. de appell.* Nec quisquam dominus est membrorum suorum *l. liber homo* 13. D. *ad leg. Aquil.* vt possit suum corpus in eas angustias cõiicere, vt marcescendum habeat in perpetuis carceribus. Quæ potissimum ratio induxit beneficium legis Iuliæ de cessione bonorum *l 3. C hoc tit.* Bart & Cyn. *ad l.1. C. hoc tit.*

2 Videretur enim iusiurandum hoc prætium contra leges, & ideo valere non potest, *l non dubium 5. C. de legib. l iuris gentium 7. §. & generaliter D. de pact. l si quis inquilinos 12. §. vlt de leg.1.*

3 Non enim possunt priuatorum cautiones & conuentiones legum authoritate censeri, *l vlt D. de suis & legit. l 3. C. de collat. l quod bonis 15. §.1. D. ad leg. falcid.*

4 Maximè namque in iudiciis legum authoritas conseruanda est, cùm iudicia omnia legitima esse oporteat, vt ex veterum iudicum iurisiurandi vetere formula apparet apud Brisson. *lib 8. pag 817.* Adde *l.rem non nouam 14. & Auth. seq. C. de iudic.*

5 Quod enim sæpius factum est contra leges, tanto minus ratum haberi debet, quanto magis eo facto legum maiestas offenditur.

6 Quod enim iure communi conceditur, non facilè extra ordinem est indulgendum *l. in causa 16. in prine. D de minor l. Imperator 30. D de r b author. iud. poss.*

7 Non enim solent nocere, quæ ex abundanti imperantur, *l non solent 91. de reg. iur.* Adde Ioan. Papon. *lib.10. Syntagm. tit. 10. De cession de biens §.3.*]

TIT. XXXII.

DE BON. AVCTOR. IVDIC. possid. & de sep. bonor.

DEFINITIO I.

Missio in possessionem non valet, nisi denunciata sit ipsi aduersario, aut ad eius domicilium affixum fuerit exemplum executionis.

MIssio in possessionem bonorum debitoris si colono aut inquilino, aliive ex domesticis significata sit, vt domino ille renunciaret, nec probetur renunciasse, non nocet domino: [1] qui cum non reperitur, necessario denunciandum est ad eius domum, & significanda denunciatio vni ex domesticis, aut, si nulli sint, affinibus vel vicinis, per quos verisimile sit futurum, vt rem gestam debitor resciat; [2] alioqui nulla & inefficax est missio in possessionem, eumque, qui missus est, potest debitor propria auctoritate impune prohibere. [3] *Ita Senatus* in causa viduæ D. de Genuille, contra Joannem Baptistam Varronem, 13. Cal. Septemb. 1588. Iunge Definit. 1. sup. De in ius vocand.

1 Specul. *in tit de prim. decret. §. restat. vers. quid si colonus, per text. in l fin. C si per vim vel alio mod. cap fin. de eo, qui mittit. in poss rei seruand. caus.*

2 *l.4 § toties, cum ibi not at. D. de dam infect.*

3 *d.l fin. C. si per vim vel alio modo l factum à Iudice 17. de regul. iur. l prohibitum 5 C de iur fisc. libr 10 l. cum hi 8 §. si prætor. D. de transact* Specul. pluribus *in dict. tit de prim. decret. §. iam de effectu, vers. sed quid si iudex, col. 5*

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Dominus directus nullum habet priuilegium pro reliquis annuarum pensitationum si agat in personam, secus si in rem ipsam emphyteuticum.

RElIqua censuum & annuarum pensitationum, si qua debebantur ab eo, qui hæredem non reliquit, nisi cum beneficio legis & inuentarij, peti extra discussionis instantiam non possunt, quoniam personalis ea actio est, per quam intendit actor sibi dari oportere. [1] Sed si dominus directus, quod facere potest, postulet mitti se in possessionem iure directi dominij ob non solutas pensitationes, [2] non erit ad instantiam discussionis remittendus, cum eo casu dominium vtile extra causam hereditatis constituatur, propter ius consolidationis, quo aliud nullum potest esse antiquius. [3] Quod si lis eo nomine agitata sit, & inter collitigantes conuenerit, vt pro sumptibus litis idem fundus maneat obligatus, [4] cauere bonus Judex debet, ne fraudi ea res sit cæteris creditoribus. [5] Itaque sententiam sic concipere debebit, vt adiiciat, *citra præiudicium instantiæ discussionis*; [6] nempe quoniam in aliorum creditorum potestate est offerendo, quod domino directo defunctus debuit, impedire ius consolidationis, [7] atque ita efficere, vt ad corpus hereditatis dominium vtile reuertatur, aut potius vt in patrimonij hereditarij corpore retineatur, quasi nunquam separatum. [8] *Ita Senatus* ex tempore causa quadam Capituli Ecclesiæ cathedralis Mauricnensis, & N. Dupont Domini de Myans, 15. Cal. Sept. 1592.

1 §. *appellamus, Inst. de action.*

2 *Ex l. vlt. C. de iur. emphyt. l. lex vectigali fundo* 31. *D. de pignor.*

3 *Arg. l. ex facto* 52 *vers. respondi, D. de pecul. l.* 1. *D. de tribut. act.* [Melior textus *in l. in liberto* 77. *D. de solut.* Quid verò in cæteris bonis non emphyteuticis? Dominus directus in iis non præferetur. *Def.* 7. *num.* 5. *sup. de iur. emphyt.*)

4 Quo casu non aliud potest Iudex inter litigatores constituere, quam quod inter eos conuenit, *l. si conuenerit* 26. *D. de re iudic.*

5 Ne scilicet ex facto & voluntate collitigatorum lædatur ius cæterorum, *l.* 3. *in princ. D. de transact. l.* 1. *D. de alien. iudic. mut. caus. fact. in l. si iusfamilias* 114. § *Diui* 2. *in fin. de legat.* 1.

6 Exemplo eius, quod scriptum est, *in l. Labius* 30. *in fin. D. de pact. dotal.*

7 Cui scilicet non aliter locus est, quam si Domino directo non satisfiat quandocunque.

8 Cum non possit separari nisi per consolidationem, quæ hoc casu impeditur, oblata quandocumque ante sententiam solutione.

DEFINITIO III.

Inter chirographarios creditores nullum priuilegium est temporis, sed causæ.

PLuribus creditoribus chirographariis concurrentibus, neque is, qui tempore prior est, [1] neque cui maior pecuniæ quantitas debetur, [2] cæteris præferendus est, sed si cætera sint paria, concurrunt, sin minus, præfertur is, qui fauorabiliorem debiti causam habet. [3] Non enim sicut inter hypothecarios, ita & inter chirographarios creditores, qui prior est tempore, prior est iure, [4] sed personalium actionum priuilegia ex causa, non ex tempore æstimanda sunt. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua supra Defin. 14. De iur. delib.

1 Vt inter hypothecarios creditores, *l. si fundum* 4. *& seq. C. qui potior in pignor. hab.*

2 *Vt in l. maiorem* 8. *D. de pact. l. vlt. C. qui bon. ceder. poss.*

3 *l. priuilegia* 42. *D. hoc tit.*

4 Quanquam etiam inter hypothecarios quidam sunt priuilegiarij, *l. interdum* 5. *& seq. D. qui potior. in pignor. hab.*

5 *dict. l. priuilegia.*

DEFINITIO IV.

Non sunt audiendi creditores agentes contra emptorem bonorum, quorum distractioni semel consenserunt, vt iterum vendantur.

POst distracta iudiciali auctoritate bona eius, qui hæredem non habuit nisi cum beneficio legis & inuentarij, si sex menses præterierint, qui ad redimendum præstituti sunt, [1] nullo modo inquietari emptor debet, [2] etiamsi pretium ex venditione redactum dimittendis omnibus creditoribus non sufficiat. [3] Nec aliud erit, tametsi minoris distracta sint bona hæreditaria, quam fuerunt æstimata, cum inuentarium conscriberetur. [4] Etsi enim æstimatio illa, quæ per viros probos fit, cum inuentarium solemne conscribitur, mediocris esse solet, non tamen potest obligare emptorem, vt ex contractu suo conuentus amplius pretium soluere teneatur, quam quod obtulerit. [5] Sed nec heredem ipsum ea æstimatio aliter obligat, quam si creditores & legatarij petant sibi satisfieri ex rebus hereditariis, hoc est, dari eas sibi in solutum, quod vtique pro suo iure facere possunt: sicut & ex contrario, si ab iis heres vrgeatur, liberum illi est, ex ipsis rebus satisfacere, nec omnimodo necessaria est venditio, nisi cum periculo suo fieri eam creditores & legatarij postulant. [6] Quo modo accipit debet, quod traditum est, heredem cum beneficio legis & inuentarij in tantum creditoribus hereditariis teneri, in quantum res substantiæ hæreditariæ ad eum deuolutæ valeant. [7] Sed si postulantibus creditoribus & legatariis via venditionis electa sit, &, vt fieri assolet, bona omnia hereditaria vendi Judex præceperit, eique decreto solemniter & rite satisfactum sit, serum & inciuile est desiderium creditorum aut legatariorum postulantium eadem bona iterum vendi, vel ex iis dari sibi in solutum, tametsi propter factam viliore pretio venditionem futurum sit, vt maneant in damno. Sibi enim imputent, qui hanc viam elegerunt, cum possent petere, vt ex ipsis bonis hereditariis ad ratam factæ per viros probos æstimationis sibi satisfieret. Itaque non tantum emptor aduersus eos tuendus erit, sed etiam heres, cui nimirum necesse fuit decreto Judicis parere. [9] *Ita Senatus* pro illustri D. Francisco de la Thouiere de Grolee, contra N. Antonium de Rochette, & Claudium du Cloz, 13. Cal. Januar. 1592.

1 Quod totum semestre tempus liberum est heredi ad pignora redimenda.

2 Ne quidem prætextu minoris ætatis, alioqui nemo accedet ad emptionem rerum hereditariarum, nec si bona fide distrahantur, *l. ait prætor* 7. *alias, l. etsi sine* § *quæsitum, D. de minor.* nec sane fides hastæ facilè conuelli debet, *l. si hypothecas* 8. *C. de remiss. pignor. l.* 1. *& 2. C. ne fisc. rem quam vend. euinc. l. br.* 10. *tit.* 5.

3 *l. vlt.* § *sin vero creditores, C. de iur. delib.* iunct. § *sed nec.*

4 Non enim pluris esse res vlla videri potest, quanti vendi potest publice, *d.* 5. *quæsitum.* dummodo nihil dolo malo factum sit, *l. si quos* 29. *C. de rescind. vendit. l. pen. & vlt. C. si vend. pignor. agat.*

5 Siquidem substantia emptionis consistit ex pretio, quod fuerit conuentum inter cõtrahentes [non quod ab aliis sit constituendum, *l. pacta conuenta* 72. *vers. Paulus notat, D. de contr. empt l. vlt. C. eod. l. si voluntate* 8. *C. de rescind. vendit.*

6 *d. l. vlt.* §. *& si præfatum.* vbi Bald. & Castr. *C. de iure delib.*

7 *d.* § *& si præfatum.*

8 Ita potest iis obiici vulgatum illud Brocardicum, *Pateat tibi via, quam elegisti, l. si mulier* 21. §. *vltim. D. quod metus caus.*

9 *l. non videntur* 167. *qui iussu, de reg. iur.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Aduersus distractionem iudicialem pignorum non magis fauetur absentibus creditoribus, quam præsentibus, dummodo vocati sint publico programmate. Excipiuntur pupilli, quorum tutoribus non fit denunciatum.

NEc distinguemus, an creditores hi aut legatarij venditioni interfuerint, quamquam minor in his dubitatio est, an vero adfuerint. Nam si in prouincia fuerunt, generali programmate vocatos eos esse sufficit, vt pro præsentibus habeantur, [1] nisi forte pupillos proponas, qui sane pro præsentibus haberi non possunt, [2] ne tum quidem, cum habent tutorem, si non ipsi tutori nominatim denunciatum sit; [3] sin abfuerunt, licet Reipublicæ causa, aut quod forte in alia longeque remota prouincia habitarent, non eo magis audiendi sunt. [4] Et quia si præsentes fuissent ac contradixissent, maioris tamen partis creditorum vota sequi Judex debuisset, [5] (etsi posset dici, maiore pretio fuisse illos empturos ad consequendam indemnitatem, si venditioni adfuissent [6]) & quia eorum indemnitati consultum esse potest per hypothecariam aut condictionem ex lege Justiniani, aduersus legatarios & posteriores creditores. [7] Quod siut ipsi omnium postremi, id vnum iis superest, vt vicem suam doleant, quod & posteriores creditores fuerint, & absentes. [8] Rursus nec distinguemus, an qui præsentes fuerunt protestari sint, ne quid iis præiudicij ex publica venditione fieret, necne. Nihil enim potest ea protestatio prodesse aduersus publicam venditionem auctoritate Judicis factam. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si eo tempore 6. C. de remiss. pignor.*

2 *L. in possessionem 6. §. 1. D. quibus ex caus. in poss. eat.* Papon. *lib. 18. tit. 6. de criées & subhastations. Arrest. 1.*

3 *Vt in l. Æmilius 38.* ibi, *denunciationibus tutoribus sæpe datis. D. de mino.* Alioqui hæc ætas creditur ignorare illa etiam, quæ videt, *l. 1. C. de fals. monet.*

4 Quamuis edicto prætoris non minus excipiantur, qui absunt Reipublicæ causa quam pupilli, *in d. l. in possessionem 6. §. 1. D. quib. ex caus. in poss. eat.*

5 *L. iuris gentium 7 §. vlt. cum l. seq. D. de pact. l. vlt. C. qui ceder. poss.* vt proinde videatur hoc casu locus esse iuris regulæ, quæ vult, posse fieri te ignorante, quicquid posset fieri te inuito, *l. qui potest 26. de regul. iur.*

6 Potuissent enim & ipsi licitari cum extraneis, adeoque cæteris paribus expraneos vincere iure creditorum, *l. cum bona 16. D. de bon. auctor. iudic. possid. alias l. 1. de priuileg. cred.* iunct. *l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

7 *Ex l. vlt §. sin vero creditores, C. de iur. delib.*

8 Nec enim potest absentia facere meliorem conditionem posteriorum creditorum, quia non magis aliis, quam ipsi debet esse damnosa, *l. absentia 140. de regul. iur.*

9 *L. tutor vrgentibus 47. in princ.* vbi Bart. *D. de minor.*

DEFINITIO VI.

Casus duo, in quibus auditur creditor vel legatarius petens iteratam distractionem pignorum iam distractorum.

DVo tamen casus sunt, in quibus audiendus est creditor aut legatarius petens, vt bona iam semel vendita iterum distrahantur. Vnus est, si omissa hastarum solemnitate venditio facta sit. Rite siquidem & seruatis solemnibus factam esse oportet, vt emptor sit securus. [1] Alter, si pretij vilitate gratiosam emptionem in fraudem creditorum & legatariorum factam esse appareat. [2] Sed quod ad priorem casum pertinet obseruandum est, non eo minus rite factas videri subhastationes, quod forte curator datus hereditati citatus non sit, aut quidam ex creditoribus, si modo citati sint illi, qui venditionem impugnare volunt: [3] quod ad posteriorem vero non ex sola pretij vilitate induci præsumptionem fraudis certum est, [4] nec si proponas empta bona per maritum hæredis institutæ, [5] nisi manifeste appareat collusum inter coniugem maritique personam suppositam fuisse, vt sub eius imagine res ipsa in possessione remaneret. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. 2. vlt & pass. C. si vendit. pignor. agat.*

2 *L. 1. C. de fid. & iur. hast. fiscal. lib. 10. tit. 3. l. si quos 29. C. de rescind. vendit.*

3 Neque enim si quid contra aliquos peccatum sit, aliis prodesse debet, qui rite ac solemniter citati fuerunt, siquidem quod alius citatus non est, non interest mea, *l. etiam 29. §. vlt. D. de minor. l. rescriptum 10. D. de pact. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

4 *L. dolus emptoris 10. C. de rescind. vendit.*

5 Cum ab ipsa quoque hærede instituta emi potuerint. *l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

6 *L. & qui sub imagine 10. C. de distract. pignor.* Facit *l. si is qui bonis 91. D. de acq. hæred. l. contractus 54. D. de oblig. & action.* Paul. *lib. 2. sent. tit. 13. §. 4.*

DEFINITIO VII.

Creditor constitutarius potest suam possessionem auocare ab eo etiam, qui emit pignus distractum ex Iudicis auctoritate.

ADdunt quidam, nec male, tertium casum, quo emptor inquietari potest, si vendito facta sit ignorante eo creditore, qui bona debitoris omnia obligata habebat cum clausula constituti. Nam si is auocare velit propriam possessionem condictione ex lege Justiniani etiam ab emptore, cui rem vendi, cum venderetur, ignorauerat, [1] audiendus est, quandoquidem possessio illa est extra causam hæreditatis, [2] quæ proinde ignorati ei nullo modo auferri potuit. [3] Et si enim non potest constituti clausula facere, vt impediatur venditio pignoris, cum bona debitoris omnia postulantibus creditoribus & impetrante Judice vendenda sunt, vt singulis ex ordine satisfiat: [4] facit tamen, vt si is creditor anterior fuit, non prius adimenda ei sit post venditionem possessio, quam acceperit solutionem. [5] Proinde non proderit emptori, quod aliis creditoribus posterioribus licet iustis soluerit, nec cogendus erit is, qui fuit in iusta possessione, vt agat contra posteriores creditores, quibus solutum est, cum auocata propria possessione sibi per retentionem prospicere commodius possit. [7] *Ita* in eadem causa tractatum est, & antea pronunciatum, vt quidam referebant pro Joanne Ducrest mercatore Cambe iensi. *Sine die.*

1 *Ex l. vlt. C. de acquir. poss.* quam & Interpretes & Pragmatici nostri sic accipiunt, quasi ad hunc quoque casum pertineat, tcontra quos tamen vide quæ scripsi in priore parte Chiliadis *de error pragmat.*

2 Cum non possit esse hæreditatis, nisi quod fuit defuncti mortis rempore, *l. 1. §. Scæuola, D. si is qui testam. lib. ess. iuss.* iunct. *l. sequens quæstio 67. de legat 2.*

3 *d. l. vlt. C. de acquir poss.*

4 Quia clausula constituti non facit, quo minus res creditori obligata remaneat in dominio debitoris, nec proinde quin possit distrahi pro debito.

5 Nam nec nisi per ius offerendi posset creditor anterior cogi distractionem pati rei sibi obligatæ.

6 Quomodo prodesset ei, si à creditore anteriori conueniretur per hypothecariam, *l. vnic. §. nec aduersus emptores. C. de iur. delib.*

7 Melius enim est possidere, quam agere, *l. is qui destinauit 24. D. de rei vindic. §. commodum, Inst. de interd.* & plus cautionis est in rem, quam in personam, *l. plus cautionis 25. de reg. iur.*

DEFINITIO VIII.

In pari causa non est potior causa eorum, qui vel à testatore, vel à Iudice priores nominati sunt.

BIU Cujas

CVm inter creditores de ordine ac priuilegio disputatur, non sunt cæteris paribus præferendi illi, qui vel à testatore, vel verbis sententiæ Iudicis priores nominati proponuntur. Sed si in eodem omnes gradu constituti sunt, & in eadem priuilegij causa simul admittendi sunt, cum fieri nequeat, vt etiam ex his, qui simul admitti debent, alij aliis priores non nominentur: [1] Itaque hoc casu distributio pecuniæ, quæ ex bonorum venditione redigitur, exæqua lance fieri debet, [2] quod Galli dicunt, *à sold & liure*, per solidum & libram. *Ita Senatus* in eadem causa D. de Grolee.

1 In coniunctis enim ordo nullus est, nec quicquam interest, vtrum eorum dicatur prius, aut scribatur, *l. quidam*, 14. *D. de pecul legat. l. nec enim 6. D. de solut.* Excipe tamen casum *l. generaliter* 24. *§. quid ergo, D. de fideic. liber. l. quoties*, 34. *D. de vsufruct.*

2 *Vt in l. priuilegia* 42. *D. hoc tit.*

DEFINITIO IX.

Prætextu anteriorum creditorum postea superuenientium non potest recusare emptor, quo minus soluat anterioribus præstita per eos satisdatione.

DIstractis ex Judicis mandato bonis hæreditariis, si antequam ex emptoris pecunia dimissi essent creditores omnes, quibus ex ordine satisfieri Judex præceperat, alij creditores iique anteriores superueniant; non idcirco petere emptor potest, vt differatur solutio pretij in id vsque tempus, quo de nouorum creditorum iure cognitum sit: imo [1] nec vt ea cognitione pendente liceat sibi, quod ex pretio soluendum supereſt, obsignare. [2] Præcise enim cogendus est soluere, sed per modum fiduciæ dumtaxat, &, vt loquuntur, prouisionaliter, non diffinitiue, & consequenter præstita cautione. [3] Prouisionaliter quidem, quoniam, quamdiu de anteriorum creditorum iure dubitatur, non debet cæteris iam indubitatis mora fieri: [4] non tamen diffinitiue, quia æquum est, saluum manere ius anteriorum creditorum, licet posteriores veniant. [5] Nam quod dici solet, nihil interesse emptoris, an alij creditores superueniant necne, propterea quod non aduersus eum, sed contra legatarios & posteriores creditores conditionem habituri sint, [6] tum demum verum est, cum posterioribus emptor soluit, priusquam ius anteriorum creditorum compertum haberet; [7] alioqui imputari sane posset emptori, cur sciens posterioribus soluisset. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum enim rem ipsam penes se iam habeat, non debet interim & rem, & pretium retinere, *l. ex empto* 11. *§. qui autem, l. Iulianus* 13. *§. veniunt, l. bona fides* 50. *D de act. empt.*

2 Tunc enim ad obsignationem deueniri solet, cum nemo est cui solui possit, *l. vlt.* D. *de leg. commiss. l. si per te non stat* 7 *l. acceptam* 19. *C. de vsur.*

3 Nec enim solet prouisionalis vlla fieri adiu dicatio, nisi præstita satisdatione. Dixi *Defin.* 2. *&* 7. *supr. de sent. & interloc. omn. iudic.*

4 *L. vlt. §. & si præfatam, & seq. C. de iur. delib.*

5 Vt scilicet possint consequi indemnitatem etiam contra creditores posteriores, qui suum receperunt, *dict. l. vlt. §. sin vero creditores.*

6 *d. § sin vero creditores.*

7 Iniquum enim est, non impune soluere illum, quem prætor possit, vt soluat cogere, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem*, D. *quæ in fraud. credit.*

8 Intellige, nisi hoc ipso apud prætorem allegato nihilominus cogeretur, vt solueret posterioribus, *l. ait prætor*, 7. *§. sed etsi ei, vers. puto autem, D. de minor.* Bene namque soluit, quisquis soluit cogente Iudice, *l. sancimus* 25. *Cod. de administrat. tutor.*

DEFINITIO X.

Curator dandus est hæreditati tanquam iacenti, si hæres cum beneficio legis & inuentarij aliquæ habeat actiones, alioqui non valent, quæ contra hæredem gesta sunt.

HÆreditate per hæredem adita cum beneficio legis & inuentarij, etsi dici non potest, iacere illam, quæ hæredem habet, [1] perinde tamen curator dandus est, si id ab hærede ipso, aut à creditoribus petatur, ac si iaceret. [2] Quamquam enim creditorum actiones excipere hæres potest, non secus ac si pure hæres esset, [3] non tamen possunt illi vicissim excipere actiones hæredis, quæ ex beneficio legis saluæ manent, [4] cum defuncti personam non repræsentent, quomodo repræsentat hæreditas. [5] Alius enim pro debito conueniri non potest quam debitor, aut qui eius personam repræsentat, id est, hæres vel hæreditas. [6] Sed & creditorum non parum interest, esse aliquem, qui hæreditatis commoda curet, caueatque, ne qua fraus per hæredem aut alios fiat, vt facilius hæreditas soluendo reperiatur. [7] Denique quod ad hæredem pertinet, cum creditor maneat, nec possit creditoris simul & debitoris personam sustinere, perinde est ac si hæreditas iaceret. [8] Itaque si quid ante datum curatorem inuito hærede factum sit in hæreditate, vrgentibus quibusdam ex creditoribus, ratum id haberi non debet, quasi indefensa hæreditate, adeoque indefenso hærede, qui vtique de iuribus suis siue agendo, siue excipiendo non prius experiri potuit, quam curator hæreditati datus esset. [9] *Ita Senatus* pro hæredibus Petri Gleyron, contra R. D. Archiepisc. Tarentas. 17. Calend. Februar. 1593.

1 Hæres enim cum beneficio legis & inuentarij perinde heres vere est, atque is, qui hæreditatem pure agnouit, *l. vlt. C. de iur. del. b.*

2 Eo namque iure vtimur, vt hoc casu detur curator hæreditati, & quidem tanquam iacenti, *ex l. vlt. § sin autem in secunda, vers. nolente, C. de bon. quæ liber.* Contra quam sententiam vide quæ scripsi in prioribus Decadibus *de error. pragmat.*

3 *d. l. vlt. §. etsi præfatam*, iunct. *l. vlt. C. de hered. act.*

4 *d. l. vl. §. in computatione, C. de iur. deliber.*

5 *L. hæreditati* 34. *D. de acquir. rer. domin. l. hæres*, 21. *D. de vsucap.*

6 Ne alioqui conueniatur alius pro alio, *l. pen. & vlt.* iunct. *Auth. sed omnino, C. ne vxor pro marit.*

7 Est enim semper suspecta persona hæreditatis, qui hæreditatem agnoscit cum beneficio legis & inuentarij, propter fraudes, quas hoc genus hæredum comminisci solet. Ideoque, nimirum vt his fraudibus via præcluderetur, necesse fuit edicto publico apud nos prospici creditoribus & caueri, vt pendente discussionis instantia hæreditariarum rerum possessio hæredi auferatur.

8 Quia difficile est, vt quis duorum personas in vna sustineat, *l. si plures* 9 D. *de pact.* nec potest quisquam agere contra scriptum *l. ne cum filio familias* 16. D. *de furt.*

9 Nemo enim potest agere, nisi aliquis sit legitimus contradictor, qui conueniatur, *l. item ait* 21. *§. hæc autem restitutio, D. ex quibus caus. maior. l. vlt. D. de leg. commiss.*

DEFINITIO XI.

Creditor constitutarius non potest possessionem suam retinere, sed non vrgere venditionem pignoris pendente instantia discussionis.

CReditor, qui per clausulam constituti aliáue qua ratione possessor pignoris factus est viuo debitore, quamuis pendente inter hæredem cum beneficio legis & inuentarij, omnesque creditores hæreditarios, instantia non sit prohibendus, quo minus in sua possessione maneat; [1] ideoque in causa possessionis vincere debeat, [2] petere tamen non potest, vt pignus distrahatur, quoniam ius distrahendi afficit causam proprie-

BIU Cujas

proprietatis, [4] cum futurum sit, vt ex eiusmodi venditione dominium in emptorem transferatur: [5] quæ res iniuriam faceret anterioribus creditoribus, quibus vtique ex ipso pignore eiusve pretio prius satisfieri necesse est. [6] Itaque necessario differri venditionem pignoris oportet in id vsque tempus, quo de omnium creditorum iure cognitum sit & pronunciatum. [7] Nisi forte proponas consentire creditorem, qui possidet, vt pignus distrahatur saluo iure hæredis & creditorũ. [8] Finge hæredem debitoris implorato beneficio legis & inuentarij prætendere ius fidei commissi in re illa obligata, nec dum tamen de illo fideicommissi iure constare: [9] Poterit creditor consentire, vt saluo fideicommissi, si quod sit, iure pignus distrahatur. [10] Etsi enim vix est vt reperiatur, qui ad emptionem velit hac lege accedere: [11] ea tamen venditionis vilitas esse poterit, quod nemine alio emere volente creditor ipse empturus est, [12] atque ita lucraturus fructus, qui alioquin ei in sortem imputarentur. [13] Quanquam videri potest fieri iniuria debitori, si ob iniquam venditionis legem nemine ad emptionem accedente res viliori pretio addicatur creditori. [14] Proinde distractionem quam libet interea impediri melius est. [15] *Ita tractatum est* in causa Illustris Dominæ Carolæ à Camera, viduæ Comitis du Pontdeueyle, 5. Non. April. 1593.

1 *Ex l. quod meo* 18. *D. de acquir poss.*

2 Quia podessio illa, cum sit extra causam hæreditatis, nihil commune habet cum discussionis instantia, in qua non tractatur nisi de hæreditate. Dixi *Defin. 7. supr. eod.*

3 In qua scilicet non quæritur, nisi quis possideat, *l. 1. §. vlt. & l. 2. D. vti possid.* iunct. *l. vlt. C. de acquir. poss.*

4 Quæ nihil commune habet cum possessione, *l. naturaliter 12. §. nihil commune, l. pen. D. de acquir poss.*

5 *Inst. quibus alien. non licet, in princip. l. qui à creditore* 18 *& pass. C. de distr.*

6 Non quasi causa dominij aliquid commune habeat cum intentione pignoris, *l. 1. § cum prædium, D. de pign.* sed quia per publicam pignoris venditionem factam ex Iudicis auctoritate tollitur ius pignoris etiam in præiudicium absentium, si modo per publicum programma vocati fuerunt, vt dixi *Defin. 5. supr.*

7 Melius enim est intacta omnium iura seruari, quam post vulneratam causam remedium quæri, *arg. l. vlt. C. in quib. caus. non est necess. in integr. restit.*

8 Ea namque exceptio ius omnium conseruaret, *l. 4. §. 1. D quibus mod. pign. vel hypothec. soluit. l. Babius, 30. in fin. D. de pact. dotal.*

9 Quo casu non debet sola fideicommissi allegatio facere moram creditori *l. ille à quo 12. §. 1. D. ad SC. Treb.*

10 Ne aut sibi mora aut fideicommisso præiudicium fiat.

11 Nemo enim accedit ad emptionem, nisi vt rem à se emptam perpetuo sibi habeat, *l. ait prætor 7. §. quæsitum, D. de min.*

12. *Iuxta l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

13 *L. 1 2. 3 & pass. C. de pignor. action.*

14 Si quidem ea lex iniqua esset hoc casu pars pretij, *l. fundi partem 79. D de contr. empt. l. si sterilis 21. § si tibi fundum, D. de action. empt.*

15 Ne ex vnius facto alius lædatur contra vulgares iuris regulas, *l. non debet 74. de reg. iur.*

DEFINITIO XII.

Venditori, qui sibi pro pretio retinuit ius prælationis & possessionis, non potest discussionis instantia objici, adeoque offerri si dominium sibi reseruauerit.

SI quis rem suam vendiderit, seruato sibi per expressam conuentionem iure non tantum pignoris, sed etiam prælationis in re vendita, ni pretium solueretur, [1] mortuo ante solutum pretium emptore, non est cogendus de iure suo disputare cum cæteris creditoribus in generalis, vt vocant, discussionis instantia, siue prior ille sit, siue posterior, dummodo possessor. [2] Sane poterunt cæteri creditores ei offerre, siue anteriores sint, siue posteriores, [3] si pignoris tantum & prioritatis, non etiam dominij ius sibi excepérat in eum casum, quo pretium ad diem solutum non esset. [4] *Ita Senatus* ex tempore in causa N. Francisci de la Gouz, contra Euerardum Daugnon, 13. Cal. April. 1593.

1 Ne fiat locus quæstioni, de qua *in l. licet 7. C. qui potior. in pign hab.* iunct. *l. procuratoris 5. § sed si dedi, D. de tribut. act.*

2 Possessionem enim necesse est extra hereditatis causam esse, vt dixi *Defin. 7. 5.* alioqui secus est.

3 Quia etiam posteriores creditores habent ius offerendi, *l. 1. l. prior 5. & pass. C. qui potior. in pign hab.*

4 Quia post acquisitum creditori dominium rei obligatæ nullum posteriori creditori superest ius offerendi, *l. 2. C. si antiq. credit. pign. vendit.*

5 Offertur enim creditori tantum, non domino, nisi in casu *l. si mandatu 59. §. . D. mandat. l. 2. l. 5. §. 1.* iunct. *l. 3 in princ. D. de distract. pignor.*

DEFINITIO XIII.

Casus, in quo possunt creditores anteriores agere contra emptorem rerum hereditariarum, qui soluit posterioribus, hactenus scilicet vt eædem res iterum distrahantur.

TVtor, qui pupillum paternæ hereditati immiscuerat, priusquam legis & inuentarij beneficium imploraret, [1] cum vrgeretur à paternis creditoribus, fundum hereditarium Titio vendiderat ea lege, vt ex pretio his & illis creditoribus satisfaceret. Post paucos dies pluribus nouisque emergentibus creditoribus beneficium inuentarij impetrauerat, [2] Titius nouissimis creditoribus soluerat, non iis, quibus ex emptionis lege solui debuerat, sed tamen tutore ipso consentiente, adeoque interueniente Judice, iis, licet absentibus & ignorantibus, quibus pretium fuerat destinatum. Quærebatur, an si priores illi agerent hypothecaria in fundum, qui Titio venditus fuisset, audiendi essent? Mouebat, quod ex Justiniani constitutione securus est emptor, qui creditoribus hereditariis soluit, licet posterioribus, nec inquietari potest ab anterioribus, salua iis aduersus posteriores condictione. [3] Nec obstare videbatur, quod aliis Titius soluerat, quam quibus ex contractu soluere debuisset. Nam cum iis absentibus & ignorantibus facta venditio fuisset, non poterat videri ius vllum iis quæsitum ex tutoris stipulatione, [4] nisi quatenus pupilli eiusdémq; heredis interesset: [5] cuius porro nihil intererat, vtri ex heredibus solueretur. [6] Neq; vero emptori poterat imputari, cur posterioribus soluisset, consentiente eo, qui ipse stipulatus fuerat, vt prioribus solueretur. Cur non enim mutuo consensu licuit illis recedere à lege conuentionis? [7] Accedente præsertim Judicis auctoritate. [8] Sed tamen placuit, audiendos anteriores creditores, qui eundem fundum publice vendi postularent. Primum, quia præcedens illa venditio priuata facta erat ante imploratum beneficium legis & inuentarij. [9] Lex enim, [10] quæ huiusmodi venditiones ratas manere vult, de iis nominatim loquitur, quæ ab herede factæ sunt post inuentarium legitime confectum, aut pendente inuentarij confectione. Etsi enim, qui pure adita primum hereditate agnouit postea beneficium legis & inuentarij, iam inde ab initio heres cum eo beneficio fuisse intelligitur, propterea quod fieri nequeat, vt pro parte temporis quisquam heres pure sit, pro alia vero parte cum beneficio inuentarii: [11] non tamen ex eo recte inferas, venditionem, quę ante imploratum legis beneficium facta sit, secuto postea legis beneficio, perinde habendam, ac si post confectum inuentarium facta esset. [12] Imo vero perinde haberi debet, ac si beneficium inuentarij prorsus neglectum fuisset. [13] Et consequenter iuri anteriorum creditorum derogare non potuit, [14] saluo emptori ad

BIU Cujas

inhibendam hypothecariam solo iure offerendi. [15] Mouit etiam Sena ũ quod vilissimo pretio facta venditio proponebatur, [16] quodque anteriores illi creditores priores quoque egerant & diligentiores fuerant ad suum consequendum, vt iis imputari non posset, cur sibi melius non vigilassent. [17] Sed de illo dubitari magis poterat, an quod emptor posterioribus creditoribus mandante tutore, adeoque Judice soluisset, ab iis repetere posset, cum dici soleat, repetitionem nullam esse ab eo, qui suum recepit, etiamsi ab alio solutum sit, quam qui debebat. [18] Et tamen in damno versari emptorem iniquum est, qui bona fide & emerit, & soluerit. [19] Placuit, posteriorum creditorum damno potius id cedere debere. [20] Dat enim Justinianus condictionem creditoribus anterioribus aduersus posteriores, qui suum receperunt. [21] Et sane quoties beneficium legis & inuentarij agnitum est, id obseruari conuenit, vt inter creditores ordo seruetur, & priuilegium temporis, [22] quasi Iudice ipso potius, quam hærede ex bonis hæreditariis soluente. [23] *Ita Senatus* pro Dn. Iacobina de Monluel Comitissa d'Entremons, contra Joannem Ripet, & N. Mattel, Idib. Iun. 1594.

1 Tutor enim pupillum suum paternæ hæreditati potest immiscere etiam ignorantem, cum sit pupillus patri suo heres. Iuus ipso iure, *l.1.§ qui sunt in potestate, D si quis emis. caus. testa.*

2 Nam & hoc potest facere tutor, qui posset etiam post immixtionem omnino abstinere pupillum. *l. pen D. de auct tutor. l. necessarius 57 D. de acq hered. l. ex contractu 42 D. de re iudic.*

3 *L. vlt. § sin vero creditores, & seq. C. de iur. delib.*

4 Nec enim per liberam personam alteri quicquam acquiri potest. *l. stipulatio ista 38. §. alteri. de verbor obligat. l. & licet 15. D. de const. pecun. l. 1. C. per quas person. neb. acquir.*

5 Quo tamen casu actio deberet esse pupilli non creditorum *d. §. alteri.*

6 *Vt in l. huiusmodi 84 §. vlt. de legat. 1.*

7 *L. qui Romæ 122. § Flauius*, cum ibi not. per Bart. & alios *de verb. oblig. not. ad l. 3. C. de donat. quæ sub mod.*

8 *L. ait prætor 7. § 1. D. de minor. l. sancimus 25. C. de admin tutor. l. quod autem 6. § apud Labeonem, D. quæ in fraud cred.*

9 Et consequenter ab eo, qui eiusmodi venditione se obstrinxerat vniuerso ære alieno.

10 *d. l. vlt. § et si præfatum, & seq. C. de iur. delib.*

11 Non magis, quam vt pro parte temporis hæres quis sit & pro parte non sit, *l. hæreditas ex die 34.* cum ibi not. *D. de hæred. instit.*

12 Omnes enim conuentiones habent tacitam illam conditionem si res in eodem statu manserit, *l. cum quis 38. in princ. l. si cum Cornelius 82. D. de solut.*

13 Quo casu nulla lex esset, quæ arceret creditores anteriores, ne possent rem obligatam & insciis se venditam ab emptore vindicare, cum pignoris persecutio sit in rem, *l. 1. § cum prædium, l. pignoris 17. D. de pignor.*

14 Intellige de hypothecariis. Nam chirographarij non possent reuocare venditionem, nec si filius post immixtionem se in totum abstinuisset, *l. quoties 44. D. de acquir. hered.*

15. *L. 1. l. prior 1. & pss C. qui potior. in pign. hab.*

16 Quia tam magna vilitas pretij inducit plerumque magnam suspicionem fraudis, *l. si quos 29 C. de rescind. vend. l. si quis cum aliter 36. cum ibi not. D. de verb. obl. g.*

17 *d. § sed et si præfatam*, iunct. *l. pupillus 24. D. quæ in fraud. credit.*

18 *L. repetitio 44. D. de condict. indeb.*

19 Quique soluere habuit necesse, *l. quod si minor 24. § restitutio, D. de minor.* Iunctis iis legibus, quas citauimus *nu. 7.*

20. Nam inter creditores hypothecarios regulariter obtinet, vt qui prior est tempore, potior sit iure, *l. 1. l. si fundum 4 C. qui potior. in pign hab.*

21 *In d. l. vlt. § sin vero hæredes, C de iur. delib.*

22 Quantum scilicet ad creditores hypothecarios, non quantum ad chirographarios, *l. priuilegia 42 D. hoc tit.*

23 Nam factum iudicis hoc casu est factum partis, *l. 1. C. si in caus. iudic. l. si ob causam 13. C. de euict.*

DEFINITIO XIV.

Bona etiam publice vendita an & quando, & quibus postulantibus iterum vendi possint?

ETsi publicas venditiones facile retractari non solum est iniquum, sed etiam exemplo perniciosum, [1] si tamen vili pretio factæ dicantur, & superuenientes creditores, siue anteriores siue posteriores petant, vt iterum bona vendantur, quo magis aucto pretio singulis ex ordine satis fieri possit, æquissimum est ipsis succurri, ne in damno morentur: [2] sed ita tamen, vt non prius emptori possessio aufferatur, quam ei sit restitutum quicquid ex causa emptionis persoluit. [3] Aliud erit, si priori venditio iis vocatis facta proponatur, qui iterum vendi bona postulant: sibi namque imputare debent, cur aut ipsi pluris licitati non sint, aut alios emptores non subiecerint, vt iusto precio bono venderentur. [4] Illud sane exploratum est, venditionem, quantumuis publice factam, iis nocere non posse, qui cum essent certi creditores & cogniti, nominatim tamen citati non fuerunt. [5] Generale namque programma non nisi ad incertos ignotosque creditores pertinet. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ne alioqui eueniat, vt nemo velit accedere ad publicas venditiones, *l. ait prætor 7 §. quæsitum*, iunct. *l. si ex causa 9. in princ. D. de minor.*

2. Intellige si per gratiam vel sordes facta sit venditio, vt in *Defin. 3 eod.* Aut si nihil possit imputari creditoribus, cur suo tempore non venerint. Alioqui secus est, vt dixi *Defin. 4. & 5.* Et sequitur statim.

3 *L. à Diuo Pio 15 § quod si res pignorata, D. de re iud. l. 1. C. si vend. pignor. agat.*

4 *L. 2. C. si in caus. iudic. pign. cap. sit.* dixi *d. Defin. 4. & 5.*

5 Qui enim certi sunt, debent nominatim vocari & citari personaliter aut ad domicilium, *l. 4 §. prætor ait, & seq. cum ibi not. D. de damn. infect.*

6. *L. si eo tempore 6 cum ibi not. C. de remiss. pignor. l. cum vero 26. § subuentum. D. de fideic. libert.*

DEFINITIO XV.

Hæredi bona non sunt obligata creditoribus defuncti, quamuis defuncti bona sint obligata hypothecariis creditoribus hæredis, & de separatione.

HÆres quidem adeundo debitoris hæreditatem censetur hoc ipso quasi contrahere cum creditoribus hæreditariis, sed non ideo tamen fit, vt si defuncti bona creditoribus obligata fuerunt, siue expresse, siue tacite, hæredis quoque facultates eodem pignoris vinculo teneantur. [1] Quamquam in possessionem bonorum hæredis perinde mitti possunt paterni creditores, atque in possessionem rerum defuncti, [2] tametsi à proprijs ipsius hæredis creditoribus prohibeantur. Nam si hæres quoque suos habeat creditores, nec defuncti hæreditas sit soluendo, impetrare separationem non possunt creditores hæredis. At ex contrario paterni creditores possunt, si hæredis bona dimittendis propriis creditoribus non sufficiant. [4] *Ita Senatus* in causa Sp. Iacobi Daurieux Aduocati Mautianensis, & Mi. haëlis Frete, 7. Calend. Iul. 1594.

1 *L. 3. §. vlt. & l. sed. D. quibus ex caus. in poss. eat. §. hæres quoque, Inst. de ob. ig. quæ ex quasi contr.*

2 Non enim bona hæredis obligata sunt pro debito defuncti. *l. 1. C. commun. de legat.* nisi expresse.

3 Scilicet ex edicto si hæres se non defendat, cum factus ille sit debitor per aditionem, *dict. l. 3. §. vltim quibus ex caus. in poss. eat.*

4 *L. 1. § 1. & 2. D. de separat.* vbi ponitur ratio diuersitatis elegans & aperta. Intellige autem hoc de hæredis creditoribus chirographarijs, de quibus solis agitur *in dict. titul. de separat.* Nam si sint hypothecarij, quamuis tempore posteriores, haud dubie præferuntur creditoribus defuncti quibuscumque in bonis hæredis, & quidem suo iure, ita, vt nullo egeant beneficio separationis, non tanquam potiores, sed tanquam soli in pignore, *l. 2. D. qu potior. in pignor. hab.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XVI.

Emptor sub pacto de retrouendendo, licet sit dominus, cogitur tamen de iure suo disputare in discussionis instantia, & quomodo ei succurrendum sit?

EMptor rei alicuius sub pacto de retrouendendo venditæ, licet sit dominus & possessor, cogitur tamen perinde, ac si esset creditor nudus aut hypothecarius, de crediti sui iure inter cæteros creditores aduersus hæredem vel hereditatem disputare, quoties agitur de bonis defuncti auctoritate iudicis possidendis vel venundandis (quam generalis discussionis instantiam vocant) adeoque pati distractionem rei, non aliter, quam si esset hereditaria.[1] Quoniam negari non potest, quin ex potestate pacti de retrouendendo hypotheca rei, &, vt loquuntur, ipsa plurisualentia sit hereditaria,[2] & consequenter tota res propter hyperocham,[3] cuius alioqui effectus nullus futurus esset, si à re ipsa separaretur.[4] At quoniam illud quoque verum est rem emptã & acceptam in dominio esse emptoris,[5] cuius ob eam causam meliorem conditionem esse oportet, quam si esset creditor,[6] ita temperari rem æquum erit, vt si aliis creditoribus postulantibus distractio permissa & facta sit, non prius ei possessio auferatur, quam ipsi satisfactum sit pretij nomine, cæterarumque omnium accessionum.[7] In quibus ij quoque sumptus continebuntur, quos emptor hic in conseruandę aut melioranda rei causam fecerit.[8] *Ita Senatus* in causa R. D. Bernardi Combet, Archidiaconi Tarentasiensis, & N. Antonij le Bœuf, Prid. Cal. Septem. 1594.

5 Tametsi soleat dici quod & verum est, in hanc instantiam discussionis bonorum defuncti non posse illa venire, quæ sunt extra causam hereditatis, vt dixi *Defin. 7. sup. eod.*

2 Fuit enim propter pactum in bonis defuncti, qui eo nomine habuit actionem, *l. rem in bonis 52 ff. de acq. rer. dom.*

3 Sic vocatur Græco nomine, quod vulgo nostri barbare *plurisualentiam* appellant, *l. quærebatur 20 ff. qui potior in pignor. hab.*

4 *l. & quæ nondum 15. §. vlt. D. de pign.* iunct. *d. l. quærebatur.*

5 Nec enim pactum de retrouendendo impedit dominij translationem, *l. 2. cum tibi not. C. de pact. int. empt. & vend.*

6 Qua creditori anteriori posterior offerre potest, at domino non potest, vt dixi *Defin. 12. num. 4. & 5 sup.*

7 *Arg. l. à Diuo Pio 15. §. quod si res, D. de re iud. l. 1. C. si vend. pign. agat.*

8 Nempe si eorum vtilitas aliqua sit tempore posterioris distractionis, *l. sumptus 48. l. emptor 65. D. de rei vind.*

DEFINITIO XVII.

Allegatio solutionis remoratur interpositionem decreti, sed non missionem in possessionem cum restitutione fructuum.

VEnditis sub hasta bonis debitoris, & creditori addictis, si post elapsos sex menses creditor decreti interpositionem persequatur, debitor autem dicat factam à se medio tempore debiti siue totius, siue pro parte solutionem,[1] audiendus quidem est, & ad probationem admittendus,[2] sed interea non eo minus in possessionem mittendus est creditor, adeoque condemnandus debitor ad restitutionem fructuum omnium à die addictionis perceptorum.[3] Præstita per creditorem satisdatione de restituendis omnibus si solutionem factam esse tandem apparebit:[4] dilata tantum decreti interpositione aut denegatione, in id vsque tempus quo exploratum sit an solutum fuerit, necne?[5] *Ita Senatus* in secreto auditorio pro Dn. de Moyron, contra Petrum de Gleyron, 13. Cal. Ianu. 1594.

1 Nimirum quia totum illud semestre liberum est debitori ad redimenda pignora, ex vetere statuto Sabaudiæ, licet non cogatur emptor accipere oblatam partis solutionem, *d. l. 1 C. si vend. pign. agat. l. 2. C. debit. vend. pign. imp. non poss.*

2 Quia recessit à subhastatione emptor, cui accepit solutionem siue partis siue totius, *l. 4 §. eleganter, l. penult. D. de leg. commiss.*

3 Nam ex die addictionis, id est, vt statutum loquitur, expeditionis fructus acquiruntur emptori tanquam domino: sequuntur enim ius soli & dominij, *l. qui scit 25. § 1. de vsufr.*

4 Vt appareat, non nisi per modum prouisionis hoc fieri & lite pendente.

5 Quia non potest ferri sententia diffinitiua, quamdiu pendet quæstio facti, solutio autem facti est, *l. consilio 7. §. vlt. de curat. furios. l. 1. C. de probat.*

DEFINITIO XVIII.

Fiduciaria adiudicatio non solet fieri pendente discussionis instantia, nisi vocatis & auditis omnibus creditoribus.

ADita hereditate cum beneficio legis & inuentarij, si vnus ex creditoribus petat pendēte instantia discussionis fiduciariam sibi fieri adiudicationem, quantumuis iusta causa sit, non prius tamen obtinere debet, quam cæteri creditores & legatarij, omnes denique quorum interest vocati sint, ne quid iis inauditis decernatur.[1] Aliud est, si inuentarij confectio & excussionis instantia allegetur, non probetur.[2] Tunc enim solum heredem auditum esse sufficit, præstarique satisdationem, vt hereditatis indemnitati consulatur.[3] *Ita Senatus* pro Dn. de Bellegarde, contra Dominum de Bisnuenu, 7. Cal. Iul. 1572. Et rursum pro heredibus Nicolai Grand, contra heredes Gleyron, 15. Cal. April. 1595. Iunge Defin. 20. infr.

1 Semper enim vocandi sunt omnes, quorum interest, & & qui ex eo actu lædi possent, *l. nam ita 39 D. de adopt. l. etiam 29 §. vlt. D. de minor. l. de vnoquoque 47. D. de re iud.*

2 Si quidem non entium & non apparentium idem iudicium est, *vulg. § si aduersus, Inst. de nupt. l. duo sunt Titij 30. D. de testam. tutel.*

3 Ita enim fit, vt creditoribus quoque hereditariis consulatur, si qui sint, quamuis adhuc ignorentur.

DEFINITIO XIX.

Missio in possessionem per vnum ex creditoribus non impedit, quo minus cæteri ius suum exequi possint.

QVi per collusionem missus est in possessionem bonorum debitoris, licet auctore Prætore, non magis impedire potest, ne alij creditores in eadem bona suas actiones exerceant, quam si in possessionem missus non esset.[1] Itaque si legitimus creditor veniat, tametsi non nisi chirographarius, erit præferendus,[2] qui tamen non præferretur, si missio in possessionem quæ præcessisset recte riteque facta fuisset. Nam cum chirographarius creditor nullum pignoris ius sibi acquirat in bonis debitoris, nisi à quo tempore chirographi fides per veram aut factam confessionem cœpit esse explorata,[3] consequens est, eum, qui prior in possessionem missus sit, cum ab eo saltem tempore pignus habere cœperit,[4] potiorem esse iure, qui prior est tempore.[5] At is qui per collusionem possessor factus est, ex simulata causa præcedentis emptionis perinde haberi debet, ac si neque possessor esset,[6] ob idque nec iuuandus est exceptione ordinis, quæ tertiis possessoribus competere solet,[7] quia non quælibet possessio materiem huic exceptioni præbet, sed ea demum quæ iusta sit, &, vt nostri loquuntur, titulata.[8] *Ita Senatus* 13. Cal. Maij 1595.

1 Quia quod per collusionem & dolo malo factum est, rarum habere prætor nunquam potest, *l. 1. & tot. tit. D. de dolo malo per collusionem 49. D. de act. empt.*

BIU Cujas

2 Nimirum si talis sit qui alioquin præferri deberet. Quid enim si nullum priuilegium habeat, sed posterior sit, non tantum tempore, sed etiam causa? Quidni postponetur, aut saltem concurret, quomodo si missio nulla facta esset, *l priuilegia 42. D hoc tit.*

3 Nimirum postquam ex pragmaticorum errore inualuit, vt ex die agniti vel denegati chirographi incipiat legalis & tacita hypotheca. De quo scripsimus *in error. 1. Decad 1. de error. pragmat.*

4 Scilicet prætorium quod constituitur, ex quo ventum est in possessionem *l non est mirum 26 §. 1. D de pign. act.*

5 *L 2. l si fundum 4 C. qui potior. in pign hab.*

6 Simulata enim pro infectis haberi debent *l. si ex pretio 6. C si cert. pet. l 3 & tot. tit. C. plus valer. quod agit.*

7 *Ex Auth hoc si debitor. C. de pignor.*

8 Cum exceptio ista sit ex æquitate quæ doloso patrocinari nunquam debet, *l. pen in fin. D. ad SC. Trebel. not. ad dict. Auth. hoc si debitor.*

DEFINITIO XX.

Pendente discussionis instantia, non est audiendus creditor petens prouisionalem adiudicationem, nec si suam condicat possessionem, nisi auditis prius cæteris omnibus creditoribus.

PEndente discussionis instantia, id est, vocatis iam creditoribus & legatariis, vt aduersus hæredem qui beneficium legis & inuentarij imploravit, actiones suas exerceant, si quis sit ex creditoribus, qui prouisionalem & fiduciariam petat adiudicationem, non est audiendus si non cæteri quoque consentiant, aut iis omnibus auditis fauorabilior ille vnus iudicetur. [1] Quid si propriam condicant possessionem ex noua Iustiniani constitutione? [2] Ne hoc quidem illis permittendum est, nisi auditis cæteris omnibus. [3] Quid enim si appareat alios esse creditores, & quidem æque constitutarios anteriores? [4] Ita fiet, vt inutilis sit clausula constituti in posteriore contractu apposita pro eum, qui tunc temporis non possidebat. [5] Igitur alios creditores ante omnia audiri oportebit, ne fiat illis iniuria. Sed tamen sumptibus & diligentia hæredis, [6] cui in eam rem dies dicenda, & pro qualitate personarum ac temporum, vel longior vel actior danda est. [7] At quid si hæres sit negligens in curando, vt citentur illi & in ius veniant? Non vtique nocere ea res debebit creditoribus, quibus negligentia hæredis imputari non potest. [8] Sed tamen puniri hæredis contumaciam æquum erit, hactenus saltem, vt ad concurrentem vsque debiti quantitatem arbitrio boni viri possessio rerum hæreditariarum ei auferatur, & in creditorem transferatur. [9] Neque tamen huic consequens erit, vt res illas tanquam pignori obligatas distrahere possit is, qui in possessionem missus erit, nisi prius auditis cæteris creditoribus & legatariis. [10] Ne alioqui eueniat, vt nunc hoc nunc illo creditore ius suum exequente laceretur, & in frusta scindatur hæreditas. [11] Quod nequaquam permittendum est, nec si satisdatio idonea offeratur, [12] cum non possit cæteris ignorantibus fieri iniuria, vt vel loco pignoris non nisi personalem habeat actionem, [13] vel noua pignora pro veteribus accipere cogantur. [14] Neque enim potest dubitari quin aliter posito iure, vt vni ex creditoribus dimittendi gratia dimittatur distractio rerum hæreditariarum, futurum sit, ne auocari vnquam ea res possit ab emptore per alios creditores, licet potiores & fauorabiliores. [15] Nam venditio facta iussu & auctoritate iudicis in executionem prouisionalis adiudicationis semper tenet, quod ad ius emptori quæsitum attinet, [16] nec ob id reuocatur, quod ex postfacto prouisionalis illa adiudicatio per diffinitiuam, vt plerumque fit sententiam reuocetur. [17] *Ita Senatus* in causa N. Petri Iuge, D. de Candie & Ioannis Claud. Iuge, Cal. Sept. 1595. [Iunge Defin. 18. supr. & Def. 4. & 40. supr. de iur delib.]

1 Quia interest creditorum, vt de omnium iure & ordine simul cognoscatur ante rerum hæreditariarum distractionem.

2 Puta si agatur de dote vel de alimentis, aliisve huiusmodi rebus, quæ moram non patiuntur, & quibus fauor præcipuus debetur, *l. 1. D solut. matrim. l. interest 18. D. hoc tit. l. pecuniæ 8. de alim & cibar legat.*

3 *In l. vlt. C. de acquir. possess l. 2 C. de prætor. pign.*

4 Qui scilicet ex eiusmodi adiudicatione, quamuis non nisi prouisionali, lædi possent, *l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. l. nam ita 39 D. de dolo.*

5 Hoc enim casu certum est non posse clausulam constituti prodesse ab eo appositam, qui constituti tempore non possidebat, *l quod meo 18. D de acquir. possess*

6 Cum nemo possit transferre possessionem quam ipse non habeat, *l. 1. §. Scaeuola, D. si is qui testam. lib. esse iuss.*

7 Ita tamen vt hæres illos sumptus reputare possit hereditari & consequenter creditoribus hereditariis.

8 Vt scilicet curet vocari creditores, & omnes quorum interesse potest, intra diem, quem iudex in eam rem præstituerit.

9 Nec enim vnius negligentia nocere alij debet, *l pupillus, 24. D qua in fraud credit.*

10 Vt metu huius incommodi heredes diligentiores sint ad instantiam discussionis bonorum peragendam. Quanquam hodie non videtur hoc necessarium post edictum Principis de quo scripsi, *Defin. 10 nu. 7. supr.*

11 Venditio enim pignoris afficit causam proprietatis, vt dixi *Defin. 11 supr.*

12 *Arg. l. cum vnus 12. D. hoc tit.*

13 Quid enim si cæteri creditores sint anteriores, & velint sibi satisfieri ex bonis ipsis, secundum ea quæ dixi *Defin. 4. supr.*

14 Cum plus cautionis sit in rem quam in personam, *l. plus cautionis est, 25 De reg. iur.*

15 Nam & plus cautionis est in antiquo pignore, quam in nouo propter priuilegium temporis, *l 3 in princ. l creditor. 12 §. Papinianus, alias l. si prior D. qui potior. in pign hab.*

16 *L. cum prior 3 D. de distr. pignor l. 2. C. si antiq. credit pign. vendit.*

17 Alioqui nemo volet accedere ad emptionem pignorum in executionem prouisionalis sententiæ distractorum, *arg l. ait prætor, 7 §. quæsitum D de min. or.*

18 Nam ob id minimum oneratur is, cui fit adiudicatio prouisionalis, vt satisfiet de plenissima indemnitate aduersario præstanda. Nec obstat *l si cum nulla 58. D. de re iud.* Aliud enim est nullam præcessisse sententiam, aliud vero præcessisse aliquam, sed quæ fuerit per aliam reuocata.

DEFINITIO XXI.

Concurrentibus duobus creditoribus in prætorio pignore, si non appareat, quis prænerit tempore, præfertur, is qui prior erit in credito.

SI duo creditores, siue chirographarij siue hypothecarij, eodem die missi sint in possessionem bonorum debitoris, nec appareat quis tempore prior fuerit, non concurrent in pignore prætorio, quod per missionem in possessionem constituitur, [1] sed is præferetur, qui in iure credit i prior fuit tempore, [2] licet nulla facta executione priuilegium inter chirographarios creditores non ex tempore æstimandum esset, sed ex causa. [3] *Ita Senatus* in causa Petri Soreley, & Claudij Pognen, & Mariæ Guichard Augustanorum, Id. Sept. 1595.

1 *L. non est mirum, 26. §. 1. D. de pign act.*

2 Cum in dubio melius sit ei faueri, nec credendus sit fuisse negligentior is, qui prior fuit creditor.

3 *L. priuilegia 42. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXII.

Quæstio de hereditate inter heredem scriptum & dominum directum præiudicialis est, & terminari debet antequam de creditorum iure disceptari possit.

COntendente herede scripto de hereditate cum domino directo, qui defunctum deditiæ conditionis fuisse dicebat, si hereditarij creditores solutionem vrgeant, prius omnino est, vt hereditatis controuersia

troversia dirimatur. [1] Neque enim fieri potest, vt vel interlocutoria vel diffinitiua creditori fiat adiudicatio, quin persona certa sit, quæ possit & debeat condemnari. [2] Itaque tantisper conquiescere creditores necesse est, [3] nec audiendi sunt, si in bonorum hereditariorum possessionem interea mitti velint. Sane si vrgeant danda dilatio est, intra quam curent qui de hereditate contendunt vt in ea quæstio terminetur. [4] Alioqui curator bonis detur, qui creditorum actiones excipiat saluo collitigantium iure. [5] *Ita tractatum est* in causa Claudij du Chesne, contra viduam Guillielmi de la Palud, & D. Ducem de Nemours, 5. Id. Sept.

1 Est enim quæstio præiudicialis, quæ omnis & tractanda & decidenda est, *l si testamentum 6. & seq. D. de petit. hered.*

2 Non alius autem potest condemnari creditoribus & legatariis, quam qui sit heres vel heredis loco, *l. vlt. C. de her act.*

3 *L. 1. in princ. D de success. edict. l pen. D de sur. de ib.*

4 *Arg. l. si quis libertate 7. vers. Plane summatim, D. de pet. hered.*

5 *Arg l. 2. §. 1. & 2. D. de curat. bon dand. l. 1. idem priuilegium 22. §. 1. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXIII.

De priuilegio pecuniæ creditæ ad rem iudicandam, vt non possit petitor remitti ad instantiam discussionis, si is, qui conuenitur commodum ex iudicato senserit proprio nomine.

PEcunia credita in causam sumptuum, vt res iudicaretur, erogatorum habet priuilegium, vt si debitor ante solutionem decesserit relicto herede cum beneficio legis & inuentarij, non sit creditor remittendus ad instantiam discussionis: nimirum si heres non solum tanquam heres, sed etiam iure fideicommissarij & proprio nomine senserit commodum ex re iudicata. [1] Finge de ea re, quæ fideicommisso subiecta dicitur, motam fuisse litem ab aliquo, qui si obtinuisset, tanto minus nunc in fideicommisso repetiretur. [2] Quid ni teneatur fideicommissarius eam pecuniam reddere, quæ saluam fecerit fideicommissi causam? *Ita Senatus* pro Joanne Rauassol, contra Illustrem Dn. Joannem Ludouicum Marchionem de la Chambre, 1d. Sept. 1595.

1 Neque enim tanquam heres posset alibi conuenire, quam in discussionis instantia, *l vlt. C. de iur. delib.*

2 Cum in hereditatis fideicommisso non aliud esse possit, quam quod fuit in hereditate, *l. in fideicommissaria, 18. D. ad SC. Trebell.*

3 *Arg l interdum 5. & seq. D. qui potior. in pign hab.*

DEFINITIO XXIV.

De impetranda separatione bonorum per creditores defuncti ne remittantur ad instantiam discussionis bonorum heredis.

CVm quis non proprio nomine sed tanquam alterius heres condemnatus pronocauit, postea decessit relicto herede cum beneficio legis & inuentarij, non est cogendus victor ire ad discussionis instantiam. Sed tanquam creditor primi defuncti bonorum separationem petere debet, [1] vt qui se dicit heredem cum beneficio legis & inuentarij appellationem illam prosequi cogatur, [2] tanquam in solus contradictor legitimus, cum solus defuncti vltimi personam repræsentet. [3] Quia tamen interest creditorum posterioris testatoris, vt pro appellatione pronuncietur. [4] Placuit ante omnia vocandum & audiendum esse curatorem hereditati ipsius datum, [5] qui absentium creditorum iura tueatur, [6] ne possint illi quandoque dicere collusum in necem suam fuisse. [7] *Ita Senatus* in publico auditorio, 14. Cal. Iunij 1612.

1 *Ex l. 1. & tot tit. D. de separat l. 1. & 2. Co. hoc tit.*

2 *L. penult. C si pend. appell. mors interuen.*

3 *L. heres 22. D. de vsucap.*

4 Vt scilicet habeant hereditatem tanto locupletiorem sui debitoris.

5 Semper enim vocandi sunt omnes quorum interest & qui ex eo actu lædi possent, *l. nam ita 39. D. de adopt. l. de vnoquoque 47. de re iudic.*

6 In eo namque potissimum consistit officium curatoris qui datur hereditati, *vt in l vlt §. sin autem C. de bon. qua lib.*

7 Vt *in l si suspecta 29 D de inof. test. l si perlusori. 14. D. de appell. cum similib. Adde l. 3. & tot. tit. D. de collus. detег.*

DEFINITIO XXV.

Casus in quo pupillaria bona in solutum dari possunt creditoribus ne distrahantur.

CVm aduersus pupillum quendam instarent tam multi creditores vt vniuersum patrimonium, quod alioqui locupletissimum esse constabat, exinanitum iri crederetur, [1] & quadam veluti commiseratione nonnulli ex creditoribus pupilli consanguineis deferrent conditionem, Paratos se accipere in solutum ex bonis pupillaribus, quantum arbitrio boni viri ad largam æstimationem satis esset. [2] Senatus noster eadem commiserationis æquitate motus, [3] cæteros creditores etiã reluctantes eãdem accipiendæ solutionis rationem sequi voluit. [4] Hoc etiam quod magis est addito temperamento, vt ad decennium vsque bona illa omnia redimere pupillo liceret. [5] Quod Senatusconsultum placuit tamen non facilè ad exemplum trahi debere, [6] nec si de pupilli patrimonio conseruando ageretur. [7] Maximè si nemo ex creditoribus [8] aut non nisi pauciores ex iis quibus minor pecuniæ quantitas deberetur, [9] deferrent conditionem, vt bona quæ alioquin iure communi publicè distrahi oportet, in solutum darentur. [10] *Ita Senatus* pro Baltasarda Philiberta filia N. Joannis Puthod, contra N. Michaelem Violon D. de Nouuelles, 3. id. Mart. 1603. & Cal. Iun. 1604.

1 Scilicet si publicis venditionibus exponerentur. Solent enim vt plurimum vilissimo pretio distrahi bona quæ sub hasta venduntur, aut per sordes vel ambitionem officialium, vt *in l. si quos 19. C. de rescind. vendit.* aut quod emptores soleant captare lucrum ex miseria debitoris, cuius inuiti nomine venditiones hæ semper fiunt.

2 Alioqui si creditor non deferat conditionem, non potest debitor inuito ei a iudice pro alio soluere, *vulg. l. 2. §. mutui datio D. de reb. cred. l manifesti 17. cum l. præced C. de solut.* Nisi in casu *Auth. hoc nisi debitor eod. tit.*

3 Vt bonus quisque iudex promiore esse debet ad commiserationem, quàm ad rigorem, dum ne ius alterius offendatur, *arg l. iure succursum 6 de iur. dot.*

4 Et hoc est quod mirum videri potuit & debuit. Nec enim alteri per alterum iniqua conditio inferri debet, *l non debet alteri 74 de reg iur* & quod plures tangit vt singulos à singulis adprobari debet, *l. vlt. ad fin. C de author. præst.* Quamuis non sit nouum, vt vnius exemplum alius sequi cogatur, vt in *l. maiorem 8. D de pact. l. cum in eo 44. eod. tit. l. cùm hereditas 59. D de admin tutor.*

5 Cùm tamen bona publicè vendita non possint redimi post semestre computandum moribus nostris ex die missionis in possessionem. Itaque duplex hic erat fauor pupilli & vterque exorbitans à iure communi, quamuis soleat dici, Eum qui in vno grauatur in alio releuari debere, *l. eum qui 30. D. de iureiur.*

6 Vt neque cætera quæ contra veram iuris rationem ex aliqua æquitate & iure singulari recepta sunt, *l. quod verò 14. D. de legib. l. quod contra 41 D. de reg. iur.*

7 Non enim pupilli ætas aut ignorantia debet alteri esse captiosa, *l. Æmilius 41. D. de minor. l. quod autem 6. §. si quid cum pupillo D. qua in fraud cred.* & apertè iniquum est eum qui cum pupillo non contraxerit, expectare pupilli pubertatem, *l. 3. D. quib. ex caus. in poss. eat.*

8 Omnes namque cogi ad consentiendum esset sanè inciuile ac inauditum, *l cum hereditate 55 de acquir. her.*

9 *D. l. maiorem 8. de pact.* Iniquum enim esset voluntatem

BIU Cujas

vnius ex modica fortè portiuncula creditoris præiudicium cæteris facere, *l. autem* 10. *D. de aqua & aqua pluu. arc.*

10 Hoc enim iure apud nos vtuntur soli Augustani vt eorum bona in solutum dari creditoribus debeant facta per viros probos æstimatione, nunquam verò publicè distrahi. Quod certè in summa & quanta hodie est nummorum penuria apud omnes seruari, esset fortasse vt vtilius ita æquius.]

TIT. XXXIII.

DE PRIVILEG. FISC.

[DEFINITIO I.

Pro debito vniuersitatis non possunt inquietari singuli, nec si debitum fiscale proponatur.

NOn habet fiscus priuilegium, vt pro vniuersitatis debito singulorum municipum personas, bonave pignori capere possit nisi ad consequendum quantum propriæ singulorum contributionis ratio patitur.[1] Nec aliud erit, tamesi debitum tale sit, cuius exactio, siue Principis siue boni publici fauore, nullam recipere moram possit,[2] nimirum, quia non debent singuli quod vniuersitas debet,[3] prorsusque iniquum, inciuile, & iuhumanum est pro alterius debito alium vexari.[4] Solus ergo Syndicus pro vniuersitatis debito conueniendus & vrgendus erit.[5] Qui vtique licet non proprio, sed vniuersitatis nomine sit obligatus in dicta tamen causa ni ad diem in promptu satisfaciat, detrudi potest in carceres, eo saltem iure quo vtimur,[6] quasi per eius negligentiam stet, quo minus ad diem solutio facta sit, cum potuerit ille à singulis exigere ante diem.[7] Quod si is Syndicus electus sit, qui iam tum cum electus est adeo inops fuit, vt nulla in eum vtilis & efficax actio exerceri possit,[8] non idcirco pro vniuersitatis debito aduersus eos agendum erit, qui Syndicum talem elegerunt, nisi prius cognitum sit in fraudem publicæ exactionis factam eiusmodi electionem.[9] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Longet, contra Syndicos de la Roche, 3. Calend. Februar. 1593. Improbato publicorum nostri temporis exactorum more, qui iam inde ab aliquot annis contra facere consueuerunt.

1 Nam cum nullo iuris loco tale priuilegium fisco concessum reperiatur, certum est debere fiscum hac in re vti iure communi, *l si pignus* 8. *D. qui potior. in pign. hab l fiscus*, 6. *D. de iur fisc.*

2 Non enim debet ea res præbere materiam comminiscendæ iniuriæ, ne inde nascatur iniuriarum occasio, vnde iura proficiscuntur, *l meminerint*, 6. *C. vnde vi.*

3 *L sicut*, 7. §. 1. *D quod cuiusque vniuers. nom.*

4 *L. 1. & 2. C de exact tribut. libr.* 10 *l. vnic. C. vt null vican. pro alien. vican debit. teneat. lib.* 11 *tit* 65.

5 *L. 1. § penult. l. item eorum*, 6 § 1 *D. quod cuiusque vniuer.*

6 Nam ex iuris ratione non idem probandum esset. Habet enim fiscus priuilegium taciti pignoris dumtaxat, non etiam vt possit debitores suos detrudere in carceres.

7 In omnibus enim causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit quo minus fiat, *l. in omnibus*, 39. *de regul. iur.* Itaque creditur Syndicus exegisse, & habere penes se pecuniam, quam à singulis potuit & debuit ante diem exigere.

8 Inanis enim est actio, quam debitoris eludit inopia, *l. nam is nullam*, 6. *D. de dolo, si quis iniuriam*, 35. *D. de iniur.*

9 Hodie tamen hoc immutatum est generali Arresto, quo iubentur nominatores Syndicorum minus idoneorum præstare indemnitatem fisco.

DEFINITIO II.

Procurator fiscalis priuilegium fori habet, vt apud prouinciæ iudicem maiorem & agat & conueniatur.

PRiuilegium fisci est, vt non alium quam Præsidem prouinciæ iudicem habere possit, siue agat siue conueniatur.[1] Eoque iure vtuntur omnes fisci procuratores, siue ex officio agant fisci nomine, siue tãquam procuratores in rem suam constituti, puta ex causa donationis vel emptionis, aut quo alio iure.[2] Sed ex eodem priuilegio potest fiscus donatarium suum, aliumve quemlibet successorem apud suum iudicem defendere, tamesi à clerico lis inferatur.[3] *Sine die.*

1 Quia nec alius quam Princeps, si Ecclesiam excipias, fiscum habere potest, Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 80. *vers. in hac autem.*

2 Afflict. *decis* 2.

3 Idem Afflict. *ibid.*

TIT. XXXIV.

DE PRIVILEG. DOT.

DEFINITIO I.

Non habet mulier priuilegium vllum pro dote, quæ salua esse possit iure communi.

PRIVILEGIVM dotis nullum est aduersus alios creditores, aut pignorum dotalium possessores, nisi cum aliter salua mulieri dos esse non potest,[1] maxime vero si quid ipsa contraxerit, & aduersus contractum prætextu dotis restitui velit.[2] *Ita Senatus* 13. Cal. Jul. 1590.

1 *Vt in l. assiduis* 12. *C. qui pot. in pign. hab. l iubemus* 21 *C ad SC. Velleian*, interest enim reipub mulieres dotatas esse, *l 1. sunt. marim. l interest* 18. *D de reb. auctor. iudic possid.*

2 Læsam enim mulierem esse oportet, vt possit restitui, *l. 1. & 3. D. de in integr. restit.* Tunc demum autem læsa videri potest, cum dotem aut totam aut ex parte esset amissura, si in integrum non restitueretur. Alioqui magno incommodo afficerentur fœminæ, si nemo cum iis vellet contrahere, ne tum quidem cum negotium bona fide gereretur, quomodo de minoribus scriptum est *in l quod si minor* 24. § *non semper*, D. *de minor.* Denique cum dos potest salua esse iure communi, nullo in liget priuilegio, *l. Imperatores* 30. *D. de reb. auct. iud. possid.* Priuilegia enim sunt odiosa, quia lædunt ius commune, ideoque non sunt inducenda, nisi in necessitate. Not. *ad l. 1. C. de dot. promiss & ad Auth. res quæ, C commun. de legat.*

DEFINITIO II.

Mulier agens contra tertium possessorem patitur exceptionem discussionis, non minus quam cæteri creditores.

HVic consequens est, vt si mulier dotem repetat per quasi Seruianam aduersus tertium pignoris possessorem,[1] possit ille tueri se exceptione non factæ excussionis,[2] quia non nisi excussione illa facta perfectaque sciri possit, an mulieri dos aliter salua futura sit, nec ne.[3] *Ita Senatus* sæpius maxime in causa Michaelis du Mont, 5. Non. Jul. 1591. de qua SC. 2. supr. de rei vxor act.

1 *Vt in l iubemus*, 21. *Cod. ad SC. Velleian. l. in rebus.* 30. *C. de iur. dot.*

2 *Ex Auth. hoc si debitor, Cod. de pignorib.* quæ tertio bonæ fidei possessori conuento per hypothecariam dat exceptionem non factæ excussionis contra quemlibet creditorem sine vlla exceptione.

3 Vnde est, quod exceptio non factæ discussionis creditur esse dilatoria potius, quam peremptoria. Quamuis etiam peremptoria esse possit vno illo casu, quo alia bona reperiantur, ex quibus commode possit satisfieri creditori. Tunc enim nunquam rediri potest ad tertium pignorum possessorem prius conuentum, Not. *ad dict. Auth. hoc si debitor.* vbi quidam ob hanc causam appellant huiusmodi exceptionem anormalam.

DEFI-

DEFINITIO III.

Mulier nullum habet priuilegium contra creditores anteriores expressam hypothecam habentes, sed si ipsa possideat, potest contra eos se tueri exceptione discussionis.

QVod Iustiniani constitutione contra iuris rationem inductum est dotis priuilegium, vt mulier creditoribus omnibus etiam anterioribus in dote præferatur,[1] magistri nostri sic vulgo accipiendum putant, vt ils tantum præferatur, qui tacitam hypothecam habent, non item iis qui expressam.[2] Nimirum, vt iniquã legem, quam prorsus tollere & abrogare nequeũt, hoc veluti temperamento saltem iustissimo, verbis licet repugnantibus leniant.[3] Eoque iure Senatus noster vtitur. Plane mulieri sicut & cæteris creditoribus posterioribus, iisdemque possessoribus saluam esse oportet exceptionem non factæ excussionis si possideat, & ab antenote creditore expressam hypothecam habente per quasi Seruianam conueniatur.[4] Quod si vel excussio iam facta est, vel de sola pignoris possessione contenditur,[5] quo casu nullus obiiciendæ exceptioni locus est,[6] haud dubie creditori mulier postponetur. Sicut, & quires dotales obligatas habuit ante contractum matrimonium, præfertur marito etiam constante matrimonio.[7] *Ita Senatus* ex tempore 17. Cal. August. 1591. in causa Antoniæ de la Marche, contra Claudium Bunet.

1 *In l. assiduis* 12. *C. qui potior. in pign. hab.*

2 Ita Bart. Bald. & alij ad eum locum magis communiter.

3 Vt probaui pluribus in libris Coniecturarum iuris ciuilis.

4 Esset enim sane periniquum præferri mulierem creditoribus anterioribus expressam hypothecam habentibus, qui sibi diligenter prospexerint, & quibus nihil imputari possit, *l.* 3. *D. de separ. l. si pignus* 8 *D. qui potior. in pign. hab.*

5 Ne alioqui deterior conditio futura sit mulieris, quam cæterorum, quæ tamen potius deberet esse melior, *d. l. assiduis, Auth. res quæ, C. commun. de legat.*

6 Ex beneficio *l. vlt. C. de acquir. possess.*

7 Cum ea exceptio non detur, nisi possessori, *Auth. hoc si debitor, C. de pign* Dixi *Defin.* 1. *&* 2. *de acquir possess.*

8 Vt scripsimus *Defin.* 6. *de iur. dot.* ex Guid. Pap. *quæst.* 647. Capyc. *decis. Neapol.* 128.

DEFINITIO IV.

Non valet conuentio de speciali hypotheca pro dote in præiudicium legalis tacitæ, quæ est generalis, secus est, si agatur de bonis paraphernalibus.

INter cætera dotis priuilegia hoc vnum est, quod si mulier omnia mariti bona, siue expressim, siue tacite obligata habens specialem hypothecam acceperit, siue idoneam, siue non, nullius momenti est conuentio,[1] quippe quæ nullo casu mulieri vtilis esse possit. Inutilis autem possit esse & damnosa si forte agenti mulieri obiiciatur exceptio non discussæ hypothecæ specialis.[2] Est enim generale & perpetuum, vt nulla conuentione deterior fieri possit conditio dotis.[3] Non igitur hoc casu necesse est, vt in contractu dotali adposita sit clausula, quæ in instrumentis aliorum contractuum ad euitandam exceptionem illam necessaria est, *vt generalitas non deroget specialitati nec contra*, quomodo notarij concipere solent.[4] In paraphernalibus aliud est, in quibus scilicet expressa hypotheca, siue generalis siue specialis facit cessare tacitam & legalem, quam iustiniani constitutio in eum duntaxat casum induxit; quo expressa nulla esset.[5] *Ita Senatus* in causa D. Iuliani de Pradel Autherin Aduocati, & Ioannæ Bertier, Cal. Dec. 1595.

1 Nicol. Boer. late *decis.* 332. *per tot.*

2 Nimirum quia debet præcedere excussio specialis hypothecæ, priusquam ad generalem hypothecam peruenire possit, *l.* 2. *C. de pignor. l.* 2. *D. qui potior. in pignor. hab.* secundum loci illius emendationem, quam nos attulimus in prioribus libris Coniecturarum.

3 *Ex l. Attilicinus* 17. *D. de pact. dotal.*

4 Vt hoc nimirum remedio excludant necessitatem specialis hypothecæ excutiendæ, *ex d. l.* 2. *C. de pignor.*

5 *L. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* Boer. *ibid.*

TIT. XXXV.

DE REVOC. HIS QVAE IN fraud. credit.

DEFINITIO I.

Creditor, in cuius fraudem facta est alienatio, non prius potest agere in rem contra possessorem, quam egerit reuocatoria.

CVM in fraudem creditorum bona debitoris alienata sunt, etiamsi de fraude maxime appareat, siue re & consilio, siue re tantum facta proponatur,[1] non prius in rem agi aduersus tertios possessores potest, quam actum sit reuocatoria, quæ personalis est.[2] Nec quod hodie actionum subtilis illa impetratio subla a est,[3] ad rem facit: cum iuris necessitas obseruationem hanc omnino extorqueat:[4] quandoquidem fieri nequit, vt creditor chirographarius (de illo enim tantum loquimur)[5] quicquam iuris habeat in re, quam debitor alienauit, priusquam in debitoris dominium res redierit:[6] quod non fit, nisi per reuocatoriam.[7] *Ita Senatus* in publico auditorio, Idib. Nouemb. 1590.

1 Aliquando enim fraus sit re tantum, aliquando consilio tantum, aliquando vero re & consilio, §. *in fraudem, Instit. quibus ex caus. manumitt. non licet.*

2 *L.* 1. vbi Bald. & alij, & pass. *C. hoc tit.* Crauett. *late & eleganter, cons.* 235.

3 *Tit. C. de formul. & impetr. action. sublat.*

4 Sic in *l. si mulier* 59. §. *ex asse*, in illis verbis, *propter iuris subtilitatem, & casus necessitatem, D. de iur. dot.*

5 Si quidem nulla potest fieri alienatio in præiudicium creditoris hypothecarij, cum alienatio non extinguat pignus, *l. vnic. C. rem alien. gerent. non interd. rerum suar. alien.* l. 1. § *cum prædium, D. de pignor.* Et ideo non possunt fraudari creditores hypothecarij.

6 Quo demum tempore potest capi pignori in executione iudicati, *l. à Diuo Pio* 15. *D. de re iudic. l.* 1. *C. si in caus. iudic. capt. sit.*

7 *L.* 1. *& tot. tit. D. quæ in fraud. credit. dict. l.* 1. *& pass. Cod. eodem.*

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI DEFINITIONVM FORENSIVM, ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ Senatu Tractatarum,

LIBER OCTAVVS.

TITVLVS PRIMVS.

QVOR. BONOR.

DEFINITIO I.

Agens interdicto, Quorum bonorum, quid probare debeat? Item an & quatenus dominij exceptionem patiatur?

AGENTI quidem interdicto, Quorum bonorum, sufficit, vt probet factum esse solemniter testamentum, in quo fuerit ille institutus, & ex quo vel adierit hereditatem, vel petierit bonorum possessionem, fuisseque ea bona possessa per testatorem tempore mortis suæ.[1] Sed si conuentus reus obiiciat exceptionem dominij, audiendus est,[2] quamuis dici soleat, nihil commune esse proprietati cũ possessione,[3] quia interdictum hoc adipiscendæ possessionis est,[4] ideoque minus alienum à causa proprietatis, quam ea, quæ ad retinendam possessionem pertinent, vel ad recuperandam.[5] Verum hoc ita accipiendum est, si dominij probationes in promptu sint, non etiam si altiorem requirant indaginem,[6] ne quæstioni de possessione mora fiat.[7] Plane dominium, neque per donationem,[8] neque per vendi ionem probati certum est, non magis quam per locationem, si alia non sint adminicula.[9] Ideoque nimirum difficilis esse creditur, vt est, probationis.[10] *Sine die.*

1 *L.1. vbi notat. Cod. hoc titul. & in §. adipiscendæ, Instit. de interdict.* Specul. *in tit. de testam. §. nunc videndum*, Afflict. *decis.* 14.

2 Bart. Bald. & Angel. *in l. vltim. Cod. hoc tit.* Gloss. *in l.* 1. *D. eod.*

3 *L. naturaliter* 12. *§. nihil commune, D. de acquir. poss.*

4 *d. §. adipiscendæ, Instit. de interdict.*

5 Guid. Pap. *quæst.* 1. Salycet. *ad l. si quis ad se fundum, C. ad leg. Iul. de vi.*

6 Afflict. *dict. decis.* 14. *num.* 4. post alios, quos citat *num.* 2. *ex l.* 3. *D. vt in poss. legat.*

7 Quæstio enim possessionis est momentanea, ideoque priuilegiata, Not. *in leg. vnic. Cod. si de momen. poss. fuer. appellat.*

8 Excipe, nisi donatio facta sit à Principe, Angel. *in l. officium* 9. vbi gloss. *D. de rei vind.*

9 Afflict. *d. decis.* 14. *num.* 8. post multos ibi citatos.

10 *§. commodum, Inst. de interd.*

TIT. II.

QVOR. LEGAT.

DEFINITIO I.

Legatarius etiam per vindicationem non potest legatum occupare propria auctoritate, institutus ex re certa potest, sed non agere interdicto retinendæ possessionis ante occupatam possessionem.

LEGATARIVS, etiam cui per vindicationem legatum est, non nisi per manus heredis legati possessionem nanciscipotest,[1] alioqui tenetur interdicto Quod legatorũ, sublata hac parte differentia, quã inter legatorũ species ius vet[9] induxerat.[2] Solus ille casus excipitur, quo quis in certa re sit institutus. Hic enim etsi legatario cõparatur,[3] in hoc tamen plus iuris habet, quod legatæ rei possessionem propria auctoritate capere potest, tãquam heres in ea re scriptus:[4] cum & ob eam causam ius adcrescendi habeat, vt is is, qui ex asse institutus fuit, heres esse noluerit, aut non potuerit, ipse ex asse heres fiat.[5] Vtrique tamen commune illud est, vt non prius interdicto retinendæ possessionis experiri possint, quã possessionem nacti sint.[6] Non enim ob id solum pro possessore quis habendus est, quod possessor fieri propria auctoritate quandoque possit.[7] Prius autem est, vt possessor factus fuerit, quam vt iis interdictis aut actionibus, quæ soli vero possessori competunt, experiendi habeat facultatem.[8] *Ita Senatus* in causa N. Vectier, viduæ N. Puthod, contra Ioannem Puthod filium, 14. Cal. Mart. 1590. Iunge Defin. 2. vti possid.

1 *Ex l. 1. & tot. tit. quod legat D. & C.* quia non est cuiquam permittendum vt sibi ipsi ius dicat, *d. l. 1. D. eod. l. non est singulis 176. de reg. iur.*

2 Nam olim is, cui legatum erat per vindicationem, non cogebatur expectare heredem, adeoque nec additionem hereditatis, nec calumniam metuebat ab herede, vt Caius loquitur *in Instit.* Scripsi *lib. 6. Coniect. cap.* 1. Ex quo apparet esse Triboniani clausulam illam, quæ extat *in dict. l. 1. §. qui vero ex causa,*

cauſa, verſ. idemque erit dicendum. Ille enim titulus non pertinebat olim niſi ad legata per damnationem. Et ideo idem Tribon. in definitione legati poſita initio *tit. Inſtit. de legat.* adiecit hæc verba, *ab herede præſtanda*, quæ non addiderat Modeſtinus *l. legatum 36. de leg. 2.* Et hoc eſt quod fecit Iuſtinianus vt omnium legatorum eadem ſit natura, *in l. 2. C. commun. de legat.* [Sane qui occupauit poſſeſſionem legati per manus executoris teſtamentarij non tenetur hoc interdicto. *Ita Senatus* in cauſa de qua *Deſin. 39. num. vlt. S. de ſacroſ. eccleſ.*]

3 *L. quoties 13. C. de hered. inſt.* ſcilicet cum alius ex aſſe aut ex aliqua aſſis parte heres inſtitutus eſt, vt ea lex ait, iunct. *l. 1 §. ſi ex fundo, D. eod.*

4 Bart. Bald. & cæteri vulgo, *ad d. l. quoties.*

5 In quo præcipue volunt noſtri elucere vtilitatem inſtitutionis ex re certa, quam illi male vulgo particularem inſtitutionem vocant.

6 Nec enim poſſeſſio defuncti continuatur ipſo iure in legatarium, quomodo ex conſuetudine continuatur in heredem, quamuis dici ſoleat legatarium in re legata quaſi heredem quodammodo videri, *l. id tempus 14. §. 1. D. de vſur.* Nempe quia hæc conſuetudo, cum à iure communi exorbiter, vt conſtat ex *l. cum heredu 23. D. de acquir. poſſeſſ.* ſtricte accipienda eſt, loquitur autem duntaxat de vero herede.

7 Aliud enim eſt iam poſſidere, aliud vero poſſe poſſidere *d. l. cum heredes.*

8 *L. 1. §. vlt. l. 2. & paſſ. D. vti poſſid.*

DEFINITIO II.

Mulier occupans propria auctoritate rem ſibi legatam & antea pro dote obligatam cum clauſula conſtituti non poteſt expelli neque per interdictum, quod legatorum, neque per ius offerendi.

QVæ dotis nomine vniuerſi mariti bona obligata habebat cum clauſula conſtituti, [1] ſi à marito legatum pro dote & compenſandi animo [2] relictũ propria auctoritate occupauerit, non tenetur interdicto. Cum abſurdum ſit, minus iuris habere mulierem in bonis pro dote obligatis, & quorum poſſeſſionem per clauſulam conſtituti nacta ſit, ob id ſolum quod eorundem bonorum proprietas ei pro dote ſit legata. [3] Nam ſublato etiam iure legari, ſupereſt priſtina dotis cauſa, ex qua retinendæ poſſeſſionis ius mulieri ſaluum eſſe debet. [4] Et vero quemadmodum legato in ſtipulationem deducto dicimus eaſdem ſtipulationi cauſas & conditiones ineſſe, quæ actioni ex teſtamẽto inerant, [5] tametſi per ſtipulationem facta ſit nouatio; [6] ita ex contrario, ſi quod iudicio de dote debebatur in cauſam legati transfuſum ſit, eodem iure cenſeri debet, quaſi adhuc hodie dotis nomine debeatur, veritatis nimirum primordio inſpecto. [7] Maxime vero ſi mariti heres aduerſus mulierem agens interdicto, dotem in promptu non offerat. [8] Quanquam & magis eſt, vt nec offerendi ius habeat, quippe qui vinculum nouæ obligationis ex legato contractæ non poſſit diſſoluere. [9] Itaque valde ſingularis & elegans hic caſus eſt, in quo nec pignus pro dote conſtitutum oblata pecunia diſſolui poteſt, propter admixtam legati cauſam, nec tamen citra obtionem ius heredis in auocanda legati occupati poſſeſſione exerceri, ob concurrentem præcedentis debitationem. *Ita Senatus* ex tempore, 17. Cal. Iul. 1593.

1 Quæ hodie ſolet adiici in omnibus fere contractibus, ſed maxime in dotalibus.

2 Qui tamen animus hodie non præſumitur poſt ſublatum à Iuſtinian. edictum De alterutro, *in l. vnica, §. primum itaque, C. de rei vxor. act.* Iunge. *l. cum ab vno 51. de leg. 2.*

3 Sic enim fieret vt inducta ad augmentum operarentur diminutionem, contra *l. legata 19. de leg. 1. l. in ratione 30. §. tameſi. D. ad leg. falcid.*

4 *Arg. l. cum is 32. §. mulier, de cond. indebit. l. quoties duplici 91. de reg. iur.*

5 *L. 1. §. ſi quis ſub conditione, D. vt legat. ſeu fideic. ſeruand. cauſ. caueat.*

6 *L. cum filius 76. § heres meus, de legat. 2. d. Stichum 8. §. 1. de nouat. l. 1. D. de prætor. ſtipul.*

7 *Arg. d. §. heres meus, l. 3. §. ſcio, in fin. D. de minor. l. ſi procuratorem 8. D. mandat.*

8 Cum hodie pro legatis competat hypotheca, *l. 1. C. commun. de legat.* & conſequenter ius retentionis ſi legatarius poſſideat ſine vitio, *l. 1. D. de pignor.*

9 Nunquam enim offerri poteſt ei qui rem tenet iure domini, ſed ei tantum qui iure creditoris, *l. 2. Cod. ſi antiq. credit. pign. vendit. l. 3 D. de diſtr. pignor.*

TIT. III.

VNDE VI.

DEFINITIO I.

Actio ex can. redintegranda finitur triginta annis & datur etiam contra bonæ fidei poſſeſſorem & ad fructus, ſed quos reus ipſe percepit aut percipere potuit, non quos alius.

ACTIO, quæ competit ad recuperandam poſſeſſionem, ex Pontificio Canone, licet non ſit annua, [1] quales ſunt extraordinariæ fere omnes, quæ hodie interdictorum vice pro poſſeſſione dantur, [2] non tamen adeo perpetua eſt vt poſt annum quoque trigeſimum exerceri poſſit, [3] ſed trigeſimo demum anno, cæterarũ perſonalium actionum exemplo, [4] quamuis in rem ſcripta ſit, concluditur; [5] etiam aduerſus ſpoliatorem, ſalua tamen propter malam fidem iuriſque Canonici auctoritatem in longius quantumcunque tempus dominij quæſtione. [6] In eo quoque plenior eſt cæteris, quod etiam contra eum datur, qui cum titulo & bona fide poſſidet; [7] nec aliud probare actor cogitur, niſi quod & ante poſſederit, & à poſſeſſione ſua nullo facto ſuo ceciderit. [8] Itaque nihil hac parte intereſt, an contra ſpoliatorem agat, an contra eum, qui à ſpoliatore cauſam habeat ſiue mediatam, ſiue immediatam. Plane quod ad condemnationem fructuum attinet, quos in hoc iudicium omnimodo venire nemo ambigit; [9] verius eſt non alios cogi poſſeſſorem reddere, quantocunque malæ fidei odio vrgeatur, quam quos ipſe aut percepit aut percipere potuerit. [10] Proinde ſi per multorum perſonas poſſeſſio ambulauerit, aduerſus ſingulos agi oportebit, vt quos quiſque percepit aut percipere potuit, eorum nomine ſinguli condemnentur. [11] *Ita Senatus* ſæpius.

1 *In can. redintegranda 3. quæſt. 1.*

2 Quæ ſicuti ſubrogatæ ſunt in locum interdictorum, vt apparet ex *rubr. tit. D. de interd. ſiue extraord. action. quæ pro iis competunt.* iunct. *§. vlt. Inſtit. de interdictis.* Ita eorum naturam retinent *l. ſi eum 10. §. qui iniuriarum, D. ſi quis caution.*

3 Quamuis ita quidam putauerint, quos refert Mynſing. *centur. 3. obſer 83.*

4 *Ex l. ſicut 3. C. de præſcript. 30 vel 40 annor.*

5 Quod enim actio in rem ſcripta eſt, non facit quo minus ſit perſonalis & perſonalium iure cenſeri debeat. Imo ſi eſſet omnino in rem tanto facilius præſcriberetur, ſcilicet iure ciuili, at non etiam iure canonico.

6 Quia iure canonico poſſeſſor malæ fidei nullo tempore præſcribit, *cap. poſſeſſor.* vbi Dyn. & alij Canoniſt. *De reg. iur. in 6.*

7 Dummodo poſſidens non habeat titulum ab ipſo actore. Mynſing. ibid. poſt Rip. Alex. & Iaſ. *in l. rem quæ nobis,* contra Bart. ibid. *D. de acquir. poſſ.* Idem Alex. *conſ. 117. & 199. lib. 2. conſ. 6. 7. & 8. lib 3.* Socin. *conſ. 89. col. fin. & 276. col. 5.* [At interdictum Vnde vi non datur contra titulo poſſidentem, *l. cum à te 7. D. hoc tit.* Quod intellige niſi idem ille ſit ſpoliator. Hoc enim caſu nihil ei prodeſſe titulus poteſt. *Ita Senatus* ante Cal. April. 1612.]

8 Sunt enim hæc duo extrema ab eo probanda, qui dicit ſe ſpoliatum. *Not. in dict. can. redintegranda, & paſſ. ad titul. de*

BIU Cujas

restit. spoliat. Socin. *consil. 166. col. 6. vers. primo quia Doctores, vol. 2.* Dec. *consil. 125. num. 1.* [Cùm tamen qui agit interdicto recuperandæ debeat probare spoliationem, *l. 1. §. ait prator 11. & seq. D. hoc tit.* Planè si quis imploret officium iudicis, vt sibi sua possessio restituatur, non cogitur probare nisi suam priorem possessionem. Aflict. *decis. 327. post Innocent. ibid. cit.*]

9 *d. can redintegranda.* Non enim videretur plene facta restitutio si non ipsi etiam fructus restituerentur, *l. videamus 38. §. in Fauiana, vers. & ideo, D. de vsur. l. in condemnatione 173. §. 1. de reg. iur. l. hac verba 73. de verb. signific. l. 1. § ex die 40. D. de vi & vi armat.*

10 Quod in omnibus malæ fidei possessoribus generaliter obseruari solet, *l. sed etsi lege 25. §. sed & fructus, de hered. petit.*

11 Non autem vt vnus ex possessoribus pro alio possessore condemnetur, *argum. l. in causa 13. §. interdum, & l. seq. D. de minor.*

DEFINITIO II.

Dominus directus non potest auctoritate propria occupare possessionem rei, quam sibi commissam esse dicit.

VIm facere videtur dominus, qui propria auctoritate non per iudicem occupat bona defuncti hominis sui dediticij, & vt loquimur talliabilis, inuito aut inscio agnato proximiore.[1] Neque enim dominus moriente sine liberis & extra communionem homine deditio fit heres,[2] sed impedit tantum ne alius quisquam heres esse possit,[3] occupando scilicet quasi peculij iure bona omnia, quæ defunctus mortis tempore reliquit.[4] Itaque ficti ius ille modus transferendæ & continuandæ possessionis defuncti in heredem, siue testamentarium siue legitimum,[5] prodesse domino non potest vt ipso iure possessor fiat,[6] licet heredis loco hactenus quod & vniuersam successionem occupat, & defuncti creditoribus quantum patrimonij facultates patiuntur respondere compellitur.[7] Vnde nec absurde quidam eum anormalum successorem appellant. Huic vero cõsequens est, vt si possessionem bonorum defuncti propria auctoritate apprehenderit, agnato proximo tanquam per vim spoliato eam restituere ante omnia cogendus sit.[8] Etsi enim fieri non potest, vt agnatus, qui in bonorum communione non fuit, heres sit eius hominis, qui, vt diximus, heredem habere nequit, de hoc ipso tamen prius inquirendum & cognoscendum est, an talis defunctus fuerit qualem fuisse contendit qui se dominum dicit.[9] Qua pendente quæstione, cum possessor certus constituendus sit,[10] qui & defuncti statum & bona defendat, alius constitui æquius non potest, quam qui cum sit agnatus proximus habet pro se iuris præsumptionem.[11] Neque enim præsumitur quisquam dediticius, sed omnes à natura non liberi tantum, verum etiam ingenui.[12] Proinde nec de statu nec de bonis defuncti iudicium prius accipere agnatus cõpelletur, quam in possessionem suam plenissime sit restitutus.[13] Omnibus vero integris non potest dominus directus ex interdicto vti possidetis petere, vt in bonorum possessione retineatur,[14] sed adipiscendæ possessionis remedio vti cogitur vt in possessionem mittatur.[15] Idem iuris est, si de re ob non solutum laudimiũ annuumve canonem commissa tractetur. Commissi enim declarationem præcedere necesse est, mittique dominum directum in possessionem auctoritate iudicis, non propria, adeo vt nec sufficiat sententiam interuenisse.[16] Vel ob id maxime quod in hoc genere moram purgari posse placet.[17] *Ita Senatus* ex tempore pro Claudia Billiet, contra D. de Treisserue, Prid. Id. Maij 1593. Junge Defin. 11. supr. de iur. dot.

1 Siquidem vim facere dicitur quisquis ius suum non per iudicem reposcit, *l. extat 13 D. quod met. caus. l. penult. & vlt. D. ad leg. Iul. de vi priuat. l. non est singulis 176. de reg. iur. l. 1. D. quod legat.*

2 Cum ei non deferatur hereditas, neque ex testamento neque ab intestato, *l. 1. 2. & 3. D. de hered petit.*

3 Nec enim potest fieri vt heredem habeat is, qui nulla bona post mortem suam reliquit, *l. lex Cornelia 28. vers. quia per eam non efficitur, de vulg. & pupill. substit.*

4 *Vt in l. 1. & 2. D. de castrens. pecul. l filiusfamilias D. ad leg. falcid.*

5 Ex edicto scilicet illo, quod Pragmatici dicunt *le mort saisit le vif.*

6 Quia edictum aut si mauis consuetudo non loquitur nisi de herede, vt dixi *Defin. 1. num. 6. §. tit. prox.* Cessante autem edicto illo vel consuetudine certum est, ex ratione iuris non posse transferri in quemquam, adeoque nec in heredem, possessionem, quæ est facti, *l. cum heredes 23. D. de acquir possess.*

7 Ita enim vulgo Pragmatici loquuntur, sed male. Non enim alius potest conueniri à creditoribus defuncti, quam qui sit vel heres vel heredis loco, *l. vltim. C. de hered. act l. 1. D. ad Senatusconsultum Trebellianum.* Illud certe verum est potiorem esse causam creditorum, quam domini bona occupantis. Nempe quia bona non dicuntur nisi deducto ære alieno, *l. subsignatum 39. §. 1. de verbor. significat. l. non possunt 11. D. de iur. fisc.*

8 Cum spoliatus etiam prædo ante omnia sit restituendus, *cap. in literis, extr. de restit spoliat.*

9 Nam nec is quem constat esse talliabilem prohibetur heredem habere siue testamentarium siue legitimum, nisi cum præterea apparet sine liberis eum decedere ac sine condiuisoribus, vt diximus *tit. de dedit. libert. tollend.*

10 *L. qui petitorio 36. D. de rei vindic.*

11 Quandoquidem ei, qui proximior est in gradu succedendi lex defert hereditatem, *Nouell. 18. de hered. ab intest. venient.*

12 *L. 4. D. de iustit. & iur.* Vnde natalibus restitui dicitur qui restituitur ingenuitati, *l. 1. & tot. tit. D. de natal. restit.*

13 Nemo enim vacuis manibus litigare cogitur, nisi contra Principem.

14 Cum in possessione retineri non possit is, qui numquam possedit, *l. 1. & tot. tit. D. vti possid.*

15 *L. 2. §. hac autem interdicta, D. de interdict. l. 1. D. quod legat.*

16 Guid. Pap. *quæst. 507.* vide *l. miles 6 §. qui iudicati, D. de re iud. c*

17 *Cap. potuit, cum ibi not. Extr. de locat.*

DEFINITIO III.

Spoliatus ante omnia restituendus est etiam in beneficialibus, nisi in promptu appareat de non iure spoliati, quæ distinctio in rebus profanis non adhibetur.

NOn minus in beneficialibus quam in profanis causis obtinet, vt spoliatus ante omnia sit restituendus, etiamsi prædo forte sit.[1] Neque enim spoliatori prodesse potest exceptio intrusionis, aut non canonicæ institutionis;[2] sicut nec alia vlla siue de proprietate beneficij, siue de plenaria possessione contendatur,[3] præterquam si in promptu appareat de notorio non iure spoliati.[4] Illud enim districte semper obseruare iudex etiam laicus debet, ne vitiosus ad beneficium ingressus vnquam detur.[5] Itaque necesse est, vt qui se spoliatum dicit proferat titulum aliquem saltem coloratum, aliterve possessionem suam probet coloratam,[6] licet minus iustam.[7] Alioqui plenarium, quod vocant, possessorium, absorberet causam restitutionis, quæ est summaria.[8] *Ita Senatus* inter Humbertum Chambard & Franciscum Cabod, Prid. Id. Decembr. quod in rebus profanis nunquam euenit.[9]

1 *Cap. in literis, Extr. de restit. spoliat.*

2 Qua enim fronte posset ista obiicere ille ipse qui spoliauit, quique ex dolo suo conuenitur? *arg. l. rem alienam 41. in fin. de pign. act. l. si plures 38. de admin. tutor.*

3 Qui enim vitiose possidet, nunquam ob id solum quod possidet vincere potest illum, à quo possidet, *l. 1. §. vlt. D. vti possid.*

4 *Cap. constitutus & cap. queniam, de fil. presbyt. cap. in literis* vbi notant Canonist. *de restit. spoliat.* Boer. *quæst. 2. nu. 34.* vbi addit hoc maxime procedere in electiuis dignitatibus, *ex cap. 1. de elect.*

5 Cassad.

BIU Cujas

5 Cassad. *decis.4.num.7.de restit.spoliat.* Rot. *decis.2.eod.tit. in nouis nu.4 & decis.2.& 13.& alibi pass.in antiq.eod.tit.* Ioan. Monach. *in cap.capientes, de elect.* Iacob. Put. *decis.284.lib.2.* Cranet. *consil.302.num.6.* Guid. Pap. *quæst 81.*

6 Capell. Tholos. *quæst.15.& ibi* Auffret. *& quæst.259.* Cassad. *vbi 3.* Rot. *decis.20.in antiq.*

7 Abbas *in cap.cum nostris, num 6.& de conc ff. prab.*

8 Si spoliato agenti noceret exceptio intrusionis vel non canonicæ institutionis, *d cap.in literis, & cap.item cum quis, de restit.spoliat* Rot. *decis.* 439. *in nouis.*

9 *L.si de vi 17. D.de iudic l.5.§.1.D.ad leg.Iul.de vi public. l.si quis ad se fundum 7. C.eod.*

DEFINITIO IV.

Etiam execrabilis si spoliatus sit ante omnia restituendus est, si dicat non teneri se interim exhibere dispensationem.

AVdio tamen alias pronunciatum fuisse, etiam execrabilem, qui plura beneficia curam animarũ habentia sine dispensatione obtineret, [1] ante omnia restituendum aduersus spoliatorem. [2] Ideo fortasse quod negaret teneri se ad dispensationis exhibitionem prius, quam esset restitutus. [3] In causa D.Episcopi d'Orange, contra D.de Flingey pro prioratu de Contamine. *Sine die.*

1 Hic enim execrabilis est nisi vnum ex beneficiis intra annum dimittat, *cap.licet canon.de elect.in 6.*

2 Cum tamen certum sit & notorium, quod execrabilis nullum ius in beneficio habere potest, *d.cap.licet canon.*

3 Alioqui si quis fateretur se execrabilem, vix est vt vllo iuris auxilio dignus videri posset. Ex notat. *in Defin.præced.*

DEFINITIO V.

Spoliatus probare omnino debet se spoliationis tempore possedisse, & quidem vere non simulate.

QVi se dicit spoliatum probare omnino debet, se spoliationis tempore possedisse. [1] Itaque si is, quẽ constat esse spoliatorem, probare velit alium, quam qui de spoliatione conqueritur possedisse, audiendus est. [2] Secundum hæc, cum spoliator quidam obiiceret peccasse spoliatũ in constitutionem Pij V. Pontificis Maximi De confidentia, non solum quod in resignatione sibi per patruum facta tacita esset consanguinitas, quæ ex constitutione exprimi debuerat, ne inter consanguineos hereditaria quædam beneficorum successio inducta videretur, [3] sed etiam quod post resignationẽ quoque patruus in beneficij possessione remãserat fructusque perceperat, [4] contra vero resignatarius diceret non cogi se de confidentia disputare priusquam aduersus spoliatorem restitutus esset: [5] Pronunciauit Senatus, de confidentia ante omnia inquirendum esse, quãdoquidem si de ea constaret consequens fieret, non nisi fictã falsamque fuisse resignatarij possessionem, [6] ideoque nec spoliari eum potuisse. Veram enim possessionem præcedere necesse est vt sequi possit spoliatio. [7] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 3. supra.

1 *Cap.consultationibus, de offic. delegat.*

2 Per *not. in cap. cum ad sedem, de restit.spoliat.* Rot. *decis.* 439. incip *si agenti possessorio, col.vlt.in nouis.* Adde Boer. *quæst.* 238. post Baldum, quem citat *in l.1.C.de appellat.*

3 Quod esset impiissimum & ridiculum, cum beneficiorum proprietas ad solam ecclesiam spectet, non ad prælatos.

4 Quæ res solet inducere non modo præsumptionem, sed etiam probationem simulationis, *l.sicut 8.§. superuacuum cum ibi not. D.quib.mod.pign. vel hypoth. soluit.*

5 Quasi non posset esse deterior conditio confidentiarij quam prædonis, qui vtique ante omnia esset restituendus, *cap. in literis Extr. de restit.spoliat.*

6 Et consequenter nullam, quia quod fictum est in veritate ac rei effectu nihil est, cum simulata pro infectis haberi debeant, *l.si ex pretio 5 C.si cert.petat. l.& qui sub imagine 10.C.de distr.pignor.tot.tit.C.plus valer. quod agit.*

7 Quia priuatio habitum præsupponit, & vera spoliatio veram possessionem, *vulg.l.4.D.de iust.& iur.l.1.§. deiicitur, D. hoc tit.l.1.§. est igitur, D.vti possid.*

DEFINITIO VI.

Resignatarius per confidentiam non potest dici spoliatus, ideoque nec restituendus.

SI per confidentiam & simulationem facta resignatio sit, nihil interest, à quo sit spoliatus resignatarius, an à resignante ipso, an ab alio. Neutro enim casu petere potest vt contra spoliatorem restituatur, [1] quicum tamen si confidentia nulla intercederet aduersus ipsum quoque resignantem, restitueretur. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia scilicet non potest videri spoliatus qui nunquam cœpit possidere, vt dixi *Defin præced.* Iunge *l.Titio vsusfructus 96. D. de condit & demonstr.*

2 Non magis enim resignanti, quam vlli alij permittitur resignatarium spoliare, imo multo minus, quia venit ille contra factum suum, quod nemini vnquam licet, ne quidem ex nouo iure, *l.et si is 10.* vbi est text.elegans. *D.de distract.pign.*

DEFINITIO VII.

Pendente hereditatis quæstione is, qui exhibet testamentum non cancellatum nec suspectum, restituendus est in possessionem, quam aduersarius inuaserit.

SI is, qui totam hereditatem ad se pertinere dicit ab intestato, aut ex posteriore testamento, de quo in promptu non appareat, hereditarias res inuaserit pendente quæstione De hereditate, placet heredem testamentarium, qui testamentum exhibet non rasum, non cancellatum, nec qua alia ratione suspectum, in rerum expilatarum possessionẽ ante omnia restitui debere, [1] saluo aduersarij iure in iudicio petitę hereditatis. [2] Prius enim de vi quærendum est, quam de possessione, sicut & de possessione prius, quam de proprietate. [3] *Ita Senatus* in causa N. Maret Castellani d'Armence, contra N. Villars. Prid.Id.Ianuar.1590.

1 Hoc primum requiritur, alioqui ex eo testamento nec possessio quidem peti posset, *l.vlt.C.de edict.Diui Hadr. tollen.*

2 Quia licet ex ratione iuris non possit heres aliud petere nisi vt mittatur in possessionem, quam nondum habuit, tamen ex edicto illo vulgari, *le mort saisit le vif.* de quo scripsi *Defin. 2.num.5.5* intelligitur factus possessor ipso iure, ideoque habet omnia beneficia & retinendæ & adipiscendæ possessionis, quæ haberet si actualiter, vt aiunt, & corporaliter possedisset.

3 Nihil enim commune habet proprietas cum possessione *l.naturaliter 12.§. nihil commune, D. de acquirend.possess.cum ibi not.*

4 *L.si de vi 57. D. de iudic.* vbi vide quæ de hac re scripsi in Rationalibus.

DEFINITIO VIII.

An & quando cumulari possit iudicium possessorium ex canone redintegranda cum restitutione in integrum.

QVæsitum est, an actio, quæ aduersus spoliatorem competit ex iure Pontificio, cumulari possit cum beneficio in integrum restitutionis? Dubitandi causa est, quod regulariter cumulatio petitorij & possessorij non admittatur. [1] Item quod actiones hæ contrariæ & incompatibiles videantur. [2] Nam in integrum restitutio tum competit, cum contractus præceffit qui tenet. [3] Remedium vero Pontificium tametsi omnium plenissimum sit, [4] adeo vt detur etiam contra eum, qui bona fide & cum titulo possideat. [5] si causam habeat à spoliatore, [6] nunquam tamen ei

BIU Cujas

datur, qui facto suo cecidit à possessione, [7] quomodo is cecidit qui ipse contraxit, aut contrahenti successit. [8] Dicebam distinguendum esse, an contractus ipso iure teneat, quamuis ex iusta causa aliqua rescindi possit, [9] an vero ipso iure nullus sit & inualidus? [10] Posquam placuit etiam hoc casu necessariam esse ex rescripto Principis restitutionem, [11] præsertim si iusiurandum nō vi, non dolo aut metu extortum interuenerit. [12] Priore casu non posse quæri de spoliatione, siue cum eo qui contraxit, siue cum eius aut vniuersali, aut singulari successore. [13] Posteriore vero vtramque quæstionem cumulari posse, quasi impetrata restitutione ex abundanti potius quam ex iuris necessitate. [14] Quid enim refert an contractus nullus omnino factus sit, an vero talis, qui ipso iure vires nullas habeat? [15] Neque enim eo minus malæ fidei possessor habetur, qui eo contractu nititur, quam si nullo niteretur. [16] Vnde illud est, quod fructus omnes restituere cogitur, non solum quos percepit, sed etiam quos percipere potuit. [17] Finge læsionē quam vocant enormissimam & vltra bessem interuenisse. [18] Quidni cumulari poterit restitutio in integrum cum remedio recuperandæ possessionis? Cum vtraque actio ad eundem tendat finem eosdemque producat effectus? Ergo nec resundendæ erunt expensæ [19] litis cœptæ super possessorio, si postmodum imploretur restitutio, sed in iudicati tempus reseruandæ, vt ei qui vincet adiudicari omnes possint. [20] Placuit Senatui tandem distinctio in causa Donatæ Morens, contra Bertrandam Morens, 7. Id. Junij 1590.

1 Ex not. per Bart. & alios *ad l. naturaliter* 12. §. *nihil commune, D. de acquir. possess.*

2 Contrariæ autem & [incompatibiles] actiones cumulari nunquam possunt, *l. 1. vbi not. C. de furt.* Not. *ad l. edita 3. C. de edend.*

3 Alioqui frustra petitur restitutio aduersus contractum, qui non teneat, *l. 4. C. si aduers. libert. l. 2. l. si quidem 11. C. de prad. minor.*

4 Tam in duratione, qui durat triginta annis, cum interdicta possessoria sint annua, quam in iure agendi, vt not. *ad dict. can. redintegranda 3. quæst. 1.* [Ideoque specialiter imprecandum est remedium *dict. can. redintegranda*, nec sufficit generalis imploratio omnium remediorum iuris, vt sæpius à Senatu nostro pronunciatum fuit, cùm in tam multis differat hoc remedium à cæteris, maxime in eo quod datur contra bonæ fidei possessorem habentem causam immediatam à spoliatore, in quo differt tam ab interdicto Vnde vi, quod nunquam datur contra tertium quamuis malæ fidei possessorem *l. cum à te 7. D. hoc tit.* quàm à remedio *cap. sape. Extr. de restit. spoliator.* quod nō competit nisi contra tertium malæ fidei possessorem, quia parum interest quod ad peccatum an quis rem alienam inuadat, an iniuste sciens detineat, vt ibi scriptum est. Cæterum non semper interdictum Vnde vi est annuum, sed plerunque perpetuum, scilicet de eo quod peruenit, adeoque etiam contra heredem, quia hac parte persecutionem rei continet *l. 1. in princ. l. 3. §. 1. D. hoc tit.* Plane quod pertinet ad remedium *dict. cap. sape*, constat non esse necessarium, vt specialiter imploretur, quia est remedium ordinarium subsidiarium ordinario interdicto Vnde vi, quod non idem est in remedio *can. redintegranda.* Vide tamen Menoch. *in dict. remed. 15. quæst. 2. & 21.* vbi magis probare videtur, vt eadem sint media concludendi in interdicto Vnde vi, & in remedio *can. redintegranda.* Quod procedere fortassis potest eo demum casu quo vtrumque remedium competit, licet vnum sit pinguius altero. Non etiam eo casu, quo remedium ordinarium duntaxat non etiam extraordinarium competat. Tunc enim semper extraordinarium specialiter implorandum est. *Ita tractatum est* in causa Nicolai Toynet & Francisci Burut, 5. Calen. April. 1612. Quid si adiecta sit in conclusione libelli vulgaris illa clausula, *Omni meliori modo iustitiam ministrari?* Non sufficiet, vt scripsi *Defin. 3. num. vlt. 5. de formul. & impetr. act. sublat.*]

5 Mynsing. *centur. 3. obseru. 85.* vbi vide *& Defin. 26.*].

6 *Cap. sape contingit 18. Extr. de restit. spoliat.*

7 Hic enim seipsum spoliat, non ab alio spoliatur, *d. can. redintegranda.*

8 Nec enim potest quisquam venire contra factum suum vel auctoris sui, *l. et si is 10. D. de distr. pign. l. cum à matre 14. C. de rei vindic. l. ex qua persona 149. de reg. iur.*

9 Scilicet per in integrum restitutionem, *l. 1. & pass. D. de in integr. restit.*

10 Qui proinde ex iuris ratione rescindi nec posset nec deberet, *l. nam etsi 5. D. de iniust. rupt. cap. non præstat impedimentum, de reg. iur. in 6.*

11 Vt quod de facto processit, de facto etiam rescindatur, inquiunt Pragmatici.

12 Quia hoc casu potest seruari citra dispendium salutis æternæ, ideoque seruandum est, *cap. 2 de pact. in 6. cap. debitores, Extr. de iureiur.*

13 Quia non potest dici spoliatus qui facto suo cecidit à possessione, vt dixi *num. 7. 5.*

14 Quæ enim ex abundanti fiunt, & dubitationis tantum tollendæ gratia, ius commune non lædunt, *l. qui mutuum 56. D. mandat.*

15 Siquidem quod ipso iure nullum est, effectum iuris habere nullum potest, *d. can. non præstat, l. non dubium 5. C. de legibus.*

16 Cacher. *decis. Pedem 47. 93. & 160. l. quemadmodum 7. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 46.*

17 Cacher. *ibid. l. sed etsi lege 25. §. sed & fructus, D. de hered. petit.*

18 Ex qua læsione nostri vulgo inferunt dolum in re ipsa, qui dolo ex proposito æquiparatur. Not. *ad l. si quis cum aliter 36. de verb. oblig.*

19 Quæ tamen refundi solent quoties mutatur actio post litem contestatam, *l. edita 3. vbi not. C. de edend.*

20 *Ex reg. victus victori in 6.*

DEFINITIO IX.

Ius extorquendæ retrouenditionis non excludit priuilegium restitutionis contra spoliatorem.

CVm quis ab eo spoliatus est, cui fundum ex contractu retrouendere cogebatur, placet ante omnia possessionem ei restitui debere, deinde quæri an retrouendere debeat, quia iudicium illud & summarium est & priuilegiatum, [1] hoc vero pleniorem requirit causæ cognitionem. [2] Si tamen aperte & in promptu constet de iure petitæ retrouenditionis, solet Senatus velut breui manu vtrumque iudicium simul terminare, [3] sed eo tamen semper obseruato vt de spoliatione restituendaque possessione prius pronuncietur. [4] *Ita Senatus* ex tempore 13. Cal. Aug. 1591.

1 Cum non debuerit is, qui habebat ius petendæ retrouenditionis, sibi ipsi ius dicere & rem vindicare, pro qua non habebat nisi personalem actionem ad petendam retrouenditionem, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.* iunct. *l. 3. & 4. eod. l. ab emptione 58. de pact.*

2 Perpetua autem regula est iudicium summarium numquam esse cumulandum cum plenario *l. si de vi 37. D. de iudic. l. 1. vbi not. C. si de moment. poss. fuer. appell.*

3 Expediendarum scilicet litium & vitandi circuitus causa ex *l. quidam 21. D. de reb. cred.* iunct. *l. dominus 55. de cond. indeb. l. 3. in princ. vt in poss. legat.*

4 Vt appareat Senatum velle vt is qui spoliatus est ante omnia restituatur.

DEFINITIO X.

Prætextu iuris alieni alium spoliare nemo potest.

POssidebam fundum mihi venditum à tuo creditore, quem ille pro debito sub hasta emerat. Titius me de possessione deiecit, eo prætextu quod fructuum sequestrationem fieri Senatus te petente decreuisset. Placuit, si tu, qui decretum obtinueras, possessionem meam interpellasses, quia id Prætore, vt aiunt, auctore fecisses, futurum vt eo nomine de vi non tenereris, [1] quasi tui iuris tuendi causa potius quā spoliandi animo id à te factum esset. [2] At quoniam Titius fecisse proponebatur, nec vllo iure de quo in præsentiarum constaret, visum est vim factam esse, & dignam quæ personali citatione coerceretur. Neque enim permittendum esse cuilibet prætextu decreti per te impetrati, vt sine iudice id faciat, quod tu magi-

stratu,

stratus imperio facere potuisses; [3] nisi te mandante id ipsum à Titio factum esse appareret, [4] *Ita Senatus* 18. Cal. Decemb. 1590.

1 Non enim potest videri dolo aut vi quicquam facere is, qui facit iudice vel iubente vel permittente, *l. non videntur* 167. *§. qui iussu. vbi not. de reg. iur.*

2 Iuris enim executio non habet iniuriam, *l. iniuriarum* 13. *§. 1. D. de iniur. l. nullus videtur* 55. *de reg. iur.*

3 *L. non est singulis* 176 *eod.*

4 Nihil enim refert an quis per se faciat an per alium cui mandauerit, *l. si quis* 7. *§. vlt. D. de iurisd. l. 5. §. quod si quis. D. de admin tutor.*

DEFINITIO XI.

Prælatus ecclesiæ qui male alienauit non potest agere de possessione, sed tantum de proprietario.

SI prælatus male alienauerit rem Ecclesiæ, non magis ex remedio iuris Pontificij, [1] quantumuis plenore, quam ex interdicto redintegranda ei est possessio, quia facto suo desiit possidere. [2] Licet enim tale factum sit nullum, dicique soleat, ex facto quod nullum est nullam reo defensionem quæri posse: [3] id tamen eo pertinet, vt non obstante alienatione possit ille ipse qui alienauit rem vendicare, com non tam in suam, quam in Ecclesiæ vtilitatem id faciat. [4] Potest enim quis facile contra factum suum venire, quoties alieni non proprij compendij causa facere id velit. [5] Sed in causa possessionis non idem admitti potest, quod illa magis facti sit, quam iuris, [6] nec fieri queat vt non tradita videatur possessio ab eo qui alienando reuera tradidit, quantumuis male alienauerit. [7] Plane successor eius redintegrari poterit, quasi spoliata ecclesia, licet facto sui administratoris. [8] Neq; enim pro administratore ecclesiæ habendus est qui male administrat; sicut nec tutor pro domino si rem pupilli male tractet. [8] Sed hoc ipsum ita, si non à tempore traditæ possessionis triginta anni effluxerint. Nam post triginta annos agi ex Canone pontificio, aut alio vllo remedio possessorio, non potest, [10] neque vero ex hoc tricennij curriculo subducemus tempus illud quo vixit prælatus, qui perperam alienauit, quod vtique subducendum esset in rei ecclesiasticæ vsucapione aut præscriptione. [11] Facilius enim amittitur ius recuperandæ possessionis, quam persequendæ proprietatis, [12] cum vt diximus in amittenda possessione factum solum, in amittenda proprietate ius quoque versetur. [13] *Ita Senatus* in ea causa, de qua S. C. 6. & 7. supr. De reb. alien. non alien.

1 *Ex can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.

2 Nec proinde potest dicere se spoliatum, vt dixi *Def in.* 1. *num.* 8 *§. eod.*

3 Bald. *in l. 2. notab.* 3. *C. si aduers. rem iudic.* Osasch. *decis. Pedem.* 180.

4 Quia proprietas beneficij non ad ecclesiæ rectorem pertinet, sed ad ecclesiam ipsam, *cap. nulli. vbi not. de reb. eccles. non alien.*

5 Paul. Castr. & alij *ad l. si non sortem, §. filius, D. de condict. indeb.* [*l. denique* 19. *D. ex quib. caus. maior. l. 1. §. si vir*, D. *de acq. possess. l. 1. §. Scæuola, si is qui test liber.*]

6 *L. denique* 19. *D. ex quibus caus. maior. l. 1. §. si vir*, D. *de acquir. possess. l. 1. §. Scæuola, si is qui test. lib.*

7 *d. §. si vir. vxori.*

8 Saluo emptori regressu contra prælatum qui alienauit. Innoc. *in cap. si quis de reb. eccles. non alien.* Guid. Pap. *quæst.* 159. *& ibi Apostill.*

9 *L. qui fundum* 7. *§. si tutor* vbi Bart. D. *pro emptor.*

10 *Ex l. sicut* 3. *C. de præscript.* 10. *vel* 40. *annor. Not. ad can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.

11 *Can. si sacerdos* 16 *quæst* 3. Guid. Pap. *quæst.* 150.

12 *L. si quis vi* 17. *§. differentia*, D. *de acquir. possess.*

13 Quia non nisi certis modis dominia & acquiruntur, & amittuntur, *l. traditionibus* 20. *C. de pact. l. nonnunquam nuda* 31. D. *de acquir. rer. domin.*

DEFINITIO XII.

Spoliator intelligitur etiam qui missus est in possessionem prætore auctore, si non denunciauerit iis quibus debuit.

PVpilli creditor cum fundi pupillaris distractionem sub hasta peregisset, emptorque factus literas à iudice impetrasset, vt ex more in possessionem mitteretur, ab apparitore ad exequendum dato missus fuerat, nec eam missionem tutori pupilli denunciauerat; [1] perinde luendi pignoris ius pupillo quandocunque competet, acsi missio nulla facta esset, cum semestre, quod in eam rem præstitum est, non nisi à die missionis currere incipiat; [2] missio autem illa demum accipienda sit, quæ rite facta est non quæ perperam. [3] Sed & si malit pupillus agere ex Canone pontificio, [4] vt sibi tanquam spoliato sua possessio redintegretur, audiendus erit, si aliud nihil obstet, non secus acsi creditor propria auctoritate non per iudicem inuasisset possessionem. [5] Idque remedium pupillo longe fauorabilius est, vt à creditore fructus repetat fundi venditi, [6] quos alioqui creditori à die addictionis saluos & integros manere oporteret si pignus lueretur. [7] Etsi enim addictio, &, vt loquuntur, expeditio illa est, quæ fructuum lucrum acquirit emptori, [8] non missio in possessionem, missionem tamen sequi & auctoritate iudicis fieri necesse est, vt præteriti quoque temporis non per vim quæsiti, nec proinde tanquam spoliatio restitui videantur. Sane in vicem fructuum legitimas debiti vsuras creditori, eidemque emptori aliiue quisquis emptor fuerit præstandas, aut ad eum vsque finem cum fructibus compensandas esse non dubitatur. [9] Nec pupillo nocebit quod vtilis validaque subhastatio præcesserit; non enim tollit ea res vitium spoliationis, si possessio male & vi aut clam occupata probetur. [10] Quamuis verum sit, ex vitio missionis in possessionem non fieri subhastationem inualidam, quæ alioqui rite facta fuit, & ab initio constitit. [11] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Idus Iulij 1593.

1 Quæ denunciatio erat necessaria, maxime cum ipsi pupillo non nisi frustra denuncietur, *l. Æmilius* 38. D. *de minor.*

2 Ita enim stylo Senatus nostri cautum est, quamuis ex vetere statuto curreret à die expeditionis.

3 *L. quoties* 6. D. *qui satisf. cog. l.* 2. D. *de auctor. tutor.* Vide *Def in.* 20. *j. de luit. pignor.*

4 *Ex can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.

5 *L. extat* 13. *D. quod met. caus. l. penult. & vlt. D. ad leg. Iul. de vi priuat.*

6 Veniunt enim fructus in condictionem, *ex d. can. redintegranda.*

7 Nec enim hac parte correctum est vetus statutum.

8 Iure scilicet dominij, *l. qui scit.* 25. *§. 1. D. de vsur.*

9 Non enim fieri potest, vt creditor idemque emptor carere debeat & fructibus & vsuris, ne alioqui eueniat vt debitor & re & pretio frui videatur; contra *l. ex empto* 11. *§. qui autem, l. Iulianus* 13. *§. veniunt, l. bona fides* 50. *D. de act'ion empt. l. curabit* 5. *C. eod.*

10 *L. si ex stipulatione* 5. *l. fundi venditor* 33. *D. de acquir. poss. l. 2. l. improba* 7. *C. eod.*

11 Cum subhastationis actus sit perfectus citra missionem in possessionem. Quæ autem semel perfecta sunt & ab initio constiterunt infirmari postea non possunt, *l. verbis* 5. *D. ad leg falcid.* Bart. *ad l. existimo* 98. *de verbor. oblig. & ad l. penult. §. vlt. eod.* Adde Dec. *cons.* 449.

DEFINITIO XIII.

Denunciatio facta falso tutori non excludit spoliationem, quæ adesset si nulla præcessisset denunciatio.

IDem erit si missio in possessionem falso tutori denunciata sit, vt puta matri quasi tutrici, cum tutrix

BIU Cujas

non esset, quamuis pro tutrice se gereret, Nam perinde pupillus luendi pignoris ius integrum habebit, aut recuperandæ possessionis tanquam à spoliatore, ac si denunciatio nulla facta fuisset. [1] Curiosior enim esse debet ac diligentior quisquis cum pupillo rem habet, vt non cum alio agat, quam qui verus tutor sit, [2] siquidem falsus tutor, licet seipsum & alios quibuscum contrahit, obliget pupillo, [3] pupillum tamen neque sibi, neque aliis obligare potest. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum nihil interest an nulla facta sit denunciatio, an ei sit facta cui fieri non potuit nec debuit, *l. Æmilius* 38. *D. de minor.* iunct. *l.* 2. D. *de auctor. tutor.*

2 Quia solus tutor verus habetur loco domini, *l. interdum* 56. §. *qui tutelam, de furt.* non etiam is qui pro tutore gerit, *l.* 2. *D. de eo qui pro tutor.*

3 *L.* 1. *& tot. tit.* D. *quod falsi. tutor.* iunct. *l.* 1. *& tot. tit. de eo qui pro tutor.*

4 Quamuis ei quoque qui pro tutore negotia gessit contrarium iudicium competat, *l. vlt. eod.* Vide *l. Iulianus* 13 §. *si quis à pupillo*, D. *de action. empt.* [Sed aliud est falsum tutorem esse, Aliud autem pro tutore gerere *l.* 1. *& passi.* D. *de eo qui pro tutor.*]

DEFINITIO XIV.

Patientia conductionis pro possessionis restitutione est.

SPoliatus qui iudicis auctoritate in possessionem suam restitui iussus est, satis restitutus videtur si eum fundum alteri locauerit, patiente spoliatore ac multo magis si à conductore spoliator ipse postea eundem fundum subconduxerit. [1] Cum certissimi iuris sit secundum conductorem nec sibi nec primo conductori, sed primo locatori possidere. [2] *Ita Senatus* pro N. Bernard procuratore, contra Peronettam Coruat, 4. Id. Nouembr. 1592.

1 *Arg. l.* 1. *C. de acquir. possess.* Nihil enim refert an mihi tradideris, an voluntate tua nactus sim possessionem, *l. si ex stipulatione* 5. *l. fundi* 33. D. *eod.*

2 *L. si quis ante conduxit* 10. *eod. tit. l. si colonus* 31. *eod l. male agitur* 2. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *annor.*

DEFINITIO XV.

Spoliator condemnatus non potest referre quæstionem dominij nec possessionis, ne quidem ex alio iure.

AT quid si postea idem spoliator, qui condemnatus fuerat, porrigat supplicationem aduersus S C. & interea petat retineri se in possessione eiusdem fundi ex nouo iure, vt puta quod is pro dote materna fuerit obligatus cum clausula constituti? [1] Non est audiendus quin prius tota possessione cedat, [2] quia nec mutare causam possessionis potest, nec postea quam conductionis titulo possidere cœpit, [3] dominij magis quam possessionis quæstionem referre. [4] Accedit quod etsi maxime referre dominij quæstionem posset, [5] odio tamen spoliationis audiri non deberet, [6] ac propter auctoritatem Senatusconsulti, cuius executionem remorari nihil potest. [7] Nam si non spoliasset agendum ei necessario esset vel ad ipsam possessionem retinendam condictione ex lege Iustiniani, [8] nec posset ius suum tueri retentione corporalis possessionis quam non haberet. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nec enim potest videri pronunciatum de eo iure, quod non fuit deductum in iudicium *l. non potest* 23 D. *de iudic.*

2 Quia non admittitur supplicatio contra senatusconsultum, quin prius mandatum illud sit executioni, vt scripsi *Defin.* 1. *& passi.* 5. *de sentent. præfect. prat.*

3 *L. non solum* 33. §. *quod vulgo*, D. *de vsucap. l.* 2. §. 1. D. *pro hered.*

4 *L. si quis conductionis* 23. *C. de locat.*

5 Puta si contra eum ageretur non ex contractu, sed rei vindicatione, vt not. *ad d. l. si quis conductionis.*

6 Cum etiam prædo sit restituendus, *cap. in literis. Extr. de restit. spoliat.* Aleo, vt nec libellum reconuentionalem dare violentus possit, non magis, quam excipere de dominio, Guid. Pap. *quæst.* 37. *num.* 3. post Bart. *in l. si quis ad se fundum, C. ad legem Iul. de vi public.*

7 Id enim publice expedit propter auctoritatem rerum iudicatarum, *l. seruo* 65. §. *cum prætor. ad S C. Trebell.* Dixi *ad d. tit. de sentent. præfect. prat.*

8 *In l. vlt. C. de acquir. possess.*

9 Prius enim est vt quis possideat, quam vt habeat retentionem, quæ scilicet non potest dari nisi possidenti, *l.* 1. *D. de pignor.*

DEFINITIO XVI.

Sequestratio per iudicem facta interdum spoliatio est, & quibus remediis emendanda sit.

NOn solet sequestratio per iudicem decreta possessionem eripere possessori, [1] sed si ex ea sequestratione fiat vt possessor priuetur fructu & commodo suæ possessionis, spoliatus videbitur, [2] & consequenter iisdem actionibus & remediis vtetur ad suam possessionem recuperandam, quibus vti posset si ab aduersario ipso spoliatus proponeretur. [3] Sed & illo amplius quod ab ea sequestratione appellare poterit. [4] Hodie tamen appellatio prorsus necessaria erit, postquam eo iure vtimur vt & ab interlocutione qualibet appellari possit, [5] nec nisi per appellationem rescindi possit quod à iudice male ac perperam decretum est. [6] *Ita Senatus* in ea causa de qua S C. supt. de prohib. sequestr. pecun.

1 *L. interesse* 39. vbi Bart. *D. de acquir. possess.*

2 Quia videtur iudex hoc casu animum spoliandi habuisse, Bart. *ibid. num.* 4. *cap. conquerente, ext. de restit. spoliat.*

3 Cum factum iudicis hoc casu sit factum partis vt & in alijs plerisque, *l. si ob causam* 13 *C. de euict. l. si in causa iudic. pign. capt. sit.*

4 Cum tamen ab eo, quod aduersarius fecisset, appellari non posset, *l. præfecti* 7. *D. de minor.*

5 Sequimur enim hac parte ius canonicum non ciuile, secundum quod non potest ab interlocutoria appellari, vt diximus *in tit. de sentent. & interloc. omn. iudic. & in tit. de appellationib.*

6 Nullus enim hodie vsus est illius *tit. D. quæ sentent. sin appell. rescind.*

DEFINITIO XVII.

De clausula ad habendum, tenendum & possidendum, *quando & quatenus prosit creditori spoliatum se dicenti?*

ETsi clausula illa, quæ in pignoris conuentione adiici solet, *ad habendum, tenendum & possidendum*, non æquipollet clausulæ constituti ad hoc vt possessio in creditorem transfusa videatur, [1] ideoque nec impedire solet exceptionem non factæ excussionis, [2] si tamen naturaliter & reuera creditor pignus tenuit, & possedit, perinde iuuandus est remediis omnibus possessoriis siue in possessione turbatus, siue spoliatus sit, [3] ac si clausulam haberet constituti, quia fictus modus transferendæ possessionis non debet maioris esse potestatis quam verus, nec fictio plus operari quam veritas. [4] Proinde si creditor hic de possessione deiectus sit, agere poterit ad eam recuperandam, [5] ne tantum aduersus eum qui deiecit & spoliauit, sed etiam aduersus tertium possessorem, si à spoliatore quamuis bona fide comparauerit. [6] Nihil enim interest an contra spoliatorem agatur, an contra hunc bonæ fidei possessorem: cum sicut spoliator fructus omnes restituere semper debeat ab ipso spoliationis die, [7] bonæ fidei quoque possessor non eos duntaxat, quos

post li-

post litem contestatam perceperit, [2] sed omnes restituere teneatur. Nimirum si nominatim imploratum sit beneficium canonis Pontificij. [9] Est enim id plenius remediis ciuilibus in eo, quod & datur contra titulo possidentem, & fructum restitutionem semper continet. [10] *Ita Senatus* pro Claudia Hugon, contra Nicolaum Brondel, 4. Id. Januar. 1593.

1 Quomodo transfertur per constitutum vtraque possessio & naturalis & ciuilis, *l. quod meo* 18. vbi DD. *de acquir possess.*

2 Quæ competit possessori contra agentem hypothecaria. *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

3 Nam & qui negat possessionem turbat, & qui turbat, spoliat, *l. vim facit* 11. *D. hoc tit.*

4 *L. filio* 23. vbi est text. elegans, *D. de liber. & posthum.*

5 Quisquis enim cum possideret vi deiectus est habet hoc interdictum, *l. Fulcinius* 8. *D. hoc tit.*

6 Mynsing. *centur. 3. obseru.* 85. post alios citatos *Defin. 1. num. 7. supr.*

7 *L. 1. §. ex die* 40. *D. eod.*

8 A quo demum tempore litis contestatæ incipit fieri malæ fidei possessor, *l. sed etsi* 25 *§ si ante, D. de petit. hered.*

9 Ex *can. redintegranda 3. quæst. 1.* quod beneficium semper implorandum est quoties agitur contra tertium possessorem. Alioqui non posset interdictum proponi contra alium quam spoliatorem, vt constat ex primis illis edicti verbis, *vnde tu illum deiecisti*, quæ in personam concepta sunt non in rem, *l. 1. D. hoc tit.*

10 *d. can. redintegranda, vbi not. 3. quæst. 1.*

DEFINITIO XVIII.

Sequester factus per iudicem si spoliatus sit, restitui potest ab eodem iudice contra spoliatorem etiam alterius fori.

COntendentibus duobus de possessione beneficij quorum alter fructus Titio locauerat, tsi is ipse petat inhiberi aduersario ne turbet conductorem, & iudex decernat sequestrari fructus penes Titium, qui postmodum turbetur in fructuum perceptione, ius illi est agendi eo nomine ad id quod sua interest, [1] tametsi consentiat is qui turbauit vt eam fructuum portionem Titius retineat, quam pro iure colonico habere debet. [2] Quin & ob violatum iudicis interdictum condemnandus erit turbator, etiamsi clericus proponatur. [3] Quia cùm de beneficij possessione disceptandum sit apud iudicem laicum, vtique permittendum est iudici vt iurisdictionem suam pœnali quoque iudicio tueatur. [5] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi Falc, contra Petrum Trabuchet Canonicum Maurianensem, 5. Id. Febr. 1593.

1 *L. in interdicto 6. D. hoc tit.*

2 Quæ plerunque dimidia est cum colonus est partiarius.

3 Contra regulas iuris communis, *cap. si diligenti, & pass. Extr. de foro compet.*

4 Guid. Pap. *quæst. 1.*

5 *L. 1. D. si quis ius dicent. non obtemp. l. vlt. D. de offic. eius.*

DEFINITIO XIX.

De sententia lata super possessorio simul & petitorio.

POst sententiam latam super possessorio & petitorio simul, quæri solet ab vtrius executione incipiendum sit, & an spoliatus reddere debeat fructus à se perceptos, si postea in petitorio succumbat, & quid si actum sit interdicto retinendæ possessionis? Diximus Defin. 8. 9. & 10. supr. de ordin. cognit.

DEFINITIO XX.

De litigatoribus qui ambo clam aliquid fecerunt, vt sibi possessionem vel acquirerent vel tuerentur.

SIad ianuam meam tabulas clam fixeris, & ego quoque eas aut clam, aut vi refixero, nihil quidem est quod mihi imputetur si à te factum ignorani. Cur non enim liceat mihi meam tueri possessionem? [1] At si sciui quod eas tu fixeris, imputabitur mihi si non prius tibi denunciauerim, & tenebor tibi interdicto Quod vi aut clam. [2] Sed tu quoque & quidem prior eodem interdicto teneberis, hactenus vt vel remittas mihi vt absoluar, vel si non patiaris me absolui, condemneris quanti mea interest, quasi rem non restituas, nisi malim agentem te interdicto repellere hac exceptione, si non vi, nec clam, nec precario feceris. Vtrumque enim remedium mihi competit. [3] Itaque inuestigandum est quis prior possederit, vt sciatur quis prior vi aut clam fecerit, [4] semperque curare iudex debet, vt certum possessorem constituat, [5] ne alioqui, si rem sequestrari iubeat iniuriam ei faciat, qui in sua possessione retineri debuit, iustamque appellandi causam illi præbeat, [6] quamuis soleat dici sequestrationem, quę fit decreto iudicis non, auferre possessionem. [7] Illud certe constat, non quem possedisse ob hoc solum quod claues habuerit, si non ei traditæ probentur, & quidem à possidente & animo transferendæ possessionis. [8] *Ita Senatus* in causa N. Baulx, contra N. Pasquier in publico auditorio, 13. Cal. April. 1593.

1 *L. 1. §. est igitur, D. vti possid. l. nullus videtur* 55. *de reg. iur.* Rot. *decis. 12. de restit. spoliat. in nouis.*

2 Vi enim facit qui prohibitus facit, clam verò qui celato aduersario, *l. 1. §. si quid vi factum l. 3. §. penult. §. vlt. D. quod vi aut clam.*

3 *L. 7. §. bellissime, eod. tit.* vbi tamen vide ne Triboniani sit tota illa additio, *quod non aliter* vsque ad finem *§. adde l. si vitem* 22. *§ si ad tanuam, eod. tit.*

4 Priorem enim deiectum illum necesse est, qui prior possederit. *l. 1. §. deiicitur, l. 3. §. eum igitur, D. hoc tit.*

5 Vt sit qui possessoris, item qui petitoris partibus fungatur, *l. in tribus* 13. *vbi not. D. de iudic. l. qui petitorio* 36. *de rei vindic. l. si priusquam* 15. *in fin. D. de operis noui nunciat. l. exitus* 35. *de acquir. possess.*

6 Nemo enim sua possessione priuandus est lite pendente, nisi ex magna causa. *l. Imperatores* 21. *§. vlt. D. de appellat. l.* 4. *C. si seru. export. ven.*

7. Bart. *ad l. interesse* 39. *num.* 4. *D. de acquir. possess.* Vide Bald. *ad l. vltim. vers. secundo premitte, colum. 1. C. de edict. Dini Hadr. tollend.*

8 *L. cum pater* 77. *§. pater pluribus, de leg.* 2. iunct. *l. clauibus* 74. *D. de contrah. empt.*

DEFINITIO XXI.

Odiosior est spoliatio per aduersarium facta quam quæ per iudicem.

ET si verum est quod dici solet, factum iudicis esse factum partis, [1] tamen multum interest vtrum spoliatus quis sit ab aduersario, an à iudice. Nam qui ab aduersario spoliatus est duo tantum probare debet vt restituatur, scilicet anteriorem possessionem, & spoliationem. [2] Qui verò à iudice, tria probanda habet, antiquiorem possessionem, spoliationem, & iniustitiam spoliationis, [3] quod eo pertinet, vt qui spoliatum se dicit à iudice non sit restituendus si spoliator de iure suo docere paratus sit, cum alioqui causa proprietatis non soleat remorari causam restitutionis. [4] *Ita* ex tempore tractatum est in causa heredum Petri Driuet & N. Lebel, 3. Id. Iul. 1593.

1 *L. 1. Cod. si in caus. iudic. pign. cap. sit. l. si ob causam* 13. *C. de euict.*

2 Dixi *Defin. 1. num. 8. §.*

3 Ideoque cogitur ab eo iudicis decreto per quod spoliatum se dicit appellare, vt dixi *Defin. 16. §.*

4 *L. si de vi* 77. *D. de iudic. in litteris Extr. de restit. spoliat.* Oldr. *consil. 224. col. 5.* Dec. *cons. 449. num. 39.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXII.

Remedium ex can. redintegranda datur etiam contra eum, qui ex subhastationibus nullis possidet, nisi aliunde possessionem suam tueatur.

CVm actio, quæ ex Canone Pontificio competit ad reuocandam possessionem, [1] non solum contra spoliatorem detur, sed etiam contra titulatum & bonæ fidei possessorem, [2] multo magis admittendum est eam competere, si possessoris titulus nullus sit, & inualidus, [3] puta si ex subhastationibus nullis, & contra statuti formam factis ea possideatur, [4] eritque spoliato restituenda possessio, [5] nisi eius retinendæ aliam causam possessor habeat, [6] puta ex iure anterioris hypothecæ, de qua in continenti constet. [7] Quod si creditor in possessionem missus ex subhastationibus nullis & inualidis habuit in instrumento clausulam constituti, [8] tanto certius admittendum est, vt si tanquam spoliator conueniatur, posse ex beneficio eius clausulæ possessionem suam tueri. Nam licet non prosit ea clausula ad retinendam possessionem quæ in alium translata est, nisi imploretur beneficiū Iustinianeæ constitutionis, [9] quod cum actione hypothecaria non potest concurrere, [10] nemo tamen dixerit creditorem, qui vt sibi consuleret egit hypothecaria, hoc ipso videri legis beneficium ac propriæ conuentionis commodum abiecisse. [11] Itaque non est cogendus, vt possessionem, quam suo iure & ex conuentione habet, [12] ei restituat qui dicit se spoliatum. *Ita Senatus* in eadem causa heredum Petri Driuet & N. Lebel, 3. Id. Iul. 1593.

1 *Ex can. redintegranda 3. quæst. 1.*

2 Qui scilicet causam habeat à spoliatore, vt dixi *Defin. 17. num. 6. 3.*

3 Est enim malæ fidei possessor is, qui contra leges mercatus fuit, *l. quemadmodum 8. C. de agric. & censit. lib. 11.*

4 Certum enim est corruere actum ex defectu formæ substantialis & statutariæ, *l. cum hi 8. §. si prator, & ibi not. D. de transact.* Idem est, si prædium minoris venditum sit, etiam permittente iudice, sine decreto, *l. si manet, D. de reb. loc.* Nam & tutor spoliare pupillū potest, *l. 7. §. si tutor, pro empt.* & iudex *cap. conquerente, extr. de restit. spoliat.* At quid si pecunia versa sit in rem spoliati? Reddenda erit ante omnia, ne petitor ex aliena iactura locupletetur, *l. si fundus 13. §. 1. de reb. eor. l. vtere 14. C. eod.* Exceptio enim doli nunquam censetur exclusa, ne quidem in iudicio summario, dummodo de ea in promptu constet. Vide *Defin. 10 5. de stat. præfect. prætor.* Eadem ratio facit, vt si possessor bonæ fidei conuentus, *ex can. redintegranda*, impensas vtiles fecerit in rem meliorandam, debeant ei ante omnia restitui; cum non eo minus sit bonæ fidei possessor, quod à spoliatore causam habeat, siue mediatam, siue immediatam; nam & prædoni restituendæ essent, *l. 7. D. de petit. hered.* Iunge *Defin 24 3.*

5 *d. can. redintegranda.*

6 *Ex tit. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin poss.*

7 Hypotheca enim anterior tribuit ius retentionis, quod tribuere non potest venditio per spoliatorem facta post spoliationem.

8 Per quam factus sit possessor non solum ciuiliter, sed etiam naturaliter & actualiter, *l. quod meo 18. de acquir. possess.*

9 Quæ extat *in l. vlt. C. de acquir. possess.* De quo scripsi *Defin. 1. & pass. 3. ill. tit. de acquir. possess.*

10. Si quidem is qui agit hypothecaria possessionem auocat alienam, id est, debitoris, qui vero agit condictione *ex d. l. vlt.* auocat suam propriam. *Not. ad l. 1. C. de reuoc. his quæ in fraud. credit.*

11 Non enim facile quis credendus est voluisse iuri suo renunciare, vulg. *l. cum de indebito 25. D. de probat.*

12 Ac proinde sine vitio & ab alio quam ab ipso spoliatore, quæ res facit eum legitimum contradictorem, *arg. l. filiam fratribus 16 D. ad S C. Trebell.* vbi Bart.

DEFINITIO XXIII.

De æstimatione eius quod interest in interdicto Vnde vi, & quod vi aut clam.

QVi interdicto Vnde vi, aut Quod vi aut clam superatus est, non solum eos fructus omnes, quos percepit restituere debet, [1] sed etiam quos percipere potuit quosque perceptuus erat victor, si vim passus non fuisset. [2] Tanti enim victoris interesse videtur. [3] Sed etsi minus honestum lucrum aliquod victus perceperit, quod variis modis potest contingere, non minus ratio eius habenda est, ne honesta interpretatio non honesti quæstus lucrum adferat possessori. [4] At finge, cum tu mihi vim fecisses & condemnatus esses in id omne, quod mea intererat, ac inter cætera ad restitutionem decem amphorarum vini, quas tu ex fundo meo perceperas, dixisse me totidem amphoras vini coactum me emere, in vicem eius quod tu mihi per vim abstuleras, & quidem eo pretio quod vindemiarum tempore communiter obtinebat, si eo anno postea longe pluris vinum fuit, an liberaberis restituendo mihi pretium duntaxat, quod mihi abest cum vsuris quincuncibus, [5] an vero cogendus eris vt perinde soluas quanti plurimi vinum eo anno fuit, acsi aliud vinum in locum eius non substituissem? [6] Facit pro me quod non ea vina quæa me empta sunt restituere debes, sed quæ sunt à te percepta. [7] Quæsi pluris eo anno fuerunt quam quanti à me alia eiusdem bonitatis vina comparata sunt, non debet ea res meaque negotiatio tibi prodesse, sed mihi potius, qui ea comparaui vt ne gotium meum gererem, non vt tuum. [8] Et sane ita est, si mihil aliud proponatur nisi quod alia vina comparauerim, quibus perinde vti potuerim ac meis. Sed cum dixi ea me vina emisse, vt substituerem in locum eorum, quę tu mihi restituere debebas, hoc ipso video me tanti æstimasse, quod mea intererat, [9] nec sine ratione. Potui enim perinde empta vina in honesticos vsus impendere si mea eram impensurus, aut quanti plurimi vinum postrema anni parte fuit, vendere, si mea eram venditurus. [10] Denique æquum non est, vt quibus hyeme sum vsus ad alendam familiam, eorundem pretium quod æstate fuit reposcam. Neque enim duplicem illum vsum eadem vina præbere potuissent. [11] *Ita Senatus* in causa N. Aduocatorum de Coysiaz & Gaudinon, 3. Id. August. 1593.

1 *L. 1. §. ex die, D. hoc tit.*

2 *L. si de possessione 4 C. eod.* Exemplo scilicet alterius cuiusuis malæ fidei possessoris, *l. sed etsi 25 §. sed & fructus, D. de hered. petit.*

3 Id autem quod interest venit in condemnationem, etiam cum agitur interdicto, *l. in interdicto 6. D. hoc tit.*

4 *Vt in l. si possessor 52. D. de hered. petit.*

5 Sunt enim vsuræ istæ apud nos frequentiores, quia respondent iustæ fructuum æstimationi, vt anno demum vicesimo æquent sortem.

6 Si quidem Interpretibus nostris vulgo placet æstimationem quanti plurimi etiam ei deberi qui agat ex contractu, nimirum à quo die moram passus fuit. Bart. & alij *ad l. §. in hac, D. commod. & ad l. vinum 22 D. de reb. cred.*

7 *d. l. 1 § ex die, D. hoc tit. d. l. 4 C. eod.*

8 Nec enim tuus procurator fui aut esse debui, vt tuum negotium gererem potius quam vt meum, cum alia illa vina emerim meo periculo, *arg. l. postulante 44. §. vlt. D. ad Senatusc. Trebell.*

9 *Arg. l. Imperator 70 § vl. & l. seq. de legat. 2.*

10 Vinum enim sicut consistit in mensura, ita est ex earum rerum numero, quæ recipiunt functionem in suo genere, *l. 2 §. mutui datio, D. de reb. cred.*

11 Cum sint etiam vina ex earum rerum genere, quæ vtendo consumuntur, *l. si vini 7. & tot. tit. D. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.*

DEFINITIO XXIV.

Qui passus est aufferri sibi possessionem auctoritate iudicis, nullo prætextu dicere potest se spoliatum, nec si sit minor puta si passus sit publice distrahi rem quam possidebat.

Auxilium

BIU Cujas

AVxilium iuris pontificij, quod spoliatis datur ad reuocandam possessionem,[1] licet detur etiam contra titulo possidentem,[2] non tamen aduersus eum competere potest, qui titulum habeat à Prætore, quia nec vi, nec clam, nec precario possidet, qui auctore, vt aiunt, Prætore possidet, ob idque & iuste possidere dicitur,[3] & quod est consequens, bonæ fidei possessor esse.[4] Et sane vix est, vt non facto suo ceciderit à possessione, qui passus est publice distrahi rem quam possidebat;[5] cum in eo factum & auctoritas iudicis nō credito is, sed debitoris factum existimetur.[6] Eum autem, qui facto suo ceciderit à possessione, constat non posse dicere se spoliatum.[7] Nec, si ignorantiam velit prætendere ideo, quod præconis vox, vt dici solet, paucis innotescat, excusabitur, cum rem ipsam possideret quæ distracta fuit.[8] Nam & ex ea causa pignoris ius, quod longe fortius est quam possessionis, tacite remissum intelligeretur.[9] Neque rursum, quod tum minor fuerit qui spoliatum se dicit, quicquam ei proderit. Etsi enim facilius in minore ignorantiam non tantum iuris, sed etiam facti præsumitur,[10] attamen tam crassa ignorantia præsumi non potest, vt proprium quoque factum tacitumque cōsensum ignorasse videri queat.[11] Sola enim pupillaris ætas illa est, quæ quod videt ignorat.[12] Quod si aduersus tacitum illum consensum restitui minor velit tanquam læsus, ob id quod possessionem suam sine causa omisisse videatur,[13] non erit audiendus, quia leue damnum illud intelligitur amissæ possessionis,[14] quam recuperare possit qui quis in re ipsa aut in rem ius habeat.[15] Sicut & dici solet non restitui minorem ob id solum, quod allegationem exceptionis declinatoriæ omiserit.[16] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Berard, & N. de la Chenal. Item in causa Ludouici Ortolan, & R. Ioannis Bal, Canonici de sainct Ioire, 6. Id. Nouembr. 1593.

1 *Ex can. redintegranda 3. quæst. 1.*

2 Qui modo causam habeat à spoliatore, vt dixi *Defin. 17. num 6.*

3 *L. iuste possidet 11. D. de acquir. possess.* Sed quid si prætor iusserit aliquid, vel ante, vel post venditionem fieri, quod factum non sit? Nihil actum videbitur, poterit que imputari emptori, qui accessit ad venditionem fundi pupillaris, aut minoris, cur non fuerit diligentior in exequendo decreto, cuius forma ad vnguem est seruanda.

4 *L. qui auctore 137. de reg iur.*

5 Non enim potest subhastatio fieri quin possessori sua auferatur possessio per leuationem, vt vocant, id est, per ipsam pignoris capionem, de qua *in l. à Diuo Pio 15. D. de re iud.* Alioqui non posset magistratus tradere emptori possessionem, quā ipse non haberet. Et tamen cogitur eum inducere in possessionem, *d. l. à Diuo Pio, §. si post addictum.*

6 *L. 1. C. si in caus. iudic. l. si ob causam 13. C. de euict.*

7 Not. *ind. can. redintegranda.*

8 Quæ proinde non potuit ignoranti ei auferri, & ita allegat hic proprij facti ignorationem, quæ nunquam est probabilis, *l. quanquam 7. D. ad SC. Velleian.*

9 *L. si eo tempore 6. C. de remiss. pignor.*

10 *L. cum de indebito 25. D. de probat. l. regula 9. D. de iur. & fact. ignor.*

11 *d. l. quanquam.* Facti enim alieni tantum probabilis ignorantia est, *l. vlt. D. pro suo.*

12 *L. 1. C. de fals. monet.*

13 Solet enim restitui minor quoties læsus est etiam in omittendo, *l. minor autem 18 §. 1. l. minor 35. D. de minor.*

14 Vnde est, quod non dicitur alienare qui duntaxat possessionem omittit, *l. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact. l. non alienat 119. de regul. iur.* Adde *l. vnic. Cod. si de moment. poss. fuer appell.*

15 Ideo siquidem comparatæ sunt actiones, vt vnusquisque id quod suum vel sibi debitum est consequatur, *l. nihil aliud 51. de oblig. & act.*

16 Quia est parui præiudicij, secus est si omiserit exceptionem peremptoriam vel dilatoriam, vt dixi *in Rationalibus ad dict. l. 36.*

DEFINITIO XXV.

Remedium ex can. redintegranda an & quando duret post annum trigesimum? Et quid de fructibus?

FIeri potest vt auxilium illud iuris pontificij, de quo proxime diximus, detur spoliato etiam post trigesimum adeoque quinquagesimum annum,[1] nempe si medio tempore agere spoliatus non potuit,[2] aut prohibente iure potestatis,[3] aut maritali reuerentia impediente.[4] Neque enim spoliationis vitium purgari potest, nisi ex consensu eius qui spoliatus fuit saltem tacito, qualis ille est, qui ex tam diuturni temporis silentio inducitur, cum nihil est, quod impediat ne inducatur.[5] At impedit non proculdubio verecundia eius, qui contradicere aut agere tametsi maxime velit non audet.[6] Fructus tamen licet in hanc actionem venire soleant, non debebuntur nisi à die mortis patris, si actoris pater, qui alioquin eos suo iure percepturus erat,[8] venditioni consenserat.[9] Debebuntur tamen eius temporis quo maritus vixit, si is non petierit. Imo etiamsi maritus adhuc viuat, dummodo non petat: credendus enim est ideo non petere vt faueat vxori potius, quam vt iniusto possessori.[10] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. supr. si aduers. vsucap.

1 Quamuis regulare sit vt finiatur anno trigesimo, sicut cætera iura omnia, *l. 3. C. de præscr. 30. annor.* Vide tamen Cassad. *dec. 6. de restit. spoliat.*

2 Quia non valenti agere, vt aiunt, non currit præscriptio, *l. 1. §. vlt. C. de annal. except.*

3 *Vt in d. §. vlt. & Auth. nisi triennale.* iunct. *l. 1. in fin. C. de bon matern.*

4 *Vt in l. in rebus 30. C. de iur. dot.*

5 *L. 1. & 2. C. si aduers. credit præscr. oppon. d. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

6 *L. 1. §. quæ onerandæ, D. quarum rerum act. non det. l. penult. D. de furt.*

7 Vt dixi *dict. Defin. 17. §.*

8 Iure patriæ potestatis, *l. cum oportet 6. & l. vlt. C. de bon. quæ liber.*

9 *Arg. l. peto 69. §. prædium, de leg. 2.*

10 *Arg. l. vir vsuras 54. D. de donat. int. vir.*

DEFINITIO XXVI.

Bona fides tertij possessorij non excludit ius spoliati, si nihil spoliato imputari possit.

AN ea iuris pontificij constitutio, quam in superioribus tam sæpe memorauimus, ei opitelet ur, qui agit cōtra bonæ fidei & titularem, vt loquuntur, possessorem, sæpius dubitatum fuit. Sunt qui putent opitulati debere,[1] sunt contra qui negent, quorum sententiam plerique summæ auctoritatis viri sequuntur. Nisi, inquiunt, titulus ille sit omnino & aperte nullus, aut in fraudem actoris captatus.[2] Qui duo casus nullam certe habent dubitationem. Nam nec bonæ fidei possessor videri potest, qui huiusmodi titulo nititur.[3] Senatus tamen noster magis probat, vt, quod ad hoc remedium attinet, parūm referat an spoliator sis, an titulū habeas siue mediatum, siue immediatum ab eo qui spoliator fuit.[4] Ne alioqui eueniat, vt in spoliatoris arbitrio & potestate positum sit, alienatione rei deteriorem facere spoliati conditionem.[5] Hoc enim remedium non in personam scriptum est, sed in rem,[6] nec ad aliud fere actor cogitur, quam vt probet antiquiorem suam possessionem, cum hoc ipso probetur ex recentiori alterius possessione spoliatio,[7] si nullum spoliati factum interuenit, ex quo possit induci consensus tacitus, vel expressus.[8] Nec quod noua possessio titulata sit, vt nostri loquuntur, ad rem facit, nisi vt non possit vide-

BIU Cujas

ri spoliator qui nunc possidet,[9] atqui sufficit, vt actor sit spoliatus, licet reus non sit spoliator.[10] Illud sane magis communiter nostri requirunt, vt eius, qui hac actione conuenitur, aut violentam aut saltem clandestinam esse possessionem necesse sit.[11] Sed magis est, vt probetur, aut saltem præsumatur clandestina possessio eius quoque qui titulum habeat hoc ipso, quod cum eam nactus est non denunciauit ei, qui se postea queritur spoliatum,[12] nisi publice aut præsente vel sciente, tacenteque illo eam nactus sit.[13] Alioqui bona fides possessoris noceret spoliato, cui nihil imputari posset, quod æquum sane non esset.[14] De illo vtique nemo dubitat, quin si vitium in re sit, puta quod res furtiua sit vel per vim erecta, teneri actione ista debeat quisquis possessor est, tametsi maxime titulum bonamque fidem obtendat.[15] *Ita tractatum est* in causa Spectab. D. Caroli Franciſci Ruſſin, Referendarij Sereniſſ. Auguſtæ noſtræ, & Illuſtris D. Marchionis de la Chambre, 12. Cal. Ianuar. 1594.

1 Quia scriptum videtur in rem, non in personam, in quo maxime differt ab interdicto Vnde vi, quod ipsis edicti verbis conceptum est in personam, *l.1. D. hoc tit.* vide Cassad. *decis 7. de restit. spoliat.*

2 Et horum sententiam probabiliorem putat Apostillator ad Alex. *consil. 6. lib. 3.*

3 Siue nullus sit siue in alterius fraudem captatus, *l. quemadmodum 7. C. de agric. & censit. l. & tot. tit. quæ in fraud. cred. D. & C.*

4 Dummodo non ab ipso quoque actore causam habeas. Mynsing. *centur. 3. obseru. 8*

5 Quod non est ei permittendum, *l. 1. D. de alien. iud. mut. ouus. fact. l. Granius 71 §. penult. D. de fideiuss.*

6 Quæ res facit, vt hoc remedium sit plenius quam interdictum Vnde vi, vt dixi *§. num. 1.*

7 Cum non possint duo simul & in solidum possidere, *l. 3 §. ex contrario, D. de acquirend. possess. l. duo in solidum 19. D. de precar.*

8 Quia volenti & consentienti non potest fieri iniuria ne spoliatio, *l. in diem 9 § 1 de aqua & aqu. pluu. arcend. l. 2. l. in proba 7. C de acq. poss.*

9 Quandoquidem prædo non est qui pretium numerauit *l. nec vllam 13. alias l. e iamsi, § si quis sciens, D. de hered. petit. l. nemo prædo est 16 de regul. iur.* Et ideo habet ius retentionis etiam pro impensis in rem factis. Dixi *Defin. 22. num. 4. §.*

10 Quod non videtur obseruasse Alex. *d. cons. 6. lib. 3.* Vide Afflict. *dec. 327.*

11 Quibus casibus vitiosa est possessio, *l. 1. §. vlt. D. vti poss. id.* Nihil enim vetat vitiosam esse possessionem etiam illius, qui tamen titulum habeat, *l. si ex stipulatione 5. l. fundi 33. D. de acquir poss.*

12 Quid tamen si ignotauit cum forte spoliatus nondum conquereretur? Non erit clandestina possessio, *l. 3. §. vlt. & seq. D. quod vi aut clam.* Nec eo minus tamen poterit possessor conueniri secundum ea quæ proxime diximus, nisi adiuuetur scientia & taciturnitate spoliati, *l. 4 §. quæsitum, D. de doli mali except.*

13 Puta si eam emerit auctore prætore, vt dixi *Defin. 24. §* vel spoliato præsente & sciente, *arg. d. § quæsitum.*

14 *Arg. l. non debet alteri 74. l. absentia 140. de reg. iur.*

15 Vitia enim realia sequuntur rem quocunque ierit, & afficiunt quemlibet possessorem, *l. vitia 11. vbi not. C. de acq. poss. l. 4. §. quod autem, & pass. D. de vsucap.*

DEFINITIO XXVII.

Creditor creditoris, si spoliatus sit, debet restitui aduersus quemlibet spoliatorem rei obligatæ, si ius pignoris duret.

NOn tantum creditor, qui pignoris aut hypothecæ possessionem nactus est, sed etiam creditoris creditor, qui rem debitori suo pignori datam pignori accepit,[2] restituendus est aduersus spoliatorem, siue à debitore ipso, siue ab alio quolibet spoliatum se probet. Creditor enim licet non domini animo rem habeat,[3] tamen reuera sibi ipsi possidet, non debitori, nisi quod ad causã vsucapiendi.[4] Si tamen prius debitor, cuius res est, creditori suo debitum soluerit eo tempore, quo nihil prohibebat ne posset soluere, licet inscio creditoris sui creditore, cuius vtique voluntatem exquirere nil necesse fuit,[5] constat vtriusque hypothecæ ius perimi, & consequenter sublato pignoris vinculo non magis recuperandæ quam retinendæ possessionis ius vllum superesse,[6] tametsi creditor maneat, qui à primo creditore pignoratio pignus acceperat. Id enim est quod dici solet, resoluto iure datoris resolui etiam ius acceptoris.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. cum & sortis 35 §. 1. D. de pignor. act.*

2 *Ex sit. C. si pignus pignor. dat. sit.*

3 *L. pignoris 13. D. de vsucap.*

4 *L. serui nomine 16. eod.*

5 Siquidem debitor contraxit cum suo creditore, non autem cum creditoris sui creditore, *d. l. 1. & 2. C. si pignus pig. dat. sit, l. debitor 45. §. vlt. de pignor act.*

6 *d. §. vltim.*

7 *L. lex vectigali fundo 31. D. de pignor. l. si debitor 11. D. de precar.*

DEFINITIO XXVIII.

Neque sexus neque communio dominij eximit violentum inuasorem à pœna legibus constituta.

MVlierem, quæ rei suæ, aut sibi obligatæ penes alium constitutæ possessionem violenter inuaserat, placuit prætextu sexus exemplari non debere, quo minus in pœnam legis incidisse videretur.[1] Itaque siue dominij siue alterius iuris cuiuslibet, quod in re haberet, damnum illi infligendum esse placuit.[2] Nec distinguendum visum est, an lis iam de possessione penderet necne?[3] Neque rursum an totius rei dominium ad inuadentem mulierem pertineret, an commune cum eo esset, qui vim fuerat passus?[4] Omni enim casu violentam inuasionem puniri interest Reipublicæ.[5] Sane si rei communis iusta possessio nõ nisi pro parte penes eum fuit, qui spoliatus est, pro ea tantum parte persona, quæ vim fecit, dominij iurisve sui iactura coercebitur,[6] nisi tactenus vt si ante vim factam corporalis detentio totius rei erat penes spoliatum, in eundem statum omnia restitui oporteat, & ab agendo venire debeatis, qui propriam possessionem vult vindicare.[7] *Ita Senatus* pro N. Mario de Turretin, Equite Lazariano, contra Dominam de Sainte croix, ante Non. Marr. 1595. & prid. id. Sept. seq. Etiam antea pro Dn. de Moutou, contra D. Baronem de Vitry.

1 Quæ constituta est *in l. si quis in tantam 7. iunct. gloss. C. hoc tit.*

2 *Ex d. l. si quis. iunct. l. extat. 13. D. quod met. caus. l. penult. & vlt. D. ad leg. Iul. de vi priuat.*

3 Etsi solent magis odiosa esse quæ attentantur in spretum litis iam pendentis, *tot. tit. C. vt lit. pendent.*

4 Etsi qui rem communem habet in dubio credendus est vsus iure suo potius, quam de vi facienda cogitasse, *l. meruo 51. D. pro socio, l. duo fratres 78. D. de acquir. hered.*

5 Ne maioris tumultus occasio detur, *l. non est singulis 176. de reg. iur.*

6 Nec enim sunt ampliandæ pœnæ, sed molliendæ potius ac restringendæ, *l. penult. D. de pœn.*

7 Nec enim debet vnquam spoliator ex sua improbitate ius & commodum possessionis sibi acquirere, *l. 1. § vlt. D. vti possid. l. 1. D. quod legat.*

DEFINITIO XXIX.

Sola simulationis aut vsuræ allegatio restitutionis remedium non excludit.

EXceptio simulationis & vsuræ, de qua in promptu non apparet, facere non potest quo minus redintegrari

BIU Cujas

redintegrari debeat is, qui probat veterem suam possessionem, securamque spoliationem,[1] quia remedium hoc, vt mere possessorium, ita omnino summarium est.[2] Illa autem obiectio magis pertinet ad proprietatis causam, quę ampliorem & altiorem requirit indaginem. *Ita* ex tempore tractatum est pro Nicolaa Gaben, contra Dom. de la Porte, prid. Id. Mart. 1595. Item pro Nicolao Toynet, 7. Cal. April. 1612.

1 Non enim contractus in dubio præsumitur simulatus aut vsurarius, *l. 2 C. ad leg. Cornel de falsa.*

2 *Can. redintegranda cum ibi not. 3 quæst. 1. l. si de vi 37. D de iudic l. vnic. C. si de moment poss. fuer. appell.*

3 *d. l. 2. C. de falsa. l. ille à quo 13. §. 1. D. ad SC. Trebell. l. 3. in princip. vt in poss. legat.*

DEFINITIO XXX.

Actio competens spoliato doli personalis exceptione submouetur.

INterdictum recuperandę possessionis licet sit omnino summarium,[1] ob idque non soleat eas exceptiones admittere, quæ ad proprietatis potius quam possessionis causam pertinent,[2] tamen admittit exceptionem doli, quippe quæ nullo vnquam casu censeatur exclusa,[3] nimirum si non in rem tantum sit, sed in personam.[4] *Ita Senatus* in publico Auditorio pro Claudio Du port, chirurgo, 10. Calend. Maij 1595.

1 Vt dixi *Defin. præced. num 2.*

2 *L. si de vi 37. D de iudic l. 5. §. 1. D ad leg. Iul. de vi priuat.* Nec tamen admittit exceptionem illam, dolo facis, qui petis, quod restituturus es. Guid. Pap. *quæst. 37.* post Bart. *ad l. si quis conductionis, C. de locat.*

3 *L. procurator 11. § in perpetuum, D. de doli mali except.*

4 Doli enim exceptio ex parte quidem eius qui obiicit in rem est, sed ex parte illius, cui obiicitur in personam, *l. 2 §. 1. & seq. D. eod. tit.* In quo differt ab exceptione metus, *l. 4 § penult. eod.*

DEFINITIO XXXI.

Spoliatus non restituitur contra tertium bonæ fidei possessorem, qui in promptu doceat de dominio vel sui auctoris, vel sui.

SI tamen contra eum agatur, qui bona fide emerit à spoliatore (postquam placuit auxilium canonis pontificij prodesse spoliato etiam contra bonæ fidei possessorem,[1]) æquum est hactenus saltem fauorabiliorem esse illius causam, vt si probare in promptu possit se à domino emisse, quem spoliatorem ignorabat, non debeat ei nocere quod à spoliatore imprudens emerit.[2] Rursum finge, bonæ fidei possessorem qui ex canone illo conuenitur obiicere præscriptionem decennij inter præsentes, aut vicennij inter absentes, ob idque probare velle iustam fuisse auctoris sui possessionem, ne obstet illi constitutio Justiniani aduersus eos lata, qui emerunt à malę fidei possessore,[3] neque tamen in promptu probare id posse, sed tantum per testes aut per instrumenta, quæ ad manum non habeat, quidni sit audiendus? Vtique enim constat auxilium illud iuris pontificij, licet neque per bonam fidem possessoris, neque per decennij aut vicennij præscriptionem excludatur,[4] excludi tamen, si bonæ fidei possessor per longi temporis præscriptionem vtile saltem dominium sibi acquisierit. Cum is, qui præscriptione tutus est, nec ipse spoliauit, paratam habeat probatamque dominij exceptionem.[5] *Ita Senatus* pro N. Carolo Dufour, contra Jacobinam Berru, 3. Id. Maij 1595.

1 Qui modo causam habeat à spoliatore siue mediatam siue immediatam, vt dixi *Defin. 26. supr. eod.*

2 Ne alioqui prægraueretur odio, *vt in l. si quis suo 33. § 1. C. de inoffic. testam.* Guid. Pap. *quæst. 37. nu. 4.* post Cyn. & Bart. *ad l. si quis, C. de locat.*

3 Vt scilicet non minore quam 30. annorum spatio possint præscribere, *Auth. mala fides C. de long. temp. præscr.*

4 Quia cum sit condictio ex lege pontificia in *can. redintegranda 3. quæst.* durat triginta annis, vt & cæteræ actiones personales, *l. sicut 3. D. de præscr. 30. vel 40 annor.* cum tamen interdictum, *Vnde vi* sit annuum, sicut & cætera interdicta.

5 *L. si duo 13 §. Iulianus, D. de iureiur. l. vnic. Cod. de vsucap. transform.*

DEFINITIO XXXII.

Obligatus ad luitionem pignoris non potest dicere se spoliatum esse à creditore, qui sine vitio nactus sit possessionem à debito quamdiu non offert omne id quod debetur.

DEbitor cum creditore transegerat, vt nihil à seviuo peteretur, ea tamen lege vt in singulos annos septunces vsuras penderet, statimque à die mortis debitoris creditor corporalem possessionem adprehendere posset certarum rerum specialiter obligatarum, quas debitor constituerat eius nomine possidere quousque debitum solueretur. Post aliquot menses idem debitor inscio creditore bona sua omnia præsentia & futura Titio donauerat, paucis exceptis, de quibus testari posset. Post donationem creditor aduersus debitorem egerat, vt ad transactionis obseruationem condemnaretur. Debitor condemnationi Titio ignorante consenserat, continuata multis annis per Titium possessione, quam sibi ex donatione quæsiuerat, tum defuncto debitore, creditor & viribus clausulæ constituti & auctoritate iudicati fultus possessionem bonorum propria auctoritate occupauerat. Donatarius conquerebatur vim factam esse & spoliationem, petebatque vt sibi possessio sua restitueretur. Dicebam, non ea ratione defendi posse, vim nullam à creditore illatam esse, quod pro eo iudicatum fuisset.[1] Nam & vim facit qui propria auctoritate exequitur iudicatum,[2] quod per magistratus ipsos aut magistratuum apparitores executioni mandari debet.[3] Quod vero ad constituti clausulam attineret, tametsi ex ea transferatur realis & vera possessio,[4] non tam ex eo fieri, quin facto constitutoris rem alienantis & tradentis, quocunque tandem titulo, interuertatur ea possessio & in illum transferatur, qui rem acquirit,[5] quoniam possessio facti non iuris est,[6] ob eamque nimirum causam necessarium fuit auxilium legis Justinianeæ, vt pristino possessori liceret propriam possessionem condicere & auocare.[7] Itaque quamuis in proposita specie remedium illud creditori competere potuisset, cum tamen eo vsus non fuisset, at propria auctoritate possessionem re vera in alium translatam occupasset, videbatur dubitari non posse quin Titium spoliasset, ac consequenter si non de vi, saltem de restituenda possessione ei teneretur.[8] Neque enim Titio nocere potest res inter alios eo ignorante & post ius ipsi quæsitum iudicata,[9] sicut nec iudicis auctoritas, quæ interueniisset, facere, quo minus possessio deberet restitui spoliato, qui non fuerat condemnatus.[10] Sed tamen magis probatum est nullo iure Titium egisse, vt sibi sua possessio restitueretur; non solum quod debitori successisset ex causa lucrativa,[11] (vix enim sola ratio hæc sufficeret, præsertim in iudicio de possessione, quod momentaneum est, factique magis, vt diximus, quam iuris causam continet,[12]) sed etiam quod ita successisset, vt factum debitoris omnimodo ratum habere cogeretur,[13] cum esset donatarius vniuersorum bonorū, qui & ex ea causa quasi hæres, aut saltem hæredis loco conueniri poterat ad debiti exsolutionem;

BIU Cujas

secundum eam sententiam, quæ à nostris magis communiter probata est. [14] Nam qui ad hoc ipsum est obligatus siue personali, siue reuocatoria actione, [15] vt soluat pecuniam pro qua pignus datum est, de cuius possessione contenditur, qua fronte possit conqueri spoliatum se sua possessione, eiusque restitutionem vrgeret? [16] Nam & in culpa est, cur non soluerit. [17] Me tamen, ne in hanc sententiam descendere possem, illud mouebat, quod non facile poteram credere donatarium, quantumuis vniuersorum bonorum vniuersalem esse successorem aut hæredis loco habendum, cum potius singularis successoris iure censeatur. [18] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 3. supr. Qui & aduers. quos & integr. restit.

1 Quamuis certum sit rem iudicatam pro veritate haberi, *vul. l. ingenuum* 25. D. *de stat. homin l res iudic.* 207. *De regul. iuris.*

2 *L. miles* 6. § *qui iudicati*, D. *de re iudic.*

3 *L. à Diuo Pio* 15 *eod. tit.* iunct. *l. non est singulis* 176 *de reg. iur l. extat* 13. D. *quod. not. cauf. l penult & vlt.* D. *ad leg. Iul. de vi priuat.*

4 *Vulg. l quod meo* 18. D. *de acquir. poss. l*

5 *L. si de eo* 40. § *si forte*, vbi Bart. & alij *eod tit.*

6 *L.* ... § *si vir vxori, cum præced eod tit. l. denique* 19. *ex quib. eauf. maior. l* 1. § *Scæuola*, D. *si is qui testam. lib. est inff.*

7 *Ex l. vlt C. de acquir. poss. l miles* 6 § *qui iudicati*, D. *de re iudic.*

8 *Ex can. redintegranda* 3. *quæst.* 1. Sed & iudicati commodo priuandus videbatur qui sibi ius dixisset, *arg d. l. extat, & l si quis in tantam* 7. C. *hoc tit.*

9 *L.* 1. D. *de except. rei iudic. l.* 1. *& tot. tit. C. int. alios, act. vel iudic. aliis non nocer.*

10 *L de vnoquoque* 47. D. *de re iudic.*

11 Solet enim minus fauorabilis esse causa illius qui successit ex titulo lucratiuo, quam eius, qui ex oneroso, *l. quod autem* 6 § *simili modo dicimus*, D. *quæ in fraud. credit. l* 4 § *si cum legitima & seq.* D. *de dolo except. l.* ... *lt.* § *sin vero creditores*, C. *de iur. deliber. l super longi* 11 C. *de præscr. long temp.*

12 Quasi in eo non tam quæratur an is, qui se spoliatum dicit restituendus sit, quę quæstio iuris est, quam vtrum sit spoliatus, quod est facti.

13 *L. ex quæ persona* 149 *de reg iur.*

14 Vt scilicet donatarius vniuersalis, hoc est vniuersorum bonorum, teneatur creditoribus donatoris, possitque ab iis etiam personali actione conueniri, nempe cum donatus reperitur non soluendo, & sine herede. Ita enim Guid. Pap. *quæst.* 105.

15 Iuxta glos. quam sequuntur Aug. Bald. Cyn. Salic. & alij *ad l. aris alieni* 15. C. *de donat.*

16 Potest tamen fieri vt etiam debitor à suo creditore spolietur, nempe quoties creditor propria auctoritate occupet possessionem pignoris, nisi cum exercet legem conuentionis, *vt in l* 3. vbi Bart. C. *de pignor.*

17 Cum in suo tempore soluisset de spoliatione quærendum hodie non esset.

18 Vt probaui pluribus in Hemichiliade, *De error pragmat ex d l aris alieni* 5. C *de donat.*

DEFINITIO XXXIII.

Possessor iam factus per clausulam constituti neminem spoliat, cum propria auctoritate suam possessionem occupat nemine contradicente.

VIm fecisse non videtur, qui clausulam constituti habens atque ita possessor iam factus [1] possessionem occupauit propria auctoritate, cum nemo contradiceret, [2] tametsi postea superueniat contradictor siue iustus siue iniustus. Non enim facit vim qui iure suo vtitur. [3] Fieri tamen potest vt sit spoliator, & possessionem restituere debeat, si ea forte translata sit medio tempore in tertium possessorem. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l quod meo* 18. D. *de acquir pos.*

2 Nam si quis adsit contradictor, per iudicem expedienda res est, ne sibi ipsi creditor ius dicere videatur, contra *l.* 1. *D. quod legat. l. non est singulis* 176. *de reg. iur.*

3 *L nullus videtur*, 55 *eod. l iniuriarum* 15 § 1. *D de iniur.* Non enim spoliat qui possessionem suam continuat.

4 Secundum ea quæ scripsi *Defin. prox. præced. num.* 6 7. 8. & dicam *Defin. seq.*

DEFINITIO XXXIV.

Is, cui ex pacto licet possessionem apprehendere propria auctoritate, non eo minus spoliator est si apprehendat eam possessionem, quæ sit penes alium quam paciscentem eiusve successorem.

PActio, quæ in pignorum conuentionibus plerisque addi solet, vt creditori liceat quandocumque propria auctoritate, & irrequisito debitore aut iudice, corporalem pignoris possessionem occupare, [1] non potest creditori prodesse, nec si concurrat clausula constituti, [2] nisi quamdiu corporalis illa possessio manet penes debitorem. Nam interuersa possessione creditoris, & in alium translata ex iusto alienationis titulo, dubitandum non est, quin licet nullo id iure factum sit ac mala debitoris fide, ex eo tamen amissa possessio sit, quæ creditori quæsita fuerat per clausulam constituti. [3] Quippe quæ facti magis quam iuris est. [4] Neque aliud creditori remedium superesse potest ne debitoris factum ei noceat, nisi vt agat reuocatoria, & condictione ex lege Justiniani. [5] Quod ni fecerit, & quasi iure suo vsus propria auctoritate possessionem occupauerit, pro spoliatore habendus est, ac proinde ad possessionem restituendam condemnandus. [6] Alioqui nihil erat necesse induci à Justiniano remedium illud, si ei, cuius possessio interuersa sicque amissa esset, liceret propria auctoritate i lam repetere iamque factam alienam inuadere. [7] *Ita Senatus* in causa Michaëlis Sachet, Idib. Jul. 1595.

1 Vt in specie *l. creditores* 3 C. *de pignor l pen.* C. *de pignorat. act l. si quis sub hoc pacto* 56. D. *de contr. empt.*

2 Quæ tamen fauorabilior est, quia facit eum iam possessorem, vt dixi *Defin præced num* 1.

3 Cum etiam si quæsita fuisset per veram traditionem, tamen amitteretur *l. si de eo* 40. § *si forte*, D. *de acquir poss.*

4 *L. denique* 9. D. *ex quibus cauf maior. l.* 1. § *si vir. & præced.* D. *de acquir. poss.*

5 Implorato beneficio, *l vlt. Cod. ill. tit. de acquir. poss.* quæ ab Interpretibus & Pragmaticis nostris vulgo sic accipitur, Contra quos tamen vide quæ scripsi in prioribus Decadibus de *error pragmat.*

6 Cum nec si pro se haberet iudicatum posset tamen propria auctoritate possessionem illam impune occupare, *l. miles* 6. § *penult* D. *de re iudic.*

7 Non enim ab Imperatore impetrandum est, quod iure communi conceditur, *l. Imperatores* 30. D. *de rebus auctor. iudic. possid.*

DEFINITIO XXXV.

Constituti clausula post interuersam possessionem non prodest, nisi implorato prius beneficio legis vltim. C. de acquir. poss.

COnstituti clausula, per quam creditor factus sit possessor, non obstat quo minus exercere possit debitor vulgarem ex canone pontificio actionem, [1] si creditor propria auctoritate possessionem occupauerit, quam alieno facto iam amiserat. [2] Quid ergo? Prius est, vt imploret creditor beneficium clausulæ constituti & Justinianeæ constitutionis. [3] Quo casu si quis siue tertius siue debitor ipse intercedat, prius pronunciandum est super intercessione. [4] Non quod ea intercessio tantæ sit potestatis, vt auferat possessionem ei, qui habet, aut faciat possessorem eum, qui possessor non est (ius enim tantum conseruat, si quod intercedenti competit) [5] sed quia inducit

contra-

contradictorem.[6] Clausula vero illa non prodest ad acquirendam facultatem occupandæ propria auctoritate possessionis, cum legitimus adest contradictor.[7] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal, & Joannis Falquet, Non. Sept. 1595.

1 Hoc est coniunctionem *ex Can. redintegranda 3. q 1.*
2 Vt dictum est *Defin. præced.*
3 *In l. vlt. C de acqu. poss.* vt dixi *d Defin. præced. nu. 5.*
4 An scilicet iusta fuerit causa intercedendi.
5 Ne scilicet alioqui videatur executioni per alium factæ consentire.
6 Contradictor enim est, quisquis se obiicit aduersarium actori. *l cum non iusto 3. D. de collus. deteg. l vlt. cum ibi not. C. de edict. Diui Hadr. tollend.*
7 Quisquis tandem ille sit, id est, siue iustus siue iniustus. Potest enim & legitimus esse contradictor, & tamen iniustus, *d. leg vltim l filiam fratribus 56.* vbi not. *D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XXXVI.

Restitutus in pristinum statum potest de statu illo quandocumque docere.

IS, qui per interdictum, aut qua alia ratione ex sententia iudicis restitutus est in eum statum, in quo vel ille ipse, vel alius, à quo causam habeat, fuit, non est arctandus, vt ante omnia doceat de illo statu,[1] quoniam ea verba causaliter, vt loquuntur, potius quam conditionaliter adiecta intelliguntur.[2] *Sine die.*

1 Boer *quæst. 16 num. 1.*
2 Bartol. *in l. eum qui, § Iulianus, de constit. secun. per text. & gloss. fin in cap. quoniam Abbas. de offis. deleg. Ex not. in l. penult. C de instit. & substit.* Boer. qui in numeros citat, *d qu. 16. num. 2.*

DEFINITIO XXXVII.

Potest quis proposito interdicto retinendæ possessionis proponere in subsidium interdictum recuperandæ, non contra. At interdictum adipiscendæ vtrique subsidiarium est.

INterdictum recuperandæ possessionis potest esse subsidiarium interdicto retinendæ, cum dubitari plerumque possit, an qui se turbatum dicit in sua possessione non solum turbatus sit, sed etiam spoliatus.[1] Sed non similiter ex contrario interdictum retinendæ potest esse subsidiarium interdicto recuperandæ, quia hoc ipso, quod quis fatetur se spoliatum, amittit possessionem, si quam ante habebat.[2] Interdictum adipiscendæ vtrique subsidiarium esse potest, quia proxime accedit ad causam petitorij,[3] cuius quæstio ei quoque salua semper est, qui nunquam possedit.[4] *Ita tractatum est* in causa Dominæ de Tollens, & hæredum Antonij Chappuis, 13. Febr. 1596.

1 Vix enim est, vt quis in possessione sua turbetur, quin hoc ipso spolietur, scilicet si malit se spoliatum dicere, quam possessorem, *l. vim facit 11. D. hoc tit.* Nam si malit suam tueri possessionem & se dicere adhuc possessorem, non est prohibendus. *l. 1. § est igitur, D. vti possid.*
2 Cum possessio solo animo amittatur statim atque is, qui possidebat, desinit velle possidere, *l si quis vi 17. § differentia, D. de acquir. poss. cum similib.*
3 *Not. ad l naturaliter 12. § nihil commune, D. eod. ill. tit. de acquir. poss.* Guid. Pap. *qu. 1.*
4 *Leg. ii qui destinauit 24 leg. qui petitorio 36. D, de rei vind.*

DEFINITIO XXXVIII.

Exceptio dominij non potest obiici agenti interdicto recuperandæ, nisi reus dicat se causam habere ab actore aut ab eo, cuius actor hæres sit.

ETsi agenti ex canone Pontificio ad recuperandam possessionem exceptio dominij obiici non potest, si tamen reus dicat venditam sibi rem ab actore ipso, aut ab eo, cuius actor ipse hæres sit, vtilis exceptio est.[1] Quia nunquam potest spoliatum se dicere is, qui facto suo cecidit à possessione.[2] Quid vero interest, an facto suo, an eius, à quo ius habeat, & cum quo vna eademque persona esse existimetur?[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Rot. *decis. 11. de restit spoliat. in nouis.* Vide tamen Specul. *in tit. de petitorio & possessorio in § fin.* vbi ponit 26. casus, quibus datur exceptio contra agentem hoc interdicto. Adde Guid. Pap. *quæst 212.*
2 Mynsing. *centur. 3 obseru. 85.*
3 Id enim est, quod dici solet plerumque eandem causam esse successoris, quæ fuit auctoris, *l. inuitus 156 § plerumque, l. quod ipsis 143 de reg. iur.* Maxime vero cum successor est vniuersalis, vt heres, *l nihil est aliud 24. de verb sign.* [Illud sanè constans ius tituli superuenientis non purgare vitium spoliationis præcedentis, Capell. Tholos. *quæst. 492.* & ibi Aufret. *ex cap solliciti de rest spol.*]

DEFINITIO XXXIX.

Articuli pertinentes ad causam petitorij admittendi sunt etiam in causa possessorij, saltem cum clausula saluo iure imperrimentium, si modo qualequale iudicium possint facere ad causam possessorij confortandam.

NIhil quidem commune habet proprietas cum possessione,[1] ideoque certum est agenti interdicto siue retinendæ, siue recuperandæ possessionis, exceptionem dominij opponi non posse.[2] Sed non eo minus tamen admittendi sunt articuli, si quos reus adferat pertinentes ad causam dominij & proprietatis.[3] Quicquid enim prodesse potest nō modo ad plenam aut semiplenam probationem, sed etiam ad iudicium aliudve quodlibet adminiculum inducendum, admitti per iudicem debet.[4] Negari porro non potest, quin ex causa dominij aliquid accedat adminiculi ad causam possessionis roborandam, &, vt nostri loquuntur, confortandam.[5] Adeo vt interdum quoque admittenda sit exceptio dominij, puta si is, qui spoliatum se dicit, allegetur spoliatus prætore auctore, quamuis iniuste.[6] Ergo admittendi quidem sunt interim articuli, sed in finem litis differendum est, an dominij exceptio, quæ ex iis inducitur, admittenda sit, nec ne.[7] *Ita tractatum est* Cal. April. 1596.

1 *L. naturaliter 12. § nihil commune, D de acquir. poss.*
2 *L si de vi 36 D. de iudic. c. in literis. Extr de restit spol.* Afflict. *decis. 7. num. 2.*
3 Bald *in l. vnic. C si moment. poss. fuer. appell.* Præsertim cum clausula, *Saluo iure imperrimentium.* Idem Afflict. *decis 33.* quam clausulam in dubio addi debere vult statutum nostrum.
4 *L. indicia, C. de rei vindic.* Bald. *in l. ordinarij. C. eod.* Iacob. de Butr. *in l. incerti. C. de interdict.*
5 Guid. Pap. *q. 71. Ex not in c. liret. Extr. de probat.*
6 Angel. *in l. si quis ad fundum. C ad leg Iul. de vi.* Innoc. *in c. super col § Extr. de renunciat.*
7 Afflict. *d. decis. 7. in fin.* Obserua autem aliud esse in interdicto adipiscendæ possessionis, quia cum sapiat petitorium, Guid Pap. *q. 1.* admittit exceptionem dominij, Bart. & alij *ad §. nihil commune.*

DEFINITIO XL.

Exceptio contrarij spolij de rebus mobilibus an & quando detur spoliatori conuento remedio recuperandæ possessionis?

EXceptio contrarij spolij de rebus mobilibus quam placuit dari etiam spoliatori aduersus agentem interdicto Vnde vi, ad recuperandam possessionem,[1] non habet locum si agatur de feudo,[2] aut de re aliqua ecclesiastica,[3] quoniam & feuda & res Ecclesiasticæ publici iuris esse creduntur,[4] ideoque fauorabiliorem causam habere, quam sunt quæ iuris priuati,[5] vt

BIU Cujas

neque solet ob hanc ipsam rationem fieri compensatio de publico ad priuatum.[6] Nam nec si inter priuatos & de re priuata ageretur iudicio vi bonorum raptorum, aut condictione ex lege,[7] vlla tamen exceptio siue spoliationis, siue alia quælibet spoliatori accommodanda esset.[8] Illud sane constat, iis quoque casibus, quibus exceptio spolij spoliato datur,[9] non aliter dandam eam esse, quam si dicat se spoliatum ab actore ipso, non etiam ab alio,[10] nisi agatur de vi criminaliter, & spoliatio vel totius patrimonij, vel maioris partis bonorum allegetur.[11] *Sine die.*

1 *Ex cap frequens. Extr de restit spoliat.*
2 Afflict *decis.*19. post Ioan. Andr. & Pet. de Anchar. *in d §. cap frequens.*
3 Ioan. Monach. & Anchar. *ibid.*
4 Abb *in c.* 2. *Extr de ordin cognit.*
5 *Vulg. Auth res quæ C commun. de legat. cum similib.*
6 *L.*1 *&* 2 *C de compensat.*
7 *L si quis in tantam. C. vnde vi.*
8 Afflict. *d. decis.*19 *num* 5. post Cyn. *in l. si maritus, C. de don inter vir. & vxor.*
9 *Ex d. cap frequens*, cuius dispositio locum habet non solum iure canonico, sed etiam in re ciuili, vt post Bart. & Angel. *in l. si te bonis C de iur. delib.* concludit Afflict. *d num* 5.
10 Quo casu procedit dispositio *d. l. si te bonis.* Idem Bald. post Specul. *in tit. de r. stit. spoliat.* § *nunc dicamus, vers porro.* Afflict. *d decis* 39 *num.* 1.
11 Afflict. *d. decis.* post Petrum de Anchar. *in d. cap. frequens, notab.* 3. Guid. Pap. *quæst.* 38. *num.* 2. vbi ait spoliatum omnibus bonis vel maiori parte bonorum, à nemine posse conueniri, an equam sit restitutus, iure scilicet canonico, *ex d. cap frequens & cap.* 1. *de restit spol. ext.* Aliud enim est de iure ciuil. Bart. *in l. si te bonis, C. de iure delib.*

DEFINITIO XLI.

HÆres vsufructuarij aut eius cui ad vitam aliquid legatum est non potest conqueri se spoliatum nec consequenter quasi spoliatus agere interdicto recuperandæ possessionis, aut ex Canone pontificio[1] si proprietarius post vsufructuarij mortem propria authoritate occupauerit possessionem;[2] Quia licet verum sit vsufructuarium naturaliter possidere,[3] ac multo magis eum, cui ad vitam suam aliquid legatum est,[4] ea tamen possessio finitur morte, nec in hæredem transire potest.[5] Ne quidem beneficio edicti ex quo mortui, vt loquuntur, possessorem viuum faciat. Ea namque demùm possessio per hoc edictum transfertur, quam ex ratione iuris adprehendere suo iure hæres posset, vt edicti potestate factum duntaxat hæredis, quod olim ad occupandam possessionem necessarium erat,[6] non etiam ius ipsius suppleatur.[7] *Ita Senatus* in causa Dominicanorum & pauperum Hospitalis Chamberiensis de Machy. 5. Aug. 1612.

1 *In can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.
2 Nec ad hanc causam pertinet quod scriptum est in *l.* 3. § *pen. D hoc tit* etiam heredibus fructuarij competere hoc interdictum, loquitur enim cùm vsufructuarius fuit spoliatus, & dat ei interdictum pro damnis quæ passus est ipse fructuarius ante finitum vsumfructum.
3 *L naturaliter* 12. *D de acq. poss l. possessio* 49 *eod.*
4 Hic enim habet proprietatem cum onere fideicommissi, *l. species* 5 *D de aur & arg leg. l. vlt. D. de vsufr. ear. rer. quæ vsu consum.*
5 Quia nec vsusfructus transit, sed finitur morte, *l* 3. §. *vlt. & pass. quib. mod vsusfr. amit l. Titio* 51. *D de vsufr.*
6 *L. cùm heredes* 23 *D. de acquir. poss.* Ratio posita est in *l.* 1. §. *Scæuola, D si is qui testam. lib. esse. iuss.*
7 Nec enim nouum est, vt factum hominis suppleatur potestate legis, vt in *l vlt. C si mancip ita fuer. alien.*

DEFINITIO XLII.

Casus quo in pendente iudicio redintegrandæ possessionis vindicia pro actore dici possunt & debent.

COntingit aliquando, vt propositum redintegrandæ possessionis remedium & iudicium longiores moras exigat, & tamen in promptu appareat quodammodo de spoliatione. Quo casu solet Senatus pro actore vindicias dicere, vt ei pendente lite possessio restituatur, quamuis dici soleat redintegrandæ possessionis iudicium esse summarium, & possessorem quemlibet pendente lite in possessione sua retinendum esse. Quidni enim pro eo interim iudicetur qui apparentiorem titulum habeat? Tum verò maximè id obtinet cùm remedium recuperandæ possessionis naturalis proponitur simul cum interdicto ciuili retinendæ: quam cumulationem fieri posse iam pridem placuit. Nec enim credendus est ciuilem amittere velle is, qui id agit quantum potest, vt naturalem amissam recuperet. *Ita Senatus* pro N. Canonicis Bellicensibus, contra D. Alexandrum de Beaumont Carra, Prid. Id. Dec. 1612. etiam anteà contra N. Philippum d'Anise, *Sine die.*]

TIT. IV.

VTI POSSIDETIS.

DEFINITIO I.

In interdicto vti possidetis, nec cognoscitur de dominio, nisi incidenter, nec quicquam de possessione decernitur ante diffinitiuam sententiam, nisi ad causam momentanea possessionis aut sequestrationis.

IN interdicto retinendæ possessionis de illo tantum quæritur, quis hoc anno possederit, nō vi, non clam, non precario: nec cumulari potest quæstio proprietatis, si alteruter collitigantium dissentiat.[2] De dominio sanè incidenter agi potest, sed id non tam ad cumulandū petitoriū quam ad colorandū & corroborandū possessoriū,[3] quod fieri pleriūq; necesse est, si forte possessionis probationes vtrimq; pares proponantur.[4] At, quid si alter collitigātium fateatur aduersariū possidere, sed contendat eam possessionem aut violentam esse, aut clandestinam, aut precariam?[5] Momentaneæ possessionis commodum ei adiudicandum erit, quem constat possidere:[6] quia credendus est quilibet iustè possidere potius quam iniustè,[7] & suo nomine potius, quam alieno.[8] Etsi vero non solet de possessione quicquam decerni ante diffinitiuam sententiam,[9] id tamen fieri aliquando necesse est, ne ad arma decurratur pendente lite. Quæres facit, vt si æque obscura sint litigatorum iura, & tumultus alicuius periculum sit, possessionem sequestrari oporteat.[10] *Ita Senatus* 14. Cal. Januar. 1588.

1 *L & tot tit D. vti possid.*
2 Quia fauor possessionis facit, vt prius cognoscendum sit de possessione quam de proprietate, vt notant nostri *ad l naturaliter* 12. § *nihil commune, D de acq. poss. ex l exitus* 35. *eod. l. incerti C de interd.* Papiens. late *in form libell pro turb. poss in vers. ad cessandum & desistendum, præsertim num* 18 *& ante fin* Iunge *Defin* 8. 9. *&* 10 *sup. de ordin cognit.*
3 Guid. Pap. *q.* 71. *ex not. in c. l cet. Extr. de probat.*
4 Cum in hoc interdicto vterque sit, & actor & reus, & par sit vtriusque litigatoris causa, *l* 3. § *hoc interdictum. D. hoc tit l. actionis* 37 §. 1. *D de oblig & action* Papiens. *vbi sup. num.* 9.
5 Ac proinde vitiosam. Is demum enim iustè possidet qui non vi, non clam, non precario possidet, *l* 1. §. *vlt. D. hoc tit. l. si quis diuturno* 10. *D. si seruit. vindic.*
6 Cum possessio facti sit magis quàm iuris *l. denique* 19. *D. ex quib. caus. maior. l.* 1 *si vir vxori. D. de acquir. poss.*

7 Quo-

BIU Cujas

7 Quomodo & bona fides præsumitur potius quam mala, *l. merito 51 ff. pro socio.*

8 *Arg. l. 4. D. de solut.*

9 Per quam pronuncietur vter ex litigatoribus possideat.

10 Prohibendo litigatoribus ne ad possessionem accedant, idque sub certa pœna vt loquitur Papiens. *vbi sup. num. 4. vers. Dicit Iacob. Ex not. in l. 1 C. hoc tit. l. si cuius 13. §. si inter duos alios, l. æquissimum, D. de vsufr.* [Alioqui de attentatis nihil tractari vel decidi in hoc in edicto potest pendente lite, cùm vterque dicat se possidere. Non enim attentat qui possessionem suam continuat, vt dixi *Defin. 11. sup. vt lit. pendent.* Et ideo differenda est de attentatis pronunciatio in diffinitiuam vsque sententiam, quo demùm tempore is attentasse dicendus est qui probabitur aut nullo modo aut minus iusto possedisse. *Ita Senatus* in causa Syndicorum sanctæ Fidis & de Tignes, prid. Cal. Maij, 1614.]

DEFINITIO II.

Legatarius non habet interdictum retinendæ possessionis antequam corporalem possessionem nactus sit.

LEgatario non competit interdictum retinendæ possessionis priusquam legati possessionem per manus hæredis aut per iudicem nactus sit.[1] At neque ei, qui in re certa institutus est, qui & hac parte vt in cæteris fere omnibus legatario comparatur.[2] Etsi enim plus iuris habet quam legatarius in eo, quod possessionem propria auctoritate nanciscipotest,[3] non tamen consequens est, vt hoc solo, quod possessor fieri potest, iam factus videatur.[4] Aliud enim est possidere, aliud fieri posse possessorem.[5] Cæterùm non nisi ei qui vere iam possideat interdictum retinendæ possessionis competere palam est.[6] Sicut & illud indubitatum, edictalem aut potius consuetudinariam eam possessionem, quæ à defuncto in hæredem continuat,[7] non similiter continuari in legatarium.[8] *Ita Senatus* in causa N. Vectier viduæ N. Puthod, & N. Joannis Puthod Aduocati, 14. Calend. Mart. 1590. Junge SC. 1. quor. legat.

1 Quia legatum est donatio à defuncto relicta ab herede præstanda. *l. legatum 36. de legat. 2.*

2 *L. quoties 15. C. de hered. instit.*

3 Bart. & alij *ad l. quoties.*

4 Quod enim pendet vt esse possit non pro eo habetur quasi iam sit, *l. is damnum dat 160 §. 1. de reg. iur.*

5 *L. 1. D. quod legat l. 3. C. de pignor.*

6 Quomodo enim posset retinere possessionem is, qui nondum incepit? *l. Titio vsusfructus 96. de condit. & demonstr.*

7 Ex edicto quod Pragmatici dicunt *Le mort saisit le vif.* De quo scripsimus *in tit. de acquir. poss.*

8 Qui scilicet non est successor iuris vt heres, *l. quædam 9. d. 1. de edend.* Quamuis legatarius in re legata sit quodammodo heres, *l. id tempus 14. §. 1. de vsucap.*

DEFINITIO III.

Etiam in possessorio possunt allegari quæ pertinent ad petitorium, nempe ad confortandum possessorium.

TAm in beneficialibus quam in prophanis controuersiis possunt quæ ad petitorij causam pertinent deduci in iudicium, quo de sola possessione controuertitur: non vt de petitorio quicquam pronuncietur, sed tantum corroborandi, &, vt nostri loquuntur, confortandi possessorij gratia. Qui enim potiora in petitorio iura habet is, vtique etiam in possessorio vincere debet, cæteris paribus.[1] *Ita Senatus* sæpius. *Sine die.*

1 Guid. Pap. *quæst 31 ex cap. licet. Extr. de probat. cap. ad decimus, de restit. spoliat. in 6.*

DEFINITIO IV.

Possessio per clausulam constituti aliterve quæsita si amissa sit, non recuperatur ipso iure per restitutionem in integrum.

CReditor, qui pignoris possessionem per clausulam constituti nactus fuerat,[1] si ius pignoris & consequenter possessionis ex ea causa quæsitæ remiserit[2] per contractum, aduersus quem postea impetret restitutionem, licet in pristina iura omnia restitui debeant,[3] possessionem tamen semel amissam, cum facti sit,[4] recuperare ipse iure non potest.[5] Nam & similiter decimus causam possessionis postliminio non contineri.[6] Proinde obtenta restitutione petere actor debet non vt pristina possessione retineatur, sed vt sibi amissa possessio restituatur.[7] Nec ad rem pertinet, quod ea possessio, quæ per clausulam constituti acquiritur, plurimum iuris habeat & fictionis.[8] Nam & postliminij fictio tota meri iuris est,[9] nec tamen restituit interceptam possessionem.[10] Per clausulam vero constituti non solum ciuilis possessio quæritur, sed etiam realis & naturalis.[11] At neque ciuilis ipsa possessio cum amissa est facilius recuperatur, quam naturalis. Perinde enim & corporis & animi ministerium requiritur, atque si nunc primum acquireretur.[12] Deniq; licet modus possessionis transferendæ per clausulam constituti sit fictitius, fieri tamen nequit, vt plus operetur fictio quam veritas.[13] *Ita Senatus* in causa Hugoninæ Jartin, & Claudij Petiseu. Idib. Jul. 1592.

1 *Ex l. quod meo 18. D. de acquir. poss.*

2 Facile namque inducitur remissio pignoris ex voluntate creditoris, *l. 1. & tot tit. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. e si pignus 18. D. quæ in fraud. cred.*

3 Ex natura scilicet restitutionis in integrum, quæ omnia in statum pristinum reponit, *l. quod minor 24. §. restitutio. D. de minor. l. vn. C. de reput. qua fiunt in iudic. in integr. restit.*

4 *L. 1. § si vir vxori, & præced. D. de acquir. poss. l. 1. §. Scæuola, D. si is qui testam. lib. esse iuss.*

5 *Arg. l. cum heredes 23 D. de acq. poss.*

6 *L. denique 19. D. ex quib. caus. maior.*

7 Quod & ipsum restitutionis verbum satis per se significat.

8 *Not. ad d. l. quod meo.* Facit *l. possessio 48 in princ. & §. 1. de acquir. poss.*

9 *L. postliminium 19 & pass. D. de capt. & postlim.*

10 Quia facti causæ nulla constitutione infectæ fieri possunt, *l. in bello 12. § fact. eod.*

11 *Ex not. in d. l. quod meo, & in l. quadam mulier 77. D. de rei vindicat.* [Bart. *in l. ab emptione 58 num. vlt. D. de pact.*]

12 *L. 3. §. in amittenda, l. quemadmodum 8. D. de acquir. poss.*

13 Imo debet veritas fortior esse fictione, *l. filio 23. D. de liber. posthum.*

DEFINITIO V.

In quasi possessorio iurium obtinere is debet, qui quasi possessionem probat, licet nec titulum alleget, nec causam.

IN præstationibus annuis, si quasi possessio per annos aliquot continuata probetur, & possessorio agatur non petitorio iudicio, vincere debet is, qui in quasi possessione est, licet nec titulum alleget, nec causam,[1] ac multo magis, licet ex qua causa præcedentes solutiones factæ sint non appareat, dummodo iuris præsumptio non obstet possidenti.[2] Hoc vnum enim duntaxat requiritur, non etiam cætera, quæ, si petitorio ageretur, omnimodo probanda essent.[3] Nam in possessorio leuiores probationes sufficiunt.[4] Nec de alio quærendum est, quam quis hoc anno aut vltimis possederit:[5] quæ quæstio tota facti non iuris est.[6] *Ita Senatus* pro D. Priore de Louagny, contra religiosos Celestinos de Villarsalet, 6. Cal. Sept. 1592.

1 Quæ tamen causa allegari deberet, adeoque titulus si ageretur petitoris, secundum ea, quæ scribit Guid Pap. *qu. 408.* ex notat. per Bart. *ad l. cum de in rem vers. 6. per illum tex. D. de vsur.*

2 Quia cum iuris præsumptio obstat, numquam sufficit possessio, nisi sit immemorialis vel titulata, *c. 1. de verb. signific. in 6.* Bart. *ad l. 2. C. de seruit. & aqua.*

BIU Cujas

3 Et ad hunc nimirum casum pertinet, quod ex Bartoli & aliorum sententia tractat Guid.Pap.*d quæst.*408.[Iunge *Defin.* 7 *infr.*

4 Quia & possessorium leuioris momenti est & summarie tractandum,*l* 1.*C. si de moment.poss fuer appell.*

5 *L* 1.*D hoc tit Not in l.vnic.C.eod.*

6 *dict l.*1.§ *si vir vxori. & l.quod vxor* 16.*D.de acq.poss.*

DEFINITIO VI.

Donatarius factus possessor per clausulam constituti, præfertur hæredi in interdicto retinendæ.

IN interdicto retinendę possessionis prę ferendus est hę edi donatarius, siue inter viuos, siue m ortis causa donatum sit, qui pro se habeat clausulam constituti, [1] quoniam mortis tempore & eo instanti, quo ius hęredis nasci incipit, [2] reperitur extra causam hęreditatis possessio, quę viuo adhuc donatore per eam clausulam in donatarium translata fuit. [3] *Ita Senatus* in causa Bernardi Dacquin procuratoris fiscalis Sabaudiæ, & N.Callet, 8.Id.Julij 1593.

1 Per quam scilicet certum est, translatam in eum fuisse omnem possessionem, & naturalem, & ciuilem, *l.quod meo* 18. *cum ibi n t.D.de acq.poss.*

2 Id est, post mortem, quia viuens non habet heredem,*l.*1. *D de hered vel act vend l* 1 *D.pro hered*

3 Nam quæ à viuo alienata sunt, in ipsius hereditate reperiri non possunt,*l sequens quæstio* 68.*de leg.*2.

DEFINITIO VII.

Præstatio vniformis maxime decennalis sufficit sine titulo ad obtinendum in possessorio, at non in petitorio.

VNiformis annuæ pensionis præstatio per decennium continuata, etiam nullo probato titulo, a ne quidem allegato, sufficit ad obtinendum in possessorio, quæ in petitorio non aliter sufficeret, quam si ex causa allegati saltem alicuius tituli secuta præstatio probaretur. [1] *Ita Senatus* in causa R.D. Episcopi Bellicensis & Ecclesiæ Cathedralis, 9. Calend. Decembr. 1594.

1 Bart. & post eum cæteri *ad l. eum de in rem verso* 6.*D de vsur. & ad l. si certus annis, C.de pact.* Guid. Pap. *qu st* 401 Iunge *Defin.*5 *sup.eod.*

DEFINITIO VIII.

De retinenda possessione non agitur apud nos, nisi interdicto, vti possidetis, probando possessionem ex parte nostra, & turbationem ex parte aduersarij.

EX iis remediis, quæ ad retinendam possessionem comparata, & apud Gallos vsitata sunt, [1] vnum illud est, quo solo vtimur, quod competit ex interdicto vti possidetis. [2] Saisinam illam simplicem quam Galli vocant, [3] ex diplomate principali proponendam nullam agnoscimus, quia non nisi communi ciuilique Romanorum iure hac parte vtimur. [4] Porro, qui agit interdicto isto retinendæ possessionis duo probare debet, possessionem ex parte sua, & turbationem ex parte aduersarij. [5] Turbationem inquam, non spoliationem, [6] quia si se diceret spoliatum sibi esset contrarius, ob idque repellendus, [7] & interdicto recuperandæ non retinendæ possessionis agere deberet. [8] Possessionem vero probare debet duobus temporibus inspectis, litis contestatæ & factę turbationis, ac proinde se tum adhuc possidere, aut eo saltem anno possedisse. [9] *Ita Senatus* in causa D. de la Velliere, & D. de Rogemont, 10.Cal.Febr.1595.

1 De quibus vide Rebuff.*tit.de matery.poss.art.*2.*tom.*2.

2 Est enim hoc interdictum retinendæ possessionis, *l.*1.§. *est igitur.D hoc tit.*

3 S c enim Rebuff.appellat supradicto loco.

4 Vt nec in cæteris, nisi in quibus speciali aliqua lege vel consuetudine iuri communi derogatum est.

5 Qui enim non turbatur, nihil causæ est, cur debeat turbare aduersarium, proposito contra ipsum interdicto.

6 Quamuis, vt vulgo iactatur, qui turbat spoliat, *arg l vim facio* 11.D.*vnde vi.*

7 Nec enim audiendus est, qui allegat contraria, *vul* l.1. *C.de furt.*

8 Cum interdicta iusta sint incompatibilia, nisi quatenus referuntur ad diuersa genera possessionis.Bart.& alij *ad l.*1.*D. hoc tit.*Papiens.*in form libell.pro turbat.poss versic ad cessandum num.*2.

9 Idem Papiens.*ibid in versic hodie,num.*2 *ex* § *retinendæ. &* §.*commodum. Instit.de interd.* Bart.*in d.l.*1.§. *ait prætor.circ. fin. ex l.*1.§ *interdictum autem, & l.*2.*D hoc tit Can.in cap.licet. de probationib.*[Intellige autem quod possederit vere,*l* 3 §.*creditores D hoc tit.l.officium* 9.*D de rei vindic.& non vi, non clam. non precario,l.*1.§. *vlt.l.*2.*D.hoc tit.*]

DEFINITIO IX.

Potest locus esse interdicto retinendæ, quamdiu retinetur possessio ciuilis, licet sit amissa naturalis, secus si ciuilis quoque amissa sit.

SI cessatum sit in solutione reditus annui, in cuius percipiendi quasi possessione alius se dicat esse, non inducitur ex ea re spoliatio possessionis, sed tantum turbatio. [1] Ideoque interdicto retinendæ possessionis locus esse potest, etiamsi sola ciuilis possessio supersit tempore litis contestatæ, [2] quia sufficit retineri possessionem ciuilem ad auocandam & recuperandam naturalem per interdictum retinendæ. [3] Sed si ciuilis quoque amissa sit aut per contradictionem factam in recuperanda naturali, [4] aut propter obliuionem, quæ ex decennij, [5] adeoque in huiusmodi causis, biennij lapsu [6] præsumitur, recurrendum necessario est ad remedia recuperandæ possessionis. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Scilicet si is, qui turbatur, malit se dicere turbatum quam spoliatum. Alioqui etiam qui turbat spoliat, *l.vim facit* 11.*D. vnde vi.*

2 Quæ scilicet secundum nostros Doctores solo animo retinetur, quamdiu naturalis non negligitur, *Not.in l.nemo ambigit* 10 *& in l.licet* 4.*C.de acquir.poss.*

3 Bart.*in l.*1.*D.hoc tit.*

4 *L.clam possidere* 6.§. *vlt & l.seq.de acq pos.*

5 *L.si id quod* 15 & ibi Bart.*eod.*

6 *dict.l.si id quod,*§. *vlt. & l.qui agros,C.de omn.agr.deser. lib.*11.

7 Vide Guid.Pap.*quæst.*532.

DEFINITIO X.

Quando personali actione vel interdicto agendum sit pro præstatione annua?

PRo præstatione annua, quę non tam ratione rei debetur, quam ex obligatione personali, nó competunt interdicta aliave remedia possessoria, sed personali actione necessario agendum est. [1] Sin ratione rei & prędij debeatur, competit interdictum & possessorium. [2] Obseruandum tamen est, in huiusmodi præstationibus annuis ratione rei petitis amitti possessionem ciuilem per lapsum biennij, cum in aliis causis non breuiore quam decennij tempore amittatur. [3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Cyn.& communiter Legistæ *in l. si certis annis, Cod. de pact.*

2 Ex sententia Canonistarum *in c.querelam de elect.*quamuis non omnes in hoc consentiant, vt per Bart.*in l.solent.de of. Proconf.*

3 Dixi *defin.praced.num.*5. *&* 6.

BIU Cujas

TIT. V.

DE NOVI OPER. NVNCIAT.

DEFINITIO I.

Etiam in causa appellationis potest is, cui nunciatum est nouum opus, satisdare ad hoc, vt pendente lite possit ædificare.

IS, cui nouum opus nunciatum erat, dixerat apud iudicem, non tam nouum opus se facere, quam vetus reficere,[1] neque tamen obtulerat satisdationem, vt ædificare liceret.[2] Iudex, quòd nondum constabat, an nouum opus fieret, an vetus reficeretur, inhibuerat reo, ne interea ædificaret,[3] oblata scilicet in eam rem & præstita, vt fieri debuerat, per actorem satisdatione.[4] Appellatione interposita per reum, cum is melius consultus satisdationem offerret,[5] putauit Senatus audiri eum debere, & vt ædificaret, permisit.[6] Nec obstitit, quod appellatum esset ab interlocutoria, quæ ex eisdem actis, vt Pragmatici iactant, decidi debuit.[7] Potest enim quandocumque offerri per ædificantem satisdatio ad nunciationis vim si non extinguendam, saltem suspendendam, ita vt nec ad Prætorem ire necesse sit & desiderare, vt nunciatio remittatur.[8] *Ita Senatus* ex tempore in publico Auditorio, 4. Non. Decemb. 1590.

1 Quo casu certum est non nisi frustra & ridicule nouum opus nunciari posse, *l. 1 § si quis ædificium, D. hoc tit.*

2 Quia tamen offerre debet quisquis vult noui operis nunciatione neglecta ædificare, nisi à prætore impetret remissionem, *l. 1. D. de remiss. l. de pupillo 5. § si is cui D. hoc tit.*

3 Non facilis & credulus esse debet iudex, vt vni ex litigatoribus credat inaudito altero, *l. nam ita 39. D. de ad. pt. l. de vnoquoque 47. de re iudic.*

4 Vt reo cautum esset de indemnitate, si eam inhibitionem male ac fine causa impetratam fuisse quandoque appareret, *l. 5. & 6. D. de petit. hered. cum similib.*

5 Vt nisi liceret non obstante nunciatione ædificare, quamquam non semper sufficit satisdare, vt dicam *Defi 3 inf.*

6 Cum nihil interesset aduersarij, cui fuerat satisdatum, interesset vero reipublicæ nouis ædificiis onerari ciuitatem, *l. prator ait 20 § hoc interdictum prohibitorium, D. hoc tit. l. vlt. D. ne quid in loc. public.*

7 *Clem. appellanti de appell.* Nat. *consil. 13. col. 4 in princip.* Lanfranc. *conclus. 442.* Quia appellatio ab interlocutoria est odiosa cum deroget ordinariæ iurisdictioni, vt tractat Papiens. *in form. app. ab interloc. in vers. causis & rationibus infra scriptis num. 1.* & ibi Masuer. post Bald. *in l. eos, § si quid autem, C. de app.* Rom *sing. 281. & 404.* Robert. Marant. *De ord. iudic. c. 54. tit. de appell.*

8 *d. l. publico 5. § si is cui 17. l. non solum 8 § si cum possem, & § sciendum, D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Non est destruendum propter nunciationem, nisi illud ipsum, quod constat ædificatum fuisse post nunciationem.

SEd neque putauit Senatus in suprascripta facti specie audiendum actorem, cum diceret appellantem neglecta noui operis nunciatione neglectoque rursum iudicis imperio non destitisse ab ædificatione: ideoque cogendum destruere quicquid post nunciationem ædificasset, siue iure, siue iniuria facta esset nunciatio.[1] Non quod appellatio sola nunciationis vim extinguere aut remorari potuisset,[2] sed quia non constabat, quid & quantum post nunciationem ædificatum fuisset. Debuerat enim nuncians, si quid iam operis factum erat nunciationis tempore, id ipsum in testationem referre & modulos sumere, qui vt sumerentur conferrenturque, iudex decernere potuisset.[3] Quo non facto fieri non poterat, vt exacte probaretur per testes, quid & quantum ædificatum esset.[4] Atqui non quicquid ædificatum erat destrui debuerat, sed illud tantum quod post factam nunciationem.[5] Cum itaque de operis quantitate non appareret, in dubio fauendum fuit ædificanti potius quam nuncianti,[6] vel ob id maxime, quod publice interesset ædificari ad decus & ornamentum ciuitatis.[7] Denique non deficiebat actori ius, sed probatio, vt & alias plerumque euenit.[8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l 5 § si quis forte l prætor ait 20 in princ. & per tot. D. hoc tit* iunct. *l. cui opus 22 eod.*

2 Nec enim fit nunciatio à iudice, sed ab aduersario, à quo non potest appellari, cum nullam habeat iurisdictionem.

3 *d. l. non solum § 1. & § sed vt probari*, iunct *gloss. ibid.*

4 Est enim hoc ex eorum genere quæ non possunt commode probari per testes, quamuis contra videatur sentire *dict. gloss.*

5 *d § si quis forte*, & aliis supr. *citat.*

6 Quasi non tam deficeret ius quam probatio, *vt in l. duo sunt Titij 30. D. de test. tutel.*

7 *dicta l. prator ait 20. § hoc interdictum prohibitorium, D. hoc tit.*

8 *d. l. duo sunt Titij.*

DEFINITIO III.

Non semper ei cui nunciatum est nouum opus, permitti debet, vt interim ædificet oblata satisdatione.

NVnciato nouo opere, non semper est permittendum ei, cui nunciatum fuit, vt ædificet oblata satisdatione. Quid enim, si ea res graue & intolerabile damnum adferat ei, qui nouum opus nunciauit,[1] quique statim aut saltem intra trimestre[2] docere possit de iure, quod habeat prohibendi? Finge etiam nondum contestata lite auditos testes ad futuram rei memoriam, ex quorum testationibus, si eas iudex animi sui informandi gratia aperire volet, constare aliqualiter possit prohibendi ius esse. Nihil interea temere constituendum est.[3] Ita extempore tractatum est in causa liberorum D. de la Bigarne, Aduocati generalis, & vxoris D. N. Berliet tum Præsidis Rationalium nunc Archiepiscopi Tarentasiensis Reuerendissimi, Prid. Id. Decemb. 1593.

1 Nec enim facilè ferendum est, vt ex vnius facto alius graui & intolerabili damno afficiatur, *l. 1. de alien. iud. mut. caus. fact. l. non debet 74 de reg. iur.* [Nec rursus vt ædificet quis ad æmulationem alterius, *l 3 de oper. publ.* Adeoque nec vt ædificium possit esse causa & principium æmulationis Bald. *consil. 58.* Sicut nec est permittendum, vt quis ædificando præbeat materiam seditionis, Puta si quis vellet castellum ædificare in locis limitrophis, nisi quibus castellum adscriptum est, *l. 2. C. de fund. limitr. lib. 11 tit 59.*]

2 Statim namque fieri videtur, quod fit intra modicum tempus, nec magnum damnum esse videtur in mora modicæ temporis *l. si debitori 21 D. de iudic.* Vide *l. vnic. cum gloss. Cod. hoc tit.*

3 *Cap 3 & 4 Extr. hoc tit.* Iunge *l. d. pupillo 5 § si quis vinos, D. eod.* Vide Anton. Tessaur. *de ist 204 ante finem*, vbi concludit, videri hoc positum in arbitrio & religione iudicantis. Quod intellige, cum is, qui non vult admittere satisdationem, dicit se paratum esse docere de iure suo, vt se tueatur per exceptionem illam, modo constat, modo agatur, vt ex Bartolo tradit Ferrar. *in form. libell. in nunciat. noui oper. in vers. ante aliquam remissionem, nu. 3* licet Mansuer. ad illum locum videatur cõtrarium tenere. [Obserua tamen si te sciente & non contradicente opus nouum fecerim, non esse postea me compellendum destruere. Glos. *in l. Mauiana 11. C. de ædif. priuat.* Nisi per errorem consenseris, *l. Labeo 17. & seq. de aqua & aquæ pluu. arcend. l. 3 § 1. de mort. infer.* Sic dicimus ei, qui rem illicitam semel admisit, postea de damno infecto nõ cauere, quia debet sibi imputare cur admiserit. Quid si quis columbariũ velit extruere? Potest quidem summo iure, idque Paponius testatur *in Synt. agm. Arrest.* sed tamen alio iure vtimur, vt à funda-

mentis non possit sine permissu Principis, adeoque domini iurisdictionis si velit à fundamentis extruere. & Plancius sit, ecus si sit nobilis, aut velit super columnis extruere quod dicimus, *sur des pillier en l'air*. Ita tractatum est sæpius. *Sine die.*]

TIT. VI.

DE PIGNOR.

DEFINITIO I.

Solutione tantum debiti, non etiam confusione ex acquisitione dominij extinguitur in totum hypothecaria.

PERSEVERARE quidē pignoris vinculum non potest post acquisitum creditori dominium eius rei, quę antea fuerat obligata, [1] quandoquidem rei propriæ pignus consistere nequeat. [2] Sed si quo casu eueniat, vt rem illam creditori habere non liceat, alio fortassis anteriore creditore, aut qui potior esse debeat possessionem auocante, [3] durabit pignoratitia & quasi Seruiana actio, [4] quæ nec vnquam extincta videri potest, [5] cum perpetuam illam conditionem habeat, si solutum non sit debitum, aut aliter eo nomine satisfactum: [6] verum autem sit nunquam aut solutum aut satisfactum esse creditori, qui pignoris dominium acquisiit, neque enim sola dominij acquisitio solutionis loco est. [7] *Ita Senatus* in publico Auditorio, Prid. Cal. Sept. 1588.

1 *L. pen § Latinus Largus, de except rei iud.*

2 *L neque pignus 45. de reg iur. l si rem alienam 29. D de pignor. act.*

3 Quo casu non licet emptori rem habere nisi soluto debito, *l. si mancipium 34. §. vlt. & l. seq. D de euict.*

4 Textus est elegans *in d. § Latinus Largus.*

5 Nam si semel extincta esset, nunquam reuiuisceret, *l. qui res 98. § aream, D. de solut.*

6 *L Grege 13 § etiam, D. hoc tit. l si rem alienam 9 § omnis. D. de pignor. act. l. debitor 59. D ad SC Trebellian.* Vnde fit, vt quamuis hypothecaria obligatio sit accedoria, nihilominus duret etiam post extinctam principalem obligationem, *l 2. C. de luit pignor.*

7 Sed confessionis. Aliud vero est, si quis dicat dominij acquisitionem esse loco solutionis. Aliud vero, si dicat esse loco confessionis, *l. Stichum aut Pamphilum 95. §. aditio. D de solut.*

DEFINITIO II.

Condemnatio prouisionalis, quæ fit contra plures pendente lite super hypothecaria, non propter hypothecam, sed propter litem diuisibilis est.

SI pendente iudicio, aut in executione iudicati super actione hypothecaria, creditori inopia laboranti certa pecuniæ quantitas adiudicanda sit in causam alimentorum, litisque prosequendæ, [1] resque sit cum pluribus pignorum possessoribus, [2] non erunt singuli ad eam quantitatem in solidum condemnandi, sed in partes tantum viriles: [3] quoniam ea actio non sicut hypothecaria realis & indiuisibilis est, [4] sed in personas collitigantium concepta, [5] quam proinde diuisibilem esse necesse est. [6] *Ita Senatus* inter Ioannam Rage, & Ioannem de Constance, 17. Calend. Ianuar. 1589.

1 Hoc enim aliquando fieri necesse est ex æquitate, *arg l. si instituta 27. §. d. inofficioso, D de inof. testam. l. vlt C. de ord n. cognit.* iunct *l. 1. § quare etsi ita, versi. satius est enim, D. de ventr. in poss. mitt.*

2 Quis constat posse singulos actione hypothecaria conueniri, cum ea sit indiuidua, *lege rem hæreditariam 63. D. de euiction.*

3 Vt fieri singulariter solet, quoties ad aliquam quantitatem plures simul tenentur, *l. reos 11. §. cum tabulis. D de duobus reis. l. 1. C si plur. vna sentent. fuer. condem.*

4 *dict l. rem hæreditariam. l. in executione 85 §. vltim. D. de verb. oblig.*

5 Nascitur enim ex officio nobili iudicis, vt nostri loquuntur, non ex conuentione.

6 Scilicet pro numero personarum, quæ conueniuntur.

DEFINITIO III.

Bona constituentis procuratorem ad dandum pignus, non ideo sunt obligata, nisi etiam à procuratore ipso sint pignorata.

CONstitueram te procuratoaem ad obligandum me bonaque mea Titio, à quo mutuam pecuniam eras meo nomine accepturus. Tu mutuam acceperas, [1] nec tamen creditori bona mea, sed tua duntaxat obligaueras. [2] Nulla creditori in me aut res meas actio competet, quoniam sola mandati causa facere non potest, vt ei obliget cui nihil mandaui. [3] Neque enim ex mandato meo, sed ex tua promissione obligatio nata est in eius commodum, cum quo contraxisti. [4] Quemadmodum neque ex facto tuo obligaret, si mandati fines excessisses. [5] *Ita Senatus* ex tempore, 14. Cal. Ianuar. 1589.

1 Et quidem quasi tuo nomine. Sic enim hoc accipiendum est, nam si acceperis tuo & meo nomine, quasi mandatum à me in eam rem habens, magis est vt sim obligatus creditori tuo, quam etiam meo, quoniam cum mando tibi, vt pecuniam mutuam accipias à Titio, videor etiam mandare Titio vt pecuniam tibi credat, *argum l. qui hominem 34 § si Titium, l. quodlibet 87 D. de solut.*

2 Aliud igitur erit, si tu bona mea ei obligaueris, aut si ego.

3 Et qui mandatum meum alij factum ignorauit, alioqui si sciuit, potest videri fidem meam secutus, vt *in l. si literas 7. C. mandat.* Iunct. *d. § si Titium.* Nec rursum possunt bona mea esse obligata ei, qui non conuenit de pignore, *l. 3. D. qua res pign.* Nec essem ego obligatus ex mandato, quia mandati actio in personam non in rem est.

4 Qui proinde fidem duntaxat tuam non etiam meam secutus est. Aliud ergo erit, si ego, cum mandarem tibi, vt pecuniam mutuam à Titio acciperes, obligauerim ei bona mea quamuis ignoranti. Nam cum nudo consensu hypotheca contrahatur potest vtique contrahi etiam inter absentes, *l. 4. l pen. § 1. D hoc tit* Iunct. *l 1 § vltim. D. de contrah empt* & sufficit sequi voluntatem creditoris, dummodo sciuerit pignus à debitore constitutum. Quænam enim conuentio posset videri facta ab ignorante? Sed etsi mandauero tibi, vt meo nomine quæras creditorem, & ab eo mutuam pecuniam accipias, & ei, qui tibi crediturus sit, quisquis ille futurus est, bona mea obligaueris, idem erit dicendum, cum incertitudo personæ, quæ postea ex euentu certificatur, non impediat potestatem mandati, neque conuentionis de pignore, *d. l. 34 § si Titium. & d. l. 87. D. de solution.* Nec requiritur hoc casu stipulatio, cum vterque contractus, & mandati, & pignoris possit fieri inter absentes sine stipulationem, *l. 23. §. 1 D hoc tit.*

5 Aliud agendo, quam quod tibi mandaui, vt *in l § 3. vlt. l. §. 1. D mandat.* Nam si alias, id est, alia vi & ratione feceris id ipsum, quod tibi mandaui, non videris excessisse, quia nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat, *l vlt. §. vlt. eod.* vbi ob hanc causam sic lego, *& alias egisset id, quod ei mandatum esset.* Finge mandatum à me tibi vt à primo quoque mercatore merces mihi emeres ad centum vtique auros, te vero non à mercatore, sed ab alio, cui mercator fidem habuerit, merces accepisse vsque ad eam quantitatem. Videberis impleuisse, non excessisse mandatum. Quid si merces supra quantitatem mandatam emeris? Idem erit, nempe vsque ad mandatam quantitatem. *l 4. eod. tit. mandat.*

DEFINITIO IV.

Tertius possessor, qui pendente lite alienat, non ideo se liberat, quo minus liti sistere teneatur.

ACtione quasi Seruiana conuentus, cum eo tempore rem obligatam possideret, lite pendente desiit possidere ex causa siue voluntariæ, siue necessariæ alienationis. [1] Cogendus est, vt liti sistat, adeoque condemnan-

BIU Cujas

condemnandus ad restitutionem non rei ipsius, cuius restituendæ facultatem amplius non habet, [2] si non dolo desierit possidere, [3] sed fructuum à lite contestata perceptorum, [4] itemque ad expensas litis, quam male nulloque iure susceperit. [5] Quamuis si ab initio nec possedisset, nec dolo desiisset possidere, vtique hypothecaria conueniri non potuisset. [6] Neque enim possessori vnquam permittendum est, vt rem alienando pendente lite, se liberet: [7] quam ob causam ad eius quoque curam & diligentiam pertinet, vt in iudicium nouum possessor veniat litis periculum suscepturus, ne qua per alienationem iniuria actori facta videatur, [8] vtque persona sit, in quam nullo actoris incommodo iudicij translatio fiat. [9] *Ita Senatus* ex tempore, 13. Cal. Januar. 1590.

1 Lis enim super hypothecaria non impedit, ne alienatio fiat lite pendente, cum non faciat rem litigiosam, *Auth. litigiosa, C. de litigios.*
2 *L. officium 9 D. de rei vindic.*
3 Tunc enim dolus pro possessione esset, *l. qui restituere 68. eod. tit. l. qui dolo 131. de reg. iur.*
4 Tanquam tactus ex eo tempore malæ fidei possessor, *l. si fundus 16. § interdum etiam D. hoc tit.* iunct. *l. sed est 23. § si ante, D. de pet. hered.*
5 *L. cum quem temere 79 D. de iudic. cum similib.*
6 *d. l. si fundus. § in vindicatione hoc tit.*
7 Quam vix fieri possit, vt non dolo malo desierit hic possidere, *l. Iulianus 17. § quod si dolo malo. D. de rei vindic.*
8 *L. 1. D. de alien. iud. mut. caus. fact. l. alienationes 13. D. fam. erciscund.*
9 *Argum. l. si vero 12. & seq. D. de rei vindic. l. 1 D. si ex noxal. caus. agat.*

DEFINITIO V.

Vnus ex hæredibus debitoris potest conueniri hypothecaria in solidum, nec potest obiicere exceptionem non excussi cohæredis.

COnductore, qui bona sua omnia pro conductione obligauerat, defuncto multis relictis hæredibus, quorum alij pensionem offerant pro portione sua hæreditaria, alij soluere recusent, perinde agi potest hypothecaria in solidum aduersus eas res, quæ vnicuique ex hæredibus à defuncto obuenerunt, ac si nihil prorsus offerretur. [1] Pignoris enim obligatio prorsus indiuidua est, [2] licet personalis obligatio inter cohæredes pro modo portionum hæreditariarum ex duodecim tabularum lege diuidatur. [3] Nec audiendus erit cohæres, si pro parte cohæredis non soluentis obiiciat exceptionem non excussi cohæredis. [4] Neque enim pro cohæredis portione hæreditaria tertij possessoris iure censeri potest is, qui ipsius debitoris cohæres ex parte est. [5] Quare nec aliud erit, licet is, qui hypothecaria conuenitur, partem suam debiti non solum obtulerit, sed etiam iam soluerit. Non enim partis solutione liberatur hypotheca, nisi pro ea parte, quæ soluta est. [6] *Ita Senatus* 8. Cal. Junij 1591.

1 *L. quamdiu 6. C. de distr. pignor. l. 2. C. debit. vend. pign. imped. non poss.*
2 *L. rem hereditariam 63 D. de euict.*
3 *L. 1. si cert. pet.*
4 *L. 2 C. si vnus ex plurib. hered. deb.*
5 Et ideo locum hic habet *tit. C. debit. vendit. pign. imped. non poss.*
6 *L. in executione 185. § pen. D. verb. oblig.*

DEFINITIO VI.

Duo casus, in quibus res aliena pignori dari vtiliter potest.

REs aliena pignori dari potest, non solum si dominus consentiat, [1] sed etiam si sciat & dissimulet in fraudem ignorantis creditoris. [2] *Ita tractatum est* in causa Jacobi Pic, & Joannæ Ripper, 10. Calend. Septembr. 1591.

1 *L. 1. pen. & vlt. C. si alien. res pign. dat. sit.*
2 *L. 2. eod. tit. l. mulier 11. C. de distract. pignor.*

DEFINITIO VII.

An & quando possit quis pro debito detrudi in carceres.

ETsi membrorum suorum nemo dominus est, [1] inualuit tamen ex inueterata, & apud omnes gentes receptissima consuetudine, vt corpus suum pignori obligare debitor quilibet possit, [2] etiam Doctor, [3] nisi qui in Magistratu est aut in ea dignitate constitutus, vt citra infamiam detrudi in carceres non possit. [4] Eius namque obligationis effectus ille est, vt debitor, qui seipsum pignori dedit, perinde ac alia res quælibet obligata capiatur, hac sola differentia, quod non distrahatur, sed detrahatur: [6] qui vtique trahi non posset, si pignoris conuentio nulla præcessisset. [7] Specialem sane conuentionem de ea re fieri oportet, alioqui non ex eo solo, quod quis sua omnia obligauerit, seipsum quoque obligasse credendus est, [8] ratione illa quam diximus, quod sui ipsius nemo dominus existimetur. [9] Euenit tamen interdum, vt nulla quoque præcedente corporis obligatione rapi quis possit non tantum in ius, [10] sed etiam in carceres, nimirum, si de fiscali debito agatur, cuius singulare priuilegium illud est, [11] aut si in executione iudicati propter debitoris contumaciam idipsum iudex specialiter decreuit. [12] Hoc enim casu, vt & aliis pleriſque in vicem iustæ obligationis succedit auctoritas iubentis. [13] *Ita Senatus* 7. Cal. Jul. 1591.

1 *L. liber homo 13 D. ad leg. Aquil.*
2 Contra iuris rationem, cum non valeat pignus, nisi eius rei, quæ sit in dominio debitoris, *l. & quæ nondum 15. § quod dicitur, D. hoc tit.* Vide *l. ob æs alienum, cum ibi not. C. de oblig. & act.* iunct. *l. 1. & 2. D. de hom. lib. exhib.*
3 Cum possit quilibet renunciare iuri & priuilegio suo, *vulg. l. penult. C. de pact.*
4 *Ex l. 2.* iunct. *gloss. in l. generaliter 13 D. de in ius voc.*
5 Etiam nullo seruato ordine, quem tamen plerique Doctores volunt seruandum esse. Atque ita notant *ad d. l. ob æs alienum.*
6 *L. plerique 19. D. de in ius vocand.*
7 *d. l. ob æs alienum.* [Obtenta autem tantam vim esse huius conuentionis, vt nec si debitor octuagesimum annum excesserit, impetrare tamen debeat quo minus possit detrudi in carceres. *Ita Senatus* contra N. de Faucon, Iunij 1611.]
8 *Argum. l. obligatione generali, D. hoc tit.*
9 *d. l. liber homo 13. D. ad leg. Aquil.*
10 Id est, ad prætorem & in eum locum, in quo ius redditur, *l. penult. D. de iust. & iur.*
11 Guid. Pap. *quæst. 61.*
12 Quod hodie passim fit, vt præcludatur via tergiuersationibus, quas comminisci debitores solent, cum executio fit in eorum bona, *l. si longa 7 C. de execut. rei iudic.*
13 Vt scripsimus *Defin. 5. de execut. rei iudic. & l. 1. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

DEFINITIO VIII.

De facienda excussione specialis hypothecæ.

QVi bona debitoris sui omnia generaliter habet obligata, & ex iis ipsis quædam specialiter, non prius hypothecaria persequi potest cætera, quam egerit in specialiter obligata, [1] siue constituti clausula interuenerit, siue non. Nec enim acquisita per constitutum possessio quicquam prodest ei, qui non de possessione sua tuenda cerrat, sed de aliena potius auocanda, vt in eo euenit, qui exercet hypothecariam. [2] Hoc ita, si non sit hæc adiecta clausula, quæ vulgo pactis pignorum inseri solet, vt neque generali hypothecæ per specialem, neque speciali per generalem derogetur. Facit enim hæc adiectio, vt specialis hypothecæ

excussionem fieri nil sit necesse. [3] At si creditor, qui per clausulam constituti sibi prospexit non hypothecariam exerceat, sed possessionem ex Justiniani leg condicat, [4] indistincte placet nihil ei nocere specialem pignoris conuentionem, quominus in bonorum generaliter obligatorum possessione sit retinendus. Exceptio enim illa non factæ excussionis, quæ agentibus hypothecaria obstare solet, possessionem suam auocantibus numquam obstat. [5] *Ita Senatus* in causa Gorinæ Jarrin & Joannis Perifeu. Ex tempore, 9. Calend. Jul. 1592.

1 *L. 2. C hoc tit. l. 2. D. qui potior. in pign. hab.* si modo legas in illa lege *certa* non *cetera*, secundum emendationem, quam nos docuimus, *lib. 6 Coniect.*

2 Hic enim auocat possessionem alienam, *l si cum venditor 66. C de euict.* Nec quisquam suam auocat nisi qui agit condictione ex *l. vlt. C. de acquir. poss.* vt scripsi *D fin. 1 ill. tit.*

3 Alioqui specialis hypotheca derogaret generali, *l creditoris 8 D. de distr. pignor d l 2. D. qui potior. in pign. hab.*

4 *Ex d l vlt. C. de acq. poss.*

5 Cum non sit inducta nisi fauore tertiorum possessorum. *Auth hoc si debitor. cum ibi not. C. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst. 432. num 1.*

DEFINITIO IX.

Solus creditor non etiam bonæ fidei possessor quilibet potest obiicere excussionem specialis hypothecæ.

QVod tamen proxime diximus, specialem pignoris conuentionem facere, vt creditori agenti in bona generaliter obligata obiici possit non excussæ specialis hypothecæ exceptio, [1] ita verum est si fundi generaliter obligati possessor, qui obiicit exceptionem, idem sit creditor, eundemque fundum siue specialiter, siue generaliter habeat obligatum. Constitutio enim, quæ huiusmodi ius nouum induxit, secundo creditori fauere voluit & debuit, non etiam cuilibet possessori. [2] *Ita Senatus* in eadem causa. Idib. Jul. 1592.

1 *Ex d. l 2 C hoc tit.*

2 Sic ex communi sententia concludit D. dac. Couar. *lib 3 var. resolut. cap. 18. num 2 vers quinto animaduertendum* post Socin. *cons 98. lib 2. & consil. 75 lib. 4* Negus. *in tract de pign. 5 part. memb 2. num 51. & part. 8. membr 1 num. 10* licet contra sensisse videatur glos. & post eam Bart. Bald & Salic. *ad d. l. 2.*

DEFINITIO X.

Qui sub hasta emit non potest obiicere discussionem non factam specialis hypothecæ.

ERgo si postulante creditore aliquo pignus sub hasta venditum sit, emptor beneficio constitutionis non adiuuabitur, quia emptio dominij tantum & possessionis non etiam pignoris ius ei tribuit. [1] Nam in debitoris potius quam in creditoris locum successisse intelligitur, [2] neque vero fieri potest, vt acquisitio pignoris cum dominij acquisitione concurrat, [3] quandoquidem nemini sua res est obligata. [4] Sicuti nec illud dici potest, ex causa huiusmodi venditionis obligata esse emptori bona debitoris, licet maneat ille de euictione obligatus. [5] Nisi forte quis dicat, creditore anteriore pignus euincente emptori ius pignoris resuscitari, quasi non omnino extinctum, dominio non prorsus irreuocabiliter acquisito, [6] ob idque possessorem non tam emptoris, quam creditoris iure censendum, vt hoc saltem habeat à creditore, quod creditor ipse habuit. [7] Sed non ita est. Id enim tum obtinet, cum idem est emptor pignoris, qui antea fuerat creditor. [8] Verum namque est, pecuniam ipsi solutam non esse & idcirco quasi Seruianam durare, [9] at emptoris, ex cuius pecunia creditor dimissus fuit longè alia ratio est. Nam neq; post solutionem superesse amplius potest hypothecaria sublato vinculo pignoris, [10] neque creditoris iure censeri possessor debet, qui non à creditore, sed potius à debitore comparauerit. [11] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nemo enim emendo fit creditor, sed dominus, si res vendita sit vel à domino, vel ex domini voluntate, *l ex empto 11. §. 1. de act empt. § 1 Inst. quib. alien. licet vel non.*

2 *L si ob causam 3. C. de euict.*

3 *L. penult. § 1. D. de except. rei iudic.*

4 *L neque pignus 45 de reg iur.*

5 *d. l ob causam 13. C. de euict.* Non enim bona debitoris semper sunt tacite obligata, nisi in casibus, de quibus *in tit. D. & C in quib. caus pign. vel hypoth. tacit. contr.*

6 *Ex d l penult § 1. ad fin. D. de except. rei iudic.*

7 Simile quiddam est *in l. dotem 6. D. de collat. bonor. l. in creditore 38 in fin. D de euict.*

8 *Vt in specie d l penult. § 1.*

9 Dixi *Defin. 1. num. 6 supr.*

10 *L Paulus respondit 12. § 1. & pass. D. quib. mod. pign vel hypoth. soluit.*

11 *L. 1. & 2. C. si in caus iudic. pign. capt sit. d. l. ob causam.* Vnde est quod etiam creditor ipse potest hoc casu pignus emere, *d. l. 2. cum bona 16. de reb. auctor. iudic pos. alias l. 1. de priuil credit* quod facere non posset si esset idem ipse venditor, *l. 1. D de rer. permut. l. & qui sub imagine 10. C. de distr. pignor.*

DEFINITIO XI.

Creditor hypothecarius habet iurisdictionis exercitium si possideat, poteritque officiarios pro arbitrio & instituere, & immutare.

CReditor, qui pignoris possessionem siue ex clausula constituti, siue iudicati auctoritate, siue qua alia ratione nactus est, exercitium habet imperij & iurisdictionis sicut & cæterorum omnium, quæ ad castrum pignoratum pertinent, non solum si in antichresim pignus datum sit, aut pro ea summa quæ rei obligatæ valori iusto æquipolleat (qui casus longe minorem aut nullam potius habent dubitationem) sed & si simpliciter pignus contractum proponatur, hac sola differentia, quod cum in antichresim pignus datum fuit, fructus ex iurisdictione percepti in sortem non imputantur, [2] qui alioquin imputarentur. [3] An igitur iudices, procuratores, actuarios aliosque huiusmodi, quos vocant officiales, à debitore eodemque proprietario constitutos remouere creditor pro arbitrio poterit, & alios in eorum locum substituere? In iampridem Senatus noster pro Domina Carola de la Chambre, vidua D. Comitis du Pont deueyle; quasi non videatur creditor liberam & vacuam habere possessionem, nisi cui pro arbitrio liceat possidere. [4] Sed & illa potissimum ratio pro creditore vrget, quod hodie iurisdictiones omnes patrimonij iure censentur. [5] De iure patronatus quoniam nullo pecuniario commodo licite æstimari, nec consequenter in patrimonio esse videri potest, [6] dubitatio maior est, an in creditorem transiatum intelligatur, etiam cum antichresis contracta fuit. Et in eam partem procliuior sum, vt non putem competere creditori. *Senatus* tamen nihil dum quod viderim vel audierim decidit.

1 Quia his casibus videtur actum, vt debitori nullum ex pignore commodum superesset, *arg l si res obligata 57. vers. vel potest. d. leg 1 / si is qui 11. § 1. D. hoc tit.*

2 Tanquam percepti in vicem vsurarum.

3 *L 1. 2. & pass C de pign. act.*

4 Facit, quod dici soler, collationem beneficij esse in fructu. Notat *in c. cum olim de maior. & obed* Boer. *quæst. 17. nu. 17.* eadem enim hac parte beneficij & officij ratio esse videtur. Vide Anton. Capyc. *decis. Neapol. 185. num. 2.* post Rom. *singul. 554.* Dec. *in l debitorum, C. de pact.*

5 Nec minus lucri quam honoris causa habentur.

6 Est enim quid sacrum & spirituale, vt tractant Canon. *ad tit. de iur patron.* ideoque nec alienari potest, nisi cum vniuersitate bonorum, vt ea, de quibus *in l quadam 62. de acquir. rer. domin.*

DEFI-

DEFINITIO XII.

Mariti creditor habet hypothecariam in fundum mulieris ex pecunia mariti comparatum, si non ei pretium offeratur.

CVm ex pecunia sua maritus vxori comparauit fundum, si mariti creditori in eum fundum agat hypothecaria, non idcirco per mulierem recte summouebitur, quod fundi dominium ad ipsam, non ad maritum pertineat. 'Etsi enim qui agit hypothecaria, probare debet esse rem in bonis debitoris, cum alienæ rei pignus non valeat, [2] attamen sicuti vindicare rem mulier non potest, nisi prius oblato redditoque pretio, [3] ita neque persecutionem inhibere creditoris, qui omnia mariti bona obligata habeat, nisi pecuniam offerat, non quam maritus creditori, sed quam ipsa marito ex eius emptionis causa debeat, quasi sit ipsa res marito pignoris nomine obligata, [4] propter ius retentionis, quod per doli exceptionem habere ille potuit. [5] Reuera quidem pignus nullum est, cum de pignore nulla conuentio interceserit. [6] Sed plus quam pignus est cum ipsa quoque dominij vindicatio inhibeatur donec pretium sit redditum. [7] Porro creditorum mariti ius idem esse conuenit, quod ipsius mariti. Postquam enim placuit etiam nomen pignori dari posse, [8] dubitandum non est, quin veniat in generali quoque bonorum omnium obligatione. [9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 9. si quis alt. vel sib. Et rursus pro D. de S. Mauris, contra D. de la Croix, 4. Id. Iunij 1593.

1 Abb. *cons.* 46. *vol.* 1. quem refert & sequitur Boer. *quæst.* 23. *num* 3 Nisi societas conuentionalis aut consuetudinaria inter coniuges inita sit. Ibid. Boer *num* 4.

2 *L. & quæ nondum* 15. § *quod dicitur, D. hoc tit. l.* 1. *& tot. tit C. si alien. res pignor. dat. sit.*

3 *L. multum interest* 6 *C. si quis alt. vel sib. l.* 2. *C. pro socio.*

4 *Argum. l. Iulianus* 13 §. *efferri. de act. empt. l* 3. § 1. *D. qui potior in pign. hab.*

5 *L. sumptus* 48 *D. de rei vindic.* Ne scilicet mulier ex mariti iactura locupleretur, *l. plane* 38. *D. de rei vindicat.*

6 *L.* 3 *D. quæ res pignor.* Sed enim hic casus ex iis est, in quibus tacita hypotheca contrahitur, de quibus *in tit. D. & C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

7 Nam cui damus actionem multo magis damus exceptionem & retentionem, *l. inuitus* 156. §. *cui damus de reg. iur. l.* 1. § *iu autem, D. de superfic. l. heres* 21 *D. ad SC Trebell.*

8 *L. postquam* 7. *C. de hered. vel act. vend.*

9 *L. nomen* 4. *C. quæ res pign. oblig. poss.* Vide Guid. Pap. *quæst.* 432. *num.* 13.

DEFINITIO XIII.

Hypotheca constituta intelligitur si conuenerit, vt super aliquo fundo certa pecuniæ quantitas soluenda imponatur.

QVi donauit tibi bona sua omnia, exceptis quibusdam, de quibus testari possit, [1] hoc tamen etiam excepto, vt filiarum suarum dotes super iisdem bonis donatis ad certam vsque quantitatem capi possent, hoc ipso donata bona pro iis dotibus obligasse intelligitur, [2] vt earum nomine filiab. competere possit aduersum te hypothecaria, [3] nec hoc fauore vllo dotium, sed iure communi. Nam cum hypotheca, vel ex ipso Græci verbi etymo, nihil aliud sit quam suppositio, [4] an non satis supponūtur bona hoc solo, quod super iis capiendæ quantitatis ius constituitur? [5] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Charrin & Dominæ de la Guille, Prid. Non. Jul. 1593.

1 Alioqui non valeret donatio secundum Doctores, quia auferret donatori liberam testandi facultatem, *Not. ad l. vlt. Cod. de pact. & ad l. stipulatio hoc modo concepta* 61. *D. de verb. obligat.*

2 Contrahitur enim hypotheca nuda voluntate debitoris *l* 4 *D. hoc tit.* adeo, vt etiam testamento pignus constitui possit, *l. non est mirum* 26. *D. de pign act.*

3 Quæ non posset competere si pignus nullum esset, nisi in casu *Desin. praced.*

4 Vale enim argumentum ab etymologia, *l.* 1. *D. de iustit. & iur. & tit. de testam. instit.*

5 Non enim potest pecunia capi super fundo, quin fundus ipse supponatur. Vide *l. Lucius* 12. iunct *l.* 2. *D. de alim. & cibar. legat.* Guid. Pap. *quæst.* 431. *nu* 17.

DEFINITIO XIV.

Obligatis bonis mobilibus & immobilibus omnibus, non ideo iura censentur obligata.

IN bonorum mobilium & immobilium obligatione iura & actiones non comprehenduntur, quia tertiam bonorum speciem constituunt à duabus aliis differentem. 'Et quamuis non desint qui putent bonis mobilibus adnumeranda iura si competat ad rem mobilem, aut immobilibus si ad immobilem; [2] *Senatus* tamen noster supradictam sententiam passim sequitur, siue de pignore, siue de quo alio contractus genere agatur. [3] Sic iampridem in causa quadam procuratoris Turnelli & Joannis de Constance. Et iterum in causa N. Moret tractata ex tempore in publico auditorio Prid. Non Julij 1593.

1 *L quam Tuberonis* 7 §. *in peculio, D. de pecul. l. à Diuo Pio* 15 § *in venditione, D. de iur. fisc.*

2 Ex opinione Bart. *in l. si legatum* 75 §. *vlt. de leg.* 1.

3 Nomina enim debitorum cum nullibi sint, neque mobilia, neque immobilia esse possunt, *l quæsitum* 78. § 1. *l. si chorus* 79. 5 §. 1. *l si ita legatum* 86. *de legat.* 3.

DEFINITIO XV.

An & quando tertius possessor conuentus hypothecaria possit condemnari ad fructuum restitutionem?

NOn semper ad fructuum etiam post litem contestatam perceptorum restitutionem tenetur is, qui hypothecaria conuentus succubuit, sed eo demum casu quo interfit petitoris. 'Finge bona illa quæ per hypothecariam creditor consequatur sufficere toti debito exsoluendo, debitique vsuris legitimis. Nihil sane interest creditoris fructuum habere restitutionem, [2] Quoniam si eos haberet, tantominus ex reliquis bonis obligatis consequeretur, tanto scilicet minore facto debito, quia fructus pignorum in sortem imputari oporteret. [3] Plane cum à tempore litis contestatæ condemnati possessor debeat in id omne, quod interfit creditoris citius sibi satisfactum fuisse, [4] non aliter fructuum restitutio condemnatione eximenda est, quam si tot extent bona obligata, vt non minus pro eo quod interest, id est, (nihil enim hac parte refert [5]) pro debiti vsuris quincuncibus, si nihil sit quod maiores suadeat, [6] quam pro ipso debito indemnis seruari creditor possit. Alioqui non tantum fructus post litem contestatam percepti restituendi sunt, sed etiam qui ante litem contestatam percepti fuerunt, si extent, ad concurrentem vsque debiti & accessionum quantitatem, [7] non ex æquitate iudicij, quæ præteritum tempus afficere nunquam potest, [8] sed tanquam eodem pignoris vinculo tacite obligati, [9] sola hac manente differentia inter fructus ante & post contestationem perceptos, quod qui ante percepti sunt nunquam veniunt in restitutionem, cum sunt cōsumpti, nec si cætera pignora non sufficiant, [10] postea autem percepti veniunt, etiamsi non extent, si minoris sint alia pignora quam debeatur. [11] Consumptos autem fructus intelligi oportet eos ex quibus possessor factus non sit locupletior. [12] Illud vero notandum est, quoties possessor pignorum executio[13]

BIU Cujas

frustra intercessit, damnum vsuratum quod ei infligitur ex ipsis bonis oppigneratis sarciendum esse.[13] Neque enim proposita in rem actione persona ipsa possessoris ad aliud condemnari debet,[14] quam ad litis sumptus, qui semper sunt personales.[15] In reliquo sufficit creditori, quod cœpta per eum executio perfici possit remota intercessione, non minus pro vsuris à liisque accessionibus, quam pro sorte & debito principali.[16] *Ita Senatus* in causa Claudij Jay Donzel & Antoniæ Mauris, 4. Id. Nouemb. 1593.

1 *L. si fundus* 16. §. *in vindicatione, & seq. l. si inter* 21. § *vlt. D. hoc tit.*
2 *d. l. si fundus*, §. *interdum.*
3 *L.* 1. 2. 3 *& pass. C. de pignor act.*
4 Quia litis contestatio constituit reum in mala fide, *l. sed etsi* 25. §. *si ante, D. de pet. hered. l. si fundus*, §. *in vindicatione, l. videamus* 38 § *si actionem*, iunct. *l.* 2. *D. de vsur.*
5 Cum tamen alioqui multum referat an loquare de eo quod interest an de vsuris, quia id quod interest fauorabile est, vsura autem odiosa. Et ideo nostri vulgo vsuras vocant, *interests*, vt faciant dulciores & fauorabiliores.
6 Frequentiores enim vsuræ apud nos quincunces, quia meliores, & quia respondent iusto modo fructuum qui ex fundo percipi possunt, vt scripsi *in ti. de vsur.*
7 *d. l. si fundus* 16. §. *interdum. in fin.*
8 Id est, quod præcessit litis contestationem, *d. l.* 2. *d. l. videamus* 38 § *si actionem, D. de vsur.*
9 Scilicet cum bona debitoris omnia præsentia & futura sunt obligata. Fructus enim iure soli & dominij percipiuntur, *l. qui scit* 25. §. 1. *eod. tit. de vsur. l.* 3 *C. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*
10 Requiritur enim, vt & extent, & res non sufficiat vt scriptum est *in d. §. interdum, in fin. l.* 1. §. *cum prædium eod.*
11 *d. §. interdum.* Aliam differentiam inter fructus perceptos ante vel post litem contestatam, vide apud Guid. Pap. *qu.* 405 & ibi Ranchin.
12 Non enim videtur consumptum quod in corpore patrimonij retinetur, *l. idem* 72. *de leg.* 2. *cum duabus præced.*
13 Cum is, qui sortem ipsam non debet, multo minus vsuras debere possit, quæ non nisi propter moram non soluêtium infliguntur, *l. cum quidam* 17 *§ si pupillo, D. de vsur.*
14 Quia in actionibus in rem non persona, sed res conuenitur, *l. denique* 19 *D. de iur. fisc.* §. 1. *Instit. de act.*
15 In pœnam scilicet temerariæ litis, *l. eum quem temere* 79 *D. de iudic.*
16 Sequuntur enim vsuræ sortem in tempore hypotheca *l. Lucius* 18 *qui pot. in pign. hab.*

DEFINITIO XVI.

Boues aratorij & agriculturæ instrumenta non possunt dari pignori nec capi nisi in subsidium. Possunt tamen dari in solutum.

BOues aratorios sicut & cætera agriculturę instrumenta neque pignoris iure capi posse in executione iudicati, neque adeo in generali bonorum obligatione comprehendi,[1] constat satis saltem quamdiu alia bona sunt, ex quibus satisfieri creditori possit.[2] Eoque iure vtimur, extâte præsertim apud nos in eam rem statuto, quo id expressim constitutum est.[3] Sed non faciat ea res, quo minus liceat debitori, si ob non solutam pecuniam detrudatur in carceres, nec aliud habeat ex quo malit soluere, boues quoque aratorios offerre apparitori exequendi, vt sint pignoris loco, quod dicimus *faire main-garnie*. Ne alioqui sub prętextu boni publici, quod hic in consequentias dumtaxat vertitur, prohibeatur debitor quibus potest rationibus ad commodum suum peruenire, quod esset longe iniquius.[4] Nam cum huiusmodi ius non tantum bono publico introductum sit, sed etiam fauore debitorum boues aratorios habentium, quorum præcipue interest ne agriculturam deserere cogantur, tametsi ea quoque res ad publicam vtilitatem spectet in consequentias,[5] nihil sanè causæ est cur non ipsis licere debeat renunciare fauori suo, si id fauorabilius sibi esse arbitrentur.[6] *Ita* ex tempore in publico auditorio in causa Hugonis Mottet & N. Piquet, 5. Id. Decembr. 1593.

1 Nunquam enim obligatione generali comprehenduntur ea, quæ quis verisimiliter non fuit obligaturus, *l.* 6. *D. hoc tit.* Facit quod in simili de fructibus omnibus locatis tractat Boer. *quæst.* 19. *num.* 6. post Oldr. *consil.* 129.
2 Nam qui possint in subsidium obligari & capi pignori non ambigitur, *arg. l.* 27. *quand. fisc. vel priuat. l. à Diuo Pio* 15. §. *in venditione D. de re iudic.*
3 Publicæ scilicet vtilitatis gratia, ne cultura impediatur, *l.* 8. *C. quæ res pign. oblig. poss.*
4 Est enim bona, iusta, & honesta quælibet ratio redimendæ vexationis & conseruandæ libertatis, quæ per carceris duritiam quodammodo refringitur, *l.* 1. *& l.* 2. *D. de liber. hom. exhib.* iunct. *l. Titio centum* 71. §. *Titio centum, de condit. & demonstrat. l.* 1. *D. de bon. eorum qui sibi mort. consc. l. ob as* 12. *C. de oblig. & action.*
5 Minus autem curari solent ea quę non fiunt nisi per consequentias, *l.* 1. *l. quod dicitur* 7. *D. de auctor. tutor.*
6 Ne alioqui quod eorum fauore constitutum est, in perniciem & odium ipsorum retorqueatur, *arg. l. penult. C. ad SC. Trebell. l. nulla* 25. *D. de legib. l. quod fauore* 6. *C. eod.*

DEFINITIO XVII.

Si ex secundi creditoris pecunia emptum aliquid sit ea mente, vt subrogaretur in locum eidem creditori prius obligatæ, an sit anterioribus in ea re præferendus.

ETsi is, qui obligata habebat bona debitoris omnia præsentia & futura, præferatur haud dubie secundo creditori, ex cuius pecunia debitor aliquid comparauerit,[1] qui a nec hypothecam hic habet nisi specialiter & expressim de eo conuenerit,[2] si tamen quod compa atum est substitutum sit in locum alterius rei de perditæ, quæ huic ipsi creditori fuerat anteriori iure obligata, & pecun a in eam ipsam causam sit credita, quidam putabant in ea re secundum creditorem præferendum.[3] Quanquam enim ex vna parte dubitationem illud afferebat, quod quo instanti res illa debitori acquiritur incipit esse obligata illi, qui in futuris quoque bonis hypothecam sibi quæsierat, ac proinde p ius etiam quam in alterius locum sit substituta,[4] præsertim si ea substitutio & subrogatio fiat potestate conuentionis potius quam iuris,[5] tamen ex altera parte illud mouebat, quod dici solet, subrogatum sapere naturam eius in cuius locum subrogatur,[6] adeo, vt etiam nouatione facta, atque ita prorsus extincta priore obligatione, creditor tamen, qui eadem pignora accepit, in sui ipsius locum succedere intelligatur ad pristinum inter creditores ordinem retinendum.[7] *Ita tractatum est* in eadem causa, plerisque tamen mecum dubitantibus, neque decisa res fuit.

1 Etiam in ipsa re empta, *l. licet* 7. *C. qui potior. in pign. hab.*
2 *L. quamuis* 17. *hoc tit. l. procuratoris* 5. §. *plane si in eadem D. de tribut. act.*
3 Qui scilicet non aliter fuerat crediturus & acquirendi copiam debitoris facturus.
4 Ita, vt proinde causam pignoris prior creditor præuenisse videatur, *l. vlt. in princ. D. qui potior. in pign. hab. l. si is qui mihi* 18 *D. de iur. fisc.*
5 Quia scilicet ius operatur in instanti, conuentio autem hominis non nisi tempore, quæ tota ratio est, *d. l. quia mihi*, de cuius sententia scripsimus in libris Coniecturarum.
6 *L. si cum* 10. §. *qui iniuriarum, D. si quis caut. l. sed quod inde* 71. iunct. §. *vlt. l. præced. de leg.* 2.
7 *d. l. vlt. in princ. & l.* 3. *in princ. l. creditor* 12. *Papinianus alias, l. si prior creditor, D. qui potior. in pign. hab.* Vide tamen, an obstet huic Definitioni quod scriptum est *in l. fideiussor* 26. §. *vlt. D. hoc tit.* vbi tamen agitur de re subrogata loco pignoratæ ab alio, quam à pignorante ipso.

DEFINITIO XVIII.

Exceptio soluti debiti competit cuilibet creditori conuento hypothecaria.

Possessor

Possessor quilibet conuentus hypothecaria obiicere potest solutam creditori pecuniam, [1] nec solum tacente debitore, sed etiam si debitor ipse forte per collusionem fateatur adhuc se debere. [2] Etsi enim excepto hæc est de iure tertij, tamen excludit omnino ius agentis, [3] cum soluto debito tollatur hypothecaria. [4] Interestque possessoris qui conuenitur, non ob id solum, ne ab eo res auferatur, [5] sed etiam quia qualiscumque sit possessor habet ius offerendi ad hypothecariam inhibendam. [6] Absurdum autem sit cogi eum ad redimendam vexationem offerre id, quod amplius non debeatur. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia soluta pecunia quæ debebatur, soluitur pignus, *l. item liberatur 6 in princip & pass. D. quibus mod. pign. vel hypothec. soluit. lege si rem 9. §. omnis, D. de pign. act. l. debitor, 40. §. vltim. eod.*

2 Non enim collusio debitoris nocere debet tertio possessori, *l. 5. §. si possessori, l. 5. §. si hæres, l. si per lusorio 14. D. de appellat. tot. tit. D. de collus. detег.*

3 Et ideò potest opponi etiamsi tertius nolit, *l. vlt. C. de rei vindic. l. loci 4. §. competit.* vbi Bart. *si seruit. vindic.* idem Bart. *ad l. 2. C. de except. rei iudic.*

4 Nec enim potest supereſſe hypothecaria sublato vinculo pignoris, quamuis possit interdum supereſſe vinculum obligationis, sublata etiam personali obligatione, dum ne solutum sit debitum, *l. 2. C. de iust. pignor. l. pen. §. 1. de except. rei iudic. l. debitor ad SC. Trebell.*

5 Quia de causa etiam vitiosa possessio aduersus extraneos prodesse solet, *l. vltim. D. de acquir. possess. l. vltim. Cod. de rei vindic.*

6 *L. Paulus 12. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

7 Nemo enim cogendus est offerre indebitum, vt neque soluere, quod ex ipsa actionis definitione constat, *& ex tot. tit. de condict. indeb.*

DEFINITIO XIX.

Bonæ fidei possessori non potest pignus euinci per hypothecariam, quin sumptus omnes in rem obligatam ab eo vtiliter facti ei refundantur.

CVm possessori pignus per hypothecariam euincitur, rationem habeti oportet impensarum omnium, quas possessor [1] conseruandi aut meliorandi pignoris causa fecerit, [2] siue in rem ipsam factæ sint, dummodo extent, [3] siue in lites aduersus eos peragendas, qui rem obligatam ex causa fideicommissi, aliove interiore iure, quasi in debitoris bonis non esset, euincere volebant. [4] Interim igitur habebit possessor ius retentionis, [5] saluo creditori iure satisfandi de huiusmodi impensis postquam taxatæ fuerint soluendis, si earum taxatio per moram possessoris tam cito expediri non possit. [6] *Ita Senatus* in causa N. Stephani Diuonne & R. Episcopi Bellicensis D. Joannis Gothofredi Ginod optimi Senatoris, 14. Calend. Mart. 1594.

1 Intellige si possessor sit bonæ fidei, secus enim est in malæ fidei possessore secundum Dyn. & Bartol. *ad l. cum postulassem, 44. §. 1. per ill. text. D. de damn. infect.* Sic enim locum illum intelligunt, ne pugnet cum *l. Paulus 19 §. domus, D. hoc titul.* Quamquam Paulus Castr. & Cuiacius aliter putant, non esse separandum hac parte bonæ fidei possessorem à prædone, sed extructionem vniuersalem à particulari, quod sane & verbis vtrinsque legis & iuris ratione magis conuenit.

2 *d. l. Paulus 29. § domus,* vbi Doctores, D. *hoc tit.*

3 Si enim nullus earum vsus sit futurus creditori, non est onerandus harum impensarum refusione. *d. § domus in fin.*

4 Est enim hæc quoque impensa necessaria, & quæ saluam facit totius pignoris causam.

5 *L. 1. in princip. D. hoc titul. l. si in area 33. D. de condict. indeb.*

6 Scilicet ne qua eo prætextu mora fiat hypothecariæ actioni. *arg. l. statuliber rationem 5. D. de statulib. l. 1. si cui prius quam per leg. Falcid.*

DEFINITIO XX.

Non quicumque negat rem obligatam fuisse in bonis debitoris, statim priuandus est sua possessione, sed in casibus certis.

IVstiniani constitutio, quæ possessionis commodum adimit, creditori aliiue cuilibet possessori neganti rē obligatam in bonis fuisse debitoris, [1] non continuo locum habet, si possessor pignoris id simpliciter negauerit, sed ita demum si & dolo malo negauerit, & ea negatione actorem adegerit ad probandam suam intentionem. Id enim præ se ferunt verba ipsa constitutionis. [2] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua SC. 13. & 14. infr. qui potior. in pignor. hab.

1 *Nouell. 8. de trient. & semiss cap. 10 §. illud quoque.* Vnde sumpta est *Auth. item possessor. C. qui potior. in pign. hab.*

2 *d. Auth. item possessor,* ibi. *si probata ea intentione.* Antonin. Tessaur. *decis. Pedem. 50.*

DEFINITIO XXI.

Bonorum mobilium obligatorum an aliqua sit apud nos contra tertios possessores persecutio?

QVod apud Gallos ex generali fere consuetudine obtinet, vt bonorum mobilium oppignoratorū, & alienatorum, nullam pignoratitius creditor persecutionem habeat contra tertium possessorem, [1] sicuti à iuris communis ratione abhorret, ita neque apud nos, qui Romanorum legibus vtimur, receptum est. Nam cum non minus in bonis mobilibus, quam immobilibus pignus constitui possit, [2] consequens est, vt in iure pignoris, quod anteriori creditori quæsitum fuit, nullam ei præiudicij facere debitor possit. [3] Alioqui quid dicemus si totum debitoris patrimonium, vt plerumq; euenit maximè inter mercatores, consistat in mobilibus, & pecunia numerata? An non absurdum sit & iniquum, dolo aut facto debitoris impediri creditorem ne pignora sua persequi possit? [4] Nec sane recipit hæc res dubitationem si extant illa ipsa nummorum aut aliorum mobilium corpora, quæ fuerunt obligata, [5] sed si sint deperdita, aut quod idem est sic alienata, vt repetiri, nequeant, fortassis etiam consumpta pecunia aut confusione & permixtione aliorum nummorum, à quibus separari & secerni non possit, [6] dubitatio maior est. Et quidem vix, vt tertius possessor, qui ea bona mobilia alienauit aut permutauit hypothecaria, conueniri possit, vt vel pretium quod accepit, [7] vel quæ ex permutatione habuit in locum obligatorum substituat. [8] Verum enim est, neque obligata vnquam fuisse, [9] neque functionem ista recipere in genere suo, [10] ideoque & perire posse, [11] vt proinde imputare sibi creditor debeat cur sibi melius & per satisdationem non prospexerit, [12] cum scire debuerit futurum, vt non obstante vinculo pignoris posset debitor ea bona vendere, quæ postmodum vendita facile aut occultari aut perire possent, aut tam sæpe alienari, vt possessoris persona nusquam repetiretur. [13] Nam & inde est, quod quadam edicti prætorij parte mobilium bonorum, non etiam immobilium possessores satisdare coguntur. [14] At pecuniæ alia ratio esse videtur, quia cum recipiat in suo genere functionem, ob idque nec perire vnquam possit, [15] non magis interesse videtur eius, qui conuenitur, an ea nummorū corpora penes se habeat, quæ nunquam fuerint debitoris, quàm si ea ipsa haberet, quæ fuerunt obligata. [16] Verum ex alia parte vrget, quod si rem ipsam ita vt est, inspicias, dici non potest, vllum pignoris ius competere creditori in eam pecuniam, quā probare nequeat fuisse

vnquam sui debitoris." Cur ergo permittatur illi agere hypothecaria? "Quod si æquitatem intueare, qui tui quitus, & ad lites multiplicandas aptius, quàm iis, qui bona fide nummos à debitore tuo accepit tibi obligatos, eosque tanquam suos qualibet ratione, tamen bona etiam fide consumpsit, alios pro iis tibi restituere & exhibere teneatur." Quid enim si rem suam vendiderat, & pro pretio eos nummos accepetat? Et sane si ita ius esset, non reperiretur, qui vellet cum eo contrahere, quem creditores habere vel sciret vel suspicaretur: ex quo minimè præsertim mercatoribus clades inferretur, & consequenter, toti Reipubl. nemine cum iis contrahere volente." Igitur verius est, nullam creditori actionem de pignore supersesse in pecuniam, quæ amplius non extet." *Ita Senatus* iampridem pro D. Senatore Dauisse, contra D. de Pluuy. *Sine die.* Et nouissimè tractatum est in causa procuratoris Doche & Francisci de Bottiere, ante Calend. April. 1594.

1 Hoc enim est quod Galli dicunt, *les meubles n'ont point de suite.*

2 Imo propriè pignus est rerum mobilium, cum dictum sit à pugno, *l. plebs est* 238. §. 1. *de verb. signif.*

3 *L. debitorem* 15. *C. hoc tit. l.* 12. *C. de distr. pignor.*

4 *L.* 1. *& 2. C. de debit. vendit. pignor. imped. non pass. l. est in arbitrio* 4. *C. de oblig. & action.*

5 *Vt in l. fideiussor* 26. §. *vlt. D. hoc tit.*

6 *Vt in l.* 1. §. *præterea sciendum est. D. de separat.* iunct. §. *si duorum materia* 27. *vers. quod si frumentum, Instit. de rer. diuis.*

7 Nec enim pretium ex re obligata redactum ipsum quoque obligatum est aut contra, *l. idemque est* 7. *in fin. D. qui potior. in pign. hab. l. qui vas* 48. §. *vlt. D. de furt.*

8 Non enim sufficit quod res subrogata sit loco rei obligatæ, nisi ea subrogatio facta sit ab ipso pignorante, *dict. l. fideiussor.* §. *vltim. hoc tit.* iunct. *l. sed quod inde* 71. *&* §. *vltim. l. præced. de leg.* 2.

9 *d. l. fideiussor,* §. *vlt.*

10 *L.* 2. §. *mutui datio, D. de rebus credit.*

11 Quod non conuenit rebus illis, quæ recipiunt in suo genere functionem, *l. incendium* 11 *C. si cert. petat.*

12 *Arg. l. cum postulassem* 44. §. 1. *in fin. D. de damn. infect.*

13 Imputatur enim ei cur non prospexerit, quod potuit euenire, *vt in l. si quis domum* 9 §. 1. *D. locat.*

14 *L. sciendum* 15 *in fin. D. qui satisd. cogant.*

15 *d. l.* 2. §. 1. *D. de rebus cred. & d. l. incendium.*

16 Et ideo non iuratur in litem pro nummis, quia in eos non cadit affectio, *l.* 3. *D. de in lit. iur. l. si ita* 42. *D. de fideiuss. l. debitorem* 99. *D. de solut.*

17 Est enim hoc præcisè probandum creditori agenti hypothecaria, *l. & quæ nondum* 15. §. *quod dicitur, D. hoc tit.*

18 Non enim potest hypothecaria competere sine pignore, *l.* 3. *D. quæ res pign. oblig. poss.*

19 Cur cogatur & rem suam & pretium amittere, *l. ex empto* 11. §. *vlt. l. bona fides* 50. *D. de act. empt.*

20 Exemplo eius quod scriptum est *in l. quod si minor* 24. §. *non omnia, & in l. ait prætor* 7. *alias l. et si sine,* §. *quæsitum, D. de minor.*

21 Matth. de Afflict. *decis.* 190.

DEFINITIO XXII.

Personalis actio potest cumulari cum hypothecaria etiam post litem contestatam sine vlla expensarum refusione.

CVm placeat, personalem actionem, quæ creditori pignoratitio competit aduersus debitorem, cumulari posse cum hypothecaria, quoniam vtraque ad eundem finem dirigitur, [1] consequens est, vt qui personali primum egerat si postmodum hypothecariam exercere malit etiam post litem cõtestatam nullas eo nomine expensas debeat, [2] quarum alioqui refusione plecti solet, qui lite iam contestata mutat actionem. [3] *Ita Senatus* pro D. de Cohendier, contra N. Mallin, 4. Id. Januar. 1595.

1 Guid. Pap. *quæst.* 108.

2 Quia quod fit lege permittente pœnam non meretur *l.* 4. *C. de adult.*

3 In pœnam scilicet mutatæ actionis, *l.* 3. *vbi not. Cod. de rend.*

DEFINITIO XXIII.

Cogitur creditor agens hypothecaria probare sui debitoris dominium, etiamsi contra eum agat qui emit ab ipso debitore.

CReditor agens hypothecaria contra possessorem, qui emit à debitore, non eo minus tenetur probare debitoris dominium, si ab emptore negetur, [1] quia in huiusmodi actione dominium præcisè per actorem probandum est. [2] Nec quod possessor ab eo emerit, qui dominus dicitur, facere potest, ne liceat ei negare dominium. *Ita Senatus* ex tempore pro N. Benedicto Bertrier, contra sorores Verrier, 12. Cal. Febr. & 5. Id. Febr. & 5. Maij 1595.

1 Sola enim negatio sufficit, vt res fiat dubia, *l. vlt. C. quibus ad libert. proclam. non licet.* Debet autem intentio actoris esse certa & concludens, *l.* 4. *C. vnd. legit. l. neque natales* 10 *& pass. C. de probat.*

2 *L. & quæ nondum* 15. *quod dicitur, D. hoc tit.* iunct. *l.* 3. *in princip. eod. l. ante omnia* 23. *D. de probat.*

3 Neguz. *in tract. de pignor. part.* 6. *membr.* 2. *nu.* 35. Nam & res aliena vendi potest, *l. rem alienam* 28 *de contr. empt.* & ideo qui ab aliquo emit, non statim fatetur eum dominum.

DEFINITIO XXIV.

Non potest possessor conuentus hypothecaria petere ocularem sibi fieri rei demonstrationem.

REm, quam sibi obligatam dicit creditor, qui agit hypothecaria, oculis aduersarij subiicere & exhibere suis præsertim sumptibus non compellitur. Nam si aduersarium habeat debitorem ipsum, aut quod hac parte idem est, eius hæredem, [1] sufficit, quod contractũ exhibeat, quo pignoris obligatio continetur. [2] Nec quicquam interest debitoris, an hæc vel illa res pignoris iure vindicetur, cum imputare sibi debeat cur oblato debito cum accessionibus vinculum pignoris non dissoluat. [3] Sin alius possessori est, qui pignoris vindicationi intercedat, an non hoc fatetur se possessorem aut improbum litigatorem? Cur enim intercedit si non possidet? [4] Sin possidere se scit, cur oculariem rei exhibitionem postulat? [5] Idem est ex contrario, si debitor qui rem pignori dederat debitum offerens agat pignoratitia aduersus eum, qui ius habeat à creditore. Nam cum pignorati ij contractus instrumentum profertur, quonam obsecro colore potest creditor eiusve hæres certiorem præsentis rei demonstrationem postulare; nisi saltem rem aliquam offerat, in qua sola, non etiam in ea quæ petitur, pignoris ius constitum esse dicat? Hoc enim casu cum allegata rei diuersitas obstet iam faciti dentitatem, [6] incumbit sane debitori onus probandi eã illam, quam petit, non eam, quæ offertur, fuisse obligatam. [7] Sed hoc iudicium via ordinaria, post litem scilicet contestatam, per testes probari poterit, [8] nec cogendus erit debitor si nolit oculariem præbere rei demonstrationem, quam Pragmatici visionem loci appellant. [9] Si tamen iudex per imperitiam ita decreuerit, nec à quoquam ex litigatoribus prouocatum sit, iudicato stari dum erit. [10] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio, 8. Calend. Februar. 1595.

1 Quomodo compellitur plerumque is, qui agit rei vindicatione, aut ex contractu emphyteutico, aut finium regundorum, *l. si irruptione* 8 §. *fin. D. fin. regund.*

2 Nihil enim refert, an quis sit debitor, an debitoris hæres

hæres, *l. vltim. C. de hared. act. l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus hared. debit.*

3 Præsertim vero si obligatio sit generalis omnium bonorum præsentium & futurorum, siue expressa, *vt in l. & quæ nondum 15 §. quod dicitur, & in l. obligatione 6. D. hoc tit.* siue indefinita, *vt in l. vlt. C. quæ res pignor. oblig. poss.*

4 Loquimur enim de illo, qui sciat, nec inficietur se debere.

5 Nam cum hypothecaria sit in rem, *l. pignoris 17. D. hoc tit.* liberum est cuilibet hanc actionem recusare negando se possidere, *l. vltim. D. de rei vindic. Auth. item possessor. C. qui potior. in pign. hab.*

6 Nec enim fit vnquam exhibitio illa, nisi vt instruatur reus an possideat, & vt instruatur iudex, qua de re agatur, *d. l. si irruptione 8. in fin. D. fin. regund.*

7 Nec enim per actionem pignoratitiam cogi potest, vt aliam rem restituat, quam quæ fuerit ei vel ipsius auctori obligata *tot. tit. de pignor. act. D. & C.*

8 Quæ identitas rerum non solet præsumi nisi probetur, quamuis diuersum sit in identitate personarum. Vide Bart. *ad l. demonstratio 7. de condict. & demonstr.*

9 Semper enim eius est probare qui dicit, *l. 2. d. l. ante omnia 23. D. de probat.*

10 Quomodo probanda sunt cætera, quæ pertinent ad fundandam intentionem, siue actoris, siue rei, *l. exceptionem, 19. C. de probat.*

11 Quæ nec fere vnquam hodie petitur nisi animo tergiuersandi & frustrandi, litisque in longius tempus protrahendæ.

12 Propter rei iudicatæ auctoritatem, *l. 1. l. 5 & pass. C. de re iudic.*

DEFINITIO XXV.

Creditori qui consensit venditioni rei obligatæ salua pignoris sui causa non potest obiici exceptio discussionis.

QVi bona Titij habebat omnia obligata sine clausula constituti consenserat, vt ex iis bonis fundus Cornelianus tibi venderetur, saluo tamen pignoris sui iure. [1] Si postea in eum fundum quasi Seruianam exercere velit, non magis pati potest exceptionem non factæ excussionis, quam si clausulam haberet constituti, eiusque beneficium cum Justiniani legis auxilio imploraret, [2] quasi perinde sit acsi inter te & eum nominatim conuenisset, vt eodem iure fundus esset penes te, quo erat penes Titium debitorem. [3] Atqui penes Titium ita erat, vt excussionis exceptionem ipse obiicere si conueniretur non posset. [4] Ergo neque tu obiicere poteris. Nec ad rem facit, quod etiam ignorante inuitoq; creditore potuerat Titius fundum tibi vendere, [6] quo casu saluum quidem Titio creditori mansisset ius pignoris, [7] sed ita tamen, vt salua quoque tibi foret exceptio. [8] Nam imputare tibi debes cur non inscio eo emeris, & cur illius consensum, cum necessarius non esset, exquisiueris. [9] *Ita tractatum est* in causa D. Comitis de Saleneufue, & D. Baronis de Viry, 10. Cal. Maij. 1595.

1 Sic enim facere plerique solent, & salua pignoris sui causa venditioni pignoris consentire, vt *in l. si debitor 4 §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solui. l. vlt. D. de iur. dot.*

2 Quo casu certum est nullum fore locum exceptioni non factæ excussionis, secundum ea quæ dixi *Defin. 1. §. de acq. poss.*

3 Nec vlla in eo futura esset captio creditoris, vt loquitur Scæuola *in d. l. vlt. de iur dot.*

4 Numquam enim exceptio illa competit debitori, qui ipse excutiendus esset, sed tantum tertio possessori, & quidem bonam fidem habenti cum titulo *Auth. hoc si debitor, C. hoc tit.*

5 Alioqui venditio per debitorem facta deteriorem fecisset creditoris conditionem, quod non est ferendum, cur non nisi salua pignoris sui causa consenserit.

6 *L. vlt. C. rem alien. gerent non interd. rer. suar. alien.*

7 *L. si debitor 12. C. de distr. pignor.*

8 *Ex d. Auth. hoc si debitor.*

9 Itaque hoc casu expressa non nocerent, vt in *l. si sic legatum 75. §. illi si volet. de leg. 1. nonnumquam 52. de cond. & demonst. l. si quis Sempronium 68. D. de hared. instit.*

DEFINITIO XXVI.

Potest ad fines hypothecariæ iuberi soluere etiam is, qui per actionem personalem, vt soluat, conueniri apud eundem iudicem non potest.

QVi personalem actionem nullam habuit, aut quã habebat exercere efficaciter non potuit, non ob id solum male egisse videri potest, quod fecerit, vt per apparitorem debitor soluere iuberetur, si modo subiecerit id à se factum, vt nolente illo soluere, bona sibi obligata iure pignoris persequi posset. [1] Ponimus enim agi posse hypothecaria. [2] Finge laico rem esse cum clerico, [3] aut creditori cum herede, qui legis & inuentarij beneficium implorauit. [4] Recte facta executio videtur, quia iussum soluendi præcedere, & in personam ipsam fieri necesse est, [5] priusquam bona ipsa pignori capiantur, cum eam conditionem habeat hypothecaria, si debitum non soluatur. [6] Nec duplex executio illa est, sed vnica, [7] quæ inspecto fine in rem dumtaxat non item in personam facta intelligitur. [8] *Ita Senatus* in publico auditorio pro Joachimo de la Cuaz, contra Antonium de la Cuaz, 13. Cal. Iunij 1595.

1 Non tam enim quid fiat, quam qua mente, & quo fine inspiciendum est, quoniam actus non operantur vltra intentionem agentium, *l. non omnis 19. D. de rebus credit.*

2 Quia scilicet bona ipsa sint obligata.

3 Quem proinde non possit conuenire actione personali, sed tantum hypothecaria *cap. si diligenti de for. compet.*

4 Quem constat non posse teneri vlla personali actione supra vires hæreditarias, *l. vlt. C. de iur. delib. Nouell. 1. de hared. & Falcid.*

5 Nec enim bona ipsa possunt soluere, sed tantum persona ipsa ex bonis.

6 *L. si rem 9. § omnia pecunia, D. de pign. act. l. grege 13. §. etiam D. a pignor. act.*

7 Duas tamen partes habens, *arg. l. hac scriptura 26. de condi & demonst.*

8 Quia ab initio fuit ordinata ad eum finem, *l. 3. C. vbi in rem act.*

DEFINITIO XXVII.

Tertius possessor non potest obijcere ex persona debitoris exceptionem aliquam, licet ipsi debitori competentem.

QVi debitorem habebat Titium, sed ea tamen lege, vt ei quid vicissim præstare, aut aduersus alium iura cedere teneretur, [1] non eo minus contra pignorum possessores agere potest, quod debitori suo nihildum præstiterit. Sufficit enim, vt ipsi possessori, qui hac in re debitoris loco est, idipsum præstare paratus sit. [2] Nimirum si talis sit possessor qui excussionis non factæ exceptione obiicere, aut noluerit, aut non potuerit, quod variis ex causis potest contingere. [3] Alioqui nocebit agenti creditori, non quod debitori suo non satisfecerit, [4] sed quod debitoris bona non excusserit. [5] *Ita Senatus* pro N. fratribus Salteur, contra N. Benoist, 10. Calend. Junij 1595.

1 *Vt in l. si res obligata 57. de leg. I. in creditore 38. D. de euict. iunct. l. rem hereditariam 61. eod. tit.*

2 Eadem enim debet esse causa actoris, quæ successoris, *l. inuitus 156. §. plerumque, de reg. iur.*

3 De quibus nostri *ad Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

4 Quamuis hoc quoque debuerit prior facere *l. Iulianus 11. §. offerri, D. de act. empt. l. cum te 6. Cod. de pact. int. empt. & vendit.*

5 Quia non tam facile voluit Iustinianus perueniri posse ad tertium bonæ fidei possessorem *dict. Auth. hoc si debitor, lego plane 14. & seq. D. de minor. l. Moschis 47. de iur. fisc.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXVIII.

Excussio etiam rite facta nihil prodest, si debitori postea supervenerint facultates, aut si debitor decesserit cum hærede, dum tamen idoneo.

SI post factam à pignoratitio creditore discussionem debitoris, id est, post allatas probationes, quod mortuus debitor neq; hæredes, neq; bona vlla reliquerit,[1] condēnato iam fortassis tertio possessore,[2] postea reperiatur qui in causa appellationis dicat, & fateatur se debitoris hæredem, nouum ius tertio possessori quæritur, vt, acsi numquam excussio facta esset, interim hypothecaria inhibeatur.[3] Probatio enim illa negotiationis neque loco, neque tempore coarctatæ, quod nullus hæres sit, admittit probationem in contrariū, nec prodest creditori, nisi quamdiu de contrario non appareat.[4] Sed quid si creditor obiiciat hæredem hunc debitoris non esse soluendo, & id hæres ipse fateatur? Nō proderit tertio possessori. Frustra enim & sine causa cogatur creditor eum excutere, qui se fateatur soluendo non esse.[5] Nisi quis dicat adigendum in eas angustias creditorem, vt curet detrudi in carceres debitorem. Nō prius eximendum, quam aut soluerit, aut bonis cesserit.[6] Quod tamen euidenter iniquum fuerit.[7] Quid enim si nolet vnquam bonis cedere? An cogendus erit creditor in perpetuis carceribus eum alere?[8] Nec obstat, quod dici solet excutiendum esse debitorem ad peram vsque & sacculum priusquam ad tertium possessorem perueniatur.[9] Id enim ita accipiendum est, vt quamdiu soluendo ille est, non sit inquietandus possessor.[10] Non autem, vt si non sit soluendo, debeat vrgeri inanibus sumptibus creditoris.[11] Neque rursus ad rem pertinet, si quis obiiciat, soluendo esse hæreditatem, quæ inuenit hæredem.[12] Id enim tum obtinet, cum hæres ipse qui adiit soluendo est, quia hoc ipso quod adit implicat se & obligat oneribus hæreditariis.[13] Cæterum si nec ipse soluendo sit, non potest adeundo facere, vt hæreditas alioquin minus ideonea soluendo esse intelligatur.[14] Igitur hoc casu perinde confirmanda erit sententia reddendumq; iudicium contra tertium possessorem, ac si nullus debitoris hæres appareret,[15] sabua possessori in ipsum ipsiusque bona, siue propria, siue hæreditaria indemnitatis actione.[16] *Ita Senatus* in causa Joannis Paquier & Henrici Capitan, 12. Calend. Septemb. 1595.

1 Hæc enim est forma faciendæ discussionis, quam refert & probat Guid. Pap. *quæst.* 432.

2 Quia eo casu, quo debitor soluendo est, exceptio discussionis est dilatoria, & ideo non potest opponi post litem contestatam. Guid. Pap. *quæst.* 94.

3 Superuenientibus enim debitori facultatibus excussio habetur pro non facta, *l.* 4. *§. deficientium, D. de muner. & honor. l. ab hic* 10. *§. auctiu, de vacat. & excus. muner.*

4 Quia nec per rerum naturam fieri potest, vt concludenter probetur, *l. ad seueratio, C. de non numer. pecun.*

5 Cum inanis sit actio quam debitoris excludit inopia, *l. nam iu, 6. D. de dolo.*

6 Hoc enim est quod dici solet, discutiendum esse debitorem vsque ad peram & sacculum.

7 Beneficium enim est legis Iuliæ, quod implorare nemo inuitus cogitur, *l. 2. & pass. C. qui bon. ceder. poss.*

8 Ita vero fieret, vt creditor tanto magis oneraretur. [Et ita pronunciauit Senatus in ea causa, de qua *nu. 1 Defin. seq.*]

9 *Not. ad d. Auth. hoc si debitor.*

10 Vt faueatur tertio possessori quamdiu id sine vllo dispendio & incommodo creditoris futurum est, *arg. l. plane* 14. *D. de minor.*

11 *Argum. l. minoribus 6. eod. l. 1. D. de inoffic. testam. l. hac stipulatio* 14. *§. 1. D. vt legat seu fideic. nom. caueat.* Guid. Pap. *qu.* 432. *num.* 5.

12 *L. libertum* 36. *D. de bon. libert. l. 3. D. ad leg. Falcid.*

13 *L. qua dotis* 33. *D. solut. matr. l. 3. §. vlt. & l. seq. D. quib. mo caus. in poss. eat. l.* 5. *hæres qu que, D. de oblig. & act. l. vlt. C. de iur. delib. l.* 1. *D. de separat.*

14 Propter quam causam datur creditoribus defuncti hoc casu separatio, si eam petant, *d. l.* 1. *de separat.*

15 Nihil enim potest nudum hæredis nomen prodesse, si nemo sit in effectu qui satisfacere possit creditoribus, *l.* 2 *§. adoptiui, D. ad SC Tertyll. l. pater familias* 28. *de rebus auctor. iudic. possid. alias l.* 13. *de priuileg. credit.*

16 Saltem beneficio cessionis, quam ei creditor facere cogitur, si modo possessor bonæ fidei fuit, *l. mutuor,* 19. *D. qui potior. in pign. hab.* iunct. *l. in creditore* 38. *in fin. D. de euict.*

DEFINITIO XXIX.

Creditor non cogitur excutere iura obscura & dubia sui debitoris.

SI debitoris excutiendi bona omnia sint in obscuris actionibus, pro excusso habendus est.[1] Neque enim cogi debet creditor, vt litis periculum & incommodum suscipiat pro debito consequendo,[2] quia vix vnquam facilis & expedita est nominis persecutio.[3] Idque est quod plerique iactitant, iura non discuti.[4] Quod haud dubie illo etiam casu procedit quo actio dubia fiat per solam aduersarij contestationem, quantumuis certo & aperto iure nitatur.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quomodo dicimus nihil videri esse quod possideri queat, cum nihil possideri possit sine controuersia. *l. quamuis* 13. *D. de rebus auctor. iudic. possid.* [Similiter & excussionem personæ debitoris dicimus habendam esse pro facta, si detrusus ille sit in carceres, quos per aliquod tempus pati maluerit, quàm soluere. Nec enim cogendus est creditor debitorem suum inopem in perpetuis carceribus retinere suis sumptibus, aut ad bonorum cessionem faciendam adigere, aut à pignorum suorum persecutione abstinere. Quanto autem tempore debitorem in carceribus frustra retentum esse sufficiat in arbitrio iudicis relinquendum est, quia pēdet ex personarum, rerum & locorum circumstantiis. *Ita Senatus* in causa Petri Parac & Petri Rigot in relationibus libellorum, 12. Cal. Sept. 1612. Aliud ergo erit si proponas detrusum fuisse in carceres diutem debitorem ex cuius bonis possit etiam carceris impensa quandoque redigi, cum hoc casu non possit creditor pericli tari, & possit tædium carceris extorquere facilius à diuite, quamuis contumace debitore solutionem, aut saltem bonorum omnium cessionem. Iunge *Defin. præced. num.* 6 7. *&* 8.]

2 Ne alioqui pro pecunia litem accipere cogatur, quod ne eueniat nec illud patitur prætor, vt in executione iudicati obligationes ex obligationibus fiant. *l.* 4 *§. ait prætor. D. de re iudic.* Et verecunda honestaque est cogitatio eius qui lites execratur *l.* 4. *§.* 1. *D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

3 Quid enim si debitoris debitor neget se debere? Quid si se exsoluisse contendat? *l. à Diuo Pio* 15. *§. sed vtrum, D. de re iud. c.*

4 Nisi ponas nomen debitoris esse confessum *d. §. sed vtrū.*

5 Sola enim negatio rem dubiam facit *l. vlt. C. quibus ad libert. proclam. non licet,* ac proinde dubium euentum litis, *l. quod debetur* 51 *D. de pecul.*

DEFINITIO XXX.

Cum vno possessore facta excussio nocet cæteris. Facta per vnum creditorem prodest cæteris.

EXcussio personę & bonorum debitoris facta cum vno possessore sufficit, vt contra alios possessores nulla alia excussione facta agi possit,[1] sicut & quæ per vnum ex creditoribus facta fuit aliis quoque prodest, tametsi iudicio non adfuerint.[2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 21. infr. De rebus auctor. iudic. possid.

1 Facta enim discussione debet iudex pronunciare, & declarare hypothecariam competere creditori contra tertios possessores generaliter. Guid. Pap. *quæst.* 432. *num.* 2.

2 *Arg. l. cum vnus* 12. *D. de rebus auctor. iudic. possid.* Sunt tamen qui putent alios quoq; creditores debere discussionem facere ex abundanti, Guid. Pap. *dict. quæst.* 432. *num.* 9.

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXXI.

Sumptus facti inter creditores de pignoris iure ac ordine inuicem contendentes, periculo debitoris cedunt, & in ordine hypothecæ sortem concomitantur, maxime si debitor ante fuit interpellatus.

ETsi creditor pignoratitius recta in rem agere[1] potest aduersus pignoris possessorem, nulla præcedente interpellatione in persona debitoris hæredúmve ipsius,[2] potest tamen interesse an debitorem interpellauerit, necne. Nam si interpellauerit eoque non soluendo postea pignoris controuersiam, siue iustam, siue iniustam ab alio, siue creditore, siue nudo possessore patiatur, æquum est eas omnes impensas damno cedere debitoris, cuius solius culpa moraque causam iis dederit.[3] Itaque si pronuncietur pignus distrahendum, vt ex pretio satisfiat creditoribus ordine, impensa quoque ex pretio solui oportebit, eodemque gaudere temporis priuilegio[4] licet tota lis inaudito debitore tractata sit. At si nihil denunciatum sit debitori, difficilius est, vt idem admittamus, cum si litem sciuisset, fortassis creditori soluisset, neque tot sumptibus creditores inuicem diuexati passus fuisset.[5] Igitur hoc posteriore casu æquius est, creditorem, qui temerariam litem aut instituit, aut suscepit, in expensas condemnari aduersario,[6] salua ipsi aduersus debitorem eiusve hæredem indemnitatis actione. Eo tamen iure magis vtimur, vt indistincte debitoris damno cedere rem oporteat, quoniam licet nulla interpellatio præcesserit, nihilo minus imputari debitori potest, cur non soluerit,[7] cui nimirum executionem quæ in rem fit significari semper est necesse.[7] *Ita Senatus* in causa N. Juliani Depradel Auteri Aduocati, & Joannæ Bertier, Calend. Decembr. 1595.

1 Facta tamen discussione, nisi cum certum est debitorem non esse soluendo, secundum ea quæ dixi *Defin.* 18 & 30. 5.

2 Cum si soluisset nullam litem creditor suscepisset, *arg. l.* 1. *C. vbi in rem act.*

3 *L. Lucius* 8. *D. qui potior. in pign. hab.*

4 Prævidens scilicet fore alioquin, vt eos sumptus ipse de suo litigatoribus quandoque sarcire cogeretur.

5 Ex regula *l. eum quem temere* 79. *D. de iudic. l. qui solidum* 78. § 1. *de leg.* 2.

6 Is enim damnum dat, qui damni dat occasionem, *l. is damnum dat* 169. *cum ibi not. de regul iur. l.* 51. *§. in clino. ad leg. Aquil.*

7 Semper enim executio incipienda est à iussu soluendi, vt diximus *Defin.* 26. *supr.* Discussio tamen fieri potest etiam pendente iudicio cont. a tertium possessorem. Guid. Pap. *qu.* 432. *num.* 11.

DEFINITIO XXXII.

Non tantum debitor excutiendus est, sed etiam fideiussor eius, & fideiussoris collaudator.

CVm exceptio non factæ excussionis obiicitur & tertio pignorum possessori constat, non tantum excutiendum debitorem, sed etiam eius fideiussores.[1] An & fideiussorum collaudatores? Vtique si id obiiciatur, quia collaudator quoque intercessor est.[2] Nec sane fieri potest, vt non idoneus videatur fideiussor quantumcumque inops, qui idoneum habet collaudatorem.[3] Quid ergo si iudex nominatim Titium debitorem, & Sempronium eius fideiussorem excuti præceperit, nulla collaudatoris facta mentione? An satisfeciisse videbitur creditor, si probauerit, neque Titium, neque Sempronium aut hæredes vllos, aut bona vlla reliquisse? Minime vero, si nunc obiiciatur collaudatorem quoque excuti debere. Non illa solū ratione qua diximus, quod nec aliter excussus videri debeat fideiussor debitoris,[4] sed etiam quia de collaudatore excutiendo prius agi aut pronunciari non potuit, quam constaret fideiussorem idoneum non esse.[5] Si tamen possessor nihil de collaudatore in actis obiecerit, parcendum est legitimo creditori, quamuis ea exceptio, cum sit iuris non facti suppleri commode per iudicem possit.[6] Idque Senatus nostet obseruauit in causa Dominarum religiosarum S. Claræ Camber. Pro quibus tamen illud etiam faciebat, quod possessor ille pendente lite emerat, nec proinde exceptionem discussionis obiicere poterat.[7] *Sine die.*

1 *Auth hoc si debitor. C. hoc tit.*

2 Intercessor enim est quisquis se obligat pro alio, *l.* 1. *& tot. tit. ad SC. Velleian. D. & C.* Iustinianus autem voluit excludi debitoris intercessorem omnem *d. Auth. hoc si debitor, & in corpor. vnd. sumit.*

3 Cum collaudare nihil aliud sit, quam fideiubere de eo, quod ab alio seruari non poterit, quem indemnitatis fideiussorem possumus dicere, *vt in l. decem* 116. *D. de verb. oblig. l. si decem* 21. *D. de solut. l. vlt. D. de rebus credit.*

4 Cum nihil interest, an quis soluat, an alius pro eo, *l. solutione* 27. *D. de solut. l. soluendo* 39. *D. de neg. gest.*

5 Nec enim potest peruenirì ad collaudatorem quamdiu fideiussor est idoneus cum non sit fideiussor nisi subsidiarius.

6 *Ex not. in tit. C. vt quæ desunt aduoc part. iud. suppl.*

7 Siquidem nihil potest fieri lite pendente quod duriorem faciat conditionem litigatoris, quamuis hypothecaria non faciat rem litigiosam. Sic de vtroque Guid. Pap. *quæst.* 432. *num.* 7. Iunge *Defin.* 4 *supr.*

DEFINITIO XXXIII.

Qui sciens alij rem obligatam emit non habet beneficium exceptionis non excussi debitoris.

QVi emit à debitore ea lege, vt pretij partem solueret certo pignoratitio creditori, si postea conueniatur hypothecaria non habet beneficium excussionis.[1] Licet enim ea conuentio tanquam inter alios facta nullum ius creditori ignoranti acquirere potuerit, prodest tamen ad constituendum emptorem in mala fide,[2] ne exceptionem possit obiicere, quæ non tam summo iure nititur, quam æquitate.[3] *Ita Senatus* pro Dña vidua D. Crespin magistri Computorum, contra N. Chauasse, 7. Mart. 97.

1 Quod solet competere tertio possessori cuilibet habenti titulum & bonam fidem, *Auth. hoc si debitor. vbi not. C. de pignor.*

2 *L. si vnus* 27. *§. pacta quæ turpem. ver. ante omnia, D. de pact. l. stipulatio ista* 38. *§. alteri, de verb. oblig.*

3 Est enim emptor in mala fide quantum ad actionem hypothecariam, qui emit rem quam scit alteri obligatam.

4 Cuius æquitatis ratio nulla haberi potest in persona eius, qui est in mala fide, *arg. l. pen ad SC. Trebell.*

DEFINITIO XXXIV.

Possessor non potest habere ius retentionis pro debito soluendo ab auctore creditoris agentis hypothecaria, nisi statim constet de debito.

TAnquam possessor conuentus, si obiiciat se habere ius retentionis,[1] pro debito ab actoris auctore soluendo, non aliter audiendus est, quam si probet sibi deberi.[2] Et quidem vel ex debitoris confessione,[3] vel ex condemnatione contra debitorem lata.[4] Neque enim qui agit hypothecaria cogitur de eo disputare, an possessori aliquid debeatur, necne.[5] Interim igitur nullum possessori competet ius retentionis.[6] *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Saleneufue & D. Baronis de Viry, 7. Febr. 1597.

1 Cum etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri possit, *l. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

2 Alioqui esset exceptio de iure tertij, & quidem no-

BIU Cujas

exclusiua iuris agentis, quæ admitti numquam debet, *l. loci 4. §. competit* vbi Bart. & alij, *D si seruit vindic.* Idem Bart. *in l. 2. D. de except. rei iudic.*

3 Nulla enim maior probatio est, quam ex partis confessione, *l. generaliter 13 de non numer. pecun.*

4 Cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. res iudicata 207. de reg. iur. l. ingenuum 25 D. de stat. homin.*

5 Quia cum agit ex proprio iure sibi quæsito per propriam conuentionem non cogitur debitorem suum defendere. Quamuis non possit creditor plus iuris habere in re sibi obligata quam habuerit debitor, qui obligauit, *l 3. in fine princ. & § 1. D hoc tit.*

6 Quia non facile impediendus est creditor, quo minus suum ius exequatur, *l. creditoris 8. D de distr. pignor.*

DEFINITIO XXXV.

Potest obiici creditori hypothecaria exceptio non excussi Principis, vt & alterius priuati cuiuslibet. Et quomodo sit hoc casu interloquendum?

EXceptio non excussi Principis perinde obiici potest à tertio possessore conuento hypothecaria, atque alterius cuiuslibet debitoris, [1] nisi proponas Principem tyrannum, qui neque conueniri, neque condemnari se patiatur. [2] Quid ergo, inquies, hypotheca proderit? Fiscus enim & Princeps semper soluendo esse intelligitur. [3] Respondeo profuturam si Principe condemnato, iudicati executio, persecutio que difficilior sit, forte ob tergiuersationem thesaurarij & aliorum officialium, per quos Principem satisfacere oporteat. [4] Obseruare tamen iudex debet, ne Principem excuti iubeat (esset enim ridicula ea interlocutio) sed vt aduersus Principis procuratorem patrimonialem aut generalem recurri præcipiat. [5] *Ita Senatus* in eadem causa pro D. Comite.

1 Cum Princeps perinde ac alius quilibet priuatus possit & conueniri & condemnari per suos officiales.

2 Quod enim iuto quis facere non potest, & sine periculo, id nec facere posse creditur, *l 2. §. vis fluminis, D si quis caution. l. continuus* 137. *§. cum ita, vers. vt qui Ephes. D. de verbor. obligat.*

3 *L. 2. in fin. D. de fund. dotal.* Vnde est quod fiscus nunquam satisdat. *l. 1. § si ad fiscum* 18. *D. vt legat. seu fideic. seruand. caus. caueat.*

4 Locuples enim quis dicitur non solum ex facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate, *l. 2. in princ. D. qui sat. cog.*

5 Quia factum officialium pro facto Principis habetur, Bartol. & alij *ad l. Publicanus*, 7. *§. vltim. D. de public. & vectigal.*

DEFINITIO XXXVI.

Exceptio discussionis non competit possessori fundi conuento hypothecaria pro pensione super illo fundo specialiter imposita.

POssessor fundi, super quo imposita est annua pensio perpetua & in perpetuum soluenda, non habet exceptionem ordinis, & non factæ excussionis, sed recte conueniri potest. [1] *Ita tractatum est* in causa R. D. Franciscanorum Camber. & D. Ducis du Mayne, & hæredum D. Ioannis Perraton Aduocati generalis, 5. Cal. Decemb. 1596.

1 Est etiam hoc onus speciale rei, quod proinde omnino & necessario sequitur singularem successorem, ita vt ob eam causam res sit longe minoris pretij, *l. in venditione* 41. *D. de act. empt.*

DEFINITIO XXXVII.

Acquisitio nouæ hypothecæ non tollit veterem, etiam quæ cœpit esse inutilis, si modo quandoque postea fiat vtilis.

PEnsio annua imposita fuerat super certo fundo, ea lege adiecta, vt si fundi illius reditum imminui contingeret, ex cæteris debitoris bonis ea pensio præstari deberet. [1] Cum postea fundus ille, qui ex ædificiis & artificiis constabat, periisset, non dubitabatur, quin stipulationis conditio extitisset, vt ex eo tempore cætera debitoris bona ei pensioni soluendæ obstricta viderentur. [2] Sed si idem fundus in pristinum statum restitutus postea fuisset, dicebam non quidem finiti hypothecam, quæ in aliis bonis semel vtiliter contracta esset, vireſque habere cœpisset, [3] sed tamen priorem quoque hypothecam supereſſe, quæ in eo fundo ab initio constituta fuisset, [4] quia quandiu solum supereſt, neque pecunia soluta est, tandiu quoque competit, saluaque est hypotheca. [5] *Ita tractatum est* & conclusum, licet non pronunciatum in eadem causa.

1 Alioqui non posset peti pensio, nisi quatenus ex eius fundi reditu percipi posset, *l si debitori* 39. *§. verisimile, D. de contr. empt.* Ponimus enim pensionem ab initio ita constitutam, secus esset ab initio simpliciter constituta proponeretur, tumque pro ea certus fundus obligatus. Tunc enim etiam citra vllam conuentionem satis actum intelligitur, vt non sufficiente reditu illius fundi, ex aliis bonis soluenda sit pensio, *l. Lucius* 12. *de alim. leg.*

2 Nullus enim reditus supereſſe potest eius rei, quæ tota periit. Vnde est quod & emphyteutam hoc casu liberari dicimus ab onere soluendi canonis annui, vt scripsi *in tit. de iur. emphyt.*

3 Hypotheca enim semel nata non nisi certis & legitimis modis finitur, *l grege* 3. *§ etiam, D. hoc tit.*

4 *Arg. l. cum ager* 23. *& seq. quibus mod. vsuf. amitt.*

5 Textus est elegans & expressus *in l. Paulus respondit* 29. *§. domus & l. vltim. D. de pignor.* Adde *d. l grege* 13. *§ etiam, eod. tit. d. pen. § 1. D. de except. rei iudic. l. debitor.* 59. *D. ad SC. Trebell. l. domo* 11. *D. de pignor. act.*

DEFINITIO XXXVIII.

Præscriptio hypothecariæ per tertium possessorem non incipit currere à die constitutæ hypothecæ, seu à quo ipse possidet, exinde autem currit etiamsi debitor pensionem soluat.

QVid tamen si per multos annos is ipse, qui pensionem imposuit, eum fundum possederit & pensionem soluerit, ita vt numquam in rem ipsam obligatam actum sit? An si postea fundus ille alienetur, & aduersus possessorem agatur, iuuandus erit præscriptione, quæ aduersus hypothecariam obiici solet? [1] Minime. Neque enim præscriptio vlla potest currere, quamdiu is ipse soluit, qui possidet. [2] Nec proinde potest ex eius persona successor præscriptionis suæ tempora complere. [3] Aliud est, si tertius possessor bona fide per constitutum tempus tenuerit bona fide, id est, nesciens rem obligatam. Tunc enim magis est, vt proinde ei debeat præscriptio, licet pensio interim soluta sit à debitore. Quia licet non videatur nata actio hypothecaria, quamdiu pensio soluitur, [4] tamen non eo minus verum est possessorem suo nomine possidere. [5] Potestque hoc saltem imputari creditori, cur non denunciauerit possessori rem sibi esse obligatam, vt constituerent cum in mala fide, [6] quæ hoc casu ex sola rei alij obligatæ scientia æstimatur. [7] At quid si post impleta præscriptionis tempora in vtilitatem tertij possessoris eadem res in debitoris dominium redierit, rursumque alteri alienata sit, qui postmodum hypothecaria conueniatur? An proderit huic nouo possessori præscriptio, quæ veteri prodesse potuisset? Ego non putabam, quasi peremptæ & resoluta præscriptionis potestate, à quo tempore rediit res in dominium debitoris, qui nulla præscriptione tueri se potest. [8] Itaque nouam præscriptionem inchoandam esse in persona noui possessoris. [9] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Decennij scilicet inter præsentes, aut vicennij inter absentes, *l. 1. & 2. C. si aduers. credit. præscr. oppon.*

2 Siue

2 Siue inspicias personam creditoris, cui nulla potest imputari negligentia, siue personam possessoris, qui est in mala fide, cum sciat rem pro pensione obligatam, siue debitor ipse sit, siue extraneus.

3 Ne plus iuris habeat successor quam auctor contra iuris regulam, *l. nemo plus iuris 54. de reg. iur. l. inuitus 156 §. plerumque, eod. l. Pomponius 13. §. vlt. D. de acq. poss.*

4 Habet enim hypothecaria suam perpetuam conditionem, si non soluatur id quod debetur, *l. grege 13. §. etiam, D. hoc tit. l. si rem 9. §. omnia, de pignor. act.*

5 Textus est elegans in hanc rem *in l. Pomponius 29. D. quibus mod. vsusfr. amitt.*

6 Certum enim est præscriptionem illam, de qua *in tit. C. si aduers. cred. præscr. opp.* non alij prodesse posse, quam ei qui habeat titulum & bonam fidem, vt post Balbum *in tract. de præscr.* concludit Menoch. *remed. 14. de recup. poss. in fin.*

7 *Not. in d. l. 1. & 2. C. si aduers. credit. præscr. oppon.*

8 Tanquam possessor malæ fidei. *Ex reg. cap. possessor. de reg. iur in 6.* quamuis ex iure ciuili etiam debitor præscribat hypothecariam spatio 40. annorum *l. cum notissimi 7. C. de præscript. 30. vel 40 annor.*

9 Semper enim dandum est initium aliquod præscriptionis *l. 1.* vbi Bald. & alij notant. *C. de seru fugit.*

DEFINITIO XXXIX.

Missus in possessionem aliquorum pignorum non prohibetur alia in solidum vindicare, donec sit ei plene satisfactum, nisi acceperit ea in solutum, etiamsi à quibusdam possessoribus acceperit laxis æstimationem si modo paratus sit reddere quod accepit.

CReditor in possessionem multorum pignorum missus, nec minus persequendis in solidum pignoribus aduersus alios bonorum tertios possessores intentus, non potest ea repelli exceptione, quasi petat quod iam habet. [1] Non enim possessio pignorum, sed distractio liberat debitorem, [2] tollitque quasi Seruianam & quidem ita demum si ex venditione redactum pretium dissoluendo vniuerso debito par & idoneum inueniatur, [3] nisi poneres alia pignora non tantum ad possidendum, sed etiam in solutum fuisse data. Quo casu liberatus esset debitor saltem ad concurrentem vsque soluti quantitatem, quoniam datio in solutum non modo pro venditione, sed etiam pro solutione est. [4] Quod si creditor, vt plerumq; fit, cum quibusdam ex pignorum possessoribus transegerit, partemque debiti acceperit, pro ea quidem parte & quantitate quam accepit agere postea non poterit, [5] sed si paratus sit quicquid acceperit, & quæcumque pignora possidet ei reddere, contra quem exercet hypothecariam in solidum, erit audiendus, quoniam hypothecaria quamdiu superest, indiuidua est, [6] redacta que ex tranlactione pecunia, quam creditor si solutionem à debitore acciperet ei restituere per actionem pignoratitiam teneretur, [7] non tam solutionis iure prodest debitori ad eum liberandum, quam compensationis, [8] quia neceam soluit possessor nomine debitoris sed suo. [9] Quod autem quis suo tantum non alieno nomine soluit, nunquam liberat debitorem. [10] Esset sane repellendus creditor per exceptionem doli si acceptam pecuniam neque reddere vellet ei, cum quo in solidum experiretur, neque compensare. [11] *Ita tractatum est* 3. Cal. Febr. 1597.

1 Quæ exceptio bona est, cum sit improbus is, qui vult bis idem cõsequi, *l. si quis dolo 51. in fin. de re iudic. l. 1. C. de rei iudic.*

2 *Tot. tit. de distract. pign. D. & C. & tit. C. debit. vendit. pign. imped. non poss.*

3 *L. 2. eod. tit. C. debit. vendit. pignor. imped. non poss. l. quandiu 6. C. de distr. pignor.*

4 *L. si non sortem 26. §. si centum, D. de condict. indeb. l. si quis alium 46. l. qui res 98. in princip. D. de solut.* iunct. *l. si rem meam 20. eod.*

5 Ne bis idem consequatur, *d. l. si quis dolo, in fin. l. sicut 8. §. vlt. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

6 *L. rem hereditariam 65. D. de euict. l. 1. & 2. Cod. si vnus ex plurib. hered. l. 3. C. distr. pignor.*

7 *L. vlt. C. eod. tit. de distract. pignor.*

8 Licet compensatio vim habeat solutionis, *l. si ambo 10. & pass. D. de compensat.*

9 *l. 2. d. l. sicut 8. §. vlt. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

10 *L. si quid possessor 31. D de potit. hered. l. Papinianus 28. D. mandat.*

11 Quia bis idem exigeret contra bonam fidem, *dict. l. si quis dolo 51. l. bona fides 57. de reg. iur.*

DEFINITIO XL.

Non submouetur hypothecaria instituta contra tertium possessorem pignorum, etiamsi offerat debitum pro rata.

TErtius possessor bonorum pignori obligatorum conuentus hypothecaria si offerat solutionem debiti pro rata pignorum, quæ possidet, audiendus non est, cum ius pignoris prosequendi sit indiuiduum, nec nisi totius debiti solutione submoueatur. [1] Longeque dissimile est, quod pluribus concurrentibus creditoribus pro rata tantum debiti quilibet agere potest. [2] Id enim ad chirographarios duntaxat creditores pertinet, non ad hypothecarios. [3] Nec tanta fit iniuria creditori, cui minus soluitur, propter concursum aliorum creditorum, quanta fieret si propter multiplicatas pignorum venditiones totum exigere à singulis prohiberetur. Potest enim quilibet adijciendo nouos creditores antiquiorum conditionem etiam inuitorum deteriorem facere, si chirographarij tantum fuerint, [4] non etiam alienando bona quæ iam semel obligauit. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. quandiu 6. & l. 3. C. de distr. pignor. l. 2. C. debit. vendit. pign. imped. non poss. l. rem hereditariam 65. D. de euict. l. in executione 85. §. penult D. de verb. oblig.*

2 *L. pro debito 6. C. de bon. auctor. iudic. possid.*

3 Vt probant verba illa, *d. l. pro debito. Quod si specialiter vel generaliter nemini probentur obligata.* Scripsi *in Hemichil. de error. pragmat.*

4 *L. 1. §. ex contrario, D. de separat.*

5 *L. debitorem 15. C. de pignor. l. vnic. C. rem alien. gerent. non interdic. rer. suar. alien. cum similib.*

DEFINITIO XLI.

Casus in quo creditor qui partem debiti consecutus est à debitore, adhuc tamen totum petere à tertio possessore per hypothecariam potest.

QVod dici solet hypothecam esse indiuiduam, [1] eò pertinet vt quamuis debitum pro parte solutum sit, attamen hypothecaria duret in solidum ad persecutionem rerum pignoris iure obligatarum, [2] sed pro ea tantùm summa quæ soluenda supereat, cùm negari non possit quin pro ea parte quæ soluta est, solutum etiam sit ius pignoris & hypothecæ. [3] Aliquando tamen contingit vt duret hypothecaria etiam pro soluta quantitate, non quidem contra debitorem ipsum, [4] sed contra tertium possessorem. Finge Titium debuisse Sempronio quingenta pro precio fundi sub hasta venditi qui euictus sit post soluta iam fortasse centum, ex causa tamen posterioris pignoris, [5] cuius possessor nouus actionem hypothecariam prioris creditoris impedire non possit. [6] Perinde cogendus erit possessor totum offerre debitum Sempronio acsi nihil à Titio solutum esset, quia non potest solutio per Titium facta prodesse possessori qui aut fundum ipse euicerit aut ab eo qui euicit, ius habeat. [8] Nec rursum nocere priori creditori quasi plus debito petenti, [9] cùm id quod à Titio accepit, cogendus sit ei reddere, [10] ac præterea quanti eius interest ob secutam euictionem. [11] Plane si Titius iure suo cesserit nouo pos-

BIU Cujas

sessori non habet res dubitationem quin possessori permittendum sit ex petita quantitate deducere id quod Titio solutum est, [10] ex eaque causa obicere pluris petitionem. Quod si cessio nulla facta sit, succurrendum erit possessori totum debitum soluenti, non solum hactenus vt ei Sempronius suis iuribus omnibus cedere cogatur: [13] sed vt præterea caueat de illo contra Titium defendendo si fortè ob solutam partem debiti volet Titius in eundem fundum agere quasi ex ea causa sibi obligatum, [14] ne alioqui duobus eandem summam debiti soluere possessor teneatur. [15] Quod si Titius indemnitatem à Sempronio consecutus contra possessorem agere volet de proprietate fundi quasi dominus per publicam emptionem factus, [16] ex eáque causa fundum aufferre possessori oblato ei vniuerso debito quod is Sempronio soluere coactus fuisset, inter eos solos agitanda lis erit, quiescente Sempronio, cuius sanè nihil amplius interest, [17] cùm nec iuris quicquam in eo fundo habeat post acceptam totius debiti solutionem, nec amplius quàm debitam sibi summam acceperit. In eáque lite pro Titio iudicandum erit si pignus emerit ab anteriore creditore qui iure creditoris distraxerit, [18] dummodo totum suæ emptionis precium cũ accessionibus offerat. Sed si pignus, vt hodie fit, non tam iure creditoris quàm postulante creditore ac veluti debitoris nomine venditum sit, non potest emptor recusare quominus à posteriore creditore totum precium offerente conueniatur, [19] & consequenter si posterior creditor possideat iure creditoris, non aliter audiendus est emptor, quàm si offerat non modò precium, sed etiam quicquid posteriori debetur. [20] *Ita Senatus* in causa Dominorum Senatorum Salteur & Coysiaz, & Federici Barretin & Joannis Meurier, 8. Calend. Decembr. 1612.

1 *L. rem hereditariam* 65. D. *de euict.*

2 *L. quamdiu* 6. *C. de distr. pign cum similib.*

3 *L. si rem* 9 § *omnis* D. *de pignor. act l. grege* 13 § *etiam si* D. *hoc titul. l. debitor* 59. D. *ad SC. Trebellian. l. penult.* § 1. *de execut. rei iudic.*

4 Qui proculdubio per solutionem à se factam, sicut liberatus est, ita & pignus pro ea parte liberauit, *d. l. quamdiu l.* 2. *C. debit. vend. pign. imped. non poss.*

5 Nam potest euictio sequi ex causa vel dominij vel pignoris, *l. si mancipium* 3. § *vlt. & l. seq. D. de euict.*

6 Cùm pignoris persecutio in rem sit, *l. pignoris* 15. *C. hoc tit l. pignoris* 17. *& l.* 1. *D. eod.*

7 Nec enim videtur solutum, quod postea euictum est *l. rem* 20. *l. si quis aliam* 46 *l. quires* 48. *D. de solut.*

8 Nihil enim refert an euiceris, an ab euincente ius habeas, *l. quod ipsis* 143 *l. aliud est* 160 § *vlt. de reg. iur.*

9 *Ex tit. C. de plur. petit.* § *plus autem Instit. de action.*

10 Alioqui bis idem consecutus videretur, quod esset contra bonam fidem, *l. si quis dolo* 51. § 1. *de re iudic. l. bona fides* 51. *de reg. iur.*

11 Scilicet si vendiderit iure creditoris, non etiam si nomine debitoris, vt infra dicemus, ex *l. si ob causam* 13. *Cod. de euict.* Nisi facto & dolo creditoris euictio secuta sit, *l. 11. C. credit. euict. pign. non deber.* Et nisi creditor ab alio totum debitum sit consecutus, quem ideo fecerit iustum possessorem, vt in casu proposito.

12 *L. inuitus* 156. § *plerumque, de reg. iur. l. si res* 59. *D. de euict.*

13 *Ex l. mulier* 19. *D. qui potior. in pign. hab.*

14 Aut expressè aut tacitè, vt in *l. Iulianus* 13 5. *offerri de act. empt.*

15 Quod esset iniquum *l. pen. D. de petit. hered.*

16 *Ex l. si quos* 29. *C. de rescind vendit.*

17 Nemo enim iudicium accipere compellendus est, si nil eius interfit, *l. si reus* 73. *D. de procur.*

18 *L. qui à creditore* 18. *C. de distr. pign.*

19 *L.* 1. *Cod si antiquit. cred. pign. vendid.* Iunge *dict. l. si ob causam*, 13. *Cod. de euict. l.* 1. *&* 2. *Cod. si in caus. iudic. pignor. capt. sit.*

20 Scilicet si velit rem retinere, potius quam posteriorem creditorem ad ius offerendi admittere, iuxta *d. l.* 1. *C. de antiq. cred. pign. vend.*]

TIT. VII.

IN QVIBVS CAVS. PIGN. vel hypoth tacit. contr.

DEFINITIO I.

Tacita hypotheca, quæ pupillo competit in bona tutoris, incipit ex die susceptæ officij.

HYPOTHECA illa tacita, quæ pupillo in bonis tutoris competit, [1] non ab eo tantum die incipit, quo rationes redditæ & reliqua explicata sunt, [2] nec rursum à tempore cœptæ administrationis, [3] sed ab ipso susceptæ officij die, [4] neque pro ea dumtaxat quantitate, quæ principaliter debetur, sed etiam pro accessionib. omnibus, [5] inter quas ij quoque sumptus computabuntur, quos in litem, quam eo nomine aduersus tutorem eiusve hæredes instituit necesse fuit, prorogatos apparebit. [6] Itaque tertio possessori hypothecaria conuento non prodetit, quod à tutore, aut ipsius hæredibus emerit, ante motam de rationibus reddendis controuersiam, [7] cum neque iusta possessio, neque ipsa dominij acquisitio semel bene contractum pignoris vinculum dissoluat. [8] *Ita Senatus* in publico auditorio, Idib. Nouemb. 1590.

1 *L. pro officio* 20. *Cod. de admin. tut. l. vnic.* § 1. *C. de rei vxor. act.*

2 Quamuis ante id tempus nesciri possit, quid & quantum à tutore debeatur, *l. cum seruus* 82. *D. de cond & demonstr.*

3 Cum tutor non minus teneatur de neglectis, quam de male gestis, *l.* 1. *& tot. tit. C. si tut. vel curat. non gesser.* Etsi aliquo casu cogitur gerere non vt ipse teneatur, sed vt fideiussores eius teneri possint, *d.* 4 § *sed enim, D. rem pupill. salu for.*

4 *L. pro officio* 20. *C. de adm. tutor.*

5 Sequuntur enim accessiones ordinem & priuilegium sui principalis, *l. Lucius* 18. *D. qui potior. in pign. hab. cap. accessorium de reg. iur. in 6.*

6 *Arg. l. quod priuilegium* 8. *D. depos.*

7 Ac proinde eo tempore quo probabiliter ignorari potuit, an tutor pupillo, an potius tutori pupillus deberet contrario iudicio tutelæ. Nec enim semper debitor est pecuniæ is, qui debitor est rationum reddendarum, *l.* 3. § *vlt. D. de contr. iud. tutel l. in rebus* 18. § *vlt. D. commod.*

8 *L.* 1 § *cum prædium, D. de pignor. l. vsucapio* 7. *C. eod.*

DEFINITIO II.

Procuratoris bona sicut & tutoris sunt tacite obligata pupillo, ex quo die cœpit se gerere pro tutore. Non etiam illius qui tanquam prædo inuasit bona pupilli.

SImile priuilegium tacitæ hypothecæ pupillus habet in illius quoque bonis, qui cum tutor reuera non esset, tamen pro tutore negotia gessit. [1] Neque enim debet hic melioris conditionis esse quam verus tutor, ob id solum quod se tutorem mentitus sit. [2] Non dem est in eo, qui cum nec tutor esset, nec se pro tutore gerere vellet, tamen bona pupilli per speciem administrationis inuasit. [3] Et si enim multo minus dignus hic est, cum quo mitius agatur, [4] tamen sola tutelæ causa non etiam pupilli persona illa est, quæ tacti pignoris priuilegium meretur. [5] Alioqui dicendum esset, omnium, qui pupillo ex contractu vel quasi contractu obligarentur, bona quoque omnia pignoris iure obligatum iri, [6] quod falsum est. [7] Plane an quis reuera tutor fuerit, an se pro tutore gesserit hac parte hoc interest, quod bona protutoris non à die susceptæ officij obligata videri possunt, [8] quando numquam ille officium suscepit, sed ab eo tantum die

quo

quo se tutorem falso dixit, siue iam tum administrare cœperit, siue non. [9] *Ita Senatus* in eadem causa, & rursum in causa N. Bertier & Amedei Parpillion, ant. Calend. Maij 1593.

1 Gloss. singul. & communiter adprobata *l. pro officio 20. C. de admin. tutor.* Quamuis *l. vlt. D. de tutel & rat. distr.* & aliæ quas ibi gloss. allegat non de hypothecaria loquantur, sed de actione personali, quæ olim habebat priuilegium, *l. 19. §. 1. de rebus auct. iud. poss.* * Habet etiam pupillus priuilegium tacitæ hypothecæ in bonis eius qui matrem duxit in vxorem post susceptam ab ea legitimè tutelam & ante redditas rationes, *l. pen. C hoc tit.* At non etiam in bonis eius qui protutricem matrem licet testamento tutricem datam vxorem duxit: Decius *cons.* 591. licet ibi contradicat modern. Paris. Decium sequitur Mantica. *Ita Senatus* pro Ioan. Pasquier contra Theodorum Rolet, Martij, 1623.

2 Ne ex dolo & mendacio suo lucretur, *contra l. rem alienam 41. in fin. D. de pign. act. l. vlt.* D. *de rei vindic.*

3 Animo scilicet deprædandi, vt *in l. pupilli 6 § sed etsi quis, D. de neg. gest.*

4 *d. §. Sed etsi quis.*

4 Datur enim hoc priuilegium causæ non personæ, & ideo transit etiam in hæredem, *d. l. pro officio*, iunct. *l. ex pluribus 42. D. de admin. tut. l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.*

6 Si sola pupilli persona locum faceret priuilegio.

7 Nam in solius tutoris bonis habet pupillus tacitam hypothecam, idque iure Codicis non Pandectarum, *d. l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.*

8 Quomodo tutoris bona ex die suscepti officij obligata esse diximus *Defin. præced.*

9 Itaque melioris in eo conditionis est falsus tutor quam verus, sed hoc propter meram casus necessitatem, vt loquitur Marcellus *in l. si mulier 59. §. ex asse. D. de iur. dot.* Sic melioris conditionis interdum est prædo, quam bonæ fidei possessor, vt in specie *l. si quid possessor 31. §. pen. D. de hæred. petit.*

DEFINITIO III.

Etiam pro administratione bonorum illius, qui per ætatem neque tutorem, neque curatorem habere potuit, tacite obligata sunt bona illius, qui tanquam tutor vel curator gessit.

SEd & cum quidam testamento filiis suis impuberibus matrem tutricem dedisset, eandemque pubetibus curatricem, [1] tum per multos annos superstes factis iam omnibus liberis maioribus, [2] eodem testamento decessisset, ac mater bonorum administrationem tanquam eo testamento sibi quæsitam propria auctoritate vindicasset, Senatus pronunciauit, tametsi mater hæc neque tutrix, neque curatrix esse potuisset, [3] perinde tamen acsi fuisset, bona eius pro reliquis ex administratione debitis obligata intelligi debere, [4] causa nimirum inspecta susceptæ administrationis, vt perinde esset, acsi mater vno ante vicesimum quintum annum impletum die curatrix effecta totius reliqui temporis administrationem nullo alio iure retinuisset. [5] *Ita Senatus* in causa discussionis bonorum Dominæ Barbaræ d'Amboise, 4. Id. April. 1593.

1 Vtrumque enim hodie fieri potest iure nouo. *Auth. matri & auia. C. quod mulier tutel. offic. fung. pot.* Et in corpore vnde sumitur.

2 Atque ita cum neque tutorem, neque curatorem habere possent *l. 1. D. de minor.*

3 Adeo, vt neque ex suo mendacio potuisset ob hanc causam conueniri interrogatoria, *l. vlt. D. quod fals. tutor.* iunct. *l. confessionibus 13. & l. seq. §. vlt.* D. *de interrog. in iur. faciend.*

4 *Arg. l. pro officio 20. C. de admin tutor.* iunct. *gloss. & l. vnic. §. 1. C. de rei vxor. act.*

5 Tutor enim, qui post puberem ætatem in connexa administratione tutelæ perseuerat, totius temporis rationem tutelæ actione reddere cogitur, *l. tutor. 11. C. arbitr. tutel.*

DEFINITIO IV.

Potest pupillus vti priuilegio tacitæ hypothecæ pro expensis litis contra tutorem institutæ, etiam ante redditas ab eo rationes.

TVtore vel procuratore ad reddendas rationes, & præstanda reliqua, itemque ad expensas litis condemnato, [1] si expensæ prius taxatæ sint, quam rationes redditæ, [2] non eo minus poterit pupillus tacitæ hypothecæ priuilegium exercere pro expensis, [3] quod fieri possit, vt plus debiturus sit redditis rationibus, quam quanti impensæ sunt. [4] Nam & ex contrario potest accidere, vt pupillo debeatur, & in dubio contra eum qui rationes non reddidit præsumptio est, [5] quem constat hoc saltem debere quod rationes reddere debet. [6] *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra.

1 Vix enim est, vt non debeat ob temerariam litem ad expensas condemnari tutor, qui pupillo suo rationes reddere recusat, *l. 1. & tot. tit. D. de tutel. & ration. distr.* iunct. *l. eum quem tem. re 79. D. de iudic. l. qui solidum 78 §. 1. de leg. 2. l. properandum 3 § siue autem alterutra, C. de iudic.*

2 Nec enim rationum redditio tam facilis & expedita est, *l. cum seruus 82. D. de condit. & demonstr.*

3 Quod priuilegium tacitæ scilicet hypothecæ ei competere diximus *Defin. 1. num. 6 5.*

4 *L. 3. §. vlt. D. de contr. iudic. tutel. l. in rebus 18 §. vltim. D. commod.*

5 Præsertim cum ille in mora est reddendarum rationum, maluitque in lite improba perseuerare, *arg. l. destitisse 10. D. de iudic.* iunct. *d. l. 3. §. vlt. de contr. iudic tutel.*

6 Adeo, vt ex hac causa etiam dos matris quæ tutrix fuit possit à filio taciti huius pignoris iure retineri, vt alibi scripsimus.

DEFINITIO V.

Pupillus habet priuilegium tacitæ hypothecæ in bonis tutoris, etiam pro litis sumptibus, sed pro necessariis tantum.

CÆterum quod dicimus, expensas quoque in reddendis rationibus factas priuilegium habere tacti pignoris, ad eas tantum pertinet, quas ex causa tutelæ ad extorquendam ab inuito tutore redditionem fieri necesse est, [1] non etiam ad eas, quas propter tutoris contumaciam maiores factas esse constabit. [2] Cur enim tutoris contumacia nocere debeat tertio possessori, qui bona fide à tutore comparauit non solum ante condemnationem, sed etiam ante contumaciam? Nimirum, vt quanto maiores ob contumaciam factæ fuerunt, eæ non debeantur. Nam quas fieri omnimodo necesse fuisset, si tutor iudicio adfuisset, eę à tertio quoque possessore per hypothecariam repeti poterunt, ne alioqui tertio possessori prosit tutoris contumacia, quæ eidem nocere non potest. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Videntur enim huiusmodi sumptus omnino necessarij & consequenter hoc priuilegio digni, *arg. l. quod priuilegium 8. D. depos.*

2 Suam enim cuique contumaciam nocere oportet non alteri, *l. factum 155. l. in eõdamnatione 173. §. vnicuique. de reg. iur.*

3 Ex eadem enim ratione iuris & æquitatis proficiscitur, vt tutoris contumacia aliis nec prodesse debeat, nec nocere, *l. absentia 140. & l. non debet alteri 74. eod. tit. de reg. iur. in 6.*

DEFINITIO XI.

Habet venditor retentionem rei venditæ tanquam sibi pro precio obligatæ, sed non persecutionem.

VEnditor quandiu pretium solutum non est retinere rem venditam necdum traditam quasi pignoris iure potest, etiamsi de pignore nihil conuenerit. [1] Sed post traditionem factam, tametsi pretium solutum non sit, nec auocare possessionem potest, nec in eam rem ipsam exercere quæsi Seruianam, non magis quam in cæteras res emptoris, cum ex hac causa tacitum pignus nullum contrahatur. [2] Cui consequens erit, vt in ea quoque re quæ vendita est potior causa sit anteriorum creditorum hypothecariorum, quam

BIU Cujas

venditoris, [3] qui non nisi personalem ad pretium actionem habet, [4] quique imputare sibi debet, cur cum rem traderet secutus fidem emptoris fuerit, nec expressa pignoris conuentione sibi melius cauerit. [4] *Ita Senatus* in causa Claudij Chappelle & Ioannæ Ripper, 5. Id. Maij 1591.

1 *L. Iulianus* 13 § *offerri*, D. *de action. empt.*

2 Nam ex vendito personalis tantum actio nascitur, non etiam hypothecaria, si nihil de pignore nominatim conuenerit, & facilius est, vt possidenti detur retentio, quam vt non possidenti actio, *l. 1. in princ.* D. *de pignor. l. si in area* 33. D. *de condict. indeb.*

3 Iure scilicet communi, quo creditores hypothecarij præferuntur chirographariis, *l. assiduis* 32. *C. qui potior. in pign. hab.*

4 *L. procuratoris* 5 § *plane si in eadem taberna*, D. *de tribut. act. l. quamuis* 17. *C. de pign. l. licet* 7. D. *qui potior. in pign. hab.*

5 Is demum enim sibi diligenter prospexisse intelligitur, qui vel fideiussorem accepit, vel pignora, *l. si mandatu* 59. §. *vltim.* D. *mandat. l.* 4. §. *addici* 8. D. *de fideic. libert. l. debitor* 3. D. *de separat.*

DEFINITIO VII.

Pignus conuentionale inducitur aliquando ex tacita mente contrahentium, licet nihil de pignore expressim conuenerit.

ALiquando euenit, vt ex conuentione expressa pignus tacite inducatur, quasi in necessarium antecedens, [1] vt puta si conuenerit, vt liceat creditori vendere bona debitoris. Hoc ipso enim de iis quoque obligandis actum intelligitur, [2] cum alioqui non sit permittendum, vt aliena bona quis distrahat, in quibus nihil iuris habeat, [3] quantumuis verus creditor proponatur. [4] Idem est si creditori potestas facta sit ingrediendi propria auctoritate bona debitoris. [5] Quo enim iure possit ingredi si nullo modo ei sint obligata? Quæri tamen potest, an hoc pignoris genus expressum dici debeat, an tacitum, nec otiosa quæstio est. Etsi enim idem ius esse solet pignoris taciti & expressi, [7] vt qui tacitum dumtaxat habet perinde præferatur posterioribus licet expressum habentibus, atque si expressum ipse habuisset: [8] Interdum tamen maioris effectus & potestatis est pignus expressum, veluti si creditori res sit cum muliere siue expressam, siue tacitam dumtaxat hypotheca habentem, quam nostri volunt ex priuilegio præferri anterioribus tacitam solum non item expressam habentibus. [9] Verius autem est tacitum pignus dici debere, cum expressa pignoris conuentio nulla interuenerit. Nec enim nouum est tacitum pactum inducere ex alio quod sit expressum. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 3. De his qui in prior. credit. loc. succed.

1 Quia generale est, vt quisquis vult consequens, velit etiam necessarium antecedens, *vulg. l. 2. D. de iurisdict. l. ad rem mobilem* 56. *l. ad legatum* 62. *D de procurat.*

2 *Lege* 3. §. *post diuisionem*, vbi Bartol. *D. qui potior. in pignor. hab.*

3 *Tot. tit. C. de rebus alien. non alienand.*

4 Numquam enim aut per ipsum creditorem, aut ipso postulante potest vendi quicquam ex bonis debitoris, quin præcedat pignus aliquod siue conuentionale, siue prætorium, siue iudiciale, *l. à Diuo Pio* 15. *D. de re iudic. l. non est mirum*, 26. *D. de pignor. act.* iunct. *tit. de rebus auctor. iudic. possid. seu venund.*

5 Bald. *ad d.* §. *post diuisionem.*

6 *L. dotis actione* 9 *Cod. de solut. matrim. l. creditores* 3. *C. de pignor.*

7 Cum dici soleat parem esse vim taciti & expressi, *l. cum quid.* 3. *vbi not. D. de rebus credit.*

8 *L. seu qui mihi* 28. *D. de iur. fisc. l. assiduis* 12. *C. qui potior. in pignor. hab. inuito licet Iustiniano.*

9 Sic enim vulgo nostri accipiunt eam Iustiniani constitutionem quæ extat *in d. l. assiduis.*

10 Vt in specie, *l.* 2. & 4. *D. de pact. l. qui in futurū* 57. *eod. tit.*

DEFINITIO VIII.

Ex sola chirographi agnitione vel denegatione inducitur hodie secundum Pragmaticos ius tacitæ hypothecæ.

INsignis Pragmaticorum fere omnium error est, licet in iudiciis receptissimus, quod putant, quoties ex chirographo agitur, etiamsi nulla pignoris conuentio & obligatio bonorum chirographi tabulis contineatur, omnia tamen debitoris bona ex ea causa obligata intelligi, ex quo die super chirographi veritate lis contestata est inter præsentes, aut absente per contumaciam debitore pronunciatum fuit, chirographum verum est. [1] Ita namque fit, vt melior sit causa debitoris ex chirographo agentis, quam si ex instrumento ageret, quod publicam fidem haberet, acà tabellione testibusque, si voles, quingentis subscriptum esset. [2] Nusquam enim proditum est ius taciti pignoris ex sola contestatione aut contumacia debitoris acquiri creditori, quantumuis publico & authentico instrumento nitatur. [3] Quod si dicas, maiore priuilegio dignum videri creditorem, qui mitius egerit cum debitore, id est, qui cum publicæ scripturæ fidem posset exigere, priuata contentus fuit, consequens erit, vt multo magis eodem priuilegio gaudere debeat creditor, qui debitoris fidem adeo secutus est, vt ne priuatam quidem vllam scripturam à debitore exegerit. Vtique enim agit hic multo liberalius; [4] & tamen idem ei dandum esse priuilegium, nec Pragmatici quidem ausint dicere. [5] Hsic vero tam crasso & supino errori causam illud dedit, quod semper Senatus nostri stylo cautum est, vt hypothecæ ius vindicari possit ex chirographo, statim atque super eius veritate lis contestata sit, aut habita pro contestata. [6] Sed id ita accipi debuit, vt non prius possit creditor hypothecam sibi adferre ex chirographo, quam sit recognitum, vt Pragmatici loquuntur, aut habitum pro recognito, per veram fictamve contestationem. Ideoque ad illum duntaxat casum id pertinet, quo pignoris conuentio inserta chirographo proponatur. [7] Nulla enim conuentione præcedente verendum non erat, ne chirographarij creditores fraudem vllam comminiscerentur, aduersus hypothecarios, [8] quibus ex contrario facile iniuria fieret, si pignoris priuata scriptura constituti ratio aliqua in eorum præiudicium haberetur, cum huiusmodi scripturæ plerumque fiant prælato die. [9] Itaque æquissimum fuit, ita ius constitui, vt hypothecæ ius tum demum incipiat competere ex chirographo, cum fraudis comminiscendæ ratio nulla amplius supereſt, [10] quod non prius contigit, quam chirographum in iudicio exhibitum & recognitum sit vel pro recognito habitum, nisi trium saltem testium habeat subscriptionem, quo casu comparatur publico instrumento, eodemque inter creditores hypothecarios temporis priuilegio gaudet. [11] Illud igitur duntaxat concludere Pragmatici debuerunt, pignoris conuentione chirographo inserta competere creditori ius hypothecæ ex chirographo à die recognitionis aut contestationis, siue veræ, siue fictæ, & quidem contra alios etiam creditores. Nam contra debitorem ipsum, qui expressim conuenit de pignore, eiusve heredem, nihil causæ est cur non statim competere debeat. [12] *Ita tractatum* in causa N. Ioannis de Belli, D. Echelles, & Claudij Bausſam, 3. Cal. Mart. 1593. Et rursum in causa Iacobi Comber procuratoris, & Francisci Truffon, 4. Calen. Febr. eodem anno.

1 Sic enim vulgo Pragmatici nostri accipiunt, quod stylo nostro cautum est, vt chirographa non nisi à die recognitionis vel denegationis ferant hypothecā, vt sequitur in Definitione.

2 Qui enim obligatus est etiam ex publico instrumento, non ideo tamen creditur bona sua obligasse extra causas, in quibus pignus vel hypotheca tacite contrahitur, §. *vlt. Nouell. de argent. contract.*

3 Alioqui frustra & male conceptus esset *tit. in quib. caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah.* si in omnibus causis pignus vel hypotheca tacite contraheretur.

4 Qui scilicet nudam debitoris sui fidem secutus est.

5 Quippe qui volunt, tacitam istam hypothecam non nasci nisi ex chirographi vel agnitione vel denegatione.

6 A quo demum tempore non potest tuteri, ne quid à debitore fiat prælato die in fraudem anteriorum creditorum, cum litis contestatio sit actus publicus & iudicialis, in quo non ita facilè falsum fieri potest, *arg. lege data 27. C. de donat.*

7 Verum enim est quod dici solet, semper supponendos esse terminos habiles, *vulg. l. adigere 6. § quamuis, de iur patron.*

8 Cùm hypothecarij quilibet præferantur chirographariis quantumuis anterioribus, *Not. in l. 1. & tot. tit. C. de reuoc. his quæ in fraud credit. & in l. 2. & 10t. tit. D. de separat.*

9 *Argum. l. 1. §. 1. D. de edend. l. scripturas 11. Cod qui potior. in pignor. hab.*

10 Est enim semper obuiandum fraudibus quantum fieri potest.

11 *d. l. scripturas 11. C. qui potior. in pign. hab.*

12 Vt dicemus *Defin. 8. j. de contrah. & commit. stipulat.* Scripsi late *in Err. 1. Decad. de error. Pragmat.*

DEFINITIO IX.

Etiam literæ & epistolæ ius habent tacitæ hypothecæ ex die agnitionis vel denegationis exemplo chirographi.

QVod Pragmaticorum nostrorum vsu inductum esse proxime diximus, vt ex die recognitionis aut denegationis chirographi nascatur tacita hypotheca, protractum est ad eas obligationes, quæ ex literis & epistolis inducuntur. Nam & literas propria debitoris manu scriptas aut subscriptas chirographi nomine contineri nemo ambigit. [1] *Ita tractatum est* in causa D. Abbatis Ambroniacensis & D. Ioannis Baptistæ Cauet, Idib. Septemb. 1595.

1 Nimirum ex identitate rationis, *l. illud 32. D. ad leg. Aquil.* Nam & ex ipso nominis etymo omnis priuata scriptura & manu scripta chirographum appellatur, *l. si chirographum 14. D. de probat.*

DEFINITIO X.

Non omnis, qui præbuit aut saluam fecit pignoris causam, idcirco habet priuilegium tacitæ hypothecæ, quamuis habeat priuilegium prælationis, si adsit specialis hypotheca.

VVlgo creditum est, eum, qui pecunia sua vel præbuit, vel saluam fecit, aliis creditoribus causam pignoris, hoc ipso habere priuilegium tacitæ hypothecæ, [1] isque inueteratus Pragmaticorum nostrorum error est, quem & plerique iudices inferiores passim sequi solent. Ego contra semper putaui, non habere istos priuilegium tacitæ hypothecæ, sed tantum ius prælationis, si expressam habeant hypothecam. [2] *Ita tractatum est* in causa N. Andreæ Mugnier Magistri Computorum & Ant. de Boris, 18. Dec. 1596.

1 Quod verum quidem est in eo, qui credidit ad refectionem & reædificationem insulæ. Is enim habet tacitæ hypothecæ priuilegium ex Senatusconsulto, de quo *in l. 1. D. in quibus caus. pign. vel hypothec. tacit. contrah. & in l. si ventri 24. §. 1. de rebus auctor. iudic possid. alias l. 9. de priuil. credit.* Itemque priuilegium prælationis. Sed in cæteris secus est, puta si quis credideri ad emendam domum præterquam si nummi fuerint pupillares. *l. idemque est 7. in princ. D. qui potior. in pign. hab. l. 5. in princ. de reb. eor. l. pen. C. de seru pign. dat. manum.*

2 De quo vide quæ scripsi in ribus *lib. 8. Coniect. c. 11. &* 12. Ius enim prælationis præsupponit quidem ius hypothecæ in necessarium antecedens, sed tacitæ non magis quam expressæ, at tantum alterutrius. Vide *Defin. 19. j. tit. prox.*

DEFINITIO XI.

Bonorum cessio nullum taciti pignoris ius tribuit chirographarus creditoribus.

EX bonorum cessione, facta per debitorem, non nascitur ius pignoris in fauorem creditorum chirographariorum, [1] sed quales fuerint creditores ante cessionem, siue ignorauerit, siue chirographarij, tales remanent & post cessionem. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

2 Quamuis nemo possit ad cessionem admitti, quin fateatur debitum. Ex quo apparet, quam sit erroneum, quod Pragmatici nostri volunt, ex agnitione sola chirographi inducì priuilegium tacitæ hypothecæ, de quo scripsimus *Defin. 8. & 9. supr.* Quid enim refert, an debitor agnoscat debitum, an chirographum?

2 Vt scilicet ex ordineiis satis fiat, seruato inter eos priuilegio non temporis sed causæ, *l. priuilegia 32. D. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 17. de priuileg. credit.* Iunge *l. vlum. D. de cess. bonor.*

DEFINITIO XII.

Obligati sunt fructus beneficij pro præbendis monachalibus etiam annorum præteritorum.

FRuctus beneficij, ex quibus præbendæ monachales aut aliæ solui debuerunt, obligati sunt non tantum pro præbendis illius anni, quo percepti sunt, sed etiam pro reliquis præcedentium annorum, si qua debeantur. [1] *Ita Senatus* ex tempore pro Monachis de Taloyre, contra N. Bernardum Dacquin, 14. Febr. 1596. & iam antea plerisque Arrestis pro iisdem Monachis, contra alios.

1 *Argum. l. libertis 18. §. manumissis, D. de alimen. & cibar. legat.* Iung. *l. Lucius 11.* in illis verbis, *vel si alio anno exegerint, eod. tit.*

[DEFINITIO XIII.

De tacita hypotheca quam filius habet in bonis patris pro rebus maternis lucris nuptialibus & aduentitiis quibuscunque.

NOn dubitatur quin filius habeat hypothecam tacitam ex lege Iustiniani in bonis patris non tantum pro lucris nuptialibus, quæ liberis conseruari necesse est, præsertim patre ad secunda vota conuolante. [1] Quod & in matre iuris est, [2] sed etiam pro rebus maternis, vel ex linea materna ad liberos deuolutis. [3] Sed de cæteris aduentitiis quæ filio familias aliunde obuenerint, dubitatio maior est, an æque filius familias aliquam tacitam prætendere possit hypothecam. Eadem enim Iustiniani constitutio quæ denegat, [4] concedere videtur, [5] sicque ab interpretibus nostris magis communiter accepta est, vt si qui d pater ex eiusmodi aduentitiis filij bonis contra legis prohibitionem alienauerit, & generaliter pro malè gestis & prohibitis habeat filius tacitam hypothecam, & quidē ex die inchoatæ administrationis non ex die malæ gestionis, [6] vt omnibus creditoribus patris anterioribus, qui post susceptam administrationem legitimam & ante malam gestionem contraxerunt, filius præferatur, nec tantum in bonis quæ pater eo tempore habuit, sed etiam in postea quæsitis. [7] Ita vt, quod valde singulare est, hypotheca hoc casu contrahatur, priùs etiam quàm personalis vlla obligatio contracta sit. [8] Pro iis vero quæ pater gessit permittente lege, licet malè gesserit per negligentiam & culpam, dum ne dolo malo nullam filius hypothecam habeat. [9] Et secundum hanc distinctionem me licet dissentiente pronunciauit Senatus noster pro Carola de Boyuin, con-

BIU Cujas

ra D. de Siccard, die 30. Jul. 1614.. Sane pro rebus vxoris paraphernalibus, quin bona mariti omnia tacitè obligata sint, nemo nescit. [10] Sed hæc omnia ita demum si nulla ad sit expressa hypotheca, quæ faciat cessare tacitam, vt habet Iustiniani constitutio. [11] Cæterum hypotheca quælibet tacita, sicut ad futura quoque bona extenditur: [12] ita etiam ad iura, & actiones, quæ alioquin sub expressa generali bonorum mobilium & immobilium obligatione non comprehenderentur. [13]. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Textus est in l. si quis prioris 8. §. *pen. & vltim. C. de secund. nupt.*

2 Nam in matre primùm fuit ius illud constitutum vt apparet ex *d.* §. *pen.* Quomodo pœnæ secundo nubentium priùs constitutæ sunt aduersus matres, in *l. fœmina 3. eod. tit. quàm contra patres in l. generaliter 5. eod.*

3 Verba enim legis sunt in *d.* §. *vlt. Maternam eiu substantiam vel ex materna linea ad eos deuolutam*, vbi lineam maternam intellige tam collateralem quàm directam, cùm lex non distinguat, *vulg. l. de precio 8. de public. in rem act. l. 1. §. generaliter D de legat. præst.*

4 *In l. cum oportet, §. non autem C. de bon. quæ liber.*

5 *In §. vlt. eius d. leg.*

6 *Ex d. l. cùm oportet §. vlt.*

7 Castrens. *ad d. §. vlt.* Bald. *ibid.*

8 Vt quemadmodum potest hypothecaria durare post summotam & extinctam principalem obligationem ita & posit ante natam eam *l. 2. C. de luit. pignor. l. cùm notissimi 8. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Castr. post Bald, *vbi supr.*

9 Castr. post Bart. & Bald. *vbi s.*

10 *Ex l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

11 *In d. l. vlt.*

12 *d. l. si quis prioris 8. §. pen. in illis verbis, patris quoque bona quæ habet habiturusque est C. de secund. nupt.*

13 Quippe quæ bonorum appellatione continentur *l. bonorum 49. de verb. signific.*

14 Quia tertiam speciem constituunt à bonis mobilibus & immobilibus distinctam.]

TIT. VIII.

QVI POTIOR. IN PIGNOR. habeant.

DEFINITIO I.

Clausula constituti apposita in pignore conditionali, non facit creditorem potiorem eo, cui postea ius pignoris in iis bonis quæsitum est, si conditio fiat potestatiua.

QVI Titio quadringenta mutuo acceparat intra triennium soluenda, eoque nomine se ac bona sua omnia pignori obligauerat, pactum adiecerat, vt si ad diem pecunia soluta non esset, fundus Cornelianus eo pretio venditus tertio intelligeretur, adiecta etiam clausula donationis, quanto pluris res esse: seque emptoris nomine fundum illum possidere constituerat, quousque corporalem possessionem emptor nanciscereturr, in eum videlicet casum, quo facta venditio erat. Medio tempore acciderat, vt legatarius quidam aduersus debitorem hunc tanquam eius, qui legauerat, hæredem, ex testamento ageret, lataque sententia in eiusdem fundi possessionem ex causa iudicati missus esset. Missioni condemnatus hæres interceserat, ob idque rursus fuerat condemnatus. Cum cœpram executionem persequi legatarius vellet, noua per Titium creditorem intercessio factalerat, quod is fundus ad se iure emptionis pertinere diceret, lapso iam nimirum triennio, nec soluta pecunia, quæ intra triennium solui debuerat. Disputatum est in publico auditorio, vtrius causa potior videretur? Plerisque placebat, potiorem Titium esse debere, quod non solum anterior esset creditor, sed etiam hypothecarius: [1] cum ex contrario legatarius non nisi lucratiuam habens causam, [2] nullum in re propria heredis prætendere pignus posset. [3] Rursus, quod in eo contractu clausula constituti interuenerat, quæ Titium fecerat possessorem, [4] parumque referre videbatur, quod ea clausula non in conuentione de pignore, sed in casum perfectæ venditionis, si ad diem pecunia non solueretur adiecta fuisset. [5] Quandoquidem intercessionis tempore conditio iam euenerat, cuius ea esset natura, vt quandocumque existens ad contractus diem retrotrahi deberet. [6] Neque pactum legis commissoriæ, quamquam in pignoribus iure communi improbatum, [7] à legatario improbari poterat, cum debitor, qui contraxerat, & cuius præcipue interat, non improbaret. [8] *Vicit tamen* contraria sententia, propterea quod in eo fundo acquisitum esset legatario pignus iudiciale, [9] ex quo tempore missus fuerat in possessionem, [10] cum debitoris intercessio, quæ missionis effectum morabatur, postmodum per sententiam damnata esset. [11] Atqui nondum eo tempore Titius possidebat, si quidem constituti clausula, quæ possessionis translationem inducere sola poterat, in eum casum apposita fuerat, qui nondum euenerat. [12] Porro licet casus ille postea euenisset, non tamen potuerat clausulæ effectus retrotrahi, vt ex tempore initi contractus possessor factus Titius crederetur, qui extremum, à quo, vt Philosophicis nostrorum verbis vtar, non erat habile, [13] cum eo tempore qui se Titij nomine possidere constituerat amplius non possideret. [14] Quod autem obiciebatur, conditiones in contractibus adiectas quandocumque existentes retrotrahi ad diem contractus, etiam in præiudicium iuris, qui alioqui medio tempore alteri quæsitum sit, [15] non aliter verum esse constabat, quam si conditio casualis esse, aut mixta, non etiam si potestatiua, [16] qualis illa erat, si intra triennium pecunia non solueretur. Fuerat namque in debitoris potestate vt ante triennium solueret. [17] Nec quod plerumque difficilis sit explicatio pecuniæ facere debet, vt eo minus potestatiua conditio dici debeat, cum præstationis difficultas nihil vnquam commune habeat cum qualitate naturaque obligationis. [18] At neque dubitari de eo poterat, quin pactum legis commissoriæ improbare tertius posset, hactenus saltem, vt excipiendo possessionem suam tueretur. [19] Illud magis obstare videbatur, quod cessante quoque emptionis causa, Titius & anterior creditor fuisset & hypothecarius. [20] Nam si pignoris vinculum euanuisse quis dicat requisito creditori per emptionem, quam valere volebat, dominio fundi, [21] cum nemini res sua pignori possit esse obligata: [22] in promptu contradictio est, non eo minus durare pignoratitiam, & hypothecariam actionem, si ex emptionis causa salua creditori res esse non possit, [23] quia verum est, pignus aliquando contractum nec vnquam creditori salutis factum esse. [24] Sed adhuc creditori obstabat possessio non excussi debitoris, quem in confesso erat locupletem esse, abundéque in bonis habere, vnde posset creditori satisfacere. [25] Nam constituti clausula, quæ non in pignore, sed in venditione, [26] vt diximus, adiecta fuerat, exceptionem hanc excludere non poterat, tametsi beneficium Iustinianeæ legis [27] imploratum proponeretur. *Ita Senatus* pro legatario ex tempore pronunciauit, Prid. Calend. Septemb. 1588. Iunge Definit. 4. infr. de pact. pignor.

1 Nam inter creditores hypothecarios quisquis prior est tempore, regulariter potior est iure, *l. 1. & 4. & pass. C. hoc tit.*

2. Quæ

2 Quæ semper minus fauorabilis est, *l.4.§ si cum legitima, D.de dols mal except.l quod autem 6.§.simil modo dicimus.D.qua in fraud.credit.l super longi 11. C.de præscript.long.tempt.*

3 Nam nec hodie legatarius habet ius vllum taciti pignoris in bonis heredis, sed tantum in bonis testatoris, *l.1.vbi not. C.commun.de legat.l.fideiussor 26.§.vlt.D.de pignor.*

4 *L.quod meo 18 cum ibi not.D.de acquir.possess.*

5 Vt proinde non videretur translata possessio, nisi sub conditione, quod fieri potest, *l.qui absentes 38.§.1. D.de acquir. possess.*

6 Quia in contractibus conditio, quæ non est mere potestatiua, retrotrahitur etiam in præiudicium iuris interim tertio quæsiti *l 1.l.qui balneum 9 l.potior.11. D.hoc tit.*

7 *Ex l.vlt.vbi not.C de pact.pignor.*

8 Ne quis faciat ex persona alterius, quod alter ille facere non posset, contra vulgaris iuris regulas.

9 Sic enim appellatur pignus, quod capitur in causa iudicati, *l.1.& tot.tit.in caus iudic.pign.capt sit. l à Diuo Pio 15. D.de re iudic.*

10 A quo tempore solet incipere etiam prætorium pignus, quod difficilius constituitur quam iudiciale, *l. non est mirum 26 § 1.D.de pignor.act l.1.& tot.tit.C.de prator pign.*

11 Quod cum euenit, retrotrahitur sententia confirmans ad diem sententiæ confirmatæ, *l. tutor 41.D.de vsur. l negotiorum 24.ff de appellat.l. vltim. ff. de re iud.l intra vtile 39 ff.de minor.*

12 Nemo autem dixerit transferri posse possessionem ex contractu conditionali antequam conditio euenerit, *dict.l.qui absentes,§.1.de acquir poss.ff.l.cedere diem 213.de verb.sign.*

13 Debent vero extrema esse habilia & ipsum quoque medium, vt retroactio fieri possit. *l penult.vbi not. D. rat. rem hab. cum simil.lib* [Vide Guid.Pap.*decis* 512.Tiraquell.*part.1.de iure constit poss.ampl.17.*]

14 Nam qui ipse non possidet, alium possessorem minime facere potest, *d.l.quod meo, vbi not. D.de acquir. possess.* Vide pro hac Definitione consilium elegans Decij 247.*num.3.& 4.* post Bart.*in l.quoties 14.ff.de nouat.*

15 *d.l.qui balneum 9.& l.potior 11. D.hoc tit.*

16 *d.l.potior.* iunct.*l.1.eod.* Paris.*consil.11.nu.70.lib.1.*

17 Totum enim medium tempus liberum est promissori ad soluendum, *l.quod certa die 7.ff de solut.*

18 *L.continuus 37.§.illud.ff.de verb oblig.*

19 Cum etiam vitiosa possessio prosit aduersus extraneos, id est, qui nullum ius habent ad agendum, *l.vlt. ff.de acq.poss. l.vlt ff.de rei vindic.*

20 Nec enim ob id minus iuris debet habere creditor, quod sit etiam emptor *arg.l.1.§ vlt.D.si quis à parent.manum.sit.*

21 *L.penul.§.1.in fin ff de except.rei iudic.*

22 *L.neque pignus 45.de reg.iur.l.debitor 40.ff de pignor.act.*

23 Nec enim videtur in cuiusquam bonis id esse, quod euinci ab eo possit.

24 *d.l.penult.§.1.de except. rei iudic l.grege 13. §.etiam, ff.de pignor.l. debitor 59.D.ad SC.Trebel.*

25 *Authent.hoc si debitor,* C. *de pignor.* & in corpore vnde sumitur.

26 Aliud enim fuisset, si clausula constituti appositа fuisset in pignore, & imploratum proponeretur beneficium *l.vlt.*C. *de acquir.poss.ff* secundum ea quæ scripsimus *Defin. 1.* ẽ. *de acq. poss.ff.*

27 *In l.vlt.C.de acquir.possess.*

28 Nec enim clausula constituti potest operari vltra intentionem constituentis, nec ad alium finem, quam ad quem adhibita est, *vulg.l.non omnis 19 ff. de reb.credit.*

DEFINITIO II.

Inter creditores pignus prætorium habentes ius prælationis æstimatur ex die executionis, si executio tenuit, hactenus vt posterior exceptionem habeat excussionis. Sin nulla est executio, ex die contractus.

SI diuersi temporis creditores, interueniente iudicis auctoritate, rem eandem pignori ceperint, distrahique curauerint, [1] non seruatis tamen solemnibus, quæ statuti nostri [2] præscribit auctoritas, tum de pignoris iure & ordine inter se contendant, non inspiciemus, quis prior fuerit in executione, quæ vtrinque nulla est, [3] sed quis prior in debito, pignorisque vinculo contrahendo: [4] alioqui si rite facta sit subhastatio postulante creditore posteriore, hactenus erit ille potior, vt anteriori tardius exequendi præferatur, quousque excussis cæteris omnibus debitoris bonis, appareat nihil aliud esse, ex quo vtrique possit satisfieri. [5] Denique cuiuslibet iusti possessoris iure habebit exceptionem non factæ excussionis, [6] quam non haberet, si minus rite facta subhastatio proponeretur. [7] Ex inutili enim nullaque subhastatione, nec dominium transfertur, nec possessio. [8] *Ita Senatus* 7. Id. Nouemb.1595.Iunge Defin.4.de distr.pignor.

1 *Ex l.à Diuo Pio 15 ff de re iud. l.1.& tot. tit.C.si in caus iudic pign.capt.sit.*

2 Incip *si in rebus, lib.2.Stat Sabaud.*

3 Quia quod ipso iure nullum est, effectum nullum habere potest. *vulg.cap.non præstat impedimentum, cum ibi not.Extr de reg.iur.in 6.* Text.est *in l.si & iure 10.D.hoc tit.*

4 Scilicet ex iure communi, quo qui prior est tempore, potior est iure in causa pignoris, *l.2.4. & pass.C.hoc tit.*

5 Æquum est meliorem esse hac parte conditionem diligentioris creditoris, cui licuit vigilare ad suum consequendum, *l.pupillus 24.D.quæ in fraud.credit.*

6 *Auth.hoc si debitor,C.de pign.& in corpor vnde sumit.*

7 Non enim alij potest competere hæc exceptio, quam possessori, eique iusto & titulum habenti, vt notant omnes *ad dict.Auth.hoc si debitor.*

8 Quamvis dici soleat, etiam ex contractu nullo transferri possessionem, *l.1.§ si vir vxori, ff. de acquir. possess* Nam cum hoc casu neque dominium, neque possessio transfertur, nisi ex auctoritate statuti, absurdum fuerit eam fieri translationem ex subhastatione, quæ ipsa facta sit contra formam statuti. Vide *Defin.4.* ĩ. *de distr pignor.*

DEFINITIO III.

Mulier fructuaria non potest prætextu dotalis hypothecæ impedire, ne vsusfructus per æs alienum minuatur. Itaque legatum repudiare debet.

VXor, cui maritus testamento bonorum suorum omnium vsumfructum legauerat, si à creditoribus hereditariis non actione quidem personali, quæ contra solum heredem competit, [1] sed quasi Seruiana conueniatur, [2] creditoris intentionem excludere non potest prætextu dotalis hypothecæ quantumlibet anterioris, si non vsusfructus legatum repudiet: siquidem vt legatum valeat, necesse est, aliquid in eo inesse vtilitatis, [3] quod ipsum æris alieni ex soluendi gratia minui & potest, & debet. [4] Quamquam enim æris alieni onus heredem sequitur, non vsufructuarium, [5] hactenus tamen tenetur vsufructuarius, vt bonorum hereditariorum distractionem, atque ita vsusfructus sui diminutionem pati cogatur, vt creditoribus satisfiat. [6] *Ita Senatus* ex tempore pro Carolo de Motz, cõtra viduam procuratoris Alberti, 5.Nõ.Decemb. 1588.

1 *L.vlt.C de hered action l.1.C.si cert.pet.at. l.1.& 2.C.si vnus ex plurib.hared.debit.vel credit.*

2 Quæ scilicet cum in rem sit, potest exerceri contra quemlibet possessorem, *l.pignoris 17.ff.de pignor.l.pignoris 15. C. eod.l. est in arbitrio 14.C.de oblig. & act.*

3 *L.si creditori 29.§.vlt.& l.seq.de leg.1.*

4 Semper enim potior est causa æris alieni, quam legatorum, *l.vlt.§.sin vero creditores, C.de iur.delib.l.6.§ simili modo, quæ in fraud.cred.*

5 *d.l.vlt.C.de hered.act.* quia æris alieni onus non sequitur singularem successorem, *l.1.§ si heres, D.ad SC.Trebell.l.æris alieni 15.C.de donat.*

6 *L.vlt.* vbi Bart.& alij notant *ff.de vsufr.leg.1.*

DEFINITIO IV.

Pro periculo futuræ euictionis non potest quis tanquam creditor anterior impedire, ne posterior interim ius sui pignoris exequatur. Et quomodo pronunciandum sit?

QVi à debitore fundum emit aut in solutum accepit, cauitque sibi de pignore bonorum omnium

BIU Cujas

debitoris in eum casum, quo euictio sequeretur, sicuti ante secutam euictionem de euictione agere non potest,[1] ita nec intercedere, quo minus cæteri creditores pignoratitij, licet posteriores pignorum suorum iura persequantur,[2] hoc solo prætextu, quod in eo res sit, vt euinci aliquando possit fundus, venditus aut in solutum datus.[3] Quamdiu enim euictus non est, ius pignoris, quod ex causa euictionis in aliis debitoris bonis acquisitum est, omnino conquieuerit,[4] quemadmodum & quasi Seruiana actio, quæ pro pignore datur.[5] Si tamen intercessio perperam facta sit,[6] obseruare iudex debet, vt non simpliciter & absolute intercessorem condemnet, sed addito hoc temperamento *quant à present.*[7] nimirum, ne alioqui eueniat, vt pignoris persecutio prius etiam quam nata fuerit, iudicati potestate extincta videatur.[8] *Ita Senatus* ex tempore, 10. Cal. Mart. 1590.

1 Quia non aliter committitur stipulatio, quam si emptori non liceat habere, *l. habere licere 57. & pass. ff. de euict.*

2 Scilicet in alias res debitoris, quas ponimus cæteris creditoribus fuisse obligatas.

3 Quod enim potest euinci, non ideo habetur pro euicto. Et idcirco etiamsi res ab alio vindicetur, non tamen de euictione interim agendum est, sed ad rem defendendam, *l. antepenult. §. mota ff. de euict.*

4 Quia scilicet nihildum abest emptori. Prius enim est, vt obligatio principalis nascatur, quam vt accessoria.

5 Non enim nascitur hypothecaria actio, quæ non nisi accessoria est, ante principalem, quamvis possit durare etiam post principalem extinctam, *l 2 vbi not. C. de luit. pignor. l. cum notissimi, C. de præscript. 30. vel 40. annor.*

6 Quod contingit, quoties nihil adhuc interest eius, qui intercedit, cum nemo audiatur siue agendo, siue accipiendo, nisi eius interest, *l. ille à quo 13. §. si de testamento, D. ad SC. Treb. l. 3. §. 1 de verb. oblig.*

7 Vt cessante causa cesset effectus condemnationis, *arg l. ab his 10 §. auctis ff. de vacat & excus. muner.*

8 Cum tamen absurdum sit dicere, actionem extingui priusquam nata sit, *l. si ad diem 46. l. Titio vsusfructus 96. ff. de condit. & demonstr.*

DEFINITIO V.

Restitutio in integrum per anteriorem creditorem impetrata, qui per datione in solutum creditor esse desierat, non restituit ei pignus in præiudicium creditoris posterioris, cui medio tempore fuit ius quæsitum.

ANterior creditor, cui bona debitoris omnia erant obligata, fundum à debitore in solutum acceperat, atque ita debitorem cæteráque bona eius vniuersa ab omni obligatione liberauerat. Cum postea in integrum restitutus esset aduersus contractum tanquam immodica læsione deceptus, petebat vt pristinum ius sui pignoris, & inter alios creditores ordinem recuperaret, quem accepta solutione amisisset. Placuit id ei concedendum non esse, propterea, quod pignus aliis creditoribus medio tempore vtiliter quæsitum, temporisq; priuilegium iis inuitis ex postfacto adimi nec posset, nec deberet.[1] Itaque quamvis dici soleat, per in integrum restitutionem omnia in pristinum statum restitui,[2] tamen in proposito id non obtinet, cum intercedens ius creditorum, qui subsistente adhuc datione in solutum cum liberato debitore contraxerunt, impediat, ne libera sit potestas restitutionis, néve quid in præiudicium eorum fiat.[3] Probabilius fortasse quis moueatur ex eo, quod si prior creditor nouatione facta eadem pignora cum aliis acceperit, superioris temporis ordinem retinet, quasi sibi ipsi & in suum ipsius suum locum succedens.[4] Sed sunt ista dissimilia. Nouatio enim, licet priorem obligationem perimat,[5] non tamen efficit, quo minus creditor maneat is, cui nihildum solutum est.[6] At qui fundum accepit in solutum, desiit esse creditor.[7] Nec quod rescisso contractu rursum creditor esse incipit, facere potest, vt eodem iure censeri debeat, cum imputare potius sibi possit, & cur ita contraxerat vt omnem deleuerit obligationem, & cur subinde contractu rescindi voluerit.[8] Plane impetrata per debitorem restitutione,[9] locus quæstioni esse non potest, quando nec aliter is audiendus est, quam si non modo debitum offerat, sed ipsum quoque pretium integrum contractus, si fundus in solutum datus pluris æstimatus fuerit quam creditori deberetur.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. l. vlt. D. de pact. l. non debet alteri 74.* iunct. *l. id quod nostrum 11. de reg iur.*

2 *L quod si minor 24. §. restitutio, ff. de minor. l. vnic. Cod. de rescind. vend. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.* Adde *l. 1. C. de sentent. pass. & restit.*

3 Quia quod ad alios creditores pertinet, res non est integra, qui fortasse non contraxissent cum debitore adhuc obligato. Restitutio autem nihil operatur, cum res integra esse desiit, *d. l. quod si minor. §. Scæuola.*

4 *L. 3. l. creditor 12. §. Papinianus, alias l. si prior. 11. D. qui potior. in pign. hab. l. si prior, C. de his qui in prior. cred. loc. succe.* Boer. *quæst. 13. num. 34.*

5 *L 1. ff. de nouat. & delegat.*

6 Cum nouatio sic obligationem perimat, vt eam tamen transfundat in sequentem, *d l 1.*

7 Quia nihil interest, an soluatur pecunia, an vero fundus aut alia res pro pecunia detur in solutum volenti creditori, *l. eum à quo 16. & l seq. C. de solut.*

8 Nunquam autem succurrendum est ei, cui aliquid imputari potest, *l. cum postulassem 44. §. 1 ff. de damno infect. cum similib.*

9 Forte quod pro minoris quantitatis debito in solutum dederit rem longe maioris pretij. Nam & ex ea causa maior restitueretur, perinde ac contra venditionem, cum datio in solutum venditionis instar obtineat, scilicet si læsio immodica esset ac vltra dimidiam, *ex l 2. vbi not. C. de rescind. vendit.*

10 *d. l. 2. C. de rescind. vendit.*

DEFINITIO VI.

Constituti clausula inutilis est aduersus anteriorem creditorem, qui habet corporalem possessionem. Et in quo maior sit potestas traditionis, quam constituti.

POsterior creditor, qui pignoris possessionem sibi per clausulam constituti quærere voluit, non idcirco possessionem auocare potest ab anteriore creditore, qui iam tum in reali & corporali pignoris possessione fuit, nisi oblato prius debito.[1] Nam cum creditor, cui possessio tradita est, sibi possideat, præterquam ad solam vsucapionis causam,[2] in eoque differat à commodatario, depositario, & cæteris huiusmodi, qui non sibi, sed alij possident,[3] consequens est, vt nullius momenti sit constitutum ab illo factum, qui eo tempore amplius non possideret.[4] Idemque esset, tametsi eadem pignoris possessio realis non corporaliter per traditionem, sed per solam constituti clausulam in anteriorem creditorem translata proponeretur.[5] Id enim ad illius clausulæ vim & potestatem inducendam omnino requiritur, vt eo tempore quis reuera possideat, quo se constituit alieno nomine possidere.[6] In quo sane minor vis est clausulæ, quam traditionis ad transferendam possessionem. Nam si debitor corporalem pignoris possessionem, quam se anterioris creditoris nomine habere constituisset, in posteriorem creditorem, quin & in alium quemlibet postea per traditionem transtulisset, vtiq; interuertisset anterioris creditoris possessionem,[7] cui proinde necesse esset reuocatoria condictione ex lege Iustiniani agere, vt propriam possessionem auocaret.[8] Quod tamen nihil necesse est, cum sola constituti

constituti clausula interuenit. An quia per eam clausulam minus transferatur vera realisq; possessio quam per traditionem? Minime. [7] Sed quia traditio facti est non iuris, [10] ob idque prodest ad transferendam possessionem, quæ facti quoque est, [11] & consequenter ad interuertendam possessionem anterioris creditoris, cuius nomine constituerat debitor se possidere, quanuis nullo iure ita debitor faciat. [12] Clausula vero constituti, licet transferat etiam realem veramque possessionem, fictitius tamen eius transferendæ modus est, iuris ciuilis fictione introductus, quæ iuris fictio ei fauere non potest, qui nullo iure possessionem in hunc transferre vult, quam in alium iam transtulerat. Hic itaque non tam alienam possessionem interuertere, quam nihil omnino agere existimãdus est. *Ita Senatus* in causa D. Henrici Bay, & Dominæ Marchion. de la Chambre, Prid. Id. Decembr. 1590.

1 Cum etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri possit, *l. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

2 *L. pignori* 15 *ff. de vsucap.* iunct. *l. serui* 16. *eod.*

3 *L. si quis ante conduxit* 10 *§. 1. ff. de acq. possess.*

4 *L. quod meo* 18. *cum ibi notat. eod. tit.*

5 Siquidem clausula constituti, licet sit fictitius modus transferendæ possessionis, transfert tamen veram & realem possessionem, nec minus naturalem quam ciuilem, vt notant omnes *ad d. l. quod meo.*

6 Nec enim potest alium possessorem facere is, qui ipse non possidet. *l. 1. §. Scaeuola ff. si is qui testam. lib. esse iuss.*

7 *L. si de eo* 40. *§ 1. ff. de acquir. poss.*

8 Ea actione, quam appellant auocatoriam ex constituto, ex *l. vlt. C. eod. ill. tit.*

9 Vt dixi *num 5.*

10 *L. consilio 7. §. vlt. D. de curat. furios.*

11 *L. 1. § si vir vxori, iunct. §. praced. ff. de acquir. possess. l. 1. §. Scaeuola. D. si is qui testam. lib. esse iuss.*

12 Nam extra causam possessionis est quærere, an iusta sit, an iniusta, *d. § si vir vxori, & l. quod vxor* 16. *eod.*

DEFINITIO VII.

Qui habet obligatam litis æstimationem pro sumptibus in litem factis præfertur omnibus, etiam anterioribus.

IN ea pecunia, quæ debitori ex condemnatione quæsita est, præfertur hypothecariis creditoribus is, qui pro litis sumptibus obligatam habet siue expresse siue tacite, litis æstimationem, licet posterior sit tempore. [1] Nam sicuti fructus non dicuntur, nisi qui deductis expensis supersunt, [2] ita neque aliud ex condemnatione quæsitum videri potest, nisi quod superest detractis sumptibus iis, quos ad vincendum prorogari necesse fuit. [3] Vt taceam, quod iure communi obtinet, vt qui pignoris causam saluam fecit potior sit anterioribus in eo pignore. [4] Hic vero plus præstitit, qui pignoris causam non tam saluam fecit, quam præbuit: [5] cum si sumptus illi facti non essent, neque debitor condemnationem nunc haberet, neque creditor ipsius ius pignoris in ea pecuniæ quantitate, quam condemnatio attulit. [6] *Ita tractatum est* mens. Feb. 1591.

1 Contra vulgarem juris regulam, quæ vult, in pignoribus eum priorem esse iure, qui prior est tempore, *l. 2. 4. & pass. C. hoc tit.*

2 *§. fructus vlt. l. si à domino* 36. *ff. de petit. hered. l. quod in fructu* 46 *D. de vsur.*

3 Cùm sine sumptibus litigari non possit, *l. minoribus* 6. *D. de minoribus. l. quod debetur* 51. *D. de pecul. l. petitor* 30. *D. de liber. legat.*

4 *L. interdum 5. & seq. D. hoc tit.*

5 Plus autem est præbere causam pignoris, quam saluam facere, *arg. l. licet* 7. *C. hoc tit.* iunct. *l. quamvis* 17. *C. de pign. §. hic consequens Nou. 97. de aqua dot.*

6 Cùm ante condemnationem ne sciri certo possit, an & quid aut quantum debeatur: quia sola contestatio & negatio facit rem dubiam, *l. vlt. C. quib. ad liber. proclam. non licet.*

DEFINITIO VIII.

Potest idem creditor & anterior esse & posterior, pro diuersitate debitorum.

ANterior creditor pignoratitius, si à posteriore idem pignus persequente, & anterius debitum offerente, per quasi Seruianam conueniatur, retinendi pignoris ius non habet pro posteriore debito etiam hypothecario, multo minus pro impensis ex causa posterioris illius debiti factis, quoniam inter creditores temporis ordinem pro debitorum varietate seruari necesse est, nec quicquam vetat eundem seipso priorem in credendo & posteriorem videri diuersis respectibus. [1] Nam quod dici solet, etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri posse, [2] ita verum est, si creditori pignus possidenti res sit cum debitore, non etiam si cum alio creditore, licet posteriore, [3] nisi ponas chirographariam pecuniam iam tum fuisse debitam, cum secundus creditor contraxit. [4] In ea namque anteriorem potiorem esse debere verius est, ne semel ei quæsitum ius retinendi pignoris ex contractu cum alio inito damnum patiatur. [5] *Ita tractatum est* in causa D. de Macognin, & N. Vulliod, 4. Calend. Iun. 1591.

1 *L. creditor* 12. *§ si idem bis, & l. quærebatur* 20. *ff. hoc tit.*

2 *L. vnic. C. ill. tit. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

3 Quia inter creditores regulare est, vt qui prior est tempore sit etiam potior iure, *l. 2. 4. & pass. C. hoc tit.*

4 Quo casu verum est, iamdum fuisse acquisitum priori creditori ius retentionis etiam pro chirographaria pecunia, *d. l. vnic.*

5 Quod esset iniquum, *l. vlt. ff. de pact. l. Granius* 71. *§ pen. ff. de fideiuss.* [Obserua autem creditorem anteriorem potiorem esse non tantum in sorte, sed etiam in vsuris aliisque accessionibus ex *l. Lucius* 8. *D. hoc tit.* Sed hoc ita si pro vsuris aliisque accessionibus hypotheca aliqua constituta sit, vt in *d. l. Lucius*, vbi accepta fuerant pignora tam pro vsuris, quàm pro sorte. Alioqui non potest creditor qui pro vsuris, cæterisque accessionib. nullam hypothecam habet, potior esse cæteris creditoribus pignoratitiis. Nam vsuræ & litis expensæ, cæteræque accessiones siquidem habeant hypothecam habent eundem ordinem hypothecæ, quem sors ipsa *d. l. Lucius*. Sed non semper habent hypothecam quam sors habet. *Ita Senatus* in ea causa de qua *Defin. 11. §. commun. de legat.*]

DEFINITIO IX.

Creditor mariti posterior, qui anteriora dotalium pignorum iura obligata habet, præferendus est anterioribus mariti creditoribus, qui sint posteriores muliere in hypothecis dotalibus.

VIr & vxor in causam communium alimentorum, vt se suosque exhiberent, mutua centum à te acceperant, seque in solidum singuli obligauerant, datis etiã pignori generaliter bonis omnibus, & specialiter iis, quæ maritus vxori pro dote cum clausula constituti obligauerat. Si alius mariti creditor te anterior idem pignus ex proprio contractu persequatur, tuendus eris in possessione, eique præferendus propter ius mulieris, quod in persona tua concurrit, [1] cum sit illa vtroque anterior. [2] Nec de illo quærendum erit, an ius ab ea cessum habeas nec ne? Sufficit enim esse te in possessione eius rei, quæ & mulieri à marito priusquam aduersario tuo & à muliere tibi obligata sit: [3] posteaquam placuit pignus pignori dari posse, [4] & ex ea pignoris datione nomen quoque, quo pignus datum est, saltem ad concurrentem vsque pignoris æstimationem cessum intelligi. [5] Rursus non distinguemus, an dotis restituendæ casus iam euenerit, an non. Quid enim refert, cum marito consentiente pignus constituitur, & ex ea causa,

BIU Cujas

ex qua diminuere dotem etiam constante matrimonio liceret? [6] At quidni liceat mulieri constante quoq; matrimonio ius hypothecæ sibi competens in alium transferre, à quo vicissim pecuniam aut quid aliud accipiat, cùm & gratis illud remittere marito posset, dum ne aliquod ex ea re damnum doti immineret? [7] Denique nec ad rem faciet, quod mulier, quę tibi pignus suum pignori dedit, alia bona doti æquipollentia penes se habere proponatur. Nam cùm ex eius persona tibi ius competat retinendi pignoris, æquius est aduersus eam, quam contra te actionem dari aduersario tuo, vt imputata pignoris tui æstimatione in dotis solutionem, si quid illa supra dotem possideat, restituere compellatur. [8] Neque enim pra textu dotis cæterorum creditorum ita impediri oportet, si omnibus satisfieri ex ordine possit. [9] *Ita Senatus* ex tempore 8. Cal. Sept. 1592.

1 Cum ipsa tibi bona sua omnia obligauerit, & consequenter iura ipsa pignoris, quæ habuit in bonis mariti, *l. nomen 4. C. quæ res pign. oblig. poss.*

2 Nam qui ab anteriore creditore causam habet potior est posterioribus omnibus in ea re, quæ anteriori fuit obligata, *l. 1. & tot. ti C. si antiq. cred. pig. vendid.* Quod obtinet etiam in chirographariis creditoribus, *l. si ventri 24. §. vlt. D. de reb. auctо. iudic. possid. alias l. 9. de priuil credit.*

3 Quoniam scilicet iura realia transeunt etiam sine cessione, *l. si tertius 6. §. si quis prius.* vbi Bart. *D. de aqua & aqu. pluu. arcend.*

4 *L. 1. & 2. C. si pignus pignor. dat. sit. l. grege 13. §. cum pignori, D. de pignor.*

5 *L. si conuenerit 18. D. de pignor. act. l. nomen 4. C. quæ res pign. obligp. poss.*

6 *L quamvis 20 ff solut. matrim. Not. ibid. & in l. vnic. Cod. si const. matr. dot. solut. sit.*

7 *L. iubemus 21. C. ad SC. Vellcian.* Nec enim remissio pignoris donatio est *l. 1. §. cum venditor, D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l. et si pignus 18. D. quæ in fraud cred.*

8 Ne alioqui dotis solutionem bis consequi velle videatur. Mulieri enim solutum videtur, quod ea mandante aut consentiente creditori ipsius solutum est, *l. vero procuratori 32. ff. de solut. l. quamvis 40. §. vlt. & seqq. ad SC. Trebell.*

9 Hactenus enim fauemus doti ne pereat, non vt cæteris creditoribus damnum inferatur, *l. assiduis 12. C. hoc tit.*

DEFINITIO X.

Qui credidit ad emendam domum, non habet priuilegium tacitæ hypothecæ, multo minus prælationis, nisi specialiter conuenerit de pignore. Secus in eo, qui credidit ad refectionem.

CReditor, ex cuius pecunia fundus comparatus est sicuti nullam eo nomine tacitam hypothecam habet, quam habet is, qui ad ædificij restitutionem credidit, [1] ita nec si expressam hypothecam habeat generalem, priuilegium ob id vllum habet, vt cæteris creditoribus anterioribus præferatur. [2] Solius enim pupilli ius illud est, vt si ex eius nummis res empta sit, non solùm tacitæ hypothecæ priuilegium habeat, sed etiam prælationis. [3] Sanè si nominatim & specialiter conuenerit, vt is ipse fundus obligatus sit ei, ex cuius pecunia emitur, & eiusmodi pignoris conuentio facta sit statim, id est, eo ipso instanti, quo pecunia creditur, aut fundus comparatur, aut in continenti locus erit priuilegio, [4] non ratione illa sola, quod huius creditoris pecunia pignoris causam præbuerit, vt in eo dici solet, qui saluam fecit pignoris causam, [5] (minus enim est pignus præbere, quam saluum facere, alioqui perinde vtroq; casu priuilegio locus esset. [6]) Sed quod, cùm pignoris causam præbeat, permittendum ei sit, vt quam vult initio legem dicat, qui scil. non aliter erat contracturus: [7] nec proinde cæteris anterioribus creditoribus pignoris causam præbiturus. [8] Estque hic vnus & singularis fortasse casus, in quo specialis hypotheca vtilior est, quam generalis. [9] *Ita Senatus* in causa Iacobi Durand, & Peronetæ Talon, 8. Kal. Dec. 159[illegible]. Et rursum pro D. Abbate Ambroniacensi, contra N. Dauignon, 4. Kal. Febr. 593.

1 Hic enim non solum hypothecam tacitam habet, sed etiam ius prælationis in ea re, ad cuius refectionem credidit, *l. interdum 5. ff. hoc tit.* iunct. *l. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth.*

2 Quia scilicet non interest reipublicæ, an huius vel illius sit hic fundus. Diuersum est, si quis crediderit ad emendam nauim. Is enim habet priuilegium non tacitæ hypothecæ, sed prælationis inter creditores chirographarios, *l. quod quis 34 ff. de rebus auctor. iud. possid. alias l. 19. de priuileg cred* quia multum interest reipublicæ, vt nauis sit eius, qui negociationem maritimam exercere velit aut per se, aut per alium, quomodo vult vtique qui nauim emit, non qui vendit. Dixi *lib. 8. coniect. cap. 11. & 12.*

2 *L. idémque est 7. D. hoc tit* Quidni enim haberet pupillus vtrumque jus & tacitæ hypothecæ & prælationis in re ex ipsius nummis comparata, cum habeat etiam vtilem vindicationem, *l ex facto 52. §. plane, ff. de pecul. l 3. C. arbitr. tutel. not ad l. si 18 proponu 8. C. de rei vindica.* Vide tamen quæ scripsi *Defin 10. §. tit. prox.*

4 *L. quamvis 17. C. de pignor. l licet 7 C. hoc tit.*

5 De quo *in l. interdum 5. & seq. D. eod.*

6 Quod tamen non ita est, *d. l. quamvis & d. l. licet.*

7 *L. vlt. C. de pact. inter empt & vend. l. in traditionibus 44. D. de pact. l. venditor 13. D. commun. prad.*

8 Et ideo non possent creditores, quamvis anteriores, conqueri vllam sibi factam esse iniuriam ab eo, qui credidit ad emendam rem.

9 Nam extra hunc casum tantum potest generalitas in suo genere, quantum specialitas in sua specie, *l. semper specialia 147. & ibi not. D. de reg. iur.*

DEFINITIO XI.

Nihil iuris possessori tribuere potest pignus antiquius sui auctoris, quod extinctum sit confusione per additionem, quæ habeat etiam vim solutionis.

CVm filius tanquam patris heres, maternæ dotis debitor, matri quoque postea heres extitisset, ac postea fundum, qui pro dote obligatus fuerat cum clausula constituti, medio tempore proprio creditori obligatum, alteri vendidisset, placuit emptorem à posteriore creditore conuentum, siue hypothecaria, [1] siue condictione ex Iustinianea lege, [2] nullam habere posse defensionem ex ea causa, quod idem fundus anteriore iure pignoris pro dote matris obligatus fuisset, eumque mulier, quamdiu vixerat, post mariti mortem possedisset. Confusa enim per additionem & consolidationem obligatio, [3] sicut venditori, in cuius persona confusio facta fuerat, amplius prodesse non poterat, [4] ita neque emptori, quem constabat non plus iuris ex emptione nactum fuisse, quam venditor habuisset. [5] Nec quod post venditionem pignoris dominium penes alium quam creditorem esse cœperat, facere debebat, vt extincta obligatio reuiuisceret. [6] Id enim tum obtineret, cum ex antiquiore aliqua causa dominium creditori oblatum esset, [7] potestate scilicet euictionis tollente intellectum acquisitionis dominij. [8] In proposito autem non videbatur euictum creditori dominium, quod voluntaria alienatione translatum esset in emptorem iam eo tempore, quo debitum creditúmve vllum esse desiisset. [9] Neque rursus ad rem pertinuit, quod non solum pignoris nomine retentio, sed etiam Seruiana actio durat, quamdiu verum est, reuera solutam non esse pecuniam, tametsi per additionem extincta sit principalis obligatio. [10] Nam id eo demum casu procedit, quo confusionis tantum vim habeat aditio, non etiam solutionis. [11] Si quidem fieri non potest, vt Seruiana non tollatur, soluta quomodocunque pecunia. [12]

Atqui

Atqui hereditatis aditio, quoties debitor creditori succedit, vel contra solutionis quoq; vim habet, si modo hereditatis emolumentum, quantulumcumque illud futurum sit, penes heredem remaneat, nec ad aliũ deuoluatur, licet alioqui soluendo non sit, [13] quia soluendo esse intelligitur hereditas, quęcunque heredem inuenire potest, [14] & heres cum debitoris aut creditoris sui hereditatem adit, sibi ipsi soluere, secúmque compensare intelligitur. [15] Consequens ergo erat, vt in ea re, quam emptor hic possideret, secundus creditor non tam potior quàm solus reperiretur. [16] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, contra parochum de Barby, Idib. Febr. 1593.

1 Quæ auocat possessionem alienam, *l. si cùm venditor* 66. § 1. *D. de euict.*

2 *In l. vlt. C. de acq poss.* quæ auocat propriam ipsius agentis possessionem, vt dixi *Defin.* 1. 3. *de acq poss.*

3 Confusio enim contingit, quoties in eadem persona concurrit jus debiti & crediti, *l. debitori* 7. *vbi not. C. de pact. l. debitori* 50. *D. de fideiussor. l. Stichum aut Pamphilum* 95. § *aditio, D. de solut.*

4 Siquidem confusio est legitimus modus tollendæ obligationis sicut & solutio, *d.* § *aditio, l. quæ dotis* 33. *D. solut. matr.*

5 *L. quod ipsis* 143. *l. inuitus* 156. § *plurumque de reg. iur.*

6 Quamvis interdum reuiuiscat hypothecaria, quæ per confusionem & consolationem dominij fuerat extincta, *l. pen.* § 1. *D. de except. rei iudic. l. debitor* 59. *D. ad SC. Trebell.*

7 *Vt in specie, d. l. penul.* § 1.

8 Exemplo eius quod scribit Papinianus, *in l. si patrimonij* 55. § *vlt. D. ad SC. Trebell.*

9 Nemo enim potest rem sibi euincere.

10 *dict. l. debitor* 59. *ad SC. Trebell. l. grege* 13 § *etiam, D. de pig.*

11 *dict. l. debitori* 50. *ff. de fideiuss. d. l. Stichum* 95. § *aditio, de solut.*

12 *L. si rem* 9. § *omnis pecunia, ff. de pignor. action.*

13 *L. quæ dotis* 33. *D. solut. matrim.*

14 *L. liberius* 36. *D. de bon. libert. l.* 3. *D. ad leg falcid.*

15 *d. l. quæ dotis, l. cùm pater* 77. § *Titio fratri, antepenult. de legat.* 2.

16 Vt Papinianus loquitur *in l.* 2. *D. qui potior. in pig. hab.*

DEFINITIO XII.

Posterior creditor interdum præfertur anteriori, scilicet, si quantitas anteriori debita non sit liquida, & quomodo tamen anteriori hoc casu prospiciendum sit?

SI duo, pluresve diuersi temporis creditores quasi Seruianam exerceant aduersus tertium possessorem, præferri quidem solet is, qui tempore anterior est, adeoque in totum, si posterior non offerat, cuiuscunque tandem pretij sint pignora, id est, licet ex eorum venditione vtrique satisfieri commode possit, [1] Quoniam hypothecæ ius est indiuiduum, [2] nec cogitur creditor, cui vel vnus nummus deest, contentus esse parte pignoris ad concurrentem vsque debiti quantitatem, [3] nisi cum posterior creditor præ inopia offerre non potest, [4] aut cum de addicendis dominij iure, dandisve in solutum pignoribus disputatur. [5] Sed tamen accidit aliquando, vt eum, qui posterior est, in possessionem mitti priorem oporteat. Nimirum si de anterioris debiti quantitate nondum sit cognitum, & per ipsius anterioris creditoris moram acciderit, quo minus cognosci potuerit. [6] Neque enim ea mora & frustratio imputari vel nocere debet posteriori, [7] qui dolo culpaque caret, si non offerat, quamdiu ignorat, quid & quantum debeatur. [8] Enimvero si anterior ille creditor pignoris possessionem iam nactus sit, siue per traditionem, siue per clausulam constituti, non est æquum aut rationi consentaneum, vt propter solam debiti incertitudinem anteriori creditori quæsita possessio auferatur. [9] Quid ergo? Mittendus quidem erit in possessionem pignoris posterior creditor, de cuius iure in promptu constat, & cui non potest imputari, cur non offerat anteriori; [10] sed ea tamen lege, vt ante omnia satisfiat anteriori, eidemque possessori. In eámque rem certum aliquod, & quantum fieri potest, breue tempus constituendum est, [11] intra quod iubeatur ipse docere, quid sibi quantumque debeatur. Sic enim vtrique commodissime, nullaque alterutrius iniuria consuletur. [12] *Ita Senatus* in causa N. Stephani Dinome, & R. D. Episcopi Bellicensis, Ioannis Gothofredi Ginod, Senatoris optimi, 14. Calend. Mart. 1594.

1 *L. 2 l. 4. & pass. C. hoc tit.* Nec enim ad hunc casum pertinet quod scriptum est *in l. pro debito* 7. *C. de reb. auct. iud. possid.* quæ locum habet in chirographariis tantum creditoribus, vt alibi scripsimus.

2 *L. rem hereditariam* 65. *D. de euict. in executione* 85. § *pen. ff. de verb. oblig.*

3 *L. quamdiu* 6. *Cod. de distr. pignor. l.* 2. *C. debitor. vend. pign. imped. non poss.*

4 Quo casu inhumanum videtur, vt debiti sui iacturam facias. Et ita in hoc casu Senatus noster ex æquitate sæpius iudicauit, præsertim concurrente fauore dotis & viduitatis.

5 Nec enim potest vnquam creditor impetrare ius dominij vniuersorum bonorum sui debitoris, *l.* 1. *Codic. de iur. domin. impetr.*

6 Cum non entium & non apparentium idem sit iudicium, *vulg.* § *si aduersus, Instit. de nupt. l. duo sunt Titij* 30. *D. de testam. tutel.*

7 *L. in condemnatione* 173. § *vnicuique, de reg. iur.*

8 *L. non potest improbus videri* 99 *eod. tit.*

9 Facilius enim est, vt possidenti detur retentio, quam vt non possidenti actio, *l.* 1 *ff. de pignor.*

10 *Arg. l. ille à quo* 13. § *si de testamento, D. ad SC. Trebell. l. in à quo* 3. *in princ. D. vt in poss legat.*

11 Arbitrio scilic. iudicis pro personarum & rerum varietate, *vt in l. si debitori* 21 *ff. de iudic.*

12 Quod maximè curare semper iudex debet quantum potest vt neutra pars lædatur, *l. ex hu* 8. *in fi. D. qua in fraud. cred. l. in creditore* 38. *in fi ff de euict.* Planè si à posteriore creditore conuentus per hypothecariam possessor ei soluerit, tum ab alio anteriore de iisdem bonis conueniatur, & vincatur, non ideo habet repetitionem contra eum qui soluit, sed contra eum potius pro quo soluit, *vt in l. si ob causam* 13. *C. de euict.* cũ nihil ei possit imputari qui suum recepit, *l.* 44. *de cond. indeb. l.* 5 § 1. *de dol. mali except.* sed ei potius qui vltro obtulit cùm ferre non cogeretur, Idem est si non soluerit, sed se obligauerit. Non enim ideò minus soluere cogetur, maximè si fortè in causa fuerit, vt hic creditor debitorem suum liberaret, contra quem proinde nullum regressum habere possit. Nec enim actio semel extincta reuiuiscere potest, *l. qui res* 98. § *aream, de solut.* Nisi cum Prętor dat in eam rem actionem restitutoriam, *vt in SC. Velleian. l. quamvis* 8. *& pass. D. ad SC. Velleian. Ita Senatus* 7. Iunij 1613.]

DEFINITIO XIII.

Clausula constituti facit creditorem, qui sit posterior, potiorem anteriore etiam corporalem possessionem habente, si posterior non de pignore agat, sed de possessione.

ANterior creditor, qui generalem hypothecam in debitoris sui bonis habuit, [1] si mandante iudice missus sit in possessionem fundi, quo medio tempore fuerat alteri obligatus cum clausula constituti, deinde auocare ab eo possessionem velit posterior creditor condictione ex lege Iustiniani, [2] non idcirco debet vincere, quod & anterior sit creditor, & in corporali possessione. [3] Nam ius anterioritatis non prodest creditori, nisi cùm agitur hypothecaria. [4] Cum qua sane nihil commune habet remedium illud, quod competit ad reuocandam possessionem. [5] Corporalis autem illa possessio multo minus prodesse potest aduersus eum, qui & naturalis & realis possessor factus per clausulam constituti, [6] possessionis suæ reuocandæ jus habet, quisquis tandem ille sit, in quem se inscio fuerit illa translata. [7] Cum

BIU Cujas

enim duo simul possidere in solidum non possint,[8] consequens est, vt possessio, quæ posteriori creditori prius quæsita fuit per clausulam constituti, non patiatur alium possidere, qui corporaliter rem detinet.[9] Neque enim distinguemus, an debitoris solius facto corporalis illa, & asinina possessio in anteriorem creditorem translata sit, an vero iussu & auctoritate iudicis, qui forte pignus vendi mandauerit, & deinde creditorem, eundemque emptorem mitti in possessionem.[10] Nihil enim refert, an debitoris, an quod hac parte idem est ipsius iudicis facto interuersa sit prior posterioris creditoris possessio.[11] Et vtroque casu perinde hic posterior creditor auocandę possessionis suę ius habet.[12] An igitur nihil proderit anteriori creditori, quod sit anterior, quodque corporalem possessionem bona fide & Prætore auctore nactus sit? Respondeo, nihil ei prodesse debere, quod corporalem possessionem nactus fuerit auctore iudice, cum in iudicis arbitrio esse non potuerit, priorem creditoris posterioris possessionem interuertere, inscio & ignorante eo, qui per communis debitoris personam reuera possidebat. Factum siquidem, aut consensum ipsius possessoris interuenire necesse est, vt suam amittat possessionem,[13] in iudicio autem retinendæ possessionis nemo dubitat, quin potior eius causa esse debeat, qui veram & realem possessionem habet, quam eius qui non nisi asininam & reuocabilem.[14] Quod autem ad temporis priuilegium attinet, non magis anteriori creditori prodesse debet, quam si ageret contra posteriorem iam possessorem,[15] Certe nec minus.[16] Ergo posteriori hactenus proderit clausula constituti, vt possessoris iure censeatur, ac proinde, vt anteriori creditori ius pignoris in eo fundo prætendenti possit obiicere exceptionem non excussi debitoris,[17] nimirum ante litem de pignore contestatam. Alioqui minus opportune obiecta videbitur exceptio,[18] non secus, atque si prior creditor ille ageret, qui nunc conuenitur: cum haud dubiè actor ille sit in sua exceptione.[19] Interea igitur retinendus erit posterior creditor in sua possessione.[20] Quod si aut ex litigantium confessione, aut aliunde appareat illa debitoris bona nulla esse, quæ possint excuti, superuacuum sane fuerit, adeoque iniquum aufferri anteriori creditori possessionem, quam subinde ipsi restitui oporteat,[21] si non quicquid illi debitum est, posterior creditor offerre velit.[22] *Ita tractatum est* ex tempore venerab. collegio Canonicorum sanctæ Capellæ Chamber. contra heredem N. Chocquet, 14. Cal. April. 1594.

1 Siue expressam ex conuentione, siue tacitam ex priuilegio iuris. Nihil enim refert, cum eadem sit vis vtriusque, nisi in casu *l. assiduis* 12. *C. hoc tit.* si ea lex secundum Doctores intelligatur.

2 *Ex l. vlt. C. de acquir.*

3 Quam vis regulariter melior sit causa, & anterioris creditoris, & eius qui possidet, vt dixi *Defin. præced.*

4 Quia inter creditores hypothecarios, qui prior est tempore, is regulariter potior est iure, *l. 2. l. 4. & pass. C. hoc tit.*

5 In quo scilicet iudicio non quæritur, nisi de possessione, eáque retinenda non recuperanda, vt scripsi *Defin. 1. §. de acqui. poss. ff.*

6 *Ex l. quod meo* 18. *ff. de acquir. possess.*

7 Ne sit in potestate eius per quem possidemus interuertere possessionem nostram dolo malo, vt ait *d. l. vlt.*

8 *L. 3. §. ex contrario, D. eod. l. duo in solidum* 19. *D. de precar.*

9 Scilicet cum imploratum est beneficium legis Iustinianeę. Alioqui sola clausula constituti nil prodesset, vt dixi *d. Defin. 1. & alibi §. de acquir poss. ff.*

10 Quo facto certum est emptorem iustè possidere qui auctore prætore possidet, *l. iustè possidet* 11. *ff. eod. l. qui auctore* 137. *de reg. iur.*

11 Quia factum iudicis est factum partis, *l. 1. C. si in caus. iud. pign. capt. sit. l. si ob causam* 13. *C. de euict.* Vide tamen *Defin. 5. &* 6. *§. C. si aduers. cred. præscr. oppon.*

12 Cum non debeat ei nocere sententia à iudice inter alios lata, *l. 1. D. de excep rei iud. l. de vnoquoque* 47. *D. de re iud.*

13 Nimirum secundum eam interpretationem quam magistri adferunt, *ad d. l. vlt. C. de acq. possess.* Contra quam tamen scripsimus *in Chiliade, de error pragmat.*

14 Hic. n. tam possidet vere, quam est in possessione, quod lõge diuersum est. *l. si quis ante* 10. *D. de acq. poss. l. stipulatio ista* 18. *§. hac quoque stipulatio, D. de verb. ob. sig.* In interdictis : u em veram possessionem esse oportet, *l. officium* 9. *D. de rei vindic.*

15 Cum & possessor is esse intelligatur, qui ex beneficio legis Iustinianeæ possessionem suam auocare potest, *d. l. vlt. C. de acquir. poss.*

16 Non. n. plus juris habere potest is, cui competit auxilium legis Iustinianeæ, quam si etiam corporaliter possideret, ne plus possit fictio in casu ficto, quam veritas in casu vero, contra *l. filio* 23. *D. de liber. & posth.*

17 *Ex Auth. hoc si debitor, C. de pign. & in corpore vnde sumitur.*

18 Cum sit dilatoria, quæ proinde opponi debet ante litem contestatam, *l. exceptione* 19. *C. de probat. Not. ad dict. Auth. hoc si debitor*

19 *L. in exceptionibus* 19. *D. de probat.*

20 Quia pendente lite nemini est aufferenda sua possessio, *l. moueor* 4. *C. de seru. export.* Nisi in casu *l. Imperatores* 21. *§. vlt. D. de appellat.*

21 Cum dolo faciat qui petit, quod statim eidem restituturus est, *l. dolo facit* 8. *D. de doli mal. except.*

22 Ius enim offerendi semper saluum est posteriori creditori, *l. 1. C. si antiq. credit. pign. vendid.*

DEFINITIO XIV.

Clausula constituti apposita in pignore, statim operatur in præjudicium illius, cui postea idem pignus datum fuit, etiam si dies debiti nondum venerit, si modo iam cesserit.

Titius Sempronio vendiderat annuam pensionem quatuordecim aureorum, pretio ducentorum, ea lege, vt si cessaret Titius in annua pensione soluenda, liberum esset Sempronio pretium repetere, ex eaque causa Titius vniuersa bona sua pignori dederat, cum clausula constituti.[1] Deinde priusquam cessatum esset in solutione pensionis, fundum quędam creditori anteriori in solutum tradiderat, aut quod hac parte idem est, publicè vendi pro debito, eidémque creditori addici permiserat.[2] Postea cessante eo soluere pensionem Sempronius fundi illius possessionem quasi suam auocabat condictione ex lege Iustiniani propter clausulam constituti.[3] Quærebatur an jure ageret? neque enim videbatur ei prodesse debere clausulam, quæ sub conditione illa esset concepta, *si ad diem annua pensio non solueretur*, cùm ante conditionis euentum creditori anteriori ius in ea possessione quæsitum fuisset. Nam cùm placeant huiusmodi conditiones omnes, quæ in dando consistunt, esse potestatiuas,[5] succedit regula quæ negat, retrotrahi eas posse in præjudicium juris, quod medio tempore alteri quæsitum fuit.[6] Sed tamen probabilius videbatur in proposito statim cedere diem obligationis annuarum pensitationum, & statim ab initio nasci obligationem, licet non nisi in singulos annos, & certo cuiúsque anni tempore exigi possint.[7] Aliud enim est cessisse diem, aliud venisse.[8] Cui consequens erat, vt clausula constituti jam inde ab initio vires suas exereret ad possessionem pignoris transferendam in emptorem, quamdiu pensiones deberentur, licet quod ad sortis & pretij repetitionem attinebat, non nisi sub conditione facta promissio videretur, & similiter contracta in eum casum pignoris obligatio, si ad diem pensiones non soluerentur: & sub eadem conditione translata possessio per constitutum.[9] Igitur melior etit causa Sempronij, in quæstione De possessione pignoris, quam creditoris anterioris. Planè si agatur hypothecaria, & de jure ipso pignoris, aliud erit, eaque obser-

BIU Cujas

obseruari oportebit, quæ scripsimus proximo Senatusconsulto. *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 Vt passim hodie fit in venditione annuorum redituum vulgo vocant *rentes constituees*, quarum frequens satis est vsus apud nos, sed longe frequentior apud Gallos.

2 *L.1.C.si antiq. credit. pign. vendid. l. 1. & 2.C si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

3 *Ex l vl. C. de acquir. poss. ff.*

4 Nec enim ius semel alicui quæsitum facile postea inuito ei vel ignoranti auferri potest, *l. vltim ff. de pact. l. id quod nostrum 11. de reg. iur.*

5 Etiamsi maxima sit dandi difficultas, *l. continuus 137. §. illud, de verb. oblig.*

6 *L 1. l. qui balneum 9. l. potior 11. D. hoc tit.*

7 *L stipulatio 16 §. 1 ff de verb. oblig. Not. in l. cum notissimi 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

8 *L. cedere diem 213 de verb. signific.*

9 Nam & sub conditione transferri potest possessio, *l. qui absenti, §. 1 ff. de acquir. poss. ff.*

DEFINITIO XV.

Dos data & aucta constante matrimonio non habet priuilegium temporis à die prioris dotis, constitutæ, si qui sint alij creditores pignoratitij, qui medio tempore contraxerunt.

PAter filiæ nubenti certam pecuniæ quantitatem, vt fieri assolet, dotis nomine promiserat, & genero soluerat pro omni legitimæ iure, quod filia in bonis paternis esset quandocunque habitura. [1] Defuncto patre, cum filia quereretur minus legitima sibi datum, [2] obtinuerat, vt quantum ad iustum legitimæ modum necesse erat sibi suppleretur, acceptámque à patris heredibus pecuniam eidem viro rursus, & nouo contractu in dotem dederat. [3] Non idcirco prioris constitutionis dotalis priuilegium habebit posterior in præiudicium creditorum medij temporis, [4] quod supplementum legitimæ, augmentúmque dotis eodem iure censeri debeat, quo legitima, dosque ipsa. [5] Id enim recte quidem dicitur, si aduersus maritum ipsum aut patris heredem agatur. Sed non item, si contra creditores qui medio tempore cum viro contraxerunt. [6] Nam id duntaxat dotale fuisse videri potest, quod in dotem diserte datum est. [7] Et quamvis etiam constante matrimonio dotem augeri nihil prohibeat, [8] pignus tamen eo nomine contractum videri non potest, antequam dos aucta sit, [9] nisi proponas ab initio constituta in dotem bona etiam futura. [10] Quo casu haud dubie anterioris temporis priuilegium tota dos haberet. [11] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Masuyer, & Antonij Bourgeois, 8. Id. Iun. 1594.

1 Postquam eo iure vtimur, vt legitima possit repræsentari à viuo patre, interueniente præsertim iureiurando, *ex cap 2. de pact. in 6.*

2 Per conditionem ad supplementum legitimæ, *ex l. omnimodo 30. C. de inoffic. testam.*

3 In augmentum scilicet dotis: potest enim vtique dos augeri, etiam constante matrimonio, adeoque tum primum constitui, *l. cum multa 20. C de donat. ante nupt. §. quamobrem, Nou. 39. de resti. t. & ea quæ par. vndec. mens.*

4 *d. §. quamobrem. in fin.*

5 Tanquam accessorium quod sequitur naturam sui principalis, *l. inter socerum 16 §. cum inter, ff. de pact. dotal. l. etiamsi 8. C. de iur. dot. l. Lucius 18 ff. de vsur.*

6 Quibus semel quæsitum ius auferri postea non potuit, vt dixi *Defin. 8. in fin §.*

7 *L. dotale 13 § dotale ff de fund. dotal.*

8 Vt dixi *num. 3. ex dict. quamobrem, in fin. d. Nouell. 39. de resti. & ea quæ par. vndec. mens.*

9 Quia cum pignoris obligatio sit accessoria, non potest incipere sine principali, & ante natam principalem.

10 Possunt enim & pignori dari & in dotem etiam bona futura, *l. vlt. C. quæ res pignor. l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur, ff. de pignor.*

11 Quoties enim numeratio sequitur ex necessitate præcedentis obligationis, inspicitur tempus obligationis non numerationis, *l 1 D. hoc tit.*

DEFINITIO XVI.

Mulier an habeat priuilegium prælationis contra creditores anteriorem tacitam hypothecam habentes, non minus pro augmento dotali, quam pro dote?

MVlier in hypotheca tacita, quam habet pro dote, præfertur omnibus creditoribus, non tantum posterioribus, licet expressam hypothecam habentibus (ex iure scilicet communi, quo qui prior est tempore, potior est iure) [1] sed etiam anterioribus ex priuilegio, quod doti Iustinianus dedit. [2] Quod tamen priuilegium, quoniam apertissime iniquum est, sic nostri æquissima interpretatione temperarunt, vt iis tantum noceat, qui tacitam hypothecam habent, non item illis qui expressam, [3] licet constitutionis verba manifestissime repugnent. Idque temperamentum Senatus noster passim probat. Sed an idem priuilegium habere mulier debeat in eo augmenti, vt vocant, dotalis genere, quod apud nos frequentatur, quæstionis est? Aperte enim negat Iustinianus, [4] fauere se velle mulieribus in lucris nuptialibus vt puta inquit, in donatione ante nuptias, sed tantum in dote, & hactenus ne damnum sentiant. [6] In eamque sententiam sicuti magis communiter à nostris probata est, ita & Senatus noster propensior videbatur. Non deerant tamen qui à Senatu alias contra iudicatum dicerent, aliámque rationem esse augmenti illius, quo vtimur, aliam donationis, de qua Iustinianus, duplici de causa. Quarum vna illa est, quod dotis augmentum pars sit dotis, eodemque passim, quo dos ipsa iure censeatur. [7] Altera quod non videatur ex mero lucro acquiri mulieri, sed potius in remunerationem, nimirum propter defloration em. Illud sane constabat priuilegium prælationis, etiam pro dote in extraneos heredes non transire. [8] *Ita tractatum est* in causa N. Claudij de S. Real, & Claudiæ Chambet, ante Cal. Ian. 1594.

1 *Ex l vnic. § 1. C. de rei vxor. act.*

2 *L 2. l. 4. & pass. C. hoc tit.*

3 *In l. assiduis 12. eod.*

4 Sic enim distinguunt illi ad *d. l. assiduis*, scripsi *lib. 8. coniect. cap. 1. & 12.*

5 *d. l. assiduis § vlt.*

6 Aliud enim est certare de lucro captando, aliud vero de damno vitando, *l. 3. in princ. D vnde vi.*

7 Vt diximus *ad tit. de donat. ante nupt. §.*

8 Quia non tam doti, quam personæ mulieris conceditur, *d. l. assiduis, vbi not. & ad l. 1. C. de priuil.*

DEFINITIO XVII.

Mulier etiam cum est anterior, potest repelli per exceptionem non factæ excussionis, siue is, qui conuenitur, possideat corporaliter, siue possit auocare possessionem conditione, ex l. vlt. C. de acquir. poss.

PRiuilegium mulieris, siue tacitam siue expressam hypothecam habentis, vt omnibus creditoribus præferatur, secundum eam distinctionem, quam proxime attulimus, [1] non impedit, quo minus creditor alius posterior, etiamsi corporaliter non possideat, iuuari aduersus mulierem possit exceptione non factæ excussionis, [2] tametsi possessio corporalis sit penes mulierem, [3] dum ita vt eam auocare creditor possit per conditionem legis Iustinianeæ, aut quo alio genere actionis. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l assiduis 12. vbi DD. hoc tit.* de cuius sententia vide quæ scripsimus *lib. 8. Coniect. cap. 11. & seq.*

BIU Cujas

2 Nam & aduersus dotem ea exceptio locum habet, per quam scilicet non fit, vt dos eo minus salua sit. Neque vero numeratur hoc priuilegium inter cætera priuilegia dotis. De quibus latè Campes. *in tract. de dote.*

3 Quia nec videtur possessio esse penes mulierem, quam diu ab ea potest iure auocari, *l. non videtur quisquam* 31. *de regul iur.*

4 Alioqui non posset alius creditor opponere exceptionem non factæ excussionis, quæ non alij competit, quam possessori, *auth. hoc si debitor, & ibi not. C. de pignor.*

DEFINITIO XVIII.

Casus, in quo posterior creditor præfertur anteriori, etiam constituti clausulam habenti, siue anterior agat hypothecaria, siue condictione ex l. vlt. C. de acquir. possess.

CONstituti clausula adposita in obligatione bonorum omnium præsentium & futurorum, licet prodesse soleat, quod ad bona futura attinet, perinde ac quod ad præsentia,[1] non tamen proderit creditori, vt alij posteriori præferatur in iis bonis, quæ communis debitor postea comparauerit ea lege, vt creditori posteriori ex eorum pretio satisfieret. Ac ni debitor satisfecerit potior esse debet in iis rebus posterioris creditoris causa, quam anterioris, quia nec aliter videri potest acquisitum debitori dominium,[2] cuius tamen acquisitionem omnino præcedere necesse est, vt vtilis aliqua pignoris obligatio contracta intelligatur.[3] Itaque nihil hac parte interierit, an prior creditor agat hypothecaria contra posteriorem aliúmve tertium possessorem, qui à posteriore ius habeat, an condictione ex lege Iustiniani[4] ad auocandam vel retinendam propriam possessionem. 5 Nam propositæ conuentionis potestas non tantum dominij causam afficit, sed etiam possessionis.[6] *Ita tractatum est* in causa Mauriciæ Richard, & Michaelis de la Siaz. 17. Cal. Maij 1595.

1 Nam sienti bona futura possunt dari pignori, quasi sub ea conditione, si peruenient ad dominium debitoris, *l. 1. l. & quæ nondum* 15. *§. quod dicitur, ff. de pignor.* ita & eorum possessio transferri potest sub illa conditione, si quandoque perueniat ad constituentem, *l. qui absenti* 38 *§. 1. ff. de acquir. poss.* Tessaur. *decis* 105. *num.* 4.

2 *L. quamvis* 17. *C. de pignor. l. licet* 7. *C. hoc tit. l. 2. ff. de rebus eor. qui sub. tutel.*

3 *L. & quæ nondum* 15. *§. quod dicitur. ff. de pignor.* Nec enim res aliena pignori dari potest, *l. 1. & tot. tit. C. si alien. res pignor. dat. sit.*

4 *Ex l. vlt. C. de acquir. possess.*

5 Cum tamen in aliis causis soleat multum interesse, vt dixi *Defin.* 6. §.

6 Quia clausula constituti apposita in pignore nihil potest operari, nisi quatenus præcedit causa & ius pignoris, cum non possit creditor possidere pignus, antequam pignus sit, *arg. l. si debitor* 11 *ff. de precar.*

DEFINITIO XIX.

Posterior creditor præfertur anteriori in pignore, cum anteriori ius sublatum est, non per nouationem simplicem, sed per delegationem.

CVm tu Sempronio bona tua omnia præsentia & futura obligasses consensu, vt tibi Mæuius fundum Cornelianum venderet, qui mihi iam pro centum aureis erat obligatus, sed ea lege, vt si tu ex pretio mihi solueres. Is fundus tibi venditus est, nec tamen pretium mihi soluisti, sed pro solutione accepi delegationem, teque pro Mæuio debitorem meum in ea summa fieri passus sum. Si postea te nó soluēte pignus velim persequi & concurrat eiusdem pignoris persecutione Sempronius, ille potior erit, licet pristinum debiti, pignorisque mei ius fuerit antiquius.[1] Nam cum delegatio sit nouatio,[2] dubitari non potest, quin per nouationem, sicut prior obligatio tollitur,[3] ita pignora omnia, quæ obligationi accesserant, liberentur.[4] Nec est contrarium, quod plerisque locis responsum est, etiam nouatione facta eundem temporis ordinem retineri.[5] Id enim tum vere dicitur, cum idem debitor manet,[6] at per delegationem nouus debitor fit, qui antea non erat.[7] Illa potius ratio pro me faceret, quod non simpliciter consensi venditioni pignoris mei, sed ea lege, vt ex pretio mihi satisfieret, non quod dum præstitum est.[8] Atquin imo vero credendum est, mihi satisfactum esse hoc ipso, quod Mæuium liberaui, nouumque te accepi debitorem, cuius fidem sum secutus.[9] Itaque mihi imputare debeo, quod, cum delegatio fieret, non fuerim protestatus, vt saluum mihi esset ius prioris ordinis in pignore. Neque enim dubitandum est, quin ita protestari potuerim, mihique consulere aduersus Sempronium,[10] ne mihi præferri quandoque posset in ea re, quam prius habui obligatam.[11] Nulla facta protestatione non proderit mihi, quod pignoris possessor factus sim, etiam iubente iudice, si modo inaudito Sempronio,[12] qui ius suum exequi tum non potuerit, aut non debuerit.[13] Nam si contra me, aut eum, qui à me causam habet, agat Sempronius, vincet proculdubio tanquam creditor anterior effectus, qui antea erat posterior.[14] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et dici soleat eum, qui prior sit tempore, potiorem esse in pignoris quoque iure, *l. 2. l. 4. & pass. C. hoc tit.*

2 *L. delegare* 11. *& pass. D. de nouat. & deleg.*

3 Cum nouatio quælibet sit prioris debiti peremptio, *l. 1. eod. tit.*

4 *L. nouatione* 18. *eod.*

5 *L. 3. in princ. l. creditor* 12. *§. Papinianus, alias l. si prior, D. hoc tit.*

6 Vt in legibus & locis supradictis.

7 Et idem remanet creditor, qui antea fuerat, licet alterius debitoris.

8 Cum tamen in conuentionibus correspictiuis debeat impleri ex vtraque parte, *l. cum te* 6. *Cod. de pact. inter. empt. & vendit.*

9 Ob eam siquidem causam dicitur soluere qui delegat debitorem, *l. quamvis* 8. *§. interdum, D. ad SC. Vellean.* Nam & bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum, *l. qui debitorem* 18 *ff. de fidei. ff. l. inter causas* 26. *§. abesse, D. mandat.*

10 Multi enim solent salua pignoris sui causa consentire, *vt in l. si debitor* 4 *§. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. sol.*

11 Protestatio enim nullum ius nouum tribuit, sed vetus quod competit conseruat, *d. l. 4. §. 1. l. quicquid* 10. *D. commun. præd.*

12 Factum enim iudicis inter alios nunquam aliis nocet, *l. 1. ff. de except. rei iud. l. de vnoquoque* 47 *ff. de re iudic.*

13 Nihil enim potest imputari ei, qui agere, etiamsi maxime vellet, non posset, *l. 1. §. vlt. C. de annal. except. l. 1. in fin. C. debit. matern.*

14 Et ita vincet iure communi, quo is, qui prior est tempore potior est iure, vt dixi *num.* 1. §.

DEFINITIO XX.

Quod mulier res mariti amouisse dicitur, non facit quo minus præferenda sit mulier, quæ anterior est, licet alia iam teneat bona, ex quibus possit ei satisfieri.

MVlier, quæ anteriore iure in pignorum dotalium possessione reperitur, licet habeat vnde possit abunde tibi satisfacere, non eo minus tamen ius habet intercedendi, si quid aliud ex bonis obligatis alius posterior creditor soluto matrimonio persequi velit. Nam cum sit anterior, siue possideat siue nonnullam sane pignoris controuersiam pati potest à posteriore creditore totum debitum cum accessionibus

BIU Cujas

cessionibus omnibus non afferente, [1] nisi hactenus, (quando sic tandem contra iuris rationem inualuit,) vt cogatur ex causa pati distractionem pignorum omnium, ea lege tamen, vt ei primo loco in totum satisfiat. [2] Nec aliud erit, tametsi res mariti amouisse dicatur. Nam si ob res amotas retentio aduersus dotem agente muliere non competit; [3] multo minus eo prætextu repellenda erit mulier, ne sibi pro dote consequenda prospicere per retentionem possit, [5] aut per viam exceptionis [6] & intercessionis, vt posterioris creditoris actionem excludat. *Ita Senatus* pro Benedicta Sage, 8. Cal. Decemb. 1595.

1 Quia nec ius vllum pignoris intelligitur habere posterior creditor, quoysque ius suum confirmauerit, offerendo creditori anteriori, *l. 1. l. prior 5. & pass. C hoc tit.*

2 Nam ex ratione iuris nullo prorsus casu potest secundus creditor sibi prospicere contra priorem, nisi per ius offerendi, vt à nobis probatum est pluribus *in priore parte Hemischiliadis, de error. pragmat.*

3 Quomodo seruari solet inter creditores chirographarios, de quibus *in l. pro debito 7. C. de bon. auctor iudic. possid.* aut cum in causa iudicati pignus capitur, *l. à Diuo Pio 13. §. quod si res, ff. de re iudic.* Dicam *Defin 1 3. de distr. pign.*

4 *L. vnic. §. taceat, vers. sed nec retentio, C. de rei vxor. action.*

5 Cum facilius detur possidenti retentio, quam non possidenti actio, *l. 1. D. de pign.*

6 Nam cui damus actionem, multo magis damus exceptionem, *l. 1. §. is autem, D. de superfic. l. inuitus 156. §. 1. de regulis iuris.*

DEFINITIO XXI.

Ex pluribus creditoribus qui diligentior est in exequendo præfertur in prætorio pignore, qui vero executionem ab alio factam impedit concurrit.

REfert multum, an posterior creditor fuerit diligentior in exequendo, an cum exequi inciperet, prohibitus sit intercessione anterioris. Priore casu præfertur in prætorio pignore [1] creditor posterior, [2] hactenus vt non prius inquietari possit, quam is, qui anterior est, cætera bona excusserit, [3] quasi hoc solo pro possessore habendus, quod prior executus est. [4] Posteriore vero concurrere videntur in diligentia, siquidem executio & intercessio executioni facta vnicus actus est. [5] Et quamvis executio ordine facti & intellectus præcedat intercessionem, tamen non minus diligens est in prospiciendo sibi qui intercedit, quam qui exequitur, cum ea ratione non solum impediat effectum executionis, [6] sed etiam sibi melius consulat in eo, quod sibi acquirit partes rei, ac si possessor esset, [7] quamvis non idcirco faciat se possessorem. Itaque in pari iure melior erit illius causa, tanquam anterioris, vt cætera bona excutere non cogatur. [8] Quanquam si esset ipse posterior, non ob id posset excipere de non facta excussione, quod anterioris executioni intercessisset. Nam sicut eiusmodi intercessio facit, ne is, qui prior executus est, possessor factus videatur, ita non potest efficere, vt qui intercessit pro possessore habeatur, [9] sed illud tantum, vt vtriusque ius sit æque integrum, quasi vtroque parem diligentiam præstante. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod tum demum intelligitur constitutum, cum ventum est in possessionem, *l. non est verum 26. §. 1. D. de pignorat. action.*

2 Quia diligentioribus sibique vigilantibus iura subueniunt, *l. non enim 16. D. ex quib. caus. maior. l. pupillus 24. D. quæ in fraud. credit.* Facit *l. si & iure 10. D. hoc tit.*

3 *Ex Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

4 Quia per executionem non fit quidem possessor statim cum executio incipit à capione, & vt loquuntur leuatione pignoris, sed tamen tantundem iuris nanciscitur qui exequitur, atque si hoc ipso fieret possessor.

5 Vt proinde non possit dici quis in eo actu sit diligentior.

6 *L. à Diuo Pio 15 §. si rerum, & §. sed vtrum, D. de eo iud.*

7 *§. commodum, Instit. de interdict. l. is qui destinauit 24. D. de rei vindic.*

8 *L. 2. l. 4 & pass. C. hoc tit.*

9 Nam intercedere executioni per alium factæ non est modus acquirendæ possessionis.

DEFINITIO XXII.

Legatum pro anima relictum fauorabilius est legato dotis.

PRiuilegium legati, quod pro anima relictum sit, tantum est, vt etiam doti sit legatum hoc præferendum, [1] licet ipsa quoque dotis causa pia esse existimetur. [2] *Ita Senatus* in causa Dn. de Lorme, & Syndicorum de Montmillian, 8. Id. April. 1596.

1 Quia prima charitas incipit à seipso, *l. præses, D. de seruit.* & anima cunctis rebus est præferenda, *l. sancimus, C. de sacrosanct. eccles.* Andr. Tiraq *priuileg. 68 de priuil. pia causa.*

2 *L. cum is 36. §. mulier, D. de condict. indeb.* Vnde est quod in omnibus dos & pia causa æquiparantur, & recte de dote ad piam causam argumentamur, inquit Tiraquel. *de priuileg. pia causa, priuileg 158.*

DEFINITIO XXIII.

Emptor sub pacto de retrouendendo potior est eo, cui fuit vendita hyperocha posteriore loco, licet posterior venditio habeat clausulam constituti.

IS cui res vendita fuit sub pacto de retrouendendo, si postea emat hyperocham, [1] sine clausula constituti, præfertur ei, cui postea eadem hyperocha vendita est, etiam cum clausula constituti, quia cum sit iam possessor, non indiget alia translatione possessionis, [2] quæ nec transferri potest per clausulam constituti in fauorem primi possessoris, cum eo tempore venditor amplius non possideret. [3] Hyperocha enim nil aliud est, quam res ipsa pluris æstimata. [4] Ex tempore in causa Boni Fou, & Ioannis Genon, 12. Calend. Febr. 1597.

1 Vulgo plurisualentiam vocant, de quo *in l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur. D. de pignor. & in l. quærebatur 20. D. hoc tit.*

2 Quia sicut ille, qui iam est dominus, non magis fieri potest dominus, *§. sic itaque, Instit. de action.* ita qui iam est possessor non magis fieri possessor potest.

3 Quoniam clausula constituti nihil operatur, nisi constituens possideat eo tempore quo constituit, *l. quod meo 18.* vbi omnes notant, *D. de acquir poss. ff.*

4 *d. l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur,* vbi est text. elegans, *D. de pignor.*

DEFINITIO XXIV.

Amittit ius anterioris hypothecæ is, qui admittit delegationem emptoris, nisi eiusdem fundi hypothecam specialiter exceperit, aut de pristino pignoris iure protestatus sit.

QVi habebat obligatum Titium debitorem, eiúsque fundum Cornelianum, consenserat vt Cornelianus ille fundus Mæuio venderetur, ea lege, vt Mæuius ex pretio constitueret se pro Titio eiusdem quantitatis debitorem. Mæuius emerat, seque de pretio obligauerat, [1] eodemque contractu bona sua omnia creditori Titij oppignauerat. [2] Cum de iure & ordine pignoris inter creditorem hunc & anteriores Mæuij creditores [3] tractaretur, dicebat hic se potiorem, quod fundum hunc obligatum habuisset multo ante tempore, quam in Mæuij dominium peruenisset, nec fundum obligatum habere vnquam desiisset, qui scilicet ipso delegationis instrumento eundem fundum cum reliquis Mæuij bonis pignori accepisset. [4] Nec ad rem pertinere, quod fundi huius

BIU Cujas

hy: crocham antea constitutam speciali conuentione non excepisset.[5] Id enim tum recte dici, cum potiorem se contendit is, cuius pecunia fundus comparatus est, quem numquam antea habuit obligatum.[6] Hic vero, de quo agimus, anteriorem habuit hypothecam.[7] Contra tamen visum est postponendum hunc tanquam posteriorem, si non specialem in eo fundo hypothecam sibi exceperit,[8] quia sublato per delegationem[9] anteriore debito, anteriorem quoque illius debiti hypothecam sublatam esse consequens est,[10] nouamque contractam, quæ proinde anterioris priuilegio gaudere non debet mutata persona debitoris.[11] Igitur & ad hunc casum pertinebit, quod constitutum est in eo, qui credidit ad rem emendam.[12] Quid enim refert, an ex mea pecunia fundum emeris an de pretio te mihi obligaueris eius pecuniæ nomine, quæ mihi à venditore tuo debebatur?[13] *Ita Senatus* in causa Mauriciæ Richard, & Michaelis de la Siaz, Idib. Mart. 1597.

1 Facta scil cet delegatione, ac proinde nouatione, *l. de egare 11. & tot. tit. ff. de nouat. & delegat.*

2 Et consequenter cum ipsum fundum qui factus fuerat Mæuij.

3 Quibus obligata erant Mæuij bona non tantum præsentia, sed etiam futura. Hoc enim necessario ponendum est, siue expressim obligata sint bona futura, vt *in l. obligationes 6. l. & quæ nondum 15. §. quod dicitur ff. de pignor.* siue generaliter & indistincte bonis obligatis nulla neque præsentium, neque futurorum facta mentione, *l. vlt. C. quæ res pign. oblig poss.*

4 Ita vt nullum proinde instans videretur, quo fundus à Titio pignoratus desiisset esse obligatus.

5 In delegatione, quæ exceptio & protestatio necessaria erat ad pristinum ius & ordinem pignoris conseruandum, *arg. l. si debitor 4. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

6 *De quo in l. licet 7. C. hoc tit.*

7 Qui videbatur tamdiu durare, quamdiu verum erat pecuniam solutam non esse, *l. grege 13. §. etiam. ff. de pignor. l. debitor 59 D. ad SC. Trebell.*

8 *Arg. l. licet 7. C. hoc tit.* iunct. *l. quamvis 17. C. de pign.*

9 Quæ scilicet non tantum nouationis, sed etiam solutionis instar obtinet, *l. quamvis 8. §. interdum, D. ad Senatusconsult. Velleian.*

10 Cum nouatione debiti facta pignora liberentur, *l. nouatione 18 ff. de nouat.*

11 Aliud enim esset, si persona debitoris mutata non fuisset, *l. 1. in princ. l. si creditor 12. §. Papinianus, alias l. si prior ff. de pign.* Dixi *Defin. 5. & 19. eod.*

12 De quo *in d. l. licet. & d. l. quamvis.*

13 Porro dici solet Æquipollentium idem esse iudicium, *l. vlt. in fin. D. mandat. l. mulier 22. vers. Brasidas, D. ad SC. Trebell. cum similib.*

DEFINITIO XXV.

Simulatio contractus non facit potiorem eum, qui posterior contraxit cum vero domino, si non efferat possessori, quod eius auctor offerre cogeretur.

Si is, qui sub falso & simulato venditionis nomine fundum tibi in antichresim dedit,[1] eundem postea mihi vendiderit, non ero id potior, siue in dominij, siue in possessionis causa, quod ab illo emero, qui fuit verus dominus.[2] Nisi eam pecuniæ quantitatem restituam, quam auctor meus ad pignoris possessionem auocandam restituere cogeretur.[3] Etsi enim venditio non est: tamen pignoratitius iustúsque contractus est.[4] Quod si aduersarius, idemque possessor neget simulationem vllam interueniisse, de eo prius cognoscendum & pronunciandum erit, quam vt offerri pecunia possit luendi pignoris causa.[5] Pendente enim quæstione falsi, aut simulationis, pro instrumento potius præsumendum est.[6] *Ita Senatus* in causa D. du Four, & Iacobinæ Berru, 4. Cal. April. 97.

1 Sic enim plerumque fiunt contractus simulati, qui reuera sunt pignoratitij, adeoque vsurarij, licet sub venditionis titulo fiunt *l. 1. vbi not. C. de pact. inter empt. & vendit. notat. in l. emptione 3. Cod. plus valer quod agit. quam quod simulat. concip.* Etsi longe alia illius loci sententia est, vt alibi scripsimus.

2 Quamvis dici soleat, si duo à duobus emerint, vnus à domino, alius à non domino, præferri eum qui emit à domino, licet alij priori res tradita sit, *l. si eadem res 31. in fin. ff. de act. empt.*

3 Cum possit etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri, *l. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin.*

4 Quamvis enim hi contractus sint vsurarij & facti in fraudem vsurarum legitimarum, apud nos tamen hactenus tantum improbati sunt, vt redigantur ad legitimum modum. scilicet vsurarum quincuncium, condemnando possessorem, ad restitutionem fructuum, in eo quincunces vsuras excedunt, admissa vsque ad concurrentem quantitatem compensatione, vt alibi scripsimus.

5 Prius enim est, vt constet pignus esse, quam vt de pignoris luitione tractari possit, quia vero emptori offerri non potest, nisi in casu *l. si mandatu 59 § Paulus respondit, D. mandati l. 2. & 3. l. cum secundus 5. & l. 6 ff. de distract pign.*

6 *L. 2. C. ad legem Cornel. de falsi. l. cum propria 5. C. si quis alteri vel sibi.* Not. *in l. 1. Cod. plus valer. quod agit. quam quod simul. concip.*

DEFINITIO XXVI.

IVs pignoris & prælationis exceptum in re vendita ad pretium eiusdem rei, postea per emptorem venditæ porrigi non potest.[1] *Ita tractatum est* 14. Calend. Febr. 1598.

1 Nec enim pretium redactum ex re obligata ideo est obligatum, aut contra, *l. idemque est 7. in fin. D. hoc tit. l. quivis 48. §. vlt.* vbi Gothofr. *D. de furt.*

DEFINITIO XXVII.

Mulier habens pro dote certa tantum bona obligata specialiter præfertur posteriori, in cæteris tanquam tacite generaliter obligatis si specialiter obligata non sufficiant, item posterior creditor non possidens non habet exceptionem.

QVod placuit mulierem, quæ certa mariti bona pro dote pignori accepit, non eo minus cætera omnia ex Iustiniani constitutione[1] habere obligata generaliter, facit, vt si de iure pignoris inter mulierem & alium creditorem posteriorem, qui generaliter quoque cætera bona omnia obligata habuit, controuertatur, potior debeat esse causa mulieris,[2] nisi certum sit ex probationibus per posteriorem creditorem, non per mulierem adferendis, posse dotem integram saluam esse ex pignorum specialium distractione.[3] Idem enim seruandum esset, si mulier bona quædam specialiter, cætera vero omnia generaliter expressa conuentione pignori accepisset. Sed & quod ab Imperatoribus benigna interpretatione magis, quam ex iuris ratione constitutum est, iurisdictionem temperandam esse, ne posterior creditor inquietetur, ob generalem hypothecam si specialis sufficiat,[4] ad eos demum posteriores creditores pertinet, qui bonorum generaliter obligatorum possessores reperiantur. Ei namque qui non possideret, faueri contra creditorem anteriorem, qui æquale ius in bonis omnibus haberet, nec minus ea, quæ generaliter, quam quæ specialiter sibi obligata essent, teneret, iniquum sane foret, & ab æquitatis perinde atque à iuris rationibus alienum. Semper enim plus iuris habet qui possidet, quam qui non possidet, etiam cæteris paribus:[5] quanto magis si is, qui possidet, potiore præterea iure nitatur?[6] *Ita tractatum est* 3. Non. Mart. 1598.

1 *In l. vnic. C. de rei vxor. act.* Dixi *Defin. 23. ill. tit. §.*

2 Eo scilicet iure communi, quo inter creditores hypothecarios, qui prior est tempore, potior est iure, *l. 2. l. 4. C. hoc tit.*

3 *L. 2. C. de pignor. l. 2. D. hoc tit.*

4 *In d. l. 2. C. de pignor.*

5 *L. 1. §.*

BIU Cujas

5 *L.1.§.vlt.& l.2.D.vti possid.l.vlt.D.de acquir poss.*
6 Facilius siquidem est vt possidenti detur retentio, quam vt non possidenti actio, *l.1.ff.de pignor.*

DEFINITIO XXVIII.

Casus in quo emptor fructuum præferendus est creditori pignus iudiciale habenti in fructibus, Etiam ratione fructuum post constitutum iudiciale pignus percepterum.

CVm in judicati exequutione creditor posterior fundum debitoris capi curasset, patiebatur controuersiam à possessore qui se ante aliquot annos ejusdem fundi fructus emisse dicebat, ex eóque contractu jus sibi esse non tantùm retinendorum fructuum, quos ex fundo percepisset, sed etiam percipiendorum eorum qui in finem vsque temporis venditione comprehensi restabant percipiendi. De perceptis quidem constabat, non esse aufferendos emptori, qui eos percipiendo voluntate domini suos proculdubio fecisset, [1] adeóque priusquam ius vllum pignoris in eo fundo quæsitum fuisset ei, qui nondum vicerat, cùm pignus iudiciale tum demum constituatur, cùm capitur. [2] Sed de percipiendis maior erat dubitatio, cùm dominij jure ad emptorem pertinere non possent ante perceptionem, [3] sed ius soli omnimodo sequerentur. Ea namque res facere videbatur, vt pignore iudiciali fructus quoque contineri necesse esset. [4] Itémq; vt separatim tanquam pars alia quelibet fundi pignori capi possent. [5] Sed tamen cùm pro venditione fructuum bona omnia venditoris eiusdémque debitoris bona omnia præsentia & futura pignori expressim obligata proponerentur, recessum est ab hoc tractatu, visumque præferri debere emptorem, non quasi emptorem, sed quasi creditorem pignoratitium anteriorem, [6] cui cùm pignoris etiam persecutio dari deberet multo magis danda erat possidenti retentio, [7] cùm in numero futurorum bonorum quæ obligata fuerant fructus istos, contineri non ambigeretur. [8] *Ita Senatus* pro heredibus Ioannis Violon, contra Augustum Paris, 3. Non. Mart. 1613. in secreto auditorio.

1 *L.si seruus 61 § locaui. D.de furt.*
2 Non capitur autem nisi in executione iudicati, & consequenter postquam iudicatum est, *l.à Diuo Pio, 15.§.in venditione & seqq. D.de re iudic.*
3 Quia sequuntur ius dominij & soli, *l.qui scit 25.§.1. Dig.de vsur.*
4 In consequentiam necessariam.
5 Fructus enim pendentes fundi pars esse videntur *l.fructus pendentes 45. D.de rei vindic.*
6 Sunt enim separata iura emptoris & creditoris quamvis in eadem persona, nec quicquam vetat fructus futuros obligari & vendi, Vt sc. obligari sint quovsque sint percepti & ipsa perceptione facti emptoris, quo tempore superueniens dominium tollit, & confundit ius pignoris, *l.pen.in fi ff.de excep.rei iudi.*
7 Vt dixi ad *Defin.praced num.6. ex l.1.D.de pignor.*
8 *d.l.1.§.cum prædium, de pignor.*

DEFINITIO XXIX.

Pignus licet posterius constitutum per sententiam præfertur anteriori quod habuit condemnatus.

HEres cum beneficio legis & inuentarij conuentus, vt prosequeretur appellationem à defuncto interpositam de re cuius dominium, & possessio erat extra causam hæreditatis cum Titium aduersarium remitti ad discussionis instantiam postulasset, nec obtinere potuisset, [1] tandem consenserat, vt iudicato staretur, quo iudex subhastationibus contra debitorem factis decretum interposuerat, condemnato præterea debitore in omne id, quod creditoris eiusdem que emptoris interesset. [2] Addita etiam sumptuum litis condemnatione. Deinde subiuncta generali hac clausula, *à prendre & leuer sur les biens.* [3] Postea idē heres aduersus consensum illum suum Senatusconsulto confirmatum, &, vt loquuntur, homologatum, ciuilem supplicationem porrexerat, quasi de ea appellatione cognosci in discussionis instantia debuisset vocatis creditoribus omnibus, & cæteris quorum poterat interesse, iterumque succubuerat. Peracta tandem discussionis instantia Senatus bona defuncti vniuersa publice distrahi iusserat, & pecuniam, quæ ex venditione redigeretur diuidi ex ordine inter creditores. [4] Idem ille heres cum nullus se offerret emptor extraneus bona omnia emerat, [5] & quia erat ille variis ex causis anterior creditor maiorem t.b. partem precij in solutum retinuerat, reliquam penes grapharium, vt à Senatu iussus erat, obsignauerat. Conueniebatur postmodū à Titio, vt vel solueret quicquid & sumptuum litis appellatoriæ nomine & pro eo, quod victoris interesset iudicatum taxatumque fuerat, vel defuncti bona distrahi, in eámque causam victorem in eorum possessionem mitti pateretur. [6] Negabat heres se teneri, quòd non iam vt heres, sed ex noua causa, & tanquam emptor alius extraneus quilibet, [7] contra quem nulla defuncti creditoribus etiam anterioribus actio competere poterat, sed tantum aduersus creditores posteriores, si quid priore loco iis solutum fuisset, [8] Maxime cùm idem ille heres creditorem, se proprio nomine anteriorem ac potiorem diceret & probaret. [9] Neque verò aut æquum aut iuri consentaneum videbatur, vt heredi cum beneficio legis & inuentarij, ex noua causa nouóque iure se tuenti noceret, senatusconsultum cum eo redditum, quasi cum herede ex beneficio legis. [10] Visum tamen est non posse heredem recusare iudicati executionem in ea bona quæ per Senatusconsultum eo ipso ita postulante nedum consentiente obligata fuerant. [11] veluti quodam tacitæ transactionis iure, [12] vt à litis appellatoriæ expensis in quas se alioqui proprio nomine condemnatum iri videbat, se liberaret totumque onus illud in bona defuncti reiiceret. [13] Quæ tamensi ad eum postea ex noua emptionis causa peruenissent. Tanto magis vtique cogendus erat, vt executioni consentiret, post eorum dominium si non magis, tamen certiùs & irreuocabiliter acquisitum. Habet enim hypotheca suas conditiones si neque solutum debitum, neque aliter eo nomine satisfactum sit quibus cessantibus tenet. [14] Neq; poterat mutata causa dominij tollere aut immutare ius pignoris in eadem persona, quod nec mutato ipso dominio & per multorum personas ambulante amittitur vnquam aut immutatur. [15] Cumque voluntatem heredis eiusdémque possessoris etiam authoritas Senatusconsulti subsecuta esset, non poterat prætextum anterioris pignoris obtendere, [16] cui renunciasset non obscurè consentiendo pignori, [17] quod ab ipso magis priusque quàm à Senatu constitutum fuisset. [18] *Ita Senatus* pro Domina de Cheurieres, contra filias & heredes Mauritij le Grand, 8. Cal. Iun. 1613.

1 Non enim veniunt in discussionis instantiam nisi ea quæ sunt in causa hereditatis, vt dixi sæpius sub *tit.de bon.auth.iud. possid.l.sequens 68.de leg.2.l.1.D.de separat.*
2 Obserua tamen non solere in sententia quæ decretum interponit super subhastationibus tanquam legitimè factis pronunciari quicquam de damnis & interesse, sed tantum de fructibus restituendis, si quos debitor à tempore expeditionis perceperit.
3 Quibus verbis constitutum erat pignus iudiciale per sententiam, licet alioqui non soleat constitui nisi cum capitur in executione iudicati *tot.tit.C si in caus.iud.pign.capt sit.* Nam si hypotheca nihil aliud est quàm suppositio ex proprietate Græci nominis, consequens est, vt superpositio constituat

hypothecam nec minus si facta sit per sententiam quàm si per testamentum, *l. non est mirum 26 ff. de pign. act. l. Lucius 12. de alim. leg.*

4 Secundum formam præscriptam *in l. vltim. Cod. de iur. deliber.*

5 Hoc enim facere & potuerat & debuerat *l. 2. Co. si in caus. iudic.*

6 Quæ natura & formula est actionis hypothecariæ, *le. si fundum 16. §. in vindicatione, &* ibi Bart. *D. de pignor.*

7 Potest enim quis hoc sensu varias personas sustinere, *l. si pater familias 5 §. 1 D. de adopt.*

8 *d. l. vlt. §. & si præfatam, cum seq. C. de iur. delib. l. debitor 59. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

9 Impedit enim beneficium inuentarij ne actiones heredis confundantur *d. l. vnic. §. in computatione.*

10 Videtur enim cum alio redditum, quia sub alia formalitate *l. si mater 11. § eandem & pass. de exc. pr. rei iudic.*

11 Nocebat enim illi factum proprium itémque authoritas rei judicatæ.

12 Quo jure quicquid fit licitè fieri intelligitur, *l. quid ergo, §. pen. D. de his qui not. infam.*

13 Est enim grauius onus personæ quam bonorum, *l. 8. de alim. leg.*

14 *L. grege 13. §. etiam, D. de pignor.*

15 *L. 1. § cùm prædium eod. l. 7. l. distractis 14. & pass. C. eod.*

16 *Ex l. 2 & pass. C. hoc tit.*

17 *L. 4. §. 1. l. Paulus 12. in princ. & pass. D. quib. mod. pign. vel hypoth. solvit.*

18 Nam & factum judicis est factum partis, *l. 1. C. si in caus. iudic. l. si ob causam 13. C. de exact.*}

TIT. IX.

DE HIS QVI IN PRIOR. CREDIT. loc. succed.

DEFINITIO I.

Is, ex cuius pecunia dimissus est priuilegiarius creditor, succedit in priuilegium actionis personalis, etiam citra conuentionem.

IN personalibus actionibus, qui postea contraxerunt, si pecunia eorum ad priores & priuilegiarios creditores peruenerit, in ipsorum jus & locum succedunt. [1] Neque necesse est in id creditam esse pecuniam ab eo, qui posterior contraxit, vt priori creditori soluatur. Sufficit enim vt eius pecunia ad priorem peruenerit, siue statim & recta via, [2] siue per ipsius debitoris personam, dum ne ex interuallo: [3] quod idcirco adiectum videtur, ne alioqui passim quæstio incurrat, [4] vtrum ex ea ipsa pecunia, an ex alia solutio facta sit, cùm pecunia sit ex earum rerum numero, quæ non solùm vsu, sed etiam confusione & immixtione consumuntur. *Ita in Senatu tractatum est* in causa Claudij du Port, & N. Pignier 6. Id. Julij, 1591.

1 *L. si venditori 24. §. vltim. D. de rebus auctor. iudic. possid. l. 2. D. de cess. bonor. l. item si, 7. alias l. sed Iulianus, §. antepen. ff. de Senatusconsul. Macedon. l. 1. § nunc tractemus, Digest. de tutel. & ration. distr.*

2 Qui casus minorem dubitationem habet. Glos. tamen *in d. l. 1.* videtur requirere expressam conuentionem.

3 Ita enim distinguit Vlp. *in d. §. vlt. l. si ventri.* Et ratio est, quoniam quæ in continenti fiunt videntur inesse, *l. lecta 40. vers. dicebam, D. de reb. cred.*

4 Quæ res magnam litium materiam præberet, quam melius est præcidere, *l. 4. § ait prætor ff. de re iudic. l. singulis 6. ff. de except. rei iudic. l. quidam 21. ff. de rebus credit.*

5 *L. 1. & tot. tit. ff. de usufr. ear. rer. quæ vsu consum. l. si alieni 78. ff. de solut.*

DEFINITIO II.

Creditor hypothecarius posterior soluens anteriori hypothecario, succedit in eius locum etiam citra conuentionem, non etiam extraneus: & quid si solutum sit ei, qui habebat ius retentionis etiam contra anteriorem?

NOn idem est, si inter hypothecarios creditores contendatur. Non enim omnimodo & indistincte succedunt in locum hypothecarij creditoris illi, quorum pecunia transit ad creditorem. [1] Nam si extraneus fuit, non creditor, [2] is, qui priori soluit, non aliter in ius & locum ipsius succedere potest, vt secundo creditori præferatur, quam si expressim ita conuenerit, [3] At si tertius creditor soluat primo in eius vtique locum succedit, quamuis pactum de ea re nullum interuenerit, [4] ideoque secundo creditori præferetur. [5] Idem est, si tertij creditoris pecunia ad eum peruenerit, qui rem illam, quæ priori creditori obligata fuit, potuerat velut anterioris pignoris iure retinere. Finge Sempronium eam rem, de cuius pignore agitur, vendidisse Titio, qui postmodum cum primo creditore contraxerit, eique rem illam obligauerit, priusquam Sempronio pretium solueret. Nemo dubitat, quin Sempronio competat ius retentionis, quasi pignoris vice, in id vsque tempus, quo pretium sibi solutum sit. Quidni ergo tibi etiam competet, si Sempronio solueris, adeoque si pecunia tua ad Sempronium peruenerit? [6] Quare nec distinguendum erit, meo iudicio, an Titius cum primo creditore ante vel post emptionē contraxerit. [7] Non enim ob id solum, quod ante contraxerit, deterior fieri potest conditio Sempronij in re ipsa, quam vendidit, siue primi creditoris iusciuerit, siue ignorauerit, licet non nesciam esse qui distinguant. Nam vtroque casu verum est, non prius in Titium translatam videri proprietatem rei venditæ, nec si tradita res ei esset, quam pretium solutum, aut de eo fides habita fuisset: [8] multo minus alienatum dici potest dominium, si traditio nulla dum secuta sit. [9] Porro prius est, vt rei venditæ dominium ad debitorem peruenerit, quam vt ab eo res empta potuerit obligari. [10] Eadem ratio facit, vt non aliud dicendum sit, si ex pecunia mea te mandante fundum emero, quem tu ante solutum mihi pretium acceptámque possessionem Mæuio obligaueris, deinde Sempronio post acquisitam possessionem, cuius pecunia in pretij solutionem ad me postea peruenerit, Sempronium namque in pignore præferri æquum erit, cui alioquin Mæuius præferretur. [11] Etsi enim non fuit mihi res illa obligata, cogi tamen non potui, vt eam traderem, nisi soluto mihi prius redditoque pretio. [12] *Ita Senatus* in eadem causa. Et rursum pro Benedicto Geoffroy, contra Antonium Neyret, 9. Calend. Aug. 1592.

1 *L. 1. C. hoc tit.*

2 Opponimus enim hac in re extraneum creditori, *l. cum bona 16. D. de rebus auctor. iudi. possid. alias l. 1. de priuil. cred. l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

3 *d. l. 1.* vbi glos. Cyn. & alij *C. hoc tit.*

4 *L. vlt. C. eod. l. 1. C qui potior. in pign. hab.*

5 *L. Claudius 16. vers. plane cum tertius, l. eum qui à debitore 17. D. eod. tit. qui potior. in pignor. hab.*

6 *L. vlt. §. vlt. eod. tit.* iunct. *l. Iulianus 13. §. offerri, de act. emp.*

7 Quamvis ita Bartolus distinguat ad illum locum.

8 *L. quod vendidi 29. D. de contr. empt. l. Procuratoris 5. § sed si dedi. D. de tribut. act.*

9 *§. vendita, Inst. de rer. diuis. l. traditionibus 20. C. de pact.*

10 Cùm res aliena obligari non possit, *l. 1. & tot. tit. Co. si alien. res pignor. dat. sit.*

11 *L. 3. §. cùm ex causa, D. qui potior in pign. hab.*

12 *d. l. Iulianus 13. §. offerri, D. de action. emp. d. l. 5. §. sed si dedi D. de tribut. act.*

DEFI-

DEFINITIO III.

Numquam succedit quis in locum anterioris creditoris ob id solum quod ex eius pecunia dimissus sit anterior creditor, si solutio facta sit à debitore, nisi de eo expressim conuenerit.

ILlud vtique constat, si priori creditori solutum sit ab ipso debitore, licet ex mea pecunia, numquã posse me in prioris locum & pignus succedere ob id solum, quod pecunia mea ad illum peruenerit, siue creditor sim, siue extraneus, siue in continenti, siue ex interuallo debitor soluerit.[1] Nam nec sufficeret, vt inter me & debitorem conuenisset, vt ex pecunia mea antecedens creditor dimitteretur. Quomodo enim fieri potest, vt in ius primi succedere debeam, qui ipse nihil conueni de pignore?[2] Sed & si de pignore conuenerit, non sine ratione dicitur, satis id non esse, vt in ius primi succedere debeam, nisi de ea quoque expressim conuentum sit.[3] Alioqui enim potest & debet cõuentio intelligi de nouo pignore potius, quam de eo, quod penes priorem creditorem fuit: cum tamen ex contrario sufficiat conuenisse, vt succedam in ius & locum creditoris, licet nihil conuenerit de pignore. Quid enim aliud est in ius & locum creditoris succedere, quam eadem & personalis & realis actionis iura retinere?[4] Nam & ex sola interpositione pacti de vendendo dicimus contractum pignus intelligi,[5] licut & ex eo, quod creditori detur potestas ingrediendi bona debitoris propria auctoritate.[6] Sane illud quoque præterea requiritur, actum esse cum effectu, vt ex pecunia tertij siue extranei, siue creditoris prior creditor dimitteretur.[7] Dixi *cum effectu*, quia conuentio sola id efficere nequit, si non reuera ad primum creditorem pecunia tertij peruenerit.[8] *Ita tractatum est* in supradictis causis.

1 *L.1.* vbi gloss. Cyn. & alij *C. hoc tit.*

2 Ita Paulus *in l. Aristo 3. D. qua res pignor. oblig. poss.*

3 Gloss. Cyn. Bald. & alij *ad d. l.* 1. post Bart. *ad d. l. Aristo, ex l. debitor* 11. *aliàs l. si prior §. à Titio l. eum qui à debitore* 17. *D. qui potior. in pign. hab* Adde *l. vlt. C. de priuil. fisc.*

4 Non enim succederet in ius & locum prioris creditoris pignoratitij, qui non succederet in pignus.

5 *dict. l. 3. §. post diuisionem*, vbi Bartol. *D. qui potior. in pignor hab.*

6 Bald. *ad d. §. post diuisionem.*

7 *Vt in d. l. Aristo.*

8 *L. cum qui à debitore* 17. *D. qui potior. in pignor. hab.*

DEFINITIO IV.

Qui ex pacto inito cum debitore successit in locum anterioris creditoris, nulla indiget cessione, nisi extraneus sit, qui pro debitore soluit creditori.

SVperioribus vero omnibus concurrentib. in confesso est, secutum esse tertium creditorem aut extraneum, ex cuius pecunia priori creditori à debitore soluitur, licet nullam is à creditore iurium cessionem acceperit aduersus debitorem. Nam sicuti cum solo debitore contrahit, ita satis est inter ipsum & debitorem id agi, vt succedat in locum primi etiam ignorantis.[1] Neque vero cessio vlla vnquam necessaria est, nisi cum extraneus pro debitore soluit creditori.[2] Quo tamen casu si inter extraneum soluentem & creditorem, cui soluitur, conueniat de pignore, sufficiet ea res, vt hoc ipso ius, quod anterior creditor habuit in pignore soluenti extraneo, cessum videatur.[3] De quo enim alio pignore actũ videri potest, quam de eo ipso, quod fuit penes creditorẽ? Vtique enim nouum pignus in re aliena constituere nõ potuit,[4] eo præsertim instanti, quo proprij pignoris vinculum solutione debiti dissoluebatur.[5] Dicat aliquis, eo casu, quo solutio fit per debitorem, accidere eodem instanti, vt & solutione liberetur pignus à priore creditore, & secundi pignus confirmetur:[6] semel autem secundo quæsitum ius postea debitoris pactionibus tolli non posse.[7] At facilis responsio est, cum, qui pecuniam credit dimittendi prioris creditoris gratia, posse quam velit conuentioni suæ legem dicere,[8] nec vllam id circo fieri iniuriam secundo creditori, cuius eadem conditio mansura sit, quæ erat, priusquam præcedens creditor dimitteretur. Quid enim ipsius interest, an Titio, qui prior creditor fuit, an Sempronio, ex cuius pecunia Titius dimissus est, ponatur? idque nimirum est, quod dici solet, nihil omnino aliud iuris habere secundum creditorem, nisi vt soluat priori, & eius loco succedat.[9] Adeo autem verum est, transferri ius prioris creditoris in tertium etiam citra cessionem, vt, si forte inter eum & debitorem conuenerat, ne posset pignus vendere, cuius vendendi facultatem prior creditor ex contractus sui lege habuerat, permittatur tertio ex primi persona venditorem facere, si velit.[10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam posset id fieri etiam inuito priore creditore, qui scilicet inuitus accipere solutionem cogitur, *liquidam* 21. *D de rebus cred. l. si debitor* 30 *ff de solut.* quod autem fieri potest aliquo inuito, multo magis fieri potest eo ignorante, *l. qui potest*, 26. *de regul iur.*

2 *L. si cum pecuniam* 3. *& l. vlt C. de priuil. fisc.*

3 Quod diuersum est, si ea conuentio fiat inter debitorem & creditorem, vt dixi *Defin. praced. num.* 3.

4 *L. 1. & tot. tit C. si alien. res pignor. dat sit.*

5 *Arg. l. Titio cum morietur* 51. *ff. de vsufr.*

6 *L. si debitor* 4 *l. qui balneum* 9 *§. Titia. l. potior.* 11. *§. vlt. D. qui potior. in pignor hab. l.* 1 *prior* 5. *l. diuersis* 8. *C. eod.*

7 *L. vlt. ff de pact.*

8 *L. in traditionibus* 44 *ff de pact. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

9 *L. si creditor* 12. *alias l. si prior* 13. *§ si tertius, D. qui potior. in pignor hab.* quod tamen ita accipi debet, vt tertius soluat pecuniam à priore creditam priore loco, non quam prior posteriore loco crediderit, *d. l. creditor, §. si idem bis, & l. quærebatur* 20. *eod. tit.*

10 Vt eleganter Paulus tractat *in l. Aristo.* 3. D. *qua res pign. oblig. poss.*

DEFINITIO V.

Conuentio de succedendo in ius anterioris creditoris facta in continenti post numerationem tantum prodest, quantum si ante facta esset.

SEd & si ponas, minus cautum creditorem tertium dedisse mutuam pecuniam debitori, quæ ipsa primo creditori soluta sit, nulla conuentione facta de pignore: postea vero debitorem bona fide pepigisse, vt in primi creditoris iura tertius succederet, idem admittendum erit, quod diximus, vt in eo pignore tertius secundo præferatur, ac si ea lege & conditione tertius pecuniam numerasset, vt ex ea primus creditor dimitteretur; si modo in continenti, non ex interuallo pactio secuta sit.[1] Nam quæ in continenti fiunt, videntur inesse.[2] *Ita Senatus* in eadem causa Claudij du Port. & N. Pignier.

1 *Arg. l. si vent.* 24. *§. vlt ff de rebus auctor. iudic. possid. aliàs l.* 9. *de priuil. credit.*

2 *L. iuris gentium*, 7. *§. quinimo, ff. de pact. l. lecta* 40. *ff de rebus credit.* Sicut & ea omnia, quæ fiunt correspectiue, *l. cum te fundum* 6. *C. de pact. int. empt. & vendit.* Cravet. *cons.* 246. *nu.* 5.

DEFINITIO VI.

Ei, ex cuius pecunia creditor anterior dimissus fuit, necessaria est cessio actionis: sed non cogitur creditor cedere, si solutionem accipiat à debitore.

QVid igitur si nullo modo, aut non nisi ex interuallo conuenerit tertius de pignore, ex cuius ta-

BIU Cujas

men pecunia primo creditori debitor soluerit? Constat nullam ei competere pignoris persecutionem, siue secundus creditor, siue alius quilibet possideat,[1] ideoque necessariam ei esse cessionem iurium creditoris, cui soluitur,[2] si cedere is velit. Neque enim vt cedat inuitus cogi potest, cum per manus debitoris accipit solutionem, licet creditor fuerit is, ex cuius pecunia soluitur. Nam si extraneus fuit, nec si ipse solueret, cessionem tamen à creditore inuito extorquere posset.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.1.C.hoc ist.*

2 *Arg.l.vsucapio 7.& eorum quæ ibi not.C.de pign.& in l.1. §.cum prædium.* vbi Bart.*nu.*5.*&* 6.*D.eod.* Intellige autem ita, vt cessio fiat in continenti, *l.Modestinus 76 ff.de solut.*

3 *L.nulla* 5.*C.de solut.*

DEFINITIO VII.

Ille, ex cuius pecunia dimissus est creditor anterior citra conuentionem, licet actionem non habeat, habet tamen retentionem, si possideat, etiamsi solo beneficio clausulæ constituti.

SI tamen is possideat, cuius pecunia peruenit ad creditorem, siue creditor fuit, siue extraneus, poterit sibi per retentionem consulere, & opposita doli exceptione nō tantum aduersus debitorem, sed etiam contra secundum creditorem, ni offeratur ei quicquid ex eius pecunia priori creditori solutum est.[1] Possidere autem videbitur ad hoc, vt habeat ius retentionis, si eius nomine constituerit debitor se possidere,[2] dummodo secundus creditor eadem constituti clausula non nitatur; alioqui possessor ille solus videbitur.[3] Nec tertio prodesse poterit, quod pro eo constituerit debitor, se possidere eam rem, cuius possessionem iam in alium transtulerat.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L 1.in princ.* vbi Bart. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.* Eaque videtur esse sententia *l. eum qui à debitore 17. D. qui potior in pign.hab.* vbi etiam Bart. Negusant. late *in tract de pignor. memb 3 part.5 princ.nu.3.* Corn. *cons 245.incip. Videretur in præsen i in tit.Imol* 2. reprobata glos. *in l.cum prior 3 ff. de distract. pignor* quæ hoc sibi non placere ait.

2 Implorato scilicet beneficio constitutionis Iustinianeæ, *in d.l.vlt.C.de acquir poss.*

3 Cum non possint duo eandem rem eodem temp orein solidum possidere, *l.3.§ ex contrario, D. eod.l. duo in solidum 19. ff de precar.*

4 Cum nemo plus in alium transferre possit, quam ipse habeat, *l.nemo plus iuris 54.de regul.iur.* Id enim est quod dici solet clausulam consti ut. nihil operari, si constituens ipse non possideat *l quod meo 18.cum ibi not ff.de acquir.poss.*

DEFINITIO VIII.

Emptor, qui soluit anteriori venditoris sui creditori, non ideo succedit in locum anterioris, si neque pactum interueniat, neque cessio, in eoque dete ioris conditionis est quam creditor, & quare.

QVi emit à debitore, & soluit anteriori creditori, non idcirco succedit in ius anterioris, vt præferatur secundo creditori, nisi cessas habeat actiones, & quidem in continenti, aut si ex interuallo saltem præcedente, & inito solutione tempore pacto de edendis actionibus,[1] in eoque deterioris conditionis est, quam creditor. Constat enim, tertium creditorem hoc solo, quod eius pecunia peruenit ad primum creditorem, in ipsius iura succedere intelligi, vt citra cessionem secundo præferatur.[2] Sed non bene comparatur emptor creditori, quippe qui pretium soluens non id agit, vt alium obliget, sed vt se liberet.[3] Itaque quamvis ex ea solutione propter præcedentem causam contractus obligetur venditor de euictione,[4] non tamen ideo fit, vt creditoris iure censeatur, qui ad contrahendum accessit, vt emeret, non vt crederet.[5] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Sp. Ioanne Gay Aduocato, contra Ioannam Ripper, 2. Decembr. 1595.

1 Alioqui non posset creditor, cui solutum esset, cedere, & præstare actiones, quas non haberet, & quæ iam extinctæ essent per solutionem, *l. Modestinus 76 D.solut.*

2 Nimirum si conuenerit de pignore cum creditore, secundum ea, quæ scripsimus *D.fin 4.num 3.S.eod.*

3 Quia soluere habet necesse, *l.quod si minor 14.§. restituio. ff de minor.*

4 *L si in venditione 60.& pass ff.de euict.*

5 Vniuscuiusque enim contractus origo spectanda est & causa, *l.si Procuratorem 8 in princip.D.mandati.l.1.§.si seruum deposuit 30 ff depos.*

DEFINITIO IX.

Qui emit ea lege, vt pretium impenderetur ad reficiendam domum venditoris, idem priuilegium secuta euictione habet, contra cæteros creditores anteriores, quod haberet, si ab initio credidisset ad reficiendam domum.

EMens ab eo, quem sciebat habere multos creditores hypothecarios anteriores, à quibus futuram sibi controuersiam metuebat, quo sibi caueret, conuenerat, vt fundi pretium impenderetur in reficiendam domum eiusdem debitoris. Euicto postea per creditorem anteriorem fundo, qui fuerat venditus, cum creditori nondum esset plene satisfactum, ex eaque causa domus quoque ex fundi pretio refectæ distractio peteretur, visum est, emptorem hunc, etsi ab initio emptor fuisset, non creditor, nec adobligandum venditorem pecuniam ei numerasset, sed ad se potius liberandum soluisset,[1] cum tamen ex postfacto propter secutam euictionem factus esset creditor,[2] eodem iure censeri debere, quo si ab initio pecuniam in refectionem domus credidisset,[3] vt scilicet, quamvis tempore sit posterior, pro ea tamen pecunia, quæ in refectionem impensa fuit, anteriori præferatur, & in eo pignore vincat illum ipsum creditorem, à quo in cæteris omnibus superatur.[4] Nec enim vlla in eo fit iniuria creditori anteriori, cui emptoris huius pecunia saluam fecit pignoris sui causam,[5] præsertim cum de pignore nominatim sibi cauisset, adhibita etiam in eam rem clausula constituti.[6] Nam etsi pignoris conuentionem omisisset, placeret tamen dandum illi ius non tantum prælationis, sed etiam taciti pignoris,[7] cuius vtique non fauorabiliori videri potest causa, quam expressi. *Ita Senatus* in causa D. de VVateuille & viduæ D. Senatoris Colombat, Mens. Iun. 1605.

1 Quæ ratio est, ob quam solet hac parte deterior, conditio esse emptoris, quam creditoris, vt dixi *Defin. præced.*

2 Creditor siquidem ille est, cui ex quacunque causa debetur, *l.creditores 10.cum duabus seqq ff de verb signific.*

3 Tam enim diligenter sibi prospexit hic, qui curauit, vt in refectionem domus pecunia impenderetur, quam si in eam nominatim causam credidisset. Itaque damno afficiendus non est, cum sibi diligenter prospexerit, *arg.l.3 ff de separat.*

4 Cum non sit inconueniens, vt quis sit alio anterior & posterior diuersis respectibus, vt dixi *Defin.8. supr. cit. prox. ex l.creditor 12.§.si idem bis, & l quærebatur 20. D.qui potior in pignor.hab.*

5 *L.interdum 5.* iunct. *l.seq. D.eod.ill. tit.*

6 Per quam clausulam factus erat possessor pignoris, *l. quod meo 18 ff.de acquir.poss.* vt proinde facilius ei danda esset retentio, *l.1.ff de pig or.*

7 *L 1.D.in quibus caus.pignor.vel hypoth.tacit. contr.* Glos. *in d.l.interdum.*

TIT. X.

BIU Cujas

TIT. X.

SI ANTIQ. CRED. PIGNOR. vendid.

DEFINITIO I.

Secundus creditor habet ius offerendi ei, qui emit postulante priore creditore, si modo venditionem probabiliter ignorauit, at non ei, qui emit ab ipso anteriore creditore.

POSTVLANTE priore creditore hypotheca Iudicis auctoritate, publice vocatisque per programma[1] cæteris creditoribus, distracta est. Non eo minus liberum erit posteriori creditori debitū cum accessionib. offerēti pignus persequi, cum aliter indemnis fieri non potest,[2] sc. si venditionē pignoris probabiliter ignorauerit, nec sit quod ei imputetur, cur non iam tum obtulerit.[3] Idemque multo magis obtinebit, si anterior ipse creditor pignus emerit, aut in solutum acceperit, siue à debitore, siue ab apparitore, qui iudicatum exequi iussus est, ne in damno moretur secundus creditor, cui imputari nihil potest.[4] Aliud erit, si prior ex conuentionis lege & creditoris iure pignus distraxerit. Nulla enim illo casu aduersus extraneum emptorem actio supersse secundo creditori potest.[5] Hæc tam varie, quoniam intercedens Iudicis auctoritas pro debitoris facto est, nihilque hac parte refert, an debitor ipse an Iudex vrgente creditore pignus vendiderit.[6] Idque ex eo apparet euidentius, quod si alius emptor nullus sit, creditor emere cogitur,[7] qui vtique emptor esse non posset, si esset idem ille venditor.[8] Atqui debitoris facto deteriorem fieri conditionem posteriorum creditorum non oportet,[9] dum anteriorum, aut eius, qui ipsis soluerit, indemnitati consulatur.[10] Sicuti nec qui à debitore causam habet plus iuris adserere sibi potest in pignore, quam debitor habuerit creditórque, cui solutum est.[11] Creditore vero ius suum exequente, & ex lege initio dicta pignus distrahente,[12] sicuti quæri non potest de iure debitoris, quod nullum supersit,[13] ita nec de offerenda pecunia emptori.[14] quippe ius habenti ab eo creditore. Qui licet dominus non fuerit, dominium tamen pignoris in alium transferre potuit,[15] & quidem ab omni obligationis vinculo immune: inspecto scilicet tempore, non quo translatum fuit, sed quo de eo actum est, vt transferri quandoque posset, 19. Mart. 1588.

1 Vt fieri solet. *l. si eo tempore 6. C. de remiss pignor.*

2 Perinde ac si debitor ipse vendidisset, *l. 1. C. hoc tit.* vbi Salicet. *quæst. vlt.* Neguſ. *in membr. 5 part. princ. num. 7.* Vide tamen Ægid. Magist. qui contra sentire videtur *in decis. Paris. titu. des criees, artic. 7. cap. 37.*

3 Alioqui potest videri ius suum pignoris tacitè remisisse, *d. l. si eo tempore 6. C de remiss. pignor.*

4 Semper. n. succurrendum est ei, cui nihil imputari potest, nunquam ei, cui aliquid potest imputari, *l. quod quis 203. cum ibi not. de reg. iur.* Porro vox præconia paucis innotescit, *Auth. ei qui semel, C. quom. & quand. iud.*

5 *d. l. 1. & l. 2. C. hoc tit.*

6 Hoc enim est quod dici solet, factum Iudicis esse factum partis, *l. si ob causam 13. C. de euict. d. l. 1. C. si in caus. iudi. pig. capt. sit.*

7 *L. 2 C si in cau. s. iudic. pign. capt. sit, l. cum bona 16 ff. de rebus auctor. Iudic. poss. d. alias l. 1 de priuileg. credit.*

8 Alium enim oportet emptorem esse, alium venditorem, *l. 1. D. de rer. permut.*

9 *L. debitorem 15. C. de pignor.*

10 *L. à Diuo Pio 15. § quod si res pignorata, D. de re iudic.*

11 *Ex reg. l. nemo plus iuris 54. de reg. iur. cum similibus l. 3. in fi. ff de pignor*

12 Potest enim creditor suo iure pignus vendere, etiamsi de eo nihil expresse conuenerit, dum ne quid in contrarium conuentum sit, *l. si conuenit 4. ff. de pignor. act. & tot. tit. de distrac. pignor. D & C.*

13 *L. qui creditore 18. Cod. de distract. pignor.*

14 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

15 *Tit. quibus alien. non licet, Inst. in princip.*

DEFINITIO II.

Quo casu secundus creditor habet ius offerendi contra primum emptorem, habet etiam contra secundum, si modo sit creditor pignoratitius, alioqui non potest habere ius offerendi, nisi possideat.

SEcundus creditor non tantum aduersus anteriorem offerendi ius habet, vt pignoris sui ius confirmet,[1] siue dominij, siue pignoris iure anterior rem possideat, quemadmodum proximè diximus, sed etiam aduersus secundum emptorem, si rem sibi venditam aut in solutum datam prior creditor aliter vendiderit.[2] Neque enim alio iure penes secundum emptorē dominium rei esse potest, quàm quo penes priorem fuit, affectum scilicet & reuocabile.[3] Loquimur enim de secundo creditore pignoratitio, qui in ea re ius hypothecæ habeat, siue expressæ, siue tacitæ, siue generalis, siue specialis, alioqui non ex eo solo, quod quis creditor sit, habere potest ius offerendi hactenus, vt eo nomine possit agere.[4] Planè si possideat, habebit exceptionis iure, quoniam haberet, etiamsi creditor non esset, adeóque licet malæ fidei possessor proponeretur.[5] *Ita Senatus* in causa Dominæ de Chisé viduæ D. de Genuille, & Ioannis Baptistæ Varronis, 13. Cal. Sept. 1588.

1 *L. 1. l. prior quidem 5. C. qui potior. in pign. hab. l. potior 11. §. fin. eod.*

2 *L. 1.* vbi Salicet. *C. hoc tit.* perinde ac si extraneo, id est, non creditori ea res vendita fuisset, *l. si debitor 11. Cod. de distr. pigno. l. si conuenerit 18 § si fundum, D. de pign. act. c. ex literis, ext. de pignoribus.*

3 Ita Iacob. Aretin. Cyn. & Salycet. *in d. l. 1. C. hoc tit.*

4 Crauet. *consi. 298. num. 4. & 6.*

5 *L. mulier 19.* vbi gloss Bartol. & alij, *Digest. quibus potior. in pignor. hab. l. Paulus 12. §. fina. D. quibus mod. pign. vel hypothec. soluit.*

DEFINITIO III.

Tam iniustus quàm iustus possessor potest offerre creditori pignoratitio: sed actionem cedere creditor cogitur iusto tantum possessori, non etiam iniusto.

CVm de iure offerendi quæritur, non distinguimus inter justum & injustum possessorem, quia non est quærendum de jure possessoris, cum ius petitoris remouetur soluto pignore.[1] Sed tamen hactenus interierit, an iustus vel iniustus possessor sit is, qui offert, quod iusto duntaxat possessori, non etiam iniusto creditor actionibus suis cedere cogitur.[2] Qua enim fronte cessionis beneficium, quod iuris est, implorare audeat, qui contra ius possidet?[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ratio est Iurisconsulti *in d. l. Paulus 12. §. vlt. ff. quib. modis pign. vel hypoth. soluit.*

2 *L. mulier 19.* vbi glo *ff qui pot. in pig. hab.* Paul. Castr. *in l. si res obligata, 57. num. 4. de legat. 1.* fusè Neguſ. *in tract de pignor. in 3. membr. 5. part. princip. numer. 25 in fin. 26. & 27.*

3 *Arg. l. auxilium 37. in fin. ff. de minor. l. si plures 38. in fin. ff. de admin. tutor.*

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Venditio pignoris facta creditori, neque posterioribus nocet, quandiu tenet, quo minus offerre possint, neque ipsi emptori, quo minus iura sua salua habeat, si pignus postea euincatur.

CReditori facta venditio rei obligatæ sicuti non obstat posterioribus eiusdem debitoris creditoribus, quo minus in eam ipsam rem jus pignoris, quod habent, exequantur, si modo parati sint offerre, quicquid ei ex anteriore causa debetur, (quamvis aliud esset, si antiquior ipse creditor alij eam rem iure creditoris vendidisset:) ita neque ipsi anteriori creditori nocet, quo minus euicta re saluum habeat jus sui pignoris,[3] quod per factam dominij acquisitionem extinctum videbatur,[4] quasi quod per subsequentem euictionem ab alio creditore institutam resuscitetur,[5] cuius scil. potestate fit, vt prior acquisitio sit reuocabilis, quæ perpetua sperabatur.[6] Quod si secundus creditor nihil in prima instantia obtulerit anteriori, ob idque fuerit condemnatus, poterit vtique in causa etiam appellationis offerre.[7] Nam & in alia qualibet iuris exceptione idem obtinet, vt in appellationis instantia non tantum obiici possis, sed etiam ex officio Iudicis suppleri, si de ea liquido constet ex deductis & probatis.[8] *Sine die.*

1 *L. 1. C. hoc tit.*
2 *L. 2. eod.*
3 *d. l. 1. in 2. parte.*
4 *L. neque pignus 45. de reg. iur.*
5 *L. pen. §. 1.* vbi est textus elegans. *ff. de excep rei iudic.*
6 *Arg. l. si patroni 55. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*
7 Per vulgarem illam regulam, Non deducta deducam, non probata probabo. De qua *in l. per hanc, C. de tempor. & reparat. appellat.*
8 Bart. *in l. eum qui ita 56. §. qui ita, de verb. oblig.* Afflict. *dec. 16. num. 5.*

TIT. XI.

SI COMMVN. RES PIGN. DAT. SIT.

DEFINITIO I.

Pignus rei communis valet tantum pro parte pignorantis, nisi socius aut pignus, aut saltem debitum, pro quo pignus datum est, approbauerit.

IVNDVM communem obligare vnus ex sociis nisi pro sua parte non potest.[1] Sed si totus fundus obligatus sit, & is, qui non consenserat, postea debitum approbet, pignus quoque confirmasse videbitur.[2] Non idem erit, si in rem eius, qui pignori non consensit, versa sit pecunia, aut ipsius iussu credita. Personalis enim duntaxat ex ea causa nascetur actio,[3] non pignus legitimè contractum intelligetur.[4] Nec igitur quasi Seruianam rectè exercebit creditor, si iure pignoris rem in solidum vindicet,[5] nisi quid sit, ex quo appareat, vindicationi aut conuentioni de pignore socium consensisse.[6] *Ita Senatus* 14. Calend. Februar. 1588.

1 *L. vnic. C. hoc tit. l. 2. C. commun. diui. l. si fratres 7. C. commun. vtr. iudic. l. 3. §. post diuisionem, D. qui potior. in pignor. hab. l. 2. ff. de Saluiani. interd. l. nemo ex socijs 68. ff. pro socio.*
2 *L. Pomponius 5. §. vlt. ff. in quibus caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*
3 Siue negotiorum gestorum, siue, vt vulgo nostri volunt, De in rem verso, siue mandati, *l. ex mandato 25. §. 1. D. mandat. l. si literas 7. C. eod.*
4 Supradictæ enim actiones in personam duntaxat sunt, non in rem, *l. pen. C. de neg. gest.* quia non habent priuilegium tacitæ hypothecæ.
5 Quia non potest latius patere hypothecaria, quam hypotheca ipsa, quæ sola hypothecariæ causam præbet.
6 Cum possit socius etiam partem socij consentientis alienare. *d. l. 3. §. post diuisionem, in fi. ff. qui por. in pign. hab.* sicut & potest quilibet rem alienam pignori dare, si dominus consentiat, *l. 1. & 2. l. si in rem 7. & pass. C. si alien. res pignor. dat. sit.*

DEFINITIO II.

Non potest socius prætextu communionis intercedere, quo minus pars socij etiam ante diuisionem capiatur pignori ab eo, qui socium habet condemnatum.

CVm creditor aduersus debitorem egisset, & obtinuisset, curauerat, vt bonorum mobilium, quæ tecum ille communia habebat, pars ad eum pertinens pignoris iure caperetur.[1] Venditioni, quæ in eo erat, vt sub hasta fieret, tu interceſseras, eo prætextu, quod diuisionem ante omnia fieri oporteret, vel ob hoc ipsum, vt scire posset quisquis ad emptionem vel accedere, quid empturus esset, faciliúsque emptorem bona inuenirent.[2] Nec enim bonorum mobiliũ eadem hac parte ratio constituenda videbatur, quæ immobilium, cùm immobilia ferè omnia[3] cõmodam diuisionem patiantur, mobilia verò, præsertim quę in supellectile habentur, vt plurimum nõ ita.[4] Pronunciatum est, nullum te intercedendi jus habuisse, quia nihil tua interesset,[5] sed creditoris tantùm, si ob non factam diuisionem tardius emptor inueniretur,[6] tibique satis esse debere, quod partem tuam creditor non attingat, eaque tibi perinde salua futura sit, ac si cum debitore, non cum creditore iudicium communi diuidundo acciperes cogereris.[7] Sed etsi qua ratione tua interesset, imputare tamen tibi deberes, quod socium ad diuisionem citius non prouocasses,[8] non creditori, qui scilicet nullum ius habuit petendæ diuisionis, priusquam dominij ius per addictionem aut emptionem in iis bonis nactus esset, propter mutuas illas adiudicationes & alienationes, quas in iudicio Communi diuidundo fieri necesse est, ac quibus non nisi inter eos, qui dominium habeant, locus esse potest.[9] Nihil porro interierit, an conuentionale pignus fuerit, quod creditor prosecutus est, an iudiciale, quod in iudicati executione sola Iudicis auctoritate tum primum contractum sit.[10] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 5. Cal. Aug. 1588.

1 Scilicet in executione iudicati, *ex tit. C. si in caus. iudic. pign. cap. sit. l. à Diuo Pio 15 D. de re iudic.*
2 Non enim facile quis velit incidere in communionem, *l. si non sortem 26. §. si centum. ff. de condi. indeb.* propter discordias, quas materia communionis excitare solet, *l. cum pater 77. § dulcissimis, de legat. 2.*
3 Non enim hoc perpetuum est, *l. ad officium 3. C. commun. diuid.*
4 Hæc enim numero diuidenda sunt, non specie.
5 Nemo enim vnquam audiendus est, siue agendo, siue excipiendo, si non eius interfit, *l. 3. §. 2 l. stipulatio ista 38 §. alteri, ff. de verbor. obligat. l. ille à quo 13. §. si de testamento.* vbi Alex. & cæteri, *D. ad SC. Trebell.* maxime vero ad impediendam iudicati executionem.
6 Interest namque creditoris, emptorem pignoris inueniri, si malit ille pecuniam habere, quam rem, ne alioqui cogatur ipse inuicem extranei rem emere, *vt in l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.* aut ius dominij impetrare, *ex l. vlt. & tot. tit. C. si in caus. iudic. pign. capt sit.*
7 *L. 3. §. post diuisionem, D. qui potior. in pignor. hab. l. 2. C. commun. diuid.*
8 Imputatur enim illi, qui tardius aliquid facit, quod citius facere debuit, *l. cum postulassem 44. §. 1. ff. de damn. infect.*
9 *L. 1.*

BIU Cujas

9 *L.1.2.4.& pass.D.commun.diuid.*
10 In omni enim genere pignoris eadem ratio est. Idem ergo ius constitui in omnibus debet, *l.illud 32. D.ad leg. Aquil. l.3. §.vnde etiam ff de minor. rupt.*

TIT. XII.

DE PRÆTOR. PIGNOR.

DEFINITIO I.

Etiam in prætorio pignore, qui prior est tempore, potior est iure.

QVM pignus prætorium Iudicis auctoritate non prius constitutum videri debeat, quam ventum sit in possessionem, [1] consequens est, vt ex pluribus creditoribus pignoratitiis posterior, qui in possessionem prior missus fuit, ei præferendus sit in prætorio pignore, qui in debiti iure prior fuit, si modo ex aliis bonis satisfieri possit anteriori creditori. [2] Id enim est quod dici solet, etiam in prætoriis pignoribus, sicut in conuentionalibus, locum esse regulæ, quæ habet: Eum, qui temporem sit potior, iure quoque potiorem esse. [3] *Ita Senatus* in causa D. Henrici Bay, tum magistri Computorum, & Dominæ March. de la Chambre, Prid. Id. Decembr. 1590.

1 *L.non est mirum 26 §.1 ff.de pignorat.act.*
2 *L.si & iure 10.* vbi Bart. *nu. 2.D. qui potior.in pign hab.* qui tamen locus videtur loqui de pignore iudiciali, non de prætorio. Cuius alia ratio esse videtur, quia pignus prætorium prodest omnibus, *l.cum vnus 12 ff. de rebus auctor. Iudic. possid.* De quo plura vide apud Cuiacium *lib.9.obseru.c.37.*
3 Sic enim nostri post Bart. *ad d.l.si & iure*, quamvis, vt dixi, loquatur de pignore iudiciali, non de prætorio. Quam differentiam plerique ex nostris Interpretibus non obseruant. Vide quæ in hanc rem scripsi in libris Coniecturarū iuris ciuilis.

DEFINITIO II.

Potest pignus prætorium constitui in variis bonis etiam pro exiguo debito, hactenus nimirum vt bona possideantur, non autem vt distrahantur: alioqui ab executore appellari potest.

PIgnus prætorium non vna tantum executione, sed etiam variis, & repetitis, potest in pluribus rebus constitui, dummodo protestetur creditor, aut aliter declaret, nolle se nisi semel suum consequi. Neque enim executio vna aliam impedit. [1] Sed tamen si pro exiguo debito magni pretij pignora capiantur, non vt à creditore possideantur, sed vt distrahantur, placet appellari posse ab executore, [2] eoque iure vtimur, licet in pignoratitiis creditoribus, quorum ius indiuiduum est, aliter obseruari debere stricti iuris ratio suadeat, [3] quam & in Comitatu Burgundiæ creditoribus saluam esse audio, & in Senatu nostro à quibusdam ex nostris Senatoribus sæpius relatum est. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ias. *in l.nulli 10.num. 8. C.de iudic.* Facit *l.1.§.quia autem, D.quod legat.*
2 Bart. *in l.Diuo Pio 15.§.in venditione.ff.de re iudic.*
3 *L.rem hereditariam 65 ff de euict l.quamdiu 6. Cod. de distract.pign.l.2 C.debit.vendit.pign.imped.non poss.l creditoris 8 ff de distract.pignor.* Sane fieri illud non potest, vt creditor impetret ius dominij in vniuersis bonis sui debitoris, *l.1.C.de iur. domin.impetr.* Adde *l.2.C.de pignor.*

DEFINITIO III.

Neque prætorium, neque iudiciale pignus contrahitur per solam sententiam, sed tantum per executionem, præterquam fauore fisci.

NOn sicut fisco in delictis acquiritur hypotheca in bonis condemnati ex die condemnationis, [1] ita in causis ciuilibus per sententiam pignus vllum acquiritur in bonis debitoris. Prius enim requiritur, vt ventum sit in possessionem, [2] nec differt hac parte pignus prætorium à iudiciali, [3] sed à conuentionali tantum, quod sola conuentione, ac proinde ex conuentionis die contrahitur. [4] Igitur si posteaquam Titio condemnatus es in certam pecuniæ quantitatem, obligaueris mihi omnia bona tua, deinde Titius iudicatum exequi velit, ero potior iure, quia prior sum tempore. [5] Quamvis si in pignoris possessione esset Titius, prodesset ei exceptio non factæ excussionis, si in eiusdem pignoris possessionem mitti vellem. [6] *Ita Senatus* in causa R. Præceptoris Antoniani Chamberiacensis, contra Claudium Rochet ex tempore, 17. Calend. Februar. 1593.

1 *L. post contractum 15. cum ibi not. ff. de donat.* Iul.Clar. *ex communi in pract crim.quæst.78 nu.32.*
2 *L.non est mirum 16. §.2. ff de pignor. act.* qui tamen locus non nisi de prætorio pignore loquitur.
3 Nisi in eo quod prætorium pignus constituitur ita demum, si ventum sit in possessionem, *d.l.16 §.1.* Iudiciale vero tum constituitur, cum ab executore capitur in causa iudicati, *l.à Diuo Pio 15 ff de re iudic.l.1.& tot.tit.C.si in caus.iudic.pign. capt.sit.*
4 Cum nudo consensu contrahatur hypotheca, *l. contrahitur 4. ff. de pignor.* Non tamen pignus proprie sumptum & quatenus distinguitur ab hypotheca. Requiri enim rei traditionem, *l.si rem 9 §.proprie, l.cum & sortis 35. §.1. ff.de pignorat. act on.*
5 *Ex reg l 2.l.4.& pass.C qui potior.in pign.hab.*
6 Vt scripsimus *Defin.1.supr.*

TIT. XIII.

SI IN CAVS. IVDIC. PIGN. capt.sit.

DEFINITIO I.

Qui perperam executus est iudicatum, tenetur eo nomine etiam de casu fortuito superueniente si non purgauerit vitium executionis, oblato omni eo, quod interest aduersarij.

EVM, qui captis pignori animalibus debitoris, quasi ea in causam iudicati distracturus post paucos dies, subinde mutauerat sententiam, & ab eiusmodi executione tanquam iniurioſe ac perperam facta discedendum putauerat, [1] licet nulla dum secuta distractione, ac rebus, vt videbatur, integris id fecisset, cum tamen iam aduersarij interesse cœpisset, [2] non aliter audiri debuisse placuit, quam si & expensas ab aduersario factas offerret, ac præterea quicquid ex ea causa aduersarij interesset. [3] Quo non facto, si qua interim & pendente lite animalia suo fato citra possessoris dolum aut culpam periissent, eorum nihilominus iustam æstimationem præstandam esse, vt dici solet, re alia debita qualibet post moram perempta: [4] nec admittendam excusationem, quasi animalia illa æque apud actorem fuissent peritura. [5] Nam neque id facile præsumendum erat pro eo, qui sub iuris auctoritate iniuriam commentus fuerat, [6] neque contra eum, quem potius credibile erat ea distracturum fuisse, si moram in eorum restitutione passus non fuisset. [7] *Sine die.*

1 Vna enim executio non impedit aliam, nec cogitur quis in executione perperam facta perseuerare, vt nec in lite improba *l.desistisse, 10 ff.de iudic.*

BIU Cujas

2 Quæ res facit, vt non possit dici res integra, *l. et si post res 8. D. si quis caution. l. vtique 22. ff. de recep. l. si ita quis 15. §. Seia, de verb. oblig.*

3 Numquam enim potest aliter purgari mora, vbi cœpit aduersarij interesse, vt constat ex legibus supradictis.

4 *L. si ex legati 23. & seq. ff. de verb. oblig. l. item si verberatum 15. §. vlt. ff. de rei vindic. l. si longis 7. C. de exec. rei iudic.*

5 Secundum distinctionem, quam Caius tradit *in l. si plures 14. in fin. D. de poste.*

6 *Contra l. meminerint 6. C. vnde vi.*

7 *d. l. item si verberatum, in fin. ff. de rei vindic.*

DEFINITIO II.

Executio rei contra defunctum iudicatæ potest fieri captis pignori bonis hæredis, qui pure sit hæres: Item captis fructibus rerum hæreditariarum, tametsi sit hæres, cum beneficio inuentarij.

ETsi fructus ab hærede ex rebus hæreditariis percepti non tam hæreditati, quam rebus ipsis singulis accepto feruntur,[1] si tamen in executione sententiæ contra defunctum latæ capti sint contra eius hæredem fructus pignori,[2] quamvis percepti ex iis bonis, quæ vel ipsa non fuerint obligata, vel non potuerint obligari, vtputa feudo,[3] recte facta executio videbitur, tanquam capta pignori re hæreditaria, etiamsi hæres non nisi cum beneficio legis & inuentarij hæreditatem agnouisse probetur, quia nullum inuentarij priuilegium est in ea re, quæ sit hæreditaria, vel ex hæreditariis fundis producta.[4] Sed quod de fructib. feudi dicimus, ita verum est, si feudum hæreditarium sit, non etiam si ex pacto & prouidentia acquisitum. Hoc enim casu proderit inuentarij beneficium hęredi, ne super ea re, quam retinere proprio iure potest, iudicati executionem pro defuncti debito pati compellatur.[5] Diuersum vtique esset in eo, qui hæreditatem debitoris simpliciter ac sine beneficio inuentarij agnouisset, siue defunctus hæredis quoque sui bona obligasset, quod facere iure potest,[6] siue non obligasset, quia, quoties pignus capitur in executione iudicati, sufficit, bona, quæ capiuntur, ad eum pertinere, qui sit vel condemnatus,[7] vel condemnati hæres, cum actio iudicati transeat contra hæredem,[8] sicut & cæteræ actiones personales,[9] indeque fiat, vt non minus hæredis quam defuncti bona pro defuncti debito non quidem ante rem iudicatam, & per hypothecariam vindicari,[10] sed in iudicati executione pignori capi possint.[11] *Sine die.*

1 *L. in fideicommissaria 18. vers. quoties, D. ad SC. Trebell.*

2 *Ex l. à Diuo Pio 15. ff. de re iudic. & toto hoc tit.*

3 Nec enim feudum potest obligari nisi certis casibus, multo minus venit in generali obligatione bonorum, *cap. Imperialis, de prohib. alien. feud. per Lothar. cum ibi not. iunct. l. vlt. C. de rebus alien. non alien.* Iul. Clar. *in § feudum.* Quod diuersum est in emphyteusi. Idem Clar. *in § emphyteusis, quæst. 18.* Vide *tit. 8. de inuest. de re alien. fact. lib. 2. in vsib. feud.*

4 Sed in eo tantum, vt hæres cum beneficio legis & inuentarij, non teneatur vltra vires hæreditarias, *l. vltim. Cod. de iur. delib.*

5 Quia hoc casu hæres feudum habet suo iure ac proprio, non hæreditario.

6 *L. Paulus respondit 29. §. 1. ff. de pignor.*

7 *L. à Diuo Pio 15. ff. de re iudic.*

8 Imo etiam contra singularem successorem, qui successerit in ius condemnati, *l. si à te 9. §. vlt. l. iudicata 29. in fin. ff. de except. rei iudic.*

9 *L. vlt. C. de hered. act.*

10 *d. l. Paulus 29. in princ. ff. de pignor.*

11 Quia tum demum pignus iudiciale constituitur in executione iudicati, cum capitur, *d. l. à Diuo Pio, § si pignora, & pass. l. 2. C. de exec. rei iudic.*

DEFINITIO III.

Is, qui prior curauit fieri executionem in nomen debitoris condemnati iam antea venditum alteri, præfertur emptori, quamvis anteriori.

AD quantitatem certam pecuniæ condemnatus per sententiam, à qua prouocauerat, sed quam tamen interior iudex, non obstante appellatione, ac citra eius præiudicium executioni mandari præceperat, cum id ageret, quantum posset, vt iudicati executionem remoraretur; Vendiderat Titio decem modios frumenti à Mæuio conductore suo sibi debitos in diem, qui nondum venerat, nec nisi post annum fere venturus erat, solutumque sibi à Titio pretium venditionis professus fuerat. Victor, cum in prouincia nõ alia condemnati bona inueniret, in, quæ parata executio fieri posset, vt longiorem moram effugeret, quam immobilium bonorum subhastatio trahere secum solet, petierat in executione iudicati, vt exequi sibi liceret in eam quantitatem, quæ à Mæuio debebatur, vtque interim pecunia penes Mæuium sequestraretur. Ex eaque causa denunciauerat Mæuio, iudice mandante, ne solueret. Mæuius æque ignarus venditionis, hoc vnum responderat, nihil se contra mandatum & denuntiationem facturum. Sed & condemnatus, de sequestratione factus certior per apparitorem, consenserat, vt ex ea quæntitate victori solueretur, hoc solo addito, quod eius exigendæ dies nõdum venisset. Titius vero, siue vt suam propriam, siue, quod obiiciebatur, vt condemnati causam per collusionem tueretur, intercedebat proprio nomine, ea potissimum ratione, quod cum ex iudicato nullum nascatur ius pignoris, sed tantum per captionem, quæ in iudicati causam fiat, ipse vero aliquot ante executionem mensibus, licet post sententiam emisset, præferri vtique deberet, siue tanquam creditor, cui omnia venditoris bona erant obligata,[2] siue potius domini iure, quod ex titulo emptionis acquiri solet.[3] Placuit tamen victoris causam etiam contra Titium potiorem esse oportere; non quasi anterior esset in pignore,[4] sed quod ea venditio non corporis alicuius fuisset, cuius dominium in emptorem transferri per traditionem potuisset,[5] sed actionis tantum.[6] Ex qua venditione constabat, vtiles solummodo actiones in cessionarium transferri potuisse,[7] directas vero, quæ nec vendi, nec obligari vnquam possunt,[8] penes venditorem remansisse.[9] Quarum potestate, sicut poterat venditor, nihil obstante venditione, pecuniam, si voluisset, exigere, atque ita exigendo debitoré suum, cui nihil denunciatum ab emptore fuerat, liberare:[10] Ita & creditoris creditorem potuisse idem Mæuij nomen capere pignori, eoque modo vtiles sibi actiones comparare,[11] potiores futuras anterioribus, quas emptor ex contractu suo quæsiuerat,[12] quod in denunciatione, quam ab vtroque factam esse oportebat, vt actiones illæ vtiles efficaces constituerentur,[13] creditor creditoris emptorem præuenerat.[14] Nec dubitari poterat, quin liberatus perinde fuisset Mæuius, si, antequam emptor ei quicquam denunciasset, creditoris sui creditori, ac si proprio suo creditori soluisset.[15] *Ita tractatum est* Cal. Septemb. 1609.

1 *L. à Diuo Pio, 15. §. in venditione, & passim. ff. de re iudic. & tot. hoc tit. C.* Not. *in l. post contractum, 15. D. de donat. l. actori, 8. C. de rebus cred.*

2 Ex reg. quæ inter pignoratitios creditores locum habere posset; Vt qui prior est tempore, potior sit iure, *l. 2. 4. & passim. C. qui pot. in pig. hab.*

3 Emptor enim præfertur semper creditori, non habenti rem illam obligatam, *l. 5 §. plane antepen. D. de tribut. act.*

4 Erat enim haud dubie posterior, si non probaretur, venditionem factam fuisse à condemnato, in fraudem executionis iudicati, *ex l. si aliquis, 7. vbi not. ff. de mort. caus. donat.* Quamquam nec poterat emptor pignus prætendere in ea ipsa re, quam emisset, *vulg. l. neque pignus, 45 de reg. iur.*

5 Iuxta *l. traditionibus, 20. C. de pact. l. numquam nuda 31. D. de acq. rer. dom.*

6 De qua *in tit. D. & C. de hared. vel act. vend.*

7 Ex

7 Ex *l. postquam*, 7 C *ill. tit. l si cum emptore* 16. *D. de pact.*

8 Quia ossibus inhærent, vt loquuntur nostri, nec ab iis separari vnquam possunt, *l. 1. l. ita tamen*, 27. *§. qui ex Trebelliano, l. si hæres*, 70 *D. ad SC. Trebel.*

9 *d. l. postquam*, *l.* 1. *&* 2. *C. de oblig. & act. l vlti. C. quand. fisc. vel priuat cum simil.*

10 *Ex l* 3 *vbi not. C. de nouat.*

11 *L.* 2 *& tot. tit. C. quando fisc. vel priuat. d. l. à Diuo Pio*, 15. *§. sic quoque*, D. *de re iud.*

12 *d. l. si cum emptore & d. l. postquam.*

13 *d. l.* ; *C. de nouat. l. hæres*, 27. *D. ad SC. Trebell.*

14 Vigilantibus enim, & diligentioribus iura subueniunt, non negligentibus, & dormientibus, *l. non enim*, 16 *ff. ex quibus ca. s maior. l. pupillus* 24. *ad fin. ff. quæ in fraud. cred. l. si ea res*, 31 *§. vlt.* in illis verbis: *Is ex nobis tuendus est, qui. prior ius eius apprehendit ff de act. empt.*

15 *L. si conuenerit*, 18. *D. de pign. act. l. nomen*, 4. *C. quæ res pig. oblig. poss.*

[TIT. XIV.

SI PIGNVS PIGNOR. DAT. SIT.

DEFINITIO I.

Is cui nomen debitoris pignori obligatum est, quomodo possit agere aduersus debitorem debitoris.

OBLIGATIS generaliter bonis omnibus, cum etiam iura comprehendantur & nomina, nisi bonorum mobilium & immobilium facta mentio sit, consequens est vt nomina debitorũ debitoris obligata sint creditori creditoris. [2] Ea res facit vt superior creditor possit vtili actione experiri contra debitorem debitoris, & ab eo solutionem exigere, qui si postea conueniatur à proprio creditore? exceptionem habiturus est. [3] Hoc enim est quod facit vtile pignus nominis, [4] quamuis non eo minus possit debitoris debitor soluere proprio creditori, si non sit ei denunciatum à superiore creditore, ne soluat. [5] Sed an recta poterit agere creditoris creditor contra debitorem debitoris, quasi aduersus proprium debitorem? An vero cogendus erit exercere hypothecariam, & agere in nomen debitoris, tanquam obligatum? Et sunt qui hanc posteriorem sententiam magis probent, [6] quod alioqui certum sit debitorem debitoris mei non esse meum debitorem. [7] Prius itaque esse videtur, vt pronunciari debeat nomen debitoris esse obligatum, quam vt creditori creditoris permittendum sit agere in debitorem. [8] Senatus tamen noster magis probat, vt circuitus hic tanquam superuacuus reiiciendus sit, [9] nec prohibendus creditoris creditor, quominus agat statim ad solutionem, dummodo vtili actioni quæ ipsi competit etiam citra cessionem. [10] Directæ enim competere non possunt, ne quidem facta cessione [11] cum mandari tantum possint, cedi non possint. [12] Secundum quæ cum Titius Mæuio nomen Sempronij in solutum dedisset, & pro contractus obseruatione bona sua omnia pignori obligasset, quamuis nulla contra fideiussores Sempronij cessio facta proponeretur: [13] Visum tamen est Mæuio permittendum, vt contra eos ageret, tanquã eorum nominibus pignori obligatis, hoc ipso quod debitores essent Titij, qui bona sua omnia pignori obligauerat. [14] Nec enim dici poterant liberari per cessionem debitoris principalis, cùm cessio non faciat nouationem, in quo maximè differt à delegatione, [15] nec proinde extinguat directas actiones, quibus tenentur fideiussores. [16] *Ita Senatus* in causa perillustris D. Guillielmi Chabod, Comitis Sanct Mauritij, contra ---------- Mugnier & Iacobum Rebut, 4. Iunij 1614. de qua in Definition. 13. numer. 2. in allegat. & Definit. 20. supr. de hered. vel act. vendit.

1 Dixi *Defin.* 14. *§. de pignor.*

2 Postquam placuit non solùm posse dari pignori specialiter nomen debitoris, sed etiam venire in generali obligatione bonorum omnium, *l. nomen* 4. *C. quæ res pignor. oblig. poss. l. postquam* 7 *C. de hered. vel act. vendit. l si conuenerit* 18. *D. de pignor. act.*

3 *d. l. si conuenerit, & d. l. nomen.*

4 Similis ratio est *in l. si pecunia* 77. *de legat. 1. l. vltim. D. de transact.*

5 *d. l. nomen.*

6 *Ex notat in d. l. nomen, & in l. ordo.*

7 Vnde fit vt cessio necessaria sit, vel delegatio *l. 1. & 3. & pass. C. de nouat. & delegat.*

8 Cùm nullam habeat actionem creditor creditoris in nomẽ obligatum, nisi sub illa formalitate quatenus est obligatum. Et hæc declaratoria videtur debere præcedere in actione hypothecaria, vt & in alia qualibet actione arbitraria, *l. si fundus* 16. *§. in vindicatione, D de pignor.*

9 Circuitus enim vitandus est, quantum fieri potest, *vulg. le. dominus* 13 *ff. de condict indeb. l* 3 *§. sed si debitorem, de donat. int. vir. & vxor. l. licet* 43. *ff. de iur. dot.*

10 *d. l. postquam, & d. l. si conuenerit.*

11 Quia directæ actiones non possunt separari à persona, cui semel adhæserunt, tanquam inhærentes ossibus, *l. 2. & d. l. 7. C. de hæred. vel act. vend.*

12 *L. qui stipendia 9. C. de procur. l. per diuersas* 22. *& seq. Codi. mandat.*

13 Quæ tamen erat necessaria, vt posset agi contra fideiussores, *l. 2 §. non solum, l. qui filijfamilias* 14. *l. antepen. D. de hæred. vel act. vend.*

14 Hoc enim casu transeunt actiones sine successione vt ille *d. l. nomen, & d. l. postquam* 7. *C. de hered. vel act. vendit.* & consequenter posset defendi hoc casu etiam fideiussorias obligationes videri cessas contra fideiussorem ex doctrina Specul. *in tit. de cess. act §. 1. vers sed numquid.*

15 *L. 1. C. de nouat. l. pupilli* 96 *§. soror ff de solut.*

16 Nec enim possunt extingui nisi confusione aut solutione, aut aliis legitimis modis, de quibus *in l. pen. D. de solut.*

DEFINITIO II.

Dato in pignus nomine debitoris necessaria est denunciatio.

SÆpius disputatum fuit, An sit necessaria denunciatio, ne possit debitoris debitor, cujus nomen pignori datum est soluere proprio creditori: An verò sola sufficiat scientia, siue à creditoris creditore, siue aliunde obuenerit. Sunt. n. qui post Bartolum [1] scientiam solam sufficere putent. Alij verò qui Accursium secuti, [2] denunciationem exigant, quorum sententiam Senatus noster tandem sequutus est, siue quod sola certioratio absque denunciatione non sufficiat quoties tendit ad faciendum aliquid, vel non faciendum, [3] siue quod non facilè prohibenda sit liberatio, quę per solutionem à debitore creditori factam regulariter solet contingere, [4] nisi aliquid sit quod imputari possit soluenti, [5] cui porrò nihil imputari potest, si nulla denunciatio interceserit, sed creditori potius, qui in jure suo exequendo fuit negligentior. [6] *Ita Senatus* pro D. de Siccard, contra N. Carolam de Boyuin, 30. Iulij 1614.

1 *Ad d. l. nomen 4. C. qua res pignor.*

2 *Ad d. l. nomen in illis verbis certior à te factus* quę hanc Accursij sententiam probare omnino videntur juncta *l. 3. Codic. de nouat.*

3 Ex distinctione Dyni ad *cap. de reg. iur. in 6.* quam interpretes cæteri magis communiter probant.

4 *§ 1 Inst. quibus modis tollit. obligat.*

5 *L. vlt. D. de transact. l. si conuenerit* 18. *D. de pigno act. l. si cum emptore* 16. *D. de pact. l. si pecunia* 77. *de leg.* 1.

6 Melior textus est in *d. l.* 3. *C. de nouat.* in illis verbis, *vel debitori suo denunciauerit.*]

BIU Cujas

TIT. XV.

DE REMIS. PIGNOR.

DEFINITIO I.

Is, qui nõdum est, sed potest fieri creditor ex causa euictionis nondum secutæ, non potest nec debet intercedere venditioni pignoris, sed tantum de iure suo protestari, vt sit ei saluum secuta quandoque euictione.

SI postulãte vno ex creditoribus fiat per programma venditio bonorum eius, qui mihi rem aliquam prius vendiderat, & euictionis nomine bona sua omnia obligauerat, cum tamen nondum euicta res esset, nec proinde nata ob euictionem actio de pignore, [1] non debeo venditioni aut numerationi pretij tanquam creditor anterior intercedere, [2] neque rursum omnino silere, si denunciata mihi venditio fuerat, ne postea quandocunque secuta euictione videat iuri pignoris renunciasse, [3] cuius iam tum nata erat obligatio. Quid ergo? Protestari debebo, vt saluum mihi sit ius pignoris, si quando continget rem euinci. [5] Quod si fecero, & iudex venditionem fieri simpliciter permiserit, non adiecto eo, vt salua mihi esset causa pignoris, quam creditor saluam esse nolebat, tum demum iustam habebo causam appellandi. [6] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Non. Decemb. 1589.

1 Non enim potest agi de euictione prius quam res euicta sit, nec si lis & molestia iam mota proponatur, *l. ante p. 5. mota quæstione*, junct. *l. euictus 35. D. de euict.* nisi expresse conuenerit in contrarium, *vt in l. siue in libertatem 12. C. de euict.*

2 Cum nihil dum mihi debeatur.

3 *Ex l. si eo tempore 6. C. de remiss. pignor.*

4 Contrahitur enim hypotheca per conuentionem etiamsi præstandæ pecuniæ dies nondum venerit, *l. potior 11. D. qui potior. in pignor. hab.*

5 *Vt in l. si debitor 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

6 Quoniam talis sententia iuri meo quandocumque præiudicaret, tanquam consentienti, siquidem in iudicialibus qui scit & tacet consentire videtur, *cap. qui tacet, cum ibi not. de regul. iur. in 6.* Not. *in l. Caius 39. D. de pignorat. act.*

DEFINITIO II.

Ius pignoris sui non remittit, qui patitur se præsente rem obligatam distrahi, nisi expressim consenserit, aut nisi ad hoc vocatus sit, vt sciretur, an consentire vellet, an dissentire.

CReditor, qui præsens & sciens patitur, rem sibi obligatam alteri dari pignori aut hypothecæ, non ideo ius suum remittere videtur, cum ea potius ratione id passus videri debeat, quod sciuerit ius suum durare. [1] Nisi proponas, in eam rem adfuisse & vocatum esse, vt pignoris sui ius, si quod haberet, exequeretur, quod euenit, quoties programmate admoniti creditores fuerunt, vt publicæ venditioni adessent. [2] Cæterum si expressim obligationi pignoris creditor consenserit, tametsi non subscripserit, nihilque eo nomine acceperit, nemo dubitat, quin ius suum remisisse videatur. [3] *Ita in Senatu* tractatum est ex tempore 14. Cal. Ianuar. 1589.

1 *L. sicut 8 §. non videtur, D. quibus mod. pign. vel hypothec. soluit.*

2 *Vt in l. si eo tempore 6. C. hoc tit.* * Glos. *in l. Caius 39. D. de pignor. act.* Adde aliam exceptionem, nisi subscripserit, *dict. §. non videtur, versic. sed si subscribat, l. Titius, 9. §. 1. eod. l. fidetussor, 26. §. pater, D. de pignor.* Quod intellige tametsi subscripserit tanquam testis. Ann. Robert. latè & eleganter, *libr. 4. rer. iudic. cap. 13.* vbi tria Curiæ Parisiensis placita in hanc rem refert, quorum duo vim legis habent in Gallia Cardinal. Mantic. *de tacit. conuent. libr. 11. tit. 31. numer. 38.* vbi addit idem esse etiamsi tabellio eum in testem subscripserit, licet ipse nil subscripserit, ex glosa *in dict. §. non videtur in verbo nisi manifeste.* Frequentior tamen veterum interpretum opinio est, neque testem neque notarium, etiam si subscribat sibi præiudicare. Ita Bart. *ad dict. §. non videtur vers. l. Titia, 34. §. Lucia, de legat. 2.* qui tamen locus neque de teste subscribente loquitur, quicquid dicat glos. *in l. fidetussor, 26. §. pater in verbo manifestum est, D. de pignor.* neque de remissione pignoris quæ fit nudo consensu, neque de remissione possessionis quæ fit nuda scientia, *l. 6. D. de acquir. poss. ff.* Sed de amissione dominij, quæ non potest induci nisi per traditionem factam & quidem animo transferendi dominij & ex causa habili ad illud transferendum, *l. nunquam 31. D. de acquir. rer. dom.* Hanc ipsam tamen opinionem repetitam ad *l. quæ dotis num. penult. D. solut. matr.* iidem veteres interpretes limitant, nisi testis tanquam testis se subscripserit in eo actu quem poterat impedire. Tunc enim sibi debet imputare. Cur non impedierit contradicendo, iuxta distinctionem glosæ cui standum esse & cui stari fatetur Bart. ipse *ad d. l. Caius ex l. penult. §. 1. de re iudic.* Ita ex communi sententia Anton. Gabrielius, *libr. 1. communium. concluf. 3. de præsumpt. num. 15.* Sanè quod nostri vulgò monentur, vt pro teste respondeant ex *d. l. Caius* ridiculum est, ibi enim testis signauerat testamentum solemne cuius substantiam ignorabat, & quæ in eo testatur scripserat vt bene respondet Robertus loco supra dicto. Hæc autem tum maximè obtinent cùm creditor subscripsit contractui quem impedire poterat si voluisset sed impedire noluit ob commodum quod ex eo contractu percipiendum sperabat. *Ita Senatus* pro nuru mea contra nobiles coniuges de Limogeon post multam disputationem 17. Augusti 1620.

3 *dict. § non videtur.* Adde *l. 4. §. quæsitum, D. de doli mal. except.*

DEFINITIO III.

Mulier, quæ etiam constante matrimonio consensit venditioni pignorum dotalium, ius pignoris sui amittit, si modo ex aliis bonis suum consequi possit. Multo magis vero possessionem amittit, si quam antea habuerat.

SI mulier constante matrimonio consenserit venditioni pignorum dotalium, quæ maritus in casum soluti matrimonij constituerat, se ipsius nomine possidere, non magis potest repetendę dotis tempore possessionem auocare ex Iustiniani constitutione [1] ab emptoribus, quam contra eos quasi Seruianam exercere. [2] Soluto enim iure pignoris omnino consequens est amissam quoque possessionem eius rei, quæ non alio, quam pignoris iure possideri possit. [3] Nemo autem dubitat, quin possit mulier etiam constante matrimonio pignoris obligationem sibi in hac aut illa re, siue expresse, siue tacite quæsitam vltro remittere, si modo alia bona supersint marito, ex quibus illa indemnitatem consequi possit. [4] Neque enim pignoris remissa donatio est, [5] cum ius ipsum debiti non extinguat. [6] Sicut nec dubitari potest, quin pignoris remissio inducatur ex eo solo, quod mulier sicut alius creditor quilibet obligatæ rei vẽditioni consenserit. [7] legisque Iustinianeæ beneficium ei denegandum sit, qui facto suo cecidit à possessione: [8] quæ porro multo facilius amittitur, quam vinculum pignoris dissoluatur. [9] Nam cum mulieri, vt diximus, non aliter à pignore dotali discedere permittatur, quam si ex aliis bonis indemnis seruari queat, [10] adeo vt ipso iure non valeat renunciatio, nec vlla in integrum restitutione opus sit, [11] si iurisiurandi religio non interuenerit, [12] possessionem tamen, quam ex clausula constituti nactura fuerat, si venditioni non consensisset, omnimodo perdidisse intelligitur, siue remissio pignoris valuerit, siue non, quoniam nec dum eo tempore vlla quæsita erat possessio, cum in tempus soluti matrimonij effectus clausulæ collatus esset: [13] quamquam etsi iam

iam quæsita fuisset, solo tamen animo amitteretur, quæ solo animo quæsita fuisset.[14] *Ita Senatus* pro D. Amedeo Michel magistro Computorum, contra viduam N. Chabot, 7. Id. Iulij, 1591.

1 *In l. vlt. C. de acquir p ss.*

2 Quæ scilicet non potest exerceri, nisi quamdiu vinculum durat pignoris, *l. Paulus* 12. §. 1. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

3 *L. debitor* 40. *in fin. D. de pignor. action.*

4 *L. iubemus* 21. *C. ad SC. Velleian.*

5 *L. etsi* 18. *D. quæ in fraud. credit. l.* 11. §. *cum venditor, in fin. D. quibus mod. pign. vel hypoth soluit.*

6 Siquidem nihil vetat ius debiti durare soluto pignore, quod non est nisi accessorium, cum possit etiam pignus durare sublata principali obligatione, *l.* 2. *C. de luit pignor.*

7 *L. sicut* 8. §. *non videtur, D. quib. mod pign. vel hypoth soluit.*

8 *d. l. vlt. vbi not. C. de acquir. p ss. in illis verbis, ne ex aliena malignitate alienum damnum emergat.*

9 Quia possessio solo animo amittitur, quoties amissio incipit ab animo, cum tamen vinculum pignoris non nisi certis modis dissoluatur, de quibus *in tit. D. quibus mod. pign. vel hypoth soluit.*

10 *d l. iubemus* 21. *C. ad SC. Velleian.*

11 Quia non potest per pactum fieri deterior conditio dotis, *vulg. l. Aristicinus* 17. *D. de pact. dotal.*

12 *Cap. cum contingat. extr. de iureiur.* Etsi hoc quoque casu paratum est auxilium restitutionis petita absolutione.

13 Quo casu videtur translata possessio sub conditione duntaxat, *l. quamuis absenti* 38. *D. de acqu poss.*

14 *L.* 3. §. *in amittenda*, *l. quemadmodum* 8. *l. quod meo*, 18. *eod. titul.*

DEFINITIO IV.

Consensus ex officij necessitate præstitus non inducit tacitam remissionem pignoris.

MAtrem, quæ filio minori annis viginti-quinque, cuius curatrix erat, vxorem ducenti consensum & auctoritatem præstiterat, placuit non videri remisisse ius hypothecæ, quod pro dote sua in bonis filij habuerat,[1] tametsi bona omnia filij pro dotis, quam nurus dabat, restitutione obligari permisissent: nec aliud probandum, tametsi filio postea dotem vxoris exigenti consensisset. Nam quod iure constitutum est, vt qui rem sibi obligatam alij obligari non solum patitur, (nec enim id sufficeret,[2]) sed expressim consentit, siue subscribendo, siue qua alia ratione pignoris sui ius remittere videatur,[3] ni protestetur, se salua pignoris sui causa consentire,[4] adeo vt nec redintegretur pignus, si res alienata, cuius alienationi semel consensit creditor, redeat in potestatem debitoris, qui futura quoq; bona sua obligauerat;[5] id, inquam, non obtinet, si ex necessitate officij eum consensum pro auctoritate præstitum esse appareat, Præter id enim quod nemini officium suum debet esse damnosum,[6] nihil potest imputari mulieri, cur consensum præstiterit, quem pro officio præstare debuit.[7] Nec facile capi debet coniectura remissi pignoris, quoties aliam interpretationem recipere potest factum eius, qui cōsensit,[8] præsertim vero in muliere iam sene,[9] cum dici soleat, mulierum senumque hominum genus esse auarissimum,[10] odiosamque fere semper donationis præsumptionem.[11] Etsi enim pignoris remissio donatio non est,[12] proxime tamen accedit ad donationem si alia exigendi debiti ratio non supersit,[13] neque rursus ad rem pertinet, si quis obiiciat, in proposita specie futurum, vt nullus effectus sit consensus per matrem præstiti, si non inducat tacitam pignorum dotalium remissionem: quandoquidem & citra curatricis auctoritatem rite contrahi matrimonium potuisset, ex eáque causa perinde bona minoris omnia fuissent obligata.[14] Nam responderi potest, imo vero prodesse consensum matris ad hoc ipsum, ne dubitationi locus relinquatur,[15] an rite contractum sit matrimonium, & an marito minori annis viginti quinque recte soluta dos fuerit. De quo non sine causa plerique dubitant, vel ob id maxime quod minor curatorem habens pupilli loco esse intelligitur.[16] Igitur mater non tantum pignus saluum habebit, sed etiam ordinem pignoris, vt nurui præferatur.[17] *Ita Senatus* pro Francisco Bernard, & contra N. Morel vxorem N. Ioannis de Burges, 6. Cal. Decembr. 1592.

1 Siue fuerit ius illud expressæ hypothecæ, siue tacitæ, *ex l. vnic. C. de rei vxor. act.*

2 *L. sicut* 8. §. *non videtur, D. quibus mod. pign. vel hypothec. soluit.*

3 *L. si consensit* 7. *d. l. sicut* 8. §. *si voluntate*, & *d.* §. *non videtur*, & *pass. l. Paulus* 12. *eod. tit.*

4 *L. si debitor* 4. §. 1. *eod. tit.*

5 *L. vlt.* vbi Bart. *C. de remiss. pignor.*

6 *L. videlicet* 29. *D. ex quib. caus. maior. l. sed si quis* 7. *D. testam. quemadmodum aper.*

7 *L. cum quidam* 26. *C. de admin. tutor. l. tutorem* 22. *ff. de his quæ vt indign.*

8 Quia nemo facile præsumitur velle sua iura remittere, *vulg. l. cum de indebito* 25. *ff. de probat.*

9 Est enim mulierum genus auarissimum in omni ætate, quanto magis in senectute, cum etiam in viris soleat esse id vitium senectutis.

10 *L.* 4. *in fin. l. si pro aliquo* 21. *D. ad SC. Velleian.*

11 *d l. cum de indebito.*

12 *L. etsi pignus* 18. *D. quæ in fraud. credit. l.* 1. §. *cum venditor. in fin. D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

13 Quia inanis est actio, quam debitoris inopia excludit, *l. nam is* 6 *D. de dolo.*

14 Vt contra Bartolum defendunt Bald. Castr. Alex. & alij *ad l. si constante, D. solut. matrim.* Thom. Gramm. *decis* 103.

15 Non enim inutiliter additur, quod dubitationis tollendæ gratia adiicitur, *l.* 4. *ad fin.* ibi, *vel certe euitandæ quæstionis gratia ff. de vulg. & pup. subst.*

16 *L. si curatorem habens* 3. *vbi not. C. de in integrum restitut. minor.*

17 Solet enim quisquis pignus retinet etiam pristinum pignoris ordinem retinere, *l.* 3. *l. creditor* 12. § *Papinianus, alias l. si prior, D. qui potior. in pignor. hab.*

DEFINITIO V.

Potest anterior creditor salua non tantum debiti, sed etiam pignoris sui causa solum ius anterioritatis remittere.

CVi centum debebantur à Titio, siue ex lucrativa causa, siue ex onerosa, si Titio mihi donanti consentiat, non censetur quidem debitum remittere, nec omne ius pignoris, quod in debitoris bonis habuit. Sed tamen hactenus sibi nocet, vt in exigenda ea pecunia, quæ mihi donata est, ego illi sim præferendus, quasi remissio, quod ad me attinet, anterioritatis, vt ita dicam, priuilegio:[1] siue Titij bona omnia generali vel speciali pignoris conuentione obligata habuerit, ego autem nulla, siue chirographarius tantum fuerit. Nam & inter pignoratitios creditores id obtinet, vt si quis rem sibi obligatam donari consentiat, non tantum ordinem, sed ipsum quoque ius pignoris remisisse intelligatur.[2] Nec ad rem pertinet, si quis obiiciat, non potuisse illum prohibere, quo minus Titius, qui sibi centum debebat, alia centum mihi donaret.[3] Id enim facere quidem debet, vt non ideirco videatur debitum remisisse,[4] tametsi lucrativam causam id habuerit, (cuius alioqui remissio facilius præsumitur,[5]) sed non vt nullo modo sibi nocuerit. Consensum enim illius nec sine causa exquisitum, nec frustra interuenisse dici potest.[6] Nec si postea in integrum restitui velit, quasi sine causa ius prioritatis amiserit, audiri iubebit,[7] si neque vis, neque dolus intercessit. Sufficit enim, ne regressus ei vllus detur, quod ius suum hactenus remittere voluerit,[8] cum si consentire noluisset, alia fortassis ratione mihi ego consuluissem.[9] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 6. infr. de donat.

BIU Cujas

1 *Arg. l. apud Celsum 4. §. quæsitum est 12. D. de dol. mal. except.* [a] *L. 1. §. 1. D. quibus mod. pign. solvit.* vbi dicitur creditorem qui donauit etiam inutiliter censeri ius suum remittere.

2 *L. sicut 8. §. sed si permiserit, D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

3 *Arg. l. vnic. C. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. alienat. l. Cæsus 19. vbi not. D. de pign. act.*

4 Quia nec facile quisquam præsumendus est velle suum, iactare & ius suum remittere sine causa, *vulg. l. cum de indebito, D. de probat.*

5 Quoniam, vt dici solet, vna donatio inducit facile alterius donationis præsumptionem, *l. si vero non remunerandi 12. §. inde Papinianus D. mandat.*

6 *dict. l. sicut 8. §. non videtur, D. quibus mod. pign. vel hypothec. solvit.*

7 *Arg. l. 2. §. circa. D. de dol. mal. except.*

8 Cum iura sua remittentibus non sit dandus ad ea regressus, *l. queritur 14. § si venditor D. de ædilit. edict.*

9 Id enim de quolibet diligente patrefamilias præsumendum est, nec ferendum, vt in captionem incidat is, qui sibi diligenter prospexit, *l. 3. D. de separat.*

DEFINITIO VI.

Qui consentit venditioni pignoris fideiubendo pro emptore erga venditorem, non ideo ius sui pignoris remittere intelligitur.

LIcet is, qui consentit venditioni pignoris, pignus remittere videatur, si tamen ea consentiendi causa fuit, quod creditor de pretio venditionis pro emptore erga venditorem fideiusserit, absurde & improbe contendet emptor, ius pignoris per fideiussionem remissum esse, non solum quod iniquum sit officium cuiquam suum, quod eius, cum quo contraxerit, non etiam sui commodi causa susceperit, damnosum esse, [2] sed etiam, quia si hac ratione extincta esset propter fideiussionem obligatio pignoris, hoc ipso emptor, vt eam restitueret, mandati iudicio teneretur. [1] Indemnem enim mandatarium seruari prorsus necesse est. [3] Nemo autem dubitat, quin fideiussori competat actio mandati, non solum si soluerit, sed & si quod aliud damnum aut incommodum pro suscepto mandato passus sit. [4] *Ita Senatus* pro Marco de la Mousiere du Pondeueyle, contra Petrum Gascon, 6. Non. August. 1593.

1 *L. sicut 8. §. non videtur, & l. si consenserit 7. & pass. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

2 *L. si seruus 60. §. quod vero, D. de furt. l. videlicet 29. D. ex quibus caus. maior. l. sed si quis 7. D. testam. quem aper.*

3 *d. §. quod vero, & tot. tit. mandat. D. & C.*

4 *L. inter causas 26. §. non omnia & pass. D. ill. tit. mandat. d. Bucius 38. §. vlt. eod. l. si pro ea contra quam 12. C. eod.*

DEFINITIO VII.

Renunciatio hypothecarum dotalium per mulierem facta ita demum valet, si dotis restituendæ tempore cætera bona sufficiant.

MVlier, quæ hypothecarum iuri renunciauit, constante matrimonio, [1] & adhibito, vt fieri solet, iureiurando, [2] non aliter potest easdem hypothecas vindicare suo tempore, quam si tum aliunde indemnitati suæ consulere non possit, [3] defecto marito, facultatibus, siue iam tum cum renunciatio facta est, [4] siue tum cum agitur. Inspiciendum enim est tempus, quo dos petitur, ne alioqui inutile sit mulieri beneficium legis, si ei noceat, quod maritus locuples fuerit eo tempore, quo dotem ipsa repetere non potuit. [5] Nec necessaria mulieri in integrum restitutio esse deberet, si æquo iure ageretur; quia publice interest, non valere pactiones huiusmodi, per quas dotis conditio deterior fiat. [6] Iusiurandum autem, licet sit obligatorium, easdem tamen conditiones recipere solet, quas contractus ipse, cui adhibetur. [7] Et consequenter in proposito iusiurandum tacitam illam conditionem habere intelligitur, quam habet ipsa etiam renunciatio, si cætera mariti bona sint soluendo. Tutius tamen est, impetrari restitutionem [8] & absolutionem, eoque iure, licet non semper, frequentius sane vtimur. [10] *Ita Senatus* in causa Ioanne Gentil, contra N. Pichon, 15. Cal. Febr. 1595.

1 Quod fieri potest, *l. iubemus 21. C. ad SC. Vellejan.*

2 Quæ iurisiurandi solemnitas solet firmare contractus omnes à muliere factos etiam contra legem & de fundo dotali, *c. cum contingat, extr. de iureiur.*

3 *d. l. iubemus.* Vide *l. pater 38. in princ. de leg. 3.*

4 Intellige, nisi superuenerint diuitiæ. Tunc enim conualesceret renunciatio, quæ ab initio non tenuisset, *arg. l. cura 1. §. deficientium, D. de muner. & honor. l. ab his oneribus 10. §. auctu, D. de vacat. & excus. muner.*

5 Idque regulare est, vt soleat inspici tempus, quo petitur, *l. vinum 22. D. de reb. credit. l. 2. D. de vsur.*

6 *L. Attilicinus 17. D. de pact. dotal.*

7 *Vulg. l. vlt. C. de non num. pecun.*

8 *d. l. iubemus* Afflict. *decis. Neapol. 313. in fin.*

9 Vt quod de facto processit, de facto rescindatur, quomodo loquuntur Pragmatici.

10 Est enim semper sequenda ea opinio, quæ tutior est, *l. si gratuitam 17. l. Titius 24. D. de præscr. verb.*

DEFINITIO VIII.

Restituitur ipso iure pristino actio creditori & ad debitum & ad pignus persequendum, si pignus, quod emerat, aut in solutum acceperat, postmodum ei fuerit euictum.

CReditorem, qui rem sibi obligatam emit à debitore, aut in solutum accepit, ius quidem pignoris, quod in ea re habuit, remisisse & amisisse certum est, cum fieri nequeat, vt cuiquam res sua sit obligata; [1] ideoque necesse sit acquisitione dominij vinculum pignoris dissolui, [2] quasi confusionis cuiusdam potestate. [3] Sed si rem postea per alium creditorem anteriorem euinci contingat, ius suum posteriori restituetur, vt siue agendo, siue excipiendo perinde hypothecariam exercere possit, ac si numquam sublata pignoris obligatio fuisset. Verum enim est, pecuniam, pro qua pignus datum fuerat, nec solutam creditori, nec eo nomine satisfactum vnquam fuisse: [4] quæ res proinde facit, vt duret hypothecaria, [5] nec tam post extinctionem videatur hoc casu resuscitari, quod esset difficilius, [6] quam ex postfacto apparere, cessasse illam antea potius, quam extinctam dici debuisse. [7] Non enim qui pignus suum comparat, ea mente comparat, vt remittendo ius pignoris deteriorem faciat suam conditionem, sed è contrario vt meliorem, causa pignoris in causam irreuocabilis & incommutabilis dominij commutata. [8] Cui consequens est, vt si qua ratione dominium, quod immutabiliter quæsitum videbatur, [9] reuocatum sit, non debeat creditori nocere, quo minus saltem pristinum ius retineat, quod plus iuris acquirere sibi voluerit per factam sibi venditionem aut dationem in solutum. [10] Idem multo magis obtinet, si proponas, alienam rem fuisse, quæ obligata primum fuerat, deinde ipsi creditori vendita, vel in solutum data. Nam neque hic confusio vlla & extinctio pignoris potest intercedere præterea acquisitionis dominij, quæ rei alienæ nulla esse potuit, [11] neque potest videri liberatus debitor, qui alienam rem in solutum dedit, [12] cum alienæ rei venditio quidem valeat, [13] sed datio in solutum valere nullo modo possit, [14] quando nec si debitum nummarium in nummis soluatur, aliter tamen possit debitori liberatio contingere, quam si nummi fiant accipientis, & quidem ita, vt per neminem postmodum euocari ab eo pos-

BIU Cujas

eo possint .[15] Nec distinguemus, an in totum, an pro parte res, quæ in solutum data est, fuerit aliena? Illud nimirum dationis in solutum singulare etiam ius est, vt si non nisi pro parte valere possit, tota irritetur, [16] ne permixta dominij transferendi necessitas faciat alioqui, vt qui socium nullum habere voluit, inuitus tamen incidat in communionem. [17] *Ita tractatum est* 4. Kal. Iun. 1595. Iunge Defin. 49. infra De solut.

1 *L. neque pignus* 45 *de reg. iur. l. debitor* 40. *in prin.* D. *de pigno. act. l. eleganter* 24. *eod. l. debitor* 59. *ad* SC. *Trebell.*

2 *L. pen.* § 1 *ad fi vers. neque enim*, vbi est textus elegans & accommodatus, D. *de excep. rei iudic.*

3 *L. debitori* 7. C. *de pact. l. debitori* 50. D. *de fideiuss.*

4 Ratio est, qua Paulus vtitur *in d. l. pen.* § 1. *de excep. rei iud.* contra Bart. *ad l. si quis aliam* 46. *de solut.*

5 Quæ sc. habet perpetuam illam conditionem si pecunia nõ soluetur, *l. grege* 13. § *etiam ff. de pignor. l. debitor* 59. *ad* SC. *Trebel. l. si rem* 9. § *omnis*, D. *de pign. act.* quę sententia & ratio est. *l.* 2. C. *de lust. pign.*

6 Quia semel extincta obligatio numquam reuiuiscit, *l. qui res* 98. § *aream*, D. *de solut.*

7 *d.* § *aream*, *vers. vt videatur.* Text. *in d. l. qui res*, *in prin.* & *in l. si rem* 20. *eod.*

8 Longe siquidem plus est habere dominium, quàm hypothecam, *l.* 1 *vlt.* & *tot. tit. C. de iur. domin. impetr. l. in bello* 12. § *si quis* 12. D. *de captiu.*

9 Debet enim acquirendi dominij causa perpetua esse, non temporalis, *l.* 1. D. *de iur. dot.*

10 In iis enim, quæ à facientis voluntate pendent, semper spectandum est, qua mente quid factum sit, *l. pro hærede* 20. *ff. de acq. hæred.* & *l.* 6 § *vlt. alias l. cum qui*, *eod.*

11 *L. rem alienam* 28. D. *de contr. empt. l. pen.* C. *de rebus alien. non alienand.*

12 *L. libera* 8 C. *de sent.* & *interloc. omn. iudic.*

13 *d. l. rem aliquam.* Vt sc. venditor de euictione obligetur, vt ea lex ait, & *tot. tit. de euict.*

14 *L. si quis aliam* 46. D. *de solut. l.* 4. *l. si ob causam*, 13. *Codic. de euict.*

15 *L. qui sic soluit* 55 D. *de solu.*

16 *d. l. si quis aliam.*

17 *L. si non sortem* 26 § *si centum*, D. *de condi. indeb.* Vide Capy. *decis.* Alex. *cons.* 106. *d. fin. vol.* 5.

TIT. XVI.

ETIAM OB CHIROGR. PECVN. pign. retin. poss.

DEFINITIO I.

Is, cui ex iudicato aliquid præstandum est, antequam pignus restituere cogatur, non prohibetur ex aliis causis, si quas habeat, idem pignus retinere.

IVssvs à Iudice pignori obligatam rem restituere, ita tamen vt vicissim ei restitueretur quicquid in eam rem tuendam seruandámq; vtiliter impendisset, [1] non solum propter eas impensas pignus retinere poterit, [2] sed etiam chirographarię pecuniæ nomine, si qua ei debebatur, [3] Nec nocebit rei iudicatæ auctoritas, quæ cum retinendi pro sumptibus pignoris potestatem facit, non ideò cæteras causas perimit, ex quibus iure communi retineri pignus potest, [4] ne alioqui noceat sententia ei, pro quo iudicatum est, [5] tametsi dici soleat, sententiam stricti iuris esse strictéque interpretandam. [6] *Ita Senatus* 7. Id. Nouemb. 1590.

1 Quæ est natura pignoratitiæ actionis, *l. si necessarias* 8. *D. de pignor. act. l. creditor* 7. *in fin. C. eod.*

2 Cum impensarum nomine etiam actio competat, *d. l. creditor*, *in fi.* ac proinde multo magis retentio, *d. l. si necessarias.*

3 *Ex l. vnic. C. hoc tit.*

4 Nam cessante potestate iudicati superest causa iuris communis, quæ creditori possidenti facilè dat retentionem quasi pignoris, tum quoque cum pignus reuera nullum est, *l.* 1. *D. de pignor. d. l. vnic. C. hoc tit. l. Iulianus* 13. § *offerri*, D. *de action. empt.* Iunge tamen *Defin.* 5. 7. *eod.*

5 *Contra l. euidenter* 16. *D. de excep rei iudic.*

6 *L.* 1. *C. si plur. vna sententia fuer. condemnat. l. termin.* 2, *vbi not. C. de fructibus & lit. exp.*

DEFINITIO II.

Etiam ob chirographariam pecuniã pignus retineri potest contra debitorem, sed non contra creditorem hypothecarium, nisi qui pecuniam crediderit post ius acquisitum pignoris pro chirographaria pecunia retinendi.

QVod placuit etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri posse, non facit, vt primus creditor secundo potior esse debeat in ea pecunia, quam eidem debitori post secundum credidit. Nam inter creditores ordinem temporis omnino seruandum esse constat, [2] ne facto debitoris damnum sentiat creditor, qui pignoris expressa conuentione sibi bene prospexerat, [3] in eoque meliorem creditoris hypothecarij conditionem esse æquum est quam debitoris, cuius sane nihil interest, quo tempore debitor factus fuerit, dum debitor sit. [4] Plane si secundus creditor de pignore non conuenerit, anterior in re sibi obligata non tam potior quam solus inuenietur, [5] etiam eius pecuniæ nomine, quam debitori post secundum creditorem, adeoque sine pignore numerauerit. [6] Potuit enim existimare, minus sibi necessariam pignoris conuentionem, quod sciret satis cautum priore pignore, cuius etiam ob chirographariam pecuniam retinendi ius haberet. [7] Cui consequens est, vt si post ius illud quæsitum alius pecuniam crediderit, ex eaque causa idem pignus acceperit, potior haberi debeat is, qui anterior fuit, etiam quod ad chirophariam pecuniam, quia non magis secundus creditor ius primi lædere potuit, quam primus ex postfacto secundi. [8] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua SC. 8. supr. Qui potior. in pig. hab.

1 *L. vnic. C. hoc tit.*

2 *L. creditor* 12. § *si idem bis*, *l. quærebatur* 20. *D. qui potior. in pign. habeant.*

3 *Arg. l. debitor* 3. D. *de separ.*

4 Vnde est quod debitor venditionem pignoris impedire non potest, l. 1. & *tot. tit. Cod. debit. vendit pign. imped. non pos.* Text. est *in d. l. vnic. C. hoc tit.*

5 *Vti l.* 2. *D qui potior in pign. hab.*

6 Plus enim iuris habet hoc ipso, quod est creditor hypothecarius pro pecunia primo loco credita.

7 Similis fere ratio est *in l. sicut* 8. § *non videtur*, D. *quibus mod. pign. vel hypothec. solu.* in illis verbis, *Quod sciebat vtique pignus sibi durare.*

8 Nam in pignoribus qui prior est tempore, potior est iure regulariter, *l.* 2. *l.* 4 C. *qui pot. in pign. hab.*

DEFINITIO III.

Pignus, de quo reddendo expressim conuenit, si certa quantitas solueretur, non potest retineri pro alia quantitate, quæ iam tum debebatur: secus si postea deberi cœperit.

CVm diuersarum summarum debitum, puta mille aureorum ex vna parte, & quingentorum ex altera, contraheretur, eoque nomine pignus daretur, conuenerat, vt solitis quandocumque mille aureis pignus debitori redderetur. Si mille offerantur, non poterit creditor pro reliquis quingentis pignus retinere, quia suam & certam legem ab initio habuit ius actionis pignoratitiæ, [1] nec recusare creditor potest, quo minus legem pignori dictam debitor exerceat. [2] Nam quod iactatur, etiam ob chirographariam pecu-

BIU Cujas

niam retineri pignus posse [3] tunc locum non habet, cum expressim conuenit, vt certa quantitate soluta pignus restituatur. Atqui, inquies, eadem conditio reddendi pignoris tacite inerat, si debitum solueretur, etiamsi de eo nihil dictum fuisset. [4] Fateor: sed locus est hoc casu iuris regulæ, quæ habet, Expressa nocere, non expressa non nocere. Non idem erit, si dato iam pignore pro mille aureis aliud debitum postea contrahatur. Neque enim videri potest creditor eo tempore, quo pignus accepit, abiecisse iuris communis auxilium sibi aliquando competiturum pro debito, quod nec dum contractum erat, & de quo contrahendo nil cogitabatur. [6] *Ita Senatus* in causa N. Amedei Martini Procuratoris & N. Zachariæ Lanfrey, 16. Calend. April. 1593.

1 *Arg. l. vero Procuratori 12. § pen. D. de solut.*

2 Conuentiones enim dant legem contractibus, *l. 1 § si conuent. D. depositi. l. in conuentionalibus 52. de verb. oblig. l. contractus 23. de reg. iur.*

3 *L. vnic. C. hoc tit.*

4 *L. si rem 9. § omnis pecunia. D. de pignor. act. l. gregi 13. § etiam, D de pignor.*

5 *L. nonnunquam 52. D. de condict. & demonst. l. expressa 88 de reg. iur.*

6 Nunquam enim conuentiones trahuntur ad incogitata, *l. cum Aquil. ana 5. l. qui cum tutoribus 9. D. de transact.* Et absurdum est prius extinctum pignus dicere, quam fit natum debitum. *arg. l. si ad diem 46. l. Titio vsufructus 96. D. de condit. & demonstr.* * *l. decem 116. de verb. oblig.* Vide tamen *l. 3. § 1. vsufruct quemadm. caueat.*

DEFINITIO IV.

Etiam res empta sub pacto de retrouendēdo potest retineri pro pecunia chirographaria, non minus quam si esset tantum obligata.

ETsi multum interest, an res vendita sit subiecto pacto de retrouendendo, an pignori dumtaxat obligata: [1] in hoc tamen par vtriusq; conuentionis potestas est, quod, qui fundum emit quandocumque retrouendendum, non prius retrouēdere cogitur, quam sibi solutum sit, quicquid debetur à venditore legem venditionis exercente, [2] tametsi chirographaria tantum pecunia proponatur. Nam si etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri potest, [3] quāto magis ea res retinebitur, quæ dominij iure possidetur, cū certissimum sit plus in ea iuris habere possessorem, quàm habeat creditor in pignore. [4] Inde fit, vt si is, qui retrouenditionem vrget, cunctante emptore solum emptionis pretium obsignauerit, [5] manca & imperfecta censeatur obsignatio, ideóque nec restituendorum fructuum lucrum acquirat obsignanti, [6] si modo emptor idémque reus velle se dixerit vti iure suo, [7] & pro pecunia quoque chirographaria rem retinere. [8] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Claudio du Port Chirurgo contra Franciscum Pellin Procuratorem, Kal. Mart. 1594.

1 Quia per pactum de retrouendendo transfertur dominium quod non transfertur per contractum pignoris, *l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.* vbi not. & *ad l. 3. C. plus valer. quod agit. l. cum & sortis 15. § 1. D. de pignor. act.*

2 *d. l. 2 C. de pact. int. empt & vendit.*

3 *d. l. vnic. C. hoc tit.*

4 Plus enim est habere dominium rei quam pignus, cùm is, qui habet dominium, habeat ius in re, qui verò pignus, tantùm ius ad rem, aut in rem, non rem ipsam.

5 Est enim necessaria obsignatio ad fructuum acquisitionem, *d. l. 2. cum ibi not.*

6 Debet enim obsignatio esse totius debiti, vt habeat vim solutionis, *l. obsignatione 9. C. de solut. l. acceptam, 19. Cod. de vsur.* debiti scilicet liquidi. Nam pro non liquido sufficit satisdari, *l. statuliber rationem 5. D. de statulib.*

7 Id enim probabiliter ignorare potest venditor redempturus, cùm ius hoc retentionis non ex contractu ipso nascatur, sed fit potius beneficium juris, quod implorari necesse est, vt eo quis vti possit, *arg. l. vlt. C. de iur. delib. l. 1. C. de acquir. poss.* quia non defertur à iure nisi volenti.

8 Alioquin non cogitur venditor offerre neq; obsignare, nisi quantam est in pretio venditionis, *d. l. 2. C. de pact. int. emp.* * Idē pronunciauit Senatus in eo casu quo pignus venditum sit subhasta & addictum creditori precio minore, quàm quantū deberetur, non enim admisit Senatus debitorem volentem luere pignus oblato solo precio subhastationis nisi offerret totum debitum cum accessionibus ad vltimum vsque quadrantem. *Ita Senatus* contra N. Dominicum Cize pro D. de Bienuenu 1615. Idem est si non debitor ipse velit pignus luere, sed ipsius heres vel vnus ex pluribus hæredibus: nec. n. potest melior esse causa heredis quàm debitoris, nec si probet heres se luere pignus ex pecunia propria non hereditaria, cum non habeat ius redimēdi nisi ranquam debitor, nec redimendi rem venditam, nisi tanquam hereditariam & obligatam: Quanquam non tam ista redemptio dicenda est quam luitio pignoris, nec tam acquisitio vnius iuris noui ex persona emptoris, cū extinctio iuris, quod ex subhastatione fuerat quæsitum, & quod manssisset irreuocabiliter acquisitum emptori si luitio pignoris facta non fuisset, & ita respondi pro eodem D. de Bienuenu contra D. de la Vulpilliere 25. Maij 1617. Idem denique dicendum est si debitor luere pignus velit ab emptore habente iura cessa à creditore vt diximus *Defin. 29. 3. de luit. pignor.*

DEFINITIO V.

Pignoris vinculum aliquod subesse necesse est, vt bona debitoris etiam pro chirographaria pecunia retineri possint.

QVod dicitur, etiam ob chirographariam pecuniā pignus retineri posse, non sic accipiendum est, vt etiamsi de nullo pignore conuenerit, liceat tamē creditori rem debitoris possidenti eam velut taciti pignoris iure retinere: [1] sed ita vt creditor, qui rem debitoris sibi vinculo pignoris obligatam tenet, eius retinendæ ius habeat etiam pro chirographaria pecunia, i. pro qua nullum alioqui pignus possit obtendere. [2] Cæterum qui de pignore nullo modo conuenit, non magis retinere rem debitoris pro pignore, quàm agēdo eam persequi potest. [3] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal & Ioannis Falquet, Non. Sept. 1595. Sed & specialis conuentio pignoris necessaria esse videtur, nec generalis sufficere, *arg. l. non inducta, C. in quibus causis pign.* scripsi *decis. 55. Error. 3. de error. pragmat.*

1 Quomodo tamen accipiunt plerique ex Pragmaticis nostris, contra quos vide quæ scripsi in priore parte Hemischil. *de error. pragmat.* Excipe casum *l. Iulianus 13. § offerri, D. de act. empt.*

2 *L. vnic. C. hoc tit.*

3 *Arg. l. Aristo 3. ff. quæ res pignor.* Latius tamen patet ius retentionis, quàm pignoris. Potest enim fieri, vt sit retentio sine pignore, non contra, *l. si in area 33. D de condi. indeb. l. heres 11. D. ad SC. Trebell.*

TIT. XVII.

DE DISTRACT. PIGNOR.

DEFINITIO I.

Fauor paupertatis iuncto præsertim fauore dotis, facit vt secundus creditor possit petere distractionem pignoris, quod anterior possidet, etiamsi nihil offerat: alioqui oblatio necessaria est.

ETsi ius ita comparatum est, vt priori creditori non aliter aufferre possessionem pignoris secundus creditor possit, quam si debitum offerat cum accessionibus: [1] visum tamen est audiendam viduam pauperem, quæ dotem repetens, nec habens quod prioribus cre-

BIU Cujas

bus creditoribus offerret, postulabat, vt pignora sub hasta venderentur, & ex pretio creditoribus singulis ex ordine satisfieret; intuitu nimirum paupertatis,[1] & ea lege adiecta, ne prius possessio anterioribus auferretur, quam iis omnino esset satisfactum.[3] Quo exemplo, eademque fere vrgente æquitatis ratione cœpit postea ius illud ad cæteros quoscumque posteriores creditores aliquando trahi, licet locupletissimi, adeoque duntaxat chirographarij proponantur,[4] præsertim si alia bona nulla sint, quorum explicata possit esse persecutio;[5] quasi nihil interfit anteriorum, an offerentib. posterioribus, an ex ipsa potius pignorum venditione suum consequantur.[6] Alio tamen nunc iure passim vtimur,[7] nisi secundus creditor fauore aliquo adiuuetur.[8] *Ita Senatus* 19. Mart. 1588. & pro D. de la Vulpiliere contra fratres Goddet, 10. Calend. April. 1594.

1 Ius enim offerendi necessarium antecedens est iuris auferendi, *l.1. l prior 5. & pass. C. qui potior. in pigno. hab. l.1. & vlt. C. si antiq. credit pign. vendid.*

2 Adde, & fauore tam dotis quam viduitatis; ne alioqui mulier maneat indotata *l 1. vbi not. D. solut. matr. l. interest.* 18. *D. de rebus auctor Iudic possid. aliàs l.3. de priuil. credit.*

3 *Vt in l. à Diuo Pio* 15. *§. quod si res pignorata, D. de re iudic.*

4 Quod sane abhorret à iuris ratione. Alioqui numquam posterior creditor eligeret ius offerendi, vt scripsi in priore parte Hemischil. *de error pragmat.*

5 Nihil enim refert, an bona nulla sint, quæ possideri possint, an vero non possint sine controuersia possideri, *l. quamvis* 13. *D. de rebus auctor Iudic. possid.*

6 *d.l. à Diuo Pio* 15 *§. quod si res pignorata.*

7 Vt scilicet pignorum ab anteriore creditore possessorum nō possit peti distractio, nisi oblato prius omni debito, *l. quandiu 6. C. hoc tit. l. 2. Cod. debit. vendit. pignor. imped. non poss.* Aliud sane est in chirographariis creditoribus, *l. pro debito 6. C. de rebus auctor. Iudic. possid.*

8 Puta paupertatis vel dotis, secundum ea, quæ scripsimus *numer. 2.*

DEFINITIO II.

Casus, in quo impeditur creditoris hypothecarij intentio, etiamsi minus ei offeratur quam debeatur, nimirum cum ex creditore factus est emptor & dominus.

FVndum, qui mihi mille aureorum nomine obligatus erat, tu Titio mille aureis vendidisti: cum non solueres, egi hypothecaria contra possessorem Titium, & obtinui, vt is fundus venderetur. Si quingentorum aureorum pretio sub hasta mihi addictus sit, nullo extraneo emptore existente,[1] audiendus erit Titius, mihique deneganda missio in possessionem, quæ pignorum emptoribus accommodari solet; si quingenta offerat, licet ille tibi mille, tu totidem mihi debeas,[2] quia nec pluris fundus à me æstimatus est.[3] Sane si bona tua vniuersa mihi sint obligata, tibi vero Titij etiam futura, non male per quasi Seruianam petere potero, vt nomen Titij & consequenter idem iterum fundus vendatur.[4] Sed alia in eam rem actione opus est.[5] *Ita Senatus* in causa quadam Marchionissæ de Gallerande & D. Benedicti Caueti Senatoris Clariss. Prid. Id. Maij, 1588.

1 Quo casu creditor ipse potest emere in vicem extranei emptoris, *l.2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

2 Dicique soleat, nihil prodesse patris oblationem, si non totum debitum offeratur, *l. quamdiu 6. C. hoc tit. l. in executione 85. §. pen. ff. de verbor. oblig.*

3 *L. si creditor* 28. *ff. de pignor. act. l. fundus 9. ff. de rescind. vendit.* Hoc enim casu desisti esse creditor, cum factus es emptor, *l. pen. §. 1 in fin. de except. rei iudi.*

4 Non enim ad hunc casum pertinet Iustiniani constitutio, quæ extat *in l. vlt. C. de remiss. pign.*

5 *Vt in l. non potest videri* 22 *ff. de iudic.*

DEFINITIO III.

Cum pignora publicè & sub hasta distrahuntur, debet fieri primum proclama ante decem dies, ita vt bona non remaneant venalia per plures quam quatuor & viginti dies, vt nec per pauciores,[1] quam per viginti.

PIgnorum venditiones sub hasta fieri solitæ non valent, si ab eo die, quo pignora capta sunt, ad eum vsque, qui primus ex tribus faciendæ venditioni dictus est, plures quam decem dies interceſſerint. Sic enim Senatus noster interpretatur statuti verba, quibus cautum est, vt infra[1] decem dies publicum proclama fieri oporteat. Neque hic locum habeat, quod dici solet, ea, quæ abundant, vitiare non solere.[2] Semper enim obseruandum est, vt quæ à statuto forma præscripta est, ab ea ne latum quidem vnguem recedatur.[3] Et quamvis dici possit, commodius fore debitori, si in longius tempus primum proclama differatur, vt eo tardius vendantur pignora &, quod est consequens, tanto amplius spatium habeat ad soluendum:[4] non tamen quid debitori vtilius futurum sit inspiciendum est in ea venditione, quæ inuito debitore fiat,[5] sed quid æquius & conuenientius. Aperte autem iniquum esset & iniuriosum, emptores ad publicam venditionem inuitatos, qui statuti formam præ oculis habeant, decipi & irrideri,[6] quod contingeret, si post decem illos dies statuto præfinitos venditionis solemnia quandocumque inchoare, & sic inchoata peragere liceret. Eaque res etiam debitoris damno cederet, cuius sane interest quam plurimos ad emptionem inuitari, nec vllo incommodo à licitandi facultate & voluntate deterreri, vt tanto pluris pignus distrahatur.[7] Itaque sicut non per pauciores quam per viginti dies,[8] ita nec per plures, quam per quatuor & viginti debent pignora manere venalia.[9] *Ita Senatus* 7. Id. Nouemb. 1588. in relationibus libellorum.

1 Quæ dictio in hoc loco barbara est, cum scribi debuisset, *intra decem dies.* Nam *intra* est aduerbium temporis, cui respondet *extra.* At *infra* est aduerbium loci, qui respondet *supra*, vt tractant Grammatici, ad quos redire, quoties necesse est, non pudet.

2 *L. non solent* 94. *de regul iur.*

3 Batt *in l. Theopompus de dot. praleg.* Bald. *in l. iurisiurandi, C. de testib.* Felin. *in cap. quoniam frequenter, colum. 3. & 4. vt lit. non contest. & in cap. cum delicta, col. 15. de rescript.* Boer. *quæst. 1. num. 40.*

4 Et ad explicandam pecuniam, cuius numeratio non est semper in expedito, *l. si dubitet* 10. *ff. de fideiuss.*

5 Fit enim semper in executione iudicati, aut saltem instrumenti guarentigiati, quod pro iudicato habetur. Iudicium autem semper redditur in inuitum, *l. inter stipulantem*, 87. §. 1. *ff. de verb. oblig.*

6 *L. quod si minor.* 24. *§. quæsitum, ff. de minor. l. si hypothecat, 8. C. de remiss. pign.*

7 Crescit enim æstimatio per licitationem calore licitantium, qui calor solet tanto maior esse, quanto plures sunt, qui licitantur.

8 Id enim statuto nostro diserte ac expressim cautum est, vt bona remaneant venialia per viginti dies,

9 Quod contra eueniret, si primum proclama fieret post decem dies.

DEFINITIO IV.

Ex subhastatione nulla nec dominium transfertur, nec possessio, tota autem subhastatio nulla est, si quid in ea vel minimum peccatum sit contra formam statuti, sed hoc quantum ad cæteros, non quantum ad debitorem ipsum.

QVod proxime diximus, in pignorum distractione, quæ sub hasta fit, statuti formam districte

BIU Cujas

seruandam esse, vt ab ea ne latum quidem vnguem recedatur, [1] efficit, vt si in forma vel minimum peccatum sit, neque dominium transferatur in emptorem, [2] neque possessio, tametsi dici soleat, etiam ex inutili contractu, dum ne talis sit, cui lex directo resistat, trásferri possessionem. [3] Non enim dominio duntaxat alienando, sed transferendæ quoque possessioni ea solemnitas præscripta est, quæ statuto continetur. [4] Sed hoc ita accipiendum est, si alius quam debitor ipse contradicat. Nam debitori totum debitum cum legitimis accessionibus non offerenti præclusa via est impugnandæ subhastationis, si modo eam pro debito factam esse appareat. [5] Quid ergo si post iam captum pignus, &, vt statutum loquitur, in manus curiæ redactum, alius creditor eadem bona pignori capiat? Non nocebit prior executio posteriori exequenti, quippe qui in eo pignore non tam potior, quam solus inueniatur. [6] Idemque erit etiamsi rite recteq; captum sit pignus à priore creditore, si sequentia publicę venditionis solemnia perperam, & contra statuti formam peracta sint. [7] Non enim sola pignoris capio inspicienda est, sed tota venditio, quæ cum pro parte valere non possit, [8] (vnus enim contractus & consequenter indiuiduus est. [9]) si ex parte infirma sit, tota corruit. [10] Nec præcessisse videtur pignoris capio, quam nulla distractio secuta est, [11] vt nec secuta videri potest, quæ perperam sit secuta. [12] *Ita Senatus* ibidem. Iunge Defin. 2. qui potior. in pignor. hab.

1 *Ex not. Defin prox præced. nu.* 1.

2 Quia dominium nunquam transfertur, si nullus titulus iustus præcedat, *l. nullo* 24. *C. de rei vindic.* Nullus autem titulus est, qui factus fuit contra leges, & contra formam statuti, *l. quemadmodum*, 7. *C. de agric. & censit.*

3 *Ex l.* 1 *§ si vir vxoris, cum ibi not. l. quod vxor*, 16. *ff. de acquir. possess.*

4 Ergo seruanda non minus, quantum ad possessionem, quam quod ad proprietatem. Vide *Defin. 2. supr. qui potior. in pign. hab.*

5 Nam cum subhastatio facta est pro debito, non tam imputari potest creditori, cur statuti formam non seruauerit, quam debitori, cur non soluerit, quandoquidem si soluisset, nullus hodie locus relinqueretur quæstioni, De nullitate vel validitate subhastationum. Nec tursus mirum est causam debitoris hac parte minus fauorabilem esse, quam alterius creditoris, vt & in specie *l. vnic. ad fin. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

6 Quomodo loquitur Papinianus *in leg. 2. D. qui potior. in pign. hab.*

7 Nihil enim actum videtur, quamdiu aliquid restat agendum, *vulg. l. pen. in fin. C. de his quibus vt indign.*

8 Quia non credendus quisquam sit pro parte vel empturus fuisse, vel venditurus, *l. si quis aliam*, 46. *ff. de sol. l. tutor*, 47. *ff. de minor.*

9 Ac proinde forma multo magis indiuidua. Nam omnes rerum formæ indiuiduæ sunt, vt aiunt Philosophi.

10 Siquidem in indiuiduis etiam vtile per inutile vitiatur, *Nov. in Placuit* 29 *ff. de vsur.*

11 *L. à Diuo Pio*, 15 *§ sed cum emptor, leg. si cum nulla*, 58. *ff. de re indic.*

12 Nihil enim refert, an quid nullo modo, an vero perperam factum sit, *l. quoties*, 6 *D. qui satisd. cogant*, *l.* 2. *ff. de auctor. tutor.*

DEFINITIO V.

Subhastatio etiam nulla, si modo pro debito facta sit, tenet, nec solum contra debitorem, sed etiam contra tertium, qui habeat causam à debitore posteriorem subhastatione.

DEbitor quidem, si factam sub hasta venditionem pignoris improbare velit, non aliter audiendus est, quam si totum debitum cum legitimis accessionibus offerat, & recusante creditore obsignet. [1] Sed an eadem offerendi & obsignandi necessitas alij quam debitori ipsi incumbat, à nonnullis dubitatur. Certe legis nostræ municipalis, quę nec à iure communi hac parte discrepat, [2] verba sic concepta sunt, vt solius debitoris personam demonstrent. [3] Neque vero citrà manifestam iniuriam idem ius induci posset in persona eius, qui debitor non esset. [4] Quam ob causam, si quando de subhastationibus quasi iure factis decreto confirmandis agi oporteat, illa semper clausula adiici solet, *salvo iure tertij*, vt alterius cuiuslibet qui debitor non sit ius exceptum censeatur. Verum nō improbabilis videbatur ea distinctio an tertius is sit, qui causam posteriorem habeat à debitore, nec ne? vt si habeat, licet sit creditor, quia tamen posterior est, eiusdem sit conditionis, cuius esset ipse debitor, [5] sin minus proprio iure vtatur. [6] Ita sæpius in Senatu tractatum est, nondum tamen quod viderim decisum.

1 Sic enim stylo Senatus nostri diserte cautum est.

2 Vt constat *ex l. 1 cum ibi not. C. de fid. & iur. hast. fisc. l. lib. 10. tit. 3. l. si non sortem*, 26. *§ si centum nisi*, vbi Bart. *D. de condict. indeb.*

3 Quod vnum maxime inspicienda est, *arg. l. pater*, 10. *in fin. D. de captiu. & postlim.*

4 Omnis enim obligatio præsupponit debitam ab ipso obsignante pecuniam, cum habeat vim solutionis, nec alius possit cogi soluere, quam qui ipse debeat *l. accepti*, 9. *Cod. de vsur. l. obsignatione*, 9. *C. de solut. l. vnic. Cod. vt null. ex vican. pro alium. vican. debit. teneat. lib.* 11. *tit.* 56.

5 Quod etiamsi dictum non sit semper exceptum intelligitur, etiam à Principe, *l.* 2. *S. merito & § si quid à Principe. D. ne quid in loc. public. l.* 4. *C. de emancip. liber.*

6 Nam & hic soluere cogitur, non quidem præcise vt debitor, sed causatiue, quomodo nostri loquuntur, id est, si velit anteriori creditori rem aufferre, & pignus suum confirmare, cum non possit venire, nisi per ius offerendi, vt scripsi *Defin. 1. supr.* Neque vero potest quisquam plus iuris habere ex persona sui debitoris, quam habeat ipse debitor, *vulg. l. nemo plus iuris*, 54. *de reg. iur cum similibus l.* 3. *in fin. D. de pignor.*

7 Nec proinde cogatur pati vllam exceptionem ex persona debitoris, cuius iure non vtitur.

DEFINITIO VI.

Subhastatio non valet, si facta sit pro debito incerto, si tamen postea certum factum sit & liquidum, non potest debitor, missis oblato vniuerso debito, cum accessionibus subhastationem impugnare.

NOn valet pignoris distractio, facta sub hasta pro certo debito, cum hac adiectione, *salua detractione eius, quod solutum esse constabit.* Subhastatio enim quid aliud quam venditio iudicialis est? [1] Proinde certum omnino pretium habere debet. [2] Pretium porro aliud non est, quam ipsa quantitas, quæ debetur, & propter quam pignus distrahitur, cum nullo existente extraneo emptore res obligata addicitur creditori. [3] Etsi vero alio ad publicam emptionem accedente, pretium illud est quod offertur, quod ipsum certum esse potest, licet petita quantitas sit incerta: [4] succedit tamen alia ratio quæ impedit ne subhastatio valere possit, quod interfit debitoris sciri ante omnia quid debeatur, vt is offerendo prohibeat rei suę distractionem. Quomodo enim alioqui offerre possit, cum non aliter valitura sit oblatio, quam si totum debitum ad vltimum vsque quadrantem offeratur? [5] Si tamen ex postfacto appareat, quid & quantum debeatur, non erit audiendus debitor, si hoc solo prætextu irritam facere velit venditionem, quin totum id quod est in debito offerat, & recusante creditore obsignet. [6] *Ita Senatus* ex tempore 6. Id. Mart. 1589. & rursum pro Dn. de Lysse, contra hæredes Francisci Berchet, Prid. Id. Nouemb. 1592.

1 *L. si hypothecæ*, 8. *C. de remiss. pign. l. si quos* 29 *C. de rescind. vend. l.* 1. *& tor. tit. C. de fid. & iur. hast. fiscal lib.* 10. *tit.* 3.

2 Vt & alia venditio quælibet, *l. vlt. in fin. Cod. de contr. & commit. stip.*

BIU Cujas

communi ff pul. l. hac venditio 7. §. hactenus modò & seq. D. eod. iunct. *l. 3. & 4. C. de sent. quæ sin. certi quant. profer.* [Ergo nec valebit subhastatio facta certo etiam pretio, sed sub hac protestatione, vt si res tanti empta & pro debito addicta creditori minoris erit, liceat ei in alia bona debitoris agere. Nam & hæc protestatio facit ne pro certo pretio dici possit facta subhastatio. Quamuis hanc protestationem fieri nihil vetet eo tempore, quo pignus capitur, vt distrahatur, sed non tamen cùm addicitur. *Ita Senatus sine die.*]

3 Scilicet cum addicitur pro ipso debito, nec quicquam amplius offert creditor, vt *in l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit, l. vl. & tot. tit. Cod. de iur. domin. impetr.*

4 Quid enim cum debita quantitate commune habet pretium à tertio emptore oblatum?

5 *L. quamdiu, 6. C. hoc tit. l. 2. C. debit. vendit. pignor. imped. non poss.*

6 Ergo ex postfacto & superueniente certitudine debiti conualescit subhastatio, quæ ab initio propter incertitudinem fuerat nulla. Verum non ita est, sed non auditur debitor allegans nullitatem subhastationis, nisi oblato prius debito, vt dicemus *Defin prox seq. & Defin. 18 f.*

DEFINITIO VII.

Si pro merce debita pignus sub hasta venditum sit, non aliter valet venditio, quàm si merx prius & ritè sit æstimata, debitor tamen non aliter audietur, quam si offerat.

ÆQuè nulla est subhastatio facta pro merce debita, si eius mercis æstimatio, aut nulla omninò aut minus ritè præcesserit. Vtroque. n. casu facta videtur pro incerto debito.[1] cum pignus, quod distrahitur, non merce sed pecunia æstimandum sit, æstimatio autem quę non ritè facta est, pro non facta habeatur.[2] Cui consequens est, vt nec confirmetur subhastatio ex postfacto, si alia & ritè facta sit æstimatio, licet maior, & debitori onerosior. Venditionem enim, quæ publice & ex iudicis auctoritate fit, sic fieri necesse est vt ab initio valeat.[4] Sed tamen non eò magis audietur debitor, si subhastationem impugnare velit, ni mercem ipsam offerat quam debet, si nulla aut minus idonea æstimatio præcesserit,[5] aut iustam, quæ ritè facta sit, mercis æstimationem.[6] *Ita Senatus* in dicta causa D. de l'Isle, contra hæredes Francisci Berchet, prid. Id. Nouemb. 1592.

1 Et consequenter incerto pretio, cum non aliud subhastationis pretium sit, quàm debitum ipsum, quoties creditor ipse accedit ad emptionem. Vtrumque autem debet esse certum, & pretium debitum. vt dixi Defi. præced. [Verùm tamen est posse capi pignora pro merce debita quamvis nondum æstimata; dummodo fiat æstimatio ante expeditionem vt vocant. Rebuf. *in tract. de pracon. & licit. arg. l. glos. in princ.*]

2 *L. 1. D. de rer permut. l. 1. D. de contr. empt. l. si ita fideiussorem accepero, 41. D. de fideiuss.*

3 *L. 2. D. de auct. tutor.*

4 *L. quod initio, 29. de regul. iur. cap. quod ab initio, eod. tit. in 6. cum vtrobique notat.*

5 Quia cogitur offerre & obsignare debitum, quoties pro debito facta est subhastatio, vt dixi *Defin. 5 supr.*

6 Merx enim debita, si ad diem soluta non sit, magis recipit solutionem & iussorem in æstimatione, quàm in merce ipsa propter varietatem pretij, quod in dies mutatur, *l. vi. num. 22. & ibi not. D. de reb. cred. l. vlt. D. de condict. tritic. l. pretia rerum, 63. D. ad leg. falcid.*

DEFINITIO VIII.

Non est nulla subhastatio, quæ excedit duplum, sed annullanda & rescindenda, nisi læsio sit enormissima, quo casu potest admitti debitor per ius offerendi, vsque ad 30. annos etiamsi Senatusconsulto confirmatæ sint subhastationes, nec vlla eget ciuili supplicatione.

QVod statuto nostro cautum est, vt si quando in executione iudicati pignora capiantur, duplum debiti non excedant, non eo pertinet, vt si contra factum sit, & enormissima læsio interuenerit, neque pignoris capio, neque publica venditio valeat, sed vt debitori succurri oporteat, quia non tam ex præcepto,[2] quàm pro consilio traditum id videtur, vt seruetur modestia, quemadmodum statuti verba habent. Quid ergo si iudicis, adeóque Senatus decreto subhastatio comprobata sit, si semestre præterierit. quod præteritum esse necesse est, priusquam decretum interponatur, in eo sane iudicatum non oberit, vt redimi pignus non possit, quod ante semestre elapsum redimi potuisset. Nam etiamsi decretum interpositum non esset, solus lapsus temporis ius redimendi extinxisset.[4] Hactenus ergo iudicatum proderit creditori aut emptori, ne de subhastationis viribus quæri amplius oporteat,[5] de quibus alioquin ad trigesimum vsque annum quæri posset.[6] Proinde non nouum ius ex decreto acquiritur, sed quod iam quæsitum fuerat confirmatur. Cui consequens est, vt contra decretum non sit necessaria debitori ciuilis, vt vocant, supplicatio,[7] sed tantum aduersus subhastationem restitutio in integrum, ex causa immodicæ & enormissimæ læsionis.[8] An in id, vt subhastatio rescindatur? Minimè. Nam & cum tenet, aliud expeditius remedium est, quo debitori consulatur, nimirum, vt redimendi jus, quod jure communi & ordinario non nisi semestre fuit, pro perpetuo habeatur in annum vsque trigesimum, propter enormissimam læsionem.[9] Sic enim fit, vt debitori perinde liceat pignora jam vendita redimere, ac si nec elapsum semestre, nec decretum interpositum proponeretur: eóque remedio non minus ei consulitur, quàm si subhastatio rescinderetur,[10] quando illo etiam casu dubium offerri & restitui oporteret.[11] Minus autem durum est, vt redimendi jus quod peremptum fuerat resuscitetur, quàm vt venditio ipsa rescindatur; ne tam facilè publicæ hastæ fidem conuelli patiamur.[12] Neque decreti interpositio huic restitutionis auxilio obstare potest, cum ordinarium eo tempore de nouo illo iure redimendi, quod per in integrum restitutionem postea competere cœpit, nondum quæreretur.[13] Sed si enormis tantum, i. vltra dimidiam non etiam enormissima læsio interuenerit, rescindi subhastationem necesse est, & consequenter saluam esse emptori electionem iusti pretij supplendi.[14] *Ita Senatus* 16. Kal. Iul. 1587. & rursum 7. Id. Nouemb. 1590. Iunge Defin. 4. 5. 6. 7. De rescind. vend.

1 Et hoc non tam ex ratione iuris, quàm ex æquitate quadam & miseratione, cum non semper possit imputari debitori, cur non soluerit, quia debiti numeratio non semper est in expedito, *l. si dubiter, 10. ff. de fideiuss.*

2 Et pro forma. Quo casu formæ omissio subhastationem vitiaret, vt dixi *Defin. 3. n. 2. f.*

3 Nec enim creditor nimis onerosus facilè audiendus est. *l. si seruos, 25. in fin. D. de pign. act. l. quod dicimus, 105. D. de solut. l. 1. C. de iur. domin. impetr.*

4 Nec enim decreto confirmantur subhastationes ad extinguendum ius redimendi, sed tantum ad hoc, ne de subhastationum virib. aut nullitate quæri amplius possit. In quo plerique pragmaticorum falluntur.

5 Quia res iudicata pro veritate habetur, *l. res iudicata, 207. de reg. iur.*

6 *L. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

7 Quæ alioqui esset necessaria ad euertendum iudicatum, vt dixi Defin. 1. f. *de sent. præf. prætor.*

8 *Ex l. 2. C. de rescind. vend.*

9 *Ex not. in l. si quis cum aliter, 16. D. de verb. oblig.* Enormissima autem læsio est, quæ excedit bessem, *Not ibi.*

10 Rescissionis autem via semper odiosior est, quam redemptionis, *l. ad rescindendam, 4. C. de rescin. vend.* Vide tamen *Defin. 26. & 28 infr.*

11 Cum nunquam audiatur debitor impugnans subhastationes pro debito factas, si non prius totum debitum offerat. Vt dixi Defin. 5. f.

BIU Cujas

12 *L. si hypotheca,* 8 *C. de remiss pign. l. 2. l. si tempora,* 4. *Cod. de iur. & fid. hast. fiscal.*

13 Non enim potest videri in prius iudicium venisse id quod accidit ex postfacto. *l. non potest,* 22. *D. de iud.*

14 Vt scripsi *Defin.* 4 §. *si aduersus usucap.* Vide *l. 2. l. si voluntate* 81. *l. si quos,* 29. *C. de rei vend. l. 2. C. de fid & iur. hast. fiscal. libr.* 10. *in* 3.

DEFINITIO IX.

Nec transactio facta super subhastationibus, in quib. læsio enormissima interuenit, impedit, ne ius redimendi sit perpetuum.

EAdem ratio facit, vt etiamsi post rite peractam subhastationem transactum sit inter debitorem & emptorem, siue creditor ille fuit, siue extraneus, nō eo minus possit debitor restitui aduersus subhastationem, quod ea per transactionem comprobata sit, si modo læsio immodica duret & probetur.[1] Neque enim maior vis esse potest transactionis quam rei iudicatæ.[2] Nec ad rem pertinet quod ex edicto Emanuelis Philiberti Principis nostri non datur restitutio aduersus transactionem ex causa quantæcumque læsionis.[3] Id enim eo spectat, vt transactio ex ea sola causa rescindi non possit; non etiam ne prodesse possit restitutio ad hoc, vt salua trāsactione ius redimendi, quod iam extinctum fuerat,[4] per in integrum restitutionem reuiuiscat, nisi proponas de hoc ipso quoque nominatim transactum.[5] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Dionysij Franciſci de Seiturier, contra Dn. de Dortans, 4. Non. Aug. 1592.

1 Quia durante læsione etiam post transactionem durat semper eadem causa restitutionis, *arg. l. doli,* 9. § *diuersum, Dig. de nouat.*

2 Quamvis nec sit minor, *l. non minorem* 20 *C. de transact.*

3 Si non præter læsionem interueniat vis aut dolus, aut minor ætas. Quæ fuit iam olim sententia Baldi contra Bart. & vera *in l. 2. C. de rescind. vend. ex l. cauſus,* 16. *C. de transact. l. Lucius* 78. §. *vlt. D. ad SC. Trebel.*

4 Ius enim redimendi supponit potius, quàm vt destruat transactionem.

5 Similis exceptio est *in l. vnic. C. de error. calcul.* Adde *Defin.* 6. & 12. *infr. de luit. pign. l. pen. C. de transact.*

DEFINITIO X.

Debitor habens ius cessum ab anteriore creditore potest eo vti contra creditorem suum posteriorem, si modo consentiat, vt posterioris creditoris indemnitati ante omnia satisfiat.

CRediderat mihi centum Titius, eique pignoris nomine dederam in antichresim fundum dignū trecentis. Cum tibi ex posteriore obligatione centum quoque deberem, & ad solutionem condemnatus essem obtinueras, vt in iudicati executionem eiusdem fundi hyperocha pignori caperetur, & publice venderetur.[1] secutáque erat venditio eo pretio centum aureorum. Postea cesserat mihi Titius quicquid iuris in eum fundum haberet. Cumque peteres vt vacuam fundi possessionem tibi traderem,[2] dixi paratum me tradere, sed ita si prius mihi solueres omnem pecuniam, quæ Titio debebatur, & cuius nomine potuisset ille nulla facta cessione fundum sibi retinere. Probabam autem debuisse me Titio non ea sola centū, propter quæ contracta erat antichresis, sed alia etiam cētum, ideoque postulabam, vt deducto omni eo quod tibi deberem, reliquum mihi solueres, priusquam cogeret ad vacuæ possessionis traditionem: præsertim cū pro iis quoque centum bona mea omnia Titio primum obligata proponerentur. Quæsitum est de iure exceptionis. Placuit æquum & iustū esse, vt ea omnia mihi præstes, cū à Titio ius habeam, quæ ipsi Titio si fundum adhuc possideret, præstanda essent,[3] antequam pignoris possessione cedere cogeretur.[4] At qui non tā tum propioribus illis centum poterat pignus retinere, sed etiā pro alia omni pecunia, quæ ei debebatur adeoque pro chirographaria. Idem igitur mihi quoque permittendum est.[5] Nam quod & tuus debitor sum & condemnatus, hactenus tantū mihi nocere potest, vt ex ea pecunia, quam mihi quasi Titij cessionario præstare debes, tibi ante omnia per retentionem satisfieri oporteat.[6] Cætetum vbi ea ratione tibi satisfactum est, nihil causæ est cur non mei quoque iuris rationem habere necesse sit.[7] Nec ad rē pertinet, quod quo tempore fundi mei hyperocham emisti, nesciebas, debere me Titio plus quam centum. Oportuit enim curiosiorem esse te ac diligentiorē, vt scires quātum ei deberetur qui possidebat,[8] cū cogitare deberes futurum, ne prius cogeretur illi vacuam fundi possessionem reddere, quam sibi omnino esset satisfactum.[9] *Ita Senatus* in causa Dn. de Macognin, & aduocati Ponsier, 4. Cal. Iunij, 1591.

1 Nec enim prior creditor huiusmodi venditionem potest impedire *l. à Diuo Pio,* 15. §. *quod si res pignorata, D. de re iud.*

2 Debitor enim sicut venditionem pignoris impedire non potest, ita nec cętera quæ sunt consequentia venditioni, *l. 1. & tot. tit. C. debit. vendit pignor. imped. non poss.*

3 Quid enim tua interest, an mihi soluas an Titio?

4 *L. vnic. C. etiam ob chirogr pecun. pign. retin poss.*

5 Vt eadem sit causa successoris quæ auctoris, *l. inuitus,* 156. §. *plerumque, D. de regul. iur.*

6 Creditor enim pignoratitius cum habeat actionem, multò magis habet retentionem, *l. 1. D. de pignor. l. si necessarias,* 8. *l. debitor,* 40. §. *vlt. D. de pignor. act.*

7 Vt vtrique consulatur & neuter fraudetur. *l. ex hic,* 8. *in fin. D. quæ in fraud. cred.*

8 *Arg. l. vir. vxori,* 17. §. *vlt. D. ad SC. Velleian. l. doli,* 19. §. *vltim. D. de nouat.*

9 Etiam pro chirographariapecunia, vt dixi *num.* 4.

DEFINITIO XI.

Non potest debitor creditoris sui pignoratitij persecutionem impedire prætextu iurium, quæ acquisiit ab aliis creditoribus anterioribus, qui eum fundum non possidebant, quamvis habuerint illum obligatum.

SAnè si ego alios creditores meos conquisierim, à quib. cessionem iurium acciperem, non eris cogendus eam pecuniam mihi soluere, quam aliis debui, licet eundem fundum pignori habuerint obligatū. Non enim eo minoris fundus esse intelligitur, quod aliis fuerit obligatus,[1] quousque per hypothecariam auocetur.[2] Auocari porro à te non posset,[3] vbi semel nactus esses possessionem, nisi facta prius mei bonorúmque meorum omnium excussione.[4] Proinde non faciet ea cessio ab aliis, qui non possidebant habita, & in fraudem tuam captata, quo minus statim cogendus sim vacuam tibi tradere fundi possessionem.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quando nihil commune habeat ius pignoris cum iusto valore & æstimatione rei obligatæ, *l. si fundus,* 16. §. *si plures, D. de pign. l. 1. & l. vlt. & tot. tit. C. si vend pign. agat.*

2 Nam & hypothecaria rem euincit, si debitum non soluatur, *l. si mancipium,* 34. §. *vlt. & l. seq. D. de euict.*

3 Ne quidem per anteriores creditores. Nam de posteriorib. dubitari nullo modo potest.

4 *Vulg. Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

5 Non enim ad causam possessionis prodesse mihi debet ius quod ab iis habeo, qui non possidebant.

DEFINITIO XII.

Nihil prodest debitori, quod habeat iura sibi cessa ab anterioribus creditoribus habentibus clausulam constituti, siue fuerint illi anteriores, siue posteriores eo, qui quasi Seruianam exercet.

Quid

QVid tamen si alij creditores, à quibus cessum ius habeo, non solum ius pignoris in eo fundo habuerunt, sed etiam fundi possessionem acquisitam per clausulam constituti? Dubitationem facit, quod cum ea clausula tantundem prosit ad realem & naturalem possessionem transferendam, quantum traditio, 'eadem ratio esse videatur eius pecuniæ, quæ his debetur, quam esse diximus [2] illius, quæ pignoratitio creditori debita fuerit. Sed tamen verius est, vt hoc casu, id est, denoluto iure creditoris constitutarij in personam debitoris, nulla illius clausulæ potestas sit. Nam siue fuerunt illi creditores posteriores Titio, non potuit clausula constituti transferre in eos possessionem, quę iam tum penes Titium erat, [3] (neque enim qui constituit se alieno nomine possidere, facit alium possessorem, ni eo tempore ipse possideat, [4]) siue fuerunt anteriores, fatendum est interuersam eorum possessionem à me, qui eundem fundum Titio postea in antichresim tradidi. [5] Nec aliud remedium superesse ad auocandam possessionem, ne vnquam amissa videatur, nisi ex Iustiniani constitutione, [6] quæ porro nō potest ei ipsi fauere, qui alienam possessionem interuertit, sed ei tantum, in cuius fraudem ab alio interuerti possessio non debuit. [7] *Ita Senatus* in eadem cnusa.

1 *L. quod meo, 18. vbi not. ff. de acquir. poss.*

2 *Desin. 10. supr.*

3 Cum non possint plures eandem rem eodem tempore in solidum possidere, *l. 3. §. ex contrario, ff. de acquir. poss. l. duo in solidum, 19 ff. de precar.*

4 Vt probatur ex primis illis verbis, *d. l. quod meo nomine possideo, cum ibi not.*

5 Vt euenit quoties is cuius corpore aliquis possidebat alij rem tradidit, *l. si de eo 40. § 1. D. eod. tit. de acquir. poss.*

6 Quæ extat *in l. vlt. C. eod.*

7 Vnicuique enim factum suum nocere debet non alteri, *l. factum, 155. l. in condemnatione, 173. §. vnicuique de reg. iur.*

DEFINITIO XIII.

Venditione pignoris facta ex conuentione citra denunciationem, quæ omissa fuerit, etiam per dolum, nihilominus securus est emptor, si dolum non participauerit. Creditor tamen pignoratitia actione conueniri potest, & ad quid?

CVm pignus ex conuentione venditum est ob non solutam sua die pecuniam, non competit pignoratitia debitori aduersus creditorē, nisi ad hoc, vt ille restituat, quanto plus percepit ex pretio pignoris, quam fuerit in debito, si forte, vt plerumque fit, pignus pluris venditum proponatur. [1] Valet enim cōuentio de vendendo pignore, adeo vt nec requiratur denunciatio si concurrat lapsus temporis, intra quod debitor soluere debuerit nec soluerit. [2] Nam & valet pactio, vt liceat creditori pignus vendere citra denūciationem, etiamsi lapsus temporis non concurrat. [3] Melius sane faciat creditor, nec solum vrbanius, sed etiam tutius, si venditurus denunciet creditori futuram venditionem, vt se fraudis suspicione liberet, nec dolo malo in ea venditione versatus dici quandoque possit. [4] Sed si omissa sit etiam per dolum malum denunciatio, cuius faciendæ necessitas conuentione remissa fuerat, valet venditio: nec ab emptore, qui fraudem non participauerit auocari res potest, salua debitori pignoratitia aduersus creditorem propter dolum. [5] Illud plane obseruandum est, permissa citra denunciationem venditione pignoris, id tamen actum intelligi, vt publicam & sub hasta non priuatam venditionem fieri oporteat, atque ita interpretandam conuentionem, ne quis fraudib. & vitio locus relinquatur. [6] Id si factum non sit, condemnandus est creditor, vt rem ipsam pignoratam restituat, si extet. [7] Sin consumpta sit, aliam, quæ sit eiusdem generis, bonitatis & qualitatis, si modo ex iis fuit quæ recipiunt in suo genere functionem. [8] *Ita Senatus* in causa Iacobi Pic, & Ioannæ Rippet, 10. Calend. Septembr. 1591.

1 *L. vlt. C. si vend. pign. agat. l. si cessante, 7. & seq. C. hoc tit. l. 6. §. 1. l. elegantier, 24. §. si vendiderit, de pign. act. l. si inter, 21. in fi. ff. de pignor.*

2 *L. si conuenerit 4.* vbi Paul. Castrens. *ff. de pign. act.*

3 Castrens. *ibid.* post Bart. *ad l. Titio, 36. § Titius per ill. text. D. ad munic. p.*

4 Ita Bald. *ad l. creditor hypothecas 4. C. hoc tit.* Castrens. vbi supr. Vide *dict. l. si cessante, 7. C. hoc tit. & l. 1. Cod. si vendit. pignor. agat.*

5 *L. pen. & vlt. C. eod. tit. si vendit pign. agat.*

6 *L. si eo tempore, 6. l. hypothecas, 8. Cod. de remiss. pignor. l. quæ specialiter, 9 C. hoc tit.* Intellige, si nihil in contrarium expresse actum sit, *arg. l. vlt. §. 1 C. de iur. domin. imper.*

7 Intellige si haberi & redimi ab emptore possit. Alioqui contra eum in litem iurabitur, vt in pignoratitia solet iurari, cæterisque bonæ fidei iudiciis, per quæ dominus rem suam reposcit *l. in actionibus, 5 vbi not. ff. de in lit. iur.* iunct. *l. non enim, 9. D. rer. amot.*

8 *Arg. l. cum quid, 3 & ibi not. ff. de rebus credit.*

DEFINITIO XIV.

Distractio pignoris in re aliena constituti non potest nocere domino, si is neque dationi pignoris, neque distractioni consenserit.

QVid vero si alienæ rei pignus datum sit, & à non domino? Non magis nocebit vero domino pactum interpositum de vendendo pignore, aut denunciatio, aut denique venditio, quam ipsa pignoris datio: [1] si non expressim consenserit, aut dolo malo dissimulauerit in fraudem ignorantis creditoris: [2] sed qui alienam rem, siue prudens siue ignorans pignori dedit, in id omne quod emptoris & creditoris interest condemnabitur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum rei alienæ pignus ab initio non valeat, *l. 1. & tot. tit. C. si alien. res pign. dat. sit.*

2 *L. 2. eod. tit. l. mulier, 11. C. de distract. pign.*

3 Ex natura scilicet actionis pignoratitiæ, quæ siue directa sit, siue contraria, bonæ fidei est, & ex bona fide præstationes recipit, *§. actionum, Inst. de action.*

DEFINITIO XV.

Sumptus facti in litem inter plures creditores pro iure pignoris tuendo necessarie susceptam, singulis præstandi sunt ex pretio pignoris seruato temporis priuilegio quod sors habet.

SI plures creditores absente debitore de pignoris iure inter se contenderint, [1] quæri solet, an ei, qui potior reperitur sumptus litis ex pretio distractorum pignorum, an ex posterioris pecunia præstandi sint. Quid enim si forte pretium, quod vtrique principali debito ex soluendo alioqui sufficeret, cōputatis sumptibus sufficere non poterit? Cur admittamus posteriorem creditorem cogi, vt sui quoque pignoris venditionem patiatur, si nihil sit quod ei possit imputari? [2] Finge vtrumque non improbabilem litigandi causam habuisse, cur expensarum litis gratia durior fiet conditio posterioris creditoris? [3] Atqui nec æquum est prioris crediti quantitatem per eas expensas diminui. Quinimo longe æquius est idem pignoris & temporis priuilegium anteriori creditori pro litis sumptibus supersse, quod habet pro sorte debitoq; principali. [4] Itaque cum inter duos creditores diu lis agitata fuisset, nec colluſorie nec calumnioſe, visum est Senatui expensas totius litis, non vt alias fieri solet, compensandas, [5] sed vtrique ex pretio pignorum seruandas, si

BIU Cujas

pignora distrahantur. Sin offerre posterior mallet, quâ pati distractionem, anteriori præstandas à posteriore, posteriori verò omnes à debitore cum pignoratitiam debitor exercebit: Opposita nimirum doli exceptione si debitor sortem dumtaxat, & quicquid anteriori creditori solutum fuit, offerat, non etiam quod in litem iustam tuendi proprij pignoris gratia posterior necessario impenderit.[6] *Ita Senatus* in causa Neiret, & Benedicti Geoffrey, 9. Kal. 1592.

1 Nec enim debitorem vocari necesse est, cum hypothecaria actio sit in rem, & competat contra quemcunque pignoris possessorem. *l. pignoris, 17. D. de pign. l. pignoris 15. C. eod.*

2 Solemus. n. dicere succurrendum ei esse, cui nihil potest imputari, *l. 3. D. de separ. l. cum postulassem, 44 § 1. ff. de damn. infect.*

3 Nec enim solet condemnatio expensarum infligi, nisi in pœnam temeritatis litis *l. qui solidum, 78 §. 1. de legat. 2. lege eum quem temerè 79 ff. de iudic. l. properandum, 13. § siue autem alterutra, C. eod.*

4 *L. Lucius, 18. vbi not. ff. qui potior. in pig. hab. cap. accessorium, de reg. iur. in 6.* Distingue tamen, an expensæ debeantur iure actionis, an officio tantum iudicis. Priore casu obtinet, quod hic dicitur, non etiam posteriore, vt scripsimus *in tit. de fructibus & lit. expens.*

5 Quasi ratione mutuæ victoriæ. Nam in hac specie vterque quidem vincit, sed ita, vt neuter haberi possit pro victo, semper enim iusta intentio est eius, qui se probat verum creditorem.

6 Nam & ex hac causa contrarium quoque iudicium competeret nedum retentio, *l. si necessarias, 8 ff. de pign. act.*

DEFINITIO XVI.

Subhastatio ritè facta & perfecta non vitiatur ex vitio missionis in possessionem subsecutæ.

VItium missionis in possessionem, quę addictionẽ ex causa subhastationis factam sequitur, non afficit subhastationem, quo minus ritè ac solennitet, si aliud nihil obstet, peracta videatur.[1] Itaq; vitio possessionis purgato, nouáque possessione per judicis auctoritatem, & eo quo oportuit modo adprehensa, nihil est, quod ex ea causa ad impugnandam subhastationem objici possit, siue de rei dominio agatur, siue de fructibus ex fundo vendito perceptis.[2] *Ita Senatus* in causa, de qua SC. 12. & 13. supr. vnde vi.

1 Nec enim missio in possessionem est pars subhastationis, sed actus separatus, & tamen consequens subhastationi.

2 Fructus enim non iure possessionis acquiruntur, sed iure dominij. *l. qui scit, 25. §. 1. l. Herennius, 42 ff. de vsur.* Et ideò per statuti nostri auctoritatem acquiruntur emptori, ex die ipsius addictionis, & vt loquuntur expeditionis.

DEFINITIO XVII.

Decendium, de quo loquitur statutum factum de subhastandis pignoribus computatur excluso die leuationis.

IN decendio quod ex vetere statuto Sabaudiæ non plene intermedium esse debet à die capti pignoris (pragmatici leuationem vocant[1]) ad diem vsque primæ proclamationis, non computatur dies ipse quo capta sunt pignora.[2] Sic enim verba Statuti ferunt vt primum proclama fiat intra decẽ dies proximos post leuationem.[3] *Ita Senatus* in relationibus libellorum pro N. Trinquet contra N. Truffon 5. Cal. Dec. 1592.

1 De quo vide quæ scripsi *Defin. 3. §. hoc tit.*

2 Quomodo & in aliis pleriſque causis accidit, vt dies termini non computetur in termino, scil. in præparatoriis & ordinatoriis iudiciorum, non in decisoriis, vt nostri solent distinguere, *ad l. 1. de legat. 1.*

3 Quæ verba diem ipsum leuationis excludunt, *l. 1 §. biduum vbi not. & §. seq. D. quand. appell. sit. & intr. qua tempor. l. post diẽ 7. ff. de leg. commiss.* iunge *Defin. 3. §. eod.*

DEFINITIO XVIII.

Subhastatio etiam nulliter facta, dummodo pro debito tenet, & quandocunque confirmata ob non oblatum debitum retrotrahitur in omnibus ad tempus expeditionis.

PIgnoris distractio licèt minus ritè facta sit nec seruatis solemnibus, dum ne pro indebito tenet.[1] Et consequenter licet ob hanc causam tardius nonnunquam confiranda sit, vt debitor tanto ampliorem habeat luendi pignoris, aut potius redimendi facultatem, quia tamen aliquando tandem confirmanda est omnimodo ni debitum soluatur, retrotrahitur confirmatio ad tempus distractionis & expeditionis,[2] siue de fructibus medio tempore perceptis quæratur,[3] siue de laudimiis cui debeantur, si bona vendita directum dominum[4] medio tempore mutauerunt.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 38. sup. De iur. emphyt.

1 Hactenus scil. vt non aliter audiatur debitor eam impugnans quam si debitum totum offerat, & recusante creditore obsignet. Ita enim stilo Senatus nostri cautum est, vt dixi *Def. 5. §. Vide text. l. si non sortem, 26. § si centum,* vbi Bart. *D. de condict. indeb. l. & qui sub imagine, 10. C. hoc tit.* [Multo magis tenet subhastatio si ei debitor ex postfacto consentiat licet nullitas præcesserit. Et ideo mittendus est hoc casu emptor in possessionem. *Ita Senatus 16.* Nouemb. 1612.]

2 *Argu. l. qui balneum 9. vers. quoniam tamen tamen ff. qui pot. in pig. hab.* Quamvis dici soleat quoties actus aliquis nullus & inualidus confirmatur, confirmantis potius quàm confirmati rationem habendam esse. *Ex not. in cap. cum Ecclesia extr. de caus. poss. & propr.*

3 Qui ex statuto pertinent ad emptorem à die expeditionis.

4 Aut etiam directi domini conductorem.

5 Vt is præferatur qui fuit dominus directus vel domini directi conductor tempore expeditionis. De quo alibi scripsimus.

DEFINITIO XIX.

Cùm venditio pignoris perperam facta est, debitor offerre debet creditori non emptori.

DIstracto pignori rei mobilis contra publicarum venditionum legem constitutam, puta si eo ipso die quo pignus captum est in executione iudicati vẽditũ sit, non expectato triduo, quod expectari debuerat,[1] postea debitor intra decendium, quod, redimẽdis pignorib. rerum mobilium præstitutum est, pecuniam offerens creditori audiendus est. Quamuis si rite peracta venditio fuisset, nõ creditori, sed emptori offerri pecunia debuisset,[2] nimirum, quia non potest pro distracto haberi pignus, quantum ad creditorem pertinet, quod perperam, neq; seruatis solemnibus distractum est.[3] Emptori tamen aduersus creditorem, qui male distraxit, saluum ius erit.[4] *Ita Senatus* ex tempore in causa syndicorum de S. André, 3. Non. April. 1593.

1 Secundum formam veteris statuti Sabaudiæ.

2 Nam post peractam pignoris venditionem eius solius qui comparauit periculum vertitur, *l. à Diuo Pio, 15. § si post additum. ff. de re iud.*

3 *d. l. à Diuo Pio, §. sed si emptor,* in postremis illis verbis, *quasi non vinculo pignoris liberatam.*

4 Vt scilicet reddat emptori pecuniam quam accepit. Ne alioqui eueniat, vt creditor bis idem fuerit consecurus, semel ab emptore, & iterum à debitore, *l. si quis dolo 51. in fin. ff. de re iudic.*

DEFINITIO XX.

Nulla est subhastatio quæ fit pro debito incerto, nec potest ex eiusmodi subhastatione mitti emptor in possessionem, nisi vocato prius debitore, licet non possit debitor impedire, nisi offerendo.

Publica

BIU Cujas

PVblica distractio pignoris, aduersus debitorem frumenti aut alterius quantitatis in pondere aut mensura consistentis, non valet, si pro debito fiat addictio, id est, pro frumento ipso, eave quantitate quæ debetur, nulla æstimatione præcedente,[1] quia pretium certum esse necesse est, tam ex natura venditionis,[2] quam vt parata sit redimendi facultas debitori, si intra semestre redimere velit.[3] Idemque erit, etsi cum quantitate huiusmodi pecunia quoque debeatur. Nam in indiuiduis, cuiusmodi est venditio,[4] si quid sit quod impediat, ne actus totus valere possit, vtile per inutile vitiatur. [5] Hic autem incertitudo pretij impedit, ne venditio valere possit, cuius scilicet substantia consistit in pretio,[6] pretium vero in pecunia numerata.[7] Nec tantum ratione tertij admittendum est, nullam esse subhastationem, quæ sic facta sit, sed etiam ratione ipsius debitoris,[8] hactenus, vt vocari eum & audiri necesse sit, priusquam missio in possessionem permittatur. Etsi enim non aliter audiendus est excipiens de nullitate subhastationis, quam si offerat quicquid debet, qualecumque tandem illud sit,[9] ipsius tamen interest, ne tam cito, tamque facile missionis decretum interueniat, propter redimendi facultatem, cuius præscribendæ tempus illud semestre incipit à die missionis.[10] *Ita Senatus* in causa Franciscanorum Chamberiensium, & Franciſci de Vegie Rauier, 8. Calend. Septemb. 1593.

1 Dixi *Defin. 6. & 7. supr.*

2 *L. hac venditio, 7. §. 1. & 2. ff. de contr. empt. l. vltim. in fin. Cod. eod.*

3 Non enim potest redimere nisi soluendo, neque soluere, aut offerre, aut obsignare, si nesciat quid & quantū debeatur.

4 Nec enim emptor fuerat empturus partem, *l. tutor, 47. D. de minor. l. si quis aliam, 46. ff. de solut.*

5 *Not. in l. placuit, 29. ff. de vsur. l. in hoc iudicio, 27. D. famil. erciſc.*

6 *L. pacta conuenta, 72. ante versic. Paulus notat. ff. de contrah. empt.*

7 *§. item pretium, Inſt. de emp. & vend. l. pen. C. de rer permut.*

8 Licet alias soleat deterior esse conditio debitoris, quam tertij, qui debitor non est, *vt in l. vlt. C. etiam ob chirogr. pecun. pign retin. poſſ.*

9 Vt dixi *Defin. 5. num. 2. & Defin. 18 supr.*

10 Interest enim debitoris, vt amplius spatium temporis habeat ad pignoris luitionem.

DEFINITIO XXI.

Debitor non potest impugnare subhastationem factam certo pretio, & pro debito certo, licet nondum liquido. Tutius tamen est rei debitæ fieri ante omnia æstimationem.

QVid autem si, cum frumentum deberetur nec solueretur, bona debitoris pro eo debito nondū liquidato vendita sint, certo tamen pretio in pecunia consistente? Magis est, vt subhastatio valeat in præiudicium, non quidem tertij,[1] sed debitoris, quippe cuius nihil interſit, quod ad redimendi ius pertinet, quique si paratus sit soluere, curare ipse debeat, vt frumentum æstimetur,[2] quod æque fieri potest ante atque post subhastationem. Nam ad validitatem venditionis vtique satis est, factam eam esse pro debito & certo pretio.[3] Tutius tamen fuerit, & consultius æstimari ante omnia id, quod debetur, & in pecuniam numeratam conuerti, vt subhastationem, non tantum pro debito & certo pretio, sed etiam pro liquido factam fuisse appareat.[4] *Ita tractatum est* in eadē causa.

1 Cuius scilicet interest fieri omnia solemniter & ex forma statuti. Alioqui potest dicere se passum fuisse subhastari pignora, quod sciret ex defectu solemnitatum, & formæ ius suum durare, *arg. l. sicut, 8. §. non videtur, D. quibus mod. pign. vel hypoth. ſoluit.*

2 Qui enim tenetur ad consequens, vtique tenetur etiam ad necessarium antecedens, *vulg. iurib.*

3 Nam cum frumentum recipiat functionem in suo genere, ideoque nec perire vnquam possit, semper & æque facile recipit æstimationem, *l. vinum 22. ff. de reb. cred. l. vlt. ff. de condict. triric.*

4 Vix enim est, vt certum possit dici debitum, quamdiu liquidum non est, *not. in l. vlt. C. de compenſat.*

DEFINITIO XXII.

Non potest emptor prætextu nullitatis subhastationum recusare solutionem pretij, qui vero in amicum ab emptore electus est, multo minus.

SVbhastationibus non satis rite, nec ex forma statuti peractis, si emptor ad precij solutionem conuentus de earum nullitate excipiat, ex eaque causa solutionem recuset, condemnandus est.[1] Non solum quod nihil eius interſit, cum, si debitor bona sua quasi male alienata vindicare quandoque volet, futurum sit, vt debitum ante omnia reddere compellatur.[2] Sed etiam quia imputare sibi debet, qui emerit cum sciret, aut scire posset, non rite factam esse venditionem.[3] Idemque est si non ipse emerit, sed in emptoris locum subrogatus sit, & ab eo, vt fit, in amicum electus, quoniam hic emptoris partibus & vice in omnibus fungitur.[4] *Ita Senatus* pro D. de Ville magistro Computorum, contra Nicolaum de Chignin, 8. Cal. Sept. 1593.

1 Cum ex proprio facto & contractu conueniatur, quippe qui ea lege accesſit ad publicam venditionem, quam sciuit, aut scire debuit, non nisi præsenti pecunia fieri debere, *l. à Diuo Pio 15. §. sed si emptor ff. de re iudic.*

2 Dummodo constet subhastationem factam esse pro debito, vt dixi *Defin. 5. & 18 s.*

3 Potuit enim & debuit ante omnia inquirere, an rite ac solemniter facta esset subhastatio.

4 Ita vt eadem ipsa emptio non noua esse intelligatur, vt scripsit *in rit. si quis alteri vel sibi.*

DEFINITIO XXIII.

Non reuocatur distractio pignorum rite venditorum in executionem prouisionalis sententiæ, quamvis postea reuocatæ per diffinitiuam.

SI in executionem prouisionalis sententiæ capta sint pignora, & publica auctione distracta, potest emptor legitimo tempore elapso petere non solum missionem in possessionem, sed etiam plenam dominij adiudicationem per interpositionem decreti iudicialis, non secus, ac si definitiua fuisset sententia, alioquin pignorum capio non valeret, si aut illa distrahi non possent, aut eorum distractio ius commune pignorum venditorum non sequeretur.[1] Atqui publice interest, quicquid iudex siue diffinitiua, siue interlocutoria condemnatione constituerit, suam habere executionem.[2] Etsi enim hactenus interest, quod ea, quæ pendente lite iussit vetuitve contrario imperio tollere potest, in sententiis autem contra,[3] indeque est quod dici solet, prouisionalem sententiam nunquam transire in rem iudicatam:[4] Quousque tamen prouisionalis reuocata sit, aut potius, quamdiu reuocata non est, iudicati sane vim obtinet.[5] Sed & posteaquam reuocata est, non idcirco pignorum venditiones reuocari debent,[6] neque ad hunc casum pertinet, quod à prudentibus responsum est, si cum nulla præcessisset sententia, capta sint pignora, nullam quoque esse pignorum venditionem.[7] Nulla enim sententia dici non potest, quam executioni mandari oportuerit,[8] tametsi post factam executionem reuocata sit. Satisque est ad eius, qui pro indebito vrgebatur indemnitatem, quod non modo actorem, sed etiam ipsius fideiussorem, qui ex huiusmodi causa dari sem-

BIU Cujas

per ſolet, [9] obligatos habeat de omni eo, quod ſua intereſſe poteſt, in quo venit quantum ei ideo abeſt, quod re ſua carere cogatur.[10] *Ita Senatus* in cauſa Ludouici Truc, & D. de Leſchereine 7. Cal. Sept. 1593.

1 Ad quid enim capiuntur pignora in executione iudicati, niſi vt diſtrahantur, *l. à Diuo Pio 15. §. in venditione & paſſ. ff. de re iudic. l. 1. & tot. tit. C. ſi in cauſ. iudic. pign. capt. ſit.* Et vero aliter poſito iure nemo vellet accedere ad emptionem pignorum in executionem prouiſionalis iudicati captorum, neciſi bona fide diſtraherentur, vt in ſimili ratiocinatur Iurec. *in l. ait prætor 7. alias l. ſi ſine, § quæſitum. ff. de minor.*

2 Cum totus vigor & effectus ſententiæ, ſiue prouiſionalis, ſiue diffinitiuæ in executione conſiſtat, *l. pen. Cod. de execut. rei iudicat.*

3 *L. quod iuſſit 14 ff. de re iudic.*

4 Res enim iudicata dici non poteſt, quamdiu retractari & reſcindi poteſt, ſiue ab eodem, ſiue ab alio iudice, *l. 1. ff. de re iudic. l. ſingulis 6. ff. de except. rei iudic. & tot. tit. C. ſent. reſcind. non poſſ.*

5 Ita vt mandanda ſit executioni, ſi aliud nihil obſtet.

6 Quia non tam à ſententia vim accipiunt, quam à publica poteſtate & auctoritate illius qui iudicatum exequitur, *l. à Diuo Pio 15. cum ibi not. ff. de re iud.*

7 *L. ſi cum nulla 58 eod. tit.*

8 Siquidem id quod nullum eſt, nullum iuris effectum habere poteſt *c. non præſtat impedimentum de reg. iur. in 6.*

9 Vix enim vnquam fit prouiſionalis adiudicatio, quin ex ea cauſa fideiuſſorem dari oporteat, vt ſcripſi *in tit. de ſent. & interloc. omn. iudic.*

10 *L. in interdicto 6. D. vnde vi, l. 1. ff. de action. empt. l. non vim 9. D. rer. amot.*

DEFINITIO XXIV.

Pignora capta in executionem prouiſionalis ſententiæ addicta creditori, poſſunt ab eo retineri etiam pro vſuris, poſtea per diffinitiuam adiudicatis.

QVod ſi prouiſionalis condemnatio in diffinitiuam tranſierit, &, vt plerumque fit, vſurarum adiectione aucta ſit, quæ in prouiſionalem venire non potuerat,[1] eidemque ipſi, qui obtinuit, pignora addicta proponantur (quod euenire neceſſe eſt, quoties extraneus emptor non reperitur,[1]) De redimendo autem pignore debitor agere velit, puta, quod ſemeſtre in eam rem præſtitutum, & à die miſſionis non addictionis[2] computandum, nondum præterierit, placet pignoris retentionem etiam pro vſuris competere, ſiue obligationis iure, ſiue officio iudicis debeantur,[4] quamvis verum ſit, non in eam cauſam capta eſſe pignora.[5] Quidni vero, cum etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri poſſit? *Ita Senatus* in eadem cauſa.

1 Solet enim & debet vſurarum ſicut & fructuum, itemque ſumptuum condemnatio differri in diffinitiuam ſententiam, vt dixi *in tit. de fructib. & lit. expenſ.*

2 *L. 1. & 3. C. ſi in cauſ. iudic. pign. capt. ſit.*

3 Hac enim parte derogatum eſt veteri ſtatuto per ſtylum Senatus, cum antea ex ſtatuto ſemeſtre inciperet currere à die expeditionis.

4 Quamvis in aliis pleriſque cauſis ea diſtinctio neceſſaria ſit, vt ſcripſi *in tit. de fructib. & lit. expenſ.*

5 Quæ ſcilicet non potuerunt capi pro debito nondum adiudicato, *l. 1. C. de exec rei iudic.* * & nihil vetat fieri æſtimationem poſt capta pignora. Rebuff. *in tractat. de præcon. & licit. artic. 10 glo. 1. in princ.*

6 *L. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin.*

DEFINITIO XXV.

Quod debitoris intereſt ob pignora male ac pro indebito diſtracta, quomodo taxandum ſit, ſi probet reus ea pignora periiſſe, vel per interpoſitam perſonam redemiſſe.

PEterpeam captis & diſtractis pignoribus, ex eaque cauſa condemnato actore in omne id, quod rei interfuit, ſi reus ipſe pignora illa vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam[1] redemiſſe probetur, non ad pignorum repræſentationem aut eorum æſtimationem, quæ vt plurimum maior eſſe ſolet,[2] condemnari actor debet, ſed ad pretij in redemptionis cauſam ſoluti reſtitutionem cum vſuris quincuncibus, quia nec pluris intereſſe videtur eius, contra quem executio facta fuit, cum nihil ei abſit præter pretium quod ſoluit,[3] rei autem, quam penes ſe habet, nec poſſeſſionem petere debeat, nec æſtimationem.[4] *Ita Senatus* in cauſa Amedei Pugeat, & Syndicorum de Cuſy, Prid. Cal. Septemb. 1593.

1 Nihil enim refert. *l. & qui ſub imagine 10. C. hoc tit. l. pupillus 5. §. ſed ſi per interpoſitam ff. de tutor. & tutor.*

2 Quia ſolent viliore pretio diſtrahi pignora, quam publice diſtrahuntur, *l. 3. C. de vendit. pignor. agat.*

3 Id vero quod intereſt, nihil ali id eſt quam quod habeat victori, quodque is lucrari potuit, *l. ſi commiſſa 13. D. ratam rem haber.*

4 Quia id, quod iam ſemel meum eſt, non poteſt magis fieri meum, *§ ſic itaque, Inſtit. de action. l. ſtipulatio iſta 38. §. alteri, ff. de verbor. oblig.*

DEFINITIO XXVI.

Allegatio læſionis immodicæ & doli remorari poteſt interpoſitionem decreti, ſi modo creditor aut emptor poſſideat, nec ſciri certo poſſit, quantam offerre debitorem oporteat.

DEbitoris fundo, qui erat maximi pretij, pro exigua quantitate per dolum ſub haſta vendito, ſi creditor idemque emptor petat decreto confirmari publicam venditionem, non prius decretum interponendum eſt, quam conſtiterit, nec læſionem immodicam, nec dolum interueniſſe. Etſi enim decreti interpoſitio non ſolet tollere remedium reſtitutionis ex cauſa læſionis,[1] Cum tamen læſio doluſque ante interpoſitionem allegatur, æquum eſt eius rationem haberi, & re integra miſero debitori conſulere melius eſt, quam poſt vulneratam cauſam remedium quærere,[2] vel ob id maxime, quod nec quicquam intereſt creditoris aut extranei emptoris, quippe qui interim poſſideat,[3] & exinde fructuum reſtitutioni obſtrictus fiat, ex quo lis conteſtata eſt ſuper petita in integrum reſtitutione, ſi debitorem poſtea in eo iudicio vincere continget.[4] Itaque non poteſt hoc caſu locus eſſe æquitati, per quam ſolet plerumque Senatus decernere, vt intra certum tempus debitor ſatisfaciat,[5] alioqui ſubhaſtationes confirmentur, cū neceſſe ſit, prius conſtare de debiti certa quantitate, quam poſſit iuberi debitor ſatisfacere: quantitas autem incerta ſit, quamdiu incertum eſt, an fructus aliqui ſint, qui in eo, quod excedunt legitimum modum vſurarum, imputandi ſint in ſortem, vt eam minuant.[6] Neque rurſus ad rem pertinet, ſi quis dicat, læſionem illam enormiſſimam, quæ probata, facit, vt reſcindi ſubhaſtationes debeant, non magis allegare poſſe, quam cæteras nullitates, niſi obſignato prius debito.[7] Id enim in propoſito procedere non poteſt propter eam, quam diximus rationem, quod quamdiu dubitatur, vtrum fructus medio tempore percepti, imputandi ſint in ſortem, & ad quam vſque quantitatem aſcendant, neſciri poſſit, quid & quantum ſit obſignandum?[8] Item id locum habet, ſi lite pendente emptor non ſit in poſſeſſione. Iniquum enim eſſet, prætextu obiectæ nullitatis debitorem & pecuniam debitam, & rem ipſam venditam retinere.[9] At cum creditor idemque emptor poſſidet, nihil eius intereſt imo eadem ſubeſſet iniquitas, ſi ei, rem iam habenti, pecuniam quoque ſoluere debitor cogeretur.[10] Atqui, inquies, creditoris intereſt, vt vel pecuniam habeat, vel rem ipſam irreuocabiliter, nec tamdiu cogatur in ſuſpenſo manere, &

BIU Cujas

re, & incertus esse vtrum bona sit habiturus in solutum, an pecuniam, vt tanquam de re sua de alterutro disponat commodius. [11] Sed huius incommodi deuitandi gratia tanto maiorem adhibeat ille, si velit diligentiam in persequenda lite, sibique imputet, qui tam vili pretio per dolum comparārit. [12] Aut si læsionem nullam, nullumque dolum interuenisse conscius sit, sustentet litis moras spe victoriæ, & illa etiam ratione, quod interea rem non solum habeat, sed etiam irreuocabiliter acquisitam. Nullo scilicet post semestre elapsum superstite redimendi iure, tametsi decreti interpositio nondum secuta sit. *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Gabriele Damodry Aduocato doctiss. Non. Decembr. 1593.

1 Secundum ea, quæ Dixi *Defin. 8. supr.*

2 *Arg. l. vlt. C. in quibus caus. restit. in integr. non est necess.*

3 Aliud ergo est, si emptor non possideat, sed debitor Fingemissioni in possessionem, quam emptor vrgebat, debitorem ipsum, quamuis iam condemnatum, intercessisse, eâque interc essionem per apparitoris aut collusionem, aut imperitiam falsæ admissam, cum reiici debuisset. Non erit debitor audiendus allegans læsionem, quasi id faciat frustrandæ executionis gratia. Nec eo minus tamen redimendi tempora contra eum current à die petitæ missionis, ac si intercessio nulla interuenisset, cuius scilicet ratio in persona debitoris condemnati haberi nulla potest. Et ita Senatus noster pronunciauit in publico Auditorio pro illustri D. Comite Pontis Vallium contra N. Claudium Riuoires, 5. Id. Mart. 1604.

4 Cum litis contestatio inducat malam fidem, *l. sed etsi 25. §. ante D. de petit. hered. l. 2 C. de fructib. & lit. expens.*

5 Idem est si post venditionem pignorum longum tempus effluxerit, nec adhuc præsentem pecuniam offerat debitor ad luitionem.

6 Nam cum læsio est enormissima, id est, vltra bessem, fructus restituendi sunt quatenus excedunt legitimum modum vsurarum, scilicet cum dolus emptoris interuenit *l. 1. & pen. C. si vendit. pignor. agat.* Aliud enim est, si sola læsio licet enormissima interuenerit, vt scripsi *Defin. 6. supr. de rescind. vendit. & Defin. 18. infr.*

7 Dixi *Defin. 5. & 18. supr.* Nota tamen, subhastationes non posse dici nullas ex eo solo, quod læsio modica in iis interuenerit, vt dixi *Defin. 8 supr.*

8 Taxationem enim & liquidationem fructuum præcedere oportet.

9 *L. ex empto 11. §. qui autem. l. Iulianus 13 §. veniunt autem. l. bona fides 50. D. de act. empt.*

10 Nisi paratum se diceret, recepto debito rem restituere.

11 Nec enim videtur quisquam in bonis suis habere id, quod euinci ab eo possit, *l. non videtur quisquam 5. l. quod euincitur 91 de reg. iur.*

12 Dolum namque ipsius impunitum manere non oportet, *l. procurator 11. §. 1. D. de doli mal. except.*

DEFINITIO XXVII.

An pignora iam vendita sub hasta possint iterum vendi postulante alio creditore, siue anteriore, siue posteriore, qui alioquin mansurus sit in damno.

BOna, quæ sub hasta sunt vendita, postulante posteriore creditores siue ipsi creditori, siue extraneo emptori addicta sint, si ex eorum pretio creditoribus anterioribus satisfieri nequeat, quibus ignorantibus, [1] licet generali programmate vocantis venditio facta fuerit, iterum vendenda sunt, si id petat vnus ex creditoribus anterioribus. [2] Nec aliud erit, quamuis decretum iudicis subhastationem confirmauerit, quia creditoris anterioris, cui nihil imputari potest, ius saluum esse oportet, nec sententiam inter alios reddità ei nocere æquum est. [3] Sed si posterior sit creditor, qui bona iterum vendi postulet, licet aliunde suum consequi non possit, audiendus non est, cum possit debeatque sibi omnimodo consulere per ius offerendi, [4] nisi vno illo casu, quo per inopiam offerre impediatur, [5] Ac finge creditorem anteriorem, quo postulante ea bonorum venditio facta sit, nondum esse dimissum ex pretio, quod per venditionem redactum sit, eique adhuc aliquid deberi, cuius consequendi gratia velit is agere contra tertium possessorem. Si bona viliore pretio distracta dicantur, & eius esse æstimationis, vt si iterum venderentur satisfieri prorsus ex eorum pretio anteriori creditori posset, audiendus est possessor, qui possessionis suæ tuendæ gratia petat vt iterum vēdantur: ne frustra & sine causa inquietetur per creditorem, cùm iam satisfactum videri possit ex iis ipsis bonis, quæ iam habeat: [6] maxime verò, si in publica venditione enormis læsio interuenerit, nec alia bona vlla sint, ex quibus indemnitatem consequi tertius possessor queat. [7] Nam quemadmodum debitor ipse ex causa læsionis restitueretur in integrum contra subhastationem, [8] ita æquum est ex eadem restitutionis causa succurri possessori, vt hoc saltem ex debitoris persona consequatur: [9] tametsi nō sit ei necesse impetrare restitutionem, quia nihil ab eo gestum est. [10] Quod si possessor hic idémque creditor proponatur, si omnino anterior, inquietandus non est per posteriorem citra ius offerendi. [11] Sin omnino posterior, multo minus venditionem pignoris impedire potest, si non offerat quicquid debetur. [12] Si partim anterior, partim posterior, & bona quæ possidet, pluris esse dicantur, quam quantum sit in anteriore credito, eadem æquitas quam supra diximus, suadet, vt publicè pignora illa vendantur, sed ita tamen, vt non nisi in subsidium, hoc est, ita demum, si reuenditis iis, quæ actor ipse possidet, in totum satisfieri illi non possit: [13] & ea lege adiecta, vt non ante res auferatur possessori, quam sit ei satisfactum totius crediti nomine, [14] in quo est ille anterior. [15] Itémque expensarum in litem factarum aut in aliam pignoris vtilitatem, [16] Atque ita Senatus noster pronunciauit in causa Dominorum de Marest, & N. Annæ de Menthon, 15. Kal. Matt. 1594. ex æquitate sane potius, quam ex mera iuris ratione. Nam si iuris rationem inspicias, nunquam potest inquietari is, qui anterioris creditoris iure possidet, si non ei per posteriorem creditorem offeratur, [17] nec si vel pro nummo vno rem teneat, quæ sit maximæ æstimationis. [18] Cum eo casu tantò plus imputari actori possit cur non offerat, quod facilius offerre potest.

1 Aliud enim est si probentur sciuisse, multò magis si fuerint præsentes, *l. si eo tempore 6. & l. si hypothecas 8 Cod. de remiss. pignor.*

2 Non idem seruatur apud Gallos, cum venditio publica facta est per solenne, vt vocant, decretum. Tunc enim nullus anteriorib. creditoribus, licet absentiam & ignoran iam iustissimam allegantib. & probantibus, datur regressus contra emptorem, si nihil omissum sit ex solemnibus.

3 *L. vnoquoque 47. D. de re iudic. l. 1. & tot. tit. C. int. alios act. vel iudic. alios non nocer.* Intellige, nisi possit esse cautum anteriori creditori per repetitionem contra posteriorem. *Defin. 25. infr. de luit. pignor.*

4 Perinde enim saluum est posteriori creditori hoc casu ius offerendi contra anterio ē, atque si debitor ipse vendid sset. *l. C. si antiq. cred. pign. vend.* quia cum in causa iud cati pignus ex auctoritate iudicis venditur, factum iudicis est factum partis, *l. 1. C. si in caus. iudic. l. si ob causam 13. C. de euict.* An contra emptorem? Vide *Defin. 25. de luit. pign.*

5 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 1. §. eod.*

6 Improbus enim est, qui bis idem consequi velit, *l. si quis dolo 51 in fin. D. de re iud.*

7 Succurrendum. n. est tertio bonæ fidei possessori quantum fieri potest, dum ne creditor moretur in damno, *Authent. hoc si debitor, C. de pignor.*

8 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 4 §. de rescind. vend.*

9 Similis ratio est *in l. dotem 6. D. de collat. bonor.*

10 *Arg. l. aut prætor. D. de minor.*

11 Iuxta id quod scripsi *Defin. 1. §. & 4. Defin. 25. infr. de luit. pignor.*

12 *L. vlt. C. si antiq. credit. pign. vendid.*

13 Nam quamdiu satisfieri potest actori ex iis, quæ iam ipse possidet, nihil contra tertium possessorem facilè decernendum est.

BIU Cujas

14 *L. à Diuo Pio 15. § quod si res pignor at i. D. de reiudic.*

15 Nam eius creditiin quo est posteriot, ratio haberi nulla potest, *l. creditor 12. §. si idem bis. l. quæreb atur 20. D. qui potior. in pignor hab.*

16 Hæ siquidem expensæ habent idem priuilegium temporis, si modo ex obligatione non officio tantum iudicis debitæ fuerunt, *l. Lucius 18 D. qui potior. in pign. hab.* Alioqui seruandus est inter creditores ordo temporis, vt dixi *Defin. 2. §. Etiam ob ch.ro v. pecun pign. retin. poss.*

17 *L. vlt. C si antiq. credit. pign. vendid.*

18 *L. quamdiu 6. C. hos tit. l. 2. Cod. debit. vendit. pignor. imped. non poss*

DEFINITIO XXVIII.

Fructus percepti ex subhastationibus, etiã in quib. enormissima læsio, dum ne dolus interuenerit, nec restituuntur, nec imputantur in sortem.

PVblice distractis pignoribus tam vili pretio, vt quod sæpe fit, enormissima læsio & vltra bessem interuenerit, nó idcirco imputamus creditori eidémque emptori fructus in sortem quasi sine titulo aut pignoris potius quam domini iure perceptos. [1] Cum tam ex iuris ratione, quam ex statuto nostro ad eum pertineant iure dominij à die addictionis & expeditionis. [2] Quare nec si extraneus emptor proponeretur, in restitutionem venirent. Etsi enim publica non minus quam priuata vẽditio ex causa enormis, nedum enormissimæ læsionis rescindi potest, hoc tamen differunt, quod priuata venditio, in qua læsio enormissima interuenit, hoc ipso & iniusta & nulla esse creditur, [3] ob idque fructus ab emptore perceptos perinde restitui necesse est, atque si emptio nulla præcessisset. [4] At publice facta venditio, cum non solum publica fide & iudiciali auctoritate nitatur, sed etiam necessariam habeat causam, pro nulla haberi non potest, nisi cum peccatum est in solennibus. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quomodo essent imputandi, si de priuata venditione ageretur, vt dixi *in tit. de rescinden. vendit. supr. & Defin. 26. §. hoc tit.*

2 Fructus enim iure soli & dominij percipiuntur, *l. qui scit 25. §. 1. D. de vsur.*

3 *Ex not. in l. si quis cum aliter 36. D. de verb. oblig.*

4 Quia dolus, qui in re ipsa esse creditur, dolo ex proposito æquiparatur, vt tractant nostri *ad d. l. si quis cum aliter.*

DEFINITIO XXIX.

Emptor, qui publicæ actionis pretium soluit ei, cui iudex iussit, securus est, licet postea deperdita sit pecunia.

QVi bona sub hasta vendita comparauit, & iubente iudice pretium obsignauit penes eum, qui à iudice in eam rem nominatus est, licet inauditis creditoribus: [1] liberatur perinde ac si creditoribus ipsis mandante iudice soluisset. [2] Nec quicquam refert, an depositarius ille pecuniam male custodierit, aut inter creditores perperam distribuerit. [3] Est enim, quod imputetur potius iudici, qui iussit, quam emptori parere qui habuit necesse. [4] *Ita Senatus* in causa R. Bernardi Combet, Archidiaconi Tarentas. & N. Antonij le Bœuf, Prid. Cal. Sept. 1594.

1 Quos tamen debuerat iudex vocare & audire, vt ex eorum consensu curator constitueretur, qui pecuniam & acciperet, & distribueret, *l. 2. vbi not. D. de curat. bon. dand.*

2 Qui enim mandante iudice soluit, etiam ille, qui soluere non debuit, liberatur, adeo vt nec appellare habeat necesse, *l. ait prætor 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor. 25. Cod. de administr. tutor.*

3 Et talem depositarium vltro elegit, quo nomine æquum esset illum teneri.

4 *L. non videntur data 168. §. 1. de reg. iur.*

DEFINITIO XXX.

Satisfieri creditoribus oportet ex pretio distracti pignoris non minus sumptuum litis, quam sortis nomine, seruato priuilegio & ordine temporis.

CVm inter creditores contentio esset, de pignore, ac posterior anteriori offerret debitum, sed tamen de expensis litis, quas vterque petebat, controuerteretur, Senatus ex officio iussit rem obligatam vendi, vt ex pretio vtrique satisfieret, tam expensarum quam debiti principalis, omniumque accessionum nomine, [1] & quidem ex ordine, id est, anteriori primo loco, deinde posteriori. [2] Nec obstitit, quod ea ratione nouos sumptus fieri necesse sit ad publicam venditionem peragendam laudimiaque ex publica venditione debitum iri certum sit. [3] Sibi enim imputet posterior creditor, cuius incommodo & periculo id futurum est, cur anteriori non obtulerit sumptus litis, quos vtique creditori iusto, siue anteriori, siue posteriori perire æquum non est, cum ita futurum esset, vt ipsa debiti quantitas minueretur. [4] Longéque æquius est cedere eam rem damno debitoris, quamuis inauditi, cum ei semper imputari possit, cur non soluerit. [5] Plane si proponas, rem obligatam minoris esse, quam vt ex eius pretio satisfieri queat anteriori creditori eidémque possessori, detractis sumptibus publicæ venditionis, itémque laudimiis nulla prorsus ratio est, vt inuito creditore anteriore pignus vendatur, eique possessio aufferatur. [6] Quid ergo? Condemnandus erit posterior creditor & repellendus, si cum debito non offerat sumptus litis, [7] præterquam quod ad sumptus eius attinet qui post oblationem rite factam sola creditoris anterioris culpa facti sint. [8] *Ita Senatus* ex tempore pro Nobilibus fratribus Salteur, contra N. Benoist, 10. Calend. Iunij 1595.

1 Cum accessiones istæ etiam in priuilegio temporis sequantur ius & ordinem sui principalis, *l. Lucius 18. D. qui pot. in pign. hab.*

2 Qui enim prior est tempore potior est iure, quod ad pignoris causam attinet, *l. 2. l. 4 & pass. C. qui potior. in pign. hab.*

3 Debentur enim laudimia ei, qui expeditionis tempore dominus directus inuenitur, vt dixi *Defin. 18. §.*

4 Fiunt enim necessario, cum sine sumptibus litigari non possit, *l. minoribus 6. D. de minor. l. quod debetur 51. D. de pecul. l. eum quem temere 79. D. de iudic. l. qui solidum 78. §. etiam, de legat. 2.*

5 Itaque damnum videtur dare, qui damni occasionem dat, *l. si ex plagu 52. §. in eius Capitolino, D. ad l. aquil.* Aliud ergo est, si sumptibus causam dederit sola temeritas alicuius tertij improbi litigatoris, vt in specie *Defin. 31. de luit pignor.*

6 Cum ea res inutilis futura sit creditori posteriori venditionem postulanti.

7 *Arg. l. vlt. C. si antiq. cred. pign. vendid.*

8 Semper enim sumptuum condemnatio ei est irroganda, qui temere litigauit, *d. l. eum quem temere, & tit. Instit. de pœn. temer. litig.* Iunge *Defin. 15. §. & Defin. 2. § tit. prox.*

DEFINITIO XXXI.

Nullius tormenti est distractio pignoris pupillaris capti in executionem sententiæ contra pupillum indefensum aut falsum tutorem redditæ. Sed tamen si facta sit pro debito interim tenet.

CVm mulier quædam, quæ pupilli nec mater erat, nec auia, se pro tutrice gereret, creditor pupillaris, qui priorem tutorem iam condemnauerat, contra hanc quasi tutricem egerat in executione iudicati, eaque consentiente perfecerat, vt pignora distraherentur. Constabat nullius quidem momenti esse distractionem, [1] perindeque habendum pupillum, ac si quod ad hanc rem attinet nullo modo defensus fuisset,

BIU Cujas

fuisset,[1] vixque excusari posse creditorem à dolo, qui non nisi nimis crassa ignorantia existimare potuisset pupilli tutricem esse mulierem, quàm sciret nec matrem esse, nec auiam. [2] Sed tamen, quia pro debito facta erat executio, visum est tenere eam debere, quamdiu pecunia debita cum legitimis accessionibus non solueretur.[3] Qua oblata, si consentiret creditor, nec fructus quoque restituere recusaret, non alias iudicis partes esse posse, nisi vt eos inuicem condemnaret, hunc ad restitutionem pignorum cum fructibus, illum vero ad solutionem debiti cum vsuris, [4] compensandis propter mutuam victoriam expensis,[5] præsertim quod non minus fauorabilis sit causa iusti creditoris, quam pupilli. [6] Plane si creditor distractionem pignoris, quæ perperam facta est mordicus defendere volet falsis absurdisve allegationibus in eam rem conquisitis, æquissimum est, vt expensarum quoque condemnatione mulctetur.[7] *Ita Senatus* in causa Claudij Amedei Bonet, contra fratres Garin, 15. Cal. Decemb. 1595.

1 Non enim dici potest defensus, qui neque per se neque per legitimam personam defensus fuit, *l. penult. Cod. si aduersus rem iudic.*

2 Soli enim matri vel auiæ permissum est à Iustiniano tutelam suscipere, cum tutela virile officium sit, *Auth. matri & auiæ C. quand mul. tutel. offic. fung. potest.*

3 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 5. §. hoc tit.*

4 *Ex l. 1. & pen. C. si vend. pign. agat.*

5 *Argum. l. si ambo, 10. ff. de compens. l. vtro 39. D. solut. matrimon.*

6 Semper enim iustus creditor certat de damno vitando, & ideo fauorabilis est, *l. quod autem 7. § simili modo dicimus, D. quæ in fraud. creditor. sim. lib.*

7 Tanquam temerarius litigator, *l. eum quem temere 39. ff. de iudic. l. qui solidum 78. § 1. de l. gat. 2. tit. Inst. de pœn. temer. litigant.*

DEFINITIO XXXII.

Creditor cognatusve debitoris habet ius prælationis contra extraneum emptorem, sed ita demum si in continenti postulet se præferri, non etiamsi ex internallo.

IN comparatione quidem extranei & eius, qui creditor cognatúsve est, si bona debitoris ex auctoritate iudicis publice distracta sint, creditorem cognatúmve tam ex Statuti nostri, quam ex iuris communis ratione præferendum esse, non ambigitur. [1] Sed hoc ita, si in continenti ius prælationis postuletur, non etiam si ex interuallo. [2] Maxime vero si ponas vel iam solutam fuisse ab extraneo emptore pecuniam pretij, [3] vel elapsos sex menses à die missionis in possessionem numerandos, intra quos lui vel potius redimi pignora debuerunt. [4] Nec ad rem facit, quod subhastationes nondum decreto confirmatæ proponantur. Non enim eo minus verum est, perfectas illas esse ex instanti addictionis, adeo vt exinde fructus omnes emptori acquirantur. [5] Nec quicquam prodest interpositio decreti, nisi vti ne de subhastationum viribus postea sit disputandum. [6] Semestre vero, quod ad redimenda pignora præstitutum est, non vim publicæ venditionis interim suspendendam, sed misero debitori ad rem suam, si velit & possit, recuperandam humanitatis tantum & miserationis gratia fauorabiliter indulgetur.[7] *Ita Senatus* in ea causa, de qua Definit. 9. supr. qui potior. in pign. habeant.

1 *In l. cum bona 16 ff. de rebus auct. iudic. possid. alias l. 1. de priuil. credit.*

2 Nam si ex interuallo, videtur aufferri emptori ius, quod ei fuerat quæsitum, quod fieri non potest citra iniuriam, *arg. l. si ventri 24. §. vlt. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 9. eod. tit. de priuil. cred.* alioqui nemo erit, qui velit accedere ad petitionem pignorum, nec si bona fide distrahantur, *l. ait prætor 7. alias l. etsi sint. §. quæsitum. ff. de minor.*

3 Debet enim publica venditio sic fieri, vt præsenti pecunia pignus distrahatur, *l. à Diuo Pio 15. §. sed etsi emptor, ff. de reiudic.*

4 Ex vetere statuto & stylo Senatus nostri.

5 Ex verbis ipsis statuti.

6 Quia quamdiu decretum non est interpositum potest obiici de nullitate subhastationum vsque ad triginta annos.

7 *Arg. l. cum militi 16. § 1. ff. de compensat. l. in bello 12. §. si quis seruum, & seq. D. de captiu. & postlim.*

DEFINITIO XXXIII.

Nulla creditori anteriori datur actio in posteriorem creditorem pro pecunia, quam sibi soluit ex pretio pignoris quod ipse emerit.

CReditor quidam posterior egerat in bona debitoris & obtinuerat, vt prædium quod obligatum fuerat, venderetur, [1] nulloque se offerente extraneo emptore ipse emerat pro debito, [2] precióque sibi in solutum retinuerat. Postea conuentus ab anteriore creditore hypothecaria, cùm vrgeretur ad exhibendum precium & actori, velut anteriori creditori restituendum, negabat se teneri; quod iure suo vsus fuisset; [3] nec prohibendus esset ex distractione pignorum sibi obligatorum suum consequi, etiam priùs quàm satisfactum fuisset anteriori qui in exigendo debito negligentior fuisset.[4] Cùm dici soleat, quod verissimum est, iura vigilantibus & diligentibus scripta esse, non negligentibus & dormientibus. [5] Iudex pro anteriore creditore pronunciauerat: sed cùm esset prouocatum, adiecerat actor actioni suæ exceptionem, Nisi mallet reus possessione bonorum cedere, quæ compurauerat. [6] Iudex appellationum sententiam priorem confirmauerat, ed sub eadem illa exceptione, [7] rursúmque victus emptor appellauerat. Et lite in Senatu perorata post rem diu, multúmque tractatam. Visum tandem est malè iudicatum. Propterea quòd pecunia quam creditor hic posterior, idemque emptor ex causa publicæ auctionis debuisset numquam fuisset debitoris, nec proinde creditori obligata, [9] quamvis ex precio rei pignoratæ redacta fuisset. [10] Nec simile esse, quòd si emptor precium numerasset debitori, ac rursum debitor creditori posset anterior hypothecariam exercere in pecunia, [11] quippe in qua etiam pignus consistat. [12] Id enim fieret, quia extaret pecunia, quam verum esset factam fuisse debitoris. [13] At in proposita specie, licet per fictionem breuis manus idem ordo rei gestæ videatur interuenisse, [14] non eo tamen magis verum est fuisse vnquam debitoris pecuniam, quæ in precium conuersa est à posteriore creditore, qui non debitori suo, sed sibi soluerit. [15] Nam & tum quoque cùm pecunia debitori numerata fuisset, mox soluta creditori posteriori, cùm ab eo bona fide consumpta, nulla tamen anterioribus creditoribus contra eum danda esset actio, siue in rem, siue in personam. [16] Ne quidem in subsidium id est, etiamsi aliunde illi indemnitatem consequi non possent. Huic enim distinctioni tunc locus est, cùm pecunia consumpta peruenit ad aliquem ex causa lucratiua; non cùm ex onerosa. [17] Aut cùm per gratificationem debitoris pecunia ad hunc potius, quam ad illum creditorem veniisse probatur. [18] Alia ratio est heredis cum beneficio legis & inuentarij qui ex pecunia hæreditaria, vel ex precio rerum hæreditariarum posteriori creditori soluerit. Habent enim creditores anteriores non hypothecariam, sed reuocatoriam actionem [19] aduersus posteriorem, idq; non tam ex ratione iuris, quàm ex Iustiniani constitutione, [20] siue extet pecunia, siue consumpta sit, siue mala;

BIU Cujas

siue etiam bona fide. *Ita Senatus* in causa Petri Patat, & Petri Rigot 3. Aug. 1612.

1 Non enim ipse vendiderat iure creditoris, sed vendi postulauerat.

2 Exemplo pignorum in causa iudicati captorum & venditorum, *leg. 2. Cod. si in caus. iud. pign. dat. sit. l. si ob causam 13. C. de euict.*

3 Nemini enim facit iniuriam qui iure suo vtitur, *l. vlt. C. de in integr. restit. minor. l. si duorum 52. D. de act. empt.*

4 *L. si eo tempore 6. l. si hypothecas 8. C. de remiss. pign.*

5 *L. pupillus 24. qua in fraud. creditor, l. non enim 16. D. ex quibus caus. maior.*

6 Vt scilicet huiusmodi exceptione addita quasi quodam temperamento actionis suæ iniquitatem corrigeret citra vllam refusionem expensatum, quæ alioqui fuisset, necessaria, si mutato libello hypothecariam proponere actor voluisset. Ex not. *in l. edita 3. C. de edend. & in l. 1. & 2. Cod. de formul. & impetr. act. subl.*

7 Et malè, debet enim sententia ferri super eo quod in petitionem deductum est, non quod in præstatione tantum est, *l. vlt. C. de fideic. libert. l. vt fundus 19. D. commun. diuid.* Et quod in actionem deduci, simpliciter non potest, nec alternatiuè potest, Bald. *in l. quæ sub conditione 8. §. sed si sub iurisiurandi per ill. tex. D. de cond. inst.*

8 Sed tantùm debita debitori, quod longè diuersum est. Nec enim quod meum est, adhuc deberi mihi potest, *l. non vt ex pluribus 96. de reg. iur. §. sic itaque. Inst. de action.*

9 *L. 1. & l. qua nondum 15 §. quod dicitur, D. de pign. tor. tit. C. si alien. res pign. dat. sit.*

10 Vt è contrario res empta ex pecunia pignorata, non ideo est pignorata, *l. idémque 7. in fin. D. qui pot. in pign. hab.*

11 Affict. *decis. 190.*

12 *d. l. idemq; in fin.*

13 Obligatis scilicet generaliter bonis omnibus præsentibus & futuris, vt *in d. §. quod dicitur.* Pignus enim semel bene contractum durat, nec domicilij mutatione extinguitur, *leg. 1. §. cùm prædium. D. de pign. l. vsucapio 7. C. eod.*

14 *Vt in l. 3. §. sed si debitorem, de don. int. vir. & vxor. l. singularia 15. D. de rebus cred.*

15 *Vt in l. qui negotia 34. D. mandat.*

16 Matth. de Afflict. *d. decis. 190.* vbi quæstionem hanc agitat in vtramque partem, Roman. *cons. 111.*

17 Bart. *ad l. 1. D. hoc tit.*

18 *Ex d. l. pupillus 24 qua in fraud credit.* Rom. *d. cons. 111.*

19 Quæ personalis est non vt hypothecaria in rem, *l. leg. 1. & tot. tit. qua in fraud. cred. D. & C.*

20 *In l. vlt. 5. si vero creditores. C. de iur. delib.* Planè dubitandum non est quin posterior creditor conueniri possit hypothecaria per anteriorem de re quam emit si fuerat illa obligata anteriori. Nisi anterior aliquid fecerit ex quo tacita remissio pignoris induci possit, *d. l. 6. & 8. C. de remiss. pignor.*

DEFINITIO XXXIV.

De admittendo creditore ad nouam licitationem, si aliunde suum consequi non possit, sed ita vt possessor pro maiore precio per creditorem oblatorem retinere possit.

CVm anterior quidam creditor proposita hypothecaria obtinuisset vt domus obligata quæ tota ferè ruinam passa multis à possessore factis sumptibus non tam conseruata fuerat, quàm restaurata publicè venderetur, vt ex precio satisfieret, primùm possessori, deinde creditori, Secuta distractione & addictione facta possessori aut alij supposito per possessorem, apparuerat vix sufficere precium sarciendis reparationibus, atque ita non nisi planè inutilem futuram creditori suam victoriam & pignoris distractionem. Ideoque postulabat creditor, vt iterum venderetur paratus inferre precij nomine multo maiorem quantitatem. Causatus fuisse se pluris licitaturum si meliorationes ad tantam æstimationem ascendere posse credidisset. Posterior contradicebat, quod ex noua causa emptionis eam domum habere cœpisset, nullumque in eam ius pignoris superesset creditori, qui ipse vt ferat venditionem, & qui imputare sibi debebat quod licitatione vinci se passus esset. Placuit ex summa æquitate succurrendum creditori, qui aliam consequendæ indemnitatis rationem nullam haberet, Præsertim cùm nihil interesse possessoris videretur, cui omnes impensas in meliorationem factas ad vltimum vsque quadrantem ante omnia restitui oporteret, Nisi quod si eodem precio quod à creditore offerebatur possessor retinere domum vellet, vtique audiendus esset, & creditori præferendus. *Ita Senatus* pro sororibus Cochet Gratianopolitanis, die 19. Iulij 1615. Plane si ad aliam iterum licitationem admitti creditor velit, etiam prætextu ætatis minoris visum est audiri eum non debere, nisi impetrata contra Arrestum per viam ciuilis supplicationis in integrum restitutione. *Ita Senatus* posteriore Arresto inter easdem partes, 9. Septembr. 1613.]

TIT. XVIII.

DEBIT. VENDIT. PIGNOR. imped. non poss.

DEFINITIO I.

Debitor neque venditionem pignoris impedire potest, neque venditionis vitium vllum obijcere, nisi oblato prius debito liquido, & præstita satisdatione pro non liquido.

SIcvt debitor venditionem pignoris impedire non potest,[1] ita nec venditionem minus ritè factam aliter improbare, quam si totum debitum offerat cum legitimis accessionibus:[2] inter quas computabuntur eæ quoque expensæ, quas creditor in causam venditionis fecerit, non secus ac si rite & solenniter facta esset,[3] nisi quod cum in subhastationum forma peccatum est, non tam inspicitur, quid à creditore impensum fuerit, quàm quid expendi oportuerit ad venditionem solemniter peragendam.[4] Nempe quod in eam exequendi necessitatem creditor inciderit facto & culpa debitoris non soluentis,[5] cui proinde hoc ipsum imputari magis potest, quod non soluerit, quàm creditori, quod minus rite facta executio sit,[6] Solent enim huiusmodi executionum vitia ex apparitorum & executorum inscitia[7] potius, quàm ex creditorum iniuria proficisci: licet dici soleat, factum executoris esse factum partis,[8] cui adscribi potest, cur diligentiorem aut peritiorem executorem non elegerit. At quoniam expensarum modus ante taxationem incertus est, hactenus debitori consulendum erat, vt eo nomine satisdationem interponi sufficiat, sicut & si quid minus liquidum esset ex debito principalis,[9] ne interim reuocandæ venditionis cognitio hoc prætextu differatur. *Ita Senatus* 5. Non. Decembr. 1588. Vide Defin. 5. de distract. pignor.

1 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

2 *L. 1. C. si vendit. pignor. agat. l. 1. C. de fid. & sur. hast. fis. libr. 10. tit. 3. l. si non sortem 26. §. si contum, de cond. indeb.*

3 Quia eas expensas fieri necesse fuit ad consequendum debitum, quod non potuit creditor consequi, nisi per venditionem bonorum: sumptus autem, qui necessario factus est, siue in litem siue in rem ipsam semper præcedit. *l. quod priuilegium 8. D. depost. l. qui proprio 46. §. litis impendia, D. de procurat.*

4 Plerumque enim fiunt magnæ & superuacuæ impensæ, cum male fit executio potius, quàm si bene.

5 Cum si debitor ad diem soluisset, nullam subhastationem fieri necesse fuisset.

6 Damnum enim dat quisquis damni dat occasionem *vulg. l. damnum dat 169 cum ibi not. de reg. iur. l. si ex plagis 51. §. in oliuo, D. ad leg. Aquil.*

7 Ob non

BIU Cujas

7 Ob non bene seruatas statuti solemnitates.

8 Sicut & factum iudicis est factum partis, *l. si ob causam 13. C. de euict. l. 1 C si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

9 Solet enim satisdatio prætari pro non liquidis. *l. statuliber rationem 5. D. de statulib. l. 1. & tot. tit. D. si cui plusquam per leg. falcid.*

DEFINITIO II.

Non potest debitor recusare quo minus damno eius cedant sumptus litis motæ inter creditores pro iure & ordine pignoris, etiam ignorante debitore. Potest tamen debitor etiam post sententiam inter alios latam intercedere & probare solutionem.

ADeo verum est, debitorem impedire venditionem pignoris non posse,[1] vt si plures creditores inter se & inscio debitore contendant de pignore, iudexque vt omnibus satisfiat pignus distrahi præceperit, indemnes eos ex pretio seruari necesse sit, non tantùm sortis nomine, sed etiam impensarum litis,[2] quib. vtique mora per debitorem in soluendo cõtracta causam dedit, cùm si is noluisset, nulla de pignore quæstio inter creditores incidere potuisset.[3] Planè si distractioni pignoris intercedere debitor velit, quasi iam à se soluto debito audiendus erit,[4] nec ei nocebit res inter alios iudicata.[5] *Ita Senatus* in causa R. D. Præceptoris Antoniani Camberiensis, & Claudij Rochet, ex tempore, 17. Kal. Febr. 1593.

1 *L. 1 & 2. C. hoc tit.*

2 Dixi *Defin. 15. & 30. §. tit. prox.*

3 Non enim esset quærendum de iure & ordine creditorum soluto pignore, *l. Paulus 12. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solu.*

4 Semper enim auditur, quisquis allegat solutionem debiti, etiam tertius, *d. l. Paulus, §. dummodo eam probet, l. 1. C. de probationib.*

5 *L. 1. & tot. tit. C. inter alios act. vel iudic. alii non nocet.*

DEFINITIO III.

Missio in possessionem ex subhastationibus non potest impediri per debitorem prætextu enormissimæ læsionis, nec peti vt bona iterum vendantur, sed offerre potest vel petere restitutionem.

PAssus debitor bona sua vendi subhasta, vt creditori satisfieret, non potest intercedere, quo minùs creditor, cui in vicem extranei emptoris addicta sunt pignora vilissimo pretio, mittatur in eorum possessionem,[1] nec si consentiat, vt ex iis bonis, quæ distracta sunt, aliis ve pretiosioribus retineat creditor quantum necesse est ad concurrentem vsque debiti quantitatem, largiore licet facta æstimatione.[2] Neq; enim Iustinianeæ constitutioni[3] fauore debitorum locus est post peractam bonorum obligatorum venditionem, cùm venditio faciat, vt in emptoris eiusdémque creditoris bonis esse cœperint, quæ antea erant in dominio debitoris.[4] Itaque illud vnum remedium debitori superest, vt vel redimat res venditas intra semestre, quod in eam rem statuto nostro præscriptum est.[5] Vel imploret auxilium nouæ legis, quæ ad rescindendas ex causa immodicæ læsionis venditiones lata est.[6] Nam vt bona, quæ iam semel fuerunt vendita, publicè iterum vendantur, eo prætextu, quod pluris hodie venire possint, nullo modo concedi debet;[7] ne fauore quidem minoris ætatis. Ne alioqui eueniat, vt non reperiantur, qui accedere velint ad publicas venditiones,[8] parumque interest an creditor ipse emerit, an alius, quandoquidem extranei emptoris loco est creditor, qui comparauit, eodemque jure censeri debet.[9] Rursus non mutabit, quod debitor ea laboret egestate vt neque redimendi facultatem habere possit, neque litigandi ad implorandum beneficium restitutionis ex causa læsionis. Non enim paupertatis prætextu vis legibus fieri debet.[10] *Ita Senatus* in causa Michaelis Bioley, 6. Id. Iun. 1594.

1 Quia hoc non est ex vitiis subhastationis, si viliore pretio facta sit, vt dixi *Defin. 8 §. tit.* Et quamvis subhastatio ob eam causam esset nulla, tamen interim teneret, vt dixi *Definit. 18. eod. tit.*

2 Vt solet dici, cum tractatur de assecuratione dotis, *l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.* & ex statuti nostri auctoritate.

3 *In Auth. hoc nisi debitor, C. de solut. & in corpor. vnde sumitur.* *Obserua autem non esse locum huic consuetudini, cum ipsum corpus debitoris pignori obligatum est. *Ita Senatus* sæpius, vt relatum est in lite agitata & decisa inter Ioannem Baptistam Castagnerium & Antonium Bœuf, mense Martij 1611.

4 Siquidem per addictionem & expeditionem, vt statutum loquitur, dominium transfertur, ideóque fructus ad emptorem ex eo die pertinent, qui jus dominij sequuntur, *l. qui fert, 25. §. 1. de vsur.*

5 De quo dixi *Defin. 32. §. tit prox.*

6 *L. 2. l. si voluntate 8. l. si quos 19. C. de rescind. vendi.*

7 Cum tempus prioris venditionis præcisè inspiciendum sit, non quo agitur, *d. l. si voluntate.*

8 *L. ait prætor 7. alias l. etsi sint 8 § quæsitum, D. de minor.*

9 *L. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit, l. cum bona 16. D. de rebus auctor. iudic. possid. alias 1. 1. de privil. credit.*

10 Quoniam jura generaliter & in vniuersum scripta sunt, non pro diuitibus tantùm aut pro pauperibus, *l. iura 6. D. de legib.* Interdum tamen fauemus paupertati, vt in specie de qua scripsi *Defi. 1. §. ti prox.* [Obserua autem sicut debitor non potest impedire venditionem pignoris, ita nec posse impedire retentionem si post vẽditionem & addictionem pignoris certo precio factam ipsi creditori velit debitor pignus luere oblata tantùm precij quantitate, non etiam reliquo eo omni quod debetur. Quidni enim habeat creditor, idémque possessor pignoris jus retentionis pro toto debito pignoratitio, quod haberet etiam ob chirographariam pecuniam, *tot. ti. etiam ob chirograp. pecun. pig. retin. poss. Ita Senatus* in ea causa, de qua in *Defin. 32. num. vlt. j. de iust. pignor.*]

TIT. XIX.

SI VENDIT. PIGNOR. AGAT.

DEFINITIO I.

Dolus creditoris, qui vilissimo pretio pignus vendidit, non nocet emptori, qui dolum non participauit, etiamsi creditor non sit soluendo.

EST sane in creditoris arbitrio, quibus velit pignoribus distractis,[1] si aliud nihil obstet,[2] ad suum commodum peruenire. Sed tamen si rem magni pretij pro modico debito distraxerit, dolo fecisse videtur:[3] ideoque quanti debitoris interest condemnari debet.[4] Neque tamen eò minus valet emptio, adeò vt nec vlla debitori aduersus emptorem actio possit competere, tametsi creditor non sit soluendo, si non emptor quoque probetur fraudem participasse,[5] quod in dubio non præsumetur.[6] *Ita tractatum est* in causa viduæ D. de Genuille, contra Ioannem Baptistam Varronem Geneuensem, 13. Kal. Sept. 1588.

1 *L. creditoris 8. D. de distract. pignor.*

2 Nam si tertius bona fide possideat, ante omnia excussio facienda est. *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

3 Quia dolus hoc casu ineat in re ipsa, *vulg. l. si quis cum alter 36 & ibi not. de verb. oblig. l. si vxor 3. C. hoc tit.*

4 *L. 1. & penul. C. eod.*

5 *d. l. 1. & penult. C. hoc tit.*

6 Nam econtratio præsumenda est in quolibet bona fides nisi dolus probetur, *l. dolum 6. C. de dolo, l. in exceptionibus 19. §. qui dolo, D. de probat.*

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Posterior creditor non alij offerre cogitur quam ei, qui possit præstare actiones, quod facere non potest ille, qui à falso veri creditoris procuratore comparauit.

QVi non à creditore, sed à creditoris vxore mãdatum non habente, alióve falso procuratore fundum sub hasta venditum & creditori addictum comparauit, si à posteriore creditore conueniatur hypothecaria,[1] nullam habere justam exceptionem potest, adeò vt nec offerri ei oporteat. Quia non alij offerre quisquam cogitur, præsertim qui habeat iustam causam agendi vel possidendi, quam ei qui juribus suis cedere possit,[2] quod porrò facere nequit is, qui jura nulla habet,[3] qualis ille est qui emit à non creditore, nihilque juris in re habente. Nec ad rem pertinet, quod creditore ipso non contradicente videatur huiusmodi exceptio esse de jure tertij, ideoque nec admittenda.[4] Sufficit. n. quod nec ratam venditionem creditor habuerit,[5] vt appareat exceptionem exclusiuam esse juris agentis.[6] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Berard, & N. Chinal, 6. Id. Nouemb. 1595.

1 Competit enim posterioribus hypothecaria aduersus emptorem, nisi cui quis emit à creditore anteriore distrahente iure creditoris, *l. 2. C. si antiq. credit. pignor. vendi. l. qui à creditore 18. C. de distr. pignor.*

2 *L. mulier 19 ff. qui potior. in pignor. hab* junct. *gloss.* Neguſ. *de pign. in 3 membr 5. part. num. 25. 26. 27.*

3 *Vulg. l. nemo plus iuris 54. de reg. iur.*

4 Ex not. per Bart. & alios ad *l. 2. D. de except. rei iud.*

5 *L. rem alienam 28. D. de contrah. empt.*

6 *L. loci 4. §. competit*, vbi Bart. *D. si serv. vendic.*

DEFINITIO III.

osterior creditor possessor factus per constitutum potest condictione ex lege Iustiniani auocare possessionem suã, etiam ab emptore cui pignus venditum est postulante creditore anteriore.

POsterior creditor, cui res pignori obligata fuerat, cum clausula constituti, eiusdem rei postulante priore creditore vẽditæ possessionem quasi suam auocare potest, si per clausulam constituti possessor factus fuerat,[1] & Iustinianeę legis auxilium implorare velit, per quam iis succurſum est, quorum possessio alieno facto sit interuersa.[2] Potest enim ea res huic creditori prodesse licet posteriori, vt saluam habeat exceptionẽ non factæ excussionis,[3] si alia bona sint, ex quibus anteriori creditori satisfieri possit, si creditor ille anterior pignoratitius fuit. Alioqui securus est, qui rem pignoris vinculo obligatam solus habet quamvis posterior contraxerit.[4] Sed hoc ita, si aut in amittenda possessione aut post amissam facto debitoris corporalem pignoris possessionem nullum constitutarij creditoris factum nulluſq; consensus expressus tacitúsve interuenerit.[5] Finge distracto pignore petiisse hunc, vt sibi ex precio solueretur. Ratam venditionem habuisse videbitur.[6] Ideóque nec saluum illi jus erit auocandæ possessionis condictione ex lege Iustiniani, cuius nimirum æquitas non alio casu subest, quam quo debitor aliusve possessionem creditoris ignorantis facto suo velit interuertere. Non etiam cum ipsi creditori imputari aliquomodo potest, cur interuertenti consenserit.[7] *Ita Senatus* ex tempore, Kal. Mart. 1594.

1 *Ex l. quod meo 18. D. de acquir poſſeſſ.*

2 *L. vlt. C. de acquir. poſſeſſ.*

3 *Ex Auth. hoc ſi debitor. C. de pignor.*

4 Quia hoc casu posterior creditor, qui pignoratitius est, non tam potior quam solus in pignore inuenitur, *l. 2. Dige. qui potior. in pign. hab.*

5 Hoc enim casu factum suum creditori nocere æquum est, *l. factum 155. de reg. iur.* Neque hoc casu locum habet ratio *d. l. vlt. C. de acquir. poſſeſſ.*

6 Ratam enim venditionem habet quisquis pretium petit, *l. ſeruum Titij 49.* & ibi Bart. *D. mandat.*

7 Vt constat ex ratione qua monetur Iustin. *in d. l. vlt.*

DEFINITIO IV.

Emptor tutus est, si publica subhastatio rite facta sit, etiam si pro indebito, si nulla collusio inter eum & creditorem interceſſit.

LIcet ea quantitas pro qua pignus publicè & sub hasta venditum est, fuerit indebita, non eo minus tamen tutus est emptor, si modo subhastatio rite facta sit. Salua debitori contra creditorem falsum aut iniuriosum actione ad persequendum id omne, quod sua interest.[1] Sed hoc ita si non aliqua collusio inter emptorem & creditorem arguatur. Fingere personam emptoris esse ex domesticis & familiaribus creditoris.[4] *Ita Senatus* in causa N. Trebuchet Canonici Mauriamensis, & N. Blanchon, 6. Kal. Sept. 1595.

1 Ac proinde ex iudicis auctoritate puta in executionem prouisionalis adiudicationis, quæ postea fuerit reuocata per sententiam diffinitiuam. Dixi *Defin 23. n 6. §. de distract. pignor.*

2 *L 1. & vlt. C hoc tit.*

3 Hoc enim casu aliud est, *l. 1. & pen. C. eod. tit.*

4 Nam inter personas domesticas facile fraus præsumitur, *l. data 27. C. de donat.*

DEFINITIO V.

Etiam post venditum pignus creditori supereſt hypothecaria si pignus illud postea euincatur.

QVi rem sibi obligatam emit à domino atque ita dominus ipse per traditionem factus est,[1] licet jus pignoris, quod habebat, habere desierit, quia non potuit ei sua res esse obligata,[2] si tamen postea eius rei euictionem patiatur, perinde saluam habet hypothecariam, acsi dominium nunquam acquisiuisset,[3] quandoquidem verum est solutam pecuniam non fuisse, quam solui omnimodo necesse est, aut aliter eo nomine satisfieri,[4] vt hypothecaria quæ perpetuam illam conditionem habet,[5] extinguatur. Potestas enim euictionis tollit intellectum acquisitionis,[6] ac tum demum acquisitio dominij pignus in totum extinguit si ea irreuocabilis & incommutabilis proponatur.[7] Alioqui reuocata acquisitione amissoque dominio pignus, quod extinctum videbatur, reuiuiscit, tanquam quod rem ipsam perpetuo concomitetur.[8] Vsq; adeo, vt transeat in emptorem etiam sine cessione,[9] in quem tamen personalis actio sine cessione non transiret.[10] *Ita tractatum est* 3. Id. Nouemb. 1596.

1 Est enim venditionis titulus habilis ad transferendum dominium secuta traditione, *l. nunquam nuda 31. D. de acquir. rer. domin. l. traditionibus 20. C. de pact.* Scilicet si venditor fuit dominus *l. traditio 20. de acq. rer. dom.*

2 *L. neque pignus 45. de reg iur.*

3 *L. pen. §. 1. de excep. res iudic.* Bart. & Alex. *in l. debitor, §. 9. ad SC. Trebell.* Afflict. *deciſ. 8.*

4 *L. ſi rem 9 §. omnis, D. de pign. act.*

5 *L. grege 13. §. etiam. D. de pignorib.*

6 Exemplo eius quod scriptum est *in l. ſi patroni 55. §. vlt. ad SC. Trebell.*

7 *d. l. pen. §. 1 de excep. rei iudic. l. qui res 98. in prin. D. de ſolut.* iunct. *l. ſi rem meam 20. eod.*

8 *L. pignoris 17. D de pignor. l. pignus 18. C eod.*

9 Bart. *in l. ſi tertius. § ſi prius, de aq. & aqu. pluu. arcend.*

10 Not. *in l. fin C. de hæred. vel act. vendit.* Bart. *ad d. § ſi prius* Cyn. Bald. & alij *in l. vltima, C. per quas perſonas* Gloſſ. *in l. ſi pecuniam, D. de rebus credit.* Interdum tamen etiam sine cessione quis admittitur ad vitandum inutilem circuitum. Afflict. *dicta deciſ. 8. num. 4.*

DEFI-

BIU Cujas

TIT. XX.

DE LVIT. PIGNOR.

DEFINITIO I.

Semestre datum ad redimenda pignora non currit hodie nisi à die missionis in possessionem, & quidem quæ effectum habuerit contra debitorem.

QVOD nouissimo iure nostro constitutum est, vt semestre, quod luendis pignoribus sub hasta venditis præstitutum est, non à die expeditionis, vt antea, [1] currere incipiat, sed à die missionis in possessionem, [2] de ea missione intelligendum est, quæ effectum habuerit.[3] Itaque si missioni in possessionem debitor interceſſerit, aut ab executione prouocauerit, [4] licet postea sit condemnatus, non nisi à die sententiæ tempus computabitur, [5] siue quod satis consultum sit indemnitati emptoris acquisitione fructuum, quos ei tanquam dominium exinde nacto, omnimodo restituendos esse constat, quotquot post factam expeditionem percepti sunt, [6] percipique potuerunt.[7] Siue quod pignoris luendi ius fauorabile existimetur, [8] proindeque adiuuandum interpretatione. [9] Plane si missioni in possessionem non debitor ipse, sed alius interceſſerit, aut prouocauerit, non proderit ea res debitori, cuius nimirum intuitu verum est missionem effectum habuisse.[10] *Ita Senatus* in causa D. Marchionissæ de Gallerande, & D. Senatoris Caueti, Prid. Id. Maij 1588.

1 Ex verbis ipsius statuti.

2 Vt scil. miseris debitoribus magis faueretur, quibus hoc spatium ad redimendum humanitatis gratia indulgetur, vt dixi *Desin. vlt. §. de distr. pignor.* Itaque non potest apud nos locus esse quæstioni, quam tractat. Guid. Pap. *quæst.* 22. A quo die incipiat currere tempus datum ad redimendum pignora.

3 Verba enim cum effectu sunt accipienda, *l.* 1. ĵ. *D quod quisque iur l. penult. §. docere*, D. *ne quis eum qui in ius vocab. vi exim.*

4 Nam & appellatio sicut interceſſio habet vim suspensiuam executionis, *l. si causa cognita* 32. *Cod de transact.* Ne alioqui videatur inciri ab executione, contra *l.* 1. *Cod. d. execut. rei iudic.*

5 Intellige nisi frustrandi gratia interceſſum vel prouocatum fuisse appareat. Nec enim frustratori debet vnquam sua frustratio prodesse, *l. hominem* 37. *D. mandat. l. penult. C. de exec. rei iudic. l. tutor* 41. *D. de vsur. l. vlt.* D. *de re iudic.*

6 Ita enim vetere statuto Sabaudiæ dicitur cautum est.

7 Propter malam fidem possessoris, *l. sed et si lege* 25 *§ sed & fructus*, D. *de fructib. & lit. expens.*

8 Tanquam quod humanitatis tantum gratia indulgetur, vt dixi *Defin.* 32. *num.* 7. §. *de distract. pignor.*

9 Vt omnia illa quæ sunt fauorabilia, *l. cum quidam* 19. *de lib. & posthum. l. hoc modo* 64. *in fin. de condit. & demonstr.*

10 Nihil enim vetat missionem effectum habere in præiudicium debitoris non etiam tertij, cuius semper exceptum ius esse intelligitur, adeoque solet excipi verbis expressis.

DEFINITIO II.

Ius offerendi saltem est cuilibet possessori quandocunque, id est, etiam post litem contestatam in executione iudicati. Idque ex æquitate non ex rigore.

IVS offerendi etsi cuilibet possessori competit ad luendum pignus, [1] non tamen durare videtur nisi vsque ad litem contestatam in causa & executione iudicati, [2] quasi per eam contestationem velut per quasi contractum nouo iure quæsito, [3] quod per ius offerendi amplius perimi non possit. Moram tamen quæ oblationi facta sit purgari quandocunque posse fortassis humanius est. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa. Iunge *Defin.* 7. *infr.*

1 *L. Paulus* 12 § 1. *D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

2 Cravet. post alios *consil.* 298 *in princ.* Vide Castrens. *ad l. si res obligata* 57. *de legat.* 1. *num.* 4.

3 Cum per contestationem quasi contrahitur, *l.* 3. *§. idem scribit*, D. *de pecul. & si at nouatio, l. vlt. C. de vsur. rei iudic. l. altum* 29 *D. de nouat.*

4 Cùm nihil videatur interesse creditoris non prius dimissuri ius pignoris quam suum consecutus sit, *d. l. Paulus* § 1, *l. à Diuo Pio* 15 § *quod si res pignorata*, D. *de re iudic.* iunct. *l. etsi post tres* 8 *D. si quis cautionibus* 135 § *item*, *de verb. obl.* Quamvis soleat litis contestatio impedire purgationem moræ, vt *in l. si insulam* 84. *cum ibi not. eod.* Iunge D. *fin.* 7. ĵ.

DEFINITIO III.

Multum interest, an qui habet ius offerendi agat an conueniatur, quia minus hic quam ille offerre cogitur.

QVI habet ius offerendi si rem obligatam possideat, non totum debitum offerre cogitur, sed tantum quanti ea res est, cuius nomine per quasi Seruianam conuenitur,[2] quia nec pluris interest creditoris,[3] cui agenti satis esse debet, quod tantundem consequatur offerente possessore, quantum consequeretur, si vinceret.[4] At si creditor ipse possideat, & posterior alius creditor pignoratitius offerre velit, totum debitum offerendum erit, quoniam alioqui nec solutum videri potest pignoris vinculum, quod est indiuiduum,[5] minúsque faueńdum est posteriori cum agit, quam cum possidet. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Cravet. *consil.* 298. *num.* 16 post Barr. *in tit. C. de præd. & reb. nauic. lib.* 11.

2 *Arg. l. si inter* 21. §. 1. *ff de pignor.*

3 *L.* 2. *l. Paulus* 12 § 1 *D. quib. mod. pign. vel hypoth. soluit.*

4 Idem Cravet. *d. num.* 16. *ad fin. ex l. hus consequenter* 18 §. *Cessus & §. penult. l. heredes* 25 *§ idem iuris*, D *famil. erciscund. l. si necessaria* 8 §. *si vnus, l. si rem* 9. *§ omnia*, D. *de pignor. act. l. in executione* 8. *§ penult. D. de verb. obl.*

5 *L. rem hereditariam* 65 *ff. de euict.*

6 Quia fauorabilior est retentio pignoris, quam persecutio, *l.* 1 *ff de pignor. l. vnic. Cod. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.* Eâdem ratione multo magis dicendum est, Si postulante creditore pignora sint publicè vendita sub hasta, & nullo existente extraneo emptore aut existente quidem, sed minùs iustum pretium offerente addicta sint, quod plerumque fit ipsi creditori certo inisso precio: minore tamen quàm quantum est quod deberur non posse debitorem pignora luere restituendo solam precij quantitatem, sed cogendum esse omne id quod debetur, & sortis & vsurarum & accessionum omnium nomine præstare. Alioqui habet creditor ius retentionis pro toto reliquo debito. *l. 2 tit. etiam ob chirograph. pecun. pign. retin. poss.* Et quemadmodum debitor non potest venditionem pignoris impedire, *tot. tit. C. debit. vend. pign. imp. non poss.* ita neque retentionem pignoris iam venditi, licet ab ipso creditore æstimati certo pretio, quia luitio pignoris intra tempus quod à statuto in eam rem præscriptum est tollit intellectum præcedentis venditionis, *arg. l. si patronus* 55 *§. vltim. D. ad SC. Trebell.* nec nocet consolidatio quæ ius pignoris extinxisse videbatur, quandiu luendi ius superest, *l. penult. § Latinus Largus*, D. *de excep. rei iudic.* quoniam sola dominij acquisitio, quæ vel irreuocabilis est, vel nunquam reuocata fuit solutionis, & confusionis vim obtinet, *l. si rem meam* 20 *l. si quis ultimum* 46 *l. qui res* 95. *in princ. D. de solut. l. debitor* 59. *D. ad SC. Trebell. Ita Senatus in re at. libell.* 21. Iunij 1614. Etsi ante pro Claudio Rochet, contra N. Bolliet Aduocatum. *Sine die.* Aliud esset si pignus extraneo venditum proponeretur. Tunc enim sufficere ad luitionem pignoris offerti emptori pretium è ditionis, nec quicquam præterea, quia nec amplius eius interesset. Est igitur difficilior & incommodior luitio pignoris aduersus creditorem ipsum eundémque possessorem, quàm aduersus extraneum, siue pignoris venditio facta sit siue non. *Ita Sen. tus ibid.* Et rursum pro Illustriss. & Reuerendiss. Dn. Philiberto Milliet, Episcopo Maurianensi Sacrosancti ordinis Sabaudici, Annunciatæ Virginis magno Cancellario, contra N. fratres Darquin, 27. Iun. 1614. Iunge *Defin. 5. iij. præced.*]

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Non est necessaria interpositio decreti ad extinguendum ius luendi & redimendi pignoris si modo semestre elapsum sit, & subhastatio rite facta sit, alioqui supereſt ius offerendi, vsque ad decretum aut 30. annos.

POst elapsum semestre, quod luendis pignoribus sub hasta venditis præstitutum est, [1] si rite, hoc est, seruatis solemnibus, & pro debito nec viliore precio, [2] facta venditio fuit, nullum luendi redimendive supereſt, tametsi nulla dum interposita sit decreti auctoritas, quæ nec necessaria est ad publicarum venditionum solemnitatem, sed tantum, vt sciatur neque dubitari possit rite & solemniter factas esse. [3] At si quid ex solemnibus defuit, tamdiu luendi facultas debitori salua est, quandiu decreti interpositio non est secuta, [4] nisi quod triginta annorum spatio non minus quam venditionis impugnandæ ius concluditur. [5] Sed etsi decretum interpositum sit, ab ea tamen interpositione prouocatum fuerit, quamvis iniusta pronunciandà sit appellatio, offerre adhuc debitor poterit pendente appellatione, & emptore solutionem recusante, pecuniæ quantitatem debitam obsignare, vt ab eo tempore quærendorum fructuum commodum emptori eripiat. [6] Ea siquidem appellationis, licet iniustæ, vis & potestas est, vt extinguat iudicatum, [7] dum ne per euidentem calumniam, planéque frustrandi causa interiecta probetur. [8] Quod si solemniter omnia peracta sunt, vilioris tamen pretij ratio debitori ex æquitate in integrum restitutionis succurrendum suadeat, neque enim quod pro modico debito res magni pretij distracta sit nullam facit subhastationem, quamvis ex statuti nostri verbis pignoris capio duplum debiti excedere non debeat, [9] solet Senatus quandocunque offerentem debitorem dummodo intra annum trigesimum, siue ante, siue post decretum interpositum admittere, [10] quasi nulla in eo fiat iniuria emptori suum abunde consecuturo, quam æquitatem inferior etiam iudex non male sequetur. [11] Nec in eam rem porrigi ciuilem, vt vocant, supplicationem necesse est aduersus decreti interpositionem. Sane si debitor in promptu non offerat, audiendus non erit quantumvis in subhastationum solemnitatibus peccatum appareat, quia sufficit pro debito factas esse. [12] Quanquam & hoc casu æquitas facit, vt debitori noua dilatio danda sit intra quam satisfaciat, duorum scilicet aut trium mensium, nonnunquam etiam pro personarum qualitate debitique quantitate sex ad summum mensium. [13] Intra quos si satisfactum non erit, subhastationes ex nunc prout ex tunc, quomodo pragmatici loquuntur, pro confirmatis riteque factis habendas esse decernatur. Illud etiam sciendum est, Ius luendi pignoris sub hasta venditi, quod tricennio concludi diximus, perpetuum esse, si exceptionis non actionis iure proponatur. [14] Id enim facit iuris regula quæ habet, perpetua esse ad excipiendum, quæ ad agendum sunt temporalia. [15] *Ita Senatus* in eadem causa. Itemque pro N. Bardin, contra liberos Ludouici Loquet ex tempore, Prid. Non. Iul. 1591.

1 Vetere statuto Sabaudiæ.

2 Ne alioqui possit implorari beneficium *l. 2. C. de rescind. vendit.* iuxta id quod scripsi *Desin 3 §. debit. vendit. pignor. imped. non poss.*

3 Aliud enim est solemnitatem peragi subhastationum, aliud vero solemnitatem peractam declarari; *arg. l. heredes palam 28 § 1. D. quitestam. facer. poss.*

4 Ex stylo Senatus nostri *artic. 156. & 157.*

5 Vt cætera iura omnia quæ sunt perpetua, *l. fin. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Ita communiter D. [illegible] *in §. actionum, column. 25. ver. aduertas tamen. l. sit. de actio.* Anton. Negus. *in tractat. de pignor. in 3. membr. §. part. num. 52.* post Bart. Ioann. Andr. Iacob. Imol. Paul. Castrens. & alios ibi citatos.

6 Obsignatio enim cum solutionis vice sit, *l. obsignationes 9. C. de solut.* solet fructuum commodum acquirere obsignanti, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.*

7 *L. si causa cognita 32. C. de transact. l. 1. §. vltim. D. ad SC. Turpill.*

8 *Vt in l. tutor 41 D. de vsur. l. vlt. D. de re iudic. l. negotiorum 24 ff. de appellat. l. penult. C. de execut. rei iudic. l. in summa 65. §. 1. ff. de condict. indeb.*

9 Secundum ea quæ scripsimus *Desin. 8. §. de distr. pignor.*

10 Adhibita tamen distinctione illa an enormis tantum, an etiam enormissima læsio interuenerit, vt scripsi *Desin. 4. supr. si aduers. vsucap.* iunge *Desin. 8. & 9. §. de distr. pignor.*

11 Nam & iudices inferiores æquitatem ante oculos semper habere debent, eam saltem quæ scripta est, vt nostri vocant *ad l. placuit 8. C. de iudic.*

12 Dixi *Desin. 8. §. de distr. pignor.*

13 Arbitrio scilicet Senatus aut alterius iudicis.

14 Angel. de Aret. & Negus. in locis citatis. *num. 5.*

15 *L. pure 5. §. vlt. D. de doli mali except. l. licet cum gloss. C. de except.* Felin. post Abbat. *in cap. si autem de rescript.*

DEFINITIO V.

Fructus percepti ab emptore bonorum sub hasta venditorum ex die expeditionis nunquam restituuntur.

ETsi quotiescumque ius offerendi luendique pignoris debitori saluum est, iuris ratio facit, vt non tantum rem obligatam restitui oporteat, sed etiam fructus omnes quotquot à creditore percepti sunt, oblata per debitorem sorte cum vsuris: [1] id tamen locum non habet si agatur de luendo pignore quod iam sub hasta venditum sit postulante creditore, [2] siue extraneus emptor sit, siue creditor ipse nullo extraneo emptore existēte rem obligatam vice extranei [3] comparauerit. Neque enim illa proprie pignoris luitio est, cum pignus esse desierit, quæsito emptori, quisquis ille sit, per publicam venditionem dominio, [4] dicíque potius redemptio deberet. [5] Proinde fructus, qui & seminis & soli iure ex pignore vendito percepti veroque dominio acquisiti sunt, [6] restitui non oportet. [7] Quam ob causam licet statuto veteri hactenus derogatum sit per nouum edictum, vt semestre illud, quod luendis pignoribus sub hasta venditis datum esse diximus in superioribus, non à die venditionis, &, vt aiunt, expeditionis currere incipiat, quomodo antea, sed à die missionis in possessionem, [8] illud tamen incorrectum mansit, quod à tempore factæ expeditionis fructus omnes ad emptorem pertinent, sine cuius iniuria nec aliter constitui potuisset. [9] *Ita Senatus* in eadem causa viduæ D. de Genuille, contra Ioannem Baptistam Varronem Genuensem 13. Calend. Septembr. 88.

1 *L. 1. C. de dolo, l. 1. C. de fid. & iur. hast. fiscal. lib. 10. tit. 1. l. 3. C. de iur. fisc. eod. lib.* late Specul. *in tit. de prim. decret. §. restat vers. hoc autem notandum. & seq. cap. 2. de sequest. poss. l. ex diuerso 35. §. 1. ff. de rei vind.*

2 Statuto enim vetere hoc expressim cautum est, vt ex die additionis fructus omnes emptori acquirantur, tanquam qui vel dominus sit, vel saltem bonæ fidei possessor, cum auctore iudice comparauerit, *l. qui auctore 166. de reg. iur.*

3 *Vt in l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

4 *L. penult. §. 1 in fin. D. de except. rei iudic.*

5 Simile quiddam est in specie *l. in bello 22. §. si quis seruum* iunct. *l. si patre 15 ff. de captiu. & postlim.*

6 *L. qui scit 25 §. 1 ff. de vsur.*

7 *Arg. l. eos qui 56 in pr. inc. C. eod.*

8 Vt dixi *Desin. 1. §. hoc tit.*

9 Cum à tempore expeditionis emptor desierit habere suam pecuniam. Debent enim publicæ venditiones fieri præsenti pecunia, *l. a Diuo Pio 15. §. sed si emptor, ff. de re iudic.* Non debet autem

bet autem emptor carere & re simul & precio, *l ex empto* 11. §. *vlt. l. Iulianus* 13 §. *veniunt autem, l bona fides* 50. *ff de act. empt.* Aliquando tamen vidi Senatum adiudicare emptori restitutionem fructuum à die missionis in possessionem, sed ex magna causa, puta si grandis læsio allegetur ad impediendam decreti interpositionem & nihilominus decretum interponatur. Videtur enim Senatus hoc casu, & hoc veluti pacto transigere quodammodo de læsione, ne postea prætextu eius læsionis rescindi venditio quandoque possit, *l. arg. quid ergo* 13. §. *pœna grauior D. de his qui not. infam. l.* 3. & 4. *C. eod.*

DEFINITIO VI.

Etiamsi læsio enormissima interuenerit in subhastationibus, fructus tamen nulla ex parte imputantur in sortem quomodo imputarentur si priuata esset venditio.

PLanè si in pignoris venditione immodica læsio interuenerit, iniquum fortasse videtur fructus integros à die expeditionis perceptos ad emptorem pertinere, ob idque magis esse, vt ad iustam legitimarum vsurarum rationem rediganturi. [1] Sed id tum obtinet, cum enormissima, vt nostri loquuntur, læsio, id est, vltra bessem iusti pretij interuenit in priuatis venditionibus, quo casu fructus omnes quasi mala fide & sine titulo perceptos restitui oportet. Ei namque qui ad publicam accessit emptionem magis fauemus, [3] vt etiã supra modum legitimarum vsurarum fructus retineat non solum quod minore doli suspicione vrgeatur qui auctore Prætore possidet, [4] sed etiam quod vel creditor ipse antea fuerit, vel si extraneum emptorem proponas in creditoris jus locúmque successerit, quæ res facit eũ fauorabiliorem, quam si nullũ ante emptionem in illa re ius habuisset. [5] Ergo si nõ nisi enormis, id est, vltra dimidiam iusti pretij læsio proponatur, multo magis integros fructus emptor retinebit, nulla vsurarum habita comparatione, nisi quod ad eos pertiner, quos à die litis contestatæ perceperit, [6] quoniam etsi priuata venditio facta esset, non alios restituere compelleretur, adeóque tantum ex iis retineret quantum legitimis, id est, quincuncibus (si aliæ promissæ non sint) soluti pretij vsuris sufficere posset. [7] Nec enim fieri potest, vt deterior esse debeat conditio eius qui publicæ hastæ fidem secutus est. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Propter dolum quem nostri dicunt inesse in rẽ ipsa & æquiparandum dolo ex proposito, *l. si quis cum aliter*, & ibi *not. ff. de verb. oblig.*

2 Sic enim vulgo nostri post Ias. *ad d. l. si quis cum aliter.*

3 Quia fides hastæ non facile conuelli debet, *l. si hypothecas* 8. *Cod. de distract. pignor.* Vide *Defin.* 26. & 28. *s. de distract. pignor.*

4 *L iuste possidet* 11. *ff de acquir. poss. l. qui auctore* 166. *de regul. iur.* Nisi probetur gratia & collusio interuenisse, *l. si quos* 29. *C. de rest. vend. l.* 2. *C. de fid. & iur. hast. fisc. l. b.* 10. *tit.* 3. *l.* 3. & 4. *Co. si vend pign. agat.*

5 Vt inuitentur homines ad publicas emptiones, *l. ait prætor*, 7. *alias l. etsi sine. §. quæsitum, ff. de minor.*

6 Cum post litis contestationem omnes possessores sint pares, i. prædones. *l. sed etsi* 25. §. *si ante. D. de petit. hared.*

7 *Not. ad l.* 2. *C. de rescind. vend.*

8 *d. §. quæsitum.*

DEFINITIO VII.

Offerri potest creditori agenti hypothecaria etiam post rem iudicatam, & peti cessio actionum, aut obiici retendarum, quia non impugnat iudicatum.

HYpothecariam exercenti creditori possessor offerre potest etiam post sententiam, & in executione iudicati, [1] sicut & actionum cessionem petere, aut cedendarum exceptionem obiicere, [2] quoniam huiusmodi exceptiones non impugnant, at confirmant potius iudicatum. [3] Nec offerenti possessori nocere potest exceptio rei iudicatæ, quasi sententiæ causa cessante, [4] cùm is offert, qui non aliam ob causam fuerat condemnatus, quam quia non obtulerat. [5] Vtriúsque est quandiu possessor manet is, qui condemnatus est posse eum purgare moram dummodo victori satisfaciat, refusis etiam litis sumptibus & si quid preterea eius interfit. [6] Sed etsi is, qui offerendi ius ex duplici causa habebat ex vna condemnatus, veniat ex alia, [7] repelli non potest exceptione rei iudicatæ, quoniam alia res aliúdque ius esse intelligitur. [8] *Ita Senatus* in eadem causa. Iunge Defin. 4. supr.

1 Sed tamen non nisi vsque ad litis contestationem, vt dixi *Defin.* 2 *supr.* ex Cravet *cons.* 298. *in princ.*

2 Ex *l. mulier* 19. vbi glossa *D. qui potior in pign. hab.* Castrens. *ad l. si res obligata* 57. *num.* 4. *de legat.*

3 Quæ enim sunt tales exceptiones possunt opponi etiam in executione iudicati *l. cum milite* 16. §. 1. *D. de compensa. l. sunt qui* 2. & *seqq. D. de re iudic.* Boer *quæst.* 19. *num.* 9. & *quæstio.* 43. *num.* 8.

4 *Vulg. cap. cum cessante Extr. de appellat. l.* 4. §. *deficientium, D. de muner. & honor. l. ab his* 10. §. *auctu, de vacat. & excus. muner.*

5 Nam si obtulisset non potuisset condemnari, *l. Paulus* 12. §. 1. *ff. quib. mod pign. vel hypoth. soluit. l. si fundus* 16. §. *in vindicatione, D. de pignor.*

6 Quoniam nihil eo casu potest videri creditoris interesse, *l. si inter* 11 §. 1. *eod. tit. de pignor.*

7 Quia cum duplex ius in eandem personam concurrit, omisso vno aliud supereſt, *l. quotes duplici* 91. *de reg. iur. l.* 1. §. *sed videndum, D. de succes. edict.*

8 Quo casu cessat exceptio rei iudicatæ. *l. cum quæritur* 12. & *seqq. l. si mater* 11. §. *eandem, l. si cum vno* 22. *D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO VIII.

Diuisio fructuum facienda est pro rata temporis inter debitorem & antichresticum creditorem, itémque inter venditorem & emptorem sub pacto de retrouendendo.

SI antichresis facta sit & pignus luere creditor velit, fructus diuidi oportet inter debitorem & creditorem ad ratam temporis quo antichresis stetit. Vt si Kalendis Quintilibus pignoris possessionem creditor acceperit, debitor autem Kalend. Nouemb. pecuniam obtulerit & soluerit, aut quod hac parte idem est recusante creditore obsignauerit, trientem fructuum creditor habeat, debitor bessem. [1] Idémque obtinet, si redimatur res quæ vendita fuerat cum pacto, vt vocant, De retrouendendo, siue iam præceptis, siue pendentibus adhuc fructibus redemptio fiat. [2] Hoc quidem multo difficilius si meram iuris rationem inspicias, quia fructus non alio quam soli & dominij jure acquiruntur. [3] Sed hac tamen summa æquitatis ratione, quod eodem tempore, aut emptorem, aut venditorem, & re simul & pretio frui non oporteat. [4] *Ita Senatus* in causa Marchionis de la Chambre, contra Dom. Margaretam de la Chambre eius amitam, 9. Kal. Decemb. 1588.

1 *Arg. l. cum venderem* 21. *D. locat. l. fructus* 7. §. *Papinianus, alias l. diuortio, D. solut. matrim.*

2 Not. *ad l.* 2. *C. de pact. inter empt & vend.* ex sententia Raphael Comens. contra Alexan. pro quo tamen vide quæ contra communem hanc interpretum sententiam scripsi in priore parte, *Hemisch. de error. pragmat.*

3 *L. qui si ir.* 25. § 1. *D. de vsur.*

4 Hæc enim ratio æquitatis est quam adferunt interpretes *ex l. ex empto* 11. § *qui autem, l. Iulianus* 13 §. *veniunt autem, l. bona fides* 50. *D. de act. empt.* Vide Rolan. à Vall. *consil.* 27. *vol.* 2.

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Non auditur debitor volens luere pignus, nisi offerat creditori emptori sumptus factos in litem pro pignore susceptam.

SI pro pignoribus acceptis creditor, aut pro venditis emptor controuersiam ab aliquo passus sit, non aliter audiendus erit debitor, siue pignus luere velit, siue redimere, quam si sumptus omnes à creditore aut ab emptore prorogatos restituat. [1] Nisi fortè per sententiam condemnato eo qui perperam litem intulerat creditor emptórve sumptus illos ex iudicato exegerit, aut per eum steterit ne exigeret. Huic enim satis esse debet quod paratam habeat actionem aduersus condemnatum, si modo fuit ille æque idoneus & soluendo tempore iudicati. [2] *Ita Senatus*, pro Claudio Morel, contra Benedictum Bosson, 12. Calend. Iunij, 1590.

1 Quia scil. tanti interest creditoris aut venditoris, *arg. l. ex parte 39. ff. famil. ercisc.* quia debitor rem istam debuit suo sumptu & periculo defendere, *l. antepenult. §. mota quæstione, D. de euict. l. 1. C. vbi in rem act.*

2 *Ex reg. l. is qui actionem 15. de reg. iur.*

DEFINITIO X.

Non possunt impugnari subhastationes decreto confirmatæ nisi per viam appellationis à decreto, aut supplicationis ciuilis aduersus decretum Senatus.

POst decretum de subhastationum iure interpositum, si qua causa sit (præterquam ex immodica læsione [1]) ob quam subhastationes rescindi bonaque restitui oporteat, decretum prius euerti necesse est, aut per appellationem si appellare liceat, [2] aut si à Senatu iudicatum sit, per rescriptum Principis quo condemnatis subueniri solet aduersus Senatusconsultum supplici libello in eam rem porrecto. [3] Idque propter rei iudicatæ auctoritatem, quæ semper & vbiq; præcipua esse debet. [4] Sumptus tamen in subhastationes factos omnimodo restitui oportet, etiam cum subhastationes non valuerunt, sed quanto minores facti essent, [5] si valuissent. Iunge Defin. 8. & 9. de distract. pignor. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam ex ea causa possunt rescindi subhastationes saluo decreto, cum causa læsionis nihil commune habet cum causa nullitatis, vt dixi *Defin. 4. §. & Defin. 8. §. de distract. pignor.*

2 Quoniam appellatio extinguit iudicatum, *l. 1. §. vlt. D. ad SC. Turpill.*

3 Dixi *Defin. 1. & seqq. §. de sent. præf. prator.*

4 *L. seruo inuito 65. §. cum prator, D. ad SC. Trebel.*

5 Dixi *Defin. 1. §. debit. vendit. pignor. impea. non poss.*

DEFINITIO XI.

Debitor luens pignora debet offerre debitum in ea monetæ bonitate, quæ fuit tempore debiti contracti, non tempore subhastationis.

DEbitor pignus venditum luere & redimere volens siue jure communi, [1] siue beneficio impetratæ aduersus subhastationem in integrum restitutionis, [2] debitum integrum reddere cogitur, [3] & consequenter in ea nummorum bonitate, quæ fuit cum contrahebatur, quoniam alioqui deteriore oblata minus offerre videretur, [4] Inspicimus autem contracti debiti tempus [5] non factæ subhastationis siue creditor ille fuerit, qui pignus emit nullo extraneo emptore existente, [6] siue extraneus emerit, cui scilicet iuribus suis creditor cesserit, quomodo cedere proculdubio debet, [7] ne dubitari quandoque possit, an pro indebito facta subhastatio videatur. Quamvis enim secuta venditione prior obligatio nouata, imò verò solutionis potestate penitus sublatæ intelligatur, siue creditori fuerit venditum, siue ab extraneo emptore solutum: [8] Attamen redimente quandocunque rem suam debitore, siue ordinario jure, siue extraordinario propter immodicam læsionem, res in pristinum statum reducitur, [9] & monetæ augmentum, quod subhastationis tempore peti potuerat, licet precium non esset, tunc debetur. [10] Quare nec ad rem pertinebit, quod pro eiusmodi monetæ augmento, vt vocant, non fuerit facta subhastatio. Quasi non videatur emptor, siue creditor ille sit, siue extraneus, plus posse petere quàm quanti pignus emit. [11] Id enim tum locum non habet, cùm aut creditori, aut ei qui à creditore cessa iura habet pignus euincitur. Hos namque constat, posse veluti noui pignoris jure rem retinere, nisi totum offeratur quod iis debetur. [12] Maximè verò cum ea quantitas, quæ ob monetarum deteriorationem amplior præstanda est, non accessorium quidpiam, sed principalis debiti pars censetur. Non enim auget debitam quantitatem, licet nummariorum corporum in quibus solutio fit numerum augeat. [13] *Ita Senatus* 6. Id. Nouemb. 1590.

1 Hoc est, intra semestre, quod vetere statuto in eam rem præstitum est.

2 Ex causa fortasse doli aut immodicæ læsionis, aut alia huiusmodi.

3 *L. 2. C. debit. vendit. pignor. imped. non poss. l. 1. & penult. Cod. si vendit. pignor. agat. l. si rem 9. §. omnis, de pignor. act.*

4 *L. Paulus 99. alias l. creditorem.* vbi Bart. & alij, *D. de solut. l. cum quid 3. D. de rebus credi.*

5 *d. l. cum quid. l. Butil. & Poll. 69. D. de contrah. empt.*

6 *Vt in l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

7 Vt hoc saltem habeat emptor à creditore quod sine ipsius creditoris dispendio futurum sit, *argum. l. in creditore 38. D. de euict.*

8 Similis ratio est *in l. qui tabulas 27. D. de furt.*

9 Vnde est quod si pignus venditum euincatur, tenetur debitor de euictione, *l. si prædium 4. C. de euict.* quia ei solutio profecit *l. si ob causam 13. eod.*

10 Ita, vt emptori incipiat deberi pecunia, *l. 2. C. de rescis. vend. l. vnic. C. de regul. quæ fiunt in iudic. in integr. restit.*

11 Quasi nunquam solutum, quia potestas redemptionis tollit intellectum venditionis & solutionis, *argu. l. si patroni 55. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

12 Secundum id quod diximus *Defin. 3. §.*

13 Quia durat pristina hypothecaria quandiu verum est non fuisse solutam pecuniam, *l. pen. D. de exc. pt. rei iudic. l. debitor 59. D. ad SC. Trebell. l. grege 13. §. etiam, D. de pignor.*

14 *d. l. cum qui, & d. l. creditorem, & vtrobique notat.*

DEFINITIO XII.

Non auditur debitor luens pignus nisi offerat impensas in pignus factas, quæ necessarium aut vtilem eámque permanentem causam habuerunt.

SEd & impensas in pignus venditum factas, à debitore redimere volente restitui necesse est, si aut necessariam, aut vtilem eámque permanentem causam habuerint. [1] Quarum quippe singulare perpetuumque ius illud est, vt possidenti ius tribuant retentionis. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si necessaria 8. D. de pignor. action. l. creditor 7. in fin. C. eodem tit.*

2 *L. si in area 33. in fin. ff. de condict. indeb.* ne petitor ex aliena iactura locupletetur, *l. plane 38 ff. de petit. hered.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XIII.

Etiam sumptus facti in subhastationes offerendi sunt à debitore pignora redimente, sed vtiles tantum & necessarij non superuacui.

DE sumptibus quoque in subhastationis peragendæ, decretique interponendi causam factis dubitatio minor est, quin restitui debeant.[1] Sed hoc ita, si & subhastatio, & decreti interpositio tenuit, Nam si vtraque aut alterutra perperam, nec seruatis solemnibus facta sit, non est æquum onerari debitorem inutilibus expensis,[2] nisi habita eadem ratione quas omnimodo fieri necesse fuisset si subhastatio decretique interpositio tenuisset.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum iis causam dederit factum & mora debitoris, vt dixi *Defin.* 3. §. *de distr. pignor. & Defin.* 2. *supr. debitor. vendit. pignò imped. non poss.*

2 L. 3. §. *sed si mutua*, D. *de in rem verso. l. sed an vltro* 10. *ad fin.* D. *de negot. gest.*

3 Dixi *Defin.* 10. *in fin. supr. & Defin.* 1 *sup. debit. vendit. pign. imped. non poss.*

DEFINITIO XIV.

Emptori pignorum offerendum est quod ab eo fuit impensum in litem pro pignore susceptam, nisi eas impensas obtinuerit, aut obtinere facile possit ex indicato aduersus condemnatum.

SI post peractam subhastationem, necdum aduersus eam in integrum restituto debitore litem emptor de bonis emptis tulerit, nec aduersarius fuerit condemnatus, omnimodò restituendum illi est, quicquid bona fide, & quasi rem suam tractans in eorum bonorum tuitionem impenderit.[1] Non idem obseruabitur, si aduersarium vicerit in expensas quoque litis condemnatum.[2] Si quidem vtilius victori est, & expeditius contra eum qui jam condemnatus est agere eo nomine, quam contra debitorem pignora redhibentem.[3] Si modò condemnatus ille soluendo sit, aut per emptorem ipsum steterit, quo minus ab eo cum soluendo erat, impensas exegerit.[4] Alioqui æquum non esset ex hac causa morari in damno emptorem,[5] in cuius scilicet potestate non fuit facere, vt ab inope aduersario litem per calumniam non pateretur.[6] Eadem obtinent creditore citra subhastationem ex conuentione pignus possidente.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quia vtiliter adeóque necessario factæ sunt impensæ illæ ad rem tuendam, cùm non possit litigari sine sumptibus, *l. minoribus* 6. D. *de minor. l.* 1. D. *de inoffic. test. l petitor* 30. D. *de liber. legat.*

2 Quomodo regulariter ita ius est, vt victus victori condemnandus sit in expensas, *l. eum quem temere* 79. D. *de iudic.*

3 Melius enim est partam habere ex causa iudicati persecutionem quam rem totam ad alterius petitionis initium redigere, *l. minor* 40. D. *de minor.*

4 Imputatur enim illi qui citius agere potuit cur tardius egerit, *l. cum postulassem* 44. §. 1. D. *de dam. infect.* Iunge *l. qui actionem* 15. *de reg. iur. & Defin.* 9 *supr.*

5 Cum is nullam videatur habere actionem qui habet inopem debitorem. *l. nam si*, 6. D. *de dolo*, *l. si quis iniustam* 35. *Dig. de iniur.*

6 *L. pure* 5. §. *vlt. ff. de dol. mal. except.* cum iudicium reddatur in inuitum, *l. interstipulantem* 83. §. 1. *ff. de verb. oblig.*

7 Dixi *Defin.* 9. *supr.*

DEFINITIO XV.

Etiamsi emptor paratus sit cedere suis actionibus contra condemnatum, non tamen cogitur debitor ei offerre sumptus, eidem emptori contra alium adiudicatos.

AT quid si condemnatus quidem soluendo sit, sed malit emptor debitorem, quam condemnatum obstrictum habere, paratumque se dicat iudicati actione cedere? Non deerant qui putarent audiri eum debere, vel ideò maximè quod vix sit, vt condemnatus expensas omnes à victore factas præstet,[1] nec tamen æquum videri debeat in damno morari eum, qui bona fide & auctore Prætore comparauerit.[2] Sed contraria sententia meritò placuit,[3] ne fiant de lite lites,[4] si parata & expedita sit emptori aduersus condemnatum repetitio.[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nemo enim actionem suam ob id amittere debet quod aliam sibi acquisierit, *l.* 1. §. *vlt. D. si quis à parent. manu miss.*

2 Semper enim taxatio impensarum minor est, quàm fuerit earum præstatio.

3 *L qui auctore* 166. D. *de reg. iur.*

4 *Arg l petitor* 30. *de liber legat.*

5 *arg. l.* 4. §. *ait prætor*, D. *de re iudic. l si quis iusiurandum* 11. *in fi. C. de reb. cred. l. eos* 26. *Cod. de vsur. l. terminato* 3. C. *de fructib. & lit. expens.*

6 Cum id & vtilius futurum sit, *argum. l. minor* 40. *in prin.* D. *de minor.*

DEFINITIO XVI.

Pignora dotalia lui non possunt constante matrimonio ne quidem à posteriore mariti creditore. Potest tamen lite pendente casus assecurationis conuerti in casum restitutionis.

PIgnorum dotalium singulare ius est, vt non magis à posteriore mariti creditore, quàm à marito ipso lui possint constante matrimonio. Si tamen iudex ea de re aditus contrà decreuerit, & pendente appellatione maritus decesserit, jus offerendi exinde competet,[1] eæque superioris iudicis qui ex appellatione cognoscit partes esse debebunt, non vt confirmet quod ab inferiore perperam & contra leges iudicatum est,[2] sed vt infirmata sententia idipsum tamen ex noua causa pronunciet quod inferior pronũciauerat, quod Senatus facere solet vsurpatis in eam rem his verbis, *par nouueau iugement*.[3] Demque multò magis obtinet, si viuo adhuc marito & propter eius inopiam actum iam fuerat de dote in tuto collocanda.[4] Nam si ante finitam litem, siue in prima, siue in secunda instantia maritus, aut mulier ipsa decesserit, casus, vt vocant, assecurationis commutatur in casum restitutionis,[5] & creditoris offeretis ius, quod antea nullum fuerat, conualescit, sed ita tamen, vt non eo minus creditor in præteritæ litis expensas condemnari debeat,[6] non ab eo tempore quo offerre potuit eam moram passus sit,[7] vt hac causa sumptuum litis compensatio quasi ob mutuam victoriam fieri debere videatur,[8] quod functa quidem muliere aduersus heredem eius facilè constituitur,[9] sed aduersus mulierem ipsam difficilius & parcius, ne quam per impensas dotis diminutionem patiatur.[10] *Ita Senatus* ex tempore in causa Antoniæ de la Marche, & Claudij Brunet, 27. Calend. August. 1591.

1 *L. vbi adhuc* 29. *cum ibi not.* C. *de iur. dot.* Rationem attulimus, *Defin.* 2 *supr. de iur. dot.*

2 Quia nihil vetat pendente lite nouum ius quæri ex noua causa, *arg. l. cum vir* 42. D. *de vsucap.* iunct. *l.* 4. §. *vlt. ff. de noxal. actio.*

3 *L si expressim* 19 D. *de appellat.*

4 Ex remedio *dict. l. vbi adhuc*, & *l. si constante* 24. *Dige. solut. matrim.*

5 Cum soluto matrimonio dotem restitui oporteat *tot. titu. solut. matr.* D. & C.

6 Tanquam temerarius litigator *ex reg. l. eum quem temerè* 79 *ff. de iudic. l. qui solidum* 78. §. 1. *de legat.* 2. *l properandum* 13. §. *sine autem alterutra*, C. *de iudic.*

7 Posterior enim mora nocere debet, *l. destituisse* 10. vbi

BIU Cujas

Bart. *D. de iudic. l. qui decem 72. in princ. & § 1. D. de solut.*

8 Fit enim compensatio mutuæ & temeritatis & victoriæ sicut & mutuæ negligentiæ, *l. si ambo 10. D. de compens.* & mutui doli *l. donum 57. in fin. de contrah. empt.* & mutui delicti *vulg. l. viro 39. D. solut. matrim.*

9 Est enim minus fauorabilis causa dotis extra personam mulieris, quam in persona ipsius mulieris. Not. *in l. 1. C. de priuil. dot.*

10 Cum interfit Reipublicæ nihil ex dote petire, vt possit mulier iterum æque commode nubere, *l. interest 18. D. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 3. de priuil. cred. Auth. sed quamvis, C. de rei vxor. act. & ibi not. & in l. 1. D. solut. matrim.*

DEFINITIO XVII.

Cessio potest etiam ex interuallo seri emptori, qui conuentus hypothecaria obtulit, vt vinculum pignoris dissolueret.

IS qui cum pignus possideret conuentus hypothecaria ab anteriore creditore pignoris luendi gratia ei soluit, cessionem [1] accipere à creditore etiam ex interuallo potest, quoniam per solutionem, quæ non tam pro debitore liberando, quam pro hypotheca tollenda facta est, non contingit liberatio debitori ipso iure, sed tantum per doli exceptionem, si forte creditor, qui iam litis æstimationem à possessore consecutus fuit, iterum velit idem debitum exigere à debitore. [2] Ideóque supereſt etiam per solutionem actio, quæ cedi possit, [3] quod non similiter dici posset, si solutione omnis actio extincta proponeretur. [4] *Ita Senatus* in causa Ant. Neiret, & Benedicti Geoffroy, 9. Cal. Aug. 1592.

1 Quam creditor cogitur facere bonæ fidei possessori ex *l. mulier 19 cum ibi notat. D. qui potior. in pign. hab.* Dixi *Defin. 2. §. si vendit. pign. agat.*

2 *L. 2. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solut.* iunct. *l. 1. cit. 8. §. vlt. eod.*

3 Quis enim propter se soluit non propter debitorem, nunquam liberat debitorem, *l. Papinianus 28. D. mandat.* Sic *in l. seruos obligata 57. de legat. 1.*

4 *L. Modestinus 76. D. de solut.* Scripsi pluribus *l. b. 12. Coniectur. iur. ciuil.*

DEFINITIO XVIII.

Missio in possessionem bonorum sub hasta venditorum non dat initium semestri præscriptioni, si non legitime facta sit.

QVod vetere statuto Sabaudiæ cautum est, vt semestre illud, intra quod luenda, aut potius redimenda sunt pignora, quæ sub hasta venierunt, à die addictionis; &, vt loquuntur, expeditionis per executorem factæ currat, nouo iure quo vtimur immutatum est, & fauorabiliter pro debitoribus constitutum, vt non nisi à die secutæ missionis in possessionem currere incipiat, [1] Quid ergo si non appareat denunciarum fuisse debitori missionem, aut eius tutori, si forte pupillus proponatur? Nullius effectus erit missio, quia tamdiu probabiliter eam ignorare debitor potest, & consequenter in pignore luendo negligens esse, qui, si missionem sciret, esset fortasse diligentior. [2] At neque sufficiet denunciatam esse missionem, si perperam id factum sit, hoc est, alij quam cui debuit, aut alio, quam oportuerit, modo. Paria enim sunt, factum quid non esse, aut perperam factum esse. [3] Proinde non satis erit denunciatam fuisse matri quasi tutrici impuberis filij, si re vera tutrix non fuit, tametsi omnia pro tutrice gereret. Qui enim pro tutore gerit suam quidem conditionem deteriorem facere potest, & facit, sed pupilli non item. [4] *Ita Senatus* in causa Aduocatorum de Coysiaz & Gaudinon, 16. Cal. Sept. 1592. Iunge Defin. 12. supr. Vnde vi.

1 Scripsi *Defin. 1 supr. hoc tit. & Defin. vltim supr. de distract. pignor.*

2 *Arg. l. 4. § toties, D. de dam. infect.*

3 *L. quoties 6. D. qui satisd. cog. l. 2. D. de auctor. tutor.*

4 Quia non habetur loco domini quomodo haberetur si verus tutor esset, *l. 2. D. de eo qui pro tutore* iunct. *l. qui fundum 7. §. si tutor. D. pro empt.*

DEFINITIO XIX.

Neque iuri offerendi, neque pignoratitiæ actioni vllo tempore præscribi potest per creditorem, siue ius canonicum inspiciatur, siue ciuile.

OFferendi ius quod debitori competit ad luendum pignus non magis per longi temporis præscriptionem perimi potest, cum in facultate non in iure consistat, quam actio ipsa pignoratitia, quæ quoniam ex sola debiti solutione aliaue satisfactione, aut etiam iudiciali oblatione nascitur, non prius extingui potest, quam fuerit nata. [1] Et vero absurdum esset creditorem, qui non sibi sed debitori possidet, præsertim ad causam vsucapionis, [2] ita vt vsucapio per debitorem cœpta ex accessione eius temporis, quo res penes creditorem fuit, compleatur, [3] sibi ipsi ius aliquod ex ea possessione acquirere aduersus debitorem. [4] Nec solum si ius canonicum spectes, quod haud dubie quanticumque temporis præscriptionem impedit propter malam fidem, [5] quâ alienæ rei scientia induxit: [6] Sed etiam ex iuris ciuilis ratione, quandoquidem is, qui creditoris iure possessionem pignoris nactus est, nec sibi possidere vult, sed alij, nec si velit possit tamen possessionis causam sibi mutare. [7] Nec sane video qua fronte possit creditor debitori rem suam vindicanti iure dominij exceptionem vllam temporis obiicere salua bona fide, cum nec olim vsucapere potuerit, ratione illa quod possideat pro alieno. [8] Neque ergo offerendi ius prohibere poterit, quod non minus vindicationis præambulum est, quam pignoratitiæ actionis. [9] Nam & hac eadem ratione constitutum videmus, vt nec colonus, nec vsufructuarius, nec procurator, aut depositarius, vel commodatarius vlla longissimi temporis præscriptione iuuari possint, quia non sibi, sed alij possident, [10] adeo vt furtum facere dicantur, si incipere velint sibi possidere. [11] *Ita Senatus* pro N. Ioanne Amedeo Martini procuratore, contra N. Zachariam de Lanfray, 9. Cal. Decemb. 1592.

1 Nascitur autem ex solutione aut alia satisfactione, *l. si rem 13 § omnis, de pignor. act.* Nec enim hic locum habet quod dici solet actionem, quæ ab initio nata non est, oriri postea non posse, *l. serui & filij 17. in princ. de furt. l. si tutoris 2. § fin. D. quod iussu.* Vide Bart. *ad l. pignoris 5 ff. de vsucap. & ad l. cum notissimi, § 1. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Hæc tamen ratio non videtur satis bona, quod pignoratitia actio debet haberi pro nata in præiudicium debitoris, qui potest facere offerendo, vt nascatur, *arg. l. qui potest facere 174. de reg. iur.*

2 *L. serui 16. de vsucap.*

3 *L. de accessionibus 14. § 1. de diuers. tempor. præscript.*

4 Cum non ideo possideat creditor, vt tibi aliquid iuris, acquirat contra debitorem, *l. pignori 11. ff. de vsucap.*

5 *Ex reg possessor mala fides, de reg. iur. in 6.*

6 *L. qui fundum 7. § qui bona fide*, D. *pro emptor.* Excipe casum *l. & generaliter 28. ff. de noxal act.*

7 *L. qui bona fide 19. § 1 ff. de acquir. possess. l. non solum 33. § 1. ff. de vsucap. l. 2. § 1. D. pro herred.*

8 *d. l. pignori 13 ff. de vsucap.*

9 Quo modo nec insubtiliter argumentatur Osach. Cather. *decis. 115.* vbi vide.

10 *L. male agitur 2. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. si quis ante conduxit 10 § 1 ff. de acquir. poss. ff.*

11 *L. si pignore 54. ff. de furt. §. furtum, Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XX.

Creditor, cui pignus aliquando traditum fuit, præsumendus est creditoris potius quàm domini iure possedisse. Nisi probetur alius nouus titulus superuenisse.

SEd hæc ita obtinent, si creditoris iure perpetuo rem possedisse probetur creditor, id est, si pignoris titulus proferatur, nec alio iure possessionem suam tueatur. Credendus enim quisque est ex præcedenti titulo possedisse. [1] Idque eo magis, si possidens creditor tale quid perpetuo fecerit, quod ex pignoris lege facere ipsi licuerit, vtputa si conuenerat, vt creditor, cui vineæ dabantur in antichresim, haberet ius premendæ vindemiæ in torculari creditoris, idque creditor eiusque heredes per annos plus quàm sexaginta fecerant. Quid enim apertius, quàm eo casu voluisse creditorem ex solo pignoris titulo, & iure creditoris possidere? [2] Nec alia in eius heredibus capietur præsumptio, tametsi contractum à patre initum probabiliter ignorare potuerint, & existimare se, quod facerent, dominij potius quàm crediti iure facere. [3] Nam quemadmodum transit in heredes creditoris ius & effectus constituti pignoris, [4] ita & creditoris malam fidem ipsis licet ignorantibus hac parte nocere æquum est, licet à se ipsis tempora præscriptionis inchoare velint: [5] siquidem in eos defuncti iura translata sunt cum suis qualitatibus, [6] nec debitoris conditio deterior fieri debuit per mortem creditoris, qui ipse præscribere nullo tempore potuisset; [7] nisi forte debitori imputare quis velit, cur creditor decesserit. [8] Plane si quid sit, ex quo probari possit, creditorem domini potius quàm creditoris iure possedisse, idque non interuertendæ alienæ possessionis gratia, sed ex nouo aliquo iure, [9] non est audiendus creditor eiusve heres, si post triginta annos ab eo tempore numerandos, quo prioris possessionis causam iuste mutatam esse oporteat, debitum offerre velit, quamuis de nouo illo creditoris iure non doceatur. Hactenus enim longissimi temporis rationem haberi æquum est, vt tituli probatio nulla à præscribente exigatur, quam nec allegari necesse est, etsi contrarius possessioni titulus nullus proponeretur. [10] Propterea quod tanto intermedio tempore multa possint incidere, quæ probandi tituli rationes omnes præcludant, nisi in vicem omnium hæc vna substituatur, quod tamdiu possederit, qui præscribit. Procedítque hoc casu non malè ratio illa, quæ vsucapionis & longæ possessionis iura induxit, quod rerum dominia in incerto semper manere non oporteat, [11] quod tamen non similiter dici potest, cum apparet, creditorem non domini, sed creditoris iure possedisse: nulla enim ex eiusmodi possessione quantumvis longissima dominij incertitudo nascitur. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. quædam mulier 77. D. de rei vindic.* Aliud enim est, si creditor ius dominij impetrauerit, *ex l. vltim. & tot. tit. God. de iur. domin impetr.* aut vice extranei rem emerit, *vt in l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. fit.*

2 Cum possederit ad formam tituli & contractus pignoratitij. *l. vlt. C. de pact. inter empt. & vend.*

3 Sola enim opinio non mutat veritatem tituli, nec tam est inspiciendum, quid sit in opinione, quàm quid in veritate. *l. penult. D. de vsucap. alias l. penult. D pro solut.*

4 *L. 1. & 2 C. si vnus ex pluribus hered. debit.*

5 *L. cum heres 11. D. de diuers. tempor. præscript.*

6 *L. vitia 11. C. de acquir. poss.*

7 *Ex reg. l. nemo plus commodi 120. l. quod ipsis 143. de regulis iuris.*

8 Quod esset absurdum. Neque enim casus fortuiti ab vllo præstantur, *l. quæ fortuito 7. God. de pignor. act. l. contractus 25. de reg. iur.*

9 Hoc enim non est mutare sibi causam possessionis, sed incipere ex nouo iure possidere, *d. l. qui bona fide 19 §. 1. de acquir. possess. d. l. non solum 13. §. 1. D. de vsucap.*

10 Præscriptio enim tricennalis non requirit titulum. Not. *ad d. l. 3 C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

11 *L. 1. D. de vsucap. l. vlt. in princ. D pro suo.*

12 Quia certum est, non posse dominum esse illum, qui possidet iure pignoris, cum nemini res sua sit obligata, *l. neque pignus 45. de reg. iur.*

DEFINITIO XXI.

Ius offerendi, quod secundo creditori competit, aduersus priorem præscribitur triginta annis.

IVris offerendi, quod secundo creditori aduersus priorem competit pignoris sui confirmandi gratia, [1] longe diuersa ratio est. Hoc enim quoniam in mera iure magis quàm in facultate conficit, [2] proculdubio eandem longissimi temporis præscriptionem patitur, quam cætera iura omnia etiam perpetua pariuntur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex l. 1 & l. prior 5 & pass. C qui pot. in pign. hab.*

2 In quo maxime differt ab eo iure offerendi, quod competit debitori ad inducendam pignoratitiam actionem. Id enim dicitur esse meræ facultatis. Quæ autem sunt meræ facultatis, non possunt præscribi, *Vulg. l. viam publicam, cum ibi not. D. de via public.*

3 *L. sicut 3. & seq. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

DEFINITIO XXII.

Ius luendi pignoris cedi potest, nec magis præscribi potest contra cessionarium debitoris, quam contra ipsum debitorem.

SEd & quæ debitoris conditio est, quandocumque debitum offerendo pignus luere possit, [1] nec vlla quantumuis longissimi temporis præscriptione summoueatur, [2] quemadmodum supra diximus, [3] eadem illius quoque est, qui ius luendi pignoris à debitore ipso cessum habeat. Nam quin ius hoc cedi possit, sicut & cætera fere omnia, nemo dubitat. [4] Nec quasi alienam actionem cessionarius redemerit, puniri debebit, aut odio aliquo dignus videri, cum in facultate potius, quàm in iure potestas illa soluendi posita sit. Nec quicquam referat creditoris à quo pecuniam accipiet, licet habeat pignoris possessionem. [5] Sicut & ex contrario dici solet, inhibendam pignoris persecutionem agente creditore, si qualiscunque possessor offerat. [7] Neque ad rem facit, quod plerumque alia causa sit emptoris, alia venditoris, vt si quis successerit in locum Ecclesiæ Romanæ, quæ non nisi centenaria præscriptione potest summoueri. [8] id enim Romanæ Ecclesiæ singulare priuilegium est, quod in alios transire non potest. [9] At vt debitor offerens debitum, aut aliter satisfaciens nanciscatur ius pignoratitiæ actionis, facit ratio iuris communis, quæ in debitoris cessionario, vel alio procuratore non minus quam in ipso debitore locum habet, [10] cum soluta pecunia, vel si creditor recusset obsignata [11] nihil interest creditoris. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si rem 9. §. omnis pecunia, D. de pignor. act.*

2 Propter malam fidem creditoris, qui non nisi pro alieno possidet, vt dixi *Defin. 19. 5. ex cap. possessor, de regul. iur. in 6. l. pignor. 13. D. de vsucap.*

3 *Defin. 19. 5.*

4 Est enim brocardicum nostrorum omnia quæ sunt transmissibilia esse cessibilia & contra, *l. ex pluribus 22. D. de admin. tutor.* Nulla certe lex est, quæ huiusmodi actionem prohibeat, quod sufficit, cum leges quæ de cessionibus loquuntur tunc sint prohibitoriæ *l. per diuersas 22. & seq. C. mandat.* iunct. *l. minus 43. §. 1. D. de procurat.*

5 Vt dixi *Defin. præced. num. 2.*

BIU Cujas

6 *L. Paulus respondit* 12. §. 1. D. *quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

7 *dict. l. Paulus*, §. 1. *l. si fundus* 16. §. *in vindicatione*, D. *de pignorib.*

8 *Nouell. Vt eccles. Roman. cent. annor. gaud. præsc. Auth. quas actiones*, C. *de sacr. eccles.*

9 Priuilegia enim personalia non transeunt ad alios *dict. l. ex pluribus*, *l. quia tale* 14. D. *solut. matrim.* Not. *ad dict. Auth. quas actiones.*

10 Ideoque vbi eadem ratio est idem ius statuendum est, *l. illud*, 32. D. *ad l. Aquil. l.* 3. §. *vnde etiam*, D. *de iniust. rupt.*

11 Obsignatio enim habet vim solutionis, cum creditor recusat accipere solutionem, *l. acceptam* 19. C. *de vsur. l. obsignatione* 9. C. *de solut.*

12 *d. l. Paulus* 12. §. 1. D. *quib. mod. pign. vel hypoth. soluit. l. si inter* 21. §. *vlt.* D. *de pignor.*

DEFINITIO XXIII.

Etiam post elapsum semestre potest, & solet Senatus ex causa prorogare tempus ad luenda & redimenda pignora, Inferiores iudices non possunt.

SOlet Senatus noster ex causa prorogare debitori tempus, quod ad luenda aut potius redimenda pignora præstitutum est, vt etiam post elapsum semestre admittatur. [1] Veluti si egregia quantitas sit, quæ debetur, quam non facile tam cito explicare debitor possit, [2] vel si agatur inter consanguineos, quos inter se mitius agere & honorari sanguinis nonihil tribuere deceat, [3] vel si qua in re peccatum sit in forma & solemnitate subhastationum. [4] Vel denique si longe pluris sint bona pro debito vendita, quam debitum fuerit. [5] Sed si intra prorogatum tempus nulla luitio redemptiove secuta sit, perinde tenet subhastatio, etiam quæ vitio aliquo laborauit, dummodo pro debito facta sit, atque si prorogatio nulla data esset. [6] Cæterum non idem inferiorum iudicum ius est, vt post præteritos sex menses intra quos lui pignus debuit aliud tempus indulgeant debitori. De illo enim tantum pronunciare possunt an decreto subhastationes adprobandæ videantur necne. [7] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 38. sup. De iur. emphyt. [Et rursum pro D. Dufour, contra Augustum Paris, Prid. Id. Mart. 1612.]

1 Nempe ex æquitate contra nimium iuris & statuti rigorem, solus enim Senatus qui vice Principis est, potest & debet inter ius & æquitatem positam interpretationem inspicere, *l. 1. C. de l. gib.*

2 Nec enim totius debiti numeratio semper est in expedito, *l. si dubitet* 10. D. *de fideiuss.* [Idem est si qua sit alia ratio æquitatis, vtputa si debitor, ob longiorem suam absentiam, eamque probabilem non potuerit pecunias conquirere ad redimenda pignora, vt in causa D. Dufour, contra Augustum Paris, Prid. Id. Mart. 1612.]

3 *Arg. l. cum bona* 16. D. *de rebus auctor. iudic. possid. alias leg.* 7. *de priuileg. credit.*

4 Dixi *Desin.* 4. *num.* 4. *supr.*

5 Dixi *Desin.* 8. §. *de distract. pignor.*

6 Quoniam subhastatio etiam nulla si sit facta pro debito tenet, dixi *Desin.* 18. §. *de distr. pignor.* Sed nulla dubitationi locus est, quia solet Senatus hoc casu non soluto debito confirmare subhastationes cum clausula; Ex nunc, prout ex tunc.

7 Quia coguntur iudicare secundum rigorem iuris & statuti.

DEFINITIO XXIV.

Semestre datum debitori ad redimenda pignora non incipit currere à quo die emptor cœpit possidere, sed ex die iudicialis missionis in possessionem.

LIcet parum referre soleat quod ad ius possessionis attinet, vtrum quis reuera & naturaliter possederit, an etiam in possessionem missus sit iudicis auctoritate: [1] Interest tamen quoties de iure luendi, aut potius redimendi pignoris sub hasta venditi disputatur. Quoniam sex illi menses qui in eam rem posteriore statuto præstituti sunt, non nisi à die iudicialis missionis currere incipiunt, [2] vt proinde quandiu non apparet quo die facta fuerit ea missio, tamdiu nec dici possit elapsa redimendi tempora, nec si fortasse triginta anni præterierint, totoque intermedio tempore creditor possederit, quia prius est, vt detur terminus à quo possit incipere præscriptio, quam vt præscriptio compleatur. [3] Neque est contrarium quod dici solet post elapsos triginta annos non posse obiici per debitorem quod subhastationes perperam nec rite factæ sint. [4] Id enim tum demum vere dicitur, cum præcessit missio in possessionem. [5] Quando eo iure vtimur, vt non prius citari possit debitor ad impugnandas subhastationes decretiq; interpositionem, quam sex illi menses præterierint, [6] qui porro, vt diximus, non incipiunt currere nisi à die missionis. Ob eamque causam sæpius à Senatu nostro improbatus est mos Sebusianorum meorum, qui in vsu habent, vt eodem libello petant mitti creditorem in possessionem, & citari debitorem ad decretum interponendum, saluo intra semestre luitionis iure. Non enim vult Senatus citari prius debitorem ad hoc, vt de interpositione decreti quæratur, quam semestre illud iam effluxerit. [7] Quid ergo si de interpositione decreti constet, de ipsa vero missione in possessionem nullo modo? Nihil oberit ea res debitori, aut posterioribus eiusdem debitoris creditoribus, quo minus saluum habeant ius redimendi. [8] Multoque minus si vocatus tantum debitor ad decreti interpositionem, nulla autem interpositio secuta proponatur. [9] *Ita Senatus* in causa Sebastiani Berard. & N. de la Chinal. Prid. Id. Nouembr. 1593.

1 Scilicet quia possessio licet plurimum ex iure mutuetur, *l. possess.* 49. *in princ. &* § 1. D. *de acquir. possess.* magis tamen facti est quam iuris, *l.* 1. §. *si vir vxori, &* §. *præced. eod. tit. l. denique* 10. *ex quib. caus. maior.*

2 Sic enim stylo Senatus nostri cautum est, vt dixi *Desin.* 18 *supr.*

3 Cum non possit finem accipere præscriptio, quæ nec initium accepit, *arg. l. si ad diem* 46. *l. Titio vsusfructus* 96. D. *de cond. & demonstr.*

4 Dixi *Desin.* 8. *num.* 6. §. *de distract. pignor.*

5 Quæ scilicet possit dare initium præscriptioni.

6 Prius autem est, vt ius competat petendæ interpositionis decreti, quam vt decretum possit fingi fuisse interpositum ex lapsu temporis, quia fictio respondere debet veritati ne plus operetur in casu ficto quam veritas in casu vero, *arg. l. confessionibus* 3. *cum l. seq.* §. *vlt.* D. *de interrog. in iur. fac.*

7 Ne scilicet beneficium iuris ipsi eripiatur, aut minuatur.

8 Cum fieri possit, vt præmature ac ante tempus decretum interpositum sit, quod tamen an factum sit non aliter sciri potest, quam si appareat de tempore missionis in possessionem.

9 Credibile enim hoc casu est non fuisse securam interpositionem ob id, quod nec sequi vtiliter potuerit. Nihil porro actum videtur, quandiu aliquid superest agendum, *l. penult. in fin. C. de his quæ vt indign.*

DEFINITIO XXV.

An post elapsum semestre possint creditores alij, siue anteriores, siue posteriores offerre emptori, siue creditor ille sit, siue extraneus?

AN autem secuta missione in possessionem, elapsisque sex illis mensibus licebit alij creditori offerre ei cui addicta sint pignora, aut extraneo emptori, qui venditionem curante creditore licitatus sit, alia quæstio est. In qua magis probatur, vt extraneus emptor secutus sit [1] salua creditoribus anterioribus repetitione aduersus posteriorem, cui ex venditionis pretio

pretio solutum est. [2] Sed si emptor sit ipse creditor, non extraneus, posse creditores anteriores iure suo pignus vindicare, [3] si nihil fecerint aut omiserint, propter quod ius pignoris videri debeant remisisse.[4] Posteriores vero etiam offerre, quoniam ea addictio, quæ fit creditori, fiat ex necessitate[5] nullo existente extraneo emptore,[6] nimirum si alia ratione posteioribus consuli non possit, vt in damno moraturi videantur, si offerendi iure priuentur, aut petendi, vt iterum bona distrahantur.[7] Sane nulla ratio est, vt extraneo emptori post lapsa luendi tempora secundus creditor offerre possit, aut agere ad nouam distractionem nisi magna aliqua ex causa. [8] *Ita tractatum est* in eadem facti specie.

1 Alioqui nemo accedat ad publicam auctionem, nec si bona fide fiat *l. a te petitor. alias l. si fide. § quæsitum*, D. *de minor. l. penult. & vlt. C. si vendit. pign. agat.*

2 *Vt & in l. vltim. § sin vero heredes, & § sed nec aduersus creditorem. C. de iur. delib.* Vide tamen *Defin.* 27. *num.* 2. & 3 *de distr. pign. sup.*

3 Non minus quam si priuata venditio fuisset. *vt in l.* 1. *C. si antiq. cred. pign. vend.*

4 Quid enim si publico programmate vocati sciuerint venditi pignus nec adesse voluerint, *vt in l. si eo tempore* 6. *& l. si hypothecas* 8 *C. de remiss. pignor.*

5 Similis ratio est *in l.* 2. *& l. cum secundus* 5. § 1. *D. de distr. pignor.*

6 *L.* 2. *C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

7 Semper enim quantum salua iuris ratione fieri potest succurrendum est creditori certanti de damno vitando *d. l. vlt. § sin vero creditores, C. de iur. delib.* Iunge *Defin.* 1. *n.* *de distract. pignor.*

8 Vt in specie *Defin.* 17. *n.* *de distr. pignor.* vbi vide. Aliud esset priuata venditione facta *l.* 1. *C. si antiq. pign. vend.*

DEFINITIO XXVI.

Monetæ augmentum potest peti etiam in executione iudicati. Sed non post per actam subhastationem quæ solutionis loco cesserit. Nisi ex aliqua causa à subhastatione recedatur.

AVgmentum quidem monetæ peti potest in executione iudicati, etiamsi nulla eius mentio, vel in petitione, vel in condemnatione facta sit, propterea quod non tam alia res sit,[1] quam eius quantitatis quæ adiudicata fuit quædam portio, & ipsius sententiæ veluti declaratio.[2] Sed tamen si ad subhastationem ventum sit pro ea quantitate, quæ in stipulationem deducta fuit, nulla eiusmodi augmenti habita ratione, peratúrque decreti interpositio, nihil amplius de augmento quærendum est, cum creditori sit satisfactum, quem vtique solutionem accipere in monetæ deteriore si velit, & consentiat,[3] nihil prohibet.[4] Si qua tamen causa sit propter quam non obstante decreti interpositione ea possessio creditori auferri debeat,[5] siue luendi siue quo alio iure, augmenti ratio tum habebitur, cum de solutione quantitatis debitæ agi oportebit.[6] Neque videri potest satisfactum si non diuret satisfactum.[7] Itaque non prius cogendus erit creditor cedere possessione quam sibi solutum sit quicquid debetur,[8] cum etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri possit.[9] Nec est quod quis dicat sublatum per acquisitionem dominij, decretique interpositionem, vinculum pignoris.[10] Hoc ipso enim quod ex causa aliqua dominium illud euincitur, quod fuerat quæsitum, euenit necessario, vt pignus restitui oporteat, quod extinctum videbatur.[11] *Ita Senatus* 16. Calend. Ian. 1593.

1 Si enim alia res esset non posset peti in executione iudicati *l. terminato* 3. *C. de fructib. & lit. expens.* & noua actione opus esset. *l. noua potest* 23. *D. de iudic.*

2 Quæ declaratio potest fieri etiam in executione, *l.* 2. *C. de sent. quæ sin. cert. quant. profer. l. heredes palam* 21. § *D. qui test. fac. poss.*

3 Volenti enim & consentienti non fit iniuria, vt est in regula iuris pontificij. Iunge *l. in diem* 9. § 1. *de aqu. plud. arcend. l. nemo videtur* 145 *de reg. iur.*

4 *L. Paulus* 99 *alias l. creditorem, D. de solut.* vbi etiam Bart. & alij *l. eum quid* 3. *cum ibi not. D. de reb. credit.*

5 Potest enim ex variis causis id contingere *Defi.* 11. vbi dixi *n. hoc tit.*

6 Est enim augmentum monetæ pars principalis debiti, vt dictum est initio huius *Defi. ex not. in d. l. cum quid, & d. l. creditorem.*

7 Sicuti non videtur in rem versum quod non durat versum. *l. si pro patre* 10. § *versum, D. de in rem verso. l. item eorum* 6. § *penult. D. quod cuiusq; e vniuers. l. nam etsi* 15. § 1. *D. de inoffic. testam.*

8 *L. si rem* 9 § *omnis pecunia, D. de pignor. act.* Dixi *Defin.* 3. *num.* 4. *n.*

9 *L. vnic. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*

10 *L. penult.* § 1. *D. de except. rei iudic.*

11 Quoniam hypothecaria actio habet suas conditiones perpetuas si debitum solutum non sit, *d. l. penult.* § 1. *l. grege* 13. § *etiam, D. de pignor.*

DEFINITIO XXVII.

Possessor conuentus hypothecaria vel offerre debet, vel cedere. Nec prætextu aliorum creditorum anteriorum recusare potest, aut petere publicam pignoris distractionem.

TErtius possessor conuentus hypothecaria non est audiendus si hoc vnum obiiciat, esse alios creditores pignoratitios, qui ante omnia vocari debeant, & de anterioritatis iure inter se disputare, vt saluum possessor habeat ius offerendi, luendique pignoris, & sciat à quo potius luere debeat.[1] Non enim possessoris interest, cui liberum sit, vel actori ipsi offerre, qui præstare debebit se potiorem creditorem, hactenusque de euictione tenebitur,[2] Vel rem derelinquere si creditoris actionis fidemve habeat suspectam.[3] Alterutrum ergo faciat necesse est, cum non aliam pignoris aduersus hypothecarium creditorem retinendi rationem possessor habeat, quam si debitum offerat.[4] Quare nec audietur possessor si petat publicam fieri pignoris distractionem, vt ex pretio creditoribus omnibus in eam rem vocandis ex ordine satisfiat. Anteriorum enim creditorum ius illud est,[5] non possessoris, quibus porro nulla fit iniuria, tum cum possessor creditori posteriori pignus vindicanti condemnatur. Siquidem non minus iuris habituri sunt contra creditorem hunc posteriorem, vbi factus erit possessor, quam habebant aduersus pristinum possessorem.[6] Aut quam haberent etiamnum, si pristinus ille possessor creditori posteriori obtulisset, in eiusque locum & ius successisset.[7] *Ita Senatus* in causa N. Stephani Diuonne contra R. Episcopum Bellicensem D. Ioannem Gothofredum Ginor Senatorem 14. Calend. Mart. 1594.

1 Cum securior esse soleat qui emit ab anteriore, aut saltem anteriore creditore venditionem vrgente, vt dixi *Defin.* 25. *n.* & *Defin.* 27. *n. de distr pignor.*

2 *Ex not in l.* 1. *C. cred. euict. pignor. non deber.* etsi totus ille titulus loquitur de creditore qui vendidit iure creditoris, non de illo qui curauit vendi pignora per iudicem, vt contra interpretes & pragmaticos nostros scripsi in Hemisch. *de error. pragmat.* Non enim contra hunc creditorem datur actio illa de euictione, sed tantum contra debitorem, *l. a d. si ob causam* 13. *C. de euict.*

3 Nemo enim actione in rem pati cogitur, siue neget se possidere, siue nolit retinere, *l. vlt. D. de rei vindic. l. si fundus* 16. § *in vindicatione ff. de pignor.*

4 *L. vlt. C. si antiq. cred. pign. vend. d.* § *in vindicatione.*

5 *L. vlt C. si antiq. credit pign. Vend.*

6 Non enim possessor ob id solum quod sit etiam creditor impedire potest venditionem pignoris petitam à priore cre-

BIU Cujas

ditore, non magis, quam si ipse possessor tantum esset non creditor *d.l. vlt.*

7 Cum possit etiam posterior creditor offerre emptori, ex cuius pecunia creditor anterior dimissus fuit, *l. cum prior 3. ver. si tamen, D. de distr. pignor.*

DEFINITIO XXVIII.

Creditor antichresticus qui ex cõuentione fructus pignoris acquisiit non cogitur, eos fructus restituere posteriori creditori offerenti debitum cum vsuris. Nec si alioqui futurum sit, vt posterior moretur in damno.

CReditori anteriori, cui pignus in antichresim datum fuerat, [1] offerens posterior creditor totum debitum cum legitimis totius temporis præteriti vsuris, facere idcirco non potest, vt ad fructuum perceptorum restitutionem teneri anterior debeat, aut vt ij fructus si legitimum vsurarum modum excedant ad eum modum reuocentur, [2] nec si alioqui futurum sit, vt in damno posterior moretur. [3] Neque enim conuentionis vtilitas aufferenda est creditori qui prior contraxit, quippe non aliter fuerat contracturus.[4] Nisi posterior creditor probet contractum esse fœneratitium & illicitum. [5] Hoc enim vnicum ei remedium supereſt. [6] *Ita Senatus* pro Angela Morisset contra Ioannem Rosset 8. Id. Maij 1595.

1 Hoc est ea lege, vt creditor perciperet fructus pignoris in vicem vsurarum *l. si is qui 11. §. 1. D. de pignor. l. si pecuniam 33. D. de pignor. act.*

2 Antichresis enim expressa non seruat legitimum modum vsurarum, cum fructuum quantitas est incerta, secus est in antichresi tacita secundum Cuiac. *lib 8. obseruat. cap. 17. ex l. si ea pactione 14. C. de vsur.* iunct. *l. cum debitor. 8. D. in quib. caus. pig. vel hypoth. tacit. contr.* Vide tamen quæ scripsi in Hemischil. *De error. pragmat.*

3 Quamuis soleat succurri creditoribus certantibus de damno, vt dixi *Def. 25. nu. 7. supr.*

4 *L. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit. l. Titia 62. in fin. D. de iur. dot.*

5 Puta si excessus fructuum sit immodicus & creditor solitus fœnerari *cap. ad nostram Extr. de pignor.* Alioqui antichresis non potest quidem non esse contractus fœneratitius, cum quicquid excedit sortem sit fœnus & vsura, sed non ideo erit illicitus si non excedat legitimum & toleratum modum vsurarum.

6 Quia quicquid factum est in fraudem legitimarum vsurarum pro infecto haberi debet, *l. pecuniæ 9. §. 1. l. vsuras 20. D. de vsur. d. l. si ea pactione 14. cum duab. seqq. C. eod.*

DEFINITIO XXIX.

Emptor, qui post emptum pignus successit per cessionem in iura creditoris, non aliter cogitur pignus reddere, quam si offeratur ei non modo pretium subhastationis sed etiam omne debitum.

CReditor, cui quadringenta sub pignore debebantur, pignus distrahi curauerat, & ex pretio non nisi trecenta redegerat. Tum emptori iuribus suis omnibus cesserat, quæ ex causa pignoris haberet, acceptis ab eo in illam rem integris quadringentis. Debitor cui ius redimendi competebat, siue ex statuto intra semestre, siue ex iudicato etiam post semestre elapsum, Titio ius omne suum vendiderat. Quæsitum est, an Titius emptori pignoris eidemque possessori trecenta restituere deberet, an quadringenta? Dicebam sublatum omnino esse vinculum pignoris per venditionem, quæ non tantum consensu creditoris facta fuisset, sed etiam requirente eo, & vrgente.[1] Nec ad rem pertinere quod ex pretio redacto non omnino satisfactum fuerat creditori. Non enim sola solutione & satisfactione pignus liberatur, sed etiam si venditioni pignoris licet ab alio facte creditor consenserit, quamvis nulla illi pars debiti sit soluta.[2] Cui consequens videbatur, vt ex cessione per creditorem facta post venditionem pignoris nihil iuris emptori quæsitum fuisse dici posset.[3] Cessio namque ab eo facta qui creditor fuit, si ex interuallo fiat, id est eo tempore quo creditor esse iam desiit, vires nullas habere potest,[4] Præsertim cum per subhastationem emptor non tam in ius creditoris successisset, quam in ius debitoris, vtpote qui ea ratione dominus rei obligatæ effectus esset, [6] nulla alia ex subhastatione creditori nata actione, nisi ad pretium aduersus emptorem. [7] Porro constat, acquisitione dominij non tantum solui vinculum pignoris, cum nemini sua res obligari; aut obligata manere possit,[8] sed etiam induci ne emptor sibi quicquam debere possit, ob id solum quod pignus possidet, quamvis separato contractu in creditoris quoque iura successerit. [9] Itaque audiendus videbatur Titius offerens emptori quanti res vendita fuisset, quamvis creditori aut emptori, quod hac parte idem est, plene satisfactum ex eo pretio non fuisset. Neque obstare quod dici solet, etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri posse.[10] Etsi enim negari in proposito non poterat, quin emptor esset idem creditor, ex qua parte creditori successerat, pignus tamen nullum superaret, quod retineri posset, quando vt diximus tota pignoris obligatio extincta fuerat, per venditionem.[11] Semel autem perempta obligatio numquam reuiuiscit,[12] præsertim in pignore.[13] Nec si proponas redire pignus in dominium debitoris, qui bona sua omnia obligauerat præsentia & futura.[14] Atqui rem, quæ pignoris iure obligata esse desierit, etiam ob chirographariam pecuniam pignoris loco retineri posse, nusquam sane scriptum est.[15] Sed tamen illa me ratio fortior à sententia reuocauit, quod cum debitor pignus redemit ab emptore, siue intra semestre tempus, siue post semestre ex iusta aliqua causa adeoque sola iudicati potestate,[16] recurrit dominium ad debitorem,[17] idque non quasi ab emptore nouum ius recipiat, in quem dominium transtulerat, sed quia res redeat in pristinã causam resoluta venditione.[18] Quod cum euenit, pignus quoque quod extinctũ putabatur, reuiuiscit, aut potius perinde habetur acsi numquam extinctum fuisset.[19] Quidni verò? Cum, etsi ex noua alia causa pignoris acquisitio reuocaretur, idem esset. Neque enim dominij acquisitio aliter extinguit omnino ius pignoris, quam si sit omnino irreuocabilis.[20] Inde ergo fit, vt pignus desinat esse sublatum per venditionem quæ in eo est, vt numquã facta fuisse videatur.[21] Quid ergo? Manet sublatum duntaxat quatenus solutum est quod debebatur.[22] Itaque si solutum sit duntaxat pretium quod ex venditione redactum fuerat, cum plus creditori deberetur, & emptor non tantum per emptionem, sed etiam per cessionem in creditoris iura successerit, non aliter cogendus est rem reddere, quam si ei debitum totum offeratur, quia res in eam causam redit in qua fuisset, si ante venditionem debitor pignus luere voluisset. Quo casu haud dubie creditor etiam ob chirographariam pecuniam pignus retinere potuisset.[23] Multo magis pro debito pignoratitio quousque solutum integrum fuisset.[24] Vna hæc differentia est, quod vno casu pignus luitur, alio redimitur. Sed eadẽ hoc casu potestas est luitionis & redemptionis. [25] Euenit autem in hac specie quod mirum est, vt cessio quę ab initio non valuit ratione pignoris, tanquam facta ex interuallo & eo tempore quo nullum creditori ius pignoris supererat, [26] conualescat redintegrato pignore, qui in eam causam peruenit à qua incipere potuit. Alioqui nullum ius ex cessione translatum esset.

Nam

Nam ius quod antea creditor habuisset pignoris retinendi etiam ob chirographariam pecuniam, non potuit cedi ab eo qui cessionis tempore iam desierat posse retinere, cum desiisset possidere. [27] *Atque ita* Senatus tandem pro emptore eodemque creditoris cessionario pronunciauit, non esse cogendum illum rem restituere tametsi venditionis pretium integrum offerretur, ni totum ipsum debitum cum accessionibus præstaretur. [28] Etsi enim non cum debitore res erat, sed cum Titio, qui à debitore post subhastationes emerat, absurdum tamen videbatur meliorem esse causam Titij quam debitoris, cum is à debitore comparasset, ac in ipsius locum successisset. [29] *Ita Senatus* in causa N. Ludouici de Coysiaz & Ioannis Gaudinon clarissimorum Aduocatorum Prid. Id. Iul. 1595.

1 *L sicut. 5. non videtur, D. quibus mod. pign. vel hyp. soluit.*
2 *d. §. non videtur. l. si consensit, 7. iunct. l. praced. eod.*
3 *Ex reg. l. nemo plus iuris 54. de reg. iur.*
4 *L. Modestinus 76. D. de solut.*
5 *L. 4. l. si ob causam 13. C. de euict. l. 2. C. si in caus. iudic. pigno. capt. sit.*
6 Debitor enim non creditor dominus fuit, *l. cum & sortis 35. § 1. D. de pignor. act.*
7 *L. a Diuo Pio 15. § sed si emptor. D. de re iudic.*
8 *L penult. § 1. ff. de exc. pt. rei iudic. l. neque pignus 45. de reg. iur.*
9 Cum fieri nequeat, vt quis sit sui ipsius debitor & creditor, *l. debitori 50 D. de fideiuss.*
10 *L. vnic. C. etiam ob chirogr pecun. pign ret in. poss.*
11 *d. l pen. § ff de excep. rei iud'c d. l. si consensit 7 & l. seq. §. non videtur ff. quib. mod pign vel hypoth. solu.*
12 *L. qui res 98 § aream. D. de solut.*
13 *L solutum 11. § 1. ff. de pign. act l nouatione 18. ff. de noua.*
14 *L vlt. C. de remiss pignor.*
15 Titulus enim ille, *Etiam ob chirogr. pecun.* loquitur de retinendo pignore, non autem de retinenda re quæ desierit esse obligata.
16 Sufficit enim res iudicata, cùm pro veritate habeatur, *vulg. l. res iudicata 208. de reg iur.*
17 *L 2 l. cum te 6. & seq. C de pact. int emp. & vendi. l. in bello 12. §. si quis seruum & seq. l. si a patre 5. ff. de capti. & postlimin.*
18 Nulla siquidem retrouenditio requiritur, vt *in l. Voluntate 10. D. quibus modis pign. vel hypoth. soluit.* * & huiusmodi ista pignoris non tam est iuris noui acquisitio ex parte debitoris, quàm extinctio iuris quod emptori fuerat quæsitum ex subhastatione.
19 Quia nec videtur extinctum quod non durat extinctum, *d. l pen. §. 1. ff. de excep. rei iudi. l. si pro patre 10. §. versum. ff de in rem vers.*
20 *d. l pen. § 1 l. debitor, 59 D. ad SC. Trebell.*
21 Quia potestas redemptionis tollit intellectum emptionis & acquisitionis, *arg. l. si patron 51. §. vlt. eod. tit.*
22 Quoniam hypothecaria illam perpetuam conditionem habet, si non sit solutum debitum, *l. grege 13. §. etiam. ff. de pign.*
23 *d. l. vnic C etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.*
24 *L quandiu 6. C. de distract pignor. l. vlt. C. si antiq. cred pig. vend.*
25 Vt & in specie *d. l in libello 12. § si quis seruum & seq. l. si à patre 15. D. de capt & postlim.*
26 *Vt dixi nu. 4.* ex *l. Modestinus 76 ff de solut.*
27 Nascitur enim ex possessione retentio *l 1. D. de pignor. l. si in area 33. D. de condict. indeb. l. debitor 40. in fin. D. de pignorat. action.*
28 *Ex d. l. quamdiu 6. C. de distr pignor. l. 2. C. debit. vendi pig. imped. non poss. cum simlib.*
29 *Ex reg. l inuitus 156 § plerumque l quod ipsis 143. de reg. iur. l. 3. in fin. D de pignor.* vbi est textus elegans. * *l. iudicate 29. in fin. de excep. rei iudicat.*

DEFINITIO XXX.

Etiam qui iussus est recepto venditionis pretio pignus reddere, potest nihilominus rem retinere pro alio debito, etiam pro quo non fuerit illa res vnquam obligata, tanquam qui hac parte successerit in ius creditoris.

CVm inter debitorem & pignorum emptorem controuerteretur, an debitori redimere volenti emptor rem restituere deberet, Senatus pronunciauerat pro debitore, & emptorem condemnauerat, vt vacuam pignoris possessionem redderet, accepto vicissim à debitore pretio venditionis. Si in executione iudicati emptor probet sibi quid aliud deberi, cuius nomine res illa fuerit antea obligata, non prius cogendus est rem restituere, quam omnino sit ei satisfactum. [1] Senatusconsulti enim auctoritas iuris auxilium de quo neque dum cognitum, neque pronunciatum fuit, non excludit. [2] Sed etsi nouum debitum quod petitur tale est, vt pro eo numquam res obligata fuerit: Idem tamen iuris est propter regulam quæ habet, etiam ob chirographariam pecuniam pignus retineri posse. [3] Atqui, inquies, numquam fuit res illa obligata emptori, quia priusquam ad emptionem accederet nihil omninò iuris nec vlla in re, nec ad rem habuit, post emptionem verò cùm dominus esse cœperit, non solum pignoris ius nullum habuit, sed & desiit habere posse. [4] Verum respondeo emptorem pignoris, licet pro qua parte emptor est, succedat in locum debitoris non creditoris, tamen quatenus soluit pretium creditori, eatenus in creditoris iura videri succedere, si quando contingat rem ab eo auferri? [6] Ex eaq; causa fieri iurium cessionem necessariam, quorum potestate ad venditionem deuentum est. [7] Itaque si creditor fuit pignoratitius, qualem esse necesse est priusquam ad venditionem peruenire possit, [8] eodem iure censeri emptor debet cùm pignus redimitur, [9] & consequenter etiam ob chirographariam pecuniam, siue sibi debitam, siue creditori qui pignus distrahi curauit, pignus poterit retinere. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L quamdiu 6. C de distr. pign. l. 2. C debit. vind pignor. impedi non posse l. 1. & pen. C. si vendit. pign. agat.*
2 Ne alioqui sententia noceat ei pro quo iudicatum fuit, quod sane absurdum euidenter & iniquum esset. *l. euidenter 16. D de except. rei iudic.*
3 *L. vnic C. etiam ob chirogr. pecun. pign. ret in. poss.*
4 Cùm nemini possit res sua esse obligata, *l. neque pignus 45. de reg. iur.*
5 Vt dixi *Desi. praced. num 5. ex l. 4. & l. si ob causam 13. Co. de euict.*
6 *L. 3. vers. si tamen, D. de distract. pignor.*
7 Cum ex ea cessione nullum dispendium & incommodum creditor sentiat, *arg. l. in creditore 38. D de euict.*
8 Neque enim potest vllo casu creditor petere distractionem bonorum debitoris, quin prius acquirat sibi in iis ius aliquod pignoris aut conuentionalis, aut prætorij, aut iudicialis *sol. cit. C. de præt. pignor. & tit. C si in caus. iudic. pign. capt. sit.*
9 Id est haberi debet pro hypothecario creditore, *d. l. 3. D. de distr. pignor.*
10 *Ex d. tit. Etiam ob chirogr. pecun pign. retin. poss.*

DEFINITIO XXXI.

Sumptus facti ob litem motam, vel sine causa susceptam à tertio temerario litigatore, & quibus factum debitoris causam non dederit, non sunt imputandi debitori, nec ab eo aufferendi.

AN ergo si quis tertius venditioni pignoris interfuerit, & ex ea causa creditorem sumptibus litis onerauerit, competet emptori qui in creditoris locum successit ius retentionis quousque sumptus illi restituti sint? Minimè, quia neque debiti, neque debitoris occasione sumptus illi facti sunt, sed per calumniam, aut imperitiam eius, qui pignoris distractionem nullo iure voluit impedire. [1] Satisque creditori esse debet, eiue qui in eius locum successit, quod earum expensarum condemnationi obnoxium habeat temerarium illum intercessorem. [2] Neque distinguemus, an de intercessionis iure vel iniuria quicquam adhuc pronunciatum sit necne. Aut an intercessor ad eos sumptus condemnatus sit an non? Semper enim verum est

BIU Cujas

creditorem non habere de quo conqueratur, præterquam de illo ipso qui male intercesit, aut de iudice si ad improbæ litis sumptus eum non condemnauerit.[3] Cæterum neque intercessoris, neque iudicis factum & iniuriam nocere æquum est debitori, cui nihil hac parte imputari potest.[4] Quid ergo si debitor ipse venditionem impedire tentauerit, & fuerit condemnatus etiam ad expensas litis? Nemo dubitat quin earum quoque expensarum nomine salua emptori esse debeat retentio, si is in omnia creditoris iura successerit. [5] Idem est si non debitor, sed ipsius tutor aut curator, aut procurator, aliusve administrator litem perperam intulerit. Dummodo non sit ille proprio, vt plerumque fit & fieri debet, [6] nomine ad eas expensas condemnatus. [7] Tunc enim eius debiti causa, quod aliud debeat, quam qui pignus redimere vult, retineri rem obligatam rationis non est. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Debet autem sua cuique temeritas & calumnia damnosa esse non alteri, *l. factum* 155. *l. in condemnatione* 173. *§. vnicuique, de regul. iur.* Maxime quantum ad sumptus litis, quorum condemnatio non solet irrogari nisi temere litiganti, *l. eum quem temere* 79. *D. de iudic.* Dixi *Defin. 1. supr. Si plur. vna sent. fuer. condemn.*

2 *dict. l. eum quem temere l. properandum* 13. *§. siue autem alterutra. Cod. eod. l. qui solidum* 78. *§. 1. de leg. 2. l. peiorem* 30. *D. de liber. legat.*

3 *d. §. siue autem alterutra.*

4 *L. si per imprudentiam* 51. *D. de euict. l. exceptionem* 67. *D. de fideiuss.* Aliud ergo esset si sumptus illi facti essent inter creditores ob litem inter eos de mutuo iure, & ordine pignoris instituta. Tunc enim sumptus illi cederent damno debitoris etiam inauditi, tanquam qui iis causam dedisset ob moram in soluendo contractam, vt dixi *Defin. 9. §. & Defin. 30. supr. de distract. pignor. & Defin. 2. supr. debit. vendit. pign. imped. non poss.*

5 Vt scilicet eadem in omnibus causa sit emptoris, quæ fuit auctoris, *l. quod ipsis* 143. *l. inuitum* 156. *§. plerumque, de regul. iur.*

6 *Ex vul. l. non est ignotum, C. de admin. tutor.*

7 Nec enim iudicati executio solet dari in tutorem nisi cum idipsum in sententia nominatim comprehensum est, *l. 1. §. vlt. l. 2. D. de admin. tutor. l. pen. D. quand. ex fact. tutor.*

8 Ille enim *tit. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. retin. poss.* intelligendus est de pecunia illa chirographaria, quæ ab eo ipso debeatur qui vult pignus repetere non quæ ab alio, *arg. l. pen. D. de compensat. l. eius* 9. *C. eod.*

DEFINITIO XXXII.

Annus, cuius fructus pro rata temporis diuidi debent inter emptorem & debitorem redimentem pignora, currit à die addictionis & expeditionis.

CVm pignora sub hasta vendita redimuntur, siue iure ordinario, & intra tempus statuto præfinitum,[1] siue iure extraordinario petita aduersus lapsum temporis in integrum restitutione ex iusta aliqua causa,[2] si de fructuum illius anni quo redemptio fit diuisione quæratur, siue ante, siue post eorum perceptionem, diuidi eos oportet pro rata temporis inter emptorem & creditorem, eumve qui ius habeat à creditore.[3] Annus autem computandus est ex die quo addictio quam expeditionem vocant, facta est, quoniam ab eo demum die fructus ad emptorem dominij iure ex statuto nostro pertinent.[4] Cum tamen ea portio quæ emptori competere poterat minima esset, vt puta duodecima, verendumque videretur ne in fructibus percipiendis ea diuisio rixam prouocaret, æquissimum putauit Senatus, vt fructus illi certa pecuniæ quantitate æstimarentur, non ad modum vsurarum sortis pretij, sed æstimatis arbitrio boni viri, & paulo pinguius ipsis fructibus.[5] *Ita Senatus* in causa N. Ludouici de Coysiaz & Ioannis Gaudinon Aduocatorum 6. Non. Aug. 1595.

1 Hoc est, intra semestre, de quo scripsimus *Def. 1. §. hoc tit.*

2 Vt dixi *Defin. 11. num. 2. supr.*

3 *Arg. l. fructus* 7. *§. Papinianus alias l. diuortio, D. sol. matr.*

4 Nec enim ante id tempus quicquam iuris habet emptor in pignore vendito, cum neque prius sublatum videatur vinculum pignoris, quam soluta sit ab emptore pecunia, *l. à Diuo Pio* 15. *§. sed cum emptor. D. de re iudic.*

5 Quorum scilicet incertitudo facit, vt nihil prohibeat eos ex euentu excedere legitimum modum vsurarum, *l. si ea pactione* 14. *C. de vsur.* Iunge *l. oleo* 23. *eod.*

TIT. XXI.

SI VNVS EX PLVRIB. hæred. debit.

DEFINITIO I.

Vnus ex cohæredibus debitoris nō potest obiicere exceptionem discussionis ne quidem pro parte cohæredis.

EX pluribus debitoris hæredibus si vnus hypothecaria in solidum conueniatur,[1] exceptionem non factæ excussionis pro parte cohæredis obiicere non potest. Neque enim pro ea parte tertij possessoris iure censeri debet, qui ipsius debitoris pro parte hæres est,[2] licet personalis obligatio inter eos ex lege duodecim tabularum pro hæreditariis portionib. diuidatur.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 7. supr. de pignor. & SC. 3. inf. Si aduers. credit. præscr. opin.

1 Quomodo potest vtique conueniri, cum hypothecaria semper & omni casu sit indiuidua *l. rem hæreditariam* 65. *D. de euict.* Excepta illa tacita quam Iustin. induxit pro legatis *in l. 1. C. commun. de legat.*

2 Imo censendus est iure debitoris cuius personam saltem pro parte repræsentat, cum iura omnia & actiua & passiua trãseant in hæredem, *l. vlt. & tot. tit. Cod. de hæred. action.*

3 *L. 1. & 2.* vbi gloss. & DD. *C. hoc tit. l. 1. C. si cert. petat.* Itaque hic titulus manet incorrectus etiam post *Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

DEFINITIO II.

Quantum interfit an vnus ex hæredibus debitoris conueniatur, an vnus ex hæredibus creditoris agat hypothecaria in solidum.

NOn quemadmodum vnus ex pluribus debitoris hæredibus si totum fundum pignoris obligatum solus possideat conueniri hypothecaria in solidum potest,[1] Ita ex contrario vni ex hæredibus permittendum est, vt in solidum agens hypothecaria,[2] totum debitum consequatur, si non cæteri cohæredes consentiant aut absint, & caueat de rato is, quo solutionem totius debiti petit. Etsi enim singulis hæredib. creditoris hypothecaria actio in solutum competit,[3] vtpote, quæ sui natura non magis diuidua sit, quam ius ipsum pignoris,[4] solutio tamen, per quam hypotheca dissoluitur,[5] commodam recipit diuisionem si consistat in pecunia numerata,[6] nec nouum est, vt in solidum agatur, partis autem solutio fiat.[7] Et sane fieret iniuria cæteris cohæredibus, si solutio totius debiti vni facta liberationem contra omnes pareret,[8] nisi fuerint illi in mora debiti accipiendi.[9] Nam & eadem iuris ratio facit, vt si vnus ex cohæredibus creditoris suam tantum debiti partem perceperit, non ideo prohibeantur cæteri per hypothecariam totum fundum auocare, ne alioqui afficiantur iniuria, dummodo debitori offerant quod ille soluit cohæredi.[10] Diximus, *si non fuerint illi in mora accipiẽdi debiti*: quia si per eos stet quo minus debiti partem hæreditariam accipiant,

BIU Cujas

accipiant, permittendum est debitori, vt totius pignoris luendi gratia totum debitum soluat ei ex creditoris hæredibus, qui in solidum agit hypothecaria. [11] Neque enim pignoris partem luere debitor cogitur, si totum debitum reddere paratus sit, sicut nec creditor pignoris partem erat accepturus. [12] Nisi quis remedij loco malit inducere, vt pro cohæredum absentium portionibus siue in mora debiti accipiendi fuerint, siue non, fiat obsignatio, quæ & illorum & debitoris ius æquè tuearur. [13] Quid enim si nec totum debitum accipere volet is ex cohæredibus, qui hyporhecaria in solidum experitur? [14] Eo saltem casu omnino necessarius erit vsus obsignationi: [15] *Ita Senatus* pro Iacobo Durand contra Peronetam Talon, 8. Kalend. Decemb. 1592.

1 *L. 1. & 2. C. hoc tit.*

2 Nam & hypothecaria est indiuidua ex parte agentis, non minùs quàm ex parte illius qui conuenitur, *d. l. 1. C. hoc tit.*

3 *dict. l. 1.*

4 *L. rem hereditariam 65. D. de euict.*

5 *L. item liberatur 6. ff. qui potior in pign. hab.*

6 Cum pecunia recipiat commodam diuisionem, *l. stipulationis non diuiduntur 72. D. de verb. oblig.*

7 *Vt in l. in executione 85. §. in solidum, eod. tit. de verborum obligat.*

8 Fit enim pauperior qui amittit debitorem, *l. 3. §. sciendum & §. sed si debitorem, D. de donation. inter virum & vxor.* sicut & locupletior fit, qui liberatur à creditore, *l. si pupilli 66. D. de solutionib.*

9 Quo casu necesse est, vt alius qui partem suam recipere vult, recipiat totum, vt possit liberare debitor pignus, quod pro parte liberari non potest, *d. in executione. §. pen.*

10 *L. solutum 11. §. si creditori, D. de pign. act.*

11 Est enim iniquum, non posse solidum soluere illum, quem præterea patitur in solidum conueniri, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. cred.*

12 Scripsi *Desin. 58. de pign. act.* Facit *l. si quis aliam 46. ff. de solution. l. 1. §. sed si duo, l. si plures 14. l. si duo 22. D. depositi.*

13 *Argum. d. l. 1. §. si pecunia 36.* iunct. *l. ei apud quem 5. in fin. D. depositi.*

14 Ne scilicet cohæredibus suis teneatur, *l. haredes 25. §. idem iuris est. & seq. D. famil. ercisc.*

15 Obsignatio enim vetus & legitimus modus est tollendæ obligationis, cum aliqua de causa impeditur solutio, ne alioqui nulla ratio supersit debitori acquirendæ sibi liberationis, *l. acceptam 19. C. de vsur. l. obsignatione, 9. C. de solut.*

DEFINITIO III.

Etiamsi omnes creditoris hæredes litem contestati sint super hypothecaria, singulis tamen solui nisi pro parte non potest.

AT quid si omnes creditoris hæredes simul hypothecaria egerint, & litem contestati sint? An non vni ex iis totum debitum soluere debitor tutò poterit? Minimè. Quamvis enim ex plurib. litis consortib. singuli post contestationem agere in solidũ possint, [1] non ideò tamen solutionem accipere in solidum singuli possunt. Aliud enim est ius agendi, aliud solutionem accipiendi, vt videre est in procuratore ad litem dato, qui agere quidem potest, solutionem vero accipere non potest, [2] cùm nec speciale mãdatum habeat, nec generale. Itemque in eo, qui solutionis causa obligatroni adiectus est: qui ex cõtrario solutionẽ accipere potest, agere verò nõ potest. [4] Eadẽ verò igitur hoc etiam casu obseruanda erunt, quę si non omnes litem contestati fuissent. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 2. C. de consort. eiusd. lit.*

2 *L. hoc iure 86. ff. de solut.*

3 *L. vero procuratori 11. eod.*

4 *L. eum qui is a 56. §. qui sibi. ff. de verb. oblig. l. cui recte 10. ff. de nouat.*

5 Neque enim litis contestatio facta ab omnibus facit potestatem singulis accipiendæ in solidum solutionis, sed tantum litis in solidum persequendæ.

DEFINITIO IV.

Casus, in quo executio ab vno ex pluribus creditorib. hæredibus malè cœpta, confirmatur in totum citra iniuriam possessoris pignorum conuenti per hypothecariam.

DEcesserat mater superstitibus duobus masculis & filia: quorum illi iam inde multis ab annis abesse proponebãtur, hæc verò domi retenta, pro dotis maternæ repetitione Seruianam exercuerat aduersus tertium pignorum possessorem, quasi ad eam solam tota matris hæreditas pertineret. Postea lite pendente melius consulta, dixerat agere se non suo tantum nomine, sed etiam fratrum absentium. Oblata quoque cautione de rato, [2] in eamque rem petebat dari sibi bonorum vtriusque absentis fratris curationem, quippe quam non minus fœminis quam masculis, adeoq; etiam impuberib. dari obtinuit, [3] tanquam quæ successionis spe potius quam administrationis iuris deferatur. [4] Cum quæreretur, an executio confirmari posset, quam non nisi pro indebito facere soror potuerat, quæ pro parte tantum hęres solidam dotem exigebat, [5] nulla dum emissa per fratres testificatione voluntatis, an hæredes matris esse vellent, pro portionibus hæreditariis, [6] placuit temperamentum vt executio quidem confirmaretur, at non tam cœpta, quam perficienda. Nec in solius sororis commodum, sed in fratrum quoq; absentium vtilitatem data sorori bonorum vtriusque fratris curatione & quasi ex iure postea quæsito, ob eamque causam facti relatione ad tempus perficiendæ, non ad tempus cœptæ executionis. Verba autem iudicati hæc fuerunt, *que l'execution encõmencee sera cõtinuee, parfaite & paracheuee au nom & profit tant de ladite demanderesse que de ses freres absents*, non qualia vulgo esse solent, *que l'execution de sa part encommencee*. Nõ enim poterat cõfirmari executio per sororem malè cœpta proprio nomine, nisi quatenus in eo esset, vt bene quandoque perficeretur. Quamquam illa etiam ratio confirmandę executionis suberat, quod ab initio potuerat soror tanquam coniuncta persona pro fratrib. agere & exequi etiam sine mandato, si modo parata fuisset cauere de rato. [7] Item quod possessor, qui executioni interceserat, fratrum absentium & vitam & absentiam, quam soror iurato adfirmauerat negasse conuincebatur, atque ita sororis in solidum agentis ius, quantum in se fuerat, confirmasse. Nullis enim fratrib. superstitibus, cui alij quam sorori poterat ius esse totius dotis maternæ in solidum exigendæ? [8] Nec proinde amplius poterat iuuare se ex positione negata, ne quidem ex pœnitentia, quæ tamen hic nulla fuerat secuta, *Sine die.*

1 Quamdiu enim non repudiarunt cohæredes, qui adire possunt, non potest alius cohæres qui addit agere, nisi pro sua parte, *l. 2. D. si pars hered. pet.*

2 *Iuxta sed & hæ personæ 35. D. de procur.*

3 Inuita sane iurisprudentia, cum curatio quælibet sit officium virile, à quo mulieres omnes arcentur, *l. 2.* vbi Dec. *de reg. iur.*

4 Vt dixi *Desin. 1. 5 de curat. furios.*

5 Vt proinde non posset videri facta executio pro debito nisi ex parte. Nec tamen poterat pro parte valere, & pro parte non valere, *l. si non sortem 26. §. si centum*, vbi Bartol. *de condict. indeb.* quia executio quælibet est facti, facta verò omnia sunt indiuidua.

6 Quæ tamen testificatio voluntatis erat necessaria, cum nemo ignorans vel inuitus fiat hæres matris *l. nec emere 2. C. de iur. delib.* Nec enim fœminæ habent suos hæredes, *l. 4. §. ad testamenta, D. de bonor. poss. contr. tab.*

7 *d. l. sed & hæ 35. D. de procurat.*

8 Siue proprio, siue adcrescendi iure *l. vnic.* vbi omnes C. *de his qui ant quand. non present. par.*

BIU Cujas

TIT. XXII.

DE IVR. DOMIN. IMPETR.

DEFINITIO I.

Iustiniani constitutio, de iure dominij impetrando, non est abrogata, quamuis eius rarus sit vsus, quia pignoris distractio est expeditior.

LEGIS rarissimè, aliquando tamen Iustiniani constitutione vtimur, quæ creditori ius dominij impetrare volenti certam & accuratam formam præscripsit. Neque enim apud nos statutum vllum est, aut ius aliud municipale & consuetudinarium, quod Iustinianeam illam legem abrogauerit. [2] Quamquam solemnitates in eam rem præscriptas pro locorum diuersitate & moribus aliter atque aliter obseruari iam olim interpretes tradiderunt, [3] ideo fortasse, quod creditori longe commodius sit pignus distrahere & emptorem subiicere, qui si alius non inueniatur, ipse emere potest. [4] Sane pignori perpetuo incumbere cogi non potest, nec si ita conuenerit, saltemque trina denunciatione præcedente ius habet vendendi pignoris, ni debitum soluatur. [5] Præterquam si talis conuentio proponatur, quæ faciat, vt creditori aliqua vtilitas pignoris constet citra distractionem, vtputa si antichresis contracta sit. [6] Nam quod dici solet inutile pignus esse, quod distrahi nequit. [7] ad hanc pignoris speciem non pertinet, quæ in vicem legitimarum vsurarum fructum pignoris acquirit creditori. [8] *Ita Senatus* ex tempore, 9. Cal. Iul. 1590.

1 *L. vlt. C. hoc tit.*

2 Quod autem non immutatur, cur stare prohibeatur, inquit *l. sancimus 27. C. de testamen. l. præcipimus 32. in fin. Cod. de appellat.*

4 In vicem scilicet extranei emptoris, *l. 2. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

5 *L. si conuenit 4. D. de pignor. act.*

6 Quo contractus genere permittitur creditori, vt fruatur pignore, quemadmodum è contrario debitor fruitur pecunia creditoris, *l. si is qui, 11. §. 1. D. de pign. l. si pecunia n 33. D. de pign. act.*

7 *dict. l. 4. cum ibi not. de pignor. action. l. mulier. 11. Cod. de distract. pignor.*

8 Non enim inutile dici potest pignus, quod fructuum lucrum & commodum adfert creditori. Iunge *Defin. 6. inf. tit. sequent.*

TIT. XXIII.

DE PACT. PIGNOR.

DEFINITIO I.

Pactum commissorium regulariter in pignoribus improbatum quibus casibus censeatur approbatum.

PACTVM legis cómissorię [1] in pignoribus, quod olim valebat & proprio contractus genere fiducia dicebatur, si cõtracta fiducia mancipatio facta esset, [2] hodie generaliter improbatũ est quoties pretij loco datur ea ipsa quantitas, pro qua de pignore cõuenit: quod ea ratione plerũque fraus legitimis vsuris fieri soleat. [3] Cui cõsequẽs est, vt valeat pactio, si cõuenerit, vt in casũ non soluto ad diem pecunię, & eo demũ tẽpore res obligata iusto pretio æstimetur. [4] Sed & frequentissimo nostrorum errore receptum est, vt valeat, si non in ipsa pignoris constitutione, sed ex interuallo facta sit: hactenus nimirum, vt exceptionem pariat non actionem. [5] Item si non inter debitorem & creditorem interceserit, sed inter debitorem & tertium, puta fideiussorem, [6] quasi solo creditoris odio potius, quam iuris ratione aliqua sit improbandum, [7] quod tamen si iuris rationem inspicias longe aliter se habet. Nam vt fiduciæ contractus aboleretur, fecit quidem odium creditorum, quorum fraudibus crescebat, vt Constantinus ait, legis commissoriæ asperitas. [8] Sed vt nulla contracta fiducia pactum hoc in pignoribus non valeat, illa semper ratio fecit, quæ necdum sublata est, quod pignoris datio legitimus modus non sit dominij transferendi: [9] in eamque rem omnino necessarius sit vsus venditionis alteriusve cuiuslibet alienationis. [10] Illud sane inter omnes constat, pactum hoc iureiurando non confirmari, [11] quamvis ad euitandam periurij exceptionem necessaria sit absolutionis impetratio. [12] *Ita Senatus* 4. Cal. Decemb. 1588 & 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Sic enim nostri appellant, & male. Perinde enim est, ac si quis diceret pactum pacti commissorij, vt docui pluribus *Decad. 21. de error. Pragmat.*

2 Vt tractat Paul. in libris sentent. *de leg. commis.* vbi Cuiac. post Isidor. *lib. 5. Etymolog.*

3 Id enim est quod ait *l. vlt. C. hoc tit. præcipue commissoria pignorum legis crescit asperitas.*

4 *Ex l. si fundum 16. §. vlt. D. de pignor.* Quia, vt lex ait, videtur hoc casu facta venditio sub conditione.

5 *Ex l. 34. D. de pign. act.* vbi Bart. & Guid. Pap. *decis. 6.* Bart. *ad l. Ca'ippo. alias l. quamvis 45. de solut.*

6 *Ex l. vlt. in princ. D. de contrab. empt.*

7 Vt & alia multa odio creditorum fœneratitiorum sunt constituta, *l. 3. C. de vsur. l. 1. cum ibi not. C. si aduers. credit.*

8 *d. l. vlt.*

9 Quia pignus non eo animo datur, vt dominium transferatur in creditorem, *l. cum & sortis 35. §. 1. D. de pign. act.*

10 Dicitur enim alienatio actus omnis, per quem transfertur dominium, *l. 1. C. de fund. dotal.*

11 Scilicet quantũ ad validitatẽ contractus, sed tantum quod ad obseruationẽ, Bart. *in l. si quis pro eo 56. numer. 10. D. de fideiuss.* post Innocent. *in c. significante. per ill. text. Extr. de pignor.*

12 Imbert. de Bouenc. *in authent. sacramenta puberum. nn. 112. C. si aduers. vendit.*

DEFINITIO II.

An pignus contractum sit sub lege commissoria, an vero facta sit conditionalis venditio, multum interest? Et ex ordine scripturæ dignosci debet.

QVID vero si pignus in solutum datum sit ob debitum sua die non solutum? Non est pactum legis commissoriæ, sed aliud ei simile, quia & datio in solutum similis est venditioni, [1] ideoque nec hoc casu valet. [2] Quid rursum si crediderim tibi centum, & priusquam de pignore vllo inter nos conueniret, id egerimus, vt si pecuniam sua die non solueres fundus Titianus mihi eo pretio emptus esset? Conditionalis emptio contracta videbitur, & consequenter valebit, sicut & datio in solutum valeret, quæ eodem modo facta esset. [3] Nec quod postea & vltima instrumenti parte, vt fieri solet, de pignore conuenerit ad fortiorem contrahendam obligationem, contractui rem iam rite perfecto quicquam oberit. [4] Ergo spectari ordinem tractatus & scripturæ oportebit, an pignoris conuentio præcesserit, an secuta sit. [5] *Ita Senatus* in causa N. Iacobi d'Aymarigue & Michaelis Artaud, Mense Iunij 1593.

1 *L. si fundum 4. C. de euiction. l. si quis aliam 46. D. de solut.*

2 Ex

2 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

3 *Argum. l. vlt. in princ. D. de contrahen. empt. l. si fundum* 16. §. *vlt. D de pignor.* Nec enim lex commissoria improbata est generaliter, autlin venditionibus specialiter, sed tantum in pignoribus, *d. l. vlt. C. hoc tit.* Quamquam etiam in venditionibus est odiosa, quia rescindit ipso iure contractum bonæ fidei, *l. Æmilius* 38. *D. de minor.*

4 Clausulæ enim accessoriæ & executiuæ non mutant naturam contractus, *vulg. l. vlt.* § *vlt. D. de condict. ind. b.*

5 Vt & *in l. quoties* 4. *D. de usufr. l. generaliter* 24. § *quid ergo, D. de fideicom. libert.* quamuis non semper soleat attendi ordo scripturæ, *l. cum pater* 77. § *fideitua, de legat.* 2. *l. nec enim* 6. *D. de solution.*

DEFINITIO III.

Valet pactum commissorium in transactione appositum, maxime si iudicis auctoritas interuenerit.

CVm per transactionem conuenisset inter debitorem & creditorem, vt si debitor pignus intra quadriennium non lueret, emptum illud esset creditori pro ea ipsa quantitate, quæ debebatur, eaque transactio præsente & auctoritatem præstante iudice facta proponeretur, Senatus censuit valere pactionem, siue quod ea sit receptissima nostrorum sententia; vt pactum legis commissoriæ in pignoribus quoque valeat interueniente transactione, siue, quod eiusmodi conuentio apud judicem facta instar sententiæ habere quodammodo videretur: [2] ac si pignus illud iudex creditori in solutum addixisset, quomodo addicere haud dubie poterat, si intra præstitutum tempus debitum non solueretur.[3] Præsertim cum super eo transactum fuisset, quod creditor ob non solutum debitum sibi addici pignus postulabat, debitor contra negabat, posse creditorem pignus vendere, aut vt sibi addiceretur, postulare, cum ab initio non conuenisset. Vterque male. Neque enim cogendus erat creditor, qui simpliciter pignus acceperat, vt rem pignoris iure retineret, si non ex conuentione prohibitus esset, ne pecuniam ante certum tempus peteret.[4] Neque rursus ob id solum, quod in debiti solutione debitor cessasset, addictionem pignoris postulare creditor poterat, nulla præcedente in eam rem conuentione.[5] Debuerat igitur creditor petere, vt debitori ad soluendum dies diceretur, quo elapso liceret sibi pignus vendere, aut tanquam addictum dominij iure retinere.[6] Nam etsi conuenisset, ne pignus vllo modo distraheretur, adhuc tamen distrahi posset non soluente debitore, si modo trina præcessisset denunciatio.[7] In proposito autem eo magis æquum erat conuentionem valere, quod interuenerat auctoritas iudicis, ad cuius etiam officium pertinet, vt pignus æstimet, quoties per debitoris moram fit, vt pro debito pignus addici, eiusque dominium impetrari necesse sit. *Ita Senatus* pro Margareta Cordier contra Amedeum Louys, 4. Id. Maij 1590.

1 Cravet. *cons.* 145. *num.* 19. post Ias. *in l. quamuis* 39. *in fin. C. de transaction.* Fulgos. *cons.* 168. *incip. facta fuit quædam transactio.* Fauore nimirum transactionis & odio litium, quasi honestus sit modus quilibet discedendi à lite, *argum. l.* 4. §. 1. *D. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

2 Nostra enim facimus, quibus nostram auctoritatem impertimur, vt ait Iustin. *in constit. de confirm. D.*

3 *Ex l. vlt. & tot. tit. C. de iur. domin. impetr. l. vlt. C. si in caus. iudic. pignor. capt. sit.*

4 *L. si conuenerit* 4. *D. de pignor. act.*

5 Multæ enim solemnitates interuenire & præcedere debent, antequam ad pignoris addictionem deueniri possit, *dict. l. vltim. C. si in caus. iudic. & dict. l. vlt. & tot. tit. C. de iur. domin. impetr.*

6 Iuxta *l. debitoribus* 31. *D. de re iudic.*

7 *dict. l.* 4. *D. de pignor. act.* Vide Paul. *lib.* 2. *Sent. tit.* 5. §. 1. & *lib.* 5. *tit.* 13. *de leg. commiss.* §. 5.

DEFINITIO IV.

Pactum commissorium adhibitum in fauorem fideiussoris valet, & clausula constituti in eo adhibita, ex nunc prout ex tunc, operatur etiam in præiudicium tertij, cui interim ius quæsitum est.

CRediderat tibi centum Titius, & ego pro te fideiusseram: tum inter nos conuenerat, vt si pro te centum illa me soluere oporteret, emptus mihi esset eo pretio fundus tuus Sempronianus, obligatis etiam in casum euictionis omnibus bonis tuis cum clausula constituti, additis sæpiusque repetitis his verbis, *ex nunc prout ex tunc, & contra, ex tunc prout ex nunc.* Priusquam vrgeret me Titius ad solutionem, vendideras Mæuio prædium ex iis, quæ mihi generaliter erant obligata. Postea coactus Titio soluere, fundi Semproniani possessionem, quasi existente venditionis conditione commissaque lege apprehenderam. Quo postmodum euicto cum agerem hypothecaria in prædium Mæuio venditum, Mæuius vero se potiorem diceret, quærebatur vter potior esset? Faciebat pro Mæuio, quod licet ex recepta nostrorum sententia pactum legis commissoriæ etiam in pignoribus valeat fauore & commodo fideiussoris,[1] prius tamen quam venditionis mihi factæ lex commissa esset, acquisitum fuerat ei prædium. Nec videbatur retrotrahi posse conditio aut effectus venditionis vel clausulæ constituti in præiudicium iuris medio tempore quæsiti tertio,[2] vtpote non existente habili termino, à quo.[3] Ego contradicebam, potiorem me esse debere, non solum propter vim illius clausulæ; *ex nunc prout ex tunc*, cuius maxima in plerisque vis esse solet.[4] Sed etiam quod ea conditio, *si ex causa fideiussionis soluere me oporteret*, non in tua aut mea omnino potestate erat posita, cum soluendi necessitas ex obligatione iam contracta proficisceretur,[5] fueritque mihi vel inuito necesse soluere, si tu non solueres.[6] Proinde quandocunque soluerim non solutionis tempus iuspiciendum esse, sed obligationis, ex cuius necessitate sequi solutionem oportuerit.[7] Conditionem enim, quæ non mere potestatiua sit, sed vel casualis vel mixta semper retrotrahi debere placet.[8] *Itaque Senatus* pro me ex tempore pronunciauit in publico auditorio, 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Vt dixi *Defin. 1. num. 6. 5. hoc tit. ex l. vlt. in princ. D. de contrab. empt.*

2 *L. 1 l. potior* 11. *in princ. D. qui potior in pign. hab.*

3 Secundum ea quæ scripsimus in specie non valde dissimili, de qua *in Defin. 1. 5. ill tit. qui potior in pignor. hab.* Ex Dec. *cons.* 247. *num.* 3 & 4. post Bart. *ad l. quoties* 14. *D. de nouat.*

4 Guid. Pap. *quæst.* 208. Anton. Thessaur. *decis.* 38. *num.* 2.

5 Est enim omnis obligatio iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ, vt Iustin. diffinit initio *tit. Instit. de obligat.*

6 *L. quod si minor* 24 §. *fi. ff. tutio, D. de minor.*

7 *L. 1. in princ. D. qui potior in pignor. hab.*

8 Secus in potestatiuis, quæ nunquã retrotrahũtur in præiudicium iuris tertio quæsiti. Paris. *cons.* 11. *num.* 70 *lib* 1. Guil. Onciacus clarissimus in Senatu nostro Præses *quæst. Academ.* 43 49. 50 & 80. Et in hoc præsertim differt species huius defin. ab illa de qua *in d. Defin. 1 qui potior in pignor. hab.* Item quod hic aderat clausula illa, *ex nunc prout ex tunc.*

DEFINITIO V.

Pactum commissorium etiam in pignoribus valet, si id debitor malit, cuius solius intuitu constitutum est vt non valeat.

LEgis commissoriæ pactum in pignore licet improbatum sit nec valeat, præsertim si in iusiurandũ non accesserit,[1] defenditur tamen, si id debitor malit,[2]

BIU Cujas

quia solius creditoris non etiam debitoris odio constitutum est ne valeat.[3] *Ita Senatus* ex tempore, 5. Calend. Decemb. 1593. in ea causa, de qua SC. supr. de leg. commissor.

1 Secundum ea quæ dixi *D. fin. --- num. 11. & 12. §. hoc tit.*
2 *Arg. l. 2 D de leg. commiss.*
3 Nemo enim iure pro se fauorabiliter inducto vti cogitur *l. pen. C d pact. l. si iudex circumuento 4. D. de minor.*

DEFINITIO VI.

Valet pactum in antichresi appositum vt non possit creditor sortem exigere, quamdiu patietur debitor creditorem percipere fructus pignoris.

QVęsitũ est, an valeat pactio in antichresi apposita, vt quamdiu patietur debitor creditorem percipere fructus pignoris in vicem vsurarum creditor sortem debitam exigere non possit? Quidam negabant valere, propterea quod inutile sit pignus, quod numquam potest distrahi.[2] Item, quia non sit cogendus creditor acceptam rem pignori in perpetuum pignoris iure retinere, ita vt nec debiti solutionem, nec rei obligatæ dominium consequi vnquam possit.[3] Aliis contra placebat, vtilem esse pactionem, sibique imputare creditorem debere, qui ea lege pignus acceperit ab eo, qui non fuit aliter contracturus.[4] Neque idcirco infructuosam dici posse pignoris conuentionem, quę vtilitatem illam creditori adferat, vt pignoris fructus non solum percipere, sed etiam lucrari possit,[5] qui alioqui in sortem imputarentur.[6] Quinimo aliam eius conuentionis vtilitatem esse posse, vt contractus hic eo minus videri debeat illicitus & in fraudem vsurarum commentus, quod in debitoris non in creditoris arbitrium & potestatem collatum sit, an pignus perseuerare diutius debeat, nec ne.[7] Idque probabilius videbatur. *Ita tractatum* licet nihildum decisum est in causa viduæ procuratoris Tiollier & Ioannis Paquier, 8. Id. Mart. 1594. Iunge Defin. 8. num. 6.

1 Nam si pactio hæc specialiter non interuenerit, nemo dubitat, quin possit creditor etiam antichresticus venditionem pignoris vrgere, si nolit diutius incumbere pignori, ex generali *tst. C. debit. vendit pign. imped. non poss.*
2 *L. si conuenerit 4. D. de pign. action. l. mulier 11. C. de distract. pignor.*
3 In id enim comparatus est vsus pignorum, vt tanto facilius & tutius solutionem extorquere tandem aliquando creditor possit, *l. creditoris 8. D. eod. tit. de distract. pignor. l. est in arbitrio 14. C. de oblig. & action. dict. tit. C. debit. vendit. pignor. imped. non poss.*
4 *L. vlt. C. de pact. int. emptor. & vendit.* Conuentio enim dat legem contractui, *l. 1. § si conuenerit, D. depositi.*
5 Vt dixi *Defin. vnic. in fin. §. tit. prox præced.*
6 *L. 1. 2. 3. & pass. C. de pignor. act.*
7 Est enim semper in potestate debitoris, vt pignus luat, non in arbitrio creditoris vt debitum exigat: & ita fauet hoc pactum debitori non creditori & consequenter valere debet, *l. Arrianus 41. D. de oblig. & action.* [Videturque potius pactum de non petendo quamdiu vsuræ præstabuntur, aut fructus vice vsurarum, quod pactum valet, *l. qui in futurum, 57. De pact.* quàm pactum de pignore non vendendo. De quo *in d. l. 4. de pign. act.*]

DEFINITIO VII.

Creditor, qui inuito potest antichresis dissolui, non idcirco potest eam inuito debitore aduersus conuentionem dissoluere, nisi cum ex eius dissolutione captionem alienam timere potest.

AT fingamus debitorem, qui tale pignus dederit cogi posse, vt eam rem alteri retrouendat, à quo fortasse illam paulo ante emerat sub pacto de retrouendendo,[1] An ideo licebit creditori debitum exigere, quod videat fieri non posse vt antichresim diutius retineat? Minime vero. Nec si iam ille vrgeatur ab eo, qui redimendi ius habet.[2] Nec enim recte comparabitur hic creditor emptori, cui consulimus per pretij retentionem, cum in ipso contractus limine imminet periculum euictionis.[3] Nam cum redimi res nequeat nisi oblato prius pretio, quid interest creditoris, an à suo debitore solutionem accipiat, an ab eo, cui debuit retrouendere?[4] Præsertim quamdiu nullam possessionis controuersiam patitur, nondum fortasse obsignato pretio ab eo, qui redimendi ius habet, ac cui nullum ius competit in fructibus citra obsignationem.[6] Si tamen proponas emptam rem sub pacto de retrouendendo longe viliore pretio, quam sit in debito, propter quod antichresis contracta est, non improbabiliter conqueri potest creditor de dolo debitoris.[7] Nec prohibendus videtur quo minus debitũ exigat, qui antichresim retinere ex conuentione nõ potest, hoc est, cui inuito auferri pignoris possessio potest, priusquam sibi omnino sit satisfactũ. Eius namque interest, vt quam cito fieri possit suum consequatur.[9] Quid si debitor, qui fundum pure emerat eodem subinde in antichresim dato redimendi facultatem ignorante creditore venditori concesserit? Videtur quidem dolo facere, qui id agit quantum in se est, vt creditoris sui conditionem faciat deteriorem, ob idque indignus videtur, cuius fauore conuentioni stare cogatur creditor, qui antichresim accepit.[10] Sed tamen cum nihil interfit creditoris, cuius scilicet ius anterius ex posteriore contractu cum venditore inito lædi non potuit,[11] magis est, vt nõ satis iusta causa illa sit, propter quam à cõuentione recedi oporteat. Non enim sibi quęsitam possessionẽ prius deferre cogetur creditor, quã acceperit, quicquid sibi debetur,[12] quippe qui etiam ob chirographariã pecuniã idipsum pignus retinere posset.[13] Sufficitque nihil factum esse, propter quod emolumento conuentionis priuatus creditor videatur.[14] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Ex quo pacto constat duplicem actionem competere ad petendam retrouenditionem, vnam ex vendito, aliam ex præscriptis verbis, *l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.*
2 Quomodo vrgeri vtique potest. Etsi enim actio hæc nascitur ex contractu, tamen ex statutis, quo vtimur auctoritate, datur etiam contra tertium possessorem. Quæ fuit iam olim opinio Pauli Castrens. *ad l. si cum venderet 13. D. de pign. action.* De qua tamen vide quæ contra scripsi in Chiliade *D. de error. pragmaticor.*
3 Ex *l. si post perfectam 24. C. de euict.*
4 *d. l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.*
5 Vnde est, quod etiam inuito creditori alius quilibet debitum offerre pro debitore etiam inuito potest, *l. soluendo 39. D. de neg. gest. l. solutione 23. D. de solut.*
6 Adde vel citra contestationem, vt scripsi *Defin. 17. §. de pact. int. empt. & vendit.*
7 Dolo enim fecit debitor, qui pro maiore debito in antichresim dedit rem, quam ab eo possit alius quandocumque minore summa oblata euincere.
8 Cum non sit ei satis cautum huiusmodi pignore, quod euinci per alium potest non oblato vniuerso debito, licet res data in antichresim sit longe maioris æstimationis. Vtilitas enim pignoris tota necesse est, vt vel in retentione vel in persecutione consistat, *l. debitor 40. in fin. D. de pign. action. l. 1. D. de pignor. l. 2. C. debit. vend pignor. imped. non poss. l. creditoris 8. D. de distract. pignor.*
9 *d. l. creditoris, l. est in arbitrio 14. C. de oblig & act.*
10 Iuxta vulgatum illud, frangenti fidem fides frangatur eidem.
11 *Arg. l. id quod nostrum est 11. de reg iur. l. vlt. D. de pact. l. 3. in print. D. de transact.*
12 *L. si rem 9. § omnus pecuniæ, D. de pignor. act.*
13 *L. vnic. Cod. etiam ob chirographum pecun. pign. retinr. posse.*
14 Ea namque res facit, vt nihil interfit creditoris, cuius integrum ius & saluum manet,

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO VIII.

Mulier, quæ pro paraphernali pecunia contraxit antichresim præsente marito, potest restitui si pactio, de nunquam dissoluendæ antichresi sit ei damnosa, alioqui pactio seruanda est.

IVstam petendæ restitutionis causam habet mulier, quæ paraphernalem pecuniam præsente & auctoritatem præstante marito credidit sub pignore per antichresim contracto, ea lege, vt quamdiu pateretur debitor eam fructus pignoris percipere suosque facere, pecuniam ipsa petere non posset, nimirum, si ex ea conuentione læsa sit mulier, forte quod nō tanti sit pignus quantum est in credito.[1] Credenda enim est mulier contraxisse metu & reuerentia maritali, quoties ex contractu, quem præsente marito iniit, immodice læsa reperitur.[2] Maxime si de re paraphernali contractum sit, in qua nihil iuris inuita vxore maritus habere potuit.[3] Extra hunc casum non esset illa iusta restitutionis causa. Nam quod dici solet, non valere pactū ne liceat pignus vendere quo minus trina saltem denunciatione præcedente vendi possit, tunc locum habet, cum alioqui pignus esset inutile,[5] quod non euenit antichresi contracta, quæ lucrum fructuum affert creditori. [6] Et vero, cum ad pignoris venditionem peruenire non possit, nisi præcedente iussu de soluendo,[7] quoniam hypothecaria tacitam illam & perpetuam conditionem habet, si debitum non soluatur, consequens est, vt qui pactus fuit de non petendo pignus distrahere non possit.[8] Nec est quod quis dicat, iniquā esse pactionē perinde ac si ex contrario cōuenisset, vt debitori nunquam pignus luere liceret. Magna enim differentia inter eam pactionem, quæ debitori pignus danti noceat, & eam, quæ creditori pignus accipienti. Debitori succurrendum est, quia vt mutuā accipiat pecuniam, nihil non ille sit in humano creditori concessurus.[9] At creditorē nihil vrget, quo minus iustā sibiq; vtilem ineat conuentionē. Proinde sibi imputare debeat, si eam sibi legem dixerit vt debitū exigere non posset, quādiu liceret sibi antichresim retinere.[10] *Ita Senatus* in eadē causa 12. Cal. April. 1594.

1 Siue quod res obligata minoris sit æstimationis, siue quod minore oblato pretio possit quandocumque euinci & aufferri creditori, vt in ea specie quam tractauimus *Defin. prox. præced. num. 7.*

2 *Arg. l. 1. §. quæ onerandæ. D. quar. rer. act. non det. cum ibi not.* Nemo enim credendus est velle iactare suum, *vulg. leg. cùm de indebito 25. de probat.* præsertim fœmina, quia mulierum genus auarissimum est.

3 *L. maritus 21. C. de procur. l. hac lege 8. Co. de pact. conuent. tam sup. dot.*

4 *L. si conuenerit 4. D. de pignor act.*

5 Inutile siquidem pignus est, quod distrahi nullo modo potest, *d. l. 4. l. mulier 11. C. de dist. act. pignor.*

6 Vt dixi *Defin. 6 §. hoc est, & Defi. vnic. num. 8. §. tit prox* [Si tamen debitor ignorante creditore antichresim vendiderit, aut etiam permutauerit, quamvis ea res ius pignoris & cōuentionis immutare non possit, liberum esse debet creditori debitum exigere vel ex ipsa conuentione, quia prior debitor contra pactum fecit, licet paratus sit dare alia pignora æquè aut magis idonea. Non. n. cogendus est creditor alia pro aliis accipere. *Ita Senatus* pro Petro Rosset contra D. de Sallagine in publico auditorio 3. Kal. Dec. 612. In qua specie illud præterea concurrebat, quod conuenerat vt ita demum cogeretur creditor contentus esse antichresi & debitum exigere prohiberetur, si ad finem triennij, quod soluendo debito præstituerat fuerat non esset commodum debitori soluere. Debitor autem qui post 40. annos conueniebatur, nunquam allegauerat sibi commodum nō esse. Commodum esse intelligitur statim atque potest debitor soluere sine dedecore post exsolutum omne æs alienum *l. Nepos Proculo 125. de verb. signif.* Debitor autem & nobilissimus erat & ditissimus. Cùm tamen magna debiti quantitas esse proponeretur visum est anni spatium in summa nummorum penuria ei ad soluendum dandum esse, vt ad hoc saltem illi prodesse conuentio, ne tam citò soluere cogeretur. Nam nec tales pactiones fieri solent ab aliis creditoribus, quam qui suis pecuniis diutiùs carere possint. Præsertim cùm in vicem vsurarum antichresim retinere creditor interim posset.]

7 Scilic. quoties incipi potest à personali executione. Quid enim si clericus sit is, qui fundum obligatum possidet? Vide *Defin. 26 §. de pignor.*

8 *L. grege 13. §. etiam, D. de pignor. l. debitor 59. D. ad Senatusc. Trebell.*

9 *L. soluitur 5. §. pacisc atur, D. quibus mod. pign. vel hypothec. soluit.*

10 *Arg. l. vlt. C. hoc rit. l. 1. cùm ibi not. C. si aduersus cred.*

11 Potuit enim sibi ipsi quam voluit ab initio legem dicere & conditionem suam pro arbitrio facere deteriorem, *l. pen. Co. de pact. l. pactum 46. ff. eod. in re mandata 2. C. mandat.* Et rursus credendum est debitorem non aliter fuisse contracturum, *l. vl. C. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFINITIO IX.

Si in eodem contractu duæ sint clausulæ, quæ pugnantes videantur, ea in dubio capienda est interpretatio, qua vtramque tueatur, si fieri possit. Si minus prævalere debet, quæ posterior est.

COnuenerat inter debitorem & creditorem, vt credita pecunia intra triennium solueretur, subiecta eodem contractu clausula, vt quamdiu pignore in antichresi dato creditor frueretur, fortè petere non posset. Quærebatur an vtraque cōuentio vtráve valeret? Videbantur namque inuicē pugnantes,[1] cū si post triennium soluenda esset ex priore conuētionis parte pecunia, non eo magis prohiberi creditor deberet petere, quod antichresi frui, si posset, mallet.[2] Rursus si ea contrahentiū voluntas fuerat, vt post trienniū exigi pecunia posset, inutilis erat posterior cōuentio. Citra quam satis iam ex priore tutus erat debitor, ne inuitus ante triennium ad solutionem vrgeretur. Visum est eam capiendam interpretationem, quæ conuentionem vtramque vtilem faceret,[3] priorem ad hoc, vt nullo modo ante triennium elapsum debitor inquietaretur, posteriorem, vt si quid esset, quod impediret, ne antichresim retinere creditor posset,[4] licentiam haberet exigendi debiti post triennium, si nihil impediret, ne quidem post triennium exigere pecuniam valeret.[5] Quod si ea clausularum esset repugnantia vt simul ambæ stare non possent, posteriori tamen potius standū fore. Non solū quod esset plenior,[6] sed etiā, quia ordinarij iuris illud sit, vt pactis prioribus per nouissima derogetur.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et consequenter nullius omninò momenti, *l. vbi pugnantia 188. cum ibi not. de reg iur.*

2 Prohibitus enim petere ante certum tempus, videtur post illud tempus petere permissus, *argum. l. Imperator 8. D. de postul.*

3 Vt verba omnia in contractu apposita, si fieri possit, & quantum fieri potest aliquid operentur, *vulg. l. si quando 109. de legat. 1. l. 4. in princ. D. de vsur.* Est enim maligna interpretatio, quæ conuentionem aliquam inutilem facit: *l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus, de verb. obli.* Et rursum cuitanda est [illegible] interpretatio, per quam inducatur repugnantia vel subita correctio mutatio prioris voluntatis, *l. non ad ea 89. de condit. & demonst.* [quæ habet locum etiam in contractibus secundùm Castrens. ibi licet Bart. dissentire videatur ad *l. iuris gentium 7. §. adeò D. de pact.*

4 Puta in specie quam tractauimus.

5 Ita enim fit, vt vtraque conuentio videatur interposita fauore debitoris, in quo nihil est absurdi, cùm debitoris causa soleat tempus solutionis adiici obligationi, *l. quod certa die 70. D. de solut.*

6 Quomodo dicimus pleniorem obligationem tollere illam, quæ sit minus plena *l. si reus 13. D. de duobus reis, l. si duo 91. D. de solut.*

7 *L. pacta nouissima 12. C. de pact.*

BIU Cujas

DEFINITIO X.

Clausula, vt generalis hypotheca non deroget speciali, nec contra, prodest creditori, ne cogatur facere excussionem specialis hypothecæ, nisi solam eam iam possideat, eaque per aliquot annos contentus fuerit.

QVæ in pactis pignorum apponi solet clausula, vt generalis hypotheca non deroget speciali, nec contra, [1] creditori prodest non tantum contra debitorem ipsum, sed etiam contra tertium quemlibet possessorem, si ex bonis generaliter obligatis aliquid possideat, vt recta possit cõueniri, ac si nulla esset specialis hypotheca, quantumcunque idonea illa sit, [2] qualis & in dubio præsumenda est. [3] Sed si creditor bona illa specialiter obligata iam possideat, iisque per aliquot annos contentus fuerit, non aliter audiendus erit, quam si probet non esse illa idonea: quasi non nisi in subsidium saluam voluerit generalem hypothecam, si alia minus idonea repetirentur, [4] aut aliqua super iis controuersia creditori moueretur. [5] Hoc ita si non adiecta etiam sit clausula constituti, quę creditorem fecerit pignorum omnium possessorem. [6] *Ita tractatum est* in causa N. de Mouxi & viduæ N. Masson d'Aix. 3. Non. Iul. 1595.

1 Quod notarij nostri vulgo sic exprimunt, *La generalité ne derogeant à la specialité ni au contraire.*

2 Cum tamen alioqui excussio facienda esset ante omnia specialis hypothecæ, *l. 2. C. de pignor.*

3 Ideo namque incumbit onus probandi ei, qui dicit hypothecam specialem idoneam non esse. Quę probatio non melius fieri potest, quam per ipsam excussionem: alioqui si sufficeret negare, numquam creditor fateretur esse idoneã, *argum. l. solemus 61 D. de iudic. l. inter stipulantẽ 83. § 1. de verbor. oblig.*

4 *Arg. l. 2. D. qui potior. in pign. hab. & d. l. 2. C. de pignor.*

5 Quia nec possideri videtur id, quod sine controuersia possideri non potest *l. qui in vis 13 D. de reb. auctor. iudic. possid.*

6 Hoc enim casu securus est creditor, si impetret clausulam constituti & beneficium *l. vlt. C. de acq. poss.* vt in sua possessione retineatur, *d. l. vlt.* iunct. *l. quod meo 18 D. eod.*

DEFINITIO XI.

Antichresis contracta in fraudem legitimarum vsurarum non tenet in eo, quod excedit modum legitimum, ne quidem fauore dotis, sed si, vt fieri solet, fructus donati sint in tabulis dotalibus, valet donatio etiam non insinuata.

FRuctus pignoris in antichresim constituti, quatenus excedunt legitimas vsuras, id est, besses, computãdi sunt in sortem, etiamsi expressa pactione contrarium conuentum sit, [1] adeoque, licet proponas factam conuentionem fauore dotis, & in contractu matrimonij. [2] Inserta quoque, si voles, vulgari illa clausula, quæ vt plurimum adiici solet, *quod non aliter fuerat mulier contractura.* [3] Non enim videri potest ea cõuentio pars dotis aut donationis propter nuptias [4] cum inspecta causa appareat, non idcirco mulierem fructus suos facere, quod matrimonium contraxerit, sed quod ipsi sua dos non soluatur, [5] quæ si solueretur, vtique ab eo tempore nullum percipiendorum & lucrandorum fructuum ius haberet. [6] Quid tamen, si vt hodie passim fit adiecta sit clausula donationis fructuum, quos & quantoscumque mulier ex pignoribus perceptura sit? [7] Idem fere iuris constituendum videatur, quia nõ tam id agit maritus vt donet, quam vt mulieri consulat in eum casum quo dos illi nõ restituetur. [8] Sed tamen negari non potest, quin in hunc ipsum casum facta sit valeatque donatio, [9] quæ nec moribus nostris eget insinuatione, cum in contractu matrimonij facta est. [10] *Ita Senatus* in causa Stephani de la Chenal & Ioannis Falquet, Non. Septemb. 1595. [Et iterum pro N. Georgia Brunet contra Petrum Beyta 26. April. 1614.]

1 Quia non valet pactio in fraudem legitimarum vsurarum, *l. pecunia 8. §. 1. D. de vsur. l. si ea pactione 14. C. eod.*

2 Nam cum dotis contractus sit bonæ fidei, *l. vnic. C. de rei vxor. actio.* nullam potest recipere pactionem, quæ sit contra leges, aut contra bonos mores, aut contrà æquitatem, *l. generaliter 5. D. de vsur.*

3 Quæ tamen clausula magnam vim habere solet, *l. si donaturas 9. vbi not. D. de condict. ob caus. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit. l. 5. § pen. D. de de dol. mal. except.*

4 Quamvis dici soleat pactum in contractu appositum esse partem contractus, *l. iuri gentium 7. § quinimo. & seq. D. de pact. l. fundi partem 79. D. de contrah. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de act. empt.*

5 Vide Afflict. *decisione 284. numer. 3.* vbi defendit nec propter non solutam dotem posse quicquam deberi mulieri, nisi in quantum & quatenus probat sua interesse. Aliud nimirum esse, si agatur de dote soluenda marito, quo casu potest maritus licite ac etiam de iure canonico stipulari vsuras in vicem fructuum, *cap. salubriter. Extr. de vsur.* Aliud verò si de dote mulieri post solutum matrimonium restituenda. In quo tamen plerique ab eo dissentiunt, vt videre est apud Anton. Gabriel in *commun. opin.*

6 Nec enim fieri potest, vt quis eodem tempore & re simul & pecunia fruatur. *l. exempra 11. §. qui autem. l. Iulianus 15. §. veniunt autem. l. bona fides 30. D. de act. empt. l. liberalitatis 17. §. 1. D. de vsur.*

7 Hæc autẽ clausula facit, vt contractus nõ sit vsurarius cum vsura non sit sine dolo, nec dolus inferatur volenti, quomodo vult vtique qui donat. Not. *ad leg. 2 C. de resc. vendend.*

8 Verba autem in contractibus apposita sunt interpretanda, adeoque nonnumquam improprianda secundum subiectam materiam, *l. ex conducto 15. § Papinianus, alias l. si vno, vers. sed est. verbo donationis, D. locat.*

9 Et consequenter defendenda est conuentio iure donationis, cum & verba contractus id suadeant, & voluntas contrahentium non repugnet, *l. ille aut ille 23. §. cum in verbis, de leg. 3.* iunct. *l. si ancillas 63. de leg. 1.*

10 Etiamsi excedat quingentos aureos, contra *l. si quis argentum 35. C. de donat.* *Intellige tamen in antichresi specialitatem si fit vniuersalis omnium bonorũ cum donatione fructuum etiam in contractu matrimonij, præter id quod vix est vt ea conuentio recipienda sit *arg. l. 1. Cod. de iur. dominimper.* præsertim extantibus liberis quibus saltem legitimæ fructus salui esse debent, magis est vt restringi debeat ad vsuras besses vt in primo casu huius definitionis? sed cum hoc temperamẽto vt superfluum fructuum in dotem imputetur, at eatenus dũtaxat quatenus mulier ex eo superfluo facta est locupletior, ne alioqui dum prætextu eorum fructuum latiùs re sua abutitur, dotis suæ aut in totum si fructus tam ampli sint aut saltem ex parte iacturam sentiat quam integram saluam esse interest reipublicæ: Placebatque maiori parti Senatus hoc temperamentum in causa viduæ, Dunandi contra Borguignon 3. Augusti 1618. * [Si tamen malint liberi iidemque hæredes patris totum vsumfructum matri dimittere saluis alimentis aut saluo vsufructu legitimæ si hoc maluerint, audiendi sunt, ex verisimili mente contrahentium. *Ita Senatus* in causa Georgiæ Brunet, & N. Petri Beyta ex tempore 26. April. 1614. Quid ergo si vt plerumque fit donati sint fructus mulieri in contractu dotali vt eos percipiat quo vsque fuerit ipsi satisfactum? An licebit matri quæ per plures annos tutrix fuit, eos fructus omnes sibi retinere. An potius ei imputabimus quod sibi non soluerit cùm posset *l. quoties 9. §. sicut autem D. de adm. tut. l. sistitas 78. §. 1. D. de contr. empt.* Nimirum aut ex fructibus pignorum dotalium si sufficientes fuerunt, aut ex venditione ipsius proprietatis quam scilicet etiam creditor antichresticus vt & alius quilibet pati cogitur. Et magis est vt debeat sibi imputare cùm potuisset ea ratione & sibi & liberis suis possidere. Sed hoc ita si nõ alio iure potuit mulier vsumfructũ retinere puta ex mariti testamẽto quo fit ei relictus vsusfructus qui nõ fuerit restringendus ad alimenta, vt in casib. quos notauimus *Def. 14. nu. 15. de legat.* Cùm sit hodie sublatum edictum De alterutro *l. vnic. §. primùm itaque C. de rei vxor. act. Ita Senatus* in eadẽ causa.]

DEFINITIO XII.

Pactum de iure prælationis appositum in antichresi aut in venditione facta sub pacto de retrouendendo, finitur finito contractu, & resoluto.

Si, cum

SI,cum fundus daretur in antichresim, conuenerit inter debitorem & creditorem,vt si quando is fundus aut eius hyperocha per debitorem venderetur, haberet creditor ius prælationis reique pro eodem pretio retinendæ : [1] tamdiu poterit creditor legem contractus exercere,sibique ius illud prælationis vindicare quamdiu durabit antichresis, vt si debitor eam rem prius alij vendiderit quam pignus luerit, creditor extraneo cuilibet emptori præferatur. [3] Cæterum,si resoluto iam contractu, solutoque vinculo pignoris, hoc est,accepta pecunia, & postea in alium collata venditione illius rei,quæ fuerat obligata,præferri velit creditor,& fundum,de quo retinendo conuenerat, emptori aufferre,vel aduersus venditorem personali actione experiri,vt quanti sua interest consequatur, non erit audiendus cum fieri nequeat, vt finito contractu duret pactum, quod faciebat partem contractus, [4] ne alioquin eueniat, vt soluta in totum pecunia,quæ debebatur, pignus tamen adhuc pro parte subsistere videatur, [5] & vt ius prælationis eo contractu constitutum in longius tempus,quam contractus ipse protrahatur. [6] Nec aliud esse placuit cum in venditione facta sub pacto de retrouendendo, eiusmodi conuentio interuenisset : non quod id genus contractus tantam habeat cum antichresi adfinitatem, quanta vulgo à pragmaticis creditor,[7] sed quoniam vtriusque contractus eadem hac parte ratio est. [8] Sed & cum Senatus nostri placito inter creditorem & debitorem, reddito super iure luitionis nominatim adiectum esset,vt creditori saluum esset ius prælationis, si quando casus eueniret,visum est,non aliud ius Senatusconsulto reseruatum, quam quod creditori ex contractu competebat, ideoque nec alia interpretatione donandum esse Senatusconsultum quam contractum. [9] vt scilicet si ante perfectam luitionem pignoris debitor eam rem alteri venderet,aut tractatum de vendendo cum aliquo iniisse, quandoque postea probaretur, quamuis dilata per fraudem in aliud tempus venditione,[10] saluum creditori ius prælationis superesset.[11] *Ita Senatus* pro Dn. Comite de la foreſt,contra Franciscum Vechter Procuratorem, Prid. Calend. Septembr.1605.

1 Cui pacto simile illud est, de quo *in l.sterilis,12.§.si tibi,D. de act.empt.versi.sed etsi*,de iure prælationis & προτεμήσεως tractant nostri *ad l.dudum,14 C.de contr.empt & ad l.vlt.Cod.de iur.emphyt.* Adde *l.qui fundum.75.D.de contr.empt.*

2 *Arg.l.si debitor,15.D.de precar.*

3 Quasi commissa lege contractus.

4 *Leg.4.alias l.si ex duobus,§.sed & Marcellus,D. de in diem addict.l.voluntate,20.D.quib.mod.pign.vel hypoth.soluit.* iunct. *l.fundi partem 79.de contr.empt.*

5 Contra iuris regulam, de qua *in l.grege 13.§.etiam, D. de pignoribus,l.si rem,9.§.omnis pecunia* iunct.*l.soluta m ,D.de pignor.act.*

6 Quod absurdum esset, quia ius ex contractu quæsitum non potest,in longius tempus protrahi quam contractus ipse, ne latius & longius pateat effectus, quam sua causa, *l.ab emptione,8. cum ibi not. D.de pact.* Iunge *leg.2.D.si a parent.quis manumiss.*

7 Pragmatici enim nostri imperitiores vulgo confundunt hæc duo genera contractuum,quasi sint quid idem,cùm tamen valde differant,quid antichresis pignus est, *l.si pecuniam,34.de pignorat.act.*ac proinde non transfertur ex ea dominium, *l.cum & sortis 35 §.1.eod.titul.*quod tamen transfertur ex venditione facta sub pacto de retrouendendo non minus, quam ex alia qualibet venditione facta à domino,*l.2.cum ibi not. C.de pact. int.empt.& vendit.*

8 Et consequenter idem ius in vtroque statuendum est,*leg. illud 32.D.ad leg.Aquil.* Nam vtroque casu verum est huiusmodi pactum de iure prælationis esse partem contractus, ac proinde sublato & extincto contractu tolli quoque ipsum & extingui debere,*d.l.si debitor 27.D.de precar.*

9 Non enim potest mutare contractum id,quod iudex pronunciat ex forma & verbis ipsis contractus.

10 Quod enim per fraudem & dolo malo factum est id ratum haberi nunquam debet,ne scilicet doloso suus dolus prosit,qui è contrario impunitus remanere numquam debet,*l.procurator 11.§.in perpetuum,& pass.D.de doli mali except.*

11 Non autem,vt etiam post subhatum finitúmque contractum adhuc supersit ius prælationis, quia eo casu permaneret illud ius prælationis penes creditorem aut pone emptorem sine causa,quod esse non debet,*l.2.§.circa,D.de dol.mal.except.*

TIT. XXIII.

DE EXCEPT.

DEFINITIO I.

Excussionis exceptio dilatoria est, & ideo opponenda ante litem contestatam, non post, nisi opponatur per eum qui tanquam auctor laudatus venerit in ius post litem ab emptore suo contestatam.

NOn factę excussionis exceptio cum dilatoria sit,[1] non peremptoria[2] omnimodo ante litem contestatam obiicięda est,aut in ipsa saltem litis contestatione, [3]præter quam si ponas fictam fuisse cõtestationem, qualis illa est,quæ per rei contumaciam inducitur.[4] Nam restitutus quandocunque possessor pignoris aduersus contumaciam, perinde hanc exceptionem obiicere potest, ac si contumacia nulla interuenisset, quæ nec vlla post refusos sumptus interuenisse intelligitur. [5] At neque nocebit possessori, quod plerisque iudicis interlocutionibus litem contestari iussus sit, si modo eæ interlocutiones redditæ sint ante oppositam exceptionem, [6] nec dum secuta sit litis contestatio,licet ab illis interlocutionibus non fuerit prouocatum. Neque enim eo magis verum est secutam esse contestationem quæ facti est. [7] Sed & vno casu potest contingere, vt post litem quoque contestatam huic exceptioni locus esse debeat.[8] Finge possessorem, qui fundum obligatum à te emerat, cum quasi Seruiana conueniretur,prius litem contestatum esse quam exceptionem hanc opponeret:atque interim auctorem te laudasse,vt litis periculum susciperes ad rem defendendam. [9] Liberum erit tibi quandocunque litem ingredienti exceptionem hanc opponere,cum tuo periculo res agatur,tua magis interest, quam possessoris.[10] Et quemadmodum imputare possessori non potes,cur dilatoriam exceptionem omiserit, ita nec actor tibi, cur tardius litem susceperis, quam non vltro, sed ex necessitate emptoréque vrgente subire te oportuit.[11] Qua re nec tibi obstici potest, quod dici solet,eum qui liti inter alios cœptæ pro suo iure interuenit in præsenti litis statu interuenire debere, nec moras vllas rei iudicandæ auferre posse. [11] Nimirum quoniam emptor qui ad iudicem prior vocatus, litémque contestatus fuit,non tam ius suum, quam auctoris sui,id est, tuum in iudicium deduxisse intelligitur,[14] neque tamen litem contestando deteriorem facere potuit tuam conditionem, tibique competentis exceptionis ius adimere. [15] Illud sane constat hanc exceptionem,si ante litis contestationem opposita sit, non eo minus saluam esse, quod secuta sit contestatio, si modo protestatio præcesserit : [16] alioqui ob id solum, quod ad vlteriora, & vt pragmatici loquuntur, in meritis causæ processum est,si iubente iudice reiecta intelligitur,[17] sin tacente vltro remissa.[18] *Ita Senatus* Id.7. Nouembr. 1588. & in causa Gaspardi Tauel, 7.Calend.Febr. & Idib. Febr. pro hæredibus Procurat. Durandi,1593. & rursus Cal. Decembr.1589.

BIU Cujas

1 Quia litem tantum differt non perimit, siquidem creditor excusso debitore, potest redire ad possessorem sine metu huius exceptionis, *Auth hoc si debitor, C. de pig. Auth. præsente, C. de fideiuss. l. Moschis, 47. D. de iur. fis. l. plane, 14. D. de minor.*

2 Nisi eo casu quo ex euentu discussionis appareat, debitorem esse soluendo, quia tunc ad possessorem regredi creditor non potest, *dict. l. plane cum aliis supra citatis.* Ideoque dicitur anomala ista exceptio. [Ergo erit peremptoria exceptio si excutiendos sit is qui semper sit soluendo puta fiscus. Nam & fisci & Principis excussionem faciendam esse constat dummodò sit iustus Princeps non tyrannus qui difficilioris esset exactionis. Ias. *ad l. vlt. D de reb cred.* contra Bald. *in l. vnic. C. de comuen fisc. debit.* Gabriel. *libr. 3. Comm opin. concl. 1 de fideiuss. num. 2. 3. 4. & 5.*]

3 Quomodo debent opponi omnes exceptiones dilatoriæ, *l. exceptionem 19. C. de probat. l. pen. C. hoc ti.* Guid. Pap. *quæst. 275. num. 4 & 5.* [Aliud est in exceptione diuisionis, quam placet opponi posse non solum post litem contestatam, sed etiam in executione iudicati tanquam quæ non impugnet iudicatum, *l. Nesennius 41. § vlt. D. de re iudic.* Guid. Pap. *quæst. 170. num. 7.* Ita Senatus pro Claudio Capris contra Ioannem du Pra 8. Cal. Febr. 1612.]

4 Contumacia enim non tantum pro præsentia, sed etiam pro cõtestatione est, vnde fit, vt contra contumacem possit ferri sententia, quæ non posset ferri nulla præcedente contestatione, *Auth. qua in prouincia, Cod. vbi de crim. agi oport. l. vnic. cum ibi not. C. de lit. contest.*

5 Purgatur siquidem contumacia per sumptuum refusionem, *l. sancimus 15. C. de iud.*

6 Nam si post oppositam exceptionem iudex litem contestari iubeat hoc ipso videtur exceptionem reiicere notant vulgo nostri *ad l. à procedente, 4. C. de dilat.*

7 Quod enim pendet, non pro est, quasi iam sit, vt habet regula iuris, *l. is damnum dat. 169 § 1. de reg. iur.*

8 Contra id quod regulariter obtinet Guid. Pap. *quæst 93.* Dec. *cons. 570. num. 6.* Neguſ. *in tract. de pignor. 1. membr. part. 8. num. 34. & seqq.* [Adde alium casum in quo potest opponi exceptio hæc non factæ excussionis post litem contestatam, etiam ab eo ipso qui contestatus fuit. Nempe si malè intentata fuerit hypothecaria, vt puta super precio pignoris venditi cùm intentari debuisset in pignus ipsum venditum. Nec enim precium redactum ex venditione pignoris est ipsum obligatum, *l. idemque 7. in fin. D. qui pot. in pign. hab.* Hoc namque casu non nocebit possessori, quod litem contestatus sit in hyppothecaria non competente, quominus possit aduersus nouam hypothecariam rectè institutam obiicere exceptionem non factæ discussionis, cùm necesse sit propositam esse actionem antequam opponi possit exceptio. Actio autem malè proposita habetur pro non proposita *l. bouem 43 § penultim. D. de edil. edict. l. vnic. in fin. D. quand dies vsufr. legat. ced. Ita Senatus* in ea causa de qua *Desin. 43. de distract. pignor.*]

9 *Iuxta l. si plus, 74. § mota quæstione, D. de euict. l. 1. C. vbi in rem act.*

10 Et videtis litem tuam tractare potius, quam alienam, *d. l. 1. C. vbi in rem act. l. 1 § in propria, leg. 2. § 1. D. quand. appell. sit & intr. quæ tempor.*

11 Sunt enim dilatoriæ exceptiones de apicibus iuris, quas qui omittit tanto magis videtur bonam fidem aguoscere, *leg si fideiussor, 29 § quidam, D. mandat.*

12 Non enim fuit in potestate tua, quando conueniretis, quo, nodo est in potestate actoris, an & quando agat, *l. 5. § vlt. D. de doli mal except. l. petenda, 6. Cod. de tempor. in integr. restit. cum b. stulassem, 44. in p. inc. D. de damn. infect.*

13 Bart. & alij *ad l. si quis libertatem, 7. D. de hæred. petit. & ad l. Titia, 14. D. solut. matrim.*

14 *L. 1. & 2. C. vbi in rem act.*

15 *L. vlt. D. de pact. l. non debet alteri, 74. de reg. iur.*

16 Protestatio enim solet conseruare ius protestantis, *l. pro hærede, 20 D. de acquir. hæred. l. & si quis, 14 § plerique, D. de religios. & sumpt. funer.*

17 *Ex not. in d. l. à procedente, 4. C. de dilat.*

18 *L. pen & vltim. C. hoc tit.* remittentibus autem iura sua regressus dandus non est, *l. quæritur, 14. § si venditor, D. de ædilit. edict.*

DEFINITIO II.

Exceptio non impugnans iudicatum, cuiusmodi solutionis & compensationis, potest opponi etiam in executione iudicati.

EXceptiones, quæ non impugnant iudicatum, opponi quandocumque possunt etiam in executione iudicati,[1] cum rerum iudicatarum auctoritas, quæ potissimum tuenda est,[2] ex eo non labefactetur,[3] inde fit, vt solutionis exceptio admittenda sit, quoniam qui solutionem allegat, nõ negat, quin fatetur potiùs se debuisse:[4] hactenusque victori prodesse debet sententia, vt non possit cauillari debitor indebitum a se solutum.[5] Ergo & similiter compensatio post iudicatum obiici poterit,[6] quia vice solutionis est.[7] Sed hoc ita si debitum, cuius compensatio petitur, sit liquidũ,[8] aut tale quod in promptu liquidum fieri possit, vt puta ex alterutrius collitigantium iureiurando.[9] Reconuentionis, licet nonnullam cum compensatione affinitam habeat, longe alia ratia est. Eam namque proponi necesse est ante litem contestatam:[10] Itaque in causa appellationis opponi non potest,[11] quia iudicatum duntaxat,[12] non etiam litis contestationem extinguit appellatio.[13] At compensationi obiiciendæ in quacunque instantia locus est.[14] *Ita Senatus* sæpius.

1 Eiusmodi est exceptio deductionis facienda, ne condemnatus egeat, itémque deductio æris alieni, compensatio solutionis, & aliæ de quibus Boer. *quæst. 19. num. 9* post Angel. & alios *in l. Nesennius, § vlt. de re iudic. Not. in l. 1. C. de iur. & fact. ignor.*

2 *L. seruus 65. § cùm prætor, D. ad SC. Trebi.*

3 Cum possit vtrumque stare, & quod iudicatum est, & quod deducitur in exceptionem. Adde Boer. *quæst. 43. nu.* 180.

4 Dyn. & alij *ad cap. nemo plus iuris, de reg. iur. in 6.*

5 Scili. cùm sententia transiit in rem iudicatam, quia res iudicata pro veritate habetur, *l. ingenium 25 D. de stat. hom. l. 3. res iudicata 207 de reg. iur.*

6 *L. cum milites 16 § 1. D. de compens. l. 2. C. eod.*

7 *L. si ambo 10 § 1. cum legib. sequent. ib. l. post eaquam 21. Dig. eod. l. si constat 4 & pass. C. eod. l. si debitor 4. D. qui potior. in pign. hab.*

8 Nec enim fit compensatio, nisi debiti liquidi ad liquidum, *dict. si constat. & l. vlt. vbi not. C. de compens.*

9 Rebuff. *in tract. de liter. obligat.*

10 DD. *in Auth. & consequenter, C. quomod. & quand. iud.* Capel. Tholos. *quæst. 1. & 93.* vbi Auffrer.

11 *Arg. l. 1. § vlt. D. qua sententia sine appell. rescind.*

12 *L. 1. § vlt. D. ad SC. Turpill. l. furti 6. § 1. D. de his qui notan. infam.*

13 Imo reducit appellatio litem ad terminos litis contestatæ, vt aiunt Pragmatici, vnde est, quod in causa appellationis nulla fit litis contestatio, sed incipitur à conclusione in causa.

14 Guid. Pap. *quæst. 567.*

DEFINITIO III.

Excussionis exceptio neque nudo detentori datur, neque malæ fidei possessori conuento per hypothecariam.

QVæ tertiis possessoribus hypothecaria conuentis datur non factæ excussionis exceptio,[1] sicuti non iuuat nudum detẽtorem, qui aut nullomodo aut alij non sibi possidet,[2] qualis est conductor depositarius, commodatarius, & li qui sunt similes,[3] ita nec nudum possessorem, i. qui aliam possessionis suæ causam dicere nullam possit, quam quia possidet.[4] Neque enim in huiusmodi personis locum habet is æquitatis fauor, qui hanc exceptionem induxit:[5] ille nimirum quod iusto possessori succurrendum sit,[6] cujus sane interest non soluere potius, quàm solutum repetere:[7] item ne fiant de lite lites[8] condemnato possessore, qui mox aduersus debitorem, à quo causam habuit regressum habiturus sit? quæ res ad publicam quoque vtilitatem pertinet.[9] *Ita Senatus* in causa Anthonij Bourgeois, contra N. Perrin, ex tempore 3. Kalen. Decemb. 1588.

1 *Ex Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

2 Sed cum tantum, qui sibi & animo domini possidet. Id enim vere est possidere, sibi habere, vt Theophilus definit in *Instit.*

3 Hic

5 Hi enim non tam possident, quam sunt in possessione, *l. si quis ante conduxit*, 10. *D. de acquir. poss. in §. 1. l. quod meo*, 18. *eod. tit.*

4 Qui proprie dicitur possidere pro possessore, *l. qui interrogatus. 12. D. de petit hared.*

5 Cum sit ista exceptio, sicut cæteræ omnes inducta ex æquitate, *l. 2. C. de pignor. l. est in arbitrio, 14. C. de oblig. & act.*

6 *L. plane 14 D. de minor.*

7 *L. 3. D. de compens. l. stipulatus, 15. in princ. D. de fideiuss.*

8 Hoc enim ciuilis legislator execratur. *l. 4. §. ait prætor, D. de re iudic. l. si quis iusiurandum, 11. C. de rebus cred. & iureiur. l. 3. C. de fructibus & lit. ext.*

9 Quia per lites dissoluitur concordiæ vinculum, quo vno salus Reipubl. continetur.

DEFINITIO IV.

Debitor non potest opponere exceptionem discussionis, nec si litem suscipiat pro tertio bonæ fidei possessore, qui eam exceptionem obijcere potuisset.

QVi causæ defensionem pro alio suscipit, iisdem omnino exceptionibus & defensionibus vti potest, quæ ipsi reo competunt.[1] Sed tamen id non est perpetuum.[2] Quid enim si possessor conuentus hypothecaria debitorem laudet auctorem? an exceptionem non factæ excussionis opponere poterit debitor, quam ex persona propria opponere possessor potuisset? Minime vero. Nunquam enim debitor eam exceptionem obijcere potest.[3] At ne possessor quidem si sit vnus ex debitoribus, etiamsi in solidum per quasi Seruianam conueniatur.[4] Igitur vel liti semper adesse possessor debet, vt sibi vtilem proponat exceptionem,[5] vel pati executionem sententiæ, quæ contra debitorem lata erit. *Ita tractatum est* in Senatu, 6. Id. Decemb. 1588.

1 Alium siquidem defendere nihil aliud est, quam eandem vicem quam reus subire, *l. sed & ha, 35. §. defendere, l. minor, 51. §. 1. D. de procur.*

2 *Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

3 Cuius enim personæ aut bonorum excussionem posset opponere debitor, qui ipse excutiendus est? *d. Auth. hoc si debitor, l. Mosehis, 47. D. de iur. fisc.* Iunge *Desin. 37. inf.*

4 *L. 1. & 2.* vbi gloss. & DD. *C. si vnus ex pluribus hared. debit.* Dixi *Desin. 5. §. ill. tit.*

5 Non enim proprias exceptiones amittere potest ob id solum, quod alius pro eo litem susceperit, cum ipsius interfit non condemnari, *arg. l. Paulus respondit, 69. D. de procur. l. si suspecta, D. de inoffic. testam.*

6 Hoc enim est quod Pragmatici nostri solent dicere sententiam latam contra laudatum auctorem mandandam esse executioni contra laudantem: quod illi sic efferunt, *La sentence rendue contre le garend est executoire le garenty.*

DEFINITIO V.

De exceptionibus peremptoriis potest differri pronunciatio si respiciant merita causæ, at non item si possint litis ingressum impedire.

NOn facit iudex iniuriam,[1] qui non obstantibus exceptionibus peremptoriis iubet procedi ad vlteriora, dummodo subijciat, ne quid præjudicij exceptionibus ciusmodi fiat,[2] quod plerumque cauetur per vulgarem hanc clausulam,[3] *quant à present & sauf d'y auoir esgard par cy apres s'il y eschoit.* Sed id tamē ita verum est, si exceptiones illæ ad ipsa, vt loquuntur, causæ merita respiciant.[4] Nam si tales sint, quæ litis ingressum impedire possint, de iis primum & ante omnia pronunciandum est; ne alioqui damno afficiatur reus, si litem suscipere cogatur cum habeat, quod statim obijciat petitori ne litiget.[5] *Ita Senatus* 12. Cal. Mart. 1589.

1 Et ideo non potest hoc casu ab eo appellari, quoniam qui appellat, conqueritur de injuria sibi facta per iudicem, *leg. præfect.* 17. *D. de minor. l. si per imprudentiam, 51. D. de cust. l. exceptionem 67. D. de fid. iuss.*

2 Alioqui procedendo ad vlteriora videtur iudex reijcere exceptionem. Not. *ad l. à procedente. 4. C. de dilat.*

3 Est enim hæc clausula veluti quædam iudicis protestatio, quæ animum judicis declarat, & jus litigantium conseruat.

4 Sunt enim peremptoriæ duplicis generis. Aliæ quæ perimunt litem, nec tamen impediunt litis ingressum, vt solutionis. Aliæque etiam litis ingressum impediunt, vt præscriptionis, Papien. *in form. resp. rei vers. quod ad impediendum.*

5 Non enim paruum incommodum est, si quis sumptibus & litibus vexetur, *l. minoribus, 6. D. de minor. l. 4. §. 1. de alien. iud. mut. caus. fact. l. 1. C. de admin. tutor.*

DEFINITIO VI.

Exceptio non factæ excussionis non potest aufferri tertio possessori per pactum initum inter debitorem & creditorem.

QVamuis creditor cum de pignore conueniret pactus sit, ne bonorum debitoris excussionem vllo casu facere cogeretur: Non tamen vsque adeo illa conuentio nocere potest tertio possessori, postea cum debitore contrahenti, vt si hypothecaria conueniatur, iuuari eo minus debeat exceptione non factæ excussionis,[1] si non adiecta sit in priore contractu clausula constituti.[2] Ius enim quod sibi creditor pignoris causa excipit reale non personale esse necesse est, vt afficiat possessorem.[3] *Ita Senatus* ex tempore, 10. Cal. Maij, 1589.

1 Habet enim possessor huius exceptionis beneficium, non à debitore, sed à lege ideoque per legem adimi ei non potest, *l. 3. D. de interd. & releg.*

2 Quæ scilicet faciat creditorem possessorem, *l. quod meo, 18. D. de acquir. poss.* Sed illud prætereo illo casu requiritur, vt creditor constitutarius imploret beneficium, *l. vlt. C. de acquir. poss.* vt scripsi *Desin. 1. §. ill. tit.*

3 *L. si creditor, 7 §. vltim. cum ibi not. D. de distract. pignor.* Obligatio enim personalis, quæ nascitur ex conuentione facta inter debitorem & creditorem, non sequitur fundi possessorem, *lege vltim. §. 1. D. de contrah. empt. l. 1. §. si hares. D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO VII.

Pactum quo conuenit inter debitorem & creditorem, vt possit creditor possessionem pignorum propria auctoritate adprehendere, non aufferri tertio possessori exceptionem discussionis.

QVid ergo si inter debitorem & creditorem conuenerit, vt creditori liceat corporalem pignoris possessionem adprehendere, in quascumque manus pignus peruenerit? An dicemus conuentionem hanc habere vim pacti, quod vocant manus iniectionis? Vtique enim reale illud est, & rem ita afficit, vt à quocumque possessor aufferri possit.[1] Sed verius est, reseruatam manus iniectionem tum demum rem afficere, cum in dominij alienatione excepta est,[2] non item si in pignore.[3] Ratio namque facit, vt suæ rei efficacius quam alienæ legem, quam velit dicere quisque possit.[4] Vnde illud etiam placuit, vt qui rem suam vendit, inutilem quoq; seruitutem excipere & retinere queat,[5] quam post alienationem & in fundo iam alieno sibi acquirere non posset.[6] Igitur nec in proposita specie prohibebitur tertius possessor exceptionem obijcere non factæ excussionis? *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. Titius seruum 9. D. de seru. export.*

2 Vt in specie *d. l. Titius.*

3 Nec enim per pignus fit vlla alienatio, *l. eum & sortis 35. §. 1. iunct. l. si rem, 9. §. 1. propriè, D. de pignor. action. l. pignus, 8. Cod. eod.*

4 *L. in traditionibus, 44. D. de pact. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

BIU Cujas

5 *L. ei fundo*, 19. *D. de seru. l. venditor*, 13 *D. comm. præd.*
6 *L. quoties*. 15. *D. de seruit.*
7 Et generali dispositione, *Auth. hoc si debitor. C. de pign.*

DEFINITIO VIII.

Exceptio ordinis locum habet etiam contra mercatorem, nisi agatur in foro mercatorum.

EXceptionem ordinis non eo minus habebit fideiussor, quod cum mercatore contraxerit, [1] nisi & mercator ipse sit, & in mercatorum foro conueniatur, [2] in quo de istis apicibus iuris non solet disputari. [3] *Ita Senatus* ex tempore. 14. Calend. Decemb. 1589. Iunge tit. De fideiuss. SC. 3.

1 Est enim generalis dispositio *Auth. hoc si debitor. C. de pign.* & consequenter generaliter intelligenda *arg. l. in fraudem* 15. §. *vlt. D. de test. milit. l.* 1. § *generaliter*, *D. de legat. præst.*
2 Ita *in* § *item si quis num* 76. *& seqq. Inst. de action.*
3 *L. si fideiussor*, 29. §. *quædam*, *D. mandat* vbi dicitur, non conuenire bonæ fidei de apicibus iuris disputare. * Thesaur. *de cis.* 52 *num* 5. * [Bart. *ad l. Quintus*, D. *mandat.* Bald. *in l. si pro ea Cod. eod.* Dec. *cons.* 107. Iacob. Put *lib.* 3. *dec.* 26 *&* 28. Eman. Soarez *in commun. opin.* in verb. *fideiussor mercator vel campsor*: post Bald. & Salycet. *ad l. frustra Cod. de non numer pecun.*]

DEFINITIO IX.

Prius quidem quærendum est de iure actionis, quam de iure exceptionis, sed prius tamen de persona rei, quam de iure actoris, vt qui intercessit tanquam talis, prius se probet talem.

ETsi actore non probante reus absoluitur, etiamsi nihil præstiterit, [1] quia de actionibus antequam de exceptionis viribus cognoscendum est, [2] prius tamen inquiri oportet de persona rei, quam de iure actoris quoniam de personis quæstio semper præcedit quæstionem de re, quæ in iudicium deducitur. [3] Itaque cum executioni, quam ego contra te feceram, intercessisses tanquam Titij hæres cum beneficio legis & inuentarij, neque tamen inuentarium factum probares, placuit rejiciendam esse tuam intercessionem, nimirum vt tanquam hæres ex beneficio legis & inuentarij non audiaris. [4] Nec ad rem pertinet, quod vbi de inuētario non apparet, habetur pro puro hērede is, qui inuentarij commodum obtendebat. [5] Proindeque obtinere debeas, si ego nihil probem. Nam & post condemnationem integræ nihilominus, & saluæ tibi erunt exceptiones, si puri & absoluti hæredis iure velis intercedere. [6] Idemque erit si tanquam possessor possessionem tuam voles defendere. Neque enim possessionis suæ ius & titulum ostendere possessor cogitur. [7] *Ita Senatus* ex tempore, 11. Cal. Dec. 1589.

1 *L. qui accusare*, 4. *C. de edend.*
2 *L. vlt. C. de rei vindic. l. vlt. D. de acq. poss.*
3 Quoniam res omnes, itemque iudicia ipsa non nisi personarum gratia sunt comparata § *vlt. Inst. de iur. natur. gent. & ciuil.* Facit *l. quidam referunt*, 14. *D. de iur. cod.*
4 Quisquis enim agit aut excipit, tanquam talis deber ante omnia se probare talem, *l. licet*, 23. *C. de procur. cum ibi not. l.* 1. *l.* 3. § *ult. cognitio* & ibi not. D. *de Carbon. edict.*
5 *L. vlt. C. de iur. delib.* Esse enim hæredem cum beneficio inuentarij qualitas est accidentalis, quæ numquam præsumitur nisi probetur, Bart. *ad l.* 1. *C. de dignit. lib.* 12.
6 Alia enim res esse videtur, & ideo non nocet res judicata, *l. cum quæritur*, 12. *& seq. l. si cum vno*, 22. *D. de except. rei iud.*
7 *L. cog.* 11. *C. de petit. hæred.* iunct. *a. l. vlt. D. de acq. poss.*

DEFINITIO X.

Exceptio peremptæ instantiæ non potest opponi per eum, qui ipse prius fuit negligens in lite prosequenda.

PEremptæ instantiæ exceptio ei prodesse non potest, qui vltima iudicis interlocutione quid facere iussus fuit, quod postea non fecerit: [1] Quia quantocunque tempore lis siluerit, imputare sibi debet propriam negligentiam, [2] quippe quæ sola aduersarij quoque negligentiæ causam dederit. [3] *Ita Senatus* ex tempore, 3. Non. Decmbr. 1589.

1 Nemo enim potest in mora esse aliquid faciendi, quamdiu restat aliquid faciendum ab aduersario, Dec. Itaè & elegantèr, *consil.* 2.
2 Nec enim vnius negligentia alij nocere debet, *l. pupilla* 24. *D. quæ in fraud. cred.* Nam tum quoque cum vterque fuit negligens facienda est compensatio mutuæ negligentiæ, *l. si ambo* 10. *D. de compensat. l. rem hereditariam* 65. *in fin. D. de evict.*
3 Nemo enim potest alteri obiicere negligentiam, qui ipse fuerit negligentior, *l. vtro* 39. *l. cum mulier* 47. *D. solut. matrim.*

DEFINITIO XI.

Fideicommissum bonorum debitoris alicui adiudicatum detractis detrahendis non impedit, ne possit obici exceptio excussionis detractionum faciendarum.

SI principalis debitoris bona iure fideicommissi ad alium pertinere pronunciatum sit, detractis, vt adiici solet, de iure detrahendis, non ideo minus salua erit tertio possessori aut fideiussori exceptio non factæ excussionis, quod quæstio de iure detractionum magnis litium anfractibus agitanda supersit. Excutiendus enim est principalis debitor ad peram vsque & sacculum, vt aiunt, [1] nec debitor tantum, sed etiam heres eius. [2] Minusque fauorabilis causa est creditoris agere coacti contra principalem debitorem, heredemve eius, quam si agat contra posteriores pignorum emptores, prioribus pro suo iure, vt quidam nolunt eandem exceptionem non factæ posteriorum excussionis obiicientibus. [3] Hoc enim casu satis est, quod contra posteriores hactenus egerit, vt docere possit per eorum intercessionem fieri, ne suum consequi sine controuersia possit. [4] Nec litem prosequi tenetur, at neque litis finem expectare, si eam priores emptores suo periculo, suisque sumptibus ad sententiam vsque persequi paratos se dicant. [5] Differentiæ autem ratio aperta illa est, quod imputari non potest creditori, cur eius debitor alienauerit, [6] cum tamen eidem iustissime imputetur, cur cum hoc vel illo debitore contraxerit. [7] *Ita Senatus* pro vidua Lagnier, contra D. de Vatteuille Baronem de Verso, ex mense Iunij, 1590.

1 Quousque scilicet appareat & probetur, non esse illum soluendo, sic enim nostri ad *Auth. hoc si debitor C. de pign.*
2 *L. plane* 14. *D. de minor. l. Moschus* 47 *D. de iur. fisc.*
3 Secundum opinionem Ægid. magistri *in decis. Parisiæ l. si quis habens creditores* 14 *D. qui & a quib. manum.*
4 Quia paria sunt, Nihil esse quod possit leatur, & nihil posse sine controuersia possideri, *l. quamuis* 13. *D. de reb. auctor. iudic. possid.*
5 Vt hoc saltem casu procedat ius commune, de quo *in l. mœchis* 470. *de iur. fisc.* in illis verbis, *in reliquum possessorem omnem.*
6 *L. vnic. l. rer. alien. gerent. non interd. rer. suar. alien.*
7 *L. qui cum alio* 19. *& ibi not. de regul. iur.* Iunge *Defin.* 34. *infr.* 6.

DEFINITIO XII.

Exceptio solutionis totius debiti impedit pronunciationem diffinitiuam, at non allegatio solutionis partis debiti.

SI debitor à creditore conuentus totius debiti solutionem obiiciat, quam actor negat, non est differenda in executionem iudicati cognitio de solutione, sed statim & ante sententiam de facti veritate inquirendū est, vt exceptionis æquitate reus liberetur.

Ne alioqui

BIU Cujas

Ne alioqui expensis inanibus quas allatura est condemnatio alteruter oneretur, si solutum fuisse vniuersum debitum quandocunque apparebit. [3] Sed si pars tantùm debiti soluta dicatur, nec liquido cõstet, quid & quantum solutum sit, [4] condemnatio pro toto debito facienda est : sed cum ea tamen adiectione, vt quod in judicati executione solutum probabitur, de condemnatione detrahatur. [5] Est enim solutionis exceptio ex earum numero, quæ quoniam non impugnant iudicatum, at potiùs confirmant, etiam in executione iudicati obiici possunt. [6] Si tamen non tam de facta solutione, quàm de solutæ quantitatis modo & calculo dubitetur, [7] Senatus noster pro personarum & causarum qualitate, ne grauiore emolumenti, quod vocant, dispendio debitor lædatur, [8] id temperamentum sequi solet, vt eam duntaxat summam deducat in condemnationem, quam positis in iudicati executione rationibus & diligentiore habito calculo adhuc debitam esse constabit. [9] *Ita Senatus* in causa D. de Sonax, & N. Gay, 5. Kal. Decemb. 1590.

1 Et probatio exigenda est ab eo, qui allegat solutionem, *l. 1. C. de probat.*

2 Improbus siquidem est, qui bis velit idem consequi, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic. l. bona fides 57. de reg iur.*

3 Nulla enim litigandi causa supereſt post solutionem, *leg. quidam 21. D. de rebus cred.* cum solutione contingat plenissima liberatio, *l. pen. & pass ff. de solut.*

4 Quia si liquido constet aliud est. *d. l. quidam.*

5 Bald. *in l. peremptorias, C. sent. rescind. non poss.* Guid. Pap. *quæst. 67.*

6 Dixi *Desin. 2. §.* ex Boer. *dec. 19.*

7 Quod euenit cùm non negatur solutum esse, sed negatur tantum solutum.

8 Quia ex Statuto Sabaudiæ debetur emolumentum iudicari pro rata quantitatis adiudicatæ, proinde quanto major est summa quæ adjudicatur, tanto majus est emolumentum, quod penditur.

9 Hoc enim casu licet incerta ferri videatur sententia, tamen valet, quia potest fieri certa per calculum, sine alia noua vlla adjudicatione, *l. 2. vbi not.* iunct. *l. vlt. C. de sentent. quæ sine cert. quant. profer.*

DEFINITIO XIII.

An ad euitandam exceptionem non factæ excussionis sufficiat implorari clausulam constituti, an vero necesse sit implorari specialiter beneficium, l. vlt. C. de acquir. poss.

CReditor, cuius nomine debitor se constituerat possidere, si amissam debitoris facto possessionem velit a tertio possessore auocare, [1] vt effugiat incommodum exceptionis, quæ creditoribus hypothecaria agentibus nocere solet, non excussi debitoris, [2] non videtur arctandus, vt imploret beneficium Iustinianeæ constitutionis, [3] sed satis superque sibi consulere creditur, si quod effectu idem est, petat retineri se in pristina possessione, quam sibi vindicet ex clausula constituti. [4] Nam nec aliud quicquam Iustinianus constituit, nisi vt possessio creditoris, quæ per debitorem re vera fuit interuersa, sic auocari possit per creditorem, vt retenta magis quàm reuocata videatur. [5] Alio tamen jure vtimur. [6] *Ita Senatus* pro Claudia Gantin, contra Guillielmum Pictelat, & Assueram de la Place, 6. Kal. Iul. 1591.

1 Condictione *ex l. vlt. C. de acq. poss.* secundùm ea quæ scripsi *Desin. 1. §. eod. tit.*

2 Qui scilicet omnino excutiendus est, cùm agitur hypothecaria, *Auth. hoc si debitor, Cod de pignor. & in corpor. vnde sumit.*

3 *In d. l. vlt. C. de acqui. poss.* Antonin. Thessaur. *dec. 215. nume. 6. in fin.* vbi addit sufficere additam esse in libello clausulam, Ius & justitiam ministrari.

4 Non tàm enim formula actionis hodie spectanda est, *post tit. de formul. & impetr. act. sublat.* quam potestas & effectus actionis institutæ. Sicut & qui agit hodie ad supplementum, nec cogitur implorare beneficium, *l. omnimodo, 30. C. de inoffic. testam.* licet agat condictione ex illa lege, sed sufficit, vt dicat se agere ad supplementum.

5 Ideóque auocatur per viam retinendæ possessioni, non per viam adipiscendæ aut recuperandæ.

6 Vt dixi *in tit. de acquir. poss.* ex Bald. *in l. 1. Cod. de reuoc. his quæ in fraud cred.*

DEFINITIO XIV.

Nemo cogitur cedere actionem, ex cuius cessione futurum sit, vt conueniri possit.

CEdendarum actionum exceptio non minus tertio possessori aduersus hypothecarium creditorem datur, si justus ille possessor sit, quam fideiussori cùm ex stipulatione conuenitur. [1] Sed differentia in eo est, quòd fideiussori omnimodo & sine exceptione cedendæ sunt actiones, quia nec fieri vllo casu potest, vt ea cessio noceat cedenti creditori. [2] Tertio autem possessori cum distinctione. Quid enim si cum plures diuersis temporib. bona creditori obligata emissent, qui prior emerat, priore loco conuentus fuerit, non per simplicem hypothecariam, sed implorato beneficio clausulæ constituti, ne obiici posset exceptio, non excussi posterioris emptoris. [4] Nam & hoc casu exceptio cedendarum actionum vtique locum habet, [3] siquidem parum hac parte interest, qua actione creditor experiatur, cum vtroque casu & possessionem euincat, [5] & creditoris iure vtatur, quòd æquè per debiti oblationem dissoluitur. [6] Finge priorem hunc emptorem, vt creditorem summoueret, vniuersum ei debitum exsoluisse, [7] ex eaque causa factam illi à creditore jurium omnium, vt par est, cessionem: [7] mox velle illum agere contra posteriorem emptorem, siue ex ea cessione, siue proprio jure, quod vẽditoris communis bona anteriore pignoris vinculo haberet obligata, [9] Quis admittat repelli eum exceptione, ni cedat posteriori emptori omnib. iuribus, quę habuit à creditore? [10] Primum enim fieri non potest, vt easdem actiones præstet, nisi deteriores & imminutas: [11] cum pignus quod creditori in iis bonis quæsitum fuerat, extinctũ sit in persona emptoris, acquisito ei obligatarum rerum dominio. [12] Sed etsi pignoris vinculum idem maneret, fieret, vt emptor anterior iis cedendo actionibus, quas à creditore habuisset, contra seipsum cedere videretur. Siquidem futurum est, vt tertius possessor, qui secundo loco conuenitur, posteaquam creditoris jura ex cessione acceperit, aduersus hunc ipsum cedentem regressum habiturus sit, id est, in ea ipsa bona, pro quibus tanquam obligatis prior emptor controuersiam à creditore passus est, vt proinde nihil priori emptori profuturum sit, quod creditori soluerit. [13] Quæ res circuitum inducet: [14] nam cùm nec aliter audiendus sit, agens contra cedentem ex pristino creditoris jure, quàm si eadem omninò jura integra & illibata præstet, eueniet similiter, vt rursus contra eum acturus sit alius, qui modo conueniebatur. [15] Quam ob causam non defuerunt qui remedij loco inducendum putarent, vt à possessoribus omnibus fieret contributio debiti pro rata. [16] Sed æquior est contraria sententia existimantium, vltimi emptoris damno totam rem cedere debere, [17] si ab anteriore conueniatur, nec cogendum quenquam contra seipsum præstare alteri actionem. [18] Qua ratione nec cogendus erit emptor anterior, vt actionibus vllis cedat posteriori, contra eos, qui antiquius in eadem bona pignoris jus habeant, ne ita fiat, vt contra alios cedendo, contra seipsum longa manu cedere videatur. [19] Denique cogendus quidem est cedere, sed cum ea exce-

ptione, vti ne vlla vnquam per eiusmodi cessionem molestia sibi per cessionarium aut alios à cessionario causam habituros inferatur.[20] Atque huius quam cõstituimus inter fideiussorem & tertium possessorem differentiæ ratio non illa sola est, quam initio attigimus, quod nullo casu fieri possit, vt cessio fideiussori per creditorem facta sit creditori damnosa,[21] sed illa etiam, quod facilius accedat fideiussor ad fideiubendum, ea spe & contemplatione futuræ cessionis, quam pro sua indemnitate quandoque à creditore consecuturus sit:[22] at emptor, aut qui alio justo titulo possessor factus est, cùm accessit ad acquisitionem, non potest videri cogitasse de cessione actionum anterioribus emptoribus aut creditorib. comperentium, quia nec ea spe aut eo animo emebat, vt alij quàm venditori suo quicquam solueret:[23] eaque cessio non tam ex causa contractus proficiscitur, aut ex officio judicis in æstimandis præstationibus ex contractus descendentibus,[24] quam ex æquitate illa, quod non debeat actor possessori denegare id, quod sine vllo dispendio aut periculo præstare possit.[25] *Ita Senatus 6. Kal. Iul. 1591.*

1 Anton. Capyc. *Decis. Neapol* 51. post Speculat. ibi citat ex *l. mulier, 19. D. qui potior. in pig hab.*

2 Quis vero non putet æquum, id salutem præstare creditorem, quod sine ipsius dispendio futurum est? Inquit *l in creditore, 38. in fin. D. de euict.* [Alioqui numquam cogitur actor cedere actionem ei, qui ex culpa sua conuenitur: multò minùs ei, qui ex suo delicto siue ob factum id quod fieri non debuit, siue ob non factum id quod fieri debuit, *l. si plures 38 in fi. D. de admin. tutor.* Sunt enim duo ista propemodum æquipollentia, *leg. qui non facit 121 de reg. iur. Ita Senatus* pro administratoribus collegij Neciensis, contra N. Berardum Pelard D. de Chasteauvieux, die Iun. 1614. Sicut è contrario, quibus casibus locus est exceptioni cedendarum actionum, semper ea exceptione repellitur actor, cuius facto accidit, ne actiones vllas cedere possit, *l. Stichum aut Pamphilum 95. § si creditor D. de solut.*]

3 Secundum ea quæ diximus *Defin. prox. præced.* Alioqui possent, qui priore loco emerunt exceptionem obiicere posteriorum non excussorum, vt dixi *Defin. 11. §. eod.*

4 Ex æquitate posita *in d. l. in creditore 38 in fi. de euict.*

5 Siue agat condictione *ex l. vlt. C de acquir. poss.* siue hypothecaria, *l. si cum venditor 66. D. de euict.*

6 *L. item liberatur. 6. l. Paulus, 12. § 1 ff quib. mod. pign. vel hypoth. solu.*

7 Nam & qualiscumque possessor offerre potest: etiamsi sit in mala fide *d. l. Paulus §. 1.*

8 Quæ scilicet necessario facienda est bonæ fidei possessori: *d. l. mulier 19 ff qui potior in pign. hab.*

9 Nec enim ius suum vetus amittit, qui aliud nouum sibi acquirit, *l 1. §. vlt. ff. si quis à parent. manum. sit.*

10 Quam Pragmatici nostri vulgo appellant exceptionem cedendarum actionum. De qua *in lege vt fideiussor, 39. ff. de fideiussor. lege rem hæreditariam, 65. versicul. nec remedio ff. de euict.*

11 Non videtur autem reddi, quod deterius redditur, *l. 3. § si reddita ff. commod. l pen. in fi. de condic. tritic. l. Stichum, 95. § pen. ff. de solut.*

12 *L pen §. Latinus Largus, de excep. rei iudi. l. neque pignus 45. de reg iur.*

13 Vide omnino Decium *cons.* 104. Et Negusantium, qui Decium reprehendit, *in tract. de pignor. in 3 membr. 3 part. princip. num. 3.*

14 Ac perplexitatem illi fere similem, de qua African. *in lege quidquid quadringenta 80 ff. ad l Falc.*

15 Et ita fiet circuitus in infinitum, quod nec natura ipsa, nec ius patitur.

16 *Argum. l. cum possessor, 5 ff. de consibus* Capyc. *dict. quæst 51.* Bart. l. & ceteri. *ad l iubemus, 21. C. ad SC. Velleian. & in l. si stipulatus, 15 §. 1. D. de fideiussor. l. 2. C. eod.* Socin. *cons. 200. & 206. lib. 2.*

17 *Argument. l si quis habens creditores 24. ff. qui & à quibus manum.*

18 *Arg. not. per glos. & alios in l. 1. alias l. 2. C. de duob. reis.*

19 Antiquiores enim habituri essent regressum aduersus eũ, *vel ber. legat. l. cum lex, 46 ff de fideiuss.*

20 Ne alioqui videretur per mediam alterius personam a. . . contra seipsum, quod impossibile est, *l. ne cum filiofamilias . . . fur.*

21 Quæ tamen magna ratio est, *d. l. in creditore, l. si hæredita-tem, 32. D. mandat.*

22 *L. Stichum aut Pamphilum, 95. §. si creditor, pen. D. de solut. l 2. C. de fideiuss.*

23 Ita Bart. Cyn. Alber. Salycet. & alij *ad l. iubemus, 21. Cod. ad SC. Velleian.* Vide omnino Matth. de Afflict. *Decis. 343.*

24 Quomodo aliæ pleræque præstationes, quæ descendunt ex natura iudiciorum bonæ fidei, de quibus *in l generaliter, 5. ff. de vsur l. quod si nolit, 31. § quia assidua, ff. de ædilit. edict.*

25 *d. l. in creditore, 38. in fin. D. de cuict.*

DEFINITIO XV.

Nemo cogitur cedere actionem aduersus illos, quibus indemnitatem ipse præstare teneatur.

NEc distinguemus, an qui agit contra posteriorem emptorem agat ex jure cessõ, an ex proprio, vt puta, si quod plerumque fit, cùm prior emeret, curauerit obligari sibi pro euictione bona omnia venditoris,[1] Generale enim & perpetuum est, vt non alia iura cedere quis compellatur, quam quæ habeat, aut culpa sua habere desierit:[2] Atqui contra seipsum actionem nullam habere vnquam potuit,[3] nec rursus nisi inutilem & inefficacem aduersus anteriores creditores & possessores pignorum, quibus ille indemnitatem præstare cogendus esset, si quid ab iis peteretur.[4] De iis nimirum anterioribus possessoribus intelligimus, qui in casum euictionis cauerint sibi de pignore, ex eaque causa regressum habere possint in bona sequenti loco alienata:[5] nam si pignoris conuentio nulla intercesserit, nihil sane causæ est, cur non is, qui secundus comparauit, & creditoris hypothecarij iura omnia cessa habuit cogendus sit iisdem juribus tertio cedere, etiam contra priorem emptorem, cum eo casu verendum non sit, ne ex eadem cessione quandoque à primo conueniatur.[6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Alioqui actio de euictione personalis tantùm est, nec vllum habet priuilegium taciræ hypothecæ, vt neque actiones cæteræ personales, de quib. nominatim ita cautum est, *tot. tit. D. & C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.* Iunge *l. rem hereditariam 65. D. de euict.*

2 Cùm nemo possit cedere iura quæ non habet, vt nec potiora jura quàm ipse habeat, *l. nemo plus iuris, 54. de regul. iur. l. Stichum, 95. § pen. D. de solut.*

3 *L. ne cum filiofamil. 16. D. de furt.*

4 In effectu enim is solus conueniri videtur, cuius solius periculo tandem res cessura est *l. eum lex, 46. ff. de fideiussor. l. 5. D. de liber. legat. l. 1 C. vbi in rem act.*

5 Nec enim secuta alienatio extinguit ius præcedentis pignoris, *l. debitorem 15. Co. de pign.*

6 Nec enim potest hypothecariam habere is, qui nihil conuenit de pignore, *l. Aristo. 3. D. quæ res pignor. oblig poss.*

DEFINITIO XVI.

Exceptio simulationis potest obiici, non tantùm à contrahentibus, sed etiam ab eorum successoribus nec minus cessionario, quàm cedenti.

SIcuti exceptio simulationis obiici potest, nõ ab eo tantùm qui contraxit, sed etiam ab eius successoribus, siue singularibus, siue vniuersalibus, ita & certum est, obiici eam posse cessionario perinde accedenti, etiamsi ex causa onerosa cessio facta proponatur.[2] Nimirum, quoniam contractus simulatus contractus nó est,[3] quippe qui non habeat voluntatem contrahentium,[4] ex qua contractus omnes æstimandi sunt.[5] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 4. supr. plus valet, quod agit.

1 Quia simulationis vitium reale est, & afficit rem ipsam, facitque, vt pro infecta haberi debeat, *l. si ex pretio, 8. Cod si cert. pet. l.*

BIU Cujas

pet. l. sumea, 11. C. de transact. Quæ autem in rem sunt exceptiones competunt quibuscunque leg. exceptiones, 7. §. rei autem, D. hoc tit.

2 Quamvis soleant nostri distinguere, an cessio facta sit ex causa onerosa, an ex lucrativa, in l. 4. §. si cum legitima, D. de doli mal. except. & in l. facta 63. § si heres. D. ad SC. Treb.

3 L. 1. vbi not. C. plus val. quod agit. l. imaginaria 16. de reg. iur. l. simulata nuptia 30. de rit. nup. l. emptor 12. de aqua & aquæ pluv. arcend.

4 Nec medullam veritatis, vt loquitur Bald. in l. & qui sub imagine 10. C. de distr. pigno. & in l. ab Anastasio not. tab. 4. C. mandat. & tanquam corpus sine spiritu, quia consensus ab eo remotus est: idem Bald. in d. l. 1. C. plus valer. quod agit. Ias. in l. nemo potest.

5 L. semper in stipulationibus 38. de reg. iur. l. in omnibus rebus 55. de oblig. & act. num. 42. & ibid. Rip. nu. 65. de legat. 1.

DEFINITIO XVII.

Excussionis non factæ exceptio potest opponi etiam per creditorem posteriorem conuentum hypothecaria, tanquam tertium possessorem.

DE posteriore creditore rem anteriori obligatam non nisi pignoris titulo possidente dubitatum aliquando fuit, an si quasi Seruiana cõueniatur ab anteriore, iuuandus sit exceptione non excussi debitoris: quibusdam id negantibus propterea, quod non tam sibi quàm debitori possideat, cuius veluti procurator quidam est in pignore, adeò, vt eius personam repræsentare interdum existimetur.[1] Atqui certum est exceptionem illam iis demum prodesse, qui sibi, non qui aliis possident:[2] iis certè nullo modo qui possident debitori, quoniam nec ipse debitor eã habere potest.[3] Sed tamen contra visum est, iustum retinendæ tuendæque possessionis titulum esse, si quis tanquam creditor possideat, ideóque nec ei minus quàm cæteris possessorib. exceptionem hanc accommodari oportere, quoniam sibi possidet, non debitori, nisi quod ad vsucapionis causam pertinet.[4] Vnde illud etiam est, quod & interdicta omnia habet possessoria,[5] & vtiles pleraque actiones.[6] *Ita Senatus* pro Antonio Neiret, contra Benedictum Geoffrey, 9. Kal. Aug. 1592.

1 *L. cum notissimi* 7. §. 1. C. *de præscrip.* 30. *vel* 40. *annor. l. creditori*, vbi Castrens. & DD *de oper. nouis nuncia. l. si pignori* 29. *ad fi. D. famil. erci.* Iunge *Defin. seq.*

2 Dixi *Defin.* 3. *n.* 2. §. *hoc tit.*

3 Ne per alium quis consequatur indirecto, quod per se directo non potest, *contra l. scire oportet* 21. §. 1. *de legit. tut.* quanquam nec id nouum est, *l.* 3. *in fin. quæ res pignor. l. si is qui* 29. *de lib. leg.*

4 *L. serui nomine* 16. *D. de vsucap.*

5 Nisi custodiæ tantum causa sit in possessione, *l.* 3. §. *creditores vti possid.*

6 Salicet *ad Auth hoc si debitor, quæst.* 7. *C. de pignor.* Osasch. *decis. Pedem* 133. *num.* 11. [Aliud est in exceptione præscriptionis, de qua *in Defin.* 1. §. *si aduers. cred. præscr. oppon.*]

DEFINITIO XVIII.

Indicatis per possessorem bonis quæ excuti possint, aliorum excussionem facere creditor non cogitur, nisi rursum indicatio aliorum fiat, interea nihil contra possessorem statuendum est.

QVamquam is, qui excussionis non factæ exceptionem objicit, non cogitur ea bona indicare, quæ possint excuti, nisi prius facta per creditorem diligenti perquisitione,[1] si tamen vltro indicauerit, hactenus sibi nocet, vt non alia cogatur creditor excutere, quàm quæ indicata sunt,[2] quod verisimile sit ea omnia possessorem indicasse, quæ conquiri & excuti possent, vt ex eorum venditione dimisso creditore liberationem ipse consequeretur.[3] Itaque excussis iis, si creditori minimè satisfactum sit, recusare reus non potest, quo minus pignorum, quæ possidet, venditionem patiatur.[4] Sane iustum non est desiderium creditoris postulantis, vt ea bona quæ possessor indicauerit, itémque ea, quæ penes se possessor habeat, simul distrahantur, vt ex communi pretio creditorib. omnibus ex ordine satisfiat. Sic enim eueniret, vt priuaretur possessor commodo exceptionis, quod in eo præcipuè versatur, vt tandiu inquietari per hypothecariam nequeat, quandiu illæso eo & aliunde satisfieri creditori potest. In cõque melior est conditio tertij possessoris, quàm creditoris anterioris solo crediti iure pignus possidentis, juxta eorum sententiam, qui contra juris rationem volunt, vt pignoris distractionem à posteriore creditore petitam prohibere non possit ille, si posterior offerre nolit, dum ne prius ei possessio auferatur, quam omne debitum sit consecutus:[6] est enim sanè fauorabilior, qui iusto titulo rem sibi habet tanquam suam, quam qui creditor tantum est.[7] Cui consequens fit, vt si non aliam obiiciendæ exceptionis causam habeat, quam quia crediti iure pignus teneat, secundùm ea, quæ proximo SC. diximus, distractionem pignoris eo prætextu non factæ excussionis impedire non possit,[8] ne alioqui plus juris in retinenda pignoris possessione creditor posterior aduersus priorem, quam qui anterior idémque possessor est contra posteriorem, habere videatur.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Not. *ad Auth. hoc si debitor. C. de pignor.* Nec enim cogitur possessor veluti Procurator esse creditoris, vt in specie licet dissimili argumentatur Marcellus *in l. postulante* 44. §. *vl. D. ad SC. Trebell.*

2 Specialis nãmque indicatio tollit necessitatem generalis inquisitionis, *arg. l. maritus* 21 *C. de procurat.* vbi speciale mandatum vxoris tollit generale, quod in bonis vxoris tacitè habere maritus intelligitur [Nõ idem est, si post oppositam à possessore discussionem personæ & bonorum omnium debitoris, iudex iusserit bona quædam excuti, equorum pretio creditori commodè satisfieri posse sperabatur. Nam si facta illa discussione appareat nondum satisfieri potuisse creditori: non eò minùs discutienda erunt cætera, etiam nulla per possessorem facta noua indicatione. Nec possessori nocebit, quod acquieuerit interlocutioni iudicis. Cùm exceptioni bonè oppositæ non potuerit iudex derogare, ideóque nec voluisse credendus sit. *Ita Senatus* in causa Petri Parat & Petri Rigot Geneuatum, 2. August. 1612.]

3 Siquidem frustra esset ea indicasse, quæ non essent idonea, vel quæ sine controuersia possideri non possent, *l. quamvis* 13. *D. de rebus auctor. Iudic. possid. l.* 2. *C. de pignor. l.* 2. *D. qui potior in pign. hab.*

4 Intellige, nisi possessor paratus sit alia indicare. Hoc enim casu eorum quoque excussio facienda esset, cum eadem sit ratio, ac si ab initio fuissent indicata, nec quicquam interfit creditoris, ex quibus bonis suum consequatur, *d. l.* 2. *C. de pigno.*

5 *L. planè* 14. *D. de minor. l. Moschus* 45 *ff. de iur. fisc.*

6 De quo scitissimus *Defin.* 1. §. *de distract. pignor.* vbi tamen hanc sententiam improbauimus.

7 Cùm creditor non pro suo possideat, sed pro alieno, *l. si pignori* 13 *ff. de vsucap.*

8 *L. vlt. C. si antiq. credit. pign. vendid.*

9 Quod sanè absurdum esset. Plus enim iuris regulariter habere debet creditor anterior, quàm posterior, *l.* 2. *l.* 4. *& pass. Co. qui potior. in pignor. hab.* & plus is qui possidet, quàm qui non possidet, *l.* 1. *ff. de pignor.*

DEFINITIO XIX.

Posterior creditor non eo minùs iuuandus est exceptione non factæ excussionis, quod in fraudem legitimarum vsurarum contraxisse dicatur.

NOn eo minus exceptione non excussi debitoris iuuandus est posterior creditor, idémque pignoris possessor,[1] quod anterior obiiciat, contractam per eum antichresim in fraudem legitimarum

BIU Cujas

vsurarum, [2] fructusque pignoris ab eo per longum tempus malè perceptos in sortem computari debere, vt ea computatione sors omninò absorpta solutaque videatur. [3] Quid enim anterioris creditoris interest, si debitor ipse non conqueratur, & alia bona sint, ex quorum distractione ipsi satisfieri possit? [4] Aut cur inuito vel ignorante debitore audiatur is, qui rem debitoris potius quam suam tractat, cum nihil eius interfit? [5] Plane si aliud nihil sit, ex quo debitum suum consequi saltem æque commode creditor possit, permittendū erit, vt quod à communi debitore perperam gestum probabitur, eatenus rescindat, quatenus indēnitatis suę ratio postulare videbitur, [6] vt hoc saltem per debitoris personam consequatur ab alio, quod ab ipso debitore aut aliunde consequi nequeat. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum id quod scripsimus *Defin.* 17. 5. *eod.*

2 Quod euenit si fructus pignoris, qui ex pacto cedunt lucro creditoris, excedant legitimum modum vsurarum, & sint certi, non etiamsi sint incerti, *l. si ea pactione* 14. C. *de vsur.* Iunge *l. cùm debitor* 8, *D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contr.*

3 *Ex l.* 1. 2. *&* 3. C. *de pignor. act. l.* 1. C. *de distr. pignor.*

4 Nemo enim siue agendo, siue excipiendo auditur, cuius non interfit, *l.* 3 §. 1. *l. stipulatio ista* 38. §. *alteri, de verb. oblig. l. ille à quo* 13 §. *si de testamento.* vbi Alex. D. *ad SC. Trebell.*

5 Nec enim debitor ipse posset distractionem pignoris impedire, *l.* 1. *&* 2. C. *debit. vendit. pignor. imped. non poss.* Ne quidem in hoc casu iurauerit. Neque *in 5. membr. 5 part. nu.* 7. *ex cap. debitores de iureiur.*

6 Nam cùm habeat bona omnia sui debitoris obligata, habet quoque hoc ius obligatum dicendi nullum & vsurarium contractum malè initum cum alio creditore. Iura enim sicuti veniunt appellatione bonorum, *l. bonorum* 49. *de verb. signif.* ita & in generali bonorum obligatione, *l. nomen* 4. C. *quæ res pignor. obl. g. poss.*

7 Semper enim quantum fieri potest succurrendum est misero creditori certanti de damno vitando. *l. quod autem* 6 §. *simili modo dicimus, D. quæ in fraud. credit. l.* 4. § *si cum legitima, vers. si quis autem, D. de dolo except. l. vltim.* §. *sin verò creditores, Cod. de iur. delib.* Similis quædam ratio est *in l. dotem* 6. *D. de coll. bon.*

DEFINITIO XX.

DEjure tertij numquam excipere is potest, qui si ratione illa vinceret, deteriorem faceret tertij conditionem. [1] Itaque cùm is, qui pupilli rem immobilem nullo jure tenebat, ab eo conueniretur, qui rem illam à tutore sine decreto comparauerat, & objiceret contra leges factam venditionem, quia decretum non interuenisset, [2] non putauit Senatus admittendam exceptionem, propterea quod constabat, pupilli conditionem ex ea venditione meliorem factam esse. [3] pupilliique interest, vt actor potius quàm reus vinceret. Quamquam enim dici solet, admittendam esse exceptionem de jure tertij, quoties excluſiua illa est juris agentis, [4] absurdum tamen sit, prætextu vtilitatis pupilli eam admittere exceptionem, quæ pupilli causam faciat deteriorem: [5] aut quod idem est, de non jure actoris ex pupilli persona disputare illum, qui, si vinceret, pupillum in maiore damno constitueret. [6] Idque eo magis admittendum videbatur, quod ex enunciatiuis contractus verbis apparebat, interpositionem decreti præcessisse. Nam licet verba enunciatiua non probent inter alias partes, [7] tamen inter easdem probare solent, [8] ac proinde inter pupillum & emptorem, hactenus saltem vti ne ex persona pupilli negare alius possit, quod pupillus ipse tutorve eius confessus est. [9] Quamvis aduersus pupillum ipsum, si ageret, ea probatio non sufficeret, ne alioqui facile esset tutori cum emptore colludenti falsa eiusmodi enunciatione legem fallere, [10] quę certè non magis interpositionem solemnitatis exigit, quam interpositæ manifestam probationem. [11] *Ita Senatus* in causa Aduocatorum de Coysiaz & Gaudinon, 16. Cal. Sep. 1592.

1 Nec enim verisimile est, quod tertius ille vnquam sit vsurus eo iure, per quod suam conditionem deteriorem facturus esset, *vulg. l. cùm de indebito* 25. *ff. de probat.* Nec rursus potest quisquam deteriorem facere alterius conditionem, *l.* 74. *de regul. iur.*

2 *Ex l.* 1. *& tot. tit. ff. de reb. eor. qui sub tutel. l.* 1 *& tot. tit. Cod. eod. tit. de præd. minor.*

3 Quo casu nec pupillus ipse posset rem suam vindicare, nisi restituto prius pretio, alioqui repelleretur exceptione doli, *l. si fundus* 13 §. 1 *ff. de rebus eor. qui sub tutel. l. vtrò* 14. *Cod. de præd. minor.*

4 *L. loci* 4 §. *competit.* vbi Bart. & cæteri, *D. si seruit. vindic. leg. vlt. C. de rei vindic.*

5 *Arg. l. pen. C. ad SC. Trebell.*

6 Alioqui esset in huius potestate deteriorem facere ignorantis pupilli conditionem, quod absurdum esset, *l. soluendo* 37. *de neg. gest. l.* 2. *D. quod vi aut clam.*

7 Nisi in antiquis Bart. & alij *in l. ex hac scriptura, Dig. de donat.*

8 *Vulg. l. optimam* 14. vbi Bart. & alij, C. *de contr. & committ. stipulat.*

9 Nam ex cuius persona quis agit aut excipit, eius factum præstare debet, *l. ex qua persona* 149. *de reg. iur.*

10 *Argum. l. magis puto* 5. § *si pupillus, D. de rebus eor. qui sub tutel.*

11 Paria siquidem sunt, quid non esse & non apparere. *l. duo sunt, Titij* 30. *D. de testam. tutel.* præsertim cùm non quodlibet decretum interuenisse sufficiat, sed tale esse oporteat, in quo adfuerint omnes solemnitates, quod nisi viso eo sciri non potest, *d. l.* 5 §. *non passim de reb. eor.*

DEFINITIO XXI.

Excussio iurium perinde ac bonorum mobilium aut immobilium facienda est, si possit fieri citra litem.

EXcussio obiici potest non tantùm bonorum mobilium & immobilium, sed etiam iurium debitoris, si qua sint aperta, nec litigiosa: [1] puta si rem maioris pretij debitor viliore pretio distraxerit sub pacto de retrouendendo. [2] Cur non enim hyperochæ perinde ac ipsius fundi, si non esset venditus, excussio fiat, cum is, qui hyperocham fundi habet, fundum ipsum habere videatur, deducto eo, quod ad possessoris ius tollendum necesse est? [3] Quamvis enim iniquum sit, cogi creditorem debiti sui consequendi gratia rem alienam redimere, [4] in eamque rem vti iure sui debitoris, nihil tamen prohibet ius ipsum redimendi & hyperocham non secus ac fundum distrahi, & ex pretio, quod redigetur, satisfieri creditori, cùm æquè facile emptorem inuenire possit. [5] Sed hoc ita, vt dixi, si de eo redimendi iure disputari non oporteat. Quid enim si nollet prior emptor retrouendere, siue iure, siue iniuria? Non esset cogendus creditor pro pecunia litem susci pere. [6] Quid item si redimendi ius ex conuentione fuit temporale, quod ex causa enormis læsionis perpetuum esse debere contendat debitor? [7] Aut quid si locus esse possit in integrum restitutioni, quod vel dolus, vel metus, vel etiam enormis læsio aut enormissima interuenerit? [8] Non magis arctandus est creditor agens hypothecaria, vt litigiosam aut dubiam actionem excutiat, [9] quam vt fundum, qui sine controuersia possideri non possit. [10] Hactenus igitur facienda erit excussio iurium & actionum, quatenus nemine contradicente id fieri possit & citra litis periculum. [11] Non deerant qui putarent, iurium excussionem fieri nunquam oportere, propterea quod iura non possideantur. [12] Sed ratio illa probat potius debitoris debitorem, si hypothecaria conueniatur, nō esse iuuandum exceptione non factę excussionis, quæ solis competit possessoribus. [13] Et vero si debitoris bona omnia sint in nominibus, cur nō cogatur creditor agēs hypothe-

BIU Cujas

hypothecaria peragere venditionem nominum æquè ac bonorum mobiliumue aut immobilium?[14] Actionem sanè suscipere & exercere cogendus non est, cùm lites execrantium voluntas laudari potius debeat, quàm vituperari,[15] sed distrahere cogi potest, si modo commodum inueniat emptorem.[16] *Ita Senatus* pro Philiberto Mareschal Procuratore, contra Bonauenturam Miege, 8. Id. Nouemb. 1592.

1 Cùm etiam iura commodè vendi possint, si modò sunt in confesso, *l. à Diuo Pio 15. §. sic quoque Iudices, & seq. Dig. de re iudic.*

2 Quo casu hyperocha, Id est, vt loquuntur, pluris valentia remanet in bonis debitoris, *l. 2. vbi not. C. de pact. inter. empt. & vendi.* adeóque ius ipsum redimendi, etiamsi res pluris non sit.

3 *L. & quæ nondum 15. §. quæres suas D. de pignor.*

4 *L. nec emere 16. C. de iur. deliber.*

5 *d. §. sic quoque Iudices, & 5. in venditione eiusd. l. à Diuo Pio 15. D. de re iudic.*

6 Est enim verecunda cogitatio eius, qui lites execratur, *l. 4 §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

7 Ex notat. *in l. si quis cum aliter 36. ff. de verb. oblig.* Scripsi *in lib. de rescind. vendit.*

8 *Ex tit. de eo quod met. caus. D. dolo, & ex l. 2 & l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

9 *d. § sed vtrum.*

10 *L. quamvis 13. D. de rebus iudic. possid.* vbi dicitur, paria esse, nihil omnino esse, quod possideri possit, & nihil possideri posse sine controuersia.

11 Cum eo casu nihil interfit creditoris agentis, interfit verò maximè possessoris, ne tam facile nullâque necessitate cogente inquietetur, *Auth. hoc si debitor, C. de pignor.*

12 Non enim possideri possunt, nisi quæ sunt corporalia, *l. 3. in princ. D. de acq. poss. l. 4. § si vtam 27. D. de vsucap.*

13 *d. Auth. hoc si debitor.* Nec enim quicquam interest eius, qui debitor est, vtri soluat, an creditori suo, an creditoris creditori, dummodo liberetur. De quo scripsimus in libris Coniecturarum.

14 *d. l. à Diuo Pio 15. §. in venditione D. de re iudic.*

15 *d. l. 4. § 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

16 *d. §. sed vtrum.*

DEFINITIO XXII.

Non cogitur creditor facere excussionem liberorum, tanquam hæredum debitoris, si appareat, repudiatam à curatore, quamvis inutiliter, paternam hæreditatem.

CReditori agenti hypothecaria tertia possessor obiiciebat exceptionem non excussorum hæredum debitoris, qui pluribus liberis puberibus institutis decesserat. Cùm creditor, vt elideret exceptionem, proferret instrumentum, quo continebatur, repudiatam à curatore paternam hæreditatem eorum nomine, visum est satis abundeque factam excussionem.[1] Licet enim hæreditas minori delata repudiari per curatorem non possit,[2] ideóque integrum sit possessori probare, liberos bonis patris immixtos esse,[3] sufficit tamen curatoris factum vt in possessorem transferatur onus probandi, cùm verisimile sit, si paternam hereditatem liberi agnouissent, id vtique sciturum fuisse ipsorum curatorem. Nam & alioqui in eam rem sufficerent vicinorum testationes, ob hoc solum, quod facta vicini scire vicinus præsumatur.[5] In proposito autem tantò magis id admittendum est, quod nec in dubio præsumendum sit, si nostris credimus, filium esse hæredem patris, cum damnosa est hæreditas.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ac si à minoribus ipsis fuisset omissa per abstentionem hæreditas paterna, cùm in filios, qui se abstinuerunt, prætor deneget actiones, *l. necessariis 57. iunct. l. ei qui 12. D. de acquiren. hæred.*

2 Is enim potest repudiare, qui & adire potest, *l. is potest 18. D. de acquir. hæred.* Curator autem non potest adire nomine minoris, adeóque nec minori adeunti auctoritatem præstare, *l. cùm in vna 17. §. intor, D. de appellat. iunct. l. potuit 5. Cod. de iur. del ib.*

3 Quo casu si sint puberes, non possunt se abstinere nisi per beneficium restitutionis, *d. l. ei qui 12. & d. l. necessariis 57. de acquir. hæred.*

4 Sine cuius scilicet auctoritate nihil administrare aut facere minor potest, *l. si curatorem habens 3. C. de in integrum restit. min.*

5 *Vulg. cap. quanto, extr. de præsumpt.*

6 Ita enim Bart communiter approbatur *in l. 1. & 2. Cod. si vt min. se ab hæred. abstin.* Scripsi latè *in Hemischiliade de error. pragmat.*

DEFINITIO XXIII.

Excussio facienda est non personæ absentis, sed bonorum existentium in prouincia, quæ sit in territorio eiusdem supremi tribunalis.

ABsentis quidem debitoris excussionem facere nō cogitur creditor, qui agit hypothecaria:[1] sed si bona ille reliquerit in prouincia, quæ sine controuersia possideri queant? non eò minùs excutienda erunt, quòd absens sit debitor, dato nimirum bonis curatore, aduersus quem perinde ac cōtra ipsum debitorem actio exerceatur.[3] Prouinciam autem intelligimus non eam solùm, in qua domicilium habeat debitor, aut in qua contractus celebratus sit, sed etiam quæ sit in eiusdem supremi tribunalis territorio. Finge debitorem Maurianensem relictis Maurianæ finibus domicilium suum ad Centrones transtulisse, cur in Italiam profectum bona in Centronibus reliquisse. Priore casu nec videbitur abesse,[4] posteriore verò bona in prouincia reliquisse dicendus erit.[5] Ideôque excussionem facere creditor compelletur. *Ita Senatus* pro Claudio Carré, contra Nicolaum Gaignepain, 14. Kal. Decemb. 1592.

1 Quia nimis magnum incommodum est, vt quis absentem perquirere, & contra ipsum extra prouinciā agere cogatur, *arg. l. 5. §. vlt. D. de testib.* Parúmque interest, an quis absit extra prouinciam, an decesserit, *l. vlt. §. vbi autem in vnum C. d. bon. quæ lib.* [Idem ergo esse debet si debitor inops coniectus sit in carceres quos malit perpetuos pati, quàm semel soluere, vt scripsi *ad Desin. 19 nu. 1. §. de pignor.*]

2 Alioqui nec sunt excutienda, *l. quamvis 13. C. de rebus alien. non iudic. possid.*

3 *L. 3. §. 1. D. de curat. bon. dand.*

4 Quoniam vtraque prouincia est in territorio, non tantùm eiusdem Principis & Ducis nostri, sed etiam eiusdem supremi tribunalis, Senatus nostri. Aliud ergo esset si ad Pedemontanos diuertisset.

5 Et quidem quorum persecutio non valde incommoda & onerosa possit esse creditori in tam patua locorum distantia.

DEFINITIO XXIV.

Exceptio, quæ obstaret cedenti, cùm in rem est, obstat cessionario, etiamsi ea exceptio per cessionarium ipsum ante opposita fuerit nec admissa.

EXceptio, quæ obstabat cedenti, si in rem, non in personam fuit, obstabat cessionario,[1] nec ad rem pertinebit, quod cessionarius ante cessionem, cùm à cedente conuentus eandem exceptionem proposuisset, cōdemnatus fuerat, si modo factum ipsius aut culpa causam dederat condemnationi.[2] Neque enim rei iudicatæ auctoritatem pro cessionario habere potest contra nouum litigatorem ea sententia, quę pro cedēte contra cessionarium lata est,[3] præsertim cum ipsius cessionarij culpa vel negligentia prioris litis iacturam attulit.[4] Quod si per solam Iudicis iniuriam condemnatio secuta est, alia ratio est, quæ repellit cessionariū, illa nimirum, quod quæ ipsi facta est iniuria, ad alium protrahi non debeat.[5] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Montou & Ioannis Blanchard, & Claudij Geneuois, 6. Id. April. 1593.

1 *Arg. l. exceptiones 7. D. de except.* Bart. & alij *ad l. facta 63. §. si*

BIU Cujas

heres, D. ad SC. Trebell. & ad l. 4. §. si cum legitimi, & seq. D. de dolo mal. except. intellige tamen de cessionario, qui agat suo nomine vtilibus actionibus. Nam si agat directis ex persona cedentis licet ad suum commodum. aliud est, *lege ex qua persona 149. de reg. iur.* Scripsi latius *libr. 2. Coniect. iur. ciuil.*

2 Vt in specie *l. si ideo 55. D. de euict. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. pen. D. de solut.*

3 Tanquam res inter alios acta, *leg. 1. D. de except. rei iudic. l. quæritur 2. & seqq. & pass. eod.*

4 Alioqui negligentia cessionarij noceret ei, qui nunc eandem exceptionem obiicit, quod absurdum esset, *l. 2. D. quod vi aut clam, l. pupillus 24. D. quæ in fraud. cred. l. rem hereditariam 65. D. de euict.*

5 *L. si per imprudentiam 51. eod. tit. de euict. l. exceptionem 67. D. de fideiuss.*

DEFINITIO XXV.

Non cogitur possessor, qui abiecit excussionem, iudicare bona vacantia: potest tamen Iudex præcipere, vt ante omnia litigatores conueniant & iurent de facti veritate.

ETsi tertio possessori hypothecaria conuento non factæ excussionis exceptionem obiicere sufficit, ita vt nec bona vlla vacantia, aut quæ sine controuersia possideri queant, indicare prius cōpellatur, quam excussio facta sit,[1] non inique tamen decernere & præcipere Iudex potest, vt de rei veritate, hoc est, an bona aliqua sint, an nulla, quę excuti oporteat, litigatores, si fieri possit, ante omnia consentiant, adhibito etiam purgationis, vt vocant, & de calumnia iureiurando,[2] ni malit possessor indicare vacantia.[3] Nulla enim ei fit iniuria, qui si neget nulla esse, quamuis nec indicet, quænam & vbi nam sint, tum demum agenti creditori faciendæ excussionis irrogabitur.[4] *Ita Senatus* ex tempore, pro Bartholom. Blanchin, 6. Calend. Aug. 593.

1 Hoc enim demum est excutere, inquirere scilicet & perquirere diligenter an vlla sint alia bona, quæ possint sine controuersia possideri. Not. *ad Auth. hoc si debitor, C. de pignor.* Papian. *in form. libell. in act. hypoth. in verb. excussionem.*

2 Quod pragmatici dicunt, *conuenir de la verité des faits.*

3 Expediendi scilicet negotij causa.

4 *d. Auth. hoc si debitor.*

DEFINITIO XXVI.

Excussio bonorum etiam absentis facienda est, non tamen personæ: sufficiet tamē fieri excussionem vocato possessore, nec erit necesse dari curatorem bonis absentis sumptibus creditoris.

DEbitoris quidem absentis ab ea prouincia in qua agitur, excussio facienda non est: si tamen bona aliqua reliquerit in prouincia, eorum quoque excussionem fieri oportebit.[1] An ita vt curatorem eo nomine bonis dari oporteat[2] expensis creditoris? Minime. Sufficiet enim fuisse publice vendita sciente possessore, eique denunciata venditione,[3] vt, si pluris rem esse arbitretur, accedat ad licitationem, victurus si plus obtulerit: atque ita facturus fortasse, vt ex iis ipsis creditori satisfiat. Neque enim onerandus est creditor inanibus sumptibus,[4] dum ne qua in re possessoris conditio durior fiat.[5] *Ita Senatus* in publico auditorio, in causa N. Carion. 4. Non. Decembr. 1593.

1 Secundum ea, quæ scripsimus *Desin. 23 §. hoc tit.*

2 Tanquam bonis absentis, *l. idem priuilegium 22. §. 1. D. de rebus auctor. iudic. possid. alias l. 7. de priuil. credit. l. ab hostibus 15. D. ex quibus caus. maior.*

3 *Arg. l. 4. l. qua specialiter 9. C. de distr. pignor. l. pen. C. si vendit. pign. agat.*

4 *Arg. l. hac stipulatio 14. in fin. D. vt legat. seruand. caus. caueat, l. 1. D. de inoff. testam.*

5 Tam bene autem sibi prospicere possessor potest, cum venditio fit sine curatore, quam si adesset auctoritas curatoris.

DEFINITIO XXVII.

Pecunia redacta ex bonis venditis per curatorem ad postulationem creditorum, non ad curatorem, sed ad creditores peruenisse præsumitur, ideoque eius excussio obiici nequit.

HEreditariis bonis venditis ad postulationem creditorum consentiente curatore iacenti hæreditati dato,[1] si non appareat, quod ad curatorem pecunia ex pretio redacta peruenerit, & quidam ex creditoribus agat hypothecaria aduersus tertium possessorem, non est audiendus ille, si ob eam pecuniam[2] obiiciat exceptionem non factæ excussionis.[3] Potius enim præsumenda est pecunia ad creditorem peruenisse, quam ad curatorem, si aliud nihil probetur.[4] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Marest, & N. Annæ de Menthon. 15. Cal. Mart. 1594.

1 Postquam eo iure vtimur, vt curator hæreditati iacenti detur, qui tamen ex ratione iuris non hæreditati dandus est, sed bonis iacente hæreditate, *l. 1. D. de curat. bon. dand. l. idem 21. §. 1. de rebus auct. iud. poss.*

2 Quasi peruenerit ad curatorem, qui debitoris personam sustinet, *arg. l. 2. §. 1. eod. tit. de curat. bon. dand. l. creditore 14. D. de rebus auctor. iudic. possid.* vt proinde excutiendus videatur curator vice debitoris.

3 Quæ solet competere cuilibet bonę fidei possessori, *Auth. hoc se debitori, C. de pignor.*

4 Nec enim auctoritas curatoris intercenit, cum bona debitoris venduntur, vt pecunia pretij remaneat penes curatorem ipsum, sed vt creditoribus soluatur per curatorem, *d. l. 1. in fin. D. de curat. bon. dand.*

DEFINITIO XXVIII.

Exceptio iuris carentiæ, vt loquuntur, vt donationem iuris factam in alium insinuatam & publicatam potest opponi etiam a tertio tanquam exclusiua iuris agentis.

EXceptio translati in alium per donationem insinuatam & publicatam iuris, de quo apud Iudicē disceptabatur eo iuste competit, siue ante litem, siue lite iam pendente donatio facta proponatur.[1] Est enim huiusmodi exceptio prorsus exclusiua iuris agēntis longe magis, quam sit exceptio factæ cessionis: cedens enim retinet actiones directas,[2] quarum vi & potestate recte agere potest, quousque denunciatum sit debitori, ne cedenti soluat, aut cessionarius litem ex cessione sit contestatus.[3] At penes donantem nullæ prorsus actiones remanent, neque vtiles, neque directæ, saltem efficaces post insinuationem & publicationem donationis.[4] Quid ergo si actor neget se donasse, & donatarius iudicio adsit, dicatque nihil sibi donatum fuisse, adeoq; paratum se, quicquid ex prætensa donatione fuerit consecutus, rei lucro & commodo dimittere? Non eo minus inquirendum erit, an donatio reuera facta & publicata sit, vt hoc ipsum sciatur, an ius aliquod penes actorem remanserit, cum dici soleat, propter nostrum affirmare vel negare rem ipsam non immutari.[5] Quid enim si inter donatorem & donatarium colludatur?[6] Magisque hoc casu rei interest inquiri de veritate donationis, vt si qua extabit, eius lucrum sibi acquirat ex ipsius donatarij voluntate, quasi cessione facta in iure.[7] Si quidem tritum est, in iudiciis quasi contrahi.[8] Aliud esset, si is, qui donatarius esse dicitur, donationem à se abdicaret in donantis vtilitatem. Tunc enim ius, quod à donatore primum abscessisset, ad eum ex postfacto recurreret.[9] Sed si hoc ita, si non pendente lite facta esset donatio rei litigiosæ. Cedentem enim, qui iure suo cecidisset in vtilitatem & commodum aduersarij,[10] ius suum

ius suum tam facilè recuperasse, admitti non posset.[1] *Ita Senatus* in causa Annæ Camel, & Gothofredi du Tour, 6. Kal. April. 1594.

1 Et consequenter opponi potest etiam à tertio, *l. loci 4. l. competit* vbi Bart. & alij, *D. si seruit. vindic.* Idem Bart. *ad l. 2. D. de except. rei iudic.*

2 Quæ sc. adhærent ossibus, vt nostri loquuntur, nec à persona separari vnquam possunt, *l. postquam 7. & seq. C. de hæred. vel act. vendit.*

3 *L. 3. C. de nouat.*

4 Quia publicatio habet vim denunciationis, cùm fiat, vt omnes factam sciant.

5 *L. l. l. ab ea parte 5. & pass. D. de probat.*

6 Cuius rei metu inducta etiam est necessitas & solemnitas insinuationis *l. data 27. C. de donat.*

7 Qui fuit olim vnus ex modis acquirendi dominij jure Quiritium, vt tractat Vlp *in fragmen. tit. 19. de acq. ist. rer.*

8 *L. 3. §. idem scribit, D. de pecul. l. delegare 11. §. 1. D. de nouat.*

9 Quod fit facilius, *l. si vero remunerandi 12. §. vnde Papinianus, D. mandat.*

10 *L. 2. 3. & vlt. C. de litigios.*

11 Ne semel quæsitum ius aduersario ei sine vllo facto suo adimatur, *contrà l. vlt. D. de pact.*

DEFINITIO XXIX.

Exceptio excussionis vt & alia quælibet dilatoria reiecta intelligitur, siue Iudex, siue is, qui eam opposuit suo tempore, postea processerit ad vlteriora.

EXcussionis non factæ exceptio, quamvis legitimo tempore & ante litem scil. contestatam opposita,[1] reiecta intelligitur, si Iudex processerit ad vlteriora, non adiecta clausula, *saluo exceptionis iure.*[2] Nam & idem est, si ipse, qui opposuit, postea litem sit contestatus absque protestatione.[3] Id enim commune est earum exceptionum omnium, quæ sunt dilatoriæ, & impediunt litis ingressum.[4] *Ita Senatus* in secreto auditorio in causa N. Scandolet, 8. Kal. Iunij, 1594.

1 Notat. *ad l. à procedente. C. de dilat.*

2 Hæc n. clausula cùm est adiecta conseruat ius exceptionis, *l. 4. §. 1 quib. mod. pig. vel hypoth. sol. l. Babius 30. D. de pact. dot.*

3 Cùm in iudiciis, sicut & in contractibus nouissima derogent prioribus, *l. pacta nouissima 12. C. de pact.*

4 De quibus vide Papiens. *in form. respon. rei in versic. quoad impediendum.*

DEFINITIO XXX.

Cessionarius non potest contra suum cedentem excipere de iure tertij, licet ea exceptio esset exclusiua iuris agentis.

ETsi exceptio de iure tertij toties admittitur, quoties exclusiua est iuris agentis,[1] (nisi cùm non aliter exclusiua est, quam si tertius ille velit, de cuius voluntate nondum appareat,[2]) si tamen cessionarius velit excipere de iure tertij, quantumvis exclusiuo iuris agentis aduersus cedentem ipsum, vix est vt audiri debeat, ne cessio operetur supra quam facta sit.[3] *Ita tractatum est* in causa Claudij Visel & Peronetæ Ponthon Prid. Kal. Sept. 1594.

1 *L. 4. § competit, D. si seruit. vindic. l. vlt. C. de rei vindic.*

2 Bart. *ad l. 2. D. de except. rei iudic.*

3 Et vltra intentionem cedentis, *contra vulg. l. non omnis 19. si cert. pet.*

DEFINITIO XXXI.

Solis bonæ fidei possessoribus titulum possessionis suæ proferentibus datur exceptio non factæ excussionis.

CReditori agenti hypothecaria contra tertium possessorem non potest tertius possessor obiicere exceptionem non factæ excussionis, nisi probet ante omnia se bonæ fidei possessorem, exhibito in eam rem titulo suæ possessionis. Idque duplici ratione comparatum videri potest.[1] Vna, quod probata per actorem sua intentione prorsus necesse sit reo, ne succumbat docere de iure suo.[2] Neque hoc casu locum habet, quod dici solet, non esse cogendum quenquam, vt possessionis suæ titulum exhibeat.[3] id enim tum rectè dicitur, cùm de iure suo actor non docuit.[4] Sufficit siquidem possessori dicere, *Teneo quia teneo*,[5] cùm aduersus extraneos, id est, nihil iuris in re aut ad rem habentes etiam vitiosa prosit.[6] Altera ratio est, quia fieri potest, vt possessoris titulus talis sit, qui ex agentis creditoris voluntate dissolui queat. Quid enim si iure creditoris anterioris possideat? Cur non actori eidémque creditori liceat offerre,[7] atque ita ius, quo sola rei possessio nitebatur, dissolueret?[8] Sed & tertia ratio afferri potest, quod ordinis exceptio ea potissimum æquitate introducta sit, ne fiant de lite lites, si permittatur creditori rem auferre tertio possessori, qui mox aduersus debitorem pro consequenda indemnitate regressum habiturus sit.[9] Quod tamen ne eueniat, verendum nihil est, cùm detentor nullo iure nullóque titulo possidet.[10] *Ita Senatus* pro nobilibus fratrib. Salteur, contra Humbertum Blanchet, 16. Kal. Sept. 1594.

1 Notat. *ad Auth. hoc si debitor. C. de pignor.* Facit *l. plano 14. ff. de minor. l. Moschis 47. D. de iur. fisc.* Dixi *Defin. 3. 5. eod.*

2 Quia reus in exceptionibus suis actor est, *l. in exceptionib. 19. ff. de probat.*

3 *L. cogi 11. Co. de petit. hered.*

4 Quia actore non probante reus est absoluendus, etiamsi nihil præstiterit, *l. qui accusare 4. C. de eden.*

5 Quod ipsum nihil aliud est, quàm possidere pro possessore; *l. qui interrogatus 12. iunct. l. præced. D. de peti. hered.*

6 *L. vlt. ff. de acqu. possess.*

7 *L. 1. l. prior 5. & pass. C. qui pot. in pig. hab.*

8 Nam & malæ fidei possessori hoc ipsum liceret, *l. Paulus respondit 12. §. 1 ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.*

9 Vt dixi *Defin. 3. num. 7. & 8 supr. hoc tit.*

10 Cùm hic nullam actionem contra quemquam habere possit.

DEFINITIO XXXII.

Qui negauit debitorem dominum fuisse aut possessorem rei obligatæ, postea conuictus de mendacio non potest obiicere non factæ excussionis exceptionem.

LIcet permittatur reo variis adeóque contrariis vti exceptionibus,[1] ei tamen qui conuenitur hypothecaria non permittitur, vt neget possessionem & dominium eius, qui rem pignori obligauit, cum actori obiiciat exceptionem non factæ excussionis. Amittitur beneficiū huius exceptionis, quoties negat reus obligatam rem in dominio fuisse, si modo mala fide & citra probabilem ignorantiæ causam id denegatum sit, & imposita creditori necessitas probandi in pœnam scilicet odiumq; mendacij,[2] exemplo eius quod constitutum est in eo, qui conuentus rei vindicatione cùm reuera possideret, negauit se possidere.[3] Hoc tamen interest, quod si agatur vindicationis iudicio punitur reus, qui se negauit possessorem, dummodo rem detineat, quoniam in eo iudicio qualiscunque detentio pro possessione est, si modo possessor facultatem habeat restituendi.[4] nec quicquam videtur eius interesse, qui negat se possidere.[5] At in hypothecaria non punitur mendacium possessoris, nisi verum sit, eum, qui rem pignori dedit, dominium habuisse, quoniam ad hoc, vt possit actor obtinere, id ipsum necessario requiritur, vt probet fuisse pignoris dominum eum, qui tanquam dominus rem obligauit.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

BIU Cujas

1 *Cap. nemo pluribus, de reg. iur. in 6.*

2 *Auth. item possessor, C. qui potior. in pign. hab.* & in eo corpore vnde sumitur.

3 *L. vlt. ff. de rei vindic.*

4 *L. officium 9. eod. tit.*

5 Cùm per rei vindicationem nihil aliud agatur, nisi vt possessori possessor auferatur, *d. l. officium, l. qui, etiam 18 36. l. qui restituere 68. D. de rei vindicat.*

6 *L. & quæ nondum 15. § quod dicitur ff. de pignor.* Nec enim res aliena obligari potest à non domino, *l. 1. & tot. tit. C. si res alien. pignor. dat. sit.*

DEFINITIO XXXIII.

Etiam post oppositam discussionis exceptionem potest actor, qui egit hypothecaria, mutare libellum & agere condictione ex l. vltim. C. de acq. possess. & quidem impunè dummodo ante litem contestatam.

CReditor habens clausulam constituti si aduersus tertium possessorem egerit interdicto adipiscendæ possessionis, [1] non idcirco prohibetur implorare beneficium legis Iustinianeæ, vt in iam quæsita possessione retineatur, [2] adeóque nullis refusis sumptibus dummodò ante litem contestatam, [3] licet iam opposita per tertium exceptione non excussi debitoris. [4] *Ita Senatus* in causa N. Claudij de S. Real, & Claudiæ Chambet, ante Kal. Ianuar. 1594.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt *par mise en possession*: quib. etiam verbis solet proponi & intentari mera hypothecaria, sicut & directa rei vindicatio. Hoc. n. est quod iidem Pragmatici dicunt, interdictum adipiscendæ possessionis sapere naturam petitorij. Guid. Pap. quæst. 1.

2 Condictione *ex l. vlt. C. de acquir. poss.* quæ datur ad retinendam possessionem, vt dixi *Defin. 1 3. de acq poss.*

3 Quia ante litem contestatam impunita est mutatio libelli, *Ledita 3.* vbi Not. *C. de edend.*

4 Quamvis possit dici, eum, qui egit interdicto adipiscendæ possessionis, videri amisisse hoc ipso possessionem, quam habebat, cum ea solo animo amittatur, *l. 3. § in amittenda, l. si quis vi 17 § 1 ff. de acquir. p ss.*

DEFINITIO XXXIV.

Post litem in publico auditorio peroratam, quamvis ex scripto decidendam non potest opponi discussionis exceptio, non magis quàm præscriptio fori.

NOn factæ excussionis exceptio vsque adeò dilatoria est, & consequenter ante litem contestatam opponenda, [1] vt si, cùm lis in publico auditorio peroraretur, non fuerit opposita, & Senatus, vt plerumque fit, orationis corrigendæ potestatem litigatoribus fecerit, non possit ex scripto opponi, quoniam negari non potest, quin litis contestatio fiat in auditorio, [2] alioqui dicendum esset, etiam post eam perorationem permittendum reo, vt præscriptionem fori objiciat, [3] quod tamen nemo dixerit, nimirum quia certum est, ante litem contestatam obiici eam debere. [4] *Ita Senatus* in causa fratrum Henrici & Marini Pic, contra N. Iacobum Teste Lugdunensem, 6. Id. Maij, 1595.

1 Secundùm ea quæ scripsi *Defin. 1. 3. hoc tit.*

2 *L. vnic. C. de lit. contest.*

3 Quæ scilicet opponi potest ante litem contestatam, *leg. vltim. C. hoc tit.*

4 *d. l. vlt.*

DEFINITIO XXXV.

Creditor anterior non potest repelli exceptione discussionis per posteriorem nihil nisi actionem habentem contra eundem debitorem, nec si posterior pecuniam exegerit post litem ab anteriore inchoatam.

QVi actione sibi competente experiebatur aduersus debitorem suum, si creditorem alium, cui ea ipsa res, quæ petitur, anteriori iure obligata erat, liti interuenientem velit per exceptionem non factæ excussionis repellere, audiendus non est, quoniam eiusmodi exceptio non nisi possessoribus competit: [1] iura autem non possidentur. [2] Idem est, etiamsi ex iudicato contra debitorem reddito factus sit possessor pecuniæ iam exactæ, si modò creditor anterior iudicato non adfuerit, [3] suumque jus exequi cœperit iam ante iudicatum. [4] Nam nec hodie possessor esset, si initio litis per anteriorem creditorem institutæ [5] bonam fidem agnouisset. [6] *Ita Senatus* pro N. Andrea de Poypon, D. du Chaney, contra D. du Rosey, 5. Id. unij, 1595.

1 *Auth. hoc si debitor. C. de pignor.*

2 *L. sequitur 4. § si vtam 27 ff. de vsucap. l. 3. in princi. ff. de acquir. poss. l. 1. § vltim. ff. de rer. diuis. Iustit. tit. de rebus corpor. & incorpor.*

3 Alioqui sententia siue contra eum, siue eo præsente contra alium lata ei noceret, ipsi neque afficeret, *l. de vno quoque 47. Di. de re iudic. l. etiam 29. in fi. ff. de minor.*

4 Nihil enim potest ei imputari, qui fuit diligens in jure suo persequendo, & qui sibi satis vigilauit, *l. pupillus 24 ff. quæ in fraud. credit.* alioqui nullum ius posset competere anteriori creditori contra posteriorem, qui debitum suum prior recepisset, *l. repetitio 44. de condict. indeb.* Extra casum *l. vltim. § sin verò creditores. Co. de iur. delibe.* præsertim cùm pecunia redacta in re pignorata non sit pignorata, *l. idem 97. in fi. ff. qui potior. in pignor. hab.*

5 Cum sc. creditor anterior ageret hyporhecaria in eandem rem vtrique creditori obligatam.

6 Nemo enim melioris conditionis ob id esse debet, quod improbare litem susceperit, aut in lite improba perseuerarit, *l. desistisse 10. D. de iudic. l. etsi 25. § si ante. D. de petit. hared. l. 2. Di. de vsur.*

DEFINITIO XXXVI.

Exceptio, quæ reddit iudicium retro nullum, potest suppleri per Iudicem, dummodo resultet ex actis, quia fauorabilior est.

EXceptiones, quę reddunt iudicium retro nullum, [1] in hoc sunt fauorabiliores cæteris, quod etiamsi non sint oppositæ, suppleri tamen possunt per Iudicé, dummodò ex actorum & instrumentorum litis inspectione probentur, licet facti causam permixtam habeant, [2] nimirum quoniam ipsius quoque iudicis interest, ne quid ipse perperam faciat, aut ab aliis coram se fieri patiatur. [3] *Ita tractatum est* in causa liberorum Oldradi Bocard, contra Michaëlem de Bonnefoy 5. Non. Iul. 1595.

1 Qualis est exceptio procuratoria, quæ nascitur ex defectu mandati, *l. licet 23. cum ibi not. C. de procurat.*

2 Et dici soleat, Iudicem non posse supplere ea, quæ sunt facti, *l. vnic. cum ibi not. C. vt quæ des. aduoc. part. stud. suppl.* Nec enim omnibus suppletur, quod ex ipsis actis & instrumentis litis colligitur, *arg. l. 3. C. de sent. quæ sin cert. quant. prof.*

3 Nam neque ius, neque iudex quicquam facere frustra debet, sicut nec natura.

DEFINITIO XXXVII.

Non potest venditor ab emptore laudatus obiicere exceptionem excussionis, quam emptor ipse posset obiicere. Sed ea res emptori non nocet, quo minus eam ex sua persona obiicere possit.

VEnditor ab emptore, qui de rei sine dominio, siue possessione controuersiam patiebatur, ad litem defendendam euocatus [1] non potest ex persona emptoris vti exceptionibus, quas ex propria persona habere nullo modo possit. [2] Finge rem esse cum ipsius venditoris creditore. Quis admittat vt debitor obiiciat

BIU Cujas

ciat exceptionem non factæ excussionis, quam emptor ipse tanquam tertius possessor obiicere posset? [3] Finge actum ab emptore, vt sibi possessio restitueretur, quam idem vēditor in creditorem suum per clausulam constituti transtulerat. [4] Quis ferat id ipsum petere venditorem, qui creditori suo de indemnitate tenetur, quod rem iam ei obligatam alteri vendiderit? [5] Sane nec emptori, qui debitorem aduersarij auctorem suum laudauit, nocere debet, quod debitor minus iuris habeat. Nec enim ad hoc auctor laudatur, vt quicquam de iure emptoris detrahatur, sed vt potius ius eius confirmetur & augeatur. [6] *Ita Senatus* in causa Michaelis Sachet, Idib. Iul. 1595.

1 *Ex l. antepen. §. mota quæstione, D. de euict. l. emptor. 8. Cod. eod.*

2 Quia nec tam alienam, quam suam litem hoc e su exercere venditor intelligitur, cuius scilicet periculo tota res cessura est, *l. 1. C. vbi in rem act.*

3 Competit enim ea exceptio soli tertio possessori, non etiam debitori. Dixi *Defin. 4 supr.*

4 *Per l. quod meo 18. D. de acq. possess.*

5 *L. & quæ nondum 15. §. qui res suas, D. de pignor. leg. 3. D. de crimin. stellion.*

6 Itaque quod in emptoris fauorem inductum est non debet ei nocere, *vulg. l. quod fauore 6. C. de legib. l. nulla 25 eod.* Ac proinde non debet emptor hoc casu litem deserere, vt saluam habeat hanc exceptionem ex propria persona, vt dixi *d. Defin. 4 supr.*

DEFINITIO XXXVIII.

Exceptio discussionis non potest obiici ab eo, qui posteriorem causam habet, siue mediatam, siue immediatam à iam condemnato: potest tamen obiici à filia debitoris, quæ fundos pro legitima accepit, multo magis à marito, cum debitoris hæres soluendo est.

TItius iam tibi condemnatus cum suprema ordinaret certos fundos filię reliquerat pro legitima, eos fundos filia defuncto patre nubens marito in dotem dederat. Si tu iudicatum exequi pergas in ea bona, tanquam tibi pignori obligata, [1] non est iuuandus maritus exceptione non factæ excussionis. Nam si ea exceptio numquam prodest ei, qui lite pendente possessionem acquisiit, [2] multo minus ei prodesse debet, qui causam siue mediatam, siue immediatam habet a condemnato. [3] Quid si nec condemnatio, nec dum lis præcesserat? Filia quidem prætextu legitimæ actiones creditorum summouere non potest, cum legitimæ ratio non nisi deducto ære alieno ponatur: [4] sed tamen quamdiu hæres soluendo est, non oportet filiam inquietari, [5] maritum multo minus, [6] cuius causa longe fauorabilior est, quam si eos fundos emisset, quos in dotem accepit; [7] cum & emptoris loco habendus sit, si eos acceperit æstimatos. [8] *Ita Senatus* in causa Ioānis Antonij Gleyron, & N. Crespin, & D. Ducis de Mercœur, Idib. Septembr. 595.

1 Ponendum est, fuisse te creditorem hypothecarium: alioqui sola sententia non pareret vllam actionem in rem, sed tantum in personam, cum bona debitoris condemnari non incipiant esse obligata, nisi ex quo die capiuntur in executione iudicati, *l. à Diuo Pio 15. §. si pignora. & pass. D. de re iudic.*

2 Tametsi res non fuerit litigiosa, quia scilicet nihil fieri potest lite pendente quod reddat deteriorem conditionem litigatoris, *leg. 2. D. de vsur.* Not. *ad Auth. hoc si debitor, Cod. de pignor.* Intellige tamen, si emerit post litem contestatam, non si ante. Ranchin. ad Guid. Pap. *quæst. 26 in fin.* post Ias. *in §. omnium num 83. & 84. de action.* vbi loquitur tum quoque cum alienatio facta est dolo malo vtriusque, & ait, non posse fieri executionem contra emporem sine nouo processu, si translata sit possessio ante litem contestatam. Cæterum qui dolo comparauit, numquam potest esse tutus, saltem facto nouo processu, & probato dolo.

3 Cum in ius condemnati successerit; *l. si ita 9. §. vlti. D. de except. rei iudic. l. iudicata 29. §. vlt. à contr. sens. eod. l. quod ipsis 143. l. ex qua persona 149. de reg. iur.*

4 *L. Papinianus § §. quarta autem, D. de inoffic. testam.*

5 Cum nec sine titulo, nec mala fide possideatur, quod pro legitima & pro dote possidetur, nec actio vlla competat creditoribus in personam filiæ aut mariti, sed tantum aduersus heredes debitoris, *l. vlt. C. de hered. action.*

6 *Arg. l. Titia 62. ad fin. D. de iur. dot.*

7 Nec enim cogendus est indotatam retinere vxorem, quam non fuerat indotatam accepturus, *d. l. Titia, l. si donaturus 9. §. 1. D. de condict. caus. dat. l. pure 5. §. penulti. D. de doli mali except.*

8 *L. plerumque 16. l. quoties 16. D. de iur. dot. l. vnic. §. cum quæ ex stipulatu. vers. æstimatarum, C. de rei vxor. act.*

DEFINITIO XXXIX.

Exceptio de non iure actoris, cum sit peremptoria, potest, qi andocunque opponi, & potest per eam reus vincere, etiamsi nullum ipse ius habeat, si modo eius interfit.

AVdiendus quidem non est, qui excipit de iure tertij, in cuius locum & iura non successerit, siue de profana re agatur, siue de beneficio: sed si non tam ad ius tertij, quam ad nō ius actoris exceptio permittenda erit, [2] dummodo interfit excipientis, [3] puta quod possideat, [4] quia cum de intentione actoris prius quærendum sit, non potest ille vincere, si nullo iure nitatur. [5] Quod si in suspenso sit ius actoris, & ex alterius voluntate pendeat, non prius admittetur exceptio, quam voluntas illa exquisita & probata sit: [6] veluti si emphyteutam agentem velit quis eo prætextu repellere, quod ob non solutum canonem ceciderit à iure suo, [7] nec tamen directus dominus conqueratur. [8] Multo magis quis dixerit, ex pluribus heredibus institutis aut ab intestato venientibus si quidam nondum adierint, cæteros qui adierunt agere in solidum non posse, sed pro hereditariis tantum portionibus, donec aliis tempore, vel morte, vel repudiatione exclusis solidum illi habeant iure adcrescendi: [9] poteritque exceptio hæc non tantum post litem contestatam obiici, cum sit peremptoria, [10] quomodo & cæteræ, quæ sunt de non iure actoris, [11] sed etiam si omissa sit non male per Iudicem suppleri; [12] non vt pronunciet perperam egisse illum, qui cum pro parte tantum heres esset solidum petiit, (quid enim si postea constet iam tum repudiatas à coredibus portiones hereditarias aut eos ante aditam hereditatem defunctos? [13]) sed vt interloquatur, & de illo primum inquirat, in aliis heredibus locus aliquis supersit nec ne, siue iure ciuili, siue prætorio? [14] *Sine die.*

1 Quia suo iure debet vincere, non alieno, qui pro se tantum agit vel excipit, non pro alio, *tot. tit. C. res inter alios act. junct. l. stipulatio ista 138. §. alteri, de verb. oblig.*

2 *L. vlt. C. de rei vindic. l. 2. D. si pars hered. pet. l. loci 4. §. competit.* vbi Bart. & alij, *D. si seruus vindic.*

3 Alioqui nemo audiendus est, siue agendo, siue excipiendo, si non eius interfit, *l. 3. §. 1. de verb. oblig. l. ille à quo 13. §. si de testamento.* vbi Alex. & alij, *D. ad SC. Tertull.*

4 Cum aduersus extraneos etiam vitiosa possessio prosit, *l. vlt. D. de acquir. possess. l. 2. D. vti possid.*

5 *d. l. vlt. C. de rei vindic. l. qui accusare 4. C. de edend.*

6 Bart. *ad l. 2. D. de except. rei iudic.*

7 *Ex l. vlt. C. de iur. emphyt.*

8 Qui vtique non cogitur vti iure suo, & potest illud remittere etiam tacito consensu. Not. *in d. l. vlt.* Facit *leg. 2. l. post litem 7. D. de leg. commiss.*

9 *d. l. 2. D. si pars hered. petat.* Anton. Tessaur. *decis. Pedem. 6.*

10 *L. 1. peremptorias 2. C. sentent. rescind non poss.*

11 Omnes enim istæ sunt peremptoriæ, cum perimant litem, quia numquam potest actor sine iure vincere, *d. l. 4. C. de edend. d. l. vlt. D. de acquir. possess.* quomodo reus potest.

12 Quia scilicet non tam facti, quam iuris sunt, *l. vnic. & 16. Not. C. vt quæ des. adnot. part. iud. supp.*

BIU Cujas

13 His enim casibus appareret ex postfacto, bene illum egisse, qui egisset in solidum *l. vnic.* Not. *& ibi not. C. quand. non petent part.*

14 Faciunt enim partem ij, qui admittuntur ad partem, licet non nisi iure prætorio, *d. l. vnic. l. is qui in potestate 15. & seq. Di. de legat. præst. l. sed cum patrono 6. D. de bonor poss.* Vide Tessaur. *d. decis.*

DEFINITIO XL.

Exceptio falsi Procuratoris potest opponi quandocunque etiam post sententiam, non item exceptio procuratoria, qua non ex mandati defectu, sed ex Procuratoris persona sumitur.

FAlsi Procuratoris exceptio sicut in quacumque parte litis obiici potest, adeoque post sententiam, quia reddit iudicium retro nullum, [1] ita & quandocunque secuta ratihabitione renouetur,[2] siue expressa illa ratihabitio sit, siue tacita, hoc est, quæ facto ipso magis quàm verbis testata sit.[3] Neque vlla eo nomine expensarum condemnatio ratum habenti domino irroganda est, licet ante ratihabitionem opposita exceptio proponatur.[4] Nam quod dici solet, non retrotrahi ratihabitionem vt mandato comparetur, quoties tertij damno ea res cessura sit, [5] ad hunc casum non pertinet, in quo vtriusq; litigatorum interest rata fieri omnia prioris iudicij acta,[6] cum alioqui futurum sit vt nec victori prosit condemnatio aduersus eum, qui non habuit verum Procuratorem.[7] Sane si quam impensarum iacturam ex ea causa passus sit is, qui proposuit exceptionem, æquissimum est indemnem seruari eum,[8] aut à domino, si procuratoris factum ratũ habeat, aut ab ipso procuratore, si neque mandatum, neque ratihabitio proferatur. Quod si procuratoria exceptio non eam causam habeat, quod mandatum nullum interuenerit, sed quod procurator esse nequeat is, qui procuratorio nomine agit vel conuenitur,[9] alius tractatus est, in quo rectius defenditur, exceptionem hanc esse dilatoriam, ob idque nec post litem contestatam obiici,[10] nec si semel remissa sit, ex pœnitentia repeti posse.[11] *Sine die,*

1 *L. licet 23.* vbi Castrens. & alij *C. de procurat.*

2 Quia ratihabitio æquiparatur mandato, *vulg. l. vlt. Co. de SC. Maced.*

3 *L. non tantum 5. D. rat. rem haber.*

4 Quamvis soleat irrogari refusio expensarum, quoties id agitur, vt ius aduersario quæsitum ei auferatur. Not. *ad l. edita 3. C. de edend. & ad l. sancimus 5. C de iudic.*

5 Quia sc. eo casu medium est inhabile, & impedit retroactionem & coniunctionem extremorum, *l. pen. Dige. ratam rem haber.*

6 *dict. l. licet.* Et ideo iubet prætor interponi stipulationes necessarias, ad hoc vt iudicium ratum fiat, *l. 1. §. 1. D de prator. stipulat.*

7 *L. 3. § falsum procurator. ff. rat. rem hab. l pen. C. si aduers. rem iudic. l 1. C. quib. res indic. non noceat.*

8 Ne aduersarij fiat deterior conditio ob tardius securam ratihabitionem. *arg. l. ersi post tres 8. ff. si quis caution. l. si ita quis 135. §. Sera, de verb. oblig.*

9 Puta quod si miles, vel minor, vel fœmina. *d. l. licet.* vbi omnes notant.

10 *L. exceptiones 19. ff de probat. l penul. C. hoc tit.*

11 Quia vt actiones, ita exceptiones suas remittentibus non datur ad eas regressus, *l. quæritur 17. §. si venditor. ff. de ædilit. edict.* Tessaur. *decis. Pedem. 7.*

DEFINITIO XLI.

Etiam actor reconuentus hypothecaria potest tanquam reus exceptionem discussionis obiicere.

SI actor agens hypothecaria [1] per hypothecariam reconueniatur,[2] non est prohibendus, quo minus obiiciat exceptionem non factæ excussionis,[3] tametsi soli reo non actori exceptio illa competere soleat,[4] quoniam & hac parte actor reus est. [5] *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Salencufve, & D. Baronis de Viry, 7. Febr. 1597.

1 In fundum puta Cornelianum.

2 Puta pro fundo Titiano.

3 Scilicet ratione fundi Titiani. Fit autem hæc reconuentio plerumque, cùm pro euictione agitur hypothecaria ad consequendam indemnitatem, quod Pragmatici nostri dicunt *par garendie hypothequaire.* Exemplum est *in Defin. seq.*

4 Dixi *Defin. 31. §. hoc tit.*

5 *Auth. & consequenter* vbi Not. *C. de sent. & interloc. omn. iu. c. 1.* vbi Canon *ext. de mut. petit.*

DEFINITIO XLII.

Potest creditor agere hypothecaria post excussum debitorem contra quem velit ex possessoribus, non item vnus possessor habens regressum contra alios. Posterior enim prius conueniendus est.

EXcusso debitore si agat creditor hypothecarius cõtra vnum ex tertiis possessoribus, qui priore loco comparauerit, non potest conuentus possessor objicere exceptionem non excussorum bonorum posteriore loco alienatorum: Sed in arbitrio & electione creditoris est agere contra quem velit ex possessorib.[2] quoties bona vlla inuenit, quæ sine controuersia possideri queant. [3] Si tamen prior ille emptor conuentus & condẽnatus regressum aduersus posteriores habere velit, finge obligata ei fuisse bona omnia sui venditoris,[4] non eandem fortassis electionem habere debebit conueniendi quem volet ex posteriorib. emptoribus: sed eum ordinem seruare, vt à postremo incipiat, post modum si necesse erit ad penultimum, sic deinde ad alios ex ordine reuersurus. [5] Ita enim fiet, vt perinde suum consequatur,[6] nec tot fiant de lite lites,[7] quot fierent, si ij, qui priore loco comparârunt, priores quoque conuenirentur. Tandem enim rem eo recidere oporteret, vt eius damno res cederet, qui nouissimus comparasset. *Ita tractatum est* in causa Mauriciæ Richard, & Michaëlis de la Siaz, 15. Mart. 1597.

1 Quamvis ita putet, ac in Curia Parisiensi iudicatum fuisse referat Ægid. Magister *in decis. Paris.* cuius opinionem retulimus *Defin. 11. §. hoc tit.*

2 *L. Moschio 47. ff. de iur. fisc.* in illis verbis, *in reliquum possessorem omnem.* Est enim dictio *omnis* in numero singulari distributiua, quæ in plurali est collectiua, ac si esset scriptum, *possessorem quemlibet.*

3 Cum non sit ista paria, Nulla esse penitus bona. Et nulla esse quæ sine controuersia possideri queant, *l. quamvis 13. D. de rebus auctor. iudic. possid.*

4 Quo casu habet prior emptor regressum contra posteriores, non quidem per actionem personalem, siquidem cum iis non contraxit, sed per realem & hypothecariam, vt & in specie *Defin. præced.*

5 Intellige tamen si postremus ille emptor conuentus nolet intercedere nec impedire executionem. Alioqui si actor litigãdum habeat, poterit ad euitandam litem regredi ad penultimũ, & à penultimo ad antepenultimum, & sic deinceps: ordine tamen seruato, quousque appareat nihil omnino posse obtineri sine controuersia. Quo demum casu æquum est, actorem, qui omnimodo litigandum habeat, pro suo consequendo electionẽ habere, cum quo litigare malit, siue sit ille ex priorib. emptoribus, siue ex posterioribus.

6 Quod vnum ei debet sufficere, *arg. l. ex his 8. in fin. D. qua in fraud cred.*

7 Quod boni cuiuslibet magistratus propositum esse debet, *l. quidam existimauerunt 23. D. de reb. cred. l singulis 6. de excep. rei iudic. l si quis 11. in fin. C. de reb. cred. & iureiur. l. 3. C. de fructib. & lit. expens.*

DEFINITIO XLIII.

De exceptione non secuti implementi varia.

EXceptio non secuti implementi semper opponi potest, etiam statuto exceptiones omnes excludente,

BIU Cujas

dente,[1] adeoque potest ex officio Iudicis suppleri,[2] & etiam contra executionem, vt eam impediat, opponi.[3] Et ita verum est, non posse quem agere antequam impleat, vt nec excusetur tametsi fuerit impeditus implere.[4] Nam huiusmodi exceptio implementi non secuti dicitur exceptio litis finitæ impediens litis ingressum:[5] non tamen potest rescindi cõtractus ex causa implementi non secuti, sed agendum est ex contractu ad implementum aut ad interesse,[6] nisi cum implementum respicit causam finalem contractus.[7] Causa porro finalis ex eo dignoscetur, si vergat in eius commodum, qui sic contraxit non alias contracturus.[8] Neque rursum sufficit ex parte impleuisse.[9] Sed & huiusmodi exceptionis, quæ ex non secuto implemento sumitur, fauor tantus est, vt posteaquam semel in iudicio fuit opposita impediat purgationem moræ,[10] non minus quam si res integra esse desiisset,[11] maxime vero si contractus sit iuratus, postquam placuit nostris, eam esse vim iurisiurandi, vt per se impediat purgationem moræ.[12] *Ita tractatum est* in causa N. Franciſci Paquelet, & D. de Moyron, & D. Ducis de Mercœur, 3. Non. Maij, 1597.

1 Bart *in leg. 1. parui, D. quod vi aut clam.* Roman. *conſ. 244. col. 2. verſ. ſupereſt vt reſpondeamus.*

2 Idem Roman. *dict. conſil. 224.* Corn. *conſil. 79. col 3. ad fin. libr. 1.* [Etiam pro contumace. Adeò vt iuſtam appellandi cauſam habeat contumax ſi pronunciatum ſit pro eo qui non probat ſecutum ex parte ſua implementum, nec eum onerauerit, vt ante omnia impleret. Planè ſi ex poſtfacto, & in cauſa appellationis probetur ſecutum iam implementum poterit nihilominus & debebit confirmari ſententia. *Ita Senatus* in publico auditorio, 9. Iun. 1612. pro N. Guidone Truc.]

3 Dec. *conſ. 119.* Caſtrenſ. *conſ. 166. viſis actis, col. 3. libr. 2.* licet contrarium voluerit Roman. *conſ. 76. col. 2. verſ. tertio principaliter.*

4 Dec. *in l. cum proponas, notab. 3. C. de pact.*

5 Caſtr. *in l. Iulianus 13 §. offerri, D. de action. empt.* Iaſ. *in §. actionum, nu. 139. Inſt. de action.*

6 *L. vlt. D. de condict. cauſ dat.*

7 *L. cum te fundum 6. Cod. de pact. int. empt. & vendit.* Socin. *conſ. 26. col. fin. lib. 3.* Corn. *conſil. 101. col. 2. in princip. & col. 3. ad fin. libr. 1.*

8 Bart. *in leg 2. § fin. D. de donat.* Dec. *conſ. 238. ad fin.* Angel. *conſ. 124.*

9 Imol. *conſ 19* per text. *in l. ſi duos, de contr. empt.*

10 Alex. *conſ 237 ad fin. lib. 6.* Caſtr. *conſ. 70. quia fruſtra, col. 3. libr. 1.*

11 Idem Alex. *conſ 31. in cauſa & lite, col. 1. lib. 4* Rip. & Modern. *in l. ſi inſula de verb. oblig.*

12 Not. *in l. ſi quis maior, C. de tranſact.* Rip. *ibid. numer. 90. & 91.*

DEFINITIO XLIV.

De admiſſa exceptione litis pendentiæ etiam inter alias partes & in alio genere actionis, & ad alios fines.

REus debendi, qui fideiussores dederat Titium & Sempronium, quorum alter alteri, reus vero vtrique promiserat indemnitatem, vocauerat creditorem in ius ad Senatum, vt de causa indebiti cognosceretur. Cumque interim Sempronius detrusus esset in carceres, obtinuerat debitor, vt carceribus fideiussor eximeretur, post paucos menses idem fideiussor per creditoris præpotentis vim & iniuriam iterum carceribus sed priuatis mancipatus, sæpius de eo per literas ad eum missas conquestus, nihil ab ipso vicissim nisi literas extorserat, quibus rescribebat ille facturum se, vt plenissimam indemnitatem fideiussor consequeretur, si modo annalis dilatio à creditore impetrari posset. Miser fideiussor secundos carceres per annum passus, cùm pro eo neque Principis, neque Senatus auctoritatem interim debitor imploraſſet, tandem carcerum tædio extremæque senectutis impatientia victus soluerat, pauciſque postea diebus decesserat. Liberi iidemque hæredes eius pro indemnitate consequenda egerant in bona Titij confideiussoris tanquam sibi obligata cum clausula constituti, inque eorum possessione se retineri petierant ex beneficio legis Iustinianeæ.[1] Mæuius possessor intercesserat pro triennij duntaxat fructibus, quos emerat, litemque subinde apud inferiorem Iudicem post varias dilationes peritas contestatus, auctorem laudauerat eum ipsum debitorem, pro quo Sempronius fideiusserat, quique Titio confideiussori Sempronij eidemque indemnitatis repromissori successerat. Accitus ille in litem venerat, & litis coram Senatu pendentis exceptionem obiiciebat.[2] Dicebam, vtilem fore exceptionem, si aut contra debitorem ipsum, aut contra creditorem ad ea vindicanda, quæ in præiudicium prioris litis attentauerat,[3] noua lis à fideiussore mota proponeretur.[4] Sed cum pro indemnitate consequenda, quę anterioris litis tempore peti nõdum poterat, noua actio instituta esset, eaque non contra debitorem ipsum aut creditorem, inter quos prior lis tractabatur, sed contra tertium possessorem bonorum Titij, qui neque intercesserat nisi pro fructibus, neque ex persona Titij exceptionem vllam habere poterat, quandoquidem Titius ad eam litem, quæ in Senatu agitata fuerat, non quam vocatus fuisset; Placebat non posse videri bene oppositam exceptionem litis, & de alia re, & inter alias partes, & in alio actionis genere, quamuis apud superiorem pẽdentis:[4] præsertim cum res in Senatu iudicanda numquam paritura esset exceptionem rei iudicatę in noua instantia, siquidem etiam condemnato erga debitorem creditore, non eo minus æquum esset condemnari debitorem ad præstandam indemnitatem Sempronio, qui post tam longos carceres certiorato debitore soluere coactus fuisset, ac cui eam indemnitatem debitor tam ex propria persona, quam quasi hæres Titij præstare deberet.[5] Neque vero vnquam auditum esse, vt laudatus auctor priuilegium fori vllum habeat in lite, quam pro possessore ad suum Iudicem vocato suscipere cogatur, nec si Clericus proponeretur.[6] Plane si debitor post litem pro possessore susceptam apud inferiorem Iudicem Senatui supplicare vellet, vt ea lis ad Senatum euocaretur, simulque cognitio vtraque tractaretur, non esse dubitandum, quin Senatus pro suo iure id ei facile indulturus esset;[7] eumque rei gerendæ ordinem esse debere videbatur. *Senatus* tamen ex temporaneo placito lite minus feliciter pro iudicato perorata contra iudicatum pronunciauit, 9. Calend. Iul. 1605.

1 *L. vlt. C. de acquir. poſſ.*

2 Quæ exceptio tantum prodest ad impediendum litis ingressum quantum potest res iudicata, *vulg. l. fundum, & l. fundi, D. de except. rei iudic.*

3 *Ex rit C. vt lit. pendent.*

4 *d. l. fund. & d. l fundum, cum ſimilib.*

5 *L. ſi ferum 61. §. quod vero, D de furt.*

6 *Vt in l. vendator 49. vbi not. D. de iudic.*

7 Propter connexitatem cauſæ, *arg. l nulli 10. Cod. eod. tit. de iudic.*

DEFINITIO XLV.

De exceptione anterioris fideicommiſſi oppoſita contra poſteriorem fideicommiſſarium à tertio poſſeſſore.

TErtius bonæ fidei possessor conuentus à fideicommissario potest excipere de anteriore fideicommisso,[1] etiam cuius nullum ius habeat.[2] Potest enim & debet vincere per non ius actoris,[3] cùm aduersus hęredem aut fideicommissarium semper sit ille legitimus contradictor.[4] Multo magis filius habeat ab anteriore fideicommissario,[5] siue fideicom-

BIU Cujas

missum illud anterius restitutum sit, [6] siue non, dummodo sit adiudicatum, [7] quamuis nedum factæ sint detractiones, quas fieri debere eadem sententia iudicatum sit. [8] Erit enim hoc multo certius si ex anterioribus alienationibus, quæ in detractiones imputari debent, [9] appareat nihil amplius detrahi oportere. [10] Maximè verò si posterior fideicommissarius anteriori fuerit condemnatus, [11] licet iudicati executio contra eum facta nondum sit propter faciendas ante omnia detractiones. [12] *Ita Senatus* in causa liberorum D. Protopræsidis De Rochete & Caroli Vulliet, 23. Iunij. 1612.

1 Quia fideicommissum anterius semper deducitur ex posteriore tanquam æs alienum *l. cum pater 77. §. Titio fratri Antep. de leg. 2. l. in imponenda 6 l. irritum. 8. C. ad leg. Falcid.*

2 Sufficit enim vt ipsius interfit. *l. ille à quo 13. § si de testamento, D. ad SC. Trebell.* vbi Alex.

3 *L. vlt. C. de rei vind. l. loci 4 § competit. D. si seru. vindic.*

4 Dixi *Defin 2. num. vltim. in fin. supr. de edict. Diui Hadr. tollend.*

5 Hic enim vti potest iure sui authoris, in cuius locum successit *l. sape 63. D. de re iudic.*

6 Qui tamen casus minorem dubitationem habet, quia fideicommissarius post restitutionem habet in bonis res omnes hæreditarias. *l. facta 63. D. ad SC Trebell.*

7 Nam post sententiam quæ transierit in rem iudicatam nõ potest dubitari de iure victoris, cùm pro veritate habeatur, *lege ingenuum 25. de stat. hom l. res iudicata 207. de reg iur.*

8 Nam veniunt in executionem iudicati, licet ante omnia fieri debeant, *dict. Definit. 2. num. vlt. in fin. supr. de edict. Diui Hadr. toll.*

9 *L. 3. §. res qua D. ad SC. Treb.*

10 Quod enim semel detractum est iterum detrahi non debet: vt omnes notant *ad l. filium quem 24. C. fam. ercisc.*

11 Sententia enim contra actorem lata pro venditore prodest emptori *l. si à te 9 §. vlt. de except. rei iudic.*

12 Non enim venit in restitutionem fideicommissi, nisi quod detractis detrahendis reliquum est, *d. l. filium quem § sed quia, Inst. de fideicommiss. d. l. in imponenda.*]

TIT. XXV.

DE LITIGIOSIS.

DEFINITIO I.

Si quis emerit pendente lite rem obligatam, non potest opponere exceptionem discussionis tanquam tertius possessor, licet res non sit litigiosa.

QVI lite inter creditorem & debitorem pecuniæ creditæ pignorisque iure iam instituta rem obligatam emit, creditorem post victoriam agentem hypothecaria exceptione ordinis, quæ tertiis possessoribus ob non excussum debitorem nouo iure competit, excludere non potest: [1] non quod vitium litigiosi & proprietatem afficiat & possessionem, [2] (neque enim aliter contrahitur, quam si de proprietate ipsa controuertatur, [3]) sed quia æquum non sit ex facto doloque debitoris duriorem fieri conditionem creditoris ius suum quanta potest contentione persequentis. [4] Quare nec ad rem pertinebit, quod emptor hic bona fide litemque ignorans contraxisse dicatur, [5] aut ius aliquod anterius siue dominij siue pignoris in ea re habuisse: [6] ne alioqui improba alienatio commodum possessionis tribuat emptori, auferatque creditori, [7] qui nunc possideret, si iniustam litem à debitore passus non esset. [8] Sane si aduersus creditorem factum possessorem de iure suo agere velit, qui lite pendente emerat, non est prohibendus. [9] *Ita Senatus* 19. Martij, 1588. rursum Idib. Decembr. 1590.

1 DD. *ad Auth. hoc si debitor, C. de pign.* Bart. *ad l. creditores in 2. repet. num. 23 C. eod.* Guid. Pap. *quæst. 432. num. 7.*

2 *L. 2 C. hoc tit.*

3 *L. 1. in fi. Auth. litigiosa, eod. tit.*

4 *L. 1. D. de alienat. iudic. mut. caus. fact. leg. 2. D. quod vi aut clam l. non debet alteri 74. de reg. iur. l. vlt. D. de pact. l. debitorem 15. C. de pignor.*

5 Nec enim ignorantia vnius quantumuis iusta debet alteri esse captiosa, *l. quod autem 6 § si quid cum pupillo, D. qua in fraud. credit.*

6 Quamuis ex ea causa & confirmandi sui iuris gratia possit quis etiam alienam emere actionem, *l. per diuersas 12. Cod. mandat.*

7 Cui nihil potest imputari, cum fuerit diligens in agendo, *l. pupillus 24. D. qua in fraud. credit.*

8 Vnde etiam est quod dici solet, Quale quid est cum petitur, tale dari debere, *l. 2. D. de vsur.*

9 Nec enim quisquam cadit à iure suo ob id solum, quod pendente lite emerit, nisi cum emit rem litigiosam, *l. vltim. C. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Rem litigiosam pendente lite alienare possessor non potest, nec actor emere: possessor tamen eam à domino emere possessionis suæ tuendæ gratia non prohibetur.

FVndi alieni possessor, cum dominij controuersiam à non domino pateretur, eundem fundum à domino emit. Plerisq; nullius momenti esse emptionem quasi rei litigiosæ. [1] Sed vereor ne nimis dura sit sententia, si reo non liceat possessionis suæ confirmandæ gratia, præsertim aduersus improbum petitorem, ius sibi acquirere ab eo, qui dare possit. [2] illud multo certius est, nec possessorem lite pendente rem litigiosam alienare posse, nec actorem emere rem, quam iam inde à temporis contestatæ suam esse adseuerauerit. [3] Sibi namque imputare debet, cur iniuste mota dominij quæstione rem litigiosam fecerit, nec eam prius à domino comparauerit; [4] quod in reo dissimile est, in cuius scilicet potestate non est, an aut quando conueniatur. [5] *Ita tractatum est* in causa Ioannis Musier, contra Ioannis Monnier, 6. Cal. Aug. 1588.

1 Bart *in l. siue autem, §. si duobus, D. de public. in rem act.* vbi diserte loquitur de alienatione facta in personam rei eiusdemque possessoris. Et iuxta hanc sententiam determinatum fuisse Bononiæ, cum aliquandæ hæc quæstio disputata fuisset, tradit Bald. *in l. cogi, col. 3. vers. iuxta hoc quæro, C. de petit. hered. arg. l. 2. C. eod.*

2 Bald. vbi supra contra Bart. *ex l. per diuersas 22. §. exceptis. C. mandat.*

3 *Auth. litigiosa, C. hoc tit.*

4 Cum nemo cogeret eum agere, *l. vnic. C. vt nem. inuit. ager. vel accus. cogat.*

5 *L. 5. §. vlt. D. de doli mali except. l. petenda 6. C. de temp. pet. in integr. restit.*

DEFINITIO III.

Actionis litigiosæ cessio fieri non potest, præsertim Procuratori ad litem dato.

ACtionis, quæ iam in litem deducta litigiosa facta est, cessionem fieri non posse, præsertim ei, qui ad mouendam litem Procurator fuerat constitutus, explorati iuris est, [1] siue Procuratorem eum intelligas, qui causam apud iudicem tractare per se possit, siue eum, qui ad tractandam in foro litem alium substituerit. Vtrique enim commode illud est, vt pactum de quota litis facere non possit. [2] Quanto minus ergo de tota lite? [3] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Id. Maij, 1591.

1 Nam nec alij vlli eiusmodi cessio fieri posset tanquam rei litigiosæ, *l. 2. & vlt. C. hoc tit.*

2 *L. litem 15 C. de procurat. l. sumptus 53. D. de pact. l. salarium 7. in fi. Demandat. l. si contra 20. C. eod.*

3 *Arg. l. si cui pacto 5. D. ad seru. export.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IV.

Personalis actio sit litigiosa per contestationem, & ideo inalienabilis. Nec rursus potest actor emere pendente lite actionem alij competentem, nisi ad formam legis Anastasianæ.

ETiam personalis actio per contestationem fit litigiosa,[1] nec proinde vendi cedive potest,[2] sed nec valebit cessio, si is, qui litem iniuste mouit, cessionem impetret ab eo, qui ius agendi habuit,[3] at non quasi rei aut actionis litigiosæ,[4] sed propter Anastasij constitutionem aduersus alienarum litium & actionum redemptores.[5] Ideoque restituendum esset actori pretium, quod ab eo numeratum constaret,[6] si aliud nihil pretij restitutionem impediret.[7] *Ita Senatus* in causa Michaelis de Costerg, & Hugonis Mottet, Prid. Cal. Sept. 1592.

1 *L. 2.* vbi Bart. *C. hoc tit.* Guid. Pap. *quæst.* 479.
2 *d. l. 2. & l. vlt. C. hoc tit.*
3 Non enim actoribus idem priuilegium hac parte datum est quod reis, quibus permissum est actionem emere pro munimine rerum penes se constitutarum, *l. per diuersas 22. vers. exceptis C. mandat.*
4 Nec enim actio inter aliquos mota facit ius alterius litigiosum.
5 *In d. l. per diuersas.*
6 Iuxta id, quod ab Anastasio constitutum est *in d. l. per diuersas.*
7 Quod non similiter contingit empta re litigiosa, si modo sciemer quid emptor eo casu, & rem, & pretium, amittit, *l. vlt. C. hoc tit.*

DEFINITIO V.

Alienatio facta pendente lite ex causa litem præcedente valet, nisi facta sit in fraudem, quo casu reuocanda est, etiamsi vitium litigiosi contractum non fuerit.

CVm agerem aduersus te hypothecaria, fundi nomine, aut quod hac parte idem est,[1] condictione possessionis ex lege Iustiniani,[2] tu eum fundum pendente lite vendideras Sempronio, quasi haberet ille jus redimendi ex longe anteriore contractu. Non dubitatur, quin ex eiusmodi venditione actio mea euanuerit: vulgaris enim est illa juris regula, Resoluto jure datoris resolui jus acceptoris,[3] Sed si de jure illo redimendi non aliter constet, quam ex tua confessione, aut si longissimi temporis præscriptione summoueri Sempronius potuit,[4] vix est vt non in fraudem actionis meæ vendidisse videaris, ex eaque causa teneri te mihi æquum est, saluamque actionem superesse, quæ contra te cum possideres fuerat instituta.[5] Nec aliud dicendum erit, si qua forte causa fuit concedendæ Sempronio restitutionis aduersus lapsum temporis, vt quia pupillaris aut minor ætas interuenerat.[6] Debuit enim de restitutionis causa cognosci per iudicem me audito, cuius vel maxime intererat propter jus pignoris.[7] Quo non facto sane fraudis suspicione non cares, qui tam cito tamque facile jus tuum remiseris, vt meum extingueres.[8] Itaque pro me Senatus ex tempore pronunciauit, Non quasi vitium litigiosi contractum esset, cum neque per hypothecariam, neque per motam de possessione controuersiam res fiat litigiosa,[9] sed quia, quicquid in fraudem litis & aduersarij gestum est, id pro nullo, irrito & infecto haberi oporteat.[10] *Ita Senatus* in causa Dominicorum de Marthod, contra Dominam de Brautort, 4. Cal. Decemb. 1592.

1 Nam in aliis plerisque multum interest, vtrum quis agat hypothecaria, an condictione, & *l. vlt. C. de acquir. possess.* vt contra ex iis quæ scripsi *Defin. 1. 3. ill. tit.*
2 *In d. l. vlt.*
3 *L lex vectigali fundo 31. D. de pignor l. vbi autem 4. aliàs l. si ex duobus § sed & Marcellus, D. de in diem addict. l. penult § 1. de except. rei iudic.*
4 Quo casu habebas quod obiiceres petitori, *l. si pupillus 45. in fin. D. de admin. tutor. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*
5 *Arg. l. 1 & tot. tit. D. de ædil. iudic. mut. caus. fact.*
6 *Ex d. l. sicut & ex not. in l. vlt. C. in quibus caus. non est necess. in integr. restit.*
7 *L. etiam 29. § vltim. D. de minor. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*
8 Nec enim facile quis creditur ius suum tractare velle, *vulg. l. cum de indebito 25 D. de probat.*
9 *Auth. litigiosa, C. hoc tit.* & ibi Angel. quem refert & sequitur Ranchin *in addit.* ad Guid. Pap. *q.* 2. f. 337.
10 Vt dixi *Defin. 1. 3.*

DEFINITIO VI.

Alienatio rei hæreditariæ, de qua acceptum est judicium familiæ erciscundæ, non valet, quamvis non ideo res sit litigiosa.

CVm rem hereditariam à pluribus coheredibus vnico contractu sub pacto de retrouendendo venditam vnus ex ipsis in solidum pro suo jure redemisset,[1] ex eaque causa judicio familiæ erciscundæ impetitus esset à coheredibus, vt eam rem in commune reponeret, accepto pretio quod dederat, isque consensisset:[2] necdum tamen ei pretium restitutum esset, vitium est, non ideo factam esse rem litigiosam, quia nec de eo dubitaretur, quin in familiæ erciscundæ judicium venire deberet;[3] scilicet tum demum, cum solutum pretium esset restitutum, non ante.[4] Ob idque impune alienari potuisse, quamuis alienationem illud irritam faciat, quod alienationes pendente judicio familiæ erciscundæ factas, placet nullius esse momenti.[5] *Ita tractatum est* in causa Dominorum de la Tournelle, & Philibertæ Gay, Calend. Febr. 1595.

1 Nec enim cogitur aut ille pro parte redimere, aut emptor pro parte reuendere, quia scilicet non fuerat pro parte empturus, *l. tutor SC 28 47. D. de minor l. si quis aliam 46 D. de solut.*
2 *Ex l. his consequenter 18. § cum vnus, l. hæredes 25. § si vnus, D. fam. ercisc.*
3 Constabat enim esse hæreditariam, alioqui non veniret in judicium familiæ erciscundæ, *l. si quid contendis 45. D. famil. ercisc.*
4 Quia nec ante restitutum pretium esset hæreditaria.
5 *L. alienationes 13 eod. tit. famil. ercisc.* vbi tamen additur exceptio, Si non necessaria sit alienatio.

DEFINITIO VII.

Litigiosi vitium afficit etiam possessionem, sed non eo minus restituendus est is, qui rem emit litigiosam, si spoliatus sit propria aduersarij auctoritate.

VItium litigiosi etsi non tantum proprietatem afficit, aut inficit potius, sed etiam possessionem,[1] non tamen facit vt ei, qui vitium obiicit, liceat rei litigiosæ possessionem, quam antea non habebat, propria auctoritate vel per vim occupare, eumque, qui rem litigiosam emisse dicitur, spoliare.[2] Neque enim plus juris tribuit aduersario, quam haberet ante vitium contractum,[3] sed tantum impedit jus acquisitoris.[4] Proinde si is, qui rem litigiosam emit, spoliatus fuerit, perinde redintegrari ei debebit possessio cum fructibus,[5] ac si res litigiosa non fuisset; maxime vero si vis interuenerit,[6] quoniam & prædo restitueretur.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt dixi *Defin. 1. num. 2. 3. ex l. 2. C. hoc tit.*
2 Nemini enim vnquam permittendum est vt sibi jus dicat, ne maioris tumultus occasio detur, inquit *l. non est singulis 86. de reg. iur.*

BIU Cujas

3 Quomodo dicimus, pœnam vnius præmium alterius esse non debere, *l. si sequens* 15 D. *de SC. Syllan.*

4 Vt in eo puniatur is, qui vitium litigiosi contraxit, in quo deliquit, nec legum auxilium habeat is, qui contra leges deliquit, *arg. l. auxilium* 37. *in fin. D. de minor. l. rescriptum* 6. D. *de his quæ vt indign.*

5 Habet enim restitutionem omnium fructuum condictio *ex can. redintegranda* 3. *quæst.* 1.

6 Quam scilicet semper & in omnibus exosam habet legislator, tanquam quæ legibus & publicæ tranquillitati sit omnino contraria, siquidem contra vim nihil sine vi fieri potest, *l. extat.* 13. *D. quod met. caus. l. creditores* 7. D. *ad leg. Iul. de vi priuat.*

7 *Cap. in literis. Extr. de restit. spoliat.*

DEFINITIO VIII.

Res non fit litigiosa per actionem personalem, imo neque per hypothecariam.

PErsonalis actio aduersus rei possessorem instituta non facit rem litigiosam,[1] nec proinde impedit, quin pendente lite possit res alienari,[2] quia nec hypothecaria actio impediret,[3] quæ tamen cum in rem sit,[4] multo magis rem afficere deberet vitio litigiosi.[5] *Ita Senatus* in causa D. de Challod. & N. de Ville, 15. Cal. April. 1595.

1 Quamuis actio ipsa personalis, quæ in judicium deducitur fiat litigiosa, Guid. Pap. *quæst* 337. & 479. Dixi *Defin.* 4. & 5. 8.

2 Vitium enim reale esse necesse est, quod rem ipsam afficiat, vt rei alienatio impediatur, *l.* 2. & *vlt. C. hoc tit.*

3 Cum non faciat rem litigiosam, *l.* 1. iunct. *Auth. litigiosa.* & ibi DD. *C. hoc tit.*

4 *L. pignoris* 15 C. *de pignor.*

5 Etsi tamen non afficit, quia nihil habet commune causa pignoris cum intentione dominij, *l.* 1. §. *cum prædium*, *D. de minorib.*

DEFINITIO IX.

Per donationem vniuersorum bonorum transit etiam res litigiosa, adeoque in Procuratorem ad lites datum.

PRohibetur quidem Procurator pactum facere de quota litis,[1] itémque Aduocatus:[2] sed à cliente donationem bonorum omnium accipere non prohibetur,[3] propter vim & potestatem vniuersalis alienationis, quæ facit vt multa transferantur, quæ alioquin transferri non possent.[4] Inde fit, vt nec hoc casu contrahatur vitium litigiosi, tametsi ex rebus donatis quædam fuerint litigiosæ. Quis enim credat tam stultum fuisse donatorem, vt bona sua omnia donare voluerit mala mente, & eo consilio, vt illi tantum noceret, cum quo litem exercebat?[5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. litem* 15. *C. de procurat. l. fulcrium* 7. D. *mandat. l. si contra* [illegible] *C. eod.*

[illegible] *qui Aduocatorum* 5. *C. de postul.*

[illegible] enim lege id prohibitum est. Ergo habendum est [illegible] cum jus ciuile hac parte prohibitorium, quomodo [illegible] IC. *in l. mutuo* 43. §. 1. *D. de procur.* Facit *l. nulla lege* [illegible] *iur. dot.*

[illegible] *quidam* 62. D. *de iur. dot.*

[illegible] donare perdere est, *l. filiusfamilias* 7. §. 1. *D. de do-* [illegible] *norum* præterquam si dones benemerito, *l. sed et si* 25. §. [illegible] *D. de petit. hared.*

DEFINITIO X.

Insuper iure elegendi non impedit electionem pendente lite faciendam, sed remoratur electionis confirmationem.

Inter aliquos de iure eligendi contendatur, electio interim celebrata ab his, quibus eligendi ius est, non eo minus ipso jure tenet. Non enim ex eo solo, quod ius hoc in litem deductum fuit, differri aut impediri debet electio, licet confirmatio in euentum vsque litis differatur.[1] *Sine die.*

1 *Cap. cum venissent. de restit. in integr.* Boer. *quæst.* 2. *num.* 16.

DEFINITIO XI.

Restitutio dari potest etiam contra vitium litigiosi, adeoque in parua Cancellaria.

ADuersus vitium litigiosi datur restitutio in integrum ex rescripto Principis etiam in parua Cancellaria impetrato, si iusta causa subesse videatur alienandi,[1] Nec solum vt non noceat alienatio, quæ iam facta sit, sed etiam vt permittatur facienda;[2] quanuis quidam dicerent, aliquando fuisse obseruatum, vt, qui huiusmodi rescripta vellent, ad magnam Cancellariam remitterentur.[3] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 19. Decembr. 1597.

1 Puta aliqua ex iis, de quibus *in l. Diuus* 5. *D. de petit. hared. l. ait prætor* 7. §. *vlt.* D. *de iur. delib.*

2 Quod tamen difficilius est: ne videatur impetrans inuitari, ad delinquendum, *arg. l.* 11. C. *si aduers. vendit. l.* 1. & 2. C. *si nupt. ex rescript. pet. l.* 5. § 1. D *de pact. dotal.*

3 Quasi per huiusmodi rescripta derogandum sit iuri ciuili, quod solus Princeps facere potest, *l. vlt. vbi not.* C. *si contr. ius vel vtilit. public.* [Vide Papon. *lib.* 12. *Syntagm. tit.* 2. *du vice de litig. es choses litigieuses. Arrest.* 3.]

TIT. XXVI.

DE CONTR. ET COMMITT. stipulat.

DEFINITIO I.

Solus dies lapsus non inducit moram, si obligatio habuit conditionem siue expressam, siue tacitam, quæ impedierit natiuitatem obligationis.

PRomiseram curaturum me vt contractum, quem Titij nomine tecum ieram, Titius intra Calend. Ianuar. proximas ratū haberet, subiecta etiam, nisi id facerem, pœna, *Quanti tua interesset*, nec tamen curaueram; non ex solo lapsu temporis commissa videri poterit pœnalis stipulatio, quasi contracta per me mora, nisi interpellatio aliqua secuta sit. Etsi enim obligationes huiusmodi valent, tanquam quæ facti proprij, non alieni promissionem contineant,[1] dici autem solet in pœnalibus stipulationibus diem interpellare pro homine:[2] tamen ne mora ipso jure contra hi potuerit illud obstitit, quod diem incertum & proinde conditionem illam tacitam habuit promissio, Si Titius Calendis Ianuariis viueret;[3] dies vero ille incertus licet non impediat transmissionem obligationis, quia certum est debitum iri,[4] impedit tamen ne ante nosci possit, quam Calendæ Ianuariæ venerint.[5] Cui consequens est, vt cum obligationem prius natam esse necesse sit, quam moram contrahi,[6] quia fieri nequeat, vt eodem instanti & nascatur obligatio, & mora contrahatur,[7] nulla iam dies supersit, quæ me interpellet, ideoque necessaria sit tua interpellatio,[8] quasi certæ diei, quæ adiecta fuerat, potestate tota in eo faciendo consumpta, vt obligatio nasceretur.[9] *Ita Senatus* pro D. Comite de Monreal, contra D. Claudium Gaspardum de Maillans,

BIU Cujas

Maillans, Iuridicum maiorem Beugesianæ prouinciæ, 3. Iul. 1588.

1 Sic Bart. *ad l. ita stipulatus* 115. *num.* 4. *& seqq. D. de verborum obligationib.* Dec. *consil.* 2. *per tot. & consil.* 313. Alius & diuersus casus est, quem tractat idem Dec. *consil.* 325. *vers. secundo quod aliter, & consil.* 325. Adde Guidon. Pap. *sing.* 855. §. 3. [Guido Pap. *quæst.* 15.]

2 §. *si quis alium, Instit. de inutil. stipul. l. quoties* 81. vbi DD. *de verb. oblig.*

3 *L. magnam* 12. *C. hoc tit.* Etiam cum persona nulla est, quæ interpellari ab homine possit, *l. ad diem* 7. *D. de verb. oblig.*

4 Neque enim potuit fieri, vt Titius eo tempore ratum haberet, si non eo tempore viueret. Gloss. *in l. si decesserit, in verb. iudicio sisti, D. qui satisd. cogant.* Dies autem incertus pro conditione est non minus in stipulationibus, quàm in testamentis, *l. stipulatio ista* 38. *§. inter. de verbor. obligat. l. talis scriptura* 30. *§. sed etsi sub conditione, de legat. 1. l. dies incertus* 75. *de condi. & demonstr.*

5 Cum etiamsi Titius ante eum diem & ante ratihabitionem decesserit, non eo minus futurum sit, vt existente die verum sit dicere, nec secutam fuisse ratihabitionem intra diem conuentam, nec sequi amplius posse, *arg. l. Gallus* 29 *§. videndum, in fin. de lib. & posthum.*

6 Quia scil. in id vsque tempus potest sequi ratihabitio, & ita conditio deficere, si modo Titius viuat: eadem verò potestas est conditionis tacitæ, quæ expressæ in stipulationibus, ad hoc vt natiuitas obligationis impediatur, *l. interdum* 73. *de verb. obl.* licet non impediatur transmissio, *§. in conditionali, Inst. eod. tit. l. is cui* 42. *de oblig & action.*

7 Nulla siquidem mora esse potest, vbi nulla est petitio, *l. si pupillus* 117. *D. de verb. oblig.* nec petitio vlla, vbi nulla præcesit obligatio, & quidem cuius dies non tantùm cesserit, sed etiam venerit, *l. cedere diem* 213. *de verb. signif.* Iunge *l. nulla* 88. *de reg. iur.*

8 Non enim prius mora contrahitur, quam fuerit debitor interpellatus congruo loco & congruo tempore, *l. mora* 32. *D. de vsur. l. promissor* 21. *§. 1. de const. pecun.*

9 Quæ & regulariter necessaria est ad moram contrahendam. *d. l. mora, l. Titia Seio* 87. *§. vsurus, de legat. 2.*

10 Prius enim est vt nascatur obligatio, quam vt petitio & actio, cùm dici soleat, obligationem esse matrem actionis, *vulg. l. licet* 42. *§. ex obligatio, D. de procurat.*

DEFINITIO II.

Non contrahit moram debitor ex solo lapsu diei, si factum aliquod creditoris interuenire debuit, quod non interuenerit.

QVi se intra certum tempus aliquid facturum promisit, quod tamen facere aut non possit aut non debeat, nisi stipulatoris quoque factum accedat, non ex eo solo, quod dicta dies præterierit, moram contraxisse videbitur, [1] sed ita demum, si ad diem & congruo loco fuerit interpellatus, [2] ne alioqui promissoris obligatio augeatur, si pro stipulatore facere cogatur, quod stipulator ipse facere debeat. [3] Finge debere me tibi emphyteuticarium canonem annuum soluendum certa die. Si nihil præterea promissum sit, non cogar ad diem tibi soluere, nisi tu exigas, quia nec ad domum tuam soluendi causa ire debeo. [4] Itaque si vinum aut frumentum debeatur, quod post diem petatur, non quanti plurimi merx fuit præstabitur, sed si quidem mercis pretium ab eo tempore decreuerit liberabor dando mercem, [5] sin creuerit, ratio quidem juris suaderet, vt perinde mercem soluere deberem, quia licet mora nulla contracta sit, non eo minus tamen verum est mercem tibi deberi, quam si haberes tanti venderes, quanti nunc est: [6] sed tamen statuti nostri æquitate maxima aduersus dolosam creditorum impietatem & auaritiam prospectum est, vt liberari debeam, si tibi eam præstem mercis æstimationem, quę tum fuit cùm tu petere debuisti. [7] Ne quod fui negligentior in soluendo tibi prosit, qui etiam in exigendo diligentior esse debueras. [8] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 10. Kalen. August. 1591. Iunge Defin. 15. de iur. emphyt.

1 Nec si ponas pœnalem fuisse promissionem, quo casu solet dici & verum est diem interpellare pro homine, vt dixi *Defin. proxim. num.* 3. *ex l. magnam* 12. *Cod. de contr. & committ. stipul.*

2 Hoc enim regulariter requiritur ad contrahendam moram, *l. mora* 32. *ff. de vsur. l. Titia Seio* 87. *§. vsurus de legat. 2.*

3 Sic enim fieret vt promissor se veluti Procuratorem stipulatoris constituere cogeretur, quod esse non debet, *l. postulanti* 44. *§. vlt. ff. ad SC. Trebell.*

4 Bart. *in l. item illa, vers. eadem ratione, D. de const. pecun.* Alex. *consil.* 92. *in fin. vol.* 5 Mynsing. *cent.* 3. *obser* 95. vbi citat textum satis accommodatum *in l. si in diem* 46. *ff. de condict. & demonstr.*

5 Quasi nulla dum contracta mora.

6 Nam hodie saltem dandum est, quod iam olim dari oportuit, vt ratiocinatur IC. *in l. si sterilis* 21. *§. cùm per venditorem. ff. de action. empt.*

7 Ita enim vetere statuto Sabaudiæ diserte cautum est. Vide Bald. *ad l. vltim. vers. modo quæro generaliter, Co. de condict. insert.*

8 Quasi hoc casu facienda sit veluti quædam compensatio mutuæ negligentiæ, vt *in l. si ambo*, 10. *ff. de compens.* Vide Afflict. *dec.* 316. Ant. Gabriel *lib.* 3. *commun. opin. De solut. & liberat. concl.* 9.

DEFINITIO III.

Stipulationum conditiones retrotrahuntur etiam in præiudicium tertij, si sint casuales vel mixtæ, non etiamsi potestatiuæ.

STipulationum conditiones quandocunque existentes ad stipulationis tempus retrotrahuntur. [1] Sed si medio tempore jus alteri quęsitum proponatur, distinguendæ sunt casuales & mixtæ ab iis, quas nostri potestatiuas vocant. Hę siquidem in prejudicium alieni iuris retrotrahi non possunt. [2] Ideò nimirum ne sit in potestate debitoris conditionem implentis alteri quæsitum ius imminuere. [3] Casuales & mixtæ semper retrotrahuntur; propterea quod ex dubio euentu, non ex solo debitoris aut creditoris arbitrio pendeant. [4] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio. Prid. Kal. Sept. 1588. Iunge Defin. 1. qui potior. in pignor. hab.

1 Scilicet in præjudicium promissoris, quia cum stipulationis conditio tandem extitit, perinde habenda est, atque si ab initio pura fuisset stipulatio, *l. potior*, 11. *ff. qui potior. in pign. hab. vers. videamus in fin.*

2 *d. l. potior, in prin. l. 1. in fin. eod. tit.*

3 *l. vlt. ff. de pact. l. Granius*, 71. *§ pen. ff. de fideiuss. leg. 2. ff. quod vi aut clam.*

4 *d. l. potior. vers. videamus, l. qui balneum*, 9. *& d. l. 1. in prin. ff. qui potior. in pign. hab.*

DEFINITIO IV.

Etiam iura conditionalia iam nata veniunt in generali stipulatione, licet eorum conditio nondum euenerit.

HVic consequens est, vt contracta pignoris venditione sub ea conditione, si ad diem pecunia non solueretur, [1] excepta tamen venditori facultate redimendi, [2] si venditor hic ante diem solutioni dictæ donauerit tibi, aut etiam vendiderit quæcunque habeat rerum quas alienasset redimendarum iura, tum conditio prioris venditionis extiterit. Ius illud redimendi, quod in priore venditione exceptum diximus posteriore contractu, translatum videatur, non secus, ac si iam eo tempore prioris alienationis conditio extitisset, quia nec alterius vllius interest. [3] Quod cùm euenit, nihil causæ est, cur non conditio quælibet retrotrahatur. Nec aliud erit, tametsi venditor hic ante

BIU Cujas

diem euenientis conditionis decesserit, relicto herede, qui sua interesse dicat, vt tanto locupletiorem habeat hereditatem. 4 Nam cum eadem heredis quæ defuncti persona esse intelligatur, 5 non magis heredi prodesse ea ratio potest, quam venditori, si viueret, prodesse deberet ad hoc, vt opulentiore patrimonio frueretur.[6] *Ita tractatum est* in publico auditorio, nondum tamen decisum.

1 *Vt in l. si fundus 16. §. vlt. D. de pignor.*

2 *Vt in l. 2. C. de pact. inter empt & vend.*

3 Præterquam debitoris in cuius præjudicium conditio quælibet retrotrahitur, vt dixi *Defin. prox. num. 1.*

4 Est enim locupletior hereditas, quę consistit in corporib., quam quæ consistit in pecunia, *l. verum 11. §. si locuples. ff. de minor.* quia pecunia rei fragilis est, & quæ facilè amitti potest, *l. si chorus 79. §. 1. de legat. 3.*

5 *Nouell. 48. de iureiur. à morient. præstit. in prin.*

6 Nec enim ex persona heredis conditio obligationis immutari solet, *l. 2. §. ex his, ff. de verb. oblig.*

DEFINITIO V.

Stipulatio inter contrahentes præsumitur ex promissione facta præsenti per præsentem, secus est in stipulatione notarij, si is, cui promissum dicitur fuerit absens.

CVm in instrumento scriptum est, præsentem præsenti promisisse, licet non sit adjectum acceptatā à parte, aut à notario promissionem, eius tamen cui promissum est stipulationem interuenisse credimus, vt actus valeat. [1] Non idem erit si absente parte solius notarij presentia interuenerit. Etsi enim generali locorum consuetudine receptum est, vt etiam absenti notarius quilibet serui publici exemplo stipulari possit, & per stipulationem suam acquirere, [2] non tamen ea res facit, vt stipulatus fuisse credendus sit, si non expresserit.[3] Adeoque, nec si is, qui promisit, fidem suam jurejurando in eam rem obstrinxerit. [4] Quanquam hoc casu incurrendi perjurij metu absolutionem à iurisiurandi vinculo impetrari necesse est. [5] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, Idib. Nouemb. 1590. itémque Idib. Decembr. sequentibus, in causa Ioannis Antonij Gleyron, & Ioannis Crispini, contra Do. de Moyron.

1 *L. 1. C hoc tit. l. sciendum 30. vbi not. ff. de verb. oblig.*

2 Vt pluribus tractat Auton. Tessaur. *decis. 71.*

3 Stipulatio enim non tantùm facti est, sed etiam suas habet solemnitates, congruam sc. interrogationem, & congruam responsionem, *l. 1. ff. de verb. oblig.*

4 Nec enim iusiurandum facit stipulationem, quæ inter absentes contrahi non potest, *d. l. 1, de verb. oblig.*

5 Cùm possit hoc iusiurandum seruari citra dispendium salutis æternæ, *cap. 2. de pact. in 6. cap. cùm contingat, & cap. debitores, Extr. de iureiur.* Guid. Pap. *quæst. 222.*

DEFINITIO VI.

Dies interpellat pro homine in causis fiscalibus & pœnalibus, sed hoc ita si pœna in stipulatione sit, non in comminatione tantùm.

NOn aliter dies interpellat pro homine ad constituendum in mora debitorem, quàm si versetur fauor fisci, [1] aut pœna cum die adiecta proponatur. [2] Quid si diem homo adiecerit, lex pœnam? Æquè contracta mora intelligetur, & pœna committetur, sed purgari mora poterit ante litem contestatam ad euitandam pœnam.[3] Quod nō similiter diceretur, si diem & pœnam ab homine dictam proponeres, tametsi nihil interesset stipulatoris. Neque enim adiecta pœna quærendum est, an aut quatenus actoris interfit, sed tantùm an pœna commissa sit, & quæ quantitas deducta fuerit in stipulationem,[4] adeó que purgari hoc casu mora non posset. Sed hoc ita si pœna expressim præcisè & affirmatiuè posita sit in stipulatione & obligatione, non si tantùm in comminatione. Nam si, vt plerunque fit, debitor se ad certam diem soluturum promiserit his vulgaribus verbis additis, *à peine de tous despens, dommages & interests*, perinde quidem mora per debitorem contracta videbitur, licet post lapsum diem interpellatus non fuerit à creditore, [5] sed mora tamen purgari poterit. Illa enim pœne quædam potiùs comminatio, quam certa stipulatio esse intelligitur. [6] Ideóque excusationem quodammodo meretur debitor, vt moram purgare possit, qui sui creditoris facilitati & humanitati confidens nihil ei tacenti offert. [7] Pœna igitur, vt omnimodo debeatur, nec purgari mora possit, in stipulationem præcisè deducenda est, hoc modo: *Si ad diem non solueris, promittis pœnæ nomine centum*, aut *quanti meæ interest, aut vsuras legitimas?* [8] Eo nimirum casu dies solus non tantùm pro homine interpellaret, ac debitorem in mora constitueret, [9] sed etiam purgationem moræ impediret. Quid si pro die locus adiectus sit? Post elapsum diem, qui tacitè inest stipulationi, id est, intra quem ad eum locum peruenire potuit,[10] competet creditori arbitraria[11] ad id quod interest, si non aliquod ipsius creditoris factum interuenire debuerit, quod præcedere oportuit. [12] *Ita Senatus* Prid. Id. Iunij 1591.

1 *L. cum possessor 5. § vlti. ff. de censib. l. 1. & 2. Co. de capiend. & distr. pign. tribut. caus. lib. 10. tit. 21.*

2 *L. traiectitia 23. vers. de illo. ff. de oblig. & action. l. magnam 12. C. hoc tit. l. si mora 9. vbi gloss. ff. solut. matri. l. ad diem 77. Dig. de verb. oblig.*

3 Guid. Pap. *quæst. 171.* ex not. per Bart. *in l. si insulam 84. ff. de verb. oblig. & in l. 1 ff. de pen. legat.*

4 *L. stipulatio ista 38. § alteri, de verb. oblig.*

5 Hippol. de Marsil *sing. 147. & 341.* Mynsing. *centur. 3. obseru. cap. 95.* Vide *l. mora 32. Dig. de vsur.* Adde *Defin. 6. & 7. suprà de vsur.*

6 Comminatio autem nihil præcisè disponit, *l. vnic. C. comminat. epist. programm. vim leg. non habet.*

7 *Arg. l. cùm quidam 17. §. Diuus Pius. D. de vsur.*

8 Vt ita stipulatio ipse sit pœnalis, *l. si pacto 14. C. de pact. l. prædia 28. ff. de action. empt.*

9 *d. l. magnam. 12. C. hoc tit. & d. l. traiectitia 23. vers. de illo, de oblig. & act. l. pecunia 9. § 1. ff. de vsur.*

10 *L. 2. § qui ita stipulatur. ff. de eo quod cert. loc. l. continuus 137. § cum ita. ff. de verb. oblig.*

11 De eo quod certo loco, *l. 1. & tot. tit. ff. de eo quod cert. loc. l. vnic. C. vbi conuen. qui cert. loc. dar. promis.*

12 Vt in ea specie, quam nos tractauimus, *Defin. 2. supr.*

DEFINITIO VII.

Vsuræ etiam legitimæ & in stipulatum deductæ non debentur ob solum diei lapsum, si ex chirographo agatur.

QVod tamen diximus, Deductis in stipulationem vsuris legitimis, si ad dictam diem pecunia soluta non esset, moram ex solo diei lapsu contrahi, indéque vsurarum stipulationem committi, [1] locum non habet, si Pragmaticis nostris credimus, quoties ex chirographaria stipulatione agitur. Tunc enim non nisi à die chirographi agniti, aut per calumniam denegati, vsuras deberi placuit. [2] Præterquàm si extraiudicialis interpellatio, [3] aut solutio partis debiti, [4] vel vsurarum præcessisse proponatur. Eoque iure Senatum nostrum vti constat. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L. pecunia 9. § 1. ff. de vsur.*

2 Sicut nec nisi ab eo die chirographum habet priuilegium tacitæ hypothecæ. Vide quæ scripsi *in error. 2, decad. 1. de error. pragmat.*

3 Nam

3 Nam & illa sufficit ad constituendum debitorem in mora, *l mora 32 ff de vsur. l Titia Seio 87. §. vsuræ, de leg. 2.*

4 Nam qui soluit partem debiti vel vsurarum, satis agnoscit chirographum, *l. ad solutionem 5. Co. de re iudic.* Iunge *Defin. sequent.*

DEFINITIO VIII.

De vsuris chirographariis

RECeptum est inueterato Pragmaticorum nostrorum errore, vt si quis debitorem se chirographo professus sit, & ad certam diem soluere promiserit, subiecta etiam pœna vsurarum, expensarum, & quanti interforet creditoris, nec ad diem satisfecerit, non nisi à die recogniti, aut malè denegati chirographi, ad vsuras condemnetur. Quasi verò quod ad debitorem ipsum pertinet, quicquam interfit, an chirographo, an publico instrumento quid promiserit.[2] Cùm tamen, etiamsi nulla scriptura proferretur, sufficere posset probatio, quæ per testes fieret, conuentarum ac promissarum vsurarum:[3] sicut nec requirimus, vt chirographo dies adiectus sit, vel Consul, aut etiam vt sint subscriptæ rabulæ, si modo constet de eo, quod inter debitorem & creditorem gestum est.[4] Neque enim dubitari potest, quin dies interpellet pro homine saltem quoties pœna aliqua siue vsurarum siue alia subiecta est.[5] Planè si de aliorum creditorum, siue hypothecariorum, siue chirographariorum præiudicio ageretur, facilè admitterem supradictam Pragmaticorum sententiam. Quoniam quæ ratio facit, vt hypothecæ conuentio inserta chirographo nullum creditori ius tribuat ad consequendum priuilegium temporis, aduersus cæteros creditores,[6] eadem facere debet, ne in eorum necem principale debitum vsurarum cessione augeatur.[7] Prius enim est, vt debitum legitimè contractum esse constet, quam vt de vsuris quæratur:[8] Eademque subest vtroque casu facilitas fraudis comminiscendæ, & consequenter eadem suspicio fraudis factæ,[9] quod non similiter in persona ipsius debitoris euenit, qui nec volens sibi ipsi fraudem facere potuit.[10] Quam ob causam nec de illo dubitandum est, quin si chirographo contineatur, pignoris conuentio possit creditor aduersus debitorem recta agere hypothecaria, prius etiam quam egerit personali de chirographo, & sufficere ei posse ad victoriam, si quandocunque chirographum exhibeat, nulla falsitatis suspicione debilitatum.[11] Quænam enim, obsecro, in eo fiat, aut fieri possit iniuria debitori, qui ipse conuenit de pignore?[12] Si tamen pœna nulla subiecta sit, fatebor libentissimè, non posse debitorem à die elapsi termini ad vsuras condemnari, quia neque esset condemnandus; tametsi ex publico & authentico instrumento conueniretur. Postquam eo jure vtimur, vt non aliter dies interpellet pro homine, quam si pœna subiecta sit.[13] Excipiendi tamen sunt ij casus, in quibus vsuræ debentur citra moram, puta si fauor minoris ætatis interueniat,[14] aut si pretium ex causa emptionis debeatur.[15] *Sic tractabam* in Senatu in ea causa, de qua SC. 8. supr. in quibus causis pign. vel hypoth. tacit. contr. & rursum in alia, quæ in publico auditorio agitata est inter procuratorem Iacobum Combet, & Franciscum Truffon, 4. Kalend. Mart. 1593.

1 De quo errore vide quæ scripsi pluribus *in error. 2. decad. 1. de error. pragmat.*

2 Cum tamen instrumenta non fiant ad inducendam obligationem sed tantùm ad habendam inductæ iam & contractæ obligationis probationem *l. 4 Dig. de pignor. l. 4. D. de fid. instrument.*

3 Nihil enim refert, an quid probetur per scripturam, an per testes, *l. in exercendis 15 C. de fid. instrum.*

4 *L. cum tabernam 11. § 1 ff de pignor.*

5 Vt dixi *Defin. 1. & 6. §.*

6 Quibus alioqui facilè fraus fieri posset, *l scripturas 11. Co. qui potior. in pign. hab.*

7 Cùm vsurarum debitum habeat idem priuilegium temporis, quod habet principale, *l. Lucius 18 ff. eod. tit qui potior. in pig. hab.*

8 Cùm vsuræ tanquam accessiones pendeant à suo principali, *l. eos qui 26 in prin. C. de vsu. vulg. cap. accessorium de reg. iur. in 6 l. cum principalis 178 ff. eod.*

9 *l. qui testamentum 27 ff. de probat.* Not. *ad Auth. sed iam necesse. C. de donat. ante nupt.*

10 Non enim decipitur, qui à seipso decipitur, *l. nam si actor 26. D. de rei vindic.*

11 *d. l. cùm tabernam 34. §. 1. D. de pignor.*

12 *L. 1. l. 4. & pass. eod. tit.*

13 Vt dixi *Defin. 1. & 6. §.*

14 *L. Titia Seio 87. §. vsuras de legat. 2. l cùm quidam, §. si pupillo, Dig. de vsur. l. 3. Cod. in quibus caus. restit. in integr. nec ff. non est.*

15 *L. curabit 5. C. de actio empt. l Iulianus 13. §. veniunt autem, D. eod. l. liberalitatis 16. § 1. D. de vsur.*

DEFINITIO IX.

Pœnæ conuentionales non exiguntur, nisi interfit stipulantis, quasi adhibitæ in fraudem legitimarum vsurarum.

CEntum mutua intra octauum diem soluere, & ni solueret viginti quoque pœnæ nomine pendere obligatus, si ad diem non soluerit, ob idque ad pœnam conueniatur, doli mali exceptione iuuandus est, nisi creditor sua interesse probauerit.[1] Etsi enim si strictam juris rationem inspicias, pœna omnimodo debetur, etiamsi nec quicquam interfit stipulatoris,[2] nec imputari possit debitori, cur non soluerit,[3] eo tamen iure vtimur, vt ei cuius nihil interest, nihil vnquam adiudicetur.[4] An ergo inutilis prorsus erit, adiecta pœnæ conuentio? Minime, sed id efficiet, vt sufficiat creditori probare, quod sua interfit, licet non probet tanti interesse, quantum in stipulationem deductum est, cum plerumque difficultate probationum id quod interest ad exiguam summam deducatur, nisi per stipulationem taxatum sit.[5] Cæterum non efficiet pœnæ adiectio, vt eo magis debeantur vsuræ, etiam chirographo promissæ, præterquam à die chirographi recogniti, aut falso denegati.[6] *Ita Senatus* in causa N. Claudij Guichardi adfinis mei à secretis & consiliis Serenissimi Ducis nostri, & N. Benedicti Bertrier, Prid. Calen. Septemb. 1593.

1 Quasi adiecta sit pœna in fraudem vsurarum, quoties adiecta est certæ quantitati, *arg. l. pecuniæ 9. §. 1. D. de vsur.* Secus est secundum quosdam si adiecta sit promissioni faciendi, vt tractat Papiens. *in form. libell. vt pact. seruent.* in verb. *pacta, nu 8. & in form. libell. in act. hyp. b.* in verb. *ac restituere, nume. 1. & in form. libell. in caus. vendit.* in verb. *pro pretio, nu. 7.*

2 *L. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. oblig.*

3 Forte si nemo fuit, qui solutionem accipere potuerit, vt *in l. ad diem 77. eod titul.* Nam & hoc casu potuit & debuit fieri obsignatio ad pœnam euitandam, *vt in leg. vltim. D. de leg. commiss.*

4 Quasi dolo malo faciat is, qui agit ex stipulatione qualibet, si nihil eius interfit, *l. 1. § circa, D. de doli mali except. l. 3. §. 1, de verb. oblig. l. ille à quo 13. §. si de testamento,* vbi Bart. & alij. *De ad SC. Trebell.*

5 Ex consilio Iureconsulti *in lege vltima Dig. de prætor. stipul.*

6 Secundùm ea quæ scripsimus *Defin. 6. & Defi. prox. præced. §.* Iunge *Defin. 14. j. eod.*

BIU Cujas

DEFINITIO X.

Syndicus non potest transigere sine speciali mandato, & quid si promiserit vniuersitatem ratam rem habituram, & quænam sit potestas talis promissionis?

TRansactionem à Syndico factam vniuersitatis nomine sine mandato speciali vniuersitas ratam habere non cogitur, quia nec Syndico potestas illa transigendi mandato generali data intelligitur, vt nec procuratori generali.[1] An verò ex ea transactione Syndicus ipse conueniri poterit? Et quidem constat, quandiu Syndicus manet, posse eum conueniri, vt curet ratam ab vniuersitate haberi conuentionem.[2] Postquam verò Syndicus esse desiit, non potest ex eo contractu conueniri, quem & in officio & ratione officij fecerit.[3] Vtcunque sit, liberatur si fecerit quod in se fuit, vt vniuersitatem ad ratihabitionem permoueret. Nam quisquis alienum factum promisit, imo & quod magis est, qui promisit se curaturum, vt alius quid faceret, ad aliud non tenetur, quàm vt præstet quantam potest diligentiam, vt res fiat.[4] Nec aliud erit, tametsi subiecta sit pœnæ loco promissio eius, quod intererit stipulatoris si res non fiat,[5] adeóque licet iusiurandum interuenerit,[6] quia non potest videri perjurus qui fecit bona fide & sine fraude, quod facere potuit,[7] nisi hoc quoque adjectum sit, vt non eo minus teneatur promissor, quod fecerit quantum in se fuerit. Tunc enim omnimodo promissor condemnandus est.[8] Planè si quid dolo malo gestum sit ab eo, qui alienum factum promisit, quasi mandatum de promittendo haberet, quod non habebat, dubitari non oportet, quin eo nomine teneatur ratione doli, etiamsi promissum non sit, id quod intererit stipulatoris,[9] multo magis si subiecta sit ea promissio pro pœna.[10] Sed in eius quod interest taxationem id tantùm veniet, quod propter causam transactionis stipulator impenderit, aut si damnum aliquod passus sit, non etiam lucrum quod percepturus esset ex transactionis implemento.[11] *Ita Senatus* in causa Syndicorum de Aurieux, & du Bourget, & Villar Audin, 15. Kal. Mart. 1595.

1 *L. mandato generali 60. D. de procurat.*

2 Cum ex suo facto conueniatur, adeóque ex suo propemodum mendacio, ac pene tanquam falsus procurator, *argu. l. rem alienam 41. in fin. D de pignor. act.*

3 Finito enim officio finitur etiam obligatio, non nisi ratione officij contracta, *l. 1. C. quand. ex fact. tutor l. vlt. D. eod. l. vlt. ff de instit. act.*

4 Ne alioquí videatur obligatus ad impossibile, quod vtique fieri non potest, cùm impossibilium nulla sit obligatio, vt habet iuris regula, Not. *ad § si quis alium, Inst. de inut. stipul. & ad l. stipulatio ista 38. in prin. de verb. oblig.* Afflict. *decis. 195.*

5 Quam pœnam adiici necesse est regulariter, vt valeat facti alieni promissio, quæ alioquí non valeret, Papien. *in form. libell. compromiss. in vers. occasione, nu 3.*

6 Cuius ea vis esse creditur, vt præcisè obliget promittentem ad factum, Bart. *ad l. stipulationes non diuiduntur, D. de verbor. oblig.*

7 Nam nec pejerasse videtur is, qui honestam causam habuit deferendæ promissionis, *l. vlt. D. qui satisd. cog.* quantò magis si necessariam.

8 Dec. *cons. 223.* Robert. Marant. omninò videndus, *disput. 7. per tot.* Thom. Gram. *decis. 102. num. 109 & seqq.* Capyc. *decis. 93. num. 6.* & Afflict. *dict. decis. 195.*]

9 Decepit enim illum, cum quo contraxit, & ideo tenetur de dolo, *l. 1. & pass. ff. de dolo* Ne alioquí dolus maneat impunitus, contr *l. procurator 11. § 1. ff. de dol. mal. except.*

10 *L. stipulatio ista 38. l. inter stipulantem 83. in princ. D. de verb. oblig.*

11 Lucri enim cessantis ratio haberi non solet in æstimando eo quod interest, sed tantum damni emergentis, & quidem quod sit circa rem, *ex l. si sterilis 21. §. cum per vendit. D de action. empt. cum ibi notat. & in l. vnic. C. de sentent. quæ pro eo, quod interest.* Quamvis videatur obstare *l. sic omissa 13. D. rat. rem haber.* Vide tamen Papiens. *in form. libell. act. real. vers. & in florem, num 7. &c.*

DEFINITIO XI.

Pœna resolutionis contractus in stipulationem deducta committitur, si promissor non fecerit quod debuit, licet fecerit, quod facere potuit.

SI in stipulationem deductum sit id, quod difficile fuerit præstare, quodque non fuerit in mera promissoris potestate, subiecta pœna aut resoluendi contractus, aut pecuniæ præstandæ loco eius, quod interesset, si non fieret, quod fieri conuenerat, non eo magis excusatur quis à pœna etiam faciendo, quod potuit,[1] sed omnimodo pœna committitur, quæ certa est, certámque legem & conditionem ab initio habuit.[2] Itaque contractus pro resoluto habebitur,[3] & quod eo nomine datum fuerit, si id stipulator elegerit,[4] restituetur.[5] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Id. Mart. 1595.

1 Aliud dicendum esset, si pœna nulla fuisset adiecta, vt dixi *Desin prox præced num. 7 & 8.*

2 *L stipulatio ista 38 § alteri, ff. de verb. oblig. l. vero procurator 12. penult. ff de solut.*

3 Nam quanto difficilius est id facere quod impediret resolutionem contractus, tantò facilius est vt contractus resoluatur.

4 Nec enim cogitur legem contractus pro se adjectam exercere si nolit, *l. 1 ff. de leg commiss.*

5 *Arg. l. si diuersa 14. C. de transact. l. cum 106. C. de pact. int. empt. & vendit.*

DEFINITIO XII.

Non potest eodem instanti contrahi stipulatio & mora.

FIeri non potest, vt eodem tempore stipulatio contrahatur & mora.[1] Ideoque non proderit creditori ad constituendum in mora debitorem, si in ipso constanti contrahendæ stipulationis petat solutionem creditæ pecuniæ, quam debitor promiserit soluturum se quandocunque petituro creditori,[2] & consequenter alia nouaque interpellatione opus est.[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 27. supr. De vsur. & mora.

1 *L. promissor 21. § 1. ff de pecun. const l. mora 32. ff. de vsur. l. quod dicimus 105 ff. de solut.* iunct *l si seruos 25. in fi. D de pign. act.* Marc. de Mantua *singul. 243.* post Bart. *ad l. quoties 59. ff. de verborum oblig.*

2 Nam nec videretur credita pecunia, cuius dominium non fuisset translatum in accipientem, *l. 2. § 1 ff de reb. cred.* nec posset dici alienata, quæ sic data esset, vt statim reciperetur, *l. qui sic soluit 55. D. de solut.*

3 Quæ tum quoque necessaria est, cum mora aliqua præcessit, si modo non fuerit illa contracta per Interpellationem, *l. Titia Seio 87. § vsuras de legat. 2. l. mora 32 de vsur.* Quanto magis ergo, si neque mora neque interpellatio vlla præcesserit?

DEFINITIO XIII.

Alteri stipulatus cum sua interesse sciret, sibi actionem quærit non alteri, præsertim absenti, inter præsentes autem præsumitur stipulatio, si scriptum sit alterum alteri promisisse, notario maximè interueniente.

ALteri quidem stipulari licet, quoties vt alij soluatur interest stipulatoris.[1] Sed ita hoc accipiendum est, vt stipulatori soli actio ex ea stipulatione dari debeat, non tertio cui ex lege stipulationis solui debuit, maximè si absens ille fuit cùm stipulatio interponebatur.[2] Nam nec ei daretur actio qui præsens

sens fuisset, si solutionis tantum gratia adiectus reperiretur,[3] qui nec expressa conuentione obligationis causa adjici potuisset.[4] Plane si instrumento inter præsentes confecto scriptum sit, alterum alteri promisisse, licet nihil de stipulatione expressum sit, stipulationem tamen interuenisse credendum est,[5] præsertim si notarius adhibitus proponatur, cuius opera vel ad hoc maximè requiri solet, vt is pro alio, siue præsente, siue absente stipuletur.[6] *Ita tractatum est* 12. Cal. April. 1594.

1 *L. stipulatio ista* 38. §. *alteri, de verb. oblig.*

2 Nec enim potest actio ex stipulatu acquiri ei, qui stipulatus fuit, nec stipulatio contrahi inter absentes. *l.* 1. *eod.*

3 *L. cum quis* 55. *& l. seq. §. qui sibi. eod. tit. de verborum obligationibus.*

4 *d. § qui tibi, & d. §. alteri, cum similibus.*

5 *L.* 1. *C. hoc tit.*

6 Ex generali scilicet illa consuetudine quæ induxit, vt notarius exemplo serui publici possit etiam absenti & ignoranti stipulari, Tessaur. *decis.* 70.

DEFINITIO XIV.

Pœna conuentionalis, adiecta obligationi dandi non potest exigi, nisi probato quod tanti interfit actoris, aliud est, si certa quantitas sit adiecta pro taxatione eius quod interest.

EO iure vtimur, vt pœna quæ in conuentionem deducta est, si quid factum vel non factum sit, neque possit exigi priusquam per sententiam fuerit declarata,[1] neque possit declarari per judicem, si non interfit actoris,[2] adeoque nec nisi quatenus probat ille sua interesse.[3] Quod pœnarum quidem odio receptum est,[4] sed cõtra juris rationẽ, quæ vbi adiecta pœna est, nihil aliud inquiri vult, nisi quænam sit quantitas & conditio stipulationis, non etiam vtrum aut quantum interfit stipulatoris.[5] Commodissimum igitur est, certam quidem quantitatem stipulatione comprehendere, at non, vt fieri solet, pœnæ nomine, sed pro eius quod interesse poterit taxatione:[6] vt probandum quidem actor habeat sua interesse, at non item quanti sua interfuit.[7] Sed & cum admittitur quæstio illa facti, an interfit,[8] nec dum probatur tanti interesse. Interim tamen standum esse taxationi, soluendámque eam quantitatem quæ taxata & conuenta reperitur, plerisque nec immerito visum est.[9] *Ita tractatum est* Prid. Calend. April. 1595.

1 Sufficit tamen in quibusdam locis, quod pœna sit accusata, quod in magna Curia Vicariæ Neapolitanæ obseruari ait Afflict. *decis.* 3. *in princ.*

2 Intellige si pœna sit adiecta obligationi dandi, quia tunc præsumitur adiecta in fraudem vsurarum, *arg. l. rogasti* 11. *§. si tibi, de rebus credit.* Secus si adiecta sit obligationi faciendi, aut certæ obligationi dandi, nulla præcedente obligatione quantitatis, per prius, quomodo distinguit Thom. Grammat. *decis.* 58. *num.* 6. *& 7. ex §. vlt. Inst. de verb. oblig.* Abb. *in c. dilecti. vers. sexta & vltima. Extr. de arbitr.* Alex. *in l. stipulationum* 5. *§. vlt. vers. & ideo si pœnam, de verb. oblig.*

3 Grammat. *d. decis.* 58. *num.* 7. vbi refert sacrum Consilium Neapolitanum non consueuisse condemnare ad pœnam, nisi quatenus concurrat eum interesse.

4 Sunt enim pœnæ omnes odiosæ, *l. penult.* D. *de pœn.*

5 *L. stipulatio ista* 38. *§. alteri, de verb. oblig.*

6 Ex consilio Iureconsulti *in l. vlt. D. de prator. stipul.*

7 Quæ posterior quæstio longe difficiliores exigi probationes. Vnde fit, vt inopia probationum plerunque id quod interest ad exiguam summam deducatur. *d. l. vlt.*

8 Est enim vtraque quæstio facti, An interfit, & Quatenus interfit, *l. quatenus* 24. *de reg. iur.*

9 Socin. *consil.* 90. *vol.* 4. vbi addit non esse audiendum debitorem, si interim ad condemnationem remorandam velit offerre satisdationem. Iunge Bart. *in l. Iulianus* 69. *D. de condict. indeb.* Grammat. *dict. decis.* 58. *num.* 10. Socin. *in l. pecuniam* 36. *D. de rebus credit.* * Cornel. *consil.* 228. *vol.* 1. *quæst.* 5. *num.* 28. Decius *consil* 326. *&* 389. Mantic. *lib.* 14. *tit.* 35. *de tacit. & ambig. conuent.* Non tantum autem diligentiam, sed etiam effectum præstare tenetur is qui factum alienum promittit cum pœna *l. si non mortis* 25. *in fin. de inoffic. testam.*

TIT. XXVII.

DE DVOB. REIS.

DEFINITIO I.

Vni ex correis debendi, qui totum soluit, datur regressus contra correos, aliquando in solidum, aliquando pro virili.

EX pluribus debendi correis, si vnus totam pecuniam debitam soluerit creditori, meta juris ratione nullam eo nomine citra cessionem aduersus correos habet actionem,[1] licet ad eos tota creditoris pecunia peruenerit.[2] Sibi enim imputet, quod passus sit, se tanquam correum obligari, nec melius sibi prospexerit.[3] Æquius tamen & benignius visum est interpretibus dandam ei actionem in correos,[4] aut in solidum, si ex pecunia quæ obligationi contrahendæ causam dedit, nihil ad eum peruenerit, aut pro qua saltem parte pecunia ad illos peruenit. Quasi hactenus non tam correi loco habendus sit, quàm fideiussoris.[5] Eoque jure passim Senatus noster vtitur. *Ita tractatum est* ex tempore, 15. Calend. Iun. 1591.

1 Vt probaui pluribus *libr.* 11. *Coniectur. cap.* 6. 7. *&* 8. vbi vide.

2 *Arg. l propter mutuam* 4. *C. hoc tit.* * Textus est apertus *in l si in rem* 12. *C. si cert. pet.*

3 Cum potuerit indemnitatem sibi stipulari, aut eo tempore quo soluit impetrare cessionem actionis, *l. rem hereditariam* 65. *vers. nec remedio. D. de euict.*

4 *Ex l.* 1. *alias l.* 2. *Cod. hoc tit.* quæ tamen ab illis verbis, *& ideo*, euidenter est suspecta cum ea consecutio ridicula sit, vt alibi monuimus. Et defuit sane in libro Irnerij, apparet ex coniunctione *Authent seqq.* * Nisi malis pro *exsoluisse* legere *nec soluisse* vt auxilium de quo in dicta lege agitur non aliud sit quàm cedendarum actionum quod vnicum remedium est quo succurri possit correo qui totum soluit aduersus correum, *dict. l. rem hereditariam*, nec enim potest cedi actio quæ iam sit extincta per solutionem. *l. Modestinus* 76 *de solut.* Tunc ergo cedenda est actio correo cùm is conuentus est in solidum necdum soluit, & ita sanè lex illa emendanda est, & intelligenda: non enim ait dandam esse actionem aliquam correo qui totum soluit, sed iuuari eum debere aduersus correum remedio scilicet & auxilio exceptionis cedendarum actionum *dict. l. rem hereditariam* nec probabilior vlla emendatio fieri potest.

5 Ita enim nostri sentiunt, correum debendi fideiussoris potius loco habendum esse, quatenus pecunia ad eum non peruenit, *argum. l. vir vxori* 17. *§. vlt. D. ad SC. Velleian.* Contra quam tamen sententiam vide quæ scripsi *dict. lib.* 11. *Coniectur. cap.* 1. Adde *l. item si* 7. *alias l. sed Iulianus, §.* 1. *de Senatusconsult. Macedon.* * Iunge *l si duo rei* 34. D. *de recept. arbitr.* vbi dicitur correum non debere comparari fideiussori, scilicet quantum ad hoc vt vllum regressum habere debeat, nisi cum correus socius est adde. *l. Granius* 71. *D. de fideiussor.*

DEFINITIO II.

Vnus ex correis condemnatus præstandus est indemnis à correo, etiam quod ad vsuras.

QVi debebant mihi centum ex causa dotis in viriles, constituerunt ea se tibi debere ex causa depositi in eamque rem se obligauerunt singuli in solidum, ita vt fierent duo rei promittendi,[1] delegante me qui totidem tibi debebam.[2] Egisti contra alterum depositi, & cum ille primum inficiaretur depo-

BIU Cujas

situm, deindeper tergiuersationes protraheret restitutionem, condemnatus est, non tantum ad restituendam pecuniam, sed etiam ad præstandas vsuras. [3] Egit ille contra correum, vt indemnitatem ab ipso consequeretur, quod & correi debendi fuissent, [4] & in bonorum, quæ communia habuerant diuisione nominatim conuenisset, vt eius depositi nomine in viriles tenerentur. [5] Non dubitabam quin justa esset actio, quod ad quantitatem ipsam depositam monetæque augmentum pertineret,[6] Non ideo quod correo aduersus correum regressus dandus, si sit aliud nihil moueat, & iuris rationi plus quam interpretibus tribuas.[7] Sed quia de ea re conuentio expressim facta esset,[8] sane expensarum nomine quas condemnatus debuerat, adeoque soluerat priusquam aduersus correum ageret, nullam ei actionem superesse constabat, quippe quæ propter malam fidem litemque temerariam debitæ, & consequenter personales fuissent.[9] Sed de vsuris quæstio difficilior videbatur. Nam cum ex causa depositi vsuræ non debeantur, nisi vel propter moram, [10] vel quia depositarius pecunia vsus sit, [11] neutro casu dici poterat correo, qui non esset condemnatus, moram aut factum condemnati nocere debere.[12] Quod enim dici solet vnius ex correis factum nocere alteri, [13] non de mora intelligendum est, sed de eo quod vnus ex correis agendo aut excipiendo fecerit, quia singuli possunt in solidum & agere & conueniri.[14] Sed etsi mora vnius noceret alteri, id tamen ratione creditoris intelligi deberet, non ita, vt ille ipse qui moram fecisset, ac ob eam condemnatus fuisset, vllam à correo indemnitatem eo nomine consequi deberet.[15] Imo vero si quid ex ea causa creditori præstiterit correus, qui moram non fecit, æquum est indemnem eum seruari à moroso, vt sua cuique mora noceat.[16] Senatus tamen vsurarum quoque indemnitatem condemnato præstandam esse censuit, non quod moram correi nocere correo æquum esset, [17] sed quia pecuniam hanc quæ ex causa depositi petebatur, vterque correus ante contractam depositi obligationem iure dotis debuerat, [18] nec numeratione, sed sola confessione & constitutione, quasi breui manu depositum initum fuerat, [19] vt proinde dubitari non posset, quin vterque ea pecunia vsus fuisset. Quo demum casu æquum est præstari vsuras à depositario nulla etiam mora contracta.[20] Idq; præterea consequens videbatur conuentioni inter correos factæ, vt de communi depositum redderetur. Eadem enim causa esse solet accessionum, quæ debiti principalis.[21] *Ita Senatus* inter fratres Riondet, 4. Id. Ian. 1593.

1 Nam ex causa quoque depositi, vt & ex alio quolibet contractu correi debendi fieri possunt, *l. eandem rem 9. D. hoc titul.*

2 Vt nimirum ea delegatio vice solutionis esset, *l. quamuis 8. §. interdum, D. ad SC. Velleian.*

3 Quæ scilicet in actione depositi, vt & in aliis omnibus bonæ fidei iudiciis debentur, saltem à die moræ, *l. Lucius, 24. & l. sequent. §. 1. D. depositi. l. vsuræ 34. & in contraria 37. D. de vsur.* iunct. *l. 1. l. mora 32. §. in bonæ fidei, eod.*

4 *Ex l. 1. l. 2. cum ibi notat. C. hoc tit.*

5 Quibus verbis etsi nihil conuenisset de vsuris, videbatur tamen eandem constituendam esse rationem vsurarum & sortis, *arg. l. Lucius 18. D. qui potior. in pignor. hab.*

6 Quia monetæ augmentum, quod vulgo renfortum vocant, pars est debiti principalis, vt dicemus *in tit. de solut. ex l. cum quid 3. vbi not. D. de reb. credit.*

7 De quo iam dixi *Defin. prox præced.*

8 Cui haud dubie standum erat, cum omnes contractus legem ex conuentione accipiant, *l. 1. §. si conuenerit, d. l. Lucius 24. in fin. D. depositi.*

9 *Ex l. eum quem tenere 77. de iudic. l. properandum 13. §. sive autem alterutri, C. eod.* Dixi *Defin. 1. 3. si plura vna sent. condemn. fuer.*

10 *L. 1. l. mora 32. §. in bonæ fidei, D. de vsur.*

11 *d. l. Lucius 24. & l. seq. § 1 D. depositi.*

12 *L. in condemnatione 173. §. vnicuique,* iunct. *l. factum 155. de reg. iur. l. eandem 9. §. vlt. D. hoc tit.*

13 *L. 2. l. 3. §. 1. l. penult. eod. tit.*

14 Vt scriptum est in dictis legibus, *& in l. si rem aliquam 31. §. si duo, D. de noxal.*

15 Quia enim fronte possit hoc desiderare is, cuius propria mora coerceretur, *l. si plures 38 in fin. D. de admin. tutor. l. mora 32. §. penult. D. de vsur.*

16 *d. l. mora § penult.*

17 Obstaret enim quod in contrarium diserte scriptum est, *in d. § penult.*

18 Initio scilicet inspecto, quod regulariter inspiciendum est, *l. 3. § si 10, D. de minor l. si procuratorem 8. in princ. D. mandati. l. 1. §. si seruus deposuit, D. depos.*

19 Quod à nostris dicitur depositum irregulare, quia regulariter depositum non nisi re contrahitur, *l. Publia 26. §. 1. cum ibi not. D. depositi.*

20 *L. die sponsaliorum 25 § 1 D. eod. tit. d. posit.*

21 *Argum. l. lecta 40. versic. sed cum sortis, D. de rebus credit. l. Lucius 18. D. qui potior. in pignor. hab. cap. accessorium, de regul. iur. in 6.*

DEFINITIO III.

Pactum de non petendo vni ex correis factum prodest correo, sed non redditio instrumenti: alia est ratio fideiussoris.

PActum quidem de non petendo cum vno ex correis debendi factum, si non in personam conceptum sit, sed in rem, quale in dubio esse creditur,[1] alteri correo prodesse solet, sicut & fideiussori,[3] cum vna omnium obligatio sit. [4] Sed si non, nisi tacite pactum illud inducatur ex chirographi & instrumenti obligatorij traditione, quod vni ex correis creditor reddiderit, [5] magis est, vt ea res inducat probationem mandatarum correo, aduersus correum actionum, quam exceptionem pacti de non petendo in fauorem correi, cui redditum non fuit. [6] Vtrumque enim inducere proculdubio non potest, id est, & actionis cessionem & exceptionem vtilem, per quam cessa illa actio elidatur.[7] In eoque melior fideiussoris conditio esse videtur. Nam sicuti nulla debitori principali actio danda aut mandanda est contra fideiussorem, qui si ipse soluisset, mandati actionem haberet,[8] ita facilius admitti potest, vt chirographi redditio, quæ cessionem inducere nequit, inducat exceptionem pacti,[9] vtilem etiam fideiussori.[10] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de Belly, D. de Eschelles, 3. Calend. Mart. 1593.

1 *L. & heredi 21. § vlt. & legib. seqq. D. de pact. l. exceptiones 7. §. res autem, D. de except.*

2 *d. l. & heredi 21. §. vltim.* iunct. *l. idem in duobus 25. D. de pact.*

3 *d. §. vlt. l. 21. eod. d. l. 7. §. 1. D. de except.*

4 *L. 2. l. 3 §. 1. D. hoc tit.*

5 *L. 2. vers. & ideo, D. de pact.*

6 Ex not. per Bart. *ad l. 2. num. 5.* Et Alex. *ibid. num. 10. per l. si is qui duos 29. de liber. legat. l. 1. C. de donat. l. fin.* iunct. *gloss. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* Obserua tamen Castrens. *in dict. l. 2. num. 4. de pact.* putare huiusmodi pactum tacitum, quod inducitur ex chirographi redditione vni ex correis facta prodesse correo, in quo pugnat omnino cum Bartoli sententia. Nam si verum est, quod vult Bart. videri creditorem mandare correo actiones aduersus correum, consequens est, non posse igitur correo prodesse pactum. Alioqui videretur creditor mandare actionem inutilem, & quæ per pacti exceptionem elidi potest, vt dixi *Defin. 6. 3. de pact.* Cum tamen non sint hæc contraria, pactum fieri, siue expressum siue tacitum cum vno ex correis de non petendo, & mandari ei actionem contra correum, siue soluto debito, siue gratis, & vltro redditum sit instrumentum. Ego vero non dubito, quin Bartoli & Alexandri sententia probabilior sit.

7 Nullam enim videtur actionem cedere is, qui talem cedit, quæ possit elidi per exceptionem, *l. Stichum 95. §. penult. de solut. l. nihil interest 112. de reg. iur.*

8 *Si man-*

8 Si mandatum intercesſit, aut actionem negotiorum gestorum, si nullum mandatum intervenit, *l. ex mandato* 10. §. 1. *D. mandat.*

9 *d. l.* 2. *D. de pact.*

10 *L. & heredi* 21 §. *vlt. & legib. seqq. eod. tit. l. exceptione* 7. §. *per autem, D. de except.*

DEFINITIO IV.

Creditor, qui spe futuræ numerationis vni ex correis instrumentum tradidit, atque ita fecit, vt alius correus partem suam debiti correo soluerit, nullam actionem habere debet contra illum, cuius circumueniendi causam præbuit, licet alius factus sit non soluendo.

AT finge redditum à creditore chirographum vni ex correis nulla dum facta solutione, sed vt aliquando fit, spe futuræ numerationis, non nouato debito, sed in nouam obligationem citra nouationem deducto, [1] ignorante tamen correo qui postmodum à socio deceptus, quasi is totum debitum creditori soluisset, partem debiti, siue vltro siue per iudicem conuentus ei reddiderit, accepto in eam rem per socij manus instrumento. Adde etiam, si voles, insertas instrumento apochas, siue veras siue falsas, ex quibus probetur solutum à correo fuisse, quicquid creditori debeatur. An aduersus hunc qui partem suam debiti correo soluit, efficax vlla creditori supererit actio? Mouet quod ex huiusmodi redditione chirographi, quæ nec propter solutionem præcedentem, nec donandi animo, sed spe futuræ numerationis facta sit, [2] non potest induci tacitum pactum, de non petendo, nec in fauorem quidem eius ex correis, cui instrumentum redditum est, [3] multo minus igitur ex illius persona inducendum erit in fauorem alterius ex correis, cum quo & de quo nihil actum est. [4] Rursus etsi ea redditio, vt proxime diximus, solet efficere, vt creditor correo aduersus correum actiones mandasse videatur, [5] non potest tamen ea capi coniectura pro ea parte debiti, quæ nondum soluta est, & cuius ratione creditor pristinæ obligationis iura sibi exceperit, protestatus expressim, ne qua nouatio facta intelligeretur. [6] Nec proinde videri poterat correus correo soluisse, quasi ex voluntate & mandato creditoris: [7] Non magis quam si correus ille qui solutionem à correo accepit, mentitus se soluisse, instrumentum à creditore per dolum extorsisset, aut furto subripuisset. [8] At contra pro correo faciebat, quod creditor tradendo instrumentum, vni ex correis Titio, idque ignorante alio correo Sempronio fecisset, vt circumuentus Titio Sempronius iustam ei pro parte sua soluendi causam habuisset. Debuerat enim creditor Sempronio significare quod inter se & Titium gestum fuerat, eique denunciare ne prius Titio, quasi is totum soluisset, partem suam redderet, quàm à Titio totum solutum esset. [9] Proinde imputari ei potest, cur circumueniendi Sempronij occasionem Titio præbuerit, cum si instrumentum Titio non reddidisset, non hæc litis materia vlla nunc esset. [10] An non enim iustam causam habuit Sempronius existimandi solutum fuisse à Titio vniuersum debitum? Videns non solum penes eum esse instrumentum crediti, [11] sed etiam in margine instrumenti conscriptas apochas, quæ totius debiti solutionem præ se ferrent? [12] Nam licet falsæ probarentur, vnde tamen falsi committendi occasio & opportunitas, nisi ex eo, quod instrumentum fuerat redditum Titio, qui falsum commisisse dicebatur? [13] Et quamuis in proposito constaret, non eam fuisse creditoris voluntatem, vt actiones in Sempronium vllas mandaret Titio, qui ipse debitor manebat: [14] Cum tamen regulare illud sit, vt ex instrumenti redditione vni ex correis facta cessæ actiones videantur, [15] an non iusto errore ductus Sempronius credere potuit & debuit mandatas cõtra se Titio actiones cum posteriora pacta inter Titium & creditorem inita ignoraret? [16] An diuinare debuit? [17] aut de correo temere suspicari, quod instrumenta creditori subtraxisset? [18] Maxime cum iam solutionis dies venisset, nec dum tamen ipse à creditore vrgeretur? [19] Itaque cum imputare sibi deberet creditor, & inconsultæ facilitati suæ expensum ferre, quod ante solutionem sibi factam instrumẽtum debiti Titio reddidisset absente & ignorante Sempronio, placebat hac vna ratione repelli creditorem debere, [20] tametsi Titius, qui contractæ obligationis tempore soluendo fuerat, esse postea desiisset: [21] Longeque iustius & æquius esse, damno eum affici, quam ipsius facto & culpa iustam Sempronij ignorantiam circumueniri. [22] Neque recta erat huius casus comparatio cum illo, quo Titius creditori instrumentum subtraxisset. Tum enim neque creditoris factum vllum intervenisset, nec proinde imputari ei quicquam posset. [23] Non enim creditori illud simpliciter imputamus, cur Titius instrumentum debiti penes se habeat, sed cur illi creditor id tradiderit, [24] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam omnis quidem nouatio noua obligatio est, *l. 1. D. de nouat.* sed non vicissim omnis noua obligatio est nouatio, *l. vlt. C. cod.*

2 *Vt in l. vlt. C. de non numer. pecun.*

3 Quandoquidem non ea mente & intentione redditum est. Actus autem non operantur vltra intentionem agentium. *l. non omnis* 19. *D. si cert. per.*

4 Ne ex alterius persona plus iuris quis habeat, quam alter ille habere possit, contra *l. nemo plus commodi* 120. *de reg. iur.*

5 Quia nimirum ad hoc ipsum potuit compelli creditor, vt vni ex correis totum soluenti præstaret actiones, *l. rem hereditariam* 65. *D. de euict. in vers. nec remedio.*

6 Ea namque protestatio conseruat haud dubie ius protestantis, *l.* 4 §. 1. *D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit, l. si quis* 14. §. *plerique, D. de religios. & sumpt. funer.*

7 Quomodo videretur si correus haberet mandatas à correo actiones, *l. solutum* 49. *D. de solut.*

8 Qui casus esset plane indubitatus.

9 *Arg. l. si filiusfamilias* 16. *D. de SC. Macedon. l. si fideiussor.* 29. *in princ. & §. si cum debitor. D. mandat.*

10 Itaque damnum dedisse videtur, qui damni occasionem dedit, *l. is damnum dat* 169. *cum ibi not. de reg. iur.*

11 Cum is qui habet instrumentum præsumatur habere mandatum, *leg.* 1. *Cod. de donat. leg. vltim. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

12 *L. pecunia soluta* 13. *C. de solut.*

13 *L.* 1. §. *editiones, cum ibi not. D. de edend.*

14 Solutionem enim oportet intervenire, vt soluta pecunia possit videri pretium mandatarum actionum *l. Modestinus* 76. *D. de solut. l. cum pupillus* 21. *D. de tutel. & ration. distr.*

15 Ex not. per Bart. & Alex. *ad leg.* 2. *D. de pact.* vt dixi *Defin. præced. num.* 6.

16 Est enim semper probabilis ignorantia facti alieni, *l. vlt. D. pro suo.* & mutationis quæ superuenit, *l. si cum Cornelius* 82. *D. de solut.*

17 Minime vero *d. l. si fideiussor* 29. §. *si cum debitor. D. mandat. l.* 4. §. *illa etiam quæstio, D. de doli mali except. l. si putator* 31. *D. ad leg. Aquil.*

18 Ne hoc quidem. Nunquam enim facile ac in dubio capienda est præsumptio delicti, *l. meritò* 51. *D. pro socio.*

19 Quæ res magnam suspicionem adferebat factæ iam solutionis.

20 Quasi nullum damnum sentire videretur qui ex culpa sua sentiret, *l. quod quis* 203. *de reg. iur.*

21 Vt proinde id quod de nouo emerserat nouo videretur indigere auxilio, *l. de ætate* 11. §. *ex causa, D. de interrog. in iur. fac.*

22 *dict. leg. si fideiussor* 29. *in princip. & §. si cum debitor. D. mand.*

23 Difficile enim est à furibus præsertim domesticis & familiaribus sibi cauere.

24 In quo sane & factum & culpa creditoris intercessit.

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Sola vnius ex correis debendi ignorantia non debet damno afficere creditorem, etiamcui imputari aliquid potest, nisi hactenus ne correus ex iusta sua ignorantia damnum sentiat.

PLane si proponeres nihil dũ à Sempronio solutum fuisse Titio, nõ esset æquum ob id solum intelligi liberatum Sempronium quod à Titio instrumentum crediti habuisset. [1] Hactenus enim Sempronio succurrendum est ne ex iusta sua ignorantia ob factum & culpam creditoris damnum vllum sentiat,[2] non etiam vsque adeo ei fauendum, vt ex Titij calliditate aut liberalitate lucretur,[3] in præiudicium creditoris, qui fraudari neque debuit, neque potuit.[4] Quandoquidem aduersus fraudem Titij optime creditor sibi prospexerat,[5] non tam quod eius bona omnia sibi obligari curauisset (nam si aliud nihil esset non prohiberetur Sempronius Titio debitum soluere, nec consequenter Titius apocham Sempronio conscribere, inscio creditore, ni Sempronio denunciatum esset ne solueret,[6] quamuis acceptum facere Sempronio Titius non posset, etiam nullo pignore interueniente, si ex eo creditor fraudaretur.[7]) quam quod à priore obligatione quæ vnica & indiuidua duorum correorum fuit,[8] non aliter recedere voluerit, quam si totum sibi debitum solueretur.[9] Proinde quandiu nec totum debitum solutum fuit, nec dum in damno versatur Sempronius ob iustam suam ignorantiam ex creditoris facto emanantem,[10] potius succurrendum est creditori certanti de damno vitando,[11] & pro quo etiam faciat ratio iuris,[12] quam Sempronio, qui & iure inferior sit, & de lucro ex alterius iniuria captando certans nullo æquitatis prætextu adiuuetur.[13] Denique nihil hoc casu interesse videtur an Titius creditori instrumentum subtraxerit, an ab eo traditum acceperit, cautione noua interueniente. Nec rursum an rem gestam Sempronius sciuerit, an ignorauerit, cum nullo casu creditorem damno afficere debeat Sempronij ignorantia quantumlibet iusta,[14] nisi quando hæc duo concurrunt, vt & imputari aliud possit creditori, & in damno mansurus sit Sempronius si non ei succurratur.[15] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis habuisset in signum liberationis.

2 Vt dixi *Defin. praced.*

3 Aliud enim est damnum euitare, aliud vero etiam lucrum captare, *l. 3. in princ. D. vnde vi.*

4 *L. 1. & tot. tit. D. quæ in fraud. credit.*

5 Similis ratio est *in l. 3. D. de separat.*

6 *Vt in l. 3. C. de nouat.*

7 *L. pactum curatoris 22. Cod. de pact. & ibi not. l. non absimilis 4 C. de nouat.*

8 *L. 2. l. 5. §. 1. D. hoc tit.*

9 Vt apparebat ex protestatione apposita in posteriore obligatione.

10 Non prius autem versatur in damno quam incipiat in eo esse vt cogatur bis idem soluere.

11 *L. in eo 33. l. non debet 4. §. 1. de reg. iur. l. quod autem 6. §. simili modo dicimus, D. quæ in fraud. credit. l. 4. §. si cum legitima, de doli mali except.*

12 *Arg. d. l. 3. D. de separat.*

13 Repugnat enim æquitas naturalis, *l. nam hoc natura 14. D. de condict. indeb. l. iure naturæ 206. de reg. iur.*

14 *Argum. d. l. quod autem 6. § si quid cum pupillo, D. quæ in fraud. credit. l. absentia 140. cum ibi not. de reg. iur.*

15 Vt in ea specie de qua scripsimus *Defin. praced.*

DEFINITIO VI.

Non succurritur correo debendi, qui remansurus est in damno contra creditorem, nisi cum ex facto creditoris damnum illud correus sensurus esset.

ITaque finge Sempronium partem suam debiti soluisse Titio priusquam Titius à creditore instrumenti redditionem extorqueret, vt facilius ei esset suam quoque partem soluendo chirographi restitutionem vtriusque nomine impetrare. An si postea inter Titium & creditorem gestum sit negotium, eo quo exposuimus modo, & subinde Titius Sempronio instrumentum reddiderit, securus erit Sempronius aduersus creditorem? Minime. Nam licet correo iam soluerit, qui postea lapsus sit facultatibus, & ideo futurum sit vt si iterum creditori soluere cogatur damnum sentiat:[1] Proprię tamen facilitati imputare id debet, quod correi fidem secutus maluerit ei pecuniam dare ad soluendum, quam ipsi creditori soluere.[2] Cui porro nihil est quod imputetur, cum sibi vigilauerit & prospexerit, nec damni quod ob correi culpam vel inopiam Sempronius sentiat occasionem ipse dederit. Cum autem in proposita specie proponeretur collusum inter Titium & Sempronium fuisse in necem creditoris, & in falso, quod Titius admisisse dicebatur, Sempronium perpetrandi criminis consilium participasse, de eo primum Senatus inquirendum & cognoscendum putauit.[4] Itaque nihil super principali negotio pronunciatum est.

1 Quia reperiretur bis idem soluisse, in quo tamen nihil absurdi est, cum non bis eidem soluitur. Bona namque fides non bis solui prohibet, sed bis exigi, *l. bona fides 57. de reg. iur. l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic.*

2 Ita enim fit vt videatur correum elegisse & ideo sibi debet imputare, *arg. l. 1. §. illud sciendum, & seq. D. de separat.*

3 Quod vtique facere potuit & debuit, *l. pupillus 14. D. quæ in fraud. credit. l. non enim 16. C. ex quibus caus. maior. d. l. 3. D. de separat.*

4 Nam si vel mala fide Sempronius Titio soluisset, hoc est sciens non esse satisfactum creditori; aut si post factam bona fide solutionem falsum ille admisisset, constabat omnimodo condemnari eum debere. Priore quidem casu quod bonam causam numquam habuisset, *l. pupilli 96. in princ. de solut.* Posteriore vero quod bonam causam quam habuerat vitio suo & ob falsum commissum perdidisset. Not. *ad l. 1. C. si ex fals. instrum. & in l. Diuus 33. D. de re iudic.*

DEFINITIO VII.

Factum quidem & mora vnius ex correis debendi nocet alteri, sed non pactum ad augendam obligationem, quæ ab initio certam legem habuit.

COrreorum debendi vna quidem & indiuidua est obligatio, sicut & vna summa quæ à singulis in solidum debetur.[1] Vnde illud quoque est quod dici solet, alterius factum etiam alteri nocere.[2] Sed si alter ex iis inscio altero pactus sit cum creditore de modo vsurarum, quæ ex communi obligatione certam legem non acceperant,[3] non nocebit ea res correo quo minus audiri debeat, si ab ea vsurarum taxatione recedere velit, ac minores vsuras dummodo iustas offerre. Nam cum vsurarum accessione obligatio augeatur,[4] iniquum sané sit in alterutrius arbitrio esse vt quem iis velit modum constituat, quia nec inuito altero potest alter obligationem augere facto suo, nec si moram contrahat.[5] Quin etsi mora rei nocere solet fideiussori,[6] ex ea tamen fideiussoris obligationem non augeri certum est.[7] Hactenus igitur mora rei nocere debet fideiussori, vt principalis idémque fideiussoria obligatio perpetuetur, si forte post rei moram promissus Stichus perierit,[8] non etiam vt augeatur. Sic & factum vnius ex correis qui forte hominem promissum occiderit, nocebit correo, vt qui alioquin speciei interitu liberatus esset, perinde remaneat obligatus atque si ipse occidisset.[9] Nempe ita ferente natura & conditione contractæ obligationis quæ eadem manet.[10] Sed si de ea per vsurarum accessionem

cessionem augenda tractetur, aliud est, " & vtriusque consensum in constituendo certo vsurarum modo interuenire oportet, vt ex ea taxatione in solidum contra singulos agi possit." *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L.2.l.3.§.1.D.hoc tit.*

2 *L.penult. eod.tit.*

3 Nam si ab initio certam legem pro vsuris quoque habuisset stipulatio, aliud vtique dicendum esset, cum ea ex post facto immutari non possit, nisi consentientibus omnibus quorum interest. *l.vero procuratori 12.§ penult.D de solut.*

4 *L.Lucius 18. D.de vsur...centum Capuæ 8. de eo quod cert. loc.*

5 *L.mora 32.§ penult D de vsur.*

6 Scilicet ad perpetuandam obligationem principalem, *l. mora rei 88.D de verb.oblig.*

7 *d.l.centum Capuæ, vers.nec oportebit.* Intellige, nisi fideiusserit in omnem causam vt *in l.quæro 54.D.locat.*

8 *d.l.mora* junct. *l.cum filius familias 49.eod tit. de verbor. oblig. l.si quis solutioni 24.§ 1. de vsur. l.si libert. 44. D.de operis libert.*

9 Cum dubitari non possit quantum ad eum qui occidit, quin remaneat obligatus ex facto suo, quod & in fideiussore obtinet quia nemo facto suo potest obligationem suam tollere, *l.si seruum 91.§.nunc videamus, de verbor.obligat. dict.l si libertus.*

10 Habuit enim ab initio certam suam legem, *l.vero 12.§. penult.D.de solut.*

11 Id enim ex postfacto superuenit, nec ad obligationis ab initio constitutæ substantiam pertinet.

12 Quomodo & in aliis quibusdam propria cuiusque correi persona spectanda est, *l.eandem 9.§.vlt. D.hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Ob temerariam litem ab vno ex correis debendi susceptam non est alius correus onerandus, cui nihil potest imputari.

NOn valde dissimile est, quod quanquam sumptus litis pro pignore persequendo factos idem & hypothecæ & ordinis priuilegium habere constat, [1] si tamen pro communi nostro debito, cuius ego & tu correi eramus, ego rem meam Tirio obligauerim, & is contra te egerit me inscio, ac obtinuerit cum victoria expensarum, nec iuris nec æquitatis ratio patitur, vt luendi pignoris causa eas quoque expensas tanquam debiti partem offerre debeam, [2] cum ex facto tuo durior mea conditio reddi non debuerit, [3] nihilque imputari possit mihi, qui si ab initio conuentus fuissem, statim soluissem. [4] *Ita Senatus* ex tempore in causa cuiusdam viduæ N. Lambert. Augustanæ 8. Id Maij, 1593.

1 *Not.in l.Lucius 18. D.qui potior.in pignor.hab.* Accessorium enim sequitur naturam sui principalis, vt est in regula iuris pontificij.

2 Quas vtique offerre deberem, si fuissem ego condemnatus, aut si litem à te aduersus correum meum institutam mihi denunciasses.

3 *L.2.D.quod vi aut clam, l.soluendo 39. D.de negot.gest. l.mora 32.§.penult, D.de vsur.*

4 Aliud ergo est si lis mihi fuerit denunciata nec soluerim.

DEFINITIO IX.

Qui ab vno ex tribus correis debendi accepit partem tertiam debiti, diuidit actionem inter eum & cæteros, sed non quantum ad cæteros inter se

TRibus in solidum eiusdem pecuniæ correis debendi constitutis creditor ab vno ex iis accepta tertia debiti parte apocham conscripserat, qua significauerat soluta sibi centum à Titio tertia debiti parte, quæ ad eum pertineret. Actionis quidem, quæ aduersus Titium quoque sicut & aduersus cæteros in solidum competebat, diuisionem factam videri constitit vt nihil amplius à Titio peti possit. Sed quod ad alios duos à quibus nihil dum solutum erat communem & indiuisam pro reliquo debito mansisse placuit, [2] ideoque vtrum ex ipsis creditor elegisset in solidum conueniri potuisse. Propterea quod diuisio debiti non tam inducatur ex eo quod pars soluta sit, quam quod ab hoc aut ab illo sit soluta, nec vt lex ait, qui partem suam soluit pro alio exigatur. [4] Est enim consequens vt eius demum solius qui soluit, non etiam alterius fauore interpretatio diuisionis inducendæ accipi debeat. Ne alioqui actus & vltra intentionem agentis, & extra id quod actum sit operetur, contra vulgarem quasi pro iuris regula nostrorum conditionem. [5] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio 16. Calend. Aug. 1593.

1 *Ex l.si creditores 18 cum ibi not. C.de pact.*

2 Quia inter eos nullam debiti diuisionem factam esse verum est, cum neuter eorum quicquam soluerit, vt scilicet limitata causa limitatum pariat effectum, *vulg.l.in agro 16.D.de acquir.rer.domin.*

3 Ex natura scilicet obligationis correorum debendi, *l.2.l. 3.§.1.D.hoc tit.*

4 Vt scriptum est *in d.l si creditores.* [Aliud ergo est si quis contra vnum ex correis debendi egerit nec adiecerit *pro eius parte* licet non petierit nisi partem debiti *arg.l.reos 23 Cod.de fideiuss.* Multominùs inducetur diuisio si actum sit contra vnum ex correis pro certa quantitate quæ non respondeat ratæ eius portioni DD. *in d.l.si creditores. Ita Senatus* pro Aymonier Augustano Id. Febr. 1612. Sane facilius est vt ex perceptione partis inducatur diuisio fauore soluentis, maximè si pars soluta respondeat ratæ parti ab eo debitæ. *Ita tractatum est* ibid.]

5 *Vulg.l.non omnis 19. D.de reb.cred. l.semper in stipulationibus 34. de reg.iur.*

DEFINITIO X.

Correus, qui totum soluere condemnatus & coactus est, regressum habet, aduersus correos eadem sententia condemnatos pro virilibus partibus condemnationis non obligationis.

CVm essent octo correi debendi ex causa mutui, elegerat creditor ex ipsis nonnisi quatuor, & obtinuerat, vt quia diuisionis beneficio renunciauerant singuli in solidum condemnarentur. Tum in executione iudicati ab vno ex iis quatuor solidam condemnationem exegerat. Coactus soluere si aduersus iudicati correos regressum habere velit, (quando eo iure vtimur, vt correo qui totum soluit actio pro virilibus portionibus in correos competat, [1]) non pro octaua tantum, sed pro quarta portione singulos conueniri poterit, propterea quod ex iudicato illos tantum correos habuerit, qui eadem sententia sunt condemnati, [2] quamuis si ex prima obligatione non ex condemnatione soluisset, non nisi octauam quisque debiti partem erat debiturus. [3] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Ioanne Marechal, 5. Non. Aug. 1595.

1 Secundum ea quæ scripsimus *Defin 1 § hoc tit.*

2 Fiunt enim correi debendi ex iudicato sicut & ex contractu quolibet, *eg.1. C si vna sent.plur condemn. sint.* junct. *l. eandem 9.D.hoc tit.* Contra tamen videtur sentire Affl. *dec. 215.*

3 Non enim datur regressus aduersus singulos correos in solidum, sed in viriles, vt notant nostri *ad d.l.1.C.hoc tit. post gloss.ibi.*

DEFINITIO XI.

Ex pluribus conductionis correis etiam qui fruitus non est, potest prior & in solidum conueniri, si beneficio diuisionis renunciauit, nisi eo inscio nouam conuentionem locator fecerit cum alio correo.

BIU Cujas

DEbendi correis pluribus ex locationis causa cõstitutis aduersus singulos actio in solidum competit locatori ad exsolutionem pensionis, cum diuisionis beneficio, quod ex Iustiniani lege habent,[1] renunciarunt, nec distinguemus an alteruter duntaxat re locata fruitus sit: perinde qui fruitus non est, conueniri poterit, atque is qui fruitus est, adeoque primo loco non facta correi excussione. [2] Si tamen nouus contractus cum eo qui solus fruitus est initus sit, absente & inscio correo, licet ignorantis ius tollere nequeat pactio, quæ inter alios facta est, [3] hactenus tamen locatori nocebit, vt actionem quam aduersus eum habebat, amisisse videatur, [4] solaque supersit illa, quæ ex posteriore contractu competit, quia & qui solus cum eo contraxit, nouasque conuentiones iniit sine correo, proprio potius quam communi iure vsus, & ex posteriore magis quam ex priore contractu rem conductam retinuisse credendus est, [6] vt proinde verum sit, correum qui secundæ conuentioni non adfuit neque per se fruitum fuisse, neque per correum.[7] *Ita Senatus* in causa N. Gaspardi Antonij de Riddes D. de Bleys & Dominæ Abbatissæ Dubeton & Sp. Gabrielis Damodry Aduocati, Prid. Id. Aug. 1593.

1 Hoc enim fieri potest, *l. eandem 9. in princip. D. hoc tit. l. cum apparebit 47 D. locat.*

2 *Nouell. 99. de duob. reis.* vnde sumpta est *Auth. hoc ita, Cod. hoc tit.*

3 *Arg. l. propter mutuam 4. C. hoc tit.*

4 *L. si vnus 27. § pacta vers. ante omnia. l. vlt. D. de pact. l. 2. D. quod vi aut clam. l. Granius 71. § penult. D. de fideiuss.*

5 Quasi alium solum elegerit cum quo pactus fuit, *arg. l. 1. § illud quæritur, & seq. D. de separat.* etsi hodie sola electione facta vnius ex correis alius non liberatur, *l. vlt. C. de fideiuss.*

6 Cum præsumatur quisque vsus iure suo & proprio magis quam communi, *l. merito 51. D. pro socio. l. 4. D. de solut.*

7 Et ideo tanto magis æquum est vt ex priore contractu nullo modo teneatur, quasi cessante quod ad eum causa debiti.

DEFINITIO XII.

In clausularum repugnantia semper capienda est ea interpretatio, per quam fiat vt vtraque clausula operetur.

COrrei plures ita se obligauerant vt, quæ correorum obligationis natura est, singuli in solidum conueniri possent, in eamque rem, vt fieri assolet, beneficio diuisionis & ordinis renunciauerant.[2] At posteriore contractus parte scriptum erat, cautumque expressim, vt non prius exigi vnus ex iis in solidum posset, quam ab omnibus quoque cæteris petitum fuisset, addita etiam insolitæ clausulæ ratione, quod se pro vniuersitatis debito obligassent. Quibusdam videbatur in huiusmodi clausularum repugnantia maiorem habendam esse rationem posterioris, [3] quę haud dubiè ex contrahentium voluntate adiecta fuisset, cum & insolita esset, & propriam rationem haberet, [4] quam prioris, quæ ex notariorum stilo adiici soleret non semper eius vim & potestatem satis intelligentium. [5] Nec sane improbabilis erat sententia si aliter conciliari clausulæ non possent. [6] At æquius & commodius visum est eam capere interpretationem, vt ab omnibus peti necesse esset priusquam ab vno exigere solidum liceret. [7] Sed tamen si omnes simul solidum non offerrent, neque cogeretur debitor per partes solutionem accipere, [8] neque ab eo quem eligere vellet solidum statim exigere prohiberetur. [9] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 13. Cal. Ianuar. 1594.

1 Quod beneficium hodie ipsis competit, *ex Iustin. constitut. Nouell. 99.* nisi cum ei renunciarunt. *Auth. hoc ita, Cod. hoc tit.* Vide quæ scripsi de correorum obligationibus, *libr. 11. Conisil.*

2 Propter quam dicendum videbatur nullam ex clausulis valere, *l. vbi pugnantia 188. de reg. iur.*

3 Cum in pactis omnibus nouissima derogent prioribus, *vulg. l. pacta nouissima 12. C. de pact.*

4 Ex qua ratione apparebat non fuisse illam temere ac inutiliter adiectam, *arg. l. cum pater 77. §. dulcissimus de legat. 2.*

5 Minor enim vis esse solet clausularum quæ adiiciuntur ex stylo notariorum potius, quam ex voluntate contrahentium, per ea quæ notat Bart. & post eum cæteri, *ad l. 1. D. de iur. codicill.*

6 Quæ tamen semper sunt conciliandæ quantum fieri potest.

7 Nempe propter posteriorem clausulam, quæ alioqui futura esset inutilis.

8 Solutio enim per partes habet magna incommoda *l. 3. D. famil. erciscæ.*

9 Ex vi & potestate prioris clausulæ, cui etiam ratio iuris suffragabatur, *l. 1. Cod. hoc tit.* Vide *l. cum ex causa 139. De verbor. oblig.*

DEFINITIO XIII.

Plurium correorum debendi fideiussor condemnatus creditori à quo habuit cessionem actionum potest habere regressum contra vnumquemque ex correis in solidum quod ad sortem, sed non quod ad expensas litis.

FIdeiussor plurium correorum debendi, qui beneficio diuisionis renunciauerant, si post susceptam litem condemnatus ad solutionem debiti & in expensas litis soluerit creditori, & ab eo in ipsa solutione, vt fieri solet iurium cessionem impetrauerit, mox aduersus vnum ex correis regressum in solidum habere velit, audiendus quidem est, si ab vno quem ex ipsis elegerit de indemnitate in solidum agat cesso iure, [1] quantum ad sortem attinet, [2] sed non quantum ad expensas quas ille de suo in litem prorogauit, quarum scilicet nomine singulos correos non nisi ex æquis & virilibus portionibus condemnari oportet. [3] Nec sumptus quos creditori ex litis victoria præstari & restitui necesse fuit ab his separabuntur, quia neque creditor ipse pro litis sumptibus actionem contra alium habere posset, quam aduersus condemnatum. [4] Id enim est quod vulgo iactatur, sumptuum litis semper esse personalem condemnationem. [5] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio. Ad 9. Calen. Quintil. 1605.

1 Alioqui suo iure non haberet regressum contra eos pro quibus fideiussisset nisi in viriles, præterquam si aliter conuenisset, puta si post contractam correorum debendi in solidum obligationem datúmque fideiussorem, subinde & eodem instrumento promissa esset fideiussori indemnitas à correis adiecta illa clausula vulgari *comme dessus*, id est vt supra. His enim verbis viderentur correi omnes ad indemnitatem quoque se in solidum obligasse & eandem beneficij diuisionis renunciationem repetiisse compendio verborum. Quomodo in eadem huius Definit. specie tractatum est.

2 Solet enim hac parte separari causa sortis ab accessionibus, *arg. l. quæro 54. D. locat.*

3 Cum expensarum condemnatio semper sit personalis, vt dixi *Defin. 1. §. si plur. vna sent. condemn. sint.*

4 Nec enim aliam ob causam expensarum condemnatio irrogatur, quam in pœnam & odium temerariæ litis, *vulg. l. eum quem temerè 79. D. de iudic. Instit. de pœn. temer. litig.*

5 Dixi *in d. Defin. 1 §. si plur. vna sentent. condemn. sint.*

DEFINITIO XIV.

Nulla cessio potest fieri correo debendi qui totum soluit, nisi fiat in ipsa solutione aut præcedente pacto cedendarum actionum.

PLuribus in solidum de eadem re aut pecunia obligatis, qui solidum soluit, si non aut in ipsa solutione aut ante solutionem per pactum cedendarum actionum

BIU Cujas

actionum sibi prospiciat, frustra postmodum aduersus correos aut aliter obligationis socios accepit cessionem eius actionis, quæ ipso iure extincta sicuti nulla amplius supereſt, ita neque cedi potest. [1] Nec quicquam proderit si iudicis officium in eam rem ex æquitate imploretur, vt quod in conuentione omissum est, iurisdictionis auctoritate suppleatur. Huic enim remedio tantum locus est, cum solutio sic facta fuit, vt tamen eam actionem cuius cessio postulatur non prorsus extinxerit, quod plerisque casibus vsuuenit. [2] *Ita tractatum est* Cal. Iul. 1603.

1 *L. Modestinus 76. D. de solut. l. 1. C. de contr. iudic. tutel.*

2 Vt in specie *l. si res obligata 57. D. de legat. 1. l. 2. sicut 8. §. vlt. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

[DEFINITIO. XV.

De obligatione correorum credendi nouata retento iure anterioris pignoris.

SIcut vni ex correis credendi solidum solui potest,[1] ita & ei qui ab vno ex correis mandatum habeat[2] non ad agendum tantùm, sed etiam ad accipiendam solutionem. [3] Cæterùm non erunt correi credendi quibus eadem quantitas simul promissa est, nisi conuenerit vt singulis in solidum debeatur. [4] Tametsi anteriore instrumento, quod per posterius nouatum fuerat, idipsum contineretur. [5] Nouatio enim semper nouam sic facit obligationem, vt vetustiorem perimat [6] cuius proinde ratio haberi amplius nulla potest. [7] Nec ad rem pertinuit, quod conuenerat vt prior obligatio duraret quod ad ius retinendum anterioris hypothecæ. [8] Aliud enim est de iure tantum & ordine pignoris disputare. Aliud verò de substantia ipsa obligationis, quam eodem pignoris ordine retento innouari & immutari nihil prohibet.[9] *Ita Senatus* in causa D. Ioannis Antonij Bay procuratoris generalis & N. Scipionis de Seyssel D. de Choysel & N. Francisci Roger 3. Id. Iul. 1612.

1 *L. 2. & 3. §. 1. l. si id quod 15. & seq. D. hoc tit.*

2 Nihil enim refert an vero creditori soluatur an alij ex eius mandato *l. vero procuratori 12. D. de solu. l. quamuis 40. §. vlt. & legib. seqq. D. ad SC. Treb.*

3 Nam procuratori ad lites non rectè soluitur si non ad hoc etiam datus sit, vt ei solui possit, *l. hoc iure 86. D. de solut.*

4 *L. reos 11. §. cum tabulis, D. hoc tit.*

5 Vt scilicet plures illi creditores essent correi & singulis in solidum deberetur.

6 *L. 1. & tot. tit. D. de nouat.*

7 Scilicet cùm nouatio est voluntaria iuxta distinctionem, *l. aliam*, D *eod. tit. de nouat.*

8 Quæ frequentissima conuentio est creditorum quoties ea ipsa quantitas deducitur in posteriorem obligationem, quæ fuerat deducta in priorem. Ex *l. 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solut.*

9 Textus est in *l. creditor 3. l. creditor 12. §.* Papinianus aliàs *l. si prior D. qui potior. in pignor. hab.*

TIT. XXVIII.

DE FIDEIVS. ET MANDAT.

DEFINITIO I.

Etiam constitutor vt & fideiussor & alius intercessor quilibet habet exceptionem ordinis nisi se fecerit expromissorem, aut nisi fideiusserit iudicio sisti, vel promiserit se curaturum dari quid ab alio.

QVi proprio nomine constituit se soluturum quod alius debet, [1] quamuis nomine proprio sit obligatus, cum tamen alienum sit debitum, pro intercessore non secus ac fideiussor habendus, [2] proinde iuuari debet exceptione ordinis & excussionis non factæ, si ante debitorem conueniatur. [3] Nisi exceptionis huius beneficio renunciauerit. [4] Eadem enim vrget ratio æquitatis quæ fideiussoribus primum exceptionem accommodandam suasit, vt quantum fieri potest succurratur ei qui pro alieno debito obligatus est, vel ob hoc maxime ne litium modus multiplicetur si condemnatus constitutor aduersus debitorem regressum, vt par est, habere velit. [5] Hoc ita si non nouandi animo debitorem se constituerit, id est nisi expromissor fuerit. Hic enim cum promissione sua liberet debitorem, solusque maneat obligatus, [6] non potest principalis debitoris, qui nullus supereſt, excussionem obiicere. [7] Huic similis est fideiussor iudicio sisti, [8] itemque is qui promisit se curaturum, vt alius quid det vel faciat. [9] Nam quemadmodum si conueniatur ad faciendum id quod facere ille debuit, quem stiturum aut facturum promiserat, male & supra quam promiserit conuenietur. [10] Ita si ad hoc ipsum vrgeatur vt debitorē iudicio sistat, aut ab eo dari quid vel fieri curet, nullam habere potest ordinis exceptionem, quoniam ad id solus ipse obligatus est. [11] *Ita Senatus* pro D. Comite de Monreal contra D. Gaspardum de Maillians Iuridicum maiorem Beugesianæ prouinciæ 3. Id. Iul. 1588. Itemque alio placito quod pronunciatum est 13. Cal. Decembr. seqq. Hæc Defin. ex parte repetita est sub tit. de constit. pecun.

1 Potest enim quis tam alienum, quam suum proprium debitum constituere, *l. eum qui Ephesi 5. §. quod exigimus, D. de pecun. constit.*

2 Intercessor enim est quisquis pro alieno debito se obligat, *l. 1. & tot. tit. D. ad SC. Velleian. Nouell. 4. de fideiuss.*

3 *Ex dict. Nouell. 4. de fideiussor.* vnde sumpta est *Auth. præsente, Cod. hoc tit. l. vltim. C. de const. pecun.* [Sunt tamen qui putent debere fieri excussionem sumptibus constitutoris ex Roman. consil. & in eo duriorem esse conditionem constitutoris.

4 Nemo enim dubitat quin possit ei iuri renunciari, cum si ius priuatum non publicum, *l. pen. Cod. de pact. l. pactum 46. D. eod.*

5 Euitanda enim est multiplicitas litium quantum fieri potest, *l. singulis, 6. D. de except. rei iudic. l. quidam, 21. D. de rebus cred.*

6 Expromissor enim ille est qui solus obligatur pro alio tamen non obligato, siue alius ille obligatus aliquando faerit siue numquam. Vide Cuiac. ad Paul. *lib. 1. Sent. tit. 20.* Dionys. Gothofr. *ad tit. D. de fideiuss.*

7 Not. *Auth præsente, C. hoc tit. & ad auth. hoc si debitor C. de pign.* Qui enim non est excuti non potest, cum non entis nullæ sint qualitates.

8 *De quo in tit. D. qui satisd. cogant.*

9 Valet enim huiusmodi promissio, *§. si quis alium, 3. Inst. de inutil. stipulat.*

10 Liberatur enim sistendo illum quem sisti promisit, nec aliud quisquam facere cogitur, *l. quoties quis alium 81. de verbor. oblig.*

11 Exceptio autem ordinis præsupponit posse duos ad eandem rem conueniri, *l. Moschis 47. de iur. fisc. l. plane 4. D. de minor. dict. Auth. præsente, C. hoc tit. & d. Auth. hoc si debitor, C. de pignor.* Alex. *cons. 29. num. 36. lib. 7.*

DEFINITIO II.

Fideiussori præstanda est indemnitas in ea ipsa moneta in qua soluit, si eius interſit, & in eo plus iuris habet quam creditor.

CEntum libras Turonenses & regias Chamberij ad certam diem soluere obligatus fideiussorem eo nomine dederat, quem postmodum creditor Lugduni repertum in moneta regia soluere coëgerat. Si debitor mandati iudicio Chamberij conuentus vbi & contractus initus fuerat, & solutio fieri debuerat, totidem librarum æstimationem offerat in moneta

BIU Cujas

Sabaudica, non est audiendus. Debet enim in moneta eiusdem materiæ & formæ, soluere in qua fideiussor soluit, si fideiussor sua interesse dicat, [1] quoniam nec alioqui indemnis fideiussor præstaretur. Plus ergo iuris habet fideiussor quam habiturus esset creditor si ageret aduersus debitorem. Hic enim solutionem quam Chamberij peteret in moneta Sabaudica oblatam accipere cogeretur, dum ne in minore nummo quam esse nostro fieret oblatio, [3] nimirum creditoris ius ex sola obligationis potestate æstimamus, [4] fideiussoris vero potissimum ex bona fide, quæ facit vt quod ei abest idipsum præstari restituique oporteat. [5] *Ita Senatus* ex tempore 6. Cal. Sept. 1588.

1 Quia idipsum quod fideiussor soluit ei abest, datur autem ei actio mandati in omne id quod ipsi abest, *l. inter causas 26. §. abesse, D. mandat.*

2 Iniquum autem fuerit eum qui pro te officium suscipit remanere in damno, quod non sentiret si officium suscepisset, *l. si seruus 61. §. quod vero, D. de furt.*

3 *Ex notat. in l. Paulus, alias l. creditorem 99. D. de solut. & in l. 1. D. de aur. & argent. legat.*

4 *L. quicquid adstringenda 99. de verb. oblig.*

5 *d. §. abesse & d. §. quod vero.* Vnde etiam est quod si fideiussor grauiores vsuras præstiterit, potest eas repetere indistincte, *l. si vero 12. §. si mihi, D. mandat.* Negotiorum vero gestor ita demum si plus commodi attulerit ei, cuius gessit negotia, *l. & in contraria 37. in fin. D. de vsur.* In quo etiam obseruandum est, meliorem esse conditionem mandatarij & fideiussoris in eo quod vsuras possunt petere, nulla etiam mora interueniente, *d. §. si mihi.* Quod in aliis bonæ fidei iudiciis secus est, *l. mora, 32. §. in bona fidei, D. de vsur.*

DEFINITIO III.

Exceptio discussionis competit fideiussori etiam contra mercatorem, nisi ipse & mercator sit & in foro mercatorum conueniatur. Item ei qui promisit se soluturum ad eam diem ad quam debitor se obligauit.

EXceptionem ordinis non eo minus habere debet fideiussor quod cum mercatore contraxit, [1] nisi & mercator ipse sit, & in mercatorum foro conueniatur, in quo de istis apicibus iuris non solet disputari. [2] Sed neque illud exceptionem impediet, quod fideiussor promiserit se soluturum ad eam ipsam diem, ad quam principalis debitor soluere se obligauit. [3] Nam & cum duo facti sunt correi debẽdi, licet vna tantum sit obligatio, [4] si tamẽ ad alterutrum solum tota pecunia peruenerit, placet eum ad quem nihil peruenit eadem iuuandum exceptione, quod ex interpretum sententia [5] pro fideiussore habendus videatur. [6] *Ita Senatus* ex tempore 14. Cal. Decemb. 1589. Et rursum in causa N. Francisci Paquelet D. de Moyron & Gabaleon mense Maij 1614.

1 Ias. *in §. item si quis num. 76. 77. & 78. Instit. de action.*

2 Sed tantum de bona fide, *l. si fideiussor. 29. §. quadam, D. mand* [Bald. & Salyc. *ad l. frustra C. de non num. pecun.* Emanuel Soarez *in Commun. opin. in verb fideiussor.*]

3 Ea namque verba pertinent ad ius actionis non ad ius exactionis. Exceptio autem ordinis nec obligationem nec actionem remoratur, sed tantum exactionem, cum sit dilatoria, vt dixi, *Defin. 1. ẽ. de except.*

4 *L. 2. l. 3. §. 1. D. hoc tit.*

5 Quæ tamen à nobis improbata est, *lib. 11. Coniect. Cap. 1.* vbi vide.

6 *DD ad Auth. hoc ita, C. hoc tit. ex l. vir vxori 17. §. mulier & Titius D. ad SC. Velleian.* Aut. Gabriel. *lib. 3. Commun. opin. conclus. 3. de fideiuss.*

DEFINITIO IV.

Idoneus fideiussor non est nisi qui & corpus suum cum bonis obligauit & exceptionis ordinis renunciauit, nisi vbi consuetudo est in contrarium.

NEc satis idoneus nec rite obligatus videtur fideiussor, qui exceptioni ordinis non renunciauit, [1] quive bona sua dumtaxat non etiam corpus suum pignori obligauit. [2] Neque distinguimus an idoneus fideiussor dandus sit lege iubente, puta per tutorem vel curatorem, [3] an ex partium conuentione. [4] Sed hoc ita si non in eo loco fideiussor dari debeat, in quo longa consuetudine receptum sit vt fideiussorum bona obligari sufficiat, quomodo in valle Augustana seruari solere publice relatum est. Cuiusque enim loci consuetudo hac in re vt in cæteris fere omnibus seruanda est. [5] Illud sane constat apud Augustanos receptum esse, vt qui in iudicio fideiussit hoc ipso non tantum bona sua, sed etiam corpus pignori obligasse intelligatur. [6] *Ita Senatus* ex tempore 17. Calend. Ianuar. 1589. Et rursus 12. Calend. Decembr. 1590.

1 Quia nullam videtur actionem habere is qui potest repelli per exceptionem, *l. nihil interest 112. de reg. iur.*

2 Ex not. per Bart. *in l. filio, D. vt legat. non caueat.* Corset. *in fing.*

3 Hi enim satisdare iubentur à lege, *Instit. de satisdat. tutor. & curat.*

4 Vt cum quis imposuit sibi necessitatem satisdandi, *l. si fideiussor, 7. §. necessaria, D. qui satisd. cogant.*

5 Sunt enim tolerabilia quæ vetus consuetudo comprobauit, *Imperatores 13. in fin. D. de pollicit.*

6 In eoque fideiussor iudicialis deterioris conditionis est, quam extraiudicialis. Nec immerito propter vigorem & auctoritatem iudicij.

DEFINITIO V.

Fideiussio cum sit stricti iuris non trahitur ab vno casu ad alium, nec proinde à compromissis ad iudicia.

FIdeiussi me soluturum pro Titio quicquid arbitri eum tibi debere intra Calend. Mart. pronunciabunt. Si nulla ab arbitris feretur sententia, tametsi iudex aut Senatus pronunciauerit Titium tibi debere, non ero ex fideiussione obligatus. Verum enim est me in hunc casum non fideiussisse; [1] fideiussionem vero, cum per stipulationem dumtaxat contrahatur, [2] eatenus tantum contractam videri quatenus verborum formula & conceptio patitur; [3] nisi forte quis dicat, etiam iudices itemque Præsides & Senatores arbitrorum iure & appellatione censeri, præsertim cum arbitria hodie redacta sint ad instar iudiciorum: [4] sed non est interpretatio hæc probabilis, aliâ enim est persona & conditio arbitri, alia iudicis ordinarij, sicut & alia potestas & natura arbitrij, alia iudicati. [5] Quin & si ab arbitris pronunciatum quid esset post diem in fideiussione expressum, non obligaret. Qui enim ad tempus obligari voluit, non potest obligatus remanere post tempus, [6] quin saltem doli mali exceptione agentem creditorem possit repellere. [7] *Ita tractatum est* in causa D. Baronis de la Serra & Iacobi Buttauand Mens. August. 1591.

1 Sed in alium plane diuersum qui ad hunc extendi non potest maxime propter diuersitatem personarum: nec enim vnquam fit extensio de persona ad personam, ne quidem ex identitate rationis, *l. si ita stipulatus. 116. §. Chrysogonus,* iunct. *l. qui Romæ 122. §. Agerius, de verb. oblig.*

2 *L. blanditus 12. C. hoc tit l. 5. §. satis acceptio, D. de verbor. obligat.*

3 *Ex l. quicquid adstringenda 99. eod. tit.*

4 *L. 1. D. de recept. Qui arbitr. recep.*

5 Vt constat *ex l. 2. eod. & ex l. 1. C. eod. tit.* * Iunge *l. penult. D. iudic. solui.*

6 Nempe propter vim temporis expressi & limitati, *l. Imperator 8. in fin. D. de postul. l. Thais 41. §. intra, D. de fideicom. libert.*

7 *L. obligationem fere 44. §. placet, D. de oblig. & action.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO VI.

Qui fideiubet in rem suam non habet ordinis exceptionem quamuis ei non renunciauerit.

CVm meus debitor mihi obligatum fundum vendere tibi vellet, nec tu aliter velles emere quam si consentirem, ' consensi, ita tamen vt ex pretio solueretur mihi quod debebatur. Emisti, & quod venditor mihi debebat soluturum te pro eo fideiussisti. Si contra te agam ex fideiussione, non proderit tibi exceptio non factæ excussionis; [2] siue dicas te tertium possessorem, [3] cum possessionem nactus fueris me consentiente, ego vero consenserim propter tuam fideiussionem, [4] vt proinde non debeat mihi nocere tua possessio, quam si non à me saltem propter me habeas; [5] siue contendas te nudum esse fideiussorem, qui exceptioni ordinis non renunciaueris. Nam cum fideiusseris in consequentiam contractus, cui non eram aliter consensurus, nō est quod ex fideiussione tua damnum aut potius incommodum si quod est subire recuses, ex qua lucrum senseris; quandoquidem si non fideiussisses, neque hanc rem hodie possideres. Denique fere est vt hoc casu in rem tuam fideiussisse videaris; [6] nec æquum videri potest vt & rem & pretium habeas; [7] præsertim cum nihil tua interfit an mihi an venditori tuo pretium soluas, cum vtroque casu futurum sit vt libereris. [8] *Ita Senatus* ex tempore in causa Archidiaconi d'Aix contra N. Marquet. 8. Id. Maij 1590.

1 Vt scilicet huiusmodi consensu remitterem & dissolueram ius mei pignoris, *l. si consenserit 7 l. sicut* 8. §. *non videtur & pass.* D *quibus mod. pig. vel hypoth soluit.*

2 Quæ aliis fideiussoribus prodesse solet. *Auth. præsente* C. *hoc tit.*

3 Nam & tertio possessori, qui bonam fidem & titulum habeat, datur exceptio non factæ excussionis. *Auth. hoc si debitor,* C. *de pignor.*

4 Non aliter consensurus, *arg. l. cum te 6. & l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

5 Nemo enim debet ob id solum, quod possideat, vincere illum aut à quo possidet aut pro quo aut propter quem possidet, *l. 1. §. vlt. D. vti possid. l. 2. C. de præscript. 30. annor.*

6 Quo casu fideiussor habetur pro reo principali, *l. sed si fideiussor, 24. D. de pact.*

7 *L. exempto* 11. §. *qui autem, l. bonæ fides, 50. D. de act. empt.*

8 Quia solues mihi ex voluntate tui venditoris, quod perinde est, ac si solueres ipsi venditori, *l. solutum, 49. D. de solut. l. quia perinde 40. D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO VII.

Si creditor eligat vnum ex pluribus fideiussoribus, qui non sit soluendo, non ideo actionem aduersus cæteros remisisse credendus est.

CReditor qui plures confideiussores in solidum obligatos habuit, si contra vnum ex ipsis egerit nulla facta protestatione; [1] ita demum actionem sibi aduersus alios competentem remisisse credendus est, si soluendo esse proponatur is qui solus & in solidum conuentus est; [2] Alioqui sola electio non faciet quo minus aduersus alios agere quandoque possit, vt ab illis consequatur quod ab hoc consequi non potuerit. [3] *Ita tractatum est* 13. Calend. Iul. 1590.

1 Protestatio enim si qua facta esset conseruaret ius protestantis, *l. si debitor. 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit. l. etsi quis 14. §. plerique,* D. *de relig. & sumpt. funer.*

2 Matth. de Afflict. *decis.* 142.

3 Hoc enim Iustinianus constituit *in l. vlt.* C. *hoc tit.* contra iuris veteris rationem ex qua vnius ex correis electione sola alter liberabatur.

DEFINITIO VIII.

Fideiussores iudicio sisti & iudicatum solui non habent exceptionem ordinis, & in quo tamen differant.

FIdeiussoribus iudicio sisti & iudicatum solui commune illud est, quod exceptionem non factæ excussionis obiicere nullo modo possunt, si post sententiam aduersus reum redditam priore loco conueniantur. [1] Nam & aduersus eos sententia executioni mandari potest, sed hac tamen differentia quod contra fideiussorem de iudicato soluendo litem nouam ex ea causa moueri necesse est, non vt de victoris iure iam cognito iterum cognoscatur, [2] sed ne incipi possit ab excutione. [3] At contra fideiussorem ex causa iudicio sistendi datum statim fieri potest executio, nec noua citatione in eam rem opus est. [4] *Ita Senatus* in causa viduæ de Langier & D. de Vateuille Baronis de Versoex mense Iunij 1590. & rursum pro Iacobo Buttauand contra D. de la Sarra 6. Id. Iunij 1591.

1 Quia huiusmodi stipulationes interponuntur ex auctoritate & iurisdictione prætoris, vt iudicium ratum fiat, *l. 1. D. de prætor. stipulat.* & contra cuius mentem fuerit differri executionem iudicati, *arg. l. in conuentionalibus, 52. de verb. oblig. & l. in prætoriis, D. de prætor. stipul.* Atqui exceptio non factæ excussionis dilatoria est, vt dixi *Defin. 1. 5. de excep.*

2 Id enim esset actum agere. [Intellige siue actor ipse stipulatus sit siue procurator generalis, cuius stipulationem datam habuerit. Secus est, si eius interpositioni restiterit. *Ita Senatus* pro D. Russin. Idib. Decemb. 1602.]

3 Guid. Pap. *decis. 26. & decis. 11.* Bart. *ad l. 1. D. iudic. sol.* Sic nec laudum arbitratoris nocet fideiussori, quamuis factum sit compromissum, eo præsente ac tacente. Rauchin. *ad Guid. Pap. d. q. 26.* post Dec. *cons. 400. in fin.*

4 Idem Guid. Pap. *decis. 215.* Vide Papiens. *in form. execut. sent. diffin. in versicu. sapiens & egregius, num. 26.* * Speculator *in tit. de execut. res iudicat. §. 2. cap. breuiter,* potest enim fieri vt fideiussor habeat aliquam exceptionem vt *in l. si ex duobus 14. §. 1. D. iudicat. solui.* * Intellige tamen, nisi essent mutuæ personæ, tunc enim pars vocari deberet, in executione sententiæ, & summaria petitio offerri, & de causa cognosci summarie per iudicem. Idem Guid. Pap. *d. quæst. 26. de execut. sent. §. breuiter, vers. sed secundum.*

DEFINITIO IX.

Fideiussor tutus exceptione pacti de non petendo, cuius tamen controuersiam patiatur à creditore, non eo minus potest agere mandati si id malit contra debitorem.

SI is qui pro te fideiusserat conuentus à creditore obiiciat exceptionem sibi competentem personalis pacti De non petendo, [1] creditor autem pactum neget, eoque nomine litem ab eo fideiussor tuus patiatur, malitque ob illam causam contra te mandati agere aut ex stipulatu vt eum liberes, placet audiri eum debere, [2] nec tibi prodesse quod aduersus eum agentem paratus sis probare, tum esse illum ea exceptione vt à creditore non nisi iniuria exigeri possit. Non enim æquum est vt propter resumptibus & incommodis litis vexetur; [3] præsertim si fecit quod in se fuit, & exceptionem bona fide obiecerit. [4] Neque hoc casu locum habet quod dici solet fideiussorem tutum exceptione si per iniuriam iudicis condemnatus sit non habere regressum aduersus debitorem. [5] Id enim tum procedit cum exceptio talis est, quæ non fideiussori tantum, sed ipsi etiam debitori profutura esset contra creditorem. Quo casu sicuti debitoris interest opponi exceptionem à fideiussore, [6] ita non debet iniuria fideiussori facta debitorem contingere. [7] Atqui pactum de non petendo fideiussori

BIU Cujas

factum non potest prodesse debitori. [8] Nihil ergo interest debitoris tametsi eam exceptionem fideiussor agenti creditori nolit obiicere. Et generaliter in hac quæstione obseruandum illud est, quod ex Iuliano Vlpianus tradidit, [9] si fideiussor ex sua persona omiserit exceptionem qua reus vti non potuit, habere eum mandati actionem; quod si eam qua reus vti potuit, siquidé minus honestam æque habere eum mandati actionem, sin eam qua honeste reus vti potuit nō habiturum mandati actionem si modo habuit facultatem rei conueniendi, desiderandiq; vt ipse susciperet potius iudicium vel suo vel procuratorio nomine. Sic enim proculdubio apud Vlpianum ni fallor legendum est, ut locus sit integer & sententiam habeat rectam ac generalem. *Ita Senatus* pro Ioāne le petit riche contra Antonium Bourgeois 16. Cal. Dec. 1590,

1 Est enim pactum de non petendo aliquando personale, licet regulariter & sui natura sit in rem, *l. & haredi 21. §. vltim. & l. seq. D. de pact.*

2 Perinde acsi nullum ei cum creditore tuo pactum de non petendo intercessisset. Nec enim cogendus est vti exceptione sibi soli non etiam tibi competente, *arg. l. pen. C. de pact. l. si iudex circumuento 41. D. de minor.*

3 *Arg. l. minoribus 6. eod. tit. de minor.*

4 Negatio enim & contestatio secuta cœpit facere rem dubiam *l. vlt. C. quibus ad libert. proclam. non lic.*

5 *L. si fideiussor 29. in princip. & §. si cum debitor, D. mandat. l. si pro ea 10. C. eod. l. exceptione 67. D. hoc tit.*

6 Et de huiusmodi exceptione debet intelligi quod scriptum est *in l. ideoque 10. §. generaliter, D. mandat.* fideiussorem qui omisit exceptionem ex sua persona qua reus vti non potuit, habere nihilominus mandati actionem, si ea exceptio minus honesta fuit, non igitur habere si honesta fuerit exceptio. Quænam autem honestior, quam pacti de non petendo licet personalis? Sed tamen quia non posset illa exceptio etiam à fideiussore opposita prodesse debitori, non debet nocere fideiussori quod eam amiserit, non magis quam si creditor fideiussori donatum voluisset, *dict. l. idemque, §. vlt.*

7 Sufficit enim vt fideiussor fecerit quod potuit ne condemnaretur, si Baldo credimus *in leg. 2. § solet quari, D. de hared. vel act. vend.* Abbat. *cons. 60. vol. 1.* Hypol. de Marsil. *in rubr. de fideiuss. num. 186.* quem refert Duen. *reg. 337. ampl. 1.* Etsi pugnare hoc videretur cum *d. l. exceptione.*

8 *In d. l. idemque 10. §. generaliter, D. mandati.*

9 Alioqui manca erit non generalis traditio Iuliani, *in d. §. generaliter.* Adde *l. si fideiussor 29. §. Vlt. & l. Quintus Mucius 48. eod. tit. mandat.* Vide Cujac. *lib. 11. Obs. cap. 40.*

DEFINITIO X.

Fideiussor tempore liberatus si soluat creditori non idcirco amittit actionem mandati.

EAdem causa est fideiussoris, qui soluit cum iam non per pactum de non petendo, sed per lapsum temporis solus esset liberatus. Inter hunc enim & eum qui tutus erat exceptione pacti nihil interest, quandoquidem vterque soluendo & fidem implet, & liberat debitorem. [1] Sed etsi exceptio talis esset quæ non tantum fideiussori, sed etiam reo competeret, non cogeretur fideiussor litem prosequi, ne periculo quidem debitoris, sed abunde faceret si debitori litem denunciaret, vt adesset ille & quam sibi competere putaret exceptionem tueretur. Nihil enim aliud à fideiussore exigimus nisi vti ne soluat temere, neve facultatem aufferat debitori vtendi iure suo, [2] id est ne sit in culpa. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Ratio est Vlpiani, *in l. si fideiussor. 29. §. vlt. D. mandat.*

2 *L. Quintus Mucius 48. eod. tit.*

3 *L. Stichum 95. §. penult. D. de solut.*

DEFINITIO XI.

Mandati actio competit fideiussori vt non ipse tantum sed etiam ipsius vxor liberetur & eximatur liti, si quam ex causa fideiussionis patiatur.

CVm suggerente debitore vxor fideiussoris iam condemnati executioni quam creditor vrgebat intercessisset, prætextu quidem dotis, sed frustrandi tantum vt fit debiti causa, [1] visum est mandati actionem vtilem fideiussori in eam rem esse debere, vt non ipse tantum, sed ipsius quoque vxor liti eximeretur. [2] Interest namque fideiussoris non vexari vxorem sumptibus litibusque inanibus: non solum si de bonis dotalibus controuertatur, [3] sed & si de aduentitiis aut paraphernalibus, in quibus nihil omnino iuris maritus habet. [4] Ex causa enim fideiussionis æquum est mādati actione præstari omnia, quæ in fideiussionis consequentiam veniunt. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et ad eludendam iudicati executionem. Id enim plerunque faciunt condemnati, *l. si vt proponis, 8. C. de exec. rei iud.*

2 Propter indiuiduam illam vitæ societatem, quæ est inter coniuges, *l. 1. D. de rit. nupt.* iunct. *l. minoribus, 6. D. de minor.*

3 De quibus tamen dubitari minus potest cum sint in dominio & iure mariti, *l. quamuis 75. D. de iur. dot. l. dote 9. C. de rei vindic.*

4 Inuita scilicet vxore, *l. hac lege 8. & l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. dot.*

5 Et quorum incommodum non pateretur hodie fideiussor si mandatum non suscepisset, *l. si seruus 61. §. quod vero, D. de furt.*

DEFINITIO XII.

Fideiussor vt sit idoneus cogitur etiam corpus suum obligare, tametsi pro eo interueniat qui corpus suum obligare non potest.

FIdeiussor siue de iudicato soluendo siue ex qua alia causa dandus, non aliter idoneus videri debet, quam si non tantum bona sua sed & corpus quoque pignori obliget, [1] posteaquam generali consuetudine magis quam iure receptum est, vt licet dominus nemo sit membrorum suorum, [2] pignori tamen seipsum dare liber homo possit. [3] Nec distinguemus an is, cuius obligationi fideiussor accedit, presbyter sit, aut monachus, aut Senator aliusve cui interdicta sit proprij corporis obligatio. [4] Etsi enim iuris ratio facit ne in duriorem causam obligari fideiussor possit quam debitor principalis, [5] nihil tamen prohibet quin efficacius obligetur. [6] Argumento est, quod si quis pro muliere interceſſerit metu SC. Velleiani, aut pro minore contemplatione iuris prætorij, [7] omnimodo obligatur, nec Senatusconsulti aut restitutionis beneficium implorare potest, quod personæ principaliter obligatæ si conueniretur profuturum esset. [8] Sic pro eo, qui naturaliter tantum obligatus sit, nec proinde conueniri queat ex obligatione, [9] fideiussorem vtiliter accipi certum est, qui & ciuiliter obligetur & efficaciter conueniatur. [10] Neque enim aliam ob causam fideiussores dantur quam vt melius cautum sit creditoribus. [11] *Ita Senatus* 3. Non. Decembr. 1590. pro vniuersitate de Villereuersure contra D. Berard. Decanum ecclesiæ illius loci. Et iam ante in causa quadam Nicolai Pic, & Danielis Portonier, 9. Cal. Febr. 1576.

1 Vide Bart. *ad l. filio, D. vt legat. seu fideicom. seruand. caut. caueat.*

2 *L. liber homo 13. D. ad leg. Aquil.*

3 *Not. at. ad l. ob as 11. C. de oblig. & action.*

4 Isti enim proprium corpus obligare non possunt tanquam quod officio publico & dignitati ipsorum iam sit obligatum. Neque enim vna res duobus potest esse obligata sine stellionatu, *l. & quæ nondum 15. §. qui res suas, D. de pigno.* Nisi cum ex pretio potest vtrique creditori satisfieri, vt *in dict. §. qui res suas*, quæ exceptio non cadit in personam liberam quia vendi non potest.

5 *L. Græce 8. §. illud commune, & seq. D. hoc tit.*

6 Aliud siquidem est obligari durius, aliud autem obligari efficacius, vt apparet ex sequentibus exemplis.

7 Propter

BIU Cujas

7 Propter incertum ætatis & restitutionis, quomodo loquitur Papin. *in l. si Titius* 48 D. *hoc tit.* iunct. *l. Stichum* 95. §. *quod vulgo de solut.*

8 Vt dixi *Defin.* 15. *de fideiuss. minor. num.* 3.

9 Naturalis enim, *l. iuris gentium.* 7. § *igitur nudi.* D. *de pact. l. naturales* 10. D *de oblig. & act.*

10 *L.* 1. *l. stipulatus sum* 6. §. *vlt. & l. seq.* D. *hoc tit.* iunct. *l. fideiussor obligari* 6. §. *naturales eod.*

11 *L.* 1. *D. qui satisd. cogant.*

DEFINITIO XIII.

Laicus fideiubens pro clerico præscriptione fori iuuari non potest.

CVi simile quoque illud est, quod si laicus pro clerico fideiusserit, placet non iuuari eum præscriptione fori,[1] qua clericus ipse vel inuitus iuuaretur.[2] Cur enim creditor à clerico alioquin locuplete fideiussorem accipiat, nisi quod videt clericum ea fori præscriptione tutum difficilioris fore conuentionis?[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Affl. *dec.* 206. *num.* 2. Guid. Pap. *dec.* 561. Mantuan. *sing.* 517.

2 *Cap. si diligenti. de for. compet.*

3 Locupletem enim debitorem vel fideiussorem non tantum ex facultatibus æstimamus, sed etiam ex conueniendi facilitate. *l.* 1. *in prin. vbi glo qui satisd. cog.* Iunct. *cap.* 1. *de suppl. neglig. prael.* 6. Boer. *qu. st* 2. *nu.* 53.

DEFINITIO XIV.

Fideiussor iuratus potest in duriorem causam obligari, vt scilicet tanquam principalis teneatur non tanquam fideiussor.

SEd nec desunt, qui putent fideiussorem interueniente iureiurando in duriorem causam obligari posse;[1] quorum sententia hactenus recipi potest vt tanquam principalis debitor non tanquam fideiussor obligetur, qui in plus obligari vult,[2] vt propter iuris iurandi auctoritatem eo modo actus valeat, quo valere potest.[3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Franciscus Cremens. *singul.* 42.

2 Nec enim fieri potest vt accessio in plus obligetur quam debitor principalis, *l. Grace* 8 §. *illud D. hoc t t.*

3 *Ex not.* per Bart. *in l. si quis pro eo* 56. D. *hoc tit.*

DEFINITIO XV.

Fideiussor ex locationis lege datus absente locatore vtiliter tamen obligatur interueniente stipulatione notarij.

LOcaueram tibi fundum ea lege vt de mercede intra mensem satisdares. Tu cum Titio subinde conductionem communicaueras, isque eodem instrumento pro te erga me licet absentem fideiusserat. Placet non posse quidem me aduersus eum agere ex causa conductionis, cum ei non locauerim,[1] sed posse tamen agere ex causa fideiussionis. Nimirum quoniam alteri per alterum acquiri obligatio & actio potest, quoties stipulantis interest vt alteri acquiratur.[2] Hic vero tua intererat, vt mihi Titius ex fideiussione obligaretur, cum tu ad hoc ipsum obligatus esses vt fideiussorem dares. Præsertim cum notarij quoque stipulatio meo nomine interuenisset,[3] quam ego ex stipulato agendo hoc ipso ratam haberem.[4] *Ita Senatus* Idib. Decemb. 1590. in ea causa de qua SC. 5. De contr. & commit. stipul.

1 Actio enim ex locato cum sit ex contractu, personalis est, nec contra alium dari potest quam contra eum ipsum, qui contraxit aut hæredem eius *l. cum apparebit* 47. *D. locat. l. quacumque gerimus*, 11. *D. de oblig. & action.*

2 *L. stipulatio ista* 38 *si stipuler.* vbi gloss. & DD. *de verbor. obligat.*

3 Tessaur. *Decis. Pedem.* 70.

4 Qui enim ex aliquo contractu agit cum necessario ratum habet, *l. seruum Titij* 49. D. *mandat cum similibus.*

DEFINITIO XVI.

Qui fideiusserat inutiliter, non eo minus tamen postea soluit vtiliter, ita vt non possit solutum repetere.

SI Titius cum tuo nomine erga me absentem inutiliter fideiussisset, postea tanquam fideiussor tuus mihi soluerit, dicendum est confirmari fideiussionem hactenus saltem ne possit repetere quod soluerit.[1] *Ita Senatus* in eadem causa. In qua tamen placebat, ea potius ratione condictionem impediri, quod ex iuris regula repetitio nulla est ab eo, qui suum recepit, licet alius soluerit quam qui soluere debuit.[2]

1 Vt scilicet fideiussio inutilis habeat saltem pactum ex quo nascatur obligatio naturalis quæ impediat soluti repetitionem, *arg. l. an inutilis*, 8. *D. de acceptil.* iunct. *l. quod enim* 7. *D hoc tit. l. naturales*, 10 *de oblig. & act.*

2 *L. repetitio* 44. *D. de condict. indeb.*

DEFINITIO XVII.

Actionum cedendarum exceptio, quæ ex juris ratione soli mandatori competit eo tamen iure quo vtimur datur etiam fideiussori.

INter fideiussorem & mandatorem differentiam illam juris auctores constituerunt, quod aduersus mandatorem non aliter agere creditor potest, quam si paratus sit ei agere actionibus omnibus, quas habeat siue in personam siue in bona debitoris;[1] adeo vt si cedere vel nolit vel ideo non possit quod eas culpa sua amiserit, exceptione cedendarum actionum repellatur.[2] At fideiussori conuento vt pro debitore soluat exceptio illa non competit, siue nolit creditor cedere siue non possit, fecerit que ne posset.[3] Hæc tam varie, quoniam in damno moraretur mandator si non ei remedio cessionis succurreretur, cum nullam ex propria persona actionem habiturus sit aduersus debitorem, vtpote quem nec libi erauerit soluendo creditori. Soluit enim proprio nomine, & propter mandatum suum, non nomine debitoris.[4] Fideiussor vero sicuti non tantum suo, sed etiam debitoris nomine soluit quod soluit, ita non seipsum solum sed & debitorem ipsum liberat, adeoque debitorem primum, se vero non nisi per consequentias,[5] obidque paratam habet mandati actionem in debitorem[6] nec proinde vlla indiget cessione.[7] Plurium confideiussorum alia ratio est. Neque enim qui ex iis primus soluit vllam aduersus cæteros ex ea causa habet actionem, licet ex ea solutione liberentur, quia pro debitore non pro iis creditori solutum intelligitur.[8] Quæ res fecit vt inter eos beneficium aut potius remedium cessionis induci necesse fuerit, cum fieri poterat vt aduersus debitorem, aut periculosior aut difficilior futurus esset regressus per actionem mandati.[9] Eoque pertinent iura omnia quæ tractant de actionibus fideiussori cedendis.[10] Sed tamen iuris interpretes, dum prudentibus ipsis prudentiores videri volunt, apertissimum errorem inuexerunt, vt creditor aduersus fideiussorem agens perinde summoueatur exceptione cedendarum actionum, si cedere vel nolit vel non possit, atque si ageret contra mandatorem aut vnum ex confideiussoribus.[11] Quam sententiam æquitatis magis quam iuris ratione fretus, probarem non illibenter eo casu quo fieri cessio commode posset. Cur non enim æquum videatur vel hoc saltem consequi fideiussorem quod sine creditoris dispendio futurum sit.[12] Sed si eas actiones

BIU Cujas

quarum cessio postulatur creditor facto suo amiserit, puta quod cum debitore pactum personale fecisset de non petendo, [11] nihil causæ est quo minus exequi ius suum possit aduersus fideiussorem; cum nihil ei debeat imputari qui iure suo vsus est. [14] Nisi forte proponas dolo malo creditoris amissas actiones, & ob id tantùm ne iis cedere quandoque posset, vt puta si post petitam cessionem pactum inierit de non petendo à debitore. Vtique enim malitiis indulgendum esse nemo dixerit. [15] Senatus noster communem interpretum traditionem passim sequitur & probat, [16] adeo vt nec aliter audiendum putet creditorem paratum actionibus suis cedere, quam si obligationis quoque tabulas reddere paratus sit; quod sine iis vix vlla cessionis vtilitas constare possit. [17] *Ita Senatus* in causa N. Francisci Bertrier contra N. Dominicum Cize 6. Cal. Iul. 1591.

1 *L. si quis alicui 27. §. vlt. & l. seq. D. mandat.*

2 *L. Stichum aut Pamphilum 95. §. si mandatu 10. D. de solut.*

3 Vt ex eo constat, quod si creditor pactum fecerit de non petendo à persona rei, non eo minus saluam habet actionem contra fideiussorem, cui tamen nullam aduersus reum præstare vtilem potest, *l. nisi hoc actum 22. D. de pact.* vbi scripsi in Rationalibus.

4 Quam rationem adfert IC. *in l. Papinianus 28. D. mandat.*

5 Quia nimirum fideiussoris obligatio accessoria est, quæ non potest subsistere sine principali, *l. si fideiussor 19. D. de dolo.*

6 Aut mandati si mandatum aliquod intercessit, aut negotiorum gestorum si nullum, *l. ex mandato 20. §. 1. D. mandat.*

7 Cuius scilicet faciendæ nulla subest æquitas nisi cum necesse est subuenire soluenti ne periclitetur, *l. in creditore 38. D. de euict. l. mulier 19. D. qui potior in pign. hab.*

8 Licet omnes per consequentias liberentur.

9 *L. fideiussoribus 17. l. vt fideiussor 39. l. si fideiussores 41. D. hoc tit. l. cum aliter 11. C. eod. l. Modestinus 76. D. de solut.*

10 De quibus *num. prox. præced.* Adde *l. cum is 36. D. hoc tit. & in l. his consequenter, 18. § si filiusfamilias. D. famil. ercisc.*

11 Videtur tamen hæc sententia probari ex *Nouell. 4. de fideiuss. cap 1. in fin.* in illis verbis, *à creditoribus actionibus sibi cessis.* Nisi quis dicat ea verba pertinere ad actiones cessas non ad cedendarum necessitatem.

12 Quomodo argumentatur IC. *in l. in creditore. 38. D. de euiction.*

13 *Vt in d. l. nisi hoc actum 22. D. de pact.*

14 *L. nullus videtur 55. de reg. iur.*

15 *Vulg. l. in fundo 38. D. de rei vindic.*

16 Vt scilicet possit fideiussor per exceptionem cedendarum actionum repellere creditorem non volentem, aut non valentem vllas præstare actiones contra debitorem, *Ex d. Nouell. 4. de fideiuss. c. 1. in fin.* vbi Iustinianus videtur hac in re omnium intercessorum conditionem æquare, siue mandatores illi sint, siue fideiussores.

17 Nempe quia reddendæ erunt debitori cum soluet, *l. vlt. C. ad exhib.*

DEFINITIO XVIII.

Non tantum actionis cessio sed etiam tabularum redditio fieri debet fideiussori per creditorem etiam inuito, ac multo magis ignorante debitore.

SEcundum quam sententiam cum creditor quidam in fidejussorem agens cessionem actionum ei obtulisset, tabulas vero reddere recusaret ni debitor ipse consentiret, placuit justam recusandæ solutionis causam habuisse fidejussorem, qui cedendarum actionum exceptione nitebatur, propterea quod debitoris consensus frustra expeteretur in ea re, quæ & inuito debitore & inuitum debitorem facienda esset. [1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Ex reg. l. qui potest 26. de regul. iur. l. aliquando 13. §. vlt. D. ad SC. Vellean.* Iunct. *l. 1. C. de nouat. & deleg.*

DEFINITIO XIX.

Fideiussor qui iusta exceptione siue cedendarum actionum siue alia quælibet munitus est, non censetur esse in mora ideoque nec vsuras vllas debet.

CVi consequenter visum est decursi interea temporis vsuras nullas à fidejussore deberi, tametsi debitam pecuniam non obsignasset, [1] nec dies tantum, sed etiam locus solutioni dictus proponeretur. [2] Neque enim in soluendi mora esse videri debet is à quo propter justam exceptionem pecunia peti non potest. [3] Solaque oblatio conditionalis sufficit cum conditio per creditorem implenda est, & per eum stat quo minus impleatur. [4] Sane si qua alia de causa interfit creditoris ne debiti tabulas reddat fideiussori, vt puta si maior quantitas à reo debebatur pro quo fidejussor soluit, non est arctandus creditor vt tabulas fidejussori tradat, sed sufficiet, vt actionibus suis cedere paratus sit ad eam vsque quantitatem pro qua fidejussor interuenerat, seque obliget de tabulis ipsis fidejussori exhibendis, quotiescunque bonum & æquum id videbitur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis obsignatio sola vice solutionis sit non etiam oblatio, *l. obsignatione 2. C. de solut. l. acceptam 19. C. de vsur.*

2 Quæ loci adiectio multum operari solet ad inducendam condemnationem eius quod interest, *l. 1. 2. & pass. D. de eo quod cert. loc.*

3 *L. sciendum 21. D. de vsur. l. lecta 40. vers. non enim, D. de rebus credit.* Porro non solent deberi vsuræ nisi ex mora, *l. cum quidam 17. §. si pupillo, D. de vsur. l. Titiæ Seio 87. §. vsuras, de legat. 2.*

4 Quia in eius præiudicium non in eius commodum habenda est pro impleta, *vulg. l. iure ciuili 24. de cond. & demonstr. l. in omnibus, 39, l. in iure ciuili 161. de reg. iur.*

5 Interest enim hoc casu creditoris vt habeat penes se tabulas, etiam post solutionem sibi factam, vt & in *l. qui tabulas, 27. D. de furt.*

DEFINITIO XX.

Restitutio in integrum frustra petitur contra fideiussorem postea quam soluit.

FIdejussore dato ex ea causa quæ admittat beneficium in integrum restitutionis, si non prius restituatur debitor aduersus creditorem, quam fidejussor soluerit, frustra postea restitutionis auxilium aduersus fidejussorem implorabit, [1] si non eadem restitutione veluti fidejussoris nomine solutionem tanquam indebitam condicat à creditore. Nam quin eam actionem exercere possit dubitari non potest, cum ipsius interfit ne teneatur fidejussori, [2] Cæterum, quid imputari potest fidejussori qui coactus soluit non prohibente eo cujus erat persecutionem crediti, atque ita solutionem inhibere? [3] Alioqui in damno morari fidejussorem iniquissimum sane futurum sit, [4] nisi probetur in rem suam potius quam in rem alterius fidejussisse, [5] aut ni qua alia justa causa sit propter quam actio mandati debeat ei denegari. [6] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio Prid. Cal. Aug. 1592.

1 Ne alioqui moretur in damno fideiussor, cui nihil potest imputari nisi cur fideiusserit.

2 Aut potius vt habeat quod fideiussori possit reddere, *l. indebitum 47. D. de condict. indeb.*

3 *Arg. l. fideiussor 29. in prin. D. mandat.* Vnde enim potuit fideiussor diuinare futurum, vt reus peteret restitutionem in integrum, *arg. §. si cum debitor eiusd. legis.*

4 Et ira damnosum ei esse officium suum *l. si servus 61. §. quod vero, D. de furt.*

5 Qui enim fide iubet in rem suam magis pro reo quam pro fideiussore habendus est, *l. sed si fideiussor 24. D. de pact. l. de die 8. §. 1. D. qui satisd. ceg. l. 5. D. de liberat. legat.*

6 Puta si fideiusserit animo donandi, *d. l. 5. de liberat. leg.*

DEFINITIO XXI.

Solutionem à fideiussore factam esse probatur contra tertium creditorem ex sola chirographi possessione.

VT fidejussor actionem habeat contra debitorem aut in res sibi ex causa fidejussionis obligata, vtique

vtique probare debet factam à se solutionem. [1] Eius vero rei sufficiens probatio illa esse creditur, si chirographum ex quo potuit conueniri exhibeat, licet nec cancellatum illud sit, nec à creditore redditum probetur. Nam quod in contrarium disputari solet, non probari solutionem debiti ex eo solo, quod debitor chirographum penes se habeat, adeoque cancellatum, ni constet ab ipso creditore aut saltem ex ejus voluntate debitum fuisse, [2] tum recte dicitur, cùm debitori res est aduersus creditorem negantem sibi factam esse solutionem; [3] non illo etiam casu, quo tacente ac nil conquerente creditore si velit debitor ipse aut alius fidem solutionis exigere. [4] Multo minus vero audiendus erit tertius possessor si neget solutum, tacente ipso etiam debitore, & patiente vt fidejussor eam actionem exerceat, quam nisi solutione jam facta exercere non posset. [5] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 4. supr. de pact. pign. 4. Idus Nouemb. 1592.

1 Præterquam in casibus, de quibus *in l. Lucius, 38. D. mand. l. si pro ea contra quam 10. D. eod.*

2 *L. 2. vbi gloss. D. de pact.* iunct. *l. si chirographum, 14. D. de probationib.*

3 Quia solutio hoc casu probanda est & quidem concludenter ab eo qui allegat, *l. 1. C. de probat.*

4 Præsertim cum is qui habet instrumentum videatur etiam habere mandatum ad exigendum, *vulg. l. 1. C. de donat. l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup. tot.*

5 Est enim exceptio ista de iure tertij nec exclusiua iuris agentis, nisi sub ea saltem conditione si tertius velit, & ideo quamdiu non constat de tertij voluntate opponi non potest. Bart. *ad l. 2. D. de except. rei iudic.*

DEFINITIO XXII.

Obligatus in ampliore forma cameræ non habet exceptionem ordinis, quamuis non renunciauerit ei expressim.

QVamquam exceptioni ordinis nominatim renunciare fidejussor debet, vt ab eo beneficio excludatur, [1] si tamen quod plerumque Romæ fit se obligauerit in ampliore vt aiunt forma Cameræ, satis renunciasse credendus est vt juuari beneficio legis non possit; [2] nec illa solum ratione quod hujusmodi exceptio de apicibus juris esse existimetur, [3] sed etiam quia amplior illa forma cameræ specialem hujus exceptionis vt & aliarum omnium quæ objici possent renunciationem contineat: vt proinde qui se obligat in ampliore forma cameræ, specialiter quoque iis omnibus exceptionibus renunciare videatur, quarum in ea forma mentio fit, [4] saltem per relationem: id enim est quod dici solet relatum inesse in referente cum suis omnibus qualitatibus, [5] neque vero qui obligatus est in ampliore forma cameræ vllas exceptiones habere potest, præterquam falsitatis & solutionis. [6] *Ita Senatus* pro N. Iano Pensabin contra N. Floret 17. Calend. Febr. 1593.

1 *Nouell. 4. de fideiussor. vbi gloss. in princip.* Adeo vt non sufficiat quod fideiussor se constituerit principalē debitorem & pagatorem, vt loquitur Papiens. in *form. libell. contra plures reos delegatorem, vt loquitur Papiens. in form. libell. contra plures reos delegatorem, vt loquitur Papiens. in form. libell. contra plures reos delegatorem, vt loquitur Papiens. in

primaque præstatione dissoluitur.' *Ita Senatus* in relationibus libellorum 11.Cal Mart.1593.

1 Stipulatio enim semel commissa sicut resolui amplius non potest,*l.6.haeres licere 57.in fin.D.de euict.* ita neq; iterum committi,*l.cum quærebatur 13.l.vltim. D.iudic.solui.* Similiter stipulatio semel impleta neque impleri postea,neque actionem contra promissorem patere vnquam potest.Faci. *l.boues 89.§.hoc sermone & ibi* Andr.Tiraq *de verb signific.*

DEFINITIO XXV.

Ex solutionis prorogatione debitori facta inscio fideiussore non liberatur fideiussor,secus est si prorogata fuerit obligatio,puta ex causa taeita reconductionis.

DEbitori, qui ad certam diem soluturum se promiserat, & eo nomine fideiussorem dederat, creditor absente & inscio fideiussore soluendi facultatem in longius tempus prorogauerat. Non idcirco liberatus fideiussor videbitur, cum principalis obligatio salua sit, nec durior fiat conditio fideiussoris.[1] Nam si iam diu in obligatione mansit,nec diutius manere velit, potest ille sibi consulere ordinario iuris remedio, quemadmodum & si reus labi facultatibus inciperet.[2] Quod si nec soluere ipse velit nec petere adhuc possit vt à fideiussionis periculo eximatur, boni consulere debet quod dilationis reo concessæ beneficium sibi commune futurum sit, vt tardius ad solutionem vrgeatur.[3] Non eadem ratio est eius, qui pro alio conductionis temporalis nomine fideiussit.[4] Nam si finito tempore patiatur locator conductorem in possessione remanere,[5] sequentis temporis periculum ad fideiussionis causam non pertinebit,[6] nempe quoniam alia & noua conductio est finita priore,[7] & consequenter noua obligatio, quam in præiudicium fideiussoris sine nouo ipsius consensu contrahi non oportet, licet eadem pignora quæ prius data fuerunt à debitore, perseuerent obligata.[8] In eo namque differt obligatio pignorum debitoris ab obligatione fideiussoris. Et ratio diuersitatis est, quia nihil debitoris interest quod eadem pignora maneant obligata, cum ipse quoque in noua se obligatione constitui patiatur. At fidejussoris interest qui commodum nullum sentit ex fidejussione, ne diutius quam ab initio voluerit in obligatione retineatur.[9] plane non faciet secunda hæc conductio, siue expressa illa sit siue tacita, vt si quid adhuc ex prioris causa debeatur, liberatus fidejussor intelligatur. Quia licet conductio ipsa tempore finita sit, obligatio tamen quæ ex causa conducti nata est[10] tamdiu durat, quamdiu locatori solutum aut aliter satisfactum non est.[11] *Ita Senatus* in causa N.Ioannis de Belly Domini des Eschelles & Claudij Baussan, 3.Calend. Mart. 1593.

1 Non enim fuit appositum tempus in obligatione fideiussoris ad finiendam obligationem, quo casu aliud esset, sed ad faciendam solutionem & exactionem.Dec.*cons 93.quæst.fin.*Gabriel.*lib 3.commun.opin.tit.de fideiuss. concl.3.* Masuer. *in addit. ad Papiens in form.libell.contr. plur.reos.debend. vers solutionem facere recusauerunt,num.2. ad verb.consenserit.*

2 *L.Lucius 38.D.mandat.l.si pro ea contra quam 10. C.eod.*

3 Cum tanto plus habiturus sit intermedij temporis & spatij ad soluendum,*l.quod certa die 70.D.de solut.*

4 Quo casu obligatio fideiussoris certo tempore limitata est,non vt eo finiatur, sed ne pro alterius temporis conductione fideiussor teneatur.

5 Quod cum fit,tacita reconductio creditur intercessisse,*l. item quæritur 13.§ qui impleto.D.locat*

6 *L.si cum Hermes,7.C.de locat.*

7 *L.qui ad certum,14.D.eod.*

8 *L.item quæritur 13.§ qui impleto.eod.tit.*

9 Obligatio enim limitata ad tempus certum non potest inuito obligato in longius tempus prorogari, vt tractat Papiens.supradicto loco, *ex d.l si cum Hermes d.§ qui impleto & ex not per gloss.in cap constitutus de fid.iuss. & in l.pen. D.de præs. stipul.l.vlt.D.de pact.* Etsi male in eo Papiens. quod abutitur illis locis omnibus vt probet fideiussorem liberari prorogatione facta debitori ad soluendum: quod sane falsum est, tempus enim solutioni præstitutum non limitat obligationem sed illud demum,quod præstitutum est obligationi, vt *in l.obligationum fere 44.§.placet,D.de obligat.& action.* Iunge *l.Imperator 8.in fin.D.de postul.*

10 Siue intelligas de personali, quæ nascitur ex contractu siue de hypothecaria quæ ex conuentione pignoris.

11 Cum tempus non sit modus tollendæ obligationis, *d.§. placet.*Nisi post *l.3.C.de præscr.30.vel 40 annor.*vt de *l si rem 9.§. omnis pecunia,D.de pignor.act.l.grege 13.§ etiam.D.de pign.*

DEFINITIO XXVI.

Differentia inter fideiussorem & emptorem in expensarum litis cum alio habitæ repetitione.

INterest multum, an indemnitas petatur actione ex empto aduersus venditorem euicta re uendita, aut mota de proprietate rei quæstione;[1] an vero actione mandati,[2] si forte fidejussor pro debitore soluerit, Priore casu si quas expensas emptor in litem fecerat priusquam venditori denunciaret,repetere illas à venditore nullo modo potest, quia imputare sibi debet, cur non citius denunciauerit.[3] Imo nec actionem vllam habet de euictione, si ante denunciationem fuerit condemnatus, nisi probet justam fuisse condemnationem,hoc est eum,qui rem euicit,euincendi jus habuisse.[4] Posteriore vero casu licet fidejussor à creditore conuentus non ita cito litem debitori significauerit, sed in causa appellationis tantum,nihilominus tamen expensas omnes à debitore repetet,propterea quod id bona fides exigat, quæ in mandati potissimum actione exuberare debet.[5] Verum enim est ex causa mandati & fidejussionis pro alio factæ impensas illas irrogatas esse,[6] sed hoc ita si non statim post litem denunciatam debitor soluerit,at litem in longius tempus protrahi passus sit, alioqui si statim atque denunciatum est soluat,credibile est fuisse illum citius soluturum & fideiussorem ejusmodi expensis exoneraturum, si fuisset fidejussor diligentior in lite denuncianda. Ideoque nec æquum est onerari debitorem iis sumptibus, quos fidejussor culpæ suæ potius & negligentiæ quam mandato imputare debeat,[7] cum nec imputare possit damnum quod casu fortuito in mandato exequendo senserit, si summo jure agatur.[8] Quamuis placeat quod interpretes ttadiderunt ciuilius esse & vrbanius[9] vt mandator damnum omne resarciat quod mandatario ob mandatum contigerit, licet casu fortuito.[10] Sed alia ratio est damni, quod neque ex causa mandati neque casu fortuito, sed sola mandatarij culpa obtigit.[11] Plane si nihil imputari possit fideiussori forte quod absenti & nullum in prouincia domicilium habenti debitori litem denunciare non potuerit,[12] impensas omnes restituere debitor cogendus erit, nec aliud in emptore seruabitur.[13] *Ita Senatus* pro N. Hieronymo de Lambert Barone de Terny, contra N. D.de Montfort ex tempore, 7.Id.Mart.1593.

1 Ex natura scilicet actionis ex empto, *l.si in venditione 60. & l.antep.§.mota quæstione,& pass,D.de euict.*

2 Præcedente mandato,alioqui non mandati actio competet,sed negotiorum gestorum, quæ tamen hac parte eiusdem est naturæ,*l ex mandato 20.§.1.D.mandat.*

3 *L.emptor 8.C.de euict.* Culpa enim sua damnum sentit,qui ideo tantum sentit quod tardius experiri cœperit, *l.cum postulassem 44.D.de damn.infect.*

4 Imbert.in Enchirid.in verb. *Emptor.* vide *gloss.in l si ideo 55.D.de euict.*

5 Ne mandatario suum officium sit damnosum, *l si seruus 61.§.quod vero D.de furt.*

6 Neque

BIU Cujas

8 Neque hoc damnum fuisse passurum fideiussorem si non fideiussisset, vt *in d. §. quod vero.*

7 *Inter causas 26. §. non omnia. D. mandat.*.

8 Vt scriptum est *in d. §. non omnia.*

9 Glos. communiter adprobata, *in d. §. non omnia.*

10 Id est, siue propter mandatum contigerit formaliter, siue occasionaliter, vt nostri loquuntur.

11 Quale illud est de quo nunc tractamus, cuius rationem haberi numquam oportet. *Et reg. l quod quis 203 de reg iur.*

12 vt in specie *l. vlt. D. de leg. commiss. l. eum quidam 17. §. si pupillo. D. de vsur.*

13 Quia vtriusque casus eadem ratio est, nec magis potest imputari emptori, quam fideiussori, cur non denunciauerit. Item si nemo fuit cui denunciaretur, *l. 4. §. rotties, D. de damn. infect.*

DEFINITIO XXVII.

Fideiussori qui per collusionem cum creditore habitantis soluit non est dandus regressus.

IMputari quidem solet debitori, qui soluit, si non fideiussori suo denuntiauerit, ne is forte ignorans iterum soluat. [1] Ideoque si fideiussor per ignorantiam iterum soluerit, nihilominus mandati actionem habebit, quia non potuit diuinare. [2] Sed tamen si dicatur fideiussor nomen creditoris subiecisse, vt debitorem grauioribus sumptibus oneraret, [3] non prius ei condemnandus erit debitor, quam rata creditor habuerit ea omnia, quæ suo nomine aduersus fideiussorem gesta comperiet. [4] Ob eam causam accersendus erit in ius, sed sumptibus debitoris, mox reperituri aut aduersus fideiussorem si creditor ratam non habeat petitionem, quam fideiussor sub eius nomine instituit, aut aduersus creditorem ipsum si accepta iam solutione iterum pro eodem debito vrserit fideiussorem. [5] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 17. Cal. April. 1593.

1 *L. Fideiussor conuentus, l. 29. D. mandat.* * Non tamen imputatur fideiussori si bonam fidem agnouerit, puta si soluerit etiam postquam solus ipse tempore liberatus fuit non etiam debitor, *dict. l. si fideiussor. §. vltim.* Est enim illi ignoscendum si pudori suo pepercerit. *l. Quintus 48. eod.*

2 *d. l. si fideiussor. §. si cum debitor.*

3 Vt plerumque fit per dolum malum fideiussoris cum creditore colludentis.

4 Quid enim si nolit rata habere, miserus fortasse debitoris, & ne ei tantopere noceat.

5 Bona enim fides non patitur vt bis idem exigatur, vt est in iuris regula, & improbus est qui bis idem consequi velit, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic.*

DEFINITIO XXVIII.

Fideiussor quamuis non nisi prouisionaliter condemnatus, diffinitiuam tamen indemnitatis condemnationem aduersus reum vrgere potest.

COndemnato prouisionaliter, vt loquuntur, & lite pendente eo, qui pro fundi venditore de euictione se obligauerat, [1] quærebatur an venditor ipse fideiussori vicissim prouisionaliter duntaxat an etiam diffinitiue condemnandus esset? Quibusdam placebat, non ad aliud condemnari eum debere, quam vt litem susciperet, [2] eamque ipsam quantitatem fideiussori prouisionaliter præstaret, in quam fideiussor ipse fuerat condemnatus, [3] ne alioqui si in diffinitiua sententia succumbere actorem contingeret, ob nullam causam fideiussori venditor condemnatus videretur. [4] Sed magis visum est, iustam semper causam esse propter quam reus, qui nullas aduersus fideiussorem exceptiones habere potest, [5] omnimodo ipsi condemnandus sit, quandoquidem ita fieri interest fideiussoris, debitoris vero nihil prorsus? [6] cum si condemnandi actoris ratio aliqua emerget, ipsum debitoris eiusdemque venditoris commodo cessura sit condemnatio, non fideiussoris, cui iam aliunde debitor satisfecerit. [7] Itaque pronunciauit Senatus condemnandum simpliciter venditorem, vt fideiussori indemnitatem præstaret. *In causa* D. de la Vulpilliere & Syndicorum Necij, contra fratres Goddet, 12. Cal. Iun. 1593.

1 Puta cum facti allegatio aliqua diffinitiuam sententiam remoraretur.

2 *Arg. l. si plus 74. mota quæstione, D. de euict.*

3 Ita enim fiebat, vt huic euictionis fideiussori tantum præstaretur, quantum ipsi adesset, quod sufficit. Nec enim lucrum ex mandato sperare fideiussor debet, *l. si mandatu 59. §. 1. D. mandat.*

4 Potestas enim sententiæ diffinitiuæ tolleret intellectum prouisionalis condemnationis, *l. quod iussit 14. vbi not. D. de re iud.* iunct. *l. si patronus 55. §. vlt. D. ad SC. Trebell.*

5 Quamuis indemnem eum seruare teneatur, *l. si seruus 61. §. quod vero, D. de furt.*

6 Succedit enim iuris regula, quæ vult id, quod vni prodest, & alteri non nocet, facile concedendum esse, *l. in creditore 38. in fin. D. de euict.*

7 Improbus enim esset fideiussor, si bis idem consequi vellet, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iud.*

DEFINITIO XXIX.

Non imputatur fideiussori, quod sciens omiserit exceptionem procuratoriam aut aliam, quæ sit de apicibus iuris.

FIdeiussor, qui ignorans solutam à debitore pecuniam, quæ debebatur, soluit creditori, non imputatur, quod exceptionem procuratoriam etiam sciens omiserit, vt cum creditore in debitoris necem idcirco collusisse videatur. [1] Non enim ad debiti substantiam ea exceptio pertinet, sed ad iudicij exercitationem. [2] Plane debitori aduersus creditorem, qui accepto debito fideiussorem male inquietauerit, actio salua & integra seruanda est. [3] *Ita Senatus* ex tempore, in causa N. Strasse Maurianensis, contra N. Claudium Reydelet, 6. Id. Iul. 1593. Iunge Defin. 27. supr.

1 Quæ collusio, si probaretur, omnem fideiussori regressum & actionem contra debitorem adimeret, *l. idem q. 3. 10. §. generaliter, l. si fideiussor conuentus 29. in princ. & §. si cum debitor, D. mandat.* iunct. *l. Quintus 48. eod. tit.*

2 *d. l. si fideiussor, §. quadam, eod. tit.*

3 Dolo enim fecit creditor, qui bis idem consecutus est, *l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iud. l. bona fide 57. de reg. iur.*

DEFINITIO XXX.

Collaudator fideiussoris non minus quam fideiussor tenetur corpus suum pignorare, sed habet semper exceptionem ordinis etiamsi ei renunciauerit.

NEcessarius quidem fideiussor, hoc est, qui ex causa & in executionem iudicati, [1] aut alicuius præcedentis obligationis adhibetur, non aliter admittendus est, quam si cum bonis suis omnibus corpus quoque suum pignori obliget expressa conuentione. [2] Sed de collaudatore, quem certificatorem vocant, an idem dicendum sit, dubitatum aliquando fuit. Placuit idem dicendum esse, quia perinde interest eius, qui fideiussorem accipit & collaudatorem, vt obligatos omnes habeat & pignoratos. Quamuis enim non nisi fideiussore discusso contra collaudatorem actio danda sit, [3] adeo vt nec volens collaudator possit renunciare exceptioni ordinis, nisi malit fideiussorem se præstare quàm collaudatorem, [4] eadem tamen ratio subest excusso fideiussore, vt cæteri, qui in subsidium conueniuntur, capi & in carceres detrudi possint, non solum quod medio tempore multa accidere queant, ne bonorum pignora sufficiant, [5] quorum aliunde persecutio moram pleramque maximam & dispendiosam ha-

BIU Cujas

bet,[6] sed etiam quod tædio metuve carcerìs multo facilius, quam per bonorum venditionem soleant debitores excitari ad explicandas pecunias, suósque creditores dimittendos.[7] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua SC. 11. & 12. supr. de satisd.

1 Puta prouisionalis, quod non nisi dato fideiussore mandari executioni potest. Idémque & in sententia diffinitiua quibusdam casibus iuris est, vt dixi *in titul. de sent. & interloc. omn. iudic.*

2 Vt dixi *Defin. 12. & 13. supr.*

3 Quia collaudator non nisi indemnitatis fideiussor est, de quo *in § decem 116. de verb. oblig.*

4 Roman. *cons. 211. post num. 2. & cons. 241. num. 6.* Corn. qui dicit communem *consil. 109. num. 6. lib. 1.* Hyppol. de Marsil. *in rubr. de fideiuss. nu. 23.* post Bart. *in l. 1. C. de conuen. fisc. debit. libr. 10. Ita Senatus* ex tempore Idib. Decembr. 1612.

5 Nam & pignora possunt perire & minui, aut in corpore, aut in æstimatione.

6 Siue solemniter vendenda sint, *vt in l. si cessante 7. l. qua specialiter, 9. C. de distract. pign.* siue dominium pignoris impetrandum, *ex l. vlt. & tot. tit. C. de iur. domid. impetr.*

7 Multis enim metus carcerum maior est quam metus mortis, vtpote per quos & existimatio, & libertas ipsa quodammodo minuatur, *l 1. & 2. D. de homin. liber. exhib. l. 5. in princip. vt in poss. legat.* [Quid ergo de attestantibus, id est qui testificantur idoneum esse fideiussorem, & eius collaudatores? Placet hos quoque pro collaudatoribus habendos, licet non profiteantur se collaudatores, sed hactenus tamen vt non nisi in subsidium collaudatorum teneantur. In quo melioris conditionis sunt quàm cæteri collaudatores. Vt & in eo quod neque se neque bona sua obligare cogũtur. *Ita Senatus* in causa N. de Curtillies prid. Non. Iul. 1611. Item obseruo collaudatores numquam habere exceptionem diuisionis. Quippe quæ non datur nisi correis & confideiussoribus. Collaudator autem non nisi fideiussoris fideiussor est. Pragmatici nostri vocant *contrefiance l. 27. §. vltim. l. inter 51 §. duo rei. D. de fideiuss.* Planè si collaudator se constituat principalem debitorem, & vt vocant attenditorem, non tam collaudatoris quàm primi fideiussoris loco habendus est. *Ita Senatus* in ea causa de qua *num. 4. supr.* In qua hoc amplius tractatum & decisum fuit, Eo casu quo valet renunciatio non sufficere vt renunciatum sit generaliter addita nota *& cætera*, sed specialibus & idoneis verbis concipi renunciationem oportere. vt sciatur cui exceptioni, & quomodo renunciatum sit, *ex l. 4. §. quæsitum D. si quis caution.* Iunge *Defin. 46. infr.*]

DEFINITIO XXXI.

Exceptioni ordinis renunciandum est in specie, alioqui non sufficit renunciatio generalis.

QVi pro alio fideiusserat, constituerat se principalem debitorem & solutorem subiecta generali renunciatione his verbis, *auec les submissions & renonciations requises.* Cum quæreretur, an exceptione ordinis obiicere posset, visum est posse, propterea quod generalis renunciatio non sufficiat, sed speciali opus sit, adeo vt nec satis sit renunciasse fideiussorem iuri de fideiussoribus, quod ac exceptio, vt nostri tractant, sit de natura actus,[2] ac proinde, cui numquam renunciatum videri debeat, nisi cum specialiter renunciatum est.[3] Neque ad rem pertinet, quod alioqui futurum sit, vt generalis illa renunciatio nihil operetur. Id enim tolerabilius est, quam vt admittamus, valere eam posse in vim specialis, cum specialis requiritur:[4] nec rursus, quod ea specialis renunciatio per errorem & imperitiam notarij potius, quam defectu voluntatis omissa videatur, quippe quæ vulgo in omnibus fere fideiussionibus apponi soleat.[5] Quoties enim adhibetur non tam ex stylo notarij, quam ex contrahentium voluntate adhiberi intelligitur,[6] ideoque omissa nunquam suppletur,[7] sicuti nec clausula constituti, aut codicillaris,[8] aliæve similes, quia nihil prohibet, ita quem fideiubere & quidem vtiliter, vt tamen ordinis exceptionem sibi saluam esse velit.[9] Nam & illud constat eum, qui pro alio se debitorem constituerit, huiusmodi exceptionis beneficium non amittere, quia generale illud est, vt pro intercessore haberi debeat quisquis se obligat eius pecuniæ nomine, quæ ad alium peruenit.[10] *Ita Senatus* in causa Petri Berthod & Ioannis Rat. 8. Calen. Sept. 1593.

1 Intellige, nisi renunciatio generalis possit interpretatione sumere ex alia speciali, ad quam referatur, vt in specie, de qua scripsimus *Defin. 22. §.*

2 Id est, quæ tacite inest actui, nempe post Iustiniani constitutionem, *in auth. præsente, C. hoc tit.* Aliud enim iuris olim fuit.

3 Vide Alex. *cons. 34. post num. 4. lib. 4.*

4 Specialia enim magis afficere solent quam generalia. Tessaur. *decis. 166.* Cravet. *cons. 63. num. 6.*

5 *Arg. l. vlt. C. hoc tit.*

6 *Arg. notat.* per Bart. *ad l. 1. de iur. codicill.*

7 Ne quidem per iuramentum, quia iuramentum sequitur naturam actus cui adhibetur, *vulg. l. vltim. C. de non num. pecun.* quamuis contra sentiat Natt. *consil. 426. num. 2.* & Rol. à Vall. *cons. 6. num. 45 lib. 1.* quos refert & sequitur Masuer. *in addit. ad Papiens. in form. libell. contr. vsur. reos deb. in vers. beneficio, verb. renuncient.*

8 Bart. *in d. l. 1. D. de iur. codicill.* & post eum cæteri.

9 Præsertim cum tale hodie sit ius commune post Iustiniani *Nouell. 4. de fideiuss. cap. 1.* vnde sumpta est *Auth. præsente, C. hoc tit.* Præsumitur enim quilibet contrahere secundum ius commune & velle & vti iure communi, *l. 3. D. de testam. milit. l. vlt. C. de integr. restit. minor.*

10 Vt dixi *Defin. 1. §. hoc tit. & Defin. 1. §. tit. prox. l. vlt. C. de const. pecun.*

DEFINITIO XXXII.

Quod debitor dicit se bonis suis omnibus cedere, non eximit creditorem à necessitate faciendæ excussionis.

AT pone, debitorem in iudicio conuentum dixisse, nulla se bona habere, iisque vsque creditori cedere.[1] Non idcirco exceptionis beneficium fideiussori aufferre poterit, quia si forte in eius necem cum creditore colludere velit, non est permittẽdum.[2] Quinimo præsumptio non leuis est, bona aliqua esse eius, qui bonis cesserit,[3] nisi apertissime constat, aut nulla superfuisse iam ipso cessionis tempore, aut si qua supererant ea iam tum prioribus aliisve creditoribus adiudicata fuisse. Quod si creditores nulli proponantur, aut nulla dum inter eos cessorum bonorum facta diuisio, tanto magis faciendæ excussio est, vt inutilem & infructuosam creditori cessionem fuisse appareat.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quibus verbis etiam bonorum cessio videtur fieri posse *l. in omni 6. C. qui bon. ceder. poss.*

2 Cum fideiussor habeat eam exceptionem à lege non à debitore. Nam etsi à debitore ipso eam haberet, tamen semel quæsita ei aufferri non posset, *l. vlt. de pact.*

3 Quomodo enim potest bonis cedere, qui nulla bona habet? *arg. l. lex Cornelia 28. vers. quia per eam non efficitur, D. de vulg. & pupill. substit.*

4 Parum enim est, factam esse creditori bonorum cessionem, nisi eiusmodi cessione satisfactum sit creditori. Et ideo fideiussores casu tenentur. *§. Institit. de replicat.*

DEFINITIO XXXIII.

Debitor, qui priuilegium fori habet, non eo minus executiendus est.

SEd etsi debitoris principalis persona ecclesiastica proponatur, quæ coram iudice laico conueniri non possit,[1] idem nihilominus dicendum est, si modo non absit à prouincia,[2] quia sufficit vt coram iudice suo & ecclesiastico conueniri queat, sibique debet imputare creditor cur cum eo contraxerit, aut fideiussorem ab eo datum efficacius obligari non curauerit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Cap. si diligenti, Extr. de form. compet.*

2 Alioqu

BIU Cujas

2 Alioqui non esset facienda excussio extra prouinciam, vt dixi *Defin.23.§.de except.*

3 Fuit enim aut debuit esse non ignarus conditionis eius personæ cum qua contrahebat, *vulg.l.qui cum alio 19.de regulis iuris.*

DEFINITIO XXXIV.

Fideiussor acceptus in id quod à Titio deberi constabat, non tenetur, nisi viuo Titio liquidatum sit debitum. Præterquàm si mentio facta sit hæredum, aut nisi de iudicato soluendo fideiusserit.

ACceptus fideiussor in eam quantitatem, quam à Titio deberi constabit; non aliter ex fideiussione conueniri potest, quam si viuo Titio apparuerit, quid & quantum ab eo deberetur. [1] Nec quod ante defuncto Titio eadem actio aduersus hæredem illius exerceri possit, [2] faciet vt fideiussor remaneat in obligatione. Siquidem potest eius interesse, vt cum Titio potius quam cum eius hærede taxatio debiti fiat, quod is de re sua melius instructus fortasse assecuturus sit, vt minus debere pronuncietur, quam si cum hærede ageretur. [3] Hoc ita, si non in stipulatione hæredum quoque mentio facta sit, id est, nisi fideiussor soluturum se promiserit, quod à Titio hæredéve eius debitum esse apparebit. [4] Idem in fideiussore de iudicato soluendo iuris est. Quamquam non facile iudex, qui de iudicato soluendo caueri iubet, hæredis mentionem adiicere solet, ne malo omine videatur litigatoris vitam breuiori tempore quam litis tractum concludere. [5] Itaque cauere hoc casu iudex debet, ne fideiussorem pro incerta quantitate dari præcipiat, sed curare, vt eam ipsam quantitatem demonstret, quæ certa petitur, [6] licet adhuc incertum sit an debeatur, sub ea tamen conditione, si debitam eam esse quandoque iudicatum erit. [7] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio in causa R.D. Claudij de la Couz Abbatis d'Embournay, & Senatoris, & N. Ioannis Dionisij Cauet. 5. Non. Decembr. 1593.

1 *L.qui Romæ 122.§.Agerius, D.de verb.oblig.*

2 Cum in hæredem transeant actiones omnes, & actiuæ & passiuæ, *leg.vltim.& tot.titul.Cod.de hared.action.leg.1 C si cert. petat.*

3 Hæres enim non potest ea scire omnia, quæ defunctus sciuit, *l.qui in alterius 42.de reg.iur.*

4 Hoc enim casu etiam in persona hæredis conditio impleri potest, quod regulariter non ita est, cum omnes conditiones sint facti. Ea autem, quæ sunt facti, non soleant ad alium transire, *l.qui hared.44.l.à testatore 109.de cond & demonst.*

5 Cum è contrario in bene ordinata Republica lites debeant esse breuiores, vt sibi quisque litiget, litisque victoriam patet non hæredi, *l.properandum 13.in princ.C.de iudic.*

6 Vt hoc casu nulla sit incertitudo, quæ impediat, ne stipulatio possit ad hæredem transire.

7 Potest enim fideiussor etiam sub conditione accipi, *l.Stipulatus sum 6.§.1.D.hoc tit.*

DEFINITIO XXXV.

Exceptio diuisionis an possit suppleri per iudicem potius, quam exceptio ordinis.

VNus ex pluribus fideiussoribus, qui beneficio diuisionis expresse non renunciauerunt, licet exceptioni ordinis renunciauerint, [1] si solus in solidum conueniatur & sit contumax, nihilominus in virilem dumtaxat partem condemnandus est: [2] quoniam beneficium diuisionis inter confideiussores, licet non ipso iure competat, sed ex epistola Hadriani, [3] tamen post eam epistolam iuris beneficium est, hoc est, quod sola iuris potestate competit, tametsi confideiussoris conuenti factum nullum intercedat. Et quod dici solet, diuisionem hanc non ipso iure fieri, sed ex epistola Hadriani, [4] eo tantum pertinet, vt comparari non debeat diuisioni, quæ ex lege duodecim tabularum fit inter cohæredes ratione æris alieni, aut hæreditariarum actionum. Id enim si ita esset, consequens fieret, vt quamuis alter ex fideiussoribus inops esset aut absens, alius tamen in solidum conueniri nō posset, [5] quod non est. [6] Cæterum exceptio ipsa meri iuris est, non facti, quousque creditor probet, aut inopem aut absentem esse eum, cum quo actionem diuidi postulat is, qui conuenitur. [7] Ideóque suppleri potest per iudicem, non secus, atque si præsens fideiussor per aduocati sui insciti am eiusmodi exceptionem omitteret. [8] Alia ratio est exceptionis ordinis, quæ fideiussori competit ob non excussum principalem debitorem. [9] Hæc enim, cum peremptoria non sit, sed dilatoria, [10] per iudicem suppleri nequit, ne inanibus sumptibus oneretur is, qui se iudicio adesset, fortassis exceptionem illam consulto prætermitteret, vt citius à litis molestia se liberaret, cum intersit vtriusque partis litem quam citissime fieri potest, diffiniri. [11] Accedit, quod rei contumacia inducit fictionem litis contestatæ, eiusdemque est potestatis. [12] Post litem vero contestatam non admittitur ordinis exceptio, [13] cum tamen exceptiones peremptoriæ quandoque admittantur, [14] imo etiam in executione iudicati, dum ne impugnent iudicatum, [15] inter quas haud dubie diuisionis quoque exceptio locū obtinet, quoniam & pluribus simpliciter condemnatis, qui in solidum conuenti fuerant, non nisi pro viribus ex iudicato conueniri quisque potest. [16] In exceptione quoque compensationis aliud est, quia licet ipso iure fiat compensatio, [17] opponi tamen eam necesse est, [18] ideo fortasse, quod actionis petitionisque instar obtinet, [19] Quid tamen si confideiussores ita accepti sint, vt duo correi debendi ex causa fideiussionis facti videantur? Addita scilicet vulgati clausula, *l'vn pour l'autre, & chacun d'eux seul & pour le tout.* Adhuc idem est, quandoquidem ea clausula beneficium iuris nō excludit. [20] Aliud dicendum esset, si exceptioni ordinis confideiussores renunciassent in ea clausula, quamuis nec epistolæ Hadriani nec Iustinianeæ constitutionis meminissent, quoniam diuisionis exceptio non secus, ac factæ excussionis ordinis exceptio est. Cum si confideiussor, absit aut non soluendo sit, recusare alius non debeat quo minus in se suscipiat totum onus & periculum fideiussionis. [21] Qua ratione probabilius mihi semper visum est, vt absente per contumaciam vno ex confideiussoribus, aut præsente quidem sed nihil obiiciente, suppleri exceptio hæc à iudice nunquam debeat, quia licet iuris sit plurimum, tamen facti admixti habet, [22] quod suppleri nullo casu per iudicem potest. [23] Quid enim si alter confideiussor aut absens aut inops sit, ideoque consulto faciat is, qui conuenitur, vt huiusmodi exceptionem obiicere nolit, quod sciat futurum tandem vt confideiussoris absentia probetur aut inopia, atque ita euenturum, vt ad aliud sibi proficere non possit opposita exceptio, quam vt eo pluribus, & inanibus sumptibus vexetur? [24] Nam & eorum vtique nomine tenebitur, qui in excutiendo fideiussore fient, si comperiatur ille absens aut non soluendo. [25] Cur ergo facilius exceptio ista supplebitur, quam illa non factæ excussionis, cum vtraque sit ordinis? *Senatus* tamen ita vt diximus, pronunciauit in causa liberorum Francisc Fornier, contra R.D. Agesilaum de Bellouze, 10. Cal. Decembr. 1594.

1 Aliud enim est beneficium ordinis, aliud diuisionis, nec proinde renunciatio vnius includit renunciationem alterius. Præsertim cum renunciationes omnes sint stricti iuris, tanquam odiosæ, vtpote per quas beneficium iuris amittitur, &

BIU Cujas

ideo sunt restringendæ *ex reg.cap.odia,de reg.iur.in 6.* Not. *in cap.quamuis pactum de pact.in 6.*

2 Ac si non nisi partes viriles singuli fide sua esse iussissent? *l.inter eos 51.D.hoc tit.*

3 *L.inter fideiussores 26.eod.tit.*

4 De qua *in l.vlt.C.de const.pecun.& in §.4.Inst.hoc tit.*

5 Diuiduntur enim obligationes hæreditariæ inter cohæredes ipso iure & per legem *12.tab.l.1.C.si cert.petat.l.1.& 2.C. si vnus ex plurib.*

6 *dict.l.inter fideiussores 26. & dict.l.inter eos 51.§.cum inter C.hoc tit.*

7 Est enim illud fundamentum intentionis creditoris ad impediendam diuisionem, & consequenter ab eo probandum, *vulg.l.2.D.de probat.* Sufficit autem vt quidam ex iis non sint soluendo tempore conditionis euentis, licet antea fuerint, *l.si plures 26.eod.tit.* At non nocebit, quod post litem contestatam desierint esse soluendo, *dict.§.cum inter.* Cæterum non nisi per exceptionem hoc beneficium potest implorari, *l.si contendat 28.eod.*

8 *Ex not.in l.vnic.C.vt qua def.Aduoc part.iud.suppl.*

9 *Ex Auth.præsente,C.hoc tit.*

10 Vt dixi *Defin.1.ſ.de except.*

11 *L.1.C.de admin.iur.*

12 Alioqui non posset perueniri ad sententiam diffinitiuam aduersus contumacem, cum sententia nulla sit quam litis contestatio non præcedit. Not. *in l.vnic.C.de lit.contest. & in l. contumacia 53.D.de re iudic.*

13 Quia dilatoria est, vt dixi *Defin.1.& 34.ſ.de except.*

14 *L.Peremptorias 2.C.sent.rescind.non poss.*

15 *L.Nesennius 41.§.vlt.D.de re iudic.* Not. *in l.1.C.de iur.& fact.ignor.*

16 Nisi aliud per sententiam dictum sit, *l.1.Cod si plur.vna sent.cond.sint.*

17 *L.postea quam 21.D.de compens.* iunct. *l.4.& pass.eod.*

18 *L.quod Labeo 13.eod.l.vlt.& pass.C.eod.*

19 *L.amplius 15.D.rat.rem haber.*

20 *Auth ita vbi not.C.de duobus reis & in corp.vnd.sumit.*

21 Vt proinde videatur etiam exceptio ista esse dilatoria vel saltem anomala, non minus quam exceptio non factæ excussionis. De qua dixi *Defin 1.ſ.de except.*

22 Quemadmodum quædam sunt è contrario, quæ facti quidem sunt, sed tamen plurimum iuris admixti habent, vt de possessione scribit Iurecons. *in l.possessio 49.in princip. & §.1.de acquir.poss.*

23 Notant omnes *ad dict.l.vnic.Cod.vt qua def.Aduoc.part. iud.suppl.*

24 Melius enim faciunt, qui se vltro non vexant sumptibus inanibus, *l.1.D.de inoff.test.*

25 Tanquam quibus frustra faciendis causam dederit ille, qui opposuit exceptionem, & pro hac nostra sententia videtur text. *in d.l.si contendat 28.D.hoc tit.*

DEFINITIO XXXVI.

Ex promissione de fideiubendo nemo potest tanquam fideiussor conueniri, quamuis ex promissione de se obligando promissor teneatur quasi iam obligatus, si præcedat iusta causa.

QVi promisit se pro alio fideiussurum, non potest ex ea promissione conueniri vt soluat quasi iam fideiusserit.[1] Aliud enim est promissio de fideiubendo, aliud fideiussio, sicut & aliud est promissio de vendendo, aliud venditio;[2] aliud promissio de donando, aliud donatio. Priusque est, vt quis sit fideiussor, quam vt quasi fideiussor condemnetur. Nec simile est, quod dici solet, eum qui promisit se obligare ad solutionem hoc ipso conueniri posse & condemnari vt soluat, ac si iam esset obligatus;[3] nimirum circuitus vitandi causa.[4] Nam qui promisit obligare se ad solutionem, quæ sonat in modum priuationis, præsupponit habitum, id est, præcedens debitum, alioqui promissio illa inutilis esset & inefficax, vtpote facta sine causa.[5] Sufficit vero præcedere iustam obligandi causam ad hoc vt solutio peti possit, cum vel ipsa obligandi causa pene obligatio sit, parumque refert, an solutio fiat ab eo, qui iam sit obligatus, an ab eo, qui iustam causam habeat se obligandi.[6] At vt quis iubeat, aut se obliget ad fideiubendum, causa alia nulla est, quam quia velit.[7] Prius ergo est, vt voluntas illa effectum habeat, præsteturque reuera fideiussio, quæ nec nisi certo modo, id est, per stipulationem præstari potest,[8] quamvt condemnatio sequi possit.[9] Sane vt fideiubeat, qui promisit se fideiussurum & conueniri poterit, & condemnari debebit. Neque enim hoc casu magis locus est pœnitentiæ, quam si quis promiserit se venditurum.[10] Quæ quoniam facti promissio est, non præcise ad fideiubendum cogi promissor poterit, sed ad id, quod aduersarij interierit præstitam fuisse fideiussionem. Id enim generale est in omnibus faciendi obligationibus, vt si non fiat quod fieri conuenit, succedat obligatio, præstatioque eius quod interest;[11] *Ita Senatus* in causa Dominę N. Peronetæ Iay & Antonij Debotis, 13. Calend. Mart. 1595.

1 *Arg.cap.ad audientiam quod met.caus.* & eorum quæ tractat Boer. *quæst.3.num.1.& 6.*

2 *L.1.Cod.de pact.pignor.* Bart. *in l.vltim.num.8.de condict. caus.dat.*

3 Idem Boer. *vbi supr.num.3.*

4 *Vulg.l.dominus 53.de condict.indeb.* Nihil enim vetat pactum conceptum per verba de futuro effectum suum habere de præsenti, *l.si intra 42.de pact.* licet lex illa non nisi de exceptione loquatur, quia loquitur de pacto nudo.

5 *L.1.§.circa,de dol.mal.except.*

6 Quia nec valde refert, an obligatio sit præsens, an futura, & vtroque casu fit locupletior, qui liberatur ab obligatione etiam futura, *l.stipulatus sum 6.§.vlt.D.hoc tit.* iunct. *l.si pupilli 66.de solut.*

7 Neque enim quisquam ipso iure obligatus est ad fideiubendum.

8 *L.5.§.satis acceptio,de verb.oblig.l.blandius 12.C.hoc tit.*

9 Condemnatio enim nulla esse potest sine actione, nec actio sine obligatione, *vulg.iurib.*

10 Cum vterque contractus sit nominatus, in quo proinde non est locus pœnitentiæ, *l.sicut 5.C de oblig & action.*

11 *L.si quis ab alio 13.§.vlt. D.de re iudic.l.quoties quis alium 81.l.stipulationes non diuiduntur 72.de verb.oblig.*

DEFINITIO XXXVII.

Qui promisit fideiubere etiam idoneè, non cogitur renunciare exceptioni ordinis.

OBligatus ad fideiubendum si nihil aliud promiserit, condemnandus quidem est, vt fideiubeat aut præstet quanti interest creditoris,[1] sed non vt exceptioni ordinis renunciet, quæ fideiussoribus competit nouo iure[2]: nec si idonee fideiussurum se promiserit, cum idoneus fideiussor dici debeat quisquis ex fideiussione vtiliter potest conueniri,[3] tametsi ordinis exceptionem habeat, quam non tantum fideiussoribus, sed & vni ex pluribus correis debendi competere Iustinianus voluit.[4] Etsi enim eiusmodi exceptioni renunciare fideiussores solent, agentibus id & curantibus creditoribus quo magis sibi consulant, non tamen ex fideiussionis substantia est, sed ex mera fideiussoris voluntate, vt ea fiat renunciatio:[5] Fieri siquidem potest, vt fideiusionis periculum salua ordinis exceptione non recuset, qui alias esset recusaturus.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quemadmodum diximus *Defin. prox. præced.* Ex Boer. *qu 3.num.1 5.& 6.*

2 *Ex Authen præsente C.hoc tit.* Obserua autem hanc Definitionem de illo esse, qui se obligauit ad fideiubendum. Aliud vero dici debere de illo, qui obligatus est ad dandum idoneum fideiussorem. Is enim non aliter liberatur, quam si det eum fideiussorem, qui & exceptioni ordinis renunciet, & corpus suum obliget, vt dixi *Defin.4.supr.* quæ alioqui cum hac pugnaret. Durius ergo agitur cum illo, qui promisit se daturum fideiussorem præsertim idoneum, quam cum eo, qui promisit se fideiussurum. Ratio diuersitatis colligitur ex eo, quod sequitur In Definitione.

3 Dummodo & corpus suum & bona obligauerit, secundum ea quæ scripsi *Defin.12.& 23.ſ.eod.*

4 *Nouell.99.de duobus reis*, vnde sumpta est, *Auth.hoc ita C.de duobus reis.*

5 Propterea,

BIU Cujas

5 Propterea quod in cuiusque arbitrio sit vt renunciet iuri suo, *l. pen. C. de pact. l. si iudex circumuento 43. D. de minor.*

6 Nam interest valde cuiusque, vt non primo loco conueniatur: quia & interest non soluere potius, quam solutum repetere, *l. 3. D. de compensat. l. si stipulatus, 15. D. hoc tit.* Hæc autem ratio non conuenit ei, qui debet dare fideiussorem idoneum.

DEFINITIO XXXVIII.

Exceptio ordinis dilatoria est, nec proinde opponi potest post litem contestatam. Ab eo autem, qui ex sua promissione conuenitur vt fidejubeat, nullo modo nisi si post fidejussionem conueniatur.

EXceptionem ordinis non nisi ante litem contestatam aut in ipsa contestatione à fideiussore objici posse constat, quoniam dilatoria est, non vt quidam volunt peremptoria aut anormala.[1] Sed quid, si actum sit non contra fideiussorem, sed contra eum, qui dumtaxat promiserat se fideiussurum, nec dum tamen fideiusserit? An post litem cum eo ex fidejubendi obligatione contestatam exceptioni locus superierit? Vtique: sed non in ea instantia, cum non prius possit ex fidejussione & quasi fidejussor conueniri, quam reuera fidejusserit:[2] exceptio autem ordinis in proposito non alij competere possit, quam qui jam sit fidejussor.[3] Cum vero ad hoc conueniatur, vt fideiubeat, in eamque rem ex propria promissione sit obligatus, apparet exceptione ordinis iuuari eum non posse.[4] At postquam condemnatus erit ad fideiubendum & fideiusserit, tum vero conuentus tanquam fideiussor, exceptionem ordinis habere debebit:[5] nil obstante litis contestatione, imo nec condemnatione, quæ in alia planeque separata instantia interuenerit.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Dixi *Defin. 1. 5. de except.* [Ex Ant. Gabriel. *lib. 3 commun. opin. conclus. 1. de fideiuss. num. 4. & 8.*]

2 Vt dixi *Defin. 36. supr.*

3 *Authent. præsente. C. hoc tit. & Nouell 4. de fideiuss. vnd. sumit.*

4 Quia solus ille non alius ad fideiubendum obligatus est. Dixi *Defin. 1. num. vlt. supr. hoc tit.*

5 *Ex d. Auth. præsente.*

6 Alia namque instantia est, in qua quæritur, an quis debeat fideiubere. Alia vero, in qua conuenitur tanquam fideiussor.

DEFINITIO XXXIX.

Denunciatio per fideiussorem facta creditori, vt exigat solutionem à debitore, non liberat fideiussorem, sed liberat eum, qui promisit se fideiussurum, si debitor tum diues postea fiat non soluendo.

FIdeiussor simpliciter acceptus pro debitore, qui tum soluendo erat, non ideo se obligatione eximit, quod debitore ad inopiam vergente, sæpius denunciauerit creditori, vt debitorem vrgeret ad solutionem. Neque enim cogendus creditor est vt agat, priusquam velit, suoque iure vti non prohibetur, si fideiussorem ipsum conuenire malit, inope iam facto debitore.[1] Nam imputare sibi potius debet fideiussor, quod citius non soluerit de suo, vt citius tutiusque indemnitatem à reo consequeretur.[2] Nisi proponas de eo fideiussore tractari, qui non simpliciter acceptus sit, sed in id tantum, quod non poterit seruari à debitore.[3] At quid si de illo agatur, qui nondum fideiusserit, sed tantum fideiussurum se promiserit. Pone factam eam conuentionem & promissionem de fideiubendo, quo tempore debitor locuples erat, dilatam tamen petitionem præstationemque fideiussionis in id vsque tempus, quo iam soluendo esse desiisset.[4] An cogendus erit, qui promisit se fideiussurum, vt pro inope debitore fideiubeat, contra quem non nisi inutilem aut dubium regressum sit habiturus?[5] Minime. Sibi enim imputare creditor debet, cur non fuerit diligentior in exigenda fideiussione eo tempore, quo res erat integra, id est, quo poterat promissor fideiubendo consulere indemnitati suæ, perinde ac si ipse promissionis tempore fideiussisset.[6] Nec remedio locus erit, vt cogatur contentus esse actionum cessione, quæ creditori iam tum competebant, cum debitor nondum desierat esse soluendo.[7] Potest enim fieri vt interfit eius, qui fideiussurum se promiserat, propterea quod melius sibi tum cauere potuisset, iis acceptis pignoribus, quorum faciliorem experturus erat retentionem quam persecutionem.[8] Plane si proponas iam tum, cum facta est promissio de fideiubendo, æque inopem fuisse debitorem ac nunc est, frustra prætentem debitoris inopiam obtendet, qui se vltro obtulit fideiussorem.[9] Idemque erit, si contractum post eam de fideiubendo promissionem cum debitore initum promissor hic sciuerit & ratum habuerit.[10] Finge contractam plurium annorum locationem, & primi aut alterius anni pensionem solutam per manus eius, qui se fideiussurum promiserat. Quantumuis postea inops fiat conductor ante præstitam fideiussionem, non poterit prætextu eius inopiæ, quæ superuenit, fideiussio reculari, quandoquidem scire promissor potuit fore vt ex promissione sua cogi posset ad fideiubendum:[11] atque ideo sibi prouidere diligentius debuit, ne ex superueniente inopia læderetur.[12] Sed si cum tu mihi hi spopondisses fideiussurum te pro Titio, si ei fundum locarem, ego postea te absente & ignorante eum fundum Titio locauerim, nulla ratio est, vt postmodum ad egestatem delapso Titio, cogam te pro eo fideiubere. Est enim quod de me conquerar, qui quasi mutata voluntate cum Titio postea contraxerim, neque te neque alio vllo accepto fideiussore.[13] Præsertim, cum si eo tempore te interpellassem vt fideiuberes, potuisses non solum tibi cauere pignorum retentione,[14] sed etiam curare, vt locato fundo prudentius frueretur Titius, facilioremque & expeditiorem sibi quæreret soluendi facultatem. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si fideiussor. 62. D. hoc tit.*

2 Per actionem mandati vel negotiorum gestorum, *l. ex mandato 20. §. 1. D. mandat.*

3 *Vt in l. decem 116. D. de verb. obligat. l. inter creditorem, 63. eod. tit.*

4 Inanis siquidem actio est, quam debitoris eludit inopia, *l. nam is 6. D. de dolo, l. si quis iniuriam 35. D. de iniur.*

5 Debet enim promissio quælibet sic semper intelligi, quamdiu res in eodem statu erit, *l. cum quis 38. in princip. l. si cum Cornelius 82. D. de solut.*

6 Est enim longe difficilius, vt quis velit pro inope, quam vt pro diuite debitore fideiubere, *l. 2. §. pen. vbi not. D. de iudic. l. omnes 33. §. præterea, C. de epis. & cleric.*

7 Quamuis per eam cessionem videatur posse consuli indemnitati eius, qui promiserat se fideiussurum? quandoquidem etsi tum fideiussisset. non tamen plus iuris habere potuisset pro consequenda indemnitate quam habebat creditor pro consequendo debito, *argument. l. rem hæreditariam 65. D. de euictionibus.*

8 Nemo siquidem pro retentione cogendus est eligere actionem, cum sit longe commodior futura retentio, *l. is qui denauit 24 D. de rei vindic. l. 1. D. de pignor. l. 3. D. de compensat. l. si stipulatus 13. D. hoc tit.*

9 Non enim potest hic causari desiisse rem esse integram, si non maior inopia superuenit. Nec nouo indiget auxilio fideiussor, cum nihil non emerserit, *l. de ætate 11. §. ex causis, D. de interrog. in iur. fac. l. 3. §. vlt. & l. 4. D. vt in poss. legat.*

10 Debuit enim ex eo tempore sibi prouidere, vt sequitur in Definitione.

11 Nec similiter imputari quicquam potest creditori, qui nullam habuit causam fideiussionis exigendæ ab eo, quem videbat non ignorare contractum contemplatione ipsius

BIU Cujas

initum cum debitore,& per cujus manus solutionem accipiebat.

12 Cum potuerit & debuerit prospicere,posse id euenire vt argumentatur Vip.*in l.si quis domum 9.§.1.versicul.idem quærit. D.locat.*

13 Non enim possum videri cum Titio contraxisse tua contemplatione,cum te absente & ignorante contraxerim,quasi solius Titij fidem secutus.

14 Vt supra dictum est *num.8.*

DEFINITIO XL.

Obligatus ad fidejubendum si conueniatur ad soluendum male quidem conuenitur,sed non eo minus habendus est pro fideiussore ex illo die ac si conuentus ad fideiubendum in mora fuisset fidejubendi.

CVm Titio, cuius suspectas habebam facultates, fundum locare vellem,promiseras te pro eo fideiussurum,nec tamen fideiusseras,quod paucis post diebus locatio te inscio facta esset, eaque plurium annorum.Primi anni pensionem Titius soluerat, sed cum in secundi soluenda cessasset; egeram contra te non vt fideiuberes, sed vt solueres, quasi iam fideiussor constitutus. Iudex te ad solutionem condemnauerat. Senatus cum ex appellatione agnosceret, non dubitabat, quin perperam iudicatum esset, quod tu ad fideiubendum tantum non etiam ad soluendum condemnari debuisses, adeoque salua tibi exceptione ordinis, si ante excussas Titij facultates conuenireris.[1] Sed dubitatio illa incurrebat, an condemnari deberes ad fideiubendum pro totius præteriti temporis debito, an pro eo dumtaxat, quod ex condemnationis die in futurum excurreret? Placuit condemnandum quidem te ad fideiubendum,[2] sed ita,vt totius decursi temporis,quod interpellationem præcessisset, debitum agnoscere non cogereris,[3] sicut nec periculum si forte medio tempore Titius pauperior factus esset.[4] imputare namque me mihi debere, quod te citius non interpellassem: quia neque ex alia vlla facti promissione nasci solet petitio aut obligatio eius; quod interest ante interpellationem.[6] Sane postquam ex tua promissione conuentus es à me,licet perperam, vt solueres,cum agere debuissem vt fideiuberes, perinde haberi debet quod ad hoc attinet,ac si tum fideiussisses, quoniam ab eo tempore potuisti & debuisti condemnationem futuram præuidere,[7] ideoque tibi aduersus Titium cauere,vt secuta quandocumque condemnatione in damno non morateris. Itaque ad tempus interpellationis retrotrahi condemnationem debere visum est.[8] Sed & anterioris temporis ratio habenda esset, si tu contractum à me cum Titio inito sciuisses & facto aliquo ratum habuisses, vtputa si Titij nomine pensionem primi anni soluisses,secundum ea,quæ superiore Senatusconsulto à nobis sunt disputata.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Secundum ea quæ scripsimus *Defin.36.37.& 38.supr.*

2 Ex tua scilicet promissione, nisi malles præstare quanti mea interesset, *d.Defin.36.37.& 38.supr.*

3 Quasi esset extra causam fideiussionis. Nemo enim ex fideiussione potest obligatus esse pro eo tempore, quod præcessit fideiussionem, nisi id ipsum tempus expressim deductum sit in causam fideiussionis.

4 Cum promissioni fideiubendi vt & alij cuilibet tacite insit clausula illa,*si res in eodem statu manserit,l.cum quis 38.in pr.* D.*de solut.*vt Dixi *Defin.pra ed.num.5. supr.*

5 *Argum.l.cum postulassem 44.vers.& mea culpa,D.de damn. infect.*

6 Vt Dixi *Defi.1.& 2 supr.de contraben. & committen.stipul.*

7 Cum ex eo tempore mora tibi fit controuersia, quæ proinde te constituit in male fide. *l.sed etsi 25.§.si ante D. de petit. hær.* Adde *l.si quis domum 9.§.1.vers. idem quærit,in illis verbis, quia hoc euenire posse prospicere debuit. D.locat.*

8 *Vt & in l.penu.in fin.D.de condict. triti.*

9 *num.9.& 10.* vbi vide.

DEFINITIO XLI.

Non habet fideiussor bona debitoris obligata ob id solum, quod creditor habuerit,nisi debitor contraxerit cum fideiussore sub iisdem obligationibus. Cessio igitur necessaria est,maxime ad transferendam possessionem.

QVi creditori suo bona sua omnia obligauit cum clausula constituti, non idcirco fideiussori suo eadem bona pro indemnitate obligasse credendus est, quod eodem instrumento fideiussoria quoque obligatio contineatur.[1] Alia enim obligatio est, quæ in fauorem creditoris contrahitur, alia quæ in fauorem fideiussoris,& suas vnaquæque leges habet,& conditiones separatas.[2] Itaque indiget hoc casu fideiussor cessione,vt actionem hypothecariam,quæ creditori competit, exercere possit in bona sui debitoris.[3] Quid item si debitor indemnitatem fideiussori promiserit, his verbis additis,quæ vulgo addi solent,*sub iisdem obligationibus*? Sufficiet ea clausula, vt debitoris bona omnia fideiussori quoque obligata videantur.[4] Sed non item, vt clausula constituti existimetur interuenisse ad pignorum possessionem transferendam infideiussorem, quoniam nihil commune habet constitutum cum obligatione.[5] Quandoquidem per constitutum non obligatio contrahitur, sed possessio transfertur.[6] Igitur cessionem à creditore fideiussor cum ei soluet impetrare in continenti debebit,[7] vt creditoris possessione per constituti clausulam quæsita vti possit.[8] Alioqui facta cessio ex interuallo nihil proderit fideiussori: quia licet possessio, quæ per clausulam constituti acquiritur creditori vera sit & naturalis,[9] soluto tamen debito, cuius nomine debitor constituerat se possidere,tota clausulæ vis & potestas tanquam accessoria cum ipsius debiti principalis obligatione euanescit.[10] *Ita Senatus* in secreto Auditorio pro Petro Iuge hærede D.Senatoris de Candie, contra Ioannem Iuge,Calend.Septembr.1595.

1 Nihil enim vetat vno eodemque instrumento plures diuersique generis obligationes contineri.

2 Quæ ex post facto non possunt immutari, nisi consentiente eo,cuius interest,*l.vero procuratori 12.§ penultim. D.de solut.*

3 Quæ cessio facienda est à creditore. *Nouell.4.de fideiuss.c. 1.in fin.* cum nihil eius intersit, & possit fieri sine vllo eius dispendio,*l.in creditore 18.D.de euict.*

4 Nihil enim refert, an quid dicatur expressim,an per relationem ad aliud,*l.asse toto 77.D.de hæred.instit.*

5 Ex diuersis autem non infertur,*vulg.l.Papinianus 20.D.de minor.*

6 *L.quod meo 18.cum ibi not.*D *de acquir.poss.*

7 *Arg.l.Modestinus 76.D.de solut.*

8 Placet enim possessionem cedi posse, etiam quæ sit per clausulam constituti acquisita.Tiraq.in tract.*de iur.constit.*

9 *Not.ind.l.quod meo.*

10 *L.debitor 40.in fin.de pign.act.*

DEFINITIO XLII.

Fidejussio de non offendendo quando præstanda sit & quando reuocanda?

FIdeiussionis de non offendendo satis frequens apud nos vsus est, nempe quoties minæ atroces probantur,[1] præsertim ab eo factæ, qui ipsas exequi solitus proponatur,adeo vt præstita quoque interdum renouanda sit,si post longa tempora durent inimicitiæ, quæ interponendæ primum cautioni causam dederunt.[2] *Sine die.*

1 *L.denunciamus,C.de his qui ad eccles. confug. l. illicitas 6.§. ne potentiores,* vbi DD.*de offic.præsid.*

2 Iul.Clar.*lib.5.sent.§.fin.quæst.47.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XLIII.

Non potest imputari fideiussori cur non opposuerit exceptionem, quam licite opponere non potuit, neque lex damnum debiti irrogans creditori trahenda est ad fideiussorem.

CVm edicto Serenissimi Principis nostri confiscata essent bona omnia Geneuatum, præsertim vero nomina debitorum, creditor Geneuas, qui fideiussorem habebat in ciuitate, contra fideiussorem egerat, & bonorum eius venditionem impetrauerat. Si fideiussor postea contra debitorem agat pro indemnitate consequenda, non potest repelli ea exceptione, quasi eam pecuniam soluerit, cuius nomine nulla creditori propter confiscationem actio competebat. [1] Quia non potuit ea exceptio opponi eo loco, in quo fideiussor conuentus fuit. [2] Nec quod cogatur fideiussor agere mandati in Sabaudia, deteriorem ipsius conditionem facere debet, quia licet si ex Geneuatibus, non tamen creditoris iure censendus est, cui scilicet nihil nunc deberetur, si debitor soluisset, pro quo fidem suam liberaliter obstrinxit, [3] idque multo magis obtinet, si ponas debitori ipsi indultam à Principe eam confiscationem. An non enim absurdum sit & impium, locupletari debitorem ex damno fideiussoris? [4] Multo etiam magis id admittendum erit, si ponas confiscationem factam fuisse post diem, intra quem solui pecunia debuit: hic enim culpa præcedit casum, [5] nec æquum est, vt debitori sua prosit mora & frustratio [6] in præiudicium fideiussoris, cui nihil imputari potest, nisi quod pro tam ingrato debitore fideiusserit. *Ita Senatus* in causa pro Antonia Dentan, 3. Calend. Decemb. 1595.

1 Quamuis alioqui videatur bona ea exceptio, *arg. l. si fideiussor 29. §. si cum debitor. D. mandat.* quia nemo potest agere sine actione, *l. si pupilli 6. §. vlt. D. de negot. gest.*

2 Cum non esset ex iure communi, sed ex speciali, & quam si fideiussor apud suos opposuisset, reus criminis eo nomine fieri potuisset. Nunquam autem potest imputari fideiussori, quod minus honestam minusve licitam exceptionem non opposuerit.

3 Itaque pro fideiussore semper habendus est non pro creditore. Et ideo indemnis omnimodo semper seruandus est.

4 *L. si seruus 61. quod vero, D. de furt.* Nam nec fideiussor potest locupletari ex damno debitoris; adeo verum est vtrumque in hoc contractu bonam fidem præstare debere, *l. si mandatu 59. §. 1. D. mandat.*

5 Quo casu numquam excusat casus *l. item si verberatum 15. §. vlt. D. de rei vindic. l. si ex legati 23. de verb. oblig.*

6 *L. hominem 37. D. mandat. l. in condemnatione 173. §. vnicuique de reg. iur. c. mora eod. tit. in 6.*

DEFINITIO XLIV.

Creditores fideiussoris nullum priuilegium habere possunt in eo fundo, quem fideiussor habuit à debitore vt solueret communi creditori.

FIdeiussori debitor fundum dederat vt solueret: [1] fideiussor nulla solutione facta decesserat, pluribus relictis creditoribus. Si ex iis quidam in fundo illo præferri velint quasi priuilegiarij, vt puta propter impensam funeris, [2] non sunt audiendi, quia nec alia lege fundus ille ad fideiussorem peruenit, nisi vt creditori satisfaceret. [3] *Ita Senatus* ex tempore, 20. Februar. 1596.

1 Itaque solutio fuit causa finalis huius dationis, respiciens scilicet fauorem eius qui dedit, non eius qui accepit. Bart. *in l. 2. §. fin. D. de donat.* Dec. *cons.* 238. ac proinde non secuta causa finali, datio debet haberi pro irrita, *l. cum te 6. Cod. de pact. int. empt. & vendit.* Dixi *Defin.* 43. *§. de except.*

2 Nam actio funeraria habet priuilegium inter actiones personales, *l. 17. §. vlt. D. de rebus auctor. iudic. possid. aliter l. 2. de priuileg. credit.*

3 Neque enim decipiendus est, qui fundum suum ea lege dedit non aliter daturus, *l. vlt. C. de pact. inter empt. & vendit.* Nec potest fieri, vt creditores fideiussoris plus iuris ex eius persona habeant, quam ipse fideiussor esset habiturus, *l. 3. in fin. D. de pignor.*

DEFINITIO XLV.

Fideiussor indemnitatis tenetur ob quamcumque molestiam, etiam quæ sit meri facti.

FIdeiussor indemnitatis tenetur, quoties ei, cuius fideiussor est, molestia aliqua infertur ex ea causa, pro qua fideiussio facta est, [1] nec distinguimus, an molestia iuris sit, an facti, præsertim si generaliter & simpliciter in casum molestiæ fideiussio præstita sit. [2] Nec proinde an per imprudentiam aut iniquitatem iudicis iniuria facta sit condemnato: sufficit enim, quod ea ipsa causa, quæ fideiussioni materiam præbuit, iniuriæ quoque causam dederit. [3] Idque multo magis obtinet, si iniuria ab eo iudice facta proponatur, de cuius [4] iudicato & iudicati iniquitate cognoscere non possit is, apud quem de fideiussoris iure disputatur. Non idem est, si fundus venditus per imperitiam iudicis euincatur. Verba enim illa, *habere licere*, ad ius magis quam ad factum referuntur. [6] Securusque est venditor, dum ne alienum fundum vendiderit. [7] *Ita Senatus* in causa D. Bernardi Castagne, contra Dominicum Ciza & Andræam Sardoz, 8. Maij 1596.

1 Nec enim potest videri indemnis seruari is, qui molestiam aliam, qualiscumque illa sit, pati cogitur.

2 Nam & ex conuentione potest fieri, vt quis etiam ob facti molestiam possit conueniri, non expectata euictione, *l. siue in libertatem 12. C. de euict.*

3 Cum aduersus eam iniuriam sibi diligenter prospexerit is, qui accepit fideiussorem *l. 3. D. de separat.*

4 Alioqui nullo modo prospici posset indemnitati huius, qui accepit indemnitatis fideiussorem, cum iudicati iniquitas non possit corrigi nisi per iudicem appellationis, *lege 1. D. de appellationibus.*

5 *L. si per imprudentiam 51. D. de euict.*

6 *L. si pulatio ista 38. in princ. & §. hi qui sunt in potestate, D. de verb. oblig.*

7 Quia non tenetur de molestia facti, *l. vlt. C. de act. empt.* nisi cum id expresse dictum est, *vt in d. l. siue in libertatem 12. C. de euict.* Plane si dominij aut alterius iuris quæstio moueatur, tenetur emptori venditor ad suscipiendam litem, *l. si plus 74. §. mota quæstione, D. eod. ill. tit. de euict.*

DEFINITIO XLVI.

Is, qui se obligat tanquam collaudator & approbator, non potest renunciare exceptioni ordinis.

DAtis à debitore fideiussoribus & approbatore, quem vulgo collaudatorem vocant, si subiecta sit vulgaris clausula, qua omnes & singuli in solidum sint obligati, & ordinis quoque ac diuisionis exceptionibus renunciatum, non idcirco poterit collaudator aut in solidum, aut prior conueniri, sed in id tantum, quod post excussos cæteros omnes seruari ab iis non potuisse apparebit. [1] Sunt enim referendæ eæ clausulæ ad fideiussores, non ad collaudatorem, [2] quem, cum indemnitatis tantum repromissor sit, absurdum est, implicatque contradictionem ante eos conueniri, quos soluendo esse affirmauit, cum nesciri possit, an & quatenus non sint idonei quousque conueniantur, & ad solutionem priores vrgeantur. [3] *Ita tractatum est* Cal. Iul. 1603. Et iterum 1d. Dec. 1612.

1 *L. decem stipulatus 116. D. de verbor. oblig. l. fideiussor. 41. D. hoc tit.*

2 Vitandi scilicet absurdi gratia, quod semper est euitan-

BIU Cujas

dum, *l. nam absurdum 8. D. de bon. libert. l. cum pater 77. §. liberis, de leg. 2.*

3 *d. l. decem & d. l. si fideiussor.* iunct. *l. vbi pugnantia, cum ibi not. de regul. iur.* Quoties enim pactum fit de substantiali b. contractus contra ipsius substantiam non valet pactum, *l. cum precario, 12. D. de precar. l. rogasti 11. §. si tibi, D. de rebus credit.* Iunge *Defin. 30. num. 4.* & quæ ibi scripsi *5. eod.*

DEFINITIO XLVII.

CVm Titius Seiam vxorem ducet fideiussorem dederat fratrem non tantùm de restituenda dote sed etiam de soluendo augmento dotis de quo in pecunia conuenerat. Posteà vxorem maritus occiderat, & cùm soluendo non esset conueniebatur fideiussor vt ex ea causa fideiussionis, & dotem restitueret, & augmentum solueret, quasi in omnem causam, omnémque casum fideiussisset, quódque licet præmortua vxore conditio augmenti dotalis non nisi in casum superuitæ promissi defecisset, habenda tamen esset pro impleta, ob id quod per maritum occisorem factum fuisset ne impleri vnquam posset. Nec enim nouum est vt facto debitoris principalis etiam fideiussoria obligatio perpetretur. Visum tamen est, Contra maritum quidem ipsum iustam esse intentionem hæredum vxoris ne maritus ex tam improbo suo facto lucrum aliquod sperare posset. At non idem in fideiussore probari posse quem alieni delicti pœnas luere non oporteret, tenerique in casum tam abominabilem & incogitatum. Itaque placuit condemnari quidem eum debere ad dotis restitutionem cuius conditio per matrimonij dissolutionem contigisset. Sed non æquè ad solutionem augmenti dotalis cuius conditio præmortua vxore defecisset, quæque etiam non occisa vxore naturaliter contingere potuisset. Cuius spei commodum ex facto debitoris aufferri fideiussori sanè iniquum erat. Eademque ratione visum est dotis vsuras non nisi ex die finiti anni à fideiussore præstandas esse quas maritus ex homicidij die deberet. *Ita Senatus* pro Claudio Capris, 4. Id. Ian. 1612. Vide Iul. Clar. in §. homicidium.]

TIT. XXIX.

DE NOVAT. ET DELEGAT.

DEFINITIO I.

Denunciatio facta per cessionarium debitori, qui non consenserit, non impedit ne cedens possit exigere, si modo in hoc quoque cessionarius consentiat non aliter.

IT S I aliud est, mandatam, aliud cessam habere actionem, propterea quod mandatarius etiam in rem suam procurator constitutus non nisi alieno nomine agit, [1] cessionarius autem proprio, [2] attamen tam qui actionem mandauit, quam qui cessit si aduersus debitorem pergat agere, quod summo iure facere vtique potest, [3] iusta exceptione repellitur, siue mandatarius aut cessionarius litem cum debitore contestatus sit, siue debitori denunciauerit ne solueret. [4] Sed hoc ita si debitor ipse cessioni & denunciationi consenserit. Nam si agentem aut denunciantem, siue mandatarium, siue cessionarium admittere noluerit, [5] improbe certe faciat, si nec ei quoque qui mandauit, aut cessit, velit soluere. [6] Quamquam hoc ipsum sic accipiendum est, si mandatarius aut cessionarius exigenti auctori suo consentiat. [7] Alioqui si iure suo vti & exactionem inhibere velit, non debet improba debitoris contradictio facere, vt quod illi per contestationem aut denunciationem quæsitum ius fuerat, inuito adimatur. [8] *Ita Senatus* ex tempore 14. Cal. Iul. 1588. in publico audi orio.

1 *L. qui stipendia 9. Cod. de procurat. l. 3. C. hoc tit. l. 1. Cod. de oblig. & action.*

2 Quia ex propria persona vtiles habet actiones post rescriptum D. Pij de quo *in l. cum emptore 16. D. de pact. l. postquam 7. & seq. C. de hared. vel act. vendit.*

3 Quia directæ actiones semper penes cedentem remanent, nec possunt ab eo separari, *l. si hæres 70. l. facta 63. § si hæres, cum ibi not. D. ad SC. Treb. l. 3. C. hoc tit.*

4 *dict. l. 3. C. hoc tit.* vbi additur etiam tertius casus si debitor cessionario soluere inceperit. Sed quomodo id accipi debeat, & de tota sententia dictæ *l. 3.* videnda sunt quæ scripsi fusissime *lib. 12. Coniectur.* Obserua tamen debere fieri denunciationem exhibito instrumento cessionis eoque lecto vel data ipsius copia, vt loquitur Guid. Pap. *quæst. 530.* post Bar. *ad. l. non solùm §. morte de oper. noui nunciat.* atque ita intelligendam, *l. 4. C. quæ res pign. ibi certior à te factus.* Ideò fortasse quod alioqui non cogatur cessus debitor ei credere qui se dicit cessionarium potiùs quàm creditori neganti cessionem & debitum nihilominus exigenti, quem vt possit doli exceptione repellere, debet paratas habere cessionis probationes.

5 Cum possint multæ causæ interuenire propter quas non sit audiendus qui agit tanquam mandatarius aut cessionarius creditoris, puta si facta sit cessio redemptori litium, contra *l. per diuersas 21. C. mandat.* aut si mandata sit actio militi vel mulieri non in rem suam, *d. l. qui stipendia 9. C. de procurat.*

6 Cum quanto minus iuris habet cessionarius vel mandatarius ad exigendum, tanto plus habeat is, qui cessit vel mandauit, *d. l. & l. 4. C. hoc tit.*

7 Nam si dissentiant potior debet esse causa cessionarij, quia vtiles habet actiones, quam creditoris, qui directas habet, *l. procuratore 55.* vbi scripsi *in Ration. D. de procur.*

8 Quod esset alienum ratione iuris & iniquum, *l. vlt. D. de pact. l. Gratius 71. §. penult. D. de fideius.*

DEFINITIO II.

Solus minor restitui potest aduersus nouationem factam per inopis debitoris delegationem, nisi delegantis dolus interuenerit.

QVi pro diuite debitore inopem accepit per delegationem, non videtur læsus, quia hoc ipso bonum nomen fecit, quod admisit debitorem delegatum. [1] Cum enim delegatio species quædam sit nouationis, [2] constat per nouationem non eo minus præcedentem obligationem perimi, quod posterior non teneat. [3] Itaque sibi imputare debet, qui cautius rem suam non egit. [4] Nec habere potest ex eo iustam causam petendæ restitutionis, [5] præterquam si minor proponatur. Huius enim ætati singulari quodam iure indultum est, vt aduersus damnosam nouationem à se factam possit in integrum restitui. [6] Neque ad rem pertinet, quod verisimile sit non fuisse creditorem admissurum nouationem si debitorem qui delegabatur inopem esse sciuisset. Debuit enim diligentior esse in inquirendo, an locuples ille esset necne. [7] Plane si ponas creditorem cum suspectas haberet delegati facultates dolo malo debitoris persuasum esse, vt delegationem admitteret, tanquam idonei debitoris, Nemo dubitat quin ex capite doli restitutio concedenda sit ei qui deceptus est, [8] aut ex generali clausula; Si qua mihi iusta causa esse videbitur, [9] quod facile potest euenire, dolus malus abfuerit debitoris. [10] Ita vt non tantum restituatur perempta obligatio, sed iis etiam aucta præstationibus quibus plenior nunc inueniretur si numquam extincta fuisset, [11] vtputa vsuris totius præteriti temporis & incremento illo quod propter monetarum deteriorationem creditoribus præstari solet & debet. *Ita Senatus* pro N. Guilielmo de Riddes 5. Non. Decembr. 1590. Et iterum in relationibus libellorum 22. Maij 1613.

1 *L. inter*

BIU Cujas

1 *L. inter causas 26. §. abesse, D. mandat.*

2 Omnis enim delegatio nouatio est, licet nõ è cõtrario omnis nouatio sit delegatio, *l. 1. & tot. tit. de nouat. & deleg. D. & C.*

3 *d. l. 1. D. hoc tit. §. præterea, Inst. quibus mod. tollit. oblig.*

4 *Arg. l. 2. C de furt.*

5 Cum nullum damnum sentire videatur, quod ex culpa & voluntate sua sentit, *l. quod quis 203. de reg. iur.*

6 *L. patre 27. §. pen. D. de minor.* quæ cum hoc priuilegium dat minoribus fauore ætatis, hoc ipso denegat illud maioribus *arg. l. cum prator. 12. D de iudic.*

7 *Ex reg. l. qui cum alio 19. de reg iur. l. vir. vxori. 17. in fin. princip. D. ad SC. Velleian.*

8 *L. 1. l. si quis ad firmanda 9 in prin. & §. 1. & pass. D. de dolo.*

9 De qua *in l. 1. & 2. l. sed etsi 26. vltim. D. ex quibus caus. maior.*

10 Est enim pars illa edicti subsidiaria actionis de dolo, vt scripsimus in Rationalibus, quia non potest dari actio de dolo, cum nullus dolus interuenit. Vide *l. eleganter 7. §. vlt. cum l. seq. l. seruus tuus 20. in prin & § 1. l. cum à te 25. l. quidam debitor 38. D. de dolo, l. si cum dotem 22 § si mulier 2. D. solut. mat.*

11 Alioqui non esset plana restitutio si non omnia redderet, *l. quod si minor, 24. §. restitutio, D. de minor. l. 1. C. de sent. pass. & restit.*

DEFINITIO III.

Expromissio nouat non constitutum.

CVm debitor debitoris constituit se creditori soluturum non idcirco fit nouatio nisi delegatio interuenerit. [1] Itaque interim vterque debitor suo quisque & proprio creditori remanet obligatus, salua constitutæ pecuniæ obligatione. [2] Diuersum est si expromissio facta proponatur. Hæc enim eum, qui expromissorem dat, liberat, cum faciat, vt in eius locum expromissor tanquam principalis solusque debitor substituatur. [3] *Ita tractatum est* in causa Claudij Chapelle & Ioannæ Rippet 5. Idus Maij 1591.

1 Alex. *cons. 173. visis depositionibus lib. 7.*

2 Obligatio enim obligationi addita non solet deteriorem facere creditoris conditionem, inquit Bald. *consil. 211. volum. 1.* quem refert & sequitur Boer. *quæst. 13. num. 34.* Nec solet fieri constitutum per stipulationem, sine qua tamen non fit nouatio.

3 Expromissor siquidem ille est, qui se obligat pro alio non obligato, in quo differt à fideiussore & à promissore, vt alibi scripsimus ex Cuiacio, Gothofredo & aliis, *ad Nouell. 4. de fideiuss. & ad Rubr. D. eod.*

DEFINITIO IV.

Ob monetæ deteriorationem, quæ post delegationem superuenit nullum augmentum debetur ei, cui delegatio facta est, sed priori creditori si non aliud actum sit in facienda delegatione.

CVi quingenta debebantur, cum augmento illo, quod propter monetarum deteriorationem præstari solet, [1] is debitorem suum Titio ad summam vsque trecentorum delegauerat. Trecenta tantum petere Titius poterit non etiam augmentum pro ea quantitate, quia cum non nisi pro trecentis delegatio facta sit, absurdum fuerit plus Titium ex delegatione consequi quam ei fuerit delegatum. [2] Neque tamen pro ea parte augmentum illud quod deberi constat, tanquam partem principalis debiti, lucro debitoris cedere oportebit, [3] sed ita rem constitui, vt ex omni eo quod debetur, computato quoque incremento illo, quod ex monetarum imminutione partum est [4], soluantur Titio trecenta dumtaxat, reliquum ipsi creditori. Nisi forte creditor id à se actum fateatur, vt delegatæ quantitatis augmentum quoque Titio acquireretur. [5] Ob eamque causam æquissimum erit creditoris qui delegauit voluntatem si haberi possit ante omnia exquiri. Ne alioqui eueniat, vt de tertij inuiti iure opposita exceptio admittatur. [6] Quamquam & interim admittenda est, cum eo vsque sit exclusiua iuris agentis. [7] Ideoque sumptibus & diligentia Titij potius quam debitoris, facienda creditori denunciatio est. [8] Plane à quo tempore facta fuit delegatio, si qua mutatio in monetæ bonitate siue intrinseca, siue extrinseca superuenerit, indemnem seruari oportebit eum cui facta est delegatio. [9] *Ita tractatum est* ex tempore in publico auditorio in causa hæredum D. de Michal magistri computorum & D. de Mouxi de Loche Prid. id. August. 1593.

1 De quo *in l. cum quid 3. D. de rebus cred. l. Paulus 99. alias l. creditorem, D. de solut.*

2 Inspiciendum enim semper est, quid deductum fuerit in contractum, *l. Rutilia Polla 69. D de contr. empt.*

3 Nec enim fit delegatio, vt prosit debitori qui delegatur, sed tantum vt prosit deleganti.

4 Tanquam quod sit pars ipsius debiti principalis, *vt not. ad d. l. 3. de rebus credit.*

5 Nec enim volenti vlla fieri potest iniuria, vt est in regula iuris.

6 Quod absurdum sane esset ac iniquum. Ex not. per Bart. *in l. 2. D. de except. rei iudic.*

7 Et quidem absolute non sub illa conditione si tertius velit. Alioqui non esset admittenda, vt tractat Bart. ibid. Facit *l. 2. D. si pars hared. pet. l. vlt. C. de rei vindic. l. loci 4. §. competit. D. si seruit. vindic.*

8 Est enim semper facienda sumptibus eius cuius potissimum interest.

9 Non autem seruaretur indemnis si monetæ deteriorationem in quantitate delegata pareretur, quia in tanto minueretur & eriperetur ei commodum delegationis.

DEFINITIO V.

Facta delegatione quantitatis certæ ita, vt debitor si omnino liberatus à priore creditore, nullum augmentum debetur, neque veteri creditori, neque nouo.

CVm Titio deberes centum florenos, & quanto moneta deterior facta fuerat à die contracti debiti, numerasti mihi florenos centum in moneta noua, consentiente Titio, vt me in tuum locum substituerem, tuamque in me obligationem iisdem omnino conditionibus susciperem, interposita, vt fit, in eam rem delegatione, an præter centum illos florenos tenebor præstare Titio, quanto deterior moneta noua est, quomodo tu tenereris si in vetere mansisses obligatione? Dubitationem facit quod cum inter nos id actum sit, vt me in tuum locum substituerem, eadem prorsus videatur debere esse conditio mea quæ tua. [1] Præsertim cum dici soleat hoc debiti genus quod vulgo augmentum monetæ vocant, sortis debitæ partem esse non accessionem. [2] Quis enim putet id egisse Titium, vt de principali summa quicquam decederet? [3] Contra tamen visum est, non nisi centum florenos præsentis monetæ me debere, qui centum dumtaxat præsentis monetæ à te acceperim. Illud enim præcipue spectandum esse, qua ex causa me obligauerim. [4] Atqui causa alia non fuit quam quæ à te facta est numeratio. Ergo non nisi quatenus reuera numeratũ est obligatus videri debeo. [5] Alioqui non florenos centum dumtaxat deberem, sed longe plures, quot mihi à te numerari æquum erat, si totidem Titio præstare me oporteret. [6] Maxime cum nec dubitandum sit, quin per delegationem qualis ista est omnimodo fiat nouatio, tuque sis omnino liberatus, totaque tua in me translata obligatio. [7] Prionde non aliud quæri debet, quam quid obligationis meæ verbis comprehensum sit. [8] Quod enim conuentum proponitur, vt in tuum locum substitutus essem, ad obligationis vim & conditionem pertinet potius, quam ad debitam quantitatem: [9] Cuius ratione apertior & expressior conuentio illa fuit, vt non nisi centum

florenos deberem. [11] Neque ad rem pertinet, quod monetæ augmentum quædam sortis portio esse intelligitur: [12] Id enim ita accipiendum est, vt eodem quo principale debitum iure censeatur, quamdiu principalis obligatio subsistit. Non etiam vt sublata principali obligatione per solutionē paris in numero quantitatis, nulla augmenti habita ratione, aliquid adhuc debitum supereſse intelligatur. Quid enim absurdius fuerit, quam si quis dicat, creditorem post acceptam solutionem agere adhuc posse, vt augmenti ratio habeatur? Et tamen negauerit, si is cui centum debebantur octoginta tantum acceperit, in reliquis viginti actionem supereſse. [13] Alia igitur hac parte augmenti, alia debiti principalis ratio est. [14] Nimirum quia nihil prohibet solui quantitatem debitam in moneta deteriore, cum creditor consentit, [15] quomodo consentit haud dubie qui sine protestatione accipit solutionem. Porro delegatio vim solutionis obtinet, quod ad perimendam priorem obligationem attinet, transfundendamque in personam noui debitoris. [16] Id enim nouationi cuilibet commune est, siue fiat per delegationem, siue quo alio modo, vt pristinam perimat obligationem. [17] Igitur perinde Titio deneganda est actio pro monetæ augmento, atque si ei non mihi numerata pecunia fuisset. [18] *Ita Senatus* in causa Francisci Gerlier & Francisci Falquet, Calend. Decemb. 1593.

1 *Arg. l. delegare* 11. *D. hoc tit.* iunct. *l. sed & hæ* 35. §. *defendere l. minor.* 51. §. 1. *D. de procurat.*

2 Ex notat *in l. cum quid* 3. *D. de reb. credi. & in l. Paulus* 99. *alias l. creditorem*, vbi Bart. *D. de solut.* Scripsi late *in tract. de nummariis solutionibus.*

3 Nec enim præsumitur quisquam velle iactare suum, *vulg. l. cum de indebito* 25. *D. de probat.*

4 Ne alioqui latius pateat effectus quam sua causa, quod fieri numquam potest.

5 *Vt in l. cum vltra* 9. *C. de non numer. pecun.*

6 Nam in eo quod excederet centum florenos obligatus essem sine causa, & ita mihi danda esset doli exceptio pro ea parte, *l.* 2. §. *circa, D. de doli, mal. except.*

7 *L.* 2. 3. *& vlt. C. hoc tit.*

8 Ex definitione nouationis posita *in l.* 1. *D. eod.*

9 *L. quicquid adstringenda* 99. *de verb. oblig.* Non enim fit delegatio, nisi per stipulationem vel contestationem, *d. l. delegare* 11 §. 1. *eod.*

10 Quæ scilicet tota æstimanda est numeratione, *dict. l. cum vltra.*

11 Nec enim maior quantitas potest contineri in minore, quomodo è contrario minor continetur in maiore, *l.* 1. §. *si stipulanti, D. de verb. oblig.*

12 Vt dixi *ad num.* 14. *Defin. præced.*

13 *L. stipulatus sum* 9. §. 1. *D. de solut.*

14 Non quia augmentum sit accessorium, sed quia non potest per se subsistere non magis quam si accessorium esset, *l. inter* 16 §. 1. *D. de pact. dotal. l. etiamsi* 8. *C. de iur. dot.*

15 *d. l. Paulus* 99. *alias l. creditorem, D. de solut.* quæ cum ait non esse creditorem cogendum, ostendit satis posse illum accipere solutionem in deteriore moneta si velit.

16 *L. quamuis*, 8. §. *interdum, D. ad SC. Velleian. l.* 2. *& 3. C. hoc tit.*

17 *L.* 1. *D. eod.*

18 Nihil enim refert quid ex æquipollentibus fiat, *l. vlt.* vbi glos. §. *vlt. D. mandat.*

DEFINITIO VI.

Nouatio quæ fit per conuentionem impedit ne augmentum vllum monetæ ex causa præcedente debeatur, at non item nouatio, quæ fit per iudicatum, nisi cum idipsum iudicato expressum est.

QVa ratione illud etiam sæpius pronunciatum est, quod longe difficilius admitti potuit, si de vetere debito inter ipsas debitoris & creditoris personas transactum sit, nihil peti posse supra eam quantitatem, quæ in transactionem deducta est, totiusque temporis præcedentis, quod ad augendam ex monetæ deterioratione debiti quantitatem, nullam prorsus rationem haberi oportere. [1] Nempe quoniam per transactionem nouatio quædam fieri intelligitur, [2] ne eadem iterum transigendi, hoc est, litigandi materia supersit, si veteris obligationis memoriam repetere liceat, [3] nisi quatenus transactione nominatim comprehensum & exceptum est. [4] Aliaque conditio est nouationis illius, quæ per iudicatum fieri solet. Ea namque creditoris conditionem numquam facit deteriorem, [5] cumque solutionis vim non habeat quæ ex contrario non nisi ob illam causam sit, vt tanto facilius creditor suum consequatur, [6] plane conueniens est, vt tale debitum in condemnationem deductum intelligatur, quale fuit in obligatione, [7] ac proinde, vt etiam post iudicatum, quo nihil de augmento monetæ pronunciatum est, augmentum petere creditor possit, idque non actione noua, sed quod magis mirum est executione quoque iudicati, [8] non secus acsi de illo etiam pro creditore pronunciatum esset, siue ante sententiam petitum fuerit, siue non: Vno dumtaxat casu excipiendo si augmenti rationem nullam habendam esse iudex pronunciauerit: [9] Nimirum ea quantitas in condemnationem deducitur quæ debetur, soluenda igitur in ea monetæ bonitate, quæ tum fuit, cum debitum contractum est, [10] non quæ sit cum iudicatur. [11] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Vt dixi *Defin.* 2. §. *de transact.*

2 Dec. *ad l.* 1. *D. illo tit. de transact.*

3 Cumtamen soleat nec possit fieri transactio nisi de re dubia, & vt à lite, vel à litis saltem metu discedatur, *d. l.* 1. *& l.* 2. *C. eod. l. in summa* 63. §. 1. *D. de cond. indeb.*

4 Semper enim & in omnibus contractibus sequimur id, quod expressim actum dictumque est, *l. semper in stipulationibus* 34. *de reg. iur.*

5 *L. aliam* 19. *D. hoc tit.* iunct. *l. si fundus* 16. §. *si plurib. D. de pign. l. vlt. C. de vsur. rei iudic.*

6 *L. minor*, 40. *D. de minor.*

7 *L. vltim. C. de fideic. libert. l. vinum* 22. *D. de rebus cred. l. pen. & vlt. D. de condict. triti c.*

8 Per modum scilicet declarationis. Etsi enim post sententiæ pronunciationem nihil addi sententiæ potest neque detrahi, potest tamen sententia declarari, *arg. l. haredes palam* 25. §. 1. *vers. nihil enim nunc dat. D. qui testam. facer. poss.*

9 Hoc enim casu & post rem ita iudicatam si augmentum peteretur obstaret exceptio rei iudicatæ, *argum. l. quod in diem* 7. §. 1. *D. de compensat. l. si autem* 8. §. *si quocumque modo, de negot. gest.*

10 *Arg. l. Rutilia Polla* 69. *D. de contr. empt.*

11 Nec enim per iudicatum fit quisquam debitor, sed qui iam ante fuerat declaratur.

DEFINITIO VII.

Delegatio facta per rectorem ecclesiæ non tollit petitionem augmenti monetæ, quo minus salua illa sit successori.

SEd quod diximus [1] in proposita specie post factam delegationem non posse Titium à me petere augmentum monetæ, quod à te petere potuerat, ita accipiendum est, si modo Titius is fuit, qui de pecuniæ debitæ iure pro arbitrio disponere potuerit, suamque conditionem facere deteriorem. [2] Finge rectorem ecclesiæ, cui quantitas illa debebatur, siue ex legato pio, siue ex mutui causa. [3] Dicendum erit, non potuisse Titij pactionem nocere sequenti eiusdem beneficij possessori. Ideoque nec quærendum esse quid ab eo actum sit, qui in ecclesiastici debiti diminutionem nihil agere potuit. [4] Quid ergo si solutionem Titius accepisset in moneta noua, nulla augmenti habita ratione? Difficilius admittendum videretur supereſse successori petitionem aliquam augmenti, cum & rectori ecclesiæ recte soluatur, & creditori volenti minus probos

nummos

nummos solui nihil prohibeat, [6] sed tamen aliud hic dicendum est, quia quod admittimus rectori ecclesiæ recte solui, non aliter verum est, quam si solutam pecuniam in ecclesiæ vtilitatem conuersam esse appareat: Ne alioqui ea dilapidata deterior fiat conditio ecclesiæ facto debitoris, cui potest imputari cur non fuerit diligentior in inquirendo, in quam causam pecunia impenderetur. [7] Itaque sicuti solutio sola debitorem hunc non liberat, pro illa etiam quantitate quę reuera soluta est, ita multo minus facere potest, vt excludat petitionem augmenti, quod solutum non fuit, [8] ne aliter existimantibus fatendum sit hactenus fore in rectoris potestate, vt ecclesiæ conditionem faciat deteriorem. [9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Defin.1.§.eod.*

2 Cum possit quisque pro arbitrio iuris sui persecutionem deteriorem facere, *l.pactum 46.D.de pact.l.penult.C.eod.*

3 Scilicet pro pecunia ad ecclesiam pertinente.

4 Inanis enim & vacua est voluntas, cui iuris potentia non adsistit, inquit Bald. *ad l.4.D.de acquir.hered.*

5 Siquidem habet rector ecclesiæ administrationem, & consequenter accipiendæ solutionis potestatem, sicut tutor & alius quilibet administrator, *l.quaro* 100. iunct. *l.seruum* 68. *de solut.*

6 Vt dixi *Defin.5.num.18.§.*

7 *Arg.l.vir vxori 57.in fin.principij, D.ad SC.Velleian. l.debitores 29.D.de solut.*

8 Rectori enim ecclesiæ, vt & cæteris administratoribus permissum est solutionem accipere, sed non rem perdere, *l.actum curatoris 22.vbi not.C.de pact.*

9 Quod non est permittendum. Rector enim ecclesiæ nunquam dominij loco habetur, sed tantum fructuarij iure censetur *cap.vlt.vbi gloss.de offic ordi.* In quo minus iuris habet quam tutor, *l.interdum 56.§.qui tutelam, D.de furt.* Multo minus cum ecclesiam spoliat, *arg l.qui fundum 7.§.si tutor, D.pro emptor.*

DEFINITIO VIII.

Si quando post factam delegationem supereſt petitio augmenti monetalis, non contra veterem debitorem danda est, sed contra nouum.

Hic tamen illa adhuc manet dubitatio, cum rector ecclesiæ, qui noui debitoris admisit delegationem, augmentum monetæ remittere non potuerit in dispendium ecclesiæ, [1] aduersus quem pro augmento agere succesor debeat. An aduersus delegatum, an potius contra veterem debitorem qui delegauit? Et magis est, vt contra veterem qui per delegationem liberatus fuit, nulla supersit actio, [2] cum ecclesiæ indemnitati consultum esse potest aduersus delegatum, qui imputare sibi debet cur pro centum florenis sibi in moneta noua numeratis substitui voluerit in locum eius qui centum florenos meliores monetę debebat. [3] Quasi suas vtilitates tanti æstimasse videatur. [4] Sperans fortasse futurum, vt aureorum valor decresceret, eaque monetæ immutatio fieret, ex qua minus ille incommodi, fortassis etiam lucri aliquid sensurus esset. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt dixi *Defin.prox præced.num.8. Ex not.in l.pactum curatoris 22.C.de pact.*

2 Qui enim semel liberatus est, non potest sine aliquo nouo suo facto recidere in obligationem multo minus conueniri, *l.qui res 98.§.aream, D.de solut.l.1.C.de contr.iudic.tutel.*

3 *Arg.l.si quis delegauit 12.l.doli 19.D.hoc tit.*

4 *Arg.l.Imperator 70.§.si centum, de legat.2.*

5 Propter dubium euentum qui facit, vt non sit audiendus ille, qui id petit, cuius contrarium non fuerat in contrarium euentum postulaturus, *l.penult. C.de solut.l.de fideicommisso 11. C.de transact.l.si pater 12.C.de inoffic.testam.*

DEFINITIO IX.

Delegatio facta non in solutum, sed in pignus non liberat delegantem, nec si aduersus delegatum vetus debitor agere cœperit.

Qvi centum mihi debebat, cum suspectas haberem eius facultates quo magis mihi cautum esset (sic enim scriptum erat) tradiderat mihi instrumentum nominis Titiani, quo continebatur tantundem illi Titium debere, facta etiam mihi potestate Titium eo nomine, si mallem, conueniendi mandatisque in eam rem actionibus. [1] Placebat non idcirco liberatam eum intelligi, nec ideo magis prohiberi me in eum cæteraque eius bona agere, si malim, quia non in solutum facta delegatio, [2] sed tantum pignoris iure nomen cessum mandatæque actiones proponerentur. [3] Nec ad rem pertinebit, quod si contra Titium egissem, debitum consequi potuissem. Neque enim idcirco cogi potui, vt agerem, [4] cum id arbitrio meo permissum esset, sitque liberum creditori cuilibet multa habenti pignora quibus velit distractis ad commodum suum peruenire. [5] Quare etsi contra Titium agere cœpero, nihilominus licebit mihi contra debitorem recurrere. Ne alioqui noceat mihi quod pro eo plus fecerim, quam facere debueram. [6] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro N.Carolo duFour, contra N.Lucian. 7.Cal.Febr.1594.

1 Quæ & ex sola ipsa instrumenti traditione mandatæ intelliguntur, *l.1.C.de donat.l.vltim.Cod.de pact.conuent.tam sup. dot.*

2 Quo casu prior obligatio nouationis iure sublata esset, *l.2.& 3.C.hoc tit.*

3 *Vt in l.postquam 7.C.de hered.vel act.vendit.l.nomen 4.C. quæ res pign.oblig.poss.*

4 *L.vnic.C.vt nem.nuit.ager.vel accus.cogat.*

5 *L.creditoris 8.D.de distr.pignor.*

6 Obligationes enim non nisi certis modis, & contrahuntur, & dissoluuntur, nec quisquam amittit actionem personalem ob id quod cœperit agere hypothecaria aut contra, *l.est in arbitrio 14. C.de oblig. & action.*

DEFINITIO X.

Minus potest delegatio, quam solutio in præiudicium anterioris creditoris, qui delegationi non consenserit.

Solet delegatio cedere loco solutionis, [1] sed non semper in omnibus, & per omnia. Nam si debitor meus cuius bona omnia mihi obligata sunt, [2] debitorem suum alij creditori suo posteriori delegauerit, & ego antequam delegatus debitor solueret in idipsum nomen egerim hypothecaria, [3] ero præferendus, [4] nec summouebor exceptione factæ delegationis, [5] qui tamen nullam haberem actionem, si posteriori illi creditori iam solutum proponeretur. [6] Nimirum, quia solutione tollitur obligatio, & nomen debitoris, [7] quod per delegationem non tollitur, sed illud ipsum nomen manet mutata tantum persona creditoris, [8] quæ mutatio nocere anteriori creditori non potest. [9] *Ita Senatus* in causa Petri Soreley & Mariæ Guichard Augustanorum, Idib.Sept.1595.

1 *L.quamuis 8.§.interdum, D.ad SC.Velleian.*

2 Et consequenter etiam iura omnia & nomina debitorum, quæ scilicet veniunt in generali quoque obligatione tanquam quæ bonorum appellatione contineantur, *l.nomen 4.C. quæ res pignor.*

3 Qui enim habet obligatum nomen sui debitoris potest agere etiam personali actione vtili aduersus debitoris debitorem *d.l.nomen, d.l.postquam, l.si conuenerit 18.D.de pig.act.*

4 Iure scilicet communi pignorum, in quibus qui prior est tempore potior est iure *l.2.l.4.C.qui pot.in pign.hab.*

5 Adeoque nec exceptione non factæ excussionis, quæ scilicet non competit, nisi possessoribus. Iura vero non possidentur, vt dixi *sub tit.de except.*

6 Licuit enim illi vigilare ad suum consequendum, *l pupillus 24. D.quæ in fraud.credit.* Quamquam si ipsa nummorum corpora extarent, & eadem quæ soluta essent probarentur, fatendum esset hypothecariam durare, cum pignus etiam in nummis perinde ac in cæteris rebus possit consistere, *l.idemque 7.in fin.D.qui pot.in pign.hab.*

BIU Cujas

7 *L. debitor* 40. *§. vltim. D de pignor. act. l.* 1. *& 2. C si pignor. dat sit.*

8 Nam per delegationem semper mutatur creditor, *l. delegare* 11. *D hoc tit.*

9 Qui diligenter sibi prospexit conuentione pignoris, *l. debitorem* 15. *C. de pignor.* Facit *l.* 3. *D de separat.*

DEFINITIO XI.

Fit nouatio cum apparet actum fuisse de liberando debitore, licet non fuerit specialiter actum de nouando.

EX his verbis, *libero te ab omni eo, quod mihi ex tali instrumento & iudicato debes, mediante hac obligatione*, placet factam videri nouationem,[1] licet non aliter hodie fiat, quam si id expressim actum sit. [2] Itaque sola ex noua stipulatione actio supereſt, [3] neque ex indicato agi amplius potest, [4] nisi nominatim conuenerit, vt in eum casu, quo debitor nouæ obligationi ad diem non satisfaceret, pristina iudicati actio supereſſet. [5] *Ita Senatus* in causa R. D. Philiberti Milliet Episcopi Maurianensis Abbatis d'Aups, contra Claudium Pernollet eiusque fideiussorem, 8. Id. Februar. 1596.

1 Cum nouatio non aliam ob causam fiat, quam vt inducat liberationem debiti præcedentis, *l. 1. & pass. D. hoc tit.*

2 *L. vlt. C hoc eod. tit.*

3 Cum omnis nouatio sit prioris obligationis peremptio, *d. l. 1. D eod.*

4 Nam & iudicati causa deduci in nouationem potest, *l. 1. D. de prætor stipulat. l. 1 & pass. D. iudic. solui.*

5 Nec enim dubitandum est, quin per conuentionem fieri possit, vt impediatur nouatio quæ alioqui fieret, *l. 2. D. eod. d. l. vlt. C. eod.*

[DEFINITIO XII.

De delegatione facta & interpretãda per acceptilationem.

DElegationis proprium quidem illud est, vt non nisi per stipulationem fiat aut per litis contestationem. [1] Sed tamen euenit aliquando vt facta videri debeat per solam acceptilationem si forte debitori meo acceptum ego fecerim quod ille mihi debebat, & tu pariter acceptum mihi tuleris, quod ego tibi debebam. Nam sicuti celeritate coniungendarum actionum plerumque traditio vna occultatur: [2] Ita nec mirum videri debet, binam illam stipulationem quam in delegatione facienda interuenire necesse est [3] suppleri [4] per binam acceptilationem, quæ nec nisi per stipulationem contrahitur: [5] Non quasi per acceptilationem fiat delegatio, [6] sed vt facta probetur, [7] ex secuto effectu, qui totus in eo est, vt & delegans debitor à creditore suo liberetur, [8] & qui delegatus est, liberationem statim ab eo qui delegauit, [9] posteà verò etiam ab eo cui delegatus est, consequatur. [10] Quorum enim effectus idem est, cur non eadem vis & potestas esse censebitur? [11] *Ita Senatus* pro N. Humberto de Ville, contra Matheam, & Philibertam Poncet, 17. April. 1614. De qua Definit. 10. De dot. caut.

1 *L. delegare* 11. *§.* 1. *l. aliam* 29. *D. hoc tit.*

2 *L.* 3. *§. sed si debitorem D. de donat. int. vir. & vxor.*

3 *d. l. delegare §.* 1.

4 Quasi stipulatione tacita interueniente, *vt in l. vnic. §. & vt plenius C. de rei vxor. act.*

5 *L.* 1. *& pass. de acceptil.*

6 Est enim acceptilatio modus dissoluendæ obligationis, non contrahendæ, cùm sit imaginaria solutio *§* 1. *Inst. quibus mod. tollit. oblig.*

7 Simile quiddam est de probando per nudam confessionem depositio, quod tamen non nisi re contrahitur, *in l. Publia.* 26 *§.* 1. *depos.*

8 Nam qui delegat, videtur soluere, *l. quamuis* 8. *§. interdum, D. ad SC. Velleian.*

9 Quia delegatio semper nouationem continet, quæ semper ipsa inducit liberationem *leg.* 1. *l. delegare* 11. *l. emptor*, 27. *& pass. D. hoc tit.*

10 Vt puta per solutionem, aut quouis etiam alio modo.

11 Nam effectus rei magis est inspiciendus quàm verba, *l. vlt. §.* 1. *D. mandat. cum similib.* Nec tantùm stipulatione, sed etiam scriptura & nutu fieri delegatio potest, *l. delegare scriptura* 17. *D. hoc tit.*]

TIT. XXX.

DE SOLVT. ET LIBER.

DEFINITIO I.

Debitor habens penes se chirographum cancellatum non ideo tamen liberatur, aut ipso iure, aut per exceptionem pacti de non petendo, nisi probetur traditio. Habet tamen pro se præsumptionem.

CHIROGRAPHVM cancellatum exhibẽs debitor pro liberato non habetur, nisi à creditore sibi redditum probet, factamve à se solutionem. [1] Tacitum enim pactum de non petendo, quod debitori chirographum habenti præbere solet exceptionem, [2] cum duorum consensu fieri debuerit, [3] non ex sola chirographi possessione induci potest, sed ex ea demum restitutione, quæ per ipsum creditorem, aliumve mandantis creditoris nomine facta probetur. [4] Non leuis tamen pro debitore præsumptio est si integræ sit existimationis, nec suspicandi causa sit, aut subtractum chirographum fuisse, [5] aut qua alia ratione ab alio quàm à creditore ad debitorem peruenisse. [6] Ideoque etsi non aliis etiam adminiculis debitor nitatur, proderit ei præsumptio [7] hactenus, vt vel in creditorem onus probandi transferatur, [8] vel petenti debitori de solutionis veritate aut chirographi redditione iusiurandum in probationis, vt fit, supplementum deferatur. [9] Quod ipsum tamen in causæ cognitione totum versatur, & pro personarum causarumq; varietate aliter atque aliter constituendum iudicantis arbitrio relinquitur. Quid enim si paterfamilias diligens & callidus sit creditor, debitor vero vir probus, qui nulla malę fidei præsumptione vrgeatur? [10] *Ita Senatus* 12. Calend. Februar. 1588. & rursus pro N. Rolet, contra Guill. Dalfin. Mens. Mart. 1590.

1 Accurs. *ad l. 2. D. de pact. per ill. text.* in iis verbis, *& ideo si debitori meo reddiderim cautionem.* Et ita intelligi debet, *l. si chirographum* 24. *D. de probat. l. pecunia* 14. *& seq. C. hoc tit. l. vnic. § ille autem antepenult. C. de Latin. libert. tollend.* Iunge omnino *Defin.* 28. *& fr.*

2 *d. l. 2. de pact.*

3 *L.* 3. *D de pollicit.* iunct. *l.* 1. *§. & est pactio, D. de pact.*

4 Nihil enim refert verbisne an factis voluntatem suam quis declaret, *l. non tantum* 5. *D. rat. rem haber.*

5 Nec enim delicti præsumptio facile capienda est contra eum qui sit probæ existimationis, *l. merito* 51. *D. pro Socio, l. non omnes* 5. *§. à barbaris, D. de re milit.*

6 Vt in specie *d. l. vnic. §. ille autem, C. de Latin. lib. tollend.*

7 Cancellatio enim chirographi penes debitorem repetti facit præsumptionem pro solutione *d. l. si chirographum* 24. *D. de probat.* Guid. Pap. & Alciat. *in tract. de præsumpt.*

8 Qui præcipuus est effectus cuiuslibet præsumptionis, vt onus probandi transferat in aduersarium. Semper enim præsumptio admittit probationem in contrarium *d. l. si chirographum. & l. seq. D. de probat.*

9 *Ex not. in l. admonendi* 31. *D. de iureiur. & ad l. in bona fidei, C. de reb. credit. & iureiur.*

10 Semper enim pro viro bono, & contra diligentem patremfamilias, quem non sit credibile in aliquo errasse, præsumendum est *l. cum de indebito* 25. *D. de probat.*

DEFI NI-

DEFINITIO II.

Per syndicum facta solutio præsumitur facta nomine vniuersitatis, præsertim in antiquis etiam ad interrumpendam præscriptionem, si modo probatur facta ex eadem causa.

SOlutio facta vniuersitatis nomine à Syndico in antiquis præsumenda est facta solemniter, id est, ex mandato vniuersitatis,[1] & ex pecunia consensuque singulorum, ad quos ea res pertinebat.[2] Sed etsi fauor antiquitatis non concurrat:[3] sufficiet tamen probatio factæ à Syndico solutionis, vniuersitatis nomine, ad hoc, vt interrumpendæ fortasse præscriptionis gratia is, cui solutum est, iure suo vsus videatur.[4] Quid enim eius interfuit à quo acciperet, dummodo suum consequeretur?[5] illud tane vt probet necesse est, factam solutionem in eam causam ex qua nunc deberi sibi asserat. Alioqui nuda solutio de cuius causa non constet indebiti condictionem parit potius, quam obligationis probationem.[6] *Ita Senatus* pro D. Barone de Creissiaz, contra Syndicos de Cormoran, 5. Calen. Iul. 1588.

1 Facile enim præsumitur mandatum speciale ex antiquitate temporis in Syndico, qui tanquam Syndicus iam habet generale, *l. 1. & 108 tit. D. quod cuiusque vniuersit. nomin.*

2 Non enim facile credendus est Syndicus, aut alius administrator de suo soluisse debitum vniuersitatis, *argum. l. vlt. D. quand. ex fact tutor.*

3 Qui tamen semper est maximus, *leg. 3 §. ductus aqu. D. de aqu. quotid. & astiv. leg. 1 §. vlti. & l. vltim. D. de aqu. & aqu. pluu. arcend. & l. fin. C. de præscript. long. temp. inter* 28. *D. de proba.* Cravet. latè in suo illo *tract. de antiq. temp.*

4 Non enim potest videri fuisse negligens qui ius suum exercitus est *l. 2 l. vlt. in fin. C. de annal. except.*

5 Aut à quo melius potuit accipere solutionem vniuersitatis nomine quam à Syndico, qui vniuersitatem repræsentat? *d. l. 1. & 108. tit. D. quod cuiusque vniuers. nom.*

6 *L. 1. & tot. tit. de condict. indeb. D. & C.* Nisi probetur facta solutio ab eo qui sciebat se nihil debere: quo casu donatio est, *l. cuius per errorem 53. de reg. iur.*

DEFINITIO III.

Solutione accepta cogitur creditor & instrumentum reddere, & apocham conscribere, nec alterum sufficit si vtrumque præstare creditor possit.

CReditor accepta solutione non solum reddere instrumentum cogitur, quo obligatio continebatur,[1] sed etiam apocham conscribere, per quam profiteatur solutam sibi pecuniam fuisse,[2] quoniam interest debitoris plures solutionis à se factæ probationes accipere,[3] creditoris vero nil interest plures dare.[4] Ergo neque apocham conscribi sufficiet, sed ipsum quoque chirographum aut instrumentum reddi oportebit, si modo sit in creditoris potestate.[5] Nam si sine dolo malo amissum dicatur, & vel solo ipsius creditoris iureiurando probetur, non est arctandus creditor, vt id præstet quod præstare nequeat, aut vt eo colore debiti iacturam patiatur.[6] *Ita Senatus* 5. Id. Nouembr. 1588.

1 *L. vlt. C. ad exhib.* Vide tamen *l. qui tabulas 27. D. de furt.*

2 Quia pecuniæ solutæ professio collata instrumento maiorem rei gestæ probationem continet, quam si chirographum acceptæ pecuniæ mutuæ fuerit redditum, *l. pecunia 14. Cod. de solut.*

3 Cum solutio semper probanda sit ab allegante, quia facti est, *l. 1. C. de probat. l. consil. 7 §. vlt. D. de curat. furios.*

4 Dummodo ad vnius tantum summæ solutionem referantur, quia is qui plures eiusdem quantitatis apochas conscribit non liberat sæpius, sed loquitur sæpius, quomodo loquitur Papin. *in l. Mauius 66. §. eum qui, de legat. 2.*

5 Ne forte amissa postmodum apocha supersit improbo creditori aut eius hæredibus apocham ignorantibus, ex quo possint agere ad iteratam solutionem consequendam, cum instrumentum debiti authenticum sit probatio probata, quod habet vim sententiæ & condemnationis, vt diximus *in tit. de execut. rei iudic.*

6 Instrumenti enim amissio probatur per iusiurandum quando ea probatio fit ad excipiendum non ad agendum, vt dixi *Defin. 15 num. 5 & 6. de pact.* vbi vide. [Adde Bald. *in d. l. pecuniæ, in fin.* vbi ait idem esse, tametsi creditor expressi conuentione obligatus sit ad redditionem chirographi.

DEFINITIO IV.

Non minus dominus directus cogitur ire ad domum emphyteutæ, quam alius creditor quilibet ad domum sui debitoris, nisi vel conuentio sit in contrarium, vel consuetudo.

NOn cogitur debitor solutionis faciendæ gratia ire ad creditorem, nisi ad ipsius creditoris domum aut alio certo loco soluere promiserit,[1] Ac quãquam in emphyteuta nonnulli contra crediderunt propter debitum obsequij & reuerentiæ, cum pecuniario coniunctum,[2] eo tamen iure vtimur, vt ad domum emphyteutæ solutionis accipiendæ causa dominus ire debeat, si non speciali conuentione in contrarium sibi prospexerit, aut longissimo ac immemoriali vsu id ius acquisiuerit. Consuetudinem enim de qua bene constet, hac parte seruandam esse conuenit.[3] *Ita Senatus* in publico auditorio 1. Calend. Decembr. 1588. Iunge Defin. 15. De iur. emphyt.

1 *Item illa* 18. vbi gloss. & Bart. & cæteri. *D. de const. pecun.*

2 Bald. *in l. vlt. col. fin. vers. modo quæro generaliter, C. de condict. insert. & in l. acceptam, quæst* 12. *C. de vsur.* Iaf. *in l. 2. num. 89. C. de iur. emphyt.*

3 Vt concludit idem Bald. *in d. l. fin. post gloss. &* Bart. *in d. l. item illa.*

DEFINITIO V.

Obsignatio non valet sine satisdatione quoties aliquid supereſt liquidandum.

NOn valet obsignatio debiti quantacumq; summa obsignata sit, si debitum non omnino liquidum sit tametsi vel minimum supersit liquidandum, nisi pro non liquido caueatur,[1] ideoque obsignanti liberatio nec in totum, nec pro parte acquiritur.[2] Nec aliud erit etiamsi longe maior quantitas obsignata fuerit, quam deberetur. Quod enim incertum est, nulla certa quantitate æstimari potest solaque satisdatio illa est, quæ pro non liquido solutionis vicem obtinet,[3] quoniam debitum liquidum esse necesse est priusquam aut exigi, aut solui possit.[4] *Ita Senatus* in causa D. Marchionis de la Chambre & D. Margaretæ eius amitæ, 9. Cal. Decembr. 1598.

1 *L. statuliber rationem 5. D. de statulib.*

2 Quia obsignatio tum demum vim solutionis habet, cum totius debiti est, *l. obsignatione 9. C. hoc tit.* Not. *in l. acceptam 19. C. de vsur.*

3 *d. l. statuliber rationem 5. D. de statulib.*

4 *L. vlt. D. de prætor. stipul. nor. in l. vlt. C. de compens.*

DEFINITIO VI.

Obsignatio minus legitime facta pro non facta haberi debet, nec potest liberare debitorem.

SI obsignatio per debitorem minus legitime facta sit, non parit liberationem,[1] itaque non cogetur creditor pecuniam accipere à depositario, sed acsi nulla obsignatio facta esset condemnandus est, & ad solutionem vrgendus debitor,[2] salua ei aduersus depositarium pecuniæ obsignatæ repetitione.[3] Diuersum est si recte ritéq; facta sit obsignatio. Hæc enim cum vim habeat solutionis,[4] adeoque sola oblatio in

BIU Cujas

iudicio facta si pignoratitia tantum agere quis velit, consequens est, vt hactenus prosit debitori, ne ad solutionem iterum vrgeatur. [6] Creditori enim, qui in accipiendo debito moram contraxit, sufficere debet, quod à depositario pecuniam statim consequi potest. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Paria enim sunt quid factum non esse, & minus legitime factum esse, *l. quoties 6. D. qui satisd. cog. l. 2. D. de auct. tutor.*

2 Tanquam qui adhuc sit obligatus. Obligationes enim semel contractæ vtiliter non nisi certis modis dissoluuntur, *l. obligationum fere 44. §. placet, D. de obligat. & action.* inter quos modus non est obsignatio male facta.

3 Nullam enim exceptionem potest habere depositarius contra deponentem. *l. vlt. C. de compensat.*

4 *L. obsignatione 9. C. hoc tit. l. acceptam 19 Cod. de vsur. cum concord.*

5 *L. si rem 9. §. vlt. D. de pignor. act.* Intellige tamen de oblatione quæ realis fit, non de verbali, vt scripsi *in Ration. ad l. si debitor. 21. D. de iudic.*

6 Iniquum enim est eum, qui iam soluerit, cogi iterum soluere, *l. bona fides 57. de regul. iur. l. si quis dolo 51. in fin. D. de re iudic.*

DEFINITIO VII.

Oblatio debet præcedere obsignationem, alioqui non valet obsignatio, & obsignatæ pecuniæ periculum ad debitorem pertinet, non ad creditorem.

QVi soluere debuit, non potest videri ex eo liberatus quod debitum obsignauerit, si non ante obtulerit creditori, [1] isque sine causa solutionem accipere recusauerit. [2] Itaque siue obsignata pecunia subripiatur sine dolo depositarij, [3] siue magistratus imperio in ærarium referatur, [4] aut in publicos vsus conuertatur, [5] periculum non ad creditorem pertinebit, sed ad debitorem. [6] *Ita Senatus* inter Ioannem Rage & Ioannem de Constance, 17. Cal. Ianuar. 1589.

1 *L. si per te non stat 9. l. acceptam 19. C. de vsur. l. nec creditores 10. l. vlt. C. de pign. act.* quibus omnibus locis oblatio præcedit obsignationē. Est enim obsignationis vsus ideo cōparatus, ne alioqui nulla supersit debitori ratio dissoluendæ obligationis, si creditor nolit solutionem accipere.

2 Si enim iusta causa sit recusandi, non videbitur mora per creditorem contracta *l. sciendum est 21. & seqq. D. de vsur.*

3 Nec enim depositarius tenetur nisi de dolo, & lata culpa si non aliud conuenerit, *leg. 1. Cod. depos. l. contractus 23. de regul. iur.*

4 *Vt in l. creditor 102. D. hoc tit.*

5 Fotassis, vt Reipubl. necessitatibus subueniatur.

6 Quæ enim fortuitis casibus accidunt, semper spectant ad morosum, *l. si ex legati 23. & seq. l. si seruum 91. §. sequitur, D. de verbor. obligat.* [Planè si nemo sit qui solutionem accipere possit non est necessaria obsignatio ad impediendam moram, *l. 17. §. si pupillo de vsur. Ita Senatus* in causa sororum Cochet, 9. Septembr. 16 3.]

DEFINITIO VIII.

Solutio partis debiti, adeoque totius etiam debiti liquidi, quandiu aliquid liquidandum superest non potest inducere hypothecariam ne quidem pro parte.

DEbiti partem accipere non cogitur creditor agens hypothecaria, nec si omne id quod liquidum est offeratur, si non pro reliquo quod minus liquidum est, caueatur. Sed etsi totius debiti liquidi solutionem creditor acceperit, non cogitur actionibus suis possessori pignoris cedere aduersus debitorem, [1] ne pro ea quidem parte quæ soluta est, quousque debitum omne & liquidatum sit & solutum, ne alioqui ius pignoris quod indiuisibile est diuisum videatur. [2] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Quia hypothecæ ius indiuiduum est, *l. rem hereditariam 65. D. de euict. l. quamdiu 6. C. de distract. pign. l. 2. C. debitor. vendit. pign. imped. non poss.* Iunctis iis quæ diximus *Defin. 5. sup.*

2 Quibus tamen alioqui cedere cogitur quoties solutionem accepit à bonæ fidei possessore, *l. mulier 19. qui potior. in pign. hab.*

3 Nec enim cogendus est creditor, vt diuidat actionem quam habet indiuisam, *l. 1. alias l. 2. C. de duob. reis*, quia solutio per partes habet magna incommoda, *l. 3. D. famil. ercisc.*

DEFINITIO IX.

Qui soluit ex præscripto iudicis, & ad modum præscriptum liberatur, nec imputari potest ei, cur non appellauerit etiamsi iudex male decreuerit.

QVi auctore Prætore soluit, & seruata ea forma quam Prætor præscripsit liberatur, [1] licet Prætor male decreuerit, [2] si modo per debitorem religio Prætoris bene instructa nec circumuenta sit. [3] Neque imputari debitori potest, cur à decreto tanquam iniusto non prouocauerit, [4] cum si prouocasset audiri non debuisset, quasi cuius nihil interesset. [5] *Ita Senatus* ex tempore, 6. Cal. Ianuar. 1588.

1 *L. ait prætor 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor.*

2 Quia prætoris & iudicis decretum quantumuis iniquum executioni mandari publice interest, *l. seruo 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell. l. si prætor 75. D. de iudic.*

3 *L. 5 §. penult. D. de reb. eor. qui sub tutel.*

4 *d. vers. permittitur.*

5 *L. 1. D. de appel. recip.*

DEFINITIO X.

Qui pro alio soluit indebitum solam condictionem sibi acquirit aduersus eum, qui solutionem accepit.

PRo me inscio soluisti quod iam ego solueram. Nec mandati, [1] nec negotiorum gestorum [2] actio tibi competet contra me, sed potius condictio indebiti aduersus eum qui solutionem accepit, [3] si modo nihil sit quod mihi possit imputari, cur cum solverem te non fecerim certiorem. [4] *Ita Senatus* ex tempore, 7. Id. Febr. 1589.

1 Quia non hoc tibi mandaui, vt indebitum solueres, *l. indebitam 47. vbi not. D. de cond. indeb.*

2 Nec enim negotium meum gessisti vtiliter qui indebitum soluisti.

3 *d. l. indebitam*, vbi tamen vide *in vers. quo minus autem.*

4 *L. si fideiussor 29. in princ. & §. si cum debitor, D. mandat.*

DEFINITIO XI.

Valor nummorum debitorum ex communi vsu commerciorum æstimari debet potius, quam ex edicto Principis, si non aliter indemnitati creditoris cautum esse possit.

QVoties nummorum qui debentur æstimatio inciunda est, si vt sæpe contingit propter imminutam bonitatem monetæ intrinsecam creuerit solidi aurei æstimatio etiam supra quam Princeps edicto statuerit, vt patiente Principe nec coercente magistratu aurei valor vulgo maior sit, quam edicti forma patiatur; [1] Placet non tam eum valorem inspici debere qui edicto constitutus est, [2] quam qui communi hominum vsu & commercio frequentatur. [3] Alioqui damnum pateretur creditor, cui soli æquum non est nocere edictum, quod cæteris negotiatoribus non nocet. [4] Quod si vt plerumque euenit non eadem sit communi hominum vsu æstimatio aurei, ita temperanda res erit, vt nec ea sumatur quæ sit maxima, nec ea quæ minima, sed quæ media magisque frequens. [5] *Ita Senatus* in causa D. Margaretæ de la Chambre, & D. Marchionis de la Chambre, 6. Id. Febr. 1589.

1 Quod temporibus nostris sæpius vsueniisse vidimus contra *l. 3. D. de in lit. iur.*

2 Parum

BIU Cujas

2 Parum enim est legem esse, si non obseruetur, & abeat in desuetudinem. *l. de quibus 32 in fin.* vbi DD. *de legib.*

3 Id enim plerumque ab inuitis principibus & magistratibus extorquet infelicitas temporum & necessitas commerciorum, quam promiscui vsus vtilitatem vocat Paulus, *in l. si quis mancipiis 17. § si impubes. D. de instit. act.* qui locus etiam probat propter hanc vtilitatem recedi plerumque à ratione juris communis.

4 Nemini enim facit iniuriam, qui vtitur jure communi, *l. inter eos 51 § cum inter, D. de fideiuss. l. vltim. C. de in integr. restit.* Vide *l. Paulus 99. alias l. creditor 8. hoc tit.* sed præcipuè tractatum illum nostrum quem inscripsimus, De nummariis solutionibus.

5 *Arg. l. si hæres 110. de leg. 1.*

DEFINITIO XII.

In debitis fauorabilibus annuis solutio facienda est initio anni, quia cœptus annus habetur pro completo.

IN debitis fauorabilibus annuis, quale est, quod alimentorum, aliámve similem causam habet, singulare perpetuumque hoc jus est, vt & in cujusque anni principio solutionem fieri, & annum cœptum pro completo haberi oporteat.[3] *Ita Senatus* 7. Calend. Mart. 1599.

1 *L. 5 l. filia 22. D. de ann. legat. l. defuncta 58. D. de vsufr.*

DEFINITIO XIII.

Denunciatio cessionis factæ in solius cedentis commodum non impedit quominus cedenti solui possit.

CEdenti soluere debitor potest, vt à cessionario quoque liberetur etiam post denunciatam à cessionario cessionem, si cessio cedentis solius commodo & periculo facta proponatur,[1] Maxime vero si etiam post denunciationem cessionarius, cum proprio nomine, & ad commodum suum agere posset & deberet, cedentis nomine & commodo experiri maluerit.[2] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Id. Maij 1591.

1 Secundum doctrinam Pauli Castrens. *in l. facta 63. § si hæres, D. ad SC. Trebell.* Aufrer. *in decis. Capell. Tholos. 119.* [Quomodo autem denunciatio cessionis fieri debeat, dixi ad *Defin. 1. num. 4. S. tit. prox.* Ex Guid. Pap. *quæst. 530.*]

2 Hoc enim facere potest si velit, vt notant DD. *in l. 3. Cod. de nouat. & in l. apud Celsum 4. § si cum legitima. D. de dols mal. except.*

DEFINITIO XIV.

Debitum in diem non potest solui ante diem, si diei fuerat adiecta in fauorem creditoris.

QVod in diem debetur non semper ante diem solui potest, licet dici soleat plus præstare debitorem, quam debeat cum solutionem repræsentat.[2] Quid enim si dies adiecta sit in fauorem creditoris non debitoris, siue ex testamento, siue ex contractu, aut qua alia iusta causa debeatur? Vtique dies expectanda est, ne quicquam de creditoris jure minuatur?[3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 12. supr. de legat.

1 *L. Iauolenus 15. alias l. eum qui, D. de ann. legat.* iunct. *l. quod certa die 70. D. hoc tit. l. stipulatio ista 38. § inter. l. qui hoc anno 42. de verb. obligat.*

2 *d. l. Iauolenus l. si ita relictum 43. § Pegasus, de leg. 2. l. 3. § cum Pollidius, D. de vsur.*

DEFINITIO XV.

Legatum nummarium debetur in eo valore qui fuit tempore testamenti.

CVm quæritur in qua moneta solui legatum debeat, si melior aut deterior fuerit tempore testamenti quam tempore mortis aut solutionis, placet tempus testamenti spectandum esse,[1] quoniam ex patrimonij comparatione prudens testator legandi modum sumere & solet & debet, futuræque mutationis ignarus non de alia moneta cogitare videri potest quam de ea, quæ tum in vsu & commercio est, cum legat, licet non nisi à die mortis legatum deberi possit,[2] sicut nec peti ante aditam hæreditatem.[3] Nam & si quid ex contractu debeatur, siue puro, siue conditionali, idem est, vt idipsum tempus quo contractum est, spectari hac etiam in re vt & in aliis fere omnibus oporteat.[4] Interdum tamen euenit, vt ex verbis aut voluntate testantis tempus mortis in soluendo legato inspiciendum sit.[5] Numquam enim à verborum vi & potestate recedendum est, si voluntas consentiat.[6] *Ita Senatus* in causa fratrum De Miege, Prid. Cal. Iun. 1591.

1 Oldrad *cons. 31. incip. Thema tale est, arg. l. si ita, l. vltim. de aur. & arg. legat. l. vxori 33 in princ. & § 1. l. nomen 34. § 1. l. vxorem 41. § testamento pueros, l. nuper 85. l. his verbis 102. de leg. 3. l. item illa 18. § quod adjicitur D. de const pecun.*

2 *L. vnic. § in nouissimo, C. de cad. tollend.*

3 *Ex reg. l. si nemo 9. D. de test. tutell.*

4 Idem Oldr. *vbi supr. & cons. 13.* Socin iunct. *cons. 152. vol. 2. Ex l. Imperatores 71. D. de contrah. empt. l. continuus 137. § cum quis, in fi. de verb. oblig. l. vsufructus 26. de fundo dot. l. seruo cap. olim. Extr. de censibus.* Adde *l. si filius familias 78. de verb. obligat.* Contra tamen in legato tenet Roman. *sing. 519 & cons. 123.* vbi reprehendit Oldrad. per text. *in l. cum certum, de aur. & argent. l. g.* Putatque spectandum esse tempus solutionis, nisi hæres fuerit in mora. *Ex l. vinum 22. D. de rebus cred.* Communis tamen est pro Oldrad. Vide addit. *ad dict. singul. 519.* Adde *l. Aurelius 28. §. testamento, & §. Titius, d. de liber. leg.* Gothofr. *ad l. 3. in fin.* glos. ad verb. *deteriorem, D. de rebus cred.* Hotom. *in quæst. ill. str.* * Guid. Pap. *quæst. 493.* & ibi Ferrer.

5 *Vt in l. vlt. § 1. de leg 2. l. pen. D. de instr. leg. l. si fundus 28. D. quand. dies legat. l. Mela 14. § sed si alimenta, de alim. & cibar. leg.* & in aliis locis, quos congerit gloss. *in d. l. si ita 7. de aur. & arg. legat.*

6 *L. non aliter 69.* iunct. *l. ille aut ille 25. § 1. de legat. 3. l. Labeo 7. de supell. legat.*

DEFINITIO XVI.

Debitor etiam in extremo vitæ discrimine constitutus non est eximendus carceribus, nisi creditores omnes consentiant, præterquam si id etiam concurrat, vt det idoneos fideiussores.

DEbitor vrgentibus creditoribus in carceres detrusus cum in grauissimum morbum incidisset, nec haberet in numerato, vnde solueret, postulabat, vt carceribus eximeretur, & priuatæ apparitoris custodiæ committeretur, oblatis in eam rem idoneis fideiussoribus. Quærebatur, cum creditores summo iure cum eo agere mallent, quàm periclitanti hominis saluti fauere, quænam judicis partes esse deberent? Placuit non esse in iudicantis arbitrio, vt debitorem carceribus eximat, aut è publicis transferat in priuatos, si non debitores omnes, quorum interest, consentiant.[1] Nec si fideiussores idonei offerantur, facturumque judicem litem suam,[2] si defuncto postea debitore non soluendo, & fideiussoribus ad egestatem delapsis, creditores suum consequi non potuerint. Qui enim tenetur soluere, non liberatur dando fideiussorem aut pignora, ni creditor consentiat.[3] Nimirum credendus est debitor maiore studio & diligentia vsurus in conquirendis aut explicandis pecuniis, si longioris carceris tædio vrgeatur:[4] Fitque proculdubio injuria creditoribus, si aut inauditis aut inuitis iis, debitor publicis eximatur carceribus, cum verisimile sit, tanto eum tardius soluturum, quanto mitius cum ea agetur.[5] Sane si proponas & euidenter soluendo esse debitorem, & perquam idoneos ab eo fideiussо-

BIU Cujas

tes præstari, nec sine manifesto salutis discrimine posse debitorem diutius in carcere retineri, vix conuenit Christiano judici creditorum immanitati vsque adeo indulgere,[6] vt veterem illam legem duodecim tabularum de dilaniandis debitoribus in vsum reuocare videatur, quam tamen constat, non tam ad vsum, quàm ad terrorem comparatam fuisse, ne quis tam facile ad contrahendum æs alienum accederet.[7] Sed illud tamen obstricte obseruandum est, vt non nisi ex maxima causa & debitore in aperto vitæ discrimine constituto ad hanc æquitatem decurratur, & eo demum casu, quo certum sit nullum ex judicis indulgentia damnum creditoribus posse contingere.[8] Quam ob causam, licet inops & egenus debitor proponatur, sufficiet tamen oblatos ab eo idoneos fideiussores, cum ea ratione satis superque indemnitati creditorum consultum iri certum sit.[9] Quid si debitor ipse manifeste soluendo sit, nec tamen inueniat fidejussorem? [10] At vix est, vt euenire id possit, quin difficilis sit conuentionis; quo casu non videtur idoneus, satisque bonus debitor, licet sit soluendo.[11] *Ita Senatus* in causa Claudij Geneuois, 6. Id. Iun. 1591.

1 Quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, *l. vlt. C. de auctor. præst.* nec quorundam consensus aliis nocere potest, nisi cum debitor cedit bonis, *l. vlt. C. qui bon. eod. poss.*

2 *Arg. l. 1. & 10. tit. de magistr. conuen. l. 1. C. de pœn. iudic. qui male iudic.*

3 *L. si rem 9. §. omnis, de pignorat. act. l. 5. §. pen. & vltim. & l. seq. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solut. l. quæsendum 50. D. de iur. dot.*

4 Studio scilicet recuperandæ libertatis, quæ per carceres quodammodo imminuitur, *l. 1. & 2. D. de bonis. lib. exhib. l. Titio 71. §. Titio centum de cond. & demonstr.*

5 *Arg. l. 35 cui 5. D. vt in poss. legat.*

6 *Argum. l. pen. in fin. D. de donat. l. ob as 12. cum ibi not. Cod. de oblig. & action.*

7 Vt Aulus Gellius scribit *Noct. Attic.*

8 Etsi damni causa vitam hominis periclitari durum sane est, *l. cum pater 77. §. cum existimare, de leg. 2.*

9 *L. 1. D. qui satisd. cog.*

10 Est enim id plerumque difficile, *l. 2. § pen. D. de iudic.*

11 *L. 1. D. qui satisd. cog.*

DEFINITIO XVII.

Sola depositi confessio non probat depositum & obsignationem, quæ solutionis vim habeat contra creditorem, præsertim ad sistendas vsuras.

OBsignatio non aliter vice solutionis est,[1] quam si rite facta sit,[2] & probetur. Quid ergo si de ea constet per solam depositarij confessionem, qui se fateatur pecuniam habere ex causa depositi, & paratum esse creditori quandocumque petenti soluere? Non proderit obsignatio debitori, quia depositum re contrahitur non verbis aut nudo consensu.[3] Nam qui constituit, se quid habere ex causa depositi, quod re vera depositum fuisse non apparet, constitutor potius quàm depositarius dicendus est.[4] Nec diuersum erit, si depositi & obsignationis realis instrumentum à Notario conscriptum, & postea deperditum dicatur, nisi probetur.[5] Alioqui facile fraus fieret creditori per falsi depositarij collusionem, & qui non potest liberari, nisi soluendo aut obsignando liberaretur dando constitutionem, qui fidejussoris & intercessoris potius, quàm depositarij loco habendus esset.[6] Nec est, quod de hujus juris injuria conqueratur is, qui dicit, obsignatam à se pecuniam, cum ei liberum sit pecuniam à depositario reposcere, vt soluat creditori.[7] Nisi forte quis dicat sua interesse propter vsuras, quarum cursum obsignatio rite facta stitisset.[8] Sed imputet sibi debitor, cur non cautius egerit, vt certiores obsignationis probationes haberet, siue per testes siue per scripturam.[9] Proinde nec imputandum est creditori, cui aduersus eum, qui se depositarium dixit primo loco non egerit, nec tentauerit, an ea actione consequi suum posset?[10] Sufficit enim quod ob non factam rite obsignationem perinde saluas habeat pristinas suas in debitorem actiones, atque si nulla prorsus obsignatio facta diceretur.[11] *Ita Senatus* pro fratribus Laboret, contra N. Rostain. 5. Cal. Iulij 1591.

1 *L. obsignatione 9. C. hoc tit.*

2 Rite autem facta intelligitur si facta sit ad domicilium originis etiam ad interrumpendum cursum præscriptionis currentis contra ius redimendi, & ad id perpetuandum ad simile tempus, *l. si præses* vbi DD. *C. de episc. audient.* Salicet. *in l. vt perfectius, C. de annal. except.* Boer. *quæst. 11. num. 3.* post Guid. Pap. *quæst. 416. vers. sed quid de præscriptione.*

3 *L. 1. §. is quoque, D. de oblig. & act.* Impletur tamen interdum probatio depositi per confessionem, *l. Publia 26. §. vlt. D. depos.*

4 *L. 1. & tot. tit. D. de const. pecun.*

5 Frustra enim allegatur, quod non probatur nisi sit notorium, *l. duo sunt Titij 30. D. de testam. tutel. l. 2. & pass. D. de probat.* Iunge *l. testium facilitatem 17. in fin. C. de testib.*

6 Quod tamen absurdum esset, vt dixi. *Defin. præced. num. 3. supr.*

7 Nec enim vllam exceptionem contra eum potest depositarius habere, si depositarius vere fuit, *l. vlt. C. de compens. l. si quis vel pecunias 11. C. depos.*

8 *L. si per te non stat. 9. C. de vsur. l. acceptam 19. eod.*

9 Alterutra enim probatio necessaria est, *l. in exercendis 15. C. de fid. instrum.*

10 Nemo enim cogitur dubiam & ancipitem actionem proponere, *l. 1. D. commod. l. si gratuitam 17. D. de præscr. verb.*

11 Nihil enim refert, an obsignatio nulla facta sit, an aliqua minus rite, *l. quoties 6. C. quæ satisd. cogant. l. 2. D. de auctor. tutor.*

DEFINITIO XVIII.

Ab interlocutione, per quam pronunciatum est idonea esse pignora oblata debitori à creditore, non potest debitor appellare, quod nihil eius interest.

CReditor idoneis pignoribus debitori pro eius indemnitate cauere obligatus, pignora obtulerat, quæ cum debitor minus idonea esse diceret, & probaret, judex tamen idonea esse pronunciauerat.[1] Non erit audiendus debitor si ab ea pronunciatione appellet, cuius auctoritate plenam sibi quærere possit liberationem.[2] Quid enim ipsius interest, cum à judice compellatur ad solutionem?[3] Aut quo jure appellatio recipiatur eius, cuius nihil omnino interest?[4] Nisi forte quis appellandum ei putet, quasi aduersus iniuriam judicis, qui non idonea pignora pro idoneis habuerit. Sed non ita est.[5] Nihil enim imputari potest ei qui paret judicato,[6] cum judicium in inuitum reddatur.[7] Nec quicquam referet an judice inferiore, an Senatu ipso cogente soluat debitor.[8] Dummodo ea omnia alleget, quæ mouere judicem debeant, vt recte judicet, ne alioqui per eum circumuenta videatur religio judicantis.[9] *Ita Senatus* ex tempore pro Antonio Fou, contra N. Catel. Prid. Id. Iul. 1592.

1 Hoc est, vt posset debitor indemnis præstari si forte ad iteratam eiusdem quantitatis solutionem vrgeretur.

2 Nec enim læditur per sententiam, imo fit locupletior debitor, qui à suo creditore liberatur, *l. si pupilli 66 in fin. D. hoc tit. l. species 11. D. de acceptilat.*

3 Iniquum enim esset non impune soluere illum quem prætor cogat ad solutionem, *l. quod autem 6. §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit.*

4 *L. 1. D. de appellat. recip.*

5 *L. ait prætor 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor.*

6 Quia parere habet necesse, *l. non videtur 167. §. 1. de regul. iuris.*

7 *L. inter stipulantem 83. §. 1. D. de verb. oblig.*

8 Nam & in *d. vers. permittitur.* Vlpianus loquitur de sententia

BIU Cujas

tentia lata per prætorem, à quo poterat appellari ad præfectum vrbi, *l. Æmilius* 38. *D. eod. tit.*

9 *Vt in l. magis puto* 5. §. *manet, D. de rebus eor. qui sub tutel. l. Diuus* 33. *D. de re iudic.*

DEFINITIO XIX.

Potest etiam ex interuallo fieri cessio actionis. Nempe cum actio per solutionem extincta non est.

ACtionis, quæ per solutionem extincta ipso iure non est, [1] licet elidi potuerit per oppositam doli exceptionem, [2] fieri cessio etiam ex interuallo potest, [3] vtputa per creditorem, cui solutum est debitum à tertio possessore pignoris luendi causa. [4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 19. sup. de luit. pign.

1 Nam si ipso iure extincta sit aliud est, *l. Modestinus* 76. *cum ibi not. D. hoc tit.*

2 Quamuis dici soleat nihil referre, an quis nullam actionem habeat, an vero talem habeat quę possit elidi per exceptionem, *l. nihil interest* 112. *de reg. iur.*

3 Textus est *in l. si res obligata* 57. *in fin. D. de legat.* 1. Dixi *lib.* 12. *Coniect iur. ciuil.*

4 *L.* 2. *l. sicut* 8. §. *vlt. D. quibus mod. pign. vel hypoth. soluit.*

DEFINITIO XX.

Qui penes se retinuit pecuniam quamuis otiosam non potest petere fructus rei, pro qua debeatur ea pecunia.

QVi oblatam creditori à debitore pecuniam, & à creditore sine causa recusatam apud se depositam retinuit, si postmodum in vniuersa debitoris iura ex titulo licet oneroso successerit, [1] fructus rei, quam creditor pro pecunia reddere debuit, consequi non potest, nec si paratus sit iurare otiosam se pecuniam, & in arca reconditam toto illo tempore habuisse, qua nec si voluisset, citra furtum tamen vti potuisset. [2] Non enim pecuniam quamuis inutilem retinere penes se debuit, qui in vicem vsurarum fructus aliquos ex obsignatione sperare voluit, [3] alioqui & rem & pretium eodem tempore habuisse videretur. [4] *Ita Senatus* in causa Aduocatorum Gaudinon & de Coysiaz, 16. Cal. Sept. 1592.

1 Atque ita qui antea tantum erat depositarius postea factus sit debitor aut saltem loco debitoris. Addidi, *licet ex titulo oneroso*, quia si ex lucratiuo id fiat minorem res habet dubitationem, quin depositario minus succurrendum sit, quia semper fauorabilior est qui causam habet onerosam, quam qui lucratiuam, *l.* 4. § *si cum legitima, & seq. vbi not. D. de dolo mali except. l. quod autem* 6. § *simili modo dicimus, D. quæ in fraud. cred.*

2 §. *furtum autem, Instit. de oblig. quæ ex delict. nascunt. l. si pignore* 54. *D. ad. furt.*

3 *L. Iulianus* 13. §. *veniunt autem. D. de action. empt. l. liberalitatis* 16 § 1 *D. de vsur.*

4. *L. ex empto* 11. §. *qui autem, l. bona fides* 50. *de act. empt.*

DEFINITIO XXI.

Taxationem æstimationis monetarum, quæ præ vsu & abusu commerciorum sit alia atque alia, solet Senatus probis viris committere, non sibi reseruare.

CVm propter auctam vel imminutam bonitatem aureorum vel monetatum, pluris aut minoris æstimandus est aureus, ne debitor aut creditor alioqui moretur in damno, [1] non solet Senatus id arbitrio suo committere, sed bonis viris eam rem tractare solitis, & ab vtroque collitigantium eligendis. [2] Præsertim cum præter intrinsecam illam mutationem abusus quoque commerciorum, vt hac nostra tempestate, rem eo perduxit, vt nullius mercis minus certa sit æstimatio quam pecuniæ, [3] quæ certam semper ac perpetuam rationem habere deberet. [4] Inde fit, vt pro electorum arbitrio nunc hanc, nunc illam aureorum æstimationem Senatus noster secutus sit, cum proprij arbitrij legem ea de re constituere non posset. [5] *Ita Senatus* pro fratribus Ponthus Lugdunenensibus, contra D. du Coudrey Iurisconsultum præcipui inter nostros nominis & Sereniss. Ducis Consiliarium, 5. Cal Sept. 1592.

1 Contra id quod scriptum est *in l. Paulus* 99. *alias l. creditorem, alias l. debitorem, D. hoc tit.*

2 Quos Pragmatici nostri dicunt *preud'hommes & experts.*

3 Cum tamen pecunia res omnes cæteras æstimare soleat non à cæteris rebus æstimari, *l. si ita* 42. *D. de fideiuss.* Est enim pecunia mensura rerum omnium præterquam sui ipsius.

4 *L. nummis* 3. *D. de in lit. iurand.*

5 Facti enim quæstio nunquam certa esse potest, & in iudicantis arbitrio semper posita est, *l.* 1. §. 1. *D. ad SC. Turpill. l. ordine* 15. *D. ad municip.*

DEFINITIO XXII.

Non facile condemnandus est prouisionaliter debitor qui apochas profert.

SI creditor proferat instrumentum, ex quo sibi deberi intendit, contra vero debitor plures apochas ad probandam solutionem, [1] sed de quibus tamen dubitari possit, an in controuersi debiti solutionem imputari debeant, [2] aut an totius debiti quantitati respondeant, [3] non prius pro creditore aut diffinitiua, aut prouisionalis sententia ferenda est, quam docuerit ille quid sibi quantumque debeatur, si de eo constare in promptu possit per calculum, neque aduersus apochas falsitatis exceptio obiiciatur, aut alia quę negotio longiores moras sit allatura. Quid enim iustius, quam solutioni & liberationi fauere aduersus obligationem? [4] Prolatis siquidem per debitorem apochis, quæ prima facie solutionis probationem præ se ferant, incumbit creditori, vt probet aut in aliam causam factas esse, [6] aut alias aliis contineri, ex quo apparere possit nondum integrum debitum solutum fuisse. [7] Id vero tum maxime locum habet, cum creditor agit aduersus heredes debitoris, fortassis etiam impuberes, qui factum defuncti, & rei gestæ veritatem ignorare probabiliter possunt. [8] *Ita Senatus* pro heredibus Petri Gleyron, contra R. D. Archiepiscopum Tarentas. 17. Cal. Febr. 1593.

1 Non enim potest melius probari solutio quam per apocham, & pecuniæ solutæ professionem, *l. pecunia* 14. *C. hoc tit.*

2 Quod plerumque in facti, nonnunquam etiam in iuris quæstione positum est, *l.* 1 *& seq. D. hoc tit. l.* 1. *C. eod.*

3 Cuius rei disquisitio tota in calculo posita est.

4 Hoc enim est quod nostri dicunt, *Per modo constat, modo agatur, l.* 3. *D. vt in poss. legat.* Falsitatis autem exceptio & quæstio longiores moras habere solet, *l.* 2. *Cod. ad legem Cornel. de falsi.* quæ tamen probat interim præsumendum pro instrumento.

5 *L. Arrianus* 41. *D. de oblig. & action.*

6 Cum solutio facta in vnam causam non debeat prodesse in aliam *l.* 1. *& seqq. D. hoc tit. l. ex pluribus* 89. *eod.*

7 Nam qui in alterius iura succedit iustam habet causam ignorantiæ, an id quod petitur debeatur, *l. qui in alterius* 41. *de reg. iur.* quia semper probabilis est ignorantia facti alieni, *l. vlt. D. pro suo.*

DEFINITIO XXIII.

Creditor etiam amisso aut restituto chirographo debiti persecutionem non amittit, si aliunde constet adhuc deberi.

QVi instrumentum authenticum & publica fide firmatum, vel casu amisit, vel spe futuræ solutionis debitori reddidit, [1] nihilominus debitum persequi potest pristina actione, si probet sibi deberi,

BIU Cujas

Non enim debitum faciunt tubulæ. [2] Nec quod debitor habens penes se instrumentum proferat id cancellatum faciet, vt intercidisse actio videatur, nisi ea omnia concurrant quę hoc casu præsumptionem solutionis inducere solent. [3] Quinimo tanto magis condemnandus erit debitor, quippe quem constet debere cum antea debuerit, si non aliqua ratione probet solutionem, aut solutionis præsumptionem. [4] Si tamen præsumptio sit pro debitore instrumentum penes se habente, [5] licet multa creditor alleget, quæ si iam probata essent præsumptionem illam eliderent. [6] non debet incerto eo prouisionalis & fiduciaria vlla adiudicatio fieri creditori. Denique vix est, vt vllo casu contra debitorem, qui producit chirographum aut instrumentum cancellatum, quicquam decerni debeat ante diffinitiuam sententiam: [7] Cum si sublata sit certioribus iudiciis illa solutionis præsumptio quæ ex instrumenti possessione inducitur diffinitiue non prouisionaliter condemnari debitorem oporteat. [8] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de Belly D. des Eschelles, & Cl. Bausian, 3. Calend. Mart. 1593.

1 Hoc enim persæpe fit.

2 Actiones enim non tolluntur nisi certis modis *l. obligationum fere 44. §. placet, D. de oblig. & act. l. penult. D. hoc tit.* Inter quos non est instrumenti amissio nec chirographi redditio quæ tantum inducit exceptionem pacti de non petendo, *l. 2. D. de pact.*

3 Cum non semper nec concludenter probetur solutio ex eo, quod debitor habeat penes se instrumentum debiti cancellatum, vt ex iis constat, quæ tradit Paul. Castr. & alij, *ad d. l. 2 D. de pact & ad l. si chirographum 14. D. de probat.* Iunge, *Defin. 1. §. & Defin. 28. §. hoc tit.*

4 Qui enim semel debuit hoc ipso probatur adhuc debere nisi probet se liberatum, *l. qui debitori 15. C. hoc tit.*

5 Secundum ea quæ scripsimus *d. Defin. 1. §.*

6 Vna enim præsumptio per aliam elidi facile potest, ac multo magis per contrariam probationem, *d. l. si chirographum, & seq. D. de probat. l. vlt. D. quod met. caus.*

7 Qui enim habet pro se præsumptionem nunquam pendente lite condemnandus est, *l. moueor 4. C. si seruus export. uen.* Interest enim ipsius non soluere potius, quam solutum repetere, *l. 3 D. de compensat.*

8 Vt finis liti imponatur, *l. 1. D. de re iudic.*

DEFINITIO XXIV.

Qui soluit executori non habenti mandatum non est liberatus, nisi alia nulla ratione potuit effugere carceres.

SOlutio per debitorem facta executori, qui ex iudicis mandato præceperat, vt intra certum & præfinitum tempus, & in loco destinato creditori solueretur, non liberat debitorem, etiamsi pecunia postea perierit, siue casu fortuito, siue culpa & facto executoris. [1] Non enim censetur mandatum habere ad solutionem accipiendam qui mandatum habet ad exequendum & imperandum debitori, vt soluat, [2] non magis quam qui ad litem procurator datus est, [3] nisi proponas traditum apparitori à creditore instrumentum. Ea namque traditio mandati vim habet. [4] Ac quid si executor cum nullam haberet accipiendæ solutionis potestatem, per dolum aut imperitiam minatus sit debitori carceres, ni statim solueret, absente tamen creditore? Audiendus erit debitor, petens exhibitionem mandati aut instrumenti obligatorij, vt sciat an & cui tuto possit soluere. [5] Quid si iniuriosus executor pergat vrgere debitorem, iamiam detrusurus eum in carcerem ni soluat in continenti? [6] Adhuc requiremus à debitore, vt pecuniam obsignet, si obsignando possit iniuriam executoris repellere, ne illi possit imputari cur executori citra mandatum soluerit, cum obsignando posset se ab executoris iniuria liberare. [7] Plane si nec obsignantem audire executor velit, nec ideo desistat rapere eum in carcerem, vix est, vt imputari debeat debitori cur coactus soluerit, ac non potius passus sit detrudi se in carceres, postea de executoris iniuria apud iudicem conquesturus: Cum ea iniuria sit irreparabilis, [8] & quam perpeti congendus non sit is, qui paratus sit soluere, quem constat non posse cogi, vt iudicium accipiat quod longe minus est, [9] tametsi solutionem in promptu non offerat. [10] Imputandum igitur potius erit creditori cur talem executorem elegerit, [11] vereque hoc casu dici illud poterit factum executoris esse factum partis. [12] Quid vero si executor acceptam à debitore nimis facili pecuniam ipsi creditori obtulerit? Creditor autem accipere recusauerit eo prætextu, quod auri vel argenti species oblatæ minoris essent, deinde pecunia deperdita sit, [13] siue casu fortuito, siue dolo malo aut culpa executoris, an imputari creditori poterit, cur non eam saltem quantitatem acceperit, postea petiturus quod plenæ solutioni deesset? [14] Minime vero, si iustam recusandæ solutionis causam habuit, hoc est, si non totum oblatum fuit debitum. [15] Executor enim qui, vt diximus, non potest hoc casu videri procurator creditoris ad exigendum, factus videtur procurator debitoris ad offerendum. [16] Et ideo factam ab eo minus idoneam oblationem non magis agnoscere creditor cogitur, quam si ab ipso debitore facta esset. *Ita Senatus* ex tempore in causa R. D. Ioannis Baptistæ Cauet Prioris d'Arben contra N. Perrin, & N. de Sontonax Nantuacenses, in publico auditorio, 6. Id. Iunij 1593.

1 Non enim alia solutio liberat debitorem quam quæ fit vero creditori, aut vero eius procuratori, *l. vero procuratori, l. 2. l. solutam 49. D. hoc tit.*

2 Cum cuiuslibet mandati fines sint stricti & stricte accipiendi, *l. 5. D. mandat.*

3 *L. sed si tantum 13. D. de pact. l. hoc iure 86. D. de solutionib. l. transactionis placitum 7. C. de transact.*

4 *Vulg. l. 1. C. de donat. l. vlt. C. de pact. contuent. tam supr. dot.*

5 Interest enim soluentis, vt soluat tuto ne bis soluere cogatur, *l. ait prætor 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor. l. sancimus 25. C. de admin. tutor.*

6 Est enim huiusmodi executio iniuriosa, quæ nullum debitori spatium relinquit adferenti sacculi, *l. quod dicimus 105. D. hoc tit.*

7 Cum obsignatio vim solutionis habeat, *l. acceptam 19. C. de usur. l. obsignatione 9. C. hoc tit.*

8 Non enim leuis iniuria est duci in carceres eum qui sit paratus soluere, *l. si creditor 19. D. de iniur. & famos. libell.* cum ea res oneret æstimationem apud bonos & graues viros, & imminuat libertatem, *l. 1. & 2. D. de homin. liber. exhib.*

9 *L. si reus 73. D. de procur. l. si debitori 21. D. de iudic.*

10 Sic enim nostri intelligunt quod scriptum est in dictis legibus de illo, qui paratus est soluere, quasi sentiant de illo qui verbo dicat se paratum. At ego longe aliter vt scripsi in Rationalibus, *ad d. l. si debitori.*

11 *L. 3. § si executor.* vbi Bald. iunct. *l. nam & Seruius 21. §. vlt. ff. de negot. gest. l. cum in plures 60. §. seruum, in fin. ff. locat.*

12 *Vt in l. si ob causam 13. C. de euict. l. 1. C. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

13 Pecunia enim iam soluta facile potest perire, quamuis non item pecunia debita, *l. incendium 11. C. si cert. petat.* iunct. *l. creditor. 102. ff. hoc tit.* Nempe quia debetur genus, soluitur species.

14 Certum enim est periculum semper ad eum pertinere qui sit in mora, siue debitor ille sit siue creditor, *l. si ex legato 23. ff. de verb. oblig. l. qui decem 72. in princ. & § 1. ff. hoc tit.*

15 Non enim moram facit qui recusat vel soluere, vel solutionem accipere si iustam habuit causam recusandi, *l. sciendum 21. & seqq. ff. de usur. d. l. creditor 102. ff. hoc tit.*

16 Cum eam pecuniam offerat nomine quodammodo debitoris, qui eam numerauit, *arg. l. absenti 10. ff. de donat.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXV.

Condemnatio totius debiti salua imputatione soluti non restituit obligationem augmenti monetalis pro parte, quæ in executione iudicati soluta inuenitur.

DEbiti parte duntaxat soluta, non eo minus admitti solet petitio totius quantitatis debitæ,[1] adeoque sequi condemnatio, salua in executione iudicati imputatione eius summæ quam solutam fuisse apparuerit.[2] Sed non facit ea res, vt si medio tempore mutatio aliqua superuenerit in monetæ bonitate siue intrinseca, siue extrinseca eius ratio vlla habenda sit, quod ad eam partem attinet, quæ proponitur soluta. Nam cum iam inde à quo tempore solutio facta est, sublata sit pro ea parte obligatio, & ita sublata acsi nulla vnquam fuisset.[3] Consequens sit, vt ex superueniente mutatione pars illa nec augmentum recipere possit, nec diminutionem.[4] Alioqui damno adficeretur creditor si pluris æstimaretur quod ei debitum solutumque fuit, quam quanti erat tum cum solucbatur:[5] Sicut ex contrario improbum lucrum sentiret si minoris æstimaretur.[6] *Ita Senatus* in causa Francisci Fabri & Claudij de S.Real.Prid.Id.Aug.1593.

1 Dummodo fiat protestatio de imputando omni eo quod solutum esse apparebit. Hoc enim omnimodo exigitur, vt appareat nolle creditorem bis idem consequi, *l.1.§.1.D.quod legat.* Quanquam nec mihi placet sola hæc protestatio, si illi ipsi qui agit solutiones præcedentes factæ sint, aut alij eo sciente. Quidni enim ab initio cogendus est fateri quod scit esse solutum? Nempe improbi hominis est non tantum consequi, sed & petere bis eandem rem, cum is qui petit, ideo petat, vt ipsum consequatur.

2 Cum exceptio solutionis possit opponi in executione iudicati, quia non impugnat iudicatum, vt dixi *Defin.2 §.de except.*

3 Quia solutio est naturalis & verus modus tollendæ obligationis, *l penult.D.hoc tit.*

4 Cum non entis nullæ sint qualitates, *vulg l.penult.D.de rebus credit.*

5 *L. cum certum 9 D.de auro & argent.legat.l.Paulus 99.s l.creditorem,* D.*hoc tit.*

6 Non autem debet creditor aut lucrum, aut damnum vllum sentire ex solutione sibi facta, sed illud ipsum præcise consequi quod re vera debetur, *d.l.Paulus, l.cum quid 3. & ibi not.D. de rebus credit.*

DEFINITIO XXVI.

Solutio facta ei cui cessum erat debitum quasi vero creditori liberat debitorem, quamuis ex postfacto appareat nihil cessionario debitum fuisse.

TVtor eius qui nihil Titio debebat, cum deberi centum existimaret, cesserat ei nomen Sempronij in solutum, & instrumentum quo paris quantitatis obligatio continebatur ei tradiderat, eundemque procuratorem in rem suam ad exigendum debitum constituerat.[1] Sempronius conuentus soluerat. Cum postea cessionem quam tutor fecerat, quasi sine causa factum reuocandam esse constaret,[2] placuit non idcirco reuocari posse liberationem quæ Sempronio ex solutione contigerat. Quid enim referebat an ipsi tutori Sempronius soluisset,[3] an alij ex ipsius voluntate, quique ad exigendum siue suo, siue alieno nomine mandatum habebat?[4] Nam & reuocata cessione, licet appareat non potuisse in rem suam procuratorem constitui eum, cui nihil debebatur, superest tamen causa simplicis mandati, quæ sicut ad liberationem debitori bona fide soluenti acquirendam satis esse potuit, ita ad eandem partam tuendam conseruandamque sufficere debet.[5] *Ita Senatus* pro fratribus Bardet, contra Claudium Tauan, 6.Calend. Sept.1593.

1 Et ita cœperat Titius habere directas actiones ex persona pupil, vtiles vero ex propria tanquam cessionarius *l.qui stipend.4 9 & de procur. l.postquam 7. & seq.C. de hæred.vel actionvendit.*

2 Nec enim permittitur tutori alienare rem pupilli sine causa. Hoc siquidem spoliare pupillum est, non tutelam gerere, *l. qui fundum 7.§.si tutor.D pro emptor.*

3 Quo casu securus est qui soluit vero tutori, *l Lucius 46.§. tutela.D.de admin tut.*

4 *L.soluram 49.D.hoc tit.*

5 Similis ratiocinatio est *in l.cum is 36. §. mulier,* D. *de cond. indeb.*

DEFINITIO XXVII.

Augmentum monetale æstimatur ex comparatione aurei, idque ex consuetudine, cui hac parte standum est.

AVgmentum illud monetæ quod passim creditoribus adiudicari solet,[1] quamuis non nisi à monetarum inferiorum deterioratione causam habeat,[2] proindeque non pluris æstimandum videatur, quam quanto reuera minoris est iudicati tempore moneta noua quæ soluitur,[3] æstimari tamen vulgo solet ex comparatione solidi aurei, vt quanto pluris est aureus, quanto plus veniat in augmenti liquidatione. In quo fieri iniuria debitoribus videtur, cum haud dubie pluris æstimari solet aureus in commerciis, quàm quanti debeat æstimari si non nisi bonitatem intrinsecam consideres;[4] siue quod ex communi hominum affectione cæteris etiam paribus aurum plus æstimari soleat,[5] siue quod longe commodius minoreque periculo & expensa his præsertim nostris miserrimis & periculosissimis temporibus huc & illuc exportetur. Senatus tamen cum huiusmodi quæstio ex facto incidisset pronunciauit standum esse consuetudini,[6] quod tanti reuera interesse videatur creditoris quanti vulgo æstimantur aurei. Propterea quod eo veluti pretio tot aureos sibi comparare creditor initi contractus tempore potuisset.[7] Nec quicquam sane causæ est cur creditori vlla vtilitas aufferatur, quam ex sibi debita pecunia honeste comparare possit.[8] *Ita Senatus* pro fratribus Ballin, contra Aduocatum Bolliet, Prid. Calend. Sept. 1593.

1 De quo vide Guid.Pap *quæst.*493. Boer *quæst* 327.

2 Vt tractauit pluribus in meo illo tract. t 1, De nummariis solutionibus. [Et ideo si moneta non sit deteriorata nihil est quod de augmento tractari possit, quamuis creuerit valor auri. Et sufficit solutionem fieri in ea moneta quæ debetur. *Ita Senatus* in causa D d'Aretel, & Noë Gaud.11. Calend.Decemb.1611. Si tamen sint promissi aurei soluendi in auro, solutio facienda erit in ea æstimatione aureorum, quæ est tempore solutionis, etiamsi creuerit citra deteriorationem monetarum. *Ita Senatus* pro D. d'Auise Senatore, contra D. Com. de la Foreſt. April.1614.]

3 Ob id solum ne alioqui creditor damno afficiatur, *l Paulus 99 alias l.creditorem, D.hoc tit.*

4 Ideo fortasse quod aurei bonitas intrinseca minus mutatur.

5 Quæ communis hominum affectio regulariter attendi solet, *l si seruus 33.D.ad leg. Aquil.l. presta rerum 63. D. ad legem falcid.*

6 Solent enim esse tolerabilia quæ consuetudo approbauit, *l.Imperatores 13.in fin.D.de pollicit.* [Intelligetamen supposita semper aliqua deterioratione monetæ, vt dixi *num* 2. Eo scilicet casu quo solutio in moneta fieri debet, aut alio quouis modo aliter quam in auro. Nam cum in auro fieri debet satis est faueri debitori hactenus vt possit soluere æstimationem ex generali illa consuetudine, de qua Bart. *in l.1. de aur. & arg.leg.* Non etiam in auro vt minorem æstimationem soluat, quam quæ vsu commerciorum frequentatur, licet maior sit, quàm quæ publico edicto fuit constituta, vt dixi *eodem numer.2.*

BIU Cujas

Nam cùm mutatio nulla superuenit in bonitate intrinseca inspiciendum est tempus solutionis. Ex Boer. *dict. quæst.* 327.]

7 *Arg. l. si venditor* 6 § 1. *in fin.* D. *de seru. export.*

8 Alioqui damnum sentiret creditor ex solutione, quod esse non debet, *l. Paulus, alias l. creditorem.* D. *hoc tit.*

DEFINITIO XXVIII.

Cum debitor habet penes se instrumentum cancellatum, an & quando habeat exceptionem pacti de non petendo, aut præsumptionem solutionis?

IN quæstione illa, an si chirographus aliudve debiti instrumentum penes debitorem reperiatur, liberatus debitor credendus sit, & an probare debeat sibi redditum à creditore, an vero probatio exigatur à creditore, vt sibi adhuc deberi ostendat, præsertim si chirographum, aut instrumentum cancellatum proponatur,[1] Scio receptam vulgo distinctionem illam. Vt si dicat debitor tutum se exceptione pacti de non petendo, probare debeat sibi redditum à creditore saltem per duos testes,[3] si non sit persona domestica,[4] aut aliter suspecta,[5] si secus per quinque. Sin dicat se liberatum per solutionem præsumptio fit pro eo, quæ transferat onus probandi creditorem,[6] maxime si cancellatum sit chirographum, nisi domestica sit persona.[7] Sed mihi posterior huius distinctionis pars numquam probari potuit. Qui video, illo etiam casu quo instrumentum redditum est à creditore non præsumi solutionem, nec ipso iure liberationem competere, quæ haud dubie competeret solutionis potestate si solutio præsumeretur,[8] sed tantum prodesse exceptionem taciti pacti, De non petendo.[9] Cui exceptioni locus esse non posset si debitor ipso iure liberatus esset, cum exceptio pacti de non petendo præsupponat, vt ita dicam, obligationis pristinæ subsistentia.[10] Porro chirographo existente penes debitorem quid interest, an sit cancellatum necne, cum sit in potestate debitoris, vt cancellet aut non? Itaque quod dicimus ex chirographi cancellatione præsumi solutionem,[11] sic accipiendum videtur si penes creditorem cancellatum repetiatur. Quis enim tum præsumat, aut ab alio cancellatum, quam à creditore, aut à creditore ipso ob aliâ causam, quam quia solutum sit? Vtique, nisi manifestissimis probationibus creditor contrarium ostendat.[12] Sed si penes debitorem sit chirographum, siue cancellatum, siue non, numquam inducenda ex eo est præsumptio solutionis aut liberationis, sed tantum conuentio taciti pacti, de non petendo, eo demum casu quo probetur redditum à creditore.[13] Omnimodo enim probanda redditio est, ne alioqui pactum inter ignorantes contractum videatur. Quod sane in tacito pacto non minus absurdum fuerit: quam in expresso.[14] Quare nec in eo melior conditio esse debet extranei debitoris, quam domestici,[15] nisi quod cum domestici persona est, quæ chirographum subripere facilius potuerit,[16] & consequenter falsos testes pro crimine obtegendo perquirere,[17] quinque testes requiruntur, cum alioqui duo sufficerent.[18] illud sane constitit. Quotiescunque vel minima suspicio est fuisse deperditum chirographum, licet minus plene probatum sit, numquam præsumendum esse pro debitore quod ei fuerit redditum, etiamsi non sit domestica, aut aliter suspecta persona; sed euidentissimas hoc casu redditionis probationes requiri.[19] *Ita tractatum est* in causa Ludouici Ortolan & D. Ioannis Bail Canonici de sainct Ioire, 8. Id. Nouembr. 1593.

1 De qua quæstione jam scripsimus *Defin.* 1 & 23.

2 De qua per Capell. Tholos. *decis.* 229. & ibi Auctor.

3 *Ex l. 2. vbi gloss. de pact.*

4 *L. vbi numerus* 12 D. *de testibus.*

5 *Vt in l. vnic. § ille autem antep* C. *de latin. libert. tollend.*

6 Maiore siquidem probatione videtur onerandus ille qui habet contra se præsumptionem, *l. vltim.* D *quod met. caus.* vide gloss. *in d. § ille autem, & in l. quod debitor* 15. C. *hoc tit.*

7 *Ex l. si chirographum* 24. D *de probat.*

8 Cum solutio sit verus & naturalis modus tollendæ obligationis, *l. penult.* D *hoc tit.*

9 *d. l. 2. vbi gloss.* Castrens. & alij, D *de pact.*

10 Siquidem omnis exceptio est actionis competentis exclusio, *l. 1. & tot. tit.* D. *de except. l. si vnus* 27. *§. pactus ne peteret,* D. *de pact.*

11 *Vt in d. l. si chirographum.*

12 Semper enim præsumptio cedit probationi & veritati, *d. l. si chirographum, & l. seq. l. Imperatores* 29. *in fin.* D. *eod tit. de probat.*

13 *Vt in d. l. 2. de pact.* aut ab alio ex voluntate & mandato creditoris, *vt in l. creditricem* 7. C. *de remiss. pignor.*

14 Etsi enim potest fieri pactum etiam inter absentes, *d. l. 2. de pact.* non potest tamen fieri inter ignorantes, cum ignorans non possit consentire, & qui ignorat non tam paciscitur quam decipitur, etiamsi sit præsens, *l. qui cum tutoribus* 9. *§ qui per fallaciam,* D *de transact.*

15 Quia omni casu probari debet redditio instrumenti, quæ est facti, *l. 2. D. de probat.* alioqui sufficit creditori vt asseueret, fuisse redditum contra suam voluntatem, & vt probet obligationem non contradictionem, *d. l. quod debitori.* Iunge *Defin.* 9. *sup. mandat.*

16 Vt in specie *dict. l. vnic. §. ille autem,* Cod. *de latin. libert. tollend.*

17 In tanta præsertim quanta hodie est testium facilitate, *arg. l. testium* 18. C *de testib.*

18 *d. l. vbi numerus* 12. D. *eod.*

19 Itaque semper melius & expeditius est apocham extorquere à creditore *l. pecunia* 14 C. *hoc tit.* [Finge inter creditorem & debitorem positas fuisse rationes in eámque rem fuisse necesse proferri chirographum, quod facilè potuerit à doloso debitore subripi aut cum alia charta etiam per incuriam nedum per injuriam commutari. Non præsumetur solutio pro debitore chirographum habente. *Ita Senatus* pro Dn. de Genaud. 26. Maij. 1614.]

DEFINITIO XXX.

Solutio facta falso procuratori non liberat soluentem, sed obligat accipientem de indemnitate debitori præstanda, maxime si verus creditor postea exegerit solutionem.

EVm, qui soluit falso procuratori, id est, de cuius mandato non constet, minime liberari certum est,[1] idemque esse si famulo creditoris soluerit, aut dicenti se nuncium, si neque mandatum is habeat, neque instrumentum crediti,[2] cuius possessio vice mandati esse possit.[3] Itaque & vero creditoti sua actio salua erit,[4] & in falsum procuratorem danda erit actio debitori in omne id, quod sua interierit, si iterum soluere coactus est.[5] Sed dubitatio esse potest, si creditori debitor soluerit priusquam denunciaret procuratoti, vt si quod forte mandatum haberet ad solutionem accipiendam id proferret, an audiendus postea sit de indemnitate contra eum agens? Et magis est vt audiri debeat, non solum quod nihil ei imputari possit, cur soluerit illi, quem sciebat verum esse creditorem,[6] maxime si nitibatur ille instrumento guarentigato, vt vocant, ex quo potuerit debitor exemplo detrudi in carceres;[7] sed etiam, quia ex contrario imputare sibi debeat qui accepit solutionem, cur non vel mandatum vel ratihabitionem exhibuerit,[8] curve apocham per creditorem conscribi non curauerit, aut instrumentum cancellari reddique ad parandam debitori liberationem,[9] Planeque nihil ei quod esse debet, quod conuentus ad præstandam indemnitatem dicat paratum se docere habuisse mandatum, adeoque id nunc exhibeat.[10] Quoniam licet ex eiusmodi mandati exhibitione appareat, indebitam fuisse quantitatem, quæ secundo loco à creditore

ditore per calumniam exacta est,[1] æquius tamen est, dari actionem aduersus eum, qui negligens fuit in mandato exhibendo,[2] mox mandati iudicio repetiturum à creditore, quod is mala fide à jam liberato debitore exegerit.[3] Certe si verus hic procurator soluendo non sit, nec dubitari oportet, quin creditor debitori condictione indebiti teneatur,[4] itemque procurator verus ad id vt cedat mandati actione,[5] si eam malit debitor, quam indebiti condictionem exercere.[6] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, 5. Cal. Decemb. 1593.

1 *L. vero procuratori 12. l. qui hominem 34. § si nullo, D. hoc tit.* * *l. creditoris 8. C. de condict. indeb.*

2 Bart. *in l. eum qui 10. § vlt. D. commod.*

3 *Vulg. l. 1. C. de donat. l. vlt. C. de pact. conuent. tam sup dot.*

4 Quam non potuit ei adimere factum falsi procuratoris, *l. Granius 71. § penult. D. de fideiuss. & d. § si nullo.*

5 Intellige vt falsus procurator cauerit de rato, vt fieri solet, alioqui non potest teneri nisi condictione indebiti, *l. si procurator 6. § 1. & seq. l. cum indebitum 57. § 1. D. de condict. indeb.* Quæ condictio cum sit stricta, vt omnes cæteræ condictiones, non recipit præstationem eius quod interest aut aliarum accessionum, nisi quæ sint naturales, *l. indebiti 15. eod. l. videamus 38. § item si indebitum, Cod. de vsur.* * *l. l. creditoris 8. C. de condict. indeb.*

6 Cum prior solutio, quæ fuit irrita, nec naturale vinculum dissoluerit nec ciuile, *l. si fideiussor 59. D. de condict. indeb.*

7 Cur non enim possit impune soluere is, qui per prætorem cogi possit ad solutionem? *l. quod autem 6. § quod Labeonem, D. quæ in fraud. credit.*

8 *d. l. si procurator 6. § Celsus. D. de cond. indeb.*

9 Secundum ea quæ scripsimus *Desin. præced.*

10 Cum desierit res esse integra per solutionem, quam vero creditori interim fieri fuit necesse.

11 Cum per solutionem vero procuratori factam liberatio contigerit. *d. § Celsus.*

12 Quia hoc ipsum potest ei imputari, *arg. l. cum postulassem 44. D. de damn. infect.* * *l. si quis inficiatus 13. D. depos.* Quamvis nec tam facilis nec credulus esse debuerit is qui soluit cùm posset & deberet inquirere an actor mandatum haberet nec ne *l. 1. § dolum, 9. de eo per quem factum erit, & d. l. si quis*, vbi est textus in hanc rem optimus non enim debet credulitas vnius alij nocere *l. 1. § sed si sic accepit. D. de in rem verso*; nam potest quis etiam id quod ab alio dictum est tamen non credere bona fide *l. 1. D. quod falso tutor auctor.* Vide Decium *consil. 487. num. 12.* Sic dicimus non debere quenquam propriam negligentiam ad alienam iniuriam referre *l. 3. D. de transact.* Non enim admittitur ignorantia in eo qui tenetur inuestigare, *arg. l. quod re 5. D. si cert. petat. l. qui cum alio 19. D. de reg. iur.* vbi glossa. ponit exemplum in eo qui soluit pupillo quem pupillum esse ignorabat, idem est in eo qui soluit falso tutori se pro tutore gerenti, quia non aliter liberatur quàm si pecunia in rem pupilli versa sit *l. debitores 26. D. hoc tit.*

13 *L. si seruus 51. § quod vero, D. de furt.*

14 Quia verum est hoc casu bis idem debitum creditori solutum fuisse, contra *l. bona fides 57. de reg. iur.*

15 *Vt in l. possessio 49. § vlt. D. de acquir. poss.*

16 Est enim plenior & vtilior actio mandati, cùm sit bonæ fidei & ideo habeat pleniones præstationes, *§. actionum, Inst. de action. l. vnic. C. de rei vxor. action.*

DEFINITIO XXX.

Pro pensionibus annuis augmentum monetale nullum debetur.

ELegans dubitatio est, an pensionum annuarum, quæ certo pretio constitutæ sunt, cum redimendi facultate perpetua, augmentum aliquod pro immetæ deterioratione debeatur? Et deberi illud suadet, quod augmentum illud pars debiti est minusque proculdubio soluit, qui in minore & deteriore moneta soluit.[2] Præsertim cum pensiones huiusmodi vt plurimum constitui soleant ad modum vsurarum quincuncium[3] vel semissium,[4] vt proinde crescente debiti principali summa propter monetæ deteriorationem, ipsas quoque pensiones crescere necesse sit, vt cum sibi modum retineant, ad quem ab initio sunt constitutæ.[5] Alioqui facile eueniat, vt de semissibus vsuris aut quincuncibus facias trientes vel sexuncias.[6] Etsi enim minus propriæ sunt istæ vsuræ, quia solius debitoris arbitrio permissum est, vt principale debitum soluat cum volet, non etiam creditoris, vt exigat quando velit (ob idque nimirum contractus hic licitus est etiam iure Pontificio & inter personas quoque ecclesiasticas, 7) tamen vsurarum vicem obtinent, & pecuniarium reditum constituunt.[8] In quo sane differunt maximè à canone illo annuo, qui pro emphyteuticario fundo pendi solet vt plurimum in pecunia.[9] Cuius pecuniæ augmentum deberi vtique non tam facile admittendum est.[10] Non solum quod plerumque tam exigua summa sit, vt de eius augmento, non nisi ridicule tractari queat,[11] sed etiam, quia non tam pro modo iusti reditus, quam in recognitionem & professionem directi dominij pendi soleat.[12] Quo respectu nihil interest plus minusve pendatur. At pensiones illæ annuæ, de quibus agimus, ex comparatione principalis debiti certum iustumque modum accipiunt, qui citra creditoris aut potius emptoris iniuriam diminui nulla ratione potest.[13] Sed tamen Senatui visum est aliter constituendum esse, non modo ex summa æquitate, ne alioqui in singulos annos nouus inundus sit calculus, nouæque conuentiones, quæ res inexplicabilem litium materiam præberet,[14] sed etiam ex inueterata apud nos consuetudine, qua inductum videmus vt huiusmodi pensiones, sicut annuæ sunt, ita ex pecunia annua, & quæ in singulos annos cuditur, soluantur. Neque enim dubitandum est, quin iuri hac parte derogari possit per generalem consuetudinem,[15] cum & idem fieri queat per præscriptionem si modo per quadraginta annos continuos eam sibi legem creditor dixerit, vt pensionem annuam in moneta annua licet imminuta sine protestatione acceperit.[16] Quanquam etiam cessante consuetudine, ad publicam tamen vtilitatem pertineret, vt Senatus autoritate idipsum induceretur. Vitandi scilicet illius absurdi & incommodi gratia, quod ex litium multiplicatione nasceretur.[17] Nec aliud visum est tametsi in piam causam constituta esset annua illa pensio. Tanto mitius enim exigi illam decet, cuius debitum ex voto gratuito proficiscatur.[18] *Ita Senatus* vnis omnium votis in causa Francisci Gerlier, & Francisci Falquet, Cal. Decembr. 1593.

1 De qua quæstione vide quæ scripsi *in tract. de nummariis solutionibus.*

2 *L. cum quid 3. vbi not. D. de rebus cred. l. Paulus 99. alias l. creatorem.* vbi Bart. & alij. *D. hoc tit.*

3 Quia vsuræ quincunces respondent modo & æstimationi communi fructuum fundi optimi. Afflict. *decis. 284. in fin.*

4 Nam & semisses vsuræ sunt mediocres, cùm sint dimidia parte minores centesimis, quæ omnium maximæ sunt, *l. eos 26. §. 1. vers. cæteros. C. de vsur.*

5 Cum earum modus ab initio sit constitutus ex proportione summæ principalis.

6 Quod videtur iniquum quando vsurarum stipulatio certam legem ab initio habuerit, *l. vero 12. § penult. D. hoc tit.*

7 *Per extrauag. regimini.* Est enim venditio certi reditus annui, non conuentio vsurarum.

8 Ita vt hoc etiam casu pecunia pecuniam petere videatur, quæ sola res facit vsuras odiosas.

9 Vulgo seruitium vocant.

10 Vt docui etiam pluribus in eodem *tract. de nummariis solutionibus.*

11 Hic enim optime quadrat, quod iactari solet, de minimis prætorem non curare.

12 *L. vlt. cum ibi not. C. de iur. emphyt.*

13 *Arg. d. l. vero 12. § penult. D. hoc tit.*

14 Quæ semper euitanda est, *l. quidam 21. D. de rebus credit. l. singulis 6. D. de except. rei iudic.*

15 Sunt enim tolerabilia, quæ vetus consuetudo approbauit, *l. Imperatores 13. in fin. D. de pollicit.* Sane ius commune repugnat, *cap. clim. & cap. cum canonicis. Extr. de censib.* quicquid scribat Guid. Pap. *quæst. 493.*

BIU Cujas

16 *d.c olim.* iunct. *glos. in verb. triginta sex.*
17 *A g d.l quidam, & d.l singulis.*
18 *Cap. ex parte, Extr. de censib.*

DEFINITIO XXXI.

Simpliciter facta solutio cedit in vsuras potius, quàm in sortem, si vsuræ potuerunt exigi, non etiam si fuerint quidem debitæ etiam adiudicatæ, sed nondum taxatæ.

QVod generaliter constitutum est, vt simpliciter soluta pecunia in vsurarum potius, quam in sortis causam imputetur,[1] constat non nisi ad eas vsuras pertinere, quæ & debentur & exigi possunt.[2] Igitur si quæ ex iudicato debeantur, quarum tamen taxatio, vt fieri solet, in iudicati executionem dilata sit,[3] nulla ratio est, vt in vsuras cedat solutio, quæ simpliciter facta est, quoniam vsuræ, antequam taxatæ sint, debentur quidem,[4] sed tamen exigi nondum possunt.[5] Idem erit, si facta vsurarum taxatione creditor pro sortis solutione iudicati executionem persecutus sit. Secuta enim solutione credendus est debitor in eam causam soluisse, ex qua magis vrgebatur.[6] *Ita Senatus* pro N. Benedicto Cauet Senatore clarissim. contra hæredes N. de la Loge, Prid. Id. Februar. 1594.

1 *L. 5. §. Imperator 2. vers. quod generaliter constitutum l. Titia 48. D. hoc tit l. 1. in fin. C eod.*
2 Id est, quæ iam sunt certæ & taxatæ. Nam si naturaliter tantum essent debitæ, puta ex pacto & consequenter iure ciuili indebitæ, non possent quidem exigi, sed tamen non eo minùs in eas esset imputanda solutio, quæ scilicet facta esset in vsuras *vt in d. § Imperator in princ.* At aliud est, si solutio facta sit simpliciter *vt in d. vers. quod generaliter.* Et de huiusmodi solutione loquitur hæc Definitio.
3 Prius enim est, vt condemnatio præcedat, quàm vt taxatio condemnationis fiat, *l. si traditio 4 C. de action. empt.*
4 Ex iudicato & condemnatione *l. 2. & 3. Cod. de fructib. & lit. expens.*
5 Quia exactio non potest fieri vt neque solutio quantitatis incertæ.
6 Ex regula, quæ vult præsumi factam esse solutionem in causam grauiorem & duriorem & antiquiorem *l. 3 l. in his 5 in princ. D. hoc tit.* Text. est *in l. cum ex pluribus 10 eod.*

DEFINITIO XXXII.

Solutio annuæ pensionis pro tribus annis continuis inducit præsumptionem totius debiti in præteritum soluti, sed tamen contra præsumptionem hanc admittitur probatio.

EX solutione quidem annuæ pensitationis pro tribus annis continuis præteritis, de qua constet per tres apochas, inducitur iuris præsumptio, quod totius temporis præcedentis nomine nihil omnino debeatur, quasi integris solutis omnium annorum reliquis. Si modo integra tribusque pensionibus & apochis diuisa solutio probetur.[1] Alioqui si vel vna numeratione trium annorum pensitationes solutæ sint, vel minus integra solutio aut non continui triennij facta proponitur, nulla de reliquorum anterioris temporis solutione præsumptio nascitur.[2] Sed tamen non excludit ea præsumptio contrariam probationem, si creditor probare velit reliqua deberi. Vincit enim præsumptionem probatio.[3] Quare etsiis, à quo reliqua petebantur, confessus sit se debere, cum posset se tueri exceptione præsumptæ solutionis, non poterit in integrum restitui tanquam læsus,[4] si alias læsionis probationes nullas habeat, quam quod continui triennij apochis prolatis solutionis præsumptionem inducere possit. Quidni enim bonam fidem agnoscere potuit?[5] Sed hoc ita, si ea confessio neque per vim, neque per dolum extorta proponatur.[6] *Ita Senatus* in causa D. de Sarrio Augustani, & Andrææ Baussan, 17. Cal. April. 1594.

1 *L. quicunque 3. C. de apoch. publ lib. 10. tit. 22. cum ibi not.*
2 Vt probat *d. l. quicunque*, in illis verbis *si trium cohærentium sibi annorum apochas securitatesque protulerit.*
3 *L. si chirographum 24 & seq. D. de probat. l. ad seueratio 10. C. de non numer. pecun.*
4 Cum nulla sit melior & certior probatio, quam quæ fit per confessionem partis, *l. generaliter 13 eod. tit. C. de non numer. pecun.*
5 Nemo siquidem bonam fidem agnoscere prohibetur, *l. quoties 9 § sicut, D. de ad nin tutor.*
6 Quod enim per metum vel per dolum, vel per vim factum est, id ratum habere prætor nunquam debet, *l. si mulier 2. §. --- D. quod met. caus. l. procurator 11. §. in perpetuum, D. de doli mali except.*

DEFINITIO XXXIII.

Ibi soluendum & reddendum est indebitum, vbi exactum fuit & in moneta illius loci, si interfit eius, qui soluit indebitum.

QVi ab Augustano iudice in Augustana prouincia pecuniam indebitam soluere condemnatus coactusque fuerat prouocatione ad Senatum nostrum facta obtinuerat, condemnatus falsus creditor restitutionem pecuniæ offerebat Camberij in ea moneta & monetæ æstimatione, quæ Camberij recepta esset. Visum est, audiri eum non debere, si victoris interesset in ea potius moneta aut æstimatione solutionem accipere, quæ in Augustana prouincia frequentaretur,[1] quia non tam in quo loco facta esset condemnatio, quam vbi indebite extorta solutio inspici oporteret,[2] ne alioqui in damno moraretur is, cui facta iniuria fuisset.[3] Idemque dicendum placuit de iis quoque expensis, quas in causam litis idem ille victor in eadem prouincia erogasset,[4] tametsi earum soluendarum obligatio non nisi ex posteriore iudicato ac Senatusconsulto competens in eo ipso loco, in quo iudicatum fuerat, nata videretur.[5] Plane eorum sumptuum nomine, qui in causa appellationis & Camberij facti essent, absurdum foret cogi condemnatum præstare victori vtilitatem loci, & æstimationem illam moneræ, monetamve, quæ apud Augustanos recepta sit, licet proponeres fortasse monetam Augustanam, id est, ex illa prouincia allatam, quæ Camberij impensa est tantam domino suo vtilitatem attulisse, quanti ea Camberij fuit.[6] *Ita Senatus* in causa N. Cantamor Augustani, 4. Id. Maij, 1594.

1 Quia semper & omnimodo indemnis seruandus est creditor, *l. Paulus 99 alias l. creditorem, D. hoc tit.*
2 Nam cum is, qui indebitum accipit, obligetur ex quasi contractu, *l. si quis absentis 5. §. is quoque, D. de oblig. & act.* non alio loco videri potest se ex quasi contractu obligasse is, qui indebitum accepit, quam vbi accepit. Porro vbi quis contraxit, vel quasi, ibi & conueniri vt soluat potest, *l. 2. §. omnes, l. hæres absens 19. §. 1. D. de iudic.*
3 Non enim leuis iniuria fit ei, à quo inuito extorquetur solutio tanquam à debitore, cum tamen non sit debitor. *l. iniuriarum 13. §. si quis per iniuriam, & l. si creditor 19. D. de iniur.*
4 Nam expensarum quoque nomine indemnis seruari victor debet, *l. properandum 13 § fine autem alterutra, C. de iudic. l. eum quem 79. D. eod. l. qui solidum 78 § 1. de legat. 2.*
5 Cum potuit fieri vt expensæ compensarentur, aut non adiudicarentur, *vt in l. qui solidum 78 § 1. de leg. 2.*
6 Cum tanti moneta quæque fit, quanti expendi potest, *l. 3. de in lit. iurand. l. si ita fideiussorem 42. D. de fideiuss.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXXIV.

Apocha in chirographi tabulis conscripta in eam causam facta creditur, quæ chirographo continetur, etiamsi dicatur id factum per errorem, nisi error probetur.

A Debitore pecuniam accepisse professus per apocham in chirographi tabulis conscriptam, in eam causam accepisse intelligendus est, quæ chirographo continetur. [1] Nec si per errorem id factum dicat audiendus est, nisi errorem probet, [2] quamuis non ab ipso debitore numerata sit pecunia, [3] sed ab alio, qui eam solutionem sibi proficere, & in aliam causam imputare velit. [4] Quod cum euenit inter eum, qui ipse soluit, & eum, qui solutionis commodum captat, prius discutienda res est, cuius vtilitati cedere solutio debeat. [5] Sed interim pro vero debito non habebitur, quod, an solutum sit, nesciatur. Ideoque interea inhibebitur executio. [6] Idemque erit, si apocha sic conscripta fuerit, vt debitoris persona demonstrata non sit, sed solutio tantum testata. [7] Cur non enim præsumamus delendæ aut exonerandæ obligationis chirographariæ gratia factam solutionem, cuius probatio ex chirographo ipso petatur? *Ita Senatus* in causa R.D. Abbatis Ambroniacensis, & N. Ioannis Dionysij Cauet, 3. Non. Iun. 1594.

1 Nulla enim ratio esset conscribendæ apochæ in margine chirographi, si in aliam quam chirographi causam solutio facta esset.

2 Erroris enim probatio semper salua esse debet, cum non consentiant qui errant, *l. si per errorem 15. D. de iurisdict. l. nihil consensui 116. §. vlt. de reg. iur.*

3 Qui casus longe minorem habet dubitationem.

4 Eo prætextu, quia credendus quisque sit id potius soluisse quod suo nomine debeat, *l. & magis 4. D. hoc tit.* Sed tamen nihil vetat etiam ab alio solui quod alius debeat, *l. solutione 23. eod. l. soluendo 39 de negot. gest.*

5 Nec enim potest vnica numeratio plures obligationes tollere, nisi in casibus, de quibus *in l. in numerationibus 44. D. hoc tit.*

6 Et quidem vtriusque debiti propter incertitudinem, licet certum sit, vni tantum debito solutionem proficere posse.

7 Impersonaliter. Sufficit enim vt relinquatur locus interpretationi.

DEFINITIO XXXV.

Etiam promissio de reddendo chirographo inducit tacitum pactum de non petendo, sicut & ipsa redditio.

NOn solum redditio instrumenti inducit tacitum pactum de non petendo, [1] sed etiam promissio ipsa de reddendo instrumento, [2] quia non tam redditio instrumenti quam reddentis animus prodest ad eiusmodi pactum inducendum. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 30. sup. de reb. credit. & iureiur.

1 *L. 2. vers. & ideo. cum ibi not. D. de pact.* Dixi *Defin. 28. §.*

2 Quamuis aliud sit promissio de reddendo instrumento, aliud vero redditio instrumenti: sicut & aliud est pactum de vendendo vel donando, aliud vero venditio vel donatio. Bart. *ad l. vlt. num. 8. D de condict. caus. dat.*

3 *d. l. 2 l. creditricem 7. C. de remiss. pign. l. qui debitori 15. Cod. hoc tit.*

DEFINITIO XXXVI.

Solutio facienda in tot aureis æstimatis per libras Regias, non tam ex aureorum quam ex librarum numero æstimari debet, & potest fieri in quacunque moneta admissibili in loco solutioni destinato, dum ne deteriorata sit.

COnductor ex causa susceptæ conductionis se obligauerat ad solutionem mille aureorum æstimatorum tribus libris Regis, quæ sex florenos cum assibus tribus monetæ nostræ efficerent. Conuenerátque vt quamuis contractum esset apud nos, vbi & conducta bona sita erant, solutio tamen Lugduni fieret sumptibus & periculo conductoris. Placuit non esse cogendum conductorem in aureis soluere, sed in alia moneta quilibet, quæ Lugduni admitteretur [1] ita vt si solutionis tempore pluris æstimarentur aurei Lugduni, quam tribus libris Regiis publico mercatorum commercio, tres libræ in quacunque moneta admissibili etiam Sabaudica, sufficerent, [2] dum ne deterior moneta effecta esset, quam contractus tempore fuisset. [3] Idemque seruandum, si in aureis solutio fieret, nimirum, vt si solutionis tempore quatuor libris Regiis aureus Lugduni æstimaretur, trecentis aureis in totidem corporibus nummorum solutis quadringenti aurei soluti viderentur. [4] Apparebat enim æstimationem illam aureorum debitoris gratia factam fuisse, [5] cum iam tum propter monetarum deteriorationem in ipso Lugduni loco aureus multo pluris quam tribus libris Regiis æstimaretur. [6] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio, contra Ioannem le Grand Vectier & alios; pro illustrissimo D. Duce de Mercœur, 10. Calend. Decembr. 1594.

1 Quia, quamuis aurei essent in obligatione, fuerant, tamen æstimati, quo casu solutio fieri potest in æstimatione, *l. si quis stipulatus 54. D. hoc tit.*

2 Legem enim certam ab initio habuit stipulatio, quæ postea, nisi ex vtriusque consensu immutari non potuerit, *l. vero 12 § pen. D. hoc tit.*

3 Nec enim tantundem reddi videretur, quod in moneta deteriore redderetur, *l. cum quid 3. D. de reb. cred. l. penul. ad fin. de condict. tritic. l. 3. §. 1. D. commod. l. Paulus 99. alias l. creditorem D. hoc tit.*

4 Habita scilicet ratione non ad numerum corporum, sed ad æstimationem.

5 Quod vnum maxime inspiciendum est, quod nimirum factum sit in gratiam debitoris vel creditoris, *l. 1 Iauolenus 15. alias l. eum qui. D. de ann. legat. l. si ita relictum 43 § Pegasus. de legat. 2.*

6 Vt proinde non posset alia interpretatio fieri salua conuentione, quæ semper conseruanda est, vt aliquid operetur, *l. si quando 109. de leg. 1. l. si ita stipulatus 116. § Chrysogonus, de verbor. obligationib.* [*Ita Senatus* in causa pupillorum de Valier, ante Cal. April. 1612.]

DEFINITIO XXXVII.

Quod debetur in aureis, potest solui in quacunque moneta ex consuetudine, dummodo ea moneta non sit minutissima. Nec valet obsignatio facta in moneta minutissima, maxime quam credibile sit de proximo publicandam, aut aliter improbandam.

AVreos simpliciter debens siue ex mutui, siue ex alia qualibet liberatur, dando communē publicamque aureorum æstimationem, [1] nisi adiectum sit, vt in auro fiat solutio. [2] Idque non tam ex iuris ratione, quæ aliud profecto suaderet, præsertim in mutuo, [3] quam ex locorum ac agentium fere omnium consuetudine. [4] Quæ multo magis obtinet, si aurei sint æstimati, nisi proponas ideo æstimatos, vt quamuis in specie solui deberent, certum tamen haberent pretium, ne auctæ vel diminutæ postmodum publicæ æstimationis ratio vlla haberetur. [6] Sed tamen hoc ita accipiendum est, vt debitori non liceat in minutissima moneta totum debitum soluere, si alia sit, in qua minore creditoris incommodo maior debiti pars solui possit, licet monetæ, quod vocant, augmentum

BIU Cujas

offeratur.[7] Itaque cum debitor quidam egregiam debiti quantitatem in eiusmodi nummorum specie obsignasset, improbata est à Senatu obsignatio.[8] Quamquam eius improbandæ ratio illa quoque accedebat, quod obsignationis tempore in eo res erat, vt proximo quoque die edicto Principis minutiæ illæ monetarum, etiam quæ à monetariis Principis excusæ essent, damnari deberent, scripto iam de ea re edicto, sola publicatione dilata in id vsque tempus, quo melior moneta excusa foret.[9] *Ita Senatus* 3. Cal. Febr. 1595.

1 Non quidem ex ratione iuris, sed ex illa generali consuetudine, de qua Bart. *in l. 1. D. de aur. & argent. legat.* vt sequitur in Definitione. [Idque obtinet etiam si quis aureos promiserit solates boni ponderis ad caracterem regis Franciæ, nisi additum sit *in auro*, quia cæteræ adiectiones omnes possunt aliam congruam interpretationem recipere citra illam adstrictionem, vt in auro solui oporteat, ad excludendos scilicet aureos, quos vocant monetales pistoletos leuioris ponderis. Denique hoc casu tales aurei sunt tantum in obligatione non in necessitate solutionis. *Ita Senatus* in causa D. Senatoris d'Auisse, de qua *num. seq.*]

2 Tunc enim omnino seruanda conuentio est. [Et tamen hoc quoque casu receptum est, vt liberetur debitor soluendo æstimationem tat non communem vt in alio casu, sed quanti plurimi æstimantur vulgo & communiter aurei etiam per abusum commerciorum, Semper enim necessitas nos eo adigit, vt etiamsi quod debetur maximè in specie consistat, necessario tamen deueniendum sit ad æstimationem, vt possit fieri executio iudicati *l. 1. §. ait prætor, D. de re iudic. Ita Senatus* in causa fratrum Domini canorum Chamberij, & Rectoris Hospitalis de Machy, 9. Nouembr 1612. Et rursum in causa D. Senatoris d'Auisse, & D. Comitis de la Foreſt. In qua præterea iudicatum est, Si plures summæ aureorum in eodem instrumento comprehensæ sint, quarum vna sit soluenda in auro, altera in aureis simpliciter, & ambæ postea iunctæ sint in vnam eandemque summam tot aureorum simpliciter non adiecta clausula, *soluendorum in auro*. Videri de omnibus conuenisse vt in auro solucrentur, sumpta scilicet ea interpretatione quæ vtrique summæ conueniat, & ne vna eademque summa ex pluribus collecta diuerso iure censeatur *l. eum qui ædes 23 D. de vsucap. l. vlt. in fin. de trtic. vin. & oleo legat.* Latum est Arrestum die. Aprii. 1614.]

3 Quia id soluendum est, quod est in obligatione, & quod sit eiusdem bonitatis & qualitatis, *l. 3. D. de reb. cred.*

4 De qua consuetudine attestatur Bart. *in dict. l. 1. de aur. & argent. legat.*

5 Quia tunc æstimatio ipsa est in obligatione, ob idque tanto magis potest esse in solutione, vt tractani pluribus in meo illo tractatu de nummariis solutionibus.

6 Exemplo eius quod scriptum est *in l. si inter 21. C. de inr. dot. l. æstimatio 50. D. solut. matrim.*

7 Nam quanto minutior & minoris valoris est moneta quæ soluitur tanto incommodior est solutio accipienti.

8 *Arg. l. Paulus 99. alias l. creditorem, D. hoc tit.*

9 Vt proinde non esset cogendus creditor solutionem accipere in ea nummorum specie, quæ post paucos dies inutilis futura esset, *arg. l. creditor 102. cum ibi not. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXXVIII.

Soluens bona fide ei, qui credebatur habere ius accipiendæ solutionis liberatur, maxime si soluat post condemnationem, etiamsi postea rescissum sit iudicatum, nisi soluens sciuerit vndecunque. Item conductor soluens vero domino patientiam præstante, liberatur à suo conlocatore.

SOlutio ei facta, qui solutionis accipiendæ ius habere credebatur, liberat soluentem bona fide, tametsi prædo fuerit is, qui solutionem accepit.[1] Multo magis idem erit, si iudicatum pro se habebat is, qui solutum est,[2] nec quod postea contrario iudicato ex noua causa victus sit, nocebit soluenti post secundum iudicatum, si non id sciuisse probetur, quoniam imputari victori potest, cur ius suum citius non sit executus.[3] Plane scientiam probari sufficiet vndecunque prouenerit, nec denunciationem à victore factam fuisse necesse erit.[4] Ex contrario, si à te fundum conduxero, cuius nomine postmodum controuersiam passus à Titio succubueris, non eo minus liberabor si soluam Titio, quod sibi personali actione sim ex contractu obligatus.[5] Finita namque inter nos intelligitur conductio statim atque alteri quæsitum ius est probibendi, ne maneam in conductione,[6] æquumque est ei me soluere, cuius res est, qui que patientiam mihi præstat, quam alioqui præstare nec vellet nec cogeretur.[7] *Ita Senatus* ex tempore in causa Dominicæ Dalsin. 3. Cal. Febr. 159 .

1 *L. si vrbana 55 D. de cond. indeb.* Roc. *decis. 1. de solut. in nouis, l. filia 88. D. de solut.*

2 Cum res iudicata pro veritate habeatur, *l. res iud. car. 206. de reg. iur.* & aperte sit iniquum impune non soluere illum, quem prætor cogat soluere, *l. quod autem 6 §. apud Labonem, D. quæ in fraud. credit. l. ait prætor 7 §. 1. vers. permittitur, D. de minor. l. sancimus 15. C. de admin. tutor.*

3 *Arg. l. cum post dissem 4 D. damn. infect.*

4 Scientiam vndecunque sciuerit, potest imputari, *l. vlt. D. de transact. l. nam si a tor 26 D. de rei vindic.*

5 Et hic est valde notabilis casus, in quo dicitur quod vni debetur, potest etiam inuito eo solui alteri, ita vt soluenti contingat liberatio, nempe quia debitum pro causa habet conductionem rei, quæ ad alium incipit pertinere *argum. l. si tertius 6. § si quis prius, D. de aquæ & aqu. hu. arcend.*

6 *L. emptorem 9 cum ibi not. C. de locat.*

7 Quasi noua inter nos facta locatione.

DEFINITIO XXXIX.

Lata lege contra abusum commerciorum in aureis æstimandis, maior habenda est ratio legis quam abusus.

CVm arresto Curiæ rationalis certa nummis aureis statuta esset æstimatio, vetitumque ne quis eos pluris æstimaret.[1] Nec eo minus tamen abusu commerciorum, temporumque licentia aureus pluris æstimaretur, placuit creditorem, cui certus florenorum numerus deberetur, cogendum non esse aureos accipere supra eam æstimationem, quæ publica auctoritate esset constituta.[2] Ideoque nec valere obsignationem, quæ sic facta fuisset,[3] & consequenter iustam creditorem appellandi causam habuisse ab eo iudice, qui obsignationem illam rite ac legitime factam esse pronunciauerat.[4] *Ita Senatus* in publico auditorio, pro Petro Pignier, contra N. Forey, 3. Calen. Maij, 1595.

1 Nam in Republica bene constituta vtique certa esse debet ac perpetua nummorum æstimatio, *l. 3 D. de in lit. iur.*

2 Iudicandum enim est ex legibus, non ex abusu, nec tam inspiciendum est quid Romæ fiat, quam quid fieri debeat, *l. sed licet 12. D. de offic. præsid.*

3 Non enim potest rite factum videri, quod factum est contra leges, *l. non dubium 5. C. de legib.* [Nec priuatorum cautiones legum auctoritate censeri debent, *leg. vltim. D. de suis & legit.*]

4 Quia pronunciauerat contra leges & contra ius commune, *l. 1. §. 1. D. quæ sent. sin appellat. rescind.* Iunge tamen *Defin. 41. infr.* [Aliud ergo est si abusus commerciorum ex interuallo sequatur legem. Nec enim ea vtilitas, quam per viam liciti commercij potest quis consequi ei aufferenda est *l. Paulus, D. hoc tit. Ita Senatus* pro D. d'Auisse Senatore, contra D. Comitem de la Foreſt April. 1614. Iunge *Defin. 41. §. & 21. 21. & §. hoc tit.*

DEFINITIO XL.

Mora contrahenda impeditur per oblationem præsertim iudicialem, sine obsignatione, at contracta non purgatur citra obsignationem.

OBlatio sola cum in iudicio facta est, licet neque obsignationis, neque solutionis vim habeat, ad inducendam

BIU Cujas

inducendam liberationem,[1] prodest tamen ad impediendum cursum vsurarum, quæ ex mora deberentur, quia moram contrahendam impedit, (2 quamuis contractam non sistat,[3]) licet verbalis tantum fuerit,[4] si creditor oblationem recusauerit. Quem ideo cautum esse oportet vt oblationem verbo factam verbo agnoscat, ne dubitari possit quin steterit per debitorem, quo minus solutio facta sit aut saltem obsignatio.[5] Sane si mora iam contracta sit, non purgatur per sequentem oblationem nisi sequatur obsignatio.[6] *Ita Senatus* in causa D. de Nicolle & N. Petri Ludouici de Lescherei-ne, 1. Cal. Maij. 1595.

1 *L. si per te non stat 9. & l acceptam 19. cum ibi not. Cod. de vsur.*

2 *d. l. si per te.*

3 Quam semel interuenisse sufficit vt vsuræ perpetuo debeantur, quousque debitum soluatur aut pro soluto habeatur, *l. Titia Seio 87. §. vsuras, de legat. 2.*

4 Sic enim vulgo nostri sentiunt *ex l. si rem 9. §. vlt. D. de pign. act.* sed male, vt puto, quia debet locus ille, sicut & cæteri, intelligi de oblatione reali, vt scripsi in Rationalibus *ad l. si debitor 21 D. de iudic.*

5 Consilium est Bart. *ad l. creditores 3. C. de pign.*

6 *d. l. si per te non stat, in fin.* quia obsignatio sola illa est, quæ vim solutionis obtinet, *l. obsignatione 9. C. hoc tit.*

DEFINITIO XLI.

Qui se obligat aureos soluere ad communem valorem, eum valorem promisisse intelligitur, qui sit frequentatus etiam abusis commerciorum, maxime si ipse acceptos aureos expenderit ad eum valorem.

AVreos ad communem valorem soluere obligatus, non eum promisisse intelligitur, qui edicto Principis aut Magistratuum vices Principis gerentium auctoritate constitutus est,[1] sed eum, qui vsu adeoque abusu commerciorum frequentatur.[2] Nec iniqua aut prohibita est conuentio, si præsertim is, qui se ad eam solutionis formam obligauit, acceptos à creditore nummos ad eum valorem expenderit.[3] *Ita in Senatu* ex tempore tractatum contra Benedictum Gistand, & Henricum Pic, pro Claud. Appian. 5. Non. Iun. 1595.

1 Nec enim communis valor ille est, sed publicus & præcisus, *l. pretia rerum 63. D. ad legem falcid.* Videtamen *Definit. 39. §.*

2 Id enim facit & euincit vtilitas promiscui vsus, *l. si quis mancipii 17. § si impubes. D. de instit. act.*

3 *Arg. d. l. & tot. tit. D. quod quisque iur.*

DEFINITIO XLII.

Moram contrahens in soluendo non ob id cogitur soluere in meliore moneta quam quæ fuerit tempore contracti debiti, nec si agatur de dote.

NEc dotis fauor, nec mora in soluendo contracta facere potest, vt solui dos debeat in meliore moneta, quam quæ fuerit, tempore dotis datæ aut promissæ,[1] quia nunquam mora facit, vt plus debeatur, sed tantum vt eius, quod debetur, aut periculum aut accessio præstetur.[2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 11. sup. De pact. conuent. tam sup. dot.

1 Sufficit enim vt reddatur in eadem bonitate, *l. cum quid 3. & ibi not. C. de rebus credit. & in l. Paulus 99. alias l. creditorem, D. hoc tit.*

2 *L. si ex legati 23. & seq. l. si seruum 91. §. sequitur, D. de verb. obligat. l. mora 32. §. in bona fide. l. cum quidam 17. §. si pupillo, D. de vsur.*

DEFINITIO XLIII.

Edictum de imminuenda quantitate debiti ob melioratas monetas non pertinet ad expensas litium, quamuis iam ante factas & taxatas.

CVm edicto Principis aureorum valor extrinsecus imminutus esset aucta intrinsecus bonitate monetarum, atque ideo constitutum fuisset, vt in soluendis omnibus debitis, quæ contracta essent à Calend. Ianuar. anni 1591. in edicti vsque diem ea forma seruaretur, vt qui florenos octo deberet liberaretur quando septem florenos cum octo assibus. Quæsitum est an edictum generalissimis verbis conceptum etiam ad litium expensas pertineret, quæ ante edictum factæ adeoque taxatæ proponerentur. Nam de iis, quæ post edictum taxatæ essent, dubitari non poterat, qui in noua moneta sine diminutione deberentur.[1] Quandoquidem constat debitum impensarum quandocunque prorogatarum ex tempore taxationis certam legem formamque accipere.[2] Et placuit ad hoc debiti genus edictum non pertinere.[3] Quoniam quæ actuariis & procuratoribus ad instruendam litem salaria præstantur, ea iam inde à multis annis taxata sunt,[4] & eo tempore quo multo melior moneta cudebatur, quam illa sit quæ nunc cuditur. Eaque taxatio tam stricte semper obseruata est, si non ab actuariis saltem à iudicibus & Senatoribus,[5] vt quamuis longe deteriores monetæ postea cudi cœperint, non ideo tamen aucta sit quantitas, quæ ex mera contrarij iuris ratione augeri debuisset.[6] Nempe quia variante in singulos fere dies aut menses bonitate monetarum & æstimatione, in incerto semper esset quid actuariis & procuratoribus deberetur, nouasque ex ea causa & innumeras lites suscitari necesse esset. 7 Ergo ex contrario aucta monetarum bonitate, nihil idcirco immutari oportet.[8] Atqui, inquies, ita fiet, vt qui expendit in viliore moneta solutionem, accipiendo in meliore, plus recipiat quam impenderit. Fateor, sed potuit ex contrario minus accipere, si moneta deterior facta fuisset: cur ergo non ei prosit dubius euentus, qui & potuit nocere?[9] Rursus quid si nondum soluerit actuariis & procuratoribus, quod ob sumptus ante edictum factos soluere debuit? An non cogendus erit vt in noua moneta soluat quantumcunque meliore?[10] Quid vero interest condemnati, an victoriam soluerit, an adhuc debeat, aut an aduersarij, an actuarij vel procuratoris ad litem dati commodo cedat, quod moneta melior cudi cœperit? Denique cur victori pusillum hoc commodum inuideamus, quem certum est, nunquam posse ex litis victoria tantos sumptus consequi, quantos reuera cœperit: *Ita Senatus* in causa Hadriani de Landrian, contra Ludouicum & Iacobum Rollier, Prid. Non. Iul. 1595.

1 Quamuis factæ essent in moneta deteriore.

2 Cum ante factam taxationem nesciri possit, quid & quantum expensarum nomine debeatur.

3 Licet dici soleat legem generaliter loquentem generaliter quoque intelligendam esse, *l. in fraudem 15. in fin. D. de testam. milit. l. de pretio 8. D. de publician. in rem act. l. 1. §. generaliter, D. de legat. præst.*

4 Stylo Senatus nostri iam inde à multis annis & ab ipsa Senatus erectione condito.

5 Ad quos maxime legum custodia & obseruatio pertinet.

6 Ex not. per Guid. Pap. *quæst. 493.* & per Bart. *in l. Paulus 99. alias l. creditorem, D. hoc tit.*

7 Exemplo eorum quæ scripsimus *Defin. 30. §.*

8 Vt par sit ratio dubij euentus in vtrumque casum, *l. de fideicommisso 11. Cod. de transact. l. si pater puella 12. C. de inoffic. testam. l. penult. C. hoc tit.*

9 Nemo siquidem audiendus est id petens, cuius contra

BIU Cujas

rium non fuerat in contrarium euentum postulaturus, *d.l.pen. C.hoc tit.*

10 Ita est, vt dixi *num* 2 s̃

11 Est enim hoc certissimum, & summo litigatorum omnium malo comprobatum, nunquam sumptuum nomine tantum repeti, quantum fuerit impensum Quæ ratio erat dubitandi *ad l.petitor* 30. *in fin. D.de liber.legat.*

DEFINITIO XLIV.

Soluendum est legatum in ea moneta bonitate, quæ fuit tempore testamenti, siue melior moneta tum fuerit, siue deterior.

EAdem fere quæstio, quæ tractata est delegatis ab eo tempore factis, quod edicto aut Senatusconsulto ad edictum facto comprehensum erat, an in ea moneta solui deberent, quæ fuerat testamenti tempore, an in ea, quæ subinde melior effecta fuisset? Dubitationem faciebat, quod edictum de debitis duntaxat locutum, non nisi ea debita comprehendere videbatur, quæ ex contractu inter viuos descenderent,[1] quodque liberalitas in benemeritum collata,[2] adiuuanda potius quam restringenda videretur: [3] magis tamen probabatur testamenti tempus hoc casu inspici debere, sicut fit ex contrario, cum moneta vilior & deterior effecta est, [4] vt vna eademque sit ratio augmenti & diminutionis. [5] *Ita tractatum est* 8. Id. Iul. 1595.

1 Quod enim legatum est, donatum videri debet magis quam debitum, *l.legatum est donatio* 36. *de legat.*2.

2 Non enim solent relinqui legata, nisi ob præcedens aliquod benemeritum *l.nec adiecit* 9. D *pro socio.*

3 Quomodo adiuuari semper debent quæ sunt fauorabilia, *l hoc modo* 64. *in fin.de condit. & demonstrat.* restringi vero quæ odiosa, *l.cum quidam* 19. *de liber. & posthum.cap.odia.de reg.iur. in* 6.

4 *Exl.sitia* 8.D. *de auro & argent.legat.* Dixi *Defin.* 15. *supr. eodem.*

5 *Vt in l scribit* 74. *in fin.D.eod.tit.de aur, & argent.legat.* secundum eam loci illius emendationem quam docuit Iacobus Cuiac. *lib.obseruat.*2. *cap.* 39. *l.id quod* 7. *in princ. D. de pericul.& commod rei vindit.* Fallit tamen in specie *l.deducta* 58. §. *punult. D ad SC.Trebell.*

DEFINITIO XLV.

Vsurarum aliarumque accessionum augmentum monetale nullum vnquam debetur.

QVod ad vsuras aliasve accessiones attinet, sæpius iudicatum est, augmentum monetæ nullum deberi, ne à tempore quidem taxationis, non ea ratione, ne detur accessionis accessio,[1] cum principale debitum sit,[2] sed ne det ea res materiam litium multiplicandarum, si in singula tempora & pene momenta, quibus vsuræ deberi incipiunt, spectari oporteret, quis monetarum status & valor esset.[3] Igitur solui eas oportebit in ea moneta, quæ currit cum petuntur siue melior illa siue deterior facta.[4] *Ita Senatus* in causa, de qua SC. 12. supr. de vsur.

1 Quæ nunquam danda est, *l.vlt.C.de vsur.*

2 Vt scripsi *Defin.*30. *num.*2 s̃. *& alibi sæpe.*

3 Exemplo scilicet eorum quæ scripsimus *d.Defin.*30. de nullo præstando augmento annuatum pensitationum *ex l.quidam* 21. *D.de rebus credit. l.singulis* 6. *D. de except.rei iudic.*

4 Quod vtique in dubio euentu positum est.

DEFINITIO XLVI.

Qui indebite id exegit, quod solui debuerat ad domum creditoris, cogitur id reddere similiter ad domum eiusdem creditoris.

EXactis indebite per aliquem reditibus alienis, quorum ea conditio erat, vt per debitores ad creditoris domum ferri deberent,[1] si is postea ad restitutionem condemnetur, recusare non debet quo minus ferat etiam ad domum creditoris. Quia licet non sit emphyteuta, cum tamen effecerit, ne ab emphyteutis exigi amplius possit,[2] præstare debet ea omnia, quæ emphyteutæ ipsi præstare cogerentur.[3] *Ita Senatus* in pubico auditorio, pro D. de Bellegarde, contra D. d'Auully & de Seruans. 5. Id. Iul. 1595.

1 Quod Gallice dicimus, *rente portable.* Regulariter enim non cogitur debitor ire ad domum creditoris, *l.item illa* 18. vbi Bart. D. *de consc pecun.*

2 Siquidem iniquum esset emphyteutam bis idem soluere.

3 Tanquam qui vltro successerit in locum emphyteutæ, qui ad hoc erat obligatus.

DEFINITIO XLVII.

Obsignatio etiam cum satisdatione minorum vim habet ad inducendam moram, quam ad eam impediendam quamdiu ignoratur, an quod petitur debeatur?

QVamdiu incertum est, an quod petitur debeatur, non potest obsignatio certæ quantitatis, facta per debitorem recusante solutionem creditore, constituere in mora creditorem.[1] Nec si præstita sit satisdatio. Nam quod dici solet, sufficere vt pro non liquidis præstetur satisdatio, ita accipiendum est, vt sufficere possit ad impediendum, ne debitor in mora constitutus videatur, sed non etiam ad faciendum, vt debitor creditorem in mora constituere possit.[3] Non quod in huiusmodi quæstionibus de mora magis fauendum sit debitori quam creditori, [4] sed quia multo facilius est moram impedire, quam inducere.[5] Cæterum nec in mora est debitor, qui nec soluit, nec offert satisdationem, quamdiu liquidum non est quid ille debeat.[6] Sed & obseruandum, multum referre, an quæramus vtrum debeatur, an de illo potius, quantum debeatur? Si non constet deberi, de illo prius cognoscendum est, quam vt debitori prodesse possit satisdatio, cum alio qui quantitas est certa. Quid enim necesse est satisdare parato creditore quantitatem ipsam quam petit, & quæ certa est accipere, si offerretur? 7 At cum de illo duntaxat quæritur, quantum debeatur, nec tam pronunciationem quam liquidationem res desiderat, æquissimus est planeque necessarius vsus satisdationis,[8] ne noceat debitori, quod statim non possit soluere rem, quæ ne soluatur, non tam per ipsum stet, quam per rem ipsam.[9] *Ita Senatus* in causa N. Ludouici de Coysiaz. & Ioannis Gaudinon Aduocatorum, Prid. Id. Iul. 1595.

1 Qui enim probabiliter ignorat quantum debeatur, non potest in mora esse vel soluendi vel accipiendi solutionem, *l. non potest improbus* 99 *cum ibi not.de reg.iur.*.

2 *Ex l.statu liberationem* 5. *D.de statulib.*

3 Difficilius enim est alium in mora constituere, quam seipsum à moræ periculo liberare.

4 Nullus enim vnquam fauor est moratoris, siue debitor ille sit, siue creditor, ne sua ei mora & frustratio prosit, *l.hominem* 37. *ff.mandat. l. in condemnatione* 173. §. *vnicuique. de regulis iuris.*

5 *L.si per te non stat.* 9. *C.de vsur. l.vlt. D.de leg.commiss.*

6 Cum nihil possit ei imputari, *arg.l.sciendum* 21. *& seq.* D. *de vsur.* Idem est, si nemo sit qui possit accipere solutionem, *l. pecunia* 9. §. 1. *l.cum quidam* 17. §. *si pupillo, eod.tit. & d.l.vlt.* D. *de leg.commiss.*

7 Nam neque satisdatio neque obsignatio vice solutionis est, cum solutio ipsa fieri commode potest, quod euenit, quoties certum est, quid debeatur & quantum

8 *Ex d.l.statuliber rationem* 5. *D.de statulib.*

9 Semper enim aliquo modo succurrendum est ei, cui nihil imputari potest, *d.l.pecunia*, §. 1. *d.l.cum quidam*, §. *si pupillo*, D. *de vsur. cum similib.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XLVIII.

Solutio facta apparitori quamuis nullum ad solutionem accipiendam mandatum habenti, liberat soluentem, si modo facta sit iusta metu carcerum, & quid si apparitor acceptam pecuniam non statim reddat creditori?

APparitori potest soluere quisquis ab eo metu carcerum vrgetur, vt in promptu soluat, licet is neque speciale mandatum habeat ad accipiendam solutionem, neque chirographum sibi traditum à creditore, [1] quia multo magis imputari potest creditori, cur talem apparitorem elegerit ad exequendum, [2] nec adhibuerit legitimum procuratorem, qui solutionem acciperet, [3] quam debitori, cur non carceres iniustos pati maluerit. [4] Quid? enim imputes qui cogitur soluere, si soluat? [5] Nisi ponas debuisse illum etiam ex apparitoris præcepto soluere ad domum creditoris. [6] Sane non videtur carere dolo apparitor, qui acceptam pecuniam non statim reddit creditori. [7] Ideoque in eam rem æquum esset publice prospici aresto generali, quale in Gallia pronuntiatum esse ex Pragmaticis Gallis quidam testantur. [8] *Ita Senatus* contra Clementem Augusard, 5. Calend. Decembr. 1595. & paulo ante, contra D. de Chaffardon pro debitore qui soluerat N. Lamberto apparitori. *Sine die.*

1 Dixi *Defin. 24. 3. hoc tit.*

2 *Argum. §. præterea. Instit. quib. mod. re contr. obli. l. 1. §. illud sciendum, & seq. D. de separat.*

3 *L. vero procuratori 12. l. qui hominem 34. §. si nullo, l. solutam 49. D. hoc tit.*

4 Per quos scilicet ius ipsum libertatis infringitur, *leg. 1. & 2. D. de homin. liber. exhib. l. Titio centum 71. §. Titio centum. D. de condit. & demonstr.*

5 *L. quod autem 6 §. apud Labeonem, D. quæ in fraud. credit. l. ait prætor 7. § 1. vers. permittitur, D. de minor. l. sancimus 25. C. de admin. tutor.*

6 Tunc enim potest imputare ei, cur maluerit soluere apparitori, cum ad id non vrgeretur.

7 Cum non alia mente ipsi detur, quam vt eam statim quasi nuntius perferat ad creditorem, *argum. l. absenti 10. D. de donat.*

8 Ioann. Papon. *in syntagm. Arestor. tit. d'huyßiers, sergents. &c. num. 6 1.*

DEFINITIO XLIX.

Cum euicta est res, quæ fuerat data in solutum, siue pro re, siue pro pecunia, an prisiina actione possit agi, an vero sola supersit actio de euictione?

QVi in solutum accepit rem pro re, id est, speciem pro specie, quod vtique si creditor consentiat fieri posse non ambigitur, [1] non eo minus pristinam actionem saluam habet, si postmodum res quam accepit euincatur. [2] Quasi hoc casu facta permutatione rerum; quam constat non aliter fieri posse, quam si hinc inde dominium transferatur. Nec enim qui rem alienam dat; vllam contrahit permutationem. [3] Sed tamen distinguunt plerique [4] hoc casu, an de euictione cauerit; nec ne, is qui rem pro re in solutum dedit? Et rursus qua ex causa euictio secuta proponatur, an quod ab initio fuerit alienus fundus, aut in ea saltem conditione, vt ex postfacto videri possit iam tum alienus fuisse, an quod alij creditori anteriori fuerit iure obligatus? Priore casu non dubitant, quin secuta euictione supersit actio pristina ob debitum repetendum, tanquam quæ sublata non sit, per alienæ rei solutionem, [5] nec si de euictione cautum sit accipienti. [6] Posteriore vero magis probant subdistinguendum esse, an de euictione cautum sit, an non? vt si cautum sit, de euictione agi ex empto, non quidem directa, sed vtili actione oporteat, [7] pristina autem actio nulla supersit, [8] nec per euictionem adimatur debitori liberatio, quæ fuerat parta per solutionem, [9] si vero nihil de euictione conuenerit, actio supersit vetus, quæ competere sola potest. [10] Nec enim similis venditioni esse possit contractus ille, in quo pecunia non interuenit. [11] At si pro pecunia res detur in solutum, magis probant, [12] vt euicta re non possit agi prima actione, sed necessaria sit vtilis ex empto, quasi contracta hoc casu emptione, cum huiusmodi genus contractus, quo res pro pecunia soluitur, vicem obtineat venditionis, quæ venditorem non obligat, nisi ad tradendum. Si vero genus, quod debebatur, non consistebat in pecunia, sed in alia re, supersit creditori actio pristina contra debitorem, quasi nunquam liberatum ex ea solutione, quæ potuerit quandoque renocari. [13] Hæc ita si non per transactionem eiusmodi datio in solutum peracta sit, quo casu fatentur, odio litium & fauore transactionum receptum esse, vt extincta actio non magis per euictionem resuscitari vnquam possit, [14] quam per non secutum eius rei, quæ transactioni causam dederat, implementum. [15] Plane si ponas conuenisse nominatim, vt, si quando res in solutum data euinceretur, actio pristina supereesset, nemo dubitat, quin omni casu supereese illam dicendum sit, pacti nimirum potestate. [16] Idemque admittendum esse placet, si de dote actio præcesserat, [17] cuius fauor vtique non admittit, vt pro ea cogatur maritus contentus esse noua ex empto actione, quæ pro euictione competit, quippe quam minus fauorabilem esse constat minusque plenas habere præstationes. [18] Multo igitur magis eandem sequemur sententiam, si de dote non maritus agat, sed mulier soluto matrimonio, cum fauorabilior sit causa mulieris quam mariti, vel ob hoc maxime quod admixtum habet fauorabilem reipublicæ, cuius interest dotes saluas esse ad conciliandas facilius nuptias, replendamque liberis hominibus ciuitatem. [19] Atque hæc quidem ex Bartoli & sequacium traditionibus recte tractabantur. Sed tamen verius mihi videbatur, tot prætermissis distinctionibus generaliter constituendum esse, si iuris rationem solam inspiciamus, nunquam pro soluto habendum esse id quod postmodum quacunque ex causa euincitur, [20] ac proinde veterem actionem supereese, siue ad agendum siue ad excipiendum, [21] personalem quidem paulo difficilius, quam nimirum tolli facilius est, [22] sed hypothecariam haud dubie, quam certum est tamdiu durare, quamdiu verum est, nec solutam pecuniam nec aliter satisfactum fuisse. [23] Quis enim dicat ei solutum vel satisfactum fuisse, cui data sit in solutum res, quæ postmodum fuerit euicta? [24] Nec quod is qui rem pro pecunia in solutum accepit actionem de euictione omnimodo habiturus sit, exemplo emptoris, etiamsi nihil de euictione conuenerit, nocere illi debet, quominus pristino iure vtatur, [25] si malit creditoris hypothecarij, quam emptoris decepti personam sustinere, cum debitor qui dat in solutum, & quem ad dandum teneri certum est, non eo minus teneatur ad tradendum. Imo ac tanto magis, quod sine traditione datio, dominiique translatio fieri nulla potest. [26] Vnde illud etiam fit, vt quamuis ex causa contractæ permutationis dominium vtrimque transferri necesse sit, secuta tamen vnius euictione ad exemplum actionis ex empto danda sit de euictione actio ei, qui euictionem passus est, vt quicquid sua, interest consequatur. [27] Certe nec dubitabam,

BIU Cujas

quin si per transactionem datum quid esset in solutum, restaurari aut retineri priorem actionem nullo casu oporteret, cum id fieri non posset, quin ipsa quoque lis resuscitaretur, quam resuscitari nunquam expedit. Ne tum quidem cum alioqui actionem resuscitari æquum esset.[23] Siquidem is, qui per transactionem aliquid in solutum accepit, hoc omnino egit, vt non tantum ab actione pristina, sed etiam à lite discederet, cuius repetendæ vix vlla vnquam satis iusta causa esse videatur.[29] *Ita tractatum est* in ea causa, de qua in Definit. 8. supr. De remiss. pignor.

1 *L. si non sortem 16. §. si centum, D. de condict. indeb. l. manifestè 17. & præced. C. hoc tit.*

2 *L. si quis aliam 46.* vbi Bart. & alij, *& ad leg. qui res 98. in princ. D. hoc tit.*

3 *L. versi ideoque Pedius ait, D. de rer. permut.*

4 Sic enim Bartolus distinguit *ad dict. l. si quis aliam, numer 2.*

5 *L. libera 8. Cod. de sentent. & interloc. omn. iudic. l. cum quis 38. §. qui hominem, D. hoc tit.* Bald. *in l. eleganter 24. in fin. principij, D. de pignor. act.* vbi allegat rationem diuersitatis, quia hypothecaria nudam auocat possessionem, *l. si cum venditor 66. D. de euict.*

6 Non enim debet creditoris conditio esse deterior ob id, quod sibi cauerit pro euictione, nec vnquam amittit quis veterem actionem ob id, quod adiiciat nouam.

7 *L. si pro alium 4. C. de euict. d. l. eleganter, in princ. de pign.*

8 Bart. *ad d. l. si quis aliam, num 2. ex l. vlt. D. de condict. caus. dat.* quamuis Roman. & Inol. *in l. Arist. §. Labeo, D. de donat.* teneant contrarium, & recte.

9 *Vt in l. qui res 98. §. diuersum D. hoc tit.*

10 *Ex l. si rem meam 8. D. hoc tit.*

11 Vt possit dari actio ex empto de euictione & in hoc sane fallitur Bart. Nam & cum rerum permutatio facta est, si ex vna parte res euicta sit, competit actio quanti interest, vt dicam *ad fin. Defin. ex l. si permutationis 29. C. de euict.*

12 Idem Bart. *ad d. l. si quis aliam, num 2. ex d. l. si prædium 4. C. de euict.* cui iunge *l. si ob causam 13. eod.* Item *ex d. l. eleganter*, vbi Bart. putat eleganter esse casum, *D. de pign. act.*

13 *Ex l. qui concubinam 29. §. si heres, de legat. 3.*

14 *L. si pro fundo 33. C. de transact.*

15 Datur enim actio præscriptis verbis, vt contractus impleatur, *l. quamuis 39. eod.* Bart. vbi s. *num. 1. ad fin.*

16 Bart. *ibid. num. 1. in princ. & num 2. in fin.*

17 *Vt in l. qui res 98. in princ. de solut.* sic enim Bart. ad illum text. respondet, quamuis eius ratio sit generalis.

18 Castrens. *ad d. l. qui res, num 1. ex l. vnic. Cod. de rei vxor. action.*

19 *L. 1. D. solut. matr. l. interest 18. D. de reb. auctor. iud. possid. alias l. 3. de priuil. credit.*

20 Per text. *in d. l. si rem 20. d. l. si quis aliam 46. l. qui res 98. D. hoc tit. d. l. qui concubinam 29. §. si heres, de legat 3. l. si à substituto 45. §. hæres, de legat 1. l. 4. C. de euict. l. quod euincitur 190. de reg. iur.*

21 Anton. Capyc. *decis. 43.* quamuis contra sentiat Alexand. *consil. 105. ad fin. vol. 5.*

22 De quo vide elegans consilium Ioann. de Neuizanis, *cons. 69. à num 12. vsque ad fin.*

23 *L. ex sexaginta penult. §. 1. in fin. D. de except rei iudic. l. gregem 13. §. etiam, D. de pignor. l. debitor 59. C. ad SC. Trebel. l. cum quis 39. §. vlt. D. hoc tit. l. si rem 9. §. omnis, D. de pignor. act. d. l. 4. C. de euict.*

24 *d. l. 29. §. si heres, de leg. 3.*

25 *Arg. l. 1. §. vlt. si quis à parentum manum sit. l. in bello 12. §. si quis seruum, D. de captiu. & postlim.*

26 *L. traditionibus, C. de pact.* Et hæc ratio destruit rationem Bartoli.

27 Text. est *in l. si permutationis 16. Cod. de euict. l. 1. C. de rer. permut.*

28 *d. l. si pro fundo 33. C. de transact.*

29 *L. fratris 10. l. interpositas 13. l. causas 16. & pass. C. eod.* Nec facit pro Bart. textus quo ipse & Alex. mouentur, *in dict. l. 4. C. de euict.* Potius enim probat disertis verbis per dationem in solutum rei postea euictæ non mutari causam pignoris. Minus obstat *d. l. eleganter.* Non enim ait per acquisitionem dominij reuocabilem finiri pignus, sed videri finitum esse, quod tamen reuera non finitur. *dict. l. 4.* Deinde facile est videre totum eum locum esse Triboniani, siue verba, siue sensum consideres, vt pluribus Deo fauente docebimus *in Rational. & Defin. 20. j. tit. prox. num. vlt.*

DEFINITIO L.

Emptor fundi dotalis, qui ex vtriusque coniugis voluntate debuit pretium deponere penes certam personam, vt in alterius fundi redemptionem impenderetur, si volente marito deponat penes alium æque idoneum, etiam ignorante muliere tutus est.

QVæ marito in dotem bona sua omnia dederat præsentia & futura,[1] dotalem fundum vendiderat præsente & auctoritatem præstante marito, adhibitoque, vt fieri solet,[2] iureiurando, ea lege, vt pretium impenderetur in causam redimendi alterius fundi Corneliani longe pretiosioris,[3] cuius nomine maritus agendo aduersus possessorem iam tum obtinuerat, vt cogeretur possessor retrouendere, ob eamque rem conuenerat, vt emptor intra certum tempus apud Senatus actuarium pretium obsignaret, hoc etiam addito, vt fundus ille redimendus, postquam redemptus esset, vinculo pignoris teneretur emptori, si quando empti controuersiam ille pateretur,[4] nec prius venditi fundi instrumenta petere emptor posset, quam pretium ita vt dictum est, obsignasset.[5] Emptor recusante actuario amicæ tantum per ipsum Senatus nostri Principem interpellato, (quia neque cogi poterat, vt sequester fieret eius pecuniæ, quæ vltro offerebatur,[6] & de qua lis nulla pendebat,[7]) alios sequestros elegerat, præsente, consentiente, & idoneos affirmante marito,[8] absente tamen muliere. Tertio post die idem maritus, cui tam ex contractu dotali, quam ex iudicato competebat ius redimendi fundi Corneliani, & consequenter offerendi pretij,[9] eam pecuniam à depositariis acceperat, & in iudicio obtulerat condemnato possessori, quo recusante, quod sibi longe plus deberi contenderet, idem maritus eandem pecuniam, præsente & adprobante Senatore, in eam rem recuperatore dato, penes alium deposuerat.[10] Id curante etiam procuratore, quem ante multos annos tam maritus, quam vxor simul ad lites constituerant.[11] Post multum temporis mulier non conquesta de emptore, traditisque instrumentis decesserat,[12] herede relicto marito ex semisse & filio, quem ex alio marito susceperat ex alio semisse. Inter quos accepto familiæ erciscundæ iudicio conuenerat, vt ea obsignatio, quam maritus fecisset ad redimendum fundum Cornelianum, aut saltem fundus ipse Cornelianus, quem pro redempto habebant, communis maneret.[13] Itemque si qui fructus à die obsignationis ex ea causa deberentur.[14] Subinde & longo iam decurso interuallo filius, idemque coheres matris pretium ab emptore petebat, pro parte sua hereditaria, quasi adhuc debitum, quod non fuisset obsignatum, iuxta eam formam, quæ contractu præscripta erat.[15] Nec enim sibi aut matri nocere debuisse, quod ab ea forma contrario mariti consensu recessum erat, quandoquidem non magis poterat maritus volũtatem mulieris in pretij solutione irritam facere, tametsi bona ipsius omnia in dotem accepisset,[16] quam fundum dotalem sine consensu vxoris vendere.[17] Etsi enim datio in dotem inducit plus, quam mandatum generale cum libera, quippe quæ maritum ipsum faciat dominium: tamen derogatum intelligitur ei mandato generali, per subsequens magis speciale, & limitatum, quod ad fundi dotalis certa lege venditi pretium attinet.[19] Placuit tamen absolui emptorem debere, primum, quia ex cæteris partib. instrumentis apparebat, eam clausulam emptoris potius, quam mulieris fauore appositam fuisse, vt venditionem ex causa necessaria, vel saltem vtili factam esse constaret,[20] & vt emptoris indemni-

indemnitati certiore pignore consultum esset. [21] Proinde licuerat ei ab ea conuentione discedere, [22] nec obstabat, quod ita scriptum erat, *ledict achepteur sera tenu de remettre le prix entre les mains des Greffiers du Senat.* Id enim factum videri poterat ad onerandum emptorem, vt suo sumptu & periculo Camberium vsque pecuniam afferret. [23] Sed & quamuis fauore solius mulieris ea clausula apposita fuisset, ei tamen satisfactum fuerat per æquipollens. [24] Non tam enim electa fuerat industria personæ actuarij, [25] quam opportunitas loci, [26] nec minus soluendo erat depositarius à marito electus. [27] Item quia obsignatio illa licet inscia muliere facta eundem effectum habuerat, quam habuisset si conuentioni satisfactum fuisset. Quando quidem fuerat pecunia illa obsignata in eam ipsam causam, in quam fuerat destinata, id est, pro redimendo fundo Corneliano, quam in rem solius mariti factum interuenisse sufficiebat. [28] Nemo enim dubitat, quin si pretium penes actuarium Senatus obsignatum fuisset, vtique licuisset, marito tanquam domino rerum dotalium eam pecuniam etiam absente, & inscia vxore auferre, & Cornelio possessori fundi Corneliani offerre. [29] Quod si factum fuisset, non posset emptor semel liberatus ob id solum recidere in obligationem, quod postmodum pecunia illa male à marito obsignata & deperdita fuisset. [30] Vbi enim semel obligationi satisfeciisset, quid poterat eius interesse, quam in rem postea illa pecunia impenderetur, aut an rursus à marito rite obsignaretur, necne? [31] Accedebat, quod eam secundam obsignationem à marito bene, & bona fide factam constaret, à muliere approbatam esse, quæ venditi fundi instrumenta omnia tradiderat, [32] cum tamen non prius ad eam traditionem cogi potuisset, quam emptor contractui satisfeciisset. [33] Denique ab actore ipso, qui eam obsignationem à vitrico factam defuncta iam matre sibi cum vitrico communem esse voluerat. [34] *Ita Senatus*, pro Dn, Comite de Grolee, contra D. de Breissieu, 9. Cal. Febr. 1596.

1. Nulla enim id lege prohibitum est, *l. nulla lege*, 4. *C. de iur dot.*

2. Ad confirmandum contractum qui alioquin non valere, ob legis Iuliæ prohibitionem, *capit. cum contingat. Extr. de iureiur.*

3. Ita enim fiebat vtriusque coniugis conditio melior, & potest etiam constante matrimonio dos permutari, si id vtile sit mulieri, *l. ita constante*, 26. *D. de iur dot.*

4. Quæ conuentio erat vtilis & necessaria ad acquirendum emptori ius non tantum pignoris, sed etiam prælationis in illo fundo, *l. licet*, 7. *C. qui potior. in pignor. hab.* iunct. *l. quamuis*, 17. *C. de pignor.*

5. Ex natura scilicet venditionis, quia cum sit contractus vltro citroque obligatorius ille prius debet implere, qui ex eo prior vult agere, *l. Iulianus*, 13. *§. offerri, D. de act. empt.* Et sane quisquis fundum dotalem emit, vix vnquam adeo tutus esse potest, vt non aliquam sibi eo nomine controuersiam metuere debeat, per restitutionem in integrum impetrata absolutione à iuramento.

6. Quamuis vbi semel officium suscepit, non possit illud deserere, nisi iusta aliqua causa interueniente, *l. ei apud quem*, 5. *§. vlt. D. depos.*

7. Lite enim pendente potest actuarius, quem grapharium dicunt, cogi vt sequester fiat tanquam publicum officium gerens, ex eáque causa in præmium laboris & fidei consequitur emolumentum, vt vocant non absimile illi, quod penditur pro iudicato.

8. Cuius potissimum intererat prospicere, ne qua in re aut ipse aut mulier læderetur. Nec quicquam vetat præcedentis conuentionis formam mutari, si in ea re nulla captio sit futura, *l. vlt. D. de iur. dot.* Maxime vero cum marito qui vicerat, competeret actio ex iudicato.

9. Eius enim est pretium offerre, qui vult redimere, *l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit. l. si à te*, 7. *eod. tit.*

10. Quia scilicet sola oblatio etiam iudicialis non potuisset moram inducere sine obsignatione, vt dixi Definit. 49. *supr. eod.*

11. Videbatur tamen procurator ad lites constitutus non habere mandatum ad accipiendam solutionem, ideoque non videbatur huius procuratoris factum debere mulieri nocere, *arg. l. hoc iure*, 66. *D. de solut.*

12. Quæ tamen ex lege venditionis non poterat cogi vt traderet, priusquam emptor conuentioni satisfeciisset.

13. Nihil enim vetat, accepto quoque familiæ erciscundæ iudicio manere aliquan bona communia, quorum nomine si postea diuidenda sint, agi oportet communi diuidundo, *l. si quid contendis*, 45. *D. famil. erciscund.*

14. Solent enim deberi fructus rei quæ retrouendi debuit, saltem à die obsignationis, *l. 2.* vbi Cagnol. & alij, *C. de pact. int. empt. & vendit.*

15. Certum enim est formam cuique rei præscriptam seruandam esse, siue à contrahentibus, si eâ lege aut à statuto præscripta sit, Bart. *in l. Theopompus*, 14. *D. de dot. præleg. l. vero*, 12. *§. pen. D. de solut.*

16. *Arg. d. l. vlt. D. de iur. dot. l. vlt. D. de pact. dotal.* De quarum legum sententia & lectione vide quæ scripsimus in libris Coniecturarum.

17. Quod lex Iulia iam olim prohibuit, *tot. tit. de fund. dot. D. & C.* & hodie noua lex Iustiniani, *l. vnic. §. etiam lex Iulia, C. de rei vxor. act.*

18. *L. doce*, 9. *C. de rei vind. l. quamuis*, 75. *D. de iur. dot. l. 1. D. de fund. dotal. l. quadam*, 62. *D. de acquir. rer. domin.*

19. Quia in toto iure generi per speciem derogatur, *l. in toto iure*, 80. *de reg. iur.*

20. Quod vnum maxime semper inspiciendum est in clausulis, siue contractuum siue testamentorum interpretandis, *l. 2. D. de leg. commiss. l. in ratione*, 30. *§. tametsi D. ad leg. Falcid. l. Lucius Titius*, 40. *in fin. D. de fideic. libert.*

21. Quod igitur fauore emptoris conuentum erat, non debebat in eius odium retorqueri, *l. nulla*, 25. *D. de leg. l. quod fauore*, 6. *C. eod.*

22. Ex iuris regula, de qua *in l. si, iudex ei circumuento*, 41. *D. de minor. l. inuitus*, 156. *§. vlt. de regul. iur. l. pactum*, 46. *D. de pact. l. pen. C. eod.*

23. Quod non paruum erat incommodum, quia cuius sumptu ferri rem in locum aliquem oportet, eius periculo res ipsa est, *l. sed etsi* 12. *§. pen. D. ad exhib. l. si res mobilis*, 10. *& seqq. D. de rei vindic. l. cum res* 47. *de legat.* 1.

24. Quod videbatur sufficere, cum dici soleat nihil referre, an quid ex æquipollentibus fiat, *l. vltim.* vbi omnes notant, *D. mandat. l. mulier*, 22. *D. ad SC. Treb.*

25. Quæ scilicet non erat nominata, quamuis multum referat quis depositarius eligatur, *§. præterea, Instit. quibus mod. re contr. oblig. l. 1. §. is quoque, D. de oblig. & action.* Sed id pertinet ad eos depositarios, qui priuatam personam gerunt, nec nisi ratione personæ ac fidei eliguntur non ad eos, qui propter officium publicum quod exercent, quia securus est, qui pecuniam suam deponit, penes eum, cuius fides publice sit electa & approbata, quasi deponat in loco publico & in æde sacra, quæ depositionis & obsignationis ratio semper tutior est, *l. 1. §. apud Iulianum*, 37. *l. ei apud quem*, 5. *in fin. D. depos. l. si reus paratus*, 73. *D. de procurat.*

26. Qui scilicet omnium tutissimus videbatur, eratque.

27. Vt proinde nihil interesse videri posset, quod alium depositarium maritus elegisset, quam qui ab initio fuerat electus.

28. Cum in eo nihil fieret aduersus conuentionem, parumque referat, qua ratione fiat, quod fieri debuit, licet aliter fiat dummodo idipsum fiat, *d. l. vlt. D. mandat.*

29. *d. l. doce*, 9. *C. de rei vindic.* iunct. *d. l. 2. C. de pact. int. empt. & vendit.*

30. Semel enim liberatus non potest, aut ignorans aut inultus recidere in obligationem, *l. 1. C. de contr. iudic. tutel. l. qui res*, 98. *§. ream, D. hoc. tit. de solut.*

31. *Arg. l. bona fide*, 27. *D. ad SC. Velleian. l. doli*, 19. *ante finem, D. de noual. & deleg.*

32. Quæ ratihabitio poterat retrotrahi mandato ex vulgata iuris regula.

33. Qui enim vult consequens, vult etiam necessarium antecedens, *vulg. l. ad rem mobilem*, 56. *l. ad legatum*, 62. *D. de procurator.*

34. Quæ conuentio fieri non potuerat, quin hoc ipso rata obsignatio haberetur. Alioqui de nulla obsignatione communicanda actum videretur, cum nulla sit obsignatio quæ non rite facta est, *arg. l. quia nullum*, 40. *D. de rei vindic.*

DEFINITIO LI.

Nulla supereſt petitio augmenti monetalis poſt ſolutionem ſortis acceptam ſine proteſtatione, etiamſi agatur de dote.

BIU Cujas

REstituta dote licet in viliore moneta, quam in qua restitui debuerit, augmenti tamen petitio nulla superesse potest, si protestatio nulla interuenit. [1] Neque enim nouum est, vt volenti & consentienti debitori solutio fiat in deteriore moneta, [2] quamuis si nolit eiusmodi solutionem accipere, non sit cogendus. [3] In cæteris debitis, vtpote quæ multo minus fauorabilia sint, multo magis idem iuris. [4] *Ita Senatus* in causa Ludouici Geneuois, & Antonij Perret, 21. Mart. 1596.

1. Protestatio siquidem interueniens solet conseruare ius protestantis, *l. etsi quis, 14. §. plerique, D. de relig. & sumpt. fun. l. pro herede, 20. vers. & ideo, D. de acquir. hæred. l. 4. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*

2. Nec enim volenti & consentienti potest fraus fieri & iniuria, vt habet vulgata iuris regula, *leg. in diem, 39. §. 1. de aqua & aqu. pluu. arcend. l. nemo videtur fraudare, 145. de regul. iur.*

3. *L. creditorem, 99. alias l. Paulus, & alias l. debitorem, D. hoc tit. de solut.*

4. Nam à maiori ad minus valet argumentum affirmatiue, vt aiunt Logici, & notant nostri *ad Authen. multo magis, C. de sacrosanct. eccles.*

DEFINITIO LII.

Cessionarius certæ quantitatis, cui nullum moneta augmentum debebatur, non potest illud petere à debitore recedentis, tametsi debitum fuerit cedenti.

CVm tibi ducentos florenos deberem, nullo monetæ augmento meliorandos, [1] cesseram tibi nomen Sempronij, qui totidem mihi debebat cum augmento. Non es audiendus, si quid petas augmenti nomine supra florenos ducentos. [2] Neque enim cessum tibi, & in solutionem datum videri quicquam potest, supra quam tibi debebatur. [3] Quod eo pertinet, vt omnimodo absolui Sempronius debeat, si in ea moneta ducentos florenos tibi offerat, in qua totidem tibi debebant. [4] *Ita Senatus* in causa Philippi Verdet, & Claudij Monod, 13. Calend. April. 1599.

1. Quia scilicet ex die contracti debiti nulla superuenerat deterioratio monetarum, quæ huiusmodi augmento causam præbere solet.

2. Quod enim augmenti nomine præstatur, auget sortem. Vnde & augmenti nomen habet.

3. Cum nec solui possit quod non debetur, *l. qui promisit, 48. D. de condict. indeb. l. stipulatio ista, 38. §. inter certam, de verb. obligat.*

4. Quia nec plus tibi debere potest, quam ego debui.

DEFINITIO LIII.

Obsignatione opus est ad purgandam moram, nec oblatio sola sufficit, licet iudicialis.

OBlatio quantumlibet iudicialis, adeoque realis, quæ sufficeret ad inducendam pignoratitiam actionem, [1] non sufficit ad purgandam moram: Sed obsignatione, & quidem ea, quæ legitime facta sit, opus est. [2] *Ita Senatus* in causa N. Gaspardi de Lucinge, & liberorum N. Petri de Bellegarde, de S. Ciergue, 8. Id April. 1596.

1. *L. si rem, 9. §. vltim. D. de pignor. act.* Dixi Defin. 6. *supr. ill. eod. titul.*

2. Extradit per Bartol. & DD. *in l. acceptam, Cod. de vsur.* Iunge Definit. 40. *supr. hoc titul.* [Nec tamen quælibet obsignatio sufficit, etiam præcedente oblatione facta vero creditori, sed creditorem talem esse oportet qui solutionem accipere potuerit & debuerit. Finge iussum creditorem eam pecuniam impendere in emptionem fundi. Si creditor indicet venditorem fundi, debet oblatio fieri venditori non creditori soli. *Ita Senatus* pro Guillielmo Bouard, Idib. Septembr. 1612.

DEFINITIO LIV.

Debitoris est probare pecuniam à se oblatam & obsignatam probam fuisse, alioqui nec valet oblatio nec obligatio.

SI oblatam à debitore pecuniam creditor quasi æroſam aut alia ratione minus probam, accipere recusauerit, debitoris oneri incumbit, vt doceat probam esse. [1] Alioqui non videbitur fuisse creditor in mora accipiendi. [2] Et consequenter neque ad eum pertinebit periculum pecuniæ, si forte fuerit obsignata, [3] quia nec valet obsignatio pecuniæ debitæ, nisi cum in accipienda solutione mora per creditorem contracta est. [4] Multo minus valebit obsignatio, si nec numerata nec ostensa pecunia sit, [5] sed tantum in sacculo & folle, vt aiunt, deposita. Proinde non eo minus poterit creditor vrgere debitorem ad solutionem, iis ipsis modis omnibus, quibus posset si obsignatio nulla facta fuisset, [6] neque sibi in causa sua ius dixisse videbitur, [7] si ex post facto appareat obsignationem inutiliter factam fuisse, dummodo nulla iudicis autoritas interuenerit. [8] *Ita Senatus* pro Petro du Crest, contra Dn. du Noyret, nunc Præsidem meritiss. Cameræ Computorum Gebennens. Idib. Maij, 1596.

1. Quia est hoc fundamentum intentionis debitoris, cum non alia pecunia possit soluta liberare debitorem, quam quæ proba sit, *l. eleganter, 24. §. qui reprobos, D. de pignor. action.*

2. *L. sciendum 21. & seq. D. de vsur.*

3. *Arg. l. creditor, 102. iunct. l. creditorem, 99. alias l. Paulus, D. hoc tit.*

4. Dixi Defin. 7. *supr.*

5. Numeratam enim fuisse necesse est, vt appareat sufficientem fuisse oblationem & obsignationem, quam scilic. totius debiti esse necesse est, *l. obsignatione, 9. Cod. hoc tit. Not. in l. acceptam, 19. C. de vsur.*

6. Nulla enim videtur facta esse obsignatio, si non rite facta sit, *l. quoties, 6. D. qui satisd. cogant. l. 2. D. de auct. tutor. l. quia nullum, 40. iunct. l. præced. D. de rei vindic.*

7. Quod nunquam licet, *l. 1. D. quod legat. l. extat, 31. D. quod met. caus. l. non est singulis, 186. de reg. iur.*

8. Quod enim iudex quasi rite factum comprobauit, pro rite facto haberi debet propter iudicis auctoritatem, *l. ait prætor, 7. §. 1. vers. permittitur, D. de minor. l. seruo, 65. §. cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO LV.

Augustanus qui contraxit Camberij si repertus ibi conueniatur, nullam fori præscriptionem habet.

QVi Camberij contraxit, cum esset Augustanus, si Camberij reperiatur, potest ibi conueniri, nec habet præscriptionem fori, [1] maxime si ei præscriptioni renunciauerit, vt fieri adsolet. [2] Locus enim contractus maxime spectandus est, quoties quæritur vbi solutio fieri debeat. [3] *Ita Senatus* in causa Dn. de Leschaux & Velat Camberiensis, 26. Nouembr. 1596.

1. *L. 2. §. omnes, l. hæres absens, 19. §. 1. l. interdum, 36. in fi. l. argentarium, 45. D. de iudic.*

2. Quin enim possit renunciari præscriptioni fori non ambigitur, *l. pen. C. de pact.*

3. Sicut è contrario contraxisse vnusquisque intelligitur eo in loco, in quo vt solueret se obligauit, *l. contraxisse, 21. D. de obligat. & action.* iunct. *leg. omnem, 26.* vbi scripsi *in Ration. D. de iudic.*

DEFINITIO LVI.

De solutione facta patri proprio nomine quæ fieri debuerat tanquam patri.

Solutio

BIU Cujas

SOlutio facta patri pecuniam accipienti proprio nomine cujus tamen accipiendæ jus non habebat, nisi tanquam pater & legitimus filij administrator perinde liberat debitorem, vt à filio qui verus creditor fuit, neque viuo, neque mortuo patre conueniri possit, cùm idem ille cui solui jure potuit, & debuit solutionem acceperit, licet alio jure ac nomine. Ex eâque causa patet filij debitor potiùs constitutus intelligitur. *Ita Senatus* mense Iulij 1613.

DEFINITIO LVII.

De pecunia promissa soli marito pro precio rei vxoris per eam cum marito venditæ & solutæ mulieri post mortem mariti qui viuus alij cesserat.

VXor bona quædam sua cum marito vendiderat, & consenserat, vt emptor soli marito se obligaret de precio intra certum tempus soluendo. Postea maritus cuidam suo creditori ea obligatione & actione cesserat in solutum, ita tamen vt de cessionis causa, nonnisi ex cedentis confessione appareret. Mortuo subinde marito ante factam ex causa cessionis exactionem, debitor soluerat creditori mulieris id ipsum mandantis, sed inauditis tamen mariti hæredibus: Postmodum conuentus à cessionario debitor excipiebat, neque justam fuisse cessionem, de cujus causa non constabat, nec de vlla numeratione adeóque nec de certa quantitate quæ aut debita, aut numerata diceretur. Neque conueniri se posse à cessionario posteaquam per solutionem vero creditori aut quod idem est [2] alteri ex mandatu creditoris factam liberationem sine dubio esset consecutus. [3] Cessionarius contrà negabat solutionem factam esse vero creditori, aut ex ipsius voluntate, cùm alius creditor ex instrumenti verbis non esset quàm maritus, quo jam defuncto hæredum ipsius aut saltem cessionarij voluntas omnino exquirenda videbatur, [4] etiamsi dotalia bona fuisse proponerentur, ex quorum venditione precij debitum conflatum esset. [5] Nam & in dotis repetitione factum mariti aut hæredum ejus interuenire necesse est. [6] Placebat pro liberatione debitoris potius pronunciandum Et quia cessio illa manifesto vitio laboraret, [7] & quòd ex obligatorio instrumento facto incontinenti post venditionem bonorum vxoris constaret euidenter non nisi tanquam maritum, atque ita ipsius vxoris nomine stipulatum fuisse, [8] qui aliam stipulandi causam nullam habere probabatur, [9] sibique debebat imputare cessionarius cur non citius denunciasset debitori ne per justam ignorantiam circumueniretur. [10] *Ita tractatum est* nondum tamen decisum in causa N. de Curtilles & N. Carole Salteur in publico auditorio 12. Nouembr. 1613.

1 Probanda enim est iusta causa cessionis aliter quàm ex nuda confessione cedentis *l. per diuersas 22. vbi text.* & omnes notant *C. mandat.*

2 Nihil enim refert an quis vero creditori soluat, an vero procuratori *l. vero procuratori 12. De solut. l quamuis 40. l. vlt. & leg. seq. D. ad SC. Trebell.*

3 Est enim solutio naturalis & germanus modus tollendæ obligationis *l. vlt. D. hoc tit.*

4 *Vt in l. si ego 9. § si res D. de iur. dot.*

5 Cùm pecunia ex re dotali redacta dotalis esse videatur tanquam subrogata in locum rei dotalis *l. Titia 62. in fin. de iur. dot.* Sicut è contrario res ex pecunia dotali empta dotalis esse videtur *l. res quæ 34. eod.*

6 *L. dotis actione 9. C. solut. matr.*

7 *d. l. per diuersas.*

8 Præsumendus est enim fuisse stipulatus eo jure quo potuit & ex titulo præambulo, *l. quædam mulier 77. de rei vindicat. l. res ex mandatu 59. de acquir. rer. domin. l. possessio 49. § vltim. de acquir poss. §.* Sicuti procurator simpliciter acquirens intelligitur acquirere tanquam procurator. Cravet. *consil. 92. numer. 12.*

9 Alioquin doli exceptione repelli potuisset agens ex stipulatione interposita sine causa.

10 *Vt in l. 3. C. de nouat. l. vltim. D. de transact.*

DEFINITIO LVIII.

De debitore per delegationem liberato se obligante pro euictione pignorum à delegato datorum.

OB eam causam accepto liberatus quod alium debitorem delegasset [1] qui primo creditori cauerat datis pignoribus, [2] si conuenerit, vt in casum euictionis pignorum teneatur delegans de euictione, [3] Pignoribus postmodum euictis, non ideo extincta obligatio resuscitabitur, aut judicio officio restaurabitur, [4] quod neque delegationis potestas, [5] neque juris ratio [6] patitur, sed noua de euictione nascetur, per quam is cui facta est delegatio plenissimam indemnitatem non debiti quod amplius nullum supereſt, sed ipsius euictionis nomine consequatur. [7] Proinde si euicta pignora minoris sint, quàm sit debiti extincti quantitas, non ad summam quæ fuit debita, sed ad valorem pignorum litis æstimatio referenda erit. [8] Nec sunt ista contraria. Aliud enim est in vetere obligatione retineri, quod post interpositam delegationem fieri nullomodo potest, [9] ne quidem per expressam conuentionem, [10] cum juris ratio non sit in potestate contrahentium. [11] Aliud verò ex nona, & superueniente causa in nouam obligationem incidere eum ipsum qui ab alia fuerit jam liberatus: quod nulla certè vel lege vel ratione prohibetur. [12] *Ita Senatus* pro N. Humberto De ville contra sorores Poncet in ea causa de qua Definit. 12. supr. tit. prox.

1 *Vt in l. ob eam causam 9. D. de præscr. verb.*

2 Caueri enim solet datis aut fideiussoribus aut pignoribus, *l. si mandatu 59. §. vltim. D. mand. l. 4. §. addies D. de fideic. libert.*

3 Alioqui periculum pignorum, vt & nominis delegati pertineret ad delegatarium *l. pupilli 96. §. soror. D. hoc tit. l periculum 30. D. de pignor.*

4 *d. l. ob eam causam*, quæ loquitur etiam illo casu quo delegatio nulla facta sit, sed tantum promissa

5 Cum delegatio omnis contineat nouationem, quæ semper obligationem veterem perimit, & transfert in sequentem *l. 1. l. delegare 11. & pass de nouat. l. 3. & vlt. C. eod.*

6 Semel enim extincta obligatio numquam reuiuiscit, *l. qui res 98. §. aream D. hoc tit.*

7 Sunt enim ista diuersa *l. si inter 21. §. vlt. D. de pignor.* Iunge *l. euictare 70. D. de euict.*

8 Actio enim de euictione non ad plus extendi potest quàm ad valorem rei euictæ, & si quid eo nomine amplius interfit *d. l. euicta l. bonitatis 13. l. si in venditione 60. eod.*

9 Cum delegatio quæ valuit obligationem totam priorem sustulerit *l. si mulier 59. §. ex asse D. de iur. dot.*

10 Non enim valent conuentiones in contractu appositæ, quoties sunt contra substantiam ipsam contractus *l. cum precario 12. D. de precar. & simil.*

11 Adeoque nec judicantium *l. 1. §. 1. D. ad SC. Turpill. l. ordo 15. D. ad municip.* Nec enim priuatorum cautiones legum authoritate censeri possunt *l. vlt. D. de suis & legit. l. ius publicum 38. D. de pact.*

12 *L. Papinianus 18. D. de seruit. l. si quis ædes 30. vrb. prad. l. si ea 9. commun. prad. l 2. §. pen. de hared. vel act. vend.* Sicut & mane, nte vetere obligatione noua constitui potest, *l. ab emptione 58 in fin. D. de pact.*]

BIU Cujas

TIT. XXXI.
DE EVICTIONIBVS.

DEFINITIO I.

Venditor non potest exigere pretium ab emptore conuento per alium hypothecaria, nisi pro eo litem suscipiat, caueatque de restituendo pretio, si tertius obtinebit.

SI quis fundum emphyteuticarium vendiderit, & ex natura contractus emptori habere licere promiserit,[1] post traditionem vero appareat pro reliquis annui canonis obligatum esse fundum, eoque nomine litem à domino directo, siue ante, siue post contractum institutam,[2] non idcirco poterit emptor pretium retinere in id vsque tempus, quo venditor de euictione satisfecerit, vt fieri solet, cum in ipso, vt aiunt, contractus limine imminet periculum euictionis.[3] Neque enim per actionem hypothecariam euinci res videtur,[4] quam habere emptori licet ablato solutoque debito.[5] Nec quod directus dominus directam quoq; rei vindicationem fortassis exerceat,[6] ad rem quicquam faciet. Habet namque vindicatio illa eandem conditionem, quam hypothecaria, si annua pensio emphyteuticaria non soluatur.[7] An igitur dicendum erit cogi emptorem pretium soluere venditori forte inopi, tum si postea creditor obtineat, aut fundum amittere, aut de suo rursus litis æstimationem ad hypothecam liberandam præstare?[8] Senatus ita rem temperandam putauit, vt cogatur venditor periculum litis pro emptore suscipere,[9] interim tamen pretium ab emptore consequatur, præstita prius satisdatione, non de euictione, quæ hic nulla potest contingere,[10] sed de restituendo pretio, soluendove actori, si in hypothecaria obtineat.[11] Cumque judex quidam inferior diffinitiuam pro venditore sententiam dixisset, nullo ei cautionis onere injuncto, Senatus male judicatum pronunciauit.[12] Ex tempore 16. Calend. Ianuar. 1598.

1 *L. si seruus venditus*, 21. §. 1. *& seq. l. habere licere*, 57. *& pass. D. hoc tit. l. stipulatio ista*, 38. *in princ. de verb. oblig.*

2 Habet enim dominus directus hypothecariam, licet sit ipse dominus, quia vtile dominium ei obligatum est, quod ad emphyteutam pertinet, *l. vlt, vbi not. C. de iur. emphyt.*

3 *Ex l. si post perfectam*, 24. *C. hoc tit.*

4 Scilicet ita vt omnimodo euincatur, quia potest vinculum pignoris dissolui soluto debito, vt sequitur in Definitione. Cæterum si nemo sit qui pignus luere velit, ex hac quoque causa potest sequi euictio, & committi stipulatio, *l. si mancipium*, 34. §. *vlt. & l. seq. D. hoc tit.*

5 *L. si cum venditor* 66. *eod. tit.* Cauet. *per ill. text. cons.* 298. *num.* 14. *post glos. in l. qui rem & l. ex his prædiis, Cod. eod.* facit *l. si fundus*, 16. §. *in vindicatione, D. de pign.*

6 Quam vtique potest etiamsi velit exercere tanquam dominus directus, *Not. in d. l. vlt. C. de iur. emphyt.*

7 *dict. l. vltim. dict. l. si fundus*, 16. §. *in vindicatione. D. de pignor.*

8 Atqui esset iniquum emptorem bis idem soluere, cum prima solutione debeat liberari.

9 *Ex l. si plus*, 74. §. *mota quæstione, D. hoc tit. l.* 1. *Cod. vbi in rem act.*

10 Vt dixi *num.* 5.

11 Quæ restitutio longe minor est, quam ea quæ fieret, si qua fieri deberet ex causa euictionis. In eam namque venit, non modo pretium rei, sed etiam id quod interest, *l. si in venditione*. 60. *D. hoc tit.*

12 Fuerat enim ita pronunciandum, vt neutra pars læderetur, *l. ex his*, 8. *in fin. D. qua in fraud. credit,*

DEFINITIO II.

An & quando filius possit impugnare factum matris, cui hæres ille extiterit, & quæ tam proprio quam tutorio nomine fundum filij vendiderat.

MAter quæ impuberis filij tutrix erat, fundum pupillarem, tam proprio quam tutorio nomine sine decreto vendiderat, seque cum bonis suis omnibus de euictione obligauerat, postmodum eodem filio hærede relicto decesserat, filius agnita matris hæreditate fundum nihilominus vindicabat, quod aduersus alienationem contra leges factam hæres quoque venire possit ex propria persona, quasi non sit hoc casu locus vulgari exceptioni, & juris regulæ quæ habet Dolo malo facere illum, qui rem vindicet, cuius nomine de euictione teneatur.[1] Placuit imo vero justam esse exceptionem, propterea quod mater non tantum tutorio, sed etiam proprio nomine vendidisset.[2] Quo intuitu negari non poterat, quin venditio pignorumque datio valeret, cum placeat alienam quoque rem, etiam à sciente & scienti vendi posse[3] hactenus, vt & obligatio nascatur, & de euictione vtiliter caueatur. Quod si mater tutorio dumtaxat nomine vendidisset, nec euictionis causa bona sua obligasset, filio vtique permitti deberet, vt quamuis hæres matris esset, tamen rem suam, cuius alienationi legis prohibitio obstitisset, à quocumque possessore vindicaret,[4] si non ipsius filij factum nominatim, expressimque à matre promissum, & in stipulationem deductum proponatur.[5] Diuersum est si filio mater hæres extiterit. Hoc enim casu omnimodo confirmabitur alienatio, etiam quæ ab initio contra leges facta fuerit, quia difficilius est, vt quis proprium, quam vt hæres jam improbatum defuncti factum improbet.[6] *Ita Senatus* in causa D. Bollieti Aduocati 3. Non. Decembr. 1589.

1 *L. vindicantem*, 17. *D. de euict. l. venditrici*. 3. *C. de rebus alien. non alien.* Vide Osasc. *decis. Pedem.* 180.

2 *L. cum à matre*, 14. *C. de rei vindicat, l. si patri tuo*, C. *de donat. l. si cum dotem*, 22. §. *si pater*, *D. solut. matrimon. l. cum vir. D. de vsucap. l. si vxor. Cod. de bon. auctor. iudic. poss. l. si adulta*, C. *de hæred. action.* Adde *l. etsi is qui*, vbi Bald. & Salyc. *Cod. de præd. minor.*

3 *L. rem alienam*, 28. *D. contr. empt.* Boer. *quæst.* 23. *num.* 13. *& seqq. vsque ad num.* 22.

4 *Argument. l. scimus*, §. *in computatione*, vbi DD. *Cod. de iur. deliber.*

5 vide Boer. *quæst.* 23. *num.* 20. *&* 17. vbi ait filium, qui non consensit alienationi, posse contraeuenire, si modo fecerit inuentarium, nec de bonis defuncti quicquam habeat.

6 De tota hac quæstione, siue dominus succedat, non domino venditori, siue non dominus domino. Vide Bart. *in dict. l. cum vir. de vsucap.* Boer. *d. quæst.* 23 *à num.* 13. *vsque ad* 21.

DEFINITIO III.

Non quemadmodum venditoris ita & eius, qui de euictione fideiussit, hæres venditionem ratam facere cogitur.

MVltum interest, an venditori, an vero ei qui euictionis nomine fideiusserat, hæres extiterit is, cuius res vendita fuit. Qui enim ipsius venditoris hæres est, venditionem ratam habere cogitur, nec defuncti cuius personam gerit, factum impugnare potest, nec proinde rem suam vindicare,[1] si non legibus improbata venditio est.[2] At is, qui non nisi fideiussoris de euictione dati hæres est, si rem venditam vt suam vindicet, nihil facit contra voluntatem factumve eius cui successit, ideoque quamuis de euictione ex causa hæreditaria teneatur,[3] nulla tamen exceptione re-

BIU Cujas

ne repelli potest, si modo euictionem, quam defunctus promisit, præstare paratus sit. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1. *L. vindicantem*, 17. *l. Seia.* 73. *D. hoc tit. l. venditrici*, 3. *C. de reb. alien. non alienand. l. cum à matre*, 14. *C. de rei vind.*
2. Vt dixi in Defin. prox. præced. *nu.* 4. *& 5.*
3. *d. l. Seia.*
4. *L. vlt. C. hoc tit.* vbi est textus elegans, qui non loquitur de hærede venditoris, sed de hærede fideiussoris, vt ibi glossa etiam notat.

DEFINITIO. IV.

Pro euictione fundi non semper pecunia dari debet, sed aliùs fundus æquiualens arbitrio boni viri, si habeat venditor ex propriis bonis quem dare possit.

EVicto fundo qui venditus fuerat, si emptor de euictione agens malit alium fundum æquiualentem arbitrio boni viri, quam litis æstimationem consequitur, audiendus est, [1] si ex propriis bonis venditor habeat quem dare possit, nec æquum est, vt liberetur dando pro re pecuniam, [2] qui aliam rem æque bonam & æque commode dare potest, [3] licet res huiusmodi non sint ex earum numero, quæ inuicem recipiunt functionem. [4] Neque enim negari potest, quin sicut præstandum est emptori, quanti eius interest, [5] ita ipsius interfit, rem habere aliquam potius quam æstimationem. [6] Sic alias à Senatu nostro iudicatum fuisse pro N. Socquet, contra Franciscum Iuge procuratorem relatum est, 17. Calend. Decembr. 1590. [Alio tamen iure vti nos sæpius vidi, nec supradicta sententia in aliis quàm in feudis facilè admittenda est. 7]

1. Boer. *quæst.* 19. *num.* 3. *ex cap.* 1. vbi Bald. Card. Alex. Aluar. qui dicunt textum illum esse mirabilem, *de inuest. de re alien. fact. cap. l. cum sua, glos. si de feud. vas. ab aliq. interp. fuer. l. qui autem, §. quod si ante, de constit. pecun. l. si quis domum*, 9. *in princip. locat. C. Labeo*, 30. *§. fin. de arbitr.*
2. Ne aliud pro alio solui videatur inuito creditori, contra *l.* 2. *§.* 1. *D. de rebus credit.*
3. Aliud enim est si dare non possit, quia tunc omnimodo æstimanda euictio est in pecunia.
4. *dict. l.* 2. *§.* 1. *de rebus credit. l. manifesti*, 17. *cum l præced. C. de solut.*
5. *L. si in venditione*, 60. *l. euictare*, 70. *D. hoc tit. l. empto*; 11. *§. qui autem, & pass. D. de action. empt.*
6. Non enim pecuniam sed rem habere voluit, qui pro pecunia rem emit. Nec cogendus est quisquam rem suam, etiam iniusto pretio vendere, *l. nec quasi.* 70. *D. de rei vindic.*

[7. Semper enim condemnationis æstimatio facienda est in pecunia, maximè verò cum agitur de euictione siue ad duplam agatur quæ cùm sit dupla pretij non potest non consistere in pecunia numerata, vt & precium ipsum siue ad id quod interest quod semper consistit in quantitate, *l. 1. l. si in venditione*, 60. *& pass. D. hoc titul. l. vltim. D. de prator. stipulat.* Pecunia enim res omnes æstimat non etiam cæteræ res per alis res æstimantur, *l. si ita* 42. *D. de fideiuss.* Plane si is cui pecuina debebatur ob non solutam eam suo tempore passus sit iacturam alicuius fundi, debet aduersarius condemnari vt indemnitatem ei præstet in alio fundo qui sit eiusdem non solùm valoris, sed etiam reditus si fieri possit. Sed vno tantùm casu, nimirum si ea pecunia in fundi alicuius emptionem aut redemptionem impendi debuit. Alioqui non esset creditori satis consultum. *Ita Senatus* pro Guillielmo Bouard contra N. Dominicum Cize Idib. Sept. 1612. Extra hunc casum vix est, vt id quod interest non debeat æstimari in pecunia.]

DEFINITIO V.

Filius cui pater hæreditatem ex fideicommisso restituere debuit, potest tanquam fideicommissarius venire contra factum patris, etiamsi hæres ei extiterit pure, nisi in casibus.

FIlius licet paternam hæreditatem sine beneficio legis & inuentarij agnouerit, si tamen ius aliquod habeat ex propria persona, vt puta fideicommissi in iis bonis quæ pater tanquam sua vendidit, potest contra factum patris venire, si pater de suo tantum, non etiam de filij iure siue transigendo, siue qua alia ratione contraxerat. [1] Neque hoc casu iis legibus locus est, quæ negant permittendum hæredi, vt factum defuncti impugnet: [2] sed tum demum, cum aut ius hæredis proprium nullum est, aut de eo quoque iure nominatim transactum actumque proponitur. [3] Sane quin filius tanquam hæres patris, & ex contractu paterno sit obligatus de euictione non est ambigendum. [4] Sed non ideo magis repelletur per exceptionem doli, [5] quam si cum beneficio legis & inuentarij paternam hereditatem agnouisset, quo tamen casu perinde ad concurrentem vsque hæreditatis æstimationem de euictione teneretur. [6] *Ita Senatus* in causa N. Ioannis Dionysij Franciscí de Seiturier, contra D. de Dortans, 4. Non Aug. 1592.

1. Osasch. Cacher. eleganter & late *decis. Pedem* 180. *num.* 5. Crauet. *cons.* 200. *num.* 7. DD. *ad l. vlt. § in computatione, Cod. de iur. delib.*
2. *L. cum à matre*, 14. *C. de rei vindic. l. vindicantem*, 17. *D. hoc tit. l. venditrici*, 3. *C. de rebus alien. non alienand.*
3. Cum possit quilibet de rebus hæredis sui, perinde ac de suis disponere, *l. vnum ex familia*, 67. *§. si rem, de leg.* 2. *l. heredum*, 25. *C. de fideic.*
4. *L. Seia* 73. *D. hoc tit.*
5. Si modo paratus sit euictionem præstare, *d. l. Seia.*
6. Beneficium namque inuentarij non adfert liberationem aut indemnitatem, nisi hactenus, vt hæres non teneatur supra vires & facultates hæreditarias, *d. l. vlt. C. de iur. delib.*

DEFINITIO VI.

Procurator qui fidem suam non adstrinxit pro euictione prædiorum, quæ alterius nomine vendidit, non tenetur de euictione, si modò vel mandatum exhibeat, vel ratihabitionem.

QVi tanquam procurator rem vendidit, aut aliter contraxit, non tenetur de euictione, si is, qui procuratorem constituit, aut ratum habuit, [1] vel alius euincere postea rem velit. Est enim id extra causam obligationis, qua procurator adstringitur, ad quam dissoluendam sufficit, vt vel ex mandato præcedente, vel ex subsecuta ratihabitione appareat, non fuisse illum falsum procuratorem. [2] Nec eo minus, tametsi ex propria persona ius aliquod habeat euincendæ rei venditæ, iure suo vti prohibebitur, siue verus siue falsus fuerit procurator. [3] Plane si mandatum non habuerit, nec ratihabitio secuta sit, non tamen ad aliud teneri potest, qui tanquam procurator siue actionis siue exceptionis iure conuenitur, nisi vt vel diligentiam præstet, vel quanti interest stipulatoris, non etiam vt plus iuris quærat stipulatori, quam erat ille habiturus, mandato aut ratihabitione intercedente. [4] Atqui etiamsi alterutrum interuenisset, perinde tamen dominus iure suo vti potuisset. [5] Nulla igitur ex hac causa de euictione, aut ex stipulatu actio contra procuratorem competere potest. [6] *Ita Senatus* pro Francisco Bernard Lugdunensi, contra N. Morel, vxorem N. Ioannis de Burges, 6. Cal. Decemb. 1592.

1. Nullo scilicet præcedente mandato. Nam cum præcesserit mandatum, non est expectandum, vt sequatur ratihabitio, *l. in debitam*, 47. *D. de cond. indeb. l.* 1. *C. de procurat.*
2. Intellige, Nisi fidem suam adstrinxerit pro euictione prædiorum, *vt in l. procurator qui pro euictione*, 67. *D. de procurat. l.* 3. *alias l. prior §. in eum. D. de adminis. ver. ad ciuit. pert.* Cæterum cogitur omnimodo probare vel mandatum vel ratiha-

BIU Cujas

bitionem, ne possit dici falsus procurator. Bart. *in d. l. procurator, nu. 4. arg. l. 1. C. credit. euict. pign. non deber. & in l. si procuratori falso, de condict. ob caus.*

3. Textus est *in l. seruum Titij, 49. D. mandat.* facit *l. etsi is, 10. D. de distract. pign.*

4. Hoc enim est quod diximus ex Bartol. *numer. 2.* ad hoc teneri procuratorem, vt exhibeat vel mandatum vel ratihabitionem.

5. Cum non potuerit domino res sua aufferri per venditionem ab alio factam, *l. rem alienam, 28. D. de contr. empt.*

6. Nisi proprio nomine fidem suam obstrinxerit pro euictione, *vt in d procurator.*

DEFINITIO VII.

Qui liberaliter remisit, quod sibi debitum putabat, non potest eo nomine conueniri de euictione, si neque promiserit, neque dolus interuenerit.

ET qui laudimia tibi debebat ex causa emptionis à se factæ remisisti liberaliter, quicquid eo nomine petere potuisses, ob eamque rem soluta tibi fuisse laudimia, quæcumque debebantur, vltro professus es. Si alius interueniat, qui idem ius petendorum laudimiorum sibi adserat, non male conuenieris, vt indemnem præstes emptorem, si numerationem ille alieget, ac triginta dies effluxerint, intra quos poteras excipere de pecunia non numerata. [1] Sed si probes nihil tibi numeratum fuisse, at gratuito & liberaliter à te remissum quod tibi debebatur, æquum non est, vt ex liberalitate tua de euictione conueniaris, [2] nisi vel in dolosis, vel nominatim te de euictione obligaueris. [3] Sed probatio donationis à te præstanda est. [4] Nihil vero intererit, an laudimia tibi soluta fuisse professus sis post contractam venditionem, an cum in eo res esset vt contrahenda speraretur. [5] *Ita Senatus* in causa Francisci Louys & Francisci Porral contra Guillelmum le Marquis, 4. Id. Decemb. 1592.

1. *L. in contractibus 14. C. de non numer. pecun.*

2. Ne scilicet ex liberalitate tua periclitetis, *l. 1. Cod. de iur. dot. l. 2. C. hoc tit. l. ne ex liberalitate 50. D. de re iudic.*

3. *Vt in d. l. 2. C. hoc tit. l. 1. C. de iur. dot.*

4. Numquam enim capitur præsumptio donationis, cum alia capi potest, quia donare est perdere, *l. cum de indebito 25. D. de probat. l. si filius familias 7. D. de donat.*

5. Quia nihil vetat de laudimiis tractari, etiam ante factam venditionem, cum pro facto haberi possit, quod mox fieri speratur, *vulg. l. pen. D. de testam. milit.*

DEFINITIO VIII.

Qui renunciauit liti motæ sibi de dominio rei venditæ, nullum habet regressum de euictione, præsertim si apud acta renunciauerit, nisi probet iustam fuisse euictionem.

ALienæ rei emptor si à domino conueniatur, & liti renunciet, siue ante, siue post laudatum auctorem litemque ab eo assumptam, amittit actionem de euictione, propterea quod non solum vitio suo & culpa actor obtinuerit, sed etiam per eum factum sit, ne auctor sit audiendus, si ius suum tueri velit, quippe cuius nihil interfit, posteaquam nullum emptor aduersus eum habiturus est regressum. [1] Nec si aduersus renunciationem litis restitui emptor velit, hoc solo prætextu, quod à bona lite sine causa discesserit, audiri debet: quoniam hæc ipsa iustissima causa est renunciationis, vt à lite discedatur. [2] Vnde etiam fit, vt quod ob hanc causam datum est, condici nequeat quasi indebitum aut sine causa datum, nisi per euidentem calumniam & dicis causa lis mota fuisse proponatur. [3] In proposito autem illud etiam accedebat, quod facta erat renunciatio apud acta, [4] & ea nominatim causa adiecta, ne maioribus litis sumptibus emptor vexaretur. [5] Plane si is, qui liti renunciauit, probet, iustam fuisse euictionem, sibique alienam rem venditam, nullo licet venditoris dolo interueniente, saluam habere debet actionem ad id omne, quod sua interest, [6] præterquam ad sumptus factos in ea lite, cui ignorante vel inuito venditore renunciauit. [7] Ita in publico auditorio tractatum est 4. Id Decembr. 1592.

1. *L. 1. C. vbi in rem act. l. emptor. 8. C. hoc tit. l. per imprudentiam 51. l. si fundo 53. §. 1. l. si ideo 35. l. vlt. D. eod.*

2. *L. in summa 65. §. 1. D. de condict. indeb. l. postquam liti 4. C. de pact.*

3. *d. l. in summa, §. 1.* adeo vt sufficiat etiam metus litis, *l. 2. C. de transact.*

4. Quæ omnium fortissima est, eandemque pene vim habet, quam habebat olim cessio facta in iure, *l. 3. C. de repud. vel abstin. hæred. l. si lis 11. C. ad leg. Cornel. de falsi.*

5. Quæ causa non tantum vtilis, sed etiam honesta est, *l. minoribus 6. D. de minor. l. 1. D. de inoff. testam. l. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact.*

6. *d. l. si ideo 55. à contr. sens. D. hoc tit.* Imbert. in Enchirid. *in verb. emptor.*

7. Cum etiamsi denunciata lis esset, non tamen ad alios sumptus teneri venditor posset, quam qui post denunciationem facti essent, *d. l. emptor. cum ibi not.*

DEFINITIO IX.

Tutor, qui pupilli nomine rem alienam aut alij obligatam vendidit, an & quando de euictione aut de pretio teneatur, & quid si non sit soluendo?

SI tutor rem pupillarem bona fide, licet sine decreto, distraxerit, nec nisi pupilli bona emptori obligauerit, non potest proprio nomine de euictione conueniri, [1] nec pro pretio quidem, si probet, pecuniam ad pupillum peruenisse. [2] Ergo pupillus ipse de euictione tenebitur, si bona fide gestum negotium fuit, siue tutor soluendo sit, siue non: neque enim male contrahitur cum tutoribus, [3] sin minus, de eo dumtaxat pupillus tenebitur, quod rationibus eius accepto latum fuit: [4] de reliquo tutor, qui pecuniam accepit, non male conuenietur. [5] *Ita tractatum est* in ea causa de qua SC. 1. supr. De peric. tutor. & curat.

1. Nam nec posset conueniri etiamsi simpliciter se obligasset, *l. post mortem 5. §. 1. D. quand. ex fact. tutor.* In quo melior est ipsius conditio, quam Procuratoris, *l. seruum Titij 49. D. mandat.* nempe quia tutor est administrator necessarius, Procurator vero voluntarius, vt tractat Bart. *ad l. Procurator 67. D. de procurat.* Vide *l. vlt. D. de instit. act. & Defin. 6. supr. hoc tit.* Notant nostri *ad l. 2. C. ne vxor. pro marit.* licet aliter videatur sentire glos. quam vide *in l. mutus 43. §. is qui, in verb. satisdare, ad fin. D. de procur.* vbi etiam Bald.

2. *L. tutor vrgentibus 47. in fi. D. de minor. l. illud quæritur 4. §. vlt. D. hoc tit.* Adde Felin. *cons. 16. nu. 13.*

3. Ratio est Vlpiani *in d. l. 4. §. vlt. D. hoc tit.*

4. *d. §. vlt. l. si fundus 13. §. 1. D. de rebus eor. qui sub tutel. l. vtere 14. C. de præd. minor.*

5. *L. cum tutor 18. D. de tutel. & rat. distr.*

DEFINITIO X.

Imminente periculo euictionis plurium rerum diuersis pretiis & instrumentis venditarum, si de vnius tantum pretio agatur, eius solius nomine satisdationem offerri satis est.

CVi pretium ex venditione debebatur, is creditori suo venditi actionem ad id pretium consequendum mandauerat. Conuentus emptor à cessionario parte pretij iam soluta negabat, teneri se ad residui solutionem, propterea quod ab alio proprietatis controuersiam pateretur, nec tantum pro ea re, cuius pretium

BIU Cujas

pretium pateretur, sed & pro aliis plerisque, quas idem hic emptor ab eodem venditore eiusve hærede licet separatis instrumentis comparauerat. Cum venditor liti interuenisset, ac euictionis nomine pro ea re duntaxat, de cuius pretio agebatur, satisdedisset, emptor ad pretium cessionario soluendum fuerat condemnatus. Prouocatione ad Senatum interposita dicebat ille, non prius se ad pretij solutionem condemnari debuisse, quam sibi satisdatum esset de euictione, non illius tantum fundi nomine, sed etiam cæterorum quoque omnium, quos ab eodem venditore emisset, ac quorum pretium iam soluisset, quando quidem imminebat omnium euictio ex vna eademque causa. [1] Senatus pronunciauit, perinde quidem imminente euictionis periculo repellendum cessionarium exceptione doli ob non præstitam satisdationem, atque repelli posset ipse venditor, cum huiusmodi exceptio non personæ, sed rei cohæreat, cuiusmodi quæ sunt proculdubio competunt aduersus cessionarium quemlibet æque ac contra cedentem ipsum: sed tamen in proposita specie satisfactum videri legi ex eo, quod venditor fideiussorem dedisset de euictione rei, cuius pretium petebatur. Etsi enim vna eademque causa erat euincendorum fundorum omnium, quos idem emptor ab eodem venditore comparauerat: non tamen vno pretio empti omnes proponebantur, sed diuersis & pretiis, & instrumentis. Quo casu constat, tot esse de euictione actiones, quot sunt species rerum. Nam & idem obtinet, etiamsi vno emptionis instrumento plures res dum ne vno pretio venditæ fuerint. [3] Seraque est fideiussionis postulatio soluto iam pretio, [4] cum ex natura actionis ex empto non sit vt venditor satisdare teneatur, si id specialiter dictum non sit. [5] Nec quod post solutum pretium mouetur emptori controuersia, siue dominij, siue pignoris iure dat illi actionem contra venditorem ad restitutionem pretij aut ad satisdationem extorquendam, sed tantum ad rem defendendam: [6] nisi vel aliter conuenerit, [7] vel venditor in dolo fuerit. [8] Et sane absurdum videatur propter periculum euictionis aliarum rerum, quarum pretium iam solutum sit, retineri velit pignoris iure pretium eius rei, pro qua satisdatio offeratur. Nam quod dici solet, indiuisam esse causam venditionis & euictionis, [9] ad eum casum pertinet, quo earum rerum nomine agatur: quæ vnica venditione vnoque pretio contineantur. [10] *Ita Senatus* ex tempore pro N. Paquier contra N. Blanchard. 7. Cal. Mart. 1593.

1 *Ex l. si post perfectam 24. C. hoc tit. l. penult. §. vltim. D. de peric. & commod. rei vend. leg. vltim. §. ex quadrante, D. de doli mal. except.*

2 *L. exceptiones 7. §. rei autem, D. de except.* Not. *in l. facta 63. §. si heres, D. ad SC. Trebell. & in l. 4. si cum legitima, & seq. D. de doli mal. except.* Scripsi *libr. 12. Coniect.*

3 *L. cum plures 72. l. quia dicitur 31. D. hoc tit.*

4 Debet enim peti satisdatio ante pretij solutionem, *dict. l. si post perfectam.*

5 *L. pacta conuenta 72. D. de contr. empt.*

6 *L. si plus vel minus 74. §. mora quæstione, D. hoc tit. l. qui rem emit 3. C. eod.*

7 *L. siue in libertatem 12. eod. tit.*

8 *L. seruus quem 3. §. vlt. D. de action. empt.*

9 *L. cum ex causa 139. D. de verb. obligat.* Vide tamen Boer. *quæst. 23. num. 21.* vbi tractat, non adeo indiuisam esse defensionem ex causa euictionis, vt qui pro parte tantum hæres est, litem in solidum defendere teneatur.

10 Vt in specie *l. si duorum 44. D. de action. empt. l. tutor 47. §. 1. D. de minor.*

DEFINITIO XI

Non eo minus debet satisdare venditor de euictione, quæ in ipso limine contractus immineat, quod satis cautum sit emptori datis ei pignoribus.

DE illo etiam in eadem facti specie quæsitum est, an locus sit petendæ satisdationi ante solutionem pretij, quantumuis immineat periculum euictionis, si iam aliunde satis emptori cautum sit, vt puta datis pignoribus vel hypothecis? Quid enim refert, an fideiussor detur, an pignora, vt idonee cautum videatur? [2] Quod si ita esset, hodie certe nullus vel perexiguus superesset vsus exceptionis illius, quam ex hac causa emptori contra venditorem competere diximus, quandoquidem vix est vt venditio vlla fiat, quæ non adnexam habeat bonorum omnium ex vtraque parte obligationem, adeoque vt plurimum cum clausula constituti. [3] Sed tamen potest interdum satisdatio esse necessaria, nempe si vel de pignorum idoneitate dubitetur, vel iuste timeri possit, ne difficilis futura sit eorum persecutio. [4] Sed etsi pignoribus idoneis datis non sit necessaria satisdatio, semper tamen vtilis est, quia solet expeditior esse ad consequendam solutionem actio, quæ competit in personam fideiussoris, qui non tantum bona sua, sed corpus quoque suum pignori obligauerit. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Ex l. si post perfectam 24. C. hoc tit.* & aliis supra citat. *num. 1. Defin. prox. praced.*

2 *L. si mandatu 59. §. vlt. D. mandat. l. 4. §. adiici, D. de fideic. libert.*

3 Adeo vt nec desint, qui ob hanc causam putent, illas clausulas & obligationes bonorum omnium & constituti censendas esse appositas, etiam cum fuerunt prætermissæ: contra quos tamen vide quæ disputauimus *in error. 1. decad. 1. de error. pragmat.*

4 Et ideo plus præstat, qui dat fideiussorem, quam qui dat pignora, vt scripsi *in Rational. ad l. 1. D. qui satisd. cogant.*

5 Quomodo cogitur fideiussor etiam corpus suum obligare, vt fideiussor idoneus videatur, vt dixi *Defin. 11. §. de fideiuss.* [Obserua tamen non esse locum præstandæ fideiussioni ex *d. l. si post perfectam*, quoties imminebat periculum euictionis iam inde ab initio & inspecto tempore contractus si emptor sciebat periculum euictionis. Quid enim si sciebat rem alienam aut obligatam, quam emebat? Debet sibi imputare non fideiussorem indemnitatis petere. *Ita Senatus* in causa D. Iosephi Bertrand & D. d'Ayguebelette, 2. Iun. 1614.

DEFINITIO XII.

Vsufructuarius, qui, vt proprietarij possessionem interueneret, accepit fundum in emphyteusim à domino directo; nullam contra eum habet actionem de euictione possessionis; nec vllo casu nisi de pretio.

QVi habebat fundi vsumfructum, quem sciebat mortuo se reuersurum ad proprietarium consolidationis iure, eundem fundum quasi talliabilem, vt loquuntur, acceperat in emphyteusim à domino directo pro centum aureis, cum esset dignus quadringentis. Eo mortuo, cum ipsius heres fundi possessionem retinere vellet, quasi consolidato iam vsufructu cum proprietate, [1] patiebatur controuersiam possessionis ab herede proprietarij, quod is diceret, finito vsufructu restituendam sibi possessionem, [2] nec à fructuarij herede retineri posse, [3] cum fructuarius ipse non sibi sed proprietario possedisset, [4] nec mutare sibi causam possessionis, [5] aut dominij quæstionem proprietario [6] referre potuisset. Item quia nec cogendus sit dominus vtilis disputare de qualitate & conditione fundi emphyteuticarij, quin prius possessor factus sit. Iudex pronunciauerat restituendam heredi proprietarij possessionem, saluis heredi fructuarij iuribus, si quis haberet in proprietate ex causa contractus emphyteutici. [7] Quærebatur, an heredes domini directi, qui emphyteusim constituerat, tenerentur de euictione, tanquam re euicta, & ad quid tenerentur?

BIU Cujas

Placebat non teneri, primum, quia non esset res ipsa euicta, sed tantum possessio, [9] quam porro ex contractu emphyteutico directus dominus non transtulerat in nouum emphyteutam, qui iam tum eo tempore possidebat, & quidem, vt diximus, vsusfructus iure. [10] Nec rursus credibile erat, voluisse directum dominum aliud ius in emphyteusim concedere, quam quod ipse haberet. [11] Deinde, quoniam ea possessio euicta fuerat ex alia causa, & ob culpam ipsius possessoris, qui nec potuerat, nec debuerat interuertere possessionem domini vtilis, à quo ex causa vsusfructus possidebat. [12] Sed etsi de euictione actio aliqua competeret, tamen non nisi ad pretij accepti restitutionem danda esset, [13] quia, cum emphyteusis speciem habeat beneficij, [14] mitius cum domino directo agendum est. [15] *Ita tractatum est* ex tempore pro N. Ioanne Francisco de Buttet, Aduocato Clariss. & nobiliss. mihique præcipuo quodam familiaritatis & necessitudinis iure coniunctissimo, contra D. de Mieudry, 3. Non. April. 1593.

1 Per mortem fructuarij, *leg. 3. §. vltim. & pass. D. quibus mod. vsusfr. amitt.*

2 Ne alioqui esset inutilis proprietas vsufructu ab ea semper abscedente, vt scribit Iustin. *titul. de vsufruct. §. 1. in Instit.*

3 Nec proprio iure nec hæreditario soluto iure vsusfructus per mortem fructuarij, præsertim cum possessio numquam in hæreditate reperiatur, *l. 1. §. Scaeuola, D. si is qui testam. lib. ess. iuss.* Adde *l. debitor 40. in fin. D. de pign. act.*

4 Licet dicatur videri possidere naturaliter, *in l. naturaliter 12. vbi not. D. de acquir. poss.* Vide Cujac. *lib. 1. obser. cap. 33. in fin. l. certe 6. §. 1. D. de precar.*

5 *L. qui bona 19. §. 1. eod. tit. de acqu. poss. l. non solum 33. §. quod vulgo, de vsucap.*

6 *Arg. l. si quis conductionis 25. C. de locat. l. 2. Cod. de prascr. 30. vel 40. annor.*

7 Exemplo eius, quod scriptum est *l. Fabius 30. in fin. D. de pact. dotal.*

8 Si quidem emphyteusis proxime accedit ad venditionem, *§. adeo, Instit. de locat.* cum dominij vtilis acquisitionem inducat, ex parte emphyteutæ, cui proinde directum dominum de euictione teneri æquum est. Not. *in leg. 1. & vltim. Cod. de iur. emphyt.*

9 Quæ res non solet parere actionem de euictione, *l. si cum venditor 66. vers. non idem, D. hoc tit.*

10 Id est, naturaliter, quamuis non etiam ciuiliter, *d. l. naturaliter 12. D. de acquir. poss.*

11 *Arg. l. qui tabernas 32. D. de contr. empt.* Notat *in l. vxor patrui, C. de legat.*

12 *d. l. si quis locationis, d. l. 2. C. de prascr. 30. vel 40. annor. leg. vlt. C. de acq. poss. l. hoc iure 27. D. hoc tit.*

13 *Arg. l. vltim. §. vlt. C. commun. de legat.* Ias. *in d. l. 1. C. de iur. emphyt.*

14 Prope siquidem accedit ad feudum, quod nihil nisi beneficium est, iisdemque regulis continetur, nisi vbi aliud ius expressim constitutum inuenitur.

15 Ne ex liberalitate sua periclitetur. Sic enim supradicto loco concludit Ias. *arg. l. ne liberalitate 52. D. de re iudic.*

DEFINITIO XIII.

Quantum intersit, an vendatur id, quod semel tantùm tradi debeat, an quid annuum, cuius tradendi obligatio singulis annis renascatur?

REfert multum, an fundus vendatur, aut alia res cuius tradendæ obligatio vnico traditionis actu cōsumatur, an vero tale quid, quod annuam habeat perpetuamque præstationem? Priore casu liberatur venditor, si semel vacuam possessionem tradiderit, [1] nec quod ea re emptor vti posteo prohibeatur facto eius, qui nullum sibi ius in eo fundo adserat, recidit in obligationem, [2] tametsi non iuris tantum, sed facti quoque euictionem promiserit. [3] Posteriore vero nihil ei prodest, quod emptor per multos annos annuum reditum perceperit, si postea percipere prohibeatur, quasi singulis annis noua tradendi obligatio nascatur. [4] *Ita tractatum est* in causa D. de la Vulpilliere & fratrum Goddet, 18. Cal. Iulij, 1593.

1 Nec enim ad aliud tenebatur, quam vt traderet, *l. ex empto 12. §. 1. & pass. D. de action. empt.*

2 *Arg. l. vlt. C. eod.*

3 *Vt in l. siue in libertatem. 12. C. hoc tit.*

4 Quotannis enim nouo facto opus est, vt annuum illud & præstetur, & percipiatur, *l. pecunia 8. in fin. D. de alim. legat. leg. 1. §. interdum, D. de vsufr. accresc.*

DEFINITIO XIV.

Emptor, qui partem rei sibi venditæ accepit, si de alia parte controuersiam patiatur, nec tamen velit à contractu recedere conditionem deferente venditore, tenetur partem pretij soluere

EMptor, cui pars bonorum venditorum tradita erat, cum de reliquis controuersiam à possessoribus pateretur, ac nihilominus à venditore, vt pretium solueret, vrgeretur, recusabat eo prætextu, quod agentem venditorem prius ex parte sua contractum, cuius causa esset indiuidua, implere oporteret, [1] atque ita pretium integrum retinebat. [2] Cumque venditor conditionem offerret, vt à contractu in totum recederetur, adeoque in eam rem quasi enormiter læsus restitutionem ex rescripto Principis impetrasset, rursus repugnabat emptor, contractumque mordicus tuebatur; [3] Placuit, pendente lite condemnari eum debere, vt pretij partem soluere t, qui bonorum partem iam ex emptione possidebat, [4] remissa etiam venditori necessitate satisdandi propter paupertatem. [5] *Ita Senatus* pro N. Lucquet contra N. Bernardin Dacquin, fiscalem in Sabaudia Procuratorem, 15. Calend. Septembr. 1593.

1 *L. Iulianus 13. §. offerri, D. de action. empt.*

2 Quomodo è contrario potest venditor pignoris cuiusdam iure rem venditam retinere, quoadusque pecunia pretij soluatur, *d. §. offerri.*

3 Ex beneficio *l. 2. & l. si voluntate 8. Cod. de rescind. vendit* junct. *l. tutor 47. §. 1. D. de minor.*

4 Nec enim bona fides patiebatur, vt emptor & rem haberet, & pretium retineret, *l. ex empto 11. §. qui autem, l. bona fides 50. D. de action. empt.*

5 *Vt & in l. omnes 33. §. præterea, C. de Episc. & Cleric.*

DEFINITIO XV.

Non potest de euictione agere is, qui ipse possessionem transtulit in eum, à quo nunc patitur controuersiam, nisi post recuperatam quoque possessionem inquietetur.

PErmutatione inter nos facta, [1] secutaque hinc inde traditione, si tu rem, quam à me habuisti, locaueris Titio; qui postmodum à te contractu locationis conuentus dominij quæstionem referre velit, [2] non potes me auctorem laudare quasi obligatum de euictione, non ob id solum, quod non sit permittendum conductori tuo, vt tibi referat quæstionem dominij, [3] sed etiam quia facto tuo, non meo ea tibi molestia contigerit, [4] quod Titio rem locaueris, cui si non locasses, rem nunc habere tibi liceret. [5] Plane si recuperata possessione ab eo conueniaris siue rei indicatione, siue qua alia actione, per quam possessio auocetur, tenebor tibi vt rem defendam, [6] aut ni faciam, quanti tua interest, exemplo venditionis. [7] Neque tamen locus erit condictioni, quæ dari solet non secuto ex alterutra parte implemento, [8] quia ex parte mea contractum impleui, cum rem meam tibi tradidi. [9] *Ita Senatus* in causa D. du Four & Iacobinæ Berru, 3. Id. Maij, 1595.

1 Quam

BIU Cujas

1 Quam vtique interuenire vtrinque necesse est, vt possit permutatio dici perfecta, *l.1. & pass. D. de rer. permut.*

2 Quod plerique conductores facere tentant, vt mutent sibi causam possessionis.

3 *L. si quis conductionis* 25. vbi omnes notant, *C. de locat.*

4 *L. hoc iure* 27. *D. hoc tit.*

5 Cui autem habere licet, is de euictione agere non potest, *l. euictus* 35 *l. habere licere* 57. *D. hoc tit.*

6 *L. si plus vel minus* 74. § *mota quæstione, D. eod.*

7 Iisdem enim pene regulis iuris venditio & locatio constant, *l.2 D. locat.* iunct. *l. ex conducto* 15. *§.1. eod.*

8 *L 1. §. vlt. D de rer. permut. l. 1. C eod.*

9 *L si permutationis* 29 *C. eod. tit.*

DEFINITIO XVI.

Qui potest ipse hypothecaria conueniri per eum, contra quem agit hypothecaria, non ideo repellitur vulgari illa exceptione, Quem de euictione tenet actio.

IVris regula, quæ habet, Doli exceptione repellendum esse eum, qui sine directa rei vindicatione siue hypothecaria vindicare velit rem, cuius nomine de euictione teneatur, [1] non nocet ei, qui rem aliquam possidet, de qua possit ipse in casum euictionis conueniri per quasi Seruianam. [2] Non enim hic tenetur de euictione, sed res, quam possidet. [3] Proinde nec dolo facere quicquam videtur. [4] Sane quin pro ea re hypothecariam excipere cogatur, sibique quasi in solutum imputare, quod illa causa præstare aduersario deberet, recusare non potest. [5] Fieri tamen interdum queat, vt doli exceptio obsit. Quid enim si tu contra me agas hypothecaria ob euictionem eius fundi, qui ipse mihi obligatus reperiretur, si is mihi euictus esset, quem tu dicis tibi obligatum? [6] *Ita tractatum est* in publico auditorio inter D. Comitem de Saleneufue & D. Baronem postea Comitem de Viry, 10. Calend. Maij. 1595.

1 *L. vindicantem* 17. *D. de action. empt. l. venditrici* 3. *C. de rebus alien. non alienand:*

2 Quæ in rem, non in personam actio est, *l. pignoris* 17. *D. de pignor. l. pignoris* 15. *C. eod,*

3 Quam nec defendere cogitur si nolit, quia in rem actionem pati nemo cogi potest, *l. vltim.* vbi ratio redditur, *D. de rei vindic.* [Idem est si quis de euictione teneatur non ei quem conuenit, sed alij quem is qui conuenitur si vinceretur, conuenire posset, Id enim est quod dici solet. *Le garend de mon garend n'est pas mon garend.* Sed intellige nisi actiones cessæ sint, aut quodam casu hypothecas habeat, vt loquitur *l. si res* 59. *D. hoc tit.* id est obligata bona omnia secundi authoris, Pignore scilic. dato pignori, vt in *tit. si pignus pign. dat sit. Ita senatus* in causa Dominorum de Carde & de Monmayeur 13. Cal. Octobr. 1612. de qua in *Def* 29 §. *ad SC. Treb.*]

4 Dolus enim personæ est, non rei, *l. 1. §. 1. D. de dolo.*

5 Nisi malit vltro ea recedere, *vt in l. vlt. l. is cum quo* 7. *D. ae aqua & aqu. pluu. arcend.*

6 Hoc enim casu dolo facit qui id petit, quod ipsum eidem postea sit restituturus, *l. si socer* 44 §. *Lucius, D. solut. matr. l. dolo facit* 8. *de doli. mal. except.*

DEFINITIO XVII.

Condemnatus ad rem defendendam tanquam auctor emptoris, quamuis non esset, potest nihilominus tanquam talis vti iure emptoris tam agendo, quam excipiendo.

AVctor ab emptore laudatus ad rem defendendam, [1] licet facto suo possidere desierit perinde tamen interdictis & remediis omnibus possessoriis vti potest atque is ipse, cuius gratia litem suscipit. Eadem enim persona esse intelligitur, idemque hac parte ius emptoris & venditoris. [2] Fereque est vt qui auctor laudatus fuit, haberi debeat pro Procuratore, cum sit defensor necessarius, [3] in eoque plus quam Procurator, qui non sit inuitus. [4] Quinimo cum is, qui auctor laudatus erat, euictionis nomine conueniri non posset, nec eo minus tamen suscipiendæ liti se per iuris imperitiam obtulisset, atque ideo tanquam in confessum lata sententia fuisset; [5] Placuit, perinde posse illum actionem exercere, quæ emptori competeret, ac si jure auctor laudari potuisset, vt sententia contra eum lata etiam pro eo jus faciat, [6] præsertim cum aduersarij nihil interfit, an ab emptore conueniatur, an à venditore, quandoquidem easdem aduersus vtrumque exceptiones & defensiones habiturus est. [7] *Ita Senatus* pro N. Carolo Dufour contra Iacobinam Berru, 3. Id. Maij, 1595.

1 *Iuxta l. si plus* 74. *§. mota quæstione, D. hoc tit.*

2 Itaque hoc casu locum habet juris regula, quæ extat in *l. inuitus* 156. *§. plerumque, de reg. iur.* Item illa, quæ vult, posse me interdum ex alterius persona consequi, quod ex mea non possum, *l. 3. in fin. D. quæ res pignor.*

3 Quid autem est defendere, nisi eandem quam reus vicem subire? *l. sed & hæ* 35. *§. defendere, l. minor* 51. *§. 1. D. de procurat.*

4 *L. filius familias* 8. *§. inuitus, eod. tit.*

5 Cum nullæ sint partes Iudicis in confessum nisi ad condemnandum, *l. 1. & pass. D. de confess. D. & C.*

6 Nec enim potest pro parte valere, & pro parte non valere, *l. in hoc iudici* 27. *D. famil. erciscund.* nec haberi ex parte pro veritate: ex parte vero non haberi.

7 Quia quod ipsis, qui contraxerunt, obstat, eorum quoque successionibus obstare solet, *l. quod* 143. *de reg. iur.*

DEFINITIO XVIII.

Qui dedit facto suo causam liti ab alio ex necessitate susceptæ, in eos sumptus necessario condemnandus est, si conueniatur ex ea actione, ex qua debeat præstare id quod interest aduersarij.

SVmptus à me factos in eam litem, quam ob factum tuum, licet te inaudito, aduersus alium suscipere coactus fuerim, præstare te mihi æquum est, si tale sit genus actionis, ex quo condemnari debeas in id omne, quod mea interest. [1] Etsi enim videtur id interesse extra rem, [2] tamen reuera proficiscitur ex re, cui tu causam dedisti. [3] Non idem erit, si prætextu facti tui, cum cogi non possem, litem suscepero, in eamque sumptus fecero. Non enim alij sumptus ex hac causa restituendi sunt, quam qui necessarij fuerunt. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum in eo quod mea interest contineatur id omne, quod mihi abest, adeoque quod lucrari potui, *l. si commissa* 13. *D. ratem haber.*

2 Ideoque non esse habendam eius rationem, *l si sterilis* 21. *§. cum per venditorem, D. de action. empt.*

3 Is porro damnum dat, qui damni dat occasionem, *l. si ex plagis* 52. *§. in cliuo Capitolino, D. ad leg. Aquil. l. is damnum dat* 169. *de reg. iur.* [Iunge *l. exceptione* 67. *D. de fideiuss. & Defin.* 29. §. *ad Trebell.*

4 Quia vltro mihi eam necessitatem imposui, *arg. l si fideiussor* 7. *§ si necessaria, D. qui satisd. cogant.* Adde *l. ex parte* 39. *in princ. D. famil. erciscund. l. filia* 18. *in fin. C. eod.*

DEFINITIO XIX.

Fiscus succedens in jus priuati tenetur de euictione & ad litis sumptus perinde ac priuatus quilibet, siue ex contractu successerit, siue ex confiscatione.

PRinceps succedens priuato per confiscationem ex causa criminis eam pœnam infligentis perinde vtitur iure priuati, ac si per contractum in jus priuati successisset. [1] Itaque si is, cujus bona publicata sunt, mecum antea contraxerat: mihique alienam rem aut alteri obligatam vendiderat, quam habere non possim, condemnandus mihi est fiscus non ad hoc solum, vt euictionem præstet & indemnitatem, sed etiam ad

BIU Cujas

sumptus litis.[2] Nam quod dici solet, fisci aut Principis Procuratorem expensas litis neque dare, neque accipere ad eum casum pertinet, quo is agit tanquam publicus accusator, [3] non quo conuenitur vt priuatus. [4] *Ita Senatus* in causa Ioannæ Molard & Mauricij Veyrat, Prid. Non. Iul. 1595.

1 *L. fiscus 6. D. de iur. fisc.* iunct. *l. vnic. Cod. pœn. fiscal. credit. præf.* vbi obserua, pro *fisci* legendum esse *furti*, vt alibi monui & probaui.

2 Vtrumque enim fit ex eiusdem contractus iure ac potestate, cum sumptus litis tanquam accessorij sequantur causam sui principalis. Ex not. *in c. accessorium, de reg. iur. in 6. l. Lucius* 18. D. *qui potior. in pignor. hab.*

3 Quia ex officij necessitate id facit, quæ res non patitur, vt expensas litis vllas vel det, vel accipiat, *l. post legatum 5. §. aduocatum fisci*, D. *de his quæ vt indign.*

4 *d. l. fiscus 6. D. de iur. fisc.*

DEFINITIO XX.

Euictis pignoribus dotalibus, quæ maritus in solutum acceperat, non habetur dos pro soluta, ideoque nec maritus, nec eius hæredes ad restitutionem tenentur.

MAritus acceptis à fratre vxoris pro dote pecuniaria pignoribus, quæ multo pluris erant, eodem tabularum dotalium die pignorum hyperocham [1] emerat, & pretium solucrat, stipulatione adhibita de euictione. Non dubitabatur, quin hoc ipso dotem pecuniariam accepisse videretur, [2] & ita se obligasse ad eam soluto quandocunque matrimonio restituendam, cum tabulis dotalibus conuenisset, vt soluto matrimonio vel pignora ipsa redderentur, si maritus ea possideret, vel pecunia, si eam accepisse maritus probaretur. [3] Sed cum post aliquot annos pignora euicta essent, placebat, posse quidem eum eiusve hæredes, si id mallent agere de euictione, contra venditorem: [4] at non eo minus videri facta solutione irrita resuscitatam pristinam dotis obligationem, [5] quæ per dationem in solutum extincta videbatur, [6] cum pro soluto haberi non posset, quod citra culpam creditoris & ex anteriore siue dominij, siue pignoris causa euictum inueniebatur; [7] maxime cum fauorabilior esse credatur actio de dote, quam quæ ex empto de euictione datur. [8] Proinde nec audienda erat mulier, si prætextu emptionis pignorum repeteret à marito aut ab hæredibus dotem pecuniariam, quam ipse numquam accepisset, aut pignora, quæ retinere non potuisset. [9] Successores vero mulieris multo minus, [10] præsertim quod mulier, quæ supra quinque & viginti annos marito superstes fuerat, & de lucris nuptialibus legatisque à marito datis cum hæredibus bis transegerat, dotem tamen numquam petiisset, [11] siue quod conscia esset nullam à marito acceptam fuisse, [12] siue quod vereretur, ne si mariti hæredes inquietaret, fratrem suum hoc ipso lacesseret, contra quem illi subinde regressum habituri essent. [13] Illud itaque supererat, vt à solo fratre dotem petere mulieris successores deberent, si eam sibi saluam vellent. [14] Nec si frater interim soluendo esse desiisset, poterat ob id fieri durior conditio hæredum mariti, qui iusta conuentione sibi prospexerat, ne quidquam aliud præter pignora, si ea retineret, aut dotem ipsam si lucrentur reddere quandoque cogeretur. [15] Non enim poterat mulier conuentionem impugnare, cui ipsa consenserat, cum ipsi perinde ac marito, & promissa dos per fratrem, & pignora quoque data proponerentur. [16] Neque rursus à dotis vtilitate aliena videbatur conuentio, vt ob eam causam quasi publico iuri contraria improbari deberet, [17] per quam fiebat, vt in eum casum qui euenerat, mulier pene indotata constitueretur, [18] nulla per maritum accepta dote, pignoribus euictis, lapsoque interim facultatibus fratre. [19] Quis enim iniquum putet, si pacto fiat, ne viri periculo dos sit quam vir ipse numquam acceperit? [20] Nisi forte hoc ipsum marito imputare volumus, cur siue de euictione, siue de dote actionem tanquam vice pignorum substitutam non exercuerit, cum posset, aduersus vxoris fratrem, cui parcendi causam probabilem non habebat, quod is dotem sorori non ex liberalitate, sed ex necessitate promisisset. [21] Verum ne hanc quidem querelam à mulieris successoribus contra mariti hæredes proponi posse visum est, quam mulier tot annos superstes, neque contra eos proposuerat, [22] neque contra fratrem, quem soluti matrimonij tempore soluendo adhuc fuisse non negabatur. [23] Accedebat, quod maritus, cum suprema ordinaret, amplissimis legatis in vxorem collatis, & fratris filio hærede relicto, expressim præceperat, vt quidquid tabulis dotalibus continebatur, id firmum ratúmque esset. Cuius præcepti cum non alius sensus esse posset, quam vti ne ab iis conuentionibus, quæ in dotali instrumento conscriptæ fuerant, vlla ex parte recederetur, [24] consequens videbatur, vt mulier, quæ supremam mariti voluntatem acceptis legatis agnouerat, non aliis legibus repetendæ dotis jus haberet, quam quæ dotis constitutæ tempore placuissent, quasi non aliter contracturus fuisset maritus, [25] qui secundo contractu eadem die inito cum absentis vxoris fratre, proprio nomine, non tam à pactis dotalibus recesserat, quam à jure pignorum, vt pignora in pecuniam pro vxore, pro se vero in causam dominij conuerteret summo vtriusque bono, nec imprudenti consilio, si euentu feliciore nullam rerum obligatarum primùm mox venditarum euictionem sequi contigisset. [26] *Ita tractatum est. Sine die.* pro D. Claudio Carron, contra D. Baronem de la Perriere.

1 Nostri vulgo *plurisualentiam* appellant, de qua *in l. & quæ nondum 15. §. vlt. D. de pignor. l. quærebatur 20. D. qui potior. in pign. hab.*

2 Qui enim hyperocham emit, hoc ipso totam rem emere intelligitur, vbi nimirum erit à vinculo pignoris liberata. Text. est elegans *in d. l. & quæ nondum 15. §. vlt.*

3 Fecerat enim maritus huiusmodi emptione, vt non posset frater, qui dotem & pignus constituerat, pignus luere oblata dote, quia id fieri non potuisset, quin marito eidémque emptori res sua auferretur.

4 Quod hoc genus contractus simillimum sit emptioni, *l. si prædium 4.* junct. *l. si ob causam 13. C. hoc tit.*

5 Siquidem potestas euictionis tollit intellectum solutionis, *arg. l. si patroni 55. §. vltim. D. ad SC. Trebell.* Text. est aptissimus *in l. qui res 98. in princ.* junct. *l. si rem meam 20. & l. si quis aliam 46. D. de solution.* De quo vide quæ scripsi *Defin. 49. s. tit. prox.*

6 *L. eleganter 24. D. de pignor. act.* de qua dicemus *j. numer. vltim.*

7 *L. penult. § 1. in fin. D. de except. rei iudic. l. in bello 12. §. si quis seruum, D. de capt. & postlim. l. qui concubinam 29. §. si heres, de leg. 3. l. à substituto, §. heres de leg. 1. l. cum quis 38 §. qui hominem, & d. l. 20. l. 46. l. 28. in princ. de solut. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. si creditor. eod.* Anton. Capyc. *decis. 43.* Ias. *ad l. si domus 71 §. de euictione, de legat. 1.*

8. Bart. *ad d. l. si quis aliam*, Castr. *ad d. l. qui res ex l. vnic. C. de rei vxor. act.*

9 Cum is contractus secuta euictione habendus esset pro non facto.

10 Nemo enim plus juris aut commodi hæredi suo relinquit, quam ipse habuerit, *l. nemo plus commodi 120 de reg. iur.*

11 Quæ res magnam præbebat coniecturam voluntatis, quod mulier nollet vnquam dotem peti, *arg. l. vir vsuras 54. D. de donat inter vir. & vxor. l. cum quidam 17. §. Diuus. D. de vsur. l. Procula 16. D. de probat.*

12. Durum enim sane est, vt cogatur maritus dotem restituere, quam nec acceperit vnquam, nec se accepisse professus sit *arg. l. 1. 2. & 3. C. de dot. caut. non numer.* Vt proinde non esset in hac quæstione locus iis, quæ tractari solent de exceptione non numeratæ dotis post annum ex die soluti matrimonij non

BIU Cujas

non opponenda. Id enim obtinet, cum maritus cauit sibi numeratam dotem, quod hic non euenerat.

13 Is enim per interdictum conueniri videtur, contra quem habiturus regressum est, qui prior condemnabitur, *l. si quis reum 5. in prin. D. de liber. legat. l. cum lex 46. D. de fideiuss.* Itaque videbamur hoc casu tria illa concurrere ex quibus præsumitur tacita remissio debiti in specie *dict. l. Procula 26.* vbi DD. *de probat.* Scilicet consanguinitas proxima, taciturnitas longi temporis, & sæpius positæ rationes.

14 Semper enim dotis debitor manserat frater, qui numquam soluerat.

15 Ne alioqui casus fortuitus damno afficiat maritum, qui diligenter sibi prospexerit, *argument. l. debitor 3. D. de separat.*

16 Valent enim pacta dotalia, quæ ab initio fiunt, & ipso tempore constitutæ dotis, præsertim si fiant præsente & consentiente muliere, *l. cum dos 7. D. de pact. dotal.*

17 *Arg. l. illud conuenire 5. l. Atticinus 17. eod. tit.*

18 Quod vtique certum est conuentione fieri non posse *l. conuenerit 4. eod.*

19 Nullam siquidem videtur habere actionem mulier, quæ inopem habet dotis debitorem, *l. num is. 6. D. de dolo.*

20 Neque enim pactum hoc aut legibus, aut bonis moribus contrarium est, vt illa, de quibus *in dict. leg. 4. 5. & 17. de pact. dot.* cum nulla lex sit, quæ iubeat maritum dotem reddere, quam non acceperit, nisi cum ei culpa & negligentia imputari potest, *vt in l. si extraneus 33. D. de iur. dot.*

21 Per text. *in d. l. si extraneus.*

22 *Argum. dict. l. vir vsuras, 54. de donat. int. vir. & vxor. dict. leg. cum quidam 17. §. Diuus Pius, de vsur. dict. leg. Procura 26. D. de probat.*

23 Quæ ratio faciebat, ne in hac specie locus esse. *dict. l. si extraneus*, quæ tractat eum casum, quo futurum sit, vt dotis iacturam patiatur mulier, si non ei liceat repetere dotem à viro, etiam quam vir non acceperit. Adde quod in proposito casu etiam mulier sibi fuisque stipulata erat dotem à fratre, vt proinde posset illa suo iure agere, nulla etiam ab hæredibus mariti cessione impetrata.

24 Neque enim permitti poterat mulieri, vt dotales conuentiones pro parte approbaret, pro parte autem improbaret, *argument. l. nam absurdum, 7. de bon. liber. l. si ita stipulatio 39. in fin. de oper. libert. l. cum quæritur, 16. D. de administrat. tutor.*

25 Creditur enim quilibet contrahens certis pactis & legibus, non aliter fuisse contracturus, *l. cum te 6. & l. vltim. Cod. de pact. int. empt. & vendit. l. si donaturus 9. D. de condict. caus. dat. l. Titia 62. in fin. D. de iur. dot. l. pure 5, §. penultim. D. de doli mal. except.*

26 Euictio namque secuta fecerat, vt nulla posterioris contractus ratio haberi deberet, ac proinde vt non posset dici sublata pristina obligatio dotis, quo minus agere ex ea maritus posset, ac si pignora numquam in solutum accepisset, *dict. leg. qui res 98. in princip. de solut.* Multo magis fatendum erat, superesse marito itémque vxori hypothecariam in bona fratris constituentis, secundum ea, quæ scripsimus, *numero 5. supr. de remiss. pignor. & Defin. vltim. supr. titul. proxim.* Et quamuis contra sentiat Bart. cum res data est pro pecunia in solutum, iuxta eam distinctionem, quam tradit *in dict. leg. si quis aliam* tamen excipit causam dotis, *ex dict. leg. qui res.* Et præterea manifesto errore labitur, in eóque rectè notatus est à Capyc. *dict. decision. 43.* & Ias. *in dict. §. de euictione.* Decepit autem eum quod scriptum est *in dict. leg. eleganter 24. D. de pignorat. act.* Quasi eius loci sensus sit, quotiescúmque dominium rei obligatæ acquiritur creditori, finiri obligationem pignoris, & à priore contractu adeo recessum esse, vt pristina actio exerceri numquam possit. Quod tamen ita est: sic enim scriptum legimus *in dict. leg. eleganter, videtur finita esse pignoris obligatio, & recessum à contractu*, quod longe aliud est. Videtur quidem vtrumque ita esse, sed neutrum ita est, quia dominij acquisitio postmodum reuocata non mutat causam pignoris, vt diserte scriptum est, *dict. leg. penultim. §. 1. in fin. D. de exception. rei iudicat. l. 1. thera 8. Cod. de sentent. & interlocut. omnium iudic.* Nec pugnat quod sequitur, accommodandam esse hoc casu vtilem ex empto actionem. Nihil enim vetat vtrumque verum esse, quod volumus, non finiri obligationem pignoris, & quod lex ait, actionem ex empto vtilem accommodari. Nam & vtrumque ita scriptum est *in dict. leg. si pradium 4. Cod. de euict.* Sed tamen vt dicam libere quod sentio, videtur mihi totus ille locus esse Triboniani potius quam Vlpiani, adeo ineleganter, meo iudicio, & inconcinne exaratus est. Et illud imprimis, quod initio legis scribitur in hæc verba, *eleganter apud me quæsitum est.* Nam & ineleganter proposita est quæstio, & ineleganter decisa. Quam ineleganter ex proposita sit apparet ex illis verbis, *vt pignus possideret.* Debuit enim addi, *iure dominij*, quomodo addit Paulus *in l. debitor 59. D. ad SC. Trebell.* Non enim à Principe impetrandum est, vt creditor pignus possideat, quod fit ex sola natura pignoris, *l. si rem 9. §. proprie. l. cum & sortis 35, §. 1.* sed vt iure dominij possideat, *leg. 2. & tot. tit. Cod. de iur. domin. impetr.* Sed responsio ad propositam quæstionem est longe ineptior. Primum, quoniam incerta, deinde, quia etiam falsa est. Incertam esse probant verba illa, *& videtur finita esse pignoris obligatio, & à contractu recessum*; ac proinde Tribonianeam. Semper enim hæsitat Tribonianus; & quod iis euenire necesse est, qui rationem & principia iuris non bene callent, nihil audet affirmare. Quod si dubitantis verba pro affirmantibus habere velis quomodo habet Bart. *ad dict. l. si quis aliam 46. D. de solut.* efficies de dubitante mendacem. Falsum enim est finitam esse pignoris obligationem, vt constat *ex dict. leg. penultim. 5 in fin. D. de except. rei iudic. l. debitor 59. D. ad SC. Trebellian. l. grege 13. §. etiam, D. de pignor. l. cum quis 38. §. vltim. D. de solut. l. libera 8. Cod. de sentent. & interlocut. omn. iudic. l. si rem 9. §. omnes, D. de pignoratit. action.* Falsum item, recessum esse à priore contractu per dominij impetrationem, nisi sub ea veluti conditione, *si dominij impetrato teneret*, vt *in l. voluntate 10. D. quibus mod. pignor. vel hypothec. soluit. l. si iure 18. D. de legat. 3.* ne alioqui noceat creditori, quod plus iuris habere cœperit, *argum. l. in bello 12. §. si quis seruum. & seq. D. de captiu. & postlim.* Castrens. *ad dict. leg. penultim. §. 1. de except. rei iudic. ex leg. 1. Cod. si antiq. creditor. pign. vendid.* Quod vero sequitur, *imo vtilis ex empto accommodata est*, magis Tribonianum prodit. Sic enim loquitur, quasi corrigat, quod in præcedentibus dictum est, cùm è contrario inferat potius, ac si scriberet, quomodo scribere voluit, *ergo vtilis, &c.* Quamquam neque correctio, neque illatio accommodata esse potest, cum, vt supra diximus, possit vtrumque verum esse, vt non sit finita obligatio, nec immutata causa pignoris, & vt vtilis ex empto actio competat creditori. At neque debuit Tribonianus scribere, *accommodata*, sed *accommodanda.* Nondum enim quisquam aut ex Imperatoribus, aut ex prudentibus dixerat, competere in hac specie creditori vtilem ex empto actionem, sed eo demum casu, quo pignus pro pecunia datum sit à debitore in solutum, *vt in dict. leg. 4. Cod. de euict.* aut à Iudice iudicatum exequente, & debitoris personam factumque repræsentante, *vt in leg. si ob causam, 13. eodem.* Qui casus longe diuersus est ab illo, quo impetrauit creditor à Cæsare, vt sibi liceret pignus possidere iure dominij: nihil enim hoc casu agit debitor, nec Cæsar aut alius quisquam nomine debitoris, propter quod dari debeat creditori in eum ex empto actio, siue directa, siue vtilis. Factum enim aliquod debitoris aut alterius pro eo facientis interuenire necesse est, vt personali actione ex empto siue directa, siue vtili conueniri possit. Fefellit Tribonianum, quod velit accommodatam ab Imperat. Antonino vtilem ex empto in specie *dict. leg. 4.* Sic enim solet ille, vt alibi sæpe monuimus & probauimus, rescripta Imperatorum ad certas species coangustata ad alias species quantumuis dissimiles extendere, nec dissimilitudinis rationem, quam attulimus, obseruauit, idque apparet clarissime ex eo, quod subiicit, *quemadmodum si prosoluto ei res data fuerit.* Quasi verò inter hanc, quam tractamus, speciem & illam nihil planè intersit, quæ tamen toto cœlo distant. Sed neque ausus est Tribonianus dicere, ad quid competat actio illa ex empto, quæ accommodatur creditori. cui debitor pignus dederit in solutum: sic enim adiicit, *vt in quantitatem debiti ei satisfiat, vel in quantum eius interest*, ac si petitio & condemnatio ex illa actione fieri debeat disiunctiue & alternatiue. Quod certe non ita est: datur enim ex empto actio siue directa, siue vtilis ex causa euictionis ad id, quod interest, *l. si in venditione 60. l. euicta re 70. & pass. D. hoc titul. l. si permutationis, 29. Cod. eod. leg. 1. in princip. Cod. de rerum permutation.* Nec enim pretium debetur emptori, cui res vendita tradita fuit & euicta, sed id quod interest, cum in contractibus nominatis, qualis est emptio, non magis conditioni, quam pœnitentiæ locus esse possit, *dict. leg 1. Cod. de rerum permutation. l. non est probabilis 6. l. ea conditione 14. Cod. de rescindend. vendition.* Quamuis in eo quod interest pretium quoque ipsum contineatur, *leg. 1. D. de action. empt. l. in interdicto 6. D. vnde vi.* Falsum ergo est quod Tribonian. ait, pignore per debitorem in solutum dato, & postea euicto, dandam creditori vtilem ex empto actionem, vt in quantitatem debiti ei satisfiat: est enim hoc proprium pristinæ actionis, quæ competebat ante dationem in solutum, & quæ non eo minus hodie competit, quod datio in solutum interceserit, quæ ob secutam postmodum euictionem nullum habuit effectum, *l. si rem meam 20. l. si quis aliam 46. l. qui res 98. D. de solut.* Sicut è contrario proprium est actionis ex empto tam vtilis quam directæ, vt ad id quod interest tantum detur, non autem ad hoc, vt in quantitatem debiti satisfiat, quod omnium aptissime exprimunt Imperatores *in dict. leg libera 8. C. de sentent. & interloc. omn. iudic.* vbi opponunt ista tanquam ex diametro contraria,

BIU Cujas

Ex empto agi ad id quod interest. & repeti pristinam actionem ad debitum reddendum, aut si malis, quomodo vulgo legitur, *ob debitum reddendum*. Taceo quod parum elegans est illa locutio, *vt in quantitatem debiti ei satisfiat*, pro eo quod poterat & breuius & elegantius sic exprimi, *vt in dict. leg. libera ob debitum reddendum*. Neque tamen adhuc conquieuerit Tribonianus, sed addit, *& compensationem potest habere creditor*: quibus verbis significat illud ipsum, quod antea negauerat, pristinam veteris debiti obligationem superesse, quæ haud dubie superesset, si creditor iure dominij nunquam pignus possedisset. Alioqui si ponas, obligationem illam veterem omnino sublatam esse, nec aliam superesse actionem quam vtilem ex empto ad id quod interest, consequens fiet, vt non possit conuentus ex aliqua causa creditor obiicere compensationem. Quippe quam certum est, non posse obiici nisi eius debiti, quod & substantia & quantitate sit liquidum, *l. vltim. Cod. de compens.* liquidum autem esse nunquam potest id quod interest, quoadsit taxatum, quia quatenus cuiusque interfit in facto, non in iure consistit, *l. quatenus 24. de regul. iur. leg. vltim. D. de prætor. stipulat.* Illud vero explicari meo iudicio vix potest, quod sequitur apud Tribon. *si forte pignoratitia cum eo agetur*. Quomodo enim fieri queat, vt contra creditorem agat pignoratitia actione debitor, qui debitum nunquam soluerit, neque vero pignus vllum dederit, nisi quod fuerit euictum? *l. si rem 9. §. omnis pecunia, eod. tit.* Nisi forte ponas, pro alio quodam debito ab eodem debitore alia fuisse data pignora eidem creditori. Quo casu nihil sane prohibet dari pignoratitiam debitori ad repetenda illa pignora, postquam soluerit creditori pecuniam, pro qua fuerant obligata. Sed nego quicquam causæ esse, cur eo casu loquamur de compensatione, cum possit sufficere creditori, quod possit alia pignora retinere pro eo quoque debito, pro quo cœperat iure dominij aliud pignus possidere. Quidni vero? Cum etiam ob chirographariam pecuniam pignus retinere possit, *l. vnic. Cod. ill. tit. Etiam ob chirograph. pecun.* Ex his igitur apparet, nihil esse in toto hoc responso, quod explicari commode possit, ac proinde, quod non Triboniano potius, quam Vlpiano debeat adscribi. Idemque dicendum puto *dict. §. qui reprobos, & § si vendiderit quidem*, qui in eadem lege sequuntur. Continent enim ineptas & quæstiones & responsiones, ne quid addam de ablatiuis illis absolutis, qui Tribonianum prorsus redolent, *reprobis videlicet nummis reddendis*. Sed de his plura, si Deus dabit, in Rationalibus ad illam legem. Poterant & hi longiores commentarij in id tempus, inque locum illum reseruari. Sed non potui temperare mihi, ne hic adscriberem, & occuparem, vt si, quod abominor, humanum forte quid mihi accideret, quod impediat, ne eo vsque Rationalia proferre possim, hoc saltem habeant à me iuris studiosi, quod scire possint de mea ad locum illum coniectura.

DEFINITIO XXI.

Qui se liti obtulit tanquam auctor laudatus, cum tamen nullo iure id factum esset, non eo minus vti potest iure illius, à quo laudatus fuit, dum ne faciat duriorem aduersarij conditionem.

SI quis nullo iure auctor laudatus per errorem aut imperitiam se liti defendendæ obtulerit,[1] non eo minus eodem iure vti potest, quo vteretur is, à quo laudatus est,[2] dum ne ex eo durior aduersarij conditio fiat, quam futura esset, si ex iuris necessitate litem pro alio suscipere debuisset.[3] *Ita Senatus* in causa D. du Four & Iacobinæ Berru, 29. Mart. 1597.

1 Ad quod vtique teneretur, si iure auctor laudatus fuisset, *l. si plus vel minus 74. §. mota quæstione, D. hoc tit. de euict.*

2 Siue agendo, siue excipiendo, vt dixi *Defin. 17. §. eod.*

3 Numquam enim permittendum est, vt ex persona illius, qui non nisi alieno iure vtitur, durior aduersarij conditio fiat, *l. 1. D. de alien. iud. mut. caus. fact. l. non debet alteri 74. de reg. iur.*

DEFINITIO XXII.

Substitutio in locum eius, qui emit à falso hærede, non est cogendus soluere detecto dolo falsi hæredis, qui non sit soluendo, æquius est manere in damno primum emptorem, quam secundum.

OBligatus soluere tanquam in eius locum substitutus qui emerat à falso herede, si bonorum euictionem postea passus sit, aut immineat periculum euictionis detecto dolo falsi heredis, qui tanquam verus heres vendiderat, non est cogendus vt soluat,[1] quia ex contractu per errorem inito fieri non potest, vt vtilis & efficax obligatio contrahatur,[2] emptorisque periculo rem cepere æquius est, si falsus heres non sit soluendo, quam eius, quem emptor in locum suum substituit,[3] præsertim si dolus emptoris in ea subrogatione facienda interuenisse proponatur:[4] sed tamen nec illud ferendum est, vt, qui in emptoris locum substitutus fuit, quicquam lucri ex eo contractu retineat.[5] Itaque & vacuam eorum bonorum possessionem & fructus omnes, quos ex ipsis perceperit, emptori primo restituere debebit.[6] *Ita tractatum est* in publico auditorio, 8. Febr. 1597. contra locumtenentem Aquæ bellæ.

1 *L. si post perfectam 24. C. hoc tit.*

2 Longe enim aliud est paciscì, aliud decipi, *l. qui cum tutoribus 9. §. 1. D. de transact.*

3 Potest enim multo magis imputari emptori, cur cum falso herede contraxerit, cuius conditionem ignorare non debuerat, *ex reg. l. qui cum alio 19. de reg. iur.* quam ei, qui in locum emptoris substitutus est, cur contraxerit cum vero emptore.

4 Id est, si cum alium in locum suum subrogaret, iam sciebat falsum heredem fuisse illum, à quo emerat.

5 Nec enim debet quis commodum suum sentire ex eo contractu, ex quo nullum velit sentire incommodum, *l. cum quæritur 16. D. de administr. tut. l. secundum naturam est 10. de reg. iur.*

6 Licet videatur fructus lucrifacere debuisse, cum fuerit bonæ fidei possessor, *ex l. bonæ fidei 48. de acquir. rer. domin.* Sed hoc ideo, quia maluit ille à contractu recedere, à quo tamen non potuit recedere pro parte, *d. l. cum quæritur, l. tutor vrgentibus 47. D. de minor. l. si ita stipulatio 39. §. . de oper. libert. l. nam absurdum 7. D. de bon. libert.*

DEFINITIO XXIII.

Casus, in quo emptor agit de euictione ex contractu priusquam ille contractum ex parte sua impleuerit.

VEnditione sic facta, vt emptor non solum certam quantitatem pretij nomine præstaret, sed etiam aliud quidpiam faceret,[1] si emptor re sibi iam tradita & euicta agat de euictione priusquam contractum impleuerit, non ex eo solo prohibendus est agere, quod ipse prior in totum non satisfecerit.[2] Finge idcirco eum non satisfeciisse, quod fundus euictus sit, qui si euictus non fuisset, satisfacere ex fructibus commode posset, aut ex ipsius etiam fundi venditione. Quid ei imputabitur? [3] Plane sic condemnandus erit venditor, vt ei vicissim quoque emptor ad contractum implendum condemnetur.[4] Quæ res expensarum condemnationi locum facere plerunque solet, si modo emptor ab initio litis protestatus sit, paratum se esse contractum ex parte sua implere.[5] *Ita Senatus* in causa D. Comitis de Saleneufue & D. Baronis de Viry, 7. Febr. 1593.

1 Quo casu videtur huiusmodi pactum esse pars pretij, *l. fundi partem 79. D. de contrah. empt. l. si sterilis 21. §. si tibi, D. de action. empt.*

2 Quamuis soleat huiusmodi exceptio esse vtilis aduersus eum, qui agit ex contractu vltro citroque obligatorio, *l. Iulianus 13. §. offerri, D. de act. empt.*

3 Nihil prorsus, cum non stet per eum, sed per euictionem ipsam fundi, *l. in omnibus causis 39. de reg. iur.*

4 Quia non debet contractus claudicare, nec venditor priuari commodo suæ conuentionis, sine qua non fuerat venditurus, *l. vlt. C. de pact. inter empt. & vendit.*

5 Hoc enim casu neutet videtur esse temerarius litigator, cum vterque contractum impleri velit, siquidem alteri ius constitui citra alterius iniuriam non posset, *l. cum te 6. Cod. eod. tit. de pact. inter empt. & vendit.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO XXIV.

Clausula excepti antiquioris pignoris in fundum possessum ab emptore & in casum euictionis intelligi debet de euictione, quæ sequatur ex facto alterius quam venditoris.

CVm venderem tibi fundum Cornelianum, pro cuius euictione obligatus erat Sempronianus, quem tu ab eodem meo auctore possidebas, obligaui me tibi de fundi Corneliani euictione, in eamque rem bona mea omnia: ita tamen vt saluum mihi esset ius mei pignoris in Sempronianum tuum, si quo casu Cornelianus tibi euinceretur; Placuit secuta postmodum Corneliani euictione ex ea causa, quæ ex facto meo proficisceretur, [1] non posse me tibi ex empto agenti obiicere doli exceptionem, quasi tu vicissim teneri mihi debeas tanquam possessor Semproniani, qui pro Corneliani euictione mihi obligatus manfit.[2] Debet enim illa clausula excepti antiquioris pignoris ad alias causas referri, ex quibus sequi potuerit euictio aliam ob causam, quam ob factum meum. [3] Alioqui eueniret, vt inutilis esset pactio, per quam de euictione me obligassem, [4] vtque & rem & pretium haberem, quod bonæ fidei & æquitatis ratio sane non admittit. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1. Quo casu non possum ego agere de euictione, *l. hoc iure vtimur* 27. *D. hoc tit. de euict. l. fundum meum* 20 *eod.*

2. Scilicet ex vulgari illa iuris regula. Quem de euictione tenet actio eundem agentem repellit exceptio, *l. vindicantem* 17. *l. Seia* 73. *eod. hoc tit. D. l. si à Titio* 72. *D. de res vindic. l.* 1. *D. de except. rei vend. l. etsi is qui* 10. *D. de distr. pign. l.* 4. *§. si à Titio* 32. *D. de dol. mal except. l* 11 *& 2 C. ne fisc. rem quam vendid. l. venditrici* 3. *C. de rebus alien non alienand.*

3. *d. l. fundum meum* 20 *d. hoc iure* 27. *D. hoc tit.*

4. Quod non est dicendum, maligna enim est illa interpretatio, per quam fit, vt conuentio inutilis reddatur, *l. si sta stipulatus*, 126. *§. Chrysogonus, de verbor. oblig. l. quoties* 12. *D. de rebus du.*

5. *L. ex empto* 11. *§ qui autem, & l. bona fides*, 50. *D. de action. empt.*

DEFINITIO XXV.

Sufficit denunciatam esse litem euictionis venditori ab emptore, vt possit emptor habere regressum etiam contra possessores pignorum postea venditorum, licet nihil iis fuerit denunciatum.

EMptor, qui omnia bona sui venditoris habuit pro euictione obligata, quæ idem venditor postmodum in alios complures alienasse proponebatur, [1] si fundi à se empti controuersiam patiatur, soli venditori denunciare litem cogitur, [2] non etiam possessoribus pignorum, nec si aduersus eos hypothecariam exercere velit, quandoquidem nec ipsi venditoris & euictionis fideiussori denunciare cogeretur. [3] Multo enim maior ratio suaderet, vt fideiussori denunciationem fieri oporteret, qui ipse contraxit, quique si exceptioni ordinis renunciauerit priore loco in venditoris vicem conueniri potest, [4] quam vt possessoribus, qui per quasi Seruianam non conueniuntur, sed bona [5] denunciationis suscipiendæ prorsus incapacia. [6] Essetque iniquissimum, obligationem emptoris, cui denunciationis faciendæ necessitatem iam alioqui per se satis duram lex irrogat, [7] ex facto venditoris augeri, [8] & ad possessorum personas, cum quibus non contraxerit, extendi: [9] quod in persona fideiussoris, cum quo contractum fuit, non perinde iniquum esset, nisi ratio illa etiam fideiussori non minus quam tertiis possessoribus noceret, quod neque illius, neque istorum quidquam interest, [10] nisi per consequentias, quæ attendi non solent. [11] Sed etsi omissa sit denunciatio, quæ venditori fieri debuit, nocet quidem ea negligentia emptori hactenus, ne litis non denunciatæ expensas in diem vsque denunciationis factas possit repetere, [12] sed non vsque adeo, vt indemnitatem suam persequi prohibeatur, etiam posteaquam fuit condemnatus, si tandem denunciatus venditor nihil alleget, ex quo appareat, potuisse ac debuisse emptorem absolui, si denunciatio congruo loco & tempore facta fuisset. Quid enim potest interesse venditoris, quod vel tardius quam oportuit, vel numquam facta sit denunciatio, quæ nullo vnquam tempore profuisset? [13] Illud plane constat, omissam in prima instantia denunnunciationem posse fieri commode ac tempestiue in secunda, si victus emptor appellauerit intra legitima tempora, litemque appellatoriam prosecutus sit, [14] cum per appellationem reducatur lis ad terminos primæ contestationis, [15] atque ita fiat vt possint adhuc non deducta deduci, non probata probari: [16] sed hoc ita tamen, si litis victoria non pendeat ex testimoniis pro euincente dictis, quæ vbi semel didicita sunt ab emptore, nullas amplius in contrarium probationes possunt admittere, [17] nec magis eas, quæ à venditore, tametsi litem ignorauerit, proferantur, quam si ab emptore ipso, cuius nomine suscipiens litem venditor easdem penitus exceptiones & replicationes, eadem denique litis affectæ & perperam instructæ incommoda pati cogitur, quæ emptor ipse cogeretur. [18] At quid si post appellationem cunctante venditore, sibique factam denunciationem negligente, emptor cum euincente transegerit & ita rem amiserit? Nihil dolo fecisse videbitur, quo minus saluam & integram de euictione habeat actionem, [19] sed potius contra venditoris sui frandem sibi propexisse, [20] si in ea causa res fuit, vt non magis secundæ quam primæ instantiæ victoriam iuste sperare posset. Nam neque hoc casu prouocare tenebatur. [21] *Ita tractatum est* Cal. Iuliis 1596.

1. Non enim obligatio impedit alienationem, *l. vnic. Cod. rem alien. gerent. non interdic. rer. suar. alien.* sicut nec alienatio extinguit obligationem pignoris, *l. debitorem* 15. *Cod. de pignor.*

2. Quia solus venditor auctor est, qui laudari potest & debet, *l. auctore* 7. *& seq. C. hoc tit.*

3. *d. l. auctore, l. si status*, 8. *eod. l. si ei* 41. *§. vlt. D. eod.*

4. *Auth. præsente, vbi not. C. de fideiuss.*

5. *Arg. l. Imperatores* 7. *D. de publican & vectig. l. denique* 19. *D. de iur. fisc.*

6. Vnde est quod in iure nostro actiones personales tantum, non etiam reales dicuntur condictiones, ab iis scilicet denunciationibus, quas olim præcedere necesse erat, *§. appellamus, Inst. de act.*

7. Sic enim denunciandi necessitatem dixit Modestinus *in l. Herennius* 63 *in princ. D. hoc tit.*

8. *L. centum C. apud* 8. *D. de eo quod cert. loc.*

9. *Argum. l. apud Iulianum* 3. *in prin. D. quibus ex caus. in possess. eat.*

10. Nemo autem siue agendo, siue excipiendo auditur, nisi quis interfit, *l.* 3. *§.* 1. *l. Stipulatio ista* 38. *§. alteri, de verbor. obligat. l. illa à quo* 13. *§. si de testamento*, vbi Alex. & alij, *D. ad SC. Trebell.*

11. *L.* 1. *l. quod dicitur* 7. *D. de auctor. tutor.*

12. *L. emptor* 8. *& seq. C. hoc tit.*

13. *L. si ideo* 55. *vbi not. D. eod.* Et huc pertinet quod dici solet, nunquam faciendum esse id, quod factum non releuaret, *l. qui potest* 26 *vbi not. de reg. iur. l. si quis ita* 33. *de hared. instit.* Vide Affl. *dec.* 215.

14. *d. l. Herennius* 63. *§. vlt. D. hoc tit.*

15. Extincto scilicet iudicato per appellationem, *l.* 1. *§. vlt. D. ad SC. Turpill.*

16. *L. per hanc* 4. *vbi not. C. de temp. & rep. app.*

17. Propter metum subornationis, *c. fraternitatis, ext. de test.*

18. Eadem enim videbitur hoc casu esse non tantum ratio, sed etiam persona emptoris & venditoris, vt diximus, *Definit.* 17. *supr.*

19. Quamuis videatur facto suo rem amisisse, quam per

BIU Cujas

transactionem remisit: nempe quia remissio illa facta est ex necessitate, cum nemo cogatur in lite improba diutius perseverare, *l. desistisse 10. D. de iudic.*

20. Non enim dici potest fraudem fecisse, qui sibi aduersus fraudem prospexit, *l. cum pater 77. §. Titio fratri ante pen. de leg. 2. l. Iulianus 42. alias l. si pupillus, vers. nec enim, de acquir. hared.*

21. Vt constat *ex d. l. Herennius 63. §. 1. & vlt. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXVI.

Qui pecuniam offert actori rem venditam vindicanti iure dominij, non ideo bene defendit emptorem, etiamsi offerat præterea quicquid potest interesse vindicantis.

CVm venditus mihi à te fundus iure dominij euinceretur, litem tibi vt debui denunciaui. Tu paratum te dixisti soluere domino [1] & præstare quidquid in eo fundo iuris habeat, ac præterea quanti eius interesset; Placuit non eo minus condemnari te perinde debere, ac si nihil obtulisses, nihil facias vt is, à quo mihi controuersia mouetur, satis sibi factum eiusmodi oblatio putet, nec in prosequenda lite perseueret. [2] Non enim de pecunia, sed de fundo litigat, qui fundum non tanquam sibi obligatum, sed quasi suum euincit. [3] Sed nec videri potes obligationem euictionis quantam oportuit agnouisse, si non præterea obtuleris mihi quanti mea interest, quod ex causa euictionis omnimodo debetur. [4] Ibid.

1. Aliud dicendum esset, si non dominus, sed creditor per hypothecariam rem euinceret, quia tunc oblatio in ista esset sufficiens, *l. cuidam 35. D hoc tit.*

2. Alioqui non potes videri præstitisse mihi indemnitatem, si cogar aut re carere, aut litem retinere, *l. 4. §. 1. de alien. iud. mut. caus. fact.*

3. Cum ei, qui rem vindicat iure dominij, non possit offerri, sed tantum creditori quasi Seruianam exercenti, *l. Paulus 12. §. 1. D. quibus mod. pig. vel hypoth. soluit.* quia nemo cogitur rem suam siue iusto, siue iniusto pretio vendere, *l. non enim 9. D. rer. amot. l. nec quasi 70. D. de rei vindic.*

4. *L. si in venditione 60. l. euicta re 70. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXVII.

Appellatio tam à venditore quam ab emptore contra euincentem interposita, non potest inauditis haredibus venditoris interim defuncti contra emptorem decidi.

VEnditor ab emptore conuento auctor laudatus litem susceperat, [1] simulque cum emptore condemnatus prouocauerat tam suo nomine, quam emptoris, (hoc enim facere & potest, & debet, [2]) Postea cum in causa appellatoria ad prosequendam appellationem citati Procuratorem constituissent, ambo decesserant. Victor aduersus hæredes emptoris egerat, vt litem appellatoriam prosequerentur, [3] nulla hæredibus venditoris facta denunciatione. Cum vrgeret condemnationem, vt bene iudicatum esse pronunciaretur, placuit nihil inauditis hæredibus venditoris, quorum maxime intererat, [4] constituendum esse, [5] differrique iudicatum potius oportere, cum imputari posset victori, cur non aduersus eum maxime, qui appellauerat, de appellationis iure litigasset: [6] cum eo namque de appellatione litigandum est, qui appellauit. [7] Quamquam enim sententiam contra venditorem latam aduersus emptorem quoque executioni mandandam esse constitit ex stylo Senatus nostri: [8] non similter tamen fieri potest, vt à quo tempore venditor suo periculo litem susceperit inaudito eo, eiusve, si interim decesserit, hærede, siue in principali, siue in appellationis causa quicquam pronuncietur; [9] nam nec cogeretur emptor post litem à venditore susceptam liti adesse, si nollet. [10] Ita pronunciatum est 10. Cal. Mart. 1594.

1. *Iuxta l. emptor. 8. C. de euict. & pass. sit, tit.*

2. *L. Herennius 63. §. 1. D. eod.*

3. Cum etiam hæredes cogantur causas reddere appellationis etiam à defuncto interpositæ, *l. 2. D. si tut. vel curat. magist. creat. appell. l. vnic. D si pendent. app. mors interuen.*

4. Quia venditoris periculum hoc casu agitur magis quem emptoris, *l. 1. C. vbi in rem act.*

5. *L. de vnoquoque 47. de re iudic.*

6. Nec enim magnum damnum est in mora modici temporis, *l. si debitori 21. D. de iudic.* nec rursus damnum videtur vllum sentire, qui sentit ex sua culpa, *l. quod quis 203. de reg. iur. l. cum postulassem, 44. §. 1. de damn. infect.*

7. Ne alioqui sententia inter alios lata aliis noceat, *l. 1. & 2. C. quibus res iudic. non noc. l. 1. & tot. tit. C. int. alios act. vel iud. alii non nocer.*

8. Hoc enim est, quod Pragmatici nostri dicunt, *le iugement rendu contre le garend estre executoire contre le garenty.*

9. *d. l. de vnoquoque, l. 1. D. de except. rei iudic.*

10. Cum ab eo tempore lis expediri debeat sumptibus & periculo venditoris, *d. l. 1. C. vbi in rem act.*

DEFINITIO XXVIII.

Ex datione in solutum perinde atque ex venditione nascitur actio de euictione.

ACcipiens rem debitoris in solutum ex auctoritate Iudicis, licet ei nihil cautum sit per debitorem de euictione, tamen ex natura negotij paratam habet actionem, si quandoque res euincatur, [1] quasi debitor ipse hoc casu in solutum dedisse, & consequenter quodammodo vendidisse videatur. Hoc enim casu factum Iudicis factum partis esse intelligitur. [2] *Ita tractatum* Cal. April. 1596.

1. *L. libera quidem Theodora 8. C. de sent. & inter l. omn. iud. l. si prædium 4.* & ibi Bart. *C. hoc tit. l. si ob causam 13. eod. & in l. si quis aliam 46. de solut. l. eleganter de pign. act.*

2. *d. l. si ob causam, l. 1. C. si in caus. iud. pign. capt. sit.* & Afflict. *decis. 8.* [Aliud est in cessione iurium facta periculo cessionarij, etiamsi per eam cessionem alicuius rei & corporis dominium aut possessio quæ penes cedentem fuerat in cessionarium translata sit, quæ postmodum euicta fuerit. Tunc enim nullo casu cedens obligatur de euictione, ne quidem ad restitutionem precij, si modo nihil dolo fecisse probetur, quia sibi debet imputare cessionarius qui sic contraxerit, *arg. l. pupilli 96. §. soror vbi not. D. de solut.* Nec hoc casu locum habet quod scriptum est *in l. ex empto 11. §. vlt. D. de act. empt.* quia in hoc casu neque cessionarius emptor est, neque cedens venditor, licet precium in cessione interuenerit ex parte cessionarij, & rei traditio cum dominij vel saltem possessionis translatione ex parte cedentis. *Ita Senatus* ex tempore 19. Iunij 1612]

DEFINITIO. XXIX.

Venditore non valente satisdare tradenda est pretij pecunia idoneo mercatori, qui vsuras legitimas præstet venditori in vicem fructuum.

SI venditor non possit satisdare de euictione, cuius periculum immineat in ipso limine contractus, [1] non idcirco permittendum est emptori, qui interea rem ipsam possidet, vt & re, & pretio fruatur, [2] aut vt pecuniam obsignet, ita vt nullum ex ea vsum percipere venditor possit. [3] Sed remedij loco potius probandum est, vt pecunia deponatur penes idoneum mercatorem, qui legitimas vsuras loco fructuum futuras venditori præstet. [4] *Ita Senatus* ex tempore in causa Augustanorum 2. April. 1596.

1. Quo casu venditor exigens pretium satisdare ante omnia tenetur, *l. si post perfectam 24. C. de euict.*

2. Hoc enim semper iniquum est, *l. ex empto 11. § qui autem, l. Iulianus 13. §. veniunt autem, l. bona fides 50. D. de act. empt. l. liberalitatis 16. §. 1. D. de vsur. l. 2. C. eod. l. curabit 5. C. de act. empt.*

3. Æquum enim est, venditorem vsuras pecuniæ percipere pro fru-

BIU Cujas

pro fructibus rei quam vendidit. *dict. §. verum autem. & d.l. curabit.*

4 *Arg. c. per vestras, extr. de donat. int. vir. & uxor.* Ita enim fit vt neuter ex contrahentibus laudatur, quod maximè inspiciendum semper est. *l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. cred. l. in creditore 38. in fin. D. hoc tit.*

DEFINITIO XXX.

Euicto fundo cuius redimendi ius competebat an teneatur de euictione venditor hyperochæ.

CVm debellatis & à toto Chablasiensi Ducatu feliciter expulsis Bernensibus sereniss. Dux noster Carol. Emanuel, vt pientissimus ita religiosissimus Chartusianos patres, cæterosque ecclesiasticos omnes, quos hæresis Zuingliana fugauerat in bonorum ecclesiasticorum, quæ Bernenses vendiderant [1] possessionem restitui jussisset, reddito tamen possessoribus precio, quod Bernensibus solutum probaretur, [2] Nisi si quid ex sorte propter immodicos fructus decedere oporteret. [3] Acciderat vt euincerent Chartusiani bona quæpam quæ à Bernensibus precio bis mille aureorum vendita fuerant, & quorum tamen hyperocham, [4] quod multo pluris esse crederentur, idem Princeps noster quo tempore Chablasiensem illum Ducatum per pacis conuentiones ita receperat, ne quid innouaret quod ad religionis causam pertineret, neve bonorum ecclesiasticorum emptores inquietari pateretur, [5] alij vendiderat pari precio bis mille aureorum data ei libera perpetuáque redimendi potestate [6] Idem ille qui emerat hyperocham alij rursus eam vendiderat, pactoque expresso se obstrinxerat, vt præstaret hyperocham ad eum vsque valorem bis mille aureorum. [7] Interim verò & ante factam redemptionem, secutamque vllam eo nomine interpellationem Chartusiani rem euicerant, & primo emptori primum precium restituerant, sed hyperochæ precium alij emptori restituere recusabant, tùm quod nullam hyperocham esse contenderent. [8] Tum quia solis possessoribus precium restituere jussus esset, in quo numero non erat hic qui non redemerat. [9] Inde alia litis occasio inter posteriorem hyperochæ venditorem & vltimum emptorem, cùm hic precium à se datum reposceret. Ille verò teneri se negaret, quod per actorem stetisset, quo minus possessor factus fuisset, ex eaque causa precij quod à Carthusianis solui alioquin debuisset, repetendi occasionem amisisset. [10] Item quod conditionem sibi oblatam ab aliis quam plurimis, qui eodem adeoque maiore precio, idem jus redimendi emere volebant, recusasset. [11] Visum est, non eo minùs posse secundum emptorem agere ad precij dati restitutionem, quod interea jus redimendi sublatum esset, ex voluntate Principis ob causam justam & anteriorem. [12] Nec enim posse inter casus fortuitos computari, quod tam piè justêque Princeps constituisset, [14] Præsertim cùm totam rem Senatui & pleniori ejus cognitioni commisisset. [15] Neque rursum poterat ei imputari quod citiùs non redemisset, cum obligatus non esset vt intra certum tempus redimeret, [16] liberamque ad triginta vsque annos redimendi haberet potestatem. Aut quod oblatam ab aliis, qui pretium idem maiusve dare parati erant, pecuniam recusasset, cùm hyperocham emisset, vt sibi rem haberet, non vt intuitus eam alij venderet. [17] Sed etsi precium ab alio recipere maluisset, nihilominus secuta euictione perinde precium restituere debuisset, atque ita eadem de euictione quæstio superfuisset. Quis enim tam stultus, qui non saltem de precio sibi cautum velit, tum quoque cùm conuenit ne de euictione agi possit. [18] *Ita Senatus* pro D. Iano Guilliet D. de Montou, contra N. Iohannem Franciscum de Bellegarde D. des Marches, mense Iunij 1613.

1 Veluti quodam postliminij jure restituta in pristinum statum religione. Vide *l. translato sacerdotio Extr. de constit.*

2 Hoc enim æquum est, *l. item si verberatum 15. §. vlt. D. de rei vindic.*

3 Nam & hoc quoque æquum est, vt fructus quatenus excedunt vsuras legitimas, imputentur in sortem quasi in fraudem legitimarum vsurarum percepti, *cap. illo vos de vsur.*

4 Vulgo plurisualentiam vocant, De qua in *l. & quæ nondum 35. §. vltim. D. de pignor. l. quærebatur, 20. D. qui potior. in pign hab.*

5 Semper enim pacis conuentiones seruandæ sunt, *l. si quis bello 28 in fin. de capt. & postlim.*

6 Ius enim redimendi quodlibet, si breuiore tempore limitatum non sit, triginta annis durat & finitur, *l. 3. Cod. de præscr. 30. vel 40. annor.* Cagnol. post alios, *ad l. 2. C. de pact. int. empt. & vend.*

7 Atque ita non vendiderat simpliciter. Quicquid iuris, sed hyperocham ipsam & quidem vsque ad valorem bis mille aureorum, & ita duo promiserat, nec proinde liberari poterat probando qualemqualem esse hyperocham, vt in *l. si nomen 4. & seqq. D. de hæred. vel act. vend.*

8 Non entis enim nullæ sunt qualitates, & quod non est recipere æstimationem non potest, *l. 5. in fin. D. de in lit. jur.*

9 Quod enim pendet non pro eo est, acsi sit *l. 169. §. 1. de reg. jur.*

10 *L. Labeo 30. D. de contr. empt. cum similib.*

11 Debebat enim sibi damnum imputare quod ex culpa sua senserat, *l. 203. de reg. jur.*

12 Quo casu non tenetur venditor præstare periculum euictionis, *l. Lucius, 11. D. hoc tit.*

13 Anterior enim erat causa & fauor religionis, *l. 43. de relig. & sumpt. funer.*

14 Et ita debet accipi quod iactari solet, Voluntatem Principis & sententiam iudicis inter casus fortuitos annumerari Nimirum si iniusta sit, nec aliam vllam causam iustam habeat anteriorem, *vt in d. l. Lucius l 51. D. hoc tit.*

15 Iustè enim facit Princeps quicquid per Senatum facit, *l. vnic. D. de offic. præf. prat.* Et debuit prospicere venditor hoc posse euenire, *vt in l 9. §. inde quæritur D. locat.*

16 Sunt enim perpetua iura quæ non sunt certo tempore limitata *d. l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. annor. l. Imperator 8. D. de postul. l. Thais 41. §. intra, de fid. lib.*

17 Nemo enim cogendus est rem suam aut ius suum etiam iniusto precio vendere, *l. nec quasi 70. D. de rei vind. l. non enim 9. D. rer. amot.*

19 *L ex empto 11. § qui autem D. de action. empt.* Ea siquidem conuentio liberat dumtaxat à præstatione eius quod interest, non à precij restitutione. *dict. §. qui autem, l. bona fides, 50. eod. tit.* Non autem videtur quis habuisse precium quod cogitur reddere, *l. quod euincitur 190. iunct. l. non videtur 51. de regul. jur.*

DEFINITIO XXXI.

Ad quid teneatur qui de hyperocha quam vendidit defendenda se obligauit.

QVi vendidit hyperocham fundi jam venditi & de euictione ita se obligauit, vt hyperocha tueri & defendere debeat vsque ad conuenti pretij quantitatem; non ad aliud teneri potest, quam vt probet hyperocham aliquam existere, [1] tantique eam fuisse, cùm venditio contraheretur. [2] Nec precij restitutionem eum teneri æquum est [3] Nisi in illum casum quo appareat venditam ab eo fuisse hyperocham, quæ aut nulla tum aut minoris erat. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si nomen 5 & seqq. D. de hæred. vel act. vend.*

2 *L. bonitatis 13. D. hoc tit.*

3 Quamuis dici soleat ne quidem per expressam conuentionem remitti hoc posse, *l. ex empto, 11. §. qui autem, D. de act. empt.* iunct *l bona fides 50. eod.*

4 Conuentio enim legem dat contractui & actioni de euictione, dum ne quid fiat contra bonam fidem, *d. §. qui autem l. quod si in venditione 10, l. quod si sit hæredis 13. D. de hæred. vel act. vend.*

BIU Cujas

DEFINITIO XXXII.

Euictio quando præstanda sit ex causa transactionis.

SEcuta euictione eius rei quæ ex causa transactionis penes te remanserat, cum iam eam possideres nulla tibi actio de euictione potest competere, si non tibi specialiter promissa sit. Multo minus si is qui tecum transegit ex vna tantum causa nominatim expressa euictioni se obstinxerit, cùm tanto magis cæteras excluſisse videatur. Plane si quid tibi per transactionem datum sit, quod postea euictum fuerit, perinde agere de euictione potes, acsi ex causa venditionis ea res ad te peruenisset. [1] *Ita Senatus* in causa Franciscæ Claye, April. 1614.

1 Textus est si bene intelligatur, *in l. si profundo 32. C. de transact.*

DEFINITIO XXXIII.

De euictione bonorum fideicommissi in dotem datorum.

MVlier cui dos data est à patre ex bonis fideicommisso subiectis, quæ postea sint euicta, non habet regressum contra fratres, tanquam bonorum paternorum pro dote obligatorum possessores, si nihil habeant illi à patre, cuius retinendi causam non allegent ex iure anteriore aliquo, quodcumque tandem illud sit, [1] Nempe si non sint hæredes patris. Alioqui esset aliud dicendum. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Scilicet si pro eo jure sint hypothecarij, cum prior tempore sit potior jure, *l. 1. 5. & pass. C. qui potior.*
2 *L. cum à matre 14. C. de rei vindic.*]

TIT. XXII.

CREDIT. EVICT. PIGNOR. non deber.

DEFINITIO I.

Non tenetur creditor de euictione pignoris, sed tantum de facto suo repromittere, & de dolo, itemque actionibus suis cedere, & præstare se potiorem.

CREDITOR non solum euictionem pignoris, quam non promiserit, præstare non tenetur, [1] sed nec promittere, si ab eo petatur. [2] Ad id enim dumtaxat obligatus est, vt actionibus suis justo possessori cedat, tam personalibus, quam hypothecariis, [3] An & de suo saltem facto caueat & repromittat? Vtique. [4] Nam & si nihil dictum esset, vt postea ex facto creditoris res euinceretur, de euictione aduersus eum agi posset, propter dolum, [5] quo vix est vt carere videatur, qui factum suum celauit, [6] vt possessorem offerentem damno afficeret. *Ita Senatus* ex tempore 13. Cal. Aug. 1591. & 8. Id. Febr. 1593.

1 *L. 1. & tot hoc tit. C. credit. euict. pignor. non debet.* tenetur tamen se præstare & creditorem & potiorem, *d. l. 1. in fin. vbi glos.* Iunge *Desin. seq.*
2 Cum pignoris solutio non tam ex voluntate creditoris, quam ex necessitate juris fiat tertio possessore, qualiscumque ille sit, pecuniam creditori debitam offerente, *l. 2. in fin. l. cum secundus 5. §. 1. & l. seq. D. de distract. pignor. l. Paulus 12. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit. l. debitor 40. §. vlt. de pign. act.*
3 *L. mulier 19.* vbi gloss. & alij, *D. qui potior. in pignor. hab. l si res obligata 57. de legat. 1.*
4 *L. de suo 9. D. mandat. l. 2. in prin. D. de hæred. vel act. vend.*
5 Semper enim dolus iustam tribuit actionem de euictione, etiam contra donatorem, qui alioquin non tenetur, *l. 1. C. de iur. dot.* iunct. *d. 2. C. de euict.* Quia numquam impunitus dolus esse debet. *l. Procurator 11. §. in perpetuum, D. de dolo mal. except. l. 2. C. hoc tit.*
6 Nec enim facti proprij ignorantia probabilis est, quomodo est alieni, *l. quanquam 7. D. ad SC. Vellæian.* iunct. *l. vltim. D. pro suo, l. quaro 39 D. de action. empt.*

DEFINITIO II.

Creditor, cui possessor pignoris vltro offert, non cogitur præstare se potiorem, quomodo cogitur qui pignus vendit.

SI contra tertium possessorem agat creditor ex beneficio Iustinianeæ constitutionis ad auocandam possessionem, [1] quam sibi ex contractu pignoris per clausulam constituti quæsierat, [2] non solum euictionis nomine se obligare non cogitur, [3] sed nec præstare se antiquiorem creditorem, qualem se vtique præstare cogeretur, si pignus venderet. [4] Hæctam varie, quoniam possessor, qui offert, se ipsum vltro obligat, [5] creditor vero nullo modo, qui scilicet debitum accipiendo non tam contrahere, quam jus suum exequi credendus est, [6] ideoque nec ad aliud teneri debet, quam vt præstet actiones, quas & quales habet. [7] At creditor, qui vendit pignus, licet non quasi dominus vendat, sed tanquam creditor, tamen contrahit, & quidem cum eo, qui verisimiliter contracturus non esset, si non hunc crederet antiquiorum. [8] Proinde æquum est, hactenus eum teneri vt præstet se & legitimum & antiquiorem creditorem, & pignoratitium, dolumque malum à se abesse repromittat, [9] ne alioqui emptor decipiatur. [10] *Ita Senatus* ex tempore 18. Cal. Decemb. 1589.

1 *Ex l. vlt. C. de acquir. poss.*
2 *Per l. quod meo 18. D. eod. l. certe 6. §. is, qui rogauit, D. de preca.*
3 Vt nec alius creditor quilibet, secundum ea, quæ dixi *Desin. præced. ex l. 1. & tot. hoc tit. C. l. debitor 40. §. solata, de pignor. act.*
4 *d. l. 1. & l. vlt.* vbi Bald. *Cod. hoc tit.*
5 Nec enim offerre cogeretur, si mallet rei possessione cedere, *l. si fundus 16. §. in vindicatione, D. de pignor. l. Paulus 12. §. 1. D. quibus mod. pign. vel hypoth. solvit.*
6 Accipit enim pecuniam creditor ad distrahendum pignus potius, quam ad contrahendum *d. l. Paulus, §. 1.*
7 *L. mulier 9. qui pot. in pign. hab. l. si res 57. de legat. 1.*
8 Ita demum enim secutus est is, qui emit à creditore, vt de proprietate vinci non possit, si emerit à creditore anteriore. Nam si emerit à posteriore, semper habebit anterior creditor ius offerendi, *l. 2. C. si antiq. cred. pign. vendid. l. qui à creditore 18. C. de distr. pignor.*
9 *d. l. 1. & vlt.* iunct. *glos. C. hoc tit.*
10 *L. si post acceptum 18. D. de rei vindic.*

DEFINITIO III.

Creditor, qui vacuam rei possessionem tradere promisit, non liberatur præstando suas actiones, sed condemnandus est, vt vel tradat, vel pretium reddat, licet de euictione non teneatur.

REm sibi obligatam creditor sub hasta vendi curauerat, nulloque extraneo emptore existente ipse emerat. [1] Tertius quidam venditioni aut missioni in possessionem, quæ subsequi solet, intercesserat, eaque intercessio creditori ipsi fuerat denunciata. Debitor postea & intra semestre luendis pignoribus præstitutum [2] eam rem tibi vendiderat, illa lege, vt huic ipsi creditori solueres certam quantitatem, quam ei debitam esse dicebat, cum tamen multo maior debebetur. Tu obtuleras, cumque is diceret probaretque multo plus sibi deberi, conuenerat inter te & illum, vt ei

vt ei solueres quicquid debebatur, isque tibi iura sua & actiones omnes cederet, vacuamque rei possessionem. Atque ita transactione conuentum fuerit traditæque tibi subhastationum chartæ, sed tacita tamen intercessione illa, quam diximus à tertio possessore factam sciente creditore, te vero ignorante: [1] postea cum fundi possessionem propria, vt conuenerat, auctoritate ingredi velles, [4] prohibitus es ab eodem illo, qui in possessionem missum creditorem non admiserat. Petebas ex ea causa, vt creditor condemnaretur ad vacuam tibi tradendam possessionem, aut si id facere non posset, quanti tua interesset, vel in id saltem, vt acceptam à te pecuniam quasi resoluto contractu restitueret. [5] Dicebat ille, cessas tantum à se actiones, quas haberet. Proinde nec de euictione se teneri, dummodo, quod faciebat, præstaret se legitimum creditorem, [6] neque cogendum reddere, quod sibi debitum accepisset, tametsi ab alio accepisset, quam qui debuisset, [7] præsertim cum tu obligatus esses ex causa emptionis, vt ei solueres, [8] nec solum ea lege emisses, verum etiam creditorem ipsum eundemque pignoris possessorem interpellasses vltro, vt acciperet solutionem, suisque iuribus cederet. [9] Contradicebat cessionarius, non creditoris, sed domini iure habendum eum, qui pignoris venditionem peregisset, ac emptoris quam creditoris iure rem habere maluisset. [10] Sublatum enim esse ius pignoris acquisita proprietate, [11] ob idque non tam ab eo cessam crediti actionem, quam alienatam rem ipsam, quam sibi habere cœpisset, [12] ac cuius vacuam possessionem à cessionario occupandam tradidisset. Igitur quamuis de euictione non teneretur, neque tanquam creditor, neque tanquam venditor, qui scilicet neque creditor erat, [13] neque rem ipsam vendiderat, sed tantum actionibus suis cesserat: [14] videbatur tamen ad id obligatus esse, vt vel vacuam possessionem traderet, vel saltem pretium redderet, si vacuam possessionem apprehendere cessionarius alterius cuiuslibet facto prohiberetur. [15] Vel ob id maxime, quod non carebat doli suspicione, qui intercessionem illam dissimulauerat, seque possessorem finxerat, cum re vera non esset. [16] Neque enim credibile erat cessionarium cum eo fuisse contracturum, [17] si litem sibi paratam, & possessionis commodum ereptum fore cogitasset. [18] Nemo autem dubitat, quin is quoque, qui vendit iure creditoris, aut qui iura sua cedit, de suo saltem facto repromittere debeat, adeoque citra repromissionem conueniri possit. [19] Nec ad rem faciebat, quod cedens ipse interpellatus esset, vt pecuniam acciperet, suoque iure cederet. Non enim eo minus verum erat, promissam ab eo vacuæ possessionis traditionem, [20] doloque factum esse, quod alterius intercessionem celauisset. [21] Sicut nec illud mouebat, quod idem cessionarius eandem rem à debitore ipso antea comparasset, cui facultas redimendi intra semestre supererat. [22] Nam restabat acquirendum commodum possessionis ab eo, qui possidere credebatur, [23] ac cui non erat cur cessionarius solueret, si eius beneficio possessionem assequi & apprehendere non potuisset. [24] Itaque lite in publico auditorio perorata pronunciatum est ex tempore pro cessionario, in causa N. de la Tour, contra Barbaram Arod & Philipam Bizet, Calend. Mart. 1594.

1 Hoc enim facere creditor ex officio debet, *leg. 2. Cod. si in caus. iudic. pign. capt. sit.*

2 Ex vetere statuto Sabaudiæ.

3 Et quam probabiliter ignorare poteras, tanquam quæ esset facti alieni, *l. vlt. D. pro socio.*

4 Hoc enim licet, tametsi ciuilius facturus sit creditor, adhibeat Iudicis auctoritatem, *l. creditores 3. C. de pignor.*

5 Ne alioqui videretur habere pretium sine causa, te rem non habente.

6 *Ex l. 1. & vlt. cum ibi not. C. hoc tit. l. si res obligata 57. de leg. 1. l. debitor 40. §. vlt. D. de pignor. act.*

7 *L. repetitio nulla 44. D. de condict. indeb.*

8 Vt proinde ex contractu alieno potius, quam ex suo solutionem accepisse videretur, *l. 3. vbi not. Cod. de donat. quæ sub mod.*

9 Quo casu æquum sane est, mitius agi cum creditore, vt dixi *Defin. prox. præced.*

10 Cum sit eodem iure censendus, quo extraneus censeretur, cuius vice emit, *l. 2. Cod. si in caus. iudic. pignor. capt. sit. l. cum bona, 16. D. de rebus auctor. iud. possid. alias l. 1. de priuileg. credit.*

11 *L. penult. §. 1. ad fin. D. de except. rei iudic. l. neque pignus 45. de reg. iur.*

12 Potest enim mutari causa possessionis ex nouo titulo superueniente, *l. non solum 31. §. quod vulgo. D. de vsucap.*

13 Soluta obligatione per venditionem pignoris.

14 Cuiusmodi actionum cessio regulariter non obligat cedentem de euictione, *l. si nomen 4. & seq. D. de hared. vel act. vendit.*

15 Ne alioqui cessionarius & re, & pretio careret contra bonam fidem, *l. ex empto 11. §. qui autem, & l. bona fides 50. D. de action. empt.*

16 *Arg. l. quæro 39. eod. tit.* iunct. *l. in venditione 41. eod.*

17 *Vt in d. l. quæro, vers. ne alioquin.*

18 Cum tam multa sint & litium incommoda, & possessionis commoda, *l. minoribus 6. D. de minor. l. 4. §. 1. de alien. iudic. mut. caus. fact. §. commodum, Inst. de interd. l. vltim. D. de ac acquir. poss. l. 1. §. vlt. & l. 2. D. vti possid.*

19 Vt dixi *Defin. 1. 5. ex l. de tuo 9. D. mandat. l. 2. D. de hared. vel act. vendit.*

20 Quæ vulgaris formula est venditionis, *l. 3. D. de action. empt. l. si stipulatus 4. in princ. D. de vsur.*

21 *d. l. quæro 39.* iunct. *l. 1. §. 1. de action. empt.*

22 Vt proinde non tam creditoris, quam debitoris fidem secutus videretur.

23 Desierat enim debitor possidere ex eo instanti, quo capta fuerant pignora & redacta in manus Curiæ, vt loquuntur. Exinde namque curia incipit possidere, vnde etiam est, quod hanc leuationem nostri vocant.

24 Fuit enim illud pretium possessionis & mandatum à creditore actionum, *argum. l. cum pupillus 21. D. de tutel. & ration. distr.*

DEFINITIO IV.

Venditio postulante creditore facta sub hasta illum obligat non quidem de euictione, sed ad id, quod interest emptoris, si condemnatus sit emptor ob vitium subhastationum, secus si ob culpam propriam.

SI rem sub hasta venditam emptor condemnatus sit restituere, ob id solum, quod venditio aut pro indebito, aut non seruatis solemnibus facta esset, indemnis præstari debet à creditore, quo postulante facta venditio est. [1] Neque enim hoc casu locum habet, quod dici solet, Creditorem euictionem pignoris non debere, [2] cum teneatur creditor non solum præstare se creditorem, [3] sed etiam curare, quantum in se est, ne quid prætermittatur eorum, quæ tutam venditionem facere possint. [4] Aliud est, si emptor ob eam causam sit condemnatus, quod oblatam intra statutum tempus pecuniam, pro qua venditio facta fuerat, accipere noluerit. [5] Propriæ siquidem culpæ alium quam se ipsum auctorem laudare nemo potest. [6] *Ita in Senatu* tractatum est ex tempore in causa Claudij Pomar, Typographi Camberiensis, & Syndicorum ciuitatis, Idib. Sept. 1595.

1 Cum debeat creditor præstare se creditorem, & bonam fidem in distractione pignoris, *l. 1. l. pen. & pass. Cod. si vendit. pign. agat.*

2 *L. 1. & tot. hoc tit. C. l. debitor 40. §. vlt. D. de pignor. act.*

3 Scilicet legitimum, adeoque antiquiorem, vt dixi *Defin. 1. supr. hoc tit.*

4 Vix enim est vt non faciat contra bonam fidem creditor, qui non curat obseruari ea, quæ in distrahendis pignoribus

BIU Cujas

obseruari consueuerunt, *l. cum contra bonam fidem 4. C. si vend. pignor. agat.* nisi quid per apparitoris & executoris imperitiam peccatum sit: quo casu facile potest fieri, vt nullus adsit dolus eius, qui apparitorem elegit, quamuis non facile careat culpa, qui talem elegerit, *l. 1. §. illud sciendum. D. de separat.* Iunge *l. 2. in fin. C. hoc tit.*

5 Cum ex statuto haberet debitor ius redimendi intra semestre, numerandum à die missionis in possessionem.

6 *L. hoc iure 27. in fin. D. de euict.* quia quod quis ex culpa sua damnum sentit, nec sentire videtur, *l quodqais 203. de reg. iur.* Facit *l. si fundo 53. § 1. l. si ideo 55. D. de euict.*

TIT. XXXIII.

DE PATR. POTEST.

DEFINITIO I.

Pater filium impium potest propria auctoritate prehendere, & carceres detrudere castigandum postea per Iudicem arbitrio patris: non tamen absoluendum, etiamsi pater velit, si atrox fuit iniuria.

PATRI de filij moribus & impietate apud Senatum conquerenti, licet nullas in promptu haberet querelæ probationes, [1] prehendendi tamen filij, & in carceres detrudendi potestatem, [2] quam sibi fieri postulabat, placuit non esse denegandam: cui etiam propria auctoritate & patriæ potestatis iure inconsulto Senatu id ipsum facere licuerit, ac ex cuius voluntate & arbitrio sententiam postea in filium ferri oporteat. [3] Quid ergo si postea paternæ pietatis viribus fractus pater filio iamiam condemnando parcere velit? Non est audiendus, si tam atrox iniuria & impietas fuit, vt publici exempli occasionem amitti non oporteat. *Ita tractatum* & relatum est pro N. Ludouico d'Eschallon, 5. Cal. Octob. 1593.

1 Quamuis dici soleat, non entium, & non apparentium idem esse iudicium, *§. si aduers. Inst. de nupt. l. duo sunt Titij 30. D. de testam. tutel.*

2 Iure scilicet patriæ potestatis, cum parentibus olim liceret filios impune occidere *l. in suis 11. D. de liber. & posthum.* quamuis hoc sit immutatum, *l. 2. D. de sicar.*

3 *L. si filius 3.* vbi est text. elegans, *C. hoc tit.* Iunge *l. 4. eod.*

4 Ne, dum iniusto patris desiderio satisfacere volumus, publicam vtilitatem offendamus; alioqui publicam potius quam priuatam iniuriam remittere pater videretur, quod sane pessimi esset exempli. Publice siquidem interest, tam grauia eiusmodi delicta exemplo vindicari, vt pœna vnius sit metus multorum, *l. ita vulneratus 51. § vltim. D. ad leg. Aquil. l. si à reo 70. §. vltim. de fideiuss. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. 1 D. de solut.* Nec desunt apud nos exempla filiorum ad triremes condemnatorum pro eo tempore, quod pater ipse præscripsisset, vt à clarissimo viro D. Raymundo Pobello Præside nostro alias relatum memini. Plane iniuriam leuiorem sibi à filio factam remittere pater quandocumque potest, etiam post delatam ad Iudicem querelam, ne alioqui nullus paternæ veniæ & misericordiæ locus relinquatur.

DEFINITIO II.

Potest pater factam iniuriam filio gratis etiam inuito eo remittere, nisi patris persona sit vilis aut turpis.

FIlio factam iniuriam quantamcumque pater vel inuito eo etiam gratis & vltro remittere pro suo iure potest, [1] nisi proponas, vsque adeo vilem patris personam esse, vt ipsi de honore & existimatione filij minus confidendum videatur: [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 1. supr. De his quibus vt indign. & ad SC. Syllan.

1 Quia magis patri quam filio facta esse intelligitur iniuria, quæ filio facta est, & ideo nec iniuriarum potest agere filius proprio nomine, quamdiu pater ipse potest agere, aut alius nomine patris, *l. sed si vnius 17 §. ait prator. & seq. D. de iniur.* præsertim *in vers. plane.* Glos. *in l. in persona 31. in princip. D. de pact. l. si longius 18. § si filius fam. D. de iud.* vbi vide quæ scripsi *in Rational.*

2 Quo sane casu æquum est maiorem haberi rationem filij, quam patris, *d. l. sed si vnius, §. interdum, D. de iniur.*

DEFINITIO III.

Filiusfamilias Senator non potest facere testamentum, nec si pater consentiat: habet tamen liberos suos hæredes legitimos in peculio quasi castrensi, quamuis remaneant illi mortuo patre in potestate aui, ita vt nec matrem tutricem habere possint.

SEnatoria dignitas non eximit filium à patria potestate. Nec enim recte hæc dignitas comparabitur summæ Patriciatus dignitati, quam olim solam Iustinianus excepit, [1] & quæ hodie nulla est: ita fit vt Senator idemque filiusfamilias testamentum facere non possit, nec si pater consentiat, [2] præterquam ratione quasi castrensis peculij, de quo haud dubie testari potest, [3] etiam inuito patre, ex constitutionibus ad exemplum peculij castrensis. [4] Quod si intestatus decesserit, superstitibus liberis, non occupabit pater bona iure peculij, vt olim, [4] sed potior erit in succedendo causa liberorum, ex nouella Iustiniani constitutione. [6] Sed non faciet ea res, quin liberi maneant in potestate aui paterni, in qua & pater eorum fuerit mortis tempore. [7] Proinde non solum superuacua, sed etiam absurda est illa quæstio, [8] An eorum tutela auo paterno, an marito potius tanquam ad succedendum proximiori deferenda sit? Cur enim aut qua ratione tutorem demus ei, qui iam est in alterius potestate? Siquidem constat fieri non posse, vt idem eodem tempore plurium potestatem experiatur. [9] Nemo autem dubitat, quin sit in tutoris potestate is, qui tutorem habet. Est enim tutela, vt Seruius diffiniebat, vis & potestas in caput liberum. [10] Et sane ridiculum est argumentum, quo mouentur, [11] qui matrem præferunt, [12] contendentes eodem ordine vocari parentes ad tutelam quoad hæreditatem, [13] ex Iustiniani constitutione: huic enim regulæ, quæ & iuris antiqui fuit, tum demum locus est, [14] cum de tutela quæri potest, quod non euenit in nepotib. auum paternum habentibus, in cuius illi sint potestate. [15] Non defuerunt tamen ex Dominis Senatoribus qui dicerent, cum huiusmodi quæstio sæpius ex facto incidisset, aliter atque aliter Senatum antehac censuisse: aliquando enim matrem prætulisse, [16] aliquando auum paternum, [17] quod & in posterum sequendum esse post accuratam disputationem magis probabatur. [17] In causa N. Catharinæ de Lallee, viduæ D. Senatoris de Beausuiour, & D. de la Fontaine, 6. Id. Mart. 1594.

1 *In § filiusfamilias. Inst. quib. mod. ius patr. potest soluit.*

2 *L. tam is 25. § filiusfamilias, D. de mort. caus. donat. l. pen. C. qui test. facer. poss.*

3 *L. vlt. C. de inoff. testam. l. vlt. C. qui testam. facer. poss.*

4 In quo ex constitutionibus filiusfamilias vice patrisfamilias fungitur, *l. 2. D. ad SC. Maced.*

5 *L. 1. & D. de castr. pecul. l. filiusfam. 18. D. ad leg. Falcid.*

6 *Nouel. 118. de hared. ab intest. venien.* Vide tamen quæ contra hanc sententiam scripsi *in error. vitim. decad. 43. de error. pragmat.*

7 Remanet enim nepos in potestate aui mortuo patre, qui ipse erat in potestate. Recidit autem in potestatem patris mortuo auo, *§. 1. Inst. quib. mod. ius patr. pot. soluit.*

8 Quam nostri tractant *ad Auth. matri & auia, C. quand. mul. tutel. offic. funct. potest.*

9 *L. si filiusfamilias 33.* vbi est text. elegans, *D. de testam. mil. iunct. l. si cuiusc. D. ad leg. Iul. de adult.*

10 Cum

10 Cum tutoris potestas sit quodammodo vicaria patriæ potestatis.

11 *Tit. de tut. tel. apud Iustin. ex Iureconsulto in l. 1. D. eod.*

12 Argumentum est Bartoli pro matre contra Accursium, qui pro auo paterno sentit, *in d. Auth. matri & auiæ.*

13 *dict. Nouell. 118. de hæred. ab intest. venient. capit. 5. §. ex his autem.*

14 *L. à quo tutela 73. de reg. iur. leg. 3. D. de legit. tutor. §. 1. Inst. de legit. patr. tutel.*

15 Semper enim supponendi sunt termini habiles, *vulg. l. adigere 6. § quamuis, D. de iur. patron. l. 1. §. vltim. D. ad SC. Tertyll. cum similib.*

16 Ex sententia Bartoli, vt in ea specie, de qua scripsimus, *Defin. 1. 5 de legit. tutel.*

17 Ex sententia Accursij *ad l. Auth. matri & auiæ.*

18 De quo vide quæ scripsi pluribus contra Bart. *in error. 7. decad. 6. de error pragmat.*

TIT. XXXIV.

DE POSTLIM. REVERS. ET redempt. ab hostib.

DEFINITIO I.

De iure postliminij apud Christianos & de iure luendi id quod ab hostibus redemptum est.

QVAMQVAM ex vetere gentium iure manſit etiam apud Chriſtianos, vt quæ in bello capiuntur bona mobilia, fiant capientium & in prædam cedant, non diuidendam ab Imperatore victoris exercitur, vt olim, ſed apud eos relinquendam qui priores ceperint. Immobilia verò publicentur, & in fiſcum victoris Principis aut reipublicæ quæ bellum indixit redigantur, ſi modo iuſtum fuerit bellum & ab Imperatore Romano alióve ſupremo quolibet Principe indictum, non etiam ſi ab inferiore, quamuis ex licentia & permiſſione ſuperioris.[1] Illud tamen merito antiquatum eſt, quaſi moribus Chriſtianis indignum, vt qui à Chriſtianis capiuntur, Chriſtiani fiant ſerui, licet negari non poſſit, quin fiant captiui. Seruantur enim, vt redimi poſſint, non vt vel ex interuallo occidi vel ſeruire debeant.[2] Ea res facit, vt poſtliminij ius, quod ad perſonas attinet, hodie inter Chriſtianos nullum ſit, ſed tantum quod ad bona quæ belli iure dominum mutauerunt.[3] Nec tamen quantum ad dominium bonorum duntaxat, ſed etiam quod ad iura omnia quæ bonorum dominio conſequentia ſunt, vt puta pignorum, hypothecarum, fideicommiſſorum. Quemadmodum enim iura illa omnia mutato per bellum, & extincto dominio, cui adhærebant neceſſariò reſoluuntur:[4] Ita & reſtituto iure poſtliminij dominio ſimul & ipſa reſtituuntur,[5] ſi non in pace aliter conuenerit. Hoc enim ſemper excipiendum eſt,[6] cùm ex eodem iure gentium ſit, vt pacis leges & condiciones ſeruentur etiam iniquæ, vtpote ſine quibus pacis fœdus initum non fuiſſet.[7] Nam ſi virtute bellica factum ſit vt bona quæ à victoribus fuerant occupata ad priſtinos dominos redierint, diſtinctionibus nullis locus eſt, quòd eo caſu bona non tam recuperata, quam nullo vnquam tempore amiſſa videantur.[8] Quòd ſi neque per virtutem bellicam, neque per conuentiones pacis recuperata ſint, ſed commercio redempta,[9] ius ciuile ſequendum erit, quo inductum eſt ex conſtitutione, vt luendi quidem ius domino ſuperſit, interim tamen redempta res eius eſſe intelligatur qui redemit.[10] Et quidem ita vt in ea re retinenda potior eſſe debeat cæteris omnibus creditoribus, quantumcunque anteriorem hypothecam habentibus.[11] Quidni enim cùm nec à priore domino cuius ſemper antiquior cauſa eſt controuerſiam timere vllam poſſit?[12] Ergo nec ſufficiet vt creditores cæteri agentes hypothecaria offerant ex precio ad ratam[13] crediti, ſed totum offerre debent ne alioqui melioris conditionis ſint, quàm debitor ipſe idemque prior dominus, qui niſi totum precium offerendo non audiretur.[14] *Ita tractatum eſt* in cauſa Prioris & Religioſorum d'Eney, & Rectorum Sanctæ Domus B. Mariæ compaſſionis de Tonone, menſe Mart. 1613.

1 Bartol. & alij *ad l. hoſtes, & l. ſi quid bello, D. hoc tit.* Boer. *quæſt.* Didac. Couarr. *ad num. 7. reg. peccatum, de regul. iur. in 6. in 2. parte relectionis §. 9. & 11. in princ. & num. 16.*

2 Bart. & alij in locis ſupra citatis.

3 Boer. *dict. quæſt.*

4 Alioqui cauſa pignoris nihil commune habet cum quæſtione & intentione dominij *leg. 1. §. 1. D. de pignor. l. vſucapio 7. C. eod.*

5 Quicquid enim bellum abſtulit, ius poſtliminij reſtituit *tot. hoc tit. C. & l. poſtliminium 19. D eod.*

6 *dict. l. ſi quid bello 28. in fin. D. hoc tit.*

7 Non enim decipi debet qui fidem publicam ſecutus eſt, vt neque is, qui priuatam *l. vlt. C. de pact. conuent. tam ſup. dot.*

8 *L. ſi captiuus 20. §. 1. D. hoc tit.*

9 De quo bonorum genere agitur etiam *in toto hoc tit. C. & in l. in bello 12. § ſi quis ſeruum & ſeqq. & paſſ. D. eod.*

10 *dicto § ſi quis ſeruum, l. 2. & paſſ. C. eod.* Recte autem agimus de redemptis quia res liberaliter & gratis redditæ ab hoſtibus, licet alij quam domino priori protinus, & ipſo poſtliminij iure ad priſtinum dominum redeunt *l. cùm redemptum. §. l. præter. 8. C. hoc tit.*

11 *L. cùm & poſtliminij 6. l. commercio, eod. tit. dict. §. ſi quis ſeruum, verſ. & ſi ignorans.*

12 Niſi reſtituto precio ante completum tempus vſucapionis. Peſtea enim ſera eſſet oblatio pretij ad cauſam luitionis, *d. §. & ſi ignorans.*

13 Sicuti cùm agitur de luitione pignoris *l. quamdiu 6. Cod. de diſtr. pign. l. 1. C. de luit. pignor.*

14 *dict. §. ſi quis ſeruum*, luitionis enim cauſa ſemper indiuidua eſt *dict. l. 1. Cod. de luit pignor. l. ſi rem 9. §. omnis pecunia. D. de pign. act. cum ſimilib.* Vide Innoc. & Canon. *in cap. ſicut, Extr. de reſcript.*

TIT. XXXV.

QVAE SIT LONG. CONSVET.

DEFINITIO I.

Poteſt conſuetudine tolli præſcriptio qualibet & quanticumque temporis apud noſtros Auguſtanos.

CONSVETVDINE ſicut & ſtatuto induci poteſt, ne quanticumque temporis præſcriptio locum vllum habeat,[1] quia ius omne quod eſt De præſcriptionibus, mere ciuile eſt,[2] quod contrario iure ciuili proinde tolli & abrogari poteſt.[3] Secundum quod cum in cauſa quadam Auguſtanorum probatum eſſet per teſtes,[4] nullam in toto Auguſtæ Ducatu præſcriptionem temporis locum habere, eumque, qui fundum ea lege emerit, vt toties quoties venditor nolet retrouendere cogetur, recuſare non poſſe, quo minus etiam poſt annos ſexaginta redimere volenti venditori fundum reſtituat. *Senatus* pronunciauit, ius redimendi durare, quod alioqui lapſu tricennij præſcriptum videri debuiſſet,[1] 6. Non. Decemb. 1588.

1 Bald. & alij *ad l. 1. Cod. de annal. except.* vbi tamen notant, ſublata ſiue per ſtatutum, ſiue per conſuetudinem omni præſcriptione quanticumque temporis, non tamen cenſeri ſublatam centenariam.

BIU Cujas

2 Contra naturalem æquitatem, cum tempus non sit modus aut acquirendi, aut amittendi dominij, *l. diutina 4. Cod. de præsc. long. temp.* vt neque tollendæ vel inducendæ obligationis, *l. obligationum fere 44. §. placet, D. de oblig & act.* Vnde dicitur præscriptio impium præsidium & improba temporis allegatio à Iustin. *Nouell 9.* vt etiam *Eccles. Roman cent. annor. gaud præscrip.* Habet tamen hoc ius æquitatem ciuilem, ne dominia rerum & iurium maneant semper in incerto, *l. 1. & 2. vbi not. D. de vsucap. l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. annor.*

3 *L. eas obligationes 8. D. de capit. minut.*

4 Consuetudo enim cum sit facti omnimodo probanda est, siue per testes id fiat, siue per instrumenta. Bart. *ad l. de quibus, num. 7. D. de legib.* DD. *ad l. 2. C. hoc tit.*

5 Sicut & cætera iura quantumlibet perpetua, *leg. 3. & 4. Cod. de præscript 30. vel 40. annor.* Boer. *quæst. 182, num. 3. & 4.* Tiraquell. *de retract. conuent. §. 1. in verb. à tel temps, gloss. 2. num. 7.* Ioan. Papon. *in syntagm. arest. lib. 12. titul. 3. de præscription. §. 11. & 12.*

DEFINITIO II.

Allatis contrariis probationib. consuetudinis audiendi sunt noui testes ex officio, quibus solis credatur: idque sumptibus vtriusque partis, sed iis ignorantibus, quantum fieri potest.

CVm de consuetudine probanda agitur, & quod sæpenumero euenit, contrariæ probationes hinc inde proferuntur, aut tam enixæ, aut tam suspectæ, vt dubia res fiat, [1] solet Senatus decernere, vt per enarratorem litis [2] amplius inquiratur de veritate, [3] audiendis in eam rem ex officio testibus, quos ipse pro arbitrio eligat ex eorum numero, qui fide digniores videantur, [4] ignorantibus quoque, si fieri possit, collitigatoribus, vt vitetur materia & suspicio corruptionis testium, expensis tamen vtriusque partis, [5] alio etiam, si necesse sit, expensarum colore quæsito. [6] Quod cum euenit nil necesse est de fide testium ante auditorem inquirere, quoniam nec vlla iis fides adhibetur, sed iis solis qui ex officio auditi sunt, [7] tametsi alioquin ea inquisitio. De personis & infectationibus testium necessaria fuisset. [8] *Ita Senatus* in causa Francisci le Maistre, & Illustrium Dominorum Comitum de Monmayeur, 5. Id. Aug. 1593.

1 Debent enim consuetudinis cuiuslibet probationes quantum fieri potest esse, certæ, claræ & indubitatæ, *l. cum de consuetudine, 34. & seqq. l. non Imperator, 36. D. de legibus. Notat. ad leg. 2. C. hoc tit.*

2 Pragmatici nostri vocant relatorem, *Le rapporteur du procés.*

3 Debent enim iudices omnes diligentes esse ad indagandam veritatem, cum in cæteris quidem rebus omnibus, *l. curent magistratus, 22. D. de testib.* tum maxime cum tractatur de consuetudine, quæ scilicet tantæ auctoritatis est, vt ius faciat & habeatur pro lege, *l. de quibus, 32. dict. l. cum de consuetudine, & seqq. D. de legib.*

4 Testibus enim credendum est non testimoniis, *leg. 3. in princ. & §. 1. & §. idem Diuus Hadrianus, D. de testib.*

5 Cum fiat hæc noua inquisitio ad vtilitatem vtriusque partis, *arg. l. 1. C. de admin. tutor.*

6 Ne possint litigatores suspicari quid facere Senatus cogitet.

7 Sic enim Senatus postea pronunciat, ac si non alij testes auditi fuissent, quam qui ex nobili, vt aiunt, Senatus officio auditi sunt.

8 Quomodo tum maxime necessaria est, cum ex vtraque parte non modo diuersa, sed etiam contraria testium dicta & testimonia proferuntur, *arg. d. l. 3. D. de testib.*

DEFINITIO III.

In solutione quotæ decimæ spectanda maxime est loci consuetudo, etiam quæ possit materiam fraudis præbere, dum ne quid per fraudem fieri, aut factum esse probetur.

COnsuetudo vt decima soluatur in horreo, licet facile ansam præbeat fraudis comminiscendæ, [1] si tamen de ea legitime constet, omnimodo seruanda est, sicut & in cæteris omnibus quæ ad soluendæ decimæ formam pertinent. [2] Nisi constet in fraudem quid factum esse, [3] etsi non desunt qui negent huiusmodi consuetudinem recipiendam esse, quasi inductiuam, vt loquuntur, peccati. [4] Illud sane à nostris aliquando tractatum est, non aliter huiusce consuetudinis in soluenda decima rationem haberi debere, quam si à summo Pontifice constet esse approbatam. [5] Sed contraria sententia merito obtinuit, ne alioqui tot homines consuetudinem bona fide secutos, peccatum mortale contraxisse. atque ita salutis damnum incurrisse fatendum esset. [6] Cum tamen probata esset consuetudo nullius soluendæ decimæ ex vino quod torculari exprimeretur, non putauit Senatus admittendam consuetudinem, quia licet quota decimæ præscriptione tolli possit, non tamen decima ipsa tota. [7] Sed & comminatus est Senatus, si quid fieret in fraudem decimæ, futurum, vt antiquæ consuetudinis nulla in posterum ratio haberetur. [8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 14. supr. de præscript. 30. vel 40. annor.

1 Cui obuiam ire bonus iudex semper debet, quantum facere potest, *l. vnic. §. ille autem, C. de Latin. libert. tollen.*

2 Balb. late *in tract. de præscrip. part 5. quæst. 7. num. 9. 10. & 11.* Crauett. *cons. 21.*

3 Nunquam enim fraudibus indulgendum est, *l. Imperator, 50. D. ad SC. Trebell.*

4 Guid. Pap. *cons. 77.* vbi vide.

5 *Ex capit. in aliquibus, vbi gloss.* in verb. *adprobata. Extr. de decim.* & ibi Panorm. & alij Canonistæ.

6 Ita Sylvest. *in summa* in verb. *decima.*

7 Vt tractant nostri *ad d. cap. in aliquibus, & pass. ill. tit. de decim.* Rebuff. *in tract. de decim.* Adde eund. *in præfat. tract. de sent. promiss. num. 30.*

8 Nec enim malitiis vnquam est indulgendum. *l. in fundo, 38. D. de rei vind.* Et priuilegia quoque ipsa per abusum amittuntur, *l. 1. vbi not. C. de hæret. & Manich.*

DEFINITIO IV.

Minor est potestas consuetudinis quam legis, si lex velit consuetudinem tollere.

COnsuetudine quidem solemnitates iure introductas remitti posse certum est, [1] sed si consuetudinem lex abolitam velit, dubitandum non est maiorem legis, quam consuetudinis vim esse oportere. [2] *Sine die.*

1 *L. manumissio, D. de manum. vind.* Socin. *in l. 1. notab. 1. de verb. oblig.* Boer. *qu. 1. num. 20.*

2 Boer. *dict. quæst. 1. num. 49. ex cap. quia propter, de elect. l. 2. C. hoc tit.*

DEFINITIO V.

Stãdum est antiquæ, siue legi siue consuetudini, præterquam si agatur de re priuata, cui priuatus possit quam velit legem dicere.

AB ea forma, quæ siue scriptis legibus siue moribus antiquitus constituta est, discedi non oportet: [1] Neque enim singulorum arbitrij est, quid legislator constitutum voluerit. [2] Plane potest quilibet rei suæ quam vult legem dicere, siue agat de ea re sibi retinenda, siue de in alium transferenda. [3] *Sine die.*

1 Boer. *quæst. 1. num. 70.*

2 *L. nemo potest, 55. de leg. 1. leg. penultim. §. fin. de leg. 2. leg. 5. §. Iulianus, alias l. quidam, de administ. tutor. l. si filia, D. famil. ercisc.*

3 *L. qui Romæ 122, §. Flauius, de verb. obligat. leg. Publia, 26. in princ. depos. l. vendit or, 13. commun. præd. l. in traditionibus, 44. D. de pact. l. vltim. C. de pact. int. empt. & vend.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO VI.

Valet consuetudo vt testes audiantur etiam post didicita testificata, & in quacumque parte litis.

ETsi ratio juris, quæ induxit ne post didicita testificata testes audiri possint, præterquam certis in casibus, naturalem non minus quam ciuilem rationem habet, eamque ex bonis etiam moribus desumptam, ne corrumpendorum testium materia & occasio inde præbeatur, [1] nemo tamen dubitat, quin consuetudine possit contrarium ius induci, vt etiam post apertas & publicatas testationes, siue super iisdem articulis, siue super aliis, qui sint directo contrarij testes audiantur. [2] Pertinet enim ea res ad mores ciuiles magis, quàm ad naturales, [3] quos scilicet per consuetudinem offendi bonus legislator nunquam pateretur. [4] Itaque innumeris Senatus nostri consultis adprobata est illa Augustanorum consuetudo, quæ in quacumque litis parte [5] testes audiri patitur, neque minus post quàm ante didicita testationum secreta, quæ nec apud eos vlla sunt. *Ita Senatus* sæpius.

1 *Cap. fraternitatis*, vbi Canonist. *Extr. de testib.*

2 Licet vna sit illa ex qualitatibus consuetudinis, quod debet esse rationabilis, vt nostri tractant. *ad l. 2. C. hoc tit. & ad l. de quibus, 32. D. de legibus.*

3 Solent enim nostri distinguere duplices bonos mores, naturales & ciuiles, nec dubitant quin boni mores ciuiles possint offendi & violari per consuetudinem, sicut & per jusiurandum, non etiam naturales, cuius rei exemplum adferunt in iurata donatione bonorum omnium præsentium & futurorum: quam plerique volunt valere propter juramentum, licet aufferat donatori factionem testamenti & ob id dicatur esse contra bonos mores, *l. ex eo. 4. C. de inutil. stipul. l. stipulatio hoc modo concepta, 81. de verb. oblig.* Quasi aufferre testamenti factionem sit contra bonos mores, ciuiles tantum, non etiam contra naturales, *nov. in l. vlt. C. de pact.*

4 *Capit non est obligatorium*, vbi Dyn. & alij, *de regul. iur. in 6.*

5 Atproinde etiam ante litem contestatam, quod ex ratione iuris regulariter non permittitur, nisi impetrato in eam rem Principis diplomate ex iusta causa, id est, si testes aut decrepiti sint, aut valetudinarij, aut abfuturi, vt scripsi *Definit. 1 supr. de probat.*

TIT. XXXVI.

DE DONAT.

DEFINITIO I.

Valet donatio à patre collata in filiumfamilias fauore matrimonij, sicut & illa quæ jurata est.

RAtio quidem juris non patitur, vt à patre in filium familias collata donatio valeat, nec si fauore matrimonij facta proponatur, [1] sicut neque valet traditio, quam filiæfamilias pater fecerit ex causa dotis. [2] Non quod filijfamilias sint omnino acquisitionis incapaces, vt vulgo creditur, [3] sed quia inter patrem & filium non emancipatum nulla jure ciuili consistere possit efficax obligatio, neque rursum sine obligatione donatio. [4] Enimuero vtiliter receptum est, vt fauore matrimonij paterliberis donare possit, nil obstante iure potestatis, [5] quod ea res ad publicam vtilitatem pertinere videatur, vt facilius ad nuptias cõtrahendas inuitentur, qui alioquin cum filio aut filiafamil. contracturi non essent. [6] Item quod hujusmodi donationis commodum non ei tantum personæ acquiratur, cui donatum est, [7] sed coniugi quoque, & liberis ex eo matrimonio nascituris, quorum etiam omnium rationem haberi æquum est, [8] extra causam matrimonij vix est, vt licita sit patri inter filium aut filiamfamilias simplex donatio, [9] nisi jusiurandum interuenerit: cuius sana veneratione, [10] licet repugnantibus juris regula, [11] non male illud quoque probatum est, vt donationem tanquam vtilem defendi oporteat. [12] *Ita Senatus* sæpius, maximè in causa Dm. de Messmieu, & de Sarmoye, 15. Calend. August. 1591. *Sine die.*

1 Quia nec donatio potest vtiliter fieri, quin obligatio aliqua contrahatur, hactenus saltem ne donationem reuocare donator possit, *l. 4. 5. 6. & pass. C. de reuoc. donat.* nec obligatio vlla potest contrahi inter patrem & filium salua patria potestate, *l. cum de bonis 11. C. hoc tit. l. donationes 31. §. pater, D. eod. l. Imperator D. ad SC. Trebell.*

2 *L. Pomponius Philadelphus 35. D. famil. erciscund.* de cuius sententia scripsi *lib. 7. Coniunct. cap. 12. & in Error. 9. Decad. 40.*

3 Potuerunt enim sibi acquirere iam olim, quoties pater nolebat sibi per filium acquiri. *l. 4. §. sed & filiusfamilias, D. de edend. l. in suis 11. de lib. & posthum. l. is qui heres 11. §. vlt. vers. vlt. cum heres 32. D. de acquir. haered. l. cogi 16. § si pater, d. l. Imperator 50. ad SC. Trebell. l. 1. C. qui admitt. ad bon. possess. poss.*

4 Vt dixi *num. 1.* ex legibus ibi citatis. Quibus adde, quæ scripsi *in Error. 2. & 3. Decad. 41. de error. pragmat.* Guid. Pap. *quæst. 145 & seq.*

5 Notant DD. *ad d. l. Pomponius 35. D. famil. erciscund.* * Quid ergo si matrimonij fauore pater donauerit filio suo pro eo & liberis ex illo matrimonio nascituris? Sol. filio facta donatio intelligitur non etiam liberis, nisi ordine successiuo & tanquam heredibus filij, non tanquam ab auo substitutis. Itaque patri libera est de iis bonis disponendi facultas, nisi de voluntate donatoris aliud ex coniecturis appareat. Surd. *decis. Mantuan. 322. per tot.* Nicol. Valla *in tractat. 2. de reb. dub. quæst. 4. f. l. 15.* Vide *l. inter socerum 26. §. vir. dotem, & seq. D. de pact. dotal.* & Bart. Bald. & Castrens.

6 *L. 1 cum ibi not. D. solut. matrim. l. interest 18 de reb. auctor. iudic. possid. alias l. 3. de privil. cred. l. hoc modo 64. in fin. de cond. & demonstr.*

7 Etsi potissimum ei acquiritur quæ dotem habet, *l. extraneus 33. D. de iur. dot. in fin.*

8 Vnde est quod contractus matrimonij non vnius aut alterius personæ contractus est, sed totius familiæ & eorum omnium inter quos agnationis & cognationis iura consequuntur, quæ ratio dubitandi est *ad l. cum adoptio 7. D. de adopt.*

9 *d. l. cum de bonis 11. C. hoc tit. d. l. donationes 31. §. pater, D. eod. l. siue emancipatus 17. C. eod. d. 2. C. de inoff. donat.*

10 Quia potest seruari citra dispendium salutis æternæ, *cap. 2. de pact. in 6. cap. cum contingat, D. de iureiur.*

11 *L. non dubium 5. in fin. C. de legib. l. si quis inquilinos 112. §. vlt. de legat. 1.*

12 Guid. Pap. *d. quæst. 146.* Scripsi *in error. 41. decad. 4. de error. pragmatic.* Gabriel. *lib. 3. commun. opin. tit. de donat. conclus. 4.*

DEFINITIO II.

Donatio facta Hospitali cum onere inter viuos secuto censenda est remuneratoria, & inter viuos potius quam mortis causa, vt sit irreuocabilis.

COnuentione inter mulierem quandam & Hospitalis rectores inita actum erat, vt mulier in pauperum numerum adscriberetur, & ex reditu Hospitalis vna cum cæteris pauperibus aleretur, vestiretur, ac sepelitetur: ex eaque causa legauerat & donauerat illa Hospitali, (sic enim verba instrumenti habebant) certam pecuniæ quantitatem sibi à Sempronio debitam. Aliquot postea mensibus accepto iam à rectoribus cibario & vestiario, illa ad Sempronij debitoris sui domum diuerterat, & cum eo per aliquod tempus vixerat, adeoque in eius domo decesserat: prius tamen facto instrumento, quo pecuniam sibi à Sempronio debitam eidem mortis causa donauerat. Defuncta ea cum rectores Hospitalis aduersus Sempronium ex contractu agerent, ille autem diceret quæsitam sibi ex donatione liberationem, [1] neque dubitandum quin priot mortis causa donatio in fa-

BIU Cujas

uorem Hospitalis facta, per posteriorem reuocata esset, [1] quæsitum est verius causa potior esse deberet. Nam vt prior donatio non nisi mortis causa facta videretur, illud suadebat, quod legandi verbum in ipsa donatione vsurpatum fuerat: [4] quo verbo sicut omnes vltimæ voluntates comprehenduntur, [5] ita eas quæ inter viuos fiunt exclusas intelligi constabat. [6] Porro cujuslibet supremæ voluntatis ea conditio est, vt ad supremum vsque vitæ exitum sit ambulatoria & reuocabilis, [7] tametsi fauore piæ causæ facta proponatur. [8] Sed probabilius visum est, remuneratoriæ ac proinde irreuocabilis donationis jure censeri debere, liberalitatem factam ob causam, quæ inter viuos secuta esset, [9] cum & cibaria & vestiaria ab hospitalis rectoribus per aliquot menses accepisset, neque per eos stetisset, quo minus in mortis vsque diem ipsi præstarentur. [10] Nec quod legandi verbum adiectum erat facere debebat, vt mortis causa potius donatum videretur, cum donandi quoque verbum vsurpatum esset, [11] ne dubitari posset, quin ea donatricis voluntas fuisset, vt omni jure, siue inter viuos siue mortis causa valeret donatio: [12] Quæ & in dubio sic interpretanda erat, vt inter viuos esset & irreuocabilis, [13] præsertim fauore piæ causæ, [14] cui erat vtilior ea interpretatio ne sola donatricis pœnitentia reuocari posset. [15] Quod si jure donationis inter viuos valere non poterat ob defectum insinuationis, [16] defendi tamen debebat jure contractus innominati, Do vt facias, aut potius, Facio vt des, in quo contractus genere secuto ex vna parte implemento pœnitentiæ locus ex altera superesse nullus poterat. [17] Plane quia id actum erat, vt mulieri, quamdiu viueret cibaria & vestimenta præstarentur, neque id factum fuerat, facti quæstio supererat, an per Hospitalis rectores, an vero per mulierem ipsam stetisset, ne modus impletus fuisset, [18] Itaque in id vsque tempus, quo de facti veritate cognitum esset juris decisionem & pronunciationem differri oportuit. [19] In publico auditorio, 13. Calend. Decembr. 1588.

1 Tanquam cessionarij & habentes ex ea causa proprio nomine vtilem actionem, *l. postquam 7. & seq C. de hared. vel act. vendit. l. si cum emptore. 6 D de pact*

2 *Vt in l. quod bonus, 15. in princip. l. quærebatur, 82. D, ad leg. Falcid.*

3 Nam in vltimis voluntatibus certum est posteriora derogare prioribus. *l. si mihi, 12. §. in legatis, de leg. 1.* Donationes autem causa mortis proxime accedere ad naturam vltimarum voluntatum, *l. vlt. C. de mort. caus. donat.* quia capiuntur ad instar legatorum, *l. 2 D. de pub. in rem act. l. Marcellus, 15 l. illud, 37. D. de mort. caus donat.*

4 Ex verbis enim voluntas declaratur, *l. ille aut ille, 25. §. 1. l. non aliter, 68. de legat. 3.*

5 *L. verbis, 120 de verb. signific.*

6 Nunquam enim illæ aut legatorum aut vltimarum voluntatum appellatione continentur, cum sint irreuocabiles, *l. vbi ita donatur. 27. l. Seia, 41. §. vlt. D. de don. caus. mort. l. 1. & pass. D. hoc tit.* Vltimæ autem voluntatis proprium est, vt sit reuocabilis, quomodo sequitur in Definitione.

7 *L. 4. D. de adim. legat. l. cum hic status, 32. § pœnitentiam, D. de donat. int. vir. & uxor.*

8 *L. 1.* vbi Bald. in terminis, *col. penult. vers. super noua quæstione. C. de sacros. eccles.* Nec enim potior esse potest causa ecclesiæ, quam pauperum vel liberorum, vt idem Bald. tenet sæpius *ad dict. l. 1.* Possunt autem reuocati omnia quæcumque per parentem disposita sunt fauore liberorum. *Barth. hoc inter liberos, C. de testam.* Vide tamen Andr. Tiraq. *in tract. de priuil. pia caus. priuil. 49. 52. & 135.* Bald. *cons. 183. volum. 1.* Innoc. & cæteros *in Clem. de relig. domibus.*

9 *Arg. l. Aquilius Regulus, 27. cum ibi not. D. hoc tit. l. cum te, 6. & l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

10 Nam si per eos stetisset, non posset dici conditio impleta quæ non assidue & perpetuo impleta fuisset, *l. 13. C. de condict. insert.*

11 Nam quæ ex abundanti adjiciuntur non solent vitiare, *l. quæsitum, 12. §. pen. D. de instr. & instrumen. leg. l. non solent, 94. de reg. iur.* Et præterea interdum verba sunt improprianda, vt intelligantur secundum subiectam materiam, *l. ex conducto 15. §. Papinianus, alias l. si vno, D. locat.*

12 Quæ omnium siue contrahentium, siue testantium voluntas esse semper credenda est, vt actus valeat omni meliori modo, quo valere potest, si modo nihil repugnet, *l. 3 D. de test. milit. l. Lucius penult. a. §. vltim. de legat 2.* maxime si adsit in ramentum, cuius scilicet natura est, vt æquipolleat clausulæ, omni meliori modo, *l. cum pater 77. § filius matrem, de leg 2.* & faciat actum irreuocabilem. Didac. Couarr. *cap. 14. var. resolut. num. 13.*

13 *Arg. l. vbi ita donatur 27. & l. Seia 42. §. vlt. D. de mort. caus. donat.*

14 Cui semper in dubio fauendum est, vt ex iis appareat, quæ tradit Andr. Tiraq. *in tot. ill. tract. de priuil. pia caus.*

15 Quomodo potest reuocari quælibet mortis causa donatio, *d. l. vbi ita donatur.*

16 Quoniam eo iure quo vtimur donationes omnes inter viuos factæ insinuandæ. Nec aliæ excipiuntur, quam quæ fiunt in contractu matrimonij, & fauore nuptiarum, non etiam illæ, quæ collatæ sunt in piam causam.

17 Quia si posteaquam feci cessas dare videris facere dolo malo, & ideo teneris de dolo, *l. naturalis 5 § quod si faciam, D. de præscr. verb. l. vlt. vbi not. de condict. caus. dat.*

18 Quia moræ quæstio in facto, non in jure consistit. *l. morâ 32. iunct. l. sciendum 21. & seqq D. de vsur.*

19 Cum ex facto jus oriatur, *arg. l. si ex plagu 52. § in clivo C. Capitolino, C. ad leg. Aquil.*

DEFINITIO III.

De donatione absenti facta stipulante notario.

DOminium rei donatæ absenti, solo notario stipulante, transit in absentem ex notarij stipulatione, [1] dummodo ante reuocationem sequatur ratihabitio donatarij, [2] viuo scilicet donatore. [3] Sed & nulla interueniente stipulatione, nec ministerio epistolæ vel nuntij, donationem licet absenti factam jureiurando confirmari placet. [4]

1 Guid. Pap *quæst 49.*

2 Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* Olasch. *decis. 33.*

3 Sera enim esset ratihabitio donatarij post mortem donatoris, cum jam dominium esset hæredis, *arg. l. si ego 9. § si res, D. de iur. dot.*

4 Tessaur. *dict. decis. 70. num 8. vers. pro concordia*, vbi concludit hanc donationem propter jusiurandum esse irreuocabilem.

DEFINITIO IV.

Onus æris alieni non sequitur ex juris ratione donatarium, nec sistit vniuersorum bonorum.

ÆRis alieni onus non magis sequitur donatarium bonorum omnium, si iuris rationem intueare, quam eum qui certæ tantum rei donatarius sit. [1] Est enim donationis titulus singularis, non vniuersalis, etiam tum, cum facta donatio est bonorum vniuersorum. [2] Imo etsi facta sit hæreditatis alicuius, siue in totum, siue pro parte, [3] quia licet hereditas sit nomen juris, [4] & successio in vniuersum jus quod defunctus habuit, [5] cum tamen alienatur ab hærede, & in alium transfertur inter viuos, singularis rei jure censetur. [6] Nec idcireo aliqua creditoribus hæreditariis actio competit contra donatarium, [7] sed ipsi duntaxat donatori, vt cogatur donatarius actiones in se suscipere creditorum hæreditariorum. [8] Apparet autem nos eum casum tractare, quo quis non suam ipsius, sed alterius hæreditatem sibi delatam quæsitamque donauerit, [9] sicut & cum de vendita hæreditate tractamus. [10] Propriam enim hæreditatem, quoniam viuentis nulla est, [11] non magis donare quis inter viuos potest, quam vendere, sed necessarius est in eam rem vsus testamenti. [12] Errant itaque meo judicio, qui distinguunt hac parte donationem hæreditatis à dona-

BIU Cujas

donatione fundi.[15] Nihil enim interest, nisi hactenus quod donatarius hæreditatis cogi potest à donatore, vt hæreditarias actiones suscipiat, non etiam donatarius fundi, nisi ea lege illi donatum sit, vt creditoribus satisfaciat. Nec ad rem pertinet, quod illi obiiciunt, creditores hæreditarios agere posse aduersus emptorem hæreditatis: id enim ita verum est, si sponte ille actiones suscipiat.[14] Non igitur transeunt in emptorem, nec proinde in donatarium, iura hæreditaria siue actiua, vt loquuntur, siue passiua.[15] Si enim transirent, vtique vel inuitus cogendus esset actiones suscipere, cum actio nihil aliud sit, quam ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur,[16] & quidem ab inuito, si quidem iudicium non in volentem redditur, sed in inuitum.[17] At inuitus emptor hæreditatis respondere creditoribus non cogitur; nec si conuenerit vt iis satisfaciat.[18] Non igitur ipso iure obligatus videri potest. Et tamen si creditoribus contra se agentibus vltro consentiat, receptum est, vt non male illi egisse videantur,[19] non quod actionem illi habeant, (quanquam dici solet neminem sine actione experiri posse[20]) sed quia cum obligatus ille sit venditori, vt creditoribus satisfaciat, eius interest vitare circuitum.[21] Cum tanto dispendiosius ei futurum sit, si hæres ipse qui donauit aut vendidit, primo loco conueniatur, mox aduersus emptorem aut donatarium ipsum pro sua indemnitate regressum habiturus.[22] Qua ratione illud etiam admitti, meo iudicio, potest, eum qui certam rem ex donatione aut venditione accepisset, adiecto in continenti pacto, vt creditoribus satisfaceret, si creditorum actiones suscipere velit, perinde audiendum, licet creditoribus non teneatur: Ideoque taciti pacti exceptione iuuandum venditorem aut donatorem, si post directas in emptorem aut donatarium actiones ab eoque susceptas reuerti velint creditores aduersus donatorem aut venditorem.[23] Quia nihil prohibet pactum fieri inter creditorem & debitorem quisquis ille sit, vt debitum ab ipso donatario vel emptore petatur. Nimirum cum donatarius aut emptor consentit.[24] *Ita tractabam* in causa N. Paquier, contra N. Blanchard, 7. Calend. Mart. 1593.

1 *L. aris alieni, 15. C. hoc tit. l. mulier bona, 72. D. de iur. dot. l. donari, 29. alias l. quidam, § donationem, & l. præced. D. hoc tit.*

2 *L. 2. C. de petit. hared.*

3 Nam neque hæreditas neque pars hæreditatis potest dari per contractum, sed tantum in testamento, *l. hæreditas, 5. C. de pact. conuent. tam supr. dot.*

4 *L. hæreditas, 50. D. de petit. hared. l. 3. §. 1 de bon. poss.*

5 *L. nihil est aliud, 24. D. de verb. signif.*

6 Quemadmodum & cum hæreditas venditur, *leg. 2. & tot. tit. C. de hared. vel act. vendit.*

7 Vt neque contra emptorem, *d. l. 2. d. l. aris alieni*, Nec enim onus æris alieni sequitur singularem successorem, *l. vltim. §. 1. D. de contr. empt. l. 1. §. si hæres, D. ad SC. Trebell. l. vltim. Cod. de hared. act.*

8 *Arg. d. l. 2. C. de hared. vel act. vendit.*

9 *Vt in dict. leg. donari, 29. alias l. quidam, §. donationem, D. hoc tit. leg 2. §. vltim. D. de his, quæ vt indign. l. cum filius, 76. §. Lucio, de leg. 2.*

10 *d. l. 2. C. de hered. vel act. vendit. l. 2. & pass. D. eod.*

11 *L. 1. eod. tit. l. 1. D. pro hered.*

12. *d. l. hæreditas, C. de pact. conuent. tam s. dot.*

13 Guid. Pap. *qu.* 105. & 460.

14 *L. 2. C. de pact. quam citat* Guid. Pap. *d. qu.* 460.

15 Sed tantum in hæredem, qui est successor vniuersalis, idque ex lege 12. *tab.* quæ non est locuta nisi de hærede, *l. vltim. Cod. de hared. act. l. 1. C. si cert. pet. leg. 1. & 2. C. si vnus ex plur. hared. debit.*

16 *L. nihil aliud 51. D. de oblig. & action.*

17 *L. inter stipulantem, 83. §. 1. D. de verb. oblig.*

18 *d. l. 2. C. de hared. vel act. vendit.*

19 *d. l. 2. C. de pact.*

20 Quæ ratio est Guid. Pap. *dict. quæst. 460. ex l. si pupilli, 6. §. videamus, D. de negot. gest.*

21 Qui & regulariter vitandus est, quantum fieri potest, salua iuris ratione, *l. dominus, 53. D. de condict. indeb.*

22 Tanto pluribus enim & litibus & sumptibus vexabitur, quod ne fiat eius interest. *l. minoribus, 6. D. de minor.*

23 *Vt in d. l. 2. C. de pact.*

24 Cum volenti & consentienti non fiat iniuria, *vulg. iur.*

DEFINITIO V.

Donatarius vniuersorum bonorum non est hæredis loco, vt personali vlla actione possit conueniri, etiamsi hæres non sit soluendo, & quomodo contra eum prospiciatur creditoribus.

EX superioribus apparet quod dici solet emptorem aut donatarium hæreditatis (nihil enim refert) hæredis loco haberi non simpliciter, ac per omnia, sed secundum quid verum esse, quia effectu ipso & lucrum & damnum omne hæreditatis ad eum respiciat.[2] Sed longe imperitius meo iudicio faciunt qui donatarium bonorum omnium præsentium & futurorum hæredis loco habendum putant, vt donatoris creditoribus personalem actionem exercentibus respondere compellatur. Nusquam enim id à Iureconsultis proditum est, neque vero ex recta iuris ratione defendi vllo modo potest. Non enim facit nec facere potest donatio, quin donator hæredem habere possit,[4] alioqui inutilis est, & nullius momenti, si testandi, id est, habendi hæredis adimat facultatem.[5] Hæres igitur personali actione conueniendus est non donatarius,[6] solo excepto debito ex principali causa.[7] Quid ergo si hæres nullus sit, forte quod hæreditas non sit soluendo? Creditores anteriores quos donator habere se sciebat, possunt agere reuocatoria, quasi in eorum fraudem facta illa bonorum omnium donatione,[8] sed posteriores non possunt, quia nec fraudati videntur;[9] nisi iam de iis donationis tempore cogitatum probetur.[10] Possunt etiam anteriores petere, vt hereditati iacenti curator detur, qui defuncti personam repræsentet, & consequenter personali actione proposita condemnetur,[11] quomodo ipse donator si viueret condemnandus esset,[12] quasi nullis bonis donatis, nisi deducto prius ære alieno.[13] Sed remedium hoc posterioribus creditoribus competere non potest, quoniam rite facta, perfectaque donatio ex superueniente ære alieno non diminuitur, sicut nec alio vllo creditoris facto.[16] Ergo non est generaliter verum quod vulgo iactitant, si donator non soluendo sit, vel eius hæres nullus existat, posse donatarium bonorum omnium à creditoribus conueniri, non solum proposita prius reuocatoria, sed etiam directo.[16] Nam nec reuocatoria possunt agere creditores posteriores.[17] Directo igitur multo minus: priores vero etsi reuocatoria, vt dixi, agere possunt, ipsius tamen donatoris bona & hæreditatem quæ semper aliqua est prius excutere cogendi sunt.[17] Proinde nec fieri potest, vt licere iis debeat directo agere contra donatarium, tametsi maxime circuitum illum qui proposita reuocatoria fieret, tollere velis.[18] Nam etsi reuocatoria creditores egissent & obtinuissent, non idcirco personalem actionem haberent, sed tantum ius petendæ missionis ex edicto.[19] Loquimur enim de chirographariis creditoribus, non de hypothecariis, qui vtique [illegible] tatam semper actionem in rem habent aduersus quoscumque possessores.[20] Nemo autem dixerit habere plus iuris eos debere, si reuocatoriam omitttant, quam si in ea obtinuissent.[21] Nullo igitur casu verum esse potest donatarium bonorum omnium hæredis loco haberi, cum nullo casu personali actione conueniri possit, nec directo, nec post intentatam reuocatoriam, neque si de primipilari debito agatur: quippe cuius fa-

BIU Cujas

tor non det actionem fisco contra donatarium, sed in ipsa tantum bona donata, & hanc ipsam excussis prius bonis donatoris. [11] Nec simile est quod placet, si maritus fundum Titij seruientem prædio dotali acquisierit, post eundem Titio reddiderit sine restauratione seruitutis, non solum eo nomine teneri maritum, vt litis æstimationem præstet, sed etiam si maritus soluendo non sit dandam mulieri vtilem aduersus Titium actionem ad seruitutem restaurandam. [13] Id enim longe facilius induci potest, quam vt personalis obligatio propter solam donatoris inopiam detur contra donatarium, qui neque ex contractu, vel quasi, neque ex delicto, vel quasi obligatus vnquam fuerit, neque in vniuersum obligati ius titulo vllo vniuersali successerit. Repugnant enim omnes iuris regulæ, [14] sane hypothecarij creditores habent directam rei persecutionem hypothecariam, [15] sed anteriores tantum, non etiam posteriores, quia res donatas obligare donator, amisso iam dominio non potest. [16] Igitur superioribus consequens est, vt donatarius licet vniuersorum bonorum non possit de euictione conueniri ab emptore, ob res a donatore venditas, nec si ante donationem venditæ sint, quoniam ex empto & de euictione actio personalis est. [17] Ita ex tempore tractatum fuit in eadem causa.

1 Cum hæreditas non minus possit vendi quam donari, *leg. 1. & tot. tit. de hared. vel act. vend. D. & C hæreditatem*, 28. *D. de donat.*

2 *d. l. 2. C de hær. vel act. vend. l. si quis s. ruum*, 8. §. *vlt. & l. seq. de leg.* 2. § *Lucius, l. cum filius*, 76. *de leg.* 2.

3 Capell. Tholos. *qu.* 386. vide etiam Aufrer. Vide quæ scripsi *in Error.* 7. *Decad.* 48. *de error pragm.*

4 Saltem in iuribus passiuis quæ non possunt venire in donationem *l. mulier bona*, 72. *D. de iur. dot.*

5 *L. stipulatio hoc modo concepta* 6. vbi Bart. & alij, *de verbor. obligat.*

6 *L. aris alieni*, 15 *C. hoc tit. l. vlt.* §. 1. *D. de contr. empt. leg.* 1. §. *si hæres D. ad SC. Trebell. l. vlt. Cod. de hared. action. l. licet.* 27. *Cod. de iur. dot. l. de rebus*, 13. *C. de donat. aut. nupt.*

7 Secundum gloss. *in d. l. aris alieni, ex l. si non verum*, 15. *C. de donat. int. vir. & vxor.*

8 *L. omnes* 17. § *Lucius, D. quæ in fraud. credit.*

9 Non enim fraudari potest, qui nullum adhuc ius habet.

10 *Ex not in Auth sed iam necesse C. de donat. ant. nupt.*

11 *L. 1. l. 2. §. 1. D. de curat bon dand.*

12 Tanquam qui remansisset debitor. Nemo enim donando bona sua definit esse debitor, *leg. 2. & 3. D. de sentent. pass. & restit.*

13 *d. l. mulier bona* 32. *D. de iur. dot. l. si fideicommissum*, 50. §. *tractatum. D. de iudic. l. non possunt.* 11. *D. de iur. fisc.*

14 *L. perfecta*, 4. *C. de donat. quæ sub mod. leg. 2. 3. & pas. C. de reuoc. donat.*

15 Idem Guid. Pap. *d. quæst.* 105.

16 *L. si quis cum haberet*, 15 *D. quæ in fraud. credit.*

17 *L.* 1. vbi Bald. alij, *C. de reuoc. iis quæ in fraud. cred.*

18 Qua potissimum ratione mouetur Guid. Pap. *d. quæst.* 105. *ex l. dominus*, 53. *D. de cond. indeb.*

19 Ac si res quæ in fraudem alienata fuit, mansisset in dominio debitoris, § *item si quis, Inst. de action.*

20 Et ideo nec fraudari possunt, cum pignoris persecutio in rem sit. *l. debitorem*, 15. *l. pignoris* 18. *C. de pign.*

21 *Arg. l. euidenter*, 16. *de except. rei iudic.*

22 *d. l. si non verum*, 15. *C. de donat. int. vir. & vxor.*

23 *L. si maritus*, 7. *D. de fund. dot.* quam adfert Guid. Pap. *dict. quæst.* 105.

24 Et leges supra citatæ *num.* 6.

25 *L. si fundus*, 16. § *in vindicatione, D. de pignor.*

26 *L. qua prædium*, 6. *& tot. titul. Cod. si aliena res pign. data sit.*

27 § *actionum*, *Inst. de action.* Personalis autem actio nunquam sequitur singularem successorem, *dict. leg. aris alieni*, 15. *C. hoc tit. cum aliis* ꝛ. *est. num.* 6.

DEFINITIO VI.

Quod alicui donatur contemplatione alterius ab altero illo donatum intelligitur breui manu.

QVod nubenti mulieri donatum est à viri consanguineis, si pretiosum sit & magnæ æstimationis, contemplatione viri donatum intelligitur. [1] Ideoque soluto quandocunque matrimonio, aut ipsi viro si supersit, aut si prædefunctus sit, eius heredibus restitui debet. [2] Perpetuum enim est, vt quod donatur ei acquiri intelligatur, cuius intuitu & contemplatione donatum est. [3] *Ita Senatus* pro illustri Dn. Ioanne Marchione de la Chambre, contra sororem Dominam Beatricem de la Chambre, Dominam de la Gratuse, vt relatum est in causa discussionis bonorum Dominæ Barbatæ d'Amboise, 4. Id. April. 593.

1 *L. sed si plures* 10. §. *in arrogato, de vulg. & pupill. substit. cap. requisisti, de testam.*

2 Perinde ac si ipsi viro donatum esset.

3 *d. §. in adrogato, l. filiofamilias* 42. *de condit. & demonstr. l. si serui vsusfructus* 21. *& seq. D. de vsufr. l. hinc quæritur* 19. §. 1. *D. de pecul. l. qui tutelam* 28. *D. de testam. tutel.* Bart. & alij *ad dict. §. in adrogato.*

DEFINITIO VII.

Sub simulatione mutui facta obligatio donandi animo donatio est, aut inter viuos aut mortis causa.

OBligatio quæ sub prætextu & nomine mutui donandi animo contracta est, valet in vim donationis, [1] aut inter viuos si insinuata sit, [2] aut mortis causa, si nec absenti, nec paucioribus quam quinque testibus adhibitis facta proponatur. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 6. supr. de inoffic. donat.

1 Semper enim plus valere debet quod agitur, quam quod simulate concipitur, *l. 1. & tot. tit. C. plus valer. quod agit. l. semper in stipulationibus* 34. *de regul. iur.*

2 Cum ex stilo Senatus nostri nec valeat donatio inter viuos aliter, quam si insinuata sit, nec nisi à die insinuationis exceptis iis solis, quæ factæ sint in contractu matrimonij & fauore nuptiarum.

3 Sic enim creditum est, Non valere donationem causa mortis, nisi quæ & præsenti facta sit, & adhibitis quinque testibus, *ex l. vltim. C. de donat. caus. mort. & in l. inter mortis* 38. *D. eod.* De quo tamen vide quæ contra scripsi *in error. 1. & 2. decad. 44. de error pragmat.*

DEFINITIO VIII.

Clausula derogatoria in anteriore testamento apposita, ad quascunque donationes infirmandas, non pertinet ad donationes inter viuos, quæ sui natura sunt irreuocabiles.

FActa inter viuos donatio non ob id solum irrita nulliusque momenti esse videri debet, quod anteriore testamento donator per clausulam derogatoriam expressim declarauerat velle se, vt quascunque donationes in alium quam in heredem ipsum, quandoque collaturus esset, eæ pro nullis & irritis haberentur. [1] Non enim ad puras donationes & irreuocabiles ea clausula pertinet, sed ad donationes causa mortis, quæ sui natura sunt reuocabiles. [2] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 5. supr. De non numer. pecun.

1 Quamuis placeat nostris hanc esse vim clausulæ derogatoriæ, vt posteriorem actum destruat, quasi in quo voluntas desit, *ex l. si mihi* 12. §. *in legatis, de leg.* 1. *l. si quis in principio* 22. *de legat.* 3.

2 *L. vbi ita donatur* 27. *D. de mort. caus. donat.* de qua vide quæ scripsi *in error.* 1. *decad.* 45. *de error pragmat.* Semper enim supponendi sunt termini habiles, *vulg. l. adigere* 6. §. *quamuis, D. de iur. patron. l.* 1. §. *vlt. D. ad SC. Tertyll.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, siue vno contractu, siue pluribus simul factis, in diuersas personas collata non valet, nec si exceptus sit amplissimus vsus-fructus.

BOnorum omnium præsentium & futurorum donatio idcirco non valet, si nostris credimus, quod adimat liberam testandi facultatem,[1] quia licet hæreditas sit nomen iuris,[2] nihilque prohibeat eum quoque testari qui nihil in bonis habeat,[3] qui tamen nec habet, nec habere quicquam potest, qualis ille est, qui futura quoque donauit, fieri sane nequit, vt testandi habeat facultatem.[4] Nec aliud erit, tametsi amplissimus vsusfructus exceptus sit, quoniam quicquid donatori superesse potest, ex fructibus bonorum donatorum, id, vt in futurorum donationem veniat necesse est.[5] Ergo rem aliquam aut quantitatem exceptam esse oportet, & quidem eiusmodi, cuius habendæ gratia verisimile sit futurum, vt donator hæredem habere possit,[6] cum vix sit, vt nullius aut permodici emolumenti spe allectus hæres, siue scriptus siue legitimus implicari velit oneribus hæreditariis.[7] Quid vero si exceptis ab vniuersali donatione bonis quibusdam idem donator, eodem instrumento, eadem bona quæ exceperat, alteri donauerit? Verius est neutram donationem valere, altera alteri obstante, ac si pluribus simul donator bona sua omnia præsentia futuraque donasset.[8] Aliud erit, si diuersis temporibus donationes factæ proponantur. Tunc enim solam posteriorem inualidam esse æquius est, priorem vero quæ ab initio valuit ratam manere.[9] *Ita Senatus* in publico auditorio in causa N. Reyder. 13. Cal. Ian. 1594.

1 Sic enim nostri ratiocinantur post Bart. *ad l. stipulario hoc modo concepta.* 61. *D. de verb. oblig. & ad l. vlt. C. de pact.* [Nec aliud esse volunt etiamsi donatio huiusmodi furata proponatur quasi iuramentum hoc non possit esse obligatorium tanquam præstitum non modo contra leges *l. 5. C. de legibus, l. si quis* 12. *§. vlt. de leg.* 1. sed etiam contra bonos mores, *dicta lege stipulatio lege* 4. *C. de inutil. stipul. cap. non est obligatorium de reg. iur. in* 6. licet putent plerique non esse talem donationem contra bonos mores naturales, sed tantum contra ciuiles qui creduntur minus fauorabiles, vt disputat Didac. citatus *infr. num.* 6. Nec aliud est etiamsi proponatur facta donatio in contractu matrimonij quod alioqui fortassis secutum non fuisset. Non enim sunt fauorabiliora pacta dotalia nisi quatenus sunt licita: *Ita Senatus* ex tempore pro nobilissim. viro D. de Montrotier. Cantore Ecclesiæ Cathedralis sancti Petri Gebennen. 5. Id. August. 1612.

2 *l. 3. §. vltim. D. de bonor. possess. l. hereditati,* 50. *D. de petit. hared.*

3 Puta qui non sit soluendo, *l. 3. & pass. D. ad leg. Falcid.*

4 *Arg. l. lex Cornelia,* 28. *ad fin. D. de vulg. & pup. substit.* Vide tamen quæ contra scripsi *in Error.* 6. *Decad.* 48. *de error. pragmat.*

5 Vt iam olim Alex. sensit contra Castr. vulgo improbatum, *ad d. l. vlt. num.* 10. *C. de pact.*

6 Ita Didac. Couarr. *lib.* 3. *var. resolut. cap.* 12. *numer.* 3. Iul. Clar. *lib.* 4. *sent. in §. donatio, quæ* 19. *nu.* 8.

7 *Arg. l. quia poterat,* 4. *D. ad SC. Trebell.*

8 Nihil enim potest interesse, an vni, an pluribus ita donetur, vt testamenti factio donatori auferatur, *d. l. stipulario* 61. *cum ibi not. de verb. oblig. & d. l. vlt. C. de pact.*

9 Quia quæ ab initio valuit, & vires habuit donatio ex post facto reuocari non potest, *l. 2. & 3. & pass. Cod. de reuoc. donat.*

DEFINITIO X.

Mulier in re sibi à marito donata in casum superuitæ præfertur omnibus mariti creditoribus posterioribus, licet contraxerint ante conditionis casualis euentum.

MAritus qui pro accepta dote bona sua omnia mulieri obligauerat,[1] eidem in tabulis ipsis dotalibus fauore, & ex causa matrimonij donauerat hyperocham[2] præsentium omnium & futurorum mobilium atque immobilium sub ea conditione, si prior ipse sine liberis moreretur. Illa vicissim si maritus superstes esset, donationem in eum contulerat certæ quantitatis.[3] Cum postea maritus nouos creditores quæsiuisset, deinde sine liberis ante vxorem decessisset,[4] placuit non esse cogendam mulierem, quæ ex donatione vniuersa mariti bona retineret, posterioribus creditoribus respondere:[5] Non solum quod donatio vniuersalis videri non posset, quæ iura & actiones non comprehenderet,[6] sed etiam quia causam lucratiuam non habere mulier videretur, vt hæredi comparati posset, quæ & ex causa matrimonij,[7] & intuitu mutuæ donationis à se in contrarium euentum factæ, non tam liberalitatem quam remunerationem meruisset:[8] Nec ad rem pertinuit, quod ante conditionis euentum noui creditores superuenerant. Non enim ex eo tantum die quo conditio euenit, sed à tempore contracti matrimonij ius mulieris quæsitum esse visum est, etiam in præiudicium tertij, qui medio tempore contraxerat, cum conditio casualis fuisset non potestatiua.[9] In hoc enim conditionum genere receptum est, vt quandocunque existentes ad diem contractus retrotrahantur.[10] An ergo debiti jacturam patientur posteriores creditores? vtique, si communis debitor nulla bona in actionibus habuit.[11] Æquius enim est in damno morari eos quibus imputari potest, quod cum debitore inepe contraxerint, cuius conditionē & facultates diligentius explorare,[14] aut in incerto alia sibi ratione melius prospicere debuerunt,[15] quam eorum intuitu diminui quicquam ex donatione collata in mulierem, quæ non aliter fuerat contractura.[15] *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 18. & 19. *supr. qui potior. in pignor. hab.*

1 Expressa scilicet conuentione, cum tamen etiam citra conuentionem omnia tacite essent obligata, *l. vnic. C. de rei vxor. act.*

2 Vulgo plutisvalentiam vocant. *leg. & quæ nondum.* 15. *§. vlt. D. de pignor.*

3 Sic enim solent apud nos fieri donationes matrimoniales, quas ideo de superuita vocat Guid. Pap. *q.* 575.

4 Post impletam conditionem donationis in vxorem collatæ.

5 *Ex l. aris alieni,* 13. *C. hoc tit.* & secundum ea quæ scripsimus *Defin.* 4. *& 5. supr.*

6 Quæ scilicet neque mobilium neque immobilium bonorum appellatione continentur, *leg. quam Tuberonis.* 7. *§. in peculio, D. de pecul. leg. à Diuo Pio,* 15. *§. in venditione. D. de re iudic.*

7 Cum multa sint onera matrimonij, quamuis videatur ea ratio ad maritum magis, quam ad vxorem pertinere, *l. vltim. §. si à socero, D. quæ in fraud. credit. l. ex promissione,* 19. *D. de oblig. & action.*

8 *L. Aquilius,* 27. *D. hoc tit. l. sed et si lege,* 25. *§. consuluit, D. de petit hared. licum te. 6. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vend.*

9 *Ex l. 1. l. qui balneum,* 9. *l. potior,* 11. *cum ibi not. D. qui potior. in pignor. hab.*

10 Ratio posita est *in d. l. qui balneum, & in d. l. potior.*

11 Nam si habuit potest ex iis satisfieri creditori, cum non veniant in donationem.

12 Nullum enim damnum videtur sentire, qui sentit ex culpa sua, *l. cum postulassem,* 44. *in princip. D. de damn. infect. l. 1. §. illud sciendum, & sequ. D. de separat. l. quod quis,* 203. *de regul. iur.*

13 *Ex reg. l. qui cum alio* 19. *de reg. iur.*

14 Acceptis fideiussoribus aut pignoribus *l. 3. D. de separat. l. si mandatu,* 59 *§. vltim. D. mandat. l. 4. §. addici. D. de fideicomm. libert.*

15 *l. Titia.* 62. *ad fin. D. de iur. dot. l. 5. §. pen. D. de doli except. leg. sed si ego,* 9. *§. si res, de iur. dot. l. quaro,* 39. *D. de act. empt. l. vlt. C. de pact. int. empt. & vendit.*

BIU Cujas

DEFINITIO XI.

Bonorum omnium mobilium & immobilium quorumcunque donatarius non censetur vniuersalis, quia in ejusmodi donatione jura non continentur.

DOnatarius bonorum omnium mobilium & immobilium quorumcunque, si de juribus & actionibus nihil dictum sit, non potest conueniri tanquam hæres, aut quasi qui sit loco hæredis. [1] Quia non est vniuersalis, [2] cum appellatione bonorum mobilium & immobilium, etiam adiecta dictione, Quorumcunque, iura & actiones non contineantur.[3] Ergo si tanquam possessor conueniatur, iuuandus erit exceptione non factæ excussionis. [4] *Ita Senatus* in causa Mauricæ Richard. & Michaelis de la Siaz, Id. Mart. 1597.

1 Intellige, ne quidem secundum eorum sententiam, qui volunt donatarium vniuersalem esse loco hæredis, adeo vt possit recta conueniri à creditoribus hæreditariis, siue hæres nullus sit, siue is qui est non sit soluendo, contra quos vide quæ scripsi *Defin. 4. & 5. supr. hoc tit.*

2 Certum autem est in confesso donatarium singularem non teneri ad exsolutionem æris alieni, *l. æris alieni. 15. C. hoc tit.* vt nec alium quemlibet singularem successorem, *l. vlt. C. de hæred. act l. 1. § si hæres, D. ad SC. Trebell l. vlt. § 1. D. de contr. empt.*

3 Tanquam quæ constituant tertiam speciem bonorum *l. quam Tuberonis, 7. §. in peculio D. de pecul. leg. à Diuo Pio. 15. §. in venditione, D. de re iudic.*

4 *Ex Auth. hoc si debitor. C. de pign.* Qua tamen exceptione non iuuaretur, si esset ipse debitor, aut debitoris hæres aliusve successor vniuersalis, vt dixi *Defin. 1 supr. si vnus ex pluribus hæred. debit. ex l. 1. iunct. gloss. C. ill. eod. tit.*

DEFINITIO XII.

Donatio facta piæ causæ valet, quamuis non insinuata, itemque legatum rei alienæ etiam ab ignorante factum.

PRiuilegium piæ causæ est, vt donatio piæ causæ facta valeat, etiamsi non sit insinuata. Item vt legatum valeat, etiam quod ab ignorante factum sit rei alienæ; [1] nam & valeret, si coniunctæ personæ factum esset. [2] *Ita Senatus* in causa D. de Lorme, & Syndicorum de Montmilian. *Sine die.*

1 Tiraq. late *in tract. de priuileg. piæ caus.*

2 *l. cum alienam 10. C. de legat.* aut etiam si factum esset de re hæredis, quamuis ab ignorante. *l. vnum ex familia 67. §. si rem. de legat. 2.*

DEFINITIO XIII.

PAter qui plures liberos habebat ex pluribus matrimoniis, cùm iis quos ex priore matrimonio susceperat fauere vellet, instrumento publico confessus fuerat adhibito jureiurando, & vt contractus verba ferebant, ad exonerandam conscientiam cùm & senex admodum & ex morbo diuturno periclitaturus videretur, Debitorem se magnæ quantitatis ad duodena vsque millia aureorum, cùm tamen non nisi ad sex vsque millia tam pro dote dotisque augmento, quàm pro maternis bonis minore precio per eum venditis, debere illum constaret. Postea cùm maiore erga vnam ex filiabus prioris matrimonij voluntate & propensione ferretur, donauerat ei inter viuos & juratò fundum quem habebat preciosissimum, & cuius æstimatio deducto ære alieno vniuersum ipsius patrimonium constituere credebatur, & vt ea donatio insinuaretur, curauerat. Mox cùm alteram filiam quæ ex priore matrimonio sola supererat, nuptui collocaret, ignorantem quod pater sorori inter viuos medio tempore donauerat, dotem ei promiserat ter mille aureorum pro bonis & iuribus omnibus tam paternis quàm maternis, ex eaque causa eundem fundum quem alij filiæ donauerat, etiam posteriori dederat pignori, sorore tamen ignorante quæ paullo ante eundem fundum ex donatione acceperat. Tandem cum idem pater variis de causis erga nuptam filiam male affectus maiore quàm ante odio eam prosequeretur, & id ageret quantum posset ne illa vel ex prima confessione vel ex contractu dotali quicquam consequeretur, postulauerat in integrum restitutionem aduersus confessionem, vt ea siue quod inter patrem & liberos extra causam dotis, [1] siue quod sine causa facta esset, [2] ad eam vsque quantitatem quam liquido deberi constabat, & quæ sex millium duntaxat erat, rescinderetur. [3] Filia contradicebat, illa potissimum ratione, quod futurum videbat, vt rescisso illo confessionis contractu, de sua dote periclitaretur ob donationem collatam medio tempore in sororem. [4] Senatus æquissimo temperamento ita rem definiuit, vt contractus quoque confessionis rescinderetur, [5] præsertim cùm rescissioni altera filia consentiret, [6] ac supra debitam quantitatem ea confessio causam justam non haberet, ideoque saperet donationem, [7] quæ licet jurata, [8] attamen extra causam dotis [9] facta reuocari per patrem poterat obtenta saltem dispensatione, [10] Sed ita tamen vt ad eam vsque quantitatem quæ postea in dotem data filiæ fuerat contractus maneret, ex eoque die primæ confessionis hypothecæ ordinem retineret [11] ne vllum ei præiudicium per intermediam donationem alteri filiæ factam illatum videri posset: Hoc tamen addito vt ea summa, quæ ex confessione patris ad bona tantùm materna pertinebat, tam pro paternis quam pro maternis filiæ juribus cederet juxta conuentionem in tabulis dotalibus expressam. [12] In quibus etiam conuenerat vt iis tribus aureorum millibus contenta filia nihil amplius ex priore patris confessione petere ac sperare posset. *Ita Senatus* in causa N. Francisci de Boyuin Baronis du Villars, & Carolæ eius filiæ 3. Non. Decembr. 1612.

1 Non enim potest valere donatio inter patrem & filium in potestate nisi ex causa dotis, vt diximus & probauimus *Defin. 1. supr.*

2 Quod enim sine causa promissum est, exigi non potest *l. 2. §. circa D. de dolo except.*

3 Sunt enim huiusmodi confessiones suspectæ cùm factæ sunt inter personas prohibitas, nisi quatenus probantur veræ *l. qui testamentum 27. D. de probat.* nec quod conscientiæ exonerandæ color quæsitus sit, quicquam facit cum actus ipse suspectus est. Sunt enim omnia quæ in eo continentur suspecta, vt Not. *in l. diuersas C. mandat.*

4 Quia sublata confessione patris remanebat donatio anterior constitutione dotali nec potuerat pater obligare dotis nomine bona quæ jam alij filiæ donauerat.

5 Tanquam factus sine causa & simulatus supra quantitatem reuera debitam, cum pater se constituisset debitorem fructuum bonorum maternorum, adeoque vsurarum fructuum, qui tamen omnes pleno jure ad eum pertinent *l. 1. C. de bon. matern.*

6 Neque enim potuisset inaudita ea rescindi contractus cum eius interesset, *l. etiam 29. 1. D. de minor. Auth si omnes C. si min. ab hered. se abst. l. nam ita 39. D. de adopt. l. de vnoquoque 47. D. de re iudic.*

7 *Ex reg. l. donari 81. de reg. iur. l. donari 29. D. de donat.*

8 Valet enim jurata donatio etiam inter patrem & filium *Defin. 1 supr.* sicut & inter virum & vxorem *Defin. 1 supr. ill. tit.* propter authoritatem jurisiurandi *c. p 2. de pact n 6.* Sed debet id accipi de donatione palam facta & per speciem donationis, non de confessione simulata facta animo donandi. Simulata enim potius habenda sunt pro infectis *l. si præses 8. Cod. de don l. si ex precio 6 Cod. si cert. pet.*

9 Quia quod in causam dotis donatum est etiam à patre

BIU Cujas

reuocari non potest si nostris credimus ex *l. Pomponius 35. D. famil. erciſc.* De cuius tamen sententia vide quæ contra scripsi *lib. Coniect.*

10 Quæ sane omnimodo necessaria est quoties potest seruari iusiurandum citra dispendium salutis æternæ *cap. cùm contingat. Extr. de iure. cap. debitores, Extr. de vsur.*

11 Nec enim id nouum est cùm eadem pignora in posteriore contractu accipiuntur. *l. 3. l. creditor, 12. §. Papinianus, alias l. si prior qui potior. in pign. hab.*

12 *Ex l. pacta nouissima C. de pact.*

TIT. XXXVII.

DE DONAT. QVÆ sub mod. &c.

DEFINITIO I.

Donatio facta sub legereuer sionis, si donatarium sine liberis mori contingeret, redit ad donatorem si viuo eo liberi donatarij decesserint sine liberis, scilicet cum donatio facta erat fauore donatarij, ad conseruandum nomen.

SI donatio alicui facta sit ea lege, vt moriente quandocunque sine liberis donatario res donata rediret ad donatorem, non eo minus resoluendæ donationis conditio extitisse videbitur, quod donatarius superstites liberos reliquerit, si postmodum liberi illi sine liberis viuo donatore decesserint. [1] Nam quod ad donatorem attinet, si contrahentium voluntatem inspicias perinde est ac si donatarius sine liberis decessisset. Quid enim interest an habuerit necne, si quos habuit non fuerunt donatori superstites? [2] Id vero multo certius obtinet si ponas factam donationem ab eo, qui cum liberos nullos haberet eam donationi legem adiecerat, vt donatarius & qui ex eo supereſſent liberi nomen & arma familiæ testatoris alioquin perituræ deferre cogerentur. [3] Non enim exitum habuisse videri potest donatoris voluntas, extincta donatarij familia viuo donatore, cuius familia per donatarium conseruanda restaurandaque sperabatur. [4] Adeo vt nec aliud dicendum sit etiamsi proponas in contractu & fauore matrimonij, quod aliter secutum non fuisset, factam esse donationem. [5] Etsi enim coniugis interest, ad quem donationis fructus ex luctuosa filij hereditate peruenire deberet, [6] non tamen quid eius interſit quærendum est, sed quid & in quem casum voluerit donatum is, de cuius bonis & liberalitate contenditur. [7] *Ita tractatum est.* 4. Calen. Decembr. 1588. & responsum à plerique ex nostris Senatoribus in causa D. Comitis de S. Amour contra Dominam d'Ambliſe. Et à toto Senatu Pedemontano cuius elegans consilium extat à Manfredo Goueano IC. clarissimo & præcipui nominis Senatore conscriptum inter Decisiones Pedemont. Antonini Tessauri. [8]

1 Castrens. *cons.* 343. *libr.* 1. Guid. Pap. *decis.* 532. Dec. *cons.* 270. *cons.* 480. 585. & 594. Ant. Gabriel. *Tit de fideic. conclus.* 7. *numer.* 4. 5. & 6. *Mantic. de coniect. vltim. volunt. libr.* 11. *tit.* 6. *numer.* 6. & 7. Crauet. *cons.* 98. *numer.* 12. & *seq.* & *cons.* 326. *numer.* 16. & alij quos congerit Manfred. Gouean. apud Anton. Tessaur. *decis. Pedem.* 270. *numer.* 30. vbi respondet ad contrariam Cyni opinionem, *in Auth. sed & si quis. Cod. de secund. nupt.* & Salicet. *ibid.* & Alexan. *cons.* 53. *vol.* 6. & Chassan. *cons.* 62. *numer.* 12. quibus tamen locis tractatur ille casus, quo in conditione positi fuerint non quidem liberi sed heredes descendentes, quod & Gouean. supradicto loco fatetur. Aliud sane est si liberi à donatario suscepti decesserint sine liberis post mortem donatoris, quia tunc non potest donatio redire ad donatorem iam præfunctum. Et hoc casu potest procedere *consil. Oldrad.* 21. & 141 vbi loquitur in vltimis voluntatibus quæ non possunt effectum habere nisi post mortem testatoris. Vide eundem Gouean. vbi supra *numer.* 29.

* Adde Maynard. *lib.* 2. *illusti, quæstion cap.* 91. & 92. Ferrer. *in decis.* Guid. Pap. 147. *iunge l.* 2. *cum ratione ibi posita Cod. de bon. quæ liber.* Char. *lib.* 7 *responsor. cap.* 114. Quid si alicui donatum sit fauore matrimonij pro ipso & liberis ipsius? non censentur liberis vocati tanquam substituti ab auo, sed tantum quasi heredes patris, vt dixi *def.* 1. *numer.* 5. *supr. de don. ex Surdo decis.* 322. & *Nicolao Valla de reb. dubiis tractat.* 2. *quæst.* 4. *fol.* 25.

* [Ex quo inferri potest, si donatio alicui sic facta sit vt mortuo siue liberi donatario siue viuo, siue mortuo donatore reuertatur donatio ad donantem aut ad eum quem præmoriens donator ex liberis suis elegerit, deficere conditionem reuersionis mortuo quandocunque cum liberis donatario, licet prædefuncti sint illi viuo donatore, vt vtraque pars conditionis habeat parem & vniformem determinationem. Ex reg. *l.* 4. *De vulg. & pup. subst.* Nam sicuti conditio illa *si sine liberis* simplex tantùm est, non duplex eo casu quo liberi donatarij decesserint sine liberis post mortem donatoris. Ita nec duplex videri potest præmortuis iis liberis viuo donatore. Proceditque hoc casu optimè argumentum illud à contrario sensu de quo Papin. in *l. inter socerum* 26. §. *cum inter D. de pact. dot.* Tanto certiùs, si ponas donationem factam à parte certæ partis bonorum, ita vt in ea parte comprehendantur bona filij materna & ei aliunde quæsita. Mortuo enim filio superstitibus liberis qui postea decesserint viuo auo paterno & viua matre, sicuti non potest adiecta donationi conditio facere, vt bona materna donatarij non perueniant ab intestato ad matrem liberorum prædefunctorum, ita nec aliud constituendum est, de bonis ab auo profectis & donatis, vt omnium rerum donatarum fiat par & vniformis determinatio in vtrumque casum, & contrahendæ, & resoluendæ donationis. Atque ita ex facto consultus respondi pro D. Comite de Grolee contra D. du Pelouz 3. Idib. Iulij 1612. Nec his casibus locum habet decisio Maynardi 190. & 191. part.

2 Scilicet quantum ad effectum, cuius contemplatione facta est donatio. Nam neque voluntatem neque impossibilitatem grauatorum attendimus, sed ipsius grauaminis implementum intuemur, ait Goueanus vbi supra. *numer.* 28. post Bart. & *DD. in l. Gallus, §. & quid si tantum. de liber. & posthum.* Dec. *in l. cum proponas 2. C. de pact.* Crauet. *consil.* 151. *numer.* 10.

3 Regula enim illa, quod casus omissus habendus sit pro omisso, maxime in contractibus, numquam militat quoties ratio causæ finalis vtrumque casum comprehendit, quia tunc omissus includitur in expresso ex identitate rationis non per extensionem, sed per intentionem, neque per ampliationem sed per declarationem. Ias. *in l. si extraneus, numer.* 1. *de cond. caus. dat.* Crauet. *cons.* 26. *numer.* 14. Menoch. *consil.* 86. *numer.* 46 *lib.* 1. & alij quos congerit Gouean. *vbi sup. numer.* 31. & 32. vbi addit etiam hoc casu fieri extensionem de persona in personam ex Bart. & Salic. *in l.* 1. *Cod. de in ius voc.* Castrens. *consil.* 40. & 262. *lib.* 2 Dec. *consil.* 351. Crauet. *consil* 315. & aliis ibi citatis. Causa porro finalis in donationibus ex eo dignoscitur, si fauorem donatoris respiciat & onus atque grauamen donatarij contineat. *DD. in l. Titio centum* 71. *in princip. D. de condit. & demonst.* Bartol. Angel. & Imol. *in l. si fundum per fideicommissum, §. Iulianus de leg.* 1. Bartol. Angel. Castrens. *in l.* 2. *§. vltim. D. de donat.* Corn. *consil.* 101. *numer.* 17. *volum.* 1. Crauet. *consil* 619. *numer.* 4. Didac. Gouarr. *lib* 1. *var. resolut. cap.* 41. *numer.* 6. Ita vt fauor matrimonij non dicatur causa finalis donationis factæ in ipso limine & auspicio matrimonij. Oldrad. eleganter *consil.* 5. Socin. *consil.* 295. *versic. circa secundam difficultatem volum* 2. Ias. *consil.* 154. *lib.* 2. Tiraq. *ad l. si vnquam*, in verb. *donatione largitus num.* 85. Alex. & Dec. *in l. si donatione C. de donat.* Crauet. *consil.* 301. *numer.* 1. Apostil. ad Dec. *consil.* 21. *in lit. C.* Gouean. qui supradictos omnes citat apud Tessaur. *dict. decis.* 270. *numer.* 20. Sed & ea vis est causæ finalis, vt quamuis modus differat à conditione quantum ad actum suspendendum, tamen in eius resolutione, par sit vtriusque potestas, si modus causam finalem dispositionis includat. Glo. Bartol. Bald. & Castrens. *in l.* 1. C. *de his quæ sub mod.* Bartol. *in l. quibus diebus, §. Termilius. De cond. & demonstr.* Bartol. *consil.* 27. *numer.* 7. *lib.* 2 & alij congesti per Gouean. *vbi supr. numer.* 22. vbi allegat etiam text. *in l. final. Cod. de reuoc. donat.* Didac. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 14. *numer.* 6. Socin. *in dict. §. Termilius numer.* 10. Grat. *consil.* 5. *numer.* 77. & 78. *volum.* 2 Paris. *cons.* 19.

per tot. volum. 2. qui tenent euerti donationem si donatarius nomen & arma donatoris vt iussus erat non assumpserit, siue iussus in figuram modi expressus fuerit, siue in figuram conditionis.

4 Nam cum quis iubetur nomen familiæ non tantum assumere, sed etiam deferre, requiritur delatio continuata, & successiua sine intermissione, quia conditioni tractum successiuum habenti non sufficit semel aut iterum paruisse. Ang. *consil. 34. numer. 8. & seq* Ias. Dec. Alexan. *in l. si quis heredem. C. de instit. & substit.* Corn. *consil. 8. vol. 1.* Alex. *cons. 256. lib. 6.* Ias. *consil. 4. vol. 1.* Chass. *consil 62.* Socin *consil. 59 lib. 1. numer. 2.* Adeo vt non sit hoc casu necessaria interpellatio cum non agatur de pœna sed de implemento. Ias. Rip. Alciat. *in l. quod. te si cert. pet.* Paris. *consil 19. numer. 200. vol. 2.* Maxime si adsit iuramentum quod habet vim continuæ interpellationis, *cap. 1. de form. fidelit.* & impedit purgationem moræ Guid. Pap. *consil. 31. numer. 19.* Afflict. *decis. 174.* Neque videri potest remissa caducitas per silentium donatoris, qui cum esset in possessione & intelligeret sibi saluam esse exceptionem, non est conquestus etiamsi tacens contrauentionum actibus interuenisset, *l. sicut 8 §. non videtur l. Titius, §. final. D. quib. mod pignor. vel hypoth. soluit.* Tiraq. *de retract. muncip. §. 1. glo. 9 numer. 148. & 160.* Crauet. *consil. 151. numer. 8.* Item reuocatio quæ non fit à lege ex bono & æquo ob causam ingratitudinis, sed inobseruantia pactorum & iure contractus etiam heredi potest competere & contra heredem *l. dicta lege l. si vt proponis l. ea lege l. si repetendi Codic. de cond. ob caus. dat.* Doc. præsertim Salic. *numer. 4. in l. fin. Cod. de reuoc. donat.* Sed & ex causa ingratitudinis quamuis non detur reuocatio contra heredem, datur tamen exceptio & retentio. Rip. *in l. final. quæst. 64. numer. 214.* Idque adeo verum est, vt modus siue deferendi nominis siue alius quilibet impositus pluribus successiue si per primum non fuerit impletus repellat alios ab agendo. Socin. *consil. 259. lib. 2 numer. 1.* Bologn. *consil. 12. lib. 12.* Gouean. vbi supr. *numer. 27.* [In quo tamen nota neminem posse ius hoc deferendi nomen & arma familiæ suæ transferre in extraneum quandiu aliqui supersunt de familia nisi omnes consentiãt, quia illis debentur arma & nomen familiæ iure successorio, inquit Boer. *quæst. 146 numer. 6.* Adde Bartol. *in tract. de insign. & arm. numer. 6.*]

5 Non enim eo magis accepto ferenda est donatio fauori matrimonij, sed è contrario & matrimonium & donatio ipsa referenda est ad honoris & memoriæ ipsius donatoris & familiæ suæ conseruationem ac propagationem, vt subtiliter Goueanus disputat supradicto loco, & nos diximus *numer. 3.* Ita vt donatio quæ sit fauore matrimonij non dicatur ob causam, sed simplex, vt dixi ex Oldrad. *cons. 5 per tot.* & Socin. *consil. 295. versic. circa secundam difficultatem. vol. 2.*

6 *l. iure succursum 6. D. de iur. dot.* iunct. *l. vlt. C. de instit. & substit.*

7 Ne alioqui decipiatur donatarius qui non aliter fuerat donaturus, *d. l. 2. §. vlt. D. de don.* iunc. *l. 2. hoc iure 19. vlt. §. eo.* Vnde est quod dicimus ex verisimili voluntate donatoris, qui vocauit descendenter alicuius cum onere deferendi nomen & insignia, solos ex natura conditionis masculos, & ex masculis primogenitos intelligi vocatos, vt concludit Goueanus loco supradicto *numer. 3.* post Guid. Pap. *decis. 467.* Guil. Bened. *in repet cap. Raynutius* in verb. *in eodem testamento relinquens, numer. 164. de testam.* Tiraq. *De iur. primogen. quæst 64.* Obserua autem hanc Defin. procedere in donationibus non in fideicommissis. Nam si quis grauatus sit de restituenda hereditate sub ea conditione, si sine liberis decesserit, sufficit liberos superuixisse, nec quærimus quid de liberis cõtigerit, aut an patri heredes extiterint necne. Oldrad. *dict. cõs. 21. & 141. ex l. filius familias 114. §. cum quis rogat. de leg. 1. l. heredibus. 7 §. 1. l. ex facto 17. penult. D. ad SC. Trebell.* quia tunc agitur de fideicommissario tantum excludendo per defectum conditionis qui momentaneus est. In donatione autem tractatur de donatario vocando.

8 *Decis. 270.* quam vide.

DEFINITIO. II.

Potest donator pro arbitrio reuocare legem donationi etiam inter viuos dictam fauore tertij, dummodo ante quam tertius ille acceptauerit.

DOnatione alicui sic facta & ea lege vt post eius mortem bona donata ad aliud peruenirent, potest donator eam substitutionem in absentis, & ignorantis fauorem factam pro arbitrio reuocare antequã secuta sit acceptatio. [1] Etsi enim ex Imperatoria constitutione [2] contra iuris regulas inductũ est, vt ex sola donationis lege æquiratur jus ignoranti etiam circa acceptationem: [3] Tamen sicuti solius donatoris facto ius illud quæsitum est quandiu donatarij consensus non interuenit, [4] ita solius donatoris voluntatem adesse satis est, vt ius illud quasi nondum irreuocabiliter quæsitum adimatur. [5] Nec distinguemus an inter viuos donatum sit an mortis causa. [6] Quamquam cum mortis causa donatum est, minorem dubitationem res habet, siquidem res ipsa quoque mortis causa donatio reuocabilis est, [7] & ciusmodi lex inserta donationi causa mortis, fideicommissi iure censetur, paritque fideicommissi actionem, [8] fideicommissum autem quin pro arbitrio fideicommittentis & ad nutum reuocari possit, nemo dubitat. [9] *Ita tractatum est* in causa liberorum Ludouici Machet Necien sis 13. Calen. Decemb. 1592. de qua SC. 7. De insin. donat.

1 Didac. Gouar r. *lib. 1. var. resol cap. 14.*

2 *Ex l. 3. C. hoc tit.*

3 Non est tamen nouum, vt per legem aut consuetudinem aut statutum ex facto alterius acquiratur jus etiam absenti & ignoranti, vt euenit in jure retractus municipalis quod per emptorem acquiritur agnato, Bald. *in rubr. C. res inter alios act.* Dec. *cons. 88. in princip.* Boer. *quæst. 13. num. 32.* Adde Thessaur. *Decis. 70. per tot.* Et vide omnino Bart. *ad l. qui Romæ 122. §. Flauius Hermes, D. de verb. obligat.* Et quæ scripsi tota. *Decad. 47. De error. pragmat.*

4 Cum tamen alteri stipulari nemo possit, nisi quatenus interest stipulantis, *l. stipulatio ista 38 §. alteri. D. de verb. obligat.*

5 Ratio est qua mouetur Bart. & qui eum sequuntur, *ad d. §. Flauius*, non tamen semper bona, vt constat ex *l. vlt. D de pact.*

6 Quia etiam in donatione inter viuos supradicta ratio locum habet, nec distinguitur an donatio sit inter viuos, an mortis causa in specie, *d. l. 3. C. hoc tit.*

7 Tanquam quæ sapiat naturam vltimæ voluntatis, *l. Marcellus 15. l. vbi ita donatur 27. l. illud 37. D. de mort. caus. donat. l. vltim. C. eod.*

8 *l. 1. C. hoc tit.*

9 Vt & alia quælibet vltima voluntas, *l 4. D. de adim legat. l. cum hic status 32. §. pœnitentiam. Dig. de donat. int. virum & vxorem.*

DEFINITIO III.

Soluto per donatorem ære alieno quod à donatario soluã debuerat, licet solutum sit ex venditione partis rerum donatarum, habent tamen hæredes eo nomine actionem contra donatarium, nisi malit ille recedere à tota donatione.

QVi habebat creditores, bona sua fere omnia tibi, donauerat ea lege vt creditoribus satisfaceres, cumque moram te in soluendo faciente ab iis vrgeretur, vendiderat ex rebus donatis quantum satis esset ad eos dimittendos, prius tamen quam insinuata fuisset donatio. Insinuatione secuta defunctoque donatore aliis hæredibus relictis, quærebatur, an audiendi hæredes essent si à te repeterent eam summam quã ex lege donationis ipse soluere debueras? Et quidem si donator de suo soluisse proponeretur, non de pretio ex bonorum donatorum venditione redacto, minorem res haberet dubitationem. Etsi enim dici solet ex donatione vna expressa facile capi coniecturam alterius donationis præsumendæ, [1] minus tamen credibile esset voluisse donatorem de suo soluere nomine tuo, quod tu ipse pro eo soluere debuisses. [2] At in proposito donator ex tuis bonis soluisse videbatur, quippe qui ex rerum donatarum alienationibus pecuniam contraxisset. Absurdum vero fuerit adeoque iniquum, quod illa iam ex bonis donatis soluerit, id ei aliunde à te sarciri, ne ita eueniat vt & bis soluas, & diminuta per alienationes donatione totum nihilominus donationi appositum onus sentias. [3] Quamquam

quam enim alienationes ante insinuatam donationem factæ proponebantur, & eo tempore quo nullum adhuc ius saltem perfecte & absolute tibi quæsitum videri poterat;[4] attamen constabat ex æris alieni quantitate non exigua, iniunctum fuisse tibi onus dimittendorum creditorum contemplatione vniuersorum bonorum, quæ donabantur, non eorum duntaxat quæ factis alienationibus supererent. Senatui tamen iustum visum est desiderium heredum donatoris postulantium restitui sibi quantitatem integram, quam donator nomine tuo soluisset, vndecunque tandem ea summa corrogata esset, nil imputata æstimatione bonorum quæ alienatio ex donatione detraxerat, nisi malles à tota donatione discedere. Putauit enim Senatus tibi deferendam conditionem,[5] nec iniquo sane temperamento. Nam quemadmodum detractis alienationibus, quas donator suo iure fecerat; id est ante insinuationem, exceptisque ab insinuatione bonis venditis, nihil donatum videri poterat nisi quod superesset.[6] Ita donationem damnosam esse aut onerosam tibi, si eam repudiare malles, minus conueniens videbatur.[7] Eo tamen casu quo donationis commodum retinere velles, placuit non tantum eam quantitatem quæ à te solui debuerat,[8] sed eius quoque vsuras à die mortui donatoris præstandas esse, quod ab eo tempore bonorum donatorum fructus quos sibi viuo donator excepserat, vicissim percepisses.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Argum. l. si vero non numerandi* 12. §. *inde Papinianus*, D. *mandat. l. cum proponebatur* 64. *de legat.* 2.

2 Nemo enim facile suum iactare præsumitur *vulg. l. cum de indebito* 25. *D. de probat.* maxime vero in hominem ingratum, qualis est is qui non obseruauit pacta inserta donationi, *l. vlt. vbi not. C. de reuoc. donat.*

3 Diminuto enim commodo etiam onus donationis diminui necesse est, *ex reg. l. secundum naturam* 10 *de reg. l. vltrum* 7. §. *vltim. D. de rebus dub. l. alumna* 30. §. *ab heredibus, de adim. legat.*

4 Non enim valent donationes nisi ex die insinuationis.

5 *Vt in l. cum quæritur* 16. *D. de admin. & peric. tutor. l. si ita stip. lucio* 29. §. 1. *de oper. libert.*

6 Alienatio enim facta post donationem non potest videri reuocare donationem nisi quatenus alienatum est, *l. rem legatam* 18. *vbi not. de adim. legat. l. cum hic status* 32. §. *qui quædam res* 15. *D. de donat. inter virum & vxorem.*

7 Non enim beneficio decipi vel onerari quis debet, sed adiuuari, *l. in commodato* 18 *sicut. D. commod. l. si hereditatem* 32. *D. mandat.*

8 *L. liberalitatis* 16. § 1. *de vsur. l. Iulianus* 13. §. *veniunt autem, D. de action. empt. l. curabit* 5. *Cod. de action. empt. l.* 2. *Cod. de vsur.*

DEFINITIO IV.

Casus ex post facto contingens rebus donatis non liberat donatarium quo minus teneatur implere legem dictam donationi, quam is semel agnouit.

IS cui donatum est certa lege, quæ faciat vt plus incommodi quam commodi ex donatione sentiat,[1] si donationem agnouerit non magis resilire potest à contractu[2] quam donator ipse, quem suæ pœniteat liberalitatis.[3] Est enim hoc perpetuum in contractibus omnibus, iis præsertim qui sint vltro citroque obligatorij, vt ex postfacto sint necessitatis,[4] nec alterutra ex parte locus sit pœnitentiæ, nisi altera consentiente.[5] Proinde si conuenerit, vt donatarius certæ pensionis annuæ onus sentiat, nihil ei proderit quod ea pensio ex fructibus bonorum donatorum colligi non possit, quia de suo præstare debet qui aliena tanti æstimauit.[6] Præsertim cum pensiones huiusmodi morte donatoris finiri soleant,[7] donationis autem emolumentum donatario perpetuum sit futurum.[8] Itaque si post contractam donationem aliquid superueniat, quod rerum donatarum fructus aut etiam res ipsas imminuat, periculum est donatarij,[9] nec donatorem cui nihil potest imputari debet contingere.[10] *Ita Senatus* ex tempore pro Peroneta Quintaual. Non. Decembr. 1593.

1 Potest enim hoc euenire, si non quantitas cum quantitate conferatur, sed si forte donatio facta sit sub onere dandi pecuniam, quæ excedat rei donatæ valorem, cum maluisset donatarius habere rem donatam, *vt in l. Imperat.* 70. *§. si centum, de legat.* 2.

2 Sibi enim debet imputare qui rem donatam tanti æstimauerit, *dict. §. si centum, l. 1. §. & alias videamus, D. si quid in fraud. patron.*

3 *L. 3. l. velles necne* 6. *& pass. C. de reuoc. donat.*

4 *L. sicut* 5. *C. de obligat. & action.*

5 *L. non est probabilis* 6. *l. ea conditione* 14. *& pass. C. de rescind. vendit.*

6 *d. §. si centum.*

7. Sunt enim vt plurimum ad vitam, & vice eiusdem vsusfructus, qui morte finiretur. Alioqui pensio simpliciter constituta non finiretur morte.

8 Adeoque transmissibile ad heredes donatarij, *l. his solis* 7. *l. vlt. in fin. C. de reuoc. donat.*

9 Ex regula quæ vult periculum casuum fortuitorum spectare ad dominum, *l. quæ fortuitis* 6. *l. pignus* 8. *C. de pignor. act. l. contracta* 25. *D. de regul. iur.*

10 *L. 1. C. de iur. dot. l. 2. C. de euict.*

DEFINITIO V.

Tenetur donatarius etiam in eum casum quo licuit ei ex donationis lege resilire à donatione, si modo per eum factum sit vt res integra esse desierit, nec resilire amplius possit.

BOna sua omnia mulier quædam tibi donauerat ea lege vt tu vicissim illi annuam pensionem solueres, addito tamen pacto, vt si donatorum bonorum vacuam possessionem habere non posses, liceret tibi recedere à donatione. Acceperas vacuam omnium possessionem, eaque per integrum fere decennium retenta solutaque in singulos annos pensione bona illa aliis vendideras, tum in omni solutione cessaueras, eo prætextu quod emptores tui controuersiam ab antiquioribus creditoribus paterentur, ideoque pretij conuenti solutionem recusarent.[1] Placuit non eo minus condemnari te debere, vt pensionem annuam solueres si non paratus esses bona omnia quæ tibi donata fuerant in eodem statu reddere, in quo erant tempore donationis,[2] propterea quod ferendum non esset inopem mulierem ex liberalitate sua fame periclitari,[3] & non solum bonis suis carere, sed etiam emolumento pacti in donatione appositi, sine quo verisimile erat non fuisse illam tibi donaturam.[4] Maxime vero cum per te factum esset ne bonorum donatorum possessionem repetere posset, qui aliis ea vendidisses.[5] Eadem igitur ratione permittendum illi erit vt in eas quoque res tuas possit agere quæ sint extra causam donationis, quasque tu illi eodem donationis instrumento obligaueras.[6] *Ita Senatus* ex tempore in publico auditorio pro Bertin Augustana. 14. Cal. April. 1594.

1 *Ex l. si post perfectam* 24. *C. de euict.*

2 Quia vel donationi in totum standum est, vel à donatione in totum recedendum, *argum. l. cum quæritur* 16. *D. de admin. tutor. l. si ita stipulatio* 29. §. 1. *in final. D. de oper. libert.* Iunge *Defin.* 3. §.

3 *L. ne liberalitate* 52. *D. de re iudic. l.* 1. *C. de iur. dot. l.* 2. *in fin. C. de euict.*

4 Pacta enim omnia in donatione apposita fauore donantis continent causam finalem donationis, vt dixi *Defin.* 1. *num.* 3. §. ex not. per DD. *in l. Titio centum, in princip. de condit. & demonstr.* Crauett. *cons.* 619. *num.* 4. Didac. Couarr. *lib.* 1. *var. resol. cap.* 14. *num.* 6.

5 Suum enim cuique factum nocere debet non alteri, *l. factum* 155. *de reg. iur.*

BIU Cujas

6 Iure scilicet pignoris, & per hypothecariam, *l. si fundus 16. §. in vindicatione, D. de pignor.*

DEFINITIO VI.

Casus in quo dominus, qui donationem laudauit præfertur donatario à quo laudimia acceperat.

DOnationem inter viuos non insinuatam dominus vt vocant directus laudauerat. Postea defuncto sine liberis & condiuisoribus donatore, quem talliabilis & dedititicæ conditionis esse apparuit, idem dominus ea ipsa bona omnia, quæ donata fuerant, petebat quasi ad se iure obuentionis ex consuetudine deuoluta. [1] Donatarius dicebat se potiorem, quod dominus donationem adprobasset, ex eaque causa laudimiorum solutionem accepisset. [2] Dominus contra laudatam quidem à se donationem fatebatur, sed sub ea veluti tacita conditione, si valeret, [3] quam tamen constabat defectu insinuationis nullam esse. [4] Interueniebant heredes legitimi, contendentes neque admitti posse donatarium ex inualida donatione, [5] neque dominum qui aduersus proprium factum veniret, [6] ideoque potiorem causam suam esse oportere. 7 Mihi iustior dominij petitio videbatur quod donationem laudando non tam ius aliquod suum vltro remisisse, [8] quam ius quod donatario competere arbitrabatur ex necessitate adprobasse videretur, [9] præsertim cum in donatarij potestate fuisset vt eo inuito donationem validam redderet facta insinuatione, [10] nec recusare dominus potuisset, oblatam laudimiorum solutionem, [11] postquam placuit generali consuetudine iuri communi, quod hac parte de emphyteusibus constitutum fuerat derogatum esse. [12] *Sine die.*

1 Sic enim fert consuetudo apud nos obseruata, vt si homo talliabilis decedat sine liberis & condiuisoribus, omnia eius bona deuoluantur ad dominum, vt dixi *ad tit. de dedit. libert. tollend.*

2 Quod enim semel placuit displicere postea non potest, vt habet regula iuris pontificij, *l. in diem 9. §. 1. D de aqua & aqu. pluu. arcend. l. Pomponius 9. D. de negot. gest.*

3 Prius enim est vt donatio vel alia quælibet alienatio teneat & in se valeat, quam vt à domino directo possit vel debeat adprobari, *leg. vltim. vbi not. Cod de iur. emphyt.* Nam & inde est quod ex contractu nullo non solum non debentur laudimia, sed etiam soluta condicuntur, vt scripsimus *sub tit. de iur. emphyt.*

4 Quia ex iure nostro prouinciali non valet donatio inter viuos nisi ex die insinuationis extra donationes factas propter nuptias & in contractu matrimonij.

5 Quia ex titulo nullo & inualido non potest transferri dominium, *l. nullo 14. C. de rei vindic.*

6 Cum nemo possit contra suum factum venire ne quidem ex nouo iure si veniat ad suum commodum, *l. etsi is qui 10. D. de distract. pign. l. si non sortem 26. § filiusfamilias. D. de condict. indeb.*

7 Habet enim heres legitimus fundatam in dubio intentionem si nihil in contrarium proferatur, Not. *in l. vltim. Cod. de edict. diui Hadr. tollend.*

8 Quippe quod ignorabat sibi competere aut vnquam competiturum esse, cum fieri poterat vt nullum vnquam competeret, puta si quandoque postea viuo donatore insinuata donatio fuisset, *arg. l. mater 19. D. de inoffic. testam. l. Clodius 97. D. de acquir. hered.*

9 Nempe quia non potest dominus directus recusare quo minus laudet & adprobet contractum ab emphyteuta initum postquam placuit & emphyteuseos & feuda ipsa redacta esse ad instar bonorum patrimonialium & allodialium ex generali consuetudine de qua Ioann. Faber. *in §. adeo. Insti. de locat. & conduct.*

10 Omne siquidem tempus aptum est ad insinuandam donationem quandiu Donator viuit, nec reuocata est donatio, cum huic solemnitati nullum certum tempus à lege aut à iure nostro prouinciali fuerit præstitutum.

11 Quin saltem ei postea rem petenti denegari actio debere. *arg. l. si debitor. 30. D de solut.*

12 Vt nostri notant, *ad l. 1. & vlt. de iur. emphyt.*

TIT. XXXVIII.

DE REVOC. DONAT.

DEFINITIO I.

Fauore matrimonij facta donatio non potest ob donatarij ingratitudinem reuocari.

DOnatio facta fauore matrimonij, siue proprij, siue alieni, numquam ex sola ingratitudinis causa reuocatur; [1] non illa solum ratione quo causam onerosam habere intelligatur, id est matrimonij quod aliter contractum non fuisset, [2] sed etiam quia non solius donatarij fauor in eo versetur, sed & liberorum ex eo matrimonio susceptorum & suscipiendorum, quibus ex parentis culpa iniuriam fieri non oportet. [3] *Ita Senatus* in causa Ioannis Bouier & Petri Quimier Aduocati 10. Calend. Decemb. 1590. & rursum in causa D. de Messimieu & D. de Sarmoye 15. Cal. Aug. 1591.

1 Vt nec alia vlla donatio facta ob causam aliquam, quæ secuta sit. Iul. Clar. *in §. donatio, quæst. 21 num. 4.* Contra tamen sentit Rip. *ad l. fin. quæst. 5. C. donec hoc tit.* Vide *l. si dotem 24.* vbi Salicet *C. de iur. dot.*

2 *Argum. l. si donaturus 9. §. 1 de condict. caus. dat. l. Titia 62. de iur. dot. l. 4 § sed etsi mulier, l 5 §. penult. D. de doli mali except. l. Nesennius 41. de rei vind.*

3. *Argum. l. si quis suo 33. §. 1. C. de inoffic. testam.* Vide Guid. Pap. *quæst. 145.* vbi argumentatur ex comparatione dotis, quæ nullo casu potest diminui in præiudicium mariti, & ex æqualitate quæ esse debet inter dotem & donationem factam ob nuptias.

DEFINITIO II.

Donatio etiam fauore matrimonij non proprij sed alieni facta reuocatur ob superuenientiam liberorum.

AN ex causa superuenientium liberorum eiusmodi donatio reuocari possit, maior dubitatio est. [1] Et eam quidem, quam proprij matrimonij contemplatione vnus ex coniugibus in alium contulerit, quantumuis immensam dummodo non inofficiosam, [2] constat reuocari non posse, [3] quod certum sit de liberis fuisse cogitatum, cum spe prolis suscipiendæ potissimum matrimonia contrahantur. [4] Vnde illud etiam fit, vt si filia nubens accepta dote hereditati paternæ siue quærendæ siue iam quæsitæ renunciauerit, donationis quoque si voles nomine vsurpato, [5] siue id patrem ipsum siue in patris heredes liberalitatem contulerit, tum liberos susceperit, non ex eo solo infirmanda sit donatio. [6] Sed si fauore alieni matrimonij talis donatio facta proponatur, non eo minus reuocabitur quod matrimonio causam dederit. [7] Debuit enim donatarius, debuit etiam donatarij vxor præuidere futurum vt ipso iure reuocaretur, si quando liberos donatori agnasci contingeret. [8] Ne tamen mulier decipiatur, cui maritus ex ea donatione factus ditior plus dederit quam ex propriis bonis dare potuisset non aliter contracturæ, [9] æquissima sententia est ut quod ex mariti facultatibus præstare non poterit, de donatis suppleatur. [10] Ita partim decisum, partim tractatum est in eadem causa & rursum in causa D. de Sarmoyé contra D. De Meximieu 15. Calend. August. 1591.

1 *Propter l. si vnquam 8. C. hoc tit.* cuius sententia & potestas creditur esse generalis.

2 Nam si sit inofficiosa subiacet quærelæ de inofficiosis donationibus,

nationibus *ex l.1 & tot. tit* C.*de inoffic.donat.* iunct. *l.vnic.* C.*de inoffic.donat.l.si totus* 5 C.*de inoffic.donat.*

3 Quia non simplex donatio est,sed ἀντίδωρα, id est contraria seu reciprocandos, quæ non magis reuocari potest quam dos ipsa. *l.cum multa* 20 *Cod.de donat.ante nupt.& Nouell.*119. *Vt Consal.largit.* Guid.Pap.*quæst.*145.Boer.*decis.*159 *num* 10.

4 *L.1.vbi not.D.solut.matrim.l.hoc modo* 64.*in fin.de condit & demonst.*Clar.*in* § *donatio* 21.*num.*2.

5 Si tamen donatio hæc dicenda est potius quam futuræ portionis præoccupata perceptio, vt tractant nostri *ad l qui sub* 22 *Cod.de inoffic.test.* Tusc.*concl.*94.*de acquir.hered.& ad l.vlt.C.de pact.*

6 Constat enim non esse locum dispositioni *l si vnquam* quoties donator de propriis liberis cogitauit, & posse donatorem eius legis beneficio renunciare non solum expresse,sed etiam tacite Tiraquel. ad eam legem *in præfat.numer.*87 *& seq.* Ant.Gabriel *lib.3.commun.opin.de donat.conclus.*2 *num.*6. Rom. *consil.*26,*numer.*7. quicquid dicat idem Roman. sibi contrarius. *cons.*169 *in fin.* post Oldrad. *cons.*173. Vide Iul.Clar.*in* §.*donatio quæst.*22 Thesaur.*decis.*171.

7 Quia intelligitur esse simplex donatio potiu quam facta ob causam & verba illa *fauore matrimonij* causam impulsiuam continent magis quam finalem Odr.*cons.*5 Dec.*cons.*216.*num.*7.Cravett.*consil.*14 *num.*17.

8 *Arg l si quis domum* 9.§.1. in illis verbis, *quia hoc euenire posse prospicere debuit,D.l.cat.*

9 Similis ratio est *in l si cui* 9.§ *si res D.de iur.dot. l si pe. vlt D.de doli mali except.*

10 Magis enim potest imputari donatori cur marito vxorem ducenti donauerit, quam mulieri cur à marito cui nubebat acceperit.

DEFINITIO III.

Remuneratoria donatio non reuocatur per superuenientiam liberorum,quia nec proprie donatio est.

DE donatione ad ἀντίδωρα,quam vulgo remuneratoriam vocant, [1] eadem fere quæstio est, an ex causa ingratitudinis aut superuenientium liberorum reuocetur. In qua quæstione magis communiter probatum est non reuocari. [2] Etsi enim verisimile est non minus eum qui vltro remuneratur, quam qui sponte donat, donaturum non fuisse si aut ingratum donatarij animum, aut nascituros sibi liberos speraſſet, longe tamen aliud est beneficium dare,aliud reddere. [3] Neque donatio dici potest quæ vera remuneratio est, [4] nimirum quatenus accepti beneficij ratio remunerationis causam admittit, [5] probatis æstimatisque in eam rem præcedentibus meritis [6] ne alioqui remunerationis quæsitus color legi fraudem adferat. [7] Idemque multo magis obtinet, si reciproca donatio facta proponatur. [8] Qui enim alteri ex donatoribus adnascuntur liberi efficere non possunt, vt quod ad eum pertinet reuocetur donatio quam ex parte alterius, qui liberos non suscepit subsistere necesse est, cum neuter fuerit donaturus,si non vicissim sibi quoque donatum fuisset, [9] indeque fiat vt vtraque donatio vnius iure censeatur; rescindi vero donationem pro parte aut etiam in totum citra vtriusque donatoris consensum dici nullo modo potest. *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 De qua *in l Aquilius* 27.*D.de donat.l.sed etsi leg.*25.§.*consuluit.D.de petit.hered.*

2 Iul.Clar ex communi opinione *in* §.*donatio.quæ* 23 *num.*3 post Bald.*ad d.l.si vnquam* 2 *lectur.*Dec. *cons.*366 *numer.*10. Ias. *cons.*154 *num.*2.*in fin.lib.*2 Rip.*in d.l si vnquam.quæst* 14 Idem Clar.*quæst.*21 *num* 4. Nam donatio remuneratoria non est proprie donatio *ibid & quæst.*3.

3 *d.*§.*consuluit leg.*1.§ *elegantius D.depositi.* Reddendi etiam dandi habeat significationem,vt lex ait.

4 Iulius Clar.*in d.*§.*donatio quæst.*3 *ex d l.Aquilius* 27.*D.de donat.* Idque generale est in omni donatione ob causam. Idem Clar.*quæst* 21 *num* 4.

5 Nam in eo quod excedit merita donatio non censetur remuneratoria,sed simplex Idem Clarus *d q* 23.*nu* 3.

6 Sunt enim probanda merita, & quidem aliter quam per donatoriam assertionem, quoties actus suspectus est aut prohibitus,siue ratione personarum contrahentium siue aliter. Idem Clarus *dict. quæst* 3.*nu.*2.

7 Et ita facile fraus fieret legi quod non est ferendum,vt ait Clarus *d.qu.*3,*nu.*2.*in fin.* Addens *num.*3. requiri præterea quod ipsa merita æquiualeant donationi.

8 Donatio enim reciproca non est proprie donatio. Iulius Clar.*in d.*§.*donatio.quæst.*2.*nu.*2. vbi addit non egere illam insinuatione.

9 Ea namque interpretatio semper est facienda in actibus correspectiuis,*l.cum te* 6.*C.de pact.int.emot.& vend.*

10 Cum à lege donationi dicta neutri ex contrahentibus cedere liceat in uito altero,*l.*1.2 4.*& pass.C.hoc tit. l.vero pa. ratori.*12.§ *pen.D.de solut.*

DEFINITIO IV.

Fructus non restituuntur reuocata donatione per superuenientiam liberorum.

QVoties ex causa superuenientium liberorum donatio reuocatur, [1] fructus à donatore in id vsque tempus bona fide perceptos siue extent siue consumpti sint restitui non oportet. [2] Neque enim reuocatio hæc similis est cæteris, quæ sicut causam habent de præterito vt nostri loquuntur, ita ad præteritum tempus retrotrahuntur. [3] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Ex l si vnquam* 8.*C.hoc tit.*

2 Cum percepti sint non tantum bona fide sed etiam iure dominij quia donatio tamdiu tenet quamdiu non est reuocata *l.qui scit* 25.§.1.*l.Hermonius* 42.*D.de vsur.*

3 *L.si mortis causa* 40.*vbi not D.de mort.caus.donat.* Vide quæ scripsi *in Error.*5.*Decad* 46 *De error pragm.*

DEFINITIO V.

Donatio collata in filiam non reuocatur ipso iure per superuenientiam aliorum,sed per querelam inofficiosæ donationis vsque ad legitimam duntaxat.

FIliæ quem vnam habebat pater dotalibus tabulis malorum bonorum suorum partem donauerat. Aliis postea susceptis liberis non idcirco, vt quidam putant, reuocabitur ipso iure donatio, quasi quæ filiæ tanquam hæredi potius quam quasi filiæ facta videatur. [1] Necessaria enim erit fratribus querela inofficiosæ donationis, per quam reuocetur donatio,non in totum aut pro portionibus, quæ ab intestato ad eos pertinerent, sed hactenus duntaxat vt saltem habeant legitimam portionem [2] secundum eam sententiam quæ ab interpretibus nostris vulgo probata,à nobis alias nec inmerito confutata est, [3] vt hac parte discrepet querela inofficiosæ donationis à querela inofficiosi testamenti. [4] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *Arg.l.tale pactum* 40.§.*vlt.D.de tale pact.*

2 Quomodo reuocaretur si esset facta in extraneum secundum eam sententiam,quam probauimus *lib.*3. *Coniect. cap.*17.*ex ex l Titia Seio* 87.§ *Imperator.de legat.*2.

3 *Ex l.si totas* 5.*l si liquerat* 7 *& pass.C.de inoffic.donat.*

4 *d.c* 17 *lib* 3.*Coniect iur.ciuil.* vbi vide.

5 Nam per querelam inofficiosi testamenti omnimodo rescinditur testamentum vel in totum, vel pro ea saltem parte, quæ ab intestato contingeret, *l.mater decedens* 19. *& pass.D.de inoffic.testamen.* Et tamen eandem vtriusque querelæ rationem esse aperte scriptum est,*in leg.vltim.C.de inoffic.donat.* Vide Iul. Clar.*in* §.*donatio,quæst.*24.*& quæst* 22 *num.*3 *in fin.*

DEFINITIO VI.

Donatio, quæ non potest reuocari per liberos prioris matrimonij, de quibus fuerit cogitatum,multo minus reuocari potest per liberos qui ex alio posteriore matrimonio superuenerunt.

BIU Cujas

QVod diximus [1] non reuocari donationem ex superuenientia liberorum, quoties donator cogitauit de liberis, sunt qui non ita simpliciter & indistincte verum putent. Nam qui donat vxori, fieri quidem non potest vt non cogitet de liberis ex eo matrimonio nascituris, [2] sed tamen quia de iis cogitare non potest quos secundæ nuptiæ allaturæ sunt, si vxor præmoriatur, & ex alio matrimonio nascantur liberi, non dubitandum quin perinde reuocetur donatio, acsi de nullis vnquam liberis fuisset cogitatum. [3] An non enim prorsus inhumanum esset laborare illos perpetua egestate, nihilque ex paternis bonis posse consequi nisi quod vel inuito patre per querelam inofficiosæ donationis sint consecuturi? [4] Nec est, inquiunt, quod quis obiiciat, duriorem hac ratione fieri conditionem mulieris, cui maritus donauit, quam esse soleat mariti qui ab vxore dotem accepit. [5] Nam præter id quod etiam in dote nonnumquam mulieri subueniendum est, si forte circumscripta totum patrimonium vel vltra vires patrimonij in dotem dederit, [6] apertum est disparem esse dotis & donationis in vxorem collatæ rationem, in eo quod soluto matrimonio dos ad mulierem aut eius hæredes reuertitur. [7] Donatio à marito vxori facta non ita ad maritum eiusve successorem; vt proinde longe iustius sit subueniri marito aduersus donationem, quam mulieri aduersus dotem. [8] Sed tamen alio iure vtimur. Donatio enim, quæ per liberos à donatore postea ex eo matrimonio susceptos reuocata non est, [9] multo minus per eos qui ex alio matrimonio nascentur, reuocabilis videri potest; [10] nec habent liberi secundi thori quod conquerantur, si non deterior eorum conditio futura sit quam liberorum primi matrimonij, vt nimirum tam hi quam illi per querelam inofficiosæ donationis legitimam consequantur. [11] *Ita tractatum est* in causa D. Messimieu & de Sarmoyé 15. Cal. Aug. 1591.

1 *Defin. 2. §. hoc tit.*

2 Cum non contrahantur matrimonia nisi spe & voto suscipiendorum liberorum *leg. 1. D. solut. matrim. l. hoc modo 64. in fin. de condit. & demonstr.*

3 *Arg. l. cum vir vxori 25. l. 61. eod. tit.*

4 Non enim magnum beneficium videretur accepisse à patre filius, qui nihil haberet ex paternis, nisi quod vel inuitus pater ei dare cogebatur, *arg. l. si seruo 84. de hered. instit. l. vnum ex familia 67. §. 1. de legat. 2.*

5 Cum nihil ex dote possit afferri marito, *l. Titia 62. D. de iur. dot.*

6 *L. vnic. C. si aduers. dot. cum similib.*

7 *L. vnic. C. de rei vxor. act. & tot. tit. solut. matrim. D. & C.*

8 Quamuis alioqui soleat eadem esse ratio dotis, & donationis propter nuptias, *l. eum multa 20. C. de donat. ante nupt.*

9 Quia scilicet de iis fuit cogitatum, vt dixi *Defin. 2. §.* Iul. Clar. *in §. donatio quæst. 22. num. 2.*

10 Ne plus iuris habeant liberi ex posteriore matrimonio, qui sunt semper minus fauorabiles.

11 *Ex l. si totus 5 & l. si liqueat. 7. C. de inoffic. donat.*

DEFINITIO VII.

De liberis cogitasse ad impediendam donationis reuocationem is demum creditur, qui vxorem ducturus ei donauit, non etiam quisquis habet vxorem, ex qua liberos sperare possit.

NOn tamen de liberis cogitasse credendus est, quisquis donationis tempore vxorem habuit, ex qua liberos iustos & legitimos suscipere potuit, aut sperare; [1] siue altero post contractus nuptias die donatum sit, siue post continuatum sine liberis per multos annos matrimonium; sed is demum qui vxorem ducturus ad suscipiendos liberos ob hoc ipsum vxori donat vt eam ducat, ac proinde vt liberos suscipiat. [2] Alioqui dicendum esset, nullas donationes ex superuenientia liberorum reuocari, nisi quæ ab iis factæ essent, qui eo tempore vxorem aut nullam aut sterilem haberent; quod etsi à quibusdam traditum, [3] vulgo tamen improbatum est. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis eam opinionem videatur adprobare Paulus Castr. *ad l. 1. num. 4. C. hoc tit.* vbi ait non reuocari donationem ex *l. si vnquam*, si facta sit ab eo, qui liberos honeste sperare potuit, sed ita demum, si desperauit de liberis, puta quod vxorem haberet sterilem.

2 Signorol. *consil. 69. post num. 12.* Tiraq. qui dicit communem in præfat. *ad l. si vnquam, num. 71.* post Boer. *decis. 159. number. 9.*

3 Scilicet à Paulo Castrens. *in dict. leg. 1. Cod. hoc tit.* vt retuli *num. 1.*

4 Iulius Clar, qui dicit hoc fore valde absurdum *in §. donatio, quæst 22. num. 2. in fin.*

DEFINITIO VIII.

An donatio facta ab eo, qui iam tum alios habebat liberos; reuocetur per superuenientiam aliorum?

QVid autem si ab eo facta sit donatio, qui iam tum liberos habebat superstites, ac perinde ex aliorum postea natorum superuenientia reuocabitur? [1] Distinguere nostri solent, an donator filios iam donatos exosos habuerit necne, [2] aut, vt alij malunt, an plus eos dilexerit, quam donatarium an minus, [3] hoc est vtrum plus in donatarium contulerit, quam sibi retinuerit, an minus; [4] quasi ex eo sumenda sit coniectura, quid de nascituris donator cogitauerit, & an eis nocere voluerit, necne. [5] Sed hæc posterior distinctio tum demum admittenda est, cum cætera sunt paria, id est cum nascturorum liberorum eadem prorsus ratio est quæ iam natorum. [6] Prior vero ex contrario cum cætera sunt disparia, nec eadem ratio est prosequendorum odio liberorum postea susceptorum, quæ iam natorum. Quid enim si iam natos ideo pater exosos habebat quod vel ingrati essent, vel ex ea matre susceptí, quam constanti acerrimoque odio prosequebatur? [7] Si qui postea nati sunt æque ingrati aut ex eadem matre nati proponantur, nihil sane causæ est cur melioris conditionis esse debeant, sicut nec si ex alia vxore non minori odio digna. Igitur tota ea quæstio facti est, & in iudicantis arbitrio ac religione posita. [8] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Videtur enim dispositio *legis si vnquam 8. Cod. hoc tit.* ad hunc casum non pertinere, vt probant à contrario sensu verba illa, *filios non habens*: & ita concludit indistincte Iul. Clar. *in §. donatio, quæst. 22. num. 3. in princ.*

2 Ea est distinctio Pauli Castr. *ad l. 1. C. de inoffic. donat.*

3 Sic Francisc. Rip. *ad d. l. si vnquam.*

4 Nam qui donat inter viuos, mauult donatarium quam seipsum habere rem donatam *l. 1. D. de mort. caus. donat.*

5 Cum non sit credibile donatorem futuris liberis plus quam sibi fauere voluisse.

6 Vt non debeat pater eos magis diligere quam quos donationis tempore habebat iam superstites.

7 Etsi valde iniquum est materno odio filios prægrauari *l. si quis suo 33. §. 1. C. de inoffic. testam.*

8 Vbi enim eadem ratio siue amoris, siue odij est, idem quoque ius constitui æquum est, *vulg. l. illud 32. D. ad leg. Aquil. l. 3. §. vnde etiam, D. de iniust. rupt.*

9 Vt & alia quælibet quæstio voluntatis *l. voluntatis 7. Cod. de fideicomm. leg. 1. §. 1. D. ad SC. Turpill. l. ordine 15. D. ad municip.* Non est igitur perpetuo & indistincte vera Baldi sententia, quæ extat *in l. 1. col. 4. vers. sed quid si tempore, C. de inoff. donat.* vt nimirum donatio pro virilibus postea natorum portionibus reuocetur *arg. l. penult. D. de iur. codicill.* Illud certe notabile est, quod idem tradit Bald. extra casum *l. si vnquam*, donationem nunquam reuocari nisi ad debitum vsque bonorum subsidium. At ex potestate *dict. l. si vnquam*, reuocari semper pro superuenientis filij portione.

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Etiam rei singularis donatio reuocatur per liberorum superuenientiam, si credibile sit, donatorem non fuisse tanti pretij rem donaturum, si de liberis cogitasset.

EO casu quo ex superuenientia liberorum reuocatur donatio non requirimus, vt vel vniuersorum bonorum vel certæ partis donatio facta sit. [1] Nam & idem est si res singularis donata proponatur, dummodo sit eius æstimationis, vt verisimile videatur non fuisse patrem donaturum, si de liberis cogitasset. [2] Hoc ipsum vero an res donata magnæ aut exiguæ sit æstimationis iudicantis quoque arbitrio & religioni committitur, id æstimaturi ex reliqui patrimonij comparatione donantisque dignitate, & aliis personarum aut locorum circumstantiis. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quamuis cum donatio certæ partis bonorum facta est etiam infra dimidiam, res habeat minorem dubitationem. Iul. Clar. ex communi opinione *in §. donatio, quæst. 22, numer. 5.* vbi multos citat.

2 Iul. Clar. ibid. *vers. fortius etiam.* post Claudium nostrum de Seyssello Sabaudum nobilissimum & celeberrimum apud omnes Doctores iuris interpretem ad *l. ex facto 43. numer. 11. De vulg & pupill. substit.*

3 Clar. *d. num. 5 in fin.* vbi addit, quod hanc ob causam bonum esset habere iudicem fauorabilem, vt dici solet in omnibus quæstionibus arbitrariis.

DEFINITIO X.

Facta inter coniuges donatio constante iam matrimonio, quamuis reciproca fuerit, reuocatur ex superuenientia liberorum.

DOnatio inter virum & vxorem facta constante matrimonio valet quidem, si & iurata sit & insinuata; [1] sed tamen non eo minus reuocabitur ex liberorum superuenientia, quod & reciproca sit & de liberis cogitatum videatur; [2] licet aliud sit in ea donatione, quæ vel inter extraneos reciproca facta est. vel inter coniuges in ipso limine & contemplatione matrimonij. Reciprocam enim inter alios ea ratio tuetur, quod ex parte eius qui liberos suscepit, subsistat, quæ tamen cum mutuæ liberalitatis intuitu facta sit, sola subsistere non potest, [3] quod incommodum cessat in mutua coniugum liberalitate, vtpote quibus coniunctim liberi adnascuntur. [4] Eam vero quæ futuri matrimonij contemplatione celebrata sit, ideo reuocari negamus, quod certum sit de futuris liberis cogitasse illum, qui non nisi spe prolis suscipiendæ ad matrimonium accedere debuit. [5] Quæ ratio inter eos cessat, qui nullisdum susceptis ex iam contracto matrimonio liberis, sibi inuicem donant; quasi ea spe quam prius animo susceperant iam destituti; [6] nec aliud erit si donatio his verbis facta proponatur: *pour eux & leurs hoirs & successeurs à l'auenir quelcõques.* Nam præter id quod verba illa ex notariorum vulgari stilo magis quam ex præscripto contrahentium plerumque adiiciuntur, [7] illud etiam constat dictione ista Gallica *hoirs*, heredes potius quam liberos præsertim in contractibus significari. [8] Propter quam causam qui de liberis intelligi volunt adiicere solent, *procreés de leurs corps. Ita Senatus* ex tempore Non. Iul. 1592. in causa Prioris Monasterij de Talloire.

1 Nimirum propter auctoritatem iuramenti, quod potest seruari citra dispendium salutis æternæ, *capit. 2. de pact. in 6. cap. cum contingat, de iureiur.* Iul. Clar. *in §. donatio. quæst. 9. numer. 3. in fin.* Quod si non esset iurata tamen confirmaretur morte si modo esset insinuata, *l. donationes quas parentes 25. Cod. de donat. int. vir. & vxor.* Iul. Clar. *in eod. §. donatio quæst. 17. num. 3.*

2 Quamuis contra putet Corn. *cons. 94. vol. 3.*

3 Vt dixi *Defin. 3. supr.* Tiraq *in repet. l. si vnquam 8.* in verb. *donatione largitus.*

4 Vnde Papinianus fidem communium liberorum dixit *in l. vnum ex familia. 67. §. vlt. de leg. 2.*

5 Vt dixi *Defin. 2. supr. eod.*

6 Ponendum igitur est effluxisse iam aliquod tempus in matrimonio, vt de liberis propemodum desperare parentes debuerint. Simile aliquid est *in l. cum mater 28. de inoffic. testam.*

7 Ex ratione tamen posita *in l. si pactum. 9. D. de probat. l. pater 23. in fin. D. de pact. dotal.*

8 Nam in testamentis aliud est in quibus etiam *suorum* appellatio ad solos liberos restringitur, vt scripsi *in titul. De verb. signif. supr.* Vide *l. ex facto 17. §. vlt. D. ad SC Trebell.*

DEFINITIO XI.

Donatio non insinuata non censetur reuocata ex alienatione partis bonorum donatorum, nisi quod ad bona donata pertinet.

QVi bona sua tibi fere omnia donauerat inter viuos, partem eorum alienauerat [1] priusquam inuocata donatio videretur? Quamuis enim dici soleat non ideo reuocari donationem quod donator rem à se donatam alienauerit, quippe cum ex quo perfecta donatio est nullam alienandi habeat facultatem, [1] in specie tamen proposita valebat alienatio, non solum quod te consentiente facta proponeretur, [2] sed etiam quia necdum eo tempore valebat donatio propter defectum insinuationis. [3] Vt proinde non abs re comparanda videretur legato, [4] quod quoniam pro arbitrio legantis reuocari & adimi potest, [5] ita ex eo solo quod res legata alienata sit adeptum intelligitur. [6] Sed placuit non videri reuocatam nisi quod ad bona vendita pertineret; [7] quia & in legatis ea distinctio seruatur, vt si pars tantum rei legatæ alienata sit, reliqua debeatur, item vt si non adimendi legati sed suis necessitatibus subueniendi animo res legata vendita sit, non idcirco legatum adeptum videatur. [9] Quamuis in donatione inter virum & vxorem contra receptum sit, vt vel sola pignoris datione & multo magis venditione reuocata per pœnitentiam intelligatur; [10] nimirum, cum sit moribus improbata nulloque legis vinculo sustineatur quousque morte confirmata sit, [11] non tam eo modo reuocatur quam definit posse confirmari. [12] At donatio de qua loquimur non est ex earum numero quæ sunt improbatæ, tametsi ante insinuationem nondum perfecta videatur, prohibente scilicet iure nostro municipali potius, quam deficiente donatoris voluntate. [13] In donationibus autem validis nec improbatis difficilior & odiosior est reuocationis præsumptio, tum etiam cum reuocari possunt. [14] Nam si tam perfectæ sint vt reuocari nequeant, frustra de pœnitentia quæramus, [15] nec si inter virum & vxorem factæ fuerint, eo videlicet tempore quo fieri potuerunt, hoc est ante nuptias aut propter nuptias. [16] De quibus extat in hanc rem Nouella Iustiniani constitutio [17] per quam abrogatas esse veteres leges De donationibus inter virum & vxorem, [18] qui existimant, sane parum caute faciunt, non distinguentes validas donationes ab inualidis & improbatis, nec irreuocabiles à reuocabilibus. *Ita Senatus* in causa liberorum Ludouici Machet fiscalis in Gebennensium Ducatu procuratoris, 13. Calend. Decembr. 1592.

1 *l. possessionem. 3. C. hoc tit.*

2 Potest enim aliena quoque res donari si dominus consentiat, *l. si ego 9. §. si res. D. de iur. dot. l. si filius 14. Cod. de donat. l. 4. §. quæsitum. D. de doli mal. except.*

BIU Cujas

3 Sic enim stilo Senatus nostri cautum est, vt non valeat donatio inter viuos nisi ex die insinuationis.

4 Quamuis non sit bona comparatio legati & donationis inter viuos cum donatio tenuit ab initio, solæ siquidem mortis causa donationes æquiparari solent legatis, *leg. vltim. Cod. de mort. caus. donat. l. illud. 37. D. eod.*

5 *l. 4. D. de alim. leg. si mihi 12. §. vlt. de legat. 1.*

6 *l. rem legatam 18. de adim. legat.*

7 Vt scilicet limitata causa limitatum producat effectum *vulg. l. in agru 16. D. de acq. rer. domin.*

8 *l. si ex toto 8. de leg. 1.*

9 *dict. l. rem legatam l 3. C. de legat. §. si rem suam: Inst. eod.*

10 *l. cum hic status 32. §. si maritus. D. de donat. int. vir. & vxor. l. si marius 12. C. eod.*

11 *l. donationes quas parentes 25. Cod. de donat. int. vir. & vxor.*

12 Siquidem non potest reuocari quod nunquam valuit. *l. nam etsi 5. D. de iniust. rupt.* Sed tamen etiam donatio inter virum & vxorem plurium rerum facta non infirmatur ex quarundam alienatione nisi quantum ad alienatas, *d. l. cum hic status. §. qui quasdam res. D. de donat. int. vir. & vxor.*

13 Insinuatio enim donationis non pertinet ad actus substantiam, sed tamen est conditio sine qua non potest valere donatio.

14 *Arg. l. verbis 5. in fin. D. ad leg falcid.*

15 *l. pessionem 3. l. velle sæcne 6. & pass. C. hoc tit.*

16 *leg. 1. l. cum in te 6. l. si ante 8. & pass. Cod. de donat. ant. nupt.*

17 *Nouel. 61. vt immobil. ant. nupt. donat c. 1. §. 1.*

18 *d. l. cum hic status §. si maritus. D. de donat. int. vir. & vxor. l. si maritus 12. C. eod.*

DEFINITIO XII.

Ob non secutum implementum pacti in donatione appositi reuocatur ipso iure donatio, licet nihil de eo dictum sit in donatione.

EX causa non secuti implementi donatio ipso iure reuocata intelligitur, licet donationi non sit inserta clausula illa vulgaris, vt si conuentionibus satisfactum non esset, donatio resolueretur. [1] Quidni enim ob non obseruatas pactiones perinde ipso iure euertatur ac ex aliis ingratitudinis causa, [2] cum vel omnium maxime ingratitudo ea sit pacta non seruare? [3] Neque hac parte referet quicquam, licet alias multum interfit an modus fuerit adscriptus an conditio, [4] quandoquidem etiam modo non impleto, non tantum condictio datur donatori, licet dictum non sit vt eo casu resoluatur donatio, [5] sed etiam vindicatio ex Imperatorum constitutionibus, ac si numquam dominium à donatore abscessisset. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quam tamen addi & exprimi semper melius est, vt *in l. 2. C. de condict. ob caus. dat.*

2 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

3 Vt Baldus ait ad illum locum.

4 Licet enim multum interfit inter modum & conditionem, quantum ad suspensionem actus, nihil tamen interest quantum ad resolutionem, cum modus continet causam finalem dispositionis, vt diximus *Defin. 1. numer. 3. ad fin. supr. tit. prox. post gloss.* Bart. Bald. & Castr. *in l. 1. Cod. de donat. quæ sub modo.*

5 Gloss. Salic. & cæteri *ad d. l. 2 C. de condict. ob caus. dat.*

6 *l. 1. & 3. C. de donat. quæ sub mod.*

DEFINITIO XIII.

Nõ possunt hæredes donatoris habere donationem pro reuocata ob non secutum implementum, si donator eam culpam quocumque voluntatis indicio donatario remisisse probetur.

TItius, cum per transactionem centum quæ debebat Sempronio intra Cal. Ianuarias proximas soluere promisisset, eo ipso die transactionis initæ bona tibi sua fere omnia donauerat ea lege adiecta, vt tu Sempronio centum illa solueres, ac post mortem tuam pars bonorum donatorum ad Claudiam neptem ex donatoris filia perueniret. Cum non solueres, Titius consentiente te vendiderat prædia quædam ex iis, quæ & tibi donata fuerant & ad Claudiam te defuncto peruentura erant, redactumque ex venditione pretium tibi tradiderat vt tu ipse Sempronio solueres. Et cum non aliter emptorem inueniret quam si tu venditionis & euictionis nomine fideiuberes, fideiusseras, & ab eo indemnitatem stipulatus fueras. Mortuo postmodum Titio, aliis relictis heredibus, donationis controuersiam ab iis passus es, quasi ex causa non secuti implementi reuocata videretur. [1] Non enim Sempronio solueras, ob idque fuerat ille coactus vendere vt solueret, cum tamen vel ob hanc maxime causam videretur donasse tibi, ne soluere cogeretur. [2] Nec ad rem pertinebat, quod nullum tibi ad soluendum tempus præfinitum erat verbis donationis; neque vlla secuta fuerat interpellatio per quam in mora constituereris; [3] quasi sufficere ideo deberet quod petenti quandocunque creditori satisfacere paratus esset; [4] nam imo vero dies solutioni dicta fuerat per transactionem, cuius vim ignorare nec potueras nec debueras, cum ei debito exsoluendo te obstrinxisses. [5] Nec erat cur expectares interpellationem donatoris, [6] cuius ex contrario vel maxime intererat negligentem esse te, vt ipso iure donatio reuocata intelligeretur. [7] Neque rursus videbaris donationis legi satisfeciisse per æquipollens, [8] ob id solum quod passus esses donatas res vendi vt ex pretio creditori solueretur. [9] Ea namque venditio facta proponebatur priusquam insinuata esset donatio, ac proinde eo tempore, quo ne venderet non poteras prohibere. [10] Accedebat quod ea venditione factum fuerat, vt donantis voluntati amplius satisfieri non posset ex ea parte qua præceperat vt bona vendita ad neptem ex filia te mortuo peruenirent. [11] Non igitur videri poterat legi donationis à te satisfactum per æquipollens. *Placuit* tamen non idcirco reuocatam fuisse donationem, quod eas leges & conditiones, quas Titius liberalitati suæ dixerat, is ipse maiore erga te liberalitate remisisset, nemo enim dubitat quin conditio semel adscripta & remitti possit & adimi. [12] Itaque tametsi in mora fuisses quod Sempronio ad diem non soluisses, potuit tamen ea mora remitti consensu & voluntate donatoris. [13] Remissam porro constabat ex eo, quod redactum ex venditionibus pretium tibi ille tradiderat vt tu ipse solueres, [14] subindeque solutio à te facta probabatur. Et quamuis tu fideiubendo pro euictione rerum venditarum indemnitatem tibi à Titio donatore repromissam stipulatus esses, idipsum tamen non nisi voluntate donatoris qui spoponderat factum erat. [15] Proinde nec ipse si viueret, nec eius heres tibi poterat imputare cur fecisses quod ipse fieri voluisset. [16] Quamquam nec nouum est vt donator volens se obliget de euictione. [17] Minus vero tibi erat imputandum quod substitutio donationi adiecta fauore neptis euanuisset, venditis rebus in quibus facta erat substitutio. Quandoquidem id facto etiam donatoris acciderat, qui hac parte mutasse voluntatem videbatur. [18] Satisque tibi erat, ne donationis commodo indignus videri posses, quod per te non stetisset quo minus donantis voluntas impleretur, [19] quodque in vicem vsus fructus quem sibi donator in rebus venditis exceperat, passus esses, vt frueretur ille cæteris bonis omnibus, quorum longe amplior erat æstimatio. [20] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum sit iuris certissimi donationem etiam inter viuos reuocari ex causa non secuti implementi, tanquam sit ea quoque in-

BIU Cujas

quæ ingratitudo, & quidem maxima, vt dixi *Defin. prox. præced. ex l. vlt.* vbi Bald. *C. hoc tit.*

2 Vt apparebat ex modo adiecto donationi, qui continebat causam finalem dispositionis *l. vlt. Cod. de pact. inst. empt. & vendit. l. si donatorius 9. §. 1. D. de condict. caus. dat.*

3 Quæ videbatur necessaria ad te in mora constituendum *l. mora 32. D. de vsur.*

4 Nam quod sine die debetur sicut peti statim, ita quandiu petitum non est, solui quandocunque potest.

5 *Ex not. in l. qui cum alio 19. De reg. iur.*

6 Qui enim tam certus est, non debet magis certiorari, vt est in regula iuris pontificij & *in l. 1. §. vlt. D. de act. empt.*

7 *Ex d. l. vlt. C hoc tit.*

8 Quod sufficere creditur *l. vlt. in fin.* vbi gloss. *D. mandat. l. mulier 22. ad S C. Trebell.*

9 Nam qui patitur rem suam vendi ad soluendum, ipse videtur soluere de suo.

10 Cum ex stylo Senatus nostri nullius momenti sit donatio ante insinuationem. Nullum enim effectum potest habere denunciatio, quæ fit à non habente potestatem *l. tutor. 47. in princip. D. de minor. l. 2. C. debit. vendit. pignor. impet. non poss.*

11 *l. quoties ab omnibus, 11. vbi not. C. de fideic.*

12 *l. si quis seruum 53. D. de condic. & demonstr. l. si quis ita 3. §. conditio. D. de adim. legat.*

13 *Arg. l. de lege 6 § vlt. & seq. D de leg. commiss. l. 2. C. de iur. domin. impetr. l. mora 32. in fine principij. D. de vsur.*

14 Quid enim causæ esse poterat, cur tu ipse deberes soluere, nisi vt conditionem donationis impleres?

15 Nec enim stipulatio contrahitur inter inuitos aut ignorantes *l. 1. & pass. De verb. obl.*

16 Cum dici soleat, quod perpetuo verum est non fieri iniuriam volenti vt habet regula iuris pontificij, *l. in diem 9. §. 1. de aqu. pluu. arc.*

17 *l. 2. C. de cuict. iunct. l. 1. C. de iur. dot.*

18 *l. rem legatam 18. De adim. legat. l. si. ex toto 8. de leg. 1.* Dixi *Defin. 11. supr.*

19 *l. in omnibus causis 39. de reg. iur. l. si fundum per fideicommissum 92. § si Titio alias l. si Titio de leg. 1. l. Lucius 88. §. quisquis de leg. 2. l. pater 38 §. fideicommisit de leg. 3. l. vter, 23. D. de cond. insit. l. 1. C. de legat.*

20 Inde enim factum erat vt donatoris nihil prorsus interesset.

DEFINITIO XIV.

Fauorabilior est reuocatio, quæ fit ex causa non secuti implementi, quam quæ ex causa ingratitudinis, ideoque datur heredi etiamsi donator numquam fuerit conquestus.

QVod traditum est, non esse permittendum hæredi vt inquietet donationes, quas is qui donauerat quandiu vixit non retractauit,[1] ad eas reuocandæ donationis causas pertinet, quę ex donatarij ingratitudine proficiscuntur.[2] Nam si ea causa non secuti implementi reuocetur donatio quod fit ipso iure, vtique licet hæredi non tam reuocare, quam reuocationem iam ipso iure factam objicere.[3] Etsi enim ea quoque & omnium maxima ingratitudo est pacta non seruare,[4] habet tamen hæc reuocationis causa nescio quid magis reale, quam transmissionis jus inducit in hæredes quoscumque donatoris.[5] Neque sane ratio vlla est, propter quam denegari ius hoc debeat hæredi, cui nec qui contrariam sententiam tuentur denegant condictionem ob causam dati causa non secuta.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. 1. l. his solis 7. l. vlt. C. hoc tit.*

2 Ne scilicet possit hæres donatoris ingratum dicere donatarium, quem donator ipse non dixit. [Vide Sen. *lib. 1. de bon. cap. 1.*]

3 Ita Bald. Salic. & cæteri communiter ad *d. l. vlt.* quamuis contra putet Rip. *ad d. l. fin. num. 208. 9. 63.*

4 Vt dixi *Defin. 12. num. 3. sup.* ex Bald. *in d. l. vlt.*

5 Quia reuocationis causa non tam ex persona donatarij proficiscitur, quam ex re ipsa, id est, ex pactis donationi insertis. Vult tamen Rip. *dict. quæst. 63. num. 209.* hoc ita procedere si hæres donatoris agat non condictione *ex d. l. fin.* sed ex capite causæ non secutæ. Atque ita restringit communem sententiam aliorum. Vide Salic. in dict. *l. fin. versic. quæro an in omnibus.* Et hanc quoque distinctionem Senatus noster secutus est.

6 Idem Rip. loco supradicto. Condictio enim sine causa transit ad hæredem illius, qui potuit condicere, sicut & cæteræ omnes condictiones, *l. 2. cum ancillam 6. C. de cond. ob caus.*

DEFINITIO XV.

Reuocata donatione ex l. vltim. C. hoc tit, non ideo fructus restituuntur.

AN vero reuocata donatione siue ex causa non secuti implementi, siue ex qua alia ingratitudinis ratione, fructus à donatario eiusve hærede perceptos restitui oporteat, quæstionis est. Nam cum ex huiusmodi causis euertantur donationes, vt lex ait,[1] quid ni restituantur fructus omnes quasi nullo iure percepti?[2] Idem enim obtinet in donationibus quoque causa mortis quoties reuocantur,[3] itemque in condictionibus omnibus.[4] Contraria tamen sententia & verior & humanior est, quia non sine titulo possedisse videri potest qui ex donatione possedit.[5] Cum ex causa non secuti implementi aut alterius ingratitudinis siue ipso iure euerti dicas dationem, siue proposita in eam rem actione, donatoris voluntatem semper declarari necesse sit, aut hæredis,[6] eo scilicet casu quo in hæredem jus hoc transmitti diximus proxime.[7] Itaque est quod sibi donator imputet eiusve hæres cur non citius egerit.[8] Proinde non nisi à die litis contestatæ fructus restituendi sunt cum donatio ab initio valuit.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. vlt. C. hoc tit.*

2 Solent enim fructus tanquam accessiones omnimodo sequi causam dominij. *lege ex diuerso 35. §. 1. D. de rei. vind.* quia nec nisi iure dominij acquiruntur, *lege qui stit. 25. §. 1. D. de vsur.*

3 *L. cum quis 12. D. de condict. ob caus. dat.*

4 *L. qui se debere 7. in fin eod. l. indebiti 15. in princ. l. in summa 65. §. ei qui de cond. indeb. lege videamus 38. §. 1. & 2. de vsur.*

5 Nam bonæ fidei possessor tantundem iuris habet ad fructus interim acquirendos quantum si esset vere dominus, *l. bonæ fidei 48 de acqu. rer. dom.* hic autem non tantum bonæ fidei possessor fuit ante donationis reuocationem, sed etiam vere dominus.

6 Quid enim si donator aut eius hæres iure suo vti nolit?

7 *Defin. prox. præced.* Nam quod cuique pro eo præstatur inuito non tribuitur, *l. inuitus, 156. § vlt. de reg. iur.*

8 *Arg. l. cum postulasset. 44. De damn. infect.*

9 Boer. *decis. 98. num. 6.*

DEFINITIO XVI.

Substitutus in bonis alij donatis habet actionem de precio contra donatarium, si quid ex iis bonis donator vendiderit, vt solueret quod donatarius soluere debuerat.

ALienatis per donatorem bonis, in quibus alius erat à donatore ipso substitutus, si precium in donatarij solius vtilitatem conuersum sit, puta si ex eo satisfactum sit creditoribus, quibus ex lege donationi dicta satisfacere donatarius debuerat,[1] dubitari potest an substituto ius sit pretium illud justamve bonorum donatorum æstimationem à donatario repetendi. Quæstio in eo est, an per huiusmodi alienationem videatur donator à priori voluntate quam erga substitutum habuerat recessisse?[2] Fingimus enim tractari eum casum quo voluntatem mutare donator potuerit aut propter nondum secutam substituti acceptationem,[3] aut ob defectum insinuationis,[4] verius autem est substitutum à donatario indemnem præstari oportere, cum solius donatarij lucro venditio cessit.[5] In proposita vero specie apparebat

BIU Cujas

ex personarum qualitate, cæterisque facti circumstantiis, non minus à donatore dilectum substitutum quã donatarium, imo naturali ratione & iure sanguinis chariorem esse debuisse. [6] Proinde nec aliud dicendum erit, tametsi substitutus venditioni adfuerit, & consenserit, quia sufficit donantis voluntatem durare post alienationem, vt non videatur donatarius donationis commodo se priuasse. [7] Plane non quanti bona fuerunt donationis tempore aut nunc sunt, sed quantum ex eorum pretio ab ipso donatore redactum est substituto præstare donatarius debebit. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt in specie *Defin.13. supr. eod.*

2 Potuisse enim donatorem hoc ius remittere certum est, vt dixi *Defin.13. num.12. supr.* Et *Defin.2. supr. tit. prox. præced.*

3 Siquidem secuta substituti acceptatione aliud dicendum esset. Tessaur. *decis.70. Not. ad l.3. C. de donat. quæ sub mod.*

4 Secundum ea quæ Diximus *Defin.11. num.3. supr. eod.*

5 Quasi non videatur res donata ablata donatario, in cuius patrimonio pretium remansit, *arg. l. sed quod inde 71. & seq. de leg.2.*

6 Nam quo quis sanguine coniunctior est eo dilectior præsumitur. *l. peto 69. §. fratre. de leg.2. l. heredes mei 57. §. vlt. ad SCTrebell. Not. in l. vlt. C. de verb. signif.*

7 Text. est elegans *in l. fundum per fideicommissum 92. de legat.2.*

8 Cum non possit videri retentus animus donandi, nisi quatenus redactum est ex precio rei venditæ. Id enim quod excedit vtique alienatum fuit, & consequenter pro ea parte reuocata est donatio, *l. cum hic status 32. § si maritus D. de donat. int. vir. & vxor. l. si maritus 12. C. eod.*

DEFINITIO XVII.

Non est dandum auxilium restitutionis donatori ad rescindendam donationem ex causa ingratitudinis, cum sufficiat auxilium iuris communis.

FRustra implorat restitutionem in integrum aduersus donationem is, qui non nisi de donatarij ingratitudine conqueritur, cum paratam ex ea causa habeat actionem ordinariam, & condictionem ex Iustiniani constitutione, [1] quasi reuocata ipso iure donatione, siue conditiones donationi insertas adimplere donatarius noluerit, [2] siue egenti donatori alimenta præstare. [3] Neque enim concedendum est auxilium extraordinarium vbi sufficit ordinarium. [4] Idemque erit tametsi donatio iurata proponatur. Perinde enim reuocatur illa ex causa ingratitudinis, acsi non esset iurata, siquidem iusiurandum eadem leges & conditiones recipit quas contractus ipse, cui adhibetur. [5] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 8. Id. Martij, 1593.

1 *Ex l. vlt. C. hoc tit.*

2 Id est ob non secutum implementum, quæ species est ingratitudinis & quidem maxima, vt dixi *Defin.12. num.3. supr.* ex Bald. *ad d. l. vlt.*

3 Necare enim videtur, qui alimenta denegat, *l. necare 4. D. de agnosc. & alend. lib. l. sunt qui 16. & seqq. l. ne ex liberalitate 22. de re iudic.*

4 *l. in causa 16. D. de minor.*

5 *l. vlt. vbi not. C. de non numer. pecun.*

DEFINITIO XVIII.

Dominus iurisdictionis potest ad nutum reuocare officia quæ dedit, nisi dederit ex causa remuneratoria, vel alia onerosa.

QVi ex causa donationis iudicandi officium à domino iurisdictionis inferioris nactus est, [1] reuocari potest ad nutum domini, licet non sit adiecta clausula, quam huiusmodi concessionibus hodie domini inserere solent tollendæ dubitationis gratia, *quandiu nobis placuerit.* [2] Non idem est si ex causa onerosa ea concessio facta sit; prius enim est vt indemnitas præstetur illi, cui eo nomine aliquid abest. [3] Porro causam onerosam habere is quoque videtur, cui animo remunerandi officij quid concessum est. [4] Eadem distinctio adhibenda est si quæratur non de judice, sed de graphario alióve officiali per jurisdictionis dominum constituto. [5] *Ita Senatus* in causa procuratorum Durant, & Dauid, & Dominorum de Cornillion. 4. Id. Maij. 1593.

1 Aliud enim est in eo qui à Principe iudex aut alius magistratus constitutus est. Hic enim non nisi ex causa remoueri potest, propterea quod ea remotio infamiam irrogaret. Boer. *quæst. 149. n. 11. 19. 23. & seqq.*

2 Quæ clausula facit vt non nisi precario concessa iudicandi potestas videatur, *l. 1. & pass. D. de precar.*

3 Nunquam enim ferendum est, vt sit in potestate vnius deteriorem facere alterius conditionem, *l. non debet 74. de reg. iur.*

4 Videtur enim quis habere iure cuiusdam permutationis id quod habet ex causa remunerationis. *lege sed etsi 25. §. consuluit. D. de petit. hared. l. qua liberti 8. lege Aquilius 27. D. de damn.*

5 Eadem enim omnium ratio est, ergo idem ius hac parte in omnibus statuendum est, *vulg. l. illud 32. D. ad leg. Aquil. l. 3. §. vnde etiam, D. de iniust. rupt.*

DEFINITIO XIX.

Donatio in absentem collata quamuis iurata reuocari potest quandiu non fuit acceptata per donatarium.

VAlet quidem donatio absenti facta notario stipulante, sed ita tamen vt quandiu stipulationem donatarius ratam non habuit reuocari donatio possit, licet iurata, [1] neque ex ea causa necesse sit absolutionem impetrari. [2] Sane mortuo ante acceptationem donatario verius est in ejus hæredem transire jus accepetandi quandiu donatio non est reuocata. [3] *Ita tractatum est* in publico auditorio in causa N. Reydet. 13. Cal. Ianuar. 1594.

1 Quamuis contra videatur concludere Tessaur. *decis. 70.* vbi totam hanc quæstionem late examinat & complures Doctores citat in vtramque partem.

2 Quasi tacitam conditionem habeat notarij stipulatio, si absens donatarius ratam eam habere volet. Nam & conditio tacita suspendit actum perinde ac expressa, *l. interdum 73. D. de verb. oblig.* Dec. *cons.2.*

3 Transit enim ius acceptandi in omnes eos in quos & ipsa donatio transire posset, ponimus autem donatum alicui fuisse pro eo & eius hæredibus, vt fieri solet, [Iunge *Defin. vltim. infr.*]

DEFINITIO XX.

Donatio quælibet reuocabilis etiam facta mortis causa, non censetur reuocata verbis testamenti generalibus, maxime si facta fuerat per contractum, nisi contrariæ sint coniecturæ.

QVod quis rem suam donando alitérve alienando stipulatus est absenti tertio dari, adimere & reuocare potest, quandiu tertius ille eiúsve hæres non agnouit liberalitatem. [1] Nam etsi stipulator ante acceptationem decessisset, nec liberalitatem reuocasset, non valeret illa in vim donationis, sed in vim nudi & simplicis relicti tanquam in vltima voluntate, [2] cuius proprium est vt reuocari quandocunque possit. [3] Sed an hoc solo reuocata voluntas videbitur, quod idem ille stipulator, cum testamento suprema ordinaret, dixerat generaliter alias se omnes præcedentes voluntates mortisque causa donationes irritas facere? Minime; quia voluntas illa etsi erat reuocabilis tamen in contractu inter viuos fuerat declarata,

Proinde.

BIU Cujas

Proinde speciali reuocatione indigebat. [4] Certum enim est generalem illam clausulam reuocatoriam, quam in omnium testamentis adhiberi notarij solent, ad contractus inter viuos nullo modo pertinere. [5] At ne quidem ad mortis causa donationes, quas ideo specialiter reuocari necesse est, quod licet legatis & fideicommissis comparentur, [6] tamen accedunt proxime ad contractus inter viuos. [7] Sed hoc si ita non ex aliis testamenti partibus appareat recessisse stipulatorem à priori voluntate, puta si eam ipsam rem quam tertio illi absenti stipulatus fuerat, aut hæredibus aut alij nominatim reliquerit. [8] *Nominatim* inquam, quia non sufficeret generalis illa clausula, qua exprimere testatores solent, ea se omnia hæredibus suis relinquere quæ aliis non reliquerunt. [9] Nam neque hæc clausula pertinere ad ea potest, quæ iam in contractu inter viuos aliis data sint, licet reuocabiliter. Ea namque multo magis excepta videri debent. [10] Nec rursus probabilis reuocatæ voluntatis coniectura ex eo capietur, quod illi ipsi in quem collata prior liberalitas fuerat aliquid præterea testamento relictum sit. Non enim compensandi animo relictum videri debet, aut ex pœnitentia prioris voluntatis, quod nouæ liberalitatis speciem habet, [11] nisi appareat posteriorem liberalitatem idcirco factam esse vt in prioris locum substitueretur: [12] quod ipsum aliquando non male per coniecturas probabitur. Finge maritum contrahentem inter viuos stipulatum, vt pensio quæ sibi viuo deberetur post mortem suam vxori tum absenti præstaretur. Testamento autem postea condito eiusdem quantitatis & conditionis pensionem eidem vxori reliquisse, nulla tamen prioris facta mentione, voluntatis quidem erit quæstio. [13] Sed tamen non improbabiliter dici poterit in dubio substitutam videri secundam pensionem in prioris locum, ne duplici pensionis præstatione hæredem oneratum videatur. [14] *Ita tractatum est* in causa N. Cibelle, & Benedicti Vorsier in publico auditprio, 3. Non. Mart. 1594.

1 Secundum ea quæ scripsimus *Defin. proxim. præced. & Defin. 1. supr. de donat. quæ sub mod.*

2 Vnde est quod ex hac causa competit actio de fideicommisso, *l. 1. Cod. de mort. caus. donat.* etsi loquitur lex illa de pacto apposito in donatione causa mortis, non de pacto apposito in donatione inter viuos; de qua *in lege 1. & 3. Cod. de donat. quæ sub mod.* Ratio tamen huius Definitionis quantum ad hoc, illa est, quod donatio inter viuos non potest conferri in absentem aut ignorantem vt ei statim acquiratur, nisi ea mente res alicui tradita sit absentis nomine, *lege absente 10. D. de donation.*

3 *L. 4. D. adim. legat. l. cum hic status 32. §. pœnitentiam*, D. *de donat. int. vir. & vxor.*

4 *Arg. l. sequens quæstio 67. de legat. 2.*

5 Cum in eo sit plane diuersa ratio contractuum inter viuos, & vltimarum voluntatum, quod contractus omnes inter viuos sunt irreuocabiles *l. sicut 5. C. de oblig. & action.*

6 *L. Marcellus 15. l. illud 37. D. de mort. caus. donat. l. vltim. Cod. eod.*

7 *§. 1. Instit. de donat.*

8 Præsumitur enim quisque rem suam potius quam alienam legare voluisse, *l. cum alienam 10. C. de legat.*

9 Cum nec legatum aliud sit nisi delibatio hæreditatis, qua ex eo quod alioqui vniuersum hæredis foret aliquid collatum alij testator velit, *l. legatum est delibatio 116. de leg. 1.*

10 Cum sint extra causam bonorum defuncti, *d. l. sequens. quæst. 68. de leg. 2.*

11 *Arg. l. creditorem 85. de leg. 2. l. cum pater, 77. §. Titio fratri eod. tit.*

12 Quo casu alterutro contentum esse oportet, *l. Imperator. 70. §. vlt. & l. seq. eod. tit. de legat. 2.*

13 Vt in cæteris fere omnibus quæ ad testamenta pertinent, *l. ille aut ille 25. § 1. l. non aliter, 69. de leg. 3. l. Labeo 7. de suppell. leg.*

14 Quod numquam est probabile, *l. Titia cum testamento, 94. §. quis mutua. de leg. 2.*

DEFINITIO XXI.

Donatarius defunctus ante donatorem non transmittit donationem ad hæredem suum, nisi donatum sit etiam hæredi, sed recurrit ad donatorem donatio.

MOrtuo ante donatorem eo cui donatum fuerat inter viuos, nulla hæredum eius facta mentione redit ad donatorem donatio, [1] licet eam legem ab initio & ex compacto non habuerit. [2] Neque enim si fauore & intuitu personæ tuæ donatum aliquid volui, consequens est vt hæredi quoque tuo voluerim donatum, [3] æquumque est ex donantis voluntate fieri interpretationem, cum ab eo proficiscatur liberalitas, nec aliud quicquam ex parte donatarij interueniat, nisi quod agnoscit & suscipit liberalitatem. [4] Itaque non potest hic locum habere quod dici solet, cum de aliis contractibus agitur, videri vnumquemque cum contrahit non sibi soli prospicere, sed etiam hæredibus suis. [5] Non enim contrahit adeoque nec sibi prospicit is cui donatur, sed tantum alterius voluntati acquieuit, [6] faceretque potius ea ratio pro donatore si donando sibi aliquid excepisset, vt quamuis hæredum nullo modo meminisset, idipsum tamen iis non minus, quam sibi ipsi excepisse intelligeretur, [7] nisi quid esset tam personale vt non facile ad hæredes transmitti posset. [8] *Ita Senatus* iampridem pro Domina Foyssiaz, contra D. Ioannem Perraton Aduocatum generalem. [Postea tamen aliter iudicatum est me Præside. Cumque Senatusconsultum, quod alij referebant, vidissem, apparuit non ita Senatum pronunciasse vt donatio simpliciter facta ad hæredes donatarij non transiret; sed vt ex imperfecto & inutili testamento donatarij donatio, quæ valuerat, recurreret ad donatorem, præsertim cùm donatarius fidei suæ commissum ab vxore dixisset, vt donationem initam faceret.]

1 Nam licet qui donat inter viuos malit donatarium habere quam seipsum, mauult tamen se habere quam hæredem donatarij *arg. l. 1. D. de donat. caus. mort.* Nec enim donatio fit nisi ob bene merita quæ futuri hæredis nulla esse possunt, cum futurus hæres sit semper incertus, *l. sciendum 70. de verb. signif. l. qui liberis 8 § 1. de vulgar. & pupill. substit.*

2 Dum ne qua conuentio fiat in contrarium, quid enim si alicui donatum sit, & eius hæredibus? vt hodie passim concipi donationes solent. [Videtur tamen non esse hodie necessaria hæc adiectio post Iustiniani constitutionem in *l. si quis argentum 35. in fin. C. de donat.*]

3 Quod enim fit contemplatione certæ personæ non potest nec debet eam egredi. Textus est elegans & ad rem nostram accommodatus, *in l. cum precario 12. §. 1 & l. interdictum 14. D. de precar. l. filiofamilias 42. de condit. & demonstr. l. si seruus 21. & seqq. D. de vsufr.* [*l. 4. penult. D. rustic. prædi. l. Mela 14. in fin. de alimentis legat. l. pater 6. de seruit. leg.*]

4 Non enim quid donatarius acquirere, sed quid donator dare voluerit inspiciendum est, ne alioqui actio operetur contra vel vltra intentionem agentis, quod esse non potest, *l. non omnis 19. D. de reb. credit.*

5 *Ex l. si actum 9. D. de probat. l. tale pactum 40. §. 1. D. de pact.*

6 *d. l. interdictum 14. D. de precar.*

7 Quia plerumque id agitur vt eadem sit causa hæredis quæ fuit defuncti, *d. l. si pactum.*

8 Quæ enim sunt personalia non possunt transmitti ad hæredes; *l. quia tale 14. D. solut. matrim. l. ex pluribus 42. D. de administr. tutor.* [Et aliis supra citatis *numer. 3.* * Mihi tamen, vt dicam quod sentio, valde suspecta est hæc definitio, qui video contra expressum constitutum à Iustiniano *in l. si quis argentum 35. in fin. Cod. de donat.* vbi dicitur donationem etiam nudo pacto factam transire in hæredem quoque donatarij. Adde Bald. *consil. 262. volum. 1.* quem refert & sequitur Crauett. *consil. 102. numer. 3.* * Quid enim si dominium transtulatum sit per traditionem factam ex causa donationis? Qui fieri poterit vt dominium quod defuncti fuit, non transeat in eius hæredem aut ab eo discedat; Item vt stipulatio facta

BIU Cujas

donandi animo finiatur morte ſtipulatoris? Et ſanè ſpeciale eſt in donationibus quæ fiunt inter virum & vxorem conſtante matrimonio, vt quia ab initio non valent nec confirmentur morte donatoris prædefuncto donatario, *l.cum hic ſtatus 32.& paſſ. D.de donat.int.vir.& vxor.* Item in donationibus propter nuptias, vt præmortua vxore redeant ad donantem, etiamſi ſuperſint liberi ex eo matrimonio, ſiue ab ipſo marito facta ſit donatio, ſiue ab alio pro eo *l ſi quis liberis C.de donat.ant.nupt.* Quod intellige licet donatio pure & irreuocabiliter facta dicatur, dummodo propter nuptias. Aliud enim eſt irreuocari donationem, aliud verò ex ſua natura reuerti & recurrere ad donantem. Nec qualitates & conditiones quæ naturaliter ex lege inſunt vnquam excluſæ intelliguntur *lege vlt. C.hoc tit Ita Senatus* mè Præſide, pro Claudio Capris, 8. Cal. Febr. 1612.]

TIT. XXXIX.

DE MORT. CAVS. DONAT.

DEFINITIO I.

Donatio mortis cauſa non eo minus eſt reuocabilis quod ſit iurata, niſi iurauerit donator de ea non reuocanda: quo caſu cenſetur facta inter viuos.

MORTIS cauſa donatio non eo minus reuocabilis eſt ad nutum donantis; quod ſit iurata,[1] ſi modo ſimpliciter juſiurandum interuenerit.[2] Iuſiurandum enim in quocumque contractu ſimpliciter adhibitum eaſdem quas contractus ipſe recipit conditiones.[3] Sed ſi donator dixerit velle ſe vt perpetuo & irreuocabiliter valeat donatio, & idipſum jureiurando confirmauerit, faciet juriſiurandi auctoritas vt inter viuos potius quam mortis cauſa donatum videatur;[4] quando fieri eo caſu nequeat vt citra periurium donatio reuocetur.[5] Nam etſi juſiurandum nullum eſſet, reuocari tamen quandoque non poſſet, obſtante nimirum pacto, quod à ſubſtantia donationis cauſa mortis prorſus alienum ad donationem inter viuos neceſſario aptandum eſſet.[6] *Ita tractatum eſt* in publico auditorio. 13. Calend. Decemb. 1588.

1 Quamdiu enim eſt donatio cauſa mortis, neceſſe eſt vt reuineat naturam vltimæ voluntatis, ac proinde vt ſit reuocabilis, *l.vbi ita donatur 27.& paſſ.D.hoc tit.* iunct. *l.illud 37.eod.l.vlt.C. eod l 4 D.de adim.legat. l.cum hic ſtatus 37.* § *pœnitentiam D.de donat int.vir.& vxor.*

2 Siue loquaris de iuramento aſſertorio, ſiue de promiſſorio, quale eſt, quod regulariter adhiberi ſolet.

3 *Vul.l.vltim.Cod.de non numer pecun.l.vltim.D.qui ſatisd. cogant.*

4 Paul.Caſtrenſ.*conſ.61.& 75.vol.2.* Iaſ.*in l.non omnis 19.D. de rebus credit.* Dec.*in l fin.C.de pact.* Iaſ.*in l.qua dotis, num.33.D. ſolu.matrim* Guill. Bened. *in repet.cap. Raynutius*, in verb. *teſtamentum 4 num 24 & ſeqq.Extr.de teſtam.*

5 Cum poſſit tale juramentum ſeruari contra diſpendium ſalutis æternæ *cap quamuis pactum, 2.de pact.in 6.cap.cum contingat & cap debitores Extr.de iureiur.*

6 *Ex d.l.vbi ita donatur, 27.D.hoc tit.* vbi eſt textus elegans & apertus.

DEFINITIO II.

Donatio cauſa mortis non valet ſi facta ſit coram pauciori-bus quam quinque teſtibus, licet tempore peſtis.

QVod receptum eſt, vt teſtamentum peſtis tempore conditum coram quinque dumtaxat teſtibus valeat, ſi plurium haberi copia non potuit,[1] facere non debet vt minore teſtium numero contenta eſſe poſſit donatio quæ eo tempore mortis cauſa facta ſit,[2] quamuis regulariter plures teſtes requirantur in teſtamento quam in donatione.[3] Perpetuum enim eſt, vt non paucioribus quam quinque teſtibus vltimam voluntatem probari oporteat, quæcumque tandem illa ſit.[4] Eoque jure cenſeri donationem cauſa mortis,[5] licet in aliis pleriſque contractus inſtar habere dicatur.[6] *Ita Senatus* in ea cauſa, de qua SC. 5. 6. & 7. ſupr. de teſtam.

1 Boer.late *quæſt.128.* Rip. *in tract de priuileg. vltim. volunt. cauſ poſt num.11. DD ad l.caſus 8 C.de teſtam.*

2 Ita Didac.Couarr. *in rubric. de teſtam part 3. num.11. in fi.* vbi reprehendit Ripam qui aliter exiſtimauit.

3 Qua ratione mouebatur Ripa vt contra exiſtimaret.

4 *L.vlt.C.de codicil.l.vlt. C.hoc tit.*

5 Ego tamen hoc ita intelligo, ſi donatio cauſa mortis non ſit inſinuata, de quo vide quæ ſcripſi pluribus *in Error.1. Decad. 44.de error Pragmat.*

§.*1.Inſt.de donat.*

DEFINITIO III.

Etiamſi mortis mentio facta ſit in donatione, tamen in dubio præſumenda eſt donatio inter viuos maxime ſi actum ſit vt donatio ſit irreuocabilis.

NOn ex eo ſolo, quod mortis mentio in donatione facta ſit[1] & adhibiti fuerint quinque teſtes,[2] mortis cauſa donatio facta videri debet, nec ſi donatarius præſens fuiſſe,[3] ac donationis effectus poſt donatoris mortem collatus proponatur,[4] ſed ita demum ſi iuſta interpretatione fieri non poſſit vt valeat iure ſimplicis & meræ donationis. In dubio enim ſi nihil obſtet credendum eſt inter viuos potius quam mortis cauſa donatum.[5] Maxime vero ſi id actum probetur, vt vel inſinuaretur donatio,[6] vel nullo caſu euocaretur,[7] quod poſtremum nullo modo conuenit mortis cauſa donationibus. *Ita Senatus* in ea cauſa de qua SC. 6. ſupr. de inoff. donat.

1 Poteſt enim fieri mentio mortis in donatione, vt appareat magis mortem eſſe cauſam donandi, quam mortis cauſa donationem, vt eleganter ſcriptum eſt *in l.vbi ita donatur.27. D.hoc tit.*

2 Nam nec quicquam vetat in donatione inter viuos adhiberi quinque teſtes, licet non ſit neceſſe, cum ea quæ abundant, non ſoleant vitiare, *l.non ſolent 92.de reg.iur.*

3 Quomodo creditur debere donatarium eſſe præſentem in donatione cauſa mortis, non etiam in donatione inter viuos, *ex l.inter mortis 38. D. hoc tit.* Iul.Clar. *in* § *donatio. quæſt.1.* poſt Bart. & alios ab eo citatos. Vide quæ ſcripſi *in Error.3. Decad. 44.de error Pragmat.* [Nota autem in dubio præſumi præſentiam donatarij pro validitate actus, Boer.*quæſt.353.* nec requiri acceptationem expreſſam, ſed ſufficere præſentiam cum taciturnitate, adeoque ſecundum quoſdam ſolam ſcientiam. Teſſaur.*deciſ.79 num 12.& 13.* Certe acceptatio & ſtipulatio notarij ſufficit etiam pro abſente ad acquirendum jus abſenti. Guid. Pap.*quæſt.212.* Et quidem irreuocabiliter ſi adſit cum notario acceptatio patris aut alterius coniunctæ perſonæ. Teſſaur.*d.deciſ. 70 num 14.*

4 Etſi enim hoc frequentius conuenit donationibus cauſa mortis, tamen conuenit etiam donationibus inter viuos poſt *l. vnic. C.vt actio.ab hared.& contr.hared.*

5 Adeoque etiamſi donatio à moriente facta ſit dummodo facta ſit abſolute, *l.Seia 42.§. vlt.D.hoc tit.d. l. vbi ita donatur 27.eod.*

6 Cum neceſſitas inſinuationis nulla ſit ex ſtylo Senatus noſtri, niſi in donationibus inter viuos, etſi nihil vetat etiam donationem cauſa mortis inſinuari, *l.donatio 25. C.de donat.l. vlt.C.hoc tit.*

7 *d.l.vbi ita donatur cum ibi notat.*

DEFINITIO IV.

Augmentum monetale in donationibus cauſa mortis æſtimatur ex tempore non mortis ſed donationis.

In æſtiman-

BIU Cujas

IN æstimando monetæ augmento cum de donationibus causa mortis agitur, non mortis tempus inspicimus, licet non prius perfectæ videantur, quam donator decesserit, [1] sed tempus donationis. [2] Nam siue mortis causa donationes contractibus compares siue vltimis voluntatibus, [3] constat & in contractibus inspici tempus contractæ obligationis, [4] & in legatis puris tempus testamenti. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. non videtur 32. D. hoc tit.*

2 Quia quandocumque perfecta donatio retrotrahitur ad id tempus quo facta est, *l. si mortis 40. eod. tit.* De cuius tamen sententia vide quæ scripsi, *in Error. 5. Decad. 46. de error. Pragmat.*

3 Habent enim aliquid simile & contractibus & vltimis voluntatibus, *§. 1. Instit. de donat. l. vlt. C. hoc tit.*

4 *L. Rutilia Polla 69. D. de contr. empt. & ibi not. & in l. cum quid 3 D. de rebus credit. & in l. Paulus 99. alias l. creditorem, D. de solut.*

5 *L. si ita 8. D. de aur. & argent. legat.* Dixi *Definit. 15 supr. de solut.*

DEFINITIO. V.

Inter plures mortis causa donatarios nullum temporis priuilegium est, quia omnium ius eodem instanti mortis confirmatur.

NEc tamen consequens est, vt si diuersis temporibus plures donationes factæ proponantur, & soluendo non sit hereditas priores tempore donatarij posterioribus præferantur. Omnes enim simul admittendi sunt, & ad contributionem vocandi per æs & libram, [1] quia ius omnium vno eodemque instanti perficitur ratumque constituitur, id est, quo tempore donator moritur, [2] In eoque donatio mortis causa legato rectius quam contractui comparatur. [3] Non est contrarium quod secuta morte donationes causa mortis ad id tempus reducantur quo sunt interpositæ. [4] Neque enim id eo pertinet, vt temporis priuilegium aliquod esse debeat inter eos, quibus mortis causa donatum sit diuersis temporibus, sed vt ex tempore factæ donationis fructus rei donatæ pertineant ad donatarium. Itaque retrotrahuntur, quod ad fructus dumtaxat qui interim percepti sunt attinet, non etiam quod ad dominium [5] nisi cum sic factæ sunt vt dominium transiret statim [6] in accipientem. Argumento est quod mortis causa donationes quantumlibet morte confirmatæ perinde per æs alienum atque legata minuuntur. [7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod Pragmatici Galli dicunt, *à sold. & à liure*, quomodo etiam admitti solent creditores chirographarij qui nullum habent priuilegium. *Nor. in l. vlt. Cod de sur. de lib. in l. vlt. C. qui bon. ceder. poss. & in l. maiorem 8. D. de pact.*

2 *L. non videtur 32. D hoc tit.*

3 Quamuis in eo distet à legato, quod legatum requirit additionem hæreditatis, *l. si nemo 9 D. de testam. tutel.* Donatio non item, etiamsi mortis causa facta sit, si nostris credimus, quos refert & sequitur Iul. Clar. *in §. donatio, quæst 5 num 2.* De quo tamen vide quæ scripsi in *Error. 4. & 5. Decad. 45. de error. Pragmat.*

4 *L. si mortis 40. D. hoc tit.*

5 Accurs. Bar. & alij communiter *ad l. 2. C. de inoff. donat. & ad l. donationes quas parent. 25. C. de don. int. vir. & vxor.*

6 Nam & sic potest fieri mortis causa donatio, *l. 2. si mortis 29. D. hoc tit.* vide quæ scripsi *in error. 5. Decad. 46. de error. Pragmat.*

7 *L. circa legem Falcidiam 66. §. 1. D. ad leg. Falcid.*

DEFINITIO VI.

Contra donationes causa mortis immodicas non datur querela inofficiosæ donationis, sed deducitur ex iis Falcidia, si modo legitimæ detractio nulla interueniat.

IN illo etiam mortis causa donationes legatis rectius quam contractibus comparantur, quod si pluribus mortis causa donationibus exhaustum sit donantis patrimonium, non idcirco querela competit quasi aduersus inofficiosas donationes, cum liceat hæredi filio Falcidiam ex iis, perinde ac ex legatis ipsis deducere. Plane si legitimam portionem iam detraxerit filius, etiam qui hæres fuit cum beneficio legis & inuentarij, non erit illi permittendum vt & ex mortis causa donationibus, si puræ fuerunt, Falcidiam quoque detrahat. Nam quod inueterato nostrorum errore inductum est, vt filius possit duas quartas detrahere, non aliter obtinet, quam si aut legatis, aut fideicommissis, aut donationibus causa mortis sub conditione grauatus sit, non item si pure. [2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. si mortis 5. C. ad leg. Falcid* iunct. *l. pen. eod. l. 2. in fin. Cod. hoc tit. l. Seia 41. § vltim.* iunct. *l. vbi ita donatur 27. D. eod. l. cum pater 77. §. mater filiis, de leg. 2.*

2 Sic enim nostri tractant *ad l. quamquam, C. ad leg. Falcid. & ad l. filium quem, C. famil. ercisc.* Canonist. *ad cap. Raynutius, & c. Raynaldus, Extr. de testam.* vide quæ scripsi *in Error. 7. Decad. 11. de error. Pragmat.*

DEFINITIO VII.

Donationes causa mortis non confirmantur per legem in præiudicium legitimæ liberorum, sed tantum quatenus salua legitima confirmari possunt.

ILlud sane constat, sicut in deducenda Falcidia potior est hæredis quam donatarij causa, quia nihil in donatione esse videatur, sicut nec in legato, nisi quod Falcidia deducta supereſt, [1] ita si legitimam detrahere filius malit, præferri eum debere donatariis causa mortis. [2] Dicat aliquis, prius nasci ratumque fieri ius donationis causa mortis, quam petendæ legitimæ, siue donationis cœptæ tempus spectes, [3] siue perfectæ & absolutæ. Perficitur enim quo instanti definit posse reuocari, hoc est, quo instanti donator moritur, [4] legitima autem non nisi mortuo patrefamilias deberi incipit: [5] atqui prius est, vt quis moriatur, quam vt sit mortuus, neque enim mortuus homo moritur sed viuus. [6] Sed respondendum est, imo vero potiorem legitimæ causam esse, quam donationum causa mortis, ob idque non esse necessarium auxilium querelæ inofficiosæ donationis aduersus mortis causa donationes. [7] Quia cum donationes huiusmodi confirmentur morte per legem, [8] quæ ipsa liberis legitimam relinqui vult, [9] apparet fieri non posse vt potestate legis confirmentur morte donationes, quæ hoc ipso fierent inofficiosæ, [10] fraudemque facerent legitimæ portioni. [11] Sic enim eueniret, vt se ipsam lex destituere videretur. [12] Ergo eatenus morte confirmabuntur per legem donationes causa mortis quatenus confirmari poterunt salua legitima liberorum. [13] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. 1. & tot. tit. D. ad leg. Falcid.*

2 Quasi in legitima sit quodammodo creditor patris. Sic enim vulgo nostri putant legitimam esse velut æris alieni loco, *arg. l. si adrogator 22. D. de adopt. l. si Papinianus 8. §. si quis impubes, de inoff. testam.* quod tamen non probo.

3 Incipit enim viuo donatore, *l. 1. & pass. D. hoc tit.*

4 *L. non videtur 32. eod. tit.*

5 Cum nihil aliud sit quam portio portionis, quæ ab intestato contigisset, *l. cum quæritur 6. l. quæ nuper 31. C. de inoff. test. l. 1. §. si impubere, D. de collat. bonor.*

6 *L. vltim. D. de condit. instit. l. qui duos 18. §. 1. D. de manum. testam.*

7 Vt ex eo constat, quod omnes leges quæ sunt *sub tit. C. de inoff. donat.* non nisi de donationibus inter viuos loquuntur.

8 Vnde est quod dicuntur capi ad instar legatorum, *l. 2.*

BIU Cujas

D. de public. in rem act. l. Marcellus 15, *l. illud* 37. *D. hoc. tit. l. vlt. Cod. eod.*

9 Nam & ideo legitima dicitur, quod debeatur ex lege. Vnde & debitum legibus subsidium appellatur, *l. quoniam* 31. C. *de inoff. testam. l. si rotus* 5 C. *de in ff. donat.* licet dicatur etiam debitum naturale, *in l. penul. § vlt. C. de inoff. testam.* ob rationem positam *in l. vlt. D. de bon. damnat.*

10 Nam inofficiosas donationes lex improbat, data in eam rem querela, quæ inofficiosę donationis appellatur. De qua in *l. vlt. & tot. tit. C. de inoff. donat.*

11 Cum sint inuentæ donationes inofficiosæ in fraudem portionis legitimæ & querelæ inofficiosi testamenti, vt scripsi pluribus *lib. 3. Coniect. cap. 17.*

12 Quod esset absurdum. Nunquam enim lex secũ pugnat.

13 Vt non minuatur legitima per donationes causa mortis, sicut nec per legata, *l. Papinianus* 8. § *quarta autem, D. de inoffic. testament.*

DEFINITIO VIII.

Ex omnibus mortis causa donationibus, etiam quæ extra testamentum vel codicillos factæ sint, deducitur Falcidia.

SVnt qui putent, ex iis dumtaxat mortis causa donationibus Falcidiam deduci, quæ in testamento vel codicillis factæ sint. [1] Sed receptius est deduci generaliter ex omnibus, [2] eamque distinctionem in iis potius donationibus vsurpandam, quæ inter coniuges factæ sint, vt alibi scripsimus. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Didac. Couar. *in rubr. de testam. part. 3. num. 20. ex l. in donationibus* 12. C. *ad leg. Falcid.* iunct. *donationes quas parentes* 25. C. *de donat. inter vir. & vxor.* quæ tamen loquuntur de donationibus inter virum & vxorem non mortis causa factis, sed inter viuos, nec adeo inutiliter quin ad id tempus retrotrahantur quo factæ sunt, siue solo silentio, siue speciali voluntate confirmentur, dummodo non excedant quingentos aureos, aut dummodo insinuatæ sint si excedant.

2 *Ex l. si mortis causa* 5. *& l. pen.* C. *ad leg. Falcid. l. 2 C. hoc tit. l. cum pater* 77. §. *mater filiis, de legat. 2. l. vbi ita donatur* 17. *l. Seia* 42. §. *vlt. D. hoc tit.*

3 *Defin. 1.* §. *ad leg. Falcid.* vbi vide, & quæ scripsi *in error.* 5. *Dec. ad.* 46. *de error. Pragmat.*

TIT. XL.

DE INSINVAND. DONAT.

DEFINITIO I.

Defectus insinuationis vitiat donationem etiam conditionalem, quæ ab intio insinuari debuit, licet euenientis conditionis tempore desierit necessaria esse insinuatio.

IN matrimonij tabulis eo tempore conscriptis quo Galliarum Rex Christianiss. Henricus II. Sabaudiam tenebat, mutua inter coniuges donatio facta proponebatur in eius vtilitatem, qui ex ipsis supereßet: [1] nec secuta fuerat insinuatio, tametsi ex constitutionibus Regiis quibus tum regebamur, [2] ita ius esset, vt omnes omnino inter viuos donationes etiam quæ in dotali instrumẽto factę essent insinuari deberent, alioqui pro nullis & non factis haberentur. [3] Matrimonium per multos annos steterat, & in id vsque tempus, quo feliciter recuperata per Diuum Emanuelem Philibertum republica [4] nouum ius hac parte inductum fuerat, remissaque insinuationis necessitas iis donationibus, quæ & in contractu matrimonij fierent, & fauore nuptiarum. [5] Placuit non eo minus defectu insinuationis inutilem fuisse donationem, quod euenientę conditione insinuatio necessaria non esset, quoniam in contractibus, siue de obligationis, siue de solemnium iure quæreretur, contractus tempus inspici deberet non existentis conditionis. [6] *Ita Senatus* 7. Cal. Iul. 1588.

1 Ac proinde in casum & sub conditione superuitæ, vt loquuntur, quas donationes de superuita vulgo vocant, de quibus scripsi *Defin. 1.* §. *de donat.*

2 Extat namque in hanc rem constitutio eiusdem Henrici II. Anno. 1553.

3 Intellige tametsi non excederent summam quingentorum aureorum, vt scilicet constitutio Regia adderet aliquid ad ius commune.

4 Quod accidit anno 1559.

5 Ita enim stylo Senatus nostri expressim cautum est *Tit. de insin donat.*

6 *L. si filius familias* 76. *D. de verbor. oblig.* Quod enim ab initio non valuit, solo tractu temporis & euentu conditionis non conualescit, *l. quod ab initio* 29. *de reg. iur.*

DEFINITIO II.

Insinuationis solemnitas etiam non necessaria, tamen omnimodo implenda est, si præscripta sit à contrahentibus, alioqui ex eo defectu vitiatur donatio.

EO quidem iure vtimur, vt donationem inter viuos, quæ in doralibus tabulis fauore nuptiarum facta est, quantæcumque summæ sit, insinuari nil sit necesse, [1] non solum quod fauorabilior esset publicæque vtilitatis adnexam causam habere videatur, [2] sed etiam, quia vix vlla falsitatis aut fraudis suspicio in hanc donationis speciem cadere possit. [3] Nec enim solent clam fieri dotales tabulæ, vt nec ipsum quoque matrimonium. [4] Sed tamen si inter coniuges conuenerit, vt eiusmodi donatio insinuaretur, constitutis in eam rem procuratoribus non addita vulgari clausula, *quatenus opus sit*, [5] magis est vt insinuationis defectu nulla sit, præsertim vero si quingentos excedat aureos. [6] An quia, vt quidam putabant, facile vnaquæque res ad pristinam redeat naturam, [7] ea vero huiusmodi quoque donationum conditio antea fuisset ex constitutionibus Regiis, [8] vt insinuari deberent? Minime. Constat enim non eam esse donationum naturam, vt insinuationem requirant, si posteriorum Imperatorum nouasque tollas constitutiones. [9] At potius quia quam contrahentes solemnitatem licet ex abundanti intenruenire voluerunt, eam remitti numquam oporteat, [10] nec quamdiu aliquid agendum supereßt quicquam actum videatur. [11] *Ita Senatus* eodem placito. Et rursus in alia causa tractata inter Dominos de Messimieu, & de Sarmoye, 15. Calend. Aug. 1591.

1 Quoniam stylo Senatus nostri sic expressim cautum est, vt dixi *Defin. praced. num. 5.*

2 Propter adnexum fauorem matrimonij quasi solis nuptiis homines facere valentibus, *Auth. res quæ, C. communia de legat.* & in corpore vnde sumitur, *l. 1. D. solut. matrim. l. hoc modo* 64. *in fin. de cond. & demonstr.*

3. Quæ vna est ex rationibus, ob quas inducta fuit necessitas insinuationis, vt tractat Guid. Pap. *de if.* 325.

4 *L. vlt. D. de rit. nupt.* Malum enim est, quod occultatur, vt dicebat Tertyllianus.

5 Hæc enim clausula faceret, vt ex abundanti videretur potius tractatum de insinuanda donatione, quam ea mente, vt noua donationi solemnitas adiiceretur. Nec solent quæ abundant vitiare, *vulg. l. non solent* 92. *de reg. iur.* * Idem est si conuerit de insinuanda donatione ad maiorem validitatem.

6 Quo casu ex sola iuris ratione requiritur insinuatio, *l. si quis argentum* 35 C. *de donat.*

7 *L. si vnus* 27 §. *pactus ne peteret. in fin. D. de pact.*

8 Quarum meminimus *Defin. praced. num.* 2.

9 Id enim primum constitutum est à Constantino *in l. donasio*

BIU Cujas

natio 25. Cod. de donat. & in l. data 27. & dict. l. si quis argentum 35. eod.

10 Cum hanc legem ab initio habuerit donatio, arg. l. vero procuratori 12. §. penult. D. de solut.

11 L. pen. in fi. C. de his quæ vi indign. videntur enim contrahentes voluisse liberum habere tempus omne quod præcederet insinuationem, vt possent ex pœnitentia mutare voluntatem.

DEFINITIO III.

Gratuita liberatio etiam non insinuata valet saltem in vim pacti de non petendo, nisi facta sit per speciem donationis.

GRatuita liberatio sicut quædam donationis species est, ita non aliter valere plerisque visa est, quam si sit insinuata, [1] postquam eo jure vtimur, vt donationes omnes insinuari oporteat, iis solis exceptis, quæ in tabulis dotalibus fauore matrimonij facta proponuntur. [2] Sed magis est, vt fauor liberationis contrarium jus suadeat, [3] vt valeat saltem in vim pacti de non petendo, quod constat vtile esse ad producendam exceptionem, [4] tametsi insinuatio nulla interuenerit. [5] Idque minorem habet dubitationem, si ponas liberationem non omnino gratuitam fuisse, sed mutuæ alicuius præstationis aut remissionis intuitu factam: quæ res proxime accedit ad naturam contractus innominati. [6] In quo contractuum genere, tametsi donationis causam permixtam habeant, nemo dixerit necessariam esse insinuationem. [7] Nam & cum quid remittitur non tam per speciem donationis, quam per modum, vt nostri loquuntur, nouationis aut transactionis constat insinuationem nullam requiri. [8] Aliud igitur erit, si hoc ipsum in liberatione expressum sit, quod fiat in vim donationis. [9] *Ita Senatus* in ea causa de qua C. 5. de non numer. pecun. *Ita tractatum est* in ea causa, de qua sub tit. de rescind. vendit. SC. 8.

1 Hancque communem opinionem nostrorum esse testatur Iulius Clarus, qui multos citat *in* §. *donatio quæst* 16. *num* 2 3 & 4. siue per pactum gratuitum, siue simpliciter facta sit liberatio, siue per pactum de non petendo, dummodo debitum sit liquidum, siue denique facta sit cessio ex causa donationis. Imo etsi in debitum scienter solutum sit, quæ etiam species est donationis, *l. cuius per errorem* 53. *de reg. iur.*

2 Vt dixi *Desin* 2. *supr. eod.*

3 Quia promiores debemus esse ad liberandum, *l. Arrianus* 41. D. *de oblig. & action.*

4 *L. & hæredi* 21 §. *vlt. & seq. l. si vnus* 27 §. *pactus ne peteret*, D. *de pact.*

5 Quamuis contra sentiat Iul. Clar. qui dicit communem, *d. quæst* 16. *num* 3.

6 *L. naturalis* 5. § 1. D. *de præscr. verb.*

7 Vt neque si donatio sit reciproca, & vt loquuntur, vicissitudinaria vel facta ob causam. Iul. Clar. *eod. quæst.* 16. *num.* 5. & 6. vbi dicit communem.

8 Gloss. sing *in l. qui ab obligatione.* vbi Bologn. *de regul. iur.* post alios ibi scribentes.

9 Vt hoc demum casu procedat communis opinio contraria, quam supra ex Iulio Claro retulimus. Et sane Iulius Clarus cum requirit insinuationem pacti de non petendo, exigit vt debitum sit liquidum non minus, quam vt excedat summam quingentorum solidorum, *ead. quæst.* 16. *num* 3. Vide Tiraq. *ad l. si vnquam, in verb. donatione, num* 130. 176. & *seqq.*

DEFINITIO IV.

Remissio vsurarum ex quacumque causa, etiam loco fructuum debitarum non eget insinuatione, vt nec pœnarum.

VSurarum siue præteriti temporis siue futuri, donatio non eget insinuatione, non ob id solum quod sit liberatoria (quamquam ratio illa vna sufficeret, [1]) sed etiam propter odium vsurarum, [2] siue ex conuentione debitæ sint, [3] siue officio iudicis ob moram in soluendo factam: [4] nam & idem est, si pœna commissa liberaliter remittatur. [5] Nec aliud est si vsuræ debitæ fuerint loco fructuum potius, quam in pœnam, [6] vt in iis contingit, quas ipsum quoque ius Pontificium exigi permittit ex causa dotis non solutæ marito, qui per multos forte annos matrimonij onera sustulerit. [8] Etsi enim sunt fauorabiles non odiosæ, sicut & ea, quas venditori solui oportet, cum in soluendo pretio moram contraxit emptor, qui rei venditæ fructus interea percepit: [9] Earum tamen remissio semper fauorabilis est, ob idque vel ex solis coniecturis, tacitaque voluntate facile inducitur, vtputa ex eo solo, quod per longum tempus petitæ non fuerint à creditore id agente, vt debitori suo gratior esset. [10] Denique non tam donatio ista est, quam lucri omissio, licet fors ipsa ex causa onerosa debeatur. [11] Eademque fructuum ratio est, vt præteritorum quoque & iam debitorum remissio valeat etiam sine causa, & nulla secuta insinuatione. [12] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Andr. Tiraq. *ad l. si vnquam, in verb. donatione largitus, num.* 202.

2 Secundum ea quæ scripsimus *D. sin prox. præc. l.*

3 Vt Castrens. & alij tractant *ad l. Modestinus* 76. *D. de solut.*

4 *L.* 3. *C. de vsur. l. Titius* 24. *D. de præscript. verb.*

5 *Vt in l. cum quidam* 17. § *si pupillo.* D. *de vsur. l. Titia Scie* 87. §. *vsuras de legat.* 2. Textus est *in d. l. Modestinus* iunct. *l. si adibus, vers.* 2. D. *de donat.* licet enim *d. l. Modestinus* loquatur de vsuris futuri temporis, tamen in præteritis quoque locum habet, vt ibi firmat Castr. licet glos. loquatur dubitanter. Facit *d. l. cum quidam* §. *Diuus Pius, l. qui semisses, cod. tit. de vsur. l. vir. vsuras* 54 *de donat. int. vir. & vxor.*

6 Idem Tiraq *in d. verb. donatione largitus, num.* 178.

7 Vt illæ de quibus *in l. curabit* 5. *C. de act empt.*

8 *Cap salubriter. Extr. de vsur.*

9 Vnde est quod debentur etiam citra moram, aut potius quasi mora contracta re ipsa & citra interpellationem, *d. l. curabit l. liberalitatis* 16. D. 1. D. *de vsur. l. Iulianus* 13 § *veniunt autem*, D. *de action. empt.*

10 Textus est elegans, *in d. l. cum quidam* 17. §. *Diuus Pius*, D. *de vsur.* iunct. *l. Proculus* 26. D. *de probat.*

11 Tiraquell. *vbi supr. numer.* 76. post Bald. *ad l.* 1. *Cod. si rect. prou.*

12 Eadem enim fere in omnibus ratio est fructuum & vsurarum, *l. vsuræ* 34. *D. de vsur.*

DEFINITIO V.

Etiam iurata donatio moribus nostris debet insinuari, alioqui nulla est.

INsinuandæ donationis solemnitas, quæ per adhibitam jurisiurandi religionem iure communi remittitur, [1] jure nostro quod Gallicarum constitutionum exemplo inductum fuit non eo minus necessaria est, quod donatio sit jurata, licet ad quingentos vsque aureos non ascendat. Nam nec expressa partium voluntate remitti hæc solemnitas potest, [2] ne priuatorum pactionibus juri publico derogari videatur. [4] *Ita Senatus* in causa Dominorum de Messimieu & de Sarmoye, 15. Calend. August. 1591.

1 Iul. Clar. *in* § *donatio. qu.* 18.

2 Rebuff. *ad const. de insin. donat.*

3 *Lius publicum* 38. D. *de pact.*

4 *Cap si diligenti.* vbi Abb. *de for. compet. cap. tuis*, vbi Felin. *de testibus l. ius publicum de pact.* Idem Felin. *in cap. cum delicta, ampl.* 5. *de rescr.* Boer. *quæst.* 1. *numer.* 48. Adde *l. vltim. D. de suis & legit.* Vulgo tamen creditum est posse renunciari solemnitati insinuationis, si modo ea renunciatio sit iurata. Iul. Clar. *in d. §. donatio, quæst.* 18. *numer.* 2. post Corn *cons.* 69 *in lit. O. numero* 2.

BIU Cujas

DEFINITIO VI.

Donatio insinuata præter formam mandati, præsertim mutato rerum statu, perinde nulla est, ac si nullo modo facta fuisset insinuatio.

DOnatione per socerum genero rite facta, constitutisque hinc inde, vt fieri solet, procuratoribus ad faciendam insinuationem, donator consentiente donatario partem bonorum donatorum alienauerat, vt creditori satisfaceret, cui donatarius ex lege donationi dicta satisfacere debuerat. Nec eo minus tamen procuratores, post trigesimum mensem insinuauerant donationem, cum hac exceptione, *præterquam quod ad bona vendita pertineret.* Quærebatur, an valeret insinuatio? Nouo enim mandato opus fuisse videbatur, quasi finito priore per emersionem, vt nostri loquuntur, nouæ causæ. [1] Cum dubitari saltem posset, an intermedio tempore, secutis præsertim venditionibus, voluntatem donator mutasset. Nam vt mandatum finitum videatur, sufficit mandatarium iustam habere causam timēdi, ne contra vel præter mandatoris voluntatem mandatum exequatur:[2] & in omni mandato clausula illa subintelligitur, si res in eodem statu permanserit.[3] Accedebat, quod neque iuxta mandatum insinuatio facta fuerat.[4] Nam cum procuratores in id constituti essent, vt totius donationis insinuationem curarent, exceperant bona vendita, vt diximus. Ex qua exceptione apparebat, sciuisse illos mutatum rei statum per intermedias alienationes.[5] Proinde tanto magis imputari iis poterat, cur nouum mandatum non expectassent. [6] Maxime cum earum rerum, quæ venditæ fuerant, vsumfructum sibi in donando excepisset[7] easque ipsas res post donatarij generi mortem ad neptem ex filia peruenire voluisset: [9] Neque enim verisimile erat aliter consensurum fuisse donatorem insinuationi, quam si aliquid sibi daretur in vicem excepti vsusfructus, quem alienando amiserat, [9] & neptis indemnitati consuleretur. [10] Non enim dici poterat pœnituisse donatorem collatæ in neptem liberalitatis, cum eam ipsam hæredem postea instituisset, [11] prohibito etiam patri vsufructu. [12] Eratque probabilius donationem in generum à socero collatam fuisse contemplatione filiæ & liberorum ex ea susceptorum, quam eo animo vt per donatarij personam bona illa ad extraneos, id est, ex alio matrimonio susceptos liberos peruenirent. Nam licet onus fideicommissi ratione partis bonorum donatario iniunctum coniecturam præbeat, quod donator liberum de reliquis disponendi arbitrium donatario relictum voluerit, [13] credibile tamen est, cogitasse eum, futurum vt in iis etiam bonis præferret liberos ex ea susceptos, cuius contemplatione donationem meruisse se intelligeret. [14] Denique non potuerat insinuatio fieri sub exceptione, quæ nec verbis, nec sententia mandati continebatur: quandoquidem eo tempore de venditionibus postea secutis non cogitabatur. [15] Atqui mandatum diligenter & ad vnguem implendum est. [16] His itaque rationibus motus Senatus pronunciauit, non valuisse insinuationem, nec consequenter donationem. [17] *Ita Senatus* in causa liberorum Ludouici Machet, 13. Calend. Decembr. 1592. de qua SC. 11. 13. & seqq. de reuoc. donat.

1 Sic enim Bald. loquitur *in l. mandatum*, C. *mandat.*
2 *L. si cum Cornelius* 82. *D. de solut.*
3 *Arg. l. cum quis* 38. *in princ. eod. tit.*
4 Cum tamen mandati fines diligenter custodiendi sint, *l. diligenter* 5. *D. mandat. l. maritus* 21. *C. de procur.*
5 Nam ea alienatione post donationem facta inducitur reuocatio donationis saltem quantum ad res donatas, *l. cum hic status* 32. § *si maritus. D. de donat. inter vir. & vxor. l. si maritus* 12. C. *eod.*
6 *d. l. si cum Cornelius.*
7 *Vt in l. quisquis* 28. C. *de donat.*
8 Scilicet per fideicommissum donationi insertum, *vt in l.* 3. C. *de donat. quæ sub. mod.*
9 *L. apud Celsum* 4 § *quæsitum. D. de dol. mal. except.*
10 Vt aliquid vice permutati dominij restitueretur.
11 Præsumitur enim quisquis hæres instituitur omnium dilectissimus fuisse testatori, & ideo semper in dubio præsumendum est pro hærede, *l. Sempronius* 47. *de legat.* 2.
12 Quem vtique potuit prohibere, *Auth. excipitur, C. de bon. quæ liber.*
13 Vt inclusio vnius sit exclusio alterius, *vulg. l. cum prætor* 2. *D. de iudic. l. ex eo* 18. *de testib.*
14 Vt hoc saltem haberent illi, quod propter matrem ad patrem peruenisset, *arg. l. dotem* 6. *de collat. bonor. l. generaliter* 6. § 1. *C. de instit. & substit.*
15 *Arg. l. non potest* 21. *D. de iudic. l.* 1. § 1. D. *de vsur.*
16 *d. l. diligenter* 5. *in fin.* D. *mandat.* nisi cum mandatum impletur per æquipollens, *vt in l. vlt. in fin.* iunct. *gl. eod.*
17 Quæ scilicet non potuit valere, nisi ex die insinuationis, nihil porro interest, an insinuatio nulla facta sit, an vero minus rite sit facta, *l. quoties* 6. *D. qui satisdar. cog. l.* 2. D. *de auctor. tutor.*

DEFINITIO VII.

Donationes à parentibus in liberos collatæ etiam ad æqualitatem inter eos inducendam non magis valent, quamuis iuratæ sint, quam cæteræ.

DOnatio inter viuos à patre collata inter liberos extra contractum matrimonij,[1] licet iuramento confirmata, non potest eo jure aliter valere, quam si fuerit insinuata, [2] nec si per eam inducatur, quæ multum fauorabilis est inter liberos æqualitas. [3] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 4. supr. famil. ercisc.

1 Nam si in contractu matrimonij facta sit, aliud est, cum ex stylo Senatus nostri donatio huiusmodi non egeat insinuatione, quamuis nec iurata sit.
2 Quia lex nostra prouincialis generaliter loquitur, nisi quod excipit donationes in contractu matrimonij factas. Ergo in contractibus non exceptis generaliter intelligenda est, *l. in fraudem*, 15. *in fin. D. de testament. milit. l.* 1. §. *generaliter, de l. g. præt.*
3 *L. illud.* 20. *C. de collat.* iunct. *l. vt liberis* 17. *eod. l. si ita legatum sit* 12. *de condit. & demonstr.* * Vide *l. data* 27. *Cod. de donat.*

DEFINITIO VIII.

Donatio inter viuos citra insinuationem non valet, etiamsi donator eam solemnitatem expressim remiserit, adeoque tempore pestis. Valebit tamen tanquam causa mortis, si aliud nihil impediat.

INter viuos donatio absenti facta notario stipulante, ab eo, qui peste correptus jamiamque moriturus insinuationis necessitatem donatario expressis verbis remiserat, non eo magis post ipsius donatoris mortem à donatario agnosci & acceptari potuit. [1] Nec si aduersus defectum insinuationis velit in integrum restitui ex capite ignorantiæ, quantumuis iustæ & probabilis, audiendus erit,[2] quia nec post donatoris mortem ratam habere potest notarij stipulationem,[3] nec de insinuatione tractare eo tempore, quo donator ipse, cuius potissimum est insinuare, [4] insinuationi consentire amplius non possit; finito quoque per ipsius mortem mandato, quod procuratori ad insinuandam donationem constituto dederat. [5] Neque vero solemnitas hæc à donatore remitti potuit, cum juris publici sit non priuati. [6] Sane non eo minus valebit donatio iure vltimæ voluntatis, adeoque

adeoque donationis causa mortis, si aliud nihil obstet, concurrantque omnia, quæ in eam rem sunt necessaria; 7 maxime propter vim & auctoritatem juriiurandi, quod adhibitum proponebatur. [8] *Ita Senatus* ex tempore in relationibus libellorum, 11. Calend. Iul. 1593.

1 Nec enim potest iure nostro valere donatio, quæ non fuit insinuata, cuiuscumque tandem summæ sit. Intellige nisi habuerit suum effectum per traditionem realem.

2 Non enim videri potest læsus aut deceptus, qui iure communi & publico vtitur, *l. vlt. C. de in integr. restit. minor. l. inter eos 51. §. pen. D. de fideiuss.*

3 Siquidem ratihabitio non potest sequi rebus non integris, & cum medium est inhabile *l. pen. D. rat. rem haber. l. Pannonius 96. de acquir. hæred.*

4 Insinuare enim magis proprium est donatoris quàm donatarij.

5 Constat enim mandatum finiri morte, *l. inter causas 26. D. mandat.*

6 Dixi *Defin. sup. eod.*

7 In dubio enim capienda est ea interpretatio, per quam actus sustineatur, *l. quoties in stipulationibus 80. de verb. oblig. l. quoties 12. D. de rebus dub.*

8 Placet enim nostris, jusiurandum habere vim clausulæ, *omni meliori modo, ex l. cum pater 77. § filius matrem, cum ibi not. de legat. 2.*

DEFINITIO IX.

Donatio inter viuos non insinuata cum insinuari deberet, potest reuocari ex sola pœnitentia citra absolutionem & in integrum restitutionem.

CVm donatio, licet iurata non aliter valeat, quam si insinuata sit cuiuscumque quantitatis proponatur, dum ne in contractu matrimonij facta sit,[1] consequens est, vt quamdiu non est insinuata, reuocari quandocumque possit ex sola pœnitentia,[2] nec in eam aut absolutione, aut in integrum restitutione vlla opus est,[3] quia nec jusiurandum supplet defectum insinuationis statutariæ,[4] nec statuto legique municipali eam solemnitatem inducenti renunciari vllo modo potest. [5] *Ita Senatus* in causa N. Reydet, 13. Calend. Ianuar. 1594.

1 Vt scripsimus *Defin. 2. & pass.* alibi *supr hoc tit.*

2 Prius enim est vt donatio sit insinuata, quam vt valeat. Et rursum, prius est vt valeat, quam vt reuocari ex pœnitentia non possit, *l. possessionem 3. & seqq. l. velles necne 6. & pass. C. de reuocand. donat.*

3 Neque enim vnquam danda est restitutio ei, qui ipso iure munitus est, *l. in causa 16. D. de minor. l. Imperatores 13. de rebus author. iudic. possid.*

4 Quamuis suppleat defectum insinuationis legalis, vt dixi *Defin. 5. 5.* ex Iulio Claro, qui dicit communem, *quæst. 18. in §. donatio.*

5 Ne vis fiat legibus, quorum auctoritas semper potior esse debet, *l. non dubium 5. in fin. C. de legat. l. si quis inquilinos 112. §. vlt. de leg. 1. l. iuris gentium 7. §. & generaliter, D. de pact.* vbi scripsi in Rationalibus.

DEFINITIO X.

Etiam non insinuata donatio justam causam præbere potest alteri contractui inter alios inito ad tertium obligandum.

DOnatio inter viuos non insinuata, quæ insinuari debuit, valere quidem non potest, vt ex ea possit vel agi vel excipi.[1] Sed tamen si alteri contractui causam inter alios præbuerit, non eo magis sequens contractus constituetur irritus, quasi nullam habeat causam,[2] si modò nuda donatoris voluntas etiam citra speciem donationis pro iusta causa esse possit,[3] cum ex donatione quantumlibet nulla etiam voluntas colligatur.[4] Finge Titium tradidisse tibi centum, vt ea rederes Mæuio, cui ea inter viuos donata volebat, nec fuisse factam insinuationem, te verò ea centum Mæuio promisisse, non poteris solutionem recusare eo prætextu quasi ob defectum insinuationis & nullitatem donationis, sine causa te obligaueris.[5] Sublata namque causa donationis supereſt causa voluntatis, quæ sufficit ad validitatem posterioris contractus.[6] Plane si donator re integra reuocet donationem, non erit scienti tibi permittendum, vt contra eius voluntatem soluas Mæuio.[7] *Ita Senatus* in ea specie, de qua Defin. 5. supr. depos.

1 Et ita debet accipi quod toto hoc tit. scriptum est donationem non insinuatam valere.

2 Quæ res si non contractus nullitatem saltem doli exceptionem solet inducere *l. 2. § circa, D. de dol. mali except.*

3 Quia in traditionibus rerum quodcunque pactum valere certum est, *l. in traditionibus 44. de pact.* etiam quod alioqui non valeret, *l. venditor 13. D. commun. præd. l. si fundo 19. D. de seruit. l. vlt. C. de pact. inter empt. & vendit.*

4 *L. vlt. D. de reb. eor. qui sub tutel. l. licet 20. de adim. legat.*

5 Causa enim satis iusta illa est, quod pecuniam tibi ea lege traditam acceperit, *d. l. 44. de pact. & d. l. vlt. C. de pact. inter empt.*

6 *Vt in l. cum is 32. § mulier, de cond. indeb.*

7 *L. 77. § Mæuio, de leg. 2. & l. si cum Cornelius 81. D. de solut.*

BIU Cujas

CODICIS FABRIANI

DEFINITIONVM FORENSIVM,

ET RERVM IN SACRO SABAVDIÆ

Senatu Tractatarum,

LIBER NONVS.

TITVLVS PRIMVS.

QVI ACCVS. NON POSS.

DEFINITIO I.

Recriminatio non permittitur, nisi pro delicto maiore Prior autem videtur accusasse, qui prior crimen denunciauit.

RIMINANDI facultas accusatis hodie denegatur, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint, etiamsi suas, suorumve iniurias exequantur, vt intelligant non relatione criminum, sed innocentia purgare se debere. [1] Hoc ita si non maius & grauius crimen sit quod accusatori obiicitur. [2] Quo enim atrociora delicta sunt, eo non solum seuerius, sed etiam citius puniri debent. [3] Cum autem quæretur, vter prior accusauerit, non illud inspiciemus, vter prior aduersarium in ius vocari curauerit, sed quis crimen prior denunciauerit. [4] Quod si rixa facta proponatur, illud tantum inspiciendum erit quis prior deliquerit, atque ita rixæ occasionem dederit. [5] Nam si is, qui tibi vulnus inflixerat, postea injuriis à te lacessitus judicem prior adierit, crimenque denunciauerit, non ideo prohiberis injuriæ, quæ tibi primum adeoque grauior facta est, vindictam persequi. [6] *Ita Senatus* ex tempore, Prid. Non. Februar. 1589.

1 *L. is quireus* 5. *D de public. iudic.*

2 *L. neganda* 19. *C. hoc tit.* Iohan. Papon. *lib.* 24. *tit.* 2. §. 2.

3 *L cum reis* 18. *C. de pœn.* Vide de hac quæst. Iulium Clar. *lib.* 5. *sent. in pract. criminali quæst.* 14. *numer.* 12. *vers. tertius est casus, vsque ad num.* 13. vbi distinguit, an nomen rei sit iam receptum inter reos, an non? Vt priore casu possit accusare de maiori crimine quemcumque etiam suum accusatorem, non autem de pari vel minori, nisi suam vel suorum iniuriam prosequatur. Posteriore vero possit alium quidem quam suum accusatorem accusare de crimine maiori, suum vero accusatorem non item, nisi suam iniuriam prosequatur.

4 Quamuis sola denunciatio criminis non faciat, vt quis sit inter reos, sed sola contestatio, quæ fit ex interrogatione iudicis & responsione rei, siue contestatio illa vera sit, siue ficta. Idem Clarus *vbi supr. num.* 13. Aliud est, si inter plures iudices eiusdem delicti quæratur quis præuenerit. Qui enim prius inquisitionem transmittit, censetur præueniisse, nisi alter eum capi fecerit, maxime si captura procedat de grauiori delicto. Idem Iul. Clar. *in d.* § *vlt. qu.* 38. *in fin.*

5 Nec enim aliud crimen est, quod in eadem rixa admissum est, etsi perpetuo is damnum dedisse videtur, qui damni occasionem dedit. Dedit autem quisquis auctor fuit rixæ, id est, qui prouocauit. Etsi enim prouocatus, qui delinquit, non ideo in totum excusatur, mitius tamen punitur. Iul. Clar. *in dict.* § *fin. quæst.* 60. *num.* 8 post Boer. *cons.* 4. *num.* 28

6 Ne alioquin grauiori accusationi per leuiorem præiudicetur, *contra l. rei maiori* 21. *D. de except.* Vide Marsil *cons.* 137. *nu.* 8 Ioan. Papon. *in syntagm. Arrest. lib.* 22. *tit.* 5. *arrest.* 1. Iul. Clar. *lib.* 5. § *homicidium, num.* 33. *vers. sed quomodo probatur.*

DEFINITIO II.

In accusando homicida potior est causa liberorum, deinde vxoris, tertia parentum, postrema agnatorum & cognatorum, iuxta ordinem succedendi.

SI is, qui ab alio occisus est, liberos & parentes, & vxorem reliquerit, in vindictæ persecutione potior est causa liberorum. [1] Si liberi non sint, vxoris: [2] Si vxor non sit aut persequi nolit parentum: Post parentes agnatorum & cognatorum proximiorum. [3] Præfertur autem vxor non tantum agnatis & consanguineis, sed etiam parentibus, quia licet ab iis anteuertatur in causa successionis, [4] eius tamen interest magis quam cæterorum, propter indiuiduam illam vitæ societatem, quæ per matrimonium contracta mariti morte dissoluitur. [5] Ob idque tanto magis præferenda est cæteris post liberos, quod hæreditatis lucrum amittat, quæ ad proximiores agnatos aut cognatos deuoluitur, ne & amissi mariti & bonorum ipsius omnium iacturam sentiat. [6] Quod si ex viri morte mulier quoque lucrum aliquod senserit propter pacta nuptialia, non eo magis à vindictæ persecutione remouebitur, quia nec agnati post vxorem persequi prohibentur, quamuis ad eos totius hæreditatis commodum perueniat. [7] Quid tamen si inspecta sit, forte cuius vir à filio, quem ipsa ex alio marito susceperat, occisus proponatur? Licet non probetur conscia criminis, non tamen obstabit parentibus aut consanguineis, aut agnatis, quo minus illi & instituere accusationem possint & præferantur. Nam & ex hac causa agnatos parentibus aliquando prælatos fuisse compertum est. [8] *Ita Senatus* in causa Ioannis Raffin. 5. Id. Aug. 1593.

1 Quoties enim multi sunt qui velint accusare, ad quos etiam de iure spectet ius accusandi, ille præferendus est, qui suam vel suorum iniuriam persequitur, vt extraneo accusare volenti præferatur. Inter eos verò, qui suam vel suorum iniuriam prosequuntur, proximior præfertur. si autem omnes sint in pari gradu, omnes simul admittuntur. Iul. Clar. post alios quos citat. *in* § *vlt. qu.* 15. *num.* 6. vbi addit, inter plures extraneos accusare volentes, iudicem posse & debere eligere magis idoneum, per text. *in l. si plures, D. de accusat.*

2 Potio-

BIU Cujas

2 Potior enim est causa vxoris scilicet post liberos, & ita intelligendum est, quod scribit Ioann. Papon. *libr. 24. tit. 2. §. 3 & 4.*

3 Nimirum, qui possint succedere iure hereditario. Nam ius prosequendæ vindictæ est hereditarium, *l. sororem. C. de his quib. vt indign. & in l quamuis. C. ad l. Iul. de adulter. l. si crimen 10. l. vxor tua 4. C. hoc tit.* & Ioann. Pap. *d. Defin. 24. tit. 2. §. 2.*

4 *L. vnic. C. vnde vir & vxor. l. vlt. C. quor. bonor.*

5 *L. 1. D. de vrt. nupt.*

6 *Argum. l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. 1 l. C. de instit. & substitut.*

7 Nihil enim commune habet causa successionis cum persecutione criminis & vindictæ, *l. si profure 7. §. 1. D de condict. furt.*

8 Propter suspectam collusionem proximioris. Papon. *vbi s. §. 4.* Qui vero non possint accusare, vide apud Clar. *qu. 14.*

DEFINITIO III.

Pendente accusatione de grauiore crimine, nihil interim pronunciandum est de leuiore.

DElatus de leuiore crimine, siue ab eodem, siue ab alio accusatore deferatur de maiore, non potest condemnari de leniore, quin plene cognitum sit de maiore, vt consequenter vtraque accusatio eodem iudicio terminetur.[1] Finge leuius crimen non nisi exilio coercendum, grauius vero capitis supplicio plectendum. An non fuerit absurdum in exilium mitti eum, qui capite puniri debeat?[2] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi Baudin, & N. De la Val. 2. Decembr. 1595.

1 Arg. eorum, quæ notat Iulius Clar. *in §. fin. qu. 14. numer. 12. vers. & hoc etiam dato.*

2 Ita enim fieret, vt minoris criminis condemnatio maioris impunitatem adferret, quod esset absurdum. Semper enim grauiora sunt & seuerius & diligentius coercenda, vt dixi *Defin. 1. supr ex l. cum reis 18. Cod de pœn.* Nihil tamen vetat eidem personæ diuersas pœnas corporales per eandem sententiam irrogari, quo casu distinguendum est, an sint compatibiles, an non, vt si sint, omnes mandentur executioni, sic tamen vt incipiatur à minore, si vero non sint compatibiles, eligat iudex quam velit mandari executioni, vt eleganter tractat Iul. Clar. *in pract. crimin. qu. 99. num. 9.* vbi vide.

DEFINITIO IV.

Condemnatus ad triremes nouam accusationem instituere non potest, sed inchoatam prosequi potest.

DE eo qui ex causa publici iudicij condemnatus fuit ad triremes aut perpetuas aut temporales, aliàmve pœnam, quæ vel ciuitatem solam adimat, vel cum ciuitate etiam libertatem,[1] dubitatum sæpius est in Senatu an admitti possit ad accusationem? Videbatur enim omnimodo arcendus ab accusatione, quæ iuris ciuilis est,[2] cum non habeat caput in ciuitate is, qui ciuitatem amisit, multo minùs qui libertatem.[3] Sed illa tamen distinctio tandem placuit, quæ & prudentibus placuisse videtur,[4] vt nouam accusationem instituere prohibeatur, sed inchoatam prosequi non prohibeatur aduersus quoscumque,[5] multo magis contra suum accusatorem: Quod etsi generaliter obtinet, maiorem tamen habet rationem si condemnatus suam suorumve iniuriam prosequatur.[6] *Ita Senatus* inter fratres Gauent, 6. Iunij 1614.

1 Sunt enim diuersa genera pœnarum etiam capitalium, *l. sunt quidam 17 l. capitalium 28. D. de pœn.*

2 Est enim totum ius ciuile comparatum propter accusationes & actiones, vt constat *ex l. 2. De orig. iur.*

3 *d. l. sunt quidam, l. 3. §. vlt. & l. 4. D. de capit. minut.*

4 *In l. is qui reus in fin. D. de public. iudic.*

5 Iul. Clar. qui dicit communem *in pract. crimin. quæst. 14. numer. 25.*

6 Quo casu etiam infamib. personis agere & accusare permittitur, quæ alioquin repellerentur. Iul. Clar. *ibid.*]

TIT. II.

DE ACCVS. ET INSCRIPT.

DEFINITIO I.

Reus pendente accusatione retinet liberam bonorum suorum administrationem, dum nihil in fraudem faciat.

NOn est reo auferenda bonorum administratio pendente cognitione de crimine.[1] itaq; potest interim debitor creditori reo soluere, & ex contrario reus debitor creditori.[2] Præterquam si læsæ maiestatis crimen obiectum proponatur.[3] Idem de bonorum alienatione iuris est,[4] dum ne quicquam in fisci aut accusatoris fraudem fiat.[5] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 16. Cal. Ianuar. 1588.

1 Excipe reum læsæ maiestatis & repetundarum, *l. ex iudicorum 20. D. hoc tit. l. vlt. C. ad leg. Iul. maiest.* Vide *Defin. 5. num. 3. infr.*

2 *L. reo criminis 41. & seq. D. de sol.* vbi ratio redditur, quod alioqui innocentes plerique necessario sumptu egerent.

3 *d. l. vlt. C. ad leg Iul. maiest.* Adde etiam crimen repetundarum *ex d l. iudiciorum.*

4 Vide Guid. Pap. *quæst. 76. num. 1.* remissiue & Didac. Couar. ista eleganter tractantem *in lib 4. Decretal. 2. part. capit. 6. §. 8. numer. 7.*

5 *Arg. l. post contractum 15. cum ibi not. D. de donat. l. si aliquis 7. D. de mort. caus. donat.* Alia quæstio est, an ei, cuius bona sunt annotata aut etiam publicata propter contumaciam, debeant illa restitui si compareat & se defendat? De qua vide Iul. Clar. *qu. 44.* vbi distinguit, an compareat intra annum an post annum. Vide *l. 1. de requir. reis.*

DEFINITIO II.

Qui alium detulit non est condemnandus in expensas litis, nisi conuincatur de vera & manifesta calumnia.

EXtat Senatusconsultum, quo cauetur, ne delatores criminum expensas litis prorogare compellantur, præterquam si accusare etiam velint, & in crimen subscribere. Sed ad eos delatores id pertinere visum est, qui non per calumniam manifestam detulerunt.[1] Calumniatores enim non modo litis sumptibus,[2] sed etiam mulcta pecuniaria, adeoque si res postulabit, capitali pœna puniri debere placuit.[3] Sane si probabilem deferendi criminis causam quis habuerit, non illud etiam ab eo exigimus, vt sufficientes & plenas adferat probationes.[4] Sufficit enim, vt nihil per calumniam fecerit.[5] *Ita Senatus* pro Antonio Lespine, contra procuratorem iurisdictionalé Comitatus de Chastillon apud Sebusianos meos, 5. Id Iun. 1590.

2 Duplex enim calumnia est, vna vera, alia præsumpta, vt pluribus tractat Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 62. num 4. vers. pro resolutione & num. 6.* vbi vide.

2 Iul Clar. *vbi sup. l. 3. in fin. C. qui accus. non poss.*

3 Calumniantes enim poscit ad vindictam similitudo supplicij, id est, pœna talionis, *l. vlt. l. non priùs 7. in fin. & pass. C. de calumniat.* & præterea pœna infamiæ *l. nostris 8. & l. pen. eod. tit. l. vlt. C. hoc tit. l. sunt quædam 9. in fin. de extr. crimin.*

4 Est enim illa tantum præsumpta calumnia, cum accusator deficit in probationib. Iul. Clar. *d. q. 61. n. 4. & 6.* nec ei prodest, quod iurauerit de calumnia, *ibid. num 7.* Vide *l. si cui 7. D. hoc tit.*

5 Id est, sciens, autcum scire possit innocentem esse illum, quem accusat. Illa enim demum vera calumnia est. Excusatur tamen etiam à præsumpta, si habeat pro se euidentia aliqua indicia, puta famam, vel auditum à fide dignis, vel quid simile Idem Iul. Clar. *vbi supr. num. 8.*

BIU Cujas

DEFINITIO III.

Indicium, quod ex vnius testis dicto proficiscitur, sufficit ad condemnandum non ad pœnam criminis, sed ad sumptus litis.

ACcusatus de crimine, si ab vno tantum teste impetatur,[1] neque condemnandus est, neque testi obiiciendus, nec rursus omnino absoluendus,[2] sed interim dimittendus, quousque amplior criminis probatio facta sit,[3] & nihilominus in expensas litis condemnandus.[4] *Ita Senatus* in causa Mauricij Iacquier Tarentasiensis, Prid. Cal. Iunij 1591.

1 Intellige de teste, qui faciat indicium non tantum facti, vt Baldus loquitur *in l. seruos, C. de testib.* id est, quod dirigit iudicem in viam perscrutationis ad inquirendum, sed etiam indicium iuris, quod non aliter contingit, quam si sit ille omni exceptione maior. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. num. vers. vnus testis*, post Ruin. *cons. 147. num 2. lib. 5.*

2 Cum possit quod ex probatione deest aliquando per alium testem repleri.

3 Quod Gallice dicimus *plus amplement informé.*

4 Cum posset vnus ille testis facere indicium sufficiens ad torturam Clar. *d. num. 2. quæst. 53. num. 18.*

DEFINITIO IV.

Accusatus siue absolutus sit, siue leuius quam oportuit cõdemnatus, non potest iterum accusari de eodem crimine, sed de alio potest, vt tanto grauius puniatur.

AB accusatore publico delatus de crimine & simpliciter absolutus, id est, non addita clausula, *alio non apparente*, quæ vt plurimum addi solet, ob idipsum crimen iterum accusari non potest,[1] siue apud eundem, siue apud alium iudicem, non solum à procuratore fisci, cui haud dubie obstaret exceptio rei iudicatæ,[2] sed nec ab eo qui priuatam velit iniuriam prosequi, nec si eo inaudito lata sententia proponatur.[3] Etsi enim verum est sententiam inter alios latam aliis nocere non debere,[4] hoc tamen iure vtimur, vt vindictæ persecutio non ad priuatos pertineat, sed ad fiscum aut eum, qui fisci loco sit. Nisi quod ad pœnam pecuniariam, quæ in vicem eius quod interest infligi solet.[5] Hactenus enim saluam priuato actionem esse, nec ei rem iudicatam obstare verius est.[6] Ergo si priore iudicio secuta fuerit condemnatio, sed seuior quam delicti atrocitas postularet, multo minus permittendum est, vt semel condemnatus iterum de eodem crimine accusetur, ob id solum, vt grauiores & meritas sceleris sui pœnas luat. Id enim postulat, & omnino euincit auctoritas rerum iudicatarum.[7] Sane si noui criminis idem reus fiat, nihil prohibebit bonum iudicem sic ferre sententiam, vt quod priori condemnationi defuit posteriori adiiciat.[8] & vtriusque criminis pœnam cumulet, quo efficiat posterioris grauiorem.[9] *Ita Senatus* in causa Parisij Cheneuier, & Pantaleonis Raymondé, circiter Idus Iunij 1591.

1 *L. Senatus censuit*, vbi gloss. & Bart. *D. hoc tit.* Cyn. *in l. nullum, C de testib.* Papiens. *in form. inquisit. vers. hæc est quædam inquisitio, num. 8.* [Intellige si sit absolutus. Aliud enim est si Senatus ita pronunciauerit, *A mis l'accusé hors de Cour & de procés.* Tunc enim potest procurator generalis ex nouis probationibus iterum accusare, nec eget supplicatione ciuili in criminalibus, licet in SC. non sint adiecta verba *alio non apparente Ita Senatus* Cal. Iunij 1612.

2 *Tot. tit. de except. rei iudic.*

3 Intellige nisi magna ex causa, vt loquitur Vlp. *in l. si cui crimen 7. §. iisdem criminibus, D. hoc tit.*

4 Vt scriptum est *in dict. §. iisdem, & in leg. 1. D. de except. rei iudic.*

5 Itaque sufficit latam esse sententiam absolutoriam cum eo cui agendi ius fuit, *arg. l. si ideo 55. D. de cuict.*

6 Vt ita accipiatur quod scriptum est *in d. §. iisdem.*

7 *d. l. Senatus* 14. vbi gloss. Bart. & alij, *D. hoc tit.* Ioan. Pap. *in syntagm. libr. 19. tit. 8. De la force & authorité des iugements, §. 10.*

8 Multo magis si recidat in idem crimen, vt tractat Papon. *dict. §. 10. in fin.*

9 Cumulatio enim delictorum necessario trahit secum cumulationem pœnarum.

DEFINITIO V.

Etiam in atrocissimis delictis non est permittenda accusatio, quæ certum auctorem nullum habeat, præsertim si impetatur memoria defuncti.

ETsi crimina quædam sunt quorum atrocitate ius ita constitui æquum fuit, vt memoriam defuncti hominis accusare, adeoque condemnare liceret, quale inter cætera illud est perduellionis, qui hostili animo in Principem aut Rempubl. animatus fuit,[1] aut eius qui ex lege Iulia repetundarum reus fieri potuit,[2] non tamen facile & temere, aut passim id permittendum est,[3] sed ita demum si certus accusator se offeret, qui & eius conditionis, ac existimationis sit, vt ab accusatione repelli non debeat,[4] & accusationis fidem inscriptionis periculo facere paratus sit.[5] Idque Senatus noster constituit, cum clarissimi cuiusdam viri, qui inter Consiliarij.[6] Principis locum moriens tenuerat, memoria per incerti accusatoris audaciam impeteretur, nec de accusationis veritate vel inquiri passus est, 9. Cal. Iul. 1592.

1 *L. vltim. D. ad leg. Iul. maiest.* Iul. Clar. *in §. læsa maiestatis num. 16.*

2 *L. ex iudiciorum 20. hoc tit. l. 2. D. de leg. Iul. repetund.*

3 Quia regulariter crimina & pœna finiuntur morte, *l. si pœna 20. D. de pœn.* Nec possunt pœnæ incipere ab hærede, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, *d. l. ex iudiciorum, l. defuncto 6. D. de public. iudic. l. 1. C. si reus vel accus. mort fuer.* Iul. Clar. *in pract. crim quæst. 51. num. 12. & 13.* Vbi excipit crimina hæresis, læsæ maiestatis, repetundarum, peculatus, homicidij sui ipsius ob conscientiam sceleris patrati. Vide eundem Iul. Clar. *in §. hæresis num. 21. & in §. læsa maiestatis, num. 16.*

4 Multi enim sunt qui ab accusatore repelli debent, aut ob suam infamiam, aut ob aliquam aliam conditionem. De quibus omnibus vide Iul. Clar. *pract. crim. qu. 14. per tot. & qu. 15.*

5 Ne tam facile quis prosiliat ad tanti criminis accusationem *l. si cui crimen 7. D. hoc tit.* Text. est accommodatus *in l. non prius 7. C. de calumniat.*

DEFINITIO VI.

Reo, qui & obiectionem testium passus, & ad iustificationes suas admissus fuit, non est danda dilatio ad respondendum, vt aiunt, per attentationem.

NOn est reo concedenda dilatio, vt ad accusatoris petitionem peracta litis criminalis solemnitate per attenuationem respondeat,[1] quoties reo commissi & obiecti sunt, &, vt Pragmatici loquuntur, confrontati testes, & ad innocentiæ probationes, quas iustificatorias vocant, admissus reus fuit, quoniam eo tempore accusationem attenuare debuit quo testes sibi commissos vidit,[2] Igitur responsionibus per attenuationem tunc locus erit, cum rei confessio solemnem iudicij criminalis formam excluserit.[3] *Ita Senatus* in causa Iacobi Faure & Henrici Pic, 10. Cal. Febr. 1593.

1 Nec enim responsiones istæ per attenuationem sunt defensiones illæ, quas placet nunquam esse aufferendas reo, quin admittatur ad eas ante condemnationem, & quas nec de plenitudine potestatis Princeps adimere potest reo, vt in communi nostrorum sententia tractat Iul. Clar. *in §. fin. quæst. 49. numer. 13. & 14.* sunt enim eiusmodi defensiones illæ, quas non vulgo iustificationes, aut facta iustificatiua appellamus.

2 Alioqui

2 Alioqui suspectæ sunt justificationes quæcumque post obiectos testes allegantur, tanquam per dolum & mendacium excogitatæ. [Si tamen per imperitiam iudicis inferioris condemnatus quis sit ex dictis testium, quos sibi committi noluerit, cum tamen de pœna corporali ageretur, seque dictis testium stare velle etiam coram iudice, & vt fit, cum iuramento declarauerit, potest in causa appellationis idipsum negare, quod iam negauerat in priore instantia & omni modo sunt committendi testes, priusquam vel ad diffinitiuam sententiam, vel ad habendam de reo quæstionem perueniri possit, quia nunquam auditur perire volens *l. non tantum 6. de appell.* Ita *Senatus* in causa Claudri Iaquard. 7. Iunij 1613.]

3 Non contra eum qui sponte confessus est non proceditur per obiectionem testium, quia nec necesse est, cum in confitentem nullæ aliæ sint partes iudicis, nisi in condemnato, quo magis permittendum ei est, vt defensiones suas alleget ad extenuandam accusationem, Iul. Clar. *dict. num. 25. & quæst. 64. num. 44. & quæst. 65 num 1.*

DEFINITIO VII.

Alienationes factæ pendente lite ab eo, qui liberam rerum suarum administrationem retinuit, non sunt reuocandæ si fraus nulla interuenerit, nec tamen à judice, facile permittendæ.

QVod supra diximus, [1] lite pendente non auferri reo bonorum suorum administrationem, ideoque & ei solui posse, præterquam in exceptis criminibus, id est, maiestatis & repetundarum; [2] ita accipiendum est, vt si interea ex bonis suis aliquid vendiderit reuocari venditio postea non possit, ne secuta quidem condemnatione, nisi aut post sententiam & appellatione pendente facta venditio sit ab eo, qui publicationis & bonorum ademptionis pœnam merebatur, [3] aut in fraudem fisci & pœnæ pecuniariæ alienatio facta proponatur. [4] Quæ fraudis præsumptio quibus casibus, & ex quibus indiciis colligatur alio loco à nobis diffuse tractatum est. [5] Donationes solæ exceptæ olim fuerant, & quidem eæ duntaxat quæ post contractum capitale crimen factæ essent, [6] & ita demum si condemnatio quandoque secuta esset, [7] quoniam ita jus erat, vt ex capitalibus delictis omnibus aut bonorum omnium; aut saltem partis ademptio irrogaretur. [8] Hodie igitur cum ex perpaucis criminibus publicatio bonorum fiat, [9] consequens erit permissas donationes in cæteris nisi fraus facta sit pœnæ pecuniariæ. [10] Quid autem si reus petat à iudice, vt vendere sibi aliquid liceat? Non debet iudex multo minus Senatus permittere, si non aliqua necessaria aut probabilis vendendi causa allegetur, [11] quamuis etiam citra permissionem esset venditio valitura. Nam facta vltro venditione, saluum maneret jus fisci aduersus emptorem, si quid à reo in fraudem, & per collusionem quandocumque factum probaretur, [12] quod permissa venditione secus est. [13] Itaque imputet sibi qui cum liberam distrahendi potestatem haberet etiam sine causâ, dummodo non in fraudem, adire tamen judicem maluerit. [14] Iusta porro distractionis causa est, vt in sumptus litis aut alimentorum pecuniæ erogetur. [15] Quo tamen etiam casu ne qua fraus fiat solet Senatus decernere, vt acceptum pretium penes scribam & actuarium (grapharium appellant) deponatur, per cuius manus postea tantum reo præstetur, quantum Senatui æquum & justum videbitur. Etsi enim alienationes quæ causam habent necessariam nunquam prohibitæ censentur, [16] facile tamen eo prætextu fraus fieri posset, si non aduersus fraudem huiusmodi veluti remedio consuleretur, [17] *Ita Senatus* in relationibus libellorum in causa Stephani Tornier concussionum rei, 7. Cal. Febr. 1593.

1 *Defin. 1. supr. eod.*

2 *L. ex iudiciorum 20. D. de accusat.* iunct. *l. reo 41. & seq. D. de solut.*

3 *Vt in l. chirographis 17. §. 1. D. de admin tutor.*

4 Nunquam enim fauendum est fraudibus, *l. per tot. tit. quæ in fraud. credit. D. & C.*

5 *Lib. 7. Coniect. cap. vlt.* ex not. per Bart. *in l. post contractum 15. D. de donat.*

6 *d. l. post contractum, l. si aliquis 7. D. de mort. caus. donat.*

7 *d. l. post contractum*, de cuius tamen sententia & lectione vide quæ scripsi supradicto loco Coniecturarum.

8 Vt perspicere licet ex omnibus titulis, qui sunt de legibus publicorum iudiciorum, *D. & C.*

9 Bona enim damnatorum hodie seruantur proximioribus etiam collateralibus. *Auth. bona damnatorum, Cod. de bon. damnat.* De cuius sententia & practica vide Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 78. num. 1.* vbi ait obseruari de consuetudine, vt per illam Authent. correcta sint omnia iura antiqua, etiam in illis casibus, in quibus erat imposita pœna confiscationis expresse, nec tantum in consequentiam alterius pœnæ licet vulgo DD. contra sentiant. Excipiuntur tamen crimina hæresis & læsæ maiestatis, & si quid Præterea ex dispositione statuti vel consuetudinis aliter caueatur. Iul. Clar. *ibid.*

10 Vt pluribus tractauit *idem lib. 7. Coniect. c. vltim.* Iul. Clar. *quæst. 78 num. 16. & 17. § fin.*

11 *Vt in l. Diuus 5. D. de petit. hared. l. ait prætor 7. §. vlt.* iunct. *l. Arist. §. 1. D. eod.*

12 Oportet enim emptorem, aut alterum contrahentem fuisse participem fraudis. Alioqui non reuocantur alienata titulo oneroso. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 78. numer. 18.* ex Angel. *in l. si quis, num 4. C. de bon. pr. script.*

13 Iuste namque possidet qui auctore & permittente prætore possidet, *l. iuste possidet 11. de acq. poss. l. qui auctore 137. de reg. iur. l. 5. §. non passim, D. de rebus eor. qui sub tutel.*

14 Iudex enim nihil potuit, nec debuit decernere sine causæ cognitione, *l. nec quicquam 9. §. vbi decretum, cum sibi non. de offic. proconf.*

15 *d. l. ait prator 7. §. vlt. & l. filius 9. D. de iur. de lib. d. l. Diuus 5. D. de petit. hared.*

16 *L. alienationes 13. D. famil. ercisc. l. 1. D. de fund. dotal. l. filiusfamilias 114. § Diuus 2. in fin. D. de legat. 1.*

17 Eundum enim est obuiam fraudibus quantum fieri potest, *l. 5. § si pupillus, D. de rebus eor. l. scire oportet 21. D. de legit. tutor. l. vnic. §. ille autem, C. de Latin. libert. tollend.*

DEFINITIO VIII.

Solutio facta creditori supposito per reum criminis liberat debitorem, qui fraudem non participauit, & cui nihil potest imputari.

SI quis in fraudem fisci & suspicione pœnæ, [1] quam ex delicti conscientia sibi imminentem præsentiret; alterius nomen pro suo in creandis debitoribus subjecisse dicatur, prius audiendus, & in ius vocandus est is, qui tacitam fidem accommodasse dicitur, [2] quam vt sequestrari possint nomina, & inhiberi debitoribus ne ei soluant, cui sint obligati. [3] Sic enim eius inauditi conditio durior fieret quod numquam est ferendum. [4] Quid ergo si postea de fraude appareat, & interea debitores imaginario creditori soluerint? Vtique liberati intelligentur, [5] si non à fisci procuratore certiores facti sint de lite aduersus verum & imaginarium creditorem eo nomine instituta. [6] Tunc enim iis imputari poterit; cur tam facile & vltro soluerint, aut cur si conuenti soluerunt, non prius denunciauerint procuratori Principis, vt si quam haberet inhibendæ solutionis rationem, eam proponeret. [7] Sed etsi fraudem participasse probentur, non impune soluisse videbuntur, vt hanc ipsi quoque fraudis suæ pœnam sentiant. [8] Sane si quædam fraudis probationes aut præsumptiones interueniant, non inique interea debitoribus inhibebitur ne soluant. [9] *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 8. Idib. Mart. 1593.

1 *Vt in l. si aliquis 7. D. de mort. caus. donat.*

2 Fraus enim probanda est non præsumenda, *l. in exceptionibus 19. § qui dolo. D. de probat.* Ex quibus autem coniecturis fraus probetur, vide apud Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 78. num. 16. & 17.*

BIU Cujas

3 Habet enim fundatam intentionem is, qui stipulatus est, quam diu non probetur simulatio, *l. cum proprio 5. in fi. C. si quis alter vel sib.*

4 *Vulg. l. de unoquoque 47. D. de re iudic. l. nam ita 39. D. de adopt.*

5 Nihil enim potest iis imputari qui soluerunt proprio creditori, qui ab iis fuerat stipulatus, *l. si ita 88. D. de solut. l. vero procuratori 12. l. solutam 49. l. quamuis 45. alias l. Calippo. §. 1. D. eod.*

6 *Arg. l. nomen 4. C. quæ res pignor. l. vltim. cum vbi not. D. de tranſact.*

7 *Arg. l. ait prætor 7. § 1. verſ. permittitur D. de minor.*

8 Ex not. per Iul. Clar. *d. quæſt. 78. & 21. num. 8.*

9 Vt impediatur solutio & liberatio, *l. 3 C. de notat. dict. l. 4. C. quæ res pignor.*

DEFINITIO IX.

Occultus inſtigator non tenetur ad expenſas litis ſi non fuerit calumniator.

QVi crimen secreto detulit ad causam vindictæ publicæ, quamuis si calumniator sit perinde condemnari debeat in id omne quod rei interest, ac si palam & publice nullaque facta protestatione accusasset: [1] Si tamen nihil per calumniam fecisse probetur, justamque accusationem fuisse ex judicij euentu appareat, non est condemnandus ad litis expensas vllas, aut prorogandas, aut restituendas, quarum scilicet onus ad jurisdictionis dominum pertineat, [2] cuius officio incumbit curare, vt malis hominibus purgetur territorium cui præest, [3] nisi pro accusatore haberi voluerit is, qui denunciator fuit. [4] *Ita Senatus* in causa Syndicorum & collegij Canonicorum de Chamonix ex tempore tractata. Non. Iulij 1593.

1 Eum namque qui clam & per cuniculos calumniatur, non oportet melioris esse conditionis, quam si palam & publice calumniaretur, cum sint magis excusabiles, qui publice & palam quam qui clam peccant *l. vltim. D. de rit. nupt.* Denique nunquam impunita debet esse calumnia, *l. 1. §. 1. D. si mulier ventr. nom. per calum. in poſſ. eſſ. dicet. l. vlt. C. de calumniat.* Dixi *D. fin. 2 ſupr.*

2 Hodie enim nemine querelante fiscus succedit loco partis aut is qui fisci locum tenet, vt ait Iul. Clar. *in pract. crimin. quæſt. 10. num. 3. 4. & 6.* Neque tamen procurator fiscalis vnquam subijcitur expensis siue actiue, siue passiue, nisi euidenter dolose & calumnioſe litem prosequatur. Idem Clar. vbi *ſupr. num. 5. & quæſt. 50. num. 6. in fin.* [Quid ergo si procurator fisci Episcopalis accuset aliquem de clerico vulnerato, vel occiso? Non tam publici quam priuati accusatoris vice fungi credendus est, cùm præter eum adsit procurator Principis ad quem solum publicæ vindictæ persecutio contra laicum competit. Et ideo non magis procuratori fisci Episcopalis, quam priuato alij cuilibet accusatori edenda sunt instrumenta litis criminalis, quæ Pragmatici nostri secreta vocant. Nec rursum ei permittitur concludere, & agere ad pœnam vllam corporalem: vt neque priuato alij accusatori. *Ita Senatus* contra procuratorem Episcopalem Gebennensem, ante Calend. Mart. 1612.]

3 *L. 3. de offic. præſid.*

4 Quo casu & citandus est, & cum succumbit, in expensas condemnari debet. Iul. Clar. *in pract. crimin. dict. quæſtion. 10. numer. 4.* post Iohann. Papon. *in ſyntagm. Arreſt. lib. 24. tit. 1. Arreſt. 2.*

DEFINITIO X.

Inſtigatori occulto debentur expenſæ litis, quæ ſubminiſtrauit, ſi eum ſibi indicari reus petierit, non aliter.

INstigator accusationis sicuti si per calumniam instigasse ex litis euentu probetur condemnandus est in id omne quod rei interest, [1] ita si iusta fuit veraque instigationis causa obtinere expensas omnes debet quas ob eam rem fecerit, [2] etiam non necessarias, dummodo vtiles, nec superuacuas. [3] Sed hoc ita si instigatorem nominari sibique indicari reus petierit. [4] Alioqui si perpetuo sic egerit, quasi cum solo accusatore publico sibi res esset, nec de instigatoris calumnia sit conquestus [5] non alios sumptus repetere instigator potest, quam quos ab alio qui instigator non fuisset fieri oportuisset ad litem instruendam. [6] *Ita Senatus* pro Laurentio Balmaz, contra Guilielmum le Marquis Castellanum de Miribel, Idib. Decembr. 1593.

1 Adeoque ad pœnam talionis si non esset illa hodie sublata, *l. vlt. C. de calumniat.* vt dixi *D. ſin. prox. præced.* Clar. *in §. fin. quæſt. 12. num. 17.*

2 Vt sit eadem ratio contrariorum, *argum. l. penultim. C. de ſolut.*

3 Nemo enim superuacuis sumptibus onerandus est, *l. in fundo 38. D. de rei vindicat. l. ſi ſeruos 25. D. de pignor. action. l. hac ſtipulatio 14. §. 1. D. vt legat. ſeu fideicomm. ſeru. caut. ſint.*

4 Quanquam nec cogitur fiscalis procurator nominare instigatorem nisi eo demum tempore, quo ex euentu iudicij apparet calumnioſam fuisse accusationem. Et ideo non facile debet procurator fiscalis instigatorem occultum audire, nisi prius & priuata saltem scriptura subscribat, veramque adfirmet accusationem, *l. non prius 7. C. de calumn.*

5 Siue ignorans, siue dissimulans, quasi nesciat aliquem esse instigatorem.

6 Sibi enim debet instigator hic imputare cur palam & publice accusare non maluerit. Instigator enim manifestus nil distat ab accusatore. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæſt. 10. numero 4.*

DEFINITIO XI.

Non ſunt audiendi teſtes pro reo antequam ſit in vinculis, & de crimine reſponderit.

QVamquam is qui jussus est inquirere de crimine sic agere debet, vt non minus quæ pro reo, quam quæ contra reum faciunt redigat in testationem, non solum id postulante reo, sed etiam tacente, [1] si tamen productis jam elogiis, secutoque decreto judicis de reo prehendendo, aut citando, reus petat inquiri exactius de rei gestæ veritate, non est audiendus, quoniam prius est, vt judici pareat, [2] quam vt suam probet innocentiam, cum propter rei iudicatæ auctoritatem, [3] tum ne fenestra aperiatur, subornandis per reum testibus, si prius audiantur, quam sit ille in vinculis. [4] *Ita Senatus* in relationibus libellorum in causa D. de la Serrà, 14. Calend. Februar. 1594.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *informer à charge & à decharge.*

2 *L. ſi quis ex aliena 5 D. de iudic.*

3 *L. ſeruo 65. § cum prætor, D. ad SC. Trebell.*

4 Hoc enim esset destruere totam practicam criminalem si per indirectum admitteretur reus ad faciendum suas defensiones extra carceres, inquit Iul. Clar. *in practic. crimin. quæſt. 11. numero 12. verſicul. alias enim.* [Inde est quod nec ad absentis rei defensionem quisquam admittitur, nec ad appellandum pro absente condemnato *ex lege non tantum 6. D. de appellationibus* nisi hac lege vt exhibeat reum eúmque carceribus mancipet ante omnia. *Ita Senatus* in causa Syndicorum Sancti Felicis, & N. Iuge Rumiliacensis. *Sine die.* Sed nec alij quam parenti aut filio, aut cuius probabiliter interfit pro absente condemnato appellare permittitur. *Ita tractatum 5. Non. Septembr. 1610.* Plane si periculum sit, ne justificationis probationes intercidant, possunt interim pro reo audiri testes, etiam prius quàm accusationis probatio peracta sit vt scripsi *Defin. 1. numero 9 in allegat. ſupr. de probat.* Sed non priusquam sit reus in vinculis. adeoque de crimine ex ore responderit. Sed neque audiendam vxorem placuit aut matrem, quæ contumacis viri aut filij nomine suspectum voluit dicere Senatorem, cùm ea iudicis recusatio species quædam sit defensionis. Sane si absentiam viri aut filii aut alterius cognati excusare velit, & tempus petere intra quod comparere possit is, qui contumax dicitur, audiri debebit. Ex *l. penult. §. 1 de publ. iudic.* *Ita Senatus* pro Magd. Blanchard vxore N. Iacob, de Puencet, 10. Cal. April. 1612. Idem pronunciatum est in patre, jussusque pater filium quem domi habebat intra breue certum

certum tempus exhibere, adiecta comminatione grauioris pœnæ si non exhiberet. Itemque si interim contingeret delictum aliquod à filio committi vt scilicet de eo delicto pater quoque respondere & satisfacere cogeretur. Nam vt & pater possit absentem & contumacem filium defendere satisdatione priùs præstita de illo exhibendo secundum sententiam Iulij Clari *in §. vltim. quæst. 33. num. 5.* moribus nostris non obtinet. *Ita Senatus* in causa D. Baronis de la Serrà, 3. Calend. April. 1612.]

DEFINITIO XII.

Respondere per attenuationem reus debet ex ore & in vinculis.

QVoties ex sola rei confessione accusator quisquis ille sit siue priuatus, siue publicus accusationis probationes depromit, edendæ sunt reo petitiones, quas conclusiones diffinitiuas appellamus, vt iis per attenuationem respondeat, quod ipsum tamen ex ore & vinculis facere debet siue rusticum hominem proponas siue peritum & Doctorem. Hac sola differentia obseruanda, quod si sit rusticus permittitur illi posteaquam ex ore respondit aduocati quoque consilium implorare, & pluribus ac melioribus rationibus causam suam defendere, ob idque petendi ei dilatio congrua in hanc rem concedenda est. [1] Si vero iurisperitus sit, aut alius qui nec rusticus sit, nec rustico in iuris ignoratione comparandus, [2] nulla illi dilatio ex hac causa conceditur. Sed tantum si quid amplius ad iuris sui defensionem ex scripto proponere velit id ei non denegatur, dum ne longior ferendæ sententiæ mora fiat. *Ita Senatus* in causa cuiusdam Aduocati, 8. Cal. April. 1594.

1 Iul. Clar. *in § fin. quæst. 49 num. 13. & 14.*
2 *L. regula 9. D. de iur. & fact. ignor.*

DEFINITIO XIII.

Non est admittenda accusatio si non fiat Zelo iustitiæ.

CVm quidam ex variis criminum causis apud diuersos iudices accusatus, & in varias pœnas pecuniarias condemnatus fuisset, easque satis leues; partim quòd atrociora crimina quæ obiiciebantur non bene probata essent, [1] partim quod cætera leuiora per iunioris ætatis, & militaris vitæ lasciuiam admissa viderentur, [2] acciderat post duodeviginti annos, vt instigantibus quibusdam aulicis grauiorem condemnationem auidè venantibus, cuius emolumentum sibi postmodum à Principe cessum iri sperabant, Procurator generalis per appellationem à minima [3] repetitis accusationibus aliisque additis delictorum ante viginti annos admissorum [4] grauissimam mulctam, irrogari postularet, nouasque in eam rem, sed tamen valde suspectas probationes [5] adferret: *Senatus* non solùm appellationem quasi parum iustam probationum inopia & leuitate reiecit, sed neque amplius inquiri passus est, quod per inuidiam & auaritiam aulicorum potiùs, quàm zelo iustitiæ miserum reum post tot annos inquietari animaduerteret. [6] Quod neque religiosissimi nostri Principis humanitati, neque tanti Senatus æquitari conueniens videbatur, dignaque res exemplo visa est, vt in posterum aulici ab eiusmodi petitionibus & persecutionibus abstinerent. [7] *Ita Senatus* pro Francisco Palafrey Galey, 4. Mart. 1613.

1 Debent enim probationes in criminalibus esse luce meridiana clariores *l. sciant. 25. C. de prob.*
2 Licet enim ætas non excusat in delictis *tit. C. si aduers. delict.* prodest tamen ad minuendam pœnam vt ibi omnes notant & ad *l. auxilium 37. D. de minor.*
3 Potest enim procurator Principis suo iure & priuilegio appellare quandocumque à minima condemnatione si criminis atrocitas grauiorem merebatur, vt sæpius alibi scripsimus.
4 Cùm tamen omnia ferè crimina præscribantur vicennio *l. querela 12. C. ad leg. Cornel. de falsf.*
5 Propter suspectam fidem Commissarij, qui posteriores testationes exceperat, quem constabat infensissimum reo & minatum testibus carceres ni plura testarentur, quàm se scire dicerent. Item propter testes qui post tot annos plura fuerant testificati, quàm in priore instantia in qua iidem plerumque auditi proponebantur.
6 Ne inde nascatur iniuriarum occasio vnde iura nasci debent *l. 6. C. vnde vi.*
7 *Tot. tit. C. de petit. honor. sublat.*

DEFINITIO XIV.

Etiam in causa appellationis committendi sunt testes si reus crimen negauerit, licèt in prima instantia sibi eos committi noluerit.

QVi per imperitiam iudicis inferioris condemnatus est ad pœnam corporalem de crimine quod à se perpetratum negauit, tanquam conuictus ex dictis testium quos exhiberi sibi & committi noluerit, [1] cùm essent exhibendi omnino & committendi. Potest in causa appellationis id ipsum negare quod in priore instantia iam negauerat. Nam & posset etiamsi confessus fuisset, [2] ideoque si in negatione perseueret omnimodo committendi sunt testes priusquàm ad sententiam vel confirmandam, vel infirmandam perueniatur. [3] *Ita Senatus* in causa Claudij Iaquard. 7. Iunij 1613.

1 Hæc enim declaratio rei nolentis testes sibi exhiberi & committi habentisque eos pro exhibitis & commissis, habetur pro tacita criminis confessione. Sed hoc obtinet in leuioribus tantùm non in grauioribus ex quibus pœna corporalis irrogari possit, & debeat, in quibus aperta confessione opus est. Et hoc nimirum erat quod imperitum iudicem fefellerat.
2 Est enim honesta ratio quælibet redimendi sanguinis etiam per mendacium *l. 1. de bon. eor. qui mort. sib. consc.*
3 Nec enim audiendus est perire volens, *l. non tantum 6. D. de appell.*

DEFINITIO XV.

Morte rei soluitur iudicium criminale etiam quod ad pœnam pecuniariam fisco applicandam, sed non pro sumptibus litis & eo quod interest partis.

ETsi ius ita comparatum est vt mortuo pendente accusatione reo post litem contestatam, possit nihilominus pœna etiam fiscalis incipere ab hered. [1] Hoc tamen iure vtimur, vt contra mortuum nulla hodie sententia proferatur, nullaque irrogetur pœna, nisi pro sumptibus litis ac omni eo præterea quod interest priuati accusatoris, nulla penitus habita filij ratione: Ne quidem ad irrogandam pœnam pecuniariam. [2] *Ita Senatus* noster sæpius, maximè verò in causa quadam D. d'Ayriaz, & fratrum Buttauant. *Sine die.*

1 *L. ex iudiciorum penult. D. hoc tit.* vbi tamen excipiuntur crimina læsæ maiestatis.
2 Est enim humanior hæc sententia. Vide Francisc. Marc. *Decis. libr. 2.*]

TIT. III.

DE EXHIB. VEL TRANSMITT. reis.

DEFINITIO. I.

Cuius sumptibus transmittendus sit reus, qui à condemnatione corporali appellauit ad Senatum.

BIU Cujas

A Inferiore iudice in prouincia condemnatus ad pœnam sanguinis, aut ad tormenta, si Senatum appellet statim ducendus est expensis apparitoris principalis, quem nos Capitaneum iustitiæ appellamus,[1] mox repetituri ab accusatore priuato si habeat vnde soluat,[2] sin minus, à Principe aut domino inferioris iurisdictionis, cui persequendæ vindictæ publicæ onus incumbit,[3] quod si nec apparitor ipse habeat de suo, quod in eam sumptuum causam prorogare possit, iniungenda est prorogandi necessitas accusatori, non reo, tametsi reus locupletissimus probetur. Inhumanum enim sit cogi reum de suo soluere, vt ad furcam fortasse & vltimum supplicium ducatur.[4] Et vero ad accusatorem onus pertinet omnium impensarum litis, præterquam earum, quas in struendis innocentiæ probationibus fieri necesse est,[5] cum eueniat plerumque, vt reus absoluatur.[6] *Ita Senatus* pro Bartholomeo Du Port, contra Ioannem Baptistam Regnaud. 3. Id. Ianuar. 1593.

1 Hoc enim ad ipsius officium & munus pertinet.

2 Cum enim priuatus aliquis accusator adest, ad eum pertinet non ad ærarium Principis aut ad dominum iurisdictionis vt litis sumptus ministret. Non enim fiscus succedit loco partis, nisi cum alia pars nulla est, vt dixi *Defi. 9. n. 2. & tit. prox.* Vnde etiam illa proficiscitur regula, quod non oritur actio criminalis Reipub. vbi non oritur parti actio ciuilis, vt tractat Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 50. nu. 6. in fin.*

3 Vt malis hominibus purgetur prouincia, *l. 3. D. de offic. præsid.*

4 *Arg. l. nimis graue* 7. C. *de testib.*

5 Accusatoris enim est probare accusationem, rei vero suam probare innocentiam & defensionem, cum debeat vnusquisque probare id, quod est fundamentum suæ intentionis, nec alius pro alio sit onerandus sumptibus.

6 Nam & indubio præsumendum est pro reo, & pro eius innocentia, *l. absentem* 5. *D. de pœn.*

DEFINITIO II.

Possunt officiales etiam propria auctoritate prehendere illos, quorum crimina & atrocia sunt & notoria.

IMperatoria constitutio,[1] quæ prohibet ne quisquam in iudicio condemnandus exhibeatur, nisi de cuius exhibitione prius iudex pronunciauerit, ad ea delicta non pertinet, quæ & tam notoria sunt, & tam atrocia, vt non sint culpa earituri officiales loci ni statim reum prehendant,[2] propria auctoritate,[3] iudicique castigandum exhibeant,[4] qui interea alioquin auffugere possit, debitamque crimini pœnam eludere. *Ita Senatus* in ea causa de qua SC. 13. infr. De pœnis.

1 *Quæ extat in l. vlt. C. hoc tit.*

2 Nam quemadmodum in maleficiis clandestinis & occultis non præsumitur negligentia officialis, nisi probetur, *l.* 1. vbi Bald. & *l. si ea* iunct. *l. cum fratrem* 9. *C. de his quibus vt indign.* Ita dicendum aliud est si crimen sit notorium, vel ipsi officiali denunciatum. Not. *in l. congruit, D. de offic. præsid. & in l. Diuus D. de custod. reor.* Quamquam non tenetur officialis ex sola negligentia, nisi sit in lata culpa, & dolo proxima. Ægid. Boss. *tit. De official. corrupt. pecun. num.* 26. quem refert Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 73. *versic. item iudex num.* 3.

3 Quamuis regulariter si officialis non requisitus inquirat contra aliquem propria auctoritate, nec testes habeat, nec crimen sit notorium, teneatur actione iniuriarum, & in id omne quod alterius interest, *l. seueriter* 14. *C. de excus. tutor.* Litemque suam facere dicitur, & ei potest resisti de facto, Nor. glo. & Dec. *in l. non videntur* 167. *§. qui iussu, de reg. iur. l. prohibitum* 5. *C. de iur. fisc. lib.* 10. *tit.* 1. Bart. *in Extrauag. quoniam*, in verb. *rebellando, qui sint repell.* Thom. Grammat. *consil.* 51. Bald. *in l. ab executione, D. quor. appell. non recip.* Panormit. *in cap. dilectus. Extr. de rescript.*

4 *L.* 1. vbi Salycer. *C. de fals. monet.*

5 *L.* 1. *& pass. D. de custod. reor.* [Vide *l. si quis* 6. *§. quid tamen, in fin. de iniust. rupt.*]

DEFINITIO III.

Etiam cum criminalis disceptatio conuersa est in ciuilem reus ex vinculis sententiam audire debet, tum quoque cum absoluitur.

QVoties iudicium quod criminaliter cœptum fuerat in ciuile conuersum est,[1] atque ita carceribus exemptus reus, præstita tamen, vt fieri solet, cautione nuda, vel etiam si opus sit fideiussoria,[2] iudicio in eadem causa sisti publicandarum testationum tempore,[3] ac quoties ita iudici videbitur, non eo minus sistere debet propriamque personam carceribus reddere, quod actore nihil probante absoluendus videatur.[4] Pertinet enim ad rei iudicatæ auctoritatem, & ad publicum exemplum, vt qui semel inter reos fuit ex eaque causa in carcerem detrusus in eo statu sententiam audiat, in quo tunc erat, cum ciuiliter agi res cœpit.[5] Nec enim ciuilis illa disceptatio absorbet iudicium criminale, sed eius tantum formam immutat, in id vsque tempus quo restat omnes publicari, aut ius reddi oporteat.[6] Neque vero cum ius redditur quicquam hac parte interest, an absoluatur reus, aut condemnetur nec rursus an actionis iure condemnetur in id omne quod aduersarij interest, an ad pœnam pro delicto, quia cum ante iudicati pronunciationem ignorare reus debeat, quid iudicatum sit,[7] perinde cogendus est pati carceres, vt sententiam audiat per quam absoluatur, atque si condemnaretur ad pœnam. Plane si in tantum condemnetur, quod aduersarij interest, puta quod dolo & delicto vacare illum appareat,[8] sic debet condemnatio concipi, vt tamen eo nomine reus post pronunciationem in carceribus pro iudicato soluendo non retineatur: Ne alioqui fiat ei iniuria, si pro ciuili debito, cuius persequendi gratia bona prius quam condemnati personam capi oporteat,[9] carceris pœnam patiatur. *Ita Senatus* in causa N. Ioannis de la Forest D. de la Barre, contra Claudium Vallet, 8. Calen. Septemb. 1593.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *appointer les parties en procés ciuil & ordinaire.*

2 Pro qualitate nimirum & varietate criminis & personarum, *arg. l.* 1. *C. de custod. & exhib. reor.*

3 Pragmatici dicunt, *au iour de la publication des enquestes.*

4 *Ex l. qui accusare* 4. *C. de edend.*

5 Nam & cum reus à crimine absoluitur, criminalis tamen sententia est, ac proinde vt cæteræ criminales pronuncianda.

6 Ne interea cogatur reus manere semper in vinculis.

7 Pronunciatio enim & recitatio sententiæ illa sola est, quæ ostendit quid iudicatum sit, *l.* 1. *& tot. tit. Cod. de sentent. ex breuit. recit.*

8 Nec enim ibi debet esse pœna, vbi delictum nullum est. *l. Gracchus* 4. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* nec rursus potest delictum esse sine dolo, scilicet vt corporaliter puniatur. Clar. *quæst.* 84.

9 *Not. in l. ob es, C. de oblig. & action.*

[DEFINITIO IV.

QVi post citationem personalem à Senatu alioue inferiore iudice imperatam allegat suspectum eum qui testationes excepit, non eo minùs iudicato parere debet, atque ex ore & vinculis respondere, tam propter rei iudicatæ authoritatem, quæ sancta semper & inuiolabilis esse debet, tum quia, si qua suspicione laboret fides inquisitoris potest ea purgari testibus repetitis, adeoque si opus sit reo commissis. *Ita Senatus* pro N. Perret. Augustano, 7. Calend. Februar. 1612].

BIU Cujas

TIT. IV.

DE CVSTOD. REOR.

DEFINITIO I.

Commentariensis habet in subsidium actionem contra procuratorem iurisdictionis, & contra dominum, & in bona domini, siue nullum hæredem ille reliquerit, siue aliquem cum beneficio inuentarij.

PROCVRATOR iurisdictionis, [1] quem vulgo *officij* appellant condemnandus est in expensas omnes, quas pro custodia & alimentis condemnati, aut absoluti rei per Commentariensem erogari oportuit, si neque habeat reus de suo vnde possit soluere, neque priuatus vllus accusator sit contra quem eiusmodi sumptus repeti possint. [2] Non tamen proprio, sed procuratorio nomine condemnari debebit, [3] vt eius tandem damno res cedat, qui dominus iurisdictionis est, [4] si non euidens fuerit calumnia procuratoris, nec speciale mandatum habeat ad agendum: [5] Alioqui generale sufficit, vt officio suo coactus potius, quam vltro ad accusandum prosiliisse existimetur. [6] Quod si interea dominus decesserit nullo hærede relicto, eiusque bona per creditores possideantur, siue dominij, siue pignoris tantum iure, æquissimum est ex eiusdem iurisdictionis fructibus capi quantum necessariis ills sumptibus farciendis necesse est. [7] Quasi obligatis in hanc rem non ipsis tantum bonis, sed etiam eorum fructibus anteriore quodam iure ad quoscumque res perueniat successores. Est enim iurisdictionis cuiuslibet delictorum coercitio, [8] quæ tamen sine sumptibus præsertim custodiæ & alimentorum explicari non potest. [9] Idem multo magis admittendum erit si dominus decesserit relicto hærede, qui beneficium legis & inuentarij implorauit. [10] Non enim ad generalis discussionis instantiam Commentariensis remittēdus est, vt huiusmodi sumptuum quorum alioqui tam iusta & necessaria causa est solutionem consequatur. [11] *Ita Senatus* pro Antonio Bourgeois, contra Philippum le Bel procuratorem iurisdictionis de Chastillon & Pondeueyle, 4. Id. Nouemb. 1592.

1 Quia ad eum pertinet criminis persecutio & accusandi necessitas ne delicta maneant impunita, *l. post legatum 5. §. Adiudicatum fisci, vbi not. D. de his quibus vt indign.*

2 Nam siue reus ipse sit soluendo, siue accusator priuatus, nihil in procuratorem iurisdictionis constitui debet, ne officium ei suum sit damnosum, *d. §. aduocatum*, iunct. *l. videlicet 29. D. ex quibus caus. maior.*

3 Cum non proprio nomine egerit sed procuratorio.

4 Egisse namque ille videtur qui per procuratorem suum egit, *l. 1. §. vsus, & pass. D. de procur. l. ita autem 5. §. quod si quis, D. de admin. tutor.*

5 Nemo enim generale mandatum habere intelligitur ad calumniandum, aut aliter delinquendum. Si quidem generali mandato interest semper clausula bonæ fidei, *l. creditor. 60. §. vlt. D. mandat.*

6 Et ideo necessitas officij debet eum excusare maxime cum alius quispiam priuatus delator & accusator fuit, cuius intentionem procurator iurisdictionis fuerit secutus, & excutus, vt loquitur Paulus *in d. §. aduocatum fisci.* Vide Cuiac. *ad l. 2. Cod. de delat.*

7 Est enim hoc onus non tantum iurisdictionis, sed etiam fructuum iurisdictionis, qui scil. nulli esse possunt nisi qui superstint necessariis impensis deductis *l. quod in fructus 46. de vsur.* Esse autem, necessarias istas impensas ex eo apparet, quod priuandus esset iurisdictione dominus si delicta, quæ admissa sciret, impunita relinqueret. Hoc enim esset abuti iurisdictione, non vti.

8 Quæ scilicet adnexum habet imperium merum, *l. 3. cum ibi notat. D. de iurisdict.*

9 *L. 1. & tot. hoc tit. D. & C.*

10 Siquidem non est sine herede qui heredem habet, quamuis cum beneficio legis & inuentarij, *l. vlt. C. de iur. delib.* iunct. *l. quasi 30. §. sed etsi suus, de fideic. libert.*

11 Nempe quod ea discussionis instantia semper longiores habeat moras.

DEFINITIO II.

Capitis pœna irrogatur Commentariensi qui carceratæ mulieri stuprum intulit etiam citra vim, dum ne meretrici.

COmmentariensem qui etiam citra vim rem habuerit cum muliere, quam in custodia habebat capitis pœna puniendum esse placuit, siue ex causa delicti, siue ex alia quacumque in carceres detrusa mulier proponatur. [1] *Ita tractatum est* 7. Cal. April. 1593.

1 Nimirum ex consuetudine illa, quam receptam esse attestatur Ioan. Faber. *in §. item lex Iul. nu. 6. Instit. de public. iudic.* Paris de Put. *de syndic.* in verb. *Adulterium.* Quamuis non eodem iure omnes gentes vtantur, vt videre est apud Iul. Clar. *lib. 5. sent. §. fornicatio. nu. 24.* Excipe casum quo mulier carcerata sit meretrix, tunc enim minus agendum est cum custode carceram qui eam per vim cognouit Clar. vbi supra ex Boer. *decis. 317. num. 9.* Ioan. Papon. *in syntagm. l. 22. tit. 8. §. 1.* Quid vero si alius ex carceratis cognoscat meretricem pariter carceratam. Negat Clarus molestandum illum esse post Boer. *vbi s. nu. 10. & 14.* Quod intellige si modo vis absit quæ numquam debet esse impunita.

DEFINITIO III.

Vocatus ad iudicem, vt respondeat ex ore ad fines ciuiles tantum, non censetur esse in vinculis, & potest abire sine venia.

QVi iussus est ad iudicem venire de crimine ex ore responsurus ad fines, vt pragmatici loquuntur, ciuiles tantum, non censetur esse in vinculis. [1] Ideoque quasi ciuili potius, quam criminali iudicio conuentus, post factam à se responsionem constitutumque procuratorem, potest impune abire nulla à Senatu alioue quolibet iudice abeundi licentia impetrata. [2] *Ita Senatus* ex tempore in secreto auditorio pro N. Gaspardo Chabod contra Spect. Ioannem Regnaud tunc iuridicum Sabaudiæ maiorem, nunc Senatorem clarissimum, 6. Non. Mart. 1594.

1 Alioqui nihil prodesset ea adiectio, *ad fines ciuiles tantum*, quod dicendum non est, *argum. l. si idem 7. Cod. de iur. codicill.* [Si tamen is qui venire iussus est ad fines ciuiles non compareat iubendus est iterum venire sub comminatione grauioris alicuius pœnæ pecuniariæ, & ni veniat, iubendus est comparere personaliter ad fines criminales: denique si adhuc contumax est, iubendus est prehendi nō antea. *Ita Senatus* 15. Nouembr. 1612.]

2 Quod omnino diuersum est in eo qui iussus fuit venire ad fines criminales. Iubetur enim hic redire & prehendi si discesserit sine venia. Quænam vero sint dicendæ causæ criminales, & qnæ ciuiles, vide apud Iul. Clar. *in pract. crim. q. 1.* vbi concludit ciuile iudicium esse quoties agitur ad pœnam soli parti applicandam, licet pœna descendat ex delicto, criminale vero quoties ad pœnam etiam fisco applicandam. Ex gloss. & Bart. *ad l. 3. D. de sepulc. violat.* Quod si agatur ad priuationem officij & nihil fisco applicetur, vulgo creditum est iudicium esse ciuile non criminale, si modo pœna illa non ordinaria, sed extraordinaria. Iul. Clar. *ibi num. 3.*

DEFINITIO IV

Detrusus in carceres exhibendus est quam minimis fieri potest sumptibus, nisi de suo se exhibeat, si ex causa criminis reus sit, secus si pro debito alia ve causa ciuili.

QVi ex causa criminis in custodia est priuato accusante, non nisi iis sumptibus qui sunt mini-

BIU Cujas

mi exhibendus est, nisi maiorem de suo præstare velit. [1] Nec aliud erit tametsi nobilis & diues reus sit, [2] nec rursus distinguemus an graue delictum sit, an leuius illud de quo agitur. [3] Sane diuersum esset si pro debito aliáve ciuili causa qualibet carceribus esset quis mancipatus. Tunc enim pro personæ qualitate maiorum sumptuum præstationi locus esse potest, nisi creditor protestetur nolle se maiores præstare. [4] Quo tamen casu vix est, vt non teneatur iniuriarum si debitor sit honestæ conditionis & soluendo. [5] *Ita Senatus* in causa D. de Monfort Miomax, & Emanuelis Marini de Chastel, 6. Id. Mart. 1594.

1 *Arg. l. semper in obscuris 9. cum ibi not. de regul. iur.* Nemo enim superuacuo sumptu onerandus est in ea præsertim re quam faciat ex necessitate, *arg. l. si fideiussor 7. §. si necessaria, D. qui satisd. cogant. l. 3. C. de admin tutor.*

2 Quia eo casu tanto maior ratio est, vt de suo exhibere se debeat non de alieno, *l. 2. cum ibi not. C. de alim. pupill. præst. l. 2. & 3. D. eod.*

3 Quid enim commune habet causa alimentorum cum causa criminis? Nam & iniquum est reum criminis pendente accusatione necessario sumptu egere, *l. reo criminis 41. D. de solut.*

4 Postquam protestationem imputare sibi debet custos carceris si maiores sumptus subministrauerit, *arg. l. filiusfamilias 16. D. de SC. Maced. l. aut si ante 30. D. de rei vindic.*

5 *Arg. l. si vero 5. §. 1. D. qui satisd. cogant. l. iniuriarum 13. §. si quis per iniuriam, l. si creditor meus 19. D. de iniur.* Cur ergo aliter seruatur in eo qui ex causa delicti detrusus sit in carceres? Nempe quia reatus honorem omnem excludit, *l. 1. C. vbi Senat. vel clariss.*

DEFINITIO V.

Commentariensis non est immunis ab hospite recipiendo. Recipere tamen non tenetur in ea domo in qua sint carceres, aut ea quæ ad carceratos alendos & exhibendos sunt necessaria.

NIhil est quod Commentariensem immunem facere possit ab onere præbendi militibus hospitij, si in ea ciuitate, in qua sunt carceres quorum custodiam habet, domum possideat militibus excipiendis idoneam. Est enim id munus reale, [1] à quo ne ij quidem sunt immunes qui alioqui personale immunitatis priuilegium habent, [2] in quorum numero non est Commentariensis. Si tamen proponas eos esse carceres in quibus morari Commentariensis non possit, vt in aliis ædibus eum habitare necesse sit omniaque asseruare quæ ad captiuorum exhibitionem sint necessaria, iniquum sane fuerit, & inconueniens cogi eum præbere militibus hospitium in eadem domo, quorum lasciuiæ & audaciæ exponatur quod in captiuorum alimenta fuerat erogandum, [3] idemque multo magis probandum erit si proponas tam angustos carceres publicos, vt in priuatas Commentariensis ædes vice carceris coniici reos necesse sit. [4] Quomodo enim fieri possit, vt diligentem custodiam præstet in militum lasciuientium audacia, quam nequeat cohibere? [5] Ne tamen eo prætextu immunitatem consequatur in cæterorum necem quos tanto magis onerari necesse esset, æquissimum visum est illud temperamentum, vt contributionis onus Commentariensis subeat, sed ita tamen, vt in iis ædibus in quibus habitat hospitij incommodum sentire non cogatur, at nihilominus in subducenda ipsius facultatum ratione, earum quoque ædium, vt cæterorum bonorum ratio habeatur. [6] *Ita Senatus* in causa N. Bocellin, contra Syndicos Bellicenses, 4. Id. Maij 1594.

1 Et patrimoniale, *& qui originem 3. §. munus hospitis, D. de muner. & honor.*

2 Cum à muneribus patrimoniorum nemo excusetur, *l. 2. 3. & pass. C. de muner. patrim. lib. 10. tit. 41.*

3 *Arg. l. ex conducto 15. §. si vis tempestatis, vers. idemque dicendum, D. loc.* iunct. *l. quamuis 20. D. solut. matr.*

4 Non enim verendum est ne ideo priuati carceres facti videantur, cum publica magistratus auctoritate pro publicis habeantur.

5 Hinc enim neque dolum possis imputare neque culpam, neque negligentiam, *l. contractus 25. in fin. l. culpa caret 50. de reg. iur. l. carceri præpositus 8. D. hoc tit.*

6 Ita enim fit, vt vtrique parti aduersus vtrumque in commodum bene consulatur. Quod semper, quantum fieri potest, curandum est, *l. ex his 8. in fin. D. quæ in fraud. credit.*

DEFINITIO VI.

Qui è carceribus auffugit an & quando, & quatenus eo nomine sit puniendus?

QVi pro debito ciuili in carcere, aut in vrbe carceris loco retentus auffugit priusquam creditori satisfaceret, non ad id solum condemnandus est, quod interest creditoris, sed in mulctam quoque pecuniariam fisco applicandam propter delictum in eo commissum, quod spreta est auctoritas ius dicentis, [1] quamuis antea non de crimine, sed de ciuili debito ageretur. [2] Nec debitori ad euitandam pœnam proderit, quod postea vltro redierit in eum vnde auffugerat locum. [3] Tametsi soleat dici non videri carceres effregisse, saltem, vt eo nomine puniri debeat qui in carceres vltro reuersus est. [4] Id enim eo pertinet, vt pro confesso conuictoque habendus non sit, non autem, vt effractionis crimen penitus deleatur. [5] Ne alioqui in cuiuslibet rei potestate sit ius dicentis auctoritatem eludere, solaque pœnitentia crimen purgare: [6] Præsertim cum nec solus ille in vrbem reditus facere possit ne aduersarij nihil interesse videatur qui fortasse nunc haberet solutionem si iudici paritum fuisset. Ideo enim solent creditores personam debitoris pignori obligatam in carceres detrudere, vt carceris tædio facilius nulloque suo aut periculo, aut incommodo extorqueant solutionem. [7] Sane si per creditoris iniuriam debitor retentus fuit, impunita est eius fuga, [8] quemadmodũ & si creditori satisfecit priusquam auffugeret, per eumve non steterit quo minus satisfaceret, [9] vtputa si obsignauit. [10] Quamquam adhuc tutius est, vt nihil fiat inconsulto iudice, ne auctoritas eius spreta videri possit. [11] Sed etsi de debito nondum bene constat, ob idque iudex debitori licentiam abeundi dederit, præstita tamen prius cautione, debitor autem abierit ante præstitam cautionem, eo nomine condemnandus erit, quamuis ex postfacto appareat, aut nihil eum debuisse, aut nihil creditoris interfuisse, quod ei iam satis abunde cautum esset. [12] Id enim facit postulatque auctoritas iudicati, cui omnino standum est. [13] *Ita Senatus* pro N. Bernardo Dacquin procuratore fiscali Sabaudiæ, contra Ioannem Mouton, 23. Calend. Mart. 1595.

1 Quam non debet spernere quisquis ad iudicem vocatus fuit, *l. 2. D. si quis in ius vocat. non ier. l. si quis ex alienis 5. D. de iudic.* Multo minus ille qui ex iudicis imperio fuit detrusus in carceres.

2 Crimen enim est è carceribus auffugere, nisi cum quis fuit indebite, & iuris ordine non seruato carceratus. Hic enim potest licite auffugere. Alioqui habendus est pro confesso & conuicto, maxime si auffugerit fractis carceribus, non quod inuenerit apertam ianuam per negligentiam custodis, Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 21. num. 25. 26. & 27.*

3 In delictis enim nemo sola pœnitentia nocens esse desinit, *l. qui ea mente 65. D. de furt.*

4 Iul. Clar. *vbi supr. num. 28.* post Boer. *q. 215. num. 18. & 19.* Illud sane certum est cum qui auffugit si postea citatus sponte compareat nullum pati indicium ex præcedente fuga, ne quidem leue, Clar. *vbi 5. num. 24.* ex Bart. *in l. quis sit fugitiuus. §. 1. de adilit. edict.*

5 Mitius sane puniendus est, & pœna extraordinaria, non autem

autem pœna ordinaria quæ effractori deberetur. Clar. *d.t. numero* 28.

6 Quod esset absurdum, delictum enim ex facto æstimatur. Factum autem pro infecto haberi non potest. *vulg. l. in bello* 12. §. *facti, D. de captiui. & postlim.*

7 *Arg. l.* 15 *cui* 3. *D. ut in poss. legat. l. ob æs* 12. vbi DD. *Cod. de oblig. & action.*

8 Quisquis enim est indebite carceratus potest licite aufugere, adeò, vt neque teneatur redire ad carceres etiamsi iurasset se rediturum. Iul. Clar. *vbi supr. num.* 28. Ex Didac. *lib.* 1. *var. resolut. cap.* 2. Quod intellige etiamsi carcer fuit publicus. Nam priuato carcere quin effugere liceat, nemo dubitat. Boer. *d. decis.* 215. *numer.* 13. Facit *l.* 1. § *vltim. D. ne quis eum qui in ius vocab. vi exim.*

9 *Ex regul. in omnibus causis* 39. *de reg. iur. l. si debitor* 30. *D. de solut.*

10 Obsignatio enim vice solutionis est quoties rite facta est creditore solutionem sine causa recusante, *l. si per te non stat.* 7. *l. acceptam* 19. *C. de usur. l. obsignatione* 9. *C. de solut.*

11 *Sic in l. creditores* 3. *C. de pignor.* Non enim omne quod licet honestum est, nec expedit, *l. non omne* 144. *de reg. iur.*

12 Etsi dici solet neque actionem, neque exceptionem dari ei cuius nihil interest, *l.* 3. § 1. *de verb. oblig. l. ille à quo* 13 §. 1. vbi Alex. & alij *D. ad SC. Trebell.*

13 *L. si fundus* 16. § *si plures, D. de pignor. l. seruo* 65 §. *eum prætor. D. ad SC. Trebell.*

DEFINITIO VII.

Commentariensis pro sumptibus in exhibendos & alendos reos factis habet non tantum actionem in eos sed etiam ius eorum in carceribus retinendorum.

EXpensæ, quas custodiendis & alendis reis de suo Commentariensis prorogasse probatur, non ab alio magis quam ab iis ipsis qui alimenta perceperunt, restitui debent. Idque non solum stylo Senatus nostri cautum est,[1] sed etiam iure optimo nititur, quod is qui cum propriis sumptibus seipsum exhibere potuisset, si voluisset,[2] maluit à Commentariensi alimenta percipere, hoc ipso ei, vt aleret, mandasse videatur.[3] Quare nec inutilis in eam rem mandati actio erit, Quanquam posset sufficere condictio ex lege,[4] cum ius nostrum prouinciale vim & potestatem legis habeat.[5] Item condictio illa generalis, quæ dari solet in eos, qui alioquin ex aliena iactura locupletarentur,[6] vt quod quis ex alieno sine causa retinet, id restituere compellatur.[7] Si tamen non sint soluendo ij, quibus alimenta sunt præstita, illi quoque in subsidium tenebuntur. qui reos in carcerem coniecerunt.[8] Quod si, vt fieri assolet, ad eiusmodi sumptuum solutionem præcise ac principaliter se obligauerint, directa quidem actio in eos ex stipulatione competet, sed ea res non liberabit reos, quo minus contraria quoque mandati actione, si eos Commentariensis elegerit, conueniri possint.[9] De illo sane dubitari magis potest, An pro eiusmodi sumptibus possint debitores in carceribus retineri, existimantibus plerisque à iuris scripti ratione id abhorrere.[10] Sed tamen consuetudine generali locorum fere omnium receptum est, vt ea retentio iusta esse nec vllam habere injuriam existimetur.[11] Ne qui ex necessitate officij alimenta præstitit, si eo nomine cogatur actionem instituere, longiores judicij ac solutionis moras & incommoda patiatur.[12] *Ita sæpius tractatum & definitum est. Sine die.*

1 Articulo styli nostri 144.

2 Nam ex eodem styli articulo is, qui in custodia est, habet electionem.

3 *Arg. l. qui patiatur* 18 *D. mandat.*

4 *L. vnic. D. de condict ex leg.*

5 §. 1. *Instit. de iur. natur. gent. & ciuil.*

6 *L. nam hoc natura* 14. *D. de condic. indeb. l. iure naturæ* 206. *de reg. iur. in* 6.

7 *L. si me & Titium* 32. *D. de rebus credit.*

8 Ranchin, ad Guid. Pap. *qu.* 448. [Obserua tamen si quis iam postulante vno incarceratus alio postea curante in carceribus retineri iubeatur, non posse pro sumptibus conueniri posteriorem, nisi à quo tempore liberationi prior consensit. *Ita Senatus* in causa Aduocati Pignerij, & alias sæpius. *Sine die.*]

9 Vna enim actio præsertim nondum electa aliam nunquam consumit, *l. cum filius* 76. §. *variis, de leg* 2. *l.* 5. §. *eligere. vbi not. D. de tribun act.*

10 Iacob. de Aret, quem refert. Guid. Pap. *d. quæst.* 448.

11 Guid. Pap. *ibid.* Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 62. *numero* 10.

12 Vtilius enim est prospicere sibi per retentionem, quam per actionem, *l. minor.* 40. *D. de minor. l. si necessarius* 8. *D. de pign. act. l.* 1. *D. de pignor.* Nemini autem officium suum præsertim publicum debet esse damnosum, *l. videlicet* 29. *D. ex quibus caus. maior. l. si serius* 61. §. *quod vero D. de furt.*

TIT. V.

DE PRIVAT. CARCER. INHIB.

DEFINITIO I.

Priuati carceres prohibiti quidem sunt regulariter, sed tamen permittuntur ex causa, & ad certum vsque modum.

QVIBVS casibus permittitur creditori aut accusatori eum, quem ex delicto vel contractu obligatum habeat, propria auctoritate prehendere, puta fugientem aut latitantem,[1] iisdem quoque permittendum est, vt priuatis eum carceribus detinere possit, si publici carceres eo loco nulli sint,[2] dummodo quamprimum facere poterit[3] publicis illum reddi curet aut officialibus, vt loquuntur, eius loci, in quo reus captus est, si qui tum sint ibi. Sin minus iis, qui in proximiore loco iurisdictionem aliquam habent.[4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 7. infr. De iniur.

1 *Ex l. ait prætor* 10. §. *si debitorem meum, D. quæ in fraud. credit. & l. generalis* 54. *C. de decur. lib.* 1. *tit.* 31.

2 Nam si sint publici carceres in eo loco non sunt priuati vllo modo permittendi, *l. non est singulis* 178. *de reg. iur.*

3 Id est intra spatium viginti horarum, vt tractat Iul. Clar. *in pract. crimin. qu.* 68. *num.* 32.

4 Alioqui pœna capitis tenetur is, qui priuatum carcerem exercet, *l.* 1. *C. hoc tit.* Iul. Clar. *vbi supr.* Papon. *in syntagm. lib.* 23. *tit.* 1. §. 1

TIT. VI.

AD LEG. IVL. MAIEST.

DEFINITIO I.

Pœna mortis debetur crimini læsæ maiestatis, sed quod genus mortis?

EX causa læsæ maiestatis in quocumque capite legis Iuliæ capitalis supplicij mortisque pœnam irrogari certum est,[1] sed non semper gladij,[2] si gladium intelligas capitis amputationem.[3] Id enim in nobilioribus dumtaxat obtinet: In ignobilibus furcæ supplicium frequentius est,[4] si falsæ monetæ excusores excipias; quos cremari potius debere placuit.[5] Itaque cum quidam N. Le Clerc Tononensis, in ipso belli Geneuensis primordio ad hostes profugisset, & arcis Tononensis præfectum ad deditionem summo totius Reipublic. nostræ damno impulisset, ac furcam damnatus est: Hoc etiam addito, vt ex

BIU Cujas

cadauere caput amputaretur, tum reliquum cadauer in frusta quatuor per equos discerperetur : Item, vt si cæteras facultates doti restituendæ, cæterisque creditoribus dimittendis pares esse appareret, domus eius, qua hostes ad arcis expugnationem vsi fuerant, funditus exscinderetur : Aut si saluo creditorum iure commodo, id fieri non posset, lapide saltem parietibus infixo cum condemnationis superscripto, in perpetuam condemnati memoriæ perfidiæque infamiam, publicæ vindictæ consuleretur. *Ita Senatus* Prid. Id. Nouembr. 1590.

1 Iul. Clar. *in* § *læsæ maiestatis, num.* 8.

2 Quæ tamen pœna constituta est, *in l. quisquis* 5. C. *hoc tit.*

3 Quanquam potest capitis quoque amputatio fieri & gladio & securi, quæ posterior pœna crudelior est. Vnde illud Imperatoris Caracallæ dictum ad occisorem Papiniani : *Gladio te bon securi iussum meum oportuit exequi.*

4 Solent etiam viui in frusta scindi, quod dicimus *estre rouës & mis en quatre quartiers.* Iul. Clar. *dict. nu* 8.

5 *Ex l.* 2. C. *de fals. monet.* Iul. Clar. *in* §. *falsam num.* 46. post Didac. & alios citatos.

6 Semper enim creditorum habenda ratio est, vt fiscalibus pœnis præferantur, cum certent de damno vitando, *l. vnic. C. pœn. fiscal. credit præfer.*

7 Publice namque interest, vt in hoc potissimum delicto tam atrox pœna sit, vt ad exemplum trahatur, vt cæterorum æque perfidorum animi à tali tantoque delicto deterreantur, quod vnum pœnarum omnium propositum est, *l cum seruum* 6. C. *de seru. fugit. l. aut facta* 16. 5. *vlt. D. de pœn.*

[DEFINITIO II.

Bonorum omnium confiscatio ex causa huius criminis irrogatur. Sed interdum ex confiscatione subducitur pœna pecuniaria, quæ tamen Principi applicanda est. Et hoc cur ita?

SEd & bonorum omnium publicatio & confiscatio ex tanti huius criminis causa semper & omnimodo irroganda est. [1] Quod quamquam ita est, obseruare tamen Senatus noster solet Gallici ritus exemplo, vt mulctæ & pœnæ nomine pro modo facultatum summa aliqua detrahatur, tametsi hæc quoque pœna non alteri, quam ipsi Principi applicanda sit. [2] Differentia namque est inter bonorum confiscationem, & pœnæ pecuniariæ condemnationem, tametsi forte tanta sit, vt confiscationi æquipolleat, quo quicquid publicatum est, incorporatur, vt nostri loquuntur, dominio Principis, & consequenter sit inalienabile, [3] Quod vero adiudicatur pœnæ nomine patrimonij iure non censetur. [4] Sed & alia distinctionis huius vtilitas maximaque esse potest, si ponas condemnatum habere bona in diuersis prouinciis & extra territorium Senatus de crimine iudicantis. Confiscatio siquidem in vno territorio facta ex causa, quæ iuris communis rationem habeat, facit ius, quod ad bona omnia, sed ita vt quæ in alterius Principis territorio sita sunt, ad eius territorij Principem deferantur. [5] At pecuniariæ mulctæ irrogatio in eius Principis fauorem facta, cuius maiestas læsa est, bona omnia sic afficit, vt ex iis quæcumque tandem & vbicumque terrarum sint, deduci pœna possit iure crediti. [6] Hoc vero iure vti vel tum maxime æquum est, cum, quod plerumque euenit, confiscatio etiam priusquam iudicatum sit donata per festinatam Principis liberalitatem ad aulicum aliquem minus fortassis bene meritum perueniura est. [7] Vt quoniam omnino impediri non potest liberalitas, hactenus saltem restringatur, vt Principi saluum sit, quod pro mulcta pecuniaria ex condemnati bonis ante omnia deducendum est. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Auth. bona damnatorum*, vbi gloss. & DD. in verb. *fisco C. de bon. præscript.* quod intellige ita, vt hæc confiscato fiat à lege & ipso iure statim ab instanti admissi delicti, licet confiscatio non sortiatur effectum, nisi secuta hominis sententia, per quam declaretur reum incurrisse crimen læsæ maiestatis, Iul. Clar. *in* §. *læsæ maiestatis num.* 9.

2 Ita vt effectu ipso totum emolumentum condemnationis ad Principem perueniat.

3 Ex edictis Principum fere omnium, quib. districte prohibita est dominij coronæ alienatio.

4 Et ideo disponere Princeps de eo pro arbitrio potest. Vide Guid. Pap. *d. decis.* 76. & 341.

5 Guid. Pap. *d. decis.* 76. Boer. *in tract. de seditios.*

6 Tanquam æs alienum, quod vniuersi patrimonij onus est, non bonorum certi loci, *l cogi* 36. § & *generaliter cum seq. D. ad SC. Trebell. l. ex facto* 35. *D. de hared. instit.*

7 Vt passim hodie fit contra *l.* 1. & 2. *C. de petit. hon. subl.*

8 Ita enim fit, vt Principi aduersus importunas aulicorum cupiditates commodissime consulatur.

DEFINITIO III.

Ex confiscatione bonorum mariti deducitur dos & omne æs alienum. Non tamen donationes in vxorem collatæ, & liberis superstitibus reseruandæ, nisi quamdiu mulier viuit.

CVm tamen ex bonorum confiscatione dos vxoris deducenda sit, sicut & si quid præterea condemnati creditoribus debeatur, [1] dubitari potest, an & quod augendæ dotis gratia vxori à viro donatum est deduci oporteat. Et memini quosdam referre, cum alias ea quæstio ex facto incidisset, iudicatum pro vxore, vt ea dotis portio non publicaretur. [2] Sed cum lex ita concepta sit, vt ea omnia publicari oporteat, quæ alioqui mulier communibus liberis seruare teneretur, [3] in quorum numero dotis augmentum esse nemo ambigit. [4] Placebat illa distinctio, vt mulieri quoad viueret ea portio non magis quam reliqua dos auferretur, nec quod ad proprietatem, nec quod ad vsumfructum, quandoquidem & ipsa quoque proprietas ad eam pertinet. [5] Sed mortua tamen muliere superstitibus liberis communibus, ad quos mariti liberalitas reuerti deberet, publicatio quæ ante eum diem vires suas exerere non potuerat, tum demum ad hanc quoque dotis partem extenderetur, postquam delicti atrocitate humanum & æquum visum est, [6] vt paterni criminis impietas in liberorum quoque bonis vindicetur. [7] Sane cum fiscus mariti bona occupat non ex causa huius delicti, sed tanquam vacantia nullo hærede legitimo existente, nemo dubitat quin saluæ sint mulieri donationes à viro in eam collatæ, nec illæ tantum, quæ ab initio valuerunt, sed & eæ, quas morte confirmari necesse fuit : quia neque ius vllum fisci est hoc casu in bonis mariti, nisi à quo tempore is decesserit. *Ita in Senatu tractatum est* in eadem causa.

1 Non enim possunt bona vlla ad fiscum peruenire, nisi quæ admissis creditoribus superfutura sunt, cum bona non dicantur, nisi deducto ære alieno *l. non possunt* 11. *D. de iur. fisc. l. subsignatum* 39. §. 1. *de verb. signific.* [*Tot. tit. C. pœn fiscal. cred. præf. li.* 10. *tit.* 7. *l. quod placuit* 37. *D. de iur. fisc. leg.* 48. § 1. *eod.*]

2 Nec enim dos mulieris confiscatur nec donatio ei facta, nisi quæ facta fit post admissum crimen *l. quisquis* 5. *vers. dotes C. hoc tit.* Dotis vero augmentum videtur censeri debere eodem iure, quo dos, tanquam portio quædam dotis, *l. inter socerum* 26. §. 1. *D. de pact. dotal.*

3 *d. l. quisquis, vers. vxores*

4 *Auth. Sxore mortua C. de secund. nupt. & in corpore, vnde sumitur.*

5 Quamuis cum onere restitutionis, si postea conuolet ad secunda vota, *leg* 3. *Cod. eod.* Sic *in l. species* 15. *de aur. & argent. legat.*

6 *d. l. quisquis.*

7 Intellige siue liberi nati sint ante delictum siue potest, sed tamen distinguimus, an bona filiorum, quæ confiscantur, iis obuenerint, aut delata sint ante vel post crimen, vt ex Salyc. defendit Boer. *quæst.* 7. *nu.* 6. dicens non confiscari bona filiorum quæ iis ante delictum obuenerunt, post Ang. *ad dict. l. qui, qui ex illis*

ex illis verbis legis *proximorum hæreditate.* Imo nec in ciuium numero habentur, qui post rebellionem nati sunt. Clos. Bald. & cæteri *in l. Imperator vltim. de stat. homin.* Boer, *quæst.* 13. *numero* 27. Vide tamen Iul. Clar. *in §. læsæ maiestatis numero* 10. & *seqq.* vbi ait pœnas impositas huic crimini *per d. l. quisquis*, licet sint restringendæ, quatenus sunt contra iuris regulas ideoque non habeant locum aduersus filias; tamen extendendas esse ad naturales quoque liberos & vsque ad secundum gradum descendentium masculorum, & vsque ad primum gradum masculorum descendentium ex fœminis, & etiam pro crimine matris, non tamen ad liberos ante natos sicuti nec contra eos, qui crimen læsæ maiestatis commiserunt aduersus alium, quam supremum Principem vel Imperat. vel Rempublic. Romanam scilicet, quod ad filios delinquentis pertinet. Nam quod ad ipsum delinquentem aliud est. Iul. Clar. *vbi sup. numero* 2. 3. 4. 5. & 14. Adde Andr. Gayll. *lib. 2. practic. Observat. cap.* 86.

8 *L. 1. C. de donat. int. vir. & vxor.* Est enim longe diuersa horum casuum ratio. Ex notat. per Guid. Pap. *qu.* 169. [Constat sanè fideicommissario non posse nocere quod rogatus hæres condemnatus fuerit læsæ maiestatis, & eius bona confiscata sint *l. Statius* 48. §. 1. *D. de iur. fisc.* In eóque melioris est conditionis, quàm agnati, quibus hæreditas tota auffertur, *l. 5. 6. 7. & 8. C. hoc tit.* Veniunt enim ex tacito iudicio criminoso, non etiam fideicommissarius qui succedit testatori, *l. 1. & 2. D. ad Treb. l. 8. de iur. Cod. l. 126. de leg. 1. Ita Senatus* in causa D. de Cardé & de Monmayeur. 13. Calend. Octobr. 1612.]

DEFINITIO IV.

Priuilegium criminis læsæ maiestatis, vt facilius probetur.

LIcet in causis criminalibus regulare sit, vt vnus testis quantumuis integer non faciat indicium ad habendam de reo quæstionem, [1] multo minus is, qui socius criminis est, [2] sicut nec qui laborat infamia iuris: [3] Tamen cum de crimine læsæ maiestatis agitur, contra obseruatur. Nam & quilibet testes admittuntur etiam famosi, [4] sociique criminis, [5] & si vel vnus adsit, [6] quamuis se criminis socium fateatur, [7] facit indicium ad torturam aliis quoque deficientibus indiciis omnibus. Eamque sententiam, licèt valde duram & à plerisque grauissimis iureconsultis improbatam. [8] Senatus noster secutus est contra fratres du Mont du Pontdeueyle, & Ogerium Ynard postea tamen absolutos 6. Calend. Iul. 591. Hac potissimum ratione, quod in ea incidissemus tempora, vt propter frequentiores tanti sceleris suspiciones, & ad terrorem exemplo aliquo opus esse videretur. [9] Petuulgatum enim est, licet vtu periculosum Cassij Senatoris verbum apud Tacitum: Omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod publica vtilitate compensatur.

1 Nisi adsint aliæ coniecturæ, Boer. *quæ* 163. *numer.* 3. contra Bart. *in l. 1. de quæst.* Ex Alex. *cons.* 124 *lib.* 6. [ergo si sint duo, facient indicium ad torturam. Clar. *in §. fin. quæst.* 21. *num.* 9]

2 *L. vlt.* vbi DD. *de accusat.*

3 *L. infamem* 7. *D. de publ. iud.*

4 *L. famosi* 7. *D. hoc tit.*

5 *d. l. vlt. C. de accusat. l. quisquis* 5. *in fin. C. hoc tit.*

6 Papon. *in syntagm. lib.* 24. *tit* 2. §. 9.

7 Gomes. *tom.* 3. *Comment. seu var. resolut. titul.* 12. *de prob. dict. num.* 8.

8 Vt videre est ex Boer. *decis.* 39. *num.* 1. quem cum aliis plerisque refert & sequitur Iul. Clar. *in pract. crimin. qu.* 21. *num.* 8. & *præced.*

9 *Vt in l. aut facta* 8. § *vltim. D. de pœn.* Alia priuilegia huius criminis vide apud Iul. Clar. *in dict. §. læsæ maiestatis num.* 15. & *seqq. vsque ad fin.* Nempe vt in eo puniatur affectus, licet non sequatur effectus. Vt morte non extinguatur, si commissum sit aduersus Principem vel Rempublic. Romanam, & in primo capite si modo instituatur accusatio intra quinquennium à die mortis numerandum. Item, vt possit contra absentem procedi & ille condemnari. [Obserua autem committi hoc crimen in primo capite, non tantum si quis conspirauerit aduersus personam ipsam Principis, sed etsi aduersus eius statum directò & principaliter, quod veteres dicebant aduersus rempublicam, quæ hodie non alia est, quam status supremi cuiusque Principis. Eamque opinionem Senatus noster secutus est Illustriss. D. Ducem Gebennensem. Nam cum habeat priuilegium vt de quocunque crimine læsæ maiestatis possit cognoscere excepto primo capite, adeoque ex ea causa delinquentis bona omnia confiscare. Pronunciatum tamen est à Senatu non potuisse illum cognoscere de seditione à quibusdam subditis suis suscitata, qui id egisse dicebantur vt trucidatis nobilibus omnibus quos in suo oppido deprehendi contingeret, Valesianis se iungerent, & Principis nostri dominationem exuterent.]

DEFINITIO V.

Socius criminis non facit indicium ad torturam, ne quidem in crimine læsæ maiestatis, nisi delictum suum & in reiurando & tormentorum patientia firmauerit.

ILlud tamen obseruandum est, socium criminis, cum propria confessione sit infamis, non aliter indicium facere posse ad habendam de correo quæstionem etiam in crimine læsæ maiestatis, quam si non solum iureiurando, sed etiam constanti tormentorum patientia falsitatis & mendacij suspicionem, quæ infamibus obstat, deleuerit. Neque hac parte distinguimus, qualis infamia sit iurisne an facti, aut qualis testis i. e. an egregia, an vilis persona. [2] Quæstio enim de socio criminis semper habenda est, non vt in testem admittatur, sed vt ex ipsius testimonio reus quæstioni dedatur. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 21. *num.* 10. & 11. post Marsill. *in pract. crimin. §. diligenser. numer* 61. Boer. *decis.* 319. *post numero* 4.

2 Idem Clar. *vbi §. quæst.* 25. *num.* 1. & 2. [Vide *l. famosi* 7. & *seq. D. hoc tit.*]

3 Secundum id quod diximus *Defin. præced.*

DEFINITIO VI.

Infamis ex alio genere delicti nullum facit indicium ad torturam, ne quidem in crimine læsæ maiestatis si sit solus.

RVrsum, quod diximus testimonium infamis personæ admitti, cum de læsæ maiestatis crimine probando agitur, ita vt indicium faciat ad torturam, etiamsi solus sit, sic accipiendum est, si ex eodem delicti genere sit infamis. Nam si ex alio plane diuerso & dissimili delicto fuerit condemnatus, admittitur quidem in testem, vt contestium dicta adiuuet, at non vt si solus sit indicium vllum facere videatur. [1] Cæterum, si aliqua ex parte simile delictum fuit, ex quo præcessit condemnatio, tanto magis credendum est, in eodem aut simili sceleris genere sæpius versatum hominem id quoque crimen, de quo quæritur attentare audacius voluisse. [2] Finge eum, qui antea parentes aut patriam prodere voluerit, suam & aliorum coniuratorum in salutem & caput Principis conspirationem detulisse, cur non ei aliqua fides adhibeatur, si testationem suam tormentis ratam fecerit? [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Boer. *decis.* 319 *num.* 4.

2 Menoch. *de arbitr. iud. casu* 474. Alex. eleganter *cons.* 89. incip. *viso themate, vol.* 3. Cravet. *cons.* 99 *num. penult. & vlt.*

3 Nam semel malus præsumitur semper malus in eodem genere mali, vt est in regula iuris pontificij.

DEFINITIO VII.

Non eo minus torquetur reus maiestatis, quod probet se bonæ famæ esse, si aliquibus indiciis vrgeatur.

SEd & hoc specialiter receptum est in crimine læsæ maiestatis, & contra communes iuris regulas vt si adsint criminis indicia sufficientia ad habendam

BIU Cujas

de reo quæstionem, non ex eo solo elidantur, quod reus probet esse se bonæ apud probos omnes existimationis & famæ. ' Illud certe negari non potest, quin eius, qui accusatur, qualitas & conditio potissimum inspicienda sit, an talis sit persona, quæ tam immane scelus cogitare & audere potuerit, & quæ tale quid iam ante vel fecerit vel cogitauerit.[2] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Est enim hoc contra iuris communis regulas, si credimus Alex. *cons.* 89. incip. *viso themate volum.* 3. Cravet. *cons.* 99. *numer. pen. & vlt.*

2 *L. fame* §. 7. *§. hoc tamen D. hoc tit.*

DEFINITIO VIII.

Reus maiestatis nobilitatem quidem amisisse intelligitur à die commissi delicti, secuta tandem condemnatione. Sed interim tamen & pendente accusatione pro nobili habetur.

MAiestatis reus sicut cætera bona sua omnia, ita & nobilitatem jam inde à commissi adeoque cogitati criminis die amisisse intelligitur, si quandocumque postea sequatur condemnatio. [1] An igitur, sicuti pendente accusatione nihil ex bonis suis alienare potest aut diminuere,[2] ita nec nobilitatem & dignitatem pristinam retinere? Sed non est recta comparatio: quoniam nobilitas cohæret personæ, magis quam ius administrandi patrimonij,[3] nec in retinenda nobilitate versatur periculum fraudis comminiscendæ, quod in bonorum administratione non sine causa pertimescitur. [4] Sera enim esset confiscatio bonorum, quæ per sententiam irrogaretur post dissipationem,[5] nobilitatis autem ademptio nunquam sera esse potest, cum in ipsa quoque sententia ferenda multum interesit quod ad supplicij mortisque genus attinet, an nobilis sit necne qui condemnatur.[6] *Ita Senatus* 15. Cal. Ian. 1592.

1 *L. ex iudiciorum* 20. *D. de publ. iud. l. maiestatis* 6. *& l. vlt. C. hoc tit.* Iunge *l.* 3. *&* 4. *eod.*

2 *d. l. maiestatis, vers. qui vero.*

3 Est enim nobilitas qualitas personalis, licet accidentalis non naturalis *l.* 1. vbi Bart. & alij *C. de dignit.*

4 Cum metu & suspicione pœnæ multa possint fieri in fraudem fisci *l. post contractum* 15. vbi Bart. & alij *D. de donat. l. si aliquis* 7. *D. de mort. caus. donat.* De quo vide Iul. Clar. *in pract. crim. q.* 78. *num* 16. *& seqq. & nu* 32. vbi concludit bona delinquentis non esse obligata fisco ex die delicti, neque ex die cœpti iudicij criminalis, sed ex die sententiæ Adde *l. vlt. in fin. D. de requir. vel absent. damn.*

5 Cum fiscus nullam esset habiturus actionem contra possessores bonorum alienatorum tanquam nullo modo sibi obligatorum, vt proxime diximus ex Iul. Clar. *q.* 78. *numero* 23.

6 Aliter enim nobiliores plectendi sunt, aliter plebeij *l. in seruorum* 10. *& l. præced. D. de pœn.* Etsi in crimine læsæ maiestatis par & æqualis omnium conditio esse debet, vt ait *l. nullus* 4. *C. hoc. tit.*

DEFINITIO IX.

Pendente accusatione læsæ maiestatis non est audiendus filius petens totum legatum sibi à patre relictum. Sed sufficit partem legati ei præstari sine vllo tamen onere satisdationis, ne fame pereat.

CVm filius eius, qui post mortem perduellionis reus factus erat, [1] legitimæ supplementum ex Iustiniani lege condiceret, ac lite pendente, vt fieri assolet, certæ quantitatis prorogationem peteret in sumptus litis & alimentorum,[2] hæredes autem paratos se dicerent totam eam summam soluere, quæ huic à patre legata esset. Non putauit Senatus contradicente præsertim procuratore Principis totius legati adiudicationem fieri debere. Propterea quod si condemnatio quandoque aduersus patris memoriam sequeretur nec legatum valeret, nec filiis licet innoxiis legitima vlla deberetur: [4] Sed ita rem temperauit, vt cui sexcenti aurei legati fuerant trecenti præstarentur, nullo tamen onere iniuncto præstandæ cautionis,[5] quod neque fideiussorem facile reperire posset is, qui alia bona nulla habebat,[6] neque pendente accusatione fortassis calumniosa, fame interea filium mori æquum esset.[7] *Ita Senatus* ex tempore, 8. Id. Aug. 1592.

1 Non enim quisquis legis Iuliæ maiestatis reus est accusari post mortem suam potest, sed is tantum, qui perduellionis reus fit. id est, qui hostili animo in Principem aut Rempublic. animatus fuit, *l. vltim. D. hoc tit.* [Sane ex cæteris quoque causis, vt in alio quolibet crimine mortuo reo post litem contestatam, id est, postquam ex ore & vinculis interrogatus respondit, etiam in hæredem transit pœna delicti pecuniaria, & contra eum vocatum potest ferri sententia propter pœnam illam pecuniariam *l.* 33. *de obligat. & action.* Multo magis propter sumptus litis. *Ita Senatus* in causa Iacobi Magnin incendiarij paulo ante arrestum defuncti, Idib. Sept. 1613.]

2 *In l. omnimodo* 30. *C. de inoff. testam.*

3 *Ex l. si institutæ* 27. *§. de inofficioso D. eod. l. vltim. C. de ordin. cognit.*

4 *Ex l. quisquis* 5. *C. hoc tit.*

5 Iniquum enim est impossibili nedum superuacua satisdatione quem onerari *l. hac stipulatio* 14. *in fin. D. vt legat. seu fideic. non caueat.*

6 *L.* 2. *§. penul. D. de iud. l. omnes* 33. *§. præterea & seq. C. de Episc. & Cleric.*

7 *Arg. l. reo criminis* 41. *D. de solut. l.* 1. *§. quare etsi ita, D. de ventr. in possess. mittend.*

DEFINITIO X.

Qui non est subditus nisi ratione feudi non dicitur committere crimen læsæ maiestatis, quamuis possit priuari feudo.

QVi non nisi ratione feudi Principis alicuius imperio subditus est, [1] licet feudo priuandus sit, si offendat Principem,[2] non potest tamen eo nomine reus fieri maiestatis, vt & capitis & fortunarum omnium pœnam pati debeat. [3] Non enim sui Principis maiestatem absolute videri potest læsisse, qui non nisi secundum quid, vt loquuntur, subditus fuit. [4] *Ita Senatus* noster pro N. Claudio du Saix D. de Riuoire, contra procuratorem generalem, 12. Calend. Septembr. 1592.

1 Nam & feudum & delictum facit, vt quis efficiatur de foro alicuius Principis Iul. Clar. *in §. læsa maiestatis numer.* 6. *vers. & ideo, Auth. qua in prouincia C. vbi de crim. agi oport.*

2 *Tit.* 5. *& 7. quibus mod feud. amitt. lib.* 1. *in vsib. feudor. & tit. quæ sunt prim. caus. benef. amit. lib.* 2.

3 Text. est *in clem. pastoralis*, vbi gloss. in verb. *non subfuit, de re iudic.*

4 Iul. Clar. vbi supra, qui dicit communem, post Roland. à Vall. *cons.* 4. *num.* 1. & Gig. *in tract. de crimin. læsæ maiest. quæst.* 68. *post num.* 2.

DEFINITIO XI.

Non magis qui ratione officij, quam qui ratione feudi subditus est, dicitur committere crimen læsæ maiestatis.

LIcet ratione feudi aut delicti fiat quis subditus alieni territorij, non incidit tamen in crimen læsæ maiestatis, si quid molitus sit contra Principem aut Rempublicam illius territorij. [1] Quamquam non eo minus feudo priuandus est, vt eatenus puniatur, quatenus fuit subditus. [2] Idem est, si quis factus sit subditus ratione officij, & postea in Principem aut Rempublicam deliquerit. Is enim licet non possit videri reus

BIU Cujas

deri reus læsæ maiestatis, officio tamen priuandus est, siue in officio ipso deliquerit, siue ex qua alia causa.[1] *Ita Senatus* in causa Franciſci Gelaz, 16. Calend. April. 1595.

1 Dixi *Desin. prox. præced. ex clem paſtoralis de re iud.*

2 Vt limitata causa nonnisi limitatum producat effectum, *vulg. l. in agris 16. D. de acqu. rer. domin. l. reſcriptum 6. D. de his quæ vt indign.* Iulius Clar. *in § læſæ maieſtatis nu. 6* addens *nu. 7.* Clericos licet naturaliter & originarie dicantur esse de dominio & ditione illius Principis, in cuius territorio nati sunt, non posse tamen dici contra eum committere crimen læsæ maiestatis, cum post clericatum non possint dici amplius vere subditi illius Principis. Quam sententiam ibidem testatur esse communem. Quamuis subiiciat Principes seculares de facto seruare contrarium, quod & repetit *in pract. crim. quæſt. 6. verſ. quare numquid.*

3 Quid enim refert, an feudum quis habeat à Principe an officium? Vtrumque siquidem beneficium est *tit. 23. in quibus cauſ. feud. amitt. § imprimis lib. 2 in vſib. feudor.* Addit Iul. Clar. loco supradicto, quod illegitime natus extra dominium ex subdito bannito propter rebellionem & muliere extera non potest dici rebellis etiamsi sit legitimatus.

DEFINITIO XII.

Qui pro suo Principe detexit coniurationem factam in alieni Principis territorio, in quo habitabat, non ideo puniri potest tanquam reus maiestatis, nec vt explorator, sed vt proditor.

QVi in alieni Principis territorio habitans coniurationem contra Principem suum institutam, instructamque detexit, ne apud suos reus quandoque fieret læsæ maiestatis, non tamen eo minus puniri debet[1] pœna pecuniaria, exilioque mulctari,[2] non tanquam explorator, si aliud nihil concurrat, sed tanquam proditor.[3] *Ita Senatus* eodem mense.

1 Ne scilicet ex eius impunitate alij plerique & exemplum & audaciam sumerent idem attentandi, quod ne eueniat semper cauendum est *l. aut facta 8. §. vlt. D. de pœn. l. cum ſeruum 6. in fin. C. de ſeru. fugit.*

2 Nam à grauiore pœna debet illum excusare necessitas officij, cum vbicumque gentium debeat suo Principi fidelitatem. *arg. l. poſt legatum 5. §. Aduocatum fiſci, D. de his quibus vt indign.*

3 Quid enim cogebat venire illum in alieni Principis territorium, vt in eo habitaret? Non ergo potest videri venisse alia mente, nisi vt explorator fieret vel proditor.

TIT. VII.

AD LEG. IVL. DE ADVLter. & ſtupr.

DEFINITIO I.

Incestus cum stupro coniunctus punitur pœna mortis & confiscationis omnium bonorum. Et quid si non sit proprie incestus?

IVLIVS cum Sempronianam vxorem haberet, Titiam per adulterium polluerat, subinde & Mæuiam Titiæ sororem iam tum nuptam Cornelio, & vtramque domi cum vxore aqua, igni, lectoque acceptam per multos annos retinuerat. Quærebatur qua pœna puniendus esset? Quibusdam placebat incestum admissum videri, propterea quod idem duabus se sororibus miscuisset.[1] Ob idque & summum capitis supplicium irrogandum esse propter coniunctum adulterium,[2] & præterea bonorum publicationis pœnam ex Iustiniani constitutione ob incestum infligendam.[3] Alij dicebant incestum quidem non tantum sanguinis,[4] sed etiam adfinitatis intuitu admitti,[5] sed tamen non nisi ex legitimo licitoque coitu adfinitatem conciliari,[6] eique consequens esse, vt qui per adulterium Titiæ se iunxisset, non ob id solum incesti reus fieri posset, quod Mæuiam quoque sororem Titiæ vitiasset.[7] Sed etsi incestum admissum constaret, non tamen confiscationis pœnam locum habere, quam Iustinianea lex non incesto cuilibet, ac incestis duntaxat nuptiis induxisset.[8] Pœnalem enim legem etiam vbi eadem adeoque maior subesset ratio non esse adiuuandam interpretatione.[9] Præsertim cum alia Iustiniani constitutio pœnam confiscationis legibus fere omnibus publicorum iudiciorum statutam abrogasset. præterquam si de læsæ maiestatis crimine tractaretur.[10] Senatus capitis quidem supplicium non irrogauit, & perpetuis triremibus addici reum satis esse credidit, sed cum nefarium scelus incesto simillimum duplicisque adulterij coniunctione cumulatum probaretur, Bonorum confiscationem, quæ in iudicantis arbitrio posita est, criminum multiplicitate & atrocitate permotus inflixit.[11] Ita contra Claudium Le noir. Senatu extra ordinem iussu Principis habito Die ipso Epiphaniæ Domini 1590.

1 Nam & sufficeret quem cognouisse filiam sororis vxoris suæ ad hoc; vt incestum admisisse diceretur. Alex. *conſ. 229. lib. 6.* Iul. Clar. Iul *in §. inceſtus in prin.*

2 Nam de iure ciuili pœna incestus est pœna mortis, quando incestus committitur cum aliqua specie alia fornicationis, puta cum adulterio vel stupro. Iul. Clar. *in d. §. inceſtus numer. 1.* post glos. *in leg. adulterium cum inceſtu in princip. D. hoc tit.* Si vero committatur contrahendo incestas nuptias tunc punitur iuxta formam *Auth. inceſtas. C. de inceſt. & inutil. nupt.* Adde *l. vim paſſam 39. §. præſcriptione. D. hoc tit.*

3 *de Auth. inceſtas.*

4 Quanquam magis proprie incestus committitur inter personas sanguine coniunctas, puta si quis filiam propriam cognouerit, vt in casu decisionis Boër. 318. vel materteram, vt in casu Gepol. *conſ. crim. 69.*

5 Vt in casu, de quo Alex. *conſ. 229. lib. 6.* cum quis cognouit sororem aut filiam sororis vxoris suæ.

6 Anchar. eleganter. *conſ. 391.*

7 Quod eo casu neque consanguinitas neque adfinitas vlla contracta videretur.

8 Verba enim Nouellæ non nisi de incestis nuptiis loquuntur.

9 Vnde est quod non habet locum illa Nouella in nuptiis, quæ sunt incestæ iure canonico duntaxat, sed tantum in iis, quæ sunt incestæ iure ciuili, & quę dicebantur incestæ tempore illius legis conditæ. Iul. Clar. vbi supr. *numer. 3.* Item non habet locum in nuptiis largo modo incestis scilicet inutilibus vel illicitis, puta cum cognata spirituali vel Iudæa seu infideli, sed tantum in nuptiis proprie incestis ratione consanguinitatis. Clar. *ibid. nu. 4.* post Dec. *conſi. 158.* & Boër. *deciſ. 284 numer. 13. & q. 318.*

10 *Auth. bona damnatorum. C. de bon. præſcript. & in corpor. vnde ſumit.*

11 Vide Didac. Couar. *in libr. pract. quæſt. tit. de inceſt. nupt. nu. 6. & in lib. 4. Decret. cap. 6. 2. part. §. 8.* Ioan. Pap. *in ſyntagm. tit. adulter. Arreſt. 7.*

DEFINITIO II.

De pœna mulieris adulteræ.

MVlierem adulterij ream & conuictam, certum est ex Iustiniani constitutione[1], quam sequimur, sic plectendam esse, vt & virgis cædatur, & dotis lucrorumque nuptialium iacturam patiatur, & præterea in monasterium detrudatur, ibi perpetuo mansura, si non intra biennium à marito repetatur.[1] At quid si monasterium non nisi honestis, Deoque sacris virginibus includendis destinatum, condemnatam nolit admittere? Cogi non potest, vt admittat, Nisi in eam rem ab initio constitutum sit, cuiusmodi monasteria pleraque apud Italos,[2] apud nos nulla

BIU Cujas

sunt. An igitur pœna hæc mulieri remittenda erit? Minime. [3] An in exilium aut perpetuum aut temporale commutanda? [4] Multo minus, ne alioqui eueniat, vt tanto licentius & luxuriosius viuat mulier, quam ex contrario corrigi ac emendari, [5] & anteactæ vitæ pœnitentiam agere conuenit. Item ne marito repetendæ vxoris facultas aufferatur, quam ei saluam manere æquum est, [6] etiam inuito, vel ob hoc solum, quod possit contingere, vt mutet voluntatem, & velit aliquando quod hodie nolit. [7] An denique cogendus erit maritus, vt de suo sumptus præstet [8] ad exportandam vxorem in monasterium alterius prouinciæ? Facilius hoc admitti potest, [9] cum non solum mariti, sed mulieris quoque interfit adeoque Reipublicæ in eo loco mulierem veluti custodiæ causa retineri, in quo ad meliorem vitam aliarum exemplo inuitari & traduci possit. [10] At quid si nec mulieris, nec mariti facultates ei impensæ sufficiant? Vix aliud remedium supereſt, nisi vt in carceribus per biennium integrum sumptibus mariti retineatur, [11] postea exilio perpetuo mulctetur. At si præter adulterium aliud quoque crimen concurrat, cuius coërcitio ad publicam vindictam pertineat, pœnæ commutationem & pro delicti grauitate exasperationem fieri oportebit. [12] Nec eo minus in exilium danda & relegandæ erit mulier, quod ita futurum sit, vt repetere illam postmodum maritus nequeat. Si modo publice interfit non manere illam in ciuitate. [13] Finge furem, aut quæ publicum ex lenocinio quæstum faciat. Quamquam si honestas virgines corrupisse aut corrumpere voluisse probetur, digna est quæ non tantum relegetur, sed etiam furca suspendatur. [14] *Ita Senatus* in causa Girardi Iacoz & Magdalenæ Blanchet, ante Cal. Septembr. 1593.

1 *Auth. sed hodie adultera, C. hoc tit. & in corpor. vnd. sumit.* id est, Nouel. 134. *vt null. iud. lic. haber. loc. seruat. cap. 10. qua sit mulier. adult. pœn.*

2 Quæ vocant mulierum pœnitentium. Et sane inconueniens & perabsurdum est detrudi adulteram in monasterium virginum, quod nec nuptæ mulieres nec viduæ honestissimæ ingredi sine licentia summi Pontificis possint. Nequo vero illam Iustiniani mentem fuisse credendum est.

3 Nec enim adulteria impunita esse oportet marito scilicet conquerente, vt nec alia delicta *l. ita vulneratus 50. in fin. D. ad leg. Aquil. l. Stichum aut Pamphilum 95. §. 1. D. de solut. l. si à reo 70. §. vlt. D. de fideiuss.*

4 Nam & ex causa solet fieri pœnæ commutatio *l. ad bestias 31. cum ibi not. D. de pœn.* Iul. Clar. *q. 85. nu. 11.*

5 Non enim constitutæ sunt pœnæ, nisi in hominum emendationem, *l. si pœna 20. eod. tit. cap. gaudemus, de conuers. coniugat.*

6 *Ex dict. Nouell. 134.*

7 Est enim ambulatoria & inconstans hominum voluntas, *leg. 4. D. de adminis. legat. leg. 1. §. si quis adita. D. ad SC. Tertullian.*

8 *Arg. l. si quis pro vxore 25. D. de donat. int. vir. & vxor.*

9 Quam vt adulterium remaneat impunitum. Etsi conqueritur Iul. Clar. *in §. adulterium, nu. 7. in fi.* quod hodie adulteria fere vbique gentium sunt impunita, quod tamen de adulteris masculis intelligit, non de fœminis.

10 *d. cap. gaudemus, de conuers. coniugat.*

11 Vt carcer sit pro monasterio quemadmodum & monasterium toto illo biennio pro carcere est. Thom. Grammat. *decis. 31.* Quamquam Iulius Clar. *d. nu. 7.* testatur numquam se vidisse pœnam illius detrusionis in monasterium seruari in Senatu Mediolanensi, sed commutatam sæpius in pœnam fustigationis & exilij arbitrarij.

12 Non enim delictum vnum debet alterius delicti pœnam minuere, sed augere: puta si Iudæus adulterium commiserit cum Christiana, vel Christianus cum Iudæa. Iul. Clar. *in dict. §. adulterium nu. 9. in fin.*

13 Semper enim publica vtilitas præferenda est priuatæ, *Auth. ves que C. commun. de legat.*

14 Nam & iure Codicis pœna adulterij etiam in fœminis fuit pœna mortis, *l. quamuis 30. C. hoc tit.* quæ pœna nec hodie in masculis est immutata, sed tantum in fœminis propter sexus fragilitatem, Iul. Clar. *d. num. 7.*

DEFINITIO III.

Etiam attentatum stuprum punitur pœna mortis pro grauitate criminis & qualitate personarum.

SOllicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem tamen pernicioſę libidinis extra ordinem puniendos esse constat. [1] Ergo arbitrio iudicis & consequenter non pœna mortis. [2] Nunquam enim arbitrium iudicis in pœna infligenda tale esse debet, vt mortis pœnam irroget. [3] Vnusquisque tantum casus est, quo attentator perinde ac qui delictum perfecit, punitur, is est in sanctissimis virginibus attentatus. [4] Si tamen criminis atrocitas ex loci aut temporis aut personarum conditione & qualitate augeatur, vtputa si à familiari & domestico attentatum sit, [5] si noctu & per effracturam, si marito præsente, [7] si in publico, [8] si ab ignobili & vili persona in matronam nobilissimam, [9] nihil prohibebit capitis pœnam irrogari. *Ita Senatus* in causa N. Volat. Cal. Aug. 1593.

1 *l. 1. in princ. D. de extraord. crim.*

2 Quia autem puniendi essent perfecto flagitio. *d. l. 1. §. qui puero.*

3 Secundum eam sententiam, quam & æquiorem & magis communem esse testatur Iul. Clar. *in pract. crim. q. 8. num. 11.* vbi multos citat.

4 *l. si quis non dicam rapere 5. C. de Episc. & Cler.*

5 Vt apud Ioan. Pap. *lib. 22. tit. 9. Arest. 2.* & apud Ioan. Lucium *in placit. Cur. Paris. lib. 12. tit. 6 placit. 1.*

6 Sunt enim atrociores nocturni effractores *l. 1. D. de effract. & expilat.* sicut & nocturni fures *leg. 1. D. de fur. b. balnear.* Vide Cujac. *lib. 8. obs. cap. 8.*

7 Augetur enim infamia & iniuria per præsentiam mariti.

8 Nam & circumstantia loci auget delictum: eum grauior sit iniuria quæ fit palam & publice quam quæ clam & secreto *l. aut facta 16 §. locus facit. D. de pœn. l. prator edixit 7. §. vlt. cum duab. legib. seqq. D. de iniur.*

9 *d. l. 7. §. vlt. vers. persona.*

DEFINITIO VI.

De publico adulterio & notorio mulierem accusare etiam absente viro publicus accusator potest & debet.

ET si bene concordanti matrimonia turbare nemo debet, [1] ne publicus quidem accusator, prætextu adulterij, quod ab altero ex coniugibus altero non conquerente admissum esse dicatur, [3] si tamen absente per multos annos viro mulier corpore suo quæstum vulgo faciat, liberosque suscipiat, quos nemo non sciat aut vulgo quæsitos esse, aut ex certo adulterio susceptos, [4] ad procuratoris fiscalis officium pertinet, vt rem deferat, & crimen quod publice scandalo sit maloquo exemplo, coerceri curet, [5] sed ita demum si præcedat diffamatio. [6] Nam si vulgo ignoretur, quis adulter sit, non est permittenda inquisitio, vt sciatur, quis ille sit, tum puniatur. [7] Id enim solo marito requirente & accusante fieri potest. *Ita Senatus* in causa quadam Tarentasiensi, 13. Cal. Mart. 1595.

1 Ne quidem pater prætextu patriæ potestatis *l. 1. §. vlt. D. de liber. exhib.* [intellige autem per actionem. Nam excipiendo potest quilibet adulterium obiicere, quia exceptio non infamat. *Ita Senatus* in relationibus libellorum, 4. Septembr. 1612.]

2 Quem procuratorem officij aut iurisdictionis, vel etiam procuratorem generalem aut procuratorem fisci appellamus. De quo *in l. post legatum 5. §. aduocatum fisci. D. de his, quæ vt indign.*

3 *l. quamuis 30. C. hoc tit.*

4 Vt in specie *l. filium definimus 6. D. de his, qui sunt sui vel alien. iur.* Scito tamen mulierem, cuius vir longo tempore abfuit, si eum defunctum arbitrata alij nupserit, excusari debere, si probabilis error fuit fama publica, interueniente aut

accepto

accepto nuncio de morte. Alioquin puniri debere de adulterio. Clar. *in* § *fornicatio nu.*31. Nam & vir punitur, qui eodem tempore duas pluresve habuit vxores, non tamen pœna mortis, sed publicationis dimidiæ partis bonorum. Alex. *cons.*156. *lib.*7. *vel fustigationis aut triremium.* Iul. Clar. *ibid. nu.*31.

5 Vt pœna vnius sit terror multorum *l cum seruum* 6 *in fi. C. de seruis fugit l. aut facta* 16 § *vlt. D. de pœn. l per omnes* 6. *C. de defens. ciuit.*

6 Nec enim hoc casu locum habet ratio, quæ ponitur *in d. l. quamuis.* Ne quibuscumque volentibus temere liceat fœdare connubium, quod iam diffamatione ipsa satis fœdatum est, per solam notorietatem: notorium enim est, quod aliqua tergiuersatione celari non potest, siue facti permanentis sit, siue etiam momentanei, si modo non tantum factum ipsum sit notorium, sed etiam facti qualitates & circumstantiæ, vt tractat Iul. Clar *in pract. crim. q.* 9. *in princ.*

7 *d. l. quamuis* 36. *C. hoc tit.*

DEFINITIO V.

Simplex stuprum in vidua impunitum est: in virgine autem quomodo puniendum. Et quid si grauius crimen sit ob aliquas facti circumstantias?

STupri pœna nec iam olim capitalis fuit, & quæ postea ex lege Iulia successit publicationis partis dimidiæ bonorum & relegationis in vsu esse desiit.[1] Sed si quidem viduam [2] volentem & citra raptum,[3] quis stuprauerit, nullis præcedentibus sponsalibus, nec per verba de futuro, vt loquuntur, conceptis, impunitum delictum est.[4] Sin virginem,[5] hactenus tenetur, vt vel vxorem ducat vel dotet, quantum arbitrio boni viri vtriusque facultatibus & personis æstimatis videbitur.[6] Sed tamen hoc non est perpetuum. Nam si quis virginem nondum viripotentem per vim corruperit,[7] aut iudex vel Senator eam, quæ apud se rea criminis erat,[8] capitalis supplicij animaduersione digna res est,[9] quod his casibus raptus potius quam stuprum contrahi videatur.[10] Nec diuersam erit, si ex aliis circumstantiis delicti atrocitas augeatur, forte si persona vilis & domestica [11] nobilissimam virginem [12] defloraverit, vel tutor pupillam, vel idem stuprator virgines pleraque corrupisse probetur.[13] *Sine die.*

1 Anton. Tessaur. *Decis. Pedement.* 3. *nu.* 3. post Iul. Clar. *lib.* 5. *Sentent.* § *stuprum num* 3.

2 Nam cum vidua quoque perinde ac cum virgine stuprum committitur *l. si quis viduam D. de quæst.* Clar. *in dict.* § *stuprum in princip.* post Marc. *cons.*13. Boer. *decis.*138. Socin. Iun. *consil.*111. *libr.*3. Denique quilibet damnosus coitus stuprum est. Clar. *in* § *fornicatio num.*5.

3 Nam & in volentem raptus interdum committitur. Iul. Clar. *in* § *raptus num.*3. vbi addit raptores etiam illos dici, qui blandimentis & verbis deceptoriis nulla vi adhibita puellas abducunt libidinis causa, & vt eas in alio loco contra suorum voluntatem retineant.

4 Et hoc est, quod ait Iul. Clar, *in dict.* § *stuprum num.*4. se numquam vidisse aliquem puniri pro stupro commisso cum vidua, nisi quod vasallus committens stuprum cum vxore vidua domini sui priuatur feudo. Idem Clar. *ibid. num.*8 *&* §. *feudum quæst.*48. Ipsa tamen vidua luxurioſe viuens patitur etiam hodie pœnas omnes, quæ impositæ sunt iure communi contra viduas nubentes intra annum luctus. Nec sunt illæ pœnæ sublatæ in vidua stuprum committente intra annum luctus. Idem Clarus ibid. *nu.*6. vbi addit viduam, quæ ducit inhonestam vitam, non gaudere priuilegiis viduarum, adeoque nec priuilegio domicilij maritalis, ex Felin. *in cap. significantibus post num.*8. *de offic. deleg* Non tamen perdit dotem. Item Clar. ex magis commun. *in d.* §. *stuprum nu.*5. post Boer.338. *in fin.* & Didac. *super.*4. *Decret.*

5 Qualis in dubio præsumenda est, nisi stuprator probet contrarium. Clar. *in d.* § *stuprum.*

6 Clar. ibid. *num.*3. post Chassan. *cons.*40. & Ioan. Papon. *in syntagm. lib.*22. *tit.*9. *Arrest.*9. *ex cap* 1. *&* 2. *de adult.* Nempe si puella, quæ stuprum passa est, sit honestæ vitæ. Alioqui non haberet locum dispositio *d. cap.*1. *&* 2. *de adult.* Clar. *d. nu.*3. *ante fin.* post Paris. *cons.*100. *nu.*14. *lib.*1.

7 Quo tamen casu non infligitur de iure communi pœna mortis, sed humiliores in metallum damnantur, honestiores vero relegantur *l. si quis aliquid* 38. 38. *qui nondum viripotentes, de pœn.* Sed vis facit, vt grauius puniatur. Clar. *in* § *fornicatio, num.*33.

8 *Ex not.* per Iul. Clar. *in* § *fornicationum* 22. *& præced.*

9 Ioan. Fab. *in* §. *item lex Iulia post nu.*7. *Inst. de public. iudic.* & alij quos citat. Iul. Clar. *in d.* § *stuprum n.*9. vbi tamen cõludit solum conatum ad defiorandum non debere puniri pœna mortis; sed alia citra mortem graui puta triremium ad perpetuum vel ad decennium. Vbi vero fracta essent pudenda, omnimodo irrogandum esse vltimum supplicium.

10 Raptus autem punitur semper pœna mortis *l. vnic. Cod. de rapt. virg.* Iul. Clar. *in* §. *raptus nu.*2. *&* 3.

11 Obserua tamen stuprum non posse probari per domesticos testes, sed tantummodo facere illos indicium. Idem Iul. Clar. *in d.* § *stuprum num.*2.

12 Nam ex qualitate personæ augetur crimen *l. prætor edixit* 7. §. *vltim. cum legib. seqq. D. de iniur.* Quid enim cum stuprator est presbyter, virgo tamen etiam cum presbytero fornicata, non punitur; quia neque incestum, neque sacrilegium est, sed simplex fornicatio, quæ non est punibilis de iure ciuili. Iul. Clar. *in* §. *fornicatio, numer.*18. *vers. cõm presbytero.* Si qua tamen presbyteri concubina sit, punitur statuto nostro certis & specialibus pœnis, de quibus *lib.*3 *statutor, capit.*39. sed non est concubina omnis mulier, quæ cum presbytero fornicatur. Sane non creditur mulieri dicenti, se adulterium commisisse cum presbytero, *c significasti*, 5. *& ibi gl. ex de adulti & stupr.*

13 Quo casu irrogatur pœna deportationis & confiscationis omnium bonorum etiam illi, qui tutor vel curator esse iam desiit. Clar. *in d.* § *fornicatio nu.*23. *ex l. vnic. C. si quis eam cuius tut. fuer.*

14 Nam reiteratio criminis facit capitale delictum, quod alioqui capitale non esset. Clar. *in d.* §. *fornicatio nu.*31. *in fin. & pract. crim. quæst.*84. *num.*6. post Bart. *in l.*1. *C. de super ex tribut. nu.*2. Quamuis concludat ibi Clar. magis receptum esse in praxi, vt non imponatur pœna mortis ob quamcumque reiterationem, sed tantummodo tortura atrocius inferatur, vel extraordinaria pœna grauior infligatur.

DEFINITIO VI.

Mulieri dicenti se ex aliquo prægnantem an & quando credatur? Et quis partum alere debeat?

MVlieri dicenti se ex Titio prægnantem non creditur, nec si iurare parata sit, si neget Titius se cum illa rem vnquam habuisse.[1] Itaque deficientibus aliis probationib. remedium id vnum mulieri superest, vt iusiurandum Titio deferat, iuratura ipsa si referre malit ille quam iurare. Alterutrum enim facere Titius damnãdus erit, nisi probet ab aliis eodem tempore cognitam.[2] Quo casu siue quæstus vulgo faciendi, siue libidinis tantum explendæ gratia venerem illa exercuerit, non est arctandus vir, vt iuret vel referat, quia nec si fateretur, quicquam tamen ea res mulieri prodesset, cum per rerum naturam nesciri possit, cui partum acceptum ferre debeat, quæ plurium congressum per eosdem dies aut menses passa est,[3] nisi patrem iusto magis quam certo indicio nuptiæ demonstrent.[4] Nec multum faciet, quod aut eum, quem mulieri patrem esse dicit, partus ore referat, aut patrem esse mulier iuret, quamuis nonnulli contra sentiant.[5] Plane si fateatur Titius mulierem à se cognitam, nec alios rem cum ea habuisse probet, credetur mulieri iuranti se ex eo prægnantem,[6] partumque etiã anniculum & matrem exhibere, si inops sit illa,[7] (alioqui viua matre non tenetur pater susceptum ex illegitimo coitu partum alere,[8]) cogendus erit Titius. Neque triennium illud expectabitur, quod solius matris oneri esset, si ex licito coitu partus editus proponeretur.[9] Sed si de illo solo quæratur, an virgo mulier fuerit, vt sciatur, an dotanda sit necne, fuisse virginem in dubio etiam citra iusiurandum præsumendum.[10] *Sine die.*

1 Alex. *cons.*157. *circa primum lib.*5. post Bal. *cons* 417. *lib. vlt.* Boer. *decis.*299. quos refert ac sequitur Tessaur. *decis. Pedem.*3.

BIU Cujas

concl.6. num.4. [Aliud tamen est in virgine, vt scripsi *Desi.18. & in alleg.num.1.sup.de probat.* Abb.*in cap.si seduxerit num.5. de adulter.*]

2 Idem Alex.*cons.157.* Tessaur. *vbi supr.nu.4.vers.7.regula est,& num.5.*

3 §.*si aduersus Inst de nupt.* Itaque deficit hoc casu non ius, sed probatio,vt *in l.duo sunt Titij* 30.*D.de testam.tutel.*

4 Dicimus enim patrem illum esse, quem nuptiæ demonstrant.*l.quia semper* 5.*D.de in ius vocand.l filium eum definimus* 6.*D.de his,qui sui vel alien.iur.sunt.* Non quia certa sit illa veritas, sed quia nihil est, quod melius dici possit, cum alioqui impossibilis sit probatio filiationis *l.Lucius* 83.*D.de condict.& demonstr.*

5 Anton. Tessaur.*dict.decis.numer.6. vers.sed maxima difficultas.*

6 Idem Tessaur.*d.n.4.vers.septima regula est.*

7 Bartol.*in l.si quis à liberis* 5. §.*vtrum autem*, *D.de liber. agnosc.*

8 *Auth.ex complexu. C.de incest.& inutil.nupt.* sed ea res ad matris curam pertinet. Specul.*in tit. Qui filij sint legit.num.*17. *part.4.per text.in d.§. vtrum autem & §.idem rescripsit. d.l.5.D. de agnosc.liber.*

9 *L.nec filium, C.de patr.potest* Glos. *fin.in cap.cum haberet. Extr.de eo qui dux.in matr.quam poll.per adult.* Tessaur.*d.decis* 3.*ante fin.*

10 Clar.*lib.5.sentent.§.stuprum.vers.sed pone.* Quem refert & sequitur Tessaur. *d.decis.3.num.2.* [Virginitas enim qualitas est quæ à natura inest etiamsi aliter non probaretur. Abb *in d.cap.si seduxerit numer.5.de adult.* Foller. *in praxi criminali part.6.prin. Tit.de form.cap.in nefar.coit.num.6.* Alex. *consil.29. n.1.li.6.* Maximè si virginitatis præsumptio sit in fauorem matrimonij seu sponsaliorum. Glos. *in can.si quis accepcrit* 33.*q.*1. & per Host.quem sequitur Abb. *in cap.duo pueri. De spons.impub.* Et ideo per assertionem iuratam virginis defloratæ non tantum probatur coitus, sed etiam sponsalia fuisse contracta. Dec.*cons* 368.*&* 133.*post nu.2. Ex cap.si inter virum,& cap.is qui Extr.de sponsal.*

TIT. VIII.

AD LEG. IVL. DE VI PVBLIC. vel priuat.

DEFINITIO I.

Vim priuatam potest committere etiam executor,qui exequitur mandatum iudicij euidenter nullum.

SI apparitor ex iudicis præscripto quid fecerit, quod euidenter sit contra leges aut bonos mores,puta, si prorse,cuius cognitio ad iudicem illum non spectabat, iussus sit effractis foribus domum tuam inuadere,& pecuniam, quæ fortassis ad ærarium Principis pertinebat,exportare,puniendus est, quasi vim priuatam fecisse videatur.[1] Nec illi excusationem afferre potest, quod fuerit merus & nudus executor, qui alioquin parere habuit necesse.[2] Non enim debet apparitor,vbi euidens delictum est obsequi iudicis imperio, nisi prorsus & districte & coactus.[3] Aliud sane est, si locus ambigendi relinquatur,an iudex bene imperet an male,tametsi reuera male imperet. Neque enim ea res in apparitoris notione aut arbitrio posita est.[4] *Ita Senatus* contra Mauritium Entremont 11.Cal.Iul.1591.

1 Ergo pœna extraordinaria, quoniam is,qui vim siue publicam siue priuatam committit, hodie ex generali consuetudine punitur arbitrio iudicis, vt tractat Iul.Clar. *in pract. crim.qu.*83.*num.*4.

2 Quia non pertinet ad executorem cognoscere, an commissio iudicis sit iusta vel iniusta. Iul.Clar. *in pract.crim.quæst* 29.*num.*1. *& qu.*60.*num.*12. Facit *l.non videntur data* 167.§.1 *de reg iur.*

3 *L.Seruus* 26.*D de oblig.& act.* Regula enim est quod mandatum superioris in delictis excusat, modo illud quod quis facit ex mandato alterius non sit de genere prohibitorum, Iul.Clar. *in pract.crim.qu.*60 *num.*12. junct. *glos.in l.in rem.*25. §.*signum.in glos.fin.D.de rei vind.* Socin.*in cons.*54.*num.*21.*lib* 4. Ias.*in l.*1.*de pupillo.*§.*nunciationem. num.*7. *de oper. noui nunciat.* Rol.*consil.*54. *num.*6.*libr.*1. Plott. *in repet.l si quando num.*790. Item mandatum superioris nunquam excusat in delictis atrocibus Iul.Clar.*§.vbi supr.*ex communi opinione,post Ias.*consil.* 136. *post med.libr.*1. Nisi delictum videatur commissum ad iui defensionem, vt in casu de quo post Iul.Clar. *numer* 12. Aut nisi mandatum sit ab eo, qui poterat impune idem admittere vt in exemplo posito *dict.num.*12.*in fin.* vide *l.ad ea* 157.*de reg iuris.*

4 Vt dixi *num* 2. An autem apparitori aut alij officiali de facto resisti aliquando possit, vide apud eundem Clar. *dict.q.* 29.*num.*2.vbi concludit nullo modo debere resisti iudici, qui procedit tanquam iudex, nisi vellet inferre damnum irreparabile.Posse autem ei impune resisti,si procedat eo modo, quo solent procedere priuati. Ex glos. *in d.l.non videntur* 167.§.1. *de regul.iur.* Sane potest officialis capiendum,si resistat, impune interficere si non aliter capi possit. Clar. *d.quæst.*29.*num.*1, Qui vero detentum eximit è manibus familiæ punitur pœna capitis.Clar.*ibid.num.*3. Nisi fuerat ille indebite detentus *ibid. num.*4.Punitur etiam is,qui seipsum exemit,sed mitius,si non interuenerit violentia.*Ibid.num* 5.

TIT. IX.

DE RAPT. VIRGIN.

DEFINITIO I.

Raptus non committitur in virginem abductam causa matrimonij consentientibus agnatis,licet inscio aut inuito curatore.

IT SI raptum etiam in volentem & cõsentientem puellam committi posse placuit,[1] tum quoque cum nulla vi adhibita,solisque blandimentis abducta est à domo patris,[2] dummodo libidinis causa id factum probetur:[3] Placuit tamen, neque crimen,neque pœnam raptus,quam seueriſſima æque ac iustissima lex Iustiniani constituit,[4] incurrisse videri eum,qui virginem sub curatore positam eo inscio vel inuito vxorem duxit,ex proximiorum agnatorum voluntate.Nam nec prohibetur adulta nubere sine auctoritate curatoris,[5] quamuis publico Senatusconsulto districte prohibitum sit curatoribus, ne adultas suas sine agnatorum consensu & licentia nubere patiantur.Nempe,vt appareret curatorum fidem in ea re suspectam magis videri,[6] quam necessariam:consensu præsertim agnatorum proximiorum, quorum maxime interest,[7] interueniente,ipsaque rursum sanctitate matrimonij,cuius fauor tantus est,vt si is,qui vere raptor fuit,postmodum eam quam rapuit vxorem duxerit, hoc ipso corporalem pœnalem euadere debeat,[8] licet pœnam confiscationis bonorum, quæ fisco temporali applicanda est,non euadat.[9] Quare, nec pœna vlla extraordinaria hunc,cui raptus crimen curator obiiciebat,teneri debere visum est.[10] *Ita in Senatu* tractatum fuit 3.Cal.Iun.1592.

1 Intellige,siue ab initio siue ex postfacto illa consenserit Iul.Clar.*in §.raptus nume.*3. Adeoque licet is,qui rapuit mulierem,non tamen carnaliter eam cognouerit,quia forte id commode facere non potuerit. Nam si potuit nec voluit,excusandus vtique est à pœna ordinaria,non tamen ab extraordinaria, eaque grauissima.Clar.*ibid.num.*4.

2 Aut aliter de loco ad locum & quidem ad effectum abducendi,non autem commodioris tantum coitus causa. Idem Clar.*in d.§.raptus num.*1. vbi tamen subiungit,si quis per vim stupret mulierem sine abductione non eo minus debere illum puniri pœna mortis quamuis non sit raptus.

3 Nam si alia quam libidinis causa fuit, raptus non est. Vnde fit,vt milites seu stipendiarij, qui abducunt secum pueros etiam

BIU Cujas

etiam inuitis quandoque parentibus, non tamen puniantur tanquam raptores, vt refert Clar. *ibid.num.7.* quamuis contrariam sententiam putet ille veriorem, cum quo & ego sentio. Sane si quis rapuerit publicam meretricem, magis est, vt pœna raptus ordinaria non teneatur. Idem Clar. ibidem. *num.5.* [*Ita Senatus* pro Petro Baudry 3. Calend. Decembr. 1613. qui eo nomine fuit condemnatus ad triremes decennales.]

4 *In l.vnic. C.hoc tit.*

5 Cum etiam filiafamil. possit iure diuino & pontificio nubere sine consensu patris, vt dixi *Definit.2. supr. De nupt.*

6 Propter liberationem, quam consentiendo puellæ nuptiis extorquere solent à futuro sponso.

7 Non solum ob causam futuræ successionis, sed etiam quia contractus matrimonij non vnius aut alterius personæ contractus est, sed totius gentis & familiæ, cui ex eo matrimonio agnati noui & cognati quæruntur, vt alibi scripsimus.

8 Textus est *in cap. fin. extr. de raptor.* Iul.Clar. qui dicit communem *in d.§.raptus nu.7.& 8.*

9 Glos. *in cap. cum secundum.* in verb. *certoque casu. de hæret. in 6.* quam vt communem refert ac sequitur Clar. *in dict. numer. 8.* Nempe propter immanitatem criminis, vt loquitur Clar. *num.3.* quæ tanta est, vt nec matrimonium inter raptorem & raptam contrahi Iustinianus permiserit *d. l. vltim.* nec si quis eam, quæ iam sponsa sua erat rapuerit, itaque vt omnes raptoris susceptores & fautores eadem pœna affici voluerit; non tamen tanta huius criminis immanitas est, vt non gaudeat etiam immunitate Ecclesiæ. Idem Clar. *in pract. crimin. quæst.30. numer.10.* Tanta sane est, vt si qua mulier libidinis causa virum rapuerit, non desint qui putent incidere illam in pœnam legis Iustinianeæ, eamque dicant esse communem Doctorum sententiam, secundum quam iudicatum refert Ioan. Papon. *in syntagm. lib. 22. tit. 9. arest. 3.* Quamuis contrariam magis probet communemque atteſtetur Clarus *in dict. §. raptus, numer. 6.* Et recte quod Iustiniani constitutio tam seuera, & vt Clarus loquitur, rigorosa non facile sit vltra fines suos extendenda.

10 Quod enim fit lege permittente, nulloque iure prohibente, pœnam non meretur *vulg. l.Gracchus 4. C.ad leg. Iul. de adult.*

DEFINITIO II.

Raptor condemnandus est parenti, qui raptus accusationem instituit non minus quam fisco. Idemque est, si non de rapto, sed de clandestino matrimonio actum sit.

SI quis ex parentibus, de filij, aut filiæ, aut nepotis, neptisque raptu conquestus sit apud Iudicem & crimen probauerit, pœnæ eo nomine irrogandæ partem cum fisco habere debet. [1] Non quidem aduersus filium aut filiam, cui ea de causa legitima per exheredationem adimi potest: [2] sed aduersus raptorem. Quid si non de raptu agatur, sed matrimonio clandestino, aut de quo clam & improbe contrahendo tractatum proponatur? Condemnandus erit reus non tantum ad eam mulctam, quæ ex edicto Ducis nostri fisco applicanda est: [3] sed etiam patri, aut si pater non sit, matri, cui non parua iniuria fiat, si quis inscio parente filium aut filiam abducere velit ad matrimonium contrahendum. [4] *Ita Senatus* 17. Calend. April. 1597.

1 Cum grauior longe sit iniuria quæ per raptum infertur parenti, quàm quæ fisco. Iul. Clar. *in pract.crim. q.62.num.5. & 80. num.7.*

2 Si raptus sit commissus in volentem, quomodo posse committi diximus *Defin.prox. nu.1.5.* Vide *l.3. §. si emancipatus D.de bon poss.contr.tabul.*

3 Contra eos, qui clandestina matrimonia contrahunt.

4 Nec enim illa voluntas abducendi sine consensu parentis raptus est. Delictum tamen est, si non tantum de eo cogitatum, sed etiam tractatum fuerit.

TIT. X.

AD LEG. CORNEL. de sicar.

DEFINITIO I.

Furiosus, qui homicidium admisit, puniri non potest, sed carceribus contineri debet.

FVRIOSVM, qui furore percitus apparitorem iussa iudicis exequentem percusserat & occiderat, visum est capite puniri non debere, [1] sed continendum per necessarios proximiores, si fieri possit commode, [2] adeoque propriis eorum sumptibus, si non habeat ille de suo: quandoquidem non modo spes futuræ successionis, sed ius quoque sanguinis hanc æquitatis rationem inducit. [3] Sed si aut necessarij nulli sint, aut minus idonei, quam vt furiosum exhibere & cohibere possint, perpetuis carceribus dedendus & continendus est. [4] *Ita Senatus* in causa Desiderij Salez ex Ponteuallium 6. Non. Mart. 1591. Iunge Defin.7.infr.

1 Cum furore suo satis puniatur *l.infans D.hoc tit.* Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.60. num.4.* vbi addit nec puniri eum posse pro delictis ante furorem admissis, nec si furor post condemnationem superuenerit, ne quidem pœna extraordinaria. Quamuis possit in eius bona fieri executio, vt ibidem tractat Clar. *num.5* Facit ratio *l. si pœna 20.de pœn.*

2 *l.Congruit 13.§.furiosi D.de off.præsid.*

3 Ex regula & ratione *l.quo tutela 73.de reg.iur.& Inst. tit. de legit.agnat tutel.*

4 Non tam ad pœnam quam ad custodiam *d. l. congruit §. furiosi.*

DEFINITIO II.

Impubes doli capax & proximus pubertati, si quem occiderit, per dolum tenetur pœna ordinaria, sed dignus est, vt gratiam obtineat à Principe.

IMpuberem, qui cum doli capax esset alium occiderat, licet nocendi tantum potius quam occidendi animo percussum, criminis gratiam à Principe impetrare debere visum est, ne legis Corneliæ de sicariis pœna ordinaria teneatur: [1] quanquam ætas ipsa quæ non meretur excusationem, indulgentiam Principis prouocare & potest & debet. [2] *Ita Senatus* in persona Claudij Carron 14. Cal. Ianuar. 1592.

1 Tria enim requiruntur, vt possit pupillus puniri pro delicto. Primum, vt sit capax doli. Secundo, vt sit proximus pubertati. Tertio, vt delictum sit in committendo non in omittendo. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.60. nu.1.* vbi addit, nunquam tamen debere pupillum affici pœna capitali, sed eius pœnam debere esse citra mortem vel membri mutilationem. Quod tamen Senatus noster non probat, nisi cum eo temperamento, quod sequitur in Definitione.

2 Nam & pubes minor annis 25. posset restitui in integrum aduersus delictum, si modo per culpam duntaxat, non etiam per dolum deliquisset. Clar. *vbi supr. vers. quinimo.* Sane qui non potuit puniri pro delicto ante pubertatem non potest puniri post pubertatem. Iul. Clar. *vbi 5.nu.2.*

DEFINITIO III.

Non potest pater, cuius filius occisus est, impedire, ne occisori gratia criminis per Principem fiat.

PAtris quidem, qui filium ab alio occisum amisit, iustus dolor nullo pecuniario commodo æstimari potest. [1] Sed si occisor gratiam criminis à Principe impetrauerit, non potest patris contradictio impe-

BIU Cujas

dire, ne principalis rescripti beneficio occisor fruatur: [2] sed ita tamen, vt patri prius satisfiat, [3] irrogata occisori pœna pecuniaria pro iudicis arbitrio, & inspectis potissimum facultatibus occisoris. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. isti quidem 8. in fin. D. quod met. caus.* iunct. *l. cum pater* 34. §. 1. *D. de donat.*

2 Quia corporalis pœna vindicta non ad priuatam personam pertinet, sed ad Principem, vt pluribus tractat Iul. Clar. *in pract. crim. q.* 1.

3 Semper enim beneficium Principis debet esse patri captiosum *l.* 4. *C. de emancip. liber. l.* 2. *§. si quis à Principe, & §. merito D. ne quid in loc. public.* Nam in foro conscientiæ debetur parti pœna pecuniaria, non etiam fisco. Iul. Clar. *in pract. crim. q.* 80. *num.* 7.

4 Pœna enim pecuniaria, cum ex bonis sumenda sit, non nisi pro rata bonorum condemnati potest irrogari.

DEFINITIO IV.

Interdum punitur mitius qui in crimen consensit, quam qui commisit.

HOmicidio consentiens non semper eadem pœna, qua qui homicidium fecit, puniendus est, [1] sed plerumque nisi aliud vrgeat in perpetuum exilium damnandus, [2] hoc etiam addito, vt homicidæ supremo supplicio adesse, reste etiam collo inducta, compellatur. *Ita Senatus* in causa Ioannis Ruffin. 5. Idus Aug. 1593.

1 Regulariter tamen ita est, vt mandans fieri delictum eadem pœna puniatur, qua Principalis delinquens, non adhibita distinctione, an qui fecit delictum æque fuerit facturus, etiamsi agatur de statuto, si modo illud conceptum sit in rem non in personam, adeo vt mandans homicidium committi teneatur de homicidio propter mandatum, non ex mandato. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 89. *num.* 1. 2. 3. *&* 5. vbi addit eum, qui mandauit alicui vt Titium vulneraret, teneri de occiso, si is Titium occiderit. Ibidem tradit *num.* 7. præsumi mandatum ex præcedente collocutione si post breue tempus sequatur delictum. Tutius tamen esse torqueri ex ea causa mandantem & puniri pœna extraordinaria.

2 Quæ pœna extraordinaria est. De auxiliatore, quid iuris sit, vide apud eundem Iul. Clar. *quæst.* 90. Sed hæc Definitio nec de mandante loquitur, nec de auxiliatore, sed de consentiente.

DEFINITIO V.

Qui ad sui defensionem alium occidit, indiget quidem venia & indulgentia Principis, sed eam Princeps concedere etiam de rigore iustitiæ debet.

QVi cum se vitamque suam aliter tueri non posset, aduersarium occidit, non solum à capitali pœna absolui debet, sed etiam à pecuniaria, nec ab ea tantum, quæ occisis parentibus aut liberis aut consanguineis, aliisve heredibus adiudicari solet, sed & multo magis ab ea, quæ Principi aut domino territorij, in quo homicidium admissum est: [1] sola illa irroganda, quæ pro iudicantis arbitrio ad preces pro defuncti anima DEO offerendas conuenire videbitur. [2] Criminis tamen veniam à Principe impetrari debere moribus nostris receptum est, [3] adeo vt nec Senatus, cuius alioqui suprema auctoritas est, quandoquidem Principis vices gerit, [4] eam sibi potestatem vindicare ausit, id sui tantum officij esse existimans, vt ad Principem rescribat, quid iuris & æquitatis ratio postulet, eumque ad indulgendam gratiam quantum in se est permoueat, quam nec eo casu denegare Princeps noster solet idem iuris & æquitatis iuxta religiosissimus [5] ac clementissimus. *Ita Senatus* in causa Emanuelis Chastel Neciensis & Dominorum de Monfort, 5. Cal. Sept. 1593.

1 Excusatur enim homicida, qui probat se occidisse ad necessariam sui defensionem, adeoque rerum suarum, multo magis honoris sui: item pro defensione propinquorum imo & extraneorum, etiamsi occisus sit clericus: nec enim hoc casu incurritur excommunicatio, etiamsi modus in defendendo excedatur, dum ne ex proposito fiat. Iul. Clar. *in §. homicidium num.* 24. *vsque ad* 31. vbi addit, posse occidi etiam non insultantem, si ab insultante non aliter potui me defendere, quam si istum interficerem, quia interfeci dando operam rei licitæ. Nec cogor fugere etiamsi possim id facere sine periculo dummodo aggressus sim ab æquali, inquit Iul. Clar. *num.* 23. Neque est necesse, vt probetur in specie ista necessitas defensionis, sed satis est, quod quis probet simpliciter se fecisse ad sui defensionem. Sufficit enim quem minari, dummodo facto non verbis, & quod veniat animo percutiendi, etiamsi non expectetur percussio. Idem Clar. *num.* 33. *&* 34. Nec priuatur tam fauorabili exceptione reus etiamsi ab initio negauerit se occidisse. Idem *num.* 35. Excusatur etiam qui probat eum, qui est interfectus, fuisse in insidiis positum, idem *num.* 36. vbi addit, hoc ita verum esse, si ex iis insidiis tale ac tam præsens periculum immineret, vt aliter vitari non posset.

2 Nec enim hæc tam pœna est, quam pietatis quædam exhibitio ab occisore nunquam deneganda occiso. Iul. Clar. *vbi s. num.* 33.

3 Eamque pragmatici nostri vocant *gratiam iustitiæ*, quod eam facere Princeps debeat, non tantum ex clementia & benignitate, sed etiam ex rigore iustitiæ.

4 Comparatur enim præfecto prætorio, de quo *in l. vnic. D. de off. præf. prætor & in tit. de sent. præf. præt.*

5 Quomodo de Imperatore suo loquitur Papinianus *in l. vnum ex familia* 67. §. *vlt. de leg.* 2.

DEFINITIO VI.

Qui occidit, cum non haberet animum occidendi, sed tantum nocendi venia dignior est, siue ad sui defensionem id fecerit, siue primo motu iracundiæ. Item confessio non potest scindi in criminalibus, si nulla sint indicia contra confitentem.

SI alium percusseris, licet occidendi animum non habueris, quod plerunque ex teli genere dignoscitur, non eo minus teneris de occiso, si ex ictu percussus decesserit. Sed venia eris dignior, quamuis nocendi animo percusseris. [1] Nam & qui occidendi animum habuit venia dignus esse potest, non solum si salutis suæ tuendæ gratia id fecerit, [2] dummodo cum moderamine inculpatæ tutelæ, [3] sed etiam, si in primo ipso motu iracundiæ, qui scilicet non est in hominis potestate, [4] dum ne rixæ occasionem ille ipse præbuerit. [5] At quid si de homicidio non constet, nisi ex rei confessione? reus autem dicat, se prouocatum, aut ne occideretur occidere coactum? non scindetur confessio: quamuis dici soleat scindi eam in criminalibus, [6] non item in ciuilibus. Iniquum enim sit condemnari quem ex confessione sola, nullis aliis probationibus concurrentibus, [7] nec tamen confessioni stari. [8] *Ita Senatus* in causa Petri Francisci Ayme 4. Non. Mart. 1594.

1 Quia hoc homicidium culposum est, licet minus culposum, ita vt pœna ordinaria commutari debeat in extraordinariam, quæ nunquam est pœna mortis. Iul. Clar. *in §. homicidium num.* 4. subiiciens plures existimare, si aliquis volens occidere Titium, occiderit Sempronium, non teneri illum pœna ordinaria, sed extraordinaria, cum respectu Sempronij non fuit animus occidendi: quod tamen ille non probat, nisi hactenus, vt admitti debeat ad beneficium decreti gratiosi, quod sit iste occisus in rixa, non animo deliberato. [Qui tamen occidendi animum habuit licet tantum vulnerauerit pro homicida damnandus est *l.* 1. §. *Diuus C. hoc tit.* Sed alio iure vtimur vt mitius puniatur, nec vnquam ad mortem nisi fuerit parricida. *Defin.* 2. *num. vlt. in fin. ff. tit. prox.*]

2 Secundum id, quod scripsimus *Defin. præced.*

3 Vt scriptum est *in l.* 1. *C. vnde vi.*

4 Nam, vt dicunt Philosophi, primi motus non sunt in potestate hominis. Non tamen semper calor iracundiæ excusat in de-

BIU Cujas

in delictis, nisi hactenus, vt mitius reus puniatur, & quidem tunc tantum, cum prouenit ex iusta causa, vt si vir occidat vxorem deprehensam in adulterio: alioqui in nihilo excusat. Iul. Clar. *in pract. crim. q. 60. nu. 9.*

5 Nam contra auctorem rixæ semper insurgit valida iuris præsumptio, *l. quoniam 6. C. ad leg. Iul. de vi public.* Clar. *in §. homicidium*, vbi tamen addit ratio quem condemnari ad pœnam mortis pro homicidio in rixa commisso. vide *l. si in rixa l. 1. §. Diuus D. hoc tit.* [Et plerunque solet Senatus noster tales homicidas ad triremes perpetuas damnare conuersa morte naturali in ciuilem, quod vtique facere ex facti circumstantius potest etiam inconsulto Principe. Quamuis quoties contingit homicidam in totum absolui debere, puta si vt vitam suam tueretur, aut si casu fortuito, cum neque nocendi, neque occidendi animum haberet, soleat Senatus consulere Principem & suadere vt criminis gratiam faciat, quod Senatus ipse facere non posset. *Ita Senatus* noster in causa Ioannis Fornier Idib. Iunij 1613.]

6 Nempe, quia delinquens habet præsumptionem contra se. Bart. *in l. Aurelius 28. §. idem quæsiit. num. 2. de liber. legat.* Iul. Clar. *in pract. crim. q. 55. nu. 15.*

7 Nam si qua alia adsint indicia, aliud dicendum est. Clar. *ibid. num. 16.*

8 Intellige, si eodem contextu verborum reus confessus est, se occidisse ad sui defensionem, non etiam, si prius confiteatur se occidisse, postea vero addat ex interuallo *ad sui defensionem.* Clar. *d. nu. 16.* subiiciens *nu. 17.* cautius esse, vt reus neget se occidisse, tum subiiciat, & si id feci, feci ad mei defensionem, siquidem hæc responsio admittitur, & pro negatiua habetur. Siue tamen neget siue fateatur homicidium cum qualitate, non euitabit torturam, si modo aliqua sint alia contra eum indicia. Clar. ibid. vide Boer. *decis. 164.*

DEFINITIO VII.

Ebrius, qui nullo modo compos fuit suæmentis, si alium occiderit, non est condemnandus pœna ordinaria, sed tamen non potest euadere extraordinariam, si ebrietatis culpa ei possit obiici.

IS, qui cum ebrius esset, homicidium perpetrauit, pœna ordinaria legis Corneliæ de sicariis puniendus non est, sed tantum extraordinaria & pecuniaria. [1] Sed tamen id ita accipi debet, si adeo ebrius fuisse probetur, vt nullo modo compos fuerit suæ mentis. Nam si non vsque adeo fuit ebrius, quin sibi caueret, & quid ageret, prospicere posset, non eo minus puniri debet, [2] quinimo si criminis veniam impetrauerit à Principe, non facile Senatus rescripto paret, sed consulit Principem, cuius religionem tam facile circumueniri nō oportet. Quanquam, si consultus Princeps adhuc indulgere velit, ei parendum est. [3] *Ita Senatus* 15. Cal. April. 1595. [Furiosi & dementis aliquantulum diuersa ratio est. Si enim non per simulatam, & affectatam dementiam, sed vero furore percitus quis hominem occiderit, miseratione potius quam pœna dignus est, etiamsi parricidium admiserit, quo grauius crimen aliud vix vllum objici potest. [4] Nec eorum sententia vtimur, qui putant in magna sceleris immanitate furioso parcendum non esse: quasi propter atrocitatem sceleris transgredi leges liceat in iudicando. [5] Repugnat enim euidenter ratio ipsa humanitatis & æquitatis, [6] nisi proponas talem esse furorem qui habeat dilucida interualla. Quo casu nemo dubitat quin qualecunque crimen admissum extra furorem perinde in furioso atque in alio quolibet vindicandum sit. [7] In dubio tamen præsumendum est pro furioso quod in furore facinus admiserit, vt indulgentiæ, ac veniæ potius quam irrogandæ condemnationis occasio quæratur. [8] Quod si furoris aut dementiæ probationes dubiæ sint, iusto decreto temperanda res erit, [9] vt neque omnino absoluatur qui delictum præsertim atrox commisit, neque tamen tam grauiter puniatur. [10] Idque temperamentum secutus est Senatus noster in causa Nicolai Catin, quem grauissimi sacrilegij reum quod sacerdotem sacris vestibus iam ornatum, & accinctum ad altare ac sacrificaturum atrociter vulnerasset, ad triremes perpetuas à Concilio Gebennensi condemnatum non putauit Senatus ad pœnam mortis condemnandum, quam pro tanto scelere alioqui grauissimam meruisset. " *Ita Senatus* 7. Iulij 1612. Iunge Defin. 1. supr.]

1 Iul. Clar. *in pract. crim. q. 60. num. 12.* vbi addit ebrietatem excusare à dolo, sed non a culpa, nisi factus sit ebrius sine culpa sua. Sane ebrius est semper mitius puniendus [nisi conetur rat animus, & causa vindictæ. *Ita Senatus* contra Ferrandum Gonet 14. April. 1614.]

2 Qui enim mentis est compos, etiam doli est capax.

3 Iul. Clar. *in pract. crim. q. 59.*

[4 *l. obseruare 6. D. de curat. furios. & aliis dand. l. Diuus Marcus 14. D. de offic. Præsid.* iunct. *l. 11. C. si quis Imper. maledix.* Furiosus enim non solùm absentis, sed etiam nullius loco est, cum in eo desit animus *l. 2. §. 1. D. de procur.* Delictum autem non committitur sine animo adeoque nec sine dolo. *vulg. iurib.*

5 Andr. Tiraq. *De pœn. temper. caus. 3. num. 7. & caus. 49. à nu. 16. & 26. vsque ad fin.* Igneus *ad l. 3. §. ignoscitur numer. 82. ad SC. Silan.*

6 Cum furiosus satis furore ipso puniatur *d. l. Diuus.* Nec possit videri consentire qui nec sentit *l. si tibi 8. §. vnius D. de opt. leg.*

7 *dict. l. Diuus, l. pen. §. vlt. D. hoc tit. l. pen. & vlt. C. de curat. furios.*

8 Proniores enim esse debemus ad absoluendum quam ad condemnandum *vulg. l. absentem 5. D. de pœn.* Ludouic. Carerius post alios quos citat *in pract. crimin. in tract. De homicidio Cap. Secundo excusat furor nu. 11. fol. mihi 164. vers.*

9 Vt loquitur §. *quoties l. 85. De reg. iur.*

10 Carer. *vbi supr. num. 6.* dicens non posse quidem furiosum puniri pœna corporali, sed tantùm pecuniaria, & publicatione bonorum nisi propter atrocitatem criminis. Cæterum semper furor & dementia excusant à pœna ordinaria, *Ibid. nu. 12. & 13.* Aliud est in prodigo. Hic enim nunquam in delictis excusatur. Carer. *ibid. num. 4.* post Bald. *ad l. furiosum C. qui test. fac. poss.* Bart. *in l. is cui 6. De verb. oblig.* Glos. *ad l. si quis in tantam C. vnde vi.*

11 *Can. si quis suadente diabolo 27. q. 5. Cap. 5. & 9. De sentent. excommun. l. si quis in hoc genus 10.* iunct. *Auth. sed nouo iure C. de episc. & cler.*]

DEFINITIO VIII.

Singularia quædam in crimine, quod vocant assassinij vel assassinatus.

IN assassinatus, vt vocant, crimine singularia hæc sunt, vt ex indiciis probari possit, licet in cæteris criminibus regulariter probationes requirantur luce meridiana clariores, nimirum propter difficultatem probationum. [1] Item vt quamuis non constet de corpore mortuo, possit tamen reus ex sola sua confessione condemnari, si etiam in tormentis confessus sit se hominem occidisse, & in mare aut fluuium proiecisse. [2] Cum tamen in aliis homicidij speciebus necesse sit ante omnia, vt constet de corpore mortuo, [3] adeo, vt qui reum tanquam occisorem condemnauit mori debeat, si postea probetur viuus, qui tum occisus dicebatur. [4] *Ita Senatus* in causa N. Noblet 6. Id. April. 1595. [Et rursum contra N. la Iusta & Emery de Quiege 1609. *Sine die.*]

1 Et propter atrocitatem criminis *cap. 1. de homicid. in 6.* Iul. Clar. *in §. assassinium num. 6.* vbi addit hoc intelligendum esse ad condemnandum non solum pœna extraordinaria, sed etiam ordinaria & corporis afflictiua. Pœna enim assassinij est pœna mortis. Idem Clar. ibid. *nu. 4.* Addit. *nu. 5.* assassinium non gaudere immunitate Ecclesiæ. Item *num. 7.* in hoc crimine puniri affectum, etiamsi non sit secutus effectus. Item clericum imputatum de assassinio posse puniri per iudicem secularem. Idem Clar. *in pract. crim. q. 36. num. 29.* Nam assassinij sunt diffidati à toto populo Christiano, & possunt à quocunque impune offendi: nec hoc casu requiritur solemnis degradatio, sed tantum sententia declaratoria, quam placet ferri posse etiam per iudicem secularem: nec rursus expecta-

BIU Cujas

tur incorrigibilitas clerici, quæ alioqui expectanda esset, antequam clericus traderetur curiæ seculari, idem Clar. *d.q.36.n.30. 31.& 32.& q.20.num.7.*

2 Etsi hoc videtur improbare Iul.Clar. *in tract.crim.q.55.nu. 11.vers.& ideo.* vide Ias. *in l.iurisiurandi, C.de testib.*

3 Aut aliter de delicto in iis scilicet delictis, quorum remanent aliqua vestigia, vt loquitur Clar. *d q 55, nu.11.& q.4.nu.* 4. Secus in iis, quæ iunt facti transeuntis; in iis enim statim atque delata est querela potest iudex inquirere & assumere informationes, vt idem ait *nu.3.* Idem addit *num.5.* si dubitetur, an delictum interuenerit, vt puta, si quis repertus sit mortuus in puteo, iudicem debere omnino inquirere & informationes assumere, non quidem tanquam de maleficio, sed vt veritatem facti intelligat, ex quo deinde apparere possit, an sit delictum vel non.

4 Imo fuit in magno periculo vitæ quidam Doctor, qui consuluerat furem quendam ob plura furta, quæ confessus fuerat, & de quib. aliter non constabat, furcis esse suspendendum, pro quo tamen consuluit Alexan. *cons.19.lib.7.* Refert Iul.Clar. *dict.quæst.55.nu.11.vers.& propter hoc.* Nota autem ad hanc Defin. dici homicidium committi per assassinium, quando sit interueniente pecunia: idem Clar. *in §.homicidium nu.11.*

DEFINITIO IX.

Si quis occisus sit ex officialibus, nec appareat per quem ex reis prehendendis, an omnes de homicidio teneantur?

CVm plures capitalis criminis rei ab apparitoribus iudicis perquirerentur, & in eo essent, vt iam iam prehenderentur, cuenerat vt vnus ex apparitoribus globulo ictus interfectusque esset, sed ita, vt nesciretur à quo ex reis, qui tamen omnes euaserant, vno duntaxat capto. Quærebatur an is, qui captus fuisset, homicidij quoque reus videri deberet? Placuit non debere,[1] si non constaret homicidium ab eo admissum fuisse: sed tamen grauiorem ei infligendam condemnationem ex ea causa, propterea quod fugiens ne prehenderetur, atque ita vacans rei illicitæ[2] homicidio causam ex parte dedisset. *Ita Senatus* in causa N.Perradin d'Arben 8. Cal.Sept.1595.

1 Nam opinio Bart. *in l.si rixa nu.10.hoc tit.* quod omnes puniantur pœna homicidij communiter damnatur, inquit Iul. Clar. *in §.homicidium nu.37.* vbi tamen distinguit ille, an homicidium fuerit deliberatum, vt tunc omnes teneantur pœna ordinaria homicidij, siue defunctus ex vno tantum vulnere decesserit, siue ex pluribus, an vero sint tantum quædam suspiciones animi deliberati, & tunc omnes torquebuntur super illa qualitate animi deliberati, & si nihil fateantur, tunc omnes condemnentur ad pœnam extraordinariam ratione incertitudinis, an denique certum sit homicidium esse in rixa commissum, & tunc, si vnicum vulnus illatum est, omnes teneantur pœna extraordinaria arbitraria, nisi constet, quis sit auctor rixæ, aut nisi omnes sint contumaces: quo casu condemnantur omnes in pœnam homicidij ob contumaciam, si vero plura sint illata vulnera, & certi sint vulneratores, & certa vulnera illata, ignoretur tamen ex quo vulnere mors secuta sit, tunc omnes teneantur de occiso, si omnia vulnera fuerunt lethalia, vel illi tantum, qui lethalia inflixerunt, si non omnia fuerunt, alij vero de vulnerato, & præterea pœna pecuniaria arbitrio iudicis, si autem ignoretur, quæ vulnera à singulis illata fuerint, & omnia sint lethalia, omnes de occiso teneantur, sed si vnum duntaxat lethale fuit, omnes quidem de occiso teneantur, at non nisi pœna extraordinaria & arbitraria. Et hanc esse communem opinionem testatur Clar. *d.§. homicidium à num. 37. vsque ad 42.*

2 Nec enim licet resistere officiali, nisi in casibus, quos vide apud Iul.Clar. *in pract.crim. q.29.* vide Ioan. Papon. *in syntagm.lib.22.tit.5.§.2.*

[DEFINITIO X.

Condemnatus de vulnerato postea de occiso condemnari potest.

ACcusatus & à Senatu condemnatus quod alium vulnerasset qui ex eo vulnere moriturus non credebatur, defuncto post paucos dies vulnerato ex eiusdem vulneris causa iterum condemnari potest, & debet[1] & quidem ad eam pœnam, quæ ex lege Cornelia de sicariis aduersus homicidas constituta est, id est vltimi supplicij,[2] Nempe si occidendi animum habuit cùm vulneraret.[3] Nec ad rem pertinet quod dici solet, non debere quem pro vno eodemque delicto bis condemnari.[4] Etsi enim vnum hoc & idem delictum est, duplicem tamen habet rationem, cum alia vulnerantis causa esse debeat, alia occidentis.[5] Nec tamen duplex hoc casu erit condemnatio, sed confluet prior in posteriorem, vt non tanquam vulnerator, sed tanquam occisor puniatur.[6] Alia ratio est eius, qui nec de vulnerato condemnatus, sed absolutus fuit.[7] Non enim superueniens mors vulnerati iustam nouæ condemnationis materiam adferre potest contra eum qui pro sua innocentia iam habeat iudicatum.[8] *Ita Senatus* contra Eleasarum Vignieres 8.Id. Aug.1612.

1 Nec enim nouum est, vt etiam apud alium iudicem accusetur & puniatur is qui iam ab alio condemnatus fuit, vt dixi *Defin.2. j. De sentent. pass.num.6.* ex Iul.Claro *in pract. crim. quæst.57.*

2 Hæc enim hodie pœna ordinaria est homicidij sine distinctione personarum, quamuis ex iuris veteris ratione distinguendi sint humiliores ab honestiorib. *l.3.§.pen. D.hoc tit.*

3 Secundum distinctionem positam *Defin 6. 5.*

4 *l.rectores 24.C.de pœn.* Sicut è contrario non licet pœnam sententia dictam reuocare *l.pœnam 15. eod.*

5 Vt constat *ex tot. tit. ad leq. Aquil. & ex l.1. §. Diuus D.hoc tit.*

6 Itaque non erit duplex pœna, sed vna tantum at tanto grauior.

7 Nam si pœnam reuocare præses non potest *d.l. pœnam 13. C.de pœn.* multo minus absolutionem quæ fauorabilior est, cum melius sit absolui nocentem quam innocentem damnari *l.5.D.de pœn.*

8 Cum res iudicata præsertim à Senatu pro veritate habeatur, *l.res iudicata 207.de reg.iur.*

DEFINITIO XI.

Qui præposito suo manus intulit licet non occiderit capite puniendus est, interdum ad furcam.

CVm miles quidam peregregius & militaris scientiæ gloria clarus Præposito arcis, in qua ille sub alio ductore stipendia merebat manus intulisset in media Camberij vrbe Senatu sedente, & stricto ense ad arma eum prouocasset; non alia de causa quam quod stipendia sibi iam inde ab aliquot mensibus debita non soluerentur, quasi ea Præpositus militum nomine iam accepta sibi retineret, cum tamen nullam prius de eo querelam, aut ad ipsum Præpositum aut ad Principis Vicarium generalẽ, qui tum in vrbe aderat, detulisset,[1] visum est capitali supplicio afficiendum[2] quamuis variis ictibus, & vulneribus quæ mortalia credebantur, affectus Præpositus non periisset.[3] Nec sibi temperauit Senatus quin reum etiam ad furcam damnaret,[4] quod petulantiæ crimen, non modo dignitate Præpositi augeretur,[5] qui & genere & moribus & bellicæ virtutis gloria erat clarissimus,[6] idemque Serenissimo Principi nostro charissimus, sed etiam ex eo quod pugione ipsis etiam militib. prohibito, Stille tum vocant, Præpositum vulnerasset,[7] idque per seditionis speciem prætextu non soluti stipendij,[8] & eo tempore quo in tantis ærarij angustiis verendum erat ne insolentiores plerique militum idem aduersus Præpositos suos ausuri essent, si non huius primi sceleris audacia in ipso propemodum Senatus & locum tenentis generalis conspectu[9] insolens grauissimi supplicij pœna coerceretur.[10] Neque deerant qui ex his causis rotæ supplicium infligendum esse arbitrarentur. Præsertim cum de-

BIU Cujas

cum deserti quoque præsidij in quo militabat crimen quod per se capitale est [11] concurreret. Furcæ tamen pœnam ad exemplum sufficere visum est. [12] *Ita Senatus* contra Humbertum quendam 12. April. 1614.

1 Quod tamen ante omnia faciendum erat, vt sciri posset verúsne an falsus prætextus esset, atque vt superioris authoritate militi aduersus præpositi iniuriam prouideretur *arg. l. vlt. D. quod met. caus.*

2 *l. omne delictum 6. §. qui manus D. de re milit.*

3 Puniendus enim est affectus licet non sequatur effectus cum peruentum est ad actum proximum & immediatum *Defin. 20. j. De pœn.*

4 Quamuis non soleat militibus, vt neque nobilibus pœna hæc infligi, sed caput amputari, præsertim cum lex non aliam quam capitis pœnam irroget, *d. §. qui manus.* Sunt enim capitalium pœnarum veluti gradus quidam *l. capitalium 18. D. de pœn.*

5 Vt scriptum est *in d. §. qui manus.*

6 Caput scilicet & Princeps antiquissimæ ac nobilissimæ familiæ Boniuardorum idemque Præpositus arcis Alingiarum apud Chablasienses.

7 Quod genus armorum tanquam ad insidias aptissimum omnium periculosissimum non modo apud nos sed in tota Italia & alibi ferè vbique sub pœna capitis prohibitum est: & ex eo genere teli animus occidendi probatur *l. 1. §. Diuus Hadrianus, D. hoc tit.*

8 Quod omnium grauissimum scelus est semperque seueriſſime vindicandum *l. 2. & tot. tit. C. de sedit. & de his qui pleb. contr. remp. aud. collig. l. si quis aliquid 38. §. autores D. de pœn. l. 1. §. 1. ad leg. Iul. maiest.*

9 Auget enim hæc circumstantia delicti atrocitatem *l. Prætor 7. §. vlt. cum legib. seq. D. de iniur.*

10 Hoc enim casu maleficiorum supplicia exacerbari oportet, vt ait *l. aut facta 16. §. vlt. D. de pœn.*

11 *l. non omnes 5. §. qui desertioni & seq. D. de re milit.* licet non semper *d. l. ad leg. in princ.* maximè cum quis in pace deseruit §. 1. *ibid.*

12 *d. l. capitalium & d. l. 38. §. autores De pœn.*]

TIT. XI.

DE IIS, QVI PARENT. VEL filios occid.

DEFINITIO I.

Pater qui imprudens filium occidit, etiam per culpam venia & commiseratione dignior est quam pœna.

PATER cum interprandendum gallinam sibi molestam ab eo vbi erat ille, cœnaculo, fugare vellet, cultello, quem in manibus habebat, in gallinam temerè proiecto, filium quadrimestrem in cunabulis iacentem ictu illo perfoderat. Ex ea causa reus parricidij effectus remque ita gestam confessus, apud inferiorem iudicem, non nisi ad leuem mulctam pecuniariam fuerat condemnatus. Appellatione per procuratorem generalem interposita tanquam à minima condemnatione, male quidem à iudice pronunciatum fuisse constabat, qui homicidij nedum parricidij etiam sine dolo malo admissi pœnâ non leuiorem irrogare poterat, quam exilij aut relegationis, [1] præsertim cum culpa non vacaret pater, qui pro re tam leui cultellum proiecisset in eam cœnaculi partem, in qua filium esse, tantoque obuium periculo & obnoxium fore videbat. [2] Sed tamen cum occidendi filij neque propositum neque causa vlla in patre probaretur, [3] nec rursus patrem illicitæ rei operam dedisse appareret, [4] placuit improbari quidem iudicatum, sed ante omnia rescribi ad Principem, vt per eius indulgentiam, quæ moribus nostris homicidæ cuilibet omnimodo necessaria est [5] misero patri qui amisso per casum innocente filio commiseratione magis quam pœna dignus videbatur, ex humanitate & æquitate maxima consuleretur. Interim tamen carceribus eximi eum debere [8] visum est. *Ita Senatus* in causa Claudij de Hauteuille S. Helenæ de Millieres 4. Id. Aug. 1605.

1 Boer. *q. 73. num. 9.*

2 Exemplo eius, quod de proiiciente lapidem versus turbam hominum tractat Iul. Clar. *in §. homicidium, num. 3.* ante finem, nec nouum est, etiam quæ fiunt fortuito venia indigeant, *l. pen. de incend. ruin. & naufr.*

3 De cuius erga liberos suos amore semper pie ac benigne quantum fieri potest, præsumendum est *l. vlt. C. de curat. furios. l. isti quidem 8. D. quod met. caus.* sed præsertim in eos, qui nullam ingratitudinis causam committere potuerunt, *l. si quis suo 33. in fin. C. de inoff. testam.*

4 Nec enim domino gallinam suam cultello fugare prohibitum est, quam & occidere impune potest.

5 Secundum ea, quæ scripsimus *Defin. 5. 3. eod.*

6 Ne alioqui afflictio maior daretur afflicto contra *l. iure succursum 6. D. de iur. dot. l. vlt. C. de inst. & subst.* * Aliud placuit in eo qui iacto in nouercam lapide vt eam, si non occideret saltem percuteret, patrem percussit & vulnerauit. Hic enim, licet non habuerit animum patris percutiendi, quia tamen dando operam rei illicitæ patrem percussit, nec in nouercam præsertim patre præsente lapidem proiicere debuit, dignus est qui & multa honoraria & perpetuis triremibus coerceretur. Remittendam tamen ei esse pœnam morte visum est, quòd parricida dici non posse videretur qui patrem percutere voluisse non nisi ex patris querela probaretur, patri enim credi quidem potest contra filium ad irrogandam ei pœnam extraordinariam, sed non ordinariam si aliæ nullæ sint probationes. Accedebat quod pater ipse querelam deferens, filium eo tempore ebrium esse dixerat, nec vindictam contra ipsum vllam exegerat, vt tamen atrocitatem facinoris omnes scirent, & quàm parum distaret hic à parricida, placuit reste collo inducta multam ab eo præstari honorariam. *Ita Senatus* contra Claudium vlt. Ianuarij 1617. Iunge defin. 7. supr. tit. prox.

DEFINITIO II.

Mulier quæ partum inuentum mortuum celasse & occidisse dicitur, parricidij rea est, nisi probet illum à se editum mortuum.

MATER, quæ partum celauit, qui postea mortuus repertus est, parricidij rea habetur, [1] licet non appareat viuum editum fuisse, [2] nisi probet illa editum mortuum. [3] Quo tamen casu etiam extra ordinem punienda est. [4] In ambiguo tamen torqueri ipsam ante omnia oportet, [5] citra præiudicium, vt loquimur, probationum, [6] vt si fieri poterit veritatis probatio plenior per vim tormentorum exprimatur. [7] *Ita Senatus* contra Franciscam Paillard de Chanauel Cal. Sept. 1595.

1 *Ex l. 1. D. & C. hoc tit. l. si quis necandi.* vbi omnes notant *C. ad leg. Cornel. de sicar.* Intellige tamen, Nisi mulier peperit intra quatuor vel sex menses partum animatum quidem, sed non vitalem, & infantem præ pudore ne sciretur prægnans suffocauit. Nam tunc mitiori pœna punietur, quam mortis naturalis: quemadmodum si propriis visceribus vim intulisset & partum abegisset, quo casu siue animatus siue inanimatus fœtus fuisset exilij perpetui pœna cum fustigatione mulctari mulier deberet *l. Diuus de var. & extr. cognit. l. si mulierem D. ad leg. Cornel. de sicar. l. Cicero §. sed & si qua de pœn.* Anton. Tessaur. *decis. 12. numer. 13. & decis. 13. num. 2.* vbi addit aliam limitationem, nisi mulier interrogata reperta fuerit ignorans, & sine dolo, vt in casu, quem ille refert ibid. post Osasc. *decis. 60.* Nam parricidium, quod non probatur dolosum, nisi ex præsumptionibus quamuis violentis mitius puniendum est *cap. tertio loco.* vbi Abb. *de præsumpt.* cum quælibet causa excusat à dolo Gloss. *in l. plagij 2. Cod. de plagiar.* Item nisi interuenerit matris suasio & minor ætas mulieris. Dec. *consil. 535.* Menoch. *cas. 357. lib. 2. de arbitr. iud. Cent. 4.*

2 Si tamen mulier interrogata respondeat se peperisse mortuum & illum sepeliuisse, vel mortuum fuisse illum sa-

BIU Cujas

tim post natiuitatem, quamuis confessio hæc qualificata acceptari non possit neque valeat, quod ad pœnam euitandam omnino, nisi adsint coniecturæ: tamen facit, vt pœna mitior esse debeat. Tessaur. *d. decis. 13 nu. 6. & 7.*

5 Non enim posset videri parricidium admisisse filij iam defuncti, sicuti nec de homicidio tenetur, qui partum nondum animatum abigit. Tessaur. *d. decis. 12. nu. 4.*

4 Quia vrgetur grauissimis & violentis præsumptionibus, & rursus dat operam rei illicitæ, quæ partum celat quamuis mortuum, ac multo magis, si eum insepultum retinuerit immemor humanæ conditionis, vt *in l. quidam 27. D. de condit. instit.* Denique semper valida & violenta præsumptio est contra illum, qui aliquid fecit dando operam rei illicitæ, vt passim tractat Iul. Clar. *in pract. crim.* & nos sæpius diximus.

5 Siue mulier omnino neget siue fateatur quidem, sed cum aliquibus circumstantiis & qualitatibus, quæ non sint probabiles, vt in casu illo, quem tractat Tessaur. *dict. decis. 13. num. 3. & 4.*

6 Nec enim tormentis quis subiicitur, vt probationes minuantur, sed vt augeantur. Quamuis non possit hæc clausula tanti esse momenti, vt non semper prodesse reo debeat patientia tormentorum, vt mitius puniatur, quia semper purgat & delet indicia omnia, vt dicemus *ad tit. de quæst.*

7 Si tamen non constet de crimine nisi per confessionem mulieris, non facile debet iudex vltimo supplicio mulierem damnare, quia semper in dubio præsumendum est partum mortuum natum esse, cum mulieres istæ multa facere soleant in perniciem vteri, vt abortum faciant, inquit Tessaur. *dict. decis. 13. ante fin.* Quæ sententia præsupponit, Matrem, quæ partum iam formatum & animatum in vtero abigit, non esse plectendam pœna parricidij, non magis quam si abegisset partum nondum formatum nec animatum. Quam opinionem mordicus defendit Tessaur. *dict. decis. 12.* aduersus communem opinionem, quæ supradictam distinctionem admittit, ibidem ait *numer. 1.* Si mulier prægnans pugno vel ictu percussa sit ab aliquo, & ita partum abegerit vel eiecerit, non tamen debere illum pati pœnam mortis, nisi mater quoque ipsa ex eo mortua sit, quamuis partus iam fuerit formatus & animatus, sed tantum exilio temporali puniri debere, *ex l. si quis aliquid §. qui abortionis D. de pœn.* contra Clarum, qui vult pœnam mortis hoc casu infligendam *in pract. crim. quæstio. 68. vers. abortum in fin.* At si quis voluntarie ac ex proposito abortioni causam dederit, vel per poculum vel aliter, pœna hodie illa esse debet, vt humiliores ad perpetuas triremes, honestiores vero in perpetuum exilium mittantur, fœminæ vero post ictum fustium in perpetuum seruitium alicuius Hospitalis dentur, *arg. dict. §. qui abortionis.* Tessaur. *dict. decis. 12. numer. 3.* Nisi poculum datum sit, non ad malos fines, sed vt mulier sanitatem consequatur, dum in periculo vitæ posita est ad fœtum in vtero existentem, si modo medicorum consensus accedat. Idem Thessaur. *ibidem numer. 11.* post Socin. & Felin. *in cap. si aliquis de homicid.* addens si medicorum votum non interuenerit, sed ita factum sit sine dolo & miserationis causa adhuc non pœnam mortis infligendam esse, sed aliam mitiorem, puta exilij temporalis, *ex l. 3. §. sed ex Senatusconsulto D. ad leg. Cornel. de sicar.* Plane, si mater dato filiæ poculo animatum fœtum peremerit causaque fuerit abortionis, præsertim si non semel sed sæpius, non dubitat Tessaur. *vbi supr. numer. 12.* quin plectenda sit pœna mortis ex Dec. *consil. 35.* & Boer. *quæst. 216. numer. 4.* Scilicet secuto effectu abortionis, non aliter, Grammat. *vot. 20.* Ipsa vero filia, quæ impiis matris suasionibus acquieuit, fustiganda est. Tessaur. *dict. numer. 12.* Intellige nisi propter pecuniam tale facinus perpetratum sit. Tunc enim omnimodo puniendum est pœna capitis *d. l. Cicero in princip. de pœn.* Menoch. *dict. cas. 557. num. 13.* Tessaur. *dict. decis. 12. in fin.* Cæterum quia hic titulus de parricidio est, sciendum est parricidium committere illum, qui parentem vel filium interficit *l. vnic. C. hoc tit.* Etiam naturalem tantum, quia filiationis substantia tantum consideratur non qualitas Iul. Clar. *in §. parricidium numer. 1.* post Alex. *ad l. 2. de in ius voc.* Et quamuis *dict. l. vnic. C. hoc tit.* videatur de iis tantum loqui, qui patrem aut filium occiderunt, placet tamen eam habere locum in omnibus, qui aliquem interficiunt ex ascendentibus aut descendentibus in infinitum, adeoque ex transuersalibus intra quartum gradum. Clar. *ibidem numer. 2. 3. & 4.* Pœna autem illa vetus parricidij, vt parricida viuus insuatur corio, cum gallo gallinaceo, cane, vipera & simia, & proiiciatur in mare vel in flumen, in vsu esse desit, & hodie pro varietate locorum aliter atque aliter parricidæ puniuntur, nisi quod gentibus omnibus commune est, vt morte & quidem atrocissima plectantur, adeoque etiamsi non sit secutus effectus. Vidimus enim apud nos filium, qui violentas matri manus intulerat, eamque pugione repetitis ictibus ita vulnerauerat, vt vulnera lethalia crederentur, post exustas candenti ferro mammillas, pugnumque cæsum, etiam flammis comburi iussum, tametsi mater ex iis vulneribus mortua non esset, adeoque veniam filio à Senatu nostro ardentissimis precibus & lachrymis cum patre postularet, vt tantum facinus nullis penitus suppliciis expiabile, si non plane condigna saltem grauissima pœna vindicatum omnes scirent. Vide Iul. Clar. *vbi supr. num. 5.*

TIT. XII.

DE MALEFIC. MATHEMAT. & sortileg.

DEFINITIO I.

Mulier sortilegij rea, si non liquidis probationibus conuicta sit, non debet ex solis suspicionibus condemnari, sed tamen exilio perpetuo mulctanda est, si mala fama vrgeatur.

MVLIEREM sortilegij ream, quæ non imprecationibus aut veneficiis,[1] sed verbis & minis, nonnunquam etiam vulgari pane exhibito plures fascinasse, subinde iisdem artibus sanasse probabatur,[2] non putauit Senatus aut summo supplicio afficiendam,[3] aut cum omnia negaret quæstioni tormentisq; subiiciendam:[4] propterea quod superstitionibus muliebribus & anilibus potius, quam sortilegiis incubuisse videretur.[5] Nec deerant, qui putarent sequendum hac in re exemplum Senatus Parisiensis, apud quem cum similis quæstio tractaretur, duabusq; inferiorum iudicum sententiis condemnata mulier ferendisque tormentis addicta prouocasset, tandem absolutam eam fuisse proditum est, relata etiam victoria omnium litis expensarum.[6] Sed tamen iustius visum est, exilio perpetuo mulctandam esse, quod communi popularium voce & fama quasi fascinatrix laboraret, malorumque fere omnium, quæ ab annis aliquot municipio acciderent, causa in eam detorqueretur. Etsi enim vanas populi voces parum curare bonus iudex debet, publice tamen interest purgari prouinciam iis personis, quarum conuersatio & fama scandalum aliis adferat.[7] *Ita Senatus* contra Antoniam vxorem Gaspardi Guaymard 14. Cal. Ianuar. 1592.

1 Hi sunt, qui magicis artibus vsi elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos, vt loquuntur Impp. *in l. multi 6. C. hoc tit.* Iunge *l. 3. in princ. & §. 1. D. de sicar.*

2 Quod apud Christianos æque diabolicum & districte prohibitum est, licet videatur ab Imperatoribus permissum *in l. eorum 4. C. eod.*

3 Quæ pœna est maleficorum tanquam qui credendi sint humani generis inimici *d. l. multi & l. seq. C. eod.*

4 Hoc enim genus hominum, si accusentur, nec aperte conuincantur, tormentis & quæstioni subiiciendum esse constat, & quidem ita, vt non sint excipienda corpora honoribus prædiorum, quæ tamen alias solent excipi, præterquam in quibusdam criminibus *l. etsi 7. l. vltim. eod. tit.*

5 Etsi nec impunitum esse debet superstitiones inducere, quibus leues hominum animi moueantur *l. si quis aliquid 30. D. de pœn.*

6 Vt refert Ioan. Imbert. *in Instit. forens.*

7 *l. 3. in fin. l. congruit 13, in princ. D. de offic. præsid.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO II.

De sortilegis & maleficis quid credendum sit, quid statuendum, & quibus probationibus crimen hoc detegi ac pro vero haberi possit, vt etiam vltimo supplicio afficiantur?

SEd & ex senioribus quidam repetebant mulierem quandam ex consimili causa iampridem virgis cædi iussam, suspenso etiam ad dorsum fasciculo ligneo, vt omnes intelligerent, si paulo certiores probationes criminis habuisset Senatus, cremari eam debuisse.[1] Denique cum de tota hac re alij aliter sentiant, & nonnulli fascinantium artes tanquam meras nugas rideant,[2] alij nimis faciles ad credendum inhumanas in huius criminis reos sententias proferant, Senatus noster mediam sententiam sequitur, vt neque temere quascunque probationes admittat, neque omnes etiam reiiciat, vnde illud etiam fit, vt in statuenda pœna mediocritatem quoque sequatur; & pro qualitate personarum probationumque grauitate nunc grauiorem, nunc leuiorem pœnam decernat. Nunquam tamen contigerit, vt ex hac causa summo supplicio affici quenquam Senatus præcepisset, defectu nimirum probationum, quæ sane perdifficiles semper & obscuræ sunt.[3] In id vsque tempus quo grassante latius hac generis humani peste, passimque emergentibus malis grauissimis, quorum causa ad maleficos istos & sortilegos referebatur,[4] cœpit consilium Gebennense me Præside in eam venire sententiam, vt eos strangulari primum, deinde flammis voueri oporteret. Quod à me meisque in hoc consilio collegis Claudio Dequoe & Claudio Macheto clarissimis, integerrimis & eruditissimis viris sæpius ptonunciatum, Senatus noster ex appellatione cognoscens confirmauit, & alios nonnullos ex aliis Sabaudiæ prouinciis eisdem suppliciis addixit: eos præsertim qui diabolicas istas synagogas frequentasse, ibique cum diabolo duxisse choreas, saltasse, manducasse, bibisse, fœminas etiam cum eo concubuisse, fidem denique & homagium ei præstitisse, ac in necessarium siue antecedens siue consequens baptismo & sacrosanctæ fidei renunciasse, ab eoque varias mirasque nocendi artes didicisse, easdemque magno multorum malo nunc in hos nunc in illos nominatim designatos exercuisse fatebantur.[5] Cum præterea ipsorum confessionibus non tantum vox & fama publica congrueret, quæ illos pro sortilegis & maleficis vulgo habitos esse prædicabat,[6] sed etiam effectus rei responderet multis conquerentibus, & illis ipsis quos ij nominauerant, quod ea ipsa damna & ab iis & per eadem media quæ ij detexerant, perpessi fuissent.[7] Nam quemadmodum periculosum esset vltimi supplicij pœnam iis irrogare, qui delictum vltro faterentur, de quo tamen non aliter, quam ex ipsorum confessione constaret,[8] ita si aliunde constet de sortilegiis & maleficiis ex euidentia morborum, quorum scilicet naturalis causa nec per peritissimos medicos proferri vlla possit, nec nisi de sortilegij & maleficij auctore dubitetur, absurdum sane est alias certiores criminis probationes requirere, quam ex eius qui fecisse dicitur, publicaque infamia vrgetur, confessione:[9] tametsi quibus artibus & mediis damnum illatum sit, nesciatur. Tanto enim clarius est arte diabolica factum esse, quod naturaliter fieri non potuit.[10] Sed si, quod plerunque euenit, vel panem, vel pomum, vel quid aliud à malefico exhibitum fuisse appareat, quo accepto confestim ac derepente damnum emerserit, minorem dubitationem res habet, quin sortilegij ac maleficij reus haberi debeat,[11] qui se talem & ipse confessus esse & ab aliis vulgo haberi passus est. De hoc hominum genere tam multi tam multa tamque accurate scripserunt, vt superuacuum fuerit plura hic nos in hanc rem addere. Sed ex omnibus & qui omnium instar esse possit, vnus est Martinus Delrio Iurisconsultus & Theologus clarissimus, qui Disquisitionum Magicarum libris omnia, quæ ad hunc tractatum pertinent, adeo diligenter prosecutus est, & accommodate ad præcepta fidei vsumque forensem, vt neque copiosius, neque ornatius, neque eruditius quicquam scribi potuerit, dignum plane opus tanto viro nec minus pietatis quam eruditionis fama conspicuo inter tot tantosque Societatis Iesu Patres, quibus nihil ætas nostra tulit, feretque aut eruditius, aut religiosius, nihil denique toti Christianæ reipublicæ in tanta seculi infelicitate vtilius.

1 Quia & plus est hominem extinguere veneno & huiusmodi magicis artibus, quam gladio, *l.1. C.hoc tit.* Denique isti quos non nisi ob facinorum magnitudinem maleficos vulgus appellat, vt ait *l.nemo 5.C.hoc tit.* hac maxima omnium pœna digni visi sunt quam viui-cremationem dicit Callistratus *in l.capitalium, 28. in prin. D.de pœn.* & viui-comburium Tertyllianus locum illum in quo viui comburebantur, *lib.15. de anima.*

2 Quod vulgò credantur multa posse facere, quæ sacrosancta religio nostra ne credamus etiam à diabolo fieri posse prohibet. Can.episcopus, *26.distinct.*

3 Cum tamen in criminalibus debeant esse luce meridiana clariores, *l.vlt.C.de probat.*

4 Quo casu exacerbari oportet supplicia maleficiorum, cum multis personis grassantibus exemplo opus sit, *l.aut facta, 16.§.vlt. D.de pœn.* Non tamen viui comburendi sunt, postquam ex Concilij Tridentini auctoritate huiusmodi pœnæ atrociores sublatæ sunt, per quas fieret facile vt reus supplicio adducendus in desperationem adigeretur, atque ita non minus animæ quam corporis iacturam faceret, quod impium esset ac inhumanum.

5 Quæ confessio contra eos fidem facit, alioqui frustra quæstioni dederentur si eorum confessioni standum non esset, *l.etsi 7.l.vlt. C.hoc tit.*

6 Iuxta illud Ausonij, hæc casta est de qua mentiri fama veretur. Calumniam enim pati vir bonus & innocens quilibet potest, at publica omnium voce & fama laborare non potest.

7 Vix enim posset fieri vt omnia ista congruerent in astruendo mendacio.

8 *l.1.§.Diuus Seuerus.* iunct.§.1. *D.de quæst.*

9 *l.si is cum quo 4. D.de confess.*

10 Vnde est quod isti etiam tanquam hæretici puniendi sunt & tanquam apostatæ fideique abnegatores. Quæ res facit vt hoc crimen etiam mixti fori esse intelligatur eiusque cognitio & coercitio etiam ad ecclesiasticum iudicem pertinere. De quo vide Iul.Clar. *lib.5 sentent. in §.hæresis.* Ideoque & vulgari lingua nostra vocantur *Eriges*, deriuato haud dubie nomine à græco illo αἵρεσις, quia & qui olim ab ecclesiasticis iudicibus ex causa huius criminis condemnabantur hæretici pronunciabantur, mox seculari brachio corporaliter puniendi tradebantur.

11 Nec enim naturaliter fieri potest talis tantaque mutatio in instanti, cum natura operetur in tempore, vt aiunt Philosophi. * Vide *l.multi 6.& alias C.hoc tit. & 26.quæst.5. Can.non mirum, §.magi.*

DEFINITIO III.

Sola Cacodæmonum assertio etiam per exorcismum extorta non facit indicium sufficiens ad torturam, tametsi constet de effectu nec quæratur nisi de persona.

FOeminam quæ honesto iuncta matrimonio nec matronæ nomen vnquam amiserat, nec famæ suspicione vlla laborauerat à dæmoniaca muliere etiam per exorcismum constantissime accusatam, quod per manducationem cucurbitæ in familiari conuiuio dæmones in corpus eius iniecisset, idemque in aliorum quorundam personis fecisset, qui dæmoniaci probabantur. Item quod anniculos quàm plures quibus illa primũ lac exhibuerat, deinde ad alias nutrices trans-

BIU Cujas

latos per inuidiam interemisset. Visum est non solùm condemnandam non esse ad pœnam mortis, aut exilio siue perpetuo siue temporali mulctandam, sed neque quæstioni dedendam, ne in dæmonum potestate & arbitrio ponatur, vt vel optimos quosque Christianos huiusmodi mendaciis oneratos miserè torqueant & perdant, quibus illi tanquam hostes crudelissimi perpetuo insidiantur, neque rursus vt bene concordantia turbent matrimonia. Etsi enim non desunt magnorum virorum testimonia qui dæmoniacis, id est, dæmonibus ipsis exorcismo coactis fidem adhibendam censeant etiam ad supplicium mortis infligendum: est tamen ea res nimis periculosi exempli, vt Princeps mendacij pro veritatis teste fidissimo habeatur. Plane si qua veritatis indicia aliunde extarent, aut si persona quæ accusaretur, iam ante accusationem pro sortilega & malefica publice habebatur, non esset dubitandum quin etiam dæmonibus exorcismo compulsis aliquid credendum esset, non vt ad mortis condemnationem vllo casu, sed vt ad quæstionem & tormenta deueniri posset, tandemque etiamsi nihil tormentorum vis exprimeret, ad exilij perpetui pœnam irrogandam. Maximè si præcedentes inimicitiæ & minæ aliquæ probarentur. Scilicet si de ipso maleficij effectu constaret, nec nisi quis maleficij author fuisset, quæreretur. *Ita Senatus* pro Peroneta Perrin Augustana die 21. Iunij 1613.]

TIT. XIII.

AD LEG. CORNEL. DE falsis.

DEFINITIO I.

De falso non potest hodie agi nisi criminaliter & præcedente solemni inscriptione, nec rursus contra eum qui producit instrumentum quin prius actum sit contra notarium viuentem.

DE falso quidem agi iure ciuili potest aut ciuiliter aut criminaliter, aduersus eum qui falsum dicitur commisisse: [1] sed tamen contra tertium qui falsum instrumentum producit nullo modo prius quam contra notarium aliumve falsi fabricatorem actum sit criminaliter. [2] Id enim accusationis ordo postulat, vt prius inquiri oporteat an instrumentum falsum sit, quam vt quis ob id condemnetur, quod falsum instrumentum produxerit. [3] An vero instrumentum falsum sit necne, cum quo melius aut certius obsecro dispici potest, quam cum eo ipso qui falsum fecisse dicitur? [4] Hodie sane eo iure vtimur, vt ciuiliter de falso siue agendi siue excipiendi via omnis præclusa sit: eoque nomine criminalem institui disceptationem solemnemque inscriptionem fieri oporteat, siue instrumento falso nitatur is ipse qui falsum commisit, siue alius quilibet. [5] Quod ius ex Gallorum scriptis moribus ad nos traductum est, [6] & quidem summa ratione, ne alioqui nullus litium modus futurus sit, [7] nullaque satis certa veritatis probatio si vnicuique liceat tam facile scripturæ publicæ fidem conuellere, [9] quod passim contingeret si non plerosque calumniatores aut tergiuersatores solemnis inscriptionis periculum deterreret. [10] *Ita tractatum est* ex tempore 13. Cal. Ianuar. 1588. & postea in alia causa inter D. de Sarmoyé & D. de Messimieu. 9. Calen. August. 1592.

1 *l. de fide, 16. l. pen. & vlt. C. hoc tit.* Petr. Ferrar. *in pract.* Pap. *in form. libell. pro rescind. senten. in vers. qualis petitionis, nu.* 1. Addens *num.* 4. posse de falso quæri etiam per officium iudicis per text. *in l. sciant. C. de probat.*

2 Scilicet si notarius viuit aut alius quisquis dicitur fabricator falsi fuisse. Cyn. & DD. *ad fin. per ill. text. C. de fide instrum.* licet contra senserit gloss. *ad l. 2. eod.* quam approbare videtur Ferrar. *vbi s. nu. 3.*

3 Quæstio enim, *An sit*, alias omnes quæstiones semper præcedit, vt aiunt Logici.

4 Alieni siquidem facti semper iusta & probabilis ignoranda est non etiam proprij, *l. vltim. D. pro suo.* iunct. *l. quamquam, 7. D. ad SC. Velleian.*

5 Sic enim stylo Senatus nostri diserte cautum est.

6 Nam & in stylo regni Galliæ idipsum iam cautum erat, quem stilum in causis criminalibus apud nos obseruari Senatus noster voluit.

7 Quod nihil potest dici absurdius & à reipublicæ vtilitate alienius, *l. singulis. 6. D. de except. rei. iudic. l. fratris. 10. C. de transact. l. 2. C. de re iudic.*

8 Quæ tamen vt certa sit curare bonus iudex debet quantum fieri potest, *l. curent magistratus, 22. D. de testib.*

9 *l. iubemus, pen. C. de probat.*

10 *l. si cui crimen, 7. D. de accusat. & inscript.* Quamquam falsi crimen, vbi probatum est, atrocissimum creditur, adeo vt decretum gratiosum de relaxandis omnibus carceratis non extendatur ad eos, qui sunt carcerati pro crimine falsi. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 59. num. 13.*

DEFINITIO II.

Falsum committit notarius, qui stipulatur inter ignotos, aut ignotos testes adhibet accedente dolo malo. Item alij casus in quibus falsum committitur.

CVm facile fieri possit, vt supposita vnius ex contrahentibus persona notario testibusq; incognita falsum committatur, summa ratione apud nos constitutum est, vt non inter alios stipulari notarius possit nec alios testes adsciscere, quam quos ipse nouerit, quique inuicem sibi cogniti sint, mulcta pecuniaria contra notarium si secus fecerit arbitrio iudicis statuenda, cum comminatione, si quid iterum eiusmodi committat, fore vt officij publici exercitione ipsi interdicatur. [1] In quo tamen multum interierit sciri, an notarius bonæ famæ sit [2] an suspectæ, [3] vt credi possit per imprudentiam & facilitatem potius quam dolo malo deliquisse. [4] Dolo enim accedente falsum commisisse dicendus erit, [5] ideoque ordinaria falsi pœna, quæ capitis est, [6] puniendus. Illud sane constat falsum sine dolo non cómitti, [7] crimen tamen à notario etiam citra falsum committit, ob idque extraordinariæ coercitioni locum esse, [8] quoties nimirum non adhibet notarius eas cautiones, quas ad falsum impediendum adhiberi leges aut constitutiones Principis, vel Senatusconsulta volunt: [9] quam ob causam eum quoque notarium, qui de contractu à iure reprobato instrumentum confecerit, extra ordinem puniri debere placuit. [10] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 11. sup. de fid. instr.

1 Ita enim Senatus nostri placito generali & publico diserte cautum est.

2 Nihil enim facile suspicandum est in malam partem de eo, qui bonam habet formam, *l. à barbaris, 5. §. non omnes, D. de re milit.* Iul. Clar. *in §. falsum, num. 30.*

3 Nam in crimine falsi suspicio fere pro veritate habetur. Iul. Clar. *in §. falsum, num. 38.* vbi tamen notat hoc intelligendum esse, cum in causa ciuili aliquid probandum est per instrumentum suspectum, non etiam si agatur criminaliter ad puniendum aliquem de falso. Vnde ait Ferrar. *in form. libell. pro rescind. sent. in vers. qualis petitionis numer. 3.* quod etiam si sint nudæ suspiciones contra eum qui accusatur de falso, non tamen debet filius prius absolui, quam se purgauerit saltem per proprium iuramentum. Vide Masuer. *in form. oppos. contr. instru. in apost.* in verb. *auctoritatis, ad vers. aliisque de causis.*

4 Quod

BIU Cujas

1 Quod & in dubio præsumendum est. Dolus enim nunquam præsumitur, *l.dolum 6.C.de dolo.in exceptionib.19 § qui dolo,D.de probat.* in eo præsertim, qui aliquid publice facit, *l.vlt. D.de rit.nupt.* Boer.*decis.*216.

5 Sicut è contrario non potest falsum committi sine dolo. Iul.Clar. *in d.§.falsum,nu.*42. Quamuis non vbicunque dolus est ibi falsum quoque esse necesse sit, cum se habeant sicut genus & species.

6 Scilicet ex edicto Principis nostri.Nam iuris communis pœna leuior est,quæ ipsa tamen vbique gentium in vsu esse desiit. Iul.Clar.ibid.*num.*40.*&* 42.

7 Idem Clar.*d.decis.*42.

8 Nullum enim delictum remanere impunitum publice interest, *vulg.l.ita vulneratus,*51.*§.vlt.D.ad leg.Aquil. l.Stichum, 95.in prin.de solut.*

9 Nam & ex hac causa placet incidere illum in crimen falsi.Clar.*in d.§.falsum,num.*28.*vers.pariter etiam.*post Corn.*cons.* 53.*in lit.G.lib.*4.

10 Quin & hoc casu incidere illum in pœnam falsi ait Clar. *in d.§.falsum, nu.*29. post Bart. *in l.*1. C.*de petit.bonor.subl.lib.*10. Quemadmodum si posuerit in instrumẽto alia quam quæ percepit sensu corporis tempore confecti instrumenti. Clar.ibid. *nu.*28.Item si neget se rogatum de instrumento,de quo fuit rogatus.ibid.*nu.*30.Nisi inquit notarius esse bonæ famæ,& factum esset iam longo ante tempore instrumentum, quia ex cursu longi temporis præsumitur obliuio. Si tamen datus esset notario terminus ad respondendum an esset rogatus aliud probandum esset.Alij sunt casus, in quibus falsum etiam committitur,scilicet falsificando literas Principis aut Senatus aut iudicis cuiuslibet, abradendo instrumenta, aperiendo, & vt aiunt, desigillando literas alienas vt ostendantur aduersario adscribendo sibi legatum in testamento alieno,prohibendo aliqnem testari,vendendo eandem rem duobus in solidum, & reparatis contractibus.Hoc enim addendum est.De quibus omnibus vide Iul.Clar.*in d.§.falsum,num.*31.*& seqq.vsque ad* 38.

DEFINITIO III.

Plus creditur notario quam testibus instrumentariis, nisi cum agitur criminaliter de falso.

SOlet quidem & debet plus credi notario & publico instrumento, quam testibus etiam instrumentariis aduersus notarij & instrumenti fidem testificantibus, quamdiu instrumenti fides solemni accusatione falsi non labefactatur. [1] Sed post institutam accusationem, solemnemque inscriptionem, quæ moribus nostris omnimodo necessaria est, quoties de falso agitur, cum vix nisi per testes probari falsitas possit, magis est vt testibus instrumentariis quam notario & instrumento credatur,si vel omnes [2] vel maiori ex parte ab instrumenti scriptura dissentiant:alioqui standum est instrumento. [3] Bene autem apud nos prouisum est,ne tam sæpe quam antea huiusmodi altercationes incidant, vt si fieri possit ij testes adhibeantur qui literas norint, propriaque subscriptione fidem scripturæ muniant. Quo facto si propriam quoque subscriptionem impugnare velint, audiendi non sunt, [4] nisi euidentissimis probationibus doceant, se vel notarij vel alicuius ex contrahentibus dolo per nimiam suam facilitatem circumuentos, adactosque vt falso subscriberent. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Anton.Capyc.*decis.*61.*n* 5.Dixi *in tit.de fide instrum.*

2 Angel.*in l.*1.*§.si quis neque.D.testamen.quem aper.* Alex.*consil* 65.*col.vlt. volum.*2. Felin.& Abb.*in d.c.ad audientiam, extr.de præscript.*

3 Cum instrumentum sit probatio probata & non probanda,Bald.*in l si pupilli,C de vsur.*Capyc.*decis.*103.*n.*1.

4 *l.generaliter,*13.C.*de non num.pecun.*

5 Semper enim debet locus superesse veritati, *l.si chirographum,*24.*& seq.l.Imperatores,*29.*in fin.D.de probat.*

DEFINITIO IV.

Notario dicenti falsum esse instrumentum nunquam creditur in præiudicium partis.

NOtario dicenti falsum à se confectum instrumentum propter suppositam à debitore doloso personam falsi creditoris, qui pecuniam sibi solutam profiteretur, non vsque adeo creditur, vt statim falsum dici debeat instrumentum, [1] quamuis id ex fide & persona notarij præcipuas vires accipiat, [2] siue notarius turpitudinem suam alleget, [3] quod euenit si dolum à se participatum fateatur, [4] siue causetur facilitatem suam debitoris dolo circumuentam esse. [5] Fides enim illa publica,quam instrumentum semel habere cœpit,non ita facile labefactari potest in præiudicium eius,qui instrumento nititur,præsertim cum ex eo crimen falsi aduersus producentem inducatur. [6] Nam si non auditur perire volens, multo minus audietur, [7] qui id agit, vt & ipse & alius pereat. [8] Ergo alias probationes ad falsum probandum conquiri oportebit. [9]

1 Boer.*decis.*155.*in fin.*post Bald. *cons.*141. incip. *postquam notarius,vol.*4.*& in Auth.si testis productus,Cod.de testib.* Vbi tamen additur credi notario in sui præiudicium.*Et rursus numer.* 13. fugam notarij non nocere parti, si pars ipsa fugam non instruxerit.

2 Pract.Papiens.*in form.oppos.contr.instrum. in vers.aliisque de causis, numer.*5.*vers.tertio aduerte.* & ibi Masuer. *in apost.* in verb. *auctoritatis.*

3 Quod facere nemo potest,*l.mercalem,*5.C.*de condict.ob turp. caus.cum similibus.*

4 Quid enim dolo turpius?

5 Quod in dubio præsumendum est,vt notarius excusetur à dolo,Boer.*decis.*116.*num.*4.

6 Producens enim falsum instrumentum dicitur falsum committere,scilicet,si sciebat esse falsum,Iul.Clar. *in §.falsum, numer.*23.*&* 25. sicut & qui sciens producit falsos testes, *ibid. num.*20. vbi addit haberi pro sciente illum, qui accepto termino ad deliberandum dixit, se velle vti illo instrumento, vel illo teste.

7 *l.non tantum,*6.*D.de appellat.*

8 *Arg.l.*2.*D.quod vi aut clam,l.*1.*D.alien.iudic.mut.caus.fact.l. non debet* 74.*de reg.iur.*

9 Vide Defin.11.*§.de fid.instr.*Boer.*qu.*118.*num.*17.

DEFINITIO V.

Inter coniunctas personas silet falsi accusatio,sed procurator fisci litem & accusationem exequi hoc casu potest & debet.

ETsi eo iure vtimur, vt de falso neque agi neque excipi ciuiliter possit, sed criminalem accusationem institui necesse sit cum solemni inscriptione, [1] attamen inter coniunctas personas non solum huiusmodi inscriptionis necessitas remissa est,sed etiam prohibitum,ne si maxime velint, inscriptionis faciendæ facultatem habeant, veneratione scilicet coniunctionis. [2] An igitur priuilegium habebunt, vt de falso ciuiliter agere possint? [3] Minime. [4] Sed falsi crimen ab iis indicatum fuisse satis erit,criminis autem persecutio ad Principis procuratorem generalem pertinebit,qui cum publicus accusator sit,nulla vtique inscribendi necessitate constringitur. [5] Itaque si tribus edictis vocatus reus vrgente Principis procuratore non venerit, poterunt instrumenta tanquam falsi reiici,& reus ob id,quod falsis instrumentis vsus fuerit, condemnari, [6] probationes tamen aliquas falsi præcedere necesse est, nisi tam euidens sit falsitas, ex sola instrumenti inspectione, vt aliis probationum adminiculis non indigeat. [7] *Ita Senatus* in ea causa,de qua SC.1.quand. ciuil.act. præiudic. crimin. sed alio Senatusconsulto, quod factum est ad 7. Cal.Sept.1592.

1 Dixi *Defin.*1.*§.*

2 *l.iniquum,*17.*l.pen.C.qui accus.non poss.*

3 *Arg.d.l. iniquum,vers si quam sane ciuilem.*

4 Id enim stylo nostro generaliter & indistincte prohi-

BIU Cujas

bitum est, ac proinde generaliter intelligendum, *l. in fraudem, 15. in fin. D. de testam. milit. l. de pretio, 8. D. de publician.*

5 Quamuis non possit ille in aliis causis falsi accusationem solus instituere, si priuatus accusator qui esse posset, esse nolit: sed tantum priuato accusatori adesse & adhærere debet.

6 Scilicet ad mulctam eo nomine infligendam, non tamen litis iacturam pati cogitur, si ex aliis instrumentis non falsis possit vincere, quippe is qui falsum commisit circa testes aut instrumenta non ideo causam amittit, sed is demum qui circa acta ipsius causæ, Iul. Clar. qui dicit communem, *in §. falsum, num. 41.*

7 Nulla enim est maior aut certior probatio, quam quæ fit per euidentiam rei, cum res ipsa loquitur, *leg. si irruptione, 8. §. 1. D. fin. regund. l. vltim. vbi not. Cod. de edict. Diui Hadrian. tollend.*

DEFINITIO VI.

Pœna quidem falsi ordinaria mors est, at non etiam si de falso incidenter quæsitum sit & cognitum: solo instante procuratore Principis, citra solemnem inscriptionem.

FAlsi quidem pœna ordinaria mors est, eaque non minus tenetur, qui sciens falsis instrumentis vtitur, quam qui falsitatis machinator fuisse probatur: [1] si tamen falsi quæstio incidens duntaxat fuerit, [2] & inter agnatos illustres, quorum famæ & existimationi parci ciuile sit, minus interdum agi oportet, ac pœnæ corporalis conuersionem fieri in pecuniariam, in honorem scilicet sanguinis & familiæ. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. si falsos, 8. C. hoc tit.* Iul. Clar. *in §. falsum, numer. 20. 22. & 23.* Dixi *Definit. 2. num. 6. supr.* Mitius tamen punitur, Clar. *ibid. num. 26.*

2 Quia plerumque criminalis quæstio incidit in ciuilem.

3 Et ne videatur agnatus agnatum supplicio mortis & infamiæ exposuisse. Simile est, quod dici solet, si pater filium alicuius criminis reum in iudicio præsentet, non debere filium condemnari ad mortem per text. elegantem *in l. milites 13. §. desertorem, de re milit.* quamuis non soleat hoc in practica obseruari nec proponi, vt ait Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 60. nu. 29.* Vide *l. falsi, 5. C. hoc tit.*

DEFINITIO VII.

Iusta inquirendi causa est contra eum qui id facit, quamuis mandante altero, quod non nisi in malos vsus & falsi commiscendi gratia destinatum esse possit.

AVrifex quidam nostras regia insignia Lugduni imprimere rogatus à mercatore fraudandi, vt credibile erat, vectigalis, consilium ineunte, facere noluerat, ne forte deprehensus carceri, quæstionique dederetur. Idem postea domum reuersus fecerat, nec dum tamen mercatori tradiderat. Placuit, quamuis nullum inde damnum, aut reipublicæ aut priuato illi contigisset, [1] imputari tamen huic posse, cur id fecisset, quod in malos vsus destinatum esse aiebat, aut probabiliter suspicari poterat, [2] non vt perinde, ac si falsum commisisset, in legem Corneliam incidisse videretur, cum ex eo facto nullum ipse commodum sensisset, [3] sed vt in litis saltem expensas condemnaretur, quod iustam contra se inquirendi causam præbuisset. [4] Quod enim ius homini priuato competere poterat aliena insignia, ne dum publica sibi habendi? [5] Præsertim cum fieri poterat, vt Principis quoque nostri vectigalia eodem consilij genere fraudarentur: aut vt his nostris miserrimis & inspectissimis temporibus secretioris cuiusdam coniurationis symbolum eo insignium prætextu quæreretur. [6] Quæ sane res præcipuam inquisitioni faciendæ causam dederat. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 40. supr. De fructib. & lit. expens.

1 Non solet autem puniri falsitas, quæ nulli præiudicat, Iul. Clar. ex communi *in §. falsum, nu. 44.*

2 Paria enim sunt scire aliquid, aut probabiliter id suspicari posse & debere *l. si quis domum, 9. §. 1. D. locat. l. 3. §. vlt. & l. 4. D. quod vi aut clam.*

3 Nec enim potest falsum esse punibile pœna ordinaria sine dolo, Clar. *in d. §. falsum, nu. 42. & in pract. crim. quæst. 84. in princ.* vbi generaliter tradit in pœnis criminalibus nunquam posse quem puniri corporaliter, nisi dolus interueniat, ex Bart. *in l. §. 1. nu. 1. D. si is qui testam. lib. ess. iuss.*

4 Quia dedit operam rei si non prorsus illicitæ, saltem valde suspectæ. Et vero vix vnquam reus euadit sumptuum condemnationem, cum accusator non soleat condemnari, ne tum quidem cum succumbit, nisi sit mere ac vere calumniator, Iul. Clar. *in pract. crim. qu. 62. nu. 4.*

5 *Arg. l. 1. & 2. C. vt nem. priu. tit. præd.*

6 Sufficit autem quod falsitas possit in futurum nocere aliquo tempore, vt puniatur etiam ordinaria pœna. Cæterum puniri debet saltem extraordinaria, tum quoque cum non est nocibilis, Clar. *in d. §. falsum, nu. 44.* vbi tamen vide varias distinctiones, quas hic referre longum esset.

DEFINITIO VIII.

Qui acta iudicij apud Senatum corrupisse dicitur, si non probetur non torquetur, sed si probetur ad mulctam honorariam præter pœnam pecuniariam condemnatur.

ACta iudicij corrumpens dolo malo præsertim apud Senatum ei comparatur, qui album Prætoris corrupit. [1] Ideoque si criminis probatio non deficiat, solet Senatus noster ex ea causa mulctæ honorariæ condemnationem [2] præter pecuniariam ex rei facultatibus æstimandam irrogare. Maxime vero si falsum, quod commissum probatur, tale sit, quod litis iacturam, aut graue aliud damnum aduersario infligere possit. [3] Nam & ex hac causa litis damno plerunque coercetur is, qui falsum admisit. [4] Sed quid si probatio dubia sit? non erit reus tormentis subiiciendus, ne præparatorium, vt pragmatici loquuntur, grauius sit præparato. [5] Præsertim si reus iam fortasse laborans infamia, longe sibi grauiorem tormentorum, quam perpetuæ infamiæ pœnam arbitraturus sit. [6] *Ita Senatus* in persona Claudij Chappelle iam à triremibus reuocati, Cal. Iul. 1593.

1 De quo *in l. si quis in id quod, 7. cum duabus sequentib. D. de iurisdict.* [Peccat autem longe grauius qui falsas Senatus literas supponit vt ex iis faciat executionem, præsertim si executio secuta sit. Adeo vt quamuis constet nulla spe lucri, aut vindictæ factam executionem, suppositas literas, adeoque si voles zelo officij erga Principem & rempublicam, digna tamen res sit quæ mortis pœna coerceatur. Cum tamen quæstio hæc ex facto incidisset, putauit Senatus consulendum Principem, & persuadendum vt criminis gratiam faceret, quæ tandem facta est. *Ita Senatus* pro Annib. Cyuin Castellano de Ternier & Gaillard 16. April. 1614.

2 Pragmatici dicunt *amende honoraire.*

3 Falsitatem enim oportet esse notabilem, ac proinde damnum notabile, vt pœna notabilis infligi possit. Clar. *in §. falsum, nu. 44. in princ.*

4 Quia is qui falsum commisit circa acta ipsius causæ debet causam amittere. Iul. Clar. *ibid. nu. 41.* [*& 32.* vbi ait aliud esse si falsum commissum sit circa testes aut instrumenta litis. Adde Boerium *qu. 281. Ita Senatus* 10. Iunij 1614.]

5 Quod esset absurdum, cum præparatorij ratio nulla haberi debeat, nisi in ordine & dispositione ad præparatum. Adde quod in dubio debet iudex laborare, vt reos a pœna falsi excuset. Clar. *ibid. num. 45.* vbi addit debere illum ob hanc causam dicta testium contraria redigere ad concordiam, quantum fieri potest, itemque iuuare instrumentum omni interpretatione, ne falsum iudicetur.

6 *Vt in l. si quis iniuriam 35. D. de iniur.*

DEFINI-

BIU Cujas

DEFINITIO IX.

Qui agit criminaliter de falso, etiam cum solemni inscriptione, non cogitur pati carceres, quia nec nisi pecuniariam pœnam subire solet.

EXoleuit iam pridem vetus illa iudiciorum consuetudo, quæ induxerat, vt quisquis falsi accusationem criminaliter instituere vellet, non aliter audiretur, quam si solemnis inscriptionis tempore seipsum carceribus manciparet. Nam & talionis pœna, quæ huius solemnitatis necessitatem induxisse videbatur,[1] in vsu esse desiit, solentque hodie, qui in huiusmodi accusatione succumbunt, grauissimis quidem pœnis subiici pro rerum & personarum qualitate, sed tamen longe mitioribus, quam si falsum admisissent, & plerunque non nisi pecuniariis.[2] *Ita Senatus* in causa Rodolphi de Millieres, & Iacobi Soudan. 5. Nonas Martis, 1594.

1 Vt corporaliter & vltimo supplicio puniri posset is, quem solemnis inscriptio huic periculo obnoxium fecerat, *ex l. vlt. C. de probat. l. si cui crimen, 7. D. de accusat.* Text. *est in l. vlt. C. de accusat.*

2 Et sane minus delinquit, qui accusat innocentem, dum ne dolo malo, & per euidentem ac meram, veramque calumniam, quam qui reuera nocens est. Nam si euidenter calumniator sit, aliud vtique dici debet: sed id an ita sit, sciri non potest, nisi ex euentu litis.

DEFINITIO X.

Contra eum, qui dixit se nolle vti instrumento quod produxerat, non est super falsitate pronunciandum, sed tantum super nullitate, quamuis non eo minus pœna ei possit irrogari.

CVm quis falso instrumento vsus est, si non probetur ipse falsum admisisse,[1] aut à quo admissum fuerit sciuisse,[2] potest quandocunque pœnitentia ductus dicere, nolle se eo vti instrumento.[3] Quod si faciat, neque de falso sequi condemnatio potest, neque instrumentum falsum pronunciari debet, ne infamia notetur, qui eo vsus est.[4] Quid ergo? Pronunciandum est instrumentum nullum nulliusque momenti,[5] condemnandus autem qui eo vsus fuit, non tantum ad expensas litis,[6] sed etiam in mulctam pecuniariam arbitrio iudicis, si modo instrumenti vitium fuit visibile, & tale, vt citra dolum & latam culpam[7] instrumento vti non potuerit, qui eo vsus fuit, maxime vero, si in eo tuendo tam fuerit pertinax, vt aduersarium, qui falsum dicebat, ad solemnis inscriptionis necessitatem adegerit.[8] *Ita Senatus* in causa Dom. de la Tornelle, & de la Rochete, 13. Calend. Ianuar. 1594.

1 Ei namque qui falsum ipse fecit nihil prodest ad pœnam euitandam, quod neget se eo vti velle, *l. si falsos 8. Cod. hoc tit.*

2 Qui enim sciuit à quo falsum admissum fuerit, non potest nisi sciens vsus fuisse falso instrumento: quæ res facit eum obnoxium pœnæ ordinariæ legis Corneliæ, vt dixi *Defin. 6 supr. l. maiorem 4. C. hoc tit.*

3 Requiri tamen etiam illud videtur, vt eum exhibeat à quo falsum habuit instrumentum, *d. l. maiorem.*

4 Vix enim fieri potest, vt non saltem apud bonos & graues viros oneretur illius existimatio, qui vsus sit eo instrumento, quod in ea ipsa instantia pronunciatum sit falsum esse. Ipsum enim falsi nomen crimino sum est, multo magis quam doli, de quo *in l. 4. §. aduersus, D. de doli mal. except. l. parens, 5. in fin. cum duabus seq. D. de obseq. parent. præst.*

5 Vt leuitate verbi tristitia rei mitigetur, *l. 1. & 2. D. rer. amot. l. non debet, 11. in fin. D. de dolo.*

6 Tanquam qui non habuerit iustam litigandi causam, *l. qui solidum, 78. §. 1. De leg. 2.*

7 Nam culpa lata etiam in delictis æquiparatur dolo, cum agitur de pœna non corporali, Iul. Clar. *quæst. 84. in pract. crimin. numer. 1.*

8 Quo casu necesse est, vt prius dixerit velle se vti instrumento.

DEFINITIO XI.

Etiam contra priuatam scripturam necessaria est solemnis falsi inscriptio, qui autem falso instrumento niti voluit, ad alias probationes postea admittendus non est.

QVi priuatam scripturam ab aduersario prolatam de falso arguere vult, perinde solemni inscriptione accusationem instituere cogitur, atque si publicam impugnaret.[1] Id enim & criminis atrocitas facit, & coniuncta iuris nostri, quo vtimur, auctoritas.[2] Porro si quis ex colligatoribus falsum in instantia commisisse probetur, audiri non debet, si alias probationes, etiam per testes proferre velit:[3] non quod de testibus quos producturus est præsumendum sit falsos eos fore,[4] sed quia æquissimum sit in pœnam falsi eum cadere causa.[5] Itaque etiamsi contra clericum agatur, quem falsi pœna punire iudex laicus non posset,[6] non eo minus inscriptio facienda erit, vel ob hoc solum, vt iacturam litis infligere iudex possit.[8] *Ita tractatum est* in secreto auditorio pro Religiosis S. Clare, contra Petrum Louet presbyterum Prid. Id. April. 1595.

1 Nam & scriptura priuata perinde fidem facit ac publica, ex quo scilicet recognita est, maxime vero in præiudicium scribentis, *l. scripturas 13. C. qui potior. in pignor. hab. l. vlt. C. de probat. l. cum taberna 34. §. 1. D. de pign. l. quid sit. 23. D. hoc tit.* [Alioqui in priuatam scripturam quæ nihil probet non cadit accusatio falsi. Cravet. *cons. 46. nu 1.*]

2 Cum iure nostro prouinciali sicut & Gallico diserte cautum sit, ne quis nisi criminaliter de falso agere possit, nec rursus criminaliter, nisi præcedente solemni inscriptione, vt dixi *Defin. 1. §. eod.* [Ius enim Gallicum vtitur generali nomine *de pieces*, quo nomine non minus priuatæ quam publicæ scripturæ continentur.]

3 Ex ratione posita *in l. si quis iusurandum 11. C. de reb. cred. & iureiur. in fin.*

4 Nec enim id pendet à producente, sed à fide & probitate testium, quos nihil vetat probos esse, tametsi producti sint ab improbo litigatore.

5 Quia licet is qui commisit falsum circa testes aut instrumenta non amittat causam, sed is demum qui commisit falsum circa acta ipsius causæ, vt ait Iul. Clar. *in §. falsum, num. 41.* necesse tamen est defectu probationum causa cadere illum, qui suam intentionem probare & implere non potuit, *l. 4. C. de edend. l. vltim. C. de rei vindic. l. duo sunt Titij 30. D. de testament. tutel.*

6 Nisi depositum prius & traditum curiæ seculari, *cap. ad falsariorum, Extr. de crimin. falsi.* quamuis hoc regulariter non seruetur, vt scilicet clericus ex causa falsi deponatur, & curiæ seculari tradatur, inquit Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 36. num. 39.*

7 Potest enim iudex laicus in causa ciuili cognoscere super falsitate quam clericus fecit, non quidem ad effectum puniendi clericum, nec enim punire illum potest neque corporali pœna neque pecuniaria (quamuis è conuerso, si laicus falsum committat, coram iudice ecclesiastico possit vterque iudex contra eum procedere, ita vt inter illos sit locus præuentioni) sed ad effectum expediendi causam ipsam etiam quæ cum alio sit, vt tractat Clar. *in pract. crimin. quæst. 38. num. 14. & 15.* Multo magis vt expediat causam, quæ sit cum ipso clerico, eique litis iacturam irroget, defectu nimirum probationum, vt dixi *num. 5.* aut etiam in pœnam falsi immediate, si falsum admissum sit circa acta ipsius causæ, vt ibidem dixi. [Cæterùm si creditor neget se apocham conscripsisse, fateatur tamen sibi solutam pecuniam, non est audiendus si falsi accusationem velit instituere cum nihil eius interfit. *Ita Senatus* contra Iohannem Gerard Idib. Septembr. 1612.]

BIU Cujas

DEFINITIO XII.

Quisquis falsum instrumentum produxit, debet, si interrogetur, clare respondere an eo vti velit, nec ne, nec tamen punitur, etiamsi eo vsus sit, si non falsum probetur, quamuis suspectum.

FAlsi instrumenti productio tamdiu admittit locum pœnitentiæ, quamdiu falsi accusatio per solemnem inscriptionem instituta non est. [1] Propter quam causam solent ante omnia interrogari, qui suspectum producunt instrumentum, an eo vti velint, nec ne, [2] vt si dicant velle se vti, tum sequuta sit inscriptio, nullus pœnitentiæ locus relinquatur, siue falsum admisisse dicatur is ipse, qui produxit, siue alius: [3] sunt tamen qui putent multum referre, an producatur instrumentum ab vno ex contrahentibus, an à tertio, hactenus nimirum, vt tertius interrogatus, num eo instrumento vti velit, respondere possit, velle se vti, si instrumentum verum erit, nolle se vti si falsum probabitur, quod vtique vni ex contrahentibus instrumentum producenti dicere non liceret. [4] Sed vix est meo iudicio, vt id tertio dicere licere debeat, cum ad interrogationem, vt loquuntur, cathegoricam absolute & cathegorice respondendum sit: [5] certe illud constat, si postquam respondit producens, nolle se vti instrumento si falsum probabitur, nihilominus instrumenti fidem cum notario mordicus defenderit, & postmodum instrumentum falsum probetur, debere eum condemnari, non de falso, nec ita vt instrumentum falsum pronuncietur, si notarius ipse, aut morte aut inopia probationum condemnationi exemptus sit, [6] sed ad certam pecuniæ quantitatem in vicem & quasi taxationem eius, quod interest accusatoris. [7] Quid si viuo & accusato notario falsum bene probatum non fuerit, nisi hactenus vt instrumenti fides merito suspectissima existimetur? [8] Finge propter defectum probationum in eo rem fuisse, vt torqueri notarius debuerit, nec tamen ob decrepitam ætatem potuerit, vtique absoluendus erit notarius à pœna corporali & ordinaria, non tamen ab extraordinaria & pecuniaria iudicis arbitrio constituenda: [9] de instrumento autem pronunciari debebit, aut nullum id esse nullius que momenti, aut nullam eius rationem haberi oportere, his verbis: *Sans s'arrester au pretendu instrument*. Sed qui instrumento vsus est, nullam eo nomine pœnam patietur. [10] *Ita Senatus* in causa N. Blanchet, & N. Barandier, 4. Id. August. 1595.

1 Intellige quamuis ille qui produxit instrumentum, iam dixerit eo se vti velle. Inscriptio enim illa est, quæ falsi accusationem criminalem constituit, quippe quam fieri & præcedere oporteat, in necessarium antecedens.

2 Vt nimirum non possint postea obtendere ignorantiam. Nam ex quo interrogati & accepto termino ad respondendum dixerunt, se velle vti instrumento, habentur pro scientibus, vt tractat Iulius Clar. *in §. falsum, num. 20. & 25.* quia inquit, scientia difficile probari potest, nisi per coniecturas. Addit teneri reum intra statutum terminum clare respondere, & sine vlla conditione vel adiectione, an velit vti, vel non: quod & sequitur in definitione.

3 Adde & siue de eo falso verisimiliter possit instructus esse is, qui instrumentum produxit, siue non. Ita enim Iul. Clar. *dict. num. 25.* [Ergo quod quidam putant post Cravet. *cons. 46.* vt qui dixit in prima instantia velle se vti instrumento suspecto possit mutare sententiam etiam in causa appellationis, tunc habet locum quando sollemnis inscriptio de falso secuta non est.

4 Quia nimirum facti alieni ignorantia tolerabilis est non proprij, *l. vlt. D. pro suo, l. quamquam 7. D. ad SC. Velleian.*

5 Hoc enim est quod iupra diximus, *num. 2.* ex Iulio Claro *in dict. §. falsum, num. 25.* clare respondendum esse sine vlla conditione vel adiectione, an qui produxit falsum instrumentum, velit eo vti, an non. Et hoc inquit, siue sit factum proprium siue alienum, & siue possit de eo verisimiliter esse instructus, siue non. Subiicit tamen quod si agatur de facto alieno, de quo non sit ille verisimiliter instructus, debet iudex ille, si petat, concedere longiorem dilationem ad respondendum, quàm si ageretur de facto proprio. Et quod ita vsu obseruatur.

6 Debet enim contra notarium ipsum prius cognosci & pronunciari, an instrumentum sit falsum, vt dixi *Defin. 1. 5.*

7 Nec postea quærendum & probandum, an victor habeat & quantum ipsius interfit, vt *in l. vlt. D. de prætor. stipul. l. stipulatio ista 38. §. alteri, de verb. oblig.*

8 Facilius enim est, vt vacillet fides instrumenti, quam vt corruat, Pract. Papiens. *in form. oppos. contr. instr. in vers. dignoscitur esse falsum, num. 2. & 3.*

9 Suspicio enim falsi hactenus pro falsitate habetur, quamuis hoc aliter intelligat Clar. *in dict. §. falsum, numer. 38. & 39.*

10 Quia prius est, vt instrumentum pronunciatum sit falsum, quam vt puniatur quis ob id, quod illo vsus sit. Nam & cum pronunciatum esset falsum, tamen adhuc mitius punire-tur, Clar. *in d. §. falsum, num. 26.*

DEFINITIO XIII.

De gradibus & pœnis falsi.

SIcuti maius delictum est falsificare, vt loquuntur, instrumentum verum, quam falso vti instrumento, ideoque seueriore pœna vindicandum: Ita & maior pœna imponenda est ei, qui vtitur falso rescripto siue summi Pontificis, siue alterius cuiuslibet Principis, quam qui falso aliquo instrumento. [2] Quod si quis scripturam falsam fecerit, nec tamen perfecerit, quia non tam falsum, quam nihil fecisse videtur, [3] non est, quod pœnam legis Corneliæ de falsis ordinariam vereatur, [4] quam nec incurrit quisquis instrumentum aliquod facit quod sit nullum, alio etiam respectu quam falsitatis, [5] adeoque nec is, qui scripturam veram falsificat, si ea falsitas nemini sit damnosa, [6] puta si qua alia de causa scripturam, quæ falsa probatur, inualidam & inanem esse appareat, [7] forte ob non seruatas solemnitates, siue ex ratione iuris communis, siue ex lege municipali præscriptas. [8] Nec aliud erit, etiamsi constitutione aliqua mortis pœna irrogetur in casu aliquo falsitatis, qui minorem habere rationem videatur. [9] Si enim aliena sit, & vt aiunt exorbitans à iure communi, non est ad alium casum extendenda, nec si maiorem habeat rationem. [10] Exorbitans autem est, quæcunque pro falso irrogat pœnam mortis, [11] cum iure communi non alia falsi pœna sit, quam deportationis & publicationis bonorum. [12] *Sine die.*

1 *Cap. ad falsariorum. vers. qui verò. Extr. de crim. falsi.* Afflict. *decis. 21. num. 2.* post Hostiens. & Cyn. ibi citatos *ex l. falsi. §. ordine D. hoc tit.* iunct. *cap. dura, Extr. eod.*

2 *l. maiorem 4. Cod. hoc titul. l. sacri affatus 6. Cod. de diuers. rescript.*

3 Afflict. *dict. decis. 21. num. 11.* ex Salycet. & Cyn. *in l. 1. Cod de sepulchr. violat.* Bart. *in l. si quis legatum de falsi. D. hoc tit.* Alex. *consil. 73. vol. 1.*

4 *§. item lex Cornelia. Instit. de public. iudic.*

5 Bald. *in l. iubemus. C. de testam.* quem citat & sequitur Alex. *d. cons. 73. vol. 1.*

6 Afflict. *d. decis. 21. nu. 12.* Alex. *cons. 74. col. 4. lib. 1.*

7 Bart. *in l. Diuus Traianus de testam. milit.* quem refert & sequitur Afflict. *ibid. num. 13.*

8 *l. non putauit 8 §. non quæuis de bonor. possess. contr. tabul. l. 4. §. condemnatum, de re iudic.* Bart. *in l. 1. §. parui. D. quod vi aut clam.* Bald. *in l. 1. §. quod autem. D. de offic. præf. vrb.*

9 Vt in casu de quo Afflict. *d. decis. 21. nu. 12.*

10 Not. *in l. si vero, §. de viro. D. solut. matr. & in l. fin. C. de interd. matr. c. 2. de reg. iur. in 6. & in Auth. quas actiones. C. de sacros. eccl.* Idem est si materia sit pœnalis. Ioan. Andr. *in Mercur. in regodia. de reg. iur. in 6.* & Cyn. *in l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

11 Nisi in partu suppositio, *l. 1. C. hoc tit. & in seruo falsum committente. l. 1. §. fin. D. eod.* Vide *l. si quis aliquid 38. §. qui abortionis. D. de pœn.*

12 *d. l. 1. §. vlt. D. hoc tit. §. item lex Cornelia. Instit. de public. iudic.* Adde Grammat. in addit. ad Afflict. *d. decis. 21.*

[DEFI-

BIU Cujas

[DEFINITIO XIV.

Solemnis inscriptio falsi ibi facienda est vbi falsum instrumentum producitur non, vbi falsum fabricatum dicitur.

CVm quidam apud Senatum nostrum conuentus ciuili actione ad solutionem debiti quod agenti cessum fuerat, tueretur se exceptione & authoritate Senatusconsulti, quod à Curia Gratianopolitana redditum, & ab eius Curiæ Graphario subscriptum, publicóque sigillo munitum affirmabatur, & per quod pronunciatum fuerat ex consensu cessionarij, vt à cessione, quasi sine causa, & perperam facta discederetur, saluáque cedenti maneret exactio, Actor replicabat de falso negabátque se vnquam in eam rem consensisse, nec tale quid à Curia Gratianopolitana vnquam pronunciatum fuisse: Déque ea re litem in Curia illa instituerat, non tamen facta adhuc inscriptione, sed minatus eam se facturum statim atque productum esset Aresti originale. Quærebatur vbinam de falso agi, & in crimen sollemniter subscribi oporteret, an apud Curiam Gratianopolitanam vbi falsum admissum, liscque ad falsi accusationem instituendam præparata iam & quodammodo cœpta erat, An verò apud Senatum nostrum vbi de veritate Aresti per replicationem controuertebatur. Præsertim cùm Curia consensisset, vt cedens, qui velut in executionem arresti solutionem à debitore acceperat, vocaretur ad Senatum nostrum defensurus apud nos debitorem. Placuit licet de Arresti Grationopolitani falsitate ageretur, non debere tamen Senatum nostrum cognitionem illam falsi incidentem ad Curiam Gratianopolitanam remittere, non solùm quòd quisquis de principali causa cognoscit de incidenti quoque cognoscere debeat. [1] Sed etiam ne ea ratione subditorum nostrorum distractio permitteretur, [2] cùm ea falsi quæstio in debitotis, qui ex nostratibus erat, necem moueretur, quem certè æquum non erat tam periculosæ & dubiæ litis criminalis aleam extra prouinciam subire. [3] Et verò quamuis ad Curiæ Gratianopolitanæ iniuriam ea falsi fabricatio maximè pertineret, [4] digna tamen erat, quæ à Senatu nostro si qua esset vindicaretur, cui præcipua fiebat iniuria per productionem falsi arresti in ea lite, quam neque alius, quàm Senatus noster tractare poterat, [5] neque Senatus ipse noster nisi peracta falsi accusatione. Sed tamen visum est decernere Senatum debere ita faciendum apud nos falsi inscriptionem, vt tamen esset id sine præiudicio instantiæ apud Curiam Gratianopolitanam inchoatæ: Ea de lege, vt si quando Arrestum illud, quod falsum dicebatur, ad Curiam Gratianopolitanam id requirentem transferri oporteret ad peragendam instantiam, permitteretur translatio, [6] neque tamen ad alium finem, quàm vt in iudicio exhiberetur arrestum, nec priùs dimitteretur, quàm apud nos lis peracta esset sollemnis inscriptionis. [7] *Ita Senatus* post longam disputationem in causa Georgij Bruni, Claud. Bertrandi, & Matthæi Bruni, 16. Calend. Septemb. 1613. De qua in Defin. 21. sup. De hæred. vel act. vendit.

1 *l. 3. C. de ordin. iudic.* de cuius sententia & emendatione scripsi *lib. Coniect.*

2 Quod in causis criminalibus vix vnquam fieri solet, *cap. pastoralis. Extr. de sent. & re iudic. Auth. qua in prouincia,* vbi omnes notant, *C. vbi de crim. agi oport.*

3 Nam ex illa quæstione falsi & ex illius controuersiæ exitu pendebat totum ius debitoris cessi, qui sicut non poterat non condemnari, si arrestum cuius prætextu soluerat falsum probaretur, cùm soluisset non certiorato cessionario, qui si admonitus fuisset vtique falsum obiicere, atque ita solutionem impedire potuisset. Ita si verum appareret, non poterat non vincere per oppositam doli mali exceptionem, vt dixi *Defin. 21. §. de hæred. vel act. vendit.* Porrò non potuisset Arrestum pronunciari falsum etiam in Curia Gratianopolitana, quin nocuisset ea pronunciatio debitori cesso, quamuis ad eam Curiam non vocato. Cùm non possit Arrestum vno loco verum esse, & altero falsum.

4 Cui enim per falsum maior fit iniuria, quàm ei sub cuius nomine falsum committitur?

5 Qui enim falsum instrumentum producit apud iudicem aliquem, quid aliud agit, nisi vt iudicis religionem circumueniat? *l. Diuus 33. de re iudic.*

6 Vt solent & debent magistratus mutuis se iuuare & tueri auxiliis, *l. à Diuo Pio 15. §. 1. eod. tit.*

7 Instrumentum enim, quòd falsum dicitur, statim sequestrandum, & in Actuario publico deponendum, quousque lis peracta sit, cùm si tandem falsum pronuncietur, non modò cancellandum sit, sed etiam publicè incidendum, vt fieri solet.]

TIT. XIV.

DE HIS QVI SIBI adscrib.

DEFINITIO I.

Potest quis sibi adscribere in testamento nuncupatiuo, si modo probetur illud per testes non per scripturam. Item de quibusdam aliis casibus.

QVOD dicimus, neminem posse in testamento sibi aut patri aut liberis quicquam adscribere, [1] non habet locum in testamento nuncupatiuo scripto, si modo per testes probari possit. [2] Non enim ex scriptura æstimatur testamentum nuncupatiuum, licet scriptum sit, [3] sed ad probationem tantum scriptura interponitur, ne defunctis testibus voluntas intercidat. [4] Ergo si testibus iam defunctis scripturæ vsus necessarius sit ad probationem testamenti, non magis valebit, quod quis sibi suisve adscripserit, quam si testamentum in scriptis conditum proponeretur. [5] Siquidem eo casu necesse est, vt testamenti, quantumuis nuncupatiui fides ex scriptura pendeat, [6] quæ non potest ea parte non esse suspecta. [7] Sed hoc tamen non est perpetuum. Nam si quis sibi, suisve fideicommissum sub duplici conditione adscripserit, vtraque casuali aut mixta, non etiam potestatiua, nihil est quod impediat, quominus fideicommissum peti possit. [8] Sed etsi ea testamenti nuncupatiui scriptura proferatur, quæ à duobus notariis subscripta sit, placet fidem ei adhibendam, pro eo etiam, quod alteruter sibi suisve adscripserit: [9] non secus ac si is qui sibi adscripsit, iam tum fuisset infamis, [10] nimirum si ambo notarij, aut simpliciter aut in solidum singuli rogati sint, non tamen si ambo in solidum coniunctim. [11] *Ita Senatus* 3. Calend. Decembr. 1588.

1 *L. 1. & tot. hoc tit. C. l. Diuus Claudius 15. D. de leg. Cornel. de falsi.*

2 Anan. *in cap. accedens, post nu. 6. Extr. de crimin. falsi.* quem refert & sequitur Iul. Clar. *in §. falsum, num. 35.*

3 Aliud siquidem est scriptum esse quid, aliud vero in scriptis factum esse, *l. contractus 17. vbi not. C. de fid. instr.*

4 *l. 4. D. eod. l. contrahitur 4. D. de pign.*

5 Dyn. quem communiter Doctores sequuntur, vt dicit Bossi. *in tit. De his qui sibi adscribunt, nu. 3.* quem refert & sequitur Clarus, qui dicit communem *in d. §. falsum, nu. 35.*

6 Quæ res facit, vt nec ipse notarius, qui instrumentum testamenti scripsit, possit haberi pro teste, nisi per iudicem in eam rem auditus sit, vt notant nostri *ad l. Domitius Labeo 27. D. qui testam. fac. poss.*

BIU Cujas

7 Siue quod quilibet de facili obliuiscatur, præsertim ea quæ ad se non pertinent, siue quod vbi quid reperitur scriptum in testamento pauci sint, qui contra scripturam testamenti velint deponere, vt ratiocinatur Iul. Clar. *d. num* 35.

8 *Ad. Diuus* 15. *§. vlt.* vbi glos. *ff. ad leg. Cornel. de falsi.* Bart. *ibid.* Roman. *in l. si vero, §. de viro, fall. 3. solut. matrim. & in l. 1. in princ. de verb. oblig.* Bald. *cons.* 386. *vol.* 2. Vide eundem Bald. *ad l. 2. C. hoc tit.* Bart. *in l. 1. §. ex illa quoque, D. de falsi.* Bald. *in l. dictantibus, Cod. de testam.* Specul. *in tit. De instrum. edit. §. instrumentum.*

9 Bart. *in l. si quis, §. cogentur,* & ibid. Iaf. *D. de edend.*

10 Boer. *decis. 21. nu. 3.*

11 Idem Boer. *ibid. num. 7. per l. pluribus* 32. vbi glos. *D. de procurat.* Hippol. de Marsil. *sing. 676.*

TIT. XV.

DE FALS. MONET.

DEFINITIO I.

Ex indiciis etiam indubitatis contra falsos monetarios prius deueniendum est ad torturam, deinde ad condemnationem, irrogata pœna non quidem ordinaria, sed extraordinaria.

CVM penes eum, qui falsam monetam cudisse dicebatur, reperta essent instrumenta, per quæ id fieri potuisse, non tamen factum esse apparebat,[1] ac præterea deprehensus is esset in loco suspecto & occulto,[2] non putauit Senatus noster satis liquido probatum crimen, sed tantum per indicia, quæ habendæ quæstioni locum facere deberent:[3] Si tamen quæstio nihil à rei peruicacia expressisset, purgata quidem aliqualiter videri indicia eiusmodi, alioquin indubitata,[4] hactenus nimirum vti ne summo supplicio reus afficeretur, sed non vsque adeo tamen quin relegandus esset ad perpetuas triremes,[5] commutata scilicet, vt fieri debet, propter minus plenas probationes pœna ordinaria in extraordinariam.[6] *Ita Senatus* Idib. Decemb. 1590.

1 Intellige si non erat ille solitus emere & vendere, aut aliter pene, se habere alia instrumenta ad fines commercij. Tunc nulla contra eum suspicio ex hoc oriri posset, secundum ea, quæ tractat Iul. Clar. *in pract. crimin. q. 21. in fin.* Capell. Tholos. *q.* 151. & ibi Aufrer.

2 Malum enim est, quod occultatur, inquit quodam loco Tertyllianus.

3 Potest enim haberi quæstio ex indiciis, dummodo sint illa legitime probata & sufficientia ad torturam. Iul. Clar. *in practic. crimin. quæst. 20. num. 4. & qu. 64. num. 12. & 13.* Sufficit autem indicium vel vnum, non modo si sit proximum, qui casus indubitatus est, sed & si remotum. Idem Clar. *dict. quæst. 64. num. 14.*

4 Cum fieri numquam possit, vt non purgentur indicia per torturam, si non in toto saltem in tanto. Iul. Clar. *d. q. 64. num.* 38. Maxime vero si non esset addita protestatio, *sine præiudicio probationum,* quæ semper addi solet & debet, ne alioqui omnino necesse sit reum absoluere. Clar. *ibid. num.* 8.

5 Clar. *d. n.* 38. post Bossi. *in tit. de inquisit. nu.* 30. Vide Gram. *decis. 74. per tot.*

6 Sicut & cum fit condemnatio ex solis indiciis quantumcumque indubitatis. Tunc enim potest reus condemnari ad pœnam non tantum pecuniariam, sed etiam corporalem, sed tamen ad extraordinariam dumtaxat, numquam vero ad ordinariam. Idem Clar. *dict. quæst. 20. numer. 6. per tot.* vbi tamen subjicit, *numer. 7.* excipiendum esse crimen assassinij, de quo diximus, *Definit. 8. supr. ad leg. Cornel. de sicar.* & hæresis & simoniæ, in quibus potest quis etiam ad mortem condemnari ex præsumptionibus. Sicut & quoties præsumptio posita est à lege, vt *in l. si quis* 34. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* Vide Capell. Tholos. & ibi Aufrer. *decis.* 162. Guid. Pap. *quæst.* 498.

DEFINITIO II.

Expendens falsam monetam ita demum tenetur, si sciuerit, sed mitius ille, qui prius eandem monetam accepit pro bona, ille grauius, qui falsam monetam vilius emit, vt carius venderet.

QVi falsam monetam probatur habuisse & expendisse, non ideo falsæ monetæ pœnam siue ordinariam siue extraordinariam pati debet, nisi probetur falsam sciuisse & dolo malo expendisse.[1] Neque enim dolus vnquam ab ignorante committitur,[2] nec rursus crimen sine dolo. Sed & cum falsæ monetæ copia, & bonæ inopia tanta est, quantam his miserrimis temporibus vidimus, vix est, vt non multo mitius agi debeat cum eo quoque, qui falsam monetam sciens expendit, quam qui ab alio pro bona imprudens acceperit,[4] licet demõstrare non possit, à quo habuerit,[5] quod alioqui ad purgandam criminis suspicionem requireretur.[6] Illos sane grauissimis pœnis coercendos constabat, non solum qui falsam monetam cuderent,[7] sed etiam qui falsam scientes minori pretio compararent, vt maiore in publicum tanquam bona exponerent, incautumq; vulgus deciperent in ea re, in qua vel cautiores ipsi facile decipiantur.[8] *Ita Senatus* 8. Calend. Iunij, & rursum Prid. Calend. eiusdem Iunij 1591. in causa Claudij Iacquier Tarentasiensis. Et iam antea in causa Claudij de Court, 5. Id. Nouemb. 1590.

1 Viuius *lib. 1. commun. opin.* in verb. *monetam falsam scienter,* sunt tamen qui addant, si nummi sint plumbei vel stannei, quasi hoc solo casu expendens falsam monetam incidat in pœnam ordinariam legis Corneliæ, sic enim Bart. *in l. Cornel. in princ. de falsi.* cuius sententiam tanquam mitiorem sequitur Iul. Clar. *in §. falsum, num. vlt.* vbi tamen notat contrariam opinionem, vt indistincte imponenda sit pœna falsi ordinaria, quę fuit opinio Salic. *in l. 2. nu. 6. C. de falsi.* seruari in practica.

2 Sed tantum à sciente & insidiante, *l. dolum 6. C. de dolo. l. 1. C. hoc tit.*

3 Ad hoc scilicet vt corporaliter puniatur Iul. Clar. *in pract. crim. q. 84. nu. 1 l. nec exemplum 20. C. de falsi.* Cæterum nihil vetat per errorem incidere, quem non modo in crimen, sed etiam in pœnam criminis, quod tamen cum euenit, reo pœnam remitti oportet, *l. pen. in fin. C. de his qui sib. adscrib.*

4 Hic enim non tam de lucro captando certat, quam de damno vitando, quæ semper magna ratio est. Semper namque subueniri ei oportet, qui nihil nisi indemnitatem sibi quærit, *l. vlt. §. sin vero creditores. C. de iur. delib. l. quod autem 6. §. simili modo dicimus, D. quæ in fraud. credit. l. 4. §. si cum legitima. & seq. D. de doli mal. except.*

5 Intellige, si modo sit ille bonæ famæ, ex iis, quæ tractat Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. in fin.*

6 Clar. *ibid. num. 41. in princ.* ex Bart. *in l. fin. post num. 5. D. de quæst. l. maiorem 4. C. ad leg. Cornel. de falsi. l. ciuile est 5. C. de furt. seru. corrupt.*

7 Quos tamen omnium grauissime puniendos esse constat, scilicet pœna ignis, *ex l. 2. C. hoc tit.* Iul. Clar. *in §. falsum, n. 46.* vbi addit mitius puniri eos, qui falsificant monetam alicuius ciuitatis. Puniri enim illos pœna quidem capitali, sed deportationis non mortis. Sunt enim varij gradus pœnarum etiam capitalium, de quibus idem Clar. *in pract. crimin. quæst. 67. in princ.*

8 Est enim hoc veluti commercium quoddam falsitatis & improbitatis, quale esse nullum debet. Cum non licet mentibus & vendentibus se inuicem decipere in substantia rei. Sed tantum in pretio. *l. alioquin 11. §. 1. & leg. seq. D. de contr. empt. l. si cum aurum 50. D. de solut.* Adde puniri etiam vltimo supplicio eum, qui monetam auream radit. Clar. *in §. falsum, n. 47.*

DEFINITIO III.

Extraordinaria pœna infligenda est mulieri, quæ sciuit, falsam monetam à marito & aliis cudi, nec reuelauit.

MVlier, quæ maritum sciuit falsæ monetæ cudendæ operam dare, nec magistratui denunciauit,

ciauit,non idcirco punienda est:[1] Secus si mariti exemplo ipsa quoque idem crimen admiserit. Quoniam sicuti durum est cogi mulierem, vt mariti vitam in tam apertum discrimen cõiiciat,[2] ita permitti ei non debet, vt mariti crimen,qualecumque illud sit,impune sequatur.[3] Quid si nec alios prodidit, quos nec prodere potuit, quin mariti vita in discrimen vocaretur? Merebitur etiam excusationem.[4] Sed tamen omnino impunitam manere illius conniuentiam & taciturnitatem non oportet in tanto crimine.[5] Itaq; relegari eam & in exilium mitti placuit. In eadem causa, 18.Cal.Iul.1595. *Ita Senatus* in causa Michaelis Thibaud, 7.Cal.Iunij 1594.

1 Non solum quod non potuerit prohibere, cum non habeat mulier imperium in maritum, *l.culpa caret 50. de reg.iur.* Sed etiam quia de iure nemo tenetur obuiare delicto, nec malefactorem indicare, etiamsi commode & sine vllo suo periculo potuerit prohibere. Nisi in crimine læsæ maiestatis, & quidem in duobus primis casibus legis Iuliæ, si vel contra personam Principis,vel contra statum eius coniuratio facta sit. In aliis autem casibus etiam læsæ maiestatis,qui non reuelauit,tenetur pœna extraordinaria arbitrio Principis. Iul. Clar. *in pract. crim.quæst.87. nu.1.2.& 3.*

2 *L.milites 13.§.desertorem, D.de re milit.l.pen.* C.*de his qui accus.non poss.*

3 Cum agentes & consentientes pari pœna sint puniendi, quando consensum & auxilium præstiterunt ex proposito ad committendum maleficium. Idem Clar.*d.q.*87.*nu.*4.vbi addit, si quis consenserit delicto per viam auctoritatis & defensionis plus puniri eum debere,quam delinquentem ipsum, scilicet in grauioribus delictis,at non etiam in minoribus.Sed & sufficit, vt quis ratum habeat delictum ipsius nomine gestum, scilicet quod tale est,vt alieno nomine committi,& ab alio ratum haberi potuerit,teneturque ratificans, nisi probet,non fuisse suo nomine admissum crimen. Clar. *ibid.num.*5.

4 Non solum propter coniunctum periculum mariti, sed etiam quia nemo cogitur obuiare delicto, ne quidem clamando vel reuelando,nec magis canonico iure quam ciuili,vt dixi *num.* 1.

5 Quia crimen falsæ monetæ non tantum est falsi species, sed etiam læsæ maiestatis, *l.2.C.hoc tit.* Et ideo non reuelantes tenentur, nec nisi viduæ & impuberes, non etiam tutores eorum excusantur,*l.1.eod.*Pœna scilicet extraordinaria,vt dixi ex Claro *d.q.*87.*nu.*2.*in fin.* Vide *Defin.*6.

DEFINITIO IV.

Qui socios criminis falsæ monetæ indicauit, veniam meretur,quam ei iudex quilibet promittere potest, & curare apud Principem debet.

QVi falsæ monetæ reos indicauit, si idem ipse criminis particeps fuit, seipsumque detulit, venia dignus est,[1] nec prohibetur iudex etiam inferior pollicери, quo magis alliciat eum ad propalandam veritatem, procuraturum se, vt veniam consequatur à Principe.[2] Sed tamen non idcirco illi parcere debet,at ne Senatus quidem, tametsi Principis vice fungatur. Nam pertinet ea res ad auctoritatem solius Principis,[3] ad quem ideo rescribendum, atque interim sustinenda pronunciatio est.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l.1.vers.accusatoribus, C.hoc tit.l.5. C.Theod.eod.l.5.in fin.C. ad leg.Iul maiest.*

2 Imo potest etiam impunitatem rei promittere, adeo vt postea non obstante tali promissione possit nihilominus reum ad mortem condemnare, nisi proponas impunitatem ab eo promissam, qui possit ipse delicti gratiam facere, puta si esset Princeps, vel ab eo habens auctoritatem gratias concedendi, quo casu non esset fallenda fides. Alioqui sibi imputet,qui credidit tali promissioni, inquit Iul. Clar. *in pract. crim. q.*55.*num.* 8.*&* 9. vbi tamen magis probat ille, ne per mendacium huiusmodi impunitates promittantur,neve ex tali confessione,si secuta sit,vnquam infligatur pœna ordinaria,nisi reus aliis indiciis esset grauatus, quod & mihi longe iustius videtur. Hæc tamen definitio loquitur de impunitate, quæ sit promissa secundum leges, vt dixi *num.*1.*ex d.l.1.vers.accusatoribus, C.hoc tit. d.l.*5. C. *ad leg.Iul.maiest.*

3 Vt scilicet gratiam criminis faciat tum quoque, cum de rigore iustitiæ,vt aiunt,gratia facienda est. Eo namque iure vtimur, vt scripsi *Defin.*5.*&* 10.5.*ad leg.Corn.de sicar.*

4 *Arg.l.1.D.quand.appell.sit, l.si quis filio 6 §.quid tamen,D. de iniust.rupt.*

DEFINITIO V.

DElatus, quod falsam monetam expenderit,si eum, a quo accepit, exhibeat,nec probetur dolo malo, id est,sciens prudens expendisse,absoluendus est.[1] Quid ergo si quantum in se fuit,id egerit, vt exhibere posset, is tamen,quem voluit exhibere aufugerit,& contumax sit? Perinde hic absoluendus est,non illa tantum ratione,quod per eum non steterit,[2] sed illa etiam,quod qui per contumaciam abest, pro confesso conuictoque haberi debeat.[3] *Ita Senatus* 7.Id.Nouembr.1594.

1 *l.maiorem* 4.C.*ad leg.Cornel.de falsi.l.ciuile* 5. C.*de furt.* Dixi *Defin.*2.*num.*6.3.

2 Nam & exhibet,qui indicat,licet non sistat,scilicet,quantum ad hoc,vt purget se de dolo malo,nisi forte nominaret hominem plane ignotum, vt *in d.l.ciuile.* Vide *Cap.Thol.decis.*15. & ibi Aufrer.

3 Ita vt contra eum possit procedi ad sententiam & condemnationem ex sola contumacia, etiamsi vltra contumaciam non sit per alias legitimas probationes conuictus de crimine, dummodo subsint indicia sufficientia ad transmittendum inquisitionem. Iul.Clar. *in pract. crim. qu.*44.*nu.*10.*& qu.*20.*vers. ad inquirendum.*

DEFINITIO VI.

OB solam scientiam criminis læsæ maiestatis non est quis puniendus pœna mortis, quæ est ordinaria,sed tantum extraordinaria,præterquam si in primum caput legis Iuliæ[1] admissum probetur. Ergo si agatur de falsa móneta, etsi crimen læsæ maiestatis est,[2] quia tamen non pertinet ad primum caput,mitius erit agendum cum conscíis, vt ad triremes vel perpetuas vel temporales damnentur.[3] Nimirum si sciuerint, & vel prohibere vel magistratui denunciare potuerint. Alioqui culpa caret, qui scit,sed prohibere non potest,[4] nec prohibendi facultatem habentibus reuelare. An ergo mortis pœna remittetur ei, qui falsam monetam non cuderit quidem, sed tamen ad eam cudendam falsariis domum suam locauerit? Minime.[5] Hic enim plusquam conscius est, cum sit etiam socius criminis, quippe qui delinquentibus opem, auxilium & ministerium præbuerit.[6] Quid rursus si quis ab initio minis mortis prohibitus fuerit à delinquentibus,ne crimen reuelare posset,[7] postea vero cum reuelandi potestatem haberet, non reuelauerit,quasi eodem metu durante? Non meretur excusationem, quia reuelando magistratui, qui falsarios istos in carceres erat detrusurus, poterat se ab eo metu liberare.[8] *Ita Senatus* secreto Senatusconsulto, contra Franciscum Garnier, & N. Thibaud Focignienses, 8.Calend.Iul.1595.

1 Intellige autem primo illo capite duos casus contineri, nempe si contra personam ipsam Principis coniuratum sit,vel contra Rempublicam.His enim duobus casibus sciens nec reuelans punitur pœna ordinaria.In cæteris vero casibus punitur pœna extraordinaria, vt dixi *Defin.*3.*num.*1. 3.

2 *L.2.C.hoc tit.*

3 Iul.Clar. *in pract.crim.quæst.*87.*nu.*2.*&* 7.

4 *l.culpa caret* 50.*de reg iur.*

5 *Arg.l.vlt.D.quod met.caus.*

6 Loquimur de eo,qui sciuit,ac proinde qui pari pœna teneri debet, qua is qui fecit. Idem Clar. *d.qu.*87.*nu.*4.

7 Est enim metus mortis iustus, & talis, qui possit cadere in constantem virum, *l.isti* 8.*D.quod met.caus.*

8 *d. l. vlt. in princ.* ibi *cum potuerit ius publicum inuocare & adire aliquem potestate præditum, D.quod met.caus.*

BIU Cujas

TIT. XVI.

DE MVTAT. NOMIN.

DEFINITIO I.

Mutatio nominis in familiæ nobilioris iniuriam virgis & exilio castiganda est. Itemque pœna honoraria, ni reus sit infamis.

CVM carnifex quidam honesti viri & aduocati nomen sibi arrogasset, seque pro agnato publice iactitaret, falso tamen & dolo malo, vt probi & nobilis viri existimationem læderet, aut ab eo pecuniam, ne id faceret, extorqueret; Putauit Senatus, cædendum virgis & exilio mulctandum esse: [1] Pœnam vero, vt vocant, honorariam, cui locus esse videbatur, consulto prætermisit, quod eius conditionis homo iam infamis neque honoris iacturam facere vllam posset, [2] neque honorem, quem nullum haberet, alteri dare vel reddere. [3] *Ita Senatus* pro D. Andrea Chauasse, præcipui apud nos nominis, promiscuæque eruditionis aduocato, 9. Cal. Mart. 1598.

1 Falsi enim nominis vel cognominis adseueratio pœna falsi coercetur, maxime vero cum fit in alterius fraudem & iniuriam, *l. falsi nominis 13. D. ad leg. Corn. de falsi.* Cæterum innocentibus & bonam mentem habentibus mutatio nominis periculosa non est, *l. 1.* vbi glos. & DD. *C. hoc tit.* Hodie vero frequentissima est iis, quos talliabiles appellamus.

2 *l. si quis iniuriam 35. de iniur.*

3 Nemo enim dat quod non habet, *mal da chi non ha, dice la campana di San Pietro.* Verba sunt Bart. *in l. si vniuersi 15. C. de leg.*

TIT. XVII.

DE CRIMIN. SACRILEG.

DEFINITIO I.

Crimen sacrilegij est mixti fori, & quomodo in eo aliisque similibus mixti fori criminibus procedendum sit, si ex accusatis quidam sunt clerici, quidam laici.

CRIMEN sacrilegij dicitur mixti fori, quoniam de eo cognoscere vterque iudex potest tam ecclesiasticus quam secularis: Ideoque locus est præuentioni, [1] vt contingere necesse est, quoties idem crimen diuersos iudices habere iure ordinario potest. [2] Ne alioqui duplex eiusdem criminis condemnatio fiat, aut pugnantia iudicentur. [3] Si tamen iudex ecclesiasticus prior cognouerit, & eum, qui capitis pœnam merebatur, leuius punierit, quod euenit necessario, quia gladij potestatem non habet, [4] tentari potest auctoribus plerisque non prohiberi iudicem secularem, quo minus id, quod iustæ condemnationi deest, pro sua suppleat iurisdictione. [5] Quod si ita est, longe melius fuerit & ciuilius, vt illo etiam casu, quo iudex ecclesiasticus cognitionem occupauerit, hactenus tantum partes suas interponat, vt litem instruat, non etiam vt sententiam ferat, relicta iudici laico iudicandi necessitate, [6] quod & fieri debere quidam existimarunt. [7] Quod si ex reis quidam laici, quidam clerici proponantur, ita res temperari solet, vt vterque iudex simul cognoscat, ne quicquam alius absente alio constituat, quod pertineat ad litis instructionem: [8] separatim tamen pronuncient: vt clericus à iudice clerico pœnis pontificiis, laicus à laico pœnis grauioribus afficiatur. [9] *Ita tractatum est* in publico auditorio pro iurisdictionali procuratore de Foissiaz, contra N. Cornaton, & procuratorem fiscalem Archiepiscopatus Lugdunensis, Prid. Id. Decembr. 1593. postea pronunciatum, 6. Calend. April. 1594.

1 Mantua *cons. 266. num. 80.* quem refert Iul. Clar. *in pract. crim. q. 37. num. 6.* vbi ait, quosdam putare hoc crimen esse mere ecclesiasticum, per text. *in cap. cum sit generale 3. & in cap. conquestus, de for. compet.* subjicit tamen, apud suos Mediolanenses iudicem laicum cognoscere de sacrilegio, non autem ecclesiasticum, idemque apud Gallos seruari. Vide *c. 1. de offic. ordin.* & ibi Canon.

2 Qualia sunt crimina illa omnia, de quibus tractat Clar. *dict. quæst. 37.* scilicet crimen vsuræ si contra vsurarium agatur criminaliter, nam si agatur ciuiliter, & quæratur de iure, id est, an contractus sit vsurarius, solius ecclesiastici iudicis cognitio est, nisi incidente ac per modum exceptionis ea quæstio proponatur, quo casu etiam iudex laicus potest de eo cognoscere. Guid. Pap. *cons. 180. num. 2.* Si vero quæratur de facto, puta si repetantur vsuræ, nec dubitetur, an contractus sit vsurarius, iudex laicus est competens. Idem adulterij crimen est mixti fori, nisi cum agitur ad separationem thori, de quo solus ecclesiasticus iudex cognoscit. Item concubinatus, item sortilegij, de quo Clar. *in §. hæresis nu. 25.*

3 Quod semper euitandum est, quantum fieri potest, *l. singulis 6. D. de except. rei iudic.*

4 Nec enim ecclesia nouit sanguinem.

5 Iul. Clar. *in practic. crim. quæst. 57. nu. 11. & 14.* vbi ait eum, qui absolutus est à iudice ecclesiastico, posse nihilominus de eodem crimine, quod sit communis fori, apud iudicem laicum accusari, quia iurisdictiones sunt prorsus distinctæ & separatæ, nec absolutio lata in vna iurisdictione parit exceptionem rei iudicatæ in alia. Quamuis alioqui regulare sit, vt qui fuit absolutus, nō possit de eodem crimine nec apud eundem iudicem, nec apud eius successorem accusari. Idem Clar. *d. quæst. 57. nu. 8. & seqq.* nisi ex parte iudicis, qui minorem pœnam imposuit, fraus & collusio interceserit. Clar. *ibid. num. 12.* Multo magis qui punitus est à iudice ecclesiastico, sed mitius, poterit à laico grauius puniri, *ibid. num. 14.* vbi addit, si tamen prius quis punitus sit à iudice laico, non debere illum deinde à iudice ecclesiastico molestari. Quod tamen ille sic intelligit & recte, si pœna per iudicem laicum imposita non sit minor illa, quam imponere iudex ecclesiasticus posset siue corporalem siue pecuniariam (vt secludamus excommunicationem, quæ cum sit medicinalis potius quàm afflictiua, non connumeratur inter graues pœnas.) Alioqui cur minor erit potestas ecclesiastici iudicis quam laici in crimine mixti fori? Ibid. addit *nu. 15.* posse atrocitatem criminis tantam esse, vt non obstante punitione per vnum iudicem facta possit crimen etiam per alium puniri. Ex *cap. ad falsariorum, de crimin. falsi.*

6 Cum sacrilegij pœna vix vnquam minor, quam mortis esse possit, non quidem iure ciuili, ex quo pœna est extraordinaria, quamuis semper capitalis, sed de consuetudine, siue sacrilegium intelligas secundum ius ciuile furtum rei sacræ in loco sacro, siue iuxta ius canonicum, quod alterutro istorum contentum est. Clar. *in dict. §. sacrilegium, num. 1. & 3.* quamuis addat, Senatum Mediolanensem raro solere condemnare sacrilegum ad pœnam vltimi supplicij. Quod si alia pœna sacrilegio constituta sit per statutum, & quæratur, an intelligendum sit statutum de sacrilegio secundum ius ciuile, an secundum ius pontificium? Distingue cum Iulio Claro *ibid. numer. 4.* an conditum sit à laicis an ab ecclesiasticis. Sane pœna capitis huic crimini constituta est *per l. sacrilegi 9. D. ad leg. Iul. pecul. & de sacrileg.*

7 Vide apud Cacher. Ofasc. *Decis. Pedem. 103.*

8 Non enim sequimur eorum sententiam, qui putant etiam quod ad laicos remittēdam hoc casu cognitionem ad iudicem ecclesiasticum, tanquam ad digniorem, ne continentia causæ diuidatur. Imo vero iudex laicus pronunciat quod ad laicos, & ecclesiasticus quod ad clericos. Iul. Clar. *in pract. crim. q. 36.* vbi tamen non de pronunciatione tantum loquitur, sed etiam de cognitione in quo sane alio iure vtimur. Nā vt ait hæc Definitio, vterq; iudex simul cognoscit, quod pertinet ad instructionem litis, ideo fortasse vt & citius & certius & minore sumptu vtraque lis expediatur. [Quid tamen si grauissimum crimen sit

quod

quod seuerioribus pœnis, quàm sint ecclesiasticæ vindicari, hoc est, morte ipsa expiari publicè interfit? Finge incendiarium aut alterius criminis atrocissimi reum, quod tamen non sit ex iis, quæ Pragmatici priuilegiata vocant, quorum cognitio speciali & priuilegiario iure ad solum iudicem laicum spectet. Inter quæ incendij crimen quamuis atrocissimum nemo vnquam collocauit. Non eò minùs debebit Iudex laicus cognitionem ad iudicem ecclesiasticum remittere. Sed ita tamen, vt si eiusdem criminis socij sint laici, tractari litem oporteat per iudicem ecclesiasticum adiuncto iudice laico, puta Senatore aliquo si lis coram Senatu pendebat. Itémque adsistente procuratore generali, vt peracta accusatione si pœnæ ecclesiasticæ non videbuntur sufficere, tradatur reus & mancipetur brachio seculari, vt loquuntur, & Iudici laico, priùs tamen facta degradatione, vt & vindictæ publicę & ecclesiastici ordinis dignitati aptissimo temperamento consulatur. *Ita Senatus* in causa Gabrielis Rolin, Iacobi & Aymardi Magnin, & Ioannis Rogex, Idib. Septemb. 1613. In criminibus priuilegiatis nihil tractari potest, cùm de iis solus Iudex laicus cognoscat.

9 Aliæ siquidem sunt pœnæ iuris ciuilis, aliæ vero & leuiores pœnæ iuris pontificij, de quibus alibi scripsimus.

TIT. XVIII.

QVAND. CIVIL. ACT. CRIminal. præiudicet.

DEFINITIO I.

Falsi quæstio incidens in ciuilem prius tractanda est, si præiudicium faciat ciuili actioni, etiamsi iam conclusum sit in causa ciuili.

CVm falsi quæstio in causam ciuilem incidit, si quæratur, an in ciuili supersedendum sit, placet illa distinctio, an falsum sit tale, quod causæ ciuili præiudicium faciat, annon, vt priore casu supersedendum sit, posteriore non item. [1] Quid enim si agam contra te ex falso instrumento, quod si verum esset, ex tempore condemnari deberes? Nonne prius necesse est, vt quæstio illa discutiatur, vtrum falsum admissum sit nec ne? Vtique, [2] licet proponas mutuo collitigantium consensu in causa conclusum fuisse, priusquam falsi suspicio suboriretur: quamuis ex contrario regulare sit, vt post conclusionem in causa ciuili non sit remorandum iudicium ob ineidentem causam criminalem. [3] Neque rursus aliud erit dicendum, si proponas, actorem nolle criminaliter agere forte, vt agnati honori parcat, [4] nec nisi per viam, vt aiunt, nullitatis & exceptionis falsum obiicere velle. Etsi enim dici solet, posse ius reddi in causa ciuili prius quam in criminali, quoties actor negligens est in prosequenda criminalis negotij decisione, ac multo igitur magis, si dicat, nolle se criminalem falsi accusationem instituere. [5] Id tamen locum non habet, si de iis, quæ ad causæ ciuilis decisionem pertinent, non aliter ius certum statui queat, quam si de falso sit cognitum & pronunciatum. [6] Idémque obtinebit, si posteaquam conclusum est in causa productumque instrumentum, quod falsi arguitur, is, qui produxit, postea sit contumax in exhibendis iudici actis litis. [7] Sufficit enim semel productum fuisse instrumentum, & à producente palam ac aperte declaratum, quod eo vellet vti. [8] Sane si contra protestetur ab eius se vsu abstinere, vtiq; falsi accusatione effugere potest. Nimirum si non ipse falsi machinator fuisse dicatur, eumque solus vsus periculo criminis adstrinxerit. [9] Videtur autem totum hoc ius ex eo descendere, quod moribus nostris ex iure Gallico deriuatis de falso agi ciuiliter nullo modo potest, id est, neque agendo neque excipiendo. Nec falsi sola suspicio apud nos, quomodo apud Italos, [10] pro veritate habetur, quamuis agatur tantum de elidenda in causis ciuilibus aliqua probatione. [11] Nam quantumuis vrgeant coniecturæ pro adiuuanda falsi suspicione, nihil tamen inaudito eo, qui falsum commisisse dicitur statuendum est, nec rursus de falso nisi criminaliter cognoscendum. [12] Planè si is, contra quem falsum instrumentum productum est, nolit aduersario falsi crimen obiicere (neque enim accusare cogendus est) [13] pertinebit ea res ad officium & diligentiam procuratoris Principis: tametsi actor is sit, qui malit causa cedere, quam fratrem aut cognatum in vitæ & existimationis discrimen adducere. [14] Publice siquidem interest detegi falsarios & puniri. [15] *Ita Senatus* 9. Calend. Aug. 1592.

1 Ita Matth. de Afflict. *decis. Neapol. 229. ex l. vltim. C. de ordin. iudic.*

2 Anchar. *cons. 62.* Hypol. de Marsil. *ad rub. de fals. nu. 20.*

3 Afflict. *vbi §. nu. 1. ex l. neganda 19. C. qui accus. non poss.* & Bart. *in l. is qui reus, in fin. D. de publ. iud.*

4 Nec enim cogitur agnatus agnatum proximum accusare. Imo nec potest, si crimen sit publicum, nec si suam vel suorum iniuriam persequatur, vt dixi *Defin. 5. §. de fals. & Defin. 2. Vt nem. inuit. ager. vel accus. cogat. ex l. penult. C. de his qui accus. non poss. & l. iniquum 17. eod.* Leuiorum sane criminum alia ratio est, *l. si sororem 18. eod.*

5 Cyn. *in l. 1. qu. fin. C. qui accus. non poss.* Sal. *in l. si docueris C. de fals.*

6 Semper præcedere debent, quæ necessaria sunt antecedentia, *vulg. l. 2. D. de iurisd.*

7 Quod Pragmatici dicunt, *estre forclos de produire & remettre les pieces pour iuger.*

8 Præsertim si id declarauerit post acceptum à iudice terminum, vt loquuntur, ad deliberandum & respondendum, an vellet eo instrumento vti necne. Solet enim & debet in hanc rem petenti dari terminus. Iul. Clar. *in §. falsum, nu. 20. & 25.*

9 *L. si falsos codicillos 8. C. ad leg. Cornel. de fals.*

10 Vt refert Clar. *in d. §. falsum, nu. 38.* Curt. Iun. *cons. 132. nu. 10. & cons. 166. nu. 6.*

11 Nam ad hoc vt puniatur quis de falso, non posse probari falsitatem ex sola suspicione, fatetur Clar. *ibid. nu. 39.*

12 Vt dixi *Defin. 1. §. ad leg. Corn. de fals.*

13 Quia nemo inuitus accusare cogitur, *l. vnic. C. ill. tit. Vt nem. iduit. ager. vel accus. cog.*

14 Ne videatur agnatum supplicio obtulisse, vt ait *l. milites 13. §. desertorem, D. de re milit.*

15 *Cap. ad falsariorum, extr. de fals.*

DEFINITIO II.

Casus, in quo non potest agi de termino moto nisi ciuiliter.

INstituta de termino moto accusatio pendente lite, quæ per ciuile iudicium communi diuidundo inter eosdem partes agitabatur, prius quidem & ante omnia terminanda est, vt contingit, quoties criminalis actio incidit in ciuilem, [1] præterquam in certis casibus. [2] Sed si de eo termino moto agatur, qui lite pendente suppositus sit, ab aduersario vel inscia parte, vel vt id pateretur, per dolum aut vim coacta, & in continenti reclamante (finge mulierculam cum præpotenti aduersario litigantem, [3] qui maritum corruperit, vt ab vxore vel inuita consensum de nouis finibus constituendis extorqueret [4]) non criminaliter ex ea causa agendum erit, sed ciuilite, vt sciatur, an à priore finium constitutione recedi debuerit, vtiliterve recessum fuerit, [5] quasi iuris sui tuendi potius, quàm alieni interuertendi animo posteriores mouerit mulier, quæ ex ea causa conuenitur. [6] *Ita Senatus* ex tempore, 17. Calend. Iul. 1593.

1 *L. vlt. C. de ord. iud.* Scripsi *Defin. præced.*

2 De quibus nostri *ad l. pen. eod. ill. tit.* Cuiac. *lib. 20. obser. §. 25.* Nunquam tamen vtraque actio ciuilis & criminalis possunt

BIU Cujas

ab eodem contra eundem, & ex eadem causa intentari, siue ab initio siue ex postfacto, siue simul siue separatim; sc. æque principaliter, *l. interdum 4. vbi not. de publ. iud.* Nam si incidenter petatur restitutio rei post intentatum iudicium criminale, id fieri potest. Nam & in iudicio criminali solet peti refectio damnorum, & interesse. Sed neque ex causa penitus separata potest accusator intentare iudicium ciuile post intentarum criminale, ne per huiusmodi litem ciuilem impediatur reus in defensionibus suis faciendis, vt nec reus vicissim potest ex causa ciuili quamuis separata conuenire suum accusatorem pendente iudicio criminali, ne distrahatur accusator à prosecutione iudicij criminalis, in quo vertitur publicum interesse, ne delicta remaneant impunita. Is tamen, qui conuentus est iudicio ciuili, potest interim accusare actorem suum criminaliter tam ex causa penitus separata, quam ex alia oriente ex eodem iudicio. Puta si dicat falsos testes, qui auditi sunt in causa ciuili. Et eo casu suspenditur iudicium ciuile, non ne producatur vsque ad conclusionem in causa, sed ne super eo pronuncietur, donec pronunciatum sit super criminali. Et hoc propter præeminentiam & maioritatem iudicij criminalis. Ita enim de his omnibus Iul. Clar. *in pract. crim. qu. 2.* vbi addit *nu. 7.* absoluto iudicio ciuili posse actorem postea intentare contra eundem accusationem criminalem ex eadem causa vel econtra, si non ambæ actiones tendant ad eundem finem, *ex l. 1. C. hoc tit.* Adde Capyc. *decis. 25.*

3 Semper enim humilioribus contra potentiores subueniendum est, *l. illicitas 6. §. ne potentiores, D. de offic. præsid. l. 3. in princ. D. de alien. iud. mut. caus. fact.*

4 Quid enim possit vel audeat muliercula denegare marito? *l. 1. §. quæ onerandæ, D. quar. rer. actio non det. l. penultim. D. de furt.*

5 Nec enim actio vlla criminalis aut pœna constituta est de termino moto, nisi in eos, qui mouerunt dolo malo, *l. vlt. in princ. & §. 1. D. de term. mot.* Etsi video puniri etiam interdum eos, qui per ignorantiam aut fortuito lapides furati sunt, *l. 2. in fin. eod. tit.* cum tamen furtum sine animo furandi non fiat, nec sine dolo malo, *l. 1. l. in furti 50. §. 1. & pass. D. de furt.*

6 Præsumendus enim quisque est feciſſe animo iuris sui tuendi potius quam alieni vsurpandi, *vulg. l. merito 51. D. pro socio, l. cum creditor 55. D. de furt.* Denique voluntas & propositum delinquentis maleficia distinguit, *l. qui iniuriæ 53. in princ. D. de furt.*

DEFINITIO III.

Criminalis quæstio incidens in ciuilem non semper facit præiudicium ciuili.

ALiquando euenit, vt incidens criminalis quæstio in ciuilem non faciat præiudicium ciuili. Quid enim si contra alium quam collitigatorem criminalis exercenda sit? [1] Finge, cum peterem à te centum tanquam mihi debita, & tu apocham [2] proferres, interueniſſe Titium, qui sine mandato meo apocham tibi eripuerit & lacerauit. [3] Non eo minus contra te litem prosequi potero, erisque condemnandus [4] salua tibi contra Titium, de eo quod tua interest, actione, si ab eo crimen admissum probetur. Aliud erit, si Titio mandaueram, vt is debitum à te exigeret. Etsi enim consequens non est ob id illi à me mandatum, vt apocham tuam laceraret, [5] eius tamen factum perinde ac meum præstare debeo, quod imputandum mihi sit, cur talem elegerim. [6] Itaque non prius solutionem persequi potero, quam de crimine contra Titium cognitum sit, perinde acsi delictum illud à me ipso admissum esset. [7] *Ita Senatus* contra Antonium Pilliod Neciensem, 3. Calend. Maij 1595.

1 Nec enim potest quisquam actionem meam ignoranti mihi adimere, aut ei exercendæ moram adferre, *l. Granius 71. §. pen. D. de fideiuss. l. 2. D. quod vi aut clam.*

2 Id est solutæ pecuniæ professionem, vt loquitur *l. pecuniæ 14. C. de solut.*

3 Quo nomine certum est eum teneri tibi & furti & iniuriarum si iniuriæ causa id factum sit, *l. qui tabulas 27. l. quidam tabularum 32. iunct. l. qui iniuriæ 53. D. de furt.*

4 Non quia postea sis ab alio repetiturus. (Nemo enim ideo condemnandus est, quod ab alio postea sit idipsum recepturus, *l. nemo ideo 171. de reg. iur.*) sed propter delictum & factum tuum.

5 Nullo enim mandato quantumlibet generali dolus permissus intelligitur, *l. creditor 60. §. vlt. D. mand.*

6 *Arg. §. præterea, Instit. quibus mod. re contr. oblig. l. 1. §. illud sciendum, & seqq. D. de separat.*

7 Quia per me quodammodo factum est vt delictum illud admissum sit, quippe quod admissum non esset, si alij priori viro mandassem exactionem. Facit *l. ex qua persona, 149. de reg. iur. l. ex facto, 30. vbi not. D. de negot. gest.*

TIT. XIX.

DE CRIMIN. EXPILAT. hæred.

DEFINITIO I.

Expilatæ hæreditatis crimen an & quo casu etiamnum habere locum possit? Et de edicto, quod vocant, Le mort saisit le vif.

EXpilatæ hæreditatis crimen hodie vix vllum est, postquam edicto, [1] & omnium fere gentium generali consuetudine [2] inductum est, vt hæreditarium rerum possessio ipso iure, & absque facto vllo, qualis penes defunctum fuerat, in hæredem quemlibet transferatur, [3] quod Galli dicunt *Le mort saisit le vif.* Consequens enim est, vt si quid ex hæreditate subripiatur non tam expilari hæreditas, quam hæredi ipsi furtum fieri videatur; [4] nimirum, si quandocumque postea hæreditas adita sit per hæredem. Neque enim existimandum est edicti aut consuetudinis potestate factum esse, vt hodie magis quam olim aut ignoranti aut inuito acquiratur hæreditas: [5] sed quod antea dominij dumtaxat ratione constitutum erat, vt quandocumque adita hæreditas iam inde à die mortis testatoris adita retro fingeretur, [6] idipsum ad commodum quoque possessionis translatum est, vt hæreditatis agnitione secuta non magis possessio quam dominium vllo instanti iacuisse videatur. [7] Itaque si ponas aut repudiatam esse hæreditatem, [8] aut impetratum ab hærede tempus ad deliberandum, vt interea curatorem hæreditati dari sit necesse, [9] eoque tempore furtum hæreditati fiat, [10] expilatæ hæreditatis non furti agere curatorem oportebit. [11] *Ita Senatus*, 4. Cal. Decemb. 1588.

1 Non quod specialiter in hanc rem factum sit, sed quod confirmata sunt generaliter omnia quæ stylo Senatus nostri continentur. Inter quæ hoc vnum est, vt possessio rerum defuncti ipso iure in hæredem continuata intelligatur.

2 De qua late attestatur Andr. Tiraq. *in tract. de edict. Le mort saisit le vif.*

3 Quod alienum sane est à ratione iuris. Ex qua scilicet non continuatur possessio defuncti in hæredem, sed opus est corporali adprehensione, *l. cum hæredes, 25. D. de acqu. poss.* Ratio ponitur *in l. 1. §. Scæuola, D. si is qui test. lib. esse iuss. est*, quia hæreditas non potest transferre in hæredem, nisi quod fuit hæreditatis. Possessio autem quæ est facti non potest fuisse hæreditatis, quæ est iuris.

3 Expilatæ autem hæreditatis crimen non nisi loco deficientis actionis furti intendi consueuisse certi iuris est, *l. vlt. C. hoc tit. l. 2. §. 1. D. eod.* quia scilicet hæreditariæ rei furtum non fit, *l. vlt. eod. l. hæreditariæ, 68. D. de furt. & d. §. Scæuola:* furtum autem esse non potest vbi non est interuersio possessionis, *l. 1. D. de furt.* nec rursus actio furti vbi furtum non est. Hinc etiam est quod vxor non potest accusari de crimine expilatæ hæreditatis, quia nec furti cum ea agi potest, *l. vxor. 5. D. hoc tit. l. aduersus 4. C. eod.* vbi obserua legendum esse *domi* non *domus*, in illis verbis *domus accipitur.*

5 Esset enim id iniquum, *l. nec emere 16. C. de iur. delib.* quoniam ita fieret, vt inuitus quis æri alieno obligaretur, *l. qui in aliena, 6. in princip. D. de acquir. hæred.* Excipe causam suorum hæredum

BIU Cujas

hæredum, itemque neceſſariorum, quibus ob eam cauſam datum eſt beneficium, illis abſtentionis, iſtis ſeparationis, *l. neceſſariis, 57. eod. l. 1. §. vlt. D. de ſeparat.*

6 *l. hæres quandoque, 54. D. de acquir. hæred. l. omnia, 193. de regul. iur.*

7 Perinde ac ſi poſſeſſio non minus iuris eſſet, quàm dominium, cum tamen maxime ſit facti, *l. 1. §. ſi vir vxori & præced. D. de acquir. poſſ. l. denique, 19. D. ex quibus cauſ. maior.* licet plurimum ex iure mutuetur, vt dicebat Papinianus *in l. poſſeſſio 49. in princ. & §. 7. D. de acquir. poſſ.* [Vide Tiraq. *in 1. 2. & 3. declarat. ſecundæ partis in Tract. Le mort ſaiſit le vif.* Et apertius *in declar. 2. partis 7.*]

8 Quo caſu non poteſt videri poſſeſſor eſſe hæreditatis ille qui nec eſt, nec vnquam fuit hæres, cum prius ſit vt quis ſit hæres, quàm vt ex edicto & generali conſuetudine fiat poſſeſſor. Nec enim aut edictum aut conſuetudo alium facit poſſeſſorem, quam quem agnitio hæreditatis fecerit hæredem. Vnde ſoleo dicere non aliam eſſe hac parte rationem ſuorum hæredum, quam ſit extraneorum, vt nimirum agnitio & voluntas ipſorum perinde ac extraneorum neceſſaria ſit ad hoc vt ex edicto ſtant poſſeſſores. Alioqui ſi ſufficeret quod ſint hæredes ipſo iure per legem, ſequeretur fore illos ſicut hæredes neceſſarios, ita & bonorum poſſeſſores neceſſarios. Quod ſane abſurdum eſſet. Ita enim fieret vt vel abſtinendi beneficium ignorantes adeoque inuiti amitterent contra propoſitum prætoris, de quo *in d. l. neceſſariis, 57. iunct. l. ei qui, 12. cum l. præced. D. de acquir. hæred.* vel nouo indigerent beneficio abſtinendi, necdum prudentibus cognito. Si quidem inauditum eſt, vt abſtinendi beneficium habeat filius qui poſſidet bona paterna omnia, & quidem tanquam paterna, *l. eum bonis 87. eod. tit.* Denique bonorum poſſeſſor neceſſarius nullus eſt, aut vnquam fuit, ſiue ius ciuile conſulas, ſiue prætorium.

9 *l. ſi diis, 8. D. quibus ex cauſ. in poſſ. eat. l. idem priuilegium, 22. §. 1. D. de rebus auctor. iud. poſſid.* alia *l. 7. de priuileg. credit.*

10 Si tamen hæreditati furtum fieri poteſt quod non ita eſt, *d. l. 1. §. Scæuola, D. ſi is qui teſtam. lib. eſſ. iuſſ.* vbi ratio illa redditur, quam attulimus *num. 4. 5.*

11 Quia nimirum eo tempore verum eſt nondum per quemquam poſſeſſa eſſe bona hæreditaria, non magis quam ſi ea bona hæreditaria nec dominum vllum haberent, quamuis hæreditas, quod ad domini cauſam pertinet, ſuſtineat perſonam defuncti. Qui ſenſus eſt, *l. vlt. D. hoc tit.* iunct. *l. non minus, 31. §. 1. D. de hered. inſtit. l. hæreditas, 34. D. de acquir. rer. domin. lege 2. §. 1.* in illis verbis, *antequam res ab hærede poſſeſſæ ſunt, D. hoc tit.*

DEFINITIO II.

Legati petitio non poteſt differri prætextu expilatæ hæreditatis, ſed tamen legatarius interdum ſatisdare cogendus eſt.

OBtentu expilatæ hæreditatis emolumentum legatorum neque auferri neque differri oportet. [1] Sed ſi is, qui legatum pecuniarium petit, & hereditatem expilaſſe dicitur, non ſit ſoluendo, vt inopia ſua facile ſit eluſurus condemnationem, quæ aduerſus eum ſequi poſtmodum poterit, [2] æquum eſt conſuli hæredis indemnitati hactenus vt non niſi per fiduciæ ſpeciem [3] condemnetur: & de reſtituendo legato ſub ea conditione, ſi hæreditatem expilatam apparebit, caueatur. [4] *Ita tractatum eſt* in ea cauſa, de qua SC. 10. ſup. De verb. & rer. ſignific.

1 *Lege obtentu, 5. C. hoc tit. l. fideicommiſſaria, 23. de fideic. libert.*

2 *Vt in l. ſi quis iniuriam, 35. D. de iniur.* Inanis enim actio eſt, quam debitoris eludit inopia, *l. nam is, 6. D. de dolo.*

3 Id eſt, vt vulgo loquuntur, prouiſionaliter.

4 *Arg. l. 1. & tot. tit. D. ſi cui plus quam per leg. Falc. l. Diuus, 5. §. 1. & l. ſeq. D. de hered. petit.*

DEFINITIO III.

Reo expilatæ hæreditatis nihil prodeſt obijcere exceptionem de iure tertij etiam volentis, niſi ipſe dicat ſe hæredem.

OB expilatam hæreditatem accuſatus non ex eo ſolo excuſare ſe poteſt, quod contendat probareque velit accuſatorem nihil iuris in hereditate habere, quaſi pertineat illa ad alium ſiue ex teſtamento ſiue inteſtati iure. Non enim ideo minus deliquit, qui expilauit. [1] Eſtque ea exceptio de iure tertij, nec aliter excluſiua iuris agentis, quam ſi tertius ille velit. [2] Quid ergo, ſi is qui verus heres dicitur, interueniat liti, & patiatur admitti exceptionem? [3] Adhuc dicendum eſt poſſe cogi reum vt de crimine reſpondeat, & conſequenter ſiue fatebitur, ſiue conuincatur condemnandum eſſe, quia etiamſi accuſatoris non intereſſet, publice tamen intereſt crimina vindicari. [4] Plane ſi is, qui hereditatem expilaſſe dicitur, contendat ſe heredem, apparet præiudicialem eſſe quæſtionem de hereditate, ob idque ante omnia terminandam. [5] Neque enim expilaſſe videri poteſt qui re ſua, & iure ſuo vſus eſt. [6] *Ita Senatus* in ſecreto Auditorio, pro Claudio Rybet procuratore, & Nicolao Fuſier, 4. Cal. Iul. 1595.

1 Sciuit enim aut ſcire debuit, quicquid non ſuum eſſet ad alium pertinere, *l. ſi inter me, 15. D. de except. rei iudic.*

2 Cuiuſmodi exceptiones certum eſt non prius eſſe admittendas quam tertius ille velit. Bart. communiter adprobatus, *in l. 2. D. de except. rei iudic.*

3 Hoc enim caſu perinde eſſe videtur acſi ab eo ipſo tertio huiuſmodi exceptio obiiceretur. Nam cum duo inter ſe litigant poteſt interuenire tertius, cuius intereſt, & facere vt iudicium illud differat. Bart. *in l. ſi quis libertatem, 6. nu. 1. D. de hered. petit. Ex l. Titia 34. D. de ſolut. matrim.*

4 *lege ita vulneratus, 51. §. vlt. D. ad leg. Aquil. l. Stichum aut Pamphilum, 95. §. 1. D. de ſolut. l. ſi à reo, 70. §. vlt. D. de fideiuſſ.*

5 Eorum namque iudiciorum quæ ſunt de petitione hereditatis ea eſt auctoritas, vt nihil in eius iudicij præiudicium fieri debeat, *l. Diuus, 5. §. vlt. D. de hered. petit.*

6 *l. merito, 51. D. pro ſocio, l. duo fratres, 78. D. de acquir. hered. l. creditor, 53. D. de furt.*

TIT. XX.

DE INIVR.

DEFINITIO I.

Qui iniuriam dixit motus calore iracundiæ & prouocatus adhuc puniendus eſt, ſed mitius.

SI mentiri me dixeris, & ego iuſto motus calore iracundiæ te percuſſerim, non equidem eo minus condemnari debeo quod prior fuerim laceſſitus iniuria. [1] Neque enim mihi in cauſa mea ius dicere debui: [2] Sed tamen mitius eo nomine mecum agi æquiſſimum eſt. [3] *Ita Senatus* in cauſa Ioannis de Dompierre procuratoris, & Iacobi Pic, 7. Cal. Febr. 1590.

1 Nam neque calor iracundiæ neque pœnitentia, neque prouocatio in delictis regulariter excuſat. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæſt. 60. nu. 9. 18. 21.*

2 *l. 1. D. quod legat. l. non eſt ſingulis, 186 de reg. iur.*

3 Iul. Clar. *in §. iniuria, num. 14. & 16.* & aliis locis ſupra citatis. Sed neque prodeſt ei, qui iniuriarum actione conuenitur, quod probet iniuriam à ſe dictam veram eſſe, niſi Reipublicæ interſit ſciri, puta ſi quis alium latronem vel homicidam dixerit dummodo probet. Alioqui tenetur etiamſi tale crimen fuerit oppoſitum in iudicio excipiendo, puta contra teſtes. Idem Clar. *d. §. iniuria, nu. 15.* vbi tamen addit hanc diſtinctionem non procedere de Iure Canonico, ex quo debet præcedere charitatiua admonitio vel correctio. Amplius, ſi is qui iniuriam intulit, proteſtatus fuerit in ipſo actu iniuriæ, quod nolebat facere iniuriam nihil ei prodeſt. Idem Clar. *ibid. nu. 3.* vbi ponit exemplum de eo, qui dixit alteri, *Tu mentiris ſaluo honore tuo*, quia inquit, verba illa, *tu mentiris*, ſunt ex conſuetudine inducta vt habeant vim iniuriandi.

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Ius prosequendæ iniuriæ transmittitur ad hæredem, si accusator decesserit pendente appellatione.

QVi iniuriarum egerat & obtinuerat, si post appellationem à condemnato interpositam necdum ea decisa decesserit, transmittit actionem ad hęredem,[1] vt posset ille litem prosequi non tantum propter sumptus litis,[2] sed etiam ob persecutionem mulctæ, quæ in vicem eius quod interest accusatoris infligi solet:[3] cum nec pœnę persecutio morte finiatur vbi lis iam est contestata.[4] Nisi proponas remissam à moriente iniuriam. Quod etsi de Christiano homine credibile est,[5] probari tamen ab eo qui allegat, oportet,[6] quoniam hic non tam quid fieri debuerit, quàm quid factum sit, inspiciendum est.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Appellatio enim extinguit iudicatum & pronunciationem, *l.1.§.vlt. D.ad SC.Turpill. l.furti 6.§.1.de his qui not.infam.* sed non litis contestationem, cum è contrario reuocet & reducat litem ad terminos litis contestatæ. Vnde fit, vt in causa appellationis nulla sit contestatio necessaria sed incipiatur à conclusione in causa, quomodo Pragmatici loquuntur.

2 Ad quos semper condemnandus est is qui facto suo dedit causam liti, *l.eum quem temere, 79.D.de iudic. l.qui solidum, 78.§. 1. de leg.2.*

3 Interest namque aduersarij vt de appellatione pronuncietur, vt *in l.2. D.si tut.vel curat.mag.creat. appell. l.1.D.si pend. appell.mors interuen.*

4 *L.omnes pœnales, 26. l.constitutionibus, l.33. l.sciendum, 58. D.de obligat. & action. l.vltim. D.de fideiuss.iut. l.vnic. C.ex delict. defunct.*

5 Nam & de quolibet probo viro iam olim Papinianus ita scripsit *in l.si venditor, 6.§.1.D.de seru.export.*

6 Scilicet remissam fuisse iniuriam aut expresse aut etiam tacite per dissimulationem, id est, per silentium annuum aut per conuersationem habitam cum offensore. His enim omnibus modis remittitur iniuria. Iul.Clar. *in §.iniuria, numer.9. 10.& 11.* quod intellige ita vt nullum ius agendi supersit, ne quidem ad damna & expensas. Aliter atque si facta esset simpliciter pax pro iniuria, aut si facta esset remissio iniuriæ in foro conscientiæ, quibus casibus damna & interesse adhuc peti possent. Idem Clar. *in pract.crim. qu.58.num.38. & 39.* addens *num.40.* non solere admitti probationem pacis nisi per publicum instrumentum.

7 Cum remissio iniuriæ fit facti, ob idque præsumi non possit nisi probetur vulg.iurib.

DEFINITIO III.

De iniuria facta vxori vir agere potest, paremque iniuriam reddere.

VXori facta iniuria marito quoque facta creditur[1] propter indiuiduam illam, quæ ex matrimonij sanctitate contrahitur, inter coniuges non vitæ tantum sed etiam corporum societatem:[2] Maxime vero si per iniuriam vxor in adulterij suspicionem vocetur.[3] Itaque si quis vxori tuæ adulterium obiecerit, tuque aut in ipso instanti illatæ iniuriæ,[4] aut etiam ex interuallo, dummodo eo ipso die[5] parem adeoque atrociorem, si fieri potest, iniuriam, dum verbo tantum intuleris, credendus es feciſse iusto motus calore iracundiæ, perinde ac si in ipsa tua persona iniuriam passus fuisses.[6] Proinde similiter iniuriarum compensatio facienda est,[7] & vterque absoluendus ab obseruatione iudicij si neuter in animo iniuriandi perstare velit.[8] *Ita Senatus* ex tempore 7.Cal. Iul. 1591.

1 *L.2.C.hoc tit.* Iul. Clar. *in §.iniuriæ, num.3.*

2 *L.1.D.de rit.nupt.l.aduersus 4. C.de crimin. expil. hæred.* vbi legendum est, *quæ socia rei humanæ atque diuinæ domi suscipitur*, vt dixi *ad Defin.1. num.4.5.tit.præced.*

3 Quæ iniuria omnium maxime lædit pudorem mulieris & maritum in vxoris pudore, vt loquitur *d.l.2.C.hoc tit.*

4 Nam in continenti etiam vi repellere vim & iniuriam licet, *l.3.§.eum igitur, D.de vi & vi armat.*

5 Vix enim est, vt in sequentem diem idem calor iracundiæ producatur.

6 *l.1.§.vlt.* iunct. *l.2.D.hoc tit.*

7 Vt paria delicta mutua compensatione tollantur, *vulg.l. viro 39. l.cum mulier 47. D.solut. matrimon. l.si ambo 10. D. de compens.*

8 Nam si alteruter in animo iniuriandi perstare velit, is vero condemnandus est, quia ostendit non calore iracundiæ, sed matura animi deliberatione certoque iudicio se iniuriam feciſse, *l.quicquid in calore 48. cum ibi not. de regul.iur.* Nota autem quod ait Definitio in illis verbis, *dum verbo tantum*, quia si iniuriam verbo illatam siue sibi siue vxori vellet quis re ipsa & facto vindicare, iam non essent paria delicta, & ideo esset ille puniendus, quatenus iniuriæ sibi illatæ modum excessisset, siquidem in delictis prouocatio non excusat, nisi hactenus vt qui prouocatus fuit, mitius puniatur. Iul.Clar. *in pract.crim. quæst.60. num.18.*

DEFINITIO IV.

Qui executioni iniuriosæ tanquam testis adfuit, non debet puniri tanquam auxiliator, nec in vllos litis sumptus condemnari.

IS, qui executioni ab apparitore per vim aut iniuriam factæ tanquam testis adfuit, si non probetur apparitori consilium aut opem dediſse, condemnandus eo nomine non est,[1] quasi & ipse vim aut iniuriam intulerit, vel præsentia sua audaciorem fecerit apparitorem,[2] sed quia nec actorem, quia iniuriam passus est, litis contra testem institutæ expensas de suo præstare æquum est, placuit apparitorem & eos, quibus mandantibus iniuriosa executio facta esset, in eos sumptus pro teste condemnari.[3] *Ita Senatus* pro Edoardo Bolliet, contra Claudium Iordain, 4.Calend.Iul.1591. Iunge Defin.8.& 15.de execut.rei iudic.

1 Neque enim testi debet suum officium esse vnquam damnosum, *l.sed si quis 7.D.testam.quem aper.l.videlicet 29.D.ex quibus caus.maior.l.3.§.vlt.D.de testib.*

2 Nam licet assistens maleficio non debeat puniri, nisi appareat, quod id fecerit ex proposito: Vbi tamen ex eius assistentia delinquens potuit reddi audacior, puniendus est saltem pœna extraordinaria. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.90. numer.8.* vbi addit, interdum etiam torqueri istos & interrogari, an scienter & tractate, vt ille loquitur, id est, tractatu habito astiterint maleficio. Quæ distinctio non potest in eum cadere, quem constat astitisse tanquam testem. Illud sane constat, si tractatus præcesserit, auxiliatorem eadem pœna esse puniendum, qua delinquens principalis puniri debet. Nullo ante tractatu præcedente, si auxiliator præbuit causam delicto, idem dicendum esse, si vero non præbuit, mitius puniatur. Maxime si post commissum delictum præstiterit auxilium, quia is nec proprie auxiliator est. In dubio autem auxiliator ante omnia torquendus est super deliberatione aut scientia delicti, quia contra eum magna præsumptio est, quod fuerit particeps delicti, etiamsi non nisi post commissum delictum præbuerit auxilium. Nisi auxilium fuerit valde remotum ab actu maleficij. Nec distinguitur in hac materia, an principalis delinquens aliter erat facturus, an non. Etsi cum erat facturus, tanto mitius puniri auxiliatorem æquum est. Neque rursum dubitatur, qui auxiliator sit, qui vulneranti vel occidenti assistit armatus, si non fuerit ab eo remotus. Porro non sufficit, vt alter alteri auxilium præstitisse dicatur ad hoc, vt puniatur tanquam auxiliator, sed addendum est, quod auxilium præstiterit assistendo, vt alius delictum facilius committeret. Item debet prius constare principalem deliquisse, & quidem aliter, quam ex ipsius contumacia, vt possit puniri auxiliator. Etsi hoc postremum apud nos non obseruatur. Nam indistincte proceditur semper contra auxiliatorem. Hæc omnia ex Iulio Claro *dict. quæst.90.* vbi addit, furum receptores teneri eadem pœna.

3 Tanquam quibus illi causam dederint. Semper enim inspiciendum est, quis sumptibus litis & liti causam dederit, vt factum cuique suum noceat, non alteri, *l.factum 155. l.quod quis 203. de regul.iur.*

DEFI-

BIU Cujas

DEFINITIO V.

Fama vel auditus à fide dignis excusat eum, qui iniuriam dixit, quam sciri publice intererat, licet eam probare non possit.

ETiam qui conuitij causa innocentem infamauit, dummodo de ea re, quam sciri publice intererat, si habeat pro se famam bene probatam,[1] condemnandus non est, tametsi probare nequeat, verum esse quod per famam circumfertur. Excusat enim fama à dolo & calumnia, & consequenter à pœna,[2] præsertim si ab egregiis personis, & fide dignis originem habuerit. Nam etsi fama nondum per vulgus peruasisset, tamen sufficeret ad purgandam calumniæ suspicionem, quod reus id se ab aliquo præcipuæ existimationis viro audiuisse diceret & probaret.[3] Aliud tamen est, si talis iniuria sit, quam sciri aut ignorari publice nil interfit. Tum enim tametsi maxime verum sit, quod obiicitur, nihilominus iniuriarum iudicio tenetur, qui conuicij & iniuriæ causa dixisse quid vel fecisse conuincitur.[4] *Ita Senatus* in causa Philiberti de Court, & Dionysij Bizet, 3. Calend. Aug. 1592.

1 Nam si nihil probaret, vtique condemnandus esset etiamsi publice interesset sciri. Iul. Clar. *in* §. *iniuria, nu.* 15.

2 Idem Iul. Clar. *in pract. crim. qu.* 62. *nu.* 8.

3 Aliud enim est de fama loqui, aliud vero de auditu à fide dignis, vt distinguit Iul. Clar. *dict. numer.* 8. Cravet. *consil.* 178.

4 Iul. Clar. *in d.* §. *iniuria, num.* 15. Not. *in l. si non conuitiis* 5. *C. hoc tit.*

DEFINITIO VI.

Aliter atque aliter pro varietate personarum, locorum & temporum condemnandus est, qui offendit executorem.

OFfendens apparitorem siue Principis siue Senatus, siue alterius domini aut iudicis inferioris, grauissime puniendus est, quod ea res ad publicam vtilitatem tuendamque magistratuum iurisdictionem pertineat.[1] Sed tamen ex causa solet Senatus aliter atque aliter condemnare. Grauius enim coercendus est, qui apparitori in ipso actu exequendi officij infert iniuriam, quàm qui extra officium aut officij causam:[2] Grauius qui in odium executionis contra se factæ, quàm qui offendit petentem salarium ob eam executionem, quam pro se fecerit.[3] Grauius item qui in loco publico, quàm qui in priuato, qui in vrbe, quàm qui in agro, qui pro foribus palatij & prætorij Senatus, quàm qui in alia ciuitatis parte.[4] Grauius item qui sine causa offendit, quàm qui prior lacessitus iniuria, iustoque dolore motus.[5] Vtputa cui equum conscendenti, vt ad vxorem moribundam quàm citissime proficisceretur, apparitor equum ademerat: Item qui probum apparitorem, quàm qui audacem, & contumeliosis executionibus debitorum iras & dexteras in se prouocare solitum:[6] Denique qui diuitem, quàm qui egenum & ipsa egestate probrosum. Itaque iudicantis arbitrio & religioni condemnationis modus relinquendus est.[7] *Ita Senatus* in causa Iacobi Faure, 10. Calend. Februar. 1593.

1 *L. non est singulis* 186. *de reg. iur. l. prohibitum* 5. *vbi not. C. de iur. fisc. lib.* 10.

2 Nam qui extra officium & officij causam offendit apparitorem, non videtur eum offendere tanquam apparitorem, sed tanquam priuatum, quo nomine non tam grauiter puniendus est. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 29. *num.* 1. & 2. & *quæst.* 35. *num.* 16.

3 Priore namque casu videtur iniuria facta iudici, qui mandauit executionem. Posteriore vero videtur facta ipsi apparitori tanquam priuato.

4 Solet enim quodlibet delictum valde aggrauari ex circumstantia loci, *l. aut facta* 16. §. *locus*, *D. de pœn. l. prætor* 7. §. *vlt. l. sed est quæstionis* 9. §. *sed si in theatro. D. hoc tit.*

5 Nam prouocatio & iustus dolor etsi non omnino excusat, mitigat tamen pœnam. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 60. *num.* 18.

6 Cum executori modum excedenti possit interdum etiam de facto resisti. Not. *in d. l. prohibitum per ill. text. Cod. de iur. fisc. lib.* 10.

7 Quia pœna certa hoc casu & ordinaria nulla est.

DEFINITIO VII.

Non facit vim accusator, qui ipse prehendit reum in executionem mandati iudicialis. Secus si propria auctoritate id faciat.

ACcusatorem, qui prehendendi rei mandatum obtinuerat à iudice, si aut fugientem, aut latitantem, aut proximæ fugæ vel latitationis suspectum ipsemet prehendat, dummodo ab inferenda iniuria se abstineat, deliquisse non videri placuit.[1] Nec si eum ipse in vincula coniiciat securioris custodiæ gratia, si tamen quamprimum facere potuit, publicis eum carceribus reddiderit, aut officialibus loci, in quo reus prehensus est.[2] Non idem est si propria auctoritate nulloque præcedente iudicis mandato eum quis prehenderit, quem sibi ex delicto obligatum intendat.[3] Nam quod in eo, qui ex contractu obligatus est, aliter obseruamus, vt fugiens capi possit à creditore ipso,[4] habet propriam rationem propter verba illa legis duodecim tabularum, *si caluitur pedémve struit, manum endo iacito.*[5] *Ita Senatus* pro Ioanne Manuel, contra Iacobum Baudrey, 11. Calend. Mart. 1593.

1 Sed potius apparitori iussa magistratus exequenti opem tulisse. In quo nihil sane est, quod pœnam mereatur, cum fiat lege permittente, *vulg. l. Gracchus* 4. *Cod. ad leg. Iul. de adult.*

2 Ne alioqui de priuatis carceribus teneatur secundum ea, quæ diximus *supr. Tit. de priuat. carcerib. inhib.*

3 Hic enim sane committit vim priuatam, si sine armis id faciat: vim publicam, si cum armis, vt dixi *supr. tit. ad leg. Iul. de vi public.*

4 *l. ait prætor* 19. §. *si debitorem. D. quæ in fraud. cred.*

5 *l. si caluitur.* 233. vbi Gothofr. & alij notant ex Festo in voce *struere, D. de verb. signif.* vide Cuiacium *ad l. exiat* 13. *D. quod met. caus. & lib.* 16. *obseru. cap.* 19. Boer. *decis.* 275. Ioan. Papon. *in synag. lib.* 20. *tit. De decrets d'adiournements & empriſonnements* §. 2.

DEFINITIO VIII.

Pro iniuria, quam quis propria auctoritate vindicauerit, post ea iniuriarum agere non potest.

AB alio iniuriam passus, si eam verbis aut facto, alia denique iniuria repulerit,[1] vt sibi in causa sua ius dixisse videatur,[2] iniuriam agere postea non potest, licet prior fuerit prouocatus. Maxime vero si leuiore accepta iniuria grauiorem irrogauerit.[3] Nam qui sibi ius dixit, in eoque ius dicentis auctoritatem, quam implorare debuerat, neglexit,[4] indignus est, qui legis aut magistratus opem sentiat.[5] Imo si iniuriæ, quam retulit, atrocitas id exigat, condemnari potius debebit,[6] saltem ad expensas litis,[7] præsertim si aduersarius, quam verbo iniuriam intulerat, verbis quoque, vt fieri solet, atque apud iudicem deleuerit,[8] nec eo minus agere perstiterit is, cui abunde fuerat satisfactum.[9] *Ita Senatus* pro N. Laboret, contra Christophorum Maguccium, 3. Non. Mart. 1594.

1 Quod interdum facere licet impune, dummodo in continenti fiat & ita vt modus non excedatur, secundum ea, quæ dixi ad *Defin. 3. in fin. 3. eod.*

BIU Cujas

2 Sibi enim ius dicit, qui propria auctoritate facit quod facere deberet per iudicem, *l.1.D.quod legat.l.vlt. D.ad leg.Iul. de vi priuat.*

3 Quod plerumque fit. Difficile namque est in ea re, quæ calore iracundiæ fiat, modum seruare.

4 *l.non est singulis 196.de reg.iur.l.vnic. C.quand.lic. cuique sine iudice se vindic.*

5 *Arg.l.auxilium 37.in fin.D.de minor.*

6 Cum non sint eo casu paria delicta, vt compensari possint, *l.viro 30.l.cum mulier 47.D.solut.matr.*

7 Ad quas semper condemnandus est quisquis in lite improba perseuerat, *l.d stitisse 10.l.cum quem temere 79.D.de iudic.*

8 Iniuriam enim verbo tantum factam verbo quoque deleri, &, vt ita dixerim, dissolui nihil prohibet, vulg. *l.nihil tam naturale 35.de reg.iur.l.prout 80.D.de solut.*

9 Etsi enim ab initio nihil dolo malo fecit, nunc tamen facit, quod sufficit, vt ad litis totius etiam præteritæ expensas condemnetur, *dict.lege desitisse, l.2.§.circa, D.de doli mal. except.*

DEFINITIO IX.

Pœnitentia an & quando excuset eum, qui conuenitur actione iniuriarum?

QVi ob illatam à se verbo iniuriam litem criminalem patiuntur, solent, vt condemnationem effugiant, protestari, nolle se bonam aduersarij famam lædere, aut de ea quicquam detrahere.[1] Sed non sufficit ea declaratio, ni fateantur prolatam à se iniuriam.[2] Alioqui repetendi & committendi sunt testes, ac si protestatio nulla facta esset. Nimirum si animo iniuriandi prolatam constet. Nam nec aliter iniuria videri debet, quam si iniuriandi animus adfuerit.[3] Cæterum cum mulier quædam pia affectione mota persequenti alij vindictam criminis, sacrosanctæ hebdomadæ tempore obiecisset, indignum esse illum, qui ad diuini conuiuij epulas admitteretur, at dignum potius, qui, vt canis, à Christianorum consortio remoueretur, si non à vindictæ persecutione desisteret, putauit Senatus cum ea mitius agendum, quod licet nimis inciuiliter adeoque iniurioſe locuta fuisset, Christiani tamen officij exhibendi potius, quam iniuriandi animum habuisse videretur.[4] Itaque satis esse visum est, quod in publico auditorio protestata esset, bene se de aduersarij fama & religione semper sensisse, ac sentire velle.[5] Cumque idipsum iam apud inferiorem iudicem declarasset, qui nihilominus pronunciauerat repetendos esse & testes & committendos;[6] Senatus pronunciauit male iudicatum, & ream absoluit ab obseruatione iudicij, cum expensarum tamen principalis, non etiam appellatoriæ litis condemnatione.[7] *Ita Senatus* ex tempore, pro Iacobina de Meurs, contra Peronetam Baston, Prid. Idib Septemb. 1595.

1 Vt scilicet appareat, calore iracundiæ potius quàm certo iudicio prolatam fuisse iniuriam. Alioqui protestatio sola eius qui iniuriam facit, quod non habeat animum iniuriandi, nihil ei prodest, nec si in ipso iniuriæ actu fiat, cum sit contraria actui, & omnis iniuria in dubio facta præsumatur animo iniuriandi, vt tractat Iul. Clar. *in §.iniuria num.12.& 13.* vbi exemplum ponit vulgare in eo, qui alteri dicit, *Tu mentiris saluo honore tuo.*

2 Prius enim quærendum & constituendum est, an factum sit, quam quomodo aut qua mente.

3 Cum voluntas & propositum maleficia distinguat, *l. qui iniuriæ 51.in princ. D.de furt.* Iniuriandi tamen animus in dubio præsumitur in faciente iniuriam, vt dixi *nu.1.* Nec omnino excusatur qui dixit, se pœnitere aut fecisse calore iracundiæ, nisi hactenus vt mitius puniatur. Clar. *in d.§.iniuria, nu.16.* [Maximè vero si intra triginta dies dixerit se pœnitere. Vide Cagn. *ad l.quod calore 48.de reg.iur.* cuius sententiam à Senatu nostro aliàs probatam fuisse audio.]

4 *Arg l si venditor 6.§ in fin.D.de seru.export.*

5 Quæ protestatio & declaratio publice in iudicio facta magni erat momenti.

6 Quod non solet nec potest fieri, nisi cum proceditur extra ordinem.

7 Vt iniuria, quàm factam esse negari non poterat, non prorsus impunita remaneret. Ex iis quæ dixi *num.3.*

DEFINITIO X.

Non semper nec facile Iudex actionis iniuriarum debet decernere publicationem reuocatæ per reum iniuriæ.

CVm is, qui ob verbalem iniuriam criminali actione petebatur, declarauit coram Iudice prolatam quidem à se iniuriam, sed impetu quodam & calore iracundiæ potius, quam animi iudicio, cum de aduersarij fama semper bene senserit, & sentire velit, non facile Iudex permittere aut decernere debet, vt liceat aduersario eam declarationem & palinodiam vbi gentium voluerit publicare.[1] Irrogat enim ea res quandam infamiæ notam,[2] quæ non tam facile irroganda est ei, qui lubrico linguæ[3] & calore iracundiæ[4] magis, quam certo animi iudicio peccauit.[5] Itaque ex ea clausula iustam appellandi causam nasci visum est, nisi & actoris conditio & delicti atrocitas ea sit, vt aliter sentiendum videatur,[6] quod ipsum in iudicantis arbitrio & religione positum est:[7] vix tamen vnquam euenit, vt sæpius eam publicationem fieri concedatur,[8] præsertim si non nisi semel prolata iniuria sit.[9] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Quod tamen petere vt plurimum accusatores solent, vt bonam famam, quam iniuria læserat iis restitutam fuisse appareat: maxime vero solet hæc publicatio permitti, cùm in publico facta iniuria est, vt qui publice peccauit etiam publice coerceatur.

2 Saltem apud bonos & graues viros, quæ non leuis iactura est bono & graui viro, *l. 4. §. aduersus, D. de doli mal. except.*

3 Nec enim lubricum linguæ ad pœnam facile trahi debet, *l.7.§.hoc tamen, ad l.Iul.maiest.*

4 *l.quicquid in calore 48.de reg.iur.*

5 Præsertim cum placeat non esse infamem illum, qui condemnatur actione iniuriarum propter leuem iniuriam, licet plerique contra sentiant. Iul. Clar. *in §.iniuria, nu.8.*

6 *l.si quis iniuriam 35.D.hoc tit.*

7 De iniuria enim nunc extra ordinem ex causa & persona statui solet, *l.vlt.D.hoc tit.*

8 Sic *in l.cum plures, 15.§.vlt.D.de reb.auct.iudic.possid. l.si quis ex argentario 6 §.vlt.& l.seq.D.de edend.l.vlt. §.& hæc quidem 13. in fin.C.de iur.delib.*

9 Vt pœna respondeat delicto, quod semper curandum est, quantum fieri potest, *l.sancimus 12.C.de pœn.*

DEFINITIO XI.

Quod factum male est per calorem iracundiæ, potest per pœnitentiam dilui vsque ad responsionem factam ab interrogato de crimine, quæ responsio pro contestatione est.

QVi calore iracundiæ verbo iniuriam dedit, potest ex pœnitentia & contrariæ voluntatis declaratione iudicio iniuriarum se eximere, ad litem vsque contestatam.[1] Quid ergo si criminaliter actum sit, vt plerumque fit? Nam in iudiciis criminalibus litis contestatio nulla fit.[2] Sed placet responsionem rei ad interrogationes de crimine factas esse pro contestatione.[3] Igitur in id vsque tempus pœnitentiæ locus erit.[4] *Ita Senatus* pro Aduocato Tierry, contra Ioannem Franciscum Magnin, Cal. April. 1596.

1 Not. *in l.quod calore 48.de reg.iur.*

2 Sicut nec vnquam concluditur in causa. Vide Iul. Clar. *in pract.crim.quæst.14.nu.13.& quæst.45.nu.2.*

3 Idem Iul. Clar. *ibid.*

4 Ne lubricum linguæ ad pœnam facile trahatur, quod esse non debet, *l.famosi 7.§.pen.D.ad l.Iul.maiest.*

[DEFI-

[DEFINITIO XII.

Omissum iudicium iniuriarum non potest repeti etiam contra perfidum.

INiuria semel remissa, licet certis legibus & condicionibus quibus non fuerit satisfactum, repeti postea nunquam potest, ne quidem per restitutionem in integrum etiam à minore petitam. [1] Sed si quid eo nomine interfit, agendum est ciuili iudicio ad id quod interest ex causa non secuti implementi, [2] non autem iniuriarum ad vindictam. [3] Itaque si is qui iniuriam quantumcumque atrocem remisit etiam cuius vindictam sumi interfit Reipublicæ, dummodo tale crimen sit de quo paciſci vel transigere licuerit, [4] iniuriarum iudicium repetere velit, summouendus erit à limine iudicij, [5] adeoque in temerariæ litis expensas condemnandus. [6] Sed ita tamen vt non eo minus condemnari teus de crimine debeat erga Principem, si crimen publicum fuit, cuius vindictam persequi Principis procurator generalis possit & debeat. [7] *Ita Senatus* pro fratribus Blanc de la Rochete, contra Aduocatum Piuard; mense Martij 1612. & rursum in causa hæredum Ianon, 15. Iunij seq. Iunge Defi. 4. supr. vt nem. inuit. ager. vel accus. cogat.

1 *Vulg. l. auxilium* 37. *D. de minor.* Ratio elegans est *in l. si venditor* 6. §. 1. *de seru. export.* quia hominem beneficio affici interest hominis, & nihil tam Christianum, quam iniurias remittere.

2 Vt in *l. cum mota* 6. C. *de transact.* quæ hanc maxime rationem habet.

3 Tollitur enim actio iniuriarum ipso iure per pactum quod ideo legitimum vocatur, *l. legitima* 6. *l. si tibi* 17. §. 1. *de pact.*

4 Non enim de omni crimine transigere licet vel paciſci, sed cum distinctione, de qua in *l. transigere* 18. C. *de transact.*

5 Tanquam qui agat sine actione quod fieri non potest, *l. si pupilli* 6. §. *vltim. de neg. gest. l. quoties* 9. §. & *generaliter D. de admin. tutor.*

6 *Vulg. l. eum quem temere* 79. *D. de iudic. l. properandum* 13. C. *eod.*

7 Nec enim pactis priuatorum iuri publico derogari potest neque iuri fiscali, *l. ius publicum* 38. *l. inter debitorem* 42. *D. de pact.*

TIT. XXI.

DE QVAESTION.

DEFINITIO I.

Reus simulans insaniam per dolum, ne interrogetur de crimine, etiam quod pœnam corporalem non mereretur, torqueri debet.

STVLTITIAM per dolum simulans, ne interrogetur de crimine, torqueri potest probato dolo, [1] tametsi crimen tale sit, cuius probandi gratia quæstionem alioquin de reo haberi non oporteret. [2] Id enim fauor veritatis elicit, [3] cum & in causa ciuili, si testis nolit de eare, de qua constet, posse eum, si velit, testimonium dicere, tormentis quoque ad testimonium dicendum adigatur, [4] *Ita Senatus* 13. Calend. Iul. 1588.

1 Dolus autem ex vultu ipsius rei colligi potest, quia per exteriora comprehenduntur interiora, inquit Boer. *quæst.* 1. *numer.* 30. *ex cap. ex studiis, de præsumpt. cap.* 1. *de cler. non resid. l. his qui* 12. §. *vltim. de tutor. & curat. dat. ab his, Auth. eloquentissimum, Cod. de fid. instrum.* Vide Text. *in l. Diuus* 14. in illis verbis, *nec subest vlla suspicio matrem ab eo simulatione dementiæ occisam, D. de offic. Præsid.* [Et ideo solet Senatus si quando contingat vt reus vel demens vel hebetioris ingenij esse dicatur, vt ob hanc causam mitius puniendus videatur, iubere adduci eum in secretum aut potius secretarium Senatus vt toti Senatui exhibeatur, inspecturo ex vultu & ex sermone hominis, qualis reuera ille sit, & quanta eius sermonibus & dictis fides adhibenda, & an grauius an mitius puniendus. Alioqui non solet fieri hæc exhibitio *l. vlt. C. de exhib. vel transmitt. reis l.* 2. C. *de custod. reor. Ita Senatus* in ea causa de qua *Defin.* 2. *nu.* 1.] *de pœn.*

2 Siquidem dici solet, non esse inferendam torturam, quoties pro delicto non imponitur pœna corporalis, ne alioqui præparatorium, vt aiunt, grauius sit præparato. Iul. Clar. *pract. crim. quæst.* 64. *num.* 4.

3 Quam quærere & assequi bonus Iudex, quantum facere potest, semper debet, *l. curent magistratus* 22. *D. de testibus cum similibus.*

4 *Tot. tit. extr. de testib. cogend. & ibi not.* Et generaliter certum est posse torqueri testem, quoties de falso est suspectus. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 25. *nu.* 7. & *quæst.* 53. *nu.* 11. & *nu.* 15. *vers. in hoc tamen Ducatu.*

DEFINITIO II.

Reus extra tormenta confessus nec in confessione postea perseuerans iterum atque iterum torqueri potest, sed non sæpius quam ter, nisi ex nouis indiciis.

SI reus, de quo habita quæstio est, extra tormenta confessus, postea, id est, sequenti die (quatuor enim & viginti horarum interuallum intercedere oportet, ne tormentorum sensus adhuc durare videatur [1]) confessionem reuocauerit, [2] iterum atque iterum torquendus est, nullis quoque nouis accedentibus indiciis: [3] sed ita tamen, vt ne sæpius quam ter ex hac causa torqueatur. [4] *Ita Senatus* contra Claudiam Violat de Vareilles, 9. Cal. Mart. 1590. & rursum Idib. Decembr. 1590.

1 Ne alioqui eorundem tormentorum potestate noua confessio extorta videretur. Clar. *quæst.* 64. *nu.* 41. vbi ait, tormenta tum debere saltem per vnum diem vel per vnam noctem requiescere.

2 Ductus scilicet ad banchum iuris ad ratificandum suam confessionem, quomodo loquitur Iulius Clar. *in pract. crimin. quæst.* 64. *num.* 43.

3 Ad hoc scilicet vt in ipsa confessione perseueret, vt ait Clar. *ibid.* non tamen vt tamdiu sit torquendus, donec in confessione ipsa perseueret, sed vt possit de nouo torqueri, tanquam si nouum aliquod indicium superueniisset, quomodo explicat idem Iul. Clar. *quæst.* 21. *num* 36.

4 Alioqui procederetur in infinitum, quod absurdum & iniquum esset. Idem Clar. *d. num.* 36.

DEFINITIO III.

Qui sortilegio vsus reperitur ad eludendam vim tormentorum, hoc ipso quasi ex nouo indicio iterum torqueri potest.

QVi tormenta iam passus tacuit, nec fateri crimen voluit, non nisi nouis accedentibus indiciis iterum torqueri potest. [1] Nouum vero indicium & quod ad repetendam quæstionem sufficiens sit illud etiam esse creditur, si in ipsis tormentis compertus sit habere chartulas, (vulgo *breueta* vocant) quibus per sortilegium iuuatur, ne quicquam ab eo exprimere tormenta possint. Nam quod dici solet, honestam esse rationem quamlibet redimendi sanguinis, [2] vix est vt Christiana religio in hoc diabolico remedij genere possit admittere. [3] Certe negari non potest, quin hoc ipso valde suspectus fiat, qui tam impiis artibus sibi consulit, ne veritatem prodere compellatur. [4] Quid autem si eæ chartulæ repertæ sint & ereptæ reo priusquam quæstioni dederetur? Nouum fortasse indicium non est, quod ante habitam quæstionē emersit. Sed tamen verius est sufficere, quod post sententiam de habenda quæstione redditam emerserit. [5]

BIU Cujas

Ita tractatum est in causa Turini le Maistre 14. Calend. Iunij, 159.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 64. nu. 46. per tot.*

2 *L. 1. D. de bon. eor. qui mort. sibi consciuer.* Not. *in l. transigere 18. C. de transact.*

3 Peccatum enim mortale est, & contra caput primum primæ tabulæ, quoties ad istas artes confugitur, per quas diabolus inuocatur. Nec vnquam faciendum est malum, vt inde eueniat bonum. Nec denique pro salute huius mortalis vitæ periculum damnumque animæ vnquam incurrendum est.

4 Cum etiam ob mendacium locus fiat torturæ. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. nu. 39.*

5 Quia scilicet de eo non potuit cogitari sententiæ tempore, *l. non potest 23. D. de iudic.*

DEFINITIO IV.

Ex quibus indiciis possit fur condemnari ad torturam.

AD habendam quæstionem de reo, qui furtum fecisse dicitur, indicia hæc sufficientia sunt, si probetur pecunias habuisse, quas vnde habuerit, non potuerit dicere, aut probare: [1] si viso eo, cui furtum factum dicebatur, protinus aufugerit: [2] si eum, qui subreptas pecunias persequenti indicarat, occidere voluerit. Neque dubitauit Senatus, quin his omnibus indiciis concurrentibus, accedente præsertim mala rei fama, tormentis dedendus esset, cum de subtractis nummorum corporibus constaret. [3] *Ita Senatus* pro Antonio Lespine, 6. Id. Iun. 1590. Iunge SC. 1. de furt.

1 *Arg. l. ciuile est 6. C. de furt.*

2 Cum fuga faciat indicium ad torturam. Iul. Clar. *in practic. crim. qu. 21. nu. 20. 21. & 22.*

3 Ex Iul. Claro *dict. quæst. 21. nu. 21. & vlt.*

DEFINITIO V.

Qui vel in tormentis ipsis vel statim post tormenta reuocat suam confessionem, non ideo potest iterum torqueri quasi ex mendacio.

QVod diximus, [1] eum, qui in tormentis confessus est, si extra tormenta negauerit, rursus torquendum esse propter variationem, ita tamen vti ne sæpius quam ter quæstio repetatur, ad eum non pertinet, qui in quæstione ipsa minus aperte & ingenue professus sit, puta si statim post confessionem & in ipsis tormentis dixerit, extortam eam vi tormentorum. [1] Cum enim non præcedit aperta confessio, subsequens denegatio non inducit variationem, [3] quæ tamen sola repetendæ quæstioni locum facit. [4] *Ita Senatus* Id. Decemb. 1590.

1 *Defin. 2. 3.* vbi vide, & *in Defin. 10. 3.*

2 Quoniam quæ in continenti fiunt videntur inesse, *vulg. l. iuris gentium 7. §. quinimo, D. de pact. l. lecta 41. D. de rebus credit.*

3 Nec enim variatio potest esse sine contradictione & euidenti mendacio. Quæ autem in continenti fit, dicenda est emendatio potius quam variatio, inquit Iul. Clar. *in pract. crim. qu. 21 nu. 39. vers. ego vero.*

4 Mendacium enim etiam solum est indicium sufficiens ad torturam, & consequenter variatio etiam sine trepidatione, dummodo sit circa substantialia, licet non defuerint qui contra defenderunt, solum mendacium non esse sufficiens indicium ad torturam, sed tantum suspicionem quandam, quæ iuncta cum aliis indiciis sufficiat ad torquendum. Iul. Clar. *d. num. 39.* vbi tandem concludit, vt ex solo mendacio non deueniatur ad torturam, nisi aliquo adminiculo concurrente. Sane sola inconstantia, titubatio & trepidatio rei non est indicium sufficiens ad torturam, vt idem Clar. ibidem subiungit. Porro indicia præcedere oportet & probata esse. Clar. *quæst. 64. num. 9. & 12.*

DEFINITIO VI.

Septuagenarius non potest torqueri, ne quidem per metum torturæ, nisi perraro & ex magna causa.

SEptuagenarium hominem, quod non solum sit senex, sed etiam decrepitæ ætatis, placuit torqueri non posse, quantiscumque criminis indiciis vrgeatur, [2] quinimo nec facile iniiciendum ei esse metum tormentorum, cum sit verissimum, quod dici solet, metum ipsum torturæ torturam esse, [3] nec minus habere momenti ad extorquendum falsum ab eo, qui per ætatem tam iustum metum ferre non possit. [4] *Ita Senatus* in causa Ioannis Fenet, 9. Cal. Iunij, 1591.

1 Nam senex quoque, si decrepitus non sit, potest torqueri. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 64. nu. 22.*

2 Ignoscendum enim est ætati, *l. 3. §. ignoscitur, D. ad SC. Syllan.* Clar. *d. nu. 22.* vbi tamen addit, vidisse se torqueri reum maiorem annis 65. eo scilicet modo, quo torqueri poterat.

3 Sunt enim plures gradus torturæ. Primus est, isque leuissimus minæ de torquendo. Secundus conductio ad locum tormentorum. Tertius spoliatio & ligatura. Quartus eleuatio in eculeo. Quintus squassatio, vt loquitur Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 64. num. 31.* licet subiiciat, tres tantum gradus esse. Primum terrere. Secundum eleuare & in suspenso tenere. Tertium squassare. Et tane cum dicimus, metum torturæ torturam esse, non de primo modo intelligimus, nisi hoc posteriore sensu, quo primus modus tres priores ante dictos complectitur.

4 Est enim ea ætate vis animi quoque longe infirmior ob corporis infirmitatem: obserua tamen non eo minus dici confessionem sponte factam, quod facta sit ab eo, cui Iudex minatus est torturam etiamsi conductus ille sit ad funem & locum tormentorum. Dicitur enim leuis ille terror, nisi processum sit ad spoliationem & ligaturam. Clar. *d. nu. 31.* Nam & ligatura potest esse tortura ipsa, si sit multum atrox & stricta, vt idem Clar. ibi subiicit. [Sane ex quo reus ad locum torturæ deductus est, licet nondum processum sit ad spoliationem & ligaturam, non licet ei appellare, potestque sperni impune appellatio. *Ita Senatus* 4. Calend. Iul. 1613.]

DEFINITIO VII.

Vnus testis etiam integer non facit indicium ad torturam, multo minus criminis socius, nisi in crimine læsæ maiestatis.

REgulare est, vt vnius testis licet integri [1] testimonium non faciat indicium sufficiens ad habendam de reo quæstionem, si non aliæ adsint coniecturæ; [2] multo minus indicium faciet dictum eius, qui se socium criminis fateatur, [3] præterquam si agatur de crimine læsæ maiestatis, cuius odio propter sceleris immanitatem speciali quodam iure contra receptum est. [4] *Ita Senatus* in ea causa, de qua in Definit. 4. 5. 6. 7. supr. ad leg. Iul. maiest.

1 Nam si non esset integer, nullo certe casu faceret indicium ad torturam. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. num. 2. vers. cæterum, & quæst. 22. nu. 3.*

2 Clar. *d. quæst. 21. & quæst. 22. nu. 2.* vbi tamen vult hoc intelligi de eo teste, qui deponat de aliquo actu, siue remoto, siue proximo ipsi maleficio. Nam si deponat de ipsomet delicto, puta quod viderit Titium vulnerantem Seium, vel Sempronium audiuerit blasphemantem, vult Clarus, talem testem, si sit integer, facere indicium ad torturam.

3 Quia nec debet delinquens interrogari de sociis, *l. vlt. C. de accusat.* nisi in casibus exceptis, in quibus facit quidem indicium ad formandam inquisitionem, sed non ad torturam. Iul. Clar. *quæst. 21. nu. 8.* nisi adsit aliud indicium. Facit sane indicium ad inquirendum etiam in casibus non exceptis. Ibid. addens, nunquam tamen debere quem interrogari de certa persona sine indiciis.

4 Vt dixi *Definit. 4. supr. ad leg. Iul. maiest.* quamuis contra sentiat Iul. Clarus *dict. numer. 8.* [Si tamen cum dicto socij criminis bene congruant cætera accusationis instrumenta & indicia quæ per se sint pene indubitata, poterit ea res adeo probationem augere, vt ex ea possit deueniri ad condemnationem

BIU Cujas

nem etiam pœnæ ordinariæ saltem in atrocioribus. Et ita plerumque Senatus pronunciauit, licet interdum aliter vt tractatum & relatum est in ea causa de qua ad *Definit.1. numer.8. in fin.supr.de crimin.sacrileg.* Sed intellige si confessio socij in tormentis & extra tormenta ratificata sit. Vide *Definit.6.numer.* 1. *De pœnis.*

DEFINITIO VIII.

Sola confessio sufficit ad torturam, non ad condemnationem, nisi in casibus.

EQuidem sola rei confessio non sufficit ad condemnationem, [1] sed tantum ad habendam de illo quæstionem, [2] nisi aliæ concurrant probationes, aut saltem indicia, quæ vrgeant, quia non est audiendus perire volens: [3] interdum tamen euenit vt contra statuendum sit. Quid enim si ab hostibus explorator venerit, qui se exploratorem fateatur, eiusque confessioni cætera facti indicia non repugnent? Fateor non debere statim vt exploratorem condemnari, sed cur non torqueatur primum, vt confessionis veritas aut falsitas apertius eluceſcat, deinde condemnetur? Siquidem delictum hoc est ex eorum genere, quorum probatio vtplurimum nec instrumentis, nec testibus fieri vlla potest, sed tantum indiciis & argumentis: [4] præsertim vero si eiusmodi sint tempora, vt id genus hominum vel nimium grassetur, vel maiora Reipublicæ damna infligere posse videatur. Tanto enim seuerius curandum est, vt coerceantur, quanto periculosius futurum sit si tolerentur. [5] *Ita Senatus* contra Benedictum Bataillion, 5. Id. Iulij 1591.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.55. numer.10. & seqq.* vbi tamen distinguit, an delictum solo animo perficiatur, an vero factum aliquod requirat. Et rursum hoc casu, an sit delictum facti permanentis, an vero facti transeuntis, vt hoc postremo casu possit rei confessio sufficere ad condemnationem, si adsit querela partis, & confessio non sit de aliquo delicto in genere, sed in specie: cæteris vero casibus non sufficiat sola confessio.

2 Clar. *quæst.21.nu.31. & seqq.* vbi addit, hoc habere locum in confessione etiam extraiudiciali, & multo magis in ea, quæ sit facta coram Iudice incompetente, etiam postea sit reuocata, nisi reuocans doceat de errore, tametsi Iudex sit prorsus incompetens: imo etiamsi reus confessus sit coram Iudice tanquam priuato. Idem Clar. *nu.35.* Idem *quæst.55.nu.18.*

3 *L.1 §.1. & §. Diuus Seuerus, D. hoc tit. l. non tantum 6. in fin. D. de appellat.*

4 Secundum distinctionem, quam attulimus *numer 1. ex* Iul. Clar. *quæst.55.num.11.* Adde *l. non omnes 5. §. à barbaris, D. de re milit.*

5 *L. aut facta 16. §. vlt. D. de pœn.* Obserua tamen non nocere reo confessionem extortam per tormenta, etiamsi reus in ea perseueret, si nulla legitima indicia præcesserunt, secus est si confessio sponte facta sit, etiamsi super processu nullo. Idem Clar. *dict. quæst.55.num.13. & 14.*

DEFINITIO IX.

Patientia tormentorum parum prodest ei, qui tormentis addictus est, sine præiudicio iudiciorum & probationum.

CVm Iudex pronunciauit, habendam de reo quæstionem, hoc tamen addito, vt ne quid iam suppetentibus probationibus derogetur, [1] parum reo prodest, quod vim tormentorum patientia & contumacia sua fregerit: nihil enim ideo de pœna criminis ordinaria remitti oportet, si plenæ probationes fuerunt, [2] nisi quod si eius pœnæ differentes species ac veluti gradus quidam sint, nihil prohibet adhiberi ex causa moderationem. [3] *Ita Senatus* in illa facti specie, de qua SC. 6. de pœnis.

1 Quod Pragmatici nostri dicunt, *sans preiudice des preuues resultantes du procés.* Iul. Clar. *quæst.64.nu.8.*

2 Quamuis contra sentiat Iul. Clar. *quæst.64. num.38.* vbi magis probat, vt hoc casu pœna ordinaria commutetur in extraordinariam. Nos tamen vtimur hac in re eo iure, quod in Gallia receptum esse testatur Ioan. Papon. *in syntagm. lib.20. titul.9. arest.1.* Aliud est si indicia tantum præcesserunt, *Defin. 25. infr.*

3 Cum etiam capitalia supplicia sint alia aliis grauiora, *l. capitalium 18. D. de pœn.*

DEFINITIO X.

Qui perseuerauit in confessione extorta vi tormentorum non potest eam postea reuocare, nisi probet erroneam.

SI præcedentibus indicis ad habendam de reo quæstionem sufficientibus [1] quæstio habita sit, quæ criminis confessionem extorserit, etiam extra tormenta, vt fieri solet, repetitam, [2] quæri interdum solet, an confessus reuocare confessionem possit? Et placet non posse. Confessio enim etsi sola satis non probet, [3] potest tamen fieri, vt præterea cum eiusmodi indiciis coniuncta sit, quæ indubitate probent veritatem. [4] Itaque nil prodesse potest hoc casu reuocatio, nisi reus probet falsam & erroneam fuisse confessionem, [5] saltem per indicia contraria. Atque ita Senatus noster in eadem facti specie pronunciauit contra Carolum Mantel, qui Amedei fratris sui vxorem à se occisam quater confessus apud primum Iudicem, id ipsum tamen in appellationis causa negauerat. Sane si quis non nisi in tormentis confessus sit, extra tormenta vero negauerit, aliud iuris obtinet. De quo scripsimus SC. 2. & 5. sup.

1 Quænam vero indicia sint sufficientia relinquitur arbitrio Iudicis. Iul. Clar. *qu.20.nu.4.* vbi addit, sufficere minus quam semiplenam probationem. Ad condemnandum vero requiri indicia grauissima & indubitata, sicut & ad capturam debilia sufficiunt non etiam ad formandam inquisitionem, sed tantum ad sumendas informationes. Idem Clar. *ibid.nu.2. & 3.* De indiciis vero in specie vide eundem Clar. *q.21.* vbi hæc præcipua numerantur, Fama, Testis vnicus de visu, Plures socij criminis, Dictum mandatarij contra mandantem, Assertio vulnerati deinde mortui, Fuga ante inchoatam accusationem, nisi qui fugerat sponte reuertatur, Inimicitiæ, Confessio etiam extraiudicialis, minæ, Pax facta cum offenso, Mendacium, Vacillatio, Trepidatio, Possessio rei furtiuæ.

2 Hoc etiam omnino necessarium est, alioqui non sufficeret illa confessio ad condemnandum. Iul. Clar. *q.64.num.40.* secus est in spontanea. Idem Clar. *quæst.65. in princ.*

3 Idem Clar. *quæst.64.nu.44. in fin. & quæst.65. per tot.*

4 Cum non præcedentibus indiciis non possit haberi quæstio. Clar. *qu.55.num.14.*

5 Clar. *d. qu.64.nu.44. & 455.nu.18.*

DEFINITIO XI.

Ex longis & grauibus inimicitiis potest quis torqueri, sed moderatius.

QVi dolo malo domum aduersarij sui, cum quo per multos annos continuas inimicitias & lites exercuerat, incendisse dicebatur, probabat se eo ipso die, quo domus flagrauerat, alibi visum fuisse, vt vix fieri posset probabile, tam immane scelus ab eo admitti potuisse. Cum tamen plerisque & grauissimis suspicionibus criminis vrgeretur, [1] nec per rerum naturam impossibile esset, vt qua hora incendium factum fuerat, ad eum locum, in illam rem venisset, tametsi paulo ante alibi visus fuisset. Visum est propter atrocitatem delicti, quod alioqui difficillimæ probationis esse solet, habendam de eo quæstionem, [2] sed tamen moderatiorem, [3] quod in dubia facti causa non nihil etiam reo faueri æquum esset. [4] Sic factum est, vt nihil ab eo leuiora tormenta extorquere potuerint, atque ita liberatus, licet in exilium missus, post aliquot

BIU Cujas

dies accusatorem per insidias trucidauerit. *Ita Senatus* in causa Iacobi Durand, contra Claudium Vginet, 18. Cal. Decemb. 1592.

1 Quia regulariter solæ inimicitiæ non faciunt indicium ad torturam, sed tantum ad inquirendum, & ad transmittendum inquisitionem, si sint graues. Si tamen delictum fuit clam commissum, & nemo alius de eo accusatur, possunt facere indicium etiam ad torturam. Iul. Clar. *qu.* 21. *nu.* 30.

2 Ex Iul. Clar. *d. n.* 30. *in fin. & q.* 64. *n.* 5. *&* 9. vbi ait, in delictis clam commissis facilius procedi ad torturam, quia quæ clam fiunt, difficilioris sunt probationis.

3 Nam in tortura quoque adhibendus modus est pro arbitrio Iudicis. Idem Clar. *qu.* 64. *nu.* 33. *&* 36.

4 Cum melius sit nocentem absolui, quàm innocentem damnari, *l. absentem* 5. *D. de pœn.*

DEFINITIO XII.

QVoties iusta aliqua causa est, propter quam Senatus æquum putet moderatiorem habendam de reo quæstionem, [1] solet secretiore placito id constituere, non eo ipso, quod reo pronunciandum est, ne alioqui obstinatioris mendacij materiam ea res præbeat reo. Quamuis apud Gallos, quibus præcipuas in bene comparanda tractandorum iudiciorum ratione laudes deferimus, quidam aliter obtinere dicerent, vt quoties moderate torquendus reus videretur, idipsum eo quoque Senatusconsulto, quod pronunciandum esset, contineretur. Illud sane frequentius est, vt recuperatori Senatori, qui quæstionem habiturus est, in secretis mandatis detur, ne seuerius & inhumanius reum torqueat. [2] Quemadmodum ex contrario interdum, si criminis probationes delictique circumstantiæ id exigant, mandari solet, vt reus omnino inhumaniter & tanquam cadauer torqueatur, [3] nullo in eam rem Senatusconsulto conscripto. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Pro modo scilicet indiciorum & qualitate criminum ac personarum. Iul. Clar. *qu.* 64. *nu.* 33.

2 Puta modis exquisitis & non consuetis, quod si quis adhibeat, hoc ipso teneri debet. Sicut & si torquendo modis consuetis excedat modum consuetum. Ita vt si forte reus in tortura moriatur, iudex teneatur de homicidio, si modum excesserit dolo malo, aut si culpa saltem iuxta modum culpæ. Iul. Clar. *qu.* 64 *nu.* 36. *&* 37.

3 Scilicet cum Senatui constitutum est reum omnimodo vltimo supplicio afficere, etiamsi in tormentis negare perstet ob euidentes, quæ aliunde suppetunt criminis probationes. Quod tamen numquam faciendum est, nisi vt detegantur socij criminis, idque cum protestatione, quod id fiat sine præiudicio vel confessi vel coniuncti criminis. Idem Clar. *d. q.* 64. *nu.* 7. *&* 8. vbi addit, moderate torquendos esse.

DEFINITIO XIII.

Possunt hodie torqueri etiam illi, quos ius commune tormentis subiici prohibet, sed non tam facile.

DOctores, [1] milites, [2] nobiles, [3] presbyteros, [4] & alias huiusmodi personas, [5] quæ inspecto iure communi non possunt quæstioni subiici, receptum est moribus nostris torqueri debere, [6] si grauitas criminis id exigat, & semiplena probatio proferatur, [7] Quasi sublato per criminis præsumptionem priuilegio dignitatis. [8] *Ita Senatus* in causa Bartholomæi du Port & Ioannis Baptistæ Regnaud, 6. Idib. April. 1593.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 64. *nu.* 16.

2 Intellige de iis, qui hodie appellantur equites, aut qui sunt Capitanei, vt loquuntur, & ductores militum. Nam priuati milites quotidie torquentur. Idem Clar. *ibid. nu.* 18.

3 *L. nullus* 4. *C. ad l. Iul. Maiest.* Idque seruatur in Hispania, sed non apud nos, vt nec in Gallia nec in Italia. Clar. *ibid. numer.* 19.

4 Secundum opinionem Bart. *in l. ex libero. D. hoc tit.* cuius tamen opinio communiter reprobata est, vt testatur Iul. Clar. *q.* 25. *vers. sed numquid & q.* 64. *nu.* 24. vbi tamen addit generaliter clericos nec nisi de mandato sui episcopi torquendos esse & mitius quàm laicos, licet grauius delinquant.

5 In dignitate positas. Clar. *d. qu.* 64. *nu.* 17. *&* 20. *ex l. decuriones. D. hoc tit.* subiiciens tamen contrarium seruari de consuetudine.

6 Quæ consuetudo seruanda est, maxime in causis criminalibus & in materia torturæ. Clar. *dict. quæst.* 64. *num.* 19. 37. *& pass.*

7 Vt scilicet non tam facile torqueatur, quàm cæteri, qui nullum habent priuilegium, & qui vt possint torqueri, sufficit minor quàm semiplena probatio secundum glos. *in l. cum probatio. de probat.* Indicium enim sufficiens ad torturam illud est, quod priusquam simplex præsumptio est, & minus quàm semiplena probatio. Clar. *quæst.* 20. *nu.* 1. *&* 4.

8 *Arg. l. vnic. C. vbi Senat. vel clariss.* Putat tamen Clar. *d. q.* 64. *nu.* 16. non valere hanc consuetudinem, quæ admisit, vt Doctores & personæ positæ in dignitate torqueri possint. Sane ratio illa facere debet, vt tales personæ nec tam facile, nec tam grauiter torqueantur.

DEFINITIO XIV.

Qui gratiam criminis habuit à Principe, non potest in socios torqueri, quantumcumque graue sit crimen, de quo agitur.

CVi gratia criminis capitalis facta est à Principe, [1] si socios criminis indicare nolit, licet de crimine grauissimo agatur, puta quod ad læsæ maiestatis diuinæ aut humanæ causam pertineat, non ideo torqueri potest. Absurdum enim sit & iniquum torqueri pro aliorum delictis eum, qui proprij gratiam meruerit, [2] nisi tot condemnationis aut habendæ quæstionis causæ concurrant, vt beneficio Principis indignus videri debeat: [3] Quod cum euenit, Principem ante omnia consuli, in eamque rem ad eum rescribi oportet. [4] *Ita Senatus* in causa Antonij Bernard d'Arben, 7. Id. Iulij 1593.

1 Nec enim dubitatur, quin possit Princeps cuiuscumque criminis gratiam facere. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst.* 59. *per totum.*

2 *L. sancimus* 22. *C. de pœn.* iunct. *l. vlt. C. de accusat.*

3 Puta si obrepserit vel subrepserit Principi. Clar. *ibid. numer.* 9.

4 Vt *in l. si quis filio* 6. *§. quid tamen, D. de inoffic. test.*

DEFINITIO XV.

Reus iam conuictus non debet torqueri.

QVoties tam apertæ sunt criminis probationes, vt de facti veritate iudex dubitare nequeat, non solum frustra, sed etiam inique faciat, si reum quæstioni tormentis subiiciendum esse pronunciet. [1] Ita enim fiet, vt si nihil ab eo tormenta extorserint, aut absolui postea debeat, aut saltem mitius puniri, pœna ordinaria in extraordinariam commutanda, [2] tametsi probationum iam natarum auctoritas excepta sit, quod his verbis fieri solet, *sans preiudice des preuues resultantes du procés.* Non potest enim exceptio illa facere, quin tanta rei patientia & constantia de probationum fide aliquid detrahat, [3] aut commiserationi, quæ synceræ iustitiæ comes est, aliquid adiiciat. Et tamen iniquum sit, ob id solum aut absolui, aut mitius puniri reum, quod obstinatam hominis peruicaciam tormenta non fregerint, sicut & alia ex parte inhumanum fuerit, reum, cui omnimodo capitale supplicium subeundum est, siue in tormentis crimen fateatur, siue neget, tormentis quoque subiici nulla veniæ spe recreatum. [4] *Ita tractatum est* in causa N. Velat Bellicensis, prid. Cal. Septemb. 1593.

1 Iul. Clar. *qu.* 64. *nu.* 7. *&* 8.

2 Idem Clar. *ibid. num.* 38.

BIU Cujas

3 Vide tamen quæ scripsi *Defin.9.*
4 Ita enim sit, vt ex eodem crimine reus bis condemnari videatur, contra *l.sanctio legum 41.D.de pœn.*

DEFINITIO XVI.

Casus, in quo reus etiam sufficienter conuictus subiicitur quæstioni, nempe ad detegendos socios in atrocioribus criminibus. Et quomodo sententiæ verba hoc casu concipienda sint.

VNus tantum casus est, quo supradicta locum non habent. *Is est*, si alios criminis atrocissimi socios esse constet, sed quinam ij sint ignoretur. Tunc enim publicæ vtilitatis gratia, cuius semper & vbique præsertim in vindicandis criminibus rationem haberi oportet, [1] de reo habenda quæstio est, & quidem acerrima tanquam de cadauere, vt hoc ipsum sciatur, an criminis socios, & quos habuerit, non an crimen ipse admiserit? Itaque quantumcumque peruicax sit in negando, nihil ei proderit ad pœnam criminis ordinariam euitandam, quia non in id torquetur, vt de se fateatur. Propter quam causam sic concipi verba sententiæ aut Senatusconsulti hoc casu necesse est, *sera l'accusé appliqué à la question pour auoir la verité des complices*, non quomodo alioqui & vulgo concipi solent, *pour auoir la verité du fait par sa bouche si faire se peut*. Atque ita passim tota Gallia obseruari Pragmatici Galli testantur. [3] Apud Italos longe aliter. Vix enim illi mortis pœnam irrogant, quin reus vel ore proprio crimen fassus sit, vel propter absentiam & contumaciam pro confesso sit habendus. [4] Cum tamen apud nos vel indicia ipsa, dummodo sint indubitata, sufficere queant, vt sequi possit condemnatio, etiam quæ vltimum capitis supplicium irroget. [5] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 *L.ita vulneratus 51.§.vlt.D.ad leg.Aquil.l.Stichum aut Pamphilum 95.post princip. D.de solut.l.si à reo 70.§.vlt. D.de fideiussor. cum similib.*
2 Vt dixi *Defin.12.nu.vlt.*§.vbi vide.
3 Boer.late *qu.163.nu.13.&* 14.
4 Iuxta consuetudinem illam Italorum, quam refert & laudat Bald. *ad l.1.nu.9.& l.2. C.de iuram.calumn.* Non vt amplius constet de delicto, de quo iam satis constat, sed tantum vt reus fateatur delictum ad hoc, ne appellando possit suspendere iudicatum. Et hoc obseruant iudices Itali hoc colore quasi velint reos interrogare super sociis & complicibus, vel super aliis criminibus. Iul.Clar.*quæst.64.num.7.& 8.* vbi tamen hoc improbat, aliter in Ducatu Mediolanensi seruari ait.
5 Scilicet cum indicia sunt & plura & indubitata. Boer. *quæst.164. num.3. 4. 5. & 6. in fin.* Alioqui condemnandus est reus mitiori pœna, vt idem ait *dict.num.6. in princip.* At tamen magis probat Iul.Clar. *quæst.21.num.3.* quod ex indiciis indubitatis possit quidem reus condemnari etiam ad pœnam corporalem, sed non ad ordinariam, nec ad mortem. Vide *Definit.7.infr.de pœn.*

DEFINITIO XVII.

Potest interdum deueniri ad torturam prius etiam quàm constet de corpore mortuo. Maxime vero in crimine assassinatus.

PRoditum quidem est, non esse quemquam de homicidio condemnandum quantumcunque probationes vrgeant, & indubitatæ videantur, adeoque licet confessio ipsius concurrat, quin prius constet de corpore mortuo, [1] quod audiendus non sit perire volens, [2] nec desunt exempla multorum post reorum supplicia reuersorum, qui falso occisi dicebantur. [3] Sed tamen non debet ea res facere, vt si grauissimis indiciis reus vrgeatur, eo minus quæstioni subiiciendus sit, quod de corpore mortuo nondum appareat. [4] Etsi enim is potissimum habendæ quæstionis vsus est, vt extorta per vim tormentorum confessione rei, sequatur mortis aut naturalis aut ciuilis condemnatio, [5] tamen fieri potest, vt ea reus in tormentis fateatur, ex quorum cognitione sciri possit, vbinam gentium cadauer extet, vt de corpore mortuo constare queat, nec quicquam desit ad infligendam condemnationem. Idque indubitatum est, si de assassinatu agatur. Nam & quod magis est, sunt qui in hoc sceleris genere admittendum putent, vt quamuis de corpore trucidato non constet, perueniatur tamen ad sententiam condemnatoriam. Non solum propter immanitatem flagitij, sed ob id etiam, quod huiusmodi hominum genus curare soleat, quantum potest, ne vsquam cadauer reperiri possit. [6] *Ita Senatus* in causa Ioannis Martinet rei parricidij, ante Calend.Mart.1594.

1 Dixi *Defin.8.nu.1.*§.*ex* Iul.Clar. *quæst.55.nu.10. & segq. & qu.64. nu.3.* Iunctis iis, quæ idem tractat *q.4.* quando dicatur constare de delicto.
2 *L.non tantum 6.in fin.D.de appell.l.1.*§.*1.& §.Diuus Seuerus D.hoc tit.l.1.D.ad SC.Silan.*
3 Vt testatur Clar.*d.q.55.nu.10.&* 11.
4 Puta si aliunde appareant aliqua indicia criminis, vt in casu, quem refert Clar. *d.nu.11. ant.fin.* ex Chast. super *consuet. Burg.titul.Des iustices & droits d'icelles,*§.*5.s'il n'a grace post nu.41.* Idem Clar.*quæst.4.nu.4.vers.*ego tamen.
5 Est enim tortura præparatorium ad mortem vel naturalem vel ciuilem. Vel saltem ad pœnam corporalem. Alioqui non est procedendum ad torturam. Iul.Clar. *quæst.64. numer.4.*
6 Vt in casu illo Chassanei & Iulij Clari, de quo diximus *nu.4.* Adde Iaſ.*in l.iurisiurandi, C.de test.* Boer.*qu.164.nu.10.* Alex. *cons.19.incip.circa primum & tertium dubium, lib.7.* Videtur tamen sufficere, vt constet de corpore mortuo per famam, vt tractat Boer.ex Bald. quem citat *d.nu.10.* Sed & in iis, quæ sunt valde difficilis probationis, sola fama criminis potest facere indicium ad torturam. Idem Clar.*q.21.nu.1.vers.posset etiam.*

DEFINITIO XVIII.

Quod tempus expectari debeat, vt repetatur reus in suis confessionibus, quas fecit in tormentis.

IN tormentis confessus reus, aut quod hac parte idem est in metu ipso tormentorum, [1] non nisi post quatuor & viginti horas repeti debet ac interrogari, an in iisdem confessionibus & responsionibus perstare velit, [2] ne si ante interrogetur, durare adhuc tormentorum metus videatur. [3] Sane nec longius tempus ei dandum est, ne interuertendæ veritatis, quam confessus fuerit, rationes comminiscantur. [4] *Ita Senatus* 10.Cal.Decem.1594.

1 Metus enim torturæ tortura est, si deuentum sit ad spoliationem & ligaturam, vt dixi *Defin.6. num.3.supr.* ex Iul.Clar. *q.64.num.3.*
2 Iul.Clar.*dict. quæst.64.num.41.* vbi tamen addit, hoc positum esse in arbitrio iudicis, qui secundum qualitatem torturæ illatæ indicabit, quanto temporis spatio præsumatur cessare dolor ac metus tormentorum. Concludit tamen permittendum esse torto, vt saltem per vnum diem vel per vnam noctem requiescat.
3 Dixi *Defin.1.nu.2.*§.
4 Qua de causa nec ducendus etiam esset ad illos carceres, in quibus sunt alij carcerati, ne ab iis persuaderetur suam confessionem reuocare, inquit Iul.Clar. *dict.quæst.64 nu.40.* Idem est, si quis torqueatur interpolatis diebus seu vicibus: quod fit, cum plura sunt contra reum indicia & vrgentia. Iul.Clar.*d.l. quæst..64.num.33.ante fin.* Quo casu omnes illi actus torturæ habentur pro vnica tortura: sed hoc non solet fieri, nisi in atrocissimis criminibus.

DEFINITIO XIX.

Incertitudo non semper liberat reos, qui plures accusantur de eodem crimine, cuius præsumptio par sit contra omnes, & quod ab omnibus committi potuit, sed omnes torquendi sunt.

BIU Cujas

QVod dici solet, meliusesse absolui nocentem, quam innocentem damnari, [1] facit, vt quoties incertum est, quis ex pluribus reis crimen fecerit, non solum ad vltimi supplicij condemnationem peruenire non oporteat, sed nec ad habendam de hoc aut illo quæstionem. [2] Sed hoc procedit cum apparet fieri non posse, vt omnium condemnandorum iusta causa sit. [3] Alioqui si tale crimen proponatur, quod ab omnibus committi potuerit, & cuius præsumptione omnes æque vrgeantur, habenda erit de omnibus quæstio, si aliud nihil obstet præter incertitudinem. [4] *Ita Senatus* in causa Ludouici Bochet, 6. Cal. Ianuar. 1594.

1 *L. absentem 5. D. de pœn.*
2 Hyppol. de Mart. *sing. 217. incip. ter & quater.*
3 Incertitudo enim facit, vt vterque debeat absolui, cum pœna esset corporalis, secus si esset tantum pecuniaria: quia tunc melius esset vtrumque condemnari, ne delicta maneant impunita. Sic distinguit Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 60. numer. 3.* Nempe cum delictum non potuit ab omnibus committi.
4 Iul. Clar. *in §. homicidium, numer. 37.* Dixi *Definit. 1. numer. 1. supr. ad leg. Cornel. de sicar.*

DEFINITIO XX.

Fama non est sufficiens indicium ad torturam, sed fuga rei ante inquisitionem.

SOla fama non facit indicium ad habendam de reo quæstionem. [1] Nec si à cognatis, & fide dignis persona originem traxerit, multo minus, si aut incertos aut suspectos habeat auctores. [2] Grauior est ea præsumptio, quæ ex rei fuga oritur, maximè si fuga præcesserit inquisitionem. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. num. 1.* quia licet ad torquendum sufficiat minus, quam semiplena probatio, tamen fama est indicium valde remotum à delicto, & valde fallax, vt ibidem ait Clarus. Addens contra esse si cum fama concurrat aliquod adminiculum. Idem si delictum sit valde difficilis probationis. Sed hoc ita si fama sit vel in specie de eodem delicto, de quo agitur, siue in genere, sed eiusdem mali & delicti, non aliter. Subiicit tamen purgari malam famam, si reus probat, se per triennium proximum bene vixisse & fuisse bonæ famæ.
2 Debet enim fama originem habere à personis honestis & fide dignis, nisi agatur de re turpi, debentque testes nominare famæ auctores etiam non interrogati de eo specifice. Non tamen coguntur dicere se audiuisse à maiore parte populi, sed sufficit vt publicè dici audiuerint. Debent etiam scire quid sit fama. Ita Iulius Clarus *quæst. 6. num. 12. & seqq. vsque ad 19.* vbi vide Iul. Clar. *quæst. 21. num. 20. & seqq. vsque ad 25.* vbi ait fugam, quæ sequitur inquisitionem non facere indicium ad torturam, nisi iuncta sit cum fama publica, idque in non capitalibus tantum.

DEFINITIO XXI.

Confessio facta in tormentis & ratificata extra tormenta non potest reuocari, nisi probetur erronea.

COnfessum in tormentis reum si extra tormenta non perseueret, iam diximus iterum torquendum esse, etiam nullis superuenientibus indiciis, sed ita tamen vti ne sæpius quam ter quæstio repetatur, nisi in causa noua concurrat, [1] esseque absoluendum reum post habitam ter de illo quæstionem, si non euidentissimis & indubitatis probationibus vrgeatur. [2] At si extra tormenta confessus, postea confessionem reuocare velit, non est audiendus, sed perinde condemnandus, si non probet erroneam confessionem, id est, ab alio, quam à se admissum delictum fuisse, [3] aut nisi aliqua vrgeant indicia pro reuocatione. [4] Rationem nostri illam afferunt, quoniam qui cogi potest, vt confiteatur, multo magis cogendus est, vt in confessione perseueret. [5] *Ita Senatus* in causa N. Noblet, 6. Id. April. 1595.

1 Dixi *Defin. 2. & 5. supr.* ex Iul. Clar. *qu. 21. num. 36.* Cui adde Boer. *qu. 163. num. 20.*
2 Potest enim nihilominus condemnari, saltem ad pœnam extraordinariam, adeoque capitalem, vt dixi *Defin. 9.* ex Claro *quæst. 64. num. 38.*
3 Clar. *d. quæst. 64. num. 44. & qu. 55. nu. 18.*
4 Boer. *qu. 165. num. 2. & 3.*
5 Gramm. *decis. 34. num. 60. & decis. 72. num. 4.* Matth. Matthesil. *singul. 55.*

DEFINITIO XXII.

Confessio extraiudicialis ratificata in tormentis, item quæ facta est in tormentis, & ratificata extra tormenta sufficit ad condemnationem.

EXtra iudicium facta criminis confessio, si repetita fit in tormentis, postea retractari sine causa non potest, id est, nisi per confitentem probetur erronea. [1] Ideoque potest ex eiusmodi confessione sequi condemnatio, licet alioqui standum non sit confessioni factæ in tormentis, si non extra tormenta quoque perseueretur, [2] neque sola extraiudicialis confessio sufficiat ad probandum, sed tantum ad faciendum indicium, hactenus vt de reo quæstio habeatur. [3] Ex quo apparet quanto magis verum sit, quod proxime scripsimus, confessionem factam iudicialiter, & extra tormenta metumque, id est, post habitam quæstionem si ei confessioni congruat, quæ in tormentis facta est, sufficere ad condemnationem. [4] Neque prodesse reo, quod eam reuocet ex interuallo, si non aliquas pro se habeat probationes, aut saltem indicia probabilia. [5] Quod si ex contrario indicia aliqua contra reum faciant, nemo est qui dubitet, quin cum ipsius confessione iuncta sufficiant ad condemnationem. [6] Nec quicquam interierit, an in eadem instantia, an in causa appellationis reuocetur confessio, quæ fuit geminata. Appellatio enim extinguit dumtaxat iudicatum, [7] non etiam confessiones factas in instantia. [8] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Nam nec ante torturam posset retractari, quod ad hoc, vt euitaretur tortura, vt contra quosdam disputat Iul. Clar. *quæst. 21. num. 31.*
2 Vt diximus *Defin. præced.* ex eodem Claro, *dict. quæst. 21. num. 36.*
3 Ioann. de Arnon. *sing. 93. & 94.* Clar. *d. nu. 31. & 34.*
4 Dixi *Defin. præced. num. 3.* ex Claro *quæst. 55. num. 18. & quæst. 64. num. 44.* Quod si spontanea confessio iudicialiter facta esset, multo magis sufficeret ad condemnationem, quamuis numquam reiterata, nec posset reuocari, nisi probato errore. Idem Clar. *quæst. 65. nu. 2.*
5 Ad probandum quod confessio sit erronea, vt dixi *Defin. præced.*
6 Non enim hoc casu locum habet, quod tractat Boer. *qu. 165. num. vlt.* quod si stent indicia pro & contra, non debet reus condemnari, sed absolui. Nam confessio rei non indicium sed probatio est. Vide in *pract.*
7 *L. 1. §. vltim. D. ad SC. Turpill. l. furti, 6. §. 1. de his qui not. infam.*
8 Deuoluit enim litem in suo statu ad iudicem appellationis.

DEFINITIO XXIII.

Tortura facit personam testis integram, quæ alioqui non esset integra.

QVi infamis est, siue iuris siue facti infamia, adeo parum idoneus testis est in criminalibus, vt ne quidem indicium faciat ad habendam de reo quæstionem. [1] Cui similis ille est, qui se criminis socium fatetur. Hic enim propriam sibi turpitudinem objicit. [2] Sed

ficit. [2] Sed tamen si quod extra tormenta testati sunt, in tormentis repetierint, facient indicium, quod antea non fecerant. [3] Ideoque licet nihil ad priorem testationem adiecerint, tamen quasi ex noua causa locus erit habendæ de reo quæstioni. Nec nouum est, vt testis persona quæ alioqui minus esset integra per patientiam tormentorum integra fiat. *Ita Senatus* in causa N. la Combaz, & N. de Laual, 14. Calend. Iun. 1595.

1 Quia testis infamis nullam potest fidem facere sine tortura, Iulius Clar. *in pract. crimin. quæst. 25. in princip.* Excipe casum *l. famosi, 7. ad leg. Iul. maiest.* Adde *l. quæsitum, 73. D. de testib.*

2 Clar. vbi supr. *& quæst. 21. num. 11.*

3 Vt ex iis videre est, quæ tractat Clar. *dict. quæst. 25.* vbi addit aliud exemplum de teste vario & vacillante, quis firmat dictum suum in tortura. Idem de vili persona, etsi hoc tandem relinquit arbitrio iudicis.

DEFINITIO XXIV.

Etiam senex dum ne decrepitus potest torqueri, & cum non potest torqueri, tamen terreri potest, si crimen sit ex atrocioribus.

ÆTas senilis si non decrepita quoque sit, non excusat reum à tormentis. [1] Sed facit tamen, vt moderatior de eo haberi debeat quæstio arbitrio iudicis, & talis qualis per ætatem haberi potest. [2] Sunt enim qui post sexagesimum, adeoque septuagesimum annum ferre tormenta facilius possint, quam alij quadragenarij aut quinquagenarij. Itaque habitus corporis potius, quam annorum numerus erit inspiciendus. Eo tamen casu quo torqueri senex per ætatem non potest, terreri eum nihil prohibet, si ita postulare videbitur atrocitas delicti, vtputa si de crimine falsi agatur. [3] Alioqui parum sane refert, an quis torqueatur, an ei torturæ metus inferatur. [4] *Ita Senatus* in causa N. Blanchet, & N. Barandier, 4. Idib. August. 1595.

1 Dixi *Defin. 6. 3. ex* Iul. Clar. *q. 64. nu. 22.*

2 Grammat. *decis. 34. col. 1.*

3 Cuius atrocitas quanta sit, vel ex eo apparet quod decretum gratiosum de relaxandis carceratis omnibus, puta ob iucundum aduentum principis, non tamen comprehendit eos qui carcerati sunt pro crimine falsi, Iulius Clar. *qu. 56. nu. 13.*

4 Quia metus torturæ est tortura, vt dixi *Defin. 6.* vbi tamen vide quomodo hoc accipiendum sit.

DEFINITIO XXV.

Tormentorum patientia purgat indicia, nisi habita sit quæstio sine præiudicio indiciorum, quo tamen casu mutanda est pœna ordinaria in extraordinariam.

QVæstio de reo habita, si nihil ille in tormentis confessus sit, purgat indicia omnia, quæ vel ex fuga vel mala fama aduersus eum vrgere poterant. [1] Ideoque licet interlocutio De habenda quæstione clausulam illam habuerit, quæ vulgo adscribi solet, *Sans preiudice des preuues resultantes du procés*, reo succurrendum est, non vt omnino absoluatur, sed vt mitius condemnetur, id est, pœna non ordinaria, sed extraordinaria. [3] Præsertim si præcedebant indicia, quæ proxime accederent ad indubitata. Vtputa si in domo eius, qui falsam monetam cudisse dicitur, reperta fuerint instrumenta ad eos vsus pertinentia. [4] Idque Senatus noster constituit in persona N. Perradin, qui bis fugerat & per contumaciam crematonis condemnationem metuerat, [5] decennalium dumtaxat triremium pœna ei irrogata.

1 Iul. Clar. *quæst. 64. num. 38.* Boer. *qu. 163. num. 14.*

2 De qua scripsi *Defin. 9. supr.* Huius vero clausulæ potestas maior sane est ad retinendam vim probationum, quæ plenæ fuerunt, quam ad retinendam vim indiciorum, quantumuis fuerint indubitata, quoniam facilius est, vt purgentur, quam vt plenæ probationes irritentur aut imminuantur. Et ita concilianda est hæc Definitio cum Definit. 9. *supr.* Iunge *Defin. 6. 3. de pœn.*

3 Secundum sententiam Iul. Clar. *dict. num. 38.* etsi non semper ea vtimur, nisi ad mitigandum genus mortis, vt dixi *Definit. 6. supr.*

4 Vt in casu, de quo scripsi in *Defin. 1. 3. de falsi monet.*

5 *Ex l. 2. C. de falsi monet.*

DEFINITIO XXVI.

Vulnerati assertio non facit indicium ad condemnationem, nec ad torturam, sed tantum ad inquirendum, & heredem excusandum.

SOla assertio vulnerati non solum ad condemnationem indicium non facit, sed nec ad habendam de reo quæstionem, adeoque nec ad citandum eum, qui dicitur vulnerasse, sed ad hoc tantum, vt de crimine inquiratur. [1] Eoque iure nos vti constat. Itaque si facta inquisitione alia emergant indicia contra eum, quem vulnerati assertio suspectum fecit, vt citandus aut prehendendus videatur, postea vero ex innocentiæ probationib. appareat absolui eum debere in omnes temerariæ assertionis impensas [2] condemnandus erit is, qui vulneratus fuit. Sed si ex vulnere decesserit, & in eadem assertione ad mortem vsque perstiterit, securus hæres est, neque calumniatoris aut temerarij accusatoris pœnam meretur qualiscumque accusationis euentus futurus sit, [3] quoniam vulnerati assertio, quæ non accusaret vulneratum, heredem ipsius excusat. [4] *Ita Senatus* in causa Ioannis & Claudij Costerg. ante Non. Sept. 1595.

1 Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 21. num. 14.* nisi, inquit, alia concurrant indicia.

2 Nam & ad capturam sola vulnerari assertio indicium facit. Idem Clar. vbi supr. *num. 15.* Non autem ad torturam, *ibid. num. 17.*

3 *Ex l. eum quem temere, 79. D. de iudic.*

4 Clar. *vbi supr. num. 16. post glos. in l. mater. C. de calumniat.* quia scilicet tenetur hæres vindicare necem defuncti *tot. tit. C. de his, quæ vt indign. & de SC. Sillan. & D. eod. tit.* Vide *l. si quis in graui, §. si quis moriens, D. ibi. tit. de SC. Sillan.*

DEFINITIO XXVII.

Confessio rei sola, siue spontanea siue in tormentis facta sufficit ad condemnationem ordinariam, si constet de delictis, secus si non constet, nisi ex ipsa confessione, etiamsi concurrat testatio eius, qui se dicit passum esse vim & iniuriam.

SOla rei confessio, licet cum alius testatione coniuncta, qui vim & iniuriam passus esse dicitur, non sufficiet ad pœnam mortis ordinariam irrogandam, [1] sed tantum ad extraordinariam, vt mors naturalis in ciuilem commutetur, pœna furcæ in perpetuarum triremium condemnationem. Nec aliud erit etiamsi is, qui vim & iniuriam passus fuit, auditus sit tanquam testis, & vt loquuntur pro interesse publico, non tanquam accusator. [2] Neque enim ideo fit, vt sit omni exceptione maior. [3] Sed hoc ita, si quæratur de delicto, non de persona tantum delinquentis: prius enim est, vt constet de delicto, & quidem aliter, quam ex rei confessione. [4] Hoc enim est quod dicimus, non audiri perire volentem. [5] At si de delicto quidem constet, non tamen de persona delinquentis, nemo dubitat, quin confessio rei nocere ipsi debeat, [6] præsertim si libera & spontanea sit, [7] & omnibus accu-

BIU Cujas

sationis indiciis congruat.[8] Nam & noceret, si per tormentorum vim expressa esset.[9] *Ita Senatus* contra Iacobum Albine, Non. Mart. 1597.

1 Scilicet cum non aliter constat de delicto, vt sequitur in Definitione.

2 Nam si accusator fuisset, certum esset quod ei credi non oporteret, *l. qui accusare 4. C. de edend.* Ne alioqui testis in sua causa esse videretur, quod nemini permissum est, *l. omnibus, C. de testibus.*

3 Tanquam qui se iniuriam passum dicat. Ideo enim præsumitur inimicus, nec tam zelo iustitiæ, quam ad propriam vindictam testimonium dixisse, vt de inimico: tractat Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 14. nu. 17.*

4 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 55. num. 10.*

5 *L. non tantum, 6. D. de appellat. l. 1. §. 1. & §. Diuus, D. de qu.*

6 Etiam ad condemnationem diffinitiuam & ad pœnam ordinariam, scilicet cum confessio iudicialis est. Alioqui si extraiudicialis esset, non sufficeret. Idem Clar. *d qu. 55. in princ.* Intellige, nisi cum confessione extraiudiciali concurrant alia indicia, & verisimilia. Capyc. *decis. 179. nu. 2.* vbi multos allegat.

7 Idem Clar. *qu. 65. in princ.* vbi addit sufficere, vt confessio illa sit vnica, nec requiri vt sit reiterata.

8 Nam si ex actis litis probaretur confessio erronea non noceret, ideoque potest reus probare errorem. Idem Clar. *dict. quæst. 55. num. 18.*

9 Dummodo in ea perseueraſſet reus extra tormenta. Idem Clar. *quæst. 69. num. 40.*

TIT. XXII.

DE ABOLIT.

DEFINITIO I.

De differentiis abolitionis & indulgentiæ.

INTER abolitionem & indulgentiam multum interest. Abolitio enim accusationis est, Indulgentia delicti. Vnde est quod indulgentia quos liberat notat, Abolitio non item. Qui enim gratiam criminis impetrat à Principe crimen fatetur, non etiam is qui abolitionem. Quæ potiùs iniustitiam exprobrat accusationis. Hinc fit vt quamuis delictorum omnium etiam atrocissimorum gratiam facere Princeps pro arbitrio possit, etiam læsæ maiestatis siue diuinæ siue humanæ. Non tamen indistinctè abolitio concedi possit. Excipiuntur enim crimina læsæ maiestatis, & peculatus, & desertæ militiæ, non tamen falsi, quamuis ita nonnulli putauerint. Inde quoque euenit, vt qui abolitionem impetrauit, licet non minùs literas Principis ille ipse per se cogatur exhibere, atque is cui gratiam criminis Princeps fecit, nec si per procuratorem id facere velit, audiendus sit. Faciliùs tamen impetrare possit, vt in auditorio secreto id fiat non in publico. Sanè etiam postea quàm à Senatu sedente interrogatus est ex more, an eas literas impetrauerit à Principe, An veritatem Principi exposuerit, An denique iis se literis iuuare velit, Ex integro tamen & amplius interrogandus est à Commissario & Recuperatore in eam rem dato. Quomodo interrogari etiam solet is, qui gratiam criminis à Principe impetrauit. Perindéque ad mulctam pecuniariam condemnari potest arbitrio Senatus irrogandam, sed hoc ita tamen si bonis & idoneis probationib. accusatio ita fuerat instructa, vt de ipsius veritate aliquatenus constare videatur. Illud vtique districtè obseruandum est, vt abolitionis literæ non tantum Procuratore generali audito, quod omnino necesse est, sed etiam vocato accusatore priuato, si quis sit examinentur. Aut tùm quoque cùm accusator priuatus nullus est, tertij ius inauditi semper excipiatur. *Ita Senatus* in causa N. Ruffi, Mense Mart. 1611.

1 Vide *l. vlt. C. hoc tit.* & Iul. Clar. *in pract. et min. quæst. 59. & ibi* Apostill. *lit. e.* Cayrer. *in §. homicidium 6. numer. 324.*

DEFINITIO II.

Indulgentia Principis releuat reum ab onere probandi, dum ne sit obreptitia vel subreptitia.

QVi gratiam criminis impetrauit à Principe, nihil probare cogitur tanquam eorum, quę vera exposuit Principi, licet talia sint sine quibus indulgentia videri iusta non posset. Sufficit enim, vt neque obrepserit Principi, neque subrepserit, hoc est, vt nihil tacuerit eorum quæ ex actis probata reperiuntur. Nihil rursum expresserit ad se exonerandum contra quam testationibus probatum inueniatur. Denique facit Princeps gratiam non modò criminis, sed etiam probationum, quæ alioquin essent ei necessariæ, qui gratiam criminis non impetrasset. *Ita Senatus* pro Petro Girard, 8. Iunij 1612.

DEFINITIO III.

Non fatetur crimen qui à Principe impetrat aut indulgentiam criminis, aut abolitionem accusationis.

SIcuti non intelligitur fateri crimen is, qui abolitionem accusationis impetrauit à Principe,[1] ita neque is, qui criminis indulgentiam sibi à Principe concessam profert in iudicium eaque vtitur.[2] Solet namque indulgentia Principis peti & concedi quo magis liberetur reus, non vt magis oneretur.[3] Indeque videtur mos ille iudicialis fluxisse, vt post lectas quoque & publicatas in publico auditorio literas Principis, quibus indulgentia Principis contineatur, ex integro audiendus sit in vinculis literarum lator, vt in ipsius potestate sit crimen negare, si velit.[4] Sane siue confessum sit crimen, siue probatum, per indulgentiam Principis omnino extinguitur, in eoque maximè differt indulgentia ab abolitione quæ iudicij instantiam tantum perimit.[5] *Ita Senatus* in causa Claudij Bernard, 2. Maij 1614.

1 Cùm abolitio non sit criminis sed tantùm accusationis, vt dixi *Defin. 1. §.*

2 Ant. Gabriel. *lib. 7. de criminal. conclus. 23. num. 15.* ita vt non possit iudex dicere volenti vti gratia impetrata, fatearis priùs delictum. Alioqui non vtêris illa, inquit AEgid. Boss. *in tit. de remed. ex sol. clement. Princip. num. 29.* Apostill. ad Iulium Clar. *in pract. crimin. quæst. 59. in lit. e.*

3 Sic enim argumentatur in simili Vlpian. *in l. 3. §. si emancipatus D. de bonor. poss. contr. tabul. l. legata 14. de adim. legat.*

4 Quid enim prodesset interrogari si non liceret negare? *tot. tit. D. de interrog. in iur. fac.*

5 Apostil. ad Iul. Clar. *d. qu. 59. in lit. e.* Carret. *in pract. crim. §. homicidium 6. num. 324.*]

TIT. XXIII.

VT INTR. CERT. TEMP. crim. quæst. termin.

DEFINITIO I.

De litium & criminalium & ciuilium abbreuiandarum noua ratione.

CONQVERVNTVR plerique omnes, nec immerito, de litium & criminalium & ciuilium diuturnitate, quæ tanta hodie est vbique

BIU Cujas

vbique fere gentium, vt sæpissime vsu veniat eos ipsos, qui victoriam cum sumptuum quoque adiudicatione reportarunt, tam longis anfractibus vexatos, ac tot sumptibus misere fatigatos sic affici, vt lugendum sibi potius esse putent, quod bonæ alioquin litis aut instituendæ, aut suscipiendæ consilium ab initio non abiecerint, quam gratulandum, quod tanto pretio nudam victoriæ gloriam compararint. Nec dici sane potest, quam aliena sit ea res, non modo ab ipsorum litigantium, sed à totius etiam Reipublicæ vtilitate, cum per lites fiat, vt vinculum illud publicæ concordiæ, quo præcipue salus populi & humana societas continetur, vel dissoluitur penitus, vel saltem relaxetur maxime ac debilitetur. Hinc nimirum tanta ciuili legislatori cura de litibus nunc impediendis, nunc diminuendis, semper execrandis. Quanto magis mirandum lachrymisque sanguineis deflendum est, Christianam Rempublicam à veritate ipsa Sanctoque Spiritu edoctam, totius legis perfectionem in charitate, & Dei proximique dilectione consistere, eadem tamen laborare insania, vt si cum Paganorum infelicitate nostram quis conferre hac parte velit, non facile possit discernere, vtram debeat anteponere, nisi forte tanto miseriores nos esse fatendum est, quanto illis ingeniosiores & videri volumus & sumus. (Ingenio siquidem magno, sed improbo & malitioso est opus ad improbam litem, inuitis etiam legibus & magistratibus, diu frustrandam, protelandamque. Quænam enim apud nos, obsecro, vel domus vel certe familia est, quam non lis aliqua continuo, perpetuoque motu exerceat & exagitet, siue de magna re, quod ferendum facilius, siue quod indignius, & tamen frequentius est, de minima, quam nec operæ pretium sit, extra iudicium petiisse, ac sine vllo incommodo litis obtinuisse? Adeo magna putamus facimusque omnia, quæ non alio pretio, quam immoderata, vel auiditatis vel ambitionis nostræ magnitudine æstimamus. Ac quoniam vix sperare liceat, remedio vllo fieri vnquam posse, vt litium materia radicitus euellatur, quarum scilicet altissimas radices, cæca mortalium improbitas & auaritia nimis multorum animis infixit, (nec enim tanti mali causam in Procuratores, aut Aduocatos, aut Iudices, quod à plerisque fit, detorquendam existimamus, ne quod aliquorum singulare vitium est, in vniuersi ordinis inuidiam, non minus temere, quam iniurioſe deflectatur,) optandum saltem esset eam litigandi formam excogitari, quæ vel repugnantibus litigatoribus posset facere, vt spatiis temporum breuioribus lites concluderentur, quibus citius expeditis fierent litigãtium miseriæ tanto minores quanto breuiores, neque vero aliud legislatorum fere omnium votum fuit, sed nostri potissimum Iustiniani, qui ob eam causam, & criminalibus & ciuilibus actionibus certas metas præstitutas voluit. Criminalibus quidem biennij, ciuilibus vero triennij, vt vltra id tempus viuere prohiberentur. In quo dignum præcipua obseruatione illud est, quod de criminalibus constituit, ne dubitare possimus, quamuis publice interfit non manere impunita delicta, magis tamen interesse non longiore lite diuexari eum, qui crimen siue vere siue falso dicitur admisisse.

Atque in criminalibus quidem non est difficile assequi quod ille voluit, vt intra biennium terminentur propter iunctam cum accusatoris solicitudine assiduam ipsius quoque rei instantiam, qui tum quoque cum corporalem ex delicti conscientia pœnam expectat, carceris tamen tædio premitur, vt sententiam vrgeat, quam nec se effugere posse videt, non magis quam fugere, qui carcerum custodia cõercetur. Quod in iis, qui ciuili actione pulsantur, non similiter euenit. Quorum sicut proprius ille mos est, vt perpetuis apertisque frustrationibus & tergiuersationibus actorem fatigando morentur litem, quod ea sola calliditate fieri posse videant, vt morentur etiam condemnationem, ita & communem illam nominis infamiam à Græcis meruerunt, vt generali, non tam epitheto, quam nomine proprio φιλόνικοι appellentur.

Aliquando tamen accidit, vt reus criminis, etiam reuera innocens, continuos triennij aut quadriennij carceres patiatur, sed vix alio id vllo casu, nisi quod appellatum sit, siue per reum ipsum, siue per accusatorem ab aliqua interlocutione, de qua vbi per iudicem appellationis pronunciatum fuerit iterum redeundum sit ad iudicem, aut si quis medius & inferior iudex appellationis fuit rursus appellandum ad Senatum. Itaque corrigi hoc facile & emendari posse videretur, si placeret induci, vt in criminalibus causis, vel omnino prohibita esset appellatio ab interlocutoria, quæ iuris nostri ciuilis ratio & obseruatio fuit, vel permissa quidem, sed ita tamen, vt nullam vim suspensiuam haberet, liceretque nihilominus iudici cuilibet, ad quem prima cognitio pertineret, totam litem criminalem instruere ad sententiam vsque vel diffinitiuam inclusiue, vt loquuntur, vel de reo quæstioni eo mentisque subiiciendo exclusiue. Quo facto causæ totius cognitio ad Senatum deuoluetur, quem solum in huiusmodi causis appellari æquissimum certe ac vtilissimum esset, præterquam si cui priuilegium specialiter datum probaretur, quale habet à Serenissimis Ducibus nostris Illustrissimus Dux Gebennensis, vt non ab aliis sententiis in toto Ducatus sui territorio redditis appellari possit, quam quæ à consilio Gebennensi fuerint latæ. Quæ res facit, vt in causis omnibus etiam criminalibus, quæ in eo Ducatu apud primos & inferiores Iudices tractantur, secundam appellationem admitti & retineri necesse sit, quamuis cessante priuilegio, tam multis magnisque rationibus, præcipue vero in honorem sanguinis & per appanagij, vt loquuntur, speciem indulto, excludi sane potius expediret. Sicut & illud inducendum esset, vt siue male siue male pronunciatum esset ab inferiore iudice, nunquam tamen ad eum reus à Senatu remitteretur, nisi ad executionem pœnæ, in eo loco vbi delictum admissum esset faciendam, si quando Senatus ad exemplum publicum id fieri debere arbitraretur. Præbet enim ea res in causis criminalibus ingentem materiam, non modo longioris moræ, sed etiam magis vexandi fatigandique rei.

At in causis ciuilibus quæ sicut frequentiores sunt, licet minoris vt plurimum momenti, ita maiore ac certiore indigerent remedio, longe difficilius est commodam inuenire rationem, per quam fiat vt abbreuientur lites, totque frustrationibus & cauillationibus, quibus passim & vbique iudicia redundant, via præcludatur. Solent quidem iudices fere omnes, debentque hanc sibi potissimum operam iniungere, vt toto studio in hoc maxime laborent, ne lites tam longas fieri patiantur. Sed neque id in eorum arbitrio & facultate semper positum est, neque sperandum foret, vt tale quid obtineri vnquam possit, nisi supremorum Principum, ad quorum maxime curam hæc res pertinet, auctoritas opem ferat. Et quemadmodum de Mathematicis Cornelius Tacitus scribit. *Hoc genus hominum in ciuitate nostra & semper damnabitur, & semper retinebitur:* Ita de longioribus istis litium moris, quæ semper & ab omnibus passim iudicibus damnantur, verendum certe est, ne non minus vere dici possit, futurum tamen, vt semper & in omnibus tribunalibus retineantur, si non per su-

premos Principes tanto malo, ne perpetuum sit, prospiciatur. Quamquam autem Senatus noster iam à quo primum tempore erectus fuit in hoc vnum præcipue, nec minus sapienter quam feliciter incubuit, ob litigandi præscripto ritu, quem si exacte litigatorum procuratores tenerent, nihil plane esset, quod præterea desiderare in hoc genere quisquam posset, additis etiam in singulos pene dies variis Senatusconsultis, prout emergens casuum necessitas, rerumque vtilitas exigere visa est: Ipsa tamen rerum experimenta docuerunt, maiorem esse litigatorum malitiam, dicamne an insaniam, quam vt iis omnibus quæ hucusque tam prudenter, sancteque constituta sunt, sanari & coerceri possit: Ideoque strictioribus vinculis indigere, vt qui nec propriam verentur conscientiam, nec tanti Senatus imperia reuerentur, saltem litium quas tantopere amant amittendarum metu constringantur, ne recusent durioribus in posterum legibus litigare, si lubricum & incertum litis voto concordiæ anteponent. Mihi certe digna res hæc persæpe visa est, de qua deberent cogitare ij omnes, qui & ingenio apud suos, & auctoritate apud Principem polleant. Vtrumque enim necessarium est ad rem tanti momenti & adgrediendam & perficiendam. Etsi vero non ego is sum, qui vel alterutrum istorum in me sentiam esse mediocre, quod vtrumque maximum esse oporteret, putaui tamen faciendum, vt omnes intelligerent, si quid minus quam cæteri in rem tam vtilem ac necessariam conferre possem, industriam mihi & auctoritatem, non animum aut de republica bene merendi studium defuisse. Animaduerti autem præcipuas tanti huius mali causas omnino esse duas. Vnam, quod litigandi consilium plerique suscipiunt quasi necessarium, qui si ad transigendum vel compromittendum, aut inuitarent aduersarium, aut ab eo inuitarentur facile negotium sine lite deciderent. Alteram, quod qui litigant, siue agant, siue conueniantur, sic litem tractare solent, vt quasi ad eos nihil pertineat, nihilomagis à cæteris suis rebus abstrahi se patiantur, sat cito se liti adfuturos arbitrati, si ad alia interim diuertentes negotia tandem post trimestre id faciant, quod primo ipso die, si vellent, præstare & possent & deberent: Cum tamen sicut publicis olim apud Romanos supplicationibus; ita litibus in foro tractandis, præco aliquis semper & vbique præesse meo iudicio deberet, qui assidue clamaret, *Hoc age*. Quid enim stultius, quam eum qui sic viuat, vt non aliam viuendi causam habere velle videatur, nisi vt litiget, sic tamen litigare quasi nullam, nisi posthumam sperare sententiam, & breuiorem vitam suam, quam litem esse velit? Duo igitur vice remedij ante omnia constitui, fierique oporteret. Primum illud, vt compromissi & transactionis prius quam litis viam tentare litigatores iuberentur: quod constitutionibus Gallicis inter agnatos, cognatosque districte obseruari iussum, quid ni etiam inter cæteros æquissimum videri debeat, cum inter vniuersos homines natura suam constituerit cognationem, fides vero Christiana inter omnes Christianos multo maiorem? Deinde, vt quisquis litigandi votum gerere mallet, iniunctam sibi videret necessitatem de lite statim atque mota esset, non nisi tanquam de re omnium maxime seria & importuna cogitandi. Sic enim alterutrum euenire necesse esset, vt vel tardius rariusque litigandi consilium hoc metu susciperetur, vel suscepti tam mali, sed tamen aliquando necessarij consilij executio citius expediretur. Nulla siquidé lis tam longa esset, quam non tertio aut quarto ad summum, ne hyperboli videamur, sexto saltè mense finitam audiremus. Iudicum fere omnium error iste est, quod quasi misereantur litigatorum, quos litium odio terrere potius deberent, patiuntur fieri per plura, quod non quidé æque negligenter, sed tamen tanto melius & commodius, quanto diligentius posset fieri per pauciora. Crudelis ista misericordia est, quæ litigatoribus fauendo lites fouet. Nam quod de bello quidam olim dicebat, idipsum de lite quæ nihil nisi forense ac ciuile & domesticum bellum est, dici verissime potest, nullam esse iustam litem, nisi quæ sit necessaria. Quin tum etiam cum necessaria est, adhuc tamen iniusta fit, si non quam celerrime fieri potest conficiatur. Nec mihi vlla vnquam improbior vox visa est, quam quæ tabulis istis forensibus familiarior, litigando ius acquiri. Et tamen ita est. Plerique litigando ius acquirunt, qui non acquirerent si condemnati iam tum fuissent, vt oportebat cum nullo iure litigabant. Dilationibus, quas tam multas, tamque superuacuas litigatoribus passim dari moris est, acceptum hoc ferri totum debet, quarum spatia & interualla quo longiora sunt, eo magis negliguntur, nec prius curantur, quam temporis angustiæ premere incipiant, quæ proinde si premerent acrius, diligentiam quoque litigatorum citius excitarent. Hæc me nimirum cogitatio impulit, cum grauissimos plerosque viros hac de re alios aliter & sentire viderem, & scribere, vt quid mei quoque iudicij esset, exponerem. Concluси vero rem totam articulis quadraginta breuiter quidem, sed clare, ni fallor, ac distincte conceptis, & ad eum modum, qui mihi conuenientissimus visus est, nisi quod imperatiuis verbis totidem legum instar conscripti esse deberent, si ab eius ore ac imperio proficiscerentur, qui legis condendę potestatem haberet & auctoritatem. Ago nimirum legislatoris Consiliarium non legislatorem. Laudabit fortasse posteritas, & sequetur ea quæ temporum meorum incuria, ne dicam iniuria & infelicitas neglexerit. Iam ergo articulos istos subjiciamus.

SI QVID APVD TE POSSVM, QVISQVIS ES, O LEGISLATOR, qui lites execraris, & bono publico faues.

ARTICVLVS I.

NEMINI posthac licebit mouere litem, siue ab actione velit incipere, siue ab executione, quin ante omnia interpellauerit aduersarium de compromittendo in arbitros intra diem octauum proximum eligendos. In eamque rem nominabit ille vnum aut alterum, cuius arbitrio & pronunciationi, itemque illius, quem aduersarius eliget, omnimodo stari oporteat. Deque ea re conscribetur testatio per notarium, vt si aduersarius nolet compromittere, possit quandoque postea de eo constare iudici, qui eo facto, si pro actore iudicandum sibi videat, condemnare omnino debeat reum in omnes expensas litis, nulla ei relicta compensandarum aut remittendarum earum licentia, siue consanguinitatis & cognationis, siue difficultatis quæ in iure magna sit obtentus, siue alius color quilibet quæratur, alioqui possit ille conueniri, vt eos litis sumptus omnes de suo resarcire omnimodo teneatur. Quod si è contrario aduersus actorem pronunciandum sit, siue quod nullo

BIU Cujas

nullo iure egerit, siue quod reus iustas habuerit exceptiones, nullam tamen sumptuum condemnationem actor patiatur, sed hanc pœnam & iacturam ferat is, qui compromittere recusauit, nisi ex actis litis appareat, dolo malo actoris factum aliquid esse in re, quæ à die interpellationis & inchoatæ litis superuenerit: quo casu possit & debeat actor in sumptus litis perinde condemnari, ac si nulla interpellatio præcessisset. Quicquid autem illud sit, quod ad interpellationem reus respondeat, etiamsi compromittendi voluntatem & consensum præ se ferat, pro denegatione & recusatione habendum erit, si non effectu ipso declaret, paratum se esse compromittere, nominatis in eam rem ex sua parte arbitris intra diem octauum sibi præstitutum.

ART. II.

SI reus ad interpellationem respondeat paratum se compromittere in arbitros, nec tamen de arbitrorum personis, aut de tempore, vel loco, vel qua alia arbitrij circumstantia inuicem conuenire partes possint, iudex ordinarius adeundus erit, qui auditis partibus, & ab iis expositio breuiter & summarie, in quo & qua de causa dissentiant, decernat statim & de plano, sed ex scripto, ne dubitari de eo possit, & ita tamen, ne quam figuram eo nomine institui apud se patiatur, quid fieri æquum putet, si quis ex litigatoribus, aut non venerit ad iudicem in prima citatione, aut indicatam à iudice arbitrij viam tenere recusauerit, perinde habendus erit, quantum ad sumptuum litis condemnationem, siue vincere illum postea contingat, siue succumbere, ac si ab initio compromittere recusasset.

ART. III.

AC ne vana sint & elusoria eiusmodi arbitria, præcedere compromissum oportebit, & quidem tale, per quod pœna cum iuramento promittatur. Ita vt nec possit pœna minor esse quarta parte eius, quod intendet actor sibi dari, vel fieri, vel restitui debere, prout ipse in scriptura compromissi rem æstimauerit, quam æstimationem ea de causa compromisso inseri necesse erit. Quo casu neutri litigantium licebit aduersus arbitrium venire, siue per appellationem, siue per reductionem ad arbitrium boni viri, siue alia denique vlla ratione, dummodo constet latum esse arbitrium ex forma compromissi, siue arbitri iuris electi proponantur, siue arbitri arbitratores, & vt loquuntur, amicabiles compositores siue ex bono & æquo, siue inique ac iniuste pronunciauerint. Qui arbitrium impugnare volet, pœnam pendere ante omnia debebit diffinitiue, applicandam pro tertia parte Principi, pro tertia Hospitali, & pauperibus loci, in quo habebit domicilium is, qui cogetur soluere, & pro reliqua tertia collitigatori parato acquiescere pronunciationi. Vbi vero pœnam solutam in totum, dependamque fuisse apparebit ex legitimis probationum instrumentis, liberum erit ei, qui soluerit litem, & inchoare & prosequi sine metu vllius præscriptionis, sicut & sine spe vlla repetitionis pœnæ dependæ. Saluo tamen iure obtinendi expensas litis, si ex eius euentu appareat iustam illum habuisse causam litigandi & discedendi ab arbitrio, tanquam inique reddito. Nam si contra formam compromissi redditum probaretur, posset eo casu licitè pœna repeti, debebitque iudex id decernere, ita tamen, vt neque hoc, neque alio vllo prætextu possit solutioni pœnæ mora fieri, aut satisdatio peti de pœna in hunc quandoque casum restituenda.

ART. IV.

NVlla arbitrij spe relicta, siue quod nolit reus compromittere, siue quod non facile litigatores in personas arbitrorum aliasque arbitrij circumstantias velint consentire, siue denique quod alterutra pars detrectet arbitrio stare. Tum vero actori licebit offerre libellum iudici, ad quem cognitio pertinebit, si modo ad libellum adiungat acta oblati & recusati compromissi, aut sententiam, vt loquuntur, arbitramentalem, apochas & professiones solutæ pœnæ, & alia rerum gestarum instrumenta, de quibus supra dictum est, & quæ pro rerum & negotiorum diuersitate interuenisse contigerit.

ART. V.

LIbellum illum supplicem distinctum per articulos esse oportebit, & non, vt imperite Pragmatici quidam loquuntur, libellatum, sed articulatum per Causidicum & Aduocatum in eo tribunali cognitum & approbatum, vt contineat distincte ac minutatim media omnia, quæ extrema dicunt propositę actionis. De quorum fide ac veritate iurandum habebit actor aut per se, aut per instructum procuratorem, antequam libellus per iudicem admitti possit. Idque cum expressa in singulis articulis designatione, quo genere probationis velit ille intentionem suam probare, an per instrumenta, aut per testes, an per iusiurandum?

ART. VI.

SI per instrumenta quid probare actor volet, ea ipsa designare & exprimere iisdem articulis debebat cum die & Consule, eaque edere aduersario simul cum libello, & exemplum tam instrumentorum quam libelli & citationis dare in ipso actu citationis, vt instrui possit aduersarius, & in ius venire paratus instructusque quid ad libellum respondendum habeat: Quam in rem collatio fiet exempli cum authentica & originali scriptura per Grapharium aut alium Grapharij vices gerentem, qui literas citatorias subscriptione sua postea nec ante muniat, salua tamen ampliore & veriore collatione, si petat aduersarius eo tempore quo accipiet exemplum, nec ei, quàm à se factam Grapharius testatus est, stare velit.

ART. VII.

SIn tales erunt articuli, vt ea probare per instrumenta & scripturas vel non possit actor, vel non velit, sed per testes, idipsum quoque in articulis testari & declarare debebit, & eodem supplici libello petere licentiam impetrandi publicandique suo tempore monitorij, si eam probationis speciem sibi necessariam esse arbitretur.

ART. VIII.

SI denique nec instrumentis nec testibus intentionem suam probare possit aut velit, sed solo aduersarij sui iureiurando, æque idipsum eodem supplici libello exprimere illum oportebit, & iusiurandum exinde aduersario deferre, alioqui postea quandocunque deferens non audietur.

ART. IX.

ATque vt possit reus apud se suosque aduocatos certius deliberare, an contendere debeat, an

BIU Cujas

cedere, illud quoque ab actore faciendum erit, vt cum supplicem libellum iudici offeret, iungat libello responsum Aduocati sui, quo contineatur, præsuppositæ facti veritate, qualis expressa est in articulis, videri actorem bonam fouere causam. Additis etiam rationibus ex iure desumptis, quas ideo specialiter & distincte exprimi oportebit, eiusdemque Aduocati, qui libello subscripserit, aut etiam alterius dummodo similiter cogniti & approbati, fide ac subscriptione confirmari.

ART. X.

SI quid actor secus & minus, quam supra dictum est, fecerit, non tenebitur reus ad diem venire, nec eo magis poterit iudex aut debebit habere illum pro contumace, nec proinde in pœnam contumaciæ quicquam aduersus eum statuere, at neque actorem vllo modo ad agendum admittere, nisi edocto prius per actorem quod præscriptam formam in omnibus seruauerit. Maxime vero, quod reo etiam recusanti non tantum libelli & citationis, sed & instrumentorum omnium in libello narratorum exemplum reliquerit. In quo si quid vel minimum peccatum & omissum sit, noua citatione opus erit, ac si neque libelli, neque citationis exemplum datum fuisset.

ART. XI.

ET quia in iis litibus, quas ab executione incipere moris est, non idem seruari potest, quarum tamen cito expediendarum maior videtur subesse necessitas, quam cæterarum, necessaria erit in posterum acturo cuilibet oblatio libelli, ne quid ex supradictorum obseruatione remittatur, salua tamen licentia petendi per libellum vt executio permittatur. Quod vtique permittendum erit à iudice si competens ille sit, qui aditus fuerit, idque in casibus illis omnibus, in quibus hucusque receptum est, vt possit incipi ab executione, siue ex literis generalibus, quas de debitis, vel manus munitæ vocant, siue ex aliis præcisam coactionem imperantibus, nil obstante intercessione aut appellatione quacumque, & eius tamen iure saluo, sicut ante obseruabatur. Aut si malit actor literas illas de debitis, aut manus munitæ, aut alias huiusmodi præcisas impetrare, quæ à Graphario & actorum Magistro, nullo etiam libello aut iudicis decreto interueniente, concedi solent, & ab earum executione incipere, liberum quidem illi erit hoc facere, sed ita tamen, vt si qua intercessio vel appellatio emerget, cogendus sit offerre libellum, & omnia supra dicta obseruare, priusquam vllum ex eiusmodi executione fructum reportare possit aut admitti ad litem vlterius prosequendam, manente tamen Principis, &, vt aiunt, iustitiæ non actoris manu munita, quousque vel per aduersarij vocati comparitionem vel aliter constet iudici, rite satisfactum in omnibus per actorem. Quo demum tempore permittendum ei erit, vt fructum executionis pleniſſimum consequatur.

ART. XII.

EXcipiendæ tamen sunt executiones, quas fieri necesse erit pro debitis aut fiscalibus, aut alia de causa ad Principis vel etiam Reipublic. vtilitatem pertinentibus, in quibus nihil innouandum erit, sed obseruanda ea omnia, quæ edictis, statutis, & Senatusconsultis in eam rem factis continentur.

ART. XIII.

POstquam actor supradictis omnibus satisfecerit, de quo docere debebit per productionem à se faciendam in manibus Grapharij in actu ipso præsentationis, tenebitur similiter reus comparendo ad dictam diem aut saltem intra tempora constituta respondere ad omnia contenta in libello cum iuramento per eum præstando personaliter aut per procuratorem instructum distincte, articulatim, & cathegorice per confessionem aut negationem simplicem & absolutam, ita vt non liceat ei libellum negare in solle & confuse. Nec si omnia prorsus in eo contenta negare vellet, & addere quod plerique addunt, *per singulos articulos*. Sed omnino teneatur responsionem suam siue confessoriam, siue negatoriam inserere ad pedem, vt loquuntur, cuiusque articuli, non etiam per scripturam separatam: neque rursus admittantur posthac responsiones, quales in hunc vsque diem frequentatas vidimus, *Refert se ad ea, quæ ex parte sua, Aliàs negat*: aut *Confitetur non ad fines prætensos*, aut etiam, *negat ad fines prætensos*. Omnes enim huiusmodi prætensiones reiiciendæ sunt tanquam captiosæ, sicut & eæ, per quas is, qui respondet, refert se ad instrumenta per aduersarium producta, sed cum hac conditione, si de iis debite appareat & citra approbationem: denique omnes, quæ nec confessionem nec negationem simplicem, absolutam, & cathegoricam continebunt, præterquam si quod deductum erit in articulum, tale sit, vt ab aduersario ignorari probabiliter possit. Quo casu sufficiet, vt qui respondet, iuret à se ignorari, & tanquam ignoratum neget, nisi is, qui articulos conscripsit, instrumenta etiam ediderit, per quæ idipsum probare intendat. Tunc enim similiter confitendum id erit, aut negandum absolute & cathegorice.

ART. XIV.

SEd & tenebitur reus in actu ipso suæ comparitionis, & vt loquuntur, præsentationis obiicere quicquid obiiciendum habebit aduersus instrumenta deducta productaq; per libellum actoris & quorum exemplum iam habuerit in ipsa citatione, nec ei vlla etiam petenti danda erit in hanc rem dilatio, ideoque ne quid præcipitanter fiat non pauciores quam octo dies inter citationem & comparitionem intercedere oportebit. Alioqui dies quasi per præcipitationem dicta negligi impune poterit, non minus quam si in crastinum diem ad comparendum in alio loco dicta esset, neque iudici licebit aliquam eiusmodi citationis rationem habere, sicuti nec ab ea prouocare necesse habebit reus: excipiuntur tamen eæ citationes, quas ex communi vtriusque partis consensu & breuiorem diem ex compacto factas esse apparebit ex ipso citationis instrumento, quo hoc ipsum exprimendum erit, si quando accidat, sub pœna falsi contra executorem, si secus faxit, declaranda.

ART. XV.

SI tamen reus non tam cito de iuribus suis instrui possit, vt ad dictam diem habeat in promptu, quod aduersus actoris instrumenta obiiciat, aut quod ad singulos libelli ab aduersario dati articulos distincte, cathegorice & articulatim respondeat, non erit cogendus vt ad dictam diem compareat, aut intra sequens triduum, sed satisfeciſſe videbitur, si intra proximos alios octo dies paruerit, ita vt interim pro contumace neque haberi possit, neque condemnari. Habebit igitur liberos & integros quindeciem dies ad compa-

BIU Cujas

comparendum, vt interim ac toto illo medio tempore possit de iure suo deliberare, instrumenta superquirere, denique Aduocatos consulere. Quibus elapsis diebus quindecim, si non compareat, tum demum contumacia eius notabitur, & post triduum proximum à Grapharío publicabitur, vt subinde contra eum obseruentur cætera omnia, quæ aduersus contumaces obseruari solent.

ART. XVI.

QVod si reus adsit quidem ad dictam diem aut intra ea tempora, quorum obseruatio contumaciam impediat, sed tamen alleget iuretque non habere se ea instrumenta, quibus causam suam iuuari posse credat, nec dolo desiisse habere, nec facilem esse sibi habendorum eorum facultatem, siue quod subtracta ea fuerint & deperdita, siue ita occultata, vt sine monitorij publicatione recuperari nequeant, siue quod eorum perquisitio extra prouinciam facienda sit, licebit iudici competentem aliquam dilationem, si petatur, dare, æstimata locorum, in quibus instrumenta esse dicentur, distantia aliisque facti circumstantiis pro personarum, rerum ac temporum varietate, sed ita tamen, vt aliam dilationem siue ex eadem, siue ex qua alia causa iterum petendi, aut si petatur indulgendi facultas nulla supersit, saluo tamen beneficio restitutionis in integrum per literas Cancellariæ implorando, si qua Cancellario vel sigillorum magistro iusta causa esse videbitur propter quam debeat concedi.

ART. XVII.

ILlud quoque faciendum reus habebit, vt posteaquam ad actoris libellum responderit, & instrumenta per eum producta impugnauerit, alleget quæcumque in contrarium pro se facere existimabit, omnesque suas exceptiones quascumque habet, declinatorias, dilatorias, & peremptorias congerat & opponat, sed distincte quoque & articulatim, & minutatim, nec satis sibi esse putet contestationem facere generalem, qualis fieri solet oppositis in globo & in genere vulgaribus exceptionibus iuris carentiæ, vt loquuntur, incompetentiæ actionis, Male agis, tua non interest, & aliis huiusmodi. Talibus enim exceptionibus non nisi generaliter oppositis, nullam earum rationem habere iudex debebit. At neque illarum, quæ in specie ac nominatim oppositæ fuerint, puta præscriptionis, discussionis & similium, siue dilatoriæ, siue declinatoriæ, siue denique peremptoriæ proponantur, si non earum quoque media & extrema eodem actu contestationis specifice deducta sint, & per articulos, cum designatione & productione instrumentorum, quibus intentionem suam tueri easque exceptiones probare reus volet, idque per scripturas ab Aduocato dictatas & subscriptas, interueniente etiam producentis rei iureiurando. Itemque declaratione specifica per singulos articulos quid, quo probationis genere probaturus sit, an per instrumenta, an per testes, an per ipsius actoris iusiurandum.

ART. XVIII.

DEbebit etiam reus eodem ipso die actuque suæ comparitionis exhibere consultationem responsumque Aduocati sui cum eius subscriptione, quo responso continebitur, præsuppositæ facti veritate, qualis responsionibus & positionibus rei continetur, iustam à reo foueri causam iustasque esse exceptiones ab eo allegatas, idque rationibus ex iure sumptis & eo responso amplissime declaratis, quomodo fieri solet per iuris, vt vocant, informationes.

ART. XIX.

ELusque responsi exemplum dandum erit actori à reo, itemque iurium à reo productorum, quomodo ex parte actoris fieri & obseruari debere supra diximus. Itaque facienda erit collatio eius exempli cum authenticis instrumentis præsente actore aut ipsius procuratore per Grapharium, ad cuius officium pertinebit, vt in acta & testationem referat, ita rem gestam esse, vt de eo constare possit tam ex actu comparitionis, quam ex ipsius exempli subnotatione.

ART. XX.

HÆc vbi reus impleuerit, actoris partes erunt, vt nulla expectata iudicis interlocutione adstringat se apud acta ad respondendum & defendendum allegationibus & exceptionibus rei omnibus, itemque ad quicquid voluerit ex Aduocati sui consilio addendum prioribus articulis & positionibus in libello contentis omnia distincte, minutatim, & cum iuramento per se aut per procuratorem specialiter instructum, ne quis facto procuratoris per in integrum restitutionem improbando locus relinquatur, idque intra decimumquintum diem proximum præcise ac sine spe alterius dilationis, nisi beneficio Principis per literas Cancellariæ in eam rem concedendas, si qua iusta restitutionis causa subesse videatur, quemadmodum circa personam rei supra dictum est.

ART. XXI.

IIsdem penitus obseruandis quantum ad additiones, quæ obseruanda diximus circa primos articulos in libello comprehensos, in eo præsertim, quod dictum est de facienda per eum declaratione, quos articulos velit probare per testes, quosnam per instrumenta, quos denique per aduersarij iusiurandum, itemque de designandis & edendis cum die & Consule, instrumentis, quibus volet ille niti pro articulorum probatione in additionibus contentorum.

ART. XXII.

SImiliter facta reo copia tam scripturarum, quæ additiones actoris continebunt, quam instrumentorum in ijs designatorum, tenebitur ille ex Aduocati sui consilio additionum articulis respondere articulatim, distincte, ac adhibito iureiurando, per se aut per procuratorem instructum, eademque manu additiones quoque suas proferre cum eadem obseruatione, quam in persona actoris necessariam diximus, intra similem dilationem præcisam & peremptoriam dierum quindecim, sub eadem tamen exceptione, si non iusta aliqua causa sit, propter quam beneficio restitutionis in integrum aliam ei dilationem dari ex principali rescripto, non aliter, oporteat.

ART. XXIII.

NEque vero necesse erit in posterum comminationem aut declarationem vllam præcedere, quæ satisfaciendi viam præcludat ei ex litigatoribus, qui ex parte sua non satisfecerit intra tempora præstituta, sed habendi erunt articuli, qui secus ac supradictum est propositi fuerint, pro reiectis, qui vero non

BIU Cujas

eo, quo dictum est, modo contestati fuerint pro confessis, instrumenta etiam, quæ suo tempore non fuerint iuxta præscriptam formam impugnata, pro bonis & authenticis. E contrario autem ea, quæ non fuerint designata per diem & Consulem, nec producta, aut quorum exemplum nullum aduersario datum probabitur, pro nullis & reiectis, ita vt nullam prorsus eorum rationem habere iudex debeat in iudicando, non magis quam si super vnoquoque istorum specialiter facta esset interlocutio, quæ transiisset in rem iudicatam.

ART. XXIV.

PORro non nisi semel additiones fient, præterquam si in rei additionibus aliquid esset, quod actori materiam & occasionem secundarum daret. Ac similiter in secundis additionibus actoris aliquid, quod à reo vicissim secundas extorquere deberet, eadem tamen forma in posterioribus additionibus seruanda, quæ in prioribus, hoc etiam districte obseruando, ne qua ex causa vel ex prætextu quolibet, liceat sæpius quam bis additiones dare, aut quartas scripturas edere, antequam admissi sint articuli ad probandum, ne quidem beneficio Principis & restitutionis in integrum in eam rem implorato.

ART. XXV.

LApsis quindecim illis diebus, intra quos respondendum fuerit vltimis additionibus, siue satisfactum fuerit, siue non, illud districte obseruari oportebit, vt ante omnia litigatores in eum locum veniant, vbi solent summarie per procuratores expediri ea, quæ ad litium instructionem pertinent, (*par quetum* nostri vulgo vocant) ibique conueniant intra triduum præcise proximum per se aut per procuratorem instructum de veritate articulorum hinc inde contestatorum & negatorum, quorum probabilem ignorantiam neuter litigantium possit obtendere, vt si quid antea per errorem non etiam dolo malo negatum fuerit, quod fateri oportuerat, locus sit pœnitentiæ in id vsque tempus. Fiet autem conuentio sub pœna quinquaginta librarum fisco applicanda, itemque calumniæ contra eum ex litigatoribus, qui per calumniam & dolo malo quid affirmasse vel negasse comperietur, ita vt nullum eiusmodi pœnæ per iudicem dissimulandæ aut moderandæ arbitrium, aut aduersario, aut ipsi etiam iudici supersit, sed omnimodo infligi eam & irrogari necesse sit per sententiam quandocumque secuturam, alioquin si hoc à iudice siue consulto, siue per imprudentiam omissum sit, sententia ipso iure sit nulla, & eo nullitatis genere, quod præcipuo quodam iure faciat, vt neque ab ea necesse sit appellare. Nec eo minus tamen poterit, imo debebit iudex grauiorem mulctam calumniatori dicere, si calumniæ grauitas & personatum qualitas, aliæque facti circumstantiæ ita exigere videantur.

ART. XXVI.

QVod si negatiua sit conuentio perseuerante vtroque litigatore in eo, quod antea vel affirmauerat vel negauerat, & nihilominus pars alterutra contendat posse litem in eo statu terminari siue ex scripto, siue causa in auditorio perorata, idque sub pœna decem librarum & sumptuum pro interlocutione faciendorum, tenebitur pars aduersa consentire, vt vel ad causam primo quoque die in auditorio perorandam, vel ad litis acta ex scripto intra proximum præcise triduum exhibenda partes remittantur, ac si nulla inter litigatores facti quæstio superesset, vt intra subsequens triduum possit iudex ius reddere siue interloquendo, siue definiendo negotium, prout ex statu litis faciendum esse arbitratur. Neque vero in posterum dabitur à iudice vlla dilatio, nec si procuratores consentiant, nisi ipsorum quoque litigatorum consensus accedat ad corrigendas actiones, salua Aduocatis licentia corrigendi scripturas, &, vt loquuntur, registrum audientiarij, si quid ille minus diligenter aut fideliter exceperit, nisi malint litigatores integras plenasque actiones ab Aduocatis suis dictari subscribique. Quod vtique liberum iis esse debebit, dum intra triduum supradictum fiat, intra quod acta litis iudici edenda esse diximus, & ita, vt non possit hoc prætextu longior fieri mora iudicato, nec replicationes vllæ adferri, nisi quas proferre litigatores possint intra proximum aliud triduum, vt proinde sex aut ad summum septem diebus totum corrigendarum actionum spatium omnimodo concludatur, in eamque rem permittendum erit litigatoribus eorumque procuratoribus, vt mutuas correctiones videant in manibus Grapharij, earumque exempla, si velint, à Graphario accipiant, originalibus scripturis penes Grapharium perpetuo remanentibus. Nec vlla longiore dilatione ad respondendum aut replicandum vel petenda vel indulgenda, si non vt iam dictum est, litigatorum non modo procuratores, sed etiam personæ ipsæ consentiant.

ART. XXVII.

SIn è contrario litigatores consentiant eum esse litis statum, vt propter negatiuam illam, de qua diximus, conuentionem, quomodo loquuntur, iudicari res non possit ante, quam auditi sint testes super articulis negatis, extrahendi erunt intra triduum articuli, super quibus testes audiri oporteat. Ita tamen, vt coniungantur omnes articuli, qui ad eiusdem facti substantiam pertinere videbuntur, nec nisi pro vno computentur.

ART. XXVIII.

QVod si duo tantum aut ad summum tres articuli fuerint, super quibus testes interrogandi sint, vno scilicet pro iis omnibus, qui simul iungendi erunt, vt diximus, computato, curare debebit is, qui testibus vti volet, vt eos producat & exhibeat iudici, summarie nimirum interrogandos & audiendos intra eam ipsam diem & horam quam iudex præscripserit, & quam intra proximum diem octauum præscribere iudex debebat: ad quam diem & horam nulla alia admonitione præcedente, nisi quæ fiat per decretum iudicis procuratori significatum, tenebitur pars adesse ad videndum iurare testes, eosque reprobandum vel à vestigio si possit, vel saltem intra tres dies proximos, quibus præteritis, non liceat amplius eos reprobare, nisi eo reprobationis genere, quod probari statim possit per instrumenta vel per acta iudicialia, puta per sententiam contra aliquem ex testibus latam, quæ irroget notam infamiæ.

ART. XXIX.

SI ad dictam diem & horam aduersarius non aderit, hoc ipso quasi ex peremptorio edicto citatus pro contumace habebitur, & consequenter pro præsente, vt quam-

BIU Cujas

vt quamuis reuera sit absens, nihilominus possint testes interrogari, eorumque dicta in testationem scriptumque redigi ex fide, & vt fieri oportet.

ART. XXX.

SEd & inferioribus iudicibus licebit audire testes pro tribunali & in ipso auditorio, si de re leuiori agatur, quæ minori solemnitate expediri posse credatur, aut si malint, poterunt idipsum facere in priuatis ædibus, sed ita tamen vt eo ipso die, qui dictus fuit, audiantur, nec in crastinum diem remittantur, vt neque is, qui testes producit, oneretur superuacuis sumptibus. neque testes ipsi vllo incommodo afficiantur, vtique subornationi & corruptioni, quæ interim fieri posset, via omnis præcludatur.

ART. XXXI.

AT si testes non ita commode in ius venire possint siue propter locorum distantiam, siue quod valetudine impediantur, siue denique quod tam multi sint probandi articuli, vt tam summarie audiri eos non expediat, deputandus erit vel grapharius, vel actuarius, vel alius in eam rem aut à iudice, aut à litigatoribus ipsis nominandus, qui eos in loco illo, qui commodior videbitur audiat, nisi aliqua ex causa iudex eam sibi prouinciam reseruandam putet. Is porro ad quem probandi onus spectabit, testationes clausas & commissarij, vt vocant sigillo munitas proferre omnimodo cogetur intra diem quintum decimum præcise ac peremptorie, præterquam si distantia locorum faceret, vt longior dilatio arbitrio iudicis danda videretur, nulla alioqui in posterum danda dilationis prorogatione, sed tantum licentia futura ei, qui non satisfecit, vt probet dilationis tempora frustra elapsa esse facto & tergiuersatione aduersarij, aut inopinato aliquo casu digno, cuius ratio habeatur: quibus tantum casibus perinde habebitur, ac si dilationis tempora nondum effluxissent. Cæterum post effluxa dilationis tempora vtrique parti communia, neutri postea licebit auditionem testium vrgere, nisi beneficio rescripti principalis, cui locus esse poterit ad prorogandam dilationem, sed semel tantum, & ita demum si iusta aliqua & magna interueniat causa, quæ id suadeat, & de qua in promptu constet idonee non aliter.

ART. XXXII.

ERunt autem dicta testium excipienda & scribenda separatim, præsente & adsistente illo, quem *Adiunctum* appellamus, nominato, exhibito & acceptato: aut si hoc fieri nequeat, per iudicem ipsum statim & eadem ipsa hora nominando ex officio, ita vt nulla ex eo testationibus conscribendis mora fiat. Hoc etiam omnino & præcipue obseruando, vt ei contra quem productio testium facta erit non liceat adire testes, eosque siue per interpositam personam alloqui, aut aliter directo vel indirecto cum iis quicquam tractare, ex quo producti & nominati fuerint in id vsque tempus quo interrogati sint & auditi, alioqui omnimodo causa cadat is, qui cum nominatis & productis ab aduersario testibus vel minimum colloquj aut negotiationis commercium habuisse probabitur.

ART. XXXIII.

NOn admittentur nullitates contra testationes, nisi quarum probatio integra colligi possit ex sola inspectione actorum, idque intra octo dies proximos ab eo die numerandos, quos testationes productæ fuerint, de quarum nullitate tractabitur. Ideoque nec vlla in posterum danda erit dilatio ad nullitates obiiciendas, aut ad reprobandos testes, sed ipso iure præclusa erit litigatoribus via, nisi intra tempus supra præstitum satisfecerit, & perinde lis habebitur, ac si conclusum esset in causa, ex quo tempore octauus ille dies præterierit, intra quem diximus allegari debuisse nullitates. Tametsi de eo iudex interlocutus proponatur. Proinde licebit ei ex litigatoribus, qui fuerit diligentior, litis acta & instrumenta sua penes Graphariam producere ex inuentario, vt loquuntur, ratiocinato, cum eo tamen vt à se factam productionem curet intimari procuratori aduersarij, vt vicissim ille ex parte sua producat si sua interesse arbitretur, & quidem intra triduum proximum præcise, quo elapso necessitas incumbet iudici ferendæ sententiæ super actis ab altera tantum parte productis, nulla vel interlocutione, quæ producendi facultatem præcludat, aut præclusam declaret, vel libelli oblatione in eam rem expectanda. Nam neque dilatio vlla in posterum danda erit, quæ dari solebat antea ad producendum, impugnandum & saluandum.

ART. XXXIV.

POterunt tamen litigatores hinc inde scribere, quicquid videbitur intra illud ipsum octiduum, quod supra diximus præstitutum esse ad opponendas testationum nullitates, eoque casu mutuam scripturarum editionem sibi inuicem facere litigatores debebunt, vt ad eas vicissim quoque possint respondere, dum id fiat intra sequentem octauum diem præcise ac peremptorie, nisi quod si præterea velint informationes iuris conscribere ad partem, vt aiunt, id vtique licebit eis, citra litis tamen decidendæ retardationem.

ART. XXXV.

AC quia quotidiano vsu rerum forensium compertum est, nihil esse periculosius, quam si litium euentus testium fidei, aut potius perfidiæ committatur, obseruandum erit, ne per testes probari possint ea, quæ siue à litigatoribus ipsis, siue ab eorum auctoribus posthac dicta factaque allegabuntur, siue conuentiones sint, siue interpellationes, aut quid aliud huius generis, sed erunt ista omnia probanda omnimodo per scripturam, & per acta, quantacunque aut quantulacunque sit ea summa, de qua tractabitur, nisi de re ageretur gesta eo loco vel tempore, vt instrumentum de ea scribi nullum potuisset.

ART. XXXVI.

PRoductis ad iudicandum actis litis, &, vt loquuntur, distributis, tenebuntur iudices inferiores sententiam ferre ac pronunciare intra sequentem diem octauum, siue diffinitiua illa sit, siue interlocutoria, prout religio iudicantis & litis status dictauerit. Curare tamen debebunt quantum fieri poterit, ac nisi rei subiectæ materia repugnabit, vt diffinitiuam potius quam interlocutoriam ferant, saltem subiecta illa clausula, *alio non apparente*, & in summa abstineant ab interlocutionibus, quantum per conscientiam & æquitatem licebit.

ART. XXXVII.

SEntentia vbi erit pronunciata, si non sit ab ea prouocatum, mandari debebit executioni intra quindecim dies ab eo tempore numerandos, quo transie-

BIU Cujas

rit in rem iudicatam, si victor vrgeat, nisi quis tertius velit intercedere, quo casu tenebitur ille docere in promptu de suo iure ac titulo, ex quo possidet suæque intercessionis media & rationes proponere distincte, minutatim, & ex consilio Aduocati intra sequens triduum, vt intra proximum octauum diem possint litigatores remitti ad causam in publico auditorio perorandam, atque ita lis noua, cui ea intercessio causam dederit vel finiatur statim, vel per iudicis interlocutionem in eum statum disponatur, qui negotio magis conuenire videbitur, si reus per suam siue tergiuersationem, siue negligentiam differat cognitionem, statim mandabitur executioni sententia in eius præiudicium. Saluo tamen ei iure prospiciendi sibi per actionem, quando & prout æquius melius arbitrabitur. Si vero appellatum sit à sententia, debebit appellans introducere appellationem, eamque aduersario intimare intra quindecim dies proximos, à die interpositæ appellationis computandos, si ad alium superiorem iudicem quam ad Senatum aut Rationalium Curiam appellatio deuoluatur, alioqui si Senatus appellatus sit aut Curia Rationalium, fiet ea introductio & intimatio intra mensem, quo elapso si id factum non sit, pronunciabitur appellatio deserta, nec aduersus eam desertionem dari poterit restitutio in integrum, ne quidem ex rescripto Principis, non magis quam si iam citatus esset ad litem de desertione tractandam. Præterquam si per scripturam constaret de tractatu habito ad transigendum durante illo tempore, quo potuit introduci appellatio, dummodo per eam scripturam conuenerit expressim, ne tempora introducendæ & prosequendę appellationis interim currant, alioqui solus transactionis tractatus etiam per scripturam probatus impedire non possit, ne appellatio deserta pronuncietur.

ART. XXXVIII.

IN appellatione introducenda debebit appellans per libellum ipsum appellatorium omnes, quas se habere iustas putat appellandi causas, quæ vulgo grauamina vocant, exponere clare, distincte, ac minutatim, itemque si quos nouos articulos proponendos habeat, eos proponere, deque ipsorum veritate iurare apud iudicem per se aut per instructum procuratorem, qui pro eo libellum offeret: ideoque nec ab alio, quam à Doctore & Aduocato dictari subscribique poterit libellus appellatorius, vt præterea possit continere rationes omnes iuris, quibus velit appellans suam appellationem instruere & iudicatum impugnare, alioqui neque libellus appellatorius, neque appellatio ipsa vllo modo admittatur.

Quod si is, contra quem appellatum est, literas anticipatorias impetret, vt appellationi nondum introductæ obuiam eat, tenebitur appellans, cum ad diem sibi dictam in ius veniet, eo ipso die & actu comparitionis causas suæ appellationis reddere ex consilio Aduocati, scripturasque ab Aduocato dictatas & subscriptas ab eo ipso die edere, omnia denique illa facere, quæ proxime diximus per libellum appellatorium fieri oportere, ne alioqui nullus ei ad prosequendam appellationem locus relinquatur.

ART. XXXIX.

POst quam vero appellans ex parte sua satisfecerit, debebit appellatus ad causas appellationis & ad articulos appellantis similiter cum iuramento & respondere, & si quid ille vicissim proponendum habeat proponere intra proximos octo dies, & intra proximos octo alios dies replicabit appellans, si quid habeat replicandum, duplicabit vero appellatus, si hoc quoque necessarium arbitretur intra alios octo dies præcise ac peremptorie, quibus elapsis, nulla omnino litigatoribus scribendi amplius aut litis appellatoriæ quaqua ratione in longius tempus protrahendæ ratio supersit, sed lis concluta, & in eo statu iudicanda sit per iudicem appellationis. Eodem prorsus modo, quem supra diximus obseruandum esse in causis primarum instantiarum decidendis: Poterunt tamen litigatores per Aduocatos suos iuris informationes scribere si velint, sed ita, ne qua eo prætextu terminandæ liti appellatoriæ mora fiat.

ART. XL.

QVemadmodum, etsi quos articulos nouos in causa appellationis deductos esse contingeret, eadem omnia de iis contestandis & probandis seruanda erunt, quæ nos in superioribus obseruanda diximus circa articulos in prima instantia deductos, itemque si qua noua instrumenta in causa appellationis prolata sint, quæ non fuerant producta in prima instantia.

In reliquis omnibus, siue ad primam, siue ad secundam, siue ad tertiam instantiam pertinentibus, seruabuntur districte & ad vnguem ea omnia, quæ tam vetere quam nouo Senatus nostri stylo prudentissime sanctissimeque sunt constituta.

TIT. XXIV.

DE CALVMNIATOR.

DEFINITIO I.

Is, qui per calumniam suam coniecit alium in manifestum vitæ periculum, capitali supplicio dignus est, nisi spontanea calumniæ confessio mitiorem pœnam suadeat.

ITIVS reum perduellionis, [1] detulerat Mæuium, & fecerat vt quæstioni Mæuius in innocentiæ suæ defensione constantissime perstitisset, Titius conscientia motus palam & in iudicio professus fuerat, institutam falso & per calumniam à se accusationem: hoc tamen addito, quod ab inimicis Mæuij persuasus fuisset, vt Mæuium accusaret. Et ob eam causam quæstioni quoque addictus ipse propter mendacium [3] in eo ipso perseuerauerat vt calumniatorem se fateretur. [4] Iussus ante habitam quæstionem eos prodere, per quos probaret quando & à quibus ad calumniandum impulsus esset, [5] dixerat nullam probandi rationem superesse, propterea quod ij omnes, per quos id antea probari potuisset, bello perierant, quærebatur, qua pœna puniendus esset propter calumniam? Constabat enim pœnam esse extraordinariam pro admissi, vt lex ait, qualitate. [6] Atqui admissum hic tale erat, propter quod non solum quæstioni deditus fuerat Mæuius, sed etiam capitalis supplicij perpetuæque nominis infamiæ periculo expositus, [7] si quid forte ab eo contra veritatem vis tormentorum expressisset, vt sunt plerique in tormentis impatientissimi. [8] Quamobrem in ea plerique erant opinione vt calumniatorem hunc pœna capitis afficiendum esse dicerent: [9] nam & falsum testem in causa criminali, ex qua sequi possit mortis condemnatio, morte quoque mulctan-

BIU Cujas

mulctandum esse placuit, [10] vt affectus puniatur, quomodo in grauioribus huiusmodi causis solet obseruari, licet non sequatur effectus. [11] Alij mitius agendum putabant, non solum quod ipse quoque tormenta propter variationem perpessus fuisset, sed etiam quod propriam calumniam vltro detexisset, ac ingenue professus esset. Est namque & in delictis ad pœnam leuandam erranti medicina confessio: [12] item, quod constaret exustum oppidum, belloque peremptos fere omnes oppidanos, à quibus ille impulsionis & sollicitationis probationes depromere poterat. [13] Itaque magis placebat condemnandum eum ad perpetuas triremes. [14] Vicissetque proculdubio hæc sententia, nisi corporis infirmitas triremium, adeoque fustium condemnationi obstitisset. Ergo visum est sufficere irrogandæ per publicam palinodiam infamiæ condemnationem, reste etiam collo inducta, vt capitalis supplicij metu calumniatores cæteri in posterum ab eiusmodi flagitiis deterrerentur. *Ita Senatus* 3. Calend. Maij 1591.

1 Id est, criminis læsæ maiestatis, & quidem omnium atrocissimi. Perduellio enim ille tantum est, qui in Principem aut rempublicam hostili animo affectus & animatus est, *l. vlt. D. ad leg. Iul. maiest.*

2 Nam in hoc potissimum crimine propter eius atrocitatem facile reus subiicitur torturæ etiam ex leuioribus indiciis & sine vlla exceptione aut distinctione personarum, *l. nullus 4. Cod. ad leg. Iul. maiest. l. famosi 7. D. eod.* Dixi *ad ill. tit. supr.*

3 Est enim mendacium sufficiens indicium ad torturam, considerata saltem qualitate personæ & rei, super qua est mendacium, maxime cum mendacium est circa substantialia negotij, vt in proposito Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 21. num. 39.*

4 Vt proinde dubitari amplius non possit, quin calumniæ confessio, quam prius fecerat, vera esset, secundum ea quæ scripsimus *Defin. 22. 5. tit. prox. præced.*

5 Vt si fieri posset haberetur probatio veritatis aliter, quam per torturam, quod curare semper debet iudex quantum potest, cum nunquam deueniendum sit ad torturam, nisi in subsidium & omnibus aliis probationibus deficientibus. Clar. *in pract. crim. q. 64. nu. 5.* Idque non solum odio torturæ quæ affligit corpus priusquam constet de veritate accusationis, non minus quam si imponeretur pro finali pœna delicti, quomodo imponitur aliquando. Idem Clar. *q. 70. n. 3.* Sed etiam fauore probationum, quia probatio, quæ fit per torturam, semper est suspecta, interest autem reipublicæ probationes criminum esse quam minimum fieri potest suspectas, sed certas & indubitatas, *l. vlt. C. de probat.*

6 *L. 1. §. 1. l. 3. D. ad SC. Turp.* Sublata scilicet hodie pœna talionis, quæ olim fuit in vsu contra calumniatores in accusationibus publicorum iudiciorum, *l. non prius 7. l. vlt. C. hoc tit. l. vlt. C. de accusat.*

7 Pati enim debuisset pœnas positas *in l. quisquis 5. C. ad leg. Iul. maiest.*

8 *l. 1. §. quæstioni 23. D. de quæst.*

9 *Ex not.* per Iul. Clar. circa pœnam talionis *in pract. crim. q. 81. ad fin.* post Bald. *ad l. 2. C. de his qui latron.*

10 Guid. Pap. post alios *q. 44.*

11 *Ex l. si quis non dicam rapere 4. C. de epis. & cler. d. l. quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiest.* quod tamen intellige secundum Iulium Clar. *in pract. crimin. quæst. 92. numer. 1. 2. & 3.* si lex puniat expressim conatum, alioqui mitius & tutius est, vt solus effectus puniatur pœna ordinaria, nisi inspecta facti & personarum qualitate iudex malit arbitrari contrarium. Esse enim hoc arbitrarium tandem concludit Clar. supradicto loco, addens, nunquam tamen posse puniri conatum solum, nisi deuentum sit ad actum proximum Guid. Pap. *dict. quæst. 44.*

12 *Arg. l. vnic. C. de his qui se defer.* Iul. Clar. *in pract. crimin. qu. 60. num. 34.* vbi tamen addit hoc non obseruari à iudicibus. Vidi tamen ego semper obseruari à Senatu nostro, præsertim quoties non aliæ sunt saltem plenæ probationes criminis, nisi ex sola rei confessione: quia huiusmodi probatio à Pragmaticis nostris dicitur priuilegiata. Adde eundem Iul. Clar. *quæst. 82. statuto 9. num. 5.* vbi ait, videri sponte confessum etiam illum, qui prius negauit, si modo postea vltro confiteatur. Quamquam in proposito calumniator, etsi aliud dicit nunc, quam quod prius dixerat, tamen quantum ad calumniam quam nunc vltro fatetur, numquam videri potest eam negasse.

13 Mortuis porro testibus probationem, quæ non nisi per eos fieri poterat, intercidere necesse est, *l. in lege 40. D. ad legem Aquil.*

14 Vt in exemplo illo de quo Iul. Clar. *d. qu. 81. in fin.*

15 *d. l. vlt. C. hoc tit. l. si cui 7. D. de accusat. l. vlt. C. eod.*

TIT. XXV.

DE POENIS.

DEFINITIO I.

Potest Princeps gratiam facere criminis & pœnæ corporalis, etiam quæ irrogata sit in vicem & locum Pœnæ pecuniariæ, tametsi pars contradicat.

OB crimen condemnatus ad mulctam pecuniariam, comminatione adiecta, vt ni intra certum tempus illam accusatori penderet, ad triremes ducendus esset, [1] cum præ nimia egestate, de qua constabat, iudicato satisfacere non potuisset, gratiam triremium à principe impetrauerat. Placuit non posse accusatorem prætextu non solutæ pœnæ intercedere, quo minus principali beneficio condemnatus frueretur. [2] Hoc enim demum casu verum est quod olim Papinianus dicebat, non irrogatæ pœnæ indignationem solam duritiam continere, nec quicquam eius interesse, qui vindictam persequitur, cum ex contrario affici hominem beneficio interfit hominis, maxime Christiani. [3] Interfuit quidem ab initio accusatoris propter irrogatam mulctam pecuniariam. [4] Sed post factam commutationem pœnæ pecuniariæ in capitalem, desiit eius interesse, [5] aut saltem admittendum illud est, exigendæ capitalis pœnæ ius accusatori & Principi factum esse commune: [6] quo admisso illud quoque fit consequens, non posse Principem ex accusatoris persona prohiberi, quo minus capitalem si velit pœnam remittat, [7] cum & indiuidua pœna sit, [8] & publica criminis vindicta ad solius Principis, non etiam ad accusatoris ius pertineat. [9] *Ita Senatus* 14. Cal. Septembr. 1588.

1 Sic enim plerumque fit, vt qui non habet in ære, debeat luere in corpore, *vulg. l. vlt. vbi not. D. de in ius vocand. l. si quis iniuriam 35. D. de iniur. l. 1. §. vlt. D. hoc tit.*

2 Damni enim pecuniarij causa libertatem hominis intercidere sane minus durum esset, *arg. l. cum pater 77. §. cum euidentissimæ de leg. 2.*

3 *l. si venditor 6. §. 1. D. de seru. export.*

4 Si quidem ei qui iniuriam passus fuit, prius satisfieri oportuit. Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 80. num. 7. & quæst. 62. num. 5.*

5 Quia capitalis aut alterius cuiuslibet corporalis pœnæ persecutio ad vindictam publicam pertinet non ad priuatam, & ad rigorem publicæ disciplinæ non ad priuatam accusatoris vtilitatem, vt loquitur Paulus *in l. locatio 9. §. quod illicite. D. de public. & vectigal. d. l. si venditor. §. 1. D. de seru. export.*

6 Cum antea esset solius Principis aut fisci, eius aduocatus ideo dicitur publicus accusator, *l. post legatum 5. §. Aduocatum fisci, D. de his quæ vt indign.*

7 Cum Princeps sit dominus corporum & vitæ subditorum, *l. 1. & tot. tit. C. de sens. pass. & restit.* Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 59.*

8 In indiuiduis vero potior est causa Principis adeoque fisci quam alterius cuiuslibet condiuisoris, *l. 2. C. de commun. ver. alienat.* Imo & priuati cuiuslibet volentis fauere libertati, *l. 1. C. de commun. seru. manumiss.*

9 Vt dixi *num. 5. 6.*

BIU Cujas

DEFINITIO II.

Furem domesticum ad furcas damnandum spontanea confessio facit mitius puniri, vt sufficiat relegari eum ad triremes per decennium.

FVrem domesticum, qui sæpius furtum fecerat, ac iam profugus domum domini per fenestram noctu inuaserat, nonnullasque res licet satis exigui pretij subripuerat, placebat ad furcam damnandum esse, [1] Cum tamen fugiens deprehensus esset, ac vltro furta omnia confessus, tum ab inferiore iudice ad triremes per decennium relegatus, appellatione per eum interposita itemque per Procuratorem Principis de condemnationis modicitate conquerentem, Senatus ex æquitate propter liberam rei confessionem pœnam crimini debitam mitigans sententiam confirmauit. [2] Sext. Calend. Septemb. 1588.

1 Iul. Clar. *in §. furtum num. 22.* Alio enim sensu furta domestica dicuntur *in l. perspiciendum 11. §. furta, D. hoc tit.* & alia ratio est seruorum de quibus eo loco agitur, qui pro vilioribus furtis domi conueniendi sunt non publicè castigandi. *l. vlt. C. an seruus pro suo fact.*

2 Facit enim spontanea confessio, vt ille mitius sit puniendus, vt dixi *Defin. 1. n. 12. & tit. prox.* [Non tamen vt sit absoluendus ne quidem à pœna mortis, sed tantùm ab atrociore mortis genere, quod alioqui nec infligendum fuisset, puta, vt ad furcam condemnetur, qui aut minùs cremari aut cruci rotatæ affigi. Nemo enim per pœnitentiam nocens esse desinit *l. qui ea mente 65. D. de furt.* Et *Ita Senatus* noster pronunciauit contra Ouurier qui post occisam immaniter nobilem fœminam ab Ecclesia redeuntem, idque in odium & vindictam iniuriarum, quas tam in corpore, quàm in bonis ab ea eiusque viro passum se conquerebatur, protinus ad sacerdotem diuerterat & sacerdoti peccatum confessus, vltro etiam aliis se detulerat. Quamuis illud quoque accederet quod hebetis erat ingenij, & vt nostri loquuntur grossolanus. 5 Non. Mart. 1613.]

DEFINITIO III.

Pœna pro delicto irrogata non ad eum pertinet, qui ius habet exigendarum pœnarum tempore delicti, sed ad eum qui tempore sententiæ.

SI fructus iurisdictionis in certum vsque tempus ad aliquem pertineant, siue ex conductionis, siue ex qua alia causa & eo tempore admissum sit maleficium propter quod finito prioris concessionis tẽpore irrogata sit pœnæ pecuniariæ condemnatio, dubitari solet ad quem emolumentum condemnationis pertineat, id est, an maleficij, an condemnationis tempus spectemus? Et plerisque placet maleficij tempus spectandum, [1] propterea quod ex delicto nascatur obligatio, tempusque condemnationis trahat ab initio necessariam consequentiam à die delicti. Quæ sententia mihi aliquando probabilior videbatur, si priori conductori aut domino imputari nihil posset, cur non citius facta esset condemnatio. Sed me nunc in contrarium illud vocat, quod ante condemnationem multa euenire possint, quæ impediant ne vlla sequatur condemnatio. [2] Quid enim si is qui deliquit interea moriatur? [3] Quid si per iudicis imperitiam aut gratiam sordésve absoluatur? [4] Post condemnationem vero non tam ex delicto licet ob delictum, quàm ex iudicato pœna debetur, [5] eiusque rei argumentum euidens est, quod etiamsi delictum nullum admissum esset, si tamen condemnatio ex falsis instrumentis, alitérve circumuenta iudicantis religione, secuta proponeretur, non eo minus pœna deberetur, dummodo sententia transiisset in rem iudicatam. [6] Itaque condemnationis tempus spectandum esse verius est, [7] eoque iure Senatus noster vtitur, vt à senioribus Senatoribus relatum est Prid. Non. Nouemb. 1588. Posteaque decisum vidi in causa Francisci Louys, contra Franciscum Porral. 4. Id. Decemb. 1592. Simile est, quod rerum iudicatarum emolumenta, quæ in pœnam temere litigantium apud nos exiguntur, non ei debentur, qui litis cœptæ adeoque contestatæ tempore ius illud à Principe conduxerat, sed ei, qui in conductione reperitur, tum cum res iudicatur. [8]

1 Bald. Imol. Alex. & cæteri *in l. fin. de iurisd. omn. iud.* quos refert & sequitur Boer. *qu. 5. n. 17. per l. quæcunque actiones, de oblig. & action. l. is qui in pupillum §. si postea. D. quod vi aut clam. l. fin. §. non solum, in fin. de his quæ in fraud. credit.*

2 Guid. Pap. *q. 535. ex l. qui explicandi. C. de accus.* Ang. *in l. vsufructu legato per ill. text. D. de vsufr.*

3 Siquidem morte delictum soluitur, *l. si pœna 20. D. hoc tit.*

4 Nam res iudicata pro veritate habetur, tum etiam cum iudicis sordes interuenerunt, *l. seruo 65. §. cum prætor ad SC. Treb.*

5 *Arg. l. si fundus 16. §. 1. pluris, D. de pign.*

6 Eo potissimum iure, quo vtimur, vt à sententia quantumuis nulla appellari sit necesse.

7 Neque enim probabile est quod scripsit Bald. *ad l. sed etsi milites. §. plane per ill. text. de excusat. tutor.* neutrius temporis habendam esse rationem.

8 Ergo nec verum illud est vt ait Boer. *vbi supr. numer. 24.* Si quis emerit iurisdictionem sub pacto de retrouendendo, & ante reuenditionem aliquis deliquerit, qui non nisi post eam factam fuerit condemnatus, pœnam ad emptorem pertinere. Nam imo vero pertinet ad venditorem, qui iudicati tempore dominus reperitur, licet contra sentiat Cagnol. *ad l. 2. n. 163. C. de pact. int. empt. & vendit.* post Alex. *in l. diuortio. §. si fundum. col. vlt. solut. matr.* vide Gulielm. Bened. *in repet. cap. Raynutius* in verb. *cætera bona num. 38.*

DEFINITIO IV.

Pœna confiscationis irrogatur ipso iure ob crimen incesti, nec requiritur declaratoria, sed potest etiam defuncti memoria damnari.

QVoties ob incesti crimen bonorum publicatio irroganda est, pœna ipso iure aut potius facto ipso committitur, etiamsi nulladum secuta sit condemnatio, dummodo aliqua tandem sequatur. [1] Proinde rei ante sententiam defuncti memoria non secus fere atque ex læsæ maiestatis crimine damnari poterit. [2] *Ita Senatus* in causa Claudij le Noir, Prid. Non. Ianuar. 1590. Senatu eo die extra ordinem habito.

1 Iul. Clar. *in §. incestus n. 2.* post glos. *in Auth. incestus.* in verb. *mox. C. de incest. & inut. nupt.* vbi dicit communem Didac. Couar. *lib. pract. quæst. cap. de incest. nupt. num. 6. & ad lib. 4. Decret. cap. 6. 2. part. §. 8.* Soarez qui dicit communem.

2 Cum nec declaratio vlla requiratur, vt concludit Iul. Clar. vbi supr. Solent tamen iudices velle vt præcedat sententia Clar. *quæst. 8. num. 4.*

DEFINITIO V.

Mandatum delinquendi de quo non constat nisi ex confessione mandatarij non facit indicium ad condemnandum nisi aliis concurrentibus.

MAndans delictum fieri eadem pœna puniendus est, qua ille ipse qui delictum commisit quoties effectus secutus est. [1] Sed si de mandato non constet nisi ex confessione mandatarij, non potest ea confessio facere probationem, at ne indicium quidem ad habendam de eo qui mãdasse dicitur quæstionem. [2] Nulla enim aut sane non nisi perexigua fides adhibenda est ei, qui flagitij perpetrandi mandatum à se susceptum impudenter fateatur, [3] secuta præsertim mandati suscepti executione, [4] si non aliunde præsumptio aliqua aut indiciũ emergat, [5] nec aliud in mãdatario assassino, vt vocant, responsum

BIU Cujas

sum est. [6] Indicia vero hæc esse possunt, si minæ præcesserint, maxime si paulo ante scelus admissum, [7] si iniuriarum capitalium causa subsit quæ mandantem ad facinis audendum mouere potuerit, [8] si ex contrario mandatarius propriam delinquēdi causam nullam habuerit, nisi quam improbitas mandantis hereditatem fortassis opulentam, aut magnum quid aliud pollicentis suggesserit. [9] Adde, si is, qui mandasse dicitur, prioris alicuius criminis reus fuerit, ex quo capi præsumptio non improbabiliter possit de posterioris quoque conscientia. [10] Finge adulteram vxorem de dato occidendi viri mandato accusari, aut de occidendæ vxoris maritum adulterum, faciet præcedens adulterium, vt secuti homicidij mandatum facilius præsumatur. [11] Et ex eiusmodi præsumptione, quibusdam tamen aliis concurrentibus indiciis, [12] capitali supplicio affectam pridem apud nos mulierem, plerique ex Senatoribus nostris memoria repetebant. Sane cum superiora omnia indicia concurrerent, non dubitauit Senatus noster quin Amedeo Mantello, qui vxorem suam per insidias occidendam Carolo fratri mandauerat, sicut & Carolo ipsi qui occiderat capitis pœna esset irroganda. Quanquam in ea specie ad superiores coniecturas illud etiam accedebat, quod adulterium cum incestu coniunctum proponebatur. [13] *Ita Senatus* 7. Calend. August. 1591.

1 Et quidem non adhibita ea distinctione, an mandatarius æque facturus fuerat necne, vt ex Bartolo, & communi concludit Iulius Clar. *in pract. crimin. quæst. 89. nu. 1.* Dixi *Defin. 4. ſ. ad leg. Cornel. de sicar.*

2 Iulius Clar. qui dicit communem *quæst. 21 num. 12.*

3 Allegat enim propriam turpitudinem & infamiam, *l. si flagitij 123. vbi not. D. de verb. obligat.*

4 Nam & hoc casu Baldus fatetur non esse credendum mandatario, putans nimirum in hac specie distinguendum esse an mandatarius susceperit mandatum, an non susceperit, vt posteriore casu faciat indicium ad torturam non priore. Quam distinctionem refert & improbat ex communi sententia Iul. Clar. *vbi ſ.*

5 Adde vel saltem suspicio, quæ est quid minus quam indicium, sic enim loquitur Clar. *ibid.*

6 Quanto enim grauius est crimen assassinij tanto minus credendus quisquam est id mandasse.

7 Vt in casu quem refert Boer. *decis. 166. nu. 3.*

8 Iul. Clar. *quæst. 21. nu. 30.*

9 Nemo enim facile credendus est tantum facinus sine causa ausurus fuisse.

10 Nam sicut donatio vna facile facit præsumi aliam, *l. si vero non remunerandi 12. §. idem Papinianus, D. mandat.* sic vnum delictum facit præsumi facile aliud delictum etiam in alio genere mali, si modo posterius habeat aliquam connexitatem, & vt loquuntur dependentiam à priore. *Not. in cap. semel malus, de reg. iur. in 6.*

11 Boer. *quæst. 262. nu. 8.* post Bald. *in l. data col. 22. C. de accusat.* Cæpol. *cons. 9. col. 1. in fin.*

12 Vide Dec. *consil. 189.* Salic. *in l. fin C. de accusat.* Bald. *cons. 419. volum. 3.* Hyp. de Marsil. *in l. 1. §. Diuus, D. de quæst.* Thom. Grammat. *not. 34. & cons. 21.*

13 Quo casu grauiore pœna dignum crimen erat, *l. si adulterium cum incestu 38. D. ad leg. Iul. de adulter.* obserua autem in criminibus atrocioribus & exceptis leuiora indicia sufficere, vt dictum & confessio mandatarij faciat indicium etiam ad condemnandum. Iul. Clar. *dict. quæst. 21. nu. 12. in fin.*

DEFINITIO VI.

Non potest sequi condemnatio ad pœnam mortis ex indiciis quantumlibet indubitatis nisi secuta confessione, maxime si habita sit quæstio de reo, sed & cum pœna mortis omnino irroganda est, potest tamen grauior commutari in leuiorem.

EX indiciis quantumlibet indubitatis nisi accedat rei confessio non potest condemnatio sequi, quod ad pœnam delicti ordinariam pertinet, sed ad extraordinariam decurrendum est, [1] arbitrio quidem iudicis constituendam, sed ita tamē, vt arbitrium iudicis numquam tale esse possit, pœnam vt mortis irroget. Semper enim mitior esse debet pœna extraordinaria quam quæ ordinaria: [2] Præsertim si de reo habita quæstio fuit. [3] Quæstio enim non solum purgat indicia quantumcunque vehementia, sed etiam aliquatenus imminuit plenas probationes, [4] & consequenter efficit, vt si non absolui saltem mitius puniri reum oporteat. [5] Itaque errat iudex, facitque aut reo aut reipublicæ iniuriam, qui reum criminis iam satis superque conuictum quæstioni subiiciendum pronunciat, [6] nisi forte quæstionem ad hoc solum haberi necesse est, vt socij, & participes criminis indicentur: [7] Quod cum accidit obseruare bonus iudex debet, vt sententiam ita concipiat ne quid iam supperentibus probationibus derogetur. [8] Facit enim hæc adiectio, vt non eo minus mortis pœna irroganda sit, quod tormenta reus fortiter perpessus sit, & vt tanto durius, & quasi cadauer torqueatur. [9] Plane cum supplicia capitis alia sint aliis grauiora, ad officium circumspecti iudicis pertinet, vt ex atrocitate delicti, & tormentorum patientia cæterisque litis argumentis consideret vtrum atrocior mortis pœna in leuiorem, & in quam commutanda sit. Nam & hoc ex causa permittitur, dum ne mortis pœna remittatur. [10] Pœna si quidem ordinaria legib. publicorum iudiciorum aut Principum constitutionibus statuta, aut quod fere idem est ipsa etiam consuetudine recepta, in iudicantis arbitrio non est: [11] Pœnæ tamen modus ac veluti moderatio quædam esse potest. [12] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Iul. Clar. ex communi *in pract. crimin. quæst. 20. num. 5. & 6.* subiiciens tamen *num. 7.* hoc fallere in criminibus assassinij, hæresis & simoniæ, in quibus ex solis indiciis & præsumptionibus potest quis condemnari ad mortem, vide Boer. *quæst. 164. num. 6.* [Intellige nisi ad indicia accedat confessio vnius ex sociis criminis quę ratificata sit in tormentis & extra tormenta. Si enim confessio illa consentiat cum indubitatis indiciis, potest condemnari ad mortem etiam is qui tormenta quoque grauissima & sæpius passus semper negauit. *Ita Senatus.*]

2 Iul. Clar. *quæst. 83 num. 11.*

3 Idem Clar. *quæst. 64. n. 38.* & Boer. *quæst. 163. n. 14.*

4 Dixi *Defin. 9. & 25. ſ. de quæstion.*

5 Ipsa enim tortura satis magna pœna est.

6 Boer. *d. quæst. 263. n. 13.* vbi post Alber. vocat hos iudices fatuos qui torquent reum super plene probatis. Dixi *Defin. 15. & 16. ſ. de quæstion.*

7 Vt dixi *in Defin. 16. ſ. de quæst.*

8 De cuius clausulæ potestate vide *Defin. 9. & 25. ſ. ill. tit. de quæstion.*

9 Habetur enim ille iam pro mortuo cum pœnam eius crimini debitam tormentorum patientia diminuere nullatenus potest.

10 Intellige cum probationes criminis plenissimę fuerunt, vt *dict. Defin. 9.*

11 *l. 1. §. 1. vers. quorum alterutrum, D. ad SC. Turpill.*

12 Et ideo dicimus temperandas & molliendas esse pœnas non exasperandas, *l. pen. D. hoc tit.*

DEFINITIO VII.

De pœna grassatoris & famosi latronis, & in quo differant.

GRassatores qui prædæ causa itinera obsident si cum ferro adgrediantur, & spoliare instituerint, idque sæpius fecisse probentur capite puniendi sunt, adeoque si viles proponantur, furca suspendendi, [1] exemplo famosorum latronum, [2] quibus proximi sunt, & à quibus hoc solo differunt, quod latrones ij demum sunt qui grassando homicidia fecerunt, grassatores vero qui latrocinia sine homicidio. [3] Nec aliud iuris constituendum Senatus putauit, cum talibus grassatoribus ad perpetuas triremes ab inferiore in-

BIU Cujas

dice condemnatis & appellantibus triremium gratiam Princeps fecisset. Non enim venia dignum esse crimen visum est, præsertim cum ad aulici cuiusdam gratiam redemptam, vt hodie fit, magis quam motu proprio, aut ignoscendi delicti causa triremium pœnam à Principe remissam esse constaret. [4] & vero sicut alia triremium, alia furcæ damnatio est, ita non debuit Principis beneficium aduersus triremium condemnationem impetratum à furcæ supplicio tam scelestos nebulones liberare.[5] Itaque admissa procuratoris generalis appellatione, quem Senatus ab inferioris iudicis sententia tanquam à minima condemnatione iusserat prouocare, ad furcam condemnati sunt. *Ita Senatus* contra Ioannem & Nicolaum de Duc. 15. Cal. Sept. 1592.

1 *l. capitalium* 18. §. *grassatores. D. hoc tit.*
2 *d. l. capitalium.* §. *famosos.*
3 Et ideo non solent grassatores puniri pœna mortis nisi omnia ista concurrant, vt & cum ferro adgrediantur & spoliare instituerint, & sæpius adeoque in itineribus hoc admiserint *d.* §. *grassatores*, iunct. *d.* §. *famosos.*
4 Quod enim & iniuste & per importunitatem petitur & impetratur à Principe id nec pro concesso, nec pro impetrato habendum est, *l. vltim. vbi not. C. si contr. ius. vel utilit. publ.*
5 Nec enim Princeps tam facilis est ad remittendam pœnam grauiorem, nec qui vult quod est minus, vult vtique quod est maius. Not. *in l. non debet cui* 21. *de reg. iur.* Iunge *Defin.* 1. §. *de sent. pass. & restit.*

DEFINITIO VIII.

Commutatio pœnæ grauioris in leuiorem fieri potest ex causa, sed consulto prius Principe si fiat post condemnationem.

AD triremes condemnato eo, quem superueniens valetudo tali pœnæ seruire impediat, necessario pœnæ commutatio facienda est, [1] & quidem semper in leuiorem, numquam in grauiorem, cum nihil sit quod condemnato imputari possit, cur non pœnam subeat irrogatam. [2] Sed non solius magistratus qui ius dixit auctoritate id fieri debet, ne Senatus quidem. [3] Rescripto & indulgentia Principis opus est, ad quem ob eam causam rescribi oportet. [4] *Ita Senatus* pro N. Saluard 4. Id. Nouembr. 1592.

1 Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 85. *nu.* 11. vbi ponit varia exempla, & inter cætera si ex lege aliqua vel statuto irrogetur pœna ictuum funis & in legem incidat aliqua fœmina. Nec enim ea pœna mulieribus irroganda est, vt nec pœna triremium. Et ideo mutandus est ictus funis in fustigationem vel alligationem ad catenam infamem, vel in exilium iuxta qualitatem facti & personarum.
2 Ex regula quæ vult molliendas esse pœnas potius quam exasperandas. *l. pœn. D. hoc tit.*
3 Quia siue Senatus, siue alius magistratus aut iudex ille sit qui pronunciauit, officio functus est. *l. iudex posteaquam* 55. *de re iudic.*
4 Non item si commutatio pœnæ facienda sit ante sententiam, vt ex iis apparet quæ tractat Iul. Clar. *loco supradicto.*

DEFINITIO IX.

In atrocioribus male audiens licet non omnino conuictus in exilium mittendus est.

EX atrocioris delicti causa delatus si delinquendi consuetudine male audire probetur, & publica fama vrgeatur, in exilium perpetuum relegandus est, tametsi minus plenæ sint probationes ad irrogandam condemnationem. [1] Nam & hoc ad publicam vindictam securitatemque pertinet, vt quos boni tanquam malos execrantur, iis inter bonos viuendi aditus denegetur. [2] Ideo fortasse quod quanquam virum bonum ad improbo calumniam pati nouum non est, fieri tamen nequeat, vt apud bonos male audiat qui vitæ sit probæ & inculpatæ. Quo pertinet elegans ille Ausonij versus: *Hæc casta est de qua mentiri fama veretur.* *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 11. supr. de quæst.

1 Intellige maxime si crimen sit difficilis probationis, quo casu sola fama sufficere posset etiam ad torturam. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst.* 21. *nu.* 1. *vers. Posset etiam esse.*
2 Non solum propter scandalum quod bonis viris inde accidit, sed etiam ne ex malorum conuersatione boni periclitentur, vt scripsi *Def.* 1. *in fin. supr. De malefic. & mathemat.*

DEFINITIO X.

Damnatus in exilium perpetuum, si aduersario cædem minatus sit nec possit satisdare de non offendendo, confestim nulloque dato ad colligendas sarcinulas spatio abire iubendus est.

IN exilium perpetuum damnatus si aduersario cædem, ignésve, aut quid aliud simile minatus sit, non prius carceribus eximendus est quam satisfecerit, de non offendendo, si modo eas facultates habeat, vt tandem reperire fideiussorem possit. [1] Sin minus, iniquum sane sit pro perpetuo exilio pati eum perpetuos carceres. [2] Ideoque hactenus saluti accusatoris consuletur, vt confestim, nec dato, vt alias fieri solet, tempore ad sarcinulas colligendas, condemnatus iudicato satisfacere, & continuo in exilium ire compellatur, addita etiam si opus sit vltimi supplicij, ni pareat, interminatione. [4] *Ita Senatus* in causa Iacobi Durand & Claudij Vginet 12. Cal. Decembr. 1602.

1 Secundum ea quæ scripsimus *in tit. de satisdand.*
2 Nec enim pœna perpetui carceris vlla est in vsu apud laicos, inquit Iul. Clar. *in practic. crim. quæst.* 70. *num.* 4. vbi addit generaliter vbicumque alia pœna imponi potest nunquam imponi pœnam carceris inter laicos. Esse tamen illam frequentem inter clericos.
3 Vt caueatur omni saltem eo modo quo fieri potest ei, qui sibi iuste timet ab aduersario.
4 Ne scilicet sub prætextu instruendi exilij nouum instruat crimen, vt & in huius Definitionis specie accidit, secundum ea quæ retulimus *Defin.* 11. §. *de quæst.*

DEFINITIO XI.

Confirmata per Senatum sententia inferioris iudicis, quæ exilij pœnam irrogauerat non ampliatur condemnatio.

PEr inferioris iudicis sententiam in exilium missus si Senatum appellauerit, & Senatus nihil nisi bene iudicatum pronunciauerit, non vniuerso territorio & vt loquuntur districtu Senatus excedere iussus intelligitur, sed eo duntaxat quod ad inferioris iudicis pertinuit iurisdictionem, cui nec licuit alia prouincia interdicere, quam cui præerat si prouinciæ iuridicus fuit. [1] Idque est quod dici solet non plus esse posse in confirmante quam in confirmato. [2] Sed tamen solet vt plurimum Senatus, quoties de huiusmodi appellationibus cognoscit, si iniustam esse videat appellationem, non solum sententiam confirmare, sed etiam ampliare condemnationem, vt toto Senatus territorio interdicatur ei qui pœnam exilij sentire debeat, [3] ne scelerato nebuloni prosit quod alium quam Senatum priorem iudicem habuerit. Neque enim ob id minus delictum est, quod à minore iudice castigandum sit. *Ita Senatus* 7. Id. Decemb. 1592.

1 *l. relegatorum* 7. §. *interdicere D. de interd. & releg.* ibi tamen additur, posse etiam ea prouincia interdici vnde quis oriundus est ab eo, qui regit eam prouinciam, vbi quis domicilium habet. Iul. Clar. *in pract. crimin. qu.* 71. *nu.* 4. vbi subiungit de

BIU Cujas

git de generali consuetudine, quæ viget fere vbique locorum aliter obseruari, sed certe hæc consuetudo non seruatur apud nos.

2 Quia confirmatum inest in confirmante sicut relatum in suo referente cum omnibus suis qualitatibus, *vulg.l.asse toto 77.D.de hæred.instit.*

3 Et ideo solet Senatus in istis causis criminalibus, de quibus ex appellatione cognoscit in irritum deducere appellationem, & id à quo appellatum est, quod pragmatici nostri dicunt *mettre l'appellation & ce dont a esté appellé à neant*, vt locum aperiat nouæ & ampliori condemnationi, itemque vt locum faciat mulctæ adiudicandæ Principi quam adiudicare alius quam Principis magistratus nullam potest.

DEFINITIO XII.

Officio suo priuandus est, qui in officio deliquit.

QVi in aliquo officio deliquit, siquidem grauiter, vt nullam excusationem aut veniam mereatur, suspendi ab eius officij administratione debet,[1] idque vel ad tempus, vel in perpetuum, prout delicti grauitas & personæ qualitas postulare videbitur.[2] Finge quem deliquisse cum officio iudicis fungeretur. Non idcirco postulare prohibendus erit, aut in aduocatum ordine sedere,[3] iustamque habet appellandi causam si prohibitus fuerit, nisi tam atrox sit delictum, vt eam quoque pœnam mereatur.[4] *Ita Senatus* 6.Id.Febr.1593.

1 Priuatio enim officij pœna est, *l.mutus* 43. §.*pœna. de procur.*Rom.*cons.*236.Boer.*quæst.*1.*num.*72.Iul.Clar.*in pract. crimin. quæst.*73. vbi ponit varios casus in quibus locum habet hæc pœna priuationis, puta in corrumpente iudicem, in iudice corrupto vel negligente, in notario delinquente in officio, in clerico sustinente excommunicationem per annum, periuro simoniaco transeunte ad militiam secularem, hæretico colludente in causa beneficij, homicida, adeo, vt his omnibus casibus clericus priuatus beneficio teneatur restituere fructus perceptos à die commissi delicti. Clar. *ibid.* addens posse etiam prælatos insufficientes priuari, itemque episcopum negligentem, sed non nisi à summo pontifice, Papam vero à nullo.

2 *Vt in l.moris est 9.D.hoc tit.l.*1.§.*pen.de offic.præf. vrb. l.puto autem* 6.§.1.*de postul.*

3 Debet enim quis puniri in eo ipso in quo deliquit non in alio, & pœna crimini respondeat *arg.l.rescriptum 6.D.de his quæ vt indign.auffer.l.Paulus* 24.*D.ad leg.Falcid.*

4 Quod totum arbitrio & religioni iudicantis relinquitur.

DEFINITIO XIII.

Non præsumitur officialium negligentia in delictis clandestinis & occultis maxime, si procurator Principis delictum non ignorauit.

IN maleficiis clandestinis & occultis non præsumitur officialium negligentia,[1] nisi probetur fuisse crimen notorium aut officialibus ipsis denunciatum.[2] Nam etsi officialis non requisitus inquireret contra aliquem de crimine nec testes haberet, nec notorium crimen putaretur, vtique iniuriarum actione se obstringeret,[3] litemque suam facere diceretur, adeoque resisti ei de facto posset.[4] At neque ex sola negligentia tenentur officiales, nisi cum talis est, quæ adscribi possit latæ culpæ & dolo proximæ.[5] Quid ergo si passi sint in territorio vasalli iurisdictionem habentis degere, ac morari eos qui voce & fama publica falsæ monetæ fabricatores existimabantur, quique iam eo nomine fortassis à Senatu prehendi iussi erant, eorumque bona annotata? An officialibus imputabitur quod contra eos non inquisierint, & ad ordinarium loci iudicem criminis suspicionem non detulerint? Minime. Neque enim de ea re inferiores iudices cognoscere possunt, sed tantum maiores quos Ducales appellamus.[6] Culpa autem potius est immiscere se rei ad se non pertinenti.[7] Quamquam melius proculdubio fecissent si ad iudicem detulissent, vel hoc ipso, vt tanto citius ea res ad Senatus aures peruenire potuisset.[8] An quod ipsi propria auctoritate non prehenderint, ac postea Senatui condemnandos tradiderint? Potuerunt quidem id facere & debuerunt,[9] neque hoc casu locus est constitutionibus in contrarium factis,[10] propter atrocitatem delicti, præcedente præsertim iussu Senatus, vt prehenderentur,[11] sed tamen habere possunt illam excusationem quod cessante generali procuratore Principis cœptam accusationem persequi (nam & aduersus contumaces tanto diligentius id fieri debuerat[12]) suspicari potuerint, non sine ratione id fieri, nec inquirere debuerint qua ratione id fieret.[13] Itaque magis imputandum videbatur procuratori Principis cur in vrgenda condemnatione diligentior non fuisset, curve officialibus non præcepisset, vt si quandoque redirent illi, prehendi curarent.[14] An denique officialibus hoc saltem imputabitur, quod Principis procuratorem non certiorauerint, reuersos in patriam reos & hodie prehendi posse, qui antea propter absentiam prehendi non potuerant? Id enim probabiliter ignorare Principis procurator potuit.[15] Sed tamen diligentior quoque esse debuit in inquirendo saltem per substitutum quem habuit in prouincia, an rediissent illi necne, aut hoc ipsum mandare officialibus, vt de eo ad se rescriberent. Quo non facto vix est, vt audiri debeat obiiciens aliis negligentiam quam sibi primum obiicere debeat.[16] Quid enim intererat certiorari cum de reditu reorum qui etiam absentes condemnari potuerant, si diligentius ipse condemnationem vrsisset?[17] Sane si post reditum vacent rursum iidem rei falsæ monetæ cudendæ, nouum delictum est, ideoque noua certioratione opus fuit, cum crimen nunc primum admissum iam à Principe, aut à Senatu remissum suspicari officiales non potuerint.[18] Sed finge publice illos noui criminis suspicionem Syndicis denunciasse ac deliberandum proposuisse quibus artibus perditi homines prehendi possent, Syndicos autem siue metu, siue qua alia ratione deterritos suam illis in eam rem opem denegasse, aut inani cunctatione officialium diligentiam elusisse. Nihil sane erit quod officialibus imputetur.[19] *Ita Senatus* pro fratribus Brunet officialibus oppidi d'Arben Prid.Non.Mart.1593.

1 *l.*1.vbi Bald. *& l.si ea* iunct. *l.cum fratrem. C.de his quib. vt indig.*

2 *Not.in l.congruit. D.de offic. præsid. & in l. Diuus. de custod. reor.*

3 *l.Seueriter* 14.*C.de excus.tutor.*

4 Not.gloss.& DD. *in l.non videntur* 167.*§ qui iussu. de regul. iur.l.prohibitum* 5. *C.de iur.fisc. lib.*10. Bart. *in extrauag.quoniam* in verb.*rebellando qui sint rebell.*Thom.Grammat. *consil.*4. Bald.*in l. ab executione* 4.*C.quor.app.non recip.*Panorm.*in c.dilectus. Extr.de rescript.*

5 Ægid.Boss.*in tit. de official. corrupt.pecun. n.*26. quem refert Clar.*in pract.crim.quæst.*73.*nu.*1.

6 Quia nimirum crimen falsæ monetæ est læsæ maiestatis *l.*2.*C.de fals.monet.*de quo crimine alij quam Principis magistratus cognoscere non possunt.

7 *l.culpa est* 36.*de reg.iur.*

8 *Argum.l.vltim.*2. *quod met. caus.*iunct.*l.non est singulis* 176. *de reg.iur.*

9 *l.*1.vbi Salicet.*C.de fals.monet.*

10 *l.vlt.C.de exhib.reis.*

11 Non enim pœnam meruisset quod Senatu non modo permittente, sed etiam iubente factum fuisset, *l.Gracchus*,4. *C. ad leg.Iul.de adult.l.*2.*C.de solut.lib.*12.*tit.*11.

12 Quandoquidem aduersus contumaces omnia iura clamant cum contumacia non tantum pro præsentia sit. *Auth. qua in prouincia C.vbi de crimin.agi oportet.* sed etiam pro confessione saltem facta.Iul.Clar. *in pract.crim. qu.*44.*per tot. maxime num.*4.

BIU Cujas

13 Nihil enim à tali tantoque magistratu sine causa fieri negligique credendum est.

14 Est enim longe maior negligentia illius cui sufficit mandare, vt executio sequi possit.

15 Cum alieni facti ignorantia semper sit tolerabilis, *l. vltim. D. pro suo.* Quid enim potest imputari ei qui non diuinauit? *l. si putator 31. ad leg. Aquil. l. si fideiussor 29. §. si cum debitor. D. mandat.*

16 *Arg. l. si ambo 10. D. de compensat. l. viro 39. l. cum mulier 47. D. solut. matrim.*

17 Cum possit ex contumacia procedi etiam ad condemnationem. Iul. Clar. *d. qu. 44. nu. 4.*

18 Nemo enim remittere intelligitur ius quod ignorat sibi competere, *vulg. l. mater decedens 19. D. de inoffic. test. cum similib.*

19 Cum per eos non steterit *ex reg. l. in omnibus 39. de reg. iur.*

DEFINITIO XIV.

Fama quo casu sufficit ad torturam contra præsentem, sufficit etiam ad condemnationem accedente fuga contra contumacem.

REus criminis atrocioris, vtputa læsæ maiestatis, si malæ famæ probatione vrgeatur, & contumax sit, ad vltimi supplicij pœnam condemnandus est, quamuis certiores criminis probationes aliæ nullæ sint,[1] quoniam si præsens esset sola fama sufficeret, vt de illo haberi quæstio posset.[2] Perpetuum autem est, vt quibus casibus sola fama sufficeret ad quæstionem, iisdem quoque si fuga concurrat & contumacia sufficiat ad condemnationem:[3] Proinde in leuioribus, & vt nostri loquuntur, minus priuilegiatis delictis aliud erit, quoniam in iis nec sola fama sufficeret ad torquendum præsentem reum.[4] *Ita Senatus* in causa quorundam oppidanorum Darben, mense Mart. 1593.

1 Nec hoc casu locum habet quod dici solet probationes debere luce meridiana clariores esse *l. vlt. C. de probat.*

2 Secundum ea quæ tractat Iul. Clar. *in pract. crim. q. 21. n. 1. vers. Posset etiam esse*, vbi tamen tractat de eo crimine quod sit difficilioris probationis, qualia vtplurimum sunt ea quæ sunt atrociora.

3 Vt scilicet tantum profit fuga & contumacia contra absentem quantum posset quæstio contra præsentem.

4 Iul. Clar. *d. q. 21. n. 1. per tot.*

DEFINITIO XV.

Qui tulit opem grassatori qui se officialem iactabat non potest teneri eo nomine.

QVi grassatori per speciem publici muneris opem obuij cuiusque imploranti astitisse opemque tulisse probatur, si ignorans & bona fide fecerit, ne officium deserere videretur, & præsens fuerit, cum grassator crimen admisit, nec restiterit, non aliter tenetur, quam si citra salutis suæ periculum prohibere potuerit nec prohibuerit.[1] Sufficit enim ad eum excusandum, quod cum præsens fuit daret operam rei licitæ,[2] nec æquum est cogi eum, vt alienam salutem periculo suo quis redimat,[3] dum ne grassatori opem aut consilium dedisse probetur, ex quo grassandi animum in eo agnouit.[4] *Ita Senatus* prid. Id. Nouembr. 1593.

1 *l. culpa caret 50. cum ibi not. de reg. iur.*

2 Imo sufficeret, vt sine dolo astitisset, non ex proposito delinquendi, vel audaciorem faciendi delinquentem. Iul. Clar. *in pract. crim. q. 90. n. 8.*

3 Imo nec tenetur quamuis potuerit sine vllo periculo suo prohibere præterquam in crimine læsæ maiestatis. Iul. Clar. *in pract. crim. q. 87. n. 3. vers. quod tamen ego.*

4 Nam ex quo tempore per suam præsentiam fecit eum audaciorem, tenetur ex sola assistentia. Iul. Clar. *dict. quæst. 90. num. 8.*

DEFINITIO XVI.

Non est quis puniendus grauius ob id solum quod capitalis supplicij pœnam sibi irrogatam euadere tentauerit, facta etiam vi executoribus post arresti executionem.

COndemnatus ad furcam cum ei per imperitiam actuarij pronunciatum esset Senatusconsultum priusquam in compedibus & vinculis esset, vinciri se & duci nolens vim fecerat, ipsosque apparitores offenderat, & totis viribus restiterat, ne adprehendi posset, quærebatur, an ex ea contumacia fieri deberet commutatio irrogatæ pœnæ in grauiorem?[1] Id enim Senatus potissimum auctoritas postulare videbatur, ad quam sane pertinet maxime, vt iis omnibus, quæ ordo amplissimus decreuit perinde post ac ante condemnationem pareatur.[2] Contra tamen visum est misericordia potius, quam pœna dignum hunc esse,[3] cui vna salus fuerit nullam sperare salutem. Nam & dici solet, rationem quamlibet redimendi sanguinis honestam esse.[4] *Ita Senatus* in secreto Auditorio in persona N. Royer 15. Cal. Ian. 1593.

1 Solet enim contumacia pœnam cumulare & augere, *l. relegati 4. in fin. D. hoc tit.*

2 *l. seruo 65. §. cum prætor. D. ad SC. Trebell.* iunct. *l. vnic. D. de offic. præf. prætor.*

3 Nam nec effractor carceris ad aliud quicquam durius teneri potest quam vt habeatur pro confesso vel conuicto. Iul. Clar. *in pract. crim. q. 21. n. 25.*

4 *l. 1. D. de bon. eor. qui mort. sibi consciuer. l. transigere 18. & ibi not. C. de transact.*

DEFINITIO XVII.

Qui alios prodit iam proditus non gaudet priuilegio quo qui seipsos producunt. Nec impunitas hoc nomine promissa ei debet prodesse.

QVi seipsos produnt anterioris delicti pœnam pertimescere non debent, sed qui iam proditus alios prodit & grauiores contra seipsum probationes adfert non eodem priuilegio gaudet, nec si vt alios proderet ei promissa sit à iudice impunitas prodesse illi debet,[1] cum ad solum Principem non etiam ad iudicem præsertim inferiorem pertineat, vt criminis veniam largiatur.[2] Potest tamen ei parci.[3] *Ita Senatus* in causa quadam falsi monetarij 13. Cal. Mart. 1595.

1 *l. 1 vers. horum qui sponte. C. de desertor. & occult. eor. lib. 12. tit. 46. l. vnic. C. de his qui se defer. eod. lib. tit. 13.*

2 Sibi namque imputet qui tam facile credidit tali promissioni ab eo factæ, qui non potuit impunitatem concedere, inquit Iul. Clar. *in pract. crim. qu. 55. nu. 9. ad fin.* vbi tamen subiicit nunquam esse quem condemnandum ad pœnam ordinariam delicti ex sola confessione, quam eiusmodi promissio impunitatis extorserit.

3 Quomodo scriptum est *in l. non omnes 25. §. vltim. D. de re militar.*

DEFINITIO XVIII.

Casus in quo furtum secundum punitur pœna mortis.

EX causa furti iam condemnatus flagris cæsus & auriculæ vnius amputationem passus, si furtum rursus faciat, dum ne omnino leue & minimi momenti, ad mortem damnandus est.[1] *Ita Senatus* 3. Non. Iun. 1595.

1 Etsi enim pro furto non est imposita pœna mortis, varij tamen casus sunt in quibus non est nouum, vt fur ad mortem adeoque ad furcam damnetur, puta si sit fur famosus, siue infamatus de pluribus, id est, de tribus, quin & duobus tantum furtis. Tales enim fures de consuetudine generali laqueo suspendendos esse, quasi etiam famosi latrones dici possint, constat

BIU Cujas

constat ex iis quos refert Iul.Clar.*in* § *furtum,numer.*8. licet ille contrariam sententiam mitiorem esse putet. [Et ratio consuetudinis huius videtur ex eo pendere, quod iis qui pro furto primo condemnantur, solet inhiberi ne quid tale committant sub comminatione mortis his vulgaribus verbis *Luy faisant inhibitions,& deffences de par ty apres commettre tel excés à peine de la hard.* Imo addunt quidam iudices clausulam generaliorem *& à tous autres qu'il appartiendra.* Sed imperite. Non enim debet adiici ea clausula nisi ad inhibitiones quæ fiunt in causis ciuilibus. *Ita Senatus* in causa Petri Galley xi.Calend.Sept.1612.

DEFINITIO XIX.

De pœna Aduocati qui etiam pro clientis sui defensione aliquid dixerit, quo Principis offenderit maiestatem.

NOn debet impune ferre Aduocatus qui in lite clientis sui tuenda dixit aliquid, quod supremi Principis maiestatem labefactare videatur, licet quam maxime ad eam rem de qua agitur pertineat. Itaque ex hac causa si rei grauitas exigat, solet etiam aduocatione interdici. [1] Illud certe omnimodo decernendum est, vt quod impudenter dictum fuit non solum corrigatur, sed etiam de actorum codice deleatur. [2] Quæ res etiam aduocati existimationem onerare solet, ob idque veluti pœna quædam est. Sic à Senatu nostro iam pridem factitatum audio cum Aduocatus quidam Gallus magni nominis in quæstione legis Bene à Zenone C.de quadr. præsc. negasset habere eam legem locum in illo qui à Sereniss.Sabaudiæ Duce quid emisset, propterea quod ad eos tantum Principes pertineret qui non recognoscunt superiorem. [3] Quasi vero supremam in Sabaudia potestatem Principes nostri non habeant, quos imperij iura omnia habere nec pragmatici ipsi Galli diffitentur. [4] *Sine die.*

1 *l.moris est 9.D.de pœnis.*
2 Boer.*quæst.*8.*nu.*2.
3 Notant DD.*ad l.bene à Zenone.C.de quadr.præscript.*
4 Rebuff.*in tract.de lit.dilat.art.*1.*glos.*1.*nu.*7.

DEFINITIO XX.

Affectus non punitur si non sit secutus effectus nisi deuentum sit ad actum proximum & immediatum.

QVod plerique iactitant in atrocioribus delictis affectum puniri etiam quem effectus non sequatur, ita verum est si delinquens ad actum proximum &, vt aiunt, immediatum deuenisse proponatur. [1] Alioquin arbitrio iudicis statuenda pœna relinquitur. [2] *Ita tractatum est* 9.Cal.Mart.1595.

1 Grammat.*cons.*36.*nu.*19. [*Ita Senatus* contra Humbertum quendam 12.April.1614.omnibus omnium votis.]
2 Iul.Clar.*lib.sententi.*§.*fin.q.*92.

[DEFINITIO XXI.

Non est differenda pœnarum executio.

POenarum singulare ius est, vt earum executionem & vltionem numquam differri oporteat, nec si condemnatus dicat habere se aliquid ad salutem Principis pertinens quod referre ad Principem velit. [1] Hoc enim suadet vtilitas publica. [2] Præsertim vero si à supremo magistratu lata sit sententia, [3] cuius authoritatem maiorem esse constenit. [4] *Ita Senatus* contra Ferrandum Gonet 14.April.1614.

1 *l.si quis forte 6.*vbi est tex.*elegans D.hoc tit.l.cum reis* 18.*C.eod.*
2 Vt delicta vindicentur quod ad publicam maxime vtilitatem pertinet. *l.isa vulneratus* 51.§.*vltim. D.ad leg. Aquil.l. Stichum* 95. *in princip. De solut.*
3 Vt à Præside de quo *in d.l.si quis forte.*
4 Nam quod supremus Magistratus pronunciauit qui vice Principis fungitur, Princeps ipse pronunciasse intelligitur, *l.vnic.D.de offic.præf.prætor.* Totus autem vigor iudicati in executione consistit *l.penult.C.de exec.rei iudic.*

DEFINITIO XXII.

Qui in sua prouincia deliquit leuius puniendus est in alia.

QVi in sua prouincia deliquit, si in alia inueniatur, & in carceres detrudatur, ac ex vinculis de crimine respondere iussus aut confessione propria, aut testibus conuictus sit, [1] non ad aliud condemnari à Senatu nostro solet, quàm vt exulare confestim iubeatur, [2] si non alium accusatorem habeat quam Principis nostri procuratorem generalem, [3] nisi tale crimen sit cuius pœna non alia quam capitis esse possit, aut nisi grauioris criminis probationes leuiores proponantur, quas impleri necesse esset, vt ad grauiorem & capitalem condemnationem perueniri posset. *Ita Senatus* 19.April. 1614.

1 Alteruttrum enim necesse est interuenire, vt conuinci quis possit de crimine. Confessio autem potest interdum vera esse, interdum ficta, puta quæ ex contumacia inducitur.
2 Semper enim Præsides prouinciarum id agere & curare debent quantùm possunt, vt malis hominibus purgent prouinciam *l.3. D.de offic.præsid.* quod per exilium fit commodissime: quodcunque tandem illud sit ex tribus illis generibus de quibus *in l.*5.*D.de interd.& releg.*
3 Cum enim priuatus accusator aliquis est seuerius agitur cum delinquente licet criminis & vindictæ publicæ persecutio ad solum procuratorem generalem spectet, non ad priuatum accusatorem, vt scripsi *Defin.*9.*n.*2.3.*De accus.& inscript.*

TIT. XXVI.

NE SIN. IVSS. PRINC. cert.iudic.lic.confisc.

DEFINITIO I.

Confiscationis pœnam solus Principis magistratus irrogare potest.

QVemadmodum non ex omni crimine publico & capitali hodie irrogatur bonorum omnium publicatio & confiscatio, [1] sed ex eo duntaxat quod ad læsæ maiestatis diuinæ aut humanæ causam pertineat, [2] ita non alius quam qui mandatam à Principe iurisdictionem exercet, confiscandi ius habere potest. Inferiores alij iudices & magistratus non habent, sed pecuniarias tantum pœnas possunt infligere, [4] & eas tamen interdum tantas tamque graues, vt totius patrimonij facultates exhauriant, si delicti atrocitas eam condemnationem postulare videatur. Itaque cum iudices Sancti Victoris ad Gebennensem ciuitatem Claudium Patry ob homicidium condemnati bona confiscassent, partemque ciuitati Gebennensi, partem occisi liberis adiudicassent, *Senatus* noster ex appellatione procuratoris generalis cognoscens pronunciauit male iudicatum, commutauitque pœnam confiscationis bonorum in condemnationem pecuniariam 15.Cal.Decemb.1588.

1 *Auth. bona damnatorum. Cod.de bon.damnat.* quæ in hoc correxit iura antiqua cum olim specialiter in multis casibus esset imposita pœna confiscationis bonorum, præter

eaque generaliter in omnibus casibus in quibus erat imposita pœna mortis naturalis, vel deportationis, in illis etiam in consequentiam veniebat pœna confiscationis bonorum, vt tractat Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 78. nu. 1. in princ.*

2 *d. Auth. bona damnatorum.* Adde crimen falsæ monetæ, hæresi & incestarum nuptiarum, de quibus diximus suis locis post Iul. Clar. vbi sup. *num. 3.* vbi addit *num. 4.* etiam apostatam puniri confiscatione bonorum *ex l. 1. C. de apost.* scilicet si non extent eius filij vel cognati ad quos bona deferantur. *Auth. si qua mulier. C. de sacrosanct. eccles.* Iunge *Auth. incestas. C. de incest. & inutil. nupt.*

3 Ad eos namque solos pertinet læsam Principis maiestatem vindicare. Alios enim defendi à Principe oportet non Principem ab aliis, quomodo de viro & vxore scriptum est, *in l. 1. §. vlt. & l. 2. D. de iniur.*

4 Distinguendum tamen est an pœna confiscationis pro delicto veniat imponenda à lege vel tacite, vel expresse, vt tunc quilibet iudex qui potest super delicto cognoscere possit etiam pœnam illam imponere, an vero imponenda sit à iudice præter legem, & tunc nullus iudex præter summos & Principis magistratus possit eam imponere. Ita enim ex communi nostrorum sententia distinguit Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 78. num. 5.*

DEFINITIO II.

Potest Princeps fisco suo applicare pœnam confiscationis etiam in præiudicium vasalli omnimodam habentis iurisdictionem, quoties edictum Principis facit ex non delicto delictum.

COnsultus à Serenissima Augusta Senatus noster, an confiscatio bonorum eius qui aduersus edictum Principis frumentum in aliam prouinciam exportasset ipsi Principi adiudicanda esset, cum idipsum edicti verbis diserte comprehensum esset, an vasallo potius, qui dominus erat subditi delinquentis, & cui Princeps omnimodam iurisdictionem, & merum mixtumque imperium concesserat? Respondit periculosi esse exempli de illo disputari, supremamque supremi Principis potestatem quasi in dubium reuocari. Quis enim nesciat post translatam à populo lege regia Principi & in Principem omnem potestatem, [1] solius esse Principis legem condere? [2] Rursum eius esse qui legem condere potest, vt pœnam pro arbitrio statuat, & cui velit applicet? Ea siquidem potissima legis pars & potestas est, vt non solum quid fieri iubeat, vel prohibeat, sed etiam quod contra legem factum erit coerceat. [3] Sed & illud certissimum est, quantumuis Princeps vasallo suo iurisdictionem omnimodam cum mero mixtoque imperio concesserit, nunquam tamen tantum à se potestatis eum abdicare intelligi, vt non plus sibi retinuerit, quam in alium transtulerit. Cui simile illud est, quod iactari solet in concessione quantumcunque generalissima, semper exceptam intelligi personam concedentis. [4] Præterea sic posito iure, vt ad vasallum non ad Principem confiscatio pertineret, facile accideret, vt pro arbitrio vasalli edictum Principis eluderetur, si forte per sordes, aut per gratiam conniuentibus oculis vasallus agere cum iis vellet, qui Edictum infringerent, adeoque in id absurdum res deducta videretur, vt Princeps aut quod hac parte idem est Principis procurator cogeretur auxilium & iurisdictionem vasalli ad hoc ipsum implorare, vt Principi pareretur. Cum tamen subditorum omnium saluti & commodis consuli præcipue interesse Principis. [5] *Ita Senatus* noster contra nescio quos consultores, qui in diuersam sententiam proprij compendij potius, quam tuendæ veritatis gratia laboraverunt. [6] Ante Cal. Decemb. 1590.

1 *l. 1. D. de constit. princip.*

2 *l. 1. & vlt. & pass. C. de legib.*

3 Vt tractat Vlp. *in fragment. Instit. tit. 1. l. legis virtus 8. D. de legib.*

4 Quamuis vasallus dicatur inuestitus priuatiue quod ad dominium, Tessaur. *decis. 132. n. 2.* vbi multos citat.

5 Absurdum enim esset Principem alicuius auxilio egere in suo territorio, cum eius auxilio cæteri omnes indigeant. Guid. Pap. *qu. 346.* Adde eundem *q. 341.*

6 Ægid. Bossius & Marc. Anton. Natta *consil. 659. tom. 4.* quos refert & refellit Bagnasaccus apud Pedemontanos eo tempore Aduocatus generalis, cuius extat in hanc rem percelebre & amplum consilium quod ad nos à Sereniss. August. transmissum, & à Senatu nostro adprobatum fuit. Vide tamen Chassan. *tit. De confiscations*, Antonin. Tessaur. *decis. 132. 250. & 266.* præsertim *nu. 6.* Amed. à Pont. *quæst. laudim. 24.* Boer. *decis. 264.* Intellige tamen hanc Senatus nostri sententiam de pœna quæ irrogatur etiam ex iure communi, & pro delicto communi, ne dum ex edicto Principis, quod faciat ex non delicto delictum, vt in casu proposito, licet contra sentiat Tess. *quæst. 132. num. 2.* Vide *Defin. vlt. infr. de sent. pass.*

DEFINITIO III.

In persecutione mulctæ pecuniariæ dominus cum vasallo concurrit, nec alter alteri anteponitur. Vtrique vero pars læsa præfertur nisi quod ad sumptus litis pertinet.

COndemnato reo criminis ad mulctam pecuniariam & accusatori, & Principi, & Vasallo domino iurisdictionis, cum non haberet in bonis vnde satisfieri omnibus posset, constabat quidem, accusatorem qui propriæ vindictæ causam persequebatur, cæteris præferendum esse, [1] sed neque vasalli potiores partes esse debere quam Principis, neque Principis quam vasalli, cum vterque vindictam publicam pari & æquo iure prosequebatur. Quid ergo est? Concurrent, [2] vt pariter vtrique simul pro rata adiudicationis satisfiat. [3] *Ita Senatus* in causa quadam Reuerendiss. D. Episcopi Maurianensis 20. Decembr. 1602.

1 Est enim creditor qui accusat pro suo, vt aiunt interesse. *l. fiscus 38. §. 1. cum l. seq. §. 1. D. de iur. fisc.* Creditores autem omnes pœnis fiscalibus semper præferri certum est. *l. vnic. C. pœn. fisc. credit. præfer. lib. 10. tit. 7.* Vide Iul. Clar. *in pract. crimin. qu. 80. nu. 7. & in §. furtum, nu. 16.*

2 Quamuis non desint qui dicant vasallum qui de mero & mixto imperio cum regalibus inuestitus fuit dicendum esse inuestitutum priuatiue etiam quod ad dominum, vt dixi *Defin. præced. nu. 5.* ex Antonin. Tessaur. *decis. 132. nu. 2.* post multos ibi citatos.

3 Vt euenit inter correos credendi. *l. reos 11. §. cum tabulis. D. de duob. reis*, aut inter creditores nullum vel temporis, vel causæ priuilegium habentes, *l. priuilegia 32. de reb. auct. iud. poss. alias l. 13. de priuil. cred.* [Sanè quod ad sumptus litis criminalis pertinet constat solui eos debere etiam ante mulctam accusatori priuato adiudicatam, vtpote sine quibus ad eius mulctæ adiudicationem peruenire non potuisset. *Ita Senatus* eodem Arresto, & rursum 21. Iunij 1613.

TIT. XXVII.

DE BON. DAMNAT.

DEFINITIO I.

Confiscatio irrogata per sententiam, an & quando sufficiat bona sita extra territorium ius dicentis, & eius fauorem.

IRROGATA per competentis iudicis sententiam vniuersorum bonorum publicatio si eam causam habuit, quæ non ex iure municipali loci illius, in quo iudicatum est, sed ex iuris communis ratione proficiscatur, ad ea quoque bona pertinet, quæ in alienæ iurisdictionis adeoque ditionis

ditionis territorio sita sunt, quippe quæ ius vbique faciat propter iuris communis auctoritatem cum iudicati potestate coniunctam: [1] sed ita tamen, vt quæ alibi sita repetiuntur illius territorij domino acquirantur, non etiam, ei, cui publicationis commodum acquirere voluit is, qui sententiam tulit. [2] *Ita Senatus* sæpius.

1 Nec enim omnibus Iudicibus licet confiscare, vt diximus *tit. præced.* vide Guid. Pap. *quæst.* 341.

2 Idem Guid. Pap. *quæst.* 76. post Bart. *in l. cunctos populos, in fin. C. de summ. Trinit. & fid. Cathol.* Bald. ibi Boer. *quæst.* 264. licet contra sentiat Guil. Lud. *sing.* 94.

DEFINITIO II.

Sententia confiscationis lata contra heredem grauatum non nocet fideicommissario.

SI heres de restituenda post mortem suam hereditate rogatus, ob crimen læsæ maiestatis condemnatus sit, irrogata præter pœnam capitis bonorum quoque omnium publicatione, nullum ex ea condemnatione præiudicium fit fideicommissario, cuius vtique potior, quàm fisci causa esse debet, [1] vt & anteriorum omnium creditorum. [2] Cætera pete ex tit. De fideic. SC. 6.

1 *L. Statius Florus* 48. *§. Cornelio Felici, D. de iur. fisc.*

2 *L. vnic. C. pœn. fiscal. credit. præferr.*

DEFINITIO III.

De bonorum petitione facta ante confiscationis sententiam.

ETsi bonorum petitiones æquissimis Gratiani & Theodosij constitutionibus sublatæ iam olim fuerunt, [1] fecit tamen temporum nostrorum iniquitas, vt nihil hodie inter aulicos frequentius sit huiusmodi petitionibus, adeo, vt & plerunque prius quam de crimine cognitum nedum pronunciatum sit delinquentis bona citius donata reperiantur quam publicata. [2] Hoc vno vice remedij adhibito temperamento, vt non prius ea concessio vires habere incipiat quam à Rationalibus adprobata sit, nec rursum à Rationalibus ante adprobari possit, quam de crimine à Senatu cognitum fuerit & pronunciatum. [3] Si secus attentatum sit, appellari à Rationalium cognitione tanquam ab abusu potest. *Ita tractatum est* in publico auditorio 10. Calend. August. 1591.

1 *L. 1. C. de petit. sublat. lib. 10. tit. 19.* vbi est textus elegans.

2 Inuerecunda petentium inhiatione, vt loquuntur Imperatores *in d. l. 1.*

3 Prius enim est vt constet de crimine quam vt condemnatio vlia se qui possit. Et rursus, vt concessio Principis adprobata sit à Rationalibus antequam effectum habere possit. Ioan. Pap. *in synagm. lib. 5. tit. 1. Du domaine du Roy, §. 4. in fin. Ex l. nec venditio 2. C. de præd. decur. lib. 10. tit. 13.*

TIT. XXVIII.

DE SENTENT. PASS. & restit.

DEFINITIO I.

Indulgentia Principis restricta ad certam pœnam non facile ad aliam extendi debet.

QVI sententiam & condemnationem triremium aliamve minorem passus est, cum supremo capitis supplicio sceleris sui pœnas luere debuisset, si aduersus eam duntaxat condemnationem, à qua prouocauerat, restitutus sit à Principe pendente appellatione, non satis tutus est. Quid enim si à priore sententia procurator Principis tanquam à minima condemnatione ad Senatum prouocauerit, vt mortis pœna infligatur? [1] Non proderit beneficium Principis, vt cui libertatem & ciuitatem dare voluit, vitam ipsam adimi noluisse videatur. [2] Etsi enim minus accurate intuenti videri potest Princeps noluisse, vt ei vita eriperetur, cui ne ciuitatem quidem ereptam vellet. [3] Tamen sicut alia mortis alia triremium condemnatio est, [4] ita expresso Principis beneficio opus est, vt mortis pœnam remisisse dici possit, [5] neque vero dubitandum est, quin multo facilius Princeps restituat aduersus triremium condemnationem, quam contra indictam mortis pœnam, cum quanto grauius delictum est, quod remittitur, grauioreque dignum supplicio, tanto difficilior tardiorque Princeps esse soleat & debeat ad indulgendam restitutionem. [6] Sane remissa capitalis supplicij pœna, si Senatus ex appellatione leuiorem infligi debuisse cognoscat, nemo dixerit leuiorem remissam videri. [7] Cum vt plurimum ex huiusmodi causis eueniat, vt per Principis indulgentiam grauior pœna in leuiorem commutetur; nec omnino liberetur, qui omnino perire debuerat: Nisi ad quamcunque pœnæ speciem, quod sæpe fit, indulgentia principalis extendatur. Principis enim voluntas & liberalitas maxime vero in indulgendo seruanda est, & interpretatione adiuuanda potius, quam restringenda, [8] *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 7. sup. De pact.

1 Semper enim & quocunque tempore licet procuratori generali appellare tanquam à minima condemnatione vt delicta omnia non solum aliquas, sed etiam meritas luant pœnas.

2 Ne qui dedit quod minus est videatur ademisse quod plus fuit, *arg. l. cui pacto 5. D. de seru. export. & not. in l. non debet cui 21. de reg. iur.*

3 Sunt enim distincta ista, vt & alia genera pœnarum capitalium, *l. capitalium 18. D. de pœn.* Vide tamen Ant. Robert. *lib. 4. de re iud. cap. 6.*

4 Nec enim potest videri Princeps remisisse pœnam mortis quam à iudice irrogatam ignorauit, cum concessiones quantumlibet generales nunquam extendantur ad ignorata & incogitata, *vulg. l. cum Aquiliana 5. l. qui cum tutoribus 9 §. 1. & vlt. D. de transact.*

5 Quia ex grauitate pœnæ facile potest Princeps colligere grauitatem criminis, *l. aut facta 16. l. capitalium 18. & pass. D. de pœn.* Dixi *Defin. 7. num. vlt. §. ill. tit. de pœn.*

6 Alia enim pœna est quæ leuior est, & ideo alia remissione indiget.

7 Debet enim misericordia Principis ad exemplum & imaginem diuinæ misericordiæ nonnullam iustitiæ rationem habere.

8 Princeps enim potest omnes delictorum pœnas remittere siue ante, siue post condemnationem. Iul. Clar. *in practic. crim. quæst. 59. in princip.* quamuis non soleat regulariter concedere gratiam delicti sine remissione partis. *Ibid. num. 3.* Beneficium autem, quod à mera Principis indulgentia proficiscitur, quam plenissime est interpretandum, *l. penult. D. de constit. princip.* Et vero si pœnæ omnes sint odiosæ, *l. penult. D. de pœn.* consequens est, vt indulgentia quælibet sit fauorabilis, quia per eam non remanet delictum omnino impunitum, siquidem indulgentia quos liberat notat. *l. vltim. Cod. de abolit.*

DEFINITIO II.

Clericus veniam criminis capitalis à solo Principe impetrare potest, & an impetrata ea possit adhuc conueniri apud iudicem ecclesiasticum, & ab eo condemnari?

ETiam cum à clerico perpetratum est homicidium cuius coercitio ad iudicem ecclesiasticum pertineat, criminis veniam facere solus Princeps potest. [1] Quoniam etsi de crimine iudex ecclesiasticus cognosceret, [2] capitis tamen supplicium irrogare non pos-

BIU Cujas

set, sed ex ea causa ad iudicem laicum remittere condemnandum deberet.[3] Itaque si rescriptum Principis ad Senatum de abolendo crimine à Senatu adprobandum sit,[4] non solet in eam rem citari procurator fiscalis ecclesiæ.[5] Sed an post Senatusconsultum pro reo redditum licebit ecclesiastico iudici hunc eundem reum pro eodem crimine quod commune fuit condemnare?[6] Mouet ex vna parte pro reo auctoritas Senatusconsulti, quod quanquam inter alias partes pronunciatum, ei tamen nocere & æquum est, qui citari non debuit, quique si vocatus fuisset, intercedendi ius non habuisset.[7] Ex alia parte vrget, quod salua Senatusconsulti auctoritate, quo nihil de crimine ipso pronunciatum sit, sed tantum de pœna capitali, & de pecuniaria in capitalis consequentiam irroganda,[8] nihil prohibeat hunc ipsum condemnari in mulctam pecuniariam fisco ecclesiæ applicandam,[9] ne alioqui eueniat, vt ex iudicis aut Principis secularis facto deterior fiat conditio fisci ecclesiastici, cui quod ad commune delictum attinet pecuniariamque condemnationem, iniuria fieri nulla debuit.[10] *Senatus* nihildum constituit in ea causa de qua SC. 27. de iurisd. omn. iudic. & for. compet.

1 Tanquam qui sit dominus totius reipublicæ & territorij sui in quo etiam hic reperitur.

2 Vt pluribus tractat Iul. Clar. *in practic. crimin. quæst. 36. per tot.*

3 Scilicet post solemnem depositionem, & vt loquuntur, degradationem, cui numquam locus est nisi ob graue crimen. Iul. Clar. *quæst. 74.* vbi etiam subiicit quænam solemnitas interuenire debeat in degradatione.

4 Quomodo semper adprobari gratia Principis per Senatum debet. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 59. num. 10.* Etiamsi per eam fiat tantum commutatio pœnæ non absoluta remissio. Ibid. Et quamuis subiiciat non esse necessariam Senatus adprobationem in gratia exilij arbitrarij, itemque quando conceditur gratia à pœna extraordinarie imposita per edicta ipsiusmet Principis, alio tamen iure vtimur, nec istas limitationes Clarus ipse probat.

5 Quia non posset impedire gratiam, cum ecclesia non nouerit sanguinem.

6 Interdum enim qui apud vnum iudicem accusatus & vel absolutus, vel punitus fuit, iterum apud alium iudicem accusari potest & puniri. De quo vide Iul. Clar. *in pract. crimin. quæst. 57.*

7 Sufficit enim vt redditum sit cum legitimo contradictore, *l. si ideo 55. in fin. princ. D. de euict. l. cum non iusto 5. D. de colluf. detег.*

8 Abolitio enim tollit non inducit quæstionem de crimine.

9 Nec enim ideo fiet, vt contraria pronunciata videantur, quod vnum verendum esset *l. singulis 6. D. de except. rei iudic.*

10 *Ex reg. l. 1. in princip. de alien. iudic. mut. cauſ. fact. non debet alteri 74. de regul. iur.*

DEFINITIO III.

Potest gratia criminis facta per Principem adprobari à Senatu etiam inaudito procuratore vasalli.

AD capitalem pœnam condemnato si Princeps criminis veniam indulserit, non est necesse audiri procuratorem officij, vt vocant, id est, iurisdictionis inferioris in qua delictum admissum esse dicitur, sed solum procuratorem Principis, & priuatum accusatorem. Hunc vt ei ante omnia satisfiat,[1] non vt consensus illius exquiratur, cum tametsi dissentire maxime velit nihilominus Principis beneficio locus esse debeat,[2] si aliud nihil remoretur.[3] Interdum namque ea indulgentia necessitatem inducit præstandæ satisdationis De non offendendo.[4] Illum vero quod ipsius maximè interfit, vtpote ad quem publica vindicta criminisque persecutio spectet.[5] At eius procuratoris qui iurisdictionem tantum tuetur, nihil prorsus interest, dum ne quid ex mulcta ei adiudicata detrahatur, quod nec vnquam Princeps facere solet.[6] Aliud est si indulgentia præcesserit condemnationem.[7] Tunc enim nihil inaudito inferioris iurisdictionis procuratore constituendum est, ne alioqui ius ipsius remittere voluisse Princeps videatur.[8] *Ita Senatus* in eadem causa & pro Martino Micol 13. Calend. Ianuar. 1593.

1 Secundum ea quæ dixi *Defin. 3. 5. ne sin iuſſ. princ. cert. iudic. lic. confiſc.*

2 Quod enim potest fieri aliquo inuito, potest multo magis fieri eo ignorante, *l. quod potest 26. de reg. iur.*

3 Quid enim si pars doceat obreptum vel subreptum fuisse Principi? *l. si quis obrepſerit. D. de falſ. l. vltim. Cod. de precib. Imper. offer.*

4 Ne beneficium Principis alioqui fiat iniurioſum & captioſum contra *l. 4. Cod. de emancip. lib. l. Paulus 8. de præter. ſtipulat.*

5 *L. poſt legatum 5. §. aduocatum fiſci, D. de his quæ vt indign.*

6 Intelliguntur enim omnia Principis rescripta saluo iure tertij, *l. 2. §. ſi quis à Principe, & §. merito, D. ne quid. in loc. public.* [Quid ergo si iudicatum quidem sit, sed per contumaciam, & reus purgans contumaciam compareat, impetrata venia criminis? Ex integro cognoscendum erit, ac proinde audiendus erit vassalli procurator acsi nunquam fuisset iudicatum, quia quod iudicatum est pro non iudicato habetur. *Ita Senatus* in causa procuratoris iurisdictionis de Myolans & Guilliermet 20. Decembr. 1614.

7 Quod tum maxime solet vsuuenire cum indulgentia sit per modum abolitionis, quæ in eo differt à gratia, quod per abolitionem prohibetur accusatio ne cogatur reus fateri crimen, quod gratia & indulgentia præsupponit. Ita vt is cuius crimen abolitum est non possit interrogari, de crimine, ideoque solent abolitiones esse odiosiores. Quanquam nihil vetat etiam ante condemnationem fieri gratiam & indulgentiam criminis.

8 Semper enim citandus est quisquis ex eo actu lædi potest, *l. de vnoquoque 47. D. de re iudic. nam ita 36. D. de adopt.*

DEFINITIO IV.

Condemnatus ad mortem nec agere amplius potest, nec conuenire.

AD vltimum supplicium[1] condemnatus per contumaciam si per procuratorem ciuili aut criminali iudicio agere velit audiendus non est, cum pro mortuo habeatur,[2] præsertim si à supremo magistratu condemnatus sit à quo nec liceat appellare.[3] Si tamen rescripto Principis dilata & tantisper prohibita sit executio iudicati, nihil causæ est, cur non interea condemnatus iura sua persequi possit,[4] exemplo eius quod de deportato proditum est non prius amittere eum ciuitatem, quam Præsidis qui deportauit factum Princeps adprobauerit.[5] (Quamquam nil hodie necesse est, vt Principis approbatio accedat.) Nam siue in integrum restituetur salua ei esse iura omnia æquum est,[6] siue non restituetur, tanto facilius fisco satisfiet si mulcta pecuniaria irrogata sit,[7] aut tanto locupletior erit fiscus si tale crimen sit, ex quo confiscatio sit secuta. Planè si condemnatus ipse conueniatur ab alio dubitari non potest, quin aut permittenda ei defensio, aut in eum actio inhibenda. *Ita Senatus* Cal. Decemb. 1594.

1 Hoc est, ad mortem, *l. vltimum ſupplicium 21. D. de pœn.*

2 Cum per condemnationem, cuius statim facienda est executio, factus sit seruus pœnæ si præsens fuit. Iul. Clar. *in §. teſtamentum, quæſt. 21. num. 1.* vbi ob hanc causam ait non posse hunc testari, adeoque testamentum si quod antea fecerat irritum fieri, *ex l. ſi quis filio 6. §. irritum, D. de inoff. ruptt.* Quamuis non seruetur hoc de consuetudine, vt ille ibidem subiicit.

3 Nam si appellet ab eo à quo appellari potest, nec damnatus videtur, quia appellatio extinguit iudicatum, *l. 1. §. vlt. D. ad*

D.ad SC.Turpill.dict.l.si quis filio. §.hi autem omnes. de iniust.rupt.

4 *d.l.si quis filio 6.§.quid tamen ill.eod.tit.*

5 *d.l.si quis filio.§.eius qui deportatur,l.2.§.1.de pœn.l.1.§.deportatos.de leg.3.l.6.de interd.& releg.*

6 Hoc enim est in integrum restitui à Principe, iura sua omnia recuperare, *l.1.C.hoc tit.* vbi est text.elegans.

7 Semper enim creditoris interest locupletiorem habere debitorem, vt tanto facilior sit exactio crediti.

8 Quis enim ferat denegari defensionem ei qui ab alio conueniatur? *l.tutelas 7.§.vlt.D de cap.min.l.2.hoc tit.* * Cùm tamen quæritur an condemnatus ad mortem aut etiam ad triremes possit conueniri, solet distingui an lis fuerit inchoata ante condemnationem criminalem an post, vt inchoata possit peragi, non inchoata non possit institui. *Ita Senatus 26. Maij 1617.* ex Ioan.Papon.

DEFINITIO V.

Confiscatio bonorum apud nos cedit lucro solius Principis non etiam vasalli, & quomodo prospiciatur vasallo.

PVblicatio & confiscatio bonorum ex cuiuscunque criminis causa eam pœnam hodie admittentis,[1] ac multo magis si proponatur crimen læsæ maiestatis, solius principis lucro cedit,[2] non etiam vasalli eiusdemque domini directi, licet ex ratione iuris communis ea pœna irrogetur.[3] Nimirum quod ad bona illa attinet quæ sunt in eiusdem Principis territorio, nam quæ in alieno sita sunt ad illius territorij Principem omnimodo spectant.[4] Sed ita accipiendum est, nisi inferior ex priuilegio Principis tale ius habeat specialiter confiscationis percipiendæ, quomodo habet apud nos Illustriss. Dux Gebennensis in tota prouincia Gebennensi, & Focigniacensi, præterquam si læsa sit maiestas in primo capite. [Primum autem caput esse intelligitur, quoties aut contra personam ipsam Principis, aut contra statum Reipublicæ conspirasse quis probatur.][5] Neque tamen ex eo prohibetur supremus Princeps quo minus veniam criminis indulgeat delinquenti,[6] nec in eo solum, vt capitis pœnam remittat, sed & vt confiscationem ipsam, quæ vtique non nisi in capitalis supplicij consequentiam hoc casu irrogatur. In eoque elucet suprema Principis auctoritas, ne dubitari possit quin habeat ille non solum vitæ & necis, sed etiam bonorum plenissimam potestatem.[7] Verum eæ Senatus partes esse debent, vt mulctam pecuniariam tanto grauiorem infligat ei, cui Princeps criminis veniam dedit. Neque enim iuri inferioris domini vasallique derogasse voluisse Princeps facile credendus est.[8] *Ita Senatus* secreto SC. in causa Francisci Garnier, & N.Thibaud, 18.Calend.Iul.1595.

1 Nam ex paucis criminibus hodie fit confiscatio bonorum post *Auth.bona damnatorum.vbi not.C.de bon.damnat.*

2 Nat.*cons.*580.

3 Vide tamen plerosque contra sentientes à nobis relatos *Defin.2.nu.7.3.ne sin.iuss.Princip.*

4 Vt scripsi *Defin.1 sup.tit.prox.*

[5 *Ita Senatus* in causa oppidanorum de Passy, contra procuratorem fiscalem Ducatus Gebennensis. *Sine die.*

6 Secundum ea quæ tractat Iulius Clar.*quæst.59. in practic. crimin.*

7 *l.1.C.hoc tit.*

8 *l.2.§.merito & §.si quis à Principe. D. ne quid. in loc. public. l.4. C.de emancip.liber.* Tessaur. *decis.*132.250 *&* 266. Amed.de Pont.*quæst.laudim.*24.

[DEFINITIO VI.

LIterarum quas vocant, Salui conductus, apud nos vsus nullus est in criminalibus, licet apud Pedemontanos sit frequentissimus. Aut enim delicti suspicionem purgare debet reus si sit innocens, in eamque rem se carceribus mancipare, aut criminis veniam impetrare. Quod si eiusmodi literæ à Principe impetratæ sint, non magis impetrantem audire Senatus debet, si eas per procuratorem exhibeat, quàm si meram puramque criminis indulgentiam meruisset, vt qui se nocentes sciunt ab eiusmodi literis impetrandis reticentur, quarum nullum se commodum sperare sine præsenti capitis periculo posse intelligant. *Ita Senatus* 12. Calend. Mart. 1611.]

TIT. XXIX.

DE DIGNITAT. ET NOBILITAT.

DEFINITIO I.

Qui per artes sordidas nobilitatem generis amisit, non nocet liberis, ne quidem postea susceptis, imo nec sibi, si quandocunque desistat, neque indiget rehabilitatione.

QVi nobilitatem habet ab auis & proauis non idcirco eam amisisse videri potest, quod patrem habuerit[1] qui mechanicas forte & obscœnas artes exercuit.[2] Absurdum enim sit à patre solo aufferri filio, quod non à solo patre filius habeat.[3] Nec quod eo ipso tempore conceptus filius fuit, quod pater iam nobilitatem amiserat, ad rem pertinebit. Nam quod dici solet, per medium, vt vocant, inhabile impediri coniunctionem extremorum,[4] ad hunc casum non pertinet, in quo fieri non potest quin aui nobilitas per patrem quantumuis ignobilem in nepotem cum vita transmittatur.[5] Quidni vero, cum is ipse, qui mechanicas artes exercuit, si ab antiqua prosapia nobilis fuit, sola desistentia recuperet nobilitatem,[6] neque vlla indigeat rehabilitatione,[7] qua proculdubio indigeret, qui ex priuilegio & sola Principis concessione primus sibi suisque nobilitatem quæsiuisset. Quamquam, quod apud Gallos vsu receptum traditur, vt quisquis sordide vixit, tametsi ex nobilissima familia originem traxerit, nouo indigeat Principis beneficio,[8] non tamen eius liberi,[9] summam rationem habere mihi semper visum est, ne alioqui huiusmodi hominibus veluti ludibrio & contemptui sit nobilitas,[10] quam veneration potius habere, & sanctissime colere deberent. Sed tamen alio, vt dixi, iure vtimur.[11] *Ita Senatus* in causa fratrum de Dompierre de S.Genis, contra Syndicos illius Vniuersitatis, 15. Calend. Ian. 1590.

1 *l.3.D.de interd.& relegat.l.mancipatum 7.§.vlt. D.de Senator.* Nobilitas enim per aliquem acquisita descendit veluti ex traduce in posteros *d.l.1.* vbi Bart.*l. Senator.l.si Senator.C.hoc tit.lib.12.* Andr.Tiraq.late *in tract.de nobilit.cap.5.& 35.*

2 Nobilitatem enim perdit is, qui vilibus & mechanicis artibus vtitur.*l.nobiliores.* vbi Bald.*C.de commerc.& mercat. l.ne quid C.hoc tit.* Tiraq.*in tract.de nobilit.cap.27.* vbi vide.

3 *d.l.3.de interd.& releg.* vide Tiraq.*cap.35.de nobilit.*

4 Ratio est quam adfert Cravet. *cons.*165. vbi contrariam sententiam tuetur, vt scilicet non sit nobilis, qui auum habuit nobilem, si natus sit ex parte mechanicas artes tum exercente. Vide tamen *l.2.C.de oper.libert.*

5 Quia non tantum patri coniungitur filius, sed etiam auo per patrem *d.l.emancipatum 7.§.vlt.D.de senat.l.dotem 6.D.de collat.bonor.*

6 Guid.Pap. *decis.*196. 217. *&* 391. *per text. in cap. vltim. de vit. & honest.cler. & in clem.1. eod. l.ingenuum cum sua gloss. Cod de ingen.manum.* Et alij quos refert Tiraq. *cap.27. de nobilit.num.*

BIU Cujas

7 Scilicet si inspicias iuris communis rationem, quæ apud nos proculdubio obtinet. Masuer. *in tit. De tallijs seu collect. §. item illi qui sunt nobilitate decorati.* Chassan. *consil. 64. §. viso proces. col. pen. vers. sed. dico.*

8 Ita Tiraq. *dict. cap. 27. de nobilit. num. 6.*

9 Nec enim factum patris debet nocere liberis in eo iure quod habent ab auo non à patre *dict. l. 3. De interd. & relegat.* Iunge *Desin. 14. I.*

10 *Arg. l. vlt. §. pen. C. de bon. quæ liber.* Est enim rara res nobilitas. Tiraq. *cap. 37. n. 1.*

11 Vt scilicet rehabilitatio nulla sit necessaria, ne quidem ei, qui sordidas artes per se exercuit, sed sufficiat ei sola desistentia ad recuperandam nobilitatem, si modo eam ab auis habeat & ab antiqua prosapia, vt ait Definitio, non si cum primum sit ille nobilitatus. Hic enim & facilius amittit nobilitatem, & amissam difficilius recuperat. Plane qui per alium sordidas artes exercet non ideo amittit nobilitatem. Ideo Tiraq. *vbi §. n. 7. & seqq.* Audio tamen ab aliquot annis supremam apud nos Rationalium Curiam id obseruare, vt exigat rehabilitationem, quam Senatus noster non exigit.

DEFINITIO II.

Nobilitas non tam facile acquiritur quam amissa recuperatur.

FAcilius recuperatur amissa nobilitas quam acquiritur. Eam namque à seipso acquirere nemo potest; at quam facto suo quis amiserit eam contrario facto recuperare facile potest.[1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Guid. Pap. *quæst. 89.* post Bart. *in l. 1. C. hoc tit. De dignit. lib. 2. sit. 1.* Vide addit Guid. Pap.

DEFINITIO III.

Agros suos vel communes coluisse non nocet nobilitati, adeoq; nec alienos conduxisse, si nobilis aliter viuere non potuit honeste.

NOn ex eo solo nobilitas amittitur, quod vir nobilis agros suos manu coluisse probetur. Nam imo vero laudi olim habitum id fuisse, Cincinnati aliorumque exempla testantur, quos legimus ab aratro ad nobilissimas quasque Reipub. dignitates obeundas reuocatos.[1] Neque vero clericus ex hac etiam causa perdit priuilegium clericale.[2] Idem est si nobilis non lucri faciendi gratia, sed vt afflictis & miseris rebus suis ad victum necessarium subueniret, alienos fundos colendos conduxerit,[3] aut bona sibi cum fratribus aliisve communia,[4] ne extraneo conductore interueniente difficiliorem experiretur partis suæ fruitionem. His enim casibus apparet non tam inhonesti lucri auiditate, quam necessaria aut saltem honesta de causa ab ea viuendi ratione recessum esse, quam nobiles sequi & solent & debent.[6] *Ita Senatus* in eadem causa, & rursum pro Nobilibus de Leual, contra Syndicos loci d'Iunge, 4. Id. Maij, 1593.

1 Andr. Tiraquel. late *cap. 52. de nobilit. per tot. præsertim. num. 2.*

2 *Can. clericus* in verb. *agricultura* 91. *distinct.* Tiraq. *dict. cap. 32. num. 3.* Guid. Pap. *quæst. 41.* 392. Sic dicimus clericum, qui exercet opera rusticalia in suis possessionibus, non ideo tamen amittere priuilegium clericale. Specul. *in tit. de cleric. coniug. §. 1.* Guid. Pap. *d quæst. 41.*

3 Esset enim illa sane iniquissima sententia, per quam cogeretur quis etiam necessario semper carere & fame perire, *l. veo 41. D. de solut. l. suo victu 18. & seqq. D. de oper. libert.* Tiraq. *c. 37. n. 82. de nobil.*

4 Nam & suum potest quis dicere id quod cum alio commune habet, *l. 5. §. vltim. & l. seq. de legat. 1. l. illud 46. de rit. nupt.*

5 Et ad obuiandum discordiis quas materia communionis excitare solet.

6 Est enim honesta quælibet ratio conseruandæ vitæ, vt & redimendi sanguinis, *l. 1. D. de bonor. eor. qui mort. sibi conse.*

DEFINITIO IV.

Notariatus derogat nobilitati præterquam si quis sit Notarius Principis. Nam & cocus Principis habet dignitatem.

NOn dubitatur apud nos, quin notariatus officium deroget nobilitati,[1] quippe quod adeo vile sit, vt non desint qui putent etiam infames personas ad id admitti posse.[2] Quibus tamen hac parte non assentior. Alios enim mores nostra hæc ætas postulat, eoque iure vtimur, vt non nisi probatæ testatæque fidei homines ad huius officij exercitium recipiantur, cum quotidiano vsu compertum sit, quanti publice referat probos esse eos, quorum fidei probissimi cuiusque facultates, existimatio, vita denique ipsa committatur.[3] Magisque probarem quod apud gentes aliquas receptum audio, vt non alij possent esse notarij, quam qui vel nobiles essent,[4] vel Doctores.[5] Nec sane ratio bona reddi potest, cur viles haberi debeant ac ignobiles, ne dicã infames. Nam quod comparantur seruis publicis, quorum munus olim fuit, vt pro quibuslibet stipularentur, omnino alienum est, cum liberi sint non serui[6] vltroque susceptum munus obeant,[7] non quod inuitis sit iniunctum.[8] Illud sane in confesso est, notarium Principis non solum nobilem manere, si talis iam antea fuerit, sed etiam dignitatem habere intelligi.[9] Nam & cocus Principis dignitatem habere creditur.[10] Nimirum ad Principis maiestatem illud pertinet, vt domestici eius omnes dignitate præditi existimentur. *Ita Senatus* in ea causa, de qua supra SC. 1.

1 Crauet. *consil. 163.* quem refert Tiraq. *cap. 30. nu. 9. De nobilit.* vide Guid. Pap. *quæst. 90.*

2 Bart. *in l. 1. C. de mandat. Princip. & in l. eadem. D. ad leg. Iul. repet.* Crauet. & Tiraq. vbi supr.

3 Cum instrumenta per notarium recepta tantam faciant fidem publicam, vt nec de falso argui possint, nisi præcedente solemni inscriptione, vt dixi *in visul. Ad leg. Cornel. de fals. supr.*

4 Vt apud Vercellenses.

5 Vt apud Bononienses.

6 *l. non aliter 18. D. de adopt. lege 2. Cod. eod. l. 2. D. rem pupill. salu. for.*

7 At serui publici erant serui Reipublicæ non homines liberi. *l. 1. C. de serv. Reipubl. manum.* Nec vllus iuris locus est qui notarios appellet seruos, quod bene obseruauit Tiraq. *dict. numer. 9.*

8 Nemo enim notarius nascitur: aut fieri cogitur. Certè nemo dixerit notariatus officium habere dignitatem, cum possit exerceri per libertum. *l. vlt. C. de serv. Reip. manum.* qui tamen non potest habere dignitatem. *l. 1. C. ad leg. Iul. maiest.* Tiraq. post alios ibid.

9 *l. 1.* vbi Salycet. *C. de mandat. Princip.* Tiraquell. *dict. cap. 30. num. 8.*

10 Idem Tiraquel. vbi supr. *num. 10.* ex Bald. *in cap. 1. de feud. Gard. in addit.*

DEFINITIO V.

Procuratoris etiam ad lites officium derogat nobilitati, nisi quod apud Senatum exercetur.

SImilis nostrorum error ille est, quod vulgo putant, Procuratoris quoque litem exercentis officium esse vile & sordidum, ob idque derogare nobilitati.[1] Nullo enim iuris loco id proditum legimus,[2] ni forte ideo sic comparatum volunt, vt nobilibus omnis omnino quæstus comparandi occasio auferatur, quomodo à Pop. Rom. patribus olim ablatam fuisse constat.[3] Placet tamen Senatui nostro ea distinctio, vt qui apud Senatum aliamve supremam curiam procuratoris ad lites officium exequitur, pristinam nihilominus nobilitatem retineat,[4] non item qui apud inferiores iudices tametsi iurisdictionem

Principis

Principis tractantes,[5] vt tanto meliore conditione sint qui Senatui dant operam, quanto præcelsior Senatus dignitas est cæteris omnibus,[6] quippe quæ ipsam Principis dignitatem & auctoritatem præ se ferat. [7] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Guid. Pap. *quæst.*89. Andr. Tiraq. ex communi omnium sententia *cap.*30. *De nobilit. in princip.* Idem Guid. Pap. *quæst.*388. *& 396.*

2 Nam quod scriptum est *in l. si quis procuratorem*, vbi gloss. & DD. *C. de decur. lib.*10. non ad procuratores iudiciorum spectat, sed ad procuratores negotiorum, vt & bene obseruauit Tiraq. *dict. cap.*30. *n.*1.

3 Sic enim Tit. Liuius quodam loco scribit fuisse olim Romæ constitutum, vt quæstus omnis Patribus aufferretur.

4 Cum Senatus personam repræsentet ac maiestatem Principis, cuius etiam cocus habet dignitatem, vt dixi *Defin. præced. nu.*10. Ita Chassan. *in consil.*

5 Et de his debet intelligi Guid. Pap. in decisionibus supra allegatis. Idem tamen sentit ille etiam de aliis *quæst.*399.

6 Non tamen facile solet Senatus noster pati, vt quis etiam ex iis qui procurant apud amplissimum ordinem nobiles fiant, retento absolute eo officio procurationis, sed eum hac restrictione, vt post aliquod tempus abstinendum habeant à procuratione, saltem post decennium. Nempe quia facilius est, vt acquirendæ nobilitati repugnare videatur perpetuæ apud Senatum procurationis officium, quam vt perimat acquisitam. Huc enim pertinet quod dici solet multa facta tenere quæ fieri prohibentur. *l. patre furioso 8. de his qui sui vel alien. iur. sunt.*

7 Nam & literæ omnes quæ à Senatu prodeunt, sub nomine Principis prodeunt.

DEFINITIO VI.

Ex solutione tributorum quæ plebeiis indicuntur non amittitur nobilitas nec immunitas, nisi ea solutio fuerit continuata per triginta annos.

NOn fit præiudicium nobilitati & immunitati ex eo solo, quod vir nobilis passus sit censeri se in plebeiorum numero, tributaque non nisi plebeiis indicta per aliquot annos soluerit: Nec si per longum tempus ea solutio continuata sit, dum ne per longissimum.[1] Quis enim in re tanti momenti & ad causam status pertinente breuius quam triginta annorum tempus sufficere posse existimet?[2] Quamuis dici soleat perire priuilegium si eo per decennium vsus non sit, qui vti potuit.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Guid. Pap. *decis.*387.

2 Cum enim actus sit reiterabilis non sibi præiudicat nobilis, nisi pro vicibus quibus solent, non pro futuro tempore, secus si actus non esset reiterabilis, vt ratiocinatur ibid. Guid. Pap. per sext. *in cap. decedentibus. Extr. de priuil. Auth. presbyteros 2. de episc. & cleric. l. voluntariæ. C. de excus. tutor. l. 2. C. de iur. domin. impetr.*

3 *l. 1. D. de nundin.* Vide tamen Apostill. ad Guid. Pap.

DEFINITIO VII.

Etiam is, qui litis initio inter plebeios habebatur, potest lite pendente prouisionalem immunitatem tanquam nobilis obtinere.

QVid ergo si nobilis, qui per errorem aut imprudentiam passus est continuo fortassis decennio aut vicennio censeri se in numero plebeiorum & à se tributa exigi, repertis postea nobilitatis antiquæ instrumentis, in integrum restitui velit aduersus solutiones, neque tamen in eo res sit, vt per diffinitiuam sententiam adhuc decidi possit, an pendente lite immunitatem ab obeundis plebeiorum muneribus & honoribus obtinere debebit? Mouet, quod dici solet, pendente lite remanere actorem debere in eo statu in quo litis cœptæ tempore reperitur.[1] Sed id ita accipi debet, quousque de contrario statu aut per plenam probationem, aut per probabilem præsumptionem appareat.[3] Itaque pro actore nobilitatem ex instrumentis probante interea pronunciandum esse placuit.[3] In eadem causa. Iunge SC. 5. De muner. patr.

1 *l. moueor. 4. C. si seruus export. uen.*

2 Vt apparet *ex d. l. moueor*, in illis verbis, *sed quoadusque probaueris.* Semper enim præsumptio cedit probationi & veritati. *l. si chirographum 24. & seqq. l. Imperatores 29. in fin. de probat.*

3 Semper enim pendente lite dicendæ sunt vindiciæ pro eo qui apparentiorem, vt loquuntur, & probabiliorem exhibet titulum, quamuis nobilitas non sit qualitas naturalis, sed accidentalis. Nec enim quisquam nobilis nascitur. Bart. *in l. 1. C. hoc tit. de dignit. lib.*12. Vnde solent nostri nobilitatem definire qualitatem illatam per Principatum tenentem, qua quis vltra honestos plebeios acceptus ostenditur. Tiraq. *cap. 6. num.*1. *De nobilit. cap.*10. *num.*13.

DEFINITIO VIII.

Monetæ præfectura perpetua nobilitatem tribuit, non temporalis.

PErpetuam cudendæ monetæ præfecturam nactus à Principe nobilitatem ex priuilegio adeptus videtur. Quod secus est in eo cui non nisi ad tempus id muneris datum est.[1] Etsi enim vtrique illud est commune quod annuam Principi mercedem præstant, plus tamen potest causa perpetua quam temporaria ad nobilitatis acquisitionem.[2] *Ita Senatus* pro N. Ioanne Burges Camberiensi, 6. Calend. Decemb. 1592.

1 Et de his videtur intelligi debere quod tractat Guid. Pap. *quæst.*404. de magistris particularibus monetarum, quos ipse ait teneri ab subsidia Delphinalia, quamuis monetarij ipsi & operarij monetarum non teneantur, vt idem Guid. Pap. tradit *quæst.*402.

2 Exemplo eius quod dicimus ad acquisitionem dominij necessariam esse causam perpetuam nec sufficere temporalem, *l.* 1. vbi Cuiac. notat in Paratitlis. *D. de iur. dot.*

DEFINITIO IX.

Medici Doctores licet nec nobilitatem hoc ipso sibi acquirant, nec dignitatem, habent tamen immunitatem, itémque viuis illis vxores & filij eorum.

MEdicos Doctores, siue publici professores & lectores sint, siue curandis tantum morbis vacent, constat nec nobiles esse, nec dignitate vlla præditos.[1] Habent tamen priuilegium immunitatis ab omnibus oneribus, & muneribus, præsertim personalibus,[2] nec tantum qui actu legunt, vt male quidam sentiunt,[3] sed etiam si curationi se addixerint. Par enim omnium priuilegium est,[4] dummodo sint intra numerum constitutum, & quem vnaquæque ciuitas bene constituta præscriptum habere debet,[5] & consequenter decreto Curialium adprobati,[6] aut si sint medici exercitus & legionis, nempe quandiu exercitum sequuntur & absunt Reipublicæ causa.[7] Non tantum autem medicis, sed eorum liberis & vxoribus idem priuilegium immunitatis conceditur,[8] sed hoc viuis duntaxat medicis, non etiam iis defunctis.[9] Cum enim id priuilegium non nisi ratione officij datum sit, quod neque in viduam transit, neque in liberos, fieri non potest, vt finito officio duret.[10] Neque simile est, quod dici solet mulierem quandiu vidua manet gaudere priuilegiis viri. Id enim ad ea priuilegia pertinet, quæ ratione dignitatis competunt, non ad ea quæ ratione officij. Mulieres enim maritorum dignitate fulgent, at eorum officio non fungun-

BIU Cujas

Ita Senatus in causa Isabellæ Scarron viduæ Andreæ Pignier medici, & Syndicorum Sancti Petri d'Arbigny, Non. Febr. 1593.

1 Etsi negari non potest, quin medicina sit ars non solum honesta, sed etiam pernobilis, ita vt qui eam profitentur, licet hoc ipso nobilitatem & immunitatem nanciscí non possint; si quam tamen habent eam non idcirco amittant, vt pluribus tractat Andr. Tiraq. *cap. 31. De nobilit.*

2 *l. medicos 6. C. de profess. & medic. lib. 10. tit. 52.*

3 Bart. *ad d. l. medicos.*

4 *l. si duas 6. §. est autem & numerus. D. de excus. tutor.*

5 *d. §. est autem.* iunct. *§. excedere ead. leg.*

6 Vt loquitur *l. magistros 7. C. de profess. & medic. lib. 10.*

7 *l. 1. eod. tit.*

8 *d. l. medico. 6. & l. vlt. eod. tit.*

9 Gloss. *in d. l. medicab.* in verb. *filij*, quam ibid. adprobat Bart. & Ioan. de Plat. *nu. 2.*

10 Priuilegium enim competens ob aliquam qualitatem, finita illa qualitate finitur *l. si duas 6. alias l. athletæ. §. gentium D. de excus. tutor. & vulgar.* Ratio est Ioan. De Platea loco supradicto.

11 *l. vlt. C. de incol. lib. 10. tit. 39. l. mulieres 13. C. de dignit. lib. 12. tit. 1.* Bart. *in l. vnic. C. de mulier. & in quo loco. lib. 10. tit. 62. l. fœminæ 8. l. vlt. D. de Senator.*

DEFINITIO X.

In quo melior sit conditio Doctorum iuris & Aduocatorum, quam medicorum.

IN eo igitur melior conditio est aduocatorum & doctorum iuris, quam medicorum, illi enim non solum acquirunt nobilitatem perinde ac qui in castris militant, [1] sed etiam dignitatem quandam habere existimantur, [2] ob idque & priuilegium ne aut pro debito ciuili detrudi possint in carceres, [3] aut facile pro crimine tormentis subiici. [4] Proinde habent beneficium immunitatis non ex priuilegio & contra iuris communis regulas vt medici, sed iure communi quo immunes sunt à plebeiis muneribus & oneribus omnes, qui nobilium numero adscribuntur, [5] ac multo magis qui habent dignitatem: [6] Et consequenter transit in eorum viduas & liberos idem ius immunitatis, quoniam quemadmodum viduæ per maritum, ita liberis per patrem quæsita dignitas intelligitur, [7] vsque adeo vt nec si patri viuo ablata sit, liberis tamen aufferri debeat [8] extra causam læsæ per patrem maiestatis. [9] Ergo non satis recta in omnibus est Doctorum iuris & medicinæ comparatio. [10] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *l. aduocati 14. C. de aduoc. diuers. iudic.*

2 Guid. Pap. *quæst. 388. nu. 8. & 9.*

3 Nisi agatur de graui delicto. Iul. Clar. *in pract. crim. quæst. 28. nu. 4.*

4 Idem Clar. *in d. pract. crim. quæst. 64. nu. 16.* vbi addit non valere consuetudinem si qua sit in contrarium.

5 Andr. Tiraq. late *cap. 20. num. 168. & seq. De nobilit.* vbi & alia pleraque nobilitatis priuilegia refert & probat.

6 Dignitas enim plus quam nobilitas est cum vix possit esse sine nobilitate, possit autem nobilitas è contrario esse sine dignitate. Immunitas sane tribuitur plerumque ob solam nobilitatem. Tiraq. *d. cap. 20. nu. 172.* Vide tamen eundem Tiraq. *cap. 8. n. 4. & c. 20. nu. 191.*

7 Tiraq. *dict. tract. De nobilit. c. 18. per tot.*

8 *l. filiam 9. D. de Senator.*

9 Nam ex hac causa etiam liberi puniuntur infamia & bonorum amissione *l. quisquis 5. C. ad leg. Iul. maiest.*

10 Licet comparentur *in dict. l. medicos.* In eoque videtur errasse Guid. Pap. *quæst. 394.* iunct. *præced. & sequent.* Adde eundem *quæst. 81.*

[DEFINITIO XI.

EXcipiendi tamen sunt medici Principis, habent enim dignitatem, [1] quam & cocus Principis habere creditur. [2] Sed & medicos Principis accipere debemus, quibus Princeps ipse dat se curandum, non etiam illos quibus militum aut aliorum curandorum munus à Principe iniungitur, tametsi eo nomine stipendium mereantur. [3] Sane Principis medicos, licet edicto Principis nostri, quod ad 5. Cal. April. 1584. factum est, non connumerentur inter eos qui immunitatis priuilegium habent, æquissimum tamen est eodem iure censeri. [4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Et consequenter nobilitatem & immunitatem, Bart. *in l. vnic. in fin. arg. ill. text. C. de comit. & arch. sacr. palat. lib. 12.* Andr. Tiraq. *c. 30. in fin. de nobilit.*

2 Idem Tiraq. *ibid. nu. 10.*

3 Aliud enim est seruire militibus Principis, aliud vero ipsi personæ Principis.

4 Quomodo & notarij Principis idem priuilegium habent. De quo vide quæ scripsi *Defin. 4. supr.*

DEFINITIO XII.

Quantum referat an quis nobilis sit absolute ac simpliciter, an secundum quid, & an ex priuilegio, an ex iure communi?

NOn omnis nobilitas prodest ad immunitatem, sed illa dumtaxat quæ absolute nec secundum quid nobilitas est. [1] Exempli gratia; Feudum nobilitat possessorem, [2] & tamen nemo dixerit, ex eo solo quod quis feudum possideat gaudere eum debere priuilegiis omnibus, quibus gaudent ij qui natalibus aut ex Principis priuilegio nobilitatem sint consecuti, sed in iis tantum quæ ad feudi ius pertinent. Nam & quotidie videmus plebeios homines acceptis à Principe literis, vt vocant, capacitatis, fieri possessores & dominos feudorum nobilium, nec eo minus tamen in cæteris omnibus plebeiorum iure censeri. [3] Finge statuto alicuius ciuitatis aut edicto Principis concessum Syndicis ius & priuilegium nobilitatis [4] ad certos duntaxat vsus, puta vt feuda nobilia possidere possint, aut ad dignitates peruenire, quarum aditus non nisi nobilibus pateat, Non egredietur priuilegium fines territorij, [5] quomodo sane egrederetur, si nobilitas simplex & absoluta concessa proponeretur, qualis illa est, quæ iuris communis auxilio nititur, nec aliis vllis, quam honestis legibus finibusque concluditur. [6] Quisquis enim alicubi vere & simpliciter nobilis est, siue ab origine natalium, siue ex priuilegio & concessione eius, qui nobilitatem dare potuit, eum vbique nobilem esse necesse est, cum ea res ad hominis qualitatem & conditionem pertineat, quæ non minus indiuidua est, quam ipsa hominis persona. [7] Quamuis si summo iure agatur, possit dici non subtiliter, eum, qui nobilitatem habeat solum ex Principis sui aut ciuitatis suæ priuilegio quantumcunque simplicem & absolutam non posse dici nobilem extra territorium concedentis, [8] sed mutuo populorum consensu, & quadam veluti tolerantia receptum esse, vt qui in vna prouincia nobilis est, pro tali habeatur in alia, quoniam si Galli nobiles tales apud Sabaudos non essent, eueniret, vt nec Sabaudos in Gallia nobiles dici paterentur: [9] Quod in iis diuersum est, qui nobilitatem ex iure communi habent, non ex Principis priuilegio. Hi enim cur non eandem vbique retineant, quam si non haberent, vbique nanciscerentur? [10] *Ita Senatus* pro N. Petro Monconis Lugdunensi Consiliario regio, contra Syndicos de Montaney, 4. Februar. 1593.

1 Et hoc est, quod ait Tiraq. *c. 20. de nobilit. num. 172.* propter nobilitatem quandoque tribui immunitatem.

2 Tiraquel. *c. 7. de nobilit. per tot.*

3 Tiraq. *ibid. nu. 14.*

4 Potest enim consuetudo aut statutum ciuitatis vel Principis de non nobili facere nobilem, de non ciue ciuem, & contra Bar-

BIU Cujas

tra Bartol. *in l.1.C.de dignit.lib.12.* Bald. *in l.si quis filium, in fin. C. de lib.præt.* Boer. *q.13.nu.25.& 26.*

5 Quia nihil vetat esse quem nobilem in vno loco,& ignobilem in alio loco secundum diuersitatem consuetudinum & statutorum, vt pluribus tractat Tiraquel. *c.10.De nobil.in princip.& per tot.* maxime *num.9.* Nam & qui per acquisitionem feudi factus fuit nobilis amisso feudo, amittit nobilitatem. Tiraq. *d.c.7.in fin.*

6 Vide Bart. *ad l.1.C.hoc tit.de dignit.lib.12.* Vnde est, quod sententia lata in causa nobilitatis facit ius vbique, & quod ad omnes tanquam lata in causa status, per *l. ingenuum 25. de stat.hom.* Andr.Tiraq.late *c.37.de nobilit.n.2.& seqq.vsque ad* 15. vbi ponit septem limitationes.

7 *Arg.l.ex ea causa 9.* vbi Bart. *D.de postul. l.vlt. C.de senten. pass.& restit.*

8 *l.vltim. D. de iurisd. l.cum vnus 12. §.penult. de reb. auctor. iudic.possid.* Quamuis possit Princeps etiam extra suum territorium creare nobilem in suo territorio. Tiraq. *cap.6.num.26.De nobilit.*

9 *Arg.tit.quod quisque iur.in alium statuer.ipse.eod.vtat.*

10 Nimirum in omnibus illis locis, in quibus commune ius vigeret, at non in cæteris locis, in quibus prouinciale ius communi derogaret. Semper enim ius speciale potentius est communi, cum nec aliam ob causam fiat, nisi vt communi deroget.

DEFINITIO XIII.

Syndici Lugdunenses non minus apud Sabaudos quam Lugduni gaudent nobilitatis priuilegio, quod à Galliarum Rege habent.

ESt igitur superioribus consequens, vt Syndici Lugdunenses, quibus Galliarum Reges omnimodam absolutamque nobilitatem concesserunt, [1] gaudere apud nos debeant priuilegiis omnibus, quæ nobilibus nostris tributa sunt. Nec ad rem pertinuit, quod iisdem regiis priuilegiis exceptum proponebatur, vt publicis oneribus ciuitatis contribuere nihilominus Syndici tenerentur. Non enim id ob eam causam factum videri poterat, quod illos minus absolute nobiles esse Rex vellet, [2] sed quoniam aliud eiusdem ciuitatis priuilegium est, vt ab ea publicorum onerum munerumque contributione ne quidem nobilissimi immunes sint, nec alius quisquam præter ecclesiasticos: [3] Propterea quod quæ inter eos fiunt contributiones, non vt inter plebeios fiunt, sed perinde ac si immunes omnes essent (nam & generalem immunitatem incolis omnibus etiam aduenis, qui per decennium in Lugdunensi ciuitate morati sint Reges dederunt) hoc est, pecuniarum prorogatione potius quam erogatione, & ea lege, vt tantundem ipsis reddatur à publicorum vectigalium reddituumque redemptoribus, [4] quod illi dicunt, *par maniere d'emprumpt.* [5] *Ita Senatus* noster in eadem causa.

1 Cum in aliis locis & regulariter Consules & Syndici non nobilitatem nanciscantur, sed tantum immunitatem à talliis & subsidiis propter labores quotidianos, quos ipsi pro vniuersitate sustinent, vt inquit Guid.Pap. *quæst 398.*

2 Quamuis fere præcipuum nobilitatis priuilegium illud sit, vt tribuat immunitatem ab onere soluendi collectas, vt tractat Tiraq.*c.20.nu.165.& seq.De nobilit.*

3 Cum enim lex ita concepta sit, quantumuis dura, seruanda est, *l.prospexit 12. D. qui & à quib. manum.*

4 Quasi sola ciuitatis amplitudo immunitatem tribuat, ac propemodum nobilitatem. De quo vide Tiraq.*c.12.de nobilit.& l.1.D.de censib.*

5 Quæ res priuilegium nobilitatis & immunitatis non offendit.

DEFINITIO XIV.

Sordiditas patris non nocet filio, qui nobilitatem trahit ab auis.

QVi auum habuit nobilem, licet ex eo genitus, qui generis nobilitatem iam tum sordidis artibus, aut qua alia ratione obscurauerat, nihilominus auitæ nobilitatis dignitatem & priuilegia retinet, dummodo nihil ipse fecerit, quod nobilitati derogasse videatur. [1] Nec contrarium est, quod Diui Marci rescripto constitutum fuit, vt eminentissimorum & in dignitate positorum nepotes & pronepotes ita demum habeant priuilegium, ne plebeiorum pœnis & quæstionibus subiiciantur, si propioris gradus personas nulla violati pudoris macula aspersit. [2] Id enim specialem habet rationem, cum propter expressa verba Diui Marci, qui priuilegio à se inducto quam voluit legem dare potuit; [3] tum quoniam minore priuilegio digna est nobilitas, cum de crimine tractatur, quandoquidem reatus ipse solus omnem honorem excludit. [4] Et sane fatendum est, fauorabiliores esse illos, qui ex parentibus nullos nisi nobiles, quam qui alios nobiles, alios ignobiles & infames habuerunt. Sed non debet ius illud singulare, quod pro arbitrio Imperatoris priuilegium concedentis inductum est, trahi ad consequentias, [5] vt idcirco faciat, ne aui nobilitas per mediam filij etiam inuiti & ignobilis personam in nepotem transmittatur. [6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt scripsimus *Defin.1.§.ex l.3.D.de interd.& releg. l.emancipatum 7.§.vlt.D.de Senat.*

2 *l.Diuo Marco 11.C.de quæst.*

3 *l.vlt.C.de pact.conuent.tam sup.dot.cum similib.*

4 *l.1.C.vbi Senat.vel clariss.*

5 *l.quod vero 14.& seqq. D. de legib. l.quod contra 142.de regul. iur.*

6 Secundum ea, quæ disputauimus *Defin.1.* contra Crauet. ex Tiraq. *c.15.de nobilit.& c.35.*

DEFINITIO XV.

Nobilitas quamuis non conferatur, tamen probatur per verba enunciatiua Principis etiam contra tertium.

VErba enunciatiua Principis dicentis subditum nobilem, & ea dignitate præditum, quæ nobilitatis causam admixtam habeat, & quam Princeps citra vllius iniuriam conferre possit, probant nobilitatem & dignitatem etiam inter alios, quamuis de diplomate, quod alioqui ad eam dignitatem obtinendam necessarium esset, non appareat. [1] Cum nobilitas sit ex earum rerum numero, quas pro arbitrio & sola voluntate cuique ex subditis concedere Princeps potest. [2] Nam si ageretur de probanda ea dignitate, quam Princeps tam facile & citra alterius iniuriam concedere non posset, aliud vtique respondendum esset. [3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Intellige, cum ea qualitas & dignitas est quam Princeps verisimiliter ignorare non possit, puta si quem Cubicularium suum aut cubiculi præfectum dixerit. Alioqui certum est clausulam illam etiam expressam *ex nostra certa conscientia* non probare in iis, quæ verisimiliter à Principe fuerunt ignorata, nec quemquam nobilitari ex eo solo quod Princeps eum nobilem dixerit, nec videri adprobatum quem in ea dignitate in qua Princeps eum esse dixerit. Tiraq.late *c.6.nu.24.de nobilit.* Nisi quis dicat aliud esse fieri quem nobilem, aliud vero probari nobilitatem. Facilius enim est vt nobilitas probetur quam vt concedatur *arg.l.Publia 26.§.vlt.D.depos.*

2 Adeo vt etiam tacitè Princeps nobilitare possit, puta si quem fecerit Senatorem, licet nihil dixerit de nobilitate. Tiraq.*dict.cap.6.nu.21.& 22.*

3 Nec enim Princeps cuiquam velle iniuriam referre credendus est *l.4.C.de emancip.liber l.2.§.merito & §.si quis à Principe.D.ne quid in loc.pub.* Iunge *Defin.27.& 63.§.de probat.& Defin. 67.eod.* Adde Iul.Clar. *in pract.crim.quæst.33.& num.21.*

DEFINITIO XVI.

Nobilitas & immunitas per legem quæsita mulieri ex persona viri non potest auferri, ne quidem ex facto viri.

BIU Cujas

PLebeia mulier nupta nobili non solum nobilitatem sibi acquirit à marito,[1] sed etiam immunitatem ab omnibus plebeiorum oneribus, quippe quæ nobilitatis priuilegio cohæreat.[2] Quod adeo verum est vt si ea inscia maritus cum plebeiorum Syndicis transigat vxoris nomine, & consentiat, & eius bona plebeiis contributionibus subiiciantur, non possit ea res vxori nocere.[3] Nempe quia illud immunitatis priuilegium habet non tam à marito, quam à lege, licet ob mariti personam.[4] Proinde non est hic locus disceptationi, an quod ius à me aut ex mea persona habes possim ego tibi adimere vel inuito vel ignoranti?[5] Addebant quidam, Nec si mulier ipsa transegisset aut pro se transigenti marito consensisset, nocere tamen ei debere transactionem, quia ne quidem pacto fieri possit vt salua nobilitate priuilegium immunitatis, quæ nobilitati inseparabiliter cohæret, amittatur.[6] Nam & publice interest dignitatum ordinem seruari,[7] & sordidæ aut inferioris conditionis homines à nobilibus functionum publicarum distinctione secerni;[8] nec in cuiuslibet potestate situm esse vt in causa status sibi præiudicet, suæque conditionis dignitatem sola voluntate labefactet.[9] *Ita Senatus* ex tempore in causa Macianæ Bernard viduæ N. Claudij de Granget, D. de Champremont, & Syndicorum de Monluel, 8. Id. April. 1593.

1 Andr. Tiraq. late *cap. 18. de nobil.* per leges & auctoritates innumeras ibi citatas, præsertim *nu. 3.*

2 Vt diximus *Defin. 13. nu. 2. & sup.* ex eod. Tiraq. *c. 20. nu. 165. & seq. De nobilit.* Bart. *in l. 1. C. de mulier. & in quo loco.*

3 Ex regula quæ vult, posse ignorantis conditionem per alium meliorem fieri, at deteriorem non posse, *l. soluendo 39. De negot. gest. lege 2. quod vi aut clam. l. non debet alteri 74. de regul. iur.*

4 *Arg. l. 3. de interd. & releg. l. filiam 9. D. de Senator. l. vlt. D. de pact.*

5 De quo tractant nostri post Bart. ad *l. qui Romæ 122. §. Flauius de verb. oblig.*

6 Tiraq. *dict. cap. 20. numer. 168.* post Guid. Pap. *quæst. 384. & 387.*

7 *Tot. tit. C. vt dignit. ord. conser. lib. 12. tit. 8.* Facit *l. præcipimus l. Senatorum & l. quoniam C. hoc tit. l. non tantum §. Ilienſibus de excusat. l. 3. §. 1. D. de muner. & honor.*

8 Propter nobilitatis prærogatiuas & priuilegia: de quibus late Tiraq. *dict. cap. 20. per tot.*

9 *Arg. l. nec si volens 6. C. de liber. caus.*

DEFINITIO XVII.

Mulier nobilis siue à genere siue ex persona prioris viri amittit nobilitatem si postea nubat ignobili.

AT si post nobilis mariti mortem quæ prius fuerat plebeia iterum nubat plebeio, nemo dubitat quin cedat à priuilegio quæsitæ nobilitatis, nouique mariti conditionem sequatur.[1] Nam & idem contingeret in ea muliere, quæ natalium nobilitatem præ se ferret.[2] Quid autem si de posterioris mariti siue viui siue mortui, nihil enim refert, conditione dubitetur? An interea priuilegium pristinæ immunitatis quam ob prioris mariti personam habuit, mulier retinebit? Minime, quia certum est post contractas secundas nuptias nullam amplius rationem præcedentium haberi posse. Igitur pendente lite pro tali habenda erit mulier, qualis nata est, si nobilis pro nobili, si plebeia pro plebeia.[3] Nam nec facile credenda mulier est siue nobilis siue plebeia fuit diuersæ conditionis virum elegisse.[4] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Andr. Tiraquell. *dict. c. 18. de nobilit. num. 5. & 16. l. filij 22. §. 1. D. ad municip.*

2 Vt scilicet nupta ignobili fiat per huiusmodi matrimonium ignobilis. Bart. *in d. l. 1. C. hoc tit.* & alij quos contra Romanum refert & sequitur Tiraq. *dict. nu. 16.* Et tamen facilius amittitur nobilitas acquisita mulieri ex persona viri quam quæ fuit ei acquisita ex genere, inquit Tiraq. *dict. cap. 18. & nu. 12.* subiiciens *nu. 13.* mulierem si honeste non viuat in viduitate amittere nobilitatem quam habuit à marito, cum tamen non amittat nobilitatem generis.

3 Quomodo dicimus, Mulieris plebeiæ quæ fuit nobilis quandiu vixit heredes succedere mortuæ tanquam plebeiæ ex multis consuetudinibus Galliæ, vt testatur Tiraq. *dict. cap. 18. num. 12.*

4 Cum nobilis quæ ignobilem virum eligit faciat iacturam nobilitatis & perdat splendorem generis. Tiraquell. *dict. cap. 18. num. 18. & seqq.*

DEFINITIO XVIII.

Per vsum artium mechanicarum amittitur nobilitas facto ipso, & nouo priuilegio est opus ad eam recuperandam. Sed tamen declarationem sequi necesse est.

CVi nobilitatis priuilegium datum est à Principe, ac tam à Senatu, quam à Rationalibus adprobatum ea lege & conditione vt nobiliter in posterum viueret,[1] atque ab iis artibus mechanicis quas prius exercuerat abstineret, si rursum iisdem sordibus inquinetur, nobilitatem sine dubio amittit,[2] & quidem facto ipso, cum nihil sit tam contrarium nobilitati præsertim recens quæsitæ, quam ea facere per quæ ipsa etiam antiqua & ab auis tracta nobilitas amitteretur: Adeo vt nec sola desistentia possit hic nobilitatem amissam recuperare, nouaque Principis indulgentia egeat, quæ tamen ei, qui nobilitatem à genere aliquando habuisset, necessaria non esset.[4] At non ideo fiet, vt vniuersitas nobilem hunc quasi iam plebeium factum vrgere possit ad solutionem & contributionem onerum, quæ solis plebeiis iniunguntur. Sententiam enim præcedere necesse est per quam pronuncietur amissam esse nobilitatem,[5] ne alioqui sibiipsi vniuersitas in causa sua ius reddere videatur.[6] Itaque si is, qui nobilitatem amisisse dicitur, aduersus iniuriam sibi ab vniuersitate illatam quasi adhuc nobilis appellauerit, audiendus est, noua autem illa quæstio, an nobilitas quæ semel competiit amissa aut retenta sit, in aliam nouamque litem differenda.[7] *Ita Senatus* pro N. Antonio le Beuf, contra Syndicos d'Argentine, 12. Cal. August. 1593.

1 Parum enim est nobilem esse quem nisi etiam illud concurrat vt nobiliter viuat. Guid. Pap. *quæst. 391.*

2 Amittitur enim nobilitas quoties nobilis vtitur vilibus artibus & mechanicis. Tiraq. *cap. 27. De nobilit. ex l. nobiliores* vbi Bald. *C. de commerc. & mercat. l. ne quis C. hoc tit. lib. 13.* Quod intellige si modo per se non per alium has artes quis exerceat. Idem Tiraquel. *ibid. nu. 7.*

3 Quanto enim antiquior est nobilitas tanto maior est, Tiraq. *cap. 18. de nobilit.* & ob id tanto difficilius amittitur, vt ex iis constat quæ dixi *Defin. præced. nu. 2.*

4 Secundum ea quæ scripsi *Defin. 1. supr.*

5 Quid enim si appareret honestam aliquam fuisse causam propter quam hic nobilis minus honestis artibus se miscuisset? vt in specie *Defin. 3. supr.*

6 Quod nunquam ferendum est *l. 1. D. quod legat, l. extat. 13. D. quod met. caus. l. non est singulis 176. de reg. iur.*

7 Siquidem ante omnia reparandum est quicquid attentatum fuit in præiudicium aut spretum autoritatis magistratus vt dixi *sub tit. vt lit. pendent. supr.*

DEFINITIO XIX.

Immunitas concessa pro bonis præsentibus extenditur etiam ad futura ex præsentibus acquisita.

QVi immunitatem nactus est à plebeiorum contributionibus pro bonis tantum præsentibus non etiam pro futuris, si postea quædam bona acceperit in solutum eius quantitatis, quæ sibi iam tum debebatur, cum de præsentium immunitate paciscereturnon id-

non idcirco contributioni fiet obnoxius, quasi ex noua contributione locupletior factus, cum ea acquisitio non tam patrimonij quantitatem auxerit, quam bonorum speciem immutauerit. Itaque subrogatam rem in locum pecuniæ aut obligationis, pro qua nihil debebatur, eodem immunitatis priuilegio gaudere conuenit. [1] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *Arg. l. Imperator 7. §. vlt. cum duabus seqq. de legat. 2. l. si eum 10. §. qui iniuriarum. D. si quis caution.* An autem quis debeat contribuere in sua ciuitate etiam pro bonis alibi sitis, alia quæstio est, de qua vide Guid. Pap. *quæst. 5.* vbi concludit, distinguendum esse, an inducatur contributio pro negotiis illius ciuitatis, an vero personæ pro rebus, vt priori casu non fiat contributio pro bonis alibi sitis, posteriore vero secus, glos. fin. *in l. vnic. C. de mulier. & in quo loc. lib. 10.* vbi etiam Bart. vide *l. rescripto. §. sciendum in fin. D. de muner. & honor. l. 2. & 3. C. de annon. & tribut. l. 1. §. 1. C. de imponend. lucr. descript.*

DEFINITIO XX.

Spurij & bastardi ex iure communi viles sunt & infames non nobiles, ex consuetudine vero nobiles apud pleraſque gentes, apud nos vero non aliter quam si tria concurrant requisita per statutum, de quo in hac Definit.

SPurios, & vt vocant, bastardos nobilium liberos, neque paternam nobilitatem retinere, neque ea immunitate, quæ ex nobilitate competit gaudere posse constat, si iuris rationem inspicias, [1] quia ex illegitimo, licet non ex damnato coitu susceptj, &, vt quidam dicebat, [2] ex putrido sanguine, nullo legis auxilio digni videantur: [3] Imo nec patris condicionem sequuntur, quippe qui extra nuptias certus esse nunquam possit, [4] sed matris, [5] quæ tamen quantumuis nobilis sit non potest filio spurio nobilitatem præbere: quia & illud inconueniens absurdumque est, vt nobilitatem quis accipiat à matre, [6] quæ ipsa ex mariti dignitate aut vilitate mutat & accipit condicionem si maritum sortita est. [7] Nam si nullum, vtique nemo dixerit melioris condicionis esse debere eam quæ in concubinatu Christianis illicito fuit, aut quæ vulgo quæstum fecit, quam quæ plebeio licite & in Domino nupsit. [8] Non desunt tamen, qui generali fere omnium gentium consuetudine receptum esse dicant, vt spurij pro nobilibus habeantur, & omnibus nobilitatis priuilegiis gaudeant, [9] nisi quod familiæ insignia gerunt per interlineam diuisa. [10] Apud nos autem statuto cautum est, [11] vt ita demum nobilitatis decore fulgeant, si concurrant tria, quorum primum illud est, vt qui totius familiæ caput est consentiat: Secundum vt nobiliter viuat: Tertium vt quantum ad nobiliter viuendum facultatum habere necesse est, habeat, quo nobilium munera omnia pro Principe & Republica subire ac implere possit. Ex his si vel vnum desit, neque nobilis est, neque vllo immunitatis gaudet priuilegio. [12] *Ita tractatum est* in causa N. Puencet, & Syndicorum de Gilly, 6. Cal. Aug. 1593.

1 Andr. Tiraq. late *cap. 15. De nobilit. n. 10. & seqq. vsque ad 25.* post Bart. *in l. 1. col. 4. vers. item pone ex eodem C. hoc tit.* Bald. *in l. cum legitime, D. de stat. homin.*

2 Idem Bald. *in c. innotuit, col. vlt. vers. nota quod nobilitas Extr. de patit.*

3 Neque enim sunt de genere, sed degeneres, inquit Bald. *in l. vlt. per ill. text. C. de natural. liber.*

4 Cum pater ille sit, quem nuptiæ demonstrant, *l. quia semper 5. de in ius vocand.*

5 Cuius enim conditionem aliam sequeretur, quam matris, qui patrem nullum habet? *l. 1. §. vlt. D. de censib.*

6 Bald. *in l. vlt. C. de seruis fugit.* & alij quos refert & sequitur Tiraq. *cap. 18. num. 20. & 21. de nobil.* Adeo vt nec valeat statutum aut consuetudo in contrarium, nisi sit adprobata à Principe. Tiraq. *ibid. num. 22. 23. & 24. & l. exemplo, C. de decur. lib. 10.*

7 Tiraq. *ibid. num. 3.*

8 Cum nobilitas saltem quantum ad sua priuilegia amittatur per infamiam & vitæ turpitudinem. Tiraq. *cap. 24. De nobilit. per tot.*

9 Quam consuetudinem in Gallia locum habere, & ei standum esse inquit Tiraq. *dict. c. 15. n. 25. De nobilit.*

10 Idem Tiraq. *dict. c. 15. n. 25.*

11 *lib. 3. statut. c. 3. incip. quia naturales,* quod statutum refertur à Tiraq. *dict. c. 15. nu. 24. in fin.*

12 Nam cessante statuto res remanet in dispositione iuris communis ex quo bastardi non possunt ferre insignia domus tanquam qui non sint de domo seu familia parentum. Tiraq. *ibid. nu. 12.* Imo vero viles & infames, adeo vt danda sit fratri querela contra fratris testamentum in quo bastardus fuit institutus, idem Tiraq. *ibid. nu. 14. 15. 16.* Idemque iuris est de bastardorum filiis naturalibus & legitimis, quia nulla potest esse consequentia legitima ex illegitimo nascendi principio & radice corrupta, *l. vlt.* vbi Bald. *in l. vlt. C. de verb. sign.* Tiraq. *d. nn. 24.*

[DEFINITIO XXI.

Nutrix Principis non solum nobilis est, sed etiam nobilem facit plebeium cui nupta est.

QVæ Principis sui nutrix fuit nobilitatem hoc ipso à Principe acquisiuisse intelligitur. [1] Et quidem talem, quod magis mirum est, vt ignobili & plebeio viro nupta non solum nobilitatem non amittat, sed etiam quod prorsus est consequens maritum ex plebeio faciat nobilem, propterea quod ea nobilitas ex ipsa quodammodo sanguinis coniunctione proficiscatur, absurdumque videatur ignobilem haberi eam aut fieri, ex cuius lacte & sanguine Princeps ipse, à quo velut à fronte nobilitas ipsa scaturiat, alitus sit & educatus. [2] *Ita tractatum est* pro Gabriela Sernier, 7. Id. Decemb. 1595.

1 Est enim nutricis officium longe nobilius quam coci, qui tamen non solum nobilitatem, sed etiam dignitatem habere intelligitur, vt dixi *Defin. 4. n. 10. supr.*

2 Vide Tiraquell. *cap. 20. num. 78. & seqq. præsertim num. 91. de nobilit.*

DEFINITIO XXII.

Priuilegium immunitatis à tributo iudicati datum Senatoribus & Rationalibus, ad eorum viduas non porrigitur, quia nascitur ex pacto ad personas ipsas Senatorum & Rationalium relato.

SEnatorum viduæ in omnibus fere gaudent iisdem priuilegiis, quibus & ipsi Senatores. Radiis enim maritorum coruscant, eorumque dignitate fulgent etiam soluto matrimonio, [1] quasi idem matrimonium durare videatur, quamdiu mulier ad alias non transit nuptias. [2] Igitur & immunitate illa gaudebunt, quæ Senatoribus tributa est à plebeiorum onerum contributione. [3] Sed an ab eo quoque tributo, quod pro iudicato præstari solet, immunes erunt, vt sunt Senatores? Sic aliquando videbatur. [4] Sed cum postea Consiliarij Principis omnes, itemque supremi ordinis Equites aurati idem priuilegium prætenderent; Placuit non tam iure dignitatis quam ex conuentione immunitatem hanc Senatoribus acquiri, sic paciscente Rationalium Curia cum huiusmodi tributorum conductoribus, vt ne quid à Senatoribus & Rationalibus ex ea causa possint exigere. Itaque conuentionem illam cum stricte accipienda sit, visum est neque viduis, neque liberis Senatorum prodesse posse. [5] *Ita Senatus* contra N. Catharinam de Lallee viduam D. Senatoris de Beausuiour, 6. Id. Mart. 1594.

1 Bart. Fulg. & alij *in l. vlt. C. de verb. sign.* Tiraq. qui multos refert *cap. 18. n. 5. & seqq. de nobilit.*

2 *l. vlt.* vbi DD. *C. de bon. matern. & in l. de emancipatis ibi priuem tuorum seruauerit. C. de legit. hered.*

BIU Cujas

3 Guid.Pap. *decis.196.349.& 379. & cons.217.* & alij quos refert ac sequitur Tiraq. *de.18. n.5.*

4 Cum generale sit, vt vidua debeat gaudere priuilegiis mariti etiam in exorbitantibus, id est, in iis, quæ concessa sunt contra ius commune, *l.vlt.in princ.* & ibi Bart. *C.de priuil.scholar.lib.12.* Tiraq. *d.cap.18 nu.8.*

5 Quia in stipulationibus & conuentionibus non fit extensio de persona ad personam, *l.si ita stipulatus 126.§. Chrysogonus, in fin. de verb.oblig. l.si vnus 27.§.pacta. vers.ante omnia, D. de pact.* Itaque non est hoc priuilegium dicendum, sed pactum aut saltem quod eodem recidit priuilegium ex pacto, cuius longe alia ratio est, quam cæterorum priuilegiorum.

DEFINITIO XXIII.

Priuilegia quæ habent Senatores non tam dignitatis, quam solius officij sui ratione, non transeunt ad eorum viduas aut liberos.

ALiis etiam nonnullis casibus euenit, vt Senatoriæ immunitatis priuilegium defuncto Senatore ad viduam non transmittatur, nimirum, cum de ea immunitate agitur, quæ officij potius quam dignitatis ratione competit: [1] Cuiusmodi illa est, ne belli tempore cogantur Senatores ad portam ciuitatis adstare aut excubare. Nam cum eo tempore vrgentis necessitatis sola dignitas immunitatem adferre nequeat, [2] sola officij causa supereſt, cuius habenda ratio esse videatur, cum neque per seipsos id muneris exequi possint, quibus necessitas incumbit vt publico iudicandi officio fungantur. [3] Neque per alios facere cogi debeant, quod per seipsos facere, si malint, non possint. [4] Proinde non potest priuilegium hoc in viduas transire, vt nec ad liberos, cum non sicut dignitatis ita & officij administrandi sint participes. [5] Nam & euenit plerumque, vt ipsi etiam Senatores, si grauior ingruat necessitas, nec dignitatis, nec officij adferant excusationem, quo minus per alios id onus subeant vltro, vt exempli sui auctoritate nobilissimos quosq; alioquin immunes inuitent ad eandem curam pro salute Reipublicæ suscipiendam: tametsi Syndici ciuitatis & alij nonnulli dignitate nulla præfulgentes solo officij priuilegio tales aucupari soleant immunitates. [6] *Ita tractatum est* in eadem causa.

1 Multum enim refert, an quid competat ratione dignitatis an officij, cum dignitas alij communicari facilius possit, quam officium, *l.filiam 9.D.de Senator.*

2 Nec enim dignitas excusat, vbi vrget necessitas, quæ semper est potentior. Guid.Pap. *decis.7.& 78.* quem refert & sequitur Tiraq. *cap.20.n.167.in fin.& 169 de nobil.*

3 Habent enim Senatores iudicandi necessitatem, vt & alij quilibet iudices & in Senatum suis diebus & horis eundi, *l. sed in seruum 9.§.si quis iudex sit*, & ibi scripsi, *in rational. D.de recept.qui arbitr.recept.l.pen.de vocat.& excus.mun.*

4 *Arg.l.si mulier 59.§.ex asse.* vbi est text.elegans *D. de iur. dot.* Nec enim quisquam aliud pro alio soluere vel præstare cogitur, *l.2.§.mutui, D.de reb.credit.*

5 Quæ scilicet ab omnibus officiis & muneribus publicis abstinere iubentur, *l.2.* vbi late Dec. *de reg.iur.*

6 Eo solo prætextu, quod alios pleroſque labores pro salute Reipubl. quotidie ex officij necessitate subire cogantur. Guid.Pap. *quæst.398.*

DEFINITIO XXIV.

Etiam hodie vidua iuridici maioris gaudet mariti defuncti priuilegio, quo tamen liberi eius non gaudent.

CVm edicto Principis cautum esset, ne alij Consiliarij à pendendis tributis immunes essent, quam qui in supremis tribunalibus ius dicerent, si non ab antiqua prosapia nobiles proponerentur, atque ita iuridici maiores prouinciarum, quod ad hanc em attinet ad instar plebeiorum redacti essent postea Princeps declarauerat, velle se, vt in eorum numerum, qui immunes essent adscriberentur, [1] adeoque fisci etiam patroni & procuratores. Senatus quod ad fisci procuratores & aduocatos attinebat, quia non sunt Consiliarij Principis, eam rescriptionem non probauerat. [2] Quod autem ad iuridicos maiores, probauerat quidem, sed cum ea restrictione vt ad illorum posteros id priuilegium non extenderetur. De viduis nihil Senatus dixerat. Quærebatur postmodum ex facto, an priuilegium illud immunitatis ad viduas protrahi deberet? Plerique putabant non debere, propterea quod nulla iuris parte magis viduæ quam liberis faueretur. [3] Nam quod dici solet mariti & vxoris eandem videri personam, ex quadam iuris fictione est. [4] Cui non dissimilis illa quoque est, quod patris & filij eadem persona esse existimatur. [5] Accedebat quod priuilegia huiusmodi immunitatum, quæ ex mariti persona & viduis & liberis competunt, non soleant durare, nisi quamdiu viuit is, ex cuius persona competunt. [6] Addebant, Senatus temperamento constitutum fuisse, vt priuilegium iuridico maiori concessum cum ipsius vita extingueretur. [7] Ego contra dicebam pro vidua pronunciandum, propterea, quod quamdiu vidua remaneret in eodem matrimonio perstare videretur, [8] & consequenter sicut pristinam mariti dignitatem, ita & nobilitatem ex ea immunitate, & immunitatem ex nobilitate quæsitam retineret. [9] Nec similem esse rationem immunitatis, quam non mariti dignitas aut nobilitas, sed nuda officij alicuius exercitio mulieri liberisve quæsiuisset. [10] Nō enim in viduam magis, quam in liberos transit officij exercitium, quod immunitati causam dabat, & cōsequenter nec ipsa immunitas. [11] Neque rursus nouum erat, vt hac parte melior esset conditio viduæ quam liberorum. Nemo enim dixerit filium iuridici maioris iuridicum maiorem esse aut pro iuridico habendum, nec Senatoris filium pro Senatore. [12] Quare nec eum inter magistratus gradum locumve obtinet defuncto patre quem viuus pater obtinebat. [13] At vidua siue iuridici maioris, siue Senatoris pristinum & nomen & locum retinet, quem viuo marito inter conditionis suæ mulieres nacta fuerat, ita vt quod ad id pertinet, maritum putes adhuc viuere, qui reuera decessit. [14] Addebam, cum Senatus in rescripti principalis interpretatione nominatim decreuisset, ne paterna immunitate liberi fruerentur, de viduis vero nihil prorsus constituisset, consequens esse, vt emergens de viduis quæstio ex iuris communis ratione decideretur. [15] Nemo autem dubitabat, quin iure communi priuilegium immunitatis ex nobilitate & dignitate profectum etiam mortuo viro mulieri saluum esset. Quippe cum intuitu mulieris etiamnum viuere maritus existimetur, alioqui quomodo durante viduitate idem matrimonium durare credi posset, [16] si maritus reuera mortuus pro viuo non haberetur? Sed & constat non tantum rescripta Principis, verum etiam Senatusconsulta stricte interpretanda esse: maxime vero si derogent iuri communi, tametsi eadem forte subsit causa derogandi. [17] Hic vero si rescriptum Principis inspicias, tale est, vt reuocato edicto, quod contra iuris rationem iuridicos maiores ad instar plebeiorum redegerat, pristinum ipsis priuilegium restituat. [18] Quod priuilegium sui natura eiusmodi erat, vt si aliud nihil obstaret, non tantum ad viduam, sed etiam ad liberos transmitti posset, vt diximus. [19] Proinde nec de edicto amplius quærendum videbatur, quod posteriore rescripto hac parte expressim abrogatum esset, nec de rescripti interpretatione, cum esset conceptum verbis generalibus dispositioni iuris communis omnino congruentibus. Quæ res faciebat vt tanto fauorabilius rescriptum videri de-

beret,

BIU Cujas

beret, quod ad ius commune rem reuocaret. Fauorabilis enim est cuiusque rei reditus ad pristinam naturam & conditionem. [20] Si vero Senatusconsultum inspicias ad rescriptionem Principis factum, conuenit rescripto, & consequenter iuri communi, nisi quatenus expresse derogauit. [21] Atqui non derogauit, nisi quod ad liberos, cur non ergo in viduis, & rescriptum ipsum, & ius commune locum habebit? [22] An ob rationis, vt aiunt, identitatem? At in odiosis & restrictiuis non est permissa extensio, maxime contra ius commune. [23] Rursum nec verum est eandem hic subesse rationem. Nam præter id quod iam dictum est, vix alia causa afferri possit, propter quam Senatus contra iuris rationem liberis iuridicorum maiorum ademptam voluerit immunitatem, nisi quia verendum erat, ne multiplicatis liberorum & posterorum personis, effrenatus esset immunium numerus in plebis iam fere exhaustæ detrimentum. [24] Fieri enim potest, vt vnius iuridici plures sint liberi, ex quorum singulis alij subinde plures nascantur. At de viduis tale nihil metui potest. Nec enim transmittunt ius priuilegij ad liberos, ne ad communes quidem. [25] Quinimo adeo personale priuilegium est, vt nec in ipsius mulieris persona sit perpetuum. Quid enim si alij nubat non nobili? [26] Igitur causa nulla est, cur non in mulierem transire priuilegium debeat etiam mortuo viro, licet in liberos non transeat. [27] Vicit tandem numero vt & rationis pondere hęc sententia. Dignam tamen rem esse putauit Senatus, de qua Princeps ante omnia consuleretur, quoniam ad edicti interpretationem pertineret. Postmodum Principi placuit idipsum quod & Senatui. Pro N. Lamberson vidua Dom. Thierry iuridici maioris Tarentasiæ, contra Syndicos de Douey, 3. Id. Maij 1595.

1 Et merito, cum iudex sit magistratus, & habeat dignitatem cum iurisdictione, & consequenter nobilitatem, per ea, quæ latè tractat Tiraq. *cap.* 28. *de nobilit.* Id vero magis conuenit iudici maiori totius prouinciæ, quia cæteris omnibus maior est, cum sit magistratus Principis: cuius etiam cocus habet dignitatem & nobilitatem, vt dixi *Defin.* 4. *num.* 10. *supr.*

2 Aliud enim est in Aduocato & Procuratore generali Principis in ipso Senatu: sunt enim isti clarissimi & spectabiles, & membra Senatus, Tiraq. *cap.* 6. *numer.* 22. *de nobil.*

3 Cum nobilitas non minus per patrem ad liberos, quam per maritum ad viduam transmittatur. Tiraq. *cap.* 18. *& cap.* 15. *per tot. de nobil.* adeo vt transmittatur ad liberos etiam natos ante quæsitam nobilitatem, per text. *in l. Senatoris filiam* 5. *D. de Senator.* Tiraq. *d. cap.* 15. *num.* 7. *&* 8. licet contra sentire videatur, *num.* 9.

4 Propter indiuiduam illam societatem, quæ inter coniuges per matrimonium contrahitur, *l.* 1. *D. de rit. nupt.*

5 *l. vlt. C. de impub. & aliis substit. l. ne cum filiofamilias* 16. *D. de iurt.*

6 *l. medicos*, vbi gloss. communiter approbata, *C. de profess. & medic. lib.* 10.

7 Ne posset dubitari, quin priuilegium hoc fit hodie mere personale, ac proinde nullo modo transmissibile, *l. quia tale* 14. *D. solut. matr. l. ex plurib.* 42. *D. de admin. tutor.*

8 Vt dixi *Defin.* 22. *n.* 2. 3. *ex l. vlt. C. de bon. matern. l. de emancipatis, C. de legit. hered.*

9 Per ea quæ diffusè tractat Tiraq. *d. c.* 18 *per tot.*

10 Qualis illa est, de qua agitur *in d. l. medicos.*

11 Vt proinde non sit mirum, cessante causa priuilegij, cessare priuilegium, *vulg. l. cura* 4. *§. definitionum D. de mun. & honor. l. ab his* 10. *§. auctis, de vacat. & excus. muner. l. si duas* 6. *alias l. athletæ §. gentium præsides, D. de excus. tutor.*

12 Quamuis autem Senatoris dignitas quæratur etiam liberis, *l. filiam* 9. *D. de Senat.* munus tamen & officium ipsum Senatorium ad liberos non transit, quia censetur à Principe electa industria personæ, *vulg. l. inter artifices* 31. *de solut.*

13 Nempe quia Senator non est.

14 Tiraq. *d. c.* 18. *nu.* 5. *& seqq.*

15 Nam quæ specialiter non sunt correcta & immutata remanent in dispositione iuris communis, *vulg. l. sancimus* 27. *C. de testam. l. præcipimus* 32. *in fin. de appell.*

16 *d. l. vlt. C. de bon. mat. l. emancipatis, C. de legit. hered.*

17 Quod enim contra iuris communis rationem constitutum est, non debet trahi ad consequentias ne quidem in causis similibus, *l. quod vero* 14. *D. de leg. l. quod contra* 141. *de reg. iur.*

18 Non tam enim nouum priuilegium ex hoc edicto iuridicis maioribus acquiritur, quam vetus conseruatur, quod iis iure communi competebat, amoto tantum obstaculo prioris edicti, quod iure communi hac parte derogauerat, *c. 1. ex parte, de priuil. cum similib.*

19 Ideoque nimirum fuerat necesse restringi à Senatu edictum, ne ad liberos ex iuris communis interpretatione extenderetur.

20 *Vulg. l. si vnus* 27. *§. pactus ne peteret in fin. D. de pact.*

21 *Arg. d. l. sancimus* 27. *C. de testam. l. præcipimus* 32. *in fin. C. de appell.* nam & edicta & statuta & Senatusconsulta semper recipiunt interpretationem passiuam à iure communi.

22 Æquè enim potuisset Princeps & Senatus derogare iuri communi etiam quod ad viduas si voluisset, exemplo eius, quod scriptum est *in l. vnic. §. vbi autem, versic. sin autem ad deficientis, C. de caduc. tollend.*

23 Sunt enim illa exorbitantia, quæ contra ius commune sunt concessa. Et tamen in iis quoque mulier vidua retinet dignitatem & priuilegia omnia viri sui. Tiraq. *cap.* 18. *nu.* 8. *De nobilit.*

24 Ne tantopere oppressis plebeiis, in quibus tamen maior pars populi consistit, tandem & viris & viribus Respublica destituatur, *l. & qui originem* 3. *§. præses prouinciæ, D. de mun. & honor.*

25 Cum liberi nec nobilitatem nec immunitatem capere possint à matre, vt dixi *Defin.* 20. *nu.* 6. 3. *eod.*

26 Aut si minus honestè viuat. His enim duobus casibus mulier vidua perdit nobilitatem & immunitatem quam acceperat à marito, vt dixi *Defin.* 17. *n.* 1. *&* 2. 3.

27 Vide text. elegantem *in l. pater filiæ* 6. *D. de seruit. leg.* ex qua apparet, plus faueri marito ex persona suæ vxoris, quam heredi mulieris, etiam in eo iure, quod sit mere personale.

DEFINITIO XXV.

Patris factum non adimit nobilitatem liberis, qui eam habent aut à genere, aut à Principe suo iure.

QVod pater meus, qui nobilitatem à genere habebat, eam amiserit per actus mechanicos, [1] non debet mihi nocere, [2] licet natus sim eo tempore, quo iam amissa erat nobilitas. [3] Nimirum, quia etiam is ipse, qui amisit nobilitatem auitam, recuperaret eam per solam desistentiam, [4] quæ saltem tum euenit, cum is moritur. Cur ergo mihi nocebit, quod ei si hodie viueret non noceret? Non idem est, si pater meus nobilitatem habuit duntaxat ex priuilegio. Amittendo enim priuilegium & sibi noceret & posteris, [5] nisi proponas nobilitatem à Principe datam ei & eius posteris. Tunc enim factum patris nocere filiis non deberet. [6] *Ita Senatus* in causa N. Amedei de Boege, contra Syndicos de Cilingie, 16. Decemb. 1595.

1 Amittitur enim nobilitas per actus mechanicos & sordidos. De quib. vide late Andr. Tiraq. *cap.* 33. *&* 34. *per tot de nobil.*

2 *l.* 3. *de interd. & releg. l. emancipatum* 7. *§. vltim. D. de Senator.*

3 Idem Tiraq. *c.* 35. *n.* 4. *de nobilit.*

4 Dixi *Defin.* 1. *nu.* 6. 3. ex Guid. Pap. & Tiraq. *cap.* 27. *de nobilit. nu.* 5.

5 Tiraq. *d. cap.* 35. *nu.* 4.

6 Quia liberi hoc casu haberent nobilitatem suo iure & ex propria persona. Nec permittendum est patri vt noceat liberis suis in eo quod habent illi non à patre, sed à Principe, Tiraq. *dict. cap.* 35. *nu.* 5. *&* 6. vbi tamen addit tutius esse vt talis patris liberi restitutionem impetrent à Principe, ne patris factum iis fraudi sit. Sed hoc apud nos non obtinet, vt dixi *Defin.* 1. *num.* 11. 3.

DEFINITIO XXVI.

Aduersus promissionem, quam quis fecerit nobilitatis consequendæ gratia, non potest restitui in integrum obtentu ætatis, præsertim re non integra.

BIU Cujas

MInor annis vigintiquinque ambiens priuilegium nobilitatis, quod non nisi prece ac pretio se consequi posse sperabat, conuenerat cum clarissimo quodam viro Serenissimi Ducis nostri Consiliario, cui certam pecuniæ quantitatem pro bene meritis Princeps indulserat, vt si diploma Principis in eam rem necessarium impetraret quadringenta ei minor ex hac causa numeraret: deque ea re instrumentum conscriptum fuerat, iurisiurandi etiam religione confirmatum. Impetrato postea rescripto (quo fatebatur Princeps illata ærario suo quadringenta, cum scilicet tantundem Consiliarius se à Principe accepisse cauisset, eoque nomine Principem liberasset) necdum tamen minori tradito decesserat Consiliarius superstitibus liberis iisdemque heredibus, à quibus conuentus minor ex sua promissione, vt solueret, petebat in integrum restitutionem, tanquam minor & læsus [1] in eo, quod tanto pretio nobilitatem sibi comparasset, cuius tamen oneribus sustinendis plane impar esset ob paupertatem. [2] Quid enim prodesse poterat nobilitatem quæsiuisse, quam subinde sordidis artibus fœdare, ni perpetua egestate laborare mallet, fœdatamque hoc ipso amittere cogeretur? [3] Placuit non posse videri læsum eum, qui generoso consilio rem tantam quanta nobilitas est, & quæ ex ea nobilitate consequitur immunitas ob oneribus plebeiis, certo pretio quærere voluisset. Cuius nimirum dignitatem non minus animi, quam patrimonij viribus sustinere possit quisquis sic affectus sit, quomodo ciues bonos omnes affectos esse decet, vt de Principe ac Republica bene mereri velit. [4] Præsertim cum idem nobilitatis quærendæ consilium ab ipso minoris patre iam antea susceptum diceretur. [5] Cessante porro læsione solius ætatis auxilium minori non posse suffragari constabat. [6] Maxime, quod defuncto Consiliario, qui eas nobilitatis literas à Principe quasi in solutum acceperat, res integra esse desiisset, [7] nulla eius liberis & heredibus superstite actione aduersus Principem iam liberatum, [8] à quo fortasse aliis rationibus solutionem consequi viuus Consiliarius potuisset, si ea conuentio aduersus quam restiturio petebatur, & quæ huius veluti delegationis cuiusdam tacitæ breui manu faciendæ materiam præbuerat, non interuenisset. Cum tamen Principis literæ à Principe tantum eiusque Secretario subscriptæ, non etiam à Cancellario visæ & approbatæ, nec vllo proinde sigillo munitæ, adeoque sine die & Consule proferrentur; [9] Visum est, ante omnia condemnandos heredes, vt eas literas in probante, quod aiunt, forma traderent. At non etiam, vt earum in suprema Rationalium Curia homologationem, & vt loquuntur, verificationem suo siue sumptu, siue periculo persequi cogerentur. [10] *Ita Senatus* in secreto Auditorio pro liberis Clarissimi viri & Iureconsulti apud nos celeberrimi N. Amedei du Coudrey Consiliarij, contra N. de la Trinité, 14. Calend. Iul. 1605.

1 Nec enim quisquam restituitur in integrum ob id solum, quod fuerit minor, cum contraxit, nisi etiam fuerit læsus, *l. verum* 11. *§. sciendum*, *l. quod si minor* 24. *§.* 1. *l. non omnia* 44. *de reg. iur.*

2 Sunt enim multa onera nobilitatis, & inter cætera quod non potest salua nobilitate mechanicas artes exercere. Tiraq. *cap.* 27. *de nobilit.* Et cogitur ipse vxorque ipsius & liberi indui preciosioribus vestibus & ornamentis. Idem Tiraq. *cap.* 20. *nu.* 88. *de nobil.*

3 Nec enim facile quis ad hoc adigendus est, vt vitæ propositum mutare cogatur aut sumptu necessario carere, vt dixi *Defin.* 2. *nu.* 3. 5.

4 Propter quam causam placuit nobilitatem tanquam summum beneficium etiam inuito conferri posse, vt pluribus tractat Tiraq. *cap.* 6. *n.* 36. *& seqq. de nobil.* Quamuis non possit cogi quis inuitus vt eam retineat. Tiraq. *ibid. numer.* 42. Vide *l. æstimationem* 16. *§. qui pro honore. de mun. & hon.*

5 Nec enim potest videri deceptus filius, qui patris consilium secutus & executus est, *arg. l. vlt. C. qui & aduers. quos l.* 5. *§ si pater. D. de reb. eor. qui sub tutel.*

6 *l. nam posteaquam* 9. *§. si minor. D. de iureiur. & aliis supra citatis num.* 1.

7 Quæ res maxime solet impedire restitutionem in integrum, *d. l. quod si minor* 24. *§. Scæuola. D. de minor. l. vlt. C. de repud. vel abstin. hered.*

8 Dum semel extincta obligatio numquam reuiuiscat, *l. qui res* 98. *§. aream D. de solut. l.* 1. *C. de contr. iudic. tutel.*

9 Quæ omnia faciebant, vt eiusmodi literæ nullam fidem facere possent, nullamque penitus vim haberent.

10 Id enim erat extra conuentionem, quæ non erat amplianda in præiudicium promissoris, *l. quicquid astringendæ* 99. *de verb. oblig. l. vero procuratori*, 52. *§. pen. D. de solut.*

DEFINITIO XXVII.

De filiis & nepotibus naturalibus & legitimis bastardorum nobilium, an & quando nomen familiæ gestare possint?

NOmen mutare sicut in alterius fraudem & iniuriam nemo potest, [1] ita ne alteri fraus & iniuria fiat, interdum quis etiam inuitus cogitur. [2] Finge spurium, & vt loquimur, bastardum viri nobilis aut spurij filium naturalem, qui aut illegitimi nomen, quasi legitimum velit sibi vindicare. Vtique poterit non solum prohiberi ne vindicet, sed etiam vbi vindicauerit cogi, vt deponat, nisi & iis moribus & facultatibus præditus sit, vt non sit futurus dedecori familiæ, si ad nomen armaque gestanda admittatur. Quo tamen casu illud quoque tertium concurrere necesse est, vt non solum ab eo qui totius familiæ caput est, sed etiam ab vniuersis, qui ex ea familia & agnatione sunt, si obtineri possit, aut saltem à maiore ipsorum parte ad honorem hunc recipiatur, præhabito de ea re inter omnes tractatu & deliberatione. Sic enim vetere statuto [3] Sabaudiæ cautum est, adiecta etiam pœna centum librarum, si quis contra fecisse probetur. Nec quod de bastardorum filiis statutum loquitur, efficiet, vt eo minus locum habere debeat in nepotibus & pronepotibus, quantumlibet legitimis, [4] haud secus, quam si liberorum non filiorum appellatione vsum esset, quo casu nemo dubitaret, quin eo nomine pronepotes quoque ac descendentes omnes continerentur. [5] Nam præter id, quod iusta interpretatione filiorum appellatione liberos quoscunque intelligimus, [6] non videtur hoc statutum ex eorum numero esse, quæ quod odiosa sunt, restringi per interpretationem potius, quam adiuuari & ampliari oporteat. [7] Cum fauorabile haberi magis debeat, siue quod cum iure communi consentiat, [8] cui hoc genus hominum, si naturales excipias, qui ex concubina nati sunt, [9] prorsus incognitum est, [10] quamuis apud pleraque gentes ex consuetudine sint capaces deferendi nomen & arma familiæ, cum aliqua tamen suæ incapacitatis nota, [11] siue quod quamuis eiusmodi statutum prohibitorium sit, qua parte vetat, ne agnationis nomen & arma gestare præsumant, tamen permissorium est, & consequenter fauorabile, qua parte patitur, vt tribus illis, quæ supra diximus, concurrentibus liceat bastardorum filiis hoc ipsum, quod iure communi non liceret, si non ab ipso Principe ex rescripto impetratum esset. [12] Quidni ergo quod bastardorum filiis fauorabiliter præstitum est ad nepotes quoque ac pronepotes extendetur? Vulgatum enim est in fauorabilibus permissam esse huiusmodi extensionem. [13] Neque aliud erit tametsi ponas per annos multos plures, etiamsi voles, quam sexaginta, dum ne centum effluxerint, nepotes istos & prone-

pronepotes à viri à nobilis bastardo descendentes, publice nomen gestasse familiæ, videntibus etiam & tolerantibus iis omnibus, qui cum essent legitimi, ex eadem familia prohibere potuerunt, nec tamen vmquam prohibuerunt. Non enim solam tolerantiam pro forma & solemnitate statutum requirit, sed expressam & deliberatam consentientium omnium, aut saltem maioris partis permissionem. [14] Præsertim cum non sit hæc res ex earum genere, quæ longi aut longissimi temporis præscriptione acquiri possint, quia neque tam in iure, quam in mera facultate consistit: [11] neque facile est. vt initium huic præscriptioni detur, nisi quod ab ipso sumatur delicto propter spretam statuti potestatem, violatamque eius auctoritatem. [16] Plane, si tractatu habito ad hunc honorem aliquis ex bastardi liberis, cuiuscunque gradus fuerit admissus, quem postea vel facultatibus vel moribus ita labi contigerit, vt à nobilitatis gradu decidisse illum dubitari nequeat, arma quidem & insignia familiæ exinde gestare prohibebitur, sed nomen ideo mutare non cogetur, quod viros ignobiles nobilium insignia gestare non deceat, ne nobilitati totique non modo familiæ, sed etiam ordini facta iniuria videatur. [17] Nomen vero cum nobilibus commune habere nihil prohibeat, vereque hoc casu tritum illud vsurpari potest, multa tenere facta, quæ tamen fieri prohibentur. [18] Neque vero statutum nostrum retineri nomen prohibet, quod semel fuerit bene riteque assumptum, sed assumi vetat, nisi certis conditionibus, quibus tamen locum esse credendum est, non minus si nobilis familiæ nomen duntaxat vindicare sibi filius bastardi velit, quam si & nomen & arma simul vindicaret, quamuis de vtriusque coniunctim statutum loquatur, vt solent plerunque disiuncta accipi pro coniunctis, [19] & contra, sane quoties nomen mutare, [20] & pro paterno maternum sumere quis cogitur, decernendum est disertis verbis vti, ne contractibus ab eo antea initis vllum ex eo præiudicium fiat, ne in captionem aut ipse incidat, aut qui cum eo, eiusve maioribus sub tali nomine contraxerunt. [21]

1 *l.vnic. C.hoc tit.*
2 Vt in specie *Defin.præced.*
3 Statutum est *lib.3.ver.statut. Sabaud.c.3.*
4 Quamuis non temper filiorum appellatione nepotes contineantur, *l.quid si nepotes 6. De testam.*
5 *l.filij appellatione 84.l.liberorum 220.de verb.signif.*
6 *l.iusta interpretatione 201. eod.*
7 Iuxta *reg.cap. odia, de reg.iur.in 6.l.cum quidam 19.D.de liber. & posthum.*
8 Ea demum namque odiosa esse creduntur, quæ abhorrent & exorbitant, vt loquuntur, à iure communi, *l.ius singulare 16.* vbi not. *D.de legib.*
9 Hos enim agnouit Iustin.Nouell.89 *quibus mod.natur.effic.sui, & l.vlt.C.de nat.liber.* Sed cum tot circumstantiis requisitis, vt non desint qui putent qualitatem istam siue concubinæ vere, siue liberorum vere naturalium impossibilis esse probationis.
10 Quia nec patrem habere intelliguntur, nec proinde ciues esse, §.*si aduersus, Inst.de nupt.d.Nouell.89. in princ.* Vide *l. lex naturæ, D.de stat.homin.*
11 Guid.Pap. *quæst.580.* & ibi Ranchin.
12 Quod & difficilis olim fuit impetrationis, *l.1.C.de nat. liber.*
13 Tanquam quæ non tam sit dicenda extensio, quam iusta interpretatio, *d.l. iusta, l.hoc modo 64. in fin. de cond. & demonstr.*
14 Quæ forma omnino & præcise seruanda est, *l.cum hi 8. §.si prætor aditus, D.de transact.*
15 *l.viam publicam, & ibi not.D.de via public.* Balb. *de præscr. part.2. tertiæ pars.princ.quæst.14.*
16 Quod tamen esse non debet, *l.1.vbi not.C.de seru.fugit.*
17 Guil.Bened.late in verb. *Raynutius de Cleric.*
18 *l.patre furioso 8.de his qui sui.*
19 *l.sæpe 54.de verb.signif.*
20 *l.1.§.vlt.ad municip.*
21 *l.3.de offic.prætor.*

DEFINITIO XXVIII.

Matrimonium contractum quasi cum vidua ante acceptum de prioris viri morte nuncium certum non valet, nec liberi ex eo suscepti pro legitimis habentur, licet præcesserint solemnes denunciationes. Mulier tamen amittit nobilitatem si is, quem pro posteriore marito habuit, fuerit ignobilis.

SI mulier, siue nobilis, siue ignobilis, quæ maritum nobilem per plures annos absentem habuit, ante acceptum de ipsius morte certum nuncium alteri nupserit ignobili tanquam vidua, dubitari eleganter potest, an hoc ipso amittat nobilitatem, quam siue à genere, siue à prioris mariti dignitate ac nobilitate contraxerat. Constat enim nullum & illegitimum esse posterius matrimonium, [1] licet in facie ecclesiæ factum sit, & post trinam illam publicationem & denunciationem, quam in parochia domicilij vtriusque coniugum fieri debere præcepit sacrosancti Concilij Tridentini auctoritas. [2] Maxime vero si nulla facta sit denunciatio ad domum prioris mariti, & in parochia, in qua ille priusquam abesset habitare solebat cum vxore (quæ nec aliud domicilium habere intelligenda est, quamdiu siue nupta, siue vidua manet, quam quod fuit mariti [3]) & vbi erant fratres, aliive agnati cognatique, qui de marita vita vel morte certius aliquid habere potuissent. [4] Nec quod maritus ille per multos iam annos absens communi voce & opinione mortuus credebatur, validum faciet matrimonium, [5] quod non tam defectu formæ ac solemnitatis nullum est, quam defectu materiæ, nulla scilicet existente muliere, quæ possit nubere quamdiu ea, quæ se nouis nuptiis offert, non probat defunctum esse illum, cuius se viduam dicit. [6] Mulierem enim aliquam esse quæ nubere possit necesse est, priusquam de illo quæratur, an matrimonium legitimum contractum fuerit, aut contrahi potuerit, nec ne? [7] Quod si ex ea posteriore coniunctione, quæ aliquam matrimonij figuram habere videbatur, suscepti sint liberi, perinde illegitimi erunt, tanquam ex adulterio verius, quam ex matrimonio suscepti, [8] cum & parentes ipsos hoc casu tanquam adulteros puniri debere, ciuilis constitutio iubeat, quantiscunque annis prior maritus abfuisse proponatur. [9] Neque iuuabuntur liberi constitutionibus pontificiis, quæ fauore prolis susceptæ ex matrimonio palam & publice contracto in facie Ecclesiæ prolem ipsam habent pro legitima, eamque ad parentis vtriusque successionem admittunt. [10] Eæ namque tunc obtinent, cum alterutrius saltem coniugum probabilis ignorantia fuit, nec bonæ fidei colore destituta: [11] quod contingeret, si quis nuptam alteri, quæ se in alia prouincia virginem affirmabat, quasi virginem duxisse probaretur. Quid enim posses huic imputare, qui huius mulieris conditionem ignorauit, nec, qualis esset, diuinare potuit? [12] At is, qui eam ducit, quæ se viduam profitetur, hoc ipso inquirere cogitur, an sit illa vidua, quod non aliter sciri potest, quam si certæ probationes adsint, aut saltem certum nuncium de morte prioris viri. [13] Id nisi factum sit, est quod ei non minus, quam mulieri imputetur, vt sciens peccasse, & ignorantiæ saltem affectator fuisse videatur. [14] Quæ res liberis ex ea coniunctione susceptis nocere solet, non solum eo casu quo matrimonium vel clandestinum, vel ratione sanguinis in prohibito gradu contractum probetur: [15] sed omni alio præterea, quo neuter contrahentium probabilem impedimenti ignorantiam possit obtendere. [16] Finge post huiusmodi secundam coniunctionem egisse a-

BIU Cujas

culterum, tanquam maritum, itemque mulierem de dote, ob prioris mariti absentiam & inopiam, in tuto collocanda, quæ omnimodo restituenda fuisset, si prior maritus decessisset. [17] Nec rursus proderit ad validitatem matrimonij, quod, quamdiu ea vixit, quæ ante acceptum de prioris viri morte certum nuncium alterius mariti nuptias ambiit, nulla ei de viribus posterioris matrimonij quæstio facta sit. [18] Sufficit enim superesse adulterum, qui communis facti, propriæque culpæ rationem si quam habeat, ea quoque defuncta, possit reddere. [19] Et hæc tanto magis obtinere dicendum est, si adulter ille non tantum mulieri, sed etiam liberis ex ea susceptis, superstes contendat de hereditate contra liberos ex priore iustoque matrimonio superstites, aliosve qui nulla ex alio matrimonio suscepta prole fuerant successuri. Nam qui fauor liberis aliquando debetur, quasi legitimis, tametsi ex illegitima coniunctione susceptis, [22] ne parentis alterutrius factum iis noceat, [21] ad eum parentem porrigi non potest, qui contrahendo aduersus leges & delinquendo, pœnam potius quam fauorem meretur. [22] Nec quod bona, quæ origine fuerunt adulteræ facta sint bona filij, [23] ad rem facit, vt ob eam causam melior esse debeat conditio patris, ad succedendum in iis bonis, in quibus adulteræ ipsi immediate succedere, neque ex testamento, neque ab intestato potuissent. [24] Maxime vero, cum non tam ex ratione aliqua iuris aut naturæ succedant liberi parentibus, sed sola ratione miserationis, [25] qua nullo modo dignus est, qui deliquit, & ex illicito coitu liberos suscepit. [26] Nam nec naturalibus liberis succedere ab intestato pater naturalis potest, [27] quamuis liberi naturales & illegitimi possint succedere matri, dummodo non illustri, superstite licet prole legitima, & in viriles portiones. [28] In quo tamen eandem liberorum ex adulterinis amplexibus conceptorum rationem constitui debere, quæ constituta fuit naturalium, probabiliter dicere nemo possit. [29] Hæc igitur cum ita sint, vix dici potest amissam ab hac muliere nobilitatem per matrimonium huiusmodi, quod nullum sit, & omni iure improbatum. Ne contra iuris regulam, [30] quod ipso iure nullum est, tantum habeat iuris effectum, quantus hic esset amissæ nobilitatis, quam certum est, ex alio quolibet illicito coitu non amitti. [31] Sed contra tamen visum est, quod absurdum sit mulierem, quæ ignobili viro nubere voluit, melioris ob hoc ipsum esse conditionis, quod non matrimonium sed adulterium, siue sciens, siue ignorans contraxerit. [32] Quid enim aliud agebat, nisi vt quoquomodo noui mariti familiam & conditionem sequeretur? [33] Habeat ergo quod voluit, nec de legum aut magistratuum iniuria, sed de sua siue facilitate, siue incontinentia conqueratur. *Ita tractatum est* in ea causa, de qua Definit. 11. supr. De incest. & inutil. nupt. & Definit. 2. supr. De repud.

1 *Auth. hodie, C hoc tit. cap. in præsentia 19. de sponsal. & matrim. cap. dominus 2. Extr. de secund. nupt.*

2 *In sess. 24. de reformat. matr. cap. 1.*

3 *l. cum quædam puella, de iurisdict. cum similibus.*

4 *Arg. l. scire 13. §. 1. vers. qui autem, D. de excus. tutor. l. 4. §. 10. ties, de damn. infect.*

5 *d. Auth. hodie quantiscunque annis, C. ad leg. Iul. de adult.*

6 *d. cap. in præsentia.*

7 Mulier autem nubere non potest, nec vllo casu legitima vxor fieri, quæ iam alium maritum habet, *c. accepisti, Extr. de sponsal. duor.*

8 *Cap. cum inhibitio, §. cum quis, & seq. de clandest. desponsat.* Dixi *Defin. 6. n. 5. 3. De natur. liber.*

9 *dict. Auth. hodie.*

10 *Cap. 2. & cap. ex tenore Extr. qui filij sint legit.*

11 Vt ostendunt verba *d. cap. ex tenore, & ibi glos.*

12 Nec enim potest à virgine discerni nupta, quæ se virginem dicit in alia prouincia, quam in qua est maritus. Sic *in l. quia difficile 5. D. de contrah. empt.*

13 Neque enim qualitas illa viduæ vnquam præsumitur in ea quæ nupta aliquando fuit, cum non sit qualitas naturalis, sed accidentalis. Et ideo ante omnia probanda est, *l. non ignorat 9. C. qui accus. non poss.* Bart. *in l. 1. C. hoc tit. lib. 12.*

14 Quomodo loquitur textus *in d. cap. cum inhibitio, §. cum quis, & seq.*

15 Qui duo casus sunt, de quibus agitur *in dict. cap. cum inhibitio.*

16 Ex identitate scilicet rationis, cum diuersitatis ratio reddi non possit. §. *vnde etiam, l. 3. de iniust. rupt.*

17 *l. si constante 24. vbi not. D. solut. matrim. l. vbi adhuc 29. C. de iur. dot.*

18 Quo casu videtur non posse fieri hanc quæstionem post obitum mulieris, *cap. peruenit qui filij sint legit.*

19 Nam hoc casu cessat ratio *d. cap. peruenit.*

20 *Vt in d. cap. ex tenore.*

21 *d. l. vlt. C. de natur. liber.*

22 *l. Papinianus 20. D. de minor. l. pen. D. ad SC. Trebell.*

23 Quæres videtur immutare qualitatem & conditionem bonorum, *l. per curatorem 90. D. de arg. hered. l. vlt. C. de inoff. test. not. in l. 1. §. veteres, D. de acq. poss.*

24 Ne quod vna via prohibitum est, altera fiat, *l. scire 21. §. 1. D. de tut. & curat. dat. l. si is qui ex bonis, D. de vulg. & pupill. substit.*

25 *l. scripto 7. in fin. D. vnd. liber. dict. l. penultim. in fin. ad SC. Trebell.*

26 *dict. Auth. hodie.* Nec enim debet quis ex eodem facto & pœnam & præmium consequi, *vulg. iurib.*

27 *Not. ad d. l. vlt. C. de natur. liber.*

28 *l. si qua illustris C. ad SC. Orfic.*

29 *Auth. ex complexu, Cod. de natur. liber. & Auth. licet, vbi not. eodem.*

30 De qua *in cap non præstat impedimentum, de reg. iur. in 6.*

31 *d. l. si qua Illustris, C. ad SC. Orfic.*

32 *Arg. l. Seruius 4. D. quod vi aut clam. l. Papinianus 20. D. de minor.*

33 *dict. l. cum quædam puella, vbi not. D. de iurisdict. l. mulieres 13. C. hoc tit. lib. 12.*

TIT. XXX.

DE MVNER. PATRIM.

DEFINITIO I.

Qui de iniqua onerum peræquatione conqueritur, an & quando agere debeat contra peræquatores, an contra Syndicos?

SI quis iniqua peræquatione onerum, [1] quæ personæ pro patrimonio indicuntur, læsum se dicat supra modum facultatum: [2] non Syndicos vniuersitatis eo nomine conuenire debet, [3] sed peræquatores, [4] hactenus tamen, vt si æquioris contributionis rationem inducere velit, suis sumptibus id curare debeat, [5] repeturus postea, si de prioris iniquitate constabit, non solum quicquid in eam rem impenderit, sed etiam quod supra modum iniuste exactum fuisse apparebit. [6] Aliud erit, si non tantum de peræquationis iniquitate querela perferatur, sed etiam de non seruata forma peræquandi dolo vel culpa Syndicorum. Hoc enim casu Syndici ipsi tenentur hactenus, vt eorum sumptibus noua fiat peræquatio. Imputari etiam Syndicis potest, si peræquationem fieri curauerint per suspectos arbitros, aut in loco suspecto. *Ita Senatus* ex tempore in causa Syndicorum de Iaceron, contra Eustachium Girat, 5. Calend. Iul. 1592. & rursus pro D. Ludouico Gruffer presbytero, aduersus Syndicos Hospitalis soubs Conflens, Idib. Febr. 1593.

1 Cuiusmodi sunt hodie omnia fere onera, præsertim talliarum & collectarum, quæ Principi penduntur.

2 Nam quæ onera indicuntur pro patrimonio, ea non nisi pro modo

BIU Cujas

pro modo patrimonij possunt & debent indici, *l.1. C.hoc tit. de muner.patrim.lib.10.tit.41.*

3 Quibus scilicet nihil imputari potest.

4 Vt nimirum facti sui rationem reddant.

5 Quia in dubio præsumendum est, rite & ex bona fide factam peræquationem, cum non per alios fiat, quam qui à tota vniuersitate, vel saltem à maiore parte electi sint tanquam viri probi, & præstito in eam rem iureiurando, ex forma tam à iure communi, quam Principum edictis, variisque tam Senatus nostri, quam Cameræ Rationalium decretis præscripta.

6 Cum in hoc potissimum negotij genere seruanda sit æqualitas, & si quid inæqualiter factum sit, id ad æqualitatem rereduci debeat, *vt in l.maioribus 3. C.commun. vtriusque iudic. l.& qui originem, 5. §.præses prouinciæ, de muner.& honor.l.vlt.C.quand. ciuil.muner.iudic.eod.tit.42.*

7 Cum ad eorum curam spectauerit prouidere, ne id fieret, ideoque teneri debeant, si qua in re se negligenter gesserint, *l.Imperatores, 9.§.item rescripserunt curatores, D.de admin.rer. ad ciuit.pertin.*

DEFINITIO II.

Onera tam mixta quam personalia soluenda sunt in territorio domicilij, non bonorum, excepto tributo commutatorio.

QVæ munera aut potius onera personæ pro rebus indicuntur, ea non in loco illo vbi bona sita sunt,[1] sed in quo domicilium est, soluenda subeundaque esse constitit.[2] Tametsi eorum quoque bona, qui talibus oneribus obstricti sunt, is emerit, qui in alio habitat territorio,[3] nec nisi in meris patrimonij oneribus contraria sententia obtinet.[4] Quoties enim personæ ratio aliqua habetur, licet patrimonij quoque modus spectandus sit, vt contingit in omnibus iis publicis functionibus, quæ ob hanc causam mixtæ appellantur,[5] persona semper tanquam dignior inspicienda est.[6] Sola hodie excipitur causa tributi, vt vocant, commutatorij,[7] quod ex posterioribus edictis[8] Sereniſſimi Principis nostri eo loco pendendum est, vbi sita sunt bona contributioni obnoxia, cum antea ad domicilij locum bonorum vbicumque sitorum contributio referretur:[9] Sed non idem in alijs oneribus constitutum est, quæ cum tributo illo commutatorio nihil commune habent.[10] Etsi enim plerumque fit, vt indicantur ad formam tributi commutatorij, id tamen ad proportionem exactionis pertinet, vt citius, minoreque sumptu res expediatur, nec nouam peræquandæ contributionis rationem iniri necesse sit,[11] non autem vt iisdem personis indici possint.[12] *Ita Senatus* ex tempore pro N.Marcelier ciue Camberiensi, contra Syndicos de Bauges, 12. Calend.Aug. 1592. & rursus pro vidua Andreæ Pignier medici, contra Syndicos Sancti Petri d'Arbigny, Non.Febr.1593.

1 Vbi tamen essent soluenda munera, quæ essent vere ac mere patrimonialia, *l.vnic. in fin. C.de mulier. in quo loco lib.10. tit.62.*

2 Non secus, ac si essent mere personalia & personæ cohærerent, vt loquitur *d.l.vnic.* [In quo numero est onus reficiendæ ecclesiæ parrochialis ad quod tenentur soli parochiani non etiam forenses. *Ita Senatus* in causa R. D. Nicolai Clerici Protonotarij Apostolici Parochi Sancti Felicis, Prid.Calen. Maij. 1611. Item onus claudendi cœmiterij. *Ita Senatus* in relat. libell. 16.Nouemb. 1612.]

3 Vide Ioan.de Plat. *ad rubr.de annon.& tribut.lib.10.*

4 *d.l.vnic.in fin.C.de Mulier.in quo loco.*

5 Alia enim sunt munera mere personalia, alia mere realia, alia mixta, ideo sic dicta, quia imponuntur quidem personis, sed pro patrimonio, *l.vltim.in princip. & per tot. D. de mun. & honor.*

6 Persona enim tanquam dignior trahit ad se causam & conditionem bonorum, non contra *leg.per curatorem, 90. §.1. de acq.hæred.l.vlt.C.de inoff.testam.*

7 Nostri vocant vulgo *la taille de la commutation*, sic dicta, quia tributum quod prius erat incertum, tanquam constitutum in singula subditorum capita, postea commutatum est in reditum certum & perpetuum, pro modo cuiusque facultatum. Quæ ratio facit, vt hoc tributum magis personale censendum sit, quam reale, initio scilicet inspecto, *vt in l.3.§.Scio, D.de minor.l.si procuratorem, 8.D.mandat.*

8 Edictum hac de re factum est anno 1564. præsertim vero ex edicto, quod actum est ad 6. Calend.April.1584. in cuius executionem alia deinde facta sunt, hoc ipsum quoque constituentia vt eo loco solui debeat tributum commutatorium, vbi sunt bona.

9 Quod ea ratione exactio facilior & commodior futura videretur. Sed aliter obseruandum postea visum est. Quibus autem rationibus id factum sit, nihil hic attinet dicere.

10 Lex enim illa specialis facta de tributo solo commutatorio, & exorbitans à iure communi, non debuit porrigi ad alia tributa quantumuis similia, *l.quod vero 14. vbi not. D. de legib. l. quod contra, 141. De reg.iur.*

11 Quomodo alioqui necesse esset in singula capita, & in singula momenta, quod esset valde incommodum & inconueniens, *l.peregre, 44.§.quæsitum est, D.de acq.poss.*

14 Nam æque facile potuisset Princeps de omnibus tributis & oneribus loqui, si de omnibus sensisset, vt in simili argumentatur Iustin. *in l.vnic.§.vbi autem, vers.Sin autem ad deficientis, in fin.C.de cæduc.tollend.*

DEFINITIO III.

Nobiles & immunes sunt ab omnibus muneribus personalibus & mixtis, tametsi à plebeiis prædia tributaria comparauerint.

NObiles ab antiqua prosapia originem, nobilitatemque trahentes, & iure communi & Sereniſſimorum Principum nostrorum edictis immunes sunt ab omnibus oneribus muneribusque personalibus, quæ plebeiis iniunguntur, itemque à mixtis quæ personæ pro rebus imponuntur.[1] Quod priuilegium non idcirco adimi iis oportet, quod à plebeiis qui contribuere solebant, prædia quanticumque valoris comparauerint.[2] Desinunt enim contributioni obnoxia esse prædia, quæ in nobilis & immunis viri potestatem, manusque peruenerunt: Rerumque conditionem ex persona longe magis quam personæ ex rebus immutari conueniens est.[3] *Ita Senatus* sæpissime. Pridem vero pro N.Annibale de Varax, D.de Peissole, contra Syndicos de Marboz. Ex tempore 4.Calend. Decemb. 1592. & rursum contra Syndicos de Meximieu, 3. Non. Decemb.seqq.

1 Andr.Tiraq. *cap.20.nu.165.& seq.De nobilit.*

2 Guid.Pap. *decis.*

3 *Ex l.per curatorem, 90.§.1.D.de acquir.vel omitt.hæred.leg. vlt C.de inoff.testam.*

DEFINITIO IV.

Nobilitatus ex priuilegio Principis non ideo fit immunis à tributo commutatorio, ne quidem pro bonis propriis, nisi post annum quinquagesimum, multo minus pro bonis à plebeio acquisitis.

NOn idem est, si quis nobilitatem habeat ex priuilegio Principis per sordes aut gratiam captato, nec clauso in corpore iuris.[1] Hic enim cum ex edictis Sereniſſimi Ducis nostri, nec à pristino propriæ contributionis onere ante quinquagesimum annum liberetur,[2] multo minus liberandus est ab ea contributione, cui obstrictus fuerat plebeius, in cuius iura successerit.[3] *Ita Senatus* ex tempore in causa N.Landrecier, & Syndicorum de Treisserue, 17.Calend.April.1593.

1 Semper enim est fauorabilius priuilegium, quod reperitur clausum in corpore iuris quam quod est ex Principis gratia speciali, *l.in causæ 16.vbi not.D.de minor.l.Imperatores 29. D. de rebus auct. iud.possid.*

2 Fit enim nobilis quidem statim, sed non tamen immunis

BIU Cujas

à præstatione tributi commutatorij, nisi post annum quinquagesimum ex die concessæ nobilitatis numerandum. Ita namque cautum est edicto illo, de quo scripsimus *Defin.2.3.* & quod factum est ad 6. Cal. Mart. 1584.

3 Ne scilicet melioris conditionis sit successor, quam ipsius auctor fuerit, contra *reg.l.inuitus, 56.§ plerumque, de reg.iur. cum similib.* Et ne fuerit in potestate illius, qui vendidit, facere conditionem vniuersitatis deteriorem, contra *l.non debet, 74. eod.* Quamquam hæc ratio non esset bona in eo, qui haberet antiquam nobilitatem in genere. Adeo verum est quod tractat Tiraq. Nobilitatem quo antiquior est eo fauorabiliorem & maiorem esse, *cap.18. de nobilit.*

DEFINITIO V.

Casus in quo plus potest tacitus consensus illius, qui contra se præscribi patitur, quam expressus.

ETsi vix est, vt maior præscriptionis quantumcunque longissimi temporis potestas esse debeat, quam expressi consensus, [1] si tamen vir nobilis & tam communi, quam municipali iure immunis à contributione munerum patrimonialium, quæ non nisi plebeiis iniunguntur, passus sit per continuos annos triginta, vt cum plebeiis describeretur, & cum iis soluerit, vtique magis sibi nocet, quam si expressim consensisset, nec dum tamen tanti temporis spatium effluxisset. Nam qui consensit, solutum quidem repetere tanquam indebitum non potest, [2] sed ne in futurum cogatur soluere, obtinebit etiam citra beneficium restitutionis, [3] quod vtique necessarium esset aduersus longissimi temporis præscriptionem. [4] Hæc fortassis tam varie, quia qui nobilis est, & propter nobilitatis dignitatem immunis, non magis facere potest, vt non sit immunis, quam vti ne sit nobilis. [5] At ius quod per præscriptionem acquiritur, cum aduersus inuitum acquiratur, consensum eius, aduersus quem præscribitur, non requirit. [6] Sic à Senatu nostro pronunciatum pro N. Carolo de Messieres, Dn. de Bonuillars, contra Syndicos vniuersitatis de Rubaud. Raymondus Pobellus, Præses noster meritissimus referebat 10. Calend. Februar. 1593. Iunge Defin. 6. & 7. De dignit. & nobil.

1 Nempe quia plus solet operari consensus expressus quam tacitus, *not. in l.3. D. de rebus credit.*

2 Cum debeat sibi imputare quod soluerit, itemque quod sublata causa obligationis, supereſt causa pietatis, ex qua solutum repeti non potest, *l.cum is, 36. §. mulier, D. de condict. indeb.* Causa vero pietatis elucet in eo, quod huiusmodi solutione liberantur plerique pupilli & viduæ ex vniuersitate, quos alioqui tantundem de suo persoluere necesse esset.

3 *L.si certis annis, vbi not. C. de pact.* Dixi *Defin. 6. & 7. 5. tit. prox.* vbi docui aliud dicendum esse si soluerit per triginta annos, ex Guid. Pap. *decis. 387.*

4 Nec tamen posset concedi, nisi ex aliqua iusta causa, *Not. in l.3. & 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* Iusta vero causa esse potest non ignorantiæ, secundum ea quæ scripsimus *in tit. De præscript. 30. vel 40. annor.* sed minoris ætatis, doli metus, aut aliæ si quæ sunt his similes.

5 Cum immunitas concomitetur nobilitatem tanquam effectus causam suam.

6 Currit enim præscriptio, non tantum contra inuitum, sed etiam contra ignorantem, *l.3 & 4. C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. vlt. vers. nulla scientia, C. de præscr. long. temp.*

DEFINITIO VI.

Nobilitatem nactus ex priuilegio non in corpore iuris clauso indemnitatem vniuersitati præstare cogitur. Secus in eo quem sua virtus euexit ad dignitatem.

IS, cuius caput, vt loquuntur, tributi commutatorij præstationi primum fuit obnoxium, si ex priuilegio Principis nobilitatem consequatur, non aliter immunitatem habere potest, quam si cum effectu curet, vt tanto minus tributorum fiscalium exactores ab vniuersitate exigant. [1] Neque enim priuilegium Principis ad cæterorum iniuriam trahi debet. [2] Non idem est, si nobilitatem quis ex posttacto sibi adquirat ex ea causa, quæ suum habeat priuilegium immunitatis clausum, vt aiunt, in corpore iuris, [3] vtputa si Senator aut Consiliarius Principis factus sit. Nam qua ratione videri potest facere iniuriam, qui iure communi vtitur? [4] Aut qua fronte possit vniuersitas dicere in fraudem plebeiorum quæsitas huiusmodi dignitates, quæ per virtutis merita comparatæ sint, & sine quibus nec ipsa stare Respublica possit? Eos igitur solos indemnitatem vniuersitati præstare oportebit, qui non tam virtute & egregiis in Principem & Rempublicam meritis, quam per sordes & gratiam nobilitatis iura sibi, suisque parauerunt. [5] Quibus nec licet immunitatem ab vniuersitate redimere, quantocumque pretio, nec si eam conditionem vniuersitas offerat, aut oblatam agnoscere velit; nimirum cum de tributo illo nostro agitur, quod commutatorium vocant. [6] Id enim specialiter prohibitum est edicto Sereniſſimi Ducis nostri, quod ad 6. Calend. April. factum est. Sane quin edicto ex ea saltem parte derogari possit speciali in contrarium Principis rescripto, non dubitatur. Idque nuper obseruatum & tum primum inductum est in persona N. Iani Pensabin, contra Syndicos de la Roche. *Sine die.*

1 Cum ob caput illius tanto maiore onere tributi vniuersitas sit grauata.

2 *L.4. C. de emancip. liber. l.3. §. merito, & §. si quis à Principe, D. ne quid in loc. publ. l. ex facto, 43. vers. etenim iniquum, de vulg. & pupill. substit.*

3 Est enim semper fauorabilius priuilegium clausum in corpore iuris, quia nec à iure communi abhorret.

4 *L.si duorum, 42. de action. emptor. l. nullus videtur, 55. de regul. iur.*

5 Ne alioqui sit in potestate cuiuslibet malis artibus vniuersitati nocere, quæ ex viduis & pupillis constat.

6 Interest enim non solum vniuersitatis, sed etiam Principis, vt plures sint qui onera ista tributorum ferre possint, *l. & qui originem, 3. §. præses prouinciæ. D. de muner. & honor.* Præsertim his nostris temporibus, quibus ob alienatum fere vbique domanium coronæ non aliud habent patrimonium Principes, quam quod ex huiusmodi tributis constituitur. Sane nobiles ex dignitate melioris hac parte conditionis esse debere, quam nobiles genere, sentit Tiaquell. *capit. 20. numer. 65. De nobilit.*

DEFINITIO VII.

Extra tributum commutatorium nobiles sunt immunes ab oneribus cæterorum onerum, quæ extraordinaria appellamus, siue personalia sint, siue mixta.

QVod autem ad alia attinet onera personalia, aut mixta, quæ personæ pro rebus iniunguntur, immunitate gaudet quisquis quacumque ratione nobilis sit, [1] licet ex eo futurum sit, vt vniuersitas lædatur, [2] quia neque Principis potestas arctanda est, quo minus nobilium ordinem augeat, quam augeri & Principis & Reipublicæ interest, [3] neque in onerum huiusmodi contributione exæquari possunt nobiles plebeiis salua ordinum distinctione, [4] nec rursum tantam ex ea re iniuriam sentit vniuersitas, quanta in tributo commutatorio contingeret. Hoc enim cum perpetuum futurum sit, nec vllam diminutionem patiatur, perpetuo onere premeret vniuersitatem ex persona nobilis immunitate gaudentis. [5] Cætera nec perpetua sunt nec ordinaria, & cum plebeiis iniunguntur, licet ad comparationem & proportionem tri-

BIU Cujas

nem tributi commutatorij, vt fieri solet, non ideo tamen durior fit conditio vniuersitatis, quia tanto minoris summæ præfatio iniungitur, quanto pauciores sunt qui contribuere tenentur, scilic. cum aliquid à plebeiis Princeps exigit. Nam cum de solius vniuersitatis negotio tractatur, negari non potest, quin ex persona immunium onerentur cæteri, cum totum onus contributionis inter illos dumtaxat, qui contribuere tenentur diuidi oporteat. [6] Ita iampridem Senatus in causa N. Claudij de Chabod, contra Syndicos Sancti Ramberti. Et rursum tractatum est in causa Isabellæ Scarron, viduæ AndrææPignier medici, & Syndicorum Sancti Petri d'Arbigni, Non. Februar. 1593.

1 Immunitas enim effectus est nobilitatis, nisi cum lege vel edicto Principis aliter cautum est, vt sæpius dixi in præcedentibus ex Andr. Tiraquell. *cap. 20. numer. 165. & sequent. de nobilitat.*

2 Non enim attendi solet damnum & incommodum, quod non nisi per consequentiam accidit alteri, dummodo id quod fit iure fiat, *l cum eo, 9. vbi not. D. de seruit. vrban. prædi. l. Proculus, 26. D. de damn. infect.*

3 Cum præcipuè vires, neruique Reipublicæ & Principis in eo potissimum nobilium ordine consistant, *l. 1. §. sed & si seruus, D de inspic. ventr.*

4 Quam seruari etiam publice interest, *tot. tit. C. vt dignit. ord. seruet.* Ipsum enim ordinis nomen distinctionem significat non confusionem.

5 Dicitur enim grauamen intolerabile quod perpetuo grauat. Quo pertinet illud Plinij, nihil paruum esse, quod quotidie fiat.

6 *l. vlt. C. quand. ciuil. muner. indicant.*

DEFINITIO VIII.

De multiplicatione annuarum præstationum, quæ ab omnibus focum facientibus debentur.

IN quæstione illa, an pro focorum multiplicatione annuas præstationes, quæ ab omnibus focum facientibus debentur, multiplicari oporteat, sequitur Senatus noster eam distinctionem, vt si ratione fundi, & loci præstationis onus impositum sit, numquam multiplicetur, secus autem si in singulos focos, ita vt foci potius, quam loci rationem in onere imponendo habitam fuisse appareat. Quam distinctionem in Curiis quoque Gallicis receptam esse Pragmatici Galli prodiderunt. [1] *Ita tractatum est* in causa Stephani de la Couz Camerarij de S. Rambert, contra N. Guillet Manurry, 15. Cal. Septembr. 1593.

1 Ioan. Papon. *in syntagm. lib. 13. tit. 4. Comment se doiuent payer, §. 2. & tit. 5. §. 3.* vbi vide.

DEFINITIO IX.

In quo loco contribuere quis debeat pro extraordinariis oneribus, tempore belli ferendis.

ANceps quæstio est in Senatu nostro sæpius agitata, in quo loco contribuere quis debeat pro iis muneribus & oneribus, quæ quotidie propter inopinatos & emergentes belli, casus plebeiis indicuntur, an in loco originis, an in loco domicilij, an potius vbi bona sita sunt? Et tandem post multas disceptationes placuit superindicta omnia, quæ à Principe edicto generali per totam prouinciam constituta sunt, eo in loco soluenda esse, id quo tributum commutatorium penditur, cum & ad eius instar, & pro portione ipsius indici soleant. [1] Eiusmodi sunt decimæ granorum, quæ in militum exhibitionem erogantur. Item tributum illud extraordinarium, quod exhausto bellicis sumptibus ærario induci necesse fuit, quo tributum commutatorium duodecuplatur. Nam quemadmodum quisquis simplum tributi illius commutatorij idem duodecuplum debet, si eos excipias quibus recens nobilitas quæsita est, [2] ita in quo loco simplum soluitur, in eodem duodecuplum quoque solui necesse est. [3] Tametsi possit quis dicere in eo differre duodecuplum à simplo, itemque granorum decimas, quod & decimarum & duodecupli onus extraordinarium est, simpli vero ordinarium. Sed hoc ad rem non pertinet, quod ad propositam quæstionem. [4] Cætera vero onera, quæ non solum extraordinaria sunt, sed etiam ad priuatam cuiusque vniuersitatis causam pertinentia, etiamsi à Principis imperio proficiscantur, non ab aliis præstari debere visum est, quam qui in ea vniuersitate domicilium habeant, & consequenter in domicilij loco, non vbi bona sita sunt: [5] non solum quod casui fortuito ea res comparanda videatur, cum hic vel illic milites in hybernis collocari, aut hostis propellendi gratia in hanc vel illam commeare ciuitatem pro casuum & temporum varietate necesse sit, [6] verum etiam, quia nullus futurus sit litium & expensarum finis, si quot in locis bona quis possidet in iis singulis pro modo patrimonij contribuere teneatur: [7] passimque ab iis, qui in illo loco domicilium haberent, onerarentur cæteri qui non haberent. [8] Vt taceam longe maiore incommodo affectum iri eos, qui in ea vniuersitate in qua milites degant, cogantur hospitij onus sentire, quamuis ibidem, si voles, domum quoque habeant sine domicilio. [9] Cum ea tantum soleat quisque domum instructam habere, in qua domesticos lares foueat. [10] Nec dubitandum est, quin quod dicitur munus hospitis in domo recipiendi patrimonij, non personæ onus esse, [11] ita accipi debeat, si in eo loco domicilium sit eius, qui hospitem recipit. Alioqui quomodo reciperet? [12] Adde quod si ita ius esset, vt in quo loco bona quisque possideret, oneribus istis extraordinariis implicari deberet, multo grauior & durior foret eorum conditio, qui bona in diuersis territoriis sita possiderent: quia sæpius onerarentur, quam ij qui totum suum patrimonium, quod esset longe opulentius, in vno tantum territorio haberent. [13] *Ita Senatus* in causa Amedei Pugeat, contra Syndicos de Cusy, & pro Isabella Scarron, vidua Petri Pignier medici, contra Syndicos oppidi de S. Pierre d'Arbigny, Prid. Calend. Septembr. 1593.

1 Quod enim pro portione alicuius rei est, eius naturam & conditionem induit, *l. vlt. D. de cond. caus. dat.*

2 Hi enim excipiuntur, quia Principi seruire tanquam nobiles coguntur, in eamque rem longe plus expendere, quam cæteri omnes plebeij expendant, *argum. l. 5. §. negotiatores, de iur. imm.*

3 Vt eadem sit ratio partis & totius, *vulg. l. quæ de tota. 76. de rei vindicat.*

4 Nihil enim vetat in eodem loco solui & ordinarium onus, & extraordinarium ad instar ordinarij constitutum.

5 Ex regula generali, quæ vult onera personalia vel mixta soluenda esse in loco domicilij. Patrimonialia vero in loco patrimonij, vt dixi *Definit. 2. supr. Ex l. vnic. Cod. de mulier. in quo loco.*

6 Casus autem fortuiti à nullo præstantur, *l. contractus, 25. de reg. iur.*

7 Et præterea esset exactio longe difficilior Thesaurario Principis & exactoribus, qui in plures personas distinguerentur. Præter id quod exactio per partes habeat magna incommoda, *l. 3. D. famil. erciscæ.*

8 Dum mauult sibi quisque bene esse quam alteri.

9 Potest enim domus esse sine domicilio, quamuis non domicilium sine domo, *l. libertus, 17. §. sola ratio, ex §. sola domus, D. ad municip.*

10 Quæ etiam domicilij definitio est, *l. eius qui, 27. §. Celsus eod. tit.*

11 *L. & qui originem, 3. §. munus hospitis, D. de muner. & honor.*

12 Semper enim supponendi sunt, & præsupponendi termi-

BIU Cujas

ni habiles, *vulg. l. adigere, 6. §. quamuis, D. de iur. patron. l.1. §.vltim. D. ad SC. Tertyll. leg. vt gradatim,* 11. §.1. *D. de muner & honor.*

13 Nemo autem ob id magis onerari debet, quod habeat patrimonium in diuersa loca dispersum, cum non eo ditior sit, at potius tanto minus dives, quanto incommodior est talis patrimonij administratio.

DEFINITIO X.

Si alius sit locus originis, alius domicilij, prævalet locus domicilij & noui non veteris, si nihil in fraudem factum sit.

QVid ergo si cum quis habitare soleret in eo loco, in quo bona etiam sua sita habebat, domicilium suum alio transtulerit? Non veteris sed noui domicilij locus spectabitur,[1] si non in fraudem ea mutatio facta proponatur:[2] Nec si prioris domicilij locus idem originis fuit, aliud dicendum erit,[3] quia dominij locus prævalet,[4] nisi cum domicilij mutatio contigit ob superuenientem dignitatem.[5] Quid si quis eodem tempore duplex domicilium habeat? Id enim fieri posse constat.[6] Vtrobique huiusmodi onera subire cogendus erit, quæ domicilij causam sequuntur. Sed hoc ita, si æque vtroque loco instructus fuit, vt vtrumque domicilium æquali iure habeat. Alioqui in eo solo contribuere debebit, in quo frequentius & familiarius domicilium habet.[7] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Domicilij enim ratio temporalis est, & pro cuiusque arbitrio constitui & transferri potest, dummodo re & facto non nuda contestatione transferatur, *l. libertus,* 17. §. *patris, & §. in adoptiua, & l. domicilium* 20. *D. ad municip.*

2 *l. incola,* 34. *l. vlt. §. antep. eod. tit. l.* 1. *D. de decur.*

3 *l. & qui originem* 3. *D. de muner. & honor.*

4 *d. l. & qui in princip. l. filij.* 22. *§. municipes, l. adsumptio,* 6. *§. vlt. ad municip.*

5 Boer. *qu.* 11. *num.* 1. *ex l. Senatores,* vbi DD. *de Senat. l. interdum, §. Senator de iudic.*

6 *l. assumptio,* 6. *§. viris prudentibus, l. si quis instructus est, alias §. si quis, l. eius ad municip.* Boer. *vbi supr. numer* 3. Nec duo tantum domicilia quis habere potest, vt quidam putant, quos refert idem Boer. *quæst.* 13. *num.* 2. sed etiam plura, vt ibidem Boer. tractat.

7 *dict. l. eius qui §. Celsus, alias §. si quis instructus, D. ad municip.* Vide Afflict. *decis.* 384. Guid. Pap. *quæst.* 5. & 87. vbi late Ranchin. in addit. Ioan. de Platea *in rubr. Cod. de tribut. & annon. lib.* 11.

DEFINITIO XI.

Mulier debet contribuere in domicilio mariti, non in loco suæ originis.

ITa igitur fiet, vt si mulier quæ in eo loco habitabat, vnde habebat originem, & vbi bona ipsius sita erant, alibi nupserit, & in mariti domicilium ierit, non amplius in veteris domicilij loco contribuere debeat, sed apud domicilium mariti.[1] Nempe quod ipsa vel inuita sequatur.[2] Multo igitur minus tenebitur maritus, cui bona omnia in dotem data sunt, ibi contribuere, vbi mulier domicilium habebat, priusquam nuberet.[3] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 *L. vltim. §. item rescripserunt mulierem, D. ad municip.* quamuis originem mutare nemo possit, *l.* 4. *Cod. de municip. & originar.*

2 Etiam cum vidua est, nisi ad secundas conuolet nuptias, *l. filij,* 22. *§. vidua, D. ad municip. l. cum quædam puella, penult. D. de iuris d. omn. iudic.*

3 Ita enim fieret, vt maritus sequeretur domicilium mulieris, quod esset absurdum, *l. vnic. vbi not.* C. *de mulier. in quo loco, lib.* 10. *tit.* 62.

DEFINITIO XII.

Mulier plebeia, quæ secundo viro nupsit nobili, nulla debet tributa pro bonis sibi pro dote oppigneratis, licet ea bona fuerint antea contributioni obnoxia.

ADeo verum est mulieri plebeiæ ex mariti persona & dignitate acquiri nobilitatis & immunitatis iura,[1] vt & si antea plebeio nupserit, nec dum recepta dote hypothecam in bonis vulgaribus & plebeiis constitutam, secundo marito nobili viro in dotem dederit,[2] perinde ab omnibus plebeiorum contributionibus immunem esse mulierem oporteat,[3] ac si ad eam bona illa dominij iure pertinerēt. Quamuis eo casu, vt minor dubitandi causa esset, illud faceret, quod ex personæ conditione ipsa quoque bonorum conditio immutata videretur.[4] Quod similiter dici non potest, cum proprietas penes plebeium mansit,[5] solo iure percipiendorum per antichresim fructuum in creditricem mulierem translato.[6] Sed id nimirum vniuersitati commodius est, quæ proprietarium non minus obligatum habeat ad omnia onera, quam si re sua libere frueretur: quasi nec pauperiorem factum, qui in vicem rerum obligatarum, earumque fructuum, & pecuniam dotalem retineat, & eius vsuras,[7] quique luendi etiam ius habeat.[8] Quo vti vel nolit vel fortasse non possit propter difficultatem explicandæ pecuniæ,[9] & vniuersitas putet sua interesse lui pignora, ne ex immunitatis nouo priuilegio mulieri quæsito damnum sentiat, non erit iniquum idem luendi ius vniuersitati accommodari,[10] non in præiudicium proprietarij, sed vt eodem iure pignora possideat, quo mulier ipsa nobili nupta possidebat,[11] salua semper debitori iterum luendi facultate.[12] *Ita Senatus* ex tempore in causa Ludouicæ Cœur vxoris N. de Gauand, contra Syndicos de S. Michel Maurian. in publico auditorio Idib. Nouembr. 1595.

1 Secundum ea, quæ diximus *Definit.* 16. & 17. *supr. titul. proxim.*

2 Nam & pignus dori dari potest sicut & pignori, hactenus nimirum vt ius, quod habuit mulier, in dotem datum videatur, *l. vnic. C. si pign. pignor. dat. sit. l. si conuenerit* 18. *D. de pignorat. act.*

3 Tametsi contributionibus istis soleant esse obnoxij possessores omnes, tametsi non nisi iure pignoris & hypothecæ possideant, si modo percipiant fructus, quia sunt ista onera fructuum & possessionis magis, quam proprietatis, *l. si pendente* 27. *§. si quid cloacarij, D. de vsufr.*

4 Cum soleant bona & debeant sequi conditionem personæ, *l. per curatorem* 90. *§.* 1. *D. de acquir. hered. l. vltim.* C. *de inoffic. testam.*

5 Nec enim proprietas pignoris transit in creditorem, *l. cum & sortis* 35. *§.* 1. *D. de pign. act. l. pignus* 8. C. *eod.*

6 Est enim antichresis species pignoris, *l. si pecuniam,* 34 *D. eod.* cuius fructus pertinent ad creditorem in vicem vsurarum, *l. si is qui* 11. *§. si antichresis, D. de pignor.*

7 *Arg. l. quia qui pretio* 39. *D. de vsuf. l. cum debitor* 8. *D. quib. caus. pign. vel hyposh. tacit. contr. l. Imperator* 70. *§. vlt. cum duab. seqq. de legat.* 2.

8 Quisquis vero potest facere vt possit iam videtur posse, *l. qui potest facere* 174. *de reg. iur.*

9 Nec enim semper facile est pecuniam explicare, vel eam habere in numerato, *l. si dubitet* 10. *D. de fideiuss.*

10 Ne alioqui paupertas proprietarij noceat vniuersitati, cum è contrario possit huiusmodi temperamento consuli & proprietario, & vniuersitati, *vt in l. in creditore* 38. *D. de euict. l. ex his* 8. *D. quæ in fraud credit.*

11 Exemplo eius quod scriptum est, *in l. peto* 69. *§. prædium, de legat.* 2.

12 *Argument. l. cum secundus,* 5. §. 1. & *l. seqq. D. de distract. pignor.*

DEFI-

DEFINITIO XIII.

Non potest nobilis & immunis retenta nobilitate priuilegium immunitatis à se abdicare, & ne iuri publico derogetur, & toti nobilitatis ordini iniuria irrogetur.

QVi eam nobilitatem siue à natura, siue à Principe habet, vt immunitatis priuilegio gaudere debeat,[1] si cum municipio transegerit, & conuenerit, vt pro bonis plebeiis, si qua iam acquisierit, aut in posterum acquisiturus sit, plebeiis oneribus contribuere teneatur, nec sibi nec posteris suis, licet hæredibus, nocet,[2] quoniam ea res ad ius publicum spectat,[3] & ad ordinum distinctionem.[4] In qua re nemini permittendum est, vt eam sibi conditionem irroget, quæ in aliorum eiusdem ordinis damnum possit cedere.[5] *Sic tractatum est* in eadem causa.

1 Sunt enim hic adhibendæ quædam distinctiones, de quibus diximus *Defin. 6. supr.* Vide Andr. Tiraq. *c. 20. num. 165. & seqq. de nobilit.*

2 Quamuis dici soleat, posse quemlibet suam & sui hæredis conditionem facere deteriorem, *vulg. l. pen. Cod. de pact. l. pactum 46. D. eod. l. si iudex 41. D. de minor. l. inuitus 156. §. vltim. de regul. iur.*

3 Alioqui priuatorum pactiones legum auctoritate censerentur, quod absurdum esset, *l. vlt. D. de suis & legit. l. ius publicum 38. D. de pact.*

4 Quam seruari & retineri publice quoque interest, *l. 1. & tot. tit. C. vt dignit. ord. seruet. l. 1. §. sed etsi seruus, D. de inspic. ventr.* Iunge *Defin. seq.*

5 Exemplo eius quod solemus dicere, Non esse permittendum, vt clericus renunciet priuilegio sui fori, quoniam id in totius cleri & ecclesiasticæ iurisdictionis iniuriam redundaret, *cap. si diligenti, & pass. extr. de for. compet.* Si tamen nobilis & immunis vltro vellet tributa soluere, fortassis motus conscientia, ne immunitatis priuilegio abuti videretur pro bonis à plebeio acquisitis in perniciem vniuersitatis, non posset repetere, & quia videretur donasse, *l. cuius per errorem 53. de reg. iur.* & quia inesset causa pietatis, quæ impediret repetitionem, *l. cum is 36. §. mulier, D. de condict. indeb.*

DEFINITIO XIV.

Non potest fieri per consuetudinem, vt qui sunt nobiles non sint immunes ab oneribus & contributionibus plebeiorum.

DVbitatum est, an ex municipali consuetudine induci possit, vt plebeiis muneribus & oneribus nobiles contribuere teneantur pro bonis, quæ in eo municipio possident? Quibusdam videbatur posse, propterea quod nobilitas sit qualitas accidentalis, non naturalis,[1] quæque pro possessoris arbitrio etiam in totum amitti possit, si quid forte ille faciat, quod deroget nobilitati.[2] Multo igitur magis fieri possit, vt pro Principis voluntate aut locorum consuetudine priuilegium immunitatis amittat, tametsi ipsa retineatur.[3] Indeque nimirum fit vt apud gentes pleraque nobiles cum plebeiis contribuere teneantur pro bonis, quæ habeant plebeia & ignobilia, neque tamen eo minus sint nobiles.[4] Aliis contra placebat non esse recipiendam illam consuetudinem, quæ non solum iuri communi & publico repugnaret,[5] sed etiam publicæ vtilitati, ad quam sane pertinet, vt dignitatum ordo distinctioque seruetur,[6] præsertim apud nos, qui eo semper iure vsi sumus, adeoque ex ipsis Principum edictis, vt non alia munera oneraque cum plebeiis subire nobiles cogantur, quam quæ mere sint patrimoniorum,[7] eaque tandem sententia post consultum Principem obtinuit. In causa N. de Vial & Syndicorum d'Argentine, 13. Cal. Ianuar. 1593.

1 Andr. Tiraquel. *c. 10. nu. 13. de nobilit.* vbi ex hoc infert, nunquam præsumi eam, nisi probetur per text. *in l. non ignorat Cod. qui accus. non poss.*

2 Cum plerisque modis amittatur nobilitas, Tiraq. *c. 4. & 27. de nobilit. per tot. & c. 34. per tot.*

3 Vnde est quod scribit Tiraq. *cap. 20. num. 172. de nobilit.* propter nobilitatem quandoque tribui immunitatem.

4 Quam sententiam videtur defendere Andr. Tiraq. *d. c. 20. nu. 165. & seqq.* scilicet in nobilibus ex genere, non tamen in nobilibus ex dignitate.

5 Nec enim vnquam ferendum est, vt consuetudo vincat legem, *l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

6 Vt dixi *Defin. præced. num. 4. & 5.*

7 A quibus certum est neminem excusari, ne quidem Principem ipsum aut Ecclesiam. Tiraquel. *dict. c. 20. num. 167. ex l. ad instructionem, C. de sacros. Eccles. l. absit, C. de priuileg. dom. Aug. l. 2. l. neque tempore 5. l. pen. & vlt. C. hoc tit. l. ab his oneribus 10. D. de vacat. & excus. muner.*

DEFINITIO XV.

Consuetudo localis, quæ immunitatem à nobilitate separat, an obliget etiam forenses?

DE illo etiam quæsitum est, an si qua ratione valeret consuetudo illa, de qua proxime scripsimus[1] vsque adeo tamen extendi deberet, vt forenses quoque comprehenderet; Placuit inspiciendum esse diligenter, qualis probata sit, & qualiter concepta. Nam si nihil de forensibus probatum sit, non debet comprehendere, quia dici solet, consuetudines esse stricti iuris,[2] ideoque nec de casu ad casum extendi debere,[3] multo minus de persona ad personam. Est enim extensio ista longe odiosior:[4] si tamen in rem ipsam concepta probetur, puta quod in vsu fuerit, vt bona omnia plebeia omnibus plebeiorum oneribus subiacerent, tametsi à nobilibus possiderentur, ligabit etiam haud dubie forenses, exemplo legis,[5] aut statuti in rem, non in personam concepti.[6] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt scilicet qui essent nobiles, non ideo essent immunes ab oneribus plebeiis.

2 Not. *ad l. de quibus 32. D. de legib. & ad l. 2. Cod. quæ sit long. consuet.*

3 *l. commodissime 10. de lib. & posthum. l. si cum dotem 22. in princ. D. solut. matrim. l. si donaturus 9. D. de condict. caus. dat.*

4 Not. *ad l. Gallus, 29. §. & quid si tantum, de libert. & posthum. l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus, in fin. de verb. oblig.*

5 Quid enim aliud est consuetudo, quam lex non scripta, *d. l. de quibus, D. de legib.*

6 De quo Bart. & post eum cæteri *ad l. 1. C. de summ. Trinit. & fid. Cathol.*

DEFINITIO XVI.

Consuetudines locales, quæ obtinuerunt ante introductionem tributi commutatorij, non sunt trahendæ ad tributum istud, quod ab initio suas leges habuit ex edicto Principis.

ILla quoque agitata fuit quæstio, admissa illa consuetudine, vt cum plebeiis contribuere nobiles teneantur pro bonis plebeiis & ignobilibus, quæ in territorio possident, vtrum habere illa locum debeat ratione tributi commutatorij, quod posterioribus Principum nostrorum edictis introductum est, quibus nominatim excepti sunt nobiles nobiliter viuentes, nisi qui nouam ex rescripto Principis meruerint nobilitatem? Quos visum est ante annos quinquaginta priuilegio immunitatis gaudere non debere. Quæstio in eo esse videbatur, An superueniens Principis lex generalis deroget legi speciali aut consuetudini anteriori, cuius mentio nulla facta sit? In qua quæstione vulgo receptum est, non esse credendum, Principem derogare voluisse speciali legi aut consuetudini,

BIU Cujas

quippe quam in facto consistentem iuste ignorare potuerit. [2] Mihi tamen magis placebat, in proposita specie non esse locum huic quæstioni, quoniam, quod ad tributum commutatorium attinebat, nulla vigere potuerat consuetudo, priusquam edicto Principis esset introductum. [3] Post introductionem vero multo minus fieri, vt ex consuetudine in aliis casibus quantumuis similibus obseruata hoc contributionis genus legem acciperet, quam ab initio propriam certamque ex ipsis edicti verbis acceperat. [4] Atque ita tandem Senatui visum est, quoniam tamen Princeps rescripserat, licet pendente lite, & ad Syndicorum postulationem, nolle se municipali consuetudini quicquam per edicta sua generalia derogatum intelligi, visum est nihil inconsulto eo constitui debere, seu per literas certiorem eum faciendum, quid Senatui æquius melius videretur. [5] *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Cum in toto iure generi per speciem derogetur, vt est in regula iuris.

2 *Cap. 1. extr. de consuet. in 6.* iunct. *l. 3. §. ex hoc rescripto, D. de sepulchr. violat.*

3 Non enim potest videri consuetudo ad ea pertinere, quæ non nisi ex postfacto sint introducta, ideoque noua de iis lege vel consuetudine opus est, *argum. l. non potest 22. D. de iudic.* nisi quod potest consuetudo iam recepta trahi ad nouos casus, dummodo similes, *l. de quibus 32. D. de legib.*

4 *l. prospexit 12. D. qui & à quib. manum.* De eo namque, de quo lex scripta est, neque lege, neque consuetudine, adeoque nec interpretatione vlla opus est, *l. ille aut ille 25. §. cum in verbis de leg. 3.* Facit *l. vero 12. §. pen. in illis verbis, quia certam conditionem habuit stipulatio, D. de solut.*

5 *Arg. l. 1. C. de legib.* iunct. *l. vlt. eod. tit.*

DEFINITIO XVII.

Priuilegium immunitatis, quod fuerat prius ademptum Iuridicis maioribus prouinciarum, postea vero iis restitutum est, ad eorum liberos non extenditur.

IN edicti interpretatione, quod de tributorum fiscalium peræquatione factum est, cum Princeps ad Senatum rescripsisset, velle se vt iudices prouinciarum, quos maiores appellamus, gauderent immunitate, quæ edicti verbis non aliis quam supremis magistratibus stipendia merentibus concessa erat, quæsitum fuit, an idem immunitatis priuilegium filiis eorum posterisque concedi deberet? Et post longam disputationem placuit, si ex iuris ratione æstimanda res esset, eandem liberorum quam patris rationem constituendam fore, quandoquidem priuilegium illud immunitatis non tam propter officium indulgetur, quod sane constat in liberos non transire, [2] quam propter dignitatem, quæ haud dubie liberis per patrem quæritur, [3] adeo vt etiamsi casu aliquo patri adempta sit, liberis tamen non adimatur. [4] Sed tamen in proposito aliud dicendum esse, quoniam iuri communi, quod Iudicibus prouinciarum non minus quam Senatoribus & nobilitatem & immunitatem daret, [5] priore Principis edicto derogatum esset, relicta iis solis immunitate, qui supremi Imperij partibus in iudicando fungerentur. [6] Proinde si rursum Præsidibus fauere Princeps vellet, quod indignissimum esset, eum, qui prouinciæ præsit, vrgeri à plebeiis ad solutionem plebeiorum onerum, (quæ res plerumque contemptum habet [7]) non itidem consequens esse, vt perinde posteris eorum faueatur. Est enim angustius priuilegium immunitatis, [8] quæ ex speciali iure solaque Principis voluntate competit, quam eius, quæ ex iure communi, [9] nec tam facile transmittitur ad liberos, vt sunt Principum priuilegia fere omnia personalia, [10] nisi cum aliud expressim actum est. Mouit etiam Senatū, quod conueniens videbatur, meliorem & digniorem hac parte esse conditionem Senatorum quam Iudicum prouincialium. [11] *Ita Senatus* secreto Senatusconsulto facto ad edictum, quod ad Idib. Ian. conscriptum, postea Prid. Id. Februar. in Senatu publicatum est.

1 Cum & nobilitas & immunitas à parentibus in liberos iure communi transmittatur, *l. 1.* vbi Bartol. & alij, *l. Senator, & l. si Senator, Cod. hoc titul. lib. 12.* Tiraquell. late *cap. 15. de Nobilit.*

2 Vt diximus *Defin. 23. §. sit. prox.*

3 *l. emancipatum 7. §. vlt. D. de Senator.*

4 Text. est elegans *in l. filiam 9. eod.*

5 Tanquam qui æque sint Consiliarij Principis, licet non æquo gradu.

6 Potest enim Princeps de iure nobilitatis, & eius immunitatis, quæ ex nobilitate nascitur, pro arbitrio disponere, vt late per Tiraq. *c. 6. de nobilit.*

7 *l. generaliter 13. D. de in ius vocand.*

8 Vt constat ex iis, quæ diximus *Defin. 6. §.*

9 *l. 1. §. vlt. D. de constit. Princip.*

10 In dubio tamen concessionem à Principe factam censendam esse realem potius, quam personalem, ita vt transeat ad successores, defendit ex communi sententia Tiraq. *c. 37. nu. 59. de nobilit.*

11 Propter excellentiam senatoriæ dignitatis, cum Senatores sint pari corporis Principis, *l. quisquis 5. C. ad leg. Iul. Maiest.*

DEFINITIO XVIII.

Tributa indicta municipibus per vniuersitatem non possunt exigi nisi aduersus eos, qui indictioni consenserunt: fiscalium debitorum alia ratio est.

VNiuersitatis nomine indicta singulis municipibus contributione, licet maior pars consenserit, [1] non idcirco tamen qui non consenserunt præcise vrgendi sunt ad solutionem, si velint intercedere, & intercessionis causas reddere. [2] Sane nec eorum intercessio facere debet, quo minus vrgeantur ij, qui consenserunt. [3] Non idem est in fiscalibus debitis, quibus vtique mora nulla propter intercessionem fieri debet, [4] tametsi admittatur intercessio postmodum ad repetitionem profutura, si ex postfacto iustam eam fuisse apparuerit. [5] *Ita tractatum est* in publico Auditorio in causa vniuersitatis de S. Vial, 10. Calend. Decembr. 1594.

1 Quamuis dici soleat, id, quod maior pars constituerit ab omnibus constitutum videri, *l. quod maior pars 19. D. ad municip.* Vide Guid. Pap. *quæst. 87. nu. 1.* vbi ait, Vniuersitatem, quæ non habet bursam communem, posse collectam imponere.

2 Quia quod omnes tangit vt singulos, ab omnibus approbari debet, *l. vlt. C. de auctor. præst.*

3 Nec enim volentibus & consentientibus potest videri vlla fieri iniuria, *l. in diem 9. §. 1. de aqu. pluu. arcend.*

4 Quia publice interest non fieri moram exactioni fiscalium debitorum.

5 Alioqui non esset permittendum, ne quidem fauore fisci, vt inciperent ab executione, si ei, contra quem fit executio, non esset saluum ius intercedendi, *l. 1. Cod. de exec. rei iudic.* iunctis iis, quæ tradit Bartol. *ad l. de pupillo 5. §. meminisse, D. de oper. noui nunciat.*

DEFINITIO XIX.

Tributi fiscalis onus quomodo diuidendum sit inter contribules, & quid si quidam ex iis fiant non soluendo?

ONus tributi ab vniuersitate pendendi inter eos omnes, qui ex vniuersitate sunt, nec immunitatis priuilegium habent, diuidi non pro viribus, sed pro congruis portionibus debet. [1] Quo facto non est ferendum, vt, quod alius debeat, ab alio exigatur, nec si id Principi vtilius & commodius fore videatur: [2] impugnat enim ea res publicam vtilitatem, ex qua optimus

BIU Cujas

optimus quisque commoda Principis æstimare solet, abhorretque maxime à naturali ratione & æquitate vt alius pro alio inquietetur. [4] Quid ergo si quidam sint non soluendo? An pro eorum portionibus tributi iacturam facere Principem æquum erit? Minime vero. Sed ad nouam tributi diuisionem inter contribules faciendam redeundum erit, vt pro inopum aut absentium partibus cæteri, qui adsunt & soluendo sunt, onerentur, [5] salua iis aduersus illos, qui soluere debuerunt, actione, si quando ad locum aut meliorem fortunam redibunt, aut etiam in eorum bona, si qua sint, quæ capi possint. [6] Contribules vero eos esse intelligendum est, non qui sint ex eadem, vt loquimur, parœcia, sed quibus omnibus ab initio vna tantum summa soluenda constituta est, tametsi postea commodioris exactionis causa in plures parœcias diuisa & separatim distributa sit. Itaque ad totius territorij iurisdictionalis, quod nos mandamentum appellamus, non ad huius tantum vel illius parœciæ onus ea res pertinere debet, apud nos, qui mandamentis primum, deinde ex ordine singulis cuiusque mandamenti parœciis pro singulorum facultatibus tributi pendendi quantitatem præstituere solemus. *Ita Senatus* pro fratribus Myard contra Syndicos de Verion 6. Cal. Decemb. 1594.

1 *l. vlt. D. quemadm. ciuil. muner. indic. lib. 10. tit. 42. iunct. l. 1. C. hoc tit. de muner. patrim. eod. lib.*

2 *l. vnic. C. vt null. ex vican. pro alien. vican. debit. ten.*

3 *l. vnic. §. penult. C. de caduc. tollend. l. præcipimus 32. in princip. C. de appellat.*

4 Alex. *ad l. si se non obtulit, nu. 14. D. de re indicat.* post Bart. *ad §. actor. eod. leg.* Vide *Nouell. 128. c. 14. §. nullus autem.*

5 Quæ superindictio appellatur à Iustiniano *d. Nouell. 128. cap. 8.*

6 Puta in nomina debitorum, *d. Nouell. 128. l. 4. C. quand. fisc. vel priuat. debitoris sui debitorem conuen. poss.*

DEFINITIO XX.

Quantum interfit, an quis dicat se plus æquo oneratum, an pro aliis indebite exactum?

QVi se in tributi alteriusve oneris diuisione plus quam par sit oneratum conqueritur, iuste postulat vt noua diuisio fiat, [1] sed ita si paratus sit sumptus in eam rem necessarios prorogare, postea repetiturus si iustam querelam habuisse compertus erit. [2] Aliud est, si quis non de portionis suæ quantitate queratur, sed de eo tantum, quod pro cæteris absentibus aut inopibus vrgeatur. Hoc enim casu noua illa distributio, de qua proxime diximus, non petentis priuati sumptib. fieri debet, sed totius territorij, [3] salua aduersus personas aut bona eorum, qui nouæ distributionis faciendæ necessitatem attulerunt, repetitione. *Ita Senatus* in eadem causa.

1 Vt ad æqualitatem suam res reducatur.

2 Dixi *Defin. 1. §.*

3 Non parœciæ tantum, sed mandamenti, vt dixi *Definit. prox. præced.*

DEFINITIO XXI.

Tributorum onus constituendum est non ex pretiis emptionum, sed ex iusto rei valore.

IN eorum onerum diuisione facienda, quæ aut rebus ipsis aut personis pro rebus indicuntur, non pretia emptionum spectanda sunt, vt tanti res esse videatur, quanti empta est, [1] sed iustus valor inspiciendus est, [2] qui vtplurimum ex fructuum ac redituum qualitate & quantitate, item loci, in quo bona sita sunt, conditione plerunque æstimatur. [3] Euenit enim sæpenumero, vt longe pluris vendatur, quam res sit propter emptoris immoderatam affectionem, [4] aut minoris, ob venditoris egestatem: [5] quod cum fit, nemo sane dixerit, conuenti pretij rationem habendam esse. Idque adeo verum est, vt non solum ab aliis, qui ex eâ re læderentur, quique non contraxerunt, id allegari possit, [6] sed ab ipso quoque emptore, cui nec nocere debet in suscipiendo tributi onere, quod ille ipse tanti rem æstimauerit, [7] & plerumque, licet non semper, æquius est, vt non plus emptor ob rem emptam præstet, quam præstare venditor solitus esset, [8] nisi causa iusta fuit, propter quam grauius ille tributum pendere venditor debuisset. Semper enim ad suam æquitatem reuocanda res est. [9] *Ita Senatus* in causa Syndicorum Capellæ Tarentas. in publico auditorio, 3. Cal. Decemb. 1594.

1 Cum possit emi multo plutis quam res est, vel ex stultitia emptoris, *vt in l. alienus, D. ad leg. Falcid.* vel ex qua etiam alia iusta causa, *l. 1. D. si quid in fraud. patron.*

2 *l. pretia rerum 63. D. ad leg. Falcid. l. si seruus 33. ad leg. Aquil.*

3 *l. si fundum per fideicommissum 92. de legat. 1.*

4 *Vt in d. l. 1. D. si quid in fraud. patron.*

5 *Vt in l. 2. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.*

6 Ex iuris regula quæ non patitur res inter alios actas aliis nocere, *l. 1. & tot. tit. C. inter alios act.*

7 Quod enim tanti rem æstimauit, non ad hos fines factum est: actus autem non operantur vltra intentionem agentium, *vulg. l. non omnis 19. D. de reb. credit.*

8 *l. inuitus 156. §. plerumque, de reg. iur.*

9 *l. maioribus, 3. C. commun. vtriusque iudic.*

DEFINITIO XXII.

Fructuarius nobilis debet gaudere immunitate, etiamsi neque proprietarij, neque bonorum conditio sit immunis.

CVm onus pendendi tributi ad fructuarium spectet, non ad proprietarium, [1] consequens est, vt si fructuarij persona immunitatis priuilegium aliquod habeat, non ob id minus eo priuilegio gaudere debeat, quod & proprietarij persona, & bonorum conditio priuilegium nullum mereatur, maxime vero si tributum tale proponatur, quod non tam rebus quam personæ pro rebus indictum fuerit, quale est, quod apud nos commutatorium appellatur: in eo namque tributorum genere nihil nisi personæ condicionem inspicimus. [2] Sed & si res ipsa tributum deberet, [3] cum ex fructibus pendi debeat, [4] imminueretur ius vsufructuarij immunitatem habentis, si pro tributo res capi posset. [5] Itaq; immunem quoque vsumfructum esse necesse est. Nec simile est, quod pro æris alieni exsolutione fructuarius diminutionem sui vsusfructus pati cogitur: [6] neque enim in ære alieno est tributum, quod nec à proprietario debetur, quia fructus non percipit, nec à fructuario, qui proprio iure habet immunitatem. *Ita Senatus* in ea causa, de qua SC. 24. sup. De dignit. & nobilit.

1 *l. si quid pendente 27. §. si quid cloacarij, D. de vsufr.*

2 Quia persona semper dignior est, ita vt ex eius conditione mutetur conditio bonorum, *l. per curatorem 90. §. 1. de acquir. hered. l. vlt. C. de inoff. testam.*

3 *Arg. l. Imperatores 7. de publican. & vectig. l. denique 19. D. de iur. fisc.*

4 Est enim onus fructuum & possessionis. Vide Osasch. Cacheran. *decis. 83. nu. 5. & 6.* Curt. sen. *consil. 36.* Alex. *cons. 3. 5. nu. 12. lib. 4.* Iul. Clar. *in §. emphyteusis, q. 46.*

5 Ex notat. *in l. vlt. D. de vsufruct. legat.*

6 *d. l. vlt.* vbi Bart. & alij. [Simile est quod nobilis possidens bona tributaria iure pignoris & hypothecæ non tenetur ad tributa. Creditor enim sibi possidet quod ad omnia non debitori nisi ad vsucapionis causam *l. serui nomine 6. D. de vsucap.* & ideo habet omnia interdicta pro pignore conuentionali quamuis non pro prætorio *l. 3. §. creditores D. vti possid.* Sane cum vniuersitas ea ratione se valde læsam conquereretur,

BIU Cujas

putauit Senatus ei permittendum, vt pignus lueret si vellet, atque ita in creditoris nobilis locum succedendo indemnitatem sibi compararet. Nam & vniuersitas ipsa creditrix est pro tributis quæ singulorum nomine præstare debet, ideoq; saluum ius offerendi habere illam æquum est. *Ita Senatus* pro D. de Monfort ex tempore 1. Iun. 1612.]

DEFINITIO XXIII.

Nihil potest fieri in fraudem publicarum functionum.

CONtractus in fraudem publicarum functionum initos ipso iure nullos esse placuit,[1] ne priuatorum pactionibus iuri publico derogetur.[2] *Sine die.*

1 *l. vnic. C. vt nemo ad suum patroc. suscip. viros rustic. lib. 11. l. pen. C. de rescind. vendit.* Boer. *qu. 2. num. 20.*
2 *l. ius publicum 38. D. de pact.*

DEFINITIO XXIV.

De domicilio & paternæ & maternæ originis, & de muneribus in vtroque loco subeundis.

PROpriam quisque originem suam sequitur, quam nec mutare, nec recusare vllo modo potest,[1] ne quidem adoptionis commento.[2] Quare nec si per mille annos abesset, originis tamen domicilium eo minus retinere videretur:[3] sed & ex patris origine, sicut ex propria domicilium quis habere intelligitur,[4] adeoq; ex origine aui,[5] non tamen proaui, ne alioqui res abeat in infinitum.[6] Maternę originis alia ratio est,[7] nisi quo casu filius sine patre natus intelligitur, id est, matre postliminio reuersa & enixa in ciuitate post patrem captiuum apud hostes defunctũ,[8] aut qui spurius est.[9] Quod eo pertinet, vt in vtroque loco originis & propriæ & paternæ hic, qui duplex aut etiam triplex domicilium habet, si vtrobique bona etiam habeat, & honoribus & muneribus, tam personalibus quam realibus, fungatur,[10] si municipalis aut prouincialis lex nulla repugnet.[11] Item vt siue in hoc, siue in illo loco reperiatur, conueniri iudiciumque subire cogi possit,[12] cum & vtriusque loci legibus obstringatur,[13] nec quod ad temporalia dumtaxat, sed etiam quod ad spiritualia.[14] Igitur & cogi poterit vt ad eum locum redeat, vnde traxit originem, ad onera personalia, si qua vrgeant subeunda.[15] Etsi enim alibi etiam quam in loco originis domicilium constitui posse certum est,[16] originalem tamen causam, vt aiunt, accidentali præferri oportet.[17] Multo magis admittendum illud erit, si quis ex alieno territorio, in quo natus fuit, ad paternæ originis locum redierit, non pro albino, vt vocant, id est, alibi nato,[18] sed pro ciue & originario haberi eum oportere,[19] vt paterna origo cum domicilio filij coniuncta soli origini filij præferatur,[20] quia & duo vincula vni præferuntur,[21] præsertim si de ea re agatur, quæ sententiam hanc fauorabiliorem efficiat, vtputa de albinagij iure, quod sane perquam odiosum est, excludendo.[22] Sufficiet igitur vel aliquo tempore, siue primo, siue medio, siue vltimo regnicolam hunc fuisse.[23] Nam etsi quis in eam ciuitatem, quæ immunitatis priuilegia habebat, & vnde diuerterat, post aliquot annos redierit, constat priuilegio & immunitate eum gaudere,[24] si non ciuis originarius fuit, qui ad ea munera subeunda cogi etiam absens potuerit,[25] & cui ob eam causam non debeat immunitas prodesse.[26] Cæterum si quis alicubi natus sit, casu magis quam certa matris destinatione, non tam in eo loco, in quo natus est, sumpsisse originem credendus est, quam vbi mater sistere & manere solita erat vel destinauerat.[27] Vnde & illud est, quod animalium ob bella in alieno loco parientium decimas ei parochiæ, à qua fugerunt, soluendas esse placuit.[28] *Sine die.*

1 *L. assumptio 6. D. ad municip. l. origine, Cod. de municip. & orig. lib. 10. l. priuilegio, C. de decur. eod. tit.*
2 *l. ordine 15. §. fin. l. libertus 17. §. in adoptiuis, D. ad munic.*
3 Bart. *in l. quæsitum per ill. text. de leg. 3. & in l. Seiæ §. Pamphiliæ, de fund. instr.* Boer. *quæst. 13. nu. 3.*
4 *d. l. assumptio, §. filius,* vbi gloss. & Bart. & *in l. filios apud, C. de municip. & orig. lib. 10.*
5 Bart. contra gloss. *in d. §. filium.*
6 Boer. post gloss. & Bart. *d. q. 3. num. 7. & 8.* vbi communem ait.
7 *d. l. filios* Boer. *vbi s. num. 9.* contra Bertr. *cons. 82. num. 15. vol. 4.*
8 Vt in specie *l. 1. C. de captiu. & postlim.*
9 Alb. *in d. §. filius, l. assumptio.*
10 Boer. *vbi s. nu. 13. ex l. fin. §. iidem rescripserunt mulierem, cum glos. D. ad municip. l. in filiis, C. de decur. lib. 10.*
11 Aliquando enim ita lex est, vt non alij onera vel munera subeant quam incolę & habitatores, quo casu sola ratio originis non attenditur. Aliud enim est incolatus & domicilium habitationis, aliud vero locus & domicilium originis. Boer. *dict. quæst. 13. num. 44. ex l. incola 2. l. domicilium, & l. nihil ad municip.*
12 Gloss. *in d. l. assumptio, §. filius,* vbi etiam Bart. Castr. *in Authens. si vero contigerit, in fin. C. de iudic.* Boer. *vbi s. nu. 13.*
13 Nam à pari procedunt forum sortiri & statutis ligari. Socin. *cons. 79. nu. 8. post glos. in cap. quod clericis, de for. comp.*
14 DD. *in c. 2. de temp. ordin.* Boer. *vbi s. nu. 15.*
15 Intellige si in fraudem originis domicilium mutauerit, aut si de hac re statutum aliquod sit, vt in ea quæstione, quam tractat Boer. *nu. 27.* Vide *l. 1. D. de decur.*
16 *d. l. incola, d. l. domicilium, d. l. assumptio, §. viris prudentibus, cum similib.*
17 *L. si adrogator.* vbi Iaf. *col. 17. vers. contrarium, D. de adopt.*
18 Hanc enim huius vocis *albinus* etymologiam esse ait Boer. *vbi s. num. 17.* Vide *l. mercatores,* vbi Bald. *C. de commer. & mercat.*
19 Boer. *vbi s. num. 30. 35. 36.*
20 Boer. *d. num. 36.*
21 *§. si vero pater, Inst. de adopt.*
22 Boer. *d. nu. 36. ex leg. odia, in 6.*
23 Boer. *vbi s. nu. 42. arg. §. ex hŝ, Inst. de ingen.*
24 Iacob. de Aret. *in l. cum emancipatus, §. si pater ex duobus, per ill. text. de bonor. pos. contr. tab.*
25 Bart. *ad d. §. si pater.*
26 *l. 2. D. de iur. immun.*
27 Bart. *cons. 173. incip. dubia occurrentia, & in l. si quis, per ill. text. C. de natur. liber. l. eiues, in fin. C. de incol.* Boer. *vbi s. nu. 49. 50. 51. & 52. ex l. nihil, de captiu. & nu. 53. ex §. si quis igitur.* vbi Ang. *quibus mod. natur. effic. sui.*
28 Bald. Castr. & alij *in l. huiusmodi, §. legatum, de iudic.*

DEFINITIO XXV.

ORiginis priuilegio quod ad immunitates attinet gaudere non debet, qui nulla ibi munera subire solitus est.[1] *Sine die.*

1 Boer. *quæst. 13. nu. 45.* post Barbat. *cons. 2. vol. 3.*

DEFINITIO XXVI.

De immunitate personarum ecclesiasticarum à munere & onere hospitis recipiendi.

HOspitis recipiendi munus ex eorum numero esse, quæ patrimonialia appellantur, nemo ambigit,[1] à quibus non magis clericos quam alios vllos quauis dignitate præfulgentes immunes esse placuit.[2] Sed tamen habent hoc clerici ex priuilegio in corpore iuris clauso, quod habent etiam Professores & Medici,[3] vt excusentur à metatis, id est, ab onere isto hospitis recipiendi:[4] fortasse ideo, quod onus hoc personalem quoque inferat vexationem, quæ recipientis verecundiam ipsam pulsare ac lædere videatur.[5] Clericorum enim personas sanctas & inuiolabiles esse, ac proinde huiusmodi priuilegio decorandas, non tantum sacrosanctis Pontificibus,[6] sed etiam Romanis Imperatoribus[7] iustissima ratione placuit

placuit. Si tamen ex ea immunitate fiat, vt laici supra modum lædantur, & militum recipiendorum oneri ferendo impares efficiantur, ipsis quoque sacris canonibus constitutum est, vt laicis subsidio esse ac suppetias ferre clerici debeant, sed ita tamen vt eam subuentionem ex charitate solum, non etiam ex debito profectam esse dici possit. [8] Nec fieri sane vlla vnquam constitutione posset, vt ab hoc munere prorsus & omnimodo immunes essent clerici, etiam illo casu, quo ipsa rerum necessitas subuentionem postularet. [9] Quid enim tam sacrum sanctumque esse potest, quod non violet necessitas, præsertim quæ assertores habeat milites in tanta, quanta persæpe est, gladiorum armorumque impunitate? Ne tamen eo prætextu liceret impune laicis clericorum priuilegio derogare, prouidenter summi Pontifices decreuerunt, vt ea cognitio de casu necessitatis declarando non laici magistratus esse deberet, sed solius Episcopi, hoc etiam addito, ne quid de ea re posset Episcopus decernere inconsulto summo Pontifice, ob periculum quod subesse putabatur, ne quis Episcopus per facilitatem suam vel tractandarum rerum imperitiam aliquid decerneret, quod in totius cleri dedecus & dispendium redundaret. [10] Sed quamquam sacris canonibus ita cautum est, alio tamen iure vti nos cogit plerumque temporum iniuria, sic constituto vtplurimum rerum statu, vt nec adeundi Episcopi spatium detur, tantum abest, vt de summo quoque Pontifice consulendo tractari possit. Nec rursus Princeps fere vllus est, qui non in suo territorio eam sibi potestatem & auctoritatem longa siue consuetudine, siue præscriptione acquisierit, vt de his omnibus cognitio sit ipsius Principis, vel maiorum magistratuum, quibus ea res à Principe aut eius vicario generali curanda datur, non Episcoporum, quippe quos laici suspicentur, numquam in eam rem consensuros esse, nihilque non facturos in cleri sui exonerationem, non sine magno laicorum malo & incommodo, si arbitrio ipsorum res committeretur. [11] Atque ita Senatum nostrum in causa quadam graui, nec dum definita sensisse scio, etiamsi non tantum de clericorum & Canonicorum insignis Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam de ecclesiasticarum quoque & Capitularium ædium immunitate tractaretur, in qua faueri Canonicis longe æquius erat, quam si ad immunitatem profanis siue suis, siue aliorum ædibus acquirendam personale dumtaxat priuilegium allegarent. [12] Sed & illud accedebat, quod Princeps noster pientissimus, idemque immunitatum ecclesiasticarum conseruator religiosissimus pro clericis rescripserat ad Senatum, ne quam ipsorum immunitatibus, præsertim quæ à iure ipso datæ essent, iniuriam fieri pateretur. Quibus rationibus motus Senatus noster, ne quid vel aduersus pietatem suam solitam Principisque voluntatem constituisse videretur, vel in eam generalem populorum omnium legem offendisse, quæ salutem populi supremam legem esse iubet, putauit interloquendum, vt ante omnia per vnum ex Senatoribus inspicerentur & describerentur omnes totius ciuitatis ædes, quę ad subeundum hospitis recipiendi munus essent idoneæ, vt ex ea inspectione ac descriptione constare posset, quibus finibus circumscribendi & definiendi essent casus illi necessitatis, quorum haberi rationem oporteret, ad obligandos clericos, vt laicis subsidium ferrent, ne aut in clericorum, aut in laicorum arbitrio relictum id videretur. Nam nisi maxima omninoque præcisa vrgeret necessitas, quæ nec nobilioribus, nec aliis vllis præcipua immunitate gaudentibus parceret, nihil contra ecclesiasticam immunitatem statuendum esse constabat, siue de stationario milite, siue de eo, qui ex causa aliqua improuisa superuenerit, recipiendo ageretur. Quomodo sæpius à Senatu nostro pronunciatum antehac fuit pridem pro Canonicis ciuitatis Aquensis, nuper autem pro R.D. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis, confirmata consilij Gebennensis sententia, me Præside pro ipsis lata. *Sine die.*

1 *l. & qui originem 3. §. munus hospitis, l. vlt. §. pen. D. de muner. & honor.*

2 Exceptis scilicet iis solis, quibus principali beneficio & speciali priuilegio concessum est, vt ab hoc munere & onere sint immunes, vt Hermogenianus loquitur *in l. sunt munera 11. D. de vacat. & excus. muner.* iunct. *l. 2. 3. & pass. C. de muner. patrimon.*

3 *l. vlt. §. vltim. D. de muner. & honor. l. ab his oneribus 10. §. angariarum, D. de vacat. & excus. muner. l. archiatros 8. Cod. de metat. lib. 12. tit. 41. l. Medicos 6. Cod. de Profess. & Medic. lib. 10. tit. 52.*

4 *l. 1. C. de Episcop. & Cleric.* Vide Guid. Pap. *q. 7. ex l. munerum §. patrimoniorum, D. de muner. & honor. l. fin. C. hoc tit. l. ad institutiones, C. de sacrosanct. eccles.*

5 Vnde & *hospitalis*, aut vt alij legunt, *hospitalitatis* molestia appellatur *in d. l. archiatros, 8. C. de metat.*

6 *Can. non minus, can. aduersus, extr. de immunit. eccles.*

7 *d. l. 1. C. de Episcop. & Cleric. vbi not. & in l. ad institutiones 7. C. de sacros. Eccles.*

8 *d. c. aduersus cum ibi notat.*

9 Cum certissimum sit, nullis legibus posse necessitatem coerceri, esseque illud verissimum, quod vulgo iactatur, Sæpe cedendum esse tempori, ac semper necessitati.

10 *d. c. aduersus*, vbi Glos. & Canonist.

11 Solent enim & debent Episcopi fauere clericis, vt & magistratus laici solent fauere laicis.

12 Duplex enim hoc casu aderat priuilegium, personarum scilicet & rerum. Dici autem solet, quod & verum est, duo siue priuilegia, siue vincula esse fortiora vno, *vulg. l. pen. Cod. de adopt.*

DEFINITIO XXVII.

Contributioni pecuniæ, ad cuius solutionem vniuersitas erga vnum ex municipibus condemnata fuit, etiam victor obnoxius est, nisi lis sit aut fuerit de immunitate.

NImis quidem graue est, vt quis arma parare contra se & aduersarium suum quoquo modo adiuuare compellatur: [1] sed tamen, si qua inter vniuersitatem & aliquem ex municipibus & incolis mota lis esse proponatur, verissima & æquissima est sententia existimantium, contributioni eius pecuniæ, quam in causam sumptuum litis ab vniuersitate prorogari necesse est, illum etiam, qui cum vniuersitate litigat, obnoxium esse oportere. [2] Nemo enim ob id solum, quod se aduersarium vniuersitati constituerit, ab oneribus & muneribus publicis exuere se potest, quibus municipes cæteri obstringuntur, sicuti nec sola voluntate ius originis & domicilij sui peruertere. [3] Hoc ita si non de eo ipso litigetur, an publicorum onerum contributioni obnoxius sit is, qui se vel municipem esse negat, vel ex nobilitatis priuilegio, aut qua alia de causa immunem contendit. Neque enim pendente lite æquum esset litigatorem hanc haberi pro condemnato. [4] Ergo etsi proponas municipem, qui cum vniuersitate de alia re litigabat, victoriam litis cum sumptibus retulisse, adhuc dicendum erit, à contributione, quam pro eorum sumptuum solutione fieri necesse erit, non eo magis victorem hunc immunem fore. [5] Nec quod ita futurum sit, vt victoriæ commodum ei pro parte auferatur, ad rem faciet, cum sit etiam inter victos, quatenus ex vniuersitate est, quàm ipse vicit. Nam & si contributio facienda sit inter municipes pro soluenda pecunia, quæ vni ex ciui-

BIU Cujas

bus debeatur, perinde creditori pars ea imputabitur, quam pro suo capite soluere debeat, ac si alius creditor proponeretur, [6] tanquam qui sui ipsius debitor sit & creditor diuersis respectibus, [7] cum fieri nequeat, vt, quod ab vniuersitate debetur, non afficiat omnes, qui ex vniuersitate sunt, non quidem tanquam singulos, [8] sed tanquam vniuersos. [9] *Ita Senatus* in causa Ioannis Magdelain, & Syndicorum Megeuæ. *Sine die.*

1 *L. nimis graue 7. C. de testib. l. vlt. C. de edend.*

2 AEgid. Thomatus *in tract. de collect. quæst. si quis vniuersitati litem mouerit, p.* 325. post Bart. *ad l. Imperatores, 21. D. de intel. & rat. distr.* Ciuitas enim, quæ non habet bursam communem, potest collectam imponere, vt tractat Guid. Pap. *quæst. 87. ex l. 1. §. si nemo, vbi gloss. D. quod cuiusque vniuersit. l. 2. in princ. de aliment. & cibar. leg.* Specul. *in §. sequitur, de executi. sentent. vers. quid si vniuersitas.* Vide *l. fin. C. de muner. patr. lib. 12.*

3 *l. domicilium 20. D. ad municip. l. origine 4. Cod. de municip. & originar. lib. 30. tit. 38.*

4 *Argum. dict. l. Imperatores*, iunct. *l. cum neque 4. C. de incol. & vbi quis domicil. hab.* Vide *l. moueor 4. Cod. si seruum export. ven.*

5 Ex notatis *num. 2.*

6 Bartol. communiter approbatus *in l. ab omnibus 104. §. si Attio, de legat. 1.*

7 *Arg. l. si paterfamilias 15. §. 1. D. de adopt. l. item 6. §. 1. D. quod cuiusque vniuers.*

8 *l. sicut 7. §. 1. eod.*

9 Not. *in l. placet, C. de sacros. Eccles.*

Gloria tota Deo, qui nobis hæc ocia fecit.

Honestauit me Deus in laboribus,
Labores meos compleat Dominus.

FINIS.

INDEX

BIU Cujas

INDEX LOCVPLETISSIMVS

RERVM ET MATERIARVM, QVÆ IN NOVEM CODICIS FABRIANI LIBRIS

continentur: nunc multò quàm antè locupletior, & innumeris rebus in præcedentibus editionibus omissis, & his quæ recens ab ipso authore additæ sunt, auctior.

L, Librum significat. T, Titulum. P, Paginam. C, Columnam, seu paginæ sectionem: D, Definitionem. N, Numerum: All. Allegationes.

A

ABBATIAE seu societates laicorum iuuentutis antiquandæ l.1 t.5 p.46 c.2 d.8 n.5

ABOLITIO & indulgentia in quo differant, l.9 t.22 p.1194 c.1 d.1 & d.3 n.5

Abolitio non est criminis sed accusationis, l.9 t.22 p.1194 c.2 d.3 n.1 in all.

Abolitionem impetrans, licet non minus literas principis cogatur exhibere, atque is cui gratiam criminis Princeps fecit, facilius tamen impetrare potest vt in auditorio secreto id fiat non in publico l.9 t.22 p.1194 c.1 d.1

ABSENS dicitur, qui copiam sui non facit, quique latitat, l.2 t.2 p.75 c.2 d.9 n.4 in all.

Absens condemnatus ex peremptorio, si appellat, audiendus est, dummodo non per contumaciam defuerit, l.3 t.1 p.158 c.2 d.8 n.4 in all.

Absens rite citatus, si sit contumax, pro præsente haberi debet, l.3 t.28 p.256 c.2 d.2 n.4 in all.

ABSENTIA longi temporis, cum mors est fundamentum intentionis non sufficit ad probandam mortem, l.4 t.7 p.285 c.2 d.2 n.1 in all.

ABSENTIVM bonis cur curatores dentur, l.5 t.11 p.671 c.1 d.39 n.4

Absentium bonis qui fratres præsentes habet & minores qui curatorē habeant, nullus dandus curator, sed iniungitur præsentium curatori vt absentium quoque causam & iura defendat, l.5 t.41 p.613 c.1 d.9 n.2 in all.

ABSOLVI nocentem melius est, quàm innocentem damnari l.9 t.21 p.1190 c.1 d.11 n.4 in all.

Absolutus qui est à iudice ecclesiastico, potest nihilominus de eodem crimine, quod sit communis fori apud iudicem laicum accusari l.9 t.17 p.1180 c.2 d.1 n.5 in all.

ABSTENTIO iuris est, & volūtatis l.2 t.25 p.128 c.2 d.5 n.11 & 12

Abstentio non fit nec inducitur nisi ex verbis disertis & expressis, l.6 t.12 p.681 c.1 d.18 n.1 2 3

Abstentionis beneficium non supereſt filio qui paterna bona malo more attigit l.6 t.12 p.677 c.2 d.8

Abstinendi beneficium, quod Prætor suis & necessariis hæredibus indulsit, merè personale est, nec ad eorū heredes trāsmittitur l.2 t.25 c.2 p.128 d.5 n.7 & 8

Abstinens se post additionem, siue per restitutionem in integrum, siue alio iure, hæres quidem summo iure manet, sed hæredis loco à prætore non habetur l.6 t.11 p.667 c.2 d.27 n.3 in all.

Abstinere plus est, quàm inuentarij beneficium implorare lib.2 t.26 p.129 c.2 d.2 n.2 in all.

ABVNDANTIA non solent viciare l.6 t.5 p.622 c.2 d.1 n.5 in all. & l.8 t.3 p.954 c.2 d.8 n.14 in all.

Ex Abundanti quæ fiunt, non solent viciare, nec nocere l.1 t.2 p.3 c.1 d.7 n.2 in all.

ACCEPTILATIO in quo differat ab Apocha l.4 t.22 p.374 c.1 d.1 n.2 in all.

ACCESSIONES æstimationis quanti plurimi frumenti mutuo dati non debentur, ne quidem à die litis contestatæ l.4 t.24 p.394 c.1 d.29 n.1 & 2

Accessiones nullæ debentur pro eo anno cuius ratio habetur in æstimādo quanti plurimi res fuit l.4 t.24 p.387 c.1 d.9 n.6 & 7

Accessiones nullæ ex contractu stricto debentur, nisi naturales l.4 t.24 p.394 c.1 d.29 n.2 in all.

ACCESSORIVM non debet esse dignius & potentius suo principali l.1 t.2 p.7 c.2 d.27 n.2 in all.

Accessorium sublato principali non potest subsistere l.4 t.24 p.385 c.2 d.5 n.3 in all.

Accessorium transit cum principali cesso l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.

De Accessoriis cognoscere debet is qui de principali cognoscit l.3 t.12 p.191 c.1 d.10 n.3 in all.

ACCRESCERE potest nihil habenti l.6 t.6 p.637 c.1 d.1 n.22 in all.

ACCIPIENS pecuniam alicuius nomine & mandato, quid ei præstare debeat à quo accepit l.4 t.26 p.410 c.2 d.32 n.1 2 3

ACCVSARE nemo inuitus cogitur l.9 t.18 p.1181 c.1 d.1 n.13 in all.

Accusare nemo cogitur, sed in accusatione semel instituta non perstans, vel eam negligens, in Turpillianum incidit, vel in falsi accusationem, l.3 t.6 p.178 c.1 d.4 n.1 2 3

Accusare quisquis alium vult de calumnia iurare debet l.4 t.14 p.325 c.2 d.68 n.4 in all.

Accusare multi non debent aut ob suam infamiam, aut ob aliquam conditionem l.9 t.2 p.1150 c.2 d.5 n.4. in all.

ACCVSATIO prius constituenda est, quàm excusatio alleganda l.4 t.15 p.333 c.2 d.25 n.2. in all.

Accusatio non est permittenda quæ certum autorem nullum habet, etiam in atrocissimis delictis lib.9 t.2 p.1150 c.2 d.3 num.1

Accusatio non est admittenda si non fiat zelo iustitiæ lib.9 t.2 pag.1153 c.1 d.13 num.1

Accusatio lesæ maiestatis nō finitur morte l.4 t.15 p.330 c.1 d.25 n.4 in all.

Accusationem nouam instituere non potest condemnatus ad triremes, sed inchoatam prosequi l.9 t.1 p.1149 c.1 d.3 nu.1

Accusatione pendente de grauiore crimine nihil interim pronunciandum est de leuiore l.9 t.1 p.1149 c.1 d.3 n.1

ACCVSATOR eo ipso quod non probat suam intentionem, etiamsi de calumnia iurauerit, calumniari præsumitur l.4 t.14 p.320 c.1 d.49 n.9 in all.

Accusator cum habet pro se famam, vel auditum à fide dignis excusatur à calumnia, etiamsi in probatione defecerit l.4 t.14 p.320 c.1 d.49 n.1 in all.

Accusator non facit vim qui ipse prehendit reum in executione mandati iudicialis, secus si propria authoritate id faciat l.9 t.20 p.1185 c.2 d.7 n.1

Accusator si inops sit, & Princeps de fisco sumptus erogari vetet, quid faciendum l.4 t.9 p.292 c.2 d.1 num.13 14 15 & 16.

Accusator publicus potest & debet accusare mulierem de publico adulterio etiam absente viro l.9 tit.7 p.1162 c.2 d.4 n.1

Accusatoris est probare accusationem l.9 t.3 p.1154 c.1 d.1 n.5 in all.

ACCVSATVS siue absolutus sit, siue leuius quàm oporteat condemnatus non potest iterum accusari de eodem crimine, sed de alio potest, vt tantò grauius puniatur l.9 t.2 p.1150 c.1 d.4 numer.1

ACQVIRERE sibi beneficij debitorem, est species lucri l.4 t.34 p.441 c.2 d.4 n.23 in all.

Acquiri potest dominium vxori etiam absenti ex contractu mariti stipulantis cum notario, si ei quoque res tradita sit per clausulam constituti l.4 t.34 p.443 c.1 d.9 n.1 2 & 3

Acquiri rei hereditariæ possessio non potest citra immixtionem l.6 t.12 p.682 c.2 d.21 n.19 in all.

Acquirit sibi soli maritus procurator vxoris ad emendum si emat, solúsque & suo tantùm nomine rem accipiat, & se de precio obliget, licet initio se

BIU Cujas

tam suo, quàm procuratorio nomine contrahere l.4 t.34 p.445 c.1 d.14 ad titulum
Acquisit onis species est ab obligatione liberari l.3 t.11 p.188 c.1 d.3 n.16 in all.
Acquisitionis capaces sunt filiifamilias etiam parentibus inuitis l.4 t.23 p.377 c.1 d.1 n.1 in all.
ad Acquisitionem fructuum sola fides bona sufficit li.4 t.36 p.447 c.1 d.3 n.4 in all.
Acquisitum semel, amplius repudiari non potest l.3 t.19 p.211 c.2 d.9 n.7 in all.
Acquisitum per filiumfam. non ex re nec industria ipsius acquiritur patri; nec eo minus tamen obligatur filio vt cætera bona paterna, puta pro dote matris l.6 t.35 p.776 c.1 d.9
ACTIO an male instituta sit, an malè facta executio quod ad causam expensarum pertinet lib.7 t.18 p.856 c.1 d.30 n.3
Actio vna præsertim nondum electa aliam nunquam consumit l.9 t.4 p.1157 c.2 d.7 n.9 in all.
Actio quandoque debitori datur, non exactio lib.4 t.18 p.358 c.1 d.2 n.13 in all.
Actio nec exceptio dari solet ei, cuius nihil interest l.9 t.4 p.1157 c.1 d.6 num.12 in all.
Actio datur fideiussori id in omne quod ipsi abest l.8 t.27 p.1070 c.1 d.2 num.1 in all.
Actio dari non potest contra singularem successorem ex contractu inter alios inito, vt nec ex pacto l.4 t.36 p.446 c.2 d.2 n.3
Actio restituitur ipso iure pristino creditori & ad debitum & ad pignus persequendum si pignus quod emerat aut in solutum acceperat sit ei postmodum euictum l.8 t.14 p.1006 c.2 d.8 nu.1 2 3 & 4
Actio, prout & alia res quælibet, vendi potest l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 n.1 in all.
Actio, priusquam litis contestatio fieri possit, & proposita & edita esse debet l.3 t.1 p.164 c.2 d.31 n.4 in all.
Actio, licet nõ deficiente æquitate, quandoque deficit l.3 t.15 p.204 c.2 d.1 n.21 in all.
Actio competens spoliato doli personalis exceptione summouetur l.8 t.3 p.961 c.1 d.30 n.1 2 3 & 4
Actio inanis est quam debitoris eludit inopia p.442 c.1 d.4 n.24 in all.
Actio quam debitoris inopia eludit, est inanis l.7 t.33 p.948 c.1 d.1 numer.8 in all.
Actio inanis est quam debitoris eludit inopia l.9 t.19 p.1183 c.1 d.2 num.2 in all.
Actio cessa contra debitorem intelligitur etiam cessa contra fideiussorem l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.
Actio cessa manet obnoxia periculo restitutionis l.2 t.25 p.128 c.1 d.4 num.4 in all.
Actio condemnatione sequuta datur ei qui sumptus prorogauit aduersus personam aut bona condemnati l.4 t.9 p.293 c.1 d.1 n.12 in all.
Actio quæ competit ob non numeratam pecuniam, biennalis est, sicut & exceptio l.4 t.22 p.375 c.1 d.4 n.1 & 2
Actio quæ ex cõtractu competit ad redhibendam rem alienatam perinde exerceri potest aduersus possessorem quemlibet atque si ipse contraxisset l.4 t.7 p.286 c.1 d.3 n.1 & 5
Actio criminalis reipublicæ non oritur vbi non oritur parti actio ciuilis l.9 t.3 p.1154 c.1 d.1 n.2 in all.
Actio nulla criminalis, nec pœna constituta est, de termino moto, nisi in eos qui mouerunt dolo malo l.9 t.18 p.1182 c.1 d.2 n.5 in all.
Actio depositi habet priuilegium inter creditores personales post dotem l.4 t. 25 p.399 c.1 d.3 n.5 & 6
Actio directa semper remanet penes cedentem, etiam inuitum lib.4 t.29 p.418 c.1 d.3 n.2 in alleg.
Actio de dolo non nisi ad id quod actoris interest dari solet lib.2 t.3 p.80 c.2 d.21 n.1 in all.
Actio ex empto datur ad id omne quod emptoris interest contra scientem venditorem l.4 t.33 p.435 c.1 d.1 n.8
Actio ad exhibendum actionis in rem præparatoria est l.3 t.12 p.199 c.2 d.37 n.5
Actio ad exhibendum coram iudice laico contra clericum exerceri potest l.3 t.12 p.199 c.2 d.37 n.1 2 & 3
Actio ad exhibendum ex variis causis dari potest l.3 t.12 p.200 c.1 d.37 num.4 in all.
Actio ad exhibendum maximè propter vindicationes inducta est l.3 t.12 p.200 c.1 d.37 n.5 in all.
Actio ad exhibendum proponi potest coram iudice laico contra clericum: quia in rem scripta est l.3 t.28 p.256 c.2 d.3 n.1 & 2
In Actione ad exhibendum requiritur specifica declaratio rerum quarũ exhibitio postulatur l.3 c.12 p.199 c.2 d.37 n.7
Actio semel extincta reuiuiscere nũquam potest l.2 t.36 p.144 c.1 d.4 n.4
Actio funeraria tacitę hypothecę ius non habet, habet tamen priuilegium inter personales actiones l.3 t.12 p.109 c.1 d. 35 n.11 & 12
Actio hypothecaria, id est, pignoris persecutio in rem est l.3 t.12 p.191 c.1 d.7 n.4 in all.
Actio hypothecaria cum personali concurrere potest l.3 t.12 p.197 c.2 d.29 n.4 in all.
Actio impensarum etiam nomine competit lib.8 t.15 p.1007 c.1 d.1. num.2 in all.
Actio de ingenuitate est per quam quis se ingenuum ostendit l.3 t.6 p.177 c.2 d.1 n.4 in all.
Actio ad id quod interest competit ex contractu innominato l.4 t.28 p.414 c. 2 d.2 n.4 in all.
Actio diuidua censetur cùm res, quæ in actionem & iudicium deducitur, diuidua est l.7 t.18 p.856 c.2 d.30 num.5 in all.
Actio ex canone redintegranda finitur triginta annis, & datur etiam contra bonæ fidei possessorem & ad fructus, sed quos reus ipse percepit aut percipere potuit, non quos alius l.8 t.3 p. 951 c. 2 d.1 à n.1 ad 11
Actio mandati in personam non in rem est l.8 t.6 p.968 c.2 d.3 n.3 in all.
Actio mandati esse non potest, vbi mandatum nullum interceßit l.4 t.34 p.444 c.1 d.11 n.10 in all.
Actio mandati pro casu fortuito, etiam qui per occasionem, si non etiam per causam mandati contigerit, non competit l.4 t.26 p.410 c.1 d.29 n.1 & 2
Actio mãdati competit fideiussori vt non ipse tantùm sed etiam ipsius vxor liberetur & eximatur liti, si quam ex causa fideiussionis patiatur l.8 t.27 p.1072 c. 2 d.11 n.1 2 & 3
Actio mandati plenior est, quam ex empto lib.4 t.26 p.403 c.2 d.11 numer.1 & 2
Actio mandati præsertim directa esse non potest contra eum cui nihil fuit mandatum l.7 t.18 p.864 c.1 d.55.nu.8 in all.
Actio mandati non competit, nisi ad id solum repetendum quod mandatarius probat sibi adesse l.4 t.26 p.410 c.2 d.31 nu.1
Actio mulieris pro dote in tuto collocanda non patitur exceptionem specialis hypothecæ non excussæ quàm actio dotis restituendę pateretur l.5 t.7 p.549 c.2 d.54 n.1 2 3 & 4
Actio negotiorum gestorum non datur nisi contra eum qui negotia gessit lib.4 t.26 p.406 c.2 d.17 n.1 & 2
Actio personalis quæ defuncto competierit siue ex stipulatu illa sit, siue mandati, siue alia quælibet, non potest transferri in fructuarium l.3 t.23 p.238 c.1 d.7 n.3
Actio personalis dari non potest nisi precedente aliqua obligatione l.4 t.43 p. 487 c.1 d.7 n.12 in all.
Actio personalis quæ ex contractu competit nihil commune habet cum vindicatione, quæ non nisi domino competit lib.3 tit.22 pag.229 col.2 d.2 n.9 in all.
Actio personalis contra clericum coram iudice laico ex transactione non magis quàm ex alio vllo contractu exerceri potest l.3 t.12 p.191 c.2 d.9 n.1
Actio tantum personalis ex chirographo nascitur contra eum exercenda qui est obligatus, aut si absit, contra curatorem bonis datum l.7 t.7 p.289 c.1 d.13 n.1 & 2
Actione personali non heres conueniri non potest l.3 t.12 p.199 c.1 d.35 n.10
Actio in personam neque commune, neque simile, aut annexum quicquam habet cum actione de possessione aut dominio lib.3 t.7 p.182 c.1 d.8 num.17 in all.
Actio quæ in personam competit contra feudatarium, ex feudi iure, & ratione feudi datur l.3 t.12 p.190 c.2 d.6 n.3
Actione in rem possessor solus tenetur rei vel alienæ vel obligatæ l.4 t.40 p.463 c.2 d.9 n.3 in all.
Actio in rem non datur nisi ei qui sit dominus vel iure gentium, vel iure ciuili l.4 t.42 p.466 c.1 d.5 n.5 in all.
Actio pignoratitia non competit priusquàm debitor pecuniam à se debitam obtulerit creditori l.4 t.18 p.358 c.2 d.4 nu.2
Actio pignoratitia nullius temporis præscriptione summouetur l.4 t.18 p.358 c. 1 d.4 n.1
Actio quanto minoris datur contra ignorantem l.4 t.33 p.435 c.1 d.1 n.8
Actio de retrouendendo scripta hodie est in rem non in personam: ideóque & contra possessorem quemcunque competit ad rem præcisè habendam & ad discussionis instantiam remitti non potest lib.4 t.36 pag.448 c.1 d.8 num.1 2 3 & 4 *ex statuto Sabaudico.*
Actio datur præscriptis verbis vt contractus impleatur l.8 t.29 p.1104 c.1 d.49 n.15 in all.
Actio stricta dicitur, quæ neque interpretationem vllam, neque officium aut arbitrium iudicis admittit l.3 t.15 p.209 c.1 d.1 n.3 in all.
Actio stricta ex obligatione sola æstimatur lib.3 t.15 pag.203 c.2 d.1 num.1 & 2
Actio victori non facilè danda est contra executorem iudicati quamuis emptores qui præsenti pecunia emere debuerant, facti sint non soluendo l.7 t.20 p. 883 c.1 d.11 n.1 & 2
Actio nulla potest per triginta annos viuere

BIU Cujas

re, lib.7 t.13 p.829 c.1 d.11. numer.13 in all.
Actionis emolumentum dicitur quod supereſt deductis ſumptibus litis in eam rem vel inſtitutæ vel inſtituendę l.3 t.19 p.221 c.2 d.36 n.4 in all.
Actionis natura indiuidua eſt, l.4 t.42 p. 489 c.2 d.10 n.9 in all.
ſine Actione experiri nemo poteſt, l.3 t. 21 p.225 c.1 d.2 n.4 in all.
de Actione aſſecurandæ, vt loquuntur, dotis mutata in actionem quæ pro dote reſtituenda exerceatur, & de differentia fructuum & vſurarum, l.5 t.8 p. 552 c.2 d.8 à n.1 ad 15
Actionem qui habet, rem ipſam habere videtur, l.7 t.21 p.899 c.2 d.2 num.5 in all.
Actionem prius perimi quàm nata ſit impoſſibile eſt, l.4 t.18 p.358 c.2 d.4 n.3
Actionem perdit qui corrumpit iudicem vel aduerſarium, l.1 t.10 p.691 c.1 d.9 n.5 in all.
Actionem qui ex contractu vel quaſi contractu habuit, tanto locupletiorem hereditatem relinquit, l.3 t.25 p.247 c.2 d. 11 n.8 in all.
Actionem meam mihi ignoranti adimere, aut ei exercendæ moram adferre nemo poteſt, l.9 t.18 p.1182 c.1 d.3 n.1 in all.
Actionem ſuam cedere nemo cogitur ex cuius ceſſione futurum ſit vt conueniri poſſit, l.8 t.23 p.1045 c.2 d.14 à num.1 ad 25
Actionem ſuam cedere nemo cogitur aduerſus illos quibus indemnitatem ipſe præſtare tenetur, l.8 t.23 p.1046 c.2 d.15 n. 4
Actionem iuſtam quidem, ſed inutilem remittens non læditur, l.4 t.30 p.431 c. 1 d.24 n.1 2 3 4 5 & 6
Actionem in rem nemo inuitus ſuſcipere cogitur, l.6 t.18 p.699 c.1 d.9 n.7 in all.
Actionem aliquam contra ſeipſum cedere voluiſſe nemo creditur, l.4 t.27 p.413 c.2 d.8
Actionem quiſquis facto ſuo alteri adimit, hoc ipſo tenetur, & quidem de dolo, ſi actio alia nulla ſit, l.4 t.7 p.207 c. 1 d.6 n.3 in all.
Ad actionem pignoratitiam exercendam, oblatio ſola verbalis in iudicio facta ſufficit, l.4 t.18 p.357 c.1 d.2 num. 13
per Actionem quæ ex pacto de retrouendendo competit debentur omni modo fructus ei qui pecuniam ritè obtulit & obſignauit ſiue à poſſeſſore ſiue à primo emptore, l.4 t.36 p.447 c.1 d.3 n. 1 2 & 3
Actiones omnes ex lege duodecim tabularum in heredem ſolum tranſeunt l.3 t.23 p.238 c.1 d.7 n.4 in all.
Actiones ideo comparatæ ſunt, vt vnuſquiſque id quod ſuum vel ſibi debitum eſt, conſequatur, l.8 t.3 p. 959 c.1 d.24 n.15 in all.
Actiones omnes 30. annis præſcribuntur in Sabaudia ex edicto Ser. Ducis, anno 1598. lib.6 t.11 p.671 c.2 d.39 n.3 in all.
Actiones tranſiiſſe neceſſe eſt priuſquàm fideicommiſſarius poſſit agere aduerſus eum qui fideicommiſſum non debet l.3 t.21 p.226 c.1 d.4 n.3
Actiones arbitrariæ tertiam actionum ſpeciem conſtituunt ab aliis omnibus differentem, l.3 t. 5 p.204 c.2 d.1 nu.24
Actiones contrariæ & incompatibiles cumulari nunquam poſſunt, l.8 t.3 p.954 c.1 d.8 nu.2 in all.
Actiones directæ non poſſunt ſeparari à perſona cui ſemel adhæſerunt, l.4 t.29 p.418 c.1 d.2 n.2 in all.
Actiones perſonales non niſi longiſſimi temporis præſcriptione ſummouentur, l.3 t.27 p.252 c.2 d.7 n.5 in all.
Actiones perſonales non ſequuntur ſingularem ſucceſſorem, l.3 t.23 p.236 c.1 d.1 n.2 in all.
Actiones ex vendito & ex ſtipulatu, ex contractu proficiſcuntur, ideóque perſonales ſunt, l.3 t.12 p.189 c.2 d.1 n.4 in all.
Actiones quem plures habere nihil vetat & proprio iure & hereditario, l.3 t.7 p. 180 c.2 d.6 n.4 in all.
Actiones remittentibus non eſt dandus regreſſus, l.2 t.29 p.134 c.1 d. 2 num.4 in all. & l.4 t.2 p.375 c.2 d.5 numer.5 in all.
Actionum omnium inſtruendarum principium ab edicto de in ius vocando proficiſcitur, l.3 t.14 p.203 c.2 d.3 n.3
Actionum cedendarum exceptio quæ ex iuris ratione ſoli mandatori competit, eo tamen iure quo vtimur, datur etiam fideiuſſori, l.8 t.27 p.1073 c.2 d.17 à n.1 ad 17
Actionibus in rem locus eſt compenſationi, l.4 t.13 p.381 c.2 & 382 c.1 d.14 nu.4
Ex Actionibus pluribus diuerſo iure inſtitutis quid faciendum ſit, l.3 tit.7 p. 180 c.2 d.6 n.1 2 3 & 4
Qui Actionibus tantum tenetur liberatur præſtando actiones, l.2 t.12 p.110 c.2 d.9 n.6 in all.
Actionum inter ſe coniungendarum celeritate vna plerumque occultatur, l.4 t.21 p.369 c.1 d.17 n.9 in all.
ACTOR cogitur ſemper exhibere titulum ex quo agit, l.7 t.15 p.842 c.1 d.8 n.2 in all.
Actor paratus & inſtructus venire debet l.4 t.1 p.259 c.2 d.7 n.7 in all.
Actor contra quem petitur reſtitutio ſequi debet forum rei, l.2 t.31 p.135 c.1 d. 1 n.6
Actor debet eſſe certus de iure ſuo & ex qua perſona agat, l.5 t.7 p.550 c.2 d.56
Actor intentionem ſuam ſemper & ante omnia probare debet, l.3 t.1 p.160 c.2 d.19 n.4 in all.
Actor ſemper cogitur probare cauſam ſuæ intentionis, etiam minor, l.4 t.19 p.18 c.1 d.4 n.8 in all.
Actor qui iurauerit ſuper exceptione ſolutionis à reo oppoſita non eo minus debet obtinere expēſas ſi aliunde ſuam intentionem probauerit, l.7 t.18 p.870 c.2 d.78 num.1
Actor videri poteſt taciturnitate illius deceptus, cuius qualitatem non ignorat, l.3 t.12 p.191 c.1 d.8 n.4
Actio poteſt etiam poſt didiſcita teſtificata nouos articulos proponere ſi reus occaſionem dederit, & quidem ſine refuſione expenſarum, l.31 t.1 p.159 c.2 d. 15 n.1
Actor vincere nūquam poteſt quin ſuam intentionem plenè probet, l.4 t.1 p.270 c.1 d.45 n.7 in all.
Actor litem inchoatam nolens proſequi, ſed nouam inſtituere, ad prioris litis expenſas condemnatur, l.3 t.1 p.162 c. 1 d.24 nu.4
Actor non cogitur cedere actionem ei qui ex culpa ſua conuenitur, multo minus ei qui ex ſuo delicto, l.8 t.24 p. 1046 c.1 d.14 n.2 in all.
Actor priuilegium nullum habere poteſt cū apud eundem iudicem in eodē iudicio conuenitur, l.3 t.1 p.159 c.1 d.11 n.5
Actor probationes ſuas de domo rei extrahere non debet, l.4 t.14 p.320 c.1 d. 49 n.3 in all.
Actore alienante nihil eſt quod amittat reus, l.2 t.37 p.145 c.1 d.1 n.8 in all.
Actore ad eum diem quem reo dixit, in ius non veniente, ſolet abſolui reus ab obſeruatione iudicij cum victoria expenſarum, damnorum & intereſſe, l.3 t. 1 p.161 c.2 d.23 n.1
Actore nihil probante reus abſoluendus eſt, etiamſi nihil præſtet, l.3 t.21 p.225 c. 2 d.2 n.7 in all.
Actore non probante reus abſoluendus eſt etiamſi nihil ipſe præſtiterit, l.6 t.5 p.625 c.2 d.8 n.1 in all.
Actoris electio, cùm qui conuenitur forum multiplex habet, l.3 t.17 p.207 c.2 d.2 n.4 in all.
Prius de perſona, quàm de iure Actoris quærendum eſt, l.3 t.5 p.177 d.1 n.2
Actoris probata intentione ſupereſt, vt de rei iure & exceptionibus queratur, lib.3 t.10 p.186 c.1 d.1 n.7 in all.
Actoris qualitas tardiùs probata non præbet iuſtam litigandi cauſam vero debitori nihil offerenti, l.7 t.18 p.857 c.2 d. 34 n.1
In Actoris eſt poteſtate quando agat, etiam in poteſtate rei quando conueniatur, l.4 t.14 p.306 c.1 d.1 num.5 in all.
Actori agenti iudicio vniuerſali iudiciaria & prouiſionali adiudicatione certæ quantitatis pro arbitrio conſtituendæ conſulitur, ne inopia litem & vitam deſerere cogatur, lib.3 t.7 p.180 c.1 & 2 n.2 & in all.
Actorem condemnari ſufficit in id omne quod rei intereſt li.3 t.1 p.161 c.1 n.7
Actorum eſt litem proſequi: reorum fugere, l.3 t.1 p.163 c.1 d.26 n.12 in all.
ACTVS agentium nunquam operantur vltra eorum voluntatem, l.6 t.5 p.624 c.2 d.4 n.2 in all.
Actus ex defectu formæ ſubſtantialis & ſtatutariæ corruit l.8 t.3 p.958 c.1 d.22 n.4 in all.
Actus ſubhaſtationis citra miſſionem in poſſeſſionem eſt perfectus, l.8 t.3 p.955 c.2 d.12 n.11 in all.
Actuum correſpectiuorum deſtructo vno alter quoque deſtruitur, l.6 t.5 p.631 c.2 d.18 n.14
Actus reiterabilis per teſtes ſingulares pauciores quam quinque probari non poteſt, lib.4 t.15 p.341 c.2 d.51 n.1 & 2
Actus correſpectiui ſunt quorum poſito vno alterum quoque poni neceſſe eſt, & vno ſublato, tolli alterum l.2 t.11 p. 107 c.1 d.8 n.7
Quoties Actus aliquis nullus & inualidus confirmatur, confirmantis potiùs quàm confirmati rationem haberi oportet, l.4 t.43 p.499 c.1 d.38 n.6
Actuum formæ omiſſio licet viciet, non liberat tamen debitorem, lib.4 t.43 p. 499 c.1 d.38 n.3 in all.
Actus geminatus ſolet euidentem conſenſum inducere, l.3 t.27 p.250 c.2 d.2 n.3 in all.
Actus ſequens ad executionem præcedentium fieri præſumitur, lib.2 t.11 p. 105 c.2 d.1 n.7 in all.
Actus omnes ſiue publici ſiue priuati diebus feriatis conquieſcunt, l.3 t.11 p.187 c.2 d.1 nu.1 in all.
Actus geminatio ſolet potentius operari & certam inferre ſcientiam, l.4 t.14 p. 310 c.2 d.10 n.6 in all.
Ex Actibus difformibus nihil inferri poteſt ſiue ad præſcriptionem ſiue ad conſuetudinem inducendam, l.4 t.24 p.378 c.1 d.1 n.6 in all.
Actus poſſeſſorios probari non ſufficit niſi probentur ſecuti ex ea cauſa ex qua dicit ſe quis poſſidere, lib.4 t.14 p.308 c.1 in fine d.3 n.14 in all.

BIU Cujas

Inter Actus possessorios locum primum obtinet fructuum perceptio l.4 t.14 p.308 c.1 d.3 n.14 in all.

Actus vltra intentionem agentium operari non potest lib.4 t.15 p.331 c.2 d.16 n.2 in all.

Actus omnes siue publici siue priuati, præterquam emancipandi & manumittendi in Paschalibus quindecim diebus conquiescunt, l.3 t.11 p.183 c.2 d.2 n.1 in all.

Actus qui non nisi defectu potestatis nullus est, confirmatur superueniente quandocunque potestate, l.1 t.3 p.30 c.1 d.6 n.2 in all.

Acta omnia criminalia penes actuarium remanent, l.2 t.1 p.68 c.2 d.7 n.4 in all.

Acta iudicij manere debent penes scribam, licet coram iudice facta, non penes ipsum iudicem, l.3 t.28 p.256 c.1 d.1 n.1 in all.

Acta dicuntur, quæ fiunt coram iudice, l.1 t.10 p.68 c.2 d.8 n.2 in al.

ADFINIS mei adfinis non est mihi adfinis, l.3 t.1 p.160 c.1 d.17 n.1 in all.

ADEMPTIO hæreditatis datæ quomodo facienda, l.6 t.21 p.712 c.2 d.1

ADIVDICATIO fieri potest per viam retentionis, l.3 t.2 p.120 c.1 d.14 n.6 in all.

Adiudicatio prouisionalis locatori facienda non est qui aliqua doli præsumptione vrgetur, l.4 t.42 p.479 c.1 d.43 n.1 & 2

Adiudicatio prouisionalis fieri non potest contra fideiussorem tutoris, etiam post solenniter redditas tutelę rationes à tutore, si eiusmodi redditioni non interfuerit, nec ad id euocatus sit, l.5 t.31 p.600 c.2 d.5 n.1 in all.

Adiudicatio prouisionalis, contenta esse debet constitutione pignoris, l.2 t.39 p.152 c.1 d.12 num.8 in all.

ex Adiudicatione actori facta si quid excipitur quod reus retinere possit, emolumentum perinde debetur pro retentione atque pro adiudicatione, l.3 t.2 p.168.c.1 d.4 n.6 in all.

Adiudicatio fiduciaria nó solet fieri pendente discussionis instantia nisi vocatis & auditis omnibus creditoribus, l.7 t.32 p.945 c.1 d.16 n.1 & 2

Adiudicationem petenti definitiuam prouisionalis fieri potest, l.7 t.15 p.842 c.2 d.7 n.1

Adiudicatio prouisionalis fieri nulla potest prætextu rationum reddendarum quousque reddítæ sint & finitæ l.7 t.15 p.845 c.2 d.21 n.1

Adiudicatio prouisionalis nulla fieri solet nisi præstita satisdatione, l.7 t.32 p.942 c.1 d.9 n.3 in all.

ADMITTI facilè debet quod vni prodest & nemini nocet l.8 t.13 p.938 c.2 d.4 n.6 in all.

ADMINISTRARE cogendus est, per modum (vt aiunt) prouisionis qui syndicus creatus prouocauit, lib.7 t.29 p.933 c.1 d.3 nu.1

ADOPTIVI filij non possunt impugnare testamentum, nisi adoptati sint ab auo materno, l.5 t.16 p.586 c.1 d.13 num.3 in all.

ADPOSITA ad vnum finem non debent contrarium effectum operari, l.7 t.7 p.811 c.1 d.16 n.6 in all.

ADVERSARIO deferente qui iurat, is iudex quodammodo in causa sua constituitur, l.4 t.1 p.257 c.1 d.1 n.8 in all.

Aduersarius nouos super iisdem articulis testes producere potest post didiscita testificata quibus vti nolit is, qui testes produxit, l.4 t.15 p.241 c.1 d.50 n.3 & 4

Aduersarium & iudicem in propria causa facit is qui iusiurandum refert, l.4 t.1 p.258 c.1 d.3 n.4 in all.

ADVLTERIVM quilibet potest obiicere per exceptionem, l.9 t.7 p.1162 c.2 d.4 n.1 in all.

Adulterij crimen est mixti fori nisi cum agitur ad separationem thori, de quo solus iudex ecclesiasticus cognoscit, lib.9 t.17 p.1180 c.2 d.1 n.2 in all.

ADVLTO ad diuisionem faciendam an sit necessaria curatoris autoritas, lib.3 t.27 p.254 c.2 d.11 n.2 in all.

ADVOCATVS qui pro clientis sui defensione aliquid dixerit quo Principis offenderit maiestatem punitur l.9 t.25 p.1209 c.1 d.19 nu.1

Aduocatus nec procurator testis esse potest in ea causa clientis sui in qua Aduocatus aut Procurator est, l.4 t.15 p.332 c.1 d.19 num.1

Aduocati & Procuratoris Principis idem est iusiurandum, l.1 t.7 p.47 c.1 d.1 n.7

Aduocatis & Procuratoribus inuitis postulandi, procurandíque necessitas iniungi potest ni iustam adferant excusationem, l.3 t.4 p.173 c.2 d.1 n.3

AEDIFICATIO per vicini inuidiam interrumpi non debet, l.3 t.24 p.240 c.2 d.5 n.3 in all.

AEdificare ad æmulationem nunquam licet ne quidem pro ornanda ciuitate, eadem pag.& n.in all.

AEdificium non est destruendum propter nunciationem, nisi illud ipsum constat ædificatum fuisse post nunciationem, l.8 t.5 p.967 c.1 d.2 nu.1 & 2

AEQVALITAS æstimanda est non ex valore, sed ex iuribus conferendis, & earum qualitate, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.27 in all.

Ex AEQVIPOLLENTIBVS quid fiat, nihil refert, l.4 t.16 p.352 c.2 d.23 n.6 in al.

AEQVITAS & æqualitas inter fratres exuberare debet, vt fraterna inter eos concordia retineatur, l.3 t.27 p.251 c.1 d.3 num.19 & 20

AEquitas diuisioni actionis causam dare solet, l.3 t.28 p.256 c.1 d.1 n.9 in all.

AEquitas nulla est quæ facit pro eo qui in mala fide est, ead.p.& n. in all.

AEs alienum est onus nó tam bonorum, quàm heredis, l.3 t.2 p.171 c.1 d.14

AEris alieni latentis quod in dies emergere potest indagatio difficilis est, l.3 t.19 p.210 c.2 d.6 n.3 in all.

AEris alieni onus de communi hereditate soluendum est, si hereditatis fructus sufficiant, nec creditores vrgeat, secus boni viri arbitrio res committenda est, l.3 t.25 p.245 c.2 d.6 n.5 & 6

AEre alieno quod à donatario solui debuerat, per donatorem soluto, licet solutum sit ex venditione partis rerum donatarum, habent tamen heredes eo nomine actionem contra donatarium, nisi malit ille recedere à tota donatione, l.8 t.35 p.1132 c.2 d.3 n.1 & 2

AESTIMATIO rei emptæ vel arbitrio boni viri vel ex actoris iureiurando præstanda est, l.4 t.2 p.277 c.1 d.16 nu.1 2 & 3

AEstimatio pręteriti temporis etiam post rem peremptam commodè iniri potest, l.4 t.2 p.277 c.2 d.16 n.2 in all.

AEstimatio quanti plurimi non excludit præstationem eius quod interest, l.4 t.41 p.460 c.2 d.3 n.7 in all.

AEstimatio mortui peti non potest nisi cùm mortem præcessit mora, quæ perpetuat obligationem, & facit vt mortuus viuus existimetur, l.4 t.1 p.275 c.2 d.11 num.8

AEstimatio ab vno facta non nocet aliis, lib.2 t.12 p.110 c.2 d.9 num.11 in all.

AEstimatur auri libra ex duobus & septuaginta solidis, qui nunc aurei vocantur, l.4 t.15 p.332 c.2 d.22 nu.4

AEstimationem rerum hereditariarum animo diuidendi fieri aliquando necesse est, l.3 p.251 c.2 d.4 n.1 in all.

AEstimatio non facit periculum redundare in eum qui accepit, nisi cum in eum transfert dominium, l.4 t.42 p.467 c.2 d.9 n.4 in all.

AEstimatio quãti plurimi in iudiciis bonæ fidei debetur à die moræ, l.4 t.43 p.491 c.2 d.15 n.2 in all.

Æstimatio rerum communium nonnunquam necessariò fit, sed animo diuidendi, non emendi, l.3 t.27 p.253 c.2 d.9 n.2 in all.

AEstimatio quanti plurimi nũquam præstatur nisi in pœnam moræ aut delicti, l.4 t.42 p.491 c.2 d.15 n.7 in all.

AEstimatio quanti plurimi res ipsa sit quæ debetur, accommodatur ad tempus quo res petitur vel adiudicatur, l.4 t.2 p.273 c.1 d.7 nu.17

AEstimatio census emphyteuticarij qui annis præteritis & peti & solui debuit, si petatur cum carius frumentum venditur, quæ fuit vnoquoque anno communior attendi debet, l.4 t.2 p.276 c.2 d.14 n.1

AEstimatio communis vice rei fungitur, lib.4 t.2 p.278 c.2 d.18 num.11 in all.

AEstimatio quanti plurimi non excludit vsuras, l.4 t.24 p.387 c.1 d.9 n.1

AEstimatio cuiusque rei sit qualitate, quantitate, & onere inspectis, l.1 t.10 p.69 c.2 d.11 n.1 in all.

AEstimatio fieri debet rerum inter se æqualium, l.4 t.2 p.277 c.2 d.16 nu.1

AEstimatio ad tempus mortis referenda est si res post sententiam perierit, l.4 t.2 p.275 c.1 d.10 n.2

AEstimatio quanti plurimi post moram spectatur ex valore qui magis eo anno communis fuit, l.4 tit.2 p.277 c.2 d.17 n.1 & 2

In AEstimanda re furtiua spectatur tempus quo vnquam plurimi res fuit, l.4 t.2 p.276 c.1 d.13 n.2

AEstimatio condemnationis semper facienda est in pecunia, maxime cum agitur de euictione, l.8 t.31 p.1109 c.1 d.4 n.7 in all.

AEstimatio actionis adhuc competentis non continetur in eo quod interest, l.7 t.16 p.846 c.1 d.3 n.1

De AEstimatione iocalium à parte mariti ex causa dotis debitorum, l.5 t.7 p.535 c.2 d.1 n.1

De AEstimatione eius quod interest in interdicto Vnde vi, & quod vi, aut clam, l.8 t.3 p.958 c.1 d.23 à n.4 ad 11

AEstimatio quanti plurimi etiam ei debetur qui agit ex contractu: à quo die moram passus fuit, l.8 t.3 p.958 c.2 d.23 n.6 in all.

AEstimatio crescit per licitationé calore licitantium: qui calor solet tanto maior esse quanto plures sunt qui licitantur, l.8 t.16 p.1009 c.2 d.3 à n.7 in all.

AETAS illius cui annuum debetur inspicienda est, cum quid ex legato aliaue vltimæ voluntatis specie debetur. Si verò ex contractu inter viuos inito, reditus annorum quindecim æstimandi erunt, l.4 t.p.270 c.2 d.2 n.1 2 & 3

AFFIRMANTIBVS paucioribus, quàm pluribus negantibus, magis credendum est cæteris paribus, l.4 t.14 p.324 c.2 d.64 n.4

AFFECTVS non punitur si non sit secutus effectus, nisi deuentum sit ad actum proximum & immediatum, l.9.t.25 p.1209 c.1 d.20 n.1 2 & 3

AGNATVS agnatum proximum accusare non cogitur, imò nec potest si crimen sit publicum, nec si suam vel suorum iniuriam

BIU Cujas

iniuriam perſequatur, l.9 t.18 p.1181 c. 2 d.1 n. 4 in all.

Agnati eiuſdem gradus etiamſi non ſint in communione cum cæteris, tamen qui in communione ſunt pariter ſuccedunt l.7 t.1 p.785 c.2 d.18 n.1

AGAT quis per ſe an per alium parum refert, l.3 t.1 p.166 c.2 d.40 numer.6 in all.

AGENS tanquam heres cum beneficio legis & inuentarij, non eſt audiendus, niſi exhibito prius inuentario, l.6 t.11 p. 669 c.1 d.32 n.1 2

Agens condictione ex l.vlt. C. hoc tit. non poteſt reconueniri l.7 t.7 p.813 c.2 d.26 n.1

Agens interdicto, quorum bonorũ, quid probare debeat. Item an & quando dominij exceptionem patiatur l.8 t.1 p. 950 c.1 d.1 à n.1 ad 10

Agenti ex beneficio l.vlt. C. de Edict. Diui Hadr.toll. non reſtituuntur fructus, niſi à die litis conteſtatæ: ſecus in petitione hereditatis, l.6 t.14 p.687 c.1 d.8

Agenti ex ceſſione vicioſa debet obiici vicium ante litem conteſtatã aut nunquam, l.4 t.26 p.403 c.1 d.10 n.2 & 3

Agere, eius eſt cuius intereſt aduerſarium condemnari, lib.2 t.2 p.76 c.2 d.14 n.4 in all.

Agere ille videtur qui per procuratorem ſuum agit, l.9 t.4 p.1155 c.1 d.1 num.4 in all.

Agere aliquando quis cogitur, accuſare nunquam l.3 t.6 p.177 c.1 d.1 n.1 &5

Agere non valenti non currit præſcriptio l.2 t.23 p.124 c.2 d.5 n.4 in all. & l.2 t. 35 p.141 c.2 d.6 n.1

Agere ex teſtamento contra teſtamentum non licet, l.3 t.19 p.213 c.2 d.13 nu.1 in all.

Agi poteſt etiam quinquaginta annis reuolutis aduerſus eum qui perperam & ſine decreto impuberis rem emit l.2 t. 23 p.124 c.1 d.5 n.2 & 3

Agi aliquando non poteſt de termino moto niſi ciuiliter, l.9 t.18 p.1181 c.2 d.2 nu.1

Agi non poteſt ſine actione lib.9 t.20 p. 1187 c.1 n.5 in all.

Agit qui prior appellat lib.3 t.1 p.160 c.2 d.19 n.3 in all.

Qui Agit tanquam talis, talem ſe probare debet l.3 t.5 p.176 c.2 d.1 num.1

AGNATI ſunt qui ſunt ex nomine & familia teſtatoris, l.6 t.22 p.724 c.1 d.27 n.5 in all.

AGNOSCENS legatum cum onere reſtituendus eſt aduerſus agnitionem & legati & oneris, ſi legatum ei euincatur, l.6 t.24 p.739 c.1 d.1

Nec AGRICVLTVRAE inſtrumenta, nec boues aratorij pignori dari poſſunt, nec capi niſi in ſubſidium. Poſſunt tamen dari in ſolutum, lib.8 t.6 p.972 c.1 d.16 n.1 2 & 3

ALBINI qui dicuntur, l.6 t.19 p.709 c.2 d.18

ALIENARE videtur, qui rei poſſeſſionem quam auocare iure poterat, penes alium manere paſſus eſt, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.2 Item is, qui vſucapionem etiam inchoatam currere & compleri patitur, ſi vſurpare illam potuit & interpellare, Ibid. n.6

Alienare rem emphyteutæ olim non licebat, multò minus nouum ei cenſum alienando imponere, l.4 t.42 p.488 c.2 d.9 n.1 in all.

Alienare prohibitus ante certũ tempus, nihil interim facere poteſt per quod alienatio vel confirmetur vel inducatur, l.4 t.38 p.455 c.2 d.3 n.2 &3

ALIENARE vel obligare res ſuas ad certum tempus prohibitus interim curator eſſe poteſt, l.4 t.38 p.456 c.1 d.4 n.1

Alienari prohibita res à lege ob cauſam fideicommiſſi & à teſtatore, non poteſt alienari aut obligari, ne quidem ex cauſa dotis, l.4 t.38 p.458 c.1 d.9 n.1 in all.

Alienari res eccleſiaſtica ſine ſolemnitatibus non poteſt, nec in emphyteuſim dari, l.4 t.38 p.456 c.2 d.6 num.1

Alienari nullo modo poteſt res alienari prohibita & à lege, & ab homine, ne quidem ex cauſa neceſſaria, ſi alia ſint bona, l.4 t.38 p.457 c.2 d.9 n.1 & 4

Alienãſſe videtur etiam is, qui ex delicto ſuo, vel ex contumacia condemnationi & confiſcationi cauſam dedit, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.1

Alienat qui amittit actionem, l.4 t.38 p. 458 c.10 d.1 n.1 in all.

Alienat, qui rem ſuam alteri communicat, l.4 t.27 p.412 c.1 d.4 n.8 in all.

Non Alienat, qui poſſeſſionem omittit, l.2 t.37 p.145 c.1 d.1 n.6 in all.

non Alienat qui omittit tãtum poſſeſſionem, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.2 in all.

ALIENATIO eſt actus omnis per quem dominium transfertur, l.4 t.14 p.319 c.2 d.47 n.5 in all. & l.6 t.11 p.672 c.2 d.40 n.10 in all.

Alienatio omnis fit cum ſua cauſa, l.4 t. 30 p.427 c.2 d.14 n.2 in all.

Alienatio per diuiſionem contingit, l.3 t. 25 p.248 c.1 d.12 n.15 in all.

Alienatio facta per eum ex ſociis qui cõuenerat, vt quoad diuiſio fieret certis bonis ſeparatim frueretur, aut ne poſſet fieri diuiſio ante certum tempus, valet, lib.3 t.27 p.255 c.1 d.12 n.1 2 3 4 &5

Alienatio eſt quoties transfertur dominium, l.4 t.8 p.417 c.1 d.8 n.9 in all.

Alienatio bonorum filij minoris facta per matrem eius curatricem & etiam vſufructuariam, quando videatur curatorio ſeu proprio nomine facta? l.4 t.28 p.413 c.2 d.1 n.1 2 3 4 &5

Alienatio neceſſaria, eſt iuſta, l.2 t.12 p. 108 c.1 d.2 n.11

Alienatio bonorum aduentitiorum filij per patrem facta vſque adeo nulla eſt, vt mortuo patre poſſit per filium reuocari, propoſita nimirum rei vindicatione, lib.6 t.35 p.775 c.1 d.4 n.1 in all.

Alienatio bonorũ filij facta per filium, ne ipſi quidem nocet, nec poſſunt in eius prçiudiciũ publicari bona in quib. pater vſumfructũ habeat, l.6 t.35 p.774 c.2 d.4

Alienatio facta contra formam iuris & decretorum non obſtante iuramento reuocari poteſt, l.4 t.11 p.303 c.2 d.4 n.1 in all.

Alienatio minoribus non interdicitur, ſi modò à maiore prouocentur ad diuiſionem, l.3 t.27 p.251 c.1 d.3 n.11 in all.

Alienatio bonorum maternorum per patrem facta etiam filiofam. conſentiente vſque adeo nulla eſt, vt nec ſi patris heres ſit filius ratam habere cogatur, l.6 t. 34 p.771 c.2 d.2

Alienatio poſt donationem factam inducit donationis reuocationem, ſaltem quantum ad res donatas l.8 t.38 p.1146 c.2 d.6 n.5 in all.

Alienationis nomine hypotheca quoque & pignoris conſtitutio comprehenditur, p.129 c.1 d.3 n.8 in all.

Alienationis nomine actus ſignificatur per quem dominium transfertur, ead. p. & num. in all.

Alienationis prohibitio inducit fideicõmiſſum fauore illorum qui ſunt de familia, ſed aliquando purum, aliquando conditionale, l.6 t.22 p.615 c.2 d.4

Alienationẽ partis ſuę à ſocio factã ſocius ratã habere non cogitur, niſi à fiſco venditus ſit, l.4 t.10 p.296 c.2 d.1 n.8 in all.

Ad alienationem & ſubhaſtationem impediendam quid faciendumẽ l.4 t.18 p. 316 c.2 d.6 num.5 in all.

Alienatione omnium iurium ius competens ex contractu conditionali tranſlatum intelligitur, etiamſi Alienatio facta ſit ante impletam conditionem, l.4 t.29 p.417 c.1 d.1 n.1 2 3 4 & 5

Alienationes factæ pẽdente lite ab eo quĩ liberam rerum ſuarum adminiſtrationẽ retinuit nõ ſunt reuocãdę ſi fraus nulla interuenerit, nec tamen à iudice facilè permittendæ, l.9 t.2 p.1151 c.1 d.7 n.1

Alienationes nõ voluntariæ ſemper excipiuntur, l.7 t.1 p.784 c.2 d.15 n.19 in all.

Alienatio eſt actus omnis per quem dominium transfertur l.8 t.22 p.1036 c.2 d.1 num.10 in all.

ALIENIGENAE nec ab inteſtato ſuccedunt, nec heredem habent, l.6 t.19 p. 709 c.2 d.18

ALIMENTA vxori à marito debentur, itémque ſumptus litis ſi vxor cum viro litiget, ſúntque in eam rem mariti bona mulieri obligata, l.5 t.8 p.558 c.2 d.26 n.6 & 7

Alimenta præterita peti poſſunt, quæ actionis iure non etiam quæ ex officio tantùm iudicis, ſuo tẽpore debita fuerunt, l.4 t.7 p.291 c.2 d.20 n.1 & 20

Alimenta iudicis officio ideo decernuntur vt quis viuat nec fame pereat, l.4 t. 7 p.291 c.2 d.20 n.2 in all.

Alimenta legata nõ minuuntur ex imminutione fructuum fundi pro iis obligati, niſi relicta ſint ex fructibus eius fundi, l.6 t.18 p.697 c.2 d.4

Alimenta mulieri poſt mortem mariti debentur, pro anno luctus etiam iacente aut herede deliberante, l.5 t.8 p.557 c. 2 d.26 n.3 in all.

ALLEGATIO ſolutionis non impedit beneficium ceſſionis, l.7 t.31 p.937 c.2 d.2 num. 1

Allegatio ſolutionis remoratur interpoſitionem decreti ſed non miſſionem in poſſeſſionẽ cum reſtitutione fructuum, l.7 t.32 p.945 c.2 d.17 n.1 & 2

Allegationes nouę nunquam in tertia inſtantia ſine expenſarum refuſione admittuntur, l.3 t.1 p.158 c.2 d.10 num.3 in all.

ALTARE vnum non eſt diſcooperiendum vt cooperiatur alterum, l.1 t.2 p. 16 c.2 d.52 n.6

AMISSIO inſtrumenti non probatur iuramento ad agendum, ſed tantum ad excipiendum l.2 t.1 p.70 c.2 d.15 n.5

AMORTIZATIO eſt pœna incapacitatis acquirendi, l.1 t.2 p.12 c.1 d.44 n.15

ANATOCISMVM nominatim Iuſtinianꝰ prohibet conſtitutio, l.4 t.24 p.285 c.1 d.4 n.4 in all.

ANTECESSORES maiores & inferiores qui dicantur, l.6 t.19 p.709 c.2 d.19

ANTICHRESIS eſt ſpecies pignoris ea lege conſtituti, vt creditor fructus pignoris percipiat in vicem vſurarum pecuniæ, l.2 t.26 p.129 c.2 d.3 n.2 in all.

Antichreſeos contractus licet non ſit prohibitus, facilè tamen fit ſuſpectus, l.2 t.26 p.129 c.2 d.3 n.4 in all.

Antichreſeos contractus accedit ad eam cõtractus ſpeciẽ quę fieri ſolet in fraudẽ legitimarũ vſurarum, ead.p.& n.in all.

Antichreſis expreſſa in eo quod excedit legitimum modum vſurarum non valet, l.4 t.33 p.436 c.2 d.7 n.1 2 3 & 4

Antichreſis nihil aliud eſt quàm contrz fruitio, l.4 t.3 p.437 c.1 d.7 n.2 in all.

Antichreſis expreſſa nõ ſeruat legitimum modum vſurarum, l.7 t.43 p.506 c.2 d. 60 nu.10 in all.

Antichreſis eſt, cũ creditor mutuum hac

BIU Cujas

bet vsum pignoris tanquam in vicem vsurarum l.4 t.18 p.359 c.1 d.5 n.9 in all.
Antichresis est, cũ creditor percipit fructus pignoris in vicem vsurarum pecuniæ l.6 t.26 p.749 c.1 d.4 n.3 in all.
Antichresis contracta in fraudem vsurarum legitimarum non tenet in eo quod excedit modum legitimum. Ne quidem fauore dotis, sed si vt fieri solet, fructus donati sint in tabulis dotalibus valet donatio etiam non insinuata lib.8 t.22 p.1040 c.1 d.11 à num.1 ad 10
Antichresis expressa constituta pro legato non tollit legalem hypothecam generalem, si specialis non sufficiat l.6 t. 23 p.733 c.1 d.2
ANTERIORIS sicut in agendo, ita & multo magis in retinendo potior est causa l.6 t 11 p.669 c.2 d.33 n.4 in all.
ANTICIPARI potest dies persequendæ appellationis criminalis solo instante procuratore Principis etiam tacente accusatore l.7 t.26 p.918 c.1 d.37 n.1 & 2
ANTIQVVM tempus dicitur, 30. vel 40. annorum lib.7 t.13 p.826 c.1 d.1 nu.6 in all.
APOCHA non alij solet conscribi, quàm ei qui soluit l.2 t.1 p.71 c.1 d.16 num.6 in all.
Per Apochas quomodo dissoluatur debitum l.2 t.1 p.71 c.1 d.16 numer.2 in all.
Apocha est pecuniæ solutæ professio l.4 t.5 p.283 c.1 d.1 n.1 in all.
Apocha non tam inducit liberationem quã probat l.4 t.5. p.283 c.1 d.1 n.4 in al.
Apocha in chirographi tabulis cõscripta in eam causam facta creditur, quæ chirographo continetur, etiamsi dicatur id factum per errorem, nisi error probetur l.8 t.30 p.1099 c.1 d.34
Apparitor vnde incipere iubeatur l.3 t.12 p.194 c.2 d.19 n.4
Apparitor qui ad iudicium siue ciuile siue criminale reum vocaturus domũ eius ingressus est, vim fecisse dicitur l.2 t.2 p.75 c.1 d.9 n.1 & 2
Apparitori licet officium suum exequi affixo ad ianuam citationis & executionis suæ exemplo l.2 t.2 p.75 c.2 d.9 n.4
Apparitori extra officium suum aliquid referenti non creditur l.4 t.15 p.334 c.1 d.26 n.1 & l.4 t.10 p.300 c.1 d.8 num.7 in all.
Apparitori sine legitima causa resisti non potest quin Magistratus dignitas offendatur l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.3 in all.
Apparitor Principis, non tenetur requirere iudicem inferioris domini l.3 t.12 p.196 c.1 d.23 n.1 in all.
Apparitori in ius ducenti, aut in carceres rapienti non obtemperans, vim facit, & delinquit l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.1
Apparitori si autoritate propria, nullóq; iudicis mandato precedente exequi velit, resisti potest l.3 t.17 p.208 c.1 d.1 n.5
Apparitor reo citando Magistratuum iussiones edere debet l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.3 in all.
APPELLANS de iudicis potissimùm iniquitate conqueritur l.3 t.3 p.173 c.2 d. 4 n.8 in all.
Appellans omisso medio non auditur l.7 t.29 p.936 c.2 d.17 n.1
Appellans si decesserit pendente iudicio desertæ appellationis, iudicium desertionis transit aduersus heredem, l.4 t.12 p.304 c.1 d.2 n.1 & 2
Appellans vincere non potest qui nullas appellationis suæ causas reddit l.3 t.1 p. 161 c.1 d.20 n.4 in all.
Appellans in causis ciuilibus cogitur edere sententiam, vt sciatur quid sit à quo prouocauerit, l.2 t.1 p.68 c.2 d.7 nu.2 in all.
Appellans qui appellationem deseruit siue ab initio siue ex postfacto semper condemnandus est ad expensas & iacturã litis l.7 t.18 p.864 c.1 d.56 n.1 2 & 3
Qui Appellat actor est l.7 t.18 p.864 c.1 d.56 n.8
Appellans nunquam iudicé eum ad quem appellauit, recusare potest, aut eius iurisdictionem declinare l.4 t.14 p.323 c. 2 d.53 n.20 in all.
Appellans condemnandus est in expensas desertionis si quid impediat, ne eodem tempore possit lis appellatoria terminari l.7 t.18 p.852 c.1 d.12 n 1
Appellans audiendus non est si ab eodem iudice qui pronunciauit correctionem iudicati impetrare potuit l.7 t.15 p.842 c.1 d.8 n.1
Appellans an sit contumax in causa appellationis, an appellatus l.7 t.16 p.910 c.2 d.7 n.1
Appellans nõ potest consentire aliquando vt causa principalis tractetur apud iudicem appellationis, quem elegit l.7 t.26 p.914 c.2 d.26 num.1
Appellans à citatione personali non est audiendus priusquam de crimine responderit l.7 t.26 p.918 c.1 d.38
Appellans difficiliùs, quàm appellatus vincit ex vnica aduersarij contumacia l.7 t.26 p.917 c.2 d.36 n.1
Appellans ob commutatam causam criminalem in ciuilem quid obtinere debeat, si victor fuerit contumax in causa appellationis l.7 t.26 p.919 c.2 d.46 n.1 & 2
Appellans ab abusu si succumbat cõdemnandus est semper ad mulctam & ad sumptus, non item is qui appellatur l 7 t.28 p.929 c.1 d.18 n.1
Appellans simpliciter nunquam censetur tanquam ab abusu appellare l.7 t.28 p. 929 c.2 d.17 num.1
Appellans non auditur qui consensit executioni sententiæ cum per secutam executionem res integra esse desiit l.7 t.29 p.934 c.1 d.7 nu.1 2 & 3
Appellanti permittendum est vt quibuscumque modis potuerit appellationem suam persequatur l.7 t.16 p.912 c.1 d.15 n.2 in all.
Appellanti à pœna corporali remittitur mulcta, quæ temerè appellantibus infligi solet l.7 t.26 p.919 c.1 d.44 nu.1
Appellante sententiam non exhibente quomodo contra eum sit pronunciandum & quid si postea exhibeatur sententia l.7 t.29 p.934 c.1 d.8 num.1
Pro Appellante puro habetur is aliquando qui non appellauerat nisi in casum l.7 t.26 p.911 c.2 d.11 nu.1
Appellantes non audiuntur nisi quorum interest, l.4 t.10 p.301 c.2 d.11 n.2 in all.
APPELLANDVM est illico in causis criminalibus nec decendium expectatur l.7 t.26 p.913 c.2 d.21 n.1
Appellandum est à sententia quæ vni ex litigatorib. dat electionem ex die sententiæ non ex die secutæ electionis, l.7 t.27 p.921 c.2 d.6 n.1
Appellandum est in actis & aduersario si non præsente saltem sciente, ac certiorato l.7 t.29 p.934 c.1 d.6 n.1 in all.
Ad appellandũ aduersus lapsum tempus potest quis restitui in integrum & interim impedire executionem iudicati l.7 t.26 p.919 c.2 d.47 n.1
non Appellandum facile nec passim tanquam ab abusu, l.7 t.28 p.932 c.1 d.25
ad Appellandum non sufficit quo quomodo executionem impedire, cum formalis interceſſio necessaria est, l.7 t.29 p. 936 c.1 d.16
APPELLARE licet ab eo iudicis præcepto quo iubetur notarius instrumentum edere si iussum sit præcisum, nec saluam faciat intercedendi potestatem, l.2 t.1 p.70 c.1 d.11 n.1
Appellare cogitur qui sententiæ à iudice prolatæ stare non vult, lib.2 t.8 p.106 c.2 d.19 num 2 in all.
Appellare à sententia, quamuis malè ac præcipitanter lata non potest, is cuius nihil interest, l.7 t.29 p.636 c.1 d.15
Appellare non potest qui conuentus tanquam possessor inter cæteros, licet negauerit se possidere, omnibus possessoribus generaliter & indefinitè condemnatis, l.7 t.19 p.878 c.2 d.16 n.2 in all.
Appellare non potest à sententia lata, nec illam collusionem obiicere, qui neglexit adesse liti inter alios motæ, l.7 t.29 p.935 c.2 d.13 n.3
Appellare non licet ab acceptatione facta sub modo condicionali, l.3 t.1 p.159 c. 2 d.14 n.2
Appellare potest aliquis ab ea sententia per quam alius etiam personaliter fuit condemnatus l.7 t.25 p.907 c.1 d.2 n.1
Appellare non magis potest aliquando cõdemnatus ab inferiore iudice, quam si à Senatu ipso esset condemnatus l.7 t.26 p.912 c.1 d.17 n.1
Appellare potest etiam non condemnatus si modò eius interfit l.7 t.26 p.915 c.1 d.27 n.1
Appellare non potest qui semel acquieuit sententiæ, vel sola petitione dilationis ad soluendum, l.7 t.27 p.925 c.1 d.16 n.1 in all.
Appellare statim debent, qui ad munera & honores vocantur, & quid faciẽdum si appellauerint l.7 t.29 p.932 c.2 d.2 n.1
Appellare possunt omnes quorũ interest à sententia, etiam contra alium lata l.4 t.14 p.321 c.1 d.53 n.6 in all.
Appellari à sententia definitiua, aliud, aliud à taxatione impensarum in sententiam definitiuam deductarum, l.2 t.8 p. 103 c.1 d.32 n.3 in all.
Appellari potest ab executione si non sit admissa compensatio quæ admitti debuit, l.7 t.26 p.915 c.1 d.28 n.1
Appellari potest a sententia cuius executionem Senatus inaudita parte permisit l.7 t.26 p.920 c.1 d.48 n.1 & 2
Appellari non potest ne quidem beneficio Principis post annum trigesimum, sicut nec de nullitate sententiæ opponi, non magis quàm si condemnatus expresse acquieuerit, l.7 t.27 p.925 c.1 d.16 n.1 & 2
Appellari potest ab executore mandati fines excedente, l.7 t.20 p.886 c.2 d.19 n.3 in all.
Appellari non potest contra creditorem quo postulante tutor datus est, sed contra eos, qui tutores creari debuerant aut qui tutorem nominauerunt, l.7 t. 26 p.911 c.1 d.9 n.1
Appellari non potest ab interlocutoria quæ iam sit mandata executioni, l.7 t. 26 p.912 c.2 d.16 num.3 in all.
Appellari non potest ab eo quod iudex præcepit fieri ad animi sui instructionem, l.7 t.26 p.916 c.1 d.32 n.1
Appellari potest ad Senatum à Gubernatore Sabaudiæ, sed non à consilio status, multò minùs à Principis vicario, & vt aiunt, locum tenente generali, l.7 t.26 p.917 c.1 d.34 num.1 & 2
Appellari potest ab eo qui iussit incipi ab executione si non adiecerit clausulam iustificatiuam, quæ faciat intercedendi potestatem, l.7 t.26 p.918 c.2 d.40 num.1
Appellari ab executione potest quo-

BIU Cujas

ties iustum modum excedit l.2 t.2 p.75 c.2 d.9 n.2 in all.
Appellari tanquam ab abusu non potest ab iis quæ Episcopus in ipsa Ecclesiarum visitatione pro iis reparandis decreuit l.7 t.28 p.931 c.2 d.24
Appellari potest tanquam ab abusu si laici quid restituere iubeantur, itémque si lite pendente impetrata sit monitio nomine dempto l.7 t.28 p.925 c.1 d.1 n.1 & 2
Appellari potest tanquam ab vsu si iudex ecclesiasticus citationé generalem fieri iusserit, quę laicos quoque possit comprehędere l.7 t.28 p.929 c.1 d.14 n.1 & 2
Appellari potest tanquam ab abusu à venationis prohibitione generali, quam alius quilibet à Principe fecerit l.7 t.28 p.928 c.2 d.13 n.1
Appellari non potest tanquam ab abusu si ecclesiasticus iudex aliquid decreuerit contra clericum condemnatum, secus si contra laicum l.7 t.28 p.928 c.2 d.12 nu.1
Appellari potest tanquam ab abusu si impetratum sit breue apostolicum ad auferendam possessionem ei, quem Senatus iam fecerit possessorem l.7 t.28 p.928 c.1 d.11 n.1 & 2
Appellari potest tanquam ab abusu, cum ante latam, aut executioni mandatam possessorij sententiam citatur pars ad iudicem ecclesiasticum l.7 t.28 p.927 c.1 d.7 n.1 & 2
Appellari tanquam ab abusu potest, etiam ab eo quod factum sit contra sacros canones & in scandalum laicorum l.7 t.28 p.931 c.2 d.23 n.1 & 2
Appellari non potest ab interlocutione qua iussi sunt litigatores venire in rem præsentem l.7 t.26 p.910 c.1 d.6 n.1
Appellari aliquando potest à denegata iustitia etiamsi trina monitio non præcesserit l.7 t.26 p.910 c.1 d.4 n.1
Appellari statim potest ab interlocutoria quæ præiudicium faceret in diffinitiua l.7 t.26 p.909 c.2 d.3 n.1
Appellari indistincte potest à sententia quæ vnum duntaxat caput continet habens duas partes l.7 t.26 p.911 c.2 d.13 n.1
Appellati solius voluntas non semper spectanda est, vt causæ cognitio ab appellationum iudice retineatur l.3 t.12 p.196 c.1 d.25 n.1
Appellatus iudex in iudicem eligitur l.4 t.14 p.321 c.2 d.53 n.20 in all.
APPELLATIO facit vt vna tantum lis sit l.2 t.8 p.97 c.1 d.9 n.3 in all.
Appellatio habet vim non solùm deuoluiuam, sed etiam suspensiuam statim atque dictum est, Appello l.2 t.38 p.147 c.2 d.8 n.5 in all.
Appellatio post iudicati executionem interposita per pupillum beneficio restitutionis non potest facere vt interim reuocanda sit executio cui tutor sine causa consenserat l.7 t.26 p.918 c.2 d.41 n.1
Appellatio frequentius frustrandi & tergiuersandi gratia quàm ex iusta causa interponitur l.7 t.26 p.919 c.1 d.41 n.2 in all.
Appellatio quæ semel prodesse cæpit aduersario non potest conuerti postea in intercessionem, ne quidem ex rescripto Principis l.7 t.26 p.919 c.1 d.43 n.1
Appellatio pro expensis tantum interposita non deuoluit negotium principale ad iudicem appellationis l.7 t.26 p.919 c.2 d.45 n.1
Appellatio neque necessaria, neque vtilis est, nisi ei cui alioqui sententia noceret l.7 t.28 p.901 c.1 d.4 n.2 in all.
Appellatio à defuncto interposita & ab herede deserta non nocet fructuario qui non fuit vocatus l.7 t.22 p.901 c.2 d.5 n.1
Appellatio procuratoris generalis Principis pro capite pœnæ non prodest reo condemnato, quamuis male tanquam ex contumacia fuerit condemnatus l.7 t.26 p.909 c.1 d.2 n.1
Appellatio ab vno capite sententię interlocutoriæ non deuoluit negociũ principale ad iudicem appellationis, si non interueniat authoritas vel Principis vel Senatus l.7 t.26 p.910 c.1d.5 n.1
Appellatio sera est post secutam executionem, licet protestatio de appellando præcesserit l.7 t.26 p.912 c.1 d.14
Appellatio ab interlocutoria est odiosa, quia derogat ordinariæ iurisdictioni l.8 t.5 p.967 c.2 d.1 n.7 in all.
Appellatio tã à vẽditore quàm ab emptore contra euincentem interposita, non potest inauditis heredib. venditoris interim defuncti contra emptorem decidi l.8 t.30 p.1118 c.1 d.27 n.1 2 3 4 & se.
Appellatio deserta habetur pro non interposita l.7 t.18 p.864 c.2 d.56 n.6 in all.
Appellatio nõ impedit executionem sententiæ, quæ per diffinitiuam emendari potest in iis quæ ad litis ordinationem spectant l.1 t.10 p.58 c.1 d.13 n.1
Appellatio extinguit iudicatum, reuocátque omnia ad terminos litis contestatæ l.4 t.12 p.304 c.1 d.1 n.1 in all. & l.1 t.10 p.57 c.1 d.9 n.2 in all. & p.60 c.2 d.23 n.3 in all.
Appellatio reducit rem ad terminos litis non contestatæ, l.7 t.8 p.97 c.2 d.10 n.4 in all.
Appellatio interposita extra legitima tempora admitti non potest, l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 nu.4 in all.
Appellatio an prorsus deserta sit, an male introducta & intra tempora l.7 t.27 p.923 c.1 d.11 nu.1
Appellatio cum ab interlocutoria per contumaciam deserta pronunciatur à Senatu, non potest ipse retinere cognitionem principalis negotij etiam postulante actore, nisi petitum hoc fuerit in instantia, l.3 t.12 p.196 c.2 d.25 n.3 in all.
Appellatio deserta dicitur quam appellans non fuit prosecutus intra tempora præstita l.7 t.28 p.931 c.1 d.20 nu.1 in all.
Appellatio non auditur quæ in productionis tantùm inuentario fuit interposita, nec aduersario significata l.7 t.29 p.934 c.1 d.6 n.1 & 2
Appellatio siquidem deserta pro non interposita habetur l.7 t.14 p.836 c.1 d.6 n.6 in all.
Appellatio conuerti non potest in intercessionem etiam ex rescripto Principis citra refusionem expensarum l.7 t.18 p.831 c.2 d.11 num.1
Appellatio in causis criminalibus quocunque tempore potest introduci, sed appellationi renuntiare non potest si pœna fuit corporalis, l.7 t.26 p.912 c.2 d.16 n.1
Appellatio vnius interposita ab vno capite sententiæ non prodest aduersario nolenti appellare à cæteris, l.7 t.26 p.913 c.2 d.20 nu.1
Appellatio à taxatione expensarum per diffinitiuam sententiam adiudicatarum retinenda est parti non procuratori sicut & quælibet alia sententia diffinitiua, l.7 t.26 p.914 c.1 d.23 num.1
Appellatio vnius ex litis cõsortib. prodest etiam cæteris qui non appellarunt si eadem omnium ratio sit, non si diuersa, l.7 t.30 p.936 c.2 d.1 n.1 & 2
Appellatio vnius aduersario prodesse non potest, quæ nec litis consorti prodest, nisi cum vna eádémque condemnationis & appellationis causa est, lib.7 t.38 p.937 c.2 d.1 n.2 in all.
Appellatio extinguit iudicatum, l.7 t.38 p.939 c.1 d.6 n.1 in all.
Appellatio deuoluit ad iudicem appellationis totum negotium quale fuit apud priorem iudicem post litem contestatam l.4 t.24 p.386 c.1 d.6 n.2 in all.
Appellatio debitoris non impedit executionem contra fideiussorem eadem sententia condemnatum l.1 t.10 p.60 c.1 d.21 n.1
Appellatio rescripto Principis in intercessionẽ, aut vt loquuntur, oppositionẽ conueniri potest l.1 t.12 p.62 c.2 d.5 n.1
Appellatio tam diu deuoluit cognitionem ad superiorem, quamdiu ipsa subsistit, non cùm extinguitur l.1 t.12 p.62 c.2 d.5 n.3 in all.
Appellatione extincta in eo statu res esse debet in quo esset si appellatum non fuisset l.1 t.12 p.62 c.2 d.5 n.5 in all.
Appellatio ab impetratione literarum Apostolicarum permittitur cum alio modo corrigi iniquitas non potest, l.7 t.28 p.926 c.2 d.4 n.4 in all.
quæ Appellatio sperni possit à Senatu, l.7 t.28 p.931 c.1 d.20 n.1 in all.
Appellatio rei iam ad locum torturæ deducti impune sperni potest l.9 t.21 p.1188 c.2 d.6 n.4 in all.
Appellatio tanquam ab abusu proximè accedit ad delictum si nullus sit abusus, l.7 t.28 p.929 c.2 d.18 num.6 in all.
Appellatio vim suspensiuam & deuolutiuam habet l.4 t.14 p.321 c.2 d.53 nu.12 in all.
Appellatio non facit quo minus debitum sit liquidum l.4 t.23 p.361 c.1 d.12 numer.2
Appellatio tertia nunquam est licita l.3 t.12 p.196 c.2 d.25 n.3 in all.
Appellationis auxilium nunquam cuiquam denegandum est l.4 t.14 p.317 c.1 d.37 n.8 in all.
Appellationis causa sufficit ad obtinendum, vt qui appellauit, dixerit velle se iuuari actis primæ instantiæ, l.7 t.26 p.912 c.1 d.15 n.1
Appellationis etiam causa potest is cui nunciatum est nouum opus satisdare ad hoc vt pendente lite possit ædificare, l.8 t.5 p.967 c.1 d.1 n.1 2 3 4 & 5
Appellationis instantia semper est secunda l.4 t.14 p.321 c.2 d.53 n.12 in all.
Appellationis instantia per sententiam definitiuam reparabilis est l.1 t.10 p.60 c.2 d.21 n.2 in all.
Appellationis desertio quædam species criminis est, l.7 t.27 p.921 c.2 d.5 n.7 in all.
Appellationis desertio facit vt sententia transeat in rem iudicatam nisi ab ea non esset appellatum, l.7 t.27 p.924 c.1 d.14 n.1
De Appellationis interponẽdæ & introducẽdæ temporibus, & an aduersus desertionem possit dari restitutio ex quib. causis, l.7 t.27 p.924 c.1 d.15 nu.1 & 2
In Appellationis desertionẽ si iusta causa sit restitutionis danda quid fieri debeat, l.7 t.27 p.923 c.2 d.12 n.1
In Appellationis causa prima possunt nõ deducta deduci, & non probata probari citra vllam expensarum refusionem l.4 t.1 p.321 c.2 d.53 n.10 in all. & l.3 t.12 p.193 c.2 d.32 n.3 in all.
Appellationis renunciatio facta extra tẽpora & extra acta non impedit desertionem l.7 t.27 p.921 c.2 d.4 n.1
Appellationi renunciari potest intra decennium à die sententiæ impunè tametsi victor iam aliquos sumptus fecerit

BIU Cujas

pro executione iudicati, l.7 t.26 p.917 c.1 d.35 n.1 & 2
Appellationi renunciari impunè potest intrà decennium à die sententiæ, non à die appellationis, l.7 t.27 p.922 c.2 d.8 nu.1
Appellationi deferendum non est, per quam fiat ne res in tuto sit l.4 t.14 p.317 c.1 d.37 n.2 in all.
Appellationi deferendum est ab interlocutoria quæ habet vim diffinitiuæ l.7 t.15 p.842 c.2 d.9 n.1
Appellationem intra tempus cõstitutum qui non intimauit facilius veniam cõsequitur, quàm qui non introduxit ad iudicem, l.7 t.27 p.921 c.2 d.5 n.1 & se.
Appellationem deferere proprie delictũ est l.2 t.8 p.100 c.1 d.17 n.3 in all.
Appellationem non deseruit, qui eam persequitur licet non vltrò faciat, sed aduersario instante, l.7 t.27 p.922 c.1 d.7 n.1 & 2
Appellatione interposita à pluribus articulis taxationis expensarum, & pro parte tantùm adiudicatis expensis litis appellatoriæ quomodo earum taxatio facienda sit, l.7 t.18 p.867 c.1 d.65 n.1 2 3 4 & 5
Appellatione tanquam ab abusu aliter Senatus pronunciet, aliter in aliis appellationibus l.7 t.28 p.927 c.1 d.10 n.1 & 2
de Appellatione recipiẽda per supremam manum & authoritatem Senatus, l.7 t.29 p.635 c.2 d.14
Appellationes à conseruatore tributi commutatorij in Senatu non in Rationalium curia tractantur l.3 t.12 p.200 c.2 d.50 num.1
Appellationes à iudicati executoribus interpositæ, admittendis quidem, sed non suspendunt vim executionis, l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.4 in all.
Appellationes plerumque frustrandi tantum causa interponuntur l.3 t.12 p.200 c.2 d.40 n.5 in all.
Appellationes sunt aliquo modo odiosæ, quia continent expostulationem de iniquitate iudicis qui sententiam tulit l.7 t.15 p.842 c.2 d.8 num.4 in all.
(Appello verbum) sufficit vt appellatio rectè interposita videatur ad impediendum nequid innouetur, l.7 t.26 p.911 c.2 d.12 n.1
Si Appellatum sit à diuersis articulis taxatarum expensarum & diuerso iure quid de sumptib. appellationis constitui debeat l.7 t.18 p.860 c.1 d.44 n.1
Appellatur frustra postquam res integra esse desiit l.7 t.26 p.913 c.1 d.19 n.1
Appellatur aliquando à delegato ad alium quàm ad delegantem, l.7 t.26 p.915 c.2 d.30 n.1 2 & 3
Appellatur rectè tanquam ab abusu si iudex ecclesiasticus contractet rem à laico iam tractatam l.7 t.28 p.929 c.1 d.15 nu.1
Appellatur rectè tanquam ab abusu si rescriptum summi Pontificis mandetur executioni præsertim aduersus laicos inconsulto Senatu, aut si sit de reb. non occultis l.7 t.28 p.926 c.1 d.4 nu.1
Si Appelletur ab arresti executore, quem constet non excessisse fines mandati, admittenda quidem est appellatio, sed interim iubenda per Senatum executio l.7 t.26 p.916 c.1 d.53 n.1
Appellatus tanquam ab abusu etiamsi succumbat, non ideò tamen insumptus semper condemnatur l.7 t.28 p.931 c.1 d.21 n.1
In Approbatione impetranda omnes eos audiri necesse est, quorum potest interesse l.1 t.9 p.53 c.1 d.17 num.7
Approbari debet ab omnibus etiam in indiuiduis quod omnes tangit vt singulos l.3 t.4 p.175 c.1 d.5 n.5 in all.
Arbiter officio suo non satisfeciisse videtur, si non omnes controuersias finierit, l.2 t.38 p.146 c.1 d.4 n.1 in all.
Arbiter & arbitrator attẽtare dicitur si ab eo appellatum sit, isque in spretum appellationis aliquid constituerit l.2 t.38 p.147 c.1 d.8 n.1 & 2.
Arbiter à quo appellatum est, cum appellari potest deferre debet appellationi p.147 c.2 d.8 nu.2 in all.
Arbitri diuisorij accipiendi sunt vt sciatur an fundus diuisionem patiatur, necne l.3 t.26 p.249 c.1 d.3 n.2
Arbitri tollendarum non differendarum litium causa petuntur l.2 t.38 p.147 c.1 d.7 n.4 in all.
Arbitri compromissarij sentẽtia per viam nullitatis infirmari nullo modo potest l.2 t.38 p.146 c.2 d.6 nu.1 & 2
Arbitrum iudiciarium etiam ab aduersario electum sine causa recusare nemo potest l.2 t.38 p.147 c.1 d.7 num.2 & 3
Archipresbyter in sua prouincia est oculus & quasi vicarius Episcopi lib.1 t.2 p.16 c.1 d.52 n.10
Archipresbyteri veterib. Diaconis comparantur l.1 t.3 p.34 c.1 d.24 n.1
Argvmentvm à contrario sensu non potest sumi vltra limites sensus directi l.4 t.24 p.386 c.1 d.6 n.5 in all.
Argumentum à communiter accidentibus transfert probandi onus in aduersarium l.4 t.14 p.307 c.1 d.2 n.2 in all.
Argumentum ab etymologia valet l.8 t.6 p.971 c.2 d.13 n.4 in all.
Argumentũ à maiori ad minus valet affirmatiuè l.8 t.30 p.1106 c.1 d.51 nu.4 in al.
Argumentum à persona magis dilecta ad minus dilectam non valet, vt videatur testator id voluisse quod non dixit, l.6 t.7 p.643 c.1 d.3 n.4 in all.
Aresti executio per ciuilem supplicationem impediri non potest l.1 t.9 p.52 c.1 d.12 n.1
Arrestum etiamsi redditum sit cum falsõ procuratore, necessaria tamen est ciuilis supplicatio, l.7 t.14 p.834 c.2 d.2 nu.1
Arrestum citra viam ciuilis supplicationis quomodo reuocari potest l.7 t.14 p.835 c.2 d.5 n.1
Arrestum facit interlocutorium clausula *Alio non apparente*, sed non impedit quominus ante omnia mandari debeat executioni l.7 t.19 p.872 c.2 d.1 n.1
Arrestorum emendatio ex tempore pronunciatorum quomodo facienda sit l.7 t.19 p.876 c.2 d.9 n.1
Articvli noui, quantum interfit an post productas testationes dentur in eadem instantia, an in tertia, & an ante, an post conclusionem in causa l.7 t.18 p.858 c.2 d.38 n.1
Articuli pertinentes ad causam petitorij admittendi sunt etiam in causa possessorij saltem cum clausula saluo iure impertinentium, si modò qualequale iudicium possint facere ad causam possessorij confortandam, l.8 t.3 p.963 c.2 d.39 n.5 & 6
inter Artifices magna est differentia l.3 t.10 p.173 c.2 d.4 n.1 in all.
Assassinatvs crimen priuilegium est l.3 t.12 p.196 c.2 d.26 n.4 in all.
Assassinatus vel assassinij crimen quid singulare habeat, l.9 t.10 p.1167 c.2 d.8 nu.1
Assecvratio dotis facienda est non tantùm pro summa dotali, sed etiam sumptibus in litem à muliere factis, nec interim quicquam præstandum posterioribus creditoribus, l.5 t.7 p.534 c.2 d.3 n.3 4 & 5
Cùm de Assecuranda dote agitur quę non sit soluta eadem adhibẽda est distinctio, quæ sic ageretur de dote restituenda, l.5 t.7 p.548 c.2 d.50 n.1 2 3 & 4
Assecurationem iudicis authoritate impetratam esse oportet, priusquam constante matrimonio quicquam sibi iuris in mariti rebus vindicare vxor possit l.4 t.21 p.369 c.2 d.18 nu.18
Asserenti aliquid vt se exoneret non creditur tanquam testi in re propria, l.6 t.6 p.648 c.1 d.8 n.4 in all.
Attentans dicitur offendere eodem tempore ius, iudicem, & partem p.56 c.1 d.2 n.4 in all.
Attentari potest ab inferiore iudice perinde ac ab ipsa parte p.59 c.2 d.16 n.1 in all.
Attentatum dicitur quicquid in spretum iudicis factum est, aut in odium litis, licet non habuerit effectum l.1 t.10 p.56 c.2 d.6 num.1
Attentatum est siue lite siue appellatione quid fiat in præiudicium litis vel appellationis p.60 c.1 d.20 n.2 in all.
Attentatum non dicitur quod factum est ob aliam rem, quàm de qua lis pendet p.57 c.1 d.8 nu.1 2 & 3
Attentato verbo, verbis dissoluenda sunt l.2 t.38 p.247 d.8 n.7 in all.
Attentato in præiudicium pendentis litis aut interpositæ appellationis, licet verbo tantùm, reuocanda sunt l.1 t.10 p.55 c.2 d.1 n.1
Attentata semper sunt probanda & nunquã præsumenda, nunquam supplenda, cũ sint odiosa p.60 c.1 d.20 n.4 in all.
Attentata per Procuratorem, quantumuis generalem, non nocent domino p.56 c.2 d.5 n.1
Attentata habent vim suspensiuam lib.11 t.10 p.55 c.2 d.1 n.3 in all.
Attentata de facto tantum procedentia, licet non de iure, reuocantur etiam de facto p.55 c.2 d.1 n.2 in all.
Attentata quousque reuocata sint remorãtur iudicis officium & cognitionem, etiam in executione iudicati, si constet de iis in promptu p.55 c.2 d.1 n.3 & 4
de Attentatis nihil deciditur in interdicto vti possidetis pendente lite, l.8 t.4 p.965 c.1 d.1 n.10 in all.
Attentatorum quæstio nõnunquam moram nullam facit liti principali, eodémque iudicio & iudicato omnia terminantur p.55 c.2 d.1 n.7
Attentatorum reuocandorum necessitatem non solus collitigantis fauor elicit, sed publica quoque vtilitas, & spreta iudicis autoritas p.55 c.2 d.1 n.10
Attentatorum quæstio quoties vertitur, nihil inaudito Procuratore generali Senatus decernit p.55 c.2 d.1 n.12
Attentatorum ex appellatione emergentium ratio nulla habetur facta appellationis commutatione in oppositionem l.1 t.10 p.68 c.2 d.24 n.1
Attentatorum reuocatio in quacunq; litis parte peti potest p.60 c.2 d.20 n.3
Attentatorum reuocatio ita euertit omnia, vt si qualis in præiudicium alterius per attentatum mota sit in qua interuenerit sententia à qua fuerit appellatum, reuocatis post modum attentatis nihil amplius super appellatione pronunciari possit aut debeat, l.1 t.10 p.55 c.2 d.1 n.1 in all.
Attentatorum reuocatio facienda non est, si citra euidentem iniuriam fieri non possit l.1 t.10 p.55 c.2 d.16 n.5
Attentatorũ purgatio, vltra cessionẽ possessioni & actui attẽtato faciendã, cõtinet in se etiã pœnam refectionis expẽsarũ, & suspensionẽ processus in negotio principali l.1 t.10 p.56 c.2 d.6 n.3 in all.

BIU Cujas

nihil Attentat qui possessionem suam cõtinuat, l.8 t.4 p.965 c.1 d.1 n.10 in all.
ATTESTANTES habentur quoque pro collaudatoribus, sed hactenus vt non nisi in subsidium collaudatorũ teneantur, l.8 t.28 p.1078 c.1 d.30 n.7 in all.
Attestationes clausæ esse debent donec publicentur, ne committatur subornatio l.4 t.1 p.265 c.2 d.28 n.2 in all.
AVDIENDVS est nemo siue agendo, siue excipiendo nisi cuius interest, l.4 t.1 p.270 c.1 d.46 n.2 in all.
AVGMENTVM consuetudinarium dotis non semper debetur ex dotis comparatione. Imò aliquando nullum debetur l.5 t.1 p.516 c.1 d.3 n.1 2 3 4 5 6 7
Augmentum dotis consuetudinarium etiam certa dote constituta aliquod incertum est & pro arbitrio boni viri statuendum l.5 t.1 p.516 c.2 d.4 n.1 ad 10
Augmentum dotale consuetudinarium non transmittitur ad extraneos heredes mulieris prædefunctæ, nisi expresè dictum sit l.5 t.1 p.517 c.1 d.6 n.1 & 2
Augmentum nullum dotis deberi debet nulla præcedente dotis constitutione aut tacita, aut expressa l.5 t.1 p.518 c.1 d.7 n.1 & 2
Augmentum dotis etiam non solutæ peti potest, adeóque tota dos restituenda est a maritò etiam non soluta si modò de ea maritus fidem habuerit l.5 t.17 p.533 c.2 d.1 à n.1 ad 9
Augmentum dotis nõ solutæ facilius est, vt mulieri debeatur, quàm dos ipsa non soluta l.5 t.7 p.538 c.2 d.16 n.1 & 2
Augmentum dotis debetur pro nominib. in dotem datis, siue ab initio fuerint, siue ex postfacto facta sint idonea, siue maritus ea pro bonis habuerit l.5 t.7 p.540 c.2 d.23 n.7 & 8
Augmentum dotis debetur ex comparatione æstimationis rerũ dotalium quæ fuit constitutionis tempore, nisi fuerint illa æstimata, quo casu æstimationis tempus spectatur l.5 t.7 p.541 c.1 d.24 n.4 & 5
Augmentum pro deterioratione monetę debetur etiam ad causam vestium nuptialium ab initio æstimatarum l.5 t.8 p.553 c.1 d.9 n.4 & 5
Augmentum dotis debetur etiam dote nõ soluta: adeóque licet solutionis dies nondum venerit, nec valent pacta in contrarium facta, sed seruanda est consuetudo l.5 t.9 p.559 c.2 d.1 à n.1 ad 10
Augmentum non debetur filiæ ad ratam dotis conuentæ per scripturam in fraudem patris mariti, sed ad tantam dotis reuera constitutæ si modò filia sciuit l.5 t.9 p.562 c.2 d.11 à n.1 ad 19
Augmenti dotalis, localium & donationis de superuita differentia l.5 t.5 p.525 c.1 d.13 à n.1 ad 11
De Augmenti dotalis consuetudinarij natura & de renunciatione filiæ non culpa binubi parentis l.5 t.5 p.526 c.1 d.15 extendenda ad id quod lucrata est ex culpa ibid.5 à n.1 ad 21
Augmenti dotalis futuram petitionem potest impune remittere matri superstiti filius etiam qui habet multos creditores hypothecarios, adeóque condemnatus iam exactione personali, l.5 t.5 p.526 c.1 d.13 n.10 in all.
Augmenti monetalis petitio si quãdo supereſt post factam delegationem, non contra veterem debitorem danda est, sed contra nouum, l.8 t.29 p.1087 c.1 d.8 Vide Delegatio & Nouatio.
de Augmento dotis Bugiensis prouinciæ consuetudo explicata l.5 t.1 p.517 c.1 d.5 n.1 in all.
AVGVSTANVS qui contraxit Camberij, si repertus ibi conueniatur nullam fori præscriptionem habet l.8 t.29 p.1106 c.2 d.55 n.1 2 & 3
Augustani non nisi coram prouinciæ suæ iudice conueniri possunt l.3 t.12 p.197 c.1 d.27 n.4 in all
Augustani impetrata sacramenti absolutione, nullo egent Principis diplomate ad rescindendam ex causa immodicæ læsionis venditionem l.4 t.4 p.423 c.2 d.1 n.16
Augustani executionem in iura & nomina debitoris legitimè factam significare debent iis quos creditoris creditor nolit soluere proprio creditori l.4 t.10 p.299 c.1 d.7 nu.8
Augustani magis moribus, quàm legibus reguntur l.4 t.10 p.299 c.1 d.7 nu.4
Augustanorum circa fideicommissa mos l.6 t.23 p.736 c.1 d.4 n.50 in all.
AVREOS obligans se soluere ad communem valorem, eum valorem promisisse intelligitur, qui sit frequentatus etiam abusu commerciorum, maximè si ipse acceptos aureos expenderit ad eum valorem l.8 t.30 p.1101 c.1 d.41
AVTHENTICA, nunc autem C. hoc tit. locum habet in parente etiam conuolante ad secunda vota ex consensu prædefuncti coniugis, non tamen in legato l.5 t.5 p.523 c.2 d.7 nu.1 2 3 & 4
Auth. ex causa, locum habet etiam in prætéritione paterna, secundùm DD. si modo filius sit præteritus scienter, non si ignoranter, nisi adsit clausula codicillaris per verba futuri temporis l.6 t.9 p.656 c.1 d.1
AVTORIS sui iure vti quilibet potest l.4 t.23 p.382 c.1 d.14 n.6 in all.
Autoritatem pro se & in rem suam præstare nemo potest l.3 t.35 p.13 c.1 d.6 n.2
Authoritas rei iudicatæ sancta semper & inuiolabilis esse debet l.9 t.3 p.1154 c.2 d.4
AVIA materna potest pro arbitrio instituere nepotes aut pronepotes illegitimos, lib.5 t.16 p.585 c.2 d.13 n.2 in all.
Auia paterna & auia materna ex æquo succedunt nepoti in bonis omnib. tam paternis quàm maternis, l.6 t.33 p.768 c.1 d.2
Auiæ & proauiæ paternę licet relinquere quicquid velint nepotibus aut pronepotibus illegitimis, etiam legitima sobole subsistente, dum ne aliqua fraus legitimis in portione legitima fiat l.5 t.16 p.585 c.2 d.13 n.12 13
AVVS maternus, quo casu repetat dotem viuo patre, qui eius vsumfructum habeat l.6 t.34 p.772 c.1 d.4
Auus maternus præfertur patruo in legitima successione nepotis l.6 t.33 p.771 c.1 d.11

B

BENEFICIA omnia Cardinalium, licet extra Romanam Curiam defunctorum, vacant in Curia p.5 c.1 d.16 n.1
Beneficia Cardinalium Summus Pontifex solus cõferre potest p.5 c.1 d.16 n.12 & 3
Beneficia omnia summo Pontifici sunt reseruata, non tantùm quæ vacant vbicunque in mensib. reseruatis, sed etiam quæ vacant Episcopali sede vacante, l.1 t.2 p.6 c.2 d.21 n.1 in all.
Beneficia simpliciter possunt in quolibet mense conferri ab ordinario, l.1 t.2 p.4 c.1 d.11 n.3 in all.
Beneficia sæcularia sui natura sunt perpetua p.7 c.1 d.26 n.1
Beneficia regularia sunt manualia, & consequenter ad superioris nutum amouibilia, nisi quæ sunt aut curata aut electiua p.7 c.2 d.26 num.1
Beneficia regularia habẽt suum prælatum & superiorem p.23 c.1 d.77 n.2 in all.
Beneficia regularia, regularibus sunt conferenda, secularia secularibus p.19 c.2 d.62 n.1 in all.
Beneficia sicut cætera omnia, sui natura libera præsumuntur p.30 c.2 d.11 n.4
Beneficia quæ nec dignitatem nec prælaturam habent, præsumuntur libera l.6 t.1 p.615 c.1 d.4 n.1 2 3
Beneficia plura sub eodem tecto non possunt sine dispensatione ab eodem obtineri p.21 c.2 d.70 n.19
Beneficia vacant vel per resignationem, vel per amotionem aut priuationem p.25 c.2 d.87 n.1 & 2
Beneficia Principis nunquã cuiquam debent esse captiosa l.6 t.5 p.624 c.1 d.2 n.21 in all.
Beneficiorum prima natura illa fuit, vt omnia & quocunq; mense conferri possent per ordinarium l.1 t.2 p.4 c.2 d.11 n.3 in all.
Beneficiorum collatio in fructu est p.29 c.1 d.3 n.2 in all.
Beneficiorum sequestratio rei publicæ damnosa est p.15 c.2 d.51 n.11
Beneficiorum incõpatibilitas cessat quãdiu alterũtrum non possidetur pacificè & absque controuersia p.8 c.1 d.31 n.1
Beneficiorum proprietas ad solam ecclesiam spectat non ad Prælatos l.8 t.3 p.953 c.1 d.5 n.3 in all.
Beneficiorum omnium regularium est natura, vt sint electiua p.5 c.2 d.1 n.1
In Beneficiis etiam spiritualibus acquiritur ius in re ex solo interuentu autoritatis superioris p.6 c.1 d.19 n.1 in all.
BENEFICIALEM causam esse aliud est, aliud spiritualem p.41 c.1 d.55 num.2 in all.
BENEFICIARIVS censetur fructuarius in vita, & vsuarius in morte p.38 c.1 d.37 n.2 in all.
Beneficiarius fructus plurium ecclesiarũ percipere non potest, si in earum altera tantum resideat p.40 c.1 d.50 n.12
Beneficiario absenti quotidianarum distributionum nullum ius competit nec si pro ecclesiæ commodo absit p.40 c.1 d.50 n.13
BENEFICIVM est, etiam Capellania simplex, si soleat conferri in titulum p.7 c.2 d.27 n.5 in all.
Beneficium dare aliud est, aliud reddere, l.8 t.36 p.1135 c.2 d.3 n.3
Beneficium quod à mera Principis indulgentia proficiscitur quàm pleniſſimè est interpretandum l.9 t.28 p.1211 c.2 d.1 n.8 in all.
Beneficium clausulę constituti implorari non sufficit si non imploretur beneficiũ l. vlt. C. hoc ti. quoties agitur conditione ex illa lege l.7 t.7 p.802 c.2 d.12 n.1
Ad Beneficium ingressus viciosus dari nunquam debet l.1 t.2 p.1 c.2 d.2 n.3 in all. & p.15 c.2 d.51 n.7 in all.
Beneficium & Officium habens si quid acquirat, magis ex officio acquisiuisse credendus quàm ex beneficio p.38 c.1 d.37 n.1 in all.
Beneficium commendatum quamuis in perpetuum nihilominus dicitur vacare & quidem apud sedem p.3 c.2 d.10 n.5
Beneficium retinens sine titulo peccat mortaliter p.4 c.2 d.13 n.4 in all.
Beneficium summo Pontifici reseruatum, si conferatur per Ordinarium, aliúmve quemlibet inferiorem, ipso iure nullius momenti est collatio p.6 c.1 d.21 n.1
Beneficium iam semel vacans non potest amplius vacare, aut fieri magis vacans p.19 c.2 d.60 n.2
Beneficium ex pluribus causis vacare potest p.19 c.1 d.60 n.2 in all.
Beneficium sequestrandum est, cùm neuter in beneficio ius habet p.40 c.1 d.55 nu.3

BIU Cujas

Beneficium si collitigator defunctus in commendam tantum tenuerit, licèt subrogationis literas quis habeat, nullius etunt momenti, nec si à summo Pontifice concessæ l.1 t.2 p.20 c.1 d.67 n.5 & 6

Beneficium habere potest qui secularib. se negotiis immiscet p.32 c.2 d.18 n.1

Beneficium Principis non debet esse captiosum, nec trahi ad iniuriam p.49 c.1 d. n.4 in all.

Beneficium Principis debet esse mansurum, nec de eius animo & voluntate male vnquam suspicari licet l.4 t.26 p. 406 c.1 d.16 n.10 & 11

Beneficium male impetrans, pro non impetrante habendus est p.9 c.2 d.36 n.6 in all.

Beneficium inuito non datur p.6 c.1 d.19 n.5 in all.

Beneficium regulare potest ab Episcopo conferri, si Ordinarius regularis fuerit in mora prouidẽdi p.23 c.1 d.77 n.1 & 2

Beneficium impetrans expresso falso vacationis modo non impetrasse credendus est p.24 c.1 d.82 nu 1. & 2

Beneficium inuito patrono obtineri non potest, si nulla causa subsit cur id fieri debeat l.6 t.1 p.616 c.1 d.7 n.3. Vide Deuolutio.

Beneficium vnitum nunquam potest vacare nisi vacante eo cui vnitum fuit l.6 t.1 p.616 c.2 d.8 n.3 in all.

Beneficium reseruatum esse summo Pontifici non nisi citata parte declarari potest p.39 c.1 d.45 n.1 & 2

Beneficium sequestrari Procuratoris generalis interest p.15 c.2 d.51 n.9

Beneficium impetrare priusquam vacet damnabile est p.2 c.2 d.4 n.10 in all. & p.8 c.1 d.29 n.3 in all.

Beneficium quãdo reseruatum est, Ordinarij manus sunt ligatæ p.6 c.1 d.21 n.1

Qui Beneficium impetrauit tanquam vacans per obitum eius qui nunquam id obtinuit, nihil impetrasse videtur p.2 c.1 d.4 n.3

Beneficium in manibus siue Ordinarij siue summi Pontificis resignans, de spolio postea, seu interdicto recuperandæ possessionis agere non potest p.16 c.2 d.54 n.7

Contra eum qui beneficium per obreptionem impetrauit potest spoliatus exequi ius suum p.22 c.2 d.73 n.5

Beneficium suo quisque iure tenere debet non alieno p.21 c.1 d.69 n.4 in all.

Beneficium presbyterale, ob non promotionem, si præmissa fuerit declaratio, vacat p.26 c.2 d.91 n.1

Beneficium regulare & conuentuale vel habens iurisdictionem & curam animarum, si vniantur non opus est citari monachos parochianos, nec ipsum rectorem l.1 t.2 p.14 c.2 d.48 n.2 in all.

Beneficium ordinis aliud, aliud diuisionis, l.8 t.28 p.1079 c.2 d.35 n.1 in all.

Beneficiũ sine canonica institutione possideri non potest l.1 t.2 p.1 c.2 d.2 n.5 in all. aut saltem colorata p.4 c.2 d.13 n.1 & 2 & p.6 c.2 d.23 n.7 & p.13 c.2 d.51 n.7 in all. & p.31 c.2 d.14 n.6

Beneficium quantumuis simplex non nisi clerico, & canonicè conferri potest p.21 c.2 d.70 num.12

Beneficium solitum regi per seculares in commendam, habetur pro seculari, sed non ideo muratur status nec regula, nec natura beneficij vniti l.1 t.2 p.14 c.2 d. 48 n.13 in all.

Beneficium sequestrari non debet, licet de non iure primi victoris accidenter constet l.1 t.2 p.27 c.1 d.95 n.13

Beneficium inuentarij necessario inducit separationem bonorum paternorum à cæteris l.5 t.40 p.601 c.2 d.8 n.7 in all.

Beneficium inuentarij non impedit ne heres sit vere heres, sed facie ne teneatur supra vires hereditarias l.6 t.11 p. 661 c.2 d.6 n.11 in all.

Beneficium inuentarij non impedit quominus heres inchoatas contra defunctum lites interim excipere cogatur l.6 t.11 p.670 c.2 d.38 n.1

Beneficium inuentarij implorare non potest mulier substituta posthumo instituto, nec ei hereditatẽ acquirere, quousque sciatur an sit prægnans l.6 t.11 p. 673 c.1 d.42 n.1 & seq.

Beneficium inuentarij non potest implorari, nequidem per restitutionem in integrum, à maiore qui petiit tempus ad deliberandum l.6 t.11 p.665 c.1 d.18 n.1 in all.

Beneficium inuentarij implorans nõ potest quicquam hereditarium attingere ante confectum inuentarium lib.6 t.11 p.672 c.2 d.40 n.2 in all.

Beneficium inuentarij abiiciens nulli facit iniuriam l.6 t.11 p.672 c.1 d.39 n.31 in all.

Beneficium inuentarij repudiatum potest repeti ex causa superuenientis testamenti, in quo multa sint legata l.6 t. 11 p.663 c.1 d.11 n.1 2

Beneficium inuentarij implorandum est, antequã quid attingatur hereditarium, quamuis tẽpus non currat nisi ab adita hereditate l.6 t.11 p.665 c.2 d.20

Ad Beneficium inuentarij implorandum, casus, quo quis in integrum restitui potest, etiam post puram additionem hereditatis l.6 t.11 p.667 c.2 d.27

Beneficio inuentarij priuandus est heres, qui illud non conficit intra tempus constitutum, quod plerumq; trimestre est l.6 t.11 p.665 c.2 d 19 n.1 2 3

Beneficium legis & inuentarij tollit sola electio iuris deliberandi l.6 t.11 p.665 c.1 d.18 n.1 in all.

Beneficium legis & inuentarij non nocet creditori certo, si nominatim vocatus non fuerit ab herede l.6 t.11 p.670 c.2 d.37 n.1

Beneficium legis & inuentarij solis minorib. competit l.3 t.2 p.270 c.2 d.12 n.1 in all. Impedit confusionẽ actionum Ibid.

Beneficium legis & inuentarij non ideò comparatum est, vt sit captiosum creditoribus, quamuis heredes passim eo abutantur l.7 t.20 p.893 c.2 d.36 n.9 in all.

Beneficium siue legis siue principis nunquam debet habere iniuriam l.6 t.11 p. 659 c.1 d.1 n.9 in all.

Beneficium iacere melius est quàm dari vitiosum ingressum l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.13 in all.

Beneficij collatio, donatio est p.21 c.2 d. 70 n.6

Beneficij collatio facta per non habentem potestatem, ipso iure nulla est, nec tribuit titulum coloratum p.20 c.2 d. 70 n.8 & 9

Beneficij collatio est in fructu l.8 t.3 p. 955 c.1 d.11 n.4 in all.

Beneficij vnius plures collationes non valent p.8 c.1 d.29 n.3

Beneficij collatio prior facta ab ordinario, posteriori à Papa factæ prævalet p.9 c.1 d.35 n.14

Beneficij sequestratio vix vnquam fit, nisi aliquo postulante, non etiam ex mero, &, vt aiunt, nobili iudicis officio p.16 c.1 d.51 n.9 in all.

Beneficij resignati ius non reuertitur ad resignantem posteaquam amissum est ob non adprehensam possessionem. Ne detur regressus p.18 c.1 d.57 nu.4 in all.

Beneficij falsus & mendax impetrator non debet gaudere beneficio impetrato p. 15 c.2 d.51 n.6 in all.

Beneficij, quod requirente Procuratore generali sequestratum est, possessio alicui dari potest, & tamen onus satisdationis non iniungi p.154 c.1 d.20 num.1

Beneficij incompatibilis controuersia magis facti est quàm iuris p.8 c.2 d.31 n.2

Beneficij possessor non semper cogitur de titulo suo docere si quid ab alio petat quod spectet ad beneficij fructusque causam p.14 c.1 d.47 n.1

Beneficij status mutatur ex mutatione personæ p.19 c.1 d.62 n.1 & 2

Beneficij fructus pro clerici condemnati debito capi non possunt, nisi deducto, ne egeat l.7 t.20 p.894 c.2 d.41 n.1

Beneficij possessor victus non condemnatur aliquando ad restitutionem fructuum nisi à die litis contestatæ l.7 t.18 p.871 c.1 d.84 n.1

Beneficij possessorio post condemnationem factam, non potest condemnatus petere literas subrogationis coram iudice laico l.7 t.19 p.978 c.2 d.10 numer.1

Beneficij possessionem non iacere interest Ecclesiæ l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 num.2 in all.

Beneficij possessionem adprehensurus ab alio prohibitus, non potest lite pendente & ante sententiam possessionem acquirere p.40 c.2 d.52 n.1

Beneficij resignatio facta pẽdente appellatione ab eo qui iam fuit condemnãtus, non valet p.26 c.8 d.89 n.1 & 2

Beneficij resignatio à sene vel infirmo facta fratri vel nepoti ex fratre vel sorore, in fraudem facta præsumitur p.26 c. 1 d.88 n.1 & 2

Beneficij à se resignati possessionem propria autoritate retinens, ac sine noua prouisione, intrusus dicitur p.25 c.2 d.80 num.5 & p.40 c.2 d.52 nu.2 in all.

Beneficij reseruationem sola iniectio manuum Papæ operatur, & interdum plus potest, quam expressa reseruatio p.5 c.1 d.16 n.4 & 5

In quæstione de Beneficij possessione sufficit quod nihil dolo malo factum sit ab impetrante p.8 c.1 d.28 numer.5 in all.

Beneficij reseruatione facta cum regressu & omnium fructuum reseruatione, beneficium vacat p.39 c.2 d.49 n.1

De Beneficij possessione cognitio duplex tãtùm esse potest, vna pleni possessorij: altera momentanea p.179 c.1 d.2 n.1

Ad Beneficij reseruationem declarandam citatio, non nisi ad iudicem ecclesiasticum fit p.39 c.1 d.45 n.4

Beneficij fructuum naturam sapit quod ex beneficij fructib. acquisitum est p.38 c.1 d.37 n.1 in all.

Beneficij fructus, ex quo pendet ius conferendi, non pertinent ad vicarium, p.29 c.1 d.3 n.2 in all.

Beneficij qualitas ex possessoris qualitate præsumitur p.30 c.2 d.11 num.5 in all.

Beneficij fructus pertinet ad heredem non ad successorem in beneficio p.25 c. 2 d.86 n.23 in all.

beneficij qualitatem & statum prouisiones factæ per resignationem siue in manibus summi Pontificis, siue coram ordinario non mutant p.8 c.2 d. 30 nu.1

Beneficio electiuo dari potest Præfectus non electus p.39 c.1 d.44 n.4

Beneficio affici hominem, interest hominis l.9 t.20 p.1187 c.1 d.12 n.1 in all.

De Benefi-

BIU Cujas

De Beneficio controuersiam faciens non est audiendus, nisi qui idem beneficium sibi adserit p.14 c.1 d.47 n.2

In Beneficio successoris melior est condicio, quam eius qui in priuati ius, siue vniuersali, siue singulari titulo succedit p.25 c.1 d.86 n.14

De Beneficio nouo non tam facilè prouidendum ei qui iam aliud habet p.1 c.2 d.2 n.7 in all.

Bona quasi à beando dicta sunt, l.3 t.19 p.211 c.1 d.6 n.5 in all.

Bona dicuntur tantùm deducto ære alieno l.9. t.6 p.1158 c.2 d.3 n.1 in all.

Bona dicuntur secundus sanguis hominis p.41 c.1 d. 55 n.11 in all.

Bona solent & debent sequi conditionem personæ, l.9 t.30 p.1228 c.2 d.12 n.1

Bona vacantia dicuntur quæ nec dominum habent, nec possessorem l.1 t.3 p. 30 c.1 d.8 n.1 in all.

Bona condemnati non sunt ex iudicato nec pro iudicato obligata quousque in iudicati executione capiantur iudice ita mandante generalibus verbis l.7 t. 20 p.881 c.2 d.5 n.1 2 & 3

Bona data liberis contemplatione patris iam defuncti non veniunt in iudicium familiæ erciscundæ, p.247 c.2 d.11 n. 1 2 & 3

Bona acquisita mulieri inter primum & secundum matrimonium, non censentur in secundum constituta, l.5 t.7 p.548 c.1 d.48 n.1 2 & 3

Bona patris sunt tacite obligata pro dote, quam pater simul cum filio accepit aut stipulatur, adeóq; si modo filio se obliganti pater consenserit, l.5 t.8 p.558 c.1 d.25 n.8 & 9

Bona mulieris non dotalia, si nulla dos constituta fuit, non habent priuilegium tacitæ hypothecæ, l.5 t.9 p.564 c.1 d.13 n.1 2 & 3

Bona constituentis procuratorē ad dandum pignus non ideò sunt obligata nisi etiam ab ipso procuratore sint pignorata, l.8 t.6 p.968 c.2 d.3 n.1 & 3

Bona publice vendita an & quando & quibus postulātibus iterum vendi possint, l.7 t.32 p.944 c.1 d.14 n.1

Bona emphyteuticaria postquam redacta sunt ad instar patrimoniorum, An & quo casu possit prior emphyteuta conuenire etiam post alienationem, l.4 t.43 p.487 c.2 d.8 à n.1 ad 19

Bona vniuersa, etiam futura in dotem dari possunt, l.6 t.4 p.621 c.1 d.3 n.16 in all.

Bona mulieris quando præsumantur dotalia citra constitutionem expressam l.5 t.7 p.538 c.2 d.18 à n.1 ad 12

Bona adempta ex voluntate illius qui redimendi ius habebat redimenti acquiruntur, l.4 t.28 p.416 c.1 d.7 n.1 & 3

Vt Bona debitoris etiam pro chirographaria pecunia retineri possint, aliquod pignoris vinculum subesse necesse est, l.8 t.15 p.1008 c.2 d.5 n.1 2 & 3

Bona fides debet inter cognatos, affines & proximos exuberare, l.4 t.36 p.454 c.1 d.18 n.6 in all.

Bona fideicōmisso subiecta possunt hodie obligari & alienari pro dote & donatione ante nuptias tam constituenda quàm restituenda, l.6 t.23 p.734 c.1 d.4

Bona fideicommissi quo casu possunt alienari pro dote siue constituenda siue restituenda possunt etiam obligari pro eorum quæ in dotem data sunt tuitione, si forte illa quæ in dotem data sunt euincantur, l.6 t.23 p.738 c.2 d.10 nu.1 in all.

Bona pupillaria quo casu in solutum dari possint creditoribus ne distrahantur l.7 t.32 p.947 c.2 d.25

Bona in solutum creditoribus dantur, apud Augustanos, facta per viros probos æstimatione, nunquam autem publicè distrahuntur, l.7 t.32 p.948 c.1 d.25 n.10 in all.

Bona à defuncto relicta non minoris sunt æstimationis quod hereditas ære alieno sit exhausta, l.3 t.2 p.171 c.1 d.14 n.1

Bonis ex quibusdam talliabilibus communio non impedit successionem & ius domini in bonis separatim acquisitis, l.7 t.1 p.779 c.1 d.1 n.1

Bonorum & hereditatis differentia, l.3 t.2 p.171 c.1 d.14 n.1

Bonorum cessio species quædam est solutionis non ad inducendam liberationem, sed ad acquirendam cedenti exceptionem l.7 t.31 p.937 c.2 d.1 num.8 in all.

Bonorum cessio ante decisam appellationem non admittitur aduersus appellantem à minima, l.7 t.31 p.938 c.2 d.6 n.1

Bonorum cessio aduersus mulctam ex delicto irrogatam permittitur aliquando l.7 t 31 p.937 c.1 d.1 n.1

Bonorum communio inter filium & heredem esse non potest p.210 c.2 d.5 n.2 in all.

Bonorum communio inter talliabiles sublata per diuisionem non potest inscio domino redintegrari, l.7 t.1 p.780 c.1 d.4 n.1

Bonorum petitio facta ante confiscationis sententiam, l.9 t.26 p.1211 c.1 d.3 nu.4 in all.

Bonorum pars quæ ratione quotæ incerta est, possideri nullo modo potest, p. 210 c.1 d.4 n.3 in all.

Bonorum quæ cum pupillis aut minoribus communia, sunt diuisio nulla fieri potest, nisi datis prius, vocatisque tutoribus & curatoribus, l.3 t.27 p.254 c.2 d.11 n.1 2 & 3

Bonorum possessor in omnibus loco heredis est, eodémque iure censetur, l.6 t. 11 p.662 c.2 d.10 n.1 in all.

Bonorum possessionis agnitio ratihabitione contenta est, p.126 c.2 d.1, nu.1 in all.

Bonis obligatis mobilibus & immobilib. omnibus, non ideo iura censentur obligata, l.8 t.6 p.971 c.2 d.14 num.1

Bvllas producens, non est arctandus vt signaturam proferat p.29 c.2 d.5 n.1 & 2

Bullæ sunt probatio probata, propter sigilli summi Pontificis autoritatem, p. 29 c.2 d.5 n.1 in all.

Bullæ Pontificiæ licet locum habeant in Sabaudia, tum quoque cum nunquam ibi publicatæ fuerunt, nullius tamen sunt momenti in possessorio, si aut continuo vsu abrogatę aut nunquam receptæ dicantur, l.1 t.3 p.29 d.5 n.2 in all.

C

Cacodaemonvm affertio sola etiam per exorcismum extorta non facit indicium sufficiens ad torturam, tametsi constet de effectu nec quæratur nisi de persona, l.9 t.13 p.1171 c.2 d.5

Caecvs nemo præsumitur nisi probetur, lib.6 t.5 p.634 c.2 d.28 n.11

Cæcus donare potest causa mortis: sola factio testamenti ei interdicta, adeoque codicillorum, l.6 t.5 p.634 c.1 d.28 n.20 in all.

Calendaria monasteriorum probant monasterio solutiones factas, ne qua possit obiici præscriptio, maximè verò si sint antiqua, l.4 t.14 p.323 c.2 d.58 n.2 & 3

Calvmniae nunquam est fauendum, p.55 c.2 d.1 n.9 in all.

Calumniam ob id solum quod iuncta sit mendacio, mitius puniri non oportet, l.3 t.22 p.231 c.1 d.7 n.6

Calumnia est, si quis neget quod omnes verum esse sciunt, l.4 t.2 p.278 c.2 d.18 n.15 in all.

Calumnia nunquam impunita relinquenda est, p.157 c.2 d.6 n.2 in all.

Calumniator calumniæ suæ mulctam pati debet, iudicem autem non minus offendit qui cauillatur & tergiuersatur quàm qui calumniatur, p.165 c.1 d.34 n. 1 & 4

Camera criminalis obtinet locum & vicem Senatus, p.63 c.2 d.10 n.1 in all.

Cancellatio instrumenti & iam redditi non plus operari potest, quàm confessio soluti, p.98 c.2 d.13 n.10

Cancellatio inducit tacitam præsumptionem quæ per contrariam probationem elidi potest, p.98 c.2 d.13 n.10 in all.

Cancellarivs dicitur quod ad eius officium spectet, vt literas omnes cancellet quas contra ius esse, vel publicam vtilitatem videt, p.63 c.2 d.1 n.5 in all.

Canonis annui peræquatio diuiso fundo emphyteuticario fit nō solùm sumptibus possessorum sed etiam pro modo bonitatis naturalis, non autem occidentalis quæ superuenit, l.4 t.43 p. 901 c.1 & 2 d.45 n.1 2 3 4 & 5

Canon annuus non tam pro fructibus quàm in recognitionem dominij directi præstari solet, l.4 t.42 p.501 c.2 d.45 nu.2 in all.

Canonis annui oblatio sola sine obsignatione impedit ne debeatur æstimatio quanti plurimi, l.4 t.42 p.493 c.2 d.22 n.1 & 2

Canonici absentes quādo pro præsentib. habeātur, p.40 c.2 d.50 n.1 2 3 4 5 & 6

Cantoria est officium: transit tamen facile in dignitatem, & vtrum personatus sit an dignitas, an nudum officium pendet ex loci consuetudine, l.1 t.2 p.7 c.2 d.26 n.3 in all.

Quod Capitvli debet vniuersitas, non debent singuli de capitulo, p.59 c.2 d. 18 n.2 in all.

Carcer non in pœnā sed ad custodiam datus est, p.149 c.1 d.3 n.1 in all.

Carceris perpetui pœna hodie est interdicta, p.150 c.2 d.9 n.7 in all.

in Carceres non detruduntur mulieres nec pupilli pro debito ciuili, lib.7 t.20 p.898 c.2 d.56 n.5 in all.

detrudi in Carceres existimationem onerat apud bonos & graues viros, & pulsat verecundiam, l.4 t.26 p.408 c.2 d.24 n.4 in all.

Cardinalatvs dignitas immutat qualitatem beneficij, p.5 c.1 d.16 n.2

Cas sur cas n'a point de lieu, l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.12 in all.

Casus fortuitus ad rei innocentiam allegatus ab eo probari debet qui allegat, l.4 t.14 p.320 c.2 d.52 num.1

Casus fortuitus eum excusat cuius culpa præcessit casum, l.4 t.2 p.472 c.2 d.22 n.19 in all.

Casum fortuitum in se suscipiens tenetur etiam de insoluto: præsertim si de incogitatis quoque casibus tractatum sit, l.4 t.42 p.464 c.2 d.2 n.1 & 2

Qui ex Casu fortuito alicubi est, ibi non esse videtur p.12 c.2 d.45 n.3

Casus fortuiti ad dominum spectant, l.4 t.24 p.392 c.2 d.24 n.1

Casuum omnium fortuitorum quantumlibet insolitorum periculum in se suscipere conductor potest, l.4 t.42 p.481 c. 1 d.53 n.1

Castellanvs curiali defuncto, in cuius

BIU Cujas

protocollis repertum non eſt inſtrumentum quod quæritur, condemnatur ad exhibitionem, l.3 t.28 p.250 c.2 d.1 n.3 & 4

CAVSAE continentia non eſt diuidenda, l.3 t.1 p.166 c.2 d.40 n.5 in all.

Cauſa criminalis eo grauior eſt, quo grauius eſt crimen p.183 c.1 d.13 n.3 in all.

de Cauſa criminali quæ in ciuilem incidit prius cognoſcendum eſt quàm de ciuili, p.183 c.1 d.13 n.1

Cauſa efficiente remota, nihil operatur confirmatio, p.117 c.1 d.1 n.4 in all.

Cauſa piæ cauſæ non poteſt eſſe fauorabilior, quàm liberorum, l.6 t.5 p.634 c.1 d.27 n.14 in all.

Cauſa teſtamenti deficere atque adeo ipſum teſtamentum deſtitui dicitur, quoties nemo hæres ex eo eſſe poteſt, l.6 t.6 p.636 c.2 d.1 n.2 in all.

Cauſæ ſuæ adeſſe non prohibetur, qui ad litem ſuſcipiendam procuratorem dedit, l.3 t.17 p.207 c.1 d.1 n.5 in all.

Cauſam nullâ ſubeſſe, & eam quæ eſt ignorari paria ſunt, p.156 c.2 d.2 n.3 in all.

Cauſſa ceſſante, ceſſat effectus, p.13 c.2 d.45 n.26 in all.

CAVTIO idonea eſt quæ habet fideiuſſorem vel pignora: non vtrumque tamen ſimul exigit, p.151 c.1 d.10 n.2 in all.

Cautionem idoneam præſtare à Senatu iuſſus, ſi nullam inuenire poſſit, quod immobilia nulla poſſideat, admitti debet ad iuratoriam cautionem, l.2 t.39 p.150 c.2 d.9 n.8 in all.

Cautio iuratoria interdum pro ſatisdatione habetur, p.150 c.2 d.9 n.4 in all.

Cautio legatorum vel fideicommiſſorum nomine ita demum præſtanda eſt, ſi petatur & pro bonis mobilibus aut iuribus legatis, non pro immobilibus, l.6 t.31 p.766 c.2 d.3

Cautio legatorũ vel fideicommiſſorum, nomine præſtanda remitti poteſt à teſtatore, quocunque indicio voluntatis, & quando remiſſa intelligatur, l.6 t.31 p.765 c.2 d.1

Cautionis plus eſt in rem quàm in perſonam l.4 t.41 p.478 c.2 d.42 n.3 in all. & l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 n.8 in all. & l.2 t.39 p.152 c.1 d.12 n.7

Cautionis forma à iudice præſcripta aut admiſſa, non facilè inaudito aduerſario eſt mutanda, l.4 t.3 p.271 c.1 d.5 n.5 in all.

Cautionis nomine in dubio nuda repromiſſo ſignificatur, p.167 c.1 d.2 n.5 in al.

CENSVS pro perceptis habentur quorum dies iam ceſſit & venit, licet nondum exacti. p.38 c.1 d.37 n.3

CENTENARIA poſſeſſio titulum ſemper requirit immemorialis, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.6 in all.

CESSATIO non omnis morę & culpę annumeratur, l.6 t.11 p.665 c.2 d.19 nu.1 in all.

CEDERE debitorem aliud, aliud delegare, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.2 in all.

Cedere bonis vir pro ciuili debito captiuus poteſt, atque ita liberationem conſequi: non item cùm ex cauſa delicti l.4 t.21 p.368 c.2 d.16 n.6 & 7

Cedens etiamſi actiones directas retineat eaſque efficaces, ceſſionarius tamen liti ſiſtendus eſt ſi debitor id poſtulet, l.4 t.29 p.417 c.2 d.2 num.1 2 3 & 4

Cedẽs quicquid iuris habet accepto precio, aliáve re qualibet, venditoris loco eſt l.4 t.29 p.421 c.2 d.15 n.1 2 & 3

Cedens tenetur ad reſtitutionem precij, eorúmque omnium quæ accepit, quando inutilis eſt ceſſio l.4 t.29 p.421 c.2 d.15 n.1 2 & 3

Cedenti in præiudicium ignorantis ceſſionarij paciſci cum debitore non licet l.4 t.10 p.300 c.2 d.9 n.6 & 10

Ceſſa perſonali actione non tranſit hypothecaria, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.

Ceſſibile eſt regulariter id quod eſt tranſmiſſibile, l.6 t.11 p.667 c.1 d.24 num.6 in all.

CESSIO actionis etiam citra venditionem fieri poteſt, l.4 t.29 p.418 c.2 d.2 nu.1 in all.

Ceſſio actionis non valet niſi ad concurrentem dati re vèra precij quãtitatem, aut niſi per meram donationem facta ſit, l.4 t.29 p.418 c.2 d.5 nu.1

Ceſſio actionis poteſt fieri ex interuallo, nempe cum actio per ſolutionem extincta eſt, l.8 t.30 p.1093 c.1 d.16 num.1 2 3

Ceſſio nominis & actionis debet fieri iuſta aliqua de cauſa, maxime vero donationis in ſolutum, l.4 t.26 p.410 c.1 d.28 n.3 in all.

Ceſſio aut venditio nominis non ſolum ignorante, ſed etiam inuito debitore fieri poteſt, l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 nu.13 in all.

Ceſſio & venditio nominis etiam controuerſi olim fieri poterat, l.4 t.26 p.402 c.2 d.9 n.5

Ceſſio bonorum non aufert patri legitimam adminiſtrationem bonorum filij, nec vſumfructum, l.6 t.35 p.775 c.2 d.7

Ceſſionis bonorum beneficio non poteſt renunciari, neque per iuſiurandum nec in iudicio, l.7 t.32 p.939 c.2 d.8 n.1 2 3 4

Ceſſionis bonorum beneficij inducendi quæ cauſa potiſſima, lib.7 t.32 p.939 c.2 d.8 num.1 in all.

Ceſſionem bonorum impedit fiſcale delictum, l.7 t.31 p.939 c.1 d.7 n.1

Ceſſio condictionis ex Can. redintegranda contra ſpoliatorem domini directi, etiam ratione fructuum non eſt prohibita, lib.4 t.29 p.419 c.1 d.7 num.1 2 3 4 5 6 & 7

Ceſſio iurium ſtricti iuris eſt, probandáq; eſt per ſcripturam: probari autem per iuſiurandum ſuppletiuum non poteſt, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.1 2 3 & 4

Ceſſio iurium eſt ſtricti iuris, nec actus vllos operari debet vltra intentionem agentium, l.4 t.29 p.422 c.2 d.20 n.1 2

Ceſſio iurium omnium reſcindi poteſt cauſâ immodicæ læſionis l.4 t.20 p.426 c.2 d.11 n.2

Ceſſio facta etiam ad probata non facit vt debitor liberetur à creditore, l.4 t.10 p.300 c.2 d.9 n.8

Ceſſio facta contra debitorem principalem cenſetur hoc ipſo facta etiam contra fideiuſſorem, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 num.2 in all. & p.422 c.2 d.20. num.1 2 3

Ceſſio facta contra debitorem cum dictione taxatiua *duntaxat*, non extenditur ad fideiuſſores, aut alios correos debendi lib.4 t.29 p.423 c.1 d.20 numer.5

Ius creditoris cui Ceſſio facta eſt quiſque eam ceſſionem denunciauit ex ſola cedentis voluntate tolli non poteſt l.4 t.10 p.300 c.2 d.9 n.6

Ceſſio facta per dationem in ſolutum non valet niſi ad concurrentem quantitatem quæ debetur l.4 t.26 p.408 c.2 d.22 n.1 & 2

Ceſſio facta per dationem in ſolutum non admittit acceſſionem vſurarum niſi ex quo die actum eſt ex ceſſione l.4 t.26 p.408 c.2 d.22 n.2

Ceſſio ſic facta vt ceſſionarius poſt litis victoriam cedenti pretium ſoluat, non valet l.4 t.26 p.408 c.1 d.23 n.2

Ceſſio facta etiam ex interuallo poſt ſolutionem, contra eum qui per ſolutionem ipſo iure non fuit liberatus, valet l.4 t.29 p.422 c.1 d.17 n.1 2 & 3

Vt Ceſſio valeat ſufficit habitam eſſe fidem de precio, & precium aliquando ſolutum fuiſſe, pendente etiam iudicio, l.4 t.26 p.408 c.2 d.21 n.1 2 3 & 4

Ceſſio non niſi ad concurrentem precij quantitatem valet, ſi partim venditã ſit actio, partim donata, l.4 t.29 p.418 c.2 d.5 n.3

Ceſſio differt à delegatione p.71 c.2 d.17 n.5 in all.

Ceſſio non poteſt impediri per ſolã oblationem liberandi debitoris à carceribus, niſi quinquennales inducię vltrò indulgeantur, & quidem ſine onere, l.7 t.31 p.939 c.1 d.3 n.1

Ceſſionis beneficium fauorabile eſt, ideóque pleniſſimè interpretandum, l.7 t.31 p.938 c.1 d.3 n.3 in all.

Ceſſionis inſtrumentum non poteſt eſſe guarentigiatum l.4 t.26 p.402 c.2 d.8 n.1 in all.

Ceſſionem pro rerum ſuarum munimine accipere licet, l.4 t.26 p.402 c.2 d.9 n.1 in all.

In Ceſſione quę fit dato precio vt valeat, neceſſe eſt interuenire veram numerationem, & numerationis probationes veras eſſe, lib.4 t.26 p.407 c.1 d.20 num.1

in Ceſſione qualibet quantumuis generali intelligitur excepta perſona cedentis, l.4 t.27 p.413 c.2 d.8

Ceſſione nominis facta præſtanda eſt, ceſſionario etiam perſecutio pignorum, lib.4 t.29 p.421 c.1 d.13 numer.2 in all. danda etiam actio contra fideiuſſores, Ibid.

Ceſſiones quæ aliarum litium redimendarum gratia fiunt data in eam cauſam pecunia lege Anaſtaſiana improbantur l.4 t.26 p.402 c.2 d.9 n.1 2 3 & 4

CESSIONARIVS qui fori priuilegium habet ex propria perſona ratione dignitatis aut officij tam in agẽdo quàm excipiendo idem priuilegium retinet ſi ex iure ceſſio agat vel conueniatur, dummodo cauſam oneroſam ceſſio præ ſe ferat li.3 t.12 p.195 c.2 d.22 n.1

Ceſſionarius ad eam tenetur editionem ad quam cedens tenebatur p.71 c.2 d.17 n.1 2 & 3

Ceſſionarius in rem ſuam procurator factus poteſt etiam directas actiones exercere ſuo nomine dummodo ex perſona cedentis l.4 t.29 p.418 c.1 d.3 n.1 2 3 & 4

Ceſſionarius à præciſa executione ſuo nomine incipere non poteſt: alieno poteſt, non tamen contra heredem debitoris l.4 t.26 p.402 c.2 d.8 n.1 2 & 3 & l.4 t.29 p.420 c.1 d.10 n.3 & 8

Ceſſionarius actionis litigioſæ cogitur pati executionem quam cedens ipſe pati cogeretur l.4 t.29 p.421 c.2 d.14 n.4 5 & 6

Ceſſionarius non poteſt agere proprio nomine, ſi neque precium, neque alia cedendi cauſa iuſta interuenerit, ſed tanquam ſimplex procurator directas exercere poteſt l.4 t.26 p.410 c.2 d.30 n.1 2 & 3 & l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 n.1 2 3 4 5 6 7 & 8

Ceſſionarius qui ex ceſſione agit non poteſt petere niſi quatenus ceſſum eſt, etſi plus cedenti debebatur l.4 t.26 p.410 c.2 d.28 n.1 2 3 & 4

Ceſſionarius agit ex cedentis perſona l.4 t.29 p.422 c.1 d.16 n.1 2 & 3

Ceſſionarius ſiue empti, ſiue alio quantumuis iuſto titulo nitatur, non poteſt dicere

BIU Cujas

dicere pertinere ad se dominium eius rei, cuius possessionem nunquam nactus est l.3 t.22 p.229 c.2 d.2 n.3
Cessionarius certę quantitatis cui nullum monetæ augmentum debebatur non potest illud petere à debitore cedentis, tametsi debitum cedenti l.8 t.30 p.1106 c.1 d.52 n.1 2 & seq.
Cessionarius litis tenetur ad refusionem sumptuum, quos cedens debebat ob suam contumaciam, l.7 t.18 p.861 c.1 d. 41 n.9
Cessionarius quamuis possit ex sui cedentis persona directas actiones exercere, quasi mandatas, & vtiles ex propria; si tamen alteri cesserit non potest secundus cessionarius exercere directas nec ex sui cedentis persona, nec ex persona primi cedentis, l.4 t.29 p.418 c.1 d.2 n.2 in all.
Cessus debitor & condemnatus non debet soluere cedenti non admonito cessionario, l.4 t.29 p.423 c.1 d.21 n.1 2
CHARTVLARII iudices dicuntur notarij, l.4 t.16 p.347 c.1 d.1 n.2 in all.
CHIROGRAPHVM nihil aliud est, quàm quod propria manu scriptum est l.4 t. 16 p.352 c.2 d.23 n.3 in all.
Chirographum cancellatum repertum penes debitorem non inducit tacitum pactum de non petendo, nisi redditum probetur, l.4 t.28 p.417 c.1 d 9 n.4. in dubio præsumitur redditio, nisi sit persona domestica, Ibid. n.6
Chirographum ducentorum reddere iussus vel ducenta dare; si chirographum nullum reperiatur, ducenta dare tenetur, l.6 t.18 p.802 c.2 d.17
Chirographum rerum depositarum penes deponentem repertum an præsupponat rerum diuersitatem an identitatem l.4 t.14 p.323 c.1 d.56 n.3
Chirographum obligationem non inducit, sed inductam probat l.4 t.2 p.271 c.2 d.5 n.2
Chirograghi facta recognitione, natáque hypotheca, nouum genus actionis proponendum est l.3 t.12 p.191 c.1 d.7 n.3
Chirographi redditio nihil aliud inducit quàm tacitum pactum de non petendo p.98 c.2 d.13 n.4
Chirographo amisso aut restituto non amittit creditor debiti persecutionem, si aliunde constet adhuc deberi, lib.8 t. 30 p.1093 c.2 d.23 n.1 2
CHRISTIANVM nihil tam decet quàm iniurias remittere, l.9 t.20 p.1187 c.1 d. 12 n.1 in all.
CITANDA pars est ad omnem actum, quę eo lædi potest l.4 t.16 p.350 c.1 d.16 n.8 in all.
Citandus est iterum qui personaliter in ius venire iussus, & ad accusationem propositam ex ore respondere, non paret licet ad fines ciuiles tantùm p.75 c. 2 d.10 n.1
Citandi forma per edictum extraordinariam, etiam inter clericos, dat iudici laico cognitionem l.3 t.2 p.166 c.1 d.38 n.4 in all.
Citando absente, si non sit longa absentia præsumendus est domicilium vetus retinuisse, ideóque ad domicilium citari potest; si verò longa, dandus bonis curator qui post modum citetur, l.2 t.2 p.74 c.1 d.2 n.9 in all.
Citandi sunt hæredes domino mortuo ad causam reassumendam p.96 c.1 d.4 n.5 in all.
Citari possunt qui in ius rapi non possunt p.76 c.2 d.13 n.1
CITATIO superioritatę denotat, & subiectionem in eo qui citatur l.3 t.12 p. 196 c.1 d.23 n.5 in all.
Citatio & contestatio, cùm sint facti, non possunt haberi pro infectis p.185 c.2 d. 2 n.6 in all.
Citatio præcedit contumaciam p.75 c.1 d.6 n.1 in all.
Citatio facta in persona vxoris aut alterius ex domesticis, fieri debet in domo citati p.75 c.1 d.7 n.1
Citatio facta sine literis non valet, nec reddit citatum contumacem p.75 c.1 d.7 n.2 in all.
Citatio arguit monentis superioritatem, monitio non item p.41 c.1 d.55 n.16
Citatio vnius ex litis consortibus non nocet alteri p.75 c.1 d.8 n.1 2 3 & 4
Citatio realis contra impuberem fieri non potest p.74 c.2 d.3 n.1 in all.
Citatio à Procuratore incipere potest p.102 c.1 d.25 n.4 in all.
Citatio vna sufficit ad implendam sollennitatem subhastationum p.76 c.1 & 2 d.12 n.3 in all.
Citationis & contestationis effectus peremptа durant instantia p.185 c.1 d.2 n. 5 & 6
Citatus personaliter si ad fines ciuiles tãtùm compareat & fateatur delictum, nec quicquam alleget quo lis protrahatur, potest condemnari ad mulctam aut ad id quod interfit aduersarij, l.2 t. 2 p.75 c.2 d.10 n.3 all.
Citatus ad comparendum personaliter ad fines ciuiles tantùm, postquam paruit impune abire potest, nulla petita venia p.76 c.1 d.11 n.1
Citatus ad vnum actum etiamsi esset, cõtumax, non potest tamen in aliis actibus grauari p.76 c.1 d.11 n.2 in all.
Citatus ad nouum Procuratorem in locum demortui substituendum, si in ius non veniat, iterum citandus est p.96 c. 2 d.6 n.1
CIVIS quis dicatur, l.6 t.19 p.709 c.2 d.17
CLAM fieri dicitur quicquid fit ignorante eo cui denunciandum fuit lib.4 t.10 p.299 c.2 d.7 n.10 in all.
CLAVSVLA & conditio apposita in institutione, an & quando censeatur repetita in substitutione, l.6 t.7 p.643 c.1 d. 3 n.1
Clausula in pactis per quæ futurę successioni renunciatur *Salua legali eschenta*, tum demùm prodest cum ij omnes decesserunt qui in pari gradu erant successuri p.86 c.2 d.24. nu.1
Clausula illa *A sa premiere requeste, laquelle il fait dés à present*, in mutuo locũ non habet l.4 t.24 p.393 c.2 d.27 n.1
De Clausula *ad habendum, tenendum & possidendum*, quando & quatenus prosit creditori spoliatum se dicenti l.8 t.3 p. 956 c.2 d.17 à n.1 ad 10
Clausula codicillaris adhibita in testamento, in quo pauciores quàm quinq; testes adfuerunt, nihil operatur, l.6 t.5 p.624 c.1 d.3 n.1 2 3 & 4
Clausula codicillaris nunquã supplet defectum voluntatis, sed tantùm sollennitatis, l.6 t.5 p.624 c.2 d.4 nu.4 in all.
Clausula codicillaris adiecta in testamento posteriore & reuocatorio, facit vt institutio priore testamento scripta vertatur in fideicommissum l.6 t.5 p.632 c.1 d.19 n.4
Clausulæ codicillaris ea vis & potestas vt solemnitatem suppleat non voluntatem, l.6 t.5 p.633 c.2 d.27 n.11
Clausula codicillaris non conseruat dationem hereditatis in præiudicium posthumi ignoranter præteriti, l.6 t.17 p. 690 c.1 d.2
Clausula codicillaris apposita in testamento inutili, tantum prodest ad conseruanda legata & fideicommissa ab intestato, atque codicilli ab intestato facti, l.6 t.17 p.690 c.2 d.1
Clausula codicillaris inducit tacitam repetitionem legatorum & fideicommissorum ab intestato, etiam in præiudicium posthumi ignoranter præteriti; l.6 t.17 p.692 c.1 d.3
de Clausula codicillari, cum posthumus ignoranter fuit præteritus, interpretum distinctio, lib.8, t.17 p.692 c.2 d.4
Clausula codicillaris est inutilis quoties potest succedi ex testamento siue iure ciuili, siue prætorio, l.6 t.17 p.693 c.1 d. 4 n.5 in all.
Clausula codicillaris nocet posthumo ignoranter præterito, etiam quod ad dationem hereditatis in tribus casibus, l.6 t.17 p.693 c.2 d.5
Clausula codicillaris quæ non potuit nocere posthumo ignoranter præterito, nec ipsius hæredi nocet, quamuis extraneo; l.6 t.17 p.693 c.2 d.6
Clausula codicillaris cum flectit institutionem heredis in purum fideicommissum, vna tantum quarta detrahitur, id est legitima, quæ tamen hodie non quarta est, sed triens, l.6 t.17 p.694 c. 1 d.7
Clausula codicillaris quæ non nocuit posthumo ignoranter præterito, quo casu noceat extraneo eius hæredi, l.6 t. 17 p.694 c.2 d.8
Clausula codicillaris nunquam in testamento subintelligitur, extra testamenta quæ fiunt inter liberos aut ad pias causas, l.6 t.17 p.696 c.1 d.13
Nec Clausula codicillaris, neque illa *Omni meliori modo* subintelligitur in testamento facto pestis tempore, vt neque in testamento militari: sed tantum in testamento inter liberos, & ad pias causas, l.6 t.5 p.625 c.1 d.7 à n.1 ad 7
Clausula constituti non potest ex interuallo adiici, ne quidem consentientibus contrahentibus sine iudicis auctoritate, l.4 t.16 p.347 c.1 d.8 n.1 2 & 3
Clausula constituti habet vim traditionis, l.4 t.36 p.454 c.2 d.18 num.14 in all.
Clausula constituti apposita in contractu dotali in casum dotis restituendæ non impedit retentionem bonorum obligatorum contra matrem quæ dotem repetat non redditis actionibus l.5 t.8 p.554 c.2 d.15 n.7 8 & 9
Clausula constituti post interuersam possessionem non prodest nisi implorato prius beneficio legis vlt. C. de acq. poss. l.8 t.3 p.962 c.2 d.35 n.1 2 3 & 4
Clausula decreti irritantis ligat etiam ignorantem non quod ad pœnam excommunicationis, sed quod ad nullitatem actus contra decretum facti p.6 c.1 d.21 n.2
Clausula decreti irritantis non modò titulum, sed etiam possessionem inficit p.6 c.1 d.21 n.3
Clausula derogatoria impedit validitatem posterioris testamenti, nisi specialiter eius clausulæ mentio facta sit in posteriore l.6 t.5 p.626 c.1 d.9 à num.1 ad 8
Clausula derogatoria inutilis est, si probetur secuta mutatio voluntatis, l.6 t. 5 p.628 c.1 d.14 n.1 2
Clausula derogatoria quæ respicit & facultatem testandi & voluntatem, inutilis est quantum ad facultatem, valet tamen quatenus respicit voluntatem l.6 t.5 p.628 c.1 d.15 à n.1 ad 13
Clausula derogatoria existente in priore testamento vtrius heredis causa potior esse debeat in missione in possessionem, an eius qui in priore, an eius qui in posteriore scriptus est? lib.6 t.14 p.685 c.2 d.5 num.1 & seq.

BIU Cujas

Clauſula derogatoria appoſita in priore teſtamento facit, vt potior eſſe debeat cauſa heredis in eo ſcripti, quam fiſci, cum poſterius teſtamentum per vim factum eſt, l.6 t.15 p.687 c.1 d.1

Clauſula derogatoria in anteriore teſtamento appoſita ad quaſcunque donationes infirmandas non pertinet ad donationes inter viuos, quæ ſui natura ſunt reuocabiles, l.8 t.36 p.1128 c.2 d.8 n.1 & 2

Clauſula Detracto vſufructu quomodo adiicienda, l.6 t.18 p.697 c.1 d.3 in all.

Clauſula excepti antiquioris pignoris in fundum poſſeſſum ab emptore & in caſum euictionis, intelligi debet de euictione quæ ſequatur ex facto alterius quàm venditoris, l.8 t.31 p.1117 c.1 d. 24 n.1 & 2

Clauſula Ex nunc prout ex tunc, ad tempus contractus reducit conſtitutum l.7 t.7 p.816 c.2 d.35 n.1

Clauſula *Motu proprio* tollit omnem obreptionem & ſubreptionem p.1 c.2 d.2 n.13

Clauſula *Motu proprio* in Bullis Apoſtolicis eſt maximæ & prçcipuæ poteſtatis, ius tamen alteri quæſitum non tollit p.6 c.1 d.22 n.1 & 2

Clauſula *Saluæ dominij cauſa*, ius integrum dominij conſeruat & tuetur l.3 t.26 p. 248 c.2 d.2 n.2 in all.

Clauſula *Si neutri, ſi nulli*, nouum ius ſemper tribuit, l.1 t.2 p.27 c.2 d.25. nu.5 in all.

Clauſula *ſiue prædicto, ſiue quouis alio modo vacet* comprehendit verum vacationis modum qui tempore impetrationis probabiliter ignorabatur p.2 c.1 d.4 n. 8 9 & 10

Clauſula *Siue prædicto ſiue quouis alio modo vacet* omnem vacationis modum comprehendit, p.1 c.1 d 1 n.1 in all. Niſi vacet ex alterius perſona. Ibid.n.2. Aut niſi aliqua ſit ratio diuerſitatis inter verum modum & expreſſum: Aut niſi impetrans ſit in dolo. Ibid.nu.3 in all. Aut niſi expreſſus ſit modus impoſſibilis de iure vel de facto, p.2 c.2 d.4 n.5

Clauſula vulgaris quę in Bullis Apoſtolicis inſeri ſolet, *Dummodo tempore datarum præſentium non ſit alteri ius quæſitum*, conſeruat ius quod in re ipſa & beneficio quæſitum iam eſt, ſed non ius ad rem p.6 c.1 d.20 n.1

Clauſula vulgaris dicitur, quę regulariter apponi ſolet, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.1 in all.

Clauſula poſita in vno capite inſtrumenti, ſiue teſtamentum ſit ſiue contractus influit in ſequentia imo & trahitur ad præcedentia ſi ſit poſita in medio, l.6 t. 25 p.742 c.1 d.4 num.5 in all.

Clauſulæ acceſſoriæ non debent ampliare, alterare, aut mutare principalem depoſitionem, l.4 t.21 p.370 c.1 d.18 n.20 in all.

Clauſulæ acceſſoriæ interpretandæ ſunt ex eo quod actum eſt in negotio principali l.4 t.28 p.414 c.1 d.1 n.4 in all.

Clauſulæ acceſſoriæ & executiuæ non mutant naturam contractus, l.8 t.22 p. 1037 c.1 d.2 n.4 in all.

Clauſulæ appoſitæ in contractu ſimulato nihil operantur, cum de ſimulatione conſtat, alioqui operantur, l.4 t.17 p. 356 c.1 d.6 n.1 2 & 3

Clauſulæ derogatoriæ quo plus inſolitæ eo magis ſuſpectæ p.64 c.2 d.11 n.1 2 & 3

Clauſulæ generales nunquam extenduntur ad incogitata l.6 t.5 p.627 c.2 d.13 n.5 in all.

Clericatvs per ſcripturã probari debet nõ per teſtes l.4 t.14 p.311 c.1 d.11 n.1

Clericatus literas, quæ proferuntur vt fidem faciant, oportet eſſe ab Epiſcopo ſubſcriptas, aut à vicario qui characterem imprimit, l.4 t.14 p.311 c.1 d. 11 n.4

Clericvs diſcolus aut malè morigeratus non à iudice laico condemnari poterit, tamen iudex ſecularis pronunciare ſequeſtrandam beneficij poſſeſſionem, p.32 c.1 d.16 n.3 4 & 5

Clericus imputatus de aſſaſſinio per iudicem ſecularem puniri poteſt, l.9 t.10 p.1167 c.2 d.8 n.1 in all.

Clericus veniam criminis capitalis à ſolo Principe impetrare poteſt, & an impetrata ea poſſit adhuc conueniri apud iudicem eccleſiaſticum & ab eo condemnari poteſt l.9 t.28 p.1211 c.2 d.2 n.1

Clericus renunciare non poteſt priuilegio ſui fori, quoniam id in totius cleri & eccleſiaſticæ iuriſdictionis iniuriam redundaret, l.9 t.30 p.1229 c.1 d.13 n.5 in all.

Clericus heres laici non ſequitur forum defuncti, nec contra p.155 c.1 d.12 n.2

Clericatus ſimplex ſufficit ad ſimplicis beneficij impetrationem, p.21 c.2 d.70 num.2

Clericus ſæcularis beneficium regulare poſſidens in commendam ex Apoſtolica diſpenſatione habet in cauſis ſuis iudicem Epiſcopum ordinarium diœceſeos, p.37 c.2 d.35 n.1

Clericus, ſi à iudice ſuo condemnatus parere nolit, poteſt etiam perſonali actione coram iudice laico conueniri l.3 t. 12 p.191 c.1 d.8 n.1

Clericus coram iudice laico vocari poteſt ad declarandum, An tranſactioni ſtare velit, An ſententiæ à iudice eccleſiaſtico redditæ l.3 t.12 p.191 c.2 d.9 n.2

Clericus à iudice laico perſonaliter condemnari poteſt ad expenſas litis non etiam fructus rei petitæ l.3 t.12 p.192 c. 2 d.15 n.3

Clericus à iudice laico ex reconuentione condemnari poteſt l.3 t.12 p.192 c.1 d. 12 n.1 2 & 3

Clericus à laico, nec laicus à clerico abſolui aut condemnari vnquam poteſt l.3 t.12 p.191 c.2 d.9 n.3 in all.

Clericus, licet velit, non poteſt iudicis iuriſdictionem prorogare l.3 t.12 p.192 c.1 d.29 n.3

Clericus repertus in habitu ſecularis militiæ non habet priuilegium fori l.3 t.12 p.192 c.2 d.14 n.1 2 & 3

Clericus ad iudicem laicum vt alienæ liti interueniat vocatus non habet priuilegium fori lib.3 t.12 p.200 c.1 d.39 nu.1

Clericus falſus teſtis, ex eáque cauſa puniendus, ad ſuum iudicem remittendus eſt l.3 t.12 p.199 c.2 d.36 num.1 & 2

Clericus ex mera actione in rem, coram iudice laico conueniri poteſt l.3 t.12 p.200 d.37 n.3 in all.

Clericus calumniatus apud iudicem laicum ab eo condemnari poteſt p.157 c.2 d.6 numer.1

Clericus per apparitorem ſecularem in carceres detruſus, impune eximi & aufferri poteſt l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.6

Clericus qui cum armis prohibitis edicto Principis alium occidiſſe probatur à iudice ſeculari cõdemnari poteſt l.3 t.12 pag.196 c.2 d.26 num.1

Clericus depoſitarius cogi poteſt à iudice laico ad reſtitutionem depoſiti, ſed id executiuè tantum in conſequentiam officij ſuſcepti, non per modum iudicij p.41 c.2 d.55 n.13

Clericus in non clericali habitu deprehenſus, non gaudet priuilegio clericis conceſſo p.33 c.1 d.19 n.1

Clericus miles factus amittit beneficium eccleſiaſticum quod habebat, & beneficium clericale p.34 c.1 d.25 n.1

Clericus deſertæ militiæ apud iudicem laicum reus factus ad iudicem eccleſiaſticum remitti non debet p.34 c.2 d.25 n.2

Clericus militiam ſecularem aſſumens eccleſiaſticæ renunciaſſe cenſetur p.34 c.1 d.25 n.2

Clericus tanto grauiùs puniri debet ob deſertam ſecularem militiam quanto ſceleſtius eſt vtramque quàm alterutram militiam deſerere p.34 c.1 d.25 n.3

Clerici contributioni aliter non ſunt obnoxij, niſi de ea re agatur quæ ad clericorum non minùs quam laicorum vtilitatem directo & principaliter pertinet p.41 c.2 d.56 n.1

Clericus ad nudam chirographi recognitionem apud iudicem laicum conueniri poteſt l.3 t.12 p.191 c.1 d.7 n.1

Clerico non nocet (ſi modo conſtet iudici, & in confeſſo ſit clericum eum eſſe qui conuenitur) quod duobus, tribuſve edictis ad iudicem vocatus non venerit, l.3 t.12 p.190 c.2 d.4 n.4

Clerico ſecularibus ſe negotiis immiſcere non licet l.8 t.27 p.1075 c.2 d.23 n.7 in all.

Clerico tranſactioni ſtare nolente ex integro coram iudice laico agendum eſt l.3 t.12 p.194 c.2 d.9 n.2 in all.

Clerici comparendo cum vltrò id faciunt, actores dicuntur, non rei p.166 c.1 d.38 n.5

Clerici filij familiis priuilegium eſt, vt poſſit teſtari de bonis quibuſcunque ad ſe pertinentibus, clerico iam facto obuenientibus, lib.1 t.2 p.10 c.2 d.46 num.4 & in all.

Clerici ad Pontificium forum pertinent, non laici l.6 t.1 p.616 c.1 d.6 n.6 in all.

Clerici patroni habent ſex menſes ad præſentandum: laici quatuor tantum l.6 t.1 p.617 c.1 d.10 n.2 in all.

Coactio abſoluta impedit obligationem p.36 c.2 d.32 n.9 in all.

Codex rationum non aliter fidem facere poteſt, quam ſi data acceptáque omnia ſpecialiter notentur vt rationes rectè explorari poſſint quid probe acceptum expenſumve ſit l.4 t.16 p.346 c.1 & 2 d. 5 num.1 & 2

Neque Codicilli, neque alia vlla vltimæ voluntatis ſpecies aliter valere poteſt, quàm ſi quinque teſtes interuenerint l.6 t.5 p.624 c.1 d.3 n.2

In Codicillis etiam fortuiti teſtes ſufficient l.6 t.5 p.624 c.1 d.3 n.4 in all.

Cognatio impedit matrimonium affinitas verò incæſtum inducit l.4 t.6 p. 284 c.2 d.2 n.6 in all.

Cognoscens de principali cauſa, de incidenti quoque debet cognoſcere, l.9 t.32 p.1177 c.1 d.14 n.1

Coheres non niſi coheredibus conſentientibus iuſiurandum deferre poteſt l.4 t.1 p.263 c.1 d.21 n.1

Coheredes ius fideicommiſſi, nuda teſtatione ſaluum ſibi conſeruare poſſunt l.3 t.25 p.248 c.2 d.12 n.18 in all.

Coheredes non prohibentur recedere à iudicio teſtatoris, dum id faciãt mutuo conſenſu, l.6 t.6 p.639 c.1 d.6 n.11 in al.

Coitvs probatur per aſſertionem iuratam virginis defloratæ, ſed etiam ſponſalia fuiſſe contracta, l.9 t.7 p.1164 c.1 d.6 n.1 in all.

Collatio beneficij donatio eſt l.4 t.14 p.319 c.1 d.45 n.3 in all.

Collatio beneficij auferri poteſt Epiſcopo à Le-

BIU Cujas

à legato à latere, l.1 t.2 p.14 c.2 d.48 n. 2 in all.
Collatio non potest esse nisi inter succedentes siue ex testamento siue ab intestato, l.6 t.4 p.622 c.1 d.5 num.9 in all.
Collatio fit hodie omni casu quo collationem ab intestato fieri necesse erat, nisi expresse prohibita sit, l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 nu.6
Collatio non nisi inter heredes locum habet, p.83 c.2 d.18 n.3
Collatio plerumque fit ex necessitate, p.83 c.1 d.17 n.4
Collatio neque canonica est, neque colorata si ab eo facta sit qui neque conferendi ius habuit, neque in quasi possessione fuit, p.4 c.1 d.11 n.1 & 2
Collatio facta per ordinarium in mense summo Pontifici reseruato neque canonica est, neque colorata, p.4 c.1 d.11 n.1 2 & 3
Collatio facta per non ordinarium neque canonica est, neque colorata, p.4 c.1 d. 11 n.1 in all.
Collatio facta per eum qui iam alij beneficium contulit, non valet, p.40 c.1 d.51 nu.1
Collatio facta iure deuoluti ante deuolutionem nullius omnino est roboris, l.4 t.14 p.316 c.2 d.34 n.3 in all.
Collatio aut electio facta spreto patrono, aut nullius est momenti, aut ad irritum deduci debet, l.6 t.1 p.614 c.1 d.1 n.3 Ibid. d.2 n.1 2 3 & 4 Vide Electio.
Collatio quidem nō habet locum in successione collateralium, sed officium arbitri familiæ erciscundæ aliquando induendum est vice collationis, l.6 t.4 p. 619 c.2 d.1 n.1 2 3 4 5 6 & 7
Collatio ex voluntate parentis, etiam tacita cessat, l.6 t.4 p.620 c.1 d.2 n.1.5
In Collationem hodie venit quidquid non est prohibitum ne veniat, l.6 t.4 p.621 c.1 d.3 n.12 in all.
Collatio sola sine possessione in beneficio ius tribuit, p.18 c.2 d.58 nu.1 & 2
Collationis mensis intra quem Papa conferre debet incipit currere à die vacationis, non scientiæ summi Pontificis, p.8 c.2 d.32 n.5 & 6 & p.9 c.2 d.36 n.5
Collationi olim nullus locus nisi ab intestato, l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.5
Collationi non subiacent relicta per speciem vltimæ voluntatis, siue ab intestato sine ex testamento succedatur, l.6 t.4 p.621 c.2 d.4 n.29
ad Collationem impediendam sufficit voluntas tacita, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.31 in all.
de Collatione inter fratres facienda nihil certi constitui potest pendente quæstione de iure successionis, l.6 t.4 p.622 c.1 d.5 n.1 6 7
de Collatione Leonis & Iustiniani diuersæ constitutiones, l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 num. 10 11
Conferebant olim soli emancipati, sed suis tantùm, & sui tam emancipatis, quam suis, l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.7 & 8
Conferenda non est donatio etiam si valere possit tanquam inter viuos, si quis donauerit à filio inter viuos & mortis causa, quia nec conferretur si valeret causa, mortis l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.31 in all.
Conferendi ius nunquam præsumitur nisi probetur in eius commodum qui non est ordinarius diœcesεos, p.30 c.2 d.11 num.2
ad Conferendum nullum tempus Papæ præfixum in beneficiis sedi Apostolicæ non exceptis, l.1 t.2 p.8 c.2 d.32 n.1 in all.
Conferre donatarius cogendus non est si frater qui vicissim aliquid confert, nolit sibi conferri, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.26 in all.
Collaudator non nisi fideiussoris fideiussor est, & non habet exceptionem diuisionis, l.8 t.28 p.1078 c.1 d.30 n.7 in all.
Collaudator fideiussoris nō minus quam fideiussor tenetur corpus suum pignorare, sed habet semper exceptionem ordinis, etiamsi ei renunciauerit, l.8 t.28 p.1077 c.2 d.10
Collegium tres facere dicuntur, l.4 t. 15 p.331 c.1 d.14 n.4 in all.
Collusio sicut probatur per coniecturas & præsumptiones, ita & contrariis præsumptionibus & coniecturis purgatur, l.4 t.3 p.281 c.2 d.5 nu.7 in all.
Collusio debitoris cum tertio non potest nocere creditori, l.3 t.19 p.219 c.2 d.29 n.11 in all.
Collusio non præsumitur nisi probetur, cum sit delictum, l.7 t.19 p.877 c.2 d.12 n.4 in all.
Commenda ad vitam perpetua dicitur ad differentiam temporalis quam ordinarius concedere potest & solet vsque ad sex menses ne ecclesia careat pastore, l.1 t.2 p.4 c.1 d.10 n.1 in all.
Commenda perpetua quæ & quatenus dicta, l.1 t.2 p.4 c.1 d.10 numer. 1 in all.
Commenda perpetua pro titulo habetur apud Gallos, quamuis commendare nihil aliud sit quàm deponere, p.3 c.2 d.9 n.2 in all. & d.10 n.8 & 19 c.1 d.67 n.6 in all. & p.35 c.1 d.34 nu.5 in all.
Commēda perpetua afficit proprietatem & possessionem beneficij, & derogat autoritati ordinarij, p.3 c.1 d.9 n.2
Commenda est titulus dispensatorius, p.38 c.1 d.34 numer.1
Commenda facit vt non possit de beneficio commendato prouideri per alium quàm per eum qui commendauit p.3 c. 2 d.9 n.3
Commenda cessante beneficium vacat eo modo quo prius quàm commēdaretur p.3 c.2 d.10 n.6 sed apud sedem Ibid.n.3
Commendæ nomine depositum magis quàm locatio significatur, l.4 t.42 p. 466 c.1 d.5 n.4 in all.
In Commendæ contractu loci consuetudo seruanda est: & maximè attendendum ne fiat per conductorem deterior conditio ignorantis locatoris l.4 t.42 p.466 c.2 d.6 n.1 2 & 3
Commendata beneficia sunt affecta & reseruata summo Pontifici per manus appositionem p.3 c.2 d.10 n.5
Commendatarius & titularius ecclesiæ rector non effectu, sed nominis tantum sono differunt p.37 c.1 d.34 n.2
Commendatarius perpetuus censetur verus Abbas Prælatus p.37 c.1 d.34 n.1 in all.
Commendatarij iurisdictio est tantùm subsidiaria, l.1 t.3 p.37 c.2 d.34 n.11
Commendatarij sunt veri prælati, & possunt facere quicquid titulares possunt, exceptis iis quæ per commendatarias literas excipiuntur l.1 t.3 p.37 c.2 d.34 n.1 in all.
Commentariensis dicitur qui carceris custodiam habet l.6 t.5 p.623 c.1 d.2 n.1 in all.
Commentariensis habet in subsidium actionem contra procuratorem iurisdictionis, & contra dominum in bona domini l.9 t.4 p.1155 c.1 d.1 n.1
Commentariensi capitis pœna irrogatur, qui carceratæ mulieri stuprum intulit, etiam citra vim, dum ne meretrici l.9 t.4 p.1155 c.2 d.2 n.1
Commentariensis non est immunis ab hospite recipiendo l.9 t.4 p.1156 c.1 d.5 n.1
Commentariensis pro sumptibus in exercendos & alendos reos factis, non tantum actionem in eos, sed etiam ius eorum in carceribus retinendorum l.9 t. 4 p.1157 c.1 d.7 n.1
Commissi pœnam dominus directus petere non potest aut ille qui ab eo ius habet, si eo præsente contractus acquisitionis factus sit, l.4 t.43 p.512 c.1 d.74 n.8 in all.
Commisso renunciat dominus directus qui sciens ius suum exigit canonem aut possessorem ad recognoscendum admittit l.4 t.42 p.491 c.2 d.16 n.1 2 & 3
Commissarius delegatus ad sollenne inuentarium faciendum, non potest procedere in alieno territorio l.3 t.12 p.200 c.2 d.41 n.1
Commissariis testes examinātibus, etiam Senatoribus adiuncti dantur l.4 t.15 p. 841 c.2 d.53 n.1 in all.
Commissarius si non sit recusatus antequam domo excedat, recusari postea non potest l.4 t.15 p.336 c.2 d.33 n.4 in all.
Commissarius ad inquirendum datus potest inquirere non obstante appellatione in criminalibus, ita tamen vt appellationi præiudicium nullum fiat l.4 t. 14 p.316 c.2 d.37 n.1 2 & 3
Commissario qui adiunctum habuit cum testem interrogauit magis creditur quàm testi se ita dixisse neganti l.4 t.15 p.341 c.2 d.53 n.1 & 2
Commodi propij causa contra factum suum venire nemo potest, ne quidem ex alterius persona l.3 t.25 p.444 c.2 d. 5 n.10
Commvnio bonorum inter talliabiles sublata per diuisionem, non potest inscio domino redintegrari, l.7 t.1 p.789 c.1 d.4
Communio in bonis talliabilibus quibusdam non impedit successionem & ius domini in bonis separatim acquisitis, l.7 t.1 p.779 c.1 d.1
Communio in bonis pro legitima legatis excludit dominum à successione in l.7 t.1 p.788 c.1 d.25 n.1
Communio nulla est inter parentes & liberos prætextu legitimæ l.7 t.1 p.791 c.2 d.27 nu.1
Communio nullum effectum habere potest, nisi in bonis communibus l.7 t.1 p.791 c.2 d.29 in all.
Communio semel contracta dissolui non potest nisi per subsequutam diuisionem aut expressam aut tacitam l.7 t.1 p.783 c.1 d.10 n.2 in all.
non Comparens venire iussus ad fines ciuiles, iubendus est iterum venire sub comminatione grauioris alicuius pœnæ pecuniariæ, & ni veniat iubendus comparere personaliter ad fines criminales; denique si contumax, iubendus est prehendi, non antea, l.9 t.4 p.1155 c.2 d.3 in all.
Compendiosa restricta ad bona testatoris semper est fideicommissaria l.6 t. 8 p.645 c.1 d.5 nu.1
Compensandi ius procuratori dato nō datur, nisi eo casu quo post litis contestationem vice mutua conueniatur, l.4 t.23 p.380 c.1 d.8 n.3 in all.
Compensare heres potest id quod defunctus potuit l.3 t.21 p.380 c.2 d.9 n.2 in all.
Compensare tutor pro pupillo conuentus potest quod sibi proprio nomine debetur l.4 t.23 p.379 c.2 d.8 n.1 & 2
Cōpensare tutor potest quod sibi proprio nomine debetur si pupilli nomine conueniatur, l.4 t.23 p.379 c.2 d.8 n.6

BIU Cujas

Compensari non potest quod alternatiue debetur quousque facta sit electio, l.4 t. 23 p.379 c.1 d.6 n.4 in all.

Compensari potest quod alij debetur, si debitum illud à creditore cessum sit, l.4 t.23 p.379 c.2 d.8 nu.10

Compensari debitum controuersum cum liquido non potest: controuersum tamen ex iudicis autoritate potest prouisionaliter exigi cautione præstita, l.4 t. 23 p.380 c.2 d.10 n.1 & 3

Compensari non potest quod sub onere præstandæ satisdationis ante eam præstitam debetur, l.4 t.23 p.372 c.1 d.6 n.1 2 & 3

Compensari non potest quod solui non potest, lib.4 t.23 p.381 c.1 d.11 n.1

Compensari expensæ taxatæ possunt etiãsi appellatum sit ab executione, dum ne ab condemnatione vel taxatione, l.4 t. 23 p.381 c.1 d.12 n.1

Compensari quod tutor debet cum eo quod pupillo debetur non potest, nec contra, l.4 t.23 p.379 c.2 d.8 n.1 & 2

Compensari possunt fructus cum vsuris, l.4 t.23 p.382 c.1 d.14 n.3 in all.

COMPENSATIO post rem iudicatam in ipsius iudicati executione opponi potest, l.4 t.23 p.382 c.1 d.14 n.9 in all.

Compensatio rerum ex iudicato debitarum aut imputandarum quomodo facienda, lib.4 t.23 p.383 c.1 d.18 n.1 2 3

An & quando *Compensatio* ex causa onerosa Cessionario opponi possit? l.4 t.23 p.378 c.2 d.3 n.3 in all.

Compensatio fructuum pignoris cum ipso debito, aut aliqua sortis parte inducj non potest, sed tantum cum vsuris debiti, l.4 t.18 p.358 c.1 n.10

Compensatio quæ potest obiici contra cedentem, An, & quando possit obiici contra cessionarium? l.4 t.23 p.378 c.1 d.3 n.1 2 & 3

Compensatio opponi potest etiam in executione iudicati, l.7 t.18 p.856 c.1 d.29 n.3 in all.

Compensatio eius quod defunctus debuit, cum eo quod heredi proprio nomine debetur obiici potest, licet hæres inuentarium fecerit, l.4 t.23 p.380 c.1 d.9 n.1 & 2

Compensatio facienda est vbertatis cum sterilitate non tantum ratione temporis, sed etiam ratione specierum, in quibus fructus consistunt, l.4 t.41 p.480 c.1 d.47 nu.1 & 2

Compensatio nihil aliud est quàm debiti & crediti inter se contributio, l.4 t.23 p.381 c.2 d.13 n.1 in all.

Compensatio non nisi liquido ad liquidum admittenda est: liquidum autem videtur etiam quod in promptu liquidari potest, l.4 t.23 p.377 c.2 d.2 n.3

Compensatio fit ipso iure, sed ita demum si opponatur, præterquam in pœnalibus, l.4 t.23 p 378 c.2 d.4 n.1 & 3 & l.4 t.23 p.382 d.14 n.5 in all.

Compensatio fieri potest etiam speciei ad speciem, l.4 t.23 p.378 c.1 d.2 n.4 in all.

Compensationis & reconuentionis differentia, l.4 t 23 p 382 c.1 d.15 à n.1 2 3 & 4

In Compensationem nunquam veniunt non liquida, nec in imputationem, l.4 t.7 p 383 c.2 d.18 n.6

Obligatus certam pecuniæ quantitatem in moneta soluere potest Compensationem obiicere eius quantitatis quæ sibi in aureis à creditore debeatur, l.4 t. 23 p.377 c.2 d.2 n.1

COMPROMISSVM sine pœna, stipulatione tamen interueniente factum in iuris arbitros olim valebat, hodie non valet p.146 c.1 d.5 n.1 & 2

Compromitti in Senatores & in alios iudices ordinarios non potest tanquam in iuris arbitros, sed in arbitratores, p.145 c.2 d.2 n.1 2 & 3

Compromissum factum de lite principali post desertam appellationem tollit potestatem desertionis, p.147 c.2 d.9 n.1 & 2

Compromissi allegatio non impedit desertionem appellationis, nisi de compromisso constet per scripturam, vel per aduersarij confessionem, l.7 t.27 p. 921 c.1 d.2 n.1

CONCESSIO generalis ad ea extẽdi nunquam debet, quæ specialiter prohibita sunt, l.3 t.24 p.241 c.1 d.7 nu.1

Concessiones quantumlibet generales nunquam extenduntur ad ignorata & incognita, l.9 t.28 p.1211 c.2 d.1 nu.4 in all.

CONCVBINATVS extra legis pœnam est, l.6 t.16 p.689 c.2 d.3 n.17 in all.

CONDEMNANDVS prouisionaliter non est qui paratus est præsare solutionem reddendo rationes, quæ non intricatæ sint, sed expeditæ maxime si habeat præsumptionem, l.7 t.5 p.842 c.2 d.10 num.1

Condemnandus in expensas litis non est, qui alium detulit, nisi conuincatur de vera & manifesta calumnia, l.9 t.2 p. 1149 c.2 d.2 n.1

CONDEMNARI defuncti memoria inauditis iis quorum interest non potest, præsertim heredibus ad quos pertinet vt pro defuncto respondeant, l.4 t.15 p. 333 c.2 d.25 n.5 & 6

Condemnari quasi absens potest is cuius mandatum nullum exhibetur, p.98 c.1 d.11 n.5

Condemnari quisque potest pro tali qualem se dicit, l.3 t.27 p.171 c.1 d.12 nu.16 in all.

Condemnari ibi quis potest vbi conueniri actione arbitraria, l.3 t.15 p.203 c.2 d.1 n.5

Condemnari res non potest sed persona ad aliquid dandum vel faciendum, l.3 t. 12 p.192 c.2 d.15 n.8 in all.

CONDEMNATIO supponit semper litis contestationem, l.4 t.29 p.423 c.1 d.21 num.2 in all.

Condemnatio certa esse debet l.4 t.14 p. 325 c.1 d.65 n.9 in all.

Condemnatio personalis expensarum in pœnam litis temerariæ infligitur, l.3 t. 12 p.192 c.2 d.15 n.1 in all.

Condemnatio potius sequenda est in qua omnes consentiunt, quàm in qua maior pars, p.48 c.8 d.3 n.10

Condemnatio quanti plurimi facienda est quanti plurimi res fuit vnoquoque anno, & admittit vsuras ex die moræ, l.4 t.24 p.384 c.2 d.3 nu.2 3 & 4

Condemnatio ex oblatione iudiciali statim sequi potest, l.4 t.42 p.499 c.2 d.40 n.1 in all.

Condemnatio in iudiciis bonæ fidei fit non tantùm iure obligationis, sed etiam ex natura & qualitate actionis, officióque iudicis l.4 t.2 p.273 c.2 d.6 numer.12

Condemnatio in iudiciis arbitrariis nunc plenior nunc exilior fit prout arbitrij æquitas ex facti circumstantiis suggerit religioni iudicantis, l.4 t.2 p.772 c.1 2 d.6 n.25

Condemnatio semper durat quousque iudicato satisfactum sit, l.4 t.2 p.273 c. 2 d.8 n.2

Condemnatio expensarum ad litis principalis causam pertinent, p.99 c.2 d.14 nu.1 in all.

Condemnatio expensarum etiam in correis eiusdem criminis est personalis l.7 t.18 p.848 c.2 d.1 nu.1

Condemnatio ad id quod interest ob litis vexationem solet taxari moderata quantitate l.7 t.16 p.846 c.1 d.2 nu.1

Condemnatio & taxatio eius, quod interest emptoris conuenti per hypothecariam quomodo fiat l.6 t.10 p.846 c.2 d.5 n.1

Condemnatio nõ potest sequi ad pœnam mortis ex iudiciis quantumlibet indubitatis nisi secuta confessione, maximè si habita fit quæstio de reo l.9 t.25 p. 1205 c.1 d.6 n.1

Condemnatio non ampliatur, confirmata per Senatum sententia inferioris iudicis quæ exilij pœnam irrogauerat l.9 t.25 p.1206 c.2 d.11 n.1

Condemnatio prouisionalis quæ fit lite pendente contra plures super hypothecaria non propter hypothecam, sed propter litem, diuisibilis est l.8 t.6 p.968 c. 1 d.2 nu.5 & 6

Condemnatio ex iureiurando differenda in tempus præstiti iureiurandi, l.4 t.1 p. 257 c.2 d.1 n.10 in all.

Condemnatio totius debiti salua imputatione soluti, non restituit obligationem augmenti monetalis pro parte, quæ in executione iudicati soluta inuenitur l.8 t.30 p.1095 c.1 d.25 n.1 2 3

Condemnationi prouisionali locus esse potest pendente lite appellationis interpositæ à facta & finita computatione l.7 t.15 p.841 c.1 d.5 n.1

Condemnationi prouisionali aduersus administratorem rationes reddere parato, non est locus, l.5 t.31 p.600 c.2 d.5 n.1 in all.

CONDEMNATO cum datur tempus ad soluendum non eo minus currunt, quæ currebant ante sententiam, l.7 t.20 p. 881 c.2 d.5 n.4 in all.

Condemnatus ob non exhibitum inuentarium potest adhuc intercedere tanquam hæres purè aut tanquam possessor, lib.7 t.22 p.900 c.1 d.2 n.1 & 2

Condemnatus per contumaciam, neque actionem, neque exceptionem habet ex ea causa contra alium inauditum l.7 t. 22 pag.901 c.2 d.6 n.1

Condemnatus appellare aliquando non potest, quia nihil eius interest, l.7 t.29 p.933 c.2 d.5 n.1 & 2

Condemnatus ex delicto non potest cedere bonis nec in prætudicium fisci, nec partis cui adiudicatum aliquid est pro pœna non pro interesse l.7 t.31 p.938 c. 2 d.4 n.1

Condemnatus in iudicio vindicationis fructus restituere tenetur, aliquãdo verò non tenetur, l.7 t.21 p.894 c.1 d.2 n.1

Condemnatus in iudicio vindicationis potest etiam in iudicati executione habere ius retentionis pro impensis à se in eam rem factis nisi sit morosus, l.3 t. 22 p.234 c.1 d.15 n.1 2 & 6

Condemnatur semper qui attentauit in id omne quod aduersarij interest p.137 c.2 d.1 n.10 in all.

Condemnatus semel, si post porrectam aduersus arrestum ciuilem supplicationem iterum succumbat, non minus iterum condemnari debet quod prioris iudicati tributum iam soluerit pro eadem ipsa quantitate, lib.3 t.2 p.170 c.2 d.12 num.15

Condemnatus post appellationem decisam si Priori iudicato satisfaciat intra præstitutum tempus nullus condemnationi expensarum prioris instantiæ locus erit, p.186 c.2 d.3 n.4

Condemnatus ex iureiurando decisorio nullas debet expensas, l.4 t.1 p.251 c.1 d.1 n.1 2 3 4 5 6 & 7

Condemnatus si quoquomodo vult impedire iudicati executionem, non est audiendus, nisi veniat tanquam tertius

BIU Cujas

tertius aut ex noua causa, l.3 t.2 p.171 c.1 d.12 n.12 in all.
Condemnatus qui fuit ad id quod interest aduersarij potest in executione iudicati probare nihil interesse, l.7 t.16 p.847 c.1 d.6 n.1
Condemnatus ex causa criminis an & quando possit pro expensis litis in carcere retineri, l.7 t.18 p.850 c.2 d.8 n.2
Condemnatus ob probationes ex officio iudicis factas, ad eos solos sumptus condemnari debet, qui facti sint post nouas testationes publicatas, l.7 t.18 p.852 c.1 d.14 n.1
Condemnatus cum clausula *alio non apparente*, non tantum nouis allegationibus vti potest, sed etiam nouas adferre contestatorum articulorum probationes, l.7 t.19 p.873 c.1 d.2 n.1
Condemnatus non intelligitur proprio nomine, qui cõuentus fuerat tanquam tutor, ideoque nec appellare potest, l.7 t.19 p.878 c.1 d.16 nu.1
Condemnatus qui fuit, tanquam hæres non auditur si postea velit probare cõtrarium, l.7 t.19 p.879 c.2 d.19 n.1 2 & 3
Condemnatus potest impedire executionem ex causa quę de nouo superuenerit lib.7 t.20 p.892 c.2 d.35 n.1
Condemnatus ad rem defendendam tanquam autor emptoris, quamuis non esset, potest nihilominus tanquam talis vti iure emptoris, tam agendo quàm excipiendo, l.8 t.30 p.1113 c.1 d.17 n.1
Condemnatus potest longissimo tempore præscribere executionem rei iudicatæ, l.7 t.13 p.829 c.1 d.12 n.1
CONDICTIO quibus casibus locum habet, non habet locum liberatio, & è contra, l.4 t.23 p.383 c.1 d.17 n.10 in all.
Condictio ad naturales tantum accessiones competit, l.4 t.28 p.414 c.1 d.1 n.12 in all.
Condictio competit aduersus eum qui non debitorem quasi debitorem delegauit, l.4 t.7 p.285 c.2 d.1 n.15 in all.
Condictio certa ex mutuo est stricti iuris, Vsurarumque accessionem non admittit, l.4 t.26 p.404 c.1 d.12 n.5 in all.
Condictio ex beneficio l. C. de rescind. vend. non datur ad rem præcisè: relinquit enim saluam emptori electionem iusti precij supplendi, p.108 c.2 d.3 n.7 in all.
Condictio ex lege vlt. C. hoc tit. an ei, cuius possessio interuersa fuit detur contra tertium possessorem post sublatam longi temporis præscriptionem hypothecariam, l.7 t.7 p.818 c.2 d.40 nu.1
Condictio ex l. vlt. C. hoc tit. de arg. poss. an danda sit constitutario creditori post deccennium contra eum qui sub hasta & autore iudice cpmparauit, l.7 t.10 p.823 c.1 d.6 n.1
Condictio ex l. vlt. C. hoc tit. non patitur exceptiones quæ concernant petitorium: in hypothecaria secus est, l.7 t.7 p.809 c.1 d.11 n.1
Condictio ex l. *hac edictali* transit ad hæredes prioris matrimonij, etiam extraneos, si modo liberi parenti superuixerint, l.5 t.5 p.523 c.1 d.3 n.7 in all.
Condictio sine causa transit ad hæredem illius, qui potuit condicere sicut & cæteræ omnes condictiones, l.8 t.38 p.1139 c.1 d.14 n.6 in all.
Condictionis iure pendente pendet ius liberationis, l.3 t.11 p.188 c.1 d.3 nu.13 in all.
Condictiones omnes sunt stricti iuris, li.4 t.5 p.283 c.2 d.2 n.7
Condictiones omnes non nisi triginta annorum præscriptione summouentur, l.3 t.27 p.247 c.1 d.7 n.5
CONDITIO differt à modo in contractibus, non in vltimis voluntatibus, l.6 t.24 p.739 c.2 d.2
Conditio non potest videri omnino impleta, quamdiu potest deficere & ideo tandiu expectanda est l.7 t.4 p.800 c.2 d.4 n.5 in all.
Conditio perpetui domicilij inusta patri & ab eo impleta, non à liberis iterum implenda, lib.7 t.4 p.801 c.1 d.5 n.1
Conditio semel impleta non potest amplius aut deficere aut impleri, lib.7 t.4 p.801 c.1 d.5 n.4 in all.
Conditio suspendit actum conditionalem, p.18 c.1 d.57 n.5 in all.
Condicio quamdiu pendet, quod sub condicione factum est, nihil est, l.3 t.19 p.217 c.2 d.23 n.33 in all.
Condicio quæ tacitè inest retrotrahi non potest in damnum tertij qui medio tempore sibi prospexit, p.5 c.2 d.19 n.5 6 7 & 8
Condicio quæ semel impleta fuit per resignationis admissionem à summo pontifice factam non potest amplius deficere p.18 c.1 d.57 n.12 in all.
Condicio quæcumque tandem illa sit prius debet impleri, quàm vt ob impletam ius vllum acquiratur, l.16 c.1 d.30 n.3
Condicio rei probatur per vnicam recognitionem, etiam sine aliis adminiculis: condicio personæ non item, l.4 t.14 p.310 c.2 d.10 nu.1 & 3
Condicio concepta per dictionem collectiuam *omnes*, debet in omnium personis purificari, l.6 t.5 p.744 c.2 d.11
Conditio ad certam personam à testatore relata numquam ad aliam personam referenda est, l.6 t.6 p.639 c.2 d.7 n.6 in all.
Conditio impossibilis in vltimis voluntatibus non vitiat, sed vitiatur, l.6 t.6 p.641 c.2 d.11 n.17 in all.
Conditio Si sine liberis decesserit, posita in recognitione talliabilitatis, est realis & transit in successorem singularem, vsque adeò vt quamuis recognoscens nullos liberos reliquerit, neque condiuisores vllos, non ideo tamen possit succedere dominus quandiu tertius possessor viuit, l.7 t.1 p.795 c.1 d.32 n.8 in all.
Conditio, *si sine liberis*, in fideicommisso appositа an & quando præsumenda vel probanda sit extitisse, l.6 t.25 p.746 c.1 d.17
Conditio mulieris possidentis pignora non fit deterior ob beneficium legis & inuentarij à mariti hærede imploratum l.5 t.7 p.545 c.1 d.36 num.1 2 & 3
Conditio & potestas constituti si fuit cõditio casualis, vel mixta non potestatiua retrotrahitur etiam in tertij præiudicium, l.7 t.7 p.816 c.2 d.36 nu.1
Conditio frustra expectatur, cuius euentus nihil operetur, l.6 t.6 p.637 c.2 d.3 nu.2 in all.
Conditionis implendæ ius in emptorem hæreditatis transit, vt & cætera omnia l.4 t.29 p.422 c.2 d.19 n.1 & 2
Conditionis nomen quando sumitur pro modo & quando modus pro conditione, lib.6 t.25 p.742 c.1 d.5
Conditionem alterius ignorantis deteriorem facere nemini permittendum, l.7 t.29 p.936 c.2 d.17 n.2 in all.
Cõditionem suam meliorem facere quisque potest, etiam cum alterius detrimento dummodò citra iniuriam, l.3 t.24 p.240 c.2 d.5 n.5
Conditione deficiente, deficit dispositio conditionalis, l.6 t.17 p.693 c.1 d.4 n.5 in all.
Conditione fideicommissi à legatario relicti defecta, non tenetur legatarius cauere pro legato consequendo, qui alioqui teneretur, l.6 t.25 p.745 c.2 d.15
Condiciones adscriptę personis, cum sint personales non facilè extenduntur ad alias personas, l.6 t.8 p.649 c.2 d.14 n.6 in all.
Condiciones mixtæ vel casuales non item potestatiuæ retrotrahuntur, etiam in præiudicium eius cui medio tempore ius quæsitum est, p.6 c.1 d.19 n.6 in all.
Conditionum verba naturaliter & verè non fictè ac ciuiliter sunt intelligenda, l.6 t.22 p.718 c.1 d.12 n.5 in all.
CONDIVISORVM vnusquisque partem suam habet vel in minima parte glebæ communis & hæreditariæ, l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 n.4 in all.
CONDVCTIO vera æstimationem pensionis ex fructuum comparatione inire solet, l.4 t.36 p.447 c.2 d.4 num.5 in all.
Conductionis patientia pro possessionis restitutione est, l.8 t.3 p.556 c.1 d.14 n.1 & 2
Conductor soluens vero domino patientiam præstante liberatur à suo conlocatore, l.8 t.30 p.1100 c.1 d.38
Conductor contra locatorem rescriptum moratorium impetrare non potest nec si facta sit nouatio, dum ne sit mutata causa debiti, pag.65 c.1 d.47 numer.1 & 2
Conductor remissionis faciendæ prætextu non potest totam mercedem retinere, quin hoc ipso se ad vsuras obliget eius quantitatis quam debitam esse apparebit, l.4 t.24 p.395 c.1 d.34 num.1 2 & 3
Conductor qui ante elapsa conductionis tempora non est conquestus non auditur si postea quid allegare velit, quominus liti pendente prouisionaliter sit condemnandus, l.4 t.42 p.482 c.2 d.56 nu.1 & 2
Conductor nihil amplius nec minus habere debet quàm locator fuerat habiturus, l.4 t.42 p.465 c.1 d.2 n.7. in all.
Conductor qui re conducta frui prohibetur non remissionem agere debet, sed ad id quod interest: interim tamen non est inquietandus, dummodo à tota conductione abstineat, l.4 t.41 p.481 c.2 d.54 n.1 2 3 & 4
Qui Conduxit ab hoste post occupatam prouinciam, eique soluit, non potest ex ea causa per priorem locatorem pro hostilitatis tempore restituta per pacem prouincia conueniri, l.4 t.41 p.475 c.2 d.33 n.1 & 2
Conductor si non sit soluendo, & tamen aliquid sit propter quod non possit locator cogere conductorem ad solutionem, quid faciendum? l.4 t.41 p.477 c.2 d.40 n.1 2 3 4 5 & 6
Conductor temporalis non potest expelli ne quidem post tempus, quamdiu soluit pensionem vt alius conductor inducatur, si ita locator cum conductore conuenerit, l.4 t.41 p.480 c.2 d.49 n.1 2 & 3
Conductor expelli potest qui diu cessauit in solutione pensionis, etiam si fideiussorem idoneum dederit, l.4 t.41 p.478 c.2 d.42 n.4 5 & 6
Conductor quamuis soluens, si domus ruinam minetur, & reficienda sit ante finitum locationis tempus expelli potest, l.4 t.42 p.481 c.1 d.51 n.4
Casus varij in quibus *Conductor* potest locatori referre quæstionem dominij, lib.4 t.41 p.467 c.2 d.10 num.1 2 3 4 & 5
Casus in quo non potest *Conductor* refer-

BIU Cujas

re quæstionē dominij nec ob ius quæsitum ex postfacto, nec si locator super eo nouo iure litem fuerit contestatus, l.4 t.41 p.468 c.1 d.12 à nu.1 ad 16
Conductor iis casibus quibus per locatorem expelli potest, non nisi ex autoritate magistratus expelli debet, l.4 t.41 p.468 c.1 d.11 n.1 2 & 3
Conductor non est condemnandus pendente lite si certam alleget solutionem, quousque actor ipse eam negarit, l.4 t.41 p.470 c.1 d.17 n. 1 2 & 3
Conductori non tenetur locator præstare vt fruatur ipsa re conducta quæ alij iam locata fuerat, licet sciens & prudēs tacente locatore ad conductionem accesserit, l.4 t.41 p.467 c.1 d.8 n.1 & 2
Aduersus Conductorem iudicati executio permittenda non est, quandiu non apparet per conductoris tergiuersationem & inopiam fieri quominus ab eo res seruari possit, p.40 c.2 d.54 n.3 & 4
Conductorem & re conducta & mercede simul eodem tempore frui iniquum est, l.4 t.2 p.277 c.2 d.1 n.5
Conductores fructuarij & alij similes si non personali, sed actione in rem conueniantur, dominij quæstionem referre possunt, p.229 c.2 d.3 nu.6 & 7
Conductores solent esse laici, ac proinde ad iudicis laici iurisdictionē & autoritatem pertinēt, p.40 c.2 d.54 n.3 in all.
Conductorum differentiæ: & quando fructus pereant locatori, l.4 t.41 p.472 c.1 d.22 à n.1 ad 27
Confessio quę non potest mutare condicionem facilè inducit probationem mutatæ conditionis, l.4 t.14 p.310 c.2 d.10 n.4 in all.
Confessio quæ ad aliam antiquiorem refertur non potest dici facta sine causa, l.4 t.14 p.310 c.2 d.10 n 5 in all.
Confessio defuncti facta nocet heredi conuento actione depositi, l.7 t.24 p. 905 c.1 d.3 n.1
Confessio facta in iudicio regulariter præiudicat confitenti, l.7 t.24 p.905 c. 2 d.5 n.2 in all.
Confessio in depositō probat veram numerationem, saltem in præiudicium confitentis, p.113 c.1 d.3 n.1 in all.
Confessio non est modus soluendæ obligationis, sed tantùm solutionis probandæ. l.4 t.14 p.324 c.2 d.62 n.1 in all.
Confessio erronea, errore probato, nocere nō potest l.4 t.10 p.300 c.1 d.8 n.13
Confessio præsertim tacita non potest maior esse accusatione, cum ex accusatione sit metienda, p.143 c.2 d.2 nu.18 in all.
Confessio defuncti nocet heredi puro, non ei qui beneficium legis implorauit si de re ipsius agatur non de re hereditaria, l.4 t.14 p.312 c.1 d.17 nu.1 & 2
Confessio iudicialis multum prodest, cum habeatur pro condemnatione, l.7 t.15 p. 840 c.2 d.2 n.8 in all.
Confessio extraiudicialis plene probata intelligitur, quæ per singulares testes dummodo non pauciores quā quinque, probata est, li.4 t.2 p.271 c.1 d.4 n.6
Confessio extraiudicialis probat ad liberandum non ad obligandum, l.4 t.15 p. 335 c.2 d.31 n.1
Confessio extraiudicialis ratificata in tormentis, item quæ facta est in tormentis, & ratificata extra tormenta ad condemnationem sufficit, l.9 t.21 p.1192 c.2 d.22 n.1
Confessio potest scindi in criminalibus sed non in ciuilibus, l.7 t.24 p.904 c.2 d.1 nu.1 & 2
Confessio sola aduersarij non probat titulum, sed si de iure beneficij agatur potest sufficere nisi probetur erronea, l.4 t.14 p.318 c.2 d.45 n.1 2 3 4 & 5
Confessio sola aduersarij ius in beneficio aut ad beneficium tribuere non potest ei qui aliud nullum habet, p.31 c.2 d.14 n.1
Confessio vnius non potest aduersus alium fidem facere, l.4 t.43 p.488 c.1 d.8 n.10 in all.
Confessio numerationis etiam plenè probata non probat debitum nisi semiplenè si parte absente facta sit, l.4 t.2 p.271 c.2 d.4 n.1
Confessio notarij falsum esse instrumentum confitentibus contrahentibus, nisi aliæ sint probationes, non nocet l.4 t.6 p.347 c.2 d.11 n.1 & 9
Confessio in causa ciuili facta rescindi non potest, l.4 t.14 p.324 c.2 d.65 n.3
Confessio probato errore per allegantem numquam nocet, l.4 t.14 p.319 c.1 d.45 num.5 in all.
Confessio limitata non nisi limitatum effectum producere potest, p.7 c.2 d.24 nu.6 in all.
Confessiones rei accusatori edi possunt cum nihil agendum superest nisi vt sententia feratur, p.70 c.1 d.13 nu.2
Confessio partis neque nocet neq; prodest in his quæ pendent à voluntate confitentis, p.24 c.2 d.83 n.5 & l.4 t.14 p.315 c.2 d.29 n 5
Confessio nuda in actibus suspectis semper est suspecta, & numquam probat, l.4 t.29 p.419 c.2 d.5 nu.4 in all.
Confessio nuda procuratoris ad exigendum constituti de soluta pecunia non nocet domino, nisi aliunde constet de solutione, p.98 c.1 & 2 d 13 n.1 & 2
Confessio sola sufficit ad torturam non ad condemnationem nisi in quibusdam casibus, l.9 t.21 p.1189 c.1 d.8 nu.1
Confessio extorta per tormenta reo non nocet, etiamsi reus in ea perseueret, si nulla legitima iudicia præcesserunt, l.9 t.21 p.1189 c.1 d.8 n.5 in all.
Confessio facta in tormentis, & ratificata extra tormenta, non potest reuocari, nisi probetur erronea, l.9 t.21 p.1192 c.1 d.21 n.1
Confessione vi tormentorum extorta qui perseuerat, non potest eam postea reuocare, nisi probet erroneam, lib.9 t.21 p.1189 c.2 d.10 n.1
Ex Confessione sola & pœnitentia nemo nocens esse desinit, l.4 t.14 p.323 c.1 d. 54 n.31 in all.
Confessio criminis spontanea non facit vt reus sit absoluendus, ne quidem à pœna mortis, sed tantùm ab atrociori mortis genere l.9 t.25 p.1204 c.1 d.2 n.2 in all.
Confessio fideicommissi facta in priore testamento habente clausulam derogatoriam, fit inutilis per reuocationem prioris testamenti postea rite subsecutam, l.6 t.5 p.629 c.2 d.17 n.1 & 28
Confessio fideicommissi facta in priore testamento habente clausulam derogatoriam, fit inutilis per reuocationem prioris testamenti postea rite subsecutam l.6 t.5 p.629 c.2 d.17 à n.1 ad 31
Confessio testatoris in tabulis supremæ voluntatis probat, si nihil probetur in contrarium l.6 t.5 p.629 c.2 d.17 numer.11
Confessio mariti de dote recepta, si causam habeat, non præsumitur simulata nisi talis à creditoribus probetur l.5 t. 10 p.564 c.2 d.1 nu.1 2 3 4 & 5
Confessio mariti de dote recepta per verba denunciatiua, in contractu donationis apposita non probant ad liberandum debitorem dotis absentem l.5 t.10 p.565 c.2 d.5 à n.1 ad 15
Confessio mariti simulata de dote recepta à debitoribus dotis, nocet marito eiusque heredibus prodest l.5 t.10 p. 566 c.1 d 6 n.5 6 & 7
Confessio testatoris in tabulis supremæ voluntatis probat, si nihil probetur in contrarium, l.6 t.5 p.629 c.2 d.17 nu.11
Confessioni defuncti inter alios factæ standum l.4 t.36 p.454 c.1 d.18 num.11 in all.
Confessiones factæ ad cautionem, siue in actu suspecto, siue ad impediendum aliquem actum suspectum, semper sunt suspectæ, l.6 t.5 p.630 c.2 d.17 num.28 in all.
Confessiones falsæ ita rarò sunt si id quod in confessionem venit, & ius & naturam recipere possit, l.6 t.12 p.679 c.2 d.12 n.25 in all.
Confessiones falsæ ita demum & prosunt & nocent si à confitentis voluntate pendeant l.4 t.14 p.319 c.1 d.45 numer.4 in all.
Confessiones reorum pro exploratis criminibus haberi non oportet, nisi prius constet de corpore subiecto l.6 t.2 p. 617 c.2 d.1 n.6 in all.
Confessvs habetur pro iudicato: & in confessum nullæ iudicis sunt partes nisi ad condemnandum l.4 t.14 p.321 c.1 d. 33 n.3 in all.
Confiteri crimen intelligitur qui de crimine paciscitur aliquo dato vel promisso p.120 c.1 d.1 n.3 in all.
Confidentia est species simoniæ l.4 t. 14 p.311 c.2 d.12 n.3 in all.
Confidentia difficilis est probationis, ideoque per coniecturas probari potest l.4 t.14 p.311 c.1 d.12 n.1
Confidentia ex iis quæ resignans facit in beneficio resignatario ignorante non probatur l.4 t.14 p.311 c.2 d.13 nu.1 2 & 3
Confidentia simoniæ quędam species est, l.1 t.2 p.27 c.1 d.95 nu.6
pro Confidentię probatione admittuntur testes quilibet ex ordinat. P.j V. summi Pontif. de confidentia, l.4 t.14 p.310 c.2 d.12 nu.2 in all. & sufficit ex alterutra parte interuenisse. Ibid.
Confinium diuersitas magnam diuersitatis præsumptionem inducit quæ variis modis probari potest p.325 c.2 d.69 n.3 & 4
Confinium expressio facta post fundi modum expressum, facta intelligitur ad locum fundi demonstrandum l.7 t.28 p. 415 c.1 d.3 n.9 in all.
Confiscare non licet iudicibus omnibus, l.9 t.27 p.1211 c.1 d.1 n.1 in all.
Confiscatio bonorum omnium ex causa criminis læsæ maiestatis irrogatur, sed interdum ex confiscatione subducitur pœna pecuniaria, l.9 t.6 p.158 c.1 d.2 n.1
Confiscatio bonorū mariti dotem & omne æs alienum deduci permittit, non tamen donationes in vxorem collatæ & liberis superstitib. reseruandæ nisi quādiu mulier viuit, l.9 t.6 p1158 c.2 d.3 n.1
Confiscatio bonorum apud nos cedit lucro solius principis, non etiam vasalli & quomodo vasallo prospiciatur, lib.9 t.28 p.1213 c.1 d.5 nu.1
Confiscationis pœna irrogatur ipso iure ob crimen incesti, nec requiritur declaratoria, sed potest etiam defuncti memoria damnari l.9 t.25 p.1204 c.2 d.4 n.1
Confiscatio irrogata per sententiam an & quando afficiat bona sita extra territorium ius dicentis & cuius fauorem, l.9 t.27 p.1210 c.2 d.1 n.1
Confiscatio, etiam ex causa læsæ maiestatis, non potest lædere ius fideicommissarij, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 nu.8

BIU Cujas

Confiscationis sententia lata contra heredem grauatum non nocet fideicommissario, l.9 t.27 p.1211 c.1 d.2 nu.1

CONFVGIO modus est amittendi non acquirendi, l.6 t.18 p.704 c.1 d.23 n.6 in all.

Cum duo CONIVNCTIM requiruntur vtrumque implendum est, p.18 c.2 d.59 n.2 in all.

CONSENSVS metu præstitus non valet, l.6 t.9 p.657 c.2 d.6 nu.9 in all.

Consensus tacitus illius qui contra se præscribi patitur plus interdum potest quam expressus l.9 t.30 p.1226 c.1 d.5

CONSEQVI potes per alterius personam, quod ex tua non potes, l.4 t.3 p.280 c.2 d.7 n.15 in all.

CONSILIARIVS vniuersitatis ob ea quæ per Syndicum gesta sunt conueniri non potest, l.4 t.7 p.290 c.2 d.16 n.1

CONSILII, pœnam nemo patitur, l.4 t.7 p.290 c.2 d.16 n.1

CONSILIVM fraudulentum consultori suo damnosum non vtile esse debet, l.4 t.15 p.332 c.1 d.19 n.2 in all.

Consilium obligatorium non est cum sit cuiq; liberum explorare apud se An id sequi expediat, l.4 t.7 p.290 c.2 d.16 n.3 in all.

Consilium secretius Principis pro iudicatis suis exequendis alieni territorij magistratus rogare non cogitur, l.3 t.12 p.199 c.1 d.34 nu.2 & 3

Consilium mutare nemo potest in alterius iniuriam, lib.3 t.6 p.178 c.2 d.4 in all.

CONSTITVTARIVS vincit hæredem cõstituentis multò magis eum qui ius habet cessum ab herede constituentis, quod pertinet ad causam possessionis, lib.7 t.7 p.817 c.1 d.38 n.1

CONSTITVTI clausula quæ habet condicionem vel expressam vel tacitam non operatur, nisi ex die condicionis existentis, l.7 t.7 p.814 c.1 d.27 n.1

Constituti clausula apposita in fauorem negotiorum gestoris, tranfert possessionem in eum cuius negotia geruntur, non in eum qui gessit, l.7 t.7 p.816 c.1 d.33 n.1

Constituti clausula non impedit exceptionem discussionis nisi imploretur beneficium l.vlt.C.hoc tit.per creditorem petentem se retineri in sua possessione, l.7 t.7 p.805 c.1 d.1 n.1

Constituti clausula nihil operatur per decennium ab eo tempore computatum, quo constitutarius potuit adprehendere possessionem & neglexit, l.7 t.7 p.809 c.1 d.10 n.1

Constituti clausula quomodo concipi solet & debet, l.7 t.7 p.811 c.1 d.16 n.10 in all.

Constituti clausula nihil operatur quantum ad iura, l.7 t.7 p.812 c.1 d.19 n.1

Constituti clausula operatur etiam quod ad bona futura si de iis specialiter actum sit, l.7 t.7 p.812 c.1 d.20 n.1

Constituti clausula nihil prodest nisi probet debitor eo ipso tempore possedisse quo constituit, l.7 t.7 p.812 c.1 d.20 n.2

CONSTITVTVM licèt sit incompatibile cum precario, tamen prævalet si vtraque clausula posita sit in instrumento, l.7 t.7 p.811 c.1 d.16 nu.1

CONSTITVTIO Pontificia de publicandis resignationibus non tam fauore resignantis quàm odio resignatarij inducta eius solius personam demonstrat, cui resignatio prior facta fuit, p.19 c.1 d.61 n.1

Constitutio procuratoris sine curatoris autoritate facta per minorem habentem curatorem, licet iusiurandum intercesserit non valet, p.111 c.1 d.11 numer.1

Constitutio Iustiniani in d. l. *hac edictali*, non habet locum nisi in ipsis liberis & descendentibus, nec potest eius beneficium transmitti ad extraneos, l.5 t.5 p.525 c.2 d.13 n.6 in all.

Constitutio Iustiniani de iure dominij impetrando non est abrogata quamuis eius sit rarus vsus, quia pignoris distractio est expeditior, l.8 t.21 p.1106 c.1 d.1 n.1 2 & 3

Constitutioni Iustinianeæ in l. testium 17. C de testib. locus non est nisi cum in scriptis contractum est, l.4 t.15 p.332 c.2 d.22 n.1

Constitutiones parenti binubo auferentes proprietatem bonorum quæ filius præmortuus habuit à parente, non debent extendi ad ea quæ habuit filius ab auo, quia non loquuntur de auo, l.5 t.5 p.522 c.2 d.2 n.4 in all.

Constitutor habet exceptionem ordinis quam habet fideiussor, nisi vel ei renunciauerit, vel animo renouandi intercesserit, l.4 t.13 p.304 c.2 d.1 n.1 2 3 4 5 6 & 7

CONSVETVDO est optima interpres & legum & statutorum, l.7 t.26 p.920 c.1 d.47 n.5 in all.

Consuetudo non omnis valet in decimis, l.1 t.2 p.20 c.1 d.63 n.8 in all.

Consuetudo ex consensu totius populi æstimatur, & ex scientia & patientia eorum qui possent expressim consentire vel contradicere, p.41 c.2 d.1 n.14 in all.

Consuetudo probanda est per turbas, l.4 t.14 p.331 c.1 d.14 n.4 in all.

Consuetudo contra bonos mores, abusus potius est quam vsus, & vetusti erroris corruptela quàm consuetudo, l.1 t.5 p.46 c.2 d.8 n.3 & 4

Consuetudo inueterata, nutritiua est peccati l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.7

Quæ Consuetudo vetus comprobauit iunt tole abilia p.7 c.1 d.24 n.2 in all. quinimo vim legis habent p.37 c.1 d 34 n.8 in all. & l.4 t.42 p.495 c.2 d.29 n.3 in all.

Consuetudo, vt defuncta sine liberis & condiuisoribus persona talliabili dominus feudi succedat, quando habeat locum, l.7 t.1 p.795 c.2 d.33 numer.6 in all.

Consuetudo iuri derogans, licet probata, an sit seruanda p.12 c.2 d.45 nu.2

Consuetudo regionis fere semper & in omnibus attendenda est; præsertim vt valeat contractus qui alioqui non valeret p.129 c.2 d.3 n.5 in all. & l.4 t.10 p.299 c.2 d.7 n.4 in all.

Consuetudo loci inspicienda in quo facta est professio talliabilitatis, non vbi talliabilis mortuus, nec vbi sunt bona, l.7 t.1 p.783 c.1 d.12 n.1

Consuetudo loci seruanda est, præsertim quod ad vsuras, cum conuentio nulla est l.4 t.24 p.38 c.2 d.2 n.2 in all.

Consuetudo max mè seruanda est in causis criminalibus & in materia torturę, l.9 t.21 p.1190 c.2 d.13 n.6 in all.

Consuetudo non vincit legem, l.9 t.30 p.1229 c.2 d.14 n.5 in all.

Consuetudo localis quæ immunitatem à nobilitate separat an obliget etiam forenses, l.9 t.30 p.1229 c.2 d.15 n.1

Consuetudo prouinciæ Bugiensis circa dotis augmentum consuetudinarium & condicionale, l.5 t.1 p.517 c.1 d.5 n.1

Consuetudo quæ de talliabilium iure & successione allegatur probanda est præterquam in duobus casibus positis in definitione, l.7 t.1 p.795 c.1 d.33 numer.1

Consuetudinem solam prætendentes ad excusanda peccata non sunt ferendi, l.1 t.5 p.46 c.2 d.8 n.3 in all.

Consuetudines omnes sunt locales p.44 c.2 d.3 nu.12

Consuetudines omnes cum sint stricti iuris in iudicio probanoæ sunt, maximè si à iure communi abhorreant p.12 c.2 d.45 n.19 in all.

CONTESTATIO malam semper fidem solet inducere l.4 t.2 p.278 c.1 d.18 nu.2 in all.

CONTRACTVS ex duorum consensu constat l.4 t.16 p.352 c.1 d.22 numer.9 & 10

Contractus intelligendus est non cum interuenit stipulatio, sed cum esse, vireque aliquas habere cæpit l.3 t.19 p.217 c.1 d.23 n.33

Contractus essentia est individua, & essentiæ omnes rerum sunt individuæ lib 4 t.33 p.437 c.2 d.8 numer.11 in all.

Contractus quando sit pignoratitius, l.4 t.30 p.425 c.1 d.5 n.6 in all.

Contractus vnus, idemque potest partim emptionis, partim permutationis iure censeri l.4 t.41 p.459 c.1 d.1 nu.1 2 3 & 4

Contractus non potest dici perfectus, si conuenerit de instrumento conficiendo postquam aliquid ratum habuisset contractum, l.4 t.16 p.349 c.1 d.14 n.7 in all.

Contractus & distractus eadem ratio est p.179 c.2 d.3 n.1 in all.

Contractus anterior interpretationem recipere non potest ex consuetudine post contractum inducta lib.4 t.7 p.291 c.2 d.21 nu.2

Contractus in scriptis celebratus dici non potest, quando non inde cæpit conuentio l.4 t.16 p.349 c.1 d.14 nu.5

Contractus initus contra leges iuramento confirmari non potest l.4 t.21 p.365 c.2 d.9 nu.6 in all.

Contractus ex quo perfectus & absolutus est, non amplius voluntatis, sed necessitatis est l.4 t.16 p.349 c.1 d.14 num.7 in all.

Contractus emphyteuticus quaslibet cõditiones recipit, præterquam si sint contra leges aut contra bonos mores l.4 t.43 p.507 c.1 d.61 n.1 in all.

Contractus & conuentionis cuiusq; initium spectandum ad dignoscendam eius qualitatem & naturam l.4 t.16 p.349 c.1 d.14 n.5 in all.

Contractus cuiusque substantia in paucis consistit l.4 t.16 p.350 c.1 d.16 n.3 in all.

Contractus simulatus nullus est citra restitutionem, probatúrque simulatio per coniecturas l.4 t.17 p.354 c.2 d.1 n.1 2 3 4 5 6 & 7

Contractus simulatus valet secundum id quod actum est, si eo modo valere possit l.4 t.17 p.355 c.1 d.3 n.2 & 3

an Contractus est simulatus, si filius sibi fundum emens patiatur eum à patre possideri, l.7 t.35 p.777 c.1 d.10

Contractus inutilis confirmatur ex subsecuta obseruatione l.7 t.7 p.287 c.2 d.7 n.1

Contractus innominatus est quisquis nomen non habet, dummodo habeat συναλλαγμα, l.4 t.28 414 c.2 d.2 num.6 in all.

Contractus geminatio non excludit beneficium leg.2. C.de rescin.vend. si in secundo quoque contractu enormis læsio interuenerit lib.4 t.30 p.430 c.2 d.23 n.13

Contractus resolutio, quæ voluntaria est

BIU Cujas

non potest perimere ius quod medio tempore alteri quæsitum fuit: secus si sit necessaria, l.4 t.10 p.301 c.1 d.9 nu.7 in all.
Verba contractus semper ad tempus Contractus referenda sunt nisi aliud sonent l.4 t.18 p.358 c.2 d.5 n.7 in all.
De Contractus simulatione querela siue agendo, siue excipiendo perpetua est vt non nisi trigesimo anno etiam ad agendum finiatur, l.4 t.22 p.374 c.2 d.2 numer.5
Contractum pendente iudicio restitutionis tenere necesse est, l.4 t.21 p.366 c.2 & 367 c.1 d.13 num.9
Qui Contractum nullum dicit ex causa enormissimæ lesionis non censetur implorare beneficium nouæ constitutionis; adeoque etiamsi probauerit enormem læsionem, debet succumbere, l.4 t.30 p.432 c.2 d.30 nu.1 & 2
Ex Contractu innominato qui similis sit venditioni & emptioni aliquando sit condemnatio ad solutionem precij, sed constituendi arbitrio boni viri, l.4 t.28 p.414 c.2 d.2 à n.1 ad 11
Ex Contractu vltro citroque obligatorio agere nemo potest, nisi prior ex parte sua impleuerit, l.4 t.41 p.482 c.1 d.57 n.2 in all.
in Contractu omni dotali maritus non solùm bonam fidem præstare debet, sed etiam diligentiam exactissimam & solicitudinem, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 nu.19
Contractus ab initio sunt voluntatis ex post facto necessitatis, l.4 t.29 p.418 c.2 d.4 n.8 in all.
Contractus omnes æstimandi sunt ex modo ineundi, l.4 t.28 p.415 c.1 d.3 n.7 in all.
Contractus omnes etiam qui sunt iuris gentium, à legibus vires accipiunt, l.3 t.22 p.228 c.2 d.1 n.2 in all.
Contractus ex notarij stipulatione hæres accipere debet, l.3 t.27 p.250 c.2 d.2 num.5
Contractus omnes inter viuos sunt irreuocabiles, l.8 t.36 p.1141 c.1 d.20 nu.5 in all.
Contractus matrimoniales, familiarum sunt, non tantùm personarum contrahentium, l.3 t.9 p.563 c.1 d.11 numer.5 in all.
Ex Contractibus innominatis qui similes sunt venditioni & emptioni agi solet in id quod interest, l.4 t.82 p.414 c.2 d.2 n.4 in all.
In Contractibus nominatis ex quo tempore semel perfecti sunt non est locus pœnitentiæ, l.4 t.26 p.402 c.1 d.6 n.7 in all.
Contractum in scriptis dicitur cum id actum est vt non aliter contractus valeat quàm si in scriptum mundumque redigatur, l.4 t.15 p.332 c.2 d.23 n.3
CONTRAHENS cum alio ignorare non debet conditionem eius cum quo contrahit, l.7 t.4 p.800 c.1 d.2 n.4
Contrahens quisque non sibi soli sed hæredibus suis prospicit, l.8 t.36 p.1141 c.2 d.21 nu.4
Contraxisse vnusquisque intelligitur in eo loco, in quo, vt solueret, se obligauit, l.3 t.15 p.205 c.2 d.4 n.1
CONTRADICENTI æquiparatur is qui iurat sibi non liquere, nec vult sententiam dicere, p.445 c.2 d.3 n.6 in all.
CONTRADICTIO pro consensu tacito habetur si cum appellari oportuit non fuerit appellatum, p.146 c.2 d.6 numer.10
Contradictio quæ causam nullam habet non est attendenda, p.147 c.2 d.7 nu.3 in all.
Contradictio sine effectu dat initium præscriptioni, l.4 t.3 p.42 c.1 d.57 nu.9 in all.
CONTRIBVERE quo in loco quis debeat pro extraordinariis oneribus tempore belli ferendis, l.9 t.30 p.1227 c.1 2 d.9 n.1
CONTROVERSIA quælibet facit rem dubiam & obscuram propter incertum euentum iudiciorum, l.3 t.19 p.213 c.1 d.12 n.8 in all.
Controuersiam alicui mouere prohibitus, nihil ab eo per transactionem accipere potest eo nomine: in dubio tamen credendus est accepisse pro aliis iuribus, si quæ sint, l.6 t.25 p.742 c.1 d.6
CONTVMACIA delictum est, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 nu.1
Contumacia non peccatum nouum est, sed nouus & eminentior gradus peccati, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.22 in all.
Contumacia nulla est eius quem iudex nôdum arctauit vt iuraret, l.4 t.1 p.267 c.1 d.33 n.4 in all.
Contumacia nulla videri potest eius qui liti à falso procuratore institutæ adesse nolit, l.4 t.20 p.361 c.1 d.2 nu.1 in all.
Contumacia posterior interdum purgat & tollit vitium prioris, l.3 t.1 p.164 c.2 d.30 n.3 in all.
Contumacia præscriptionem fori excludit, l.3 t.12 p.190 c.2 d.3 n.1
Consensus qui ex contumacia inducitur non nisi fictus est, tacitámque inducens prorogationem, l.3 t.12 p.191 c.2 d.8 n.1 in all.
Contumacia facit vt contumax pro confesso habeatur, l.3 t.13 p.201 c.2 d.44 n.5 in all.
Contumacia non solum pro præsentia est, sed etiam pro contestatione, l.3 t.12 p.190 c.1 d.3 n.3 in all. & l.3 t.28 p.256 c.2 d.2 n.4 in all.
Contumacia coërceri solet damno litis, l.3 t.1 p.166 c.2 d.40 n.2 in all.
Contumacia litis non semper damno coërcetur, sed pro modo contumaciæ damnum contumaci infligitur, l.7 t.18 p.859 c.2 d.42 n.1
Contumacia est delictum si quidem habet adnexum & spretum contemptum ius dicentis, l.7 t.24 p.906 c.1 d.7 n.1 in all.
Contumaciam aduersarij non potest accusare is qui ad rem non venit nec ratum habere factum falsi procuratoris, l.7 t.18 p.850 c.1 d.6 n.1
Contumacia eius qui noluit in iudicium venire vt chirographum vel agnoscat vel deneget adimit ei fori præscriptionem quam expressa cognitio non ademisset, l.3 t.12 p.201 c.2 d.44 n.1 2 & 4
Contumacia eius impunita est qui aduersarium æquè contumacem ac negligentem habuit, p.164 c.1 d.30 n.1
Contumacia nocere non debet, nisi in eo ipso actu in quo interuenit, p.162 c.1 d.23 nu.11 in all.
Contumacia solet pœnam cumulare & augere, l.9 t.26 p.1208 c.2 d.16 num.1 in all.
Contumacia omnimodo purganda refusione sumptuum, licet contumax condemnatus sit alio uon apparente, l.7 t.15 p.845 c.2 d.18 n.1
A Contumaciæ pœna causa iniusta non excusat, p.185 c.1 d.17 n.11 in all.
in Contumaciam vix incidit minor qui non habet curatorem, lib.3 t.1 p.166 c.2 d.40 n.7
Contumaciales sumptus nunquam condonantur ne tum quidem cum absens vicit & causam bonam habuit, p.168 c.2 d.7 n.3 in all.
CONTVMAX est qui ad certam diem perorandæ liti dictam adesse noluit, p.164 c.1 d.31 n.1
Contumax nemo fit ex primo edicto, p.96 c.2 d.6 n.1 in all.
Contumax non videtur qui ad maius auditorium vocatus litem in minori inchoatam deserit, p.157 c.1 d.3 numer.1 in all.
Contumax non est qui non fuit obsequutus cum obedire non deberet, l.3 t.12 p.197 c.2 d.29 n.1 in all.
Contumax non potest audiri quamdiu contumax est, l.7 t.15 p.845 c.2 d.18 n.1 in all.
Contumax numquam effugere potest quin ad expensas contumaciæ condemnetur, l.3 t.1 p.166 c.2 d.40 nu.1 in all.
Contumax vetus quandoque non condemnatur, l.3 t.1 p.166 c.2 d.40 num.1 2 3 4
Contumax, cui pronunciata est sententia diffinitiua, non est apud eundem iudicem audiendus, maximè si appellauerit, quamuis ab appellatione velit discedere, l.7 t.26 p.920 c.1 d.49 n.1 2
Contumax non statim condemnandus est quod legitimè in ius vocatus non venerit, sed dãda est ei dilatio intra quam veniat dicturus cur non debeat condemnari. p.186 c.1 d.1 n.1 2 3 & 4
Contumax est qui personaliter citatus non venit, p.75 c.2 d.10 n.1 in all.
Contumax in expensas contumaciæ condemnandus est, licet quod ad litis decisionem attiner, potiore interdum vtatur iure, p.160 c.1 & 2 d.18 nu.4
Contumax esse non potest qui iustam habet ignorantiam, l.3 t.15 p.205 c.2 d.4 n.5 in all.
Contumax appellare potest intra tempus legitimum à die notitiæ computandum refusis tamen prius contumaciæ expensis, l.4 t.29 p.420 c.2 d.12 num.2 in all.
Contumax videri non potest qui in ius non venit si necdum aduersarius in ius vocatus sit, p.74 c.2 d.6 nu.1
Contumax, si appellet, non nisi refusis expensis audiendus est: refusio enim expensarum purgat contumaciam, p.158 c.2 d.8 n.6 in all.
Contumax aut saltem absens esse intelligitur qui nec per se comparet nec per legitimum procuratorem rite & vt oportuit constitutum, p.99 c.2 d.16 n.6 in all.
Contumacis acta litis appellatoriæ sunt inspicienda quoties eius procurator petit vt inspiciantur, l.3 t.1 p.161 c.1 d.20 n.6 in all.
Contumacem non vincente semper condemnari non consequens est, l.3 t.1 p.160 c.2 d.19 num.4 in all.
CONVENIRI non potest ante excussum debitorem qui cessum nomen promisit præstare idoneum, l.14 t.36 p.450 c.1 d.11 n.1 2 3 4 5 & 6
Conueniri non potest is cuius liberatio est in pendenti, l.4 t.10 p.301 c.2 d.10 n.1 2 3 4 5 6 & 7
Conueniri hæres illius qui conductoris socius fuit neque à locatore, neque à conductore potest nisi perstiterit in societate, l.1 t.42 p.476 c.2 d.36 nu.1 2 3 & 4
CONVENTIO facta cum defuncto non semper contra hæredem effectum habet, l.4 t.19 p.360 c.2 d.2 n.4 in all.
Conuentio in contractu venditionis apposita, vt secuta euictione venditor non nisi ad pretij restitutionem teneatur tum

tum demum valet cum emptori rem habere non licet, l.4 t.33 p.438 c.2 d. 12 n. 2
Conuentio vt pecunia credita in vna nummorum specie reddatur in alia valet nec aduersus eam conuentionem datur restitutio, l.4 t.2 p.270 c.2 d.1 n.1 2 3
Conuentio expressa speciali hypothecæ pro dote, non tollit priuilegium tacitæ quam dos habet à lege, l.5 t.8 p.557 c.2 d.23 à n.1 ad n. 10
Conuentio de speciali hypotheca pro dote in præiudicium legalis tacitæ, quæ est generalis, non valet: secus si agatur de bonis paraphernalibus, l.7 t.34 p. 949 c.2 d.4 n.1 2 3 4 & 5
Conuentio de succedendo in ius anterioris creditoris, facta incontinenti post numerationem, tantùm prodest quantum si ante facta esset, l.8 t.9 p.997 c.2 d.5 nu.1 & 2
Conuentio per quam contrahitur antichresis iusta est, dum ne facta sit in fraudem vsurarum, p.184 c.1 d.15 numer.8 in all.
Conuentio ad certum tempus limitata vltra tempus porrigi non potest, l.4 t.24 p.393 c.1 d.25 nu.8 in all.
Conuentio in tabulis dotalibus, vt augmenti vsusfructus ad vxorem pertineat, eâ verò mortua ad filium reuertatur, non facit vt mulier solum vsumfructum habere videatur, l.5 t.5 p.526 c.1 d. 13 n.10 in all.
Conuentio procuratorum à Senatu homologata vim arresti obtinet, nisi quòd trahitur ad similes casus, l.7 t.19 p.875 c.2 d.6 n.1
Conuentionis maior est potestas quàm legis in eo vt per cessationem in solutione canonis annui res committatur nec mora purgari possit, l.4 t.43 p.494 c.2 d.27 n.1 2 & 3
Citra conuentionem periculum nominis ad venditionem an pertineat, l.4 t.36 p.450 c.1 d.11 n.2 in all.
Conuentiones omnes recipiunt interpretationem ex iure communi, lib.4 t.42 p. 476 c.1 d.35 n.1 in all.
Conuentiones omnes habent tacitam illam conditionem si res in eodem statu manserit, li.7 t.3. p.944 c.1 d.13 n.12 in all.
Conuentiones posteriores licet non scriptæ in contractibus in quibus scriptura non requiritur, prioribus etiam scriptis derogant, l.4 t.28 p.415 c.2 d.5 n.4 & 5
Conuentiones non sunt ad incogitata porrigendas, p.92 c.2 d.15 n.3 in all.
Conuentiones dant legem contractibus, l.8 t.15 p.1008 c.1 d.3 n.2 in all.
Conuentiones numquam trahuntur ad incogitata, l.8 t.15 p.1008 c.1 d.3 num.6 in all.
Conuentiones iustæ & legitimæ dant legem contractibus, l.7 t.13 p.826 c.2 d.3 n.5 in all.
Conuentiones per quas datur hæreditas fauore matrimonij valent ex consuetudine etiamsi non sint iuratæ, multò magis si iuratæ, l.3 t.25 p.244 c.2 d.4 nu.2 in all.
CORRECTORIVM ius nouum non facile vltra limites suos extendi debet, l.4 t.2 p.278 c.2 d.18 nu.19 in all.
CORRELATIVORVM posito vno aliud quoque ponitur, & vnum ex alio interpretationem capit, l.6 t.5 p.631 c.2 d.18 n.14 in all.
CORREVS per correum non nisi pro parte conuenitur, nisi tota pecunia ad eum peruenerit, l.4 t.29 p.423 c.1 d.20 n. 8 9
CREDENS pecuniam, quam vt minister accepit credendam sub fœnore in diem vsque nuptiarum puellæ, & subinde ante diem nuptiarum pecuniam illam à patre exigi permittens, non liberatur, debitor tamen qui vero creditori suo soluit liberatur, l.6 t.18 p.701 c.2 d.16
CREDITOR nec agere potest nec interpellare nisi facta electione, l.4 t.24 p. 388 c.2 d.13 n.4
Creditor debitoris sui nomen pignoris loco etiam in executione iudicati (si modo debitor debitoris fateatur se debere) capere potest, l.4 t.10 p.296 c.2 d.2 nu.1 & 2
Creditor creditoris nullam actionem habet in nomen obligatum, nisi sub illa formalitate quatenus est obligatum, l.8 t.14 p.1003 c.2 d.1 numer. 8 in all.
Creditor creditoris si spoliatus sit, debet restitui aduersus quemlibet spoliatorem rei obligatæ, si ius pignoris duret, l.8 t.3 p.960 c.1 d.27 n.1 2 & 3
Creditor solus non etiam bonæ fidei possessor quilibet potest obiicere excussionem specialis hypothecæ, l.8 t.6 p. 970 c.2 d.9 nu.1 & 2
Creditor qui minus idoneum pignus accepit non amittit exactionem eius debitæ quantitatis in quam pignus non sufficit, l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 numer. 8 in all.
Creditor qui ante sententiam nullum pignus habuit perinde potest iudicati executionem incipere à debitore debitoris sui, etiam cùm alia bona sunt, atque si pignori iam antea idipsum nomen habuisset, l.4 t.10 p.97 c.1 d.2 n.17
Creditor chirographarius nullum pignus habet in bonis condemnati nisi quod in iudicati executione captum & hoc ipso constitutum sit, l.4 t.10 p.296 c.2 d.2 n.4
Creditor chirographarius ex sola chirographi recognitione aut denegatione fit hypothecarius, l.4 t.7 p.289 c.2 d.13 nu.12
Creditor hypothecarius chirographario iuris ratione præfertur in pignore, l.3 t.12 p.199 c.2 d.35 n.12 in all.
Creditor hypothecarius habet iurisdictionis exercitium si possideat, potéstque officiarios pro arbitrio & instituere & immutare, lib.8 t.6 p.970 c.1 d.11 nu.2 3 & 4
Creditor vel legatarius petens iteratam distractionem pignorum iam distractorum duobus modis auditur, l.7 t.32 p. 941 c.1 d.6 n.1
Creditor cõstitutarius post possessionem suam auocare potest ab eo qui emit pignus distractum ex iudicis authoritate, l.7 t.32 p.941 c.2 d.7 n.1 & 2
Creditor constitutarius potest possessionem suam retinere, sed non vrgere venditionem pignoris pendente instantia discussionis, l.7 t.32 p.942 c.2 d.11 numer.1
Creditor fugientes debitores propria authoritate citra satisdationẽ capere potest, p.152 c.2 d.13 n.8 in all.
Creditor mariti non potest mulieri obijcere ex persona mariti compensationem quantitatis sibi à marito debitæ, l.4 t.23 p.382 c.2 d.16 nu.1
Creditor mariti habet hypothecariam in fundum mulieris ex pecunia mariti comparatum si non ei pretium offeratur, l.8 t.6 p.971 c.1 d.12 n.1
Creditor verus si iniuriosam fecerit executionem, potest condemnari ad id quod interest veri debitoris, l.7 t.16 p. 147 c.2 d.8 n.1
Creditor qui tãtùm est condemnatus non potest reuocare executionem iudicati, l.7 t.20 p.8 7 c.2 d.21 n.1
Creditor non potest debitorẽ suum etiam fugientem detrudere in carceres, nec si statim probet debitum & offerat satisdationem, adeoque sit paratus eosdem ipse pati carceres, l.7 t.20 p.888 c.2 d.23 n.1 2 & 3
Creditor qui bona fide mulieris personam in contrahendo secutus est, ob ea quæ inter virum & vxorem accepta pecunia gesta sunt, exceptione summoueri non debet, l.4 t.21 p.370 c.1 d. 20 nu. 7
Creditor secundus habet ius offerendi ei qui emit postulante priore creditore si modò venditionem probabiliter ignorauit, at non ei qui emit ab ipso anteriore creditore, l.8 t.10 p.999 c.1 d.12 n. 1 ad 15
Qui Creditor nondum est, sed fieri potest ex causa euictionis nondum secutę non potest nec debet intercedere venditioni pignoris, sed tantùm de iure suo protestari vt sit ei saluum secuta quandocumque euictione, lib.8 t.14 p.1004 c.2 d.1 n.4 5 & 6
Creditor anterior potest salua non tantum debiti, sed etiam pignoris sui causa ius solum anterioritatis remittere, lib. 8 t.14 p.1005 c.2 d.5 n.1 2 & 3
Creditor anterior potior est non tantum in sorte, sed etiam in vsuris aliisque accessionibus, l.8 t.8 p.989 c.2 d.8 n.5 in all.
Creditor excusso debitore potest redire ad possessorem sine metu exceptionis, l.8 t.23 p.1042 c.1 d.1 n.1 in all.
Creditor si eligat vnum ex pluribus fideiussorib. qui non sit soluendo non ideo actionem aduersus cæteros remisisse credendus est, l.8 t.27 p.1071 c.1 d.7 n.1 2 & 3
Creditor cui possessor pignoris vltro offert non cogitur præstare se potiorem quomodo cogitur, qui pignus vendit, l.8 t.31 p.1120 c.2 d.2 n.1 ad 10
Creditor qui vacuam rei possessionẽ trãdere promisit non liberatur præstando suas actiones, sed condemnandus est vt vel tradat, vel precium reddat, licet de euictione non teneatur, l.8 t.31 p.1120 c.2 d.3 n.1 2 3 & 4
Creditor pendente discussionis instantia petens prouisionalem adiudicationem, non est audiendus, nec si suam condicat possessionem nisi auditis prius cæteris creditoribus, l.6 t.32 p.946 c.1 d. 20 n. 1 2 & 3
Creditor agens in debitorem debitoris si pignoratitius non sit pignus capere non potest si alia bona sint mobilia aut immobilia aut se mouentia, l.6 t.10 p. 967 c.1 d.2 n.11
Creditor licèt dominus non sit, si tamen iure creditoris vendat transfert dominium quod non habet, p.183 c.2 d.14 n.7 in all.
Creditor qui fundum pignori accepit in antichresim si eum male vrendo deteriorem fecerit, ita vt de dolo vel culpa teneatur, creditoris creditori nocet, l.4 t.10 p.298 c.1 d.4 nu.1
Creditor damnum quod in pignore datum est in rationem debiti deducere cogitur, l.4 t.10 p.298 c.1 d.4 n.4
Creditor beneficio iuuari, non decipi debet, p.25 c.2 d.86 n.11 in all.
Creditor contra hæredem debitoris ab actione & libello incipere debet, non ab executione, pag. 64 c.2 d.12 numer.4
Creditor impugnans vicioſas ſubhaſtationes ſi modo pro debito factæ ſint nõ

BIU Cujas

auditur quin offerat & obsignet debitum recusante creditore accipere, l.3 t. 11 p.188 c.1 d. n.3 in all.
Creditor cui & alio loco & in alia moneta soluitur, omnimodo & vndique indemnis præstandus est, l.3 t.15 p.204 c.2 d.2 nu.1
Creditor contrahens cum persona non suspecta non debet esse curiosus, l.4 t. 21 p.364 c.2 d.7 n.10 in all.
Creditor an manumittendus sit in possessione sibi quæsita per clausulam constituti ante rapram vel finitam discussionis instantiam, l.7 t.7 p.816 c.1 d.34 n.1
Creditor qui cõsensit venditioni rei obligatæ, salua pignoris sui causa, nullius temporis præscriptione potest summoueri, l.7 t.10 p.821 c.2 d.4 n.1
Creditor non potest impedire rei obligatæ venditionem, salua tamen pignoris sui causa, l.7 t.10 p.821 c.2 d.4 n.2 in all.
Creditor est qui accusat pro suo (vt assit) interesse, l.9 t.26 p.1210 c.1 d.3 num.1 in all.
Creditor debet vsuras superfluas, siue superfluam pecuniam fœnerauerit, siue ea vsus sit, l.4 t.18 p.357 c.1 d.1 num.3 in all.
Creditor conuentionem vel præsidialem iussionem debiti causa res debitoris possidentis aufferre pro suo arbitrio non potest, l.4 t.18 p.359 c.1 d.6 n.2 in all.
Creditor solus is habet hypothecam qui conuenit de pignore, lib.4 t.42 p.506 c. 1 d.59 n.8 in all.
Creditor in cuius fraudem facta est alienatio non prius potest agere in rem contra possessorem quam egerit reuocatoria, l.7 t.35 p.949 c.2 d.1 num.6 & 7
Creditor Ecclesiæ probare debet pecuniam versam esse in eius rem & vtilitatem, l.21 t.24 p.124 c.2 d.1 n.7 in all.
Creditor habens clausulam constituti potest retineri in possessione pignoris, etiam non auditis cæteris creditoribus, si discussionis instantia nondum sit inchoata, l.6 t.11 p.659 c.1 d.2
Creditor non eximitur à necessitate faciendæ excussionis quod debitor dicit se bonis suis omnibus cedere, l.8 t.28 p. 1078 c.2 d.32
Creditor, qui partem debiti consecutus est à debitore, vno casu totum adhuc petere à tertio possessore per hypothecariam potest, l.8 t.6 p.979 c.2 d.41 n. 3 4
Creditor nõ tenetur de euictione pignoris, sed tantùm de facto suo repromittere, & de dolo, itemque actionib. suis cedere, & præstare se potiorem, l.8 t.32 p.1120 c.1 d.1
Creditoris interest vt locupletem habeat debitorem, l.3 t.4 p.176 c.2 d.9 nu.5 in all.
Creditoris veteris conditionem deteriorem, nouum sibi creditorem adiiciendo facere cuique licet: id tamen de chirographariis creditoribus accipiendum est, l.4 t.8 p.292 c.1 d.1 n.4 in all.
Creditoris interest plures habere obligationes & obligatos, p.151 c.2 d.11 n.10 in all.
Creditoris electioni liberum est, An debitorem in domicilij loco conuenire velit, An in eo qui solutioni destinatus fuit, l.3 t.15 p.205 c.2 d.4 n.6
Creditoris tum demum odiosa causa est cum apparet eum scientem quicquid agit dolo malo agere, l.4 t.21 p.364 c.2 d.7 n.6 & 7
Creditoris constitutarij potior est causa, quàm hæredis cum beneficio legis & inuentarij obtendentis autem fideicommissum, de quo in promptu non appareat, l.6 t.11 p.670 c.1 d.36 num.1 & 2
In creditoris præiudicium nihil fieri potest iure quæsito, l.4 t.10 p.297 c.1 d.3 n.8
Creditori semper incumbit onus probãdi p.124 c.2 d.1 n.2
Creditori an liceat post decem dies à tempore interiectæ appellationis resilire ab executione, l.3 t.11 p.187 c.2 d. 3 n.9
Creditori anteriori nulla datur actio in posteriorem creditorem pro pecunia quam sibi soluit ex pretio pignoris quod ipse emerit, l.8 t.17 p.1019 c.2 d.33
Creditorem nihil vetat esse iudicem in causa sui debitoris, dummodo non agatur de re ad ipsum debitum pertinente, l.3 t.4 p.176 c.2 d.9 n.4
Creditorem in mora petendi fuisse, cum de frumento ex censu debito agitur, sufficit vt non nisi præsens æstimatio debeatur, si minor sit, quàm antea fuerit, l.4 t.2 p.278 c.1 d.18 n.18
Creditore per hypothecariam agente cui nihil deberi contendebat donatarius si cum eo litis & vexationis redimendæ gratia postmodum transegerit, certamque pecuniæ quantitatem ex ea causa soluerit, non habet repetitionem, p.1.9 c.1 d.1 n.15 & 16
de Creditore admittendo ad nouam licitationem, si aliunde suum consequi non possit, sed i a vt possessor pro maiore pretio per creditorem oblato rem retinere possit, l.8 t.18 p.1010 c.1 d. 34
Creditores debent contribuere in funus si debitori non aliunde suppetant facultates p.10 c.1 d.38 nu.7
Creditores qui non reddita sibi pecunia conuentionis legem exercent ingressi possessionem vim quidem facere non videntur, authoritate tamen iudicis possessionem adipisci debent, l.4 t.18 p. 359 c.1 d.6 n.2 in all.
Creditores proprios qui ex aliena pecunia dimisit pecuniam ipsam adhuc penes se habere intelligitur, siquidem non absumitur quod in patrimonij corpore retinetur, l.4 t.21 p.366 c.2 d.12 nu.8 in all.
Creditores omnes pœnis fiscalibus præferuntur, l.9 t.26 p.1210 c.1 d.3 nu.1 in all.
Creditores vt satisdationis incommodum & moram effugiant, diplomate de Debitis vti solent p.148 c.1 d.1 n.4
Creditores sunt omnes ij quibus ex quacumque causa debetur, dum ne exceptione vlla possint summoueri, l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 n.2 in all.
Creditores filij in ea bona quæ filio relicta sunt actionem nullam habent quin prius ex filij persona soluerint quicquid filius ad consequendum legatum soluere cogeretur, l.3 t.19 p.219 c.1 d.29 nu.7
Creditores audiendi non sunt agentes contra emptorem bonorum quorum distractioni semel consenserunt vt iterum vendantur, l.7 t.32 p.940 c.2 d.4 nu.1
Creditores posteriores agere possunt aliquando contra emptorem rerum hereditariarum, qui soluit posterioribus hactenus scilicet vt eædem res iterum distrahantur, l.7 t.32 p.943 c.2 d.13 nu.1
Creditores salua pignoris sui causa consentire in debitoris commodum possunt & debent, l.3 t.20 p.224 c.1 d.6 n.6 in all.
Creditores mariti An & quando possint agere super fructibus bonorum dotalium, l.5 t.7 p.545 c.2 d.38 à n.1 ad 23
Creditores mulieris ad faciendam executionem in bonis dotalibus coguntur expectare matrimonij dissolutionem, l.5 t.7 p.535 c.2 d.6 n.1 in all.
Creditores omnes generali programmate vocatos esse non sufficit, si creditor fuit certus, etiam tutori pupilli; salua tamen pupillo restitutione in subsidium, si damnum alioqui passurus sit ex scientia tutoris, l.6 t.11 p 670 c.2 d. 37 n.1 & seqq.
Creditorum qui onerosam causam habet potior in multis esse causa solet quàm eorum qui lucratiuam, l.3 t.20 p.224 c.1 d.6 n.5 in all.
Creditorum de damno vitando certantium potior ratio est, quàm eorum qui lucrum captant p.9 c.2 d.37 nu 5
Creditoribus ex bonorum fructib. si fieri potest, potius quàm ex ipsis bonis satisfaciendum est, l.3 t.25 p.246 c.1 d.6 n.12 in all.
Creditoribus duobus concurrentibus in prætorio pignore si non appareat quis præuenerit tempore præferetur is, qui prior erit in credito, l.7 t.32 p.946 c.2 d.21 n 1
Creditoribus absentibus aduersus distractionem iudicialem pignorum non magis fauetur, quàm præsentibus dummodo vocati sint programmate publico. Excipiuntur pupilli quorum tutoribus non sit denunciatum, l.7 t.32 p.941 c.1 d.5 nu.1 & 2
Creditoribus paternis actio nulla in res filio donatas competit, l.3 t.25 p.247 c. 1 d.11 n.3
CREDITVR occisori iuranti se adgressum ab occiso, si nullis indiciis vrgeatur torquendus erit, l.7 t.14 p.905 d.2 nu.1
CRIMEN qualiter probatum est, taliter puniri debet, l.6 t.2 p.618 c.2 d.5 nu 3 in all.
Crimen priuilegiatum trahit ad suum forum crimen commune, l.3 t.12 p.196 c.2 d.26 nu.6
Crimen nullum est cuius non aliqua pœna sit quæ aut infamiam irroget, aut saltem apud bonos & graues viros oneret existimationem, l.4 t.14 p.322 c.1 d.54 n.14 & 15
Crimine de omni non licet transigere, l.9 t.20 p.1187 c.1 d.12 nu.4 in all.
Criminis pœna nihil commune habet cum rei persecutione, l.4 t.12 p.304 c.2 d.1 nu.6
Criminis correi non debent fieri correi debendi per sententiam quod ad litis sumptus attinet, si tamen facti sunt tenet sententia, si non appelletur, l.7 t.21 p.899 c.1 d.1 nu.1
Criminum priuilegiatorum, cognitio speciali & priuilegiario iure ad solum iudicem laicum spectat, l.9 t.17 p.1180 c. 2 d.1 n.8 in all.
CVLPA lata etiam in delictis dolo æquiparatur, cùm agitur de pœna non corporali, l.9 13 p.1176 c.1 d.10 num.7 in all.
Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest, nec prohibendi facultatem habentibus reuelare, l.9 t.15 p.1179 c.2 d.6 n.4
Culpa ex aliena vel odio nemo prægrauari debet, l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.11 in all.
Culpam suam debet quisque sibi imputare, l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.21

BIU Cujas

CVRATIO bonorum absentis quædam futuræ successionis occupatio est, l.3 t. 25 p.245 c.1 d.5 n.14 in all.

CVRATOR datur non personę sed bonis, p.74 c.1 d.3 num.9

Curator bonis dari solet cuius magis interest bona conseruari, ac proinde qui bona in casum mortis habiturus est, cuiuscumque sexus sit aut ætatis, l.4 t. 8 p.285 c.2 d.2 n.2 in all.

Curator bonis absentis dari solet agnatus proximior: qui si absens esset mortuus, ei succedere ab intestato posset aut aliquis ex creditoribus quorum interest, lib.3 t.25 p.245 c.2 d.5 numero 4 in all.

Curator hæreditati iacenti dandus non est, nisi auditis prius iis omnibus qui quoquo iure possunt succedere, l.6 t.12 p.680 c.2 d.17 n.1

Curator datus siue iacenti hæreditati, siue bonis condemnandus est proprio nomine in expensas litis temere ab eo susceptæ vel institutæ, l.7 t.18 p.868 c.1 d.69 nu.1

Curator bonis absentis datus an possit absentem immiscere bonis paternis conueniendo eius nomine paternos debitores? l.6 t.11 p.671 c.1 d.39 n.1

Curator bonis datur quamdiu expectatur persona hæredis instituti, l.6 t.6 p.640 c.2 d.9 n.5

Curator absentis bonis datus an possit absentem immiscere bonis patris, aut extranei, agendo ipsius nomine contra tertios bonorum possessores, l.6 t.12 p. 682 c.1 d.21

Curator bonis absentis datus tenetur satisdare sicut alius quilibet habens bonorum administrationem, p.154 c.1 d. 18 n.1 & 2

Curator bonis absentis datus Publicianam habet pro bonis quæ ex diuisione inter alios fratres facta absenti obtigerunt, si quis ea postea absente ignorante vendiderit, l.3 t.22 p.233 c.1 d.13 numer.1

Curator bonis datus actiones omnes tempore perituras exercere absentis nomine potest, l.3 t.22 p.233 c.2 d.13 n.13 in all.

Curator adolescenti petenti semper dandus est præsertim in litem: qui in rem etiam inuito dari potest, p.116 c.2 d.1 n.6 in all.

Curator pignus constituere non potest sed constitutum dumtaxat agnoscere, l.4 t.7 p.284 c.2 d.13 n.17 & 18

Curator vt nec tutor non potest acquirere hæreditatem pupillo nisi interueniente propria pupilli voluntate, l.6 t. 11 p.671 c.1 d.39 nu.6

An Curator prohibere possit ne se inscio nuptias minor contrahat, l.5 t.3 p.521 c.2 d.12 n.1 2 & 3

Curatoris datio non probat concludenter minorem ætatem, lib.4 t.14 p.323 c. 1 d.55 n.1

Curatori potissimum incumbit vt videat An expediat minori vẽdere & in quam rem vertatur precium, p.115 c.1 d.4 n.2

Curatorem bonis absentis dando si inter eius agnatos aut cognatos fiat transactio de ipsius successione, bonaque inter eos diuidantur, non valet transactio, l.5 t.40 p.610 c.1 d.1 n.3 in all.

Inter Curatorem ad litem & Procuratorem litis causa constitutum nihil aut parum interest, p.163 c.2 d.29 num.4

Curatore adhibito non male cum minoribus contrahitur, p.121 c.1 d.2 n.2

Curatore dato ad præstandam auctoritatem minori donaturo vel venditurο eædem iuris solemnitates interuenire debent quas in alienatione rerum minoris interuenire necesse est, p.114 c.2 d.2 n.1

de Curatore dando hæreditati, quę habet hæredem cum beneficio legis & inuentarij, l.6 t.11 p.668 c.1 d.29 n.1

CVRIAE supremæ sub nomine & autoritate Principis omnia decernunt, l.3 t.12 p.199 c.1 d.34 nu.1

D

DAMNATVS in exilium perpetuum si aduersario cædem minatus sit, nec possit satisdare de non offendendo, confestim nulloque ad colligendas sarcinulas spatio dato abire iubendus est, l.9 t.25 p.1206 c.2 d.10 n.1

DAMNVM pati alient compendij causa nemo cogendus, l.2 t.2 p.76 c.2 d.14 n.5 in all.

Damni causam vel saltem occasionem præbens damnum dare videtur, l.3 t.2 p.171 c.1 d.12 n.22 in all.

Damnum sentire non videbitur qui ex sua culpa sentit, l.4 t.1 p.270 c.1 d.46 n.7 in all.

Damnum aut molestiam pro debito procuratoris in bonis suis pati nemo potest, l.4 t.10 p.298 c.2 d.5 n.2 in all.

Damnum nullum infert qui aufert rem æque perituram l.4 t.41 p.475 c.2 d.33 n.6 in all.

Damnum quod sua quis culpa sentit, non videtur sentire, l.4 t.1 p.265 c.2 d.29 n.5 in all.

Damnum contingens fructibus in odium aut locatoris aut conductoris ei imputatur cuius odio contingit, l.4 t.41 p. 473 c.1 d.24 n.1 & 2

Damnum ad conductorem pertinet cùm aliquid potest ei imputari, l.4 t.41 p. 472 c.2 d.22 n.12 in all.

Damnum quod rebus coloni in fundo locato existentibus infertur ad conductorem pertinet, tanquam ad dominum, nisi in odium locatoris contigerit, l.4 t. 41 p.473 c.1 d.24 num.4 & 5

DAT & confert & diuidit etiam qui minus accipit, l.3 t.27 p.254 c.1 d.10 nu.2 in all.

DATIO in solutum fieri non potest nisi pro eadem ipsa quantitate quæ fuit debita adeò vt non valeat si vel vno nummo per errorem excedat, l.4 t.26 p. 410 c.1 d.28 n.4 in all.

Datione in feudum vel in emphyteusim non transfertur dominium directum sed retinetur, lib.2 t.43 p.487 c.1 d.7 n.1 in all.

DATVM in causam illiciti matrimonij repetitur, quia ob nullam potiùs quàm ob turpem causam datum intelligitur l.4 t.6 p.284 c.2 d.2 n.1

Datum vltra portionem hæreditariam non est conferendum, l.6 t.4 p.620 c.2 d.2 nu.1 2 3 4 & 5

Quod Datur coniugi plus quàm vni ex liberis prioris matrimonij restringitur indistinctè ad legitimam portionem, l.5 t.5 p.522 c.2 d.3 à n.1 2 3 4 5 6 & 7

Qui nihil *Debens* aliquid præstat, plus præstat quàm debet, p.134 c.2 d.1 nu.7 in all.

quod DEBETVR in aureis, potest solui in quacumque moneta ex consuetudine, dummodo ea moneta non sit minutissima, l.8 t.30 p.1099 c.2 d.37

Quod Debetur in diem peti non potest antequàm dies venerit, l.4 t.42 p.474 c.2 d.29 n.3 in all.

DEBITOR qui apochas profert non est facile condemnandus, l.8 t.30 p.1093 c. 2 d.22

Debitor debitoris iuuari non potest exceptione non factæ excussionis, quæ nouo iure tertiis possessorib. committit, l.4 t.10 p.297 c.1 d.2 n.14 & 15

Debitor debitoris cuius nomen pignori captum est, nullomodo potest interim vrgeri à suo creditore, nec si cum eiusdem sui creditoris creditor collusserit, l.4 t.10 p.301 c.2 d.11 n.1 2 & 3

Debitor debitoris non fit debitor primi creditoris citra delegationem, l.4 t.23 p.382 c.2 d.16 n.5 in all.

Debitor debitoris qui ignorans captum esse pignori nomen suum soluit creditori proprio, omnimodo liberatur, l.4 t.10 p.299 c.1 d.7 n.1 & 2

Debitor ob id solum quod debitor est res suas etiam pignoratas vendere non prohibetur, l.4 t.10 p.296 c.2 d.1 nu.1 in all.

Debitor qui in soluendo moram facit ad litis expensas tenetur, l.4 t.14 p.325 c.1 d.65 n.8 in all.

Debitor ob contumaciam condemnatus iussusque pati venditionem pignorum iudiciali autoritate captorum decreti interpositionę remorari potest si Principi supplicationem porrigat, p.51 c.1 d.7 n.1 2 & 3

Debitor non potest impedire missionem in possessionem ex subhastationib. etiam nullis vt neque decreti interpositionem nisi debitum offerat, si modò subhastatio facta sit pro debito, l.7 t.20 p.897 c. 2 d.53 n.1

Debitor cogendus non est vt pignus pro parte luat qui totum debitum offerre cogatur, l.4 t.18 p.318 c.1 d.3 n.19

Debitor prohiberi non potest quo minus suo & communi iure vtatur, p.152 c.2 d.14 n.6 in all.

Debitor interdum ex solo inuentario conueniri potest, l.3 t.12 p.197 c.1 d.27 n.2 in all.

Debitor interruptis subhastationibus secutaque sententia condemnatus ex integro citandus est, non eius procurator p.76 c.1 d.12 n.1 2 & 3

Debitor vel soluere vel bonis cedere debet, p.152 c.2 d.14 n.7

Debitor pro debito incerto in carceres detrudi non potest, p.152 c.2 d.14 n.10

Debitor pro debito liquido carceratus carceribus eximi non potest, licèt offerat satisdationem, p.152 c.2 d.14 n.1 & 2

Debitor ex instrumento quantumuis authentico & guarentigiato non potest iudicis imperio præcipuè cogi ad solutionem ante sententiam & condemnationem, nisi prius oblata per creditorem satisdatione, p.198 c.1 d.1 n.1 & 2

Debitor solutionis destinatę loco conueniri potest, si ibi domicilium habeat aut ibi repertus fuerit, l.3 t.15 p.200 c.2 d.4 n.3

Debitor pignoris distractionem impedire non potest, siue proprio nomine debitor sit, siue alieno, l.4 t.21 p.366 c.2 d. 12 n.2 in all.

Debitor pecuniæ nemo vnquam fit ob id, solùm quòd rem obligatam possideat, vt personali actione conueniri possit, l.3 t.19 p.220 c.1 d.32 numer.5 in all.

Debitor numquam præcisè cogitur ad factum sed præstatione eius quod interest liberatur, p.80 c.2 d.11 nu.7

Debitor qui à suis creditoribus conueniri non potest ob literas delatorias non eo minus debitores suos conuenire potest p.53 c.1 d.19 n.1

Debitor si certo tempore soluere debuit nec sua die soluit condemnatur ad id omne quod creditoris interest, l.3 t.15 p.204 c.1 d.1 n.10

Debitor qui litteras annales impetrauit

BIU Cujas

liberam habet ad soluendum anni vnius dilationem, p.49 c.2 d.2 n.1
Debitor in dolo esse videtur qui extorta liberalitate perfidè rebus creditis abutitur, p.64 c.2 d.16 n.7
Debitor non potest vllo tempore præscribere quantum ad sortem, sed potest quantum ad vsuras, nisi si quæ in fructuum vicem debeantur, l.7 t.13 p.828 c.1 d.9 n.1
Debitor contractum suum cogitur adimplere, l.7 t.7 p.812 c.2 d.20 numer.1 in all.
Debitor nec debitoris filius possunt constitui depositarij eius rei quæ offertur ad reuocandam executionem, l.7 t.20 p.896 c.1 d.47 n.1
Debitor dotalis marito etiam qui non sit soluendo soluere potest & debet, & quo remedio mulieri succurratur, l.5 t.7 p. 535 c.1 d.4 à n.1 ad 11
Debitor dotis cum aliquid in solutum dedit marito stipulanti cum notario pro se & vxore quæ postea hæres extiterit cum beneficio inuentarij quęnam & contra quem mulieri actio competat, l.5 t.7 p.544 c.1 d.34 à n.1 ad 15
Debitor venditionem pignoris impedire non potest, l.8 t.15 p.1007 c.2 d.2 n.7 in all.
Debitor neq; venditionem pignoris impedire potest, neque venditionis vicium vllum obiicere nisi oblato prius debito liquido, & præstita satisdatione pro non liquido, l.8 t.17 p.1020 c.2 d.1 nu.1 2 3 & 4
Debitor non potest opponere exceptionem discussionis nec si litem suscipiat pro tertio bonę fidei possessore qui eam exceptionem obiicere potuisset, l.8 t.23 p.1043 c.1 d.4 n.3 & 4
Debitor habens penes se instrumentum cancellatum, an & quando habeat exceptionem pacti de non petendo, aut præsumptionem solutionis, l.8 t.30 p. 1096 c.1 d.28
Debitor habens penes se chirographum cancellatum non ideo tamen liberatur, aut ipso iure, aut per exceptionem pacti de non petendo, nisi probetur traditio; habet tamen pro se præsumptionem, l.8 t.30 p.1088 c.2 d.1
Debitor qui priuilegium fori habet, non eo minus excutiendus est, l.8 t.28 p. 1078 c.2 d.33
Debitor vt non potest impedire venditionem pignoris, ita nec impedire retentionem, si post venditionem & addictionem pignoris certo pretio factam ipsi creditori velit debitor pignus luere oblata tantum pretij quantitate non etiam reliquo omni quod debetur, l.8 t. 19 p.1021 c.2 d.3 n.10 in all.
Debitor etiam in extremo vitæ discrimine constitutus non est eximendus carceribus, nisi creditores omnes consentiant, præterquam si id etiam concurrat, l.8 t.30 p.1091 c.2 d.16
Debitor qui à suo debitore cesso post multos annos pecuniam exegit, totius præteriti temporis vsuras debet, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 numer. 1 2 3 4 5 6 7
Hæreditarius debitor potest luere pignus intra tempora conficiendi inuentarij, l.6 t.11 p.670 c.1 d.35 nu.1 & 2
Debitor minoris pro tutore aut procuratore negotia eius gerere non potest, l.5 t.30 p.587 c.2 d.1 n.4 in all.
Debitor necessarius præsumitur legare suo creditori animo compensandi, at non voluntarius, nisi ex coniecturis, l.6 t.18 p.703 c.1 d.19
Debitor non potest esse aut iudex aut testis in causa sui creditoris, lib.3 t.4 p.176 c.2 d.9 n.4 in all. sui creditoris seruus est, *ibid.*
Debitor non potest obiicere fideiussori cur se in carceres detrudi passus non sit, l.4 t.26 p.408 c.2 d.24 numer.4 in all.
Debitor duobus soluere non cogitur, l.4 t.29 p.423 c.2 d.21 n.6 in all.
Debitoris est probare pecuniam à se oblatam & obsignatam probam fuisse alioqui nec valet oblatio, nec obsignatio, l.8 t.29 p.1106 c.2 d.54 n.1 2 & 3
Debitoris cuiuslibet bona non sunt tacitè obligata creditori, sed ex certis tantùm causis, l.4 t.10 p.297 c.2 d.2 nu.4 in all.
Debitoris nomen siue specialiter datum pignori siue in generali bonorum omnium obligatione contentum vtilem confert actionem creditoris creditori per quam assequi potest vt probet debitori suo deberi, l.4 t.10 p.297 c.1 d.2 n.5 & 6
Debitoris electio est in alternatiuis, l.4 t. 21 p.369 c.1 d.17 num.5 in all.
Debitoris collusio non debet nocere tertio possessori, l.8 t.6 p.973 c.2 d.18 n.2 in all.
Debitori libera est & esse debet quandocumque pignoris luitio, l.6 t.11 p.670 c.1 d.35 n.2 in all.
Debitori post factam legitimè obsignationem conuento, sed differenti obsignatæ quantitatis numerationem, non currunt vsuræ à die obsignationis in tempus vsque denegationis, sed à tempore denegationis, l.4 t.24 p.397 c.2 d. 38 n.2
Debitori permittendum non est vt in causa propria sibi ius dicat, l.4 t.18 p. 359 c.1 d.6 numer.7
Debitori debitoris inficianti nec specialiter nomen pignori datum, nec in generali bonorum omnium obligatione contineri inhiberi potest ne soluat ei cuius debitor esse dicitur, l.4 t.10 p.297 c.1 d.2 n.7
Debitori tamdiu supereſt ius offerendi quam diu creditor remanet vetus creditor, l.4 t.42 p.478 c.2 d.41 n.8 in all.
Debitorem aut creditorem suum inuitus nemo mutare cogitur, p.98 c.2 d.13 n.13 in all.
Debitorem amittens fit pauperior, l.5 t.10 p.567 c.2 d.10 n.3 in all.
de Debitore per delegationem liberato se obligante pro euictione pignorum à delegato datorum, l.8 t.30 p.1107
Debitorum nomina non sunt ex iis bonis, quorum obligatio summo & stricto iure permissa sit, l.4 t.10 p.297 c.1 d.2 n.12
Debitvm si dotis constitutionem præcedat potior creditoris hypothecarij causa esse debet, l.4 t.8 p.292 c.1 d.1 nu.2
Debitum vniuersitatis per vim & iniuriam soluere coacto regressus dari debet per actionē negotiorum gestorum, l.4 t.7 p.290 c.1 d.14 nu.1 2 & 3
Debitum fiscale, quando impediat cessionem bonorum, l.7 t.31 p.939 c.1 d.7 n.1 in all.
Debitum ante liquidationem incertum est non in substantia sed in quantitate p.167 c.2 d.3 n.2 in all.
Debitum nondum liquidum obsignare nec modo potest, p.182 c.2 d.11 num.7
Debitum in diem purè legatum valet, nec tantùm in commodo medij temporis sed in tota etiam quantitate, p.183 c.2 d. 14 n.3 in all.
Debitum quamdiu liquidum non est nihil potest imputari debitori certam quantitatem non offerenti, p.185 c.2 d.1 n.6
Debitum petere non potest qui quod debet facere differt, lib.4 t.14 p.313 c.1 d. 65 n.5 in all.
Debitum annuum ex iudicato æstimatur ad exemplum eius quod inter viuos debetur, l.4 t.2 p.271 c.1 d.3 n.3
Debitum in diem non potest solui ante diem, si dies fuerat adiecta in fauorem creditoris, l.8 t.30 p.1091 c.1 d.14 nu. 1 2
Ad Debitum taxandum & liquidandum mutuo collitigatorum consensu electus ab alterutro postmodum suspectus fieri non potest, p.147 c.2 d.10 nu.1
Debitum totum ante omnia offerendum est mulieri possidenti bona mariti. Alioqui si spoliata sit, possessio rei restituenda erit, nec debita oblatio sufficiet l.5 t.7 p.537 c.1 d.11 à n.1 ad 14
Debiti incertitudo impedit exactionem, l.4 t.24 p.387 c.2 d.10 n.2 in all.
Debiti liquidatio vel per æstimationem bonorum de quibus litigatum est, vel per assertionem victoris fieri solet, p. 167 c.2 d.3 n.4
Debiti oblatio in iudicio facta perinde proficit ad inducendam pignoratitiam actionem atque si soluta creditori esset pecunia, l.4 t.18 p.357 c.2 d.2 n.1
Debiti repetitio nulla fit à vero creditore qui suum recepit, nec si alius soluerit quàm qui debuit, p.127 c.2 d.4 n.2
Debiti totius numeratio non semper est in expedito, l.4 t.10 p.301 c.2 d.10 nu.1 in all.
Debiti chirographarij partem vltro soluens, licet agnoscat debitum nō tamen se obligat ad præstandas vsuras quas non deberet si nihil soluisset, l.4 t.24 p. 385 c.2 d.17 n.1 2 & 3
Debiti ius concessum priùs esse oportet quàm bonorum fiat cessio, p.167 c.1 d. 1 nu.3 in all.
Debiti quantitas licet certa sit, si tamen in diem incertam debeatur, solui ante diem non potest, p.182 c.2 d.11 num.7 in all.
Debiti partem soluens agnoscit totum debitum si modò debitum ipsius sit non alterius, l.4 t.24 p.390 c.1 d.17 n.2 in all.
Debiti solutione dilata per literas dilatorias etiam vsurarum exactio differenda est, si modò concessio ad omnem causam referatur, p.51 c.1 d.8 n.1
An & quando pro Debito possit quis detrudi in carceres l.8 t.6 p.969 c.1 d.7 à n.1 ad 13
Debita fiscalia nullam moram patiuntur p.59 c.2 d.19 n.6 in all.
Debita hæreditaria soluenda sunt hæredi cum beneficio legis & inuētarij, etiamsi datus sit curator hæreditati, lib.6 t.11 p. 669 c.2 d.34 nu.1 2
an Debitorum omnium appellatione quę maritus tempore mortis reliquerit, contineatur dos quæ mulieri aut eius hæredibus restituenda est, l.6 t.19 p. 710 c.1 d.22
in Debitis fauorabilibus annuis solutio facienda est initio anni, quia cœptus annus habetur pro completo, l.8 t.30 p.1090 c.1 d.12
Decendivm datum ad appellandum incipit currere & computatur ex die pronunciatæ sententiæ l.7 t.27 p.922 c.1 d.6 n.1 in all.
Deceptvm se dicere non potest, qui sciuit, l.4 t.43 p.512 c.1 d.74 num. 8 in all.
Deceptus videtur qui non aliter fuit contracturus, l.5 t.10 p.567 c.1 d.10 nu.3 in all.

BIU Cujas

DECIPI non debet qui secutus est fidem hastæ publicæ, l.7 t.20 p.885 c.2 d.17 n.10 in all.

Decipi nemo debet sub fide hastæ publicæ, aut qui Prætore authore comparauit l.5 t.40 p.602 c.1 d.8 nu.14 in all.

DECESSORIS factum nocet successoribus etiam ex propria persona venientibus si ex eo facto defecit conditio, sub qua successores fuerunt vocati, l.6 t.25 p.742 c.2 d.7

DECIMAE nomen præ se fert quanta esse debeat ea fructuum portio quæ Deo in signum & recognitionem vniuersalis dominij debetur, p.6 c.2 d.24 nu.1

Decimæ quota potest præscribi tam ratione petitorij, quàm possessorij, l.7 t.13 p.829 c.2 d.14 n.1

Decimæ præstandæ oblatio ex iure diuino est: potest tamen ex iusta causa summus Pontifex quaslibet immunitates concedere, p.28 c.1 d.1 n.2 in all.

Si Decimę quota incerta sit recurrendum est ad consuetudinem quę in locis proximioribus frequentius recepta est, p.19 c.2 d.63 n.1

Qui pro Decima fatetur se debere vigesimam quorundam fructuum, trigesimam verò aliorum non potest condemnari vt lite pendente omnium vigesimam præstet, p.7 c.1 d.24 n.7

Decimæ tempore suo non petitæ sunt quasi iudicio tacito remissæ, p.20 c.1 d.66 n.1

Decimarum exequendarum ad formam iuris semper ecclesia ius possidet, quandiu contraria possessio nulla est, cuius ratio, defectu probationum, in iudicando haberi possit, p.19 c.2 d.63 nu.13 & 14

Decimarum persoluendarum cognitio ad ecclesiasticum non secularem iudicem pertinet, l.3 t.12 p.192 c.2 d.12 nu.105

Decimarum perceptio in qualibet parochia ex ratione iuris communis ad parochum solum pertinet, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.1

Decimarum acquirendarum & tenendarum laici post Concilium Lateranense prorsus sunt incapaces, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 nu.3

in Decimarum percipiendarum possessione etiam laicus eum tuetur qui se possessorem probauerit, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.5

de Decimarum percipiendarum possessione cognitio ad laicum iudicem pertinet, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 numero 4 in all.

Nihil magis quàm Decimas aut primitias Deus ab hominibus exigit: vnde configi dicitur cum eæ non soluuntur, p.34 c.1 d.23 nu.3 in all. & p.33 c.2 d.21 n.2 in all.

DECRETI interpositio non fit ad finiendum tempus redimendi, sed ne de subhastationum forma & viribus in trigesimum vsque annum quæri possit, p.124 c.1 d.4 n.4 in all.

Decretum iudicis patris præsentiam & curatoris supplet, p.113 c.2 d.2 num.6 in all.

DEDVCERE nemo cogitur in conuentionem quod potest aduersarius solus facere per protestationem, l.4 t.36 p.447 c.1 d.5 n.1 & 2

DEFECTVS insinuationis viciat donationem etiam conditionalem quæ ab initio insinuari debuit, licet euenientis conditionis tempore desierit necessaria esse insinuatio, l.8 t.40 p.1144 c.1 d.1 num.1

DEFENDENS rem male quidem iudicatam sed in consequentiam præcedentis interlocutionis, à qua non nisi serò fuerit prouocatum, nullas eo nomine expensas debet, l.7 t.26 p.914 c.2 d.25 n.1

Defendere est eandem causam quam reus subire, l.4 t.9 p.293 c.2 d.2 numer.2 in all.

Pro Defensionum varietate diuersa potest vincendi vel succumbendi causa, p.174 c.2 d.2 n.4 in all.

DEFVNCTI persona nulla est, l.3 t.19 p.221 c.2 d.35 n.2 in all.

Defuncti voluntatem scindi incõueniens est, l.3 t.19 p.213 c.1 d.2 nu.2 in all.

DELATIONEM differentis mors non extinguit cum eius præsentia per hæredem suppleri possit, l.4 t.1 p.261 c.2 d.15 n.2 in all.

DELEGANS soluere censetur, l.5 t.10 p.567 c.2 d.10 n.1 in all.

Delegans debitorem soluit, & delegatio pro solutione est, l.6 t.18 p.698 c.2 d.6 n.3 in all.

DELEGATIO omnis nouatio est, at non omnis nouatio est delegatio, l.8 t.29 p.1085 c.1 d.2 n.2 in all.

Delegatio quælibet includit nouationem & liberationem, l.5 t.10 p.567 c.2 d.10 n.1 in all.

Delegatio interdum fit & interpretatur per acceptilationem, l.8 t.29 p.1088 c.1 d.12 semper nouationem continet, ibid. n.9 in all.

Delegatio debitoris habet vim solutionis, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 numer.2 in all.

Delegatio minus potest quàm solutio in præiudicium anterioris creditoris, qui delegationi non consenserit, l.8 t.29 p.1087 c.2 d.10

Delegatio facta non in solutum, sed in pignus non liberat delegantem, nec si aduersus delegatum vetus debitor agere cœperit, l.8 t.29 p.1087 c.1 d.9

Delegatio facta per rectorem ecclesiæ non tollit petitionem augmenti monetæ, quo minus salua illa sit successori, l.8 t.29 p.1086 c.2 d.7

Delegatione facta quantitatis certę ita vt debitor sit omnino liberatus à priore creditore, nullum augmentum debetur, neque veteri creditori, neq; nouo, l.8 t.29 p.1085 c.1 d.5

Delegatio quælibet necessariam nouationem includit, l.4 t.7 p.285 c.2 d.1 n.14 in all.

Delegatio nominis pro solutione est, multo magis ipsa datio in solutum, l.4 t.5 p.283 c.2 d.1 n.8 in all.

Delegatio nec inter absentes, nec sine stipulatione contrahitur, l.4 t.10 p.301 c.2 d.10 n.3 in all.

Delegatio non fit sine stipulatione quæ interponatur inter primum creditorem & nouum debitorem, l.4 t.41 p.474 c.2 d.28 n.6 in all.

Delegatio mutat debitorem, l.4 t.41 p.475 c.2 d.32 n.4 in all.

DELEGATVS iudex non potest recusari ex iis causis quas deleganti cognitas & expositas fuisse ex ipso delegationis rescripto appareat, lib.3 t.5 p.176 c.1 d.8 num.6

Delegatus à Principe potest subdelegare quoties aliud nihil impedit, l.3 t.3 p.173 c.2 d.4 n.3

Delegatus à muliere, cui nihil ille aut minus debebat, nullam ideo exceptionem vel actionem habere contra mulierem potest, l.5 t.6 p.533 c.2 d.14 nu.1 & 2

DELICTVM est si quid vi aut clam fiat, l.3 t.24 p.241 c.2 d.8 numer.6 in all.

Delictum non fit sine dolo, l.4 t.15 p.342 c.1 d.54 n.9 in all.

Delictum nunquam est sine dolo, nec vnquam præsumitur, nisi probetur, p.71 c.1 d.15 n.3 in all.

Delictum ex facto æstimatur, l.9 t.4 p.1157 c.1 d.6 n.6 in all.

Delictum admissum magis causam actioni & condemnationi præbet quàm mãdatum, l.3 t.14 p.203 c.2 d.2 n.1

Delictum remanere impunitum publicè interest, l.9 t.13 p.1173 c.1 d.2 numer.8 in all.

Delictum solet aggrauari valdè ex circunstantia loci, l.9 t.20 p.1185 c.2 d.6 n.4 in all.

Delicti probatio nullo certo testium numero concluditur, l.4 t.15 p.328 c.2 d.3 nu.5

Delicti ratione forum quis sortiri potest, p.103 c.2 d.1 n.4 in all.

Delicti vnius pœna ob aliud delictum numquam minuitur, l.3 t.22 p.231 c.1 d.7 n.6 in all. & l.4 t.1 p.258 c.2 d.5 n.5 in all.

Delicta impunita manere non debent, l.4 t.15 p.330 c.2 d.10 n.5 in all.

Delicta quo sunt atrociora ea non solùm seuerius, sed etiam citius puniri debent l.9 t.1 p.1148 c.1 d.1 n.2

Delicta iterata grauius puniuntur, l.4 t.15 p.330 c.1 d.9 n.2 in all.

Delictis pœnæ non præmia proponuntur lib.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.14 in all.

Delictis grauioribus nullus immunitatis fauor obtendi potest, p.41 c.1 d.1 n.6

In Delictis is iudex præuenisse dicitur, cuius primùm imperio delinquens in ius vocatus est & prehensus, l.3 t.14 p.203 c.2 d.3 n.1

DELINQVENS, An & quando ex delicto forum sortiri possit? l.3 t.14 p.203 c.1 d.1 n.3

Delinquit qui delinquendi occasionem & materiam alij præbet, l.4 t.16 p.351 c.1 d.19 n.5 in all.

Delinquit qui attentat in spretum iudicis, cuius autoritas infringitur, p.56 c.2 d.5 n.4

Delinquit grauiùs qui præsens negligit iudicem quàm qui absens, p.163 c.1 d.27 n.1 in all.

Delinquunt illi qui delinquentem non manifestant, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.9 in all.

DENVNCIATIO quomodo facienda, l.8 t.29 p.1084 c.2 d.1 n.9 in all.

Denunciatio facta per cessionarium debitori qui non consenserit, non impedit ne cedens possit exigere, si modo in hoc quoque cessionarius consentiat non aliter, l.8 t.29 p.1084 c.1 d.1

Denunciatio cessionis factæ in solius cedentis commodum non impedit quominus cedenti solui possit, l.8 t.30 p.1091 c.1 d.3 nu.1 & 2

Denunciatio facta falso tutori non excludit spoliationem quæ adesset si nulla præcessisset denunciatio, l.8 t.3 p.955 c.2 d.13 nu.1 2 3 & 4

Denunciatio per fideiussorem facta creditori vt exigat solutionem à debitore non liberat fideiussorem: sed liberat eum qui promisit se fideiussurum, si debitor tum diues fiat postea non soluendo, l.4 t.27 p.1081 c.1 d.39 n.1

Denunciatio constituit aduersarium in mala fide adeoque in dolo, quoties ab eo facta est qui denunciandi ius habuit, l.3 t.21 p.190 c.1 d.2 n.8 in all.

Denunciatio domini ius suum præsertim in iudicio declarantis inducit malam fidem si quid postea factum sit in fraudem & præiudicium eiusmodi denunciationis, l.3 t.22 p.231 c.2 d.8 n.3 in all.

BIU Cujas

Denunciatio in vim citationis non fit, l.3 t.12 p.190 c.1 d.2 n.7 in all.

Denunciationis onus per pactum remitti potest, lib.4 t.18 p.357 c.2 d.1 n.6 in all. & l.4 t.26 pag.410 c.2 d.27 numer.7 in all.

Denunciatio est actus extraiudicialis & vbicumque fieri potest nullo etiam præcedente mandato, p.74 c.1 d.2 n.7 in all.

DEPONENS & depositarius idem esse non potest, p.111 c.1 d.3 n.9 in all.

DEPOSITARIVS re deposita citra furtum vti non potest, l.4 t.21 p.371 c.2 d.24 n.3

Depositarius verus nullas contra depositi actionem exceptiones objicere potest, l.4 t.25 p.398 c.2 d.2 n.4 in all.

Depositarius non tenetur de culpa, tenetur autem de dolo etiam præsumpto, l.4 t.25 p.399 c.2 d.4 n.1 2 3 & 4

DEPOSITVM non nisi re contrahi solet l.4 t.21 p.369 c.1 d.17 n.9 in all.

Depositum probari potest ex confessione facta inter easdem partes, licet non possit contrahi, l.4 t.21 p.369 c.1 d.17 n.9 in all.

Depositi sola confessio non probat depositum & obsignationem, quæ solutionis vim habeat contra creditorem, præsertim ad sistendas vsuras, l.8 t.30 p.1092 c.1 d.17

Res deposita penes coniuges factos correos debendi ex causa deposita nō præsumitur tota peruenisse ad maritum, ideoque potest mulier conueniri siue sit ipsa hæres mariti siue alius, l.4 t.21 p.371 c.2 d.24 n.1 & 2

DEPOSITIO quando traditionis vim habeat? l.4 t.40 p.460 c.1 d.2 n.7

DESCENDENTIVM hæreditates non agnitæ non transmittuntur ad ascendentes, sed contra ascendentium ad descendentes, l.6 t.29 p.764 c.2 d.1

DEVOLVIT patroni negligētia ius ipsius ad prælatum: prælati vero negligentia deuoluit ius ad summum pontificem, & quando currat tempus, l.6 t.1 p.615 c.1 d.3 n.1 2 3 4 & 5

Deuoluti ius propter pestem cessat, l.6 t.1 p.615 c.1 d.3 n.4 in all.

Deuolutioni locus est in pœnam & odium negligentiæ illius duntaxat qui sciuit beneficium vacare nec prouidit, l.4 t.14 p.316 c.2 d.34 nu.3

Qui Deuolutionis causa beneficium obtinuit, prælati negligentis scientiam probare debet, l.4 t.14 p.316 c.1 d.34 n.1 & 2

DIES vtiles non sunt, nisi in quibus de iure suo experiri quis potest, p.165 c.2 d.36 n.1 in all.

Dies incertus pro conditione habetur in testamentis, l.6 t.6 p.637 c.1 d.2 nu.2 in all.

De DIFFERENTIA bonæ fidei possessoris & prædonis quantum ad restitutionem fructuum in petitione hæreditatis. Item quantum interfit an hæreditas petatur, an fideicommissum hæreditatis, l.7 t.18 p.866 c.1 d.64 à n.1 ad 33

DIGNITAS maior incompatibilis tollit minorem, p.31 c.2 d.13 n.3 in all.

Dignitas maior superueniens augere non minuere priorem statum debet, p.31 c.2 d.13 n.7 in all.

Dignitas plus quàm nobilitas est cùm possit esse sine nobilitate, l.9 t.29 p.1221 c.1 d.24 n.1 in all. & p.1216 c.1 d.10 n.6 in all.

Dignitas non excusat vbi vrget necessitas quæ semper est potentior, l.9 t.28 p.1220 c.1 d.23 n.2 in all.

Dignitatis publicæ ratio maior habenda est quàm priuatæ vtilitatis, l.4 t.16 p.349 c.1 d.13 n.10 in all.

DILATIO moratoria vltra quinquēnium concedi non potest, ne quidem à supremo Principe, p.53 c.1 d.17 n.3

Dilatio ei qui adeundi Iudicis absentis copiam non habuit, non currit, p.186 c.2 d.2 n.1 2 3 & 4

Dilatio semel tantum, nisi cognita causa in pecuniariis causis conceditur, p.49 c.2 d.1 n.4 in all.

Dilatio data per sententiam conditionalem à qua fuerat prouocatum non prohibet intra mensem proximum iudicato satisfacere, ac si nunc primum sententia reddita, nec ab ea prouocatum esset p.186 c.2 d.3 num.1

Dilationis impedita tempora non currunt, p.50 c.1 d.2 n.3 in all.

Dilationum tempore pendente, Iudicis officium omnino quiescit, p.78 c.1 d.3 n.4 in all.

DILIGENTIORIBVS semper magis fauere legislator solet, l.6 t.11 p.669 c.2 d.33 n.2 in all.

ad DIMINVTIONEM inducta augmentum operari non debent, l.4 t.29 p.418 c.1 d.3 n.6 in all.

DIPLOMATE principali aduersus peremptionem instantiæ opus est ad peremptam instantiam resuscitandam, p.165 c.2 d.36 n.4

DISCVSSIONIS instantia quid, l.6 t.11 p.659 c.1 d.2 n.1

Discussionis instantia pendente, an & quando ferenda sit interim pro aliqua ex creditorib. prouisionalis sententia, l.4 t.11 p.660 c.1 d.4

Discussionis instantia pendente non est audiendus creditor agens conditione ex l.vlt. C. de acq. poss. nisi auditis cæteris creditoribus, lib.6 t.11 p.672 c.1 d.40 n.1 & seq.

DISPOSITIO nullius est momenti quoties is ad quem testator sermonem suum confert non est in rerum natura, l.6 t.8 p.647 c.1 d.9 numer.4 in all.

Plus est Dispositionem inducere quàm probationem, l.4 t.14 p.314 c.1 d.23 n.2 in all.

DISSIMVLATIO pro consensu habetur l.4 t.10 p.300 c.2 d.8 n.11 in all.

DISTRAHENDI negotij eadem ratio est quæ contrahendi, l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 nu.3

DIVES eleemosynam accipiendo grauiter peccat, cū eam subtrahat pauperi, & accedit ea res ad sacrilegium, l.1 t.3 p.41 c.2 d.57 n.2

DIVIDERE regionibus vectigale agrum non facile iudex debet, l.4 t.43 p.489 c.2 d.10 n.2 in all.

Diuidi potest fundus emphyteuticarius inter plures personas, & ita solutio quoque canonis annui sed possessorum expensis ac sine domini directi incommodo, l.4 t.43 p.489 c.1 d.10 n.1 2 & 7

DIVISIO differt à venditione, quod nullum precium in diuisione intercueniat, neque illa diuidentium est voluntas vt vel emant vel distrahant, lib.3 t.27 p.252 c.2 d.8 numero 3

Diuisio facta inter hæredes institutos ex certis rebus & grauatos fideicommisso, non mutat causam fideicommissi, in præiudicium substitutorum, l.6 t.6 p.639 c.1 d.7

Diuisio rescindi potest ex causa læsionis ad trigesimum vsque annum, l.3 t.27 p.252 c.2 d.7 n.1

Diuisio permutationis quandoque vicem obtinet, l.3 t.27 p.252 c.2 d.7 n.8 in all. & emptionis, l.6 t.8 p.358 c.1 d.3 n.3 in all.

Diuisio alienatio dicitur, l.3 t.27 p.251 c.1 d.3 n.10 in all.

Diuisio bonorum communium in vna prouincia differri nō debet ob id quod in alia prouincia quædam sint communia si non steterit per actorem quominus illæ etiam diuiderentur, l.3 t.25 p.244 c.1 d.3 n.1 2 3 & 4

Diuisio hæreditatis plerumq; fit per mutuas adiudicationes, l.4 t.35 p.445 c.2 d.1 n.15 in all.

Diuisio ex decennali separata perceptione fructuum præsumitur, non tamen in præiudicium mulieris si maritus dotis fructus perceperit, l.7 t.1 p.783 c.2 d.14 nu.1

Diuisio est facti & ideò nunquam fit ipso iure sed actu & facto aliquo opus est siue expresso siue tacito, l.7 t.1 p.790 c.1 d.25 n.23 in all.

Diuisionis perfectus contractus ex causa enormis læsionis rescindi potest, lib.3 t.27 p.250 c.2 d.3 nu.1

Diuisioni tacito consensu renunciasse videntur qui post diuisionem etiam in scriptis factam bona communia retinuerunt per continuum longi temporis spatium, l.3 t.27 p.250 c.1 d.1 nu.1

Diuisionem voluntatis non inducit varietas iuris, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 num.31 in all.

Diuisionem non patitur quod vno & indiuibili consensu celebratum est, l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 n.3 in all.

Diuisionem pro modo & quantitate temporis fieri necesse est vt iurisdictionis communis commoda diuidantur, l.3 t.26 p.247 c.2 d.5 n.5

DOLVS est si quis persequi nolit quod persequi potest, aut si quis non exegeris vel soluerit quod exigere vel soluere debet, l.4 t.26 p.401 c.2 d.6 numer.11

Dolus in reipsa æquiparatur dolo ex proposito, l.8 t.3 p.954 c.2 d.18 nu.18 in all.

Dolus aut calumnia nunquam debet manere impunita, l.7 t.18 p.866 c.1 d.63 n.4 in all.

Dolus probatur ex coniecturis, l.7 t.3 p.798 c.2 d.4 n.6 in all.

Dolus ex vultu ipsius rei colligi potest, quia per exteriora comprehenduntur interiora, l.9 t.21 p.1187 c.1 d.1 numer.1 in all.

Dolus ab ignorante non committitur nec rursus crimen sine dolo, l.7 t.15 p.1178 c.1 d.2 num.2

Dolus patris semper vindicandus est, etsi contra filium ipsum admissus sit lib.4 t.19 p.360 c.2 d.2 n.11 in all.

Dolus incidens in contractum etiam bonæ fidei, non facit eum nullum, sed tantum restitutionis auxilium inducit, l.4 t.22 p.374 c.1 d.1 n.9 in all.

Dolus præteritus sufficit ad rescindendam transactionem, p.91 c.1 d.13 nu.3

Dolus & contumacia possessoris locum facit commisso, cum ad hoc sufficiat etiam sola negligentia & cessario per triennium in solutione in emphyteusi priuata, per biennium verò in emphyteusi ecclesiastica, l.4 t.43 p.493 c.1 d.21 n.4 in all.

Dolus numquam impunitus esse debet, ne tum quidem cùm ipsi doloso damnosus futurus est, p.30 c.2 d.10 num.1 in all.

Dolus nunquam impunitus manere debet, l.6 t.11 p.662 c.1 d.9 numer.5 in all.

Dolus doloso numquam prodesse debet, nec malitiis patrocinandum aut indul-

BIU Cujas

indulgendum vnquam est l.4 t.14 p. 322 c.2 d.54 n.3 & 8 in all.
Dolus in delictis potiùs quàm casus præsumitur lib.4 t.54 p.320 c.2 d.52 nu.2 in all.
Doli sola allegatio etiam per viam exceptionis onerat existimationem apud bonos & viros graues p.165 c.1 d.35 n.2 in all.
Doli suspicione nō caret qui rescriptum impetrat p.62 c.1 d.2 n.2
qui Dolum allegat probare debet p.145 c.1 d.1 n.17 in all.
culpa lata Dolo proxima est lib.4 t.16 p. 349 c.2 d.15 n.13 in all.
Dolo vix caret is, qui vltro vni offert quod pluribus debetur, si non vel iubeatur à prætore vel saltem interpelletur, ab eo cui soli soluit quod scit se omnibus debere l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 n.6 in all.
Dolo facere dicitur qui agit ex stipulatione interposita sine causa, licet ab initio nihil dolo fecerit, p.117 c.1 d.1 nu.8 in all.
Dolo carere non potest, qui magistratus imperio non paret l.4 t.10 p.300 c.1 d. 8 n.2 in all.
qui Dolo malo plus petit & per auaritiam delinquit, punitur p.185 c.2 d.1 n.6 in all.
à Dolo excusare causa quælibet etiam iniusta in criminalibus solet p.184 c.2 d. 17 n.12
in Dolo est, saltem in mora, qui partis prætextu totum retinet l.4 t.2 p.278 c.1 d.18 n.6 in all.
Domicilium patris non semper est domicilium filij p.74 c.1 d.3 numer.1 in all.
Domicilium nouum contrahere quis non videtur ex eo quod colendi fundi causa in eo diuersetur si in alio loco negotia sua gerat, diésque festos celebret p.12 c.1 d.45 n.15
Domicilium vbi quis habet, ibi percipere sacramenta debet p.13 c.2 d.45 numer.9
qui Domicilium in prouincia non habet certis locis in eam rem destinatis ad vtriusque prouinciæ confines proximiores vocari potest p.73 c.1 d.2 num.1
Domicilium defuncti ad heredem non transit, domicilium enim facti est non iuris pag.157 col.1 d.4 numer.5 in all.
Domicilij mutatio quomodo probetur, lib.7 t.18 p.872 c.2 d.89 numero 2
Domicilij noui non veteris locus prævalet, si alius sit locus originis, alius domicilij modo nihil in fraudem factum sit l.9 t.30 p.1128 c.1 d.10 numer.1
Domicilij ratio temporalis est & pro cuiusque arbitrio constitui & transferri potest l.9 t.30 p.1128 c.1 d.10 num.1 in all.
Domvs tutissimum cuiusque refugium est p.73 c.2 d.1 num.12 in all.
Dominivm per possessionem acquiritur p.88 c.2 d.3 n.2 in all.
Dominium non admittit, qui rei propriæ sequestrem se fieri patitur l.4 t.25 p. 398 c.1 d.1 nu.2 & 3
Dominium nunquam transfertur si nullus titulus iustus præcedat lib.8 t. 16 pag. 1010 c.1 & 2 d.4 numero 2 in all.
Dominium rei donatæ absenti solo notario stipulante transit in absentem ex notarij stipulatione, dummodo ante reuocationem sequatur ratihabitio donatarij, viuo scilicet donatore lib.8 t.36 p.1126 c.2 d.3 num.1 2 & 3
Dominium contra tertios possessores probandum est l.4 t.14 p.308 c.1 d.3 n.12 in all.
Dominium in vindicationis iudicio necessario probandum est, quod vix est vt fieri possit sine alicuius tituli productione l.4 t.15 p.327 c.2 d.2 numer.1 in all.
Dominium præsens non præteritum in rei vindicatione probandum est l.4 t.14 p.319 c.2 d.47 n.4 in all.
Dominium sine possessione transferri non potest l.3 t.22 p.230 c.1 d.4 num.7 in all.
nec Dominium nec possessio rei depositæ in depositarium transfertur, p.3 c.2 d.9 n.2 in all.
Dominium nullum ex contractu pignoris transferri potest l.4 t.42 p.512 c.1 d.74 n.12 in all.
Dominium alij quæri non potest ex emptione per alium facta l.4 t.34 p.444 c. 2 d.13 n.8
Dominium sine titulo non transfertur, neque traditione interueniente: facilius verò transfertur sine traditione quam sine tit. l.4 t.34 p.444 c.2 d.13 numer.7 in all.
Dominium per pignus non transfertur sed nuda possessio p.138 c.2 d.3 nu.14 in all.
Dominium ex possessione & fructuum perceptione probatur si incidenter tantum non etiam principaliter de dominio quæratur l.3 t.22 p.235 c.1 d.18 nu.1 & 2
Dominium non nisi per possessionem acquiri solet l.3 t.22 p.235 c.1 d.18 numer.3 in all. & p.88 c.2 d.3 numer.2 in all.
Dominij quæstio inter locatorem & conductorem ob interuentionem eius qui se dominum rei locatæ dixit, admittitur, l.3 t.22 p.231 c.1 d.8 nu.12
Dominium ex sola possessione præsumitur nisi constet de alio titulo l.4 t.14 p. 317 c.2 d.40 n.1 2 3 & 4
Dominium rei signatæ per signum probatur l.4 t.14 p.325 c.2 d.69 n.5
Dominium acquiri regulariter non potest sine possessione l.7 t.7 p.816 c.2 d.35 n.4 in all.
Dominium eius rei cuius retinuerit possessionem nemo à se abdicasse videtur l.7 t.20 p.896 c.1 d.47 n.2 in all.
Dominium & possessio rei depositæ maneat penes deponentem p.20 c.2 d.67 nu.7
Dominium vtile quod penes defunctum fuit consolidari cum directo non potest quin reuertatur ad dominum directum l.3 t.23 p.237 c.1 d.4 n.7
Dominium nunquam transfertur ex causa temporali, l.6 t.19 p.708 c.2 d.11 n.5 in all.
Dominium vnum idémque in solidum penes duos esse non potest, lib.4 t.43 p. 485 c.1 d.1 n.9 in all.
Dominium per traditionem transfertur quoties iusta & habilis causa præcedit, l.4 t.3 p.495 c.1 d.28 n.4 in all.
Dominium absenti acquisitum siue ex hereditaria causa, siue ex diuisione, ignoranti ipsi adimi alieno facto non potest l.3 t.22 p.235 c.2 d.13 numero 1 in all.
Dominium vtile non potest consolidari nisi cum directo, l.4 t.43 p.485 c.1 d.1 n.8 in all.
Dominij quæstio ei referri non potest cui solutus est per multos annos canon annuus tanquam ius habenti à domino directo l.4 t.42 p.508 c.1 d.63 nu.1 2 & 3
Dominij directi recognitio per minorem facta sine curatoris sui autoritate non eo minùs valet l.4 t.38 p.456 c.2 d.5 n. 1 & 2
Dominij quæstionem qui ius habet à meo conductore referre mihi non magis potest quàm conductor ipse, l.4 t. 42 p.471 c.1 d.20 n.1 2 & 3
Dominium non ex solo pacto permutationis citra traditionem transfertur, l.4 t.44 p.460 c.1 d.2 n.10
Dominium vendicanti locatori dominij quæstionem referre conductor potest, condicenti possessionem non potest l.4 t.41 p.478 c.1 d.41 n.1 2 3 & 4
Dominvs scisse præsumitur quod in suam vtilitatem à domesticis factum est nisi probetur ignorantia, l.4 t.14 p.319 c.2 d.48 n.1 & 2
Dominus nō debet famulo medicamenta nisi sint modica, aut nisi probetur contractum esse morbum ex ea causa quę ad domini vtilitatem spectabat, l.4 t.7 p.291 c.2 d.19 n.3 & 4
Dominus iacens in subditos iurisdictione sua priuandus est p.208 c.2 d.2 n.2
Dominus rei vindicationem habet directam pro canone emphyteuticario contra quemlibet possessorem p.183 c.1 d.12 n.2 in all.
Dominus solus non est, qui socium habet nec in re communi inuito socio aliquid potest facere, l.3 t.26 p.248 c.2 d.1 n.1 in all.
Dominus hominis talliabilis non habet beneficium edicti *le mort saisit le vif*, l.7 t.7 p.808 c.2 d.8 n.1
Dominus cum vasallo concurrit in persecutione mulctæ pecuniariæ nec alter alteri anteponitur, vtrique vero pars læsa præfertur l.9 t.26 p.1210 c.2 d.3 n.1
Dominus minus iuris habet in subditos iurisdictionales, quàm patronus in liberos, l.3 t.18 p.208 c.2 d.2 n.2 in all.
Dominus superioris molendini prohibere non potest ne in inferiore loco alius molendinum exstruat, tametsi ex eo futurum sit vt superioris reditus diminuitur, p.240 c.1 d.5 n.1 & 2
Domini ius nullum est in bonis quæ manserunt communia licet alia separatim fuerint acquisita l.7 t.1 p.782 c.2 d. 10 n.1
Domini in solidum eiusdem rei duo esse non possunt l.7 t.1 p.782 c.2 d.9 nu.9 in all.
Domini ius in succedendo talliabilibus conseruatur si aliquando vsus eo dominus sit quamuis non semper l.7 t.1 p. 788 c.1 d.24 nu.1
Dominus directus non est cogendus pati se remitti ad instantiam discussionis vt de iure suo disputet cum creditotibus si quando illi volent in feudalem aut emphyteuticarium agere tanquam obligatum, dummodo probet ille aut feudalem esse aut emphyteuticarium, l.4 t.43 p.507 c.2 d.61 num.19 in all.
Dominus directus non cogitur rem emphyteuticam indicare possessori qui ipsę recognouit nec heredi eius p.492 c.1 d.18 n.1 & 2
Dominus directus non potest authoritate propria occupare possessionem rei quam sibi commissam esse dicit l.8 t.3 p.952 c.1 d.2 à num.3 ad 17
Dominus qui donationem laudauit, An & quando præferatur donatario, à quo laudimia acceperat l.8 t.35 p.1134 c.1 d. 6 à n.1 ad 12
Dominus directus nullum habet priuilegium pro reliquis annuarum pēsitationum si agat in personam, secus si in rem

BIU Cujas

ipsam emphyteuticam l.7 t.32 p.940 c. 1 d.2 n.1

Dominus directus non cogitur vti iure suo l.4 t. p.487 c.2 d.7 numer.17 in all.

Dominus directus cogitur iudicare rem emphyteuticam ei qui recognouit si is neget se possidere, sed periculo possessoris, l.4 t.43 p.494 c.1 d.25 n.1 2 3 4 & 5

Dominus directus præfertur omnib. non tantùm in fundo emphyteuticario sed etiam in cæteris bonis emphyteutæ si sint ei obligata, l.4 t.42 p.504 c.2 d.59 n.1 2 & 5

Dominus directus non tenetur de euictione nisi ad precij restitutionem præterquàm si fuerit in dolo p.503 c.2 d.51 n.1 2 3 & 4

Dominus directus qui tanquam creditor vrsit venditionem rei emphiteuticariæ non cogitur offerre creditoribus qui post emphyteusim constitutam superuenerint, p. 507 c.2 d.62 n.1 2 3 & 4

Dominus directus suo emphyteutæ nulla debet officia, nullámque affectionem nisi cum agitur de re emphyteuticaria, l.3 t.4 p.176 c.2 d.9 num.1 in all. debet emphyteutam defendere si de ipsa re emphyteuticaria agatur, etiam si de iure ipso emphyteutico non agatur. Ibid. n.2 in all.

Dominus directus non minus cogitur ire ad domum emphyteutæ quam alius creditor quilibet ad domum sui debitoris, nisi vel conuentio sit in contrarium, vel consuetudo, l.8 t.30 p.1089 c. 2 d.4

Domino directo An competat exactio reliquorum pro eo tempore quo dominium illud alij locatum fuit, l.4 t.43 p. 508 c.1 & 2 d.64 à nu.1 ad 12

Dominus iurisdictionis potest ad nutum reuocare officia quæ dedit, nisi dederit ex causa remuneratoria, vel alia onerosa, l.8 t.37 p.1140 c.1 d.18

Dominus solius feudi sæuiens in personam possessoris qui sit ex alterius iurisdictione, eumque occiderit, priuatur omni iure feudi, l.3 t.18 p.208 c.2 d.2 n.3 in all.

Dominum & debitorem esse eiusdem rei non repugnant, l.6 t.19 p.710 c.2 d.22 n.10 in all.

Donans vxorem ducenti bessem bonorum suorum cum fructibus contemplatione matrimonij, quod alioqui contractum non fuisset si, dicat postea conuenisse inter se & maritum vt quandiu donator ipse viueret saluum haberet rerum donatarum vsumfructum, non est audiendus, l.5 t.9 p.563 c.1.2 d.11 n.5 in all.

Donans inter viuos mauult donatarium quàm se ipsum habere rem donatam, l.4 t.38 p.1136 c 2 d.8 n.4 in all.

Donare potest filiusfamilias mortis causa si pater consentiat p.10 c.2 d.40 n.2 in all.

Donare extraneo nemo prohibetur, l.5 t. 10 p.568 c.1 d.10 n.11 in all.

Donare inter viuos ab imputationis & collationis voluntate est alienissimum, l.6 t.4 p.62 c.2 d.4 n.16

Rei quam quis Donare voluit ob causam præteritam nulla est repetitio, licet ea causa falsa reperiatur, p.120 c.2 d.1 n 11 in all.

Donari potest aliena res si dominus consentiat l.8 t.38 p.1137 c.2 d.11 numer.2 in all.

Donari videtur quod nullo iure cogente conceditur, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 nu.13 in all.

Donari id demum videtur quod non solùm nullo iure, sed etiam nullo facto cogente conceditur, l.4 t.3 p.279 c.1 d. 1 nu.1 in all.

qui Donat, nihil dici potest administrare p. 9 c.1 d.3 nu.6

quod alicui Donatur contemplatione alterius ab altero illo donatum intelligitur breui manu, p.1128 c.1 d.6 nu.1 2 & 3

Donatarivs factus possessor per clausulam constituti præfertur heredi in interdicto retinendæ, l.8 t.4 p.466 c.1 d.6 n.1 & 2

Donatarius non tenetur in eum casum quo licuit ei ex donationis lege resilire à donatione, si modò per eum factum sit vt res integra esse desierit, nec resiliri amplius possit, l.8 t.35 p.1333 c.2 d.5 n.1 2 3 & 4

Donatarius bonorũ omnium mobilium & immobilium quorumcunque non censetur vniuersalis, quia in eiusmodi donatione iura non continentur, l.8 t. 34 p.1130 c.1 d.11 n.1 2 & 4

Donatarium quominus teneatur implere legem dictam donationi, quam semel agnouit, non liberat casus ex post facto contingens rebus donatis, l.8 t.37 p. 1133 c.1 d.4 n.1 2 & 3

in Donatarium habet actionem de pretio substitutus in bonis illis donatis, si quid ex iis bonis donator vendiderit vt solueret quod donatarius soluere debuerat, l.8 t 37 p.1139 c.2 d.16

Donatarius vniuersalis heredis loco est, l.3 t.20 p 223 c.2 d.5 n.3 in all.

Donatarius vniuersorum bonorum non est heredis loco, vt possit personali vlla actione conueniri, etiamsi heres non sit soluendo. Et quomodo contra eum prospiciatur creditoribus? p.1127 c.2 d. 5 à num.1 ad 27

Donatarius defunctus ante donatorem non transit donatio ad heredem suum nisi donatum sit etiam heredi, l.8 t.38 p.1141 c.2 d.21 à n.1

Donatarius soluens eo tempore quo se rem suam agere existimat non actionem sibi vult acquirere sed liberationem, p.119 c.1 d.1 nu.12

Donatario petenti lite pendente sequestrationem instrumentorum ad donationẽ pertinentium donatoris procurator iubetur instrumenta omnia quę penes se habet statim exhibere, non aduersario, sed Senatori ad id recuperatori dato, l.4 t.3 p.278 c.1 d.1 n.1 & 14

Donatario mortuo ante acceptationem verius est in eius heredes transire ius acceptandi quandiu donatio non est reuocanda, lib.8 t.38 p.1140 c.2 d.19 n.2

Donatarios inter plures nullum est priuilegium quia omnium ius eodem instanti mortis conseruatur, l.8 t.39 p. 1143 c.1 d.5 n.1

Donatio tranfert ius omne donationis in donatarium, p.130 c.2 d.1 nu. 4 in all.

Donatio tandiu tenet, quandiu non est reuocata, l.8 t.38 p.1135 c.2 d.4 num.2 in all.

Donatio non extenditur vltra id quod donatum est, l.6 t.22 p.725 c.1 d.29

Donatio pendere debet ex mera donantis libertate l.4 t.23 p.279 c.1 d.1 nu.1 in all.

Donatio vna facilè inducit alterius donationis præsumptionem, l.8 t.14 p.1006 c.1 d.5 nu.5

Donatio quælibet reuocabilis etiam facta mortis causa non censetur reuocata verbis testamenti generalibus maximè si facta fuerit per contractum nisi contrariæ sint coniecturæ l.8 t.38 p.1140 c. 2 d.20 n.1

Donatio bonorum patris non impedit quo minus ex iis bonis res quælibet alienari possit, non tamen ex eo diminuitur donata portio, l.3 t.19 p.218 c.2 d.27 n.8

Donatio bonorum omnium præsentium & futurorum siue vno contractu, siue pluribus simul factis in diuersas personas collata non valet, nec si exceptus sit amplissimus vsufurctus p.1129 c.1 d. 4 n.1 & 2

Donatio bonorum omnium præsentium non est prohibita, præsertim quæ fit per viam liberationis, l.4 t.22 p.375 c.2 d.5 n.12 13 & 14

Donatio vniuersitatis siue quotæ bonorum facta contractu matrimonij valet. Et quid si facta sit per verba importantia institutionem, l.5 t.9 p.561 c.2 d.8 n. 5 & 6

Donatio perfecta inter viuos reuocari nunquam potest nisi ex ingratitudinis causa, vel non secuti implementi, l.4 t. 22 p.375 c.2 d.5 n.11 in all.

Donatio antequam perfecta sit & consummata reuocari potest nuda pœnitentia, p.79 c.2 d.7 n.7 in all.

Donatio remuneratoria etiam ex causa ingratitudinis reuocari non potest lib.6 t.5 p.630 c.1 d.17 numer.5 in all.

Donatio remuneratoria non reuocatur per superuenientiam liberorum, quia nec propriè donatio est l.8 t.38 p.1135 c.1 d.3 n.1

Donatio non dicitur quæ vera remuneratio est nimirum quatenus accepti beneficij ratio remunerationis causam admittit, l.8 t.38 p.1135 c.1 d.3 n.4

Donatio remuneratoria non censetur sed simplex in eo quod excedit merita l.8 t.38 p.11 5 c.1 d.3 n.5 in all.

Donatio reciproca non est propriè donatio l.8 t.38 p.1135 c.2 d.3 numer. 8 in all.

Donatio reuocatur ob non secutum implementum pacti in donatione oppositi licet de eo nihil dictum sit in donatione l.8 t.38 p.1138 c.1 d.12 numer.1

Donatio non reuocatur quamuis donator rem à se donatam alienauerit, l.8 t. 38 p 1137 c.2 d.11 n.1

Donatio quæ non potest reuocari per liberos prioris matrimonij multò minùs per posterioris, l.8 t.38 p.1136 c.1 d.6 nu.1

Donatio inofficiosa non nisi inspecto tempore mortis donatoris est æstimanda, l.3 t.20 p.224 c.2 d.7 n.6

Donatio inofficiosa statim dici non potest ob id quod quis totum suum patrimonium dederit l.3 t.20 p.224 c.2 d. 7 n.4

de Donatione inofficiosa si lis pendeat interim filius est alendus ex bonis litigiosis, l.3 t.20 p.223 c.2 d.5 n.1

Donatio rei singularis reuocatur per liberorum superuenientiam si credibile sit donatorem non fuisse tanti precij rem donaturum si de liberis cogitasset, l.8 t.38 p.1137 c.1 d.9 n.1

Donatio certæ quantitatis restringendæ sub condicione interim tenet quousque probetur, condicionem restrictionis extitisse, l.5 t.11 p.515 c.1 d.1 n.1 2 & 3

Donatio facta Hospitali cum onere inter viuos sequuto censenda est remuneratoria & inter viuos potiùs quàm mortis causa, vt sit irreuocabilis, p.1125 c.2 d.2 à n.1 ad 19

Donatio facta ab eo qui iam tum alios habebat liberos an reuocetur per superuenientiam liberorum, lib.8 t.38 p.1136

BIU Cujas

p.1136 c.2 d.8 num.1
Donatio facta sub mutui simulati nomine per querelam inofficiosę donationis reuocatur, l.3 t.20 p.224 c.1 d.6 num.4 & 8
Donatio facta sub lege reuersionis, si donatarium sine liberis mori contingeret, redit ad donatorem, si viuo eo liberi donatarij decesserint sine liberis, scilicet cum donatio facta erat fauore donatarij ad conseruandum nomen l.8 t. 35 p.1131 c.1 d.1 à n.1 ad 18
Donatio facta piæ causæ valet quamuis non insinuata, itemque legatum rei alienæ, etiam ab ignorante factum, l.8 t. 34 p.1130 c.1 d.12 n.1 & 2
Donatio ob causam facta intelligitur quę pro ratione habuit propositam aliquam ipsius donatoris, non donatarij vtilitatem, l.3 t.19 p.219 c.2 d.30 n.2
Donatio etiam iurata moribus nostris debet insinuari, alioqui nulla est l.8 t. 40 p.1143 c.1 d.1 n.1
Donatio insinuata præter formam mandati præsertim mutato rerum statu perinde nulla est acsi nullo modo facta fuisset insinuatio, l.8 t.38 p.1146 c.1 d.6 nu.1
Donatio insinuata non censetur reuocata alienatione partis bonorum donatorum, nisi quod ad bona donata pertinet, l.8 t.38 p.1137 c.2 d.11 n.1
Donatio etiam non insinuata iustam causam præbere potest alteri contractui inter alios inito ad tertium obligandum, l.8 t.40 p.1147 c.2 d.10
Donatio in absentem collata quamuis iurata reuocari potest quandiu non fuit acceptata per donatarium, l.8 t.38 p. 1140 c.2 d.19 n.1
Donatio collata in filiam non reuocatur ipso iure per aliorum superuenientiam sed per querelam inofficiosæ donationis vsque ad legitimam duntaxat, l.8 t. 38 p.1135 c.2 d.5 n.1
Donatio facta inter coniuges & constante iam matrimonio quamuis reciproca fuerit, reuocatur ex superuenientia liberorum, l.8 t.38 p.1137 c.1 d.10 numer.1
Donatio etiam fauore matrimonij non proprij sed alieni facta reuocatur ob superuenientiam liberorum, l.8 t.36 p. 6.1134 c.2 d.2 n.1 & 4
Donatio facta fauore matrimonij non potest ob donatarij ingratitudinem reuocari, lib.8 t.38 p.1134 c.2 d.1 n.1
Donatio propter nuptias non transit ad liberos ex eo matrimonio susceptos, si mulier prædecesserit l.5 t.1 p.517 c.2 d.6 n.1 in all.
Donatio à patre collata in filiumfamilias fauore matrimonij valet, sicut & illa quæ iurata est, p.1125 c.1 d.1 nu.3 & 4
Donatio mortis causa fieri absenti non potest, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 num.17 in all.
Donatio causa mortis non valet si facta sit coram paucioribus quam quinque testibus, licet tempore pestis, l.8 t.39 p. 1142 c.1 d.2 num.1 2 3
Donatio mortis causa non eo minus est reuocabilis quod sit iurata, nisi iurauerit donator de ea non reuocanda, quo casu censetur facta inter viuos, l.8 t.39 p.1142 c.1 d.1 nu.1
Donatio mortis causa venit in fideicommissum, præsertim si facta sit extra testamentum, l.6 t.12 p.674 c.2 d.44 n.5 in all.
Donatio mortis causa legato rectius quàm contractui comparatur l.8 t.39 p. 1143 c.1 d.5 nu.2
Donatio causa mortis quinque testes requirit, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 num. 18 in all.
at Donatio inter viuos duobus est contenta, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 n.18 in all.
Donatio causa mortis non eget insinuatione, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 num.20 in all.
Donatio simplex, si non ob causam fiat, neque imputatur, neque confertur, l.3 t.19 p.219 c.2 d.30 n.1 & 2
Donatio simplex inter viuos non imputatur neque confertur nisi expressim dictum sit, Extra casum l.illud 20.§.1. C.h.t. Donatio causa mortis multo minus l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.1 & 31
Donatio simplex & inter viuos sicuti nũquam imputatur in quartam, nisi cum expresse dictum est, ita neque confertur nisi aut expresse lex illa donationi dicta sit aut necessitas æqualitatis inducendæ faciat locum Iustinianeæ constitutioni, lib.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.14 15
Donatio simplex non confertur inter fratres si facta sit ob benemerita, l.6 t.4 p. 621 c.2 d.4 n.21 quomodo intelligatur conferenda inter fratres, Ibid. num.25 & 26
Donationem simplicem etiam conferunt emancipati, olim ab intestato tantum, hodie etiam ex testamento & eo casu quo nihil de inducenda æqualitate tractari oportet, l.6 t.4 p.621 c.2 d.4 n.17 & 18
Donatio inter virum & vxorem plurium rerum facta non infirmatur ab alienatione quorundam nisi quantum ad alienatas, l.8 t.38 p.1138 c.1 d.11 num.12 in all.
Donatio inter viuos non valet, nisi ex die insinuationis l.8 t.38 p.1138 c.1 d.11 nu.3 in all.
Donatio omnis inter viuos insinuatione eget excepta illa quæ fit in contractu matrimonij, l.3 t.20 p.224 c.2 d.6 n.14 in all.
Donatio inter viuos non potest conferri in absentem aut ignorantem vt ei statim acquiratur nisi ea mente res alicui tradita sit absentis nomine l.8 t.38 p. 1141 c.1 d.20 n.2 in all.
Donatio inter viuos non insinuata, cum insinuari deberet, potest reuocari ex sola pœnitentia citra absolutionem l.8 t. 38 p.1147 c.1 d.9 n.1
Donatio inter viuos perfecta ex causa ingratitudinis reuocari potest, l.5 t.5 p. 628 c.1 d.14 n.4 in all.
Donatio inter viuos citra insinuationem non valet etiamsi donator eam solennitatem expressim remiserit, adeóque tempore pestis, valebit tamen causa mortis si aliud nihil impediat, l.8 t.38 p.1146 c.2 d.8 nu.1
Donatio cum facta est post testamentum conferri nunquam debet, si liberi omnes ex æquis partibus fuerunt instituti, l.4 t.4 p.622 c.1 d.4 n.31 in all.
Donatio, si ex vna parte & dos sit & simplex donatio, ex altera vero parte simplex donatio, neutra ex parte confertur, dos tamen iure communi conferetur l.6 t.4 p.621 c.2 d.4 n.28
Donationis actus vnus facit vt alius præsumatur, p.120 c.1 d.1 in all.
Donationis solennitas à donatore non potest remitti cum iuris publici sit non priuati l.8 t.38 p.1146 c.2 d.8 num.5
Donationis & Ademptionis eadem est ratio, l.3 t.20 p.224 c.1 & 2 d.6 nu.11 in all.
ex Donationis causa debitorem liberare videtur, qui eum sibi non teneri profitetur, p.98 c.2 d.13 à n.6 in all.
Donationem futuri matrimonij contemplatione celebratam reuocari negamus, quod certum sit de futuris liberis illum cogitasse qui spe prolis suscipiendę ad matrimonium accedere debuit l.4 t.38 p.1137 c.1 d.10 n.5
ex Donatione actio nulla competit heredibus mulieris donatariæ, & à marito prædefuncto heredis ex asse institutæ cum onere fideicommissi quę legatum agnouit ac legata pleraque soluit, & hereditatem ante mortem suam fideicommissario restituit, l.5 t.11 p.568 c.2 d.2 nu.4 in all.
qui à Donatione per transactionem recessit non potest restitui tãquam maior ex causa læsionis, p.120 c.2 d.1 n.1
in Donatione etsi mortis mentio facta sit tamen in dubio præsumenda est donatio inter viuos, maxime si actum sit vt donatio sit irreuocabilis, l.8 t.39 p.1142 c.2 d.3 n.1
Donatione inofficiosa qui conqueritur nihil quicquam interest, An per vnicam Donationem, An per plures fraudem in legitima patiatur, l.3 t.20 p.224 c.2 d.7 n.3 in all.
Donatione reuocata per liberorum superuenientiam fructus non restituuntur, lib.8 t.38 p.1135 c.2 d.4 n.1
Donatione reuocata non ideò fructus restituuntur, lib.8 t.38 p.1135 c.2 d.4 n.1
Donationes siue inter viuos siue mortis causa, sunt extra causam hereditatis, l.3 t.2 p.171 c.2 d.14 n.2
Donationes inter viuos & coniuges factæ non valent, l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.8 in all.
Donationes mortis causa capiuntur ad instar legatorum, l.3 t.19 p.218 c.2 d.22 num.2
Donationes causa mortis ex contractu non tanquam ex vltima voluntate debentur, l.3 t.19 p.219 c.1 d.28 n.4 in all.
Donationes causa mortis non confirmantur per legem in præiudicium legitimæ liberorum, sed tantùm quatenus salua legitima possunt confirmari, l.8 t.39 p.1144 c.2 d.7 n.1
Donationes causa mortis habẽt augmentum monetale ex tempore non mortis sed donationis l.8 t.39 p.1142 c.2 d.4 nu.1
Donationes quæ ex Constantini lege reuocantur, semper pro virilibus superuenientium liberorum portionibus reuocantur, quas ab intestato habituri illi essent si donationibus exhaustum patrimonium non fuisset l.3 t.20 p.223 c. 1 d.3 à n.1 & 2
Donationes validæ nec improbæ difficiliorem & odiosiorem reuocationis præsumptionem habẽt tum etiam cùm reuocari possunt, l.8 t.38 p.1137 c.2 d. 11 nu.14
Donationes à parentibus in liberos collatę etiam ad æqualitatem inter eos inducendam non magis valent, quamuis iuratæ sint nisi sint insinuatæ, l.8 t.38 p. 1146 c.2 d.7 n.1
Donationes inofficiosæ in priorem coniugem collatæ per liberos subsecuti matrimonij in totum reuocantur, l.3 t. 20 p.222 c.2 d.2 à n.3 4 & 5
Donationes ex tacita donantis voluntate reuocari possunt, lib.3 t.26 p.222 c.1 d. 2 n.8
Donationum, causa mortis, & inter coniuges, differentia, cum de Falcidia disputatur, l.6 t.28 p.764 c.1 d.1
Donationum, licet inæqualium compensatio facienda omnem inæqualitatis rationem excludit, l.6 t.4 p.621 c.2 d.4 n. 29
Donationum quæ per liberationem fiunt non est necessaria insinuatio, p.144 c.1 d.4 n.7

BIU Cujas

Donationum variarum cumulatio facit vt locus sit inofficiosæ donationis querelæ l.3 t.20 p.222 c.1 d.1 nu.1 2 3 & 4

Donator pro arbitrio potest reuocare legem donationi etiam inter viuos dictam fauore tertij dummodo antequàm tertius ille acceptauerit, l.8 t.35 p.1132 c. 1 d.2 n.4 & 5

Donator non tenetur de euictione quam non promisit, si non sit in dolo, l. 4 t.28 p.414 c.1 d.1 nu.11 in all.

Donatoris heredes non possunt habere donationem pro reuocata ob non secutum implementum si donator eam culpam donatario remisisse probetur, l.8 t. 38 p.1138 c.1 d.13 n.1

Donatoris arbitrio seruandum quod ex eius voluntate & liberalitate proficiscitur l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.5 in all.

Donatoris heres ingratum donatarium dicere non potest quem donator ipse nō dixit l.8 t.38 p.1139 c.1 d.14 n.1 in al.

Donatoris magis proprium est insinuare, quam donatarij, l.8 t.38 p.1147 c.1 d.8 n.4 in all.

Donatori non est dandum auxilium restitutionis ad refundendam donationem ex causa ingratitudinis, l.8 t.38 p. 1140 c.1 d.17 nu.1

Donatorem futuris liberis plus quàm sibi fauere voluisse certum est l.8 t.38 p. 1136 c.2 d.8 n.5 in all.

Dos & augmentum dotale sunt correlatiua: correlatiuorum autem eadem ratio esse solet & debet l.6 t.4 p.621 c.1 d.3 n.20 in all.

Dos supra modum augeri non potest vt immodico augmento maritus oneretur l.5 t.9 p.560 c.2 d.4 num.1 2 3 & 4

Dos simulata, non est dos nec potest cōfiscari, l.5 t.3 p.520 c.2 d.10 à n.1 ad 7

Dos à sola matre promissa pro bonis paternis & maternis neque ex solis paternis promissa intelligitur, neque ex solis maternis, sed ex vtrisque simul l.5 t.6 p.532 c.2 d.10 n.6 & 7

Dos promissa filio soluenda est patri, si cum eo filius habitet, sin secus, ipsi filio, quamuis in potestate constituto l.5 t.6 p.533 c.1 d.11 n.1 & 2

Dos promissa necdum soluta quando & quatenus habeatur pro soluta l.5 t.6 p. 533 c.1 d.12 n.1 2 3 & 4

Dos quamuis ab vtroque parente in solidum promissa, soli tamen patri imputatur, si paternarum facultatum modo respondeat l.5 t.6 p.531 c.1 d.8 nu.3 5 & 6

Dos quoties à pluribus promittitur qui non eandem ipsius promittendæ causam habent præsumitur tota ab eo data, cuius officio vt daret, incubuit, l.3 t. 19 p.219 c.2 d.31 n.2 in all.

Dos legitimam licet non æquet, congrua tamen esse potest, l.3 t.19 p.215 c.2 d.20 nu.3

Dos in legitimam debitam in iis bonis ex quibus profecta est, imputatur, l.3 t. 19 p.214 c.2 d.31 n.1

Dos melior fieri potest, deterior non potest lib.4 t.21 p.367 c.1 d.13 n.3 in all.

Dos sine matrimonio esse non potest, l.4 t.5 p.283 c.1 d.2 n.3

Dos alimentis amplior esse solet, licet alimentorum loco succedat, l.4 t.9 p. 294 c.1 d.3 n.8 in all.

Dos ibi tota esse debet, vbi tota sunt matrimonij onera, l.4 t.14 p.313 c.1 d.21 n.6 in all.

Dos congrua non semper legitimæ comparatione æstimanda est, l.3 t.19 p.215 c. 2 d.20 n.3 & 4

Dos congrua dicitur inspecto tépore cōstitutionis, l.3 t.19 p.216 c.2 d.21 n.1 & 3

Dos congrua illa est, quæ legitimæ portioni respondet l.7 t.1 p.780 c.2 d.5 n. 8 in all. & l.6 t.23 p.735 c.1 d.4 nu.14 in all.

Dos constante matrimonio ad maritum non ad mulierem pertinet, l.4 t.8 p.292 c.1 d.1 n.4 in all.

Dos inofficiosa & immodica dicitur non quæ legitimam excedit, sed quæ facit ne cæteris liberis salua legitima esse possit, l.3 t.19 p.216 c.1 d.20 n.11

Dos à muliere non magis oppugnari potest quàm alia quælibet res aliena, l.4 t.8 p.292 c.1 d.1 n.4 in all.

Dos mulieris non confiscatur nec donatio ei facta, nisi quæ facta sit post admissum crimen l.9 t.6 p.1158 c.2 d.3 n.2 in all.

Dos mulieris pro rationibus tutelæ retineri potest quandiu rationes ritè redditæ non sunt, secus si redditæ sint rite, quamuis non rectè, dummodò absit dolus, l.5 t.8 p.554 c.1 d.14 n.10 & 15

Dos quæ mulieri aut eius heredibus restituenda est, an contineatur appellatione debitorum omnium quę maritus mortis tempore reliquerit, l.6 t.19 p. 710 c.1 d.22

Dos licet sit mulieris, tamen est in bonis mariti, l.4 t.22 p.376 c.1 d.6 n.1 in all.

Dos ipso iure minuitur per impensas necessarias, l.4 t.23 p.382 c.2 d.16 num.2 in all.

Dos filiæ si data fuerit in pecunia numerata, nepotes tamen in pecunia legitimam accipere non coguntur, si malint eam habere in corporibus hereditariis p.84 c.2 d.19 num.1

Dos filiæ si ad nepotes perueniat ex pacto, prouidentia & dispositione aur imputari debet nepoti, non aliter, p.84 c. 1 d.18 nu.5

Dos etiam propria filiæ ex stipulatione dotali potest tamen solui patri qui habuit penes se instrumentum dotale. Et quid si postea tota dos ex eo instrumento petatur per filiam aut alium cui pater post eas solutiones acceptas instrumentum tradiderit l.5 t.8 p.557 c.1 d.22 n.1 2 3 4 & 5

Dos matris atque tutricis non est obligata aliis quàm liberis pro rationibus tutelæ, l.3 t.7 p.548 c.1 d.46 n.1 in all.

Dos matris licet tota consistat in pecunia numerata, nec maritus soluēdo, non eo minus tamen in æstimanda læsione si pro modica quantitate filia maternæ successioni renunciarit, totius dotis ratio habebitur, p.110 c.2 d.9 n.1

Dos per matrem & fratrem defuncto patre constituta ex maternis fraternisque bonis in partes constituta intelligitur l.5 t.6 p.527 c.2 d.1 2 & 3

Dos pecuniaria conuersa in corpora statim restituenda est. Itémque cùm pignus quod mulier habuit marito in dotem datum est l.5 t.8 p.552 c.1 d.7 n. 8 & 9

Dos pecuniaria vt post annum reddatur, si conuenerit, valet pactum, l.5 t.9 p. 560 c.2 d.2 nu.7 in all.

cum Dos repetitur soluto matrimonio compensationi plerumque locus est, l.4 t.23 p.382 c.2 d.16 n.4 in all

Dotis actio necessaria est soluto matrimonio, nec dos redit ipso iure ad mulierem, p.142 c.1 d.6 n.9 in all.

quantum interfit inter Dotis restitutionem & assecurationem l.5 t.7 p.534 c.1 d.2 à nu.1

Dotis augmentū, vide Augmētum dotis.

Dotis augmentum videtur censeri debere eodem iure, quo dos tanquā portio dotis l.9 t.6 p.1158 c.2 d.3 n.2 in all.

Dotis assecuratio contra quosdam creditores, omnes afficit, sed non æstimatio bonorum nisi facta sit omnibus vocatis, l.7 t.19 p.877 c.2 d.11 n.1

Dotis æstimatæ periculum ad maritum tanquam ad dominum spectat, l.5 t.8 p.559 c.1 d.27 n.8

Dotis causa semper & vbique præcipua est, quod & de dotis augmento contuetudinario intelligendum, l.6 t.11 p.660 c.2 d.4 n.3 in all.

Dotis causa iusta est alienationis causa, sicut & donationis ante nuptias p.118 c.2 d.1 n.3 in all.

in causa Dotis per mulierem promissæ ei qui alioquin vxorem non fuit ductus, Velleianum cessat, l.4 t.21 p.367 c. 1 d.14 n.1 & 5

Dotis constitutio non inducitur ex eo solo quod mulier passa sit maritum agere de re sua l.5 t.9 p.560 c.2 d.3 nu.1 & 2

Dotis debitor soluens dotem constante matrimonio si soluat contra formam à iudice præscriptam non liberatur l.5 t. 7 p.549 c.1 d.51 n.1 ad 12

Dotis exactio ad solum maritum pertinet, p.135 c.1 d.1 n.23 in all.

Dotis fideiussor dari potest mulieri non debitori, & cùm dos periculos mulieris est non debitoris, l.5 t.14 p.557 c.2 d.3 n.7 in all.

Dotis promissio incerta nunquam valet nec si a patre facta sit l.5 t.6 p.528 c.1 d. 2 n.1

Dotis promissæ aut legatæ differentia l.5 t.6 p.530 c.1 d.5 n.4 & 5

Dotis promissio per patrem & matrem simul facta An & quando censeatur ex bonis etiam maternis facta esse l.5 t.6 p. 530 c.2 d.7 n.3

Dotis promissæ petita obtentaque solutio per maiorem, non impedit restitutionem ex causa minoris ætatis & immodicæ læsionis p.134 c.2 d.1 nu.5 & 6

Dotis restituendæ tempus inspiciendum est cum quæritur An valeat pignorum dotalium remissio? probandi tamen onus mulieri incumbit, præsertim si cum iureiurando renunciauerit, l.4 t.21 p. 366 c.2 & seq. d.13 n.1 2 3 4 5 & 6.

Dotis vsuræ nullæ debentur, si in eam quantitas aliqua data sit pro omni legitimę iure, ac conuenerit vt ante tempus aliquod siue certum siue incertum peti non possit, l.3 t.19 p.213 c.1 d.12 num.8 in all.

Dotis vsus necessarius est vt matrimonium facilius contrahatur, p.123 c.1 d. 1 n.6

Dotem legitima maiorem esse nihil vetat, l.3 t.19 p.216 c.1 d.20 nu.14 in all.

Dotem mulieris saluam integramq; seruari necesse est, p.126 c.2 d.1 n.9

Dotem dare nemo tenetur institutionis titulo. Et de variis Dotis & Legitimæ differentiis, l.3 t.19 p.215 c.2 d.19 à nu.1 ad 13

Dotem constituens, non ideo censetur nunciare fideicommisso conditionali in ea dote constituto, si fideicommissi conditio nondum extiterat tempore dotis constitutæ, l.6 t.22 p.724 c.1 d.28

Dotem se habuisse confessus quam non habuit videtur donasse, l.5 t.10 p.568 c. 1 d.10 n.11 in all.

Dote minus congrua filiæ à patre constituta, si tutor eam auxerit ad concurrentem legitimæ quantitatem, ea dos à tutore constituta eo gaudet priuilegio vt pro ea possint obligari bona subiecta fideicommisso, l.6 t.23 p.735 c.2 d.4 nu. 48 in all.

Dote in exigenda spectanda est consuetudo loci domicilij mariti, non quoad bona alibi sita, nec si cōtractum sit matrimonium ea mente vt cōiuges viuant in lo-

BIU Cujas

in loco domicilij vxoris, l.11.5 p.45 c. d.3 n.11 in all.
In Dote exigenda locus spectandus est vbi maritus domicilium habet, non vbi contractum fuit matrimonium p.216 c.1 d.20 n.7 in all.
Dote constituta dimidiæ portionis bonorum patris, additis verbis, *ad formam diuisionum & iuxta tenorem testamenti paterni*, quomodo facienda diuisio, l.5 t.7 p.550 c.1 d.57
De Dote aucta constante matrimonio inscio socero qui bona sua pro dote dotisque augmento obligauerat, An etiam pro dotis auctæ incremento socer, eiúsque bona teneantur l.5 t.6 p. 531 c.2 d.9 n.1 ad 25
Patre obligante pro Dote filio data partem bonorum, vniuersa patris ipsius bona hoc ipso obligata intelliguntur. Idem est, si filij nuptiis quoquomodo consenserit, l.4 t.9 p.295 c.1 d.7 n.1 2 3 4 5 & 6
Dotium fauor æstimatur ex fauore matrimoniorum contrahendorum, l.4 t.2 p. 367 c.2 d.14 n.10 in all.
DOTARE filiam paternum non maternum officium est l.4 t.19 p.219 c.2 d.31 n.2 in all. si tamen ex bonis paternis dotari nequeat, à matre dotari debet, l.4 t.19 p.219 c.2 d.31 n.2 in all.
DVCES Sabaudiæ in dominiis & territoriis suis ea omnia faciunt quæ potest Imperator in suis, l.7 t.11 p.824 c.1 d.1 n.2 in all.

E

EBRIETATIS plerique sunt gradus, l.4 t.1 p.259 c.1 d.7 n.5
EBRIVS qui nullo modo compos fuit suę mentis si alium occiderit non est condemnandus pœna ordinaria, sed tamen non potest euadere extraordinariam si ebrietatis culpa ei possit obiici l.9 t.10 p.1167 c.1 d.7 n.1
Ebrietas excusat à dolo, sed non à culpa nisi factus sit ebrius sine culpa sua l.9 t. 10 p.1167 c.2 d.7 n.1 in all.
ECCLESIA, fiscus, & pupillus æquiparantur, p.53 c.2 d.20 n.10 in all.
Ecclesia iure minoris vtitur, l.3 t.19 p.222 c.1 d.36 n.12 in all.
Ecclesia concedens alicui iurisdictionem præsumitur concedere in feudum, & ideo debet iurare fidelitatem, l.3 t.12 p. 193 c.2 d.17 n.3 in all.
Ecclesia habens dignitatem aut prælaturam præsumitur esse de iure patronatus principis l.6 t.1 p.614 c.1 d.1 n.1 2 & 3
Ecclesia exemplo minoris restituitur in integrum aduersus agnitionem hereditatis, l.6 t.24 p.739 c.1 d.1 numer.1 in all.
Ecclesiæ antiquiori ius suum semper conseruandum est, p.33 c.2 d.21 num.5 in all.
Ecclesiæ & minoribus ex capite iustæ ignorantiæ aduersus quadragenariam præscriptionem dari potest restitutio, p.122 c.2 d.1 nu.1
ad Ecclesiæ reficiendæ onus soli tenentur parochiani non etiam forenses, l.9 t.30 p.1225 c.1 d.2 n.2 in all.
An & quatenus actio Ecclesię acquiratur adeoque cuilibet donatario ad canonem emphyteuticarium à possessoribus singulis exigendum ex stipulatione domini directi l.4 t.42 p.500 c.1 d.42 à n.1 ad 9
Ecclesiam dotatam esse interest publicè, vt possit inuenire prælatum qui cultui diuino inseruiat, pag. 25 c.2 d.86 n.4 in all.
EDENS instrumentum aliquod dimidiatum & mutilum, aut partem chartæ ex cuius scriptura appareat in alia parte quæ abscissa est aliquid scriptū fuisse, in dolo esse præsumitur l.2 t.1 p.66 c.2 d.2 n.3 in all.
Edere nolens iterum instrumętum, etiam ad fundandam aduersarij intentionem, litis iacturam pati debet, l.2 t.1 p.66 c.2 d.2 n.3 in all.
EDICTVM Principis obligat subditos vbicunque gentium, p.41 c.2 d.3 n.12
Edicta Principis cum sint stricti iuris non sunt amplianda, p.43 c.2 d.1 n.1 & 2
Edictum in personam conceptum, nisi forensium expressim mentio fiat, subditos solos comprehendit, p.44 c.1 d.2 nu.2
Edictum de imminuenda quantitate debiti ob melioratas monetas non pertinet ad expensas litium, quamuis iam ante factas & taxatas, l.8 t.30 p.1101 c.2 d.43
Edictum successorium an habeat locum in hereditatibus, l.6 t.11 p.659 c.2 d.3 factum est ne bona diutius iaceant, p.660 c.1 d.ead. n.17
Edicto rescinduntur ea quæcum minoribus circumuentis gesta sunt p.123 c.2 d.3 n.2 in all.
Edicto circumducto litigandum est ex integro, ac si omnino nihil dum factum esset, p.164 c.1 d.30 n.2 in all.
Edicto non omnis metus, sed is qui in constantissimum virum cadit, continetur, p.106 c.2 d.3 n.7
Edicto de inscriptionibus cautum est vt quisquis fundum acquisiit quocunque tandem acquisitionis & contractus genere idipsum apud loci Curiales testetur intra duos menses proximos, alioqui pœnam commissi incurrat, l.4 t.43 p.491 c.2 d.17 n.5
Editio instrumenti, *communicatio* à Pragmaticis appellatur, l.2 t.1 p.66 c.2 d.2 n.3 in all.
Editiones actorum iudicialium fieri semper debent cum die & consule, p.68 c.2 d.8 num.3 in all. & p.66 c.1 d.2 num.1 in all.
EFFECTVS attenditur magis quàm causa in his quæ sint facti magis quàm iuris, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.16 in all.
Electio & votum quid differant, l.6 t.19 p.709 c.1 d.13
Electio, dummodo ritè facta, efficit vt electus primi emptoris loco habeatur l.4 t.34 p.441 c.2 d.4 nu.14 in all.
Electio regulariter est debitoris l.4 t.2 p. 278 c.2 d.18 n.12 in all.
Electio quæ in præsentis & acceptantis fauorem facta est, nullum in beneficio tribuit, sed ad beneficium p.6 c.1 d.20 nu.2
Electio & confirmatio in fauorem absentis facta, non prius absenti ius in beneficio tribuit quàm ratam eam habuerit p.5 c.2 d.19 nu.1
Electio & confirmatio ostendi debent vt sciri possit an vtiliter & rite vtraque facta sit; p.21 c.1 d.68 n.3
Electio facta per talliabilem in fraudem patroni aliquando reuocanda est contra tertium bonæ fidei possessorem l.4 t.3 p.441 c.1 d.4 à n.1 ad 17
Electio acceptata post quadragesimum diem nouam venditionem inducit l.4 t.34 p.440 c.1 d.2 n.1 & 2
Electio non seruatis solennibus facta nulla est, p.38 c.2 d.39 n.6
Electio si non incontinenti, sed post traditionem sequatur, non eo minùs vnica emptio contracta videbitur, emptorque cōstitutus is qui intra quadragesimā diem electus erit potiùs quam qui eliget l.4 t.34 p.442 c.1 d.5 n.1
Electio nulla est quæ fit ad ecclesiam non vacantem, & in locum viuentis, p.39 c. 1 d.43 n.3
Electio, vide collatio, l.6 t.1 p.614 c.2 d.2 n.1 2 3 & 4
Electionis ius est vt non nisi viua voce & secreto fieri debeat p.38 c.2 d.40 n.1
Electionis solenne est, vt omnium qui vocati sunt & adsunt vota exquirantur in quo si peccatum fuerit electio non tenet, p.39 c.1 p.42 n.1 & 2
Electionis de qua non apparet confirmatio non potest esse vtilis p.21 c.1 d.68 nu.1
Peccans in forma electionis, eligendi iure pro ea vice priuatur, p.38 c.2 d.41 n.1
Electione inutili facta inutilem sequitur esse confirmationem, p.39 c.1 d.43 n.4
Electionis tempore absens, non potest, ne quidem cum capituli consensu, sententiam votúmque emittere p.38 c.2 d. 40 n.2
Electiones non fiunt nisi per viam scrutinij, aut compromissi, aut inspirationis; licet per sortem olim fieri potuerit p. 38 c.2 d.38 n.1
Electus in foro conscientiæ tutus est, licet in electione facienda quod ad solemnitates attinet peccatum fuerit modo de iure gentium teneat electio, p.38 c.2 d.39 n.1 2 & 3
Electus ab emptore nunquam plus iuris habere potest contra vēditorem, quàm haberet primus emptor qui eum elegit l.4 t.34 p.442 c.2 d.8 n.6
Electus nondum confirmatus renunciare in manibus eligentium sine superioris autoritate, suo iuri potest, non ité post confirmationem, p.39 c.2 d.48 n.1 & 2
Impetranti non nocet quod habeat aduersarium qui iam tum Electus erat, si nondum secuta esset confirmatio p.6 c. 2 d.20 numer.2
Eligenda ea via est per quam id fiat quod vni prosit, & alij non noceat p.16 c.2 d. 52 n.12 in all.
Eligendi facultate coniugib. data, mortuo altero ex iis, superstes neque eligere neque electionem reuocare potest, l.6 t.22 p.721 c.1 d.19
Eligens amicum cui emat, si postmodum iura sua omnia in alium transferat, nihil agit, nec si à contractu electionis mutuo partium consensum recessum sit, l.4 t.34 p.440 c.1 d.1 num.4 in all.
Eligens & electus, quoties rite fit electio, vnius tantum personæ vice funguntur l.4 t.28 p.417 c.1 d.8 n.13 in all.
ELEEMOSYNA res sacra & religiosa est l.1 t.3 p.41 c.2 d.57 n.2
Eleemosynæ nomen originem habet à pauperum miseria l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.6 in all.
Eleemosynam exercens curiosiùs inquirere de qualitate & conditione illius in quem liberalitatem confert, l.1 t.3 p.41 c.2 d.57 n.1
ad Eleemosynam non sunt diuites admittendi à Prælato qui tertiam reditus sui partem in eleemosynas distribuere cogitur l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.4 admittendi tamen si quæ generalis & perpetua eleemosyna ex alicuius siue Principis siue Prælati munificentia sic constituti sit, vt omnib. tam diuitibus quam egenis sine discrimine tribuatur. Ibid.n.5
in Eleemosyna quicquam contra pietatem fieri ferendum non est, l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 num.13 in all.
ad Eleemosynas publicas ne ditiores aut validi mendicantes accedant generalibus Senatusconsultis prouisum est, l.1 t. 3 p.42 c.1 d.57 n.12 in all.
EMANCIPATVR nemo nisi qui sit in po-

BIU Cujas

testate l.6 t.4 p 619 c.2 d.1 in all.

EMERGENTIA de nouo nouo egent auxilio, l.6 t.11 p.662 c.2 d.10 numer. 14 in all.

EMENDO nemo fit creditor sed dominus si res vendita sit, vel à domino vel ex domini voluntate, l.8 t.6 p.970 c.2 d.10 n.1 in all.

EMENS à Principe rem iam alij venditam non potest vincere nisi pro eo interueniat procurator Principis, l.7 t.12 p.825 c.1 d.3 n.1

Emens bona fide à spoliatore præscribit longo tempore, nec tenetur ad fructus, nisi ex die litis contestatæ, sed habens malam fidem præsumptam præscribit longissimo l.7 t.13 p.831 c.1 d.17 numer.1

Emens sibi & amico per se eligendo, amicus solus laudimia debet emptor, nulla, l.4 t.28 p.416 c.2 d.8 nu.14

Emens sibi & amico, aut electo aut eligendo, si postea eligit, vna tantum venditio est, dūmodo fiat electio intra dies quadraginta & eodem precio, l.4 t.34 p.439 c.2 d.1 nu 3 4 & 8

Emens ex aliena pecunia sibi emit & dominus fit rei emptæ, nec nisi personali actione conueniri potest de precio l.4 t.3 p.443 c.2 d.10 num.5 & 6

Ementi alteri ex propria pecunia nomen accommodans nihil sibi vel momento vllo temporis acquirit, sed ei soli cui nomen accommodauit, l.4 t.34 p.443 c.2 d.10 n.1 & 2

Ementi rem mulieris quam vendidit cum marito, quæ requirantur vt tutus sit contra vendicationem, si venditio facta fuerit in fraudem Senatusconsulti Velleiani, l.4 t.21 p.373 c.1 d.27 num.12 in all.

EMOLVMENTVM totius iudicati tale tantumque debetur quale, quantúmque deberetur si actor cum expensis obtinuisset aut succubuisset p.168 c.1 d.7 nu.4

Emolumentum iudicati singulare nullum debetur ex ea sententia per quam quis retentus sit in quasi possessione beneficij, aut præbendæ ex beneficij fructibus præstandæ p.169 c.2 d.11 num.1 & 2

Emolumentum quod ex iudicato debetur, à Pragmaticis iudicati tributum nuncupatum, non nisi facta liquidatione deberi intelligitur p.167 c.2 d.3 n.2 & p.169 c.1 d.8 n.2 in all.

Emolumentum pro iudicato quantum debeatur si actor pro parte obtinuerit & pro parte succubuerit, l.7 t.18 p.851 c.1 d.9 n.1

Emolumentum nullum debetur pro pecunia quàm restituere iussus est, l.7 t.18 p.851 c.2 d.10 nu.1

Emolumentum debetur, etiam si transactio iudicatum præcesserit p.169 c.1 d.8 nu.4

Emolumentum nouum debetur quoties noua est instantia l.3 t.2 p. 170 c.2 d.12 nu.9 in all.

Emolumentum debetur pro omni adiudicatione ex statuto Sabaudiæ, non si solius possessionis adiudicatio fiat, lib.3 t.2 p.171 c.1 d.13 n.6 in all.

Emolumentum iudicati debetur non ob solam adiudicationem, sed tum quoque cùm rei interceſſio summouetur, licet in prioris iudicati executione, l.3 t.2 p. 170 c.1 d.12 nu.11

Emolumentum nullum æris alieni esse potest, l.3 t.2 p.171 c.2 d.14 n.2

Emolumentum bis est pro eadem quantitate præstandum per condemnatum qui quasi non cōdemnatus & tanquam tertius interceſſit in executione iudicati, tandemque succubuit, l.3 t.2 p.170 c.1 d.12 à n.1 ad 10

Emolumentum nullum debetur ab herede pro legatis corporibus quorum dominium tam cito fit legatarij, quàm hereditas facit heredis res singulas, l.3 t.2 p.171 c.2 d.14 n.2

Emolumentum nullum debetur ex causa executionis iudicati, l.3 t.2 p.170 c.2 d. 12 n.8 in all.

Emolumentum perinde debetur pro retentione atque pro adiudicatione actori facta, si quid excipitur quòd reus retinere possit, l.3 t.2 p.168 c.1 d.4 n.6 in all.

Emolumentum ab hereditatis petitore pro modo, quantitate & æstimatione quorumcunque bonorum defuncti debetur, l.3 t.2 p.171 c.1 d.14 n.1

EMPHYTEVSIS ecclesiastica rescindi non potest prætextu nullitatis ob non seruatas solennitates, maximè post longum tempus, nisi probata læsione, l.4 t. 43 p.504 c.2 d.53 num.1 2 & 3

Emphyteusis rei ecclesiasticæ hodie indistinctè valet, dummodo facta sit in vtilitatem ecclesiæ, l.4 t.38 p.457 c.1 d.7 nu.1

Ex pluribus rebus in Emphyteusim ab eodem recognitis, An & quando possit emphyteuta quasdam derelinquere, & quasdam retinere, l.4 t.43 p.943 c.1 d. 20 nu.1 2 4 5 & 6

EMPHYTEVTA quis non est magis aut minus, quod maiorem minorémve pensionem debeat, l.3 t.4 p.176 c.2 d.9 n.3 in all.

Emphyteuta rem vltro derelinquēs non potest impensas repetere quas in eam fecit l.4 t.43 p.490 c.2 d 13 nu. 1

Emphyteuta domini directi iure censetur si cum secundo emphyteuta comparetur, l.4 t.43 p.490 c.1 d.12 n.3

Emphyteuta potest inuito domino rem derelinquere vt liberetur etiam ab actione personali, dummodo omnia derelinquat quę coniuncta sunt in onere, l.4 t.43 p.489 c.2 d.11 num.1 2 3 4 5 & 6

Emphyteuta primus quam actionem habeat contra secundum sine cessione? l.4 t.43 p.490 c.1 d.12 à n.1 ad 17

Emphyteuta secundus non tenetur superiori domino directo ex cuius consensu accepit emphyteusim, nisi quatenus ipse permisit, l.4 t.43 p.510 c.1 d.70 n.1 2 3 & 4

Emphyteuta ab alio spoliatus citra factum & cōsensum domini directi perinde annuum canonem soluere cogitur, l.4 t.43 p.497 c.2 d.33 nu.1 & 2

Emphyteuta qui rem alienauit, etiam sine dolo, non prius absoluendus est, quàm iudicauerit possessorem qui sit condemnatus, l.4 t.43 p.505 c.1 d.56 n.1 2 3 4 5 6 7

Emphyteuta expelli non potest ob id quod malè re vtatur, sed cogi potest vt vel bene re vtatur, vel rem derelinquat l.4 t.43 p.503 c.2 d.52 n.1 2 3 4 5 6 & 7

Emphyteuta perseuerans in lite post productas testationes condemnandus est etiam in anteriores expensas litis, l.4 t. 43 p.509 c.2 d.69 n.1 & 2

Emphyteuta nō liberatur per rei peremptionem quæ paulatim per possessoris negligentiam contingit, l.4 t.43 p.498 c.2 d.37 n.1 & 2. Imo nec impensas ad rem meliorandam eo casu factas reposcere potest. Ibidem n.8

Emphyteutę rem Emphyteuticariam nouo censu onerare non licet sine voluntate domini directi, neque alius profiteri potest quàm qui re vera possidet, l.4 t.43 p.488 c.2 d.9 à n.1 ad 23

Emphyteutam contentio de dominio directo inter plures excusat ne interim cogatur soluere, l.4 t.43 p.494 c.1 d. 26 n.1

Contra Emphyteutam vindicatio, & hypothecaria, & actio in personam competunt domino directo l.4 t.43 p.486 c.2 d.7 n.1 2 3 4 5 & 6

Res Emphyteutica quæ ex lege ab initio dicta redit ad dominum directum, An redeat cum oneribus in ea per emphyteutam medio tempore constitutis? lib 4 t.43 p.506 c.2 d.61 n.1 ad 19

Re Emphyteuticaria diminuta pensionis quoque diminutio fieri debet si propter fructus soluatur, non propter vtile dominium, l.4 t.43 p.498 c.1 d.26 nu.1 2 3 & 4

EMPTA res ex pecunia militis, pupilli aut adulti, eorum est quorum est pecunia, si empta sit ex eorum pecunia in totum, l.3 t.22 p.230 c.2 d.6 numer.1 in all.

Empta res ex pecunia filij à patre patris est, l.3 t.22 p.230 c.2 d.6 numer.1 in all.

Empta res etiam sub pacto de retrouendendo potest retineri pro pecunia chirographaria, non minùs quàm si esset tantùm obligata, l.8 t.15 p.1008 c.1 d.4 nu.2 & 4

Res Empta ex precio alterius rei venditę non censetur in eius locum substituta, nisi destinatione contrahentium, l.4 t. 42 p.465 c.2 d.5 nu.1 2 3 & 4

Empta per mulierem constante matrimonio vindicari per creditores mariti non possunt, l.4 t.34 p.442 c.2 d.7 n.1 & 2

Si Emptum aliquid sit ex secundi creditoris pecunia ea mente vt subrogaretur in locum rei eidem creditori prius obligatæ, An sit anterioribus in ea re præferendus, lib.8 t.6 p.972 c.2 d.17 à n.1 ad 7

Quod emptum est ex pecunia communi, nec commune, nec communicandum est l.3 t.22 p.230 c.2 d.6 n.2

EMPTIO & conductio iisdem fere iuris regulis constat, l.4 t.2 p.278 c.1 d.28 n.5 in all.

Emptio fructuum non est in omnibus similis conductioni, l.4 t.41 p.473 c.1 d.25 à n.1 ad 10

Emptio rei ex pecunia communi non facit rem communem, sed propriam illius qui cōparauit, salua ei cuius pecunia pro parte fuit actione in personam ad eam precij partem repetendam, l.4 t.27 p.412 c.2 d.5 n.11 & 12

Emptio reditus annui frumentarij vel vinarij ad septuncem reducitur, l.4 t.24 p.390 c.2 d.19 n.4

ad Emptionem nemo accedit, nisi vt rem à se emptam perpetuò sibi habeat, l.7 t.32 p.943 c.1 d.11 n.11 in all.

Emptio solo consensu, permutatio non nisi rei traditione perficitur, lib.4 t.40 p.463 c.1 d.8 n.3 & 4

in Emptione nominis transeunt vtiles actiones etiam absque cessione, l.4 t.29 p.241 c.1 d.13 n.2 in all.

EMPTOR fructuum vno casu præfertur creditori pignus iudiciale habenti, in fructibus, etiam ratione fructuum post constitutum iudiciale pignus perceptorum, l.8 t.8 p.997 c.1 d.28

Emptor hæreditatis succedit in vniuersum ius venditoris, l.4 t.29 p.422 c.2 d. 19 n.3 in all.

Emptor non tenetur stare colono sui venditoris, l.4 t.42 p.470 c. d.19 numer.2

Emptor fundi dotalis qui ex vtriusque con-

BIU Cujas

coniugis voluntate debuit precium deponere penes certam personam vt in alterius fundi redemptionem impenderetur, si volente marito deponat penes alium æque idoneum etiam ignorante muliere tutus est, p.1104 c.2 d.50 à n.1 ad 34

Emptor qui partem rei sibi venditæ accepit si de alia parte controuersiam patiatur nec tamen velit à contractu recedere condicionem deferente venditore, tenetur partem precij soluere, l.8 t. 30 p.1112 c.2 d.14 n.1 & 2

Emptor qui emit fundum pupillarem à tutore sine decreto, nullam eo nomine actionem habet contra tutorem antequàm res euicta sit, l.4 t.33 p.435 c.2 d. 3 n. 1

Emptor qui annuum reditum perpetuum quandocunque redimendum certo iustóque precio comparauit, licet cogere non possit venditorem vt redimat, si tamen reditum petens per venditorem repellatur, quasi iam facta fuerit redemptio, idque falsum appareat, mendacij sui pœnas luet, l.4 t.30 p.429 c.2 d.22 à n.1 ad 22

Emptor cum pacto de retrouendendo licet sit dominus cogitur tamen de iure suo disputare in discussionis instantia & quomodo ei succurrendum sit, l.7 t. 32 p.945 c.1 d.16 n.1

Emptor prætextu anteriorum creditorum superuenientiam recusare non potest quominus soluat anterioribus præstita per eos satisdatione, l.7 t.32 p.942 c.1 d.9 n.1

Emptor dominium transferre in alium alia lege aut conditione non potest quàm qua à venditore habuit, l.4 t.36 p.449 c.2 d.9 n.11

Emptor qui læsit venditorem enormissimè non habet electionem supplendi iusti precij, sed tenetur ad omnium fructuum restitutionem, l.4 t.30 p.424 c.2 d.3 nu.1 2 & 3

Emptor qui soluit anteriori venditoris sui creditori nõ ideò succedit in locum anterioris si neque pactum interueniat neque cessio, in eoque deterioris conditionis est quàm creditor, & quare, l.8 t.9 p.998 c.1 d.8 n.1 2 3 4 & 5

Qui Emit ea lege vt precium impenderetur ad reficiendam domum venditoris idem priuilegium habet secuta euictione contra cæteros creditores anteriores, quod haberet si ab initio ad reficiendam domum credidisset, l.8 t.9 p.ead.d.9 n.6 & 7

Emptor non aliter indemnis seruari potest, quàm si omnes litis sumptus sarciat, ac quanti venditoris interest, l.4 t. 36 p.451 c.1 d.13 nu.14

Emptor non potest discedere ab emptione inuito venditore, l.4 t.29 p.418 c.2 d.4 nu.1 & 2

Emptor si susceperat periculo suo necessitatem expellendi præpotentis spoliatoris, tanto maiore precio emisse intelligitur, l.4 t.30 p.428 c.1 d.18 nu.1 & 2

Emptor probata lesione quando non teneatur ad fructuum restitutionem, l.4 t.2 p.432 c.2 d.32 n.5

Emptoris & venditoris vt plurimùm eadem esse causa solet, l.3 t.25 p.245 c.1 d. 5 n.8 in all.

Emptoris est pecuniam pro re non aliam rem dare, l.4 t.41 p.461 c.2 d.4 nu.12 in all.

Emptori etiam venditoris iura prosunt, p.180 c.1 d.3 n.11 in all.

Emptori qui ex pacto retrouendere debuit, eóque nomine conuentus à Senatu condemnatus fuit, saluum est ius agendi contra quem & quomodo agendum videretur, l.7 t.14 p.838 c.2 d.11

Emptori aliíve possessori cuilibet qui autorem aliquem laudare velit dilatio danda est priusquam ad litem contestandam vrgeri possit p.178 c.1 d.3 nu.2 in all.

Emptorem non bene defendit qui pecuniam offert actori rem venditam vindicanti iure dominij, etiamsi offerat præterea quicquid potest interesse vindicantis, lib.8 t.31 p.1118 c.1 d.26

Emptori redimenti pignora publicè vendita non redduntur fructus nisi qui post litem contestatam percepti sunt, l.4 t.30 p.425 c.2 d.6 nu.1

Ex pluribus Emptoribus præfertur is, qui prior factus est possessor etiam per solum constitutum aut precarium, l.3 t. 22 p.229 c.2 d.4 n.1

Enfans dictio, collectiua est primi & vlteriorum graduum, l.6 t.19 p.705 c.2 d. 4 n.8 in all.

Enumeratio specierum, siue per imperitiam, siue interpretãdi potius, quàm restringendi animo facta, non restringit legatum generale factum vxori, l.6 t.18 p.696 c.2 d.2

Enunciativa verba probant in antiquis, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 numer.7 in all.

Episcopus quilibet presbytero Cardinali maior est, p.31 c.1 d.13 num.1 in all.

Episcopus potest ex causa commendare beneficium vsque ad sex menses, p.3 c.2 d.9 n.7

Episcopus sub alieno Principe dignitatem officiúmve gerens, officio, si in eo deliquerit, priuari potest, l.3 t.22 p.198 c.1 d.31 n.4

Episcopus potest etiam esse Senator, quod Senatui non paruum ornamentum est, p.31 c.1 d.13 n.1 & 2 & n.4 in all.

Episcopus neque vicarius Episcopi aliorum doctrina egere debet, p.35 c.1 d.28 n.3 in all.

Episcopus per singula triennij curricula beneficiorum omnium in sua diœcesi constitutorum statum & possessores inquirere ex officio debet, p.2 c.2 d.5 nu.6 & p.29 c.1 d.3 n.15

Episcopus ex ordine consulere debet & parocho & archipresbytero de congrua portione disceptantibus, p.16 c.1 d.52 numer.11 & p.33 c.2 d.22 numer.1 in all.

Episcopus non habet fundatam intentionem ratione beneficiorum regularium quę suum habent superiorem, nisi superior negligens sit in prouidendo, p.20 c.1 d.65 n.1 2 & 3

Episcopi iurisdictio regulariter est in clericos, siue agatur ad depositionem ordinis, siue ad depositionem officij, siue ad morum correctionem, p.38 c.2 d.36 n.3 in all.

Episcopo quænam impensa adiudicetur pro iis diebus quibus fuit in itinere, l.7 t.18 p.861 c.1 d.47 n.4 in all.

Episcopo præstante autoritatem quod in vsus pios destinatum est, in alios conuerti potest, si modo iusta commutandi causa subsit, p.22 c.1 d.71 numer.1

Episcopo mortuo tota ipsius potestas redit ad Papam, l.1 t.2 p.6 c.2 d.21 nu.1 in all.

Episcopi solent iudicibus secularibus inhibere sub pœna excommunicationis vt lite pendente supersedeant, p.184 c. 2 d.17 n.3 in all.

Episcopi possunt audire leges, vt per eas melius intelligantur canones, p.31 c.1 d.13 n.2 in all.

Eques Senatorius in Senatus prætorium secretum ingredi non potest, nisi cum de armorum & belli iure tractatur, p.48 c.2 d.1 n.3

Eques Senatorius ante Senatores omnes ac primo post præsidies loco sedet, quoties publicè, priuatimque Senatus habetur, p.48 c.2 d.1 n.1

Equites Hierosolymitani & Maltenses non admittuntur ad fideicommissum familiæ relictum, ne quidem quantum ad vsumfructum, lib.6 t.22 p.727 c.1 d.33

Eremodicium contrahi non potest ex facto falsi procuratoris, nec si postea sit secuta ratihabitio, p.158 c.1 d.8 n.1 2 & 3

Errantes mitiùs puniendi sunt tum quoque cùm delinquunt, quasi nec delinquere videantur, l.4 t.15 p.342 c.2 d. 54 n.9 in all.

Errare in ipsa possessione, aliud, aliud in titulo possessionis, l.7 t.7 p.819 c.1 d.41 n.9 in all.

Error potius quàm dolus præsumitur in eo qui palam male fecit, secus in eo qui clam, l.4 t.5 p.283 c.2 d.2 nu.1 in all.

Error quandoque ius facit aut saltem iuris noui occasionem præbet, l.4 t.15 p. 342 c.1 d.54 n.6 in all.

Error iuris ciuilis excusabilis est in rustico, l.6 t.5 p.623 c.1 d.1 n.14 in all.

Error expressus in die sententiæ executioni mandatę non viciat executionem si modò constet de qua sententia actum sit, l.7 t.20 p.881 c.1 d.3 n.1

Erroris calculi allegatio præscribitur spatio 30. annorum, l.7 t.13 p.828 c.2 d.10 n. in all.

Errorem suum corrigere notarius per se & sine iudice quandoque potest, l.4 t. 16 p.347 c.1 d.9 n.1

Eschevtae legalis reseruatio non habet locum quandiu aliquis supereſt ex iis quorum fauore facta fuit renunciatio, siue masculi sint, siue fœminæ, p.80 c.2 d.12 n.1

Eventvs posterior à primordio tituli formatur, l.4 t.14 p.308 c.1 d.3 nu.14 in all.

Euentus futuri incertitudo facit vt multa permittantur quæ alioquin non permitterentur, l.4 t.17 p.357 c.1 d.8 n.1 in all.

Evictio quando præstanda sit ex causa transactionis, l.8 t.31 p.1120 c.1 d.32

Euictio sequi potest ex causa vel dominij vel pignoris, l.8 t.6 p.980 c.1 d.41 nu.5 in all.

Euictionis litem venditori ab emptore denunciatam esse sufficit vt possit emptor habere regressum etiam contra possessores pignorum postea venditorum, licet nihil iis fuerit denunciatum, l.8 t.30 p.1117 c.1 d.25 à num.1 ad 21

de Euictione pignoris creditor non tenetur, sed tantùm de facto suo repromittere & dolo, itémque actionib. suis cedere, & præstare se potiorem, l.8 t.31 p.1120 c.1 d.1 nu.1 2 3 & 4

de Euictione agere non potest is ipse qui possessionem transtulit in eum à quo nunc patitur controuersiam, nisi post recuperatam quoquc possessionem inquietetur, lib.8 t.30 p.1112 c.2 d.15 n.1 2 & 3

de Euictione actio nascitur ex datione in solutum perinde atque ex venditione, lib.8 t.31 p.1118 c.2 d.28

Euictionis periculo imminente plurium rerum diuersis prætiis & instrumentis

BIU Cujas

venditarum, si de vnius tantum pretio agatur, eius solius nomine satisdationem offerri satis est, l.8 t.31 p.1110 c.2 d.10

de Euictione an & quando teneatur aut de pretio, tutor, qui pupilli nomine rem alienam aut alij obligatam vendidit, & quid si non sit soluendo, l.8 t.31 p.1110 c.2 d.9

de Euictione bonorum fideicommissi in dotem datorum, lib.8 t.31 p.1120 c.1 d.33

de Euictione quæ in ipso limine contractus immineat, non eo minus debet satisdare venditor, quod satis cautum sit emptori datis ei pignoribus, l.8 t.31 p.1111 c.1 d.11

de Euictione nullum regressum habet qui renunciauit liti motæ sibi de dominio rei venditæ, præsertim si apud acta renunciauerit, nisi probet iustam fuisse euictionem, l.8 t.31 p.1110 c.1 d.8

de Euictione conueniri non potest, qui liberaliter remisit quod sibi debitum putabat, si neque promiserit, neq; dolus interuenerit, l.8 t.31 p.1110 c.1 d.7

de Euictione non tenetur procurator qui fidem suam non adstrinxit pro euictione prædiorum quæ alterius nomine vendidit, si modo vel mandatum exhibeat, vel ratihabitionem, l.8 t.31 p.1109 c.2 d.6

de Euictione an teneatur venditor hyperochæ euicto fundo cuius redimendi ius competebat, lib.8 t.31 p.1119 c.1 d.30

de Euictione ex contractu quando agat emptor priusquam ille contractum ex parte sua impleuerit, l.8 t.31 p.1116 c.2 d.23

de Euictione priùs agi non potest quàm res sit euicta, nec si lis & molestia iam mota proponatur, l.8 t.14 p.1004 c.1 d.1 nu.1 in all.

Nisi expresè conueniat in contrarium. Ibidem.

pro Euictione fundi non semper pecunia dari debet, sed alius fundus æquiualens arbitrio boni viri, si habeat venditor ex propriis bonis quem dare possit, l.8 t.31 p.1109 c.1 d.4

Cùm Euicta res est quæ fuerat data in solutum siue pro re, siue pro pecunia, An pristina actione possit agi? An sola supersit actio de euictione, l.8 t.29 p.1103 c.1 d.49 à nu.1 ad 29

Euictis pignoribus dotalibus quæ maritus in solutum acceperat non habetur dos pro soluta, ideóque nec maritus nec eius heredes ad restitutionem tenentur, l.8 t.30 p.1114 c.1 d.20 à nu.1 ad 26

EVOCARE ab inferioribus iudicibus solus Senatus hodie potest, l.3 t.1 p.156 c.2 d.1 n.8 in all.

Euocationes magnam litium & expensarum materiam præbent, p.64 c.2 d.15 n.2 in all.

EXACTIO sine actione esse non potest, cùm debitor non vult bonam fidem agnoscere, l.4 t.42 p.477 c.2 d.39 n.8 in all.

EXCEPTIO est actionis exclusio, p.186 c.1 d.1 n.8 in all.

Exceptio accommodanda est ad naturam actionis cui opponitur, l.4 t.29 p.418 c.1 d.3 n.8 in all.

Exceptio creditoris odio inducta (qualis est Macedoniani) non parit conditionem, l.4 t.21 p.364 c.1 d.6 num.4 in all.

Exceptio rei iudicatæ non habet locum nisi vbi eadem est causa petendi, l.7 t.22 p.901 c.1 d.4 nu.3 in all.

Exceptio rei iudicatæ à persona venditoris transit in emptorem, non contra, l.4 t.42 p.500 c.2 d.43 n.5 in all.

Exceptio non impugnans iudicatum, cuiusmodi est compensationis & solutionis, potest opponi etiam in executione iudicati, l.8 t.23 p.1042 c.1 d.2 nu.1

Exceptio anterioris fideicommissi opponi potest contra posteriorem fideicommissarium à tertio possessore, l.8 t.24 p.1055 c.2 d.45 n.1 &c.

Exceptio contrarij spolij De rebus mobilibus An & quando detur spoliatori conuento remediis recuperandæ possessionis, l.8 t.3 p.963 c.2 d.40 à num.1 ad 11

Exceptio doli competit aduersus eum qui agit ex stipulatione interposita sine causa, l.4 t.42 p.509 c.1 d.66 numer.2 in all.

Exceptio non factæ discussionis quando possit esse peremptoria, l.7 t.34 p.948 c.2 d.2 n.3 in all.

Exceptio non factæ discussionis opponi potest, si male intenta fuerit hypothecharia, l.8 t.24 p.1042 c.1 d.1 num.8 in all.

Exceptio (deducto ne egeat) potest opponi etiam in executione iudicati & si admissa non sit, iustè ab executore prouocari potest, l.7 t.20 p.895 c.1 d.42 nu.1

Exceptio diuisionis opponi potest non solum post litem contestatam, sed etiam in executione iudicati; tanquam quo non impugnet iudicatum, l.8 t.24 p.1042 c.1 d.1 n.3 in all.

Exceptio diuisionis an possit suppleri per iudicem potius quàm exceptio ordinis, l.8 t.28 p.1079 c.1 d.35

Exceptio dominij non potest objici agenti interdicto recuperandæ, nisi reus dicat se habere causam ab actore, aut ab eo cuius Actor heres sit, l.8 t.3 p.963 c.1 d.38 nu.1 2 & 3

Exceptio excussionis neque nudo detentori datur, neque malæ fidei possessori conuento per hypothecariam, l.8 t.23 p.1042 c.2 d.3 nu.2 & 3

Exceptio excussionis est dilatoria, & ideo opponenda ante litem contestatam, non post, nisi opponatur per eum qui tanquam autor laudatus venerit in ius post litem ab emptore suo contestatam, l.8 t.32 p.1041 c.2 d.1 nu.1 2 3 & 4

Exceptio non factæ excussionis contra hypothecariam solam competit, non etiam contra dominij vindicationem, l.3 t.19 p.220 c.1 d.32 n.1 in all.

Exceptio non factæ excussionis non potest aufferri tertio possessori per pactum inter debitorem & creditorem initum, l.8 t.23 p.1043 c.2 d.6 nu.1 2 & 3

Exceptio non factæ excussionis nocet mulieri agenti hypothecaria, sicut & cæteris creditoribus, l.5 t.8 p.550 c.2 d.2 nu.1

Exceptio non factæ excussionis competit possessori contra agentem hypothecaria, l.8 t.3 p.957 c.1 d.17 num.2 in all.

Exceptio fori declinatoria est, & consequenter dilatoria, l.3 t.12 p.190 c.1 d.3 n.3 in all.

Exceptio de iure tertij regulariter est admittenda, l.3 t.21 p.225 c.2 d.2 num.5 in all.

Exceptio de non iure actoris semper admittenda est, l.3 t.23 p.237 c.1 d.5 nu.3 in all.

Exceptio non numeratæ pecuniæ perpetua est, sicut & doli mali, si debitor velit probare non fuisse numeratam pecuniã, l.4 t.22 p.373 c.2 d.1 n.4 5 & 6

Exceptio non numeratæ pecuniæ aduersus apocham probari debet per testes vsque ad 30. annos, sed non per iusiurandum ne quidem decisiuum, multò minùs per suppletorium, l.4 t.22 p.376 c.2 d.7 n.1 2 & 5

Exceptio non numeratæ pecuniæ hoc ipso quod obiicitur, si modo tempora largiantur, vires suas exerit, & impedit executionem obligationis quantumlibet iuratæ, l.4 t.2 p.374 c.2 d.3 n.1 & 2

Exceptio non numeratæ pecuniæ onerat creditorem vt probare numerationem debeat, restitutio verò debitorem qui vult in integrum restitui aduersus cautionem, l.4 t.22 p.374 c.2 d.3 num.3 4 & 5

Exceptio non numeratæ pecuniæ cõmodior est quã restitutio in integrũ aduersus cautionem l.4 t.22 p.374 c.2 d.3 n.1

ad Exceptionem non numeratæ pecuniæ opponendam tempus datum constante matrimonio currit mulieri, l.4 t.22 p.376 c.1 d.6 n.5 6 & 7

Exceptio peremptę instantiæ non potest opponi per eum qui ipse prius fuit negligens in lite prosequenda, l.8 t.23 p.1044 c.1 d.10 n.1 2 & 3

Exceptio ordinis dilatoria est, nec proinde opponi potest post litem contestatam: ab eo autem qui ex sua promissione conuenitur, nullo modo, nisi si post fideiussionem conueniatur, l.8 t.28 p.1081 c.1 d.38

Exceptioni ordinis renunciare non cogitur qui promisit fideiubere, etiam idonee, l.8 t.28 p.1080 c.2 d.37

Exceptioni ordinis renunciandum est in specie, alioqui non sufficit renunciatio generalis, l.8 t.28 p.1078 c.1 d.31

Exceptio ordinis locum habet etiam contra mercatorem nisi agatur in foro mercatorum, l.8 t.23 p.1044 c.1 d.8 n.2 & 3

Exceptio quæ nascitur ex pacto de non petendo, per eiusdem pacti replicationem eliditur p.78 c.1 d.4 n.2 & 3

Exceptio procuratoria, quæ ex defectu mandati oritur, dilatoria est, si non ad causam mandati, sed ad personam procuratoris respiciat, p.97 c.2 d.9 numer. in all.

Exceptio quæ ex ipsis contractus verbis nascitur facit ne pendente facti quæstione conductor sit prouisionaliter, vt aiunt, condemnandus, l.4 t.41 p.468 c.2 d.14 n.1 2 3 & 4

Exceptio simulationis potest obiici non tantùm à contrahentibus sed etiam ab eorum successoribus, nec minùs cessionario quàm cedenti, l.8 t.23 p.1046 c.2 d.16 n.1 & 2

Exceptio soluti debiti competit cuilibet creditori conuento hypothecaria, l.8 t.6 p.972 c.2 d.1 n.1

Exceptio solutionis totius debiti impedit pronunciationem diffinitiuam. At non allegatio solutionis partis debiti, l.8 t.23 p.1044 c.2 d.12 nu.8 & 9

Exceptio non solutę dotis non potest obiici à creditoribus mariti post elapsa tempora intra quæ à marito opponi potuit, l.5 t.10 p.564 c.2 d.2 nu.1 2 & 3

Exceptioni locus esse non potest, nisi cùm proponitur actio, lib.4 t.22 p.375 c.1 d.4 n.2 in all.

Exceptionem ordinis nõ habent fideiussor vel mandator, si conuincantur de mẽdacio, l.2 t.14 p.113 c.2 d.3 n.3 in all.

Exceptionem dotis non numeratæ non habet maritus qui confessus est dotem habuisse à dotantis debitore, l.4 t.10 p.567 c.2 d.10 n.1 2 8 & 9

An ad

An ad Exceptionem non factæ discussionis euitandam sufficiat implorari clausulam constituti, An verò sit necesse specialiter implorari beneficium l.vlt. C.de acquir.poss.l.8 t.23 p.1045 c.1 & 2 d.13 n.1 2 & 3

Exceptione vulgari, Quem de euictione tenet actio, non repellitur is qui potest ipse hypothecaria conueniri per eum contra quem agit hypothecaria, l.8 t. 31 p.1113 c.1 d.16

Exceptiones declinatoriæ & dilatoriæ dicuntur quæ iudicis aut aduersarij personam respiciunt, non ius defensionis, p.110 c.1 d.7 n.3 in all.

Exceptiones sunt peremptoriæ & durant post triginta annos etiam de iis rebus de quibus actiones essent temporales, l.7 t.13 p.827 c.1 d.6 nu.1

Exceptiones peremptoriæ admittuntur etiam post recognitionem chirographi & latam interlocutoriam super iure taciti pignoris ob contumaciam debitoris, l.7 t.15 p.843 c.1 d.11 n.1

Exceptiones, quæ non impugnant iudicatum, in iudicati executione opponi possunt, l.4 t.15 p.337 c.2 d.36 num.9 in all.

Exceptiones omnes quæ rei & causæ magis, quàm personæ cohærent, tranieunt in fideiussorem, l.4 t.28 p.416 c.1 d.6 n.3 in all.

Exceptionum & defensionum quædam personæ, quædam rei cohærent, p.125 c.2 d.3 n.11 in all.

de Exceptionibus peremptoriis potest differri pronunciatio si respiciant merita causæ. At non item si possint litis ingressum impedire, l.8 t.23 p.1043 c.1 d.5 à n.1 ad 5

Exclvsvs à successione intestati, excluditur quoque à legitima, p.83 c.1 d.15 n.17 in all.

Excommvnicationis sententia secum trahit executionem, siue iusta sit, siue iniusta, l.7 t.20 p.884 c.2 d.14 numer.1

Excommunicatio non tam est pœna peccati quàm pœna contumaciæ & obstinationis in peccato, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 num.22 in all. non afficit animam, quod ad formalem rationem, sed tantum quod ad aggrauationem peccati p.323 c.1 ead.def.

Excvssio personæ debitoris habenda est pro facta, si detrusus ille sit in carceres, quos per aliquod tempus pati maluerit quàm soluere, l.8 t.6 p.976 c. 2 d.14 n.1 in all.

Excussio & fisci & principis fieri potest, l.8 t.24 p.1042 c.1 d.1 n.2 in all.

Excussio numquam facienda nisi ab eo qui agit, l.5 t.7 p.540 c.2 d.21 num.4 in all.

Excussionis non factæ exceptio præsupponit alium esse obligatum, qui & conueniri & exigi possit, p.305 c.1 d.1 nu.9 in all.

ei qui Excutere debitorem debuit non potest imputari cur non vrserit illum ad solutionem quem constabat non fuisse soluendo, l.4 t.36 p.450 c.2 d.12 nu.9 10 & 11

Execrabilis est qui plura obtinet beneficia, si non intra annum dimittat omnia vno excepto, p.1 c.2 d.2 nu.8

Execrabilis dicitur qui duo beneficia possidet nec vnum intra annum dimittit, l.8 t.3 p.953 c.1 d.4 numer.1 in all.

Execrabilis si spoliatus sit ante omnia est restituendus si dicat non teneri se interim exhibere dispensationem, l.8 t.3 p. 953 c.1 d.4 nu.1 2 & 3

Execrabilis nullum ius in beneficio habere potest, l.8 t.3 p.953 c.1 d.4 num.2 in all.

Executio est actus legitimus & indiuiduus, ideóque debet esse certus vt valeat in solidum, p.153 c.1 d.14 num.10 in all.

Executio illa est quæ sententiæ vigorem ad effectum perducit, l.7 t.28 p.927 c.2 d.7 n.2 in all.

Executio an fiat ex literis de debitis an ex aliis, an pro sorte, an pro expensis, l.7 t.20 p.894 c.2 d.40 n.1

Executio prima cùm confluit in secundam sufficit ei qui ab vtraque appellauit, vt posteriorem persequatur, l.7 t. 27 p.290 c.1 d.1 n.1

Executio præcisa fieri non potest ex instrumento recepto per notarium regium etiam adhibito sigillo, l.7 t.15 p. 840 c.2 d.3 n.1

Executio iudicati, sicut & iudicatum ipsum, extinguitur per appellationem, l.7 t.26 p.913 c.1 d.18 nu.1

Executio iudicati potest fieri etiam contra singularem successorem qui in ius condemnati successit, adeóque in eum qui emit lite pendente, l.7 t.20 p.882 c.2 d.7 n.1 & 2

Executio ex iudicato nó potest fieri contra plures simul nec in solidum condemnatos, nisi in partes viriles, si non fiat per viam hypothecariæ, l.7 t.21 p. 900 c.1 d.3 n.1

Executio pro expensis consentiente procuratore taxatis permittenda est pendente appellatione per modum prouisionis oblata satisdatione, lib.7 t.18 p. 849 c.2 d.5 n.1

Executio ex rescripto de debitis contra clericum fieri non potest, ne quidem ad finem hypothecariæ, l.3 t.12 p.194 c.2 d.19 n.2

Executio Senatusconsulti non semper facienda pendente supplicatione ciuili, lib.7 t.14 p.835 c.1 d.2 numero 4 in all.

Executio sententiæ latæ contra tutorem, vel curatorem fieri potest contra pupillum vel minorem, sed in bona non in personam, l.7 t.20 p.892 c.2 d.33 n.1

Executio sentētiæ fieri non potest, quamdiu non constat quid veniat in condemnationem, l.7 t.20 p.883 c.2 d.10 nu.1

Executio à qua prouocatum est non priuat possessorem sua possessione, l.7 t.20 p.884 c.2 d.13 nu.1

Executio facta pro debito non tenet, si facta sit nulliter, sed ea demū quæ ideò nulla est, quod sit facta contra formam statuti, l.7 t.20 p.889 c.1 d.26 num.1 2 3 & 4

Executio facta die Dominico aut alio feriato in honorem Dei & quidem cum effectu, reuocanda est, l.7 t.20 p. 896 c.2 d.50 n.1

Executio facta die Dominico etiamsi facta sit pro debito reuocanda omnino est sed postulante procuratore fiscali potius quàm ipso debitore, l.7 t.20 p. 887 c.2 d.22 nu.1

Executio facta die Dominico, licet contra verum debitorem non tenet, nec tamen nisi procuratore fiscali requirente rescinditur, p.187 c.2 d.3 num.1 2 3 4 & 5 & p.188 c.2 d.4 nu.1

Executio præceps facta in personā ipsam debitoris iniuriosa est & ab ea potest appellari: secus est si capta sint bona, l.7 t.20 p.889 c.2 d.27 nu.1

Executio in bonis dotalibus pro posteriore mulieris debito fieri non potest, l.4 t.8 p.292 c.2 d.1 n.1

Executio violenta & iniuriosa quænam sit, & an executori iniurioso possit de facto resisti, l.7 t.20 p.884 c.2 d.15 n.1

Executio omnis quę non est, habet annexam iniuriam, l.3 t.11 p.188 c.2 d.4 nu.2 in all.

Executio fit ex autoritate Magistratus, l.4 t.15 p 334 c.1 d.16 n.3 in all.

Executio quæ pro debito facta est, tenet quousque totum soluatur, p.169 c.2 d. 9 n.3 in all.

Executio etiam quæ non fit præcisa non potest fieri vigore literarum præcisarum aduersus conductorem, l.4 t.42 p. 467 c.1 d.7 n.1 2 & 3

Executio facta in nomen debitoris alieni pro debito procuratoris non valet, l.4 t.10 p.298 c.1 d.5 n.1 2 & 3

Executio in debitoris condemnati nomen fieri potest, si debitoris debitor ex ea executione non lædatur, l.4 t.10 p.298 c.2 d.6 n.1 2 & 3

Executio nulla fieri potest lite pendente super literis dilatoriis, p.49 c.2 d.2 n.1

Executio vna duobus modis potest aliam impedire, nempe si prior sit perfecta, aut si super priore lis pendeat, lib.7 t. 20 p.895 c.1 d.43 n.1

Executio vnica est quæ incipit à capione pignoris, & finitur eiusdem addictione aut venditione, l.4 t.38 p.457 c.1 d.8 n.2 in all.

Executio facta per cessionarium siue proprio suo nomine siue simpliciter non valet, sed tantùm quæ facta est ex cedentis persona, l.4 t.29 p.422 c.1 d.16 nu.1 2 & 3

Executio decretorum iuridici maioris non indiget licentia iudicis inferioris, l.3 t.12 p.195 c.2 d.23 nu.1

Executio iudicati habet suas moras, l.3 t. 22 p.234 c.1 d.15 n.3 in all.

Executio quoties nulla & inualida est condemnandus est actor in omne id quod interest eius contra quem fit executio, l.7 t.16 p.847 c.2 d.8 num.3 in all.

Executio non impedit aliam quandiu non est satisfactum creditori, annotationis tamen potestas extinguitur si rei persona capta sit, l.7 t.20 p.881 c.1 d.4 n.1

Executionis instantia pars quędam est litis principalis, aut saltem accessio, p.76 c.1 d.12 n.5 in all.

quicquid in Executionis personalis & inualidæ consequentiam fit, inualidum id quoque esse necesse est, l.3 t.12 p.194 c.2 d.19 n.3

Executioni iniuriosæ tanquam testis qui adfuit non debet puniri tanquam auxiliator nec in vllos litis sumptus condemnari, lib.9 t.20 p.1184 c.1 d.4 n.1

Executioni qui tanquam possessor intercedit non potest ei identitatem negare secus in eo qui tanquam possessor conuenitur, lib.7 t.20 p.895 c.1 d.44 nu.1

Executioni mandati potest sententia contra defunctum lata etiam pendente instantia discussionis, si doli suspicio aliqua sit contra heredem, l.6 t.11 p 664 c.1 d.16 num.1 & 5

Executioni renunciare non videtur qui pecunias per executionem exactas sibi retinet, l.3 t.11 p.187 c.2 d.3 n.10

Executionem rerum iudicatarum accelerati publicè interest, l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 num.4 in all.

Executionem iudicati non potest impedire qui habet ius à condemnato, l.7 t. 22 p.604 c.1 d.13 n.2 in all.

Executionem iudicati impediens per tergiuersationem non est audiendus, l.7 t.20 p.891 c.2 d.32 n.1

Executionem factam in bonis defuncti

BIU Cujas

heres non potest impedire prætextu vllius iuris, quod in iis proprium habeat, l.7 t.20 p.898 c.2 d.56 n.1
in Executionem iudicati factum videri potest quod totum iudicatum subuertit, lib.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.18
cognitio superioris contra Executionem factam ex iussu iudicis inferioris, ex iusta causa implorari potest, lib.3 t.12 p.195 c.1 d.20 n.1
Executione iudicati, quod per condemnatum fieri ante omnia debuit si per eius tergiuersationem factum non sit an & quatenus pro facto haberi debeat, l.7 t.20 p.882 c.1 d.6 n.1
Executione præcisa nullo casu potest sine satisdatione ex instrumento quamuis authentico, si extra prouinciam factum sit nec si creditor sit mercator, l.7 t.20 p.888 c.1 d.24 nu.1
Executione nulla iudicati indiget qui obtinuit in interdicto retinendæ, quomodo indiget is qui obtinuit in interd. adipiscendæ, lib.7 t.20 p.895 c.2 d.45 n.1
de Executione sententiæ extra territorium permittenda, & quid antehac in Gaiorum & Sebusianorum prouinciis obseruari soleret, l.7 t.20 p.880 c.2 d.2 nu.1
in Executione iudicati debent omnia fieri summariè aduersus condemnatum, l.2 t.2 p.76 c.1 d.10 n.3 in all.
pro Executione iniusta non tantùm is qui eam fieri iurauit condemnandus est, sed etiam ipse executor si sit in dolo, l.7 t.20 p.882 c.2 d.8 n.1
Executor admittens exceptionē quam admittere non debuit & ita delinquēs in officio, condemnari eo nomine debet, l.7 t.20 p.886 c.2 d.20 n.1
Executor etiam vim priuatam committere potest, qui exequitur mandatum iudicis euidenter iniustum, l.9 t.8 p.1164 c.1 d.1 n.1
Executor merus nullam habet causæ cognitionem, l.7 t.20 p.883 c.1 d.9 n.1
Executor datus à Senatu non potest cognoscere de tertij intercessione, sed ad Senatum remittere rem debet, l.2 t.20 p.895 c.2 d.46 n.1
Executoris non est cognoscere an commissio iudicis sit iusta, vel iniusta, l.9 t.8 p.1164 c.1 d.1 nu.2 in all.
Executori qui mandauit ipsius factū præstare tenetur, si quid ei possit imputari, adeò vt primo loco sit conueniendus nisi executor ipse paratus sit de suo satisfacere, l.7 t.20 p.893 c.2 d.37 n.1
Executorem qui offendit, aliter atque aliter pro varietate personarum, locorum, & temporum condemnandus est, l.9 t.20 p.1185 c.2 d.6 n.1
Executor testamentarius non potest vendere fundum, quin venditionem notificet heredi, p.76 c.1 d.12 num.6 in all.
Executori de facto & sine mandato exequenti non tantùm impune non pareri sed etiam de facto resisti licet, p.106 c.1 d.3 num.10
Exequi & subuertere iudicatum contraria, l.3 t.2 p.171 c.1 d.12 n.18 in all.
Exempla fidem nullam faciunt, si non authentica proferantur instrumenta, l.4 t.16 p.345 c.2 d.2 n.3 in all.
Exemplum omne magnum habet aliquid ex iniquo quod publica vtilitate compensatur, l.9 t.6 p.1159 c.1 d.4 n.9
Exheredans liberos vt instituat Christum, alium quærat quam Augustinum, l.6 t.5 p.635 c.1 d.29 numero 5 in all.
Exheredare filium pater potest consentientem, & præterire, si liber consensus fuit, sed ita, vt hoc quoque casu salua sit filio legitima, lib.6 t.9 p.657 c.1 d.6
liberi licet à matre prædefuncta Exheredati, patruo tamen æque succedunt p.7 c.2 d.2 n.3 in all.
Exhibere nunquam quisquam cogitur, nisi qui exhibendi facultatem habet, aut qui dolo malo fecit ne possit exhibere, p.70 c.1 d.12 n.2 in all.
Exhibitio quæ per calumniam petitur deneganda est, p.70 c.1 d.11 numer.8 in all.
Exhibitionem instrumēti petere possunt omnes quorum interest, l.4 t.16 p.351 c.1 d.19 n.4 in all.
Exigens indebite quod solui debuerat ad domum creditoris, cogitur id reddere similiter ad domum eiusdem creditoris, l.8 t.30 p.1102 c.1 d.46
Exorbitantia à iure communi sunt odiosa, & consequenter restringenda, l.6 t.5 p.635 c.1 d.28 numero 20 in all.
Expensae litis pro varia victoris auditione quomodo taxandæ, l.7 t.18 p.860 c.2 d.45 n.1
Expensæ peti non possunt, quæ non nisi officio iudicis debitæ fuerunt post transactionem de principali negotio, l.7 t.18 p.871 c.1 d.82 n.1
Expensæ refundi solent quoties mutatur actio post litem contestatam, l.8 t.3 p.954 c.2 d.8 nu.19 in all.
Expensæ per conductorem factæ proprij commodi & propriæ negociationis non sunt ei restituendæ si locator illum iure suo expellat, t.41 p.480 c.2 d.50 nu.1 & 2
Expensæ ante litis denunciationem factę veniunt in actionem de euictione cum quis per contumaciam condemnatus est, l.4 t.29 p.420 c.2 d.12 nu.1 2 3 & 4
Expēsæ solutæ in cutoritate arresti postea reuocati per supplicationem ciuilem, non repetuntur, l.7 t.18 p.871 c.2 d.85 nu.1
Expensæ possunt compensari pro vno capite, pro alio autem adiudicari cum lis vna habet plura capita, l.7 t.18 p.855 c.2 d.27 n.1
Expensæ factæ à marito pro dote æstimata, non sunt ei restituendæ, nisi cum ipsæ æstimatæ mulieri restituuntur, l.5 t.7 p.547 c.1 d.44 n.1 2 3 4 & 5
Expensæ factæ ad transferendum reum à carceribus inferioris iudicis ad carceres superioris, cui debeant imputari, l.7 t.18 p.861 c.1 d.46 nu.1
Expensæ litis appellatoriæ compensandę sunt si ab eodem capite sententiæ vtriusque malè appellatum sit, l.7 t.18 p.856 c.2 d.31 n.1
Expensas litis pro quibus in carcere retinebatur soluere qui minimè potest, quo remedio succurrendum sit, l.7 t.18 p.861 c.1 d.48 n.1
Expensas nullas pro viaticis obtinere potest qui in loco domicilij sui litigat, l.7 t.18 p.871 c.1 d.86 n.3 in all.
ab Expensis non semper excusat probabilis causa litigandi, lib.7 t.18 p.859 c.2 d.41 n.2 in all.
in Expensis litis condemnandus est qui dat causam impensis per litem temerariam, l.7 t.20 p.898 c.1 d.54 numer.10 in all.
in Expensas victus victori condemnandus est, l.4 t.21 p.371 c.1 d.20 n.13 in all. & p.176 c.2 d.7 n.6 in all.
in Expensas litis criminalis appellatoriæ, is nunquam debet condemnari qui obtinuit in prima instantia, nisi probetur calumniator, l.7 t.18 p.862 c.1 d.50 n.1
Expensarum iudicialium in litem criminalem factarum petitio aliquando nulla est, l.7 t.18 p.858 c.1 d.36 n.1
Expensarum condemnatio per Senatusconsultum ex tempore pronunciatum irrogata, emendari postea non potest, l.7 t.18 p.861 c.1 d.47 n.1
Expensarum condemnatio non nisi in pœnam negligentiæ aut malæ institutę actionis irrogari solet, lib.4 t.1 p.267 c.2 d.35 n.4 in all.
Expensarum maiore damno coercetur, qui plus petit, qui minus, nullo, p.186 c.1 d.1 n.7 in all.
Expensarum condemnatio non propter crimen sed propter litem infligitur, p.149 c.1 d.3 n.1 in all.
Expensarum taxatio demonstratio est eius quantitatis quæ per condemnationem deducta intelligitur, p.99 c.1 d.14 n.1 in all.
Expensarum condemnatio accessoria est nec nisi officio iudicis fit, p.191 c.2 d.10 nu.3 in all.
Expensarum taxatio defuncto eo qui ad eas persoluendas condemnatus fuerat, fieri potest cum procuratore ad litem constituto, p.90 c.1 d.14 n.1
Expensarum refusio, quæ factæ sunt in prioribus duabus instantiis, quomodo fieri debeat in tertia instantia, si noua instrumenta producantur, l.7 t.18 p.857 c.1 d.32 n.1
Expensarum iudicialium litis appellatoriæ onus interdum pertinet ad accusatorem etiam non condemnatum, l.7 t.18 p.857 c.2 d.31 n.1
pro Expensis taxatis non potest quis detrudi in carceres nisi specialiter idipsū à iudice mandatum sit, l.7 t.20 p.886 c.1 d.19 num.1
Expositvs ad publicum hospitale, cuius originis & loci ciuis sit, l.6 t.19 p.710 c.1 d.20
Expressvm facit vt cesset tacitum cùm tacitum perdet ex voluntate qui expressim voluntatem suam declarat, l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 num.9 & 10
Expressum plerunque plus potest quam tacitum siue ad iuuandum siue ad nocendum, l.6 t.8 p.655 c.1 d.24 num.3 in all.
Expressum ne sit aliquid an expresso consequens nihil interest, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.
Expromissio nouat, non constitutum, l.8 t.29 p.1085 c.1 d.3 n.3
Expromissor quis, l.8 t.29 p.1085 c.1 d.3 n.3 in all.
Expromissor dicitur, qui solus obligatus est pro alio, siue alius ille iam obligatus antea fuerit, siue non, p.125 c.2 d.3 numer.1 in all. & l.4 t.13 p.304 c.1 d.1 n.7 in all.
Expromissoris cura & onus est, vt sibi vndecunque volet pecuniam corroget ex quo soluat, l.4 t.7 p.287 c.1 d.6 nu.5
Extensio semper fieri non potest à similibus ad similia, p.43 c.2 d.1 numer.3 in all.
Extensio de persona ad personam in condicionibus fieri non debet, l.3 t.19 p.221 c.1 & 2 d.34 n.10 in all.
Extensio in vltimis voluntatibus fit aliquando à casu ad casum, sed nunquam à persona ad personam, præsertim si in dispositione facta sit expressio nominis proprij, l.6 t.7 p.642 c.1 d.1 n.4 5 6 7
Extraneus est quisquis non est dominus, l.3 t.22 p.229 c.1 d.1 n.16 in all.
Extranei officium non est dotem dare, l.3 t.19 p.221 c.2 d.34 n.14 in all.
Extranei non habent ius succedēdi ab intestato, si neq; agnati sint neque cognati, l.6 t.22 p.726 c.1 d.30 n.7 in all.

BIU Cujas

F

FACERE qui vult non facit, l.6 t.19 p. 799 c.1 d.14

FACILITATEM quisq; sibi non alteri imputare debet, l.4 t.16 p.348 c.1 d.11 n.4 in all. & p.98 c.2 d.13 n.14 in all.

FACTVM iudicis factum est partis, l.6 t. 27 p.753 c.2 d.3 n.5 in all.

Factum cuique suum nocere debet non alteri, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.19 in all.

Factum requirit voluntatem naturalem non fictam aut falsam confessionem, p.31 c.2 d.14 n.5 in all.

Factum pro infecto haberi non potest, l.9 t. p.1157 c.1 d.6 n.6 in all.

Factum quicquid est contra leges pro infecto haberi oportet, l.7 t.20 p.887 c.2 d.22 n.5 in all.

Factum per duos testes solenniter probari potest, l.4 t.14 p.309 c.1 d.5 n.10

Factum eius præstari debet ex quo lucrum sentitur, l.5 t.28 p.598 c.1 d.2 n.6 in all.

Factum proprium impugnare nemo potest, p.144 c.1 d.3 n.1 in all.

contra Factum proprium venire quis potest, si tale factum ipso iure nullum sit & contra leges, p.22 c.1 d.71 num.3 in all.

Factum tantum distat à concepto, quantùm perfectum ab infecto, p.102 c.2 d. 29 nu.3

Factum executoris vt & interdum ipsius iudicis; censetur factum partis, l.4 t.26 p.401 c.1 d.3 n.4 in all.

Facti interpretatio prudentissimos quandoque fallit, l.3 t.27 p.251 c.2 d.5 n.6

pro Facto contra te habetur, quod per te stetit ne factum sit, l.4 t.24 p.397 c.1 d. 37 n.6 in all.

Facta nunquam præsumuntur, l.4 t.14 p. 307 c.2 d.3 nu.2 in all.

FIERI quod potest aliquo inuito multo magis eo ignorante, l.9 t.28 p.1212 c.2 d.3 n.2 in all.

Fieri non debent per plura, quæ fieri per pauciora possunt, l.7 t.4 p.801 c.2 d.6 nu.3 in all.

FALCIDIA habet locum in legatis, cùm liberi testatoris sunt instituti, l.6 t.28 p. 764 c.2 d.2

Falcidia deducitur ex omnibus mortis causa donationibus, etiam quæ extra testamentum vel codicillos factæ sint, l.8 t.39 p.1144 c.1 d.8 nu. 1

FALSVM est, quælibet vtilitatis immutatio facta dolo malo in alterius iniuriam, l.7 t.11 p.668 c.1 d.28 n.5 in all.

Falsum in totum est quod veritatis primordio non adnuatur, l.4 t.16 p.353 c.1 d.24 num.6 in all. & p.2 c.2 ad 4 nu.8 in all.

Falsum committit quisquis in subscriptione dicit se notarium cùm non sit, l.4 t.19 p.351 c.2 d.20 n.2 in all.

Falsum committi non potest sine dolo, l.9 t.13 p.1173 c.1 d.2 nu.5 in all.

Falsi gradus & pœnæ, l.9 t.13 p.1176 c.2 d. 13 n.1

Falsum instrumentum producens apud iudicem aliquem, eius religionem circumuenit, l.9 t.13 p.1177 c.2 d.14 nu.5 in all.

Falsum qui commisit circa acta ipsius causæ debet causam amittere, l.9 t.13 p. 1174 c.2 d.8 nu. 4

Falsum non potest esse punibile pœna ordinaria sine dolo, l.9 t.13 p.1174 c.2 d.7 n.3 in all.

Falsi quæstio incidens in ciuilem prius tractanda est, si præiudicium faciat ciuili actioni etiamsi iam concluſum sit in causa ciuili, l.9 t.18 p.1181 c.1 d.1 n.1

Falsi quidem pœna ordinaria mors non est, l.9 t.13 p.1174 c.2 d.6 n.1

Falsi quæstione pendente standum est instrumento quod falsum dicitur, l.4 t.29 p.423 c.2 d.21 n.8 in all.

Falsi accusatio inter coniunctas personas silet, sed procurator fisci litem & accusationem exequi hoc casu potest & debet, l.9 t.13 p.1173 c.2 d.5 nu.1

Falsi solennis inscriptio necessaria est etiã contra priuatam scripturam, qui autem falso instrumento niti voluit ad alias probationes postea admittendus non est, l.2 t.13 p.1175 c.2 d.11 nu.1

Falsi inscriptio ibi facienda est, vbi falsum instrumentum producitur, non vbi falsum fabricatum dicitur, l.9 t.13 p.1177 c.1 d.14 n.1

ad Falsi accusationem non est admittendus creditor negans se apocham conscripsisse, fatens tamen sibi solutam pecuniam, l.9 t.03 p.1175 c.2 d.11 numer.7 in all.

De Falso non potest hodie agi nisi criminaliter & præcedente solenni inscriptione, nec rursus contra eum qui produxit instrumentum dum prius actum sit contra notarium viuentem, l.9 t.13 p.1172 c.1 d.1 n.1

de Falso criminaliter agens etiam cum solenni inscriptione non cogitur pati carceres, quia nec nisi pecuniariam pœnam subire solet, l.9 t.13 p.1175 c.2 d.9 n.1

Falsas literas Senatus supponens vt ex iis faciat executionem, etsi constet nulla spe lucri aut vindictæ factam executionem, dignus est qui mortis pœna coerceatur, l.9 t.13 p.1174 c.2 d.8 numer.1 in all.

Falsitas quæ nulli præiudicat non solet puniri, lib.4 t.13 p.1174 c.2 d.7 num.1 in all.

Falsitas causata per errorem non est punibilis, l.4 t.16 p.351 c.1 d.19 numer. 1 in all.

Falsitatis specimen habet quod verisimile non est, l.4 t.14 p.310 c.2 d.51 num.6 in all.

Falsitatem oportet esse notabilem ac proinde damnum notabile, vt pœna notabilis infligi possit, l.9 t.13 p.1174 c.2 d.8 nu.3 in all.

FAMA & vox publica licet non plenè probent, prosunt tamen ad purgationem & excusationem, l.4 t.5 p.284 c.1 d.2 n.11 in all.

Fama bona suspiciones contrarias solet tollere, l.4 t.3 p.280 c.1 d.2 nu.11 in all.

Fama quæ circumfertur de mortuo eo probabilior videri debet, quo longior est absentia, l.4 t.5 p.284 c.1 d.2 nu.12 in all.

Fama excusat à dolo & calumnia & consequenter à pœna, l.9 t.20 p.1185 c.1 d. 5 n.2

Fama non est sufficiens indicium ad torturam, l.9 t.21 p.1192 c.1 d.20 n.1

Famam multi, conscientiam pauci verentur, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.11 in all.

FAMILIA per masculos non per fœminas conseruatur, p.80 c.2 d.12 num.2 in all.

Familia non potest conseruari per fœminas, l.6 t.12 p.715 c.2 d.3 nu.15 in all.

Familiæ ex agnatione potius quàm ex sanguine æstimantur, l.6 t.17 p.694 c.2 d.8 n.2 in all.

Familiæ erciscundæ iudex cauere debet ne defuncti voluntas intercidat, l.3 t.25 p.246 c.1 d.6 n.17 in all.

Familiæ erciscundæ iudicium amplius quã semel agi potest, dummodo causa cognita, l.3 t.25 p.244 c.1 d.3 n.2 in all.

Les FATAVX *n'ont point de lieu deuant le Senat*, l.3 t.1 p.162 c.2 d.26 n.2 in all.

non FATETVR crimen qui à principe impetrat aut indulgentiam criminis aut abolitionem accusationis, l.9 t.22 p. 1194 c.2 d.3 n.1 2

FAVOR liberorum maior quàm piæ causæ, l.6 t.5 p.635 c.1 d.29 n.5 in all. & d. 30 n.6 in all.

Fauor nullus vnquam est moratoris, siue debitor ille sit, siue creditor, l.8 t.29 p. 1102 c.2 d.47 n.4 in all.

Fauori suo quilibet renunciare potest, p.53 c.2 d.20 n.14 in all.

Fauorabiliores sunt qui certant de damno vitando, quàm qui de lucro captando, l.7 t.1 p.788 c.1 d.14 n.1 in all.

FERIAE rogationum non tam in honorem Dei quàm hominum gratia comparatæ, l.3 t.11 p.189 c.1 d.6 n.5 earum causa immediata est salus hominum & fructuum conseruatio, Ibid. num.5 in all.

Feriarum aliæ in honorem Dei indictæ sunt, aliæ in honorem Principis, aliæ vindemiarum aut messium causa, l.4 t. 11 p.187 c.2 d.2 n.6 in all.

FEVDATARIVS non est prohibendus vt iure communi vtatur in necessariam consequentiam, p.35 c.2 d.30 nu.12

FEVDVM, vetere Longobardorum lingua beneficium significat, lib.4 t.43 p.503 c. 2 d.51 n.2 in all.

Feudum consolidatione extinctum, inuito etiam superiore domino, noua alienatione & conuentione resuscitari potest, l.4 t.43 p.511 c.1 d.73 n.8

Feudum datum ea lege vt nullo modo possit alienari, ne quidem ex causa dotis, est omnino inalienabile, & quod in eius vicem datum fuit, l.4 t.43 p.497 c. 2 d.35 num.1 & 2

Feudum obligari non potest, nisi certis casibus, multò minus venit in generali obligatione bonorum omnium, l.8 t.13 p.1082 c.1 d.2 n.3 in all.

Feudum ad quascunq; manus perueniat, remanet semper de retrofeudo, l.4 t.43 p.501 c.1 d.44 nu.3 in all.

Per feudi emphyteuticarij diuisionem, inducitur pensionis diuisio, l.4 t.43 p. 499 c.2 d.39 nu.1 & 2

Directus dominus, an & quando teneatur ad onera feudi vel subfeudi ad se reuersi, l.4 t.42 485 c.2 d.2 nu.1

Feudo euicto vel redhibito quod fuerat permutatum, an aliud feudum in eius vicem, an pecunia dari debeat, l.4 t.40 p.461 c.1 d.4 à num.1 ad 20

Subfeudo per Principem acquisito, an ius feudi extinguatur? l.4 t.43 p.484 c.1 d.1 à n.1 ad 35

Feuda omnia à Principe, tanquam à fonte fluunt, l.3 t.12 p.193 c.1 d.17 n.6

Feuda nihil nisi profana sunt beneficia, p.13 c.2 d.48 num.7 in all.

Feuda etiam recta & propriè feuda possunt hodie ex causa dotis alienari, l.4 t. 43 p.497 c.2 d.34 n.3

Feuda nunquam ad ascendentes recurrunt, sed semper ad descendentes deuoluuntur, lib.3 t.19 p.215 c.1 d.17 n.1 in all.

FICTIO in casu ficto tantundem operatur, quantum veritas in casu vero, p.164 c.2 d.25 n.3 in all.

Fictiones omnes de eo esse solent, quod per rerum naturam verum esse possit, p.140 c.2 d.2 n.5 in all.

FIDES inquisitoris suspicione laborans potest purgari testibus repetitis, adeóque si opus sit reo commissis, l.9 t.3 p. 1154 c.2 d.24

Fides bona tertij possessoris non excludit ius spoliati si nihil spoliato impu-

BIU Cujas

tari possit, l.8 t.3 p.950 c.1 d.26 à nu.1 ad 15
Fides bona regulariter in possidente præsumitur, l.3 t.24 p.242 c.1 d.9 numer.3 in all.
Fides bonâ non patitur vt bis idem exigatur, p.59 c.1 d.17 n.6 in all.
Fides bona etiam extra iudicium agnosci potest, l.4 t.24 p.393 c.2 d.26 numer.3 in all.
Fides vnius alterius defectum supplere solet, l.4 t.15 p.331 c.1 d.12 nu.4 in all.
Fides adhibenda est verbis enunciatiuis summi Pontificis & cuiuslibet alterius Principis, p.29 c.2 d.4 n.1
FIDEICOMMISSARIA hereditas restitui potest & fructuaria & per fructuarium l.6 t.27 p760 c.2 d.21
Fideicommissaria substitutio non expirat per agnitionem, sed confirmatur, l.6 t.8 p.646 c.2 d.8 n.2 in all.
de Fideicommissaria hereditate, quam fiscus quasi sibi acquisitam restituit, & quartam detraxit, cùm ad alium & hereditas & quarta pertineret, l.6 t.27 p.763 c.1 d.29
FIDEICOMMISSARIVS vniuersalis heredis loco est, l.6 t.3 p.619 c.1 d.2 n.1
Fideicommissarius singularis, non particularis dici debet is cui certa res præstatur, l. 16 t.11 p.667 c.1 d.24 n.1 m.1 in all.
Fideicommissarius particularius quis dicatur, l.6 t.27 p.753 c.2 d.3 numer.1 in all.
Fideicommissarius siue vniuersalis siue particularis, debet conficere inuentarium, ne teneatur supra vires fideicommissi: nec ei prodest inuentarium factum ab herede, l.6 t.11 p.666 c.2 d. 24 n.1 2
Fideicommissarius non potest agere contra tertios possessores ante hereditatem restitutam, nisi certis in casibus, l.6 t.27 p.761 c.1 d.23
Fideicommissarius non immutatur ex diuisione hereditatis aliter facta inter heredes quam testator voluerat, l.3 t.25 p. 247 c.1 d.12 n.1 2 & 3
Fideicommissarius ex instrumento de domo rei subtracto, si modo subtractum constet, agere non potest, p.69 c.1 d.9 num.2
Fideicommissarius repertus in possessione sine vitio est legitimus contradictor, nisi habeat causam ab actore siue mediatam, siue immediatam, p.91 c.2 d. 14 nu.1
Fideicommissarius nō est legitimus contradictor in casu l.vlt. C. hoc tit. si non reperiatur in possessione sine vitio, l.6 t.14 p.684 c.1 d.2 n.1
Fideicommissarius qui in possessione est, sine vitio legitimus contradictor est, non contra heredem ad impediendam detractionem, sed contra heredis creditores, l.6 t 27 p.762 c.1 d.s7
Fideicommissario probationis onus incumbit, l.3 t.21 p.227 c.1 d.6 numer.7 in all.
Fideicommissarij vniuersales, secundum nouellam Iustiniani constitutionem, recusante scripto herede, hereditatem adire possunt, l.6 t.3 p.619 c.1 d.2 n.8
inter Fideicommissarios siue vniuersales siue singulares, An & quando locus sit iuri adcrescendi, l.6 t.3 p.619 c.1 d.2 à n.1 ad 10
Fideicommissariis ex graduali & reciproco fideicommisso vocatis, non nocet pactio coheredum reciprocam inter se substitutionem remittentium, l.6 t.22 p.729 c.2 d.40
Fideicommissarius qui pendente conditione res fideicommissas emit, an & quando earum pretia petere postea possit, l.6 t.17 p.758 c.2 d.15
quasi Fideicommissarius aliquid petens non est audiendus, nisi prius doceat de fideicommisso, l.6 t.27 p.757 c.1 d.12
Fideicommissarij ius non lædit confiscatio etiam ex causa læsæ maiestatis, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.8
Fideicommissarij rem potest quis legare si modo aliquid dederit fideicommissario compensandi animo, quod fideicommissarius agnouerit, l.6 t.22 p.727 c.1 d.34
Fideicommissario restitutam aut saltem adiudicatam esse hæreditatem necesse est, priusquam contra tertios agere possit, l.6 t.27 p.753 c.2 d.3
Fideicommissario nullum facit præiudicium crimen læsæ maiestatis ab herede commissum, sed non ideo restituitur ante mortem naturalem condemnati, l.6 t.22 p.716 c.1 d.6
Fideicommissario nō potest nocere quod rogatus heres condemnatus fuerit læsę maiestatis, & eius bona confiscata sint, in eóque est melioris conditionis quàm agnati quibus tota hæreditas aufertur, l.9 t.6 p.1159 c.1 d.3 n.8 in all.
FIDEICOMMISSVM habetur pro restituto, institituto per heredem grauatum fideicommissario, l.6 t.27 p.755 c.2 d.9
Fideicommissum bonorum debitoris alicui adiudicatum detractis detrahendis non impedit ne possit obiici exceptio excussionis detractionum faciendarum, l.8 t.23 p.1044 c.2 d.11 num.1 2 & 3
Fideicommissum conditionale ante conditionis euentum nihil est, p.78 c.2 d.5 n.2 in all.
Fideicommissum conditionale, an transmittatur ad liberos masculorum, substitutis expresis liberis fœminarum vocatarum post masculos, l.6 t.8 p.655 c. 2 d.25
Fideicommissum conditionale non transmittitur, nisi ex coniecturis, puta si minus dilectorum liberi aliqua testamenti parte sint vocati, l.6 t.22 p.618 c. 2 d.14
Fideicommissum cōditionale non transmittitur ante euentum conditionis, ne quidem ad descendentes, l.6 t.29 p.765 c.1 d.2
Fideicommissum cōditionale non transmittitur, ne quidem ad liberos, nisi ex coniecturis, quibus tamen locus nullus est si superstes substitutus sit, nulla liberorum facta mentione, l.6 t.22 p.729 c.1 d.38
Fideicommisso conditionali, quod nec expressim repudiari posset per diuisionem hereditatis non præiudicatur, l.3 t.25 p.243 c.2 d.1 n.6 & 7
Fideicommissum reale omnimodo locum habet quandiu supereſt aliqua persona ex vocatis, non inspecto eo, an priorum fideicommissorum conditio extiterit an defecerit, lib.6 t.22 p.730 c.2 d.42
Fideicommissum reale non extinguitur per superexistentiam liberorum, cum testator habuit respectum ad defectum masculorum, & voluit bona sua conseruari in familia, lib.6 t.22 p.715 c.1 d.3
Fideicommissum reale & consequenter purum, nec tantum graduale, sed etiam reciprocum inducitur, quoties testator habuit respectum ad defectum liberorum, l.6 t.22 p.727 c.2 d.36
Fideicommissum relictum sub conditione mortis, si sine liberis, non debetur ante mortem, licet neque liberi vlli sint, neque spes vlla liberorum, l.6 t.30 p.765 c.2 d.1
Fideicommissum relictum sub simplici conditione, *si sine liberis* deficit superstitibus liberis, nec sub duplici conditione datum vnquam præsumitur, l.6 t. 25 p.744 c.2 d.12
Fideicommissum relictum vt bona in familia conseruentur, non admittit monachum neque monasterium, lib.6 t.22 p.722 c.2 d.25
Fideicommissum relictum nouitio non acquiritur monasterio, sed si relictum sit in professo, acquiritur vsusfructus iure ad vitam professi, lib.6 t.22 p.723 c.2 d.26
ad Fideicommissum relictum sub nomine collectiuo non admittuntur per ius repræsentationis illi, qui ab intestato non possent admitti, l.6 t.22 p.717 c.2 d.10
Fideicommissum suo heredi iniunctum confirmatur per solam existentiam sui heredis, nec requirit probationem agnitæ hereditatis, lib.6 t.22 p.729 c.1 d.19
Fideicommissum alicui iniunctum sub ea conditione, si sine liberis decesserit, per liberos naturales excluditur, nisi legitimorum mentio adiecta sit, si non ex testantis dignitate aliisve coniecturis probabilibus appareat de contraria eius voluntate, l.6 t.25 p.741 c.1 d.2
Fideicommissum vniuersale an sicut est transmissibile, ita sit cessibile, & quando? l.6 t.27 p.754 c.2 d.7
Fideicommissum prius restitui debet, quàm vt ex fideicommisso transeant actiones, l.3 t.21 p.226 c.1 d.14 nu.3
Fideicommissum primum confluit in secundum, l.6 t.27 p.758 c.1 d.14
Fideicommissum post restitutionem cedi potest, licèt ante non possit, p.180 c.2 d.6 n.2 in all.
Fideicommissum an factum sit in hereditate, an in rebus singulis, quantum interſit, l.6 t.6 p.638 c.2 d.6 num.1 2 3 4
Fideicommissum quod quis post mortem suam pluribus præstare iustus est, repræsentare potest in sui præiudicium non in aliorum, lib.6 t.22 p.718 c.1 d.13
Fideicommissum ab intestato relinqui potest & capi debet per manus heredis legitimi, p.82 c.2 d.27 n.6 in all.
Fideicommissum qui potuit petere ab herede, si interim contra eum egerit tanquam creditor hæreditarius, non ideò fideicommissum repudiasse intelligitur, l.6 t.17 p.695 c.2 d.11
Fideicommissum qui repudiat ex vno capite, & ita sequentibus locum facit, potest iterum admitti ex alio capite, sed post alios omnes, l.6 t.22 p.721 c. 2 d.21
Fideicommissum potest relinqui personæ quæ nondum sit in rerum natura, si modo extet tempore conditionis existentis, l.6 t.8 p.647 c.1 d.9 n.6 in all.
Fideicommissum ante mortem deberi non potest, neque cura post mortem decerni, l.4 t.7 p.285 c.2 d.2 n.4 & 5
Fideicommissum inducitur ex alienationis prohibitione fauore illorum qui sunt de familia, sed aliquando purum, aliquando conditionale, l.6 t.22 p.615 c.2 d.4
Fideicommissum inducunt verba *Vsque ad infinitum*, posita in substitutione, sed graduale tantum inter descendentes non

BIU Cujas

tes non reciprocum l.6 t.22 p.721 c.2 d. 22
Fideicommissum etiam ex nudis coniecturis inducitur, l.6 t.24 p.740 c.1 d.3
Fideicommissum potest excedere quartum gradum, si modo non inducatur ex alienationis prohibitione, l.6 t.22 p. 726 c.2 d 32
Fideicommissum non ideo petere potest qui electus est, quandiu eligens mutandæ voluntatis arbitrium habet, l.6 t. 22 p.720 c.2 d.18
Fideicommissum, mortuo altero ex eligendi facultatem habentibus, etsi superstes neque eligere neq; electionem reuocare possit, non debetur quasi mortuo vtroque, l.6 t.22 p.721 c.1 d.19
Fideicommissum quidem graduale inducitur liberis liberorum positis in conditione, vsque in infinitum, etsi vulgaris præcesserit, sed non reciprocum, nisi testator habuerit respectum ad desectum liberorum, lib.6 t.22 p.722 c.1 d. 23
Fideicommissum restituere iussus, si hereditarias res possideat, potest rectà conueniri vt non tantùm ius ipsum restituat, sed ipsas quoque res singulas quæ hereditatis appellatione continentur, l.3 t.21 p.226 c.1 d.4 n.8
Fideicommissi confessio. Vide Confessio fideicommissi.
Fideicommissi portio deficiens nunquam vacat, l.6 t.3 p.619 c.1 d.2 nu.6
Fideicommissi singularis alienatio quælibet quomodocunque contingit, omne fideicommissi ius extinguit, l.3 t.25 p. 248 c.1 d.12 n.16 & 17
Fideicommissi quæstione pendente, & æris alieni, filius interim debet habere legitimam ex bonis quæ pater mortis tempore possidebat, l.6 t.11 p.658 c.2 in fine.
Fideicommissi quæstio quod à defuncto debitum fuisse intelligitur, non est differenda prætextu instantiæ discussionis, l.6 t.11 p.660 c.2 d.5
Fideicommissi debiti in paterna vel fraterna hereditate ius non tollitur renunciatione bonorum paternorum & fraternorum, lib.2 t.3 p.78 c.2 d.5 in all.
Fideicommissi quoties sunt plures gradus, rupto primo gradu rumpuntur etiam sequentes, qui ab eo habent dependentiam, l.6 t.22 p.728 c.2 d.37 n.10 in all.
Fideicommissi petitionem inuicem remisisse non videtur qui cum duo essent inuicem restituere rogati, portiones tamen suas vendiderunt, l.6 t.22 p.729 c.2 d.40 n.2 in all.
de Fideicommissi confusione & iure euictionis ob prælegata hæredibus relicta l.6 t.27 p.757 c.1 d.13
Fideicommisso bona subiecta possunt obligari & alienari, etiam pro augmento dotis, dummodo sit congruum, quale est consuetudinarium, l.9 t.23 p.736 c.1 d.5
Fideicommisso sola defuncti bona continentur, p.70 c.2 d.14 n.4 in all.
in Fideicommissum veniunt pretia rerum fideicommisso subiectarum ex pacto retrouenditarum, lib.6 t.27 p.759 c.2 d. 17
in Fideicommissum veniunt bona coheredi à coherede per transactionem data in supplementum portionis hereditariæ, etiamsi nunquam fuerint testatoris, l.6 t.22 p.730 c.1 d.41
in Fideicommissum veniunt etiam ea quę heres habuit non quasi heres, si modo habuerit occasione hereditatis, l.6 t.27 p.761 c.1 d.22
de Fideicommisso, quod à defuncto debitum fuisse intelligitur, litigandum est cum hærede qui implorauit beneficium legis & inuentarij, non etiam cum creditoribus & legatariis, l.6 t.11 p.661 c.1 d.6 n.1
ex Fideicommisso transuersali non potest dos deduci, quomodo deduceretur ex fideicommisso relicto à descendente, l.6 t.23 p.738 c.2 d.10
ex Fideicommisso quantum detrahi debeat dum est incertum, non est sua possessione priuandus is cui bona sunt vendita per heredem, l.6 t.27 p.760 c.1 d.20
ex Fideicommisso non succeditur in stirpes, sed in capita, nisi cum succeditur iure repræsentationis, l.6 t.22 p.717 c.2 d. 11
in Fideicommisso per quod substituti sunt qui ex Titio & Sempronia nascentur liberi, nepotes non continentur, l.6 t.22 p.717 c.2 d.12
Fideicommissa vniuersalia conseruantur per Auth.ex causa, l.6 t.9 p.656 c.2 d. 2 n.1
Fideicommissa etiam vniuersalia conseruantur, tam per clausulam codicillarem, quam per auth.ex causa, C.de liber.præter. l.6 t.17 p.695 c.1 d.9
in Fideicommissis quæ sit distinctio adoptiuorum, & legitimatorum ex rescripto principis, l.6 t.25 p.747 c.1 d.18 n.10 in all.
in Fideicommissis Augustanorum mos quis, l.6 t.23 p.736 c.1 d.4 numer.50 in all.
FIDEIVBERE in rem suam licet, l.4 t.17 p.316 c.2 d.7 n.3 in all.
Fideiubere qui promisit etiam idoneè, non cogitur renunciare exceptioni ordinis, l.8 t.28 p.1080 c.2 d.37
Fideiubens in rem suam non habet ordinis exceptionem, quamuis ei non renunciauerit l.8 t.27 p.1071 c.1 d.6 n.3 & 4
qui Fideiussit iudicio sisti, si semel reum stiterit iterum sistere tenetur l.8 t.27 p. 1075 c.2 d.24 n.1
qui Fideiusserat inutiliter, non eo minùs tamen postea soluit vtiliter ita vt non possit solutum repetere l.8 t.27 p.1073 c.2 d.16 n.1 & 2
FIDEIVSSIO de non offendendo quando præstanda sit, & quando reuocanda, l.8 t.28 p.1082 c.2 d.42
Fideiussio cum sit stricti iuris non trahitur ab vno casu ad alium nec proinde à compromissis ad iudicia lib.8 t.27 p. 1070 c.2 d.5 n.1 2 & 3
Fideiussio pro dote valet si ante sponsalia vel in sponsalibus ipsis conuenerit vt dotis fideiussor detur à futuro marito, cui alioqui nec dos nec mulier traderetur, lib.5 t.14 p.576 c.2 d.1 numer.7 in all.
FIDEIVSSOR vt sit idoneus cogitur etiam corpus suum obligare, tametsi pro eo interueniat qui corpus suum obligare non potest l.8 t.27 p.1072 c.2 d.12 n.2 & 3
Fideiussor idoneus non est nisi qui & corpus suum cum bonis obligauit, & exceptioni ordinis renunciauit, nisi vbi consuetudo est in contrarium l.8 t.27 p.970 c.1 d.4 n.1 2 & 4
Fideiussor à iudice acceptus ad executionem sententiæ, non eò minus condemnari debet, quod eum tanquam minus idoneum admittere victus voluerat lib.8 t.27 p.1075 c.2 d.23 à numero 1 ad 10
Fideiussor acceptus in id omne, quod à Titio deberi constabit, non tenetur, nisi viuo Titio liquidatum sit debitum præterquam si mentio facta sit heredum, aut nisi de iudicato soluendo fideiusserit l.8 t.28 p.1079 c.1 d.34 numer.1
Fideiussor eo demum die acceptus videtur in quem vt solueret, se obligauit, l.4 t.2 p.275 c.2 d.12 n.2
Fideiussor iuratus potest in duriorem causam obligari, vt scilicet tanquam principalis teneatur non tanquam fideiussor l.8 t.27 p.1073 c.1 d.14 nu.1 2 & 3
Fideiussor creditoris sui non potest ei obiicere compensationem summæ pro eo solutæ ex iudicato, licet à sententia prouocatum fuerit lib.4 t.23 p.381 c.1 d. 13 n.1
Fideiussor mulieris si principalis debitor cognouit eum rogante ac mandante muliere fideiussisse, iuuatur exceptione Velleiani, l.4 t.22 p.373 c.2 d.28
si verò, creditor Fideiussoris personam & fidem simpliciter secutus probetur, quid iuris, Ibid.
Fideiussor de restituenda dote & de soluendo augmento, non tenetur si occisa sit vxor à marito, l.6 t.28 p.1084 c.1 d. 47
Fideiussor indemnitatis tenetur ob quamcunque molestiam, etiam quæ sit meri facti, l.8 t.28 p.1083 c.2 d. 45
Fideiussor locuples dicitur non tantùm ex facultatibus, sed etiam ex conueniendi facilitate p.148 c.2 d.1 num.4 in all.
Fideiussor non liberatur ex solutionis prorogatione facta ipso inscio, secus est si prorogata fuerit obligatio, puta ex causa tacitæ reconductionis, l.8 t. 28 p.1076 c.1 d.25
Fideiussor tempore liberatus si soluat creditori non ideo amittit actionem mandati l.8 t.27 p.1072 c.1 d.10 num.1 2 & 3
Fideiussor ex locationis lege datus absente locatore vtiliter tamen obligatur interueniente stipulatione notarij l.8 t.17 p.1073 c.1 d.15 numer.1 2 & 3
Fideiussor qui omisit exceptionem ex sua persona qua reus vti non potuit, habet nihilominus mandati actionem, si ea exceptio minùs honesta fuit l.8 t.27 p. 1072 c.1 d.9 n.6 in all.
Fideiussor tutus exceptione pacti de non petendo, cuius tamen controuersiam patiatur à creditore, non eo minus potest agere mandati si id malit contra debitorem l.8 t.27 p.1071 c.2 d.9 num.1 ad 10
Fideiussor si grauiores vsuras præstiterit eas indistincte repetere potest l.8 t.27 p.1070 c.1 d.2n.5 in all.
Fideiussor parum fideliter facit qui reo eximit potestatem vtendi iure suo lib.4 t.26 p.404 c.1 d.12 numero 10 in all.
Fideiussor etiam priùs quàm soluerit petere potest vt capiantur & vendantur bona debitoris ex quorum precio satisfiat creditori, l.4 t.26 p.408 c.2 d.24 nu. 1 2 3 & 4
Fideiussor qui iusta exceptione siue cedendarum actionum, siue alia qualibet munitus est, non censetur esse in mora, ideóque nec vsuras vllas debet l.8 t.27 p.1074 c.1 d.19 numer.1 2 3 4 & 5
Fideiussori qui per collusionem cum creditore habitantis soluit non est dandus regressus, l.8 t.28 p.1077 c.1 d.27
Fideiussor nó habet bona debitoris obligata ob id solũ quod creditor habuerit,

BIU Cujas

nisi debitor contraxerit cum fideiussore sub iisdem obligationibus: cessit igitur necessaria est, maxime ad transferendam possessionem, l.8 t.28 p.1082 c.2 d.41

Fideiussor quamuis non nisi prouisionaliter condemnatus, definitiuam tamen indemnitatis condemnationem aduersus reum vrgere potest, l.8 t.28 p.1077 c.1 d.28

Fideiussor, si quis tanquam fideiussor interuenerit in contractu venditę pensionis annuæ certo precio, (pro solutione scil. pensionum, non etiam pro restitutione pretij in casum longioris cessationis,) ad restitutionem pretij conueniri non potest, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.

Fideiussor si neget se fideiussisse, & postea conuincatur de mendacio, exceptionem ordinis postea non habet, l.2 t.15 p.113 c.2 d.3 n.3 in all.

Fideiussor pauper non est cogendus expectare vt detrudatur in carceres, l.4 t.26 p.408 c.2 d.24 n.4 in all. quibus casibus detrudatur, ibid.

Fideiussor turelæ non vocatus vt adsit rationi reddendæ, potest quandocunque postea conuentus rationes impugnare, nec tantum collusionem obiicere, sed etiam de arbitrorum iniquitate conqueri, l.5 t.33 p.604 c.1 d.2 numero 4 in all.

vt Fideiussor nemo potest conueniri ex promissione de fideiubendo, quamuis ex promissione de se obligādo promissor teneatur quasi iā obligatus, si præcedat iusta causa, l.8 t.28 p.1080 c.1 d.36

Fideiussoris & emptoris in expensarum litis cum alio habitæ repetitione differentia, l.8 t.28 p.1076 c.2 d.26

Fideiussoris obligatio semper est stricta, l.4 t.29 p.421 c.1 d.13 n.2 in all.

Fideiussoris creditores nullum priuilegium habere possunt in eo fūdo, quem fideiussor habuit à debitore vt solueret communi creditori, lib.8 t.28 p.1083 c.1 d.44

Fideiussori debentur sumptus ab eo facti etiam prius quàm litem debitori denunciauerit maximè si fideiussor fuit ex aliena prouincia, l.4 t.26 p.409 c.2 d.27 num.1 2 & 3

Fideiussori præstanda est indemnitas in ea ipsa moneta in qua soluit, si eius interfit & in eo plus iuris habet quàm creditor, l.8 t.27 p.1060 c.2 d.2 num.1 2 3 4 & 5

Fideiussori, qui pecuniam aliquam accepit pignori à debitore, non potest imputari cur ea non soluerit, & ideo non ob id minus plenam habet actionem mandati contra debitorem, l.4 t.26 p.409 c.1 d.25 num.1 & 2

Fideiussori competit actio contra debitorem etiam priusquàm condemnetur, sed tantum ad liberationem non ad solutionem, l.4 t.26 409 c.1 d.26 num.1 2 3 4 5 & 6

Fideiussori non tantum actionis cessio, sed etiam tabularum redditio fieri debet per creditorem etiam inuito, ac multò magis ignorante debitore, l.8 t.27 p.1074 c.1 & 2 d.18 n.1

Fideiussori exceptio discussionis etiam contra mercatorem competit: nisi ipse & mercator sit & in foro mercatorum conueniatur. Item ei qui promisit se soluturum ad eam diem ad quam debitor se obligauit, l.8 t.27 p.1070 c.1 d.3 n.1 2 & 3

Fideiussori imputari non potest cur non opposuerit exceptionem quam licitè opponere non potuit, neque lex damnum debiti itrogans creditori trahēda ad fideiussorem, l.8 t.28 p.1083 c.1 d.43

Fideiussori non imputatur quod sciens omiserit exceptionem procuratoriam aut aliam quæ sit de apicibus iuris, l.8 t.28 p.1077 c.2 d.29

Fideiussori nō imputatur si bonam fidem agnouerit, puta si soluerit postquam solus ipse tempore liberatus fuit non etiam debitor, l.8 t.28 p.1077 c.1 d.27 n.1 in all.

Fideiussorem dare iussus à iudice, in ea prouincia dare debet in qua iussus est, p.151 c.2 d.11 nu.1

Fideiussorem non facilè inuenire potest qui bona nulla habet, p.150 c.1 d.7 nu.3 in all.

contra Fideiussorem tutoris adiudicatio prouisionalis fieri non potest, etiam post solenniter redditas tutelę rationes à tutore, si eiusmodi redditioni non interfuerit, nec ad id euocatus sit, l.5 t.31 p.600 c.2 d.5 n.1 in all.

Fideiussore conuento etiam principalis debitor per consequentiam conuenitur in solidum, l.4 t.29 p.423 c.1 d.20 n.7

Fideiussores rogari solent vt intercedant p.150 c.2 d.9 n.2 in all.

Fideiussores minùs idoneos accipere nemo cogitur, p.153 c.2 d.17 n.2 in all.

Fideiussores iudicio sisti & iudicatū solui non habent exceptionem ordinis, & in quo tamen differant, l.8 t.27 p.1071 c.2 d.8 n.1 2 3 & 4

Fideiussores probatos esse sufficit vel à parte, vel ab arbitro p.152 c.2 d.13 nu.3 in all.

pro Fideiussoribus aut saltem collaudatoribus habendi sunt, qui aliquem idoneum adfirmarunt etiam tanquam testes, l.5 t.32 p.603 c.2 d.1 numero 7 in all.

FIDVCIARIAE & prouisionali adiudicationi ex instrumento quantumuis authentico & guarentigiato nullus pendente lite locus est p.106 c.2 d.5 n.5

Fiduciaria hereditatis possessio danda est heredi scripto potius quàm legitimo, si modo scriptus tabulas proferat, nec rasas nec cancellatas, l.6 t.14 p.684 c.1 d.3

non FIGVRA literarum sed oratio quam exprimunt literæ illa est quæ totum facit lib.6 t.6 p.643 c.1 d.2 numero 2 in all.

FILIA An instituta sit in quota hereditatis, An in quota bonorum valde interest, l.5 t.9 p.562 c.1 d.9 n.1 2 3 4 & 5

Filius si ei pro legitima relictum sit aliquid incertæ quantitatis quæ non possit certa fieri sine magnis litibus & litium sumptibus, non ritè institutus, sed præteritus videtur, l.3 t.19 p.211 c.2 d.9 num.4 in all. & p.219 c.2 d.29 n.3 in all.

Filia, si pater amplius ei reliquerit sub ea conditione, si nupserit ex patrui voluntate, non eo minus consequitur legatum quòd nupserit citra patrui voluntatem, præsertim si eius consensum requisuerit, l.6 t.25 p.746 c.2 d.18

Filia quæ dotem à patre habuit, licèt legitima minorem, potest statuto excludi, nisi grauiter læsa proponatur, l.3 t.19 p.215 c.1 d.18 n.1 & 5

Filia renunciat plerumque futuræ successioni matris, licèt non cogatur mater filiam dotare p.79 c.1 d.7 n.1 in all.

Filia si ab initio congruam dotem habuit nihil ei prodest quod postea pater ditior factus sit lib.3 t.19 p.217 c.1 d.23 n.10

Filia nupta, in domicilio mariti, non patris siue viui siue defuncti, conuenienda est p.153 c.1 d.5 n.1 & 2

Filia maior annis restitui potest aduersus factam renunciationem ex causa enormis læsionis p.110 c.1 d.8 n.4

Filiafamil. potest iure diuino & pontificio nubere sine consensu patris, lib.9 t.9 p.1165 c.1 d.1 n.5 in all.

Filia quæ renunciauit si ante patrem decesserit superstitibus nepotibus, qui repudiato legato sibi relicto, legitimam petere malint in corporibus hereditariis, eorum legitima æstimanda est ex facultatibus quæ mortis tempore reperiuntur p.82 c.2 d.15 n.5

Filia quæ accepta dote renunciauit, si non vltra dimidiam partem ex comparatione eius quantitatis quam pro legitima habere debuisset si tum pater decessisset, læsa sit, querelæ nullus ei relinquitur locus l.3 t.19 p.216 c.2 d.23 n.14

Filia quæ non renunciauit succedit masculo qui renunciationis tempore viuebat, si ille ante patrem decesserit p.85 c.2 d.22 n.5

Filia, quæ non renunciauit, si quid vel minimum pro legitima acceperit, nihil nisi supplementum petere potest p.79 c.2 d.8 n.1 in all.

Filia quæ non renunciauit accipiendo minus congruam dotem à patre non ob id postea renunciare cogitur, quod eam postea dotem pater auxerit & congruam fecerit, l.5 t.9 p.561 c.1 d.5 n.1 2 3 4 5 & 6

Filia cui legatum est in diem aut sub condicione, si totum pro legitima petere velit ante diem, totum ei legatum solui oportet l.3 t.19 p.212 c.2 d.12 nu.1

Filia quæ legatum sibi pro legitima relictum agnouit non est in communione licet habitet cum fratre, l.7 t.1 p.791 c.1 d.28 nu.1

Filia pendente lite, subministrari sibi sumptus necessarios in causam litis & alimentorum rogare potest l.3 t.19 p.213 c.1 d.12 nu.14

Filia cogitur vel patris iudicium sequi, vel repudiato, petere legitimam qualis quantaque sibi ex legitima debetur l.3 t.19 p.212 c.2 d.12 n.13

Filia maior annis vigintiquinque post obitum patris si renunciauerit, non aliter audienda erit, nec si restitutionem in integrum petat, quàm si se immodicè læsam probet l.3 t.19 p.214 c.2 d.15 nu.8

Filia quæ à legitima excluſa est, dotari nihilominus debet l.3 t.19 p.215 c.2 d.19 n.2

Filia quæ per iuratam renunciationem excluſa est, impunè præteriri potest p.79 c.2 d.8 n.2 in all.

Filia non potest per diuisionem factam in testamento patris excludi à successione fratris talliabilis nisi agnouerit voluntatem, l.7 t.1 p.181 c.1 d.7 n.1

Filia quæ patri talliabili non succedit sed dotem pro legitima à domino habuit, non habet inuita dominum in ea dote successorem licet maneat talliabilis, l.7 t.1 p.781 c.2 d.8 nu.1

Filia defuncta talliabili sine liberis potior est causa domini quàm patris etiam in dote profectitia si pater neque expresse neque tacitè fuerit sibi stipulatus salua patri legitima, l.7 t.1 p.791 c.1 d.30 n.1

Filia potest si velit repudiare legatum & legitimam petere in corporibus bonorum, l.7 t.1 p.791 c.2 d.28 n.1 in all.

Filia an viuo patre possit dotem repetere ab herede prioris mariti qui eam soluit patri sine filiæ consensu, cùm filia eam dotem sibi stipulata esset patre consentiente. Et quid si eam pater secundo

BIU Cujas

secundo viro dederit? l.5 t.8 p.556 c.1 d.19 à n.1 ad 16
Filia quæ remansit in communione pro legitima duplici modo non excludit dominum, l.7 & 1 p.790 c.2 d.16 n.1
Filiafamilias, An & quando agere possit de dote siue profectitia siue aduentitia sine patris consensu, l.5 t.8 p.555 c.1 d.17 n.4 5 & 6
Filiæ præsentia non est necessaria vt ei dos acquiratur ex constitutione facta marito, sed est necessaria vt futuræ successioni renuncietur, l.5 t.8 p.557 c.1 d. 20 n.5 6 & 7
FILIATIO difficillimæ & ferè impossibilis est probationis, l.4 t.14 p.309 c.2 d. 6 nu.5 in all. probari tamen per verba enunciatiua potest in antiquis, l.4 t.14 p.315 c.1 d.28 nu.7
Filiationem ex sola nominatione in antiquis probari, quando procedat, l.4 t. 14 p.315 c.1 d.28 n.9 in all.
FILIVS patri hæres est & necessarius etiam absens & ignorans, potest tamen, si velit, abstinere, l.3 t.25 p.245 c.1 d.5 n.1 in all.
Filius aut filia cui aliquid pro legitima in pecunia solutum est, non nisi in pecunia supplementum petere potest, l.3 t.19 p.200 c.2 d.2 n.8 in all.
Filius quisquis est, hoc ipso probatur suus heres, l.6 t.12 p.676 c.1 d.2 nu.1 in all.
Filius hæreditatis partem (nec si pro ea parte onera omnia subire velit) petere non potest, lib.3 t.19 p.210 c.2 d.6 n.1 2 3 & 4
Filius qui semel se immiscuit non potest se exonerare, neq; negando se heredem neq; abstinendo, l.6 t.12 p.678 c.2 d.10
Filius omnimodo & in omnem euentum legitimam habere debet, l.3 t.19 p.211 c.1 d.6 n.9 in all.
Filius legitimam portionem in ea hæreditaria quam elegerit, sibi soluere non potest, l.3 t.19 p.209 c.2 d.3 n.1
Filius qui legitimam solam habet, neque bonorum possessor esse potest, l.3 t.19 p. 211 c.1 d.6 n.8 in all.
Filius pro patre, aut pater pro filio conueniri non potest, si non priùs se obligauerit l.4 t.20 p.362 c.1 d.4 n.5
Filius quod à patre non habet, non potest pater filio adimere, p.90 c.1 d.8 nu.2 in all.
Filius in causa status potest cõtra factum patris venire, p.90 c.1 d.8 n.1 in all.
Filius tenetur alere patrem etiam bannitum, dum ne perduellis sit, l.2 t.14 p. 113 c.2 d.1 n.9 in all.
Filius paterno odio prægrauari non debet, l.4 t.9 p.292 c.2 d.1 n.4 in all.
Filius propter ingratitudinem iustè exheredati potest lib.4 t.9 p.294 c.1 d.4 n.1
Filius non potest videri deceptus qui patris consilium secutus & executus est, l.9 t.29 p.1222 c.2 d.26 n.5 in all.
Filius an & quando possit impugnare factum matris, cui hæres ille extiterit, & quæ tam proprio quàm tutorio nomine fundum filij vendiderat, l.8 t.31 p. 1108 c.2 d.2
Filius non potest videri minus habuisse à patre quam sibi deberetur, si nihil ei à patre debebatur, l.3 t.19 p.218 c.1 d.25 nu.6 in all.
Filius potest venire contra suorum bonorum alienationem à patre factã, quamuis heres patris, atque etiam pater nomine filij, lib.6 t.35 p.773 c.1 d.1
Filius potest venire contra factum patris defuncti, si quid à patre gestum sit perperam & contra leges, licet ipse hæres sit patris, dummodo non veniat tanquam hæres, sed proprio iure, l.4 t.11 p.303 c.1 d.4 num.1 & 2
Filius si neget impendisse patrem ea quæ filio imputare noluit in legitimam, probatio ab hæredibus exigenda est, l.3 t.19 p.219 c.1 d.29 num.10
Filius licet exhæredatus capax est acquisitionis etiam post mortem patris, l.3 t. 25 p.247 c.2 d.11 nu.2 in all.
Filius qui patris creditoribus tanquam hæres soluit, licet ex priuilegio restituatur aduersus immistionem vt abstinendi habeat potestatem, condicere tamen quod soluit non potest, p.127 c.2 d.4 num.1
Filius hæres patris reuocans ex proprio iure in suam fraudem à patre alienata, agit ad proprium commodum, non ad commodum patris aut alterius, l.4 t.11 p.304 c.1 d.4 n.2 in all.
Filius non fit ipso iure possessor pro legitima nec eam propria authoritate capere potest nisi cùm institutus est in re certa, l.3 t.19 p.210 c.1 d.4 n.1 2 & 3
Filius primi gradus, licet non possit institui nisi sub conditione potestatiua, si tamen institutus sit sub conditione casuali, & velit filius expectare conditionis euentum, potest id facere, ita vt eueniente conditione testamentum valeat etiam iure ciuili, l.6 t.9 p.657 c.2 d.6 n.12 in all.
Filius tutoris si pupillariter substitutus sit potest remanere in possessione bonorum pupillarium, lib.6 t.14 p.686 c.2 d.7
Filius, qui inuentarium non confecit, neque legitimam amittit, neque Trebellianicam, nec eo minus tamen tenetur satisfacere creditoribus ex legitima & Trebellianica, l.6 t.11 p.666 c.2 d.23 n.1 4 5 & 6
Filius præteritus præsumitur vixisse tempore testamenti, nisi mortuus probetur, si eo testamento cæteris fratribus facta est iniuria, l.4 t.14 p.317 c.2 d.39 n.7 8 & 9
Filio præterito testamentum ipso iure nullum est, non modò si filius sit in potestate, vt olim, sed etsi emancipatus, l.4 t.14 p.317 c.2 d.39 n.1 in all.
Filio quod debetur, an & quando solui possit patri: & quid si non tanquam patri & legitimo administratori solutum sit, sed tanquam hæredi putatiuo, vel habenti ius à fisco, lib.6 t.35 p.778 c.1 d. 15
Filij ad paterna bona venientes pene ad propria veniunt, l.4 t.9 p.294 c.2 d.4 n.5 in all.
Filij & nepotes naturales legitimi bastardorum nobilium an & quando familiæ nomen gestare possint, l.9 t.29 p.1222 c. 2 d.27 n.1
Filiorum appellatione continentur liberi cuiuscumque gradus in materia fauorabili, non etiam odiosa, l.6 t.19 p.705 c.1 d. 4
Filios prægrauari materno odio iniquum est, l.8 t.36 p.1136 c.2 d.8 n.7 in all.
Filiusfamilias hæres patris pro quo contraxerat quamuis non sit hæres cum beneficio inuentarij, tamen etiam pendente instantia discussionis prouisionaliter condemnandus est sub satisdatione, l.4 t.19 p.359 c.1 d.1 n.1 2 3 4 5 6 7 8 & 9
Filiusfamilias nulla bona habere potest nisi saltem probet sibi obuenisse, l.4 t.7 p.288 c.1 d.8 n.9 in all.
Filiusfamilias si testatus sit sine consensu patris, nullomodo valebunt, ne quidem illa quæ in piam causam relicta erunt, p.10 c.2 d.40 n.4
quod Filiusfamil. acquirit ex pecunia dotali, nec mulieri acquiritur nec patri, sed ipsi filio, l.6 t.35 p.776 c.1 d.8
Filiusfamilias hodie habet hæredem, non tantum, in aduentitiis, sed etiam in profectitiis ei pleno iure acquisitis, l.6 t.33 p.769 c.2 d.5
Filiusfamilias clericus habet priuilegium vt possit testari de bonis quibuscunque ad se pertinentibus, vndecumque illa prouenerint, sed ita demum si clerico iam facto obuenerint, l.1 t.2 p.10 c.2 d. 40 in fin.
Filiusfamilias fideiubere pro patre à carceribus liberando potest, p.112 c.2 d.1 nu.3 & 4
Filiusfamilias regulariter ex causa mutui non obligatur efficaciter ob exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, l.4 t.19 p.360 c.1 d.1 n.1 in all.
Filiusfamilias persona cuius integra sit, potest ex omnibus contractibus agere & conueniri, p.142 c.1 d.6 n.4 in all.
Filiofamilias fideiubenti pro patre ex iusta causa & decreto iudicis, curator dandus non est, p.113 c.1 d.2 n.1 2 & 3
Filiusfamilias æs alienum patris soluere non cogitur, p.113 c.1 d.1 n.3 in all.
Filiusfamilias minor qui se obligauit pro patre non potest restitui, nec tanquam minor si maior factus debitum approbauerit, neque tanquam filiusfamilias, neque tanquam læsus, si possit quandoque indemnitatem consequi ex bonis patris, lib.4 t.20 p.362 c.1 d.4 num.1 2 3 & 4
Filiusfamilias tam ex contractibus quàm delictis obligatur, præterquàm ex mutuo & ex voto, l.4 t.20 p.362 c.2 d.3 n.10
Filiusfamilias Senator non potest facere testamentum nec si pater consentiat. Habet tamen filios suos hæredes legitimos in peculio quasi castrensi, quamuis illi mortuo patre remaneant in potestate aui, ita vt nec matrem tutricem habere possint, l.8 t.33 p.1122 c.2 d.3 à n.1 ad 18
FISCVS habet quidem priuilegium taciti pignoris, sed debitores suos in carceres detrudere non potest, l.7 t.33 p.948 c.1 d.1 n.6 in all.
Fiscus nulla bona habere potest nisi quæ admissis creditoribus superfutura sunt l.9 t.6 p.1158 c.2 d.3 n.1 in all.
Fiscus aut is qui fisci locum tenet succedit loco patris nemine querelante, l.9 t.2 p.1152 c.1 d.9 n.2 in all.
Fiscus habet idem ius deducendæ quartæ, quod haberet hæres nulla confiscatione interueniente, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.9 in all.
Fiscus succedens in ius priuati tenetur de euictione & ad litis sumptus perinde ac priuatus quilibet siue ex contractu successerit, siue ex confiscatione, l.8 t.31 p.1113 c.2 d.19 num.1 2 & 3
Fiscus nunquam satisdat, l.4 t.9 p.292 c.2 d.1 n.7 in all.
Fiscus vendere potest rem communem inuito socio, dummodo ei partem precij restituat, l.4 t.43 p.485 c.1 d.1 nu.14 in all.
Fisco ablatum videri non potest, quod in corpore patrimonij fiscalis retinetur, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.15 in all.
cum Fisco cogi litigare non paruum est incommodum, lib.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.21 in all.
FINIS habet necessariam consequentiam ad principium, p.135 c.1 d.1 n.24 in all.
FOCI cõmunio aut separatio non prodest quicquam ad excludendum vel admittendum dominum, sed tantum communio vel separatio bonorum, lib.7 t.1 p.784 c.1 d.15 n.1
FOEMINAE non habent suos hæredes

BIU Cujas

l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.9
Fœminum nunquam concipit masculinum, quomodo masculinum regulariter concipit fœminum, l.6 t.8 p.656 c.1 d.25 n.8 in all.
Fœmina nupta rem non dotalem etiam inscio & inuito marito vendere potest pag.106 c.1 d.4 n.3
Fœmina quando in testem admitti possit, lib.4 t.5 p.343 c.1 d.58 n.1 2 3 & 4
Fœminis, quæ parentibus succedunt, etiam dominus succedit, non item fœminis, quæ non succedunt nisi in legitima, quæ tamen iis solui potest in pecunia sicut & legitima quæ debetur matri, l.7 t.1 p.780 c.2 d 5 n.1
Foenvs & vsura est quicquid excedit sortem, l.4 t.24 p.396 c.2 d 36 n.8
Fori præscriptioni renuncians sibi nocet, nisi competentis iurisdictionis procurator intercedat, l.3 t.12 p.198 c.1 d.32 n.1 & 2
Fori præscriptionem non habet qui apud priuilegiarium iudicem suum conuenitur, l.3 t.17 p.207 c.2 d.2 n.1
Fori præscriptionem non magis obiicere potest debitor, si de rei mobilis pignore agitur, quam si rei mobilis pignus vindicaretur, l.3 t.16 p.206 c.2 d.1 n.9
Fori præscriptionem obiicere non potest conuentus actione personali eo loco in quo soluere se obligauit, si domicilium habeat in alterius iurisdictionis territorio, l.3 t.16 p.206 c.2 d.1 nu.1
Fori priuilegium non habet ex mandantis persona qui ex alterius mandato deliquit, l.5 t.14 p.203 c.2 d.2 n.1
Forma est quid individuum, p.38 c.2 d. 40 nu.2 in all.
Forma duplex est cuiusque rei, intrinseca & extrinseca, l.6 t.14 p.685 c.1 d.4 n.3 in all.
Formam & sollennitatem contrahendi nemo eam creditur eligere per quam contractus subuertatur, p.3 c.1 d.7 n.2 in all.
Francis canorvm monasteria sunt incapacia acquisitionis, l.6 t.12 p.713 c.1 d.25 n.3 in all.
Frater plerumque dicitur is qui frater non est, si modo fraterna charitate diligatur, l.3 t.21 p.228 c.1 d.9 numero 2 in all.
Frater pro fratre in causa criminali non potest testimonium dicere, in causa ciuili dummodo patria potestate, bonorum omnium communione, & cohabitatione cessantibus, potest l.4 t.14 p.314 c.1 d.24 num 1
pro Fratre habitus potest ab intestato succedere, licet præcise non probet se fratrem, l.3 t.21 p.228 c.1 d.9 nu.1
Fratres naturales sibi inuicem succedunt ab intestato, nisi nati sint ex damnato coitu, & punibili secundum leges, l.6 t. 33 p.768 c.2 d.3
Fratrum filij si soli & nullo concurrente patruo succedant, in capita succedunt, non in stirpes, l.6 t.33 p.767 c.2 d.1
cum Fratribus vtrinque coniunctis succedit non modò pater, sed etiam auus, sed ita si auus sit in primo gradu ascendentium, nec anteuertatur à patre, l.6 t.33 p.771 c.1 d.11 n.1 in all.
Fraus est probanda non præsumenda, l.9 t.2 p.115 c.2 d.8 n.2 in all.
Fraus præsumitur tam in venditore quàm in emptore ex omissione sollennitatum requisitarum à iure aut à statuto, l.4 t.11 p.303 c.2 d.4 n.1 in all.
Fraus in quo admissa est in eo debet puniri l.4 t.34 p.441 c.2 d.4 n.19 in all.
Fraus filiis facta præsumitur ex magno excessu facto in alienanda ea re quæ filiis restitui debuit, lib.4 t.11 pag.303 c.2 d.4 numero 1 in all.
Fraudis suspecta esse solent quæ inter parentes & liberos geruntur quoties alius læditur, l.3 t.20 p.224 c.1 d.6 nu.4 in all.
Fraudis suspicio subest quoties mulier siue pro alio siue cum alio contrahit, l.4 t.21 p.362 c.2 d.1 n.3 in all.
Fraudem facere non videtur qui fraudem excludit, l.4 t.23 p.378 c.2 d.3 nu.12 in all.
quoties de Fraude disputatur euentus spectandus, l.3 t.20 p.224 c.2 d.7 nu.2 in all.
Fravdandvs nemo est conuentionis commodo, quam dixit rei, p.25 c.2 d.86 nu.3 in all.
Fraudari non potest qui nihil omnino iuris habet, præterquam ex mera fraudantis liberalitate, p.131 c.2 d.3 n.8
Fravdvlentvm est cogi quem exhibere quod non habet, nec dolo malo desiit habere, p.29 c.1 d.4 n.3 in all.
Fraudulenti consilij potius præsumptio capitur, ex eo quod quis se creditores habere non ignorat, l.3 t.20 p.224 c.1 d. 6 n.1 in all.
Fructvarivs non est dominus, l.5 t.23 p.238 c.1 d.8 n.2 in all.
Fructuarius minus iuris habet quàm heres fiduciarius in hereditariis debitoribus conueniendis, l.3 t.23 p.236 c.1 d.7 nu.1
Fructuarius nunquam est legitimus contradictor, nec potest transigere de re hereditaria, ne quidem tacente hereditate, l.6 t.6 p 640 c.2 d.10 n.1 2 3 & 4
Fructuarius non cogitur ita fidare nisi petenti, nec eo minus facit interim fructus suos, l.3 t.23 p.236 c.2 d 3 n.3
Fructvs cauſę appellationis continentur, p.138 c.2 d.3 n.12 in all.
Fructus veniunt in condictionem, l.8 t.3 p.955 c.2 d.12 n.6 in all.
Fructus veniunt in pignoratitiam actionem tametsi prędo sit qui alienam rem pignori dedit, l.4 t.18 p.357 c.2 d.2 numero 3
Fructus communicatur inter legatarium vsu fructus & legatum proprietatis, l.6 t.18 p 697 c.1 d.3
Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 num.3 in all.
Fructus non debent in duplicem causam imputari, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 num.24 in all.
Fructus non iure seminis, sed iure soli & dominij si alius titulus non probetur, percipi solent, l.3 t.22 p.235 c.1 d.18 n.1 in all.
Fructus beneficij tam percepti, quàm quæ ex iis fructibus sunt comparata ad heredem beneficiarij pertinent, p.38 c. 2 d.37 n.1
Fructus beneficij nondum percepti, post beneficiarij obitum pertinent ad successorem in beneficio, p.38 c.1 d.37 num.3
Fructus nondum percepti post beneficiarij obitum pertinent ad successorem in beneficio, p.38 c.2 d.37 nu.3 & 4
Fructus pignoris in antichresim dati ad creditorem, vice vsurarum, pertinent, l.4 t.18 p.359 c.1 d.5 n.10 in all.
Fructus pignoris quo casu non imputantur, ne quidem in vsuras vice fructuum debitas, l.6 t.26 p.749 c.1 d.5
Fructus bonorum dotalium, si sint & ipsi dotales ad mulierem non ad maritum, maritive heredes pertinent l.5 t.27 p. 539 c.2 d.20 num.7 & 8
Fructus bonorum dotalium aut pro dote obligatorum, conseruandi sunt mulieri, non vt dos in tuto collocetur, sed vt in communes vsus consumantur, l.5 t.7 p.526 c.1 d 39 n.1 2 3 4 & 5
Fructus fundi locati non prius acquiruntur conductori quàm eos percepit & quidē ex dominij eiusdemque locatoris voluntate, l.4 t.41 p.473 c.1 d.25 n.4
Fructus & vsuræ eorum tempore non debē haberi, l.5 t.7 p.551 c.2 d.5 n.7 in all.
Fructus & vsuræ legatorum quibus casibus debeantur ex die mortis, l.6 t.26 p.751 c.2 d.12
Fructus solent tanquam accessiones omnimodo sequi causam dominij, l.4 t.38 p.1139 c.2 d.15 nu.2 in all.
Fructus omnes post litem contestatam percepti debentur ab eo qui sua diligentia & industria meliorem fundum fecit, l 7 t.16 p.583 c.2 d.19 num.1
Fructus nullo iure percepti ante litem contestatam non sunt restituendi si percepti sint bona fide, l.7 t.18 p.855 c.1 d. 25 n.1
Fructus etiam non petiti veniunt in iudicio possessorio retinendæ vel recuperandæ possessionis, l.7 t.18 p.867 c.2 d. 68 n.1 & 2
Fructus etiam non petiti quando adiudicari possint, & quando peti post sententiam qui non sunt adiudicati, l.7 t.18 p.867 c.2 d 67 à num.1 ad 13
Fructus petiti & non adiudicati à Senatu pro compensatis haberi debent cum non possint haberi pro denegatis, lib.7 t.18 p.869 c.1 d.74 n.1
Fructus à cōductore percepti ei pereunt quando æque fuissent apud locatorem perituri, l.4 t.42 p.472 c.2 d.23 n.1
Fructus à conductore percepti, iure dominij, ad conductorem non ad locatorem pertinent l.4 t.41 p.481 c.1 d.52 n.1 in all.
Fructus qui ante petitum augmentum ex fundo percepti sunt ab eo qui retrouendere debuit ad eum pertinent qui obsignauit, quandiu nihil ei potest imputari l.4 t.36 p.484 c.1 d.7 n.9
Fructus quos possessor absolutè ac incommutabiliter suos fecit, non possunt cum sumptibus in rem meliorandam factis compensari, l.7 t.18 p.868 c.1 d. 70 nu.1 & 2
Fructus bonorum siue paraphernalium siue aduentitiorum non debent pertinere ad maritum sed ad mulierem, ita vt si maritus eos perceperit, eorum rationem mulieri aut eius heredib. reddere teneatur l.5 t.7 p.539 c.2 d.20 n.3 in all. aduentitiorum vidente & patiente muliere percepti, dissentiente potius quàm consentiente ea percepti videntur propter metum reuerentialem ibid. p.540 c.1 ead. d. & num.
Fructuum collectorum periculi pertinet ad collectorem, nec si omnes perierint fortuitò, remissio tamē eo nomine vlla peti potest, l.4 t.42 p.471 c.2 d.21 n.1 & 2 sed ita demum si fuerint collecti & & in horreo reconditi. Ibid.c.2 n.16
Fructuum restituendorum condemnatio fit etiam aliquando pendente lite l.7 t. 18 p.854 c.2 d 23 nu.1
Fructuum æstimatio summatim interdum fieri potest ex proportione vsurarum quincuncium, l.7 t.18 p.854 c.1 d.20 n.1
Ad Fructuum restitutionem qui non est condemnatus, tenetur aliquando tamē omnes reddere, quos percepit ex die iudicati, l.7 t.18 p 862 c.1 d.51 nu.1
de Fructibus post sententiam perceptis ab eo qui non fuit ad restitutionem vllam fructuum condemnatus, l.9 t.18 p. 872 c.1 d.88
de Fructibus pro parte adiudicādis ei qui totius debiti soluendi moram contraxit, l.7 t.18 p.872 c.1 d.87 nu.1

BIU Cujas

legatis Fructibus fundi quousq; solutum sit aliquid, quod antea sit æstimandum facienda est ante omnia æstimatio sumptibus & diligentia legatarij, l.6 .26 p. 748 c.1 d.2

FRVGES non nisi hominum gratia Deus comparauit, l.3 t.11 p.189 c.1 d.6 num.4 in all.

conductor FRVI prohibitus ex ea causa quam locator præuidere potuerat indemnis omnino & penè seruandus est à locatore, l.4 t.42 p.464 c.1 in fine, d.1 n.1 2 3 & 4

conductor qui lite pendente Frui sibi licuisse negat, condemnandus est prouisionaliter & oblata satisdatione nisi conquestus sit ante litem sibi motam, l.4 t.42 p.465 c.2 d.4 n.1 2 3 4 5 6 & 7

semper ei succurrendum est qui non aliter parte sua Frui potest, quàm si socij quoque portionem tractet, l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 n.4 in all.

FVGA est criminis indicium, l.6 t.2 p.617 c.2 d.1 nu.2 in all.

Fuga facit indicium ad torturam, l.9 t.21 p.1188 c.1 d.4 n.2 in all.

Fuga magnum indicium est ad torturam, l.4 t.15 p.327 c.2 d.1 n.8 in all.

FVMI venditor tenetur condictione ob turpem causam, lib.4 t.6 p.284 c.2 d.1 n.3

Fumo pereat, inquit Alexander Imp. qui fumum vendidit, lib.4 t.6 p.284 c.2 d.1 n.3 in all.

FVNDVS dotalis transit ad heredem, l.3 t.25 p.247 c.1 d.10 n.2 in all.

Fundus à debitore debitoris pignori datus in antichresim, creditori quoque creditoris pignori obligatus intelligitur, l.4 t.10 p.297 c.2 d.3 n.1

Fundum alienum qui nullo iure retinuit, ad fructuum restitutionem condemnandus est, nisi quos à lite contestata perceperit, si modò probabilem causam habuit nesciendi alienum, puta tanquam heres, l.7 t.18 p.868 c.2 d.73 nu.1

qui Fundum debuit retrouendere, si sit in mora, condemnandus est ad fructuum restitutionem quos venditor ipse percipere potuisset, l.4 t.24 p.389 c.1 d.14 n.1 & 2

Fundi corpus demonstrari, nec eius identitas probari sine confinium demonstratione & probatione potest, l.4 t.15 p.327 c.2 d.2 nu.2 in all.

Fundi identitas non probatur concludenter per duos confines, si non sint transuersaliter angulares: excipe, si nulla sit probatio aut præsumptio in contrarium, l.4 t.14 p.326 c.1 d.69 num.2 in all.

Fundo redempto talliabili ex pacto de retrouendendo, precium debetur domino cui fundus auffertur, l.7 t.1 p.779 c.2 d.2 num.1

Fundo municipij seruitus acquiri potest, l.3 t.24 p.242 c.2 d.11 n.4 in all.

Fundorum valor solet ex reditu potissimum æstimari, l.7 t.1 p.791 c.1 d.26 n.5 in all.

Fundorum fructus non pluris æstimantur quàm vt vigesimo demum anno æquent iustam fundorum æstimationem p.183 c.2 d.14 n.6 in all.

FVR nemo probatur ex eo solo quod rem furtiuam in domo sua habeat, l.6 t.2 p. 618 c.1 d.4 nu.1

Fur non potest quis probari quin constet prius de re furtiua, nec res furtiua esse quæ non fuerit ab alio prius amissa, l.7 t.24 p.906 c.2 d.9 n.1

Fur ex quibus indiciis possit condemnari ad torturam, l.9 t.21 p.1188 c.1 d.4 n.1

FVRIOSVS citari nunquam potest, p.74 c.1 d.3 num.1 in all.

Furiosus, etiam cum adest, absens esse intelligitur, l.4 t.1 p.259 c.1 d.7 n.2 in all.

Furiosi vel ebrij hominis iudicium nullum esse potest, l.4 t.1 p.259 c.1 d.7 n.2 in all.

FVRTVM est contrectatio rei alienę inuito domino, l.7 t.24 p.906 c.2 d.9 nu.2 in all.

Furtum esse non potest vbi non est interuersio possessionis, l.9 t.19 p.1182 c.1 d.1 n.4 in all.

Furtum non fit sine animo furandi, l.6 t.2 p.618 c.1 d.4 n.1 in all.

Furtum ex variis indiciis colligi potest, vide indicium, l.6 t.2 p.617 c.2 d.1

Furtum potest probari in genere, quamuis non sit probatum in specie, & quomodo puniri eo casu debeat, l.6 t.2 p. 618 c.1 d.5 n.1 2 & 3

Furti probatio sine rei exhibitione fieri non potest, l.3 t.22 p.234 c.1 d.14 nu.4

species non modo lucri, sed etiam Furti est ex alieno largiri, & sibi beneficij debitorem acquirere, p.10 c.1 d.38 n.5 in all.

Furtum secundum punitur interdū pœna mortis, l.9 t.25 p.1208 c.2 d.18 n.1

G

GABELLA iudicati est pars quædam & portio eius rei quæ venit non tam in condemnationem, quàm in taxationem condemnationis, p.167 c.2 d.3 num.3

GEMINATIO solet multum prodesse vt appareat seriò quid factum esse non inconsulto & per errorem, l.7 t.3 p.798 c.2 d.4 n.2 in all.

GENERALIA facilè possunt recipere interpretationem restrictiuam, quam specialia vix patiuntur, l.6 t.8 p.644 c.1 d. 2 nu.11 in all.

duo non possunt eundem Gradum tenere ac in eodem gradu concurrere p.31 c.2 d.31 n.5 in all.

GRAPHARIVS acta litis penes se retinere potest pro emolumento quod ex alterius litis causa debetur, quasi taciti cuiusdam pignoris iure, l.3 t.2 p.167 c.2 d.2 n.10 in all.

GRASSATORI opem qui tulit qui se officialem iactabat non potest teneri eo nomine, l.9 t.25 p.1209 c.1 d.15 num.1

GRATIA obreptitia vel subreptitia nullius omnino est momenti siue de proprietate agatur, siue de possessione agatur p.1 c.1 d.2 nu.1 2 & 3 & in all. n.2 & p.2 c.1 d.4 nu.6

Gratia est obreptitia, siue impetrans non expresserit possessionem aduersarij coloratam, siue suam vitiosam p.1 c.1 d.2 n.4 & 5. Adeoque si priorem suam impetrationem, tametsi validam tacuerit p.6 c.2 d.28 & p.8 c.1 d.1 & 29. Multò magis si non expresserit beneficium quod iam tum obtinebat p.43 c.1 d.2 n.7

Gratia criminis facta per principem adprobari potest à Senatu etiam inaudito procuratore vasalli, lib.9 t.28 p.1212 c.1 d.3 n.1

Gratiam facere potest princeps omnium criminum etiam atrocissimorum, vel læsæ maiestatis siue diuinæ siue humanæ, l.9 t.22 p.1194 c.1 d.1

Gratiam impetrans à principe crimen faretur, non qui abolitionem, l.4 t.22 p.1194 c.1 d.1.

GRAVAMEN intolerabile dicitur quod perpetuo grauat, l.9 t.30 p.1227 c.1 d.7 n.5 in all.

H

HABERE possessionem iam videtur, qui eam habere potest, l.4 t.38 p. 458 c.2 d.10 n.5 in all.

HASTAE fiscalis fides, facile conuelli non debet p.363 c.1 d.2 n.4 in all.

HEREDITARIVM est quod in hereditate fuit moriente testatore, nō etiam quod ex hereditate subinde profectum est, aut occasione hereditatis acquisitum l.3 t.25 p.247 c.2 d.11 n.6 & 7

Hereditarium quoties aliquod ius est rei redimendæ, quæ à defuncto vendita fuerat, siue ex conuentione competat, siue ex causa immodicæ læsionis potest vnus ex coheredibus, vel inuitis aliis iure proprio ius illud exercere l.3 t.25 p.247 c.1 d.9 n.1 2 & 3

Hereditaria iura omnia ipso iure & per legem duodecim tabularum diuiduntur inter heredes, nisi si qua sint omnino indiuisibilia l.3 t.19 p.211 c.1 d.6 n.6 in all.

Hereditariorum corporum diminutio propter legitimam non magis fieri potest, quàm propter pecuniam l.3 t.19 p. 210 c.2 d.5 n.3 in all.

HEREDITAS iuris nomen est recipiens & augmentum & diminutionem l.3 t. 19 p.207 c.2 d.11 nu.3 in all.

Hereditas iuris nomen est recipiens & augmentum & diminutionem l.3 t.19 p.212 c.2 d.11 n.3 in all.

Hereditas in iure nō in corporibus consistit, l.6 t.6 p.639 c.1 d.6 nu.7

Hereditas rem vnam æquè ac aliam, & rei precium æquè ac rem ipsam, & contra rem ex precio comparatam æque ac rei precium complectitur, l.3 t. 22 p.230 c.1 d.5 nu.8

Hereditas aut hereditaria portio esse incipit eo instanti quo vti, l.4 t.19 p.218 c.2 d.28 n.5

Hereditas neque vlla quota eius in certa re & singulari potest consistere, l.6 t.6 p.636 c.2 d.1 n.19 in all.

Hereditas vna duarum personarum esse non potest, lib.6 t.5 p.631 c.1 d.18 nu.2 in all.

Hereditas vna duos heredes in solidum non patitur, nec in parte hereditatis magis quàm in tota hereditate l.3 t.19 p.211 c.1 d.6 n.8 in all.

Hereditas nulli inuito aut ignoranti acquiritur nec edicto, nec aliqua consuetudine, l.3 t.19 p.182 c.2 d.1 n.5

Hereditas per codicillos dari non potest, l.6 t.5 p.622 c.2 d.21 nu.3 in all.

Hereditas damnosa esse potest p.81 c.2 d. 13 n.10 in all.

Hereditas ex die aut conditione à pagano dari non potest, sed in diem & sub conditione potest, l.6 t.6 p.637 c.1 d.2 nu.1 & 2

Hereditas quæ alterius est, non potest esse actoris l.3 t.21 p.225 c.2 d.2 num.9 in all.

Hereditas non potest dari sub modo qui sit verus modus, sed tantum sub conditione, l.6 t.24 p.739 c.2 d.2 num.1 in all.

Hereditas non aufertur tanquam indigno, ei qui testamentum defuncti impugnauit quasi nullum, quod factum esset à reo læsæ maiestatis, l.6 t.1 p.689 c.2 d.5

an Hereditas ex testamento, an ab intestato restituatur nihil interest quantum ad detractiones ex fideicommisso faciendas, l.6 t.17 p.696 c.1 d. 12

Hereditas nō defertur ab intestato quandiu succedi ex testamento potest, l.6 t.6 p.637 c.2 d.3 n.2 in all.

Hereditas neque iacet neque vacat extantibus suis heredibus, quamuis se abstinentibus: ideoque non ei dandus curator, sed bonis nisi agnatus vel cognatus aliquis velit succedere, l.6 t.12 p.679 c.2 d.15

BIU Cujas

iacens Hæreditas quæ dicatur, l.6 t.12 p. 680 c.1 d.15 n.2 in all.
Hereditas solo verbo restitui potest, l.6 t. 5 p.630 c.1 d.17 n.27
Hereditas est soluendo quæ inuenit heredem, l.4 t.30 p.431 c.1 d.24 numer.3 in all.
Hereditas aut hereditaria portio aliqua priùs esse debet quàm vt ex ea quicquam deliberetur, l.3 t.19 p.218 c.2 d. 28 n.4
Hereditas non potest recipere augmentum vel diminutionem ex die litis contestatæ, l.4 t.24 p.385 c.1 d.4 num.7 in all.
Hereditas diuidi debet inter omnes liberos ex æquis partibus l.3 t.25 p.244 c.1 d.5 nu.2 in all.
Hereditas fideicommissaria facile admittit subrogationem vnius rei in locum alterius, lib.3 t.25 p.248 c.1 d.12 numer.12
Hereditas fideicommissaria post restitutionem pertinet ad fideicõmissarium, p.70 c.2 d.14 n.6 in all.
Hereditas paterna, etiam priùs quàm sit agnita, est de numero acquisitorum, non acquirendorum, lib.2 t.25 p.126 c.2 d.1 n.4 in all.
Hereditas adita dici non potest, quam tutor pupilli nomine solus agnoscit, p.126 c.2 d.1 n.4 in all.
ad quem Hereditas ad eundem & tutela pertinet, l.4 t.38 p.456 c.1 d.4 num.1 in all.
Hereditatis nomen vniuersitatem successionis demonstrat, l.3 t.22 p.230 c.1 d.5 n.6 & 7
Hereditatis aditio iure confundit obligationem, l.4 t.23 p.380 c.2 d 9 num.4 in all.
Hereditatis aditio animi potiùs, quàm facti, p.61 c.2 d.12 n.2 in all.
Hereditatis delatio fit semel tantùm & vno instanti, p.86 c.1 d.22 nu.11 in all.
Hæreditatis diminutio qualiscumque ea sit, sera est, licet eam quis velit inducere ex voluntate eius qui inter viuos alienando diminuere patrimonium potuisset, l.3 t.19 p.219 c.1 d.28 n.6
Hereditatis diuisio quàm pater dotalibus tabulis fecit, in familiæ erciscundæ iudicio seruanda est, l.3 t.25 p.244 c.1 d.4 num.1 & 2
Hereditatis expilatæ crimen an & quo casu non habere locum possit & de edicto quod vocant *le mort saisit le vif*, l.9 t.19 p.1182 c.2 d.1 n....
Hereditatis expilatæ reo nihil prodest obiicere exceptionem de iure tertij etiam volentis nisi ipse dicat se hæredem l.9 t.19 p.1183 c.1 d.3 nu.1
Hereditatis expilatæ crimen non nisi loco deficientis actionis furti intendi consueuisse certi iuris est, l.9 t.19 p.1182 c.2 d.1 nu.4 in all.
Hereditatis petitio datur contra possidentem pro hærede, siue bonæ siue malæ fidei sit possessor, lib.3 t.21 p.228 c.1 d.8 nu.1 2 & 3
Hereditatis petitio competit aduersus eum qui rem vnam hereditariam, licet minimam, possidet, l.3 t.21 p.225 c.2 d.2 n.2 in all.
Hereditatis fideicommissariæ petitio contra singulares rerum fideicommissarum possessores non prius exerceri potest, quàm restituta sit per fideicommissum hæreditas, lib.3 t.21 p.226 c.1 d. 4 n.1
Hereditatis fideicommissaria petitio si instituta sit, & eodem libello petatur missio in possessionem bonorum fideicommissariorum in genere aduersus eum ipsum qui de fideicommisso restituendo rogatus est, nõ cogitur actor antequam pronunciatum sit de fideicommissi iure indicare hæredi grauato quænam bona illa sint quæ fideicommisso continentur, l.3 t.21 p.226 c.2 d.6 num.1 & 2
Hereditatis restitutio nõ plus iuris transferre potest quàm defunctus habuerit, p.308 c.1 d.3 n.13 in all.
Hereditatis partes sunt homogeneæ, l.6 t.4 p.620 c.2 d.3 n.5 in all.
Hereditatis fructus augent hereditatem non item rem singularem, l.3 t.22 p.230 c.1 d.5 num.9 & 10
Hereditatis fructus à die mortis percepti sicut augent hereditatem, ita legitimam, l.3 t.19 p.212 c.1 d.11 numero 1 & 2
Hereditatis futuræ renunciatio tacitam illam habet conditionem *si deferetur*, p.141 c.1 d.5 num.8 incertum enim est quanta futura sit hereditas cuius spem abscidit renunciatio. Ibidem n.14
Hereditatis substantia & quantitas æstimatur ex tempore mortis, p.141 c.1 & 2 d.5 n.15 in all.
Hereditati tanquam iacenti curatorem dari qui passus est, non potest subinde allegare aditionem hereditatis, l.7 t.19 p.878 c.2 d.17 nu.1
Hereditatem qui pure & ab intestato possedit ignorans testamentum, potest adire postea ex testamento, adeoque cum beneficio inuentarij, l.6 t.20 p. 712 c.1 d.1
Hereditatem qui petiit ex testamento, non potest eam postea petere ex fideicommisso, tanquam conseruato per clausulam codicillarem: secus si conseruetur per Auth. ex causa, l.6 t.17 p. 695 c.1 d.10
Hereditatem petens non ex eo metitur quod possessor occupauit, sed ex suo iure, l.3 t.21 p.ead. d.2 n.9 in all.
Hereditatem petenti eius qui mortuus negatur, non cogitur reus submini strare litis sumptus & alimentorum pendente lite, nisi actor sit ex liberis aut parentibus, l.3 t.21 p.225 c.1 d.1 num.1 2 & 3
Hereditatem aditam fuisse à defuncto nõ probat querela expilatę hereditatis facta in testamento, lib.6 t.12 p.679 c.2 d.14 n.1
Hereditatem neque tutor neque curator aut adire aut repudiare potest, adeoque nec pater adire cum filio, nec repudiare sine filio, l.6 t.12 p.678 c.1 d.11
Hereditatem aut portionem hæreditariam alteri cedens certo pretio vel certo pacto quod sit loco pretij, potest à creditoribus hereditariis tanquam heres conueniri, lib.6 t.12 pag.681 c.2 d.20
Hereditatem aut heredem habere non potest, qui nulla bona post mortem sitam potest relinquere, l.6 t.11 p.669 c. 1 d.11 n.10 in all.
Hereditatem nec adire nec repudiare potest qui dubitat de viribus testamenti, l.6 t.11 p.662 c.2 d.10 numer.7 in all.
Hereditatem diu non iacere & vacare testatoris & reip. interest, l.6 t.8 p.648 c. 2 d.11 n.12 in all.
ad Hereditatem admitti non potest is de quo nominatim excludendo testator cogitauit, l.6 t.5 p.628 c.1 d.14 nu.8 in all.
Hereditate semel adita omnis defuncti voluntas rata constituitur, l.6 t.5 p.629 c.2 d.16 n.10 in all.
in Hereditate non potest videri esse quod nec defunctus nec eius heres vnquam habuerunt, l.3 t.19 p.221 c.2 d.35 nu.2 in all.
Hereditates ascendentium sunt debitæ descendentibus, l.6 t.14 p.620 c.1 d.1 n.3 in all.
HEREDEM veteres pro domino dicebant, l.4 t.43 p.502 c.1 d.47 numer.2 in all.
Heres & hereditas eandem personam repræsentant, l.6 t.6 p.636 c.2 d.1 nu.15 in all.
Heres postulante fideicommissario cogi potest ad faciendũ inuentarium quamuis non ad rationes reddendas, lib.6 t.31 p.766 c.1 d.2
Heres eius qui de euictione fideiussit non cogitur venditionem ratam facere, quemadmodum heres venditoris, l.8 t. 31 p.1108 c.2 d.3
Heres grauatus cui fideicommissum à suo testatore restitui debuit, non prohibetur agere contra heredes pro eorum portionibus, nec rursus deducere fideicommissum aduersus fideicommissarium, l.6 t.27 p.761 c.2 d.26
Heres cogitur facere inuentarium postulante fideicommissario, sed sumptibus fideicommissarij, lib.6 t.27 p.761 c. 2 d.25
Heres ex certa re quando heredis vniuersalis iure censeatur, l.6 t.6 p.636 c.1 d.1 nu.18
Heres in lite contra defunctum inchoata nullum habet priuilegium, l.6 t.11 p. 670 c.2 d.38 n.4 in all.
Heres heredis aduersus aditam ab herede hereditatem restitui non potest, l.6 t.12 p.679 c.2 d.13
Heres qui semel fuit, semper heres perseuerat, l.6 t.12 p.676 c.2 d.5 n.1 in all.
Heres tenetur conscientiam defuncti exonerare, l.7 t.4 p.800 c.1 d.1 num.14 in all.
Heres facere non potest vt testamentum quod ab initio non valuit postea conualescat, l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 nu.6
Heres qui pure adiit damnosam hereditatem, nec falcidiam deducere potest, nec recusare quominus res suas alij legatas præstet, lib.6 t.11 p.674 c.2 d.45 nu. 1 2
Heres pure non eo minus potest deducere res sibi donatas, siue inter viuos, siue mortis causa, l.6 t.11 p.674 c.1 d.44 n.1 2 3
Heres nemo fit ex sola bona fide, si lex hereditatem non deferat, l.3 t.21 p.228 c.1 d.8 n.6 in all.
Heres idem esse non potest & fideicommissarius, lib.6 t.3 p.615 c.2 d.1 nu.9 in all.
Heres ex parte, quandiu coheredes adire possunt, non nisi suam partem hereditatis petere potest, l.3 t.21 p.225 c.2 d.3 n.1
Heres nihil potest habere tanquam heres quod non prius fuerit hereditatis, p.88 c.1 d.28 n.3 in all.
Heres sua dicere non potest instrumenta quæ sunt hereditaria, non magis quàm hereditatem ipsam quæ est fideicommissaria, p.70 c.2 d.14 n.5 & 6
Heres cum beneficio legis condemnandus est proprio nomine ad expensas litis quam temerè vel instituit, vel suscepit, l.7 t.18 p.850 c.1 d.7 n.1
Heres cum beneficio legis & inuentarij perinde heres verè est, atque is qui purè hereditatem agnouit, l.7 t.32 p.942 c.2 d.10 n.1 in all.
Heres cum beneficio legis & inuentarij potest adhuc petere quod sibi proprio nomine debetur, l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.5 in all.
Heres cum beneficio legis & inuentarij

BIU Cujas

perinde heres verè est, ac si inuentarium non fecisset, p.91 c.2 d.14 num.14 in all.
Heres cum beneficio inuentarij non liberatur soluendo creditoribus anterioribus, l.6 t.11 p.669 c.2 d.33 n.1
Heres nemo fit ex confessione sola aduersarij, & hoc ipso probatur erronea confessio, quod qui se talem dicit non probat, l.6 t.12 p.677 c.1 d.7 numero 1 2 & 3
Heres nullo casu impediri potest ne mittatur in possessionem, tum quoque cum fideicommissarius reperitur in possessione sine vitio, cum agitur de detractionibus faciendis, l.6 t.14 p.684 c.1 d.2 n.9 in all.
Heres per delegationem liberatus non potest conueniri, nec si delegatio rescindatur per in integrum restitutionem, nisi hæres consenserit restitutioni, l.6 t.18 p.698 c.1 d.6
Heres de pensione annua imposita super fundo alij legato disponere non potest, quamuis eam redemerit, sed tantum de pretio quod dedit, l.6 t.18 p.704 c.1 d.23
Heres constitutus in priore testamento habente clausulam derogatoriam, non eo minus prohibetur succedere ab intestato, quod hereditatem ex priore testamento repudiauerit, quamuis alius sit institutus in posteriore, l.4 t.12 p.631 c.2 d.19
Heres institutus in duobus testamentis quorum prius valebat posterius minime, si adierit ex posteriore, non poterit ex priore, l.6 t.12 p.632 c.1 d.19 n.6 in all.
Heres qui semel fuit numquam desinit esse heres, lib.7 t.7 p.808 c.1 d.6 n.16 in all.
Heres semel obligatus per additionem non potest exonerari nisi conditio ei deferatur, l.6 t.11 p.661 c.2 d.7 nu.6 in all.
Heres hodie est possessor ipso iure, sed ita demum si agnouerit hereditatem, l.7 t.7 p.807 c.1 d.5
Heres pro patre qui post diuisionem hereditatis possidet totam rem obligatam non censetur iure tertij possessoris ne quidem pro parte cohæredis, l.7 t.10 p.821 c.1 d.3 n.1
Heres qui moram non contraxit tenetur aliquando ad expensas litis, nempe cum debentur illa ex conuentione, l.7 t.18 p.854 c.1 d.21 n.1
Heres qui pronunciatus est cum beneficio legis & inuentarij talis habendus est quod ad omnes creditores etiam non vocatos, l.7 t.19 p.878 c.2 d.15 nu.1
Heres multò plus iuris habet in bonis omnibus hereditariis, quàm filius, l.3 t.19 p.210 c.2 d.5 n.2 in all.
Heres ignoratione sua defuncti vitia excludere non potest, l.4 t.17 p.355 c.1 d.2 n.1 in all.
Heres non potest teneri ex pacto defuncti nisi sub iisdem legibus & conditionibus quibus defunctus contraxit, p.82 c.1 d.14 n.17 in all.
Heres defuncti forum sequitur cum vel absens defenditur ab alio, vel vbi ille ipse inuenitur, p.157 c.1 d.4 num.1 & 2
Heres de facto defuncti iurare non cogitur, l.4 t.1 p.261 c.1 d.15 nu.3
Heres vtitur in omnibus iure defuncti, cùm censeatur eadem persona, l.7 t.20 p.895 c.7 d.44 n.9 in all.
Heres minoris non potest restitui in integrum aduersus immixtionem à minore factam, p.128 c.2 d.5 nu.2
Heres fit ab intestato, qui disputat de viribus testamenti, si heres esse velit, & testamentum tandem probetur non valere, lib.6 t.12 p.677 c.1 d.6 n.1
Heres grauatus de restituenda post mortem suam hereditate plus iuris habet quàm fructuarius hereditatis, l.4 t.43 p.501 c.2 d.47 num.1 2 3 4 & 5
Heres falsus non nisi volente vero herede hereditatem petere potest, licet possessor nihil omninò iuris habeat, lib.3 t.p.225 c.1 d.2 n.1 2 & 3
Heres falsus qui cœperat agere tanquam hæres, in eamque rem admissus etiam à iudice repellendus est, apparente quandocumque postea vero herede, l.3 t.2 p.226 c.2 d.5 nu.1 & 2
Heredis & legatarij differentia, l.6 t.3 p.618 c.2 d.1 n.6
Heredis appellatio nihil nisi dominium significat, l.6 t.6 p.640 c.2 d.10 nu.1 in all.
Heredis bona non sunt obligata creditoribus defuncti, quamuis defuncti bona sint obligata hypothecariis creditoribus heredis, l.7 t.32 p.94 c.1 d.15 nu.1 & 2
Heredis aut collusio aut negligentia legatariis nocere non debet, l.7 t.22 p.901 c.2 d.5 n.2 in all.
Heredis veri ius & substantiam non tollit, qualitas illa & adiectio cum beneficio legis & inuentarij, l.4 t.11 p.669 c.1 d.32 n.4 in all.
Heredis nihil interest, An acceptam legati pecuniam consumpturi sint nepotes an seruaturi, l.3 t.19 p.221 c.1 d.34 nu.8
Heredi soli incumbit necessitas æris alieni soluendi, non singulari successori, l.3 t.19 p.210 c.2 d.6 n.6 & 7
Heredi etiam multo deficiens coheredis portio adcrescit, lib.6 t.3 p.619 c.1 d.2 nu.3
Heredi falso nulla actio competere potest hereditatis nomine, nec ferendum est vt ex sua improbitate actionem vllam consequatur, l.3 t.21 p.226 c.2 d.5 nu.3 in all.
Heredi quando incipit currere tempus ad deliberandum, l.6 t.11 p.675 c.1 d.46 n.1 2 3
Heredi de restituenda hereditate rogato in quartam imputatur quicquid ex confiscatione ad fiscum peruenit, quomodo imputarentur cætera per heredem alienata, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.7 9 10 & 15
Heredem se dicens cum beneficio legis remanet heres pure, si non exhibeat inuentarium: & quid si negauerit se heredem esse nisi cum beneficio inuentarij, l.6 t.11 p.663 c.1 d.13 n.1 2 5 6
Heredem se negare aliud, aliud repudiare lib.6 t.12 p.680 c.1 d.16
Heredem si se respondeat interrogante vno ex creditoribus is cui delata est hereditas, conueniri potest tanquam heres à cæteris omnibus creditoribus, l.6 t.12 p.678 c.2 d.12
Heredè instituto masculo qui primus ex Titio nascetur, quamdiu Titius liberos suscipere potest, non defertur alteri hereditas siue ex testamento siue ab intestato, l.6 t.6 p.637 c.2 d.3 numero 1 2
Herede cum beneficio legis male versante in hereditate, curator bonis dandus est, nisi heres offerat satisdationem, l.6 t.11 p.668 c.1 d.30
ab Herede secundum quid ad heredem simpliciter consecutio est bona, l.6 t.11 p.669 c.1 d.32 n.4 in all.
Heredes coguntur causas appellationis reddere etiam à defuncto interpositæ, lib.8 t.32 p.1118 c.2 d.27 numer.3 in all.
Heredes succedũt in vniuersum ius quod defunctus habuit, l.7 t.1 p.789 c.2 d.2 num.1 in all.
Heredes non coguntur stare diuisioni factæ à testatore, si modo ab ea recedi omnes consentiunt, l.3 t.5 p.248 c.2 d.12 n.2 in all.
Heredum appellatione etiam extranei continentur p.85 c.2 d.22 n.1 in all.
Heredum gradus si plures facti sint, deficiente primo gradu testamentum incipit à secundo, l.6 t.6 p.640 c.2 d.9 n.2 in all.
Hoirs vocabulo qui intelligantur, l.6 t.19 p.706 c.1 d.5 n.2 in all.
Homicida in accusando potior est causa liberorum, deinde vxoris, tertia parentum, postrema agnatorum & cognatorum iuxta ordinem succedendi, l.9 t.1 p.1148 c.2 d.2 n.1
Homicidę confugiendo ad ecclesiam non effugiunt iudicis latci coërcitionem, p.43 c.1 d.1 n.3
Homicidam cum contingit in totum absolui debere, solet Senatus consulere principem & suadere vt criminis gratiam faciat, l.9 t.9 p.1167 c.1 d.6 nu.5 in all.
Homicidii reus modo in primo motu iracundiæ, & rixæ occasionem non præbuerit damnatur ad perpetuas triremes, l.9 t.9 p.1167 c.1 d.6 num.5 in all.
Hominis liberi æstimatio nulla est, l.7 t.5 p.802 c.2 d.2 n.7 in all.
Hominem beneficio affici hominis interest, l.9 t.20 p.1187 c.1 d.12 num.1 in all.
Honor non debet esse sine honorario, nec contra p.47 c.2 d.1 n.3 in all.
Horreorvm dominus periculum vis maioris & effracturam latronum præstare non debet, l.4 t.41 p.472 c.1 d.22 nu.7
Hospitale restituitur in integrum aduersus agnitionem hereditatis, l.6 t.24 p.739 c.1 d.1
Hypotheca contrahitur per conuentionem etiamsi præstandę pecuniæ dies nondum venerit l.8 t.14 p.1004 c.1 d.1 n.4 in all.
Hypotheca etiam testamento pignus constituere potest, l.8 t.8 p.971 c.2 d.13 n.2 in all.
Hypotheca constituta intelligitur si conuenerit vt super aliquo fundo certa pecuniæ quantitas soluenda imponatur, l.8 t.6 p.971 c.1 d.13 nu.1 2 3 4 & 5
Hypotheca nudo consensu contracta tantum prodest, quantum pignus ad rem ipsam obligandam l.4 t.7 p.299 c.2 d.15 n.2 in all.
Hypotheca expressa specialis per testatorem pro legatis constituta est indiuidua, itemque generalis, l.6 t.23 p.737 c.2 d.8 tacita semper diuidua est, etiãsi cohæres sit non soluendo, Ibid.
Hypotheca specialis hominis non tollit generalem legis, nisi id expresse dictum sit, l.5 t.8 p.551 c.1 d.3 num.1 2 & 3
Hypotheca tacita legatorum semper diuidua est, etiamsi facta sit diuisio inter creditores per mutuas adiudicationes, l.6 t.23 p.737 c.1 d.7
Hypotheca tacita pro legatis diuidua est, sed expressa indiuidua, ita vt nec locum habeat exceptio non discussi coheredis, l.6 t.23 p.733 c.1 d.1
Hypotheca cum nudo consensu contrahatur, etiam inter absentes contrahi potest, lib.8 t.6 pag.968 c.2 d.3 n.4 in all.

BIU Cujas

de Hypothecæ specialis excussione facienda, lib.8 t.6 p.969 c.2 d.8 n.1 2 3 4 & 5
Hypothecæ specialis discussionem non factam obiicere non potest is qui emit sub hasta, l.8 t.6 p.970 c.1 d.10 à n. 1 ad 11
Hypothecæ tacitæ ius inducitur ex sola chirographi agnitione vel denegatione, l.3 t.12 p.191 c.1 d.7 n.2 in all.
Hypothecam tacitam filius habet in bonis patris pro rebus maternis, lucris nuptialibus & aduentitiis quibuscumque, l.8 t.8 p.983 c.2 d.13 n.1 2 3 4
Hypothecam generalem persequi potest qui egit in specialem pro legato vel fideicommisso, nec ob id tenetur ad vllam sumptuum refusionem, quasi mutato libello, lib.6 t.23 p.733 c.2 d.3
Hypothecam & possessionem rei à se venditæ (addita clausula constituti) qui excepit potest suam possessionem auocare nulla facta excussione quamuis non imploret beneficium l.vlt. C.hoc tit. l.7 t.7 p.817 c.1 d.37 n.1
Hypothecaria implicitam habet dominij quæstionem, l.3 t.22 p.229 c.2 d.3 n.5 in all.
Hypothecaria in solidum vnus ex hæredibus debitoris conueniri potest, nec obiicere exceptionem non discussi coheredis, l.8 t.6 p.969 c.1 d.5 nu.1
Hypothecaria non nisi contra possessorem exercetur, l.7 t.7 p.817 c.2 d.38 n.9 in all.
Hypothecaria si contra debitorem ipsum præscripta sit spatio 40. annorum, hypotheca tamen durat, & consequenter habebit creditor Ius retentionis, si quo modo rei obligatę possessionem nactus sit, l.7 t.10 p.822 c.2 d.5 n.15 in all.
Hypothecaria conueniri qui potest ipse per eum, contra quem agit hypothecaria, non ideo repellitur vulgari illa exceptione, Quem de euictione tenet actio, l.8 t.31 p.1113 c.1 d.16
Hypothecaria agens non idcirco censetur imploraſſe beneficium l. vlt. C. de acquir. poſſ. & clauſulę cõſtituti, quamuis in cõclusione libelli adiecerit clausulam Omni meliori modo l.2 t.40 p. 155 c.2 d.3 n.6 in all.
post Hypothecariam propositam potest agi conditione ex l.vltim. C. ad retinendum possessionem, & quidem impunè ante litem contestatem, postea verò refusis sumptibus, lib.7 t.7 p.806 c.1 d.2 n.1
Hypothecarius creditor posterior soluēs anteriori hypothecario succedit in eius locum etiam citra conuentionem, non etiam extraneus. Et quid si solutum sit ei qui habebat ius retentionis etiam contra anteriorem, l.8 t.9 p.998 c.2 d.2 n.1 2 3 4 & 5

I

IACTARE suum nemo præsumitur, l.4 t.36 p.454 c.1 d.18 n.9 in all.
IDEM interdum habetur pro alio, l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.1 in all.
IDENTITAS fundi non probatur concludenter per duos confines si non sint transuersaliter angulares, l.4 t.14 p.326 c.1 d.69 n.2 in all.
Identitas nominis probat identitatem personæ de qua agatur incidenter, non etiamsi principaliter, l.4 t.14 p.316 c.2 d.35 numer.2 & 3. Ibid. p.325 c.2 d.69 nu.1
IGNORANTIA temporis litigiosi vicium non excludit, sicut nec actorem, qui rem litigiosam effecit, damno debet afficere, l.4 t.34 p.441 c.2 d.4 num.28 & 29
Ignorantia dissoluta non meretur excusationem, p.32 c.2 d.17 n.5 in all.
Ignorantia impetrantis non tollit ius alteri quæsitum, p.15 c.1 d.50 n.1
Ignorantia licet excuset à delicto, nunquam tamen ius tribuit, l.3 t.22 p.233 c.2 d.13 n.10 in all.
Ignorantia supina facti quod omnes sciunt non est ferenda, p.15 c.2 d.51 n.8 in all.
Ignorantia facti alieni est probabilis, præsertim si factum illud sit occultum, p.8 c.1 d.28 n.4 in all.
Ignorantia facti alieni semper excusabilis est, lib.4 t.10 p.299 c.1 d.7 num.2 in all.
Ignorantia facti alieni tolerabilis est non proprij, lib.9 t.13 p.1176 c.2 d.12 num.4 in all.
Ignorantiæ causam iustam habet, vtrum id quod petitur, debeatur, qui in alterius iura succedit, l.4 t.16 p.349 c.2 d.15 n.6 in all.
Ignorantiam facti proprij prætendere nemo potest, p.153 c.1 d.14 n.15 in all.
qui per Ignorantiam iustam plus petit, excusatur, p.185 c.2 d.1 n.6 in all.
Ignorantis conditio per alium melior fieri potest, at non deterior, l.9 t.29 p.1218 c.1 d.16 n.3 in all.
Ignoranti etiam acquiritur hereditas, si postea quandocumque adierit, l.7 t.7 p.807 c.2 d.5 n.10 in all.
ILLEGITIMVS vt possit quasi iam legitimatus succedere sufficit impetratio literarum legitimationis à Principe, etsi nondum verificatæ sint, l.5 t.16 p.583 c.1 d.5 n.7 in all.
Illegitimus succedit matri non solum ex testamento, sed etiam ab intestato, l.5 t. 16 p.585 c.1 d.13 n.3 4 & habet querelam de inofficioso testamento, num.3 in all.
Illegitimo nepoti, nec auo, nec proauo licet quicquam relinquere, nisi legitima sobole nulla existente, l.5 t.16 p.585 c.2 d.12 n.1 in all.
Illegitimi liberi neque patri neque parentibus paternis possunt succedere nisi in duabus vnciis nulla legitima sobole nec vxore subsistente, nec illis parentes, inter se possunt succedere, etiam ab intestato, non tanquam agnati, sed quasi cognati & iure cognationis, ibid.
Illegitimis ex damnato coitu natis nihil omninò relinqui potest iure ciuili, iure autem canonico alimenta, l.5 t.16 p. 586 c.1 d.13 nu.14 in all.
Illegitimos nepotes & pronepotes instituere auia & proauia etiã paterna possunt, quamuis legitima sobole subsistente, l.5 t.16 p.585 c.2 d.13 n.1 2 8
ILLVSTRIS mulier, non quælibet nobilis, sed quæ illustri aliqua dignitate præfulgeat, l.5 t.16 p.582 c.2 d.2 num.1 in all.
IMMEMORIALIS possessio dicitur, cuius initij memoria non extat, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 num.10
Immemorialis possessio potest esse minor centenaria, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.6 in all.
IMMISCVISSE se non videtur filius qui possedit bona paterna pro dote matris viuo adhuc patre, l.6 t.12 p.678 c.1 d.9 nu.1
IMMIXTIO habet vim consumptionis: consumptio verò vim iustæ solutionis l.4 t.23 p.377 c.1 d.17 n.4 in all.
IMMOBILIVM appellatione censentur interdum iura & actiones, lib.6 t.19 p. 708 c.2 d.11 n.3 in all.
Immobilium appellatione continentur reditus fundiarij, lib.6 t.19 p.708 c.1 d.11
IMMVNITAS effectus est nobilitatis nisi cum lege, vel edicto Principis aliter cautum est, l.9 t.30 p.1227 c.1 d.7 nu.1 in all.
Immunitas tribuitur plerumq; ob solam nobilitatem, l.9 t.29 p.1216 c.1 d.10 n.6 in all.
Immunitas concessa pro bonis præsentibus extenditur etiam ad futura ex præsentibus acquisita, l.9 t.29 p.1218 c.2 d. 19 n.1
Immunitatis priuilegium à tributo iudicati datum Senatoribus & rationalibus ad eorum viduas non porrigitur, l.9 t. 29 p.1219 c.2 d.22 num.1
Immunitatis possessio per longissimum tempus, priuilegij instar habetur, p.28 c.1 d.1 n.3
Immunitatem qui concesserunt, impunitatem concessam noluerunt, p.43 c.1 d. 1 n.4 in all.
IMPENSA funeris & infirmitatis habet priuilegium ante omnes alios creditores etiam expressam hypothecam habentes, l.6 t.11 p.664 c.1 d.15 num.5 in all.
Impensæ necessariæ quæ, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 nu.17
Impensæ ad rem dotalem conseruandam quæ dicantur, lib.5 t.8 p.559 c.1 d.27 num.7
Impensæ in res dotales & in litem de iis susceptam factæ, quænam à marito præstari debeant, lib.3 t.8 p.559 c.1 d.27 n.1 2 & 3
Impensæ post emptionem factæ faciunt rem pretiosiorem, sed ex postfacto, l.4 t.30 p.427 c.2 d.15 n.3 in all.
Impensæ factæ ab emptore non augent precium ad impediendam læsionis immodicæ probationem, l.4 t.30 p.427 c. 2 d.15 n.1 2 & 3
Impensæ omnes mulieri sunt restituendæ quibus non restitutis dos imminueretur, l.5 t.7 p.538 c.1 d.14 n.1 2 3 & 5
Impensarum condemnatio plerumq; victo remittitur veneratione consanguinitatis & adfinitatis, l.7 t.18 p.866 c.1 d.63 n.1 & 2
Impensarum nomine in alienam rem bona fide factarum competit retentio in executione iudicati, quamuis de eo nihil in sententia dictum sit, l.7 t.20 p.884 c.1 d.12 num.1
Impensas omnes etiam magnas & in litem ex fructibus bonorum filij pater præstare debet, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 num.20
IMPETRATIO rescripti aduersus peremptionem instantiæ nulla sumptuum refusione onerat impetrantem, lib.7 t.18 p.852 c.1 d.13 nu.1
IMPIETAS tãto maior & grauior est quæ sub pietatis specie delitescit, l.4 t.15 p. 343 c.2 d.60 n.4 in all.
IMPOSSIBILITAS habet impedimentum naturale, l.6 t.5 p.623 c.2 d.2 num.4 in all.
IMPVBES doli capax & proximus pubertati si quem occiderit per dolum tenetur pœna ordinaria, l.9 t.10 p.1165 c.2 d.2 n.1
IMPVTATIO solutionis vim perinde habet atque compensatio, & in quo differat, l.4 t.23 p.383 c.2 d.18 n.6
INCENDII crimen nõ est priuilegiatum, l.9 t.17 p.1180 c.2 d.1 n.8 in all.
INCERTITVDO non semper liberat reos qui plures accusantur de eodem crimine, cuius præsumptio par sit contra omnes, l.9 t.21 p.1191 c.2 d.19 n.1
INCESTVS quid sit? & An ex qualibet illicita coniunctione contrahatur, lib.5 t.3 p.518 c.2 d.2 à n.1 ad 12

Incestum

BIU Cujas

Incestum ab ignorante admissum non punitur, l.5 t.3 p.520 c.1 d.8 num. 1 2 & 3

Incestum iure gentium admissum etiam per figuram matrimonij punitur morte, non etiam quod iure tantum ciuili l.5 t.3 p.519 c.2 d.5 n.1 2 3 & 5

de Incestu simplici & iuris positiui extra causam matrimonij contracto, l.5 t.3 p. 820 c.1 d.7 n.1 2 3 4 & 5

Incesti pœna, vide Pœna incesti.

INCLVSIO vnius alterius est exclusio, lib.6 t.8 pag.646 c.1 d.6 numero 11 in all.

INCOMMODA ad eum spectant ad quem & commoda, l.3 t.12 p.198 c.1 d.30 n.5 in all.

INCOMPETENTIA iudicis dicitur nullitas nullitatum, l.3 t.3 p.173 c.2 d.4 nu.5 in all.

INCONSTANTIA in iudiciis non est ferenda, l.4 t.1 p.270 c.1 d.46 numero 7 in all.

INCORPORALIA sunt quæ neque tangi, neque teneri possunt, l.7 t.7 p.812 c.1 d.19 n.1 in all.

INDEBITVM propriè illud est quod nullo iure debetur, ne quidem naturali p. 168 c.1 d.4 num.3 in all.

Indebitum soluere nemo cogitur cuius etiam soluti habet condictionem, lib.4 t.23 p.381 c.1 d.10 n.7 in all.

Indebitum videri debet quod supra taxatam quantitatem solutum est, p.168 c.1 d.4 nu.3

Indebitum ibi reddendum & soluendum vbi exactum fuit & in moneta illius loci, si interfit eius, qui soluit indebitum l.8 t.30 p.1098 c.2 d.33

in INDEMNITATIS actionem venit semper quanti actoris interest, l.4 t.3 p.280 c.2 d.7 n.10 in all.

INDICIVM quod ex vnius testis dicto proficiscitur, sufficit ad condemnandum, non ad pœnam criminis, sed ad sumptus litis, l.9 t.2 p.1150 c.1 d.3

Indicia per indicia probari absurdum est l.4 t.14 p.320 c.2 d.51 n.7 in all.

INDIGNVS est hæreditate, & quasi indigno auferenda est, qui defuncti necis vindictam sciens prudensque insuper habuit: & quid si fiscus ipse vindictam non sit prosecutus, & quid fiet de legatis? lib.6 t.16 p.690 c.1 d.6 n.1 2 3 4 5 & 6

INDVCIAE quadrimestris tèporis, etiam cùm mora præcessit condemnationem, condemnato immunes sunt à periculo augendæ æstimationis, si forte interea creuerit, l.4 t.2 p.276 c.2 d.15 numer.10

INDVCTA ad vnum effectum non debent operari contrarium, l.4 t.7 p.289 c.1 d. 11 n.7 in all.

INDVLGENTIA principis petitur & conceditur quo magis liberetur reus, non vt magis oneretur, l.9 t.22 p.1194 c.2 d.3 nu.3

Indulgentia principis releuat reum ab onere probandi, dum ne sit obreptitia vel subreptitia, lib.9 t.22 p.1194 c.2 d.2

Indulgentia quos liberat notat, abolitio non item, l.9 t.22 p.1194 c.1 d.1

INDVLTA non priùs vllam vim apud nos habent, quàm à Senatu nostro fuerint adprobata, p.3 c.2 d.9 nu.6

INFAMIA facti non sufficit ad repellendum testem, nec infamiæ iuris obiectio, nisi de ea per sententiam constet, l.4 t.15 p.340 c.1 d.45 num.1 & 2

Infamis sit quisquis fuit periurus, p.261 c.1 d.17 n.1 in all.

Infamis non magis iusiurandum deferre potest quàm iurare, l.4 t.1 p.261 c.2 d. 17 nu.1

INFICIATIO rem quidem dubiam facere potest: veritatis tamen præsumptionem, quæ pro instrumento facit, tollere non potest, l.4 t.16 p.351 c.2 d.20 n.3 in all.

INGENVVS non est vsque adeò æquandus liberto, vt ingenuo non sit libera rerum suarum alienatio, l.4 t.11 p.303 c.2 d.4 nu.1 in all.

INGRATITVDINIS probatio in heredes restitur, l.4 t.9 p.294 c.1 d.4 n.6

INGRESSVS vitiosus in possessionem nunquam dandus, l.11 t.2 p.27 c.2 d.95 nu.1 in all.

INHIBITIONES speciales petentibus iis qui appellarunt citra causæ cognitionem non conceduntur, p.59 c.1 d.17 nu.1

Inhibitionibus specialibus pendente appellatione locus est ad impediendam executionem euidenter iniuriosam, p.59 c.2 d.18 n.3

INIECTIONEM manus vocant Pragmatici *Arrest de main leuee*, lib.4 t.3 p.280 c. 2 d.3 n.1

INITIVM & originem à bona causa quæ habent facile inualescunt & in consuetudinem transeunt, l.3 t.11 p.189 c.1 d.6 n.3 in all.

INIVRIA non fit volenti, l.4 t.3 p.282 c.2 d.7 n.3 in all.

Iniuria non fit ei qui ad eum statum reducitur in quo prior ipse se constituerat, lib.4 t.1 p.270 c.1 d.46 num.3 in all.

Iniuria non leuis est si in ius ducitur is, qui velit soluere, l.7 t.20 p.886 c.2 d.19 n.7 in all.

Iniuria semel remissa postea ex pœnitentia repeti non potest, p.143 c.2 d.2 n.4 in all.

Iniuria quæ per extortam veram solutionem facta est, non nisi reddita pecunia tolli potest, l.3 t.11 p.188 c.2 d.3 nu.10 in all.

Iniuriæ persequendæ ius transmittitur ad hæredem si accusator decesserit pendente appellatione, l.9 t.20 p.1184 c.1 d.2 n.1

Iniuriam iuris executio non habet, l.3 t. 20 p.224 c.1 d.6 num.9 in all.

Iniuriam nullam aduersario facit qui se probatione onerat, lib.4 t.16 p.350 c.1 d.16 n.7 in all.

Iniuriam nō facit qui iure publico, communi & perpetuo vtitur, l.3 t.17 p.207 c.2 d.2 n.4 in all.

Iniuriam non facit, qui suo iure vtitur & ordinaria actione experitur, p.136 c.1 d. 3 n.7 in all.

Iniuriam dicens quam sciri publicè intererat excusatur fama & auditu à fide dignis, licet eam probare non possit, lib.9 t.20 p.1185 c.1 & 2 d.5 n.1

Iniuriam qui dixit motus calore iracundiæ & prouocatus adhuc puniendus est, sed mitius, lib.9 t.20 p.1183 c.2 d.1 nu.1

Iniuriam verbo tãtùm factam verbo quoque deleri & dissolui nihil prohibet, l.9 t.20 p.1186 c.1 d.8 nu.8 in all.

Iniuriam & mulctam pupillo debitam gratis remittere tutor non potest, pater potest, l.6 t.16 p.688 c.1 d.1

Iniuriam sibi facit qui rei iudicatæ executionem in nouæ petitionis initium redigit, l.7 t.24 p.905 c.2 d.3 n.5 in all.

Iniuriarum omissum iudicium non potest repeti etiam contra perfidum, l.9 t.20 p.1187 c.1 d.12 nu.1

Iniuriarũ actio tollitur per pactum quod ideo legitimum appellatur, l.9 t.20 p. 1187 c.1 d.12 n.3 in all.

Iniuriarum agere non potest, quas quis propria autoritate vindicauit, l.9 t.20 p.1185 c.2 d.8 num.1

INNOCENTIAE probatio fauorabilissima est, l.4 t.1 p.269 c.1 d.43 n.3 in all.

Innocentiam suam paratus defendere, semper est audiendus, l.7 t.26 p.920 c. 2 d.49 n.1 in all.

INOFFICIOSAM aduersus donationem quam pater fecerit auxilium, soli patri competit, l.3 t.30 p.222 c.2 d.1 nu.6 in all.

Inofficiosi testamenti querela non competit nisi post mortem patris, l.3 t.30 p.222 c.2 d.1 n.6 in all.

de Inofficioso agens, duo impugnat, & testamentum & iudicium eius quem ait insanum fuisse, testatumque contra officium pietatis, l.6 t.8 p.643 c.2 d.1 n.1 in all.

INQVIRENDI iusta causa est contra eum qui id fecit quamuis mandante altero quòd non nisi in malos vsus & falsi cõminiscendi gratia destinatum esse possit, l.9 t.13 p.1174 c.1 d.7 n.1

INQVISITIO propter seipsam fauorabilis est, lib.4 t.14 p.306 c.2 d.1 num.5 in all.

Inquisitio facta facilius haberi potest pro infecta, quàm infecta pro facta, l.4 t.14 p.317 c.1 d.37 n.5 in all.

Inquisitio de crimine secreto fieri solet, ne alioqui reus facilè probationes corrumpat, & testes subornet l.4 t.14 p.317 c.1 d.37 n.1 in all.

Inquisitores in partibus deputatos recusare possunt, qui ex prouincia vna aut ex ciuitate vna in aliam commeare coguntur, p.159 c.1 d.13 n.3

INSCRIPTIONIS necessaria est sollemnitas ad relationes apparitorum impugnandas si vnius tantum testis fidem aut impugnantis subscriptione nitantur l.4 t.10 p.300 c.1 d.8 nu.6 in all.

INSINVATIO est rei gestæ apud acta testificatio, l.4 t.14 p.309 c.1 d.5 num.2 in all.

Insinuatio donationis non pertinet ad actus substantiæ, sed tamen est conditio sine qua non potest valere donatio, l.8 t.38 p.1138 c.1 d.11 n.13 in all.

Insinuationis defectus vitiat donationem etiam conditionalem, quæ ab initio insinuari debuit, licet euenientis conditionis tempore defierit necessaria esse insinuatio, l.8 t.40 p.1144 c.1 d.1 numero 1

Insinuationis probatio nō fit nisi per scripturam sed eam tamen etiam per testes aut per aliam scripturam probari sufficit, l.4 t.14 p.309 c.1 d.5 nu. 3 & 5

Insinuationis sollennitas inducta est ad euitandas falsitates, p.309 c.1 d.5 nu.4 in all.

Insinuationis sollemnitas etiam nec necessaria, tamen omnimodo implenda est si præscripta sit à contrahentibus: alioqui ex eo defectu vitiatur donatio lib.8 t.40 p.1144 c.2 d.2 n.1

Insinuationis statutariæ solennitas in remuneratoriis perinde ac in cæteris donationibus necessaria est, l.6 t.5 p.629 c.2 d.17 n.6

INSTANS mortis vitæ non morti computatur, lib.7 t.19 p.710 c.2 d.22 numero 1

INSTANTIA cœpta cum defuncto in hæredem transire solet, l.4 t.12 p.304 c.2 d.2 n.2 in all.

Instantia discussionis pendente si agatur de restitutione dotis vel de doario quod nobili fœminæ debeatur, quæ nihil aliud habeat vnde ali possit, subuenitur per adiudicationem prouisionalem, non auditis cæteris cre-

BIU Cujas

ditoribus, lib.6 t.11 p.672 c.2 d.40 n.17 in all.
in Instantia desertæ appellationis, tractatur tantùm, an sit deserta nec ne, l.2 t.8 p.103 c.1 d.32 n.1 in all.
Instigator manifestus nihil distat ab accusatore, l.9 t.2 p.1152 c.2 d.10 num.6 in all.
Instigator occultus non tenetur ad expensas litis si nô fuerit calumniator, l.9 t.2 p.1152 c.1 d.9 n.1
Instigatori occulto debentur expensæ litis quas submini strauit, si cum sibi iudicari reus petierit non aliter, l.9 t.2 p.1152 c.1 d.10 n.1
INSTITVI quis potest in tempus capiendæ hæreditatis, l.6 t.6 p.637 c.1 d.2 n.3 in all.
Institui hæres potest in tempus capiendæ hæreditatis, l.5 t.16 p.583 c.1 d.5 nu.7 in all.
INSTITVTIO numquam intelligitur facta animo compensandi, lib.6 t.27 p.762 c.1 d.26 n.3 in all.
Institutio conditionalis prius est vt valeat, quàm vt ex ea post impletam conditionem heres vllus esse possit, l.6 t.6 p.637 c.1 d.2 n.5 in all.
Institutio facta posthumi & posthumæ ex vxore nunc prægnante, non porrigitur ad posthumum altero partu editum, l.6 t.10 p.657 c.2 d.1
Institutio facta per verba importantia tractum temporis trahitur ad fideicommissum, l.6 t.8 p.648 c.1 d.11
Institutio quæ ab initio pro non scripta habetur, tractu temporis conualescere non potest, l.6 t.8 p.647 c.1 d.9 num.5 in all.
Institutionis cùm sunt plures gradus, rupto primo gradu rumpuntur etiam sequentes qui ab eo habent dependentiam, l.6 t.22 p.728 c.2 d.37 numer.10 in all.
Institutionis formula certis & præcisis verbis concipi eam necesse est, vt sciri possit quid testator dixerit & senserit, siue per scripturam testatus sit siue per nuncupationem, l.6 t.7 p.643 c.1 d.2 n.4 in all.
de Institutione ex rebus certis reducenda ad portiones & quotas hereditarias, l.6 t.6 p.638 c.2 d.6
Institutiones ex re certa conseruantur per Auth. ex causa, quatenus censentur iure legatorum, non institutionum, l.6 t.9 p.656 c.2 d.4
INSTITVTVS ex re certa non potest implorare beneficium legis Iustinianeæ de edict. Diui Hadriani toll. l.6 t.6 p.638 c.1 d.4 n.15
Institutus ex re certa an & quando habeatur loco hæredis, aut loco legatarij, l.6 t.6 p.637 c.2 d.4
Institutus filius in re non extante, præteritus videtur, ideoque testamentum nullum, l.3 t.19 p.211 c.2 d.9 numero 4 in all. in re aliena postmodum euicta, testamentum valet, & ad supplementum est agendum, ibid.
Institutus dici non potest filius natus ex matre quæ vacuo ventre fecerit testamentum, & instituerit hæredem maritum, nullos tunc habentem liberos & addiderit, verba illa, & suos, lib.6 t.17 p.693 c.2 d.4 numero 6 in all.
Instituto Titio & in eius defectum substituto Sempronio, non nisi vulgaris substitutio est, l.6 t.22 p.732 c.2 d.48
Instituti ex re certa & heredis differentia, l.6 t.6 p.637 c.2 d.4 num.6 vsque ad 12
INSTRVMENTVM est probatio probata & non probanda, l.9 t.13 p.1173 c.1 d.3 n.3 in all.
Instrumentum edere debet quisquis ex instrumento agere vult & vincere, p.71 c.1 d.16 n.7 in all.
Instrumentum bonum, publicum & authenticum dicitur quod formam publicam & solennem habet extrinsecam p.112 c.1 d.14 n.4 in all.
Instrumentum commune semper edi debet, p.68 c.1 d.6 n.13 in all.
Instrumentum producens in quo erratum est, potest nihilominus errorem allegare & probare, l.4 t.19 p.347 c.1 d.10 n.2
Instrumentum falsum qui producit debet si interrogetur clarè respondere, an eo vti velit necne, lib.9 t.13 p.1176 c.1 d.12 n.1
Instrumentum falsum producens, eóque vtens falsum committere dicitur, quamuis non puniatur, nisi falsum sciuerit, lib.4 t.16 p.348 c.1 d.11 nu.6 in all.
Instrumentum quod falsum dicitur, statim est sequestrandum, & in Actuario publico deponendum, quousque lis peracta sit, l.9 t.13 p.1177 c.2 d.14 nu.7 in all.
Instrumentum guarentigiatum sententiæ vim obtinet, p.153 c.2 d.5 num.7 in all.
Aduersus Instrumentum guarentigiatum possunt impetrari literæ moratoriæ, p.50 c.2 d.5 n.2 & 3
Instrumentum quod in persona cedentis est guarentigiatum, & ab omni exceptionis periculo immune, desinit esse tale in persona cessionarij, l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 num.11
Instrumentum publicum etiam illud dicitur quod ex iudicis autoritate publicatum est, l.4 t.16 p.351 c.2 d.20 num.4 in all.
Instrumentum publicum non facit ampliorem aut fauorabiliorem causam debiti, sed tantum probationem eius certiorem, lib.4 t.24 p.394 c.1 d.27 nu.5 in all.
Instrumẽtum publicum cum nullo vicio visibili suspectum prolatum est non cogitur is, qui produxit protocollum exhibere, l.4 t.16 p.349, c.2 d.16 n.1
Instrumentum nec scriptum nec subscriptum à notario & tamen repertum in protocollo non probat, maximè si aliunde suspectum sit, l.4 t.16 p.351 c.1 d.21 n.1 & 2
Instrumentum quod à duobus notariis exceptum est, non aliter probat, quàm si ab vtroque subscriptum, aut ab vno scriptum, ab altero subscriptum sit, nisi, vt plerumque fit, in solidum rogati singuli proponantur, l.4 t.16 p.344 c.1 d.1 num.2 & 3
Instrumentum à duobus notariis exceptum & vno tantum subscriptum plenè probat cùm ab antiquo, vt loquuntur, grossatum & expeditum profertur l.4 t.16 p.352 c.1 d.22 nu.2
Instrumentum quod semel quis probauit postea reprobare non potest, l.4 t.16 p.345 c.2 d.2 nu.4 in all.
Instrumentum aliquod producenti licet se eo nolle vti dicat non est super falsitate pronunciandum, sed tantum super nullitate, l.9 t.13 p.1175 c.1 d.10 numer.1
Instrumentum, si in primo intuitu, & vt Pragmatici loquuntur, in prima sui apparentia falsi suspicionem præ se ferat, aut vicium aliquod habeat aliunde quàm ex ipsa temporis antiquitate conflatum, protocolli exhibitio necessaria est, l.4 t.16 p.349 c.2 d.16 nu.3 & 4
Instrumentum per notarium vni ex contrahentibus traditum ante subscriptionem & postea subscriptum absente parte suspectum est, tametsi eius qui subscriptioni non adfuit consensus ex postfacto accedat, l.4 t.16 p.350 c.2 d.19 nu. 1 2 3 & 4
Instrumentum productum in actis dicitur esse de actis, & consequenter commune, l.4 t.16 p.347 c.2 d.10 n.1 in all.
An & quando Instrumentum à notario sub nota &c. confectum in longiorem formam & longiores clausulas extendi possit, l.4 t.16 p.350 c.2 d.18 num.1 & 2
Instrumentum non est falsum cùm ea quæ scripta sunt cum iis congruunt quæ scribi debuerunt, l.4 t.16 p.352 c.1 d.21 num.4 in all.
Instrumentum verum protocollo falso inseri nihil vetat, l.4 t.16 p.352 c.2 d.21 n.2 in all.
Instrumentum, quo tempore exhibetur, formam publicam habere sufficit, l.4 t. 16 p.351 c.1 d.19 nu.7
Instrumentum editionem per calumniam sub iuris prætextu qui desiderat, non est audiendus, p.69 c.2 d.11 n.1
Instrumenti inter alios confecti editionem à notario petere possunt omnes quorum interest, p.67 c.1 d.3 num.4
Instrumenti quod ab alio notario exceptum est non potest alius describere nisi mandante iudice, lib.4 t.16 p.345 c.1 d.2 n.1
Instrumenti enunciatio sola etiam cum designatione diei & consulis, non facit illud commune, l.2 t.1 p.66 c.2 d.2 n.3 in all.
Instrumenti exemplum cum originali parte citata collatum & mandante iudice pleniſſimam fidem facit, l.4 t.16 p.348 c.1 d.12 n.2 & 3
Instrumenti exemplum facit fidem non solum cùm notarij manu confectum est, sed etiam cùm sollenniter fuit publicatum, p.69 c.1 d.9 n.9 in all.
Instrumenti exemplum tantum probat quantum exemplar ipsum & originale quoties ab eodem ipso notario subscriptũ est l.4 t.16 p.349 c.2 d.15 n.1 in all.
Instrumenti deperditi exemplum si cum notarij scheda consentiat, plenè probat, non aliter, nisi aliæ adsint probationes, l.4 t.16 p.353 c.1 d.25 nu.1 2 3 & 4
Instrumenti expeditionem nullo vitio laborantem nec suspectam proferens non est cogendus exhibere protocollum, licet dicat aduersarius paratum se in crimen falsi subscribere statim atque protocollum inspexerit, l.4 t.16 p. 353 c.1 d.24 n.4 in all.
Instrumenti publici expeditionem non suspectam producens, protocollum exhibere non cogitur, l.4 t.16 p.346 c. 2 d.6 n.1
Instrumenti iteratam expeditionem, reassumptionem, Itali nostri reexpeditionem vocant, l.4 t.16 p.353 c.2 d.28 nu.1
Instrumenti iterata expeditio, si ab alio notario fiat regulariter, non nisi octo concurrentibus fieri potest, l.4 t.16 p. 353 c.2 d.28 nu.1 & 2
Instrumenti fides facilius est vt vacillet, quàm vt corruat, l.9 t.13 p.1176 c.2 d.12 n.8 in all.

BIU Cujas

Instrumenti perditio tunc probata intelligitur cùm facta diligentia ex superioris authoritate non reperitur: probatur etiam ex iureiurando, l.1 t.16 p.350 c.1 d.16 n.5 in all.

Instrumenti probatio, vt & quilibet alius casus per iuramentum probatur, p.71 c.1 d.15 num.4 in all.

Instrumenti redditio probat liberationem, l.4 t.29 p.423 c.1 d.23 numero 3 in all.

Instrumenti tenorem qui non ignorauit de dilata instrumenti editione non potest conqueri, p.69 c.1 d.10 n.4

Instrumenti traditio inducit probationem rei traditæ aut mandatarum actionum, p.78 c.2 d.6 n.6 in all.

Instrumenti cuiuslibet validitas non potest cognosci nisi lectis, inspectis, cognitisque verbis, p.21 c.1 d.68 num.3 in all.

Instrumenti descriptum & recognitum fieri non potest, nisi præsentibus vel saltem vocatis omnibus quorum interest, l.3 t.12 p.197 c.1 d.27 nu.3 in all.

ad Instrumẽti validitatem sufficit testium solemnem numerum compleri posse ex iis qui nesciant scribere modo subscripserint aliqui ex iis qui scirent, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 n.2 in all.

pro Instrumenti solemnitate in contractibus requiritur subscriptio non modo notarij, sed etiam testium qui sciant scribere, apud Sabaudos, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 nu.2 in all.

Instrumento magis creditur quàm testibus instrumentariis, nisi cùm de falso criminaliter agitur, l.4 t.15 p.331 c.1 d.15 n.1 2 & 3

Instrumento in formam publicam redacto non opus est protocolli editione, p.67 c.1 d.5 nu.1

Instrumento, cùm formam suam debitam habet, omnimodo standum, l.4 t.16 p.346 c.2 d.6 n.1 in all.

Instrumento, pendẽte simulationis quæstione, standum est, nisi ea quæstio per iusiurandum decisorium terminari statim possit, l.4 t.17 p.355 c.2 d.4 num.1 & 10

Instrumento minus sollemni propter locorum distantiam credi solet, l.4 t.14 p.310 c.1 d.8 n.7 in all.

Instrumento publico facto plus scripturæ creditur, quàm contrahentibus, adeóque quàm testibus, l.4 t.16 p.348 c.2 d.13 n.4 in all.

Instrumento magis originali standum est, cùm duo sunt originalia, l.4 t.16 p.355 c.1 d.24 n.5 in all.

Instrumento nitens si paratus est probare quæ in ipso continentur, est admittendus, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 num.2 in all.

Instrumento quod quis edere noluit, eo postea vti non potest, p.66 c.2 d.2 n.2 in all.

pro Instrumento in dubio semper præsumitur, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 numer.2 in all.

Instrumenta & probationes litis ex domini domo prodire debent, non ex domo procuratoris p.95 c.2 d.4 num.6

Instrumenta eduntur vt inspiciantur, non vt retineantur, aut eorum possessio amittatur, p.71 c.1 d.15 n.6 in all.

Instrumenta guarentigiata dicuntur quod habeant vim rei iudicatæ, non quidem ex iuris ratione, sed ex authoritate statuti, l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 nu.10 in all.

Instrumenta hæreditaria tanquam communia edenda sunt fideicommissario, debéntque remanere penes hæredem, p.70 c.1 d.14 n.1 & 2

Instrumenta obligatoria & guarentigiata, vt vocant, quæ non sunt perpetua tabellionum protocollis, in comitatu Burgundiæ non inseruntur, lib.4 t.16 p.349 c.1 & 2 d.15 n.5 & 6

Instrumenta publica dicuntur quod fidem habeant publicam ex persona notarij qui publicum officium gerit, l.4 t.16 p.348 c.1 d.11 n.2 in all.

Instrumenta publica peregrino idiomate conscribi permittendum non est, l.4 t.16 p.348 c.2 d.13 n.1 2 & 3

Instrumentorum guarentigiatorum per rescripta moratoria vis suspenditur, p.50 c.1 d.5 n.1

Instrumentorum traditio pro mandato est, l.4 t.33 p.430 c.1 d.13 n.4 in all.

Instrumentorum traditio non habet vim mandati, l.4 t.43 p.500 c.1 d.42 num.6 in all.

Instrumẽtorum editionem & descriptionem petere possunt omnes quorum interest, l.3 t.19 p.220 c.2 d.33 n.3 in all.

Instrumentorum aut actorum litis amissio si ob id tantum allegetur, vt alia instrumenta, nouáque litis acta fieri possint, probata satis intelligitur hoc ipso quod facta superioris authoritate diligenti perquisitione non reperiantur, l.4 t.14 p.323 c.1 d.57 n.1

Instrumentis excedentibus metam 100. annorum non probatur antiquus rei status, l.7 t.13 p.826 c.1 d.2 numero 4 in all.

Instrumentis litis apud Iudicem aut Senatorem depositis & perditis ad quid teneantur, l.9 t.25 p.399 c.2 d.4 num.2 in all.

INTENTIONEM suam vnusquisque probare plenissime & implere debet, l.4 t.14 p.307 c.2 d.2 nu.10 in all.

INTERCALATIO in calendarij emendationem D. Gregorij 3. Pontificis Maximi constitutione facta est anno 1582. l.4 t.42 p.469 c.2 d.16 n.1 in all.

INTERCEDENS quilibet ad impediendam executionem, tanquam tertius condemnatur, l.3 t.2 p.170 c.1 d.12 nu.12

INTERCEDIT quisquis alienam in se recipit obligationem, l.4 t.13 p.309 c.2 d.1 n.2 in all.

INTERCESSIO quę fit pro marito est ipso iure nulla, quæ pro alio, non nisi ope exceptionis, l.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.10 in all.

Intercessio licèt iniusta, si modo per executorem admitti debuit, remoratur vim executionis, l.4 t.42 p.499 c.1 d.38 n.9 in all.

Intercessio tertij qui non reperitur in possessione non potest impedire executionem sententiæ contra possessorem redditæ, eius tamen intercessio recipienda est, l.7 t.20 p.894 c.1 d.39 n.1

Intercessioni quoties colorem quæsitum esse constat valere non potest quod in Senatusconsulti fraudem factum est, l.4 t.21 p.363 c.2 d.3 n.5 in all.

Intercessionem suspectam habere debet qui mulierem corream debendi cum marito accipit, l.4 t.21 p.364 c.2 d.7 n.10 in all.

INTERCESSOR quasi iniustus non condemnandus priusquam ad intercedendum admittatur, l.3 t.2 p.171 c.1 d.12 n.17 in all.

INTERDICTVM non nisi de possessione est, p.178 c.2 d.1 nu.1 in all.

Interdictum ei soli competere potest qui tum possidebat cùm deiiceretur, l.7 t.7 p.813 c.2 d.24 n.4 in all.

Interdictum adipiscendæ possessionis non pertinet ad iudicem laicum, quia sapit naturam petitorij, l.3 t.1 p.166 c.1 d.38 n.9

Interdictum adipiscendæ possessionis cumulari potest cum petitorio, non item cætera, p.178 c.2 d.1 num.1

Interdictum Vnde vi, non semper est annuum, sed plerumque perpetuum, l.8 t.3 p.954 c.1 d.8 n.4 in all.

Interdicto recuperandæ possessionis quasi spoliatus agere non potest hæres fructuarij aut eius cui ad vitam aliquid legatum est, si proprietarius post vsufructuarij mortem propria authoritate occupauerit possessionem, l.8 t.3 p.964 c.1 d.41 n.1 2

Interdicto retinendæ locus esse potest quamdiu retinetur possessio ciuilis, licet sit amissa naturalis, secus si ciuilis quoque amissa sit, l.8 t.4 p.966 c.2 d.9 nu.1 & 2

Interdicto retinendæ possessionis proposito potest quis proponere in subsidium interdictum retinendæ, non contra, at interdictum adipiscendę vtrique necessarium est, l.8 t.3 p.963 c.1 d.37 nu.1 2 3 4

Interdictum retinendæ possessionis non potest cumulari cum petitorio, per petitorium tamen confortari potest, p.182 c.1 d.9 n.1 & 2

quando Interdicto vel personali actione agendum sit pro præstatione annua l.8 t.4 p.966 c.2 d.10 n.1 2 & 3

Interdicto agere non prohibetur qui vindicare cœpit, p.182 c.2 d.9 num.2 in all.

In interdicto vti possidetis nec cognoscitur de dominio nisi incidenter, nec quicquam de possessione decernitur ante diffinitiuam sententiam nisi ad causam momentaneæ possessionis aut sequestrationis, l.8 t.4 p.964 d.1 à nu.1 ad 10

Interdicta alia sunt retinendæ possessionis gratia, alia recuperandæ, alia adipiscendæ, l.7 t.7 p.807 c.1 d.4 num.12 in all.

Interdicta retinendæ & recuperandæ possessionis sunt incompatibilia, nisi quatenus referuntur ad diuersa genera possessionis, l.8 t.4 p.966 c.2 d.8 nu.8 in all.

Interdicta possessoria sunt annua, l.8 t.3 p.954 c.1 d.8 n.4 in all.

Interdicta sunt hodie sublata & in eorum locum substitutus vsus actionum extraordinariarum, l.7 t.7 p.807 c.1 d.4 n.10 in all.

in Interdictis retinendæ aut recuperandæ possessionis de sola possessione quæritur, l.3 t.2 p.171 c.1 d.13 num.2 in all.

INTERLOCVTIO valet & iusta est de conficiendo inuentario non obstante (vt aiunt) oppositione & appellatione vt res collocetur in tuto, lib.7 t.15 p.847 c.2 d.6 n.1

Interlocutio per quam pronunciatum est instrumentum bonum & authenticum non impedit restitutionem in integrum, p.112 c.1 d.14 nu.1

Interlocutio iudicis quoties habet vim diffinitiuę sententiæ, aut præiudicium parit in negotio principali, non licet iudici, quamuis ducali, à quo appellatum sit, illam executioni mandare, p.57 c.2 d.10 nu.1

ab Interlocutione per quam pronunciatum est idonea esse pignora oblata debitori à creditore, non potest debitor appellare, quod nihil eius interfit, l.8 t.30 p.1092 c.2 d.18

Interlocutiones quę sine plena cognitione fiunt, plenum ius tribuere non possunt p.180 c.2 d.5 n.5 in all.

BIU Cujas

Interlocutiones fiunt in pœnam contumaciæ, p.112 c.1 d.14 n.2 in all.
Interlocutoria sententia regulatur secundum naturam definitiuæ, p.57 c.2 d.10 n.2 in all.
Interlocutioni iudicis perinde parendum est ac sententiæ diffinitiuæ, p.133 c.2 d.1 n.1 in all.
Interlocutionum duarum de eadem re ab eodem iudice diuersis temporibus redditarum, si à posteriore tantum prouocatum sit, prior mandanda est executioni, p.58 c.2 d.15 n.1
Interloqui & prouisionalem, vt vocant, facere condemnationem præstita satisdatione, cùm nondum bene liquet, iudex solet & debet, l.4 t.23 p.381 c.2 d.13 n.4 in all.
INTERPELLAT in pœnalibus dies pro homine, l.4 t.36 p.451 c.2 d.13 num.6 in all.
Interpellatio creditoris licèt congruo loco & tempore facta non constituit debitorem in mora, si omissa sit debitori repetendi instantia, l.4 t.18 p.357 c.2 d.2 n.9 in all.
Interpellatio nulla necessaria est quoties solutioni certa dies dicta est, pœnáque adiecta, l.4 t.36 p.451 c.1 d.13 n.8
Interpellatio ex pluribus arbitris vno absente pronunciata, non valet, p.145 c.2 d.3 num.1 2 & 3
Interpellatione ad recognoscendum aut denegandum chirographum non tam id agitur vt fiat condemnatio, quàm ne debiti probatio intercidat, l.3 t.12 p.191 c.1 d.7 num.1
INTERPRETATIO ea est capienda in dubio, per quam actus sustineatur, l.8 t.40 p.1147 c.1 d.8 n.7 in all.
Interpretatio ea semper in dubio capi non debet per quam id de quo quæritur diuidatur, l.7 t.1 p.882 c.2 d.9 nu.3 in all.
Interpretatio in contractibus & iudiciis quomodo facienda, l.6 t.19 p.710 c.2 d.23
INTRVSO facta collatio etiam ab eo qui conferendi potestatem habuit non valet si non purgatum sit vicium intrusionis, pag.4 c.1 d.11 n.5
Intrusus est qui possessionem beneficij habet sine titulo qui sit vel canonicus vel saltè coloratus, p.4 c.1 d.11 nu.1 & 2
INVENTARIVM factum, non vocatis quibusdam creditoribus valet quantum ad vocatos, & leuiorum solemnitatum omissione non vitiatur, l.6 t.11 p.664 c.2 d.17 num.1 2 & 3
Inuentarium quando valeat etiam in præiudicium eorum qui non sunt nominatim vocati, lib.6 t.11 p.667 c.1 d.26
Inuentarium debet continere descriptionem specificam rerum omnium, aut genericam, quæ pondere, numero & mensura sit distincta, l.6 t.11 p.667 c.1 d.25 num.1 2 & 3
Inuentarium facit vt non possit hæres condemnari, nisi quatenus hæres est in hæreditate, l.3 t.42 p.270 c.2 d.18 nu.3 in all.
Inuentarium impedit ne iura quæ habet hæres confundantur cum patrimonio, p.91 c.2 d.14 n.11 in all.
Inuentarij sola apertio non priuat hæredem beneficio inuentarij, si nihil fecit dolo malo, l.6 t.11 p.667 c.2 d.18
Inuentarij beneficium sicuti nõ facit quominùs hæres verè hæres sit, ita ne quominùs ex rebus hæreditariis satisfieri debeat iis creditoribus qui primi veniunt, l.4 t.19 p.360 c.1 d.1 nu.7 in all.
Inuentarij spretum beneficium facere nõ potest quo magis hæres teneatur supra quàm ferat ratio iuris, aut voluntas testatoris, sed tantum vti ne in minùs, l.3 t.23 p.236 c.2 d.1 n.4 in all.
Inuentarij conficiendi necessitas incumbit heredi, qui non vult teneri vltra vires hæreditatis, l.3 t.19 p.220 c.2 d.13 n.10 in all.
Inuentarij conficiendi tempus quo casu currat ei qui neque ex testamento, neque ab intestato aut adire aut bonorum possessionem petere potuit, l.6 t.11 p.662 c.1 d.10 nu.1 2 3
Inuentarij conficiendi tempus currit ab adita tantum hæreditate, nisi aditio dilata sit dolo malo hæredis, l.6 t.11 p.661 c.2 d.9 nu.1
Inuentarij confectionem petere potest filia, etiam quæ cum iureiurando renunciauit, si velit se læsam dicere per in integrum restitutionem, l.3 t.19 p.220 c.1 d.33 n.1 2 & 3
Inuentarij confectionem testator prohibere potest tutori, sed non hæredi, nisi instituendo eum sub illa conditione si inuentarium non confecerit, aut substituendo ei per fideicommissum sub illa conditione, si inuentarium confecerit, l.8 t.11 p.673 c.2 d.43 numer.1 & seq.
Inuentarij confectio an remitti possit hæredi, l.6 t.11 p.673 c.2 d.43 num.2 in all.
Inuentarij confectio nullius præiudicij est, dum ne agatur de instrumentis describendis aut legendis, aut annotandis per quod fiat vt patrimonij secreta pandantur, p.58 c.2 d.14 numer.1 & 2
ad Inuentarium conficiendum, tutor citare debet omnes quorum interest, & quidem nominatim creditores, qui sunt certi, alios verò generali programmate, l.3 t.40 p.601 c.2 d.8 n.2 in all.
Inuentarium allegans nec exhibens interim condemnandus est quasi purè & absolutè hæres, l.6 t.11 p.661 c.2 d.8 nu.1
INVESTITVRAM præcedere aut subsequi debet fidelitas, lib.4 t.42 p.484 c.2 d.1 n.20
IOCALIA maritus debet ad ratam dotis constitutæ licet non solutæ, sed non ratione augmenti quod à marito ipso debetur, lib.5 t.7 p.535 c.2 d.5 num.1 in all.
Iocalia nulla debentur mulieri citra expressam conuentionem, inter ignobiles apud Gebennenses, l.5 t.7 p.535 c.2 d.5 n.1 in all.
IRACVNDIAE calore quod malè factum est potest per pœnitentiam dilui vsque ad responsionem factam ab interrogato de crimine, l.9 t.20 p.1186 c.2 d.11 n.1
IRRITA sunt quę in fraudem Senatusconsultorum fiunt, l.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.3 in all.
IVDEX bonus nihil vnquam decernere debet non audita vtraque parte, l.7 t.15 p.843 c.1 d.10 nu.1 in all.
Iudex bonus litibus finiendis studere debet, p.183 c.1 d.13 n.2 in all.
Iudex bonus curare debet ne litigatores sumptibus superuacuis onerentur, p.99 c.2 d.15 n.6 in all.
Iudex bonus nunquam debet impunitam calumniam relinquere, l.7 t.18 p.857 c.2 d.33 n.5 in all.
Iudex bonus debet litium materiam minuere potiùs quàm augere, l.7 t.18 p.853 c.2 d.18 n.2 in all.
Iudex bonus omnibus modis prospicere debet ne probationes intercidant, l.3 t.22 p.234 c.1 d.14 n.5 in all.
Iudex pendente iudicio restitutionis pronunciare debet contractui standum esse, p.138 c.1 d.3 nu.9
Iudex bonus promior esse debet ad commiserationem quàm ad rigorem, l.7 t.32 p.947 c.2 d.25 nu.3 in all.
Iudex non nisi petenti officium suum impertiri debet, l.4 t.14 p.312 c.1 d.16 n.1 in all.
Iudex nihil potest nec debet decernere sine causæ cognitione, l.9 t.2 p.1151 c.2 d.7 nu.14 in all.
Iudex contra leges nihil facere potest, ne Senatus quidem, p.63 c.1 d.4 num.2 in all.
Iudex conscientiæ suæ religionem instituere debet ex iis quæ verisimiliora compererit, l.3 t.22 p.234 c.2 d.16 nu.3 in all.
Iudex multa animi sui informandi gratia facere potest, si ex actis litis informari non possit, l.4 t.15 p.328 c.1 d.2 num.3 in all.
Iudex inspicere debet An sit legitimus procurator, antequam reum adigat ad litem tractandam: iudicium enim nullum esse potest cùm procurator falsus inuenitur p.94 c.1 d.15 n.1 & 2 in all.
Iudex supplere potest iuris obiectionem p.8 c.1 d.29 n.4 in all.
Iudex obseruare debet vt qui super sacrosancto missæ canone iurat, id faciat flexis genibus, cuiuscumque dignitatis & condicionis ille sit, l.4 t.1 p.267 c.2 d.34 n.1
Iudex appellationis potest pronunciare de accessoriis, de quibus nihil dictum fuerat in priore sententia, l.7 t.26 p.914 c.1 d.24 num.1
Iudex appellationis potest pronunciare de eo quod cœpit interesse pendente appellatione nisi appellatio fuerit deserta, l.7 t.16 p.847 c.1 d.7 nu.1
Iudex qui ex appellatione cognoscit in primi iudicis locum substitutus dicitur, p.172 c.2 d.2 n.4 in all.
Iudex appellationum ex quo recipit appellationem potest inhibere verbis & regulis generalibus ne quid fiat in præiudicium appellationis, etiam non citata parte, non potest tamen inhibere specialiter ne hoc vel illud fiat, nisi causa cognita, p.59 c.1 d.17 n.1 in all.
Iudex primus victori in causa appellationis patrocinium prestare potest, p.95 c.1 d.1 nu.1
Iudex delegatus sibi mandatam cognitionem alij subdelegare non potest, nisi à Principe delegatus proponatur, p.164 c.1 d.32 n.1 & 2
Iudex delegatus in causa in qua delegatus est eãdem autoritatem habet quam alioquin ordinarius haberet, p.164 c.2 d.13 n.1 & 2
Iudex delegatus dicendæ mulctæ ius habet, l.3 t.12 p.192 c.1 d.11 n.1
Iudex fatuus est qui iudicat vltra petita, lib.7 t.20 p.889 c.2 d.26 numero 15 in all.
Iudex fatuus est, qui & vltra, & contra petita iudicat, l.4 t.2 p.277 c.2 d.17 num.5 in all.
Iudex ecclesiasticus potest etiam cognoscere de dote, damnis & interesse si sint coniuncta cum quæstione matrimonij, l.3 t.12 p.191 c.2 d.10 num.3 in all.
Iudex ecclesiasticus non potest cognoscere de possessorio citra abusum, postquam cœpit iudex laicus de eo quoquo modo cognoscere ratione beneficij aut alterius rei spiritualis, l.7 t.28 p.928 c.1 d.11 n.4 in all.
Iudex ecclesiasticus hortandus non est vt concedat literas monitoriales ad probandum crimen quod sanguinis pœnam

BIU Cujas

pœnam irroget, l.3 t.12 p.200 c.1 d.38 n.1 2 3 & 4
Iudex ecclesiasticus recusatus causas recusationis contra se propositas reiicere potest, sed non de earum fide & veritate cognoscere, l.3 t.4 p.176 c.1 d.8 n 34
Iudex ecclesiasticus nullam habet in laicos iurisdictionem nisi cum agitur de sacramentis & huiusmodi alia re quæ sit spiritualis, l.7 t.28 p.925 c.1 d.1 n. 2 in all.
Iudex solus ecclesiasticus de rescindenda transactione super possessorij lite pendente coram iudice laico facta cognoscere potest, lib.3 t.12 p.202 c.1 d. 47 n.1 2 3 & 4
Iudex ecclesiasticus literas monitoriales cum clausula *Nemine dempto* non potest publicare quin prius impetrata sit à Senatu, alióve iudice seculari licentia, coram quo lis pendeat, l.4 ti.14 p. 322 c.1 d 54 n.27
Iudex vterque inter clericum & laicum de debito quod mortuarij nomine contrahitur, competens est, l.3 t.12 p. 199 c.1 d 35 n.1 2 3 & 4
Iudex familiæ erciscundæ quoad fieri potest, nihil debet indiuisum relinquere li.3 t.25 p.246 c.2 d.7 n.7 in all.
Iudex feudi competens est inter quascunque personas, non solum si in rem actio exerceatur, sed etiam si in personam, lib.3 t.12 p.190 c.2 d.6 n.1 & 2
Iudex incompetens competens fieri potest per solum consensum partium pa. 175 c.2 d.5 n.7 in all.
Iudex an incompetens dicatur, an vt suspectus recusetur, l.7 t.17 p.848 c.1 d.1 nu.1
Iudex inferior ante sententiæ pronunciationem recusari potest, non item Senator p.175 c.2 d.7 n 1
Iudex laicus cognoscere debet de scandalo, quod laicus fecerit in ecclesia, non in spretum religionis, sed possessionis suæ tuendæ gratia, lib.7 t.28 p. 930 c.1 d 19 n.1
Iudex laicus de iure ac proprietate decimarum cognoscere non potest, p.20 c.1 d.63 n.5 in all.
Iudex laicus non est competens iudex clerici in actione personali, nec si desinat illa in hypothecariam, ne quidem pro sumptibus contumaciæ, lib.3 t.12 p.197 c.1 d.29 n.1 & 2
Iudex laicus cognoscit de possessione decimarum percipiendarum, non de iure, lib.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.4 in all.
Iudex laicus debet obseruare vt semper adiudicet ei possessionem beneficij qui in petitorio potiora iura ostenderit, p.4 c.2 d.12 n.3
Iudex laicus de possessione beneficij non adipiscenda quidem, sed retinenda cognoscere potest, l.3 t.12 p.193 c.1 d.16 n.1 in all.
Iudex laicus potest clericum pœnali iudicio condemnare iurisdictionis suæ tuendæ gratia, l.3 t.12 p.193 c.1 d.16 n. 1 & 2
Iudex laicus citra personalem condemnationem in clericum turbatorem sententiam mulctámque dicere non potest l.3 t.1 p.193 c.5 d.16 n.2 in all.
Iudex laicus non potest cognoscere de correctione morum inter ecclesiasticos, l.7 t.28 p.926 c.2 d.5 n.1 & 2
Iudex laicus non de proprietate, sed de sola possessione beneficij cognoscere potest, l.6 t.1 p.615 c.2 d.5 n.4
Iudex laicus non est competens in petitorio beneficij, lib.4 t.14 p.311 c.1 d.11 n.11 in al.
Iudex laicus cum qui de congrua portione conuenitur, condemnare non potest, l.3 t.12 p.194 c.194 c.1 d.18 n.6
Iudex laicus de iure beneficiali quod merè spirituale est, cognoscere non potest, l.4 t.3 p.280 c.2 d.3 n.1 in al.
Iudex siue ordinarius siue delegatus, qui ex iusta suspicionis causa remotus est, nullam amplius in ea causa iurisdictionem habet, pag. 174 c.2 def.2 n.2 in all.
Iudex loci in quo delinquens reperitur æquè competens est atque loci Iudex in quo delictum admissum est, l.3 t.14 p.203 c.1 d.1 n.3 in al.
Iudex qui diffinitiuam tulit sententiam, iterum iudicare ac pronunciare non potest, l.7 t.26 p.920 c.2 d.49 n 4
Iudex requisitus ad recognoscenda signa & subscriptiones testium adhibitorum in solemni testamento, non potest aperire testamentum, sed debet eam remittere ad requirentem iudicem causæ principalis qui aperiat & cognoscat de viribus testamenti, l.7 t. 20 p.880 c.2 d.1 n.8 in al.
Iudex requisitus non potest cognoscere de nullitate sententiæ, si nullitas non à iure communi pendeat, sed ab alia causa, l.7 t.20 p.890 c.2 d.29 n.1
Iudex requisitus non debet permittere executionem sententiæ, quæ contra ipsius requisiti autoritatem sit reddita, l.7 t.20 p.888 c.2 d.15 n.1
Iudex requisitus an possit cognoscere de æquitate aut nullitate sententiæ, l.4 t.20 p.880 c.1 d.1 n.1 & 2
Iudex cum saluam facit intercedendi potestatem, resoluitur iussus eius in simplicem citationem pag.70 c.1 d.12 n.5 in all.
Iudex qui dedit executorem cognoscit de desertione appellationis ab executore, nisi cùm ab eo ipso iudice appellatum est ad superiorem, l.7 tit.26 p. 915 c.2 d.29 n.1
Iudex non attentat qui iubet mandari executioni vnam interlocutoriam cum ab alia tantùm fuit appellatum, lib.7 t.26 p.913 c.2 d.22 n.1 2 & 3
Iudex non dicitur attentare qui aliquid decernit contra eum qui non est in lite p.59 c.2 d.19 n.4 in al.
Iudex ea supplere non potest quæ sunt facti, l.7 t.1 p.785 c.1 d.15 n.20 in al.
Iudex non potest dicere volenti vti gratia impetrata, Fatere priùs delictum, lib.9 t.22 p.1194 c.2 d.3 n.2 in al.
Iudex iurisiurandi ab aduersario delati formam sequi non cogitur, lib.4 t.1 p. 260 c.2 d.10 n.1
Iudex non semper nec facilè actionis iniuriam debet decernere publicationem reuocare per reum iuiuriæ, l.9 t. 20 p.1186 c.2 d.10 n.1
Iudex authoritatem mulieri volenti pro marito aut alio facere id per quod futurum sit vt dos periclitetur, præstare non debet, lib.4 t.21 p.362 c.2 d.2 n. 1 & 2
Iudex compensationem reprobare non debet, l.4 t.23 p.379 c.1 d.5 n.3
Iudex alius non potest cognoscere de iniquitate sententiæ ab alio iudice reditæ, nisi qui superior sit & ex causa appellationis, l.4 t.9 p.295 c.1 d.6 n.7 in all.
Iudex priuatorum consensu fieri potest etiam qui nulli præest iurisdictioni, p.147 c.2 d.7 n.8 in al.
Iudex non videtur in præiudicium appellationis attentare, si quod interlocutus est exæquatur non obstante appellatione quando ab interlocutione appellatum est quæ per diffinitiuam sententiam aliámve rationem reparari possit, p.58 c.1 d.12 n.1
Iudex inuentarium non conficiat nisi vocato eo cuius interest p.58 c.2 defi. 14 n.3
Iudex non debet admittere delationem iurisiurandi factam à procuratore, licèt de eo nominatim aduersarius non opponat, l.4 t.1 p.268 c.1 d.38 num. 1 & 2
Iudex instrumenta litis ad iudicandum penes se deposita amittens, non nisi de dolo & lata culpa tenetur, lib.4 t. 25 p.399 c.2 d.4 n.2 in all.
Iudex esse non potest dominus in causa sui emphyteutæ lib.3 t.4 p.176 c.2 d. 9 n.1 2
Iudex an & quando possit condemnare reum ex confessione quam extorsit promissa impunitate, l.7 t.24 p.906 c. 2 d.8 n.1
Iudex regulariter non cogitur sibi sumere adsessorem etiamsi alteruter litigatorum id fieri suis sumptibus petat, l. 7 t.15 p.844 c.2 d.17 n.1 in all.
Iudex neque alius quisquam vir probus sine delatione iurisiurandi, rem quæ non exstat æstimare potest, l.4 t.2 p. 277 c.1 d.16 n.3 in all.
Iudex litigatores admittere non debet ad probandum nisi de eo requisitus, li. 4 t.14 p.312 c.1 d.16 n.1
Iudex collitigatore inscio nihil statuere debet: eius enim interest vt vocetur & audiatur, l.4 t.3 p.281 c.1 d.5 n.4
Iudex priusquàm tamquam suspectus remoueatur, recusationis causas & obiectas & probatas esse necesse est p.174 c.2 d.2 n.5 in all.
Iudex ex iurantis plerumque vultu & titubatione periurium colligere potest, l.4 t.1 p.266 c.1 d.31 n.5
Iudex constituitur in proprtia causa quisquis iurat, lib.4 t.1 p.258 c.1 d.4 nu.7 in all.
Iudex post litem contestatam recusari non potest pag.166 col.2 defi.37 nu.7 in all.
Iudex potest ex actis producentis, etiam pro non producente, præsertim si petat iudicare p.160 c.1 d.18 n.1
Iudex non potest intentionem actoris, quæ est facti supplere, l.7 t.18 p.864 c.2 d.56 n.13 in all.
Iudex facti causam nunquam supplere debet nec potest, pag. 33 c.1 defin.20 num.6
Iudicis autoritas semper excusat tum etiam cum iniquè aliquid iubet vel decernit, lib.4 t.10 p.300 c.1 d.8 num.2 in all.
Iudicis arbitrium in iudiciis stricti iuris nullum est, sed distringitur iudex formulæ & obligationis potestati, l.3 t.15 p.204 c.1 d.1 n.23
Iudicis arbitrio tempus pro personarum, locorum & delicti qualitate statuitur p 150 c.2 d.9 n.6
Iudicis est ecclesiastici cognoscere, An præbenda aut pensio super beneficij fructibus & redditibus constituta minui, augeríve debeat l 3 t.12 p.197 c.2 d.30 n.1
Iudicis est laici prohibere scandala quæ publicam lædunt vel honestatem vel tranquillitatem, p.38 c.1 d.36 num.4 in all.
Iudicis laici edictum generale ad comparendum, nocet etiam clericis non comparentibus, p.166 c.1 d.38 n.4
Iudicis partes aduersus confitentem nullæ sunt nisi in condemnando, lib. 2 t.2 p.35 c.2 d.10 n.3 in all.
Iudicis & apparitoris executio & factum censetur factum partis, li.4 t.10 p.300 c.1 d.8 n.6 in all.

BIU Cujas

Iudicis factum in pignore constituendo, partis quoque factum est, p.152 c.1 d. 12 n.3 in al.

Iudicis primi sententia confirmari & iustificari etiam ex nouis probationibus potest, & quæ priori iudici incognitæ fuerunt, lib. 4 ti. 15 pag. 344 c.1 d. 61 n.9

Iudicis recusandi iusta causa est, si iudex habeat consimilem litem, & in qua sit eadem ratio vincendi, aut succumbendi, p.174 c.2 d.2 n.3 in all.

Iudicis recusandi causa si famosa sit per publicationem monitorij probari nō potest, sed tātum per significationem lib.4 t.14 pag.320 col.1 d 50 n.2 & 3

Iudicis tanquam suspecti remotio vim habet diffinitiuæ sententiæ, p.174 c.2 d.2 n.7 in all.

Iudicis solùm decretum adeóque Senatus non habet vim mandati & literarum nisi idipsum decreto expressum fit, lib.7 t.20 p.890 c.1 d.18 n.1

Iudicis absentiam frustra causatur cuius præsentia non fuerit necessaria p.186 c.2 d.2 n.3 in al.

Iudicis præsentia peieraturum maximè terret, ne tam impudenter peietare audeat, l.4 t.1 p.266 c.2 d.31 n.3 in al.

Iudicis præsentia omnem metus vel violentiæ præsumptionem tollit, adeóque suspicionem, pag.184 col.1 d.17 nu.8

Iudicis præsentia omnem doli suspicionem tollit, p.347 c.1 d.9 n.3 in al.

Iudicis alterius esse non potest de sumptibus litis cognoscere, quàm eius qui de ipsa lite cognouit, li.3 t.12 p.192 c. 2 d.15 n.5

ad Iudicis officium pertinet qui de causa principali cognoscit, vt omnem incidentem quæstionem examinet, quamuis de ea non pronunciet, p.4 c. 2 d.12 n.5 in all.

in Iudicem consentit etiam is, qui petit dilationem ad satisfaciendum iudicato, etiam in quo abusus interuenerit, lib.7 t.28 p.930 c.2 d.19 num. 14 in all.

Iudicem contemnit qui iussus sæpius & interrogatus non vult respondere, l.4 t.15 p.343 c.1 d.57 n.4 in all.

Iudicem in testationibus excipiendi causa minima suspectum facit p.56 c.2 d. 2 num.1 2 3 & 4

Iudices maiores soli & principales interlocutionem à qua prouocatum est, exequi possunt p.58 c.1 d.12 n.4

Iudices boni supplere sæpius coguntur quæ desunt aduocatis partium pa.130 c.1 d.5 n.2 in al.

Iudices inferiores contra se allatas suspicionis causas vel reprobare vel omittere prout iustius, æquiúsve esse putauerint, possunt, non etiam Senatores p.175 c.2 d.6 n.4

Iudicibus inferioribus, siue præsint prouinciæ, siue minoris territorij iurisdictionem exerceant, non licet petenti vniuersitati facultatem conuocandi populi impartiri vt nouę contributionis onus aliquod quacunque de causa imponatur, l.3 tit.12 pag.195 col.1 d.21 n.1 & 2

IVDICANDI ius seu potestas denegatur cui iudicati executio li.3 t.12 p.199 c.1 d.33 n.4 in al.

Iudicandum priùs est quàm de iudicati executione tractandum, l.3 ti.21 p.227 c.1 d.6 n.2 in al.

IVDICATA res pro veritate habetur, li. 4 t.23 p.381 c.1 d.10 n.2 in al.

Iudicata res quælibet pro veritate habetur, lib.7 t.14 p.839 c.1 d.12 n.5 in all.

Iudicatæ rei autoritas nulla esse potest aduersus eum qui falsum procuratorem constituit p.51 c.2 d.10 n.1

IVDICATVM nullum ius nouum tribuit, sed quod iam est declarat, l.4 t.43 p.499 c.1 d.38 n.5 in all.

Iudicatum non euertitur, cùm exilij pœna irrogatur p.153 c.2 d.17 n.7

Iudicatum postquàm est siue bene, siue malè, siue ab ordinario iudicio, siue à delegato, necessaria appellatio est cùm nulla esse sententia proponatur, l.7 t.19 p.839 c.2 d.20 n.1

qui Iudicatum perperam executus est, tenetur eo nomine etiam de casu fortuito superueniente si non purgauerit vitium executionis, oblato omni eo quod interest aduersarij, li.8 t.13 pag. 1001 c.2 d.1 n.6 & 7

Iudicati executio suas habet moras pag. 168 c.1 d.4 n.4 in all.

Iudicati executio neque remoranda est prætextu restitutionis in integrum petitæ, neque restitutio prætextu nondum secutæ executionis p. 183 c. 1 d.12 n.8

Iudicati executio quæ fit per apparitorem licet fiat extra iudicium, habetur tamen pro actu iudiciali, quia fit calore & colore iudicij, l.4 t.10 p.300 c.1 d.8 n.9 in all.

Iudicati executio committi non potest quin exequi iubeatur is qui committitur, l.3 t.12 p.198 c.2 d.33 n.4 in al.

Iudicati exequendi ex moribus Augustanorum forma tractatur, l.7 t.20 p. 896 c.1 d.48 n.1

Iudicati actio contra dominum datur, non contra procuratorem p.100 c.1 d. 19 n.1 in all.

Iudicati iniquitas per appellationem plerunque corrigitur, lib.7 t.14 p.835 c.2 d.4 nu 4 in all.

Iudicati authoritatem semper saluam esse opportet, lib.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.14 in all.

Iudicato non minus parere debet reus qui post citationem personalem à Senatu alióve inferiori iudice imperatam, allegat suspectum eum qui testationes accepit, lib.9 t.3 p.1154 c.2 d.4

Iudicato nouo faciendo quadrimestre conceditur, lib.4 t.2 pag.276 c.2 d.15 tum.9

tempus Iudicati non erit immune à periculo præstandæ æstimationis, si qua forte interea interuenerit, li.4 t.2 p. 276 c.1 d.13 n.6

tempus quod Iudicato faciendo principalibus constitutionibus præstitutum est, à fructibus, vsuris, aliisque similibus accessionibus præstandis immune est vbi mora nulla præcessit condemnationem, lib.4 t.2 p.276 c.1 d.13 n.5

is cui ex iudicato aliquid præstandum est antequam pignus restituere cogatur, non prohibetur ex aliis causis, si quas habeat, idem pignus retinere, l.8 t.16 p.1007 c.1 d.1 n.12 & 3

IVDICIVM non potest magis esse sine reo quàm sine actore, l.6 t.12 p.680 c. 1 d.15 n.7 in al.

Iudicium vbi cæptum est, ibi finem accipere debet, p.156 c.1 d.1 n.1

Iudicium ibi necessariò tractandum in actione in rem & in pignora siue mobilium siue immobilium vbi in rem executio fuit facta, l.3 ti.16 p.206 c.2 d.1 n.8

Iudicium in absentem inauditum & inscium reddi non potest pag.98 c.1 d.11 num.2

Iudicium communi diuidundo etiam pro re indiuisibili vtile est, l.3 t.26 p. 249 c.1 d.3 n.1

Iudicium communi diuidundo acceptum non potest de ea re de cuius dominio & proprietate disputatur, l.3 t.26 pag. 248 c.2 d.2 n.1 & 2

Iudicium criminale potest incipere à prehensione, p.75 c.2 d.10 n.2 in all.

Iudicium familiæ erciscundæ bonæ fidei est non arbitrarium, l.3 t.27 p.254 c.1 d.10 n.7 in all.

Iudicio familiæ erciscundæ locus non est nisi inter heredes, l.3 t.25 p.247 c.1 d.10 n.5 in all.

Iudicium possessorium an & quando cumulari possit ex can. redintegranda cum restitutione in integrum, lib.8 t 3 p.953 c.2 d.8 à n.1 ad 20

Iudicium summarium nunquam cumulandum est cum plenario, l.8 t.3 p.954 c.2 d.9 n.2 in all.

Iudicium nullum est tam summarium in quo non sit citanda pars ad omnem actum ex quo lædi potest, l.4 t.3 p.279 c.1 d.1 n.2 in al.

Iudicium de omnibus simul accipiendum est quoties mutuæ sunt collitigantium petitiones, p.159 c.1 d.11 n.1

Iudicium in inuitum reddi potest, l.4 t. 10 p.298 c.2 d.6 num.4

Iudicium à falso procuratore institutum non potest ratum haberi ad constituendum aduersarium in contumacia & dolo, l.4 t.20 p.361 c.1 d.2 n.1

Iudicium, cum in inuitum reddatur, debet in alterutrius litigatorum arbitrio esse vt iudicium eludat, p.174 c.2 d.2 n.6 in all.

Iudicij acta apud Senatum qui corrupisse dicitur, si non probetur, non torquetur: sed si probetur ad mulctam honorariam præter pœnam pecuniariam condemnatur, l.9 t.13 p.1174 c. 2 d.8 n.1

Iudicij autoritas facere non potest vt soluisse quis videatur, qui non nisi verbo pecuniam obtulit, l.4 t.18 p.357 c.2 d.2 n.7

Iudicij locus attenditur cùm de ea re agitur quæ ad iudicij ordinationem spectat, p.161 c.1 d.22 n.1

Iudicij locus in præiudicium creditoris qui inuitus agit arbitraria, non est spectandus, l.3 t.15 p.205 c.1 d.3 n.2

Iudicij locus, non contractus in iis quæ ad iudicij ordinationem spectant est attendendus, li.3 t.15 p.205 c.1 d.3 n.3

Iudicij cuiuslibet dubius & incertus est euentus, lib.4 ti.23 p.381 c.1 d.10 n.5 in all.

Iudicio redintegrandæ possessionis pendente, quo casu vindiciæ pro actore dici possunt & debent, li.8 t.3 p.964 c. 2 d.42

Iudicio priori quisquis non adfuit intercedere potest, l.3 t.21 p.227 c.1 d.6 n.8 in all.

cui Iudicio non obest sententia, ei nec litis obest pendentia, p.57 c.1 d.8 n.1 in all.

Iudicia bonæ fidei sunt, quę propter bonam fidem, pleniorem exercent actionem quàm effet ipsa obligatio quæ actionem produxit, p.272 c.1 d.6 n.3

Iudicia arbitraria sunt quæ nec obligationis, nec actionis vllius iure exercentur vt ne vllo quidem iudicis officio, li.4 t.2 p.272 c.1 d.6 n.4

Iudicia stricti iuris sunt, in quibus nihil nisi forma & ius obligationis attenditur, l.4 t.2 p.272 c.1 d.6 n.2

Differentia nulla est inter iudicia bonæ fidei & stricti iuris, nisi cùm agitur de rei æstimatione per iusiurandum in litem ab actore probanda, li.4 t.2 p.276 c.2 d.15 n.2

Iudicia suprema quæ per querelam inofficiosi testamenti rescinduntur multò fauora-

BIU Cujas

fauorabiliora existimantur, quam quę inter viuos collatæ sunt liberalitates li.3 t.20 p.222 c.2 d.1 n.9

Iudicium ordo solitus nunquam remissus intelligitur, pag.173 c.1 d.3 n.9 in all.

in Iudiciis bonæ fidei cum de æstimanda merce agitur non spectatur præcisè tempus litis contestatæ, sed etiam rei iudicatæ, lib.4 ti.2 p.273 c.2 d.8 num. 1 & 2

IVRAMENTVM, licet præstitum contra leges ciuiles, omnino seruandũ si seruari potest citra dispendium salutis æternæ, l.6 t.35 p.774 c.1 d.1 n.1 in all.

Iuramento purgatorio locus esse solet cum noua facta deducuntur in tertia instantia, lib.4 tit.15 pag.332 c.2 def.21 nu.2 in all.

Iuramento suppletiuo locus non est cum semiplena non subest probatio, l. 4 t.15 pag.343 c.2 d.60 nu.5 in all.

IVRARE de eo nemo cogitur, quod vult probare, l.4 t.1 pag.269 c.1 def.43 n.5 in all.

Iurare nemo præcisè cogitur, sed iusiurandum referre potest, nisi certis casibus, lib.4 t.1 p.259 c.2 def.9 nu.2 & 3

Iurare nemo cogendus super positione turpi & famosa, l.4 ti.1 pag.269 col.1 defin.43 num.5 in all.

Iurare nec referre cogitur, qui aliter intentionem suam vult probare adeóq; iurisiurandi delationem à se factam reuocare, l.4 t.1 p.258 c.1 d.3 n.1 2 & 5

Iurare iussus in vno loco potest ex causa admitti vt iuret in alio, & iterum tamen si velit iurare vbi prius iussus erat, sed refusis sumptibus frustratoriis, l.4 t.1 pag.270 c.1 defi.46 num.1 2 3 & 4

Iurare iussus aut referre non est audiendus, si per procuratorem facere velit, l.4 ti.1 p.266 c.1 d.31 n.1

Iurare aut iusiurandum referre damnatus si priùs decesserit quàm aut iurauerit aut retulerit, si iurare paratus fuit perinde habendus est ac si iurasset: aut heredi eius permittendum est vt iuret, si velit l.4 ti.1 pag.266 c.2 def. 32. num.1 & 2

Iurare nolente eo cui iusiurãdum defertur, quod dicat se immemorem, neque referre, permittendum referenti vt præstet iuramentum purgatorium, l.4 t.1 p.260 c.1 d.9 n.3 in all.

de Iurando nõ videtur cogitatum si quis admissus sit ad probãdum hoc adiecto quod solet adiici, *& patet in contrarium* l.4 tit.1 p.265 c.2 d.28 n.4 in all.

Iuraturus si non possit venire ad iudicium, debet iudex ire ad eum ipsius sumptibus, lib.4 tit.1 p.265 c.2 d.31 n. 4 in all.

IVRISDICTIO inhæret territorio lib. 3 t.12 p.191 c.1 d.28 nu.2 in all.

Iurisdictio omnis quæ in Principis territorio est, vel Principis esse vel à Principe manasse præsumitur, l.3 t.12 pag.193 c.1 d.17 n.1

Iurisdictio à principe delegata non præsumitur nisi probetur, l.3 t.12 p.197 c. 2 d.17 n.3 in all.

Iurisdictio nulla est iudicis laici in clericos, nec iudicis ecclesiastici in laicos p.32 c.1 d.16 nu.4 in all.

Iurisdictio quandoque alterius est quam eius cuius est territorium, lib.3 t.12 p. 197 c.1 d.28 nu.4

Iurisdictio limitata non tam territorium quàm personas subditas afficit l.b.4 t. 12 p.197 c.1 d.28 n.4 in all.

Iurisdictio Castellanorum de litigantium consensu prorogari potest, lib.3 t.22 p.201 c.2 d.46 n.3 & 4

Iurisdictionis & potestatis eiusdem est cognoscere de toto & de parte p.20 c. 1 d.63 nu 6 in all.

Iurisdictionis incompetentia litis fundamentum subuertit, ideóque in causa appellationis obiici potest, pa.175 c.1 d.5 n.8

Iurisdictionis recusatio vinculum præsupponit, p.175 c.1 d.5 n.9

Iurisdictioni inferioris vasalli ignorantis decreto Senatus derogari non potest, l.3 ti.12 pag.192 c.1 d.13 n.2

Nihil esse potest in territorio quod non alicui Iurisdictioni subiacere necesse sit, l.3 t.12 p.193 col.1 d.17 n.2

Iurisdictionem approbare intelligitur nui per suam contumaciam iudicem cogit, vt se iterum vocari iubere debeat, l.3 t.12 p.190 c.1 d.3 n.2

Iurisdictionis eiusdem plures domini pro indiuiso qui pares dominij partes habent si quidam ex iis in vnum scribam consentiant alij in alium, diuidi debent inter scribas emolumenta iurisdictionis pro iisdem portionibus, lib.3 t.26 pag.249 c.2 defin.5 n.1 & 2

Iurisdictionis limites sunt limites territorij regulariter, l.3 t.12 p.196 col.1 d. 23 num.2 in all.

Iurisdictionem de retrofeudo Principis vasallus recognoscere cogitur, l.3 t.12 p.193 c.1 d.17 n.9

Iurisdiction translata, lites quoque omnes quarum exercitium ad eandem iurisdictionem pertinet, transferri necesse est, p.162 c.1 d.24 n.3

Iurisdictiones ecclesiasticorum & laicorum sunt distinctæ, l.3 t.12 p.190 c.2 d. 4 num.1

Ivs acceptandi transit ad omnes eos in quos & ipsa donatio transire potest, l.8 t.38 p.1140 c.2 d.19 n.3 in all.

Ius adcrescendi simile est alluuioni, l.6 t.3 pag.618 col.2 d.1 n.5

Ius adcrescendi vnde inducatur? lib.6 t.3 p.618 c.2 d.1 nu.8 & 9

Ius adcrescendi potentius est successorio edicto, quia locum habet inter eos qui sunt in eodem gradu, p.82 c.2 d.15 n.6 in all.

Ius accrescendi non solùm ex tacita hominis voluntate pendet, sed potissimum ex legis potestate, l.6 t.6 p.636 c.1 d.1 n.10

Ius accrescendi non habet locum inter eos qui ex diuerso iure succedunt, li.6 t.6 p.636 c.2 d.1 num.17 in all

de Iure accrescendi in persona heredis instituti ex re certa, lib.6 t.6 p.635 c. 2 def.1

Ius adeundi præscribitur hodie spatio 30. annorum, l.6 t.12 p.680 c.2 defin.16 nu.3 in all.

Ius agendi ad supplementum legitimæ non nisi triginta annis præscribitur, li. 3 t.19 p.211 c.1 d.7 n.1.2

Ius commune semper est fauorabilius, l.6 t.5 p.634 c.2 d.28 num.10 in all.

Ius creditorum mariti idem est quod ipsius mariti in exceptione dotis nõ solutæ. E tquando ea exceptio competat? l.5 tit.10 pag.566 c.2 d.8 n.1 2 3 & 4

Ius deoluti. Vide deuolutio.

Ius eligendi conseruatur instituto per Auth. ex causa, etiam rupta institutione, lib.6 t.9 p.656 c.2 d.3

Ius extorquendæ retrouenditionis non excludit priuilegium restitutionis contra spoliatorem, li.8 t.3 pag.954 c. 2 d.9 n.1 2 3 & 4

Ius gentium naturali ratione stabilitum est immutabile, p.61 c.1 d.1 n.12

Ius impugnandi contractum ex causa enormissimæ læsionis triginta annis præscribitur, l.7 t.13 p.828 c.2 d.11 n.1

Ius offerẽdi quod competit ad inducendam pignorati tiam nullo tẽpore præscribitur, l.7 t.13 p.827 c.2 d.11 n.1

Ius offerendi necessarium antecedens est iuris aufferendi, l.8 t.16 p.1009 c.1 d.1 nu.1 in all.

Ius petendæ executionis sententiæ non potest vltra triginta annos durare vt nec iura cætera, li.7 ti.13 p.839 c.1 d.1 n.12 in all.

Ius pignoris sui non remittit qui patitur se pręsente rem obligatam distrahi, nisi expresè consenserit aut nisi ad hoc vocatus sit vt sciretur an consentire vellet an dissentire, l.8 t.14 p.1004 c.2 defi.2 n.1 2 & 3

Ius quod vni ex contrahentib semel fuit quæsitum ex instrumento publico, non debet ei aufferri sine vllo ipsius facto pag.347 col.2 d.11 n.1 in all.

Ius redimendi præscribitur 30. annis si emptor velit vti iure suo, nam si nolit vti & malit retrouendere nullam eo nomine habet actionem, l.7 t.13 p.831 c.2 d.18 num.1

Ius retrahendi præscribitur 30. annis etiam adhibito iureiurando, l.7 t.13 p. 827 c.1 defin.4 n.1

Ius publicum non minùs consistit in sacris & sacerdotiis quàm in magistratibus, li.4 t.14 p.315 c.2 d.30 nu.6 in al.

Ius speciale potentius est communi, cùm nec aliam ob causam fiat, nisi vt communi deroget, l.9 ti.29 p.1217 c.1 d.12 nu.10 in all.

Ius tituli superuenientis non purgat vitium spoliationis præcedentis, l. t.3 p.963 c.2 d.38 n.3 in all.

Ius ex contractu quæsitum non potest in longius tempus protrahi quàm contractus ipse, l.8 ti.22 pag.1041 c.1 d.12 n.6 in all.

Ius vnius ex sociis in indiuiduis conseruat ius aliorum, pag. 140 c.2 d.3 n.6 in all.

Ius sibi dicit qui propria autoritate facit quod per iudicem facere deberet, l.9 t. 20 p.1186 c. 1.d.8 n.2 in al.

Ius sibi non dicit, nec aduersarium spoliat qui possessionem suam continuat p.57 c.2 d.11 n.3

quod Ius habuit dominus in caput matris talliabilis extinguitur per mortem ipsius matris, l.7 t.1 pag.782 c.2 d.9 num.7 in all.

Ius agnato proximo semel quæsitum ei inuito auferri non potest, l.6 t.5 p.632 c.2 d.22 num.6

Ius nemo remittere intelligitur quod ignorat sibi competere, l.9 t.25 p.1208 c.1 d.13 n.18 in all.

Ius ex re constituendum est pag. 155 c.2 d.3 n.4 in alleg.

Ius adaptari debet ad ea quæ frequentius contingunt pag.124 c.2 d.1 n.10

Ius cessum semper æstimatur ex persona cedentis, l.4 t.43 p.490 c.2 d.12 nu.8 in all.

Ius tertij illæsum semper seruãdum est, l.4 t.16 pag.347 c.1 defi.8 n.4 in all.

Ius in incertum semper est finitum pag. 109 c.1 defin.4 n.6 in all.

in Ius vocare nihil aliud, quàm sui non alieni iuris experiundi gratia vocare, lib.2 ti.2 p.76 col.2 d.14 nu.3 in all.

Iuris quasi corporalis possessio. l.7 t.7 p. 806 c.1 d.5 n.1

Iuris iam acquisiti facilior est conseruatio quàm noui acquisitio, lib.7 t.1 p. 788 c.1 defin.14 n.3 in all.

Iuris quod est non tam facilè amittitur quam quod facti, l.1 t.3 p.41 c.2 defin. 18 n.2 in all.

Iuris plus habet qui & condiuisor & proximior est, quàm qui proximior

BIU Cujas

tantùm cùm duo vincula sint fortiora vno l.7 ti.1 p.793 c.2 d.31 n.12 in all.
Iuris plus nemo habere potest ex alterius persona, quàm alter ille habuit, l. 7 t.12 p.825 c.1 d 2 n.4 in al.
Iuris ciuilis pœnæ sunt aliæ, iuris vero pontificij aliæ, & leuiores, l.9 t.17 p. 1181 c.2 d.1 nu.9 in all.
Iuris communis quod contra rationem constitutum est non debet trahi ad consequentias ne quidem in causis ciuilibus, lib.9 t 29 p.1221 c.2 d.24 num. 17 in all.
Iuris præsumptio semper supponit terminos habiles, lib.4 t.22 pag.376 c.2 d.6 n.10 in all.
Iuris remissi præsumptio & coniectura capi non potest ex eo actu quem quis inuitus facere cogitur, p.137 c.2 d.2 n. 2 in all.
Iuris sui tuendi potius quàm alieni vsurpandi animo fecisse quisque præsumendus est, lib 9 t.18 p.1182 c.1 d.2 n. 6 in all.
plus Iuris nemo in alium transferre potest, quam ipse habuerit p.26 c.2 d.92 n.5 in all.
Iuri accrescendi none st locus inter succedentes ex diuerso iure, l 6 t.6 p.638 c.1 d.4 n.2 in all.
Iuri publico vel fiscali pactis priuatorum derogari non potest, l.9 t.20 p.1187 c. 1 d.12 n.7 in all.
Iuri suo & priuilegio quilibet renunciare potest, l.b.8 ti.6 p.969 c.2 d.7 n.3 in all.
de Iure adcrescendi inter heredem vniuersalem, aut particularem & institutum ex re certa, lib.6 t.3 p.618 c.2 d.1 à n.1 ad 20
de Iure actionis priùs quidem quærendum est quam de iure exceptionis, sed priùs tamen de persona rei quàm de iure actoris, vt qui tanquam talis intercessit priùs se talem probet, l.8 t.23 p.1044 c.1 d.9 n.1 2 3 4 & 5
Iure communi & publico qui vtitur læsus aut deceptus videri minimè potest, l 8 t.40 p.1147 c.1 d.8 n 2 in all.
de Iure postliminij apud Christianos, & de iure luendi id quod ab hostibus redemptum est, l.8 t 34 p.1123 c.1 d.1
de Iure prælationis inter creditores chirographarios & pignoratitios, l.6 t.11 p.663 c.2 d.14 n.1 & seq.
Iura naturalia non possunt corrumpi per ciuilia, l.7 t.1 p.782 c.1 defi 8 nu.7 in all.
Iura diligentibus non negligentibus succurrunt, p.25 c.2 d.86 n 8 in all.
Iura vigilantibus non autem negligentibus subuenire debent, l.7 t.13 p.832 c.2 d.1 nu.8 in all.
Iura omnium intacta seruari melius est quàm post vulneratam causam remedium quærere, l.7 t.32 p.943 c.1 def.11 n.7 in all.
Iura perpetua hodie dicuntur illa quæ trigesimo demum anno concluduntur p.130 c 1 d 4 n.2 in all.
Iura testamentorum per se firma esse oportet, non ex alieno arbitrio pendere, lib.6 t 9 p.657 c.2 d.6 n.12 in all.
Iurium præscriptio nulla est nisi intercedente scientia & patientia eius qui tale ius potuisset constituere, l.7 tit.8 p.819 c.2 d.2 n.1
Iuribus pluribus & actionibus, dummodo non repugnantibus vti nemo prohibetur, lib.4 ti.12 p.376 col.2 d.6 n.13 in all.
Ivrisdictio est primum & præcipuum iudicij cuiuslibet fundamentum, lib.7 t.28 p.927 c.1 d.6 n.4 in al.
Iurisdictio quælibet præsumitur non tantum manasse à principe, sed etiam concessa fuisse in feudum & esse feudalis, lib.3 t.12 p.193 c.2 d.17 n.3 in al.
Iurisdictio an delegata sit sub nomine proprio, an sub nomine officij vel dignitatis, quid interest l.3 t.3 p.173 c.2 d.4 n.1 2 3 4
Iurisdictionem nullam tribuit priuatorum consensus, lib.3 ti.3 p.173 c.2 d.4 n.6 in all.
Ivsivrandvm cùm sit religionis vinculum est quid merè spirituale, p. 41 c.1 d.55 n 20
Iusiurandum habet vim rei iudicatæ, l. 4 t.1 p.260 c.2 d.11 n.1 in all.
Iusiurandum habet vim specialis expressionis, lib.6.ti.5 p.626 c.2 d.11 n.4
Iusiurandum vim clausulæ habere nostris placet, l.8 t.38 p.1147 c.1 d.8 nu 8 in all.
Iusiurandum nõ tam probatio est quàm releuatio ab onere probandi, lib.7 t.31 p.937 c 2 d.2 n.7 in al.
Iusiurandum inter eos probat inter quos iuratum est, p.133 c.1 d.1 n.1 in al.
Iusiurandum contractui aut rei iudicatę simile est, non vltimæ voluntati, l.4 t. 1 p.264 c.2 d.25 n.5 in all.
Iusiurandum non immutat naturam contractus in quo adhibetur, l.7 t.13 p. 827 c.1 d.4 n.3 in all.
Iusiurandum non supplet defectum insinuationis statutariæ, l.8 t.38 p.1147 c.1 d.9 n.4
Iusiurandum contra leges præstitum iure ciuili non est obligatorium, p.107 c.1 d.1 nu 8 in all.
Iusiurandum est multiplex l.4 t.17 p.355 c.2 d.4 n.4 in al.
Iusiurandum decisorium esse oportet, & tale contra quod nulla vnquam probatio adferri possit, l.4 t.1 p.263 c.1 d. 21 n.2 in all.
Iusiurandum decisorium aut suppletiuũ ex quo præstitum est nulla in contrarium probatio aut quæstio admittitur lib.4 t.14 p.323 c.2 d.59 n.2 in all.
Iusiurandum decisorium aliquando differri potest & debet, etiam quantum ad pronunciationem quousque appareat esse decisorium, l.4 t.1 p.269 c.2 d.45 n.6
Iusiurandum minoris puberis tantùm prodest, quantum curatoris autoritas, p.97 c.2 d.10 n 6
Iusiurandum clausulæ vim habet, l.3 t. 20 p.224 c.2 d.6 nu.16 in al.
Iusiurandum purgatorium minoris est momenti quam decisorium, l.4 t.1 p. 285 c.2 d.31 n.4 in al.
Iusiurandum purgatorium minoris momenti est quàm decisorium, lib.4 tit.1 p.258 c.2 d.5 n.5 in all.& p.260 c.1 d.9 n 3 in all.
Iusiurandum purgatorium personaliter præstandum est, non per procuratorem quantumuis specialiter instructum, si modo id commodè fieri possit, nisi in illa ipsa sententia quæ illud detulit aliud expressum sit, l.4 t.1 p.265 c.2 d.31 n.4 in al.
Iusiurandum purgatorium non excludit probationes quæ postea in cõtrarium adferri possunt. Secus in iuramento decisorio vel suppletiuo, p.323 c.2 d. 59 num.1 & 2
Iusiurandum purgatorium nunquam nisi ad excludendam probationem doli adhiberi solet, lib.4 t.1 p.258 c.2 d. 5 n.3
Iusiurandum purgatorium ex solo iudicis officio deferri potest, non item suppletorium, l.4 ti.1 p.259 c.2 d 8 n.8
Iusiurandum quod vocant purgatorium contrarias semper probattones admittit, l.4 t.1 p.258 c.2 d.5 n.2
Iusiurandum purgationis necessarium est quoties dolus potuit interuenire, licet non præsumatur interuenisse, li. 4 t.14 p.323 c.2 d.57 n.4 in all.
Iusiurandum vnius non debet damno & fraudi esse alteri, p.133 c.2 d.1 num.10 in all.
Iusiurandum non nisi suspectum esse potest, cùm vita suspecta est eius qui iusiurandum defert, p.153 c.2 d.17 n. 3 in al.
Iusiurandum susceptum aut præstari à suscipiente aut deferente iussum non potest remitti. l.4 t.1 p.263 c.2 d.22 n. 3 in all.
Iusiurandum odiosum & periculosum est per quod iudex quis constituitur in propria causa aduersario inuito, l.4 t.15 p.330 c.2 d.11 n.5 in all.
Iusiurandum ab ebrio præstitum non debet esse maioris momenti ad contractum confirmandum, quàm si à furioso interpositum esset, l.4 t.1 p.259 c.1 d.7 n.1
Iusiurandum tres perpetuos comites habere debet, iudicium, iustitiam, & veritatem, lib.4 t.1 p.259 c.1 d.7 n.2 in all.
Iusiurandum contra bonos mores præstitum non est obligatorium, l.6 t.5 p. 626 c.2 d.15 n.3 in all.
Iusiurandum quod plenam litis victoriam iuranti non acquirit, nec liberat aduersarium à condemnatione expẽsarum, l.7 t.18 p.865 c.1 d.60 n.3 4 & 5
Iusiurandum naturam & contractus regulas, in quo interponitur, sequi solet lib.4 t.21 p.364 c.2 d.7 nu.8 in all.
Iusiurandum supplere aut corrigere imbecillitatem iudicij, quæ sola inducit æquitatem restitutionis, non potest, p.117 c.1 d.2 n.5 in al.
Iusiurandum suppletorium dari solet in defectum probationis, quæ sit tamen semiplena, lib.4 tit.1 p.258 c.1 d.4 nu.1 2 & 3
Iusiurandum suppletiuum semiplena probatione absoluitur, l.4 t.15 p.330 c.2 def.11 n.2
Iusiurandum suppletorium super solutione ei deferri potest qui per vnum testem probauit promissionem de reddendo instrumento, lib.4 t.1 p.265 c.2 d.30 n.1 2 & 3
Iusiurandum suppletorium etiam in criminalibus causis deferri potest si pœna futura sit tantum pecuniaria: itémque ad probandam rei innocentiam, l.4 t.1 p.269 c.1 & 2 d.43 n.2 & 3
Iusiurandum suppletorium deferri potest petenti, etiam post didicita testificata, adeóque in causa appellationis l.4 ti.1 p.264 c.1 d.27 nu.1 & 7
Iusiurandum quod in supplementum semiplenæ probationis deferri vulgo creditum est, non semper deferendum est, lib.4 t.1 p.269 c.1 d.44 n.1
Iusiurandum sibi inuicem deferentibus duobus litigatoribus, possunt interdum ambo iurare, l.4 t.1 p.270 c.1 d. 45 n.2 in al.
Iusiurandum etsi maximam vim habere solet, tamen suspectum est cùm adhibetur in actu suspecto, eiúsque naturam induit. l 4 t.14 pag.308 c.2 d.4 n.6 in all.
Iusiurandũ semper valet & obligat quoties sine dispendio salutis æternæ seruari potest, p.130 c.1 d.5 nu.4 in al.
Iusiurandum supplere non potest defectum ætatis in eo vt consilij imbecillitatem quæ in minore maior est corrigat, faciátve vt ob id quod iurauit prudentior & consultior effectus videatur, p.107 c.2 d.1 n.12

BIU Cujas

Iusiurandum si de facti veritate ab aduersario simpliciter delatum sit nulla sollemnitatis forma præscripta, sufficit ad victoriam, lib.4 tit.1 pag.260 c.2 defi.16 num.1
Iusiurandum quodlibet eam interpretationem admittere debet, vt salua exceptáque intell gatur authoritas superioris cui parere sit necesse, l.6 t.35 p.773 c.2 d.2
Iusiurandum qui detulit cum ei referri posset si decesserit priùs quàm aduersarius iuraret siue ante acceptatam aut à iudice adprobatam delationem iurisiurandi, siue post, pro relato & præstito habendum est, l.4 t.1 p.261 c.1 d.15 n.1
Iusiurandum qui detulit si referatur, non potest recusare quominùs iuret, l.4 t.1 p.242 c.2 d.19 nu.9
Iusiurandum etiam ex integro deferre potest is, qui cum delatum à se iusiurandum reuocasset, à via probandi per testes exclusus est, si postea beneficio principis ad probandum admittatur, lib.4 tit.1 p.265 c.2 d.28 n.9 in all.
Iusiurandum potest deferre qui est exclusus à probando per testes. l.4 t.1 p. 265 c.2 d.28 n.1 & 8 in all.
Iusiurandum non potest deferre qui ab omni probationis genere exclusus est, l.4 t.1 pag.263 c.2 d.23 nu.2
Iusiurandum pro varietate rerum vel personarum deferri debet, li.4 t.1. pag. 262 c.2 d.19 n.13
Iusiurandum deferri potest in supplementum ex confessione extraiudiciali facta etiam absente parte, li.4 t.14 p. 314 c.2 d.25 n.1 & 4
Iusiurandum non magis deferri potest quàm exceptio obiici cùm agitur de non numerata pecunia post effluxa tempora, lib 4 t.22 pag. 374 c.2 d.2 n. 8. nisi cùm quis se scripsit argentarij debitorem nec debiti tamen causam expressit, Ibidem num.6
cui Iusiurandum delatum fuit, quisquis ille sit, iurare aut referre cogitur l.4 t. 1 p.527 c.1 d.1 n.3 in all.
Iusiurandum delatum ab eo cui delatum recusari non potest, p.268 c.1 d. 39 n.1 & 2
Iusiurandum mala fide delatum reuocari non potest, pag.265 c.2 d.29 n.1 & 2
Iusiurandum quod ex collitigantis delatione præstitum fuit retractari non potest, p.121 c.1 d.2 n.2
Ad Iusiurandum pro vniuersitate præstandum ij admittendi sunt, qui ex vniuersitate sunt, quique veritatem sciunt, l.4 t.1 p.268 c.1 d.40 nu.2
Iusiurandum impugnans non nisi nouis instrumentis vti debet, l.4 t.1 p.264 c. 1 d.24 nu.8 in all.
Iusiurandum inspiciendi testamenti necessitatem remittere, & solemnitatem supplere potest, p.928 c.1 d.15 n.9
Iusiurandum eas tantùm solennitates supplere potest quas lex ipsa, non quas iudex aut testator præscribit, p. 108 c.1 d.2.3 & 4
Quod per Iusiurandum decidi statim potest habetur pro iudicato, p.51 c.1 d. num.3 in all.
Iusiurandum facit debitum quod alioquin esset indebitum, l.4 t.43 p.509 c. 1 d.66 num.3 in all.
qui ad Iurandum admissus est non obstante appellatione, iurare potest etiam citra præiudicium aduersario tamen præsente vel vocato, l.4 tit.1 p. 259 c.1 d.6 n.1 & 5
si à Iurisiurandi delatione pendente appellatione decesserat is, qui iurare potuit nec iurauit, iusiurandum pro præstito habetur, l.4 t.1 p.260 c.1 d.14 n.1 2 & 7
Iurisiurandi probitas non patitur vt periurij probatio testium fidei committatur, l.4 t.1 p.264 c.1 d.24 n 8
Iurisiurandi necessitas in dubio præsumitur interuenisse, præsertim si aduersarius conquestus non sit, l 4 t.1 p. 264 c.1 d.25 n.7 & 9
Iurisiurandi potestas minorem maiorem efficit, p.107 c.1 d.1 n.8
Iurisiurandi solennitas solet firmare contractus omnes à muliere factos etiam contra legem Iuliam de fundo dotali, lib.8 t.14 p.1006 c.2 d.7 n.2 in al.
Iurisiurandi solennitas defectum supplet solemnitatis & decreti, p.111 c.1 d.10 nu.5
Iurisiurandi contempta religio solum Deum vltorem habet, l.4.tit.1 p.257 c. 3 d.2 n.5 in all.
A Iurisiurandi vinculo absolutio omnino necessaria propter periculum periurij, pag.116 c.2 d.1 n.11
A Iurisiurãdi vinculo absolutio ad fines agendi tantum concedi solet inaudito aduersario, nec tamen necessaria est heredi iuranti, l 4 t.1 pag.260 c.2 d.13 num.1 & 2
Iurisiurandi sublata causa supercst pristinus litis status, ex quo vincere debet is, qui suam intentionem plenissime probatam habet, l.4 t.1 p.264 c.2 d.26 n.2 in all.
Iureiurando prædito nihil allegari potest quod iusiurandum impedierit, l. 4 t.1 p.260 c.2 d.11 n.1
in Iureiurando suppletiuo, reus non condemnatur eadem interlocutione qua actor ad illud admittitur, ne quidem cum hac clausula, *& præstito iureiurando*, lib. 4 t.1 p.257 c.2 d.1 nu.10 in all.
Lite pendente coram iudice ecclesiastico super absolutione à Iureiurando, non eo minùs potest interim agi apud iudicem laicum de contractu exequendo, p.184 c.2 d.17 nu.1.
IVSTIFICATIONES suspectę sunt, quęcunque post obiectos testes allegantur, l.9 t.2 p.1151 c.1 d.6 n.2 in all.

L

LÆDI aut decipi non videtur qui iure communi vtitur, pag.103 c.2 d.8 nu.3 in all.
non Læditur qui ius commune sequitur, l.4 t.37 p.455 c.1 d.1 n.13 in all.
LÆSIO aliquando interuenit in re ipsa sine animo lædendi, p.106 c.2 d.6 nu. 2 in all.
Læsio nonnunquam in æstimanda re interuenire potest quæ locum faciat restitutioni, pag.167 c.2 d.3 n.7 in all.
Læsio quælibet sufficit ad rescindendam alienationem beneficio restitutionis impetrata absolutione à iureiurando, pag.121 c.2 d.5 n.5 in all.
Læsio non bene probatur ex præsenti æstimatione, neque ex instrumentis præcedentium aut subsecutarum venditionum, lib. 4 tit. 30 p.428 c.2 d.19 nu.1 2 & 3
Læsio non bene probatur si non omnium circumstantiarum ratio habeatur quæ rem minoris faciant, l.4 t.30 p.429 c.1 d.20 n.1 & 2
Læsio semper certa esse debet, l.4 t.30 p. 427 c.1 d.11 n.6 in all.
Læsio certa non considerari potest, in re quæ pendet ex incerto euentu, pag. 141 col.1 d.5 n.14 in al.
Læsio ex futura incertaque vsurarum adiudicatione æstimari non potest neque ex debito augmento, quod aiunt monetæ, l.4 t.30 p.426 c.1 d.9 n.1 & 2
Læsus in minore ætate intra decennium potest petere restitutionem, pag.42 c. 2 d.4 n.3
Læsio enormis est quę vltra dimidiam, & probanda est per testes inspecto tempore contractus & communi opinione li.4 t.30 p.424 c.1 d.2 n.1 2 3 & 4
Læsio enormissima reddit contractum ipso iure nullum, li.4 t.28 p.416 col.1 d.6 nu.7 in al.
Læsio enormissima cùm perpetuat pactum de retrouendendo restitutio rei præcisè petitur, nulla præcedente retrouenditione, l.4 t.30 pag.425 c.2 d.7 n.1 & 2
Læsione etiam enormissima probata fructus quando venditori non restituantur, lib.4 ti 30 pag.432 col.2 defin.31 num.1 2 3 & 4
Læsio enormissima facit vt ius redimendi quod erat temporale sit perpetuum, lib.3 t.25 p.247 c.1 d.9 n.2 in all.
Læsionis causa venditionem rescindi appetens probare debet se dominum fuisse, l.4 t.30 p.428 c.2 d.17 n.1 2 & 3
Læsionis ratio nulla habenda est nisi à quo tempore facultas redimendi intercidit, p. 117 c.2 d.3 n.2
in Læsionis enormis æstimatione testibus ex vtraq; parte dissentientibus, ea constituitur æstimatio quæ ex dictis testium actoris pro actore facit, l.4 ti. 30 p.424 c.2 d.2 n.4 in all.
Læsionis enormissimæ prætextu rescindi transactio non potest, si neque dolus ex proposito, neque vis aut metus interuenerit, p.121 c.2 d.4 n.2
Læsionis enormissimæ causa redimendi ius temporale perpetuatur siue emptor iustum valorem sciuerit siue ignorauerit, l.4 t.30 p.433 c.1 d.32 n.9
Læsionis immodicæ causa nec donatio nec proinde liberatio gratuita rescindi potest, l 4 t.30 p.425 c.2 d.8 n.1
Læsionis immodicæ causa & iurium omnium cessio rescindi potest, subducto tamen dubio litis euentu, lib.4 t.30 p. 426 c.2 d.11 n.1 2 & 6
Læsione enormi probata satis videtur imploratum beneficium legis 2 C. De rescind. vend. ab eo qui maius auxilium implorauit, l.4 t.30 p.429 c.2 def. 21 n.1 2 3 & 4
Læsione probata omnimodo & præcisè rem restitui oportet, quasi per vim & metum extortam, p.106 c.2 d.6 n 4
quoties de Læsione quæritur non euentus sed tempus contractus inspiciendum est, l.4 t.19 p.217 c.1 d.23 n.32
Læsus in precio videri non potest, qui rem alienam vendidit, l.3 t.22 p.232 c.2 d.10 num.6
Læsæ maiestatis crimen in primo capite committitur, non tantùm si quis conspirauerit aduersus personam ipsam principis, sed & si aduersus eius statum directo & principaliter, l.9 t.6 pag. 1159 c.1 d.4 nu.9 in al.
LAICVS de lite apud iudicem Laicum pendente testationes excipere debet, licet ecclesiastici monitorij vigore factas, l.4 t.15 p.333 c.2 d.24 nu.1 & 2
Laicus tertius possessor nullo iure apud iudicem laicum inquietatur, lib.3 t.12 p.199 c.1 d.35 n.13
Laicus fideiubens, pro clerico præscriptione fori iuuari non potest, l.8 t.27 p.1073 c.1 d.13 num. 1 2 & 3
Laici post Concilium Lateranense sunt decimarum acquirendarum & tenendarum prorsus incapaces, l. 1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.3
Laici neque ex conuentione, neque vllius quantiscunque temporis præscriptione aut habere aut exigere dicimas

BIU Cujas

possunt,p.23 c.2 d.78 n.1 & 2
LATERANENSE Concilium quando habitum,l.1 ti.2 pag.23 c.2 def. 78 nu.1 in all
LATRONIS famosi & grassatoris pœna, & in quo differant, l.9 t.24 p.1205 c.2 d.7 num.1
Latronis famosi & furis famosi differentia,l.6 t.2 p.618 c.1 d.3 n.1 3 & 4
LAVDIMIVM actione in personam:Canon annuus actione in rem peti debet lib.4 tit.31 p.433 c.2 d.1 n.14
Laudimium vtrum sit soluendum per emptorem vel amicum, cuius etiam nomine facta fuit emptio?l.4 t.28 pag. 416 c.2 d.8 n.14
Laudimium non debetur si pignus sub hasta venditum intra semestre luatur, l.4 t.30 p.425 c.2 d.6 n.3 in all.
Laudimia sunt onera realia feudi, non minus quàm seruitia, & rem sequuntur quocumque progrediatur, lib.4 t. 43 p.485 c.1 d.1 n.24 in all.
Laudimia causam habent à translatione domininij rei feudalis vel censualis vel emphyteuticæ,l.4 t.43 p.486 col. 1 d.4 num.1 in all.
Laudimia sunt ex fructibus feudi & dominij directi,l.4 t.43 p.485 c.1 d.1 nu. 17 in all.
Laudimia ad fructuarium pertinent:ius tamen inuestiendi ad proprietarium, lib.4 ti.43 p.501 col.2 d.46 nu.1 & 4
Laudimia quando debeantur domino retrofeudi, l.4 t.43 p. 510 col.2 def.73 num.1
Laudimia debentur de consuetudine,etiam pro emptione facta sub hasta,l.4 t.43 p 493 c.2 d.23 n.1
Laudimia debentur ex contractu qui ab initio tenuit,licet postea non teneat, p.508 c.2 d.65 n.1 & 2
Laudimia etiam ex donatione debentur nisi vbi contraria viget consuetudo, l.4 t.43 p.489 c.2 d.29 n.1 & 3
Laudimia etiam ex retrouenditione debentur,vt ex alio quolibet actu translationis dominij, l.4 ti.36 p.454 c.1 d. 18 n.7 in all.
Laudimia debentur ob dominij translationem, l.4 tit.34 p.440 c.1 d.1 n.7 in all. tótque debentur laudimia quot sunt venditiones dominiique translationes,Ibidem c.2 d.2 n.2 in all.
Laudimia debentur propter solam dominij directi recognitionem,lib.4 t.43 p.485 c.1 d.1 nu.18 in all. debentur tamen etiam insignum subiectionis. Ibidem d.1 num.23 in all.
Laudimia ex subhastationibus debentur ei qui habuit ius dominij directi tempore expeditionis,non ei qui tempore elapsi sequestris, l.4 t.43 p.495 c.2 & seq.d.30 à n.ad 36
Laudimia ex alienatione feudi etiam in priuatum Principem collata debentur lib.4 t.43 p.484 c.2 d.1 n.32
Laudimia debentur inspecto tempore secutæ electionis non conuentionis,si conuenerit debitor vt ex pignoribus denturin solutum ea quæ creditor elegerit, l.4 t.43 p.505 c.2 d.58 n.1 & 2
Laudimia semel debita ob solam donationis resolutionem deberi non desinunt,l.4 t.43 p.495 c.1 d.28 n.10
Laudimia tot debentur quot sunt alienationes,l.4 t.28 pag.417 col.1 d.8 n.9 in all.
Laudimia confirmatis quandocunque subhastationibus debentur ei qui expeditionis tempore habuit ius ea petendi,l.4 t.43 p.498 c.2 d.38 n.5.
Laudimia nascuntur & renascuntur pro alienationum diuersitate,l.4 t.43 p.496 c.2 defin.30 nu.1 in all.
Laudimia non in singulos annos, sed in singulas tantum alienationes debentur,lib.4 t.43 p. 490 c.1 d.14 nu.3in all.
Laudimia neque contractu pignoratitio neque ex cessione iurium omnium creditoris debentur,etiamsi adsit clausula deuestituræ & inuestituræ,l.4 t.43 p.509 c.2 d.67 n.1.2 3 4 & 5
Laudimia non priue debentur quam sit adprehensa possessio, l.3 t.22 p.230 c.1 d.4 nu.6 & 7
Laudimia non debentur pro dote, debentur tamen pro fundo dato in solutum ex causa dotis pecuniariæ,l.4 t.43 p.504 c.2 d.55 n.1 & 8
Laudimia non debentur ex antichresi quantocunque tempore durauerit,nisi facta sit in fraudem domini directi, li.4 t.43 p. 506 c.1 d.60 à n.1 ad 12
Laudimia ex contractu nullo non debentur, ex resoluto autem & reuocato debentur , lib. 4 ti.43 pag.495 c.1 d.28 num.10
Laudimia non debentur ex donationibus factis inter parentes & liberos,li. 4 t.43 p.510 c.2 d.71 nu.1
Laudimia ex subhastationibus quantumuis perfectis absolutis nulla ante sex elapsos menses debentur: quibus elapsis non duplicia , sed simplicia præstanda sunt, l.4 t.43 p.496 c.1 d.30 num.24
Laudimia pro venditione pensionis annuæ & perpetuæ super feudo emphyteutico impositæ non debentur, sed onus illud pensionis extinguendum est, l.4 tit.43 pag.510 c.1 d.72 n.1
Laudimia neque ex venditione rei alienæ neque ex contractu gignoris debentur,nec commissum peti potest ob non factam huiusmodi contractuum inscriptionem, l.4 t.43 p. 511 c.1 d.74 n.1 & 10
Laudimia nulla pro venditionibus conditionalibus ante conditionis euentum debentur, lib.4 ti.43 pag.496 c.1 def.30 n.15
Laudimia non debentur nisi quotics transfertur dominium rei feudalis & emphyteuticariæ, lib.4 tit.43 pag.510 c.2 def.72 nu.2 Nisi consuetudo sit in contrarium,Ibid.
Laudimia soluta quando repeti non possint, lib. 4 tit.28 pag. 416 c.2 d.8 à nu.1 ad 9
Laudimia omnia ab eo solo qui possidet exigere dominus poterit, si emptio rei emphyteuticariæ per multorum personas ambulauerit, lib.4 ti.31 p.433 c. 2 d.1 num.12
Laudimia adiudicari possunt domino directo commissum petenti ob non factam solutionem laudimiorum, li.4.t. 43 p.505 c.2 d.57 n.1 2 & 3
Laudimia peti possunt & actione in personam & actione in rem,contra quemlibet possessorem:non etiam impensæ factæ eo nomine contra priorem emphyteutam,l.4 t.43 pag.509 c.2 d.68 n.1 2 3 4 & 5
Laudimia soluta ex conttactu iurato quamuis nullo , non possunt repeti & non soluta possunt peti , nisi aduersus eum contractum & restitutio in integrum & absolutio impetretur , l. 4 ti.43 pag.509 col.1 defin.66 numer. 1 & 2
Laudimia soluta ei cui nulla debebantur non eo minus exigi possunt per eum cui debentur, l. 1 t.43 pag.497 c. 1 defi.31 n.5 & 6
Laudimiorum nomine actio in rem competit aduersus possessorem, l.4 t. 43 p.489 c.1 d.9 nu.4 in all.
LEGANS rem in qua solum habet vsumfructum,non tantum ius quod habet in re, sed rem ipsam legare intelligitur,l.6 t.18 p.700 c.1 d.13
LEGARE rem suam potiùs quàm alienam quisque præsumitur,l.8 t.36 pag. 1141 c.1 d.20 n.8 in all.
Legare ij tantum possunt qui & testari, pag.10 col.2 d.40 num.1 in al.
LEGATARIVS petens legatum ab eo qui se heredem ex asse dicit,quatenus non sit cogendus exhibere testamentum,l.2 t.1 pag.66 c.1 defin.1 n.5 in all.
Legatarius quo casu teneatur alteri propter onus insertum legato, quod tamen ipse nunquam habuerit, l.6 t.22 p.731 c.2 d.44
Legatarius qui patitur rem legatam describi in solemni inuentario bonorum hereditariorum , non amittit rei legatæ dominium, l.6 t.11 pag.673 c.2 defin.41
Legatarius olim propria authoritate legatum occupabat per vindicationem, lib.1 ti.2 p.10 c.2 defin.39 n.3 in alleg.
Legatarius hereditatis non est magis successor iuris quàm legatarius rei singularis, lib.6 t.3 p.619 c.1 defin.1 nu. 8 in all.
Legatarius in re legata quodammodo est heres, l.3 ti.22 p.235 c.1 d.17 nu.1 in all.
Legatarius etiam per vindicationem non potest legatum occupare propria authoritate, institutus ex re certa potest , sed non agere interdicto retinendæ possessionis ante occupatam possessionem, l.8 t.2 p.950 c.2 d.1 à n. 1 ad 8
Legatarius non habet interdictum retinendæ possessionis antequam corporalem possessionem nactus sit,lib.8 ti. 4 pag.965 col.1 d.2 num.1
Legatarius non potest legatum pro parte agnoscere & pro parte repudiare, l.3 t.22 p.235 c.2 d.17.n.3
Legatarius nonnunquam alteri propter onus legato insertum , quòd tamen nunquam ipse habuerit , tenetur l. 6 t.22 p.731 c.2 defin. 44 n.1 2 3 4 5 6 7 8 9 & 10
LEGATAM pecuniam , quam testator voluit capi ab hereditario debitore, heres non cogitur soluere,l.6 t.18 pag. 697 c.2 d.5
Legatam rem alij & à legatario etiam pro parte agnitam non potest heres, ne quidem ab alio vindicare , l.3 t.22 p.235 c.1 d.17 n.1 & 2
Legatum est donatio à defuncto relicta ab herede præstanda,l.8 t.4 p.965 col. 2 d.2 n.1 in all.
LEGATVM facit, voluntatis non scripturæ ratio, lib.6 tit.11 pag.664 c.1 d. 15 num.5
Legatum à milite relictum adulteræ valet, sed aufertur ei à fisco tanquam indignæ,nisi donatum sit in piam causam & in remunerationem, l.6 t.16 p. 688 c.2 d.2
Legatum nummarium debentur in eo valore qui fuit tempore testamenti, lib.8 t.30 pag.1091 c.1 d.15
Legatum pecuniarium ad legitimam in bonorum corporibus consequendam repudiare non licet,lib.3 t.19 p.214 c.2 d.16 num.10 in all.
Legatum pro alimentis datum filio naturali cum onere fideicommissi,si is sine liberis moreretur, debetur filio viuenti, quamuis monacho effecto, l.6 ti.25 pag.745 c.1 d.13
Legatum pro dote tacitam conditionem nuptiarum habet, si factum sit ab extraneo, secus si ab ascendente, & ideo posteriore casu transmittitur, priore non item

BIU Cujas

non item, lib. 6 tit. 25 p. 743 col. 1 d. 9
Legatum pro legitimæ portionis iure relictum repudiare licet & legitimam in corporibus bonorum hereditariorum perinde petere ac si nihil relictum esset l. 3 t. 19 p. 211 c. 2 d. 9 n. 2
Legatum quod non fuit ex legato nec deberi, nec proinde peti potest l. 7 t. 1 p. 791 c. 1 d. 26 n. 1, 2 in all.
Legatum quod datur matri pro omni iure legitimæ, excludit matrem etiam à legitima in fauorem eius qui compendiose substitutus fuit lib. 6 t. 8 p. 651 c. 2 d. 19
Legatum liberationis ratio num reddendarum, remittit duntaxat scrupulosam redditionem, nisi in casibus, nunquam dolum. l. 6 t. 18 p. 702 c. 2 d. 18
Legatum pensionis, & legatum pecuniæ pro pensione extinguenda sunt diuersa lib. 6 tit. 18 p. 704 col. 2 d. 23 nu. 11. in all.
Legatum pensionis annuæ etiam pio loco relictum finitur spatio centum annorum, nisi onus sit perpetuum etiam vltra centum annos l. 7 t. 13 p. 833 c. 2 d. 20 n. 1
Legatum piæ causæ relictum si deletum sit non eo minus debetur, quasi inconsultò deletum li. 1 t. 2 p. 10 c. 2 d. 39 n. 3 in all.
Legatum rei alienæ, etiam in coniunctam personam collatum quibus casibus non valet, lib. 6 ti t. 18 pagina 703 col. 21
Legatum vsusfructus restrictum ad alimenta fauore pupilli, an restringatur fauore substituti vulgaris aut pupillaris, l. 6 t. 18 p. 701 c. 1 d. 15
Legatum petens filius in quo grauatus est sub conditione omnimodo extitura, cautionem præstare debet; & quid si cauere ac satisdare non possit, lib. 6 t. 25 p. 745 c. 2 d. 14
Legatum ante diem petenti obiiciendum legitimam minorem esse legato, l. 3 t. 19 p. 213 c. 1 d. 12 n. 8 in all.
Legatum non præsumitur in dubio relictum animo compensandi, li. 6 tit. 18 p. 698 col. 2 def. 8
Legatum transmittitur etiam ab ignorante, lib. 3. tit. 22 p. 235 c. 1 d. 17 nu. 2 in all.
Legatum maius dans videtur de minore transegisse, & animo compensandi legasse, l. 6 t. 18 p. 703 c. 2 d. 22
Legatum non potest amplius videri quam fuerit in legantis patrimonio p. 9 col. 2 def. 37 n. 6
Legatum si vel ex minima parte agnitum sit, totius rei legatæ dominum recta via transit à testatore in legatarium lib. 5 tit. 22 p. 235 c. 1 d. 17 n. 4
Legatum qui agnouit pro omni legitimæ iure relictum, supplementum nihil magis petere prohibetur l. 3 t. 19 p. 212 c. 1 d. 10 num. 1. 2. 3 4 & 5
Legatum agnosci non potest sine onere quod legato admixtum est lib. 6 t. 22 p. 731 c. 2 d. 44 n. 3 in all.
Legatum confessario in piam causam legatum intelligitur, & quem ordinem hic legatarius inter cæteros habeat p. 10 c. 1 d. 38 n. 1
Legati agnitio quod non excludit læsionem in legitima, non excludit restitutionem l. 3 t. 19 p. 213 c. 2 d. 15 nu. 1
Legati agnitio legatario necessaria est l. 3 t. 22 p. 235 c. 1 d. 17 num. 2 in all.
Legati petitio non potest differri prætextu expilatæ hereditatis, sed tamen legatarius interdum satisdare cogendus est lib. 9 t. 19 pag. 1183 col. 1 def. 2 num. 1
Legati non adimendi sed suis necessitatibus subueniendi animo si res legata vendita sit non idcirco legatum ademptum videtur li. 8 t. 346 p. 1147 c. 2 d. 11 num. 8
Legato nomine, legatarius habet vtilem actionem etiam hypothecariam sine cessione, sed non possessionem neque remedia possessoria, lib. 6 t. 18 p. 793 c. 1 d. 20
de Legato pro legitima dato sub pignore per antichresim constituto, li. 8 t. 26 p. 748 c. 2 d. 4
Legata pia an possint reuocari, l. 6 t. 5. p. 635 c. 1 d. 29 à n. 3 ad 8
ad Legata reuocãda tacita voluntas sufficit, lib. 6 t. 5 p. 635 c. 1 d. 29 n. 6 in all.
Legata intercidunt non adita ex testamento hereditate, l. 6 t. 6 p. 637 c. 1 d. 1 n. 21 in all.
Legatorum ratio nunquam ponitur nisi reducto prius ære alieno pag. 10 col. 1 d. 37 n. 3 in all.
Legatvs à latere potest omnia facere quæ summus ipse Pontifex faceret in ea orouincia in qua legatus est p. 3 c. 2 d. 9 n. 5
Legio vel talliabili succedens dominus an & quando teneatur ad æris alieni solutionem lib. 7 t. 1 p. 787 col. 2 d. 23 num. 1
Legiorum hominum conditio apud Centrones l. 7 t. 1 p. 787 c. 1 d. 22 n. 1
Legitima nihil aliud est quàm portio portionis ab intestato contingentis, l. 6 t. 8 p. 644 c. 2 d. 3 n. 4 in all.
Legitima non hereditatis, sed bonorum portio lib. 3 t. 19 p. 210 c. 1 d. 4 n. 5
Legitima aliud nihil est quam portio portionis ab intestato contingentis l. 7 t. 1 p. 780 c. 2 d. 5 n. 6 in al.
Legitima dicitur quòd debeatur ex lege l. 8 t. 39 p. 1144 c. 1 d. 7 n. 9 in all.
Legitima dicitur deducto ære alieno l. 7 t. 1 p. 787 c. 2 d. 23 n. 4 in all.
Legitima non nisi deducto ære alieno debetur l. 3 t. 19 p. 210 c. 2 d. 6 n. 5
Legitima semper certa eademque est l. 3 t. 19 p. 215 c. 2 d. 20 n. 8
Legitima non est quota hereditatis, sed bonorum pag. 83 c. 2 d. 18 nu. 2
Legitima congrua dicitur inspecto mortis tempore testantis l. 3 t. 19 p. 216 c. 1 d. 21 n. 1 & 3
Legitima ab omni onere & grauamine immunis esse debet lib. 3 t. 19 p. 211 c. 1 d. 6 num. 12 in all.
Legitima æstimatur ex comparatione patrimonij quod moriens paterfamilias reliquit, li. 6 t. 23 p. 735 c. 1 d. 4 n. 15 in al.
Legitima licet non sit pars hereditatis, est tamen pars bonorum l. 7 t. 1 p. 781 c. 1 d. 6 nu. 2 in all.
An Legitima debeatur cum fructibus li. 3 t. 19 p. 211 c. 1 d. 6 num. 11 in all.
Legitima cum fructibus præstari debet l. 3 t. 19 p. 212 c. 2 d. 11. 7 in all.
Legitima parentum hodie est triens portionis ab intestato contingentis l. 6 t. 8 p. 635 c. 2 d. 22 num. 2 in al.
Legitima detrahitur ante diuisionem faciendam ex l. hac edictali, si contra eam legem peccatum sit. Alioqui non detrahitur l. 5 t. 5 p. 523 c. 2 d. 6 n. 1. 2. 3 & 4
Legitima liberorum non augetur propter id quod heredi datum est contemplatione defuncti lib. 3 t. 19 p. 221 c. 2 d. 35 n. 1 & 2
Legitima non minuitur per donationes causa mortis sicut nec per legata l. 8 t. 39 p. 1144 c. 1 d. 7 n. 13 in al.
Legitima siue liberis siue parentibus debita minui, in totum autem tolli non possunt p. 46 c. 1 d. 6 n. 1 & 2
Legitima portio donata aut in dotem constituta tanto minor fit quanto plus ex die donationis aut constitutionis alienatum reperitur l. 3 t. 19 p. 218 c. 2 d. 27 nu. 10
Legitima in pecunia non solui potest qui catenus patrimonium perinde diminuatur ac si corpora præstarentur l. 3 t. 19 p. 218 c. 1 d. 26 n. 5
Legitima maiori ratione debetur liberis in bonis parentum, quam parentibus in bonis liberorum l. 7 t. 1 p. 780 c. 2 d. 5 nu. 9 in al.
Legitima matris quota debeat esse cùm adest frater vtrinque coniunctus, lib. 8 t. 8 p. 653 c. 1 d. 22
Legitima ita filio relinquenda est, vt certam habeat quantitatem, nec vlla litigandi necessitate implicitam, lib. 3 tit. 19 pag. 211 col. 2 defi. 9 nu. 4 in all.
Legitima nulla ante mortis tempus debetur l. 3 t. 19 p. 216 c. 1 d. 21 num. 4
Legitima non debetur nisi ex bonis quę quis mortis tempore reliquerit lib. 6 t. 8 p. 651 col. 2 defi. 19 nu. 4 in al.
Legitima nulla nec legitimæ supplementum debetur si legimæ renunciatum sit l. 3 t. 19 p. 216 c. 2 d. 23 n. 9
Legitima nulla debetur filio eius qui fuit reus læsæ maiestatis l. 4 t. 9 p. 292 c. 2 d. 1 n. 8 in all.
Legitima non minuitur per donationes causa mortis lib. 3 t. 19 p. 218 c. 2 d. 28 num. 1
Legitima neque diem recipit neque conditionem l. 3 t. 19 p. 213 c. 1 d. 12 nu. 1 in al.
Legitima implicitam dominij quæstionem continet lib. 8 t. 19 p. 220 c. 1 d. 32 num. 2
Legitima si in dotem data sit non dotis constituæ tempus spectandum est li. 3 t. 9 p. 218 c. 2 d. 27 n. 1. & 2
Legitima quæ descendentibus debetur, non differt ab ea quæ ascendentibus l. 3 tit. 19 p. 214 c. 2 d. 16 n. 2 3 4 5. 6. 7. 8. 9 & 10
Legitima facto testamento non potest peti nisi per querelam quæ contra testamentum proponitur. Supplementum vero legitimæ ex testamento petitur p. 84 c. 2 d. 19 nu. 4 in al.
Legitimæ nomen significationis est tractum habentis in tempus mortis l. 3 t. 19 p. 218 c. 2 d. 27 nu. 3
Legitimæ ratio ponenda est ex quantitate bonorum quæ mortis tempore reperiuntur li. 3 t. 19 p. 221 c. 2. d. 35 nu. 2 in all.
Legitimæ ratio non nisi inspecto mortis metu ponitur l. 4 t. 9 p. 294 c. 2 d. 4 n. 13 in al.
Legitimæ renunciatio quantumuis iurata ante patris obitum effectum nullum sortiri potest lib. 3 t. 19 p. 217 c. 1 d. 23 nu. 31
Legitimæ potior causa est, quàm donationis causa mortis l. 8 t. 39 p. 1143 c. 2 d. 7 n. 7
Legitimæ fructus eodem loco habentur ac si legitimæ portio essent non accessio l. 3 t. 19 p. 212 c. 1 d. 11 n. 12
Legitimæ portionis quæcumque conditionem deteriorem facere possunt pro scriptis habentur l. 3 t. 19 p. 212 c. 1 d. 10 nu. 3
Legitimæ portionis fauor elicit vt potestas restitutionis intellectum prorsus renunciationis tollat l. 3 t. 19 p. 212 c. 1 d. 11 n. 8o
Legitimæ quantitas cum ex incerto euentu, & liberorum numero pendeat auctisque vel diminutis facultatibus augeatur, vel diminuatur, incerta est l. 3 t. 19 p. 216 c. 2 d. 22 n. 2

BIU Cujas

Legitimæ ſupplementum præſupponit aliquid iam acceptum eſſe pro legitima licet minùs quam oporteat p.84 c. 2 d.19 n.3 in all.

Legitimæ ſupplementum nullum debetur quandiu ſubſiſtit renunciatio l. 3 t.19 p.213 c.2 d.14 n.4

Ad Legitimæ ſupplementum actio ſola competit. l.3 t.20 p.223 c. 2 d.4 num.2 in all.

ad Legitimæ ſupplementum agi poteſt ex teſtamento, cum aliquid etiam minus legitima in eo teſtamento relictum eſt,lib.6 t.8 pag.644 c.1 defin.14 in all.

In Legitimæ computatione videndum eſt quanti potuit ab initio vendi detracto litium dubij euentus periculo metúque ſumptuum l. 3 t.19 p.221 c.2 d.36 n.2 & 3

In Legitimæ computatione an monachus item faciat l.3 t.19 pag.211 c.1 defin.8 nu.1

In Legitimæ æſtimatione tempus mortis ſpectandum eſt l.3 t.19 p. 217 c.1 d. 23 n.30

Legitimæ incapax eſt quiſquis ab inteſtati ſucceſſione excluditur li.3 t.19 p. 208 c.2 d.1 n.2

Legitimæ electio patris eſt non liberorum niſi quatenus legis aut ſtatuti poteſtas concurrat quæ certa fortaſſe bona primogenito attribuat l.3 t.19 pag.209 c.1 d.3 n.1 in all.

Legitimæ petitio datur contra tertium poſſeſſorem ſine metu exceptionis non factæ excuſſionis l.3 t.19 p.220 c.1 d.32 n.1

Legitimæ mora fieri non debet ex quæſtione de fideicommiſſo l.3 tit.19 p. 217 c.2 d.24 n.4

Legitimam priùs deberi neceſſe eſt quàm vt renuncietur lib.3 t.19 p.216 c.2 d.23 n.19

Legitimam fructus augent ſicut & hereditatem p.81 c.2 d.20 n.1

Legitimam in fauorem aliorum liberorum qui non egerunt,augere non debet quod per heredis actiones exercentis operam & induſtriam acceſſit hereditati, nec ſi parati ſint in ſumptuum contributionem venire l.3 t.19 p.221 c.2 d.36 n.5

Legitimam petens non prohibetur in æſtimationem deducere illa bona quæ fideicommiſſo obnoxia dicuntur l.3 t.19 p.217 c.2 d.24 numero 5

Legitimam petere permittitur in corporibus hereditariis ei qui legatum proportione legitima relictum repudiat perinde ac ſi ei nihil relictum eſſet,l. 3 t.19 p.211 c.2 d.9 n.8

Legimam nemo dare tenetur in ſingulis rerum hereditariarum corporibus, l.3 t.19 p.210 c.1 d.5 n.2

in Legitimam pater filio computare poteſt ea quæ filij nomine ſoluit ſiue ad ipſius dimittendos creditores, ſiue in quam aliam cauſam præterquam ſi pietate ductus vt puta ſtudiorum cauſa erogauerit, lib.3 t.19 p.219 c.1 d.29 n.1 & 2

Legitimam filiæ pater ſuperſtes aſſignare non cogitur l.3 t.19 p.216 c.2 d.22 n.1 in all.

Legitimam regulariter variare non licet maxime cum prima electio trahit aut iam traxit ſecum executionem, l. 3 t.19 p.214 c.2 d.16 n.7 in all.

in Legitima quid ſit ſciri priùs debet, quàm legitimæ conditio ſeu dies habeatur pro non adiecta li.3 t.19 p.221 c.1 d.34 nu.4

in Legitima perſoluenda portione quæ in nummis relicta eſt teſtamneti tempus ſpectandum eſt li.3 t.19 p.209 c.1 d.2 nu.1

in Legitima filius non cogitur ſequi iudicium teſtatoris ſi malit ſequi iudicium legis l. 4 t.19 p.219 c.2 d.29 n.9 in all.

De legitima patre viuo nunquam queri licet,ſicuti nec de ipſius hereditate p. 82 c.2 d 15 n.10 & 14

LEGITIMARIA portio non niſi ex legitimæ ſucceſſionis comparatione debetur p.84 c.1 d.18 n.8 in all.

cum LEGITIMAT princeps inceſtuoſum aut natum ex damnato coitu non confirmat coitum aut matrimonium, ſed filiationem tantum,l.5 t.16 p.583 c. 1 d.5 n.7 in al.

LEGITIMATIO eſt diſpenſatio ad ius ſucceſſionum & honorum recipiendorum; & Actus voluntariæ iuriſdictionis,quo filij illegitimi antiquis natalibus reſtituuntur,lib.5 t.16 p.583 c. 2 d.5 num.7 in all.

Legitimatio fieri poteſt in præiudicium ſubſtitutorum,l.5 t.16 p.583 c.2.d.5 n. 7 in all.

Legitimatio non valet, niſi fiat mentio qualitatis coitus prohibiti & exiſtentiæ legitimorum, l.5 t.16 p.583 c.2 d.5 nu.7 in all.

Legitimationis quæſtio latius patet quàm de feudo controuerſia p. 173 col.1 d.3 num.4

in Legitimatione illegitimorum, maxime inceſtuoſorum & natorum ex damnato coitu neceſſarium eſt vt princeps vtatur plenitudine ſuæ poteſtatis,l.5 t.15 pag. 583 c.2 d.5 num.7 in all.

LEGITIMATVS à Principe dicitur legitimus non natura ſed gratia, non generatione ſed regeneratione, non felicitate naſcendi ſed dono principis, lib.5 t.16 pag.583 col.2 d.5 n.7 in all.

Legitimati per ſubſequens matrimonium non extinguunt conditionem fideicommiſſi relicti, ſi ſine liberis in iuſto matrimonio procreatis, l.6 t.25 p.747 c.2 d.19

Legitimati quoad ſucceſſionem nihil à legitimis differunt,li.5 t.16 pag.583 c. d.5 n.7 in all.

Legitimatis pater relinquere poteſt quantum vult,modo legitimam filiorum legitimorum non minuat, li.5 t. 16 p.583 c.2 d.5 n.7 in al.

LEGITIMI nulli erunt ab initio, neque illegitimi,l.5 t.16 p.583 c.2 d.5 nu. 7 in al.

Legitimorum liberorum legitima ſemper ſalua eſſe debet, l.5 t.10 p.586 c.1 d.13 n.13 in all.

LEX generaliter loquens generaliter quoque intelligenda,li.8 t.30 p.1101 c. 2 d.43 nu.3 in all.

Si Lex velit conſuetudinem tollere, minor eſt poteſtas conſuetudinis, quàm legis l.7 t.35 pa.1124 col.2 d.4 n.1 & 2

Siue Legi ſiue conſuetudini antiquæ ſtandum eſt præterquam ſi agatur de re priuata cui priuatus poſſit quam velit legem dicere li.8 t.35 pag.1124 c. 2 defin.5 n.12 & 3

Lege permittente, nullóque prohibente quod fit,pœnam non meretur l.9. t.9 p.1165 c.1 d.1 n.10 in all.

Legis, *ſi literas*, 7. *C. de mand.* explicatio, lib.4 t.26 p.406 c.2 d.17 n.1 in all.

Lege lata contra abuſum commerciorum in aureis æſtimandis, maior habenda ratio legis quàm abuſus, l.8 t. 30 p.1100 c.2 d.39

LIBERALITATEM immoderatam eſſe dicens probare debet,lib.5 t.5 p.524 c. 2 d.10 numero 1 & 2

LIBERATIO gratuita etiam non inſinuata valet ſaltem in vim pacti de non petendo, niſi facta ſit per ſpeciem donationis l.8 t.40 p.1145 c.1 d.3 n.1

Liberatione legata dolus præteritus aliquando remiſſus intelligitur, futurus nunquam,nec rurſus dominium quod potuit teſtator vindicare, lib.6 ti.18 p. 699 col.1 def.9

LIBERI non poſſunt dicialij quam qui patrem habent,l.6 t.23 p.738 c.2 d.10 n.2 in all.

Liberi patris originem non domicilium ſequuntur p.74 c.2 d.5 n.3 in all.

Liberi qui ex filio naſcuntur auo paterno ſunt oneri lib.4 t.9 pag. 293 c.2 d.3 n.1 in all.

Liberi ſuſcepti ex damnato coitu naturales non ſunt nec ab ipſo etiam patre alendi, l.4 t.9 p.294 c.1 d.3 numero 6 in all.

Liberi in conditione paſiti, non cenſentur vocati, ni concurrant plures conjecturæ,lib.6 tit.22 pag.713 c.2 d.1

Liberi in conditione poſiti ex quibus coniecturis cenſeantur vocati, l.6 t.22 p.731 c.1 d.43

Liberi in duplici conditione poſiti & grauati non cenſentur vocati, niſi aliæ adſint coniecturę, quamuis ſint ex deſcendentibus, l.6 t.22 p.714 c.2 d.1

Liberi cum parentibus vocati per copulam, an & quando ſuccedant ſimul an ordine ſucceſſiuo, l.8 t.8 p.646 col.1 d.7

Liberi cum parentibus vocati aliquando cenſentur vocati tantùm ordine ſucceſſiuo, & in caſum tantum fideicommiſſi,lib.6 t.8 p.647 col.1 d.9

Liberi vocati poſt parentes ordine ſucceſſiuo, cenſentur in dubio vocati tantum in caſum vulgarem,non in fideicommiſſarium,niſi ex coniecturis, l.6 t.8 p.646 c.2 d.8

Liberi eius qui propter ſacerdotium excluſus eſt à fideicommiſſo,non eo minus admittuntur, ſi ante ſuſcepti ſint: multo magis faciunt deficere conditionem fideicommiſſi, l.6 t. 25 p.471 c.1 d.3

Liberti quos abſtinuiſſe nondum conſtat, poſſunt conueniri tanquam heredes,nec ſi dicant ſe abſtinere prius ſunt abſoluendi quàm curator datus ſit hereditati,ſecus in extraneis, l.6 t. 12 p.675 c.2 d.2

Liberorum potior quàm monaſterij cauſa eſt,p.11 c.2 d.43 nu.2

Liberis ſuccurrendum eſt etiam aduerſus creditores patris, vt ex pignorum dotalium fructibus alantur, ſi aliunde non poſſint l.6 t.34 pag.772 colum.2 d.6

Liberis quomodo ſuccurrendum ſi matre mortua creditores paterni agant in bona pro dote obligata, l.6 t.34 p.772 c.1 d.3

de Liberis cogitaſſe creditur ad impediendam donationis reuocationem is qui vxorem ducturus ei donauit, non etiam quiſquis habet vxorem ex qua liberos ſperare poſſit,l.8 t.38 p.1136 c. 1 d.7 n.12

de Liberis natis ex matrimonio cum ea contracto quæ prius polluta fuerat per adulterium, lib.6. tit.33 p.770 colum.2 d.9

Liberis natalibus alimenta debentur ab inteſtato l.4 t.9 p.294 c.1 d.3 nu.6 in all.

Liberis naturalibus non minus quàm legitimis debentur alimenta ex ratione & æquitate naturali p.150 c.1 d.7 n.6 in al.

Liberis ius iam quæſitum aufferri non poteſt

BIU Cujas

poteſt per factum & voluntatem patris l.8 tit.3 p.800 c.2 d.4 n.3 in al.

Liberi dedititj ſeu talliabiles viuunt liberi & moriuntur ſerui l.4 t.15 p.324 c.1 d.27 n.1

Liberi talliabilis defuncti nō excludunt dominum ſi ſe abſtineant à bonis patris l.7 t.1 p.794 c.2 d.22 nu.1

Liberis nocere non poteſt factum patris in eo iure quod habent ab auo non à patre, li.9 tit.19 pag.1214 col.1 d.1 numero 9 in al.

LIBERTAS vera eſt, quæ nec lui pecunia rec reparari poteſt p.121 c.1 d.3 n. 3 in al.

Libertas habet cauſam pietatis adnexam & ideo fauorabilis pag.9 c.2 d.37 nu 4

Libertas quæ ſemel competit nunquam reuocatur l.7 t.3 p.797 c.2 d.2 num.3 in all.

Libertas quæ ſemel competit nunquam reuocatur niſi ex ingratitudine p.63 c.1 d.8 nu.7 in all.

Libertatis fauor omnium rerum fauorabiliſſimus p.30 c.2 d.11 num.4 in all.

Libertatis fauore multa ſunt contra rigorem iuris conſtituta lib.7 t.5 p.802 c.1 d.1 n.10 in al.

Libertati competenti reuocatio non facit præiudicium p.63 c.1 d.8 num.7

LIBERTVS qui ius annulorum olim à principe conſequebatur dicebatur viuere quaſi ingenuus, mori quaſi libertus li.4 t.15 p.334 c.2 d.27 n.1 in all.

Libertus viuus donare bene merentibus amicis poteſt, legare verò nec bene merentibus poteſt quod patronis partem minuat li.3 t.19 p.219 c.1 d.28 n. 6 in al.

LICITATIONIS remedium odioſum eſt, ideóque non niſi deficientibus aliis omnibus amplectendum l.3 tit.27 p.255 c.2 d.14 n.1 in all.

Licitationis vſus nullus eſt niſi cum aut alia diuidendi ratio nulla ſupereſt aut ij omnes conſentiunt, quorum intereſt l.3 t.27 p.255 c.2 d.14 nu.6

LEGATA res ſi litigioſa ſit, peragenda lis eſt cum herede, non cum legatario, l.3 t.27 p.255 c.2 d.13 nu.3 in al.

LITANIÆ maiores & minores quæ, li.3 t.11 p.188 c.2 d.6 n.1 & in all.

LIS conteſtata dicitur quoties iudex per narrationem negotij cauſam audire cæpit, p.185 c.1 d.1 n.1 in all.

Lis pendere dicitur poſtulata in integrum reſtitutione licet nulla dum ſecuta ſit conteſtatio, p.137 c.1 d.1 n.11

Lis non pendere intelligitur quæ in eo eſt vt ſtatim terminari poſſit vt nec durare tutela quæ ſtatim ſit finitura l. 4 t.17 p.355 c.2 d.4 n.9 in all.

Mota lis non eſt quæ non perſeuerat, l.4 tit.24 pag.397 col.1 def.37 n.9 in all.

Lis per calumniam & tergiuerſationem inſtituta prodeſſe non debet l.7 t.13 p.833 c.2 d.22 nu.5 in all.

Lis ſuper hypothecaria non impedit ne fiat alienatio lite pendente cum non faciat rem litigioſam l.8 t.6 p.969 c.1 d.4 n.1 in al.

Litis appellatoriæ ſumptuum compenſatio inducitur ex mutua culpa mutuaque victoria, pag.176 col.1 d.7 num.7 in al.

Litis coteſtatio conſtituit reum in mala fide l.8 t.6 pag 972 c.1 d.15 num.4 in al.

Litis conteſtatio poſſeſſorem obligat ad fructuum exinde perceptorum reſtitutionem etiamſi poſtea diu intermiſſa ſit litis perſecutio l.7 t.18 p.870 c.1 d.77 n.1

Litis expenſæ motæ ſuper deſertione appellationis, ab expenſis litis appellatoriæ an & quando diſtinguendæ ſint l.7 t.8 p.852 c.1 d.12 n.2

Litis appellatoriæ expenſas obtinere nunquam debet qui appellationem deſeruit, licet bonam cauſam habeat l.7 t.18 p.870 c.1 d.79 n.1

Litis ſumptus tametſi excedant quantitatem priuilegio definitam, gaudent tamen debiti principalis priuilegio lib.7 ti.15 p.844 c.2 d.16 n.1

Qui Liti cauſam dedit condemnandus eſt breui manu ad omnes expenſas etiam ab eo factas cui non fuit ille obligatus lib.7 tit.18 pag.833 c.2 defin.54 num.1 & 2

Qui ſe liti obtulit tanquam autor laudatus cum tamen id nullo iure factum eſſet non eò minùs vti poteſt iure illius à quo laudatus fuit dum ne faciat duriorem aduerſarij conditionem lib. 8 t.30 p.1116 c.1 d.21 n.1 & 2

Litem ab inferiore iudice euocare non poteſt quiſquis maior eſt, ſed is tantum qui ſuperior l.7 t.15 p.845 c.1 d. 19 n.1

Lite finita ſiue per ſententiam ſiue per tranſactionem poſſunt adhuc peti expenſæ litis, ſi ſint in obligatione, ſecus tantum officio iudicis debebantur li. 7 t.28 p.849 c.1 d.3 n.1

Litium & criminalium & ciuilium abbreuiandarum noua ratio lib.9 t.23 p. 1194 c.2 d.1 n.1

Litis conteſtatæ tempus ſemper ſpectandum eſt niſi cùm dies adiicitur, l.4 tit. 2 p.275 c.2 defin.11 n.9

Litis euentus ſemper dubius & incertus eſt, l.4 t.30 p.427 c.1 d.11 nu 8 in all.

Litis euocatio permittenda eſt cùm locus in quo ius redditur ſuſpectus eſt p.158 c.2 d.9 n.1 & 2

Litis materiam ſubeſſe ſufficit vt poſt iudicatum tranſigi poſſit, p.89 c.2 d.5 n. 3 in all.

Liti alienæ interueniens ſiſtere eam non poteſt, ſed in eo ſtatu in quo lis eſt, debet interuenire, p.158 c.1 d.7 n.1 2 3 & 4

Litis vnius interitus, non debet eſſe alterius ortus pag.165 c.2 d.36 n.7 in al.

Litem inſtituere alieni compendij cauſa nemo cogendus l.2 t.2 p.76 c.2 d.14 n. 3 in all.

Litem conteſtando conditionem ſuam nemo deteriorem facit lib. 4 t.24 p. 385 c.1 d.4 nu.8 in all.

Litem qui iam conteſtatus eſt ſi iterum iubeatur conteſtari nec appeller, eſt cogendus vt conteſtetur aut habendus pro contumace, p.185 c.1 d.1 n.1 2 & 3

Lite criminali incidente in ciuilem, ſi in ciuili conſtat de iure litigatorum, ſtatim terminanda ciuilis quæſtio non expectato fine litis criminalis, l.3 t.7 p.183 c.1 d 13 num.2 in al.

Lite pendente nihil inconſulto iudice faciendum eſt p.163 c.1 d.28 n.1 & 12

Lites omnes ſine ſuſpicione procedere oportet p.156 c.1 d.1 n.4 in all.

Lites omnes ſine ſuſpicione debent procedere l.4 tit.14 p.317 c.1 d.37 num.9 in all.

Litium alienarum redemptores omnes ſunt otioſi, l.4 t.41 p.471 c.2 d.20 n.10 in all.

LITIGANS recedens à forma recedit à ſubſtantia, p.99 col.2 d.16 n.3 in all.

Litigare non cogitur coram inferiore iudice qui apud ſuperiorem in alia lite iiſdem inſtrumentis vti cogitur, p.157 c.1 d.3 n.1 & 2

LITIGATOR ad locum ſuſpectum nūquam ire cogitur, p.158 c.2 n.5 in al.

Litigator non cogitur edere collitigatori ſuo inſtrumentum quod tuendi ſui gratia & ſine die & ſine conſule obiecit, p.66 c.1 d.2 nu.1

Litigator iudicis non eget auxilio qui iam obtinuit executionem, p.161 c.1 d. 23 nu.3 in all.

Litigatori ex bonis controuerſis præſtanda eſt quantitas neceſſaria ad ſumptus litis & alimentorum, pag.183 co.2 d.14 n.5 in al.

Litigatores in iudicio poſſeſſionis retinendæ allegare titulum & attingere peritorium confortandi poſſeſſorij cauſa poſſunt, in eamque rem proteſtationem adhibere operæ pretium eſt, pag.182 c.1 d.9 nu.1 in al.

Litigatores nunquam inanibus ſumptibus ſunt vexandi, p.99 col.2 d.15 nu.6 in al.

Litigatores Sabaudi iudicem accipere laicum vltra duas dietas morantem non coguntur, p.172 c.1 d.2 n.1

Litigatoribus permittendum non eſt vt ab eo quod ſemel voluerunt, poſtea recedant, p.159 c.2 d.14 n.2 in al.

De Litigatoribus qui ambo clam aliquid fecerunt vt ſibi poſſeſſionem vel acquirerent vel tuerentur l.8 t.3 p.357 c. 1 d.20 nu.1

LITIGIOSA res poteſt venire in diuiſionem l.3 t.27 p.255 c.2 d.12 n.6 in al.

LITERÆ grauaminum non conſtituunt litem appellatoriam, ſed appellationi adminiculum præbent, pag.161 c.1 d. 20 n.2 & 3

Literæ dilatoriæ impediunt prouiſionalem adiudicationem, p.54 c.2 d.22 n.1

Literæ dilatoriæ à Principe concedi ſolent creditoribus paupertatis commiſeratione, p.52 c.1 d.13 n.1

Literæ dilatoriæ profunt debitori etiam qui in carceres iam detruſus eſt, eiuſque fideiuſſoribus p.52 c.2 d.14 n.2

Literæ dilatoriæ exactionem quidem, non tamen compenſationem impediunt, p.52 c.1 & ſeq. d.13 n.1

Literæ dilatoriæ ante diem impetratæ non nocent ſuperuenientibus creditoribus, p.52 c.2 d.16 n.1

Literæ dilatoriæ contra ſententiam non poſſunt impetrari, niſi nouata iudicati actione p.50 c.2 d.4 n.1 & 3

Literæ monitoriæ non ſunt edendæ quarum publicatio petitur ad habendas criminis probationes p.75 c.2 d.19 nu.1

Literæ moratoriæ non niſi ſemel ſunt concedendæ, p.49 c.2 d.1 n.3

Literæ moratoriæ locum non habent cum quis ex delicto debitor eſt conſtitutus, p.53 c.2 d.20 n.1

Literæ ſtatus non ſunt dandæ poſt rem iudicatam, p.52 c.2 d.15 n.1

Literæ ſtatus dicuntur quæ litem in eodem ſtatu manere iubent, p.54 c.2 d. 23 n.1

Literæ ſtatus non profunt attentatori nec ſpoliatori, nec ex cauſis criminalibus, p.63 c.2 d.11 n.1

Literæ ſtatus impetrari non poſſunt, ſi de momentanea poſſeſſione de dote, de alimentis, & de ſimilibus aliis caſibus agatur pag.54 c.2 d.24 n.6.7.8.9. 10 11 12 13 & 14

Literæ ſtatus etiam ad inferiorem magiſtratum directæ non ab alio quàm à Senatu verificari poſſunt pag.65 col.2 d.18.

Literæ reuocandæ litis cum in cauſa concluſum eſt impetrari non poſſunt, p.63 c.1 in fine, d.9 n.1

Literæ prehenſionis durant quamdiu criminalis perſecutio durat p.62 c.2 d. 6 n.5 in al.

Literæ ſubrogationis non poſſunt prodeſſe impetranti, qui nullum in beneſi-

BIU Cujas

cio ius habet nisi à summo pontifice manauerint, p.20 c.2 d.67 n.1
Literæ subrogationis à principibus sæcularibus concessę nec ius aut titulum in beneficio vel ad beneficium tribuere possunt, p.20 col.2 d.67 n.2 & 3
Literæ subrogationis non prosunt canonicum titulum non habenti, p.21 c. 1 d.69 n.1
Literæ quinquennales exigunt satisdationem & consensum maioris partis creditorum p.50 c.2 d.6 n.1 & 2
Literæ salui conductus non nisi à principe vel à supremo magistratu dari possunt, p.65 c.2 d.19 n.1 2 & 3
Literæ principis quæ à magna Cancellaria prodeunt à Senatu inspici & adprobari debent, p.65 c.2 d.18 n.6
Literæ solæ Principis vel Augustæ à Senatu sunt adprobandæ, p.64 col.1 d.13 nu.1
Literarum monitoriarum publicatio non nisi permittente Senatu facienda, p.71 c.2 d.19 num.2 & 3
Literæ monitoriales probationum fauore regulariter concedi solent, l.3 t.14 pag.320 c.1 defin.49 n.2 in all.
Literarum monitoriarum publicatio cum clausula *Nomine dempto* ante motam litem permittitur, dum ne quid nominatum notetur subiiciaturque infamiæ periculo, l.4 t.14 p.321 c.2 d. 54 n.2
De Literarum potestate quas vocant, *main garnie*, & earum quas de debitis, & de instrumentis l.7 t.15 pag.839 c.1 defin.1 nu.1
Literis annalibus impetrandis sufficit præstari cautionem iuratoriam : in quinquennalibus requiritur satisdatio p.51 c.2 d.21 n.1. Ibidem variæ annalium & quinquennalium literarum differentiæ, à n.2 ad 20
De Literis ciuilibus impetratis aduersus Senatusconsultum quo quis condemnatus fuerat tanquam spoliator ad restitutionem possessionis & fructuum li.7 t.14 p.836 c.2 d.9 n.1
Literis de debitis non licet agi contra heredem debitoris, pag.63 col.2 d.12 n.1
Literis extraiudicialibus Abbatum creditur etiam quod ad tempus & contra tertium, sed de consuetudine non de iure, l.4 t.14 p.312 c.2 d.19 nu.3
In Literis monitoriis in forma malefactorum nemo nominandus est qui ex eo infametur, alioqui poteritille appellare tanquam ab abusu l.7 t.28 p. 931 c.1 d.22 n.2
Literas dilatorias contra petitionem precij non potest emptor impetrare, p.51 c.2 d.11 n.1
Literas status princeps solus concedere potest aut eius vicem gerens, p.54 c.2 d.23 n.1
Locans sua iura non locat iura heredis, lib.4 tit.42 p.465 c.1 d.2 n.7 in al.
Locari sicut & vendi aliena res potest, lib.4 tit.42 p.482 col.1 d.56 n.2 in all.
Locatio extinguitur ex superuentia successoris, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.
Locatio non probat possessionem nisi probetur effectum habuisse aut nisi in præiudicium scientis & consentientis, lib.4 t.42 pag.475 col.1 defin.31 n.1 2 & 3
Locatio non semper ex causa inobseruantiæ potest rescindi aut resolui, aliquando tamen resolui potest, & quando? lib.4 ti.42 p.477 c.1 d.39 nu.1 2 3 & 4. Ibid.n.9 & 10
Locationis instrumentum haberi pro guarentigiato ex conuentione partium potest, l.4 t.42 p.482 c.1 d.57 nu. 1 2 & 3
Locationis merces modo fructuũ (cum pro fructibus detur) respondere debet, l.4 t.17 p.356 c.2 d.7 n.6 in all.
Locationis merces differt à precio venditionis, li.4 t.2 p.278 c.1 d.18 num.1 in al.
Locatione finita potest tam locator quàm qui à locatore emit propria autoritate conductorem expellere sine metu interdicti, lib.4 tit.42 p.482 c.1 d.58 n.1 2 3 4 & 5
Locatione resoluta resoluitur etiam ius tertij cui ex lege locationis solui debuit l.4 t.42 p.475 c.1 d.32 nu. 1 2 3 & 4
Ex Locatione transfertur in conductorem ius omne percipiendorum omnium fructuum, l.4 t.43 p.598 col.2 def.64 n.2 in all.
in Locatione quantumuis generali nũquam continentur iura de quibus non fuit cogitatum, & quæ locator ipse non fuerat percepturus si vixisset nec locasset, lib.4 tit.42 p.465 col.1 d. 2 num.7 in all.
Locator & rei locatæ & fructuum dominus manet, in fructuum venditore non item, l.4 t.32 p.434 c.2 d.2 n.7 8 & 9
Locator præstare debet conductori licere vti frui, lib.4 t.42 p.474 c.2 d.29 n. 4 in all.
Locator priùs respondere debet ad obiectionem, quàm vt interim conductor ei prouisionaliter condemnetur, l.4 t.42 p.481 c.2 d.55 nu.1 2 3 & 4
Casus in quo locator possessionem rei locatæ non potest repetere à conductore citra satisdationem, l.4 t.42 p. 468 c.2 d.13 num.1 2 & 3
inter Locatorem & conductorem id agi intelligitur, vt nihil amplius siue minus habeat conductor quàm habiturus locator fuerat, lib.4 t.38 pag.465 c. 1 def.2 num.7 in all.
Rei Locatę ęstimatio neque dominium neque periculum transfert in conductorem, l.4 t.42 p.467 c.2 d.9 n.5
Lucratur fructus ex die litis contestatæ etiam citra obsignationem qui agit ex pacto de retrouendendo, sed vsuras vicissim præstare cogitur, l.4 t.36 p.453 c.1 d.17 n.1 2 3 & 4
Lucrum ex cuius persona quis sentit non debet eius impugnare factum, p. 127 c.2 d.3 num.5
Lucrum nemo consequi debet ex contractu quem impugnat, p.137 c.2 d.2 nu.4 in all.
Lucrum omne post Senatusconsultum est aufferendum tam bonæ fidei possessori quàm prædoni lib.7 t.18 pag. 866 c.2 d.94 n.11 in al.
Lucrumturpe extorquendum, l.1 t.5 p. 46 c.2 d.8 nu.8 & in all.
Lucri species est ab obligatione liberari, lib.4 t.42 pag.497 c.1 d 31 num.4 in all.
Lucra turpia semper extorquenda sunt etiam ab heredibus qui non deliquerunt, licet morte finiantur crimina, l.4 t.1 p.257 c.2 d.2 n.2 in all.
Lugdunenses syndici non minus apud Sabaudos, quam Lugduni gaudent nobilitatis priuilegio, quod à Galliarum rege habent l.9 t.29 p.1217 col.1 d.13 num.1
Luitionis causa semper indiuidua est l. 8 t.34 p.1123 c.2 d.1 n.14 in al.

M

MAcedoniani exceptio datur contra creditorem ex mutuo etiamsi filij chirographum patris sigillo sit signatum, l.4 t.20 p.361 c.2 d.3 nu. 1 & 2
Magistratvs vnum corpus est, vnum collegium, p.172 c.1 d.1 n.8 in al.
Magistratus curare debet, vt rerum probatio salua sit li.7 t.4 p.801 c.1 d.4 n. 9 in all.
Magistratus curare debet vt rerum probatio salua sit, pag.58 col.1 defi.13 nu.2 in al.
Magistratus quilibet imperium suum ad vtilitatem litigantium referre debet, l.3 t.12 p.190 c.1 d.2 n.3 in all.
Magistratus superior nunquam rogare debet eum quem habet pro inferiore l.7 t.20 p.893 c.2 d.38 nu.1
Magistratus qui vni præest prouinciæ, si rogetur suæ iurisdictionis hominem qui ab alterius prouinciæ aduersario conueniatur, remittere, concedere non debet, lib.3 ti.12 p.189 c.2 d.2 num.3
Magistratus hodie sunt perpetui qui olim non nisi annui erant, l.3 t.17 p.207 c.1 d.1 n.4 in all.
Magistratus mutuis iuuare se debent auxiliis, lib.9 tit.13 p.1177 col.2 d.14 n.6 in al.
Magistratibus, iure communi collationum indictio permissa est l.3 t.12 p.195 c.2 d.21 n.4 in all.
Magistratibus omnibus, præterquam duumuiris permissum est iurisdictionem suam etiam pœnali iudicio defendere, p.55 c.2 d.1 n.11 in all.& lib.3 t.12 pagina 192 col.1 d.11 n.2 in al.
Maiestatis læsæ crimini pœna mortis debetur l.9 t.6 p.1157 c.2 d.1 n.1
Maiestatis læsæ causa omnium est grauissima, quę innocentes afficiat, & non tantum filiis, verùm etiam agnatis noceat, lib. 4. t.38 p.458 c.2 d.10 num.7 in al.
Maiestatis læsæ crimen quomodo probatur l.9 t.6 p.1159 c.1 d.4 n.1
Maior, si quid cõfessus sit siue circa factum proprium, siue circa alienum aut interpretationem alicuius contractus aut consuetudinis nocet ei confessio, li.9 tit.14 p.319 c.1 d.45 n.5 in all.
Maior non restituitur ob læsionem, nisi immodicam & enormem, p.107 c.2 d.1 n.11 in all.
Maior non potest restitui aduersus omissum beneficij inuentarium, li.6 t.12 p. 676 c.2 d.4 n.1
Maior non potest restitui aduersus omissum beneficium inuentarij, non magis quàm aduersus aditionem hereditatis, l.6 t.11 p.661 c.2 d.7 n.1 2 3
Maior annis 25. non potest sine causa iusta restitui aduersus confessionem suã factam in iudicio, sed potest aduersus confessionem procuratoris refusis sumptibus lib.7 t.24 p.905 col.2 d.5 nu.1
Maior natu in facienda diuisione portiones quales vult constituit : minor autem, vtram vult, eligit, li.3 t.27 p.251 c.2 d.4
Maiores possunt alios prouocare, l.3 t.27 p.254 c.2 d.11 n.1 in all.
Malitiis nunquam indulgendum, lib.1 tit.12 pag.61 col.1 d.11 n.1 in al.
Mamertvs Viennensis Archiepiscopus minores litanias primum instituit, l.3 t.11 p.188 c.2 d.6 n.12
Mandantis voluntate finita, etiam finiri mandatum potest, lib.4 t.26 p. 401 c.2 d.6 num.2 in al.
Mandatæ non videntur actiones quę non durant mandatæ, l.4 t.24 p.397 c. 1 d.37 n.10
Mandatarivs mandatum allegans nec probans arguitur de mendacio, l.4 t.26 p.411 c.1 d.32 nu.2 in all.

BIU Cujas

Mandatarius qui emit alieno nomine ad fructus tenetur, li.4 t 34 p 443 c.2 d. 11 n.1
Mandatarius neque lucrum neque damnum ex mandato quod pro alio suscepit sentire debet,l.4 t.2 p.275 c.1 d.11 nu.2
Mandatarium indemnem omnimodo seruari oportet à mandante,lib.4 t.14 p.393 c.2 d.26 n.2
MANDATVM omne cùm originem ex officio & amicitia trahat, debet esse gratuitum, lib.4 t.6 p.403 c.2 d.6 n.1 in all.
Mandatum nunquam præsumitur,li.4 t. 14 p.324 c.1 d.63 n.4 quia mandatum est facti. Ibid.p.315 c.2 d.30 n.3 in all.
Mandatum legitimum præsumitur ex decursu longissimi temporis,& probari potest per testes nisi cum agitur de mandato ad pecuniam exigendam & solutionem accipiendam, l.4 t.26 p. 402 c.1 d.7 n.4 in al.
Mandatum idoneum habens non cogitur exhibere domini ratihabitionem quamuis eam promiserit, l.4 t.26 p. 202 c.1 d.7 n.1 2 3 & 4
Mandatum diligenter & ad vnguem implendum est l.8 t.38 p.1146 col.1 d.6 n.15
Mandatum habens generale non indiget speciali nisi in certis casibus,l.2 t. 8.p.103 c.1 d.32 n.2 in all.
Mandatum ad agendum habere non semper præsumitur qui penes se habet instrumentum ex quo agi potest, li.4 t.28 p 417 c.1 d.9 n.1
Mandatum debitori factum de soluendo alteri, tametsi alter ille sciuerit, non sufficit ad acquirendam liberationem, quousque secuta sit solutio aut quid aliud simile, quod solutionis vim habere possit,lib.4 t.10 pag.301 c.2 d.10 nu.11
Mandatum semel incœptum consummari oportet: propria enim cuiusque rei forma contingit ex consummatione,p.99 c.1 d.14 n.2 & 3 in all.
Mandatum speciale habere præsumitur is, qui iam præsumitur habere generale, lib.4 tit.14 p.324 c.2 d.63 nu.2 in all.
Mandatum quoties certum est, à forma recedi non potest,pag.135 c.1 d.1 n.22 in all.
Mandatum sui natura est reuocatorium, lib.4 t.26 p.405 c.2 d.16 n.4 & 5
Mandatum reuocatum nihil est, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.10 in all.
Mandatum sola voluntatis mutatione reuocari potest p.95 c.2 d.2 n.3 in al.
Mandatum delinquendi de quo non constat nisi ex confessione mandatarij, non facit indicium ad condemnandum nisi aliis concurrentibus, li.9 t.25 p.1204 c.2 d.5 n.1
Mandatum finitur interueniente noua causa quæ rerum statum mutet, lib.4 t.26 p.401 c.1 d.5 n.1
Mandatum finitur morte,re amplius nõ integra,p.99 c.2 d.14 n.2 in all.
Mandatum quando non finiatur morte, l.4 t.26 p.407 c.1 d.19 n.1 2 & 3
Mandatum accipiendæ solutionis non alicet mandanti nocet quàm si probetur secuta solutio, & quidem ante reuocationem,lib.4 t.1 p.268 c.2 d.42 n. 8 in all.
Mandatum exercendæ iurisdictionis, si liberalis & iusta mandandi causa fuit, reuocari non potest,l.4 t.26 p.405 c.2 d.16 n.1
Mandatum renouandorum instrumentorum censualium suscipiens intra certum tempus vt fit certa mercede condemnandus est ad census ipsos præstandos, etiam cum vsuris decuncibus,lib.4 t.26 p.405 c.1 d.15 n.1 2 3 & 4
Mandatum de prouidendo non est prouisio p.30 c.1 d.7 n.1 in al.
Mandatum in prouidendo mittendoque in possessionem impletur cùm impetrans mittitur in realem & actualem possessionem,p.30 col.1 defin.9 num. 1 & 2
Mandatum summi Pontificis de prouidendo nullum ius tribuit impetrandi nisi subsecuta prouisione, adeoque & missione in possessionem, pag. 30 c.1 d.7 n.1 & 2
Mandati suscepti officium procurator deserere non potest, nisi causa noua emergat, & tunc iudicis arbitrio permittitur,p.97 c.1 d.8 n.1 & 2
Mandati reuocatio per iudicem expediri non debet,sed ex solo reuocantis animo pendet, l.4 t.26 p.401 c.2 defin.6 num.5
Mandati taciti præsumptionem inducit traditio,non sola possessio,li.4 t.28 p. 417 c.1 d 9 n.3
Mandati actione prior conueniendus est hodie,ad quem negotium principaliter pertinet, lib.4 t.26 p.406 c.2 d.17 n 1 in al
Mandato comparantur Episcopi, tacitus consensus & ratihabitio, p.29 c.1 d.3 num 14
MANDATOR si neget se mandasse, & postea conuincatur de mendacio, exceptionem ordinis postea non habet, l.2 t.14 p.113 c.2 d.3 n.3 in all.
Mandato quantumlibet generali dolus permissus non intelligitur, l.9 t.18 p. 1182 c.1 d.3 n 5 in all.
MANIFESTVM dicitur,quod vel per confessionem, vel per probationem, vel rei euidentiam patet,p.33 c.1 d.20 n.in all.
MANVMISSIO valere non potest, quæ fit à non domino: Imo nec quæ fit à domino, si in id tempus conferatur quo dominus esse desierit, l.3 t.23 p. 238 c.1 d 8 n.2 in all.
Manumissio ab herede in præiudicium fideicommissi conseruatur ingenuitas, sed precium fideicommissario præstari debet lib.7 t.3 pag. 796 col.2 defi.1 num.1
Manumissio facta per fructuarium nullius est momenti, nisi tacitè per longum proprietarij silentium confirmata sit interueniente bona fide. Aliud est si fideicommissario lib. 7 t.5 p.802 c.1 d.1 n.1
Manumissionem à fructuario factam tenetur eius hæres ad id quod interest, in quo etiam continetur æstimatio hereditatis quæ amittitur ex inualiditate manumissionis, lib.7 t.5 p.802 c. 1 d.2 n.1
Manumissiones factę ab hærede fiduciario pendente fideicommissi condicione valent etiam in præiudicium fideicommissarij, si postea condicio exiterit:factæ à fructuario non valent,l.3 t 23 p.238 c.1 d.8 n.1 & 2
ad MANVMITTENDVM seruum vel hominem dedititiæ conditionis, qui duorum dominorum sit talliabilis, quæ solemnitates obseruari debeant, l.7 t.2 p 796 c.2 d.1 n 5
MARITVS & suarum rerum & dotalium æque ac suarum administrationem habet l.4 t.14 p 313 c 1 d.22 n.4
Maritus potest & debet vxorem defendere suo nomine, nec eget vllo ad id mandato,li.2 t.2 pag.76 c.2 d.14 num.1 in al.
Maritus agere potest de iniuria facta vxori paremque iniuriam reddere lib.9 t.20 p.1184 c.1 d.3 n.1
Maritus plus est quam procurator in dote cuius est dominus, p.134 c.2 d.1 n.4 in al.
Maritus plus vxori debet quàm iniusto possessori,d.124 c.2 d.5 n.8 in al.
Maritus præsumitur habere mandatum tacitum ad tractandas res vxori,l.4 t. 14 p.324 c.1 d.63 n.2 in al.
Maritus habet plus iuris in re donata vxori,quàm in re dotali,lib.4.t.21 p.373 c.1 d.27 n.10 in all.
Maritus nihil iuris habet in bonis paraphernalibus aut aduentitiis nisi consentiente vxore, lib.4 t.14 p.313 c.2 d. 22 n.5 in all.
Maritus est dominus bonitarius: vxor verò domina quiritaria: & quoties dominus bonitarius cum quiritario concurrit, præfertur bonitarius l.4 t.22 p. 376 c.1 d.6 n.8 in all.
Maritus etiam solus potest totam dotem exigere etiam quæ ipsi & vxori simul sit promissa,l.5 t.7 p.543 c.2 d.31 n.4 & 5
Maritus dotis non suo tempore solutæ vsuras petere potest.lib.4 t.24 p.386 c. 2 d 8 n.6
Maritus tenetur omnimodo reddere vxori dotem promissam à fratre,tametsi eam frater non soluerit, quamuit adhuc soluendo sit, l.5 t.7 p.536 c.2 d.9 n 1 2 3 4 & 5
Maritus quando teneatur ad restitutionem dotis & solutionem augmenti, etiamsi dos probetur non soluta,l.5 t. 7 p.538 c 1 d.15 n.4 5 & 6
Maritus qui in dote restituenda moram contrahit dotis vsuras debet, l.5 t.8 p. 551 c.2 d.5 n 1 & 3
Maritus dotis conditionem deteriorem facere potest quantum ad fructus & vsuras pertinet & pro tempore constantis matrimonij, sed non quantum ad dotem ipsam, lib.5 t.9 p.560 c.1 d.2 n 3 & 4
Maritus non tenetur lege Iulia de adulteriis,l.6 t.33 p.770 c.1 d 8 n.1 in al.
Maritus nunquam est onerandus vt in ius vocet vxorem pro lite contra maritum ipsum ab alio instituta, l.2 t.2 p. 76 c.2 d.14 n.1 2 3 4 5
Maritus de moribus vxoris conquestus apud iudicem Ecclesiasticum,non potest interim agere tanquam maritus ex dotali constitutione siue contra dotis debitores, siue contra possessores bonorum dotalium,lib.5 tit.7 p 550 c. 1 d.56
Maritus lite pendente heres institutus eandem litem heredis iure prosequi potest,p.160 c.1 d.16 n.1 & 2
Maritus ab vxore,& quidem minore precio,si non sit animus donandi, emere potest,p.106 c.1 d.4 n.3 in al.
Maritus vide casus.
Mariti bona omnia pro dote sunt mulieri,etiam tacitè obligata, p.181 c.1 d.2 n.2 in al.
Mariti confessio quod vxoris pecunia sit non nocet anterioribus creditoribus, posterioribus nocet,l.4 t.14 p.318 c.2 d.43 n.1 & 2
Marito quantum fieri potest subueniendum est,cùm habet dotem ex causa onerosa,nec aliter fuerit vxorem ducturus,l.3 t.25 p.246 c.1 d.6 n.11 in all.
MARTINI V. papæ constitutio de annuis pensionibus certo pretio venditis,l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.2 & in al.
MASCVLINVM concipit fœmininum, l.5 16 p.585 c.2 d.13 n.6
MASCVLORVM appellatione continetur nepos ex filia, si testator habuit

BIU Cujas

rationem sanguinis, non etiam si familiæ & agnationis, l.6 t.19 p.704 c.2 d.1
cum Masculis decedit ille quo viuo nepos ex filia nondum conceptus fuit, l. 6 t.19 p.704 c.2 d.2
MATER non succedit in bonis filiæ talliabilis, sed tamen debet saluam habere legitimam, lib.6 t.32 p.767 c.1.d.2
Mater quæ ob non petitum filio tutorem, amittit omnem ipsius successionem, non tamen amittit legitimam, l. 6 t.32 p.766 c.2 d.1
Mater quæ hypothecas suas dotales cum cæteris pupilli bonis sub hasta locauit tanquam tutrix, censetur renunciasse possessioni quæ fuerat ei quæsita per clausulam, l.7 t.7 p.815 c.1 & 2 d. num.1
Mater quæ pecuniam mutuam accepit ad soluendum filiorum debitum quorum tutrix erat, aut conuenienda est tanquam tutrix, aut Velleiano iuuanda, lib.4 t.21 p.371 c.1 d.22 n.1 & 2
Mater quę prętextu dotis pupillum spoliasse dicitur possessione pignorum dotalium, quam pupillus retinere potuit pro administratione, non priùs condemnanda est quàm rationes reddiderit, p.183 c.2 d.15 n.1 & 2
Mater quæ præfertur auo paterno in filij sui successione, non tamen aufert auo vsumfructum, quem habuit ille in bonis viui nepotis iure potestatis, lib.6 t. 35 p.778 c.1 d.14
Mater quæ minoris filij curatrix erat & vsufructuaria quando videatur bona filij curatorio potiùs quàm proprio nomine alienasse? l.4 t.28 p.413 c.2 d. 1n.1 2 3 4 & 5
Mater quæ fuit tutrix testamentaria an post secundas nuptias possit reassumere tutelam, saltem in subsidium, si alij nulli sint nec possint esse tutores, l.5 t. 21 pag 589 c.2 d 2 n.11 in al.
Mater si filium redimere voluerit & redemerit, facti pœnitere non potest l.4 t.9 p.293 c.2 d.2 n.13 in all.
Mater si talliabilis, pater verò liberæ conditionis aut alterius domini, quis succedat in bonis maternis, l.7 t.1 p. 782 c.1 d.9 nu.1
Matris venientis ad luctuosam filij hereditatem causa semper est fauorabilis, li. 9 ti.8 p.643 c.2 d.1 n.5 in all.
MATRIMONIVM concordans nunquam turbandum, lib.2 t.2 p.76 c.d.14 num.5
Matrimonium contractuum licèt à Sabaudo secundum consuetudinem Burgundiæ, valet: nullum a.augmentum debetur, sed tantum illud quod vocatur doharium, l.5 t.9 p.560 c.1 d.1 n.10 in al.
Matrimonium sine dote, non dos sine matrimonio esse potest, p.122 c.1 d.1 n.1 in al.
Matrimonium contra leges factum per errorem facti potiùs, quam per dolum & malitiam fa4um præsumitur, si publicè & palàm celebratum sit, lib.4 t. 5 p.283 c.2 d.2 n.1
Matrimonium contractum quasi cum vidua ante acceptum de priori viri morte nuncium certum non valet, lib. 9 t.23 p.1223 c.2 d.28 n.1
Matrimonium etiam ignoranter contractum ab ea quæ alium virum viuentem habuit non valet & dos eo nomine data conditur. Augmentum verò dotis etiam promissum non debetur, l.5 tit.3 p.521 c.1 d.11 à n.1 ad 9
Matrimonium quoties à scientibus contra leges celebratur dos fisco ex Valentiniani & Theodosij constitutione adiudicanda est, lib.4 t.6 p.284 col.2 defin.2 nu. 7 & 8
Ad Matrimonium nemo sine voto & spe suspiciendorum liberorum accedit, l.3 t.20 p.223 c.1 d.2 nu.2 in all.
Matrimonij onera omnia ad maritum pertinent, ob eamque causam solet dos marito à muliere dari, l.4 t.21 p. 367 c.1 d.8 n.2 in all.
Matrimonij fauore facta donatio nō potest ob donatarij ingratitudinem reuocari l.8 t.36 p.1134 c.2 d.1 n.1 2 & 3
Matrimonij impediendi multiplex esse causa solet, l.4 t.6 p.284 c.2 d.2 nu.5 in all.
Matrimonij probatio, per testem viuum cum fama impleri creditur, quod sine alterius matrimonij præiudicio fiat, l. 4 t.14 p.310 c.1 d.8 n.1
Matrimonij carnalis & spiritualis differentia, l.5 t.2 p.518 c.1 d.1 n.1 & 2
Matrimonio constante dos non solum constitui, sed & augeri potest, p.122 c. 1 d.10 n.10
Matrimonia debent esse libera, l.6 t.25 p.747 c.1 d.18 n.1 in al.
Matrimonia contrahuntur spe & voto suscipiendorum liberorum, li.8 t.38 p. 1136 c.1 d.6 n.2 in al.
Matrimonialis causa pertinet ad iudicem ecclesiasticum: sed An venter vel filius mittendus sit in possessionem, cognitio est iudicis laici, p.184 c.1 d.16 n.1 2 3 & 4
MATRIX scriptura non minus valet quòd in protocollum non sit redacta dummodo à notario, contrahentibus testibusque sit subscripta, l.4 t.16 p.353 c.1 d.24 n.4 in all.
Matricem scripturam exhibens non est cogendus exhibere protocollum, l.4 t. 16 p.353 c.1 d.24 n.4 in al.
MEDICI licet nec nobilitatem hoc ipso sibi acquirant, immunitatem tamen & viuis illis vxores & filij eorum, l.9 t.29 p.1215 c.2 d.9 n.1
MEDIVM inhabile semper impedit coniunctionem extremorum, l.4 t.43 pa. 485 c.1 d.1 n.12 in al.
MEDIATORES non facile audiendi sunt, nisi vtraque parte consentiente, l.4 t.15 p.342 c.2 d.56 n.1
MELIORATIONES reddit dominus directus, nisi cum Emphyteusis vel feudum redit ad eum ex culpa possessoris, l.4 t.42 p.497 c.2 d.24 n.12 & 3
Qui per MENDACIVM se obtulit & depositarium constituit ad impediendam iudicati executionem, exceptionem nullam habet, l.4 t.25 p.398 c.2 d.2 n.12 & 3
Mendacium puniri æquum est, p.113 c.2 d.3 n.3 in all.
MENTITVS dici non potest qui petita finium demonstratione id egit potius ne sibi postmodum mentiri liceret l. 3 t.22 p.231 c.1 d.7 n.4
MENSVRÆ aut modij expressio semper fit limitatiue, ita tamen vt per subiectam expressionem confinium emptoris fauore ampliari possit, non autem restringi. Expressio autem confinium fit demonstratiue quantum ad emptorem: limitatiuè verò quantum ad venditorem l.4 t.28 p.415 c.2 d.4 nu.4 in al.
MERX tamdiu debetur quamdiu non est soluta l.4 t.2 p.276 c.1 d.14 n.1
Merx propter fructus promittitur quorum dominium acquirit conductori cum eos ex domini voluntate percipit l.3 t.22 p.231 c.2 d.8 n.10 in all.
MERCATORIBVS non licet se inuicem decipere in substantia rei, sed tantū in precio, li.9 t.15 p.1178 c.2 d.2 n.8 in al.
Si pro Merce debita pignus sub hasta venditum sit non aliter valet venditio quàm si merx rite & prius æstimata sit. Debitor tamen non aliter audietur quàm si offerat, l.8 t.16 p.1011 c.1 d.7 nu.5 & 6
METVS omnis habet in se ignorantiam p.107 c.1 d.7 n.3 in al.
METVS corruptionis aut subornationis post didicita testificata magnus subest l.4 t.15 p.331 c.2 d.16 n.7 in al.
Metus illatus à domesticis nocet domino, qui quod in domo sua factum est verisimiliter non ignorauit, lib.6 t.15 p.768 c.2 d.2
Metus iustus non est, si quis ad cognitionem iudicis ducatur, si non sit sibi conscius p.106 c.1 d.3 n.11
Metus litis sufficit ad transactionem p. 89 c.2 d.5 n.3 in al.
Metus reuerentialis non inducitur ex sola mariti præsentia qui sufficere queat ad rescindendum contractum si non aliud probetur p.106 c.2 d.6 n.1 & 2
Metus reuerentialis tam paternus quàm maritalis, etiam inter maiores, locum facit rescindendæ venditioni ex causa læsionis l.4 t.26 p.428 col.1 defin.12 n. 1 & 2
Metus reuerentialis interdum solet attendi ad excludendum consensum saltem voluntarium l.4 t.21 p.367 c.2 d. 14 n.4 in all.
Metus quem quis passus est non debet ei esse captiosus, nec alienum metum alterius præmium verti oportet p.120 c.1 d.1 nu.8 in al.
Metus & dolus facere non debent vt quod cessante vi vel metu gestum est, irritum habeatur p.104 c.2 d.3 n.5
MILES non omnia quæcunque gerit per vim & impressionem gerere dicitur p.106 c.1 d.5 nec sola præsumptio sufficit ad condemnandum militem. Ibid.c.2 n.4 in all.
Miles pecuniam mutuam dare non prohibetur lib.4 t.7 p.287 c.2 d.8 n.2 in all.
Militi ad minuendam dignitatem suam nocere non oportet l.4 t.7 p.287 c.2 d.8 n.7 in all.
de Milite defuncto post annum militiæ, qui adulteræ aut focariæ suæ legauit, lib.6 t.16 p.689 c.1 d.3
Milites tam mites & benevoli esse circa collatores tributorum debent quàm feroces & audaces contra inimicos l.4 t.7 p.287 c.2 d.8 n.1 in al.
MINOR in iudicio comparere non potest, nec adultus sine curatoris autoritate p.113 c.2 d.11 n.5 in all.
Minor donare non potest nequidem cum decreto p.117 c.1 d.1 n.7 in al.
Minor reddere non tenetur quod fato periit p.127 c.2 d.3 n.3 in all.
Minor sicuti verus tutor esse non potest nec idoneus defensor p.133 c.1 d.1 n.6 in al.
Minoræ ætas probatur per testes colligentes ætatem ex adspectu non per dationem solam curatoris lib.4 t.14 p.310 c.1 d.9 n.1 & 2
Minor potest procuratorem constituere sine curatore dummodo interueniat iusiurandum, nec ille petat sibi dari curatorem, quem tamen semper dari melius est pag.116 c.1 & 2 d.1 n.1 & 2
Minor vigintiquinque annis procurator constitui non potest, nec constitutum aut iudex aut aduersarius admittere cogitur p.102 col.2 d.30 n.1
Minor vigintiquinque annis tutor esse non potest p.133 c.1 d.1 n.3 in al.
Minor vigintiquinque annis siue curatorem habens, siue si hereditatem damnosā incōsulto adierit, siue patris aut aui, siue

BIU Cujas

Sue agnati aut extranei hereditas fuerit, restitui ad eam omittendam in integrum potest, p.123 c.1 d.3 num.1

Minor post annum trigesimumquintum à Principe in integrum restitui potest si iustam videat Princeps restitutionis subesse causam, pag.140 c.2 d.2 n. 4 in all.

Minor omni casu à fideiussore iudicio mandati conuentus eodem ætatis fauore aduersus fideiussorem quoque restitui poterit ni dolus proprius sit impedimento pag.112 c.2 d.1 n.12.& 13

Minor qui se maiorem dixit & iurauit apud iudicem, si tutor datus sit, postea se maiorem neget non aliter audiendus est quàm si probet se minorem, p.133 c.1 d.1 n.1

Minor non læditur ex eo quod se vni obligat si ab alio liberetur, licet non idcirco fiat locupletior nisi duriorem creditorem elegerit, lib.5 t.10 p.167 c. 2 d.10 n.6 in all.

Minor quoties læsus est, etiam in omittendo, restitui solet, lib. 8 t.3 p.959 ca.1 d.24 n.13 in all.

Minor restituitur quoties læsus est in eo ipso quod gessit, l.7 t.15 p. 841 col.2 d. 5 n.1 in all.

Minor si fundum sine decreto vendiderit, adhibito quidem iuramento, sed interueniente læsione, aduersus hanc cessionem restitui poterit, p.108 c.2 d. 4 num.4

Minor si vendiderit rem paternam, cuius retinendæ iustam & probabilem adfectionem, læsus videtur p.118 c.1 d. 4 num.4

Minor restituitur aduersus damnosam aditionem, lib.6 t.11 pag. 670 c.2 d.37 n.5 in all.

Minor interueniente etiam curatoris authoritate potest restitui, lib.4 tit.24 p. 397 c.2 d.39 n.3 in all.

Minor qui rem immobilem sine decreto vendidit excepta sibi redimendi facultate in certum vsque tempus iustam causam non habet petendæ restitutionis, quandiu rem suam iure communi & ex pacto habere potest, pag. 117 c.2 d.3 n.1

Minor qui fundum indiuisibilem vendidit, si ex læsionis causa petat restitutionem, non aliter audiendus est quàm si paratus sit totum fundum accipere, & vicissim totum pretium reddere, p. 137 c.1 d.2 num. 2

Minor in integrum aduersus præscriptionem conuentionalem quæ cum maiore cœpta est potest restitui cum tutor suspectus est vel curator pa. 123 c.3 d.3 n.12 & 3

Minor non potest restitui aduersus secundum creditorē qui alteri solui aduersus primum potest p.111 c.2 d.12 n.1

Minor omnino contumax videri non potest, cuius mater prosequitur litem ex officio & necessitate præcedentis tutelæ, lib.3 ti.1 p.166 c.2 d.40 n.67

Minor curatorem non habens qui rem suam immobilem sine decreto vendidit interposito iuramento, si lęsus non est, non est restituendus in integrum, p.110 c.2 d.10 n.1

Minor non habens curatorem etiamsi sit contumax in eo petendo, nec in ius venire velit, non ideo tamen condemnandus est, neque tanquam contumax, neque tanquam maior pag.164 c.2 d.33 n.1

Minoris cōtumacia facere potest, vt minor absens pro præsente habeatur, non etiam vt pro iurato, p.163 c.2 d.29 n.11

Minoris ætatis priuilegium possessori supplendi precij electionem auffert, p.106 c.2 d.6 n.7

Minoris curatorem habentis iusiurandum non validat contractum sine curatoris autoritate factum de re ad bonorum administrationem pertinente, p.118 c.1 d.5 nu.1 & 5

Minoris curatorem habentis non maior iurisiurandi ratio habetur quàm si ab impubere præstetur, pag.97 c.2 d.10 num.9

Minoris rem malè gessisse non videtur is, qui soluit ei cui tunc re vera minor obligatus erat, lib.4 ti.21 p.364 c.1 d.5 n.4 in all.

Minori contumaci in accipiendo curatore ad litem curator etiam absenti & inuito dari potest, p.163 c.2 d.29 nu. 1 & 2

Minori pecuniam credens, credit perditurо, p.124 c.2 d.1 n.7 in all.

Minori propter ætatis lubricum succurri oportet & rusticitati, p.144 c.1 defin. 3 nu.3 & 8

Minori aduersus proprium dolum subueniri non oportet, pag.123 c.2 d.3 n.2 in all.

Minori communi auxilio & mero iure munito non debet tribui auxilium extraordinarium, pag.117 c.2 d.3.nu.1. in all.

Minori administratoris delictum aut negligentia non nocet pag. 112 col.1 definit.14 n.3

Minori prætor subuenire non potest aduersus libertatem iam competentem p.120 c.1 d.1 n.10 in all.

Minori curatorem non habenti non est necessaria curatoris autoritas ad procuratorem ad lites constituendum adhibito iureiurando, pag.163 c.2 d.29 num.8

Minori probatio incumbit cum tenet contractus propter interpositum decretum, aut cùm propter iusiurandum quidem, sed interueniente curatore p.118 c.2 d.4 num.9 in all.

In Minori ætate fratribus pluribus contrahentibus, aut eorum nomine tutor de re quam in communi habuerunt, si ea læsio interuenerit quæ locum faciat restitutioni potest ab vno ex iis omnium nomine impetrari, etiam citra mandatum p.115 c.2 d.1 n.12 & 3

Cum Minore rem habiturus non nisi in litem curatorem petere cogitur p.109 c.2 d.6 nu.8

cum Minore tutius adhibito curatore contrahitur, l.4 t.24 p.397 c.2 d.39 n.3 in all.

Minoribus errantibus, non fallentibus publica iura subueniunt p.133 col.1 d. 1 n.8 in all.

Miscere se patris bonis videtur is, qui remoto familiæ vinculo pro herede gerere videtur, lib.6 t.12 p.677 c.2 d.8 num.2

Missio in possessionē sola facit possessorem non decretum de mittendo in possessionem, l.7 t.7 p.814 c.1 d.28 n.1

Missio in possessionem fieri potest pro debito non liquido, si modo constet deberi, lib.7 t.20 p.896 c.2 d.51 n.1

Missio in possessionem per vnum ex creditoribus non impedit quominus cæteri ius suum exequi possint l.4 t.32 pag.945 c.2 d.19 n.1

Missio in possessionem bonorum non valet nisi denunciata sit ipsi aduersario aut ad eius domicilium affixum fuerit exemplum executionis, lib.7 t. 32 p.939 c.2 d.1 n.1 & 2

Modvs in contractibus multum differt à conditione, sed non in vltimis voluntatibus, lib.6 tit.24 p.739 c.2 d.2

Molendinvm, vt loquitur, inferius structum, si cursum aquæ superioris molēdini impediat & ex restagnatione fiat vt superius molendinū perinde exerceri non possit, impediri potest dominus inferioris molendini ne extruat l.3 t.24 p.240 c.2 d.5 n.6

Monachvs Papa fieri non potest sine cōsensu sui superioris p.36 c.2 d.33 n.3

Monachus fieri per vim aut metum nemo potest, p.36 c.1 d.32 num.9

Monachus sine consensu superioris nihil agere potest p.36 c.2 d.33 num.1 2 3 & 4

Monachus sine consensu sui superioris non potest stare in iudicio neque proprio nomine, neque procuratorio p.36 c.2 d.33 n.1 & 2

Monachus nunquam fuisse videtur is cui de monasterio exire conceditur p. 36 c.2 d.32 n.10 in all.

Monachus testamentum facere non potest p.12 c.1 d.44 n.8. in all.

Monachus testandi licentiam impetrare potest à Papa, & à summo Pœnitentiario, non ab alio, l.1 t.3 p.36 c.2 d.33 num.4 in all.

Monachus potest sibi reseruare quędam bona de permissu sui superioris, dum ne per modum pacti p.35 c.2 d.30 n.1 in all.

Monachus per laicum cogi captis bonis temporalibus vt de crimine testimonium dicat, si id monacho superior permiserit, cuius etiam consensu potest esse testis, licet Franciscanus l. 4 t.15 p.330 c.2 d.10 n.1.2.3 & 4 in all.

Monachus iudicium suscipiens superiore authoritatem præstante, & condemnatus, non potest ipse neque monasterium impedire quominus fiat executio in bonis quæ monasterium possedit patiente lib.1 t.3 p.28 c.2 d.2 n.8 in all.

Monachus legitimam non magis in pecunia quàm in bonorum corporibus potest, lib.3 t.19 p.218 c.1 d.26 n.1

Monachus sicut legitimam, ita nec legitimæ supplementum petere potest li. 3 t.19 p.218 c.1 d.25 num.7

Monachus fratre, alióve agnato deditiæ, & vt aiunt, talliabilis conditionis sine liberis & condiuisoribus defuncto, non magis potest escheutam impedire quàm si mortuus: religionis enim ingressus morti æquiparatur pa. 35 c.2 d.30 num.8

Monachi non minus ex testamento quam ab intestato succedere prohibentur pag.12 col.1 d.44 n.2

Monachi mendicantes non debēt decimas fructuum in fundis perceptorum quos propriis siue manibus siue sumptibus colunt: aliorum verò debent, p.28 col.1 d.1 num.1

Monachi ab omni successione excluduntur, & in computatione legitimæ non solum partem non faciunt, sed nec numerum. Partem autem faciunt ex quorum persona monasterium acquisitionis capax, ad legitimam admitti potest, pag.28 col.2 def.2 num.1 & 2

Monasterivm in successionibus & conditionibus loco filij est, si testamenti verba non repugnent, l.6 t.25 p.746 c.1 d.16

Monasterium ingrediens non potest monasterio plusquam tertiam bonorum suorum partem, & quidem mobilium dare, p.12 c.1 d.44 n.7

Monasterium ingredientis vltima voluntas dicitur illa quam in ipso ingressu explicat, p.12 c.1 d.44 n.8

Monasterio oblatorum & conuersorum differentia, lib.6 t.19 p.710 c.1 d.21

BIU Cujas

de Monasterio excludendo quoties testator cogitat, monasterium non potest contra testatoris mentem bona vlla heredis testamento instituti vel acquirere vel retinere, p.11 c.1 defi.42 num.10

Monasteria omnia non sunt successionum incapacia,p.12 c.1 d.44 n.4 in al.

Monasteria alioquin acquisitionis capacia,ex edicto Principis,quod ad bona quæ in territorio Principis posita sunt,possunt fieri incapacia,pag.12 c.1 d.44 num.13

Moneta Regia pluris est quam Sabaudica,l.4 t.2 p.270 c.2 d.1 n.2 in all.

Moneta An pura puta sit rationalium est cognoscere,l.3 t.12 p.201 c.1 defin. 43 num.1.

Monetæ perfectura perpetua nobilitatem tribuit,non temporalis,l.9 t.29 p. 1215 c.2 defin.8 num.1

ob Monetæ deteriorationem quæ post delegationem superuenit nullum augmentum debetur ei, cui delegatio facta est, sed priori creditori si non aliud actum sit in facienda delegatione,lib.8 t.29 pag.1085 c.1 defin.4

Monetæ debitæ nec obsignatæ,quamuis oblatæ, periculum ad debitorem spectat,l.4 tit.18 p.358 c.2 d.5 n.1

Monetæ falsæ crimen non tantum est falsi species, sed etiam læsæ maiestatis,l.9 t.15 p.1179 c.2 d.3 n.5 in all.

Monetæ falsæ crimen apud Senatum tantum tractari potest,l.3 t.12 p.201 c. 1 d.43 num.6

Monetæ falsæ criminis qui socios indicauit veniam meretur quam ei iudex quilibet promittere potest & curare apud Principem debet,l.9 tit.15 pag. 1179 c.1 d.4 n.1

Monetam falsam expendens ita demum tenetur si sciuerit, sed mitius ille qui prius eandem monetam accepit pro bona, ille grauius qui falsam monetam vilius emit,vt carius venderet, l. 9 t.15 p.1178 c.2 d.2 n.1

Monetæ quælibet in suo genere recipiunt functionem, lib.4 t.2 pag.270 c.2 d.1 num.4

Monetale augmentum nullum debetur pro pensionibus annuis,l 8 t.30 p.1097 c.1 d.30

Monetale augmentum æstimatur ex comparatione aurei,idque ex consuetudine,cui hac parte standum est, li.8 t.30 p.1095 c.2 d.27

Monetalis augmenti petitio nulla superest post solutionem sortis acceptam sine protestatione,etiamsi agatur de dote,l.8 t.29 pa. 1105 c.2 d.51 n. 1 2 3 & 4.

Monetarios contra falsos ex iudiciis etiam indubitatis prius deueniendum est ad torturam, deinde ad condemnationem irrogata pœna non quidem ordinaria sed extraordinaria, l.9 ti.15 pag.1178 col.1 n.1

Monitorii via, extraordinaria probationis species est, l.4 t.14 p.320 c.1 d,50 num.1

Monitorij impetratio ex iudicis ecclesiastici autoritate pendet,p.328 c.2 d. 4 num.4 in all.

Monitorij publicatio ne quidem ad exonerandum reum,si ex eo futurum sit vt actor infametur, non est permittenda,sed tantum significatio,lib.4 t. 14 p.319 c.2 d.49 n.1 2 & 10

Monitoriales ne ab Episcopis extorqueat magistratus seculares interdictum à Concilio Tridentino, li. 3 t.12 p.200 c.1 d.38 num.3 in all.

Mora non solet nec potest augere obligationem principalem, li.4 t.2 p. 273 c.1 d.7 n.7

Mora contracta ex lapsu diei ius tribuit ex verbis ipsius obligationis,& consequenter suos effectus parit,quantumuis sit strictum iudicium,l.4 ti.2 p.274 c.2 d.9 n.3 in all.

Mora à maiore contracta An & quando purgari possit ? l.4 t.36 p.451 c.1 d.13 n.9 & 10

Mora contrahitur quoties quis opportuno loco & tempore interpellatus non satisfacit,l.4 t.2 p.273 c.1 d.7 n.4 in all.

Mora nõ nisi per interpellationem congruo loco & tempore factam contrahitur, l.4 t.43 p.491 c.2 d.15 n. 5 in all.

Mora non contrahitur ex solo lapsu diei tacitæ,ideoque nec debentur fructus, nisi à die litis contestatæ, cùm nulla præcessit interpellatio, l.4 t.24 p.394 c.2 d.31 num.1.2.3.4 & 6

Mora ad soluendum ei danda est qui se debere fatetur,lib.4 t.43 pag.499 ca.2 d.40 num.2 in all.

Mora paucorum dierum non attenditur, eius tamen temporis quo causa appellationis contrahitur, vsuræ sunt præstandæ,l.4 t.24 p.389 c.2 d.16 n.1. 2 & 3

Mora committi potest in præstanda æstimatione quanti plurimi etiam priusquàm ea æstimatio per iudicem taxata sit,l.4 t.24 pag.387 c.2 d.10 n.1

Mora heredis in soluendo legato nocet fideicommissario,sed is postea regressum habet aduersus heredem, lib.6 t. 26. pag.751 c.2 d.13

Mora heredis nocet fideicommissario, quantum ad vsuras & fructus legatorum pertinentium ad onus fideicommissario,lib.6 t.27 p.756 c.1 d.10

Mora quo casu minori fiat etiam post annum 25.citra interpellationem, lib. 6 t.26 p.752 c.1 d.15

Mora contrahendi impeditur per oblationem præsertim iudicialem sine obsignatione, at contracta non purgatur,citra obsignationem, l.8 t.30 pag. 1100 c.2 d.40

Mora cuique sua nocere debet non alteri,lib.4 t.24 p.397 col.1 d.37 num. 10 in all.

Mora propria, quæ per iudicis interlocutionem à quo prouocatum fuerit purgata est,ei qui iurare debuit non nocet l.4 t.1 p.267 c.1 d.33 n.1.2 & 3

Mora principalis debitoris quandoque fideiussori nocet l.4 t. 36 p.451 c.2 d. 13 n.23

Mora purgatur nouatione,lib.4 tit.1 p. 267 c.1 d.33 n.1 in all.

Mora nulla est vbi nulla est petitio l.3 t. 15 p.205 c.2 d.5 n.4 in all.

Mora fieri non potest ei qui plus petit quàm quod debeatur lib.4 t.43 p.499 c.2 d.40 n.9 in all.

Moræ purgatio interdum facit vt desinant deberi vsuræ, etiam quæ antea debitæ fuerunt,lib.6 t.26 pag.750 c.2 d.9

Moræ purgatio admittitur quandiu creditoris non interest, licet cœperit interesse illius qui à creditore cessum ius habet l.4 t.24 p.394 c.2 d.30 n.1 & 2

Moræ præcedentis ratio nulla habenda est in æstimanda re ex contractu stricto debita,lib.4 t.2 p.273 c.1 d.7 n.10

Moram purgare licet quandocunque ante litem contestatam, siue ob non factam inscriptionem, siue quod in laudimiorum solutione cessatum sit, commisso sit apertus locus l.4 t.43 p. 492 c.1 d.17 n.10

Moram impedit oblatio sola canonis indiuidui in iudicio facta l.4 t.43 p.469 c.2 d.40 n.5 & 6

Qui Moram contrahere non potest, multò minùs culpam quæ plus est,p. 126 c.1 d.1 n.11 in all.

Moram fieri ei qui satisdedit est iniquum l.4 t.23 p.379 c.1 d.6 n.5 in all.

Moram vltro liti adferens facti sui pœnam pati debet, p.158 c.2 d.10 n.4

Moram contrahens in soluendo,non ob id cogitur soluere in meliore moneta quàm quæ fuerit tempore contracti debiti, nec si agatur de dote, l.6 t.30 p.1101 c.1 d.42

Qui Moram facit cognitioni condemnandus est in omnes sumptus ab aduersario factos quos ea mora reddit frustratorios,l.7 t.18 p.864 c.2 d.57 n. 1.2.3 & 4

In Mora per interpellationem extraiudicialem ante contestationem contracta præcedentis moræ tempus spectatur,non contestationis,lib.4 t.2 p. 274 c.1 d.8 n.10

in Mora esse incipit author, qui vt iudicato ex parte sua tardius pareat, retinet in lite condemnatum,facitque vt ille non habens vnde soluat cogatur litem tueri mordicus potiùs quàm aut carceres aut vniuersorum bonorum venditionem pati lib.3 t.2 p.170 ca.2 d.12 n.22

Morosо sua mora prodesse non debet, nec ei,cui nihil imputari potest,nocere p.38 c.1 d.37 n.4 in all.

Le Mort *saisit le vif*. l.3 t.19 p.210 c.1 d. 4 n.1 in all.

Mors cùm sit facti extrinseci & accidentalis, numquam præsumitur nisi probetur,maximè si sit fundamentum intentionis l.4 t.14 p.317 c.2 d.39.num.9 in all.

Mortis probatio requiritur ad constituendam testamenti validitatem lib. 4 t.14 p.317 c.2 d.39 n.10

Mortis tempore nemo præsumitur immemor salutis æternæ l.4 t.15 p.335 c. 2 d.31 n.8 in all.

Mortis probatio solis iudiciis contenta est, nisi cùm mors est fundamentum intentionis lib. 4 t.14 p.307 c.1 d.2 n.1 2 3.4 & 5

Mortis cuiusque vnus tantum locus, vnum instans est,vitæ verò & plures loci & plura tempora lib.4 t.14 pag.307 c.1 d.2 n.3 & 4

Mortuus audiri non potest l.4 t.15 pag. 331 col.2.d.15 num.2 in all.

Mvlcta,iure prouinciali omnibus temere appellantibus infligitur li.4 t. 14.p.321 c.1 d.53 n.4 in all.

Mulcta pecuniaria decem librarum fortium in pœnam desertæ appellationis est constituta lib.4 t.12 p.304 c.1. d.2 n.1 in all.

Mvlier suæ familes caput & finis est, li.6 tit.8 p.655 col.1 defin. 23 numero 30 in all.

Mulier quæ iure communi vsa est, læsa videri non potest pag. 122 col. 1 d.1 num.11

Mulier nullum habet priuilegium contra creditores anteriores expressam hypothecam habentes:sed si ipsa possideat potest contra eos se tueri exceptione discussionis l.7 t.34 p. 949 c.1 d.3 n.7 & 8

Mulier habet priuilegium dotis etiam pro expensis quas facit in malam litẽ & iniustam pro dote tuenda,dummodo careat dolo,l.5 t.7 p.537 c.2 d. 13 n. 6 & 7

Mulier non habet priuilegium vllum pro dote quæ salua esse possit iure communi lib.7 t.34 pag.948 col.2 d.2 nu.1 & 2

Mulier occupans propria autoritate rem sibi legatam & antea pro dote obligatam

tam cum clausula constituti non potest expelli neque per interdictum Quod legatorum, neque per ius offerendi, l.8 t.2 p.951 c.1 d.2 à n.1.ad 9
Mulier quæ cũ marito fundos suos etiam dotales vendidit, si malit eorum veram æstimationem ex bonis mariti sui consequi, audienda est; & habet electionem an contra maritum velit regredi, an agere contra emptores, lib.4 t.21 p.373 c.2 d.27 n.12.in all.
Mulier, cum venditioni dotalis fundi maritus adfuit, precium quasi non solutum petere quandocumque potest, p.376 c.1 d.6 num.10
Mulier non potest prohiberi ne maritus dotales actiones persequatur, lib.5 t.8 p.559 col.2 d.27 nu.16 in all.
Mulier marito consentiente pro dote agere potest, non etiam inuito ignorante, p.141 c.2 d.6 n.12
Mulier, si maritus non sit soluendo, vel mariti hæres, potest omnem debitorem conuenire, l.4 t.21 p.372 c.2 d.26 n.4 in all.
Mulier quæ se obligauit pro liberando marito qui in carceres detrusus erat ex causa delicti non iuuatur Velleiano: secus si ex causa æris alieni, lib.4 t.21 p.368 c.1 d.16 n.1.2 3.4 & 5
Mulier omnimodo probare debet maritum ad inopiam vergere, vt mereri possit restitutionem, lib.4 t.21 p.369 c.2 d 18 n.27
Mulier quæ verberibus & minis adacta sollicitauit emptorem etiam ignorantem, non eo minùs iuuatur Velleiano. l.4 t 21 p.371 c.2 d.23 n.1.& 2
Mulier iuuatur Velleiano contra suum fideiussorem, etiamsi soluerit ille, ita vt repetere non possit: quia poterat ille eadem se exceptione tueri, lib.4 t.21 p.364 c.1 d.6 n.1 & 6
Mulier quæ cum filio rem filij vendidit tanquam venditionis correa Velleiani exceptione iuuatur, l.4 t.21 p.362 c.1 d.1 n.1.2.3.4 5 6 & 7
Mulier rem suam siue dotalem siue paraphernalem iusto pretio vendens cum marito aut pro marito vel alio, quatenus iuuanda Velleiano, l.4 t.21 p.372 c.2 d.27 n.1.2 3
Mulier quando Velleiano contra emptorem quem ipsa quæsiit iuuari possit, l.4 t.1 p.363 c.1 d.3 n.1.2 & 3
Mulier alium rogans vt pro marito fideiubeat iuuatur Velleiano si postmodum actione mandati conueniatur, l. 4 t.21 p.373 c.2 d.28
Mulier quæ contra Senatusconsultum intercessit, condictionem habet aduersus eum cui soluit, lib.4 t.21 p.364 c.1 d.5 n.2 in all.
Mulier quæ se pro marito egeno obligauit de pecunia in causa alimentorum familiæ conuersa non iuuatur Velleiano, l.4 t.21 p.365 c.1 d.8 n.1.& 2
Mulier quæ sollicitauit & creditorem quæsiit non facile Velleiano iuuanda est, etiamsi cum marito debendi correa facta sit, lib.4 t.21 p.364 c.2 d.7 n.1 & 2
Mulier si restitutione indigeat contra intercessionem factam pro marito, oneratur probatione quod maritus non sit soluendo: secus si nulla egeat restitutione: puta quia non iurauerit, l.4 t.21 p.366 c.1 d.11 n.1
Mulier bonorum mariti excussionem facere cogitur siue constante siue soluto matrimonio pro dote agat, & quid si habeat clausulam constituti, l.5 t.7 p. 541 c.1 d.25 n.14.15 & 16
Mulier repulsam passa eo tempore quo maritus erat soluẽdo postea factis per maritum alienationibus debet agere prius in res alienatas, l.5 t.7 p.572 c.1 d.26 n.1.2.3.4 & 5
Mulier agens cõtra tertium possessorem patitur exceptionem discessionis non minus quàm cæteri creditores, l.7 t.34 p.948 c.2 d.2 n.1.2.& 3
Mulier amittit possessionem suam cum patitur pignora dotalia locari à tutore nomine pupilli, nisi ex ea causa aliquid acceperit pro fructibus pignoris, l.7 t.7 p.815 c.2 d.31 n.1
Mulier ex rescripto Principis habere potest ante petitum tutorem, & ante redditas filio impuberi tutelæ rationes, lib.5 t.4 p.521 c.2 d.1 à num.1.ad 14
Mulier nubere non potest, nec vllo casu legitima vxor fieri, quæ iam alium maritum habet, l.9 t.29 p.1224 c.1 d. 28 n.7 in all.
Mulier secundo nubens non amittit ea quæ ipsi data sunt contemplatione prioris mariti, lib.5 t.5 p.522 c.2 d.2 n. 1 2.3 & 4
Mulier nupta habere potest res duplicis generis quasdam dotales, quasdam extra matrimonium constitutas, l.3 t.27 p.250 c.2 d.2 n.1 in all.
Mulier si nupserit sine dote, cum constante matrimonio omnia bona sua dederit in dotem non ex eo solo læsa videtur, nisi mariti dolo probetur circumscripta, p.122 col 1 d.1 n.2 & 4
Mulier binuba quod disponit circa personam secundi mariti si possit recipere interpretationem ex arbitrio boni viri, non debet videri factum in fraudem legis, lib.5 t.5 p.524 c.1 d.9 à nu.1 ad 10
Mulier cui legatum aliquid est, etiam in casum secundarum nuptiarum nihil amittit ex cæteris liberalitatibus mariti, l.5 t.5 p.524 c.1 d.8 n.1.2 & 3
Mulier excusari potest, cuius vir longo tempore abfuit si eum defunctum arbitrata alij nupserit, lib.9 t.7 p.1162 c.2 d.4 n.4 in all.
Mulier olim in dote præferebatur creditoribus omnibus, etiam expressam hypothecam habentibus: quod hodie non tenet, lib.4 t.8 p.292 c.1 d.1.nu.3 in all.
Mulier quæ se debendi corream constituit, siue simpliciter, siue cum clausula *Quilibet in solidum*, iuuatur Velleiano, l.4 t.21 p.370 c.2 d.20 n.1.2.3.4 & 5
Mulier maior non restituitur ad appellandum à sententia cui consensit, si nihil ab ea contra Velleianum factum sit, l.4 t.21 p.372 c.1 d.25 n.1
Mulier non potest restitui aduersus creditorem ex cuius pecunia dimisit priorem creditorẽ apud quem etiam intercesserat, nisi prior etiam contractus rescindatur, lib.4 t.21 p.366 c.1.d. 12 n.1.2.3.4 & 5
Mulier non semper, nec per omnia habenda est minoris loco 25. annis circumscripti, vt passim ei subueniri oporteat, lib.4 t.21 p.363 c.2 d.3.num.7 in all.
Mulier in re sibi à marito donata in casu superuitæ præfertur omnibus mariti creditoribus posterioribus, licet contraxerint antè conditionis casualis euentum, lib.8 t.36 p.1129 c.1 d.10 n.1.2 & 3
Mulier prætextu paupertatis non potest pendente lite restitutionis petere ante diem quod non debetur nisi in diem, p.183 c.1 d.14 n.3.4 & 5
Mulier quandiu rationes nõ reddidit est debitrix, nõ quantitatis, sed redditionis rationum, p.184 c.1 d.15 n.4 in all.
Mulier potest petere assecurationem dotis viri paupertate probata per viam exceptionis etiam citra declaratoriam l.5 t.7 p.536 c.2 d.10 n.3 & 4
Mulier petens assecurationem dotis non habet fundatam intentionem, qua tamen probata potest retinere non tantùm bona immobilia mariti, sed etiam fructus ex iis iam perceptos, l.5 t.7 p. 548 c.1 d.47 n.4 & 5
Mulier agens siue ad restitutionem siue ad assecurationem dotis primùm cogitur imputare quæ penes se habet, deinde excutere bona mariti, postea agere contra tertios possessores, lib.5 t.7 p.548 c.1 d.21 n.6 & 7
Mulier sicut in restitutione, ita neque in assecuratione dotis præfertur creditoribus anterioribus expressam hypothecam habentibus, l.5 t 7 p.542 c.2 d.28 n.1.2.3 & 4
Mulier potest detrudi in carceres non pro ciuili debito, sed tamen pro sumptibus ex causa delicti descendentibus, l.5 t.7 p.546 c.2 d.41 num.1.2.3.4. 5 6 & 7
Mulier potest fundum vendendo siue suum siue alienum, vel maximè propter obligationem de euictione pro alio intercedere, l.4 t.21 p.362 c.2 d.1 n.8 in all.
Mulier habet regressum in fundũ etiam æstimatum si maritus non sit soluendo, l.5 t.7 p.547 c.1 d.43 n.1 & 2
Mulier habens specialem hypothecam quando impedire possit cæterorum creditorum super ea speciali hypotheca persecutionem, lib.5 t.7 p.546 c.1 d. 40.à num.1.ad 8
Mulier quæ ex bonis mariti pro dote possidet ad largam æstimationem nõ est inquietanda ab aliis creditoribus quamdiu alia sunt mariti bona ex quibus eis satisfieri possit, lib.5 t.7 p.543 c.2 d.32 n.2 & 3
Mulier quæ societate bonorum & quæstuum cum marito in tabulis dotalib. contracta ob eam causam cœpit obligata esse ad exsolutionem æris alieni pro rata portione ex consuetudine regionis in qua matrimonium initum est, non ideo prohibetur totam dotem soluto matrimonio exigere, l.5 t.7 p. 544 c.1 d.33 n.1 & 2
Mulier quæ constante matrimonio idonea pignora accepit pro dote in tuto collocanda non potest reliquorum bonorum possessores tertios soluto matrimonio inquietare, l.5 t.7 p.544 c.2 d.35 à num.1 ad 14
Mulier quę ad eludendam executionem quæ fiebat contra maritum, & vt executori illuderet, se pro marito obligauit, non iuuatur Velleiano, l.4 t.21 p. 368 c.2 d.17 n.1.2.3.4 & 5
Mulier secuta domicilium viri non ideò censetur à fratre diuisa, si nulla bonorum diuisio interfuerit, l.7 t.1 p.783 c.1 d.11 n.1
Mulier quæ tutrix fuit non potest agere de dote ante redditas tutelæ actiones, sed si possideat non eo minus habet ius retentionis aduersus alios posteriores creditores, l.5 t.7 p.547 c.2 d.46 n.1 & 2
Mulier quæ tutelæ rationes nõ reddidit petitionem dotis interim non habet: habet tamen retentionem, lib.5 t.8 p. 544 c.1 d.12 n.1
Mulier vel eius hæres habens mobilia marito data in dotem æstimata cogitur ea imputare sibi in restitutionem dotis iuxta conuentam æstimationem si ea sibi retinere velit, lib.5 t.7 p.540 c.1 d.21 n.2 in all.
Mulier quæ etiam constante matrimo-

BIU Cujas

nio consensit venditioni pignorum dotalium ius pignoris sui amittit, si modò ex aliis bonis suum consequi possit. Multò verò magis possessionem amittit si quam antea habuerat, li.8 t.15 p.1004 c.2 d.3 à nu.1 ad 14
Mulier substituta posthumo instituto non potest hereditatem acquirere neque suo neque posthumi sui nomine, quousq; sciatur, an sit prægnans, nec proinde beneficium inuentari implorare, lib.6 t.11 p.673 c.1 d.42 n.1 & seq.
Mulier non cogitur facere excussionem bonorum mariti, si non agat ad dotis assecurationem, sed eã petat per viam exceptionis & contradictionis, l.5 t.7 p.540 c.2 d.21 n.4 in all.
Mulier possessionem habere videtur cùm aliquid habet in vicem possessionis & fructuum, lib.7 t.7 p.815, c.2 d.31 n.4 in all.
Mulier non est retinenda in possessione bonorum mariti pro dote in tuto collocanda, nisi ad concurrentem vsque dotis solutæ quantitatem, licet non possunt ea bona sufficere ad onera matrimonij, lib 5 t.7 p.548 c.2 d.49 n. 1 2 3 4 5 & 6
Mulier non potest propria autoritate occupare possessionem rerum dotalium aut pro dote obligatarum. Et quid si maritus fuit tallitabilis, li.5 t.8 p.553 c. 1 d.10 n.1 ad 15
quod Mulier consecuta est ex instrumento quo continetur simulata dotis recepţę confessio, non exonerat debitores, li.5 t.10 p.566 c.2 d.7 n.3 & 4
Mulier contribuere debet in domicilio mariti non in loco suæ originis, li.9 t. 30 pag.1228 c.1 d.11 nu.1
Mulier nobilis siue à genere siue ex persona prioris viri amittit nobilitatem si postea nubat ignobili, l.9 t.29 p.1218 c.1 d.17 n.1
Mulier plebeia quæ secundo viro nupsit nobili nulla debet tributa pro bonis sibi pro dote oppigneratis, licet ea bona fuerint antea contributioni obnoxia, lib.9 t.30 p.1228 c.2 d.1 n.1
Mulier quæ partum inuẽtum mortuum celasse & occidisse dicitur parricidij rea est nisi probet à se editum mortuum, l.9 t.11 p.1169 c.1 d.2 n.1
Mulier debet esse in officio mariti, li.6 t.1 p.783 c.1 d.11 n.1 in all.
Mulier sortilegij rea si non liquidis probationibus conuicta sit non debet ex solis suspicionibus condemnari, sed tamen exilio perpetuo mulctanda est, si mala fama vrgeatur, li.9 t.12 p.1170 c.2 d.1 n.1
Mulieris interest dotem habere, p.134 c.2 d.1 n.10 in all.
Mulieris, cui maritus donauit durior sit conditio quàm mariti qui ab vxore dotem acceperit, l.8 t.38 p.1136 c.1 d.6 nu.4
Mulieris affirmantis rei à se & marito venditæ pecuniam ad se peruenisse confessioni non credendum, si non aliunde probetur, l.4 t.14 p.313 c.2 d. 22 n.8 in al.
Mulieri minori & propter sexum & propter ætatem fauere debemus, l.7 t.1 p. 781 c.2 d.7 n.2 in all.
Mulieri difficile est vt non subueniatur quæ remisit iura hypothecarum, si ex eo futura sit quandoque indotata, l.4 t.21 p.372 c.1 d.26 n.2 3 & 4
Mulieri post mortem mariti pro anno luctus debentur alimenta iacente hereditate aut herede deliberante, lib.5 t.8 p.557 c.2 def.26 n.3 in all. & ei quæ seorsim habitat à viro non culpa sua sed viri, p.558 c.1 cad.d.& n.
Mulieri non magis permittitur maritum suum quàm alium defendere, lib.4 t.21 p.368 c.2 d.16 n.2 in al.
Mulieri permittendum non est, vt constante matrimonio deteriorem faciat dotis suæ conditionem, l.4 t.21 p.372 c.2 d.26 n.13
Mulieri succurrendum est quæ bonam iustámque de dote actionem habet, licet malè egerit, pag.155 c.1 d.2 nu. 5 & 6
Mulieri succurrendum est ne fiat indotata, etiamsi iurauerit, sed ei absolutio & restitutio necessaria est, li.4 t.21 p. 365 c.2 d.10 n.1 & 8
Mulieri obligatæ non etiam soluenti dotem subuenitur velleiano, l.4 t. 21 p.372 c.2 d.27 n.2 exceptiones, vsque ad n.9
Mulieri dotem repetenti non nocet exceptio rei iudicatæ etiamsi per errorem consenserit executioni soluto matrimonio, li.7 t.22 p.901 c.1 d.4 n.1 2 & 3
Mulieri nihil imputari potest, quæ constante matrimonio agere non potuit, lib.7 t.7 p.814 c.1 d.27 n.3 in al.
Mulieri etiam ab alio deceptæ non subuenitur aduersus eum quem ipsa decepit, lib.4 t.21 p.363 c.2 d.4 n.1 & 2
Mulieri non semper prohibitum est ne se cum marito obliget, Sed ita, Si & pro marito & animo intercedendi obligari velit, lib.4 t.21 p.365 c.1 d.9 n.1
Mulieri extraordinaria pœna infligenda est quæ sciuit falsam monetam a marito & aliis cudi nec reuelauit, l.9 t.15 p. 1178 c.2 d.3 n.1
Mulieri apud Augustanos non licet soluto matrimonio dotem exigere, nec mariti heredibus pignora pro dote, dotísque augmento data luere quo ad vsque mulier vel moriatur, vel ad secundas nuptias transeat p.129 c.2 d.3 nu.6 & 7
Mulieri dicenti se ex aliquo prægnantem an & quomodo credatur & quis partum alere debeat l.9 t.7 p.1163 c.2 d.6 n.1
Muliere mandante vel minore qui soluit vero creditori mulieris vel minoris contra quem restitutio impetrari poterat securus est, li.4 t.21 p.363 c.2 d. 5 n.1 & 4
de Muliere, quę testando in fauorem mariti exceperat partem bonorum, de qua post modum testari pro arbitrio posset, l.6 t.2 p.638 c.1 d.5 n.1 2 & 3
Mulierum genus auaritissimum est l.4 t.14 p.318 c.2 d.42 n.4 in all.
Mulieribus neque minoribus, neque rusticis post didicita testificata testes producere licet: quibus tamen ius ignorare permittitur l.4 t.15 p.331 c.1 d. 17 num 1 2 3 & 4
Mulieribus per meram iuris ignorantiam lapsis toties succurrendum quoties de damno vitando certant saltem in quibusdam causis propter sexus infirmitatem, l.4 t.21 p.372 c.1 d.25 n.5
MVNERA alia quidem sunt munere personalia: alia mere realia, alia mixta, ideo sic dicta, quia imponuntur personis pro patrimonio l.9 t.30 p.1225 c.1 d.2 n.5 in all.
MVTATIONE personæ, ipsa quoque bonorum qualitas & condicio mutatur, l.4 t.41 p.461 c.2 d.4 nu.20 in al. & l.4 t.7 p.285 c.1 d.1 n.11 in all.
MVTVVM non confessione, sed numeratione contrahitur, l.4 t.2 p.271 c.1 d.4 n.2

N

NATVS in peregrinatione, cuius orinis & loci ciuis sit, l.6 t.19 p.710 c.1 d.40
Nati ex matrimonio cum adultera contracto, an succedant parentibus, saltem in lucris nuptialibus, an vero ea lucra fisco applicentur, l.6 t.33 p.770 c.2 d.10
Nati ex patre adultero possunt & ipsi patri & inter se succedere, l.6 t.33 p.770 c.1 d.8
NECARE videtur, qui alimenta denegat li.8 t.26 p.1140 c.1 d.1 n.3 in al.
NECESSITAS semper facit licitum quod alioquin esset illicitum, l.4 t.43 p.504 c.2 d.55 nu.4 in al.
Necessitas non inducitur ex eo quod fit voluntarie, l.6 t.22 p.725 c.2 d.29 n.1 in all.
Necessitatis prætextu conductor non potest expelli, nisi de ea constet aliter quàm per iuramentum locatoris, & nisi ea necessitas superuenerit ex postfacto, lib.4 t.42 p.481 c.1 d.51 n.12 & 3
NEFASTI dies, qui, l.3 t.11 p.189 c.1 d.6 n.7 in all.
NEGANS ius authoris sui nullam postea exceptionem ex illius iure potest obiicere lib.2 t.151 p.113 c.2 d.3 num.3 in all.
Negatio facit rem dubiam, quousque actor intentionem suam plenè probauerit, l.4 t.42 p.493 c.1 d.21 num.3 in all.
Negatio probanda est quoties est fundamentum intentionis siue actoris, siue rei, l.4 t.14 p.319 c.1 d.46 n.2 & 3
Negatiua probatur omnium optimè & concludentissimè per euidentiam rei lib.4 t.14 p.319 c.1 d.46 n.5 in all.
NEGATORIA de seruitute agere potest is etiam qui nouum opus facientem non prohibuit cum posset per nunciationem, nec intra annum ad tollendum opus egit interdicto, p.241 c.1 d.6 n.1 2 & 3
Negatoriam actionem proponenti ita demum incumbit onus probandi, si fateatur aduersarium esse in quasi possessione seruitutis, l.3 t.24 p.241 c.2 d.8 n.1
NEGLIGENTIA est, si non fiat intra certum tempus id quod fieri debuit: eáque ex sola cessatione inducitur, p. 126 c.2 d.1 n.7 in al.
Negligentia omnis dolus non est aut dolo proxim, sed ea tantum quæ magna adeò est vt non solum culpam sed etiam magnam culpam constituat, p. 126 c.2 d.1 n.8 in al.
Negligentia magna culpa est, magna verò culpa, dolus, l.4 t.26 p.405 c.2 d.15 n.2 in al.
Negligentia vnius nocere alij non debet l.7 t.32 p.946 c.2 d.20 n.9 in all.
Negligentia decessoris à solutione non nocet successori, p.25 c.1 d.86 n.6
Negligentia noua non parit nouam restitutionem sine noua causa, p.133 c.2 d.1 n.12 & 3
Negligentiæ mutuæ culpa, mutua compensatione tollitur, p.162 col.2 d.26 nu.9
NEGLIGERE rem mandatam videtur qui per alium facit, quod per seipsum facere deberet, pag.30 col.2 d.9 num.5 in all.
In NEGOTIO principali qui fouet euidenter malam & iniquam causam, non eo minus condemnandus est in expensas litis appellatoriæ quod in quibusdam capitibus obtinuerit, lib. 7 t.18 p.871 c.1 d.83 n.1
NEPOS ex filia continetur appellatione masculorum, si testator habuit rationem sanguinis, non etiam si familiæ & agnationis, l.6 t.19 p.704 c.2 d.1
Nepotes gradum non personam repræsentant

BIU Cujas

sentant,p.84 c.1 d.18 n.10

Nepotes non semper continentur filiorum appellatione, l.9 t.28 p.1223 c.1 d.27 n.4 in all.

Nepotes non plus ferunt ex bonis aui, quàm debetur detracta ea summa quę matri in dotem data est, p.84 c.2 d.19 num.10

NEPTES quæ imprudentibus & prodigis viris nuptæ sunt si quid legatum fuerit, cogendæ non erunt, nec ipsarum mariti ad cauendum li.3 tit.19 p. 221 c.1 d.34 n.10

NOBILIS an quis sit absolutè ac simpliciter,an secundum quid,an ex priuilegio, an ex iure communi lib.9 t. 29 p.1216 c.2 d.12 n.1

Nobilis & immunis non potest retenta nobilitate priuilegium immunitatis à se abdicare,l.9 t.30 p.1229 c.1 d.13 n.1

Nobilem aliquem esse,nisi nobiliter viuat parum est, li.9 t.29 p.1218 c.2 d.18 n.1 in all.

Nobiles immunes sunt ab omnibus muneribus personalibus & mixtis tametsi à plebeis prædia tributaria comparauerint,lib.9 t.30 p.1225 c.2 d.3 n.1

Nobiles sunt immunes extra tributum commutatorium ab oneribus cæterorum onerum quæ extraordinaria appellamus siue personalia sint, siue mixta, lib.9 t.30 p.1226 c.2 d.7 n.1

Nobiles tributo annuo quod vniuersitas Principi debet obnoxij sunt in annum vsque nobilitatis quinquagesimum,at non reliquis onerib.plebeiis, li.3 t.12 p.200 c.2 d.40 n.2 in all.

Nobiles qui sunt, non potest fieri per consuetudinem,vt sint non immunes ab oneribus &contributionis plebeiorum,l.9 t.30 p.1229 c.1 d.4 n.1

NOBILITAS tanquam summum beneficium etiam inuito conferri potest, l. 9 t.29 p.1222 c.1 d.26 n.4 in all.

Nobilitas quantò antiquior est, tantò maior,lib.9 ti.29 p.1218 c.2 d.18 n.3 in all.

Nobilitas non minus per patrem ad liberos quàm per maritum ad viduam transmittitur, l.9 t.29 p.1221 c.1 d.24 n.3 in all.

Nobilitas non tam facilè acquiritur quàm amissa recuperatur,li.9 t.29 p. 1214 c.1 d.2 n.1

Nobilitas per aliquem acquisita descendit veluti ex traduce ad posteros, lib. 9 t.29 p.1213 c.2 d.1 n.1 in al.

Nobilitas patris facto non amittitur liberis qui eam habent aut à genere aut à Principe suo iure, l.9 t.29 p.1221 c.2 d.25 n.1

Nobilitas facilius probatur,quàm conceditur,l.9 t.29 p 1217 c.2 d.15 n.1 in al.

Nobilitas generis probari potest per verba enunciatiua instrumentorum familiæ in antiquis, præsertim quæ facta sint coram principe aut eius officialibus,l.14 t.315 c.1 d.27 n.1

Nobilitas quamuis non conferatur, tamen probatur per verba enunciatiua Principis etiam contra tertium, l.9 t. 29 p.1217 c.2 d.15 n.1

Nobilitas nec immunitas non amittuntur ex solutione tributorum,quæ plebeis indicantur nisi ea solutio fuerit per triginta annos continuata,l.9 t.29 p.1215 c.1 d.6 n.1

Nobilitas & immunitas per legem quæsita mulieri ex perfidia viri non potest auferri ne quidem ex facto viri, lib.9 t.9 p.1217 c.2 d.16 n.1

Nobilitas facto ipso amittitur per vsum mechanicarum artium & nouo priuilegio opus est ad eam recuperandam, lib.9 t.29 p.1218 c.2 d.18 n.1

Nobilitati nō nocet agros suos vel communes coluisse, adeóque nec alienos conduxisse,si nobilis aliter viuere non potuit honestè,lib.6 t.29 p.1214 c.2 d. 3 nu.1

Nobilitati derogat procuratoris ad lites officium, nisi quod apud Senatum exercetur,lib.9 t.29 p.1214 c.2 d.5 n.1

Nobilitatem generis qui per artes sordidas amisit, non nocet liberis ne quidem postea susceptis, imò nec sibi, si quandocunque desistat nec indiget rehabilitatione,l.9 t.29 p.1213 c.1 d. 1 n.1 in all.

in Nobilitate probanda testes per turbam audiri possunt,l.4 t.15 p.331 c.1 d. 14 n.4 in all.

Nobilitatus ex priuilegio Principis non ideò fit immunis à tributo commutatorio ne quidem pro bonis propriis nisi post annum quinquagesimum,l.9 t. 30 p.1225 c.2 d.4 n.1

Nobilitatus ex priuilegio non in corpore iuris clauso indemnitatem vniuersitati præstare cogitur,l.9 t.30 p.1226 c.1 d.6 n.1

NOCENTEM absolui quàm innocenperire satius est,lib.7 t.920 c.2 d.49 n. 8 in all.

NOMEN & vendi & cedi potest,l.4 t.26 p.410 c.1 d.28 nu.2 in al.

Nomen debitoris non solum pignori dari potest, sed etiam venire in obligatione generali bonorum omnium, l.8 t.14 p.1003 c.2 d.2 n.2 in all.

Nominis mutatio in familiæ nobilioris iniuriam virgis & exilio castigāda est, itémque pœna honoraria ni reus sit infamis, lib.9 t.16 p.1180 c.2 d.1 n.1

Nomine debitoris in pignus dato,necessaria est denunciatio, l.8 t.14 p.1003 c. 2 d.9 n.1

qui Nomina accepit in dotem pecuniam ex iis redactam cogitur iudicio de dote restituere sed deductis expensis, l.5 t.7 p.549 c.1 d.52 n.3 & 4

NOMINATORES Syndicorum minus idoneorum indemnitatem fisco præstare coguntur l.7 t.33 p.948 c.1 d.1 n. 9 in all.

NOMINATIO quam summus Pontifex etiam scienter,adeóque motu proprio fecerit,nullum ius inbeneficio tribuit. Nominatio enim titulum quidem præsupponit,non tamen tribuit, l.4 t. 14 p.315 c.2 d.29 n.6 in all.

NON ENTIS nullæ sunt qualitates l.3 t.19 p.211 c.2 d.9 n.4 in all.

Non entium & non apparentium idem iudicium, lib.6 t.11 p.661 c.2 d.8 n.2 in all.

Non esse & non apparere sunt paria, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.6 in all.

NOTARIATVS eius qui tanquam notarius in formam publicam instrumentum redegit,citra solemnem falsi accusationem denegari non potest li. 4 t.16 p.351 c.1 d.20 n.2

NOTARIVS potest subrogari in locum defuncti commissarij ad redigendum inuentarium in formam publicam,l.6 t.11 p.666 c.1 d.21 n.1

Notarius non potest instrumenta defuncti in publicam formam citra iudicis authoritatem redigere l.4 t.16 p. 346 c.2 d.7 n.1

Notarius ex viuentis notarij protocollis instrumentum publicum non potest excerpere, nisi notarius ille expeditus proponatur lib.4 t.16 p.353 c.2 d.26 nu.1

Notarius recusare non potest quod prohibere non possunt contrahentes quorum interest p.67 c.1 d.3 n.4 & 5

Notarius sicuti præsumitur rogatus ea quod fecit instrumentum,ita præsumi debet solus rogatus qui solus subscripsit,l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 nu.2 in all.

Notarius instrumentum in protocollum & in ordinem non redigens puniendus,lib.4 t.16 p.353 c.1 d.24 n.4 in al.

Notarius qui instrumentum testamenti scripsit non habetur pro teste nisi per iudicem in eam rem auditus sit l.9 t.14 p.1177 c.2 d.1 n.6 in all.

Notarij assertio de iis tantum quæ inter contrahentes geruntur, non etiam de aliis,plenam fidem facit li.4 t.14 p.314 c.2 d.26 n.7

Notarij culpa contrahentibus fraudi esse non oportet,lib.4 t.16 p.353 c.1 24 n.4 in all.

Notarij qui instrumentum conscripsit alius notarius heres, non potest instrumenti descriptionem vti em facere,quin iudicis iussus, mandatúmque præcedat,p.63 col.1 d.4 n.1

Notario omnimodo credendum est in iis quæ attestatur coram se gesta esse lib.6 t.5 p.626 c.2 d.10 nu.7 in all.

Notario plus creditur quàm testibus instrumentariis,nisi cùm agitur criminaliter de falso lib 9 t.13 p.1173 c.1 d.3 n.1

Notario dicenti falsum esse instrumentum nunquam creditur in præiudicium partis lib.9 t.13 p.1173 c.1 d.4 n.1

Notario non creditur, nisi de iis quæ fiunt coram eo quando celebratur actus,l.4 t.14 p.314 c.2 d.26 n.7 in al.

Notario qui scripsit testatorem, quo tempore suprema ordinabat, sanæ mentis non vsque adeo fuisse creditur,quin probari contrarium possit citra falsi accusationem lib.4 t.14 p.314 c.2 d.26 n.1

Notario rogato in exilium ex causa criminis damnato, potest alius notarius reexpedire instrumentum solo iudicis ordinarij decreto l.4 t.16 p.354 c.1 d.28 n.2

Notarium adhiberi nihil necesse est ad stipulationis validitatem nisi cùm is cui stipulationis commodum acquirendum est,sibi ipse stipulari non potest lib.3 t.24 p.250 c.2 d.2 n.9 in all.

Notarij dicti sunt,quod notis plurimum scribant l.4 t.16 p.350 c.2 d.18 n.1 in all.

Notarij habent administrationem officij sui ordinariam & quidem in solidum,l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 n.2 in al.

Notarij habent iurisdictionem quandam ordinariam voluntariam,lib.4 tit. 16 p.345 c.1 d.1 n.2 in all.

Notarij duo adhibiti sine teste quibusdam in locis sufficiunt,l.4 t.16 p.345 c. 1 d.1 n.2 in all.

Notarij plures ad aliquod instrumentum recipiendum adhibiti & rogati, præsumuntur in dubio singuli rogati insolidum,lib.4 t.16 p.345 c.1 d.1 n.2 in all.

NOTORIETAS releuat quidem ab onere probandi,sed non allegandi l.7 t. 14 p.836 c.1 d 7 n.4 in al.

NOTORIVM non est probandum, sed probandum est esse notorium, lib.4 t. 15 p.341 c.1 d.50 n.2 in al.

NOVATIO fit cum apparet actum fuisse de liberando debitore,licet non fuerit specialiter actum de nouando,lib.8 ti.29 p.1088 c.1 d.11

Nouatio nunquam fit nisi id pro quo fit nouatio factum dictúmve sit lib.4 t.41 p.474 c.1 d.28 n.4 in al.

Nouatio per contestationem facta non immutat naturam obligationis ex qua primum agi cœptum est l.4 t.2 p.273 c.1 d.7 n.11

BIU Cujas

Nouatio quæ fit per conuentionem impedit ne augmentum vilum moneræ ex causa præcedente debeatur, at non item nouatio quæ fit per iudicatum, nisi cum idipsum iudicato expressum est, lib.8 t.29 p.1086 c.1 d.6

Nouatio perimit priorē actionem eamque in sequentem transfudit, p.65 c. 1 d.16 n.3 in all.

Nouatione facta, prioris obligationis qualitas & condicio non inspiciuntur, sed posterioris tantùm, p.50 c.2 d.4 n.4 in all.

Aduersus Nouationem factam per inopis debitoris delegationē solus minor restitui potest, nisi delegantis dolus interuenerit, lib.8 t.29 p.1084 c.1 d.2

NOVVM opus si te sciente & non contradicente fecerim, non sum postea compellendus destruere, l.8 t.5 p.967 c.2 d.3 n.3 in all.

NVLLITAS contractus procedens ex mutua culpa per vnumquemque ex contrahentibus allegari potest, l.4 t.11 p.303 c.2 d.4 n.1 in all.

Nullitas nullitatum est, si quid factum sit à non habente potestatem, l.4 t.16 p.345 c.2 d.2 n.3 in all.

Quod nulliter factum est pro infecto magis quàm pro facto habendum est, l.4 t.15 p.340 c.2 n.47 n.3 in all.

NVMERATIO quoties fit in consequentiam contractus præcedentis, contractus ille inspiciendus est, potiùs quàm ipse numerationis, p.107 c.1 d.8 n.5 in all.

NVMERVS solemnis vno teste non perficitur, lib.4 t.1 p.262 c.1 d.18 n.6

NVMMI ex earum rerum genere sunt, quæ primo vsu consumuntur, l.4 t.18 p.359 c.1 d.5 n.8 in all.

Nummi qui dantur vt statim recipiantur, non alienantur, l.4 t.24 p.393 c.2 d.27 n.2

Nummorum certa & perpetua esse debet æstimatio, l.4 t.23 p.378 c.1 d.2 n.1 in all.

Nummorum æstimatio certa esse debet ac perpetua, l.8 t.30 p.1100 c.2 d.39 n. 1 in all.

Nummorum, qui mei sunt, dominium me inscio in alium transferri non potest, l.4 t.23 p.383 c.1 d.17 n.8

Nummis aureis legatis, quales & cuius æstimationis aurei debeantur, l.6 t.19 p.708 c.2 d.12

Nummis solutis qui alienari nequeunt, non nascitur liberatio: quæ nec nascitur cùm nummi possunt condici, l.4 t.23 p.383 c.1 d.11 n.17 n.9 & 10

NVNCIATIO non fit à iudice, sed ab aduersario à quo non potest appellari, cùm nullam habeat iurisdictionem, lib.8 t.5 p.967 c.2 d.2 n.2 in all.

Non semper ei cui Nunciatū est nouum opus permitti debet vt interim ædificet oblata satisdatione, l.8 t.5 p.967 c. 2 d.3 n.12 & 3

NVNCIO aliquid referenti, nisi in eo quod sit de ipsius officio, non creditur l.4 t.14 p.317 c.1 d.38 n.1

NVPTIÆ secundæ quæ consensum habent siue expressum siue tacitum aut prædefuncti coniugis, aut superstitum liberorum nullas pœnas merentur, lib.5 t.5 p.523 c.1 d.5 n.12 & 3

Nuptiæ etiamsi filius familias sine patris consensu vxorem duxerit, valent & An ex ea causa possit filius per patrem exhæredari? l.5 t.2 p.518 c.1 d.2 num.1 2 3 & 4

Nuptiæ incestuosæ excusari possunt per legem *qui contra* 4. *Cod. de incest. & invt. nupt.* si per errorem affectatum non fuerint contractæ, lib.4 tit. 5 pag.283 col.2 d.2 n.2 in all.

Nuptiæ prohibitæ dotem non habent, l. 4 t.5 p.283 c.2 d.2 n.3 in all.

Nuptiales vestes de quarum solutione non apparet an & quando peti possint per mulieris hæredes, l.6 t.13 p.827 c. 2 d.8 n.1

O

OBLATIO debet præcedere obsignationem, p.182 c.2 d.11 n.7 in all.

Oblatio debet præcedere obsignationem l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.8 in all.

Oblatio debet præcedere obsignationem, alioqui non valet obsignatio, li. 8 t.30 p.1060 c.1 d.7 n.12

Oblatio ea demùm admittenda est quæ litis materiam minuit, l.4 t.14 p.325 c. 1 d.65 n.10 in all.

Oblatio sufficit ad impediendam moram non ad obligationem tollendam, l.4 t.33 p.439 c.2 d.15 n.2 in all.

Oblatio iudicialis impedit moram quia statim ex ea condemnatio sequi potest l.4 t.36 p.448 c.2 d.7 n.10 in all.

Oblatio sola non liberat emptorem à præstatione vsurarum nisi secuta sit obsignatio, quamuis venditor fuerit in mora accipiendi, l.4 t.33 p.439 c.1 d. 15 n.1

Oblatio solutionis iuncta cum obsignatione non modò purgat moram, sed & solutionis vim habet, l.4 t.36 p.451 c.2 d.13 n.5 in all.

Oblatio incongruo loco vel tempore facta non valet, nec oblationem secuta obsignatio, l.4 t.18 p.359 c.1 d.6 n.4 in all.

OBLIGANS se tanquam collaudator & approbator, non potest renunciare exceptioni ordinis, lib.8 t.28 p.1083 c. 2 d.46.

OBLIGARI nemo potest ex sententia à non suo iudice lata, l.7 t.20 p.889 c. 1 d.25 n.3 in all.

Obligari pignori fundus potest, l.4 t.35 p.445 c.2 d.1 n.3 in all.

Nemo Obligatur alieno facto ex eo solo quod gradum repræsenter, p.84 c. 2 d.18 n.10 in all.

OBLIGATIO vice solutionis est quoties ritè facta est creditore solutionem sine causa recusante, l.9 t.4 p.1157 c.1 d.6 n.10 in all.

Obligatio est actionis mater, l.3 t.22 p. 231 c.1 d.8 n.6 in all.

Obligatio est iuris vinculum, lib.4 t.18 p.359 c.1 d.6 n.5 in all.

Obligatio & ius petendæ æstimationis ab eo dumtaxat die quo quis soluit, nascitur, lib.4 t.2 p.276 c.2 d.15 n.12

Obligatio omnis æstimatur vtéq; suas accipit ex eo tempore quo contrahitur, tum etiam cum sub condicione contrahitur, l.4 t.2 p.273 c.2 d.7 nu.7 in all.

Obligatio accessionum præstandarum ante sententiam nulla nasci potest, l. 4 t.2 p.274 c.1 d.8 n.26

Obligatio canonis annui præstandi in quemlibet possessorem transit, l.4 t.31 p.433 c.2 d.1 n.1 2 & 3

Obligatio donandi animo sub simulatione mutui facta, donatio est inter viuos aut mortis causa, l.8 t.36 p.1128 c.2 d.7 n.1 2 & 3

Obligatio hypothecaria, licèt sit accessoria, durat tamen post extinctam principalem obligationem, l.8 t.6 p. 968 c.1 d.1 n.6 in all.

Obligatio legati per cautionem semel extincta nunquam potest reuiuiscere, cum sit vnica, nec nisi semel legatum fuerit, lib.3 t.19 p.221 c.1 d.34 num.9 in all.

Obligatio naturalis non minus inter patrem & filium, quàm inter fratres familias contrahi potest, l.4 t.23 p.377 c.2 d.1 n.5 in all.

Obligatio naturalis inducit compensationem, sicut & deductionem, l.4 t.23 p377 c.2 d.1 n.6 in all.

Obligatio personalis non sequitur singularem successorem, l.4 t.43 p.487 c. 1 d.7 n.13 in all.

Obligatio obligationi addita non deteriorem facit creditoris conditionem, lib.8 t.29 p.1085 c.1 d.3 n.2 in all.

Obligatio in perpetuum sublata numquam reuiuiscit, l.6 t.18 p.698 c.2 d.6 n.2 in all.

Obligatio nulla pignoris nasci potest ex chirographo in præiudicium tertij possessoris, nisi à quo tempore facta recognitio est, lib.4 t.7 p.289 c.2 d.13 num.14

Obligatio debitore consentiente restaurari potest quæ ipso iure extincta fuit p.125 c.2 d.3 n.4 in all.

Obligatio impossibilium contrahi nulla potest, lib.4 t.18 p.359 c.1 d.6 num.5 in all.

Obligatio semel extincta nunquam reuiuiscit, l.8 t.15 p.1007 c.1 d.8 num.6 in all.

Obligatio semel extincta nunquam reuiuiscit, l.9 t.29 p.1222 c.2 d.26 nu.8 in all.

Obligatio contrahi non potest sine causa, saltem vt habeat effectum, l.4 t.22 p.375 c.2 d.5 n.2 in all.

Obsignatio non aliter valet quàm si creditor oblatam solutionem recuset sine causa, l.4 t.18 p.359 c.1 d.6 n.3 & 4

Obligatio quæ non fuit contracta verbis, non potest dissolui verbis, l.4 t.18 p.357 c.2 d.2 n.5 in all.

Obligationis annuæ pensitationis extinguendæ gratia quod ab emptore soluendum est, prodest ei ad pretij diminutionem, l.4 t.30 p.427 c.2 d.14 n.2 & 3

Obligationis conditio ex hæredum persona aut numero immutari non potest lib.4 t.18 p.358 c.1 d.2 n.7

Obligationem nullam parit quod fit sine causa, l.5 t.10 p.567 c.2 d.10 n.5 in all. vel eam parit quæ elidenda sit per doli exceptionem.

Obligationem alienam in nos quando creditori aduersus priorem debitorem augendi facultatem adimimus, l.4 t.7 p.287 c.1 d.6 num.3

Obligatione sortis per solutionem sublata non potest superesse petitio vsurarum ex mora debitarum, l.4 t.24 p. 385 c.1 d.5 n.1 & 3

Obligatione cōtracta per promissionem de vendendo, non potest denegari venditio eo solo prætextu quod fundus pluris venditus fuerit, lib.4 t.7 p. 288 c.1 d.10 n.1 & 2

ab Obligatione se liberans fit locupletior, lib.5 tit.10 p.567 c.2 d.10 num.3 in all.

Obligationes quæ ex negotio & re ipsa proficiscuntur etiam furiosum & pupillum tenent, l.4 t.38 p.456 c.2 d.5 n.2 in all.

Obligationes & actiones omnes in hæredem transeunt, l.4 t.43 p.487 c.2 d.7 14 in all.

Obligationes legitimè contractæ non nisi certis & legitimis modis finiuntur l.41 t.42 p.474 c.2 d.28 n.5 in all.

Obligationes contractæ in fauorem militum, licet per instrumētum authenticum & guarentigiatum non habent hodie paratam executionem pendente lite, propter præsumptionem quæ

contra

BIU Cujas

contra milites vrget, l.4 t.7 p.287 c.1 d.8 n.1 2 3 4 5 6 & 7

OBLIGATVS ad certam pecuniæ quãtitatem tanquam thesaurarij aut alterius administratoris vices gerens, si quo tempore se obligauit, ea à creditore instrumenta acceperit ex quibus paratu ipsi creditori aduersus thesaurarium actio esse poterat, non inutiliter postea vt soluat proprio nomine conuenitur, licet de fiscali pecunia se dixerit soluturum, lib.4 t.7 p.287 c.1 d.6 n.1 & 2

Obligatus ad fideiubendum si conueniatur ad soluendum malè quidem conuenitur: sed non eo minus habendus est pro fideiussore ex illo die ac si conuentus ad fideiubendum in mora fuisset fideiubendi, l.8 t.28 p.1082 c.1 d.40 n.1 2 3 & 4

Obligatus ad luitionem pignoris nõ potest dicere se spoliatum esse à creditore qui sine vicio nactus sit possessionem à debitore quamdiu non offert omne id quod debetur, lib.8 t.3 p.961 c.2 d.32 à n.1 ad 18

Obligatus ex proprio facto conuenitur, non tam quod promiserit, quam quod instrumenta acceperit, l.4 t.7 p.287 c.1 d.6 n.1 in all.

Obligatus, si se obligando id egit vt actionem quę alioquin aduersus aliũi iam competebat creditori aut competitura erat, ademerit, non aliter liberatur quàm si eam actionem & quidem perinde vtilem atque efficacem restituat, l.4 t.7 p.290 c.2 d.17 n.2

Obligatus soluere certo loco ex stipulatione, ac proinde ex contractu stricti iuris, non potest ex contractu alio loco, quam quo solui debuit, conueniri, l.3 t.15 p.203 c.2 d.1 n.1 & 2

Obligatus in ampliore forma cameræ nõ habet exceptionem ordinis quamuis non renunciarit ei expressim, l.8 t.28 p.1075 c.1 d.22 n.1 & 2

ex Obligatis pluribus personis, vnam ab obligatione eximi, aliam retineri nil vetat, l.4 t.29 p.423 c.1 d.20 n.6

OBLIVIO ex solo decennij lapsu inducitur, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.11

Obliuio præsumitur ex lapsu decennij, l.7 t.7 p.818 c.2 d.39 n.14 in all.

Obliuio post decennium inducitur, li.4 t.15 p.335 c.2 d.31 n.4 in all.

Obliuionis præsumptio ex decennio inducitur, lib.6 t.5 p.626 c.2 d.1 num.5 in all.

OBREPTIONIS vicium ad Pontificias literas, non ad eas quæ ab ordinariis conceduntur, pertinet, pag.8 c.2 d.33 num.1 & 2

Vbi vel Obreptionis vel subreptionis maius est periculum, ibi maior adhibenda est cautio, p.9 c.1 d.33 n.5 in all.

OBSIGNANS pretium emptori cum pacto de retrouendendo, quibus casibus nullos fructus consequatur, nullas vsuras ex die obsignationis, li.4 t.36 p.453 c.2 d.17 n.9 in all.

Obsignare non tenetur qui nõn habet cui possit soluere, l.4 t.24 p.397 c.2 d.39 nu.8

OBSIGNATIO non est re vera solutio sed solutionis tantum iure censetur, l.4 t.18 p.359 c.1 d.6 n.5 in all.

Obsignatio pro solutione est ad inducendam plenissimam liberationem, l.4 t.36 p.453 c.2 d.17 n.8 in all.

Obsignatio necessaria est ad fructuum acquisitionem, l.8 t.16 p.1008 c.1 d.4 n.5 in all.

Obsignatio tum demum necessaria est cùm agitur de tollenda obligatione siue sortis siue vsurarum, l.4 t.18 pag.359 col.1 d.6 n.5 in all.

Obsignario necessaria ad euitandam pœnam commissi, tum quoque cum dominus directus est in dolo, l.4 t.43 p.493 c.2 d.22 n.2 in all.

Obsignatio non est necessaria ad impediendum ne currat tempus intra quod retrouenditio peti debuit, lib.4 t.36 p.448 c.1 d.6 n.1 2 & 3

Obsignatio debiti, etiamsi nihil pro monetæ augmento obsignarit is qui petit retrouenditionem, quandoque valet, l.4 t.36 p.448 c.1 d.7 num.1 2 3 4 5 & 6

Obsignatio facta in moneta minutissima, maxime quam credibile sit de proximo publicandam aut aliter improbandam, l.8 t.30 p.1099 c.2 d.37

Obsignatio minus legitimè facta pro nõ facta haberi debet, nec potest liberare debitorem, l.8 t.30 p.1089 c.2 d.6

Ad Obsignationis validitatem sufficit vt venditor protestetur se paratum maiorem quantitatem, si opus erit obsignare, nec requiritur vt eo nomine præstet satisdationem, quæ pro non liquidis necessaria est, l.4 t.36 p.448 c.2 d.7 n.2

Obsignatio etiam cum satisdatione minorem vim habet ad inducendam moram quàm ad eam impediendam quamdiu ignoratur an; quod petitur debeatur, l.8 t.30 p.1102 c.2 d.47 n.1 2 & 3

Obsignatæ pecuniæ periculum ad debitorem pertinet non ad creditorem, l.8 t.30 p.1090 c.1 d.7 n.6

Obsignatio non valet sine satisdatione, quoties aliquid superest liquidandum lib.8 t.30 p.1089 c.2 d.5

Obsignatio vt habeat vim solutionis, debet esse totius debiti liquidi. Nam pro non liquido sufficit satisdari, l.8 t.16 p.1008 c.1 d.4 n.6 in all.

Obsignatione opus est ad purgandum moram nec oblatio sola sufficit, licet iudicialis, lib.8 t.29 p.1106 c.1 d.d.53 nu.1 & 2

Obsignatum non videtur quod non durat obsignatum, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.9 & d.38 n.1

OBSTINATIO non peccatum nouum est, sed nouus & eminentior gradus peccati, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 num.22 in all.

OCCIDENS, cùm nõ habeat animum occidendi, sed tantum nocendi venia dignior est siue ad sui defensionem id fecerit, siue primo motu iracundiæ, lib.9 t.10 p.1166 c.2 d.6 n.1

qui Occidit alium ad sui defensionem indiget quidem venia, & indulgentia Principis, sed eam Princeps concedere etiam de rigore iustitiæ debet, l.9 t.10 p.1166 c.1 d.5 n.1

Occisus si quis sit ex officialibus nec appareat perquem ex reis prehendẽdis, an omnes de homicidio teneantur, l.9 t.10 p.1168 c.1 d.9 n.1

ODIO alieno non debet alius prægrauari p.59 c.2 d.18 n.3 in all.

ODIOSIORA quæ sunt difficilius & præsumuntur & probantur, lib.7 t.1 p.786 c.1 d.19 n.8 in all.

OFFICIALIS capiendum, si resistat, impune interficere potest, si non aliter capi possit, l.9 t.8 p.1164 c.2 d.1 nu.4 in all.

Officialis non tenetur ex sola negligentia nisi sit in lata culpa & dolo proxima, l.9 t.7 p.1154 c.1 d.2 n.2 in all.

Officialem eiósque vicarium, in alma præsertim Camberij ciuitate, inque toto Sabaudiæ theatro Doctoratus dignitate oportet esse insignitum, pag.35 c.1 d.28 n.1

Officiales propria authoritate prehendere illos possunt, quorum crimina atrocia & notoria sunt, lib.9 t.3 p.1154 c.1 d.2 n.1

Officialium negligentia non præsumitur in delictis clandestinis & occultis maximè si procurator Principis delictum non ignorauit, l.9 t.25 p.1207 c.1 d.13 n.1

OFFICIVM quod quisque tenet, præsertim publicum ipsi non debet esse damnosum, l.9 t.4 p.1157 c.2 d.7 n.12 in all.

Officium claustrale quod habet prębendam adnexam, An sit beneficium? p.7 c.2 d.27 n.1

Officium laicum & annexã habens præbendam laicam non potest infeudari per Abbatẽ sine solemnitate, ne quidem sub onere annui canonis, sed potest reuocari ad nutum, etiamsi fuerit possessum per quantoscunque annos, l.4 t.38 p.457 c.1 d.6 n.3 in all.

Officij priuatio pœna est, l.9 t.25 p.1207 c.1 d.12 n.1 in all.

Officij viuentis impetratio alienæ mortis captandæ votum inducit, p.63 c.1 d.7 n.2

Officio suo priuandus est, qui in officiõ deliquit, l.9 t.25 p.1207 c.1 d.12 n.1

Officia quæ dedit dominus iurisdictionis reuocare potest: si dederit ex causa remuneratoria, vel alia onerosa, l.8 t.38 p.1140 c.2 d.1 d.1

ONVS æris alieni non sequitur ex iuris ratione donatarium, nec si sit vniuersorum bonorum, lib.8 t.36 p.1126 c.2 d.4 à nu.1 ad 24

Onus alienum alteri nocere non debet, lib.3 t.19 p.221 c.2 d.34 n.10 in all.

Onus fideicommissi non potest sequi ac quisitionem, nisi cum bona fuerunante affecta, l.6 t.17 p.694 c.1 d.6 n.11 in all.

Onus super certa re impositum non debet, qui re caret, si nulla collusio intercesserit, p.90 c.1 d.9 n.1

Onus propter certam rem irrogatum nõ debet grauius esse, quàm quanti res ipsa est, p.33 c.2 d.22 n.6 in all.

Onus probandi in rescindenda emptione incumbit ei qui læsionem allegat, l.3 t.27 p.353 c.2 d.9 n.1 & 2

Onus soluẽdi legata & partem æris alieni legatario iniunctum non dat in eum actionem creditoribus & legatariis, sed hæredi, l.6 t.18 p.699 c.2 d.11

Oneris improuisi rationẽ haberi æquum erat, p.183 c.1 d.12 n.3 in all.

Onera hæreditaria sequuntur hæreditatem sine testamentariam, siue legitimam non quatenus testamentaria aut legitima, sed quatenus hæreditas est, l.6 t.11 p.667 c.2 d.27 n.7 in all.

Onera tam mixta quam personalia soluenda sunt in territorio domicilij non bonorum, excepto tributo commutatorio, l.9 t.30 p.1215 c.1 d.2 nu.1

Onerandus nemo est superuacuo sumptu in ea præsertim re quam facit ex necessitate, lib.9 t.4 p.1156 c.1 d.4 n.2 in all.

ORATIO Christiani nihil non apud Deum potest. lib.3 t.5 p.189 c.1 d.6 n.2 in all.

ORDINARIVS non debet esse facilior quàm summus Pontifex ad concedendum beneficium ei qui iam aliud habet, p.8 c.2 d.33 n.3

Ordinarius per totum tempus Pontificì reseruatum manus habet ligatas, p.9 c.2 d.36 n.7 in al.

Ordinarius vnoquoque triennio debe visitare omnia beneficia in sua dioc

BIU Cujas

ceſi conſtituta, pag.9 c.1 d.33 num.4 in all.

Ordinarij negligentia ab eo probanda eſt qui deuolutionis iure nititur,p.32 c.2 d.17 n.7

ORDINIS exceptio dilatoria eſt, nec proinde opponi poteſt poſt litem cõteſtatam. Ab eo autem qui ex ſua promiſſione conuenitur vt fideiubeat, nullomodo, niſi ſi poſt fideiuſſionem conueniatur,l.8 t.28 p.1081 c.1 d.38 n. 1 2 & 3

Ordines quatuor minores vno eodémque die conferri poſſunt,p.21 c.2 d.70 nu.3

Ordinum ſacrorum collatio ſine clericatu valere non poteſt,l.4 t.14 p.311 c. 1 d.11 nu.7 in al.

Ordinibus ſacris per ſaltum initiatus, obnoxius eſt peccato mortali,l.4 t.14 p.311 c.1 d.11 n.9 in all.

P

PACTIO vſuraria cenſetur cum non eſt liberum ius redimendi, l.4 t.21 p.372 c.2 d.26 n.8 in all.

Pactio vt venditor non teneatur emptori de euictione ad id quod intereſt valet tantùm ad precij reſtitutionem, l.7 t.18 p.863 c.2 d.54 n.1 in all.

Pactiones omnes quæ dotis cauſam deteriorem facere poſſunt, impediuntur,l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 n.7

Pactiones dotales quæ fiunt inſciis propinquis contra id quod in tabulis matrimonij conuentum & ſcriptum reperitur non valent, l.5 t.9 p.563 c.1 d.11 nu.5 in all.

PACTVM commiſſorium in tranſactione appoſitum valet maximè ſi iudicis authoritas interuenerit, l.8 t.23 p. 1037 c.1 d.3 n.1 & 2

Pactum commiſſorium appoſitum in fauorem fideiuſſoris valet,& clauſula conſtituti in eo adhibita ex nunc prout ex tunc operatur etiam in tertij præiudicium cui interim ius quæſitum eſt,l.8 t.23 p.1037 c.2 d.4 n.1 2 3 & 4

Pactum commiſſorium regulariter in pignoribus improbatum,quibus caſibus cenſeatur adprobatum, l.8 t.23 p. 1036 c.1 d.1 à n.1 ad 12

Pactum nudum eſt ex quo non datur actio,l.3 t.12 p.202 c.1 d.47 n.3 in all.

Pactum de certo,quamuis maximo ſalario, valet,quamuis non de quota litis, lib.4 t.26 p.400 c.2 d.1 n.1

Pactum de iure prælationis appoſitum in antichreſi aut in venditione facta ſub pacto de retrouendendo finito contractu & reſoluto, l.8 t.23 p.1040 c.2 d.12 n.2 & 3

Pactum prælationis interdum naſcitur ex vltima voluntate, ſi pater diſponens inter liberos, iubeat vt nemo ex iis poſſit bona paterna vendere, niſi denunciatione prius fratribus facta,vt ſi velint habeant ius prælationis,l.4 t. 36 p.449 c.2 d.9 n.2 in all.

Pactum prælationis vulgare eſt in omnibus venditionibus quæ fiunt ſub pacto de retrouendendo, l.4 t.39 p. 448 c.1 d.5 n.1 in all.

Pactum prælationis paciſcenti prodeſt contra nouum emptorem ſi paciſcens poſſideat, aut ſi de pignore quoque conuenerit,l.4 t.36 p.446 c.1 d.1 n.1 2 3 & 4

Ex Pacto prælationis ſi adſit hypotheca etiam generalis præſertim cum clauſula conſtituti datur actio etiam contra ſecundum emptorem,lib.4 t.36 p. 449 c.1 d.9 n.1 2 3 4 & 5

Pactum vt ex cauſa euictionis non præſtet venditor id quod intereſt, valet, ſed & alias recipit interpretationes,l. 4 t.36 p.449 c.2 d.10 n.1 & 2

Pactum de non petendo aliquando perſonale eſt licèt regulariter & ſub natura ſit in rem,l.8 t.28 p.1072 c.1 d.9 n.1 in all.

Pactum de non petendo ſimpliciter conceptum tollit obligationem naturalem.p.78 c.2 d.6 n.1 in all.

Pactum de non petendo ſi tacitè inducatur ex chirographi redditione vni ex correis facta non alij poteſt prodeſſe, quàm cui chirographum redditum eſt p.78 c.2 d.6 n.4 & 5

Pactum de non ſuccedendo ſemper expreſſum & iuratum eſſe oportet, p.81 c.1 d.13 n.2 & 3

Pactum de non petendo quotuplex ſit, l.4 t.42 p.478 c.2 d.42 n.8 in all.

Pactum de retrouendendo in dubio cenſetur perſonale, l.4 t.36 p.453 c.2 d.17 n.1 in all.

Pactum de retrouendendo æſtimandum eſt cùm agitur de immodica læſione,lib.4 t.30 p.431 c.2 d.27 n.1

Pactum de retrouendendo ita demum facit partem precij ſi adhibitum ſit incontinenti,non ſi ex interuallo lib. 4 t.30 p.432 c.2 d.27 n.1 2 & 3

Pactum de retrouendendo non facit contractum vſurarium,quamuis res ideò minoris vendatur, niſi adſit læſio etiam ſubducta pacti æſtimatione,lib. 4 t.24 p.394 c.1 d.28 n.1 2 3 & 4

Pactum de retrouendendo non impedit tranſlationem dominij,l.4 t.42 p.496 c.2 d.30 n.21 in all.

Pactum de retrouendendo cum læſione etiam enormiſſima non facit contractum pignoratitium,niſi adſit conſuetudo fœnerandi.lib.4 tit.30 p.432 c.1 d.29 n.1

Pactum de retrouendendo ſimulatum eſſe non poteſt ex variis cauſis etiamſi in perſona emptoris non concurrat fœnerandi conſuetudo,l.4 t.36 p.447 c.2 d.4 n.1 2 3 & 4

Pacto de retrouendendo toties quoties præſcribitur triginta annis, lib.7 t.13 p.826 c.1 d.3 n.1

Pactum de inſcij viuentis hereditate licet ab initio non valeat,tamen confirmatur ſi poſtea is, de cuius hæreditate actum eſt reſcierit & conſenſerit expreſsè,in eáque voluntate perſeuerauerit,p.80 c.1 d.10 n.1

Pactum quo conuenit inter debitorem & creditorem vt poſſit creditor poſſeſſionem pignorum propria authoritate adprehendere non auffert tertio poſſeſſori exceptionem diſcuſſionis,l. 8 t.24 p.1043 c.2 d.7 n.5 6 & 7

Pactum quo datur hæreditas in contractu matrimonij non poteſt reuocari per pœnitentiam,lib.5 t.9 p.561 c.2 d. 7 n.1 2 3 & 4

Pactum præſertim iuratum, quo datur hæreditas in contractu matrimonij, valet idque ex conſuetudine,lib.5 t.9 p.561 c.1 d.6 à n.1 ad 10

Pactum tacitum inducitur ex facto,p.78 c.2 d.6 n.5 in all.

Pactum quod contractui inter alios inito adultum eſt fauore tertij abſentis, nemine pro eo acceptante valet, p.79 c.1 d.7 n.2

Pactum quoties ſit de ſubſtantialibus contractus contra ipſius ſubſtantiam, non valet,l.8 t.28 p.1084 c.1 d.46 n.3 in all.

Pactum nullum à pupillo fieri poteſt ſine tutoris authoritate,l.4 t.23 p.380 c. 1 d.8 n.13 in all.

Qui ex Pacto inito cum debitore ſucceſſit in locum anterioris creditoris nulla indiget ceſſione niſi ſit extraneus is qui pro debitore ſoluit creditori,l. 8 t.9 p.997 c.1 d.4 n.1 ad 10

Is cui ex pacto licet poſſeſſionem apprehendere propria authoritate, non eo minùs ſpoliator eſt ſi adprehendat eam poſſeſſionem quæ ſit penes aliũ quàm paciſcentẽ, eiuſve ſucceſſorem lib.8 t.3 p.962 c.2 d.34 n.1 2 3 & 4

Pacta incontinenti facta veſtiuntur cohærentia contractus,eique vſque adeò ineſſe videntur vt contractus portio eſſe exiſtimentur, lib.4 t.36 p.446 c.1 d.1 n.6 & 7

Pacta inter contrahentes inita cùm pars fundi emphyteuticarij alienaretur, An & quatenus domino noceant,l.4 t.43 p.500 c.1 d.41 n.1 ad 9

Pacta ex interuallo facta vtilia ſunt ad excipiendum non ad agendum, l.4 t. 36 p.446 c.1 d.1 n.9

Pacta etiam ex interuallo appoſita ſi ſint correſpectiua, tantum poſſunt quantum ſi incontinenti adhibita fuiſſent, l.4 t.36 p.452 c.2 d.15 n.1 & 2

Pacta per quæ dotis conditio deterior fit,non valent,l.4 t.21 p.353 c.1 d.2 n.3 in all.

Pacta & conuentiones legem dant contractibus,l.4 t.42 p.481 c.2 d.53 nu.1 in all.

Pacta & conuentiones ſuper beneficiis ſine conſenſu ſuperioris nullius ſunt momenti,p.24 c.2 d.83 n.6

Pacta quæ nec contra leges, nec ſunt contra bonos mores ſeruari oportet,p. 82 c.1 d.14 n.14 in all.

Pacta dant legem & formam contractui, p.107 c.1 d.8 n.6 in all.

Pacta pariunt exceptionem ex æquitate naturali, l.4 t.30 p.426 c.1 d.8 num.8 in all.

Pacta non ſeruare maxima eſt omnium ingratitudo, lib.8 t.38 p.1138 c.1 d.12 num.2

Pactorum diuerſitas, precij quoque diuerſitatem inducit, l.4 t.34 p.440 c.1 d.1 n.13 in all.

Quod PALAM ſit caret ſuſpicione doli & criminis,p.7 c.1 d.25 n.2 in al.

PAPA pleniſſimam habet poteſtatem in Epiſcopis, & inferioribus collatoribus & in beneficiis omnibus,lib.1 t.2 p. 14 c.2 d.48 n.2 in all.

Papa cùm omnes iudicet à nemine iudicatur,p.4 c.1 d.10 n.7 in all.

Papa eſt ordinatius ordinariorum, concurritque cum quolibet ordinario,p.6 c.1 d.21 n.4

Papa eſt ordinarius ordinariorum, lib.6 t.1 p.616 c.1 d.6 n.1 in all.

Papa debet infra menſem à die vacationis prouidere de omnibus beneficiis,& iam de iis quorum collatio ſacroſanctæ ſedi Apoſtolicæ excepta eſt p.8 c. 2 d.32 n.1

Papa quicquid facit in executionem ſtatutorum concilij quod perpetuum eſt,id quoque perpetuum & inuiolabile eſſe neceſſe eſt,p.34 c.2 d.26 nu.6 in all.

Papa nunquam ſibi manus ligat,multóque minus ordinarius ei, p.6 c.2 d.19 n.3 in all.

Papa numquam derogat iuri quod alteri quæſitum eſt,p.15 c.2 d.50 n.3

Papa cùm derogat iuri patronatus laicorum pro medietate quid faciendum ſit l.6 t.1 p.616 c.1 d.7 nu.1

Papa in generali reſeruatione beneficiorũ non cenſetur ea comprehendere quæ ſunt de iure patronatus laicorum, cui nunquam derogat, niſi cùm eſt litigioſum,l.6 t.1 p.615 c.2 d.6 n.2

Papa ſi ex magna & rationabili cauſa electiuam

BIU Cujas

lectiuam sibi dignitatem reseruauerit, potior electionis causa erit, quàm reseruationis p.39 c.2 d.47 n.1
Papa potest regulis Cancellariæ derogare & in parte & in totum, pag.24 c.1 d.18 n.4 in all.
Papa aut alius Princeps, circumuentus creditur cùm rescribit contra quàm ante rescripserat, aut aliud quid fecerat, p.62 c.1 d.2 n.1
Papa potest conferre quæcumque beneficia, si modò vacent, pag.9 c.1 d.35 num 4
Papa solus potest in perpetuum commendare beneficium, p.3 c.2 d 9 n.1
Nisi hoc indulserit Cardinalibus & legatis à latere ibid.n.5
Papa solus potest purgare simoniam, & eius præsentia tollit omnem fraudis suspicionem, p.2 c.1 d.3 n.6 in all.
Papa non potest prouidere de beneficio amplius non vacante, p.9 c.2 d.35 n.14 in all.
Papa facere non potest vt quod non habet formam suam ritè factum videatur p.39 c.2 d.46 n.4
Papa non potest videri dispensare de iis quæ ignorauit & quæ si scuisset, fuisset difficilior in gratia concedenda, p.1 c.1 d.2 n.6 in all.
Papæ mens non est vt cuiusquam ius in perpetuum tollat, sed tantum ad tempus & ad effectum gratiæ quam alteri concedit, p.14 c.2 d.48 n.6 in all.
Papæ præsentia tum demum omne vicium purgat, cùm de ea re agitur, cui nulla certa forma à iure est præstituta p.39 c.2 d.49 n.12 & 3
Parens qui consolat ad secunda vota sicut non amittit vsumfructum, ita neque possessionem, l.5 t.5 p.527 c.2 d.17 n.1 2 3 4 & 5
Parentes qui per secundas nuptias amiserunt proprietatem, eam recuperant si postea omnes liberi præmoriantur, lib.5 t.5 p.527 c.1 d.16 n.1
Parentes & liberi non possunt aduersus se testes esse nec si velint. l.4 t.15 p.327 c.2 d.1 num 3 in all.
Parentes dotem dando, quam volunt legem rei suæ dicere possunt, p.79 c.2 d.7 n.9 in all.
Parentes solent onera æris alieni pro modo possessionum distribuere aut saltem pro portionibus hæreditatis, l.3 t.25 p.246 c.1 d.6 n.2 in all.
Parentum maternorum eadem ratio quę matris, lib.5 t.16 p.582 c.1 d.2 num 1 in all.
Parentibus ita liberum est arbitrium diuidendæ inter liberos hereditatis, vt tamen non minus legitima portione habere debeat quisquis sibi conscius est pietatis, l.6 t.631 c.2 d.18 num.13 in all.
Parlamentvm habere non potest princeps qui recognoscit superiorem, l.7 t.11 p.824 c.1 d.1 n.2 in all.
Parochiani non debent supplere parocho quod deest ad victum aut vestimentum, p.34 c.1 d.23 n.3
Partvm facere non potest qui nec admittitur, nec admitti speratur ad partem, l.6 t.8 p.653 c.2 d.22 n.4 in all.
Pater legitimus est administrator bonorum aduentitiorum filij, lib.4 t.14 p.313 c.1 d.21 n.4
Pater plus iuris habet in bonis filij quàm tutor in bonis pupilli, p.151 c.1 d.10 n.6 in all
Pater quamdiu viuit legitimam nullam filio debet, l.4 t.9 p.294 c.2 d.4 nu.11 in all.
Pater non est legitimus administrator beneficiorum ecclesiasticorum filij familias, l.6 t.35 p.775 c.1 d.5
Pater in beneficialibus non magis legitimus filij administrator est quàm beneficij vsufructuarius, l.4 t.14 p.315 c.2 d.30 n.4
Pater non est legitimus administrator bonorum quorũ non habet vsumfructum; perdit vero etiam cæterorum administrationem, si in iis malè versetur dolo malo, lib.6 t.35 p.775 c.2 d.6
Pater sicut proprio filio alimenta submistrare cogitur, ita & nepoti ex filio suscepto, quamuis per illegitimam coniunctionem, l.4 t.9 p.293 c.2 d.3 nu.5 & 6
Pater habet vsumfructum bonorum filij ex causa lucratiua & iure patriæ potestatis, li 5 t.8 p.559 c.2 d.27 n.22
Pater habere debet vsumfructum bonorum filij, si paratus sit ex eo filium alere, lib.6 t.35 p.777 c.2 d.13
Pater filij bona etiam immobilia sine decreto alienare potest; dum ne suo nomine, sed filij, p.151 c.1 d.10 n.6 in all. Gubernatio enim bonorum filij penitus patri impunita est, ibid. num.7 in all.
Pater potest filij nomine hæredis scripti & hæreditatem ex fideicommisso restituere iussi, restitutionem facere etiam sine iudice, & actiones transferre, lib.6 tit.35 pag. 774 c.2 d.3 nu.10 in all.
Pater potest ex causa æris alieni vendere bona filij sine decreto, sed æris alieni causam probari oportet aliter quàm ex patris assertione, lib.6 t.35 p. 774 c.1 d.3
Pater qui occupauit peculium castrense filij potest & debitores filij conuenire, & à creditoribus eius conueniri, l.6 t.33 p.769 c.2 d.6
Pater prodigus, dissipãs non tantum fructus & reditus, sed ipsam quoque rerum substantiam, tenetur satisdare de bene vtendo fruendo, l.6 t.35 p.775 c.2 d.7 n.5 in all.
Pater data dote profectitia, potest quas vult leges & conditiones apponere, dum ne in præiudicium mariti: idem in donatione propter nuptias, l.6 t.35 p.777 c.2 d.12
Pater non creditur alienam sobolem propriæ anteponere voluisse, lib.6 t. 17 p.694 c.1 d.6 n.2 in all.
Pater transiens ad secundas nuptias ex proprietario fit vsufructuarius, l.5 t.5 p.527 c.2 d.17 n.5 in all.
Pater si filium redimere voluerit & redemerit facti pœnitere non potest, nec quod eo nomine dedit in legitimam imputare, l.4 t.9 p.293 c.2 d.2 n. 1 in al. an eo nomine omnia eius bona obligata, ibid.
Pater hoc ipso quod filij nuptiis consensum præbet, omnia bona sua pro dote obligare intelligitur, l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 n.6
Pater filiis suis perinde ac sibi potest stipulari, si modò habeat eos in potestate sua. p.70 c.1 d.7 n.6 in all.
Pater tenetur actione de peculio filij, quatenus dumtaxat est in peculio, l.4 t.9 p.293 c.2 d.2 d.2 n.10 in all.
Pater tenetur filij nomine virginem dotare quam filius corrupit, & partum alere, l.4 t.9 p.293 c.2 d.3 n.1 & 2
Pater non debet damni pecuniarij causa filij salutem permittere periclitari, l.4 t.9 p.292 c.2 d.1 n.5 in all.
Pater filium defendere non cogitur nisi cùm bonorum eius legitimus est administrator, l.4 t.9 p.293 c.1 d.2 nu.11 & 12
Pater potest venire contra factum suum tam agendo quàm replicando de nullitate: quod enim nullum est nullam reo defensionem parere potest, l.4 t. 11 p.297 c.2 d.4 n.1 in all.
Pater factam iniuriam filio potest etiam eo inuito gratis remittere, nisi patris persona sit vilis aut turpis, l.8 t.33 p. 1122 c.1 d.2 n.1 & 2
Pater non cogitur consensum præstare in eam rem ex qua mox futurum sit vt ipse conueniatur, p.141 c.1 d.6 n.20
Pater viuus prohiberi non potest alienare, ac de bonis suis pro arbitrio inter viuos (dummodo fraudis consilium absit) disponere, lib.3 tit.19 p.218 c.1 d. 27 n.5 & 6
Pater si quid testament pro legitimæ filio relinquat, potest eam legem dicere vt priùs cogatur filius hęredi reddere, quicquid pro ipso pater viuus præstitit, lib.3 t.19 p.219 c.1 d.29 nu.3
Pater qui imprudẽs filium occidit etiam per culpam veniat & commiseratione dignior est, quàm pœna, l.9 t.11 p.1169 c.1 d.1 n.1
Pater, cuius filius occisus est impedire nõ potest, ne occisori gratia criminis per Principem fiat, l.9 t.10 p.1165 c.2 d.n.1
Pater in filij ab hostibus capti redẽptionem nihil præcisè conferre cogitur, l.4 t.9 p.293 c.1 d.2 n.13
Pater compelli non potest pro filio iudicij & condemnationis euentum in se suscipere, l.4 t.9 p.293 c.1 d.2 n.11 & 12
Pater non cogitur filio in carceres detruso alimenta submistrare, lib.4 tit.9 p.292 c.2 d.1 n.11
Pater pro filio carcerib. eximendo obligatus, in integrum restitui ob id solùm non potest, l.4 t.9 p.294 c.1 d.6 n.1 & 2
Pater innocens pro filio criminoso pœnam soluere non cogitur, l.4 t.9 p.287 c.2 d.2 n.7
Pater si filium alicuius criminis reum in iudicio præsentet non debet filius ad mortem condemnari, lib.9 t.13 p.1174 c.1 d.6 n.3 in all.
Pater filium impium potest propria authoritate prehendere & in carceres detrudere castigandum postea per iudicem arbitrio patris. Non tamen absoluendum etiamsi pater velit, si atrox fuit iniuria, l.8 t.33 p.1122 c.1 d.1 n.1 2 3 & 4
Pater nihil præstare cogitur pro filio qui ingratus probatur, aut qui iam facto testamento tanquam ingratus exhæredatus est, l.4 t.9 p.294 c.1 d.4 n.3
Pater cogendus nõ est de causis ingratitudinis cum filio litigare, & sufficit exhæredationem carere fraudis suspicione, l.4 t.9 p.294 c.2 d.4 n.6 in all.
Pater quib. ex causis filium exhæredare, atque à legitima aut legitimæ supplemento summouere potest ex iisdem etiam potest ei alimenta denegare, l.4 t.9 p.294 c.1 d.4 n.14
Pater non cogitur filio læsæ maiestatis reo sumptus purgando crimini, probandæq; innocentiæ necessarios prorogare: quod si facit, eos in legitimam portionem, si velit, imputare potest, l.4 t.9 p.292 c.2 d.1 n.1 & 2
Pater viua matre, susceptum ex coitu illegitimo partum alere non tenetur, l. 9 t.7 p.1163 c.2 d.6 n.8 & 9
Pater si voluntatem suam tantum declarauerit de redimendo filio eam mutare non potest, l.4 t.9 p.293 c.2 d.2 n.13 in all.
Pater non solùm filiæ maritum quærere sed & competenter pro modo facultatum dotare debet, pag.110 c.2 d.8 n. 4 in all.

BIU Cujas

Pater non tantùm semel, sed iterum quoque dotare tenetur filiam quæ sine culpa sua dotem amisit, lib.5 tit.6 p.533 c.1 d.13 n.2 & 3

Parer qui se congruam filiæ dotem constituturum promisit, non de legitima, sed de ea dote quam tum commodè dare possit cogitasse credendus est, l.3 t.19 p.216 c.1 d.22 n.1

Pater quam vult legem dicit doti à se constitutæ, p.80 c.1 d.9 n.3

Patris consensu intercedente Macedonianam exceptionem certum est cessare, l.4 t.20 p.361 c.2 d.3 nu.3 in all.

Patri interdicta est bonorum filij aduentitiorum alienatio, l.4 t.35 p.773 c.2 d.1 n.1 in all.

Patri alienanti bona filij, & iuranti se nullo modo nullâque ex causa contra vnquam ventutum, quomodo succurratur, l.6 t.35 p.773 c.2 d.2

Patrem ad hæreditatem vocari prius est, quàm liberos eius nondum natos, l.6 t.6 p.637 c.1 d.1 n.27 in all.

Patre nolente aut non valente bona filij administrare, non ideo dandus tutor filio; curator interdum dari potest, & quando, l.6 t.35 p.777 c.1 d.11

de patre petente restitutionem in integrum aduersus confessionem factam in fauorem liberorum prioris matrimonij, l.8 t.36 p.1130 c.1 d.13

de Patre compensante quod sibi à filio debetur cum legitima filij portione, lib.6 tit.6 pag. 639 c.2 d.8 numer.1 ad 19.

PATIENTIA sola nunquam contractus est, nisi in iis contractibus qui sola voluntate perficiuntur, l.6 t.11 p.675 c.1 d.45 num.10 in all.

Patientia tormentorum parùm prodest ei qui tormentis additus est sine præiudicio indiciorum & probationum, l.4 t.21 p.1189 c.1 d.9 n.1

PATRIMONIVM ducale in perpetuum est alienabile, l.3 t.22 p.232 c.2 d.11 n.4

Ius PATRONATVS per solam famam probatur, itemq; per solam quasi possessionem præsentandi, secuta tamen collatione, l.6 t.1 p.616 c.2 & seq. d.9 n.1 & 2

PATRONVS Principis apud Senatum potest inquirere de crimine, non iudicare, p.46 c.2 d.1 n.3

Patronus laicus etiam qui aliquem & quidem idoneum iam præsentauit, potest adhuc alium postea præsentare dummodo æquè idoneum. Quo casu Episcopo datur gratificatio, l.6 t.1 p.617 c.1 d.10 n.4 in all.

Patronus qui Ecclesiam ipse contulit à iure suo non cadit, l.6 t.1 p.617 c.d.10 n.5 in all.

Patronus qui & aditus fuit & rogatus vt voluntati Papæ adstipuletur, si renuat non potest spretum se conqueri, lib.6 t.1 p.616 c.1 d.7 n.2

Patroni tanta est potestas & authoritas in præsentando, vt ex ipsius voluntate possit etiam Episcopus nedum Papa conferre non presbytero beneficium presbyterale, l.6 t.1 p.615 c.1 d.2 nu.4 in all.

Patroni qui certis legibus & conditionibus dotauit beneficium, debet seruari voluntas, l.8 t.2 p.14 c.2 d.48 n.3 in al.

PAVPERES ne quid damni patiantur ob ditiorum culpam vel iniuriã prouidendum, lib.1 t.3 p.42 c.1 d.57 n.11

in Pauperum fauorem constituta, ne in eorum odium retorqueantur cauendum est, l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 num.10 in all.

Pauperibus semper prospiciendum, lib.1 t.3 p.42 c.1 d.57 nu.6 in all.

PAVPERTAS magnum est impedimẽtum ei qui admagna velit contendere l.6 t.16 p.689 c.2 d.3 n.10 in all.

Paupertas sola suspectum neminem facit p.57 c.2 d.9 n.5 in all.

Paupertas sola nunquam pendente lite sequestrationem inducit, nisi cum is qui pauper est dilapidat, p.148 c.2 d.2 n.4 in all.

Paupertas sola non absentia mariti facit locum assecurationi dotis, lib.5 t.7 p.537 c.2 d.12 n.1 & 2

Paupertatis fauor iũcto præsertim fauore dotis facit vt secundus creditor possit petere distractionẽ pignoris quod anterior possidet etiamsi nihil ei offerat. Alioqui oblatio est necessaria, l.8 t.17 p.1008 c.2 d.1 n.1 2 & 3

Paupertati succurrendum & fauendum est, non succensendum, p.167 c.1 d.2 n.3 in all.

Ob Paupertatem solam nemo dicendus est abiectus & humilis, lib.3 t.19 p.218 c.2 d.26 n.3 in all.

PECVNIA est mensura rerum omnium præterquam suiipsius, l.4 t.41 p.461 c.2 d.4 n.10 in all. & l.8 t.30 p.1093 c.1 d.21 n.3 in all.

Pecunia res omnes æstimat, l.5 t.8 p.559 c.2 d.27 n.11 in all.

Pecunia ex quacunque re confici potest, l.6 t.34 p.620 c.2 d.3 n.1 in all.

Pecunia ex causa mandati debita facilè in aliam causam potest conuerti, l.4 t.26 p.404 c.2 d.13 n.3 in all.

Pecunia credita filio & patri simul aut matri ad quemlibet pro dimidia parte peruenire creditur, nisi mater tutrix aut curatrix fuerit, lib.4 t.14 p.313 c.1 def.21 num.1

Pecunia in suo genere functionem recipit, l.4 t.10 p.298 c.1 d.5 n.4

Pecunia non nisi ex stipulatione debetur p.124 c.2 d.1 n.9 in all.

Pecunia oblata luendi pignoris quandoque ius habet, p.129 c.2 d.3 n.2

Pecunia sine peculio fragilis est, l.4 t.21 p.372 c.2 d.26 n.10 in all.

Pecunia quæ deterior redditur reddi non videtur, l.4 t.18 p.359 c.1 d.5 nu.12 in all.

Pecunia destinata ad emptionem bonorum immobilium connumeratur in bonis immobilibus vi destinationis, l.7 t.1 p.787 c.2 d.22 n.8 in all.

Pecunia pro corpore, nec corpus pro pecunia retineri potest, p.139 c.1 d.1 nu.5 in all.

Pecunia pignori dari potest, lib.4 t.26 p.409 c.1 d.25 n.2 in all.

Pecunia soluta si indebita si locus sit condictioni in vtilitatem minoris pro quo solutio facta est, pag.127 c.2 d.4 num.5

Pecunia soluta soluentis præsumitur, nisi probetur contrarium, aliter tamen quam per confessionem personæ suspectæ, l.4 t.14 p.308 c.2 d.4 n.1 2 3 & 4

Pecunia semper præsumitur esse soluentis & ementis, præterquam si is filius familias sit, aut mulier nupta, aut rector Ecclesiæ, aliúlve administrator, l.4 t.27 p.413 c.1 d.6 n.1 2 3 & 4

Pecunia venditæ pensionis pretij vicem non sortis obtinet, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.3

Pecunia tota ad eum peruenire creditur qui habet administrationem, l.4 t.14 p.313 c.1 d.21 nu.2

Pecuniæ quæ ad certam diem alterutro loco solui debuit sub vsuris ante electionem (si creditoris fuit electio) vsuræ nullæ debentur, l.3 t.15 p.205 c.1 d.5 n.1 2 & 3

Pecuniæ debitæ ex causa mandati vsuræ non debentur, si controuersia sit in causa soluti, l.4 t.26 p.404 c.1 d.13 nu.1 2 3 4 5 & 6

Pecuniam debitam qui obsignauit non ideò tanquam liberatus possessionem pignoris à se dati propria authoritate capere potest, p.359 c.1 d.6 n.2

Pecuniam quamuis otiosam qui penes se retinuit non potest petere fructus rei pro qua debeatur ea pecunia, l.8 t.30 p.1093 c.1 d.20

Pecuniam qui pro alio accepit tanquam procurator, hactenus tenetur ei qui numerauit, vt ostẽdat peruenisse nummos in manus eius qui exigendos mãdauerat, aut aliter ratam ab eo perceptionem habitã fuisse, p.96 c.1 d.5 n.1

Pecuniam & executionem qui pro iure suo vrgere possunt, multo magis pecuniæ sequestrationem, l.4 t.10 p.381 c.1 d.9 n.1 in all.

de Pecunia promissa soli marito pro pretio rei vxoris per eam cum marito vẽditæ & soluta mulieri post mortem mariti qui viuus alij cesserat, lib.8 t.30 p.1107 c.1 d.57

Pecuniæ chirographariæ vsuræ deberi possunt citra agnitionem chirographi l.4 t.24 p.393 c.2 d.26 num.1

PENSIO annua subditorum duplicatur pro tributo dominis pendendo certis casibus, l.4 t.43 p.486 c.2 d.6 n.3 in all.

Pensio imposita super beneficio quantumuis odiosa transit in successorem, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.

Pensio quæ in quota fructuum consistit fieri non potest vt auctis vel imminutis fructibus non augeatur vel minuatur, l.3 t.12 p.198 c.1 d.30 n.6 in all.

Pensio quæ venditur vsuræ vicem non obtinet, sed ipsius rei venditæ, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.3

Cùm Pensio non soluitur expelli conductor potest, l.4 t.42 p.473 c.2 d.25 n.6 in all.

Pẽsionis annuæ vniformis præstatio maximè decennalis sufficit sine titulo ad obtinendum in possessorio, at non in petitorio, l.8 t.4 p.966 c.1 d.7 n.1

De Pensionis remissione ob belli casum facienda, si iam conductionis tempore bellum erat, l.4 t.42 p.474 c.2 d.30 n.1.2 & 3

Pensionis soluendæ tempore differri solent quousq; fructus omnes percepti sint, & ex parte vendi potuerint ad pecuniam explicandam, lib.4 t.42 p.473 c.2 d.25 n.9 in all.

Pensionem annuam venditam redimi posse à venditore pretio quandocumque restituto, vult constitutio Martiniana, lib.4 t.24 p.398 c.1 d.40 nu.6 in all.

Pensionem locator interdum exigere potest, etiam antequam instrumenta tradiderit, sed ea tamen postea tradere debet. Nec valet cõuentio in cõtrariũ, l.4 t.42 p.474 c.2 d.29 n.1.2.3.4. & 5

Pensiones tam præteritæ quàm futuræ ex eadem causa, eodemque contractu debentur, lib.4 t.43 p.491 c.1 d.14 n.2 in all.

Pensiones pro benemeritis & iure quodam compensationis dantur, lib.4 t.13 p.305 c.2 d.2 n.11 in all.

Pensionum modum constituere Principis est, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 num.4 in all.

Pensionum præteritarum remissio non præsumitur ex recognitione futurarum, l.4 t.43 p.491 c.1 d.14 num.1

Quarum interfit an PENSITATIO annua debeatur ab habitatoribus certi loci iure subiectionis, An ratione foci? lib.4.

BIU Cujas

lib.4 t.43 pag.504 c.1 d.54 à n.1 ad 9
PERCVTIENS patrem & vulnerans iacto in nouercam lapide quomodo puniendus, l.9 t.11 p.1169 c.2 d.1 num.6 in all.
PERDVELLIO ille tantùm est qui in Principem aut Rempublicam hostili animo affectus & animatus est, l.9 t. 24 p.1203 c.1 d.1 nu.1 in all.
PEREMPTIO instantiæ nihil aliud facit nisi vt acta litis circumducantur, id est, irrita fiat, p.185 c.2 d.2 n.6. in al.
PEREMPTORIVM impetratum aduersus minorem non defensum nullius est momenti, p.164 c.2 d.33 num.1 in all.
PERIVRIVM incurritur, quoties iusiurandum violatur, siue ante, siue post iurisiurandi obliuionem id contingat, l.6 t.5 p.617 c.1 d.12 num.4 in all.
Periurij ex nouis instrumentis probari potest non vt puniatur, sed ne prosit peieranti, lib.4 tit.1 p.264 c.1 d.24 n.1 2 3 & 4
Periurij exceptio, iure pontificio semper obstat ei qui agit contra proprium iusiurandum, quod seruari possit citra dispendium salutis æternæ, l 4 t.21 p. 365 c.1 d.7 n.12 in all.
Periurij, ex nouis instrumentis probati, cõmodum nullum remanere debet penes peierantem, l.4 t.1 p.257 c.2 d.2 num.2
Periurij indicia sunt quæ intellectu percipi melius quàm verbis exprimi possunt. l.4 t.1 p.266 c.2 d.31 n.6
Periurus dici nõ potest is, qui quod promisit præstare prohibetur ab eo cui parêre necesse habet, lib.4 t.19 p.360 c.2 d.2 num.9
PERMISSVM non est quod non durat permissum, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.9 in all.
PERMVTARE rem suam cum re ecclesiastica ex iusta causa princeps potest, etiã inuita ecclesia, si modò ecclesiæ indemnitatem præstet, l.4 t.41 p. 464 c.1 d.12 n.1 si modò pro seipso non pro alio permutationem faceæ velit. Ibi. n.2 & 3
PERMVTATIO emptioni vicina est, l.3 t.27 p.252 c.2 d.7. num.8 in all.
Permutatio non nisi re contrahitur. Et quomodo differat ab emptione? l.4 t. 7 p.286 c.1 d.3 n.8 in all.
Permutatio non tantùm traditionem mutuam requirit, sed etiam mutuam dominij translationem, l.4 t.41 p.460 c.2 d.2 n.13 in all.
Permutationis & venditionis differentia, quoties rei permutatæ, & traditæ controuersia fit possidenti, lib.4 t.41 p.462 c.1 d.6 n.1.2.3 & 4
Qui ex Permutationis causa rei traditæ vel dominium amisit vel possessionem, nullum eo nomine regressum habere potest, lib.4 t.41 p.463 c.2 d.10 n.1.2.3 4.& 5
Qui ex Permutationis causa rei suæ possessionem amisit, si rem illam postea recuperet, potest iisdem remediis possessoriis vti quibus poterat ante permutationem, lib.4 t.41 p.464 c.1.d.12 n.1 2.3.4 & 5
Et Permutationis placito etiam traditione secuta nulla siue in personam siue in rem actio nasci potest contra tertium possessorem, l.4 t.41 p 463.c.1 d.9.num.1.2.& 3
Permutationem nullam contraxisse videtur qui alienam rem ex permutationis causa tradidit, l.4 t.41 p.462 c.2 d.6 num.1 in all.
Qui ex Permutatione rem alterius accepit, vicissim suam dare debet: secus, rem acceptam restituere debet, & præstare quicquid alterius intererit, si quod inde incommodum perceperit, lib.4 tit.41 pag.460 c.1 d.2 num.1.2. & 3
Res permutata si nõ tradatur ei quo cum Permutatio facta est, præstatur æstimatio, quanti plurimi res fuit à tẽpore moræ, l.4 t.41 p.460 c.2 d.3 n.3.& 4
Permutatæ rei periculum ad dominum spectat: sufficit tamen vt in eum translata fuerit possessio per clausulam constituti, lib.4 t.41 p.463 c.1 d.8 nu.1
PERSONA semel exclusa manet in perpetuum exclusa, l.6 t.8 p.650 c.2.d. 17 n.3 in all.
Personæ certæ concessum non debet ad alias personas extendi, p.2 c.1 d.3 n.3 in all.
Personæ certæ contemplatione quod fit, non potest, nec debet eam egredi, l.8 t.38 p.1141 c.2 d.21 nu.3 in all.
Personalia quæ sunt ad hæredes transmitti non possunt, l.8 t.38 p.1141 c.2. d 21 num.8 in all.
PERSONATVS à dignitate non differt in sui substantia, lib. 1 t. 2 p.7 c.2 d.26 num 2. in all. an sit dignitas, an nudum officium pendet ex loci consuetudine. Ibid.
PERVENIT ad me æquipollenter id cuius vice aliquid ad me peruenit, lib. 4 t.38 p 458 c.2 d.10 n.3 in all.
PETITIONI & cognitioni liquidæ per non liquidam mora fieri non debet, l. 3 t.25 p.244 c.2 d.3 n.4 in all.
PETITORIVM est, quo petitur dominium te, p.181 c.2 d.8 n.16 in all.
Petitorium absorbet possessorium, p.179 c.1 d.2 n.1 in all.
Petitorij causa ad summum Pontificem pertinet, & solet in demortui locum & ius quem vult subrogare, p.21 c.1 d. 69 n.6
PIÆ CAVSÆ facta donatio causa mortis licèt absenti & coram minore quàm quinque testium numero, valet, p.9 c.2 d.37 n.3 & 4
Piæ causæ non potest maior esse fauor quàm liberorum, p.3 c.1 d.6 n.4
In piam causam collata ei fideicommisso subiectæ alienatio valet, p.3 c.1 d.7 num.1
Piæ causæ donatum dicitur quod donatum est siue pauperi siue etiam diuiti in honorem Dei, p.3 c.1 d.7 n.1
Piæ causæ facta donatio non eget insinuatione, licèt donator ad eam insinuandam constituerit procuratorem, p.3 c.1 d.7 n 2
Piæ causæ priuilegia, l.1 t.2 p.10 c.2 d.39 n.3 in all.
PIETATIS ratio semper habenda est, in iis maximè quæ ex pietate & charitate fiunt, l.1 t.3 p.42 c.1 d.57 num.13 in all.
Pietatem vel bonos mores laudẽtia non ferenda, nec si in vetustã consuetudinem transierint, l.1 t.5 p.46 c.2 d.8 n.2
PIGNORATITIA ad hoc datur vt pignus restituatur, l.4 t.18 p.358 c.1 d.3 n.1 in all.
Pignoratitia indiuidua est etiam in personis hæredum siue debitoris siue creditoris, l.4 t.18 p.358 c.1 d.3 n.6
Pignoratitia debitori aduersus creditorem qui pignus vendidit non competit, siue ex conuentione siue permittente iudice, nisi ad hoc vt restituatur quod plus est in precio, quam in debito, si pluris pignus fuit, l.4 t.18 p.357 c.1 d.1 n.1 2 & 3
PIGNVS semel bene contractum durat nec dominij mutatione extinguitur, l.8 t.18 p.1010 c.1 d.33 n.13 in all.
Pignus licet posterius constitutum per sententiam præfertur anteriori quod habuit condemnatus, lib.8 t.8 p.997 c.1 d.29
Pignus tribuit ius retentionis possidenti, lib.4 t.42 p. 473 c.2 d. 25 numer. 8 in all.
Pignus tribuit ius nõ ad rem tantùm sed etiam in re, l.4 t.36 p.446 c.2 d.2 n.9
Pigna rei communis valet tantum pro parte pignorantis, nisi socius aut pignus, aut assem debitum, pro quo pignus datum est, adprobauerit, lib.8 tit.11 p.1000 c.1 d.1 n.1.2 & 3
Pignus ipsum quod obligatum est nominis est accessio, siue ex conuentione siue ex autoritate iudicis, per se aut per apparitorem exequentis iudicatum, l.4 t.10 p.297 c.2 d.3 n.2 & 3
Pignus remissum videri non potest quod non simpliciter remissum est, l. 4 t.21 p.368 c.1 d.15 num.6 in all.
Pignus de quo reddendo expressum conuenit si recta quantitas solueretur non potest retineri pro quantitate quæ iam tum debebatur. Secus si postea deberi cæperit, l.8 t.15 p.1007 c.2 d.3 à nu.1 ad 6
Pignus luere iussus vsque ad certã summam, quod pro maiore fuerat obligatum, non cogitur maiorem præstare, sed incumbit ea res illi, cuius lucro cessura sit luitio, salua contra heredem repetitione, l.6 t.22 p.731 c.2 d.45
An Pignus contractum sit sub lege commissoria, an verò facta sit conditionalis venditio multum interest. Et ex ordine scripturæ dignosci debet, l.8.t. 23 p.1036 c.2 d.2 n.4
Pignus in cessionarium transit, p.420 c.2 d.11 n.1 & 2
Pignus earum rerum, quarum commercium nullum est, non valet, l.4 t.7 p. 290 c.2 d.15 n.3 in all
Pignus iudiciale tum demum constituitur in iudicati executione cùm capitur l.8 t.13 p.1002 c.1 d.2 n.11 in all.
Pignus prætorium constituitur ex quo die ventum est in possessionem, l.4 t. 38 p.457 c.2 d.8 n.4 in all.
Pignoris iudicialis & prætorij differentia, l.8 t.12 p.1001 c.2 d.3 n.3 in all.
Pignus prætorium constitui potest in variis bonis etiam pro debito exiguo, hactenus nimirum vt bona possideantur, non autem vt distrahantur, alioqui ab executore appellari potest, l.8 t.12 p.1001 c.1 d.2 n.1.2 & 3
Neque pignus prætorium neque iudiciale contrahitur per solam sententiam, sed tantum per executionem præterquam fauore fisci, l.8 t.12 p.1001 c.1 d.3 n.4.& 5
Pignus quod pro alio obligatum est non redditur, lib.4 t.21 p.368 c.1 d.15 n.7 in all.
Pignus etiam ob chirographariam pecuniam retineri potest contra debitorem, sed non cõtra creditorem hypothecarium, nisi qui pecuniam crediderit post ius acquisitum pignoris pro chirographaria pecunia retinendi, l.8 t.16 p.1007 c.2 d.2 n.1.2.3.4 & 5
Pignus potest durare etiam sublata principali obligatione, l.8 t.15 p.1005.c.1 d 3 n.6 in all.
Pignus capi non potest quod excedit duplum debitæ quantitatis, l.4 t.43 p.499 c.1 d.38 n.4 in all.
Pignoris fructus in sortem imputantur, l.4 t.33 p.436 c.2 d 6 n.7 in all.
Pignoris ius simpliciter remissum, quod ad omnes res & personas remissum esse intelligitur, lib.4 t.21 p.368 c.1 d. 15 n.3 in all.

BIU Cujas

Pignoris datio non liberat creditorem neque debitum, nisi totum debitum creditor perceperit, l.4 t.10 p.297 c.2 d.3 n.4 in all.

Pignoris plena redditio, non est donatio l.4 t.21 p.368 c.1 d.15 n.8 in all.

Pignoris remissio fauorabilis est & extra causam SC. Velleiani, l.4 t.21 p.366 c.1.d.11 n.3 in all.

Pignoris necdum fideiussoris datio sola facit intercessionem, lib.4 t.21 p.364 c.1 d.6 n.2 in all.

Pignoris collati conditio (in id tempus) quo pater præcedecessisset, filio prædefuncto deficit, l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 n.4 in all.

Pignoris à creditore iure creditoris venditi idem potest esse creditor, & licitator, si modo ex authoritate iudicis pignus vendatur, l.4 t.42 p.478 c.1 d.41 n.1 in alh

Pignoris vinculum sicut contrahitur, ita & multò magis nudo consensu cõtrahitur, l.4 t.7 p.289 c.2 d.13 n.15 in all.

De pignoris deterioratione non prius queri solet, quàm agatur pignoratitia; quæ non competit nisi soluto debito, lib.4 t.10 p.298 c.1 d.4 n.2.& 3

Pignori non solum dari potest nomen debitoris, sed etiam venire in obligatione generali bonorum omnium, l.8 t.14 p.1003 c.2 d.1 n.2 in all.

Pignori quisquis rem aliquam obligat, est necesse vt eius sit dominus, l.4 t.9 p.295 c.2 d.7 n.2 in all.

Pignori obligato nomine debitoris, quomodo agendum aduersus debitorem debitoris, l.8 t.14 p.1003 c.1 d.1 n.1 & seq.

Pignora si postulante creditore sint publicè venditia sub hasta, & nullo existente extraneo emptore, aut existente quidem sed minus iustum pretium offerente addicta sint, non potest debitor ea luere restituendo solam pretij quantitatem, sed est cogendus omne id quod debetur præstare, l.8 t. 20 p.1023 c.2 d.3 n.6 in all.

PLACITI præstatio apud Maurianenses ad mutationem cuiuscumque domini vel possessoris vel vtriusque incumbit, l.7 t.1 p.787 c.2 d.23 n.17

Placita, quæ per mortem domini ab omnibus emphyteutis præstari solent, non cedunt heredi sed successori in feudo, aut fideicommissario, l.4 t.42 p.465 c.1 d.2 n.7 in all.

POENA debetur crimini, p.149 c.1 d.3 n.1 in all.

Pœna non debet egredi suos authores, l. 4 t.9 pag.293 c.1 d.2 num.4

Pœna vna tantum esse debet vnius delicti, l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.7 in all.

Pœna nulla esse debet vbi nullum est delictum, lib. 9 t.3 p.1154 c.2 d.3 nu.8 in all.

Pœna grauior vltra legem imposita conseruat existimationem, p.143 c.2 d.2 n. 5. in all.

Pœna incesti confiscatio est omnium bonorum, non mors, si aliud crimen admixtum nullum sit, pag.518 c.2 d.1 nu.1.2.3.4 & 5

Pœna incestarum nuptiarum iure ciuili constituta locum habet etiam in iis quæ non nisi iure canonico sunt incestæ, l.5 t.3 p.519 c.2 d.6 n.1 2 & 3

Pœna conuentionalis nunquam potest peti, quin præcesserit declaratoria quot pœnæ sit commissæ, lib.7 tit.23 p.904 c.2 d.2 num.1

Pœna pecuniaria cum ex bonis sumenda si non nisi pro rata bonorum condemnati potest irrogari, l.9 t.10 p.1166 c.1 d.3n.4 in all.

Pœna pecuniaria ex defuncti delicto in hæredem transit si cum defuncto lis fuerit contestata, l.4 t.12 p.304 c.1 d.2 num.4

Ad pœnam pecuniariam, litisq; expẽsas ob crimen condemnatus si pœnã soluerit, pro solis expensis in carceribus retineri non potest, p.149 c.1 d.3 n.1

Quæ sit Pœna latronis famosi, & quæ furis famosi? l.6 t.2 p.618 c.1 d.3 num. 1.2.3 & 4

Pœnæ corporalis vindicta non ad priuatam personam, sed ad Principem pertinet, l.9 t.10 p.1166 c.1 d.3 n.2 in all.

Pœnæ grauioris commutatio in leuiore fieri potest ex causa sed consulto prius Principe si fiat post condemnationem l.9 t.25 p.1206 c.1 d.8 n.1

Pœnæ persecutio morte non finitur vbi lis iam est contestata, l.9 t.20 p.1184 c. 1 d.2 n.4

Pœnam non meretur quod sit lege permittente, l.3 t.20 p.224 c.1 d.6 num. 9 in all.

in corporalem Pœnam potest condemnari maritus, non satisfaciens mulctæ ad quam soluendam vxor se suaque bona omnia obligauerat, perinde ac si criminis gratiam non impetrasset, lib.4 t.21 pa.371 c.1 d.21 num.1 in all.

Pœnæ festinatarum nuptiarum iure canonico sublatæ sunt: sed non secundarum, lib.5 tit.5 p.522 c.1 d.1 à n.1 ad 8

Pœnæ incipere ab hærede non possunt nisi lis cum defuncto fuerit contestata l.9 t.2 p.1150 c.2 d.5 num.3 in all.

Pœnas temperandas & molliendas esse nec exasperandas dicimus, l.9 t.25 pa. 1205 c.2 d.6 n.12 in all.

POENITENTIÆ vt nullus locus relinquatur sufficit causa pietatis, l.4 t.9 p. 293 c.2 d.2 n.13 in all.

per Pœnitentiam nemo nocens esse definit, lib.9 t.25 p.1204 c.1 d.2 num.2 in all.

PORTIO congrua quæ parocho datur regulariter quidem ex quarta fructuum beneficij parte æstimatur, in iudicantes tamen religione positum est vt maiorem vel minorem, prout expedire viderit, constituat, p.34 c.1 d.23 num.1 & 3

Portio filiæ quæ renuntiauit, non fratribus omnibus, sed soli hæredi adscrescit, nec tam hæredi, quàm hæreditati, p.88 c.1 d.28 num.1

Portio filiæ quæ renunciauit, accrescit hæreditati, & ideo venit in fideicommissum ab hærede relictum, l.2 t.3 p. 88 c.2 n.1.2.3. Vide duos casus exceptos n.3 in all.

Portionis congruæ cognitio ad ordinarium pertinet, lib.3 t.12 p.194 c.1 d.18 num.1

Portiones, in diuidenda inter fratres hereditate, constituere debet maior natu: præferendus tamen est minor si maiorem rerum hæreditariarum, earúmque precij notitiam habeat, l.3 t. 25 p.243 c.1 d.2 n.2 & 3

Portionibus ab altero constitutis alterius est electio, l.3 t.25 p.243 c.2 d.2 n.5

POSITIO criminosa post didicita testificata non est admittenda, lib.4 t.14 p.322 c.2 d.54 num.13 in all.

POSSIDERE nihil potestis qui ab alio possidetur, p.179 c.1 d.1 n.11 in all.

Possideri non videtur quod sine controuersia possideri non potest, p.8 c.2 d. 31 n.5 in all.

POSSIDET iustè qui authore Senatu possidet, lib.1 t.2 p.27 c.2 d.95 nu.10 in all.

Possidet iustè, qui authore & permittente prætore possidet, lib.9 t.2 p.1151 c.2 d.7 n.13 in all.

Qui non possidet fructus perceptos, quandoque ab alio restituere tenetur, l.4 t.36 p.447 c.1 d.3 n.8 in all.

POSSESSIO sine corpore acquiri non potest, lib.4 t.41 p.462 c.2 d.7 n.2 in all.

Possessio faciliùs admittitur quàm ius ipsum pignoris, l.7 t.7 p.809 c.2 d.13 num.1

Possessio faciliùs admittitur quàm dominium, l.7 tit.7 p.816 c.2 d.35 num.5 in all.

Possessio solo animo amittitur statim atque is qui possidet definit velle possidere, l.8 t.3 p.963 c.1 d.3.7 n.2 in all.

Possessio animo solo amittitur, quoties ab animo incipit amissio possessionis, p.16 c.2 d 54 n.3

Possessio non nisi certis modis & acquiritur & amittitur, l.7 t.7 p.819 c.1 d.41 n.1 in all.

Possessio nõ amittitur nisi animo & corpore, l. 4 t.43 p.492 c.2 d.18 n.3 in all.

Possessio per negligentiam decennalem amittitur, l.4 t.14 p.324 c.1 d.60 nu.4 in all.

Possessio nunquam reperitur in hæreditate, l.8 t.31 p.1112 c.1 d.12 n.3 in all.

Possessio cùm sit facti, ad nos non pertinet nisi corporaliter adprehensa, ac re quidem ad suos heredes, lib.3 tit.19 p. 210 c.1 d.4 n.10 in all.

Possessio non transfertur ex sola voluntate aut per cõtractum vel instrumentum: sed traditione opus est, vel aliqua re quæ sit vice traditionis, l.7 t.7 p.816 c.1 d.32 n.3 in all.

Possessio ex causa pignoris transfertur, lib.4 tit.14 pag.318 col.1 def.40 num.4 in all.

Possessio transferri potest etiam in casum & sub conditione, l.7 t.7 p.810 c.2 d.14 n.5 in all.

Possessio in alium sub conditione transferri potest, p.17 c.2 d.57 n.3

Possessio translata per defunctum non potest transire in hæreditatem aut esse hæreditaria, lib.7 t.7 p.816 c.2 d.34 n.3 in all.

Possessio ex titulo hypothecæ potest transferri, l.4 t.323 c.2 d.60 n.3

Possessio & proprietas rei depositæ remanet penes deponentem, p.37 c.2 d. 35 n.2 in all.

Possessio nihil commune habet cum iuris & proprietatis quæstione, lib.3 t.12 p.197 c.1 d.30 n.3

Possessio per constitutum quæsita aut per precarium an & quatenus morte constituentis vel constitutarij aut precario rogantis vel concedentis amittatur, lib.7 t.7 p.817 c.2 d.39 num.1

Possessio beneficio clausulæ constituti non potest transferri per tutorem aut curatorem, nisi cum id pupillo vel minori vtile est, l.7 t.7 p.811 c.1 d.17 num.1

Possessio etiam ex inutili contractu transferri potest, l.3 t.22 p.228 c.1 d.1 num.9

Possessio beneficij quid temporale esse videtur, p.20 c.1 d.63 n.10 in all.

Possessio beneficij per filium non bene probatur ex fructuum perceptione facta per patrem, l.4 t.14 p.315 c.2 d.30 num.1

Possessio ciuilis non præsumitur duasse post decem annos, l.4 t.14 p.307 c.2 d. 3 n.5 in all.

Possessio ciuilis retenta prodest ad retinendam, adeóque ad recuperandam naturalem, l.7 t.7 p.806 c.2 d.4 n.1

Possessio colorata sufficit ad obtinẽdum sit spo-

BIU Cujas

in possessorio. Et dicitur colorata si beneficium collatum si ab habente potestatem, p.2 c.2 d.5 n.2 in all.
Possessio fiduciaria ei qui semel eam obtinuit non auferenda aut plenioris possessorij adiudicationem, licet nullam eius retinendæ causam aliam habeat quam quia fuerit ei adiudicata, l.1 t.2 p.27 c.1 d.95 n.11
Possessio annua præscribitur spatio centum annorum: annus verò canon emphyteuticarius quadraginta annus pertium bonæ fidei possessorem lib.7 t.13 p.832 c.1 d.16 n.1
Possessio triennalis titulis instar obtinet p.24 c.1 d.80 n.10
Possessio triennalis aut decennalis non potest sibi colorem quærere ex titulo qui resignationem præcessit p.17 c.1 d.56 n.4 & 5
Possessio per decennalem negligentiam amittitur, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.11
Possessio continua & pacifica tredecim annorum ad inducendam præsumptionem tituli colorati, requiritur, p.23 c.2 d.76 n.1.2.3 & 4
Possessio quæ 100. annos excedit non potest non esse immemoralis, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.6 in all.
Possessio immemorabilis, etiam cuius continuatio non probatur, prodest ad percipiendas decimas, etiam in aliena parrochia, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 nu.1 ad 10
Possessio immemorialis probata videtur si de actu aliquo possessorio ante centum annos inito legitime appareat, l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.6 & 7
Possessio immemorialis ius præbet, & est tituli constituti loco l.3 t.24 p.242 c.1 d.9 n.2
Possessio iunior titulata præfertur antiquiori non titulatæ lib.4 t.3 p.280 c.1 d.2 n.21 in all.
Possessio longi temporis locum habet etiam contra eum, cui merces conductionis interim soluta est, si modo scivit alienationem à conductore factam, non si ignorauit l.7 t.8 p.819 c.1 d.1 n.1
Possessio tam naturalis quàm ciuilis transfertur per constitutum lib.8 t.3 p.957 c.2 d.17 n.1 in all.
Possessio quamuis ex iure mutuetur est tamen magis facti quàm iuris p.4 c.2 d.13 n.2 in all.
Possessio quæsita per constitutum non potest cedi nisi per aliud constitutum, nec proinde per tutorem aut per curatorem aut per procuratorem l.7 t.7 p.815 c.2 d.32 n.1
Possessio aduersarij etiam facti tantum exprimenda est p.26 col.2 d.92 num.1 in all.
Possessio, detentióque aduersarij asinina quanto tempore durauerit exprimi debet p.28 c.1 d.81 n.1
Possessio asinina nullum iuris effectum producere potest præsertim quod ad causam restitutionis in beneficialibus p.13 c.1 d.56 n.3
Possessio aduersarij exprimenda est, licet plus facti habuerit quàm iuris, si modò fuerit colorata. Alioqui gratia est obreptitia p.1 c.1 d.2 n.4
Possessio iuris præsentandi ex vnico actu inducitur l.6 t.1 p.616 c.2 d.9 n.3
Possessio pignoris non transit in cessionarium lib.4 t.29 p.420 c.1 d.11 nu.1 & 2
Possessio rerum defuncti iure ipso in heredem continuata intelligitur l.9 t.19 p.1182 c.2 d.1 n.1 in all.
Possessio recentior est infirmior nisi sit tricenaria lib.4 t.14 p.318 c.2 defin.44 num.1
Possessio vera non ea tantùm, quam ciuilem vocant, sed etiam naturalis per constituti clausulam & alias similes transfertur lib.4 t.17 p.356 c.1 d.5 n.3 in all.
Possessio per clausulam constituti quæsita cedi potest à constitutario dummodo fiat cessio statim, aut in continenti l.7 t.7 p.813 c.2 d.25 n.1
Possessio per clausulam constituti, aliterve quæsita, si amissa sit, non recuperatur ipso iure per restitutionem in integrum lib.8 t.4 pag.965 c.2 d.4 n.1.2.3 4 & 5
Possessio quæsita per clausula constituti amittitur solo animo, puta & eo quod constitutarius putat se mitti in possessionem lib.7 t.7 p.814 c.2 d.29 num.1
Possessio an per constitutum, an per traditionem quæsita sit quantum interest, l.7 t.7 p.809 c.2 d.13 n.1
Possessio quæ est facti non potest fuisse hereditatis quæ est iuris lib.9 tit.19 p.1182 c.2 d.1 n.3 in all.
Possessio superueniens constituenti non facit constitutarium possessorem, nisi constitutum collatum sit in futurum l.7 t.7 p.810 c.2 d.14 n.1
Possessio pecuniæ solutæ maiorem rei gestæ possessionem continet quàm si chirographum acceptæ mutuæ pecuniæ fuisset redditum l.4 t.15 p.337 c.2 d.36 n.2 in all.
Possessio fructuum perceptione probari solet lib.4 t.14 pag.315 c.2 d.30 num.11 in all.
Possessio à iure damnata nunquam iuuat possessorem, nisi tanti temporis proponatur cuius initij memoria non extet p.17 c.1 d.36 n.4 & 5
Possessio viciosa, cum tota ex facto saltem magis quàm ex iure æstimetur, non eo minùs possessio est lib.4 t.3 p.280 c.1 d.2 n.15 in all.
Possessio viciosa nec in ecclesiasticis, nec in prophanis rebus valet, p.6 c.2 d.23 n.2
Possessio vitiosa etiam aduersus extraneos prodest l.3 t.21 p.225 c.2 d.2 nu.3 in all.
Possessio vitiosa dici non potest ob id quod apprehensa sit die domisico, imo debet potius eo die apprehendi vt omnibus innotescat l.1 t.2 p.4 c.1 d.11 n.6 in all.
Possessio viciosa aduersus extraneos prodesse solet l.8 t.6 p.973 c.2 d.18 nu.5 in all.
Possessio quæ ab initio fuit vitiosa & malæ fidei nunquam potest prodesse quod ad causam præscriptionis ratione dominij, præsertim iure canonico l.4 t.3 p.280 c.1 d.2 n.14 in all.
Possessionis vitia in successores transeunt, lib.4 t.3 p.280 col.1 d.2 num.13 in all.
Possessionis fauor ille est, qui exceptionem non factæ excussionis induxit l.7 t.10 p.820 c.2 d.1 n.2 in all.
Possessionis causa ante omnia terminanda est, prius etiam quam de personarum aut actionis iure disputetur l.4 t.17 p.356 c.1 d.6 n.1 in all.
Possessionis adprehensio non perficit resignationem, sed fit in consequentiam & executionem iam perfectæ resignationis p.18 c.1 d.57 n.6 in all.
Possessionis recuperandæ ius siue ex ciuilibus siue ex pontificis constitutionibus (vt & alia ferè omnia) cedi potest lib.4 t.43 p.497 c.1 d.32 num.4 & 5
Possessionis beneficij adeptio ex institutione quæ neque canonica fuit neque colorata, nec in petitorio nec valet in possessorio p.4 c.2 d.13 n.1
Possessionis intentio magnam suspicionem præbet & coniecturam simulationis l.4 t.14 p.324 c.1 d.60 n.1 in all.
in Possessionis beneficij lite, dubiis vtriusque litigatoris iuribus, possessio apud sequestrem deponenda: alterutro autem apparentiora iura habenti, vindiciæ dantur: plenum a. possessorium ei de cuius iure plenius apparet, lib.1 tit.2 pag.27 col.1 d.95 numero 2.3
Possessionem & ius eiusdem beneficij eodem tempore duo in solidum duo habere non possunt p.18 col.1 defi.57 num.18
Possessionem in beneficialibus ex titulo inualido acquiri nunquam permittendum est p.4 c.2 d.13 n.3 & 4
Possessionem medij temporis non præsumi extra causam possessionis decennalis probata primi & vltimi temporis possessione, ad immemorialem possessionem non pertinet l.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.11
Possessionem naturalem qui per decennium neglexit etiam quam ab alio ignorante occupatam amittit ciuilem l.7 t.7 p.812 c.2 d.22 n.1
Possessionem alienare non dicitur qui eam omittit, amittitve lib.3 t.22 p.228 c.2 d.1 n.7
Possessionem nullo iure adipisci multò inciuilius est, quàm adeptam retinere aut amissam recuperare, p.178 col.2 d.1 n.4
Missio in possessionem in beneficiis constituit ius in re p.30 c.1 d.7 num.2 in all.
In Possessionem missus tanquam electus consentiente debitore non potest vincere in petitorio, si non proferat instrumentum electionis lib.4 t.34 p.444 c.2 d.13 n.1.2.3.4 & 5
Possessione autoris sui cum suis oneribus & vitiis vti possessor debet l.4 t.33 p.490 c.2 d.12 n.14 in all.
Possessione præterita non probatur dominium, sed potius probatur admissa possessio per actum contrarium subsecutum l.7 t.7 p.813 c.1 d.23 n.1
Probata Possessione antiquioris & vltimi temporis, medij quoque temporis possessionem præsumptiue probatam intelligi, quomodo accipiendum, l.4 t.14 p.307 c.2 d.3 n.5 in all.
Qui Possessionem sibi aufferri authoritate iudicis passus est, nullo prætextu dicere potest se spoliatum, nec si sit minor lib.8 t.3 p.958 c.2 d.24 à nu.1 ad 16
De Possessione retinenda non agitur apud non nisi interdicto Vti possidetis probando possessionem ex parte nostra, & turbationem ex parte aduersarij lib.8 t.4 pag.966 col.2 d.8.num. & 5
Qui in quasi Possessione alterius cuiuslibet constitutus reperitur, in ea retineri debet quousque contrariis aduersarij probationibus superueretur l.4 t.14 p.31 c.1 d.8 n.10 11 & 12
Possessor nihil debet per apertam viam aut tumultum moliri p.57 c.2 d.11 n.5
Possessor nemo est eius rei quam ei pro arbitrio dominus auferre potest lib.4 t.10 p.296 c.2 d.1 n.10 in all.
Possessor iam factus per clausulam constituti neminem spoliat cum propria authoritate suam possessionem occupat nemine contradicente lib.8 t.3 p.962 c.1 d.33 n.1.2 & 3

BIU Cujas

Possessor bonorum hereditariorum si possessionis suæ non alium titulum proferat, hereditario iure creditur possidere, lib.6 t.12 p.675 c.2 d.1 n.1

Possessor hereditatis tanquam ab intestato, quodam casu potest admitti ad successionem testari, adeoque cum beneficio inuentarij etiam citra restitutionem, l.6 t.12 p.676 c.2 d.5 num.1 2 & seq.

Possessor iustus est & bonæ fidei qui autore præside possidet l.7 t.18 p.863 c.2 d.53 n.2 in all.

Possessor iustus esse non potest qui nullo casu ad beneficium promotus est p.26 c.2 d.92 n.4 in all.

Possessor tam iustus quàm iniustus potest offerre creditori pignoratitio: sed actionem cedere creditor cogitur iusto tantum possessori non etiam iniusto l.8 t.11 p.999 c.2 d.3 n.1.2 & 3

Possessor pignorum condemnatus ad id quod interest creditoris, non tenetur ad restitutionem fructuum supra vsuratum modum lib.7 t.16 p.845 c.2 d.1 n.1

Possessor bonæ fidei tantundem iuris habet ad fructus acquirendos, quantum si esset verè dominus l.8 t.38 p. 1139 c.2 d.15 n.5 in all.

Possessor bonæ fidei est qui habet titulum inualidum: Malę fidei verò qui vel nullum vel vitiosum p.2 c.2 d.5 n.3 2 in all.

Possessor bonæ fidei ad fructus lucrandos videri non potest, qui titulum nullum habet lib.3 t.27 d.253 c.1 d.8 n.12 in all.

Possessor bonæ fidei fructus omnes suos facit, nec vnquam restituit consumptos p.181 c.2 d.8 n.5 in all.

Possessio bonæ fidei fructus suos facit l.3 t.19 p.212 c.2 d.11 n.9 in all.

Possessor malæ fidei dicitur qui contra leges aliquid mercatur l.8 t.3 p.958 c.1 d.22 n.3 in all.

Possessor quilibet malæ fidei ad fructus condemnari solet lib.4 t.24 p.389 c.1 d.14 n.2 in all.

Malæ fidei possessor censetur qui contra leges mercatus est, licet emerit à domino, lib.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.14

Possessor tertius bonæ fidei qui per decennium præscripsit aduersus hypothecariam, vtrum possit adhuc conueniri condictione ex l.fin.C. de acquir. poss. lib.7 t.10 p.821 c.2 d.5 n.1

Possessor tertius bonæ fidei etamsi habeat causam à debitore vel à malæ fidei possessore nihilominus præscribit contra creditorem lib.6 t.10 p.821 c.1 d.2 n.11

Possessor tertius nec hæres vniuersalis potest præscribere post qualemqualem debiti agnitionem lib.7 t.13 p.833 c.1 d.21 n.1

Possessor tertius nullo fauore dignus est qui neque titulum habet nec bonam fidem l.7 t.10 p.820 c.2 d.1 n.3 in all.

Possessor tertius qui pendente lite alienat non ideò se liberat quominus liti sistere teneatur, l.8 t. 6 p.968 c.2 d.4 n.1 & 2

An & quando Possessor tertius conuentus hypothecaria possit condemnari ad fructuum restitutionem? lib.8 t.6 p.971 c.2 d.15 à n.1 ad 16

Possessori tertio qui bonam fidem & titulum habet, datur exceptio non factæ excussionis l.8 t.28 p.1071 c.1 d.6 n.3 in all.

Possessor triennalis ex titulo nullo & inualido videtur tacitè à suo Episcopo dispensatus p.2 c.2 d.5 n.6

vt Possessor conuentus inter cæteros, licet negauerit se possidere, nullam appellandi causam habet possessoribus omnibus generaliter & indefinite condemnatis, lib.7 t.19 p.878 c.2 d.16 n.2 in all.

Possessor pendente lite possessione sua priuandus non est, neque arctandus vt caueat quantumuis pauper p.57 c.1 d.9 n.1 & 5 p.234 c.1 d.14 n.2

Possessor non alios fructus restituere cogitur, quàm quos post litem contestatam perceperit lib.3 t.19 p.212 c.1 d.11 n.11

Possessor condemnari non debet nec potest ad quid vel minimum soluendum cum nullomodò sit obligatus pag.180 c.2 d.5 n.4 in all.

Possessor liti eximendus est duobus de dominio feudi inter se contendentibus, nisi ille ipse propria se confessione obstrinxerit lib.4 t.7 p.292 c.1 d.22 num.1

Possessor solus ad recognitionem feudi & iuris emphyteutici admitti debet lib.4 t.7 p.292 c.1 d.22 n.3 in all.

Possessorem annalem tuetur regula de annali, etiam qui nullum titulum, ne quidem coloratum profert. De triennali vero non item p.5 c.1 d.15 n.1 & 2

Possessori bonæ fidei non potest pignus euinci per hypothecariam, quin sumptus omnes in rem obligatam ab eo vtiliter facti ei refundantur l.8 t.6 p. 973 c.d.19 n.1 2.3 & 4

Possessorem iam esse oportet eum qui se constituit alieno nomine possidere lib.7.t.7 p.810 c.2 d.14 n.5 in all.

In Possessorem factum ex causa iudicati remedium can. redintegranda datur interdum l.7 t.22 p.903 c.1 d.12 n.1

Possessorem malæ fidei certum est debere vniuersos fructus restituere, etiam quos non percepit, si modo percipere potuerit l.7 t.16 p. 869 c.1 d.73 n.3 in all.

De Possessore triennali regula tribuit ius in beneficio: de annali verò excludit impetrantem p.5 c.1 d.15 n.3

De Possessore triennali regula requirit titulum saltem coloratum p.5 c.1 d.15 n.2 in all.

Possessores omnes post litem contestatam sunt pares lib.4 t.30 p.425 c.1 d.5 n.3 in all.

Possessorivm super quo lis pendet non operatur veram litispendentiam p.21 c.2 d.70 n.5

Possessorium minoris momenti leuiores probationes requirit p.22 c.1 d.70 n.21 in all.

Possessorium terminatum dici non potest quandiu plenissima iudicati executio facta non est p.182 c.1 d.8. n.22 in all.

Possessorij causa quælibet summaria & & momentanea esse creditur pag.184 c.1 d.15 n.3 in all.

Possessorij causa etiam in spiritualibus, temporale quid esse creditur p.166 c.1 d.38 n.7

Pleni possessorij adiudicatio, vltima est cognitio iudicis laici, lib.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.3 in all.

Possessorij pleni cognitio longas solet habere moras p.179 c.1 d.2 n.4 in all.

de Possessorio quolibet cognitio ad iudicem laicum pertinet li.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.4 in all.

De possessorio solo Princeps laicus eiúsque iudex potest cognoscere p.20 c.2 d.67 n.3 in all.

in Possessorio nemo subrogatur à principe seculari nisi collitigator: imo à summo Pontifice, l.1 t.2. p.27 c.2 d.95 n.4 in all.

Etiam in Possessorio possunt allegari quæ pertinent ad petitorium. Nempe ad confortandum possessorium l.8 t.4 p.965 c.1 d.3 n.1

In quasi Possessorio iurium obtinere debet is qui quasi possessionem probat licet nec titulum alleget, nec causam l.8 t.4 p.965 c.2 d.5 n.2

Agens Possessorio in ea possessione retineri debet, in qua litis captæ tempore reperitur p.13 c.45 n.1 in all.

Possessoria interdicta non transeunt in singularem successorem sine speciali cessione l.7 t.7 p.813 c.1 d.24 n.1

Posteriores tempore posteriores quoque in pignore, l.6 t.11 p.672 c.2 d.40 n.3 in all.

Posthvmvs qui rumpendo successit, non est cogendus præstare fideicommissum relictum post mortem institutorum, etiamsi omnes instituti decesserunt, nec eius liberi masculi, si quos reliquerit, l.6 t.22 p.720 c.1 d.17

Posthumi præteritio ab initio non facit quin valeat testamentum, sed tantum vt sui heredis agnatione rumpatur, l.6 t.17 p.693 c.1 d.4 n.5 in all.

Potestas & autoritas superioris in omni promissione quantumuis iurata excepta intelligitur l.4 t.19 p.360 c.2 d.2 n.8

Potestatis patriæ ius morte finitur p.86 c.2 d.22 n.9 in all.

Potestatis patriæ ius pater in alterius fraudem exercere non potest, si cum filiofamilias collusisse, dolúmq; participasse probetur l.4 t.19 p.360 c.2 d.2 n.11

Potestatis quàm conuentionis inter filium & alium quàm creditorem factæ ius potentius est in re per filiumfamilias patri quæsita l.4 t.19 p.360 c.1 d.2 n.1 & 3

Probenda beneficij appellatione solet comprehendi p.7 c.2 d.27 n.1.2. & 3

Præbenda non augetur, licet fructus siue in quantitate siue in æstimatione augeantur l.3 t.12 p.197 c.2 d.30 n.5

Præbenda consistit in temporalitate, ius beneficij in spiritualitate p.61 c.2 d.2 n.4

Præbenda non ex eo solo minui potest quod temporum iniuria, alióve casu fortuito & vi maiore, fructuum quantitas redituúmque æstimatio decreuerit p.197 c.2 d.30 n.4

Prædia communia neque alienari neque obligari possūt sine decreto, nisi ea alienationis specie quæ sit necessario per diuisionem, socio maiore prouocante p.116 c.1 d.2 n.8 in all.

Prædia omnia præsumuntur libera & allodialia, ita tamen vt vnica professio & recognitio sufficiat vt probentur feudalia vel emphyteuticaria l.4 t.14 p.310 c.2 d.10 n.1 & 2

Prælatvs ecclesiæ qui malè alienauit non potest agere de possessione, sed tantum de proprietate l.8 r.3 p.955 c.1 d.11 à n.1 ad 13

Prælatus quòd directò in præiudicium ecclesiæ facere non potest, nec per indirectum facere potest pag. 25 c.2 d.86 n.6 in all.

Prælati superioris maior ratio habenda est quàm inferioris pag.16 col.1 d.52 n.9

Prælati sunt quodammodo procuratores ecclesiarum, non domino, adeo vt Prælatus etiam acquirere ecclesiæ suæ teneatur, nec acquirendi occasionem possit impune prætermittere, l.6 t.27 p.755 c.2 d.8 n.6 in all.

Prælationis ius datum domino directo in re emphyteuticaria moribus Sabaudicis

BIU Cujas

Sabaudicis abrogatum est,& quas ob causas ? lib.4 t.42 p.502 c.1 d.48 à n.1 ad 22

Prælationi non est locus inter legatarios præter quam si vnius legati fauorabilior causa sit quàm cæterorum, l.6 t.11 p.664 c.1 d.15 n.1.2

PRÆLEGATA an & quando veniant in restitutionem fideicommissi vniuersalis, l.6 t.27 p.762 c.2 d.28

PRÆSCRIPTIO quælibet & quanticunque temporis apud nostros Augustanos consuetudine tolli potest l.8 t.35 p.1123 c.2 d.1 n.1 & 3

Præscriptio currit non tantum contra inuitum, sed etiam ignorantem lib.9 t.30 p.1126 c.1 d.5 n.6 in all.

Præscriptio requirit factum præscribentis,& ideo si non apponatur non potest suppleri per iudicem lib.7 tit.13 p.822 c.2 d.18 n.5 in all.

Præscriptio quænam temporis possit sufficere pro ingenuitate aduersus tallabilem l.7 t.4 p.791 c.1 d.1 n.1

Præscriptio quinquennalis sit perpetuo per sententiam adeóque per litis contestationem l.7 t.13 p.821 c.2 d.15 n.1

Præscriptio quinquennalis quæ competit pro defuncti hominis libertate l.7 t.p 810 c.2 d.1 n.1

Præscriptio triginta annorum non requirit titulu n ad tuendum possessorem, lib.4 t.3 p.279 c.2 d.2 n.12

Præscriptio triginta annorum quæ non posset incipere ab ipso debitore propter malam fidem, incipit tamen ab ipsius herede qui sit in bona fide lib.7 t.13 pag.821 c.2 d.16 nu.1

Præscriptio quæ triginta aut quadraginta annorum est, licet durante pupillari ætate dormiat, currit tamen contra minorem, sed ita vt ætatis beneficio aduersus præscriptionem restitui possit p.123 col.1 d.2 n.3 & 4

Præscriptio centum annorum nunquam censetur exclusa nisi in casibus l.7 t.13 p.827 c.1 d.5 n.1

De Præscriptione centenaria & immemoriali l.7 t.13 p.826 c.1 d.2 n.1

Præscriptio longi temporis sufficit non quidem ad dandum titulum sed ad colorandum p.23 c.1 d.76 n.3 in all.

Præscriptio quæ potuit obiici principi, & potest obiici etiam possessori l.7 t.12 p.815 c.2 d.2 n.1

Præscriptio possedenti necessaria non est, nisi cum male in dispendium ecclesiæ alienatio facta est lib.4 titul.38 p.857 c.1 d.7 n.7

Præscriptio interrumpitur contra fideicommissarium siue actum siue transactum sit cum herede, aut si quis agere prohibitus sit, l.7 tit.13 p.834 c.1 d.25 n.1

Præscriptio non currit agere non valenti, lib.6 tit.23 pag.738 col.1 d.9 num.3 in all.

Præscriptio non valenti agere an & quando currat l.7 t.9 p.820 c.1 d.1 n.1

Præscriptio non currit aduersus ecclesiam quandiu viuit prælatus qui perperam alienauit l.4 t.38 p.457 col.1 d.7 n.5

Præscriptio pro libertate, quantumuis fauorabilis, non potest currere cum mala fide, licet non requirat titulum, lib.7 tit.6 pag.805 col.1 defin.1 num.11 in all.

Præscriptio rei fideicommisso relictæ quando currere incipiat, l.6 t.23 pag. 738 c.1 d.6 n.2 in all.

Præscriptio rei ecclesiasticæ non currit apud nos durante commenda quasi beneficio vacante, secus apud Gallos p.4 c.1 d.10 n.10

Præscriptio seruitutis naturaliter per contradictionem & prohibitionem eius aduersus quem præscribebatur, interrumpitur, si prohibitio effectum habuerit l.3 t.24 p.242 c.1 d.10 nu.1 & 2

Præscriptionis tempora legali præscriptione contra pupillum aut minorem non currunt p.123 c.1 d.2 n.1

Præscriptionem interrumpit solutio quatenus probata per solam creditoris priuatam scripturam, l.7 t.13 p.833 c.2 d.24

Præscriptionem à se inchoare non potest qui est in mala fide, l.7 t.4 p.799 c.2 d.1 n.2 in all.

Aduersus Præscriptionem tricenariam ex capite ignorantiæ restitui maior non debet pag.122 col.2 d.1. num.2 in all.

De Præscriptione aduersus eum comperente qui emit à Principe lib.7 t.12 p.824 c.1 d.1 n.1

Quantum interfit inter ius PRÆSENTANDI & conferendi? l.6 t.1 p.611 c.1 d.10 n.1.2.3.4.5

PRÆSENTATIO facta ab eo qui est in quasi possessione præsentandi, aut de cuius iure constet per verba enunciatiua Papæ sufficit ad validandam collationem beneficij l.6 t.1 p.609 c.2 d.5 n.1

PRÆSES non debet sine magna causa interrogandi ordinem peruertere pag.48 c.2 d.4 n.2

Præses est qui Senatoribus præest p.172 c.1 d.1 n.7 in all.

Præsidi non plus quàm Senatori in ponderandis aut numerandis sententiis tribuitur p.172 c.1 d.1 n.9 in all.

PRÆSVMPTIO in his quæ tempore mutantur, non est de præterito in futurum l.4 t.3 p.280 c.1 d.2 n.19 in all.

Præsumptio specialis tollit generalem p.106 c.2 d.5 n.2 in all.

Præsumptio maior vincit minorem li.3 t.24 p.241 c.2 d.8 in all.

Præsumptio fortior probandi onus in aduersarium transfert lib.3 t.24 p.242 c.1 d.9 n.9 in all.

Præsumptio elidit̃ur per probationem contrariam p.114 c.2 d.1 n.10 in all.

Præsumptio semper probationi cedit nisi sit iuris vel de iure li.4 t.14 p.308 c.2 d.4 n.2 in all.

Præsumptio semper cedit probationi & veritati l.9 t.29 p.1215 c.2 def.7 num.2 in all.

Præsumptio semper cedit veritati lib.3 t.27 p.252 c.1 d.5 nu.3 in all. & l.4 t.14 p.314 c.2 d.26 n.4 in all.

Præsumptio sola non sufficit ad condemnandum militem: lex enim probationem requirit p.106 c.2 d.5 nu.4 in all.

Præsumptio est contra eum qui dicit fideicommissum relictum esse l.3 t.19 p.218 c.1 d.14 n.5 in all.

Præsumptio delicti semper est euitanda, lib.4 t.28 p.417 c.1 d.9 numero 7 in all.

Præsumptio quæ iuris tantum est, non etiam de iure admittit probationem in contrarium lib.3 t.12 p.197 c.1 d.18 n.5 in all.

Præsumptio legis Quintus de donat. int. virum & vxor. etiam mariti creditoribus prodest, adeóque donatario, nisi per contrariam præsumptionem aut probationem elidatur lib.4 t.14 p.318 c.1 d.41 n.1.2 & 3

Præsumptio legis Quintus de donat. inter vir & vxor. ex alterius quàm mariti confessione non tollitur l.4 t.14 p.318 c.1 d.42 n.1

Præsumptio legis Quintus ff. de donat. int. vir. & vxor. non alij prodest quàm marito aut heredibus, aut creditoribus ipsius lib.4 t.14 p.316 c.2 d.36 n.2 & 3

Præsumptiones legis non sufficiunt vbi formaliter & præcisè probatio requiritur lib.3 t.22 pag.233 col.2 d.13 n.21 in all.

PRÆTERIRE filium impune potest mater apud Augustanos, nec ea præteritio habetur pro exheredatione, adeo, vt nec vlla querela inofficiosi testamenti filio contra testamentum patris competat, li.6 t.9 p.656 c.1 d.1 n.1 in all.

Præteritio filij nullum tribuit ius tertio ad impugnandum testamentum, nisi sit ille ex liberis, l.6 t.9 p.657 c.1 d.5

PRÆTERITIONIS maternæ proprium ius est, non paternæ vt pro exheredatione habeatur, l.6 t.9 p.657 c.2 d.6 n.5 in all.

PRÆTOR nullam debet creditori actionem ex mutuo aduersus minorem dare, nisi probet pecuniam à minore vtiliter impensam esse p.124 col.2 d.1 num.3

Prætor bonorum possessionem contra leges dare non potest p.127 col.1 d.2 n.6 in all.

Prætor de iure communi restituit non Princeps p.137 c.1 d.2 n.2 in all.

Prætor nunquam ratum habere potest quod vi aut dolo factum est p.143 c.2 d.2 n.12 in all.

Prætor permittere non debet homines siue liberos siue libertinos per nimiam patronorum iniuriam diuexari p.120 c.1 d.1 n.1 in all.

PRECARIVM transfert possessionem ciuilem tantùm, constitutum verò etiam naturalem: vtrumque tamen prodest ad implorandum beneficium l.vlt.C. hoc t.lib.7 t.7 p.802 c.1 d.15 n.1

PRECIVM non exit, sed ex negotiatione percipitur l.3 t.22 p.230 c.1 d.5 n.3

Precium debet esse certum adeóque consistere in pecunia numerata lib.4 t.28 p.414 c.2 d.2 n.2 in all.

Precium rei cui abest, ipsa quoque res abesse videtur lib.3 t.19 p.218 c.2 d.26 n.5 in all.

Precium ni soluatur intra tempus, res fit inempta, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.8 in all.

Precium soluere necesse est, non est necesse credere p.124 c.2 d.1 n.8

Precium nullum in diuisione interuenit, bonorúmque qualitas & condicio spectanda est lib.3 t.27 p.253 col.2 d.9 n.4

Precium loco rei non succedit, nec res loco precij, multóque minùs res loco rei in iudiciis quæ vindicandæ rei gratia exercentur, sicut nec in omnibus aliis singularibus l.3 t.22 p.230 c.1 d.5 n.1

Precij modicitas iuncta cum pacto de retrouendendo & quibusdam aliis circumstantiis, simulationis præsumptionem inducit, etiam citra fœnerandi consuetudinem l.8 t.17 p.356 c.2 d.7 n.1 & 2

Pretij futuri incertitudo non facilè patitur vt venditio videri debeat viliori precio facta in fraudem vsurarum l.4 t.17 p.356 c.2 d.8 n.1

Precia rerum pro temporum varietate mutuantur lib.4 tit.42 p.472 c.2 d.22 n.16 in all.

Precia ex fundorum maximè reditu constituuntur l.3 t.27 pag.253 c.2 d.9 n.7 in all.

BIU Cujas

PRIMITIÆ ſolui debent parœcho à quo ſacramenta adminiſtrantur p.13 c.1 d.45 n.23
Primitiæ debentur propter adminiſtrationem ſacrorum pag. 13 col.1 def.45 num.12
Primitiæ perſonales ſunt, non reales aut mixtæ p.13 c.1 d.45 n.26
Primitias nullas debet qui bona non poſſidet p.13 c.1 d.45 n.28
PRINCEPS eſt dominus corporum & vitæ ſubditorum l.9 t.25 p.1203 c.2 d.1 n.7 in all.
Princeps non ſibi legem dicit, ſed aliis p.63 c.1 d.8 n.2 in all.
Princeps poteſt fiſco ſuo applicare pœnam confiſcationis etiam in præiudicium vaſalli omnimodam habentis iuriſdictionem, quoties edictum Principis facit ex non delicto delictum l.9 t.26 p.1210 c.1 d.2 n.1
Princeps ſolus, excepta eccleſia, fiſcum habere poteſt l.7 t.33 p.948 c.2 d.2 n.1 in all.
Princeps non fit qui à Principe ius habet nec iiſdem poteſt gaudere priuilegiis l.7 t.12 p.824 c.2 d.1 n.1 in all.
Princeps cuiuſcunque criminis gratiam facere poteſt l.9 t.21 p.1190 c.2 d.14 n.1 in all.
Princeps facere poteſt gratiam criminis & pœnæ corporalis etiam quæ irrogata ſit in vicem & locum pœnæ pecuniariæ, tametſi pars contradicat l.9 t.25 p.1203 c.2 d.1 n.1
Princeps non videtur remiſiſſe pœnam mortis quam à iudice irrogatam ignorauit lib.9 tit.28 p.1211 c.2 d.1 num.4 in all.
Princeps facilè colligere poteſt criminis grauitatem ex grauitate pœnæ lib.9 t.28 p.1211 c.2 d.1 n.5 in all.
Principis indulgentia reſtricta ad certam pœnam non facilè ad alia extendi debet l.9 t.28 p.1211 c.1 d.1 n.1
Princeps quam vult teſtandi formam & ſolennitatem poteſt præſcribere, l.6 t.5 p.632 c.2 d.22 n.1 in all.
Principis poteſt facere ne leges in teſtamentis locum habeant quoad ſolennitates, l.6 t.5 p.632 c.2 d.22 n.3
Princeps nunquam voluiſſe credendus eſt, quod iuſte velle non potuit p.61 c.1 d.1 n.4
Princeps cuiquam velle iniuriam inferre credendus non eſt lib.9 t.29 p.1217 c.2 d.15 n.3 in all.
Princeps nunquam debet lædere ius tertio iam acquiſitum l.6 t.4 p.624 c.1 d.2 n.21 in all.
Princeps multo magis ab illicitis abſtinere debet, quàm priuatus l.3 t.22 p.233 c.1 d.12 n.2 in all.
Princeps in ſuis contractibus iure communi vtitur, & tanquam priuatus quilibet contrahere intelligitur lib.3 t.22 p.232 c.3 d.12 n.1 in all.
Princeps iuri quæſito ex cauſa quam ius duxit derogare non poteſt: iuri autem per actus ciuiles quæſito poteſt pag.61 c.1 d.1 n.10 & 11
Princeps familiarum dignitati conſulere debet p.36 c.1 d.30 n.10 in all.
Princeps poſt euocationem litis apud Senatum pendentis aliquos iudices ſi delegauerit, ab iis ad Senatum appellari non poterit lib.7 t.29 p.933 c.1 d.4 n.1
Princeps qui nobilibus ſubditis & feudum & iuriſdictionem omnimodam concedit, vaſallos non ſocios facere cogitat l.3 t.12 p.193 c.1 d.17 n.7
Princeps æſtimatur protector & conſeruator omnium beneficiorum quæ in territorio ſuo ſunt p.14 c.1 d.48 n.9
Princeps non poteſt ſine Papæ licentia vel Prælati conſenſu beneficio onus prębendæ imponere p.27 c.1 d.93 n.1
Princeps laicus monachalem præbendam concedere, præſertim laico non poteſt p.51 c.2 d.2 n.1
Princeps inter ſuos præſcribit eum dignitatis gradum quem vult p.31 c.2. d. 13 n.6 in all.
Princeps non præſumitur ignorare iura quæ habet in ſcrinio pectoris l.4 t.14 p.324 c.2 d.63 n.3 in all.
Principis iuſtam quamlibet voluntatem ratam eſſe, effectumque habere conuenit l.3 t.22 p.232 c.2 d.11 n.3
Principis optimi, ſupremique eſt omnes iuriſdictiones, licet inferiores, tueri non turbare, aut infringere lib.3 t.12 p.190 c.2 d.5 n.2 in all.
Principis & Senatus auxilium fruſtra requirit & implorat qui vtriuſque autoritatem neglexit p.14 c.2 d.48. n.13 in all.
Principis reſcriptum poteſt impetrari ad hoc, vt appellatio pronuncietur deſerta etiam antequam elapſa ſint tempora, ſed non inſinuari l.7 t. 27 p.922 c.2 d.9 n.1 & 2
Principis reſcriptum ad ſanandum vitium appellationis non illico interpoſitæ obnoxium eſt refuſioni expenſarum ſi impetretur in alia inſtantia l.7 t.18 p.858 c.1 d.37 n.1
Principis ſubſcriptione opus eſt vt iuri derogetur p.50 c.1 d.3 n.2 in all.
Principis hoc ius eſt ſingulare vt in cauſa propria poſſit cauſam dicere, l.3 t.18 p.208 c.2 d.2 n.1 in all.
Principis eſt & eius qui legem condere poſſit iura generaliter conſtituere, l.7 t.15 p.840 c.1 d.1 n.11 in all.
Principis perſonam, ipſam interuenire plus eſt quàm ipſius autoritatem l.3 t.12 p.199 c.1 d.34 n.3 in all.
Principis procurator appellare quandocunque poteſt ab vnione beneficiorum perperam facta tanquam ab abuſu l.7 t.28 p.927 c.2 d.8 n.1 & 2
Principis procurator appellationem tanquam ab abuſu etiam deſertam perſequi poteſt & debet l.7 t.28 p.930 c.2 d.20 n.1
Principis beneficia nunquam debent trahi ad alienam iniuriam l.7 t.3 p.797 c.2 d.2 n.4 in all.
Principis conſcientia aut liberalitas falli non debet l.4 t.6 p.284 c.2 d.1 nu.2 in all.
Principis iudices ſoli cognoſcunt de beneficiorum poſſeſſione p.14 c.1 d.48 num.10
Principis nutrix non ſolum nobilis eſt, ſed etiam nobilem facit plebeium cui nupta ſit lib.9 t.29 pag.1219 col.2.d.21 n.1
Principi parere æquum eſt, cùm nullius ius læditur p.15 c.2 d.51 n.10
Principi de facto ſuo atteſtanti, credendum eſt lib.4 t.31 p.305 c.2 d.2 num.9 in all.
Principi non creditur de facto alieno in alterius necem l.4 t.14 pag.325 c.1 d.67 n.1
Principi à contractibus ſui pro arbitrio reſilire non licet, ne alioqui omnium fiat exul, qui omnium eſt Præſul lib.3 t.12 p.232 c.2 d.11 n.3 in all.
Principi licet inſpicere interpretationem poſitam inter ius & æquitatem, lib.6 t.5 p.632 c.2 d.22 n.5 in all.
Principem alicuius auxilio egere in ſuo territorio abſurdum eſſet cum eius auxilio cæteri omnes indigeant lib.9 t.26 p.1210 c.2 d.2 n.5 in all.
Principe durus quid & ſeuerius reſcribente, non ſtatim parere magiſtratus debet, ſed 30. dies expectare, lib.1 tit.11 p.61 c.2 d.1 n.4 in all.
A Principe impetrandum non eſt quod iure communi conceditur lib.4 t.14 p.306 c.2 d.1 n.14 in all.
Principalia beneficia ita interpretantur, *Vti ne cuiquam iniuria inferatur* p.6 c.2 d.22.n.2
PRIVATIO præſupponit habitum pag. 100 c.2 d.19 n.6 in all.
PRIVATVS dicit quam vult rei ſuæ legem p.25 c.1 d.86 n.15
Priuatorum cautiones legum authoritate cenſeri non debent li.8 t.30 pag. 1000 c.2 d.39 n.3. in all.
PRIVILEGIATVS non vtitur priuilegio aduerſus priuilegium pag.25 c.1 d.86 n.17
PRIVILEGIVM ſemper eſt fauorabilius quod reperitur clauſum in corpore iuris, quam quod eſt ex Principis gratia ſpeciali lib.9 t.30 p.1225 col.2 d.4 n.1 in all.
Priuilegium nemo habere poteſt contra dominum in ea re quæ eſt ipſius domini, l.4 t.43 p.486 c.1 d.4 n.5 in all.
Priuilegium nullum eſt temporis: ſed cauſæ inter creditores chirographarios l.7 t.32 p.940 c.1 d.3 n.1
Priuilegium clericale non ſtatim adimitur propter inſolentiam ex leuitate commiſſam p.38 c.1 d.36 n.2 in all.
Priuilegium creditoris agentis ex diplomate principali eſt vt nunquam ſatisfiat, niſi cum ipſo diplomate in cautum eſt p.64 c.1 d.12 n.10 in all.
Priuileginm fori allegare quis non poteſt in eo loco repertus in quo contraxit, præſertim ſi de inſtrumenti perditi exemplo conficiendo agatur lib.3 t.12 p.196 c.2 d.27 n.1.2.3.4 & 5
Priuilegium fori Senatoribus non propter dignitatem, ſed propter officij neceſſitatem conceſſum eſt lib.3 t.17 p.207 c.2 d.3 n.4
Priuilegium fori datum Senatoribus ad eorum viduas & liberos non tranſmittitur l.3 t.17 p.207 c.2 d.3 n.2
Priuilegium perſonale eſt quod perſonam priuilegiatam egredi non poteſt p.169 c.2 d.10 n.2 in all.
Priuilegium piæ cauſæ eſt, vt poſſit occupare legatum propria authoritate, lib.1 t.2 pag.10 col.2 d.39. numero 3 in all.
Priuilegium Senatoribus & Rationalibus conceſſum de non ſoluendis emolumentis iudicati, neque aliis prodeſt, neque ipſis pro re contra alios iudicata p.169 c.2 d.10 n.1.2 & 3
Priuilegium quod habent Senatores de tributo iudicati non pendendo, quomodo accipiendum ſit l.7 t.18 p.852 c.2 d.15 n.1
Priuilegium datum pro certa quantitate non porrigitur ad rem quæ ſit paris aut minoris æſtimationis quouſque æſtimatio ſecuta ſit l.7 t.15 p.844 c.2 d.15 n.1
Priuilegium competens ob aliquam qualitatem, finita illa qualitate, finitur l.9 t.29 p.216 c.1 d.9 n.10 in all.
Priuilegium fauorabile potiùs extendendum eſt, quàm reſtringendum l.3 t.17 p.207 c.2 d.1 n.11 in all.
Priuilegium à Principe conceſſum ad alienam iniuriam porrigi non oportet lib.3 t.12 p.190 c.2 d.5 n.4 in all.
Priuilegij reuocatio ad futuros non ad præteritos caſus pertinet p. 63 c.1 d.8 num.9
Priuilegij nomen ſingulare non commune ius demonſtrat p.172 c.2 d.2 n.2 in all.

BIU Cujas

Priuilegio suo renuntiare pro arbitrio suo quisque potest, p.207 c.2 d.2 n.2 in all.
De Priuilegio Sebusianorum pro feudis quæ habent à Principe de eius interpretatione l.4 t.42 p.501 c.1 d.44 à n.1 ad 8
De Priuilegio quod habent pleræq; ciuitates vt suos per annum & diem incolas natalibus, & ingenuitati restituant l.7 t.4 p.800 c.2 d.4 n.1
De Priuilegio quod habet Augustani vtrum Senatum velint appellare nostrúmne an Pedemontanum lib.7 t.26 p.909 c.1 d.42 n.1
Priuilegia omnia strictè sunt interpretanda p.169 c.2 d.10 n.4 in all.
Priuilegia non operantur, si nihil addant ad ius commune p.172 c.2 d.2 n.1 in all.
Priuilegia etiam fauorabilia per non vsum longissimi temporis amittuntur l.7 t.13 p.828 c.1 d.10 n.1
Priuilegia inter creditores hypothecarios ex tempore non ex causa æstimantur p.506 c.1 d.59 n.5.in all.
Priuilegia inter legatarios, vt & inter chirographarios creditores non sunt ex tempore æstimanda, sed ex causa p.10 c.1 d.38 n.10
Priuilegia Senatorum ad aliorum iniuriam porrigi non oportet lib.3 tit.17 p.207 c.1 d.1 n.7 in all.
Priuilegia ratione dignitatis Senatoribus competentia ad viduas quoque & liberos transmittitur l.3 t.17 p.203 c.2 d.3 n.3
PROBANDA facilitas nunquam vni ex litigatoribus permittitur, quin etiam aduersario permittatur, vt in iudiciis seruetur æqualitas, l.4 t.15 p.337 cap.2 36 n.6 in all.
Probandi onus semper ei qui dicit, non qui negat incumbit, l.4 c.17p.355 c.2 d.4 n.1 in all.
Probandi onus incumbit creditori qui se pauperiorem debitorem dicit, p. 53 c.2 d.20 n.7 in all.
Probandi onus non incumbit ei solùm qui dicit, sed etiam qui negat aliquid sollenniter factum esse, pag.29 c.2 d.5 num.2 in all.
Probate eius est qui allusionem allegat & dolum p.180 c.1 d.4 n.4 in all.
Probare debet vnusquisque id quod est fundamentum suæ intentionis siue agendo sine excipiendo, p.30 c.2 d. 11 n.1 in all.
Probare non est necesse quod patet expresse, lib.4 t.14 p.319 c.1 d.46 num.5 in all.
Probare quicquam non cogitur reus, si Princeps criminis gratiam faciat, dum ne quid allegauerit quod cum inquisitionibus & testationibus pugnet l.4 t.14 p.320 c.2 d.52 num.2. in all. & t.15 p.337 c.2 d.36 n.5 in all.
Probare tempus semper debetis, qui se fundat in tempore, siue actor, siue reus sit, l.4 t.14 p.316 c.2 d.33 n.1
PROBATIO veritatis lumen est, lib.3 tit.12 p.101 c.1 d.7 n.1 in all.
Probatio excludit omnem contrariam præsumptionem, l.4 t.14 p.318 c.2 d.44 n.3 in all.
Probatio cum necessaria est, debet fieri ex mediis necessariis & concludentibus, l.4 t.21 p.367 c.1 d.13 n.10 in all.
Probatio necessariò debet esse concludens, non dubia p.118 c.2 d.4 num.13 in all.
Probatio debet esse concludens, nec probat hoc enc[illegible] contingit abesse lib.6 tit.5 p.627 c.1 d.11 n.7 in all.
Probatio contra iuris præsumptionem semper admittenda est l.4 t.14 p.308 c.1 d.3 n.6 in all.
Probatio dubia nunquam releuat, l.6 t.5 p.634 c.2 d.28 n.8 in all.
Probatio si dubia sit non erit reus tormentis subiiciendus lib.9 t.31 p.1174 c.2 d.8 n.4
Probatio ab euidentia rei certissima est, nec quicquam contra eam potest opponi, l.3 t.12 p.231 c.1 d.7 n.4 in all.
Probatio nulla maior est quàm quæ fit per euidentiam rei cum res ipsa loquatur lib.9 t.31 pag.1174 c.1 d.5 nu.7 in all.
Probatio nulla melior est quàm quæ fit per probationem partis siue tacitam siue expressam, l.4 tit.14 p.325 c.1 d.65 n.2 in all.
Probatio nulla fortior haberi potest ea quæ ex aduersarij confessione proficiscitur, p.105 c.1 d.1 n.3
Probatio contraria admitti potest contra probationem quæ ex verbis enunciatiuis proficiscitur, p.115 c.1 d.3 nu.3 in all.
Probatio nulla admitti potest contra probationem quæ fit per iusiurandum, l.4 t.1 p.265 c.2 d.28 n.9 in all.
Probatio quæ statim fieri potest maximè per iusiurandum, haberi pro facta debet, lib.4 tit.14 pag.315 c.2 d.31 n.1
Probatio contra iuramentum vltro præstitum ab vno ex colligatoribus de viatico in litem facto admittitur, l.4 t.1 p.268 c.1 d.37 n.1 & 2
Probatio mediorum debet esse de concludentibus necessario vt sententia ferri possit: alioquin probatio dubia non releuat, l.3 t.22 p.231 c.2 d.9 nu.2 in all.
Probatio recipitur vsque ad tres turbas, & non amplius, lib.4 t.15 p.331 c.1 d.14 n.4 in all.
Probatio æstimationis per probos viros necessaria non est agenti ad rescindendam venditionem ex causa læsionis, l.3 t.30 p.433 c.1 d.33 n.1 & 2
Probatio criminis sumi non potest ex confessione sola accusatoris, nec ex domo rei lib.6 t.2 p.618 col.1 d.2 nu.3 in all.
Probatio criminis augetur si cum dicto socij criminis bene congruunt cætera accusationis instrumenta & iudicia quæ per se sint indubitata, & ex ea potest deueniri ad condemnationem, l.9 t.21 p.1188 c.2 d.7 n.4 in all.
Probatio fraudis à Principe initæ in priuato stellionatus pœna coercetur, l.3 t.12 p.232 c.2 d.12 n.3
Probatio lęsionis quomodo fieri debeat? l.4 t.30 p.428 c.2 d.19 n.1.2 & 3
Probatio mutatæ voluntas semper incumbit ei qui dicit mutatam l.6 tit.5 p.627 c.2 d.13 n.3 in all.
Probatio mortis induci potest ex eo quod coniuncti vestes lugubres detulerint, vt inquit Cruentius, l.4 tit.5 p.284 c.1 d.2 n.12 in all.
Probatio intra annum trigesimum admittitur aduersus apocham acceptæ dotis factam spe futuræ numerationis. Interea tamen apochæ standum est l.5 t.10 p.365 c.2 d.4 num.1.2.3.4 & 5
Probationis dubiæ fidem qui vel inuito aduersario, solóque iubente iudice complet, veritatis præsumptionem iureiurando non extinguit, p.257 c.1 d.1 n.11 & 12
Probationem deficere sufficit licet ius non deficiat p.10 c.1 d.63 n.14 in all.
Probationem semiplenam habenti non defertur iusiurandum suppletorium, si qua, vel minima, contra eum sit præsumptio, lib.4 t.1 p.261 c.2 d.18 n.1
Probatione non est opitandus qui instrumentum ab aduersario productum dicit esse suspectum, si publicam illud fidem non habeat, lib.4 tit.16 p.351 c.2 d.21 n.12
Probationes duæ semiplenæ iungendæ sunt vt faciant plenam, lib.4 t.14 p.325 c.1 d.66 n.3
Probationes omnes veritatis fauore sunt fauorabiles, l.4 t.15 p.343 c.2 d.59 n.4 in all.
Probationes in criminalibus luce meridiana debent esse clariores l.6 t.2 pag. 618 c.1 d.2 n 4 in all.
Probationes delicti omnium sunt fauorabilissimæ, lib.4 t.14 pag.317 c.1 d.37 n.6
Probationes falsi quo sunt certiores, eò facilius ad sollennem inscriptionem decurrere accusator potest, p.67 c.2 d.5 n.3
Probationes per sordes aut gratiam distantis exactiores aut leuiores factæ vix, & ne vix quidem possunt restitui, p.156 c.2 d.2 n 10
Probationes simoniæ omnium fauorabilissimæ, & quantum fieri potest adiuuandæ l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.8 in all.
Probationibus pœna & condemnatio respondere debent l.6 t.2 p.618 col.2 d.5 n 3 in all.
Probationibus consuetudinis contrariis allatis testes noui audiendi sunt ex officio quibus solis credatur; idque sumptibus vtriusque partis, sed iis ignorantibus quantum fieri potest, l.8 t.35 p.1124 c.1 d.2 n.1 & 2
Probationibus fauorabilissimis æquum est succurri, ne pereant, p.68 c.2. d.22 n.4
In Probationibus semper hæc exceptio subiicienda, nisi aliud ostendatur lib.1 t.3 p.42 c.2 d.58 n.8 in all.
PROCVRATOR absentem defendere cogitur p.101 c.2 d.25 n.1 in all.
Procurator litis tantum dominus est post litem contestatam, sed non rei, quæ in litem deducta est, lib.4 tit.18 p.358 c.2 d.5 n.2 in all.
Procurator sine mandato nullus est l.4 t.14 p.315 c.2 d.30 n.2 in all.
Procurator ex domi voluntate videtur qui fuerat ab initio constitutus & ante sententiam, si nulla reuocatio interuenerit, p.100 c.1 d.17 n.5
Procurator si superstite domino decesserit, non potest contra dominum fieri sententia, sed alius procurator in demortui locum substituendus est qui adsit pronuntiationi, pag.96 c.1 d.4 num.8
Procurator in prima instantia constitutus mandatum habere intelligitur ad prosequendam appellationem p.100 c.1 d.17 n.1
Procurator in causa principali constitutus debet etiam in causa executionis iudicati procurare, l.2 t.8 p.103 c.1 d.32 n.4 in all.
Procurator in causa principali constitutus debet victorem defendere, lib.2 t.8 p.99 c.1 d.14 n.3 in all.
Procurator ad vnam speciem constitutus in reliquis prohibitus intelligitur, p.102 c.2 d.28 n.1 in all.
Procurator datus ad agendum videtur datus ad peragendum p.100 c.1 d.17 n.1 in all.
Procurator ad exigendum constitutus donare nullo modo potest pag.98 c.1 d.13 n.7
Procurator constitutus ad res venditas redimendas, ad ea quoque redimendas

BIU Cujas

datur quæ pure venditæ fuerunt, aut sub pacto de retrouendendo intra certum tempus quòd iam præterierit, p.98 c.1 d.12 n.1
Procurator constitutus, siue nouo mandato comparare in causa desertionis non potest, l.2 t.8 p.103 c.1 d.32 n.1 2
Procurator ad gerenda negotia constitutus ab eo cuius est procurator emere, aut quo alio titulo rem comparare potest, dum ne litigiosam aut alienari prohibitam p.101 c.1 d.23 n.3 & 4
Procurator in rem suam constitutus potest habere executionem sententiæ etiam in mandantis fauorem latæ dummodo faciat ea quæ mandans facere deberet lib.4 t.36 p.406 c.2 d.18 n.1.2 & 3
Procurator in rem suam domini loco habetur, ita vt ei quoque cuius est procurator, in petitionis concursu præferatur lib.7 t.10 p.298 c.1 d.5 n.6 in all.
Procurator in rem suam constitutus ex reuocari non potest, lib.4 t.26 p.406 c.1 d.16 n.13 in all.
Procurator in rem suam constitutus expensas quas pro re consequenda fecit repetere nullo modo potest, p.100 c.2 d.20 n.1
Procurator ad lites datus qui pro domino sumptus maximos prorogauit, cum domino de ea re inire potest, p.101 c.1 d.22 n.1
Procurator ad omnes generaliter causas constitutus non potest alium substituere ad hoc solum vt dicat non esse si mandatum vt in hac aut in illa instantia litem suscipiat pag.101 c.2 d.25 n.1.2 & 3
Procurator qui fidem suam non adstrinxit pro euictione prædiorum, quæ alterius nomine vendidit, non tenetur de euictione, si modo vel mandatum exhibeat, vel ratihabitionem l.8 t.31 p.1109 c.2 d.6
Procurator in criminalibus non admittitur nec ad agendum, nec ad defendendum, l.3 t.15 p.313 c.2 d.25 n.1 in al.
Procurator defuncti, filij & alterius heredis cuiuscumque procurator esse cogi potest in ea ipsa lite tractanda quæ iam inchoata erat p.100 c.1 d.18 n.1
Procurator pendente lite reuocatus ab eo qui ad aliquas expensas per interlocutoriam fuerat condemnatus, potest, nihilominus adesse taxationi earum expensarum etiamsi alius procurator fuerit constitutus, præsertim si ignorante priore, pag.102 cap.2 def 31 num.1
Procurator posterioris creditoris donationem ab anteriore accipere potest, p.102 c.1 d.27 n.1
Procurator aduersarij mei in causa criminali potest me in causa sua recusare: non item si procurator sit in causa ciuili, p.165 c.1 d.35 n.1 & 2
Procurator cùm falsus est, non solùm iudicium esse non potest, sed neque dici controuersia, l.4 t.20 p.361 c.1 d.2 n.1 in all.
Procurator qui solutionis accipiendæ potestatem habet, mandatúmque in eam rem sufficiens compensare id potest etiam cum eo quod ipse suo nomine debeat l.4 t.23 p.382 c.2 d.17 n.1 & 2
Procurator aut Aduocatus à cliente accipere non prohibetur vniuersorum bonorum donationem p.100 c.2 d.21 n.1
Qui tanquam Procurator actionem aut suscepit aut instituit sine mandato, si postea mandatum proferat cum ratihabitione retrogestorum absoluendus est, p.97 c.2 d.10 n.1 & 2
Procurator cœptam litem prosequi cogitur p.76 c.1 d.12 n.5 in all.
Procurator ex substituti facto tenetur p.101 c.2 d.24 n.4 in all.
Procurator quod committitur vt faciat non habetur pro facto, p.102 c.2 d.29 n.2
Procurator debet seruare formam mandati, nec eam potest egredi, pag.18 c.1 d.57 n.13 in all.
Procurator ius retentionis etiam actorum litis pro sumptibus à se factis, habet p.101 c.2 d.22 n.1 in all.
Procurator à iudice monitus si mandatũ non exhibuerit, tanquam falsus in id omne quod aduersarij interierit condemnatur, p.98 c.1 d.11 n.1
Procurator aut Aduocatus generalis causis ex registro dedicendis adhiberi non potest lib.3 t.13 pag.201 c.2 d.45 n.1
Procurator generalis perinde ac dominus citari potest ad procuratorem constituendum p.101 c.2 d.25 n.1
Procuratoris generalis interest beneficium sequestrari p.154 c.2 d.51 n.9
Procurator fiscalis habet priuilegium fori vt apud prouinciæ iuridicum maiorem & agat & conueniat lib.7 t.33 p.948 c.1 d.2 n.1.2 & 3
Procurator principis suo iure & priuilegio potest appellare quandocunque à minima condemnatione si criminis atrocitas grauiorem merebatur, lib.9 t.2 p.1153 c.1 d.13 n.3 in all.
Procurator Principis litis sumptus nunquam petit, nec præstat vnquam lib.4 t.21 p.634 c.2 d.19 n.5 in all.
Procurator Principis, generalis appellatur, quia omnium rerum quę ad Principis dignitatem & Reipub. vtilitatem pertinent, curam gerit, p.14 c.2 d.49 n.7 in all.
Procurator falsus dicitur qui vel nullum mandatum habet, vel reuocatum, vel ab eo qui mandandi ius non habuit l.4 t.20 p.361 c.2 d.2 n.1 in all.
Procuratori qui appellationem deseruit, si de deserta appellatione agatur, nouo mandato opus est, li.2 t.8 p.100 c.1 d.17 n.3 in all.
Procuratorem constituere nemo prohibetur in iis quæ viua voce debent, nec per scripturam expediri possint, p.102 c.2 d.29 n.1
Procuratorem ad impugnandum & rescindendum contractum quis non creditur constituere quem ipse fecerit, sed speciali in eam rem mandato opus est, l.3 t.25 p.246 c.2 d.8 n.5 & 6
Procuratorem apud iudicem, quisquis ille iudex sit, constituere nemo potest, quin hoc ipso necessitatem sibi, suóque procuratori imponat parendi legibus in eo tribunali receptis p.99 c.2 d.16 n.4
Procuratorem citatum esse sufficit cum appellatum est ab interlocutoria, p.74 c.2 d.4 n.1 & 2
Procuratorem alij sunt in rem suam: alij in alienam pag.101 col.2 d.23 nu.2 in all.
Prodigalitas aufert patri administrationem bonorum filij, sed non vsumfructum, l.6 t.35 p.775 c.2 d.7
Professio certæ quantitatis pro re sta, vt loquuntur, inducit probationem solutionis reliqui totius debiti lib.4 t.14 p.316 c.1 d.37 n.1
Professio census neque dominium aufert vero domino, neque vero possessori possessionem lib.4 t.42 p.489 c.1 d.9 num.5 in all.
Ad Profitendum solus admittitur is quem prius possidere constitit l.4 t.42 p.489 c.1 d.9 n.6 in all.
Prohibitio sola vtendi seruitute non interrumpit præscriptionem seruitutis si ea prohibitio non habuit effectum l.3 t.24 p.239 c.1 d.1 n.1
Prohibitio hominis, id est iudicis aut testatoris fortior est quàm legis p.108 c.1 d.2 n.4 in all.
Prohibitio hominis, si ad legis prohibitionem accedat, siue iudex ille sit siue testator, adeò nulla est ipso iure alienatio, vt nec iurisiurandi interpositi autoritate confirmari possit p.107 c.2 d.2 n.1 & 2
Prohibentis causa in pari iure est potior, nisi publica autoritas contra suadeat l.3 t.26 p.248 c.2 d.1 n.1
Prohibitvm censetur quod non est permissum l.5 t.21 p.589 c.2 d.2 nu.10 in all.
Qui Promisit fideiubere etiam idonee non cogitur renunciare exceptioni ordinis lib.38 t.28 p.1080 c.2 d.37 num.1
Promissio de reddendo chirographo inducit tantum pactum de non petendo, sicut & ipsa redditio l.8 t.30 p.1099 c.1 d.35
Promissio datis quæ dicitur præcessisse solutionem probanda est aliter quàm per partium confessionem lib.5 t.10 p.567 c.1 d.9 n.1.2 & 3
Promissio quæ libet sic semper intelligi debet Quamdiu res in eodem statu erit l.8 t.28 p.1081 c.2 d.39 n.5 in all.
Ex Promissione de fideiubendo nemo potest tanquam fideiussor conueniri, quamuis ex promissione de se obligando promissor teneatur quasi iam obligatus, si præcedat iusta causa lib.8 t.27 p.1080 c.1 d.36 n.1
Promissori morosо nunquam prodesse debet quod alio loco conueniatur quàm in quo soluere debuit l.3 tit.15 p.205 c.1 d.3 num.4
Promittens factum alienum cum pœna, non tantum diligentiam sed etiam effectum præstare tenetur, l.8 t.26 pag.1063 colum.2 defin.15 nu.9 in all.
Pronvnciare quicquam non solet Senatus quoties in publico auditorio duo vel tres siue præsides siue senatores dicunt sibi non liquere, lib.1 t.7 p.47 c.2 d.2 n.11 in all.
Propositvm non semper sequitur effectus lib.4 t.39 p.454 col.1 d.18 n.8 in all.
Proprietas nihil habet commune cum possessione lib.8 t.3 p.953 c.2 d.7 n.3 in all.
Proprietas nihil habet commune cum possessione, præsertim cum de beneficio disputatur p.4 c.2 d.12 n.1 & 2
Protestatio nullum protestanti tribuit, ideóque nec aduersarij consensum exigit lib.4 t.36 p.448 c.2 d.5 n.3 in all.
Protestatio prodesse solet quoties incertum est quæ potius actio teneat l.3 t.12 p.197 c.2 d.29 n.5 in all.
Protestatio clandestina de dolo vel metu non nocet tertio ignoranti pag.107 c.1 d.7 n.1.2.3 & 4
Protestatio conseruare solet ius protestantis p.137 c.2 d.2 n.8 in all.
Protestatio interueniens solet conseruare ius protestantis l.8 [illegible] d.[illegible] in all.
Protestatio solet ius protestantis conseruare l.7 t.7 p.815 c.1 d.30 num.2. in all.

BIU Cujas

Protestatio conseruat ius protestantis, lib.6 t.11 n.673 c.1 d.41 n.3 in all.

PROTOCOLLVM est id ex quo sumitur instrumentum, & eius expeditio in publicam formam redacta, lib.4 t.16 p.353 c.1 d.24 n.4 in all.

Protocollum originalis, &, vt loquuntur matrix scriptura est respectu exscriptionis, quam expeditionem vocant, l.4 t.16 p.345 c.2 d.3 n.5

Protocolli aut matricis scripturæ descriptio quoties desideratur fieri debet requirentis sumptibus, siue actor ille sit, siue reus, lib.4 t.16 p.353 col.2 d.27 num.1

Protocolli fides æstimatur ex matrice scriptura, non contra, l.4 t.16 p.353 c.1 d.24 n.4 in all.

Protocolli exhibitionem postulare potest vt sciat, An producti ab aduersario instrumenti fidem impugnare debeat instituta falsi accusatione, nec prius quàm exhibitum sit cogitur in crimen subscribere, l.4 t.16 p.350 c.1 d.17 n.1 & 2

Protocollo notarij potiùs standum est, quàm instrumento parti dato, p.67 c.2 d.5 n.9 in all.

Protocollo matrix & originalis scriptura æquealet, & protocollum instrumento, l.4 t.16 p.353 col.1 defin.24 n.1 2.3.4 & 5

PROVISIO facta in casibus separatis porrigitur ad casus coniunctos, l.6 t.10 p.658 c.1 d.1 n.4

PROVISIONALIS adiudicatio quę fit contra heredem ex bonis hereditariis præstanda est p.180 c.1 d.5 n.2

Prouisionalis sententia per aliam quàm diffinitiuam non est reuocanda, lib.1 t.2 p.27 c.1 d.95 n.12

PROVOCATIO, nec iracundiæ calor nec pœnitentia in delictis regulariter excusat, lib.9 t.20 p.1183 c.2 d.1 nu.1 in all.

Prouocatio & iustus dolor etsi non omnino excusęt mitigat tamen pœnam, l.9 t.20 pag.1185 col.2 defin.6 num.5 in all.

PROXIMIORES heredis quibus casibus præferuntur proximioribus testatoris, l.6 t.22 p.723 c.2 d.27

Proximioribus vocatis, qui nam intelligantur, an qui testatori proximiores, an qui heredi? l.6 t.19 pag.706 col.1 d.6

PVBES qui curatorem habet, licet pupillo comparetur, nihilominus ex eius cureiurando confirmantur contractus omnes ab eo initi ac si curatorem non haberet, modò curatoris autoritas interuenerit, pag.111 c.2 d.13 n.1 & 2

Puberes etiam sine curatoribus suis rectè ex stipulatu obligantur, p.109 c.2 d.6 n.4

PVBLICATIONI æquipollet missio in possessionem p.5 c.1 d.14 n.1

PVBLICIANA vtilis tantum vindicatio est p.232 c.1 d.10 n.4

Publiciana non datur nisi eo colore quasi iam actor vsuceperit, qui re vera nondum vsucepit, l.3 t.22 p.232 c.2 d.10 n.4 in all.

PVNIENDVS quis grauiùs non est quod capitalis supplicij pœnam sibi irrogatam euadere tentauerit, l.9 t.26 p.1208 c.2 d.16 n.1

PVPILLARIS substitutus iuuatur edicto *Le mort saisit le vif*, l.7 t.7 p.802 c.2 d.6 n.1

Pupillaris substituti ius si obscurum est, interim mitti debet in possessionem heres legitimus, etiam non obstante appellatione, & salua quæstione de proprietate, l.6 t.14 p.683 c.2 d.1 n.1

Pupillaris substitutio siue expressa siue tacita testamentum filij est, lib.6 t.8 p.643 c.2 d.1 n.7 in all.

per Pupillarem tacitam excluduntur à legitima mater & auia, cum appareat de testatoris voluntate, l.6 t.8 p.644 c.2 d.4 n.1

in Pupillari merè tacita, & in ea quæ continetur in compendiosa, eadem est ratio auiæ quæ matris, l.6 t.8 p.644 c.2 d.3 n.1.2 & 3

Pupillarium rerum alienatio nunquam permissa pro tutore gerenti, l.4 t.28 p.597 c.1 d.2 n.2

PVPILLVS liberos suscipere non potest, vt neque nuptias contrahere, lib.6 tit.8 pag.652 col.1 d.20 num.11 in all.

Pupillus præsumitur scire id quod tutor scit, l.6 t.11 pag.670 c.2 d.37 num.3 in all.

Pupillus potest si domicilium constituere, p.74 c.2 d.3 n.4 in all.

Pupillus ea etiam quæ videt ignorat, l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.1 in all.

Pupillus illa etiam quæ videt ignorare creditur, lib.4 tit.30 p.433 c.1 d.32 n.1 in all.

Pupillus sine tutore citari potest, non potest tamen sine tutore in iudicio comparęre, p.74 c.2 d.3 n.6 in all.

Pupillus qui præsens est, si non habeat tutorem, absentis loco habendus est p.102 c.2 d.30 n.2 in all.

Pupillus tutore carens in actionibus exercendis aut suspiciendis pro nullo potiùs, quàm pro absente habetur p.74 c.1 d.3 n.7 & 8

Pupillus tutorem habens si in ius vocetur non sufficit ad patris domum factam esse vocationem, sed tutorem ipsius aut præsentem, si adsit, aut si absit in domicilio propria conueniri oportebit, ac si tutor ipse esset qui in ius vocarerur p.74 c.1 d.3 n.1 & 2

Pupillus petens retractari rationes quas solenniter redditas dixerit, audiendus est, modo ipsius sumptibus, lib.5 tit.31 p.599 c.1 d.1 n.5 in all.

Pupillus contumax videri non potest qui turorem non habet, p.74 c.2 d.3 n.7 in all.

Pupilli ignorantia quę per ætatem contingit non debet creditoribus esse captiosa, ipsique lucrosa p.123 c.2 def.2 n.10 in all.

Pupilli interest, vt non inuitus hereditariis oneribus & negotiis implicetur p.129 c.1 d.2 n.1 & 5

Pupillo tutorem habenti conficiendi inuentarij tempus currit, nec sine beneficio in integrum restitutionis permittendum pupillo, vt post elapsa conficiendi inuentarij tempora heredem se dicat cum beneficio legis & inuentarij p.129 c.1 d.2 n.1 & 2

Pupillo danda est actio contra tutorem qui autoritatem præstitit ad damnosam hereditatem adeundam, si malit illi agere tutelæ quàm abstinere p.127 c.1 d.2 n.5 in all.

Pupillo post immissionem necessaria est restitutio, pag.128 c.2 defin.5 num.3 in all.

Pupillus aut minoribus absentibus diuisio fieri non potest, l.3 t.27 p.254 c.2 d.11 n.2 in all.

Q

QVÆSTIO facti nunquam certa esse potest, sed in iudicantis arbitrio posita est, l.8 t.30 p.1093 c.2 d.21 n.5 in all.

Quæstiones facti obscurę plerumque esse solent, l.4 t.10 p.299 c.2 d.7 num.14 in all.

Quæstio de hæreditate inter hæredem scriptum & dominum directum præiudicialis est & terminari debet antequam de creditorum iure disceptar possit, l.7 t.32 p.946 c.2 d.22 n.1 & 2

Querelę inofficiosi testamenti locus est cùm bona donata in donatoris hereditate reperiuntur tempore mortis, l.3 t.20 p.223 c.2 d.4 n.2 in all.

Quæstio possessionis est momentanea ideóque priuilegiata, lib.8 t.1 p.950 c.1 d.1 n.7 in all.

Quæstio proprietatis beneficij incidenter tractari potest apud iudicem laicum p.4 c.2 d.12 n.4

Quæstio præiudicialis est quæ omn is tractanda & decidenda est, l.b.7 t.32 p.947 c.1 d.22 in all.

Quæstio, cùm si præparatio ad mortem aut naturalem aut ciuilem, non minore quàm sex Senatorum numero expediri potest, pag.174 c.2 def.2 nu.7 in all.

Quæstio haberi potest ex indiciis dum modo sint illa legitimè probata & sufficientia ad torturam, l.9 t.15 p.1178 c.1 d.1 n.3 in all.

Quæstio criminalis incidens in ciuilem non semper facit præiudicium ciuile, l.9 t.18 p.1182 c.1 d.3 n.1

Quæstioni criminali præiudicium nullum fit, cùm criminalis ciuilis & eiusdem sententiæ finibus concluduntur, p.183 c.1 d.13 n.3

Quæstionem omnem incidentem incidenter dirimere potest is ad quem principaliter negotij cognitio pertinet, lib.3 t.12 p.201 c.1 def.43 num.8 in all.

Quæstiones hereditatis pendente is qui exhibet testamentum non cancellatum nec suspectum restituendus est in possessionem quam aduersarius inuaserit, lib.8 tit.3 p.953 c.2 d.7 nu.1 2.3 & 4

Quęstione pendente de rationibus reddendis non est locus prouisionali cõdemnationi inter socios nisi contra morosos idque cõdemnatione in rem ipsam magis quàm in personam concepta, l.7 t.15 p.841 c.1 d.4 n.1

QVALEM le quis dixit talem se prębere sufficit vt non arguatur de mendacio l.4 t.26 p.411 c.1 d.32 n.3 in all.

QVALITAS bonorum ex mutatione qualitatis personæ mutatur, pag.5 c.2 d.6 n.2 in all.

Qualitas iudicij bonæ fidei facit vt res ad suam æquitatem & æqualitatem restituatur, p.253 c.1 d.8 n.6 in all.

Qualitas iuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, lib.6 t.5 p.634 c.2 d.28 n.7 in all.

Qualitas iuncta verbo intelligi debet secundum tempus verbi, l.4 t.2 p.274 c.1 d.8 n.5 in all.

Qualitas siue naturalis, siue accidentalis, quæ semel inhæsit tolli postea nisi certis & legitimis modis non potest, l.7 t.1 p.781 c.2 d.8 n.4 in all.

Qualitas masculinitatis posita in priore substitutione, non censetur reperita in posteriore, si sit diuersa qualitas substitutorum magis & minus distinctorum, l.6 t.25 pag.741 col.2 defin.4

QVARTA vnica tantum detrahitur ex fideicommisso etiam perpetuo & graduali, cáque per heredem aut habentem ius ab herede, l.6 t.27 p.753 c.1 d.1

Quartæ vnius detracto contra testatoris mentem permissa est, lib.6 tit.27

BIU Cujas

p.753 col.1 d.1 n.5 in all.
In Quartæ detractione imputantur bona prius alienata, nisi heres sit in mora, lib.6 t.27 p.753 c.1 d.2
in Quartam imputantur fructus ab herede percepti non per negligentiam fideicommissarij, puta ex die porrecti libelli: sed non restituuntur nisi à die litis contestatæ l.6 t.27 p.754 c.1 d.6
in Quartam quæ ex fideicommisso deduci potest imputatur heredi rogato de restituenda hereditate quicquid ex confiscatione ad fiscum peruenit, lib.4 tit.38 pag.458 col.1 def.10 nu.7. 9.10.15
Quartam absumere non possunt quinquennij fructus, lib.6 t.27 p.759 c.2 d. 19 n.4 in all.
QVERELA inofficiosæ donationis non datur contra donationes causa mortis immodicas, sed deducitur ex iis falcidia si modo legitimæ detractio nulla interueniat, lib 8 t.39 p.1143 c.1 d.6 num.1
Querela inofficiosæ donationis non competit nisi post mortem patris, li.3 t.30 p.222 c.2 d.1 n.6 in all.
Querela de expilatione hereditatis in testamento facta non probat aditam fuisse hereditatem à defuncto, l.6 t.12 p.679 c.2 d.14 n.1
Querela non numeratæ pecuniæ aduersus liberationem debiti liberaliter factam non admittitur, lib.4 t.22 p.375 c.1 d.5 n.1
QVOTA est portio bonorum omnium quæ defunctus reliquit, non corporum singulorum, l.3 t.19 p.210 c.2 d.5 n.3
Quota bonorum est quid singulare non vniuersale, p.80 c.1 d.8 n.9 in all.

R

RAPTOR condemnandus est parenti, qui raptus accusationem instituit non minùs quàm fisco, lib.9 t.9 p.1165 c.1 d.2 n.1
Raptores qui dicantur, l.9 t.7 p.1163 c.1 d.5 n.3 in all.
RAPTVS interdum committitur in volentem, l.9 t.7 p.1163 c.1 d.5 n.3 in all.
Raptus nō committitur in virginem abductam causa matrimonij agnatis cōsentientibus, licèt inscio aut inuito curatore, lib.9 t.9 p.1164 c.2 d.1 n.1
RATVM habere nemo cogitur id quod se ignorante ab alio gestum est, p.6 c.1 d.19 n.7 in all.
RATIHABITIO necessaria est vt totius rei communis dominium emptori acquiratur, l.4 t.10 p.269 c.2 d.1 n.3 in all.
Ratihabitio mandato comparatur, p.98 c.1 d.11 n.4 in all.
Ratihabitio electionis facta per absentem retrotrahitur ad diem electionis, si nullum ius alij medio tempore sit quæsitum, p.6 c.1 d.19 n.8 in all.
Ratihabitio facta à minore qui procuratorem constituit, licet sine curatoris autoritate, si iureiurando facta est valet, p.97 c.2 d.10 n.5
Ratihabitio facta sine causa iure contractus censeri non potest, aut habilis videri ad inducendam obligationem, p.116 c.2 d.1 n.7
Ratihabitio non retrotrahitur quæ fit post præstitutum tempus, nec quæ in præiudicium tertij, aut re non integra l.4 t.20 p.361 c.1 d.1 n.1.2.3 & 4
Ratihabitionis sequutæ prætextu pecuniam pretij nemo retinere potest quamdiu rem ipsam habet, l.4 tit.10 p.296 c.1 d.1 n.17
Ratihabitione non secuta, quam venditor promisit, debet ille satisdare vt precium petere possit, li.4 t.33 pag.438 c. 1.d.11 n.1
RATIO male ac inutiliter reddita, iterū reddenda, pag.599 c.2 d.1 n.8 in all.
Rationes reddidisse non videtur qui reliqua non soluit, li.4 t.7 p.287 c.1 d.5 num.15 in all.
Rationes male redditę ex integro reddēdę sunt, l.5 ti.40 p.601 c.2 d.8 n.5 in all.
Rationes nec implicitæ nec nudæ esse debent, l.4 t.16 p.346 c.2 d.5.n.6 & 7
Rationes in folle, l.4 ti.16 p.346 c.1 d.5 n.2 in all.
in Rationibus tutelæ reddendis, tutoris fideiussor, eiusque heredes vocandi, l 5.t.31 p.599 c.2 d.1 n.9 in all.
RATIONALES inter priuatos nunquā cognoscuntur, licet de Principis iure & patrimonio incidenter tractetur, li. 3 t.12 p.198 c.2 d.33 nu.1
Rationales non habent publici iudicij executionem, lib.3 t.12 p.201 c.1 d.43 n.3 in all.
Rationales, ærarij iudices sunt eorum omnium quæ ad Principis ærarium pertinent, l.3 t.12 p.201 c.2 d.40 n.3 in all.
REBELLIS amittit omnia bona sua & priuilegia, si quæ habeat lib.4 t.14 p. 325.c.2 d.67 n.3 in all.
RECIPROCA facile inducitur in fauorem personæ magis dilectæ, quæ verisimiliter excludere debet substitutum lib.6.t.22 p.726 c.1 d.31
de Reciproca substitutione fideicōmissaria etiam ex coniecturis inducenda, l.6 tit.22 pag.725 col.2 d.30
RECOGNITIO bonorū emhyteuticariorū nec probationē inducit remissæ talliabilitatis, l.7 t.5 p.801 c.2 d.6 n.1
Recognitio vnica an & quando sufficiat ad homagij talliabilis probationem, l.7 t.1 p.785 c.1 d.19 n.1
Recognitio vnius ex condiuisoribus nocet cæteris, si alia recognitio præcedat l.7 t.1 p.780 c.1 d.3 n.1
Recognitio filij an & quādo noceat patri, item fratris an & quando fratri, li.7 t.1 p.786 c.1 d.20 n.1
Recognitio sola neminem iurisdiciabilem, nec talliabilem facit nisi vel præcedēte iusta causa, vel secuta homagij præstatione, l.7 t.3 pag.798 c.2 d.5 n.1
RECONDVCTIO tacita nulla esse potest cōtractu locationis in scriptis habito l.4 t.41 p.480 c.1 d.48 n.1 & 2
Reconductio tacita non extēditur in tot annos, in quot prima facta fuerat, sed pro eo anno duntaxat, li.4 t.42 p.479 c.2 d.45 num.1.& 2. sed si prædium rusticum tale sit quod non nisi in triennium aut quinquennium fructus ferat in totidem annos reconductio extendetur, Ibid. n.6
RECONVENTIO post litē contestatam non est admittenda p.162 c.1 d.25 n.1
Reconuentio lite contestata in eadem instantia non admittitur p.159 c.1 d.11 num.2 in all.
Reconuentio non est exceptio, sed actio potiùs, mutuáque pētitio pag.67 c.2 d.9 num.5
Reconuentio prorogat iudicis iurisdictionem, alioquin incompetentis, p. 166 c.2 d.39 n.2 & 3
Reconuentio superueniens facit conualescere citationem etiam ab incompetenti iurisdictione factam, p.166 c.2 d. 39 n.5 in all.
RECREDENTIA iam vni adiudicata an possit ex nouo titulo in alium præsertim nouum aduersarium transferri, l.1 t.2 p.27 c.1 d.95 nu.2 & 3
Recredentiæ adiudicandæ, etiam illi de cuius iure adhuc dubitatur, causa est ipsum interesse ecclesiæ, l.1 t.2 pag.27 c.2 d.95 nu.2. in all.
RECRIMINATIO nō permittitur nisi pro delicto maiore, l.9 t.1 p.1148 c.1 d.1 n.1
RECTOR ecclesiæ nunquam domini loco habetur, sed tantum fructuarij iure censetur, l.8 t.29 p.1087 col.1 d.7 n.9 in all.
RECVSATIO non minus suspendit iurisdictionem quàm appellatio, lib.7 t.17 p.839 c.1 d.1 n.9 in all.
Recusationis causa vel minima sufficit ne quis audire testes possit, lib.3 tit.9 p.176 c.2 d.8 n.5 in all.
Recusationis causas contra se propositas reiicere potest iudex ecclesiasticus recusatus etiam iure Canonico, se non de earum fide & veritate cognoscere, l.3 t.4 p.176 c.1 d.8 n.3 & 4
Recusationem reiicit, qui recusationis causas cognoscens non eo minus delegat iudicem: sicut & is qui post oppositam exceptionem dilatoriam progreditur ad vlteriora, l.3 t.4 p.176 c.2 d.8 n.6 in all.
REDEMPTO fundo talliabili ex pacto de retrouendendo pretium debetur domino, cui fundus auertur, lib.7 t.1 p.779 c.2 d.2
Redimendi ius quod competit ex contractu vt scil. alij cedi non possit, extraneo cedi non potest, lib.4 t.36 p.452 c.1 d.14 n.3 in all.
Redimendi ius habenti ex legato, cedenda est actio ab herede, & præstanda pecunia necessaria ad redemptionem, l.6 t.18 p.699 c.2 d.12
Redimendi ius retentum soli venditori eiusque filiis, non potest vendi aliis à filio venditoris, l.4 t.36 p.446 c.2 d.1 n.9 in all.
REDITVS fundiarij bonorum immobilium appellatione continentur, nec etiam cæteri non fundiarij, lib.6 t.19 p.708 c.1 d.11
Reditus qui certe pretio emuntur, & constituuntur & redimibiles perpetuo sunt, sed tamen in perpetuum empti, immobilium appellatione continentur, l.6 t.19 p.708 c.2 d.11 n.7 in all.
REGRESSVS non datur vllus remittentibus actiones suas, l.6 t.11 p.661 c.2 d.7 n.3 in all.
REGVLÆ de annali possessore derogari petens, narrare debet quot annis possessor beneficium tenuerit, l.1 t.2 p.21 c.1 d.81 n.1 in all.
Regula de triennali habet locum in omnib. casibus præterquàm in iis qui verbis ipsis regulæ expressi sunt, p.2 c.2 d.5 n.4 & contenta est possessione colorata ex titulo colorato. Ib. n.5 in all.
Regula de triennali iuuat possessorem allegātem titulum coloratum, etiamsi nullum exhibeatur, p.2 c.2 d.5 n.3
Regula de triennali non iuuat, non promotum qui intra certum tempus promoueri iussus non paruit, p.22 c.1 d.72 n.1 & 2 & p.26 c.1 d.90 n.1 & 2
Regula de valore beneficij exprimendo bursalis potiùs est, quàm iuris p.30 c.2 d.10 n.1
Regula de verisimili locum habet etiam in collationibus ordinariorum ex identitate rationis p.3 c.1 d.8 n.3
ad Regulam, Casus omissus habendus pro omisso, exceptio, l.8 t.37 p.1131 c.2 d.1 n.3 in all.
RELINQVO, verbū trahitur ad institutionem etiam in filiis quos necesse est instituí, l.6 t.18 p.698 c.2 d.7 n.1 in all.
Relinqui nihil potest ei qui nullus est, l.6 t.6 p.637 c.1 d.1 n.36 in all.

BIU Cujas

RELICTVM personæ nunquam natæ pro non scripto est, l.6 t.6 p.636 c.2 & seq.d.1 n.20 in all.

Relicta pro restitutione malè ablatorũ sunt irreuocabilia, modo relicta sint certis & nominatis personis, lib.6 t.5 p.634 c.1 d.27 n.4 in all.

RELIGIOSI & religiosæ virgines ordinis S. Francisci non possunt succedere ex testamento, ne quidem in mobilibus p.36 c.1 d.31 n.1

Religiosa loca inter heredes in familiæ erciscundæ iudicium non deducuntur eorúmq; ius singulis heredibus in solidum competit,l.3 t.25 p.247 c.1 d.10 n.4

REMEDIVM Can. redintegranda in quo differat ab interdicto vnde vi, l.8 t.3 p.954 c.1 d.8 n.4 in all.

Remedium ex can. redintegranda datur etiam contra eum qui ex subhastationibus nullis possidet, nisi aliunde possessionem suam tueatur, l.8 t.3 p.958 col.1 d.22 à num.1 ad 12

Remedium ex can.redintegranda An & quando duret post annum trigesimũ. Et quid de fructibus lib.8 t.3 p.959 c.2 d.25 n.1 ad 10

REMISSIO peti solet quãdo conductor fruitus quidem est,sed minùs percepit ex fructibus quàm sperari potuit, idq; ob nouam aliquam & inopinatam causam,p.481 c.2 d.54 n.1 in all.

Remissio petita ad iudicem alieni territorij non magis in criminalibus quàm in ciuilibus causis concedi solet, nec debet,l.3 t.14 p.203 c.1 d.1 n.3

Remissio mercedis secundo conductori facere interdum secundus locator cogitur,etiamsi non possit eam ipse petere à primo locatore,lib.4 t.42 p.473 c.2 d.27 n.1 2 & 3

Remissio totius mercedis conductoris facienda est,cum maiori vi diuina siue humana fructus omnes absumuntur, l.4 t.41 p.472 c.1 d.22 n.19

Remissio mercedis peti non potest nisi læsio sit vltra dimidiam partem, nec nisi in fine locationis, l.4 t.42 p.465 c.1 d.3 n.1

Remissio tacita inducitur ex consanguinitate proxima,qualis est inter fratres, & longi temporis taciturnitate, lib.4 t.23 p.377 c.2 d.7 n.7 in all.

si de Remissione in singulos annos facienda conductor conueniret,non potest vnius anni sterilitas cum sequentium vbertate compensari, lib.4 tit.41 p.476 c.1 d.35 n.1.2 3 & 4

REMITTI confectionem inuentarij & prohiberi non sunt synonima,l.6 ti.11 p.674 c.1 d.43 n.2 in all.

RENTES *volantes constituës à prix d'argent* lib.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.1 in all.

RENVNCIANS filia,patre eam ad successionem suum reuocante, admittitur ad successionem intestati etiamsi testamentum sit imperfectum & inualidum quo eam reuocauit lib.2 t.3 p.87 c.2 d.27 n.14 in all.

Promissio de Renunciando non includit promissionem de iurando, pag.87 c.1 d.25 n.5 in all.

Renunciare iuri suo quilibet potest,lib. 4 t.13 p.304 c.2 d.1 n.4 in all.

RENVNCIATIO filiæ bonis maternis stipulante patre sed absente & ignorante matre non valet, l.2 t.3 p.80 c.1 d.9 n.4 in all. neque facta bonis fraternis, fratribus absentibus & ignorantibus non stipulante patre,Ibid.

Renunciatio matris nepotibus nocere non potest quò minùs ex propria persona venientes præmortua filia succedant auo p.82 c.2 d.15 n.22

Renunciatio à muliere facta ad alias personas aut res alias quàm de quibus nominatum est,actio extendi non debet l.4 t.21 367 c.2 d.15 n.3

Renunciatio patre stipulante & adhibito iureiurando successionis fratris valet,d.87 c.1 d.26 n.1.2.3.4 & 5

Renunciatio bonorum paternum & maternorum etiam non iurata non protrahitur ad legitimam cuius mentio nulla facta est,l.3 t.19 p.209 c.1 d.1 n.4 in all.

Renunciatio bonorum paternorum & fraternorum non tollit ius fideicommissi debiti in paterna vel fraterna hereditate,l.2 t.3 p.78 c.2 d.5 in all.

Renunciatio hereditatis maternę quamuis iurata non nocet filio, si mater obierit viuo patre, l.6 t.34 pag.771 c.2 defin.1

Renunciatio legitimæ, etiam sine iuramento facta post mortem patris valet, p.214 c.1 d.15 n.5 in all.

Renunciatio futurę successionis non nocet filię,ni iurisiurandi vinculo ex Põtificiæ constitutionis autoritate confirmata fuerit p.86 c.2 d.25 n.4 & 5

Renunciatio successionis futurę patri facta per filiam quæ nuptui tradebatur, si pater nobilis fuit masculorum fauore fit p.85 c.2 d.22 n.1

Renunciatio generalis futurarum successionum in tabulis dotalibus facta non valet,multò minùs extenditur ad maternam successionem etiamsi mater præsens fuerit, lib.5 t.9 p.562 c.1 d.10 à n.1 ad 11

Renunciatio futuræ successionis non valet,nisi iurata p.77 c.1 d.1 n.6 in all.

Renunciatio generalis siue iurata siue non, etiam post obitum patris facta, neque legitimam neque legitimæ supplementum comprehendit, lib.3 t.19 p.214 c.1 d.15 n.7 in all.

Renunciatio iurata etiam maternæ sicut & paternæ successionis valet ,pag.134 c.2 d.1 n.2 in all.

Renunciatio iurata quamdiu tenet excludit renunciationem ab omni successione testati & intestati p.79 c.2 d.8 n.5 in all.

Renunciatio iurata filiæ quę à patre dotem,licet congruum accepit, non nocet liberis ex ea præmortua susceptis & superstitibus ad aui successionem siue testamentariam siue legitimam venientibus,licet matris sint heredes p.81 c.2 d.14 n.1 & 2

Renunciatio iurata, iure Pontificio valet p.28 c.2 d.2 n.3 in all.

Renunciatio personalis,non magis personam renunciantis egreditur quàm iusiurandum,quod ad eam confirmandam adhiberi necesse est, p.77 c.1 d.1 n.5 & 6

Renũciatio facta in iudicio præsente iudice,absente parte, non nocet renuncianti,si non per iudicem absentis nomine fuerit agnita p.79 c.1 d.7 n.5

Renunciatio facta in fauorem masculorum extinctis masculis euanescit,lib.5 t.9 p.563 c.2 d.11 à n.1 ad 12

Renunciatio hypothecarum dotalium per mulierum facta ita demum valet, si dotis restituendæ tempore cætera bona sufficiant, l.8 t.14 p.1006 c.1 d.7 n.1.2.3 & 4

Renunciatio si valet non sufficit vt renunciatum sit generaliter addita nota, &c.sed specialibus & idoneis verbis concipi renunciationem oportet, li.8 t.2 p.1078 c.1 d.30 n.7 in all.

Renunciatio aliis prodesse non potest quàm quib. stipulator prospicere voluit & potuit,p.86 c.1 d.22 n.14 in all.

Renunciatio rescindi debet si patris iudicio ex omni parte filia stare nolit,li. 3 t.19 p.213 c.2 d.14 n.5

Renunciationis potestas in eius personam confluit, in cuius fauorem facta est renũciatio, aut qui in locum illius successit,p.85 col.2 d.22 n.10

Renũciatione rescissa fructus à die mortis debentur,p.77 col.2 d.8.n.6

Renunciationes omnes sunt stricti iuris, tanquã odiosę,ideoque restringendę, l.8 tit.28 p.1079 c.2 d.35 nu.1 in al.

Renũciationes nisi ab eo acceptatę sint, cuius commodo fiunt, nullius sunt momenti,p.39 c.1 d.7 n.4

Renunciationes & pactiones de futura successione, nõ solùm patri,sed etiam & matri & fratri factę,si modo sint iuratæ, valent pag.107 c.1 d.8 n.1 in all.

filia quæ Renunciauerat paternis fraternisque bonis, vocata ad fideicõmissũ cum filia quæ non renunciauit, fratri succedit ab intestato, nisi cum frater sciuit renunciationem pag.87 c.2 d.17 n.1 & 2

sororis quæ Renunciauerat prædefunctę liberi plus iuris habent quàm habitura esset eorum mater si viueret, pa.77 c.2 d.2 n.1 & 2

REPRÆSALIÆ nõ sunt permissæ de iure ciuili nec canonico, l.2.t.9 p.103 c. 2 d.1 n.6 in all.sed ex iure diuino. Ib. Vacantur ius marchę,& qualiter concedi soleant,Ibid.

REPRÆSENTATIONIS ius an habeat vocari sub nomine collectiuo,l.6 ti.19 p.708 c.1 d.10

Repræsentationis ius non habet locum post fratrum liberos in fideicommissis relictis sub nomine collectiuo, sicut nec ab intestato, l.6 t.22 p.717 c.1 d.8

REPVDIATIO hereditatis hodie nõ est actus solemnis, sed potest fieri quocunque loco,& quacunque testatione voluntaris, l.6 ti.12 p.681 c.1 d.17 n.1 in all.

Repudiatio hereditatis delatæ retenta legitima non valet, li.6 t.12 p.681 c.2 d.20 nu.1 in all.

RES fideicõmisso subiecta si alienata sit, potest vindicari per fideicommissarium, nisi duobus casibus in quibus cogitur ille contentus esse æstimatione,li.6 t.23 p.738 c.1 d.9

Res vni legata non est pro alterius legato obligata,l.6 t.23 p.736 c.1 d.6

Res iudicata contra heredem facit ius quod ad omnes qui ius aliquod habẽt in hereditatem aut bona defuncti, si modo heres contradixerit, nec fuerit per contumaciam aut per collusionem condemnatus,li.6 t.11 p.661 c.1 d.6 n.6 in all.

Res vna & eadem iure diuerso censeri non debet, l.3 t.19 pag.214 c.2 d.16 n.3 in all.

Rei suæ,quandiu sua est,seruitutem imponere nemo potest, lib.3 ti.24.p.239 col.2 defin.2 num.11

Res omnes liberæ, &, vt loquuntur,allodiales præsumuntur, præterquàm si in feudum datæ vel possessæ probentur,li.3 t.12 p.193 c.1 d.17 n.4 & 5

Rem suam vendere nemo cogitur,li.3 t. 24 pag.239 c.2 d.2 nu.7 in all.

RESCINDENS cũ rescissorio cumulari potest, p.179 c.2 d.3 n.8 & pag.303 c. 1 d.3 nu.4

RESCISSORIVM & rescindens possunt cumulari, l.3 t.7 pag.180 c.1 d.3 num.8 in all.

Rescissorium intẽtans si postea intentee iudiciũ rescindẽs, nõ cogitur expensas omnes refundere licet antea nullo iure egerit,l.3.t.7 p.180 c.1 d.3 nu.8 in all.

BIU Cujas

RESCRIPTVM Principis necessarium est ei qui negligens extitit aduersus instantiæ peremptionem, p.162 c.2 d. 26 n.4

Rescriptum Principis durius & seuerius non statim debet mandari executioni à magistratu, sed 30. dies expectari debent, intra quos sperandum est bonum principem de ea seueritate aliquid relaxaturum, lib.1.t.21 p.61 c.2 d.1 n.4 in all.

Rescriptum, An sit gratiosum, An ad lites multum interest, p.1 c.2 d.2 n.11

Rescriptum quo longioris est temporis tantum grauius damnum adfert conditoribus, p.50 c.2 d.6 n.1 in all.

Rescriptum moratorium à quo tempore impetratum est, & creditori significatum, omnem aduersus debitorem exequendi facultatem creditori præripit, p.70 c.1 d.2 n.3

Rescriptum mutatorium non magis potest impetrari contra debitum per quod facta est nouatio iudicati ad vtilitatem debitoris, quàm contra ipsum iudicatum p.64 c.2 d.6 n.1.2 & 3

Rescripti moratorij tempus præstitum incipit currere à die concessionis p.50 c.1 d.2 n.2 in all.

Rescriptum quocunque litis tempore impetrari potest ad sanandam causam malè alioquin affectam dummodo litis status expressus sit p.168 c.2 d.6 n. 1 in all.

Rescriptum non est obreptitium si tacitum sit id, quod etiam expressum non nocuisset p.1 c.2 d.2 n.10

Rescriptum est obreptitium si impetrãs tacuerit aliud à se obtentum beneficium quantulumcunque & qualecunque, licet non pacificum nec incompaubile p.8 c.2 d.33 n.1

Rescriptum à spoliatore impetratum ad euocandam causam ad consistorium Principis, ante quàm purgatum sit vicium spoliationis euocari non debet p.64 c.2 d.15 n.3 & 4

Rescriptum appellationem redigit ad non appellationem p.61 c.1 d.24 nu.1 in all.

in Rescripto omnia exprimẽda sunt quæ summum Pontificem à concedendo beneficio reuocare aut remorari possunt, p.15 c.2 d.51 n.4

Rescripta ad Senatum durante iustitia ad Cameram quoq; criminalem, quæ Senatus vices gerit, pertinent p.63.c.2 d.10 n.1

Rescripta contra ius vel publicam vtilitatem impetrata perinde se habent ac si non concessa fuissent p.61 c.1 d.1 n.3

Rescripta contra ius esse censentur, ex quibus alicui iniuria infertur p.61 c.1 d.1 n.6

Rescripta per quæ Princeps expressim & specialiter huic aut illi statuto, aut styli practici articulo derogat, non nisi ad magni Cancellarij pertinent authoritatem vt expediantur, p.62 c.1 d.3 n.1

Rescripta ad gratiam sunt annalia, ad ius perpetua p.62 c.2 d.6 n.1 & 2

RESIGNANS per resignationem & renunciationem emittit ius omne quod in beneficio habebat tam possessionis quàm proprietatis, p.16 c.2 d.54 n.1

Resignans cadit à sua possessione facto suo, licet facta fuerit resignatio coram eo, qui eius admittendæ potestatem non habet p.16 c.2 d.54 n.8

RESIGNATARIVS per confidentiam non dici spoliatus, ideó que nec restituendus, l.8 t.3 p.653 c.2 d.6 n.1 & 2

Resignatarius in beneficio tenetur stare colono si illud vacauerit per resignationẽ, hactenus saltẽ vt colonũ indemnẽ seruet, l.3 t.4 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.

Resignatarius non habet ius à resignante, sed à Papa, l.4 t.92 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.

RESIGNATIO est tantũ veluti cõditio sine qua nõ, sicuti esset mors Rectoris si beneficium vacasset per obitum, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.

Resignatio non valet nisi à die præstiti consensus, p.17 c.2 d.57 n.11

Resignatio tamdiu pendet quamdiu per summum Pontificem non admittitur, p.18 c.1 d.57 n.7 in all.

Resignatio facta fauore certæ personæ pro conditionali habetur, p.17 c.2 d. 57 n.4

Resignatio quæ medio tẽpore intercedit facit vt noua possessio cũ vetere cõiũgi nequeat & cõglutinari p.17 c.1 d.56 n.6

Resignatio facta in fauorem non aliter valet, quàm si sortita sit effectum: ita vt pristinum ius tituli & possessionis penes resignantem remaneat, p.1 c.2 d.3 n.1 & 2

Resignatio, quæ fit ex necessitate, statim priuat resignantem titulo & possessione, p.2 c.1 d.3 n.4. Item si sit facta in manibus ordinarij, quia tunc debet fieri purè. Ibid. num.5

si cui Resignatio facta fuerat decesserit in curia post admissam resignationem & non secutam acceptationem, non censetur beneficium in curia vacare p. 24 c.2 d.84 n.4

Resignatio non operatur veram vacationem facta ex causa permutationis, si permutatio effectum non sortiatur, p.16 c.2 d.53 n.1 in all.

Resignatio præsumitur simulata, cùm post missionem resignans remanet in possessione, p.4 c.1 d.14 n.2 & 3 in all.

Resignatio beneficij publicata videtur cum nec vi, nec clam, nec precario, sed publicè resignaturus missus est in possessionem beneficij p.4 c.1 d.14 n.1

Resignatio beneficij non valet nisi intra sex menses publicata sit p.4 c.1 d.14 n.1

Resignatio beneficij non prius acquirit ius resignatario, quàm admissa fuerit resignatio à summo Pontifice, vel ab ordinario qui eius admittendæ ius habet, p.24 c.2 d.84 num.1

Resignationis publicationi faciendæ tempus semestre præstituitur, p.18 c. 2 d.59 n.3 & 4

Resignationis publicationi apud Gallos æquipollet missio in possessionem p. 18 c.2 d.59 n.5

in Resignatione beneficij superioris voluntas interuenire debet. Alioqui priuat resignantem iure possessorij non petitorij, p.16 c.2 d.54 n.9 & 10

Resignatione facta in manibus Papæ in fauorem certæ personæ restituì resignans potest indistinctè contra tertium, non item si in manibus ordinarij p.17 c.1 d.55 num.1

RESOLVTO iure datoris resoluitur ius acceptoris, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.1 in all.

RESPONSIO à possessore facta ante exhibitionem valere non potest, nisi quæ à sciente facta est, lib.3 t.22 p.231 c.1 d.7 n.2 in all.

RESTITVERE hereditatem rogatus sub conditione Si decesserit sine liberis naturalibus & legitimis ex proprio corpore procreatis, si religionem & monachismum professus sit, exinde videtur extitisse conditio fideicommissi, nec expectanda naturalis mors heredis rogati, l.1 t.2 p.11 c.2 d.42 n.3 in all.

Restitui ante omnia spoliatum quemlibet, etiam prædonem Reipublicæ interest, p.64 c.2 d.15 n.4 in all.

Restitui fructus non debẽt mulieri quæ cõstante matrimonio necdum petita assecuratione in integrum restituẽda est aduersus pignorum remissionem, ne ij quidem qui ab aduersario percepti sunt post litem contestatam, li.4 t. 21 pag.369 col.2 d.18 num.24 & 25

Restitui potest in integrum pupillus minórve cuius res immobiles aut dotalis per transactionem alienata fuit, p.121 c.2 d.5 num.1

Restitui in integrum mulier potest aduersus remissionem pignorũ dotaliũ etiam cõstante matrimonio, si modo aliqua causa subsit, l.4 t.21 p.369 c.1 d.18 n.1

Restitui non potest maior aduersus omissum inuentarij beneficium, l.6 t.12 pag.676 col.2 def.4 n.1

Restitui nõ potest minor aduersus conductionem ob id solum quod recipit in se casus fortuitos nisi aliunde probetur læsio, l.4 ti.42 p.469 c.1 d.15 n.1 2 & 3

Restitui in integrum nõ potest is, cuius bona postulante creditore sub hasta distracta sint, si non redemerit intra sex menses, nisi aut minor ætas, aut iusta alia restitutionis cõcedendę causa interueniat, p.123 c.2 d.4 n.2 & 3

Restitui contra fideicommissi indebiti restitutionem ex causa pietatis factã nemo potest, p.131 c.2 d.4 n.1 & 2

Restitui in integrum non debet qui læsus non fuerit tẽpore contractus prætextu læsionis ex post facto venientis siue minor sit, siue ecclesia, li.3 t.19 p. 221 c.2 def. 36 n.11 & 12

si Restitui in integrum velit is qui iniuriam sibi factam re aut verbo siue modico, siue nullo accepto pretio nõ est audiẽdus, quasi aut sine causa aut minore pecunia remiserit p.121 c.2 d.3 n.1

Restitui non possunt, nisi querũ interest, & qui inciderunt in captionem, p. 143 c.2 d.2 n.2 in all.

Restituitur minor nunquam, quia minor, nisi sit etiam læsus, l.5 t.16 p.567 c.2 d.10 n.6 in all.

RESTITVTIO est reintegrandæ rei vel causæ actio, l.4 t.1 p.259 c.2 defin.7 n. 7 in all.

Restitutio in integrum præsupponit cõtractum tenere ipso iure, lib.4 tit.17 p.354 c.2 d.1 n.4 in all.

Restiturio in integrum erroris proprij veniæ detitionem, vel aduersarij circumuentionalis allegationem continet, p.98 c.1 d.11 n.3 in all.

Restitutio in integrum datur ex causa metus & reuerentiæ maritalis & paternæ, & immodicæ læsionis, l. 6 t.4 p.622 c.1 d.5 n.5 in all.

Restitutio tractanda est vbi domicilium habet is apud quem restiturio imploratur, p.44 c.2 d.3 n.6

Restitutio sic facienda est vt ius suum vnusquisque recipiat, p.109 c.1 d.5 n.2

Restitutio in integrum id duntaxat restituit, quod abstulerat læsio, l.4 tit.21 p.370 c.1 d.18 n.16 in all.

Restitutio ita dari debet vt non ideo beneficium Principis aduersario sit captiosum, l.4 t.15 p.331 c.2 d.16 n.6 in all.

Restitutio (si modo petita non fuit) denegari non debet, quandiu subest eius concedendæ causa, l.3 t.27 p.252 c.1 d.6 n.5 in all.

Restitutio in integrum datur ecclesiæ exemplo minoris, p.11 c.1 d.41 n.2

Restiturio competit ei qui alij vendidit quicquid iuris habuit etsi nullũ aliud ius ha-

BIU Cujas

ius haberet, nisi petendæ restitutionis contra suum autorem, l.4 t.30 p.427 col.1 d.12 à n.1. ad 9

Restitutio in integrum frustra petitur contra fideiussorem posteaquam soluit, l.8 t.27 p.1074 c.2 d.20.n.3 & 4.

Restitutio in integrum ex beneficio, l.2 C. de rescind. vend. non amittitur per clausulas positas in contractu venditionis, nec per iusiurandum, l.4 t.30 p.423 c.2 d.1 n.1 2 3 4 & 5

Restitutio ex capite edicti de dolo nunquam datur reo, p.135 c.2 d.1 n.4 in al.

Restitutio in integrum sicut heredi, ita & contra heredem competit, p.180 c.1 d.4 n.1 in all.

Restitutio in integrum non solùm incidenter à reo, sed etiam ab actore impetrari potest, p.136 c.1 d.3 n.4 in all.

Restitutio in integrum quæ defuncto competit ad heredem transmittitur, lib.4 t.21 p.362 c.1 d.1 n.12 in all.

Restitutio in integrum debitori qui pro exiguo debito, magni valoris dona pignori in αὐτόχρημα dederit, non valet imò nec dari solet, p.129 c.2 d.3 n.1

Restitutio non datur maiori ad implorandum beneficium inuentarij post tractatas res hereditarias, sed minori datur non doloso, lib.6 t.11 p.665 c.1 d.18 n.1 2 3 4

Restitutio non est mulieri necessaria cum venditio bonorum paraphernalium facta est contra Velleianum, puta pro marito aut alio quolibet cuius creditoribus ex pretio satisfieri debeat, l.5 t.15 p.579 c.2 d.2 n.5 in all.

Restitutio quæ per viam exceptionis petitur, non mutua petitio, sed est exceptio, p.135 c.2 d.1 n.6 in all.

Restitutio quæ ex re magis quàm ex persona minoris cõpetit expromissori, easdem leges & conditiones recipit quas haberet si per minorem ipsum exerceretur, p.125 c.2 d.3 n.19 in all.

Restitutio dotis cum euadit in assecurationem non potest offerri mulieri, l.5 t.7 p.549 c.2 d.3 n.1 2 & 3

Restitutio quæ per curatorem absentis bonis datum petitur in vtilitatem absentis, non sub ipsius nomine peti debet, sed sub nomine curatoris, pag.136 col.2 d.2 n.2 & 3

Restitutio minoris, quacumque lesione, dum ne minima, contenta est, p.121 c.2 d.5 n. in all.

Restitutio minorum non eget probatione tam grandis læsionis, sufficitque qualis qualis læsio, pag.106 c.2 defin. 6 nu.6 in all.

Restitutio in integrum non datur minori, maiori verò multò minùs aduersus omissam obiectionem exceptionis declinatoriæ aut dilatoriæ pa.110 c.1 d. 7 n.1 & 2

Restitutio in integrum cum peti possit nõ solùm per viam actionis, sed etiam iure exceptionis adeóque simplicis contradictionis, nullius temporis, quantumlibet longissimi præscriptione excluditur, p.140 c.2 d.4 n.1

Restitutio in integrum ex causa lesionis habet implicitam dominij quæstionem & vindicationem, lib.3 t.22 p.232 c.1 d.10 n.5 in al.

Restitutio si petatur ex causa quæ iam ipso cõtractus tempore locum habuit, id ius quod in loco contractus obtinet, spectatur: si verò ex causa quæ superuenerit, id quod in loco iudicij obtinet, p.135 c.2 d.2 num.2 & 3

Restitutio ex postfacto non potest actionem fideiussori iam acquisitam reuocare, pag.131 c.1 d.2 n.1 in all.

Restitutio rei quæ non apparet fieri non potest, l.4 t.14 p.326 c.1 d.69 n.8

Restitutio frustra petitur aduersus contractum qui non tenet, l.8 ti.3 p.954 c. 1 d.8 n.3 in all.

Restitutio aduersus lapsum temporis facit vt etiam post tempus idipsum liceat quod licebat ante, p.124 c.1 d.4 n. 10 in all.

Restitutio aduersus lapsum temporis nõ nisi in subsidium pupillo qui tutores habuit, concedẽda est, p.129 c.1 d.1 n.3

Restitutio aduersus subhastationes ex causa immodicæ læsionis etiam post interpositum decretum peti potest, p. 123 c.2 d.41 n.7

Restitutio aduersus venditorem dolosum impetrata non nocet emptoris fideiussori, p.130 c.2 d.2 nu.1

Restitutio in integrum specialiter cedẽda est, alioqui non venit in mandato generali, lib.3 t.25 p.246 c.2 d.8 num.2 in all.

Restitutio in integrum alieno nomine peti non potest nisi vel speciali mandato intercedente, vel in necessariũ antecedens, pag.136 c.1 d.1 nu.1

Restitutio in integrum non datur aduersus iniuriæ remissionem, ne minori quidem, p.143 c.1 d.2 n.1

Restitutio dari non potest aduersus liberationem ei factam qui conueniri poterat condictione indebiti, quamuis ea liberatio nõ fuerit insinuata, p.144 c.2 d.4 nu.1 & 2

Restitutio omissa postea per aliam in integrum restitutionem repeti non potest, p.134 c.1 d.2 n.1 2 3 & 4

Restitutio cõtra immissionem impetrata inutilis est, nisi sequatur abstentio, p.125 c.1 d.5 n.6 in all.

Restitutionis æquitas sola superest dum causa nullitatis cessat, pag.111 c.1 def. 10 n.6 & 7

Restitutionis in integrum causa exerceri potest contra solum heredem cum beneficio inuentarij etiam non vocatis creditoribus hereditariis, licet possint illi adesse, si velint, li.4 t.21 p. 303 c.1 d.3 n.1 & 7

Restitutionis in integrum effectus est, vt in eo statu reponantur omnia, in quo essent si factum non fuisset, id quod rescissum, lib.3 t.19 p.217 c.1 d. 23 n.10 in all.

Restitutionis impetratio aduersus obligationem iam extinctam, fera est, pag. 128 c.1 d.4 n.4 in all.

Restitutionis spes nulla superest quadraginta & quatuor annis elapsis, p.122 c. 2 d.1 n.6. Quadriennium autem quadraginta annis reuolutis cõcessum nõ prius incipit currere quàm agendi facultas competat, p.122 c.2 d.1 n.7

Restitutionis quæstio plus facti quàm iuris habet, p.101 c.1 d.5 n.5 in all.

Restitutionis in integrum quæstio ibi agitanda est, vbi domicilium habet is contra quem restitutio postulatur, p. 135 c.1 d.1 n.1

Restitutionis petendæ ius ex capite minoris ætas ad heredem minoris quemlibet, etiam maiorem transmitti potest, pag.128 c.2 d.5 n.5

Restitutionis in integrum petendæ ius ad donatarium non transit sine speciali mandato, p.130 c.2 d.1 n.3 transit autem in successorem vniuersalem, p.130 c.2 d.1 n.2 in all.

Restitutionis in integrum deneganda fortissima perpetuáque ratio est si medio tempore res integra esse desierit, p.110 c.1 d.1 n.14

ad Restitutionem inducendam sufficit quod possit quis damnum pati ex eo quod fecit, licet adhuc nullum passus sit, l.4 t.21 p.305 c.2 d.18 n.12 in all.

Restitutionem ad hoc dari absurdum est vt restitutio peti possit, pag.142 c.1 d.6 n.30

Restitutionem semper excludit dolus, l.6 t.11 p.665 c.2 d.18 n.1 in all.

Restitutionem differens non est audiendus, p.183 c.1 d.12 n.8 in all.

per Restitutionem in integrum contractus iam resolutus non potest rescindi, l.4 t.36 p.453 c.1 d.16 n.11 in all.

per Restitutionem in iis etiam in quibus procuratori suo quis adfuit succurrendum est, p.144 c.1 d.3 n.1 & 2.

qui Restitutionem impetrauit potest pendente lite aduersus contractum executionem contractus consequi, non etiam petere, p.137 c.2 d.2 n.2

cum de Restitutione vel concedenda vel deneganda agitur, non contractus, sed iudicij locus est attendendus, p.45 c.2 d.4 n.13

Restitutiones omnes æquitate nituntur, p.143 c.2 d.2 n.4 in all.

Restitutiones omnes in integrum sunt personales, p.135 c.1 d.1 n.2

in Restitutionibus in integrum initium inspicitur, l.3 t.19 p.217 c.2 d.23 nu.20 in all.

Restitutus in pristinum statum potest de statu illo quandocunque docere, l.8 t.3 p.963 c.1 d.36 n.1 & 2

RETENTIO possidenti facilius datur, quàm non possidenti actio, lib.4 t.36 p.449 c.2 d.9 n.6 in all.

Retentio plus quam petitio est, cùm etiam sit perceptio, p.137 c.2 d.2 nu.6 in all.

Retentio interdum datur nullam habenti actionem, l.3 t.22 p.234 c.1 d.15 n.2 in all.

Retentio potest obiici actioni de dote ob rationes tutelæ aut protutelæ nondum redditas, lib.5 t.8 p.551 c.1 d.4 n.1.2.3.4.5.6 & 7

Retentio dotis competit etiam contra mulierem cui rationum redditio remissa est à marito ob nullas redditas rationes, l.5 t.8 p.555 c.1 d.16 n.1 & 2

RETRAHENDI ius municipale non potest cedi extraneo, l.4 t.36 p.452 c.1 d.14 n.3 in all.

RETROACTIO impeditur quoties medio tempore ius alij quæsitum est, l.4 t.34 p.442 c.1 d.5 n.3 in all.

RETROTRADITIONE recuperatur possessio, quæ resoluta permutatione etiam per traditionem fuerat perfecta, l.4 t.40 p.462 c.2 d.7 n.1

ad RETROVENDENDVM conueniri in solidum potest vnus ex pluribus emptoris heredibus, & cogi retrouendere, siue solus ipse possideat, siue omnes ipse possideant, l.4 t.11 p.302 c. 2 d.2 n.2 in all.

RETROVENDITIO nõ facilè ex coniecturis præsumenda, neque pretij restitutio, nec si venditionis instrumentum penes venditorem reperiatur, l.4 t.36 p.454 c.1 d.18 n.16.17.18

REVERSA in domini potestatem non est res quæ non durat reuersa, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.9 in all.

REVOCAT mandatum, qui delegato debitore pecuniam ipse exigit, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.6 in all.

Reuocatam esse ipso iure sententiam parum est, si non ipsa quoq; executio reuocetur, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.17

Reuocationem omnem impedit pietatis causa, l.6 t.5 p.630 c.2 d.17 n.24 in all.

Reuocatum per viam attentati, non potest amplius per appellationem rescindi, l.1 t.10 p.55 c.2 d.1 n.1 in all.

BIU Cujas

Reus in exceptione actor est, l.4 t.14 p.317 c.2 d.39 n.6 in all.
Reus dilationem consequi solet, non actor, p.178 c.1 d.3 n.4
Reus conuentus eligere potest & debet quid respondeat, An affirmatiuè, An negatiuè, l.3 t.22 p.231 c.1 d.7 n.2 in all.
Reus in Senatu conuentus non potest obiicere exceptionem fori, si statim expediri lis possit, l.3 t.12 p.196 c.1 d. 24 n.1
Reus probare debet suam exceptionem cùm in ea sit actor, l.7 t.14 p.836 c.1 d.6 n.2 in all.
Reus actori quandocumque litem repetenti instãtiæ peremptę exceptionem obiicere potest, p.162 c.2 d.26 n.13
Reus ob chirographum non restitutum condemnandus est, non ad pecuniam chirographo contentam, sed ad id tantum quod actoris interest, l.4 t.2 p.271 c.2 d 5 n.1
Reus lite criminaliter primùm instituta, & in ciuilem disceptationem conuersa, carceribus eximi debet præstita priùs satisdatione de iudicato soluendo, p.149 c.1 d.4 n.1
Res pro sua innocentia probanda impetrare potest publicationem monitorij cum clausula *Nomine dempto*, p.325 c.2 d.68 n.3
Reus satisdare volens pendente lite, si capitali pœnæ possit esse obnoxius, non auditur, p.153 c.2 d.16 n.1
Reus principalis non potest habere regressum contra fideiussorem suum, cui ex contrario indemnitatem plenissimam præstare debet, p.79 c.1 d.6 n.9 in all.
Reus per non ius actoris vincere debet, non contra l.7 t.18 p.864 c.1 d.56 n.16 & 17
Reus criminis nunquam iniuria afficiendus est ante probatum crimen, l.4 t.9 p.293 c.1 d.1 n.10 in all.
Reus criminis pendente accusatione necessario sumptu egere non debet, l.9 t.4 p.1156 c.1 d.4 n.3 in all.
Reus criminis nunquam habetur pro confesso ex sola contumacia nisi aliæ sint probationes, l.7 t.24 p.906 c.1 d.7 n.12 & 3
Reus de crimine ex ore respondere sine causa iussus, habet iustam appellandi causam, sed interim tamen respondere cogitur, l.7 t.26 p.918 c.1 d.39 n.1
Reus frustra criminis insimulatus perire volens, non auditur, l.6 t.2 p.618 c.1 d.2 n.4 in all.
Reus, actore iurante verum esse quod affirmauit, cogitur respondere modo asserto, & iurare falsum esse quod negat, l.4 t.14 p.322 c.2 d.54 n.17 in all.
Reus respondere per attenuationem debet ex ore & in vinculis, l.9 t.2 p.1153 c.1 d.12 n.1
Reus torqueri potest pro furto de quo nondum constat, l.6 t.2 p.617 c.2 d.1 Vide Indicium.
Reus extra tormenta confessus nec in confessione postea perseuerãs iterum atque iterum torqueri potest, sed non sæpius quàm ter nisi ex nouis indiciis, l.9 t.21 p.1187 c.2 d.2 n.1
Reus iam conuictus non debet torqueri, l.9 t.21 p.1190 c.2 d.15 n.1
Reus sufficienter etiam conuictus ad detegendos socios in atrocioribus criminibus quæstioni subiicitur, l.9 t.21 p.1191 c.1 d.16 n.1
Reus ex confessione sua furti condemnari non potest, nisi priùs constet de corpore subrepto, l.6 t.2 p.617 c.2 d. 2 n.1 2 3 & 4
Reus ex vinculis sententiam audire debet, tum quoque cùm absolutiuo tum etiam cùm criminalis disceptatio conuersa est in ciuilem, l.9 t.3 p.1154 c.2 d.3 n.1
Reus maiestatis non prohibetur facere testamentum, si memoria eius tandem innocens probetur, l.6 t.16 p.690 c.1 d.5 n.1 in all.
Reus læsæ maiestatis testamentum facere prohibitus intelligitur si postea condemnatio sequatur, siue viuo illo, siue mortuo, l.6 t.5 p.732 c.2 d.21 n.1
Reus qui demens vel hebetioris ingenij dicitur, adducitur in decretum Senatus vt toti Senatui exhibeatur inspecturo ex vultu & sermone hominis, qualis reuera ille sit, & quanta eius sermonibus & dictis fides adhibenda, l.9 t.21 p.1187 c.2 d.1 n.1 in all.
Reus simulans insaniam per dolum ne interrogetur de crimine etiam quod pœnam corporalem non meretur torqueri debet, l.9 t.21 p.1187 c.1 d.1 n.1 2 3
Reus contra quem nulla fuit satis iusta causa inquirendi in nullas expensas condemnandus est, l.7 t.18 p.867 c.1 d.66 n.2
Reus condemnari non debet, sed absolui si sint indicia pro & contra, l.9 t.21 p.1192 c.2 d.22 n.6 in all.
Reus pendente accusatione retinet liberam bonorum suorum administrationem dum nihil in fraudem faciat l.9 t.2 p.1149 c.2 d.1 n.1
Reus cùm ante sententiam diffinitiuam eximitur carceribus ex iusta causa, non ideo sumptuum condemnationem vllã pati debet, l.7 t.18 p.864 c.2 d.58 n.1
Reus debet absolui, sed de non iure actoris constet & agatur interdicto retinendæ possessionis, etiamsi de iure suo non doceat, p.6 c.2 d.13 n.1
Reus quamuis à crimine absoluatur criminalis tamen sententia est ac perinde vt cæteræ criminales pronuntianda, l. 9 t.3 p.1154 c.2 d.3 n.1 in all.
Reus non potest in carceribus retineri pro expensis litis criminalis etiamsi ita dictum sit, si à taxatione appellauerit & satisdare paratus sit, l.7 t.18 p.863 c.1 d.52 n.1
Reus non condemnatus de crimine an & quando ad expensas litis condemnari possit in causis criminalibus, lib.7 t.18 p.859 c.1 d.40 n.1
Reus cuius sumptibus transmittẽdus sit, qui à cõdemnatione corporali appellauit ad Senatũ, l.9 t.3 p.1153 c.1 d.1 n.1
Reus vt repetatur in suis confessionibus quas fecit in tormentis quod tempus expectari debeat, l.9 t.21 p.1191 c.2 d. 18 num.1
Res confessio sola siue spontanea siue in tormentis facta sufficit ad condemnationem ordinariam si constet de delicto, secus si non constet, lib.9 t.21 p. 1193 c.2 d.27 n.1
Rei declaratio nolentis testes sibi exhiberi & committi, habetur pro tacita criminis confessione, l.9 t.2 p.1153 c.2 d.14 num.1 in all.
ad Rei absentis defensionem nemo admittitur, nec ad appellandum pro absente condemnato, nisi hac lege vt exhibeat reum, eúmq; carceribus mancipetur ante omnia, l.9 t.2 p.1152 c.1 d.11 n.4 in all.
Rei morte soluitur iudicium criminale etiam quod ad patrem pecuniariam fisco applicandam, sed non pro sumptibus litis & eo quod interest partis, l.9 t.2 p.1153 c.2 d.15 n.1
Rei criminum atrocissimorum nec priuilegiatorũ clerici, ad iudicem ecclesiasticã remittuntur, sed ita vt si criminis socios laicos habeant oporteat litẽ per iudicem eccles. tractari, adiũcto iudice laico, & assistẽte procuratore generali, l.9 t.17 p.1180 c.2 d.1 n.8 in all.
Reo nulla imputanda est negligentia quamdiu nullam diligentiam actor adhibet, pag.162 c.2 defin.26 nu.12
Reo, qui & obtectionem testium passus & ad iustificationes suas admissus fuit, non est danda dilatio ad respondendum, vt aiunt, per attenuationem, li.9 t.2 p.1150 c.2 d.6 n.1
Reo, ex quo ad locum torturæ deductus est, licet nondũ processum sit ad spoliationem & ligaturam non licet appellare, potẽstq; sperni impune appellatio, l.9 t.21 p.1188 c.2 d.6 n.4 in al.
Reo iurante in actionibus omnibus realibus se nescire, An rem possideat, quę petitur, loci indicatio actoris sumptibus facienda est, lib.3 t.21 p.227 c.2 d. 7 num.13
Reo negante iudici testes adhiberi debent, & ab eo audiri, vt magis scire possit An & quanta fides iis adhibenda sit, l.2 t.15 p.330 c.1 d.9 n.7 in all.
Reo nihil denegandum est quod ad eius innocentiam probãdam prodesse possit, li.4 t.15 pag.328 col.2 d.3 n.8 in all.
Reo mortuo pendente appellatione nihilominus ferenda est sentẽtia in causa appellationis propter damna fructúsque litis expensas, lib.4 t.12 p.304 c.1 d.1 n.1 2 3 & 4
Reum non negare non sufficit vt fateri videatur, nec ad sententiam procedi potest, nisi facta priùs contestatione, li.7 t.19 p.879 c.1 defin.18 num.1
Rei fauorabiliores sunt, quam actores, l. 4 t.14 p.320 col.1 d.49 n.8 in al.
ROGATIONVM feriæ nõ sunt indictæ in honorem Dei, lib.3 t.11 p.188 col.2 defin.6 num.1 & 5. A quo institutæ, Ibid.n.2
Rogationum diebus extra horas solemnibus supplicationibus constitutas ab iis quæ ad iudicij ordinandi solẽnitatem pertinent nulla est abstinẽdi necessitas, l.3 t.11 p.189.c.1 d.6 n.7 8

S

SABAVDIÆ Sereniſſimi Duces habẽt iura Imperij, & gaudent priuilegiis omnibus Imperatoris, lib.7 t.11 p.824 col.1 d.1 n.1
SACERDOTI reuelanti sacramentalem confessionem nõ creditur, lib.4 t.15 p. 338 c.1 d.38 n.1
SACRILEGIVM est si dives eleemosynam accipiat, l.1 t.3 p.41 c.2 d.57 n.2
Sacrilegij crimen est mixti fori & quomodo in eo, aliisq; similibus mixti fori criminibus procedendum sit, si ex accusatis quidam sint clerici, quidam laici, l.9 t.17 p.1180 c.2 d.1 n.1
SACRISTIA est officium, l.1 t.2 p.7 c.2 d.26 n.3 in all.
SALARIVM procurator post biennĩ, à die tamen finiti officij, non finitæ litis numerandum, petere non potest, l.4 t. 14 pag.469 col.2 d.34 numero 1 & 2
Salarium scripturæ si propter egestatem litigatoris solui numerata pecunia non possit quid sit faciendum? pag.167 c.1 d.2 n.1 5 & 6
Salarij præcedentis constitutio mandati & præpositionis est probatio, li.4 t.27 pag.411 c.2 d.2 nu.6 in all.
Salaria non nisi obsequij ratione debentur, l.4 t.7 p.291 c.2 d.19 n.2 in all.
Salaria & alimenta famulo ægroto debentur ea lege vt quãdo conualuerit tanti temporis accessione damnum sarciat, quãti illud fuit quo ægrotauit lib.4 t.7 pag.291.c.1 d.19 n.2

BIU Cujas

INDEX.

SALVAGVARDIA per Principem cõcessa tollit non iurisdictionem domini inferioris,l.3 t.12 p.190 c.2 d.5 n.2

SALVI conductus,vt vocant, literarum vsus nullus est apud Sabaudos,l.9 t.28 p.1213 c.1 d.6

SANGVINIS redimendi honesta est quælibet ratio,etiam per mendacium, lib.9 t.2 p.1153 c.2 d.14 n.2 in all.

SATISDANDI facultas non semper cuilibet præsens est ac expedita, lib.4 t.10 p.301 c.1 d.9 n.5 in all.

Satisdandi vix vlla necessitas ei iniungitur qui beneficij possessionem ex Senatusconsulto nanciscitur, p.154 c.2 d.20 n.1 in all.

Satisdandi onus plerumque graue est, præsertim homini egeno, cui non fuerit difficilius pecuniam inuenire quam fideiussorem, l.3 t.20 p.223 c.2 d.5 n.4 in all.

Satisdandum est in omnem locationis causã l.8 t.41 p.479 c.2 d.44 n.8 in all.

Satisdare debetis,qui pecuniam petit sibi legatam ad aliquid faciendum,non etiam qui petit bona immobilia,pag. 154 c.1 d.19 n.1

Satisdare filius naturalis & legitimus non cogitur cui pendente lite certa quantitas pro alimentis aut sumptibus litis ex paterna substantia prouisionaliter adiudicata est, p.150 c.1 d.7 n.1.2 & 3

Satisdare cogitur qui rem communem sine sociis vendidit,quo venditionem laudaturos promiserat, l.4 t.33 p.436 c.1 d.5 n.1.2.3 & 4

Satisdare iussus de non offendendo ad rectam vsque pecuniæ quantitatem, si minus idoneos fideiussores offerat,nõ est audiendus,p.153 c.2 d.17 n.1 & 2

Satisdare de non offendendo iussus si non possit satisdare quid faciendum, pag.149 c.2 d.6 n.1.2 & 3

Satisdare possessor immobilium non cogitur;p.151 c.2 d.11 n.4

SATISDATIO interponitur quo magis non quo minus bene & ex boni viri arbitrio vsufructuarius re aliena fruatur l.3 t.23 p.236 c.2 d.2 n.5 in all.

Satisdatio pleniſſimam tribuit indemnitatem,l.4 t.3 p.281 c.2 d.6 n.6 in all.

Satisdatio præstanda est quoties in limine contractus, euictionis periculum imminet, lib.4 t.10 p.296 c.2 d.1 n.19 in all.

Satisdatio tunc præstanda est cùm vnus petit,alius vsumfructum constituit l.3 t.23 p.238 c.2 d.9 n.4 in all.

Satisdatio pro instrumenti guarentigiati executione præstari debet præsẽte aduersario:pro sententiæ verò prouisionalis executione absente & ignorante eo qui se obligauit,p.152 c.1 d.13 n.3

Satisdatio aduersus denunciationes & sequestrationes promptissimum est remedium,p.297 c.1 d.2 n.10 in all.

Satisdatio ad pecuniam debitam repetendam sufficit quoties euictionis periculum imminet,l.4 t.37 p.455 c.1 d.1 n.6 in all.

Satisdatio ratione pecuniæ nunquam præstanda est,nisi cum dies solutioni dictus est vel locus, l.4 t.2 p.274 c.1 d.8 n.24

Satisdatio ratione pecuniæ numquam præstanda est,nisi cum dies solutioni dictus est vel locus, l.4 t.2 p.268 c.2 d.8 n.4

Satisdatio obligationis, adeoque & numerationis loco esse solet,l.4 t.2 p.278 c.1 d.18 n.7 in all.

Satisdatio non mutat maleuolum satisdandis propositum sed diutius grassandi in re aliena ei facultatem præbet,l.3 t.23 p.236 c.1 d.2 n.6

Satisdatio non mutat rationem iuris, nec tam opportunum iuris auxilium ad iniuriæ occasionem trahi debet, l.3 t.22 p.234 c.2 d.15 n.5 in all.

Satisdatio non iudici sed aduersario præstanda est,p.152 c.1 d.13 n.2 in all.

Satisdatio non facit liquidum debitum, quod liquidandum est per iudicem appellationis: siquidem non nisi in casu debito & incerto satisdari solet, l.4 t.23 p.381 c.1 d.10 n.3 in all.

Satisdatio oblata eo tempore quo nondum locus esse potest liquidationi, non videtur congruo tempore præstita pag.182 c.2 d.11 n.1

Satisdatio vitiosa pro non satisdatione est.p.182 c.2 d.11 n.5 in all.

Satisdatio diutius grassanda in re aliena potestatem facere non debet, l.4 t.41 p.478 c.2 d.43 n.2 in all.

Satisdatio diutius grassando in re aliena potestatem facere non debet, l.4 t.41 p.472

Satisdationis onus ad alias personas prorogari non debet, lib.3 t.19 p.221 cap.1 d.14 n.1

Satisdationis onus interdum victori iniungitur,p.148 c.2 d.2 n.10

Satisdationis præstandæ necessitas sicut non facit indebitum quod fuit debitum:ita nec præstita aut oblata satisdatio facit omnino debitum id quod forsan apparebit indebitum,lib.4 t.23 p.381 c.1 d.10 n.3 in all.

Satisdationem offerri & præstari sufficit pro accessoriis quæ non sunt liquida,l.4 t.26 p.453 c.2 d.17 n.1 in all.

Satisdatione securus sit is, cui cauetur, l.4 t.33 p.438 c.1 d.11 n.2 in all.

Satisdationes nunquam nisi ex causa irrogantur,& præcedente causæ cognitione,p.148 c.2 d.2 n.9 in all.

SCRIPTOR pro salario suo habet ius retentionis,p.167 c.1 d.2 n.1 in all.

SCRIPTVM esse aliud siquidem est, aliud in scriptis factum esse, l.9 t.14 p.1177 c.2 d.1 n.3 in all.

SCRIPTVRA priuata munita subscriptione trium pluriúmve personarum integræ probatæque existimationis pro publica habetur,l.4 t.16 p.345 c.2 d.3 n.4

Scriptura priuata perinde fidem facit ac publica,ex quo scilicet recognita est, maximè verò in præiudicium scribẽtis,l.9 t.13 p.1175 c.1 d.11 n.1 in all.

Scriptura cuiusque priuata pro eo fidem non facit,l.4 t.13 p.834 c.1 d.24 num.3 in all.

Scripturæ priuatæ recognitio semper facienda est,nec subscriptionis tantùm, sed etiam notæ, quæ loco suscriptionis subiecta sit, li.4 t.16 p.352 c.2 d.23 n.4.5 & 6

Scriptura enim priuata nisi recognoscatur,fidem non facit.Ibid.n.2 in all.

Scriptura Senatoris à graphario eius subscripta non potest impugnari citra solemnem falsi inscriptionem, l.4 t.16 p.353 c.2 d.24 n.4 in all.

Scriptura quam notarius imperitus donauit nomine codicillorum nõ eo minus valeat iure testamenti si habeat omnes solemnitates testamentorum. Et de clausula codicillari E,An ei qui egit quasi ex codicillis liceat variare, l.6 t.5 p.622 c.2 d.1 à n.1 ad 19

Scriptura matrix, est scheda seu nota & abbreuiatura, &, vt Pragmatici loquuntur,minuta,ex qua protocollum sumitur, lib.4 t.16 p.353 c.1 d.24 nu.4 in all.

Scriptura non pertinet ad substantiam testamentorum nuncupatiuorum,l.6 t.5 p.635 c.2 d.30 n.4

Scriptura, cùm de solo facto quæritur, per testes probari potest,p.21 c.1 d.6 n.4 in all.

Scriptura per testatorem subscripta & iure testamenti valere iussa, non eo magis valet, si neque manu testatoris hæres scriptus sit, neque eius lingua nuncupatus,vt nec iure codicillorum, si clausula codicillaris desit, l.6 t.5 p.632 c.1 d.20 n.1

Scripturæ diuersitas in substantialibus, vtramque scripturam viciat,lib.4 t.16 p.346 c.1 d.4 n.1

Scripturæ ordo non potest mutare ordinem iuris & voluntatis, l.4 t.28 p.415 c.2 d.4 n.2 in all.

Scripturæ credendum est quoties à notario scriptum est iurasse testatorem nisi qui negat paratus sit de crimine falsi instituere accusationem,lib.6 t.5 p.626 c.2 d.10 n.7

Scripturæ publicæ potius standum est, quàm priuatæ,lib.4 t.16 p.345 c.2 d.3 num.3

Scripturæ seu instrumento standum est, nisi in his qui post scripturam & extra contractum facta proponuntur,lib.4 t.28 p.413 c.2 d.5 num.1

Scripturæ repertæ in archiuis monasterij probant in antiquis, etiam contra tertios,l.4 t.14 p.324 c.1 d.61 n.1

Scripturæ plures si ab eadem parte proferantur quæ nulla cõciliari interpretatione inter se possint vtraque reiicienda est,l.4 t.16 p.346 c.2 d.3 n.1.2

Scripturæ si fieri possit cõcordandæ sunt l.4 t.16 p.345 c.2 d.3 n.1 in all.

Scripturæ confici plerumque solent non vt formam dent contractui, sed facilioris probationis gratia & ad futuram rei memoriam,lib.4 t.15 p.332 c.2 d.23 num.2

Scripturæ publicæ totam vim suam & autoritatem accipiunt ab autoritate Principis, lib.4 t.16 p.349 c.1 d.13 n.8 in all.

Scripturas susceptas comminiscentes tanquam falsarij puniendi sunt, nisi veritatem iis adesse probetur, l.4 t.16 p.351 c.2 d.21 n.11

an SECVNDVS filius dici possit,qui ab alio illegitimo an euertitur, l.6 t.19 p.711 d.25

Secundi appellatio dicit ordinem ad Primum, non etiam Primi ad secundum,aut vltimi ad Primum, lib.6 t.19 p.711 c.2 d.24

SEIPSVM vltro prodere nemo cogitur,l.7 t.4 p.800 c.1 d.2 n.1 in all.

SENATOR mandatã à Præside aut alio quàm Principe iurisdictionem exercere non debet, p.171 c.2 d.1 n.2 & 3

Senator iudicandi necessitatem habet, quoties neq; litigatoribus,neque sibi ipsi suspectus est p.174 c.1 d.1 n.7 in al.

Senator potest esse iudex in causa sui emphyteutæ, dum ne agatur de ipsa emphyteusi,lib.3 t.4 p.176 c.2 d.9 nu.1.2. limitatur ibid.

Senator solus instrumenta pupillaria quæ in domo vitrici post mortem matris, quæ tutrix fuerat, inuenta sunt, inspicere,& legere potest, lib.4 t.3 p.281 c.1 d.4 num.2

Senator non prohibetur ius dicere in ea causa quæ de Aduocati aut Procuratoris sui iure apud Senatum tractatur, p.173 c.2 d.1 n.1

Senator recusatus,quamuis nondum remotus nihil interim constituere in ea lite potest,in qua est recusatus, p.175 c.2 d.6 n.1

Senator non potest esse iudex in causa inquilini sui aut eius cuius ipse inqui

BIU Cujas

lium est,lib.3 t.4 p.174 c.1 d.3 n.3 in all.potest in causa coloni sui si ille sit nummarius, Ibid.

Senator, episcopalem dignitatem post Senatorium adeptus,Senator esse desinit,nisi teneatur p.31 c.1 d.13 n.3

Senator quando, & qua de causa suspectus haberi potest p.174 c.2 d.3 n.1.2 & 3

Senator qui suspectus dicitur potest de causis suspicionis contra Senatores alios allegatis sententiam dicere, quàdiu non est remotus,p.174 c.1 d.2 n.1

Senatori non licet honorarium vllum accipere quàm à suo principe,lib.11.7 p.47 c.1 d.1 n.3 in all.

Senatores quę priuilegia habent,non tã dignitatis,quàm solius officij ratione non transeunt ad eorum viduas, aut libero-,l.9 t.29 p.1220 c.1 d.23 n.1

Senatores olim,teste Liuio,in Senatum venire cogebantur, l.4 t.15 p.330 c.2 d.10 n.3 in all.

Senatorum & Rationalium. statusque Consiliariorum ius est, vt siue agant, siue conueniantur, eum habeant iudicem.qui Sabaudiæ iuridicus maior est,l.3 17 p.207 c.1 d.1 n.1

Senatoribus votis dissentientibus, ea pars vincit quæ numero potior est, p.47 c.1 d.2 n.1

Senatvs Principis vice cognoscit, quomodo olim præfecti prætorio, l.4 t.15 p.336 c.2 d.33 n.16 in all.

Senatus personam repræsentat ac maiestatem Principis, l.9 t.29 p.1215 c.1 d.5 n.4 in all.

Senatos appellationum supremus iudex est,p.147 c.2 d.8 n.6 in all.

Senatus actorum iudicialium editione ad cuiusque postulationem sine vlla exceptione decernit,p.68 c.2 d.8 n.3

Senatus,& si suprema,quod aiunt,manu, plerumque habet restitutionem in integrum ex diplomate Principis pro impetrata, nunquam tamen supplet perfectum rescripti non impetrati,per quod euertenda sit præcedentis Senatusconsulti autoritas via ciuilis supplicationis,p.130 c.1 d.5 n.1 & 4

Senatus qui sola veritate rei inspecta iudicare debet, æquitatis maiorem quam stricti iuris rationem habere solet,l.4 t.15 p.336 c.1 d.33 n.15 & 16

Senatus forensibus & alienigenis iura sua persecuturus satisdandi necessitatem imponere non solet,p.153 c.1 d.15 n.1

Senatus potest iudicare secundum conscientiam & non semper secundum allegata & probata, l.7 t.14 p.836 c.1 d.7 n.1

Senatus ex causa potest negligere consensum procuratoris generalis,pag.72 c.1 n.19 n.3 in all.

Senatus quod fieri iussit sub certæ pœnæ coniunctione præcisè faciendum est, sed non facilè multa irroganda nec nisi ex magna causa,l.7 t.23 pag. 904 c.1 d.1 n.1

Senatus, quando appellans est contumax, & de confirmando iudicato agitur visis actis contra appellantem pronunciare solet,p.160 c.2 d.19 n.3

Senatus non solum mandatam executionem reuocare, sed etiam inferiorũ feudatariorum iurisdictiones, sicut & cætera, quæ sunt proprijs cuiusque patrimonij tueri debet, l.3 t.12 p.192 c.1 d.13 n.4 & 5

Senatus decretum licet causam habuerit à consensu falsi procuratoris impedit appellationem tanquam ab abusu si nullus impetrantis dolus interuenerit,l.7t.28 p.925 c.2 d.2 n.1.& 2

Senatus possessionem beneficij quantilibet momentaneam ei cõcedere non solet, qui nullo iuris colore nititur, l.4 t.3 pag.280 c.2 d.3 n.3 in all.

Senatus, omnes mulierũ obligationes, quę pro alieno debito factę sunt, improbat,l.4 t.11 p.264 c.1 d.6 n.2 in all.

Senatus ita solet pronunciare, vt non aufferat condemnato facultatem appellandi ab iniusta sententia per quam idem fuerit condemnatus, l.7 t.14 p.839 c.1 d.12

Senatus decreta non debent esse eluso ria l.7 t.23 p.904 c.1 d.1 n.5 in all.

Senatu autore qui nactus est possessionem beneficij condemnari potest ad restitutionem fructuum omnium exinde perceptorum,l.7 t.18 pag.863 c.1 d 53 n.1

Senatvsconsvltvm aut noua Iustiniani constitutio, nec donanti, nec alienanti, nec soluenti muleri succurrit, sed obligatæ tantum & intercedenti,l.4 t.21 p.363 c.1 d.3 n.4

Senatusconsultum Velleianum quod venditionem & obligationem improbat, non damnat pignoris liberationem l.4 t.21 p.362 c.2 d.1 n.9 in all.

Senatusconsulti executio citra ciuilem supplicationem impediri potest, si Senatusconsultum ob id nullum si quod mandatum ad litem agendam aut suscipiendam non habuerit is, qui tanquam procurator condemnatus est,p.51 c.1 d.10 n.1.2 & 3

Senatusconsulto Velleiano per speciem obligationis correorum fieri fraus potest,l.4 t.21 p.362 c.2 d.1 n.1 in all.

Senatusconsultum impugnans qua pœna mulctetur, p.168 c.1 d.5 n.4

Senatusconsulta duo de eadem re ne sint cauendum, l.4 t.1 p.270 c.1 d.46 n.5 in all.

Senex dum ne decrepitus torqueri potest,& cum non potest torqueri, tamen terreri potest, si crimen sit atrocioribus l.9 t.1 p.1193 c.1 d.24 n.1

Sententia stricti iuris est, semperque strictè interpretanda lib.8 t.41 p.1007 c.1 d.1 n.6

Sententia est stricti iuris,eiusque forma districtè seruanda est,p.152 c.2 d.13 n. 4 in all.

Sententia non semper ius tribuit, sed quod iam anteà competit, declarat, p.109 c.1 d.4 n.7 in all.

Sententia,licet iniqua,ius facit, lib.4 t.1 p.267 c.1 d.33 n.2 in all.

Sententia inter auditos & consentientes ius facit l.110 c.2 n.8 in all.

Sententia conformis esse debet libello & actoris petitioni, non responsioni, quam reus fecerit ad petitionem p.155 c.2 d.3 n.5 in all.

Sententia non ex litigatorum consensu, sed ex iudicis rerũmque iudicatarũ autoritate vires accipit,p.91 c.1 d.13 n.6

Sententia de iurando non transit in rem iudicatam priùs quàm sit iuratum,l.4 t.1 p.267 c.2 d.35 n.1

Sententia confirmans executionem retrotrahitur ad tempus executionis, l.7 t.20 p.898 c.1 d.55 n.1

Sententia lata de fructibus iure dominij petitis nocet quandocunque condemnato fundum ipsum vindicanti l.7 t.19 p.874 c.2 d.5 n.1

Sententia lata contra fratrem qui tam suo,quàm fratris nomine condemnatus est,si neque mandatum neque ratihabitio interceßit, fratri non nocet l.7 t.24 p.902 c.1 d.7 n.1

Sententia lata in causa appellationis cõtra eum,qui cum procuratore iurisdictionalis in prima instantia obtinuerat an noceat procuratori iurisdictionali l.7 t.22 p.902 c.1 d.8 n.1

Sententia lata prolegitima contra heredem non potest mandari executioni contra tertios possessores, nisi facta prius liquidatione & excussione bonorum contra heredem condemnatum l.7 t.22 p.902 c.2 d.10 n.1

Sententia lata de nobilitate ab vno magistratu an pariat exceptionem rei iudicatæ coram alio magistratu & contra tertium l.7 t.19 p.875 c.2 d.7 n.1

Sententia contra patrem lata potest mandari executioni contra filium tanquam heredem.sed in bonis patris, non in bonis filij lib.7 t.20 p.891 c.1 d 30 n.1

Sententia lata contra prælatum nocet successori in beneficio, nisi lata sit in collusionem aut contumaciam decessoris l.7 t.22 p.903 c.1 d.11 n.1

Sententia lata contra tutorem non aliter pupillum afficit, quàm si victor probet fuisse verum tutorem l.7 t.22 p.901 c.1 d.3 n.1

Sententia lata contra tutorem qui non satisfecit, potest interdum mandari executioni contra pupillum, adeóque in propria ipsius bona, etiam pro debito illius, cui pupillus heres sit cum beneficio legis & inuentarij l.7 t.20 p.893 c.1 d.36 n.1

Sententia contra alios lata aliquando aliis nocet,etiam minoribus, aut absentibus,& indefensis lib.7 t.25 p.908 c.1 d.5 n.1

Sententia inter alios lata aliis non nocet,l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.1 in all.

Sententia inter alios lata alij non auditis nec vocatis non nocet,l.6 t.11 pag. 661 c.1 d.6 n.3 in all.

Sententia inter alios lata pro herede cum beneficio legis nocet creditoribus etiam non vocatis l.7 t.25 p.907 c.1 d.1 n.1

Sententia inter alios lata parit exceptionem rei iudicatæ quoties eadem est causa vincendi & idem status causæ apud eundem iudicem si, qui nunc agit,priori liti adfuit, secus si non adfuit l.7 t.19 p.873 c.2 d.4 n.1

Sententia contra Syndicos etiam non nominatos lata ipso iure tenet & afficit vniuersitatem l.7 tit.19 p.877 c.2 d.13

Sententia nullis probationibus factis lata,ipso iure nulla est, l.4 t.15 p.344 c.1 d.61 n.4

Sententia die in honorem Dei feriato lata omnimodo ex appellatione rescindenda est,licèt recte,iustéque lata sit,l.3 t.11 p.187 c.1 d.1 n.1 & 2

Sententia iudicis non probat factum puta consensum partium lib.4 t.14 p. 309 c.2 d.7 n.1 in all.

Sententia iudicis ab eo lata & subscripta post mortem eius amplius pronunciari non potest, l.7 t.19 p.876 c.2 d.8 n.1 in all.

Sententia contra falsum authorem lata minori non nocet lib.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.3 in all.

Sententia ferri debet super eo quod in petitionem deductum est;non quod in præstatione tantum est, lib.8 tit.18 p.1010 c.1 d.33 n.7 in all.

Sententia, iudice mandante, per actuarium pronunciari potest l.3 t.11 p.187 c.1 d.1 n.2 in all.

Sententia nonnunquam pronunciatio dicitur,p.176 c.1 d.7 n.2 in all.

Sententia dicenda non est quæ neque absolutionem neque condemnationem continet,l.3 t.12 p.191 c.2 d.9 n.3 in all.

BIU Cujas

Sententia inanis est quamdiu executioni mandata non est, l.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.17 in all.
Sententia per petitam in integrum restitutionem suspenditur, p.137 c.1 d.1 n.17 in all.
Sententia contra priorem emphyteutam potest mandari executioni etiã contra nouum possessorem, sed eo ante omnia citato, l.7 t.25 p.808 c.1 d.6 n.1
Sententia quælibet statim mandari debet executioni contra moratorem, oblata satisdatione, p.182 c.1 d.10 n.3
Sententia inutilis non est, quæ propter fructus necessario reddenda est, p.181 c.1 d.8 n.3 in all.
Sententia plures partes & plura habens capita rescindi potest, pag.169 c.1 d.7 n.7 in all.
Sententia plenior tollit minùs plenam, p.58 c.3 d.15 n.4 in all.
Sententia diffinitiua pro eo lata qui iam obtinuit prouisionalem non potest mandari executioni, si ab ea sit appellatum ne quidem prouisionaliter. Ipsa tamen prouisionalis sententia mandari potest executioni, l.7 t.10 p.892 c.1 d.34 n.1
Sententia diffinitiua tollit omnes interlocutorias præcedentes contrarias, l.4 t.3 p.280 c.2 d.3 n.6 in all.
Sententia diffinitiua quoties remoratur aut impeditur, condemnationi fiduciariæ & prouisionali locus est, l.4 t.10 p.296 c.2 d.1 n.13 in all.
Sententia diffinitiua nec sub conditione, nec sub incerto fieri potest. l.4 t.10 p.296 c.2 d.1 n.14 in all.
Sententia prouisionalis per definitiuam plerumque confirmatur, p.60 c.2 d.23 n.2 in all.
Sententia prouisionalis quę statim executioni mandari potuit non obstante appellatione, nõ eo minus executionem merebitur, quod à diffinitiua sẽtentia per quam confirmata est, fuerit prouocatum, p.60 c.2 d.23 n.1 & 2
Sententia prouisionalis, itémque diffinitiua an & quando possit mandati executioni non obstante & salua nihilominus appellatione, l.7 t.15 p.840 c.1 d.2 n.1
Sententia prouisionalis non nisi per diffinitiuam potest reuocari, reuocata autem nullius effectus, quamuis à definitiua fuerit prouocatum, l.7 t.19 p.873 c.1 d.3 n.1
Sententia prouisionalis tollitur per diffinitiuam, sed reuiuiscit si à diffinitiua sit appellatum, l.7 t.15 p.844 col.1 d.14 n.1
Sententia quæ plura capita continet, potest pro parte valere, & pro parte non valere, si modo non sint connexa, l.7 t.26 p.913 c.2 d.10 n.1 in al.
Sententia à quæ appellatum est ius facere non potest, l.4 t.14 p.309 c.2 d.7 n.2 in all.
Sententia quę errorem specificè expressum non continet, si in actis error aliquis est, ideò non viciatur, pag.344 c.1 d.61 n.3
Sententia nulla transit hodie in rem iudicatam, si ab ea non appelletur, li.7 t.27 p.923 c.2 d.13 n.1 & 2
Sententia ipso iure nulla confirmari (cum id quod nullum est non fit confirmabile) nullomodo potest, l.4 t.15 p.344 c.1 d.61 n.11 in all.
Sententia non pendet ab executione, sed executio à sententia, l.7 t.7 p.815 c.1 d.29 n.2 in all.
Sententia potest quidem ipsa esse incerta, sed non executio sententiæ, lib.9 t.20 p.883 c.2 d.10 n.1 in all.
Sententiæ arbitri, quam litigatores ratã habuerint, standum est, nullo etiam præcedente compromisso: secus eius sententiæ non statur, nisi metu pœnæ, p.145 c.1 d.1 n.1 & 2 & 1.in all.
Sententiæ executio, præsertim prouisionalis, non potest impediri prætextu noui instrumenti, si non probetur reddita ex falsis instrumentis aut testamentis, p.148 c.1 d.2 n.5 in all.
Sententiæ executionem contra alium qui impedit, tertio facienda est exhibitio non tantum sententię, sed etiam omnium instrumentorum litis, lib.7 t.22 p.902 c.2 d.9 n.1
Sententiæ exequendæ ius non semper illi competit, qui sententiam dixit, p.147 c.1 d.6 n.7 in all.
Sententiæ pronunciatio sola, etiam die feriato, dum in honorem Dei fit feriatus, fieri potest, l.3 t.11 p.188 c.2 d.5 n.1
Sententiæ vigor in executione consistit, l.3 t.18 p.208 c.1 d.1 n.4 in all.
Sententię vigor in executione consistit, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.17
Sententiæ acquiescere non videtur qui pactur aduersarium iurare in supplementum probationis ex sententia iudicis, l.7 t.29 p.934 c.2 d.9 n.1
Sententiæ etiam iniquæ, à qua non fuit appellatum, standum est, sed ita vt postea appellandi facultas non præripiatur, l.7 t.19 p.878 c.1 d.14 n.1
Sententiam necessariò præcedere debet facti, omniumque ab eo circunstantiarum dependentium cognitio, l.4 t.10 p.296 c.1 d.1 n.14 in all.
Sententiam pro se latam exequi nemo cogitur, nec conueniri primus ex iudicato, etiamsi incidenter & in consequentiam pròpositam actionis aliquid inuicem aduersario præstare condemnatus sit, lib.7 t.20 p.897 c.2 d.54 n.1 & seq.
Sententiam executioni mandatã reuocatam esse parum est, nisi ipsa reuocẽtur executio, l.4 t.38 p.458 c.1 d.10 n.17
Sententiam in causis ex registro decidendis dicere soli possunt qui in subselliis publici inter Senatores sederunt, aut saltem sedendi ius habuerunt, l.3 t.12 p.201 c.2 d.45 n.2
Sententiam interlocutoriam qui reuocare potest, cautionis onus ex iusta causa superueniente potest iniungere, l.4 t.3 p.280 c.2 d.3 n.8 in all.
à Sententia quantumuis nulla hodie necessariò appellandum, l.3 t.3 p.173 c.2 d.4 n.7 in all.
in Sententia quæ decretum interponit super subhastationibus tãquam legitimè factis non solet quicquã pronunciari de damnis & interesse, sed tantum de fructibus restituendis, si quos debitor à tempore expeditionis perceperit. l.8 t.8 p.997 c.1 d.29 n.2 in all.
A Sententia contra alium lata sufficit vt intra decennium ex die notitiæ appellet is, cuius interest, l.7 t.26 p.911 c.1 d.10 n.1
De Sentẽtia lata super possessorio simul & petitorio, l.8 t.3 p.957 c.1 d.19 n.1
De Sententia contra curatorem hereditatis data, l.7 t.19 p.877 c.1 d.12 n.1
Sententiæ omnes scribuntur & in actis describuntur, l.4 t.15 p.340 c.1 d.45 n.3 in all.
Sententiarum diuersitas in pœnis quãrum aliæ aliis non insunt impedit omnino ne sententiæ iungi possint, p.48 c.1 d.3 n.6 in all.
Sententiis Senatorum rogandis, à relatore primum, deinde ab iis qui in amplissimum ordinem adsciti sunt, cuiuscumque sint ætatis & eruditionis, Præses incipit, ipséque vltimus sententiam dicit, p.48 c.1 d.4 n.1 & 2
Sententias ponderare operæ pretium magis est, quàm numerare, p.47 c.2 d.1 n.1
de SEPARATIONE bonorum per creditores defuncti, ne remittantur ad instantiam discussionis bonorum hæredis, l.7 t.32 p.947 c.1 d.24 n.3
SEQVESTER factus per iudicem, si spoliatus sit restitui potest ab eodem iudice contra spoliatorem iam alterius fori l.8 t.3 p.957 c.1 d.18 n.2 & 3
SEQVESTRARI beneficium non debet lite pendente & quamdiu de non iure eius qui possessor factus est, non fuit cognitum, l.4 t.3 p.280 c.2 d.3 n.3
SEQVESTRATIO fit requirente procuratore generali antequam constet cui prouisum sit de beneficio; vt interim œconomus constituatur qui ecclesiam curet, ac fabricia vt diuinus cultus non negligatur, l.7 t.18 p.863 c.2 d.53 n.1 in all.
Sequestratio interdum sit tantùm custodiæ causa, l.4 t.3 p.279 c.1 d.1 num.5 in all.
Sequestratio à Senatu fieri iussa non potest impediri oblata satisdatione & satisdandi facultate, l.7 t.19 p.876 c.1 d.8 n.1
Sequestratio quæ sit per iudicem custodiæ causa & vt res in tuto sit, non admittit possessionem ei qui possidet, l.4 t.3 p.279 c.2 d.2 n.2
Sequestratio per iudicem facta interdũ spoliatio est. Et quib. remediis emendanda sit, l.8 t.3 p.956 c.2 d.16 n.5 & 6
Sequestratio per seruum facta non nocet domino, lib.4 t.3 p.279 c.1 d.1 n.5 in all.
Sequestratio debitori per præscriptionem nota fieri potest, l.4 t.10 p.299 c.2 d.7 n.9 in all.
Sequestratio quæ pro debito facta est non solet tolli nisi quod debetur, creditori soluatur, p.169 c.2 d.9 n.3 in al.
Sequestratio rei litigiosæ eo prætextu fieri non potest, quod restituendis fructibus, qui actor adiudicati possunt, impar futurus sit possessor, p.57 c.1 d.9 n.3 & 4
Sequestratio possessionis in causa profana post appellationem facta, censetur attentata, p.57 col.1 def.9 num.3 in all.
Sequestratio possessionis rei litigiosæ, in alium translatio est, l.4 t.3 p.279 c.1 d.1 n.5 in all.
Sequestratio non potest fieri partibus inauditi, nec tolli inaudito sequestrante, l.4 t.3 p.282 c.2 d.7 n.12 in all.
Sequestratio licet semper odiosa & regulariter prohibita sit, aliquando tamen contra inauditum ex æquitate permittenda est, p.281 c.2 d.6 n.1 & 4
Sequestratio licet nullo iure facta, tolli non potest in audito eo qui impetrauit vt fieret, l.4 t.3 p.281 c.1 d.5 n.1
Sequestrationis ratio nulla habenda est, si inter condemnatum & eum qui sequestrationem petiit collusio intercedat, l.4 t.3 p.281 c.1 d.5 n.6
Sequestrationi beneficij tam locus est cum neuter litigatorum habet ius obtinendi, l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 numer.13 in all.
Sequestrationi beneficij nullus vnquam locus esse potest, si titulus aliquis, dummodo saltem coloratus adsit, p.6 c.2 d.23 n.5 & 6
Sequestrationem tollere nihil aliud ferè est quam sequestrationis impetrantẽr aut prouisionaliter aut diffinitiuè

BIU Cujas

condemnare, p.169 c.2 d.9 n.3
de Sequestratione facta pecuniæ debitę quidem creditori, sed quæ nec erat debitoris nec obligata debitori, l.4 t.3 p.281 c.2 d.7
SERVITVS quæ prædio semel quæsita fuit, sine fundo retineri non potest, l.3 t.24 p.242 c.2 d.11. n.6 in all.
Seruitus debita fundo vendito sequitur fundum, licèt non sit tam necessaria emptori quàm fuit venditori, l.3 t.24 p.239 c.1 d.2 n.1
Seruitus indefinita sic interpretanda est, vt quàm minimo fieri potest incommodo seruiens fundus oneretur, lib.3 t.24 p.240 c.1 d.4 n.1
Seruitus pro parte amitti non potest, sicut nec acquiri, l.3 t.24 p.239 c.2 d.3 n.6
Seruitus constitutio alienationis species quædam est, l.3 t.24 p.239 c.2 d.2 num.7 in all.
Seruitutes pactionibus, iustisque conuentionibus rectè constituuntur & acquiruntur, l.3 t.24 p.240 c.1 d.3 n.5 in all.
Seruitutes omnes causam continuam habere debent, & perpetuam, nullæ discontinuam, l.3 t.24 p.240 c.1 d.3 n.3 in all.
Seruitutes siue vrbanorum siue rusticorum prædiorum licet sint incorporales, corporibus tamen accedunt, lib.3 t.24 p.242 c.2 d.11 n.3 in all.
Seruus etiam inuitus libertate donari potest, l.7 t.1 p.786 c.2 d.21 n.1 in all.
neque SEXVS, neque communio dominij eximit violentum inuasorum à pœna legibus constituta, l.8 t.3 p.960 c.2 d.28 n.5
SIGILLVM non sufficit vbi necessaria est subscriptio, l.4 t.14 p.313 c.1 d.20 n.1
Sigillum adhiberi potest interdum fraude conquisita, lib.4 t.14 p.313 c.1 d.20 n.1 in all.
Sigilli alieni appositio, si modo nihil dolosè & in fraudem factum sit, consensum & mandatum probat, p.29 c.1 d.3 n.10 in all.
ex Sigillo regulariter probatur aut præsumitur consensus eius, cuius sigillum est, nisi appareat signasse quem quasi testem, l.4 t.20 p.361 c.2 d.3 n.2 in all.
Sigilla ea sunt recognoscenda quæ sunt ignota, non quæ iam nota, pag.35 c.2 d.29 n.2 in all.
SIGNVM non sufficit, nisi etiam adsit res signata, l.7 t.7 p.808 c.2 d.7 num.5 in all.
SIMONIA est, si quis beneficium resignet in fauorem certę personæ in manibus ordinarij, p.16 c.2 d.54 n.4 in al.
Simonia semper excipitur verbis expressis, & si nihil de ea dictum, excepta intelligitur in adiudicandis beneficiis, l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.6 in all.
SIMVLATA pro infectis haberi debent, l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.9 in all. & l.7 t.32 p.946 c.1 d.16 n.6 n all.
SIMVLATIO est vicium contractus non personæ, ac proinde tale quod afficit rem quæ ex eiusmodi contractu vel petitur vel possidetur, l.4 t.17 p.355 c.1 d.2 n.3
Simulatio, in animo consistit, lib.4 t.14 p.314 c.1 d.60 n.2 in all.
Simulatio habet consensum aliquem, saltem fictum; falsitas verò, ne fictum quidem, l.4 t.17 p.356 c.2 defin.6 n.5 in all.
Simulatio vix vnquam sine dolo est, l.4 t.14 p.320 c.2 d.51 n.4
Simulatio probari potest ex solis indiciis & coniecturis, lib.4 t.36 p.447 c.2 d.4 n.2 in all.
Simulationis aut vsuræ sola allegatio restitutionis remedium non excludit, l.8 t.3 p.960 c.2 d.29 n.1.2 & 3
Simulationis præsumptio inducitur ex sola possessionis retentione inter personas suspectas, si retinendæ possessionis ratio nulla fuerit, l.4 t.17 p.355 c.2 d.5 n.1.2.3.4 & 5
Simulationis probatio est in arbitrio & æstimatione iudicis, pro locorum, temporum, & personarum varietate, l.4 t.14 p.324 c.1 d.60 n.5
Simulatione quandocumque probata contractus pro nullo habendus est, l.4 t.14 p.320 c.2 d.51 n.11 in all.
SINGVLÆ quæ non prosunt multa iuuant, l.4 t.36 pag.454 c.2 d.18 num.13 in all.
SIQVIDEM, dictio taxatiua excludit omnes alios casus præterquam si qui sint similes, l.6 t.6 p.637 c.1 d.1 n.32 in all.
SOCER soceri, in causa soceri iudex esse non potest, p.160 c.1 d.17 n.1 & 2
Socer soceri plusquàm adfinis est, manente nimirum adfinitate, non etiam dirempto matrimonio, p.160 c.1 d.17 n.2 & 3 in all.
SOCIDA Italis quid, l.4 t.42 p.466 c.1 d.5 n.4 in all.
SOCIETAS perpetua, quæ, lib.1 t.2 p.4 c.1 d.10 n.1 in all.
Societas quando inter fratres tacitè contracta intelligatur, lib.4 t.27 p.411 c.2 d.3 n.1.2 & 3
Societas vniuersorum bonorum tacita contrahi non potest, l.4 t.27 p.412 c.2 d.5 n.1 in all.
Societas non soluitur si vnus ex sociis ignorante altero aliquid suo proprio nomine in fraudem socij acquirat, l.4 t.27 p.411 c.2 d.3 n.4 in all.
Societas dissoluitur per acquisitiones separatim factas, si factæ sint sciente & patiente socio, l.4 t.27 p.413 c.1 d.5 n.6 in all.
Societas semel extincta quando tacite renouata intelligatur, l.4 t.27 pag.411 c.2 d.4 n.1.2.3.4.5 & 6
Societatis ineundæ voluntas non potest declarari post mortem eius cuius viuentis socius fieri quis potuisset, l.4 t.34 p.442 c.1 d.6 n.1 & 2
Societatem secum factam pupillus approbare potest, multo magis renouatam in ipsius vtilitatem, l.4 t.27 p.412 c.1 d.4 n.12 in all.
Societate coita ad tempus, qui ante tempus renunciat, socium quidem à se, sed non se à socio liberat, l.4 t.14 pag.476 c.2 d.36 n.6 in all.
SOCIVS partem suam rei communis vendere potest, l.3 t.27 pag.255 c.1 d.12 n.1
Socius acquirens priuato nomine an teneatur bona acquisita socio communicare? l.4 t.27 p.412 c.2 d.5 n.6
Socius vniuersalis non tenetur communicare dotem sed tantum fructus, l.4 t.27 p.413 c.2 d.7 n.1.2.3 & 4
Socius institoris, qui cum chteris prępositus, etiamsi eum institutionem admiserit de eius facto tenetur, l.4 t.27 p.411 c.1 d.2 n.1.2.3.4.5.6
Socius non obligatur creditori socij, nisi pecunia in communem vsum societatis versa sit, l.4 t.16 p.346 c.2 d.5 n.4 in all.
Socius non tenetur ad æs alienum à socio contractum extra causam societatis, l.4 t.27 p.411 c.1 d.1 n.2 u
Socius non potest prætext communionis intercedere quo minus pars socij etiam ante diuisionem capiatur pignori ab eo qui socium habet condemnatum li.8 t.11 p.1000 col.2 d.2 à n.1 ad 10
Inter Socios damna omnia sicut & lucra communicantur, lib.4 t.42 p.472 c.2 d.22 n.4 in all.
SOLENNITAS iuris per consuetudinem remitti potest, p.46 c.1 d.5 num.2 in all.
Solennitates non sunt multiplicandæ, l.4 t.15 p.333 c.1 d.23 n.8 in all.
Solennitates variæ in audiendis testibus requiruntur, lib.4 tit.15 p.340 c.2 d.47 n.1 in all.
Solennitates testamentorum sunt iuris positiui, l.6 t.5 p.632 c.2 d.22 n.4
SOLVENDVM est legatum in ea moneta bonitate quæ fuit tempore testamenti siue melior moneta tum fuerit siue deterior l.8 t.29 p.1102 c.1 d.44 n.1.2 & 3
Soluendum est precium venditori offerenti satisdationem de euictione, licet lis mota sit emptori per quasi Seruianam, l.4 t.33 p.435 c.d.2 n.1 & 2
SOLVENS bona fide ei qui credebatur habere ius accipiendæ solutionis, liberatur, maxime si soluat post condemnationem, etiàsi postea rescissum sit iudicatum, nisi soluens sciuerit vndecunque l.8 t.30 p.1100 c.1 d.38
Soluens executori non habenti mandatum non est liberatus, nisi alia nulla ratione potuit effugere carceres l.8 t.30 p 1094 c.1 d.24 n.1
Soluens marito contra legem in dote addictam non liberatur l.5 t.7 p.539 c.1 d.19 n.3 & 4
Soluēs vero tutori omnimodo liberatur & ipso iure, l.5 t.28 p.597 c.2 d.2 n.1 & 2
Soluens vni ex pluribus creditoris heredibus pecuniam sub pœna vel sub pignore debitam vt totum pignus liberet quod indiuiduum est, non tantum pignus in solidum liberat ad hypothecaria sed & seipsum à personali actione dummodo nihil faciat dolo malo, l.4 t.11 p.302 c.2 d.2 n.6 in all.
Soluenti tantùm prodest iubentis magistratus autoritas, quantùm chirographi redditio, l.4 t.10 p.298 c.2 d.6 n.8 & 9
SOLVERE legata iussus, eas quoque pecunias soluere debet, ex quibus liberi etiam pro legitima sunt instituti, l.6 t.19 p.706 c.2 d.7
Soluere legitimam in pecunia relictam iussus debet eandem soluere in corporibus bonorum, l.6 t.19 p.707 c.1 d.8
Soluere nemo cogendus priusquam in eo statu res sit vt soluendo tutam & plenam liberationem consequi possit, l.4 t.24 p.397 c.2 d.39 n.6
Soluere non est cogendus substitutus in locum eius qui emit à falso herede, detecto dolo falsi heredis, qui si non fit soluendo, æquius est manere in damno primum emptorem quàm secundum, l.8 t.31 p.1116 c.1 d.12
Soluere non valenti quomodo succurratur, lib.4 t.24 p.397 c.2 d.39 num.7 in all.
Soluisse videtur is qui mandauit solui, tum etiam cùm ignorat factam solutionem, p.128 c.1 d.4 n.5 in all.
Soluere de suo videtur, qui rem suam vendidi ad soluendum patitur l.8 t.38 p.1139 c.1 d.13 n.9 in all.
qui Soluit ex præscripto iudicis & ad modum præscriptum liberatur, nec imputari potest ei, cur non appellauerit, etiamsi iudex malè decreuerit, l.8 t.30 p.1090 c.2 d.9
qui Soluit indebitum pro alio, solam cōdictionem sibi acquirit aduersus eum qui

BIU Cujas

qui ſolutionem accepit, l.8 t.30 pag. 1090 c.2 d.10
qui Soluit minor cum curatoris autoritate tutus eſt neque curioſus eſſe debet, quam in rem poſtmodum pecunia impendatur, p.114 c.2 d.1 n.11
Solutio eſt naturalis modus diſſolvendæ cuiuſlibet obligationis quomodocumque contractæ, l.4 t.15 p.313 c.2 d.23 n.17 in all.
Solutio non tantum iuris autoritate ſed etiam naturaliter obligationem diſſoluit, l.4 t.10 p.294 c.2 d.7 n.12 & 13 in all.
Solutio annuæ penſionis pro tribus annis continuis inducit præſumptionem totius debiti in præteritum ſoluti, ſed tamen contra præſumptionem hanc admittitur probatio, l.8 t.30 pag. 1098 c.1 d.32
Solutio canonis annui debet fieri per poſſeſſorem, l.4 t.31 p.433 c.2 d.1 n.2
Solutio non tollit aliam obligationem, quàm in cuius cauſam facta eſt, lib.4 t.24 p.385 c.2 d.5 n.6 in all.
Solutio cum in certum locum deſtinata eſt, debitor poteſt eo loco conuenirj licet ibi domicilium non habeat, pag. 136 c.1 d.3 n.2 in all.
Solutio debiti probari poteſt per teſtes, per confeſſionem aduerſarij probandam, per teſtes etiam in tertia inſtantia, l.4 t.15 p.335 c.2 d.36 n.1 & 2
Solutio paris cenſus impedit fideicommiſſum l.4 t.42 p.494 c.2 d.27 num.6 in all.
Solutio partis debiti, adeoque totius etiam debiti liquidi, quandiu aliquid liquidandum ſupereſt non poteſt inducere hypothecariam, ne quidem pro parte, l.8 t.30 p.1090 c.1 d.8 num. 1.2.3
Solutio incerti debiti non poteſt liberare debitorem, d.153 c.1 d.14 n.11 in all.
Solutio eius præſtationis, quam ſuffertam vocant, poteſt ad inchoandam ingenuitatis præſcriptionem non autem ad dandam ingenuitatem & plenam libertatem, l.7 t.4 p.800 c.1 d.2 n.1
Solutio quantitatis incertę fieri non poteſt, l.4 t.24 p.387 c.2 d.10 n.1 in all.
Solutio faciendam eſt in ea æſtimatione aureorum quæ eſt tempore ſolutionis ſi ſint promiſſi aurei ſoluendi in auro, etiamſi creuerit citra deteriorationem monetarum, l.8 t.30 p.195 c.2 d.27 n.2 in all.
Solutio facienda in tot aureis æſtimatis per libras regias, non tam ex aureorum quàm ex librarum numero æſtimari debet, & poteſt fieri in quacunque moneta admiſſibili in loco ſolutioni deſtinato, dum ne deteriorata ſit, l.8 t.30 p.1099 c.2 d.36
Solutio facta apparitori quamuis nullum ad ſolutionem accipiendam mandatum habenti liberat ſoluentem, ſi modo facta ſit iuſto metu carcerum, & quid ſi apparitor acceptam pecuniam non ſtatim reddat creditori, l.8 t.29 p.103 c.1 d.48 n.1
Solutio facta cedenti, nocet ceſſionario, qui non non denunciauit, lib.4 tit.29 p.422 c.1 d.18 n.1.2.3.4.5 & 6
Solutio facta creditori ſuppoſito per reū criminis liberat debitorem qui fraudem non participauit, & cui nihil poteſt imputari, l.9 t.2 p.1151 c.2 d.8 n.1
Solutio facta vero creditori facilius nocet ceſſionario, quàm pactum cum eo initum, l.4 t.10 p.301 c.1 d.9 n.9 in all.
Solutio facta per emphyteutam ei qui procurator credebatur valet ad ſolutionem, l.4 t.43 p.492 c.2 d.19 n.1 & 2
Solutio facta patri proprio nomine quę fieri debuerat tanquam patri, liberat debitorem, l.8 t.30 p.1107 c.1 d.56
Solutio facta gerenti ſe pro tutore liberat debitorem perinde ac ſi ille verè tutor fuiſſet, ſi pecuniam in rem pupilli verſam eſſe probetur, lib.5 tit.28 p.597 c.2 d.2 n.5 & in all.
Solutio vero tutori facta quid differat ab ea quæ fit pro tutore gerenti, l.5 t.28 p.597 c.2 d.2 n.1.2
Solutio facta ei cui ceſſum erat debitum quaſi vero creditori liberat debitorem, quamuis ex poſt facto appareat nihil ceſſionario debitum fuiſſe, lib.9 t.30 p.1095 c.1 d.26
Solutio facta ſimpliciter cedit in vſuras potius quàm in ſortem, ſi vſurę potuerunt exigi, nō etiam ſi fuerint quidem debitæ etiam adiudicatæ, ſed nondum taxatę, l.8 t.30 p.1098 c.1 d.31
Solutio facta falſo procuratori non liberat ſoluentem, ſed obligat accipientem de indemnitate debitori præſtanda, maximè ſi verus creditor poſtea exegerit ſolutionem, l.8 t.30 pag. 1096 c.2 d.29
Solutio contra iudicis præceptum facta, nec liberat, nec excuſat ſoluentem, vtpote qui ſit in dolo, lib.4 tit.10 p.301 c.2 d.11 n.5 in all.
Solutio ſi excedat vel vnum nummum ſupra quàm debetur, in totum viciatur l.4 t.4 p.282 c.2 d.1 n.1
Solutio non poteſt allegari poſt arreſtū, quo fuit pronunciatum de non ſolutione ſiue expreſſim de eo renunciatum ſit, ſiue per relationem ad ſententiam, l.7 t.14 p.835 c.2 d.6 n.1
Solutio ante moram alio loco peri non poteſt, quam deſtinato, p.136 c.1 d.3 n.1 in all.
Solutio non præſumitur pro debitore chirographum habente, l.8 t.50 pag. 1096 c.2 d.28 n.19 in all.
Solutio probanda eſt ab eo qui allegat quoniam eſt facti l.7 t.14 p.836 col.1 d.6 n.1 in all.
Solutio ſi probetur incontinenti, vel probari poſſit intra dilationem competentem, non eſt interim conductor condemnandus, l.4 t.41 p.470 c.1 d.18 n.1
Solutio probari non poteſt niſi probata numeratione vel vera vel confeſſa, l.4 t.1 p.266 c.1 d.30 n.1 in all.
Solutio quamuis probata per ſolam creditoris priuatam ſcripturam interrumpit præſcriptionem, l.7 t.13 p.833 c.2 d.24
Solutio per partes magna habet incommoda. l.4 t.33 p.437 c.1 d.7 n.1 in all.
Solutio accepta ſine proteſtatione purgat moram præcedentem, & commiſſam præcedentis moræ pœnam diluit, l.4 t.24 p.285 c.2 d.5 n.5
Solutionis acceptæ confeſſio non probat ſemiplene ſi abſente parte facta ſit, niſi pars ſolutionem alleget, lib.4 t.14 p.324 c.1 d.62 n.1.2 & 3
Solutione accepta cogitur creditor & inſtrumentum reddere, & apocham conſcribere, nec alterutrum ſufficit ſi vtrumque præſtare creditor poſſit, l.8 t.30 p.1089 c.1 d.3
Solutionis confeſſio probata per vnum teſtem non ſufficit ad iuramentum ſuppletiuum, l.4 t.15 p.330 c.2 d.11 n.1 & 2
Solutionis mora indebitum non facit quod fuit debitum, lib.3 t.19 p.213 c.1 d.12 n.6 in all.
Solutionis oblatio captioſa eſt ex qua neque condemnatio, neque exactio præſens ſequi poteſt, lib.4 t.14 p.325 c.1 d.65 n.9
Solutionis oblatio incongruo loco vel tempore facta non prodeſt, p.182 c.2 d.10 n.5
Solutionis tempus inſpiciendum eſt, cum agitur de æſtimanda re, cuius ſolutione debitor liberaretur, lib.4 t.40 p.461 c.2 d.5 à n.1 ad 9
Ex Solutionis prorogatione debitori facta inſcio fideiuſſore non liberatur fideiuſſor ſecus eſt ſi prorogata fuerit obligata puta ex cauſa tacitæ reconductionis l.8 t.28 p.1076 c.1 d.25 n.1 & 2.
Solutionem licet primus locator à ſecundo conductore acceperit, non ideò tamen amittit actionem aduerſus ſuum conductorem, l.4 t.4 p.474 c.1 d.28 n.1.2.3.4 & 5
Solutionem à fideiuſſore factam eſſe probatur contra tertium creditorem ex ſola chirographi poſſeſſione lib.8 t.28 p.1074 c.2 d.21 n.1
Solutionem habere melius eſt quàm obligationem, l.6 t.11 p.670 c.1 d.35 n.3 in all.
Solutionem qui purè & ſine condicione ac proteſtatione allegat, debitum fateri videtur, lib.4 t.14 p.324 c.2 d.65 n.1 & 2
Solutione facta inſtrumentum reddi ſolet, l.4 t.16 p.353 c.2 d.25 n.3 in all.
In Solutione per biennium ceſſante conductore expelli per locatorem conductor poteſt, niſi vel ſatisfaciat vel fructuum ſequeſtrationem patiatur, l.4 t.41 p.479 c.1 d.44 à n.1 ad 6
In Solutione quotæ decimæ ſpectanda maximè eſt loci conſuetudo, etiam quæ poſſit materiam fraudis præbere, dum ne quid per fraudem fieri aut factum eſſe probetur l.8 t.33 p.1124 c.1 d.3 n.1.2 & 3
Solutum precium priori creditori mulieris, cuius pecunia fuerat per maritum deperdita, debet eſſe mulieris periculo. Nonnulli verò dicunt debere eſſe poſteriori creditoris, l.4 t.36 p.452 c.2 d.16 n.14 & 15
Solutione tantum debiti non etiam confuſione ex acquiſitione dominij extinguitur in totum hypothecaria l.8 t.6 p.968 c.1 d.1 n.3.4 & 5
De Solutione dotis profectitiæ facta patri habenti penes ſe inſtrumentum dotis, ſiue dos illa fuerit communis patri & filiæ, ſiue propria filiæ ex eius ſtipulatione, l.5 t.8 p.555 c.2 d.18 à n.1 ad 14
SORDIDITAS patris non nocet filio qui nobilitatem trahit ab auis l.9 t.29 p.1217 c.1 d.14 n.1
SOROR dicitur eſſe in communione cum fratre propter legitimam, ac non etiam liberi cum parentibus lib.7 t.1 p.781 c.1 d.6 n.1
SORTILEGIVM & maleficia quomodo credenda & quibus probationibus crimen hoc detegi, ac pro vero haberi poſſit l.9 t.12 p.1171 c.1 d.2 n.1
Sortilegio vſus qui reperitur ad vim tormentorum eludendam, hoc ipſo quaſi ex nouo iudicio iterum torqueri debet l.9 t.21 p.1187 c.2 d.3 n.1
SPECIES non recipit functionem in in ſuo genere, lib.3 t.22 p.230 c.1 d.5 n.14 & 15
SPOLIATIO aut delictum eſt, aut delictum proxime accedit, p.63 c.2 d.11 n.2
Spoliatio violenta dicitur, quoties inuito eo ad quem beneficium pertinet alius poſſeſſionem ingreditur, licet aperte nulla vis fiat, lib.4 t.14 p.311 c.2 d.14 n.34
Spoliatio per inſtrumentum locationis

BIU Cujas

probatur,non dominium nec possessio l.4 t.14 p.311 c.2 d.14 n.1 & 2
Spoliator restituere debet omnes fructus à se perceptos sine spe repetitionis,etiamsi postea in petitorio obtineat,p.181 c.1 d.8 n.1.2 & 3
SPOLIATVS in possessorio obtinere potest,& tamen succumbere in petitorio,p.181 c.1 d.7 n.3 in all.
Spoliatus ante omnia restituendus est, p.181 c.1 d.7 n.1
Spoliatus restituendus est antequam conficiendi inuentarij tempus ei currat,l.6 t.11 p.666 c.2 d.22 n.1
Spoliatus omnimodo pro malæ fidei possessore habendus est ex tempore litis contestatæ p.181 c.2 d.8 n.15
Spoliati causa fauorabilior est quàm eius qui in tantum turbatur in sua possessione,p.41 c.1 d.55 n.7
SPONSVS futurus si quid sponsæ futuræ fauore illiciti matrimonij dederit,nulla id actione peti potest,l.4 t.6 p.284 c.2 d.2 n.8 in all.
SPORTVLÆ debentur pro visione actorum litis,p.167 c.1 d.1 n.1 in all.
Sportularum emolumentum debetur debitori ad cessionis beneficium admisso & ex bonorum, quæ cessa sunt, precio persolui debet,p.166 c.2 d.1 n.1 & 2
de SPVRIO hærede instituto cum legitimabitur,l.6 t.6 p.637 c.1 d.2 n.3
Spurij appellari solent qui nati sunt non ex concubina, sed ex damnato coitu, l.6 t.25 p.741 c.2 d.2 n.6 in all.
Spurij & bastardi ex iure communi viles sunt & infames non nobiles, ex consuetudine vero nobiles apud pleraſque gentes,l.9 t.29 p.1219 c.1 d.20 n.1
Spurij & parentibus & inuicem succedunt,si modo nõ sint nati ex damnato coitu, & punibili secundum leges ciuiles,l.6 t.33 p.770 c.1 d.7
Spuriis ex damnato coitu suspectis legitima nulla debetur, ne quidem ex æquitate canonica : alimenta autem ex ea æquitate debentur,l.4 t.9 p.294 c.1 d.4 n.3 in all.
STATVS nouissimus est, qui ex vnico actu,dummodo vltimo probatur,p.9 c.1 d.34 n.2
Status nouissimus,in quæstionibus omnibus de beneficiis attendi debet,p.9 c.1 d.34 n.1
Status vltimus attenditur cùm de sola beneficij possessione apud iudicem sæcularem contenditur,& ex nouissimis actibus apparet beneficium aliter quàm per electionem conferri solitum esse,p.5 c.2 d.18 n.2
Ad Statum suum pristinum facilis & fauorabilis est vniuscuiusque rei reditus p.9 c.1 d.35 n.13
STATVTVM ex frumento de censu debito, factum est ad eorum auaritiam coercendam qui propter anni abundantiam repudiant ad tempus & negligunt centuum suorum exactionem,eo fine,vt inopiæ occasione captata,possint precia postulare, l.4 t.2 p.278 c.2 d.1 n.18 in all.
Statuta quæ à iure communi exorbitant,non sunt extra casus suos extendenda,ne quidem ex identitate rationis, l.7 t.7 p.286 c.1 d.3 n.6 in all.
STIPENDIA cœpti trimestris ad hæredem Senatoris transmittuntur;qui si post inchoatum trimestre in amplissimum ordinem cooptatus fuerit,ei stipendia ex quo seruire cœperit, debebuntur,p.47 c.1 d.1 n.3
STIPVLANDI ius ex generali, & vbique gentium recepta consuetudine pro absentibus habet notarius, lib.4 t.34 p.423 c.1 d.9 n.4
Stipulatio,verborum obligatio nuncupatur,l.3 t.15 p.204 c.1 d.1 numer.4 in all.
Stipulatio per legem duodecim tabularum non diuiditur, l.3 t.27 p.255 c.2 d.14 n.5 in all.
Stipulatio semel commissa resolui postea numquam potest, l.4 t.42 p.495 c.1 d.28 n.10 in all.
Stipulatio non contrahitur inter inuitos aut ignorantes, l.8 t.36 p.1139 c.1 d.13 n.15 in all.
Stipulatio legatorum & fideicommissorum nomine interpolita easdem recipit conditiones quas actio ex testamento,l.8 t.25 p.743 c.1 d.8
Stipulatio pœnalis neque præcedentem obligationem nouat, neque alternatiuam eam facit, vt debitori electionem acquirat,l.4 t.7 p.288 c.1 d.11 n.1.2 & 3
Stipulatio pœnalis non nouat recedentem obligationem p.80 c.2 d.11 n.5 in all.
Stipulatio Aquiliana,licet generaliſſima non extenditur ad incogitata, p. 91 c.1 d.12 n.1
à Stipulatione Aquiliana caueant sibi contrahentes veterum dictum, l.2 t.4 p.91 c.1 d.12 n.3 in all.
Et Stipulatione vna quæ semel commissa fuerit,sæpiùs agi non potest, l.7 t.1 p.781 c.2 d.8 n.3 in all.
Stipulationes omnes sunt stricti iuris, l.3 t.15 p.204 c.1 d.1 n.1 in all.
Stipulator sicut cogi non potest vt agat ex stipulatione ita nec æquum est stipulationem pœnalem prodesse debitori vt adferat illi commodum electionis,cùm aduersus eum interposita sit,l.4 t.7 p.288 c.2 d.11 n.6 & 7
STVPRVM simplex in vidua impunitum est,in virgine autem quomodo sit puniendum,l.9 t.7 p.1163 c.1 d.5 n.1
Stuprum probari non potest per testes domesticos, se illos tantummodò indicium facere,lib.9 t.7 p.1163 c.2 d.5 n.11 in all.
SVBDITORVM distractio non est permittenda,l.9 t.13 p.1177 c.2 d.14 n.2
Ex SVBFEVDI alienatione debetur laudimia feudi domino, si Princeps subfeudum alienauerit posteriore loco,l.4 t.42 p.485 c.2 d.3 n.1
SVBHASTATIO sola non facit debitorem possessorem si non sit,l.7 t.7 pag. 818 c.2 d.41 n.1
Subhastatio facta pro indebito an & quando valeat,l.8 t.17 p.1010 c.2 d.6 nu.1.2.3.4.5.6
Subhastatio etiã nulla,si modo pro debito facta sit,tenet contra quoslibet debitores,l.8 t.17 p.1010 c.1 d.5 n.1.2 & 3
Subhastatio fieri non potest quin possessori sua auferatur possessio per leuationem,vt vocant,id est, per ipsam pignoris capionem, l.8 t.3 p.959 c.1 d.24 n.5 in all.
Ex Subhastatione nulla nec dominium transfertur nec possessio,tota autẽ subhastatio nulla est si quid in ea vel minimum peccatum sit contra formam statuti. Sed hoc quantum ad cæteros non quantum ad debitorem ipsum, l.8 t.17 p.1009 c.2 d.4 à n.1 ad 12
Subhastationes quomodo rescindi possint?l.4 t.30 p.431 c.1 d.25 n.1 & 2
Subhastationũ dies, ex quo captæ sunt, sunt continui, ideóque nec interruptionem facilè patiuntur si quis intercedat vt appellet,p.76 c.1 d.12 n.1 in al.
Subhastationibus rescissis in causa immodicæ læsionis fructus nõ restituuntur,l.4 t.30 p.431 c.2 d.26 n.1.2 & 3
SVBORNATIONIS testium metus non est in eo quod est notorium, l.4 t.15 p.341 c.1 d.50 n.2 in all.
SVBREPTIONIS & obreptionis allegatio non potest remorari executionem rerum à Senatu iudicatarum sed post factam iudicati executionem reuocandum est arrestum per viam supplicationis & mulctandus ille qui obrepsit Senatui, l.7 t.20 p.886 c.2 d.18 n.1.2 & 3
SVBROGATIO non facilè fit in rebus singularibus, l.3 t.25 p.248 c.1 d.12 n.17 in all.
de Subrogatione mobilium,quæ reperta sunt in hæredis grauati hæreditate,l.6 t.27 c.2 d.11
SVBROGATVM sapit naturam eius in cuius locum subrogatum est, l.4 t.23 p.379 c.2 d.7 n.5 & l.3 t.23 p.211 c.1 d.7 n.3 in all.
Subscriptioni & propriæ manus subnotationi stare quisque debet, p.271 c.2 d.5 n.2 in all.
Subscriptio non facit quo minus falsum committi possit, l.4 t.14 p.311 c.1 d.11 n.5 in all.
Subscriptio,nec sigillum magni Abbatis Cluniacensis, aliorumque personarum donec sit recognitum, nullam fidem facit,p.35 c.1 d.29 n.1
Subscriptio notarij vnum est de essentialibus instrumenti, lib.4 t.16 p.352 c.1 d.21 n.1 in all.
SVBSTITVI potest vni homini in singulas causas alius & alius heres, multo magis pluribus per fideicommissum singulis in causas singulas, l.6 t.6 p.639 c.2 d.7 n.5 in all.
Substitui possunt per fideicommissum personæ nondum natæ si modo reperiantur in rerum natura tempore conditioni existentis, lib.6 t.6 p.640 c.2 d.9 n.1 in all.
SVBSTITVTIO finitur statim atque in primo gradu locum habuit, l.6 t.22 p.727 c.2 d.35
Substitutio non potest fieri vulgaris, quin testator sermonem suum conferat ad substitutum, l.6 t.8 p.647 c.1 d.9 n.4 in all.
Substitutio breuiloqua sui natura est vulgaris,sed continet etiam fideicommissariam,si fiat per verba habẽtia tractum temporis,l.6 t.8 p.645 c.1 d.7 n.1
Substitutio compendiosa quæ sit,l.6 t.8 p.655 c.1 d.24 n.17 in all.
Substitutio compendiosa an contineat pupillarem, cum mixta est reciproca inter liberos disparis ætatis, l.6 t.8 p.652 c.1 d.21
Substitutio compendiosa etiam facta sub conditione illa,si sine liberis, est pupillaris intra pubertatem, si modo mater non sit in medio, l.6 t.8 p.651 c.2 d.20
Substitutio compendiosa apta est sui natura comprehendere omnes species substitutionis,l.6 t.8 p.652 c.1 d.20 n.7 in all.& d.21 n.1 in all.
Substitutio compendiosa cum ad bona testatoris restricta est, fideicommissariam tantum inducit, l.6 t.8 p.645 c.1 d.5 n.2
Substitutio pupillaris testamentum pupilli est,lib.6 t.14 p.683 c.2 d.1 num.3 in all.
Substitutio pupillaris, quæ continetur in compendiosa excludit matrem ab intestati successione, non à legitima, l.6 t.8 p.643 c.2 d.2
Substitutio pupillaris tacita quibus ex coniecturis possit admitti etiam contra matrem l.6 t.8 p.650 c.1 d.16 n.1
Substitutio tacita pupillaris admittitur etiam

BIU Cujas

etiam contra matrem, quæ non est coheres filio data, præsertim si conuolet ad secunda vota, & in eum casum sit ademptum legatum quod fuerat ei datum lib.6 t.8 p.654 c.2 d.23.

Substitutio vulgaris verè ac propriè est substitutio, l.6 t.8 p.647 c.2 d.10 n.2 in all.

Substitutio vulgaris nihil aliud est, quam secunda aut heredis secundi institutio, l.6 t.8 p.648 c.2 d.11 n.4 in all.

Substitutio vulgaris expressa numquam trahitur ad fideicommissariam breuiloqua non nisi interdum, compendiosa ferè semper, lib.6 t.8 p.647 c.2 d.10 n.1

Substitutio vulgaris & fideicommissaria quibus casibus vitietur ex graduum interruptione, libro 6. tit.8 p.649 c.1 d.14 quid differant, Ibid. c.2 num.3 in all.

Substitutio facta posthumo in eum casum, si non nascetur, nunquam potest habere vim pupillaris expressæ, posthumo nato, nec potest continere compendiosam, lib.6 t.8 p.655 c.1 d.24

Substitutio facta in fauorem personarum nondum conceptarum facilè creditur fideicommissaria, l.6 t.8 p.648 c.2 d.12

Substitutionis verba si sint apta comprehendere filias, non facile capienda est interpretatio quæ illas excludat, licet in aliis partibus testamenti facta sit mentio masculorum, l.6 t.25 p.743 c.d.10

Substitutionem neque vulgarem neque fideicommissariam perimit graduum interruptio l.6 t.8 p.649 c.1 d.13 n.1

SVBSTITVTVS quando ex liberis est, pro eo voluntatis coniectura semper maxima est & fortissima, p.12 c.1 d.43 n.3 in all.

Substitutus primus si sit ex liberis, prodest secundo substituto, quamuis extraneo, ad matrem in totum excludendam, l.6 t.8 p.650 c.2 d.17 n.1

Substitutus per fideicõmissũ post mortem heredis rogati, nihil penitus iuris habet viuo herede, cui liberum est de iis bonis fauore alterius fideicommissarij disponere, dum ne in præiudicium heredis, l.6 t.27 p.759 c.2 d.19

ex Substituti facto tenetur qui eum substituit, sed non nisi in subsidium, l.4 t.26 p.394 c.2 d.2 n.1 & 2

Substitutis per fideicommissum masculis ex familia non presbyteris, non aufertur fideicommissum ei qui conditionis euenientis tempore non fuit presbyter, licet postea factus sit, lib.6 t.25 p.740 c.2 d.1

Substitutus pupillaris sit ex consuetudine possessor ipso iure bonorum pupillarium, ac multo magis eorum possessionem occupare propria auctoritate potest, l.6 t.14 p.606 c.2 d.6

Substitutio per reciprocam viuente, & eius liberis, etiam superstites liberi ex præmortuo censentur vocati, lib.6 t.22 p.728 c.1 d.37

Substituto an prosint ad excludendam matrem, verba Vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, apposita in institutione, l.6 t.8 p.650 c.2 d.18 n.1

Substitutum nullum habet, qui habet fideicommissarium, l.6 t.8 p.645 col.2 d.6 n.2 in all.

contra Substitutum venientem ex compendiosa substitutione, tertius possessor potest excipere de iure matris, l.6 t.8 p.649 c.2 d.15 n.1

Substitutis per fideicommissum superuiuentibus & eorum liberis, etiam præmortuorum liberi ex coniectura voluntatis admittuntur, l.6 t.22 p.16 c.2 d.7

Substitutis superuenientibus & eorum liberis, non vocantur liberi etiam transuersalium, nisi ordine successiuo post parentes, & in casum vulgarem, l.6 t.22 p.717 c.1 d.9

si SVCCEDAT dominus non domino qui non tenebatur de euictione, eatenus dumtaxat repellendus est dominus quatenus ex defuncti hereditate lucratus est, licet inuentarium non fecerit, l.4 t.11 p.202 c.1 d.1 n.8 in all.

SVCCEDENDI ius ab intestato sicut & ex testamento publicum dicitur, p.87 c.1 d.25 n.8 in all.

Succedendi ius siue ex testamento, siue ab intestato ex iuris positiui, cui pro arbitrio princeps derogare potest, l.5 t.16 p.583 c.2 d.5 n.7 in all.

Succedentes ab intestato iure repræsentationis, non ideo possunt succedere iure fideicommissi nisi sint vocati, l.6 t.22 p.722 c.3 d.24

Succedere ab intestato non prohibetur qui ex donatione inter viuos facta aliquid accepit pro omni iure, nisi donationem agnouerit post mortem donatoris, l.6 t.33 p.768 c.2 d.34

SVCCESSIO testamentaria plerumque fauorabilior quam legitima, p.12 c.1 d.44 n.3 in all.

Successio neque in suis neque in agnatis olim erat, p.84 c.1 d.18 n.15 in all.

Successionis causa nihil commune habet cum persecutione criminis & vindictæ l.9 t.1 p.1149 c.1 d.2 n.7 in all.

Successionis ius ex eo quod post patris, matrisve successionem fuit religiosus, non impeditur, nec mutatur, p.34 c.2 d.27 n.2 n all.

Successionis ius est ex legibus quæ nec hereditatem legitimam deferunt nisi mortuo patrefamilias, pag.83 c.1 d.15 d.22 in all.

ad Successionem qui nõ admittitur nec admitti ad partem speratur, non facit partem, p.35 c.1 d.27 n.6 in all.

SVCCESSOR eiusdem iuris est cuius fuit decessor, lib.4 c.7 p.287 c.1 d.5 n.5 in all.

Successor in beneficio non tenetur stare colono prædecessoris, nisi in casibus, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.19 n.1.2

Successor quilibet, etiam singularis simulationem contractus obiicere potest, l.4 t.17 p.355 c.1 d.2 n.1 & 2

Successor singularis non conuenitur actione personali, si non contraxit, l.4 t.31 p.433 c.2 d.1 n.9

Successor singularis non tenetur ad æs alienum, lib.6 t.6 pag.638 c.1 d.4 nu.9 in all.

Successor singularis nunquam per fictionem translatæ possessionis iuuatur, l.3 t.19 p.210 c.1 d.4 n.4

Successor melioris conditionis non est quàm ipsius autor fuerit, l.9 t.30 pag. 1226 c.1 d.4 n.3 in all.

SVMMA maior minori re vera inest, p.185 c.2 d.1 n.4

SVMPTVS sic semper sunt faciendi vt aliquid supersit, ne persona aut res mergatur, p.119 c.2 d.1 n.4 in all.

Sumptus facti à creditoribus in discussionis instantia imputantur aliquando iis, qui bonam causa non habuerint, aliquando hereditati, l.7 t.18 pag.860 c.1 d.43 n.1

Sumptus facti ab herede ad conseruandas aut meliorandas res fideicommisso subiectas, sunt ei à fideicommissario restituendi, l.6 t.27 p.755 c.1 d.8

Sumptus ad petendum legatum facti nullam habent hypothecam tacitam, l.6 t.23 p.739 c.1 d.11

Sumptus facti à talliabilis herede cum beneficio legis & inuentarij, an & quando sarciendi sint à domino postea successionem obtinente, l.6 t.11 p.668 c.2 d.31

Sumptus frustra facti per errorem & culpam procuratoris ab eo præstandi sunt qui constituit procuratorem, l.7 t.18 p.863 c.2 d.55 n.1 & 2

Sumptus contumaciales qui ante omnia refundendi sunt, sufficit refundi per compensationem, l.7 t.18 p.856 c.1 d. 29 n.1

Sumptus litis nemo contra seipsum submministrare cogitur, l.3 t.21 p.225 c.1 d.1 n.1 in all.

Sumptus litis nunquam veniunt in actionem, quandoque tamen in condemnationẽ, l.3 t.12 p.191 c.2 d.10 n.1

Sumptus litis mulieri quæ perperam & temerè litigauit præsertim contra liberos non sunt restituendi, quamuis futurum sit vt dos minuatur, lib.5 tit.7 p.547 c.2 d.45 n.3 & 4

Sumptus qui non præstantur non officio iudicis sublata obligatione & actione principali non possunt, lib.7 t.18 p.868 c.2 d.71 n.1.2 & 3

Sumptuum nomine nunquam tantum repetitur quantum fuerit impensum, l.8 t.30 p.1102 c.1 d.33 n.1 in all.

Sumptibus suis opus tollere cogitur qui viæ ædificauit, l.3 t.24 p.241 c.2 d.6 n.6 in all.

Sumptibus superuacuis nemo onerandus l.4 t.1 p.270 c.1 d.46 n.4 in all.

de Sumptibus litis cognitio eius esse debet, cuius est de negotio principali, l.3 t.12 p.191 c.2 d.10 n.3

pro Sumptibus litis etiam criminalis non potest condemnatus retineri in carceribus, sed in carceres detrudi potest si iussus soluere non pareat, l.7 t.18 p.852 c.2 d.16 n.1

SVVM potest quis dicere id quod cum alio commune habet, l.9 t.29 p.1214 c.1 d.3 n.4 in all.

SVI heredes præsumuntur se immiscuisse, nisi cum hereditas damnosa est aut onerosa, l.6 t.12 p.676 c.1 d.3 n.1

Suorum appellatione in testamentis an transuersales quoque contineantur, & ad quem vsque gradum, lib.6 tit.19 p.707 c.1 d.9

Suorum appellatione soli descendentes veniunt in vltimis voluntatibus, in contractibus verò etiam extranea heredes, l.6 t.19 p.705 c.1 d.3

Suos heredes non habent fœminæ, l.6 t.4 p.621 c.1 d.4 n.9

ad SVPPLEMENTVM legitimæ vtagatur quamuis sufficiat quantulumcũque relictum esse, illud tamen modicum necesse est, certum & liquidum esse, l.3 t.19 p.211 c.2 d.9 n.4 in all.

Supplere non est Iurisconsultorum, l.6 t.22 p.715 c.2 d.4 n.8 in all.

SVPPLICATIO permissa non est, nisi ob eam statuta pœna pendatur pag.89 c.2 d.5 n.4

Supplicatio ciuilis necessaria est ad impugnandum arrestum etiam nullum nisi facti error allegetur, l.7 t.14 p.834 c.2 d.1 n.1

Supplicatio ciuilis interdum necessaria est contra arrestum etiam ei, qui nec auditus, nec vocatus fuit, lib.7 t.14 p.836 c.2 d.8 n.1

Supplicatio contra Senatusconsultum non admittitur quin prius mandatum illud sit executioni, l.8 t.3 p.958 c.1 d.15 n.2 in all.

Supplicator dolosus nunquam gaudere

BIU Cujas

debet impetratis,p.89 c.2 d.6 n.3
SVPREMA voluntas illa est quam nulla alia sequitur,l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.5 in all.
SVSPECTAM rem facit personæ interpositio,l.4 t.21 p.370 c.2 d.19 n.3 in all.
SVSPICANDVM nihil est in malam partem de eo, qui bonam habet famam l.9 t.13 p.1172 c.2 d.2 n.2 in all.
SVSPICIO ferè pro veritate habetur in crimine falsi,l.9 t.13 p.1172 c.2 d.2 n.3 in all.
Suspicionis causæ contra iudicem non solùm allegandæ, sed & probandæ sunt,p.147 c.2 d.7 n.5 in all.
Suspicionem quantulamcumque à posteriore testamento abesse necesse est,l.6 t.5 p.628 c.1 d.14 n.7
SYNDICATVS administratio si inter Syndicos diuidatur siue tacita siue expressa pactione, separatim quoque ab iis ratio exigenda est, l.4 t.7 p.901 c.1 d.18 n.3
Syndicatus diuisio quæ fit inter Syndicos iuris non iurisdictionis est,l.4 t.7 pag.291 c.1 d.18 n.2 in all.
SYNDICVS procuratoris partibus fungitur,p.97 col.1 d.7 n.5 in all.
Syndicus derato cauere non cogitur nisi de mandato dubitetur,l.4 t.7 p.290 c.2 d.16 n.4 in all.
Syndicus an & quando pro vniuersitatis debito possit proprio nomine ex iudicato conueniri,l.7 t.22 p.900 c.1.d.1 num.1
Syndicus vniuersitatis nomine,si in vniuersitatem delapsa sit,literas moratorias siue annales, siue quinquennales impetrare potest,p.53 c.1 d.18 n.1
Syndicus pro debito vniuersitatis potest ex iudicato detrudi in carceres post neglectum præceptum iudicis, lib.7 t.20 p.885 c.1 d.16 n.1
Syndicus qui pro debito vniuersitatis se,suáque omnia pignori obligauit, licet tanquam Syndicus, conueniri tamen etiam finito officio potest, l.4 t.7 p.290 c.1 d.15 n.1 & 2
Syndicus si tempori satisfieri creditori non curet de suo soluere cogi potest, mox tamen à posterioribus syndicis quantum ratio & æquitas suadere videbitur repetiturus, l.4 t.7 p.286 c.2 d.4 n.5 & 6
Syndicus qui mutua pecuniam accepit si docere nequeat versam esse in vtilitatem vniuersitatis,proprio nomine conueniri potest,p.286 c.2 d.5 n.7
Syndicus proprio nomine pro debito vniuersitatis, etiam finito officio conueniri potest, si interpallatus, vt solueret,fuerit negligens l.4 t.7 pag.286 c.2 d.5 n.1
Syndicus ad cessionem bonorum non admittitur contra fiscale debitum,licet debitum sit vniuersitatis,l.7 tit.31 p.939 c.1 d.7 n.1
Syndicus quamdiu rationes non reddidit & conueniri potest & condemnari vt cum effectu curet solui debitum per nouos syndicos intra certum tempus arbitrio iudicis pro personarum qualitate & debiti quantitate statuendum,p.286 c.1 d.4 n.2.3 & 4
Syndici confessio in ea re de qua non habeat speciale mandatum non nocet vniuersali,l.7 t.24 p.905 c.2 d.4 n.1
Syndico officium suum damnosum esse debet,l.4 t.7 p.286 c.2 d.4 n.1 in all.
per Syndicum facta solutio præsumitur facta nomine vniuersitatis,præsertim in antiquis etiam ad interrumpendam præscriptionem,si modo probetur facta ex eadem causa,lib.8.tit.30 p.1089 c.1 d.1

T

TABELLIONIS cuiuslibet officium, licet vtilitate priuatum sit,tamen authoritate est publicum, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 n.2 in all.
TABVLÆ non sunt apertę ob hoc solùm quod pronunciatum sit aperiendas esse,l.4 t.15 p.332 c.2 d.21 n.1 in all.
Tabulas naturaliter & re vera apertas esse oportet ad cognoscendum testationes,l.4 t.15 p.332 c.2 d.21 n.1 in all.
TACITA pupillaris regulariter contra matrem non admittitur, l.6 t.8 p.643 c.1 d.1 n.2 3 & 9
Taciti & expressi par est vis,l.6 t.8 p.655 c.1 d.24 n.3 in all.
TALLIABILIS sine liberis & condiuisoribus decedentis bona omnia ad feudi dominum deferuntur, lib.6 t.32 p.767 c.2 d.2 n.1 in all.
Talliabilis potest cogi vt patiatur se manumitti,non etiam cogere dominum vt manumittat,p.786 c.2 d.21 n.1
Talliabilis non potest esse testis in causa domini, nisi de re quæ per alios probari non possit,lib.4 t.15 p.334 c.2 d.27 n.1.2 & 3
Talliabilis plurium dominorum potest ab vno ex dominis etiam inuito altero manumitti, l.7 t.2 p.796 c.1 d.1 n.1
Talliabilis aut Ligius duorum in solidum nemo esse potest, potest tamen esse talliabilis vnius & iurisdictionabilis,alterius, l.7 t.3 p.798 c.1 d.6 n.1
Talliabiles non habent testamenti factionem actiuam nisi inter se, l.7 t.1 p.785 c.2 d.17 n.1
Talliabiles decedentes sine liberis,quib. locis faciunt escheutam in bonis omnibus etiam immobilibus, si pro homagio ligio aliquid vel minimũ præstetur,l.7 t.1 p.787 c.1 d.22 n.5 in all.
Talliabiles inter omnes sufficit durasse communionem inter aliquos vt possint succedere etiam illi qui diuiserunt non tamen videtur diuisisse, quę partem suam doti dedit, l.7 t.1 p.783 c.1 d.13 n.5
Talliabilium in successione incapax fit capax per capacem, l.7 t.1 p.785 c.1 d.16 n.1
de Talliabilibus ad misericordiam & de adscriptitiis, qui bona aliqua acceperunt vt se tales profiterentur, & an relictis bonis possint libertatem recuperare,l.7 t.3 p.797 c.2 d.3 n.1
TALLIABILITATIS professio per patrem facta nocet liberis postea quęsitis sed non iam natis nisi sint patris heredes & de iis specialiter pactus sit pater,l.7 t.3 p.799 c.1 d.7 n.1
Talliabilitatis geminata professio si modò facta sit ex interuallo inducit, probátque talliabilitatem l.7 t.3 p.798 c.1 d.4 n.1
TAXATIO sumptuum litis pertinet ad eum ipsum iudicem qui condemnauit,l.7 t.18 p.865 c.1 d.59 n.2 in all.
Taxatio sumptuum & liquidatio fructuum fieri potest non citato eo qui propter suam contumaciam fuit condemnatus,l.7 t.18 p.865 c.1 d.59 num. 1.2 3 & 4
Taxationem æstimationis monetarum, quæ pro vsu & abusu commerciorum fit alia atque alia,solet Senatus Sab. probis viris committere,nõ sibi reseruare,l.8 t.30 p.1093 c.2 d.21 n.1.2.3
in Taxationem cuius loci & temporis veniant expensæ,l.7 t.18 p.872 c.2 d. 89 n.1.2
de Taxatione expensarum adiudicatarum ei,qui non habuit domicilium alibi quàm vbi litigauit, libro 7 tit.18 p.871 c.2 d.86

TEMERITAS quodammodo delictum est l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.7 in all.
TEMPVS deliberandi quando incipiat currere heredi,l.6 t.11 p.675 c.1 d.46 n.1.2
Tempus redimendi ex contractu non currit quamdiu probabiliter dubitari potest de viribus & validitate contractus l.7 t.13 p.833 c.1 d.22 n.1
Tempus 30. vel 40. annorum dicitur antiquum,l.7 t.13 p.826 cap.1 d.1 n.6 in all.
Tempus in testamentis non nisi pro herede adiectum intelligitur,pag.213 c.1 d.12 n.5 in all.
Tempus mortis inspicitur in æstimando eo quod coniugi plus donatum est.Et quod excedit applicatur liberis, lib.6 t.5 p.524 c.2 d.11 n.1.2.3.4 & 5
Temporis diuturni lapsus omnem omnino præsumptionem tollit violentæ aut clandestinæ aut precariæ possessionis,p.242 c.1 d.9 n.3
Temporis antiquitas facit omnia præsumi sollemniter acta, cùm habeat vim tituli,p.105 c.1 d.1 n.6 in all.
Qui Tempore prior est etiam in prætorio pignore potior est in iure,l.8 t.12 p.1001 c.1 d.1 n.1 2 & 3
Tempora pacti de retrouendendo currunt viuo herede etiam in præiudicium fideicommissarij,l.7 t.13 p.833 c.2 d.23 n.1
TENENT multa iam facta quæ fieri prohibentur,l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.13 in all.
TESTAMENTVM definitur iusta cuiusque sententia,lib.6 t.6 p.636 c.2 d.1 n.11 in all.
Testamentum qui facere potest, multo magis codicillos,l.6 t.5 p.632 c.1 d.19 num.9
Testamentum omne eo animo & voto fieri debet quasi futurum postremum, l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.5 in all.
Testamentum propriis viribus subsistere non ab alterius voluntate pendere debet,l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.6 in all.
Testamentum prius valere debet quàm vt heres quisquam ex eo esse possit,l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.6 in all.
Testamentum non potest pro parte valere & pro parte non valere, l.6 t.5 p.629 c.1 d.16 n.6 in all.
Testamentum confirmatũ dicitur quod rumpi vel irritum per se fieri amplius non potest, l.6 t.5 p.631 c.1 d.18 n.21
Testamentum militare cùm iure militari factum est,iure directo valet l.6 t.5 p.625 c.2 d.7 n.6
Testamentum nuncupatiuum si probandum sit per testes,nec dum apertę sint testationes,mittendi sunt interim legitimi heredes in possessionem, l.6 t.14 p.684 c.2 d.4
Nuncupatiuum testamentum quid differat à testamento in scriptis, lib.6 t.5 p.635 c.2 d.30 n.1.2.3
Testamentum nuncupatiuum non reuocatur per cancellationem scripturæ, licet testator habuerit animum reuocandi, lib.6 t.5 p.635 col.1 def.30 num.4
in Testamento nuncupatiuo potest quis sibi adscribere, si modò probetur illud per testes non per scripturam. Item quibusdam aliis casibus,l 9 t.14 p.177 c.1 d.1 n.1
Testamentum factum per nuncupationem herede non nuncupato, sed potest valere iure testamenti in scriptis, licet valeat solennitates requisitas nec si adsit clausula omni meliori modo,lib.6 tit.5 p.624 c.1 d.4 nu.1.2. 3.4 & 5

BIU Cujas

Testamentum nuncupatiuum allegans, nonscriptũ, debet exprimere annum, mensem, diem, & locum, sed nõ testes l.6 t.5 p.625 c.2 d.8 à nu.1 ad 6

Testamentum per codicillos neque reuocari neque confirmari potest l.6 t.5 p.622 c.2 d.1 n.1 in all.

Testamentum factum apud acta coram duobus testibus valet, sed non quod factum est coram commentariensi in carcere, l.6 t.5 p.633 c.1 d.23 n.1.2

Testamentum factum adhibito minore quam quinque testium numero, etiã ab eo qui vel parochum vel notarium pluréue testes adhibere voluit, nec potuit, nullius est momenti lib.6 t.5 p.623 c.1 d.2 à n.1 ad 22

Testamentum factum ad interrogationem alterius non valet, nisi aliunde constet de eadem voluntate, l.6 t.7 p.642 c.1 d.11 n.30 in all.

Testamentum à cæco factum non aliter valet, quàm si præcise & ad vnguem tota illa solennitas seruata sit quæ à Iustin. præscripta est; l.6 t.5 p.634 c.2 d.28 n.1

Testamentum tempore pestis non pauciores quam quinque testes requirit, nisi factum sit à Syndico, aut alio publicũ officium gerente. Testes tamen semper rogatos esse oportet lib.6 t.5 pag.624 c.2 d.5 à n.1 ad 9

In Testamento facto tempore pestis debent testes esse puberes & masculi nõ fœminæ, si masculi inueniri possint. Et in eo quoque debet relinqui legitima titulo institutionis, l.6 t.5 pag.625 c.1 d.6 num.1 2.3.4.5 & 6

Testamentum ex causa ingratitudinis reuocari potest lib.6 t.5 pag.628 col.1 d.14 numero 4 in all.

Testamentum posterius factum in fauorem eius cuius odio fuerat in priore inserta clausula derogatoria, non potest valere, maximè factum in domo ipsius instituti l.6 t.5 p.627 c.2 d.13 à numero 1 ad 12

Testamentum à patre inter liberos legitimos factum, licet non habeat patris subscriptionem, quatenus valeat, lib.6 t.5 p.633 c.1 d.24

Testamentum patris imperfectum ratione voluntatis non sustinetur inter liberos: sustinetur tamen quantum ad legata relicta ad piam causam ex voto, vel in exonerationem conscientiæ, l.6 t.5 d.633 col.2 d.27

an Testamentum vnius ex coniugibus prædefuncti reuocetur iis simul testantibus si superstes suum reuocauerit; & quomodo liberis in priore institutis prouideatur, libro 6 ti.5 pag. 630 c.2 d.18

Testamentum factum à reo læsæ maiestatis, qui neque viuus neque mortuus condemnatus fuit, valet, l.6 t.5 p.632 c.2 d.21 nu.1.2

Testamentum vt reuocatum dici possit quæ requirantur, l.6 t.5 p.635 c.1 d.29 n.1.2

Testamentum vitiat non tantum præteritio patris, sed etiam matris hodie, li. 6 t.10 p.658 col.1 d.1 n.2 in all.

Testamentum vnum duarum personarum, l.6 t.5 p.631 c.1 d.18 n.2 in all.

Testamentum non valet factum ruri coram quinque testibus, nec in vrbe coram 7. qui subscripserint, etiam quorum vnus sit notarius, nisi vel notarius stipulatus sit vel auditi fuerint testes, l.6 t.5 pag.633 column.2 def.25

Testamenti causa fauorabilior creditur, quàm causa liberorum, l.3 t.10 p.212 c.1 d.1 n.10 in all.

Testamenti nomen, aliud est, aliud codicillorum l.6 t.5 p.622 c.2 d.1 n.6 in all.

Testamenti prioris in quo plures heredes fuerant instituti reuocatio valet, etiamsi in posteriore non nisi vnius facta sit mentio lib.6 tit.5 p.629 c.1 d.16 à num.1. ad 19

Testamenti verba inspecta cognitáque esse oportet ad conuentionum omnium quæ de controuersiis fiunt validitatem; p.2 c.2 d.6 n.1

Testamento solenni posteriore reuocantur omnia quæ sunt delicta in priore etiam ad pias causas p.10 c.1 d. 39 n.2 & 3

De Testamento, vt vocant, iurato, & quid si posterius etiam sit iuratum? l. 6 t.5 p.626 c.2 d.1. à nu.1 ad 14

Testamento reuocato tota defuncti voluntas quæ in eo scripta fuerat, irrita constituitur, lib.6 t.5 p.629 col.2 d.16 n.10

In Testamento iuri facto 5. testes sufficiunt etiamsi testamentum solenniter & in scriptis factum proponatur & si literatorum testium copia non possit haberi sufficit literatos subscribere pro literatis, l.6.t.5 p.624 c.2 d.5 n.2 in all. ad pias causas contentum est duobus testibus etiam non rogatis nec masculis ibid.

in Testamento in scriptis & inter liberos non requiruntur testes nisi quod ad legata data extraneis vel vxori, l.6 t.5 p.634 c.1 d.27 n.7 in all.

In Testamento fœminæ quandoque fidem faciunt. Et quando? li.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.2

Testamento rupto agnatione posthumi, saluum est ius eligendi, & fideicommissum debet restitui electo, l.6 t.22 p.719 c.2 d.16

Testamento priore subsistente vtriusque coniugis, voluntas distinctè seruanda est, nec ab alterutro sine alterutrius consensu codicillos fieri posse æquum est, l.6 t.5 p.632 c.1 d.19 n.7

Testamenta sunt iuris gentium, quod ad originem, iuris ciuilis quod ad solennitates, l.6. t.5 p.632 c.2 d.22 n.4 in all.

Testamenta quemadmodum aperiantur, l.6 t.13 p.683 c.1 d.1

Testamenta in scriptis & per nuncupationem incomparabilia, l.6 t.5 p.634 c.1 d.27 n.6 in all.

Testamenta coniugum correspectiua sunt captatoria, l.6 t.5 p.632 c.1 d.19 n.1 in all.

Testamenta correspectiua nihil iubent, l.6 t.5 p.630 c.1 d.18 n.19 & seq.

ex Testamentis duobus correspectiuis si non valeat reuocatorium posterius, neutrum ex prioribus reuocatum intelligitur: & quid si in posteriore sit clausula codicillaris? lib.6 t.5 p.631 c.2 d.19 n.1

TESTANDI formam minus formalem præscribere potest Princeps, sed non facere vt testamentum ab initio nullum conualescat post mortem testatoris inopium agnati, cui iam fuit quæsitum ius successionis ab intestato, l.6 t.5 p.632 c.2 d.32

TESTATIONES factæ ad futuram rei memoriam priusquam publicentur debent produci apud acta & deponi penes grapharium, debetque ea depositio fieri non à litigatore sed à commissario ipso qui testes audit l.4 t.15 p.339 c.2 d.44 n.4 in all.

TESTATOR intelligitur se conformare iuri communi, l.6 t.22 p.717 cap.1 d.8 n.6 in all.

Testator non præsumitur grauasse descendentes in infinitum, l.6 t.22 p.727 c.2 d.35

Testator qui contra quam iurauerat aliud testamentum facit periurus est, si non impetret absolutionem l.6 t.5 p.627 c.1 d.12 à n.1 ad 6

Testator qui duo testamenta condidit si posteriore affirmarit se non recordari verborum clausulæ derogatoriæ, quid faciendum? l.6 t.5 p.626 c.2 d.10 n.13 ad 7

Testator si rationem exprefferit cur se pœniteat prioris testamenti, posteriore testamento scriptus hæres præferetur l.6 t.5 p.628 c.1 d.14 n.2.3.4 & 5

Testatus pro patre dici non potest qui nullo modo est testatus l.6 t.6 p.636 c.2 d.1 n.13 in all.

Testatus vtiliter intelligitur, qui à Principe facultatem impetrauit testandi coram minus solenni numero testium, quam à Principe præscriptum fuit, l.6 t.5 p.632 c.2 d.22 n.1

Testis qui semel depositus non debet super eodem interrogari sine causa: & suspectus est si dicat se minus fuisse recordatum tempore primæ depositionis l.4 t.15 p.337 c.1 d.34 n.11 in all.

Testis qui semel interrogatus nihil aliud respondere vult apud iudicem nisi quod perstat in priore sua depositione, nou caret falsi suspicione & ideo torqueri potest p.342 c.2 d.57 n.1.2.& 3

Testis varius torqueri potest, & pro criminis grauitate etiam ad triremes condemnati p.336 c.1 d.55 n.1

Testis quoties de falso est suspectus torqueri potest l.9 t.21 p.1187 c.2 d.1 n.4 in all.

Testis vnus sufficit ad condemnandum non ad pœnam criminis, sed ad sumptus litis l.9 t.2 p.1150 c.1 d.3 n.1

Testis vnus etiam integer non facit iudicium ad torturam, multò minus criminis socius nisi in crimine læsæ maiestatis l.9 t.21 p.1188 c.2 d.7 n.1

Testis vnicus non facit iudicium ad torturam nec criminis socius, nec infamis, nisi in crimine læsæ maiestatis p.332 c.1 d.20 n.1.2.3 & 4

Testis instrumentarius, etiamsi sit domesticus, testimonij tempore audiri potest p.319 c.2 d.7 n.1

Testis male interrogatus iterum ex integro est audiendus p.340 c.2 def.47 n.1.2 & 3

Testis infamis nullam potest fidem facere sine tortura lib.9 tit.21 p.1193 c.1 d.23 n.1 in all.

Testis sine iusta causa testationem ex interuallo corrigere non potest p.335 c.1 d.30 n.7

Testis in continenti se corrigere potest, p.335 c.1 d.30 n.7 in all.

Testis vnius testimonio quandoque creditur p.337 c.2 d.35 n.1

Testis vnius suspicio per contestem purgatur p.334 c.1 d.27 n.7

Testi suum officium non debet esse damnosum l.9 t.20 p.1184 c.2 d.4 nu.1 in all.

Testi contra suum commodum testificanti magis creditur pag.339 col.1 d.42 n.1

Testes adhibentur vt veritatis fidem faciant p.335 c.1 d.29 n.3 in all.

Testes auditi ex autoritate alterius magistratus, testationibus ad Senatum relatis, sunt repetendi p.330 c.1 d.9 n.1 2 & 3

Testes iurandi sunt, & exinde pro iuratis habentur pag.329 col.2 d.8 nu.1. 2 & 3

Testes die feriato iurandi non sunt nisi partes consentiant eo die audiri, qui sit quidem feriatus, sed non in honorem Dei p.187 c.1 d.2 n.1

BIU Cujas

Testes singulares non probant p.340 c.1 d.46 n.1

Testes singulares regulariter non probant: nisi in certis casibus l.6 t.2 p.618 c.2 d.5 n.1 in all.

Testes plures quàm decem super vno articulo audiri possunt, si de causis agatur quarum veritas ex quamplurimorum testimonio pendet p.331 col.1 d.14 num.1.2 & 3

Testes iam interrogati interdum etiam post didicita testificata iterum interrogari possunt, eo etiam, cuius interest, requirente p.328 c.2 d.5 n.1

Testes etiam minus solenniter interrogati faciunt aliquale iudicium imò & aliquando faciunt plenam probationem p.338 c.2 d.40 n.1 & 2

Testes non sunt audiendi pro reo antequam sit in vinculis & de crimine responderit lib.9 t.2 p.1152 c.2 d.11 n.1

Testes audiri ab alio quàm iudice quandoque repetuntur, nec tamen reo cõmittuntur, sed & repetuntur etiam qui committi non possunt p.334 c.2 d.18 n.1 & 2

Testes instrumentarij impetrato diplomate indistincte audiri solent in facto quod non nisi per eos probari potest p.306 c.1 d.1 n.17

Testes instrumentarij non facilè reprobari possunt, si auditi sint ad instrumentum de re pertinente p.334 c.2 d. 29 n.1.2. & 3

Testes testamentarij semper rogari debent, quæ solennitas nunquam remitti debet, lib.6 t.5 p.624 c.1 d.3 n.4 in all.

Testes plures regulariter requiruntur in testamento, quàm in donatione l.8 t.39 p.1142 c.2 d.2 n.1

Testes plures in globo, vnius tantum testis loco habentur, sed multò dignioris fidei si nullus ex omnibus sit cuius testimonium probabili aliqua obiectione labefactetur p.328 c.1 d.3 num.1 & 2

Testes deponentes de institutione facta per nuncupationem debent esse contestes, etiam in figura & cortice verborum, l.6 t.7 p.642 c.2 d.2 n.1 & 2

Testes non obstante appellatione audiendi sunt p.336 c.2 d.22 n.1

Testes audiri possunt ex rescripto principis ad tuendam defuncti innocentiam prius quàm contra heredes sit instituta accusatio p.333 c.2 d.25 n.4

Testes audiri possunt etiam post interlocutionem redditam de aperiendis testationum tabellis si modò re vera, non fuerint apertæ p.332 c.1 d.21 n.1

Testes cuiuscunque ætatis & conditionis tempore pestis & belli audiri possunt p.340 c.2 d.48 n.1

Testes per turbam audiri possunt in summariis, lib.4 t.15 p.331 c.1 d.14 n.4 in all.

Vt Testes audiantur valet consuetudo etiam post didicita testificata & in quacunque parte litis l.8 tit.35 p.1125 c.1 d.6 n.1.2 & 4

An & quando Testes noui, etiam super iisdem articulis aut contrariis post didicita quoque testificata admitti possint? p.344 c.2 d.62 n.2

Testes, etiam qui non nisi de fama, deponunt obiiciendi & cõmittendi sunt reo, l.4 t.15 p.334 c.2 d.28 n.3 in all.

Testes etiam nominati à parte dummodo absente audiri possunt officio iudicis, l.4 t.15 p.328 c.1 d.2 n.14 in all.

Testes sunt committendi etiam in causa appellationis si reus crimen negauerit, licet in prima instantia sibi eos committi noluerit, lib.4 tit.2 pag.1153 col.2 defin.14 num.1

Testes in criminalibus non audiri ad futuram rei memoriam, quomodo accipiendum, lib.4 t.14 p.306 c.2 d.1 n.9 in all.

Testium dicta fauorabiliter interpretanda sunt & adinuanda vt ad concordiam redigantur, non calumnianda, p.343 c.1 n.59 n.1 & 4

De Testium triplici singularitate. Et an & quando tales testes possint coniungi vt fidem faciant? lib.6 t.2 p.618 c.2 d.5 n.3 in all.

TESTIFICANS de tractatu alicuius negotij non probat, nisi tractatum illum certo modo perfectum fuisse dicat p.335 c.1 d.30 num.1

TESTIMONIVM & viua voce & secreto dici debet p.341 c.2 d.52 n.1 & 2

Testimonium inimicæ personæ non potest non videri suspectum, l.4 t.36 p. 454 c.2 d.18 n.10 in all.

Testimonij dicendi necessitas ex iudicis ecclesiastici testimonio proficiscitur p.333 c.2 d.24 n.3

Testimonia domestica admittenda non sunt ne quidem per viam monitorij nisi probandum id sit, quod nisi per domesticos probari potest p.343 c.2 d.60 n.1

THESAVRARIVS Principi si se alicui obligauerit pro re ad Principis negotia pertinente, sed de qua Princeps ipse non erat antea eidem creditori obligatus, etiam post finitum officiũ potent ex ea obligatione conueniri, lib.4 t.7 p.291 d.17 n.3 in all.

THORVS viri est non mulieris, l.6 t.33 p.770 c.1 d.8 n.1 in all.

TITVLVS bonus præsumi non potest constat de inualido & vicioso p.17 c.1 d.56 n.8

Titulus non præsumitur ex solo lapsu temporis, l.7 t.4 p.799 col.2 d.num.1 in all.

Titulus defuncti non potest euadere in titulum superstitis p.21 c.1 d.69 n.4 in all.

Titulus beneficij probandus est per scripturam, non per confessionem partis l.4 t.14 p.315 c.1 d.29 n.1

Titulus in beneficialibus non probatur per solam visionem scripturæ tituli p.24 c.2 d.83 n.1

Titulus solus emptionis aut alterius acquisitionis iuncta possessione nõ sufficit ad probandum dominum possessoris, nisi autoris etiam ius & dominium probetur p.326 c.1 d.69 n.14

Titulus, De his quæ vt indignis, non est abrogatus apud Sabaudos, l.6 t.16.p. 689 c.2 d.4 n.1

Titulum iustum habens non ideò potest vincere in iudicio vindicationis, si nunquam possessionem adeptus fuerit, quia nec dominus p.228 c.1 d.1 n.3

Titulum possessionis suæ ostendere nemo cogitur p.493 c.1 d.21 n.5

A Titulo non priore modò, sed etiam à posteriore discedit qui beneficium tanquam vocans impetrat p.30 c.1 d.8 n.1

TORMENTORVM patientia purgat indicia nisi habita sit quæstio sine præiudicio iudicorum, quo tamen casu mutanda est pœna ordinaria in extraordinarium l.9 t.21 p.1193 c.1 d.25 n.1

TORQVERI quis potest, sed moderatiùs ex longis & grauibus inimicitiis l.9 t.21 p.1189 c.1 d.11 n.1

Torqueri non debet iterum quasi ex mendacio qui tormentis ipsis, vel statim post tormenta reuocat suam confessionem l.9 t.21 p.1188 c.1 d.5 n.1

Torqueri non potest in socios quàtumcumque graue sit crimen de quo agitur, qui gratiam criminis habuit à Principe l.9 t.1 p.1190 column.2 d.14 num.1

Torqueri possunt hodie illi quos ius commune tormentis subiici prohibet: sed non tam facilè l.9 t.21 p.1190 c.1 d.13 n.1

TORTVRA est præparatorium ad mortem vel naturalem, vel ciuilem, vel saltem ad pœnam corporalem l.9 t.21 p.1191 c.2 d.17 n.5 in all.

Tortura facit personam testis integram quæ alioqui non esset integra l.9 t.21 p.1192 c.2 d.23 n.1

Tortura non est inferenda quoties pro delicto non imponitur pona corporalis l.9 t.21 p.1187 c.2 d.1 n.2 in all.

Torturæ subiici potest aliquis prius etiam quam de corpore mortuo constet maximè verò in crimine assassinatus l.9 t.21 p.1191 c.1 d.17 n.1

TOLERABILIA esse quæ vetus consuetudo approbauit, non est perpetuum, l.1 t.5 p.46 c.1 d.8 n.1

TRADITIO facta est ad aliquem finem & effectum p.417 c.1 d.9 n.3 in all.

Traditio nullum ius tribuere potest facta ab eo qui nullum ius habuit pag. 417 c.1 d.9 n.5 in all.

Traditio facta abillo qui nullam ius habuit nullum ius tribuit, l.4 t.28 p.417 c.1 d.9 n.5 in all.

Transactio sub prætextu instrumentorum rescindi non potest p.91 c.1 d.13 n.1 & 2

Traditio anuli, vel calami, vel pilei non transfert possessionem, sed tantùm possessionis propria autoritate adprehendendæ potestatem lib.7 t.7 p.809 c.1 d.n.1

Traditio calami non prodest ad transferendam possessionem & quo iure dominium bonorum sub hasta venditorum transferatur in emptorem l.7 t.7 p.808 c.1 d.7 n.1

TRANSACTIO cum sit nudum pactum non parit actionem, l.2 t.4 p.90 c.1 d.13 n.4 in all.

Transactio post triginta dies elapsos insinuari debet p.90 c.2 d.10 n.1

Transactio, prohibita alienatione censetur prohibita, per quam res in alium transferatur p.455 c.1 d.2 n.1.2 & 3

Transactio eum quibusdam ex vniuersitate facta, neque possessio secuta in executione transactionis nocet cæteris ex vniuersitate ne quidem in possessorio l.7 t.13 p.829 c.2 d.13 n.1

Transactio facta de iure immunitatis non nisi audito procuratore generali homologari potest pag.90 col.2 d.11 n.1

Transactio quæ vniuersitati vtilis est, inscia vniuersitate ex solo procuratoris consensu non est infringenda p.99 c.2 d.7 n.3

Transactiones nouant præcedentem obligationem, super qua dubitatum, transactumque proponitur p.83 c.1 d.2 n.1

TRANSIGERE is solus potest qui vel rei dominus absolutè est, vel speciale à domino mandatum in eam rem habet, l.6 t.6 pag. 641 col.1 d.10 num.4 in all.

Transigere alieno nomine, citrà speciale mandatum, nemo potest p.89 c.2 d.7 n.1

TREBELLIANICA minuit massam ipsam hereditatis, vt legitima massam bonorum lib.4 t.38 p.458 c.2 d.10 n.10 in all.

Trebellianicam assumunt quinque anno

annorum fructus, eo casu quo in quartam imputantur, lib.6 t.27 p.759 c.2 d.18
Trebellianica non deducitur ex pupillari substitutione, sed ex fideicommisso, lib.6 t.8 p.644 c.1 d.2 num.9 in all.
Trebellianicam non amittant liberi primi gradus ob non confectum inuentarium, l.6 t.27 p.754 c.1 d 5
Trebellianicam non tantum & legitimam ex fideicommisso detrahunt liberi primi gradus, vt cæteri, sed etiam præcipuos fructus retinent, qui à cæteris in Trebellianicam imputantur, l.6 t.27 p.753 c.2 d.4
in Trebellianicam imputantur fructus percepti iure hæreditario, siue ab hærede, siue ab hæredis patre, lib.6 t.27 p.761 c.1 d.24
TRIBVTVM Principis non imminuitur propter immunitatem alicuius particularis, p.200 col.2 d.40 n.4
Tributum subditi quatuor casib. pendere debent, p.486 c.1 d.6 num.1
Tributum nullum iudicati debetur pro sumptibus funerum & inuentarij adiudicatis in instantia discussionis, l.7 t.18 p.855 c.1 d.26 n.1
Tributum iudicari debetur ad ratam petitæ quantitatis quoties implicita est quæstio dominij vel pignoris, l.7 t.18 p.854 c.2 d.24 n.1
Tributum iudicati singulare debetur etiam pro adiudicata possessione si includat adiudicationem iuris, aut quantitatis, l.3 t.2 p.171 c.1 d.13 n.1.2.3.4 non debetur si nuda possessione agitur, ibid.n.2
De Tributo subditis indicto ob equestris dignitatis accessionem, p.486 c.1 d.5 n.1 & 2
Tributorum indictio non nisi ex necessaria causa fieri potest, p.458 c.2 d.1 n.1 2 & 3
TRIREMIVM pœna aliquando irrogata iuuenibus cellarum effractoribus & vinum effundentibus, lib.1 t.5 p.46 c.2 d.8 n.7 & in all.
pro TVRBA non possunt adduci vltra triginta testes, l.4 t.15 p.331 c.1 d.14 n.4 in all.
TVRPITVDINEM suam allegare nemo potest, l.6 t.16 p.688 c.1 d.7 nu.2 in all.
TVTELA nulla hæreditario iure ad alium transit, l.6 t.14 p.687 c.1 d.7 n.2 in all.
Tutelæ ratio, quamdiu tutela durat exigi non potest, p.380 c.1 d.8 n.8 in all.
Tutelæ periculum ad tutorem spectat à die quo suscepta est tutela p.177 c.1 d.1 n.4
TVTOR loco domini est, l.7 t.20 p.893 c.2 d.36 n.5 in all.
Tutor verus solus domini loco habetur, non etiam is qui pro tutore gerit, l.8 t.3 p.956 c.1 d.13 n.2 in all.
Tutor pro pupillo nec curator pro adulto hæreditatem adire potest, p.111 c.2 d.11 n.4 in all.
Tutor satisdare debet, sicut & inuentarium facere, p.177 c.1 d.1 n.6 in all.
Tutor pupillorum nomine iurare aut iusiurandum deferre de ea re quam ipsi nesciunt, potest, pag.263 c.1 d.20 num.5
Tutor se putans licet falso omnia potest facere quæ verus tutor facere deberet, l.5 t.28 p.597 c.2 d.1 n.4 in all.
Tutor si repertorium non fecerit contra eum iuratur in litem, p.177 c.1 d.1 n.5 in all.
Tutor qui liberationem ab vno ex impuberibus meruit, non cogitur communes rationes reddere, nisi sint omnino connexæ, l.6 t.18 p.699 c.1 d.10
Tutor soli pupillo obligatur ad rationes reddendas, non alij, l.5 t.40 p.601 c.2 d.8 n.6 in all. cum rationes bene reddidit, aut ab his reddendis liberationem consecutus est, ea quæ ex pupilli bonis penes se habet debet restituere, Ibid.n.9 in all.
Tutor datus pupillo qui solenne inuentarium fecit, an & quãdo & quatenus teneatur post redditam pupillo rationem iterum reddere creditoribus, l.5 t.40 p.601 c.1 d.2 n.1.2.3.4.10 & 13
Tutor datus non debet appellare: sed se primum excusare, postea si excusatio non admittatur, tum demum appellare, l.7 t.26 p.911 c.1 d.8 n.1
Tutor rem pupilli male administrans non solum pupillo se obligat, sed iis etiam omnibus quorum interest pupillum ex tutoris facto & authoritate obligari, si qua ratione fiat ne pupillus valeat & cum effectu obligetur, p.127 c.1 d.2 n.7 & 8
Tutor qui appellationem pro pupillo à se interpositam deseruit, semper quidem condemnandus est ad pœnam desertionis, sed non semper ad expensas litis, l.7 t.18 p.870 c.2 d.80 n.1
Tutor condemnatus tanquam tutor non potest cogi, vt iudicati executionem in suis bonis patiatur, etiamsi proprio nomine fuerit obligatus, l.8 t.20 p.897 c.1 d.52 n.1
Tutor esse non potest citra iniuriam pupilli, quem ex non vult regi ab eo, qui ipse propter ætatem adhuc ab alio regi debeat, p.133 c.1 d.1 n.10
Tutoris & pro tutore gerentis differentia l.5 t.28 p.597 c.2 d.2 n.1
Tutori dato aut testamentario, cui satisdatio iniuncta est, nec appellauit, sed non vult aut non potest satisdare creditore pupillari vigente vt pupillum defendat, Senatus potest satisdandi necessitatem remittere, l.5 t.25 p.595 c.1 d.1 n.5 in all.
Tutori qui consuluit peritiores nihil imputari potest, l.7 t.26 p.919 c.1 d.41 n 7 in all.
pro Tutore vt quis probetur gessisse, sufficit vt in aliquo instrumento aut quolibet alio actu se tutorem nominauerit, l.5 t.28 p.597 c.2 d.1 n.4 in al.
pro Tutore pupilli negotia gerens, cum tutor non esset, non debet quod ad ipsius incommoda pertinet melioris esse conditionis quàm si verè tutor esset, l.5 t.28 p.597 c.2 d.1 n.4 in all.
Tutores quamdiu soluendo etunt, denegari debet restitutio aduersus lapsum temporis, p.129 c.1 d.1 n.3 in all.
TVTRIX & curatrix mater filio dari potest, l.4 t.28 p.414 c.1 d.1 n.1 in all.

V

VACANS hæreditas qua dicatur, l.6 t.12 p.680 c.1 d.15 n.2 in all.
VACATIONIS modus vnus in alio non continetur, p.1 c.1 d.1 n.2 in all.
Vacationis modus expressus aut verus esse debet, aut saltem talis qui verus esse possit, quique communiter verus putetur, p.2 c.1 d.4 n.3
VALOR nummorum debitorum potius æstimari debet ex communi vsu commerciorum, quàm ex Edicto principis, si non aliter indemnitati creditoris cautum esse possit, l.8 t.30 p.1090 c.2 d.11 n.1.2
VARIATIO non potest esse sine contradictione euidenti mendacio, lib.9 t.21 p.1188 c.1 d.5 n.3 in all.
VARIETAS iuris non inducit diuisionem voluntatis, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.31 in all.
VARIIS speciebus iuris vtens non tam donat quam loquitur sæpius, l.6 t.4 p.622 c.1 d.4 n.31 in all.
VELLE aliud est quàm non nolle, & contra aliud non nolle aliud velle, l.3 t.21 p.225 c.2 d.2 n.16 in all.
Velle nemo creditur id quod potest facere nec facit, lib.6 t.5 p.634 c.1 d.27 n.12 in all.
VELLEIANO Senatusconsulto noniuatur mulier quæ rem suam vendidit, & ex redacto pretio creditoribus mariti sui aut alterius cuiuslibet personæ satisfecit, l.4 t.21 p.372 c.2 d.27 n.1
Quantum intersit an VENDATVR id quod semel tantum tradi debeat, an quid annuum, cuius tradendi obligatio singulis annis renascatur, lib.8 t.31 p.1112 c.1 d.13 n.1.2 & 3
Multum interest an mulier Vendat bona sita creditori mariti, an alij, vt pro marito soluat, lib.4 t.21 p.369 c.1 d.18 n.1 & 2
Refert an Vendantur fructus nascituri ex recto fundo, an perceptio fructuum ex eo fundo iam collectorum, l.4 t.42 p.473 c.2 d.26 n.1
VENDENS id agit vt rem suam alienet quantorumque potest precio, l.3 t.27 p.250 c.1 d.3 n.6
Vendens rem alienam non aliter cogitur implere venditionem, dominum postea nactus, quàm si venditio ab initio valida fuerit & iusta, lib.4 t.33 p.437 c.2 d.10 n.1.2.3.4.5 & 6
Vendentis aut ementis non eadem est voluntas quæ diuidentis, lib.3 tit.27 p.250 c.2 d.3 n.5
Vendentibus simul coniugibus, tota pecunia ad maritum peruenisse præsumitur si aut mariti res vendita sit, aut mulieris fundus dotalis, non aliter, l.4 t.14 p.313 c.1 d.22 n.1
Venduntur bona dominij, non custodiæ causa, l.4 t.43 p.495 c.2 d.30 n.10
VENDERE aliud est, aliud vendenti consentire, l.6 t.11 p.674 c.2 d.45 n.9 in all.
Qui vetat Vendere, vetat etiam venditionis nomine pecuniam accipere, l.4 t.38 p.455 c.2 d.3 n.9
Vendere mulier sua bona omnia etiam dotalia & obligare potest ad soluendam mulctam, in quam ex causa delicti condemnatus fuit maritus, in carceres ideò detentus, lib.4 t.21 p.371 c.1 d.21 n.1
Quanti vnaquæque res Vendi potest tanti esse creditur, lib.4 t.41 p.459 d.2 n.1 in all.
VENDITA res pignori per apparitorem capta non potest à debitore in præiudicium creditoris, vel emptoris iudicialis trahi, lib.4 t.38 p.457 c.2 d.8 n.2 & 3
Vendita res & iam tradita tota repeti potest iure pignoris de quo conuenerit; deinde tota retineri pro parte precij non soluti, l.4 t.33 p.436 c.2 d.6 n.1.2 & 3
Emptor qui Vendita res fuit tanquam libera si à Domino intra statutum tempus non petierit inuestitutam excusatur à pœna commissi, l.4 t.43 p.491 c.2 d.17 n.1
Vendita re sic tradita vt non transferatur dominium quin solutum sit totum precium, non eo minùs habet creditor cuius persecutionem, l.4 t.33 p.437 c.2 d.9 n.1.2 & 3
Vendita re communi interdum causa venditione est indiuidua, etiam ex parte venditoris, ita vt restitutio vni ex venditoribus concessa, debeat prodesse alteri, l.4 t.35 p.445 c.1 d.1 n.1

BIU Cujas

Venditum à Principe præsumitur, vt & ab alio quolibet ius tantum quod habet in re, l.3 t.22 p.232 c.2 d.11 n.4

Venditorum recto precio fructuum periculum non ad venditorem eundémque debitorem sed ad emptorem eundémque traditorem pertinet, l.4 t.32 p.434 c.2 d.2 n.2

Venditis rebus pluribus confuso precio ei qui sibi amicóque eligendo emerat nihil prohibet, vt in vna amicum tam emptore eligi; vel in singulis singulos, l.4 t.34 p.440 c.2 d.3 n.1

VENDITIO est quoties sciri potest quid si merx, quid pretium, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.1 in all.

Venditio à corpore incipit, cùm ager venditus est non solùm ad mensuram, sed etiam si prius facta sit mentio corporis deinde mensuræ ante fundi fines iudicatos; quin etiam quicquid intra confines est pro vendito habetur, l.4 t.28 p.415 c.1 d.3 n.8

Venditio dominium rei venditæ transfert in emptorem, & quidem in perpetuum non ad tempus. Conductio nullum omnino ius, aut ne iuris occasionem vllam tribuit emptori, l.4 t.42 p.477 c.1 d.38 n.3 & 4

Venditio postulante creditore facta sub hasta illum obligat non quidem de euictione, sed ad id quod interest emptoris, si condemnatus sit emptor ob vicium subhastationum, secus si ob culpam propriam, lib.8 t.32 p.1121 c.2 d.4 n.1.2 & 3

Venditio facta per minorem alienare prohibitum à lege & à testatore aut à testatore solo, non valet, etiam si sit vallata iuramento, l.4 t.38 p.455 c.1 d.1 n.1

Venditio, à muliere cum marito facta quibus casibus Velleiano Senatusconsulto infirmetur, l.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.5.6.7.8.9 & 10

Venditio rei fideicommissariæ quando valeat, lib.6 t.23 p.738 c.1 d.9 num.8 in all.

Venditio quando dicatur perfecta, lib.4 t.28 p.414 c.2 d.3 n.1.2.3 & 4

Venditio perfecta est statim atque pignus addictum est, licet nondum secuta sit missio in possessionem, l.4 t.43 d.509 c.1 d.65 n.9 in all.

Venditio lege commissaria resoluitur ipso iure, si venditor velit, l.4 t.37 p.455 c.1 d.1 n.11 in all.

Venditio pensionis annuæ certo pretio, an & quando sit vsuraria, lib.4 tit.24 p.398 c.1 d.40 à n.1 ad 8

Venditio pignoris facta creditori neque posterioribus nocet quamdiu tenet quo minus offerre possint, neque ipsi emptori, quo minus iura sua salua habeat si pignus postea euincatur, lib.8 t.10 p.1000 c.1 d.4 n.5.6 & 7

Venditio facta sub pacto de retrouendendo est permissa, l.4 t.14 p.394 c.1 d.28 n.3 in all.

Venditio facta ex authoritate statuti, interpretationem recipit & suas conditiones & statuta. Conuentionalis vero non nisi ex partium voluntate, & ex iure communi, l.4 t.43 p.496 c.2 d.30 n.25 in all.

Venditio bonorum paraphernalium à muliere facta constante matrimonio valet etiamsi maritus simul cum vxore vendiderit, p.105 c.2 d.2 n.1

Venditio fundi pupillaris, facta tanquam fundi pupillaris, non valet, lib.4 t.33 p.435 c.2 d.3 n.6 in all.

Venditio rerum quæ consistant in pondere vel numero, vel mensura non prius perfecta dicitur quàm res huiusmodi adnumeratæ, admensæ adponsiue sint: interea si rei venditæ damnum aliquod contigerit, ad venditorem non ad emptorem pertinebit, l.4 t.32 p.434 c.1 d.1 n.1 & 2

Venditio etiam vno nummo facta valet ad euitandam pœnam incapacitatis, l.4 t.43 p.503 c.1 d.50 n.1 & 2

Venditio accedēte precio aliquo quantumuis modicò imaginaria dici non potest, lib.4 t.43 p.503 c.2 d.50 nu.4 in all.

Venditio facta sub pacto de retrouendendo temporali non annullatur ex causa enormissimæ læsionis, sed perpetratur l.4 t.30 p.425 c.1 d.5 n.2 & 3

Venditio à mensura cæpisse intelligitur quoties restricta est ad mensuram verbis præcisis & limitatis, l.4 t.28 p.415 c.1 d.4 n.1 & 2

Venditio vltronea, ac voluntaria rō tantum venditoris ius perimit quod vel in re vel ad rē habebat; sed ecrū quoque omnium qui venditioni consenserunt: venditio vero necessaria, & iure, & necessitate præcedentis contractus illi ipsi qui vendidit non nocet, l.4 t.36 p.448 c.1 d.5 n.5 & 6

Venditio pluribus facta per Principem competit ei, cui priori vendita est, l.3 t.22 p.227 c.2 d.11 n.1

Venditio, traditione secuta, titulus est facilis ad transferendum dominium, l.4 t.32 p.434 c.2 d.2 n.9 in all.

Venditio si ex capite metus rescindatur, non habet emptor electionem suppleudi iusti præcij: si verò ex causa læsionis, habet, l.4 t.30 p.428 c.1 d.16 n.4 & 5.

Venditio contra leges facta valere non potest, l.3 t.22 p.228 c.2 d.1 n.2 in all.

Venditio non potest fieri precio incerto, l.7 t.20 p.897 c.1 d.51 n.6 in all.

Venditio rei alienæ non valet, lib.3 t.22 p.224 c.2 d.3 n.1 in all.

Venditio partis communis non tollit communionem, l.3 t.27 p.255 c.1 d.12 n.2 in all.

Venditionis precium quod marito & vxori simul solutum fuit, an præsumatur totum ad maritum peruenisse, siue bona fuerit dotalia, siue paraphernalia, l.5 t.7 p.536 c.1 d.8 n.3.4.5 & 6

Venditionis substantia in precio consistit l.4 t.26 p.404 c.2 d.13 n.1 in all.

Venditioni factæ sub lege commissoriæ etiamsi venditor velit emptor instare non cogitur, si res defierit esse integra præsertim si venditoris id facto acceperit, l.4 t.37 p.454 c.2 d.1 nu.1 2.3 & 4

Qui Venditioni pignoris consentit fideiubendo pro emptore erga venditorem non ideò ius sui pignoris remittere intelligitur, l.8 t.15 p.1006 c.1 d.6 n.1.2.3 & 4

Venditioni alienæ sub nomine venditoris accedens, censetur iure fideiussoris accedere, l.4 t.28 p.416 c.2 d.6 n.1 & 2

Venditionem rescindi an possit mulier petere petita in integrum restitutione contra emptorem, si rem cum marito vendiderit, l.4 t.14 p.313 c.2 d.22 n.8 in all.

ad Venditionem rerum hæreditariarum, creditores omnes sunt vocandi, l.5 t.40 p.601 c.2 d.8 n.3 in all.

Venditiones pignorum sub hasta fieri solitę non valent, si ab eo die quo pignora capta sunt ad eum vsque qui primus ex tribus faciendæ venditioni dictus est plures quam decem dies interceſſerint, l.8 t.17 p.1009 c.2 d.3 n.1

Venditiones etiam publicæ sub hasta factæ rescinduntur ex causa immodicæ læsionis, nullo etiam dolo probato, l.4 t.30 p.424 c.2 d.4 n.8 & 9

Venditiones conditionales ante conditionis euentum imperfectę sunt, lib.4 t.43 p.496 c.1 d.30 n.15

VENDITOR agens ex l.1.C. de resc. vend. probare debet se esse Dominum, l.4 t.20 p.428 c.1 d.17 n.1

Venditor pro emptore defendendo satisdare non cogitur, p.149 c.2 d.5 n.2

Venditor pro parte pretij non soluti potest rem totam venditam quanticumque pretij sit vendere, si modò habeat eam obligatam, l.4 t.33 p.437 c.1 d.8 n.1.2 & 8

Venditor non potest exigere pretium ab emptore conuento per alium hypothecaria, nisi pro eo litem suscipiat, caueatque de restituēdo pretio, si tertius obtinebit, l.8 t.31 p.1108 c.1 d.1

Venditor hyperochę an teneatur de euictione euicto fundo cuius redimendi ius competebat, l.8 t.31 p.1119 c.1 d.30

Venditor hyperochæ qui de ea defendenda se obligauit, ad quid teneatur, l.8 t.31 p.1119 c.2 d.31

Venditor potest intercedere executioni sententiæ contra emptorem redditæ, si non fuerit emptor vocatus, l.7 t.25 p.907 c.2 d.3 n.1

Venditor qui celauit onus rei venditæ, quod sciuit, tenetur eo nomine non tantum quantò minoris, sed etiam ex empto in id omne, quod interest, etiamsi per clausulam generalem id onus transferre voluerit in emptorem, l.4 t.32 p.435 c.1 d.1 n.3 & 4

Venditor qui vendidit quicquid iuris habuit impetrare debet in precium quicquid emptor in eam impendit, l.4 t.30 p.427 c.1 d.13 n.1.2.3.4 & 5

Venditor si rem venditam tradat, in id omne quod emptoris interest condemnandus est, l.4 t.36 p.451 c.2 d.13 n.17

Venditor alienæ liti interueniente dicitur, non suam inchoare, qui ab actore laudatus, ad iudicem venit, lib.3 t.12 p.189 c.2 d.1 n.3 in all.

Venditor non potest ad suum iuditem reuocare litem institutam contra suum emptorem, p.189 c.1 d.1 n.1

Venditoris precium petentis in obscuro iure causa potior est quàm emptoris, cui iam tradita res est: nec potest emptor discedere ab emptione inuito venditore, lib.4 t.29 p.418 c.1 d.4 n.5 6.7.8 & 9

Venditori qui rem tradidit debentur vsuræ precij non soluti tanquam interesse damni emergentis: interdum etiam fructus ipsi, lib.4 t.24 p.395 c.2 d.35 n.3

Venditori qui sibi pro precio retinuit ius prælationis & possessionis non potest discussionis instantia obiici adeóque nec offerri si dominum sibi reseruauerit, l.7 t.32 p.943 c.1 d.12 n.1 & 2

Venditori quæ debentur propter rem venditam pro annis præteritis non transeunt in emptorem, si nihil de iis specialiter dictum sit, l.4 t.33 p.438 c.2 d.13 n.1.2 & 3

Venditore non valente satisdare tradenda est precij pecunia idoneo mercatori qui vsuras legitimas præstet venditori in vicem fructuum, l.8 t.31 pag. 1118 c.2 d.29 n.1.2 & 3

VENTE *de fruicts rompt cense*, l.4 t.42 p.470 c.2 d.19 n.3

VENIAM non meretur, qui in officio suo delinquit, l.4 t.16 p.351 c.1 d.19 n.10 in all.

VERBA verbis dissoluuntur, p.55 c.2 d.1 n.2 in all.

BIU Cujas

Verba sunt intelligenda semper secundum subiectam materiam, adeoque interdum impropriánda, l.6 t.19 p.705 c.1 d.3 n.4 in all.

Verba omnia testamenta si semper accipi debent vt aliquid operentur, lib.6 t.22 p.726 c.1 d.30 n.8 in all.

Verba generalia sunt ciuiliter & fauorabiliter quantum fieri potest intelligenda l.7 t.3 p.799 c.1 d.7 n.8 in all.

Verba generalia semper ex eo quod verisimile est interpretationem recipere debent, l.4 t.16 p.352 c.1 d.21 n.9 in al.

Verba enunciatiua prolata principaliter in antiquis non solùm inter easdem, sed etiam inter alias partes probant per modum causæ, lib.4 t.14 p.309 c.2 d.6 n.1 & 2

Verba enũciatiua fauore dotis indistinctè probant, l.4 t.14 p.314 c.2 d.25 n.3

Verba enunciatiua ad posita in contractu inito cum Principe probant, si verisimile sit quod enunciatur, l.4 t.14 p.324 c.1 d.63 n.1

Verba denunciatiua in vltimis voluntatibus eo faciliùs & frequentiùs probãt quò faciliùs & frequentius inducunt dispositionem in cõtractib. non aliter disponunt quàm à præsente præsenti dicta sint l.4 t.14 p.315 c.2 d.23 n.23

Verba enunciatiua in contractu, cum minore gesto appositа, quæ contra maiorem probarent, probant etiam contra minorem, si curatoris autoritas in contractum interuenerit, non aliter, p.114 c.2 d.3 n.1 & 2

Verba, si sine legitimo hærede decesserit, quem sensum habeant, tam in testamentis quàm in feudis, lib.6 tit.19 p.706 c.1 d.5

à Verborum propria significatione interdum receditur, vt actus sustineatur, l.6 t.19 p.709 c.2 d.16

Verbis enunciationis iudicis de litigatorum facto aut iure non creditur, nisi de iis quæ coram ipso fiunt tum cùm pronuncia, l.4 t.14 p.309 c.2 d.7 n.5

Veritas semper persuadet, l.4 t.17 p.354 c.2 d.1 n.5 in all.

Veritas semper inquirenda est cum omni diligentia, & omni via, l.4 t.14 p.306 c.1 d.1 n.2 in all.

Veritas fictiones non admittit, l.6 t.22 p.718 c.1 d.12 n.5 in all.

Veritas facti semper attendi debet, potiùs quàm forma procedenti, l.7 t.15 p.840 & seq. c.2 d.3 n.8 in all.

Veritas in foro cõscientiæ aduersus præsumptionem iuris, & de iure persuadet, l.4 t.14 p.318 c.2 d.43 n.3 in all.

Veritatis habendæ fauor, efficit vt probationum facultatem ampliari semper quantum fieri potest, oporteat restringi numquam, l.4 t.14 p.305 c.1 d.1 n.1 & 2

Veritatis probatio numquã excluſa censetur, nisi cũ idipsum lege aliqua cautum est, l.4 t.1 p.268 c.1 d.37 n.2 in all.

In rem VERSVM non videtur quod non durat versum, l.4 t.24 p.397 c.1 d.37 n.9 in all.

VESTES vxori à marito traditæ siue nuptiarum tempore, siue constante matrimonio quando reddendæ sint marito aut eius hæredi, l.5 t.1 p.515 c.2 d.2 n.3 & 4

VESTIMENTA sunt ex earum rerum genere quæ & vtendo consumuntur, & seruando seruari non possunt, lib.6 t.18 p.696 c.2 d.1

Vestimentis à patre filiæ legatis, quorum partem iam pater soluerat, omnium æstimatio filiæ debetur, l.6 t.18 p.696 c.2 d.1

VICARIVS licet generalis conferre beneficia non potest, nisi speciale in id habeat mandatum, p.21 c.2 d.70 n.6

Vicarius ordinarius iurisdimionis potest de causa cognoscere, etiam citra subdelegationem, si ei delegata iurisdictio sub nomine appellatiuo dignitatis vel officij, l.3 t.3 p.173 c.2 d.4 n.1 & 4. pronunciatum ab eo si habere iniquitatem videatur indiget auxilio appellationis, ibid. n.8

Omni VICIO carere debet, qui in alium paratus est dicere, p.26 c.2 d.92 n.3 in all.

Vicia realia sequuntur rem quocumque ierit & afficiunt quemlibet possessorem, l.8 t.3 p.960 c.1 d.26 n.15 in all.

Vicia visibilia reddunt instrumentum suspectum, & aliquando vitiosum, l.4 t.16 p.344 c.1 d.16 n.3 in all.

VICTORIA duplex excusat ab impensis secundæ appellationis, sed non ab impensis priorum instantiarum, lib.7 t.18 p.859 c.1 & 2 d.41 n.1

Victoria mutua non est, nisi cum vna lis est, p.181 c.1 d.7 n.8 in all.

Victoris interest quamdiu sibi solutum non fuit aut plenissimè satisfactum, l.7 t.31 p.938 c.2 d.4 n.13 in all.

Victori quibus remediis succurratur contra appellationem quàm appellans non fuit intra tempora persecutus, l.7 t.29 p.934 c.2 d.10 n.1

VICTVS non debet ad expensas litis condemnari victori cui aliquid potest imputari, l.7 t.18 p.849 c.1 d.4 n.1

Victus tenetur aliquando ad alias expensas quàm quæ factæ sint post publicatas testationes, l.7 t.18 p.855 c.2 d.28 n.1

Victus ex iureiurando aduersarij non eò minùs condemnandus est in expensas si actor non de sua instantia iurauerit, sed de exceptione rei, lib.7 t.18 p.869 c.2 d.76 n.1

VIDVA, quandiu vidua manet in eodem matrimonio stare intelligitur, l.3 t.17 p.208 c.1 d.3 n.3 in all.

Vidua censetur eandem dotem dare posteriori marito tacita constitutione, sed non æquè dotis augmentum quod à priore viro habuit, l.5 t.8 pag. 558 c.1 & seq. d.24 n.1.2.3 & 4

Vidua secundò nubens præsumitur eandem dotem secundo viro quam primo dedisse, l.5 t.7 p.545 c.1 d.37 n.2

Vidua luxuriosè viuens etiam intra annum luctus non amittit dotem, sed liberalitates quas à viro habuit amittit, l.5 t.7 p.535 c.2 d.7 n.1.2.3 & 4

VINDICANDI ius nemo habere potest, nisi qui dominus est, l.3 t.22 p.229 c.2 d.3 n.8

VINDICATIO datur mulieri vendenti rem suam, si venditio præsumatur facta in fraudem Velleiani, lib.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.3 & 12

Vindicatione rei conuentus, licet bonæ fidei possessorem probet, non ideo tamen obtinere debet, quàm diu actor probare potest se esse dominum l.3 t.22 p.231 c.2 d.9 n.1 & 2

Vindicatione agenti quæstionem dominij referre quilibet potest, l.3 t.22 p.229 c.2 d.3 n.1.2.3.4 & 5

VINDICIÆ secundum legatarios fundorum dicendæ sunt, cum onere nudæ repromissionis, & sine alienandi licentia, si hæres dolosè versatus dicatur, l.6 t.11 p.663 c.1 d.12 n.1.2. & 3

Vindiciæ ante diffinitiua sententiam præsertim in beneficialibus dici solent pendente lite pro eo quo magis apparet magisque colorato titulo nititur, l.3 t.3 p.280 c.2 d.3 n.7 in all.

VINVM consistit in mensura, & est ex earum rerum numero quæ functionem recipiunt in suo genere lib.8 t.3 p.958 c.2 d.23 n.10 in all.

VIR & vxor cum pecuniam accipiunt, præsumitur tota pecunia ad virũ peruenisse, l.4 t.21 p.373 c.1 d.27 n.5 in al.

Virum inter & vxorem lis esse potest, constante matrimonio, modo ne actio famosa, lib.2 t.2 p.76 c.2 d.14 nnm.2 in all.

VIRGINI creditur iuranti se ab aliquo agnitam, non etiam merettrici, cui nec iusiurandum deferre permittitur, l.4 t.14 p.312 c.2 d.18 n.1

Virgini à coniugato cognitam se esse iuranti non creditur, l.4 t.15 p.340 c.2 d.49 n.1.2. & 3

Virginem vitians aut eam ducere aut dotare cogitur, l.4 t.9 p.293 c.2 d.3 n.4 in all.

VIRGINITAS qualitas est quæ à natura ineſt etiamsi aliter non probaretur, l.9 t.7 p.1164 c.1 d.6 n.10 in all.

VIS sola ¦metúsve sufficit ad inducendum prætoris auxilium, l.4 t.21 p.369 c.1 d.18 n.6

VIS maior dicitur cui resisti non potest, l.4 t.42 d.474 c.1 d.27 n.2 in all.

Vim faciens iure suo cadere debet, l.3 t.18 p.208 c.2 d.2 n.1 in all.

Vim facere dicitur quisquis ius suum non per iudicem repoſcit. l.8 t.3 p.952 c.1 d.2 n.1 in all.

Vi facit, qui prohibitus facit clam verò qui celato aduersario, l.8 t.3 p.957 c.2 d.20 n.2 in all.

Vi factum dicitur si quis contrà quàm prohiberetur, fecerit, l.4 t.14 p.311 c.2 d.14 n.3 in all.

Vi, nec clam facere videri potest qui suam dumtaxat contineat possessionem, nec si eam vi defendat, lib.3 t.24 p.239 c.1 d.1 n.5 in al.

Vitæ conseruandæ & redimendi sanguinis quælibet racio honesta est, li.9 t.29 p.1214 c.1 d.3 n.6 in all.

VIVENTIS nullus est hæres, lib.6 tit.5 p.632 c.2 d.22 n.2 in all.

VLTIMVS est, non quem alius præcedit, sed quem nemo sequitur, l.6 t.19 p.711 c.2 d.24 n.3 in all.

VIVENDI beneficij & eius cui vnitur debet exprimi valor. l.1 t.2 p.14 col.2 d.48 n.13 in all.

VNIO omnis requirit causæ cognitionem, l.1 t.2 p.14 c.2 d.48 n.13 in all.

Vnio semel facta semper durat, lib.6 t.1 p.616 c.2 d.8 n.2

Vnio nulla, & minùs ritè facta, æquiparatur, p.15 c.2 d.51 n.2 in all.

Vnio fiat mensę non requiritur non expressio bonorum seu beneficiorum mensæ, vnitorum, l.1 t.2 p.14 c.2 d.48 n.13 in all.

Vnio beneficij quod sit de iure patronatus laicorum tanquam potest fieri per Papam inuito patrono laico, l.6 t.3 p.616 c.2 d.8 n.1 & 2

Vnio beneficiorum odiosa est, & à communi ecclesiarum vtilitate aliena, p.14 c.1 d.48 n.1

Vnio beneficiorum semper & perpetuò grauat, p.16 c.1 d.48 n.11

Vnioni beneficiorum debent interesse episcopus, qui ordinarius est diœceseos, capitulum ecclesiæ cathedralis, & patronus beneficij, si laicus sit, p.14 c.1 d.48 n.2

Vnio beneficiorum, nunquam nisi ex magna causa, eáque necessaria, debet permitti, p.14 c.1 d.48 n.2

Vnioné beneficij an suadeat necessitas, vel paupertas relinquendum arbitrio iudicis, l.1 t.2 p.14 c.1 d.48 n.1 in all.

Per Vnionem melius est duob. beneficiis

BIU Cujas

debet impetratis,p.89 c.2 d.6 n.3
SVPREMA voluntas illa est quam nulla alia sequitur,l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.5 in all.
SVSPECTAM rem facit personæ interpositio,l.4 t.21 p.370 c.2 d.19 n.3 in all.
SVSPICANDVM nihil est in malam partem de eo, qui bonam habet famam l.9 t.13 p.1172 c.2 d.2 n.2 in all.
SVSPICIO ferè pro veritate habetur in crimine falsi,l.9 t.13 p.1172 c.2 d.2 n.3 in all.
Suspicionis causæ contra iudicem non solùm allegandæ, sed & probandæ sunt,p.147 c.2 d.7 n.5 in all.
Suspicionem quantulamcumque à posteriore testamento abesse necesse est,l.6 t.5 p.628 c.1 d.14 n.7
SYNDICATVS administratio si inter Syndicos diuidatur siue tacita siue expressa pactione, separatim quoque ab iis ratio exigenda est, l.4 t.7 p.901 c.1 d.18 n.3
Syndicatus diuisio quæ fit inter Syndicos iuris non iurisdictionis est,l.4 t.7 pag.291 c.1 d.18 n.2 in all.
SYNDICVS procuratoris partibus fungitur,p.97 col.1 d.7 n.5 in all.
Syndicus de rato cauere non cogitur nisi de mandato dubitetur,l.4 t.7 p.290 c.2 d.16 n.4 in all.
Syndicus an & quando pro vniuersitatis debito possit proprio nomine ex iudicato conueniri,l.7 t.22 p.900 c.1.d.1 num.1
Syndicus vniuersitatis nomine,si in vniuersitatem delapsa sit,literas moratorias siue annales, siue quinquennales impetrare potest,p.53 c.1 d.18 n.1
Syndicus pro debito vniuersitatis potest ex iudicato detrudi in carceres post neglectum præceptum iudicis, lib.7 t.20 p.885 c.1 d.16 n.1
Syndicus qui pro debito vniuersitatis se,suáque omnia pignori obligauit, licet tanquam Syndicus, conueniri tamen etiam finito officio potest, l.4 t.7 p.290 c.1 d.15 n.1 & 2
Syndicus si tempori satisfieri creditori non curet de suo soluere cogi potest, mox tamen à posterioribus syndicis quantum ratio & æquitas suadere videbitur, repetiturus, l.4 t.7 p.286 c.2 d.4 n.5 & 6
Syndicus qui mutua pecuniam accepit si docere nequeat versam esse in vtilitatem vniuersitatis, proprio nomine conueniri potest,p.286 c.2 d.5 n.7
Syndicus proprio nomine pro debito vniuersitatis, etiam finito officio conueniri potest, si interpallatus, vt solueret, fuerit negligens l.4 t.7 pag.286 c.2 d.5 n.1
Syndicus ad cessionem bonorum non admittitur contra fiscale debitum, licet debitum sit vniuersitatis,l.7 tit.31 p.939 c.1 d.7 n.1
Syndicus quamdiu rationes non reddidit & conueniri potest & condemnari vt cum effectu curet solui debitum per nouos syndicos intra certum tempus arbitrio iudicis pro personarum qualitate & debiti quantitate statuendum,p.286 c.1 d.4 n.2.3 & 4
Syndici confessio in ea re de qua non habeat speciale mandatum non nocet vniuersali,l.7 t.24 p.905 c.2 d.4 n.1
Syndico officium suum damnosum esse debet,l.4 t.7 p.286 c.2 d.4 n.1 in all.
per Syndicum facta solutio præsumitur facta nomine vniuersitatis, præsertim in antiquis etiam ad interrumpendam præscriptionem, si modo probetur facta ex eadem causa,lib.8.tit.30 p.1089 c.1 d.1

T

TABELLIONIS cuiuslibet officium, licet vtilitate priuatum sit, tamen authoritate est publicum, l.4 t.16 p.345 c.1 d.1 n.2 in all.
TABVLÆ non sunt apertę ob hoc solùm quod pronunciatum sit aperiendas esse,l.4 t.15 p.332 c.2 d.21 n.1 in all.
Tabulas naturaliter & re vera apertas esse oportet ad cognoscendum testationes,l.4 t.15 p.332 c.2 d.21 n.1 in all.
TACITA pupillaris regulariter contra matrem non admittitur, l.6 t.8 p.643 c.1 d.1 n.2 3 & 9
Taciti & expressi par est vis,l.6 t.8 p.655 c.1 d.24 n.3 in all.
TALLIABILIS sine liberis & condiuisoribus decedentis bona omnia ad feudi dominum deferuntur, lib.6 t.32 p.767 c.2 d.2 n.1 in all.
Talliabilis potest cogi vt patiatur se manumitti, non etiam cogere dominum vt manumittat,p.786 c.2 d.21 n.1
Talliabilis non potest esse testis in causa domini, nisi de re quæ per alios probari non possit,lib.4 t.15 p.334 c.2 d.27 n.1.2 & 3
Talliabilis plurium dominorum potest ab vno ex dominis etiam inuito altero manumitti, l.7 t.2 p.796 c.1 d.1 n.1
Talliabilis aut Ligius duorum in solidum nemo esse potest, potest tamen esse talliabilis vnius & iurisdictionabilis,alterius, l.7 t.3 p.798 c.1 d.6 n.1
Talliabiles non habent testamenti factionem actiuam nisi inter se, l.7 t.1 p.785 c.2 d.17 n.1
Talliabiles decedentes sine liberis,quib. locis faciunt escheutam in bonis omnibus etiam immobilibus, si pro homagio ligio aliquid vel minimũ præstetur,l.7 t.1 p.787 c.1 d.22 n.5 in all.
Talliabiles inter omnes sufficit durasse communionem inter aliquos vt possint succedere etiam illi qui diuiserunt non tamen videtur diuisisse, quę partem suam doti dedit, l.7 t.1 p.783 c.1 d.13 n.5
Talliabilium in successione incapax fit capax per capacem, l.7 t.1 p 785 c.1 d.16 n.1
de Talliabilibus ad misericordiam & de adscriptitiis, qui bona aliqua acceperunt vt se tales profiterentur, & an relictis bonis possint libertatem recuperare,l.7 t.3 p.797 c.2 d.3 n.1
TALLIABILITATIS professio per patrem facta nocet liberis postea quęsitis sed non iam natis nisi sint patris heredes & de iis specialiter pactus sit pater,l.7 t.3 p.799 c.1 d.7 n.1
Talliabilitatis geminata professio si modò facta sit ex interuallo inducit, probátque talliabilitatem l.7 t.3 p.798 c.1 d.4 n.1
TAXATIO sumptuum litis pertinet ad eum ipsum iudicem qui condemnauit,l.7 t.18 p.865 c.1 d.59 n.2 in all.
Taxatio sumptuum & liquidatio fructuum fieri potest non citato eo qui propter suam contumaciam fuit condemnatus,l.7 t.18 p.865 c.1 d.59 num. 1.2 3 & 4
Taxationem æstimationis monetarum, quæ pro vsu & abusu commerciorum fit alia atque alia, solet Senatus Sab. probis viris committere, nõ sibi reseruare,l.8 t.30 p.1093 c.2 d.21 n.1.2.3
in Taxationem cuius loci & temporis veniant expensæ,l.7 t.18 p.872 c.2 d. 89 n.1.2
de Taxatione expensarum adiudicatarum ei, qui non habuit domicilium alibi quàm vbi litigauit, libro 7 tit.18 p.871 c.2 d.86
TEMERITAS quodammodo delictum est l.3 t.2 p.170 c.2 d.12 n.7 in all.
TEMPVS deliberandi quando incipiat currere heredi,l.6 t.11 p.675 c.1 d.46 n.1.2
Tempus redimendi ex contractu non currit quamdiu probabiliter dubitari potest de viribus & validitate contractus l.7 t.13 p.833 c.1 d.22 n.1
Tempus 30. vel 40. annorum dicitur antiquum,l.7 t.13 p.826 cap.1 d.1 n.6 in all.
Tempus in testamentis non nisi pro herede adiectum intelligitur,pag.213 c.1 d.12 n.5 in all.
Tempus mortis inspicitur in æstimando eo quod coniugi plus donatum est. Et quod excedit applicatur liberis, lib.6 t.5 p.524 c.2 d.11 n.1.2.3.4 & 5
Temporis diuturni lapsus omnem omnino præsumptionem tollit violentæ aut clandestinæ aut precariæ possessionis,p.242 c.1 d.9 n.3
Temporis antiquitas facit omnia præsumi sollemniter acta, cùm habeat vim tituli,p.105 c.1 d.1 n.6 in all.
Qui Tempore prior est etiam in prætorio pignore potior est in iure,l.8 t.12 p.1001 c.1 d.1 n.1 2 & 3
Tempora pacti de retrouendendo currunt viuo herede etiam in præiudicium fideicommissarij,l.7 t.13 p.833 c.2 d.23 n.1
TENENT multa iam facta quæ fieri prohibentur,l.1 t.2 p.27 c.2 d.95 n.13 in all.
TESTAMENTVM definitur iusta cuiusque sententia,lib.6 t.6 p.636 c.2 d.1 n.11 in all.
Testamentum qui facere potest, multo magis codicillos,l.6 t.5 p.632 c.1 d.19 num.9
Testamentum omne eo animo & voto fieri debet quasi futurum postremum, l.6 t.6 p.638 c.2 d.5 n.5 in all.
Testamentum propriis viribus subsistere non ab alterius voluntate pendere debet,l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.6 in all.
Testamentum priùs valere debet quàm vt heres quisquam ex eo esse possit,l.6 t.5 p.625 c.1 d.6 n.6 in all.
Testamentum non potest pro parte valere & pro parte non valere, l.6 t.5 p. 629 c.1 d.16 n.6 in all.
Testamentum confirmatũ dicitur quod rumpi vel irritum per se fieri ampliùs non potest, l.6 t.5 p.631 c.1 d.18 n.21
Testamentum militare cùm iure militari factum est, iure directo valet l.6 t. 5 p.625 c.2 d.7 n.6
Testamentum nuncupatiuum si probandum sit per testes, nec dum apertę sint testationes, mittendi sunt interim legitimi heredes in possessionem, l.6 t.14 p.684 c.2 d.4
Nuncupatiuum testamentum quid differat à testamento in scriptis, lib.6 t.5 p.635 c.2 d.30 n.1.2.3
Testamentum nuncupatiuum non reuocatur per cancellationem scripturæ, licet testator habuerit animum reuocandi, lib.6 t.5 p.635 col.1 def.30 num.4
in Testamento nuncupatiuo potest quis sibi adscribere, si modò probetur illud per testes non per scripturam. Item quibusdam aliis casibus,l 9 t.14 p.177 c.1 d.1 n.1
Testamentum factum per nuncupationem herede non nuncupato, sed potest valere iure testamenti in scriptis, licet valeat solennitates requisitas nec si adsit clausula omni meliori modo,lib.6 tit.5 p.624 c.1 d.4 nu.1.2. 3.4 & 5

BIU Cujas

Vsurę non debentur ex stipulatione pœnali, nec illa præcedentem obligationem nouat, p.390 c.1 d.18 n.1.2.3.4 & 5

Vsuræ nullæ debentur eius quantitatis quæ nondum debetur, vel nondum est p.274 c.1 d.8 n.22

Vsuræ nec veniunt in prouisionalem condemnationem, nec id quod interest, secus in augmento monetę, l.7 t.15 p.844 c.1 d.13 n.1

Vsuræ non debentur nisi ex mora, lib.8 t.28 p.1074 c.2 d.19 n.3 in all.

Vsuræ citra moram non debentur ei ex cuius pecunia ab alio res fuit comparata, quamuis alius ille fructus percepit p.444 c.1 d.12 n.4

Vsuræ æstimationis quanti plurimi ex mora præstandæ sunt, p.387 c.1 d.9 n.1

Vsuræ si ad exonerandam conscientiam ab heredibus relictæ sint, ad solutionem earum cogi debitores non possunt, p 396 c.1 d.36 à n.1 ad 13

Vsuræ adiudicantur ex mutuo à die litis contestatæ, siue contestatio vera intercesserit, siue ficta, p.395 c.1 d.33 n.1. 2.3.4.5 & 6

Vsurarum conuentio ab vno facta non potest nocere alteri, nisi ei qui alias eiusdem contractus partes sibi prodesse velit. 394 c.2 d.32 n.1 & 2

Vsurarum & sortis petitio eodem libello concludi potest, eodémq; iudicio terminari debet, l.7 t 81 p.854 c.1 d.22 n.1

Vsurarum aliarúmque accessionum augmentum monetale nullum vnquam debetur. l.8 t.29 p.1102 c.1 d.45 nu.1 2 & 3

Vsurarum legitimum modum nonnumquam excedere potest id quod interest l.7 t.16 p.846 c.2 d.4 n.1

Vsurarum remissio ex quacumque causa, etiam loco fructuum debitorum, non eget insinuatione vt nec pœnarum, l.8 t.40 p.1145 c.1 d.4 n.1

Vsurarum aut fructuum vsuræ nunquam præstandæ sunt, præterquam in petitione hæreditaria, lib.4 tit.24 p.388 c.1 d.4 n.1.2 3.4 & 5

In Vsurarum fraudem conuentiones non sunt ferendæ, l.4 t.24 p.398 c.1 d.40 n.5 in all.

Vsuris non solutis iusiurandum debitori non podest, p.78 c.1 d.4 n.4

Vsuras pecuniæ habere non debet is qui rei fructus habu, lib.4 t.24 p.388 c.1 d.11 n.2 in all.

Vsvs diuturnus ad dcontinuas seruitutes acquirendas sufficere potest, l.3 t.24 p.240 c.1 d.3 n. in all.

Vsvsfrvctvs nisi aliud est, quàm ius alienis rebus vtendi fruendi, salua earum substantia, p.36 c.2 d.2 n.5 in al.

Vsusfructus in iure, non in patre consistit p.237 c.1 d.4 n. in all.

Vsusfructus patris à bonis filij publicatis facit vt non ideatur ea publicata, quorum vsumfructum pater habet, p.294 c.2 d.5 n.1 & 2

Vsusfructus alicui relictus non finitur per ingressum monasterij, nisi monasterium sit ex mendicantibus, l.1 t.2 p.12 c.2 d.44 n.2 in all. imò durat iure alimentorum, Ibid.

an Vsusfructus prentibus quamdiu vivent, relictus iis etiam à posthumo posthumique legitimo herede debeatur, l.6 t.2 p.721 c.1 d.20

Vsumfructum iure testamenti habet mulier, cui usufructus tantum legatus alio posteius mortem hærede instituto, secutator bonis dandus est, l.6 t.18 p.699 c.2 d.7

Vsumfructum quisquis habet quoquo modo constitutum, satisdare cogitur de bene vtendo fruendo, non item qui ius habet fructuum fortassis ex antichresi percipiendorum, p.238 c.2 d.9 n.1.2. & 3

de Vsufructu matri legato, restringendo ad alimenta fauore liberorum, l.6 t.18 p.700 c.2 d.14

Vsvfrvctvarivs cùm personalib. actionibu non teneatur omnium bonorum æs alienam soluere non cogitur, l.3 t.1 p.235 c.2 d.1 n.1 & 2

Vsufructuarius admittitur cauendo heredi, siue testamentario siue legitimo quamdiu expectatur, l.6 t.6 p.640 c.2 d.9 n.4.5.6 & 7

Vsufructuarius proprietarium quominùs ex bonis proprietarijs detrahat quantum necesse est ad æris alieni exsolutionem prohibere non potest, l.3 t.23 p.235 c.2 d.1 n.2

Vsufructuarius qui vt proprietraij possessionem inuerteret accepit fundum in emphyteusin à domino directo, nullam contra eum habet actionem de euictione possessionis, nec vllo casu, nisi de precio, l.8 t.31 p.1111 c.2 d.12 n.1 & 7

Vsufructuarius quisquis est, possidet quidem naturaliter suo nomine, sed ciuiliter non nisi nomine, proprietarij, l.5 t.5 p.527 c.2 d.17 n.5 in all.

Vsusfructuarius, si abutatur vsufructu expelli potest, licet satisdederit, l.3 t.2 p.236 c.1 d.2 n.3

Vsufructuario remitti necessitas conficiendi inuentarij non potest l.6 t.11 p.674 c.1 d.43 n.2 in all.

Vtilitas publica postulat, ne cadauera iaceant insepulta, p.248 c.2 d.1 n.5 in all.

Vtilitatis publicę, quàm priuatæ potiorem esse causam oportet. p.246 c.2 d.1 n.7

Vvlgaris substitutio interdum flectitur in fideicommissariam si adsit prohibitio alienationis, dummodo ad omnes substitutoium gradus pertineat l.6 t.22 p.732 c.1 d.46

Vvlnerati assertio non facit indicium ad condemnationem, nec ad torturam, sed tantùm ad inquirendum & heredem excusandum, l.9 t.21 p.1193 c.2 d.26 n.1

Vxor pro viro testis esse non potest, contra virum potest, sed non cogitur, nec soror contra fratrem, p.327 c.1 d.1 à n.1 in all.

Vxor, si dotem non soluat expelli potest, non item si non habeat, p.122 c.2 d.1 n.9 in all.

Vxor instituta ex vsufructu, cum proprietas ex die mortis eius aliis legata sit, intelligitur scripta ex asse, & rogata de hæreditate post mortem suam restituenda, l.6 t.22 p.716 d.5

Vxor non potest accusari crimine expilatæ hæreditatis, quia nec furti cum ea agi potest, l.9 t.19 p.1182 c.2 d.1 n.4 in all.

Vxoris alia causa, alia liberorum, post mortem matris vergente marito ad inopiam, l.6 t.34 p.772 c.1 d.5

Vxoris nomine continetur etiam illa quæ est mater, p.634 c.1 d.27 n.7 in al.

Vxori datum plus quàm vni ex liberis prioris matrimonij restringitur ad id quod datum est de facto non de iure, l.5 t.5 p.522 c.2 d.4 post n.7

FINIS.



BIU Cujas